Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

+5002 996 01

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VINCENTIUS BELLOVACENSIS

(VINCENT DE BEAUVAIS)

SPECULUM QUADRUPLEX

SIVE

SPECULUM MAIUS

NATURALE / DOCTRINALE
MORALE / HISTORIALE

1964

AKADEMISCHE DRUCK- u. VERLAGSANSTALT
GRAZ-AUSTRIA

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VINCENTIUS BELLOVACENSIS

SPECULUM NATURALE

1964

AKADEMISCHE DRUCK- u. VERLAGSANSTALT
GRAZ-AUSTRIA

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

25
phi c
82602
S 741

96.163

VI

9g

1

5.002.996.01

Photomechanischer Nachdruck der
Akademischen Druck- u. Verlagsanstalt
Graz / Austria

Printed in Austria
159.64

Philos. Institut
der Universität
Düsseldorf
68/373

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

BIBLIOTHECA MVNDI.

VINCENTII BVRGVNDI,

EX ORDINE PRÆDICATORVM VENERABILIS EPISCOPI BELLOVACENSIS,

SPECVLVM QVADRVPLEX,

NATVRALE,
DOCTRINALE,
MORALE,
HISTORIALE.

In quo totius naturæ HISTORIA, omnium ſcientiarum ENCYCLOPÆDIA, moralis Philoſophiæ THESAVRVS, temporum & actionum humanarum THEATRVM ampliſſimum exhibetur; ita ex optimorum auctorum elegantiſſimis ſententiis inter ſe concatenatis contextum opus, vt nihil videri laborioſius, nihil ad ſapientiam vtilius, nihil denique ad honeſtam animi voluptatem inueniri poſſit iucundius.

Omnia nunc accuratè recognita, diſtinctè ordinata, ſuis vnicuique autori redditis exactè ſententijs; ſummarijs præterea & obſeruationibus, quibus anteà carebat, illuſtrata.

Operâ & ſtudio Theologorum BENEDICTINORVM Collegij VEDASTINI in alma Academia DVACENSI.



DVACI,

Ex Officina Typographica BALTAZARIS BELLERI, ſub Circino aureo.

ANNO M. DC. XXIV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



SEV

VENERABILIS VIRI

VINCENTII BVRGVNDI

EX ORDINE PRÆDICATORVM

EPISCOPI BELLOVACENSIS

SPECVLVM QVADRVPLEX

NATVRALE, DOCTRINALE, MORALE,

HISTORIALE.

Omnia nunc recognita, correctiſſimè caſtigata, citationibus, ſummarijs, obſeruationibuſq; quibus hactenus caruerunt, illuſtrata.

Opera ac ſtudio Theologorum

BENEDICTINORVM COLLEGII

VEDASTINI *in Academia* DVACENSI.

DVACI

Ex officina Typographica et ſumptibus

BALTHAZARIS BELLERI

in Circino aureo.

M. DC. XXIV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

REGI SÆCVLORVM

IMMORTALI ET INVISIBILI

SOLI DEO ET DOMINO

TRINO ET VNI,

PATRI ET FILIO ET SPIRITVI SANCTO:

POTENTIÆ, SAPIENTIÆ, BONITATIS,

MISERICORDIÆ ET IVSTITIÆ

FONTI ET PARENTI

OPTIMO MAXIMOQVE.

Qui nos ex nihilo productos creauit: Et ne in idem nihilum relabamur conſeruat;

Quin & in abyſſum peccati dejectos Morte ſua erexit.

Cuius ſunt deliciæ cum hominibus verſari:
Quo cum verſari ſolæ hominis eſſe debent deliciæ;
A quo peregrinari maxima eſt moleſtia;
A quo ſeparari ſumma & vnica eſt miſeria:

HANC MVNDI

BIBLIOTHECAM

HONORIS, TIMORIS, AMORIS, PIETATIS

MINVTAM TESSERAM

DICAT CONSECRATQ;

Eius TRISAGII, & TRISMEGISTI numinis

CREATIONE reſcula, LYTRO ſeruulus, FIDE filiolus;

Terræ nunc inquilinus; olim ciuis cæli,

Non ſuæ naturæ viribus, ſed eius gratiæ auxilijs futurus,

(vti cum timore & tremore ſperat)

ipſi notus, ſibi incognitus

BALTHAZAR BELLERVS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

TV VERO

VIRGA JESSE VIRGINITATIS VEXILLIFERA

ΑΕΙΠΑΡΘΕΝΟΜΗΤΗΡ

MATER DEI AC DOMINI NOSTRI MARIA:

(Quæ enim major laus, quàm hic titulorum titulus,
Florem diuinum ex vtero tuo pullulasse?)

IDEM ILLE HVMILIS ET INDIGNVS CLIENTVLVS TVVS

TIBI POST FILIVM TVVM, CREATVRARVM REGINÆ,

HANG SVAM OFFERT DEVOTVS

BIBLIOTHECAM.

Patieris autem, ô Genitrix Dei,
Humilitatis Magistra clarissima:

Hujus etiam dedicationis tecum esse participes
Omnes Empyrej imperij glorioſiſſimos Proceres;
Siue illi sint Angelorum populi, siue Sanctorum chori;
Curis nostris exempti, curæ tamen nostrûm intenti;

TIBI IGITVR, PRÆ OMNIBVS,

DOMINA ET MATER DOMINI NOSTRI:

SED ET OMNIBVS TECVM SANCTIS,

DOMINI DEIQ; NOSTRI DOMESTICIS,

CÆLESTIS CVRIÆ AVLICIS POTENTIBVS,

DOMINIS, PATRONIS,

ET ADVOCATIS SVIS:

Ob impetratam vestro interuentu hactenus

VITÆ SVÆ INCOLVMITATEM:

FIDEI SVÆ INTEGRITATEM;

PRÆLO SVO HONESTAM LAVDEM;

Hanc opellam, seipsum, suaq; omnia
offert, vouetq; pietatis ergò

IDEM BALTHAZAR BELLERVS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO

D. PHILIPPO

INSIGNIS COENOBII

S. BERTINI APVD MORINOS ABBATI,

COMITI ARCIÆ, &c. ORDINIS S. BENEDICTI,

ET CONGREGATIONIS EXEMPTORVM BELGII,

FELICITATEM SEMPITERNAM.



VM in hac ampliſſima dignitate conſtitutum te, PRÆSVL REVERENDISSIME, non ſolùm amici, ſed etiam clientes certatim affectuum ſuorum indiciis & monumentis jam ſalutauerint: cogitabam & ego, an non operæpretium eſſem facturus, ſi, quam in te pietatem & virtutem Deus optimus maximus inſigni honore ornaſſet, aliquo meorum quoque officiorum genere venerarer. Deterrebat me quidem ab hac cogitatione tua magnitudo, ſed ad eandem rurſus impellebat humanitatis tuæ dulcedo; quæ, ne perpetua cunctatione diſtractus fluctuarer, excuſſit verecundiam, & audaciam præſtitit. Quapropter meæ conditionis oblitus, in tuam vero æquanimitatem penitus defixus: inter reliquos dignitatis tuæ gratulatores, ego etiam accedere præſumo, munus non indignum (vt opinor) tua amplitudine, certè aptum & conſentaneum meæ fortunæ offerens.

VINCENTII BELLOVACENSIS, viri in omni ſcientiarum liberalium genere penè vſque ad miraculum excellentis opera, (quæ inſtar maximæ Bibliothecę, libris omnium profeſſionum refertæ poſſint ab eruditis haberi) ex tenebroſis editionibus in lucem nitidę fideliſſimæque impreſſionis educta vindicaui. Ea publici juris facturus, tui celeberrimi per ARTESIAM noſtram nominis patrocinio defendi poſſe, & commendari ſcio: eorundem editione tuas laudes non quidem augeri, (neque enim adeo deſipio,) ſed tamen apud alias nationes etiam celebratum iri confido. Ex qua nimirum intelligant, eſſe BELGIO noſtro MVLTOS ORDINIS BENEDICTINI ANTISTITES, tanquam illuſtria cæli religioſi ſydera, & inter illos te maiori lumine ſplendeſcere; ſumma PIETATIS ET INTEGRITATIS regularis gloria, præclara

ERVDITIONIS THEOLOGICÆ, (in qua & LAVREAM præcipuam jamdudum ACADEMIÆ noſtræ judicio accepiſti) laude, & BENEFICENTIÆ HOSPITALITATISq; meritis, vt BENEDICTINVM ABBATEM decet, refulgentem.

Intelligent ad hanc Abbatialis curæ poteſtatem ampliſſimam, poſt alios in monaſterio tuo gradus in laboribus regularibus integerrime adminiſtratos, MORE CONSVETO PIENTISSIMIS PRINCIPIBVS NOSTRIS, per fratrum tuorum ſuffragia, à ſummis religioſisque viris rogata, toto conuentu exultante, tota Morinorum prouincia triumphante, omnibus bonis applaudentibus, & ex tua promotione non ſine certiſſimis rationibus ingentem REIP. BENEDICTINÆ profectum ſibi pollicentibus peruenisſe.

Scio te laudum iſtarum non eſſe *appetentem*, ſicut nec *indigentem*; neq; ego idcirco iſta de te apud te præconia depromo, quaſi ea in re tibi placerem; potius offenderem, ſi illud ſolum, aut præcipuè, aut omnino ſpectarem. Cæterum ego BELGII NOSTRI GLORIAM, quæ talibus antiſtitibus veluti ſtellis radiantibus illuſtratur; RELIGIONIS BENEDICTINÆ CELEBRITATEM, quæ ſimilibus gubernatoribus cohoneſtata reuireſcit; FIDEI NOSTRÆ SANCTITATEM intueor, quæ talibus profeſſoribus & propugnatoribus declaratur eſſe verè catholica: quorum nempe vita CONSILIIS EVANGELICIS inſiſtens, oſtendit, fruſtrà noſtræ ætatis ſectarios EVANGELICORVM nomine ſeſe jactare, qui EVANGELICA CHRISTI CONSILIA, ſolis catholicis eſſe venerationi ipſo EVANGELICÆ PERFECTIONIS neglectu confitentur.

Tibi ergo, REVERENDISSIME DOMINE, *ſufficit conſcientia tua:* (quemadmodum de ſe dicebat magnus AVGVSTINVS;) NOBIS AVTEM VTILIS EST ETIAM GLORIA ET FAMA TVA; quia nempe nulla alia re faciliùs, firmiùs, libentiùs, deſiderabiliùs in ſanctiſſimæ religionis profeſſione continemur nos plebeię & ſimpliciores animæ, quam glorioſis SACRORVM ANTISTITVM noſtrorum meritis & exemplis. Ea de cauſa & patienter feres hęc à me de te ad teipſum dicta: & benigniter (vti fiduciam habeo) accipies hoc dedicationis munus, quo tuas virtutes honorare & venerari conor; quia etiam tibi gratum eſſe debet, amorem & venerationem pietatis ex tuo intuitu in quouis homine ſuſcitari.

Sed & ipſum opus quod offero, cùm ſit BIBLIOTHECA, non inconcinnè illius ordinis Antiſtiti offertur, cuius ordinis monaſteria primis Chriſtianitatis noſtrę exordiis & *gymnaſia* fuere literarum, & *repoſitoria* tutiſſima librorum. Nullibi enim per aliquot ſęcula, extra veſtræ familiæ cœnobia ſtudiorũ ſtudioſorumq; habebatur frequentia; nullibi extra veſtras ædes habuerunt muſę ſedes & domicilia. Quod paſſim extent omnium ſcientiarum, profeſſionum, hiſtoriarum, autores optimi, veſtris debetur cœnobiis, in quibus diligentiſſime aſſeruabantur; à quibus per induſtriam Monachorum exemplaria multiplicata in omnes prouincias deriuabantur; vt niſi per veſtrorum labores ſtetiſſet, tot inſignium autorum labores periiſſent, vnà cum aliorum monumentis, quę quia tales non ſunt nacta conſeruatores, cum ſummo eruditorum omnium dolore interciderunt. Veſtrorum exemplis pręeuntibus cęteri occidentis noſtri religioſi ętate iuniores, pietate ſuppares, diligentia æmuli, idem literis piè obſtetricandi munus ſubierunt, vſque ad ea tempora, quibus noſtra Typographiæ ars fœliciter inuenta, & vos & illos

deſcri-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deſcribendi laboribus liberauit: quę tamen ſemper autoribus per vos deſcriptis eget, vt conſulantur in dubiis, & probentur in controuerſis; & adhuc quotidie ſubleuatur, dum vix celerrima imprimendi facilitas ea ſufficit mundo euulgare nouis impreſſionibus, quę veſtra diligentia in Bibliothecis locupletiſſimis, ad omnis poſteritatis memoriam eruditionemque recondidit.

Siue ergo *offerentis* animum, qui erga tuas virtutes eſt officioſiſſimus; ſiue *munus* ipſum oblatum, *cauſas*q; oblationis intuearis, PRÆSVL RELIGIOSISSIME; ſpero tuę benignitati non fore ingratum, quod tuæ fœlicitati ſimul aggratulando pręteritam, & apprecando futuram Dei benedictionem vouit, conſecrauitq;

R.me D. T. humilis clientulus

BALTHAZAR BELLERVS.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

AD OMNES S. BENEDICTI FILIOS PROCELEVSMA.

NVrſini Patris ſoboles pulcherrima, per quos
Belgica ſacratis ornantur pectora curis,
Et ſeptemgeminas Sophiæ venerabilis arces
Paſſibus extentis animantur ſcandere; quo vos
Carmine, quaue tubâ celebrem? Sic pergite nobis
Auguſtas aperire fores, valuiſque recluſis
Pandere diuini penetralia lucida verbi,
Antiquo de more patrum; Iſthoc inſtitit olim
Tramite doctrinæ Monachorum lucidus ordo
Docta manus Patrum, Benedicti exercitus omnis.
Antiquum hoc reuocate decus conamine forti:
Vt rediuiua pijs doctrinæ gloria clauſtris
Reddatur, patréſque ſuos jam paſſibus æquis
Ad Sophiæ veræ comitentur culmina Nati, &
Magnorum haudquaquam indigni reputentur auorum.
Cernitis vt magni moles excelſa Vedaſti
Illa Duacenis nuper lux addita ſtellis
Pandat iter clarum vobis ſplendore coruſco
Ad laurum & palmam hanc? Fœlici pergite curſu
Laurigeras penetrare domos, & pectore toto
Sidereo exciti feruore, recondite Muſas,
Æde Vedaſtinus quas iſta excepit Apollo.
Ecce autem ex alio ſurgit lux aurea cælo
Qua Morinas inter Præſul celeberrimus vrbes
Bertini ſucceſſor opes promittit & artes,
Cæleſtes deuotus opes, edoctus at artes
Ipſe in Athenæo ſacri florente Duaci.
Et quid non poterit veſtræ Reſpublica normæ
Excelſi & clari à Phœbis ſperare duobus?
Quorum ſolo vno veſter ſic fulget Horizon,
Sole velut ſolo ſibi ſufficit aureus Aether.
Ergo Vedaſtiades læto certamine Muſæ
Longe alias omnes ſtudeant præuertere laude
Doctrinæ & virtutis: & iſtæc optima lis eſt
Ex pietate decus, laudémque ex arte referre.
Sic ſimiles patribus nati, ſic priſca recurret
Tam celebrata olim Monachalis gloria cœtus,
Nurſiníque patris laudabitur optima proles.

AMEN IESV DVLCISSIME.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

THEOLOGI

COLLEGII VEDASTINI

DVACENSIS, ORDINIS S. BENEDICTI,

LECTORIBVS BENEVOLIS ÆTERNAM FÆLICITATEM PRECANTVR.

INTEGRAM vobis BIBLIOTHECAM offerimus, in qua totius mundi, ſeu vniuerſitatis creatarum rerum Theoriam doctam, vtilem, jucundam exhibemus. Autor eſt VINCENTIVS BELLOVACENSIS, ex almo Prędicatorum D. Dominici inſtituto Religioſus; aut, ſi veriùs, & ex ipſius mente clarius dicere volumus, operis huius ille non tam autor, quam coordinator eſt, & veluti Textor; ex omnibus enim autorum optimæ notæ, qua Chriſtianorum, qua ethnicorum ſcriptis ita excerpſit laboriosè, quicquid in vnoquoque ad encyclopædiæ, ſeu Orbis ſcientiarum ſtructuram vtile inuenerat, ita contexuit aptè & concinnè; vt quamuis nihil ferè hic ſuum ſit, prętęr laborẽ & ordinem; Is ipſe tamen labor atque ordo pulcherrimus nihil non illius fuiſſe venditet. Sed ceſſamus laudare: laudis enim veriſſimæ ſumma eſto, Intra hoc Theatrum, & ſpecta, & plauſum dabis. Illud tamen non eſt ſilentio prætereundum, magnum & Chriſtianiſſimum Francorum Regem Philippum huic Autori noſtro ſumptus in amanuenſes alendos magnificè contribuiſſe, vt omnium ab eo ſciẽtiarum haberet magiſterium: ſicut magnus & celebertimus Macedonum rex Alexander ſuo Ariſtoteli in venatores, aucupes & piſcatores talenta multa regaliter contulit, vt omnium ab eo diſceret animalium hiſtoriam; Vt proinde quod illi Græcorum Monarchę propter Ariſtotelis celebratiſſimum opus debent naturæ rerum ſtudioſi: hoc & huic Francorum Monarchæ propter Vincentij mirabile Speculum debere ſe ſcientiarum amatores fateantur; quidni etiam, vt dignum Macedonico Alexandro Ariſtotelem; ita non indignum Francico Philippo clament Vincentium!

Quod ſi vt illi ad hanc ſuam machinam (è qua omnia penè contemplari poſſumus minutatim, quæ totum hoc continet vniuerſum) erigendam adfuerat Rex Patronus maximus: ita ad eiuſdem pene ob vetuſtatem neglectarum editionum diſiectæ reparationem talis etiã affulſiſſet Mecenas munificus; forſitan longe ornatiori ſchemate, comparuiſſet. Sed vnius Typographi curta ſupellex, quamuis animus eſſet maximus; ſane mirum eſt, quod hucuſq; potuerit pertigiſſe. Laudandus tamen conatus ob publicum bonum, qui tanto illi ære conſtitit, tantum vt reipublicæ literariæ, cui artem ſuam ſubalternari non erubeſcit, pro ſuo modulo prodeſſe poſſet.

Sed & hoc eidem typographo debetis, Lectores humaniſſimi: quod opus hoc ſua mole pene formidandum, poſtquam inſpexeritis characterum nitorem, ordinis diſtinctiſſimi pulchritudinem, literarum vbi opus fuit varietatem; marginalium adminicula notarum, citationum fidelem recenſionem; facillimum vobis, iucundiſſimumq; reddiderit. Eum in finem noſtra vti voluit opera, qui partitis inter nos vigiliis, ſingula quatuor volumina exactiſſima cura percurrimus; cum manuſcriptis, & duabus impreſſis editionibus contulimus,

ipſos

ipſos etiam fontes, è quibus autor hæc deriuauit παντοδαπῆς πολυμαθειας, & omnigenę eruditionis fluenta, (quotquot inuenire potuimus) diligenter & fideliter inſpeximus; vt ſuis quæq; autoribus redderentur ſententiæ, & ex ipſis etiam, cùm res poſtulare videbatur, emendarentur.

Neminem in hac arena litetaria laborantem contemnimus: nullius diligentiam ſpernimus, aut vellicamus: ſed hoc tamen veriſſimę poſſumus affirmare; id à nobis in hoc autore fuiſſe prętitum: quod ex aliis omnibus editionibus, ſiue prelo expreſſis, ſiue manu exaratis, apparebit, non niſi per ſummam induſtriam, & incredibilem penè laborem præſtari potuiſſe. De editione noſtra ſatis.

De autore ipſo, nihil amplius dicimus, quàm exiſtimare nos, ipſum aut Beluacenſis eccleſię Epiſcopum non fuiſſe, aut ſolummodo ſuffraganeum, ſub aliquo Principe Adminiſtratore; Neque enim nomen eius licet diu quæſitum, in tabulis eccleſiæ illius à diligenti hiſtorico editis inuenire potuimus: in quibus tamen circa ipſius autoris tempora tales inuenimus Epiſcopos nominari, quos non niſi per ſuffraganeum eccleſiam illam gubernaſſe veroſimiliùs apparet. Reliquas eius laudes & prędonia celebrabunt autores magni, quos huic prefationi ſubnexos videtis.

De opere etiam ipſo hoc eſt ſubmonendum: volumen ſecundum, quod Speculum Doctrinale inſcripſit, imperfectum eſſe: deeſt enim magna pars vltimi libri, in qua parte duo ſibi propoſuit exequenda; nempe, quomodo inueſtigari poſſint ſcripturarum profunda myſteria; quoque pacto inueſtigata doceri & exponi: quę duo cùm non inueniamus in vllis exemplaribus, apparet eum non perfeciſſe quod propoſuerat; forſitan Epiſcopali cura à tanti operis molimine diuulſum. Atque ea etiam fuerit ratio, cur Speculum Morale, ex vno D. Thoma ordinis ſui autore per epitomen contraxerit: nam quę ille ſcholaſticis diſputationibus aptiſſima methodo conceperat; ea hic noſter methodo concionatoribus & ſuggeſtis popularibus aptiore diſpoſuit. Quamuis enim dici fortè potuerit, eadē clade perijſſe Speculum Morale ab ipſo confectum, qua partem modicam Speculi Doctrinalis perijſſe docuimus; ideoque eius loco iſtud ex D. Thoma breuiarium fuiſſe à diſcipulis eius ſubſtitutum: Tamen longè probabilius eſt, ipſum Speculum Morale à Vincentio compoſitum eo fuiſſe modo, quo nunc exhibemus; ob rationes, quas in elogio eruditiſſimi Cardinalis Bellarmini referendo, proponimus. Neque enim credibile eſt, Prædicatores Monachos, viros diligentiſſimos, Speculum Morale (ſiquod aliud edidiſſet Vincentius) neglecturos fuiſſe, quod ipſorum laboribus in concionandi munere ſubleuandis eſſet vtiliſſimum, cæteriſq; tribus, aut ſaltem quouis è tribus cęteris longe accommodatiùs. Sed in hac re contentioſum funem non trahemus: coniecturas noſtras in medio poſuimus, ius ſententię ferendę vobis permittimus Lectores humaniſſimi: quorum erit candoris, ſiquid erit à nobis in opere tam vaſto recenſendo aut erratum, aut neglectum, ignoſcere; pietatis verò, quæ bene animaduerſa ſunt, Deo Opt. Max. attribuere; humanitatis autem, hos qualeſcunque conatus noſtros, æqui boniq; conſulere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ELOGIA DOCTORVM

DE VENERABILI

VINCENTIO BELLOVACENSI.

Ioannes Trithemius Abbas Spanheimenſis in lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis.



INCENTIVS *Gallus, natione Burgundus, ordinis Prædicatorum, dictus* BELLOVACENSIS, *vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & exercitatus, ac veterum lectione diues, ingenio ſubtilis, & ſermone compoſitus, tantum literis ſtudium adhibuit, vt nullis vnquam laboribus, vigilijs, vel occupationibus ab earum cultura potuerit auocari, quin ſemper aut legeret, aut ſcriberet, aut prædicaret. Tantus itaque fuit, vt poſt ſe necdum habuerit parem, ſi ardua, quæ ſcripſit, opuſcula ex multis laborioſe collecta, æqua lance cum cæteris ponderemus. Nam petente & ſumptus miniſtrante Rege Francorum, grande & admirabile opus Speculorum de omni (vt ita dixerim) re ſcibili, in multis voluminibus, maximis laboribus comportauit, quod ita prænotauit atque diſtinxit, Speculum Hiſtoriale lib. 32. Deus eſt ſubſtantia. Speculum Naturale lib. 33. Quoniam multitudo librorum. Speculum Morale lib. 3. In omnibus tuis memorare. Speculum Doctrinale lib. 13. Quoniam multitudo: De gratia Dei quoque lib. 4. Liber generationis. De laudibus S. Mariæ lib. 1. Si Deum ore prophetico. De laudibus S. Ioannis Euangeliſtæ lib. 1. Beatus Ioannes Euangelium. De inſtitutione puerorum lib. 1. Filij tibi ſunt? erudi illos. Conſolationem ſuper mortuo. lib. 1. In primis igitur aduerte. Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. & alia inſuper nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Frederico Imperatore II. anno Domini 1240.*

Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ ſanctæ.

VINCENTIVS Bellouacenſis Epiſcopus, natione Burgundus, ex ordine Prædicatorum, inexplebili diſcendi, docendi, legendi, ſcribendique ardore captus, & nullis vnquam ſtudiorum laboribus ac vigiliis feſſus: cùm omnes omnium pene gentium libros longo tempore, & aſſidua diligentia reuoluiſſet, hortatu amicorum, & ſumptibus Philippi Valeſij Francorum Regis adjutus, collegit ex dictis innumerabilium autorum, tam Chriſtianorum quàm Gentilium, in Hexaemeron volumen ingens, triginta

duobus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

duobus magnis libris diſtinctum, quod idcirco SPECVLVM NATVRALE inſcripſit; quia in hoc vno complexus eſt, quicquid ſpeculatione, admiratione, & imitatione dignum inueniri poteſt in his, quæ in *mundo viſibili & inuiſibili*, ab initio vſque ad finem facta vel dicta ſunt; annotatis intra ipſas contextûs lineas ſingulorum autorum nominibus, ex quorum ſcriptis hoc opus conſarcinauit. Summa autem librorum præſentis voluminis hæc eſt; videlicet: De prima mundi creatione, hoc eſt, De Creatore, & de his quę ab eo ante omnem diem creata ſunt, librum vnum: qui incipit, Quoniam multitudo librorum. De opere primæ diei, librum vnum. De opere ſecundæ diei libros duos. De opere tertiæ diei libros decem. De opere quartę diei librum vnum. De opere quintæ diei libros duos. De opere ſextæ diei libros vndecim. De opere ſeptimę diei, quę nimirum Deus, poſtquam requieuit die ſeptimo, operatur vſque modo, libros quatuor. Claruit ſub Friderico Imperatore II. anno Domini 1240.

Antonius Poſſeuinus in Apparatu ſacro: parte ſecunda.

POſtquam exſcripſiſſet verbatim ea quæ iam ex Sixto attulimus, hæc ſubiungit. Sed & ſcripſit quatuor libros de gratia Dei, ſiue, de myſterio redemptionis humanæ; vnum de laudibus B. Virginis, ſiue de moribus & geſtis illius. Alterum de laudibus S. Joannis Euangeliſtæ. Alium de inſtitutione regularium puerorum, & in quibus libris ſint potiſſimùm inſtituendi. Alium de conſolatione ſuper mortuo, ſiue de ſpecialibus generalibúſque conſolationis præceptis. Alium epiſtolarum. Omnia olim Baſileæ impreſſa apud Ioannem Amerbacchium anno 1481. Atqui Speculum ipſius Vincentij Venetijs anno 1591. apud Dominicum Nicolinum prodijt. Hæc ille. Ceterum librum quem Poſſeuinus vocat, De regularium puerorum inſtitutione, (niſi ſit error typographicus) debuit inſcribere de puerorum regalium, ſeu nobilium inſtitutione: de illis enim duntaxat ibi loquitur Vincentius.

C. Bellarminus: lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis.

VINCENTIVS BELLOVACENSIS *ex ordine Prædicatorum, vixit tempore Innocentij Quarti Pontificis. Scripſit opera laborioſiſſima, ac præſertim quatuor Specula, Doctrinale, Hiſtoriale, Naturale, Morale. Doctrinale Speculum continet libros ſeptemdecim, & tractat de omnibus ſcientijs, à Grammatica vſque ad Theologiam. Hiſtoriale Speculum tradit hiſtorias ab initio mundi, vſque ad annum Domini 1244. Sed continuauit aliquis alius, vſque ad annum Domini 1494. Naturale Speculum continet libros 32. & tractat de rebus omnibus, herbis, auibus, &c. & in vltimo libro, de locis & temporibus, & ſua tempora dicit fuiſſe anno Domini 1250. Morale Speculum continet libros tres, diuiſos in partes & diſtinctiones: & tractat de paſſionibus animi, de legibus, de gratia, de vitijs & virtutibus copioſiſſimè. Obijt autem anno Domini 1256. teſte Antonio Senenſi, in Bibliotheca ordinis Prædicatorum, qui Vaſæum teſtem adducit.*

Idem Cardinalis in tertia obſeruatione ad opera D. Thomæ, hæc ait:

Mirum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Mirum est valde, quod magna pars primæ secundæ inueniatur ijsdem verbis in primo & tertio libro Speculi Moralis Vincentij Bellouacensis. Et quidem non videtur Vincentius potuisse Speculum suum Morale conficere ex doctrina & verbis S. Thomæ, cùm ipse obierit anno Domini 1256. vt testatur Antonius Senensis ex Vasæo, in Biblioth eca Patrum Prædicatorum; & S. Thomas obierit anno Domini 1274. & in extrema ætate summam Theologiæ confecerit. Sed neque est vllo modo credibile, Sanctum Thomam Summæ suæ partem secundam, eamq; nobilissimam, ex alio scriptore hausisse. In his angustijs nihil mihi occurrit, nisi Speculum illud Morale fortasse non esse Vincentij Bellouacensis, sed alicuius autoris posterioris, qui fortasse Vincentius etiam diceretur; quiq secundam partem S. Thomæ in compendium redigere voluerit. Id quod videtur posse confirmari ex eo, quod Speculum Morale grauius multò videtur esse, quam sint Speculum Doctrinale, Naturale, & Historiale; quæ tria sine vllo dubio sunt Vincentij Bellouacensis. Hucusque Cardinalis.

OBSERVATIO DE HOC IVDICIO C. BELLARMINI.

SEd profectò dolendum est, etiam magnos & sanctos viros in hac posteriori ætate nostra nimium sibi indulsisse in scriptis veterum reijciendis, aut in dubium vocandis, propter nonnullas coniecturas suas, quæ plerumque aut falso, dubioq; nituntur fundamento, aut nihil aliud sunt quàm probabiles, imo leues coniecturæ. Sanè cùm Vincentius hic noster, in Proœmio Speculi Naturalis, testetur sæpius se opus hoc totum Speculi Maioris in quatuor minora specula diuisisse, & inter ea tertio loco numeret Morale; omneſq; libri veterrimarum editionum (vt ea quam habuimus anno 1484. Coloniæ Agrippinæ apud Hermannum Lucheustein elaboratam, & Veneta anni 1591.) & alij etiam manuscripti constanter hoc ipsum Speculum Morale, quod habemus, Vincentio eidem ascribant: cur non eius esse arbitrabimur? Tam studiosè scilicet, tam vasta volumina curarunt, & exscribi & excudi, & vnam partem præcipuam tam laborioſi operis permiserunt eius discipuli perire? Sed argumenta Cardinalis habent claram solutionem. Cur enim non potuit Vincentius illam partem Summæ D. Thomæ in compendium redigere: qui alia multa in Speculo Naturali ex D. Thomæ Aquinate nominatim transcribit? nimirum fere totam disputationem eius de prophetia & raptu mentis. Neque vero, si S. Thomas ante mortuus fuit, quàm Summam maiorem perfecisset, ideo sequitur, eas partes, quas habemus, in extrema ætate fuisse elaboratas. Imo sine dubio prima pars, & secunda longè ante obitum ipsius inter discipulos eius communiter habebantur, vnde Heruæus, & Ægidius, qui ipsum audiuerunt, sæpius ex his partibus quædam adducunt; & alij æmuli doctrinarum eius, etiam ipso viuente impugnarunt; quapropter inter eius opuscula extat, & quædam dictorum ipsius in specie repugnantium concordantia, quam contra huiusmodi impugnatores videtur sanctus Doctor edidisse. Non est proinde mirum, si grauius appareat hoc Morale Speculum, quàm cætera Vincentiana, cùm de exactissimi, castigatissimi iudicij fœtu sit quædam duntaxat defloratio: nec rursus est mirum, Vincentium illam partem compendio quodam ad sui operis vsum traduxisse, cùm nihil inueniret in hoc genere doctrinæ perfectius, quod sequeretur. Quare & ipse in Prologo Speculi Naturalis cap. 19. fatetur hoc Speculum Morale reliquis tribus esse dissimile. Tandem etiam illa Chronologia Antonij Senensis ex Vasæo non ita certa videtur, vt non sit probabile mendum (sicut solet) irrepsisse in numeris; vel fortè, quia ad ea vsque tempora Vincentium scribendo pertigisse Vasæus legerat, eum diutiùs non vixisse existimauit; cùm tamen potuerit sancto Doctori superuixisse, sicut & Albertus Magnus ipsius

Magister

Magiſter ſuperuixerat. Cæterum (vt diximus) ſanctus Doctor Summam, quantam habemus, diu ante mortem ſuam diſcipulis communicauit, eamque Vincentius non ſolum vidit, ſed etiam in Speculo Naturali citauit ; vt non ſit opus Senenſi aut Vaſæo de Chronologia quæſtionem mouere. Maneat ergo, hoc Speculum Morale vere eſſe Vincentij noſtri Bellouacenſis opus genuinum.

Petrus Louuet, lib. 1. Hiſtoriæ Bellouacenſis, c. 8.

SIc etiam inter Beatos annumerandum cenſent, Vincentium Hiſtoricum, Religioſum ex ordine S. Dominici conuentuq; Bellouacenſi: cuius corpus ex reuelatione diuina fuit tranſlatum ex clauſtro ipſo Dominicanorum Bellouacenſium, & ante Altare maius dictæ Eccleſiæ collocatum.

Antonius Senenſis in Bibliotheca Prædicatorum.

FRater Vincentius Bellouacenſis, natione Burgundus, qui eiuſdem eccleſiæ Bellouacenſis dicitur fuiſſe Epiſcopus; vir fuit doctrina inſignis, & adeo in omnis generis autorum lectione verſatus, & plurimarum rerum cognitione excultus & ornatus, vt admirationi ſit cunctis non modicę, quod tanta legere potuerit. Ex multorum ſcriptis laborioſiſſimè collegit Speculum Hiſtoriale, &c. *Deinde enumerat ea, quæ ſuperiùs ex Sixto & Poſſeuino adduximus; & ſubdit*: Claruit anno Domini 1244: quo tempore finẽ impoſuit ſuo Speculo Hiſtoriali, vt in eius fine ipſe teſtatur. Obijt autem (ſi fides eſt adhibenda Maſſęo) anno 1256. *Vbi vides Lector Maſſæum (non Vaſæum, niſi error ſit in typis) teſtem valde dubitanter adduci; vt pateat quàm incerta ſit coniectura Illuſtriſſimi Cardinalis, ab hac nota temporis obitûs deſumpta, de qua ſuprà diximus.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

OPVS PRÆCLARVM,

SPECVLVM MAIVS

NVNCVPATVM,

IN SPECVLVM NATVRALE, DOCTRINALE, MORALE, ET HISTORIALE QVADRIPARTITVM,

VINCENTII PRÆSVLIS,

INCHOAT NVMINE FOELICITATIS;

AC PRIMO IN EAS PARTES

Generalis Prologus.

De causa suscepti operis, & eius materia.

CAP. I.

QVONIAM multitudo librorum, & temporis breuitas, memoriæ quoque labilitas, non patiũtur cuncta, quæ scripta sunt, pariter animo comprehendi. Mihi omnium fratrum minimo plurimorum libros assiduè reuoluenti, ac longo tempore studiosè legenti, visum est tandem (accedente etiam maiorum meorũ consilio) quosdam flores pro modulo ingenij mei electos, ex omnibus ferè quos legere potui, siue nostrorum, ideſt, Catholicorũ Doctorum, siue Gentilium, scilicet Philosophorum & Poetarum, & ex vtriusque Historicorum in vnum corpus voluminis quodam compendio & ordine summatim redigere. Ex his dumtaxat, præcipuè, quæ pertinere videntur, vel ad fidei nostræ dogmatis astructionem, vel ad morum instructionem, siue ad excitandam charitatis deuotionem, aut diuinarum scripturarum mysticam expositionem, vel ad ipsius veritatis manifestam aut symbolicam declarationem; vt & studio meo quasi modum quendam in ponens curiositati meæ; cæterorumque nonnullorum forsitan mei similium (quorum studiũ & labor est plurimos legere, eorumque flores excerpere) per hoc vnum grande opus, vtcumque satisfacerem, & laboris mei fructum poscentibus non negarem. Siquidem faciendi plures libros nullus est finis, & curiosi lectoris non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Ad istud ipsum prouocauit me plurimum falsitas, vel ambiguitas quaterniorum, in quibus auctoritates Sãctorum adeo plerumque mendaciter à scriptoribus, vel notarijs intitulabantur cum scribebantur, vt quę esset sententia, vel cuius auctoris esset omnino nesciretur. Dum, verbi gratia; quæ Augustini, vel Hieronymi erat, ascribebatur Ambrosio, vel Gregorio, vel Isidoro, vel econtra. Aut verborum aliqua parte dempta, vel addita, vel mutata, sensus auctoris corrumpebatur: sic & de dictis Philosophorum, aut Poetarum; sic de narrationibus Historicorum fiebat, dum vnius nomen pro alio sumebatur, vel dictorum veritas simpliciter euertebatur.

Ratio prima operis.

Iterum alia causa.

CAP. II.

VIdebam præterea, iuxta Danielis Prophetiam, temporibus nostris non tantummodo sæcularium litterarum, verum etiam diuinarum scripturarum vbique multiplicatam esse scientiam. Omnesque, præcipuè fratres nostros, assiduè sacrorum librorum historicis ac mysticis expositionibus, insuper & obscurioribus quæstionibus enodandis insistere. Inter hæc autem historias ecclesiasticas (quarum lacte pascebatur antiquorum simplicitas) quodammodo viluisse, & in neglectum venisse; cum tamen non solum vtique voluptatis ac recreationis spiritum, verũ etiam ædificationis plurimum in se contineant. Eo quòd primum quandam Ecclesię nascentis infantiam in Apostolis describebant, quos ipse dominus tanquam mater filios, & tanquam gallina pullos sub alarum suarum delicijs educauit & fouit. Deinde vero eandem spiritus oris sui virtute inductam, & quasi iam in robustiorem ætatem prouectam, non solum in ipsis Apostolis, sed etiam in cæteris martyribus eorum sequacibus, per duodecim persecutionum tempora tribulationibus exposuit, eiusque patientiam in illis exercuit. Post hæc autem consummata victoria, scilicet, prædictorum Sanctorum, iamque pace per Constantinum Ecclesiæ reddita, pullulantibus iterum diuersis hęresibus, videlicet, Arriana, Nouatiana, Pelagiana & cæteris. Sicque ad rediuiua bella ipsam Ecclesiam prouocantibus; vt quam gladius non vicerat, verborum fallacia subuerteret. Ipsos itidem hæreticos per doctores suos catholicos, videlicet, Athanasium, Hilarium, Basilium, Ambrosium, Hierohymum, Augustinum, & cæteros, verbis & scripturis constanter reuicit, eiusque sapientiam, ac si iam perfectæ ætatis esset, in eis exacuit & elimauit. Denique post huiusmodi triumphos Ecclesia quasi iam emerita in pace quieuit, dum in sanctis Confessoribus, Anachoritis, & Monachis in Aegypto & Syria cæterisque locis orbis philosophantibus, ad cælestem & contemplatiuam vitam ascendit, simulque conuersationem ducens angelicam, infinita bene viuendi vberrima exẽpla reliquit. Hæc & alia plurima in illis historicis vtilia simul, & delectabilia cernens, plurimosque fratrũ nostrorum huiuscemodi rerum ignaros conspiciens, ipsas etiam sicut, & cætera de diuersis auctoribus diligenter excerpendo collegi, atque ad certum ordinem temporum cuncta redegi.

Ratio secunda.

Infantia Ecclesiæ.

Ætas prouecta Ecclesiæ

Bella eius & triũphi.

Quieta Ecclesiæ tempora.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De modo agendi & titulo Libri.

Cap. III.

CVm autem apud me ſollicitè, ac ſtudioſè inquirerem: quonam modo, vel ordine cuncta in vnum corpus aptius compingerem, cernens, quod ſi diuerſorum ſententias ad eandem materiam pertinẽtes (vt fieri ſolet) per ſingulos titulos annotarẽ. Verbi gratia, ſub vno titulo ſentẽtias & exempla de Charitate, ſub alio de Caſtitate, & ſic de cæteris virtutibus, & vitijs ſigillatim tractando procederem, totam vtique rerũ naturã (quam nihilominus deſcribere diligenter diſpoſui) neceſſariò ab hoc opere non excluderem, necnon & ordinem totius hiſtoriæ nõ parum vtilitatis, & pulchritudinis habentem, omnino confunderem, & euerterem. Conſideratis omnibus, cõperentiorem procedendi modum nullatenus reperi, quàm iſtum, quẽ præ cunctis elegi, videlicet, Vt iuxta ordinẽ ſacræ Scripturæ, primò de Creatore, poſtea de creaturis, poſtea quoque de lapſu & reparatione hominis, deinde verò de rebus geſtis iuxta ſeriem tẽporum ſuorum ordinatè diſſererem. In fine verò totius operis ſingulas eius particulas ad idem pertinentes per ſingulas materias quibuſdam titulis & notulis concordarem. Denique quoniam (vt ſuperius dictũ eſt) ex diuerſis auctoribus hoc opus contextum eſt, vt ſciatur quid cuius ſit ſingulorum dictis eorum nomini annotaui, ac ne facile tranſponerentur de locis proprijs, nequaquam in margine ſicut fit in Pſalterio gloſſato, & epiſtolis Pauli, & in ſententijs, ſed interlineas ipſas (ſicut fecit Gratianus in compilatione canonum) ea inſerui.

Authoris vox ſæpe repetita in his libris quid ſignificat.

Interdum etiam ea quæ ipſa, vel à maioribus meis, ſcilicet modernis doctoribus, didici, vel in quorundam ſcriptis notabilia repperi, nomine meo, ideſt auctoris intitulaui. Illud autem lectorem non lateat, nonnulla in hoc opere, maximè quæ de geſtis ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum, non ita penitus abbreuiata eſſe, vti volui, quia nimirum alijs quoque ſtudijs per obedientiam, interdum occupatus & intentus, non omnia manu propria, ſed pleraque per manus notariorum abbreuiaui, vt potui. Verumtamen hoc nihilominus attendat, quod nimis abbreuiata narratio legenti, vel audienti minus ſapiat.

Ratio nominis horum librorum.

Vt autem huius operis partes ſingulæ lectori facilius eluceſcant, ipſum totumopus per libros, & per capitula diſtinguere volui, quod & Speculũ maius appellari decreui. Speculum quidẽ eo quod quicquid ferè ſpeculatione, ideſt, admiratione vel imitatione dignum eſt, ex his quæ in mundo viſibili & inuiſibili ab initio vſque ad finem facta, vel dicta ſunt, ſiue etiam adhuc futura ſunt, ex innumerabilibus ferè libris colligere potui, in vno hoc breuiter continẽtur. Maius autem ad differentiam parui libelli iamdudum editi, cuius titulus eſt Speculum, vel imago mundi, in quo, ſcilicet huius mundi ſenſibilis diſpoſitio, & ornatus paucis verbis deſcribitur.

De vtilitate operis & Apologia auctoris.

Cap. IIII.

ITaque cũ hoc agerem non ignorans pleroſque lõgitudines voluminis poſtmodum, cum iam perfectum foret, nimium abhorrere, ſciens tamen vtilitatẽ, nolui penitus ab opere cæpto deſiſtere, donec illud (iuuante Deo) ad finem producerem. Certus ſum enim, & confido in domino, hoc ipſum opus non ſolũ mihi, ſed omni ſtudioſè legenti non parum vtilitatis afferre, non ſolum ad Deum per ſe, & creaturas viſibiles & inuiſibiles cognoſcendum, ac per hoc diligendum, & cor ſuum in deuotione charitatis multorum doctorum ignitis ſententijs & exemplis excitandum, verũ ad prædicandũ, ad legendũ, ad diſputandũ, ad ſoluendũ, necnõ & generaliter ad vnumquẽque ferè modum, & genus artis cuiuſlibet clare explicandum.

Porro ne quis in hoc opere, vel de nouitate, vel de A nimia prolixitate me æſtimet arguendum, quoniam hoc ipſũ opus nouũ quidẽ eſt ſimul & antiquũ, breue quoque pariter & prolixum. Antiquũ certè auctoritate & materia. Nouũ verò partiũ compilatione, & earum aggregatione. Breue quoq; propter multorum dictorum in breue perſtrictionem. Longũ nihilominus propter immenſam materiæ multitudinem. Deniq; ſi pauca ex ipſis minimis particularibus voluminibus ex quorum floſculis, hoc ipſum opus vniuerſale contextum eſt precio compararem, aut ſcribi facerem, (quorum tamen magnitudo forſitan huic operi, vel maiori parti per æquiparantiã reſpondere poſſet; Verbi gratia ex philoſophis, Ariſtotelem de animalibus Auicennã de medicina, Plinium de hiſtoria naturali, vel ex Iudæis Ioſephum, ex noſtris autem Auguſtinũ de ciuitate Dei, vel ſuper Pſalteriũ, vel ſuper Ioannem, Moralia quoque beati Gregorij, vel aliquẽ huiuſmodi) nullus eſſet fortaſſis, quia quereret, nemoque reprehenderet, & tamẽ cum haberẽ hæc omnia, ne dicam tertiam, vel quartam, immo nec ſaltem decimam, aut viceſimam partẽ eorũ vtilium quę in hoc opere continẽtur in ſcriptis poſſiderem, aut tenerem. Nam & ex ipſis certè libris, quos etiã ſacri doctores, olim in exponendis ſcripturis, aut in refellendis hæreticis, ſiue quibuſlibet alijs emergentibus cauſis vtiliter ẹdiderũt, dũ quiſquã à quoquã legitur, plerumq; vix in tribus, aut quatuor, vel quinque capitulis ſententia notabilis ad proferendũ in publico ſermone, ſiue etiam in lectione, vel diſputatione reperitur. Quãto minus ergo nunc arguẽdus videor, quia multorum librorum florem quendã atque medullam in vnũ volumen cõpegi: iterumque ſub certis titulis ordine cõgruo redegi. Non autẽ hoc dico ſanctorũ patrũ, vel etiã cæterorũ authorũ veterũ ſcriptis præſũptuosè derogãdo: meumq, iactãter & inaniter extollendo: præſertim cum hoc ipſũ opus, vtique meũ ſimpliciter nõ ſit, ſed illorũ potius, ex quorũ dictis ferè totum illud contexui. Nam ex meo ingenio pauca, & quaſi nulla addidi. Ipſorum igitur eſt auctoritate, meũ autẽ ſola partium ordinatione. Nec ignoro me non omnia, quæ ſcripta ſunt inueniſſe, vel legere potuiſſe. Nec me profiteor, etiam ex his quæ legere potui, cuncta quæ ibi notabilia ſunt expreſſiſſe, alioquin in immenſum volumen oporteret extendi. Sed de bonis, vt arbitror, meliora: vel certè de melioribus, nonnulla collegi.

Opus non antiquum, breue, longũ.

Apologia de regnis & bellis huic operi inſertis.

Cap. V.

VT autem vtilitas operis plenius innoteſcat, taceo de virtutibus, & vitijs & ſacramentis, & cæteris huiuſmodi, quæ ad ẹdificationem morum, ac fidei euidẽtius pertinẽt, & quorum vtilitates per ſe patent. Etiam ea quæ minoris hic vtilitatis, immo quaſi ſuperflua penitus eſſe vidẽtur (vt ſunt ea quæ de regnis & bellis, ac cęteris huiuſmodi enarrantur) attentius conſideranti, vtilia ſatis eſſe probantur. Nã & hiſtoriæ non ſolum gentilium, ſed eccleſiaſticæ & etiam euangelicæ, ſecundum Imperatorũ, & regũ tempora deſcribũtur. Lucas nãque cum incarnationis Dominicæ hiſtoriam texeret, in ipſo Euãgelij ſui principio, de Herode Rege, & poſt pauca, de Cęſare Auguſto mẽtionem fecit: vt illa quæ minus nota erãt hominibus, ab his quæ pene apud omnes fama celebri ferebãtur, confirmarentur, & roborarentur. *Illæ quippe res geſtæ (vt dicit Hugo Floriacenſis) quæ nulla regum, ac temporum certitudine commendantur, non pro hiſtoria recipiũtur.* Valet igitur in hoc opere ſucceſſionis tẽporũ, & annorũ Regũ, & Imperatorum, necnõ Romanorũ Pontificum annotatio breuis. Nec ſolum ad præſentis hiſtoriæ, verum etiam ad cuiuſlibet alterius nomen Imperatoris, vel Papæ, vel Regis ſub quo geſta ſit, habentis confirmationem & elucidationem: vt ſcilicet, ſi dubitetur de tempore hoc, ad catalogum regũ illius terræ, in qua res illa geſta refertur, recurri poſſit,

possit, ibique reperiatur quo tempore Rex ille regnauerit, ac per hoc etiam quo tempore illa gesta sit.

Verumtamen, quia de annorum numero, multa est in historijs dissonantia, nulli reor precisè, ac penitus adhærendum, maximeque numero Chronicarũ. Sed ad tantum valet, vt sciatur, non quo anno, sed quo tẽpore, vel sub quo Imperatore, quæque res annotata acciderit. Cæterum ex bellis famosis vsquequaque per orbem intra diuersa regna commissis, antequam veniret Rex noster pacificus, qui locutus est pacem in plebem suam, Lector animaduertere potest, quanto feruore pugnandum sit nobis contra spirituales hostes, pro salute nostra spirituali, & æterna gloria nobis promissa: cum illi quidem, vtpote infideles, huius salutis, & gloriæ ignari, ac penitus exortes, tam acriter dimicauerunt pro salute temporali tantũ, & gloria momentanea, vel adipiscenda, vel tuenda. Ex cæde quoque hominum in eisdem prælijs innumerabili perpetrata, licet aduertere seueritatem Dei in reprobos: quos quasi pecora vilia inutiles, vel abiectos reputans, peccatis eorum exigentibus, tot eorum milia, tanquam innumerabiles multitudines, in singulis fere bellis, per manus hostium interire, simulq; in anima, & corpore passim perire permisit. Econtra vero bonitatem ipsius, & clementiam in electos, pro quibus ipsemet in fine temporum Rex Israel, mutato habitu suo, ne agnosceretur ab hostibus, id est, forma serui susceptа, armis nostræ mortalitatis indutus, vt quod infirmum est Deo, fortius esset hominibus, in campum certaminis huius mundi, poreſtates contrarias debellaturus, aduenit, & vt nos ab vtraq; morte misericorditer liberaret, vsque ad proprij sanguinis effusionẽ multiplicẽ & copiosã, insuper, & vsque ad mortẽ ignominiosã, tam fortiter agonizauit & vicit.

Pia meditatio de praliis paganorum.

Apologia de natura rerum & historia temporum.

CAP. *VI.*

PORro ipsam rerum naturam, quam diligentius vt potui, descripsi, nullus (vt æstimo) superfluam aut inutilem reputabit, qui in ipso creaturarum libro nobis ad legendum proposito, creatoris, gubernatoris, & conseruatoris omnium Dei potentiam, sapientiam & bonitatem, ipsa veritate rationem illuminante, legete consueuerit. *Nam (vt ait magnus ille Basilius) ab his qui veritatem intelligentes ex visibilibus inuisibilia reputant, in terra, & in aere, in aquis, & in cœlo, & in omnibus quę cernuntur, benefacloris monimenta certissima capiuntur. Sicque domino sensibus eorũ iugiter adhærente, nec peccatis tempus datur, nec inimico locus suggerendi contraria relinquitur.* Accedit adhæc, & vtilitas alia Doctoribus & Prædicatoribus, cunctisque scripturarum sacrarum expositoribus minimè contemnẽda. *Vt enim Augustinus dicit, rerum ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cum scilicet, ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumve rerum, quæ ponuntur plerumque in scripturis alicuius similitudinis gratia. Numerorum quoque imperitia, multa facit in eis non intelligi mystice posita.*

Iam vero quanta est pulchritudo etiam infima huius mundi, & quàm grata rationis aspectui diligenter consideranti, non solum modos & numeros, & ordines rerũ, quę per diuersas mũdi partes decentissimè, & ordinatissimè collocantur, verumetiam volumina temporum, quæ per decessiones, atque successiones eorum iugiter explicantur, & morte nascentium distinguuntur. Ego quidem, vt taceam de mundis corde, quorum est proprium videre Deum, & in ipso delectari. Ego inquam (vt verũ fatear) licet peccator immundus, cuius nimium mens adhuc in fœcibus carnis suæ iacet, eiusdem sordibus obuoluta, quadam tamen spirituali suauitate in mundi creatorem, ac rectorem afficior, quia ipsum maiori veneratione ac reuerentia prosequor, cum ipsius creaturæ magnitudinem simul, & pulchritudinem eiusque permanẽtiam intueor. Ipsa namque mens, plerumque paululum à præfatis cogitationum & affectionum fæcibus se erigens, & in speculationis lucem (vt potest) assurgens, quasi de quodam eminenti loco totius mundi magnitudinem vno ictu considerat, infinita loca diuersis creaturæ generibus repleta intra se continẽtem. Aeuum quoque totius mundi, videlicet à principio, vsque nunc, quodam aspectu nihilominus conspicit: ibique tempora omnia per diuersas generationum successiones rerum mutationes continẽtia, quasi sub quadam linea comprehendit. Et inde, saltem intuitu fidei, ad cogitandum vtcunque Creatoris ipsius magnitudinem, pulchritudinem, atque perpetuitatem ascendit. Ipse namque mundus spaciositate locorum imitatur pro modulo suo Creatoris immensitatem. Varietate specierum ipsius pulchritudinem, prolixitate temporũ eius æternitatẽ. Hæc autẽ ipsa tẽporalis pulchritudo, quæ rerum trãsitu ac successu peragitur, historica narratione cõprehenditur, quæ ab initio mũdi vsque ad finẽ in hoc opere describitur pleniſſimè.

Erigitur mens in Deum ex consideratione creaturarum.

Mundus in quo imitatur creatorem.

Apologia de vniuersitate scientiarum.

CAP. *VII.*

SI quis autẽ prę sumptionis me velit arguere, quod ego (non dicam in omni facultate vel arte, sed nec in vna quidem satis edoctus) ausus sim etiam huic operi diuisiones omnium sciẽtiarum & artium materiãque & ordinem singularum, tam diligenter inserere, audiat iterum me non per modũ auctoris, sed excerptoris vbique procedere, nec circa difficultates quarũlibet artium enucleandas propositum meum instituisse. Sed leuia quædam & plana de singulis memoriæq; vtilia sub breuitate quadam, vt cætera posuisse.

In quibus & si forsan aliqua sunt, quæ nõ multum expediat scire, quandoque tamen hæc ipsa turpe est ignorare. Et quia succedentibus facilè de memoria elabuntur, mihi quidem visum est etiam horum memoriale quoddã compendiosũ inter cætera, quæ hoc opere continentur, ordine congruo ponere, ad quod pro loco & tẽpore oportuno studiosi lectoris animus valeat recurrere. Ad hoc autẽ ipsũ nostrorum studijs prouocatus sũ, Isidori videlicet Hispalẽsis, & Hugonis, atque Richardi Parisiẽsis. Quorũ primus in libro etymologiarum inter cætera de quibus agit, etiam de vnaquaque scientia pauca breuiter tangit. Secundus in libro didascalicon sciẽtiam generaliter diuidit; singularumque materiam breuiter describit. Et tertius (qui sic dicitur) in libro excerptionum idem facit:

Verum quoniam omnes hi de singulis transeundo breuissimè tangunt; hac de causa etiam ad libros Philosophorum diuerti, qui de his omnibus latius & diffusius agũt, indeque pauca notabilia breuiter excerpsi, quæ prædictorum catholicorũ dictis (vt potui) cõpetenter adieci. Accedit ad hoc, quod omnes artes diuinæ scientię, tanquam reginæ famulantur; vnde & illæ quæ liberales vocantur, plerumque in assertione ecclesiastici dogmatis assumuntur. Hinc beatus Petrus Apostolus in Epistola quadam, itineratio Clemẽtis adiuncta, sic loquitur. *Cum inquit ex diuinis scripturis integram quis & firmam regulam susceperit veritatis, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione ac liberalibus studijs, quæ fortè in pueritia attigit ad assertionem veri dogmatis conferat.* Ita tamen vt vbi vera didicit, falsa & simulata declinet.

Arti famulatur Theologia.

Apologia de dictis Philosophorum & Poetarum.

CAP. *VIII.*

NE quis autem redarguendum me putet, eo quod multa de Gẽtiliũ Philosophorũ, scilicet Poetarũ libris, nõnulla etiã de quibusdã apocryphis in hoc opere posuerim: alioquin & Apostolos redarguere poterit, qui ex vtroque genere nonnulla in epistolis suis testimonia vsurpauerunt. Nam, verbi gratia, Paulus in

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

1.Cor.15. Epiſtola ad Corinthios Menandri Comicis Senarium poſuit, dicens. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.*

Ad Tit. c.1. Idem ad Titum ſcribens Epimenidis Poetæ verſiculum inducit, dicens: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.*

Act. 17. Idem etiam apud Athenienſes in Martis curia diſputans Arati poetæ teſtimonio vtitur,

Aratus in phænomenis. de Deo dicentis. *Ipſius enim & genus ſumus.* Hinc beatus Hieronymus cuidam huiuſcemodi calumniatori ſuo, videlicet magno oratori Romano per Epiſtolam ſic reſpondit.

Epiſt. 84. in initio. *Quæris, ait, cur in opuſculis noſtris ſæcularium interdum litterarum exempla penamus, candoremque Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus polluamus; reſponſum breuiter habeto; nunquam hæc quæreres, niſi te Tullius totum poſſideret; ſi ſcripturas ſanctas legeres, & earum interpretes omiſſo.* † Volcatio euolueres. *Nam & in Moyſe, & in Prophetarum voluminibus, & epiſtolis Pauli, quædam de libris Gentilium aſſumpta ſunt. In Deuteronomio quoque Domini voce præcipitur, mulieris captiuæ radendum eſſe caput & ſupercilia, omneſque pilos & vngues corporis amputandos, & ſic eam habendã coniugio. Quid ergo mirum; ſi ego etiam ſapiẽtiam, propter eloquij venuſtatem & membrorum pulchritudinem de ancilla, atque captiua Iſraelitem facere cupio. Et ſi quid mortiferum eſt idololatriæ, vel voluptatis erroris & libidinum, præſcindo & abrado, mixtuſque purißimo corpori immaculatos domino Sabaoth filios ex ea genero;* hæc Hieronymi ſunt.

† Volcatius iſte commẽtaria ſcripſit in Ciceronem vt docet ex Seneca Eraſmus in illã Epiſtolam 84.

Gentilium libri legendi.

Ego quidem non ignoro Philoſophos inter ſe multa dixiſſe contraria, maximè de rerum natura. Verbi gratia. Aerem quidam naturæ calidæ eſſe poſuerunt, vt Ariſtoteles & Auicenna Quidam vero gelidæ; vt Seneca. Venena quoque ſerpentum, quidam frigida eſſe dicunt, vt Iſidorus: quidam vero calida; vt Auicenna. Sed quoniam in iſtis, & in alijs huiuſmodi vtralibet pars contradictioni abſque fidei noſtræ periculo poteſt credi vel diſcredi, Lectorem admoneo, ne forſan abhorreat, ſi quas huiuſmodi contrarietates ſub diuerſorum auctorum nominibus in pleriſque locis huius operis inſertas inueniat, præſertim cum ego iam profeſſus ſim in hoc opere me non tractatoris, ſed excerptoris morem gerere, Ideoque non magnopere laboraſſe dicta Philoſophorum ad concordiam redigere, ſed quantum de vnaquaque re quilibet eorum ſenſerit, aut ſcripſerit recitare; Lectoris arbitrio relinquendo cuius ſententiæ potius debeat adhærere. Quia vero plerumque etiam Medici in medicinarum ſimplicium complexionibus, & qualitatum gradibus diſſentire videntur. Sciendum eſt, quod ſecundum diuerſitates regionum, etiam complexiones hominum & animalium cæterorumque terrænaſcẽtium variantur; ita vt aliqua eiuſdem generis res alicubi ſit antidotum, & alibi venenum Nam, verbi gratia, papaner nigrum in medicorum libris venenum eſſe ſcribitur, quod tamen apud nos in cibum, aſſumitur. Sicut etiam extremitas caudæ Ceruiab Auicenna, & Razi venenum eſſe computatur, quod à regionis noſtræ militibus conſtanter negatur.

† Melius medicis licet M. S. Attreb. S. Vedaſti legat (militibus.)

Apologia de Apocryphis.

CAP. IX.

Quod autem ſuperius dictum eſt de Gentilium libris, idem etiam dici poteſt de Apocryphis; cum enim neutri apud Chriſti Eccleſiam in auctoritate habeantur: Ex vtriſque tamen (vt dictum eſt) quædam ab Apoſtolis in nouo teſtamento teſtimonia vſurpantur, verbi gratia de Magis Pharaonis loquens Paulus ad Timoth. ita ſcribit. *Quẽadmodum Iannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi (ſcilicet hæretici) reſiſtũt veritati.* Quæ vtique Magorum nomina non inuenit Apoſtolus in diuinis libris, ſed Apocryphis, vt dicitur in gloſſa, Iudas quoque in Canonica ſua de malis hominibus loquens, ſic ſcribit. *Prophetizauit de his autem ſeptimus ab Adam, Enoch*, &c. Qui tamen libri Enoch inter Apocrypha computantur?

2. ad Tim. c. 3.

Nec hoc dico, quod velim Apocryphis (quod nimiæ præſumptionis eſſet) auctoritatem dare; ſed quia licet (vt opinor) ea legere & etiam credere, quæ non ſunt contra fidem Catholicam, licèt non habeãt veritatis certitudinem. Quædam enim reputantur Apocrypha, quia veritati aduerſantur, vt ſunt libri hæreticorum. Quædam vero, quia auctores eorum ignorantur, licèt puram veritatem contineant, vt eſt Euangelium Nazaræorum. Quædam etiam, quia de veritate eorũm dubitatur, vt eſt liber de ortu & infantia beatę Virginis Mariæ, & liber de infantia Saluatoris; liber quoque de Aſsũptione beatæ virginis. Quorum etiam primum Hieronymus ad petitionem Heliodori epiſcopi ſcripſit, prout ipſe narrationẽ de Ioachim & Anna, & de ortu Virginis ſe quondam adhuc adoleſcentulum in quodam libello legiſſe meminit. Hæc ipſa tamen quæ ſcribit, nec vera, nec falſa eſſe aſſerit, ſed tantummodo. ſiue vera, ſiue falſa ſint, ea ſalua fide, ac ſine periculo animæ, & credi, & legi poſſe ab his, qui credunt Deum hæc omnia facere potuiſſe. Sic & ego pauca illa de Apocryphis huic operi inſerui, non vera vel falſa eſſe aſſerendo, ſed tantum ea quæ legi ſimpliciter recitando, quæ ſalua fide poſsũt, & credi, & legi. Neque enim aliterà quoquam Chriſtiano libri Apocryphi, ſiue etiam Philoſophici, vel Poetici legendi ſunt, niſi in mente iugiter ſeruando, quod dicit Apoſtolus: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Vnde Hieronymus contra Vigilantium, ita loquitur: *Operis inquam, & ſtudij mei eſt multos legere, vt ex plurimis diuerſos carpam flores. Non tam omnia probaturus quàm qua bona ſunt electurus.*

Apocryphis inquantum & quibus credere licet.

1. ad Theſſal. c. 5.

† Scholium. *Vide de hac re Inſtitutiones Theologicas Io. Viguerij. De doctrinis & dogmatibus, œconomiam Ederi lib. 10. fol. 38. & Gratiani a. 15. c. ſancta Roman. cuius verba adducuntur infra c. 13.*

Apologia de modo excerpendi de quibuſdam libris Ariſtotelis.

CAP. X.

Ego autem in hoc opere quorundam legentium animos refragari audio, quod nonnullos Ariſtotelis floſculos, præcipueque ex libris eiuſdem Phyſicis & Mathematicis, (quos nequaquam, ego ipſe excerpſeram, ſed à quibuſdam fratribus excerpta ſuſceperam,) non eodem pænitus verborum ſchemate, quo in originalibus ſuis iacent, ſed ordine plerumque tranſpoſito; nonnunquam etiam mutata perpaulum ipſorum verborum forma, manente tamen auctoris ſententia, prout ipſa vel prolixitatis abbreuiandæ, vel multitudinis in vnum colligendæ, vel etiam obſcuritatis explanandæ neceſſitas, exigebat, per diuerſa capitula inſerui.

Quidam etenim (vt cum ſtomacho loquar) tam fideles & cauti verborum obſeruatores exiſtũt, adeoque fideliter, ac ſyncere de quibuſlibet libris ſententias notabiles excerpi volunt, vt nec minimum iota de verbis ipſius auctoris, ſiue etiam de verborum ordine patiantur immutari; huiuſmodi tamen cautelę diſtrictionem patres noſtros Doctores catholicos, nec in antiquorum floſculis excerpendis, nec in libris aliorum transferendis omnino tenuiſſe cognoui. Verum vt iſtorum calumnijs breuiter reſpondeam; vt etiam de cęteris interpretibus, quos minus fideliter tranſtuliſſe conſtat, ad præſens taceam. Beatus certè Hieronymus eliquandæ veritatis cauſa, diuinas Scripturas ab Hæbraico fonte quondam in Latini flumen eloquij transfundens, cuius editio merito in Eccleſia Chriſti præ cæteris omnibus dignitatem auctoritatis obtinuit; nequaquam tamen de verbo ad verbum tranſtulit, ſed ex ſenſu ſenſum expreſſit, vt videlicet antiquæ tranſlationi (prout poſſet) ſalua veritate morem gereret: Ne ipſa eius tranſlatio ab illa vulgata editione

Cur Hieronymus non tranſtulit Hebraa de verbo ad verbum?

ditione nimium discrepans, ipsa nouitate verborum animos legentium insuetos offenderet. Nunquid igitur mendacij culpam incurrit, dum veritatem Hebraicam in Latinam transtulisse se dicit. A

Cæterum quis tam fidelis diligensque relator est vt eodem penitus verborum ordine narrationem aliquam referat, quo eam vel in libro legit, vel hominis cuiusquam relatu audiuit. Aut nunquid falsitatis merito possit redargui, quia dicit: hęc in illa historia legi, vel ab homine illo audiui, quamuis tamen in referendo non prosequatur penitus verborum ordinem, sed sententiam tenet. Sic ego licèt omnis reuera mẽdacij detestator, nec propriæ quidem conscientiæ stimulo remordente, nec illorum calumnia deterrente, B & de floscvlis Aristotelis, & de cæteris quos in hoc opere per diuersa capitula inserui, & propriis auctorum nominibus annotaui, Et si forsan ex aliqua causarum prædictarum in plerisque locis, aliquid immutauerim de superficie vel verborum ordine, audacter tamen, & scribam, & dicam, hanc & illam sententiam illius auctoris esse, cuius scilicet nomen in titulo continetur.

De impari auctoritate eorum, quæ excerpta sunt.

CAP. XI.

Primus locus datur S. literis.

EX prædictis, itaque patet non omnia, quæ in hoc opere continentur, paris auctoritatis esse, sed C quædam in eis supremum auctoritatis locum tenere, quædam vero medium, & quædam infimum, quædam vero nullum, & in his omnibus excipio sacram paginam, olim à sanctis Prophetis & Apostolis, diuina gratia indubitanter afflatis editam & scriptam, de qua in hoc opere nihil pęnitus volui, propter ipsius vsum communem, sed nec ausus fui, propter ipsorum sacrorum reuerentiam excerpere, nisi fortè breuiter percurrendo. Sicut enim Scriptura sacra præcedit alias tempore, sic etiam dignitate. Denique in eius comparatione sacrorum Doctorum quoque sequentium opuscula nullius auctoritatis esse testatur? Augustin. in 11. contra Faustum disputatione, sic loquens. *Sunt inquit libri, qui non præcipiendi auctoritate, sed proficiendi exercitatione conscribuntur à nobis. Inter hos enim sumus, quibus dicit Apostolus, si quid aliud sapitis, id quoque vobis reuelauit Deus, quod genus litterarum non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate legendum est. Cui tamen ne intercluderetur locus, & adimeretur posteris ad quæstiones difficillimas tractandas, atque versandas, lingua & styli saluberrimus labor, distincta est à posteriorum libris excellentia canonica auctoritatis veteris testamenti & noui, quæ firmata Apostolorum temporibus, per successiones episcoporum, & propagationes ecclesiarum tanquam in sede quadam sublimiter collocata est. Cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi, si quid velut absurdum nouerit, nõ licet dicere, auctor huius libri veritatem non tenuit, sed* E *aut codex incorrectus est, aut interpres ipse errauit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum, licèt eadem inueniatur veritas, longè tamen est impar auctoritas. Vnde nisi vel certa ratione, vel ex illa canonica auctoritate, quod ibi disputatum, vel narratum est, demonstretur, si quis credere noluerit non reprehenditur. In ista verò canonica eminentia sacrarum litterarum, etiam si vnus Propheta vel Euangelista obscurum aliquid in literis suis posuisset, ipsa canonis confirmatione non declaratum, non licet dubitare quoniam verum sit, alioquin nulla erit pagina, qua humana imperitia regatur infirmitas, si librorum saluberrima auctoritas, aut contempta aboletur, aut interminata confunditur hæc Augustinus.*

Ad phil. c. 3. V. Aug. tom. 7. lib 2, de Bapt cõtra Donatistas de hac re & ep. 111. to. 2.

De ordine dignitatis earundem.

CAP. XII.

Secundus locus Canonibus Ecclesiæ, Decretis pontificum & SS. patribus tribuitur.

EXceptis igitur diuinis libris, & in summa quadam auctoritatis arce sepositis, primum post eos locũ tenent Epistolæ decretales Romanorum Pontificum, & Canones generalium Conciliorum; opuscula quoque sacrorum Doctorum. Nam in decretis Gratiani, in 1. par. 20. distin. legitur. *Epistolę decretales Conciliorum canonibus, pari iure æquantur. Diuinarum vero scripturarum tractatores, & si scientia Pontificibus præmineant, tamen quia dignitatis eorum apicem adepti non sunt, in scripturarum quidem expositionibus eis præponuntur, in causis vero diffiniendis vbi non solum scientia, sed etiam potestas requiritur, secundum post eos locum merentur, sicut auctoritate Leonis Papæ huius nominis quarti probatur,* hæc Gratianus. Vtrumque ergo genus in primo auctoritatis gradu merito ponitur; quoniam vt excedentia & excessa tibi vicissim præferuntur. Illos autem sacros Doctores in eo gradu ponere volui, qui auctoritate Romanæ Ecclesiæ canonizati sunt, & eorum libri per Concilia Pontificum approbati. Vt sunt Dionysius, Ignatius, Cyprianus, Hilarius, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Ioannes Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Fulgentius, Cassiodorus, Isidorus, & alij multi. Medium vero locum tenent Doctores cæteri, prudentes quidem & Catholici; sed non Canonizati, vt Isichius, Beda presbyter, & Alcuinus Caroli magister, Rabanus, & Strabus eiusdem discipulus: Haymo, & Iuo Carnotensis, Richardus, & Hugo Parisiensis, alijque plurimi. Tertium autem & infimum tenent gradum Philosophi, Doctoresque gentilium. Nam & si Catholicæ fidei veritatem ignorauerunt; mira tamen & præclara quędam dixerunt de Creatore & creaturis, de virtutibus & vitijs, quæ & fide Catholica, & ratione humana manifestè probantur esse vera. Præterea quoniam artifici cuilibet in sua facultate discentem oportet credere, secularium scientiarum studiosis scholaribus, vt in eis proficiant, necesse est primitus Philosophis earum inuentoribus, vel peritis ac discretis tractatoribus fidem adhibere. Verbi gratia, Prisciano in grammatica, Aristoteli in logica, Tullio in rhetorica, Hippocrati in medicina.

Tertius locus Philosophis conceditur.

Porro ea nullam inter cætera auctoritatis dignitatem habent quæ sunt apocrypha, quorum, scilicet auctor penitus ignoratur, & de quorum veritate dubitatur. Itaque si quando legantur à quoquam siue enarrentur, vtrum credi vel non credi debeant, ipsius legentis vel audientis iudicio, & voluntati relinquitur, sicut cum rumores aliqui, vel narrationes ignotę ab illis plerumque, qui viderunt vel audierunt (vt assolet) referuntur. Denique decretum Gelasij Papæ, quo scripta quædam approbantur, quædam vero reprobantur, hic in ipso operis initio ponere volui, vt lector inter authentica & apocrypha discernere sciat, sicque rationis arbitrio quod voluerit eligat, quod autem noluerit relinquat,

De libris authenticis,

CAP. XIII.

A. 15 c. Sancta.

SAncta inquam Romana Ecclesia, nullis synodicis institutis cæteris ecclesijs prælata, sed Euangelica voce *Domini & Saluatoris nostri primatum obtinens, dicentis*: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo *Mat. 16.* Ecclesiam meam. *Post Propheticas, & Apostolicas, & Euangelicas scripturas, quas regulariter suscepimus, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, has etiam suscipi non prohibet, videlicet sanctam Synodum Nicenam, mediante Maximo Constantino Augusto celebratam, in qua Arrius hæreticus condemnatus est. Sy-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nodum Conſtantinopolitanam, mediante Theodoſio ſeniore Auguſto, in qua damnatus eſt Macedonius. Synodum Epheſinam primam, mediante Cyrillo Alexandrino epiſcopo, & Archadio epiſcopo ab Italia deſtinato, in qua Neſtorius condemnatus eſt. Synodum Chalcedonenſem, mediante Martiano, Auguſto, & Anatholio Conſtantinopolitano epiſcopo, in qua Neſtoriana, & Eutychiana hæreſis ſimul, cum Dioſcoro eiuſque complicibus damnata ſunt. Opuſcula quoque Cypriani Carthaginenſis epiſcopi, Beati Baſilij Capadocenſis, Ioannis Conſtantinopolitani, Theophili Alexandrini, Hilarij Pictauienſis, Ambroſij Mediolanenſis, Auguſtini Hipponenſis, Hieronymi Presbyteri, Proſperi viri religioſiſſimi. Epiſtolæ Leonis Papæ ad Flauianũ Conſtantinopolitanũ epiſcopũ.

Opuſcula atque tractatus, olim patrũ orthodoxorum, qui in nullo à Sancta Romana Eccleſia conſortio deuiauerunt, nec ab eius fide vel prædicatione ſeiuncti ſunt, legenda deprehendimus. Decretales quoque epiſtolas Romanorum Pontificum. Actus beati Sylueſtri Papæ: Vitas patrum, Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium heremitarum, quas tamẽ beatiſſimus Hieronymus deſcripſit. Geſta quoque Sanctorum Martyrum quæ tamen ſecũdum antiquã conſuetudinem, ſingulari cautela in Romana Eccleſia nõ leguntur: Ne vel leuis ſubſannãdi occaſio in eo generetur, quia eorum nomina qui ſcripſere, penitus ignorantur à fidelibus: Aut ſuperflua, aut minus apta, quàm ordo rei fuerit, eſſe putantur, ſicut cuiuſdam Quirici, & Iulitæ, & Georgij, aliorumque paſſiones, quæ ab hæreticis ſcripta perhibentur. Nos autem omnes martyres, & eorum glorioſos agones, omni deuotione veneramur. Scriptura de inuentione Sanctæ Crucis, & alia de inuentione capitis Ioannis Baptiſtæ, nouella quidem reuelationes ſunt, & nouellis eas Catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorũ manus aduenerint: Pauli Apoſtoli ſententia præcedat: Theſſ. c. 5. Omnia probate, quod bonum eſt tenete. *Item Ruffinus vir religioſus plurimos Eccleſiaſticos libros edidit, & nonnullas ſcripturas interpretatus eſt. Sed quia bis eum Hieronymus in aliquibus de arbitrij libertate notauit, illa ſentimus, quæ eundem Hieronymum ſentire cognoſcimus. Non autem hoc ſolum dico de Ruffino, ſed etiam de vniuerſis, quod idem vir de zelo Dei, & fidei reprehendit. Origenis opuſcula quoque nonnulla, quæ idem Hieron. nõ repudiat, legenda ſuſcepimus. Reliqua omnia cum auctore ſuo dicimus eſſe renuenda. Euſebij Chronica, & eiuſdem Eccleſiaſtica hiſtoriæ libros, quamuis in primo narrationis ſuæ libro tepuerit, & poſt de laudibus & excuſatione Origenis vnum librum ſchiſmatice conſcripſerit, propter rerum tamen ſingularem notitiam quæ ad inſtructionem pertinent, vſquequaque non dicimus renuendos. Oroſium virum eruditiſſimum collaudamus, quia valde vberem, & neceſſariam, contra Paganorum calumnias, hiſtoriam ordinauit. Sedulij Paſchale opus inſigni laude præferimus. Iuuenci quoque laborioſum opus non ſpernimus, ſed miramur.*

De Libris Apocryphis.

CAP. XIIII.

CÆtera vero quæ ab hæreticis, vel ſchiſmaticis conſcripta ſunt, nullatenus recipit Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia, è quibus quædam, quæ ad memoriam venerint, & à catholicis vitanda ſunt credimus eſſe ſubdenda. Ariminenſem Synodum à Conſtantio Cæſare, Conſtantini filio congregatam, & nunc, & vſque in æternum confitemur eſſe damnatam. Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur ſancti Clementis, Apocryphum eſt, in libris octo. Euangelia ſimiliter nomine Petri, Iacobi, Bartholomæi, Thomæ, Matthiæ, Barnabæ; Euangelia quoque quæ falſarunt Lucianus, & Iſichius. Item actus nomine Petri, Andreæ, Philippi, Thomæ. Liber de infantia Saluatoris, & de Maria vel obſtetrice. Liber qui dicitur paſtoris. Liber qui dicitur fundamentum. Libri omnes Lucij diſcipuli diaboli

Liber qui appellatur theſaurus. Liber de filiabus Adæ, vel Geneſis. Actus Theclæ & Pauli. Liber nepotis. Liber Prouerbiorum, qui eſt ab hæreticis conſcriptus. & Sancti Sixti nomine prænotatus eſt. Reuelationes Pauli, Thomæ, Stephani. Tranſitus Sanctæ Mariæ. Pœnitentia Adæ. Teſtamentum Iob. Pœnitentia Origenis. Pœnitentia Cypriani. Liber Diogenis nomine gigantis. Liber Iannæ & Mambræ. Liber qui dicitur Phyſiologus, Ambroſij nomine ſignatus, ſed ab hæreticis conſcriptus. Liber qui dicitur ſors Apoſtolorum: Centimetrum de Chriſto virgilianis verſibus compaginatum. Hiſtoria Euſebij Pamphili. Opuſcula Tertulliani. Lactantij Aphricani, Priſcillæ & Maximillæ aliorum Clementis Alexandrini, Tarſi Cypriani, Arnobij, Tyconij, Caſſiani Gallarum presbyteri, Victorini Pictauienſis. Epiſtola Ieſu ad Abagarum regem. Et Epiſtola Abagari ad Ieſum. Paſſio Cyrici & Iulitæ, & Georgij. Liber qui dicitur contradictio Salomonis. Liber quoque Symonis Magi, Nicolai, Corinthij, Marcionis, Baſilidis, Ebionis & cæterorum hæreticorum, quos cum eorum auctoribus, auctorumque ſubſequacibus ſub anathematis indiſſolubili vinculo cõfitemur eſſe damnatos in æternum. Hucuſque decretum Gelaſij Papæ. Numerum autem, & nomina librorum, cuiuſque Doctoris Catholici quæ reperire potui, inferius iuxta ordinem hiſtoriæ temporum quibus floruerunt, locis congruis annotaui.

Continentia totius operis.

CAP. XV.

TOtum igitur opus iſtud ſummatim continet. Primo quidem de trino & vno *Creatore* omnium breuem tractatum. Deinde de *Cœlo empyreo*, & natura *Angelorum*. De *ſtatu* quoque & ordine *bonorũ*, & ruina maliciaque *ſuperborum*. Poſt hoc *de materia informi, & de fabrica mundi*, ac iuxta ſeriem operum ſex dierum, *de natura & proprietatibus* ſingularum per ordinem *rerum*. Deinde vero de conditione *hominis primi*. De natura ac viribus animæ, & ſenſibus, & partibus ac proprietatibus *corporis humani*; de *requie Dei*, & modo operandi; de primo *ſtatu Protoplaſti* & felicitate Paradiſi; de lapſu hominis ac pœna multiplici; *de peccato* in genere multiplicique peccati diuiſione ac ſingulorum generum proprietate. Poſtmodum vero de hominis *lapſi reparatione*; de proprietatibus fidei, cæterarumque per ordinem *virtutum*; Donorum Spirituſſancti, atque beatitudinum, De numero quoque, & *materia omnium ſcientiarum*; poſt hoc autem iuxta ſeriem temporum, continet *hiſtoriam rerum in mundo geſtarum*; dictorumque memorabilium, ab initio ſæculi vſque ad tempus noſtrum; Et primo quidem deſcribit initium Eccleſiæ, quod habuit ab Abel eiuſque progreſſum per tempora Patriarcharum, iudicũ, regum, ac ducum vſque ad tempora Chriſti, & Apoſtolorum: iuxta ordinem ſacræ hiſtoriæ. Multa etiam inferens vtilia de geſtis ac dictis Ethnicorum. Ex inde vero diffuſius texit hiſtorias Eccleſiaſticas per ſucceſſiones Romanorum Imperatorum vſque ad illum, qui noſtris temporibus imperauit Fredericum. Inter hęc autem ab initio commemorat ſingulorum temporibus ſuis ortus regnorũ, ſucceſſiones quoque Rogum, & varios euẽtus bellorũ. Errores Paganorũ, Iudæorum, Hæreticorum geſta dictaque notabilia, atque librorum nomina Philoſophorum, & Poetarum. Inſtitutionem & formam, & efficaciam ſacramentorum veterum ac nouorum. Multiplicem Eccleſiæ profectum ac varietatem temporum, numerorumq; & ordinem perſecutionum eius, ſub Imperio Præcipue Romanorum per ſucceſſiones Imperatorum Geſta quoque laudabilia, & paſſiones, & miracula Sanctorum, ſcilicet Apoſtolorum, Confeſſorum, Martyrum, atque Virginum. Sed & actus memorabiles, ac nomina librorum. Floreſque non paucos Doctorum Catholicorum, *Canones*, & *ſtatuta Conciliorum*, &

Materia operis.

Roma-

Romanorum Pontificum, Collationes & vitas Sanctorum Heremitarum: *regulas, & inſtituta* Sanctorum Patrum; Initia quoque & profectus diuerſorum ordinum, atque profeſſionum. Ad extremum vero de præſenti permixtione bonorum & malorum, & de vario ſtatu animarum à corpore ſeparatarũ, de ordine ſæculi futuri, de aduentu *& geſtis Antichriſti, de fine mundi*, de die iudicij, de reſurrectione mortuorum, & glorificatione Sanctorum, de ſupplicijs reproborum.

De quadrifaria diuiſione totius

CAP. XVI.

QVoniam iam hoc ipſum opus, ob cauſam iam dictam ſuperius, ad tantæ magnitudinis immẽſitatem excreuerat, vt in triplo (quemadmodum opinor) bibliothecæ ſacræ menſuram excederet, & per hoc ſine labore vel ſũptu nimio tranſcribi nõ poſſet, multotũ rogatu fratrũ intercedente, inſuper & priore meo fauente, mihiq; in remiſſionẽ peccatorũ meorũ pariter iniungente, vt totum opus abbreuiando, in librum Manualem ad modum vnius bibliæ redigerem: hoc ipſum facere tentaui, vt potui. Sed niſi per nimiã longitudinem temporis, vel abſque nimio diſpendio vel deprauatione ipſius operis implere nõ valui. Quapropter ipſum opus vniuersũ in quatuor partes principales, tanquam in qua uor volumina perfecta, & à ſe inuicem ſeparata diſtinxi. Quarum vna continet totam hiſteriam naturalem. Alia vero totam ſeriem doctrinalem. Tertia vero totam eruditionem moralem. Quarta totam hiſtoriam temporalem. Prima ſiquidem proſequitur naturam & proprietatem omnium rerum. Secunda vero materiam & ordinem omnium artium. Tertia proprietates & actus omnium virtutum & vitiorum. Quarta ſeriem omnium temporum. Siquidem & Plato (vt dicit Auguſt.) *perfeciſſe Philoſophiam laudatur, quæ in tres partes ab ipſo diſtribuitur, vnam videlicet naturalem, aliam rationalem, tertiam moralem.* Et forraſſe qui Platonem acutius ac veracius intellexerunt, tale aliquid de Deo omnium Creatore, gubernatore, conſeruatore ſenſerunt, vt in eo ſit cauſa omnium naturarum, lumen omnium rationum, & finis omnium actionum. Sitque in illo & cauſa ſubſiſtendi, & ratio intelligendi, & ordo viuendi. Quorum videlicet trium vnum pertinere videtur ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem. Itaque ſi homo ita creatus eſt, vt per id, quod in eo præcellit, attingat ad illud quod cuncta præcellit, ideſt vnum verum optimum Deum, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, nulla doctrina inſtruit, nullus vſus expedit. Ipſe quærendus eſt, vbi nobis ſecuta ſint omnia. Ipſe cernendus, vbi nobis certa ſint omnia. Ipſe diligendus, vbi nobis recta ſint omnia. Plato quippe Dei huius imitatorem, cognitorem, amatorẽ, dixit eſſe ſapientem. Ad hæc itaque tria ſpectant tres primæ partes huius operis, videlicet naturalis, doctrinalis, & moralis. Porro quarta & vltima, videlicet hiſtorialis, licèt ad Philoſophiã directè non pertineat, eo quod ſingularia rerum geſta tantum enarrat, de quibus, ſcilicet ſingularibus, ſecundum Ariſtotelem ars non eſt, plurimum tamen admirationis & recreationis, & vtilitatis habet, vt iam ſuperius oſtẽſum eſt.

Quatuor partes principales operis

Deus prima cauſa, primum lumen, finis vltimus

† *Hinc apparet Vincentium abſoluiſſe hoc opus ante quam electus eſſet ad Epiſcopatum.*

De materia vniuſcuiuſque partis.

CAP. XVII.

IGitur primæ partis fundamẽtum eſt hiſtoria ſacra ab ipſo principio creationis rerum vſque ad requiẽ ſabbhati. Cui etiam interſeruntur ea quæ pertinẽt ad naturam cœli & mundi. Fundamentum ſecundę partis eſt hominis lapſi reparatio quantum ad intellectum. Et fundamentum tertiæ partis, quantum ad affectum eſt hominis reparatio. Quartę partis fundamentum eſt, primo quidem ſacra Scriptura à generatione primi hominis vſque ad Imperium Neronis. Inde vero Chronica Euſebij, Hieronymi, Proſperi, Sigiberti, ac cæterorum Chronographorum, per ſucceſſiones Imperatorum, vſque ad diem iſtum. Cui videlicet vniuerſali hiſtoriæ præponitur brevis epilogus partis primæ, & ſecundæ ac tertiæ: in medio vero locis congruis inſeruntur diuiſiones terrarum ac gentium, teſtamenta Patriarcharum, ceræmoniæ Iudæorum, & ſacramenta Chriſtianorum, ſed & variæ intermiſcentur hiſtoriæ, proſequentes geſta, vel dicta notabilia Regum, Tyrannorum, Imperatorum, Philoſophorum, cæterorum etiam virorum illuſtrium. Mutationes temporum, & varios euentus rerum, vt eſt Iuſtini vel Pompei Trogi, & hiſtoria Oroſij, Hiſtoria quoque Alexandri Magni, & Dartij. Hiſtoria Iulij Celſi de bellis Cæſaris. Et Suetonij hiſtoria de 12. Cæſaribus. Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij Cęſarienſis. Ruffini Aquilegienſis, & Hugonis Floriacenſis. Hiſtoria quoque tripartita Caſſiodori. Hiſtoria Hieronymi & Heraclidis, de geſtis & dictis Patrum. Hiſtoria quoque Caſſiani, de collationibus Patrum. Hiſtoria Turpini Remenſis, de geſtis Caroli Magni Imperatoris, cæterorumque multorum hiſtoriographorum. Adduntur & aliæ etiam innumerabiles hiſtoriæ breues, de paſſionibus Apoſtolorum & Martyrum, geſtis ac moribus & conuerſatione Sanctorum Epiſcoporum, Monachorum, cæterorumque Confeſſorum.

Inter hæc etiam continet plurimorum flores librorum (vt dictum eſt) non tantum Sanctorum Doctorum, ſed etiam Philoſophorum & Poetarum. Verumtamen illorum, qui multa ſcripſerunt ac magna, de quorum ſcriptis excerpſeram plurima, vt Ambroſij, Hieronymi, Chryſoſtomi, Auguſtini, Gregorij, Bernardi, ac cæterorum huiuſmodi. Horum inquam flores cauſa vitandæ prolixitatis in duas partes diuiſi. Nam illos quidem eorum libros, qui maximè ſunt morales, vt eſt liber Confeſſionum Auguſtini, Meditationes Anſelmi, vel beati Bernardi, vel ſimiles, ſub quadam continuatione verborum abbreuiaui, ita vt ſi libri cuiuſlibet magnitudinem ignorantes, totum te habere putares, hos in quarta parte locis ſuis compoſui, ac per capitula diſtinxi, quatenus ad hiſtorię modum, propter ipſam continuitatem, in refectorijs, in infirmatorijs, & alijs locis inter fratres ædificationis cauſa poſſint legi. Cęteros autem floſculos, quos ex eiſdem vel alijs libris minutatim, & incompactæ per diuerſa loca excerpſi; in cæteris partibus ſub diuerſis titulis congruenter inſerere iudicaui; porro in fine quartæ partis adijcitur epilogus breuis de fine mundi.

Excuſat ſe de nonnullis.

Retractatio primæ partis.

CAP. XVIII.

TAnto igitur, tamque laborioſo opere per Dei gratiam in finem vſque perducto, Ego quoque mentem meam per ſpacioſiſſima Scripturarum maria, iam ex longo tempore fluctuantem, ipſa diſtractione ſemetipſa quodammodo lacerantem, ad portum ſtabilitatis ſuæ reducere cupio. Quod vtique dum per imbecillitatem conatus mei vix facio, ſerenato quodammodo libero rationis oculo hoc ipſum intuens, & in ſtatera diſcretionis appendens, in parte quidem negligenter egiſſe, in parte vero

vero modum exceſſiſſe reperio, itaque qui ſuperius in excuſatione mei multa dixiſſe me recolo; Ne tanquam humanæ gloriæ vanus appetitor, vitiorũ meorum inueniar blandus palpator, improbuſve defenſor; ſed magis meorum vitiorum in rationis libra diſtrictus examinator, & acerbus malorum reprehenſor; Non erubeſcam in hoc operis principio culpam meam fateri; præſertim cum atteſtante Philoſopho, nihil in humanis adinuentionibus ex omni parte perfectum valeat inueniri.

Hæc ergo in quibus, ſicut nec ipſe mihi cõplaceo, ſic etiam Deo & hominibus diſplicere formido. In prima quidem parte de Deo & Angelis, cæteriſque quæ ad theologiæ materiam pertinent, ex diuerſis capitulis pauca capitula colligens, de ſingulis quæſtionum articulis breuiter ac ſuccinctè percurrendo tranſiui, quoniam de hac materia, multa & varia ſcripta communiter à fratribus & alijs vbique haberi cognoui. Porro inueſtigando naturam, cuius notitia valet (vt ſupra dictum eſt) etiam ad expoſitiones ſacrarum Scripturarum, Non ſolum inquam in noſtrorum libris, ſicut Ambroſij, Baſilij, Iſidori, & aliorum quorundam; verum & in libris Philoſophorum, videlicet, Ariſtotelis, Plinij, Solini, Inſuper & Medicorum, videlicet, Æſculapij, Hipocratis, Auicennæ, Razi, Hali, Iſaac, Conſtantini Platearij; dum non ſolum noſtris, ideſt fratribus ordinis noſtri, hoc ipſum opus deſiderantibus, atque poſcentibus, cęteriſque ſanctarum Scripturarum expoſitoribus, ſiue Doctoribus, verum etiam quibuſdam alijs, qui forſitan curioſitate quadam ſciendi incognita laborantes, talium notitia delectantur, ſatisfacere volui: fateor ex magna parte, meo iudicio, profeſſionis intentionis meæ modum exceſſi, in illis præcipuè inueſtigandis ac deſcribendis, quorum nomina in diuinis libris non reperi. Itaque dum curioſis morem gerere volui, vitium curioſitatis incurri. Etenim quod Medicorum eſt, promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. Sic & ego tam ſublimis profeſſionis homunculus, cuius, ſcilicet totum ſtudium, & labor debet eſſe circa lucrum animarum intendere, etiam in hoc opere debui, præcipue de his quæ ad profeſſionem meam ſpectant inſiſtere.

De cæteris autem præcipue, quæ magis ad medicinam corporis pertinent, ſi forſitan incideremt (ſicut Doctoribus noſtris mos eſt) breuiter pertranſire. Hoc eſt igitur, quod licèt multis etiam à fratribus placeat, eo quòd totum per quaſdam rerum ſimilitudines & integumẽta figurarum ad ædificationem morum, referri valeat. Super omnia tamen quæ continentur in hoc opere, mihi confiteor diſplicere. Non quòd illa quidem in ſe bona non ſint, taliumque ſtudioſis vtilia, ſed quia profeſſionem meam (vt dixi) non decuit huiuſcemodi rebus inueſtigandis ac deſcribendis, tam diligenter inſiſtere.

Retractio ſecundæ, tertiæ, & quartæ partis.

Cap. XIX.

ETenim in ſecunda parte, quaſdam ſcientias vel artes diffuſius proſequendo, vereor etiam aliquatenus modum exceſſiſſe. In tertia vero virtutes ac vitia deſcribendo, non potui, vt iam ſupra dixi, omnium librorum moralium, etiam quos in promptu habebam, omnes flores in vnum colligere. Sed de multis pauca pro modulo meo eligere, alioquin oporteret volumen in immenſum extendere. Porro in quarta parte, quamuis etiam illic abbreuiata ſint omnia, propter magnitudinem tamen voluminis adhuc amplius inſtitui minuendam: vellem (ſi fieri poſſet) de ſanctorum miraculis reſcidiſſe nonnulla.

Denique ſi quis legentium, vel in prima, vel in ſecunda, vel in tertia, vel in quarta parte, de his quæ forſitan ibidem requiſierit, minus aliquid inueniat, neceſſitati abbreuiandi operis (vt iuſtum eſt) veniam concedat. Præterea nullatenus lector abhorreat, ſi etiam in Gentilium hiſtoria videtur legi, circa Paganos facta fuiſſe nonnulla miracula. Credibile enim eſt huiuſmodi oſtenta, nequaquam fuiſſe vera miracula, ſed prodigioſa indicia, ipſoſque dæmones hæc circa cultores ſuos fallaciter egiſſe, vel oſtendiſſe. Quatenus eos huiuſcemodi fallacijs in cultu ſuo facilius poſſent detinere. Hæc ad præſens de cunctis quę in ipſo tanti operis initio dicenda erant, videlicet de cauſa & materia, & de titulo, & de modo agendi & vtilitate, & calumniarum repulſione, & ipſius operis diuiſione atque retractatione, ad præſens ſufficiant. Hunc autem prologum propter cauſas prædictas à principio operis hucuſque protractum, quia pari iure correſpondet vnicuique parti, totum in cuiuſlibet capite inſerendum iudicaui, vt ſimul cum totius partis capitulis adiunctis, locum ſuppleat vnius libri. Et quia totum opus illud vniuerſale ſupradicta ratione Speculum maius decreueram appellare. His etiam quatuor eiuſdem partibus, idem vocabulum per ſingulos titulos placuit annotare, vt videlicet prima vocetur Speculum naturale. Secunda vero Speculum doctrinale. Tertia quoque Speculum morale. Quarta Speculum Hiſtoriale.

De miraculis paganorũ nota.

Continuatio quatuor partium ad inuicem.

Cap. XX.

SIc igitur in hac prima parte, totam naturalem hiſtoriam (vt ſupra dixi) auxiliante Deo diuerſorum auctorum floſculos excerpendo, iuxta poſſibilitatis noſtræ modulum breuiter ad plenum proſecuti ſumus, differendo videlicet de natura diuina, de Angelica creatura, de materia informi, de fabrica mundi, & iuxta ſeriem operum ſex dierum, de proprietatibus naturalibus ſingularum per ordinem rerum. Dehinc in ſecunda & tertia parte, de hominis lapſi reparatione, hoc eſt de his quibus à lapſu multiplici reparatum eſt genus humanum, ſcilicet de numero & materia omnium ſcientiarum, de proprietatibus ſingularum virtutum agere volumus, quatenus in hunc modum totius mundi plenius continentiam, omniumque rerum & artium atque virtutum ſummam ſub quodam compendio memoriter teneamus.

Porro in quarta parte, ſimili modo temporalem rerum in mundo geſtarum hiſtoriam, dictorum memorabilium ab initio ſæculi vſque ad finem, quæ ſcripta reperimus, iuxta ſeriem temporum per ordinem generationum, regnorumque ſucceſſionem, ſicut in ſuperiore præfatione totius operis prælocuti ſumus, breuiter vt potuimus percurrimus. Veruntamen, quia ſicut prædictum eſt, iſtæ quatuor ſpeculi partes diuerſæ ſunt, ac propter nimiam tranſcribendi ſumptuoſitatem, alteram ſine altera nonnulli habituri ſunt, Et in hac prima parte loco competenti totius vltimæ partis materiam, ideſt totius hiſtoriæ tẽporalis chronicã breuiter perſtrictam præhabamus, In fine, videlicet vbi de temporibus agitur, In vltimæ quoque partis capite placuit quoddam hiſtoriæ naturalis, & omnium artium atque virtutum epithoma, ideſt recapitulationem breuem præmittere; quatenus vnaquæque pars cæteras vtrimque contineat, omneſque ſe inuicem complectantur. Et quia totum opus primum, quod in quatuor ob ſui magnitudinem eſt diuiſum, maius ſpeculum appellauimus. Ideo primam iſtam partem, quæ ſpeculum naturale dicitur à diuerſis mundi acceptionibus inchoamus.

Finit Prologus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER PRIMVS.

De diuersis mundi acceptionibus.

CAP. I.

EX LIBRO qui dicitur *Imago mundi*. Mundi factura quinque modis describitur. Dicitur enim primo modo Mundus archetypus, ideſt principalis & omnium exemplaris, ſecundum quod ante tẽpora ſæcularia vniuerſitas creaturę in mente diuina fuiſſe legitur. Secundo B modo dicitur Mundus primitus exemplatus, ſcilicet cum ad exemplum archetypi Angelus, & huius ſenſibilis mundi materia creata eſt ab initio. Tertio modo, cum per ſpecies & formas varias mundus iſte viſibilis formatus deſcribitur. Quartò modo, ſecundum quod pulchritudine temporali curſum ſuum continuè peragente, vnumquodque ex ſui generis ſemine naſcitur. Quintò modo, ſecundum quod mundus iſte viſibilis, in fine temporum ab hac ſpecie corruptibili in incorruptibilem tranſmutatus innouabitur. Mundus Archetypus ipſe eſt filius Dei, cum Patre & Spiritu ſancto vnus Deus, hic eſt Dei ſapientia, & ratio, & verbum Deo dicenti coæternum, de quo ſcriptum eſt. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, ideſt viuebat, ſicut arca vel domus præconcepta viuit in mente C
Io. c. 1. artificis, antequam fiat. De ſecundò ſcriptum eſt, *qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*. De tertiò
Eccleſ. c. 28. Sap. 11. 2. Cor. 7. 2. Pet. c. 3. ſcriptum eſt, *qui fecit mundum de materia informi ſine inuiſa, ideſt inuiſibili*. De quartò ſcriptum eſt, *præterit figura huius mundi*. De quinto ſcriptum eſt, *nouos cælos & nouã terrã expectamus, in quibus iuſtitia habitat*.

Iuxta hunc ordinem Deo auxiliante intendimus procedere, maximeque in præſenti volumine mundi deſcriptionis iuxta tertium modum, hoc eſt de varijs ſpeciebus, quas mundus iſte ſenſibilis continet deſcribendis, diligenter inſiſtere. De mundo quippe archetypo ſufficienter (vt æſtimo) aliàs diſſeruimus; in libro videlicet quem de Sancta Trinitate, communiA ter ex dictis Sanctorum & Catholicorum Doctorum nuper compegimus. Et in alio quodã opuſculo, quod ſimili modo de ipſo Dei filio mundi Redemptore ſingulariter edidimus, quem etiam librum gratiæ titulo prænotauimus. Temporalem porro mundi pulchritudinem ab initio vſque ad finem in opere illo plenè digeſſimus, quod Speculum hiſtoriale vocari decreuimus. Quapropter in huius voluminis capite (Deo iuuante) de ipſo archetypo, & etiam de mundo ſecũdario, videlicet Angelis, & prima materia primitus exemplata panca breuiter perſtringemus. Et poſtea mundanarum ſpecierum diligenter varietate deſcripta, tandem de temporalibus mundi curriculis, & eius fine ſimiliter nonnulla ſuccinctè percurremus. Similiter & ſacri Doctores aiunt, quod ideo manus & pedes domini Seraphin operiunt, quia & præterita ante mundum, & futura poſt mundum ſcire nõ poſſumus. Sed media tantummodo contemplamur. *Manus & pedes domini operiũtur.*

De duobus mundis exiſtentibus.

CAP. II.

HErmes qui, & Mercurius, & Trimegiſtus ad Aſclepium. *Pater quidem omnium vel dominus, qui eſt omnia, omnibus ſe libenter oſtendit, non vbi ſit loco, nec qualis ſit qualitate, nec quantus ſit quantitate, ſed hominem ſola intelligentia illuminans, qui diſcuſſis ab animo errorum tenebris & veritatis claritate percepta, totũ ſe ſenſim in diuinę intelligentia commiſcet. Cuius amore parte naturæ, quæ mortalis eſt liberatus, immortalitatis futuræ fiduciam excipit. Et omnium quidem mirabilium vincit admirationem, quod homo diuinam potuit inuenire naturam.* Certum eſt enim mundum intelligibilem, ideſt qui ſolo mentis intuitu dignoſcitur, incorporalẽ eſſe, nec eius naturæ corporale aliquid poſſe miſceri, quod poſſit qualitate, quantitate numeriſque dignoſci, in ipſo quippe nihil tale conſiſtit.

Hic vero mundus, ſenſibilis receptaculum eſt omnium ſenſibilium ſpecierum, etiam qualitatum vel corporum, quæ omnia ſine Deo vegetari non poſſunt. Omnia quippe Deus, & omnia ab ipſo, in ipſo, & per ipſum. Ipſeque mundus ſenſibilis, & omnia quę in ipſo ſunt ab illo ſuperiore mundo, quaſi veſtimẽtum contexta ſunt. Nam licet in vnoquoque genere animalium,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

malium, ſingula ſui generis formam poſſideant, in eadem tamen forma ſui diſſimilia ſunt, quod facit vniformis ille (vt diximus) Deus, cuius ſpecies nõ mutatur nec cõuertitur. Sicque ſingulorum generũ formæ ſunt permanẽtes, in eadem ſui forma diſſimiles. Mũdus itaque præparatus eſt à Deo receptaculum omniformiũ ſpecierũ. Naturã autem per ſpecies vnigenas, mundum per quatuor elementa vſque ad cælum perduxit, cũcta Dei viſibus placitura, ipſum vero cœlum Deo plenum eſt; porro cuncta ab imo vſque ad ſummum ſibi connexa ſunt, & mortalia immortalibus, & ſenſibilia inſenſibilibus adnexa ſunt.

Omnia ſunt connexa.

Plato etiam (vt legitur) duos aſſeruit mundos. Vnũ intelligibilem, in quo ipſam veritatẽ dicebat habitare, iſtum quoque ſenſibilẽ, quem manifeſtum eſt viſu, tactuque ſentire; itaque illum eſſe verũ, iſtum veriſimilẽ ad illius imaginem eſſe factum. Ideoque de illo, in eo, quod ſe cognoſcet anima, velut expoliri veritatem ac ſerenari, de hoc autẽ in ſtultorũ animis nõ ſcientiam, ſed opinionem poſſe generari. Idem quoque dicebat ideas eſſe in mente diuina, ideam diffiniens ita: *Idea eſt eorum quæ ſiunt exemplar æternum*. In hoc autem errauit, quod ideas aliud eſſe, quã ipsã mentẽ putauit.

Mundus verus & veriſimilis.

Idea quid?

Quod mundus archetypus ipſe ſit Dei filius.

Cap. III.

Baſilius in Hexaemeron *lib.* 1. *Erat autem antiquiſſima ordinatio creaturæ ad eſſentias eas accommodatus, quæ extra mundum ſunt, orta ſine tempore, ſempiterna, ſibique propria, in qua Deus omnium cõditor inſtituit opera certa, hoc eſt lumen* intelligibile & æternum, beatitudini conueniens omnium amantium Deum. *Aug. de Trini. lib. 6.* Ipſa eſt ars quædam omnipotentis & ſapientis Dei, plena omni ratione viuentium & incõmutabilium, & omnia vnum in eo ſunt, ſicut ipſa eſt vna de vno, cum quo & vnum. *Gloſſa ſuper Epiſt. ad Hebr.* Hic eſt mundus inuiſibilis, qui erat in Dei ſapientia, videlicet ipſa eius diſpoſitio æterna, qui in verbo ſuo diſpoſuit omnia. Vnde Apoſtolus inquit: *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* Hoc eſt iuxta exemplar inuiſibile, quod erat in mente diuina, ex nihilo in eſſe procederet. *Glo. ſuper Iob.* Nam & faber arcam prius facit in mente, poſt in opere, quod eſt in mente viuit cum artifice, quod autem fit, mutatur cum tempore. Vnde de verbo Dei Scriptura pronunciat *Quia quod factum eſt in ipſo vita erat.* Quicquid enim factum eſt in tempore, ſemper vixit & viuit in ſpirituali factoris ratione.

Omnia vnum in Deo.

Ad Heb. 11.

Ioan. 1.

Aug. in lib. 83. quæſtionum. Omnia quippe Deus ratione condidit. Nec eadem ratione hominem qua equum, ſed ſingula proprijs rationibus conſtituit. Has vero rationes non arbitrandum eſt eſſe, niſi in propria Creatoris mente. Non enim quicquam extra ſe poſitũ aſpiciebat, vt ſecundũ id conſtitueret quod faciebat, quas rationes æternas in verbo intueri anima nequit, niſi quæ rationis oculum ſanum, & purum, & ſerenũ, & ſanctum, & ſimilẽ eis, quas videre intendit habuerit. Sic enim ipſo intelligibili lumine perfuſa & illuſtrata (cũ ei cohęſerit) hac ipſa viſione beatiſſima fit. Has autẽ ſiue ideas, ſiue formas, ſiue rationes appellare licet, multiſque conceditur vocare quodlibet, pauciſque videre quod verum eſt.

Origenes in homilia ſuper principio Iohannis. Si autem quæris, quomodo in ipſo vitaliter, & vniformiter, & cauſaliter, ſubſiſtunt omnia, accipe paradigma ex creaturarum natura. Conſpicare, quomodo cauſæ rerum omnium, quas comprehendit globoſitas ſenſibilis huius mundi, ſimul & vniformiter ſubſiſtunt in iſto ſole viſibili. Inde namque formæ corporum omnium procedunt. Inde diſtantium pulchritudo colorũ, & cætera quæ de ſenſibili natura prædicari poſſunt. Conſidera multiplicitatem & infinitam virtutem ſeminum, quomodo ſimul in ſingulis ſeminibus continetur numeroſitas herbarum, frutiA B C D E

Lib 1. & idem fere habet in homil. 12. in Geneſim.

cum, animalium. quomodo pulchra ſurgit ex eis varietas formarum. Intuere quoque interioribus oculis quomodo regulæ multiplices in arte artificis vnũ ſũt, & in animo diſponentis eas viuunt. Quomodo infinitus numerus linearum in vno puncto ſubſiſtũt vnum, & huiuſmodi naturalia exempla perſpice, ex quibus velut Philoſophiæ Theoricæ pẽnis, vltra omnia ſubuectus, diuina gratia adiutus, poteris arcana verbi mentis acie perſpicere. Et quomodo omnia quæ per verbum facta ſunt in illo viuunt, videre.

Quid ſit Deus.

Cap. IIII.

Dionyſius in lib. de diuin. no. Hierarchia ſiquidem eſt arcanum bonum, omni rationi ſuperrationale, nec vlli eorum quæ ſunt incommunicabile. Hoc igitur arcanum ſilentio temporali oportet nos honorare. Ioannes Damaſce. lib. 1. Dicere namque quid eſt Deus ſecundum ſubſtantiã, eſt impoſſibile, facilius magis eſt facere rationem ex omnium ablatione. Non enim eorum quæ ſunt, eſt aliquid, non quidem, vt non ens, ſed ſuper omnia ens, & ſuper ipſum eſſe exiſtens. Si enim eorũ quæ ſunt, noſtræ cognitiones ſunt, quod ſuper cognitionem eſt omnino, vtique ſuper ſubſtantiam erit, & econuerſo. *Aug. de Ciuit. Dei, in lib.* 22. Deum certè (ſicut poterat) definire volens Cicero, Mens, inquit, quędã eſt ſoluta & libera, ab omni concretione mortali ſecreta, omnia ſciens, omnia mouens, ipſaque nutu prędita ſempiterno. *Helinandus*; Empedocles quoque ſic eum fertur diffiniuiſſe. *Deus eſt ſphæra, cuius centrum vbique, circumferentia nuſquam. Secũdus quoque Philoſophus ita. Deus eſt mens immortalis, incontẽplabilis celſitudo, forma multiformis, incogitabilis inquiſitio, inſopitus oculus, omnia continens lux, bonum, & quid eſt huiuſmodi.*

Deus ſphæra cuius centrũ vbique.

Dionyſius vbi ſupra. Quid eſt inquam Deus? Eſt ratio ſimpla, & veritas verè exiſtens, circa quam vt puram, & non errantem ſcientiam eſt diuina fides vnicũ credentium fundamentum, ipſos veritati, eiſque veritatem callocans. Ipſa eſt ſcientia adunatrix cognoſcẽtium & cognitorum, à malo reſtituens, magis autem in bono ſtatuens, ordinans, & ornans, & perficiens integritatem, omniumque maculas ſoluens. Pro hac veritate moriuntur quotidie diuinæ ſapientiæ duces, teſtimonium perhibentes. *Bernardus Clareuallenſis in libro de conſideratione. 5. Quid eſt inquam Deus? quod aduniuerſum ſpectat finis; quod ad delectationem ſalus; quod ad ſe, ipſe nouit. Quid eſt Deus? Non minus peruerſorum pœna, quam gloria humilium.* Eſt enim rationabilis quędam æquitatis directio, inconuertibilis atq; indeclinabilis, quippe attingẽs vbiq;, cui illiſa omnis prauitas conturbetur, neceſſe eſt. Quid eſt Deus? Lõgitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. Longitudo propter æternitatem interminabilem. Latitudo propter charitatem immenſurabilẽ. Sublimitas propter maieſtatem inattingibilem. Profundum propter ſapientiam inſcrutabilem. Hæc Sancti, ſecundum Apoſtolum comprehendunt.

Quid Deus?

Idem in quodam ſermone. Qui enim cum Maria ſoli vacant Deo, diligenter conſiderant, quid ſit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in Angelis, quid in ſeipſo, quid in reprobis. Contemplantur ſiquidem, quia mundi rector eſt & gubernator, hominum liberator & adiutor, Angelorum ſapor & decor, in ſeipſo principium & finis. Reproborum terror & horror.

Aug. in lib. ſoliloquiorum. Ipſe eſt denique quem amat omne, quod poteſt amare, ſiue ſciens, ſiue neſciens. Ipſe eſt qui non facit malum, & facit etiam, ne fiat peſſimum. Ipſe eſt de cuius regno, leges etiam in hæc regna deſcripta ſunt. Cuius legibus arbitrium animæ liberum eſt, boniſque præmia & malis pœnæ, fixis per omnia neceſſitatibus diſtributę ſunt. Cuius legibus in æua ſtantibus motus inſtabilis rerum mutabilium, perturbatus eſſe non ſinitur, fræniſque circũ-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

euntium sæculorum, semper ad similitudinem stabilitatis reuocatur. *Gregorius Nazianzenus*. Ipse est cuius esse totum, & semper est insuperabile, quoddam sine fine substantiæ pelagus. Nullis terminis limitibusque circundatur, omnem sensum naturam supergrediens, & omne tempus.

In orat. 2. de Theolo.

Quibus distinguatur proprietatibus.

CAP. V.

Deus incorporeus.

CAssiodorus *super Psal.* Deus est substantia incorporalis simplex & incommutabilis. *Ioannes Damascæ.* Quòd autem incorporeus sit Deus, manifestũ est diligenter intuentibus. Qualiter enim corpus esse potest, quod infinitum & indeterminatum est, nec est enim formatum, sed impassibile, inuisibile, & incompositum.

B

Aug. de fide ad Petrum. In hoc autem se nullum corpus esse ostendit, quia quibusdam corporibus vitam dedit, quibusdam non dedit, cum omnium corpora ipse creauerit. Non enim rem viuentem, nisi res viuens facit. Ipse verò naturaliter vita est, quia si vita non esset, viuentia corpora non fecisset. *Idem in lib. de videndo Deo.* Iraque nec corporalibus oculis quæritur, nec visu circumscribitur, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu, nec in loco videtur, sed mundo corde, & cum absens putatur videtur, & cum præsens est non videtur; vnde & Apostolus dicit. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me. Idem in lib. confessionum 10.* Non est aliquo sensu corporali perceptibilis. *Est tamen quædam lux, quædã vox, quidam color, quidam cibus, quidam amplexus interioris hominis, vbi fulget anima, quod non capit locus, vbi sonat, quod non rapit tempus, vbi redolet, quod non spargit flatus, vbi sapit, quod non minuit edacitas, vbi hæret, quod non diuellit satietas. Ioan. Damascæ.* Porro simplex est Deus, & non compositus. Nam si compositus esset, qualiter impassibilis esse posset. Compositio namque principium est pugnę; pugna vero dissonantiæ: dissonantia porro, solutionis est causa. Solutio autem omnino à Deo est aliena. Cæterum qualiter Deus compositus esse queat, cum per omnia incedat, & omnia impleat. Impossibile est siquidem corpus per corpora incedere, quin incidat, & incidatur, plicetur, ac reobuietur, sicut quæcunque sunt humida miscentur & confundontur.

C

Io. 14.

D

Deus maxime vnus. Vide D. Th. 1. p. q 11. a. 3. qui citat hunc locum quoad sensũ, licet non quoad verba.

August. de Ciuit. Dei lib. 11. Illud itaque summum bonum, quod Deus est, solum simplex, & ob hoc solum incommutabile est. Nec ideo simplex non est, quia trinitas est. Sed ideo simplex dicitur, quia quod habet hoc est, excepto, quod relatiuè persona quæq; ad alteram refertur. *Boe. de Trinita* Denique nihil esse dicitur in materiam, sed secũdum formam propriam. Diuina vero substantia est sine materia, atque ideo vnum est, & est id, quod est. Reliqua porro non sunt id quod sunt. Habet enim vnumquodque suum esse ex his, ex quibus est, ideſt ex partibus suis, & est hoc, & hoc, ideſt partes suæ pariter coniunctæ, non hoc vel hoc singulariter. Quod autem non est ex hoc, & ex hoc, sed hoc tantum est, illud verè est, id quod est.

E

Summe verax.

Richar. de Trinit li. 2. Cæterum in illa summa sapientia quæ Deus est, nihil falsitatis inesse potest, alioquin nõ summè saperet, qui vel fallere veller, aut falli posset. Constat itaque Deum veracem esse: & hoc ipsum est ei ex veritate. Veritas ergo non est aliud aliquid quàm ipse, cum veraciter conuinci possit non habere nisi ex se, quod tamen habet ex veritate. Veritas autem, sicut nunquam non fuit, sic nunquam non erit, semper enim verum fuit futurum fore quod erit. Et semper verũ fuit fuisse quod fuit, ergo veritas Deus, sicut initium non habuit, sic & fine carebit. *Hieronym. in regulis diffinitionum*. Itaque sicut naturis redditur proprietas, vt homini risus, equo hinnitus, ita diuinæ naturæ siquid proprium est, reddas. Propriũ est Deo non cæpisse, licèt omnium quę sunt, proprium est cæpisse. *Richar. vbi supra.* Æternum est autem, quod caret vtroque, scilicet initio & fine, omnique mutabilitate. In his ergo tribus probasse æternus. Rectæ quoq; immensus dicitur, cuius magnitudo nulla mensura comprehenditur. *Hugo. de sacramen. lib. 1.* Itaque nec augeri potest, qui immensus est, nec minui qui vnus est, nec loco mutari qui vbique est, nec tempore qui æternus, nec cogitatione qui sapientissimus est, nec effectu qui optimus est *Ex symbolo:* Eique nihil accidens esse potest, quia simplex diuinitas semper est id quod est, cui nimirum idem est esse, & viuere, & intelligere.

Aug. tom 9

Augusti de Trinit. lib. 5. Intelligamus ergo Deum si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonũ, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine aliqua sui mutatione mirabilia facientem, nihilque patientem, sine loco vbique totum, sine tẽpore sempiternum. Quisquis ita Deum cogitat, etsi nondũ potest omnimodo inuenire quid sit, piè tamen cauet quantum potest, de illo aliquid sentire quod non sit.

De diuina essentia vnitate.

CAP. VI.

CIoannes *Damascæ.* Quod autẽ vnus est tãtum Deus: Scriptura exprimẽs ait: Dominus Deus tuus, Deus vnus est. His vero qui diuina Scriptura non persuadẽtur, disputando sic probabitur: Deus perfectus est, & indeficiens est, secundum bonitatem & sapientiam ac virtutem. Et siquidem multos dicamus Deos esse, in multis considerare differentiam est necesse. Si vero in eis est differentia, vbi perfectio ac siue secundum bonitatem, siue secundum virtutẽ vel sapientiã deficiat à perfectione, iã eum constat Deũ nõ esse. Si aurẽ per omnia est idẽtitas, vnũ magis, & nõ multos esse cõstat.

Præterea qualiter etiã à multis gubernabitur mundus, & non dissoluetur atque corrumpetur, considerata pugna in gubernantibus. Differentia enim contrarietatem inducit. *Richardus vbi supra.* Item quod esse non potest, omnino non est. Ex essendi igitur potẽtia accipit esse, omne quod in rerũ vniuersitate subsistit, sed si omne ab illa est, ipsa sũma essentia est, sed si ab illa est omne posse, summè potẽs est, si omne sapere, sũmè sapiens est. Est enim impossibile magis aliquid dare, quàm accipere vel habere. Non itaque aliud est essendi potentia, quam summa substantia. Nõ ergo potuit alicui alteri substantiæ dare, non dicã vt diuinitatem haberet, sed vt ipsa deitas esset. Alioquin (quod impossibile est esse) parem haberet. Non est itaque Deus nisi substantialiter vnus, quantoque melius est, quãtoque perfectius, quod humana cogitatio attingit, tanto ad id quod Deus est, vicinius accedit, non tamẽ pertingit. Est itaque eruditis velut maxima propositio, Est cunctis in communi, velut communis animi conceptio, Deo attribuere, quicquid altius attingit humana æstimatio. Est autem impossibile plures omnipotentes esse. Qui enim verè omnipotens fuerit, facilè efficere poterit, vt cæterorum quilibet nihn possit. Alioquin verè omnipotens non erit.

Hugo in libro de tribus diebus. Cæterum nunc præcedit vnitas alteritatem, quia præcedit binarium, qui est alteritatis principiũ. Vnitas ergo præcedit omnẽ mutabilitatẽ. Cum ergo omnis creatura mutabilitati subiecta sit, sequitur, quod vnitas omnẽ creaturã præcedit. Quicquid autẽ est, aut æternũ, aut creatũ est, vnitas ergo æterna est. Porro æternum nihil aliud est quã diuinitas, vnitas igitur est diuinitas, ergo vn' est Deus.

Dionysius in lib. de diui. nomi. Est enim † hierarchia vnitas omnis vnitatis, viuifica essentia supereſſentialis, intellectus inuisibilis & inscrutabilis, tanquam non ente vestigio vllo in occultam eius multitudinem peruenientium, nec tamen vlli eorum quę sunt incommutabile bonum.

† *Alias thearchia.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hugo ſuper hierarchiam. Denique ait magnus ille Theologus, videlicet Ariopagita Dionyſius, quod diuinæ claritatis radius, nunquam à propria ſingulari vnitate deſeritur, licèt ad anagogicam & vnificam eorum, quæ prouiſa ſunt contemperantiam optimè ac pulchrè perueniat, ac multiplicetur. Hæc etenim multiplicatio & variatio vniuerſorum eſt pulchritudo, quia niſi diſſimiliter pulchra eſſent ſingula, ſummè pulchra non eſſent vniuerſa. Vnde & prouenire dicitur optimè & pulchrè. Optimè, ſcilicet in vniuerſis, & pulchrè in ſingulis: vel optimè, ſecundum participati infuſionem, pulchrè, ſecundum participantium diſpoſitionem. Optimè namque multiplicatur, vt maius ſit bonum, quod à multis participatur, & pulchrè, vt maior ſit decor vniuerſitatis, eo quod participantibus ſingulis variè infunditur. Et ipſa multiplicatio fit ad contemperantiam eorum quæ prouiſa ſunt, ideſt electorum ac prouiſorum ad vitam, vt videlicet inter ſe contemperentur, & concordia participationis iuuentur. Ipſaque concordia, & pax eſt illa contemperantia, qua ſibi conſentiunt, vt ſtent in vno & reformentur ad vnum, propter hoc vocat eam anagogicam & vnificam, vnificam quidem, vt ſtent in vnum, Anagogicam, vt reformentur ad vnum. Ideo pulchra eſt in congregatione, optima in eleuatione. Iſte igitur radius ad corda illuminanda procedit, ſiue ab intus per aſpirationem ea replens, ſiue à foris per ſacri verbi eruditionem, ſe ipſis infundens. Et tamen inquit, manet intra ſe vnificè, & cum ſe mentibus illuminandis variè multipliciterque participandum præſtat, nequaquam tamen extra vnitatis ſuæ ſimplicitatem effluit.

De perſonarum trinitate.

Cap. VII.

Iſidorus Etimo. lib. 7. Dicitur autem Deus trinitas, quaſi triunitas. Quia pater, & Filius, & Spirituſſanctus ſuut trinitas & vnitas. Vnum enim ſunt propter maieſtatis communionem, & tres propter perſonarum proprietatem.

† *Ex deffinitionibus eccleſiaſticorum dogmatum.* Ita creditur à nobis trinitas ſine confuſione coniuncta, ſine ſeparatione diſtincta. Non enim confuſa eſt in vna perſona trinitas, vt Sabellius, neque diuiſa in natura diuinitas, vt blaſphemat Arrius.

Aug. de fide ad Petrum cap. 1. Pater itaque Deus à nullo Deo genitus, ſed de natura ſua ſine initio genuit Filium, ſibi coæqualem Deum, & eadem qua ipſe naturaliter æternus eſt diuinitate coæternum.

Idem in ſolutione quæſtionum hæreticorum. Si enim filio Pater æqualitatem, quam ei dare potuit, in natiuitate ſubtraxit, inuidus fuit, ſi autem dare non potuit, infirmus, ſed vtrumque fictum eſt, quia Deo Patri Filius æqualis eſt.

Idem contra Maximum lib. 2. Beatius quidem eſt dare, quam accipere, ſed hoc in hac vita eſt inopia, quoniam vtique melior eſt copia. Melius enim eſt habere, quam egere. Melius eſt dare, quam mendicare: vbi autem qui dedit, gignendo dedit, & qui accepit, naſcendo accepit, non inopi ſubuentum eſt, ſed ipſa copia generata eſt. Nec poteſt qui accepit ei, qui dedit inæqualis eſſe. Quia ex hoc accepit, vt eſſet æqualis. Nihil enim patre minus habet, qui dicit, *omnia quæ habet pater mea ſunt.* *Idem ad Oroſium.* Porro de Spirituſancto, certa fides hoc aſſerit, quod à Patre filioque procedit, ſicut & filius dicit. *Cum venerit paraclytus, quem ego mittam vobis à Patre,* &c. *Glo. ſuper Ioannem.* Ex hoc enim dicitur, *quem ego mittam vobis à Patre,* & poſtmodum additur, *qui à Patre procedit,* oſtendit, quod non ſolum Pater, ſed & filius eum mittit, ſed hoc à Patre, à quo eſt ipſe.

Aug. de Ciuitate Dei lib. 15. Ideo quoque dicitur Spirituſſanctus à Patre principaliter procedere, quoniam & de Filio quidem procedit, ſed hoc illi Pater dedit, quia ſic eum genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, & Spirituſſanctus amborum ſpiritus eſſet. Non enim dedit, hoc ei iam exiſtenti nondum habenti. Sed quicquid vnigenito dedit, gignendo dedit.

Idem in lib. 7. Ipſe eſt charitas Patris & Filij vtrumque coniungens, noſque ſubiungens. Vnde ſcriptum eſt: *Deus charitas eſt.* 1. *Io.* 4.

Idem in lib. 15. Quòd autem dicitur Chriſtus paternę dilectionis Filius, nihil aliud intelligatur, quam Filius eſt dilectus. Charitas quippe Patris, quæ eſt in eius ineffabili ſimplici natura, nihil aliud eſt, quam eius ſubſtantia, ac per hoc Filius charitatis eius nullus alius eſt, quam qui de ſubſtantia eius eſt genitus.

Richard. de Trinit. lib. 3. Certè vbi totius bonitatis plenitudo eſt, vera & ſumma charitatis deeſſe non poteſt, nihil enim charitate melius eſt, oportet ergo vt amor in alterum ſe extendat, vt charitas eſſe queat. Vbi ergo perſonarum pluralitas deeſt, charitas omnino eſſe non poteſt. Sed ſi ſola vna perſona in diuinitate eſſet, ſummam certè charitatem erga creatam perſonam habere non poſſet, inordinata enim charitas eſſet, ſi ſummè diligeret eum, qui ſummè diligendus non eſſet. Vt ergo in illa vera diuinitate, plenitudo charitatis poſſet locum habere, oportuit diuinam aliquam perſonam perſonæ condignæ, & eo ipſo diuino conſortio non carere: præcipuum vero, videtur in vera charitate, alterum velle diligi vt ſe. In mutuo ſiquidem amore, multumque feruente nihil carius, nihil præclarius quam vt ab eo quem ſummè diligis, & à quo ſummè diligeris, alium æquè diligi velis. Probatio itaque conſummatæ charitatis, eſt votiua communio exhibitæ ſibi dilectionis. Eſtque indicium magnæ infirmitatis, non poſſe pati conſortium amoris, poſſe vero pati ſignum magnæ perfectionis. Si vero magnum eſt pati poſſe, maius erit grataner ſuſcipere, maximum autem ex deſiderio requirere. Demus ergo ſummo, quod præcipuum eſt: ſumme igitur dilectorum, ſummeque diligendorum, vterque oportet, vt pari voto condilectum requirat: parique concordia pro voto poſſideat: vides quod conſummatio charitatis perſonarum trinitatem requirit, vbi ergo totum quod eſt, perfectum eſt, ſicut nec integra charitas, ſic nec vera trinitas abeſſe poteſt. *Congrua ratio cur SS. Trinitas ſit in Deo.*

Diony. de diui. nomi. Fontalis ergo deitas Pater eſt, Filius autem, & ſpiritus Dei genitricis deitatis frutices de eo germinati, & quaſi flores. *Hilarius de Trinit. lib.* 2. Vnus autem eſt Deus pater ex quo anima, & vnus vnigenitus, per quem omnia, & vnus ſpiritus † domini in omnibus. Nec deeſſe quicquam tantæ conſummationi reperitur, intra quam ſit infinitas in æterno, ſpecies in imagine, vſus in munere. * *Alias domini.*

Aug. de verbis domini. Eſt pater filio veritati origo verax, & filius de veritate patre orta veritas, & Spirituſſanctus à patre bono effuſa bonitas. Omnium autem non eſt impar diuinitas, nec ſeparabilis vnitas. Ex ſymbolo: In Patre manet æternitas, in Filio æqualitas, in Spirituſancto æternitatis, æqualitatiſque connexio.

Aug. de Trinit. lib. 7. Sic itaque cogitetur Deus, vt neque perſonarum confuſio ſit, nec talis diſtinctio, qua impar ſit aliquid, quod ſi intellectu non capitur, fide teneatur, donec illuceſcat ille in cordibus, qui per prophetam dixit, ſi non crediderit is non intelligetis. *In fine libri.* *Iſa.* 7.

† *Eſt inter opera Auguſtini tom.* 3

Act. 20.

Io. 16.

Io 15.

Quod ab eadem ſumma trinitate creata ſunt omnia.

CAPVT VIII.

Auguſt. de fide ad Petrum. Vnde tenendum eſt, omnem creaturam quæ trinitas Deus non eſt ex nihilo creatam, ab ipſa ſancta Trinitate, quæ vnus verus & bonus Deus eſt, & quia ſummè bonus eſt, dedit omnibus naturis vt bonæ ſint non tantum quantum ipſe Creator bonus. Eſt enim trinitas Deus ſummum, æternum, & incommutabile bonum, nullum habens defectum, quia non eſt ex nihilo factum, nullum habens profectum, quia non habet initium. Naturæ vero ab eo factæ, ideo proficere poſſunt, quia eſſe cæperunt. Ideo vero deficere, quia ex nihilo factæ ſunt, ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum vero prouehit operatio creatoris. In eo igitur primum Trinitatis, quæ Deus eſt æternitas naturalis agnoſcitur. Quia quædam ita fecit, vt cum eſſe cæperint, non eſſe tamen aliquando non poſſunt, In eo vero eius omnipotentia intelligitur, quod omnem creaturam inuiſibilem & viſibilem de nihilo fecit. In quibus quanquam ipſa rerum diuerſitas, multo magis tamen ipſius bonitas, & omnipotentia commendatur. Niſi enim omnipotens eſſet, non vna eademque facilitate ſumma & ima feciſſet, & niſi ſummè bonus eſſet, non ſe gubernandis rebus, etiã infimis præſtitiſſet. Simplicitas denique multiplicis Dei ſapientiæ commendatur, non ſolum in creaturarum ſublimiũ magnitudine, ſed etiam infirmarũ paruitate dum omnia bona creata, non ſolum inferiora, diſſimiliaque ſuo Creatori ſunt, vtpote non prolata de ipſo, ſed facta de nihilo, verumetiam inter ſe non æqualia ſunt, ſed permanent ſingula, ſicut à Deo, vt eſſent, cæperunt. Denique niſi naturaliter immutabilis eſſet, nunquam in rebus mutabilibus ordo conſilij, ac diſpoſitionis eius incommutabilis permaneret.

Creatura omnes poſſunt deficere.

Idem de Ciuit. Dei lib. 11. Itaque mundus ipſe ordinatiſſima ſua mutabilitate, atque mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie, quodammodo tacitus proclamat, & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter atque inuiſibiliter pulchro fieri ſe potuiſſe. *Idem in lib.* 5. Ipſe eſt itaque Deus omnipotens, qui hominem fecit, & eum peccantem, nec impunitum eſſe permiſit, nec ſine miſericordia derelequit. Qui bonis & non bonis, eſſentiam cum lapidibus, vitam ſeminalem cum arboribus, vitam ſenſualem cum pecoribus, vitam intellectualem cum Angelis dedit, qui non ſolum cælum & terram, nec ſolum Angelum & hominem, ſed nec exigui & contemtibilis animantis viſcera, nec auis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium, ſine ſuarum partium conuenientia, & quadam veluti pace dereliquit.

Qualiter ipſa creatrix Trinitas in principio Geneſeos eſt inſinuata.

CAPVT IX.

Idem ad Oroſium. Vt autem quod de ſancta Trinitate omnium creatrice dictum eſt, Scripturarum teſtimonijs approbetur, in ipſo principio Geneſeos, hæc ipſa Trinitas euidenter oſtenditur. Cum enim dicitur; *In principio fecit Deus cælum & terram*, quid aliud intelligendum putas principium, niſi Dei filium. *Omnia quippe per ipſum facta ſunt à Patre.* Vnde & ipſe de ſe, quid eſſet, interrogantibus reſpondit Iudæis: *Principium, qui loquor vobis.* Itaque proculdubio Pater intelligendus eſt in nomine Dei, Filius autem in nomine principij. Poſtea ſubſequitur Scriptura, quod *Spiritus ſanctus Dei ferebatur ſuper aquas*, qui tertia eſt in trinitate perſona.

Ca. 1. Gen. Io. 1. Io. 8. Gen. 1.

Idem ſuper Geneſim ad literam lib. 1. Sicut autem in exordio creaturę trinitas creatrix inſinuatur, ſic etiam in cõuerſione ac perfectione eiuſdẽ, vt rerum ſpecies digerantur. Nam & verbum, & verbi genitor exprimuntur, cum per ſingula creaturæ genera, Deus, vt fierent, dixiſſe perhibetur. Illa quippe dictio eſt in verbo æterno: Patri coæterno, quamuis in æterno verbo dicente Deo, hoc temporalis facta ſit creatura: vnde quia formam verbi ſemper, & incommutabiliter Patri cohærentem non imitatur imperfectio creaturæ cum ab ea diſſimilis ad nihilum tendat quadam informitate, ideo cum inſinuatur informitas materiæ primæ, non fit commemoratio filij inquantum verbum eſt, ſed inquantum principium eſt: poſtea vero in conuerſione ſiue formatione creaturæ, fit eiuſdem commemoratio inquantum verbum, vt ſcilicet per id quod principium eſt, inſinuet exordium creaturæ exiſtentis ab illo adhuc imperfectè, per hoc autem quod verbum eſt, inſinuetur perfectio creaturæ ad eum reuocatę, vt formaretur Creatori inhærendo, & pro ſuo genere formam illius imitando. Ineſt autem Deo benignitas ſumma, nec ex indigentia, ſed ex beneficentia veniens amor in opera ſua. Idcirco in exordio creaturæ dicitur, quod *ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, quia bonæ voluntati Creatoris ſubiacebat, quicquid formandum ac perficiendum inchoauerat, vnde & de creatura perfecta dicitur: vidit Deus, quod eſſet bonum, vbi eadem ſancta Dei bonitas exprimitur, in qua Deo placuit, quicquid pro naturæ ſuæ modulo perfectũ placet. Duo quippe ſunt propter quę Deus creaturam ſuam amat, videlicet vt ſit, & vt maneat: vt igitur eſſet, ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas, vt autem maneret, vidit Deus, quia bona erat.

Qualiter eius inuiſibilia cognoſcuntur à mundi creatura.

CAP. X.

Petrus Lombardus. Vt autem dicit Apoſtolus, inuiſibilia eius per ea quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, quia ſcilicet ex perpetuitate creaturarum, ipſius æternitas, & ex magnitudine omnipotentia, & ex gubernatione virtus vel bonitas intelliguntur. Cæterum licet potentia, ſapientia, & bonitas, ſiue clementia de Deo, ſecundum ſubſtantiam dicantur, & in ipſo penitus vnum & idem eſſe probentur, frequenter tamen hæc omnia diſtincte ſolent ad perſonas referri, ſcilicet vt patri potentia, filio ſapientia, ſpiritui ſancto bonitas attribuatur. *Hugo de tribus diebus.* Hæc ſunt ergo tria Creatoris inuiſibilia, quæ cognoſcuntur per ea quæ ab ipſo ſunt facta. Potentiam quippe manifeſtat creaturarum immenſitas. Sapientiam decor. Benignitatem vtilitas. Immenſitas creaturarum conſtat in magnitudine & multitudine. Multitudo in ſimilibus, in diſſimilibus, in diuerſis, in permixtis. Magnitudo eſt in mole, & ſpacio. Moles eſt in maſſa, & pondere. Spacium eſt in lato, & longo, profundo, & alto.

Immenſitas creaturarum in quibus conſiſtat.

Decor creaturarum eſt in ſitu, in motu, ſpecie, qualitate. Situs eſt in compoſitione, & ordine. Ordo eſt in proprietate, & tempore, & loco. Motus eſt quadripartitus, localis, naturalis, animalis, rationalis. Localis eſt ante & retro, dextrorſum & ſiniſtrorſum, ſurſum & deorſum, & circum. Naturalis eſt incremento & decremento. Animalis eſt in ſenſibus & appetitibus. Rationalis eſt in factis, & conſilijs. Species eſt forma viſibilis, quæ oculo diſcernitur, ſicut figuræ & colores corporum. Qualitas eſt proprietas interior, quæ certis ſenſibus percipitur, vt melos auditu, dulcor guſtu, fragrantia olfactu, lenitas tactu?

Decor.

Vtilitas creaturarum conſtat in grato, & apto, & commodo, & neceſſario. Gratũ eſt, quod placet. Aptũ quod conuenit. Commodũ, quod prodeſt. Neceſſariũ ſine quo, quid eſſe non poteſt. Mundus iſte ſenſibilis, quaſi quidã liber eſt ſcriptus digito Dei, hoc eſt virtute diuina creatus, & ſingulæ creaturę quaſi figuræ.

Vtilitas.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idem de ſacramen. lib. 1. Cum autem in Deo ſint tria, voluntas, ſollicet, & ſapientia, & potentia, primordiales cauſæ à voluntate proficiſcuntur, per ſapientiam diriguntur, per poteſtatem producuntur. Voluntas etenim mouet, ſapientia diſponit, poteſtas explicatur. Hæc ſunt æterna creaturarum omnium fundamenta, omni creaturę incomprehenſibilia, ſicut enim æternitatem Dei non æquat tempus, nec immenſitatem locus, ſic nec eius ſapientiam ſenſus, nec bonitatem virtus, nec potentiam opus.

Qualiter ex creaturarum conſideratione cognoſcitur eſſe ſumma eſſentia.

Cap. XI.

Io. c. 1. & 1. *Io.* 4.

I*Oannes Damaſce. Deum* itaque iuxta Ioannis ſententiam, *nemo vidit vnquam*, nec tamen nos in omnimoda ſui dereliquit ignorantia, omnibus enim cognitio exiſtendi Deum ab ipſo naturaliter eſt inſerta. Ipſa quoque creationis permanentia, & conſeruatio, & gubernatio nos docet, quoniam eſt Deus, qui hanc vniuerſitatem conſiſtere facit, continet & conſeruat, & ei ſemper prouidet. Qualiter enim vtique contrariæ naturæ, ignis, dico, & aquæ, & aeris, & terræ in vnius mundi conſummatione adinuicem conueniſſent, & indiſſolubiles permanſiſſent, niſi aliqua virtus omnipotens ea conſeruaſſet, & indiſſolubilia ſemper conſeruaret. Cæterum quid eſt, quod mouet cælum. Nam omne quod mouetur, ab alio mouetur. Et illud iterum à quo mouetur, ſic eſt in infinitum quærendo procedere, donec ad aliquid pecueniamus immobile. Primum enim mouens immobile eſt, quod Deus eſt. *Auguſt. de Ciuit. Dei lib.* 11. Denique ſicut iam dictum eſt. Mundus iſte ordinatiſſima ſua mobilitate, & mutabilitate ac viſibilium pulcherrima ſpecie, ſi quis diligenter attendat, quod immodo tacitus & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter atque inuiſibiliter pulchro fieri potuiſſe proclamat.

Harmonia elementorum probat Deum eſſe.

Richardus de Trinit. lib. 1. Inceſſanter quippe videmus in his quæ ab æterno non fuerunt, alia quidem ſuccedere, alia vero decedere. Porro manifeſta ratio inuenit, quia quicquid ab æterno non fuit à ſemetipſo eſſe non poſſit. Alioquin apertè conuincitur, quod aliquid ſibi exiſtendi initium dedit, ſub illo inſtanti quãdo nihil habuit, quando omnino nihil potuit, hinc ergo colligitur ratiocinando, & aliquid eſſe, quod eſt à ſemetipſo. Nam ſi nihil à ſemetipſo fuiſſet, omnino non eſſet, vnde illa exiſtere potuiſſent, quæ ſuum eſſe à ſemetipſis non habent. Conuincitur ergo, vt dictum eſt, aliquid eſſe à ſemetipſo, & eo ipſo etiam ab æterno, alioquin fuit quando nihil fuit, quod quam falſum ſit, ipſa rerum experientia conuincit exiſtentium. Sic ſanè, nemo dubitare poteſt, quia in tanta rerum multitudine exiſtentium, & tam multiplici differentia graduum eſſe oporteat aliquid ſummum. Abſque dubio autem, melior eſt natura rationalis, quam irrationalis, oportet ergo, vt aliqua rationalis ſubſtantia ſit omnium ſumma. *Grego. in moralib. lib.* 27. Itaque omnis homo eo ipſo, quod rationalis conditus eſt, ex ipſa ratione illum, qui ſe condidit Deum eſſe colligere debet. Vnde per quendam ſapientem in libro Iob. dicitur. *Omnes homines vident eum, quem* nimirum iam videre, eſt dominationem illius ratiocinando conſpicere: recte quoque ibidem ſubiungitur, *vnuſquiſque intuetur procul*, ipſum quippe procul intueri, eſt non iam illum per ſpeciem cernere, ſed adhuc ex ſola operum ſuorum admiratione penſare.

Iob. 36.

Qualiter in omni creatura relucent trinitatis veſtigia.

Cap. XII.

A*Vguſt. in lib. queſtionum* 83. Cæterum omne quod eſt, aliud eſt quo conſtat, aliud quo diſcernitur, aliud quo congruit: vniuerſa igitur creatura, & eſt, & plurimum diſtat ab eo, quod nihil eſt, & ſuis partibus ſibi congruit, *cauſam quoque illius trinam eſſe oportet, qua ſit, qua hoc ſit, qua ſibi amica ſit:* oportet igitur trinitatem eſſe, qua nihil præſtantius, intelligentius, beatius, ratio poteſt innenire. Ob hoc etiam vbi veritas quæritur, tria tantum genera quæſtionum eſſe probantur: videlicet an ſit, an hoc, an aliud ſit, an probandum, an improbandum ſit. *Trinitas in creaturis.*

Idem de Ciuit. Dei lib. 11. Quoniam igitur homines ſumus ad noſtri Creatoris imaginem creati, cuius eſt vera æternitas, æterna veritas, æterna & vera charitas. Eſtque ipſa æterna, & vera, & chara Trinitas. Neque confuſa, neque ſeparata. In his quidem rebus quæ infra nos ſunt, quoniam nec ipſa aliquo modo eſſent, vel aliqua ſpecie continerentur, nec aliquem ordidem, vel appeterent, vel tenerent, niſi ab illo qui ſummè ſapiens eſt, qui ſummè bonus eſt, facta eſſent tanquam per omnia quæ fecit mirabili ſtabilitate currentes, quaſi quædam ipſius, alibi plus, alibi minus impreſſa veſtigia colligamus. In nobis autem ipſis eius imaginem contuentes, tanquam iunior ille filius euangelicus, vt in noſmetipſos reuerſi ſurgamus, & ad illum redeamus, à quo peccando receſſeramus. Ibi noſtrum eſſe non habebit mortem, ibi noſtrum noſſe non habebit errorem, ibi noſtrum velle non habebit offenſionem. In his quippe, quæ quoquo modo ſunt, & non ſunt quod Deus eſt, à quo facta ſunt prępononuntur viuentia non viuentibus, & in his quæ viuunt, ſentientia non ſentientibus, & in his quæ ſentiunt, intelligentia non intelligentibus, & in his quæ intelligunt, immortalia mortalibus. Sed tantum valet in naturis rationalibus, quoddam veluti pondus voluntatis & amoris, vt cum ordine naturæ Angeli hominibus, lege tamen iuſtitiæ boni homines malis præferantur Angelis. Et nos quidem in nobis imaginem illius ſummæ trinitatis agnoſcimus, qua nihil in rebus à Deo factis ſit ei natura propinquius. Nam & ſumus, & nos eſſe nouimus, & noſtrum eſſe, ac noſſe diligimus. Animalia quoque etiam irrationalia, quæ ſentiunt eſſe ſe velle, & ob hoc interitum fugere, quibus poſſunt nutibus oſtendunt. Sed & arbuſta fruticeſque quibus nullus eſt ſenſus, vt in auras tunc cacuminis germen emittant, altius terræradices infigunt, quo alimentum trahant, ſicque ſuum eſſe quodammodo conſeruant. Ipſa poſtremo corpora, quibus nec ſenſus, nec ſeminalis eſt vita, ita tamen vel in ſuperna inſiliunt, vel ima deſcendunt, vel in medijs librando ſe collocant, vt eſſentiam ſuam vbi ſecundum naturam poſſunt eſſe, cuſtodiant. Sed & formas ſuas nobis ſentiendas præbent, vt pro eo, quod non valent, quaſi innoteſcere velle videantur. Noſque ſic ea ſenſu corporis capimus vt de his non ſenſu corporis iudicemus. Alium quippe ſenſum interioris hominis, longè illo præſtantiorem habemus, quo iuſta iniuſtaque ſentimus, iuſta per ſpeciem intelligibilem, & iniuſta per eius priuationem. Ad huius ſenſus officium non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non ſpiramenta narium, non guſtus faucium, non vllus corporeus accedit tactus. Ibi me, & eſſe, & hoc noſſe certus ſum, & hæc amo, atque me amare ſimiliter certus ſum.

De gradibus creaturarum, quibus homines ad Dei cognitionem aſcendunt.

Capvt XIII.

A*Vguſtinus de Ciui. Dei lib.* 12. Cum ergo Deus ſummè ſit, qui ad Moyſen dicit: *ego ſum, qui ſum.* Rebus quas creauit eſſe dedit, alijs amplius, alijs minus, atq; ita naturas eſſentiatũ gradibus ordinauit. *Idem in li. quinto.* Homini vero dedit eſſentiã cũ lapidibus, vitã ſeminalẽ cũ arboribus, vitam ſenſualẽ cũ pecoribus vitã intellectualẽ cũ Angelis: dedit.n. & carni *Exod.* 3.

origi-

originem,pulchritudinem, valitudinem, & animæ irationali memoria ſenſum appetitum. Rationali autem inſuper,mentē intelligentiam,voluntatē. *Idem in lib.* 11. In his autem omnibus, vt diximus, quæ à Deo facta ſunt, præponuntur viuentia non viuentibus. Et in his quæ viuunt ſententia non ſentientibus, & in his quæ ſentiunt, intelligentia non intelligentibus. Et in his quæ intelligunt,immortalia mortalibus. *Idē Iſidorus in lib. de ſummo bono.* Quibuſdam itaque gradibus intelligentiæ per creaturam homo progreditur ad intelligendum Creatorem: videlicet ab inſenſibilibus ad ſenſibilia,à ſenſibilibus ad rationalia,à rationalibus ſurgens ad Creatorem, intelligibilia quippe Deum laudant per ſe, irrationalia vero & inſenſibilia non per ſe, *ſed per nos laudant cum,dum nos ea conſiderantes laudamus Deum. Sed ideo laudare Deum & ipſa volunt, quia videlicet eandem laudem eorum parturit cauſa:* denique dixerunt antiqui, *quod nihil tam hebes exiſtat, quod ſenſum in Deum non habeat.*

Irrationalia per nos laudant Deum

Aug. de Ciuit. Dei lib. 11. Sed magnum eſt, & admodum rarum pauciſque conceſſum, vniuerſam creaturam corpoream,& incorpoream,mente conſideratā, mutabilem q;compertam intentione mentis excedere, & ad immutabilem Dei ſubſtantiam peruenire, ibique ex ipſo diſcere,quod cunctam creaturam,quæ non eſt quod ipſe,non fecit niſi ipſe. Sic. n. Deus cum homine loquitur,non per aliquam creaturam corporalem,vel corporali ſimilem, ſed ipſa veritate, ſi quis idoneus ſit ad audiendum mente non corpore. *Idē in li. Confeſſionum* 11. Audiat ergo te domine intus ſermocinantem qui poteſt,ego quidem ex oraculo tuo clamabo fidenter. *Quam magnificata ſunt opera tua,omnia feciſti in ſapientia.* Et hæc ipſa ſapientia tua principium eſt,quod loquitur nobis,interius docens nos, veritas ſtabilis, ſiquidem & per creaturam mutabilem cum admonemur ad veritatem ſtabilem ducimur. *Idem in quinto.* Ecce non ceſſat domine, nec tacet laudes tuas vniuerſa creatura tua, nec ſpiritus hominis per hos conuerſum ad te,nec animalia,nec corporalia, per os conſiderantium ea,vt exurgat in te à laſſitudine anima noſtra,innitens his quæ feciſti, & tranſiens ad te, qui hæc mirabiliter feciſti,ibique refectio & vera fortitudo. *Idem in lib.* 10. Ecce interrogaui de Deo meo terram, & omnia quæ in ea ſunt, *& cuncta ſe Deum non eſſe cōfeſſa ſunt.* Interrogaui cælum & luminaria eius,& hæc quæ circunſtant fores carnis meæ, dixi omnibus: dicite mihi de Deo meo aliquid, quod vos non eſtis, exclamauerunt omnia vocemagna, *verè Deus nō ſumus nos,ſed ipſe nos fecit.* Interrogatio mea, Intentio mea: Reſponſio eorum,Species eorum.

Pſal. 103.

Confeſſio pulchra creaturarū de Deo.

Quod Deum multis mōdis homines cognouerunt.

CAPVT XIIII.

HVgo *de ſacrament li.* 1 Hic autem ab initio Deus notitiam ſuam ab homine temperauit, vt ſicut nunquam, quid eſſet, totum poterat comprehendi, ſic quia eſſet, nunquam prorſus poſſet ignorari, ne ſi totus manifeſtus eſſet, fides non haberet meritum, nec infidelitas locum: ſi vero abſconditus totus eſſet, fides quidem à ſcientia non iuuaretur, & infidelitas de ignorantia excuſaretur. Proditus eſt igitur & indicatus eſt occultus Deus, partim ratione humana, partim reuelatione diuina. Et ratio quidem humana duplici inueſtigatione Deum deprehendit, partim videlicet in ſe partim ex his quæ erant extra ſe, ſimiliter reuelatio diuina humanam ignorantiam, nunc ab intus per aſpirationem, edocuit, nunc vero foris per doctrinæ eruditionem inſtruxit, vel per miraculorum oſtenſionem confirmauit. Et approbauit hoc ratio, & acquieuit, & vnum eſſe Deum aſſeruit, nec collectionem diuerſorum, ne turbam faceret, nec compoſitionem partium,ne maſſam formaret,nec ſimilitudinem multorum,ne pluralitas ſuperflua,vel ſingularitas imperfecta appareret.

Fides à ſcientia iuuatur.

Itaque quatuor modis ad notitiam hominis egreditur Deus inuiſibilis. Intus ſcilicet per rationem & aſpirationem,foris per creaturam & doctrinam: Ratio quidem & creatura pertinent ad naturam. Aſpiratio autem & doctrina,pertinent ad gratiam. Ex ratione ſunt neceſſaria, ſecundum rationem probabilia, ſupra rationem mirabilia,contra rationem impoſſibilia. Et duo quidem extrema eorum quæ dicta ſunt, fidem omnino non capiunt. Nam quæ ex ratione ſunt, quoniam ſciuntur credi non poſſunt. Quæ autem contra rationem ſunt, nullo modo his acquieſcit ratio. Illa ergo quę ſunt ſecundum rationem,& illa quę ſunt ſupra rationem, tantummodo ſuſcipiunt fidem. Et in primo genere fides ratione adiuuatur, & ratio fide perficitur. In his vero quæ ſupra rationem ſunt, fides à ratione non adiuuatur,ſed ratio fidem venerari,quam comprehendere non valet, admonetur. *Dionyſius de diuinis nominibus.* Deum itaque non ex ſua cognoſcimus natura,ſed ex omnium exiſtentium ordinatione ex ipſo propoſita, imagines quaſdam diuinorum ipſius habente, omnique via & ordine in ipſum eſt redeundum,omni ablatione & eminentia in cauſa omnium;proinde & in omnibus,& ſine omnibus, & per ſcientiam, & ſine ſcientia cognoſcitur Deus,vtique ſecundum ſuperque omnem animi virtutem cognoſcitur, cum animus ab exiſtentibus omnibus recedens, deinde & ſeipſum relinquens, ſuper apparentibus radijs immittitur. Inde inſcrutabilis ſapientiæ profundo illuminatus, quæ vt dictum eſt, cognoſcenda eſt ex omnibus, ipſa eſt enim omnium factrix,ſemper compaginans omnia, & indiſſolubilis omnium congruentiæ & ordinationis cauſa, ſemper propinquorum fines ſæculorum connectens, & vnam vniuerſitatis conſpirantiam harmoniamq;pulchram faciens.

Quatuor modis Deus innoteſcit.

Qualiter ad vnius Dei cognitionem Philoſophi peruenerint.

CAPVT XV.

RIchardus *in Prologo libri de Trinitate.* Cogitemus igitur, quantum in eius cognitione ſtuduerunt, vel quouſque perfecerunt etiam huius mundi Philoſophi. Et pudeat nos in hac parte inferiores illis inueniri, amplius aliquid debet in nobis amor veritatis, quam in illis potuit amor vanitatis. Amplius etiam aliquid in his nos poſſe oportebit, quos fides dirigit, ſpes trahit, charitas impellit. *Aug. de Ciuit. Dei lib.* 8. Illi nimirum ſummi Philoſophi, quos merito fama & gloria, cæteris prælatos videmus, nullum corpus Deum eſſe comprehenderunt, & ideo quærentes, eum cuncta corpora tranſcenderunt, viderunt quoque quicquid eſt mutabile, non eſſe ſummum. Ideoque omnes etiam ſpiritus mutabiles tranſcenderunt quærentes ſummum bonum. Deinde conſiderarunt omnem ſpeciem in re quacunque mutabili,quæ eſt, quicquid illud eſt non eſſe poſſe, niſi ab illo qui verè eſt, quia incommutabiliter eſt. Ac per hoc ſiue vniuerſi mundi corpus, figuras, qualitates; ordinatumque motum & elementa à cælo vſque ad terram diſpoſita, & quæcunque in eis ſunt, ſiue omnem vitam, vel quæ nutrit & continet, qualis eſt in arboribus, vel quæ & hoc habet & ſentit, qualis eſt in pecoribus, vel quæ, & habet hoc, & intelligit, qualis in hominibus,vel quæ nutritorio ſubſidio non indiget,ſed tamen continet,ſentit,intelligit,qualis eſt in Angelis,niſi ab illo eſſe non poſſe, qui ſimpliciter eſt. Quod enim illi eſt viuere,intelligere,beatum eſſe, hoc eſt illi & eſſe;propter hanc incōmutabilitatem,& ſimplicitatem intellexerunt eū, & omnia illa feciſſe, & ipſū à nullo fieri potuiſſe. Conſiderarūt enim quicquid eſt,vel corpus,vel vitā eſſe,meliuſq; aliquid vitā eſſe quā corpus, ſpeciemq;vitæ intelligibilē,quam

Vnitas Dei not a eſt philoſophis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

corporis ſemibilem eſſe; nulla enim eſt corporalis pulchritudo, ſiue in ſtatu corporis ſicut eſt figura, ſiue in motu, ſicut eſt cantilena, de qua non animus iudicet, quod profecto non poſſet, niſi ſpecies hæc in ipſo melior eſſet ſine tumore molis, ſine ſtrepitu vocis, ſine ſpacio loci aut temporis, ſed ibi quoque niſi mutabilis eſſet, non alius alio melius de ſenſibili ſpecie iudicaret. Quod enim maius aut minus recipit, ſine dubio mutabile exiſtit. Vnde ingenioſi homines ac docti facilè collegerunt, non eſſe primam ſpeciem in rebus his, vbi conuincitur eſſe mutabilitas. Cum igitur in eorum conſpectu, & animus, & corpus, magis & minus ſpecioſa eſſent, ſi autem omni ſpecie carere poſſent, omnino nulla eſſent, viderũt aliquid eſſe vbi prima ſpecies incommutabilis eſſet, & ideo nec comparabilis eſſet, ibique rerum eſſe principium rectiſſimè crediderunt quod factum non eſſet, ex quo cuncta facta eſſent. Itaque quod notum eſt Dei manifeſtante illo, perceperunt, cum ab eis inuiſibilia eius per ea quæ facta ſunt, intellectu conſpecta ſunt.

Idem in lib. 11. Hinc Apuleius Platonicus, Deum, Creatorem omnium Platonem ſic prædicaſſe aſſeruit quod ipſe ſit ſolus qui non poſſit penuria ſermonis humani, vel modicè comprehendi, vix autem ſapientibus viris, cum ſe vigore animi, quantum licuerit de corpore remouerunt, intellectum huiuſmodi, & id quoque interdum, velut in altiſſimis tenebris rapidiſſimo coruſcamine lumen candidũ intermicans. *Ex li. Lactantij de falſa religione.* Omnes quoque Sybillæ, vnum Deum prædicaſſe inueniuntur. Maximè autem Erithræa quæ inter cæteras celebrior, atque nobilior habetur. *Auguſti. contra 5. hoſtium genera.* Ait ſiquidem illa quæ dicta eſt Erithræa, vnus eſt Deus, omnipotens ſublimior vltra omnia quæ fecit ſydera. Ipſum ſolum, qui eſt colite mundi Creatorem. Qui honorant Deum verum, æternam vitam hæreditabunt, perpetuo ſæculo inhabitantes paradiſum ameniſſimum hortum. *Idem in libr. de Ciui. Dei.* Plotinus quoque Philoſophus fugiendum eſſe, inquit, ad clariſſimam patriam, & ibi patere tibi omnia; quæ igitur claſſis aut fuga, niſi ſimilem Deo fieri.

Qualiter ad trium perſonarum diſtinctionem, vtrinque appropinquauerunt.

CAPVT XVI.

Idem lib. 8. Cum autem ſapientiæ ſtudium, in actione vitę & contemplatione verſetur. Socrates in actiua excelluiſſe, Pythagoras vero contemplatiuæ magis inſtitiſſe memoratur. Proinde Plato vtramque iungendo perfeciſſe laudatur Philoſophiam, quam videlicet in tres partes diſtribuit, naturalem, ſcilicet rationalem, & moralem: fortaſſis autem, qui eum acutius atque veracius intellexiſſe, & ſecuti eſſe laudantur, aliquid tale de Deo ſenſerunt, vt in illo inueniatur & cauſa ſubſiſtendi, & ratio intelligendi, & ordo viuendi. Quorum trium vnum ad naturalem aliud ad rationalem, tertium ad moralem pertinere intelligitur. Si enim homo ita creatus eſt, per id, quod in eo præcellit, attingat ad illud, quod cuncta præcellit, vnum ſcilicet verum optimum Deum, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, nulla doctrina inſtruit, nullus vſus expedit. Ipſe quæratur vbi nobis ſecura ſunt omnia, ipſe cernatur, vbi nobis certa ſunt omnia; ipſe diligatur vbi nobis recta ſunt omnia. Si ergo Plato Dei huiuſmodi imitatorem, cognitorem, amatorem, dixit eſſe ſapientem, cuius participatione ſit beatus, quid opus eſt diſcutere cæteros. Nulli nobis quam iſti propius acceſſerunt.

Idem, Porphyrius quoque Platonicus, principia rerum, ait eſſe Deum patrem ac Deum filium, quem vocat paternam mentem, ſiue paternum intellectum, poſuit etiam tertium horum medium. *Idem contra 5. hoſtium genera.* Mercurius porro, ait in libro de verbo perfecto, filius Dei benedicti atque bonæ voluntatis eius, cuius nomen ore humano enarrari non poteſt, de ſolo Deo, dominus omniũ eſt, hunc Deus dilexit vnigenitum ſuum, bonus enim viſus eſt, ac pleniſſimus omnium bonorum & lætatus eſt. *Sybilla quoque Erithræa.* Omnium inquit conditorem, nutritoremque qui ducem ſpiritum omnibus diſpoſuit, & ducem Deum omnium fecit, Deus fidelibus viris honorare dedit. *Idem in li. de Ciui. Dei.* 11. Animaduertũt quidem, vt dictum eſt ſupradicti Philoſophi tripartitam philoſophiæ eſſe diſciplinam, videlicet, phyſicam, logicam, & ethicam. Et qua muis in his tribus de ſancta Trinitate non credantur aliquid ſecundum Deum cogitaſſe, Platoni tamen, qui hanc primus diuiſionem fertur repetiſſe, neque naturarum omnium niſi Deus viſus eſt auctor, nec intelligentiæ dator, nec amoris quo bene beateque viuitur inſpirator. Sicut autem cum de natura rerum, & ratione indagandæ veritatis, & de fine boni, ad quem omnia, quæ agimus referenda ſunt, diuerſi diuerſa ſentiant. In his tamen tribus quæſtionibus, omnis eorum intentio verſatur. Itaque cum in qualibet earum quid quiſque ſectetur multiplex ſit opinionum diſcrepantia, Eſſe tamen aliquam naturæ cauſam, ſcientiæ formam, vitę ſummã, nemo cunctatur. Tria quoque in quolibet homine artifice ſpectantur, vt opus aliquid ab eo efficiatur, ſcilicet natura, doctrina & vſus. Natura ingenio: Doctrina ſcientia: Vſus fructus diiudicandus eſt. Ex his ergo propter beatam vitam obtinendam, illa tripartita à Philoſophis inuenta eſt diſciplina. Naturalis propter naturam. Rationalis propter doctrinam. Moralis propter vſum: ſi ergo noſtra natura à nobis eſſet, profecto naturam & nos ſapientiam genuiſſemus. Nec ea aliunde id eſt doctrina diſcendo percipere curaremus. Amor quoque noſter à nobis profectus ad nos relatus ad bene viuendum ſufficeret, nec alio bono quo frueremur vllo indigeret. Nunc verò, quia *natura noſtra vt ſit, Deum habet auctorem, proculdubio vt vera ſapiamus, Deum debemus habere Doctorem,* vt beatiſſimum ſuauitatis intimæ largitorem. Nam & nos quidem in nobis imaginem agnoſcimus illius trinitatis ſummæ, & non æqualem, tamen adhuc reformatione perficiendam, vt ei proxima ſit etiam ſimilitudine.

Tria in quolibet artifice.

Quod in trinitatis diſtinctione defecerunt.

CAPVT XVII.

Gloſſa ſuper Epiſt. ad Rom. 1. Itaque quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, naturalis videlicet rationis ductu. Notum enim Dei hoc eſſe dicimus, quod ex huius mundi diſpoſitione & naturali ratione aſſequi poſſumus, & illi quidem Philoſophi nobiles quoquomodo creaturas interrogantes de Creatore quæſierunt, omnique ſpecie ac diſpoſitione quaſi voce reſpondente, ex arte artificem cognouerunt. Sic eius inuiſibilia per ea quæ facta ſunt intellectu conſpexerunt, quia ſcilicet ex perpetuitate creaturarũ eius æternitatem, ex magnitudine omnipotentiam, & ex gubernatione virtutem, vel bonitatẽ & huiuſmodi intellexerunt. Quidam autem in illis verbis Apoſtoli, volunt per inuiſibilia patrem intelligi, per virtutem vero filium, per diuinitatem Spiritum ſanctum. Sed beatus Auguſtinus Philoſophos, vſque ad tertiæ perſonæ notitiam, ſcilicet ſpirituſſancti non pertigiſſe dicit. Vbi de tertio ſigno, in quo defecerunt Magi Pharaonis differit. Magi. n. inquit, non in primo, aut ſecundo ſigno defecerunt, quia ſummi gentiũ Philoſophi ἀγγελῶ id eſt sũmo Patre & deῶ. i. eius mẽte Philoſophati sũt. Sed in tertio ſigno nõ prẽualuerũt Magi quia

Rom. 1.

Aug to. 2. q. 25. in Exod. Aug Steuch. vide lib. 1. perem. phil. c. 4.

quia vſque ad tertiam perſonam non valuerunt venire Philoſophi. Itaque dicimus eos hanc ſummæ Trinitatis diſtinctionem, quam fides catholica profitetur, nullatenus habuiſſe vel habere potuiſſe, abſque doctrinæ vel internę inſpirationis reuelatione. Reuelauit autem illis Deus per opera virtutem, non per doctrinam vel inſpirationem. Viderunt ergo de longinquo veritatem, ſed non appropinquauerunt per humilitatem. Non igitur has perſonas ideo dicuntur intellexiſſe, quod eas diſtinctè & veraciter, & propriè intellexerunt, ſed quoniam illa tria, quæ tribus illis perſonis in ſacra Scriptura frequenter, diſtinctim, ac ſeparabiliter attribui ſolent, ſcilicet potentiam, ſapientiam, bonitatem in Deo eſſe cognouerunt. Potentia ſiquidem attribuitur Patri, ſapientia filio, bonitas vero ſpirituiſancto. Sicut autem ex motibus & adminiſtratione corporis animam intelligis, licet inuiſibilem, ſic & illi ex totius mundi adminiſtratione ac regimine creaturarum omnium Creatorem intellexerunt. Vnde & Apoſtolus eos inexcuſabiles dicit, quos non latuit veritas, & in eis perſeuerauit iniquitas.

Qualiter etiam circa mundi originem errauerunt.

Cap. XVIII.

Gen. 1. *Helinandus in Chronicis lib. 1. In principio igitur creauit Deus cælum & terram.* Hic conuincitur Epicurus, qui dicit mundum caſu factum: ſi enim caſus mundum fecit; cur non aliquando domum facit, vel aliquid tale, quod minus eſt quam mundum facere. Item ſi caſus hoc fecit, ergo aliquæ cauſæ præceſſerunt mundum, quarum curſus fecit illum caſum. *Caſus enim eſt inopinatus rei euentus ex conſluentibus cauſis.* Non ergo caſus fecit mundum, ſed nec natura, vt alij Philoſophi dicunt. *Nam proprium eſt naturę contraria fugere*, ſimilia appetere Mundus autem ex contrarijs elementis factus eſt, fecit ergo mundum, non natura vel caſus, ſed aliquis artifex, ſed quis ille niſi Deus? Item quæ diſponuntur, ſapienter diſponuntur. Eſt ergo aliqua ſapientia, qua omnia diſponuntur. Illa autem alicuius eſt, & cuius niſi Dei: Illa quoque ſapientia habuit potentiam & voluntatem. Nam ſi non potuit, quomodo tantæ & tam pulchra fecit, ſi autem fecit & voluit, vel ignorans, vel coacta hoc fecit; Sed tantam potentiam, quid potuit cogere? & tanta ſapiẽtia quid potuit ignorare? eſt ergo Deo potentia ſumma, voluntas optima, & ſapientia ſumma, qua fecit mundum.

Caſus quid

Natura non fecit mundũ. Artifex fecit mundum.

Ambro. in Exaemeron. lib. 1. Plato & diſcipuli eius, tria principia omnium rerum conſtituerunt, Deum, exemplar, & materiam. Eaque incorrupta & increata, ac ſine initio eſſe affirmarunt: Deumque ad exemplar, id eſt ad id eam intendentem, mundum de materia feciſſe incorruptum. Ariſtoteles quoque cum ſuis, duo principia poſuit; materiam, & ſpeciem, & tertium cum his quod operatorium dicit: cui ſuppetit competenter efficere, quod ad oriendum putaſſet. Quid autem, tam inconueniens, quam vt æternitatem operis, cum Dei omnipotentis ęternitate coniungerent, vel ipſum opus Deum eſſe dicerent? Nam alij mundum ipſum Deum eſſe dixerunt, quod ei mentem diuinam ineſſe putarent. Alij partes eius, alijs vtrunque. Hos omnium errores Moyſes elidit. In principio, &c. dicens initium rerum auctorem mundi; creationem mente comprehendens.

Cur Deus mundum optimum creauit & vuicum.

Cap. XIX.

Ioannes Damaſce. Quoniam igitur bonus eſt, ac ſuper bonus Deus, non eſt ſui ipſius contemplatione contentus, ſed bonitatis ſuperabundantia quædam generari, quibus benefaceret, acceptauit, & participatiua ſua bonitate ex non ente ad eſſe vniuerſa viſibilia & inuiſibilia deduxit, & condidit, eumque qui ex viſibili & inuiſibili conſtat hominem compoſuit. *Aug. ſuper Gen. lib. 8.* Nullo quippe bono Deus extra ſe indiget, qui bono quod fecit non eget. Quibus autem bonis laudabiliter non egeret, ſi nulla bona feciſſet, bonus non eſſet, bona quoque facere ſi non poſſet, nulla eſſet potentia. Si autem poſſet, nec faceret, magna eſſet inuidentia. Quoniam ergo omnipotens ac bonus exiſtit, omnia valde bona fecit. *Ambro.* Vt etiã ipſe Deus, qui natura inuiſibilis eſt, à viſibilibus ſciri poſſet, opus fecit, quod opificem viſibilitate ſui manifeſtaret. *Baſilius in Exæmeron lib. 1.* Beata ergo natura, & opulenta bonitas, dilectiſſima cunctis rationem habentibus, ac nimium beata pulchritudo, principium omnium quæ ſunt, fons vitæ, inacceſſibilis ſapientia, ipſe fecit in principio mundum, vt bonus vtilem, vt ſapiens optimum, vt potens maximum. Plato in Thimeo. lib. 1. Vt autem exemplari cuius æmulationem mutuabatur etiam in numero ſimilis eſſet; Idcirco nec duo, nec innumerabiles mundi, ſed vnus à Deo factus eſt mundus. Operi porro formam dat artifex, ad immortalis ſiquidem, & in ſtatu gemino perſiſtentis exempli, ſimilitudinem atque æmulationem formans operis effigiem, honeſtum efficiat ſimulachrum neceſſe eſt. optimus erat ab optimo, porro inuidia longè relegata eſt. Itaque ſui ſimilia, prout cuiuſque natura poterat eſſe capax beatitudinis, effici voluit. Quoniam quidem voluntatem Dei, originem rerum eſſe certiſſimam ſi quis ponat, rectè eum putare conſentiam.

Mundo manifeſtat opificem.

Cur fecit eum pulcherrimum.

Cap. XX.

Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 12. Nec fas erat bonitati præſtanti quicquam facere, niſi pulchrum. Pulchritudo & vtilitas, etiam inferioris huius creaturæ, quæ homini licèt in has miſerias proiecto, ſpectanda atque ſumenda, diuina largitate conceſſa eſt, quo ſermone terminari poteſt, in cœli & terræ, & maris multimoda, atque varia pulchritudine, in lucis tanta copia, tamque mirabili ſpecie; in Sole ac Luna ſyderibus; In opacitatibus nemorum; In coloribus & odoribus florum; In diuerſitate volucrum garrularum, atque * picarum. In multiplici ſpecie, tot tantorumque animantium, quorum illæ plus habent admirationis, quæ molis minimum. Plus enim formicularum & apicularum opera ſtupemus, quàm immenſa corpora balenarum. In ipſius quoque maris, tam grandi ſpectaculo, cum ſe velut veſtibus induit diuerſis coloribus. Quam porro delectabiliter inſpectatur, etiam quantumcumque turbatur. Et ſic inde maior ſuauitas, quia ſic demulcet intuentem, vt non iactet & quatiat nauigantem.

* *Alias piHarum.*

Idem in lib. de vera religione. Ita autem ordinantur omnes, vel omnia officijs & finibus ſuis in pulchritudinem vniuerſitatis, vt quod horremus in parte, placeat plurimum ſi conſideremus in toto. Nihil enim eſt ordinatum, quod non ſit pulchrum. Iſta ergo propterea infinita ſunt, quia partibus imperfectis tota perfecta ſunt, ſeu in ſtatu, ſeu in motu pulchra ſentiantur, tota conſideranda ſunt ſi rectè volumus iudicare. *Idem in eodem.* Nec fruſtra intueri oportet, & inaniter pulchritudinem cœli, ordinem ſyderum, viciſſitudinem temporum, in quorum conſideratione, non vana curioſitas eſt exercenda, ſed gradus ad æterna faciendus. *Iſidorus de ſummo bono libr. 1.* Ex pulchritudine quippe circunſcriptæ creaturæ, pulchritudinem ſuam quæ circunſcribi nequit, Deus intelligi facit, vt ipſis homo veſtigijs ad Deum reuertatur, quibus auerſus eſſe probatur,

Quomodo decor creaturæ ducit ad creatorẽ.

videlicet,vt quia per amorem pulchritudinis creaturę,à Creatoris forma ſe abſtulerat, Rurſum per creaturæ decorem ad Creatoris pulchritudinem redeat.

De arte diuina,qua Deus fabricauit omnia.

CAPVT XXI.

Auguſtinus de Trinitate, in lib. 6. Ipſaque eſt ars quædam omnipotentis & ſapientia Dei, plena omni ratione viuentium & incõmutabilium, & omnes vnum in ea ſunt, ſicut ipſa eſt vna de vno, cum quo & vnum. *Idem de Ciuit. Dei. lib.* 11. Hi ſunt enim vt dictum eſt, infiniti theſauri rerum intelligibilium; in quibus & omnes inuiſibiles & incommutabiles ſunt rationes,rerum etiam inuiſibilium & incommutabilium,quæ per illam factæ ſunt. *Baſilius in Exaemeron lib.* 1. Erat enim antiquiſſima ordinatio creaturæ, illis quæ extra mundũ ſunt apta virtutibus,orta ſine tẽpore, ſempiterna,ſibique propria, in qua Deus omnium conditor,inſtituit opera certa, hæc eſt lumen intelligibile & æternũ,beatitudini conueniens omniũ amãtiũ Deum. *Bernardus Sylueſter in megacoſmo.* Erat quippe fons luminis,ſeminarium vitæ, plenitudo ſcientiæ, hæc eſt quæ mens nominatur diuina. In qua vitæ viuentis imagine, æternæ notiones mundus intelligibilis, rerum cognitio præfinita, & luce inacceſſibili ſplendor emicuit radiatus, imago vel vultus, patris imagine conſignatus,hæc eſt Dei ſapientia viuis æternitatis fontibus genita vel nutrita. *Aug. de quæſtionibus* 80. Et hæc ipſa omnipotentis ars, per quã ex nihilo facta ſunt omnia,ipſamet inquam operatur etiam per artifices, vt pulchra & congruentia faciant, licet non de nihilo,ſed de aliqua operentur materia. Non enim & ipſi de nihilo,aliquid fabricare poſſunt, quia per corpus operantur, cum tamen eoſdem numeros & conuenientiam lineamentorum, quæ corpori per corpus imprimunt,ab ipſa ſumma ſapientia in animo accipiunt, quæ ſcilicet ſapientia numeros ipſos & conuenientiam longè artificioſius vniuerſo mundi corpori impreſſit, quod ipſa de nihilo fabricauit. In quo ſunt etiam animalium corpora, quæ de aliquo id eſt de mundi elementis fabricantur,ſed longè potentius & excellentius, quam artifices hominis eaſdem figuras & formas corporum, in ſuis operibus imitantur,non enim omnis numeroſitas humani corporis in ſtatua inuenitur. Sed tamen quicquid ex ea reperitur, ab ipſa ſapientia per artificis animum trajicitur, qua ipſum corpus humanum naturaliter fabricatur, nec ideo tamen pro magno habendi ſunt, quia talia opera fabricant aut diligunt. Quoniam anima minoribus rebus intenta,quas per corpus corporaliter agit,ipſi ſapientiæ minus inhæret. Vnde potentias illas habet, quibus malè vtitur, dum eas foras exercet. Illa ſiquidem in quibus eas exercet diligens, interiorem eorum formam, quaſi vilem negligit, & ſic inanior infirmiorque fit.

Artifices non poſſunt aſſequi artẽ diuinam.

Hugo libro primo didaſcalicon. Vnde & huiuſmodi opera humana, quæ non ſunt naturalia,ſed naturam imitantur,conueniẽter mechanica, *ideſt*, σφάλματα *adulterina* nominantur. Nam, verbi gratia, qui ſtatuam fundit, hominem intuitus eſt,cuius imaginem exprimere intendit. Qui veſtes primitus adinuenit,quæque naſcentia, propria quædam habere munimenta,quibus naturam ſuam ab incommodis defendant, conſiderauit,vt cortex ambit arborem, penna tegit volucrem,ſquamma piſcem,lana ouem,pilus iumenta veſtit, concha teſtudinem excipit, ebur elephantem iacula non timere facit. *Idem de tribus diebus.* Et homines quidem frequenter diligere ſolent propter opus ſcientiam ſuam,non opus propter ſcientiam,ſed abſit vt credamus, quod Deus ſapientiam ſuam propter opera,quæ per illam fecit,diligat. Quin potius opera ſua omnia,non niſi propter illã amat, propterea enim dixit, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui non in terra,aut in cælo,non in Sole,aut Luna, *Matt. 3.* &c. Nam & iſta ſi ſuo modo placita ſunt, tamen niſi in ipſo,& per ipſum,placere non poſſunt. Tanto enim amplius amore meo digna ſunt, quanto vicinius in eius ſimilitudinem accedunt.

De rationibus vel ideis viuentibus in eius mente, vel ſapientia.

CAPVT XXII.

Auguſt. in lib. quæſtio 80. Illæ vero principales formæ,vel rationes rerum ſtabiles ideæ vocantur, quę diuina intelligentia continentur, nec ipſæ formatæ ſunt,ſed ſecundum eas,quicquid oritur vel interit formatur. Quas,ſcilicet rationes æternas in verbo intueri anima nequit, niſi qui rationis oculum ſanum,purum, ac ſerenum, & ſanctum, ac ſimilem eis, quas videre intendit habuerit. Sic enim ipſo intelligibili lumine perfuſa & illuſtrata, cum ei cohæſerit, hac ipſa viſione beatiſſima fit: has autem, ſiue ideas, ſiue formas,ſiue ſpecies,ſiue rationes,appellare licet, multiſque conceditur vocare quodlibet, ſed paucis videre,quod verum eſt. *Glo. ſuper Epiſt. ad Heb.* 11. Hic eſt mundus inuiſibilis,qui erat in ſapientia Dei, videlicet ipſa eius diſpoſitio ęterna,qua in verbo ſuo diſpoſuit omnia. Vnde *Apoſt. Fide, inquit, intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent*, hoc eſt iuxta exemplar inuiſibile, quod erat in mente diuina,ex nihilo adeſſe procederent. *Glo. ſuper Ioann.* Nam & faber prius arcam facit in mente, poſt in opere, quod eſt in mente viuit cum artifice, quod autem fit mutatur cum tempore. Vnde de verbo Dei ſcriptura pronunciat, quia *quod factum eſt in ipſo vita erat.* Quicquid enim factum eſt in tempore, ſempec vixit,& viuit in ſpirituali factoris ratione. *Aug. vbi ſup.* Omnia quippe Deus ratione condidit,nec eadem ratione hominem,qua equum, ſed ſingula proprijs rationibus conſtituit, has vero rationes vbi arbitrandum eſt eſſe, niſi in ipſa Creatoris mente, non enim quicquam extra ſe poſitum aſpiciebat, vt ſecundum id conſtitueret,quod faciebat.

Mundus inuiſibilis. *Ibid.* *Io. 1.*

Qualiter ſecundum illas rationes ſiue notiones fecit omnia.

CAPVT XXIII.

Idem ſuper Gen. lib. 1. Ante omnia ergo memineri-mus Deum,non ſicut operatur homo, vel Angelus, quaſi temporalibus animi ſui motibus operari. Sed æternis atque incommutabilibus & ſtabilibus rationibus verbi ſui coæterni,& quodam, vt ita dixerim,ſtatu pariter coæterni ſpiritus ſui ſancti. Nam & id, quod in greca & in latina lingua de ſpiritu ſancto legitur,quod ſuper aquas ferebatur, Syra lingua potius,fouebat,intelligi prohibetur. Non vtique ſicut in corpore tumores, aut vulnera, vel frigidis aquis, vel calore congruo temperatis fouentur, ſed ſicut oua fouentur ab alitibus,vbi calor ille materni corporis, etiam formandis pullis per quendam in ſuo genere dilectionis affectum adminiculatur. Quod ergo dixit Deus; fiat hoc,& fiat illud,ſicut in Gen. refert Scriptura,ad æternitatem verbi refertur,quamuis Deo hoc in æterno verbo dicente, temporalis facta ſit creatura. Cum enim verba ſint temporis, (quando & aliquando) tamen quando fieri debet aliquid,æternũ eſt in Dei verbo, & tunc fit quando fieri debuiſſe in illo verbo eſt,in quo non eſt (quando & aliquando) quoniam totum illud verbum patri coæternum eſt, patre namque loquente, dicitur verbum quod filius eſt, in æterno ore, ſed tamen loquente Deo verbum coæternum in ore dicendum eſt.

Gen. c. 1. *Gen. c. 1.*

Idem in lib. 2. Nec totiens dixit Deus fiat hoc vel illud; quotiens in Gen. repetitur: dixit Deus: vnum quippe verbum Pater genuit, in quo dixit omnia, priuſquam facta eſſent ſingula: Sed eloquium ſcribentis ad paruulorum deſcendens capacitatem, dum

Deus non dixit multoties ſint.

figil-

ſigillatim genera creaturarum inſinuat,reſpicit vniuſcuiuſque generis æternam in verbo Dei rationem,nec illa repetita ipſe tamen repetit & dicit. Dixit quoque Deus,&c. *Idem in lib.*1.Horum itaque,quæ ſecundum rationes in verbo Dei manentes creata ſunt,quædam etiam omnem temporalem volubilitatem ſupergreſſa,in ampliſſima ſanctitate manẽt ſub Deo. Quædam vero ſecundum temporis ſui modos, dum per deceſſionem rerum, atque ſucceſſionem ſæculorum contexitur pulchritudo.Sed multum eſt ac difficillimum capere,quomodo dicatur, Deo non temporaliter iubente,neque id creatura ſpirituali, quæ tempora omnia contemplatione veritatis excedit,temporaliter audiente.Sed intellectualiter ſibimet impreſſas ab incõmutabili Dei ſapientia rationes,tanquam intelligibiles locutiones,in ea quæ infra ſunt tranſmittente,temporales fieri motus in rebus temporalibus; vel formandis, vel adminiſtrandis.*Idem in lib.*4. Non autem ſicut eas,nunc ſecundum motus naturales experimur. Sic etiam cum primo inſtitutæ ſunt; cogitare debemus, ſed ſecundum ineffabilem virtutem ſapientiæ Dei, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Neque enim ipſa, gradibus attingit, aut tanquam greſſibus peruenit; quapropter, quàm facilis & efficaciſſimus eſt ei motus, tam facilè omnia condidit Deus.

Quod Deus fecit mundum abſque voluntatis nouitate.

CAPVT XXIIII.

*Auguſt.de Ciui.Dei lib.*11.Verum quid ęterno Deo placuit, vt cælum & terram tunc faceret, quæ antea non feciſſet,qui hoc dicunt,ſi mundũ æternum, & ideo,nec à Deo factum videri volunt;lætali morbo impietatis inſaniunt,& à veritate nimis auerſi ſunt, vt enim iam ſupra diximus, exceptis Propheticis vocibus,ipſe quoque mundus ordinatiſſima mutabilitate, atque viſibilium omnium pulchertima ſpecie quodammodo tacitus proclamat,à Deo ineffabiliter magno & pulchro ſe factum. Qui autem à Deo quidem fatentur eſſe factum, nec tamen habere volunt temporis,ſed ſuæ creationis initium,vt quodammodo vix intelligibili factus ſemper ſit, non video qualiter eis hæc ratio in animo ſubſiſtere poſſit, nam ſi eam contenderint Deo coęternam eſſe; vnde illi acciderit noua maſſa,quæ nunquam in æternum fuerit antea,nunquam potuerint explicare. Porro ſi ex tempore dicunt eſſe ipſam creatam, ſed nullo vlterius tempore perituram,tanquam numerum habere initium,ſed non finem,& ideo ſemel miſerias expertam, ſi ab eis fuerit liberata; numquam poſtea miſeram eſſe futuram, nõ vtique dubitabunt hoc fieri manente incommutabilitate conſilij Dei. Sic ergo credant & mundum ex tempore fieri potuiſſe.Et tamen non ideo Deum in eo faciendo æternum conſilium, voluntatemque mutauiſſe, viſibilium quidem omnium maximus eſt mundus, inuiſibilium omnium maximus eſt Deus. Sed mundum eſſe cognoſcimus,Deum autem eſſe credimus. Quodque Deus mundum fecerit, nulli potius quam ipſi Deo credimus, qui per Prophetam loquẽs dixit.*In principio creauit Deus cælum & terram.* Sed nunquid iſte Propheta ibi fuit, quando cælum & terram Deus fecit? nequaquam,ſed ibi ſapientia Dei per quã facta ſunt omnia fuit, quæ in animas ſanctas ſe transfert,& amicos Dei,& Prophetas cõſtituit, eique opera ſua ſine ſtrepitu enarrans intus inſtruxit, & ſicut de viſibilibus quæ non videmus,illis credimus qui viderunt, ita de inuiſibilibus quæ à noſtro interiore ſenſu remota ſunt, his nos oportet credere, qui hæc nullo lumine corporeo diſpoſita didicerunt. Ex his erat ille vnus Propheta tam idoneus teſtis,per quem Deo credendum ſit, vt eodem ſpiritu quo hæc ſibi reuelata cognouit,& ipſam fidem noſtram futuram, tanto ante prædixit.*Iſidorus de ſummo bono lib.*1. Verum in creatione mundi, ſicut iam dictum eſt, noua voluntas exorta non eſt. Nam etſi mũdus in re non erat,in æterna tamen ratione & conſilio ſemper erat. *Hugo de ſacramen.lib.*1. Itaque prima rerum omnium cauſa, voluntas Creatoris eſt. Quam nulla prȩcedens cauſa monit, quia æterna eſt,nec ſubſequens aliqua confirmat,quia ex ſemetipſa iuſta eſt, ac ſecundum eam iuſtum eſt omne,quod iuſtum eſt.

Mũdus ſemper erat in æterno conſilio Dei.

Quòd mundus cum tempore factus ſit, & non ante.

CAPVT XXV.

Auguſtinus vbi ſupra. Illis verò,qui Deum conditorem eſſe mundi conſentiunt, ſed tamen de tempore,cur potius factus ſit tunc, & non antea quærunt. Reſpondemus & nos ſimiliter quærentes de loco,cur hic potius & non alibi, ſi vero dixerint inanes cogitationes eſſe hominum,quibus infinita imaginantur loca, cum nullus ſit locus præter mundum. Reſponderetur eis ſimiliter inanes eſſe illas, quibus infinita cogitant præteritæ vocationis Dei tempora,cum nullum ſit tẽpus ante mundum. Nam ſi diſcernuntur æternitas & tempus, quod videlicet tempus ſine aliqua mutabilitate non eſt,in æternitate autem nulla mutatio eſt, quis non videat, quod tempora non fuiſſent niſi creatura fieret,quæ aliquid aliqua motione mutaret,cuius, ſcilicet motionis & mutationis, cum aliud, atque aliud (quæ ſimul eſſe non poſſunt) cedit atque ſuccedit,in breuioribus,vel productioribus morarum interuallis,ſequeretur tempus. Cum ergo Deus creator ſit temporũ & ordinator, in cuius æternitate mutatio non eſt, quomodo dicatur poſt temporum ſpacia mundum creaſſe, non video. Non itaque factus eſt mũdus in tempore,ſed cum tempore. Quod enim in tempore fit, & poſt aliquod, & ante aliquod tempus fit:porro ſi literæ ſacræ & veriſſimè,dicunt à principio Deum feciſſe cælum & terram, & nil antea feciſſe intelligitur, proculdubio non eſt mundus factus in tempore,ſed cum tempore. Quod enim fit in tempore,& poſt aliquod tempus fit & ante aliqu od, poſt præteritum & ante futurum. *Idem libro de trinitate, lib.*5.*in fine*; Deus fuit dominus, antequam fuit tempus. Et in tempore cœpit eſſe Dominus, quia dominus temporis quandoque eſſe cœpit, nec vtique tempus cœpit eſſe in tempore,quia non erat tẽpus, antequam inciperet tempus.

Nullum tẽpus ante mũdum.

Mundus nõ eſt factus in tempore, ſed cum tẽpore.

Idem de ciuitate Dei lib. 12.Hanc autem quæſtionem, cur Deus ita tardè creauit mundum, non putauerunt Philoſophi, ſe aliter poſſe vel debere diſſoluere, niſi vt circuitus temporum inducerent,quibus ſemper eadem fuiſſe renouata, & repetita naturam rerũ. Atque ita deinceps ſine ceſſatione fore volumina venientiũ prætereuntiumque ſæculorum aſſeuerarent. Fallunt eos quædam mendaciſſimè literæ, quæ perhibent multa annorum millia tranſiſſe, cum in ſacris literis ab inſtitutione hominis nondum completa ſex millia annorum computemus.

Quòd non faciebat aliquid, antequam mundum faceret.

CAPVT XXVI.

Idem in lib.confeſſionum. 11. Quam magnificata ſunt opera tua domine,omnia in ſapientia feciſti, & illa principium,& in eo principio cælum & terram. Nonne ecce pleni ſunt vetuſtatis ſuæ, qui nobis dicunt. Quid faciebat Deus, antequam faceret cælum & terram, ſi enim vacabat inquiunt, cur non ſic ſemper & deinceps? Nam ſi vllus motus in Deo nouus extitit, & in Deo extitit voluntas noua operandi, quomodo iam vera ęternitas vbi oritur, quæ non erat voluntas? Si autem voluntas Dei erat ſempiterna, vt eſſet creatura: cur non eſt ſempiterna creatura? qui hoc dicunt nondum intelligunt. O ſapientia Dei,lux mentium,

Gen.1.

nondum intelligunt quomodo fiunt quæ per te fiunt, & conantur æterna ſapere, ſed adhuc in præteritis & futuris motibus rerum cor eorum volitat, & adhuc vanum eſt. Quis tenebit & figet illud, vt paululum ſtet, & paululum rapiat ſplendorem ſemper ſtantis æternitatis, vt comparet cum temporibus nunquã ſtantibus, & eſſe videat incõparabilem, videatq; longum tempus, non niſi ex multis prætereuntibus motibus, qui ſimul extendi non poſſunt longum fieri; Non autem præterire quicquam in æterno, ſed totum eſſe præſens. Sed omne præteritum propelli ex futuro, & omne futurum ex præterito conſequi, & omne præteritum ac futurum, ab eo quod ſemper eſt præſens creari & excurrere.

Quid faciebat Deus ante conditum mundum.

Dicenti ergo, quid faciebat, &c. Reſpondeo non illud, quod quidam ioculariter reſpondiſſe perhibetur eludens quæſtionis violentiam; alta inquit quærentibus gehennas parabat. Vnde irridetur qui alta quæſiuit, & laudatur qui falſa reſpondit. Sed audenter dico, ſi cæli & terræ nomine omnis creatura intelligitur, antequam faceret Deus cęlum & terram non faciebat aliquid. At ſi cuiuſquam volatilis ſenſus vagatur per imagines retro temporum; & te Deus omnia creantem, & omnia tenentem, ab opere tanto, antequam ea faceres per innumerabilia ſæcula ceſſaſſe miratur; Attendat quam falſa miratur, non enim potuerunt præterire tempora antequam faceres tempora, nec tu tẽpora præcedis tempore, ſed ſemper ſtantis æternitatis celſitudine. *Hieronym. ſuper Iſai. lib.* 3. Faciem itaque domini, & manus & pedes Seraphin operiũt, quia & præterita ante mundum, & futura poſt mundum ſcire non poſſumus, ſed media contemplamur.

Qualiter operatur, & creat, & faciat.

CAPVT XXVII.

Ioannes Damaſce. lib. 1. Solius Dei eſt, vbique & ſecundum idem operari; vbique enim eſt ſuper omnia, vbique & ſecundum idem differenter operatur, & vna ſimplici operatione. *Petrus Lombardus.* Creare propriè eſt de nihilo aliquid facere, facere autem eſt, non modo de nihilo aliquid operari, ſed etiam de materia. Deus autem, & de nihilo quædam, & de aliquo aliqua facit. Ipſe eſt ergo Creator, & opifex, & factor. Sed primum ſibi propriè retinuit. Alia vero etiã creaturis communicauit, nam & homo & Angelus poteſt aliqua facere, ſed non creare. Cum autem dicimus, Deum aliquid facere, non aliquem illi in operando motum intelligimus ineſſe, vel aliquam in laborando paſſionem ſicut nobis ſolet accidere, ſed eius ſempiternæ voluntatis nouum aliquem ſignificamus effectum, id eſt, æterna eius voluntate aliquid nouiter exiſtere. Et hoc dicitur agere, quia eius cauſa exiſtit abſque eius agitatione; vt actus propriè dici non queat, cum actus omnis in motu conſiſtat. In Deo autem nullus motus ſit; ſicut ergo ex calore ſolis aliqua contingit fieri, nulla tamen in ipſo vel in eius calore facta mutatione vel motione, ita ex Dei voluntate noua habent eſſe ſine actoris mutatione.

Propriũ Dei creare.

De creatione empyrij, & de materia informi.

CAPVT XXVIII.

Strabus ſuper Geneſim. Cum autem dicitur *in principio creauit Deus cœlum & terram*, cœlum non viſibile firmamentũ appellatur, ſed empyriũ, id eſt, igneum vel intellectuale, quod non ab ardore, ſed ſplendore igneum dicitur. Quod ſtatim factum repletum eſt Angelis. *Ioannes Damaſce. lib.* 2. Cœlum eſt continentia viſibilium & inuiſibilium creaturarum. Intra ipſum enim & intellectuales Angelorum virtutes, & omnia ſenſibilia circuncluduntur, & circumterminantur.

Author. Aiunt ergo cœlum hoc eſſe corporalem locum natiuum Angelorum, vbi creati ſunt ſuper firmamentum ex omni parte concludentem intra ſe firmamentum non continuum, vel contiguum, ſed diſtantem. Sunt enim aquæ vaporabiles intermediæ, quæ ſecundum quoſdam in cryſtallum congelatæ, dicuntur cœlum cryſtallinum, non autem empyrium, propterea tanti ambitus factum eſt, quia non poſſent minimo in loco plures Angeli eſſe, ſed ad mirandum & laudandum Creatoris immenſitatem cum gaudio, tanquam in eiuſdem ſummi Regis ampliſſimo palatio. *Author & glo. ſuper Gen.* Nomine vero terræ materia quatuor elementorum conſignatur, adhuc confuſa & informis, quia ſcilicet terra inter omnia elementa eſt minus ſpecioſa, vt dicit Auguſt. Igitur cœlum & terram Deus ſimul creauit, quamuis ab homine ſimul vtrunque dici non potuerit, quod cum Scriptura variat; tanta celeritate operationis Deum omnipotentem eſſe declarat; cui voluiſſe facere eſt. Ex his patet quatuor fuiſſe primitiuas creaturas coæuas, ſcilicet tempus, Cœlum empyrium, Angelos, & quatuor elementorum materiam, & hæc creata ſunt ante omnem diem. *4. Coæua.*

Quid ſit Angelus.

CAPVT XXIX.

Definitio Angeli.

Ioannes Damaſce. lib. 2. *Angelus eſt ſubſtantia intellectualis ſemper mobilis; arbitrio libera; incorporea, Deo miniſtrans, ſecundum gratiam, non natura; immortalitatem ſuſcipiẽs. Author.* Angelus vt dicit Greg. nomẽ eſt officij non naturæ. Dicitur autẽ mobilis nõ quia moueatur localiter ſicut corpus, ſed ſpiritualiter, ſcilicet motu charitatis; voluntatis & huiuſmodi, & etiam eundo à potentia in actum. *Dionyſius de diuinis nominibus.* Prima imago Dei eſt Angelus, manifeſtatio occulti luminis, ſpeculum purum ſplendidiſſimum ac immaculatum, declarans in ſeipſo ſicut poſſibile eſt, bonitatẽ quæ eſt in abditis. *Helinandus lib.* 8. Quid eſt Angelus? incorporeus & rationalis ſpiritus, ab initio creatus, & per ſe ſubſiſtẽs. Incorporeus dicitur ad differẽtiam venti, & fumi & huiuſmodi. Rationalis ad differentiam Brutorum. Creatus ad differentiam Creatoris, per ſe, ad differentiam animæ, quæ cum corpore perſonam conſtituit.

Quales ſunt facti Angeli ad inuicem.

CAPVT XXX.

Petrus Lombardus. Angelis initio ſubſtantiæ ſuæ vidẽtur quatuor eſſe attributa, ſcilicet eſſentiæ ſubtilitas, rationis perſpicacitas, liberi arbitrij facultas, & perſonalis diſcretio. *Author.* In tribus primis conueniunt cum humana natura. In quarto autem differunt ab ea. Anima enim non eſt perſona, id eſt, per ſe vna, quia creata eſt communicabilis alij, ſcilicet corpori, vt faciat totum, ſcilicet hominem. Angelus autem nõ habet potentias naturales, quas poſſit exercere ſicut anima in corpore. Et ideo non potes ibi inuenire compoſitionem, ſed eſt indiuiduus & diſcretus omnimode. *Petrus Lombardus.* Credendum eſt autem illas ſpirituales naturas Angelum, & in eſſentia, & in forma ſapientiæ & arbitrij facultate, differentias accepiſſe in exorditio conditionis ſuæ, quibus alij ſuperiores, alij inferiores eſſent, vt qui tunc per naturalia bona, alios excellebant ipſi, etiam poſtea per munera gratiæ eiſdem præeſſent ſapientia Dei æquo moderamine cuncta ordinante. Et ſicut in prędictis differebant, ita & quædam communia & ęqualia habebant, vt quod ſpiritus erant quod indiſſolubiles & immortales erant.

Idem. Videntur etiam ab initio creationis ſuæ fuiſſe boni & iuſti, id eſt, innocentes. Sed non iuſti, id eſt, virtutum exercitium habentes. Nondum enim virtutibus prędĭti erant, quæ ſtantibus appoſitæ fuerunt in confirmatione per gratiam, alijs cadentibus per ſuperbiam. Vnde aliquam morulam aiunt inter creationem & lapſum, vel confirmationem fuiſſe, in qua omnes boni erant, non per vſum liberi arbitrij, ſed per

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

creationis beneficium. Tales enim erant qui ſtare poterant,& cadere,id eſt,peccare,ſed non poterant proficere ad meritum vitæ,niſi gratia ſuperadderetur,quæ quibuſdam addita eſt in confirmatione. Et hoc confirmatur teſtimonio *Auguſtini*, *qui ſuper Geneſim dicit*. Angelicam naturam primo informiter creatam,& cœlum dictam; poſtea formatam, & lucem appellatam, quando ad Creatorem conuerſa eſt perfecta dilectione ei inhærens.

De libero arbitrio eorum, & ſcientia, & dilectione.

CAPVT XXXI.

Idem. Habebant igitur omnes liberum abitrium. Quod eſt libera poteſtas, & habilitas voluntatis rationalis. Poterant enim eligere, & ratione iudicare, id eſt, diſcernere in quibus cõſtat liberum arbitrium. Eratque in eis naturalis cognitrio triplex,qua ſciebãt, quod facti erant,à quo facti,& cum quo. Et habebant aliquam boni & mali notitiam intelligentes, quid eſſet eis appetendum vel reſpuendum. Habebant etiam naturalem dilectionem, qua ſe,& Deum aliquatenus diligebant,per quam tamen non merebantur.

Author. Notandum,quod duplex eſt dilectio naturalis,ſcilicet voluntaria & inuoluntaria. Inuoluntaria quæ non ſubiacet libero arbitrio. Et hæc duplex eſt, vna,ſcilicet, qua ſe diligit aliquid, & vitam ſuam atq; ſalutem,& hæc nobis communis eſt cum brutis. Alia quæ propria eſt hominis,& Angeli,ſcilicet qua naturaliter velit nolit appetit ſummum bonum, & beatitudinem abſque omni deliberatione vel prælectione. Vnde dicit *Aug. in ſoliloquijs.* Deus quem amat omne, quod amare poteſt, ſiue ſciens, ſiue neſciens. Circa neutram iſtarum eſt meritum vel demeritum, quia nec voluntas, virtus enim, & vitium voluntaria ſunt. Voluntaria autem diuiditur in duas,ſcilicet amicitiam & concupiſcentiam. Amicitia diligimus illud, quod propter ſe diligimus. Concupiſcentia vero diligimus illud,cui bonum volumus,ſcilicet ad delectandum in eo; vtroque iſtorũ modorũ diligimus Deum naturaliter, & Angeli etiam in primo ſtatu. Sed diligebat Angelus Deum ſuper omnia amore concupiſcentiæ, ſcilicet in ipſo delectando ſuper omnia. Nec tamen ſequitur, quod haberet charitatem, quia non diligebat Deum propter ipſum Deum,ſed propter ſe, ſcilicet retorquendo ipſam dilectionem ad commodum proprium,hoc eſt,non quia bonus erat,ſed quia ſibi vtilis erat,ſecundum illud, *Mihi adhærere Deo bonum eſt.* Amore autem amicitiæ diligebat ſeipſum ſuper omnia, ſcilicet volens ſibi bonum ſuper omnia. *Ipſa enim natura ſibi amica eſt, vt dicit Auguſt. & motus eius circularis eſt*, quia ſemper tendit ad bonum proprium. Necdum acceperat Angelus gratiam,qua poſſit ſupra ſe requieſcere. Nec ideo ſequitur,quod Angelus frueretur ſe,quia frui eſt delectari,quod eſt tantum in amore concupiſcentiæ, quo ſummè diligebat Deum.

Pſal.72.

Si autem quæritur vtrum eſſet delectatio ordinata,vel non? poteſt dici,quod neutrum, ſecundũ quod ordinatio amoris importat virtutem, & inordinatio vitium; poteſt tamen dici ordinata ordine naturali, ſecundum quod etiam in naturalibus, natura eſt modus,ſpecies,& ordo.

Quia nec miſeri creati ſunt, nec beati.

CAPVT XXXII.

Petrus Lombardus. Neque autem in beatitudine, neque in miſeria creati ſunt. Miſeri enim ante peccatum eſſe non potuerunt, quia ex peccato miſeria eſt. Beati quoque nunquam fuerunt illi qui cæciderunt,quia ſui euentus ignari erant,id eſt, peccati, & ſupplicij futuri. Si enim lapſum ſuum præſciuerunt, aut vitare voluerunt, ſed non potuerunt, & ſic erant miſeri. Aut potuerunt,ſed noluerunt,& ſic erant ſtulti & maligni. *Aug. ſuper Geneſim.* Quomodo igitur beatus inter Angelos fuit, qui futuri peccati atque ſupplicij præſcius non fuit. *Idem in eodem.* Dicere ergo de Angelis,quod in ſuo genere poſſent eſſe beati, damnationis ſuæ, vel ſaluationis incerti, quibus nec ſpes eſſet, quod in melius eſſent mutandi, nimia præſumptio eſt,quomodo enim beati eſſe poſſent,quibus incerta ſua eſſet beatitudo. *Hugo de ſacrament. lib.* 1. Non autem in materia præiacente creata eſt ſpiritualis natura, cuius ſimplicis ſubſiſtentiæ non aliud eſſe poteſt, id quod eſt, & id de quo eſt, ſed facta eſt in eſſe ſuo perfecta perſonaliter diſtincta. Intelligibiles ſpiritus ſubſiſtentes, habentes formam ſapientiæ concreatæ,& qualitatem ſpiritualem intelligentiæ, capaces ſecundum modum & menſuram cõditionis, profectus ſublimioris & illuſtrationis ſuperuenturæ in ipſos. Liberum quoque arbitrium, quo poterant ad vtrumque propria voluntate deflecti. In altero adiuti ſine coactione. In altero derelicti ſine oppreſſione. Qui autem natura magis ſubtiles,& ſapientia amplius perſpicaces creati ſunt,hi merito dignitate ſuperiores ſunt conſtituti, ita tamen, vt hi ſine ſuperbia prælati eſſent, & qui inferiores ſine miſeria ſubditi. Tribus quidem modis perfectio conſtat. Secundum tempus perfectum eſt,quod habet quicquid tempus requirit. Secundum naturam,quod habet omne,quod datũ eſt naturæ,vel debitum. *Vniuerſaliter perfectum eſt, cui nihil deeſt:* prima perfectio eſt naturæ conditæ: ſecunda eſt naturæ glorificatæ: tertia increatæ. Angeli in prima perfectione creati ſunt,& ad ſecundum ſub tertia.

Vniuerſaliter perfectũ quid.

De conuerſione bonorum ad lucem increatam.

CAPVT XXXIII.

Petrus Lombardus. Itaque cum à Creatore quidam eorum auerſi ſunt,cæteri ad eundẽ conuerſi ſunt. Conuerti fuit ei charitate adhærere. Auerti odio habere vel inuidere. Inuidiæ namque mater eſt ſuperbia, quia voluerunt ſe Deo parificare. In conuerſis, quaſi in ſpeculo relucere Dei ſapientia cœpit, qua illuminati ſunt gratia appoſita. Auerſi vero excæcati ſunt, non immiſſione malitiæ, ſed deſertione gratiæ. *Gregor. in moral. lib.* 17. Quoniam igitur Angeli ſancti milites Dei non proprijs viribus, ſed ſuperna gratia roborantur,rectè poſtquam in lib. Iob, dictum eſt de illis, *nunquid eſt numerus militum eius*, de ipſis quoque ſubiungitur. *Et ſuper quem non ſurgit lumen illius*: lumen gratia eſt Dei præueniens, quæ niſi gratis in mente ſurgeret, in tenebris remaneret. *Idem in lib.* 28. Hinc eſt & alibi, aſtra dicuntur Angeli cœlesti gratia illuminati. Dominus ſiquidem loquens ad Iob, *lapidem angularem dimiſiſſe aſſerit.* Quia filius humanam naturam ſuſcipiens ad ima de ſublimibus deſcendit, & duos in ſe populos coniunxit. Cuius incarnationis myſterium,quia mirati ſunt etiam Angeli, rectè ſubiunxit ibi. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Quia nimirum in tempore creati ſunt angeli, non immerito aſtra matutina ſunt vocati. Qui ſimul etiam cum aſtris veſpertinis potẽtiam redemptoris laudant, id eſt, cum hominibus in fine mundi redemptis ſupernæ gloriæ largitatem glorificant,ſimul laudant. Quia dum nos conſpiciũt redimi, ſuum gaudent numerum repleri. Qui etiam ideo fortaſſis aſtra matutina vocantur,quia ſæpe ad exhortandos homines miſſi, dum mane venturi nunciant, ab humanis mentibus vitæ præſentis tenebras fugant. *Anſelmus,in lib. de caſu diaboli.* Illi itaque Angeli, qui magis voluerunt quod habebant, quam aliquid plus quod non habebant, bonum quod quaſi propter iuſtitiam, quantum ad voluntatem pertinuit, meruerunt; iuſtitia tribuente acceperunt; & de illo quod habebant in vera ſecuritate permanſerunt, quapropter à Deo prouecti ſunt,vt adepti ſint quicquid velle potuerunt, nec iam videant quid plus poſſit, & ideo

Iob c.25.

Iob 38.

Ibidem.

Ibidem.

Homines redempti ſunt aſtra veſpertina.

peccare

peccare nequeunt. Illi verò Angeli, qui maluerũt illud plus, quod non Deus illis dare volebat, quam stare in iustitia, in qua facti erant, eadem iustitia iudicante, & illud propter quod illam contempserunt, nequaquam obtinuerunt, & quod tenebant bonum amiserunt. Sic ergo distincti sunt Angeli, vt adhærentes iustitiæ nullum bonum velle possint, quo non gaudeant; & deserentes illam nullum velle queant, quo non careant.

De illuminatione eorum ab eadem luce.

CAPVT XXXIV.

Iacob. c.1. HVgo *super Hierarchiam. Omne inquit datũ optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum*; dona optima, dona naturæ sunt, dona perfecta, dona gratiæ, pater luminum auctor & largitor donorum. Quibus quasi descendere fuit à fonte summæ plenitudinis, ad participationem inferiorum venire. Omne enim bonũ, quod dono creatoris creaturæ infunditur, merito descendit, quia subditæ naturæ & inferiori dignitate se infundit. Descendit etiam, quia perfecta & consummata plenitudine in eam, quę ex parte est participationem, se diuidit, ita tamen vt nec descendens seruiat, nec diuisum decrescat, sed manens in se quod est, & in eo à quo venit, quantum est eis ad quos venit se præbet, & hoc quod esse accipiunt, & quantum esse in eo, quod sunt meruerunt. Ita ab vno bono omnia bona, & in vno bono omnia bona sunt; hoc enim bonum, nihil à se conditum alienum relinquit à se, nec tamen illuminat, nisi illa tantum, quæ creauit ad se, & formauit secundum se. Illa enim sola lumen capiunt possuntque lucere ex lumine, quæ lumen veniens non sibi dissimilia inuenit, & infusum ad maiorem sui similitudinem & imaginem perfectiorem extollit. Ergo data optima & bona perfecta rationalis tãtum creaturæ celsitudinem contingunt, quæ sola sublimis facta est, primò dum conderetur ad imaginem, & postea, dum glorificaretur perfecta est, quodammodo consimilis & coæqualis ad summa. Nam ipsa optima data & dona perfecta lumina sunt, quæ à Patre luminum descendunt, & ipse lumen est à quo descendunt, & in quos descendunt ipsi lumina fiunt. Nam nec Pater luminis aliud gignere potuit, quàm quod ipse est. Nec susceptor luminis aliud, quàm lumen fieri potest.

Quia ipsa lux ad se conuertit & colligit illuminatos ſpiritus.

CAPVT XXXV.

IDem. Sed & omnis patris motu manifestationis luminum processio in nos optimè & largè proueniens, iterum vt viuifica virtus restituens, nos replet, & conuertit ad congregantis patris vnitatem, & deificam simplicitatem. Motus patris est affectus paternæ benignitatis. Sola enim benignitate mouetur, vt lumina sua effundat super nos. Mouetur non se concutiẽs, sed nos colligens, non se euacuans, sed nos replens. Et ipso moto lumina eius procedunt in nos. Et procedentia in nos manifestantur, per nos primum, post hæc alijs ex nobis, & omnis ista luminum manifestationis processio, id est, per quam lumina manifestantur (non enim manifestarentur nisi procederent) exiẽs à patre moto in nos proueniens, hoc operatur, scilicet quod replet nos. Non vtique alio quàm seipso, eo quod replet iterum restituens reparando, sicut prius constituit creando. Restituit, vtpote viuifica virtus, quæ dispersa colligit, diuisa componit, & ex multis vnum facit. Et ita restituens & reformans nos conuertit, qui prius dissimilitudine fuimus auersi, multitudine diuersi, prauitate peruersi. Conuertit dico ad congregantis patris vnitatem, & deificam simplicitatem.

Deus replet seipso.

Lux enim patris inuisibilis in se, procedens in nos, & exiẽs in manifestationem vacuos inuenit, & inanes à vero bono; & infundens se nobis, replet nos secundum vniuscuiusque nostrũm virtutem & capacitatẽ, & cum repleuerit nos conuertit, vt non dissideamus à patre, sed in eadem similitudine & imagine respiciamus ad ipsum. Replet quidem illuminando, conuertit lumina faciendo. Etenim ex ipso omnia, & in ipsum. Ex ipso procedentia, & in ipsum conuersa. Ex ipso principio, & in ipsum finem. Diuinum enim lumen, primum in angelicam naturam descendit, & ab ipsa reuelationibus & illustrationibus diuinis, & mystica sacri eloquij narratione ad nostrũm vsque se intelligentiam transfundit. Mens verò humana eisdem rursum gradibus ad superna conscendens, sacra diuini eloquij inspectione cœlestia secreta, & eam quæ est in Angelis diuinæ claritatis illuminationem perpendit, ex qua paulatim inuisibilium cognitione succrescens, & ad ipsum tandem summi luminis splendorem conualescit. Et fit quod in principio dictum est, quia vnum lumen ad multa illuminanda se diuidit, & illuminata omnia ad vnius claritatis aspectum, similitudinem que reformet.

De confirmatione Sanctorum Angelorum, & beatitudine eorum.

CAPVT XXXVI.

PEtrus *Lombardus.* Intantum autem Angeli boni per gratiam illuminati sunt & confirmati, quod peccare nequeunt. Sicut alij per malitiam ita sunt obstinati, vt bene velle non possint, habent tamen & liberum arbitrium, quia non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate, per gratiam quidem adiuti bonum eligunt, malum respuunt. *Aug. in Enchirid.* Non ergo ideo sancti Angeli carent libero arbitrio, quia malum velle non possunt. Multò quippe liberius arbitrium est, quod peccato seruire non potest. *Idem de fide ad Petrum.* Itaque quod sancti Angeli ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari nullatenus in deterius possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt diuinæ gratiæ largitate collatum *Anselmus in libro de casu diaboli.* Sicut autem malo Angelo non posse recuperare, quod perdidit pœna peccati est. Ita bono nõ posse deserere, quod tenuit præmiũ est iustitiæ. *Idẽ in eodem.* Quoniã igitur non potest, nec debet quis esse beatus nisi velit, & etiã nisi iustè velit, necesse est, vt sic faciat Deus vtramque voluntatẽ in illo cõuenire, vt beatus esse velit, & iustè velit, quatenus addita iustitia sic temperet voluntatem beatitudinis, vt resecet excessũ voluntatis, & excedẽdi non amputet potestatem, vt cum per hoc, quod volet beatus esse, non possit excedere, per hoc quod iustè volet, non velit excedere. Et sic iustam habens beatitudinis voluntatem, possit & debeat esse beatus. Vides Angelum bonum & malum, Deo parere debere gratiam, quantum ad bonitatem ipsius, nec diabolum ideo minus debere reddere Deo quæ Dei sunt, quia sibi abstulit quod Deus dedit, & noluit accipere quod Deus obtulit. *Semper ergo debet agere gratias Deo malignus ſpiritus pro beatitudine quam sibi abstulit, sicut bonus pro ea quam sibi dedit.*

S. Angeli nõ carent libero arbitrio.

Augustin. de Ciuit. Dei lib. 10. Angeli ergo beati sunt, *qui Creatoris sui participatione congaudent, cuius vnitate firmi sunt, cuius veritate certi, cuius munere sancti. Idem in lib.* 11. Angeli sancti quorum in societati, in hac peregrinatione laboriosissima suspiramus, sicut habent permanendi æternitatem, sic habent & cognoscendi facilitatem, & requiescendi fælicitatem; sine difficultate quippe nos adiuuant, quia spiritualibus motibus puris ac liberis non laborant. *Fulgentius de mysterio mediatoris, lib.* 4. In hoc quidem animabus nostris, quàm maximè potiores sunt Angeli, quia sicut à peccatis, ita sunt à passionibus alieni. Quod etiam se rectè colentibus promittit dominus, dicens. *Erunt sicut Angeli Dei.* *Marc* 12. *Gregor. in moralib. lib.* 19. Angeli semper vident faciem

Beatitudo angelorum pulchrè describitur.

Dei,

1. Petr. 2. Dei, & ſemper videre deſiderant ſicut ſcriptum eſt: *In quam deſiderant Angeli proſpicere.* Nam & deſiderium ſine fructu anxietatem habet, & ſatietatem faſtidium ſubſequi ſolet. Vt ergo non ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur; ne autem ſit in ſatietate faſtidium, ſatietate deſiderant

De merito eorundem.

CAPVT XXXVII.

Petrus Lombardus. Vtrum ergo per gratiam, tunc ſibi datam ipſam beatitudinem meruerunt, ambiguum eſt. Quibuſdam enim placet, quod eam meruerunt per gratiam, quam in confirmatione perceperunt, nec meritum præceſſiſſe præmium tempore dicunt, ſed cauſa. Alijs videtur, quod tunc non fuit eis gratia data ad merendum, ſed ad beatè viuendum. Quod autem tunc in præmium acceperunt, per obſequia nobis exhibita ex Dei obedientia & reuerentia mereri dicunt, & ita præmium præceſſit meritum, & hoc mihi placere fateor.

Nota hanc ſententiam à Theologis hodie paſſim reijci.

Author. Exemplum poteſt accipi de patrefamilias, qui dat alicui ſeruienti. C. ſolid. pro miniſterio quo ſeruiturus eſt ei vno anno, vel pluribus. Sic enim dedit dominus angelis ſuis in confirmatione beatitudinem in præmium, pro miniſterio, quo ſeruituri erant ei vſque ad diem iudicij. Ante confirmationem verò, nec gratiam tunc ſibi datam meruerant, quia iam no eſſet gratia, niſi eſſet gratis data; poteſt tamen dici quod ſtando meruerunt qualitercunque, id eſt, ſtare fuit eis loco meriti, quia dum fecerũt, quod in ſe erat, vt acciperent gratiam & beatitudinem, congruum fuit vt daretur eis, non tamen debitum, quia non eſt verè meritum ſine gratia. Et ita meruerunt eam quodammodo, ſcilicet merito congrui non merito condigni.

Hugo de ſacrament. lib. 1. Angeli ex tunc mereri cœperunt, ex quo voluntate moueri cœperunt, quoniam voluntas in illis erat potens moueri, & ferri ſuo appetitu in vtrumque; voluntariè autem moueri & ferri ſpontaneo appetitu, hoc eſt cum poteſtate eligere & libertate iudicare, in quo conſtat liberum arbitrium: & propter hoc facti ſunt liberi arbitrij, vt voluntario appetitu mouerentur, ſecundum electionem voluntatis ſine coactione. Cœperunt autem diuidi ab eo qui facti erant, vt aliud iam eſſent, vel proficientes ſuper illud, vt boni eſſent, vel ſub bono deficientes, vt mali eſſent. Quique ſtatim conuertebantur, voluntariè mouebantur gratia cooperãte ſine coactione. Qui autem à bono auertebantur ſponte, præcipitabantur gratia deſerente ſine oppreſſione. Et qui conuertebantur, idcirco bene mouebantur, quia gratiam cooperantem habuerunt. Sed qui auertebantur, idcirco non præcipitabantur, quia gratiam cooperantem non habuerunt, ſed gratia deſerebantur, quia auertebantur.

De ſcientia eorundem motu affectionis.

CAPVT XXXVIII.

Auguſtinus de Ciuit. Dei, lib. 9. Angelis bonis, omnis temporalium corporaliumque rerum ſcientia, qua inflantur dæmones vilis eſt, non quod illarum ignari ſint, ſed quod Dei charitas, qua ſanctificantur eis chara eſt, præ cuius incommutabili pulchritudine, cuius ſancto deſiderio inardeſcunt, omnia quæ infra ſunt, & quod illud eſt, non ſunt, ſeque ipſos inter illa contemnunt, vt ex hoc toto, quod boni ſunt, eo bono ex quo boni ſunt perfruantur. Et ideo certius etiam iſta temporalia nouerunt, quia principales eorum cauſas in verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt mundus, quibus cauſis, quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Ibi ergo in æternis Dei legibus, quæ in Dei ſapientia viuunt mutationes temporum præuident: Deique voluntas, quæ tam certiſſima, quam potentiſſima eſt omnium, ſpiritus eius participatione cognoſcunt. *Ioannes Damaſcenus, lib. 2.* Futura quidem, neque angeli boni nouerunt, prædicant tamen Deo eis reuelante, & prædicare iubente.

Iſidorus in ſententijs ſuis, lib. 1. Angeli ſemper in Deo non ſe gaudent, & in verbo Dei cognoſcunt omnia, priuſquam in re fiant. *Ambro. ad Neophitos.* Ipſum quidem altiſſimum perfectè ſcire nequeunt, nec ſcrutando, ſed ſuſcipiendo & adorando tremunt, ſeruiendo venerantur, laudantes benedicunt, peruigilando celebrant. *Auguſt. de Ciu. Dei, li. 11.* Non autem Angeli, aut homines per verba ſonantia Deum diſcunt, ſed per ipſam præſentiam immutabilis veritatis, inſeparabilem vnius ſubſtantiæ trinitatẽ agnoſcunt. Ipſam quoque creaturam, melius in Dei ſapientia, tanquam in arte qua facta eſt, quàm in ſeipſa ſciunt, ac per hoc etiã ſeipſos melius ibi, quàm in ſeipſis nouerunt, nam & aliter ſcitur rectitudo lineæ, ſeu veritas figurarũ cum intellectu conſpicitur, aliter dum in puluere ſcribitur. Et aliter iuſtitia in veritate incommutabili, & aliter in anima iuſti. *Idem li. 8.* In ipſo nimirum Creatore veritatem incommutabilem cernunt, & ſecundum illam voluntates dirigunt *Dionyſius in Hierarchia cœleſti.* Virtutes cœleſtes dicimus, & ſurſum conuertibiliter extẽdi, & erga ſemetipſas firmiter conuolui, propriarum exiſtentes cuſtoditiuas virtutum, & erga venientia ſociabili proceſſione in participatione virtutis prouidas eſſe. *Idem in li. de diuinis nominibus.* Moueri quidem dicuntur circulariter animi non inchoatis, & non terminatis illuminationibus boni & optimi, directè vero quandocunque procedunt in ſubiectorum prouidentiam rectè omnia terminantes. Obliquè autem & quando prouidentes inferioribus irreuerſibiliter manent in inuiſibilitate, cauſale bonum inceſſanter circumeuntes.

Res melius ſituatur in Deo quam in ſeipſis.

De linguis eorum.

CAPVT XXXIX.

Gloſſa ſuper epiſtolam primam ad Corinthios. Si linguis hominum loquar & angelorum, &c. Linguas angelorum vocat nutus, vel ſigna, quibus maiores angeli ſignificant ea, quæ de Dei voluntate primi ſenſerunt. *Ioannes Damaſcenus, lib. 2.* Lumina ſecunda intellectualia ex primo, & ſine principio lumine illuminationem habentia non lingua, & auditu indigentia, & ſine ſermone prolato tradentia ſibi inuicem, & conſilia, & intelligentias. C. 13.

Author. Habent ergo poteſtatem ſermonis intelligibilis, quo indicẽt affectus ſuos, & intellectus de his rebus quarum cognitio non erat in eis à principio. Nec eſt idem in angelo loqui quod cogitare, vel intelligere, *ſed cogitatum, vel intentum quadam luminoſitate irradiante alij exprimere.* Et audire angelum loquentem, nihil aliud eſt, quam eius cogitationem, vel intentum videre. Et quod vni exprimitur non ſemper ab alijs videtur, vel intelligitur, niſi ab ipſo angelo loquente voluntariè eis exprimatur. Vnde dicitur, quod locutio angeli eſt *cogitatio directa per voluntatem oſtendendi alteri ipſum cogitatum, vel intentum.* Sed hęc eſt locutio angelorum ſecundum naturam ſuam in qua communicãt boni & mali angeli. Alia vero eſt eorum locutio per gratiam ſecundum virtutem ſpeculi, ſiue motoris ſupremi, in qua communicant angeli boni, & animæ ſanctorum: vnicuique enim innoteſcit voluntas, & intellectus alterius, ſecundum repræſentationem ſpeculi & voluntatem ſupremi motoris. Vnde licèt omnes reſpiciant in ſpeculo, non tamen omnes æqualiter à ſpeculo recipiunt: ſed quidam plus, quidam minus, ſecundum dignitatem recipientium, & ſecundũ voluntatem ipſius in ſpeculo, quod oſtendit cui vult. Non enim omnes angeli vident omnia in ſpeculo. Sed hæc plena reuelatio reſeruatur plenitudini gloriæ, quia conſummabitur eorum præmium in iudicio futuro.

Loqui in angelis quid.

Loquutio per gratiam.

Exem

Exemplum ad euidentiam mutuæ locutionis eorum.

CAPVT XL.

AD intelligentiam autem prædictorum de mutua locutione Angelorum, quæ ſunt lumina intellectualia (vt dicit Ioannes Damaſcenus) valet exemplum de luminibus corporalibus. Nam vbi ſunt tria lumina, vel plura, videntur eſſe radij omnium commixti in aere, ſed probantur eſſe diſcreti in eſſentia, per hoc quod ſi ſubtrahatur vnum illorum luminum, ſubtrahuntur ſimul omnes radij ab illo procedentes, ſic ſi ſecundum lumen ſubtrahitur, ſimiliter de tertio. Quod ſi ibi eſſet vera commixtio, nullo modo poſſent radij vnius luminis ſeparari ab alijs ſine mutatione aliorum, vnde patet eos eſſe diſcretos ſecundum eſſentiam. Si ergo quodlibet iſtorum luminum haberet voluntatem liberi arbitrij, poſſet radios ſuos coniungere, vel influere alijs quando vellet & quibus. Et abſcondere quibus, & quando vellet. Sic cœleſtia illa lumina cum ſint voluntate liberi arbitrij prædita, ſecundum voluntatem ſuam illuminationes ſuas, ſiue ſermones intelligibiles, intimant quibus volunt, & celant quibus volunt: ſicque patet quod vnus angelus poteſt intentionem ſuam alij manifeſtare, ita vt non innoteſcat alijs.

Radij luminis ſunt diſcreti ita optici communiter.

Ad animam quoque loquitur angelus, bona ſuadendo, vel reuelando ſine corporali medio cooperante, vel impediente, *quadam virtute occulta intentionem ſuam ei imprimendo, ſicut magnes attrahit ferrum quadam virtute occulta*, etiam ſi interponatur argentum. Habet autem poſſibilitatem tranſmutandi fantaſmata imprimendo imagines incitantes ad bonum, ſicut diabolus ad malum. Cæterum laudant angeli Deum, non laude vocali, ſed ſpirituali. Quia nec Deus indiget ſignis vocalibus ad cognoſcendum eorum affectiones. Nec ipſi qui loquuntur indigent verbis, ad mentes ſuas excitandas, cum non habeant mentes pigras, & torpentes ſicut nos, ſed perſpicaciſſimas, & feruentiſſimas. Laus eorum ſit ſecundum intellectum, & ſecũdum affectum, quia intelligens comprehendit ſecundum modum, & miratur bonitatem Dei, & affectus conſentit, & adhæret, & conformat ſe ei. Vnde *laudare Deum eſt eius bonitatem cognitã proteſtari.* Et cognitio quidem pertinet ad intellectum, proteſtatio ad affectum.

Virtus illa expreſſiua alteri eſt occulta.

Laudare Deum quid?

De poteſtate eorum.

CAPVT XLI.

Auguſtinus ſuper Gen. li. 8. Sublimibus angelis Deo ſubdito fruentibus ſubdita eſt omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas, vel infirma, vel praua. Et hoc de ſubditis, vel cum ſubditis agunt, quod ordo naturæ poſcit in omnibus, iubente illo cui ſubiecta ſunt omnia. *Idem in libr.* 9. Creare quidem naturam nullus angelus poteſt, ſed voluntas angelica obedienter Deo ſubdita, naturalibus motibus velut materiem de rebus ſubiectis miniſtrare, vt ſecundum illas principales in verbo Dei rationes non creatas, vel ſecundum illas principales in primis ſex dierum operibus cauſaliter creatas aliquid in tempore cauſetur, more agri colendi, vel medendi poteſt. *Idem de Trinit. li.* 3. Sicut ergo nec parentes filiorum, nec agricolas frugum creatores dicimus, quamuis eorum extrinſecus adhibitis motibus creatiua Dei virtus operetur interius. Ita nec bonos angelos, nec malos fas eſt putari creatores, ſed pro ſubtilitate ſui ſenſus, & corporis ſemina eorum nobis occultiora nouerunt, & eas per congruas temperationes elemẽtorum latenter ſpargunt. Atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incremẽtorum præbent occaſiones. Sed nec boni hoc, niſi quantum Deus iubet, nec mali, niſi iuſte accepta à Deo poteſtate, ſiue ad ſuam pœnam, ſiue ad aliorum, vel pœnam malorũ, vel laudem bonorum faciũt. Aliud eſt igitur ex ſummo cauſarum cardine condere, atque adminiſtrare creaturam, quod facit ſolus creator Deus. Aliud pro diſtributis ab illo viribus, ac facultatibus aliquam operationem forinſecus admouere, vt tunc, vel tunc, ſic vel ſic exeat, quod creatur. Iſta quippe originaliter in textura elementorum cuncta ſunt iam creata, ſed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam ſicut matres grauidæ ſunt fœtibus, ſic ipſe mundus grauidus eſt cauſis naſcentium, quæ in illo non creantur, niſi ab illa ſumma eſſentia, vbi nec incipit aliquid eſſe, nec definit, penes quam primitus ſunt omnium, quæ ſunt, menſuræ, numeri, & pondera.

Corporea ſubduntur angelis.

Angeli non poſſunt creare.

De Sacro principatu eorum.

CAPVT XLII.

Hugo ſuper Hiera. Veruntamen creaturam rationalem participẽ fecit Deus poteſtatis ſuæ, conſtituens principatus, & poteſtates ſacras in cœlo in angelis, & in terra in hominibus, vt dominentur creaturæ eius. Dignum ſiquidem fuit, vt ipſa pars operis ſui particeps fieret poteſtatis eius in diſpoſitione ſua, quæ in ſua conditione ſimilitudinis eius participationem acceperat, voluit in rerum à ſe factarum gubernatione participes habere, non vt illorum miniſterio iuuaretur, ſed vt ipſi poteſtatis eius conſortio ſublimes efficerentur. Et quod vniuerſitatis ordo depoſcebat, vt opera eius complerentur per ordines & diſpoſitiones à ſummo omnium in vniuerſa præcepto decurrente.

Itaque inſita ſibi virtute ac bonitate inolita cuncta fouens, & nutriens, & regens & diſponens vniuerſa, eandem ſub ſe dominantibus bonitatem; & vitutem ſecundum menſuram participationis, & miniſterij rationem, per ordines & gradus multipharia diſpẽſauit. Excellẽtioribus quidem, & ſuprapoſitis, imperia maiora & ſuperexcellentiora dona impartiens, inferioribus autem & ſuppoſitis gradibus minora chariſmata, vt liberè famulantia ad ſubiecta quoq; ſine oppreſſione prælata concedens. Hæ ſunt Hierarchiæ quas ſumma Hierarchia ſecundum ſe formauit, & ſub ſe cõſtituit dominari, & præeſſe in operibus ſuis ſecundũ ordines conſignatos, ſub vno principio & poteſtate vna, à qua omnis poteſtas, & omnis virtus, & omnis lux, quæ virtus, quia ſecundum menſuram largitionis, & participationis, varie multipliciterque ad decorem & pulchritudinem eorum, quæ ſapiẽtia ornauit operum, ab vna virtute, & poteſtate vna diſtribuitur, multæ virtutes, & poteſtates multæ efficiuntur. Sed rurſus ne multitudo ſchiſma generet, & aduerſum ſe pugnet orbis dominatione contraria, vnum principiũ eſt, & moderator vnus omnium. A quo habẽt quod ſunt, & ſub quo moderantur quod poſſunt, & referunt ad ipſum omne quod efficiunt, vt vnitas maneat in omnibus, & pax perſeueret in regno regentis Dei.

Vnus mundi princeps.

De vnifica contemperantia donorum eorum.

CAPVT XLIII.

AD anagogicam vero, inquit, & vnificam eorum, quæ præuiſa ſunt contemperãtiam, diuinæ claritatis radius, *vt ait Diony.* optimè & pulchrè multiplicatur, & prouenit, manetque intra ſe munite incõmutabili ſimilitudine vniformiter fixus, & in ſe quantũ fas eſt reſpicientes proportionaliter eis ſe extendit, & vnificat ſecundum ſimplicem ſuam vnitatem: ac ſi diceret, diuinæ claritatis radius, quamuis in ſe vnus permaneat, diſtributione tamen donorum varie multiplicatur?

Hæc vero multiplicatio, & variatio, vniuerſorum eſt pulchritudo, quia niſi diſſimiliter eſſent pulchra ſingula, ſummè pulchra non eſſent vniuerſa. Non enim aliquod ex vniuerſis diuerſis capere potuit totum quod erat pulchritudinis. Et ideo ſumma pulchritudo *varia participatione diſtributa eſt in ſingulos, vt*

Varietas eſt cauſa pulchritudinis vniuerſi.

perfecta

perfecta posset esse simul in omnibus. Ipsa vero distributio multiplicatur pulchrè, & optimè, optimè in vniuersis, pulchrè in singulis, vel optimè secundum participati infusionem, pulchrè secundum participantium dispositionem. Optimè enim multiplicatur, vt maior sit decor vnitatis, quæ participantibus singulis variè infunditur, vt ipsa diuersitas donorum vnitatis, & pacis societatem ad inuicem confirmet, quatenus vnumquodque membrum à totius corporis compage diuidere se non præsumat, cum boni plenitudinem, quantum in se minus habet, in aliorum societate possideat. Quia enim vnumquodque habet quod aliud non habet, vel in alio plus habet, quod in se minus habet, ideo singula inuicem tendunt ad se, & concordiam & pacem seruant inter se. Et ipsa concordia & pax, contemperantia est, qua sibi consentiunt, vt stent ad vnum & reformentur ad vnum, propter hoc ipsam contemperantiam prouisorum *anagogicam* dicit & *vnificam*. *Vnificam*, quia dispersos in vnum colligit, *Anagogicam*, quia deiectos ad superna reducit: *vnificam* per dilectionem proximi, *anagogicam* per dilectionem Dei. Ideo pulchra est in congregatione. Optima in eleuatione. Et tamen radius ille manet intra se munitè, cum enim se mentibus illuminandis multipliciter participandum præstat: extra tamen vnitatis sui simplicitatem non effluit, sed semper idem sit vniformiter fixus, vt scilicet à seipso non discrepet quasi sibi dissimilis. Et etiam respicientibus in sequantum illis possibile est, se extendit proportionaliter, vt scilicet alij amplius, vel minus accipiant ab eo, secundum quod magis, vel minus ad Deum accedunt. Et vnum eos facit in suo lumine, sicut ipse vnus est.

Ratio cur omnia tendant ad concordiam inter se.

De nouem ordinibus Angelorum.

CAP. XLIIII.

Gregorius in homi. Euang. 23. Nouem ergo ordines Angelorum esse, testante sacro eloquio scimus, Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubin, Seraphin. Vnde Angelo qui primo creatus est, per prophetam dicitur. *Tu signaculum similitudinis*, vt quia in eo subtilior est natura, & in illo imago Dei similius insinuetur expressa. *Omnis, inquit, lapis pretiosus operimentum tuum, &c.* Ecce nouem ponit nomina lapidum, quia nouem sunt ordines Angelorum, quibus ille Angelus primus ornatus, & opertus extitit. Quia dum cunctis Angelorum agminibus prælatus est, ex eorum comparatione clarior fuit. *Petrus Lombardus. Ordo autem Angelorum dicitur multitudo cœlestium spirituum, qui inter se, in aliquo munere gratiæ similantur, sicut & naturalium datorum munere conueniunt.* verbi gratia. *Seraphin*, dicuntur qui præ alijs ardent charitate. Seraphin, enim interpretatur ardens, vel succendens. *Cherubin*, qui præ alijs scientia eminent, Cherubin, enim interpretatur plenitudo scientiæ. *Throni*, dicuntur in quibus Deus sedens iudicia sua discernit. *Dominationes*, qui Principatus, & potestates transcendunt. *Principatus*, qui subiectis sibi agenda disponunt. *Potestates*, qui virtutes aduersas refrænant, ne homines tantum tentare valeant, quantum desiderant. *Virtutes*, per quos signa & miracula frequenter fiunt. *Angeli*, qui minora nunciant. *Archangeli*, qui maiora.

Ezech. 28.

Ordo Angelorum quid?

De excellentia eorum secundum dona.

CAP. XLV.

Idem, hæc autem nomina non propter se, sed propter nos illis sunt imposita. Qui enim sibi noti sunt contemplatione, nobis innotescunt cognominatione. Et nominantur singuli ordines à donis gratiarum, quæ non singulariter, sed excellenter sibi sunt in participatione. Omnia enim dona omnibus insunt non tamen æqualiter. Cum omnes superiores ordines sublimius, & perfectius dona perceperint, tamen ex præcipuis vocabula sortiti sunt. Inferioribus cætera relinquentes ad cognominationem, vt Seraphin ordo excellentissimus ab excellentiori dono, id est à charitate, nomen accepit. Maius enim donum est charitas, quàm scientia. Item maius est scire, quàm iudicare, quia scientia informat iudicium. Ideo secundus ordo à cognitione veritatis appellatus est, scilicet Cherubin, & ita de alijs.

Assignatur ergo excellentia ordinum secundum excellentiam donorum, & tamen vt dicit Gregorius omnibus illa data sunt communia, omnes enim ardent charitate, scientia pleni sunt, & sic de alijs. *Sed superiores alij excellentius illa acceperunt, à quibus & nominantur: vnde & Gregorius.* Vnusquisque ordo eius rei censetur nomine, quam plenius accepit in munere. Sed hic oritur quæstio. Nam si quisque ordo ab illo dono nominatur quod plenius possidet, tunc Cherubin in scientia præeminent omnibus, quia à scientia nominantur, sed qui magis diligit plus cognoscit, vt enim tradit auctoritas, tantum ibi quisque cognoscit quantum diligit. Itaque Seraphin non solum in charitate cæteris præeminent, sed etiam in scientia. Ideoque auctoritas, illa sic videtur intelligenda, vt comparatio non referatur ad omnes ordines, sed ad quosdam, scilicet ad inferiores. Nec nominatur quisque ordo ab omni re quam plenius alijs accepit, sed ab aliqua rerum quas accepit, vel potest comparatio referri non ad ipsos ordines, sed ad alia dona. Nec ad omnia, sed ad quædam: forsassis enim & Angeli sicut homines quibusdam donis magis pollent alijs, quibusdam vero minus.

Quiuis ordo nominatur à dono in quo excellit.

Quod ante casum non fuerunt ordines distincti.

CAP. XLVI.

Idem, ante casum quorundam, non erant ordines isti, quia non habebant dona in quorum participationibus conuenirent. Non enim charitate ardebant, nec sapientia pollebant, &c. Si enim hoc habuissent, non cecidissent. *Bernard. Clareuallensis.* Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, vtique quia non eras ignifer, si enim fuisses Ignifer sicut Lucifer, non cecidisses. *Petrus Lombar.* Quibusdam ergo cadentibus, alijs apposita sunt illa dona, eisque qui ceciderunt collata fuissent, si perstitissent. Ideoque scriptura dicit de singulis ordinibus aliquos cecidisse, non quia fuerint in ordinibus, & postea corruerint, sed quia si perstitissent, eorum aliqui in singulis ordinibus fuissent, qui & in naturæ tenuitate, & in formæ perspicacitate differentes gradus habebant, sicut illi qui perstiterunt. *Idem.* Quibusdam autem placuit omnes Angelos eiusdem ordinis æquales esse, sed non est hoc probabile. Nam Lucifer, qui de collegio superiorum fuit, ipsis etiam dignior extitit, qui alijs excellentiores creati fuerant. Ex quo percipitur, quod si perstitisset, in ordine superiori fuisset, & alijs eiusdem ordinis dignior extitisset. Sicut ergo vnus est ordo Apostolorum, & alter Martyrum, & tamen in Apostolis alij sunt alijs digniores, similiter & in Martyribus alij alijs sunt digniores. Ita & in ordinibus Angelorum rectè creditur esse.

De varia ordinum distinctione.

CAP. XLVII.

Ioannes Damasc. lib. 2 Sacratissimus, & Theologissimus Areopagita Dionysius cœlestes substantias in tres determinat trinos ornatus. Et primum quidem ait esse eum, quem circa Deum semper & immediatè & proximè vnitum esse traditum est. Et eum qui sex alas habentium Seraphin, & multos oculos habentium Cherubin. Secundum vero eum qui Dominationum & Virtutum & Potestatum. Tertium vero & vltimum eum qui Principatuum & Archangelorum & Angelorum.

Helinandus lib.2. Aliter ordinat Dionyſius ordines, quam alij Doctores. Nam in media Hierarchia primum, quidem illi ponunt Dominationes ſicut ille, ſed in ſecundo loco ponunt Principatus, in tertio Poteſtates deſcendendo. In vltima vero primo ponunt Virtutes, ſecundo Archangelos, tertio Angelos. Apoſtolus tamen ſicut Dionyſius iungit Virtutes cum Dominationibus & Principatibus, & Angelis. *Origenes* alium ordinem ſequitur, quem Greg. Papa & alij plures ſecuti ſunt. *Gregorius vbi ſupra.* Eſſe quidem Angelos & Archangelos pæne omnes eloquij ſacræ paginæ teſtantur. Cherubin vero & Seraphin ſæpe libri Prophetarum loquuntur. Quatuor etiam ordinum nomina. Paulus ad Epheſios cap. 1. numerat, dicens: *ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem.* Porro ad cap. 1. Coloſſenſes ſcribens quoque de *Dominationibus, & Poteſtatibus, & Principatibus* præmittit *Thronos*, de quibus necdum Epheſijs fuerat locutus. Rectè igitur Angelorum ordines nouem eſſe diximus, quod eloquio ſacro teſtante ſcimus. *Angeli* Græcè nuncij. Iſti nunciant minima, iſti vero ſumma. *Virtutes* autem ſunt illi ſpiritus, per quos ſigna & miracula frequenter fiunt. *Poteſtates* vero qui virtutes aduerſas refrenant, ne tantum homines tentare valeant, quantum deſiderant. *Principatus* ſunt, qui cæteris ſibi ſubiectis, quæ ſunt agenda diſponunt. *Dominationes* vero qui Principatus & Poteſtates mira potentia tranſcendunt. *Throni*, qui Latinè ſedes dicuntur, ſunt hi qui tanta Dei gratia replentur, vt in eis dominus ſedeat, ac per eos iudicia ſua diſcernat. *Cherubin* dicuntur, qui alijs ſcientia præeminent. *Seraphin* quoque qui charitate præ cæteris ardent. Cherubin namque plenitudo ſcientiæ dicitur, Seraphin ardens, vel ſuccendens interpretatur.

Angeli. *Virtutes.* *Poteſtates.* *Principatus Dominationes.* *Throni.* *Cherubin. Seraphin.*

De Triplici Hierarchia.

CAP. XLVIII.

Hierarchia quid?

HVgo *ſuper Hierarchiam Dionyſij. Hierarchia ſacrarum ordinationum Principatus appellatur* ἱερὸν enim templum vel ſacrum, ἀρχὸς vero Princeps interpretatur. Tres autem Hierarchiæ ſunt. Prima & principalis omnium forma eſt & exemplar aliarum. Ipſa eſt ſumma, & ineffabilis poteſtas Trinitatis: Simplex & vna & vniformis, ſine gradu & comparatione & differentia, perfecta in omni ſuo opere nihil externum ſuſcipiens, nihil ſuum amittens. Secunda eſt in Angelica natura formata à prima, & ſub prima, & ad primam ſecunda ſimilitudine ſublimis trina diuiſione diſtincta, gradum habens, & differentiam ſuſcipiens, & comparatione admittens. Tertia vero in humana natura eſt ordinata, ſecundam primò, & primam ſecundo loco imitans imaginem ſummam, & ſuperexcellentem ſimilitudinem per media participantia ſuſcipiens, ac per id ipſum referens.

Tres principatus quibus regitur mundus.

His ergo tribus ſacris principatibus totus regitur mundus, in quibus eſt ſumma poteſtas, quæ tantum imperat, & infima, cui tantum imperatur, & media, quę imperat inferiori, cui à ſuperiori imperatur Deus, itaque creaturam rationalem poteſtatis ſuæ fecit participem, conſtituens Principatus & Poteſtates ſacras in cœlo, in Angelis, & in terra in hominibus, vt dominentur creaturæ eius. Dignum ſiquidem fuit, vt illa pars operis ſui particeps fieret poteſtatis eius in ſua diſpoſitione: quæ participationem acceperat ſimilitudinis eius in ſua conditione.

De Hierarchia Angelica.

CAP. XLIX.

Dionyſius Areopagita. Hierarchia eſt ſimilitudo & vnitas ad Deum quantum poſſibile eſt, ipſum habens omnis ſanctæ ſcientiæ, & actionis ducem, & ad ipſius diuiniſſimum decorem immutabiliter quidem definiens, quantum vero poſſibile eſt reformat, & ſuos laudatores, diuino ἀγάλματι perficit ſpecula clariſſima & munda, receptiua principalis luminis & diuini radij, & indice quidem ſacræ claritatis repleta, eaque iterum copiosè in ea, quæ ſequuntur declarantia ſecundum diuinas leges. *Idem.* Hierarchia eſt ordo diuinus, & ſcientia, & actio Dei formæ, quantum poſſibile eſt ſimilans, & ad illuminationes ei inditas aſcendens proportionaliter in Dei ſimilitudine.

Author. Hæc tria referuntur ad tres Hierarchias. Scientia ad primam, quia in ea prima tria dona intelliguntur, eo quod ipſa diſcernit & prælegit, & ita diligit. Ordo diuinus, ideſt ordinata Poteſtas ad mediam, quia Principatus & Dominatio & Poteſtas, omnia ſunt nomina ordinis, ſiue Poteſtatis. Actio vero ad tertiam, quia virtutum eſt exercere miraculoſas actiones. Archangeli quoque & Angeli frequentius mittuntur ad agendum circa nos, hæc autem dico non ſecundum ordinem Dionyſij, ſed Gregorij, & aliorum qui ponunt virtutes in tertia Hierarchia. Item aliter ſic definitur. *Hierarchia eſt rerum ſacrarum, & rationabilium ordinata Poteſtas, in ſubditos debitum retinens dominatum.*

Alia definitio Hierarchia.

De Triplici Hierarchia.

CAP. L.

Ioannes Scotus. Eſt autem in ſupernis ſpiritibus Hierarchia trina diuiſione diſtincta: prima ſiquidem Angelica Hierarchia dicitur epiphania, ſecunda hyperphania, vltima hypophania. Epiphania eſt ſuperior manifeſtatio miniſterijs incaleſcentis affectionis, altioris intuitus iudicijque libra, reſultatio diſtributa. Hyperphania eſt media manifeſtatio, ideſt diuina cognitio ſui participes inſigniens ſcalari reuerentia, vſumque eius edocens arceńſque contrarium. Hypophania, ideſt ſubtilior manifeſtatio, diuinum participium, naturæ legibus occurrens, arcana reſerans pro diſcreta capacitate. *Author.* Epiphania dicitur ab epi quod eſt ſupra, & φαίνω apparitio, quia ſupra alias Hierarchias eminet, ideſt apparens, & relucens in conſpectu Dei. Et quia in hac præ cæteris apparet claritas Dei, ideſt potentia, ſapientia, bonitas, ideo etiam dicitur *reſultatio*, quia in ea maximè reſultat Dei claritas. *Diſtributa* dicitur quaſi diuerſis officijs tributa. *Incaleſcentis affectionis* dicitur, quantum ad *Seraphin*, quod interpretatur *ardens, vel incendium. Altioris intuitus*, quantum ad *Cherubin*, quod interpretatur *plenitudo ſcientiæ. Iudicij libra* quantum ad Thronos, in quibus Deus ſedet per eos iudicia ſua diſcernens, & informans. Hyperphania dicitur quaſi media Hierarchia, ſcilicet inter ſuperiorem, & ſuper inferiorem: hyper enim idem eſt quod ſuper. Dicitur autem *ſui participes in ſcalari reuerentia*, propter Principatus: qui bonos homines, & inferiores Angelos, qui ſunt ſui participes, ideſt ſibi ſimiles in gratia docet reuereri, prout decet prælatos ſuos, ſcilicet alios plus, alios minus, ſecundum diuerſos gradus prælationis. *Vſum* dominandi *edocens*, propter Dominationes, quæ docent prælatos qualiter ſubditis debeant dominari. *Arcens contrarium*, propter Poteſtates, quæ arcent à nobis Poteſtates contrarias, ne nos tantum impedire valeant quantum vellent. Hypophania dicitur quaſi ſub alijs conſtituta, hypo enim idem eſt quod ſub. Dicitur autem *naturæ legibus occurrens*, propter virtutes, quarū miniſterium eſt facere miracula, quæ fiunt contra communes leges naturæ. *Secreta reuelans*, propter Archangelos & Angelos, per quos Deus hominibus ſecreta reuelat. *Pro capacitate diſcreta* additur, quia per maiores, ſcilicet Archangelos reuelantur maiora, per Angelos autem minora.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter refulgeat in eis imago Trinitatis.

CAP. LI.

Hierarchia eſt, inquit, ordo diuinus, ſcientia, & actio. Ordo diuinus, ideſt ordinata poteſtas, quæ refertur ad patrem, ſcientia ad filium, actio ad ſpiritum ſanctum: ideo enim & Angeli per tres Hierarchias, & ſingulæ Hierarchiæ per tres ordines diſtinguuntur, vt ſuper cœleſtem Hierarchiam, quæ eſt perſonarum Trinitas non ſolum in eſſentia numeri acceptorum, ſed etiam in numero ſacrato ternario, & in omnibus quantum poſſibile eſt imitari oſtendantur: vnde ſupra dictum eſt, quod Hierarchia eſt ad Deum quantum poſſibile eſt ſimilitudo & vnitas.

Bernardus ad Eugenium lib. 5. Ardent Seraphin, ſed igne diuino. Lucent Cherubin, ſed veritatis participio. Sedent Throni, & iudicant, ſed inſiſtentis beneficio: & ita de alijs. Hæc ergo omnia conceſſit illis ſpiritibus ipſe qui illos condidit ſummus ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. Hæc operatur in illis. Hæc dedit & operari illis. Amantem ſe in his exhibens in alijs cognoſcentem, in alijs alia facientem. Itaq; Deus amat vt charitas, nouit vt veritas, ſedet vt æquitas, dominatur vt maieſtas, regit vt principium, tuetur vt ſalus, operatur vt virtus, reuelatur vt lux, aſſiſtit vt pietas.

AVTHOR. In prima Hierarchia refertur æquitas Throni, vel iudicij ad Patrem, Cognitio veritatis ad Filium, Ardor amoris ad Spiritum ſanctum. Similiter in ſecunda maieſtas Dominationis ad Patrem, rectitudo principandi ad Filium, ſalus in tuendo poteſtatiue ad Spiritum ſanctum. Similiter in vltima operatio virtutis ad Patrem. Reuelatio luminis ad Filium. Miniſterium pietatis ad Spiritum ſanctum. Et ſic relucet veſtigium perſonarum non ſolum in ternario Hierarchiarum, ſed etiam in ternario ordinum cuiuſlibet Hierarchiæ. Nec ſolum in ipſo numero ſacrato, ſcilicet ternario, ſed in his etiam, quæ numeris ſubſunt, ideſt donis à quibus ordines ſinguli denominãtur. Quilibet etiam ordo, immo & quilibet Angelus per ſe gerit imaginem Trinitatis quo ad naturalia, & ſimilitudinem quo ad gratuita. Habet enim in memoria continuationem æternitatis, in quo aſſimilatur Patri, in ratione abundantiam lucis, in quo filio, in voluntate plenitudinem pacis & dilectionis, in quo Spirituiſancto aſſimilatur. Cumque omnes ordines per omnia ſupradicta dona ordinentur ad ſuos ſubditos, ad ſuum ſuperius ordinantur per tria dona præcipua, ſuperioribus ordinibus attributa, quæ ſunt dilectio, cognitio, prælectio. Ad hoc autem, vt Deus diligatur, oportet vt primo cognoſcatur. deinde ex iudicio, vel libra rationis eligatur, & ſic præelectus ſumme diligitur.

Qualiter intelliguntur ex ſimilibus, ac diſſimilibus figuris.

CAP. LII.

Dionyſius in lib. de cœleſti Hierarchia. Impoſſibile eſt autem animo noſtro ad non materialem illam aſcendere cœleſtium Hierarchiarum imitationem, & contemplationem, niſi ea, quæ ſecundum ipſum eſt materiali manuductione vtatur. Viſibiles quidem formas inuiſibilis pulchritudinis imaginationes, vel imagines arbitrans, & ſenſibiles ſuauitates figuras inuiſibilis diſtributionis. Intelligere ſiquidem oportet, nihil eorum, quæ ſunt, eſſe vniuerſaliter boni participatione priuatum. Eſt ergo ex omnibus intelligere ſpeculationes bonas. Quia vero animum noſtrum magis reducunt diſſimiles ſimilitudines, non æſtimo etiam quem ſapientem dicere contrarium, per precioſiores enim ſacras formationes conſequens eſt ſeduci, auriformes quaſdam æſtimantes eſſe cœleſtes Hierarchias, & quaſdam viros fulgureos candida veſtimenta indutas, quod quidem ne paterentur, qui nihil viſibilibus bonis altius intelligunt, ſanctorum Theologorum reſtitutiua ſapientia ad indecoras ſimilitudines mirabiliter deſcendit, non concedens materiale noſtrum in turpibus imaginibus remanens quieſcere. Nam Deum quidem Malachias *ſolem* vocat. Petrus *Luciferum*, ſed & Oſeas pantheram & pardum, Hieremias aquam, Iſaias lapidem, Dauid etiam vermem. Sic omnes Theologi & ſancti Prophetæ à ſanctis & incontaminatis diſtinguunt Sancta ſanctorum: & diſſimilem ſanctam figurationem honorant, vt neque immundis diuina recte accepta ſint, neque mirabilium imaginum ſtudioſi contemplatores, tanquam veris remaneant figuris: diuina itaque honorificant veris negationibus, & ad nouiſſima compactarum imaginationum diuerſis ſimilitudinibus: nihil ergo inconſequens, ſi & cœleſtes eſſentias ex inconuenientibus & diſſimilibus ſimilitudinibus formant. Non enim ex indigentia in anagogen per diligentem diuinorum ſcrutationem veniremus, niſi deformitas nos extorqueret manifeſtatoriè Angelorum formationes, non ſinens animum noſtrum remanere in diſſimilibus formarum facturis, Sed luctantem negare materiales paſſibilitates, & affluescentem pure extendere per viſibilia inſuper mundanas altitudines. Furor quidem in rationabilibus ex paſſibili motu ineſt, & omnis irrationabilitatis repletus eſt furibundus eorum motus. Sed in intellectualibus oportet intelligi alio modo iraſcibile declarans (vt æſtimo) eorum virilem rationabilitatem, & immanem quietem in diuinis, & immutabilibus fundamentis. Eodem quoque modo concupiſcentiam eſſe dicimus in rationabilibus; Inconſultam quandam & materialem ex materiali motu, aut conſuetudine immutabilibus incontinenter ingenitam paſſibilitatem, & irrationabilem corporalis voluptatis continuitatem, ſimul omne animal compellentis in ſecundum ſenſum concupiſcibile. Cum vero diſſimiles ſimilitudines intellectualibus circumponentes concupiſcentiam eis circumformamus amorem diuinum, ipſam intelligere oportet ſuper rationem, & intellectum immaterialitatis exiſtens, & inflexibile: & non indigens deſiderium ſupereſſentialiter caſtæ & impaſſibilis contemplationis. Et ad illam puram ſublimiſſimam claritatem, & inuiſibilem & formificam pulchritudinem æternæ veræ & inuiſibilis ſatietatis. Tu vero, ô puer ſancte Thimothee decenter auſculta, & ſecreto animo, quæ facta ſunt circumtegens, ex immunda multitudine tanquam vniformia cuſtodi.

Malachias vltimo Petr Ep. 2. c. 1. Oſea c. 13. Iſa. c. 28. Pſ. 21. Iere. c. 2.

Concupiſcentiam rationabilibus quidē

De influentia illuminationum à ſuperioribus ad inferiora.

CAP. LIII.

IPſum autem diuinum lumen (vt prædictum eſt) diuina perficit ſpecula clariſſima & munda receptiua principalis luminis. Idque iterum copioſe in ea, quæ ſequuntur declarantia, ſecundum diuinas leges: non enim fas eſt ſanctorum perfectioribus, aut ſanctè perfectis operari aliquid omnino præter propria hoſtiarũ myſteria, aut ſacras ordinationes. Eſt autem vnicuique Hierarchiam ſortientium perfectio ſecundũ propriam analogiam in Dei imitationẽ aſcendere, & omnium diuinius cooperatorem Dei fieri, & diuinam in ſeipſo actionem quantum poſſibile eſt relucentem oſtendere. Ordo Hierarchiæ eſt quoſdam purgari, quoſdam purgare, quoſdam illuminari, quoſdam illuminare, quoſdam perfici, quoſdam perficere. Diuina autem beatitudo pura quidem eſt ſine omni diſſimilitudine, plena æterno lumine, perfecta omni perfectione, purgans, illuminans & perficiens:

omni quidem cauſæ & ſuper omnia bonitatis proprium eſt ad communionem ſuam ea, quæ ſunt vocare, vt vnicuique eorum quæ ſunt ex propria definitur analogia. Exiſtentia igitur omnia, eius eſſe participant. Sancte autem cœleſtium eſſentiarum diſpoſitiones, & ſuper ea, quæ tantum ſunt, & ſuper irrationabiliter viuentia, & ſuper rationabilia, quæ ſumus nos: primo quidem in ſeipſa edunt diuinam illuminationem, & per ſe in nos deferunt, quæ ſupra nos ſunt manifeſtationes. Ideo illi ſpecialiter Angeli nominantur qui hæc faciunt. Siquis autem dixerit ex ipſo increato lumine immediate fuiſſe quibuſdam ſanctorum Theophanias: diſcat ex ſacro eloquio, quia Dei occultum nemo vidit, neque videbit: has itaque diuinas iuſſiones patres glorioſi noſtri perfecerunt per medias cœleſtes virtutes: vnde docet ſapienter Theologia, ſacram legis lectionem per Angelos in nos peruenisſe, tanquam diuino ordine hæc legaliter diſponente, vt per prima, ſecunda in diuinum reducantur. Excellentes quidem ordines habent & inferiorum illuminationes & virtutes, non autem participantes excellentium ſe ſunt vltimi, pulchre igitur prima Hierarchiarum omnibus altior circa Deum immediate collocatur, & primo operantes Theophaniæ & perfectiores in eam tanquam proximam principalius deferuntur.

Cur Angeli non ſint immediate Theophaniæ

A

B

De nominationibus ordinum ſuprema Hierarchia.

CAP. LIIII.

DOminantur autem ſinguli ordines manifeſtatiuo deformium habitudinum ſuarum nomine. Mobile enim ſemper eorum circa diuina & inceſſabile, & calidum, & acutum, & ſuperferuidum intente, & forſitan intime & inflexibilis ſemper motionis, & ſuppoſitorum reductiuè & actiuè exemplatiuum tanquam recaleficans illa, & reſuſcitans in ſimilem caliditatem, & igneum cælitus, & holocauſtè purgatiuum, & incircumuelatum, & inextinguibile, habentemque ſic ſemper luciformem, & illuminatiuam proprietatem omnis tenebroſæ obſcurationis perſecutricem, & manifeſtatricem; Seraphin nominatio docet. Ipſa vero Cherubin cognoſcibile eorum & deiuidum & altiſſimum lumen dationis acceptiuum, & contemplatiuum in prima operatrice virtute diuinæ pulchritudinis, & ſapientificæ traditionis repletum, & communicatiuum copioſè ad ſecunda fuſione donatæ ſapientiæ. Ipſa autem altiſſimarum, & compactarum ſedium, omni diligenter exaltati ignominia ſubiectionis, & ad ſummum ſupermundane ſurſum ferens, & omni extremitate ineffabiliter in ſublimiſſimum, & circa verè excelſum totis virtutibus incommutabiliter, & ſtabiliter collocatum, & diuini ſuperaduentus in omni impaſſibilitate & immaterialiter acceptum, & deiferum. Et familiariter in diuinas ſuſceptiones aptum. Omnis quidem Hierarchia actio diuina dicitur in participationem, & ſacram traditionem purgationis, illuminationis, & perfectionis. Hæ autem excellentiſſimæ eſſentiæ, quæ poſt ſubſtantificam earum diuinitatem collocatæ ſunt, & quaſi in veſtibulis ipſius ordinatæ ſunt. Non per alias ſanctas eſſentias: ſed ab ipſa deitate ſanctificatæ, in ipſam immediate extenduntur omnibus, ſupereminente virtute & ordine. Ab his autem ſuppoſitæ erudiuntur, ſicut hæc ab ipſa deitate. Hæc eſt igitur prima cœleſtium eſſentiarum diſpoſitio in circumitu Dei immediate ſtans, & inceſſanter circumiens æternam eius ſcientiam.

C

D

E

De mobilitate, & acumine dilectionis in Seraphin.

CAP. LV.

HUgo ſuper Hierarchiam. *Mobile inquit ſemper eorum circa diuina, & inceſſabile ac calidum atque acutum & ſuperferuidum, &c.* Dilectionem Angelorum non paruam hic dicere voluit, qui tam multa de ea dixit. *Mobile* quia vita; vnde qui non diligit manet in morte. *Inceſſabile*, quia perpetua: vnde charitas nunquam excidet. *Calidum*, quia amor. *Acutum*, quia ſapientia. Totum hoc vna dilectio eſt. Duo diſcipuli qui audierunt Ieſum, & non cognouerunt in via, mouebantur quidem impatientia dilectionis acti: quia ſi ſtarent non amarent. Ambulabant ergo in mobili amoris, & ardebant in calido: vnde & dixerunt. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis &c.* *Acutum* autem non habebant: quia non cognoſcebant, propter hoc enim audierunt, *ô ſtulti, & tardi corde, &c.* Fuerunt ergo hebetes, & tardi ad cognoſcendum, ſed non tepidi, & pigri ad diligendum: quia tamen prius dilexerunt, poſtea cognouerunt; vt acutum in dilectione eſſet ſicut calidum: ſed prius calidum poſtea acutum: ideo non dixit *calidum, & acutum*, ſed econtrario: ſicut *mobile, & inceſſabile*: vt *mobile* ad inquiſitionem excitet, *Inceſſabile* ad perſeuerantiam confirmet, *calidum* ad ſenſum viuificet. *Acutum* autem penetret ad comprehenſionem. Signat enim acutum impetum quendam amoris, & vehementiam deſiderij ardentis: ferentis ſe in amatum, & intrantis, & pugnãtis, vt ibi ſit vbi ipſum eſt quod amatur: ſcilicet cum ipſo, & in ipſo: non vt ſolum ab ipſo ſit calidum, ſed tranſeat vt acutum in ipſum: poterat enim eſſe calidum, & quaſi de longe calefieri: cui hoc ſatis eſſet ita amare abſentem, & preſentem non videre, vel preſentiſſimum poſſidere, ſed non eſt iſte amor perfectus. Si enim in dilectum non vadis, adhuc foris amas, nec habes acutum dilectionis, ſed hebes & torpens diuiſus manes: & extra aliud, non vnum cum ipſo factus. Conſidera quomodo acutum amoris habeant, de quibus dicitur. *Vbi erat impetus ſpiritus.* Verbi gratia. Sponſa quoque dilecto loquens. *Anima mea liquefacta eſt*, vt dilectus loquutus eſt. Liquidum pro acuto nominatur. Ideo enim quæſiuit illum, quia liquefacta eſt ad ipſum. Alioquin dura ſtaret, & non intraret ad ipſum. Nunc autem liquefacta currere cepit nec ceſſauit donec penetraret, & intraret, ac diceret. *Tenui illum: nec dimiſi, &c.* Non enim ſtatim inuenit donec peruenit: ideo hic quoque neceſſarium erat inceſſabile, vt perſeueraret. Hoc dicendum erat, vt intelligas vim dilectionis quanta eſt, ſi tamen intelligi poteſt: quia ſupereminet ſcientię & intelligentię, plus enim diligitur, quam intelligitur. *Et intrat dilectio, & appropinquat dilectio, vbi ſcientia foris eſt.* Nam dilectio ſemper amplius præſumit, & confidit, & iungit ſe ſine cunctatione, donec ad amatum perueniat, quia liquidum habet & acutum omnia penetrans, nec repelli valens aliqua virtute, vnde *quis nos, ait, ſeparabit à charitate Dei, tribu. an angu. &c.* Ecce dilectio, quia acutum habuit, teneri non potuit, ſed omnia impedimenta tranſiuit, euadens libere, & currens ad deſiderium ſuum.

Luc. vltimo.

Ezech. c. 1.

Cant. 5.

Cant. 3.

Nota de dilectione.

Ad Rom. 8.

De excellentia eorum ſecundum dona.

CAP. LVI.

SI igitur tale eſt *calidum & acutum* dilectionis: quale putas, eſt quod ſequitur *ſuperferuidum*: quod ad incrementum additum eſt prædictarum virtutum, id enim quod feruet, quadam caloris ſui & incendij violentia iactatur extra ſe: & totaliter ſupra ſe. Et facit motionem magnam ex ſubiecta & inuiſibili æſtuatione concepti feruoris. Et non videtur qui intus mouet calor latentis incendij: ſed quod

Dilectio feruida.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mouetur ex eo videtur. Et ex eo quod videtur intelligimus vim magnam eius qui latet. Ecce exemplum feruoris in amore ex calore. Et videmus quod calor ſine tumultuatione ſenſim ad humorem ingreditur, vt ingreſſus illum potenter, & violenter eijciat. Suggerit ſe inuiſibiliter, vt eum manifeſte attollat: quaſi illic eum eſſe nolit: quem tam vehementi velut impetus cuiuſdam indignatione eijcere feſtinat. Mouetur ergo calidum & acutum, deinde promouetur acutum ad ſuperferuidum. Quod enim prius acutum fuit & liquidum in dilectione, obſiſtentia omnia penetrare valens: ſuperferuidum fit iam & bulliens: in ſemetipſo ſtare non valens. Acutum enim amoris eſt: cum omnia tranſeundo deſpicit. Superferuidum autem cum etiam ſemetipſum contemnendo relinquit. Neque enim illud ſolum quod amat appeteret: ſi vel ſeipſum cum illo amaret. Fit ergo miro modo: vt dum per dilectionis igoem in illum ſuſtollitur qui eſt ſupra ſe: per vim amoris incipiat expelli & exire etiam à ſe. Sic intelligimus *mobile: & inceſſabile: & calidum: & acutum: & ſuperferuidum dilectionis.* Sed quomodo hæc aſſignare poterimus in illis ſupercœleſtibus naturis, quibus idem eſt vita quod eſſentia?

De motu eorum diuinam maieſtatem circumeunte.

CAP. LVII.

QVæ ſunt autem illa diuina, circa quæ inceſſabiliter mouentur, & caleſcunt, & acuuntur, & ſuperferuent. Nam qui in circuitu eſt, nondum intrat: quia vel tepet à calido: vel torpet ab acuto. Si ergo acutum habent: quomodo in circuitu ſunt? forte diuina illa ſunt intus omni creaturæ, & ita prorſus ſecreta & latentia: vt ſi etiam contingi poſſent, penetrari non poſſent. Nam & nos quando mundum iſtum viſibilem oculis carnis contingimus, ea quę foris ſunt ipſis percipimus, & ad ea quæ intus latent: penetrare non valemus eodem ſenſu. Et ſi aliquando aperiuntur quædam quæ latuerunt, latent adhuc alia multa, quæ comprehendi non poſſunt, vel immenſitate quia ſenſum excedunt, vel ſubtilitate quia ſenſum effugiunt, vel obſcuritate quia ſenſum ad ſe non admittunt. Ita cogita quia ſenſus mentis rationalis ille quo diuina percipimus, ſi quando ad Deum contingendum admittitur, ea ſolum quæ quaſi foris illi ſunt percipit, & ita quæ intus latent non comprehendit. Ideo autem dixi. Quod illi foris eſt, & non nobis: quia omne quod in Deo eſt ad omnem creaturam intus eſt. Sed tamen ad comparationem eorum quæ omnino comprehendi non poſſunt, illi quodammodo, ſiue in illo foris dicitur, id quod de illo ſecretiſſimæ, & ſubtiliſſimæ intelligentiæ manifeſtatur. Per acutum igitur amoris penetrant ad ipſum, & tamen per incomprehenſibilem maieſtatem ipſius permanent circa ipſum: vt non ad totum ingrediantur: etiam ſi penetrant vſque ad aliquid. Sed & hoc ipſum conſiderare oportet: quia circa ipſum eſſe dicuntur: & non in vna parte aliqua. Ambiunt enim deſiderio, quod intellectu non penetrant: vt non relinquant quicquam inconſideratum ex omnibus, quæ agnoſci poſſunt: ſemper videntes: & ſemper videre ſitientes: *Stabiles* ne recedant: *Mobiles*, vt inceſſanter appetant. *In circuitu:* quia non ad totum, quod eſt intrant. In circuitu, quia omne quod in illo noſcibile eſt per contemplationem luſtrant. Motio igitur illorum ſpirituum ſummæ diuinitati appropinquantium inceſſabilis dicitur: & intenta, & intima, & inflexibilis: quia ſe per amoris deſiderium in Deum tendens, & mobilis ſemper eſt: vt numquam in ſe ſubſiſtit, & intenta, vt in illum pergat, & intima, vt ad exteriora non effluat, & inflexibilis: vt ad alia extra ipſum & præter ipſum non diuertat. Quare ergo non dixit abſolutè intimæ, ſed quaſi dubitans forſan addidit: quia motus creaturæ ad creatorem, quamuis ſecretus, & penetrans, intimus tamen dici non poteſt propriè: quia ab eo eſt, quod illi foris eſt, ad quem eſt. Et cum ad ipſum quod intus eſt contingendum ducitur: via illi vſque ad ipſius intima non aperitur: propter hoc bene ait: forſitan intimæ: quia ſecundum aliquid intimum dici poterat: quod ſecundum omnem modum intimum non erat, poteſt namque intima dici proprietate non comparatione. Intima illi à quo eſt: ſed non illi ad quem eſt.

De effectu eiuſdem circa inferiorum informationem.

CAP. LVIII.

ET ſuppoſitorum reductiuè, & actiuè exemplatiuum. In ſuperiori enumeratione expreſſit virtutem dilectionis in Deum. Nunc aperit eiuſdem dilectionis vim effectumque ad proximum. Motio ergo dilectionis, quæ illic ad ſuperiora, intima, & intenta, & inflexibilis dicitur: hic ad inferiora, & ſuppoſita, reductiuè, & actiuè exemplatiuum nominatur. Motus enim ille qui in ſuperiori eſt contemplatio, & inferiori operatio ad ſuperiora tendit, vt in eis quieſcat: ad inferiora tendit, vt ad ſe reducat. Surſum ergo charitas mouetur, vt ille maneat. Deorſum vt redeat, propterea motio charitatis in ſuperioribus quidem intenta: ad inferiores reductiua, & actiua dicitur. Reductiua in eo, quod illos ad creatorem ſuum eodem igne charitatis ſuccendens conuertit. Actiua vero in eo, quod illos accepta claritate illuſtrans ad ipſius voluntatem apponit. Reductiua eſt igitur ſubiectorum: quia illos ad ſuperiora trahit. Actiua, quia illos in ſuperioribus diſponit. Reductiua, vt in Deum tendat: Actiua, vt ſecundum Deum incedant: huius motionis reductiuè, & actiuè ſubiectorum, id eſt quæ ſubiecta ſunt reducit ad ea, quæ ſunt ſupra ſe, & ad agendum inſtituit in ſe. Exemplatiuum eſt forma illa dilectionis, in qua exemplo ſuperiorũ ſubiectis oſtenditur, quanto affectu charitatis, & ſecundum Deum incedere, & ad ipſum habeant inhiare: Videte ergo, quomodo ſe extendit charitas omnia complecti deſiderans, in illis ſpiritibus beatis, & Deo proximis, quaſi è vicino ardentibus, & feruentibus amplius. Ignis dilectionis ad ſuperiora quidem ducitur: per dilectionem Dei bonum ſuum ſitiens. Mouetur ad inferiora, & ſubiecta participes boni ſui, & ſecum conſortes colligere volens: diligentes ergo formam diligendi ſubiectis tribuunt, & ardentes in ſe alios flamma dilectionis ſuccendunt: propter hoc itaque dilectio illorum exemplum facta eſt ſubiectorum ad ſuperiora tendendi, & ſecundum ſuperiora incedendi tanquam recalefaciens illa ſcilicet ſubiecta. Et reſuſcitans in ſimilem caliditatem: vt ſimiliter ardeant, & ſi non æqualiter. Quòd autem *ait recalefaciens, & reſuſcitans* non ita intelligendum, quaſi prius extincti, & mortui, iterum accendantur, & viuificentur, ſed quod per dilectionem deſuper venientem: ad eadem rurſus, quæ ſurſum ſunt amanda, & appetenda excitantur: per ignem igitur dilectionis, quaſi recalefiunt, & reſuſcitantur: quibus accenſa dilectionis flamma ad illa rurſum amanda reducantur: à quibus prius, & principalius amantibus in ſubiectos amatores oriebatur. Omnia ergo hæc docet cognominatio Seraphin, ſiue manifeſtatio: non enim manifeſtarentur ſi non cognominarentur. Qui enim ſibi ſunt noti contemplatione: nobis innoteſcunt cognominatione. Et ideo quòd ipſis quantum ad vocem cognominatio dicitur, nobis quantum ad vocis interpretationem manifeſtatio appellatur.

De cæteris accidentibus, quæ in nomine Seraphin intelliguntur.

CAP. LIX.

DOcet etiam *igneum calitus, & holocauſtè purgatiuum*, & circumuelarum, & inextinguibile, quod

quod in ipſis eſt prius cælitus, ſiue diuinitus deſcendens in ipſos: deinde ab ipſis, vt ardeant, & ſuccendant, purgentur, & purgent: reuelentur, & reuelent, & docet etiam luciformem, & illuminatiuam eorum proprietatem: habentem ſic ſe, id eſt vno, & eodem modo: ac ſine varietate, & mutabilitate permanentem, & perſecutricem omnis obſcurationis tenebroſæ, vt ad ipſam non accedat, & manifeſtatricem, vt extra ipſam non lateat. Hæc ergo omnia Seraphin cognominatio docet, & hæc omnia in vna dilectione ſunt, & vna dilectio ſunt, quæ ipſis deſuper datur, & per ipſos ad ſubiectos deriuatur: cuius dilectionis triplicem vim illis ſummis ſpiritibus hac enumeratione author diſtinguit: ſupra ipſos, & in ipſis, & ſub ipſis. Supra ipſos mobilem: In ipſis vitalem: Sub ipſis operantem: Super ipſos per deſiderium, in ipſis per ſenſum, ſub ipſis per affectum: ſupra ipſos quærentem, in ipſis ſentientem, ſub ipſis colligentem. Supra ipſos in eo, quòd appetunt, in ipſis in eo, quod ſentiunt, ſub ipſis pro his quos ad id quod ſentiunt ad ſe, & ad id quod appetunt ſupra ſe, ſecum trahunt, propter huiuſmodi mirabiles operationes dilectionis tam multa de illa dicit. Nam adhuc ſequuntur alia mira neſcio an mirabilia. *Ignem inquit cælitus, & holocauſtè purgatiuum.* Duo notanda ſunt, quia igneum nominauit, & id ipſum cælitus. Nam & igneum aliud eſt à terra: ſed non eſt, ſimile illi, quod igneum cælitus eſt, vrit enim & conſumit, & vaſtat, & deſtruit. Nec ſocietas illi poteſt eſſe cum alio: qui enim illi approximant lęduntur, & ſi omnino ad illud contingunt iam conſumi incipiunt. Quod vero cælitus igneum eſt: ſuauiter ardet, & accendit quidem: ſed non conſumit, & ſi accendit, non tamen ad læſionem ſed ad purgationem: hoc enim conſumit, quod læderet ſi conſumptum non eſſet: propterea *poſt igneum cælitus*, ſequitur *purgatiuum holocauſtè:* quia ipſum igneum purgat, & totum purgat, & ex toto purgat: non ſolum à corruptione mali: ſed à defectu boni. Quędam enim fuerant, quæ corruptionem mali contraxerant: quædam quæ participationem boni nondum percepe-

Ignis cæleſtis & terreſtris diſcrimen.

rant, & erant vtraque purganda: alia à corruptione: alia ab imperfectione. Quæ in terra erant purganda, purganda erant à corruptione, quæ autem in cœlo purganda, purganda erant ab imperfectione. Illa quia in prima conditione non erant perfecta, iſta quia erant poſt primam conditionem corrupta. Illa purgata ſunt ab imperfectione, quando in glorificatione ſunt conſummata, iſta vero purgata ſunt à corruptione, quando à peccato ſunt liberata. Illorum ergo purgatio non erat mala emundatio, quod non habebant: ſed boni conſummatio, quod minus habebant. Iſtorum autem purgatio erat prius emundatio: poſtea conſummatio. Talem ergo purgationem in iſta ſpirituali cœleſtiq; natura intelligimus. Sed ſi quis in illis purgationem intelligat: non quæ inerat corruptionis: quia ſemper mundi erant: ſed perfectæ munditiæ, cui nihil corruptionis ineſſe poterat, & hoc conuenienter intelliget. Illud ergo *ignem cælitus*: quo inflammantur, vt ardeant, & purgantur vel ab imperfectione ad conſummationem: vel ad munditiam plenam, contra corruptionem omnem: *holocauſtè purgatiuum eſt:* quia in toto purgat, & totum purgat: ne vel aliqua inſit corruptio: vel aliqua deſit perfectio: holocauſtum eſt enim quod totum incenditur, & totum crematur.

Duplex purgatio.

Qualiter Seraphin caput, & pedes domini velare dicuntur.

CAP. LX.

Bernardus Clareuallenſis. Seraphin ſtantes, & domino maieſtatis aſtantes: eius caput, ideſt eius altitudinem duabus alis velant. Admiratione ſcilicet in qua fæliciter delectantur, & veneratione in qua ſublimiter gloriantur. Pedes etiam celant ala gemina: fidelitate ſcilicet atque prudentia. Nam per pedes illius intelligimus inueſtigabiles vias, & profundum ſapientiæ eius. Ad quos etiam pertinet myſterium incarnationis, & omnis naturæ ſalutis operatio. Cum ergo Seraphin, & miniſtri pariter, & fideles ſint, & prudentes: ſic diuina negotia gerunt: electorum ſaluti proficiunt, vt malignus ille non poſſit omnino deprehendere. hinc, & neſciens dominum gloriæ crucifigi fecit. Et quotidie ſalutis naturæ negocijs ignorans ſeruit. Porro duabus alis velant, ſcilicet naturæ perſpicacia, & gratiæ efficacia. Quid aurem ęſtimari vetat deiecto lucifero ad peruigiles excubias conſtitutos Seraphin, ſicut homine deiecto poſuit Deus ad cuſtodiam Cherubin. Nec incongrue fortſitan Cherubin flammeus gladius traditur, vt à ligno vitæ inciſio pariter, & incenſio: quibus nihil carni terribilius manum prohibeat corporalem. Seraphin, quoque tantum alas accipiunt: quarum velamine oculum arceant ſpiritalem. Itaque duabus alis caput, duabus pedes velabant Dei, vt nec alta nec profunda eius iniquus ille valeat contemplari. Erit autem cum reuelabitur gloria domini, ſed prius tolletur impius ne videat gloriam Dei. Item ſanè caput, & pedes velantur, vt medium aliquid eidem impio ad videndum, ſed & ad inuidendum vtique relinquatur: Cęterum è ſupernis ille nequiſſimus admirationem habuit ſed non venerationem, E medijs quoque ſpiritualem intellectum ei natura dedit ſed non etiam affectum gratia tribuit. Itaque ſuperbus ille Lucifer, lucem pręferens: non ignem habens: alteri tantum innixus alæ caſum facere potuit non volatum. Exultauit enim lucidus eſſe non feruidus non incenſus quod ſonat Seraphin, non ergo ſterit, quia contempſit ſed nec volare potuit quod præſumpſit. Sic nihilominus ex infimis alis plane fidelitatis expers fuit, ſed prudentia non caruit, ſed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, fortè etiam eo ipſo tam irreuocabilis caſus eius fuit, quod ex his quas diximus alis ſicut in parte dextra nulla affuerit ſic in læua nulla defuerit. Sanè Seraphin caput, & pedes velantes quaſi quandam longitudinem nudam viſibilemque relinquunt: longanimitatem ſcilicet & benignitatem Dei ad pœnitentiam inuitantis, & ſolem ſuum ſuper bonos, & malos oriri facientis. Hac nimirum charitate verus ille Salomon, quaſi quędam media ſua conſtrauit propter filias Hieruſalem: vt quibus alriora ſe quærere, & profunda inueſtigare non licet: ſaltem in medijs valeant exercere. Et exinde ad ſublimium ſubtiliumque rerum contemplationem mereantur aliquando promoueri. Cæterum ille nequiſſimus ex hac viſione, & in præſenti torquetur acrius: & in futuro cruciabitur grauius. Primum quidem quod ipſam nobis longanimitatem benignitatis inuideat. Deinde quod nequaquam ſibijpſi hac ſaltem occaſione prouideat: vt ad pœnitentiam adducatur.

De ratione nominis Cherubin.

CAP. LXI.

Hugo vbi ſupra. Poſtquam vero primi, & ſupremi ordinis ſcilicet Seraphin applicationis rationem Hoc modo Theologus dedit, Mox quoque de ſequentis ordinis ſcilicet Cherubin cognominatione rationem reddidit dicens. Ipſa vero *cognominatio, ſiue manifeſtatio Cherubin docet cognoſcibile eorum, & deiuidum: in eo, quod Cherubin: qui interpretatur plenitudo ſcientia cognominatur, docetur, & ſignificatur cognoſcibile eorum*, ideſt cognitio, ſiue ſcientia, & deiuidum, id eſt viſio Dei, quę eſt in eis: quia per lumen ſapientiæ inditum ſibi maieſtatem Creatoris ſui clarè contemplantur. Et etiam ſignificatur acceptiuum altiſſimæ donationis luminum, id eſt quod lumina diuinitus data, altiſſima, & perfectiſſime acceperunt. Sic enim illuminantur: vt eum videant, & cognoſcant, à

Cherubin quid ſignificat.

quo

quo illuminantur: multi illuminantur: vt cætera videant, & ipſum per quem vident non videant. Sed non eſt magnum opus videre, ſi artificem ignoras. Docet etiam contemplationem diuinæ pulchritudinis in prima operatrice virtute: in eo videlicet, quod Cherubin, id eſt pleni ſcientia dicuntur: oſtenditurque quod per lumen datæ ſapientiæ diuinam pulchritudinem contemplantur: & hoc *in prima operatrice virtute*, vt ſcilicet primo, & principaliter illuminati à Deo cęteros poſt ſe illuminent: diuina enim virtus primo, & principaliter, & per ſe operatur in eos, qui proximi ſunt: deinde per eos in alios qui ſubſequuntur. Docet etiam repletum ſapientificæ traditionis, id eſt eos replętos diuina gratia: quæ gratia ſapientifica traditione creatoris alijs plus, alijs minus in participatione diſtribuitur. Mira ergo excellentia eorum oſtenditur: qui illius boni, quod ſapientia creatoris ad pulchritudinem vniuerſorum diſſimiliter traditum eſt, non partem ſed plenitudinem habere prædicantur.

De Nominatione Thronorum.

CAP. LXII.

Throni.

HUgo *vbi ſupra. Ipſa autem inquit altiſſimarum, & compactarum ſedium, &c.* quaſi dicat: ſicut Seraphin, cognominatio, ardorem dilectionis, & cognominatio Cherubin, claritatem cognitionis, ita cognominatio Thronorum, celſitudinem deſignat dignitatis: pro eo, quòd inuiſibilis conditor, in ipſis ſedens per eos ſubiecta omnia iudicando diſponit. Thronos namque regnantium, & iudicantium ſedes eſſe manifeſtum eſt. Et ad regnantem quidem ſublimitas: ad iudicantem veritas pertinet. Et ideo ipſos Thronos merito *altiſſimas ſedes* nominauit: quia in eis regnans, ſuperiorem non habet. Et *compactas:* quia in eis iudicans à veritate non diſſidet. Quid eſt compactum? apte, & conuenienter coniunctum. Videte iuncturam ſedium Dei, quæ nihil aliud eſt: quàm conuenientia iudiciorum Dei. Omne indicium ex alio aliud infert. Ex culpa pœnam, ex iuſtitia gloriam: ex merito præmium, ex qualitate operis qualitatem retributionis. Compactio ergo Sedium, veritas eſt iudiciorum. Docet etiam eadem cognominatio ipſos Thronos exaltari diligenter, ideſt, perfecte ab omni ignominia ſubiectionis. Nam quanto perfectius præſidenti Deo ſubiecti ſunt: tanto verius per ipſum, & in ipſo ſupra cætera omnia ſublimari meruerunt.

Docet iterum hoc, *ſcilicet omni extremitate ineffabiliter in ſublimiſſimum, &c.* vbi enim maieſtas eſt, ibi Thronus eſt. Et quàm longè hæc eſt ab omni extremitate, quis dicere pōteſt. Quid eſt extremitas finis: vbi finis eſt extremitas eſt. Finis in ſummo, finis in imò. In vtroque creatura finem habet. Finis in imo eſt, vbi ceſſat defectus: ne in nihilum eat, quod aliquid eſt. Finis in ſummo, vbi ſiſtit profectus ne vltra menſuram ſe extendat, quod magnum eſt. Quantum ergo infima ſuperant, qui ineffabiliter ſumma tranſcendunt.

Docet etiam *acceptiuum diuini ſuper aduentus*, ideſt, quòd diuinitatem deſuper eis aduenientem accipiunt in omni immaterialitate, & impaſſibilitate, ideſt immaterialiter, & impaſſibiliter: qui enim ad occultæ diuinitatis notitiam per ſtudium, & laborem proficiunt, iſti domini aduentum paſſibiliter accipiunt. Rurſum quibus occulta diuinitas per figuras cognoſcendam ſe ingerit: ad ipſos quodammodo materialiter venit: illi autem non ſic eam recipiunt: ſed purè, & incorruptè. Docet etiam Deiferum iſtorum, id eſt, quòd Deum ſibi præſidentem ferunt: & familiariter *in diuinas ſuſceptiones aptum*, id eſt, quòd familiariter, & obedienter ſe aperiunt, & voluntariè coaptant: vt ipſum Deum aduenientem in ſe ſuſcipiant: quatenus diuinæ operationi voluntas ſubiecta reſpondeat, & miniſterium ſacrum non neceſſitudinis, ſed dilectionis eſſe comprobetur.

De nominationibus ordinum mediæ Hierarchiæ.

CAP. LXIII.

Dominationes.

DIonyſius *vbi ſupra.* Sanctarum autem dominationum manifeſtatiuam denominationem æſtimo declarare abſolutam quandam, & omni pedeſtri minoratione liberam, anagogen: nullaque tyrannicarum diſſimilitudinum vllo modo vniuerſaliter eam inclinatam, liberaliter ſeueram dominationem: omni minutiuæ ſeruituti ſuperpoſitam, ſuperiorem omni ſubiectione, & remotam ab omni vniuerſa diſſimilitudine: & dominationis inceſſanter appetentem, & ad ipſius naturaliter ſubſiſtentis virtutis ſimilitudinem quantum poſſibile, & ſe ipſam & quæ poſt eam optimè, & ſpeciosè confirmantem.

Virtutes.

Ipſam vero ſanctarum virtutum, fortem quandam & incommutabilem virilitatem in omnes ſecundum earum deiformitatem operationes ad nullam ſuſceptionem diuinarum illuminationum ei inditarum imbecilliter infirmatam, potenter in imitationem Dei reductam, non relinquentem ſuimet imbecillitate Deiformem motum ſed firmiter ferentem in ſupereſſentialem, & potentificam virtutem: & ipſius imaginem, virtuti ſimilem iuxta quod licet factam, & ad ipſam quidem, vt principalem virtutem potenter conuerſam. Ad ſecundam vero virtutem deiformiter prouenientem.

Poteſtates.

Ipſam autem ſanctarum poteſtatum æquipotentem, diuinarum dominationum, & virtutum bene ornatam: & inconfuſam circa diuinas ſuſceptiones ordinationem, & ordinatum ſuper mundanæ, & intellectualis poteſtatis, non tyrannicè in ea, quæ inferiora ſunt poteſtatiuis virtutibus præcipitatæ, ſed potenter in diuina poſt bene ordinatas reductæ, Et poſt eam deiformiter reducentis, ad potentificam cauſalem potentiam, quantum fas eſt aſſimilatæ, Et eam vt poſſibile Angelis reuelantis in bene ornatis per ipſam ordinibus poteſtatiua virtute.

Hæc autem Hierarchia media per primam purgatur, illuminatur, & perficitur. Inuenies etiam hoc multotiens à Theologis expreſſum. Appropinquante enim termino captiuitatis Hieruſalem: vidit Zacharias vnum primorum (vt æſtimo) Angelorum: qui circa Deum ſtant: ab ipſo Deo diſcentem de hoc verba conſolatoria; Alterum vero ſubiectorum Angelorum in occurſum primi venientem tanquam à ſummo Sacerdote eruditum, & de hoc docere Theologum conuerſum: quoniam fructuosè *à multitudine hominum habitabitur Hieruſalem, &c.* Similiter in viſione Ezechielis: Angelos qui ſecures habebant: diuina ordinatio imperat à priore doceri de hoc iudicium diuinum dans ei *ſigna T.* Alijs autem exire poſt eum, &c. Alibi etiam dicitur *Gabriel fac iſtum intelligere viſionem.* Et alibi. Ingredere in medio rotarum, &c.

Zach. 2.

Ezech. 8.

Dan. 8.

De nominationibus ordinum inferioris Hierarchiæ.

CAP. LXIIII.

Principatus

IPſa vero Cœleſtium Principum nominatio manifeſtat illud deiformiter principale, & ductiuum cum ordine ſacro: & principalius, & decentiſſimis virtutibus, & ad ſuper principale principium eas vniuerſaliter conuerti: & alias Hierarchicè ducere ad ipſum principium quantum poſſibile formari Principificum principium: manifeſtareque ſuper eſſentialem eius ordinationem ornatumque principalium virtutum. Archangelorum autem ordo medius eſt inter principatus, & Angelos. Et vtriſque communicat: principatibus quidem, quia ad ſupereſſentiale

Archangels.

principium principaliter conuertitur, & ad ipſum vt poſſibile eſt reformatur. Angelis vero, quia diuinas illuminationes Hierarchicè per primas virtutes ſuſcipiens, & eas Angelis deiformiter annuncians: & per Angelos nobis manifeſtans. Angeli autem in cœleſtibus eſſentijs habent Angelicã proprietatẽ: & aptius quàm priores apud nos Angeli vocantur. His tribus ordinibus tertia Hierarchia conſummatur. Non eſt enim Hierarchia niſi habeat primas, medias, & vltimas virtutes. Sicut autem primam mediæ præeſſe diximus, ita & hanc tertiam ſecundæ ſubeſſe dicimus, & humanis Hierarchijs per conſequentia præcipere, vt ſit per ordinem ad Deum aſcenſus: & conuerſio, & communicatio, & vnitas. Inde Theologia noſtra Hierarchiam Angelis diſtribuit, Principem populi Iudæorum Michaelem nominans, & alios gentium diuerſos. Satuit enim Deus terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei, vnuſquiſque etiam, & cœleſtis, & humanus animus ſecundum ſeipſum ſpiritales habet, & primas, & medias, & vltimas ordinationes, & virtutes, & proprias anagogas proportionaliter manifeſtas: omneſque diuini intellectus ſecundum ſe ſuper mundana ratione in tria diuiduntur ſcilicet in eſſentiam, virtutem, & operationem: ideo omnes communi nomine, aliquando cœleſtes eſſentiæ aliquando virtutes nominantur.

Angels.

De Miſſione ſanctorum Angelorum.

CAP. LXV.

Cap. 2. *Apoſtolus ad Hebr. Omnes autem ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi in miniſterium propter illos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Greg. in homil. Euang. 34.* Angelorum vocabulum nomen eſt officij, non naturæ. Nam illi cœleſtes Spiritus ſemper quidem ſunt Spiritus, ſed tunc ſolum ſunt Angeli, cum per eos aliqua nunciantur. Vnde per Pſalmiſtam dicitur: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, &c.* Ea autem agmina quæ præeminent, exterioris vſum officij nequaquam habent. Hoc autem certiſſimè ſcimus quia ad explendum de ſupernis miniſterium, alij Spiritus alios, ſcilicet maiores minores mittunt. Dum enim in Zacharia Angelus ad Angelum dicit: *Curre, loquere, &c.* Dubium non eſt, quin alius alium mittit, hoc quoque de ipſis agminibus, quæ mittuntur certum tenemus, quia cum ad nos veniunt, ſic exterius implent miniſterium, vt tamen non deſint interius per contemplationem. Mittuntur igitur, & aſſiſtunt, quia vt Spiritus Angelicus circumſcriptus eſt, ſummus tamen Spiritus, qui Deus eſt, circumſcriptus non eſt. Angeli itaque etiam miſſi ante ipſum ſunt: quia quolibet miſſi veniunt, intra ipſum currunt. Author. Ideſt intra eius immenſitatem, quæ vbique eſt; Cum ergo dicitur in Daniele *Millia millium miniſtrabant ei, &c.* non diſtinguuntur Angeli, ſed actus eorum, quia ijdem aſſiſtunt, qui & miniſtrant. Dicunt tamen quidam quod ſuperiores ordines numquam mittuntur, dicuntur tamen omnes mitti quia tres ſuperiores tribus medijs Dei voluntatem intimant, & declarant, de cura, & gubernatione hominum. Medij ad inferiores & inferiores ad homines mittuntur, ſicut in Eccleſia militante Papa intimat voluntatem ſuam epiſcopis, & ipſi preſbyteris, preſbyteri populis. *In Iſaia autem vbi Seraphin* ad eum miſſus legitur: dicunt Seraphin non eſſe ibi nomen ordinis ſed officij Alij vero omnes Angelos mitti aſſerunt, ſcilicet ſuperiores, & inferiores. Quòd autem dicit Gregorius in verbis Dionyſij, *ea quæ præeminent, &c.* opinio eſt Dionyſij non aſſertio Greg. Poteſt tamen intelligi, ea quæ præeminent &c. Non quia aliquando non mittant, ſed quia rariſſimè ad exteriora prodeant: vel quia eorum officia, quæ circa nos exercent, non ſunt exteriora ſed interiora, Seraphin enim facit nos intus ardere: Cherubin intus lucere. Throni vero docent nos iudicare. Nec mirandum ſi etiam Angeli de ſuperiori Hierarchia in tantum humilientur: vt ad homines mittantur. Cum etiam de ſumma Hierarchia, ideſt de tribus perſonis miſſus ſit filius ad nos, & etiam Spiritus ſanctus. Tribus autem de cauſis vult eos mitti ad nos, & miniſtrare nobis ſcilicet propter mutuum amorem hominis & Angeli, & vt homo cognoſcat dignitatẽ ſuam, & diſcat ſanctam ſuperbiam. Vnde eſt illud: *videte ne contemnatis, &c.*

Pſal. 103.

Cap. 7. Danielis.

Iſa. c 6.

De Miniſterio eorum.

CAP. LXVI.

Beda ſuper Apoc. lib. 2. Duplex eſt autem (vt ait Hieron.) Angelorum officium. Aliorum ſcilicet qui præmia iuſtis tribuunt, aliorum qui in ſingulis cruciatibus præſunt. Vnde ſcriptum eſt: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos flammam ignis. Greg. in moralibus lib. 17.* De his autem Dei miniſtris in lib. Iob ſcriptum eſt. *Numquid eſt numerus militum eius.* In hominum quippe cognitione militum eius numerus non eſt: quia quantus ſit inuiſibilis exercitus ille ſuperiorum ſpirituum, ab homine comprehendi non poteſt. De quo etiam per Danielem dicitur, *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* In quo numerus eorum & definitus, & infinitus exprimitur, vt quæ Deo numerabilis eſt, eſſe nobis innumerabilis demonſtretur. Qui rectè *Dei milites* dicuntur: quia contra poteſtates aereas certare perhibentur, quod tamen non labore ſed Imperio peragunt: quia quicquid circa illas appetunt ex adiutorio Dei poſſunt. *Iſidorus de ſummo bono.* Quoties itaque Deus quocumque flagello huic mundo iraſcitur, ad miniſterium vindictæ apoſtatæ Angeli mittuntur: qui tamen diuina poteſtate coercentur, ne tantum noceant quantum cupiunt; boni autem ad miniſterium ſalutis humanæ deputati ſunt, vt curas adminiſtrent mundi, & regant omnia iuſſu Dei. *Auguſt. ſuper Gen. lib. 5.* Non ſanè propter inferiorum ſcientiam nuncijs indiget Deus, quaſi per eos fiat ſcientior. Sed habet nuncios propter nos, & propter ipſos, qui hoc modo Deo parere, & aſſiſtere dicuntur, vt eum de inferioribus conſultent, & vſque ad ſuperius præceptis obtemperent, bonum eſt eis in ordine propriæ naturæ, & ſubſtantiæ. *Ioannes Damaſcenus, lib. 2.* Parati igitur ad Dei voluntatis expletionem, confeſtim inueniuntur vbicumque diuinus iuſſerit nutus velocitate naturæ, & cuſtodientes partes terræ, & gentibus, & locis præſidentes ſicut à conditore ordinati ſunt ea quæ ſunt ſecundum nos diſpenſantes, & auxiliantes nobis; Transfigurantur autem ad quodcumque iuſſerit dominator Deus, & ita hominibus ſemper apparent, & reuelant eis diuina myſteria. In cœlo conuerſantur, & vnum opus habent hymnis laudare Deum, & miniſtrare Diuinæ eius voluntati.

Pſal. 103.

Iob cap. 25.

Dan. c. 7.

De motibus ipſorum.

CAP. LXVII.

Auguſtinus de Trinitate lib. 3. In ſuperna ſiquidem & cœleſti patria voluntas Dei quæ facit Angelos ſuos Spiritus, &c. In ſpiritibus ſumma pace copulatis: & in vnam voluntatem quodam charitatis igne conflatis: tanquam in ſecreta ſede præſidet, & inde ſe quibuſdam ordinatiſſimis creaturæ motibus primo ſpiritalibus deinde corporalibus per cuncta diffundit, & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ. Et quemadmodum craſſiora corpora, & inferiora per ſubtiliora, & ſuperiora reguntur quodam ordine: ita omnia corpora per Spiritum vitæ & Spiritus vitæ irrationalis per Spiritum vitæ rationalẽ, pium & iuſtum, & ille per ipſum Deum, & ſic vniuerſa creatura per creatorem ſuum.

Iſidor. in lib. Etym. 7 Angelis ideo pictorum licentia pennas facit: vt celerem eorum in cuncta diſcurſum

Cur Angeli pennati pinguntur.

ſum ſignificet, ſicut, & iuxta poetarum fabulas venti pennas habere dicuntur propter eorum velocitatem. Vnde ſcriptum eſt: *Qui volauit ſuper pennas ventorum. Dionyſius in lib. de Cœleſti Hierarchia.* Virtutes quidem cœleſtes dicimus, & ſurſum conuerſibiliter extendi, & erga ſemetipſas firmiter conuolui, proprianum exiſtentes cuſtodes virtutum, & erga venientia ſociali proceſſione in participatione virtutis prouidas adeſſe.

Auguſt. ſuper Gen. lib. 8. Angeli porro æternitatis, & veritatis, & voluntatis Dei participes mouentur eius Imperio, etiam temporaliter, illo non temporaliter moto, ſimulque illum ſine tempore, & loco contemplantur, & eius in inferioribus iuſſa perficiunt, mouentes ſe per tempus, corpus autem per tempus, & locum, quantum eorum congruit actioni, vt Deus eo motu naturas quas intrinſecus conſtituit, etiam extrinſecus adminiſtret per voluntates ſibi ſubiectas, quas per tempus mouet, & corpora ſibi & voluntatibus ſubdita quæ per tempus, & locum, cuius ratio in ipſo Deo vna eſt ſine tempore, & loco.

Idem de eodem in 9. Cum autem omnipotens piè vniuerſam creaturam ſuam, bipertito opere prouidentiæ; & in voluntarijs, & in naturalibus motibus adminiſtret, creare naturam tam nullus Angelus poteſt, quàm nec ſeipſum: voluntas tamen Angelica obedienter Deo ſubdita, naturalibus motibus de rebus ſubiectis tanquam materiem miniſtrare (vt ſecundum illas principales in verbo Dei rationes non creatas, vel ſecundum illas in primis, ſex dierum operibus, cauſaliter creatas rationes, aliquid in tempore cauſetur more agricolandi vel medendi) poteſt.

De Angelis prouincialibus, & altercationibus eorum.

CAP. LXVIII.

Petrus in itinerario. Eſt autem vniuſcuiuſque gentis Angelus: cui credita eſt à Deo gentis ipſius diſpenſatio. *Orige. ſuper Lucam in hom. 12.* Quomodo per ſingulos homines bini ſunt Angeli, ſic opinor, & in ſingulis diſpares eſſe prouincijs, vt ſint & boni, & mali. *Ex lib. Deut. 32. cap. ſecundum tranſlationem 70. Statuit inquit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei. Greg. 17. moral.* Poteſtas inquit, & terror apud eum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. Multa ſibimet inferius diſſident, & internæ pacis cauſa agitur, vt ea ſæpe quæ ſunt exterius, ſine pace diſponantur. Nam bonos omnipotens Deus ad meritum prouehit: cum contra eos male ſęuire permittit, & inde ſuos electos ſuis Angelis ſociat, vnde in infimis reproborum mores ſuis nutibus aduerſantes portat. Sed notandum, ſi pax in ſublimibus ſumma tenetur, quid eſt quod per Angelum Danieli dicitur? *Ego veni propter ſermones tuos, Princeps autem Regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus, Et ecce Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium mihi:* & paulo poſt, *Nunc reuertar, vt prælier aduerſus Principes Perſarum, Cum enim egrederetur, apparuit Princeps Græcorum aduenies.* Quos itaque alios *Principes gentium,* niſi Angelos appellabat, qui ſibi reſiſtere exeunti potuiſſent? Quæ ergo pax in ſublimibus eſſe poteſt, ſi inter ipſos quoque Angelos præliandi certamen agitur, qui ſemper in conſpectu veritatis aſſiſtunt? Sed quia certa Angelorum miniſteria diſpenſandis ſingulis gentibus ſunt prælata, cum ſubiecti aduerſum ſe inuicem præpoſitorum ſpirituum opem merentur, ipſi qui præſunt Spiritus, contra ſe venire referuntur, qui nequaquam pro ſubiectis iniuſtè agentibus decertant: ſed eorum facta iuſtè iudicantes examinant. Cumque vnius gentis vel culpa vel iuſtitia ad ſuperna Curiæ concilium ducitur, eiuſdem gentis præpoſitus, vel obtinuiſſe in certamine, vel non obtinuiſſe perhibetur. Quorum tamen omnium vna victoria eſt, ſui ſuper ſe opificis voluntas ſumma, quam dum ſemper aſpiciunt; quod obtinere non valent, numquam volunt, ſed quaſi contra ſe veniunt, cum ſubiectarum ſibi gentium viciſſim merita contradicunt.

Dan. 10. — Pralium Angelorum.

De proprijs Angelorum nominibus.

CAP. LXIX.

Petrus Lombardus. Qui omnes Angelos mitti dicunt: putant Michaelẽ, Gabrielem, Raphaelẽ de ſuperiori ordine fuiſſe. *Gregor. in homil. vbi ſupra.* Cum Angeli ad nos aliquid adminiſtraturi veniunt, apud nos, & nomina à miniſterijs trahunt; Michael namque (quis vt Deus) dicitur, quia quoties miræ virtutis aliquid agitur, hic mitti perhibetur. Gabriel ad Mariam mittitur, qui Dei fortitudo nominatur. Illum namque nunciat, qui ad debellandas aereas poteſtates humilis apparuit. Ad hoc quoque miniſterium ſummum Angelum venire dignum fuit, qui ſummum Deum nunciabat. Raphael quoque medicina Dei dicitur, quia qui ad curandum mittitur, dignum fuit, vt medicina vocaretur Dei. Hæc tria nomina ſunt propria quorundam Angelorum: licet interpretationes communes. Nam quodlibet prædictorum trium ſcilicet facere ea quibus admirandus eſt Deus, & nunciare ea ex quibus inſinuatur fortitudo Dei, & contra infirmitates miraculosè remedia operari, non eſt vnius tantum Angeli, ſed plurimorum. Sed tres Angeli, qui in his tribus excedunt: prædicta tria vocabula ſortiti ſunt. Quatuor autem ſpecialiter attribuuntur Michaeli, ſcilicet quod pugnat cum dracone, ideſt cum diabolo. Quòd venit in adiutorium populo Dei; Quòd animas defert in Paradiſum; Quòd eſt præpoſitus Paradiſi, ideſt militantis Eccleſiæ: Qui enim ante aduentum Domini *Princeps erat Synagogæ* (vt in Daniele legitur) à tempore Paſſionis dominicæ: relictis Iudæis factus eſt Princeps Eccleſiæ, vnde & audita eſt illa vox Angelorum in templo: Tranſeamus ab his ſedibus. Ideoque dicitur *venire in adiutorium*, non alicuius ſingulariter, ſicut cæteri Angeli ſinguli in adiutorium ſingulorum, quibus præſunt, vel quos cuſtodiunt, ſed totius populi Chriſtiani, qui eſt populus Deus, & eliminat Diabolum ab vniuerſali Eccleſia, non ſingulariter à qualibet anima, quod eſt Angelorum ſexti ordinis, ideſt poteſtatum.

Quatuor attributa Michaelis. Dan. 10. Dan. 10. — Poteſtatum proprium.

Quòd vnicuique homini aſſiſtunt duo Angeli.

CAP. LXX.

Origenes ſuper Lucam homil. 12. Vnicuique aſſiſtunt duo Angeli. Vnus iuſtitiæ, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde noſtro fuerint, & in anima iuſtitia pullulauerit, haud dubium quin nobis loquatur Angelus Domini. Si malæ: Angelus Diaboli. *Ioannes Chryſoſt. ſuper 10. Matth. Reliquit ait eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Præcipiente domino Angeli ab eo receſſerunt: vt locus daretur diabolo, ne fortè videns Angelos circa eum, non appropinquaret ad ipſum, ſic etiam inuiſibiliter fit omni populo Chriſtiano. Duo enim ſunt Angeli permanentes in hominibus, bonus, & malus. Et plerumque ſecundum diſpoſitionem Dei aliquantulum recedit Angelus bonus, imò non recedit, ſed abſcondit ſe, inuiſibilem ſe reddens, quia niſi voluerit non videtur ab eo, ſubtrahit ergo ſe, vt det ei licentiam tentandi, & ſtans expectat tentationis euentum: quando ergo alicuius rei malæ concupiſcentia ſuper cor tuum deſcendit, diabolus eſt in corde tuo. loquẽs, te tentat & compellit, qui ſi permanſeris, & eum in corde tuo confregeris, cum te ſuperare non poterit, diſcedit: quando ergo recedente concupiſcentia incipit exultare cor tuum, quia euaſiſti impetum mali, & quaſi quidam ſpiritus in te tacente lętatur, & gratias agit Deo, cognoſce, quia receſſit à te Diabolus,

Matth. 4.

bolus, & post tentationis victoriam accessit Angelus, & ministrat tibi: & illic in te loquitur, & gaudium operatur. *Idem in sermone de ascensione.* Quoniam ergo rabida mente Dæmones ad pacis euersionem vbique versantur, ad tutelam nostram Deus constituit exercitus Angelorum, vt eorum præsentia, & Dæmonum cõfringatur audacia, & nobis ministretur pacis gratia.

De collatione numeri Angelorum, & hominum quibus sunt deputati.

CAP. LXXI.

Petrus Lombardus. Gregorius quoque dicit, quod vnusquisque vnum bonum Angelum habet ad custodiam sibi deputatum, & alterum malum ad exercitium. Ille concitat eum ad malum, iste ad bonum. Sed cum tot sint electi, quot & Angeli boni: plures esse constat omnes simul bonos, & malos homines quam sint boni Angeli: boni plures sunt quam mali: pluresque sunt homines mali quam boni, non est ambiguum plures esse bonos homines quam sint Angeli mali. Et plures esse malos homines quam sint mali Angeli vel boni Angeli. Ideoque dici oportet vnum eundemque Angelum bonum vel malum pluribus hominibus deputari ad custodiam vel exercitium siue eodem tempore siue diuersis temporibus. Licet enim maior sit numerus hominum computatis in vnum omnibus, qui fuerunt, & sunt, & futuri sunt quam Angelorum, tamen, quia homines decedentibus hominibus succedunt ideoque nunquam in hac vita simul sunt, esse potest, vt singuli hominum dum in hac vita sunt singulos habeant Angelos bonos vel malos ad sui custodiam deputatos vel exercitium.

Tres custodes hominis.

AVTHOR. Placuit enim misericordi Deo homini à facie eius in hoc exilio expulso contra tres hostes tres eiusdem naturæ conferre custodes. Contra Diabolum *Angelum bonum.* Contra carnem, *carnem Christi.* Cuius passio commemorata medicina præseruatiua est, & munimentum contra tentationes carnis, *Contra mundum sanctos,* qui pro nobis orant ac nobis exempla, & scripta de contemptu mundi reliquerunt.

Bernardus in quodam sermone. Spectaculum itaque facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus, Angelis plane, & malis, & bonis. Illos inuidiæ passio. Istos misericordiæ compassio solicitat, vt in nos incessanter inrẽdant, omnium oculi sunt in nos: soli nosmet ipsos negligimus intueri, nec verentes deceptores, nec administratores reuerentes spiritus: hinc gehenna, inde paratur corona. Et inter hanc & illam nugari libet, oscitare delectat. Exurgamus aliquando fratres, nec in vanum accipiamus animas nostras: pro quibus alij tanto zelo, aut in bonum vigilant vel in malum. Non est res parua, quam sic insectantur ciues sic præstolantur.

Quale ministerium Angeli personales hominibus exhibeant.

CAP. LXXII.

Matth.18. *Hiero. super Matth. lib. 3. Angeli inquit eorum semper vident faciem patris.* Magna dignitas animarum: vt vnaquæque ab ortu natiuitatis habeat Angelum in custodiam deputatum. *Author.* Hoc intelligendum videtur de Natiuitate quæ fit in vtero. Non *Matth.1.* ex vtero, sicut de beata Maria Virgine dicitur. *Quod in ea natum est de spiritu sancto est,* probabile enim est, quod ante natiuitatem pueri scilicet ex quo infunditur anima datur ei Angeli custodia: quia ex tunc indiget ex quo perfectus homo in anima, & corpore formatus est. Licèt enim in infantia non possit incidere in peccatum, quia non habet vsum arbitrij, indiget tamen præsidio Angeli, ne à Diabolo corporaliter lædatur. Iuuat autem Angelus hominem non solum contra diaboli impetum: sed etiam contra omnia nocitura. Contra diabolum iuuat, eius potestatem arcendo vel impediendo: & contra malas eius suggestiones bona suggerendo, & exhortando, & hilarando, & animando: ac per hoc etiam aliquid virium ei quodammodo conferendo. Nec ideo superfluit Angeli custodia, licèt homo habeat gratiam Spiritus sancti: habet enim homo duplex nocitiuum scilicet fomitem intra, & dæmonem extra. Ideo duplicem custodiam prouidet ei Deus. Contra fomitem: gratiam. Contra dæmonem: Angelum. Sciendum tamen quod Angeli mali toto desiderio nituntur nocere hominibus. Ideo etiam plures tentant eundem hominem de diuersis vitijs. Licèt habeat quilibet vnum singulariter sibi deputatum, qui tentat eum de vitijs quibuslibet. Angeli autem boni non toto conamine nituntur homines à peccato conseruare, & virtutibus instruere: sed cum quodam moderamine secundum quod vident Deum velle, idest secundum regulam iustitiæ quam contemplantur in speculo. Vnde nec in aliquo, casus hominis, eius negligentiæ deputatur qui eum custodit: quia facit circa eum quod debet: nec vnquam aliquid omittit de contingentibus, etsi ergo non consequitur finem custodiæ suæ in altero scilicet in homine, vt conseruetur à peccato, consequitur tamen in seipso scilicet meritum suum, quia facit, quod in se est, sicut medicus quantum in se est custodit, & sanat infirmum, & tamen ille non sanatur: quia non credit medico nec obedit. Vnde dicunt Angeli custodes Babylonis: *Curauimus Babylonem, & non est sanata. Dicit tamen glossa super Numer.* 18. quod Angeli trahuntur in iudicium, vtrum ex ipsorum negligentia, aut ignauia nostra tot lapsi sint. *Et super eundem* 25. Angelus qui præest, pro bene gestis laudatur pro delictis culpatur, sed hæc sanè intelligenda sunt. Angeli enim dicuntur trahi cum hominibus ad iudicium: non vt ipsi Angeli de eorum negligentia: sed vt eorum comparatione homines iudicentur. Per hoc enim quod in Angelis nulla apparebit negligentia, qua homines lapsi sint: manifestum erit totam culpam esse in hominibus qui consilijs eorum acquiescere nolunt. Illud autem aliud exponitur negatiuè sic: *Angelus pro delictis culpatur,* id est illius delicta quæ habet in custodia: ei ad gloriam vel præmium non imputantur, sed non ideo minus meretur: quia facit quod in se est, vnde nec minus habet de præmio essentiali, minus tamen habet de gloria: quæ est ex conuersione subditorum, minus inquam non intensiuè, sed numeraliter, qui tantũdem gloriabitur, licèt in paucioribus.

Iesa.52.

Angeli à quibus iudicentur & quomodo.

Caute legẽda & exponenda.

Qualiter animas illuminent, & in paradisum deportent

CAP. LXXIII.

SCiendum etiam, quod Angelus non illuminat animam interius: quia hoc solius Dei est: sed ministerio, sicut homo docendo. Vnde super illud Psalmistæ: *Da mihi intellectum, vt discam mandata tua: dicit glossa:* quod solus Deus dat intellectum. Etsi aliquando ministerio Angeli vtatur. Ita enim inquit Angelus dicitur dare intellectum homini: sicut dicitur dare lumen domui suæ, qui fenestram facit, cum eam sua luce non penetret vel illustret. Sic ergo illuminat Angelus animam præparando intellectum ad gratiam illuminantem. In hunc modum etiam superiores ordines Angelorum inferiores illuminant. Incendunt autem Angeli bonas cogitationes in nobis tripliciter. Vno modo ipsa sensibilia *exteriora immutando.* Secundo modo interiora *fantasmata in imaginatione imprimendo:* vt supra dictum est. Tertio ipsum *intellectum ad lumen diuinum, recipiendum præparando.* Nam sicut malignus spiritus quibusdam nebulis erroris obstruit omnes meatus intelligentiæ: sic econuerso bonus spiritus illas nebulas erroris remouendo aperit meatus intelligentię ad recipiendum lumen veritatis ex radio lucis diuinæ; quo introeunte surgunt cogitationes bonæ. Omnia autem nostra bona facta vel dicta vel cogitata Deo repræsentãt gratias agẽdo:

Psalm.118.

Angeli incendunt bonas cogitationes tripliciter.

sicut

Portant animas ad paradiſum quadrupliciter.

ſicut patet in Angelo Tobiæ. Et etiam negocia noſtra temporalia vel ſpiritualia procurant. Animas quoque dicuntur Angeli portare ad paradiſum quadrupliciter. Primo modo quia eas *ad bonum prouocant:* per quod illuc aſcendunt. Secundo, quia *conferunt eis* aliquid in morte *per quod obliuiſcuntur naturalis affectus* quem habent erga corpus. Nam illo pondere dilectionis deprimuntur, vt inuitæ naturaliter exeant, etiam ſi purgatæ ſint, à quo pondere abſtrahunt eos Angeli, dum eos ad gaudium paradiſi prouocant deſiderandum, & accendunt, ita quod libenter & de facili exeunt. Tertio, quia *arcent dæmones* ne eas exeuntes impediant. Quarto, quantum ad quaſdam priuilegiatas, quas aſſumpto corpore *viſibiliter in cœlum deferunt:* vt animam beati Martini, beati Benedicti: De Lazaro quoque dicitur: quod *portatus eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Animæ autem degentis in corpore non videt Angelus ex natura ſua cogitationes, ſicut nec diabolus, quia anima inſerta in corpore mortali, nec eſt cognoſcibilis actiuè vel paſſiuè, niſi per corpus, vnde nec Angelus ex natura ſua cognoſceret, quæ in ea ſunt, niſi per geſtum & habitum corporis. Cum autem eius voluntatem vel cogitationem interiorem perſpicit, hoc facit ex virtute ſpecialis illuminationis.

Vide Sulpicium & Gregorium in moralibus. Luc. 16.

Nota, hæc ratio eſt parum efficax, & dubia.

Quòd diligenter animas cuſtodiant.

CAP. LXXIV.

ORigenes *ſuper Num. homil.* 11. Aſſiſtunt nunc Angeli Dei cultores, & agricolæ cordis noſtri, & requirunt; ſi eſt in aliquo noſtrum huiuſmodi mens tam ſollicita, tam intenta, quæ verbum Dei tanquam ſemen diuinum tota auiditate ſuſceperit, ſi fructum ſtatim, vt ad orationem fugimus oſtenderit, ideſt ſi collectis intra ſenſibus Deum oret, non mente vagetur, & cogitationibus euolet. Si quis enim tam intentam mentem habuerit: & ipſis Dei conſpectibus ſe aſſiſtentem intellexerit, hic nouerit ſe per Angelum qui aſtitit altari obtuliſſe primitias immolationis ſuæ Chriſto magno pontifici. *Idem ſuper Ioſue homil.* 20. *Benedic* inquit *anima mea domino: & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Conſtat ex hoc non ſolum circa nos, ſed etiam intra nos multas diuinas eſſe virtutes, quibus, vel animarum vel corporum noſtrorum cura commiſſa eſt, quæ vtique ſi ſanctæ ſunt cum ſcripturæ nobis leguntur delectantur & validiores erga noſtram diligentiam ſunt.

Pſalm. 102.

Intra nos ſunt virtutes diuinæ.

Author. Non ideo dicuntur Angeli eſſe intra nos, quia mentibus illabantur: quòd ſolius eſt Dei, ſed quia in animas noſtras agunt bona ſuggerendo, inſtruendo, & huiuſmodi. *Hilarius ſuper Beati immaculati, &c.* Plena ſunt omnia diuinis teſtimonijs: & omne hoc vacuum quòd putatur, repletum eſt Angelis. Horum cognitionem adeptus quis per doctrinam ſcit ſe ſub teſtibus viuere. Cum autem ad vitia procliuis ſit natura infirmitatis humanæ: refugit tamen vel ſub teſte peccare. Quid ergo Chriſtianum hominem facere conuenit, ſcientem ſe vndiq́ue totum ſpiritualium virtutum teſtimonijs, non modo dico operum ſuorum, ſed ipſius etiam voluntatis, obſeſſum. Ideo dicuntur beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius. *Bernardus ſuper cantica homilia.* 13. Verum ô domine quid eſt homo quòd magnificas eum: aut quid apponis erga eum cor tuum? Mittis vnigenitum tuum, immittis Spiritum ſanctum: promittis vultum: & ne quid in cœleſtibus ab opere ſolicitudinis noſtræ deſit: bonos ſpiritus mittis in miniſteriũ cuſtodiæ noſtræ deputatos: noſtros iubes fieri pędagogos. Nã *Angelis inquit ſuis Deus mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Quantam tibi homo debet inferre reuerentiam hoc verbum: afferre deuotionem & conferre fiduciam. Caute ambula vbi adſunt Angeli: ſicut enim eis mandatum eſt: vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In quouis diuerſorio. In quouis angulo habe reuerentiam Angelo tuo. Tu ne audeas illo præſente quòd non auderes me vidente.

Sub teſtibus viuimus.

Pſalm. 90.

Qualiter Pſallenti aſſiſtunt.

CAP. LXXV.

IDem *in meditationibus ſuis:* Quam fælix eſſes ſi ſpiritualibus oculis intueri poſſes: quomodo conueniunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum Tympaniſtriarum: videres proculdubio qua cura quove tripudio interſunt cantantibus; aſſiſtunt orantibus, inſunt meditantibus, ſuperſunt quieſcentibus, prouidentibus, & procurantibus prę- ſunt. Diligunt enim conciues ſuos, eiſq́ue congaudent, confortant, inſtruunt, protegunt, prouidentq́ue in omnibus. Ipſi enim deſiderant aduentum noſtrum, quia de nobis expectant ciuitatis ſuæ ruinas reſtaurari, diligenter quęrunt & libenter audiunt bona de nobis. Soliciti diſcurrunt medij inter nos & Deum: noſtros gemitus ad Deum fideliſſime deportantes. Non dedignantur eſſe ſocij noſtri, quia iam facti ſunt miniſtri. Exultare eos facimus, quando ad pœnitentiam conuerſi ſumus: feſtinemus ergo quantum in nobis eſt, eorum adimplere lætitiam: væ tibi qui reuerti deſideras ad vomitum: redire ad lutum: putaſne placatos habebis in iudicio, quos tanto à te ſperato priuare vis gaudio.

Idem ſuper cantica homilia. 7. Quod autem pſallentibus admiſceri dignanter ſoleant Angeli ſancti, quid manifeſtius, quòd ait pſalmiſta: *Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus.* Vnde & dicebat. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Doleo proinde aliquos veſtrum graui in ſacris vigilijs deprimi ſomno, nec cæli ciues reuereri, ſed in præſentia principum tanquam mortuos apparere. Cum ipſi noſtra alacritate permoti, noſtris intereſſe ſolemnijs delectentur. Vereor ne noſtram deſidiam quandoque abhominantes, cum indignatione recedant: & incipiat vnuſquiſque noſtrum dicere: longe feciſti notos meos, &c. profecto autem ſi ſe boni ſpiritus à nobis elongauerint, malignorum impetus quis ſuſtinebit. Ipſi deuotionem noſtram in ſuperna ferunt, gratiam referunt. Vſurpemus officium, quorum ſortimur conſortium: nec ambigo quin gratanter in palatio colligant, quos diligenter in ſterquilinio viſitant. Denique de conuerſione lætati ſunt: & in aſſumptione non agnoſcent?

Pſalm. 67. *Pſalm.* 137

Notent religioſi.

Quòd tribus ex cauſis, de nobis ſolicitudinem gerunt.

CAP. LXXVI.

IDem *in quodam ſermone.* Eſt autem funiculus triplex quo de excelſo cœlorum habitaculo ad conſolandos ad viſitandos, & adiuuandos nos attrahit ſupereminens Angelorum charitas: *propter Deum, propter nos, propter ſeipſos.* Propter Deum vtique, cuius tanta erga nos miſericordiæ viſcera: ipſum quoque vt dignum eſt imitantur. Propter nos autem in quibus ſimilitudinem ſuam miſerantur. Conſtat enim rationis participes, & beatitudinis capaces: humanas animas Angelicæ (ſi dicere audemus) cognatas eſſe naturæ. Nec decet eos dedignari quam viſitare debent ſpeciem ſuam: licèt in multam deiecta vilitatem ſit. Propter ſeipſos quoque quorum ordines inſtaurandos ex nobis toto deſiderio præſtolantur. Quapropter cauendum eſt nobis ab eorum offenſa: ne quando prouocati peccatis, & negligentijs noſtris: indignos nos iudicent ſua præſentia. Et in his maxime exercendum eſt, quibus eos nouimus oblectari: vt ſunt ſobrietas, caſtitas, & huiuſmodi. Super hæc autem omnia vnitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis: quæ formam ciuitatis ſuæ in nobis repræſentant, vt mirentur Hieruſalem nouam in terra:

Propter Deum.

Propter nos.

Propter ſe ipſos.

dico

Scandala maxime offendunt Angelos.

dico autem vt quomodo ciuitas illius, participatio eius in idipsum: sic & nos illud ipsum sentiamus: idipsum dicamus omnes. Econtrario vero nihil æque offendit eos, vt dissensiones, & scandala. Deniq; nunquid propter Christum diligemur ab eis, si ob mutuæ dilectionis inopiam cognouerint nequaquam nos eius esse discipulos. Nunquid diligemur ab eis propter nosmetipsos, ideſt spiritualis naturæ similitudinem: si inueniamur non diligere humanæ naturæ consortes? immo non, si ex eis, quæ intus nos sunt, contentionibus carnales nos magis, quam spirituales esse constiterit? Denique numquid diligent nos propter seipsos, & futuram de nobis ciuitatis suæ restaurationem? si vnicum illud quo solo vniri & coædificari eis possumus defuerit glutinum charitatis? si viderint nos non lapides viuos esse qui possunt inuicem cohærere? sed magis pulueream quem proijcit ventus à facie terræ? quem vnius verbi flatus in turbinem excitat: & leuissima cuiuslibet inspirationis aura dispergit? *Idem in epistola ad Suggerium Abbatem sancti Dionysij.* O si quis haberet oculos quos orando propheta puero reuelauit, videret proculdubio quemadmodum præueniunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuenculatum timpanistriarum: qua cura: quove tripudio intersunt cantantibus: adsint orantibus: supersunt quiescentibus.

A

B

C

D

E

Qualiter obstinatos relinquant.

CAP. LXXVII.

ORigen. *Super Hieremiam homil. 2. Curauimus inquiunt Babylonem & non est sanata &c.* Vox est Angelorum Dei qui sub magno medico steterunt. Medici volentes imbecillitates nostras curare, & animas à vitijs liberare: nos autem eos repulimus, dum consilijs eorum non acquieuimus: videntes ergo se operam perdere ne moriamur in manibus eorum qui ad nos curandos à domino destinati sunt: colloquuntur ad inuicem de anima nostra desperantes: & dicunt. Relinquamus eam. *Bernardus super cantica homilia. 7.* Angeli vt prædictum est qui nostra alacritate permoti, nostris interesse solemnijs delectantur, Vereor ne nostram quandoque desidiam abhominantes cum indignatione recedant, & incipiat vnusquisque nostrum cum gemitu dicere: *Longe feciſti notos meos:* pro certo si se boni spiritus à nobis elongauerint: malignorum impetus quis sustinebit?

Author. Numquam tamen Angeli deserunt ex toto eos quos habent in custodia vsque ad finem vitæ, nisi obstinati sint, sicut Iudæi quos deseruit Michael: & ad Ecclesiam transiuit: vt supra dictum est. Nam & Deus à talibus recedit, & eos libero arbitrio relinquit: cessans ab immittendà gratia: & etiam à correctione paterna: sicut scriptum est: *dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Et alibi: *Auferetur Zelus meus, &c.* Verumtamen obstinati hoc modo à Deo & ab Angelis deserti si quando resipiscant, vel conentur à peccato surgere: semper inueniunt paratum diuinæ gratiæ adiutorium, & Angelicum præsidium, salua tamen Dei iustitia: cuius regulam Angeli contemplantur in speculo, & intantum homines iuuant quantum Dei clementia suggerit, & iustitia permittit: igitur Antichristum velut obstinatum in malitia relinquet Angelus bonus cum occupabit eum Diabolus.

De Angelis personalibus Christi & Antichristi.

CAP. LXXVIII.

Luc. 22. Christus habuit Angelum custodem.

LVcas 22. capitulo. *Factus Ieſus in agonia prolixius orabat: apparuit autem ei Angelus: de cœlo confortans eum.* Habuit ergo & Dominus Iesus Angelum sui custodem, sicut & cæteri homines, qui confortauit in eo motum sensualitatis: secundum quem minoratus est paulominus ab Angelis: illum scilicet motum secundum quem exhorrebat mortem: sicut etiam ipse Christus ratione se confortabat dicens ad patrem. *Non sicut ego volo: sed sicut tu vis.* Prohibebat etiam eum Angelus à vexatione corporali prout oportunum erat. Vnde est illud: *Angelis suis Deus mandauit de te &c.* quod de toto Christo bene accipitur secundum glossam, ideſt, de capite & de membris.

Ibid.

Psal. 90.

Hieronymus super Abacuc. lib. 2. Angelum quoque tentatorem Christus habuit, de quo propheta dixit. *Egreditur Diabolus ante pedes eius,* vbi alij transtulerunt volatile, vel volucrem, quod dicitur reseph Hebraice. Tradunt Hebræi hoc esse nomen dæmonis, qui principatum inter alios tenet, ac propter himiam velocitatem, & in diuersa discursum ipsum nuncupari volatile vel auem. Ipsum esse dicunt qui sub figura serpentis in paradiso mulierem seduxit: & ex maledictione qua à Deo condemnatus est nomen accepit. Reseph enim interpretatur reptans ventre, hic ergo domino baptizato, & exeunti de aquis statim occurrens, ante pedes eius stetit, & eum 40. diebus in solitudine tentauit.

Et tentatorem.

Reseph diabolus.

Gloss. super Lucam. Consummata omni tentatione sicut Euangelium refert, ideſt tribus tentationibus: quibus omnis origo vitiorum continetur: diabolus ab eo recessit vsque ad tempus passionis: videlicet quando non solum in dolis: sed aperte iam ipsum tentauit & impugnauit:

Gloss. super Matthæum. Vt autem intellexit se spolia per eum amissurum, sicut ab initio mundi per mulierem intulerat mortem, ita tunc per mulierem Christum liberare voluit, de manibus Iudæorum: ne per mortem ipsius amitteret mortis imperium.

Beda super Tobiam. Denique sicut ad Tobiam deuorandum piscis occurrit: sic domino in cruce passo Diabolus, quęrens si quid in eo peccati inueniret, aduenit.

Author. De Antichristo quoque dicitur, quod à die conceptionis habebit Angelum sui custodem vsque ad annos discretionis: & tunc cum extolletur super omne quod dicitur Deus, ex toto deseret eum Angelus, & occupabit eum diabolus. *Haymo super epistolam ad Thessalonicen. 2.* Hinc ab Apostolo dicitur homo totus peccati: quia seruus, & fons totius peccati. Nam sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis abundauit, ita in Antichristo omnis maliciæ & iniquitatis habitabit, quia in ipso caput omnium malorum, scilicet diabolus erit. *Glossa ibidem.* Hinc & eius aduentus dicitur fore secundum operationem sathanæ: quia diabolo instigante, & cooperante qui illum possidebit totum faciet. Non tamen sine sensu vt phrenetici, qui culpam non habent de malis: quia si vexaretur à diabolo tanquam phreneticus, non ei imputaretur quicquid ageret.

Antichristi custos.

Qualiter Angeli hominibus appareant.

CAP. LXXIX.

ISidorus *vbi supra.* Angeli corpora in quibus hominibus apparent, de superno aere sumunt, solidamque speciem ex cœlesti elemento induunt, vt humanis obtutibus manifestius demonstrentur.

Petrus Lombardus. Augustſuper Gen. dicere videtur: quod Angeli omnes ante confirmationem habuerunt corpora de superiore parte aeris formata, ad agendum habilia non ad patiendum: quæ tantæ tenuitatis sunt vt à mortalibus videri non valeant: nisi superuestita aliqua crassiori forma: qua assumpta, videntur: qua deposita videri desinunt. Angelis vero malis in casu mutata sunt corpora in deteriorem quantitatem spissi aeris: sed hoc eum dixisse astruunt non ita sentiendo, sed aliorum opinionem referendo. Tractatores etiam Catholicos conuenisse in hoc: idque concorditer docuisse quòd incorporei sint: nec habeant corpora sibi vnita. Assumunt autem

Nota antiquos patres plures putasse Angelos esse corporeos vt inde in septima Synodo aliqui patres coiligendum putarint, eorum imagines posse depingi.

ali quando

aliquando corpora Deo præparante ad expletionem ministerij sibi iniuncti: eademque post expletionem deponunt in quibus apparuerunt; & locuti sunt.

Richardus, de trinitate lib. 4. Sunt vsque hodie, qui putant eos corpora habere: sed quis audebit hoc dicere cum rationalis naturæ proprietas tanto sublimior, tanto dignior sit: quanto ad summæ simplicis naturæ similitudinem vicinius accedit: absque dubio optimum genus creaturæ, quod assistit in sola simplici puritate spiritualis naturæ. Quod ergo in operatione humani corporis effigies sine capite, hoc esse videtur in operatione diuina vniuersitatis fabrica, optimo sine genere creaturæ. Nonne ex Euangelio innotuit, quod dominus ab vno homine legionem dæmonum eiecit: continet autem vna legio sex milia sexcenta sexaginta sex. Si tot ab vno homine sunt eiecti: tot in eo ante eiectionem fuerunt. Si dæmones corpora habuerunt vbi quæso fuerunt in eo: in spiritu an in corpore. Constat quod omne corpus longitudinem, latitudinem, altitudinem habet. Et eo ipso sine locali capacitate subsistere non valet: qualem quidem omnino spiritus non habent: ergo non in corpore sed in spiritu fuerint. Sed quomodo vel in qua hominis parte tot corpora esse potuerunt. Sed dices fortassis quod angelici spiritus tam boni quam mali subtilia corpora habent: sed quantumcunque subtilia: duo eiusdem quantitatis præsertim corpora: vnum eundemque locum occupare non possunt. Cuius ergo exiguitatis putas angelicum corpus esse: si credis, vel sollam hominis pellem corpori detractam: tot angelica corpora posse comprehendere?

Legio.

Optimum argumentū.

Qualiter Angeli circumscriptibiles sunt.

CAPVT LXXX.

Nota scholasticos magis proprie loquidum ajūt angelos esse in loco definitiue tantum.

Ioannes Damascenus lib. 2. Angeli omnes circumscriptibiles sunt: cum enim sunt in cœlo non sunt in terra. Et cum à Deo in terram mittuntur, non remanent in cœlo. Non autem circumterminantur à parietibus, & ianuis, & claustris. In signaculis indeterminabiles sunt nec secundum quod sunt apparent dignis, sed in transfiguratione. *Petrus Lombardus.* Dupliciter dicitur res esse localis, vel circumscriptibilis; vel quia dimensionem recipit, & distantiam facit: vel quia loci termino definitur: quorum vtrumque conuenit corporeæ creaturæ. Alterum vero tantum spirituali. Nam spiritualis tantum definitione loci concluditur, cum ita sit alicubi quod non alibi, sed non dimensionem recipit, nec distantiam in loco facit, quia si multi spiritus essent hic, non coangustarent locum quo minus de corporibus cõtinerent: attribuit autem Aug. loci mutationem corpori non spiritui, quia licet spiritus transeat de loco ad locum: non tamen ita vt dimensionibus circumscriptus, vt interpositione sui faciat distantiam circumstantiæ sicut corpus. Ideo etiam in minimo loco possent esse infiniti spiritus: nec tamen vnus esset in altero, sed omnino discreti essent ad inuicem, quia spiritus non replentes locum, nec quanti sunt quantitate, sed virtute: ad hoc valet exemplum suprapositum, de corporalibus luminibus. Nam si in aliquo loco essent mille lumina: nullo modo coangustarent locum: quo minus posset adhuc comprehendere infinita lumina: & nihilominus omnia discreta essent ab inuicem vt supra probatum est.

Qualiter Angelorum ruina ex hominibus reparabitur.

CAPVT LXXXI.

Gregorius in homilia, de qua supra. Quia vero superna illa ciuitas ex angelis, & hominibus constat: ad quam cum credimus, tot humani generis ascendere, quot contigit hic electos angelos remansisse: debemus & nos aliquid ex his distinctionibus supernorum ciuium, ad vsum nostræ conuersationis trahere: nosque ipsos ad incrementa virtutum eorum exemplis inflammare: distinctæ namque conuersationes hominum singulorum agminum ordinibus congruunt; & in eorum sortem per conuersationis similitudinem deputantur. *Petrus Lombardus.* Gregorius itaque dicit homines assumendos in ordine angelorum quorum alij assumuntur in ordine superiorum: qui scilicet magis ardent charitate. Alij in ordine inferiorum: qui scilicet minus perfecti sunt. Ex quo apparet non esse de hominibus formandum decimum ordinem angelorum: tanquam nouem sint ordines angelorum, & decimus hominum. Sed homines pro qualitate meritorum statuendos in ordinibus angelorum. Quod ergo legitur, decimus ordo angelorum complendus de hominibus, sic accipi potest: quia de hominibus restaurabitur, quod ex angelis lapsum est: de quibus, tot corruerunt, quot ex eis posset decimus ordo fieri: propter quod dicit apostolus, *omnia in Christo restaurari: quę in cœlis, & quæ in terra sunt:* quia per Christum humanum genus redemptum est: de quo fit reparatio angelicæ ruinæ. Non tamen minus saluaretur homo, etsi angelus non cecidisset. Non enim iuxta numerum eorum qui ceciderunt: sed eorum qui perstiterunt homines ad beatitudinem admittuntur, secundum prædicta verba Gregorij. Vnde scriptum est: *Statuit terminos populorum iuxta numerum angelorum Dei.* A quibusdam tamen putatur, quod homines reparantur iuxta numerum angelorum qui ceciderunt: vt illa cœlestis ciuitas, nec suorum ciuium numero priuetur; nec maiori copia regnet. *Augustin. in Enchiridio.* Superna Hierusalem mater nostra, nulla ciuium suorum numerositate fraudabitur: aut vberiore etiam copia fortasse regnabit. *Author.* Ecce aperte dicit August. non minus de hominibus saluari, quam corruit de Angelis: sed plus, non asserit. Alij vtramque sententiam saluare volentes, scilicet & quod assumuntur homines iuxta numerum stantium: & etiam iuxta numerum lapsorum dicunt quod tot homines saluandi sunt, quot angeli creati sunt: ita quod post generale iudicium vnus erit paries ex Angelis stantibus, & hominibus lapsorum numerum adimplentibus. Et alius erit ex solis hominibus numero æqualibus Angelis, & hominibus alterius parietis. Quidam etiam dicunt quod in locum lapsorum soli homines Virgines, succedent. Sed hoc nulla auctoritate inuenitur expressum.

Decimus ordo angelorū quo sensu dicitur.

Deut. 32. secundum 70. legitur.

Quod vsque ad diem iudicij proficiant angeli.

CAPVT LXXXII.

Hieronimus super epistolam ad Ephesios 3. Vt autem dicit Apostolus: dispensatio sacramenti absconditi à sæculis mundo, innotuit per ecclesiam sapientibus, & potentibus, in cœlesti multitudine sapientiæ Dei. Angelicæ quippe dignitates, præfatum mysterium ad purum non intellexerunt: donec passio Christi completa est: & Apostolorum prædicatio per gentes dilatata. *Idem super Isaiam lib. 17.* Hinc etiam in angelorum persona de Christo ascendente clamat Propheta. Quis est iste qui venit de Edõ tinctis vestibus de Bosra? Iste est enim quem Angelicæ potestates videntes cruentum ascendere: cæteris Angelis imperant. Attollite portas Principes vestras, &c. & ab eis audiunt: quis, est istæ rex gloriæ? Hoc ergo interrogant angeli rei nouitate percussi. Mysterium enim passionis, & resurrectionis secundum Apostolum cunctis retro generationibus fuit ignotum. Et ideo quærunt quis sit iste qui de terra cruentus aduenit. Edom enim interpretatur cruentus. *Petrus Lombardus.* Constat ergo omnes Angelos, in cognitione diuinorum mysteriorum secundum processum temporis profeciſſe. Vnde non inconuenienter, sed probabiliter dicitur eos vsque ad iudicium

Proficiunt Angeli.

in ſciẽtia & dilectione & etiã in beatitudine proficere: licet enim in confirmatione beatitudinem acceperint æternam atque perfectam: augetur tamen in eis quotidie, eo quod magis ac magis diligunt atque cognoſcunt: & eſt eorum charitas, qua Deum & nos diligunt: & meritum, & præmium. Meritum: quia per eam & obſequia ex ea nobis impenſa merentur, & in beatitudine proficiunt. Præmium: quia ex ipſa beati ſunt.

Obiectio. Quod autem dicit Beatus Gregorius, in Dialogo quid eſt quod ibi neſciant vbi ſcientem omnia ſciũt. Accipiendum eſt de his, quorum cognitio beatum facit cognitorem: vt ſunt ea quæ ad myſterium Trinitatis, & vnitatis pertinent. *Resp.* *Author.* Nec ideo beati non ſunt: quia conſummationem præmij ſui futuram expectant: licet enim non eis ſuccedant omnia quæ optant habere in futuro: tamen omnia ſuccedunt eis, quæ optant habere modo, nec illud deſiderium eos affligit dilatione: ſed potius lætificat expectatione, & ideo beati ſunt. *Gregorius in moralibus lib.* 18. Deum ſiquidem angeli & vident, & videre deſiderant. Nam & *deſiderium ſine fructu anxietatem habet: & ſocietatem faſtidium ſubſequi ſolet:* vt ergo non ſit in deſiderio anxietas deſiderantes ſatiantur. Ne autem ſit in ſatietate faſtidium ſatiari deſiderant. *Ambroſius ad Neophytos.* Angelorum vtique legiones altiſſimum perfecte ſcire nequeunt: nec ſcrutando: ſed ſuſcipiendo: & adorando tremunt: ſeruiendo venerantur: laudando benedicunt: peruigilando celebrant.

An deſiderium affligat beatos?

Qualiter gaudent de pœnitentia peccatorum.

CAPVT LXXXIII.

IDem *ſuper Lucam lib.* 5. Habemus autem ex diuino ſermone quod gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Hoc quoque proficit ad incentiua probitatis: ſi vnuſquiſque credat conuerſionem ſuam fore cætibus Angelorum gaudium: quorum aut affectare patrocinium: aut vereri dicit offenſam. *Grego. in homilia euangelica* 33. Mulier ſiquidem euangelica decem drachmas habuit: quia Dei ſapientia nouem ordines Angelorum & hominum condidit: in quorum natura ſuam ſimilitudinem expreſſit. Mulier ergo drachmam vnam perdidit: cum homo peccando à ſimilitudine conditoris ſui receſſit. Sed illa lucernam accendit, dum in humanitate apparuit. In carne quippe diuinitas, eſt velut lumen in teſta: de qua dicit ipſa ſapientia. *Aruit vt teſta virtus mea.* Nam quia teſta in igne ſolidatur: virtus aſſumptæ carnis exaruit vt teſta: dum eam ad reſurrectionis gloriam ex paſſionis tribulatione roborauit. Accenſa lucerna domum euerrit: quia mox vt eius diuinitas per carnem elaruit, omnis ſe conſideratione ſui reatus humana conſcientia perturbauit, ſicque drachma perdita inuenitur, dum in homine ſimilitudo conditoris reparatur. Itaque poſt lapſum homo conditori ſuo non perijt: quia hunc æterna ſapientia per carnem miraculis coruſcans ex lumine teſtæ reparauit. Hinc amicas, & vicinas conuocat: & ad ſibi congratulandum inuitat id eſt illas cœleſtes poteſtates; quæ tanto ſibi iuxta ſunt: quanto ei per gratiam continuæ viſionis accedunt: ad illarum quippe ſocietatem tantum credimus humanum genus aſcendere: quantos illic contingit electos angelos remanſiſſe: ſicut ſcriptum eſt. Statuit terminos gentium iuxta numerum electorum Dei.

Deut 32. *Bernardus ſuper cantica homilia* 68. Certe ſi electorum ex hominibus conſummatio defuerit: ipſa quoque ſocietas angelorum per imperfectionem ſui numeri claudicabit: nec ciuitas Dei de integritate ſui gaudebit. Cæterum putas etiam Deum noſtrum totam gloriæ ſuæ laudem habiturum: donec veniant qui in conſpectu angelorum ei pſallant dicentes. Lætati ſumus pro diebus, quibus nos hu. &c. hoc genus lætitiæ neſcierunt cœli niſi per filios Adæ. Denique gaudent angeli ad pœnitentiam peccatoris: quod ſi delitiæ ſunt angelorum lachrymæ meæ: quid delitiæ meæ? omne opus eorum laudare Deum: ſed deeſt laudi ſi deſint qui dicant: tranſiuimus per ignem & aquam &c. *Author.* Beatitudo angeli conſiſtit in fruitione Dei: ex qua ineſt ei ſummum gaudium, & de hoc gaudio nihil poteſt ei auferri vel minui: ſed augetur beatitudo eorum continuè vſque ad diem iudicij: vt ſupra dictum eſt. Gaudium autem quod habent de conuerſione peccatoris, non eſt præmium, niſi per accidens, ſcilicet quia per bonitatem quæ data eſt ei in præmium gaudet de bono hominis: & licet incipiat aliquando illud gaudium non habere: vt quando homo incipit peccare: non tamen dicitur amittere: quia non eſt culpa ſua, ſed hominis, quod non gaudet vt prius, de eius conuerſione nec eius indiſcretione: quia eadem diſcretione qua prius gaudebat, de hoc modo non gaudet: nec etiam dolet de auerſione illius, quia compati non poteſt, cum ſit confirmatus. Et forte illius gaudij loco habet æquipollens, vel maius, ſcilicet ex congratulatione iuſtitiæ, vel diſpenſationis diuinæ: quia cognoſcit qua cauſa permittit eum Deus cadere.

Quod ante tempus conditi ſunt & ex nihilo.

CAPVT LXXXIV.

IOannes *Damaſcenus.* Quidam aiunt, quod ante creationem omnem geniti ſunt angeli vt Gregorius Theologus: ſcilicet Nazianzenus, cui ego conſentio: dicebat enim primam intellectualem ſubſtantiam creari: & inde ſenſibilem, & tunc quod ex vtraque ſcilicet hominem. *Augu. in li. confeſſionum* 12. Deus meus duo reperio quæ feciſti carentia temporibus: cum tibi neutrum coæternũ ſit: vnum quod formatũ ita ſit: vt ſine aliquo defectu contẽplationis: ſine aliquo interuallo mutationis: quãuis mutabile ſit, tamen non mutatum æternitate tua fruatur, ſcilicet angelũ. Alterũ quod ita informe erat, vt ex qua forma in quã formam vel motionis, vel ſtationis mutaretur quo tempori ſubderetur non haberet, (ſcilicet primam materiam) *Iſidorus lib. ethi.* 13. Duas res ante omnia condidit Deus: angelos, & informem materiam, quæ quamuis ex nihilo facta, præceſſit tamen res ex ſe factas, non æternitate ſed origine, ſicut ſonus cantum. Itaque non omnia ex nihilo condidit Deus: ſed quædam fecit ex nihilo, ſcilicet mundum, & angelos, & animam: quædam autem ex aliquo ſcilicet hominem & cæteram mundi creaturam. *Idem de ſummo bono.* Tempus igitur non ad creaturas, quæ ſupra cœlos ſunt, ſed ad eas, quæ ſub cœlo ſunt pertinet. Non enim angelis accedunt tempora, vel ſuccedunt; ſed nobis, quæ ſub cœlo verſamur in hoc firmo mundo. In rebus nullus ſtatus eſt temporum: nec centum anni vnum tempus eſt: nec vnus menſis, vnum tempus eſt: nec dies, nec hora. Sed dum hæc omnia particulis accedunt ſuis, & decedunt: quomodo vnum dicendum eſt quod non ſimul eſt: vtrum autem ſit præteritum futurumve tempus: ſicut præſens: Et ſi eſt: oportet ſcire vbi eſt. Sed aduerte: quod cuncta & futura & præterita & præſentia in animo ſunt potius requirenda. Tria enim, præſentia, præterita, & futura; in animo tantum inueniuntur, præterita reminiſcendo, præſentia contuendo, futura expectando, Speramus igitur aduenientia, intuemur præſentia, recolimus tranſeuntia, hæc non ita in Deo ſunt, cui ſimul adſunt omnia.

Opinio Nazianzeni.

Cap. 12.

Materia prima.

Tempus ad quas creaturas pertinet.

Solum contuemur præſens.

De

De Angelo medio inter Deum & mundum.

CAPVT LXXXV.

HVgo *vbi ſupra.* Igitur rationalis creatura prior facta eſt: & poſtea corporea: non tamen tẽpore: ſed cauſa ſolum, & reſpectu, & dignitate. Nam corporeæ creaturæ conditio ad ipſam refertur creaturam rationalem: & ſecundum ipſam perfecta eſt: ſicut ipſius conditio ad ſolum creatorem: quoniam ſecundum ipſum ſola facta eſt. Sola quippe ad ſimilitudinem Dei facta legitur: licèt omnis creatura in ratione diuina & prouidentia æterna ipſius cauſam & ſimilitudinem habuerit: ſed magna differentia eſt ſimilitudinem in eo habere: & ipſum Deum habere ſimilitudinem. Nam in Deo quidem omnia erant antequam eſſent in ſe ſecundum rationem & cauſam & prouidentiam qua futura erant: ſed quaſi minus erant perfecta ſingula & vnumquodque hoc aliquid: & non totum ſecundum rationem vniuſcuiuſque & diſcretionem; quæ ratio omnia continebat: & maior erat in toto: & quaſi ſuperabundat ſingulis. Et ideo non erant ſingula hoc totum: ſed in toto erant ſingula & tamen Deo in parte nihil erat minus, quam in toto: quia pars, & totum vnum erant. Sed ratione & prouidentia diſcreta ſunt quæ futura erant in parte & in toto: & minus futura erant in parte quam in toto: ideo ipſa in ratione minus habuerunt: propter hoc ergo rationali creaturæ non vnum aliquid: aut hoc: aut illud in ratione diuina pro exemplari ſufficere potuit ad cuius ſimilitudinem formaretur: ſed quaſi totum aſſumpſit Deum: vt eius imago fieret: & expreſſa eſt ad totum æmulans perfectionem & apparuit quaſi ipſum in altero: & inuenta ſunt in ſecundo quoque quæ in primo ſecundum æmulationem rationes, & cauſæ & ſimilitudines, & formæ & diſpoſitiones, & prouidentiæ futurorum, quæ facienda fuerant, & cum facta ſunt illa ad ſimilitudinem horum facta ſunt corpora.

Quomodo ſingula in Deo?

Quòd virtutes Angelicas debemus nobis, in exemplum aſſumere.

CAPVT LXXXVI.

GRegor. *in homilia.* Quid autem prodeſt nos de ſpiritibus angelicis iſta perſtringere, ſi non ſtudeamus, hæc etiam ad noſtros profectus cõgrua conſideratione deriuare? Nam ſicut iam ſuperius dictum eſt: quia ſuperna ciuitas illa ex angelis, & hominibus conſtat: ad quam tot credimus humani generis aſcendere: quot illic contigit electos angelos remanſiſſe: debemus, & nos aliquid ex diſtinctionibus illorum ſupernorum ciuium ad vſum noſtræ conuerſationis trahere: noſque ipſos ad incrementa virtutum eorum exemplis inflammare. Diſtincte namque conuerſationes hominum, ſingulorum agminum ordinibus, per congruentiam aptantur: & in eorum ſortem per conuerſationis ſimilitudinem deputantur. Videte ergo chariſſimi ſi quid iam boni vobiſcũ intus agitis: ſi in horum agminum numero ſortem veſtræ vocationis inuenitis: væ animæ quæ non de bonis ſupernis numeratis aliquid in ſe recognoſcit: eique deterius adhuc imminet væ, ſi & priuatam ſe donis intelligit; & nequaquam gemit: quiſquis ergo talis eſt, gemendus eſt valde, quia non gemit. Itaque qui donorum in ſe gratiam minime recognoſcit, gemat: qui vero in ſe minora cognoſcit, maiora cæteris non inuideat. Nam & illæ bonorum ſpirituum diſtinctiones inſunt conditæ: vt alijs aliæ ſint prælatæ: ſic autem in illa ſumma ciuitate ſunt quędam ſingulorum ſpirituali: vt tamen ſint omnium communia. Et quod in ſe quiſque in parte habet: hoc in alio ordine totum poſſidet. Sed vnuſquiſque illius rei cenſetur nomine quam plenius accepit, in munere. Seraphin incendium interpretatur: & tamen omnes amore cõditoris ardent. Cherubin plenitudo ſcientiæ dicitur: & tamen quis aliquid ibi neſciant, vbi ſimul omnes fontem ſcientiæ Deum vidẽt: His ergo dona ſingula priuato nomine data ſunt: qui hæc plenius acceperunt. Ad eos igitur, de quibus loquimur ſuſpiremus: ſed redeamus ad nos memoria retinentes quia caro ſumus. Taceamus igitur de ſecretis cæli, & ante conditoris oculos manu pœnitentiæ tergamus maculas pulueris noſtri.

Gemendus qui non gemit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER SECVNDVS.

De mundo ſenſibili & eius ſchemate.

CAPVT I.

IDORVS, *in libro ethi.* 13. Mundus Latinè à philoſophis dictus eſt: eo quod in ſempiterno motu ſit. Apud Græcos autem appellatur κόσμος. i. ornamentum propter diuerſitatem elemẽtorum & pulchritudinem ſyderum: nihil enim mundo pulchrius oculis carnis aſ
B picimus. Quatuor autem mundi climata, id eſt, plagæ ſunt: oriens, occidens, ſeptentrio, meridies. Cardines mundi duo ſunt ſcilicet ſeptentrio, & meridies: in ipſis enim voluitur cælum. Et dicitur ſeptentrio à ſeptem ſtellis axis: quæ in ipſo reuolute rotantur. Meridies autem quaſi mera dies: quia ibi ſol medium diem facit: vel quia tunc purius micat æther. Merum enim purum dicitur. Ianuæ cœli duæ ſunt: oriens & occaſus. Nam vna porta ſol procedit: alia ſe recipit. *Plinius in hiſtoria naturali li.* 2. Mundi formam in ſpeciem orbis abſoluti globatam eſſe nomen in primis, & cõſenſus in eo mortalium orbem appellantium: ſed & argumenta rerum docent. *Guilhelmus de conchis philoſophus.* Mundum iſtum philoſophi confirmant ad ſimi-
C litudinem oui eſſe conſtitutum: ſicut enim in medio oui eſt meditullium: ex cuius omni parte eſt albumen: circa quod tela: circa quam teſta: extra quam de ouo nihil eſt: ſic in medio mundi eſt terra: & circa eam ex omni parte fluit aqua: circa quam aër: circa quem ignis: extra quem nihil eſt. Plato philoſophorum doctiſſimus. Mundum in quinque regiones diuiſit, ſcilicet in cœlum: æthera: aëra: humectam regionem: terram. Cœlum vocat vbi ſtellæ infixæ ſunt. Æthera vero ab eo vſque ad lunarem circulum. Aëra ſuperiorem aëris medietatem. Humectam regionem inferiorem partem eiuſdem. Ne moueat quod dixi extra ignis ſphæram de mundo nihil eſſe: cum dicat ſcriptura cœlum omnia tegere, & firmamentum in quo ſtellæ ſunt fixæ: aquaſque ſuper cœlos eſſe. Ali-

Quinque regiones mundi.

A quando namque aër dicitur cœlum: vt cum dicitur: *& aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, & volucres cœli.* Aliquando æther qui & ignis. Aliquando extrema pars aëris. Eadem quoque firmamentum dicuntur: quia duo inferiora firmant elementa: qui ergo cœlum omnia tegere ſtellaſque firmamento infixas eſſe dicit: extremam ætheris partem cœlum, & firmamentum vocat: Qui vero dixit aquas ſuper cœlum firmamentum eſſe: aera cœlum & firmamentum vocauit: vel quod verius, eſſe inferiorem partem aeris: ſuper quam ſunt aquæ vaporaliter in nubibus ſuſpenſæ.

De Atomis.

CAPVT II.

Iſidorus. Atomos philoſophi vocant quaſdam in mundo corporum partes minutiſſimas: vt nec viſui pateant, nec tomum, id eſt, diuiſionem recipiant. Hi per inane totius mundi irrequietis motibus volitare, & huc atque illuc ferri dicuntur: ſicut tenuiſſimi pulueres, infuſi per feneſtras radijs ſolis videntur. Ex his etiam vniuerſa gigni atque conſtare, quidam philoſophi gentium putauerunt. Sunt autem atomi, aut in corpore: aut in lapide minutiſſimus puluis: aut in tempore vt momentum: aut in numero vt vnum. *Petrus comeſtor.* Epicurus quidem ait duo fuiſſe ab æterno: videlicet inane & atomos: & in principio naturam quoſdam atomos ſolidaſſe in terram: alios in aquam; alios in aerem: alios in ignem. At vero Moyſes ſolum Deum prophetauit æternum, & mundum in principio, id eſt, in filio ſine materia præiacenti cæterorum corporum. *Guilielmus, de Conchis:* Itaque mundum quidam Epicuri ex Atomis conſtare vere dixerunt: ſed Atomos illos, ſine principio fuiſſe ac diuiſas per magnum inane volitaſſe: demum in quatuor magna corpora coactas fuiſſe, mentiri ſunt. Non enim ſine principio in loco aliquid præter Deum eſſe poteſt: dicitur igitur has particulas, Deum ſimul creaſſe non diuiſas, ſed in vnius conſtitutione: qui enim dixit & facta ſunt: partes, & totum ſimul potuit creare.

De

De quattuor ſimplicibus corporibus.

CAPVT III.

ARiſtoteles, *in lib. 3. de cœlo, & mundo.* Omne corpus, aut eſt elementum: aut eſt ex elemento generatum. Elementum eſt autem ad quod cetera corpora reſoluuntur:& eſt in eis potentia,vel actu: ſed ipſum non reſoluitur,nec permutatur, nec cadit ſub corruptione, & hoc eſt corpus ſimplex non compoſitum. *Idem in metha. li.* 1. Diffinitio elementi eſt ſcilicet quod elemẽtum eſt illud de corporibus cuius ordo vltimus eſt. *Auicenna de medici. li.* 1. Elementa ſunt corpora prima,omnium corporum principia, quæ in corpora diuerſarum formarum diuidi minime poſſunt:ex quorũ commixtione diuerſæ ſpecies generantur. Horũ duo sũt grauia ſcilicet aqua,terra:duo vero leuia,ignis,aer. Et in alijs corporibus,duo quidem grauia plus iuuant ad membrorum generationẽ & eorum quietem: duo vero leuia plus ad generationem ſpirituum & motionem eorum:& ad mouendum membra:ſed motio nõ fit niſi ab anima. *Seneca de naturalibus quæſtionibus lib. 6.* Epicuri quatuor elemẽta fecerunt: & ex ſingulis bina marea & fæminea. Aerem enim illum marem iudicãt qui ventus eſt:fæminam vero qui nubiloſus, & iners: mare vocant aquam virilem: mulierem omnem aliam. Ignem maſculum vocant:quo flamma ardet:& fœminam qua lucet innoxius tactu. Terram fortiorem marem vocant: ſaxa cauteſque fœminæ nomine aſſignant.

Elementa maſcula fœmineaque.

Guilhelmus de Conchis. Elementum eſt quod in conſtitutione corporis inuenitur primum:quia conſtituit, non conſtituitur. In reſolutione poſtremum:quia non diuiditur: dicit tamen Boetius, quod magnitudo decreſcit in infinitum: ratio quoque exigit vt quemadmodum omne corpus in duo maxima poteſt diuidi:ſic in infinita minima poſſe reſolui:vniuerſum vero dicitur infinitum,numero,ſcilicet mẽſura,ſpecie. Numero quædam infinita dicuntur:non quia ſint innumera: ſed quia eorum numerus vix aut nũquam homini poteſt eſſe certus:hoc modo hic infinitum accipimus:& ſic accipit Boetius. Sũt igitur in vno corpore minima: quæ ſimul coniuncta vnum magnum efficiũt,vel conſtituunt:. & à nobis dicuntur elementa. Huic ſententiæ concordat Conſtantinus dicens:quod elementum eſt ſimpla & minima corporis particula: harum particularum quædam ſunt calidæ & ſiccæ:& hæ propriè ignis dicuntur: quædam frigidæ & ſiccæ terra nominantur: quædam frigidæ humidæ, quæ propriè aqua vocantur: quædam calidæ & humidæ quæ aer appellantur. Quidam autem hoc nomen corpus impoſuit ei quod conſtituitur ex quattuor elementis, quòd oculis occurrebat illud nominauit. *Vnde Boetius ait:* quod rebus præiacentibus, vel exiſtentibus, & in naturæ conſtitutione manentibus: humanus animus vocabula impoſuit:conſtitutionẽ naturæ vocans conſtitutionem ex quatuor elementis. Deinde, & primarerũ principia conſiderãtes Philoſophi nomina transtulerunt ad principia prima:rerum principia vocantes corpora:ſed ad differentiã compoſitorũ ſimplicia. Cũ ergo Boetius, ſine tribus dimenſionibus, id eſt, longo, & lato,& ſpiſſo non poſſe corpus inueniri aſſerit:iuxta primam nominis impoſitionem hoc dicit. Sunt enim iuxta Phyſicam tranſlationem prędictæ particulę corpora. Non tamen illas tres habent dimenſiones.

De Primaria elementorum confuſione.

CAPVT IV.

IDem eas itaque creator in vno magno corpore creauit,non localiter diſtinctas: ſed per ipſum totum cõmixtas. Ita quod ex his particulis nil extra hoc corpus fuerat: omnem locum obtinuit: quem omnia corpora modo obtinẽt,hoc autem à philoſophis propter particularum cõmixtionem nominatũ eſt chaos, quod interpretatur confuſio. Calida namque frigidis in eo, ſine proportione & medio coniuncta repugnabant ſimiliter humida ſiccis. *Vnde ait Ouidius. Rudis indigeſtaque moles.* Et inde ſubiunxit: *Frigida pugnabant calidis: humentia ſiccis.* Et illud quidem mixtum cum impleret omnem locum, vtique non mouebatur de loco ad locum. Circulariter tamen moueri poterat, quod ex omni mobilium genere mixtum erat. Ex hoc tamẽ magno corpore ſtatim quattuor in diuerſis locis creauit corpora: quæ hodie à quibuſdam dicuntur elementa. Denique particulas quidem calidas, & ſiccas, quæ alijs mixtæ erant ad locum ſuperiorem Deus cõtulit, & ex eis, adiunctis tamen quibuſdam ex tribus reliquis particularum generibus vnũ conſtituit:quod à partibus dominãtibus ignis vocatur: particulas vero frigidas,& ſiccas ad locum inferiorẽ deduxit:atque ex eis alijs quibuſdam adiunctis vnum corpulentum, & obtuſum, quod à partibus dominãtibus terra vocatur adiunxit: Ex particulis calidis, & humidis adiunctis alijs aerem. Ex frigidis,& humidis aquam.

Digeſtio rerum in chao.

Iſido. vbi ſupra. ὕλην Græci materiam, primam vocant:nullo modo formatam: ſed omniũ corporalium formarum capacem: ex qua viſibilia hæc elementa formata ſunt:quæ ſibi quadam concordia,& communione conueniunt. Nam ſic inter ſe naturali ratione iuncta dicuntur, vt ignis quidem in aere deſinat: aer in aqua denſetur: aqua in terra craſſeſcat: rurſuſque terra diluatur in aquam: aqua rareſcat in aerem: aer extenuetur in ignem.

Cur Deus illam confuſionem creauit, quam non diu permanſuram cognouit.

CAPVT V.

Cur factum Chaos.

GVilhelmus de Conchis. Sed fortaſſe dicet aliquis: creator,qui omnia ſolo dicto creauit,& antequã fiant cognoſcit. Cur ex quattuor elementis illud cõpoſuit quod non diu permanſurum cognouit? Opera inquam creatoris videmus: ſed cauſas ignoramus: quod tamẽ nobis inde videtur,dicemus. Omne opus vel eſt creatoris, vel naturæ, vel artificis. Opus creatoris eſt elemẽtorum, & animarum ex nihilo creatio, mortuorum reſuſcitatio: partus virginis, & ſimilia. Natura vero eſt,quædã vis rebus inſita, ſimilia de ſimilibus procreans. Opus igitur naturæ, quod homines ex hominibus naſcantur, aſini de aſinis, & ſic de alijs: Opus autem artificis eſt, quod ab homine contra naturales indigentias componitur: vt veſtis contra frigus:contra aeris intemperiẽ domus. Sed cum natura aliquod operatur,primo quoddam commixtum operatur,deinde paulatim format,& diuidit:prius nãque operatur mixtum: deinde quod in eo eſt fæculentum,& graue ad infimum locum trahit:quod vero leue eſt, ad ſupremum, quod mediocre ad medium locum. Similiter in lacte mixtim creat tres ſubſtantias:quas poſt homo adiuuante natura artificio ſeparat. Quia igitur natura,& artifex non poterãt ad operationem creatoris aſcendere: voluit creator ad illorum operationẽ condeſcẽdere. Si enim hoc non eſſet: debilitas naturę putaretur quotiens ab ea aliqua mixta crearentur. Vel vt alij dicunt, mixtum creauit, vt ſignificaret quanta confuſio rerum eſſe poſſet:niſi ſua dilectio res ordinaret:hinc omne corporeum importuno motu dixit Plato fluitans, naturalẽ motum elementorum conſiderans: quo duo à centro duo ad centrum mouentur, & hæc inquit ex inordinata iactatione, Deus in ordinẽ redegit. ſ. non ex inordinata quæ fuit: ſed quæ eſſet, niſi res ſic ordinauiſſet.

Deus operatus eſt ad modũ naturæ qua facit primo chaos.

Qualiter elementorum commixtio ſtare poſſit.

CAPVT VI.

ISidorus *vbi ſupra.* Quapropter omnia elemẽta omnibus inſunt:ſed vnumquodque eorũ ex eo, quod amplius habet accipit vocabulũ. *Guilelmus de Conchis.*

Chaos.

Sed quomodo inquit in igne poteſt particula frigida. A In aere vero vel in aqua ſicca. Ignem vtique certum eſt eſſe conſpicuæ naturæ, ſeque, & alia conſumere. Item certum eſt ignis partem in hyeme maximè inſpiſſari, & in aerem mutari. Quod igitur vel à ſe vel ab alio, in vno tempore de igne conſumitur, oportet quod in alio reſtauretur in æſtate, partem igitur aquæ quam prius in aera mutauit, poſtmodum in ſe attrahit: hinc eſt, quod dixerunt philoſophi, ignem humorem nutrire. Illud vero, quod attrahit niſi retineat, & digerat non transformat. In hoc autem omnes philoſophi conſentiunt: quod frigiditas, & ſiccitas operantur vim retentiuam. Calor, & humiditas digeſtiuam. Calor enim ſiccus rem cõſumit, & cremat. Frigus ſiccum congelat, frigus humidum diſſipat. Solus igitur calor humidum digerit. Eſt igitur digerere aliquid in aliud per ebullitionem tranſmutare. In eodem etiam igne eſt vis expulſiua: qua expellit ſuperflua, quæ ex frigido, & humido conſiſtit. Eſt etiam vis attractiua, quæ ex callido, & ſicco prouenit. Sunt igitur in igne quatuor particularum genera, dominantibus tamen calidis, & ſiccis. Eodem argumento poteſt probari de reliquis. Cum ergo aqua & aer retineant: in eis vis eſt retentiua, quæ ſine frigido, & ſicco eſſe non poteſt. Præterea cum duo inferiora naturaliter frigida ſunt: accidentaliter tamen quandoque calefiunt calore, qui à ſuperioribus deſcendit, vel in ſubiecto, vel ſine ſubiecto: ſed cum ſine ſubiecto eſſe non poſſit, in ſubiecto deſcendit. Quod ſcilicet ſubiectum cum deſcendit mobile eſt ad centrum. Eſt ergo frigidum. Sola namque frigida naturali grauitate tendunt ad imũ. Eſt ergo in igne aliquid naturaliter frigidum: ſed accidentaliter calidum, quod tamen naturali motu deſcendit, & tangendo aquam vel terram illas calefacit.

Digerere quid.

Ignis vis expulſiua.

Quòd ignis & terra ſecundum Platonem ſunt duo mundi fundamenta.

CAPVT VII.

IDem. Vt autẽ ait Plato, diuini decoris ratio poſtulabat fieri talem mundum, qui & viſum pateretur, & tactum: vt homo his duobus ſenſibus, & in creatione, & in gubernatione ſui creatoris, potentiam, ſapientiam, bonitatem perpendens, potentiam timeret, D ſapientiam veneraretur, bonitatem imitaretur. *Deinde proſequitur dicens:* conſtabat autem nil poſſe videri ſine ignis beneficio: neque tangi ſine ſolido: nec ſolidum eſſe ſine terra. Ideo fecit Deus duo fundamenta, ignem ſcilicet, & terram. Verumtamen nec viſus etiam ſine terra poteſt eſſe: nec tactus ſine igne. Maximus namque ſplendor viſum diſſipat: maxima obſcuritas extinguit: ſplendor temperatus conſeruat. Cum igitur in igne ſit maximus ſplendor, ne viſum diſſipet, vt aliquo obſcuro adiuncto temperetur oportet. Quoniam ergo ſola terra obſcura eſt ex prædictis quatuor corporibus: neceſſe eſt ſplendorem temperari, vt poſſit eſſe viſus: hinc quoque natura in oculorum medio nigrum quoddam ad temperandum ſplendorem illorum creat: melãcholiam inſuper quæ nigra eſt, & obſcura eadem cauſa ad oculos mittit, E & ob hoc etiam per hos oculos melancholia purgatur. In viſu igitur aliquid terra operatur. Cæterum vt ait Hippocrates nihil poteſt sẽſu percipi niſi prius inſtrumentum vertatur in naturam ſenſorei. Inſtrumentum dicit quandam aeream ſubſtantiam quam anima à cerebro per neruos ad exteriora mittit: cum ergo hanc ad volam manus quæ (vt melius ſentiat) eſt neruoſa, tranſmittit: ſi tangit rem calidam calefit: cum quo calore ad cerebrum vbi eſt ſedes animæ, nõ quod ibi ſolum ſit, ſed quod ibi diſcernit, reuertitur: ſicque in illo inſtrumento calorem ſuum percipit. Similiter etiam fit cum aliquid frigidum tãgit. Sed cum ignis qui ſemper in motu eſt, principium motus ſit: cauſſa eſt quare hoc inſtrumentum ad exteriora diſcurrit ac redit: & igitur ignis in tactu aliquid operatur.

Dua vaſes mundi.

Inſtrumentum ſenſus.

Quòd inter hæc oportuit duo eſſe media.

CAPVT VIII.

VErum hæc duo ignis terraque, duo mundi fundamenta à Platone dicta, non potuerunt eſſe ſine medio: alioquin vel locus vacuus inter vtrumque remaneret: vel ignis ad terram deſcenderet, aut terra ad ignem aſcenderet. Sed vtique locus ſine locato eſſe non poteſt. Et ſi terra ad cœlum aſcenderet, cum naturaliter ad centrum moueatur, ad imum tenderet. Sic ignis ad terram naturali motu quo à centro mouetur aſcendere laboret: ſicque præclara mundi machina ſolueretur. Si enim iſta corpora ſine medio ſeſe tangerent, ignis ſubtilitate ſua terræ poros in- B traret: motuque ſuo, ac acumine partem à parte diuideret: & quicquid in eius ſuperficie eſſet deſiccando illam cineraret: denique quod deterius eſſet, homo propter quem omnia creata ſunt, in terra viuere non poſſet, nec alia bruta, nec herbæ, nec arbores, quæ homini deſeruiunt, exiſterent: porro nec vnum ſolum creauit Deus medium inter illa: ſed duo ſcilicet ignẽ & aerem. Nam ſi ſolus aer in medio eſſet: cum plus habeat ſe ad naturam ignis, quàm terræ: citius in illam tranſiret: paulatimque mutatus & ignitus terram combureret: prędictaque incommoda ſequerentur. Similiter etiam ſi aqua ſola in medio poneretur: cum plus ſe habeat ad terram quam ad ignem, citius in eam verteretur. Et ſic igni terra iungeretur. Sed fortaſſis aliquis dicet. Nõne potuit Deus, in medio iſtorum aliquod creare corpus, quod ęqualiter ad duo extrema ſe haberet. In potentia quidem diuina nullum pono terminum: ſed tamen dico, quod ſi hoc feciſſet: aer non eſſet, ſine cuius ſpiritu homo viuere non poſſet: nec aqua, cuius vſus in multis eſt homini neceſſarius.

Cur elementa media ſint?

Quæſtio. Reſponſio.

Adhuc de eodem.

CAPVT IX.

CÆterum etiam, ſi ſine homine mundum Deus eſſe vellet, nec ſic manente rerum natura vnum medium inter hæc extrema ſufficere poſſet. Cũ enim terra & ignis in tribus qualitatibus contraria ſint. Eſt enim terra corpulenta: obtuſa, immobilis. Ignis vero ſubtilis, acutus, mobilis: id medium vel vnum ſolam qualitatem de tribus prędictis, ab vtroque acciperet: vel duas ab vtroque, vel ab altero vnã, ab altero duas. Si enim nullam haberet, conueniẽs illorum medium non eſſet. Omne enim medium de qualitatibus extremorum participare debet. Si ab vtroque vnam ſolam acciperet: quid inde ſequeretur. Accipiat à terra ſolũ eſſe corpulẽtum, cum hoc non poterit habere ab igne ſubtilitatem, ſunt enim duo contraria. Habeat igitur ab igne ſolum eſſe acutum, erit igitur corpulentum & acutum: ſed neque mobilis, neque immobilis: quod ratio non patitur. ſimiliter & in alijs poteſt prudens intelligere lector. cũ enim immediata ſint circa corpora corpulẽtum & ſubtile, obtuſum & acutum, mobile & immobile, ſi illud medium vnum ab vtroque acciperet, remanerent duo immediate contraria: quorum vtroque careret. Item ſi vnam tantum de illis ſex qualitatibus ab vtroque acciperet, duas tantum haberet. cum vnumquodque extremorum habeat tres: & tunc debilius illis conueniens non eſſet medium, neque ſe, neque illa ſeruaret. Si autem ab vtroque duas haberet: tunc quatuor haberet: quod vtique non poſſet, quin duas contrarias haberet. Si vero ab alterno vnam, ab alterno duas acciperet: plus ſe haberet ad illud à quo plures acceperat, ſicque citius in illud trãſmutaretur, mundique machina ſolueretur. Itaque duo in medio ſunt creata: quorum vtrumque à proximo recipit duas de prędictis qualitatibus à remoto vnum. Eſt enim aqua corpulenta obtuſa mobilis. Aer vero ſubtilis obtuſus, & mobilis.

Hæc ratio continet congruentiam ſolummodo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Suzugia ideſt de coniugatione quatuor elementorum.

CAP. X.

IN hac ergo ſolida Suzugia corpora prædicta concordant: quæ enim vicina ſunt, duas qualitates habent communes. In tertia differunt. Similiter in plana Suzugia concordant: eſt enim terra frigida, & ſicca, aqua frigida, & humida: aer calidus, & humidus, ignis calidus, & ſiccus. In pondere etiam conueniunt quia quanto terra aqua ponderoſior eſt, tantum aqua aere: aer igni, & ecõtra. Eſt autẽ Suzugia quantum ad vocem coniugatio, ſed quantum ad ſignificationem Suzugia eſt eorum quæ in qualitatibus differunt per medium coniunctio ſicut terra, & ignis coniunguntur duobus medijs. Terra vel aer, Et aqua vel ignis, vno extremorum per duo media eſt ſolida: quia illorũ contrarietas in tribus exiſtit qualitatibus, quemadmodum ſoliditas in tribus dimenſionibus, vel quantum ad ſimilitudinem ſolidorum numerorum ſunt coniuncta. Suzugia vero terræ vel aeris, vel aquæ & ignis eſt plana: quia contrarietas iſtorum in duabus eſt qualitatibus, quemadmodum planicies in duabus dimenſionibus, vel quantum ad planorum numerorum ſimilitudinem ſunt coniuncta. *Ex imagine mundi.* Hæc itaque ſingula proprijs qualitatibus: quaſi quibuſdam brachijs ſe inuicem tenent: & diſcordiæ ſuæ naturam concordi federe viciſſim commiſcent. Nam terra frigida & arida frigidæ aquæ connectitur. Aqua frigida & humida aeri humido aſtringitur. Aer humidus, & calidus calido igni aſſociatur. Ignis calidus, & aridus aridæ terræ copulatur. Ex his terra vtpote grauiſſima imum. Ignis vtpote calidiſſimus ſupremum locum obtinet. Alia duo medium quod ſoliditatis vinculum quoddam: Quorum aqua grauior: proximum terræ. Aer leuior, igni proximum locum poſſidet.

Suzugia quid.

De ordine vel pondere ipſorum.

CAPVT XI.

AVgu. *ſuper Gen. ad litteram lib.* 2. Elementa erga quatuor, non tantum locis: ſed & qualitatibus diſtingui probantur: vt pro qualitatibus proprijs, etiã loca propria ſortirentur. Aqua ſcilicet ſuper terram, quæ etiam ſi ſub terra ſtat aut labitur, ſicut in antris, & cauernis, non tamen ea parte terræ quam ſupra, ſed ea quam infra ſe habet, continetur. Nam ſi ex parte ſuperiore pars aliqua terra delapſa fuerit, non manet ſuper aquam: ſed ea prærupta demergitur: & ad terram vergit: ibique tanquam in loco proprio conquieſcit. Illud itaque pſalmi. *Qui fundauit terram ſuper aquas*, ſi quis ad litteram cogit intelligi, non incongruenter vel ſublimia terrarum ſiue continentium, ſiue inſularum ſignificat, quæ ſunt aquis ſuperiora, vel ipſa tegmina ſpeluncarum quæ ſuper aquas pendula ſoliditate ſunt firmata. Aerem vero ſuperiorem eſſe aqua: hinc patet quia nullum vas ab ore impreſſum aquis poteſt impleri: videtur enim vas eſſe vacuum: ſed aere plenum eſſe probatur cum ore imo in aquam deprimitur. Nam quia ſuperius non inuenit locum exeundi, Nec inferius irruptis aquis ſubter eas eum ire natura permittit: plenitudine ſua repellit eas: nec in vas intrare ſinit. Cum autem vas, ita collocatur, vt non habeat os deorſum ſed in latus inclinatum: tunc intrat inferius aere exeunte ſuperius, hinc etiam probatur nihil eſſe vacuum. Itemque ſi vaſis erecti pateat os in cœlum cum infundis aquam, aer ex alijs partibus à quibus nõ infundis ſurſum euadit: & aquę deorſum locus fit. Quod ſi in ore vas deprimitur, vt vel ex latere vel deſuper aquæ repente defluant: & vndique os vaſis obtegatur, aer ſurſum nitens eas diſrumpit vt eis ad ima locum faciat. Et ipſa diruptio ſingultus vaſorum eſt, dum partibus fugit, quia totus propter oris illius anguſtias exire tam cito non poteſt, porro ſi ſub aquas aer cogatur ire ex vaſe: vt illo cedente, vas ab ore in ima preſſo replere velles, facilius vndis vndique operitur quam per os eius ab inferiori gutta exigua locum intrandi reperiat. Iam vero ignem ad ſuperna emicantem, etiam ipſius aeris naturam velle tranſcẽdere ex hoc patet, quia ſi quis faculam accenſam capite deorſum teneat, nihilominus flammæ crinis ad ſuperiorá aſcendit: ſed conſtipatione aeris circumfuſi ſuperata extinguitur, & in eius qualittaem commutatur.

Gloſſa pſa. 5.

Experientia de vacuo.

Experientia de igne.

De Mobilitate elementorum.

CAPVT XII.

GVilelmus, *de Conchis.* Hæc autem quatuor corpora diſcernendum eſt, vtrum ſint mobilia, an immobilia? Motuum enim alius eſt ſecundum ſubſtantiam generando & corrumpendo: alius ſecundum quantitatem per augmentum & diminutionem, alius ſecundum qualitatem, mutatione de vna in contrariam: alius ſecundum locum: cum ergo iſta & ſecundum ſubſtantiam ſaltem in partibus ſuis moueantur & creſcant ac minuantur, & qualitatibus alterentur: cur illa eſſe mobilia dubitentur? Denique ad generationem & corruptionem partium in quadam parte anni duo ſuperiora quæ naturaliter ſubtilia ſunt, accidentaliter ſpiſſantur: & in duo inferiora pars eorum tranſmutatur. In alia vero parte duo inferiora quæ naturaliter corpulenta ſunt accidentaliter ſubtiliantur: vnde in duo ſuperiora tranſmutantur. Cæterum quia infimus mundi locus elemento ſolidiore id eſt terra eſt occupatus: & aſcendere contra natũram eius eſt: nulla ſpecie tranſlationis ſecundum locum moueri poteſt. Similiter cum ſolus ignis ſuper aera ſit vnde aſcendere non poteſt: deſcendere vero contra naturam eius eſt, transferri non poteſt: duo ergo media in eodem loco mouentur. De motu vero aeris quo aura, vento turbinis, fulgure, fulmine, ſcintillationibuſque mouetur, cum de ſublimibus loquemur, diſſeremus. De æſtuationibus quoque maris, & accidentalibus aquarum commotionibus, cum de infimis erit ſermo dicemus. Manet ergo mundi machina inconuulſa: quia non habent quo transferantur quæ dicuntur elementa. *Ariſtoteles in libro de cœlo & mundo,* Corporibus autem ſimplicibus eſt naturalis quies. Res enim aut quieſcit violenter, aut quiete naturali neceſſario. Et vbi quieſcit naturaliter, illuc intendit naturaliter. Natura enim eſt in vnoquoque principium ſui motus: virtus autem eſt principium motus eius qui eſt à re alia. Omnis itaque motus, aut eſt naturalis, aut accidentalis. Naturalis eſt à virtute cum auxilio naturæ vt lapidis deorſum. Accidentalis autẽ à virtute non cum auxilio naturæ vt lapidis ſurſum. Verumtamen in his duobus motibus vtitur aere ſicut inſtrumento, vnicuique autem rerum eſt motus (naturalis vnus) accidentales vero plures.

Motus quot?

Cur machina mundi inconuulſa.

De mutua permutatione ipſorum.

CAP. XIII.

ISidorus, *vbi ſupra.* Denique quatuor elementa vt dictum eſt ita formata ſunt, quod ſibi quadam cõcordia & communione conueniant. Nam ſic inter ſe naturali ratione iuncta dicuntur, vt ignis quidẽ in aere deſinat: aer in aqua denſetur: aqua in terram craſſeſcat: rurſuſque terra diluatur in aquam, aqua rareſcat in aerem, aer extenuetur in ignem. *Ariſtoteles in primo libro Meteororum.* Aqua quidem exiſtit in aere ſcilicet per euaporationem. Et aer exiſtit in aqua: quia ſic diſpoſuit vtrumque Deus glorioſus, & ſublimis. Non autẽ ex omni aqua fit aer. Sed ex vapore remanẽte multo per caliditatem cum ſua humiditate, quando eleuatur ex aqua & terra ſcilicet vapor aquoſus. Similiter non fit aqua ex omni aere, ſed ex aere multi

vaporis,quãdo congregatur & ſpiſſatur:ſic ergo aer & aqua continuè alterantur ad inuicem. Dico autem quia ſuper illud quod eſt ſuper terram vincit aqua & aer ſine igne:quod ſi ignis vinceret, combureret illud & ſiccaret. Ignis autem purus, & non turbidus eſt contingens orbem lunæ.*Seneca vbi ſupra.* Omnia ergo elementa in omnibus ſunt & omnium alterni recurſus ſunt. Quicquid alteri perit,in alterum tranſit. Et natura partes ſuas velut in ponderibus conſtitutas examinat. Ne proportionem æquitate turbata mundus poſtponeret. Nunquam ſine igne eſt aer, detrahe illi calorem rigeſcet & ſtabit durabitur & tranſiet in humorem. Sed nihilominus quodque non ſine humore eſt,& ideo facilior eſt, inuicem tranſitiue quia illis in quæ tranſeundum eſt iam mixta ſunt : habet ergo terra humorem & hunc exprimit : habet etiam aera, & hunc hyberni frigoris vmbra denſat vt humorem faciat. *Hieronymus.* In terræ quoque viſceribus ferrum & lapides decernuntur, in quibus ignis latitat;aerem in terra eſſe probatur, dũ humecta terra temperiem ſolis acceptãs vapores largiſſimos exalat.

Qualis fuit illa congeries prima.

CAPVT XIV.

Vilelmus de Conchis. Terra vndique aquis cooperta, aqua vero vſque ad magnam partem aeris eleuata,aer autem,& ignis ſpiſſiores,quam modo ſunt, quæ ſpiſſitudo ex particulis terræ, & aquæ, quæ illis inerant prouenicbat. *Petrus Lombardus.* Igitur ſecundum communem ſanctorum traditionem, primò materia rudis atque informis quatuor elementorum commixtionem atque confuſionem tenens creata eſt; Poſtea per interualla ſex dierum ex illa materia rerum corporalium genera ſunt formata ſecundum ſpecies proprias, hanc autem materiam appellabat Moyſes (terram,) quia indecora erat,& (abyſſum) quia commixta, & confuſa carens ſpecie diſtincta, (aquam) quoque quia fluitabat,vel quia omnia terra naſcentia ab humore concreantur,& nutriuntur,ita ſub his nominibus rerum viſibilium ſignificata eſt illa informis materia,& inuiſa(quæ nulla ſpecie cerni aut tractari poterat) propter infirmitatem paruulorum,qui minus idonei ſunt inuiſibilia comprehendere, erat autem moles illa tenebroſa lucis abſentia, ſuper quam ferebatur ſpiritus Dei,ſicut rebus fabricandis ſuperfertur voluntas artificis,vt perficiat quod incepit.*Hugo de ſacramentis.* Videtur etiam moles illa quando creata eſt ibidem ad eſſe prodijſſe, vbi nunc formata ſubſiſtit. Eratque terrenum hoc elementum in vno eodemque loco medio ſubſiſtens. Cætera vero tria in permixtione vna confuſa circumquaque ſuſpenſa,eouſque in altũ porrigebantur quouſque nunc ſummitas corporeæ naturæ pertingit. Et ſicut quibuſdam videtur vltra firmamenti locum extẽſa in inferiori parte ſpiſſior atque craſſior erat,in ſuperiori vero rarior,& ſubtilior de qua rariore ſubſtantia putantur aquæ eſſe, quæ ſuper firmamentum eſſe dicuntur. Talis fuit mundi facies in principio ante formationem eius ac diſpoſitionem.

Terra apud Moyſẽ quid?

Aſſertio Auguſtini, quod omnia ſimul creata, & formata fuerunt.

CAPVT XV.

QVidam tamen ſancti tradunt omnia ſimul in materia, & forma creata fuiſſe, quod Auguſt. ſenſiſſe videtur. *Author.* Ex libris Auguſtini omnia, quæ à principio Geneſeos narrantur vſque ad locum illum (fons autem,& fluuius aſcendebat.) Ait Auguſt. facta fuiſſe non in tempore,vel per tempora,ſed in radice temporum. Quam ſententiam multis rationibus, & coniecturis litteræ probare nititur. Scriptum eſt enim. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.* Item indignum videtur hoc de tam potente artifice ſentire, quia omnia ſubito poteſt operari, quod quemadmodum figulus primo præparauerit maſſam ſuam informem,vt poſtea per interualla ſex dierum vaſa ſua, & creaturas ſingulas in proprias ſpecies formarit,& tandem, quaſi ex labore, & operis difficultate fatigatus ſeptimo die requieuerit, ſicut videtur ſonare litera Geneſeos. Quod enim figulus,& quilibet artifex materialis operatur ſucceſſiuè,hoc prouenit ex infirmitate: quia ſcilicet non poteſt ſubito operari. Præterea ſi lux quæ primo die facta fuiſſe legitur corporalis fuiſſe intelligatur : ſicut dicit expoſitio communis videtur fuiſſe creata ſuperfluè : quia non ſeruiuiſſet homini, propter quem creata ſunt cuncta ſenſibilia. Nondum enim erat homo creatus: quando lux illa viciſſitudinẽ diei, & noctis exhibebat,quod fecit tantũ vſque ad quartũ diẽ,in quo creata ſunt luminaria : vnde magis videtur ibi intelligẽda fuiſſe lux ſpiritualis in angelica creatura:alioquin ſi lux illa in circuitu ſuo peragebat diem,& noctem: vt quid poſtea factus eſt ſol in poteſtatem diei. Ad hoc ſole curſum peragente tunc nobis fit mane quando apparere incipit in Oriente: Nobis aduerſperaſcit quando ad Occaſum declinat: & tunc oritur in inferiori hemiſpherio. Semper ergo eſt dies ſemper & nox : licet in diuerſis locis. Vnde quod modo dicimus eſſe diem, vel noctem, ſiue mane, vel veſpere,intelligimus quo ad nos. Sed non fuit homo creatus vſque ad ſextum diem. Et non erat cui viciſſitudo illa diei, & noctis exhiberetur. Cæterum poſtquam de luce dictum eſt : vidit Deus lucem, quod eſſet bona. Additur. Et diuiſit lucem à tenebris. Et videtur quod ſuperfluè : quia non poteſt eſſe lux niſi diſcreta à tenebris : cum tenebræ tantum ſint ex abſentia lucis.

Rationes cur omnia ſint ſimul creata.

Item ad idem per coniecturas litteræ.

CAPVT XVI.

PRæterea de quolibet genere creaturæ ſigillatim dicitur, vidit Deus (*quod eſſet bonum,*) præterquam de homine. Cuius ratio aſſignatur : quia malus in proximo futurus erat per peccatum. Et de opera ſecundæ diei, cuius ratio ponitur. Quia binarius eſt infamis : eo quod primus ab vnitate recedit quam diligit Deus. Similiter & de nocte non dicitur dixiſſe Deus, quod eſſet bona: ſed ſingulariter de luce hoc dicitur. Et ſtatim quaſi lucem approbando, & noctem reprobando diuiſiſſe dicitur lucem à tenebris. Quin etiam poſt illam diuiſionem, & appellationem diei, & noctis nuſquam per totam ſeriem ſeptem dierum fit aliqua mentio de nocte; ſed tantum de veſpere,& de mane;quæ vtique diem non perficiunt, ſed tantum initiant, & terminant. Cur itaque hoc, niſi quia lux, & tenebrę referendæ ſunt ad creaturas ſpirituales, id eſt ad Angelos, ſcilicet lux ad bonos, in quibus Deus gratiæ & ſapientiæ ſuæ lucem approbauit, Tenebræ vero ad malos, in quibus fumnm & caliginem ſuperbiæ reprobauit. Adhuc cum certum ſit tam ex veteri, quam ex nouo teſtamento, luciferum & complices ſuos corruiſſe è cœlo, & ſic à ſocietate ſanctorum angelorum diuiſos fuiſſe. Scriptum eſt enim in Iſaia. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer* &c. Et in Ezechiele. *Peccaſti cherub, & eieci te &c.* Et apertius in Euangelio: Videbam ſathanam &c. Et alibi. *In veritate non ſteterit.* Abſurdum eſt valde,vt inter opera Dei primaria non exprimat ſcriptura de angelis;non ſolum eorum creationem,ſed etiam bonorum confirmationem, & malorum ruinam ; quod vtique nuſquam in tota ſerie ſex dierũ poteſt intelligi,niſi in diuiſione lucis à tenebris. Item cum ſecundũ dicatur reſpectu primi, Cur non dicitur dies primus,ſed vnus,niſi ad commendationem vnitatis angelorũ,qui vna charitate coniuncti Deo concorditer ſeruiunt & inuicẽ ſoliciti ſunt ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Itẽ cur in creatione

Lux & tenebra quid?

Gen. 1.

Iſa.c.13.Eze. c.28.Luc. 10.Ioan. 8.

Eccleſiaſtici cap. 18.

tione lucis duplicatur tantummodo verbum faciendi A quia dicitur fiat lux,& facta est lux.In alijs autem triplicatur, vt in firmamento, dicitur enim fiat firmamentum & fecit Deus firmamentum, & factum est ita. Sed si cœlum, & terra, & virgulta & herbæ non simul, sed per interualla dierum vel temporum facta sunt,sicut videtur sonare littera:cur postmodum hæc omnia scriptura epilogans: sub vna die testatur facta fuisse dicens. Istæ sunt generationes cæli, & terræ: quando creatæ sunt in die quo fecit Deus, &c. nisi, quia vnus factus est dies,& non plures in quo omnia facta sunt.Cuius varia repetitione septem dies ibi numerantur, & non successio dierũ.Vnde & alia translatio sic habet. Cum factus est dies fecit Deus cœlum, &c. propter huiusmodi rationes, & coniecturas literales, visum est August. quod simul omnia facta sunt in materia,& forma.

Expositio eiusdem litteræ secundum August.

CAPVT XVII.

Gen. 1. Cœlum & terra quid?

CVm ergo dicitur.*In principio creauit Deus cælum, & terram*,secundum Augu. nominibus cæli, & terræ intelligitur materia spiritualis, & corporalis creatura,quæ præcessit ipsas res formatas, non tempore,sed origine,sicut sonus cantum.Sonus enim formatur in cantum. Nec apparet informitas materiæ corporum:nisi in eorum mutatione, cum scilicet ex vna forma in aliam transeunt.Huiusmodi enim transitus de forma sit per quoddam informe,quod vocatur materia informis priuata omni forma,& est capax C omnium formarum,in quas mutantur res mutabiles: Et ita non cognoscitur nisi per positionem sui contrarij idest formæ, sicut nec tenebræ nisi per lucem, nec silentium,nisi per sonum.Similiter creatura spiritualis habet vitam informem in se, scilicet non conuersa ad creatorem, dum enim ad eum conuertitur formam capit ab eo qua illi assimilatur, & hæc vitæ informitas non appareret in sanctis Angelis quæ perstiterunt in forma euersionis.Sed in malis, qui formã illam sapientiæ vel nunquam conuersione acceperunt, vel auersione amiserunt, & ad nihilum redacti sunt,id est prope nihil.Vnde in Iob diabolus non dicitur esse,quia ab esse defluxit non ad esse,& ideo minus est. Quoniam ergo dũplex est creatura, scilicet D corporalis,& spiritualis, quarum neutra immediatè defluxit à creatore, sed per quandam informitatem quæ prope nihil est, ex qua formata sunt singula per conuersionem ad ipsum; Rectè in principio creationis ipsarum rerum vtriusque naturæ informitas, nomine cæli,& terræ insinuatur,scilicet nomine cæli vita informis creaturæ spiritualis.Et nomine terræ materia informis creaturæ corporalis. Nam quia hæc duo nec omnino nihil sunt, nec aliquid perfectum, sed medium verũ vtrumque congrue Moyses modũ creationis, quo ex nihilo facta sunt omnia explicare volens,in ipso exordio materiam insinuat vtriusque creaturæ informem,per quam res ipsæ creatæ, ex nihilo in aliquid tanquam per medium transierunt, & hoc nominibus cœli, & terræ,quia aliquibus vsitatis vocabulis oportet ea exprimere, vt sensu tardioribus E vtrumque innotesceret: vtraque informitas apertius insinuatur,cum dicitur,terra autem erat inanis,& vacua, &c. Nomine enim terræ materia corporum informis exprimitur, de qua in lib. Sapientiæ dicitur. Creauit orbem terrarum ex materia inuisa, vnde hic habet,alia translatio,terra erat inuisibilis, & incomposita. Nomine autem abyssi vita informis Angelorum,qualis esset,si non ad creatorem conuersa fuisset hæc ergo duplex informitas siue inchoatio creaturæ stetisset in informitate sua, nisi pro conuersione sui generis ad creatorem suum formam acciperet, & sic perfecta creatura fieret.

De Senaria conuersione creaturæ.

CAPVT XVIII.

HÆc autem conuersio creaturæ cuiusque generis explicatur per sex distinctiones. Cum de vnoquoque genere dicitur, dixit Deus, fiat &c. Sic ergo dicendo per singula creaturæ genera, intelligitur reuocari prædicta informitas ad verbi formam incommutabilem,vt formetur in species varias, iuxta rationes vel ideas,quæ in ipso verbo erant æternaliter.Ideo etiam in ipsa inchoatione creaturæ insinuanda,non dicitur, dixit Deus, fiat cœlum, & terra, Quia formam verbi incommutabiliter patri cohærentem non imitatur imperfectio siue informitas creaturæ, quæ nomine cœli,& terræ intelligitur, donec ad ipsum conuersa, formam ab eo pro modulo sui generis capiat. Ideo etiam ibidem non fit cõmemoratio filij in quantum verbum:sed in quantum principium : postea vero in conuersione,siue formatione creaturæ, fit eiusdem commemoratio in quantum verbum, vt scilicet per hoc quod est principium insinuetur exordium creaturæ existentis ab illo adhuc imperfectè: per hoc autem quod est verbum insinuetur perfectiò creaturæ ad ipsum reuocatæ,siue cõuersæ, vt formaretur inhærendo creatori,& pro genere suo imitãdo formam semper patri cohærẽtem.In ipso itaque exordio creaturæ insinuatur Trinitas creatrix, scilicet in Dei nomine Pater : Filius in principij nomine, Spiritus sanctus,in hoc quod dicitur spiritus domini ferebatur super aquas,id est,benignitati eius placebat,vt ex materia fluxibili, & informi ad modum aquarũ perficeret, quod inchoauerat. Similiter, & in conuersione creaturæ,quæ incipit ab illo loco:dixit Deus,fiat lux, &c. eadem Trinitas insinuatur scilicet pater in Dei nomine:filius in verbi nomine:Spiritus sãctus in hoc quod dicitur:vidit Deus,quod esset bonum,id est, benignitati eius placuit,vt maneret iam perfectum,quod placuerat,vt perficeretur inchoatum.Conuersionẽ ergo, siue formationem creaturæ incipit Moyses à digniori explicare : cum dicitur,dixit Deus fiat lux , & facta est lux,id est,per verbum suum vitam informem spiritualis creaturæ, quæ prius vocabatur tenebræ , vel abyssus:ad principium suum reuocauit siue conuertit : vt ex ipso formam sapientiæ capiens fieret lux : de qua illuminatione dicit Apostolus 2. ad Corin. Deus qui dixit de tenebris lumen splẽdescere illuxit in cordibus nostris.Et ad Eph.Eratis inquit aliquãdo tenebræ:nũc autem lux in domino. In hac luce veritatis Lucifer ille non stetit sed auersus ab ea, quia noluit ei subijci, continuo ad tenebras suas relapsus est.Ideoque mox, vt dictum est,facta est lux : subiungitur, & vidit Deus lucem,quod esset bona.Non autem post diuisionem lucis à tenebris dicitur, vidit Deus, quod esset bonũ, ne scilicet talibus tenebris simul cum illa luce testimonium beneplaciti sui perhibuisse Deus videretur: sed magis eas reprobare : vbicunque enim per singula opera dicitur in fine,vidit Deus,quod esset bonum:intelligitur approbatio rei perfectæ secundum artem, quæ facta est sapientia Dei ; per hoc quod dicitur diuisit lucem à tenebris:intelligitur discretio,& ordinatio meritorum:in Angelis bonis,& malis,& etiam separatio localis eorũ ab inuicem: quia bonis remanentibus in cœlo Empyrreo, quasi in aula regia , vbi nati sunt:mali in hunc caliginosum aerem corruerunt, qui est eis,quasi carcer vsque ad diem iudicij.

Trinitas indicatur in Genesi.

De cognitione Angelica matutina, & vespertina.

CAPVT XXIX.

ANgelica vero creatura lucis æternæ particeps dicitur lux. Quæ statim vt ad lucem increatam conuersa est:facta est lux. In ipsa luce creante cõtemplata est rationes omnium rerum creandarum quæ ideæ vocantur. Nihilominus etiam in eodem instanti

cognouit

cognouit ipſas res creatas in generibus proprijs. Sed prima cognitio quæ maior eſt,& clarior matutina dicitur. Secunda, quia minor, veſpertina. Prima etiam rectè præcedit ſecundam. Quia Angeli non per creaturas cognoſcunt Deum, ſicut nos: ſed potius econtra: vtramque autem cognitionem præcedit ipſa ratio cuiuſlibet rei exiſtens in verbo ab æterno. Iuxta illud: quod factum eſt in ipſo vita erat: vbicunque autem de quolibet opere cuiuſlibet diei dicitur: dixit Deus (fiat.) Intelligenda eſt ſcripturæ intentio recurrere ad verbi æternitatem, in quo ſcilicet erat ab æterno ratio rei faciendæ. Cum autem dicitur, & factum eſt ita. Intelligenda eſt cognitio ipſius rationis rei creatæ quæ eſt in verbo, facta in Angelo contemplante ipſum verbum. Cum autē additur,& (fecit Deus.) Intelligenda eſt factura ipſius creaturæ in genere ſuo. Noſtra tamen tranſlatio non habet vbique hæc ſcilicet tria (fiat,& fecit,& factum eſt.) Sed vbique intelligenda ſunt. Ideoque etiam in conditione lucis non triplicatur verbum faciendi: ſicut in alijs. Quia non primo cognouit Angelus illuminationem ſuam & poſtea illuminatus eſt. Sed in ipſa illuminatione cognouit: de alijs autem creaturis ſecus: quarum rationes prius in verbo cognouit: & poſtmodum ipſas creaturas in genere ſuo. Et ideo de illis dicitur, fiat ſcilicet quantum ad rationē in verbo,& factum eſt quantum ad cognitionem in Angelo, & Deus fecit quantū ad eſſentiam in genere ſuo proprio. Prius ergo in æterna ratione cognoſcit Angelus vniuerſam creaturam tanquam in ſua vera luce, & ob hoc tanquam in mane. *Mane.* *Veſpere.* Deinde ipſam in proprio genere in quo naturaliter tenebreſcit,& deficit lux eius, quia in nihilum tendit cum ex nihilo ſit,& ob hoc tanquam in veſpere. Sed continuo fit mane: quia Angelus non remanet in eo quod creatum eſt, ei per dilectionem adhærendo, imo ſtatim refert illud ad laudem eius in quo illud faciendum eſſe cognoſcit,& ibidem percipit cognitionem rationis alterius creaturæ faciendæ, in qua veritate ſtans dies eſt. Nam ſi Angelus aliqua creatura vel etiam ſeipſo plus delectaretur quam illa luce cuius participatione beatus eſt, eo ipſo tenebreſceret, & de die nox fieret. Sed quia ſcientiæ, & ipſius creaturæ electione,& delectatione præponit, quod eam ſcit in ipſa veritate per quam facta ſunt omnia, Ideo per omnes ſex dies non nominatur nox: ſed poſt veſperam ſtatim ſubiungitur mane, & fit dies vnus, deinde ſecundus, deinde tertius vſque ad ſextum, propter ſenariam operum diſtinctionem: dies autem vnus, & non primus dicitur ad commendationem vnitatis Angelorum, vt ſupra dictum eſt, qui concordiſſimè lucem veritatis contemplantur, & ei obediunt, quibus mirabili fælicitate ſemper eſt dies, imo meridies, quia ſemper clare vident Deum, & ardent amore diuino. Semper mane, quia vident rationem cuiuſque rei faciendæ in Speculo. Semper veſpere, quia vident quamlibet creaturam in genere proprio. Vnde Danid in pſalmo, quaſi volens breuiter exprimere, quid ab Angelis, & animabus factis abſque temporum vicibus ageretur in ipſa patria, veſpere, inquit,& mane, & meridie narrabo. *Pſal. 54.*

De Ratione Senarij dierum in operationibus Dei.

CAPVT XX.

IDeo per ſenarium numerum creatio rerum explicatur, vt oſtendatur, quod Dei perfecta ſunt opera. Nam Senarius eſt primus numerus perfectus tali perfectione, quod partibus ſuis aliquotis ſimul ſumptis completur, quæ ratio inuenitur in numeris: hæ autem partes ſunt vnum, duo, tria, quæ etiam gradatim in trigonum ſurgunt. In requie vero diei ſeptimę intelligitur Deus requieuiſſe in conſpectu Angelorum non niſi in ſeipſo ſcilicet vt Angelica creatura quæ cognoſcendis eius operibus, & in ipſo, & etiam in illis tanquam dies cum veſpera præſentata eſt, nihil melius eſſe cognoſceret quam illum, qui ab omnibus operibus ſuis in ſeipſo requieſceret: quia nullo eorum indiget, vt ſit beatior. Et hæc ſeptima cognitio, quia non habuit veſperam: cum non ſit de creatura, ſed de creatore, à Deo benedici meruit,& ſanctificari. Sicut ergo Ioannes in Apoc. aperte vidit ea: quæ nobis ſub figuris tradidit,& dominus in Euāgelio, ea quę aperte intelligebat populo ſub Parabolis proponebat: quia populus rudis aliter capere nō poterat, Sic & Moyſes Spiritu ſancto reuelante, ſciuit quidem omnia ſimul creata fuiſſe in eſſe completo: tamen quia rudi populo Iudaico loquebatur, qui nō potuit intelligere, vel capere qualiter Deus ſubito operatur. Ideo ſub diſtinctione ſex dierum opera explicauit: loquēs de eo quaſi de homine qui per moras, & ſucceſſiones operatur, & poſt laborem operis requieſcit, vt homines ſcilicet carnales ac rudes aliquanto poſſent mundi creationē mente capere,& ſic in eis ſalubriter ædificaretur fides: qua crederēt Deum omnia feciſſe: ſic enim ſcriptura more ſuo in ſuperficie literæ paruulis condeſcendit: vt cum dicit Deum zelotem, iratum, pœnitentem,& huiuſmodi. Sed qualiter poterit hæc Aug. ſentētia ſtare: cum ipſemet dicat ſuper Gen. quod cæteræ creaturæ infra lucem, id eſt, Angelum non fuerunt creatæ ſine Angeli cognitione. Ex hoc enim videtur, quod Angelus ante cætera creatus ſit,& ita quod nō omnia ſimul creata ſunt. Sed in his verbis innuit Aug. quod res naturaliter prius ſunt in mēte artificis per diſpoſitionem, quam in eſſe actuali: Et hūc ordinē cognouit Angelus in ipſis reb. iam creatis: vnde non oportuit quod ante cætera creatus eſſet: vel forſitan, quod ait Aug. omnia creata fuiſſe ſimul in eſſe cōpleto de corporalibus creaturis intelligēdum eſt,& non de Angelo, qui fortaſſis ante cætera factus eſt: ſecundum illud Eccleſiaſtici (prior omnium creata eſt ſapientia) ideſt, natura angelica participatione ſapientiæ beata.

Septima cognitio.

Cur ſex dies?

Obiectio.

Reſponſio.

De die Spirituali, ideſt Angelo ſuper Gen.

CAPVT XXI.

Aug. Dies ille Spiritualis preſentatus eſt omnibus operibus Dei hoc ordine præſentiæ quo ordine ſcientiæ, qua & in verbo Dei faciēda præcognoſceret, & in creatura facta cognoſceret. Non per interuallorum temporalium moras: ſed prius,& poſterius habēs in connexione cauſarum precedentiū,& ſequentium. Non enim cognitio fieri poteſt niſi cognoſcenda precedant, quæ iterum priora ſunt in verbo per quod facta ſunt omnia, quam in ipſis quæ facta ſunt in omnibus. Hunc ordinem cognoſcēs Angelus habuit prius, & poſterius in connexione cauſarum: in efficacia vero creatoris omnia ſimul. Nam ſapientia Dei, quæ attingit à fine vſque ad finem, &c. Non vtique gradibus pertingit atque greſſib. peruenit, ſed ineffabili virtute. Quapropter quam facilis ei efficaciſſimus motus eſt: tam facile Deus omnia condidit, vt hoc quod nunc videmus temporalibus interuallis ea moueri ad peragenda, quæ ſuo cuiq; generi competunt: ex illis infitis rationibus veniat quas tanquam ſeminaliter ſparſit Deus in ictu condendi, quando dixit,& facta ſunt. Nō itaque tarde inſtitutum eſt, vt eſſent tarda, quæ tarda ſunt, ſed hos numeros tēpora peragunt, quos cū crearentur non tēporaliter acceperunt. Illi autem ſeptem dies quos lux corporis cęleſtis circumeundo explicat, & replicat, ſecundum quandam ſignificationis vmbrā nos admonent: illos dies quærere in quibus lux creata ſpiritualis, cognoſcendis omnibus operibus Dei: in ipſo etiam & in illis tanquam dies cum veſpera præſentata eſt per Senarij numeri perfectionem.

Idem ibidem. Nemo ergo putet, quod de luce & die ſcilicet ſpirituali diximus: non propriè ſed allegoricè conuenire: licèt enim alia ſit lux ſpiritualis in Angelis, alia lux corporalis in Sole, non tamen hic dicitur propriè lux,& ibi figuratè: vbi enim eſt certior lux, ibi verior dies. Cur ergo non verior veſpera,& verius mane?

Alia expoſitio eiuſdem ſecundum eundem.

CAP. XXII.

IDem in eodem. Poteſt etiam intelligi, quod his diebus ſeptem, qui illorum primorum numero, & vocabulis cenſentur, per volumina temporum quotidie tranſcurrentibus, illi in rerum conditione maneant, vt diei nomen intelligamus in ſpecie rei, quæ creata fuit. Noctemque in eius priuatione, ſcilicet, cum amittitur ſpecies: aliqua mutatione à forma ad informitatem declinante, quæ mutatio omni creaturæ ſine paſſibilitate ineſt, ſicut in cæleſtibus & ſuperioribus, ſiue ad implendam in infimis rebus pulchritudinem temporalem, quæ per ordinatas vices, quorumque mutabilium ceſſionibus ſucceſſionibuſque peragitur, ſicut patet in rebus terrenis atque mortalibus. Veſpera vero in omnibus, quaſi quidam ſit terminus conditionis perfectæ. Mane vero incipientis exordium: omnis enim creatura certis ſuis initijs, & terminis continetur, perfectus autem operibus diei ſeptimè dies quietis habet mane, & non veſperam, perfecta quippe creatura quoddam habet initium ſuę conuerſionis ad quietem ſui Creatoris, quia rei cuiuſque perfectio, non tam in vniuerſo cuius pars eſt, quam in eo à quo eſt, in quo ipſum vniuerſum eſt, pro ſui generis modulo ſtabilitur, vt quieſcat, id eſt vt momenti ſui ordinem teneat, dum enim ipſe manet in ſe, quicquid ex illo eſt retorquet ad ſe; vt omnis creatura, & in ſe habeat naturæ ſuæ terminum, quo non ſit, quod ipſe eſt, & in ipſo quietis locum in quo ſeruet, quod ipſa eſt. Initium ergo quietis huius creaturæ in Deo, illo mane ſignatum arbitror, quod factum eſt poſt veſperam ſextæ diei, quia non poſſet in eo niſi perfecta requieſcere. Sex ergo diebus conſummata: cæpit in eo à quo facta eſt requieſcere, vt requieſcere poſſet inuenit: tanto ſtabilius, & firmius quanto non ipſe huius, ſed ipſa illius ad quietem ſuã indiguit. Sed quia vniuerſa creatura, quicquid quibuſlibet mutationibus erit, non vtique nihil erit. Ideo vniuerſa creatura ſemper in Creatore ſuo permanebit. Et per hoc poſt illud mane nulla veſpera fuit.

Moralis expoſitio.

Aſſertio aliorum Doctorum, & reſponſio ad Auguſtinum.

CAPVT XXIII.

HÆ duæ expoſitiones Auguſtini, quia litterrales ſunt, fundamentum hiſtoriæ non auferunt. Sed alijs, vt ſupra dictum eſt, communiter tradunt & aſſerunt, quod opera illa Dei primaria, per interualla ſex dierum facta ſunt, quam ſententiam Hyeroni. Grego. Beda, & plures alij commendant, & præferunt. Nec obſtat, quod ſcriptum eſt, *creauit omnia ſimul*, quia per (omnia) intelligit materiã, & ſimilitudinem omnium. Materiam quantum ad corporalia quæ ex ea formantur per ſex dierum interualla. Similitudinem quantum ad ſpiritualia, quia ſexta die creata eſt anima humana, cuius ſimilitudo iam præceſſit in angelica creatura: potuit quidem Deus omnia facere ſimul in eſſe completo, ſed voluit per ſucceſſiones ſex dierum propter ſenarij myſterium, qui numerus perfectus eſt, vt opera ſua oſtenderet perfecta eſſe, nec aliquid ibi deeſſe: vel etiam propter ſex mundi ætates præſignandas. In illis enim ſex diebus primarijs, quaſi in radicibus temporum creauit Deus res temporales & mutabiles, ex quibus voluerentur, & excurrerent tempora per ſex mundi ætates, quibus completis animæ ab operibus ſæculi in ſeptima ætate requieſcent, ſicut Deus à ſuis ſeptima die. Vnde ſcriptum eſt. Ammodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. Nec lux prima die facta eſt ſuperfluè, ſed vtiliter ſcilicet vt in agendo viciſſitudinem diei ac noctis, ſupppleret vicem ſolis, qui quarto die creandus erat, & non ante. Et huius ratio patebit inferius in ordinatione dierum: nec oportebat, quod alicui viciſſitudinem illam præberet, ſed quando illuminabat ſuperius hemiſpheriũ in quo homo habitaturus erat: tunc reputabatur eſſe dies, quando autem inferius nox, ſicut modo eſt de Sole. Nec poſt eam ſuperfluè factus eſt Sol, quia lux illa tenuis erat, & inſufficiens ad perfectam illuminationem mundi ſenſibilis. Et forte nec illũminabat, niſi ſuperiores partes, ſicut nunc ſtellæ de die. Ideoque factus eſt Sol in poteſtatem, id eſt potentem illuminationem, & virtuoſam Dei ipſius.

Eccl. ca. 18.

Apoc. ca. 14.

Idem ad idem.

CAP. XXIV.

CReauit autem Deus cum luce tenebras id eſt vmbras ex obiectione corporum luci, & creatas diuiſit locorum diſtantia, & qualitate, ſcilicet vt nuſquã ſimul eſſent, ſed ſemper diuerſa hemiſpheria è regione viciſſim ſibi vendicarent. Ideo autem de tenebris non dicitur, ſicut de luce, vidit Deus, quod eſſet bonum, quia tenebræ nihil aliud ſunt, quam lucis carentia, vel aer ſine luce de aere: autem non oportebat hoc ibi dicere, quia hoc reſeruabatur diei tertiæ, in qua aer diſpoſitus eſt, qui liber ab aquis notam nobis formam accepit, ſicut aqua terra. Vnde de his tribus, ſimul dicitur, vidit Deus, quod eſſet bonum. Noctem vero per dies ſequentes non nominat, quia non oportebat, ex quo ſemel in operæ primæ diei nominata eſt, ſed nominatur tantum initium, & finis diei ſcilicet veſpere & mane, quia in die fecit fecit Deus cuncta opera illa primaria, non nocte ſicut creditur, propter myſterium, ſcilicet quia in luce operandum eſt, ſecundum illud. Ambulate, dum lucem habetis, &c. Non autem in nocte, id eſt in tenebris culpæ, vel etiam poſt lucem huius vitæ dicente domino. Me oportet operari, &c. Præterea licet ad literam prima die facta ſit illa lux corporalis, & diuiſa à tenebris, nihilominus poteſt ſub eiſdem verbis myſticè intelligi diuiſio Angelorum bonorum, & malorum. Tradunt tamen Hebræi, quod in ſecunda Angelus factus eſt diabolus. Ideoque de opere illius diei non dicitur: vidit Deus, quod eſſet bonum, quibus conſentire videntur illi, qui in ſecunda' feria miſſam ſolent celebrare de Angelis, quaſi in laudem ſtantium Angelorum. Huic etiam ſententię videtur conſonare beatus Gregorius, qui dicit quod nomine firmamenti intelligantur Angeli confirmati, qui ſcilicet ante confirmationem vocabantur nomine cœli, vbi dicitur. In principio creauit Deus cælum, &c. Nec refert, vtrum dicatur dies vnus, vel primus, quia idem eſt, cum vnitas ſit principium numeri. Cum vero res tripliciter factæ ſint, ſcilicet primo in diſpoſitione Dei, deinde in eſſe naturali, & tandem in eſſe formali. Ideo dicitur de quolibet genere, fiat & fecit Deus, & factum eſt, vel ſicubi in textu non apponatur, de omnibus tamen intelligitur. Cum autem dicitur in die quo fecit Deus cœlum & terram, &c. dies pro tempore iuxta morem ſcripturæ accipitur. Sic ergo communem opinionem ſuſtinendo, poſſunt diſſolui ſupradictæ rationes, quibus confirmari videtur opinio Sancti Auguſtini. Nos quoque circa eandem communem traditionem opera ſex dierum attentius proſequamur.

Cur omnia Dei opera de die.

Ratio ordinis ſex dierum ſecundum quoſdam.

CAPVT XXV.

CReationem mundi ſub operibus ſex dierum ſcriptura explicans, Inſinuat tria ſcilicet diſpoſitionem, creationem, & ornatum. In prima die creatio-

nem

nem, & quandam diſpoſitionem. In ſecundo, & tertio diſpoſitionem. In reliquis tribus ornatum. *Author* Oportebat enim primo creare mundum, quod factum eſt primo die, vel ſecundum alios ante omnem diem, & etiam ipſum mundum creatum illuminare, ne informis, & tenebroſus remaneret, ſed omnia opera in luce fierent, & hoc eadem prima die factum eſt. Secundo maiores mundi partes diſponere, ſcilicet cœlum, & aerem, & terram, quod factum eſt ſecundo die, & tertio. Nam ſecundo die factum eſt firmamentum diuidens aquas ſuperiores ab inferioribus. In tertio aquæ quæ totum aeris ſpacium occupabant, & terram operiebant, in vnum locum redactæ ſunt. Ita quod vnumquodque elementorum proprium locum ſortitum eſt. Tertio oportebat mundum ſic diſpoſitum ornare ad decorem, & vtilitatem, quod factum eſt tribus diebus reliquis. Et ſicut diſpoſitio incepit à ſuperiore parte mundi ſenſibilis, id eſt à firmamento, ſic etiam ornatus: vnde quarto die ornatum eſt firmamentum luminaribus. Quinta aer volatilibus, & aqua natabilibus. Sexta terra quæ infima eſt & extrema elementorum, greſſibilibus, & reptibilibus, & ſerpentibus. Tandem mundo ſic creato, & diſpoſito, & ornato, tanquam pulcherrimo habitaculo à ſummo artifice fabricato: introductus eſt homo, tanquam habitator, & dominus omnium, de quo dictum eſt, præſit piſcibus maris, & vo.cæ. & b.u.q.crea.

Cur homo ſexto die ornatus.

Alia ratio eiuſdem, quantum ad tres primos dies ſecundum Hugo.

CAPVT XXVI.

Gen. 1. HVgo *de tribus diebus.* In principio creauit Deus cœlum, & terram, id eſt in primo momento temporum creauit mundi materiam. Cœlum vero creatum, quia ſummæ leuitatis eſt, ſtare non potuit, & quia continet omnia de loco ad locum in ante progredi non potuit. Idcirco ab ipſo primo momento ſuæ creationis cæpit circulariter conuerti. Ita vt ipſa prima conuerſio integrè perfecta, eſſet in ſpacio, quod prima dies appellatum eſt, ſcilicet dies naturalis id eſt ſpatium in quo vna cœli conuerſio integra perficitur. In hac ipſa prima conuerſione cœli, ſuperius elementum, id eſt, ignis illuminauit ſuperiora aeris. Nam hæc eſt natura cœleſtis ignis, vt ſua conuerſione illuminet aera. Mediante vero aere calefaciat aquea, & terrea. Sunt enim duæ virtutes ignis, ſplendor, & calor: ſplendor enim naturaliter efficit in aere calorem, quem in aqueis, & terreis exercet. Nam calor eſt virtus ignis diuiſiua ſolidorum. Si vero calor in aere ſentitur, hoc contingit ex eo, quod ipſe aer ex inferioribus elementis ſpiſſatus eſt. Prima igitur die creauit Deus materiam, & lucem, id eſt illuminationem ex conuerſione elementi ſuperioris, ſcilicet, in ipſo aere innatam. Aere vero ex ſuperioris elementi virtute illuminato, & ignis illuminatio conſequebatur naturaliter, vt ipſius aeris illuminatione mediante calefaceret ignis tertium elementum, id eſt, aquam, & calefaciendo vaporaliter ſuper aera ſuſpenderet. Eſt enim natura caloris aquam in minutiſſimas guttas diuidere, ac virtute ſui motus ſuper aera eleuare, ſicut apparet in fumo caldarij, & in nubibus cœli. Sicut enim prima conuerſio ignis illuminauit aera, & ſpacium illius conuerſionis prima die fuerat. Sic eiuſdem ignis ſecunda conuerſio mediante aere, aquam calefacit. Et poſuit firmamentum inter aquam, & aquam. Et huius ſecundæ conuerſionis ſpacium, ſecunda dies dicitur. Aqua vero ſuper aerem vaporaliter ſuſpenſa ordo naturalis exigebat, vt aqua labili diminuta appareret terra. Nam è caldario quanto maior fumus aſcendit, tanto quod continetur in ipſo minoratur. Similiter ſi ſuper menſam aliquam ſuperficies aliqua continetur ipſius aquæ, & ignis ei ſupponatur: mox illa aquæ ſuperficies per ſuppoſitum calorem attenuatur, & in ea quædam maculæ aridæ apparent: aqua in quibuſdam locis contracta & globata: ſic ergo aer qui firmamentum appellatus eſt, inter vtramque aquam poſitus, ac per hoc maiori calore agitatus, tertiam conuerſionem integram fecit. In qua terram quibuſdam inſulis circumquaque diſtinxit. Nam labili aqua minuta apparuit arida, ſed non continua, vt oſtenſum eſt. In eadem etiam conuerſione contigit, vt ſuperioris aeris calore, immixto humori terræ ex aquis nuper diſcoopertæ ipſa terra conciperet vim producendi herbas & arbores. Quæ vis ex calore cæli naturaliter proceſſit in terra ex aquis nuper diſcooperta: hoc tertiæ conuerſionis ſpacium, eſt tertia dies appellata.

Ratio ordinationis quartæ diei.

CAPVT XXVII.

POſtea vero firmamento inter aquas poſito, & ipſis aquis circumpoſitis tantus calor innatus eſt, vt per eum aquam labilem in ſe contraheret, ac ſi arida appareret, contigit naturaliter, vt ex illa multitudine aquarum ad firmamentum per tertiæ diei calorem contracta ſtellarum corpora crearentur. Quod enim ſtellaria corpora ex aquis materialiter facta ſunt, certo argumento comprobari poteſt. Nam duo ſuperiora elementa, id eſt ignem & aerem ex ſua natura, ita abſque ſpiſſitudine eſſe manifeſtum eſt, vt nihil eorum ex ſe, ſed accidente viſui peruium ſit. Quod enim quidam rudes dicunt ſe videre cælum, quando purus eſt aer, cum aliquid videre ſe conſpicere dicunt. Illud falſiſſimum eſt, nam vbi viſus deficit, ibi error ſenſus dat imaginationem videndi, quod non videt: ſicut aliquis clauſis oculis, videtur ſibi tenebras videre. Nam quamuis viſus ex luce oculorum ſumat exordium, nihil tamen valet, niſi ex alicuius ſpiſſitudinis obſtaculo repercutiatur. Si ergo aer iſte inferior, qui eſt inter nos & parietem, non poteſt viſui obſtare ad ſentiendum: Multo minus ſuperior, qui purior eſt, vnde propriè aer cælum dicitur: eo quod à viſibus noſtris celatur, Conſtat ergo, quod omne corpus viſibile alicuius denſationis eſt, quæ ex ſpiſſitudine aquæ, vel terræ contingit. Nam nubes ex vapore aquarum denſatæ viſibiles apparent. Flammæ vero quæ in nebuloſo aere, vel aliqua materia, quæ comburitur fuerit, ex vaporibus ſubſtantiam habent. Radius quoque ſolis, qui per feneſtram decurrere videtur, non aliunde eſt viſibilis, niſi ex atomis in radio decurrentibus, & ad lumen Solis reducentibus. Omne ergo corpus, quod apparet viſibile in firmamento cæli, ex aquæ, vel terræ denſitate viſibili eſſe neceſſe eſt. Sed terra non poteſt vel per calorem, vel aliquo alio modo, vſque ad firmamentum eleuari: hoc enim aquæ naturę proprium eſt. Omnia itaque illa quæ in cælo viſibilia apparent, ex aquis naturale principium ſortiuntur. Cuiuſmodi ſunt nubes, fulgura, & cometæ. Similiter, & ſtellaria corpora. Item omne nutribile ex eodem nutriri, ex quo materialiter conſtat, phyſica teſtatur: ſed corpora ſtellaria ex humore nutriri dicunt Philoſophi, ergo ex humore conſtant naturaliter. Spacium igitur quartæ conuerſionis, in qua ſtellaria corpora ex aquis ſuſpenſis vaporaliter conglobata ſunt, quarta dies appellatur.

Stella in aquis.

Stella nutriuntur.

Eiuſdem rationis proſecutio, quantum ad alios dies.

CAPVT XXVIII.

STellis ergo creatis, & motum in firmamento facientibus, ex earum motu calor adductus, & ad vitalem vſque calorem procedens, aquæ primo incubuit elemento, ſcilicet & terræ ſuperiori. Et inde animalia aquæ creata ſunt, & volatilia. Et ſpacium huius quintæ conuerſionis: dies quintus appellatũ eſt.

Median-

Mediante vero humore vitalis ille calor, vſque ad terrena peruenit. Inde animalia terræ creata ſunt, in quorum numero homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt: & huius ſextæ conuerſionis ſpatium ſexta dies vocatur. Sic ergo leuiſſimi cœli, & vltimi nullo modo ſtare valentes, prima conuerſio illuminauit aera. Aer vero illuminatus, calefaciens aquam ſuper ſe ſuſpendens, factus eſt firmamentum. Firmamentum vero ex ſuperiori vapore, vim caloris in ſe continens, fecit aridam apparere, & vim fœcunditatis terræ inſeruit. Tunc vero ex multitudine aquarum in ipſo firmamento ſuſpenſa ſtellæ creatæ ſunt, ac ſic ex motu, & calore ſtellarũ generatio animalium aquis ſumpſit initium. Mediantibus vero aquis ad terram vſque peruenit. Vltra hos modos creandi corporea, ſiue cæleſtia, ſiue terreſtria nullus modo reliquus eſſe poterat. Sic ergo dominus in ſeptimo die requieuit, ideſt à nouo modo creationis ceſſauit, elementis ſingulis ornatu ſuo, & ad inuicem concordia perfectè attributa.

Item alia ratio ſecundum Auguſtinum.

Cap. XXIX.

Auguſtinus ſuper Geneſ. lib. 5. Deus operatus eſt ſimul omnia. vnde inciperent omnia tempora, præſtans eis etiam ordinem, non interuallis temporum, ſed connexione cauſarum, vt ea quæ ſimul facta ſunt: ſenario quoque illius diei numero præſentato perficerentur. Non itaque temporali ſed cauſali ordine, prius facta eſt informis formabiliſque materies, & ſpiritualis, & corporalis: de quo fieret, quod faciendum eſſet. In his vero quæ ex informitate formata ſunt: primus factus eſt dies. Oportebat enim vt creaturæ primatum obtineret illa natura quæ Creatorem per creaturam, non creaturam per Creatorem, agnoſcere poſſet. Secundò firmamentũ, vnde corporeus incępit mũdus. Tertiò ſpecies maris, & terra, & natura lignorum, & herbarum potentialiter. Accepit enim terra ad Dei verbum omnes numeros eorum, quos per tempora exercet, ſecundum genus ſuum. Et poſtquam hæc velut habitatio rerum condita eſt, quarto die luminaria, & ſydera creata ſunt, vt prius pars mundi ſuperior, rebus quę intra mundum modo mouerentur viſibilibus ornaretur. Quintò aquarum natura, quia cœlo aeriq́ue coniungitur, produxit ad Dei verbum, indigenas ſuos potentialiter. Sextò terreſtria, tanquam vltimum elementum vltimo: & hoc potentialiter in numeris, qui poſtea per congruos motus temporum viſibiliter explicarentur. Hunc omnem ordinem creaturæ dies ille cognouit. Et per cognitionem hanc ſexies quodammodo præſentatus, tanquam ſex dies exhibuit, cum ſit vnus dies, quæ facta ſunt in Creatore primo, & in ipſis conſequenter agnoſcens, nec in ipſis remanẽs, ſed eorum ſimiliter cognitionem poſteriorem, ad Dei dilectionem referens, veſperam mane, & meridiem in omnibus præbuit, non per moras temporum, ſed per ordinem conditorum: poſtremo quieti ſui Creatoris, qua in ſe requieſcit ab omnibus operibus ſuis notitiam repræſentans benedici, & ſanctificari ob hoc meruit, vnde ipſum ſeptenarium numerum ſancto ſpiritui quodammodo dedicatum commendat Scriptura, vt nouit Eccleſia.

Quo tempore creauit Deus hunc mundum.

Cap. XXX.

Vlielmus de Conchis. Hebræi, & Latini dicunt in vere factam mundi creationem. Horum talis eſt ratio. Quicquid oritur, ex æqualitate & temperie oritur: quemadmodum, quicquid moritur, ex inæqualitate & diſtemperie moritur. Nullum vero tempus anni, pręter ver temperatum eſt. In eo ergo, nec in alio prima creatio facta eſt. Item res nouæ, & tenerę feruorem ætatis, ſiccitatem autumni: frigus, & pluuias in hieme pati non poſſent, quemadmodum videmus, quod ſi nouellis vitibus frigus accedat, illas mortificat. Ægyptij vero dicunt in Iulio creationem mundi factam eſſe, quos ſecutus Macrobius ait. In Natali die mundi Cancrum geſtaſſe Lunam: Leonem Solem. Horum eſt ratio: In prima creatione mundi tantus fuit humor, quod terra fuit aquis cooperta. Tantus vero humor ſine maximo calore deſiccari, vel temperari non potuit. Ergo in tempore anni, in quo eſt maximus calor, facta eſt mundi creatio: ſicut autem noſtri communis anni prima pars res nouas creat: ſecunda augmentat: tertia minuit, & deſiccat: quarta mortificat: ſic magni, & mundi anni prima pars vim habuit creandi: ſecunda vero augmentandi, extremæ duæ vim habent minuendi, & morficandi: vnde finem mundi credimus inſtare, quia quantitates corporum diminutas, & abbreuiatas credimus, & videmus. Terra nanos homines educat atque puſillos. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor, cum antiqui quingentis, & eo amplius annis viuebant. Et quemadmodum incipiente nouo anno, videmus ea quæ mortua ſunt reuiuiſcere, ſic in principio ſequentis ſæculi, qui mortui ſunt reuiuiſcere potuerint, immo ratio eſt, quod reuiuiſcant, & quemadmodum in hoc præſenti ſæculo, anima cuius locus proprius eſt cœlum iuncta copori, potuit in terra eſſe: ſic corpus iunctum animę per vim ipſius poterit cœlos habitare. Non enim magis eſt contra naturam corpus in cœlo eſſe, quam animam in terra. Comeſtor. Quod autem quidam dicunt (vt prædictum eſt) ſcilicet mundum in vere factum, ſumunt ex eo, quod in mundi creatione dictum eſt. Producat terra herbam virentem, quia videlicet viror, & fructificatio illius temporis eſt. Alij vero quia legunt ibidem, lignum faciens fructum, vbi & additur, herbam afferentem ſemen: dicunt eum in Auguſto ſub Leone factum: verum in Martio factum dogmatizat Eccleſia.

Varia ſententia de ortu mundi.

Dogma Eccleſiæ.

Qualiter Deus in verbo ſuo fecit omnia opera ſua.

Cap. XXXI.

Non autem totiens dixit Deus: fiat hoc vel illud, quotiens in textu repetitur, dixit Deus: vnum quippe verbum ille genuit, in quo dixit omnia, priuſquam facta ſunt ſingula. Sed eloquium ſcribentis ad paruulorum capacitatem deſcendens, dum ſigillatim genera creaturarum inſinuat per ſingula, reſpicit vniuſcuiuſque generis rationem in verbo Dei æternam: Nec illa repetita ipſe tamen repetit, & dixit Deus. *Petrus Lombardus.* Dixit Deus fiat, non temporaliter, non ſono vocis, ſed in verbo ſibi coæterno, ideſt verbum genuit ſine tempore in quo erat, & diſpoſuit ab æterno, vt fieret in tẽpore, & in eo factum eſt. Hic autem quæri ſolet, quomodo hoc accipiendum ſit, quod dicitur pater operari in filio, vel per filium, vel in Spiritu ſancto. Nam ſuper illud Pſalm. Verbo Domini cœli firmati ſunt, &c. Dicit Auguſtinus, quod pater operatur per verbum ſuum, ac per Spiritum ſanctum: quod ideo dictum eſt, vt in patre monſtretur auctoritas: non enim pater à filio, ſed quia filius à patre operatur, & Spiritus ſanctus ab vtroque. Ideóque Filius per Spiritum ſanctum, etiam legitur operari, quia cum Spiritu ſancto operatur, hoc ipſum à Filio habente, vt operetur ſic ergo & Pater per Filium, & Spiritum ſanctum operari dicitur, quia cum eis operatur hoc ipſum ab eo habentibus, vt operentur. *Ioannes Chryſoſt. ſuper Epiſt. ad Hebræos.* Non igitur, vt hæreticus ſuſpicatur, tanquam patris aliquod inſtrumentum filius extiterit, neque per eum pater feciſſe dicitur, tanquam ipſe facere non poſſet: ſed ſicut pater per filium iudicare dicitur, quia genuit eum iudicem, ſic etiam dicitur operari per filium, quia genuit eum opificem.

Si enim cauſa eius pater eſt, ſecundum quod pater A
eſt, multo amplius eorum cauſa eſt, quæ per filium facta ſunt.

De opere primæ diei, id eſt, luce.

CAP. XXXII.

Duplex opinio primæ. AVctor. Ex præcedentibus vero patet de opere primæ diei: duas eſſe opiniones: quidam nanque vt Hugo, & Petrus Comeſtor: aiunt cælum, & terram, & lucem opus fuiſſe primæ diei, & ſecundum hoc dicitur, quod cælum & terra creata ſunt in termino initiali temporis, & poſtmodum aliquanto temporis ſpacio interpoſito, in quo non erat, neque dies, neque nox, quia nondum erat lux, nec priuatio lucis, creata fuit lux in tali loco, quo potuiſſet peruenisſe ab Oriente, in illo ſpatio, ſi fuiſſet creata in Oriente in initio temporis. Itaque illud ſpatium computatur B
in prima die, tanquam pars eius, ideſt in ſpatio viginti quatuor horarum. Sic ergo lux ipſa non eſt creata in principio diei, ideſt illius ſpacij, de quo dictum eſt. Nec eſt creata in Oriente, vbi Sol quotidie apparet in mane, ſed aliquantulum ſuperius, ſcilicet vbi poſſet peruenisſe interuallo temporis, quod fluxit à creatione cæli & terræ, vſque ad creationem ipſius lucis, ſi creata eſſet primo in Oriente, vt dictum eſt à principio temporis. *2. Opinio.* Alij vero, vt Petrus Lombardus dicunt, quod prima dies initium habuit à luce, & quod ipſa lux primo apparuit in Oriente, vicem, & locum Solis tenens, & ſecundum hoc oportet dici, quod cælum & terra creata ſunt ante omnem diem, quod C
etiam dicunt Auguſt. & Iſidorus. Sic ergo ſola lux fuit opus primæ diei. Sed quæritur quomodo tunc ipſa fecit primam diem. Nam ſi fuit cauſa efficiens diei ipſius naturaliter præceſſit diem: non ergo fuit opus ipſius. Reſpondemus, quod dies diuerſimodè accipitur: dicitur enim dies lux quæ illo triduo tenebras illuminauit, vt cum dicitur appellauit lucem diem. Aliquando illuminatio aeris, & ſecundum hoc dici poteſt, quod illa lux fuit cauſa efficiens diei, & præceſſit eum naturaliter. Aliquando etiam dicitur ſpatium vigintiquatuor horarum, & ſic accipitur, cum dicitur factum eſt veſpere, & mane dies vnus.

Cur opera ſua Deus inchoauit à luce.

CAP. XXXIII.

RAbanus *ſuper Geneſ.* Opera igitur eius, qui eſt vera lux, à luce inchoantur, & in luce cuncta complentur. *Petrus Lombar.* Congrue mundi ornatus à luce cæpit, vt cætera quæ creanda erant viderentur. Author. Abſque luce enim cætera opera Dei deformia, & tenebroſa remanſiſſent. Ideo autem à luce inchoauit, vt oſtenderet opera ſua, eſſe opera lucis non tenebrarum, quia nihil agit perperam: & ideo tenebras non quærit, ſed lucem diligit. Omnis enim qui male agit odit lucem, &c. Sic etiam exemplo ſuo docuit hominem in luce operari, quia ſi quis ambulauerit in die non offen. &c. E

Ad quid lux facta. *Petrus Comeſtor*: Verum quid opus fuit tunc creaturas per lucem facere viſibiles, cum nondum eſſet homo, qui videre poſſit, nec Deus, nec Angelus per lucem iſta videant corporalem. Sciendum, quod quatuor ſunt quæ in viſione concurrunt, ſcilicet viſibile, viſiuum, & lux per quam viſiuum videt viſibile, & medium. Et cum omnia corpora, aliquid ſint horum quatuor, lux inter hæc omnia primatum tenet, tanquam omnium nobilius. Eſt enim perfectio viſibilis viſui, & medij. *Tria genera viſibilium.* Sunt autem tria genera corporum viſibilium, ſcilicet luminoſum, quod dat lumen, & opacum quod in ſuperficie, non in profunditate lumen recipit, & diaphanum, quod ſecundum omnem ſui partem lux ſubintrare poteſt. Et hęc omnia exiguntur ad hoc, vt aliquid videatur.

De qualitate & officio, ac circuitu eiuſdem lucis.

CAP. XXXIV.

PEtrus *Comeſtor.* Lucem autem vocat Scriptura, quandam nubem lucidam illuminantem ſuperioris mundi partes, claritate tamen tenui, vt diluculo fieri ſolet, & hoc ad modum ſolis circumagitata præſentia ſui hemiſpheriũ ſuperius, & inferius viciſſim illuminabat. *Petrus Lombardus.* Cum autem tunc abyſſus omnem terræ altitudinem tegeret, dici poteſt in illis partibus lux eſſe facta, quas nunc illuſtrat ſolis diurna lux. Nec mirum in aquis illam lucem poſſe lucere, cum & nautarum operatione ſæpius illuſtrentur, qui in profundum merſi miſſo ex ore oleo, aquas ſibi illuſtrant, quæ multo rariores fuerunt à principio, quam modo ſint, quia nondum congregatæ erant in vno loco. *Hugo in libr. de ſacramen.* Hanc lucem, quæ ſolis vicem gerit, & locum tenebat, ibi primum apparuiſſe veriſimile eſt, vbi ſol quotidiano curſu circumuectus Oriens emergit, vt eodem tramite lux circumcurrens, atque primo ad Occaſum deſcendens veſperam faceret, deinde reuocata ad ortum mane. *Beda ſuper Geneſ.* Decebat enim vt dies à luce inciperet, & in mane ſequentis diei tenderet, vt opera Dei in luce inchoata, & in luce completa eſſe ſignificarentur. Occidente itaque luce paulatim, & poſt ſpatium diurnæ longitudinis inferiores partes ſubeunte, factum eſt veſpere: mane autem eodem ſuper terram redeunte, & alium diem inchoante, expletus eſt dies vnus vigintiquatuor horarum: fuitque nox illo triduo omnino tenebroſa, quæ poſt creata ſydera, aliqua luce claruit. *Petrus Lombar.* Mane ergo primus dies non habuit, quia nec dies præceſſerat, quæ ſequentis diei initio terminaretur, & eo præcipuè, quia luce apparente mox ſuper terram, plenus atque clarus dies extitit, qui non ab aurora, ſed plena luce inchoauit, & in mane ſequentis diei conſummatus eſt. Reliqui autem dies mane habuerunt, & veſperã, quorum quiſque à ſuo mane incipiens vſque ad alterius diei mane tendebatur. Hic eſt naturalis ordo diſtinctionis dierum, vt diſtinguantur, & computentur à mane vſque ad mane. Poſtea vero in miniſterio factum eſt, vt computentur à veſpera vſque ad veſperam, & adiungatur dies præcedenti nocti in computatione. Cum iuxta naturalem ordinem, præcedens dies ſequenti nocti adiungi debeat, quia homo à luce per peccatum corruit in tenebras ignorantiæ peccatorum, deinde per Chriſtum à tenebris, ad lumen redijt. *Vnde Apoſtolus.* Eratis aliquando tenebrę, nunc autem lux in domino. D

Experientia nautarum.

Primus dies non habuit mane.

Epheſ. 5.

De nobilitate lucis, & eius influentia.

CAP. XXXV.

EX *libro, qui dicitur memoriale rerum difficilium.* Prima ergo ſubſtantiarum eſt lux, non tranſlatiuè, ſed propriè, vt ait Auguſtinus ſuper Geneſ. ex quo ſequitur naturam lucis participare, & alia. Nam inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: & quod in eis maximè apparet diuinum, & nobile, hoc eſt lux: & omnis quidem ſubſtantia influens in aliam, eſt lux in eſſentia, vel naturam lucis habens. Lucis ergo ſunt proprietates ſimplicitas, & puritas, & ſui multiplicatio: virtus enim eius eſt, ſecundum expanſionem, deriuationem, & multiplicationem: vnde & fontis habet proprietatem. Puritas autem, & impuritas lucidi ſunt differentiæ propriæ. Ex quo ſequitur terram eſſe fæcem elementorum. Omne enim quod lumine caret, à ratione influente priuatum eſt, quod magis habet de luce, plus habet de ratione in aliud influente. Lucis enim proprietates ſunt, vt dictum fuit, ſimplicitas, & ſui multiplicatio. Quod autem huiuſmodi eſt, diffuſiuũ

Vide de hac ſententia Io. Cantuar. in li. 2. perſpect. communi.

eſt

est sui esse, & influens in aliud. Vnumquodque;ergo A quantum habet de luce, tantum retinet esse diuini, quia Deus est lux. Et vnaquæque substantia plus habens de luce, quam alia: dicitur ipsa nobilior. In omnibus enim attenditur nobilitas, secúdum appropinquationem maiorem, & participationem esse diuini. Hoc etiam patet per inductionem in primis corporibus,cum ad inuicem comparantur. Aqua est nobilior quam terra, quia plus habet de luce, quam terra. Similiter aer quam aqua, & ignis quam aer, & corpus quintum quam omnia alia. Ideo dicitur inter illa primum ac nobilissimum. Itaque perfectio omnium eorum,quæ sunt in ordine vniuersi est lux. Nobilitas enim in vnoquoque attenditur quantum ad id, quod in ipso est optimum, & perfectum. Ideóque autem dico in ordine vniuersi, quia substantiæ materiales, B vt sunt elementa, dupliciter possunt considerari. Aut inquãtum entia naturalia transmutabilia ad inuicem. *Lux quomodo perficit elementa.* Et sic eorum perfectio non est lux. Sed qualitates cõtrariæ per quas agunt & patiuntur ad inuicem. Aut inquantum partes sunt in ordine vniuersi, & vna influentia ab alia recipit, & sic earum perfectio est lux. Et hoc modo vnum est sicut forma, alterum sicut materia. Vnum sicut locus, alterum sicut locatum. Sic ergo vnumquodque primorum corporum est locus, & forma inferioris seipso per naturam lucis. Est etiam continens,& conseruans illud. Continens,quidem per rationem ambitus,quem habet propter simplicitatem,corpori enim simplici debetur extensio,& simpliciori maior. vt aquæ quam terræ, quia simplicior est, & igni quam aeri, & corpori quinto, quam omnibus alijs: quod enim subtilius est, in multiplici analogia se habet respectu crassioris, & hoc ratione simplicitatis: lux autem omni corpore subtilior est, & simplicior inter omnia; ideóque ei debetur extensio maxima. Sic ergo illud vltimum cuiuslibet inferioris,vltimum dico per comparationem ad quod determinatur ei locus, est continens illud, & ambiens per naturam lucis. Conseruans autem per influentiam, quam habet super illud, & hoc quoque per naturam lucis, vt supradictum est. Itaque & continere, & conseruare debetur corpori: primo per naturam lucis, & similiter alijs per participationem eiusdem. Quòd ergo vnumquodque corpus in ordine vniuersi sit locus, & forma alterius, hoc ei debetur per naturam lucis, formam enim appello, conseruans extrinsecum. D

De proprietate lucis viuificatiua.

Cap. XXXVI.

PRæter supradictas autem lucis proprietates, quæ apparent in rebus insensibilibus, sunt & aliæ occultiores in sensibilibus. Lux enim in omni viuente est principium motus,& vitæ calore disponente. Et hæc est prima eius operatio in rebus sensibilibus, quod scilicet motum, & vitam operatur in viuentibus. Cui consonat Aristot. lib.2. de cœlo & mundo. *Nota.* *Dicens ordinem primum esse causam vitæ omnis viui. Operationem enim, & virtutem non habet, nisi per naturam lucis, quam, scilicet multiplicat,* & diffundit omnibus istis inferioribus: vnde paret eam habere virtutem viuificatiuam. Nam & idem Arist. in libro de animalibus loquens de generatione eorum, quę fiunt ex putrefactione: dicit,quod quędam generantur in terra ex humido, quoniam in terra est pars aquæ, in aqua pars aeris,& in eis est calor animæ. Et ita fiunt arbores. Et aliquo modo dicitur,quod omnes istæ res plenæ sunt virtute animæ. Ideóque sic sustentantur cibo, secundum virtutem naturæ retentam in corpore. Non autem retinetur,nisi quando calefiunt humores naturales,& efficiuntur spumæ. Hæc autem virtus est ab orbe primo, quam habet originaliter ei insitam à Deo. Vnde dicit Aug. quod omniũ rerũ quę corporaliter, & visibiliter oriuntur, quædam in huius mundi corporeis elementis semina latent,quæ Deus eis originaliter dedit. Sic ergo luci potest inesse virtus viuificãs. *Lux viuificat.* Quod etiam apparet per rationem vitæ. Est enim vita virtutis diffusiuæ sui esse in aliud, & omne huiusmodi propriè est lux, vel naturam lucis habens,vt supra dictum est. Itaque in omni viuente lux operatur motum, & vitam, ideſt motum vitalem, siue mouet corpus ipsum viuificando, & hoc calore disponente materiam, scilicet ad hoc, vt suscipiat operationem virtutis,sicut calor disponit ferrum ad hoc,vt impressionem à fabro suscipiat,licèt autem in omnibus istud vitæ principium sit semper coniunctum, ideſt lucis natura, non tamen in omnibus operatur vitam, quia debita dispositio deest ex parte materiæ.

De operatione lucis eiusdem in cognitiua.

Cap. XXXVII.

SI autem exordium cognitionis inspicimus, dicemus, quod lux est ipsa virtus cognitiua: principium enim cognitionis est lux: sensitiuæ autem operationis calor. In ipsa quoque luce cum virtute viuificatiua est virtus exemplaris, secundum quam in ea *Virtus cognitiua est lux.* species rerum appa ere possunt:quod ipsius proprium est,sicut patet in materiali speculo, quia per naturam lucis rerum intentiones suspicit,non tamẽ cognoscit, quia in ipso non est virtus viuificans actualiter ordinata ad rerum exemplaria. Et ideo non potest se conuertere supra recepta, vt de ipsis iudicet, quod possibile est in sola substantia simplici viuente. Ex visione nanque potentiæ actiuæ, cum exemplari ad quod est C ordinata, relinquitur delectatio, in qua est virtus cognoscitiua, sicut postea patebit, potentia autem actiua, & exemplari soli luci conuenit. Sed notandum, *Lux exemplarem vim habet.* quod in luce potest esse potentia exemplaris, non tamen actiua sufficiens ad cognoscendum propter defectum simplicitatis, & complementi, & ideo per auxilium principij naturalis agentis, est in ea cognitio non per se, quod substantię sensitiuæ conuenit. Est enim anima sensibilis substantia simplex,cuius est potentia exemplaris non actiua, & ideo indiget naturali principio agenti,quod est calor, sine quo nihil est sentire. Si autem luci debetur virtus cognoscitiua,quanto simplicior & purior est, tanto magis in ea species rerum apparent, sicut in speculo materiali, quanto magis est politum & purum, eo magis apparent imagines: quanto etiam simplicior, & purior est virtus cognoscitiua, tanto substantia eius se extendit ad plura:sicut elementum quanto simplicius tanto virtuosius, & potentiam habet ad plura, quæ dependent à sua potentia. Hoc etiam manifestum est in principijs per comparationem ad conclusiones. Principia enim quanto minora sunt quantitate, tanto maiora potestate. Et iterum ex comparatione centri ad circunferentiam. Quanto enim punctus simplicior, tanto circunferentia maior, siue distantia ipsius à centro pluréſque lineæ ab ipso ad circunferentiam ducuntur, denique lux inter omnia apprehẽsioni est maximè delectabilis, secundum naturam vero calor, delectatio vero maximè est in coniunctione conuenientis cum conueniente. Si ergo subiectũ cognitionis,vel virtus cognitiua est lux, ex vnione lucis exterioris cum ipsa erit delectatio maxima. Agentiũ vero secundũ naturam primũ, & maximè perfectum, & ideo virtuti naturali ineſt ipsius appetitus, sicut vnumquodq; appetit bonum. Calor enim est nutriens,& sustentans,& *Caloris virtus.* producens vnumquodque ad perfectionem, sicut in li. de animalibus dicitur: hoc autem, quod dictũ est, ex comparatione sensuum ad inuicẽ manifestari potest. Visus enim inter omnes sensus, plus habet de actione animali, & maximè cognoscitiuus est: plurimas enim nobis ostendit differẽtias. Tactus autẽ plus habet de operatione naturali,&minus discretiuus est, operatio autem visus fit mediante luce, & ipsa lux E

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

est ei maximè delectabilis, vnde cæci lugubrem vitam agunt. Iactus autem operatio fit mediante calore. Est enim maxime sensus alimenti, cuius motus à calore perficitur. Ideóque tactui calor est maximè delectabilis: patet ergo, quòd virtuti cognitiuæ, lux maximè delectabilis, & conueniens est, virtuti autem naturali, & eius appetitui calor.

De multiplici lucis commendatione.

CAP. XXXVIII.

MErito ergo lux inter corpora primum obtinet locum, vt dicit August. quia omnis substantia, duabus substantijs communis vtraque prior est secũdum naturam. Lux autem substantia est cõmunis igni, & stellis, quę omnia alia corpora prȩcedunt, quarum primum omnium corporum est lux. Et ipsa est nobilissima corporum, quia spirituali creaturæ viciniſſima est, quæ est nobilior omnium corpore. Ipsa enim est quasi vinculum animæ & corporis, & quasi medium communicans naturam extremorum, vt dicatur corpus spirituale. Vnde dicit *August. super Gen.* quod lux est corporum subtilissimum, & ob hoc animæ viciniſsimum: ideóque per ipsam agit anima operationes suas in corpore. Item ipsa est omnium corporũ pulcherrimum, quia pulchritudo est ex similitudine, & conuenientia partium in habentibus partes. Sicut ergo Deus (cum sit vera lux) omnium pulcherrimus est, quia nihil in eo dissimile, vel disconueniens est. Sic & lux corporalis inter corpora pulcherrima est, quia partes omnes habet simillimas. Item ipsa est omnium corporum optima: cum enim bonum sit quod sui communicatiuum est: inter omnia corpora lux se, & suam pulchritudinem maximè communicat: vnus enim lucis punctus, vel ictus subito totius mundi spacium replet. Igitur inter corpora summè bona est. In hoc etiam spiritui simillima est, scilicet Deo, qui vbique est, & animæ, quæ totum corpus replet, præterea ipsa est bonitas omnis naturæ corporeæ, quia nullum corpus sui communicatiuum est nisi per lucem, & quod in vno tantum loco est per substantiam, ipsa lux in infinitis locis facit esse per formam. Quoniam igitur etiam punctus lucis suam pulchritudinem, quæ maxima est, suamque bonitatem toto mundo communicat, & omnia corpora suas inuicem facit pulchritudines communicare, ipsa sola est, qua totus mundus bonus, & pulcher est. *Vnde Ambr.* Ipsa facit, vt cætera mundi membra digna sint laudibus. Et cum suam bonitatem, ac decorem omnibus communicet, in eorum tamen fœditate non communicat. Non enim fœdatur, vel inficitur per immundissima, quæ pertransiens nullo etiam modo corrumpitur.

Lux accedit proxime ad spiritus.

Lux se communicat maximè.

Quæstio de luce vtrum sit corpus, an qualitas.

CAP. XXXIX.

VTrum tamen lux ipsa sit substantia, vel accidens inter auctores videtur esse dissensio. Nam *Aug. ad Volusianum* eam inter corpora deputat dicens: Duo inquam liquores ita miscentur, vt neuter integritatem suam seruet, quamquam in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur. *Idem in libro de libero arbitrio dicit:* quod lux in corporibus primum locũ tenet. Ad hoc etiam rationes induci possunt. Omne namque accidens causatur à vera forma sui per se subiecti. Lux autem causatur in aere, non ab aere, vel à forma aeris, sed potius à Sole: quare non est in aere sicut in per se subiecto, nec in alio est assignare. Non enim illa eadem numero est in Sole, ergo non est accidens. Item quando lux aerem pertransit, vel eadem lux numero primo est in aere Orientali, & deinde in Occidentali, & tunc non est accidens, quoniam accidens non permutat subiectum. Aut vna est lux in parte Orientali, alia quoque ab ea genita in parte Occidẽtali: vtroque enim modo opinatur à diuersis, & tunc etiam sequitur, quod non sit accidens, quia gignit. Non enim accidens agere potest aliquid extra suum subiectũ: alioquin non esset totum eius esse, in subiecto esse: præterea nusquam duo accidentia eiusdem speciei specialissima simul sunt in eodem subiecto, secundum eandem partem, vt duæ albedines: duæ autem luces in eadem aeris parte simul sunt: vt patet in diuersis candelis accẽsis, quarum luces cum sint eiusdem speciei, simul in eadem aeris parte manent, nec admiscetur ad inuicẽ naturæ aeris, vt in perspectiua dicitur. Alioquin omnia confusè viderentur, & nulla distinctè. Item nihil resistit luci, nec facit eam reuerti, nisi corpus opacum. Igitur si totum spatium à terra, vsque ad Solem esset vacuum, nil impediret quin sub illo vacuo Sol illuminaret terram. Igitur lux eius transiret per vacuum. Ibi autem non esset accidens: alioquin in aliquo subiecto esset in vacuo, & ita non esset vacuum. Lux igitur accidens non est. Igitur substantia est, vtique non incorporea, quia tunc esset spiritus, aut vegetabilis, aut sensibilis, aut intellectualis: igitur est corpus.

Probatur quod lux sit corpus.

Contrarium probatur.

Econtra vero dicit Ioannes Damascenus, quod lumen est qualitas ignis. Aristoteles dicit, quod non est corpus, neque defluxus à corpore. Item si lux est corpus, cum & aer sit corpus, erunt duo corpora simul in eodem loco, quod esse non potest. Alioquin iam non sunt duo, sed vnum, vt videtur. Nam linea longitudinis vtriusque, vna est. Nam quæ lineæ simul sunt, vna sunt. Nam linea lineæ supposita, non est nisi linea. Simile est de linea latitudinis, & spissitudinis. Corpus autem non est nisi hæc trina dimensio: igitur vnum corpus sunt, si sunt in eodem loco. Item si lux est corpus, est materia & forma. Sed lux continuè fit, non enim lux primo facta manet adhuc, nec illa etiã quæ fuit heri, sed in momento fit, & in instanti corrumpitur. Cum ergo lux à Sole fit, exit ab eo, non semel tantum sed continuè, non tantũ forma, sed etiam materia lucis. Igitur aliquid continuè deperit de Sole, sic tandem in nihilum redigetur. Si autem dicitur, quod materiam habet à corporibus alijs. Econtra sic opponitur. Materia formam vnam habens, non recipit aliam, nisi prima corrumpatur. Aeris ergo materia non recipit formam lucis, nisi corrumpatur aereitas, sed lux subito fit in aere, ergo subito corrumpitur aer, quod non concedunt naturales. Et etiam cum lux subito corrumpatur, necesse erit, aut subito in eius materia fieri formam aeris, aut aliquam diu manere locum sine corpore, aut aerem subito corruptę lucis locum occupare, & tunc etiam aeris motus erit subito. Item Sol gignit lucem in cælo, ergo secundum hoc etiam aliquid cœli corrumpitur, vt ex materia partis corruptæ fiat lux, quod est impossibile.

Responsio.

Confutatio.

Eiusdem quæstionis determinatio.

CAP. XL.

AD huius quæstionis euidentiam nota, quod aliquando idem est nomen substantiæ, & accidentis ab ea causati, licet æquiuocè. Vtrunque enim eodem nomine significamus: tum quia formas substantiales ignoramus, tum quia propter propinquitatem substantiæ, & accidentis ab ea causati non discernimus inter ea. Sic ergo lux aliquando nominatur substantia inter corpora subtilissima. Aliquando accidens causatum ab ea, scilicet illumiuatio quæ est de genere motuum, & est accidens ipsius aeris illuminati causatum à luce. Est enim illuminatio aeris à luce indeficiens motio generatiuæ motionis. Lux ergo dicitur aliquando ipsa aeris medij, vel obiecti illuminatio. Aliquando vero ipsa substantia à qua est Illuminatio: nec est inconueniens multa corpora spiritualia simul esse in eodem loco, sicut constat de corporibus

glorificatis. Nec tamen eadem numero eſt linea longitudinis vtriuſque, quoniam identitas numeralis non eſt niſi ab identitate numerali, eiuſdem formæ vltimę: vnde linea illa mathematicalis, vel localis quæ imaginatur eadem vtriuſque corporis, non eſt eadem, ſed duæ. Illa quippe, non eſt niſi linea ſpacij, in qua duæ lineæ diuerſę, ſecundum numerum, quia formæ corporum quorum ſunt lineæ, formę dico vltimæ, ideſt forma lucis, & aeris ſunt naturaliter diuiſæ: fruſtra ergo obijcitur, ſecundum quod intelligitur linea localis non corporalis. Videtur autem alicui, quod huius lucis materia non de Sole exit, nec eſt aliquid de materia aeris, ſed continuè cauſatur, quaſi anima dum corpori infunditur. In hoc autem eſt diſtantia, quia tota ſimul anima, ſcilicet eius materia, & forma creantur, quando anima datur. Cum autem fit lux, materia non tantum creatur, ſed forma gignitur àcorpore luminoſo, hoc eſt ſoli lucem generare, ſcilicet materiæ, quæ eſt aliunde formam dare: hoc eſt enim verius generare, ſcilicet dare formam genito, quam dare tantum materiam, ſicut fit quando homo generatur, tantum de homine, ſecundum hoc poteſt dici, quòd in vniuerſitate rerum, ſunt aliqua à Deo creata ratione materiæ, & formæ, vt Angeli: aliqua ratione formæ, ſcilicet animæ, vt homo. Tertium vero ratione materiæ tantum, vt lux.

Cautè hæc intelligenda.

Aſſertio, quòd lux ſit corpus.

CAP. XLI.

Albertus in tractatu de anima. Cum de lumine, quod à corporibus luminoſis deſcendit, vtrum ſit ſubſtantia, vel accidens eſſe ſoleat diſputatio inter ſapientes, multa de iſta materia, multiplexque eſt opinio. Quidam enim dicunt, quod lux eſt corpus, pluraque ſunt corpora radioſa deſcendentia in aerem, ac terram quæ illuminantur, quorum opinio videtur poſſe fulciri per hoc, quod lux deſcendit à Sole, & aduenit ex ignis parte. Solius autem corporis eſt venire ac deſcendere: præterea ſolius corporis eſt moueri localiter, lux autem mouetur localiter, quia ſurſum, & deorſum. Item ſolius corporis eſt attingere aliquid, & reflecti ab illo, lumen autem radioſum corpus attingit, & reflectitur ab ipſo.

Probatur ſententia aiẽs lucem eſſe corpus.

Nos autem dicentes, lumen non eſſe corpus. Ad prædicta reſpondemus, quod lumen non deſcendit & aſcendit, vt mobile per ſeipſum, ſed vt immutans ſubiectum inferius ac ſuperius, ſecundum partes diaphani, nec mouetur localiter, niſi ſicut vmbra, vt dicit Auicenna, & ſicut illa, quæ eſt in ſpeculo forma. Non eſt enim idem lumen modo hic, modo ibi, vel modo in hoc loco, & poſt tenebram iterum in eodem loco. Sed decedit hoc lumen, & alterum ſuccedit, ad præſentiam, & abſentiam corporis illuminantis, ſicut & vmbra ex obiecto corporis opaci ad lumen, & figura in ſpeculo ex diuerſa oppoſitione aſpicientis. Cum ergo lumen attingit corpus radioſum, & ab ipſo reflectitur, nequaquam idem lumen, ſed diuerſum reflectitur. Quòd autem lux non ſit corpus, patet, quia corpus naturaliter ad vnum locum tãtummodo mouetur, lumen autem mouetur ad loca diuerſa, quod patet ex hoc, quia immutat ſurſum, & deorſum circumquaque ad latera.

Alia ſententia lumen non eſſe corpus, eſt melior.

Quòd lux non ſit ſubſtantia ſpiritualis.

CAP. XLII.

QVidam autem dicunt, quod lux eſt ſubſtantia ſpiritualis adueniens ei, quod illuminatur ſine corruptione alicuius formæ: ſicut anima corpori aduenit, non corrumpens aliquam formam in organico corpore phyſico, potentia vitam habente: verum ſi eſſet ſubſtantia ſpiritualis, aut diceretur ſpiritualis modo phyſico, ſecundum quem dicitur, quod ſpiritus eſt quoddam corpus ſubtile, quod in humano corpore oritur ex corde. Aut modo Theologico, ſcilicet pro eo, quod eſt anima, vel eiuſdem naturæ cum ipſa. Si primo modo, tunc eſſet corporea, nullaque eſſet diſtinctio, inter dicentes illam eſſe ſpiritualem, & corporalem. Præterea ſi ita eſſet, aut illa ſubſtantia peruia eſſet cum lumine, quod habet, aut non peruia ſed luminoſa, ſicut eſt ſubſtantia Solis, & ignis, ſi primo modo dicatur, econtrario obijcitur omne peruium denſatum, minus eſſe peruium, hoc patet in condenſatione aeris, & aquæ, & etiam in partibus criſtalli, quę ſunt tenues. Nam ſi componantur multæ, peruietas diminuetur, & tandem in toto tolletur. Si ergo ſubſtantia luminis eſt peruia denſata, minus erit peruia, ac per hoc minus viſibile conducet ad viſum: quod vtique eſt falſum, quia quanto magis eſt luminoſum, tanto melius videtur aliquid in ipſo lumine. Si ergo ſecundo modo dicatur, conrra hoc obijcitur primo, quod hæc non eſt Philoſophi opinio. præterea ſi eſſet ſimilis ſubſtantię cum anima, aut vegetabili, aut ſenſibili, aut rationali, ac per conſequens eſſet perfectio alicuius corporis organici. Nam ea quæ ſunt eiuſdem naturæ atque ſubſtantiæ, ſunt eiuſdem ordinis in natura. Vnde cum vna ſubſtantia ſpiritualis, vt perfectio ad corpus ordinetur, & alia ſimilia ordinabitur: præterea nulla ſubſtantia ſpiritualis menſurabilis eſt dimenſione quantitatis: at vero lumen habet huiuſmodi dimenſionem. Nam in aere tricubito lumen eſt tricubitum, in bicubito bicubitum.

Quòd lux videtur apparentia, ſiue reſplendentia.

CAP. XLIII.

ALij vero dicunt, quod lux non eſt aliud niſi manifeſtatio, ſiue reſplendentia colorum. Et hi quidem talibus nituntur rationibus. In li. de ſenſu, & ſenſato loquitur Ariſt. hoc modo: Quemadmodum in aere hoc quidẽ lumen eſt, hoc tenebra, ſic & in corporibus album, & nigrum. videtur ergo, quod præſentia luminis in corpore terminato, nihil aliud ſit niſi albedo, & eius abſentia, nil aliud quam nigredo. Cæterum in quibuſdã corporibus nõ terminatis, vt eſſet nubes, expreſsè videmus, quod præſentia luminis eſt albedo, & abſẽtia luminis eſt nigredo. Præterea quicquid agit ſecundum naturam agit ſecundum aliquid extrinſecum ſibi & eſſentiale, quod patet per diffinitionem naturæ, quæ talis eſt in 2. Phyſi. Natura eſt principium alicuius, & cauſa mouendi, & quieſcendi in quo eſt, primum per ſe, & non ſecundum accidens. Color autem ſecundum naturam agit in viſum, quia eſt immutatiuum viſus, ſecundum actum lucidi, ſecundum Philoſophum: agit quoque ſecundum eſſentiale, ſibi & intrinſecum, quod nihil aliud videtur eſſe, quam lux. Dicit enim Philoſophus, quod lux eſt hipoſtaſis, ideſt ſubſtantia colorũ. Item Alphorabius, colores, inquit, fiunt in admixtione ignis cum coloribus, & lux non eſt cauſa in inductione coloris, tantũ in viſum, ſed in eſſe illius. Ad hoc quoque videtur experimentum facere, quia, ſcilicet in eclypſi Solis cum Sol tegitur in parte alba, ſtatim apparet pallidus, quod vtique non contingit, niſi ex ſubtractione lucis. Cũmque itaque lux ſubtracta colorem diminuat, poſitaq; augmentat, videtur quod lux ſit eſſentialis cauſa coloris. Aliud quoque experimentum eſt in vitro, & vino. Nam ſi parum de vino rubeo infundatur in vitro puro: Sol penetrans vinum, generabit albedinem in fundo vitri, quæ inter omnes colores ſimilior eſt luci. Si vero multum infundatur non erit in fundo albedo, quia tunc lux non poteſt intrare, vt multiplicetur in fundo.

Argumenta pro ſententia falſa.

Reſponſiones ad eadem obiecta.

CAP. XLIIII.

NOs autem ad hoc dicimus, quod duplex eſt coloris eſſe, materiale ſcilic. & formale. Materiale dico, quod habet materiã, non quod ex aliqua materia.

Reſponſio ad ea.

Materia vero coloris, in qua eſt determinatũ, ſcilicet corpus non peruium. Et hoc eſſe materiale, habet color à qualitatibus primis actiuis,& paſſiuis, ſcilicet calido, & frigido,& humido, & ſicco. Eſſe vero formale ipſius coloris eſt ipſius eſſe, quo eſt actu in potentia actiua, immutandi viſum ſecundum actum, & hoc eſſe habet à luce: hoc eſt, quod ait Philoſophus, quod color eſt immutatiuum viſus,ſecundum actum lucidi,& hæc eſt ipſius natura. Quia vero lumen multiplicat in loco reflexionis ac percuſſionis, pluſquam in loco vbi non reflectitur, nec repercutitur. Ideo lumen exiſtens in diaphano, ſecundum quod huiuſmodi non eſt actus coloris, ſed exiſtens in extremitate ipſius, in loco contactus ad corpus terminatum. Et hoc patęt ex hoc, quod colorato poſito in lumine proprio, vel alieno, aere medio exiſtente tenebroſo, præterquam in loco contactus: ſimiliter & oculo in tenebris exiſtente contingit videre, oculo autem exiſtente in lumine, & aere, & colorato in tenebris poſito non contingit videre. Ideoque dicit Philoſophus quod color eſt extremitas perſpicui in terminato corpore, nec dicit, quod ſit actus perſpicui cuicunque, quia diffinitio coloris hæc eſt, ſecundum eſſe ipſius formale per quod eſt in potentia completa actiua ad mouendum ſenſum,eſſe autem hoc non habet à quocunque actu diaphani, ſed ab actu qui eſt in loco contactus, vt dictum eſt. Quod autem dicit Philoſophus de albo & nigro, intelligitur particulariter non vniuerſaliter. Ex præſentia quippe lucis, in quibuſdam corporibus non terminatis, vt in nube generatur albedo, & ex priuatione ipſius nigredo. Vnde hoc intelligitur in corporibus diaphanis coloralibus tantummodo, & non in aliis, quorum color non eſt idẽ ex propinquo & remoto, ſicut idem eſt color in corporibus terminatis propinquè ac remote aſpicienti: dicimus autem, quod color, ſecundum quod agit in viſum eſt in eſſe formali, & ſic connaturale eſt ei lumen, quo agit in ipſum. Eſt enim ſemper ſibi, ſecundum hoc eſſe coniunctum. Sed ſecundum eſſe materiale, non agit aliquid, quia ſic eſt lumen extra ipſum. Denique experimenta prædicta, & auctoritates Philoſophorum,intelliguntur de eſſe formali coloris in comparatione ad mouendum viſum.

Improbationes opinionis prædictæ.

CAP. XLV.

Confutatur præcedẽs opinio.

QVod autem lux non ſit apparentia, ſiue reſplendentia coloris probari poteſt multis modis. Qui enim hoc dicunt, aut intelligunt, quod eſſe luminis, & coloris ſit idem ſecundum actum, aut quod eſſe coloris ſit vnum, & lumen nihil addat, niſi per comparationem illius ad viſum. Si primum, adhuc poteſt intelligi, ſecundum duplicem modum, ſcilicet vel quod lumen habeat idem eſſe cum quolibet colore, vel quod habeat idem tantum cum albedine, ſecundum quod ait Empedocles, quod Sol eſt alba, & calida res. Si primo modo dicatur,ſcilicet quod lumen habeat,idem eſſe cum quolibet colore,tunc ſequitur, quod lumen ſit contrarium lumini, quia, ſcilicet albedo contraria eſt nigredini. Quod vtique abſurdum eſt, & impoſſibile: præterea lumini nihil eſt contrarium, quia tenebra priuatio eſt luminis, & non contrarium: colori autem in ſpecie, aliquid eſt contrarium. Item intentio, qua nigrum eſt viſibile, ſecundum actum eſſet præter eſſe nigredinis. Alioquin nigredo ſemper ſecundum actum eſſet viſibilis. Cum ergo eadem ſit ratio de omni colore. Intentio quoque, qua viſibilis eſt albedo ſecundum actum, cæterique colores,eſſet præter eorum eſſe,quod patet falſum eſſe. Porro ſi dicatur eſſe luminis eſt eſſe generis in colore, & non eſſe ſpecierum: hic quoque inuenitur repugnantia,quia eſſe generis in ſpecie non eſt diſtinctum à ſpecie ſua, vt enim dicit Auicenna, color qui eſt in albedine, eſt albedo, & color qui eſt in nigredine, eſt nigredo: & ita lux ſecundum eſſe ſuum, eſſet in contrarijs, & cauſa contrariorum, quod eſt impoſſibile, quia, ſcilicet contrariæ ſunt cauſæ contrariorum, vt habetur in libro Meteororum: præterea ſi dicatur, quod tota coloris eſſentia ſit lux, cum ea quæ eſſentialiter in ſe lucem habent viſum immutẽt, in tenebris diceretur color videri, ſicut in lumine, vel etiam magis, quod tamen non contingit. Item oculo in tenebris poſito, & colore in luce accidit coloratum videri,ſecundum actum,quod ideo contingit ſecundum Auicennam, & Alpharabium, quoniam ad viſum non exigitur, niſi vt color ſit in actu, etiam ſi medium non ſit illuminatum. Alii vero ſequentes Platonem dicunt,quod hoc contingit ob aliquod lumen,quod eſt coniunctum oculi naturæ,quod penetrat medium, vſque ad colorem in actu exiſtentem. Itaque ſi lumen eſt tota coloris eſſentia, multomagis debet videri color in tenebra poſitus ab oculo exiſtẽte in lumine,quã econtra. *Reſponſio* Si enim quod habet lumẽ, ſecundum eſſentiæ ſuæ partem, vt oculus à tenebra non impeditur, multominus illud, quod habet lumẽ ſecundũ totã eſſentiã ſuam nõ impeditur. Si fortè dicatur,quod lumẽ eſt albedinis tantũ eſſentia,& ſecũdum magis&minus cæteris colores à lumine generãtur:hoc etiam eſt contra rationẽ,quia magis & minus non diuerſificant ſpeciem. Itaque ſecundũ omnes colores eſſent in vna coloris ſpecie, *Confutatio.* quod patet falſum eſſe: præterea cum nigredo maximè diſtet ab albedine, nihil participabit de illius eſſentia. Ideoque nigredo non generabitur à lumine, ſed à luminis priuatione. Quicquid autem generatur à priuatione, eſt priuatio. Cum priuatio non poſſit dare ſpeciem, nec materiam ipſi generato. Ergo nigredo eſt priuatio. Ex hoc autem ſequitur, quòd nigredo non eſt coloris ſpecies, quod eſt contra omnes.

Quòd lux ſit accidens.

CAP. XLVI.

SVnt iterum alij dicentes, quod lumen eſt accides, innitentes verbo Ariſt. in 2. lib. de anima, dicentis, Lumen neque ignis eſt,neque omnino corpus,neque corporis defluxus. Non enim corpora, duo poſſibile eſt in eodem eſſe loco, videtur autem contrarium eſſe tenebra, ſed tenebra eſt priuatio huius habitus ex lucido: Ex his enim verbis Philoſophi, patet, quod lux eſt habitus diaphani, hoc etiam videntur dicere omnes naturales. Ideóque & nos eis conſentientes, idem dicemus, quod lux eſt accidẽs, & in quibuſdam eſt habitus, & in quibuſdam diſpoſitio. Quod autem accidens ſit, de facili poteſt apparere, quia contingit eam, eidem ſubiecto manenti, ſcilicet aeri ineſſe, & non ineſſe: præterea lumen in ſubiecto magis ac minus recipit,quod ſoli accidenti conuenit:forma quippe ſubſtantialis non recipit intenſionem ac remiſſionem. Quòd autem lumẽ recipit magis & minus, manifeſtum eſt, quia,ſcilicet aer quandoque luminoſior eſt, quandoque minus luminoſus. Item lux eſt forma in ſubiecto diſtenſa,ita quod in maiori parte maior,in minori minor. Omnis autem talis forma eſt accidentalis. Nam forma ſubſtantialis eſt ſimplex, etiam diuiſione ſubiecti non diuiſibilis: præterea legitur in lib. de ſubſtantia orbis, & dicitur, quod nulla forma diuiditur, niſi quæ ſecundum naturam aduenit compoſito poſt quantitatem. Ideóque formæ ſubſtantiales ſunt indiuiſibiles, quia ſecundum naturam adueniunt materiæ ante quantitatem. Lux autem eſt diuiſibilis forma, diuiſione ſubiecti, & ideo conſtat, quod aduenit compoſito poſt quantitatem, nihil autem ſic aduenit, niſi accidens. Item lux inuenitur in igne, & in cœlo, ſecundum actum illuminandi & faciendi colores in actu viſibiles. Et ita ſecundũ vnum actum inuenitur in re corruptibili, & incorruptibili. At vero quicquid tale eſt, accidens eſt. Corruptibile ſiquidem & incorruptibile, ſecundum formam ſubſtantialem,non poſſunt conuenire, ſed nec ſecundum

materiam

materiam, ſicut legitur in metaphyſica, quod talium non eſt eadem materia: ſi ergo conueniunt, relinquitur, quòd illa conuenientia ſit in forma accidentali.

Quòd lux non eſt ſubſtantia, ſed qualitas mutuata.

Cap. XLVII.

PRæterea ſi lux eſſet ſubſtantia, tunc eſſet forma, vel materia, vel compoſitum. Nunquam autem inuenitur eſſe ſola forma, vel ſola materia. Et ideo relinquitur, quod eſſet ſubſtantia compoſita, ſed conſtat, quod non lucet aliquo interueniente obſcuro inter illuminans, & illuminatum. Aut ergo tunc illa ſubſtantia deſtruitur, aut retrahitur. Si dicatur, quod deſtruitur, tunc oportet, quod habeat contrarium, quia nihil deſtruitur ſecundum materiam, niſi per contrarium agens, quod non habet lumen, & ideo non deſtruitur. Nam tenebra non eſt contraria luci, ſed eius priuatio, vt dicunt Philoſophi. Si vero dicatur, quod retrahitur, & hoc fit, aut poſtquam interuenit iam opacum, aut quando eſt vicinum. Si primo modo, tunc oportet, quod per medium opacum retraheretur, & ita videremus ipſam tranſire partes opaci, quod patet eſſe falſum. Si autem ſecundo modo, tunc ex opaci vicinitate lumen recederet, ſed hoc etiam patet falſum, quia videmus immediatè lumen coniungi vmbræ. Non eſt ergo lux ſubſtantia compoſita. Si propter hoc dicatur, quod ſit ſubſtantialis forma, & non ſubſtantia compoſita, huic quoque obuiat ratio manifeſta, nulla quippe forma ſubſtantialis eſt immutatiua per actum alterius corporis aliud corpus, lux autem immutat aliud corpus, quam id cui ineſt, videlicet aerem. Item omnis forma ſubſtantialis eſt perfectio eius, in quo eſt ſecundum eſſe. Si ergo lumen eſſet forma ſubſtantialis, eſſet aeris perfectio, in quo eſt ſecundum eſſe ipſius aeris, quod patet falſum eſſe: præterea nulla ſubſtantialis forma materiæ aduenit, ſecundum naturam, & tempus poſt receptionem accidentis: at vero lux aduenit aeri poſt accidentia ipſius aeris. Nulla quoque forma ſubſtantialis, ſecundum eſſe ſuum inuenitur extra propriã materiam: lux autem inuenitur extra propriam materiam, quæ eſt corpus naturaliter luminoſum. Non eſt ergo lux forma ſubſtantialis: præterea dicit Philoſophus in lib. de viſu, quod lux non eſt corpus, ſed accidens. Item Auicen. lux inquit eſt qualitas, qua eſt perfectio trãslucentis, ſecundum quod eſt tranſlucens: at vero qualitatem conſtat eſſe accidens. Idem quoque Auicen. lumen, inquit, eſt qualitas, quam corpus nõ translucens à lucido mutuat, & tranſlucens per illam efficitur, tranſlucens in effectu. Patet itaque, quod lux non eſt corpus, nec forma ſubſtantialis, nec ſubſtantia ſpiritualis, ſed qualitas mutuata, ac per conſequẽs eſt accidens. Si autem in contrarium obijcitur, quod nullum accidens ſit forma perfectiua alterius accidentis, & actus ipſius, quo agit actualiter. Lumen autem eſt forma perfectiua coloris, qua mediante actualiter agit in viſum, & ita non videtur eſſe accidens.

Ob.

Reſp.

Reſpondemus, quod prima propoſitio non eſt vera, ſcilicet quod nulla forma accidentalis ſit actus alterius accidentis, mediante quo ſit actu, quin potius omnis forma accidentalis, ſi habeat actum, ſecundum eſſe formæ vel materiæ, ille erit actus accidentalis naturæ, quoniam ex ſubſtantia, & accidente, non fit vnum ex potentia, & actu.

Quòd lux propriè ſit habitus.

Cap. XLVIII.

ITaque ſuppoſito, iam quod probatum eſt ex multis modis, videlicet, quod lux ſit accidens & qualitas, merito quæri poteſt, in qua ſpecie qualitatis. Videtur enim primo, quod ſit paſſio vel paſſibilis qualitas, quia habetur expreſsè, in libro de ſenſu & ſenſato, quòd illuminatio eſt alteratio. Eſt itaque

Sententia aiens lucem eſſe in 3. ſpecie qualitatis.

lux forma per ſe alterans, ac omnis talis forma paſſio eſt, vel paſſibilis qualitas. Vnde Philoſophus in 8. hb. phyſic. Quæ alterantur, inquit, alterantur omnia à ſenſibilibus, & horum ſolum alteratio eſt. Senſibilia vero appellat ibi paſſiones, & paſſibiles qualitates, Præterea in libro de viſu, dicit Philoſophus, quòd color, ſecundum quem aer alteratur ab igne, dicitur lux. Differtque flamma à luce, quia flamma eſt fumus accenſus, ac per conſequens corpus. Lux autem, inquit, non eſt corpus, ſed eſt paſſio diaphani corporis. Item Auicenna in libr. 6. de naturalibus. Lumen, inquit, eſt effectio corporis lucem habentis cum ei appoſitum fuerit: at vero effectio eſt accidentis impreſſio. Ex his ergo videtur paſſio eſſe. At vero in contrarium obijci poteſt, quia ſi eſt paſſio vel paſſibilis qualitas, erit aliqua de primis, vel de poſterioribus. At vero conſtat, quod non de primis quę ſunt calidum, & frigidum, humidum & ſiccum, erit ergo de poſterioribus: at omnes illæ cauſantur de primis: ſequitur ergo, quod lumen cauſetur ab illis, vel à quibuſdam earum, quod patet eſſe falſum: inuenitur enim lumen in quibuſdam corporibus, quæ non ſubijciuntur primis qualitatibus. Item omnis paſſio, vel paſſibilis qualitas habet contrarium in ſpecie, quamuis non in genere, quod patet per inductionem. At vero lumen non habet contrarium in ſpecie, quia nihil alterans ſubito, habet contrarium. Contrarium enim ſubiecto reſiſtit alterationi, ne fiat ſubito: præterea ſi haberet cõtrarium corrumperetur per illius præſentiam in ſubiecto: lumen autem non ſic corrumpitur, ſed per abſentiam illuminantis. Nos itaque cum Ariſtotele dicimus, quod lumen eſt habitus, & ita quod non eſt paſſio, vel qualitas paſſibilis, nec oportet, quod habitus habeat contrarium, quia nec ſcientia contrarium habet, ſed ei opponitur ignorantia, vt priuatio. Si autem obijcitur, quod lux infert paſſionem ſenſui, ſcilicet vſui. Reſpondemus, quod quædam eſt inferens paſſionem ſenſui, vt alterans ſolum & hæc eſt paſſio, vel paſſibilis qualitas, quædam autem non eſt alterans per ſe, ſed vt perfectio viſus acviſibilis, ſecundum quod eſt viſibile, & ſecundùm quòd eſt viſus ad actum, & hoc eſt habitus, vel diſpoſitio, Sunt enim habitus & diſpoſitio qualitates perficientes potentiam ad actum, vt viſus etiam lumine ſibi coniuncto cum humore criſtallino perficitur ad actum videndi.

Confutatur.

Lux eſt habitus.

Qualiter lux ſe habeat ad viſum.

Cap. XLIX.

SI tamen velimus vim facere in verbo Philoſophi, dicamus, quod viſibile propriè color eſt, lux autem eſt non viſibile, ſed habitus vel diſpoſitio, quo perficitur viſio ſecundum actum, vnde & actus communis eſt organo, ac medio & obiecto viſus, habet enim oculus aliquod lumen innatum, & lumen actus eſt diaphani (vt ait Philoſophus) & actus coloris per quem mouet viſum. Nec valet hoc argumentum. Color videtur per lumen, ergo lumen magis eſt obiectum viſus, quàm color, non enim eodem modo ſe habent lux & color ad viſum. Nam vnum ſe habet, vt paſſio vel paſſibilis qualitas. Alterum vt habitus vel diſpoſitio. Et poni poteſt inſtantia, quia conceptio vel ſententia vocis alicuius prolatæ peruenit ad intellectum mediante voce, nec tamen vox vel phãtaſia vocis eſt obiectum intellectus: quia vero ſic dicentes, non declinamus omnes obiectiones, dicamus aliter, quod videlicet lumen nihil prohibet paſſionem eſſe, vel paſſibilem qualitatem. Sed tunc diſtinguimus inter paſſiones corporum paſſiuorum & actiuorum. Et paſſiones corporum quæ non habent contrarietatem, nec agunt, nec patiuntur, ſed mouent tantum. Sicut enim ſe habet cæleſte corpus ad inferiora corpora, ſic eius paſſio ad paſſiones illorum: vnde ſicut cœli corpus in elementis nullum habet contra-

Ob.

Reſp. 1.

Reſp. 2.

rium, ita nec paſſio eius in paſſionibus elementato-
Gloſa dicti Ariſtotelis. rum: vbi vero dicit Philoſophus, *ſecundas qualitates à primis generari*, intendit de generatione & corruptione elementorum circulari. Ideóque intelligitur illud dictum de paſſibilibus qualitatibus, quæ proprię ſunt elementatorum, & ſicut iam dictum eſt, lux non habet contrarium, nec oportet, quod paſſibilis qualitas ſuperioris corporis aliquid habeat contrarium, concedimus tamen, quod lux non propriè alterati dicitur, quoniam ad hoc vt alteratio ſit propriè tria requirũtur. *Primum eſt, quod* alterans forma habeat alteram eſſentiam à quantitate, atque eſſentia materiæ: vnde rarum & depreſſum, cum niſi quandam poſitionem partium materiæ dicant, non propriè alterant. *Secundum eſt, quod* forma alterans magis excellens abijciat à ſubſtantia corrumpendo ſubiectum, & hoc modo habitus, & diſpoſitio animæ ſicut virtutes ac ſcientiæ, & etiam habitus corporei, ſicut ſanitas in homine & lumen, ſi in ratione habitus accipiantur non alterant. Nam vnuſquiſque ſecundum Philoſophum cum attingit ſcientias & virtutes, potius dicitur perfectus, quam corruptus vel alteratus. *Tertium, quod forma* alterans corrumpat aliam formam ſibi contrariam in ſubiecto, & hoc modo iterum non alterat lumen.

Alteratio propriè requirit tria.

Qualiter ad multitudinem luminis ſequatur multitudo caloris.

CAP. L.

Quæſt. CVm autem lux non ſit contraria frigiditati, quæritur ſecundum quem modum ad multitudinẽ luminis, ſequitur multitudo caloris. Si enim, vt dicunt quidam, radius luminis ſecum trahit calorem vel corpus in quo eſt lumen, tunc maior eſſe deberet calor in corpore, quod vicinius eſt illi corpori à quo lumen ſumit calorem, quàm in remotiori. Et ſecundum hoc maior deberet calor in medio aeris eſſe, quam iuxta terram. Idémque ſequitur contra illos qui dicunt, quod radius ſuperiorum tranſiens per ignem accipit ab eo igne calorem. Quòd autem calor non ſit maior in medio aere, quam iuxta terram, expreſsè dicit Philoſophus in libro Metheororum. Idem etiam de facili poteſt cognoſci per experimentum: vapores enim eleuati ex reuerberatione luminis ab inferioribus congelantur in grandines, & nubes in medio aeris interſtitio. Similiter etiam, patet ex hoc quod accidit in ſpeculis concauis & conuexis luci ſolari obiectis. Reflectitur enim lux cum calore: ita etiam, quod lux intenſiua ſit in loco vbi conueniũt multæ reflexiones ex omnibus ſpeculi partibus: præterea Sol à proprio ſubiecto calorem trahere, non poteſt, quia Sol neque calidus neque frigidus eſt. Quærenti ergo, vnde lumen habeat calorem diffundere, poſſumus hoc modo reſpondere: Lumen eſt propria forma corporis ſuperioris, & non inferiorum corporum. *Reſp.* Nam etiam ignis, ſecundum quoſdam Philoſophos non lucet in ſphera ſua. Ideóque caliditas, ſequitur ad lumen, & ad luminis multiplicationem ſicut ad cauſam primam, quæ non de neceſſitate diſponitur motu quo mouet. Et eſt ſimile in motu locali, & motore primo, qui nequaquam motu locali diſponitur, & tamen localiter mouet. Verum de hac materia, & alijs ſimilibus plenius requirat lector in tractatu de ſtellarum qualitatibus.

Quæſt.

Quòd lux ignis & lux ſuperiorum corporum, non ſit vnius rationis in genere vel in ſpecie.

CAP. LI.

Quæſt. Prima ſententia probatur. DVbitare autem poteſt aliquis, vtrum lux ignis & ſuperiorum corporum, & inferiorũ ſit eiuſdem rationis. Videtur autem quod ſic, quia vtraque eſt actus diaphani, & vtraque facit colores in actu, & vtraque immutat ſubito. Pręterea ſic loquitur Ariſtot. in 2. lib. de anima. Non ſecundum quod aqua, neque ſecundum quod aer lucidum eſt, ſed quoniam eadem eſt natura vtriſque his, & in perpetuo ſuperius corpore. Sic ergo diaphanum eſt idem in aere, & aqua, & in perpetuo corpore, & actus diaphani erit idem quantum ad rationem; hoc etiam ibidem commentator dicit hoc modo: Vna eſt natura in omni perſpicuo, in qua conueniunt perſpicua cum cælo, ſed in quibuſdam perfectio luminis ſemper actu eſt, vt in cælo, & in igne. In quibuſdam autem non, vt in aqua & aere. At vero in contrarium obijcitur hoc modo, non eſt eadem ratio ſubſtantiæ corruptibilis & incorruptibilis. Nihil enim vnum, ſecundum rationem poteſt eſſe in corruptibili, & incorruptibili, quia nec idem genus, nec eadem ſpecies, nec eadem propria paſſio. Cum ergo lumen ſuperiorum ſit in incorruptibi, & lumen ignis ſit in corruptibili, non erit lumen eiuſdem rationis hinc & inde: præterea non ſunt eiuſdem rationis miſcibile, & non miſcibile. At vero ſuperiora in actibus ſuis, & formis non ſunt miſcibilia. Ignis autem cum ſuis formis eſt miſcibilis, horum ergo formæ non ſunt eiuſdem rationis. Item ignis eſt ſubſtantia generabilis & corruptibilis & per conſequens in ipſo lumen generatur, vel corrumpitur. Sic autem non eſt in lumine ſolis, & corporum ſuperiorum in comparatione ad ſubiectũ. Nos itaque de vtriuſque luminis ratione dicimus, *quod non eſt vna ratio generis vel ſpeciei*, ſed vna ratio proportionis ad actum: vtrunque ſiquidem eſt actus diaphani ac perfectio coloris, ſecundum actum: Nam lumen ſolis in inferioribus quidem manet, ſecundũ virtutem tantum, ſed ſecundum eſſentiam non manet in aliquo, vt habitus: hoc patet in coloribus & coloratis, qui ſcilicet colores lumine præſente ſunt in actu, eoque recedente manent in materia, vel potentia tantum. At vero lumen ignis, manens in ſubſtantia ignis, commiſcibile eſt corporibus, & manet in eis, vt habitus: ſicut patet in his quæ lucent in tenebris.

Contraria ſententia probatur.

Conclusio.

Cur ignis in corporibus mixtis manens, corpora ſibi adiuncta non conſumit.

CAP. LII.

Quæſt. AT vero, ſecundum hoc quæri poteſt, ſi lumen ignis manet in corporibus mixtis, cur non conſumit corpora ſibi adiuncta? Hoc enim licet videre in oculo, vbi lumen ignis eſt cum humore criſtallino, & tamen non exiccat humorem criſtallinum, nec extinguitur ab ipſo. *Reſp.* Ad hanc quæſtionem dicendum eſt, quod ignis ſubſtantia duplicem compoſitionem habet. Vnam ſiquidem habet, cum forma perpetui corporis, ſecundum proportionem, quæ eſt lumen, & ab hac non habet, quod ſit elementum. Aliam vero habet, cum qualitatibus actiuis atque paſſiuis, & ab hac habet, quod ſit elementum. Iſtæ autem duæ compoſitiones ſic ordinantur ad inuicem, quod prima ſecundum naturam & rationem, eſt ante ſecundam, quod patet ex hoc, quia ſi prima non eſſet ante ſecundam, ſed econtra, tunc lumen non componeretur cum ſubſtantia ignis, niſi mediante calido & ſicco, & tunc non eſſet componibile cum alijs elementis niſi per eaſdem qualitates, quod patet falſum eſſe in aqua & aere. Lumen enim ex parte ſubiecti non requirit niſi materiam diaphani, quæ eſt in tribus elementis, ſecundum rationem autem compoſitionis cum qualitatibus actiuis & paſſiuis eſt in igne, & aere, & aqua. Ideóq; ignis in mixto, alterari poteſt à qualitatibus actiuis & paſſiuis, nõ retinendo eas ſecundum actum: & tamen retinebit lumen quod habuit ante qualitates illas, ſecundum naturam. Et quoniã ipſum lumen non habet contrarietatem ad aliquam qualitatum ſubſtantialium: ideo nec corrumpit eas, nec corrumpitur ab eis.

Si quis ergo quærat, quæ ſit differentia lucis, & luminis, & ſplendoris, & radij luminaris. Dicimus *Quæſt.*

quod

Lux. Lumen. Radius. Splendor.

quod ſecundum rationem nominum (vt dicit Auicenna) lux eſt in propria natura, lumen autem in ſubiecto recipiente. Porro radius exitus luminis, ſecundum lineam rectam. Radioſum vero eſt, ſcilicet corpus politum, in ſe lumen non habens, radios tamen reflectens. Splendor autem eſt ipſa luminis reflexio à reflexione radiorum procedens. In hoc enim radius à lumine diſtat, quod radius non procedit immutando niſi recta linea. Lumen autem, etiam ad non rectam lineam immutat. Licet hoc videre in ſole per feneſtras ingrediente. Ibi quippe radij ſolis ad rectam ingrediuntur lineam. Lumen vero ſub feneſtra, iuxta parietem illuminat aerem, quo non poteſt recta linea trahi ab illuminante. Similiter etiam eſt de ſplendore, & radioſitatis reflectione. Radioſitas enim

Luminare.

inflectit radium, & ſplendor lumen. Luminare vero, ſecundum Ioann. Damaſcen. eſt luminis receptaculum, vt corpus Lunæ, vel Solis.

De corporibus noctilucis, vnde lumen eorum proueniat.

CAP. LIII.

Quæſt.

POrro de noctilucis, quæ ſunt obiecta viſus in tenebris, vt quercus putrefacta, quędã oſſa piſcium, & ſquamæ: & quædã animalia, quæri poteſt vnde lumen eorum prouenìat. Nam ſi dicatur, quod ab igne, non videtur, quod hoc poſſit eſſe. Ignis enim non eſt in corpore mixto actu, ſed potentia tãtummodo. Nec ignis eſt in potentia lucere, ſic enim lucerent omnia mixta: quòd autem ignis actu non ſit in eis, patet per hoc, quòd ignis in actu vltiuus eſt eius, in quo eſt: talia autem corpora non videmus aduri: præterea ſi lumen eorum eſſet ab igne, tunc videtur, quòd dicerẽtur extingui in glacie, aut niue poſita, vel aqua perfuſa, cum (vt dicit Philoſophus) calido & ſicco contrarietur frigidum & humidum. Si vero dicatur, quod hoc ſit ex cæli lumine, contra hoc eſt, quod alibi de cælo probatum eſt, ſcilicet quod non eſt corpus generabile, nec commiſcibile alijs elementis, cum non ſit eiuſdem materiæ cum alijs.

Reſp.

Nos autem dicimus ad hoc, quod ignis duplicem habet proprietatem, ſcilicet luminis quod accipit à primo corpore, quod eſt cælum, & calidi, & ſicci, ſecundum quod eſt elementum. Et illa quidem compoſitio, quæ eſt ſubſtantia ignis cum lumine, prior eſt natura, quàm illa quæ eſt ſubſtantia ignis cum calido & ſicco, triplici ratione. Prima, quia illam habet per relationem ad primum corpus, quod eſt cælum. Vnde dicit Philoſophus: Cælum non recipit impreſſiones peregrinas, ſed elementa. Idcirco ignis receptiuus eſt impreſſionum cæli, maximè inter elementa omnia, quia cælo viciniſſimus eſt, & vbique contingit ſpheram Lunæ: prima vero impreſſio cæli ſuper inferiora eſt impreſſio luminis. Secunda eſt, quia lumen communius eſt, quàm calidum & ſiccum. Inuenitur enim inſeparabiliter in cælo, & in igne inſpiſſatis partibus, licèt in partibus non adeo ſpiſſis non luceat. Separabiliter autem in aere, & in aqua: quod non communius eſt ratione communionis prius conuenit, quàm id, quod eſt proprium ſecundum ſpeciem. Tertia vero eſt, quia lumen non eſt commiſcibile cum aliquo per ſe, quod patet ex hoc, quia nihil habet contrarium: nihil autem commiſcetur, niſi quod habet contrarium, vt patet in libro de generatione, & corruptione, dicimus ergo, quod ignis in corpore mixto amiſſis poſterioribus proprietatibus, ſecũdum actum non de neceſſitate amittit proprietatem priorem. Ideo prædicta corpora, quamuis luceãt ex igne, non tamen neceſſe eſt ignem illa exurere.

Qualiter in eis vt luceant, neceſſe eſt partes ignis conculcari, & inſpirari.

CAP. LIV.

VEruntamen huiuſmodi corporum lucentię cauſa, non eſt natura cæli tantummodo, nec ignis natura, aliter enim cælum in omni ſua parte luceret. Similiter ignis in tota ſua ſphera: quod non ita ſe habet, quin potius oportet partes conculcatas eſſe, & ad inuicem propinquas. Ideóque in huiuſmodi noctilucis ad hoc, vt luceant, neceſſe eſt conculcari & inſpiſſari partes ipſius ignis: quod contingit tribus modis. Vno modo in rebus corruptis, in quibus cum calido naturali partes ignis euolant ad exterius ſecum trahentes humidum naturale ad ſuperficiem, & quoniam humidum aqueum ſeruabile eſt luminis, vt ait Philoſophus. Ideóque partes ignis multiplicatæ in exteriore parte tenentur, ac ſeruantur ab humido, per conſequens inſpiſſato ad lucidum, & hoc tantum non fit in quercu putrefacta, ſed etiam in alijs quibuſdam.

Experientia.

Vnde dicit Auicenna, ſe gallum mortuum talem vidiſſe, & etiam gallinam talem. Similiter etiam videmus, interiores ſpinas quorundam piſcium, quæ ſunt in loco ſpondylorum quibus eſt vertebra deſcendens à capite, ſic fulgentes de nocte quando ſunt exiccatæ. In huiuſmodi quippe ſpinis humidum medulloſum eſt, quod ad ſuperficiem extractum ſeruat ignis partes, & huiuſmodi, ſignum eſt, quod talia putrefacta non fulgent quando ſunt vehementer exiccata, ſicut cum inueniuntur in partibus ſciſſa, tanquam in cineres incidentia. Secundus modus eſt in quibuſdã non corruptis naturaliter frigidis, & ſanguinem non habentibus, in quibus partes igneæ congregantur circa locum digeſtionis nutrimenti ad hoc, vt poſſit digeſtio compleri. Ideóque incipiunt ibi fulgere, ſicut vermiculi qui lucent in nocte. Tertius modus eſt in quibuſdam piſcibus, in quibus propter conſeruationem caloris naturalis in loco frigido & humido, natura circumponit extrinſecus partes duras terreſtres, calido digerente coagulatas, ſpiſſa ſiquidem & dura, multum tenent calidum, & idcirco multiplicantur in eis partes ignis, ſicque talium piſcium capita, & ſquamæ ſic incipiunt fulgere.

Cur eorum quædam lucent tantum de die, quædam autem de nocte.

CAP. LV.

ILlud autem videtur mirabile, quod quædam eorum de die lucent & de nocte, quædam vero tantum de nocte. Alba quidem in loco lucis videntur in die: ignis autem videtur die ac nocte, vt dicit Ariſt. in lib. de anima huiuſmodi ratio eſt, quia lux ignis fortior eſt, quàm aliorum, nihilominus tamen ignis, ſi radijs ſolis immediatè exponatur, albus videbitur. Cum enim carbones igniti radijs ſolis immediate exponuntur, ſtatim alba fauilla cooperti videntur, quod ideo contingit, quia fortius lumen minus lumen vincit tegendo ipſum, & colorem proprium amittunt. Porro quercus putrefacta de nocte quaſi apparet alba, & videtur ſub colore. Quædam autem videntur in luce ignis de nocte, ſicut vermiculi, in quibus apparet quaſi ſimilitudo carbonis igniti ſucceſſiuè ſufflati. Et horum ratio eſt, quia in putrefactis partes ignis deficientes ſunt retentæ in humido ad ſuperficiem extractæ, & ideo debiles in lumine, & ideo illa lux in quercu putrefacta, tanquam albedini apparet immixta. At vero in illis quæ non ſunt corrupta, lumen eſt in partibus ignis caloris naturalis multiplicati circa locum digeſtionis: ideo fortior eſt in illuminando. Et quoniam in talibus, cum volant (vt dicit Philoſophus in lib. de ſom. & vigil.) fit percuſſio ſpiritus ad ſuccinctorium, ſine diaphragma: propter hoc illa lux videtur quaſi ſucceſſiuè ſufflata.

Nota.

Quòd colores ſunt obiecta viſus in lumine.

CAP. LVI.

SIcut autem prædicta ſunt obiecta viſus in tenebris, ſic colores ſunt obiecta eiuſdem in lumine.

Vnde

Vnde dicit Auicen. quòd color eſt qualitas quæ ex A luce percipitur. Et Ariſt. in lib. 2. de anima, quod color eſt motiuum viſus, ſecundum actum lucidi, & hæc eſt ipſius natura. Idem in lib. de ſenſu & ſenſato dicit, quod color eſt perſpicui extremitas in corpore terminato, & ipſorum perſpicuorum. Hęc eſt triplex coloris diffinitio. Ad cuius euidentiam oportet nos ſcire, quod color habet duplex eſſe, videlicet eſſe materiale, quod habet in corpore ſpiſſo, quod non eſt peruium, ſed terminat viſum. Et eſſe formale, ſecundum quod ipſe mouet ſenſum. Hoc autem duplex eſſe probatur ineſſe colori, ex hoc quòd color non tantum alterat ſenſum, ſed etiam corpora. Et corpora quidem alterat non ſubito, ſenſum vero ſubito. Cum itaque color per ſe, non ſit qualitas actiua vel paſſiua, alterabit quidem non actu proprio, ſed actu alterius agentis. Et ſi agens illud, quo color alterat in corpora non agit ſubito, tunc color non alterabit ſubito. B Agens autem illud eſt, aut calidum, aut ſiccum, aut frigidum, aut humidum. Quorum, quia nullum agit vel patitur ſubito. Idcirco coloris alteratio, quo corpora alterat, non fit ſubito. Dicit autem Philoſophus, in lib. de Cælo & mun. quòd ſecundum illa omnia, ſecundum quæ alterantur inanimata, alterantur, & animata, ſed non conuertitur, quoniam animata quidem alterantur ſecundum ſenſus, ſecundum quos inanimata non alterãtur. Relinquitur ergo quod alia actione agit color in viſum, ac per hoc etiam cum alio agente, quod, ſcilicet agens lumen eſt. Dicamus ergo, quòd eſt conſiderare colorem, ſecundum relationem ad primas qualitates, quę cauſant ipſum in corpore terminato, & hoc eſt ipſius eſſe, C quod habet in materia, id eſt corpore terminato, & ſic bene eſt color in tenebris, & hoc modo non diffinitur ab Ariſtot. vel ab Auicenna, quia ſic non infert paſſionem in potentia viſiua. Eſt etiam conſiderare colorem, ſecundum relationem ad agens illud, quod dat ei eſſe formale, quo poſſit viſum ac medium viſus immutare, & ſic habet eſſe color à lumine, nec eſt in tenebris, & ſic diffinitur in diffinitionibus ſupradictis. Vnde dicit Philoſophus in libr. de anima, colorem eſſe viſibilem, quod eſt ratione differentiæ, intelligit, quod color viſibilis eſt non omnino, ſed in formali ratione, id eſt, per luminis actum, qui ſcilicet dat ei actum & ſpeciem, ſecundum quæ poteſt agere in viſum.

Duplex eſſe coloris.

Qualiter color ſit motiuum viſus ſecundum actum lucidi.

Cap. LVII.

IGitur, & ſecundum hoc eum diffinit, cum dicit: Color eſt motiuum viſus, ſecundum actum lucidi. Et hæc eſt ipſius natura. Actus enim lucidi lumen eſt, & hanc nequaquam diceret eſſe coloris naturam, niſi aliquo modo daret illi eſſe ac ſpeciem. Verum ex hoc quod dicitur, ſecundum actum lucidi, videtur color eſſe non niſi in lumine, quia, ſcilicet actus, ſiue perfectio lucidi lumen eſt, quod etiam Auicenna videtur innuere, cum dicit, quòd color eſt qualitas quæ percipitur à luce. Similiter & Philoſophus Auempace dicit, quòd color nihil aliud eſt, quàm admixtio corporis lucidi cum diaphano Ideóque non eſt neceſſarium ipſum diaphanum in actu, ad hoc vt color videatur. Sed tantum perfectio coloris per actum lucis, eſt illuminatio diaphani. At vero alibi oſtenſum eſt, quòd eſſe coloris non conſtituitur cauſaliter ex lumine tantum, ſed etiam ex actione & paſſione primarum qualitatum. Ex quo patet falſum eſſe, quòd non ſit color niſi in lumine. Præterea dicit Auicen. ſuper illud verbum Philoſophi in 2. lib. de anima. Color eſt viſibile per ſe, quòd non eſt intelligendum in primo modo dicendi per ſe, ſed in ſecundo, ſcilicet vbi ſubiectum eſt in ratione prædicati. Comparatio enim talis eſt viſibilis ad colorem, qualis eſt viſibilis ad hominem. Ideóque color per ſe eſt cauſa viſibilitatis. Ex hoc accipitur lumen colori non auferre, quòd ſit viſibilis, nec etiam dare. Et ſic vlterius relinquitur, quòd color in tenebris ſit. Auerros quoque dicit, quòd actus lucidi non facit colorem eſſe viſibilem ex parte coloris, ſed ex parte diaphani, quod non habet potentiam ſuſcipiendi ipſum, niſi actu ſit luminoſum. Ex hoc iterum relinquitur, quòd color ſit in tenebris & viſibilis, licèt per accidens impediatur. Verum hæc controuerſia iam ſuperius eſt ſoluta. Patet enim ex ſupradictis, quòd colores, ſecundum quid ſunt in tenebris, & ſecundum quid non ſunt in eis.

Color quid?

De quibuſdam erroribus Auerrois circa viſibilitatem coloris.

Cap. LVIII.

VBi autem dixit Auerros ſuper librum de anima, quod colores ſimpliciter ſunt in tenebris, erravit per falſam diffinitionis intelligentiam deceptus. Colores inquit actu ſunt in obſcuro. Sed videntur in actu lucidi propter potentiam diaphani, quæ lucis actu perficitur, non propter potentiam colorum. Erravit inquam, quia duplex eſt illa propoſitio Ariſtotelis *color eſt motiuum viſus ſecundum actum lucidi*, quia hoc totum ſecundum, &c. poteſt eſſe determinatio motiui. Et hoc modo verum eſt: ſicque explanatur ab Auicenna, & ab Auempace: ſic etiam concordat cum verbo ſequenti, quod dicitur in diffinitione coloris, & hæc eſt ipſius natura. Concordat etiam cum diffinitione poſita in libro de ſenſu, & ſenſato, videlicet *color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato*, aut diuiditur in ſe, & etiam à verbo eſt, quod præcedit, vt ſit ſenſus, color eſt motiuum ſecundum ſe, & ſecundum lucidi actum, hoc eſt lucidi ſecundum actum exiſtentis, vt ſcilicet quod dicitur ſecundum actum determinatio ſit lucidi, gratia participij ſubintellecti, tunc eſt falſa, & in hoc ſenſu ab Auerroe explanatur. Quòd autem objcit Auerros, quod color eſt per ſe viſibile, ſicut, Ariſtoteles dicit, & ita non eſt viſibile per actum lucidi vt videtur. Reſpondemus, quod non ſequitur. Illud enim Ariſtotelis verbum intelligitur de colore ſecundum eſſe ſuum, quod habet ab illo actu quo agit in viſum, hoc autem eſt lumen. Et huius demonſtratio eſt, quod ſi lumen ſeparetur ab eſſe huius viſibilis, quod eſt color, tunc erunt duo viſibilia, quæ non reducuntur in genus: contra quod dicit Philoſophus, quod omnis ſenſus eſt vnius contrarietatis præter tactum, quæ contrarietas eſt in vno genere. Si vero diceretur, quod lumen non eſt viſibile, hoc iam eſſet contra ſenſum. Cum enim (vt dicit Philoſophus) lumen ſit qualitas, ſimiliter forma rei lucentis: patet, quod nos illã percipimus in tenebris: porro ſi diceretur, quod vtrumque non eſt viſibile, ſed vnum per alterum, tunc autem lumen videretur per colorem, aut color per lumen. Si primo modo tunc color eſſet lumini cauſa viſibilitatis, ſicque nullum lucens videretur niſi ei color aduenire, qui lumen eius in actu faceret, quod eſt aperte falſum, & contra ſenſum. Si autem ſecundo modo, tunc habetur propoſitum, ſcilicet quod lumen eſt colori cauſa viſibilitatis, ſicut dicunt Auicenna, & Auempace & Alpharabius.

Definitio coloris.

Qualiter intelligi debeat prædicta coloris diffinitio.

Cap. LIX.

MOtiuum in diffinitione coloris tangit potentiam actiuam, ſed in hoc, quod additur in de-

finitione,

finitione, ſecundum actum lucidi, determinatur eius paſſiuum, per actum enim lucidi mouetur à colore medium tranſparens, & viſus. Non autem color lumen mouet, ſed mouetur ab ipſo ſecundum eſſe formale. Color quippe non mouet per ſe, ſed motus à lumine. Nam in naturalibus materia non mouet per ſe, ſed mota per ſpeciem quam acquirit à mouente, poteſt alterum mouere, & ita eſt hic. Eſſentia quippe coloris eſt ad lumen materialis. Non autem ſequitur ſi color eſt viſibilis propter lucem vel actum lucidi, quod ideo actus lucidi ſine lumine ſit magis viſibile. Non enim eodem modo ſe habent ad viſum color, & lumen. Sed vnum vt obiectum terminans viſum ſcilicet color. Alterum vt in quo color mouet viſum, ſiue vt cuius actus terminatur ad obiectum viſus. Præterea etiam ſi eodem modo ſe haberent ad viſum, adhuc non ſequeretur, quod eſſent in omnibus comparabilia, ſed in eſſe formali comparabilia tantum illo, ſcilicet eſſe formali, quo accipit potentiam completam actiuam ad mouendum viſum. Et quo ad hoc tantummodo, non autem ſimpliciter eſſentia luminis in ipſo eſt. Cum autem color viſum moueat vt ad finem, medium autem non vt ad finem, ſed vt ad viam, videtur color magis eſſe motiuum viſus, quàm medij. Cum autem definitio ac denominatio à fine denominanda ſit, videtur quod color ita debet definiri. Color eſt motiuum viſus ſecundum actum lucidi, præterea, propter quod vnumquodque tale, & ipſum magis. Cum ergo medium moueatur propter viſum, ſequitur item, quod color principaliter moueat viſum. Nos autem concedimus quidem, quod mouet viſum principaliter, & medium propter viſum, ſed hoc non eſt ſibi ſubſtantiale, quia poteſt eſſe color in actu mouendo ſolum medium. Ideóque fortaſſe non expreſſit Philoſophus in illa difinitione cuius eſſet motiuum.

De illa quam idem Ariſtoteles in libro de ſenſu, & ſenſato ponit.

CAP. LX.

POrro in ſequenti definitione, quam ponit in libro de ſenſu & ſenſato, ſcilicet quod *color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato.* Extremitas perſpicui accipitur vltimum eius tangẽs rem coloratam, & in actu luminis immiſcens ſe ſuperficiei, ac per hoc conferens eſſe formale colori, vnde quod color dicitur eſſe extremitas perſpicui, non intelligitur de quocunque perſpicuo, ſed de perſpicuo, quod eſt ſecundum actum per lumen, quod eſt in ipſo, ſed nec de quacunque perſpicui parte, ſed de illa, quæ ſe immiſcet ſuperficiei rei coloratę, & hoc eſt, quod adiungit terminato corpore, ſcilicet innuens, quod perſpicuum lumen immixtum debet eſſe colori exiſtenti in corporis terminati ſuperficie. Color enim ſemper eſt in ſuperficie. Ideóque Pythagorici vocabant illam ὑπερφανὴν, id eſt ſuper apparentem. Præterea non intelligitur difinitio de quocunque eſſe coloris, ſed de illo eſſe ſecundum quod alterat color ſenſum, non ſecundum quod alterat corpora. Quod autem ibidem ſequitur (& ipſorum perſpicuorum) non intelligitur de perſpicuis quibuſcunque. Sic enim probat Alexander, & bene, quod perſpicuum eo quod eſt medium viſus, non habet colorem, & ob hoc omnis coloris eſt ſuſceptibile. Sunt autem perſpicua quædam habentia condenſationem, vt aqua, & nubes, illa per immixtionem lucis diuerſos recipiũt colores. Vnde & Philoſophus in talibus exemplum ponit auroram, & mare, differt tamen iſtorum color à corporum terminatorum colore, quia in iſtis color non eodem modo apparet accidentibus propè, & remotè: diſtans enim à mari videt colorem maris in ſuperficie album: accedẽs autem propè, magis videt ipſum obſcurum. Et huiuſmodi cauſa eſt, quia quando longe diſtat, terminatur eius viſus ad ſuperficiem aquæ, quæ quia plana eſt, ſuper ipſam diffunditur lumen multum, ideóque vehementis apparet albedinis. Cum autem ſit propè, non ſiſtit eius viſus in ſuperficie aquæ, in qua multum diffunditur lumen, ſed penetrat, in profundum, in quo minus eſt de lumine, ergo magis apparet ei obſcurum mare. Porro in nubibus, & in aurora eſt alia cauſa. Cum enim aliquis longe diſtat ab oriente, tunc inter ipſum, & ſolem multum eſt de ſubſtantia nubis, & vaporum, quæ propter ſui denſitatem prohibet multum lumen penetrare: ob hoc apparet in eo color rubeus vel alius, ſecundum diuerſitatem vaporum. Cum autem eſt propè, tunc inter ipſum & ſolem parum eſt de ſubſtantia vaporum. Ideóque tunc nullus apparet color, ſed tantum videtur obſcuritas debilis nebulæ.

Qualiter Reſponderi poſſit ad obiecta in contrarium.

CAP. LXI.

Soluuntur argumenta contraria.

SEcundum hoc de facili poſſunt argumenta ſolui, quæ videntur contraria prædictæ definitioni. Nullum enim perſpicuum ſiue tranſparens ſecundum quod tranſparens eſt color vel colorem habens. Nam licèt quædam nubes ſint coloratæ, ſicut in lib. Metheo. oſtenditur, hoc tamen non eis accidit ſecundum materiam perſpicui, ſed ſecundum quod aliquo modo per lumen ſuper ipſas veniens terminantur. Vnde hac ratione videri poſſet alicui, quod malè diceretur. Color eſt extremitas perſpicui. Præterea cum perſpicuum habeat principium ac medium, & extremum vnius & eiuſdem generis, videri poſſet, quod eadem ratione color perſpicui principium, & medium æquè ſicut extremitas dici poſſet. Nos autem dicimus ad hoc, quod perſpicuum ſemper dicitur ibi diaphanum vel tranſparens, quod eſt lucidum ſecundum actum. Quod licèt in ſe nullum habeat colorem ſecundum quod eſt tranſparens: nihilominus tamẽ (vt prædictum eſt) per immixtionem ſuæ lucis dat eſſe alteratiuum ſenſus ipſi colori. Porro perſpicuum eſt conſiderare duplici modo, ſcilicet ſecundum naturam diaphani ſiue tranſparentis, & ſecundum actum luminis, quod eſt in eo. Conſideratum primo modo eiuſdem rationis eſt in principio, in fine, & in medio. Si verò conſideretur ſecundo modo, tunc non eſt eiuſdem rationis propter duo. Primo quia lumen magis condenſatur, & multiplicatur vbi reuerberatur, quàm vbi non reuerberatur. Cum igitur in contactu corporis denſi ac lucidi ſit luminis reuerberatio, patet quod perſpicuum in extremitate tangente corpus tale, plus habet de lumine, quàm in medio vel in principio. Cunque colorem eſſe faciat actu lumine ſuo, magis facit actum in extremitate, quàm in medio vel in principio. Alia ratio eſt, quia color non eſt ſubſtantiale lumen, quod eſt in medio vel in principio, ſed tantum illud, quod in extremitate eſt, cuius expreſſum documentum eſt, quia ſi ponatur color in lumine ſecundum extremum perſpicui tantum, & principium ac medium perſpicui ſit tenebroſum videbitur color. Si verò principium ac medium perſpicui illuminatum ſit, extremitas autem tantummodo ſit tenebroſa, non videbitur color. Denique corpus terminatum (vt in prædicta definitione capitur) dicitur corpus denſum, & ſolidum. Diuiditur enim corpus terminatum contra corpus peruium, & dicitur corpus terminatum, quia non ſuſcipit lumen niſi in terminis ſuis exterioribus tantum. Peruium autem dico, quod ſuſcipit lumen in terminis ſuis, & in profundo.

De Colorum generatione multiplici.

CAP. LXII.

CVm autem color (vt habitum eſt) relationem habeat ad duplex agens, ſcilicet ad primas qualitates, & ad lumen ſecundum quod alterat corpora, videtur à primis qualitatibus generari, quod tamen è contrario videtur pluribus rationibus reprobari. Nam quicquid eſt per ſe generans, generatur per eſſentiam ſuam. Si ergo primę qualitates per ſe generarent album vel nigrum, tunc album vel nigrum eſſent calidum, & ſiccum, humidum & frigidum, quod patet eſſe falſum. Cæterum omnis generatio per ſe habet ſimilitudinem ſpeciei ac formæ cum eo, quod generatur. Si ergo album generatur à calido vel frigido per ſe, erit albũ ſimile in ſpecie ac forma calido vel frigido, quod falsũ eſt. Præterea quicquid generatur per ſe ab aliquo, non generatur ab eius contrario. Si ergo album per ſe generaretur à calido, nunquam generaretur à frigido. Et ſi à frigido per ſe, nunquam generaretur à calido: quorum vtrumque falſum eſt. Videmus enim quod album generatur à frigido in niue. In gypſo autem, & calce generatur à calido. Porro ſi dicatur, quod colores ſufficienter generantur à luce, hoc iam multipliciter improbatũ eſt ſuperius in tractatu de lumine: prętęrea quicquid per ſe, & ſufficienter aliquid generat, hoc ſufficienter ac per ſe eſſentiam ei tribuit. Sic ergo oporteret, quod lux per ſe albo, & nigro eſſentiam daret, & ſic duo contraria eſſent ab aliquo eodem modo ſe habente, quod eſt impoſſibile. Si ergo fortaſſe dicat aliquis quod albedo, & nigredo qualitates ſint per ſe ipſas actiuæ, & ideo generant ſeipſas in ſua ſpecie, ſicut homo hominem, & calidum generat calidum: huic etiam ſententiæ obuiat ratio manifeſta. Nam qualitates actiuę contrariæ iuxta ſe poſitæ inuicem tranſmutant ſe, ſicut videmus in calido, & frigido, humido, & ſicco, hoc autem non videmus in albo, & nigro. Niger enim lapis, & albus quandocumquę ponantur iuxta ſe, nunquam ſecundum colores inuicem ſe tranſmutabuntur, præterea qualitates omnes actiuæ contrariæ, habent aliquas paſſiuas ad quas illarum actio determinatur; dicatur ergo quæ ſint qualitates albi, & nigri paſſiuæ. In quibus illorum actio determinatur, ſed non inueniuntur. Nos itaque quæſtionem illam ſoluendo dicimus, quod triplex eſt colorum generatio. In corpore, ſcilicet terminato fit duobus modis, ſcilicet per mixturam vel ſuperenatationem. Tertio modo in corpore perſpicuo, ſicut in nubibus vel vapore, ſcilicet per lucis immixtionem. Et horum quilibet trium modorum multiplex eſt, ſicut poſtea patebit. Dicimus ergo breuiter, quod colores per calidum, & frigidum generantur in terminato corpore, & hoc per accidens ſiue per aliud, non autem per ſe.

Generatio albi.

Qualiter fiat generatio colorum per mixturam in corpore terminato.

CAP. LXIII.

VT autem cognoſcatur generatio per mixturam in corpore terminato: Sciendum eſt, quod duplex eſt generans per ſe: ſicut calidum generat calidum, & frigidum generat frigidum. Et generans per aliud, ſicut lumen generat calorem, & motus ſimiliter. Non enim hæc calorem generant per ſe, ſed per hoc, quod diſſoluunt, & partem à parte diſtare faciunt, quæ eſt actio calidi: vnde quia calidi actio ſequitur ad actiones eorum. Ideo generant ipſa calidum per accidens, ſiue per aliud. Et ſecundum hunc modum vt dictum eſt per calidum, & frigidum generantur colores interminato corpote, ſcilicet per accidens, & non per ſe: præterea ſciendum eſt, quod contraria tripliciter ad inuicem ſunt actiua, & paſſiua. quædã enim eo modo ad inuicem ſunt actiua, & paſſiua, quod tranſmutant ſeipſa, ita vt non oportet, quod aliquid de materia vnius ingrediatur in materiam alterius ſed tantum virtus eius in ſubiectum alterius. Et ſic actiua ſunt ad inuicem calidum, & frigidum. Si enim ponatur calidum iuxta frigidum, ſubintrabit calidi virtus in ſubiectum frigidi, & è contra. Nec oportet ergo, quòd aliquid de partibus materialibus calidi ſubintret partes materiales frigidi, & è contra. Quædam verò ſic actiua ſunt ad inuicem vt non tranſmutent, nec ingrediuntur in ſe ſine materia in qua ſunt. Et ſecundum hunc modum inuicem ſe tranſmutant humidum, & ſiccum. Ideoque minus actiua ſunt, quàm calidum, & frigidum, & dicuntur paſſiua reſpectu ipſorum. Tertio modo dicuntur actiua, & paſſiua, quæ tranſmutant ſe, ſed non prima actione propria vel ſubintratione propria: immo prius agere vel ſubintrare oportet alia. Talia ſunt album, & nigrum, dulce & amarum, & huiuſmodi. Hæc etenim non tranſmutant ſe niſi per actionem calidi, & frigidi, humidi, & ſicci, & ſic etiam miſcentur per actiones illorum, & commixtiones: per hunc itaque modum multi colores à calido, & frigido generantur.

2.

3.

10 *Contraria ſunt actiua tripliciter.*

Quòd multipliciter à calido, & frigido generantur album & nigrum.

CAP. LXIV.

EST enim calidum adurens partes terreſtres, & ſicut per conſequens eſt generatiuum nigri, partes enim terreſtres aduſtę per ſeparationem ab aereo, & aqueo, quæ fit in iſtis, comprimuntur in ſeipſis, & obſtruuntur pori, ita quod non poteſt eis lux miſceri. Et cum euolauerint partes diaphani, ſcilicet aeris, & aquæ, quę lucis erant perceptibiles per conſequens remanet illud obſcurum; & nigrum, quod combuſtum eſt. Eſt etiam calidum diſſoluens ac per hoc ſubſtantiam rarificans, & per conſequens introductiuum aeris, qui cum ſit corpus diaphanum ac perceptibile luminis, ſic generatur albedo in corpore terminato. Eſt iterum calidum humidi continuantis extractiuum, & per conſequens facit albedinem in diſſolutis ac rarefactis: ſic cauſatur albedo, ac calido in calce, & gypſo. Et iterum calidum eſt extractiuum humidi aerei, & coagulatiuum groſſi aquei cum ſubtili terreſtri commixto ſibi, ac per conſequens cauſatiuum eſt albedinis in eo, quod prius erat diaphanum, quando multum partes aeris erant in eo, facientes diſtare partes terræ, & partes aeris commixtas: ſic cauſatur albedo in albumine oui cocti. Eſt iterum calidum digerens ac cõmiſcens groſſum terreum cum ſubtili aqueo continuante, & hoc eſt cauſatiuum albedinis in oſſibus, quæ omnia ferè ſunt alba. Eſt etiam calidum fugãs frigidum in profundum. Cumque frigidum partes inſpiſſat prohibet in ſuperficie luminis receptionem, ac per conſequens relinquit nigredinem. Multis etiam alijs modis generantur album, & nigrum à calido. Eſt quoque frigidum inducens humidum aqueum, eo quod ſymbolum habet cum ipſo, quia vtrumque in aqua eſt, ac per conſequens quia humidum eſt diaphanum ac luminis receptiuum cauſat albedinem. Eſt iterum frigidum coagulatiuum ac congelatiuum terreſtrium partium, & per conſequens claritatis in ſuperficie deſtructiuũ, & nigri cauſatiuum: Eſt etiam frigidum excellens calidum, quod ſecum ad ſuperficiem trahit humidum. Ideóque ſuperficies coloratur, ſicque color albus efficitur. Item eſt frigidum fugãs calidum in profundum, quod in profundo multiplicatũ inflammat, & incendit humidum, tandemque poſtquam exhalauerit humidum, exurit partes terreſtres, & relinquitur color niger: ſicut patet in floribus, quos pruina occupat, & in arboribus: frigus enim pruinæ fugans intrinſecus naturale calidum ipſius floris inflammat humidũ, ideóq; flos cadens, primo eſt ſubtus rubeus

Cur calidũ generat nigredinem.

Cur etiam albedinem quandoque cauſat?

Quomodo frigus cauſat albedinẽ.

vbi

vbi ramum contingit, deinde niger fit cum humidum euolauerit, quia tunc non relinquitur nisi terræ combustum. His itaque modis, & alijs multis generatur album, & nigrum in corpore terminato. At vero Philosophi hanc generationem non determinant, quoniam ipsa est per accidens, nec principia eodem modo sunt ordinata, & stătia, ideoque non est terminabilis per artem illa generatio.

De Mediorum colorum generatione.

CAP. LXV.

Colores medij quomodo generantur.

ISte igitur est vnus modus generandi colores in corpore terminato extremos, secundum illud esse colorum quo transmutant corpora terminata, & non sensus tantummodo. Porro de colorũ mediorum generatione, videtur Philosophus in libro de sensu, & sensato dicere, quod *generantur per albi, & nigri mixturam, ac per alternorum colorum superenatationem*, quod tamen videtur improbari posse ratione multiplici. Si enim miscentur colores ad inuicem, aut miscentur secundum se, aut per accidens, scilicet per mixtionem eius, in qua sunt materiæ. At verò nihil est miscibile secundum se, nisi quod secundum se est in minima diuisibile. At vero nulla qualitas diuisibilis est per se. Dicit etiam Philosophus in lib. 1. de generatione, & corruptione, quod *nihil miscetur nisi, quod est in minima diuisibile*. In eodem quoque libro dicit Philosophus, quod *qualitates sine passiones sunt immiscibiles*, Si propter hoc dicatur, quod extremi colores per mixturam materiæ in quo sunt miscentur, tunc quæritur, quid mouet ad mixtionem illam, cum colores vtprobatum est non sunt qualitates actiuæ vel passiuæ. Nos autem dicimus, quod illa quidem quæ per mixturam fit generatio, est secundus modus generandi colores in corpore terminato. Et quoniam extremi colores sunt simplices, & immixti, propter hoc isto modo non generantur extremi, sed medij. Ad mixtionem autem bene concedimus, quod oportet commiscerì partes materiæ colorum, & quod colores ad mixuram non mouent, sed calidum, & frigidum, humidum, & siccum, vt prius dictum est; porro, videtur esse falsum, quod dicitur generari medios colores in superenatatione colorum alternorum. Cum enim color superenatat colori, nec vnus miscetur alteri, nec materia eius, sed vterque manet distinctus, & sic constituunt tertium. Cæterum illorum alternorum colorum aut vterque est in materia transparenti, aut vterque est in terminata, aut vnus in terminata, & alius in transparẽti. Si autem dicitur primo modo, tunc sequitur, quod vterque traducit visum. Ideoque nõ immutabit eũ secundum aliquẽ colorem medium, sicut patet in aere in vitro puro. Si secundo modo tũc superior operiet inferiorem, ita quod medius non resultabit, sed tantum superioris materiæ color visum immutabit. Si tertio tunc aut superior erit in materia terminata, & inferior in transparenti, aut ècontra. Si primo modo tunc iterum inferiorem operiet, ita quod medius non resultabit. Si secundo modo tunc visus superiorem penetrabit, & in inferiori stabit, atque ab illo solo immutabitur, sicque iterum medius color non resultabit. Nos autem hoc soluendo dicimus, quod in superenatatione coloris vnius materiæ super aliàm ponitur, & oportet, quod semper superioris materia peruia sit, quoniam aliàs inferiorem operiret sicut obiectum est. At peruium duobus capitur modis. Vno modo peruium absolutè sine colore, sicut est aer. Et secundum hunc modum superenatatio non fit, quia sic non resultaret medius color ex superiori, & inferiori. Alio modo peruium cum colore, & secundum hoc medius resultat ex superiori, & inferiori sicut patet in humano vngue, quia scilicet habet colorem peruium, & sanguis subtus colorem terminatum. Ideoque medius color resultat ex vtroque. Item patet etiam picturis, cum scilicet pictores faciunt aliquid apparere per colorem aquæ, vt quando faciunt imagines velut in aquis stantes. Dicendum est itaque quòd in superenatatione color superior non est transparens simpliciter, sed secundum quid.

Obiectio.

Solutio.

De Mixturis colorum, & proportionibus secundum quas distinguitur varietas colorum & numerus.

CAP. LXVI.

Dupliciter fit mixtio colorum.

FIt autem mixtio duobus modis *secundum proportionem* debitam, & *sine proportione*. Porro secundum fit adhuc duobus modis secundum Philosophum. Scilicet, *proportionem arithmeticæ*, & secundum *proportionem musicæ*. Item secundum proportionem arithmeticæ duobus modis. Vno modo scilicet per *æquè distantiam*, & sic non est nisi vnus modus & vnum medium inter duo extrema. In hac enim proportione medium habet se ad vtrumque extremorum sicut subduplum ad duplum, & vnum ad duo, quod ex hoc patet, quia medium tantum habet de vno contrario quantum de alio. Et sic album plus duplo habet de albo, quàm medium, & hoc vocatur æquè distans: si autem fit mixtura secundum debitam proportionem, sed non per æquè distantiam, tunc non cõtingit miscerì nisi duobus modis. Vno modo, scilicet *secundum proportionem extremi ad medium* æquè distãs, per hanc mixturam generatur medium, quod est vicinius extremo, quàm medio æquè distanti. Quod sic potest probari. Medium illud in extremo accipit naturam extremi. Naturam vero alterius extremi non accipit nisi acceptione vna, scilicet secundum quod est in medio æquè distanti. Sic ergo vicinior est vni extremorum, quàm alteri extremo, quia natura vnius extremorum in ipso se habet ad naturam alterius extremorum, sicut duplum ad dimidium, & duo ad vnum. Secundus modus proportionis est *secundum operationem medij non æquè distantis ad æquè distans*, & sic relinquitur vnus color, qui vicinior est medio æquè distanti, quàm extremo. Quod etiam probatur in ista commixtione: medium constitutũ duplici acceptione naturam accipit medij scilicet à medio æquè distanti, & à medio non æquè distãti. At verò acceptione simplici tantum, accipit naturam extremi scilicet in vtroque medio, quoniam extremum non est nisi in se, & in medio. Cum ergo illud accipiat naturam extremi tantum in medio, & non in se, non accipit extremum nisi vna acceptione. Natura vero medij non est immediatè in ipso medio æquè distanti, sed etiam in medio nõ æquè distanti. Ideoque dicitur accipit naturam medij ac per consequens vicinius est medio. In istis proportionibus distinguitur colorum varietas, & numerus.

De Numero colorum, & varietate.

CAP. LXVII.

Numerus colorum excedit septenarium.

CVm autem dicat Aristoteles *in libro de sensu, & sensato*, quod septenario numero determinantur colores, videntur esse multo plures. Habemus enim album, & subalbum, pallidum, & subpallidum, ac liuidum, & subcitrinum, rubeum subrubeum. In viridi quoque sunt varietates multæ. Est præterea color purpureus, sanguineus, & glaucus, flauus, ac niger, & huiusmodi diuersitates. Item dicuntur esse quidam colores asymetri quidam

ſymetri. Aut ergo menſura coloris ad viſum attéditur, quia ſcilicet viſui commenſuratur, aut omnis color, qui in lumine eſt, erit ſymeter, & ille ſolum, qui in tenebris aſymeter. At vero aſymetrum nunquam poteſt ſymetrum eſſe. Ideoque ſecúdum hoc color, qui eſt in tenebris non poſſet eſſe viſibilis adueniente lumine, quod eſt manifeſtè falſum. Porro ſi dicatur, quod attenditur commenſuratio ad delectationem, quæ eſt in viſu, tunc ſequitur, quod omnis color medius ſymeter ſit, & nullus aſymeter, quia delectatio ſemper eſt in medio, & nunquam in extremo corrumpente. Nos itaque de colorum numero dicimus, quod non ſunt niſi ſeptem in ſupradictis proportionibus. Non enim ſunt niſi tria proportionum genera, vnum ſcilicet extremi ad extremum, & ſecundũ hoc reſultant tres colores, ſcilicet duo extremi, & vnus æquè diſtans. Aliud eſt extremi vnius ad medium æquè diſtans, & ſic reſultant duo, ſcilicet vnus qui vicinior eſt extremo in parte vna, alter qui vicinior eſt in parte altera. Tertium eſt medij æquè diſtantis ad medium non æquè diſtans, & ſic iterum duo reſultant, vnus, ſcilicet qui vicinior eſt æquè diſtanti in parte vna, & alius, qui vicinior eſt æquè diſtanti in parte altera. Si verò quæritur, cur non comparetur æquè diſtans ad non æquè diſtãs, & extremum ad non æquè diſtans, vt reſultarent alij duo colores. Reſpondemus, quod illa proportio immediata non eſſet. Iam enim habitum eſt, quod ab æquè diſtanti generatur æquè diſtans, & ideo ſua proportio immediata eſt ad æquè diſtans, ac per ipſum ad inæquè diſtans ſecundum proportionis arithmeticæ rationem. Similiter habitum eſt, quod inæquè diſtans non generatur ab extremo niſi per cõparationem ad æquè diſtans, & ob hoc etiam comparatio extremi ad inæquè diſtans non eſt immediata, ſecundum regulam arithmeticæ proportionis. Ideoque ex comparationibus illis non reſultaret color aliquis ſecundum hunc modum, vnde & iſti colores dicuntur eſſe ſymetri, ideſt commenſurabiles. Si vero non attenditur talis regula proportionis, tunc generabuntur multi, quia omnes erunt aſymetri, ſecundum arithmeticæ proportionis metrum. Si verò fiat mixtura ſecundum principia regulaſquẽ proportionis muſicæ, tunc fiat proportio in comparatione ad ſenſum. Nam ſicut ſemitonum cum diapente proportionem facit dulcem in auditu, ſic multum albedinis cum modico rubedinis, & multum viriditatis cum modico citrinitatis facit delectationem in viſu, ſicque fiunt multi colores, & ſimetri quidem delectabiles, aſimetri vero indelectabiles.

Delectatio viſus in medio colore.

Renouatur numerus colorum ad ſeptenariũ.

De medio mutationis ab vno colore in alium.

CAP. LXVIII.

DIcit autem *Auicenna*, quod album mutatur in nigrum triplici via, ſcilicet vt primo ſit ſubpallidum, & poſtea pallidum, & ſic deinceps. Vel quod primo ſit ſubrubeum, & poſtea rubeum, & ſic deinceps. Vel quod primo ſit viride, & poſtea veniat ad colorem medium, & tandem ad nigredinem perfectam. Sed cum multa ſint media, videtur album poſſe mutari in nigrum per quodlibet illorum mediorum, & ſic multiplex erit via. *Medium enim eſt vt dicit Philoſophus in quod prius venit id, quod mutatur, quàm in extremum*, præterea videtur non eſſe niſi vna ſola via. In inceptione enim motus ab albo in nigrum, id quod mutatur vicinius eſt albo, quam nigro, & ita in eo obtinet qualitatẽ albi, & ſic reſtat illa ſola via quæ eſt ab albo in ſubpallidum, & deinde in pallidũ, & poſtea progreſſione continua in nigrum: ſecundum Auicennam etiã videtur, quod ſint infiniti colores medij, cũ in vnoquoque fieri ſint infinita facta, vt dicitur in ſecũdo poſteriorum, & probatur ſexto Phyſicorum. Poſſumus enim nos ſignificare motum albi in nigrum ſecundum quemlibet punctum intermediũ, & cum ſemper in ſigno illo ſit iterum in motu eſſe, ſecundum quodlibet illorum ſignorũ habebit nouum colorẽ medium. Et cum illa ſigna ſint infinita, medij colores poſſũt eſſe infiniti: dicimus ergo, quod Auicenna loquitur de conſtitutione mediorum colorum ſecũdum naturalem mutationem, & non ſecũdum arithmeticam vel muſicam proportionem, ſecundum hũc enim modum, tot ſunt colores medij, quot in alteratione ab albo in nigrum poſſunt eſſe termini motus. Medium autem eſt in quod primum venit id quod mutatur antequã perueniat ad extremum, quod tribus modis poteſt eſſe, ſcilicet *ſecundum dominium albi, & ſecundum dominium nigri, & ſecundum vtrumque*. Et ſi dicatur ſecundum dominium albi, ſic eſt progreſſio prima, quia naturalis eſt, & paulatim ab illo recedens. Et iſta eſt prima via, ſcilicet ab albo in ſubpallidum, & ſic deinceps. Si vero ſecundum dominium nigri, ſic erit vehementer intẽſe cauſa nigredinis, & valde debilis cauſa albedinis. Et ſic erit tertia via, quæ eſt ab albo in viride, & inducit ſe in nigrum. Si vero eſt ſecundum vtrumque, tunc etiam, quia receſſus eſt ab albo, deficientes erunt cauſæ albi, & inualeſcentes cauſæ nigri. Et ob hoc album erit ſubtus clarum, & deſuper nigrum obtinens nigrum. Et ex hoc reſultat primo ſubrubeum, & poſtea rubeum & ſic deinceps ſecũdum cauſarum albedinis defectum. Concedimus itaque, quòd vna ſola eſt via mutationis albi in nigrum, id eſt vna ſola progreſſio pura ſicut iam eſt oſtenſum. Sed aliæ contingunt ex fortificatione maiori vel minori cauſarum nigredinis, ſuper cauſas albedinis. Concedimus etiam, quòd infiniti ſunt colores medij potẽtia, ſed non actu, ſic etiam infinita ſunt facta in vno fieri potentia, ſed non actu.

Medium quid.

Tribus modis fit medius color.

Quomodo infiniti colores medij.

Cur non quodlibet nigrum mutari poſsit in alium colorem, ſicut & quodlibet album.

CAP. LXIX.

QVeritur etiam cum quodlibet album poſſit mutari in nigrum per artem, & naturam. Quare non quodlibet nigrum poſſit mutari in album, & alium colorem. Tinctores enim pannum nigrum habentem colorem, nõ poſſunt mutare in album vel in alium colorem medium. Nos autem ad hoc facile poſſumus reſpondere, quod natura quidem benè tranſmutat nigrum in album, vt patet in canicie nigrorum capillorum. At vero tinctorum ars nequaquam hoc facit, quia non in omnibus ars poteſt naturam imitari. Nam ars quidem tinctoria nigrum facit ex colore rem tinctam penetrante, ac poros eius opilante, ita quod poſtea non poteſt alius color ſubintrare. Ideoque nigrum ab artifice non mutatur in colorem album, ſed alij colores bene permutantur in nigrum, quia nõ ſunt in materia adeo penetrante & opilante poros rei tinctæ. Dictum eſt enim ſupra quod calidum adurendo partes terreſtres generat nigrum, quia partes illæ per ſeparationem aeris, & aquæ cõprimuntur in ſeipſis, & obſtruuntur pori. Ita, quod eis nõ poteſt lux miſceri: vnde cũ euolauerint partes diaphani, neceſſe eſt deficiente luce, quod combuſtum eſt, obſcurum, & nigrum remanere. Nec vltra poteſt colorem album per immutationem ſuſcipere. Ex prædictis itaque patent duo modi quibus generãtur colores in corpore terminato, ſcilicet modus generandi per extremorum mixturam vel per vnius coloris ſuper alium enatationem.

Experientia.

Alia naturæ experientia.

De Generatione colorum in nubibus.

Cap. LXX.

ITaque reſtat tertius modus quo generantur colores in corpore nõ terminato ſicut in nubibus; in his enim videtur multiplex color, ſecundum diuerſam admixtionem, ſcilicet luminis ſuperiorum corporum ad materiam nubis. Nam ſi vapor ſit aqueus diſgregatus multus, ita quod non poſſit eum totus penetrare radius, tunc erit rubeum quaſi inflammatum, & dicitur color purpureus, qui frequẽtius apparet in ſuperioribus: ſi vero ſit aqueus, & diſgregatus magis atque ſubtilis ita, quod ſuper ipſum plus micat lux ſuperueniens, tunc erit quaſi color auri valde fulgentis. Si vero ſit aqueus quidem, ſed ſubtus magis ſpiſſus, & ſupra magis rarus, ſitque diſgregatus diſtans per partes & partes nubis, tunc lumen immixtum ei deſuper faciet quaſi colorẽ velleris. Si verò ſit inſpiſſatus ad pluuiam, & ſoli ſupponatur, ita quod lumen ſolum ſubtus in ipſum veniat ex parte concaui, tunc ille vapor per tres partes diſtabit. Id enim quod graue eſt cõuerſum ad aquæ naturam inſpiſſatum ſubtus erit, & lumen ſolis ad hoc aduenientis colorem viridem facit. Illud autem, quod eſt ſupra in nube aquoſum iam incipiens inſpiſſari, ſed nondum inſpiſſatum, ſequitur calidum eleuans ipſum, & lumen ſolis ad hoc deueniens facit colorem rubeum vel niuoſum, ſecundum quod magis aut minus eſt ſpiſſum. Medium autem inter hoc eſt peruiũ, quia per partes non multum diſtat inter calidum eleuãs, & frigidum deprimens, & inſpiſſans. Idcirco lumen ſolis ad hoc deueniens, facit cæruleum colorem, tendentem ad albedinem. Et iſti ſunt colores in iride apparentes. Et hic etiam patet ratio cur in iride color ſuperior, qui eſt in conuexo arcus, ſemper eſt *niuoſus*, & inferior *ſemper viridis*. Medius *autem cæruleus* ad albedinem tendens. Si vero ſit vapor vehementer compreſſus per frigidum conſtringens, tunc non poteſt miſceri lux deſuper adueniens, & tunc apparebit colot niger.

Cur conuexi color niuoſus in iride?

Vtrum Color tantum in aſpectu colorati ſit obiectum viſus.

Cap. LXXI.

Obiectio. DVbitare verò poteſt aliquis vtrum color tantum ſit obiectum viſus, qui videt colorẽ, quia ſuperius habitum eſt, quod color non eſt in actu viſibilis niſi per lumen, quod eſt in extremitate perſpicui immixtum ſuperficiei corporis colorati. Cũ itaque cum colore ſemper videatur lumen, & nunquam color ſolus, non videtur color tantum vnquam eſſe obiectum viſus. At verò poteſt obijci ècontrario, quod viſio cum vnus, & idem actus ſit in numero, non videtur terminari ad duo. Et ita terminari videtur non ad vtrumque ſimul, ſed tantum ad colorem vel tantum ad lumen. *Reſponſio.* Nos autem benè concedimus, quod viſus ſecundum actum, non eſt niſi vnius viſibilis. Color enim ſecundum actum cum lumine quo agit, eſt vnum viſibile. Nã & materia, & forma non faciunt duo, ſed vnum tantum in ſubſtantia. Cum ergo in viſu lumen ſit vt forma, color vt materia, erit ex duobus illis vnum viſibile ſecundum actum, & ſic vnus actus numero non habet duplicem terminum. Verumtamen vt ſuperius dictum eſt, lumen & color non eodem modo ſe habent ad viſum, ſed vnum, ſcilicet color ſe habet vt obiectum terminans viſum, alterum autem vt actus in quo color mouet viſum: ſiue vt cuius actu viſio ad obiectum terminatur.

De forma ſpeculi luminoſa vtrum habeat aliquod eſſe.

Cap. LXXII.

Quæritur. POrro *de forma in ſpeculo reſultante*, merito quæri poteſt. *Vtrum ſit lumen vel color vel forma vel potius habeat aliquod eſſe*: videtur, quod non ſit. Nã ſi eſt, aut eſt corpus, aut non. Si eſt corpus, tunc duo corpora ſunt in eodẽ loco, quia ſpeculũ propter ipſam non occupat maiorem locũ, præterea cũ omne corpus habeat profundum, ſecundum hoc oporteret, quod forma illa non videretur iacens ſuper ſpeculum, ſed eleuata ſuper ſpeculi ſuperficiem ſecundũ ipſius corporis profunditatis quantitatẽ; quod cum appareat falſum eſſe, formam illam corpus eſſe videtur impoſſibile. *Probatur eſſe corpus aut nihil.* Si verò dicatur, quod non ſit corpus cum ſuper ſpeculum motu locali moueri videtur, ſecundum hoc non corpus motu corporis mouebitur, cõtra quod legitur *in ſex principijs, quod impoſsibile eſt non corpus moueri corpore*, ideſt motu corporis. *Et etiam in ſexto phyſicorum; quod omne, quod mouetur eſt cirpus.* Et iterum *omne, quod mouetur eſt in loco*, nihilque niſi corpus eſt in loco: præterea ſi mouetur conſtat, quod per ſe nõ mouetur, vt iam probatum eſt, ergo per accidens. At verò, quod per accidens localiter mouetur, motu eius in quo eſt mouetur, ſicut anima per corpus. Cum ergo non ſit niſi tantum in ſuperficie ſpeculi, & in extremitate perſpicui tangentis ſpeculũ, mouetur illorum motu tantum. At ècontra videmus, quod ſpeculo manente immoto, & ſimiliter extremitate perſpicui, mouetur imago ad motum aſpicientis in ſpeculo. Non ergo videtur moueri per accidens. *Contraria pars probatur.* Et ita videtur non eſſe corpus, ſed nihil. Huic tamen obuiat manifeſtè ſenſus, & ratio, quia forma hæc actu agit viſum immutando, quod vtique non faceret ſi nihil eſſet, præterea ſi nihil eſſet, nec per ſe, nec per accidens videri poſſet. Dicimus ergo, quod ipſa aliquod eſt ens, non tamẽ corpus, nec ſubſtantia, ſed accidens, nec motu locali mouetur, *ſed potiùs generatur, ſic ſuperius de lumine diximus, quod ſemper nouam eſſentiam habet generatam*, ad nouam præſentiam illuminantis. *Reſolutio.* Ita dicimus de imagine ſpeculi, quod ſemper generatur ad præſentiam aſpicientis.

Quibus modis prædicta forma generatur in ſpeculo.

Cap. LXXIII.

Explicatur præcedens reſolutio. FOrma tamen illa generatur in ſpeculo tribus modis, ſcilicet ex motu aſpicientis, & ex motu ſpeculi, & ex motu aeris intermedij, quod ideo cõtingit, quia recta oppoſitio exigitur ad immutationem ſpeculi. Et ita poteſt mutare formã, vel ex parte ſitus aſpicientis, vel ex parte ſpeculi. Ideoque corrumpitur vna, & generatur alia. Medium autẽ, quod eſt deferens, illam corrumpit ſi ipſum variatur. Sed ad eius mutationem forma moueri nõ videtur. Et hoc contingit duabus ex cauſis. Vna eſt, quia tranſitus imaginis per medium, ſicut & luminis, eſt ſubito: Sed aeris mutatio de loco ad locum non eſt ſubito. Alia eſt, quia mediũ eſt receptibile formę, ſed non ſubſtantiabile, ſicut legitur in libro de ſenſu, & ſenſato. *Cur facies apparet maior in aqua.* Ideoque ſtatim quãdo medius aer exit extra rectam oppoſitionem inter ſpeculum, & aſpicientem, forma non apparet amplius in eo. In aqua vero ſecus eſt, quoniam illa magis ſeruat, vnde in aqua mota facies maioris quantitatis apparet, quia pars aquæ, quæ mouetur extra rectam oppoſitionem formam in materia diu tenet, cum parte formæ, quæ eſt in recta oppoſitione, ideo facit formam maioris quãtitatis apparere, vel etiam duas vel tres formas quandoque. Sic ergo patet,

patet, quod illa forma, nec per ſe, nec per accidens mouetur, ſed ſemper noua generatur: per hoc de facili poſſet reſponderi ad obiectionem, quæ poſſet fierit: forma illum ſitum variat, quia modo in vna parte ſpeculi, modo in alia, vnde cum omne tale ſit corpus mobile videtur illa corpus eſſe. Nõ enim vt dictum eſt, mouetur per loci mutationẽ, ſed per generationem, & corruptionẽ: voluerunt tamẽ quidã dicere, quod illa nihil eſt abſolutè, ſed eſt quædam comparatio aſpicientis ad ſpeculum, ſicut etiam vmbra eſt priuatio lucis obiectu corporis opaci ad lumen reſultans. At verò non eſt ſimile de vmbra, quia in ea nõ reſultat imago rei opacæ expreſſe ſecundum omnia lineamenta, ſed cõfusè tãtum, ſecundũ ea, quæ primo intercipiunt luminis trãſitum. In imagine verò ſpeculi expreſsè reſultãt omnia. Cæterũ vmbra ſemper proijcitur poſt corpus opacum ita, quod corpus opacũ ſemper eſt inter vmbrã, & corpus luminoſum. At verò imago, quæ eſt in ſpeculo ſic ſemper reſultat ex eo, quia lumẽ directè illuminat faciẽ aſpiciẽtis in ſpeculũ ſine omni vmbra media inter ipſum, & aſpicientem.

Reſpondetur obiectioni.

Imago & vmbra qui differunt.

Qualiter illa forma ſit in ſpeculo vt in ſubiecto.

CAP. *LXXIIII.*

ITaque ſuppoſito, ſcilicet quod illa forma aliquid ſit, & quod accidens ſit, reſtat videre in quo tanquam in ſubiecto ſit: videtur autem, quod non ſit in ſpeculo, quia dicit *Philoſophus in topicis, quod motis nobis mouentur omnia, quæ in nobis ſunt.* Si ergo eſſet in ſpeculo, moueri deberet vt videtur ſpeculo moto. Videmus autem èconcontra, quod apparet illa veniens ac recedens, & ſitum varians ad motum aſpicientis ſpeculo manẽte immoto. Vnde, & *Philoſophus in 6. lib.* Phyſicorum dicit, *quod impoſsibile eſt ſoluere, conceſſo quod ibi vera forma ſit.* Si verò nõ dicatur ibi formam eſſe, incredibilis erit error in vultu ſequente ſenſum, licet hoc probabilius ſit dicere ibi etiã innuit, quod in extremitate aeris ſpeculũ tangentis ſit, ſed hoc videtur falſum eſſe, quia tunc etiam videretur ſine ſpeculo, quod non poteſt eſſe: præterea vnumquodque in illo eſt à quo non differt per ſitum, & locum, vt in ſubiecto. Et nos quidem hoc concedimus, quod autem nõ mouetur motu ſpeculi, ſed corrũpitur, & in altera parte generatur, hoc ideo contingit, quia ſuum generãs eſt extra ſpeculum, ſcilicet aſpiciens oppoſitũ ſpeculo ſecundum reſpectum ſuum, ſicut etiam de generatione lucis ſupra dictum eſt. Quod autem ſit in extremo aere ſpeculum tangente, ſicut in ſubiecto error eſt. Quin potius eſt *in ipſo ſicut in extremitate perſpicui*, quod ei confert actum, viſum immutandi ſicut de colore ſupra dictum eſt.

Subiectum formæ ſpecularis.

Quod eadem forma ſit habitus vel diſpoſitio.

CAP. *LXXV.*

POrro ſi eſt accidens in ſpeculo ſicut in ſubiecto, neceſſe eſt eam eſſe in aliquo prædicamento. Et primo quidẽ videtur eſſe paſſio vel paſſibilis qualitas, quia paſſionẽ infert ſenſui, & ipſum immutat. At verò omnis paſſio vel paſſibilis qualitas, habet contrarium in ſpecie, hanc autem formã patet cõtrarium nihil habere. Alia vero ratione videtur eſſe forma vel circa hoc aliquid cõſtans figura. Nam illud quod in ſpeculo videtur, apparet vt forma, aut figura aſpicientis, ſub quantitate terminata. Nos autem dicimus, eã quidem eſſe in prædicamẽto qualitatis. Nõ tamen in ſpecie tertia vel quarta, ſed in prima, quæ eſt habitus vel diſpoſitio. Non enim eſt propria forma vel imago, ſed ſpecies imaginis, & formæ, taliſque ſpecies, quæ poteſt eſſe in anima vt in ſubiecto. Ideoque nõ propriè lõga vel lata eſt. Sed longitudinis, & latitudinis ſpeciẽ habet. Si enim eſſet in ea longum, & latum, cum illa longitudo, & latitudo non terminetur ſecundum terminos aeris vel ſpeculi, ſed aſpicientis, oportet, quod longitudo, & latitudo eius extra ipſum eſſet, quod inconueniens eſt. Ideoque eſt neceſſe dicere, quod reuera non eſt ibi longum, & latum, ſed ſpecies longi, & lati, per quam figura cognoſcatur aſpiciẽtis. Cumque tales ſpecies ſint habitus vel diſpoſitiones, erit illa forma habitus vel diſpoſitio. Eſt enim in anima vt habitus, & in ſpeculo, & aere ſicut diſpoſitio. Sed hoc concedimus, quod illud, quod per ſe tanquam primum agens, ſenſus immutat, ſit paſſio vel paſſibilis qualitas, vt eſt color. Nõ autem oportet illud, quod receptum eſt in oculo, & ſpiritu viſibili, & in ſpeculo ſit color ſecundũ eſſe coloris, ſed potius eſt ſpecies coloris, quæ eſt principium cognoſcendi colorem. Itaque pari ratione, nec dicimus, quòd illa imago ſit forma, vel circa hoc aliquid conſtans figura. Nam vt dictum eſt, nõ habet terminũ qualitatis ſecundũ eſſe figuræ, ſed potius ſimilitudine ipſius ad ſpeciẽ apta nata eſt figurã ſecundum eſſe quãti terminati repræſentare.

Forma eſt in prima ſpecie qualitatis.

Qualiter illa forma recipiatur in ſpeculi ſuperficie.

CAP. *LXXVI.*

INter hęc omnibus difficillimum eſt videre, vtrũ recipiatur illa forma in ſuperficie ſpeculi, vt in puncto, vel in ſuperficie. Videtur autem, quod vt in ſuperficie, quia ſecundum rationem ſuperficiei apparet quicquid apparet ſub longitudine, & latitudine. Quod ſi concedatur multis rationibus improbatur. Quicquid enim apparet vt in ſuperficie, ſi ipſum eſt totum in vna ſuperficie alicuius quantitatis, ipſum totum in minori nõ erit. Si ergo ſpeculi forma tota eſt vt in ſuperficie alicuius quantitatis totius, tunc non erit tota in minori ſuperficie, quod eſt contra ſenſum manifeſtè. Si enim ſpeculum frangatur in decem partes in qualibet illarum eſt forma tota, præterea forma illa ſecundum eandem quantitatem ſimul & ſemel reſultat in maiori ſpeculo, & minori, ſicut patet ad ſẽſum ſi duo ſpecula maius, & minus opponantur ſimul aſpicienti, non eſt ergo in eis per dimenſionẽ quãtitatis. Nam ratio dimenſionis quantitatis eſt eſſe ſecundũ maiorem dimenſionem in maiori, & ſecundum minorem in minori: patet ergo, quod non eſt in ſuperficie ſpeculi ſecundum ſuperficiei rationẽ. Nos quoque ſoluendo dicimus, *quod non eſt ibi vt in ſuperficie, ſed vt in puncto.* Cuius euidens eſt exemplum in forma totius ſpheræ dimidij cæli, quæ tota reſultat in vna parua acie oculi, quod vtique patet fieri nõ poſſe ſi reciperetur ibi vt in ſuperficie. Eadem vero eſt ratio de ſpeculo, quæ & de oculo. Ad hoc autem quod in cõtrarium obijcitur de apparentia in longo, & lato, per prædicta patet iã reſponſio. Nã imago reſultans in ſpeculo nõ habet longitudinẽ, & latitudinem, ſed potius illarum dimenſionum tantummodo ſpeciem, & intenſionem.

Ob.

Probatur concluſio.

Concluſio.

Reſpondetur ad obiect.

Aſſertio Quòd ibi recipiatur vt in puncto.

CAP. *LXXVII.*

QVod autẽ ibi recipiatur vt in ſpeculo ſicut in puncto, declarat etiam neceſſaria demonſtratio. Nã Euclydes in libro de ſpeculis probat, quod omnis viſio perficitur ſub triangula ambligonio, hoc eſt qui habet vnum angulũ obtuſum, ſiue amplum, ſiue extenſum, quod idem eſt. Itaque, ſi oculus vt dicit Philoſophus, eſt ſpeculum quoddam animatum, ſequitur quod id, quod immutat oculum ſub triãguli lateribus immutat ipſum. Et ſic attingit ipſum in puncto anguli. Cum ergo eodem modo fiat immutatio ſpeculi quo, & oculi forma, quæ in ipſo reſultat, erit ſicut in puncto anguli, & non ſicut in ſuperficie. Item ab Euclyde inuenitur probatum, quod reflectio luminis ſemper fit ad pares angulos vel in ſeipſum. Ad pares quidem angulos fit, ſi radius ex obliquo veniens eſt ad ſuperficiem ſpeculi. In ſeipſum autem ſi perpendiculariter. Ex hoc accipitur, quod radius omnis reflexus à ſpeculo contingit ſpeculum ad angulum rectũ vel acutum aut obtuſum. Nam ſi perpendicularis incidat

Probatur vlterius concluſio.

Alia ratio.

radius

radius ſuper ſpeculum planum, tunc reflectitur in ſeipſum, & ſuperficiem ſpeculi planam in puncto tangitur, & ex vtraque parte ſui contactus ad ſuperficiem, rectum angulum facit. Nam apud Euclydem principium eſt, quod linea recta perpendiculariter cadens ſuper lineam rectam facit duos angulos rectos. Si autem obliquè veniat radius ſuper ſpeculum, tunc de neceſſitate fient ibi tres anguli æquales duobus rectis, quorum vnus eſt inter radium incidentem, & lineam ſuperficiei ſpeculi, & eſt acutus. Alius autem inter radium reflexum, & alteram partem lineæ ſuperficiei ſpeculi, & eſt ſimiliter acutus æqualis priori. Tertius inter radium incidentem, & radium reflexum, & eſt quandoque obtuſus, quandoque rectus, quandoque acutus. Cum ergo omne, quod venit ad ſpeculum, ſub his angulis veniat ad idipſum, omne, quod recipitur in ſpeculo, recipietur in anguli termino, omnis autem anguli terminus eſt punctus, omne ergo, quod recipitur in ſpeculo, recipitur vt in puncto.

Secundum quam naturam ſpeculum ſit ſuſceptibile talis formæ.

CAP. *LXXVIII.*

Ratio dubitandi.

HOc quoque difficile eſt percipere ſecundum quam naturam ſpeculum ſuſceptibile ſit talis formæ, aut enim ſecundum quod eſt corpus, aut ſecundum quod eſt tranſparens ſiue peruium, aut ſecundum quod eſt tranſparens in vna parte, & in altera parte extinctum ſiue terminatum. Si primum dicatur. ſecundum hoc ſequitur, quod huiuſmodi formæ ſuſceptio omni corpori debeatur, quod vtique falſum eſt. Si ſecundo modo, tunc hoc magis aeri debetur, vt videtur quia magis tranſparens eſt. Si tertio modo, tunc corpus non poſſet eſſe ſpeculum, quod non eſſet in altera parte terminatum, & hoc videmus eſſe falſum in aqua, quæ eſt ſpeculum aſpicientis ad ipſum, licèt non ſit in altera parte terminata. Similiter metalla videmus eſſe ſpecula quando polita ſunt ac terſa, vt ferrum, argentum, & talia. Idem quoque videmus de quibuſdam politis lapidibus. In quibus omnibus merito quæri poteſt ſecundum quam naturam communem eis contingat ſuſcipere hanc formã:

Nota tria in ſpeculo.

dicimus, itaque tria concurrere in ſpeculi natura, videlicet planiciem in ſuperficiem tranſparentem, & aliud terminãs ipſum poſt ſuperficiem. Tertium, quod ſit proportionata reflexio. Nam aer qui tranſparens eſt tantum, non eſt ſpeculum. Aqua verò, quæ tranſparens ac ſpiſſa eſt, aliquo modo terminat lucem, quę abſtrahit formas viſibiles eaſdemque reflectit à ſuperficie plana, & per conſequens ibidem congregat formam abſtractam à luce reflexam, vnde ipſa eſt ſpeculum, ſed aliquantulum obſcurum. At verò inter omnia melius eſt ſpeculum ex vitro, & plumbo, quia vitrum propter tranſparentiam melius recipit radios, plumbum non habet humidum ſolubile ab ipſo, vnde quando ſuperfunditur plumbum vitro calido, ſiccitas vitri calidi abſtrahit ipſum, & efficitur in altera parte terminatum valde radioſum. Exigitur etiã proportio reflexionis. Nã ſi multo minus fieret reflexio ſicut in ſpeculo immediatè ſoli oppoſito, color & figura nõ reſultaret, vel obſcurè reſultaret. Et hoc ideo etiam accidit, quia *cõdenſatio radiorum ac luminis, colores ac figuras tegit.* Nam ſi lapis niger valde politus ſub ſole ponatur, & aliquis eminus reſpiciat illum ex obliquo, videbitur ille lapis albus vel ſplẽdidus, propter diffuſionem radiorum in ſuperficie.

Experientia.

De Speculis metallinis.

CAP. *LXXIX.*

POrro metalla quædam multum in ſuperficie polita, & depurata, ſunt ſpecula, huiuſmodi enim omnia generantur ex ſulphure, & argento viuo. Argentum autem viuum fit ex ſubtili aqueo, & ſubtili terreo. Cum ergo argentum viuum, & ſulphur valde ſubtilia ſunt, & commiſcentur per calidum digerens, & inflammans, tunc fit aurum quod in ſuperficie politum propter ſubtile aqueum ac medium, receptiuũ eſt, & reflexiuum, & propter ſubtile terreum eſt terminatiuum, ac ſic efficitur ſpeculum. Similiter etiam fit de argento propter eaſdem cauſas, hoc ſolum excepto, quod calidum in ipſo non eſt ita benè cõmiſcens ac digerens, & inflammans ſicut in auro. Et etiã quod aurum magis ſequitur colorem ſulphuris. Argẽtum vero magis colorem argenti viui. In vtroque tamen eſt frigus magis coagulans, & ob hoc luminis receptiuum eſt ac reflexiuum. Cuprum autem depuratum eſt ex ſulphure quidem puro, & argẽto viuo minus puro benè commixtis, propter hoc etiam ex ipſo fit ſpeculum benè in ſuperficie politum. Ferrum verò ex vtroque quidem eſt puro, & benè commixtis, & humiditas eius viſcoſa non eſt ab ipſo ſeparabilis per eliquationem calidi, propter hoc efficitur quidẽ ſpeculum, ſed magis obſcurum ſecundum quid. ac ſecũdum quid minus obſcurum. In eo quippe, quod politum eſt, magis accedit ad naturam diaphani per naturam aquę, & magis receptiuum eſt formæ, & coloris. In eo vero quod eſt ex partibus groſſis terreis, magis eſt vmbroſum, & ſic minus receptiuum. Auru autem, & cuprum in eo, quod habent colorem ſulphuris, minus receptiua ſunt formæ, & coloris. In eo vero, quod habent ſubtile terreũ. magis receptiua ſunt, quàm ferrum. Ideo argentum benè politum inter omnia metalla melius eſt ſpeculum, quia in colore magis accedit ad diaphanum. Porro ſtannum & plũbum magis ſunt ex argento viuo non puro, nec bene cum ſulphure commixto, propter hoc in ſuperficiebus eorum ſemper remanẽt partes obſcurę terreſtres, receptibilitatem luminis impedientes. Ideoque ex iſtis non generatur ſpeculum.

Nota de auro, & argento, cupro, ferro.

Stannum plũbo.

De Variatione imaginis in ſpeculo viſui reſpondentis.

CAP. *LXXX.*

HOc autem videtur mirabile, quod imago ſpeculi, quando videtur in ipſo, quandoque videtur in profundo, quandoque in ſuperficie. Cumque anterior pars aſpiciens cõtra ſpeculum ſit ſpeculo propinquior, videtur ipſa citius tangere ſpeculum, quàm poſterior. Et ſecundum hoc videtur, quod nobis deberet primo reſultare poſterior pars, & non anterior quaſi cooperta poſteriori, ſicut de homine à nobis recedente non videmus niſi poſteriorem partem. Nos autem dicimus, quod ſicut habitum eſt ſuperius forma, quæ apparet in ſpeculo ſpecies eſt non habens ſpiſſitudinem. Ideoque nulla quæſtio eſt vtrum poſterior tegat anteriorem. Ideo autem forma illa quãdoque videtur in profundo, quãdoque in ſuperficie, quoniam in ſpeculo non reſultat forma tantummodo, ſed etiam diſtantia, quæ eſt inter aſpicientem, & ſpeculum. Ideoque quando eſt magna diſtantia, tunc forma videtur in ſpeculo profundata. Quando vero eſt diſtantia parua, tunc videtur ad ſuperficiem accedere. Poteſt etiam oriri dubitatio cur in quibuſdam ſpeculis apparet recto modo, in quibuſdam autem ſuperius apparet inferius, & ècõtra. Siniſtra quoque apparet dextra, & ècõtra. Similiter etiam cur in quibuſdam plures apparent facies ad vnum aſpectum. In quibuſdam vna tantum. Nos autem dicimus, quod in ſpeculo conuexo non apparet forma ſicut in plano, & huius rei cauſa eſt, quia in plano vna pars ſpeculi non eſt ſub alia, ideoque non fit ab vna parte ſuper aliam reflexio. Et in concauo vna pars eſt ſub alia. Et ideo ſuperior formam receptam proijcit ſuper inferiorem, ſic ſuperior pars inferior apparet, ſimiliter etiam eſt de dextro, & ſiniſtro. Et iſte eſt modus

Nota de diſtantia.

Nota de ſpeculis concauis, & pluris.

naturalis in generatione omnis mixti, licèt non figuræ lapidis qui topaſion dicitur, in quo ſemper apparet facies verſa. Si verò fiat ſpeculum angulis multis angulatum, tuuc quilibet angulus per diſcõtinuationem, & reflexionem, quæ fit in eo, multæ fiunt imagines ſecundum naturam diſcontinuationum reflexionis. Si verò ſpeculum fiat in vna parte concauum, in altera planum duæ facies reſultant. Et ſiquidem concauum ſit ſuperius, & planum inferius, tunc in loco continuationis plani ad concauum, videbuntur facies illæ in collo continuatæ, ita quòd facies vna ſit ſuperius, & alia inferius. Si verò ſit èconcontra planum inferius, & concauum ſuperius, tunc videbuntur facies illæ in vertice capitis continuatæ, eo quòd inferior porrigitur ſuperius, & ſuperior dependet inferius.

Nota de ſpeculis multãgulis.

De ſpeculis planis.

CAP. LXXXI.

NOn ſolum vero apparet dextra ſiniſtra, & èconcontra in ſpeculis conuexis, ſed etiam in planis. Non tamẽ ex cauſa quam in libro de ſpeculis ponit Euclides, videlicet eo, quod videamus per lineas radiales ab oculis egredientes: ſed potius ideo, quia forma abſtracta à re viſa per actũ luminis apparet in ſpeculo, & ſicut abſtrahitur ita imprimitur. Ideo fit imaginis ſitus ad aſpicientes oppoſitos. Porro in re alta etiam diſtantia in ſpeculo repræſentatur vt in turri, cuius cacumen inferius videtur, quia ſcilicet à ſpeculo diſtat amplius & ob hoc apparet profundius, propter hoc in ſpeculo vel in aqua videtur turris conuerſa. Hac etiam de cauſa baculus ſtãs in aqua, oblique aſpicienti, curuus vel abſciſſus videtur, quia ſcilicet baculi forma per omne profundum aquę exiſtẽs, ſuperficiei aquæ imprimitur, idque vlterius immutat aerẽ, & vilum, & figuram, & huius immutationis cauſa eſt, quia linea veniens à profundo ad ſuperficiem aquæ recta eſt. Linea vero à ſuperficie aquæ ad oculum veniens, obliquè ſuper illam capit, ita quod ſuper aquæ ſuperficiem facit angulum acutum verſus aſpicientẽ, ſicque curuitas duarum linearum immutatione cauſa eſt apparitionis curuitatis rei. Si verò ſuper rem in aqua iacentem aliquis aſpiciat directè, tunc res videbitur directè, quia tunc ad punctum lineæ immutantis ſuperficiem aquæ, cadit linea immutationis viſus perpendiculariter ac directè, ita quod ſuper aquæ ſuperficiem duos angulos rectos ſignat. Auctor. Hæc de forma vel imagine in ſpeculo relucente.

Cur baculus apparet fractus in aqua.

Qualiter lux ſit colorum hypoſtaſis.

CAP. LXXXII.

EX *libro de vaporibus.* Dico autem lucem eſſe hypoſtaſim colorum, & ſi relinqueretur ſibi veniẽs ad vnumquodque corpus, non quieſceret donec color illius corporis appareret purè lux; vnde videmus ſolem patientem eclipſim in lumine ſuo remiſſum, & omne album apparere pallidum. Cumque ſecundum remiſſionem lucis, appareant omnes colores remiſſi, patet quod lux veniẽs ad vnumquodque coloratum, accipiens à rebus à quibus reflectit, quod inuenit trãſit in eſſentiam colorum ſuorum: & huius rei indiciũ eſt, quod ſplendor penetrans vitrum, inueniens ibi picturam diuerſorum colorum, in ſua penetratione reflexus eſt ab obſtaculo, & non reflectitur in ſpecie ſplendoris, ſed ſpecie picturæ: vnde patet, quod ſplẽdorem accipit ab eo, quod inuenit in vitro: hinc eſt etiam, quod minimo vino rubeo exiſtente in fundo vaſis apparet album. Appoſitum in magna quantitate apparet rubeum. Quod eſt, quia intenſio ſplendoris, quæ eſt in paruo vino facit illud apparere album in colore, ſcilicet qui multum eſt ei affinis: inueniens autem de vino multum in vaſe, non eſt ita de facili penetrans in profundum, & ideo debilitatur, vnde quod prius apparebat album, iam apparet in rubore obſcurum: hoc autem mirum eſt, quod vitro depicto, & ſplendore illud penetrante in ſui reflexione nõ apparet in ſpecie ſplẽdoris veri. Sed in ſpecie coloris per picturam aſſimilati. Et tamen cum in vino rubeo videmus cælum ex reflexione coloris in ſpecie, non videmus illud in colore vini rubei, ſed in colore proprio, & dico, quod quãdo color reflectitur ad rubeũ, ſi fuerit multum rubeum, mutabitur idea cæli ſecundum coloré quem inuenit in vitro, ſed debiliter. Porro cum penetrat vitrum à luce, ibi eſt quaſi quædam mixtio. Cum autem reflectitur debilior eſt coloris reflexio cum colore vitri coniuncto: videmus autem, quod aer illuminatus à luce, minus iterum accipit lucem ex alio. At écontrario virtus odoratiua cum inficitur ab alliorum odore, inueniens illam infectionem non inficitur à ſimili. Quod inde videtur, quia nihil habens vnam formam in effectu, accipit infectionem à cõſimili. Itaque videtur quod nihil in luciditate poſitum dum illam retinet infici poſſet ab alia, niſi augmentetur eius luciditas. At èconcontrario in domo, quæ eſt diſpoſita in luce per vnam candelam, eſt videre, quod alia candela allata lux augmentatur. Ad hoc autem dico, quoniam lux eſt de genere eorum, quæ nõ habent contrarium, & ita ſi poteſt intendi, poteſt & remitti. Quod autem omne ſubiectum retinens aliquam infectionem non inficiatur à conſimili, non eſt generale: videmus enim quod aer inficitur à pariete albo, ſecundum ſe totum. In odoratu vero fumoſitates reſolutæ à vino in eo, qui potauit, opilant carnunculas narium ne diſcernere poſſit, & odorare vinum potatum ab alio.

Deſcorodophagis.

Nota de vini potoribus.

Lux tranſit in eſſentiam colorum quos inuenit.

Adhuc De quibuſdam proprietatibus lucis, & vmbræ.

CAP. LXXXIII.

ALexander. Lux non videtur per ſe, ſed per materiam: eſt autem aliter in ſole, aliter in colore, aliter in quacũque re illuminata, nec procedit lux niſi à corpore, quia non eſt niſi à corpore. A quolibet autem puncto cuiuſlibet corporis lucidi oritur lux per quamlibet lineam rectam quæ poteſt extendi ab illo puncto, ex quibus patet, quod à quolibet puncto cuiuſlibet corporis dyaphani cõtingentis aliquod corp' lucidum quocunque lumine, oritur lux per omnẽ lineam quæ poteſt extendi ab illo puncto. & tranſire in corpore dyaphano tangente illud punctum. Iẽ omne corpus coloratum lucidum propriè mittit formam ſuam à quolibet puncto ipſius per omnem lineam rectam, denique proprium eſt lucis extendi ſecundum lineas rectas, ſiue lux fuerit eſſentialis, ſiue accidentalis, ſiue debilis, ſiue fortis. Cumque alia mediante luce videantur, lux ſeipſa, nulloque alio modo videtur, lux maximè ſe omnibus exhibet, & eſt principium cognitionis ſenſualis omnium maximè in viſu: nihilominus maximè incognita eſt inter omnia. *Auguſt. in lib. confeſſionum.* Lux oculis ægris odioſa eſt, quæ puris eſt amabilis. *Philoſophus. Luce, & vita nihil iucundius, nihil extingui facilius.* Radius, & lux quãdo perpendiculariter deſcendit in domum, & cadit in terrã, generat ex ſe radium reflexum, qui, ſcilicet radius reflexus de neceſſitate reuertitur per eandem viam per quam deſcendit radius. Nam ſi per aliam rediret angulum acutum faceret. Et ita duo radij, ſcilicet generans, & generatus fiunt vnus radius. Item radius penetrans foramen quadratum, vel alio modo angulare: facit in obiecto remoto lucem rotundã. Radius deſcendens ſuper corpus clarũ, & politum generat ſplendorem reſultantem: ſed ſi deſcendat ſuper corpus opacum, & impolitum, nequaquam: lux debilis valde apparet in locis obſcuris, & latet in locis luminoſis. Corpus cæleſte. Verbi gratia, vt ſol quaſi contrario modo dat lucem ſuam, & calorem. Nam magis tranſ-

Quodlibet punctum lucidi emittit lumen.

Radius generans generatus.

parentibus,

parentibus, magis dat de luce, & minus de calore. Econtrario magis opacis, & corpulentis plus dat de calore, & minus de luce. Cũque in aere exiſtente in domo in quam nõ cadit radius ſolaris, nihil videatur adeſſe, ſuperueniente radio ſolis tot ibi corpora minuta apparent, vt nemo ſit qui ea numerare poſſit. *Hugo de tribus diebus.* Quid luce pulcrius quæ cum colorem in ſe habeat, omnium tamen colores rerum ipſa quodãmodo illuminando colorat. Sol ſicut aurum rutilat, Luna pallet quaſi electrum, Stellarum quædam flãmeo aſpectu radiant, quædã luce niuea micant, Quædam vero alternatim, nunc roſeum, nunc viridẽ, nũc cãdidum fulgorem demonſtrant. *Philoſophus. Vmbra vero eſt lucis priuatio, quæ fit per obiectum corporis tenebroſi corpori lucido*: vmbra lineamẽta corporis retinet, & detineri non poteſt, fugientẽ ſe ſequitur, & ſequẽtem fugit, facit apparere pulchrum, quoniam occultat maculatum: vmbra tanto eſt breuior quãto ſol altior. Inſenſibiliter perit, quæ moto corpore in radio ſolis alia & alia ſemper erit, nec eſt vmbra terræ. & hac vmbra ſola luna de cæleſtibus corporibus inuoluitur.

Vmbra.

De Diſtinctione corporalis, ac ſpiritualis lucis à tenebris.

Cap. LXXXIIII.

Victor. Porro lucem illam primariam vt ex prædictis patet, diſtinxit Deus à tenebris, quidditate, & loco, & tempore, hæc ſi quidem ad inuicem diuiſa ſũt eſſentialiter, quia lux habitus eſt, tenebrę vero priuatio; Temporaliter autem, quia lux in die tenebræ in nocte: localiter quoque, quia dum lux eſt in vno hæmiſpherio, tenebrę in alio. *Hugo de ſacramẽtis lib.* 1. Ergo illud primum momentũ temporis quando creata eſt omnium viſibilium inuiſibiliumque natura, nec nox fuit, nec dies: & tunc tempus fuit, quia mutabilitas, poſtea vero continuo luce facta, diuiſæ ſunt tenebræ, & lux. Et tempus iam per diem, & noctem diſtingui cæpit. Et vt mihi videtur in eodẽ prorſus momento temporis, quo viſibiliter, & corporaliter diuiſa eſt lux à tenebris: inuiſibiliter quoque boni angeli diſcreti ſunt à malis, illis in tenebris peccati cadentibus, & iſtis ad lucem iuſtitiæ conuerſis, vt lux eſſent & non tenebræ: ſic enim contonare debuerunt exemplaria operum Dei, vt quæ viſibilia erant opera ſapientię inuiſibilium prouectus ſequerentur, ſecundum quod ipſa quæ vtrobique operabatur ſapientia, ibi iudicium exercuit, hic formauit exemplũ. *Ioannes Chryſoſtomus in ſermone de ieiunijs.* Cur ergo non prius de angelis, quã de viſibilibus creaturis aliquid liquidum, ſcilicet & expreſſum inſinuauit Moyſes? quia loquebatur Iudæis rudibus, ſcilicet de Ægypto eductis, quos nõ tũc oportuit per excelſiorem viã ad creatoris cognitionem, ſed per planiorem, ideſt per creaturas viſibiles adducere. *Aug. ſuper Geneſim.* Itaque ſicut dicit ſcriptura, prior omnium creata eſt ſapientia, ideſt intellectualis, & angelica vita: quæ quidẽ informis ac tenebroſa fluitaret, ſi non ad creatorem conuerſa formam ſapientiæ caperet, ac lux in eo fieret. *Idem in libro de ciuitate Dei.* 11. Si autem ad illorum dierum opera pertinent angeli quæ Moyſes in principio Geneſeos deſcribit, ipſi ſunt lux illa, quæ diei nomen accepit, cuius vnitas, vt commendaretur nõ eſt dictus dies primus ſed vnus. Ne etiam aliud dies primus, & ſecundus ac cæteri, ſed idem vnus ipſe ſepties repetitus propter ſenariam cognitionem operum quæ fecit Deus, & ſeptimam quietis, qua in ſeipſo à ſuis operibus requieſcit Deus. Cum enim in verbo Dei facti ſunt lux, profecto participes facti ſunt lucis æternæ quæ eſt Dei ſapientia: & dicitur filius illuminans omnem hominem & angelum mundum, vt ſit in domino lux: à quo ſi auertitur angelus fit immundus.

Diuiſio angelorum bonorum à malis.

Angeli lux.

De Lucifero & primo de illius ſtatu.

Cap. LXXXV.

Petrus Lombardus. Inter hos itaque cœleſtes ſpiritus, de quibus dictum eſt ſupra, fuit vnus omnibus alijs cadentibus excellentior, nec inter ſtantes aliquis eo fuit dignior ſicut teſtimonijs ſcripturarum monſtratur. Scriptum eſt enim in Iob. *Ipſe eſt principium viarum Dei. Grego. in moralibus lib.* 32. Neque enim etiam tunc tam mira contra Dei electos exercere poſſet, ſi non ex magna conditione natura eius ſubſiſteret. Idcirco ergo ad tam multam fortitudinem ſufficit: quia in natura rerum hunc conditor primum fecit: per vias quippe Dei eius actiones accipimus, vnde rectè principium viarum Dei ebhemoth dicitur, quia nimirum cum cuncta crearet, hunc primum condidit quem reliquis Angelis eminentiorem fecit. Cuius eminentiam Propheta demonſtrat dicens. *Tu ſigna culum ſimilitudinis Dei*: licet enim homo ad ſimilitudinem Dei creatus ſit, Angelo tamen aliquid maius tribuitur, cum non ad ſimilitudinem Dei conditus, ſed ſignaculum ſimilitudinis Dei dicitur, vt videlicet quo ſubtilior eſt in natura, eo in illum ſimilitudo Dei plenius expreſſa credatur: de quo etiam per Propheram dicitur. *Omne lignum paradiſi non eſt ſimile ei*, quia cætera cœleſtium virtutum agmina, quamuis excelſa ſint, huic tamen non prælata ſunt nec æquata. Item ad eum per Prophetam dicitur: *Omnis lapis precioſus operimentum tuum*, per lapides angelorum ordines intelligimus, quibus ebhemoth iſte opertus fuiſſe deſcribitur, quia eos quaſi veſtem ad ornamentum habuit, quorum dum claritatem tranſcendit, & eorum comparatione clarior fuit. *Idem in lib.* 34. Alibi quoque de ipſo in eodem libro legitur, quod non eſt poteſtas ſuper terram quæ illi comparetur, poteſtas nimirum eius ſuper terram cunctis eminentior perhibetur, quia & ſi actionis ſuæ merito infra homines cecidit: omne tamen hominum genus naturę angelicæ conditione tranſcendit, qui quamuis beatitudinem perdidit, naturę tamen ſuæ magnitudinem non amiſit, quę humana omnia ſuperat, licèt ſanctis hominibus meritorum ſuorum ſubiectione ſubiaceat. Sed quo altior eſt diaboli natura, eo maior eſt innocentis hominis gloria. Dehinc etiam de illo diabolo ſubditur, qui factus eſt vt nullum timeret, ſic quidem per naturam factus eſt, vt conditorem ſuum caſtè timere debuiſſet, timore ſcilicet ſobrio, timore ſecuro. Non timore quem foras charitas mittit, ſed timore in ſæculum ſæculi permanente, quem charitas gignit. C.40.Iob.

De caſu ipſius.

Cap. LXXXVI.

Petrus Lombardus. Hic itaque Iſydoro teſte, poſtquam creatus eſt, eminentiam naturæ & profunditatem ſcientiæ ſuæ perpendens, in tantum ſuperbiuit, quod etiam Deo voluit ſimilis eſſe. Non per imitationem ſed æqualitatem potentiæ, & tantæ ſuperbiæ merito deiectus eſt. *Bernardus Clareuallenſis.* Lucifer ſiquidem ille qui mane oriebatur, pro eo quod ſimilitudinem vſurpare voluit altiſſimi per rapinam, arbitrans ſe eſſe æqualem Deo, quod eſt vtique filij, præcipitatus illico corruit, quia pater pro filio zelans in ipſum vindictam exercuit, qui & mendax eſt, cum ſe fore ſimilem altiſſimo iactauit & mẽdacij pater cum hominem quoque venenauit, & ſuæ falſitatis ſeminarium fudit dicens: *Eritis ſicut dij.* Dixit enim lucifer iam non Lucifer ſed tenebrifer & veſperus. *Sedebo in monte Dei* &c. O impudens &

imprudens millia millium miniſtrabant ei, & tu ſedebis? Quid iam laboraſti vt ſedeas? Quid ſeminaſti vt iam metas? Non eſt hoc tuum, ſed quibus paratũ eſt. Quid eſt quod inuides? Sedebunt vermiculi terræ iudicantes, & tu non modo ſtabis, ſed iudicandus aſtabis. Ipſi vtique qui euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua, venient cum exultatione portantes manipulos ſuos: duo ſunt manipuli quos quęris, honoris, ſcilicet & quietis, ſed non ſic impie non ſic. Qui ſeminauerunt vilitatem & laborem, metent honorem pariter & quietem, pro confuſione ſua duplici & rubore, in terra ſua duplicia poſſidebunt.

A

Qualiter veritate à diuinorum cognitione ſecretorum eſt primatus.

B

CAP. LXXXVII.

Augu. ſuper Gen. Factus ergo prius ſtatim à veritate ſe auertit propria poteſtate delectatus beatęque vitę dulcedinem non guſtauit quam non acceptam faſtidiuit, ſed volendo accipere amiſit. Ceciditque non ab eo quod accepit, ſed ab eo quod accepiſſet ſi Deo ſubdi voluiſſet. *Bernardus.* Porro ſicut iam ſupra dictum eſt. Seraphin ſtantes & aſtantes domino maieſtatis, eius caput, ideſt altitudinem duabus alijs velant. Admiratione, ſcilicet in qua fæliciter delectantur. Et veneratione in qua fælicitet gloriantur, pedes etiam duabus alis, fidelitate, ſcilicet C atque prudentia velãt. Nam per pedes eius, intelligimus inueſtigabiles vias eius & profundum ſapientiæ, ad quos pedes etiam incarnationis myſterium pertinet, & omnis operatio noſtræ ſalutis. Cum itaque Seraphin & fideles pariter miniſtri ſint & prudentes, ſic diuina negocia gerunt & ſaluti prouident electorum, vt malignus ille omnino apprehendere non poſſit. Ex pedum velamento factum reor, vt neſciens dominum gloriæ fecerit crucifigi. Ex hoc etiam quotidie fieri ſolet, vt ſalutis noſtræ negocijs ignorans ſeruiat & inuitus, ſero poſtmodum plangens, quod dum obeſſe voluerit inuentus ſit profuiſſe: ſic per adminiſtratorios ſpiritus illuditur eius aſtutiæ, quod & fideles ſint qui detegere nolint & prudentes qui tegere norint, diuinæ erga nos prouidentiæ & diſpoſitionis arcana. D

Duabus alis.

Porro duabus alis volant, ſcilicet naturæ perſpicacia, & gratiæ efficacia: væ tibi ſuperbæ ſpiritus adulteratiæ præſumptionis amator, non ſtetiſti in veritate, expulſus es. Quid autem æſtimare vetat deiecto Lucifero, ad peruigiles excubias Seraphin conſtitutor? Sicut eiecto homine ad cuſtodiam Cherubin flammeus gladius traditur, vt à ligno vitæ inſciſio pariter & incenſio, ſcilicet quibus nihil carni terribilius manum prohibeant corporalem. Porro Seraphin tantum alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum ſpiritualem. Itaque duabus alis velabant caput eius, & duabus pedes, vt nec alta Dei, nec profunda eius iniquus ille valeat contemplari. Erit autem cum reuelabitur gloria domini, ſed prius tolletur impius, E ne videat gloriam domini. Interim ſane velantur caput & pedes, vt medium aliud eidem impio ad videndum, ſed ad inuidendum vtique relinquatur. Cęterum ſicut e ſupremis duabus alis, nequiſſimus ille admirationem habuit, ſed non venerationem, ſic medijs quoque ſpiritualem intellectum ei natura dedit, ſed non etiam gratia affectum tribuit. Itaque ſuperbus ille Lucifer lucem præferens, non ignem habens, alteri tantum innixus alę, caſum facere potuit non volatum, exultauit enim lucidus eſſe, non feruidus, non incenſus, quod Seraphin ſonat. Non ergo ſtetit quia contẽpſit. Sed nec volare potuit quod præſumpſit. Sic nihilominus ex infimis alis plane fidelitatis expertus fuit, ſed prudentia non caruit. Nam & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ: forte eo ipſo tam irreuocabilis eſt caſus eius, quod ex his quas diximus alis ſicut in parte dextra nulla affuerit, ſic in læua nulla defuerit.

De complicibus eius.

CAP. LXXXVIII.

Petrus Lombardus. Non ſolus autem lucifer cecidit, ſed cum eo alij multi qui in eius malitia conſenſerunt. Nam vt ait *Ioannes in Apocalipſi.* Draco de cælo cadens tertiam partem ſtellarum ſecum traxit. *Cap. 12. Apoc.* *Author.* Hoc autẽ dixit nõ quia lucifer eis malũ ſuggeſſit, ne peccaũ eorum videatur habere remedium excuſationis, ac per hoc & liberationis, iuxta hęreſim Origenis. Sed ideo dicitur ſecum traxiſſe, quia dum ille æqualitatem Dei & principatum aliorum angelorum ſuperbè appeteret. Illi ob eius plenitudinem & excellentiam ab eo dependentes, mox eius voluntatem cognoſcentes ſponte per conſenſum ei adhæſerunt, & ob hoc pariter cum eo ceciderunt. Non quia voluerunt omnes ſimiles eſſe Deo ſicut ipſe, ſed idem cum eo voluerunt, ſcilicet quod ipſe eſſet eorum caput ſicut appetebat, hunc caſum ſuum pręſcire non potuerunt, quia ſi præſcirent, iam eſſent ante caſum miſeri, aut ſtulti & maligni. *Anſelmus in libro de caſu diaboli.* Angelus malus adhuc in bona voluntate ſtans præſciebat ſe caſurum, aut volebat vt ita fieret, aut non. Si volebat, iam ipſa mala voluntate ceciderat. Non ergo volendo cadere prius ſciuit ſe caſurum quam caderet. Si præſciebat & nolebat, ergo tanto erat inferior quanto debebat eſſe fœlicior, quod non conuenit. Relinquitur ergo quod caſum ſuum nullatenus præſcire potuit. *Petrus Lombardus.* Quod autem angelis, qui ceciderunt gratia data non eſt, culpa eorum fuit, quia cum ſtare poſſent, noluerunt quouſque gratia apponeretur, ſicut alij perſtiterunt, donec illis cadentibus per ſuperbiam, eis gratia appoſita eſt. Aperte ergo cadentium culpa in hoc deprehendi poteſt, quia licèt ſine gratia nequirent proficere quam nondum acceperant, per id tamen quod eis collatum fuit in creatione poterant non cadere, ideſt ſtare, quia nihil erat quod eos ad caſum impelleret, ſed ſponta-nea ſua voluntate declinauerunt. Quod ſi non feciſſent quod datum eſt alijs vtique daretur & ipſis. *Anſelmus vbi ſupra.* Vides ergo angelum bonum & malum, Deo parem debere gratiam quantum ad bonitatem eius. Nec diabolum ideo minus debere reddere Deo quod Dei eſt, quia ſibi abſtulit quod Deus dedit. Et noluit accipere quod Deus obtulit. Semper ergo debet agere gratias Deo malignus ſpiritus, pro beatitudine quam ſibi abſtulit, ſicut bonus pro ea quam ſibi ipſe dedit.

Cur enim Deus creauit quem peccaturum preſciuit.

CAP. LXXXIX.

Augu. ſuper Geneſim. Hoc eſt ait initium figmenti Dei, qnod factum eſt vt illudatur ab angelis eius, figmentum enim diabolus dicitur, quia cũ ſciret eum Deus volũtate malũ futurũ vt bonis noceret, creauit tamẽ eum vt de illo bonis prodeſſet, hoc autẽ fecit vt illudatur ei. Illuditur enim ei cum ſanctis eius tentatio profit. Sic & mali homines quos Deus malos futuros præuidẽs, creauit tamẽ ad ſanctorũ vtilitatẽ. Illuduntur tamen, cum ſanctis eorũ tentatione profectus præſtatur: ſed ipſe eſt initiũ, quia præcedit antiquitate & principatu malitiæ, hæc autẽ illuſio fit malis angelis & hominibus per angelos, & homines ſanctos, quia ſubdit eis Deus homines, & angelos malos: & non quantum nituntur, ſed quantum ſinuntur poſſunt. *Bernardus Clareuallenſis ſuper cantica Homil.* 17. Iucundum vero iudicium, vt ſuperbus ille, humilium malleator, eiſdem ipſis neſciens fabricet coronas perpetuas omnes impugnando, &

om

omnibus ſuccumbendo. Tu mihi miſer ſedem collocas in aquilone, plaga nubiloſa, & frigida, & ecce ſuſcitãtur de puluere inopes, & de ſtercore pauperes, vt ſede. cũ prin. &. ſ. g. t. Incaluit ſuper eos mons coagulatus mons pinguis. *Idem in quodã ſermone.* Sic autem etiam vt iam ſupra dictum eſt per adminiſtratorios ſpiritus illuditur eius aſtutiæ, quod & fideles ſint qui detegere nolint, & prudẽtes, qui tegere norint diuinæ erga nos prouidẽtiæ, & diſpoſitionis arcana, hinc factum reor vt neſciẽs dominum gloriæ fecerit crucifigi. Ex hoc etiã quotidie fieri, vt ſalutis noſtræ negocijs ignorans ſeruiat, & inuitus, ſero poſtmodum plangens, quod dum obeſſe voluerit, inuentus ſit profuiſſe. Hinc ergo ille nequiſſimus, & in preſenti torquetur acrius, & in futuro cruciabitur grauius: primũ quidem, quod ipſam nobis longanimitatem diuinæ benignitatis inuideat, deinde, quod nequaquam ſibi ipſi hac ſaltem occaſione prouideat vt ad pœnitentiam prouocetur.

De Obſtinata eius ſuperbia.

CAP. XC.

Gregorius vbi ſupra. Hic quidem vt iam ſupra dictum eſt per naturam factus eſt, vt conditorem ſuum caſte timere debuiſſet, timore ſecurovidelicet. Sed quoniam ei à quo conditus fuit ſubeſſe deſpexit, tanto magis infra ſe cecidit, quãto magis ſe contra gloriã ſui cõditoris erexit, factuſque eſt vt nullum timeret, nullum videlicet, quia nec etiam Deũ. Sed neque hoc ipſum, quod paſſurus eſt metuit, appetitum namque celſitudinis vertit in rigorem mentis. Et quia ius quæſitæ poteſtatis non obtinuit, quaſi quoddam ſuperbiæ ſuæ remediũ inuenit inſaniam ſenſibilitatis. Quia vero profectu tranſgredi cuncta non potuit, deſpectu ſe contra cuncta præparauit. Cuius adhuc ſuperbia deſcribitur, cum ſubditur, omne ſublime videt, ideſt cunctos velut ſnfra ſe poſitos quaſi de ſublimi reſpicit, quia dum contra auctorem per intẽtionem nititur, æſtimare ſibi quemlibet parem dedignatur. Quod etiam aperte membris eius congruit, quia omnes iniqui per tumorem mentis elati cunctos quos cernunt ſuperbię faſtu deſpiciunt. Et ſi quando exterius venerantur, intus tamen in ſecreto cordis, vbi in ſua æſtimatione magni ſunt, cunctorum vitã ſibi poſtponunt. Reprobi tamẽ cum vnum vel minimũ bonum ſuum incauti conſpiciunt mala multa grauia in quibus ſunt nõ agnoſcũt. At electi ad quodlibet remiſſiſſimũ malum ſuum, Deo diſpenſante ex infirmitate trepidãt, vt magna bona ad quæ prouecti ſunt non amittant. Sicque fit vt iſtos mala adiuuent, illos vero bona grauent. Quia videlicet, & malè bono vtitur reprobus, & benè malo vtitur iuſtus. Recteque in fine locutionis dominicæ, vnum aliquod aperte de leuiathan exprimitur, vnde mẽbra eius nobis breuiter ſignificentur. Nam ſubditur: *ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Superbia etiam euidentiſſimum eſt ſignum reproborum, at cõtra humilitas electorum. Cum enim quam quiſque mentem habeat agnoſcitur, ſub quo rege militet inuenitur: vnuſquiſque enim quaſi quendam titulum portat operis, per quem facile oſtentat, ſub cuius ſeruiat poteſtate rectoris.

Signum reprobationis.

Qualiter ſit in dæmonibus malum.

CAP. XCI.

Augu. de Ci. Dei lib. 12. Creatura igitur quæ in tanta naturæ excellẽtia creata eſt vt licet mutabilis ſit, adhærẽdo tamen immutabili bono beata fit. Eiuſque indigentiæ explendæ nõ ſufficiat niſi Deus, profecto non illi adhærere vitium eſt. Omne autem vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturã eſt. Ab illa ergo, quæ adhæret Deo, nõ natura differt iſta, ſed vitio. Et ſicut beatitudinis illius cauſa eſt adhærere Deo, ſic cõtra amiſſionis illius cauſa eſt nõ adhærere Deo: hoc enim adempto illa beata eſt, quo amiſſo illa miſera eſt. *Dionyſius in libro de diuinis nominibus.* Dæmones mali eſſe dicũtur, eo quod infirmantur circa operationem naturalem, falſa ergo conuerſio eſt eis malum, & à cõnaturalibus ſuis egreſſio, & informitas, & impotẽtia, & imperfectio, infirmitas, & fuga, & caſus, fugit enim optimè malum natura, & ſecudum quod malum nullius eſt genitiuum, aut nutritiuum, aut ſaluatiuum, aut factiuũ: quod itaque eſt in dæmonibus malum? furor irrationabilis, amẽs concupiſcentia, fantaſia proterua, quę tamen in animalibus non ſunt mala, ſed naturalia. Non enim omnia omnibus, & omnino eadem ſecũdum id ipsũ, mala ſunt: dæmoni enim malum eſt contra deiformẽ intellectum eſſe, animæ contra rationẽ, corpori contra naturam. *Aug. de natura boni.* Omnia quanto magis ordinata, ſpecioſa, moderata ſunt, tãto magis, bona ſunt. *Malum ergo nihil aliud eſt, quàm corruptio modi vel ſpeciei vel ordinis naturalis.* Idem *ad Oroſium.* Malum natura non eſt, ſed priuatio boni hoc nomen accepit, denique bonum poteſt eſſe ſine malo. Malum non poteſt eſſe ſine bono. *Idem in Enchiridio.* Quid eſt, quod malum dicitur, niſi priuatio boni? Sic enim, & corporibus animalium nihil aliud eſt aut morbis vel vulneribus affici, quàm ſanitate priuari.

Malum dæmonum.

Malũ quid?

De cauſa vel origine mali.

CAP. XCII.

Dionyſius vbi ſupra. Bonum quidem vniuerſaliter ex vna, & tota cauſa eſt, malum autem ex multis, & particularibus. AVCTOR. Quia videlicet ab vnitate cadens in multa defluit. Vnitas enim vt ait Aug. eſt operatio conuenientia, & concordia qua ſunt, & inquãtum ſunt, ea quæ compoſita sũt. Nam ſimplicia per ſe ſunt, quia vnum ſunt. *Aug. in Enchiridio.* Dubitare non debemus cauſam rerũ bonarum, quæ ad nos pertinent, nõ eſſe niſi bonitatem Dei. Malarum verò ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, prius angeli. poſtea hominis, hoc eſt primum creaturæ rationalis malum, ideſt prima priuatio boni. *Idem de ciuitate Dei li.* 12. Nemo ergo quærat cauſam efficiẽtem malæ voluntatis. Non enim eſt efficiens, ſed deficiẽs, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio. Deficere namque ab illo, quod ſummè eſt ad id, quod minus eſt, hoc eſt incipere habere voluntatem malam: deficitur autem non ad malum, ſed malè, non ad naturas malas, ſed contra ordines naturarum, ab eo, quòd sũmè eſt ad illud, quod minus eſt. Dæmones ergo mali ſunt mala propria voluntate, quã bona natura non fecit niſi cum à bono ſponte defecit, vt mali cauſa non ſit bonum, ſed à bono defectus. *Baſilius in hexaemeron li.* 2. Malitia ergo nõ ex aliquo alio mutuat ſubſtantiã, ſed ipſa ſui genitrix eſt, labes animarum, mortis effectrix, probitati contraria, quam & ſubſiſtere, & à Deo factam eſſe peruerſi contendunt. Nos autem malitiam naſcendi principium à Deo non accepiſſe hac ratione firmamus, quia nihil eorum, quæ ſunt contraria ſibi poteſt quippiam generare diſſimile, ſuæ ergo malitiæ ſe auctorem eſſe quiſque cognoſcat.

Efficiẽs mali.

Quod Malum non niſi in bono coaleſcit.

CAP. XCIII.

Auguſtinus in Enchiridio. Quæcũque ergo ſunt vitia animorum naturalium ſunt priuationes bonorum, quamdiu natura corrũpitur ineſt ei bonum quo priuetur, ac per hoc nullum eſt, quod

dicitur

dicitur malum ſi nullum ſit bonum. Vitioſa ergo natura inquantum natura bonum eſt. Inquantum vitioſa mala eſt. Quapropter in his contrarijs, quæ mala, & bona vocantur, illa dialecticorum fallit ratio, qua dicunt, *nulli duo ſimul ineſſe contraria*, hæc enim duo ita ſimul ſunt, vt ſi bonum non eſſet in quo malum eſſet, prorſus malum eſſe non poſſet, quia non modo non eſſet, ſed vnde oriretur corruptio non haberet, quia ſi bonum non eſſet, nec corrumperetur. Nihil enim aliud eſt corruptio, quam boni exterminatio. Ex bonis ergo orta ſunt mala, & niſi in aliquibus bonis non ſunt. *Idem in eodem.* Ideo malum eſt naturæ corruptio, quia priuat eam qualicumque bono. Nam ſi nullo priuat bono, non nocet. Nocet autem. Adimit igitur bonum. *Idem in libro de natura.* Abſtinere à cibo non eſt aliqua ſubſtantia, & tamen ſubſtantia corporis ſi omnino à cibo abſtineat langueſcit, & frangitur: ſic peccatum non eſt ſubſtantia, eo tamen corrumpitur natura. *Idem in aduerſarium legis, & prophetarum.* Ipſa quoque vitia creaturarum, teſtimonium perhibent bonitati naturæ: quod enim per vitium malũ eſt, profecto per naturam bonum eſt, vitium quippe contra naturã eſt, quia naturæ nocet, nec vtique noceret, niſi bonũ eius minueret. *Ambro. in lib. de Iſaac, & anima.* Ex bonis ergo mala ſunt orta, non enim mala ſunt niſi quæ bonis priuantur: per mala tamẽ factum eſt: vt bona eminerent. Ergo indigẽtia boni malitia eſt, & diffinitione boni malitia deprehẽditur. Quoniam per diſciplinam boni malum reperitur. Bonum autem nullius eget, ſibi abundat. Menſuram autem, & perfectionem finem quoque tribuit omnibus. In quo vniuerſa cõſtant, & de quo omnia pendent. *Dionyſius vbi ſupra.* Fugit autem vt dictum eſt optimi naturam malũ, & ſecudum quod malum nullius eſt generatiuũ, aut nutritiuum, aut factiuum aut ſaluatiuum. *Chryſo. ſuper Mat. li. 2.* De re nimirum in qua eſt malum ſubtrahit ſe bonũ propter inhabitans malum ſicque bono recedente, res vadit ad nihilum.

Fallit regula Dialecticorum.

Quod malum cognoſcitur per bonum, & econuerſo.

CAP. XCIV.

AVguſt. de Ciuit. Dei lib. 12. Cauſas vero taliũ defectionum inuenire velle, tale eſt, ac ſi quiſquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium, quorũ vtrunque nobis notum eſt, non in ſpecie, ſed in priuatione ſpeciei. Ea vero, quæ ita ſciũtur quodãmodo neſciẽdo ſciuntur, vt ſciendo neſciantur. Cum enim acies oculi corporalis currit per ſpecies corporales, nuſquam tenebras videt, niſi vbi cęperit non videre. Ita etiam ſilentium nullo modo, niſi non audiendo ſentitur. Sic ſpecies intelligibiles mens quidem noſtra intelligendo cõſpicit, ſed vbi deficiunt neſciendo condiſcit. *Ambroſius vbi ſupra.* Itaque ſicut iam dictum eſt, boni diffinitione malitia deprehenditur, ac per diſciplinam boni malũ reperitur, bonum autem nullius eget, ſibi abundat. *Hieronymus ad Ruſticum de pœnitentia.* Scire non poſſumus, ægrotationis mala, niſi cum ſanitas fuerit cõſecuta. Et quãtum boni virtus habeat vitium demonſtrat. *Idem contra Origenem de reſurrectione.* Sed neque vim antidoti ſcire poteris, niſi venena perſpexeris. *Idem ſuper Pſal. 136.* Denique neſcit aliquis quantum ſanitas valeat, ſi non ægrotet. *Idẽ ſuper Eccleſia.* Itaque contraria contrarijs intelliguntur. Vnde Salomon æqualis fuit ſtudij ſcire ſapientiam, erroreſque, & ſtultitiam, vt in alijs operandis in alijs declinandis eius vera ſapientia probaretur. *Ambroſius in libro de Paradiſo.* Obijciunt autem quidam, quod primus homo cui dictum eſt à domino. In quacũque die comederis morte morieris. Mortẽ quam nõ guſtauerat ſcire non potuit. Et ſi neſciebat, timere non poterat, fruſtra ergo Deus mortem ei pro terrore obiecit, quam ille non timebat. Sed hoc facile ex communi vſu naturæ abſolui poteſt. Eſt enim natura inſitum omnibus animantibus, vt etiam, quæ nondum ineſſe ſibi experta ſunt, quaſi noxia reformidẽt, vnde enim columbæ in ipſo ortus ſui viſu terror accipitris? vnde lupi ouibus formidabiles, & pullis milui? Quod ſi etiã irrationalia animantia, ſenſum fugiendi naturaliter accipiunt, quãto magis in primo homine rationis vtique pleniſſimo, naturalis quædam mortis opinio debuit eſſe vitandę? *Auguſt. ſuper Gen. lib. 8.* Sed quomodo inquiunt intelligere poterat, quod ei dicebatur de ligno ſcientiæ boni, & mali, quã quidẽ ipſum malum, quid eſſet omnino neſciebat? mirum quidem eſt quemadmodum rerum, quas habet amiſſionem etiam inexperta natura deuitat. Quis enim pecora docuit deuitationem mortis, niſi ſẽſus vitæ? Quis paruulum adhæreſcere baiulo ſuo, ſi eũ fuerit ex alto iacere minitatus? Sic illis primis hominibus vita erat dulcis, quam profecto amittere deuitabant. Idque ipſum quibuſcumque modis vel ſonis ſignantem Deum, intelligere poterant, nec aliter eis poſſet perſuaderi peccatum, niſi prius perſuaderetur eos ex illo facto nõ eſſe morituros, ideſt illud, quod habebant, & ſe habere gaudebant non amiſſuros. Si quos ergo mouet, quomodo poterant intelligere minantem Deum, videant nos omnium inexpertorum nomina, non niſi ex contrarijs, quæ iam nouimus ſi priuationum ſunt, aut ex ſimilibus ſi ſpecierum ſunt ſine vllo æſtu dubitationis agnoſcere.

Sol.

Naturalis inſtinctus & ſenſus.

Quod nihil eſt ſummum malum.

CAP. XCV.

AVguſt. de Ciuit. Dei lib. 12. Naturæ porro quibus inſunt vitia, ſi bonæ nõ eſſent, eis vtique vitia nocere nõ poſſent. Nam quid eis nocendo faciunt, niſi quod eis integritatem adimunt? Quod ſi omnino deſijt malum nihil adimendo nõ nocet, ac per hoc nec vitiũ eſt, non enim vitiũ eſſe poteſt, & nõ nocere. Sola ergo bona alicubi eſſe poſſunt. Sola vero mala nuſquam poſſunt, quia naturæ etiam mala voluntate vitiatæ, inquantum vitiatæ ſunt, malæ ſunt. Inquantum vero naturæ, bonæ ſunt. Et cũ natura vitioſa in peius eſt, excepto eo, quod natura eſt, etiam hoc ibi bonũ eſt, quod impunita non eſt, hoc enim iuſtum eſt, & omne iuſtum proculdubio bonum. *Idem in libro de moribus Manichæorum.* Aliud ſiquidem eſt, quod ſummè, & per ſe bonum eſt, cui noceri non poteſt. Aliud quod participatione bonum eſt, cui noceri per defectum poteſt. Cuius defectus non eſt auctor, qui eſt auctor eſſentiæ, mutantur autem quædam in meliora, & ideo tendunt ad eſſe, nec dicunt iſta mutatione peruerti, ſed potius reuerti, & conuerti: peruerſio autẽ contraria eſt ordinationi, hæc vero, quæ tẽdũt ad eſſe, ad ordinationẽ tendũt, quam cũ fuerint conſecuta, ipſum eſſe cõſequuntur, quantum id creatura cõſequi poteſt. Ordo enim ad cõueniẽtiã quandã, quod ordinat, redigit. Nihil autẽ eſt eſſe quam vnũ eſſe. Itaque inquantũ quidque vnitatem adipiſcitur, intantũ eſt, vnitas enim eſt operatio, conuenientia, & concordia, qua ſunt inquantum ſunt ea, quæ compoſita ſunt. Nam ſimplicia per ſe sũt, quia vnũ sũt, quæ autẽ nõ ſunt ſimplicia, cõcordia partiũ imitãtur vnitatem, & inquantum eã aſſequuntur intantũ ſunt, & vnum ſunt. Ordinatio ergo eſſe cogit. Inordinatio nõ eſſe: quæ peruerſio etiam corruptio nominatur, ſed nõ poteſt venire ad ſummum malum, quo perducere nititur. Dei enim bonitas eo rem perduci non ſinit, & omnia deficiẽtia ſic ordinat, vt ibi ſint vbi congruenter eſſe poſſint, donec ordinatis motibus ad id recurrant vnde deſecerunt: quod

Defectus author.

Ob.

non

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

non eſt intelligendum generaliter ſicut Origenes exiſtimauit, ſed tantú de his, quæ recurrẽt. Illa autem etiam, quæ non recurrent, congruentiſſime in pœna pro meritis ordinãtur. *Idem in ſoliloquiorum primo.* Deus igitur eſt, qui malum non facit, & facit eſſe vt non peſſimum fiat.

De malo duplici, ſcilicet culpæ, & pœnæ.

CAP. XCVI.

PEtrus Lombar. Priuatio eſt corruptio boni, dicitur & peccatum, & pœna, peccatum ſecundum efficientiam ideſt actiuè, quia priuat, & corrumpit bonum. Pœna autem ſecundum effectum ideſt paſſionem, quæ eſt effectus peccati. Et alterum quidẽ Dei eſt ſcilicet pœna. Alterum vero diaboli vel hominis vel culpæ. Quædam tamẽ ſunt culpæ, vt ſint etiam peccatorum pœnæ. *Aug. in Ench.* Ad iram verò Dei pertinet iuſtam, quicquid cæca, & indomita concupiſcentia libenter faciunt mali. Et quicquid manifeſtis aptiſque pœnis patiũtur multi. *Idẽ contra Fauſtum li.* 2. Itaque vt dicit Apoſtolus, quod princeps huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, ſi quis intellexerit diabolum, hoc enim malis eum perſuaſionibus facere nõ negamus, quibus qui cõſentiunt iuſtitiæ lumen amittunt: id etiam fit Deo retribuente, quod iuſtum eſt: verum hoc homines perturbati non nunc intelligunt in vno eodemque opere malo (non poſtea conſequente alia, quæ erit manifeſta, ſed quadam cõtinuo comitãte vindicta) aliud venire de aſtutia ſuadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de iuſtitia punientis. Cum diabolus ſuggerit, homo conſentit, Deus deſerit, *Idem ſuper Gen. li.* 8. Malum quidem niſi experimento non sẽtiremus, quia nullum eſſet ſi non feciſſemus. Neque enim aliqua natura eſt mala. Sed amiſſio boni hoc nomen accepit: homo enim cum ſit bonum mutabile, melius bonum fit, cum bono incommutabili adhæſerit. Amando, & ſeruiendo ei, rationali, & propria voluntate. Ideo quippe, & hæc magni boni natura eſt, quia & hoc accipit vt poſsit ſummi boni adhærere naturæ. Quo ſi noluerit bono ſe priuat, & hoc ei malum eſt, vnde etiam per iuſtitiam Dei cruciatus cõſequitur. Quid enim tam iniquum eſt vt benè ſit deſertori boni. Nullo modo hoc fieri poteſt. Sed aliquando amiſsi ſuperioris boni non ſentitur malum, cum habetur, quod amatur inferius bonum. Sed diuina iuſtitia eſt, vt qui voluntate amiſit, quod amare debuit; cum dolore amittat, quod amauit, cum naturarum creator vbique laudetur. Adhuc enim bonum eſt, quod dolet bonũ amiſſum. Nam niſi aliquod bonum remanſiſſet in natura, nullius boni amiſsi dolor eſſet in pœna. *Aug. de Ciui. Dei li.* 19. Proinde, nec ipſius diaboli natura inquantum natura malum eſt, ſed peruerſitas eam malam fecit.

Nulla natura eſt mala.

Quod malum culpæ ordinatur per malum pœnæ.

CAP. XCVII.

ITaque diabolus in ordinis tranquillitate non permanſit. Et bonum, quod illi eſt in natura nõ ei ſubtraxit iuſtitia Dei, qua ordinatur in pœna. Nec ibi Deus bonum inſequitur, quod creauit, ſed malum, quod ille commiſit: nec enim totũ aufert, quod naturæ dedit: ſed aliquid ademit, & aliquid reliquit, vt ſit quod doleat, quod ademit. Et ipſe dolor teſtimonium eſt boni adempti, & boni relicti: niſi enim bonum relictum eſſet, bonũ amiſſum dolere non poſſet. Sed quoniam æquitas ac ſalus vtrũque bonum eſt, & boni amiſſione dolendum eſt, profecto cõuenientius iniuſtus dolet in ſupplicio, quã lætatus eſt in delicto. Nam qui peccat peior eſt ſi lætatur in dãno æquitatis. Qui vero cruciatur ſi nihil acquirat boni, dolet damnũ ſalutis. Sicut ergo lætitia deſerti boni in peccato, teſtis eſt voluntatis malæ, ita dolor amiſſi boni, ſupplicio teſtis eſt naturæ bonæ, qui enim dolet amiſſam naturæ ſuæ pacem, ex aliquibus reliquijs pacis id dolet, quibus fit vt ſibi natura amica ſit. *Idem in libro* 11. Sicut ergo Deus naturarum bonarum eſt optimus creator, ita voluntatum malarum iuſtiſſimus ordinator, vt eũ illæ malè vtantur naturis bonis, ipſe benè vtatur etiam voluntatibus malis. Neque enim vllum Angelorum aut hominum crearet, quem præſciret malum futurum, niſi pariter noſſet quibus eos bonorum vſibus commendaret, atque ita ordinẽ ſæculorũ tanquã pulcherrimum carnem etiam quaſi quibuſdã antidotis honeſtaret, iuxta quod ſcriptũ eſt, *contra malum bonum eſt, & contra vitam mors, &c.* *Eccleſiaſtici 33.*

Qualiter Angeli boni diuiſi ſunt à malis tanquam lux à tenebris.

CAP. XCVIII.

AVguſt. de Ciui. Dei lib. 11. Inter bonos igitur, & peccatores Angelos Deũ, quis dubitet diuiſiſſe vel præſciẽtia vel opere. Illoſque bonos merito lucem appellari. Quandoquidem nos adhuc in fide viuentes, & illorum æqualitatem adhuc ſperantes vtique non tenentes, iam lux ab Apoſtolo dicti ſumus. *Fuiſtis enim inquit aliquãdo tenebræ, nũc autem lux in domino.* Iſtos vero deſertores tenebras, qui peiores sũt hominibus etiã infidelibus. Sed & ſi alia lux, & aliæ tenebræ in loco illo Geneſeos deſignatæ ſunt: nos tamen nihilominus illas duas ſocietates Angelicas eſſe nouimus, vnam videlicet ſeruientem Deo, alteram tumentem typho: vnam cui dicitur, adorate Deũ omnes Angeli eius: aliam cuius princeps dicit. Hæc omnia dabo tibi ſi cadẽs adoraueris me. Vnam Dei ſancto amore flagrantẽ: Aliam propriæ celſitudinis immundo amore fumantem. Et quoniam ſcriptum eſt Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: illam in cælis cælorum habitantem: iſtam inde deiectã in hoc infimo aereo cælo tumultuantẽ: illã luminoſa pietate tranquillã, iſtam tenebroſis cupiditatibus turbulentam: illam Dei nutu clementer ſubueniente, iuſte vlciſcentem, iſtam ſuo faſtu dominandi, & nocendi libidine æſtuantem. Illam vt quantum vult conſulat Dei bonitati miniſtram: Iſtam ne quantũ vult noceat Dei poteſtate frænatam. Illam huic illudẽtẽ vt nolẽs perſecutionibus ſuis proſit. Hãc illi inuidentẽ cũ peregrinos ſuos colligit. Denique & ſi in principio Geneſeos commemorantur opera Dei corporalia, habent certè nonnullam ſimilitudinem ad hæc ſpiritualia, ſecundum quod dicit Apoſtolus. *Omnes vos filij eſtis lucis, & filij diei; non ſumus noctis neque tenebrarum. Idem in lib.* 12. Proinde cauſa beatitudinis Angelorum bonorum ea veriſſimè reperitur, quod ei adhærent, qui ſummè eſt. Cauſa vero miſeriæ malorũ, quod ab illo, qui ſummè eſt, auerſi, & ad ſeipſos conuerſi ſunt, qui non ſummè ſunt. Et hoc vitium, quid aliud niſi ſuperbia nuncupatur? Initium quippe omnis peccati, ſuperbia. Noluerunt ergo ad eum cuſtodire fortitudinem ſuam. Et qui magni eſſent, ſi ei, qui ſummè eſt, adhærerẽt, ſe illi præferendo id, quod minus eſt, pertulerũt: hic primus defectus. Prima inopia primum vitium, eius naturæ, quæ ita creata eſt, vt nec ſummè eſſet, & tamen ad beatitudinem habendam eo, qui ſummè eſt perfrui poſſet à quo auerſa non quidem nulla, ſed tamen minus eſſet: & ob hoc miſera eſſet. Huius porro malæ voluntatis cauſa efficiens ſi quæratur: nihil inuenitur.

Qualiter mali deiecti ſint & boni confirmati.

CAP. XCIX.

PEtrus Lombardus. Igitur ſuperbiæ ſuæ merito de cœlo empyreo in quo cum alijs fuerat, deiectus eſt Lucifer cum omnibus prauitatis ſuæ conſortibus in hunc aerem caliginoſum: qui iuxta Petri ſententiam eis quaſi carcer vſque ad diem iudicij deputatus eſt. Tunc enim in baratrum inferni detrudentur, ſecundū illud: Ite maledicti &c. *Gregor. in moralib. lib. 34.* Quodque de diabolo in Iob legitur. *Cum ſublatus fuerit timebunt angeli ac territi purgabuntur*, futurum pro præterito ponitur. *Leuiathan* ſiquidem ab arce rectitudinis cadente, in ruina eius etiam electi Angeli expauerunt. Et cum iſtum ſuperbiæ lapſus eijceret: illos ad robuſtius ſtandum timor ipſe ſolidauit. Qui etiam territi *purgantur*, huius namque lapſus eos & terruit, & purgauit. Terruit ne conditorem ſuperbè deſpicerent. Purgauit quia exeuntibus reprobis actum eſt, vt electi ſoli remanerent. *Petrus Lombardus.* Quod autem in hunc aerem caliginoſum deiectus eſt lucifer cum complicibus ſuis, hoc etiam ad probationem noſtram factum eſt: vt videlicet nobis cauſa ſint exercitationis. vnde dicit Apoſt. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes mūdi, rectores tenebrarum harum.* Quod tamen in infernum quotidie deſcendant aliqui dæmonum, qui animas cruciandas illuc deducant, quodque illic ſemper aliqui ſint, qui alternatis fortaſſe vicibus illic animas cruciant & detinent, non procul eſt à vero. De Lucifero autem quidam putant, quod ibi religatus ſit & ad nos tentandos non habeat nunc recurſum: donec in Antichriſti tempore nouiſſimo ſoluetur: ipſum putant primum hominem tentaſſe & viciſſe. Et ſecundo dominum & ab eo victum eſſe, & ideo in inferno religatum. Alij putant eum ex quo cecidit: pro peccati ſui magnitudine illuc fuiſſe demerſum.

Ex lapſu vnius Angeli alij purgati fuerunt.

De ligatione Luciferi.

Quales effecti ſunt dæmones per peccatum.

CAP. C.

AVguſt. de Ciuit. Dei lib. 12. Angelorum itaque bonorum, & malorum intra ſe contrarios appetitus: non naturis principijſque diuerſis, cum Deus omnium ſubſtantiarum conditor, bonos vtroſque creauit, ſed voluntatibus, & cupiditatibus extitiſſe fas dubitare non eſt. Alij namque cōſtanter in communi omnibus bono quod Deus illis eſt, atque in eius æternitate, veritate, charitate perſtiterunt. Alij ſua poteſtate delectati: velut ſūmum bonum ſibi ipſis eſſent, a ſuperiori communi omni bono ad propria mala defluxerunt: & habentes electionis faſtum: pro excellentiſſima æternitate vanitatis aſtutiam, pro certiſſima veritate ſtudia partium, pro indiuidua charitate ſuperbi, fallaces, inuidi, effecti ſunt. *Idem in eodem* 8. *lib.* Certum eſt dæmones eſſe ſpiritus nocendi cupidiſſimos, a iuſtitia penitus alienos, ſuperbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos. *Petrus Lombardus.* Denique adeo per malitiam obſtinati ſunt, quod bene velle non poſſunt, & ſi bonum eſt quod aliquando volunt (volunt enim aliquando aliquid fieri quod Deus vult fieri, & vtique illud bonum eſt, & iuſtū fieri.) Nec tamen bona voluntate illud volūt. Habent tamen liberum arbitrium, quia nullo cogēte, ſed ſpontanea voluntate a gratia deſtituti, bonum vitant, & malum ſequuntur: habent ergo liberum arbitrium, ſed depreſſum, ita quod ad bonum ſurgere non valent. *Ioannes Damaſcenus li.* 2. Quod hominibus eſt mors, hoc eſt Angelis caſus, poſt caſum enim non eſt eis pœnitentia, quemadmodū nec hominibus poſt mortem. *Dionyſius de diuinis nominibus.* Non eſt autem dæmonum genus malū quantum eſt iuxta naturā ſuam, ſed quantum non eſt. Et nō eſt mutatum in eis totum datum bonum, ſed ipſi à dato ceciderunt toto bono. Et datas eis Angelicas denominationes nunquam commotas fuiſſe dicimus, ſed ſunt, & integri, & clariſſimi. Itaque ſunt, & ex optimo ſunt, & bonum optimū concupiſcūr eſſe viuere & intelligere exiſtentiū appetentes. Et præuaricatione, & fuga, & caſu à connaturalibus ſibi optimis, dicuntur mali ſecundum quod nō sūt & quod non appetunt. *Auguſt. de natura boni.* Melior eſt etiam corruptio per malam voluntatem rationalis ſpiritus, quàm irrationalis incorruptus: *Idem de Ci. Dei li.* 11. Sed & tantum valet in naturis rationabilibus quoddam veluti pondus voluntatis, & amoris, vt cum ordine naturæ Angeli hominibus, tamen lege iuſtitiæ boni homines malis Angelis præferantur.

Liberum arbitrium in dæmonibus.

De Scientia eorum.

CAP. CI.

AVguſtinus de ciuitate Dei. Dæmones, quia vocabulum Græcum eſt, à ſcientia nominati dicuntur. Eſt enim in eis ſcientia ſine charitate, & ideo tā inflati sūt id eſt ſuperbi, vt honores diuinos ſibi velint exhiberi. *Petrus Lombardus.* Licet Angeli mali ſint per malitiā obſtinati, viuaci tamē ſenſu penitus nō ſunt priuati. Nam vt dicit Iſidorus, triplici acumine ſciētiæ dæmones vigent ſcilicet ſubtilitate naturę, experientia temporum, reuelatione ſupernorum ſpirituum. *Auctor.* Subtilitate naturæ adhuc habent à prima creatione, de qua ſuperius dictum eſt: quod ſcilicet ante caſum habebāt eſſentiæ ſimpliciratē, & rationis perſpicacitatem. *Hieron. ſuper pſal. 16. De abſconditis inquit tuis adimpletus eſt venter eorum.* vēter dicitur caſtus intellectus, venter ergo Angelorum id eſt intellectus eorū repletus fuit de myſterijs Dei antequam cecidiſſent. *Aug. de ci. Dei lib. 9.* Dæmones non ſicut Angeli Sancti ęternas temporum cauſas, & quaſi Cardinales in Dei ſapientia contemplantur. Sed quorundā ſignorum nobis occultorum maiori experiētia quā nos & multo plura futura proſpiciunt, diſpoſitiones etiam ſuas aliquando pronuntiant. Denique ſæpe iſti, nunquam illi falluntur. Aliud eſt temporalibus temporalia coniectare: eiſque temporalem, & mutabilem modum ſuæ voluntatis, & facultatis inſerere, quod dæmonibus certa ratione permiſsū eſt. Aliud in æternis Dei legibus quæ in eius ſapiētia viuunt, mutationes temporum præuidere. Deique voluntatem quæ tam certiſſima quam potentiſſima eſt omnium ſcilicet ſpiritus eius participatione cognoſcere, quod ſanctis Angelis rectè diſcretione donatū eſt. *Bernardus Claræuallenſis.* Itaque ſicut iā ſupra dictum eſt. Seraphin duabus alis velant caput, duabus pedes domini; vt nec alta Dei, nec profunda eius malignus valeat contemplari: medium aliquid eidem relinquitur ad videndū, ſed vtique ad inuidendum. *Origenes ſuper Iob li.* 1. *Circumiui inquit terrā, & perambulaui eam; mala hæc gloria tua.* Terram circumis, & ad cælum non reuerteris. Circumis autem non terrenis greſſibus, ſed ſpiritualibus ſeductionibus. Terram circumis velut ſpiritus volans, & ea quæ dicūtur voce cuncta audiens. Et quæ operibus fiunt videns. Ea vero quæ in corde tractantur neſciens. Si enim cogitationes hominum diabolus ſciret, nihil boni facere permitteret. Sed omnia bona mox vt cogitatione cepta eſſent deſtrueret.

Triplex acumen dæmonum.

A

Qualiter pronuntiant futura.

CAP. CII.

SI autem venti aeris regiones ac ſubito perflant, ac tranſeunt : nonne magis aeris ſpiritus mundum peruolant: & ſubito vbique præſentes ſunt? Hinc enim & diuinationes fiunt: dum cuncta, quæ in omni loco mundi huius fiunt videntes: & quæ dicunt audientes: miniſtris nequitiæ ſuæ reuelant. Et ex his quæ fiunt, etiam alia futura probare docent.

Ioannes Damaſcenus lib. 2. Futura dæmones non nouerunt, prædicunt tamen quandoque ea quæ fiunt longe videntes, quandoque verò conijcientes, vnde & multum mentientes, quibus non oportet credere, & ſi multotiens vera dixerint, nouerunt autem & ſcripturas. *Auguſtinus de diuinatione dæmonum.* Prænunciant dæmones plerumque ea quæ ipſi futura ſciunt, aliquando autem ea quæ naturalibus ſignis, vt aeris tempeſtatem, & huiuſmodi futura prænoſcunt. Aliquando hominum diſpoſitiones non ſolum prolatas, ſed etiam cogitatione perceptas, cum ſigna quędam exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcunt, atque hinc etiam futura prędicunt: verum in ſuis prędictionibus plerumque, & fallunt & falluntur. Falluntur quidem cum diſpoſitiones ſuas pronunciant, & improuiſo aliquid iubetur, quod eorum conſilia cuncta perturbet, falluntur cum cauſis naturalibus, ſicut medici, & nautæ, & agricolæ, ſed longe acutius per acrimoniam ſenſus aliqua prænoſcunt, quæ etiam ſuperna diſpoſitione repente mutantur.

De poteſtate eorum.

CAP. CIII.

Gregorius in moral. 18. Omnis quidem voluntas diaboli iniuſta eſt, & tamen permittente Deo omnis poteſtas iuſta, vnde ipſi dicitur. *Spiritus domini malus, malus* propter nequiſſimam voluntatem, & *domini* per acceptam iuſtiſſimam poteſtatem. *Idem in dial. lib.* 3. Abſque omnipotentis Dei conceſſione nullam habet poteſtatem contra hominem malignus ſpiritus, qui etiam in porcos intrare non potuit, niſi permiſſus. *Hier. ſuper Pſal.* 34. Itaque de quibuſdam in Pſal. dicitur. *Fiat Angelus Domini perſequens eos*, ideſt ſpiritus malus. Domini quidem eſt: quia dominus illum creauit: & ipſum habet in ſua poteſtate. *Malus* autem non natura, ſed ſua adinuentione. *Idem ſuper Ezech. lib.* 9. Alibi quoque per prophetam loquitur Deus dicens: *Tradam terram in manus peſſimorum*, qui videlicet eos torqueant. Neque enim boni, ſed mali Angeli tormentis præpoſiti ſunt. *Ioannes Damaſc. lib.* 2. Non habent dæmones virtutem aduerſus aliquem, niſi à Deo diſpenſante concedatur, ſicut in Iob, & in porcis. Permiſſione verò Dei & fortitudinem habent: & tranſmutantur & transfigurantur in quamcumque volunt figuram ſecundum imaginem ideſt fantaſiam. *Auguſtin. de diuinatione dæmonum*: Accipiunt autem ſæpe poteſtatem & morbos immittere: & aerem vitiando morbidum reddere: & peruerſis mala facta ſuadere. *Idem de Trinit. lib.* 3. Ex ineffabili autem Dei potentatu fit, vt quod poſſent mali Angeli, ſi permitterentur: ideo non poſſunt, quia non permittuntur. Neque enim occurrit alia ratio: cur non potuerunt facere cyniphes: qui ranas ſerpentesque fecerunt: niſi quia maior aderat prohibentis Dei damnatio per Spiritum ſanctum, quod etiam magi confeſſi ſunt dicentes: *Digitus Dei eſt hic.*

B

Qualiter per eos exercentur artes magicæ.

CAP. CIIII.

Petrus Lombar. Dæmonum autem ſcientia ac virtute exercentur etiam artes magicæ, quibus tamen tam ſcientia, quam poteſtas à Deo data eſt, vel ad fallendum fallaces, ſicut in Ægyptios, & etiam in ipſos Magos data eſt, vt eorumdem ſpirituum operatione viderentur admiranda quibus fuerant damnandi, vel ad monendum fideles, ne tale quid facere pro magno deſiderent, vel ad exercendam, vel probandam iuſtorum patientiam. Nec putandum eſt dæmonibus hanc rerum viſibilium materiam ad nutum ſeruire, ſed Deo potius, à quo hęc poteſtas datur. Nec ſanè creatores dicendi ſunt, quia per illos magi ranas ſerpenteſque fecerunt. Non enim ipſis illi crearunt, ſed Deus, qui occulta rerum ſemina viſibilibus huius mundi elementis originaliter indidit. Ex quibus, & progrediendi primordia, & incrementa debita, & diſtinctiones formarum quaſi ab originalibus regulis ſumunt. Dæmones autem pro ſubtilitate ſui ſenſus ipſa ſemina nobis occultiora nouerunt, & ea per congruas elementorum temperationes latenter ſpargunt. Atque ita, & gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum occaſiones præbent.

Ad quid Magia permittitur à Deo?

C

De falſis tranſmutationibus.

CAP. CV.

Auguſtinus ad Deo gratias. Dęmones nonnulla faciunt Angelis ſanctis ſimilia, & non veritate, ſed ſpecie. *Ex lib. de anima, & ſpiritu.* Dicit humana opinio, quod quadam arte, & poteſtate dęmonum homines conuerti poſſunt in lupos, & iumenta, & portare quæque neceſſaria, poſtque peracta opera iterum ad ſe redire, nec beſtialem in eis mentem fieri, ſed rationalem humanamque ſeruari. Hoc ſic intelligendum eſt, quod dæmones quidem naturas non creant, ſed aliquid tale facere poſſunt, vt videantur eſſe, quod non ſunt. *Auguſtin. de Ciuita. Dei lib.* 18. De ludificationibus dæmonum, quid dicemus, niſi de medio Babylonis eſſe fugiendum. Quantò quippe in hæc ima maiorem poteſtatem dęmonum videmus, tantò tenacius mediatori inhærendum, per quem de imis ad ſumma conſcendimus. Nam cum eſſemus in Italia audiebamus talia de quadam regione illarum partium, vbi ſtabularias mulieres imbutas his malis artibus in caſeo dare ſolere dicebant, quibus vellent ſeu poſſent viatoribus, vnde in iumenta illico verterentur, & neceſſaria quęque portarent, poſtque perfuncta opera ad ſe rediret, nec in eis vitam beſtialem fieri, ſed rationalem ſeruari. *Sic Apuleius in libris* aſini aurei ſibi accidiſſe ſcripſit, vt accepto veneno, humano animo permanente aſinus fieret.

Quomodo dæmones tranſmutãt?

Quid de talibus ludificationibus ſenſit Auguſt.

CAP. CVI.

D

Idem in eodem. Firmiſſimè credendum eſt, Deum omnia facere poſſe, quæ voluerit, ſiue in iudicando, ſiue in præſtando. Nec ſanè dæmones naturas creant, ſi aliquod tale faciunt, ſed ſpecietenus, quæ à vero Deo creata ſunt commutant, vt videantur eſſe, quod non ſunt. Non itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidem vlla ratione crediderim, dæmonum arte, & poteſtate in membra, & lineamenta beſtialia veraciter poſſe conuerti. Sed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando vel ſomniando per innumerabilia rerum genera variatur, & cum corpus non ſit, corporum ſimiles formas celeritate mira capiens, ſopitis aut oppreſſis corporeis hominis ſenſibus, ad aliorum ſenſum neſcio, quomodo ineffabili figura corporea poſſe perduci, ita vt ipſa corpora hominum

E

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

alicui iaceant viuentia quidem, ſed multo grauius ac vehementius, quàm ſomno ſenſibus ſuis obſeratis. Phantaſticum autem illud veluti corporatum, in alicuius animalis effigie, mirabili modo ſenſibus alienis appareat, taliſque etiam ſibi homo eſſe videatur, ſicut alius ſibi videre poſſet in ſomnis, & portare onera, quæ onera ſi vera ſunt corpora portantur à dæmonibus, vt illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim iumentorum falſa cernentibus.

Onera à quibus portantur.

Exempla quibus eius ſententia comprobatur.

CAP. CVII.

Exemplum. *Avgvſtinus ibidem.* Iam quidam nomine Præſtantius, patri ſuo contigiſſe indicabat, vt venenum illud in domo ſua per caſeum ſumeret, & iaceret in lecto ſuo quaſi dormiens, qui tamen à nullo poterat excitari. Poſt aliquos autem dies eum velut vigilaſſe dicebat, & quaſi ſomnia narraſſe, quæ paſſus eſt, & caballum ſe ſcilicet factum annonam inter iumenta alia portaſſe militibus, quod ita vt narrauit compertum eſt factum fuiſſe, quæ tamen ſua ſomnia videbantur. Indicauit, & alius ſe domui ſuæ per noctem antequam requieſceret, vidiſſe venientem ad ſe quendam Philoſophum ſibi notiſſimum, ſibique expoſuiſſe nonnulla platonica, quæ antea rogatus exponere noluiſſet. Et cum ab eodem quæſiſſet. Cur in domo eius fecerit, quod in domo ſua petenti negarit. Non feci inquit, ſed me feciſſe ſomniaui, ac per hoc alteri per imaginem phantaſticam exhibitum eſt vigilanti, quod alter vidit in ſomnis. *Valerius Maximus in libr.* 1. Duo familiares Archades iter vna facientes Megaram venerunt, quorum alter ſe ad hoſpitem contulit, alter in tabernam diuertit. Hic qui in hoſpicio erat, vidit comitem ſuum orantem, vt ſibi cauponis inſidijs circumuento ſuccurreret, poſſet enim eius accurſu celeri imminenti periculo ſe ſubtrahi. Quo viſu profilijt excitatus, & tabernam illam qua ille diuerterat petere conatus eſt. Deinde propoſitum hoc humaniſſimum tanquam ſuperuacuum damnauit, & lectum ac ſomnum repetijt. Tunc idem ei ſaucius oblatus obſecrauit, vt quoniam vitæ ſuæ auxilium ferre neglexiſſet, necis tamen vltionem non negaret. Corpus enim ſuum à caupone trucidatum iam plauſtro ad portam ferri ſtercore coopertum. Itaque tam conſtantibus familiaris precibus compulſus, protinus ad portam cucurrit, & plauſtrum, quod in quiete demonſtratum erat comprehendit, cauponemque ad ſupplicium perduxit.

Aliud.

Exemplum Helinandi ad idem.

CAP. CVIII.

Helinandus 13. *libro Chronicorum* Simile quiddam de phantaſtico homine memini me audiuiſſe ab Ebando patruo meo, qui fuit camerarius Henrici Rhemenſis Archiepiſcopi, fratris Ludouici Regis Francorum. Dicebat enim, quòd eodem Henrico tempore quodam æſtatis ſomnum meridianum in itinere carpente, quidam miles inter cæteros aperto ore dormiebat poſt prandium, de cuius ore viſa eſt ab alijs vigilantibus, quędam alba beſtiola in modum muſtelæ exijſſe. Et vſque ad riuulum illic propè currentem veniſſe. Cumque tranſire vellet, nec poſſet, diſcurrebat per Ripam huc, & illuc, ſi forte tranſitum inueniret. Quidam autem aſpicientium currens euaginatum gladium loco pontis, in tranſuerſum eiuſdem riuuli, qui valde anguſtus erat, poſuit, moxque beſtiola deſuper currens, riuulum tranſiuit, & longius: vltra tranſcurrens non comparuit, poſt aliquod ſpacium rediens ad eundem riuulum, quęrebat tranſitum. Quo non inuento ille gladium vt prius in tranſuerſum riuuli poſuit, & illa cito tranſiens ad os dormientis à quo exierat cucurrit, & alijs videntibus intrauit, mox ille expergefactus eſt, & interrogatus vtrum aliquid dormiens vidiſſet. Reſpondit multum ſe per ſomnium fatigatum fuiſſe, & multas vias difficiles ambulaſſe. per quandam aquam bis ſuper pontem ferreum tranſiuiſſe. Ex quibus dictis ſocij crediderunt verum fuiſſe, quod ille ſomniauerat. *Hoc idem de Guaciano Rege legitur.* Ecce, quod ait Auguſtinus, vbi ſupra verum eſſe comperimus phantaſticum, ſcilicet hominis, ad aliorum ſenſum neſcio quo ineffabili modo figura corporea poſſe perduci. Quod autem illud phantaſticum in aliena forma, ſcilicet muſtelæ, vigilanti apparuit, hoc factum eſt vel diuinitus vt vigilans inſtrueretur, ſcilicet intellectus, ſpiritum dormientis ad modum huiuſmodi animalis ingenioſum eſſe, & ſubdolum, vel quod in eos quibus prævalere poterat, crudelis erat, ſicut muſtela mures perſequitur, aut aliquid tale, quod eius naturæ congruat, aut inſtinctu diaboli hoc faciebat, vt qui hoc viſebat falleretur, putans ſpiritum hominis corporeum eſſe, & cum corpore ſimul deficere, ſicut Epicuri putarant, & quidam hæretici.

Aliud exemplum eiuſdem de falſa tranſmutatione.

CAP. CIX.

Aliud exemplum. *Idem in eodem.* Porro de phantaſtica mutatione hominum in beſtias recentior eſt memoria noſtrorum fere temporum quam vt inter oblitterata poſſit neſcire. Refert enim Guil. Malmeſburienſis Monachus in hiſtoria ſua, quòd tempore Petri Damiani erant duæ vetulæ in ſtrata publica qua Romam itur, quales Auguſtinus appellat ſtabularias, ideſt tranſeuntes hoſpitio pro mercede ſuſcipientes. Nam ſtabulum propriè hoſpitium venale, & publicum. Hæ vno commorantes tugurio, vnoquoque imbutæ maleficio, hoſpitem ſi quando ſolus ſuperueniebat, in equum, vel ſuem, vel aſinum mutabant, & mercatoribus vendentes pretium habebant. Quadam die iuuenem quendam hiſtrionicis geſtibus victum exigentem hoſpitio ſuſceptum, aſinum fecerunt, multum inde lucrantes per aſinum, ſcilicet qui miraculo geſtuum diſtinebat tranſeuntes. Nam quocumque modo præcepiſſet anus, mouebatur aſinus. Non enim amiſerat intellectum, ſed loquelam, multum inde quæſtum conflauerant vetulæ. Audiens hoc vicinus diues, aſinum emit magno pretio, dictumque eſt ei ab illis vetulis, vt cuſtoditet eum ne in aquam intraret. Seruatuſque aſinus diu ab aqua, tandem incautiorem nactus cuſtodiam, in lacum proximum ſe proiecit, & ibi ſe diu volutans Aſininam figuram perdidit, propriamque recepit. Cumque cuſtos eius ſuſcitaretur ab eodem obuio, ſi aſinum vidiſſet, ille ſe eſſe dixit. Famulus ad dominum retulit, Dominus ad Apoſtolicum Leonem virum ſæculo ſanctiſſimum. Conuictæ anus idem fatentur. Dubitantem Papam confirmauit Petrus Damianus vir eruditiſſimus, producto exemplo de Simone Mago, qui Fauſtinianum videri fecit in figura Simonis. Hoc exemplo inducitur præfatus Guilielmus ad probandum, quod nihil quod per nigromantiam fit poteſt per aquam fallere intuentem. Dixerat enim prius quoddam genus pulueris eſſe locupletiſſimi, qui quicquid contigit, in aurum conuertit. Non quod ita pro vero ſit, ſed quia ita eſſe videtur, quod ad aquas diluitur.

Nota de aqua.

Quòd magica transfiguratio non omnium viſum fallit, ſed quorundam tantum.

CAP. CX.

IN eodem. Sciendum tamen, quod magica tranſiguratio non omnium viſum fallere poteſt, quia nec ipſos magos, nec eos quos præmuniunt contra talem falſam apparentiam, nec viros ſpirituales, & ſanctos, ſicut legitur de Simone Mago, quod vnguentum quoddam compoſuit, quo dum Fauſtinianus pater Clementis rogatus ab eodem, faciem ſuam perunxiſſet, in ipſum Simonem transfiguratus eſt. At ipſe rogauit Appionem, & Ambionem, vt eodem hoc de ſucco facies ſuas vngerent, ne in aſpectu. Fauſtiniani fallerentur, omnibus autem illis tribus videbatur Fauſtinianus eſſe Simon Magus. Petro tamen Apoſtolo non apparebat immutatus, qui etiam propriam figuram reſtituit. Similiter etiam puella quædam, quæ per magica veneficia videbatur in equam mutata, Machario Ægyptio non apparebat, qui eam vngens oleo benedicto à phantaſtica mutatione liberauit.

De mulierculis, quæ dicunt ſe ire noctu cum Diana, & Herodiade.

CAP. CXI.

EX libro de ſpiritu, & anima. Quædam mulierculæ poſt Sathan conuerſæ, dæmonum illuſionibus, & phantaſmatibus ſeductæ credunt ſe, & profitentur nocturnis horis cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera mulierum multitudine equitare, earumque iuſſibus obtemperare. Ipſe namque qui transfigurat ſe in Angelum lucis, cum mentem cuiuſque mulierculæ ceperit, & hanc ſibi per infidelitatem ſubiugauerit, illico transformat ſe in diuerſarum perſonarum ſpecies, & ſimilitudines, & mentem quam captiuam tenet, in ſomnis deludens, modo læta, modo triſtia, modo cognitas, modo incognitas perſonas oſtendens, per deuia quæque ſeducit Et cum ſolus ſpiritus hoc patitur, infidelis non in animo, ſed in corpore hoc euenire opinatur. Idcirco nimis ſtultus eſt, & hebes, qui hæc omnia, quæ in ſpiritu fiunt, etiam in corpore accidere fieri arbitratur. Cum & Ezechiel, & Ioannes Euangeliſta, & alij Prophetæ, & Apoſtoli in ſpiritu, non in corpore viderunt viſiones.

Viſiones fiunt plerũq; ſpiritu.

De diuerſis generibus dæmonum.

CAP. CXII.

CASSIANUS in libr. collationum, in illa, quæ dicitur ſereni. Sunt autem diuerſa dæmonum genera. Quidam ſunt quos Faunos vulgus appellat, qui ita ſeductores, & ioculatores ſunt, vt certa quoque loca, & vias obſidentes, prætereuntes tantummodo fatigent ac derideant. ſola illuſione ſiue tormento contenti. Alij in nociuis hominum incubationibus pernoctant. Alij ita truculenti, & furibundi ſunt, vt eis non ſufficiat illorum tantummodo corpora, quos ſuppleuerint atroci dilaceratione vexare, ſed etiam ſuper tranſeuntes eminus ituant, eoſque ſequiſſimè cedere conantur, quales illi in Euangelio deſcribuntur, ob quorum metum per viam illam tranſire nullus audebat. Alij eorum corda quos ceperunt inani quodam tumore inficiunt. Hos Batueos vulgus nominat. Alij inuidias, & blaſphemias hominibus inſpirant, qualis ille fuit, qui in libro Regum ait, *Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium.* Sunt & dæmones muti, & ſurdi. Sunt & incentores libidinis, & auaritiæ. Sunt nocturni, & diurni & meridiani. Sunt etiam, qui per nomina ferarum deſignantur, vt onocentauri, piloſi, ſyrenæ, lamiæ dracones, & huiuſmodi.

Faumi.

Iſidor. in lib. Etym. 8. Lamias ex hominibus factos dæmones aiunt, qui meriti mali fuerunt, quarum natura eſſe dicitur, terrere paruulos, & in angulis garrire tenebroſis. Lamias fabulæ tradunt infantes corripere ac laniare ſolitas à laniando dictas. Piloſi dicuntur, & incubi, ab incubando, ideſt ſtuprando. Sæpe enim incubi exiſtunt cum mulieribus, & earum concubitum peragunt, quos dæmones Galli Duſios vocant, quia hanc immunditiam aſſiduè exercent. Quem autem vulgo incubonem vocant, hunc Romani Faunum ficarium dicunt. *Haymo ſuper Iſa.* Piloſi ſunt deriſorium genus dæmonum, qui paruæ fidei homines ducunt in paludes, & cum cachino diſcedunt: *Gloſſa ſuper Iſa.* 13. Sytena vel ſyrenes dicitur eſſe portentum diaboli, quod dulci cantilena decipit nauigantes, niſi claudant aures. Vnde in Iſaia de Babylone dicitur: *piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt vlulæ in ædibus eius, & ſyrenæ in delubris voluptatis.*

Lamiæ.

Piloſi incubi.

Quod in dæmonibus etiam prælationes ſunt, & alij aliis præſunt.

CAP. CXIII.

PEtrus Lombardus. Præterea ſciendum, quod ſicut de maioribus, & minoribus Angelis, quidam ceciderunt, & quidam perſtiterunt, ita de vtroque gradu quidam corruerunt. Et ſicut inter bonos Angelos alij aliis præſunt, ita & inter malos alij alijs prælati ſunt, quandiu enim durat mundus Angeli Angelis, & homines hominibus, & dæmones dæmonibus præſunt. Sed in futuro omnis euacuabitur prælatio, vt dicit Apoſtolus: habent quoque ſecundum modum ſcientiæ maioris vel minoris prælationes alij maiores, alij minores. Quidam enim vni prouinciæ, quidam vni homini, quidam vni vitio præſunt. Inde ſpiritus vnus dicitur ſuperbiæ, alius ſpiritus luxuriæ, &c. quia de illo vitio maximè poteſt quilibet homines tentare, à quo nominatur. Inde eſt, quod nomine dæmonis diuitiæ vocantur, ſcilicet mammona. Non quia diabolus habeat in poteſtate dare diuitias cui vult vel auferre. Sed quia vtitur illis ad hominum deceptionem. *Caſſianus vbi ſupra.* Sciendum eſt ergo, non omnes dæmones omnia vitia ſuggerere, ſed vnicuique vitio certos ſpiritus incubare. Nec cuncti pariter ſuas ingerunt prauitates, ſed viciſſim prout temporis vel loci vel ipſius ſuſcipientis prouocauerit oportunitas.

Euacuabitur prælatio omnis dæmonũ.

Quod hominibus infeſtis inter ſe quoque diſcordes ſunt.

CAP. CXIIII.

AVguſtinus de Ciu. Dei lib. 8. Dæmones autem, vt dictum eſt ſuperius, conſtat eſſe nocendi cupidiſſimos, inuidentia liuidos, fallacia callidos. *Hilarius ſuper beati immaculati.* Diabolum vitiorum noſtrorum incentorem debemus metuere, puncto temporis omnem amplitudinem huius mundi ambientem, cui dulce eſt peccare nos, vt peccatorum noſtrorum teſtimonio glorietur. Eſt enim eius hęc propria calliditas, ad peccandum inſtigare, & peccantes arguere, vnde dicitur accuſator fratrum. *Origenes ſuper Iob libr.* 1. Merito diabolus accuſator dicitur. Non enim acquieſcit accuſare homines ad Deum, ſed & Deum ad homines. *Ioannes Chryſoſtomus ſuper Matthæum lib.* 1. Homines autem non quantum vult tentat diabolus, quantum ad ſe numquam ceſſaret à tentatione, neque enim habet alium actum. Non enim manducat, nec dormit, nec aliud operatur, niſi vt tentet, vt fallat, vt ſubuertat, hic eſt cibus illius, & honor, & gaudium. *Caſſianus vbi ſupra.* In illis quoque vitijs quibus communiter oblectantur dæmones perpetuam concordiam, & perfectam conſentionem habere non poſſunt inter ſe.

Cur diabolus accuſator.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Numquam enim poterit in rebus indiſciplinatis diſciplina moduſque ſeruari. In nonnullis tamen ſibi conſentiunt, vnde & locis quibuſdam ſpecialiter inhęrent, & ea iugiter obſident. Sic autem vnuſquiſque ſpiritus ſigillatim impugnationem accepit mentis, vt aut cum victus abſceſſerit, alij eam ſpiritui tradat acrius impugnandam, aut certè ſi victor extiterit alteri nihilominus tradat ſimiliter illudendam.

Quòd iugiter humanis ſenſibus inſidiantur.

CAP. CXV.

CYprianus libro de zelo, & liuore. Excubandum eſt igitur, & omnibus virtutibus elaborandum, vt ſæuientis inimici iaculis ex omni parte qua percuti poſſumus repugnemus. Nam circumit ille nos ſingulos, & tanquam hoſtis clauſos obſidens muros explorat, & tentat, an ſit pars aliqua membrorum minus ſtabilis, & fida, cuius aditu ad interiora penetretur, offert oculis formas, vt viſu caſtitatem deſtruat, aures per canora muſica tentat vt ſoni dulcioris auditu Chriſtianum rigorem ſoluat, & molliat, linguam ad conuitium prouocat, manum iniurijs laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat, falſa oſtentat, vt ſurripiat vera, ad bellandum aduerſus ſeruos Dei ſemper inquietus, & ſemper infeſtus, in pace ſubdolus, in perſecutione violentus. *Auguſt. de 83. quæſtionibus.* Sententia eſt cuiuſdam ſapientis nomine Fonteus, quam paganus quidam ſcripſit de mente mundanda ad videndum Deum, ſed Chriſtianus baptizatus, & mortuus eſt. Agite inquit ô miſeri hoc agite, vt numquam hoc domicilium polluat malignus ſpiritus, ne ſenſibus immixtus inceſtuet animæ ſanctitatem, lucemque mentis obnubilet. Serpit hoc malum per omnes aditus ſenſuales, dat ſeſe figuris, accommodat coloribus, adhæret ſonis, latet ira fallaciaque ſermonis. Odoribus ſe ſubijcitur, infundit ſe ſaporibus, ac turbidi motus illuuie tenebroſis affectionibus tenebratos ſenſus, quibuſdam nebulis implet, omnes meatus intelligentiæ per quos pandere ſolet lumen rationis radius mentis.

Hilarius ſuper Beati immaculati. Poſuerunt inquit peccatores laqueum mihi. Sermo, cogitatio, opus noſtrum, ſemper adiacentes habet laqueos, quos nobis Angeli tranſgreſſores extendunt, ſed ille cuius anima in manibus Dei eſt, ſemper Deum cogitans, ab his euolat vt dicat, *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.*

De proceſſu eorum in tentationibus hominum.

CAP. CXVI.

CAſſianus vbi ſupra. Non ſunt autem omnes dæmones eiuſdem ferocitatis aut deſiderij, neque vnius fortitudinis atque nequitiæ. Inſipientibus quoque, & infirmis non niſi inferiores ſpiritus in certamine comparantur. Quibus ſuperatis gradatim ſemper aduerſus athletas Chriſti robuſtiori pugna ſuccedit. Nam pro comparatione virium aut profectus humani, etiam difficultas colluctationis augetur. Noſter enim archagonita Chriſtus exæquat colluctantium vires, & immoderatos eorum refrænat, & repellit incurſus, faciens cum tentatione exitum, vt poſſimus ſuſtinere. Habent autem ipſi ſicut & nos in pugna ſua laborem, & anxietatem in conflictu, & in ſuperatione triſtitiam, & confuſionem, ſicut gaudium de victoria, nihil autem lædere poſſunt niſi ſibi conſentientes. Nunc etiam debiliores ſunt, quam olim fuerunt inter anachoritarum principia, vix enim aliquis etiam ſtabilis & ætate prouectus tunc poterat habitationem ſolitudinis tolerare. In ipſis autem cænobijs in quibus commorabantur 10. vel 12. ita eorum atrocitas graſſabatur, & frequentes ac viſibiles eorum ſentiebantur aggreſſus, vt non auderent omnes pariter noctibus obdormire, ſed viciſſim alijs ſomnum deguſtantibus, alij Pſalmis, & orationibus vel lectionibus intendebant. Quòd autem nunc lentius nobiſcum pugnant, aut de negligentia noſtra fit, quia dedignantur contra nos confligere, aut de virtute crucis dominicæ, quæ vbique penetrat, & coruſcat. Intantum enim tepent iam nonnulli, vt neceſſe ſit eos remiſſioribus monitis palpari, dummodo profeſſionem, & locum non relinquant, ne circumeuntes vagi craſſioribus vitijs implicentur, magnuſque fructus ab eis obtineri creditur, ſi ſolummodo ſe etiam qualibet ignauia valeant in ſolitudine continere.

Cur lentius diaboli pugnant nobiſcum.

Quòd ſemel victi fugiunt confuſi.

CAP. CXVII.

ORigenes ſuper Numeri. Puto autem, quod ſancti repugnantes aduerſus iſtos incentores minuant exercitium dæmonum, velut quam plurimos exterminent nec vltra fas ſit illi ſpiritui, qui ab aliquo ſancto caſte, & pudice viuendo victus eſt, iterum alium hominem impugnare. *Petrus Lombard.* Hoc autem quidam intelligendum putant tantum de illo vitio in quo ſuperatus. *Author.* Alioquin ſequeretur, quod diabolus princeps, qui tentauit Chriſtum, non ſit tentaturus Antichriſtum, quod falſum eſt. Sed iſta ſolutio non videtur ſufficere, quia diabolus tentauit Chriſtum de tribus vitijs, ſub quibus omnia vitiorum genera continentur, ſcilicet de ſuperbia, auaritia, & concupiſcentia carnis. Ideo dicitur, quod *illum à quo victus eſt, de eodem vitio non poteſt amplius tentare, ſed alios benè poteſt.* Vnde verum eſt, quod diabolus Chriſtum à quo victus eſt, amplius numquam tentabit, ſed alios fortiſſimè tentabit in fine ſæculi ſecundum Auguſtin. ita vt moueantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Quod autem dicit Origen. opinio non aſſertio eſt.

Nota.

Quòd dæmones miſcent ſe humoribus.

CAP. CXVIII.

AVguſtinus de diuinatione dæmonum. Dæmones terrenorum amatoribus malefacta ſuadent, miris, & inuiſibilibus modis per ſubtilitatem corporum ſuorum corpora humana non ſentientia penetrando, & ſe cogitationibus eorum per quædam imaginaria viſa miſcendo, ſiue vigilantium ſiue dormientium.

Author. Licèt autem diabolus quando ſuggerit animæ mala ingrediatur corpus, non tamen fit homo dæmoniacus, quia dæmoniacus propriè dicitur qui habens dæmonem in corpore ita preſſus eſt, & traditus ei, vt non habeat libertatem aliquid faciendi, nec vtatur libero arbitrio, ſed diabolus per eum operetur. Nec oportet, quod vnus ſpiritus ſit intra alium, ideſt diabolus intra animam, quæ diffuſa eſt per totum corpus, quia ſpiritus non eſt quantus quantitate, ſed virtute, vnde multi ſpiritus poſſunt in eodem loco eſſe, nec tamen vnus in altero. Dicitur tamen diabolus ſe inſerere ſanguinibus, id eſt humoribus, quia in virtute imaginatiua, quæ abundat humoribus, imprimit imagines rerum delectabilium, ex quibus ſurgunt malæ cogitationes dum anima circa eas occupatur. Et ita non agit in eam immediatè, ſed mediantibus ſanguinibus quibus ſe immiſcet, maximè quando de gula, & luxuria tentat. Ipſis enim humoribus mediantibus excitatur anima in carnis concupiſcentia.

Homo dæmoniacus quid ſit

CAſſianus vbi ſupra. Non eſt autem mirum ſpiritum poſſe ſpiritui inſenſibiliter coniugari ad ſuadendum, quæ ſibi placita ſunt. Eſt enim inter eos ſicut inter homines quædam ſubſtantiæ ſimilitudo vel cognatio Numquam vero eos ſibijpſis inſeri vel vniri, ita vt alter alterius capax ſit, poſſibile eſt, hoc enim ſoli Deo conuenit, qui incorporeus, & ſimplex eſt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quod non illabantur humanis mentibus.

CAP. CXIX.

Ennadius de Eccleſiaſticis dogmatibus. Dæmones per energiam non credimus animæ ſubſtantialiter illabi, ſed applicatione, & oppreſſione vniri.

Beda ſuper actus Apoſtolorum. Mentem hominis iuxta ſubſtantiam non poteſt implere niſi creatrix Trinitas. Implet autem ſatanas cor alicuius, non quidem ingrediens aditum cordis, ſed fraudulenta deceptione animam in affectionem malitiæ trahens, per cogitationes, & incentiua vitiorum quibus plenus eſt. Impleuit ergo cor Ananiæ, non intrando, ſed malitiæ ſuæ virus inſerendo. *Diabolus quomodo implet cor?*

Author. Vnde dicitur diabolus non eſſe malarum cogitationum immiſſor. Non enim immittit ipſas cogitationes, quæ peccata ſunt, quia ſic non eſſent imputandæ ipſi animæ, ſed vt ſupra dictum eſt, imprimit tantum imagines, ex quibus ſurgunt cogitationes dum anima circa eas ſponte negociatur. Et forſan dicitur eas imprimere, quia dum miſcet ſe virtuti imaginatiuæ format eas in ſeipſo. Et inde reſultat in imaginatione, ſcilicet hominis ſicut ſpeculum ſi admoueatur ſpeculo, forma impreſſa in vno reſultat in alio, licet anima credat eas tantummodo in ſeipſa formari, propter vehementem applicationem maligni ſpiritus ad eam, qui non ſolum vt dictum eſt ipſas imagines imprimit: ſed etiam malè cogitata incendit, & ideo dicitur incenſor. *Hiero. ſuper Matthæum lib. 1. De corde enim exeunt cogitationes malæ, &c.* Ex hac ſententia arguendi ſunt, qui cogitationes à diabolo immitti putant, & non ex propria voluntate naſci: diabolus quidem adiutor, & incentor malarum cogitationum eſſe poteſt, ſed auctor eſſe non poteſt. *Diabolus nõ eſt author cogitationũ.*

Qualiter deprehendunt hominum cogitationes.

CAP. CXX.

Idem ibidem. Nec debemus opinari eum cordis occulta rimari. Sed ex habitu corporis, & geſtibus æſtimare, quid verſemus intrinſecus: verbi gratia, ſemper in inſidijs poſitus, ſi pulchram mulierem nos cerebro viderit reſpicere, intelligit cor amoris iaculo vulneratum. Et leuem cogitationum noſtrarum ſcintillam fomitibus ſuis inflammat.

Origenes ſuper Iob lib. 1. Itaque ſicut iam dictum eſt, circumiui inquit terram. Mala eſt hæc gloriatio tua. Terram circumis, & ad cœlum non reuerteris. Circumis autem non terrenis greſſibus, ſed ſpiritualibus ſeductionibus. Terram circumis tanquam ſpiritus volans. Et ea quæ dicuntur voce, cuncta audiens, & quę operibus fiunt videns. Ea quoque quæ in corde tractantur neſciens. Si enim cogitationes hominum diabolus ſciret, nihil boni facere permitteret. Sed omnia bona mox vt cogitatione cepta eſſent deſtrueret.

Caſſianus vbi ſupra. Quòd autem ſpiritus immundi cogitationes noſtras aliquando ſentiunt, hoc ex indicijs ſenſibilibus foris ſecus colligunt. Ipſas quoque cogitationes quas ingerunt vtrum ſuſceptæ ſint vel quemadmodum ſuſceptæ ſint, non per ipſius animæ naturam, ideſt non per illum interiorem animæ motum in medullis ipſius, vt ita dixerim, latitantem. Sed ex moribus, & indicijs corporis deprehendunt, vtputa cum gaſtrimargiam ſuggeſſerint, ſi viderint ad feneſtram Monachum, vel ad ſolem vel ad coquinam curioſius aſpectantem, vel ſi audierunt eum de cibo loquentem, cognoſcunt deſiderium gulæ fuiſſe ſuſceptum. Si fornicationem ingeſſerint, & viderint cum carne commotum petulanter aſpicere, aut loqui, aut tangere intelligunt in penetralibus animæ libidinis iaculum fuiſſe defixum, & ſimiliter in alijs vitijs. Quod etiam à viris prudentibus aliquando deprehenditur. Sunt ſicut latrones in domibus quas furtim aggredi cupiunt occultas qui ſolent explorare diuitias, quas per ſparſas arenarum minutias ad earum circumitum deprehendunt. Cogitationes autem, quæ de internis animæ ſenſibus nondum prodierunt, adire vel cognoſcere omnino non poſſunt. *Similitudo.*

Cur non permittantur à nobis videri.

CAP. CXXI.

Idem ibidem. Tanta verò ſpirituum denſitate aer eſt conſtipatus, qui eſt circa terram. In quo non quieti ocioſiq́ue verſantur: vt ſatis vtiliter eos noſtris aſpectibus prouidentia diuina ſubtraxerit, aut enim terrore concurſus eorum, aut horrore vultuum, in quo ſe pro voluntate ſua cum libitum fuerit transformant, intolerabili formidine homines conſternerentur. Aut certè nequiores quotidie eorum exemplis fierent, fieretq́ue inter homines quędam pernicioſa, & dæmones familiaritas, & exitialis coniunctio, qualis eſſe ſolet inter ipſos maleficos. Si enim flagitia, quæ inter eos committuntur iugiter conſpicerent, nullo temporis puncto à ſceleribus deſinentes eos cernerent, quos nulla carnalis laſſitudo, nulla occupatio rei familiaris aut ſolicitudo victus quotidiani ſicut nos vnquam ceſſare compellit. Omnes autem impugnationes quibus homines impetunt, etiam contra ſe inuicem indefeſſo conamine aſſiduè exercent, & illarum victoria gaudent, aut diminutione cruciantur.

Qualiter energumenos, & cultores ſuos vexent.

CAP. CXXII.

Idem. Quidam energumeni ſic à dæmonibus vexantur, vt ea, quæ gerunt vel loquuntur nequaquam intelligant, quidam verò norunt, & poſtea recordantur: quod euenit non per aliquam animæ diminutionem, neque per talis maligni ſpiritus infuſionem, vt animæ ſubſtantiam penetrans, & velut ei vnitus, & quodammodo indutus ea ſermones ac verba per os patientis emittat, hoc enim nullo modo ab eis fieri poſſe credendum eſt. Sed contingit hoc per corporis debilitatem, cum ſcilicet in illis membris in quibus vigor animæ continetur, immundus ſpiritus inſidens, eiſq́ue impoꝛtabile pondus imꝑonens, obſcuritate teterrima intellectuales eius ſenſus obruit atque intercipit. Quod nonnunquam etiam vini febriſq́ue vitio, ſeu nimij frigoris aliiſq́ue valetudinibus extrinſecus ſuperuenientibus accidit. Sola enim Trinitas ita eſt intellectualis naturæ penetratrix, vt non ſolum complecti eam, & ambire, ſed etiam illabi ei poſſit eiq́ue infundi.

Author. Energumeni propriè dicuntur quos dæmones vexant interius, vt non poſſint operationes virtutum naturalium exercere, pro ratione liberi arbitrij. Tales enim non dicuntur obſeſſi, ſed energumeni propter interiorem operationem diaboli. Nam energia dicitur vis quędam poteſtatiua, & laborioſa, impellente diabolo in homine interius facta. Quorum autem corpora diabolus non intrat, ſed exterius manens vexat, impediens quandoqne ne videant vel audiant, vel huiuſmodi: tales propriè dicuntur obſeſſi ad modum caſtri. Solent autem dęmones cultores ſuos vexare corporaliter, *vt in vita Beati Bartholomæi legitur*. Et quaſi ęgritudines corporis dolores immittere, vt cum eis ſacrificaſſent, ipſi ab eorum vexatione ceſſantes viderentur eos propitiando ſanauiſſe, vt ſic eos magis in errore idolatriæ confirmatos diutius detineant. *Energumeni quid?* *Obſeſſi.*

Qualiter ſimulachris aſſideant.

CAP. CXXIII.

Gloſſa ſuper Abacuc. 2. Spiritus immundus aſſidere ſimulachris poteſt, ſed intrinſecus eſſe non poteſt. *Author.* Subintelligendum eſt per modum viuificantis, ſicut anima in corpore. Nam poteſt quidem dæmon intrare ſimulachrum lapideum, & inde reſponſa dare, ſed non ei adhærere ita vt illud viuificet, & ſenſificet, vt vnam potentiam cum eo faciat, ſicut anima cum corpore. Et hęc expoſitio Prophetalis benè conſonat textui, qui dicit, *Omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.* Poſſet etiam dæmon includi in aliquo vaſe, ſicut includebantur per incantationes Salomonis. Sed nihilominus poſſet videre ea, quæ eſſent extra vas, quia non agit, nec videt per diſtantiam ſiue per medium, cum ſit ſpiritus, ſed immediatè. Dicitur tamen quod *animam hominis in ergaſtulo corporis incluſam videre non poteſt propter vmbram ipſius corporis*, quod tantis tenebris animam inuoluit, vt nec ipſa clarè videat, nec ab alijs ſpiritibus videri poſſit niſi à Deo, & ab Angelis: qui etiam hoc habent per gratiam, non à natura: vnde humanum corpus comparatur lapidi aiolotropo, quem qui ſecum habet, ab alijs hominibus videri non poteſt: ſic anima corpus humanum gerens non poteſt videri ab alijs ſpiritibus. Iam potius videre poteſt ea, quæ ſunt diaboli, ſcilicet imaginationes quas illi anteponit ſicut ille qui eſt in loco tenebroſo videre poteſt eum, qui eſt in lumine vel extra tenebras, nec è contra. Quòd autem non poteſt diabolus eam videre dum eſt in corpore, non impedit corporis diſtantia, ſed vmbra. Nam ſi eſſet incluſa in dolio vel in alio vaſe, poſſet eam videre, ſicut etiam ablata vmbra videt eam quando exuta eſt corpore.

Dictum quorundam duriuſculũ.

Qualiter homines etiam bonos vexent, & eis obediant.

CAP. CXXIIII.

Caſſianus vbi ſupra. Non ſunt autem deſpiciendi, qui diuerſis tentationibus à dęmonibus vexantur. In quibus duo debemus credere. Et quod ſcilicet ſine Dei permiſſione nullus ab eis omnino tentetur. Et quod omnia nobis à pijſſimo patre, & medico pro noſtris vtilitatibus irrogantur. Nam plerumque pro leuiſſimis etiam delictis ſancti homines, & perfecti corporaliter vexandi traduntur ſatanæ, vt ſi quid in eis purgandum eſt, ante mortem purgetur. Sicut Abbas Moyſes vir Sanctiſſimus aliquando diſputans contra Abbatem Macharium quadam opinione præuentus, vnum ſermonem Macharij paulo durius reprehendit. Et confeſtim tam diro dæmoni traditus eſt, vt humana ſtercora ori ſuo ingereret. Continuoq; orante Machario dicto citius curatus eſt. Sic & propheta in lib. Regum leoni traditus eſt ad deuorandum propter inobedientiæ culpam, quam tamen non de induſtria neque de vitio propriæ voluntatis contraxit, ſed ab alio Propheta fuerat circumuentus. Sciendum eſt autem, quod maligni ſpiritus duobus modis obediunt hominibus. Aut enim ſanctitati fidelium diuina gratia, & virtute ſubduntur inuiti, aut ſacrificijs impiorum ſeu carminibus quibuſdam deliniti, velut familiaribus adulantur.

Diaboli obediunt hominibus duobus modis.

Vtrùm corpora dæmones habeant.

CAP. CXXV.

Auguſtinus ſuper Gen. 4. lib. Philoſophi dixerunt dęmones eſſe animalia aerea, quia corporum aereorum natura vigent. Et propterea morte non diſſoluuntur, quia pręualet in eis elementum, quod ad faciendum aptius eſt, quàm ad patiendum. Qui ſi ante tranſgreſſionem cœleſtia corpora gerebant, non mirum ſi ex pœna conuerſi ſunt in aeream qualitatem, vt iam poſſint à ſuperiori elemento ideſt ab igne pati. *Idem in lib. de diuerſitate dæmonum*: Dæmones duabus rebus quantum ad aereum corpus attinet, prædita ſunt, ſcilicet acrimonia ſenſus, & celeritate motus. Quibus etiam experientia rerum ſpacio vitæ longioris acceſſit: per has efficientias, quas aerei corporis natura ſortita eſt, non ſolum multa futura prædicunt, ſed etiam mira faciunt.

Auguſtinus loquitur ex ſententia aliorum.

Author. Hæc & huiuſmodi de corporibus dęmonũ creditur Aug. dixiſſe, non ita ſentiendo vel affirmãdo, ſed magis opinando, vel aliorum opiniones recitando, maximè Philoſophorum, quod ex ipſis verbis diiudicare nolunt, quibus ait, Dæmones dicuntur aerea animalia, non ait ſunt, vnde *& in lib. de Ciu. Dei* 11. ita dicit, Platonici dixerunt omnium animalium in quibus eſt anima rationalis, tripartitam eſſe diuiſionem, Deoſque excellentiſſimum locum tenere, ſcilicet in cœlo, homines infimum, ſcilicet in terra dæmones medium, ſcilicet in aere. Et ſicut eis diuerſa eſt dignitas locorum, ita etiam naturarum. Deos autem vocant Angelos. Quibus etiam ipſe Plato in thymeo Deum introducit loquentem ſic. *Dij Deorum, &c. Apuleius de Deo Socratis.* Dæmones ſunt genere animalia, ingenio rationalia, animo paſſiua, corpore aerea, tempore æterna.

Author. Communis autem eſt opinio, dæmones non eſſe animalia aerea, ſed ſpiritus immundos incorporeos, & ſecundum naturam ſuam aſpectibus noſtris inuiſibiles, qui tamen de hoc aere in quo habitant, corpora aſſumunt cum hominibus apparent.

Richardus de Trini. lib 4. Nonne ex Euangelio innotuit, quod Dominus ex vno homine legionem dæmonum eiecit? Si dæmones corpora habent, vbi quęſo in eo fuere. In ſpiritu, an in corpore? Conſtat, quia omne corpus longitudinem, latitudinem, & profundum habet, & eo ipſo ſine locali capacitate ſubſiſtere non poteſt, qualem quidem ſpiritus omnino non habet, ergo non in ſpiritu, ſed in corpore fuerunt. Sed quomodo, vel in qua parte hominis. Nam & ſi dixeris ſubtilia corpora habere, cuius quæſo exiguitatis ea putas eſſe, ſi credis vel ſolam hominis pellem corpori detractam tot corpora poſſe comprehendere?

De incuborum vexatione, exemplum de phantaſtica muliere.

CAP. CXXVI.

Auguſtinus de Ciuit. Dei 15. *libro.* Creberrima fama eſt, multiq́ue experti ſunt vel ab illis qui expertos ſe audiſſe confirmant, Siluanos, & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos ſæpe mulieribus extitiſſe, & earum appetiſſe ac peregiſſe concubitum. Et quoſdam dæmones quos duſios galli nuncupant, aſſidue hanc immunditiam, & tentare, & efficere. *Ganfridus Antiſiodorus.* Quidam decanus ſacerdotum cum ſorore ducis, Burgundiæ Regi Siciliæ, Rogerio deſponſata, aliquandiu regnum eſt inhabitans, ibi certiſſimè comperit, quod narrabat iuuenis quidam ſtrenuus, & natandi peritus, circa crepuſculum noctis lucente luna in mari balneans, mulierem poſt ſe natantem per crines apprehendit, tanquam vnum ex ſocijs, qui eum vellet mergere, eam alloquens nullum verbum extorquere potuit, opertamque pallio in domum eam duxit, & tandem in vxorem ſolemniter accepit. Increpatus aliquando à quodam ſocio, quod phantaſma accepiſſet, expaueſcens eripuit gladium, minatus eſt in conſpectu eiuſdem mulieris, filium quem ex ea ſuſceperat interfecturum, niſi illa loqueretur, & diceret vnde eſſet. Væ inquit tibi miſero, vtilem perdis vxorem dum me cogis effari. Tecum forem, & tibi benè foret, ſi iniunctum mihi ſilentium

Exemplum.

Diabolus ſuccuba.

tenere permiſiſſes. Nunc autem me deinceps non videbis, & mox euanuit. Puer creuit, & marinum balneum frequentare cepit. Tandem vna dierum phantaſtica illa mulier coram multis eundem puerum in eiſdem fluctibus occurrentem rapuit, quem ſi verus puer fuiſſet, mare ad litus expellere debuiſſet.

Alia exempla ad idem.

CAP. CXXVII.

Aliud. *Helinandus 4. libro.* In Colonienſi diœceſi famoſum & immane palatium Reno flumini ſupereminet, quod iuuamen nuncupatur, vbi pluribus olim congregatis principibus ex improuiſo aduenit nauicula, quam collo alligatam cignus trahebat argentea cathena, exinde miles nouus & incognitus omnibus exiliit & cignus naue reduxit. Miles poſtea nobilem vxorem duxit: & liberos procreauit. Tandem in eodem palatio reſidens, cignum inſpiciens aduentantem cum eadem nauicula, & cathena, ſtatim in nauem ſe recepit, & vlterius non comparuit: progenies eius vſ-
Aliud. que hodie perſeuerat. In Lingonenſi quoque prouincia, quidam nobilis in ſyluarum abditis reperit mulierem ſpecioſam precioſis veſtibus amictam, quam adamauit, & duxit. Illa plurimum balneis delectabatur, in quibus viſa eſt aliquando à quadam puella in ſerpentis ſe ſpecie volutare. Incuſata viro & deprehenſa in balneo, nunquam deinceps compariturа diſparuit,
Aliud. & adhuc durat eius progenies. *In vita quoque Sancti Bernardi* legitur, quod in Ciuitate Varinenthenſi dæmon incubus muliere quadam abuſus eſt ſeptem annis cubante etiam ea iuxta virum ſuum, quem Beatus Bernardus coram omni populo candelis ardentibus excommunicans ab ea fugauit. In eadem prouincia, ſcilicet in minore Britannia: creberrime leguntur
Aliud. tempore Arturi Regis, & ſociorum eius huiuſmodi caſus accidiſſe.

Author. His, & huiuſmodi exemplis videtur quòd dæmones poſſunt & coire cum mulieribus, & generare. Nam & Merlinus fertur à dæmone incubo genitus fuiſſe.

Sententia prudentum de eodem.

CAP. CXXVIII.

Idem. Sed nunc dicunt magiſtri, dæmones non poſſe generare, licèt poſſint, & nouerint ſemina commiſcere: ad generationem hominis exiguntur non ſolum ſemina ſed etiam operationes vtriuſque, ſcilicet maris & fœminæ: vnde ſi dæmon ſemen viri proijceret in matricem mulieris nunquam per hoc tamen fieret hominis generatio. Itaque per commixtionem ſeminum quam faciunt dæmones illa ſola animalia fieri poſſunt quæ fiunt per putrefactionem, vt ranæ, muſcæ, & quidam ſerpentes. Ea vero quæ fiunt per generationem non poſſunt per rationem prædictam. Dicunt ergo falſum fuiſſe, quod Merlinus dictus ſit à dæmone progenitus, ſed forte mater eius paſſa eſt illuſionem in ſomnis à diabolo ita quòd videbatur ſibi viro ſuccumbere, vel aliquid tale. Et in ipſa illuſione putabat ſe tunc concepiſſe, licèt non concepit: dicebat enim ſe de ſpiritu in hominis ſpecie illum concepiſſe, vt legitur in Chronicis prædictis, ergo etiam in conſimilibus caſibus, vbi videtur in concubitu dæmonum homines natos fuiſſe, poſſumus dicere non fuiſſe veros homines, ſed phantaſticos, vel non fuiſſe ex tali concubitu genitos, ſed fallaciter aliunde ſuppoſitos, ſiue ab homine ſiue à dæmone. Sed nec ipſe dæmonum concubitus videtur eſſe verus & naturalis, ſed magis phantaſticus. Nec in eo credo dæmones aliquã delectationem habere, niſi in hoc ſolo, quod faciunt mulieres peccare. *Caſſianus vbi ſupra.* Nullo ergo modo credendum eſt ſpirituales naturas cum fœminis carnaliter coire poſſe. Nam ſi hoc aliquando poſſet fieri, quomodo nunc, vel nunquam, vel raro videremus aliquos ex eorum concubitu de mulieribus abſque virili ſemine naſci, cum præſertim conſtat eas libidinum ſordibus admodum delectari, quas proculdubio per ſemetipſas potius, quam per homines, exercere mallent, ſi illud vllo modo poſſet effici.

Quod dæmones omni motu liberi arbitrij peccant.

CAP. CXXIX.

Gregorius in moral. 18. Omnis voluntas diaboli iniuſta eſt, & tamen permittente Deo omnis poteſtas iuſta. *Gloſſa ſuper epiſtolam ſecundam ad Corinth.* Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial, ideſt ad diabolum apoſtatam. Ille enim omnia malè agit, Chriſtus autem omnia bene.

Author. Regulariter ergo dicitur, quod dæmones cum actione ſua, & omni motu procedente ex libero arbitrio purè peccant mortaliter. Non enim poſſunt peccare venialiter, quia non habent ſenſualitatem ſicut nos, vt ſcilicet primo comedat mulier, ſcilicet ſenſualitas, & poſtea vir, ideſt ratio, ſed ſtatim in eis conſummatur peccatum, quia nunquam mouentur niſi motu rationis. Ideo autem dixi. (Ex libero arbitrio) quia quoſdam habent motus rationales, quibus diligunt ſe, & Deum, ſed hi irreuocabiles ſunt, & naturales, quia non ſubiacent libero arbitrio. Nam velit nolit, quilibet dæmon diligit ſe, & Deum. Et ideo in his motibus non eſt meritum, neque demeritum, quia purè naturales ſunt. Voluntati autem rationali, quæ eſt libera, habent odio Deum. Et vellent eum non eſſe, ſi fieri poſſet. Vnde dicit Pſalmus. *Superbia eorum, quæ te oderunt aſcen. ſemper* Habent etiam odio omnem creaturam præter ſe. Et quilibet dæmon de alio ſimpliciter vellet eum non eſſe, ſicut & alias creaturas. Et tamen quodammodo vult eam eſſe, ſcilicet vt noceat. Ex hoc enim quod nocent applaudunt ſibi inuicem, & congaudent: ſed quilibet odit omnem creaturam inquantum eſt creatura, ſicut & creatorem, & hoc excepto naturali amore. Nam nullo modo poteſt in eo adeo corrumpi naturalis affectio, vt odiat ſe, quia hoc ipſa natura non patitur, quia de neceſſitate ſibi eſt amica, & appetit commodum ſuum. Et ob hoc etiam diligit illum à quo eſt omne bonum. Iuxta illud Auguſt. Deus quem amat omne, quod amare poteſt, ſiue ſciens, ſiue neſciens. Quod autem dicitur. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam,* ſic intelligendum eſt, ita agit, ac ſi odiſſet ſe. Sic ergo diabolus odit quidem ſe per effectum, ſcilicet ſe corrumpendo per peccatum, tamen diligit ſe per affectum.

Voluntas naturalis, & rationalis.

Dæmon ſeſe diligit & odit.

Verum peccent credendo vel ſperando.

CAP. CXXX.

Idem. Sed numquid peccant credendo Deum eſſe? Dicit enim Iacobus. *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Numquid peccant ſperando? Dicit enim Iob: *Ecce ſpes eius fruſtrabitur eum.* Numquid etiam peccauerint confitendo Chriſtum, & ad eius imperium de obſeſſis corporibus exeundo? Ad hoc poteſt dici, quod licèt fides eius bona ſit, ideſt habitus fidei bonus, & naturalis. Nihil enim aliud eſt, quam naturalis ſcientia vel cognitio, qua cognoſcit Deum per ſpeculum, ipſe tamen motus fidei, ideſt ipſum credere de Deo ſiue cogitare, quotieſcumque procedit ex libero arbitrio, eſt peccatum, quia deprauatur malo fine, vel malo actu comitante. Nunquam enim credit actu vel cogitat de eo, niſi remurmurando vel inuidendo: imo ad hoc ex propria malitia coguntur vt inuideant, ſicut aliquis cogitaret de æmulo ſuo vt ei inuideret actu, vel eum blaſphemaret. Quòd autem ipſum credere vel confiteri extorquetur ab eis per pænas, ſicut à

Quomodo peccat?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Pharaone, qui cum dixiſſet. *Neſcio Deum, &c.* poſtea flagellatus confeſſus eſt Deum dicens, *Dominus iuſtus, &c.* tunc non eſt peccatum, quia non purè procedit ex libertate arbitrij, ſed ex coactione timoris. Igitur neque confeſſio illa dæmonum, atque exitus de corporibus obſeſſorum fuit peccatum, quia vtrumque per violentiam timoris extortum eſt, licet etiam hoc faciendo peccarent in hoc, quod remurmurando, & inuiti faciebant: Cæterum non eſt credendum, quod diabolus ſperet æternam beatitudinem nec velit eam habere ſimpliciter, & propriè Nam cum beatitudo ſit omnium optabilium plenitudo ſecundum Auguſt. neque vult habere virtutes, neque frui Deo, vel aliquam habere participationem cum ipſo, quæ tamen ſunt ſummè optabilia: hoc tamen dico de voluntate liberi arbitrij: ſed voluntate naturali, qua digit ſe, vult ſibi omne bonum. Ideo autem dicitur. [1]*Spes eius fruſtrabitur eum*, quia ſperat dilationem pœnarum ſuarum maiorem, quàm futura ſit.

Cur non habeant peccati ſui remedium.

CAP. CXXXI.

Petrus Lombardus ita proſequitur. Diabolus, quia ſine alicuius tentatione peccauit, per alium vt reſurgeret, iuuari non debuit nec per ſe potuit. Et ideo peccatum eius irremediabile extitit Homo verò, quia aliquam cadendi occaſionem habuit, licèt modicam, per gratiam Dei iuuari potuit ad veniam. Et peccatum eius ſicut per alium habuit initium, ita non incongruè per alium habuit remedium. *Aug. in Enchiri.* Placuit etiam vniuerſitatis auctori, & moderatori, vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat: ea quę perierat in perpetua perditione remaneret. Quæ autem cum Deo illa deſerente perſtiterat, de ſua certiſſimè cognita fælicitate gauderet. At verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque ſupplicijs tota perierat, ex parte meruit reparari, vt Angelicæ ſocietati ſuppleretur. quod ruina illa minuerat, hoc enim promiſſum eſt ſanctis, quod *erunt æquales Angelis Dei.* *Ioannes Damaſc. lib.* 2. Angelus non eſt ſuſceptibilis pœnitentiæ incorporeus, homo verò propter corporis infirmitatem pœnitentia fungitur, quod ergo hominibus eſt mors, hoc Angelis eſt caſus, poſt caſum enim non eſt pœnitentia, quemadmodum neque poſt mortem. *Grego. in moralibus lib.* 33. Quoniam ergo Leuiathan de diuina vita ſibi falſa promiſſione blanditur, vt eius reatus irremiſſibilis oſtendatur. Rectè ad beatum Iob dicitur. Ecce ſpes eius fruſtrabitur eum. Quodque paulo poſt ſubiungitur, non parcam ei verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis, de ipſo quoque Diabolo intelligendum eſt, qui veniam culparum ſuarum nunquam petiturus eſt. *Idem in lib.* 34 Iccirco autem peccans eſt ſine venia damnatus, quia magnus ſine comparatione fuerat creatus. De quo iccirco tam mira à Domino referuntur, vt conſideret homo quid electus in terra mereatur, ſi Angelus Angelis in cælo prælatus proſternitur. Vnde per Prophetam ait Dominus, *inebriatus eſt in cælo gladius meus.*

Cur mediator pro hominibus non pro Angelis.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER TERTIVS.

De Opere ſecunda diei.

CAP. I.



OMESTOR. Secunda die fecit Deus firmamẽtum in medio aquarum, ideſt quandam exteriorem mundi ſuperficiem ex aquis coagulatis ad inſtar chryſtalli ſolidatam, & perlucidam, intra ſe cętera ſenſibilia continentem, ad imaginem teſtæ, quæ in ouo eſt. Et dicitur firmamentum non tantum propter ſui ſoliditatem, ſed etiam, quia terminus eſt aquarum, quæ ſuper ipſum ſunt firmus, & intranſgreſſibilis. Dicitur & cœlum, quia cælat, id eſt tegit omnia viſibilia, vnde & pro ſui concameratione Græcè dicitur vranon, ideſt palatium: vnde dicitur cœlum quaſi caſa Helios, ideſt ſolis, quia ſol ſub ipſo poſitus ipſum illuſtrat, & in eo fixa ſunt ſydera.

Etymologia cœli.

Quædam dicuntur hic ob imperitiam Græcæ lingua.

Ariſtoteles de cœlo, & mundo lib. 2. Cœlum eſt corpus Spirituale, rotundum, motiuum motu circulari, naturali, ſempiterno. *Idem lib.* 1. Cælum quidem ſecundum tres modos nominatur. Vno modo dicitur quod eſt vltimum inceſſus totius, & corpus naturale, quod eſt in vltimo inceſſu totius. Nos autem nominare conſueuimus horizontem huius mundi, & ſuperius eius cœlum. Et dicimus, quòd illic ſunt omnia Spiritualia fixa, quieta. Alio modo dicitur corpus continuum cum horizonte inceſſus mundi, vbi ſunt ſol & luna, & quædam ſtellæ Nos autem dicere conſueuimus, quòd ſol, & luna fixi ſunt in cælo. Tertio modo dicitur cælum habens corpus continuum ab vltimo inceſſu totius. Et nos cõſueuimus dicere completum, & totum cælum. *Iſid. ety lib.* 3. Cælum dicunt Philoſophi rotundum, volubile, & ardens, & vocatur cælum, quia tanquam vas cælatum habet impreſſa ſigna ſtellarum: huius ſphæra eſt ſpecies quædam in rotundum formata, cuius centrum eſt terra ex omnibus partibus ęqualiter incluſa. *Comeſtor.* Hanc

Etymologia melior.

A circumuolutam concamerationem Philoſophus ſummitatem ignis intellexit. Cum enim non habet quo aſcendat circumuoluitur, vt in clibano patet. Ita & circa mundi exteriora ignis voluitur.

De natura ipſius firmamenti.

CAP. II.

EX *libro de naturis rerum.* Cælum igitur ſiue firmamentum eſt ſubtilis igneæque naturæ, rotundum, & centro terræ æquis ſpacijs vndique collectum, vndique & connexum. Mediumque vbique circumitur, & inenarrabili celeritate circumuagatur. hoc cælum continet omnem naturam in qua eſt. domque flaui coloris eſt, viſus maximè confortatiuum eſt *Ioannes Damaſcenus libro* 2. Firmamenti naturam Diuus Baſilius ſubtilem ait eſſe velut fumum, ex Diuina edoctus ſcriptura. Alij verò aquoſum, vt in medio aquarum genitum. Alij ex quatuor elementis. Alij verò quintum corpus, & aliud præter quatuor. *Ariſtoteles in metheororum libro primo.* Orbis eſt elementum quintum, ſcilicet non ex elementis quatuor, ſed aliud ab eis per naturam, locus ei propinquus eſt calidus, & inflammatus, quia omne mobile ex corporibus quando mouetur, inflammat quod ei appropinquat.

Natura firmamenti.

Auerroes. Cælum hoc non componitur ex materia, & forma, ſecundum quod corpora generabilia, & corruptibilia componuntur, quia nulla potentia eſt in eo ad duo contraria, ſed ſolum potentia, quæ eſt eſſe in loco: vnde potius debet dici, quod eſt ex ſubiecto, & forma, quàm ex materia, & forma. Nam ſubiectum dicit affixionem ad formam vnam, materia verò potentiam ad recipiendum formam aliam, quod non contingit in materia cœli, quæ eſt ſemper ibi cum actu ſuo. Et ideo ſæpe dicitur materiam non habere: ſic ergo materiam habet, & non habet. Denique cælum, & omnia corpora ſupercæleſtia ſunt quorum formæ carent contrarijs. Ideoque ingenerabiles, & incorruptibiles ſunt. Et ſubiectum eorum non eſt commune. Si enim commune eſſet, pròpriam formam non haberet. Nunc autem propriam habet, quam & ſemper habet.

Cælum quo ſenſu dicitur non habere materiam?

De

De diuersis opinionibus circa naturam eius.

CAP. III.

Sententia de cælo. Prima. AVCTOR. Patet ergo quod de natura cæli multæ fuerunt opiniones. Nam alij quidem posuerunt ipsum esse de numero simplicium, ita vt totum esset forma, & materiam non haberet, inducentes pro se illud Arist. in li. de cæl & mund. Cælum non est ex aliquo omnino. Alij vero dixerunt illud esse compositum ex materia, & forma, iuxta illud Philosophi in eodem. Cælum est ex tota materia. Horum autem quidam ponunt ipsum esse vnum de quatuor elementis. Et hi diuersificantur. Quidam enim ponunt ipsum esse aquam, quidam verò ignem, vt Plato in thymeo, cui consentire videtur Aug. Damas. vero dicit ipsum esse corpus immateriale. Philosophus autem & sequaces eius dicunt ipsum esse quintum corpus præter quatuor elementa. Et hæc opinio videtur verior, cui etiam omnes penè moderni consentiunt. Si autem obijcitur contrarium, quod in ipso videmus proprietates ignis, videlicet calidum, & lucidum: & vbi est proprietas, ibi & subiectum, & ita videtur esse igneum: possumus respondere, quod proprietas cæli, & ignis non sunt vniuocè conuenientes vtrique. Lucidum enim & calidum, siue lux & calor, quæ in cælo, sunt viuificatiua per motum corporis cœlestis, sicut dicit Philosophus in 8. lib. Phys. quod cœli motus vt vita quędam est natura existentibus omnibus. Calidum autem, quod est cum radio ignis iuxta Philosophum per se congregatiuum est homogeneorum, idest subtilium ascendentium sursum, ac per consequens consumptiuum ac disgregatiuum heteogeneorum sibi propinquorum, idest crassorum descendentium deorsum. Si autem obijcitur iterum, quod sicut probatur in lib. de cæl. & mund. vnumquodque elementum est Sphæricum. Dicit etiam Plato, quod ignis mouetur circulariter in loco proprio, & ita quod ignis videtur habere motum rectum, non obstat quin cælum, quod est circulare, sit igneum. Dicendum est, quod ignis non mouetur circulariter nisi per accidens, scilicet motu corporis continentis ipsum. Ideoque non determinatur eius natura per motum illum. Ad hoc autem, quod dicunt auctores multi, cælum esse igneum, dicimus, quod ignis dicitur duobus modis scilicet ab inflammatione tantum, actiua vel passiua, vel ab vtraque. Si ab actiua tantum, calum est ignis secundum hunc modum, quia scilicet inflammat. Si verò à passiua tantum, secundum hoc carbo est ignis. Sed vtrumque dicitur largè, & impropriè. Si autem ab vtraque sic dicitur ignis propriè. Itaque prædicti auctores capiunt ignem large, sicut accipitur in Glo. super Gen. quæ dicit, quod empyreum dicitur igneum non ab ardore, sed à splendore vel illuminatione.

Ob.

Respondetur.

Ob.

Respondetur.

Quomodo cælum dicitur igneum?

De inuisibilitate ipsius.

CAP. IIII.

Cælum inuisibile. CVm autem firmamentum esse constet subtilis naturæ, creditur esse inuisibile, licèt quidam rudes dicant se illud videre quando purus est aer. Vbi enim visus deficit, ibi error sensui dat imaginationem videndi, quod non videt, sicut aliquis oculis clausis videtur sibi tenebras videre. Nam quamuis visus ex luce oculorum sumat exordium, nihil tamē valet, nisi ex alicuius spissitudinis obstaculo repercutiatur.

Guilielmus de conchis. Visus quando deficit sursum intendens, quiddam spissum ibi confingit, nam deficiendo spissatur. Sed quia per oculum transit, in quo est humor aqueus, & chrystallinus, cum deficit, nec alius color occurrit, talem colorem, idest aqueum sibi confingit.

Author. Quod ergo superius dictum est, quod firmamentum cum sit flaui coloris, visus maximè contortatiuum est, non intelligendum est ita, quod ille color ipsius firmamenti sit in se, sed in oculi confictione. Porro de falsitate visus plenius dicetur infra eodem libro, vbi tractabitur de aquis supercælestibus, vel etiam in tractatu de anima, vbi agitur de sensu visus. Quòd autem in Ecclesiastico dicit scriptura, quod *altitudinis firmamentum pulchritudo eius est species cæli in visione gloriæ*, referri potest ad stellarum pulchritudinem, quę etiam secundum quosdam in firmamento dicuntur fixæ, vnde & paulo post dicitur ibidem. *Species cæli gloria stellarum.* Si quis autem asserere voluerit, firmamentum aspectibus nostris visibile, de hoc nolo contendere. *Cap. 43.*

De figura eiusdem.

CAP. V.

ISidorus *vbi supra*. Cæli autem sphæra (vt dictum est supra) species est quædam in rotundum formata, cuius centrum est terra ex omnibus partibus æqualiter inclusa. *Ioannes Damasc. vbi supra* Quidam opinati sunt cælum hoc totum in circuitu continere, & sphæricæ formæ existere, & vndique supremam partem totius ipsum esse. Media verò eius, quæ ab ipso continentur loci esse infimam partem. Leuia verò corporum superiorem ordinem esse sortita, & inferiorem grauia, scilicet terram, & aquam quidem, quia leuior est, vnde & mobilior terra existit desuper vndique, sic in circuitu aerem, & circa aerem vndique æthera, idest ignem qui est leuius elementum, ideo sursum præ omnibus fertur. De foris autem omnium in circuitu cælum. Hi circulariter aiunt moueri cælum, & constringere, quę infra se sunt, & manere omnia firma, & non excidentia. Dicunt autem æqualiter id distare, & semotum esse à terra, & desuper. & ex lateribus, & desubtus. Desubtus autem, & ex lateribus aio quantum ad nostrum sensum, quia secūdum continentiæ rationem, vndique superiorem locum cælum habet. Aiunt autem quidam ipsum subtilissimæ naturæ velut fumum esse, ac sphęricæ circumdare terram, & circumferre cum suo acutissimo motu solem, & lunam, & reliquos planetas, qui tamen aduersus cælum faciunt motum. Et super terram quidem existente sole diem hic fieri. Sub terra verò eo descendente, hic quidem noctem, illic verò diem. Alij verò hemisphęrium, & semicirculum esse cælum imaginati sunt, quia dicit Dauid. Qui extendit cælum sicut pellem. Et Isaias. Qui statuit cælum sicut cameram, idest arcum. Et quoniam occidens sol, & luna, & astra circumeunt terram, ab occidente in aquilonem, & ita rursus in oriente deueniunt. *Psal.* 103.

eodem.

CAP. VI.

Cælum sphæricum. EX *sphæra*. Formam cæli sphæricā esse per hoc compertum est, quod stellæ, quæ sunt in eius medio, maximos describunt circulos. Aliæ vero quantum remotiores sunt à mundi medio, tanto minores describunt. Et talis est natura corporis sphærici. Præterea stellæ quæ sunt in medio mundi, velocissimo cursu mouentur, quæ autem in extremitatibus firmamenti, tardissimo cum lineares sint ad inuicem, quod non fieret si firmamentum quadratum vel oblongum esset. Oportet ergo quod quęcumque sibi inuicem linearia sunt, in alio latere quadrati dum ipsum quadratum mouetur, æquè cito moueantur. Item si quadratam vel oblongam formam haberet firmamentum, contingeret ipsum habere angulos, sed totius Philosophiæ principium est. Vniuersitatem rerum includi à circumferentia firmamenti. Cum ergo vnus angulus à loco recederet, oporteret, quod locus ille vacuus remaneret, donec ille vel alter angulus subintraret. Sed constat, quod aliquem

locum

locum eſſe vacuum eſt impoſſibile, ergo eſt ſphæricum. *Ariſtoteles in lib. 2. de cœlo, & mundo.* Circulus eſt prima figurarum ſuperficialium, & ante figuras reliquas. Quapropter, & corpus orbiculatum eſt ante reliqua corpora, quoniam ipſum ſolum vna ſuperficie continetur. Reliqua verò corpora æqualis lineæ ſuperficiebus multis. Omnis ſiquidem figura ſuperficialis, aut eſt æqualis, aut rotunda. Superficies æqualis eſt quæ pluribus lineis continetur. Rotunda verò, quæ vna linea. *Albertus.* Cælum itaque tribus de cauſis dicimus eſſe rotundum. Primo propter eius motum quem oportet eſſe continuum, & inquietum, & hoc non poteſt eſſe niſi in circulo. Secundo propter naturam cœli, quoniam aliàs haberet contrarium, & eſſet corruptibile. Tertio, quia illa figura, ideſt circularis ſola ſimplex eſt, omniumq; capaciſſima, & prior omnibus. Ideoque competit corpori ſimpliciſſimo primo omnia corpora continenti. Si autem in contrarium obijcitur, quod dicit Dauid. *Extendens cælum ſicut pellem*, quæ ſcilicet prætendit tabernaculum. Et Iſaias *Qui ſtatuit cœlum vt cameram* ideſt arcum, vnde videtur ad modum circuli figuratum. Reſponderi poteſt, quod vterque loquitur ibi vulgariter de hemiſphærio, quod eſt ſuper nos verſus polum arcticum.

Pſal. 103.

De ambitu eius, & continentia.

CAP. VII.

Ariſtot. vbi ſupra lib. 1. Dico ergo nunc, quod totum contentum ex vltimo inceſſus, & motus eſt compoſitum ex omni corpore naturali ſenſato, neceſſariò, quia non eſt extra cœlum corpus. Nec eſſe poteſt omnino. Nec multi ſunt cœli, nec fuerunt, nec erunt. Sed vnum eſt cœlum perfectum, completum, cui non eſt ſimile. Nec eſt locus extra cælum, nec plenitudo, nec vacuitas, nec tempus, vacuum enim illud diffinierunt. *In quo non eſt aliquod corporum, ſed poſſibile eſt eſſe in eo.* Tempus autem eſt numerus motus. Motus autem nulli ineſt niſi corpori naturali. Et omnes quidem res quieſcunt à motu ſuo, cum ad loca ſua perueniunt, ſupremi autem mobilis non quieſcit omnino motus, quia locus huius corporis eſt rotundus. *Idem in 4. lib. Phyſicorum.* Quædam enim ſunt in loco per ſe, vt omne corpus ſecundum quod mobile vel ſecundum augmentum. Alia verò per accidens, vt anima, & cœlum. Non enim cœlum alicubi totum eſt vt in loco quodam, quia nullum corpus ipſum continet ſub quo moueatur. Sed partes eius quædam in loco ſunt omnes, in eo autem quod circulariter ſunt continet alia aliam, vnde circulariter ſolum mouetur quod ſurſum eſt, omne namque ideſt vniuerſum non eſt alicubi, quia quod alicubi eſt, extra ipſum aliquid eſt. Et extra omne, & totum nihil eſt. Ideo omnia in cœlo ſunt, quia cœlum eſt, quod omne eſt ſcilicet quantum ad continentiam omnium corporum. Eſt enim quoddam vltimum & tangens mobile, terminuſque corporis quieſcentis. Terra namque in aqua eſt, & hæc in aere, hic autem in æthere, & hic in cœlo. Cœlum autem non amplius eſt in alio. Non itaque locum neceſſe eſt ſpacium aliquod eſſe corporeum, nec puncti eſſe locum. Et locus eſt alicubi, ideſt in aliquo, non ſicut in loco, ſed ſicut terminus in finito, Non enim omne, quod eſt, in loco eſt, ſed corpus mobile ſecundum locum. *Ex libro de naturis rerum.* Tria itaque corpora diſtinguuntur in mundo: videlicet, Infimum quod eſt terra in centro poſita, ideoque manens immobilis: Medium autem aer, vel aqua, vel ignis. Supernum verò cœleſte. Et ſicut corpora, ſic etiam qualitates differunt. In infimo namque eſt opacitas, in medio diaphaneitas, in ſupremo vero perſpicuitas. De his quidam ex noſtris ſatis aptè diſtinguens ſic ait. Terra iacet ſtabilis, aqua fluit labilis, aer nutat mobilis, ignis volat volubilis, voluitur rotabilis machina ſphæralis. *Albertus.* Figura ſiquidem ſphærica latior eſt, & occupatior omnibus figuris rectarum ſuperficierum. Ideoque conuenientior eſt cælo. Et hoc etiam quia multæ lineæ multæque ſuperficies ambiunt omnes figuras ſuperficiales. Sola verò ſphærica inter omnes figuras corporales eſt, quam ambit vna ſuperficies. Circulus quoque ſolus eſt inter omnes figuras, quem ambit vna linea Cæterum corpori rotundo non eſt contrarium omnino.

Vacuum.

Locus eſt alicubi.

De dextera cœli ac ſiniſtra.

CAP. VIII.

AVCTOR. Ecce dictum eſt de firmamento ſecundum ſe. Nunc reſtat dicēdum de partibus eius. Et primo quidem de partibus orbis, quæ ſunt principia ſuæ dimenſionis in omnibus orbibus, ſcilicet longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Hæ ſunt ſurſum & deorſum, dexterum, & ſiniſtrum, ante & retro. *Albertus.* Dexterum ſiquidem, & ſiniſtrum, quę ſunt principia motus localis dixit Pythagoras eſſe in cœlo. Dicit Philoſophus autem, quod dexterum *eſt vnde motus localis incipit.* Siniſtrum verò *per quod in dexterum reuoluitur*, vnde cum circulus non habeat principium ac medium, & finem ſui motus (vt dicit Philoſophus in Phyſicis) non videtur firmamentum, quod eſt circulare, dexterum vel ſiniſtrum habere. Quod enim principium & medium, & finem ſui motus non habet in ſe, nec in ſe habet vnde motus incipiat, & per quod reuoluitur. Prærerea cum cælum moueatur ab Oriente in Occidentem, nec ibi motus ſiſtat, ſed econuerſo regirat. Qua ratione dicitur incipere gratia ſemicirculi ſuperioris in Oriente, dicitur & incipere gratia inferioris in Occidente. Si ergo dextera cœli dicitur Oriens, quia ſcilicet inde motus eius incipit: eadem ratione, & Occidens. Item vna parte circuli mota, mouentur omnes: qua ergo ratione incipit in vna motus, eadem ratione in omnibus. Vbique ergo eſt dextera, vbique ſiniſtra. Nos autem dicimus reuera cœlum habere dexterum, & ſiniſtrum, differentes in virtute, ſed conuenientes in figuris. Sic enim *Ariſtot. ait in lib. 2. de cœlo, & mundo*, quod dextera & ſiniſtra non differunt in figura, ſed ante & retro: ſurſum, & deorſum. Quod etiam videmus expreſsè in humano corpore. Pes enim dexter figuratur ſicut ſiniſter, & manus dextera ſicut ſiniſtra. Membra vero ſuperiora non figurantur ſicut inferiora, nec anteriora ſicut poſteriora. Sed notandum, quod cœlum aliter conſideratur, vt eſt locus inferiorum, & aliter, ſecundum naturam propriam, ſecundum quam diſtinguitur à cæteris corporalibus. Ideoque virtutes quaſdam habet, ſecundum quod eſt locus, & ſecundum quod eſt cœlum. Supponimus autem, quod cœlum moueatur à motore ſibi coniuncto. Et non tantum à Deo, ſicut inferius habetur, vbi de motu cæli agitur. Dicimus ergo, quod dextera cæli eſt in Oriente, quantum ad virtutem loci ſui ſitus. Et hoc patet ex eo, quod motu cæli mouendo illud, mouet omnia naturalia. Cumque motus ſemper ſit ab immobili aliquo primo, ſicut probatur in phyſicis, oportet vt ille motor ſit immobilis, & locus vnde primo mouetur immobilis. Dico autem locum in parte Orientis, eo quod ibi abundat vis primi motoris: indeque per motum cæli effluit virtus eius in totam naturam. Ad primum ergo obiectum dicimus, quod licèt circulus inquantum circulus, principium & medium ac finem habeat in centro, & non in circumferentia. Circulus tamen in materia naturali habens poſitionem, ſecundum ſitum mundi, non eſt eiuſdem rationis cum omnibus partibus ſuis: vnde motus eius in vna parte inchoat, & alia parte regyrat. Ad aliud dicendum eſt, quod diſtinctio circuli cæli per diametrum non ſiſtit motum. Et ideo non de neceſſitate eſt Oriens in vtroque puncto diametri, niſi fortè quo ad nos, & non ſecundum naturam. Ad aliud ſimiliter poteſt dici, quod licet

Dexterum. Siniſtrum.

Ob.

Oriens dextera cœli pars.

Reſpondetur.

mo ta

mota vna parte circuli, moueantur omnes, non tamen in omnibus eſt ratio inceptionis motus, vt patet ex prædictis.

Vtrum omnium cœli orbium ſit eadem dextera.

CAP. IX.

IVxta hoc quæri poteſt, vtrum eadem dextera ſit omnium orbium, hoc eſt, vtrum omnes orbes eundem habeant Orientem? Videtur enim quod nequaquam, quia non eſt idem initium: vnde incipit motus omnium, & tamen ab omnibus imponitur Ariſtoteli, quod dixerit omnes orbes ab Oriente in Occidentem moueri. At hoc ſoluitur diuerſimodè à diuerſis. Nam ſecundum Ariſtot. non eſt idem Oriens omnium. Sed Oriens planetarum eſt in Occidente orbis ſtellarum fixarum. Ideoque dicit, quod omnes orbes mouentur ab Oriente in Occidentem. Increpatque Pythagoram, qui dixit eos, qui habitant ſub ſphæra viſibus noſtris occultatos eſſe in medietate orbis inferioris in ſiniſtra parte: hoc eſt illos Antipodes, qui ſunt verſus polum Antarcticum verſus Orientem. Nos autem habitare dixit in medietate orbis ſuperioris in dextera parte, & hoc ſecundum motum ſphæræ ſtellatæ. Satisque patet eum dixiſſe falſum. Si enim dextera eſt in Oriente, ſicut ipſe dicit, tunc Antipodes habitant in parte ſuperiori orbis. In ſiniſtraque ſub motu habitant regyrationis. Nos autem, qui verſus Arcticum polum ſumus, habitamus in cœli dextera inferiore parte orbis, quoniam habitamus ſub aſcenſu inceptionis motus cœli. Sed ſecundum orbes planetarum verum dixit Pythagoras, quia dextera planetarum eſt in ſiniſtra orbis ſtellarum fixarum. Ideoque ſecundum orbes illos nos ſumus in orbe ſuperiori in ſiniſtra, quia motus regyrationis planetarum eſt ſuper nos. Et illi qui habitant in hemiſphærio alio, ſunt in parte inferiori in dextera. Et ſecundum proprium motum planetarum, non ſecundum diurnum. Nam ſecundum illum motum aſcenſus planetarum ex incæptionibus eorum eſt ſuper eos, & ideo contingit, quia variantur poli planetarum à polis orbis ſtellarum fixarum: Orienteſque & Occidentes ipſorum ab Oriente, & Occidente illius. Falſum ergo dicunt, qui Ariſtoteli imponunt, quod dixerit planetas moueri ab Oriente primi orbis in Occidentem ipſius.

De rationibus Auenalpetræ Aſtrologi ad idem.

CAP. X.

Ob. AD hoc tamen eſt ratio Auenalpetræ in Aſtrologia ſua, qui dicit, quod corpus vnius naturæ ſecundum naturalem motum mouetur ab eodem loco in eundem. Cum ergo omnes ſphæræ ſint vnius naturæ, omnes mouentur ab Oriente per Occidentem, iterum redeundo in Orientem vniformi motu ſecundum naturam. Alia quoque ratio ad idem hæc eſt, quando circuli duo vnus extra, alius intra, mouentur contra ſe inuicem: vnus ſiſtit alium, vel ſcindit eum, ſi non fuerint æque fortes. Si ergo cœlum mouetur ab Oriente in Occidentem, & inferiores orbes econtra. Aut ſiſtent ſe inuicem. Aut vnus alterum ſcindet, quorum vtrumque falſum eſt. *Reſp.* Relinquitur ergo, quod omnes moueantur ab eodem loco in eundem. Verum ad primam rationem dicimus, quod ſuperiora corpora non habent in ſe contrarietatem: ideoque non mouentur ad loca ſua contraria, ſicut corpora inferiora. Et vnus eſt locus deorſum, qui dicitur medium, ad quem mouetur terra. Et alius à medio ſurſum, ad quem mouetur ignis. Eſt autem locus citra medium, ad quem nullum mouetur corpus. Nam omne corpus, quod mouetur ad aliquem locum ſecundum naturam, quieſcit naturaliter quando in illo eſt. Superiora vero mouentur in loco ſuo circulariter. Et partes ipſius loci, vel ſitus, non ſunt ad inuicem contrariæ, ſicut contraria ſunt ſurſum & deorſum. Sed tamen habent eandem diuerſitatem in eadem natura ſitus, & loci. Ideoque diuerſi orbes in diuerſis partibus eius poſſunt incipere motus, ratione diuerſarum diſpoſitionum, quę ſunt in motoribus, & mobilibus. Ad aliam vero rationem dicimus, quod ad hoc reuera, quod circulus contra circulum directè moueatur, oportet, quod in eiſdem polis, & in eodem axe moueantur, quod non faciunt orbes planetarum cum orbe primo, vel fortè poteſt dici melius, quod inferiores motores contrarij non ſunt motori ſuperiori: quoniam potius intendunt, & appetunt ei ſimilari. Ideoque mouentur etiam motu ipſius, ſcilicet motu diurno, & inſuper habent proprium motum, vt dicitur infra, qui non eſt contrarius motui primo, ſed habet ordinem ſub ipſo ad conſiſtentiam naturæ. Nam propter diuerſitatem inferiorum, neceſſe eſt diuerſos motus in ſuperioribus eſſe, ſicut probatur in ſecundo libro de generatione, & corruptione. Et in ſecundo libro de cœlo, & mundo. Auenalpetras tamen rationes illas concedit, & ponit omnes moueri ab vno motu primo, cuius virtus fortior eſt in mediato, quàm in ſecundo, & in ſecundo quam in tertio, & ita de alijs. Ideoque in primo facit motum diurnum, reuoluens ipſum de puncto ad punctum. In ſecundo autem, & inferioribus in tempore diurni motus non facit perfectam reuolutionem, ſed remanet pars, & iterum in alio die pars. Et ſecundum huiuſmodi remanentias dicit, quod planetæ ab Occidente in Orientem moueri videntur, cum tamen non moueantur. Quòd autem diuerſimodè mouentur: hoc dicit contingere propter diuerſitatem polorum, & circulorum.

Sententia aiens planetas non moueri ab Occidente in Orientem.

Qualiter in cœlo & in terris diſtinguitur dexterum & ſiniſtrum.

CAP. XI.

SCiendum vero, quod ſiniſtrum, & dexterum aliter ſumuntur abſolutè, aliter in comparatione ad nos. Abſolutè duobus modis, ſcilicet ſecundum ſimilitudinem, vt in ſtatua. Secundum veritatem in illis, in quibus ſunt motus diuerſi, vt in animalibus, in quibus eſt principium motus in dextera ad alteram partem, videlicet ſiniſtram: primo enim ſe trahit dextera, propter hoc etiam animalia cum ambulare incipiunt, dexterum pedem prius, ac deinde ſiniſtrum ponunt, quia ſic facilior eſt ambulatio. Similiter & in cœlo, ſecundum veritatem ſunt, vbi principium motus eſt ab Oriente, & regyratio ab Occidente. Nec ſine cauſa dixi motus diuerſi, ſed propter grauia, & leuia, quæ videlicet non habent, niſi vnum motum à medio, vel ad medium. Ideoque non habent motum dexterum, & ſiniſtrum. Quo ad nos etiam dicuntur duobus modis, videlicet, *aut per relationem ſolam*, ſicut illa quæ ſunt verſus dexterum, & ſiniſtrum in comparatione ad nos. Aut *per relationem ad fatum*, ſicut augures obſeruant aues à dextris, & à ſiniſtris ſedentes. Nec ideo hoc dicimus, quod credimus vim aliquam habere fatum, ſed quia diſtinctio hæc eſt antiquorum. Porro *dicit Ariſtotel. de cœlo, & mundo libr. ſecund.* Quod dexterum, & ſiniſtrum non eſt in aliquo planetarum. Quod etiam dictat ratio manifeſta. Cum enim dexterum, & ſiniſtrum ſint principia motus localis, vt dictum eſt, & planetæ non habeant motum localem progreſſiuum, ſicut manifeſtum eſt, ideo dexterum & ſiniſtrum in eis ſuperflueret, & ſic aliquid in natura vanum eſſet. Dixerunt autem quidam, quod dextera cœli eſt, vbi eſt abundantia luminis diſponens ad motum. Siniſtra vero vbi minus eſt de lumine, quod ſi verum eſſet, quandoque in Occidente eſſet

Dexterum & ſiniſtrũ duobus modis dicitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cœli dextra, quam illa pars vbi abundat lumen, reuoluitur circulariter, ſicut & alia. Hoc autem eſt contra Philoſophum in libro de cœ. & mun. dicentem, quod dextra eſt vbi videmus ſtellas oriri, ſiniſtra vero vbi videmus eas occidere.

Qualiter in cœlo ſunt ante & retro.

CAP. XII.

Obiicitur. Primo. POrro de retro, & ante cœli, quæ ſecundum Philoſophum ſunt principia motus alterationis; Quæri poteſt, quomodo in cœlo ſint, cum alteratio non ſit in cœlo, ſicut patet ex ſupradictis: præterea cum ante, & retro differunt in figura, & in virtute, in cœlo autẽ non inueniatur differentia, ſecundum figuram, quia rotundum eſt vbique, videtur quod ante, & retro non ſint in cœlo. *Scundo.* Dicit tamen Philoſophus, quod iſta ſex Principia dimenſionis, videlicet ante, retro, ſurſum, deorſum, dextrum, ſiniſtrum, ſunt omnis corporis cõpleti. *Concluſio.* Cælum autem eſt corpus completum, vel potius completiſſimum. Dicimus ergo, quod ante, & retro ſunt in cœlo, ſecundum diſpoſitionem circuli ſignorum, ſub quo mouetur Sol, qui declinat ab Oriente verſus Meridiem, & motores planetarum, habent declinationem ſecundum partem illam, præcipueque *Ad primũ.* Sol. Eſt autem in cœlo principium alterationis effectiuæ, quia ſcilicet efficit alterationem. Ex motu quippe Solis ad ante verſus Aquilonem, & declinationem ipſius retro verſus Meridiem, continua fit alteratio in inferioribus, & conſequenter continua generatio, & corruptio, quia latio Solis in obliquo circulo cauſa eſt generationis, & corruptionis in iſtis inferioribus. Huius enim inclinationem contingit fieri, quandoque longè, quandoque propè. Inæquali vero exiſtente diſtantia, inæqualis erit motus: quo circa ſi in aduenië-do, & propè eſſe fit generatio: in recedendo, & longè fieri ab ipſo fit corruptio. Similiter etiam in animalibus non fit alteratio niſi ſecundum qualitates ſenſibiles propriè, ſicut probatur *in lib. Phyſic.* 7. Cumque (vt *Ad Secundũ.* dicit Philoſophus) ante ſit vbi ſunt ſenſus, manifeſtum eſt, qualiter ante, & retro principia ſunt alterationis in animalibus. Iſta quippe, ſc. ante, & retro maxime diſſiniuntur in corpore ſpirante, quod eſt animatũ anima ſenſibili, ſicut ipſemet dicit: vnde & ibi dicit ante eſſe, vbi ſunt ſenſus. Non habet locum in cœlo, ſed tantum in animalibus. Quod autem dicit, ſex illas differentias in omni corpore completo eſſe. Intelligendum eſt eum ibi corpus completum appellare perfectum, ſecundum principia motus in ſeipſo, vel ſecundum principium motus localis diuerſitatem habentis, ſicut eſt motus animalis, & principium motus alterationis per ſenſus, & principium augmenti per ſurſum & deorſum.

Qualiter ſurſum ac deorſum ſunt in eo.

CAP. XIII.

DE ſurſum autem & deorſum, quæ ſecundũ Philoſophum principia ſunt longitudinis in cœlo. Merito etiam quæri poteſt quomodo. Si enim ſurſum eſt, ſecundum magnam diſtantiam à medio: videtur, quod circumferentia cœli vbique ſunt ſurſum, & nuſquam deorſum. Præterea ſurſum & deorſum principia ſunt motus augmenti iuxta Philoſophum. At in cœlo non eſt augmentum. Item ſurſum & deorſum ſunt contraria, & contraria in cœlo non ſunt. Dicunt autem quidam, quod ſurſum eſt vbique iuxta cœlum, & in cœlo. Deorſum autem in terræ centro. Et quod in cœlo eſt vnum iſtorum, non autem reliquum. Sed hoc eſt contra Philoſophum, quia dicit orbis longitudinẽ eſſe ſpacium in quo ſunt orbes, & quod ex orbibus ſunt, qui ſurſum ſunt & deorſum. Et ex eis ſunt, qui ſunt & deorſum. Et iſte locus, id eſt ſpacium orbium, omnibus medietatibus orbium eſt diuerſus. Cui nos

A consentientes dicimus, quod ſurſum & deorſum in cœlo ſunt. Et eſt orbis longitudo de polo in polum, ita quod polus Antarcticus ſit ſursũ, & Arcticus deorſum, *ſecundum primi orbis dimenſionem.* Porro *ſecundum dimenſionem aliorum*, in quibus planetæ ſunt, *polus qui eſt in noſtro hemiſpherio eſt ſursũ*. Et polus, qui eſt in inferiori hemiſpherio eſt deorſum. Et hoc eſt, quod intendit dicere Philoſophus, quod ex omnibus quidam ſunt ſurſum, & quidam deorſum, quia, ſc. vna medietas orbis eſt ſurſum, & altera deorſum. Et hoc eſt, quod ſecundum hoc orbes diſtinguuntur occulti, & orbes viſibus noſtris ſubiecti. Cum autem dicit Philoſophus, quod iſte locus ex omnibus medietatibus eſt diuerſus. Intelligitur, quod orbes quæ ſunt circa, vel citra primũ orbem, diuerſificantur in Polis, & Orientibus, & Occidentibus, ac per conſequens in ſurſum & deorſum, & in dextro ac ſiniſtro. Ad primum autem obiectum B dicimus, quod ſurſum & deorſum, duobus modis dicuntur. Vno modo, quod ſint principium motus recti localis, & ſecundum hoc cõtraria ſunt, & ad ipſa leue, & graue mouentur. Alio modo, ſecundum quod principia ſunt, ac termini motus augmenti, vel principia & termini longitudinis; & ſic non ſunt contraria. Secundum hoc dicit Philoſophus in li. de animalib. quod in pueris membra ſuperiora ſunt maiora propter abundantiam caloris pellentis alimentum ſurſum: poſtea vero fit econuerſo. Ad aliud vero dicendum eſt, quod ſurſum & deorſum ſunt in cœlo, prout ſunt principia & terminus longitudinis tantummodo. *Surſum dicitur dupliciter.*

De ordine prædictarum ſex differentiarum in cœlo.

CAP. XIV.

C MERitò itaque videtur reprehendi Pythagoras, quod loquebatur de dextera & ſiniſtra: nõ autẽ de ante & retro, ſurſum ac deorſum. Cum tamen illa quatuor in pluribus numerantur corporibus, quã dexterum & ſiniſtrum. Sed notandum, quod iſtæ ſex differentię, prout ſunt in cœlo, & animalibus, conſiderãtur duobus modis. Vno modo, ſc. prout ſunt principia dimenſionum. Alio modo, prout ſunt principia motuum. Si conſiderentur, prout ſunt principia dimenſionũ, hoc modo prius ſunt ſurſum & deorſum, & cõſequenter dexterum & ſiniſtrum, vltimo vero ante & retro. Sicut prius eſt longitudo, & poſtea latitudo, & profunditas vltimo: hunc ordinem Philoſophus attẽdit, quando Pythagoram reprehẽdit, qui prius loquebatur de dextero & ſiniſtro, quam de ſurſum & deor- *Quomodo dextera & ſiniſtra priores aliis differentijs* ſum. Si vero conſiderentur, *ſecundum quod ſunt principia* D *motuum*, hoc modo prior eſt dextera & ſiniſtra, conſequenter ante & retro, & vltimo ſurſum & deorſum, prior ſiquidem in mundo eſt localis motus, & conſequenter alteratio ad generationem, & corruptionẽ in inferioribus, vltimo vero generatorum augmentũ, & hunc ordinem Pythagoras conſiderauit. Dixerunt autem quidã, quod dextera & ſiniſtra, diuerſimode ſunt in diuerſis. Et quod in quibuſdam ſola virtute differũt, vt in cœlo. In quibuſdam figura & virtute, ſicut in hominibus, & planetis. Et iſti quidem dupliciter falſum dicunt, ſc. quia dexterum & ſiniſtrum, ſecundum Ariſtotelem figura non differunt, ſed ante & retro, ſurſum & deorſum, ſicut etiam ſuperius eſt oſtenſum. Et etiam, quia dexterum & ſiniſtrum in planetis non ſunt, vt probatum eſt ſuperius.

De partibus Cœlum diſtinguentibus.

CAP. XV.

I *Sidorus lib.* 3. Axis eſt Septentrionalis linea recta, quę per mediam pilam ſpheræ tẽdit, ſic dicta, quia ſphera in ea, vt rota voluitur, vel quia ibi plauſtrum eſt. *Poli ſunt* circuli, qui per axem currũt, ſic dicta, quia sũt axium cicli ex vſu plauſtrorum, à poliendo, ſc. nominati, horum alter eſt ſeptentrionalis, qui & boreus dicitur, & nunquam occidit, ſed ſemper videtur. Alter

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

auſtralis, qui nunquam cernitur, quia dextera cæli altiora ſunt, preſſa Auſtri. *Cardines cæli* ſunt extremæ partes axis, ſic dicti, quia per eos vertitur cælum, vel quia ſicut cor voluũtur. *Cardines cæli*

Cardines Cæli.

Conuexa cæli ſunt extrema eius à curuitate dicta, quaſi conuerſa vel inclinata. Curua enim ſunt, & ad modum circuli flexa. *Ianuæ cæli* duę ſunt, ſc. ianua Ortus, & ianua Occaſus, hinc enim Sol procedit, illuc ſe recipit. *Climata cæli*, id eſt partes, vel plagæ 4 ſunt, quarum prima Orientalis eſt: vnde aliquæ ſtellæ oriuntur. Secunda Occidentalis, vbi aliquæ ſtellæ nobis occidunt. Tertia Septẽtrionalis, vbi Sol peruenit in maioribus, ſc. diebus, ſic dicta à ſeptem ſtellis axis, quæ in ipſo reuolutæ rotantur. Quarta Auſtralis, vbi Sol in maioribus peruenit noctibus. Sunt & alia 7. climata cæli, quaſi 7. lineę ab Oriente in Occidente, ſub quibus, & mores hominum diſpares, & animalia ſpecialiter naſcuntur, quę vocantur à quibuſdam locis famoſis. Horum primũ eſt Merops. Secundũ Sonoys, vel Syenes. Tertium Catacoras, id eſt Affrica. Quartum Rhodus. Quintum Helleſpontus. Sextum Meſopontum. Septimum Pruſcenus.

Conuexa cæli.

Ianua cæli.

Climata.

A

B

De Zonis vel circulis in ea contentis.

CAP. XVI.

Idem in eodem. Zonæ cæli, vel circuli ſic dicti ſunt, eo quod in circunductione ſphæræ exiſtunt, harum diſtinctionibus quædam partes ſua temperie incolũtur, quædam immanitate frigoris, aut caloris inhabitabiles ſunt. Primus itaque circulus arcturus dicitur: eo quod intra eum arcturi ſigna incluſa perſpiciuntur. Secundus Tropicus appellatur, quia Sol in eo circumiẽs Aquilonis finibus æſtatem facit, & vltra eum non trãſit, ſed ſtatim reuertitur. Tertius Æquinoctialis, quia Sol cum ad eum peruenerit Æquinoctium facit. Quartus Antarcticus dicitur: quia contrarium eſt illi circulo, qui Arcticus appellatur. Quintus brumalis dicitur: quia Sol cum ad eum peruenerit, hyemem his, qui ad Aquilonem ſunt facit. Et æſtatem his, qui in Auſtri partibus commorantur. Zodiacus autem circulus eſt qui ex linearum quinque angulis, & ex vna linea conſtat. Lacteus circulus eſt via quæ in ſphæra videtur, lactea à candore dicta quia alba eſt. Hanc aliqui dicunt viam eſſe, qua circumiuit ſol, & ex ipſius ſplendoris tranſitu, ſic lucere.

Zona.

Arcturus.

Tropicus.

Æquinoctialis.

C

Zodiacus.

Via lactea.

De circulis in maiori ſphæra imaginandis.

CAP. XVII.

D

Ex ſphera. Vt autem hæc, & alia de circulis in orbe maiori contentis euidentius pateant: Intelligamus nos, qui ſuper faciem terræ reſidemus eſſe in centro, ideſt in mundi medio. Et firmamentum, quod vniformi motu mouetur ſuper terram, ſtabile eſſe, & firmũ. Deinde imaginemur in eo ſeptem puncta. Primum rectè in Septentrione in extremitate firmamenti, & appellatur polus arcticus. Polus quidem propriè dicitur illa pars axis, quæ excedit rotam, vnde hac ſimilitudine extremitas firmamenti polus dicitur, quia ſicut rota circa axem, ita firmamentum circa lineam voluitur quandam intellectualem, quæ protenditur per mediũ terræ à polo arctico vſque ad polũ antarcticum, vnde & illa linea axis dicitur. Arcticus autẽ dicitur ab arcto ſtella ſibi vicina. Secundum punctum intelligamus rectè in meridie in extremitate firmaměti, & dicitur polus antarcticus, quaſi contra arcton. Tertium imaginemur directè ſuper verticem noſtrum, & dicitur verticale. Quartum econtra rectè ſub pedibus noſtris, & dicitur oppoſitum verticali. Quintum in Oriente ſimiliter & dicitur Orientale. Sextum ecõtrario in Occidente, & dicitur Occidentale. Septimum in ipſo cẽtro: poſt hoc intelligamus pedem circini in ipſo cẽtro immotum eſſe. Reliquũ vero pedem circini volui per punctum verticale, per Occidentale, per oppoſitũ verticali, per Orientale, & redire vſque ad verticale: ſic deſcribitur circulus, qui dicitur æquinoctialis parallelus. Aequinoctialis quidem, quia cum ſol peruenit ad eum, tunc habemus æquinoctium, & interſecat æquinoctium in duobus ſignis æquinoctialibus. parallelus autem dicitur quaſi æquè diſtans. Iterum intelligamus pedem circini circumuolui, reliquo immoto per punctum Occidentale, per polum arcticum: per punctum Orientale, per polum antarcticum, & ſic redire ad Occidentale. Sic deſcribitur circulus, qui dicitur colurus, id eſt cauda bouis ſilueſtri per ſimilitudinem, quia non videmus huius circuli, niſi medietatem, ſicut bos ſilueſter ſupra dorſum ſuum facit de cauda ſua ſemicirculũ. Et eſt idẽ cum horizonte naturali. Sed in hoc diſtat, quia horizon naturalis ſtabilis eſt. Iſte autem voluitur cum firmamento. Item intelligamus pedem circini circumuolui, per punctum verticale, per polum arcticum, per oppoſitum verticali, & per polum antarcticum redire ad punctum verticale. Sic deſcribitur circulus, qui dicitur colurus meridionalis, quia, ſcilicet quando ſol ad eum peruenerit: tunc habemus meridiem in qualibet die.

Horizon à Coluro quomodo diffe-rat.

E

De eodem.

CAP. XVIII.

PRæterea quilibet circulus in ſphæra imaginatus intelligatur diuidi in 360. partes æquales; quarũ quęlibet dicitur gradus: intelligamus etiam adhuc duo pũcta: quæ dicuntur ſolſtitia, vnum æſtiuale, & aliud hyemale. Vnum diſtans à polo arctico 66. gradibus. Aliud ab antarctico totidẽ gradibus oppoſitum primo. poſt hoc intelligamus pedem circini circumuolui per punctum Occidentale: per ſolſtitiale æſtiuale: per Orientale, & per ſolſtitiale hyemale redire ad Occidentale. Sic deſcribitur circulus, qui dicitur linea ecliptica ab eclipſi, quia nuſquam habet fieri eclipſis Solis, & Lunę niſi quando ſunt in ecliptica. Intelligamus iterũ vnũ punctum quod diſtet à loco arctico 24. gradib. & aliud ſub antarctico 24. ſub terra, primo ſimiliter oppoſitũ. Itaque quod hucuſq; ſtabile erat, intelligamus ſemel circũuolui: & per 4. iſta puncta duo ſc. ſolſtitia & polus Zodiaci deſcribantur, & quatuor circuli, qui paralleli dicũtur. Aequinoctialis primus ex parte Septẽtrionali, & dicitur parallelus arcticus, borealis, Septẽtrionalis: Arcticus à polo arctico ſibi vicino. Borealis à borea: quia ab illa parte flat: Septentrionalis à ſtellis Septentrionalibus. Reliquus dicitur tropicus æſtiualis. Tropicus à trope quod eſt conuerſio: quia ſol ad illum perueniens amplius ad nos non appropinquat, ſed reuertitur. Aeſtiualis autem quia talis conuerſio fit in æſtate quando Sol eſt in cancro. Tertius dicitur tropicus hyemalis. tropicus ſc. quia Sol ad illum peruenięs, amplius à nobis non elongatur, ſed incipit appropinquare, hyemalis autem quia talis conuerſio fit in hyeme quando ſol ſc. eſt in capricorno: Vltimus autem à parte Meridiei dicitur antarcticus, Meridionalis, auſtralis. Antarcticus quaſi contra arcticum. Meridionalis à meridie, qui eſt ab illa parte. Auſtralis ab auſtro, quia ab illa parte flat. Hi quatuor circuculi diſtinguunt zonas ab inuicem quæ ſunt quinque duæ extremæ diſtemperatæ à frigiditate, media in caliditate, duæ vero temperatę, quarũ vna eſt inter Meridionalem frigidam & torridam, in qua nos ſumus. In alia vero alij ponunt locum refrigerij, alij antipodas, alij paradiſum deliciarum. Circulum vero, qui ecliptici dicitur, intelligamus 15. firmamẽti gradus ex vtraq; parte, & ſic fit circulus qui zodiacus dicitur à ζῳδιον Græcè, quod eſt animal Latinè, quia formæ animaliũ in eo videntur eſſe prima eius, pars dicitur Aries, ſecunda Taurus, & ſic de alijs de quibus dicetur inferius in tractatu de cœli luminaribus.

Gradus ſunt partes 360. in quouis circulo.

F

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De duobus circulis viſibilibus.

CAP. XIX.

Vilelmus de Conchis. Dixerunt autem philoſophi vndecim eſſe circulos, quorum duo ſunt viſibiles, alij inuiſibiles. Primus igitur de viſibilibus eſt Zodiacus hic à Capricorno per Arietem ad Cancrum aſcendens, de Cancro per Libram ad Capricornum deſcendit: deſcendere, & aſcendere iuxta noſtrum ſitum intellige: huius longitudo in 12. æquas partes per fluxũ aquæ, vt refert Macrobius, ab Aegyptiis eſt diuiſa, quæ ſigna dicuntur, quia ſc. eis ſignamus, in qua parte cœli ſit Sol, & alij planetæ. Quę quantum nominibus animalium intitulata ſunt, vt Aries, Taurus, &c. Circulus, qui ea continet Zodiacus dicitur, à Zodion Græcè, quod eſt animal Latinè. Si cauſas nominum illorum quæris ſignorum Hylphericum lege: hæc autem 12. ſigna iuxta qualitates elementorum Aſtrologi quidam in quatuor diuiſerunt, aſſerentes Arietẽ, Leonem, & Sagittarium, eſſe calidos, & ſiccos. Taurum Virginem, & Capricornum frigidos, & ſiceos. Geminos, & Libram, & Aquarium calidos, & humidos. Cancrum, & Scorpionẽ, & Piſces frigidos, & humidos Quædam etiam maſculini ſexus, quędam fœmini ſexus eſſe dixerunt, quę omnia quaſi falſa, & nugatoria præterire duximus. Alter de viſibilibus à Græcis galaxia, id eſt lacteus circulus nuncupatur. Galac enim Græcè lac dicitur, Iſte iuxta Septentrionem à parte Orientis incipit. Inde aliquando ad Cancrum aſcendens, per medium torridæ ad Capricornum deſcẽdit, ex quo per inferius hemiſpherium ad principium ſuũ reuertitur. Nominatur autem lacteus propter notabilem ſui ſplendorem.

Temperies ſignorum.

De alijs nouem circulis inuiſibilibus.

CAP. XX.

NOuem alij circuli ſunt inuiſibiles. Nil enim aliud ſunt, quam lineæ intelligibiles: horum quinque ſunt paralleli: maximus quorũ eſt æquinoctialis, hic per Arietem, & Libram per medium torridæ vadens, cœlum duo in hæmiſpheria diuidit, dictus æquinoctialis, quia quando ſol illum vel aſcendendo, vel deſcendendo tangit, æqualis eſt dies, & nox. Alter de parallelis dicitur tropicus æſtiuus, hic eſt in coniunctione noſtræ habitabilis, & frigidæ Zonæ. Quartus eſt tropicus hyemalis, hic in coniunctione alterius temperatę, & torridæ exiſtit. Quintus dicitur antarcticus, qui eſt in coniunctione alterius temperatæ, & frigidæ. Commune nomen iſtorum eſt parallelus, quod interpretatur æquè diſtans. Omnes enim circuli iſti æquum habent in hoc tenorem, quod ab Oriente per Occidẽtem reuertuntur ad Orientem, vel dicuntur æquè diſtantes, quia ſi bini medio comparantur, æquè ab illo diſtant, & ipſe ab eis. Quantum enim diſtat à medio æquinoctiali tropicus æſtiuus, tantum & tropicus hiemalis. Quantum diſtat ab eodem medio arcticus, intantum & antarcticus. Medius & maximus dicitur æquinoctialis, & æquidialis, quia (vt diximus) quando ſol tangit illum, æquat dies, & noctes. Secundo, qui illum proximo loco circumſtãt, tropici, id eſt conuerſiui ſunt, quia quando ſol ad alterum aſcẽdit, conuertitur, & deſcendit, quãdo ad alterum deſcendit, conuertitur & aſcendit: propinquus vero noſter habitabili dicitur æſtiuus, quando ſol tangit illum facit æſtatẽ. Alter dicitur hyemalis, quoniam ſol in eo exiſtens, facit nobis hyemem. Vltimus vero, qui noſtram habitabilem & frigidam diuidit, à ſigno, quod arctos nuncupatur, arcticus vocatur. Oppoſitus illi dicitur antarcticus, quaſi antiarcticus, id eſt contrarius arctico, anti enim contrarium dicitur. Præter hos ſunt duo inuiſibiles circuli, qui dicuntur coluri, quaſi colonuri, id eſt membrum bouis ſilueſtris, colon enim membrũ, vros bos ſilueſtris dicitur. Huius enim membra, & maximè cauda ſunt imperfecta, vnde circuli iſti propter ſui imperfectionem vocãtur coluri. Non quia in ſe ſunt imperfecti, ſed quantũ ad nos, quia pars alterius poli qua interſecant, nũquam à nobis videtur, horũ enim principium in medio Septentrionis eſt, ſed inde ad cancrũ aſcendens, & ad Capricornum deſcendens, per inferius hæmiſpherium ad ſuum reuertitur principium. Alter ex eodem loco per Orientem & Auſtralem polum, & Occidentem ad principium ſuum reuertitur; ſicq; in in ſummo Septentrionis ſe interſecant, cœlumque in quatuor quadrantes diuidunt, primus iſtorum dicitur anabibazon, id eſt ſurſum ſcandens, quia ad ſuperiora aſcendit. Alter dicitur catabibazon, id eſt iacens, quia lateraliter circa terram iacet. Cæterũ duo, qui ad prædictum ſpectant numerum, ſunt Meridianus, & Horizon. Meridianus vero circulus eſt linea intelligibilis, illam partem cœli deſignans in qua ſol exiſtens æqualiter diſtat ab Ortu, & Occaſu, vnde quia ſol ibi exiſtens facit Meridiem, Meridianus vocatur: Horizon vero linea eſt intelligibilis, vbi cœlum videtur terræ coniungi, dictus Horizon, quaſi limitans. Hi duo vltimi non ſcribuntur in ſphæra, quia per diuerſitatem habitantium, vel circunſpicientium variantur.

Meridianus.

Horizon.

Paralleli.

Inuiſibiles circuli.

De duplici Horizonte.

CAP. XXI.

HOrizon dicitur quaſi finitor viſus. Sunt autem duo circuli, qui Horizontes dicuntur: vnus naturalis, qui ſcilicet finit viſum illorum, qui ſunt in mũdi medio. Alius artificialis, qui finit viſum alicuius exiſtentis extra mundi medium: vnde ſecundum diuerſos ſitus, diuerſus eſt horizon artificialis. Notandum ergo, quod quantum ad ſitum rectæ ſphęræ eſt ſemper æquinoctium, horizon enim naturalis interſecat æquinoctialem per mediũ, & circulos ſiue potius ſphæras, quas deſcribit Sol in quolibet die naturali, qui æquè diſtantes ſunt ab æquinoctiali: vnde tantus arcus in ſuperiori hemiſphærio relinquitur, quantus in inferiori. Ergo cum Sol per eos vniformiter moueatur, & ſuperiorem tranſeat de die, & inferiorẽ de nocte, dies & nox erunt æquales in recta ſphæra exiſtẽtibus. Nos autem habemus horizonta deuexũ, nec interſecat aliquam ſphęrarum à Sole deſcriptarum, niſi illam quã deſcribit Sol exiſtens in æquinoctiali: vnde tunc habemus æquinoctium. Quando autem Sol eſt citra æquinoctialem, citius eleuatur ſupra horizonta noſtrum, quam ſupra horizonta naturalem: vnde citius habemus Solem, quam illi qui ſunt in medio mundi. Similiter quando deſcendit in ſero, citius deſinit illis apparere, quam nobis, quia citius tranſit eorum horizonta, quam noſtrum. Minorem ergo diem habemus, quam illi: quamdiu Sol eſt citra æquinoctialem. Econuerſo autem accidit, quãdo eſt vltra. Ex prędictis patet, quod quanto magis aliqui remouentur à mundi medio: tanto magis habẽt inæqualitatẽ dierũ: vnde illi qui habẽt punctũ, verticale in polo Zodiaci: quorũ horizon cõmetitur eclipticæ, habent duos dies continuos, circa feſtum Ioannis Baptiſtæ. Duas autẽ continuas noctes, circa Natiuitatem Domini, quia ſphęra tunc deſcripta à Sole non tranſit ſupra horizonta eorũ. Item illi, qui habent punctum verticale in polo Arctico, quorum horizon commetitur æquinoctiali, habent per medietatem anni diem continuum, bene Sol eſt citra æquinoctialem, noctem vero continuam, quando eſt vltra. Ex ſupradictis patet, quod ecentricus Solis ex vna parte altior eſt, & firmamento vicinior, quam ex oppoſita, hoc enim ſequitur ex hoc, quod eſt extrinſecus. Quod autem ponunt quidam Solem in Geminis, plus morari duobus diebus, quam in alijs ſignis, quantum ibi eſt eminentior pars ſui ecentrici, videtur poſſe improbari, quia quodlibet ſignum eſt æquale cuilibet & Sol vniformiter mouetur per omnia & ſingula, igitur per æquales moras ſingula pertranſit.

Horizon naturalis & artificialis.

De mora ſolis in Geminis.

De motu Cœli.

CAP. XXII.

ISidorus *vbi supra.* Sphæra cœli cum syderibus in ea fixis duobus axibus volvitur. Quorum vnus est Septẽtrionalis, qui appellatur boreus, & nunquam occidit. Et alius Australis, qui nunquam videtur, & vocatur austronothus: voluitur autem ab Oriente, vsque ad Occidentem, & econuerso, Septemtrionibus breuiores gyros iuxta cardinem peragentibus, & hoc semel in die, & in nocte vigintiquatuor horarum spacijs, quibus Sol spacium suum supra terras, & sub terris sua volubilitate concludit. Et tanta celeritate sphæra cæli dicitur currere, vt niti aduersus cursum eius pręcipitẽ astra currerent, quę eam retardant, mundi ruinam faceret. *Philosophus in secundo cœli & mundi.* Causa vero multitudinis motuum circularium est, quia operatio rei diuinæ est perseuerantia & permanẽtia: vnde & rei diuinæ motus est sempiternus: Mouetur autem cœlũ ab Oriente in Occidentem, & ipsum motum primum est simplex, non fabricatum neque generatum, nec cadens sub corruptione, nec mutatum, nec alteratũ omnino. Causa enim prima est quæ mouet creatum primum. Et simplex est id, quod mouet simplex, non generatum, neque corruptibile. Sunt autẽ corpori quinto duo motus: vnus Tropicus, & alter est reuolutio irreuolubilis. Et figura quidem orbicularis conueniẽtior est omnibus figuris, & motibus cœli, quia cœlum cum sit orbiculare mouetur motu veloci obediente. *Albertus.* Motus autẽ cœli simplex dicitur tribus modis: vno modo, *quia ipsa est causa omnium motuum* naturalium: vnde cum secundum viam resolutionis causati in causam, motus cœli vltimus in genere motuum est, oportet, quod ipse sit simplicissimus. Secundo modo dicitur etiam simplicissimus respectu temporis, *quia, sc. nullus motus in tanto spacio potest esse in tam breui tempore.* Tertio autem modo quantum ad regularitatem: quia, sc. in omnibus partibus suis est æquè velox, quod non contingit in motu naturali recto, neque in violento. Violentus enim motus velox est in principio, vt tardus in fine, vincente motore naturali motorem violẽtum. Naturalis vero rectus tardior est in principio, & velocior in fine. Motus autem cœli vniformis est in principio, in medio, & in fine. Non ergo simplex dicitur ideo, quia non sit continuus, vel quia non habeat partes inter se differentes, cum ibi sit prius & posterius, sed propter rationes prædictas.

Nota.

Causa prima.

Motus Cœli simplex tripliciter.

De triplici motore Cœli secundum Philosophos.

CAP. XXIII.

MOtor autem cœli secundum Philosophos triplex est. Primus est Deus, qui est motor extra, non proportionatus mobili. Et hoc intendit Ptolomæus, qui dicit: quod nihil mouet cælum nisi solus Deus, & etiã Rabanus, qui probat multis rationibus, quod cæli motor est extrinsecus, neque corpus, neq; virtus existens in corpore, neque diuisibilis, neque indiuisibilis secundum corpus, quia tales inquit substãtiæ, non possunt plures esse. Substantię namque simplices non coniunctæ corpori, non numerãtur nisi per causam & causatum. Ideo multæ potentię non possũt esse, sed vna sola. Motor iste, videtur innui in lib. metaphysicæ, vb de tempore dicitur, quod actio eius, & vita eius, & esse ipsius idem sunt: huic soli motori cõuenit, nec per se, nec per accidens moueri. Vnde *Boetius in lib. de consolatione Philosophiæ: O qui perpetua mundũ ratione gubernas. Terrarum cœlíq; sator, qui tempora ab æuo Ire iubes, stabilisque manens das cũcta moueri.* 2. motor eius est forma cælo coniuncta, indiuisibilis cum diuisione cœli. Et huic motori conuenit, quod sit mobilis per accidẽs, eo quod virtus sua proportionatur mobili. Et quod fortior est vir tus est in mobili immediato, sicut tangit *Auenalpetras in Astrologia sua.* Tertius motor est forma materialis diuisibilis, secundum diuisionem cęli. Sicut graue enim est in terra, & leue in igne, quæ sũt potentiæ ad motum sursum, & ad motum deorsum: ita est forma quædam in cœlo, quæ est potẽtia ad motum circularem. Et illa potẽtia proportionatur illi loco quæ est circa medium, sicut potẽtia grauis proportionatur loco deorsum, & potentia leuis, loco qui est sursum. Et quod huiusmodi motor in cælo sit, patet ex demonstrationibus Philosophi in 2. lib. de cælo & mũdo, in quibus supponit, quod magnus orbis citius circumuoluitur quam paruus, sic magnus ignis velocius ascendit quam paruus, quod vtique non esset verum, si non esset motor in cælo diuisibilis secundum quantitatem mobilis. *Si autem obijcitur* in contrariũ, quod vnicus motus simplex non habet nisi vnum motorem, & ita primum mobile non videtur triplicem motorem habere, sed vnum tantummodo. *Respondeo,* verum est si tres illi motores ordinarentur ad motũ illum ex æquo: ita quod vnus non esset in alio. Sed Deus, qui est motor primus absolutè mouet in motore, qui est primus in natura, sicut causa prima mouet in causa secunda. Motor autem ille, qui est primus in natura, mouet secundum potentiam mobilis circularis, sicut forma ignis substantialis, mouet ignem sursum secundum potentiam leuis.

Motor triplex cœli

1 *Deus.*

2. *Forma Cœli assistens.*

3. *Forma materialis.*

Quod Cœlum iuxta Philosophos habet animam sese mouentem.

CAP. XXIV.

QVod autem motor ille, qui est intra, & non est diuisibilis secundum quantitatem mobilis sit anima cæli: planè videntur asserere Philosophi. *Nam in secundo libro cœli & mundi* expressè dicitur, quod cœlum habet animam, & est in eo principium motus. *In primo quoque idem Philosophus dicit:* quod vita est in cælo fixa in sęcula sęculorum, quæ nec finitur, nec deficit. Dicit quoque *Commentator super eundem librum,* quod cælum habet intellectum, qui est forma indiuisibilis secundum quantitatem cæli, & ille est anima eius: *in libro ergo de substantia orbis dicitur:* quod forma mouens cælũ est animæ natura, & principium huius animæ secundũ quod est anima, est mouere circulariter. *In eodem etiam ita legitur.* Animalium quidem animę sunt necessariæ in esse suorum corporum, nec saluarentur, nisi per animam sensibilem & imaginationem. Corpus autem cæleste, quod est intransmutabile ab alio extrinseco, nõ indiget anima sensibili, nec magis natiua in esse suo, sed tantum anima ipsum mouente in loco & virtute, quæ non sit corpus, nec sit in corpore, secundum diuisionem ipsius ad largiendum ipsi permanentiam ætternam, & motum æternum, qui non habet principium neque finem præterea *Rabanus,* Cæli, inquit, animalia sunt apprehensores Creatoris, nec sunt corpora motiua, sicut ignis & terra, vt putant insipientes. Sed animalia obedientia Creatori, laudantque ipsum, & cantant ei canticum laudemque sublimem, hęc verba ponit in secunda collectione. *Item Auicenna lib. 5. de naturalibus, & in libro de cœlo & mundo expressè dicit:* quod cælum habet animam & phantasiam, cui obedit vniuersa materia mundi, sicut corpus animalis obedit animę ipsius, & sicut animatum corpus immutatur secundum imagines delectabilis, vel tristis apprehensas ab anima ipsius animalis: ita elementorum materia mutatur ad imaginationem motoris cæli. Ideoque fiunt quandoque terræmotus, ac scissura terræ in inferioribus.

Cœli sunt animalia.

Caute lege.

Rationes ad oppoſitum.

Cap. XXV.

COntra vero multæ rationes poſſunt induci. Nam *in li. de anima* probatur, quod nullum corpus ſimplex animatum eſſe poteſt. Et huius ratio eſt, quia cum anima diuerſas habeat potentias: oportet in organis aliquam eſſe diuerſitatem, quæ perficitur ſecundũ illarum diſtinctionem. Cum ergo ſimplex corpus ſit cœlum, non poterit eſſe animatum. Cæterũ vbicunq; eſt intellectus ibi eſt ſenſus & vegetatio, ſed non econtra, vt probatur in eod. lib. Si ergo in cœlo eſt anima, quæ eſt intellectus, vt à quibuſdam ſupponitur, erit ibi etiã vegetatio, & per hoc nutritiua, quæ eſt vna de vegetabilibus potentijs, hæc autem in cælo non poteſt eſſe, quia quicquid nutritur eſt corruptibile: cælum autẽ incorruptibile. præterea intellectus non perficitur in actu, niſi per abſtractionem à phantaſmatibus. Si ergo cælum habet intellectũ, aut intellectus ille nunquam erit in actu, ſed quaſi dormiens, aut habebit phantaſiã, & animã ſenſibilẽ, quorũ vtrumq; abſurdũ eſt ponere. Præterea dicit *Iſaac in lib. diffinitionũ*. Quod intellectus cæli, vel anima intelligit vniuerſa, quod vtique videtur falſum, eſſe, quia ſcientia rei in vniuerſali non eſt niſi ſcientia rei in potentia. In ſuperioribus quippe non sũt inferiora niſi in potentia. Cum ergo cælum nõ habeat potentias per quas deſcenditur ad particularia, nunquam videtur ſcire rem in propria natura, denique cũ intellectus cæli ſit operis ſui directiuus, videtur quod ſemper erret in particularibus, cum intellectus prædeterminans opus nulla ratione deſcẽdere poſſit ab vniuerſalibus ad particulare hoc vel illud cum hic & nũc, cæteriſq; diſpoſitionibus particularibus, ſecundũ hoc ergo corporis illius mobilis intellectus ab humano intellectu deficeret in duobus. Nam ex parte intellectus ſpeculatiui deficeret: qui ſcientia eius eſſet in potentia cum vniuerſali tantum eſſe, & eſſet imperfecta quia nunquam propter quid. Et ex parte quoque practici, qui determinat opus, deficeret per errorem, quia non eſt opus circa vniuerſalia, ſed circa particularia.

Qualiter ſana fide poſſit dici cœlum habere animam.

Cap. XXVI.

NOs ita cum ſacris doctoribus confitemur cœlos animas non habere, nec eſſe animalia: ſi anima ſecundũ propriam rationem accipiatur. Veruntamen ſi volumus philoſophos in hac parte cum ſanctis doctoribus ad idem reducere: dicere poſſumus, quod intelligentiæ ſunt in orbibus; primo deſeruientes motori in motu orbium, & illæ dicuntur animæ orbium. *Intelligentiæ orbium.* Nec ſunt vniuocè cum intelligentijs hominum: quia non efficiuntur per abſtractionem à phantaſijs: ſed reuertuntur ſuper eſſentiam ſuã: ac per illam ſuper alia reditione completa: vnde *in lib. de cauſis legitur*: quod omnis intelligentia intelligit eſſentiam ſuam; & omnis qui eſſentiam ſuam ſcit, eſt rediens ad illam reditione completa, ideoque intelligentiæ illæ non habent niſi duas potentias, intellectum, ſc. & appetitum mouentem ſecundum locum, vnde nec habent comparationem ad orbes ſecũdum illam rationem animæ, quã *ponit Philoſophus. Anima eſt endelechia corporis organici Phiſici potentia vitam habentis*. *Anima Quidt* Iſta quippe ratio conuenit animæ rationali ac ſenſibili, & vegetabili per prius & poſterius. Nam intellectus quidẽ nullius corporis eſt actus, quia non vtitur organo corporis nec in ſe nec in ſuis operibus. Alioquin non haberet operationem extra corpus, & oporteret ipsũ deſtrui deſtructo corpore, ſicut in brutis deſtruitur vegetabilis ac ſenſibilis. Comparatur autem ad corpus ſecundum Ariſtotelem vt *nauta ad nauem*, & hoc ſecundum rationem mouendi ipſum atque regendi, ſicut *habetur in 2. lib. de anima* *Intellectus nauta, corpus nauis.*

A *In libro quoque de cauſis legitur*, quod omnis intelligentia diuina ſcit res per hoc quod eſt intelligentia, & regit per hoc quod eſt diuina. Ibique dicitur intelligentia diuina participans diuinas bonitates à motore primo qui Deus eſt.

Qualiter in hoc Sancti cum Philoſophis concordant.

Cap. XXVII.

SEd fortaſſe dicit aliquis, quod nequaquam eſt adhærendum in hac parte philoſophis, nec illis, (*vt Auguſt.*) credendum eſt de cœlo, qui alieni fuerint à parte qui eſt in cœlo. Ad hoc poſſumus reſpondere, quod nec ipſi Philoſophi contradicunt quibuſdam Sãctis negantibus cœlum animã habere, niſi in ſolo nomine. Nam & ſi abhorreant hi nomen animæ, ſc. Sancti, bene tamen concedunt, quòd quædam intelligentiæ, vel Angeli mouent cælum, & ſydera nutu Dei, vnde *& Gregorius ſuper illud Iob, ſub quo curuantur, qui portant cælum*, dicit; Angeli Sancti orbem portant, qui regendi mundi curas adminiſtrant. *Hieronymus ſuper illud Eccleſiaſtis. Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit Spiritus*, tradit: ſolem hic Salomõ *Spiritum* nominat, eo quod animet, & inſpiret, & viuificet omnia, & regat, & annos, & orbes ſuo curſu compleat. *Aug. quoque ſuper Geneſim ad litteram* pro dubio relinquit, Vtrum ſtellæ ſint animalia vel animatæ, quod vtique ſi contra fidem catholicam eſſet, debuiſſet, vt videtur determinauiſſe. Sicut itaque ſecundum catholicam fidem ponimus quoſdam Angelos miracula facere, & naturæ legibus occurrere, Ita non eſt contra naturam quoſdam Angelos mouendo naturam, & gubernando, cælorũ ſphęras iuuare. Quos videlicet Angelos mouentes ſphæras philoſophi vocãt animas, vel intelligentias: ſancti vero cauentes ne forte videantur cælos animalia dicere, & concedant illos animas habere negant motores illos animas eſſe, præcipueq; vt æſtimo, in deteſtationem idolatriæ: qua ſolent cæleſtia corpora Gentiles, vt Deos adorare, & etiam vt falſæ videantur Mahumeticorum opiniones de fato & conſtellatione. Secundum hoc ergo non eſt inter philoſophos & ſanctos in hac parte cõtradictio. Dicebant enim antiqui, Deos, & Angelos animas mũdi. Vnde vt dicit Auguſt. *in lib. 4. de Ciui. Dei.* hi ſoli videntur aduertiſſe quid eſſet Deus, qui crediderunt ipſum eſſe ſubſtantiam vel animam: mundum motu, ac ratione gubernantem. Ac per hoc, & ſi nondum tenebant, quod veritas habet, ſc. quod Deus non anima, ſed animę conditor eſt, tamen ſi contra prejudicium conſuetudinis ſuæ liberi eſſent vnum Deum eſſe colẽdum faterentur, atque ſuaderent, motu, ſc. & ratione mundum gubernantem, nec ipſum animam, ſed potius eſſe animæ creatorem. Quod autem ita ſenſerint philoſophi ſicut dixit, ſc. quòd intelligentiæ quas dicunt animas orbium, non ſint vniuocæ cum intelligentijs hominum, patet ex verbis eorum. Nam verbi gratia. *Rabanus in ſecunda collectione*. Scito inquit, quod cælum habet animam, quod cum dicimus auditor putat, quod ſit ſicut anima hominis, vel Aſini. Sed non eſt hoc ratio dicti. Quin potius ratio eius eſt, quod motus eius localis oſtendit quod in ipſo eſt principium à quo ſine dubio mouetur, & illa virtus prima dicitur anima. Eãdem quoque ſententiam tenẽt Auerroes, Auicenna, & plures philoſophi. Vnde, & ex verbis ſuprapoſitis sũptis ex libro de ſubſtantia orbis, videlicet quod cæleſte corpus non indiget anima ſenſibili in ſuo eſſe, ſed tantum anima ipſum mouente, &c. poteſt accipi, quod anima cæli non ſit ſenſibilis, ſed motiua ſecundum locum quæ largitur ei permanentiam, & motum qui nõ habet principium neque finem, ſc. per generationem temporalem, licẽt principium habeat per creationem.

Concordia Sanctorum cum philoſophis.

Auguſtinus platonizat.

Quo ſenſu Cœlum eſt animatum.

Reſponſiones ad obiecta in contrarium.

CAP. XXVIII.

QVòd ergo dicit philoſophus in libro de anima, quod nullum corpus ſimplex poteſt eſſe animatum, patet ex prædictis quomodo ſit intelligendum. Non enim ibi de anima determinatur ſecundum hunc modum, ſc. ſecundum quem intelligentia mouens orbem anima dicitur. Nam huiuſmodi anima non eſt de ſpeculatione naturalis, ſed potius Methaphyſici, cum ſit ſubſtantia ſeparata à materia, commixta, ex contrarijs. Vnde de tali determinatur *in lib. Metaphyſicæ* 11. Quod autem obijcitur de intellectu, quod non efficitur in actu, niſi per abſtractionem à phantaſmatibus, manifeſtum eſt, intelligẽdum eſſe de intellectu humano, qualis non eſt in cœlo. Intelligentia quippe mouens orbem non habet intellectum à phantaſmatibus abſtrahentem. Et ſi obijcitur quod dicit Auicenna cælum habere phantaſiam, & imaginationem. Reſpondemus hoc ideo dici, quod intelligentia mouens ſphęram habet applicationem intellectus ad particularia naturæ. Quod autem dicit Iſaac, animam cœli intelligere vniuerſalia, ſic intelligimus, quod vniuerſalia vocat ſpecies atque rationes per quas intelligũt ipſi motores, hæc enim eſt ratio ſubſtantiæ motorum ſecundum quod eſt cauſa, & ipſi ſunt cauſæ vniuerſales in tota natura: quę videlicet cauſæ determinantur ad hoc & illud, ſecundum proportiones cauſatas ex diuerſo ſitu ſtellarum diuerſoque motu orbium. Si ergo quæritur vtrum eius ſcientia ſit vniuerſalis. Dicendum eſt, quod nec vniuerſalis nec particularis. Vniuerſalis quippe non eſt propter inductam rationem. Neque vero particularis, quoniam illorum non eſt diſciplina vt dicit Plato, nec vniuoca eſt noſtræ ſcientiæ, quia nõ cauſatur ab ente per abſtractionem ad modum noſtræ. Qualiter autem intelligendum eſt dictum philoſophi, Omnis cauſa ſe cognoſcens inquantum eſt cauſa cognoſcit omne cauſatum ſuum. Et omne cauſatum ſe cognoſcens inquantum eſt cauſatum, cognoſcit cauſam ſuam, dicimus quod motores ſphærarum per motum illarum cauſant omnem diuerſitatem quæ eſt in inferioribus ſecundum naturam. Ideoque cognoſcentes ſe inquantum cauſæ ſunt, omnia naturalia cognoſcunt. Similiter etiam inferiores ſphærarum motores cognoſcunt ſuperiores per hoc quod ab eis moti ſunt, vt deſideratum mouet deſiderium. Sicque patet quod hæc ſcientia nec eſt in vniuerſali, nec in particulari, & tamen eſt de vniuerſali, & particulari, per hoc.n. quod ſe cognoſcunt, cognoſcunt, vniuerſalia, & particularia à ſuis motibus cauſata. Et hoc eſt, quod legitur in libro de cauſis. Omnis intelligentia ſcit quod eſt ſub ſe quoniam eſt ei cauſa. Et ſcit quod eſt ſupra ſe, quoniã acquirit bonitates ab eo, per hoc etiã patet, quod intellectus motoris cõpletior eſt intellectu hominis, habent quippe ſcientiam propter quid, & eorum intellectus eſt motiuus ſecundum prędeterminationem determinati operis. Nec eſt, nec eſſe poteſt erroneus, ſicut probare videtur obiectio, ſed ſemper rectificatus eſt in opere illo, quia nunquam recipit rem niſi per id, quod ipſius eſt vere cauſa ſecundum naturam.

Scientia intelligentiæ.

De comparatione primi motoris ad motores inferiores.

CAP. XXIX.

VIdentur autem omnes motores orbiũ ad inuicẽ comparari per æqualitatem, quoniã omnes mouentur vel mouent motu durante per tempus tantũdem: verũ licet ſecũdum æqualitatẽ cõparantur quãtum ad motus durationem, in alijs tamen quatuor nõ comparantur ſecundum æqualitatem, horum primum eſt quod motor primus mouet non motus. Et mouet inferiores, vt deſideratum mouet deſiderium. Inferiores autem mouent moti. Et huius rei ſignum eſt, quòd omnes inferiores conſequuntur motũ ſuperioris, non autẽ econtra. Ideoque dicitur *in li. de cauſis*, quod primũ eſt diues in ſe, & diues in alijs, Secundum eſt ſimplicitas in mouendo. Primus enim motor mouet vno ſimplici motu, Inferiores autem mouent pluribus motibus. Tertium eſt vigor mouendi: primus quippe motor circulum multo maiorem, & corpus multo maius circumuoluit in eodem tẽpore, in quo inferior circulũ multo minorem & inferiorẽ. Quartũ eſt finis motus: primus.n. motor mouet ſecundum lationem continuã & vniformẽ. quæ eſt cauſa vniformitatis, & continuitatis in natura, inferiores autem mouet quidem ſecundum lationem continuam, ſed non vniformem, quia, ſc. obliquatur in meridie verſus Aquilonem, & ſunt cauſa difformitatum, quæ ſunt in generatione, & corruptione. Videtur autem, quod inferior poſſit contrariari ſuperiori, ſicut phantaſia quandoque contraria eſt intellectui. Eſt.n. in nobis duplex hic motor: phantaſia, ſc. inferior, & intellectus ſuperior. Præterea videntur inferiores in motu ſuo poſſe errare, ſuperiori non errante, ſicut phantaſia poteſt eſſe recta, & non recta. Intellectus autẽ ſemper rectus: vt dicit Philoſophus, verum non eſt ſimile de phantaſia hominis ad inferiores motores orbis, phantaſia quippe mouet cum apprehenſione hic, & nunc, & particularium, in quibus accidit error, & contrarietas ad intellectum, eo quod frequenter ſequitur bonum, vt nunc, cum intellectus determinet bonum ſimpliciter. Vtrum autem numerus motorũ illorum ſit ſecundum numerum mobiliũ, vel motuũ, aut ſtellarũ, non eſt ad præſens determinãdum, vna quippe ſphæra plures habet motus, & dubiũ eſt vtrum illi motus ſint ab vno motore, an à plurib. Et videtur Philoſophus velle, quod ſint à diuerſis: videlicet *in lib. 11. Metaphyſica*, vbi probat numerum motorum eſſe ſecundum numerum motuum, tangitque plures motus eſſe in Sole, in Luna, & in alijs. Alij vero Philoſophi dicunt, vnum eſſe motorẽ in vna ſphæra. Et ex natura ſtellę quæ eſt in ſphæra illa, motorem ipſum influere motum vnum, vel diuerſos ipſi ſphærę. Tertia vero ſecta vult omnino, quod ſit numerus motorum, ſecundum numerum ſtellarum in cælo. Quarta denique vult, quod omnium ſphærarum ſit motor vnus, & extra omnes ens, & hic eſt Deus.

Quòd Cœli motus ſit naturalis, & non progreſſiuus.

CAP. XXX.

FOrtaſſis dicet aliquis, quod animam habeat cælũ motiuam tantummodo ſecundum locum, ſic enim Philoſophus ait, *in lib. 2. de anima* multipliciter ipſo viuere dicto. Si vnum horum aliquid inſit, ſolum viuere dicimus ipſum, vt eſt intellectus, ac ſenſus, & motus, & ſtatus ſecundum locum. Adhuc autem motus ſecũdum alimentum, & augmentum, & decrementum vita eſt. Ibidem quoque dicit, quod animatum ab inanimato determinatur in viuẽdo. Ex his ergo verbis Philoſophi videntur differentiæ eſſe quatuor animatũ, ſc. intellectiuum, & ſenſitiuum, vegetatiuum, & motiuũ ſecundum locũ. Si ergo dicatur ab aliquo, quod in cælo ſit motiuum tãtummodo ſecundũ locũ, & non aliæ differentiæ, & ſecundum hoc ſolum ipſum dici animatum, & animam habere, hoc de facili poteſt improbari. Aut.n. hoc principium eſt motiuum motu locali, ſecũdum naturam, aut motu proceſſiuo. Si primo modo, tunc pari ratione, quicquid mouetur ſecundum naturã ſurſum & deorſum haberet animam. Cum haberet principium motus ſecundum locum in ipſo per ſe, & non ſecundum accidens. Quod vtique falſum eſt manifeſtè. Si autem vltimo modo dicatur, multa ex hoc inconuenientia conſequuntur. Primum quidem, quia hoc eſt contra Philoſophum, qui in *ſecundo lib. de cælo & mundo*, loquens de ſtellis & orbe, probat eas non habere motum proceſſiuum, dicens. Extra rationem

Cur ſtella nõ habeãt motum progreſſiuum?

eſt

est, vt natura stellas motu processiuo mobiles posuerit,& non eis instrumentum motus posuerit. Natura quippe nihil vanum,& sine causa posuit, ac si diceret, cum nihil vanũ inueniatur in rebus inferioribus, multo minus in rebus superioribus. Et quia posset aliquis dicere, quod natura ingenerauit animalibus instrumẽtum processiuum motus: non aute cælo, vel orbibus. Obuiat Philosophus, & dicit. Impossibile est, vt natura ingeneret animalibus, & eis intẽdat, & à corporibus sublimibus,ac nobilibus proprietates vltimas habentibus recedat, & vt explicet ea rebus, quibus possibile est, vt incedant per se, elongetque à rebus quæ habent instrumentum motionis suæ, & hoc quidem ait Philosophus de stellis.Sed eadem est ratio de sphęris in quibus stellæ mouentur. Neutrum enim horum videmus alas habere,vel pedes,vel aliquid huiusmodi. Aliud inconuenies, quia sicut ait Philosophus in libro de anima. Motus processiuus est ad omnem partem, sc.ante & retro, dexterum,sinistrũ,sursum,deorsum. Principium autem motus cœli non mouet nisi in loco vno, circa medium. Tertium est, quia sicut legitur *in lib.*8. *Physic.* Illa mouentur à seipsis motu processiuo, quæ quando volunt quiescunt, & quando volũt mouentur. Cælum autem semper vniformiter mouetur. Quartum est, quia sicut probatur *in lib. de anima.* Nihil mouet motu processiuo, nisi tãtum intellectus, & phantasia. Cuius signum est, quia plantas quæ non habent phantasiam, vel intellectum, videmus immobiles per locum. Absurdum ergo est dicere,cælum habere motus processiui principium, & non animam sẽsibilem, vel intellectum. Quintũ est,quia motus processiuus est propter distantiam conuententis:at in cælo non est distantia talis. Denique motus processiuus est ad salutem subiecti,quæ salus diffusa est in locis diuersis, ad quæ animal mouetur,tali vero salute non indigent corpora cælestia, sicut in libro de substantia orbis dicitur. Est ergo in cælo iuxta sententias Philosophorum, & intellectus,& principium motiuum naturaliter secundum locum.

Respõsio aduersariorũ. Confutatur primo.

2.

3.

4.

5.

Quod Cælum motu suo non lassatur.

CAP. XXXI.

Videtur autem cælum, cum sit animatum motu suo lassari ad instar animalium,quia naturaliter in omni animato motus corporis motui animæ contrariantur, quod de facili per inductionem probatur in omnibus animalibus,natantibus,volantibus,ac reptãtibus: horum enim corpora grauia sunt, & ex natura corporis tendunt deorsum, cum tamen ab anima ferãtur sursum & deorsum, dextrorsum ac sinistrorsum. Vnde patet, quod ille motus progressiuus,quo mouẽtur ab anima, non est naturalis; Præterea nunquam multitudine motus naturalis alicuius lassatur, & corrumpitur aliquod corpus. Corpora vero animalium lassantur, & corrumpuntur multitudine motus processiui.Non ergo mouentur illo motu secundum naturam, sed extra naturã suam. Cum ergo cæli corpus sit animatum: videtur ab anima non moueri motu naturali,ac per hoc alio motu, & ideo lassari. Ad hoc respondet Philosophus *in lib.de anima, & in lib.de substantia orbis*, quod circularis motus in cælo est animæ, secundum quod anima, & in cælo non est nisi animæ motus, & non corporis. Ideoque non inducitur ipsi lassitudo ex contrarietate motuum,scilicet animalis & naturalis: huic etiam consonat *Auenalpetras in lib. de substantia orbis* dicens, quod cælum in motu non lassatur, eo quod motor illud mouet, secundum conuenientiam formæ ipsius mobilis, secundum quam non mouet anima corpus ipsum animatum elementatum. Ideoque animalia in motu lassantur.

Obi.

Resp.

Cuius proprie sit ille motus.

CAP. XXXII.

ET contra prædicta Philosophi verba possumus obijcere:Quicquid est animæ, secũdum quod est anima, hoc est omnis animæ. Si ergo circularis motus est animæ, secundũ quod est anima,erit omnis animæ, quod ad oculum patet falsum esse. Si dicatur esse intellectualis animæ tantum, adhuc patet esse falsum, quia non mouetur homo circulariter, qui tamen habet intellectum. Porro si dicatur, quod anima cæli, & anima hominis licet vtraque sit intellectualis,non sunt tamen vnius rationis. Et ob hoc aliquid contingit,vel conuenit animæ hominis, quod nõ contingit animæ cęli:etiam secundum hoc cæli motor non videtur esse anima: nisi tantum modo, secundum conuenientiam nominis:præterea hoc videtur esse cõtra Philosophos,qui vtrãque animam,i.cæli, & hominis per duo definiunt, sc.per intelligere & mouere secundum locum.Si fortè dicatur,quod ille motus ideo dicitur esse animę, secundum quod est anima, quia est animæ pręter conunctionem ad corpus.Hoc erit cõtra Philosophum, qui vult *in lib. cæli & mundi*, quod omne corpus habeat naturalem motum, vel à medio, vel ad medium, vel circa medium. Si propter hoc dicatur, quod animæ cæli motus non est diuersus, quia, sc.de natura sui fertur circulariter cælum,& anima cæli mouet secundum eundem motum. Ideoque dicit Philosophus, quod non est ibi alius motus, nisi motus animæ tantum.Si obijcitur in contrarium quicunque motores in vno, & eodem mobili vnum motum numero efficiunt, ipsi quoque vnius naturæ sunt. Huius propositionis veritas habetur 11. *Metaphysicæ*, vbi motorum numerus per numerum motuum probatur, perpetuitasque motorum, ex perpetuitate motuum. Ad hoc etiam ratio facile inducitur,quia potentię actiuæ, & motiuæ per actus operationes suas differunt.Si ergo anima cæli & natura corporis cæli mouẽt eodem motu in numero, ipsa etiam erunt eiusdem naturę, vel essentię in numero, quod vtique falsum est. Dicimus ergo,quod motor cæli, qui est intelligentia, & motor qui est ex parte naturæ corporis,diuersi sunt, licet enim comparentur ad vnum motum,non tamen eadem ratione. In cælo nãque motum est dupliciter considerare. Primo, sc. secundum circulum simplicẽ, & sic ordinatur motus ad motorem, qui est natura & forma substantialis corporis cælestis, & dispositiones naturales ad ipsum sunt lumen & figura. Alius modus considerationis inuenitur in motu cęli secundum rationem differentiarum positionis localium quæ sunt dexterum, sinistrum,&c. Secundum rationem itaque dextræ, vnde incipit motus. Et sinistræ per quam est ipsius motus. Et ratio ante & retro,secundum quæ est obliquatio motus.Et ratio supra & infra,secundũ quorũ immobilitatẽ nõ egreditur mobile de loco suo, secundum has rationes comparatur motus ad intelligẽtiam, quæ dicitur anima. Et motus cæli ad motorem absolutè primum, qui est Deus, habet comparationẽ, vt ad mouens non proportionatum motui & mobil: præterea concedimus, quod intelligentia, quæ dicitur anima, & motor orbis, non secundum eandem rationem dicitur anima, cum intellectu hominis, sed prius, & posterius, licet enim vtraque determinetur per intelligere ac mouere: tamen intelligere,& mouere non sunt eiusdem rationis in vtraque, sicut patet ex supradictis.

Motus Cæli dupliciter considerat.

Quod Cæli motus appareat ex stellarum motibus.

CAP. XXXIII.

EX *Sphęra.* Itaque cæli motum orbiculariẽ ab Oriẽte super terram in Occidentem, & ab Occidente sub terra in Orientem, expertũ est per quasdã stellas, quæ cũ ipso mouẽtur, & principio quidẽ noctis apparent

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Motus firmamenti.

rent in Oriente paulatim, & ſucceſſiuè mouendo, in fine noctis apparent in Occidente. Iterum paulatim, & ſucceſſiuè mouendo ſub terra cum firmamento, in fine noctis ſequentis apparent in Oriente in eodē puncto, quo apparebant præcedente nocte. *Guilelmus de Conchis.* Itaque firmamentum ab Oriente per Occidētem ad Orientem moueri Ortu & Occaſu ſtellarum poteſt probari, non tamen lateraliter iuxta ductū horizontis. Si.n.ſic moueretur, ſtella Oriens mane quæ in Oriente apparet, circa meridiem eſſet in Auſtrali plaga: veſpere in Occaſu, media nocte in Septentrione, eſſetq; vnus de Polis ſuper medium terræ, alter in oppoſito, quod nequaquam fieri certi ſumus, quia oculis videmus, Mouetur ergo firmamentum ab Oriente aſcendendo ad meridiem, Inde per Occidentem reuertendo ad ipſum Orientem. Vnde ſi quis eſſet in medio terræ, recto modo ſupra verticem illius volueretur firmamentum. Et hoc eſt, quod voluit Lucanus ſignificare, vbi loquitur de eis, qui infra torridam zonam habitant dicēs de ſignis. *Nō obliqua meant, nec Tauro rectior exit.* Circa vero noſtram habitabilem mouetur firmamentum obliquè aſcendēdo, quod oculis in ſtellis fixis probari poteſt. Quamlibet.n.de illis Orientem aſpice: videbis illam aliquantulum verſus Auſtrum obliquando venire, hoc idem poſitione polorum, & axis poteſt probari. Polus enim eſt ſtella immobilis, ſed de infinita ſtellarum multitudine, vna ſola eſt in ſuperiori hemiſphærio, quæ ſemper in eodē conſiſtit loco, Altera eſt in oppoſito; Axis vero eſt linea intelligibilis de polo ad polum per medium terræ ducta. Cum ergo ſuperior polus, nec rectè ſit in medio habitabilis noſtræ, nec in ſuo Orizōte, ſed inter vtrunque, conſtans eſt, quod firmamētum obliquè circa noſtram habitabilem mouetur. Similiter & ſtellæ quæ ab ipſo mouentur, ſed quæ in medio illius exiſtunt, cum ipſo modo ad Orientem: modo ad Occidentem mouentur. Sed quæ ſunt circa polum, vt plauſtrum, & ſerpens, niſi ſplendor Solis impediret, ſemper viderentur.

De effectu motus Cœli, ac ſtellarum in inferioribus.

CAP. XXXIV.

ALBERTVS. Habēt autem cœleſtia corpora rationem, & vim ſigni ſuper ea, quæ ſunt in tranſmutabili materia. Et etiam ſuper illa, quæ ſunt obligata materiæ, ſecundum eam rationem qua ei ſunt obligata. In materia dico eſſe generabilia, corruptibilia, & mutabilia. Obligata vero materiæ ea, quæ de neceſſitate ſequuntur tranſmutationē māteriæ, ſicut eſt anima vegetabilis in plantis, & ſenſibilis in brutis. Quædam autem ſunt, quæ dependentiam habent ad materiam, & obligationem ſecundum quid, & non ſimpliciter: vt eſt animus hominis: vnde dicimus ſanguinis accenſionem, circa cor inclinare animum ad iram: non tamen de neceſſitate. Sic ergo ſecundū quod animus hominis inclinatur, & dependet ad naturam & cōplexionem, ſic etiam habet in eo vim conſtellatio: videlicet ſecundum quid, & non ſimpliciter. Aliter.n.periret caſus & liberum arbitrium, & conſilium, & nihil eſſet contingens ad vtrumlibet de futuro, ſicut dicit *Philoſophus in lib. 1. Periermenias, & ſecundo Phyſic.* Sed adhuc diſtinguendum eſt. Nam quædam eſt cauſa immediata, & propter quid. Alia eſt cauſa prima vniuerſalis mouens, & inclinans cauſas immediatas. Cum ergo dicitur, quod aſtra ſiue corpora cœleſtia vim habent in inferioribus, intelligitur, quod habent vim, vt cauſæ primæ vniuerſales mouentes cauſas immediatas propter quid. Ideoq; non ſemper ſequitur effectus ad conſtellationes de neceſſitate. Et hoc attendit *Ioan. Damaſc.* cū dicit: ſydera non ſunt cauſa alicuius eorum quæ fiunt, neque corruptionis eorum quæ corrumpuntur. Signa vero magis ſunt imbriū & aeris tranſmutationis: fortaſſis aliquis vtiq; dixerit, quod præliorū non ſint cauſa, ſed ſigna. Si quidem & æqualitas aliqua facta à Sole, & Luna, & aſtris, & alijs diuerſas complexiones, & habitus, & diſpoſitiones conſtituit. Et intēdit Damaſce. quod ſignum ſonet minus quam cauſa. Cauſa n vt in Topicis dicit Boetius, eſt quā de neceſſitate ſequitur effectus. Signum autem eſt cauſa remota inclinās, non de neceſſitate cauſans ſine aliarum cauſarum coniunctione. Et hoc idem dicit Philoſophus in ſecundo de generatione & corruptione, quia licet tempus generationis omnium ſecundum acceſſum circuli ſit æquale: tamen quædam generantur citius, & quędam tardius, propter confuſionem materię maiorem, vel minorem, hæc omnia dicuntur catholicè. Quod autē ſuperiorum corporum virtus imponat neceſſitatem libero arbitrio, etiam contra Philoſophum eſt ponere, niſi per hunc modum quo dicimus, inclinari & mutari hominis animū. Vnde *Aug. in 5. de Ciui. Dei loquitur* hoc modo contra Tullium negantem Dei præſentiam, & fatum. Nos, inquit, aduerſus iſtos ſacrilegos auſus. atque impios, Deum omnia ſcire antequam fiant, dicimus: & voluntate nos facere, quicquid à nobis non niſi volentibus fieri ſentimus ac nouimus. Omnia vero fato fieri non dicimus, immo nulla fato fieri dicimus, quoniam fati nomen à loquentibus poni ſolet in conſtitutione ſyderum, qua quiſque conceptus, & natus eſt.

Signum.

Fatum.

De fine motus Cœli.

CAP. XXXV.

QVia vero dicit *Philoſophus, in ſecundo de generatione & corruptione*, quod ex allatione ſuperiorum continuatur generatio, & corruptio. *Super Epiſt. quoque Pauli ad Rom. dicit Gloſſa* quod motu ſuo nobis ſeruiunt ſuperiora: dicunt.n. multi ſanctorum, quod ſuperiora mouentur ad implendum naturalem numerū electorum. At econuerſo *dicit Auerroes* quod nihil mouetur propter indignius ſe. Generatio autem inferiorum & corruptio indignior eſt cœlo. Vnde patet, quod non propter illam mouetur finaliter, *In lib. quoque 2. de cœlo & mun.* dicitur, quod cœlum ſupremū vno motu bonitatem primi conſequitur, & orbes inferiores pluribus motibus. Cum ergo id, quod conſequitur motor per motum ſit finis motus: patet quod aliqua primi bonitas eſt finis eius. Nos quoque dicimus, quod generatio & corruptio inferiorum non ſunt finis motus cœli, ſed conſequentia finē: Nam finis intentus à motore eſt, vt primo motori, ſc. Deo aſſimiletur in aliqua bonitate, ac nobilitate, quæ, ſc. bonitas, vel nobilitas hæc eſt: cum.n.abſolutè Deus ſit cauſa omnium, intendit motor cæli naturalis imitari eum in hoc, vt & ipſe ſit cauſa prima, & natura rerum naturalium, generabilium, & corruptibilium. Si autem quæritur vtrū cæli motus habeat idem pro fine, quod habet pro primo mouente, ita quod ſit ab eodem in idem ex parte mouentis, ſicut eſt ab eodem in idem ex parte figuræ, dicimus, quod idem reuera in numero eſt primum mouens mouentem & finis, qui accipitur per motum eius. Bonitas enim, & nobilitas, de qua dictum eſt, mouet cœli motorem, vt deſideratum deſiderium. Eademque bonitas, & nobilitas eſt, quam conſequitur per motum.

Finis Motus Cœli.

Vtrum conſequatur finem ſuum per vnam circulationem.

CAP. XXXVI.

HAbet autem quæſtionem: vtrum cæli motor finem ſuum conſequitur per motum, qui eſt in toto tempore, vel per vnam circulationē. Videtur enim quod per vnam circulationem, quia motor perfectior pauciori motu cōſequitur finē & bonitatē, vt habetur *in li. 2. de cœlo & mūdo*, cū igitur in natura perfectiſſimus ſit motor cœli: videtur quod vna circulatione debeat finē ſuū conſequi, quod ſi cōcedatur, tūc ſecundū hoc ōnes ſequētes circulationes ſuperfluæ eſſe videbūtur.

Nos

Nos itaque dicimus ad hoc, quod duplex est finis, videlicet finis, vt terminus, & finis vt finis. Finis vt terminus est, quem in operatione vna perfecta motor cõsequitur. Item dicitur terminus, quia terminat vnum perfectum opus. Finis vt finis est, quem motor consequitur in omnibus operationib. suis. Et ille quidẽ dicitur finis, vt finis, quia simpliciter mouentẽ quietat. Dicimus itaque, quod cæli motor per rotationem vnam consequitur finem, vt terminũ. Sed per motũ, qui est in toto tempore, cõsequitur finem vt finẽ. Et est simile de motore in generatione, quæ intendit permanentiam in simili, & consequitur finem illum, vt terminũ in generatione vna. Sed permanentiã, vt finem simpliciter non consequitur, nisi per generationem indefessam, vel quietam. Expressius etiam habetur simile in motore augmenti, quia perfectam intẽdit quantitatẽ, & hanc consequitur, vt terminum in augmentatione vna. Sed vt finem consequitur simpliciter in augmentationibus omnibus, & tunc quiescit: vt enim dicit Philosophus *in lib. 2. de anima*, omnium natura constãtium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmẽti.

Quod Cœli motus sit omnium motuum naturalium causa, & principium.

CAP. XXXVII.

SIcut autem superius iam est ostensũ, motus cæli, ac superiorum corporũ causa est omnium motuũ naturaliũ. Cui etiã sententiæ consonant verba hæc *Aug. in lib. 5. de Ciui. Dei.* Non, inquit, vsquequaque absurdè dicit potest, ad solas corporum differentias, quosdam valere sydereos afflatus. Sicut in solaribus accessibus, ac discessibus, etiam ipsius anni tempora variari. Et luminarium quidem decrementis, & incrementis augeri, & minui quædam rerum genera videmus. Siquidẽ causæ separatę, id est motores orbium nõ habent actũ in natura, nisi per opera naturæ: vnde non causant formas substantiales rerum, nisi per motum superiorum, ac per motum elementorũ, ac per materiæ transmutationem, de hac quoque materia, i. de effectu superiorum in inferioribus, adhuc congruo loco dicetur inferius in tractatu de cœlestibus luminaribus. Nunc autẽ, vt dictũ est, quia motus naturales causantur à motu cæli, conueniens est hic inserere nonnulla de motu in generali, & postmodum etiam in speciali.

Intelligentiæ quomodo causant formas substãtiales.

De motu in genere.

CAP. XXXVIII.

ARistot. *in lib. Physic.* 3. Quoniam quidem natura est principium motus, & status, ac mutationis, non oportet ignorare quid sit motus, quoniã eo ignorato necesse est ignorare naturã: videtur autem motus esse continuorum, sed infinitum apparet in continuo, est enim diuisibile in infinitum; Sine etiam loco, & vacuo, & tempore impossibile est esse motum. Non est autem motus præter rem: mutatur.n. semper id quod mouetur, aut secundum substantiam, aut secundum qualitatem, aut secundum quantitatem, aut secundũ locum. Vnumquodq; autẽ dupliciter inest omnibus, vt hoc aliquid, hæc quidem forma ipsius, aliud verò priuatio. Et secundum qualitatem hoc quidem albũ, illud vero nigrum, & sic de alijs. Quare motus, & mutationis tot sunt species, quot & entis. Et motus quidem videtur esse actus imperfectus. Neque.n. posuit eum aliquis in alio genere, quàm, sc. in genere actus. Mouetur autem omne mouens physicè, i. naturaliter, cum sit potentia mobile, & cuius immobilitas quies est. Et eius quidem potentia est status. Non autẽ mutatio in hoc, neq; & hoc magis est, quã ex oppositis. Inconueniens est autem idem moueri secundum duos motus. Impossibile quoque est duorum diuersorum specie vnum & eundem esse actũ. Motus quidem est actus mobilis, & mouentis. Oportet.n. actum inesse vtrique. Sed mobili inest in ipso posse. Mouenti autẽ in ipso agere. *Idem in li. 8. Dicimus autem motum esse endelechiam, id est actum mobilis, secundum quod est mobile.* Item *motus est mobilis actus imperfectus.*

Motus non fit sine mutatione.

Motus quid.

De differentia motus & mutationis.

CAP. XXXIX.

IDem *lib. 5.* Differt autem mutatio à motu. Ex quibusdam.n. subito in quiddã subiectũ est mutatio. Motus autem est, qui est ex contrario in contrarium, non subito sed successiuè, vt qui est ex sanitate in ægritudinem. Et qui est ex ægritudine in sanitatem. Qui autem est in contrarium non solum est motus, sed mutatio: vt fieri album non ex quodam est. In quibus autẽ ideo est contrarium, quæ ex ipso, & quæ in ipsum contraria mutatio est: vt generatio corruptioni contraria est. Et remotio, sc. formæ à materia, contraria est acceptationi. Hæ vero mutationes, & nõ motus sunt. Transmutatur autem omne transmutatum aliud secundum accidens, vt cum dicimus musicum ambulare, quia cui accidit esse musicum ambulat, vt homo, aliud vero secundum partem, vt corpus sanatur, quia oculus, vel thorax. Aliud autem primo, & secũdum seipsum mobile est, vt alterabile. Est autem in mouente similiter diuisio. Aliud.n. mouet secundum accidens. Aliud secundum partem. Aliud autem per se: vt medicus quidẽ sanat, manus autem vulnerat. In omni quoq; mutatione est aliquid mouẽs primum. Et aliquid, quod mouetur, & in quo, sc. tempore, & præter hęc ex quo, & in quod. Magis autem ex eo in quod mouetur, quam ex quo mouetur mutatio denominatur: vnde corruptio est mutatio in non esse, & hoc ex esse. Generatio vero in esse, & hoc ex non esse. Species autem, & passiones, & locus in quo mouentur, mobilia sunt, vt scientia, & calor. Et motus quidem non est in specie, sed in eo quod mouetur, & in mobili secundum actum fit. Itaque secundum accidens mutatio relinquatur. In omnibus enim & semper & omniũ est. Quæ vero non secundum accidens est, sed per se, non in omnibus est, sed in cõtrarijs, & in medijs, & in cõtradictione. Vnus autem motus dicitur multipliciter, sc. *genere, specie, numero.* Sed simpliciter vnus est, qui substantia quidem vnus est, aut numero. Sunt autem tria secundum numerum, circa quæ dicimus motũ vnum, sc. quod mouetur, *Ex quo, & in quo, & quando.* Omne autem motũ simpliciter vnum, necesse est continuum esse, si diuisibile est. Si autem continuus est, erit vnus, quia vnum sunt extrema. Multi autem, & non vnus, quorũ quies est, medium: dicitur aũtem vnus etiã perfectus, siue secundum genus, siue secundum speciem, siue secundũ substantiã sit. Aliquando autem, & si imperfectus sit, vnus dicitur si solũ cõtinuus sit. Præter dictos autem motus dicitur vnus motus regularis, i. æqualis, & perfectus. Irregularitatis autẽ differẽtia est: aliquãdo quidem ab eo in quo mouetur. Impossibile est.n. regularẽ esse motũ in non regulari magnitudine, vt reflexi motus, aut obliqui. Aliquando autem velocitate, & tarditate determinatur. Cuius enim eadẽ velocitas est, regularis est. Cuius autem non, irregularis.

Transmutatorum diuisio.

Mouentium diuisio.

Motus vnus quotuplex.

De speciebus mutationis & motus.

CAP. XL.

QVoniam autem omnis mutatio est ex quodam in quoddam, mutabit mutans quadrifariè: aut enim ex subiecto in subiectũ, aut ex nõ subiecto in nõ subiectũ, aut ex subiecto in nõ subiectũ, aut ex non subiecto in subiectum. Dico autem subiectũ affirmatione mõstratum, quare necesse est ex his quæ dicta sunt tres esse mutationes. Nam illa quæ est ex non subiecto in nõ subiectum, non est mutatio, quia non est secundum contrapositionem. Neque enim contrarietas, neque contradictio est. Ex non subiecto quidem in subiectum mutatio secũdum contradictionẽ, generatio est.

Et

Et alia quidem ſimplex generatio eſt, vt quæ eſt ex nõ A
eſſe ſimpliciter in ſubſtantiam, ſecundum quam ſimpliciter fieri, & non fieri dicimus. Alia vero quædam cuiuſdam, vt ex non albo in album. Quæ vero eſt ex ſubiecto in non ſubiectum, corruptio eſt. Simpliciter quidem illa, quæ ex ſubſtantia in non eſſe eſt. Quædã autem eſt, quæ eſt in oppoſitam negationẽ, ſicut dictũ eſt & in generatione. Quoniam autem impoſſibile eſt, quod non eſt, moueri generatio motus non eſt, ſit.n. quod non eſt. Sed neque corruptio motus eſt: contrarium.n. motui, aut motus, aut quies eſt. Corruptio autem generationi contraria eſt. Cum autẽ omnis motus mutatio quædam ſit, & trium prędictarum mutationũ generatio, & corruptio motus non ſit, quæ ſunt ſecũdum contradictionẽ, neceſſe eſt ex ſubiecto in ſubiectum commutationem motũ eſſe ſolũ. Subiecta autẽ dico, aut contraria, aut media, priuatio.n. ponatur cõtrarium. Cumq; diuiſa ſint prædicamenta ſubſtãtia, & qualitate, & cæteris: ſecundum ſubſtãtiam nõ eſt motus, quia ſubſtantiæ nullum eſt contrarium. Sed neq; in ad aliquid, contingit.n. altero mutante: verum eſſe alterũ nihil mutans. Quare ſecundum accidens motus horum eſt ſemper, neq; agentis, neq; patientis: Neq; omne quod mouetur, & mouet, quia motus non eſt motus, neq; generationis generatio, nec omnino mutationis mutatio. Cum.n. omne quod mouetur tripliciter moueatur. Aut in eo, quod ſecundum accidens, aut in eo, quo pars aliqua, aut quo per ſe. Secundũ accidens ſolummodo cõtingit mutari mutatione, vt qui ſanus ſit currat, aut diſcat. Secundũ accidens autẽ mutationem ſuperius diuiſimus. Quoniam ergo ſubſtantiæ, nec ad aliquid, nec alicuius cæterorum, relinquitur ſecundũ quale, & quantum, & vbi, motũ eſſe ſolũ modo. In vnoquoq; enim horũ eſt contrarietas. Motus ergo ſecundum quale eſt alteratio. Motus autẽ ſecundũ quantũ cõmuni nomine caret. Sed aut augmẽtũ eſt, aut decrementum. Qui autem ſecundũ vbi, & proprio, & cõmuni nomine caret, ſed loci mutatio dicitur. Eſt autem motus, aut ex contrario in contrariũ, aut ſimpliciter, aut ſic. Immobile autẽ eſt, quod omnino impoſſibile eſt moueri, vt ſonus inuiſibilis, & quod in multo tempore vix mouetur, aut quod tardè incipit, quod dicitur grauiter moueri, & quod aptum natum eſt moueri, & poſſibile, non mouetur autem tunc cum aptum natum eſt, & vbi, & ſic.

Generatio non eſt motus.

Alteratio.

Augmentatio. Diminutio. Motus localis.

De contrarietate motus ad quietem, & motuum, & quietum adinuicem.

CAP. XLI.

IDem *in lib. Prædicamentorum.* Cumque motus ſpecies ſint ſex, motui quidem communi, contrarium eſt quies. Motibus autem particularibus quæ per ſingula ſunt, ſc. generationi corruptio, augmentationi diminutio, ſecundũ locum autẽ mutationi ſecundum locum quies videtur opponi, & fortè in contrarium locũ mutatio: vt ei quæ eſt ſuperius, ea quæ eſt inferius. Alterationi vero non videtur aliquid eſſe contrarium, niſi fortè ſecundum qualitatẽ quies, vel in contrariũ qualitatis mutatio. Eſt.n. alteratio mutatio ſecundũ qualitatem. *Auctor.* Nota, quod motus dupliciter conſiderari poteſt. Aut ſecundum, quod eſt actus imperfectus cuiuſque rei naturalis. Et eſt via deducens ſibi naturalia in eſſe, & ſic tranſcendens. Aut ſecundũ, quod eſt perfectio naturalis potentiæ, & ſic opponitur quieti contrariæ. Quippe generatio, & corruptio non ſunt propriè motus, ſed mutationes. Augmentũ eſt ab imperfecto ad perfectum: diminutio vero econtra. *Ariſt. in 5. Phyſic.* Non ſolum itaque motus motui videtur eſſe contrarius, ſed & quies, priuationi, eſt.n. ſimilis. Etiã quies ad inuicem contrariæ ſunt: magis autẽ motus motui contrarius eſt, quam quies. Quibuſcunque autem nõ inſunt contraria, horum mutatio quidem eſt oppoſita, ſc. quæ eſt ex ipſo, ei quæ eſt in ipſum, motus autem non eſt. Non ſolum autẽ in mutatione ſecundũ B C D E locum, & ſecundum naturam, & extra naturam ſunt, & motus, & quietes, ſed & generationes quædam violentæ ſunt, & non ordinatæ. Corruptiones quoq; quibus contrariæ ſunt, quæ ſecundum naturã ſunt. Augmenta quoque violẽta ſunt: vt quæ velociter propter alimentum pubeſcentium, ſimiliter & decrementa. In alteratione ſimiliter erunt, aliæ quidem violentæ, aliæ vero naturales. *Idem in lib. 8.* Omnes ergo ex oppoſitis terminis contrarijs ſunt. Alterationi paſſiones contrariæ. Augmento vero, & decremento magnitudo, vel paruitas contraria ſunt. Secundum locum eſt, qui eſt ſurſum ei, qui eſt deorſum, &c.

Motuum cõtrarietas ſumitur ex terminis.

De generatione, & corruptione.

CAP. XLII.

IDem *in lib. 1 de generatione & corruptione.* Vnam quidẽ ſemper contrarijs ſupponendum eſt eſſe materiam in tranſmutationibus. i. tria ſunt principia tranſmutationis, materia, ſc. & duo contraria, vnaq; eſt materia omnium quæ ad inuicem tranſmutãtur. Et ſi ſubiectũ vnum eſt, alteratio eſt. Generatio autem, & corruptio quando tranſmutatio fit ex hoc in hoc totum, i. quando tota forma rei ſubſtantialis tranſmutatur. Quando igitur in ſubiecto eſt trãſmutatio, generatio, & corruptio eſt. Quando vero in paſſionibus, & ſecundum accidens alteratio: veruntamen generatio ſimplex, eſt in ſimpliciter ens. Et corruptio ſimplex, in ſimpliciter nõ ens, quia ſc. fiunt ſecundũ formas ſubſtantiales. Quæcunq; vero non ſubſtantiã ſignificãt, ſed accidens, non dicuntur ſimpliciter, ſed ſecundũ quid generari: vt cũ ex non albo fit album, aut ex non bono bonum. Et id quidẽ ex quo generatur, i. quod generationi ſubijcitur, poteſtate eſt ens, actu vero non ens: vnius ergo rei corruptio eſt alterius generatio, & econtra. Quia ſc. generatur quid in hoc, & diſſoluitur in id. Et in quo terminatur corruptio ab eodem incipit generatio, quo circa inquietam, i. inceſſabilem & perpetuam neceſſe eſt eſſe tranſmutationẽ, i. generationem, & corruptionem. Et ſubiectum generationis, & corruptionis trãsmutatiuum eſt in contraria. Sed quando ſecundũ quãtum tranſmutatio fit, contrarietas eſt Augmentum, & diminutio. Quando ſecundum locum, eſt ambulatio. Quando autem ſecundum paſſionem, & quale, alteratio. Quando autem totum mutatur non manente ſubiecto, vniuerſaliter eſt generatio, & corruptio. Eſt autem ὕλη i. materia maxime quidem propriè ſubiectũ generationis, & corruptionis, ſuſceptibile, modo etiã aliquo, & in alijs tranſmutationib. *Idẽ in li. 2. Phyſi.* Prima vero generabilia, & corruptibilia ſunt quatuor elementa propter contrarietates, ſc. tangibiles, vt ſunt graue, & leue, calidum, & frigidũ, humidũ, & ſiccũ, lubricum, & aridũ, durum, & molle, aſperũ, & leue, craſſum ſubtile. Impoſſibile eſt autem id in quo generatũ eſt aliquid, enunciari. i. prædicari de generato. Non.n. bene dicitur ignis eſt aer, vel econtra. Sed verè dicitur annulus eſt aurum. Et quia non eſt huiuſmodi permutatio generatio, ſed alteratio, ſiue transfiguratio.

Cur generatio & corruptio ſint perpetua?

De eodem.

CAP. XLIII.

IDem *in Meta. 1. lib.* Inter eſſe, & non eſſe generatio eſt, ita quod illud quod generatur, ſemper eſt inter illud quod eſt ens, & illud quod non eſt ens. Addiſcens.n. & generatum ſciens. Et hoc intendimus cum dicimus, quod ex addiſcẽte fit ſciens. Quædam autem nõ reuertuntur ad inuicem ſc. quorum vnum eſt poſt alterũ, vt ex puero fit vir, non econtra. Alia vero reuertuntur: quia corruptio vnius eſt generatio alterius, vt ex aere fit aqua per corruptionem aeris. *Idem in lib. 2.* Omnia vero corrupta vadunt ad ea ex quibus ſunt. *Albertus.* Generatio autem conueniens ſecundum proportionem agentis materiæ. Calidum enim & humidũ mouentia in generatione diuerſas accipiunt proportiones ad formas ſubſtantiales inducendas, & ex diuerſitate

Reciprocatio rerum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſitate luminis deſcendentis à ſublimi de ſtellis, & ex diuerſitate materiæ, quæ ſc. materia quandoque commixtionem tantummodo nata eſt ſuſcipere, & tunc generantur mineralia. Quandoque vero commixtionem, & complexionem non tamen æqualem, ſed in qua dominatur ſubſtantia terreſtris ac dura, & tunc generantur plantæ. Quandoque autem complexionē adducentem ad æquale, & tunc generantur animalia. Sic etiam intelligitur, quod dicit Ariſtoteles, *quod omnis generatio eſt ex conuenienti.* Conueniens enim ſupponit proportiones agentis, & materiæ ad formam quæ inducitur. Et huius ſimile ponit Auicenna in actione ignis, qui cuidam materię non communicat niſi calorem. Alicui vero calorem, & lumen. Et alicui calorem, & lumen, & ſpeciem. Secundum quod magis, & minus apta eſt materia ſuſcipere impreſſiones, quæ ſunt ab igne.

Explicatur dictum Ariſtot.

De Mixtione.

CAP. XLIV.

Mixtioquid? 1.

Ariſto. li. 1. de Gene. & Corruptione Mixtio eſt mixtibiliū alteratorum vnio. Miſcibile vero eſt, quicquid bene determinabile ens actiuum, & paſſiuum, vt humidum. Non enim omne omni miſcibile eſt, ſed oportet *alterum mixtorum eſſe ſeparabile:* vnde impoſſibile eſt paſſiones, & habitus miſceri reb. vt album corpori: quia paſſionum nulla eſt ſeparabilis ſecundum ſc. *Sed neque non tangentia ad inuicem contingit miſceri.* Contingit autē mixta qualiter, id eſt quodammodo eſſe, & alio modo non eſſe. Actu quidem, & ente alio generato ex ipſis, potentia vero adhuc alterutro eorum, quæ fuerant antequam miſcerentur, vt ſc. aliud eſt à 4. elementis actu: potentia tamen eſt illa. Ea vero, quæ miſcentur prius *ex ſeparatis conueniunt.* i. prius quidem ſeparata erant, & ſeparari rurſus poſſunt, oportet autem mixta ſimilium partium eſſe, vnde ſi miſceatur ordeum frumento non eſt mixtio, ſed compoſitio. Illa vero quorum eadē eſt materia, & actiua ſunt, & paſſiua ad inuicem. Sed ea quorum non eſt eadem materia faciunt entia impaſſibilia, & horum non eſt mixtio. Ideoque nec medicina corporibus mixta eſt. Actiuorum etiam, & paſſiuorum *quæcunque ſunt facile diuiſibilia.* i. *determinabilia. Multa quidem paucis, & magna paruis compoſita: non faciunt mixtionē, ſed dominantis augmentationem.* Alterū enim in dominās tranſmutatur. Ideoq; gutta vini mille amphoris aquæ non miſcetur: quia ſpecies vini ſoluitur, & in aquam omnino tranſmutatur. Quando vero potentiis adæquantur, tunc quidem alterutrum in dominans tranſmutatur: non autem generatur alterum ſed mediū cōmune: denique parua paruis miſcentur: facilius enim ac citius inuicem tranſeūt. Ideoque, & bene determinabilia diuiſibilium ac paſſiuorum ſunt miſcibilia: quia faciliter diuiduntur in parua. Talia vero ſunt humida, vnde & humidum maxime miſcibile eſt omni corpori, ſi non ſit lubricum, id eſt viſcoſum.

Conditiones mixtioni prauia. 2.

3.

4. Æqualitas temperata requiritur ad mixtionem.

De loci mutatione.

CAP. XLV.

IDem in li. Phyſi. 8. Omnium autem motuum loci mutatio prima eſt, omniū etenim paſſionū principiū eſt denſitas, & raritas. Graue ſiquidem, & leue, durum, & molle, calidum, & frigidum, denſitates quædam, & raritates eſſe videntur. Denſitas autem, & raritas Cōgregatio, & diſgregatio ſecundū quas generatio, & corruptio dicitur ſubſtantiarū. Quæ vero congregātur neceſſe eſt ſecundum locū mutari. Diſgregatio namque, & congregatio ſunt motus ſecundum locū. Sic. n. mouent concordia, & diſcordia: hoc quidem diſgregat: illud congregat. Prēterea quoniā mēſura motuū eſt loci mutatio, neceſſe eſt ipſum eſſe primū, propriè quoq; moueri dicitur ſolum, quod ſecundum locū mouetur, augmentum vero impoſſibile eſt eſſe, alteratione non præexiſtente. Non autē quæreretur motus niſi motus aliquis eſſet ſecundum locū, propter hoc. n. & cœlum maxime in loco eſſe opinamur: quia ſemper in motu eſt. Eſt autem quod mouetur, aliud quidē per ſeipsū, aliud ſecundū accidens. Eius autem, quod ſecundū accidens. Alia contingentia ſunt moueri per ſe, vt partes corporis, & in naui clauus. Alia vero nunquam ſed sēper ſecundū accidens, vt albedo, & ſcientia, hæc. n. ſuū tranſmutant locū: quia illud in quo ſunt tranſmutāt. Ipſumq; continens quandoq; indiuiſum eſt, ſicut in toto dicitur, vt manus in corpore, quandoque vero diuiſus, vt in cado aqua. Manus. n. cum corpore mouetur, & aqua cum cado. Non autē videbitur eſſe motus niſi ſit vacuum, plenū enim impoſſibile eſt recipere: quia duo corpora non poſsūt ſimiliter eſſe, teſtimoniū autem de cinere faciunt: qui tantū aquæ recipit, quātum vacuū. Sed videtur dici vas vacuum vno quidem modo non plenum ſenſibili corpore ſecundū tactum, huiuſmodi vero eſt, quod habet grauitatē, & leuitatē. Eſt autem denſum quidem graue, rarū autem leue: vacuū itaq; ſimpliciter nihil eſt. Nō enim habet differētiam ſurſum ſc. & deorsū ſecundū quod vacuum: prætерea ſi vacuum eſt, æquè cito fertur graue, & leue.

De loco quid ſit.

CAP. XLVI.

IDem in lib. 3. Omne corpus eſt in loco, & habet aut grauitatem, aut leuitatem, & graue quidem in medio ſecundum naturam habet ferri, vt terra. Leue ſurſum. *Idem in 4. lib.* Quod autem locus ſit aliquid in natura patet, quoniam ea, quæ ſunt, in loco ſunt, ſc. corpora, & quia fit ſecundum locum mutatio, & quia vno corpore ingrediente, & alio egrediente manet locus vnus, & idem. Item: quia habet aliquam potētiam ante determinatam, vt patet in mutationibus phyſicorū corporum, & ſimplicium, ſc. ignis, & terræ, & huiuſmodi, nam vnumquodq; fertur in locum proprium nō ſibi prohibitum, hoc quidem ſurſū, illud autem deorſum. Sunt enim hę loci ſpecies, ſc. ſurſum, deorſum, & reliquæ ſex diſtantiarum. Quę quidem non ſolū quo ad nos poſitione differunt: ſed in natura ſunt determinata. Surſum enim eſt vbi fertur leue. Deorſum autem vbi graue. Idem oſtendunt etiam corpora Mathematica: quia cum non ſint in loco ſecundum poſitionem, tamen quantum ad nos, id eſt ad intellectum noſtrum habent deorſum, & ſiniſtrorſum. Itē etiam aliqui vacuum aliquid eſſe confirmant, locum enim eſſe ponūt vacuum, *vacuum enim locus erit priuatus corpore.* Eſſe ergo, & locum præter corpora, & omne corpus ſenſibile eſſe in loco, per hoc aliquis concipiat. Habeat autem locus diſtantias tres, longitudinis, profunditatis, latitudinis, quibus determinatur omne corpus.

Probatur dari locum in natura.

Surſum. Deorſum.

Vacuum.

Quid ſit locus.

CAP. XLVII.

IMpoſſibile autem eſt corpus eſſe locum. In eodē. n. eſſent duo corpora. Sicut autem omne corpus eſt in loco: ſic & in omni loco corpus. Sed neq; minor neque maior locus eſt vnicuique. Et locus quidem alius cōmunis eſt in quo omnia corpora ſunt ſicut cœlū. Alius vero proprius in quo primo, ſc. corpus eſt. Si autē locus primū continens vnumquodq; corporū, terminus quidē eſt, videtur igitur forma, & ſpecies vniuſcuiuſq; locus eſſe quo determinatur magnitudo, & eius, ſc. magnitudinis materia, hæc enim ſc. forma eſt vniuſcuiuſq; terminus. Sic ergo cōſiderantibus, ſc. locū in natura determinatis, locus vniuſcuiuſq; ſpecies eſſe videtur. Materia vero videtur eſſe locus ſecundū quod videtur locus eſſe diſtantia magnitudinis. i. dimēſio. Eſt. n. æqualis magnitudini. Et eſt altera à magnitudine, contēta à ſpecie, & definita. i. determinata, huiuſmodi autē materia eſt, & infinitū. Cumq; remouētur termin⁹. i. quātitas, & paſſiones. i. qualitates, & ſpecies. i. formæ ſubſtantiales, nihil relinquitur præter materiā. Vnde &

Locus communis. Proprius.

Plato

Locus non eſt materia.

Plato locum, & materiam vnum & idem eſſe dicit *in thymæo*. At vero, quod impoſſibile ſit horum quodlibet eſſe locum, facile eſt videre. Species enim & materia non ſeparantur à re, locum autem ſeparari contingit. Amplius quomodo ferentur in locum ſuum, ſi locus eſſet materia vel ſpecies. Impoſſibile enim eſt id cuius. i. ad quod non eſt motus neque ſurſũ neq; deorſum, locũ eſſe: præterea ſi vere forma aut materia locus eſt, erit locus in loco. Tranſmutantur enim ſimul cum re, & mouentur & ſpecies. ſc. forma, & infinitum, ſc. materia. Multis autem modis dicitur aliquid eſſe in alio. Vno quidem modo ſicut digitus in manu, & omnino pars in toto. Alio vero ſicut totum in partibus. Alio vero ſicut ſpecies in genere. Alio vero ſicut genus in ſpecie, vel pars ſpeciei. i. differentia in ſpecie ratione. i. definitione. Alio ſicut ſanitas in calidis, & frigidis, & omnino ſpecies in materia. Alio ſicut in rege diſpoſitiones, quæ ſunt Græcorum, & omnino motũ in primo motiuo. Alio vero ſicut in optimo, & omnino in fine, hoc eſt cuius cauſa fit, omnino autem & maxime proprius modus eſt ſicut in vaſe, & omnino in loco. Et quoniã totũ in partibus eſt, & ecõuerſo dicetur totum in ſeipſo, quia ſc totum & pars eiuſdem naturæ ſunt. Sed illo modo quo vinum eſt in vaſe, impoſſibile eſt aliquid eſſe in ſeipſo. Quod autem oppoſuit Zeno, quia ſi locus eſt aliquod, *in aliquo ſc. vt in loco erit*, facile eſt ſoluere: nihil enim prohibet in aliquo quidẽ eſſe primo locum, non tamen in illo ſicut in loco, ſed ſicut ſanitas in calidis eſt vt habitus, calor autem in corpore vt paſſio, quare non neceſſe eſt in infinitũ abire: d: gnum eſt ergo locum eſſe, & primo quidem continere locatum, & nihil rei eſſe, nec maiorem, nec minorem eſſe, nec deficere, vnicuique ſeparabilem eſſe, ſurſum, & deorſum habere, & vnumquodque corpus natura ferri ſurſum, vel deorſum, & in locis proprijs manere.

De modis eſſendi, qui ſũt octo.

1.
2.
3.
4
5.
6.
7.
8.

Aliquid dicitur eſſe in ſeipſo.

Proprietates loci.

Adhuc de eodem.

Cap. XLVIII.

Loci definitio colligitur ex dictis.

EX his ergo patet quid ſit locus: fortè autẽ quatuor ſunt, quorum *vnum aliquid neceſſe eſt eſſe locum, ſc. aut formam, aut materiam aut ſpacium aliquod* in medio extremorum, *aut extrema*. Forma quidem videtur eſſe propter id quod continet. In eodẽ enim ſunt extrema cõtinentis, & contenti. Sunt quidam vtraque termini, ſed non eiuſdẽ. Nam ſpecies quidem rei, ſc. contentæ. Locus autem continentis corporis, ſc. à contento diuiſus. Materia vero eſſe videtur, quia in alteratione manente materia fit tranſmutatio. Sic, & in loci mutatione, manente loco, præterea in tranſmutatione elementorum, quod erat aer, hic nunquam aqua eſt, ſed materia, vt prædictum eſt, nec diuiſa eſt à re, nec continet rẽ, locus autem vtrũque. Ex eo autem quod manente cõtinente mouetur contentũ & diuiſum, vt ex vaſe aqua, videtur locus eſſe ſpacium mediũ receptũ inter partes ſuperficiei continentis. Quod autem vnus & idẽ locus intranſmutatus recipiat diuerſa corpora ſecundũ ſucceſſionem, nõ videtur poſſibile, niſi locus ſit vltimum continẽs cum ſpatio intercepto ſupra quod ſuccedũt corpora, hoc autem non eſt, ſc. quod ſpacium totũ intra terminũ continentis ſit locus vel aliquid loci. Si. n. huius dimẽſio imaginata eſſet locus. Infiniti eſſent loci in vno loco. Eritq; loci alius locus. Et multi loci ſimul erũt, quod ſ. eſt impoſſibile. Si ergo nihil horũ triũ locus eſt, neceſſe eſt eſſe quartũ ſc. *terminũ corporis continentis*, dico autem contentum corpus quod mouetur ſecundum locum.

Locus quid?

De modis eſſendi in loco.

Cap. XLIX.

Potentia in loco.

ALia quidem ſunt in loco ſecundũ potentiã. Alia vero ſecundum actũ. Nam *partes continui* cum ſint vnum ex eis ſecundũ potentiam in loco ſunt, *Separatæ vero ſecundum actũ*. Item quædam in loco ſunt per ſe, vt

Actu in loco.

omne corpus ſecundum locum mobile, vel ſecundũ augmentum. Alia vero per accidens, vt anima & cælũ. Non. n. cœlũ alicubi totum eſt, nec in loco quodam: quia nullũ corpus ipſum continet ſub quo moueatur. Sed partes eius quædã in loco quodã ſunt, omnes autẽ in eo; circulariter. n. continet alia aliã: vnde circulariter ſolum mouetur, quod ſurſum eſt. Omne namque, id eſt vniuerſum non eſt alicubi nec extra ipſum aliquid eſt. Et extra omne, & totũ nihil eſt. Ideo omnia in cælo ſunt, quia cœlum eſt: quod omne eſt. ſc. quantũ ad cõtinentiam omniũ corporũ. Eſt enim quiddam vltimũ & tangens mobile: terminuſque corporis quieſcentis. Terra namque in aqua eſt: & hæc in aere: hæc autẽ in æthere & hæc in cœlo. Cœlum autem non amplius eſt in alio. Non itaque locũ neceſſe eſt eſſe ſpaciũ aliquod corporeum, nec pũcti eſſe locum. Et eſt locus alicubi, id eſt in aliquo: non ſicut in loco: ſed ſicut terminus infinito. Non enim omne quod eſt: in loco eſt. Sed corpus mobile ſecundum locum.

Cœlum eſt omnia.

Locus eſt alicubi.

De localium motuum diuerſitate.

Cap. L.

Motus circularis.

IDem *in lib. 1. de Cœlo, & mundo*. Omnia vero corpora naturalia, & magnitudines mouentur motu locali per ſe: quia natura eſt principium motus in eis. diuerſitas autem motuũ eſt ſecundũ modum diuerſitatis locorum, quæ ſurſum eſt & deorſum &c. Omnis autem motus, qui fit in loco, aut eſt rectus, aut circularis, aut ex vtriſque compoſitus. hi enim duo motus tantũ ſimplices ſunt. Nam & corpora quidẽ ſimplicia ſunt iſta duo longum & circulare. Motus circularis eſt ille, qui eſt circa medium. Rectus vero cuius terminus eſt ſurſum, & deorſum omnis ergo motus ſimpliciter aut eſt à medio, aut ad medium, aut circa medium. Corpus ſimplex neceſſario eſt, quod mouetur natura ſua motu circulari. Poſſibile eſt etiam vt moueantur quædã corpora motu accidentali, qui eſt cõtrarius naturali. Motus ſurſum aſcendens, igni quidem naturalis eſt, terræ vero accidentalis. Motus autem deſcendens deorſum terræ naturalis, & igni accidẽtalis: ponamus ergo graue deſcendens ad medium, & leue aſcendens à medio, omne quidem corpus incedẽs ſurſum, aut deorſũ, grauitatem proculdubio habet, aut leuitatem. Non eſt ergo corpori rotundo grauitas, aut leuitas: quia non eſt poſſibile, vt moueatur à medio, vel ad medium motu accidentali, vel motu naturali. Corpus ergo primum mobile quod mouetur circulariter, non habet grauitatem aut leuitatem. Dico autẽ quod corpora quæ æqualia ſunt in magnitudine mouentur, & mutantur æqualiter in vno tẽpore. Et corpus minus mouetur motu maiore in illo tempore: vbi eſt autem motus glebæ vnius, illuc eſt motus totius terræ, & vbi motus ſcintillę, ibi & totius ignis. Omnia denique elementa ad locum à quo recedunt violenter, accedunt naturaliter. Et ad locum in quo ſtat corpus ſine violentia, vadit iterum ſine violentia, & econtra. Omne autem quod mouetur, alteratur de aliquo in aliquid.

Cœlum non eſt graue aut leue.

De alteratione ſecundum quid habeat fieri largè, vel propriè.

Cap. LI.

Alteratio large sũpta.

IDem *in li. 3* Res autẽ omnes alterabiles alterantur ad rem ſibi conuenientẽ non ad alterã. Sicut augmentabile non ad ſanitatem alterabitur, ſed ad magnitudinem. Aliæ namque ſunt res, quæ alterantur per qualitatem. Aliæ per quantitatem. Et aliæ quæ per locũ, ſc. largè ſumpto vocabulo altetationis. *Idẽ in 7. Phyſicorũ*. Quæ autem alterantur, omnia à ſenſibilibus alterãtur, propria ſc. & in formis quidem ac figuris & habitudinibus & horum remotionibus, & acceptionibus videtur alteratio fieri. Non autem ſic eſt. Sed fiunt hæc cum quædam alterantur, denſata enim vel rarefacta materia, aut cum calida fit aut frigida, nõ eſt alteratio.

Nam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nam illud ex quo eſt forma ſtatuæ non dicimus formam, nec illud ex quo eſt figura pyramidis aut lecti, ſed denominamus hoc quidem æneum, illud autem cereum, hoc autem ligneum. Quod autem alteratur æs dicimus humidum eſſe, vel calidum. Aut forte dicentes æquiuocè paſſioni materiam, præterea inconueniens, & ridiculum eſt dicerè perfectionem domus eſſe alterationem. Et domum coopertam eſſe alteram. Alteratio ergo non eſt in formis, & figuris. Sed neque ex habitibus fit: habitus enim ſunt virtutes, & malitiæ. virtus autem omnis, & malitia ſunt ad aliquid ſcilicet tam corporis, quam animæ. Corporis quidem vt ſanitas calidorum, & frigidorum menſuratio quidam eſt. Similiter pulchritudo, & macies ad aliquid ſunt. Sunt enim diſpoſitiones quædã perfecti ad optimum ſcilicet actum, dico autẽ perfecti eſſe quod ſanat ideſt ſanatiuum eſt, & diſpoſitiuum ſecundũ vel circa naturam. Quoniam ergo huiuſmodi virtutes & malitiæ ſunt ad aliquid: quæ autem ad aliquid ſunt neque generationes ſunt, neque ipſorum eſt generatio, nec alteratio, omnino patet quod nõ eſt alteratio circa huiuſmodi habitus ſcilicet corporis. Virtus enim corporis hæc vocatur bona eius diſpoſitio: malitia vero contrarium.

Virtus eſt ad aliquid.

Adhuc de eodem.

Cap. LII.

Sed neque circa virtutes & malitias animæ eſt alteratio. Virtus enim quædam perfectio eſt ſcilicet intellectus practici. Nam & vnumquodque tunc maximè perfectum eſt, cum contingit proprię virtuti: & tunc eſt maximè ſecundum naturã ſicut circulus cũ maximè ſit circulus ideſt perfectus. Malitia vero eſt corruptio virtutis & remotio: quare ſecundum virtutem non fit alteratio: quia nihil cum perficitur alteratur: vt ſupra oſtenſum eſt. Eadem ratione, neque ſecũdum malitiam quam ſcilicet omnis alteratio fit inter oppoſita. Quare cum virtus & malitia ſunt oppoſita: ſi virtus non habetur per alterationem, nec malitia. Neque ergo virtutis, neque malitiæ eſt alteratio. Sed huius acceptio, & huius remotio fit cum quiddam alteratur ſcilicet precedens, circa quod habẽt eſſe. Quod autem alteratur aliquid horum ſcilicet præcedentium ad virtutem manifeſtum eſt. virtus enim aut impaſſibilitas quædam eſt aut paſſibilis eſt. Sic malitia, aut paſſibilis eſt, aut paſſio virtuti contraria. Nam virtus moralis & malitia conſiſtunt circa delectationes & triſtitias: Virtus ſcilicet cum homo patitur, & non deducitur. Malitia vero cum patitur & deducitur: ſiue ſecũdum actum, ſiue per memoriam: aut ſpecie ideſt ſiue delectationes & triſtitiæ ſint præſentes & ſenſibiles: ſiue præteritæ recolantur per memoriam: ſiue futuræ concipiantur per ſpem. Igitur & ſi ſecundum habitus dictos non fit alteratio, conſequuntur tamen alterationibus prioribus. Sed neque in intellectiua parte animæ ideſt intellectu ſpeculatiuo eſt alteratio, ſed generatio ſuorum habituum. Scientia enim maximè ad aliquid dicitur, & nullum ad aliquid alteratur, vt ſupra dictum eſt. Idẽ etiam in ſcientia patet complexa, quia non inducitur per motum creſcentem in fieri. Inducitur enim vniuerſalis ſcientia facta inductione, & completa per experientiam in particularibus. Et ita non eſt inducta per motum, ſed poſt motum. Neque igitur actus ſcientiæ generatio eſt, ideſt ipſa non eſt habita per motum, niſi ſicut viſio alteratur vel tactus per alterationes præcedentes, ſecundum autem nullum tale fit alteratio. præterea ſcientiæ acceptio non eſt generatio neque alteratio, quia per quietem & priuationem motus inducitur. *Nam in quieſcendo, & ſedendo fit anima prudens.* Sicut neque dum dormiens ſurgit aliquis, aut ebrius pauſat, aut infirmus ordinatur, fit ſciens, qui prius quidem non poterat vti ſcientia, neque ſecundum ſcientiam agere. Sed mutata perturbatione, & in ſtatum veniente intellectu: ineſt potentia ad ſcientiæ congruitatem. Turbationis enim quies, quædam eſt ſcientiæ reſtitutio: præterea infantes propter multum motum in iuuentute non poſſunt intelligere, ſcire, vel iudicare, ſicut presbyteri, ideſt ſeniores, aut philoſophi. In quorũ pauſatione fit & quies motuũ. Nõ itaq; per motũ introducitur ſcientia, quę per motũ prohibetur, non ergo ſecundum eã alteramur. Ergo quoniã alteratio, quæ eſt motus ſecundum qualitatem, vt dictum eſt: non fit ſecundum formam & figuram, quæ ſcilicet ſunt quarta ſpecies qualitatis, neque ſecũdum habitum & diſpoſitionem, quæ ſunt prima ſpecies, in quibus tamen fieri videtur, vt ſupra dictum eſt, ſi in alijs deberet fieri. Manifeſtum eſt enim quod ſolum fiat in ſenſibilibus, vt ſcilicet in paſſione, & paſſibili qualitate quæ eſt tertia ſpecies. Et in ſenſibili parte animæ: in alio autem nullo niſi ſecundum accidens.

Alteratio propriè dicta eſt in qualitatibus tertia ſpecies.

De quinque quæ exiguntur in vera alteratione.

Cap. LIII.

Albertus. Quinque autẽ exiguntur ad hoc, quod ſit vera alteratio in aliquo: quorum *primum eſt*, quod qualitates inter quas eſt alteratio, *ſint contrariæ actiuè, & paſſiuè ad inuicem* vel in ſe, vel in ſuis cauſis. Sicut album & nigrum, dulce, & amarum. *Secundum eſt*, quod illæ qualitates *habeant medium*, vel ſecundum intenſionem, vel remiſſionem, vel ſimpliciter ſecundum quem modum ſumitur mediũ ab Ariſt. in Phyſi. vbi dicit, quod medium eſt, in quod venit primũ mutans, quam in extremum. *Tertium eſt*, quod actio, & paſſio qualitatum contrariarum, inter quas eſt alteratio magis facta ideſt intenſa, *abijciat id quod alteratur à ſua ſubſtantia.* Sicut calidũ remouet aquã à ſubſtãtia aquę, hoc eſt qualitate eſsẽtiali cũ hoc ipſã aquã diminuendo. *Quartum eſt*, quod id quod alteratur ſcilicet ſubiectum qualitatum contrariarum, *ſit quantum, & diuiſibile. Quintum eſt*, quod illæ qualitates inter quas eſt alteratio, ſint *in ſubiecto illo ſecundum quod eſt quãtum*, & diuiſibile per accidens diuiſione ipſius. Et ex his patet quod inter priuationem & habitum non eſt verè alteratio Phyſica. Similiter patet, quod in anima nulla eſt alteratio Phyſica: vnde quod dicit philoſophus ibi eſſe alterationem, intelligitur de alteratione ſecundum quid, quæ diffinitur in genere *in 1. lib. de Generatione, & Corruptione, ſcilicet quod alteratio eſt, quando ſubiecto eodem manente numero, mutatio eſt in ſuis paſſionibus, ideſt qualitatibus.* Quòd diſtinguit philoſophus dicens, quod mutatio, quæ eſt de ignorantia in ſcientiam, ideſt de priuatione in habitum, & de non ſciente in ſcientem, eſt alteratio ſimpliciter. Intelligitur de alteratione ſecundum diffinitionem ſui generis, & non de alteratione Phyſica. Quod vero dicit, quando habens habitum mutatur ad actum, ſicut ſciens in habitu ſentit in actu, non eſt alteratio ſimpliciter, vel alterum genus alterationis: pro tanto dicit hoc quia quando ſciens conſiderat, non mutatur in alium habitum, vel formam, quod exigitur ad alterationem in genere. Sed potius confirmat, & ſaluat eundem habitum per frequentem actum.

Primum. *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.* *Quintum.* *Alteratio quid.*

De augmento, & diminutione.

Cap. LIV.

Ariſtoteles in lib. de Gene. & Corruptione. Alteratio ergo non eſt ſecundum locum tranſmutatio: quia alteratio eſt, quando manente ſubiecto ſenſato tranſmutatur in eius paſſionibus aut contrarijs aut medijs. Augmentatio autem eſt exiſtentis magnitudinis additamentũ, diminutio vero minoramentũ. Ideoque magnitudinem oportet habere, quod augeat: quod quidem alteratur non ex neceſſitate

Maxima pulcherrima.

locum tranſmutat, neque quod generatur. Quod autem augmentatur, & diminuitur tranſmutat locum. Sed alio modo, quam illud, quod fertur. Quod enim fertur vniuerſum mutat locum, ideſt ſecundum ſe totum, & partes: quod autem augmentatur ſecundum partes ſolum, hoc enim toto manente, partes tranſmutantur ſecundum locum. Cæterum cum generatur aliquid ſimpliciter, aut corrumpitur non manet ſubiectum. Cum autem alteratur, vel augetur manet idem. Sed in alteratione paſſio, vel in augmentatione magnitudo non manet eadem. *Idem in libro de cælo, & mundo ſecundo.* Dico autem, quod ſurſum eſt principium longitudinis, dextera latitudinis, ante profunditatis: non enim nominatur principium, niſi vnde incipit motus in primis corporibus: principium nãque augmenti eſt ſurſum, principium motus localis dexterum, principium vero motus ſenſibilis ante. Nõ enim ſignificamus per ante niſi vbi ſunt ſenſus. Et ſurſum quidem, & deorſum ſunt omnibus ſpirantibus ex animalibus, & plantis. Dextera vero, & ſiniſtra nõ eſt in aliqua plantarum. Item dico, quod ſurſum eſt, vbi eſt principium motus, dextera eſt locus exitus motus in alio. Ante vero locus finis motus.

De Mouente, & moto.

CAP. LV.

IDem in 7. lib. Phyſi. Omne, quod mouetur, ab aliquo moueri neceſſe eſt. Si ergo in ſeipſo non habet principium motus ab altero mouetur, quod quidem à ſeipſo nullo modo pauſabit. Si autem quod mouetur, ab altero mouetur, ipſum autem mouens etiã mouetur, & mouens igitur ab alio mouetur, quod & iterum ab altero mouetur. Neque in infinitum abibit, ſed ſtabit alicubi. Et erit aliquid quod primum erit cauſa motus. *Idem in* 8. Eorum autem quæ per ſe mouentur, alia quidem mouentur aut à ſeipſis, aut ab alio, & alia quidem natura, alia vero violentia, & extra naturam. Quæcunque à ſeipſis mouentur, natura mouentur, alia extra naturam. Ex natura, vt ignis ſurſum, & terra deorſum: quia apta nata ſunt ibi eſſe. Extra vero, vt ignis deorſum, & terra ſurſum. Leuia enim & grauia in oppoſita loca mouentur violentia. In propria vero natura leue quidem ſurſum, graue natura deorſum: non tamen à ſeipſis Animalium enim hoc eſt, & animatorum proprium. Impoſſibile eſt autem in infinitum abire mouens, & motum. Quod enim mouetur, non neceſſe eſt mouere, ſed quod mouet, etiam moueri neceſſe eſt. Excepto primo mouente, quod manifeſtum eſt eſſe immobile. Omne enim quod mouetur, neceſſe eſt eſſe continuum, & diuiſibile in ſemper diuiſibilia. Siquidem neceſſe eſt ſemper motum, & continuum eſſe. Quare neceſſe eſt eſſe aliquod vnum, & perpetuum primum mouens, & nullam habens magnitudinem. Si enim habet, aut finita eſt, aut infinita. Sed infinitam non contingit eſſe magnitudinem, quod autem finitum eſt: impoſſibile eſt infinitam potentiam habere. Impoſſibile quoque à finito moueri aliquid ſecundum infinitum tempus. Si ergo primum mouens perpetuum mouet motum, & infinito tempore, patet, quod indiuiſibile eſt, & impartibile, nullamque habens magnitudinem, ipſumque motum quem primum mouens mouet, eſſe vnum, & eundem, & primum, & continuum. Mouetur autem, & quieſcit quodammodo ſphæra, eundem enim obtinet locum.

Primũ mouens non eſt finitum.

Cælum mouẽdo quieſcit quodãmodo.

Quod in omni ſpecie motus inter mouentem, & motum nihil eſt medium.

CAP. LVI.

IDem in lib. 7. Phyſi. In omni autem mouente, eſt & quod mouetur: quia nihil ipſorum medium eſt. Triplici ergo exiſtente motu ſcilicet ſecundum locum, ſecundum quantitatem, & ſecundum qualitatem, primo de loci mutatione dicendum, hic eſt enim primus motuum. Omne ergo, quod fertur: aut à ſeipſo mouetur: aut ab altero. Si à ſeipſo: manifeſtum eſt: quia ſimul mouens, & quod mouetur erit, & nullum ipſius medium. Motus autem ab altero quatuor ſunt ſcilicet *pulſio, tractio, vectio, vertigo*. Omnes namque alios in hos neceſſarium eſt contingere. Pulſio eſt à ſeipſo, vel ab alio ad aliud motus. Tractus autem eſt motus ab alio ad ipſum, aut ad aliud. Pulſionis quidem alia eſt impulſio, alia expulſio. Impulſio eſt cum mouens ei, quod eſt motum, non deficit. Expulſio vero cum expellens deficit. Vectio autem in tribus motibus erit. Quod enim vehitur non ſecundum accidens: in eo ſcilicet quod eſt in eo, vel ſuper id quod mouetur. Vehens autem mouetur aut per pulſum aut per tractum, aut vertigine nuctum tractum eſt cum ad ipſum aut alterum velocior fit motus. Trahens non ſeparatum ab eo, quod trahitur, nam & ad ipſum eſt tractio, & ad alterum. Reliqui autem tractus ijdem ſpecie in hos reducuntur, vt inſpiratio, expiratio. Expulſio eſt ijs conueniens quæcunque corporum emiſſiua ſunt, aut receptiua, vt ſpeculatio, & radiatio, & omnis motus, qui eſt ſecundum locum congregatio & diſgregatio. Vertigo autem componitur ex tractu, & pulſione, hoc quidem enim pellit mouens, illud autem trahit. Proiectio autem eſt, quando velocior motus fit eo, quod ſecundum naturam fertur fortiori facta impulſione, & vſque ad hoc quod accidit ferri, quouſque fortior fit motus eius, quod fertur. Manifeſtum eſt igitur, & quod mouetur, & mouens ſimul, & nullum ipſius medium eſſe. Sed neque alterati, & alterantis vllum eſt medium. In omnibus enim accidit ſimul eſſe alterans vltimum, & primum, quod alteratur. Quale namque alteratur in eo, quod ſenſibile eſt. Senſibilia vero, ideſt ſenſibiles qualitates ſunt quibus ab inuicem corpora differunt, vt grauitas leuitas, durities mollities, ſonus non ſonus, albedo nigredo, dulcedo amaritudo, humiditas ſiccitas, denſitas raritas, & horum media. Similiter & alia, quæ ſub ſenſu ſunt, vt calor & frigus, lenitas aſperitas, hæ enim ſunt paſſiones ſubſtantiæ qualitatis. Similiter autem & animata corporum, & inanimata, & animatorum quæcunque partim inanimata ſunt ſcilicet vt plantę. Et ipſi quidem ſenſus alterantur, patiuntur enim: actus enim ipſorum motus eſt per corpus patiente aliquid ſenſu, & ſecundum quæcunque quidem alterantur inanimata, ſecundum hæc omnia, & animata, non autem econuerſo. Non enim alterantur inanimata ſecundum ſenſus, nihilque prohibet in animatis alterationem latere, cum alterantur ſcilicet in anima: quia non ſecundum ſenſum accidit huiuſmodi alteratio. Ex his ergo patet, quod agens, & paſſio ſunt ſimul, & horum nullum eſt medium. Oculo enim contiguus eſt aer, & aeri cõtiguatur corpus, ſcilicet coloratum. Superficies in qua eſt color terminatur ad lumen. Lumen autem, ideſt aer lucidus ad viſum. Similiter autem, & in cęteris ſenſibus, & etiam in animatis, ſimiliter, & in ſenſibilibus. Similiter & quod augetur, & augens ſimul ſunt: & decrementum ſimiliter ſe habet. Decremẽti enim cauſa ablatio quędam eſt. Manifeſtum eſt autem, quod mouẽtis primi & vltimi, quod mouetur ideſt inter ipſum mouens, & motum nullum eſt medium.

Quatuor ſpecies motus ab alio.

Impulſio.

Expulſio.

Vertigo.

Proiectio.

Senſibiles qualitates.

Quod

Quod motus, & quies mensurantur in tempore.

CAP. *LVII.*

IDem *in lib.6.* Necesse est autem & tempus esse cõtinuum, & omnem motum diuidi secundum tempus. Et easdem esse diuisiones temporis,& motus: Et ipsius moueri, ad quod mouetur, & in quo mouetur. At non omnium similiter in quibus est motus , sed quanti quidem secundum se,qualis autem secundum accidens. In sola enim mutatione, quæ est secundum qualitatem cõtingit indiuisibile esse per se. Est autem in tempore aliquid indiuisibile , quod dicimus esse ipsum nunc. Si enim diuisibile est, erit aliquid quod factum est in futuro,& aliquid futuri in eo, quod factum est. Secundum enim quod diuidetur determinat præteritum,& futurum tempus,& in ipso quidem nunc est motum, & mutatum. Moueri autem impossibile. Manifestum est enim,quod in ipso quidẽ nunc, nihil mouetur; alioquin contingeret, & velocius, & tardius moueri, similiter nec in eo contingit quiescere. Quiescere enim dicimus, quod similiter se habet, & ipsum & partes, nunc & prius: in ipso vero nunc non est prius, quare neque quiescere. Necesse est igitur, & moueri, quod mouetur in tempore, & quiescere quiescens. Impartibile autem non contingit moueri nisi secundum accidens,& partem totius motus. Motus autem diuisibilis est dupliciter. Vno quidem modo tempore. Alio vero secũdum motus partium illius, quod mouetur. Impossibile est autem in infinito tempore finitum moueri. Et infinitum ex finitis esse.

Nota quietẽ propriè dictã non esse in instanti.

Quid sit tempus?

CAP. LVIII.

Sententia antiquorum de tempore.

IDem *in lib. 4. Physi.* Tempus quidam totius, scilicet reuolutionis cæli motum esse dicunt. Alij vero ipsam Sphæram: quia in tempore sunt omnia, & in totius Sphæra. Verum *tempus est numerus motus secũdum prius, & posterius.* Tempus ergo non est motus, sed id secundum quod habet numerari motus . Est quidem numerus dupliciter, est namque quod numeramus, & numerabile dicimus, & quo numeramus: differunt autem hęc sicut motus, & tempus. Est enim numerus vnus , & idem qui est numerus centum equorum, & qui centum hominum . Quorum vero numerus est: altera sunt, vt equi ab hominibus. Tempus autem est , quod numeratur , & non quo numeramus, mensuratque motum: simul & esse motus. Et hoc est ipsi motui esse in tempore , mensurari tempore, & mensurari ipsum est esse ipsius. In tempore enim esse duplex est accipere, scilicet esse, quando tempus est, & esse sub tempore, sicut quædam in loco, vel in numero esse dicimus, quia sub loco, vel numero continentur . Esse enim in numero est esse quendam numerum rei. Et mensurari esse ipsius numeri in quo est. Manifestum est enim quod in tempore esse non est esse quando tempus est. Sicut nec esse in motu, vel loco, quando motus, vel locus est . Si enim sic esset, omnis res esset in re qualibet. Necesse est itaque omnia quæ sunt in tempore, contineri sub tempore, & aliquid sub tempore pati : sicut dicere consueuimus, quia calefacit tempus , & senescunt omnia sub tempore, & obliuiscimur propter tempus, sed non didicimus neque nouum factum erit neque bonum. Est enim corruptionis causa per se, quia numerus motus est, motus autem distare facit, quod est, quare patet, quod quæ semper sunt, non sunt in tempore, Non enim eorum esse mensuratur sub tempore; cuius signum est, quia nihil patiuntur à tempore. Quoniam autem tempus est mensuratio motus, erit & quietis metrum, & secundum accidens, idest secũdum posterius, omnis enim quies in tempore est. Nõ enim sicut quod est, necesse est moueri, sic & in tempore, quia tempus est motus numerus. In numero autem motus contingit esse, & quiescens. Non enim omne immobile quiescit, sed aptum natum moueri, priuatum autem motu. Est itaque tempus motus, & quietis mensuratio. Sed omnino mensura est motus per se, aliorum autem secundum accidens. Ergo quorum esse mensurat, his omnibus inerit esse in quiete, & motu. Quæcunque ergo corruptibilia, & generabilia sunt, & omnino aliquando quidem sunt, aliquando non, necesse est esse in tempore. Est enim tempus quiddam plus, quod excellit esse ipsorum, & mensurat substantiam. Quorumcunque autem contrarium non semper est, hoc quidem possunt esse, & non esse. & ipsorum generatio, & corruptio est. In tempore quidem omnia sunt, & corrumpuntur. Mutatio tamẽ magis destructiua est per se, & corruptionis causa, generationis autem, & ipsius esse secundum accidens: huius signum est, quia nihil fit , idest generatur nisi moueatur quodammodo ipsum, & agat. Corrumpitur autem, & cum nihil moueatur , hanc quidem corruptionem non facit tempus , sed accidit in tempore fieri, vel sub tempore. Tempus itaque determinat motum cum sit ipsius numerus, vt dictum est.

In tempore esse.

Qualiter tempus ab Arist. dicatur esse numerus.

CAP. *LIX.*

ALber. Verum si tempus est numerus, videtur sequi, quod ei conueniant numeri passiones, vt par vel impar, abundans , perfectus, vel diminutus: præterea , si est numerus videtur esse binarius , aut ternarius , aut aliquis aliorum . Cæterum in numero est aliquorum aggregatio , in tempore vero non . In tempore quippe nihil manet secundum esse. Ideoque nihil aggregatur in eo, secundum esse. Sed neque seruari contingit substantiam: quia *nihil est in eo pro substantia nisi nunc.* Non est ergo numerus, vt videtur aliquo modo. Nos autem dicimus, quod aliquis numerus est numerãs, & hic est permanẽs: quo scilicet multa numerari possũt, vt denarius, & duodenarius. Et est numerus numeratus, idest res ipsæ quę numerantur. Et hoc dupliciter. Nam secundum potentiã dicitur propriè numerabile, secundũ actum vero res in actu numeratę. Numerus quoque numeratus dupliciter dicitur numeratus. Vno modo *scilicet à causa numeri*, hoc est à causa quæ numerũ esse facit. Et secundum hoc tẽpus numeratur à motu: quia prius, & posterius in tempore, causantur à priori, & posteriori, quæ sunt in motu. Alio modo *à partibus suis*, & à superbia sua: si habet eã, & secũdũ hoc tẽpus numeratur. Numeratur enim à priori, & posteriori in tẽpore, vt à partibus, & à nunc iterato secundum esse, eadem tamẽ substãtia manẽte numeratur etiã, vt à substantia. Alio quoque modo consideratur numerus, qui est tempus, scilicet vt est mẽsura reddẽs quãtitatẽ motus, & sic tẽpus est numerus numerãs motũ. Certificatur enim primo quãtitas tẽporis ex numero partiũ suarum ac substãtiæ suæ, & hæc certificata certificat quantitatẽ motus, & hoc est, quod dicit philosophus, quod tẽpus est numerus minimus scilicet duo, hic enim est minimus numeri numerati. Minimus autem numeri numerantis est binarius. Tempus itaque numerat vel mẽsurat motum eo modo quo duo multotiens accepta explicant partes alicuius quãti diuersas per parem numerum: vnde tempus nõ multiplicat numerũ vltra duo, scilicet prius, & posterius. Illaque multotiens accipiũtur secundũ partes ipsius motus in totam quantitatẽ motus: licet enim sit numerus numeratus: tamẽ vlterius motum numerare potest: quia numerata in ipsa rationẽ habent mẽsuræ, & nõ numeratorum tantummodo, sicut videmus in aliarum mensurarũ numero. Duobus enim modijs numeratur aceruus tritici. Et duabus lagenis dolium vini. Ex hoc patet etiam, quod motus non potest esse numerus temporis, licet

Nunc substantia temporis.

Numerus numeratus dicitur dupliciter.

ipſe ſit cauſa temporis, quia non eſt intranea, ſed efficiens cauſa. Præterea in motu non eſt idem iteratum manens in ſubſtantia, vel in eſſe. Sed nunc accipiendum eſt de tempore. Sed bene idem permanens in ſubſtantia eſt, & loco mutans in numero iterato.

Qualiter conueniant ei paſſiones numeri.

CAP. LX.

DIcimus itaque quod paſſiones numeri, vt par & impar ſequuntur numerum numerantem per ſe, numerum vero numeratum per accidens. Et hoc modo tempus eſt numerus par quia (ſicut philoſophus dicit) tempus eſt minimus numerus. Minimus autem numerus eſt par. Si quis autem obijciat, quod dicit philoſophus, par & impar non eſſe paſſiones tẽporis; neque velox, & tardum. Dicimus quod hoc eſt verum propriè loquendo. Propria enim paſſio eſt quę ſequitur ſubiectum vniuerſaliter de neceſſitate, ac per ſe, & ſecundum quod ipſum, vt patet in libro poſter. Vniuerſaliter inquam quia vbique ac ſemper. De neceſſitate: quia ſubſtãtialiter per ſe, videlicet in ſecũdo modo dicendi per ſe: quia ſubiectum cadit in paſſionis definitionem: Denique ſecundum quod ipſum: quia non gratia ſuperioris vel inferioris, vel accidentis: ſed gratia ſuiipſius. Et ſecundum hoc dicimus: quod par accidit numero temporis. Itaque numerus quidem numerans eſt ſpecies quantitatis. Sed ex prædictis habitum eſt: quod tempus eſt numerus numeratus. Nec eſt in genere numeri niſi per accidens. Et ita per conſequens eſt etiam in ſpecie per accidens. Eſt enim duo: vt dictum eſt. Si autem obijcitur: quod in numero eſt aggregatio: & non in tempore: dicimus quod immo in tempore eſt aggregatio ipſius nunc. Ita quod aggregatio dicitur iteratio, Iteratur autem ſecundum eſſe, manens idem ſecundum ſubſtãtiam. Si vero iterum obijcitur contra hoc: quod non entis non eſt iteratio: dicimus hoc verum eſſe de puro non ente. Sed illud eſt ſucceſſiuum non habens poſitionẽ cui ſufficit iteratio alicuius manentis in ſubſtantia, & iterum atque iterum accepti ſecundum eſſe.

Ob. *Reſp.* *Ob.* *Reſp.*

Qualiter tempus ſit menſura motus.

CAP. LXI.

CVm autem motus non ſit ſecundum ſubſtãtiam, & eſſe, videtur ſimpliciter non eſſe. Cum ergo non entis nulla ſit menſura, videtur tempus non eſſe menſura motus. Quod autem motus non ſit ſecũdum ſubſtantiam, & ſecundũ eſſe patet ex hoc, quod nullum ſucceſſiuum eſt in actu ſecundum ſuum eſſe. Porro ſi eſſet ſecundum ſubſtantiã, & non ſecundum eſſe, tunc non differret à tempore, quod eſt contra philoſophum, illos qui motum eſſe tempus dicebãt reprehendentem. Quod autem ſecundum hoc tẽpore non differret, ex ipſa teporis natura patet, quia ſcilicet tẽpus ſucceſſiuum eſt manens ſecundum ſubſtantiã, nõ manens ſecũdum eſſe. Et illud idem eſſet motus: præterea tempus motu menſuraretur, quia horæ diei ad ſolis vel ad tranſitum cœli diſtinguuntur, ſicut motus videtur eſſe menſura temporis, ſic & econtra. Verum ad id quod obiectum eſt primo de motu, quod non entis non eſt menſura, dicimus vt ſupra de iteratione eius quod eſt nunc, videlicet quod illa propoſitio vera eſt de puro non ente. Sed illud eſt ſucceſſiuum non habens poſitionem, cui ſufficit iteratio alicuius manentis in ſubſtantia, & iterum atque iterum accepti ſecundum eſſe. Et motus quidem eſt de numero non permanentium, in eſſe continuorum tamen. Ideoque non eſt accipere aliquod nunc, in quo ſit eſſe motus: Sed eſſe ſuum eſt fieri, & factum eſſe motum & non eſſe. Non eſt ergo verum generaliter quod motus ſit nihil, & tempus quidem menſurat motum ſimpliciter, quia numerus eſt ipſius. Sed quo ad nos econtra motus menſurat tempus. Si autem quæritur, cur non dicatur tempus menſura quietis ſicut & motus, dicimus quidem eſt menſura motus per ſe, & menſura quietis per accidens ſcilicet in comparatione ad motum, non ergo dicuntur quieſcere niſi mobilia proprie. Ideoque potius definitur tempus per motum, quam per quietem.

Ob. *Reſp.*

De diuerſis acceptionibus temporis, ac definitionibus.

CAP. LXII.

TEmpus autẽ multipliciter accipitur. Vno modo ſecundum theologos. Alio modo ſecundũ philoſophos. Secundum Theologos dicitur menſura cuiuſlibet mutationis, ſiue diuiſibilis, ſiue indiuiſibilis, ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis: & ſecundum hoc tẽpus adiacet creationi rei creatæ, & etiam viciſſitudini, quæ eſt in affectione vel intelligentia Angelica, & hoc tempus non habet prius neque poſterius. Nec eſt inconueniens in hoc tempore, quod vnum nunc ſit conſequens ad aliud nunc, quemadmodum vna indiuiſibilis mutatio eſt bene conſequens ad aliam indiuiſibilem mutationem. Sed in hoc tempus nihil aliud eſt quam aggregatio momentorum, & non eſt numerus motus, quia tales mutationes non numerantur, cũ prius, & poſterius non habeant, de hoc tempore datur definitio Dionyſij ſcilicet quod tẽpus eſt, *quod in generatione eſſe, & corruptione nõ eſſe metitur*, & vocat generationem, & corruptionẽ quamcunque mutationem, ſiue diuiſibilem ſiue indiuiſibilem. Secundum alium modum dicitur tempus menſura motus, vel mutationis continuæ, & ſic conſideratur à philoſophis tempus, & de hoc tempore datur definitio Ariſtotelis ſupradicta. Et manifeſtius intelligitur ex comparatione ad localem motum. Cuius primo, & per ſe paſſio eſt tempus. Accipiatur ergo philoſophi ratio. Motus enim talis eſt ſuper magnitudinem quæ habet partem ante, & partem poſt, & illæ partes dicunt reſpectum alicuius mediæ partis. Mobile autem, quod mouetur ſuper ipſam etiam eſt diuiſibile in potentia ad renouationem, vbi & loci. Et hæc potentia diuiſibilis eſt, ſecundum partes magnitudinis, & vbi, & loci, & ſitus. Et cum ipſa ſit diuiſibilis, & omnis diuiſibilis ſit, menſura aliqua: illius ergo potentiæ in exitu ad actum erit mẽſura aliqua. Ipſum autem quod fertur, vel mouetur motu ſuo, & vnum eſt, & idem ens: tamen ſecũdum comparationem ad partes magnitudinis ſcilicet reſpectu termini à quo, & termini ad quem eſt motus continuè, & reſpectu medij. Cum ergo motus ſit medium inter magnitudinem, & mẽſuram ipſius motus: menſura potentiæ exeuntis in actum continuè in motu habebit tria cauſata à potentia cõtinuè in actu procedente ſcilicet prius, & poſterius cauſata à priori, & poſteriori in motu: Et medium continuans illa, quod reſpondet ei, quod fertur cõtinuè à termino, à quo ad terminum ad quem. Et ita patet, quod motus eſt cõtinuus à continuitate ſpacii, & magnitudinis ſuper quod eſt. Et in motu eſt prius, & poſterius, & mediũ. Sed illud medium nõ eſt manens idem ſicut etiam in magnitudine, vel vbi, vel ſitu non eſt medium ſemper idem inter quamcunque partem ante acceptam, & poſt in tota magnitudine. Sicut autem idem eſt, quod mouetur, & fertur continuè in tota magnitudine ſecundum ſubſtantiam, & non habet idem eſſe ſecundum, quod eſt hic, & ibi ideſt ante & poſt. Ita idem eſt nunc ſecundum ſubſtantiam, quod adiacet ei, quod fertur. Et tamẽ non habet idem eſſe ſecundum quod fluit de priori in poſterius: quem fluxũ habet de continuo proceſſu mobilis ex parte priori in partem vlteriorem magnitudinis: cũ tamen idem maneat in ſubſtantia ſecundum motum continuè.

Tempus ſecundũ Theologos.

Continuitas motus à magnitudine.

De ſubſtantia temporis quæ eſt nunc.

CAP. LXIII.

ARiſtoteles in li. Phyſi. 4. Ipſum autem nunc eſt continuatio temporis. Continuat enim præteritum, & futurum, & omnino eſt terminus temporis. Eſt enim huius quidem principium, illius autem finis. *Alber.* Videtur autem philoſophus errare ponens nunc ſubſtantiam temporis eſſe: cum punctum non ſit ſubſtantia lineæ, præterea cum omne quantum diuiſibile ſit, ſecundū ſubſtātiam ſuam: nunc autem indiuiſibile: nō videtur igitur ſubſtātia quāti ac per hoc nec tēpus eſſe. Nullus quoque terminus eſt ſubſtantia terminati, & omne nunc eſt terminus temporis. Nos tamen cum philoſopho dicimus: quod nunc eſt ſubſtantia temporis: quia tempus nihil aliud eſt, quā nūc fluxu ſuo ſuſcipiens eſſe cōtinui, quod qualiter ſit, per motum poteſt videri. Motus enim qui loci mutatio dicitur, nihil aliud eſt, quā vbi fluens: cuius ſubſtantia eſt vnum vbi ſecundum eſſe diuerſificarum. Ita tamen quod vnū illud non ſit numero: quia in hoc differt à tempore. Sed hoc dico vbi, quod eſt accipere de loci mutatione in ipſo mobili, & ad illud reſpondet nūc: quod eſt ſubſtantia temporis. Nec omnino ſimiliter ſe habent puncti ad lineā, & nunc ad tempus. Nam in terminando quidem, & cōtinuando ſe habēt ſimiliter quodāmodo. Sed in eſſentiando, & ſubſtantiādo diſſimiliter: pūctus enim non fit linea: neque fluēs: neque non fluens. Sed nunc fluxu ſuo, fit tempus, vnde punctus nō eſt ſubſtantia lineæ, niſi forte ſecundum quod directoria indirectè prędicata, de ſpecie, dicitur ſubſtantia: ſic etiam dicit philoſophus in libro poſteriorū, quod punctus eſt de ſubſtantia liueæ: quia cum diffinitur linea, dicitur eſſe lōgitudo, ſine latitudine, terminata ad duo puncta. Porro nunc, & punctus in terminando, & continuando, ſimiliter ſe habent: quia ſcilicet in linea eſt accipere duo puncta actu lineam terminantia. Sed Auicen. probat, quod nunc terminus in tempore, non eſt actu, eo quod tale nunc eſt corruptio temporis ſecundum naturam ſuam: ſed ſecundum intellectum tantum, vel ſecundum comparationem ad motum aliquem terminatum. Similiter & punctus continuans eſt principium, & finis. Ideoque qui vtitur puncto continuante, bis vtitur eodem. Sed quandocunque vtitur eo, vtitur vno nunc, vnde bis vtendo eo ſcilicet in ratione principii, & in ratione finis, vtitur eo in duob. nunc. Porro inter quęlibet duo nūc, eſt tempus: igitur inter illa duo nunc, erit tēpus, & in illo erit quies. *Vnde philoſophus in 4. Phyſi. dicit*, quod quando mobile vno puncto, vt duobus vtitur: quieſcere accidit. In hoc ergo eſt diſſimilitudo, quod punctus in linea continuans bene accipitur, vt finis, & principium, ita quod nihil eſt medium. Sed nunc nunquā poteſt accipi, vt finis, & principium, niſi cadat tēpus medium. Denique quia tempus nō permanet, ideo nūc acceptum in ratione finis, non permanet, vt idē accipiatur in ratione principii, imò cum ſumitur in ratione principii futuri, tunc iam deſinit eſſe in ptæterito, vel præſenti. Porro eſt ſubſtantia, qua aliquid habet eſſe, & hoc modo nunc eſt ſubſtātia tēporis. Nec indiuiſibile eſt de ſubſtātia diuiſibilis. Et eſt ſubſtātia, quæ eſt id per quod res eſt. Sicque bene poteſt aliquid indiuiſibile eſſe ſubſtantia diuiſibilis. Sed tamē eſſe diuiſibilis erit ab alio, quod eſt fluxus ipſius de præterito in futurum. Denique concedimus, quod terminus in ratione termini non eſt ſubſtantia terminati. Nec nunc cum dicitur eſſe ſubſtantia temporis, terminus accipitur.

Obiectio. *Reſp.* *Diſcrimen inter punctū & inſtans.*

Vtrum ſit vnum nunc, vel plura.

CAP. LXIV.

QVia vero nunc terminus eſt temporis, vt patet ex verbis philoſophi ſuperius poſitis, videtur, quod plura ſint nunc: quia non eſt vnus terminus, quanti vlterius diuiſibilis. Et tale quātum eſt tempus. Quod etiam nunc ſit terminus temporis, patet ex hoc: quia indiuiſibile eſt in natura temporis: ſicut indiuiſibile in natura lineę: ſed in natura lineę indiuiſibile terminus eſt ipſius lineæ. Item indiuiſibile eſt in natura lineæ, & eſt indiuiſibile in natura quanti cuiuſcūque. Sed in natura quanti indiuiſibile terminus eſt illius, &c. Cęterū ſicut in linea eſt punctus cōtinuans, & terminans, ſic in tempore eſt nunc continuans, & terminans in principio, & fine. Quod patet ex hoc, quod motus aliquis terminatur ad nunc, & incipit in nunc. Videtur etiam ibi eſſe nunc continuans: quoniā aliter temporis partes continue eſſe nō poſſent. Et ſic in tēpore ſunt tria nūc. Vnū ſcilicet cōtinuans, & duo terminantia. Item in quolibet cōtinuo infinita ſunt indiuiſibilia cōtinuantia. Nec hoc eſt ſimpliciter infinitū: quia continuans in quanto eſt in potentia. Cū ergo tempus ſit continuū, indiuiſibilia continuantia in ipſo erunt infinita. Sicque non erit vnum nūc, ſed multa. Denique aliter nihil eſſet dictū, quod in 6. Phyſi. dicitur, quod inter quælibet duo nunc, ſint infinita nunc. Quoniā inter quælibet duo nunc eſt tempus, ſicut inter quælibet duo pūcta eſt linea, niſi eſſent plura nunc. At obiici poteſt econuerſo: quia nunc eſt indiuiſibile tempus in ſucceſſiuo quanto, quod non permanet in partibus. Quæratur ergo, an nunc quod eſt ante maneat aut corrūpatur. Si manet, non poteſt manere niſi gratia temporis in quo eſt. Sed tempus eſt paſſio motus, qui non manet, ergo nec tempus manet, nec ex conſequenti manet illud cuius ſubſtantia nō eſt niſi in tēpore, ſcilicet nunc. Si vero corrumpitur, aut in ſe corrumpitur, aut in conſequenti, quod eſt poſt ipſum. At vero nihil corrumpitur in ſe, niſi quod eſt in ſe. Si ergo corrumpitur in ſe, ſimul eſt in ſe, & corrumpitur in ſe, & ita ſimul eſt in ſe, & non eſt in ſe, quod eſt impoſſibile. Definitur enim ſimul in cōparatione ad vnum nunc, vel ad vnum locum, vel ad inſtās ſiue tempus. Si autem corrumpitur in eo, quod eſt poſt: tunc oportet, quod ſit in eo: quia alias non corrumperetur in eo. Sic ergo duo nunc ſimul eſſent in ſucceſſiuo, quod etiam eſt impoſſibile. Nos itaque diſtinguimus, quod dupliciter poteſt cōſiderari tempus. Vno modo ſecundum naturam ſuam, alio modo ſecundum comparationem ad nos, & ad motus in ipſo terminatos. Si conſideretur vltimo modo: ſecundum hoc plura nunc ſignificabilia ſunt in ipſo, ſed hoc eſt ſecundum quid, eſſe plura ſcilicet ſecundū nos. Si vero cōſideretur primo modo: ſecundū hoc tota ſubſtantia temporis eſt vnum nunc ſemper manens ſubſtantia vna, & eadē, ſecundum eſſe tamē habet pluralitatem. Et ſi quæratur, qualiter ibi nunc ſecundum eſſe ſunt plura? Dicimus, quia nō manent, ſed ſucceſſiue corrumpuntur in ſe, ac ſecundum ſeipſa. Nec eſt inconueniens, idem ſimul eſſe, vel manere in ſe, & corrumpi in ſe: quia nō ſecundum idē eſt, vtrumque, ſed ſecundum ſubſtātiā manet, & ſecundum eſſe corrumpitur. Si autē obiicitur illud incōueniens philoſophi, quod ſecūdum hoc ſimul ſunt, quæ hodie ſunt, & quæ in annum milleſimum expectantur. Dicimus, quod non ſequitur. Temporalia quippe nō ſunt in nunc ſed in eſſe temporis, & illud eſſe non eſt idem.

Tempus dupliciter cōſideratur. *Reſponſio ad quæſtionem.*

Qualiter tempus ſit quantitas continua per ſe.

CAP. LXV.

CVm autem ex indiuiſibili non fiat diuiſibile. Et nunc, vt dictum eſt, ſecundum ſubſtantiam, ſit indiuiſibile, non videtur ex ipſo fieri tempus continuum ſecundum ſubſtantiam. Et ita non videtur tempus eſſe quantitas continua. Præterea punctus motui ſuppoſitus propter indiuiſibilitatem ſui, non poteſt menſurare motum. Similiter ergo, & nunc cum ſit ſuppoſitum motui, nō poterit méſurare

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

motum propter indiuiſibilitatem ſui. Et ita nec menſura nec quantitas continua ſecundum ſieri. Cum ergo nunc ſit temporis ſubſtantia, non erit tempus quãtitas continua: Præterea nihil menſurat maius ſe, niſi prius menſuret minus ſe, vel æquale ſibi. At vero tẽpus eſt numerus ipſius nunc, ergo numero ipſius mẽſurat motum, itaque nunc non menſurabit maius ſe, niſi prius menſuret minus, vel ſibi æquale. At vero minus ſe, vel eo nihil eſt, quod indiuiſibile eſt. Menſurabit ergo ſibi æquale, quod eſt impoſſibile: quia non menſuratur indiuiſibile; Ipſum autem nunc non erit menſura, quia non quantitas, cum ſit indiuiſibile, ideoque nec ipſius numerus erit menſura, quia numerus indiuiſibilium nihil menſurat, ergo non eſt quantitas, quia omnis quantitas aliquid mẽſurat, nos tamen dicimus cum philoſopho, quod tempus eſt quantitas per ſe: hoc enim probat in libro prædicamentorum dicens, quod præſens copulatur ad præteritum, & futurum. Sed ſciendum, quod duplex eſt indiuiſibile, ſcilicet indiuiſibile, quod tantum eſt terminus diuiſibilis, & nullo modo diuiſibile, ſecundum ſuum eſſe, & ex tali nunquam efficitur diuiſibile, vt eſt punctus, qui terminat lineam. Aliud quod non eſt tantum terminus, ſed & ſubſtantia rei diuiſibilis, habens ad potentiam ad diuiſibilitatem ſecundum ſuum eſſe, & ita non penitus indiuiſibile: ex tali itaque bene poteſt fieri indiuiſibile. Nec eſt ſimile de puncto, & nunc: vt iam ſupra dictũ eſt: dicimus quoque quod nunc non menſurat ſecundum quod eſt indiuiſibile: ſed ſecundum quod accipitur ſecundum ſuum eſſe in priori, & poſteriori. Denique tẽpus conſideratum in ſe, eſt ſpecies quantitatis per ſe: quia partes eius ad communem terminum copulantur: conſiderando vero in comparatione ad cauſas continuitatem habet per motum, vt dicit Auicenna. Et ſic continuum eſt per aliud. Secundum hoc loquitur *philoſophus in 4. Phyſi.* dicens, quod motus eſt continuus propter ſpacium, & tempus propter motum, ſimiliter, *& in 5. Meta. dicens*, quod quædam dicuntur quãtitates continuę, vt tempus, & motus. Quoniam illa quorum iſta ſunt paſſiones diuiduntur. Motus etiam eſt quantitas, & tempus propter motum, hæc philoſophus. Si ergo quæratur cur motus non dicatur quãtitas per ſe, ſicut, & tempus: vel etiam potius, quam tempus: ratio patet ex iam dictis ſuperius. Motus enim in partibus ſuis non manet: neque ſecundũ ſubſtantiam, neque ſecundum eſſe, & ita non poſſunt copulari per ſe, immo ſi copulantur hoc eſt gratia ſpacij ſuper quod eſt ipſe motus.

Tempus eſt quantitas per ſe.

Indiuiſibile duplex.

De partibus temporis.

CAP. LXVI.

Ariſtoteles vbi ſup. lib. 8. Nihil autem eſt accipere in tempore præter nunc quod eſt medietas, habens ſimul principium quidem futuri: finem vero præteriti. *Idem in 4. Phyſi.* Hinc etiam videtur quod tempus omnino non ſit: huius enim hoc quidem iam præterijt, & non eſt. Illud autem futurum eſt, & nondum eſt. Ex his autem quæ non ſunt compoſitum eſſe impoſſibile videtur. Itẽ omnis partibilis ſi quid ſit, neceſſe eſt, aut omnes, aut quaſdam partes eſſe. Temporis autem aliæ tranſierunt. Alię futuræ ſunt. Ipſum vero nunc non eſt pars. Menſurat enim pars, & oportet componi totum ex partibus. Tempus autem non videtur componi ex ipſis nunc: quia ſimul non ſunt: ſed corrumpi neceſſe eſt prius. Sic etiam impoſſibile eſt habere ſe ad inuicem ipſa nunc: ſicut punctum cũ puncto. At vero nec idem nunc ſemper manere poſſibile eſt. Nullius enim diuiſibilis finiti vnus terminus eſt, & tempus quidem eſt accipere finitum, verum tempus, vt dictum eſt, eſt menſura vel numerus motus ſecũdum prius, & poſterius. Nam in motu neceſſe eſt eſſe prius, & poſterius proportionabile his ſecundum quæ ſunt: prius autem & poſterius dicimus ſecundum ad ipſum nunc diſtãtiam. Quare quoniam ipſum nunc in tempore eſt: eſt enim terminus præteriti, & initium futuri, & prius, & poſterius erunt in tempore. In quo eſt enim ipſum nunc: & eius diſtantia. Contrario autem modo dicitur prius ſecundum præteritum tempus, & futurum. Nam in præterito prius dicitur quod longius eſt ab ipſo nunc: poſterius autem quod prope. In futuro eutem econtra. Tempus autem cognoſcimus cum definiuerimus motum prius, & poſterius determinantes. *Aug. in li. confeſ.* 11. O ſapientia Dei lux mentium omnia tempora tu feciſti, & nulla tibi coæterna ſunt: quia tu permanes. At illa ſi ſemper manerent, tempora non eſſent. Quid eſt enim tempus: quis hoc facile, & breuiter explicauerit? Si ex me nemo quęrat ſcio. Si quærenti explicari velim: neſcio, hoc tamen ſcio. Si nihil præteriret non eſſet præteritum tempus. Si nihil adueniret non eſſet tempus futurum, & ſi nihil eſſet, non eſſet præſens tempus. Duo ergo iſta tempora præteritum, & futurũ quomodo ſunt? & quoniam præteritum iam non eſt, & quoniam futurum nondum eſt: præſens autem ſi ſemper præſens eſſet: nec in præteritum tranſiret: iam non eſſet tempus: ſed æternitas. Sunt ergo præterita, & futura, & ſcire volo vbi ſunt: quod ſi non valeo, ſcio tamen vbicunque ſunt: non ea ibi futura eſſe aut præterita: ſed præſentia. Nam ſi, & ibi futura ſunt, nondum ſunt, ſed & ſi ibi præterita ſunt, iam nõ ſunt, vbicunque ergo ſunt, quæcunque ſunt: ſunt in præſenti: quamquam præterita cum verba narrantur ex memoria proferuntur. Non res ipſæ quæ prætereunt: ſed verba concepta ex imaginibus eorum quæ in anima ſunt, & velut veſtigia per ſenſus, prætereundo fixerunt: pueritia quippe mea, quæ iam non eſt, in pręterito eſt tempore, quod iam non eſt: imaginem vero eius cum eam recolo, & narro, in præſenti tempore intueor: quia adhuc eſt in mea memoria: quæ autem nunc loquor: nec præterita nec futura ſunt. Nec propriè dicuntur tria eſſe tempora: præteritum pręſens, & futurum: ſed fortaſſis propriè diceretur: tempora ſunt tria, præſens de præteritis, præſens de præſenti, præſens de futuro.

Difficile eſt explicare quid ſit tẽpus.

Qualiter in anima menſuretur aut annumeretur motus temporis.

CAP. LXVII.

IN te ergo animæ mens tempora metior: affectione quam res prætereuntes in te faciunt, & cum illę præterierint manet: ipſam metior præſentem: non ea quæ præterierunt te, vt fieret: ipſam metior cum tempora metior. Ergo aut ipſa sũt tempora: aut non metior tempora. Itaque ſi voluerit aliquis edere lõgiuſculam vocem, & conſtituerit præmeditando, quam longa futura ſit, Egit vtique ille in ſilentio ſpacium temporis: memoriæque commendans cæpit edere illam vocem quæ ſonat: donec ad propoſitum terminũ perducatur: imò ſonuit, & ſonabit, nam quod eius iam peractum eſt, vtique ſonuit, quod autem reſtat ſonabit: atque ita peragitur: dum præsẽs intentio futurum in præteritum traijcit: diminutione futuri: creſcente præterito: donec conſũmatione futuri ſit totum præteritum. Sed quomodo minuitur aut conſũmatur futurum, quod nondum eſt, & creſcit præteritum, quod iam non eſt? niſi quia in animo, qui hoc agit, tria sũt. Nam & expectat, & attendit, & meminit, vt id quod expectat, per id quod attendit, tranſeat in id, quod meminerit. Quis negat futura nondum eſſe? ſed tamen iam eſt in animo expectatio futurorũ. Et quis negat præterita iam non eſſe, ſed tamen adhuc eſt in animo memoria præteritorum. Et quis negat præſens tempus carere ſpacio, quia in puncto præterit? ſed tamen perdurat attentio per quam pergat ab eſſe ad id quod erit. Non ergo longum tempus futurum, quod

non

non eſt, ſed longum futurum, longa futuri expectatio eſt. Neque longum præteritum tempus, quod non eſt, ſed longum præteritum, longa præteriti memoria eſt. Dicturus ſum canticum, quod noui: antequam incipiam in totum expectatio mea tenditur. Cum autem cæpero, quantum ex ipſo in præteritum decerpſero, tenditur in memoria mea atque diſtenditur vita huius actionis meæ in memoriam, propter quod dixi, & in expectationem propter quod dicturus ſum, præſens tamen adeſt attentio mea, per quam traijcitur quod erat futurum, vt fiat præteritū. Quod quanto magis agitur tāto breuiata expectatiohe prolongatur memoria: donec tota expectatio conſummatur: cum tota illa tranſierit in memoriam, finitur actio. Et quod in toto cantico, hoc in eius partibus ſingulis fit, & in ſingulis ſyllabis, hoc in actione longiore: cuius forte particula eſt, illud canticum, hoc in tota vita hominis, cuius partes ſunt omnes actiones hominis, hoc in toto ſæculo filiorum hominum, cuius partes ſunt omnes actiones vitæ hominum.

Quod ſecundum quoſdam tempus non habet eſſe in anima vel in ratione.

Cap. LXVIII.

Ariſtoteles in li. Phyſi. 4. Dubitabit autem aliquis: vtrum ſi non ſit anima: erit tempus: an non? Si enim impoſſibile ſit numerantem eſſe, impoſſibile etiam erit aliquid eſſe numerabile, quare neque numerus erit. Numerus enim eſt, aut quo numeratur: aut numerabile. Si ergo nihil aliud eſt aptum natum numerare, quam anima, & intellectus: impoſſibile eſt eſſe tempus, ſi non ſit in anima, quia tempus eſt numerus motus. Et omne quidem tempus vnum ſimiliter, & ſimul eſt, ſpecie autem hęc nō ſimul ſcilicet quæ tempore menſurantur. Nam & ſeptem canum, & ſeptem equorum idem eſt numerus, ſed tamen hi canes ſunt: illi autem equi. Sic & motuum ſimul terminatorum idem eſt tempus. Sed hic quidem fortaſſis velox: ille autem non. Et alius quidem loci mutatione, hic autem alteratio. Motus autē diuerſi, & ſeorſum ſunt. Tempus autem vbique idem, quia numerus vnus idem vbique eſt. Multis quidem rationibus videtur probari poſſe, quod tempus non ſit niſi forte in ratione. Quibus etiam conſentit. Aug. vt patuit in ſuperioribus dicens, quod tempus non eſt niſi in anima. vnde tempus ſecundum ipſum eſt diſtenſio accepta per imaginationem inter deſignationem duorum momentorum. Et momenta duo nihil aliud vocat, quam duas renouationes ſitus in mobili, quod mouetur, ſicut duas eleuationes in Sole: quia ſolis curſus communis diſtinguit horas, & momenta, vnde horum momentorum per imaginationem eſt tempus. Huic etiam opinioni conſentiunt antiquiſſimi quidam philoſophi: qui dicunt tempus eſſe ex formis comparationis, quæ eſt in anima tantum. Formas enim comparationis appellant animæ protenſionem inter momentum, & momentum.

Quod temporis eſſe non dependet ab anima: ſed eius perceptio.

Cap. LXIX.

NOs autem dicimus econtra, quod eſſe temporis non dependet ab anima, ſed temporis perceptio. Quod etiam multiplici ratione poſſumus probare, ac prædictam opinionem improbare. Mobile ſiquidem quod mouetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem. In termino ad quem, eſt in potentia. Cum ergo exibit in actum. Actus iſte menſurabitur aliquo, quia omnis potentia exiens in actum menſurabitur aliquo, porro menſura huius exitus ponitur eſſe tempus ab omnibus qui ponunt eſſe tempus, patet itaque tempus eſſe. Sed fortaſſe dicet aliquis, quod illa menſura eſt in anima. Cuius ſignum iſt, quod dolentes, & infirmantes prolongāt tempus propter multam attentionem motus ex affectione infirmitatis & doloris, voluptuoſi autem ecōtra breuiant tempus propter attentionem motus delectationis. Dormientes omnino non percipiunt tēpus, ſed continuant nunc præcedens ſomnum, ad nunc ad quod terminatur ſomnus, non percipientes medium tempus, ſicut legitur de ſeptem dormientibus. At contra ponamus, quod non ſit anima, nec intelligentia. Tunc aut menſurabitur potentia exiens in actum, aut non: ſi non, hoc eſt inconueniens. Quātitas enim eius determinata eſt, eamque neceſſario menſurari oportet: præterea nihilominus velocior erit motus motu, quæ non poſſunt eſſe niſi in comparatione ad menſuras. Cum ergo menſuretur motus etiam anima non exiſtente, patet, quod ab anima nō depēdet tēporis eſſe. *Cæterū in primo li. de generatione, & corruptione probat Philoſophus*, quod mixtio non eſt cōpoſitio ex minimis ſaluatis, quia idē huic quod mixtum eſt eſſe videbitur: ſi non videt quidem acutè. Lynceo enim ideſt acutè videnti: mixtum eſſe videbitur. A ſimili ergo poſſumus arguere, quod ſi tempus non eſſet niſi in anima, ſecundum vnum eſſet tēpus ſcilicet attendentem motum, & ſecundum alium non eſſet ſcilicet non attendentem motum. Quod vtique falſum eſt & abſurdum. Relinquitur ergo quod eſſe temporis non dependet ab anima: ſed temporis perceptio.

Obiectiones in contrarium.

Cap. LXX.

ET ecōuerſo videtur eſſe, quod dicit philoſophus, videlicet, quod hoc temporis ſcilicet præteritum factum eſt, & non eſt. Illud vero futurum erit, & nondum eſt. Ex his enim duobus componitur tempus. Cum igitur compoſitum ex his quæ non ſunt, eſſe ſit impoſſibile, videtur tempus non eſſe niſi forte in ratione. Cæterum omnis partibilis ſi ſit, neceſſe eſt, aut omnes, aut quaſdam partes eſſe Cum ergo tēpus ſit partibile, neceſſe eſt de ipſo ſic eſſe. Cumque vero eius pars aliqua præterita ſit, quæ iam nō eſt: nec pars futura, quia nondum eſt. Si aliqua eſt, hoc erit præsēs nunc. Aut ergo illud eſt diuiſibile, aut indiuiſibile. Si diuiſibile, redit eadē quæſtio, quia nunc non erit diuiſibile, niſi in præteritum, & futurum; Aliam quippe diuiſionem non admittit ſucceſſiuum. Si autem indiuiſibile: tunc non eſt pars temporis continui, & ita tēpus non eſt: quia nihil indiuiſibile eſt pars continui: præterea deducendo ad impoſſibile probat. Auicēna tempus actu non eſſe. Si enim eſt in actu: aut manet: aut deſtruitur, & ſi manet, non manet ſine partibus, quia natura totius non eſt extra naturam partium. Erit igitur partes accipere ſcilicet præteritum, & futurū actu eſſe. Et hæc eſt illorum redargutio qui ponunt tempus: quia dicunt, quod nihil eſt accipere de tempore niſi nunc. Si vero deſtruitur: aut hoc in ſeipſo, aut in conſequenti tempore: aut in inſtanti. Non autem deſtruitur in ſeipſo, quoniam eſt in ſeipſo: ſed nec in conſequēti tēpore: quia nihil deſtruitur in illo in quo non eſt: at vero tempus non eſt in cōſequenti tempore. Quia ſicut dictum eſt: nihil eſt de tempore niſi nūc accipere: porro ſi deſtruitur in conſequenti nunc, ſequitur quod nunc erit conſequens tempus vel nunc: quorum vtrumque inconueniens eſt: *vt in 6. Phyſi. probatur*, quia conſequentia ſunt inter ſe vbi non eſt medium eiuſdem generis. Et inter quælibet duo nūc, ſunt infinita nunc. Similiter inter tempus, quod deſtruitur, & nunc quod ſequitur: non eſt eadem natura, & ideo non ſunt conſequentia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Solutiones eorumdem obiectionum.

CAP. *LXXI.*

Nunc & tẽpus quomodo differunt.

POrro ad huiuſmodi rationum ſolutionem notanda ſunt tria. Primum eſt quod nunc, & tempus non differunt in ſubſtantia, ſed in eſſe tãtum: eo quod nunc eſt ſubſtantia temporis: vt dicit philoſophus. Secundum eſt: quod quantitas non habens poſitionem in ſuis partibus, habet eſſe debile. Quantitas autẽ habens poſitionẽ in ſuis partibus, habet eſſe forte. Tertium eſt, quod prẽteritum, & futurum ſunt in defectu ſecundum eſſe: ſed ſecundum ſubſtantiam manẽt: vnde prẽteritum in ratione præteriti non eſt, & futurum in ratione futuri non eſt. Sed tamen ſubſtantia vtriuſque eſt. His ſuppoſitis reſpondemus ad obiectũ primum, quod partes temporis non cedunt omnino in non eſſe, & idcirco illa obiectio non concludit: niſi quod de eſſe temporis nihil eſt accipere manẽs, & hoc eſt verum. Eodem modo reſpondendum eſt ad ſecũdum: quia præſens, quod accipitur ſi ponatur in actu manens indiuiſibile erit, & non erit tempus ſecũdum eſſe, ſed ſecundum ſubſtantiam. Et fluxus eius facit eſſe temporis: dico tale quale poteſt habere ſucceſſiuũ. Illa enim vt dicit Auicenna: humiliora ſunt in eſſe, quam in eſſe permanẽtia. Ad aliud dicendũ eſt, quod iſta diuiſio nihil valet: ſi tempus deſinit eſſe: aut deſinet in ſe: aut in tempore conſequenti: aut in nũc. Tẽpus enim non eſt in ſe, nec tempus habet eſſe in tempore, nec in inſtanti. Et dicimus, quod deſtruitur nec in ſe, nec in conſequenti, nec in inſtanti, ſed ex natura ſucceſſionis. Cauſa huius eſt renouationis cõtinuatio in mobili: ſecũdum quod eſt in motu, quod accipitur hic & ibi, & cum eſt ibi non eſt hic. Porro tempus ſi conſideretur abſolute: tunc nõ eſt ſignificare duo inſtantia ad quæ terminetur. Si autem conſideretur in comparatione ad motum: tunc erit ſignificare duo inſtantia terminos motus. Si autem quæritur: vtrum ad illa continuetur tempus ſecundum eſſe? dicẽdum eſt, quod ſic. Sed continuatio eius eſt, ſecundum modum eſſe ipſius, & ſic eſt continuatio in defectu. Si autem obijcitur, quod nihil continuatur ad non ens: dicendum, quod verum eſt de non ente ſimpliciter: ſed termini temporis ſecundum ſubſtantiam ſunt, licet non ſint ſecundum eſſe, & tales termini ſufficiunt in continuo ſucceſſiuo. Denique tempus ſecundum ſubſtãtiam, & eſſe non dependet niſi ab vno motu ſcilicet ab eo, qui eſt infinitus ſecundum naturam. Si enim ab aliquo dependeret, finito illo iam non eſſet tempus, & oporteret aſſiduè cauſari multa tempora, vnde tẽpus ipſius motus eſt pars temporis communis, ſecundum quod etiam dicit philoſophus, quod hoc eſt eſſe in tempore, quod quadam parte temporis menſurari poteſt. Si ergo ponãtur duo motus eſſe ſimul. Ex iſto non ſequitur poſitio tertij motus: aut tertij temporis. Temporalia enim poſſunt ſimul eſſe in tempore vno: ſed tempora non poſſunt ſimul eſſe in tempore vno. Si autem quæritur quid notet ly ſimul? Dicimus ſimultatem, quę exponenda eſt negatiue: ſic ſimul ſunt quorum vnum altero non eſt prius: vel quorum vnum alterum non conſequitur, omnia quippe prima exponuntur negatiue. Ea vero quæ ſimul ſunt: referuntur ad illud in quo ſimul ſunt: ſicut ad principium ſimultatis, vnde ſi reflectatur ſimultas ſuper principium ſimultatis, non poteſt exponi affirmatiuè, eo quod primo non ſit prius: ſed exponetur negatiuè per excluſionem oppoſiti, vt ſupra dictum eſt: Hoc autem ſine præiudicio dicimus: quoniam Aug. & alij quidam videntur oppoſitum dicere.

Tempus motus.

De prima temporis origine.

CAP. LXXII.

Qui tempus exiuit in eſſe.

ARiſtoteles in li. 8. *Phyſi.* Tempus Plato ſolus omnium philoſophorum dicit eſſe genitum: ſimul enim ipſum cum cælo factum. *Albertus*: Hic autem poſſumus quærere, qualiter tempus exiuit in eſſe. Aut enim cæpit in tempore: aut in inſtanti temporis: aut in æternitate. Si dicatur quod in tempore: ſequitur inconueniens duplex. Vnum eſt, quod tempus ſit in tempore: ſitque menſura eius menſuræ, & tempus tẽporis, quod in infinitum deducitur. Aliud vero, quia incipere eſt, in initio ſui eſſe, quod eſt contra naturam continui, quia nullũ continuum habet eſſe in ſuo termino principio vel fine, *vt patet in 6. Phyſi.* Si vero dicatur, quod incipit in inſtãti temporis, quod eſt initium ſui. Et hoc eſt (vt dixi) contra naturam continui. Aliud eſt, quod inſtans indiuiſibile, ſit in inſtanti diuiſibili. Ex quo ſequuntur vlterius incõuenientia duo. Vnum eſt, quod indiuiſibile menſuretur, & indiuiſibile menſuret, quorum vtrumque eſt impoſſibile. Aliud eſt, quia hoc etiam deducitur ad infinitũ. Tertium inconueniens eſt: quia tempus ſic incæpit, quando fuit tempus. Et nunc quæritur vlterius de incæptione temporis, ſicut prius, & redibunt prædicta incõuenientia. Si autem incæpit in æternitate, quod iterum eſt inconueniens. In omni enim re menſurata menſura proportionatur menſurato. Lagena enim menſurat vinum, & modius grana, & vlna pannum, & marcha aurum. Æternitas autem non proportionatur tempori, quia ipſa tota eſt ſimul, & ſine terminis. Tempus autem ſucceſſiuum, & cum terminis. Eadem obiectio eſt, ſi forte dicatur, quod incipit in æuo: propter hoc quod dicit Boe. qui tempus ab æuo ire iubes. Cõtra quod eſt, quod æuum incipit cum initio ſuo, & tunc ſi fuerit tempus, quia ſucceſſiuum non eſt in ſui initio. Quæratur de ipſo initio in quo incæpit, & redibunt eadem inconuenientia. Nos autẽ dicimus, quod tempus incæpit in ſui initio. Et tunc non fuit tempus ſecundum eſſe, ſed ſecundum ſubſtantiã: cum ſucceſſiuum ſecundum eſſe non ſit in ſui initio, vt patet ex ſupra determinatis: intelligendum tamen eſt, quod cum dicitur. Tempus incipit in ſui initio: illa præpoſitio *in* poteſt notare duplicem habitudinem, vnam ſcilicet termini ad terminatum, & ſic verum eſt, vel habitudinem menſurati ad menſuram, vel continentis ad contentum, & ſic falſum eſt. Ad illud autem quod obijcitur: quod tria ſunt inconuenientia quæ ſequuntur: Dicimus, quod non eſt verum: quia non eſt inconueniens, quod tempus ſit in ſui initio, quantum ad ſubſtantiam: non autem quantum ad eſſe. Similiter per diſtinctionem ſcilicet præpoſitionis patet, quod non ſequitur quod indiuiſibile tranſiret in diuiſibile: quia non accipitur præpoſitio in hac habitudine. Ad id quod obijcitur vltimo dicendum eſt, quod æuum ponitur pro æternitate impropriè, & prępoſitio, Ab, poteſt notare triplicem habitudinem, & in quolibet ſenſu eſt vera locutio ſcilicet habitudinẽ cauſæ: vel habitudinem exemplaris ad exemplum: vel habitudinem ordinis ad aliud.

Reſpondetur.

Qualiter tempus dicatur eſſe coæquæuum cælo, & Angelo, & primæ materiæ.

CAP. LXXIII.

Dubitatur.

QVia vero tẽpus dicitur eſſe coæquæuum primæ materiæ, ac cælo, & Angelo: quæri poteſt quomodo. Nã cęlum, & terra, ideſt Empyreum, & prima materia creata ſunt ante omne diẽ ſcilicet artificialẽ, & naturalẽ. Vnde videtur ante omne tempus creata eſſe: quia non eſt tempus niſi in die, & nocte. Econtra videtur: quod tempus ſit ante illa tria. Eſt enim

menſura

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mensura ipsius fieri, ergo cum ipsum fieri res factas præcessit, & ita non est eis coæquæuum. Cæterum. *Aug. in li. confes. 12.* dicit: quod vices temporum non habet informitas prima: quia nulla potest esse vicissitudo vbi nulla est forma. Ex hoc sequitur, quod extra tempus sit informitas illa, quæ est in materia prima, & ita quod non sit tempori coæquæua. Denique quæcunque sunt coæquęua sunt in aliquo quod est mensura. Si ergo prædicta quatuor coæquæua sunt: in quinto coæquæua erunt. Illud quoque quintum necesse est illis esse coæquæuum: aliter enim non essent coæquæua in ipso. Et iterum illa quinque erunt coæquæua in sexto pari ratione: sic ergo esset in infinitum procedere, contra quod dicit philosophus: quod non contingit intelligentem in infinita transire. *Resp.* Ad hoc ergo dicimus, quod multipliciter accipitur tempus: quandoque scilicet generaliter pro mensura cuiuscunque mutationis vel fieri: siue simplicia, siue composita sint: secundum hoc Angeli mouentur in tempore, & intelligunt in tempore: secundum discursum intelligentiæ super res intelligibiles in vespertina cognitione. Nam secundum matutinam cognitionem attingunt ipsi æternitatem: secundum hunc etiam modum fieri creationis, quod nihil aliud est, quam creaturam nunc esse, & nihil ante fuisse: est in tempore. Et secundum hoc dicit Aug. quod Deus est dominus aliarum rerum ex tempore, & non ipsius temporis: quia scilicet incæptio rei, quæ ibi dicitur fieri per intellectum: est ante perfectionem eiusdem rei. Licet autem tempus hoc modo sit ante perfectionem rei secundum intellectum: tamen secundum sui substantiam est cum ipsa re, Nam illud fieri secundum substantiam nihil aliud est: quam creaturam nunc esse, & ante non fuisse: patet igitur qualiter tempus secundum sui substantiam, est vnum de coęquæuis: cũ tamen secundum rationem habeat ad alia ordinem prioritatis. Aliter autem accipitur tempus pro mensura mutationis: quæ est super materia: siue sit subito, siue non. Et secundum hoc dicit Augu. quod informitas prima non est in tempore: quia in illa non est aliqua mutatio, & tamen est in tempore, secundum quod accipitur tempus primo modo. Ex hoc etiá patet resposio ad hoc quod dicit Aug. quod cœlum, & terra sunt ante omnem diem: quia accipitur dies ibi prout constituitur ex horis mensurantibus mutationem quamcunque: quia nec cœlum Empyreum immutationum subiectum est. Nec etiam prima materia secundum quod sic accipitur. Et ad illud quod obiicitur de die naturali dicimus, quod dies naturalis duobus modis definitur: in comparatione ad suas partes, quæ sunt tantum partes, vt materia, sic dies naturalis est, qui constituitur ex viginti quatuor horis. Definitur etiam in cõparatione ad partes, vt causam efficientem, sic dies naturalis est, qui constituitur ex die artificiali, & nocte. Et secundum primã definitionem, & primo modo consideratum tempus nihil est ante omnem diem. Sed secundum secundam definitionem, & secũdo modo consideratum tempus aliquid est ante omnem diem. Alitet itetũ dicitur tempus mensura motus primi mobilis, & per consequens aliorum motuum, qui causantur ab illo. Et sic multa sunt causata ante tempus, sic patet solutio primæ obiectionis. Ad aliud dicendum, quod coęquæuum exponendum est negatiuè: sicut omnia prima, vnde cum dicitur, quod quatuor sunt coæquæua, sensus est, quod ista quatuor secundum esse suum, & substantiam non se præcedunt ad inuicem, & ita patet, quod non itur in infinitum.

Dies naturalis dicitur dupliciter.

De differentia temporis, & æui, & æternitatis.

Cap. LXXIV.

Differt autem tempus ab æternitate, & æuo, quoniam æternitas principio, & vt æuum caret ac fine. Æuum autem caret fine, sed nõ principio. Tempus autẽ habet vtrumque. Nec est idem, quando, & nunc istorum trium, quia quando temporis secundũ philosophum est cõpositum partim ex eo, quod præteriit, & eo, quod instat, & eo, quod futurum est, & sic diuisionem habet, hæc autem diuisio non conuenit, quando, æternitatis, & æui. Cum illa simul tota sint, & indiuisibilia. Similiter nũc tẽporis: est substãtia successiui. Et nunc æternitatis, vel æui est substantia manẽtis. Dicit etiã Boetius, quod nũc stans, & nõ sese mouens semper æternitatis facit. Nunc autẽ continuè fluens, semper temporis; sunt ergo diuersa, sicut fluẽs, & non fluens. Denique nũc temporis variatur in præteritum, & futurum secundum suum esse: nunc autem æternitatis diuisione est inuariabile. Sed obiicit fortasse aliquis, dicendo, quia quando est Deus, est Angelus, est motus, ibi in hac locutione, significatur vnũ quando, relictum circa rem æternam, & æuiternam, & temporalem, ergo vnũ est quando. Similiter Deus est nunc & Angelus, & id quod mouetur. Sicque vnũ istorum trium videtur esse nunc. Nos autem dicimus, quod quorumcunque mensura est tempus, eorum etiam est mensura æternitas: sed non econuerso. Æternitas si quidem est mensura excellens temporaliũ, & æuiternorum, excellitque temporalia secundũ vtramque partem, æuiterna vero secundum alterã. Vnde in tali quidem locutione est quando æternitatis, quod relinquitur circa æterna, æuiterna, & temporalia. Sed circa æterna relinquitur; sicut ex mensura adæquata. Circa æuiterna vero, & temporalia sicut ex excellenti mensura. Sunt tamen qui dicunt, quod idem est quando, & idẽ nunc istorũ trium, & dicunt, quod tempus non habet substantiã à motu: sed est numerus. Ideoque volunt, quod idem nunc sit stans in cõparatione ad æuiternum, & æternum, & in cõparatione ad temporalia numeratum, & similiter idẽ quãdo. Sed hoc videtur nõ esse verum, quia cum tempus, & æternitas, sint proprietates quædam rerum: de ipsis erit iudicandum secundum principia subiectorum suorum. Et ita cum tempus sit in primo mobili, ea quæ sunt in tempore iudicabuntur secundum ea quę sunt in motu mobilis primi. In illo autẽ est accipere, quod fertur de æternitate, ad id quod fertur ante & post in situ, à quibus scilicet tribus sunt in tempore nunc, & prius, & posterius. Similiter etiam de æternitate idem erit iudicium in comparatione ad æuiternum.

Nunc temporis, & æternitatis.

Obiectio.

Resp.

De conuenientia illorum trium.

Cap. LXXV.

Inter prædicta vero tria *primo videtur esse conueniẽtia* generis: quia sine conuersione etiam in quid prędicatur mensurã de illis. *Alia quoque conuenientia* est in similitudine, quia scilicet vt dicit philosophus, quod est æternum, æterno simile est, & tempus temporali. Sicque vnum est exemplar, & alterum exemplatum. Vnde solet dici, *quod tempus est imago æui, & æuum æternitatis. Tertia quoque conuenientia* ex Boetio habetur in li. de æternitate scilicet quando relictum ex omnibus his non prædicat aliquid quod sit in re, sed potius quo aliquo modo se habet res ad aliquid, vt ad tempus, vel æuum, vel æternitatem. *Quarta quoque conuenientia est in hoc*, quod substantia cuiuslibet horum est indiuisibilis scilicet nunc. At cõtra primam conuenientiam obiicere posset aliquis: quod conueniẽtia generis ponit cõuenientiam rationis, quæ est

Prima. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.*

secundum

Obiectiones. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Reſp.*

ſecundum nomen generis. Ratio enim animalis conuenit ſpecibus animalibus. Si ergo inter iſta eſt conueniẽtia generis, quod eſt menſura, ſequitur quod hæc vniuocantur in hoc quod eſt menſura. Sic ergo aliquo creato communia erunt nomine, & ratione, quod eſt impoſſibile, dicit quoque philoſophus, quod corruptibilia, & incorruptibilia non ſunt in eodem genere. At vero tẽpus eſt corruptibile: ęuum autem & æternũ incorruptibile. Videtur etiam quod vnum nó ſit ſimile vel exemplar alteri, quia non diceretur liber exemplatus ab alio: ſi tantum haberet conuenientiam in foliis, & non in ſcripto. Cum ergo æternitas ſit tota ſimul; quod tempori non cõuenit: vnum ab altero exemplatum non erit. *Tertia quoque conuenientia* ſtare non videtur, quia nihil eſt in Deo niſi Deus, vnde æternitas eſt diuina eſsẽtia. Itaque relinquitur ex æternitate, & etiam diuina eſſentia ſcilicet quãdo. Sicque cum dicitur Deus eſt ſemper: hoc aduerbium ſemper: deſignat eſſentiam temporalis. Similiter cum dicitur Angelus eſt ſemper: rectè ſicut cum dicitur. Motus eſt ſemper. Nos autem de conuenientia in genere dicimus, quod menſura per prius, & poſterius prædicatur de illis tribus. Nam propriè loquẽdo menſura dicitur per prius de tempore: per poſterius autem de æternitate, & de æuo ſcilicet in quantum ipſorum duratio accipitur cum protenſione indeficiente, quæ tamen eſt tota ſimul: ſecundum quod tota ſimul ſucceſſioni opponitur. Et licet corruptibilia, & incorruptibilia non ſunt in eodem genere, quod eſt ſubiectum, & potentia, bene tamen cõuenire poſſunt ſecundum proportionem in aliquo communi. Porro tempus quidẽ in quantum poteſt, imitatur æternitatem, & æuiternitas æternitatem: ſed neceſſe eſt in aliquo deficere, ideoque non eſt exemplum in omnibus, ſed in aliquibus. Denique teſtante in Topicis philoſopho: quęcũque cõtrauenientia ſufficit ad oſtẽdendum ſimile, vnde cum in modo prędicãdi quãtum ad ratiõnẽ vnumquodque iſtorum ſignificet, vt extrinſecus adiacens; habebunt in hoc cõuenientiam, vt dicit Boe. licet æternitas ſit eſſentia diuina ſecundum rem.

De ratione numeri eorum.

CAP. LXXVI.

POrro cum ſit tempus menſura cum vtroque termino ſcilicet initiali, & finali. Æternitas, vero menſura, ſine vtroque, quia principio caret & fine, videtur, quod debeant eſſe duæ mediæ. Vna videlicet quæ principium habeat, non finem: hoc eſt æuum. Et alia quæ finem habeat & non principium. At iſtam vltimam non habemus, & dicimus reuera, quod non potuit eſſe huius menſura quarta. Nihil enim carens principio poteſt finem habere eo quod ipſum non eſt poſt non eſſe. Omnibus autem creatis, ſicut habuerunt eſſe poſt non eſſe, ita etiam ineſt eis poſſe deficere, niſi per virtutem contineantur diuinam. Porro numerus illorum trium ſic poteſt accipi ſecundum rationem. Aliquid eſt cuius potentia actiua non habet coniunctam potentiam paſſiuam, eo quod in ipſo indifferens eſt, quod eſt & quo eſt, & illius menſura eſt æternitas. Sub illo autem eſt ens potentiam habens actiuam & poſſibilem, ſed poſſibilis eius potentia ſemper eſt actui coniuncta, habens tamen diuerſitatem ab ipſo propter differentiam quod eſt, & quo eſt & illius menſura eſt æuum. Sub iſto etiam eſt ens potentiam habens actiuam & paſſiuam, ita quod paſſiua recipit actum per motum, & tamen ſunt ſuper coniuncta propter materiam & formam ex quibus componitur. Et illius menſura propria eſt tempus. At vero ſub illo non eſt ens quartum, ideoque nõ eſt quarta menſura, de qua obiectum eſt ſupra. Non ſolum autem in prædictis differt æternitas à cæteris, ſed etiam quia æternitas eſt idem illi cuius eſt menſura. Non ſic autem eſt de cæteris. In hoc etiam differt ab eis, quia æternitas menſura eſt increata, non tendens in nihilum in natura ſua. Cætera vero ad hoc vt poſſint eſſe ſuum continuare, neceſſe eſt continerimanu omnipotentis Dei, ne in nihilum decidãt, ſicut omnes creaturæ. Porro æternitas, & æuum ſimul à tempore differunt in hoc, quod vtrumque illorum eſt ſimul totum. Tempus autem non ſimul totum. In hoc etiam quod vtrumque menſura eſt excellens temporalium. Tempus autem non eſt menſura æuiternorum & æternorum. Æternitas denique differt ab euo in carentia principij. Æuum autem à tempore carentia finis.

Quid ſit eſſe in tempore.

CAP. LXXVII.

Eſſe in & eſſe ſub tẽpore.

ARiſtoteles in libro phyſicorum 4. Motui quidem eſſe in tempore eſt menſurari tempore, ipſumque menſurari eſt ipſius eſſe. In tempore ſiquidem eſſe dupliciter eſt accipere: videlicet eſſe quãdo tempus eſt, & eſſe ſub tẽpore. Sicut quædam in loco vel in numero eſſe dicimus, quia ſub loco vel ſub numero cõtinentur. *Albertus.* Quæritur ergo de his, quę non habent numerum, ſed prius, & poſterius, qualiter in tempore ſint, vt eſt homo vel aſinus, vel cuiuſlibet rei naturalis eſſentia omnino quieta. Dicimus enim homo eſt, vel fuit, vel erit, & ſimiliter de qualibet re naturali ſignificantes, quod talia ſint in tempore. Fortaſſe dicet aliquis, quod eſſentia rerum naturalium eſt in humorum adæquatione, quæ ſcilicet in calore & frigore & humiditate propter continuam actionem & paſſionem habet prius, & poſterius Inde perditio & reſtauratio. Vnde dicit philoſophus, quod non eadem eſt ſanitas in mane & in veſpere At vero ſi ita eſſet, nec poſſemus dicere quod idem ſit homo in mane & in veſpere, ſicut nec poſſumus dicere, quod eadem ſit ſanitas actu in vtroque tempore. Ideo dico actu, quia eadem eſſet habitu, niſi interueniret infirmitas. Fortaſſis aliquis dicet, quod ſicut ſanitas, vel albedo non deperit in toto, ſed tamen non eſt tota ſimul Et ob hoc ibi eſt eſſe in præterito & futuro. Similiter in homine, quia non eſt ibi totum eſſe ſimul, ideo dicitur eſſe in præterito & futuro. At ecõtra formæ ſubſtãtiales, formæ ſunt omnino ſimplices, Ideoque omnino ſunt ſimul. Vnde cum homo ſit à ſimplici forma, homo habebit totam eam ſimul. Itaque ratione illius formæ non erit verum dicere homo eſt, & homo erit. Sicque tali forma videntur non eſſe in tempore. Præterea ſimplex in quantum ſimplex, non habet menſuram. At vero cælum & corpora cæleſtia, quę immortalia ſunt (vt dicit Boetius) ſimplicia ſũt: & ita non habent menſuram ſecundum prius, & poſterius. Cum ergo tempus ſit menſura, ſecundũ hunc modum talia non ſunt in tempore. Denique quod dicunt quidam de quieſcentibus naturali quiete, vt ſunt omnia mobilia, quæ actu non mouentur, quod eorum quies, non eſt tota ſimul, falſum eſſe videtur. Quicquid enim habet prius, ac poſterius, hoc primo ac per ſe eſt in tempore. Nulla vero quies primo ac per ſe eſt in tempore, ſed poſt & de per accidens, vt dicit philoſophus. Nulla igitur quies habet prius, & poſterius.

Quot modis eſſe contingat in tempore.

CAP. LXXVIII.

DIcimus itaque quod quatuor modis eſt propriè aliquid in tempore. *Primo modo eſt aliquid in tẽpore vt in ſubiecto*, & ſic paſſiones temporis in tempore ſunt, vt longum ac breue, & multum ac paucum. *Secundo aliquid eſt in tempore, ſicut in quod eſt ſubſtantia ipſius*, & ſic nunc eſt in tempore, quia nunc eſt ſubſtantia ipſius. *Tertio modo* aliquid eſt in tempore ſicut terminus in terminato. Et ſic nunc eſt ab anima, ſignatũ eſt in tẽpore. *Quarto modo* aliquid eſt in tẽpore ſimpliciter ſicut in numero, & hoc eſt tẽpore vel parte temporis

Primo. *Secundo.* *Tertio.* *Quarto.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

temporis menſurari. Et hoc contingit duobus modis ſcilicet abſolutè, vel per comparationẽ. Abſolute adhuc duobus modis ſcilicet per prius & poſterius. Per prius eſt in tempore motus, & mobile ſecundũ quod eſt in motu. Per poſterius quies, & quieſcens ſecundum quod refertur ad motũ. Et per prius eſſe in tẽpore dicitur adhuc duobus modis, ſcilicet toto tẽpore menſurari, ſicut motus cæli vniuerſalis: & parte tẽporis, ſicut alij motus particulares. Per comparationẽ eſſe in tempore dicitur tribus modis. Aut enim illud quod cõparatur, eſt immobile ſecundũ eſſe & poſſe, & agere. Sed cõparatur ad rem mutabilẽ ſecundum durationẽ excellentem in, ante. & poſt, & concomitantem, & ſic dicitur, Deus eſt fuit & erit. Senſus enim eſt, vt dicit Hiero. *Deus fuit ideſt nunquam defuit. Deus erit ideſt nunquam deerit. Deus eſt ideſt ſemper eſt.* Aut id quod comparatur ſecundum eſſe eſt immobile. Sed ſecundũ poſſe quidem coniunctum motui eſt mobile ſecundũ viciſſitudinem, & ſic angelus dicitur eſſe in tempore ſecundum omnes directorias temporis. Et potentia angeli viciſſitudinatur per actus ſcilicet intelligendo diuerſa & volendo. Et ſecundũ hoc dicit Auguſt. quod Deus creaturam ſpiritualem mouet per tempus, creaturam vero corporalem per locũ & tempus. Aut ita eſt, quod eſſe quidem rerũ eſt totũ ſimul, ſed habet potentias, ad motũ continuum. Et hoc contingit duobus modis, ſecundum duplicẽ modum potentiæ. Eſt enim potentia ad vbi tantũ, & eſt potentia ad vbi & formã. Et primo modo cœlũ eſt in tempore, Secundo modo generabilia & corruptibilia. Concedimus nãque quod eſſentiæ rerũ non ſunt in tempore abſolutè, ſed per cõparationem ad potentiã ad motũ relatam Porro de quiete dicimus, quod cũ dicitur Quies non eſt tota ſimul intelligitur, quod eſt propinquior & remotior à motu. Et hoc ſimpliciter non ponit prius & poſterius, ſed per cõparationem ad motum. Ideoque dicit philoſophus, quod quies eſt in tempore per prius, & poſterius.

Senſus huius propoſitionis Deus fuit &c.

Cur tempus magis dicitur cauſa corruptionis, quam generationis.

Cap. LXXIX.

Obiectiones.

DVbitabit autem aliquis, cur potius dicatur tẽpus cauſa corruptionis, quam generationis. Cũ enim omnis motus in tempore eſt, nõ videtur potius eſſe cauſa corruptionis, quã alterationis, vel generationis, ac cæterorum. Cæterũ nullius horũ videtur eſſe cauſa, quia generatio & corruptio cæterique motus cauſantur à principijs intrinſecis, & extrinſecis agentibus, vel patientibus. Pręterea paſſio non eſt cauſa ſubiecti, ſed potius econtra. Tẽpus autem eſt mutationis, & motus paſſio. Denique ſi tẽpus eſſet cauſa corruptionis per ſe, tunc maximè videretur eã in ſubiecto ſibi proprio cauſare, ſicque cœlũ eſſet corruptibile. Nos autẽ dicimus, quod tempus eſt cauſa corruptionis magis, quã generationis in corruptibili, quod actu eſt accipere in tẽpore. *Vnde & Apoſtolus dicit quia quod antiquatur & ſeneſcit prope interitum eſt.* Philoſophus quoque dicit, quod tẽpus eſt cauſa corruptionis, menſura quãtum quæ magis diſtare facit à principio. Si autem aliquod generatur in tẽpore, ſiue ſimpliciter, vt ſubſtantia ſiue ſecundũ quid, vt quod Deũ ſciens fit ſciens, hoc fit aliquo mouente extrinſeco, & non tantũ intrinſeco, & non tempus ibi eſt cauſa. Si autẽ ex corruptione vnius generatur alterum, hoc eſt per accidens reſpectu tẽporis. Itaque eſſe in tempore ſecundũ naturã ſuam eſt ſecundum id tẽpus quod eſt cauſa corruptionis. vnde philoſophus non determinat quid ſit eſſe in tẽpore, dicit quod in illis, quæ ſunt in tẽpore ſecundum naturã ſuã, eſt contrarietas, ideoque per actionẽ caloris conſumptio fit naturalis humidi, cuius conſumptio inducit diſſolutionem, & cauſat diſtantiã ab habitudine principiorũ continentiũ ipſum in eſſe primitus. Et ideo dicitur, quod homo incipit mori ex quo naſcitur. Dicit enim Auicen. quod non fit reſtauratio ſubſtantialis humidi per humidum nutribile, ſed impeditur calor, ne ſubito conſummat ipſum, & dat exemplũ de duplici humido, quod eſt in lãpade, eſt vnum quod eſt imbibitũ lychno. Alterũ quod eſt circumfuſum, vbi calor ignis, qui de neceſſitate ſemper aliquid conſummit, impeditur à circumfuſo. Et ideo etiã mors naturalis dicitur illa, quæ inducitur ex tẽpore longo. Eodẽ modo dicimus, quod tẽpus eſt cauſa obliuionis, & inſipientiæ, quia propter conſumptionẽ humidi in cerebro, & propter teporem calidi, quod neceſſe eſt tepeſcere conſumpta ſua materia in qua eſt, efficiuntur ſenes immemorabiles. Ex his patet, quomodo tẽpus dicatur cauſa corruptionis per ſe, quia ſemper in ipſo in quo eſt, inducit corruptionem hoc modo, quo eſſe in tempore inducit corruptionem. Generationis autẽ eſt cauſa per accidens, quia non ipſo in quo eſt, ſed per aliud mouens, vt per experimentum vel aliquid tale inducitur generatio. Porro cælum ſecundum ſuã naturã non eſt in tempore ſed ſecundum motum. Et iterũ ſecundum motum non eſt ita in tempore, quod menſuretur à quadam parte temporis, ſed cõmunicat ſe toti tempori. Sed tẽpus non eſt cauſa corruptionis, niſi in his, quæ metitur ſecundum partem ſui, quia in his eſt diſtantia à principio, & in alijs non.

Reſp. Rom. 8.

Vtrum tempus ſemper cauſetur à motu, vel aliquando ſit ſine motu.

Cap. LXXX.

DIcit autem Philoſophus, quod ſicut magnitudinem ſequitur motus: ita motũ ſequitur tempus. At vero pereunte magnitudine, perit omnino localis motus. Igitur ſimiliter pereunte motu: peribit omnino tẽpus. Et ita ſine motu videtur omnino nõ eſſe tẽpus. Dicit Auicen. quod motus numerat tẽpus: quia facit eſſe numerũ, qui eſt tẽpus: Motus ergo facit eſſe tempus. Præterea deſtructo ſubiecto deſtruitur eius paſſio. Cũ ergo tempus ſic ſit paſſio motus, deſtructo motu deſtruitur tempus. *Denique in 6. Phyſi. habetur*, quod ſi motus eſt, neceſſe eſt tempus eſſe & ſi tempus eſt, neceſſe eſt motum eſſe. Patet ergo quod non eſt vnum ſine alio. Econtra vero dicit *Philoſophus in 4. li. Phyſi.* quod tempus eſt aliquid plus omni eo quod eſt in ipſo. Cũ ergo in tempore ſit motus, tempus eſt aliquid plus omni motu. Manet ergo tẽpus non exiſtente motu. Præterea nunc in tempore (ſicut dicit Philoſophus) correſpondet ſubſtantiæ huius mobilis: & eſt ſubſtantia temporis motus. At vero ſubſtantia ipſius mobilis manet poſt motum: ergo & ſubſtantia ipſius nunc manet poſt motũ. Nos itaque dicimus (vt prius habitum eſt) quod duplex dicitur tẽpus. Quod dã enim tempus eſt menſura cuiuſcũque mutationis, ſiue ſimplicis ſiue cõpoſitæ, & illius nonnihil prohibet conſequi ad nũc. Et hoc bene poteſt eſſe ſine motu. Sed tempus conſideratum à Philoſophis, quod eſt menſura motus primi mobilis, non poteſt eſſe ſine motu. Et de hoc loquendo concedimus primas rationes, & reſpondemus ad obiecta in contrarium, quod cũ dicit Philoſophus; Tempus eſt aliquid maius omni eo quod eſt in tempore, loquitur de eſſe in tempore ſecundum quod idem eſt eſſe in tempore quod eſſe in numero. Quicquid autem eſt in numero: ſic ſe habet ad numerum illum, quod etiã alia poſſint numerari & menſurari per numerum illum, & ſic ea quę ſunt in tempore: ſimiliter ſe habent ad tempus: quod tempus etiam poteſt eſſe menſura aliorum. Et ſic verum eſt: quod tempus eſt plus omni eo quod eſt in tẽpore. Ad aliud dicendum eſt: quod tempus manet ſecundum ſubſtantiam: & non ſecundum eſſe. Et motus neque manet ſecundum ſubſtantiam, neque ſecũdum eſſe, & tamen dependet tẽpus à motu. Sed bene

Duplex tempus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſequitur ex illa ratione, quod ſubſtantia temporis nõ dependet à ſubſtantia motus: ſed à ſubſtantia mobilis ſecundum quod eſt in motu. Et ideo illo non exiſtente in motu non eſt ſubſtantia temporis. Porro ſubſtantia mobilis manet poſt motum: ſed ſic non cauſat ipſum nunc temporis: ſecundum quod à philoſophis conſideratur: vt ſcilicet eſt non coniunctum priori & poſteriori, & ideo non cauſatur à ſubſtantia mobilis quocunque modo conſiderata: ſed prout eſt in motu ſecundum quod huiuſmodi.

Quod Tempus ſit propriè ac per ſe paſſio motus cœli.

CAP. LXXXI.

Ob. Prima. QVia vero tempus dicitur eſſe paſſio primi mobilis; Quæri poteſt, vtrum ſint plura tempora vel vnum? Videtur enim quod plura: quia ſubiectum tẽporis quod eſt motus multiplicatur, ergo & paſſio, multiplicata quoque cauſa multiplicatur effectus, & cauſa temporis eſt motus. Præterea dicit *philoſophus 6. Phyſi.* quod ad motum vnũ exigitur mouẽs vnũ, & tẽpus vnum, & mobile vnum, ac per hoc innuit, quod non omnis motus in vno tempore ſit. Denique tẽpus eſt accidens temporale, à quo denominatur temporale. Cum ergo multa ſunt temporalia, multa etiã erunt & tempora. Econtra vero dicit *Anſel. in monologio*, quod præſens tempus claudit omnem locum, & quicquid in loco eſt. Sicque locus omnis, & quicquid in loco eſt, in vno præſenti tempore eſt. Per eandem itaque rationem non eſt niſi vnum futurum & vnũ præteritum. Hoc etiam dicunt expreſſe Ariſto. & Auicen. *Reſp. Secunda.* Nos autem dicimus, quod plura quidem ſunt tempora. Eſt enim quædam mutatio, quæ non poteſt reduci ad motum cœli tanquam ad cauſam, vt eſt mutatio potẽtiæ intellectiuæ ac voluntatis. Et illa tempus ſuũ habet, vt ſupra dictum eſt. Omnia vero alia quæ ſub motu cœli ſunt, non habent tempus niſi vnum. Omnis enim motus menſuratur per cœli motum tãquam per ſui generis ſimpliciſſimum. Et ſimiliter menſuratur per numerum cœli motus, tanquam per extrinſecus adiacens, quod non eſt in eodem genere. Siquidẽ eſſe in tempore, eſt eſſe in numero teſtante philoſopho. & in eodem numero numerante poſſunt plura numerata eſſe, plures enim res ad vnum numerum referri poſſunt. *Obiectiones. Reſp.* Cum ergo obijcitur, quod multiplicato ſubiecto paſſio multiplicatur: Reſpondemus, quod tempus non eſt paſſio niſi motus cęli per ſe. Aliorum vero per relationem ad motum cœli tanquam ad ſimpliciſſimum, qui eſt cauſa motuum aliorum. Itaque tempus cauſatur à motu ſimpliciſſimo primo, alioſque motus mẽſurat per relationem ad motum illum. Quod autem dicit philoſophus ad motum vnũ exigi tempus vnum, intelligitur de tẽpore ſignato inter duo nunc, & non de tempore ſimpliciter. Denique tẽpus eſt accidens propriè motus cęli. *Tẽpus in quo ſubiecto.* In alijs vero motibus non eſt vt accidens in ſubiecto, ſed vt numerus in numerato.

De numero cœlorum.

CAP. LXXXII.

ISidorus li. 4. Legimus, in Dauid: *Laudate eum cœli cœlorum.* Et Paulum vſque ad tertium cœlum fuiſſe raptum. Fecit itaque Deus cœlos nõ informes, neque confuſos, ſed ratione quadam ordine ſuo diſtinctos. Nã ſuperioris circuli cœlum proprio termino diſcretum, æqualibus vndique ſpacijs collectum extendit, & in eo virtutes ſpiritualium creaturarum cõſtituit. Cuius ſcilicet cœli naturã artifex mundi Deus aquis temperauit, ne conflagratio ſuperioris ignis inferiora elementa ſuccenderet. Dehinc circulum inferioris cœli, non vniformi ſed multiplici motu ſolidauit, vnicuiq; eum firmamentum propter ſuſtẽtationem multarum ſuperiorum aquarum. Philoſophi autem mundi ſeptem cœlos ideſt planetas globorum conſono motu introduxerunt, quorum orbibus connexa commemorant omnia, quoſque ſibi innexos & velut inſertos verſari in itinere retro, & contrario cæteris motu ferri arbitrantur. *Rabbi Moyſes*: tempore Ariſtotelis non fuit verificatus numerus cœlorum. Et illi qui nunc eos temporibus noſtris nunciauerunt pro vno cœlo ſphæram vnam multos cœlos in ſe claudentem cõputauerunt. Vnde Thalmudiſtæ dixerunt eſſe duos cœlos, ſicut in Deuteronomio dicitur: *En Deum Dei cui cœlum eſt & cœlum cœli*, vbi per vnum cœlum omnes cœli ſtellas continentes intelliguntur, per alterum vero quod eſt ſphæra ſecunda cœlum id quod claudit omnes, & eſt ſine ſtella. Cœlum quidem Mercurii & Veneris olim inter aſtrologos in ambiguitate fuerunt, vtrum ſub ſole eſſent, an ſupra ſolem. Antiqui quidem opinati ſunt eos eſſe ſupra ſolem, ſed poſtea Ptolomæus ordinauit eos ſub ſole.

De quinque cœlis, & eorum effectibus in rebus inferioribus.

CAP. LXXXIII.

QVi vero ſupra ſolem eos eſſe dixerunt, quinque ſphæras eſſe putauerunt, ſcilicet ſphæram lunæ quæ propinquior nobis eſt omni alia, & ſphærã ſolis, quæ ſupra illam eſt. Et ſphærã quinque ſtellarum erraticarum. Et ſphærã ſtellarum fixarum. Et vltimum cœlum omnes circumuolans, vel circumuoluens, in quo nõ eſt ſtella. Sicque numerus cœlorum vel ſphærarum habentium ſtellas, eſt quaternarius, & ſuper hos vltima ſphæra. Dixerunt autem ſapientes, de gubernatione generationis, & corruptionis, quod fit per virtutes venientes à cœlis Ab antiquis dictum eſt etiã, quod non eſt herba in terra, quæ non habeat ſtellã in cœlo, quæ eam reſpiciat, & creſcere faciat. Vnde dicitur in Iob, *Nunquid noſti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* Dixerunt autem philoſophi, quod cœlum lunæ virtutem habet crementalem in elemento aquæ, & ad hoc dant pro ſigno crementum maris, cum lunę incremento eſt, & diminutio ſimiliter. In ſole vero manifeſtum eſt, quomodo radius eius in ipſius approximatione crementum ignis mouet, ſicut crementum frigoris in elongatione eiuſdem apparet. Similiter & ſphæra ſtellarum erraticarum operationẽ habet ad aerem, in exiſtendo principium qualitatum eius, & in mouendo ipſum. Et propter multitudinem mutationum iſtius ſphæræ & ipſum motũ ſcilicet retrogradationis & ſtationis ac proceſſus, eſt in aere facilior tranſmutatio ſecundum multos modos, quam in alio elemento. Sphæra vero ſtellarum fixarum eſt motus principium, & ideo non poteſt eſſe, quod tardetur motus terræ propter tardationem ſtellarum fixarum in ſuo motu. *Iob. 38.*

De ſeptem cœlis.

CAP. LXXXIV.

BEda ſuper Geneſim. Sunt autem ſeptem cœli, quorum hæc ſunt nomina ſcilicet aer, æther, olimpus, ſpacium igneum, firmamentum, cœlum angelorum, ac cœlũ Trinitatis. *Auctor.* Rabanus vero ſuper Deuteronomium prætermiſſo cœlo Trinitatis ponit ſeptem cœlos creatos, ſcilicet Empyreum, & cœlum aqueum ſiue chryſtallinum, firmamentum, igneum ſpacium, olimpum, cœlumque ethereum & aereum. Cumque Ioannes Damaſcenus ſeptem cœlos tangat planetarum, quæri poteſt, cur Rabanus, vel Beda non illos cum cæteris enumerant. Cæterũ ſi circulus aeris cœlum eſt, videtur quod aqua & terra habeant cœlum ſimiliter. Nos autem dicimus, quod ad eſſe cœli duo

ſunt

Duo requiſita ad eſſe cæli.

ſunt neceſſaria ſiue exiguntur, videlicet quod aliquid contineat circulariter per totum, & quod ſit perſpicuum luminoſum. Ob hoc inferiora duo elementa non dicuntur cœli. Nam grauia craſſa ſunt & obſcura, & ab alijs contenta, non alia continentia. Cœlos autem planetarum Rabanus, vel Beda ſub firmamẽto comprehendit, vt poſtea patebit. *Albertus.* Si vero quæritur ratio numeri cælorum ſecũdum Rabanum, dicimus, quod natura communis omnibus cœlis duplex eſt ſecundum ipſum, videlicet natura circulariter continendi, & natura perſpicui. Vnde quot modis contingit perſpicuum circulariter continens multiplicari, tot erunt cœli. Tale vero perſpicuum aut eſt receptiuum luminis, aut datiuum. Si datiuum, aut eſt datiuum vniforme, aut non vniforme. Item aut motum, aut non motum. Si datiuum vniforme non motum, tunc eſt cœlum empyreum. Si autem eſt datiuum vniforme motum, tunc eſt chryſtallinum ſiue aqueum. Si autem datiuum non vniforme motum, tunc erit firmamentum. Quarta vero combinatio non poteſt eſſe, ſcilicet non vniforme, non motum. Quia ſupra probatum eſt, quod omne quod nõ eſt vniforme mouetur, & ita in quinta eſſentia ſecundum Rabanum non ſunt niſi tres cœli. Si autem eſt receptiuum luminis, aut ſeparabiliter aut inſeparabiliter. Si inſeparabiliter, aut per circulum ſuperioris ſuperficiei, aut inferioris. Si ſecundum circulum ſuperioris, tunc eſt igneum ſpacium, quia ignis eſt elementum receptiuum luminis inſeparabiliter. Si autem ſecundum ſuperficiem inferiorem, ſic eſt olimpeum. Si vero eſt receptiuum luminis ſeparabiliter, ſicut aer, qui illuminatur ex præſentia luminoſi, & obtenebratur ex eiuſdem abſentia, hoc eſt dupliciter, aut ſecundum ſuperius, aut ſecundum inferius. Si ſecundum ſuperius, eſt æthereum, quia Rabanus regionem aeris ſuperiorem vocat æthera. Si vero ſecundum inferius, tunc eſt aereum. Si vero quæratur de tribus cœlis, de quibus facit mentionem Apoſtolus, quando dicit ſe raptum in tertium cœlum, Dicendum eſt, quod tres cœli dicuntur ibi tres modi viſionis ſecundum Auguſtinum, ſenſibilis, imaginariæ, & intellectualis. Et dicuntur cæli, quia cælant aliquid. Vel dicuntur ibi tres cæli, tres Hierarchiæ angelorum. Si autem dicuntur ibi cæli corpora, tunc accipitur ibi ſecundum diſtinctionem naturarum, in quibus inueniuntur proprietates cæli, ſcilicet perſpicuum & luminoſum, & tunc primum eſt aereum, ſecundum igneum, tertium vero de natura quintæ eſſentiæ.

Cælum in quod D. Paulus fuit raptus.

De cœlo Trinitatis.

CAP. LXXXV.

Cælum Trinitatis videtur locus.

CVm autem cœlum Trinitatis diuidatur cum alijs, & ita ſit eiuſdem diuiſionis, videtur quod & eiuſdem naturæ ſit cum alijs cælis. Nam quæcumque eiuſdem diuiſionis ſunt, ſunt eiuſdem naturæ, quia diuiſum manet in diuidentibus, vt vna communis natura generis. Hinc ergo videtur cœlum Trinitatis eſſe locus, ſicut & cœli. Idem quoque videtur ex illo verbo Luciferi, in cœlum aſcendam ſuper aſtra Dei. Nam ſuper ac ſubter ſunt differentiæ loci & ſitus. At econuerſo, cum Deus ſit loco incircumſcriptibilis, & ſemper ſit in cœlo Trinitatis, patet quod hoc cœlum non eſt locus corporalis. Idem etiam patet ex hoc, quia Lucifer per hoc quod voluit in cœlum aſcendere, voluit ſuper angelos altiſſimos aſſimilari, quod vtique non poſſet conſequi per aſcenſum alicuius corporis, quod & nos concedimus, dicentes, quod cœlum diuiditur per cœlum Trinitatis, & per alios cœlos, vt commune proportionis, & non vt genus. Eſt autem communitas proportionis, (vt dicit Boe.) in ſimilitudine habendi ſe ad aliquid: Cœli vero ſimiliter ſe habent ad vnum, quod eſt continere & ſaluare contentum. Per hunc itaque modum numeratur cum alijs cœlis, ſicut rector ciuitatis, & rector nauis dicuntur eſſe duo eligibilia, non forte, ſed arte. Sic etiam cælum Trinitatis, & empyreum, & firmamentũ ſunt tres cœli quantum ad conuenientiam inferiora continendi atque ſaluandi. Porro ſupra & infra, vel ſuper ac ſubter dicuntur multipliciter, ſicut etiam prius, & poſterius. Dicitur enim ſupra *ordine, & loco, & dignitate*. Secundum vltimum modum eſt cœlum Trinitatis ſuper empyreum. Si autem quæritur, vtrũ idem ſit quod Deus. Reſpondemus quod *idem eſt cũ Deo ſecundum rem, ſed differens ſecũdum rationem. Cœlum quippe Trinitatis nihil aliud eſt quã virtutis eius excellentia, quia continet & ambit omnia creata.* Sed fortaſſe poteſt aliquis obijcere quod dicit philoſophus in 4. phyſ. quod nihil eſt in ſeipſo per ſe, Cum ergo Deus ſit in hoc cœlo, non erit hoc cœlum idem cum Deo. Nos autem dicimus, quod eſſe in ipſo dicitur duobus modis, videlicet per affirmationem & negationem. Per affirmationem non eſt in ſe, quia ſic oporteret idem eſſe continens, & contentum quod nõ poteſt eſſe. Ac per negationem aliquid eſt in ſeipſo, quia non in alio, ſicut omnia prima quæ non continẽtur, ſed continent alia. Et hoc modo Deus eſt in ſeipſo: vel melius dici poteſt, quod nihil eſt ſeipſo ſecundum rem & ſecundum rationem. At vero Deus eſt in ſe ipſo idem ſecundum rem, differens tamen ſecundũ rationem, vt dictum eſt. Sic enim etiam ſapientia & virtus Dei ſunt idem ſecundum rem, ſed differunt ratione. Si autem obijcitur, quod de ipſo per Iſaiam dicitur. *Cælum mihi ſedes eſt*, poteſt dici quod ibi cœlum empyreum dicitur ſedes Dei, ſcilicet ratione cõtentorum in quibus quieſcit. Eſt enim Deus Trinitas, vel cœlum eius ſupra Empyreum, vnde non ſecundum ſitum corporeum dicitur ſedes Dei, vel in ratione diſtantiæ, ſed ratione infinitatis diuinæ ſubſtãtiæ.

Cælum Trinitatis ſupra. Cælum Trinitatis quid?

Eſſe in ſeipſo dicitur dupliciter.

Fallacia accidentis.

Act. 7.

Cõmunitas proportionis.

De continentia eiuſdem cœli.

CAP. LXXXVI.

PORro ſi quæratur à nobis, quæ contenta ſunt in cœlo Trinitatis, huic quæſtioni reſpondemus, quod nihil eſt in eo niſi pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Eſſe quippe in cœlo Trinitatis, eſt eſſe inæqualitate virtutis Dei, omnia quæ ſub ipſa ſunt continentis atque ſaluantis. Quod autem *dicit Beda* de angelis, quod intra Deum currunt quocumque mittantur. Ex quo videtur quod in cœlo Trinitatis contineantur. Intelligendum eſt quantum ad primam præſentiam contemplationis proportionabiliter, quia ſuperiores plus, & inferiores minus contemplantur. Nec vtique ſequitur ſi ſunt in Deo qui eſt cœlum Trinitatis, quod ideo ſint in cœlo Trinitatis. Quin potius eſt ibi fallacia accidẽtis. propter diuerſam rationem Dei, ac cœli Trinitatis: ſi autem obijcitur quod locus eſt contentiuus, & ſaluatiuus locati: Angeli enim non habent ſaluationem & continentiam, niſi à ſpiritu increato, dicimus, quod reuera Deus, quidem continet & ſaluat, vt principium efficiens, id quod efficit per præſentiam efficientis eſſentiæ ac potentię non relinquens, ſecũdum quem modum dicitur eſſe in omnibus creaturis. Et ſic hoc modo Beda dicere videtur, eſt angelorũ locus, non tamen eſt eis proprius locus, locato per æqualitatem commenſuratus, quod importat cœlum Trinitatis. Itaque nec Beata Virgo eſt in cœlo Trinitatis, licèt dicatur exaltata ſuper choros angelorum excellentia dignitatis, ſed nec Chriſtus ſecundum quod eſt homo eſt ibi, licèt ipſe homo ſit ibi. Quod enim in ſymbolo dicitur, quod ſedet ad dextram patris, intelligitur de perſona in duabus naturis. Illa quippe ratione diuinitatis, eſt in cœlo Trinitatis. Similiter intelligitur illud verbum Stephani, *video filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Omnia quippe huiſmodi intelligẽda ſunt ſecundum rationem diuinitatis. Quod autem dicit Apoſtolus de Chriſto. *Omnia ſubieciſti*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſubieciſti ſub pedibus, & poſtea quod *ipſe filius erit ei ſubiectus*, intelligitur de ipſo inquantum eſt homo. Cui ſubiecit Deus omnia dignitate & non loco. Nam diffinitione quidem in Empyreo continetur Chriſtus homo vel corpus Chriſti, ſacramentaliter autem continetur in altari, dignitate vero nullo in loco continetur. Sed eſt ſuper omnem locum & ſuper omnia quæ diffinitiuè ac circumſcriptiuè in loco cõtinẽtur.

De cælo Empyreo.

CAP. LXXXVII.

PORro cælum Empyreum eſt corpus inter omnia corpora ſimplicia nobiliſſimum. Ideoque dicunt ſancti quod ſit igneum, non per ardorem, ſed proprer corporale lumen in eo diffuſum. Si autem obijcitur in contrarium quod omne continens, eſt contento ſimplicius. Et ideo cum angeli ſint ſpiritus, cælum continens eos non videtur eſſe corpus. Reſpondemus, quod illud verum eſt de continente circumſcriptiuo, Non autem diffinitiuè: continens ſimplicius eſt contẽto de neceſſitate. Et angeli quidem cælum Empyreum non implent eo modo quo locatum implet locum. Sed implent ipſum ſecundum diſtinctionem Hierarchiarum & manſionum, quæ in domo patris multæ ſunt. Et ideo cælum non eſt locus eorum vt ſaluans eos in eſſe. Sed potius, quia magis congruit in genere corporum actioni beatitudinis, & cõtemplationis eorum. Si quæritur vtrum angeli manerent in eſſe non exiſtente cælo Empyreo, dicimus, quòd manerent, cum à loco corporeo non ſaluentur in eſſe, finirentur enim adhuc intra limites ſuæ eſſentiæ. Et continerentur à Deo exiſtente in eis per præſentiam, eſſentiam, & potentiam, ſicut eſt in omnibus creaturis. *Alexander*. Cum autem nihil à Deo fit ſine cauſa, videtur Empyreum non habere cauſam aliquam. Non enim eſt propter continuandam in inferioribus generationem & corruptionem. Cum huiuſmodi cauſa ſufficiens ſit firmamentum cum ſtellis, & planetis. Nec eſt ad conſeruationem in eſſe, cum cauſa conſeruationis in eſſe corporum dicatur eſſe, ſecundum philoſophos, illa ſphæra quę mouetur motu diurno. Non ergo videtur eſſe cauſa ex comparatione ad ſpiritus. Cum ſpiritus natura ſeparatim ſint à corporibus, nec indigeant continentia corporum ad hoc vt ſint. Nos autem dicimus, quod habet cauſam cælum Empyreum vt compleatur vniuerſum in genere corporum, ſecundum determinata extrema & medium, ad oſtenſionem ſummæ potentię ac ſapientię & bonitatis diuinæ. Extrema quidem ſunt luminoſum in fine, & opacum in fine. Luminoſum autem in fine dicitur Empyreum. Præterea licèt ſpiritus à corporibus ſeparati quantum ad ſuum eſſe non indigeant aliquo corpore: eſt tamen congruentia corporis alicuius ad ipſos ſpiritus, propter magnam conuenientiam. Denique ſpiritus rationales, qui corporibus coniunguntur, cum peruenitur ad corporum incorruptionem congruenter collocabuntur in corpore, quod eſt vltimæ nobilitatis in vniuerſo, ſcilicet in Empyreo, eo quod illa corpora maximam habebunt nobilitatem. Et ante coniunctionem illam cum huiuſmodi corporibus ibi etiam propter meritum ſuum conuenienter collocantur.

Quod cælum Empireum vniforme ſit.

CAP. *LXXXVIII.*

Albertus. Eſt autem communis doctorum ſententia, quod Empyreum omnino ſit vniforme, plenum lumine, non habens diuerſitatem dexteræ & ſiniſtræ. Et quod dicit Philoſophus cælum habere dexterum & ſiniſtrum, intelligit de cælis inferioribus. Nam philoſophi vt dicunt ſancti, Empyreum cælum intelligere non potuerunt, niſi forte iuxta Damaſcenum illi qui dogmata Moyſi legentes ea ſibi attribuunt. Sed fortaſſis poteſt aliquid obijcere, quod *idem eodem modo ſe habens natum eſt facere idem*, vt legitur ſecundo de generatione & corruptione. Si ergo cælum Empyreum, vt dictum eſt, omnino vniforme eſt, nec faciet difformitatem in cælo inferiori: nec iterum illud in ſuo inferiori. Et ſic vniformes erunt omnes cæli. Quod cum ſit contra ſenſum, videtur quod non ſit vniforme primum cælum, quod influit alijs difformitatem & motum, hoc eſt Empyreum. Et nos quidem dicimus, quod cælum Empyreum influit quidẽ inferioribus, ſed *vt in libro de ſubſtantia orbis* dicit Auerroes & etiam Boetius, *Agentis actio non eſt tantummodo ſecundum poteſtatem agentis, ſed etiam recipientis*. Ideoque cum inferiores cæli non ſint æque nobiles, cum Empyreo, non ſic vniformiter lumen ab eo recipiunt ſicut & lumen vniformiter influit, videlicet ipſum cælum Empyreum. Et hoc eſt quod dicitur *in libro de cauſis, quod primum æqualiter adeſt omnibus ſecundis, ſed ſecunda non æqualiter aſſunt ſibi*. Quod autem Empyreum ſit vniforme, probari poteſt per hoc, quod ſicut vnum eſt ante multa, ſic vniforme ante multiforme. Cum ergo in genere circularium corporum ſit aliquod primum, non poteſt primum eſſe multiforme. Cæterum omne multiforme aliquam habet in partibus diuerſitatem. Et habens partes habet quandam compoſitionem. Econtra quicquid habet vniformitatem in partibus habet identitatem, & quandam ſimplicitatem, porro idem erit ergo ſimplex, & vniforme, ſicut eſt idẽ diuerſum & compoſitum. Cælum ergo Empyreum quod ante omne ſimplex eſt & vniforme eſt, hoc etiam patet per hoc quod dicunt ſancti, cælum illud igneum eſſe, non propter ardorem, ſed propter ſplendorem. Dicit quoque *Damaſcenus*. In generatione totius mundi cæli facturam ſuſcipimus, quod ſine ſtellis ſeptiforme aiunt qui foris ſunt ſapientes, ea quæ ſunt Moyſi documenta, ſua facientes.

Obiectio.

Reſp.

Maxima.

Quod etiam immobile ſit.

CAP. *LXXXIX.*

QVia dicit *philoſophus*. Omne corpus naturalem motum habere, videtur Empyreum cũ ſit corpus eſſe naturaliter mobile. Quin etiam non ſolum videtur eſſe ſecundum locum mobile, ſed & mutabile. Nam ſuper illud verbum pſalmi de cælis, *Ipſi peribunt, tu autem permanes*, *dicit gloſſa* quod cælum in quo ſunt angeli creati mutabitur, & ſiquidem ſecundum qualitatem mutabitur, multo fortius ſecundum ſitum vt videtur. Denique ſi elementa ſoluentur, & ſol, & luna, quia motu ſuo nobis ſeruiunt, innouatione ſui præmiabuntur, videtur quod cælum Empyreum pari ratione ad præmium ſuum in nouam qualitatem mutabitur. Multo magis ergo ſecundum ſitum motum vel mobile, eſſe videbitur. At econtra nullum vniforme omnino circulare rationem habet incæptionis ſui motus in parte vna potius, quàm in alia. Cum ergo vbique non poſſit incipere, nuſquam incipiet, & ſic erit immobile. Itaque patet cum cælum Empyreum omnino ſit vniforme & immobile, præterea nobilius eſt quod participat bonitatem ſine motu. Cum ergo primum corpus nobiliſſimum ſit, bonitatem quam poteſt habere ſine motu participabit. Denique locus proportionabitur ſecundum congruentiam locatis. Locata vero cœli Empyrei ſunt in quiete contemplationis, ac beatitudinis. Ipſum quoque cælum eſt in quiete, ac ſic immobile. Quod & nos concedimus cum cæteris Doctoribus. Quod enim philoſophus dicit, omne corpus naturalem motum habere, loquitur de corporibus ordinatis ad generationem & corruptionem per motum ſuum, porro Empyreum ſupra huiuſmodi ordinem eſt eleuatum. Et ordinatur ad ſtatum con-

templa-

templatiuum, ideoque non habet motum. Si autem de innouatione ipſius quæritur, bene poteſt concedi, quod angelorum miniſterio completo *in maiorem lucem innouabitur.* Sed motus localis, ad mutationem quæ eſt ex alteratione non ſequitur; porro philoſophi non cognouerunt Empyreum, quia ſcrutati ſunt & locuti de ſuperioribus ſecundum ſenſum, vel ſecundum conſequentiam rationis tantum. Et quidem ſecundum ſenſum apparent tantum octo ſphærę, nona vero probatur ſecundum rationis conſequentiam, porro decima quæ immobilis ponitur, nec ſenſu nec forti ratione manifeſtatur; Ideoque non poſuerunt eam philoſophi.

Innouatio empyrei quæ?

De cœlo aqueo ſiue chryſtallino.

CAP. XC.

DE aquis vero quæ ſunt ſuper firmamentum loqueus *Auguſtinus ſuper Geneſim* ita dicit. Hoc exigit aquarum pondus, quod ſuper terrm fluant, vel in aere vaporaliter ferantur. Et non vt ſint ſupra firmamentum. Ergo cum cœlum aquęum ponatur de materia aquæ, non erit ſupra firmamentum. Si forte aliquis diceret, quod aquæ ſunt ibi miraculosè, ex quibus eſt cœlum aqueum. Obuiat ibidem ei Aug. dicens. Nec quiſquam dicat, hoc omnipotentia Dei fieri, qualiter enim Deus fecit naturas quæritur, nunquid vt de eis miraculum potentiæ ſuæ operaretur. Ergo non eſt recedendum ad miraculum, ſed ſecundum naturam creaturarum, cauſa eſt aſſignanda. Si forte dicatur quod aquæ fluxibiles deſcendunt ad ima. Sed congelatæ ad modum chryſtalli ſunt ſupra firmamentum. Econtra ſic obijcitur. Chryſtallus, (vt dicit philoſophus in poſterioribus) eſt congelatio aquæ remota penitus omni caliditate, penitus autem remouetur caliditas, quando interius, nõ poterit diſſoluere, nec exterius ingredi propter conſtrictionem pororum. Si ergo talis eſt natura cœli aquei, oportet quod aliquo corpore infrigidante ipſum congelatum ſit. Et quod vel vbi quæſo tale eſt, cum cœlum nõ recipiat peregrinas impreſſiones? Si forte dicetur, quod hic non ſumatur aqua pro elemento frigido & humido, ſed eo modo quo accipitur cum dicitur, *ſpiritus domini ferabatur ſuper aquas*, vbi ſcilicet aqua dicitur fluitans, & confuſa materia, æqualiter habens frigidum & calidum, humidum & ſiccum, tenebroſum & luminoſum. At vero ſi hoc eſſet, ſicut dixit Moyſes, diuiſit aquas ab aquis, eadem ratione dicere poſſet, vt videtur, diuiſit ignem ab igne, & aerem ab aere. Si vero dicatur quod aqua ibi eſt ſecundum effectum ſuum, de quo dicit philoſophus, quod ipſa eſt elemẽtum conglutinatum & coniunctum. Econtra poteſt obijci quod aqua non conglutinarur niſi per actum humidi. At vero in actu humidi ſemper fluit ad ſiccũ ſolidum, quia non eſt terminabilis termino proprio, ſed termino ſicci ſecundum actum illum, & ſecũdum hoc ad terram deſcenderet. Si propter hoc dicat aliquis, quod aquæ non ſunt ſuper firmamentum, hoc eſt aperte contra diuinum eloquium, cuius, vt dicit Aug. maior eſt auctoritas, quam omnis humani ingenij perſpicacitas. Cæterum in minori mundo qui eſt homo, humidum & frigidum in ſummo ſuper fõtem caloris eſt poſitum, quia ſupra cor poſitum eſt cerebrum. Similiter ergo & in maiori mundo conuenit, vt aqua quæ frigida eſt & humida ſupra ſolem, qui fons caloris eſt, poſita ſit.

Aquæ non ſunt ſupra firmamentũ in ſententia Auguſtini.

In aliquo tamen ſenſu id neceſſario concedendũ.

De opinione illorum qui putant aquas eſſe non poſſe ſuper cœlum.

CAP. XCI.

AUguſtinus ſuper Geneſim. Qui vero negant aquas ſuper cęlum ſydereum poſſe manere, non tãtum locis, ſed etiam qualitatibus diſtinguunt elementa, pro quibus ſortiantur loca propria. Indeque colligũt quod ſi etiam aqua ſuper cœlum eſſet, pondere ſuo caderet: vnde quidam ſic aquas eſſe ſuper cœlos affirmant, vt aerem hoc cœlum vel firmamentum accipiant. Eo quod interuallum eius diuidit inter quoſdã vapores aquarum & aquas, quæ in terris ſunt. *Guilelmus de Cõchis.* Qui enim dixit aquas ſuper cœlum vel firmamentum eſſe, aera cœlum & firmamentum vocauit, vel quod verius eſt inferiorem partem aeris, ſuper quam ſunt aquæ vaporaliter in nubibus ſuſpenſæ. Nec obſtat quod Beda dicit aquas ibi congelatas eſſe, quę nobis apparent ad modum pellis extenſæ. Nam in eis quidem quæ pertinent ad Catholicam fidem, vel ad morum inſtitutionem, non eſt fas Bedæ, vel alicui cæterorum ſanctorum patrum contradicere, ſed in eis, præſertim quæ ad philoſophiam vel phyſicam pertinent, ſi forte in aliquo errent, licet diuersũ affirmare; veruntamen quoties minor maiori contradicit, rationabiliter oportet eſſe verum quod nititur inducere. Omnis ergo aqua naturaliter eſt ponderoſa, congelata vero quia plus ad terræ naturam accedit ponderoſior exiſtit. Cum itaque motus proprius põderum ſit ad centrum. Si aquæ congelatæ ſuper æthera eſſent, naturali grauitate ad ima deſcenderent. Sed dicet aliquis, videmus grauia per fornicem arcus ſurſum teneri, & ibi manere, nec vnquam deſcendere. Vnde & aquæ illæ congelatæ quia in modum fornicis ſuſpenſæ ſunt, deſcẽdere non poſſunt. Cui ego ſic reſpondeo. Arcus fornicis, niſi baſes, quæ alicui ſolido innitantur habeat, neceſſe eſt quod ſtatim corruat. Iſte ergo tuus arcus, quem confingis, in aliquo ſolido baſim figit. Cum ergo nihil ſolidum ſit præter terram, oportet vt tales baſes inhæreant terræ, quod excedit ioci ſcurrilis vtilitatem. At inquis, videmus ignem, ea quæ grauia & ſolida ſunt impetu ſuo eleuare ac ſuſtinere. Cum ergo ignis, ex omni parte ſuppoſitus ſit aquis iſtis, impetu ſuo illas ſuſtinet: vere inquam in vitium culpæ ducit fuga ſi caret arte. Si aquæ iſtæ, vt fingis ſuſtinentur ab igne. Aut aliquid corporeum eſt inter ipſas, & ignem, aut nihil. Si autem aliquid intereſt, aut elementum, aut ex elementis factum. Elementum non eſt, quia elementum omne infra ignem eſt. Si factum ex elementis, ergo viſibile, cur ergo nõ videtur? Si ergo nullum corpus intereſt, tunc duo cõtraria ſcilicet ignis & aqua, ſine medio ſunt coniuncta. Eſt ergo in cæleſtibus pugna & diſcordia, vnde vel aquæ illæ ignem extinguent, vel ignis eas conſumet. At inquit aquæ illæ congelatæ ſunt & in naturã chryſtalli conuerſæ, vnde & ſi tanguntur ab igne diſſolui non poſſunt: verum inquam, cryſtallus in igne conſumitur etiam in minimo; quid ergo fiet in tanto. Item quando criſtallus ex aqua fit, aqua primitus in ſuperficie ſpiſſatur, deinde in medio donec tota fit glacies, deinde longa frigiditate magis, ac magis ſolidatur donec in chryſtallum mutatur. Ex aqua vero glacies, non naſcitur, niſi eius frigiditas accidentali frigiditate aeris venti vel terræ intendatur. Cum ergo aquæ illæ ab iſtis ſint remotæ, à quibus ergo fuit illa frigiditas tam intenſa, vt prius in glaciem, deinde in criſtallum verterentur?

Beda ſententia de aquis congelatis in cælo modeſte reijcitur.

Ob.

Reſp.

Conſut.

Ob.

Reſp.

Reſponſiones eorum ad obiecta in contrarium.

CAP. XCII.

AT inquit, omnia qualitatibus attribuis, nil creatori. Nonne potuit ibi creator aquas imponere, congelare & contra naturam ſuſtinere? verum inquã, quid ſubtilius, quàm affirmare aliquid eſſe, quia poteſt illud ipſe creator facere? facit ne quicquid poteſt? Qui ergo contra naturam Deum aliquid facere dicit, vel ſi ſic eſſe oculis videat, vel rationem cur hoc ſit oſtendat, vel vtilitatem ad quam hoc ſit prætendat. Verum (inquis) ſi non ſunt aquæ ſuper hoc cœlum,

Ob.

Reſp.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quid eſt quod ibi ſpiſſum aquei coloris, ad modum pellis extenſæ videmus? Scio enim illud nec ignem, nec aera eſſe. Nam ſi aer inferior qui ſpiſſior eſt, videri non poteſt, quomodo ignis, cum ſubtilior ſit, videri poterit? Quamuis inquam omnis ſenſus in multis ſit falſus, viſus tamen omnium eſt falſiſſimus. Baculus, cum ſit integer, fractus videtur in aqua: duæ turres cum à longe videntur, quamuis loco diſtent, coniunctæ videntur. Sol cum octies maior ſit tota terra, bipedalis tamen niſi videtur. Si in nocte digitis aliquis ſuum premat oculum, videtur ſibi colores oculi aſpicere ſupra lunam. Vnde neque tu, neque alius præter ſtellas videt aliud, ſed viſualis radius, cum ad ſuperiora dirigitur, nec eſt ibi obſtaculum quo repercutiatur, deficit & deficiendo inſpiſſatur. Cum autem tranſit ſic per oculum in quo Albugineus humor & chryſtallinus extingnitur, præſertim tunc cum nec alius color ſibi occurrit, talem ideſt aqueum & chryſtallinum ſibi confingit. Verum inquis, ſi nil ibi videtur, viſus ibi deficit, quomodo dicunt tunc ſtellas ibi infixas eſſe in firmamento? & in eodem eſſe vndecim circulos, in vnoquoque eſſe duodecim ſigna dicimus, nec ea ibi eſſe in defectu noſtri viſus. Tribus inquam modis loquuntur Auctores, de ſuperioribus, videlicet fabuloſe, Aſtrologicæ, & Aſtronomicæ, Fabuloſè enim loquitur Hyginus, & Aratus, Taurum illuc eſſe tranſlatum, & in ſignum eſſe mutatum aſſerentes, & ſimilia, quod genus tractandi maxime eſt neceſſariũ, Scimus enim de vnoquoque ſigno in qua parte cœli ſit, quot ſtellę ſint in eo, & quomodo diſpoſitæ. Aſtrologicæ vero de eiſdem eſt retractare, ea quæ in eis ſecundum apparentiam videntur, licèt ibi non ſint, quia fallitur viſus, ſic de ei tractauit Marcianus: Hipparchus: Aſtronomicę autem de eiſdem tractare eſt, ea quæ de ſtellis vera ſunt, ſiue ita videatur, ſiue non. pronunciare. Qualiter tractat Iulius, Firmicus, Maternus, Ptolomeus. Cum ergo ab aliquo firmamentum ſuper ignem eſſe vel ſtella in firmamento fixa dicitur, Aſtrologicus eſt, quia & ſi non ita ſit, tamen ita videtur, vel vt ſupra diximus, æther cœlum dicitur, quia diuerſis ſtellis eſt cœlatum. Idem quoque dicitur firmamẽtum, quia ſuo calore & effectu ſtellarum quæ in eo ſunt, firmat & temperat ſubdita. In æthere autem infixæ ſunt ſtellæ, non vt gemmæ in auro, ſed quia in illo exiſtentes, de loco ad locum non videntur tranſire, porro de 10. circulis, qui ſint, & vbi ſint, aliàs diximus.

Ob. *Reſp.* *Calũ vnde.* *Cur firmamentum dicitur?*

Opiniones ſunt hic antiquorum Doctorum & obiecta in contrarium.

CAP. XCIII.

Auguſtinus vbi ſupra. Firmamentum appellatum eſt cœlum non propter ſtationem, ſed propter firmitatem, ac ſuperiorum ac inferiorum aquarum terminum intranſgreſſibilem, ſiue cœlum intelligamus aerem, ſiue quod ſpacia nubiloſi aeris excedit, aerem ſcilicet qui exaltatione terræ vaporaliter aquas trahit ac per ſubtiles minutias ſuſpendit. Et poſt corpulentius conglobatas, pluuialiter refundit. Si vero poteſt aqua, vt videmus, ad tantas minutias peruenire vt feratur interdum vaporaliter ſuper aerẽ aquis naturaliter leuiorem, cur non credamus, & ſu per illud leuius cælum, in minutioribus guttis aquas poſſe ſupereleuari & ibi manere leuioribus vaporibus? Sed quoquo modo ibi ſint ſaltem eas ibi eſſe non dubitamus. Quidam etiam noſtri aquas non eſſe ſuper ſydereum cœlum qualitatibus, & meatibus conuincere volunt, Aſſerentes tamen ſtellam Saturni frigidiſſimã: quęritur ergo ab eis vnde frigida ſit, quæ tanto deberet eſſe ardentior, quanto ſublimior & cœlo propinquior? Cum enim rotunda moles circumagitur interiora tardius, & exteriora eius mouentur celerius, & ideo feruentius, debuit ergo magis eſſe calida quàm frigida, facit ergo eam frigidam aquarum ſupercæleſtium vicinitas. *Ioannes Damaſcenus, vbi ſupra.* Cuius gratia Deus aquam ſuper firmamentum impoſuit? nõ ne propter ſolis, & ętheris calidiſſimum feruorem? Mox enim poſt firmamentum ęther expanſus eſt. ſed & ſol & luna & ſtellę in firmamento ſunt, & niſi ſubiaceret aqua, inflammatum vtique iam eſſet firmamentum à calore. *Ambroſius in Exaemeron.* Cæli naturam artifex mundi Deus aquis temperauit, ne conflagratione ſuperioris ignis, elementa inferiora ſuccenderet. *Auctor.* De his aquis ſupercæleſtibus dicunt quidam, quod ad modum chryſtalli ſolidatæ ſint, nec ignis eas diſſoluat. Auguſtinus autem dicit eas, vt dictum eſt, poſſe vaporaliter trahi ac leuiſſimis guttis ſuſpendi: videtur etiam ſentire cum Baſilio, ſcilicet quod ad refrigerium caloris in luminaribus ſint ibi, per hoc quod dicit de Stella Saturni. *Albertus.* Verum quod ibi ſint vaporaliter, ac conuertantur ſecundum quoſdam in pluuias, & rorem, hoc eſt aperte contra veritatem. Ros enim & pluuia non generãtur in cœlo, ſed in medio aeris interſtitio, ſicut patet ad oculum, & oſtendit in libris Metheororum Ariſtoteles. Cæterum ſi eſſent aquæ ſuper cœlum refrigerãdi & temperandi feruoris cauſa iuxta Ambroſium, & Baſilium, tunc ibi eſſent in natura graui, ſicque deſcenderent ſecundum Auguſtinum.

Certum eſt aquas eſſe ſuper cælos licet modus quo ſint ſit incertus.

Probabilior modernorum ſententia de hac materia.

CAP. XCV.

NOs itaque dicimus, quod vbi dicitur, *Deus diuiſit per firmamentum aquas ab aquis*. Non ſumitur aqua pro elemento, ſed pro materia confuſionis, quæ habet in ſe calidum & ſiccum, humidum, & frigidũ, luminoſum, & tenebroſum, perſpicuum & opacum. Et dicitur aqua quia ſicut aqua interminabilis eſt in ſe, ac terminatur ad ſiccum denſum, ſic illa materia interminata eſt in ſe, & terminatur ad diſtinctam formam, & diſtinctum locum, vnde in principio Geneſ. diſtinguitur in partibus ſuis, tum per formam, tũ per locum. Per formam quidem vbi dicitur, quod *fecit Deus cœlum & terram & plantas, & animalia & hominem.* Per locum vero dicitur quando diuiſit lucem à tenebris, & aquas ſuperiores ab inferioribus, & huiuſmodi, ſecundum hunc modum dicunt gloſſæ, quod accipitur aqua vbi dicitur, quod ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas. Cum ergo aqua illa in ſe habeat differentias contrarias ſub confuſione mixtas, ſcilicet calidum & frigidum, humidum, & ſiccum, ſubtile, & groſſum, luminoſum & tenebroſum, perſpicuum & opacum. In diſtinctione ſui per locum ſuperiorem & inferiorem, ſecundum differentias nobiliores, quod nobilius eſt, eleuabitur ſurſum. Et ſecundum differẽtias ignobiliores, quod ignobilius eſt deſcender deorſum. Nobiliſſimæ autem differentiæ ſunt, quæ competunt vero corpori non tranſmutabili. *Et illæ ſunt tres, ſcilicet luminoſum perſpicuum & ſubtile,* ergo ſecundum has differentias cœlum aqueum erit in ſe ſubtile habens ſubtilem aquam pro materia, perſpicuum ſiue diaphanum pro diſpoſitione materiali. Et luminoſum pro forma complete: veritas huius ſentẽtiæ patet, eo quod nuſquam legitur de diſtinctione aeris & ignis. Eo quod ignis, & aer ſupponuntur in parte aquæ, quæ ſortita eſt ſphæram inferiorem, ſcilicet actiuorum & paſſiuorum.. Et propter hoc cũ poſtea aqua diſtinguitur à terra, ſcilicet cum dicitur *congregentur aquæ in locum vnum & appareat arida*, dicunt ſancti, quod ibi intelligitur diſtinctus ignis, & aer. Cum hęc duo elementa libera ab aquis deſcendentibus in locum proprium apparuerunt hac ratione quidam ſancti conſiderantes, & indiſſolubilitatem cæli & perſpicuitatem & luminoſitatem vocabant ipſum chryſtallinum, ſicut Rabanus, & quidam alij.

Explicatio Geneſ. 1.

Differentia corporis non tranſmutabilis.

A

Qualiter ſecundum hoc intelligenda ſunt antiquorum dicta.

CAP. XCV.

QVod autem dixerunt quidam ſacri Doctores aquas ibi eſſe ad temperandum calorem ſolis, & aeris, vt Baſilius, & quidam aliorum, effectiuè non materialiter eſt intelligendum. Deus enim quaſdam partes cœli facit frigidas, & humidas, ne aliæ partes, quæ ſunt calidæ & ſiccæ, nimis incenderent inferiora. Similiter etiam quod Beda & quidam alij dicunt, inde pluuias roreſque deſcendere. Intelligendum eſt effectiuè. Porro de maiori mundo & minori non eſt B
ſimile, quoniam homo compoſitus eſt ex contrarijs, eiusque cerebrum neceſſe eſt eſſe frig dum, quo lucidi vel liquidi poſſunt eſſe ſpiritus, in quibus virtutes animales operantur. Cor autem propter ſpiritum vitalem neceſſe eſt habere calorẽ. Talis vero ſpirituum diſtinctio non eſt in maiori mundo, vnde neceſſe non eſt aquam frigidam & humidam eſſe in ſummo. *Albertus.* Sacri Doctores de hac materia quædam opinando dixerunt. Sed nihil certum inde definierunt, vnde & nos opinando concedimus, quod cœlum aqueum ſiue chryſtallinum ſit ex luce, ſicut ex cõplemento ſui. Ex perſpicuitate tanquam ex diſpoſitione materiali. Et aquæ habent quidem naturaliter ponderoſitatem, & humiditatem, & frigiditatem, ſed has C
Ob. proprietates ibi non habent. Si autem obijcitur illud *Auguſtini in li. de ciui. Dei*, quod ſicut humidum eſt in cerebro, ita nihil prohibet humidum eſſe in ſuperiori mundo, vel ſuperioris mundi parte, dico quod
Reſp. non eſt ſimile. Non enim membra noſtra ſecundum ordinem qualitatum ex quibus commixta ſunt, ordinantur. Sed ſecundum relationem ad animam, quæ diuerſimodè in diuerſis membris operatur. Et in cerebro quidem operatur operatione animali, quã conuenit fieri in humido. In corde vero operatione vitali. Et in inferiori parte operationi naturali, vnde quia receptiuum formatum eſt humidum, non eſt inconueniens illud eſſe in cerebro propter impreſſiones ſenſibiles. Calidum vero in corde propter operationes ſpirituales, per calidum enim maximè eſt operatio ſpiritus, quia ſpiritus medium eſt inter animam & corpus. At vero aliter eſt in vniuerſo vbi corpora ſunt ſeparata & non commixta, ideoque ſecundum qualitatum nobilitates ordinantur. Non itaque verbum
Ob. illud dicit Auguſtinus aſſerendo, ſed potius opinando vel inquirendo. Si autem adhuc obijcitur, quod chryſtallus eſt congelatio humidi, dicimus quod cœlum
Reſp. illud non eſt chryſtallinum ſecundum omnem proprietatem chryſtalli, ſed ſecundum proprietatem perſpicui Quod enim eſt congelatum, totum eſt perſpicuum, propter hoc deſignatur quod ex eo quod ibi remanſit aqua ſecundum naturam perſpicuitatis, dictum eſt chryſtallinum. Ad hoc autem quod dicit Baſilius, Deum propter feruentiſſimum ſolis calorem, aquas in cælo poſuiſſe, dico quod calidum quoddam E
eſt ſaluatiuum, vt illud quod eſt in ſole; Et eſt quoddam deſtructiuum, vt quando fit coadunatio radiorum, & accedit ad naturam ignis. Verbi gratia in ſpeculo ſi fiat coadunatio radiorum poteſt incendi ſtuppa ex reflexione illorum, dico itaque quod calor ſolis in ſe non eſt conſumptiuus, ſed generatiuus, vnde generantur ranæ ex cœleſti calore in vere. Sed conſumptiuus eſt ratione radiorum, qui fiunt ex reflexione. Itaque quod dicit Baſilius, eſt opinio non aſſertio, vel de inferiore æthere intelligendum eſt, vt firmamẽtum dicatur illud interſtitium, quod eſt inter vapores, qui ſunt in aere & aquas inferiores. Nam illi vapores inter nos, & ſolis feruorem medij ſunt, quem aliquando temperant & reprimunt.

Quod aquæ illæ videntur eſſe in modum orbis congregatæ.

CAP. *XCVI.*

CVm autem probatum ſit vacuum nihil eſſe, probabile eſt totum ſpacium à cœlo Empyreo vſque ad ſydereum repletum eſſe corpore. Ex quo videtur aquas ſuperiores in modum orbis circa firmamentum congregatas eſſe. Nam in ſuperioribus, eſt diſtinctio locorum, quemadmodum & corporum. Minus enim nobile corpus ibi non occupat locum nobilioris, nec econtra, ſicut hic inferius accidit de aere, qui ſubintrat cauernas terræ. Cæterum ſi cœlum Empyreum vel ſydereum occuparet al quam partem illius ſpacij intermedij vbi ſunt aquæ ille, iã nõ eſſet vtrimque ex omni parte ſua orbiculare: patet ergo quod aquæ ſuperiores totum occupant ſpacium intermedium. Et colliguntur in orbem ex omni parte. Sicque vnus eſt orbis medius inter cœlum Empireum ac ſtellarum quod autẽ aquæ illæ nobiliores ſint quam firmamentum in naturę dignitate, videtur ex *Auguſtini verbis contra Manichæos* ſic loquentis. Quoniam inquit naturam illam dicimus aquæ nomine appellatam, firmamento cœli credo materiam corporalem rerum viſibilium fuiſſe diſcretam. Cum enim cœlum pulcherrimum corpus ſit, omnis creatura inuiſibilis etiã pulchritudinem cœli excedit. Ideoque fortaſſe ſuper cælum aquæ viſibiles eſſe dicuntur, quia non locorum ſedibus, ſed dignitate naturæ ſuperant cælum: At econtra videtur cœlum aqueum non eſſe naturaliter orbiculare. Sed fortaſſe ex accidenti hoc poſſet eſſe, ſicut aqua in cypho rotundo. Sed tamen aquæ illæ inferioribus ſunt conſimiles natura. Nam inferiores non conſtituunt naturaliter orbiculare corpus, ſed accidentaliter, quia ſecundum figuram continentis mutantur, & orbiculantur. Dicit quoque philoſophus, quod corpori recto debetur naturaliter motus rectus. Si ergo aquæ illæ colliguntur, videtur quod colligũtur in corpus rectum naturaliter, orbiculare vero accidentaliter. Itaque ſine præiudicio poſſumus dicere, quod aquæ illæ colligũtur in corpus naturaliter orbiculare. Et ſint inferioribus aquis conſimiles natura quodammodo ſcilicet propter aliquam cõueniẽtiam, quia inuenitur natura sẽper perſpicui vtrobique. Sed aquæ inferiores ſunt corruptibiles, illæ incorruptibiles. Si vero ſunt eis naturæ conſimiles in ſpecie, quomodo ibi ſint, relinquendum eſt diſpoſitioni diuinæ.

De motu cœli aquei.

CAP. *XCVII.*

VIdetur autem & corpus illud orbiculariter moueri, quia cum ordinetur ſupra firmamentum nobilius eſt illo. Ideoque mouetur motu nobiliori. Cum ergo firmamentum orbiculariter moueatur, multo fortius, & cœlum aqueum ſic mouebitur. Quod & nos ſine præiudicio concedimus. Nec eſt obiectio ex aqua inferiori quæ eſt elementum terræ coniunctum, eiuſque motus eſt rectus naturaliter tendens deorſum. *Albertus*: Sed fortaſſis poteſt aliquis *Ob.*
obijcere, quia dicit Auenalpetras, quod illud nonum cœlum eſt vniforme plenum lumine, cuius lumẽ tantæ ſimplicitatis eſt, quod non ſubijcitur viſibus. Nullum autem corpus omnino vniforme mobile eſt, quia dexterum & ſiniſtrum non habet. Cæterum *Reſp.*
philoſophi omnes ponunt, quod Sphæra ſtellata, ſit primum mobile. Cum ergo cælum aqueum ſit ſuper illam, non erit mobile. Econtra dicit Auenalpetras in Aſtrologia, quod cęlum vniforme mouetur: hoc autem cælum eſt vniforme, prẽterea primus motor ſimplex & vnus mouet motu vno, & ſimplici

oportet ergo quod cœlum aqueũ quod eſt ante ſtellatum moueatur primo motu ſimplici & primo motore. Porro Sphæra ſtellata plures habet motus, ſicut *à Ptolomeo dicitur in Almageſto, & ab Alfracano in iudicijs Aſtrorum, & ab Ariſt. in lib. de cauſis* proprietatum elementorum: habet enim motum diurnũ ſuper polos æquinoctiales, & ſuper circulos æquè diſtantes, quorum maximus eſt æquinoctialis. Et hic motus, eſt ab Oriente in Occidentem, & completur in viginti quatuor horis: habet, & alium motum ſuper Polos Zodiaci ab Occidente in Orientem, quem ſequuntur, & quædam ſtellæ ac mouentur in centum annis vno gradu ſecundum motum illum. Non ergo Sphera ſtellata mouetur immediate à primo motore, cum ſit mobile multiforme: hę ſunt rationes Arabum octo ſphæras mobiles ponentium, quibus & nos conſentientes dicimus moueri cœlum aqueum. Non eſt ita vniforme quin habeat dexterum & ſiniſtrum. Sed ita vniforme eſt, quod non habet vnam partem ſtellatam, & aliam non ſtellatam, ſicut octaua ſphæra. Et ipſa quidem ſphera ſtellata inter illas, quæ viſui ſubijciuntur, & quarum motus viſu poteſt perpendi, eſt prima. Sed ſecundum rationem non eſt prima, vt dicit Auenalpetras, qui ſcilicet philoſophus dicit antiquos hoc cœlum non percepiſſe, quia magis ſequebantur ſenſum quam rationem, in ſuperiorum diſpoſitione.

Qua neceſſitate vel vtilitate ſuper firmamentum ſint aquæ?

Cap. XCVIII.

Obiectio. *Alexander.* Cum autem ſit multitudo cœlorum, & vnumquodque habeat ſuum locabile ſecundum naturam ſuam, vt Empyreum Angelos, firmamentum ſtellas, & ita de cæteris, videtur aquæi cœli natura ſuperuacua eſſe, cum non habeat aliquod locabile: porro ſi dicatur quod ibi ſit ad temperandum calorem ſupernum. Econtra poteſt obijci, quia ſolum humidum eſt inflammabile, ſecundum quod habet potentiam ad ſiccum. Cum ergo cœlum ſtellarum, non habet naturam humidi quod ſit in potentia ad ſiccum, quia non habet naturam grauis, & leuis, videtur quod non habet naturam inflãmabilem, ideoque non indigere aliquo quod temperet eius calorẽ. Sed nec ibi eſſe videtur ad generationem & corruptionem in inferioribus, & continuationem illorum, quia hæc omnia ſufficienter cauſat motus ſuperiorũ. Verum de ornatu poſſumus dicere, quod non eſt neceſſe quodlibet cælum habere ſuum ornatum ſeparatum à ſe. Non enim hoc habet cælum olympeum, neque ſpacium igneum. Eodem itaque modo & cęlum chryſtallinum non eſt neceſſe, quod habeat ornatum à ſe ſeparatum. At vero neceſſe eſt, quod vtilitatis alicuius ſit, & factum propter aliud. *Reſp. 1.* In his tamen ſecundum Auguſt. non eſt aliquid temere definiendũ, ſed quantum ſcriptura dicit accipiendum. Cuius ſcilicet diuinæ ſcripturæ maior eſt auctoritas, quam omnis humani ingenij capacitas.

Quod ibi ſint pro rerum inferiorum conſeruatione.

Cap. XCIX.

Reſp. 2. Videntur autem ibi eſſe ad rerum generabilium & corruptibilium conſeruationem in eſſe. Nam contrarietatem habẽt corpora quæ ſunt circa cœlum ſtellatum & vnum contrarium eſt alterius corruptiuum, huiuſmodi ergo omnia ſecundum qualitates actiua ſunt & paſſiua. Nullum ergo horum illarum rerum eſt vniformiter ſaluatiuum. Sed neque ſtellatum cælum, quoniam ibi eſt ſtellarum diuerſitas, quæ ſecundum radioſitatem ſui maiorem habent conſeruationem vnius rei quam alterius. Cælum itaque ſtellatum non eſt horum vniformiter conſeruatiuum, oportet ergo aliud eſſe, quod vniformiter omnia conſeruet. Sed nec illud eſt cælum Empyreum; quia hoc eſt angelis, & glorificatis corporibus deputatum, nec eſt ad huius actionem, quia nullum habet motum. Itaque cælum aqueum cum habeat motum vniformem, facit in inferioribus vniformitatem. Quod autẽ mouetur, de facili ſic probatur. In principio creauit Deus extrema immobilia, ſcilicet cælum Empyreum quod non mouetur & terram quæ ſecundum totalitatem ſui non mouetur. Media vero naturæ sũt fluxibilis, & mutabilis, quod notatur cũ dicitur, *ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Nam per *aquas* deſignantur media quæ naturam habent fluxibilitatis, quia omnis rerum mutatio fieri debet in eis, principaliter enim fiunt mutationes circa naturam aquæ & aeris. Nulla vero fit in terra, niſi aer ingrediatur vel aqua. Dupliciter autem dicitur mutabile, vel quod eſt motum, vel quod eſt in propinqua diſpoſitione ad motum. Et conſtat, quod illud quod actu mouetur, nobilius eſt illo quod mobile eſt. Actus enim qui non corrumpit, potentia nobilior eſt, vnde motus in mobili non corrumpens ſubiectum ſuum nobilior eſt ſubiecto, ſcilicet inquantum mobile eſt. Illa igitur aquoſa natura media duplicem habuit naturam, vnam quæ ſemper fuit in motu, aliam qua in potentia fuit in motu Et ille motus, qui actu ſemper eſt, vtique nobilior eſt. Cum ergo cælum chryſtalliñum ac ſtellatum ſuperiora ſint cęteris, quæ media ſunt, corporibus, relinquitur quod ſemper mouebuntur. Denique cum ſit motus diuinus conſeruans res in eſſe, conſtat quod ille alicuius erit corporis, & non niſi vniformis in toto & in parte, hoc autem non eſt ſtellatum, ideoque relinquitur quod cælum aqueum ſit illud cuius vniformis talis ſit motus, quod & nos concedimus. Et hæc fuit vtilitas, & neceſſitas ponendi hoc cœlũ, quia cum alia corpora ſint principia generationis, & corruptionis ſecũdum diuerſitates motuum: iſtud ſecundum conformitatem ſui motus, facit conſeruationem in eſſe rerum. Eſt enim continuitas inter cælos: vnde cum hoc cõtinuè mouetur cœlum, mouet proximum, & illud vlterius proximum, vnde facit actu moueri quæ potentia ſunt ad motum. Et ſic eſt rerum in eſſe conſeruatiuum.

Extrema immobilia primo creata.

Aqua quid importet.

De quadruplici huius cœli ponenda neceſſitate.

Cap. C.

Prima. *Albertus.* Denique quadruplici neceſſitate ponitur hoc cęlum nonum, ſcilicet aqueum, *vna iam in* præcedentibus eſt poſita, quam aſſignat Auenalpetras in Aſtrologia ſua, videlicet quod ab vno motore ſimplici non poteſt eſſe niſi motus vnus, in mobili vno & ſimplici, & hæc neceſſitas eſt ex parte motoris. *Secunda.* *Alia eſt, quia* cum ſit vna Sphęra quę habet bonitatem proportionatam corpori nobiliori circulari ſine motu, ſicut ſphæra cœli Empyrei. Et ſunt Spheræ quædã quæ recipiãt bonitatem illam per motus plures, ſicut octo inferiores. Oportuit etiam eſſe vnã quæ reciperet bonitatẽ illam per motũ vnum, quæ ſit ignobilior ſuperiore, & nobilior inferioribus, & hæc neceſſitas ſumitur ex parte motus, & innuitur à philoſopho in 2. lib de cælo & mundo, *Tertia eſt,* quia eſt quædam *Tertia.* Sphæra recta & quædam decliuis in Sphæra ſtellata, dico autem Sphæram rectam, circulum æquinoctialẽ cum ſuis polis: Sphæra vero decliuis eſt illa, quæ declinat ab æquinoctiali, ſcilicet Zodiacus, oportet ergo quod ſecundum vtramque ſit motus proprius, & mobile proprium. Cum ergo ſic in Sphæra ſtellata inueniantur ambo motus, non ambo poſſunt eſſe proprij. Ergo oportet quod ſit vnum mobile cui proprius ille ſit motus, ſcilicet cælum aqueum ſiue chryſtallinus, eius quidem proprius motus eſt ſuper polos, & circulum æquinoctialem. Et omnes illæ rationes ſunt Auenalpetræ ponentis nonum cœlum. *Quarta neceſſi-* *Quarta.*

tas eſt

tas eſt ex parte vniformitatis, quia in inferioribus non eſt tantum diuerſitas in generatione & corruptione particularium: Sed & vniformitas in eſſe ſpecifico & in ordine naturæ. Ideo oportuit eſſe in ſuperioribus corpus vniforme, quod eſſet cauſa huius ordinis, & huius permanentiæ.

Cur Doctores aquas illas appellauerunt cœli nomine.

CAP. CI.

A *Lexander.* Verumtamen cum ſcriptura diuina nuſquam aquas illas appellet cœli nomine, merito quæri poteſt, cur ſacri expoſitores illas cœlum aqueum vel criſtallinum voluerunt nominare. Nã vbi ſcriptura ſacra notet eas aquas, ſupercœleſtes ſiue cælos exiſtimes. Verbi gratia, *Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt domino.* Et alibi. *Qui tegis aquis ſuperiora eius*, ideſt cœlis. Cæterum aquæ quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen domini. Porro & aer in ſcriptura dicitur cœlum, & ſimiliter firmamentum, Empyreum vero dicitur cœlum cœli. At vero ſacri Doctores conſiderarunt, quia cum cœlum ſydereum ex omni parte circundaret terram, qua ratione eſſent aquæ illæ ſuper vnam eius partem, eadem ratione eſſent ſuper aliam, & ſic indifferenter ſuper omnem. Sic ergo perpenderunt, illas in modum cœli eſſe expanſas. Ideoque cæli nomine vocabant eas. Et quia videbant illã naturam ab Empyreo & firmamento differentẽ: ideo cælum illud intermedium à materia nominabant aqueum. A diſpoſitione vero materiali chryſtallinum. Non ideo quia ibi ſit aquarum congelatio, ſicut eſt in chryſtallo ſecundum naturæ curſum; ſed quia chryſtallus habet perſpicuitatem cum luce, ſic & cælum illud. In Geneſi vero non loquitur ſcriptura de cœlo aqueo, quoniam ibi tangitur ordinatio ſecundum quam facti fuerunt cæli. Sed adhuc ſub natura poſſibilis aquę fuit ibi. Non enim tũc fuit vnumquodque ſecundum differentiam actualem diſpoſitum. Et ideo non inuenitur ibi de aqua quod ſit cœlum. Aqua ſiquidẽ ibi refertur ad aquas poſſibiles, ideſt quæ poſſibilitatem habent vt ex eis fiant res. Porro in Deuteronomio loquitur ſcriptura de duobus cœlis, ſcilicet aqueo, & Empyreo. Et hoc ideo, quia loquitur ibi Iudæis ſenſibilibus. Et illi duo cœli primi ſunt in corporibus. Eu inquit *domini Dei tui cælum eſt & cælũ cæli*, ac ſi dicat. Quia tu es ſenſibilis populus, ſi quæris locum Dei non quæres eum, niſi tãtum in ſenſibilibus. Ideo tacet de cœlo Trinitatis, quia cælũ illud nõ habet naturã corporis Rectè ergo Beda principium Geneſeos exponens, ac ſeptẽ cœlos enumerans tacet de cœlo aqueo, & ponit cælum Trinitatis. Rabanus autem econtra ſuper Deuteronomium ponit cœlum aqueum cum Empireo, & tacet de cœlo Trinitatis.

De cœlo quod dicitur firmamentum.

CAP. CII.

Vnde firmitas firmamenti

A *Lbertus.* Sequitur de tertio cœlo quod dicitur firmamentum, & de ſeptem inferioribus Sphæris, de quibus parum locuti ſunt Doctores noſtri, breuius abſoluemus nos, quam de alijs: dicitur autẽ, vt ſuperius habitum eſt, firmamentum, quia ſtat firmũ, ſcilicet inter aquas inferiores, & ſuperiores. Et poteſt quęri ratio firmitatis huius. Si enim dicatur firmiter ſtare, quia ſit immobile, hoc falsũ eſt manifeſtè, quoniam ad oculum videtur circumuolui: præterea ſi dicatur quod ſit terminus intranſgreſſibilis aquarũ ſuperiorum ne poſſint deſcendere, hoc etiam probatur nihil eſſe, quia ſicut iam habitum eſt ſuperius, ibi sũt aquæ ſine ponderoſitate. Cęterum videtur quod non illa Sphæra octaua tantum, ſed etiam inferiores ſecũdum ſcripturam appellentur, firmamentum: legitur enim in Geneſi, quod dixit Deus, *Fiant luminaria in firmamento cœli: fecitque Deus luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas, poſuitque eas in firmamento cæli*: omnibus autem notum eſt, quod ſol & luna ſunt in inferioribus circulis planetarum, & ſic etiam inferiores Spheræ dicuntur firmamentum. Nos autem dicimus ad primum, quod firmamentum dicitur à firmitate naturæ, quia non generatur, nec corrumpitur, & non ab immobilitate ſecundum locum. Quod autem dicit Auguſtinus ſuper Geneſim inter aquas inferiores, & ſuperiores firmiter ſtare firmamentum, hoc non eſt propter ponderoſitatem aquarum ſuperiorum, ſed propter firmum calidi & ſicci, frigidi & ſicci, calidi & humidi, frigidi & humidi contentum, hoc enim contentum notat quitatem vniuſcuiuſque per ſe. Et propter hoc dicitur firmamentum, quia indiſſolubilis eſt concenſus ille, cum extractus ſit extra actionem & paſſionem contrariorum. Porro firmamentum dicitur ſecundum duplicem modum. Vno modo dicitur octaua ſphæra tantum. Alio modo dicitur tota natura corporis quinti, & ſic accipitur in Geneſi. vbi dicitur, quod fecit Deus luminaria in firmamento cœli.

De ſtellis in firmamento & infra collocatis.

CAP. CIII.

Quæſtio ſolmitur. HOc cælum id eſt firmamentum eſt octaua ſphæra, quæ & dicitur ſtellata. Cumque Deus in illa ſtellas multas fecerit, quæri poteſt, cur in qualibet inferiorum ſeptem vnam tantũmodo poſuerit. Ad hoc autem *in 2. li. cæli, & mundi posuit Philoſophus* tres ſolutiones. *Prima eſt* quia octaua ſphæra eſt cauſa vitæ inferiorum præ cæteris ſphæris, quod non potuit eſſe niſi per diuerſum lumen in ſtellis diuerſis. *Secunda eſt*, quia natura ſic opera ſua temperauit, vt daret inferioribus ſphæris quę plures habent motus, vnam tantummodo ſtellam cuiliber, & ſuperiori quæ pauciores habet motus, multas ſtellas daret. Superior quippe inferiores mouet, vnde cum inferiores plures ac diuerſos habeant motus, oportet quod ſuperior plures haberet ſtellas ex quibus plures motus cauſentur in inferioribus. *Tertia ſolutio* ſupponit duo, videlicet, quod ſuperior ſphæra mouet inferiores, & quod eas mouet ſecundum potentiam proportionatam tãtis mobilibus quantæ ſunt ſpherę inferiores: Ex quibus ſcilicet duobus ſequitur, quòd ſi ſphæræ inferiores haberent ſtellas plures, ſuperior eas mouere non poſſet. Si autem quæritur quare non ſphæra vnum tãtũ habet motũ, & quęlibet inferiorum habet plures, dicimus ſecundum Philoſophum, quòd ſpheræ quãto ſunt altiores, tãto nobiliores. Ideoque prima propter nobilitatem ſui bonitatem motoris percipit vno motu, inferiores autem pluribus.

Prima. *Secunda.* *Tertia.*

Vtrum aliquod ſpacium ſit inter ſpharas planetarum.

CAP. CIIII.

Quæritur. HAbet autem quæſtionem, vtrum inter ſphæras ſit corpus aliquod, vel ſpacium illud ſit vacuum an ſphæræ contingant ſe inuicem. Et dicit Auenalpetras, quòd ille ſeſe contingunt. Sed ipſe ponit quòd non ſunt ecentrici, nec epicycli, nec eleuationes nec depreſſiones planetarum, quod dicit ea ratione, quia ſecundum naturam quintum corpus non eſt diuiſibile. Si autem eſſet eleuatio ac depreſſio planetarum, tunc oporteret, quod corpus illud diuideretur, ac ſuccederent ſtellæ eleuatæ ac depreſſæ in locum ſuum, aut quod locus vnde recederet ſtella, vacuus remaneret, quorum vtrumque eſt impoſſibile ſecundum naturam. Alij ſicut Auerroes, & ſequaces ſui dicunt, quod totum continuum eſt à luna ſuperius & habet vnum centrum terræ, & nihil eleuatur & deprimitur in ipſo, & hoc dicitur ea ratione, quia totum eſt corpus vnius

Reſp.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Diuerſitates opinionum de epicyclis & eccẽtricis.

naturæ, & ideo habet vnum motum & vnum centrum, vnde etiam negat ecentricos, & epicyclos, & eleuationes, & depreſſiones. Et iſti ambo diuerſitatem planetarum cauſant ex diuerſitate polorum, & circulorum ſuper quos voluntur. Quidam etiam dicunt quod ſphæræ non contingunt ſe, & corpus eiuſdem naturæ eſt inter eas. Diuiſibile quidem à ſphæris, ſed non tranſmutabile in ſpeciem aliam, & in illo eleuantur, & deprimuntur ecentrici, & planetæ. Quidam tamen antiqui dixerunt, quod ecentrici, & ſtellæ tranſeunt per corpus quod eſt inter ſpheras, & tamen ipſum non diuidunt, & hoc contingit propter formalitatem ipſorum corporum, ſicut & lumen tranſit per aerem. Sed ſecundum hoc tranſitus planetarum eſſet potius alterationis mutatio, quam tranſitus localis corporalis alicuius. Mathematici, & Aegyptij, & Caldæi, & quidam Arabes dicunt, quod ſuperiora ſunt ignea, & ideo non eſt inconuenieos ſi ſcinduntur motu ecentrici eorum, & planetarum.

De cælo olympeo.

Cap. CV.

A *Lexander*. Inter firmamentum & igneum ſpacium eſt cælum olympeum. Nam vtrumque quidem cælum, ſcilicet olympeum ſine ardore, igneum vero cum ardore. Et olympeum eſt ſuper igneum, quia magis participat de natura luminis, quam igneum. *Auctor*. Hoc Alexan. At vero Albertus qui ſequitur ordinem Bedæ ponit olympeum infra igneũ ſpacium, dicit enim quod vtrumque quidem inſeparabiliter receptiuum eſt luminis. Sed igneum ſecundum circulum ſuperficiei ſuperioris, olympeum vero ſecundum circulum inferioris. Quid autem Beda ſignificare vult nomine olympei, nuſquam expreſſè legiſſe memini, forſitan aut olympum vocat regionem ſolis, quæ tota accenditur. Igneum verò ſpacium ſtellarum regionem fixarum quæ à ſplendore ignea dicitur. Sed horum vtrumque cælum ſidereũ comprehẽdere ſolet: vel fortaſſe vocat olympum illum circulum qui eſt inter aerem purum & igneum ſpacium, quod etiam vtriuſque naturam participat tanquam medium extremorum duorum, ſicut dicetur inferius. Nunc autem interim de reliquis cælis ideſt igneo ſpacio, & æthere, & aere referamus. Veruntamen propter ipſius materiæ nouitatem hic incipiamus alterius libri diſtinctionem. Nempe ad corpus quintum pertinent ſuperiora: ignis autem, & aer, & inferiora omnia corpora ſunt elementa vel elementata.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER QVARTVS.

De igneo ſpacio.

CAP. I.

Vgustinus ſuper Gen. Super aerem purus ignis dicitur cœlum: vnde & luminaria facta eſſe coniectant illius, ſcilicet ignei lucis conglobata diſpoſitaque natura in eas formas quas in cœlo cernimus. *Seneca de naturalibus quæſtionibus. lib. 6.* Ordo ſiquidem rerum exiſtit: & ignis purgatus in cuſtodia mundi ſummas ſortitus oras pulcherrimè circumit. Et hic quidem deſcendere non poteſt. Sed nec ab extremo comprimi: quia in æthere nulli incerto corpori locus, certa & ordinata non pugnant: vos autem dicitis cum cauſas ſtellarum tranſuolantium reddiditis, poſſe aliquas partes aeris ad ſe ignem trahere ex his locis ſuperioribus, atque ex eo ardore accendi. Sed plurimum intereſt, vtrum aliquis dicat ignem ex æthere decidere, quod natura non patitur: an dicat ex ignea vi calorem in ea quæ ſubiacent, tranſilire. Non enim tunc ignis illinc cadit, quod fieri non poteſt, ſed hic naſcitur: apud nos certè videmus incendio latè peruagante quaſdam inſulas quamdiu concaluerint, ex ſe flammam concipere. Itaque veriſimile eſt, & in aere ſummo, in quo ignis rapiendi naturam habet, accendi calorem ignis ſuppoſiti. Neceſſe eſt enim, vt vnus æther habeat aliquid aeri ſimile. Et ſummus aer non ſit ætheri ſummo diſſimilis, quia non fit ſtatim in diuerſum ex diuerſo tranſitus: paulatim ergo iſta vim ſuam in confinio miſcent, ita vt dubitare poſſes, an hoc aer, an hoc iam æther ſit. *Philoſoph. in Metheor. li. 1.* Inferius quidem in eo quod ſuper terram eſt, vincit aqua, & aer ſine igne. Nam ſi vinceret ignis comburet illud & exiccaret. Ignis autem purus, & non turbidus ſuperius eſt contingens orbem lunæ. *Hugo in didaſcalicon lib. 1.* Itaque temporalia hæc ſunt naturæ opera, quæ ſuper terram oriuntur ſub lunari globo mouente igne artifice, qui quadam vi deſcendit in res ſenſibiles procreandas. *Ex li. de naturis rerum.* Locus orbi propinquus, qui, ſcilicet orbis eſt elementum quintum, calidus eſt, & inflammatus. Nam omne mobile ex corporibus quando mouetur motu circulari inflammatur, & ipſum quod ei approximat inflammat. In locis autem orbis in quibus videtur galaxia, ſunt ſtellæ multæ paruæ, ſpiſſæ, & magnę, propinquæ, luminoſæ. Cum ergo procedit lumen earum ex illo loco igneo, vel inflammato, videtur in eo lumen oblongum. Et iſtæ quidem ſtellę ſunt, quarum quædam alias tangunt, & lumen à ſole recipiunt. Quare continuatur lumen quarundam earum cum quibuſdam propter hoc videtur galaxia in vno orbis loco, non recedens ab eo. Ex his verbis Ariſtotelis innuitur, quod non ſolum à ſuperiore, ſed ab inferiore loco gloria, & honor contrahitur. Nam lucem dictarum ſtellarum nobilitat non ſolum lumen ſolis, ſed etiam ignis. Eſſe autem galaxiæ ſimile eſt eſſe ſtellarum comas habentium, quia ſimiles ſunt eis per hunc modum in locis ſuis. Et lumen ſolis ſuperat lumen earum.

Ignis purus vbinam?

De natura ignis communi.

CAP. II.

Auicenna de medicina lib. 2. Ignis eſt corpus ſimplex, cuius naturalis locus exiſtit ſuper omnes elementarias partes, qui eſt concaua cæli ſuperficies. Ipſe namque ad cælum peruenit, hæc eſt leuitas eius abſoluta, huius natura calida eſt, & ſicca: & eius eſſe in generatis iuuat vt maturentur, & ſubtilientur & temperentur, vt & eius penetratione per ea currat nerea ſubſtantia: ac duorum elementorum grauium, & frigidorum pura frigiditas temperetur. *Philoſoph. de cœlo & mundo lib. 3.* Ignis eſt velocis motus calefaciens, adurens: incidit quoque & ſeparat, & aggregat pluſquam ſeparat. Non enim ſeparat & finit: niſi omne quod non eſt ſui generis. Aggregat autem & vnit omne quod ſui generis eſt: vnde aggregatio, & vnitio eſt de ipſius ignis eſſentia. Separatio autem & conſumptio non inſunt ei niſi per accidens. Et ignem quidem corrumpi videmus dupliciter, aut enim corrumpitur *contrario ſuo*, aut finitur & extinguitur *ex ſeipſo*. *Ex lib. de nat. rerum.* Ignis ſimplex dictus eſt leniſſimum corporum:

Ignis corrũpitur dupliciter.

porũ: aſcendens ſurſum, congregans homogenea: diſgregans heterogenea, calefaciens, & illuminans, virtutem habet vſtiuam, & conſumptiuam, materiamque ſibi ſubiectam vbi obediens fuerit, in fauillam & cinerem redigit. Itaque materiam proximantem conſumit cũ ſine materia extra ſphæram ſuam eſſe nõ poſſit. Quantoque in materia craſſiori fuerit, tanto fortius vrit: fortius enim vrit in ferro, quam in carbone. Et fortius in carbone quam in ſtipula. Et in ſtipula, quam in ſtuppa. Item in viridi materia fortius vrit, quam in ſicca. Ignis accenſus aqua ardenti ex ſubtilitate ſui fomẽti etiam bombicem eadem aqua madefactum, non comburit, ſed accendit, nec vllam alicubi aduſtionem præſtat. Ignis lapides in æra ſoluit, ferrum mollit, lapidem crematum, in cæmentum vertit, candida nigrificat, nigra candificat, pro tempore iucundus eſt, ſi non excreſcat. Ignis ventum ſuſcitat, vnde *& vulgus ignem ſolent accendere, cum à tritico paleas excutiunt*, Ignis manens ignis, actualem poteſt amittere caliditatem, & ſiccitatem, ſicut in alijs elementis contingit. Nam terra calefieri poteſt & humectari, aqua vero calefieri, & aer frigefieri.

Ignis effectus varij.

Nota.

A

B

De Eodem.

CAP. *III.*

CVmque ignis ſubtiliſſimus ſit, nunquam euaporatiuus erit, quia omne euaporans euaporat ſubtilius ſe per attritionem & calefactionem, quę duo excluſa ſunt ab igne ſubtiliſſimo, & puro. Ignis ſi ſub diuo accenditur, quinque lineas efficere noſcitur, vnam in medio feruidam, duas circumgelidas, duas vero inter has temperatas. Qui ſi vt ſol circumiret, nimirum quinque circulos redderet, ad modum quinque circulorum in cœlo, ſcilicet Borealis, Solſtitialis, Æquinoctialis, Brumalis, Auſtralis. Ignis etiã ad ingreſſum oſtij, facile extinguitur, & difficile accenditur. Radius ſolis obiecto ſpeculo concauo fit ignis ſecundum eſſe quod ibi eſt, non tamen habet lucem, ſed corpulentiam & calorem. Ignis ex ſilice elicitur, ſed ſtatim annihilatur, niſi circumpoſita leui & arida materia foueatur. Ex igne puro nihil fit, ſine materia permanente. Ignis in maiori materia maioris eſt claritatis, & caloris. Ignis multipliciter auxiliatur. Remedium præbet dolori, quem facit aduſtio. Dicitur etiam ignis, quòd accenſus in domo, defendit eã ab ictu fulminis. Eſt autem genus ignis, de quo legitur in geſtis Beati Nicolai, quod ardet in aqua calida, de ſui natura ſemper mobile. Ignis diuinus conſumit nõ id quod eſt, ſed potius id quod non eſt, vt peccatum. E contrario ignis concupiſcentiæ facit, quoniam ab eſſe ad minus eſſe hominem inflammando trahit. Ignis durat quouſque eſt cõbuſtibile, & amor quouſque amabile. Auctor. Ignis eſt elementum quartum. Calidus eſt, & ſurſum tendit, ſplendet, rutilat, calefacit, fumum generat, ligna conſumit, attractiuæ naturæ eſt, cibos decoquit, huius effectus ex parte tanguntur in his verſibus. *Deſtruit, emollit, reſtringit, conſolidatque. Terret, accendit, latificat, clarificatque. Mobilis, & ſiccus mundúſque fauilla tenetur. Creſcit & aſcendit, ſed aqua modica morietur.*

Quinque lineæ in igne.

Experientia de generatione ignis.

Ignis diuinus.

C

D

E

De proprietatibus ignis in quibus aſſimilatur diuinitati.

CAP. *IIII.*

Dionyſius, de Hierarchia cœleſti. Habet autem ignis multas diuinæ (ſi phas eſt dicere) gratiæ proprietates. Ignis enim ſenſibilis quidem eſt, & remouetur omnibus, ideſt ſupereminet omnibus elementis. Occultus eſt & inuiſibilis ſecundum ſe, non accedente materia in qua propriam manifeſtet actionem, immenſurabilis, potens omnium ſimul, mobilis, tradens ſe omnibus quoquomodo appropinquantibus, renouatiuus materiæ, illuminatiuus circumuelatis ſplendoribus incomprehenſibilis, clarus, diſcretus, ideſt diſcernens materias, vt plumbum ab argento, reſiliens, immutabilis, ſiue impaſſibilis, ſurſum ferens, acute means, non receptans contumeliam minorationis, ſemper motus, per ſeipſum motus, mouens alterum, Non indigens alterius, latenter creſcens à ſeipſo, & ad ſuſceptas materias manifeſtam ſumit magnitudinem, alias manifeſtans ſui magnitudinem, actiuus, potens, ſimul omnibus præſens inuiſibiliter,, neglectus non eſſe putatur, attritum autem ſicut quadam vindicta, connaturaliter & proprie ſubitoque relucens, & iterum incomprehenſibiliter impalpabilis non minutus in omnibus ditiſſimis ſuis traditionibus. *Glo. ſuper actus Apoſtolorum. 2. c.* In igne ſpirituſſanctus venit, quia ignis quatuor habet proprietates naturales, vrit, purgat, calefacit, illuminat. Ignis etiam incorporens & inuiſibilis eſt in natura ſua, ſed aſſumpto alio corpore videtur diuerſi coloris apparens propter materias, in quibus ardet.

Quatuor ignis proprietates.

De differentia ignis cœleſtis, ac terreni.

CAP. V.

Auguſt. ſuper Geneſim. Ignis quidem ille ſuperior, vt dictum eſt, purus eſſe dicitur. Ignis autem ille, qui vrit tangentem, qui de terrenis, & humidis motibus infra exiſtit, vt vertatur in aliud elementum, ac per hoc in ſuperiorem tranquillitatem euadere nõ valens, in iſta pinguiori parte turbulentis motibus agitatur ad temperandum eius rigorem, & ad vſus terroreſque mortalium. *Auctor.* Ignis ille ſupremus, ac tranquillus, non quærit alienam materiam in qua coaleſcat. Iſte vero terrenus ignis, quia non eſt in regione ſua, ſed deficit in conſumptione materiæ, & in aliud elementum conuerti dicitur, quia fumigando in aera denſatur, hoc eſt vtique differentia inter vtrumque, quia ille cœleſtis ignis non eſt elementum, hic autem terrenus elementum, ille tranquillus, iſte autem turbidus, ibi quoque fertur eſſe pura lux, hic autem ardor, vnde tripartita fit ignis diſtinctio, aut enim eſt purus, & ſine materia, & ſic eſt ille cœleſtis, aut in materia, Et hoc dupliciter, aut in materia rara & tenui, ſic eſt in aere, & ſic eſt flamma, vt in fulgure. Aut in materia craſſiori terrena, ſcilicet ac ſolida, & ſic eſt carbo vel fauilla. Ignis ille ſuperior non eſt calidus, vel ardens in ſe ſecundum quoſdam, & tantum in effectu, calefacit enim ſubiecta. *Guilelmus de Conchis.* Ignea non ſunt calida, niſi quæ vicina ſunt alicui ſpiſſæ materię & humidæ, vnde ſol in conuallibus montium vbi aer ſpiſſior eſt, maiorem calorem exercet: vnde in ſummitate montium propter ſubtilitatem aeris perpetuæ ſunt niues. *Seneca vbi ſupra.* Et ignis quidem fieri ſolet apud nos duobus modis. Vno ſcilicet ſi excitatur, ſicut lapide percuſſo. Altero vero ſi attritu inuenitur. Sicut cum duo ligna inter ſe diutius ſunt ſtricta. Nec omnis hoc tibi præſtabit materia, ſed eliciendis ignibus idonea, ſicut laurus, & hederæ, & alia in hunc vſum paſtoribus nota.

Triplex ignis.

Quod ignis omnia vegetat & mouet.

CAP. VI.

Hugo ſuper Eccleſiaſtem. Luſtrans inquit vniuerſa in circumitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Spiritum hic accipere poſſumus igneam vim, quæ ab ipſo ſole procedens, per cuncta ſe diffundit, & vniuerſa inuiſibiliter penetrans vegetat & mouet, vnde & veteres naturam eſſe dixerunt ignẽ artificem procedentem in res ſenſibiles procreandas: vitalis enim motus, & vegetationis ſenſibilis, in

Eccleſ. cap. 1. Spiritus in ſacra ſcriptura ſumitur pro igne.

cunctis

cunctis naſcentibus, ignea vis origo eſt, quæ rebus omnibus incrementum ſubijcit;& inuiſibili eas nutrimento alens, ac fouens, ad viſibilem tandem perducit ſubſtantiam hic ergo ſpiritus, ideſt hæc occulta naturæ vis omnia luſtrat, quia per omnes rerum partes iuuiſibiliter ſe diffundens, vnicuique ſecundum naturæ ſuæ capacitatem, propriam qualitatem diſtribuit, pergit & reuertitur: quia vniuerſa quæ oriuntur in tempore prius per incrementum prouehit,ac deinde ſeneſcentia in originem ſuam reducit. *Ambroſius in Hexaemeron lib.*2.Cum dicant philoſophi orbem cœli volui ſtellis ardentibus refulgentem, Nonne Dei prouidentia neceſſario proſpexit,vt intra & ſupra cœli orbem aqua redundaret, quæ illa feruentis axis incendia temperaret. Quod ergo exundat & feruet ignis, etiam aqua exundauit in terris ne ſolis,ac ſtellarũ ardor eas exureret, & tenera rerum exordia vapor inſolitus læderet. Quanti fluuij, fontes, lacus terras irrigant, quia eas internus ignis vaporat, vnde enim arbores germinarent,ſata prorumperent, vel orta cõquirerentur, aliàs coquerentur, niſi ea interior ignis animaret. qui etiam de ſaxis frequenter excutitur, & de ligno exilit ſæpè dum cæditur. Itaque ne alterum altero conſumeretur, inuicem ſe temperant ignis, & aqua. Deus enim pondere & menſura examinauit vniuerſa. *Seneca vbi ſupra lib.* 7. Dicimus ergo ignem eſſe qui mundum occupet, & in ſe cuncta conuertat, nihilque aliud in rerum natura relinqui reſtincto igne, quam humorem, & in hoc futuri mundi ſpem latere: ita *ignis exitus mundi eſt, humor exordium.*

De diuerſis ſpeciebus ignis.

CAP. *VII.*

Triplex ignis natura. HVgo *de Sancto Victore.* Triplex eſt ignis natura, ſcilicet quod *naſcitur, quod paſcitur quod depaſcitur*,hoc eſt quod oritur,quod nutritur quod conſumit. Et ſecundũ has tres naturas recipit decẽ ſpecies. *Prima.* *Prima eſt* quę fit per remotionem, quæ nec naſcitur, nec paſcitur, nec depaſcitur, *qualis eſt gehennæ ignis.* Non naſcitur, quia originem extra ſe non habet. Non paſcitur, quia nutrimento non indiget. Non depaſcitur, quia in ſubſtantia materiali non ardet. *Secunda.* *Secunda eſt ſpecies,*quę tantum naſcitur,non paſcitur,non depaſcitur, qualis eſt *fulgur expreſſum à nubibus.* *Tertia.* *Tertia* quæ tantum paſcitur, non naſcitur, non depaſcitur, *Quarta.* qualis eſt *ignis oculorum* qui naturalis eſt. *Quarta quæ tantum* depaſcitur, non naſcitur, non paſcitur, *Species ignis.* qualis *eſt ignis ſolis* extrinſecus, vnde nec ſordes ei appropinquare poſſunt, quas non ſibi incorporando, ſed in nihilum redigendo conſumit. Et hæc eſt differentia inter ignem ſolis, & gehennæ, quia ignis ſolis extrinſecus depaſcitur, Ignis vero gehennę, nec extrinſecus id quod ardet, nec intrinſecus id in quo ardet demolitur. *Quinta.* *Quinta ſpecies* cum ignis,qui naſcitur,paſcitur, non depaſcitur, qualis eſt *calor in ouo*, quia ille de corpore fouentis naſcitur & paſcitur, & non depaſcitur eius ſubſtãtia. Talis eſt & radius ſolis in luna *Sexta.* *Sexta eſt qua naſcitur* & depaſcitur & non paſcitur,ſicut fulgur expreſſum de nubibus. *Septima.* *Septima eſt* quæ paſcitur & depaſcitur, & non naſcitur, qualis eſt *calor in corpore*, paſcitur cibis, depaſcitur humores corporis, *Octaua.* Non autem naſcitur, quia naturalis eſt. *Octaua* quæ violentia naſcitur ſimulque naſcitur, & depaſcitur, ſicut *ignis excuſſus de ſilice*, & in lignis receptus, de ſilice per violentiam colliſo naſcitur, & in lignis paſcitur & ipſa ligna depaſcit. *Nona.* *Nona eſt quæ* ſurſum naſcitur deorſum vero depaſcitur, ſimulque paſcitur, ſicut *radius ſolis* lucens in humido, de ſole à ſurſum naſcitur & paſcitur & humorem depaſcitur. *Decima.* *Decima eſt* quæ de ſubtus ſimul naſcitur, paſcitur & depaſcitur, qualis eſt *ignis exiens de ligno &* ardens in ligno, propter has diuerſas ſpecies ignis diuerſa inuenitur ſignificare in ſcriptura. Modo charitatem, modo cupiditatem, modo luxuriam, modo virtutes, modo vitia, modo Deum.

De æthere.

CAP. *VIII.*

QVid autem ætheris nomine ſignificetur iuxta Bedam, qui hoc cælum immediate ſuper aerem ordinat non intelligo, niſi ipſius aeris ſuprema pars purior ac tranquillior hoc nomine nuncupetur, quãquam tam ab Ariſtotele quam à cæteris auctoribus ignis ille ſuperior elementaris ſiue ſpacium igneum, de quo iam diximus æther vocetur. *Ex lib. de naturis rerum.* Supra eſt ignis puriſſimus totum aerem excedens, Cuius regio ad firmamentum vſque extenditur. Is tanto eſt aere ſubtilior, quanto aqua tenuior, & aqua terra rarior: idem & æther vocatur, quia perpetuo ſplendore lætatur, de hoc angeli ſibi corpora aſſumunt cum ad homines miſſi veniunt. In hac ignis regione ſeptem ſtellæ, & ſeptem planetæ ſingulis circulis contra mundum feruntur, & ob vagum curſum erraticę nominantur.Ignis itaque tripliciter conſideratur.Nam in materia terrea carbo eſt. In materia aeris flamma. In natura vero lucis eſt pura lux. Et ideo *Cælum ignea natura.* non indiget nutrimento, quia non eſt ex contrarijs agentibus: planetæ quoque & ſtellæ quoniam ex eodem conſtant, alimento non indigent. Et ideo ſecundum naturæ curſum in æuum lucere poſſent, niſi Creatoris ſui voluntas eos aliter ordinaret.Ipſe namque ignis lux illic in propria regione eſt, nec habet reſpectum ad aliud vnde naturam trahit. *Iſid. in li.* 13. Æther locus eſt in quo ſydera ſunt, & ſignificat eum ignem, qui à toto mundo in latum ſeparatus eſt. Sanè æther eſt elementum, æthera vero ſplendor ætheris, & eſt ſermo græcus. *Auctor.* Ecce apertè innuit Iſidorus, cœlum ſydereum quod & igneum eſt, æthæris nomine deſignari: fortaſſis autem Beda cœlum ipſum ſydereum per tria interſtitia ſeparat: quorum vnumquodque cœlum vocat, & proprium cuique vocabulum aſſignat. Primum, ſcilicet & infimum *Tres cœli.* æthera nominans. Medium autem Olympum. Supremum vero ſpacium igneum. His autem prætermiſſis, quæ liquidè comprehendere non poſſumus, ad ea quæ nobis tam ex aſſiduo loquendi vſu, quàm ex Scripturarum lectione nota ſunt tranſeamus.

De aere.

CAP. IX.

ISidorus *lib.*13. Interdum, & cœlum pro aere accipitur vbi venti, & turbines ac nubes fiunt. Vnde Lucretius. Cælum quod dicitur aer: Pſalmiſta quoque volucres cœli dicit, cum eas in aere volitare manifeſtum ſit. Et nos hunc aerem ex conſuetudine cę- *Aer vocatur cælum.* lum vocamus. Cum de ſereno, vel nubilo quærentes, quale ſit cœlum interrogamus. Eſt autem aer inanitas plus habens admixtum raritatis, quàm cætera elementa. Vnde Virgilius, longum per inane ſecutus. *Auctor.* Aer inquit leuis, & mobilis eſt, rarus, ſpiraculum viuentium, Sole illuminatur, nube denſatur, vento agitatur. *Hugo* *Cur?* *de ſeptem diebus.* Aer dicitur cœlum, eo quod à viſibus noſtris cæletur. Nam omne corpus viſibile alicuius denſitatis eſt, quæ ex ſpiſſitudine aquę vel terræ contingit, vt nubes ex vapore aquarum denſarę viſibiles apparent. *Ex libro de naturis rerum.* Aer eſt tertium elementum, & eſt omne quod inani ſimile à terra vſque ad Lunam conſpicitur, de quo & vitalis ſpiritus hauritur, & in quo dæmones commorantur. Eſt enim quodammodo craſſus, terra, & aqua, & igne permixtus. Aliter enim

dæmonum

dæmonum corpora ex eo ſumpta ſonum non reciperent: vnde verba formarentur, ad eos quibus apparent. Quod ergo durum, & molle, aſperum, & læne ſentitur in eis, fit ex contrarijs elementis ſimul permixtis. Ex hoc etiam, & in hoc fiunt venti, niues, grãdines, imbres, flamma, & huiuſmodi. Ex contrarietate namque vehementiam elementorum patitur: vnde & eius corruptione infirmitates, & peſtilentiæ generantur. Aer rarus eſt, leuis, mobilis, auibus peruius. Nubibus obſcuratur, & pluuiam ſignificat. Sole illuſtratur, hyeme condenſatur. Aeſtate ſerenatur, vento agitatur. Circa paludinoſa, & humida loca condenſatur, & facillimè corrumpitur: circa montes autem ſubtilis eſt, nimium ac penetrabilis. *Mediocribus autem locis optimus*, id eſt, nec nimis altis, nec demiſſis.

Optimus aer vbi?

De naturalibus aeris proprietatibus.

CAP. X.

Proprietas humidi.

AEr eſt elementum calidum, & humidum, quod ad terminum fertur, licet non ita velociter vt ignis: vnde aer habet humidi magis, quam calidi, de proprietate autem humidi eſt, quod *ſi fuerit diuiſum, iterato redeat ad continuum.* Aer maximè inter cæteras qualitates elementares paſſiuus eſt: vnde impoſſibile eſt humidum ſecundum ſe eſſe cauſam doloris, ſicut & veram humilitatem offenſionis: Aer motu frigeſcit. Cum tamen eo, & terra, & aqua non frigeſcant, ſed caleſcant, hominis autem flatu contingit aerem, & infrigeſcere, & caleſcere. Nihil tamen ita replere poteſt, vt aer cum ingreditur, nihil ita euacuare, cum expellitur. Cum autem totum repleuerit, ipſum ſecundum ſe diſponit, aer enim ſequitur figuram eius quod repleuit, vel cui adiungitur. Aer facillimè corrumpitur, & maximè quando non mouetur.

Aeris mutatio vnde?

Immutatur quoque fumoſitate paludum, vel putredinis alicuius: vnde fiunt morbi ac peſtes in hominibus: aer medium eſt in viſu, & auditu, & olfactu. Omnes colores ſimul, & ſemel poteſt recipere, & tamen vnumquemque ſeparatim, & abſque commixtione omnium, vt patet: poſito quod pupilla oculi in medio aere eſſet, cuius circumferentia omnes colores etiam diſtinctos haberet. Aer quando tingitur aliquo colore in ipſo reſplendente, reddit ipſum colorem ad aliud corpus, ſicut aqua radium in ea refulgentem reddit ad aliud corpus. Tertio autem, & ſplendor non videntur in aere, & in aqua, niſi quando in quiete ſunt. Aer quoque ſicut, & ignis non euaporat, quia omne euaporans euaporat in fumum ſubtiliorem ſe, & ignitum, quod non accidit aeri.

De loco & motu ipſius.

CAP. XI.

Locus aeris.

Vicenna vbi ſupra. Aer eſt corpus ſimplex, cuius naturalis locus eſt, vt ſit ſuper aquam, & ſub igne, & hæc eſt eius leuitas comparatiua, cuius natura calida eſt, & humida: huius eſſe in generatis iuuat, vt rarificentur, & ſubtilientur, & ad ſuperiora eleuentur. *Philoſophus de cœlo & mundo lib. 3.* Aer plus eſt in magnitudine, ideſt expanſione quàm aqua. Similiter, & omne corpus ſubtile pluris eſt magnitudinis, quam corpus, ſcilicet ſpiſſum. Elementum ergo aquæ minus eſt elemento aeris. Quanto ergo maius eſt corpus, tanto vehementior motus eius fit, & fortior. Ignis namque quanto maior, ſurſum tanto velocius incedit. *Hugo ſuper Eccleſiaſt. Luſtrans inquit vniuerſa in circumitu pergit ſpiritus*: hoc quoque ſignificare poteſt, quod motus aeris non ſemper vbique idem eſt. Sed cum alibi vehementius, alibi moderatius agitetur, ipſa eius fluctuatio verſa vice in ſemetipſam refuſa diſſimiliter mouetur,

Cauſa cur aer in motu fortis.

& non vniformiter conquieſcit, vt non cogamur motum ſemel cęptum vſque ad extrema extendere, ſed ſingulæ motiones impulſioneſque quaſi in ſe factæ, paulatim in ſpacio motu languente quieſcunt. Sed & illud, quod ait (luſtrans,) aperte huic elemento tribuitur, ſiue quod ſordes vniuerſas ſua mobilitate vbicunque aſperſas, ſiue collectas purget ac diſſipet, Siue quod ſua ſubtilitate cuncta penetrans, vbique ſe diffundat. *Seneca vbi ſupra lib. 6.* Aer quidem terræ continuus, & ſic ei appoſitus, vt ibi ſtatim futurus ſit vnde illa diſceſſerit, pars eſt totius mundi. Sed tamen quicquid in alimentum cœleſtium terra miſerit, ipſa recipit: vt, ſcilicet materia, non pars debeat intelligi. Ex hoc omnis eius inconſtantia, & tumultus eſt.

Cur aer luſtrat?

Quòd aer ſit vnum, & verum corpus probatur ex eius operationibus.

CAP. XII.

SVt qui & hunc ex diſtantibus corpuſculis, vt puluerem conſtruunt: plurimum autem à vero recedunt, cum per vnitatem partes ad intenſionem ſibi conſentire debeant, & conferre vires. Aer autem ſi in atomos inciditur, ſparſus eſt, teneri vero diſiecta non poſſunt. Intenſionem aeris oſtendunt conflata, nec ad ictum cedentia, oſtendunt & pondera vento geſtante per magnum ſpacium ablata, oſtendunt etiam voces quæ remiſſę claræque ſunt, prout aer ſe concitauerit. Quid *enim eſt vox, niſi intenſio aeris, vt audiatur, linguæ formata percuſſu?* Quid curſus, & motus omnis, nonne intenſi ſpiritus opera ſunt? hic facit vim verius, & velocitatem currentibus. Cumque vehementer concitans ipſe ſe torſerit, arbuſta, ſyluaſque conuoluit, & ædificia tota corripiens in alto frangit. Mare quoque per ſe languidum, & iacens incitat. Intentionem ſpiritus ſuæ partes explicant, namque ingentem vim per occultum agunt paruula ad modum ſemina, & quorum exilitas in confiſſura lapidum, locum inuenit, intantum conualeſcunt, vt ingentia ſaxa ditimant & monumenta diſſoluant. Quid hoc eſt aliud, quam intenſio ſpiritus: ſine qua nihil validum, & contra quam nihil validum eſt? Eſſe autem vnitatem in aere, vel ex hoc intelligi poteſt, quod corpora noſtra inter ſe cohærent. Quid enim aliud teneret illa, quam ſpiritus. Quid aliud producit ſegetes, & frugem imbecillem, atque virentem, erigit arbores, & diſtendit in ramos, aut in altum erigit, quam intenſio ſpiritus, & vnitas? Oſtendit etiam intentionem ſpiritus velocitas eius, & diductio. Nam oculi ſtatim per multa milia aciem ſuam mittunt, vox vna totam ſimul vrbem percutit, lumen non paulatim proripit, ſed ſimul vniuerſis rebus infunditur: aqua etiam qualiter ſine ſpiritu poſſit intendi? hanc enim nihil aliud mittere, vel agere poteſt, quam ſpiritus: eoque cogente contra naturam ſuam multa conatur, & aſcendit nata defluere: diſcus ex ſuperiore loco in piſcinam miſſus, non deſcendit, ſed reſilit, quare niſi ſpiritu reficiente, vel refragante? lumen illi calorque aliunde ſunt, ſed non per omne ſpacium ſui ſimilis eſt, immo mutatur à proximis.

Vox quid?

Effectus ſpiritus.

Iterum ad idem.

CAP. XIII.

EX libro de naturis rerum. In ventoſa in qua ſtuppa accenditur, ignis rarefacit aerem circunſtantem in ventre ventoſæ, & ducit in raritatem naturalem eſſentiæ ſuæ, quo extincto, quando iungitur ventoſa corpori, aer de ſui natura redit ad eſſentiam depreſſiorem in ventoſæ ventre, & tunc occupabat minorem locum, quam prius, ac ne locus ſit vacuus,

Cucurbita quam ventoſam barbaro vocabulo appellat.

quem

quem occupabat prius, exit de corpore ſanguis ad repletionẽ illius per vim. Et huiuſmodi attractio aeris fit, & in vrceo aliquo liquore impleto, cuius fundus habet multa foramina, nihil inde exire poteſt, quam diu ſuperius orificium obturabitur, nec aer, vel aliud intrat, & hoc ne vacuus maneat locus. Si aperiatur orificium ſuperius iam exibit. Et quantum inferius exit de illo liquore, tantum ſuperius ingreditur ad reſtaurationem de aere. Item ex attractione aeris efficitur, quod homo prope cadauer hominis tranſiens occiſi, licet illud non ſentiat, tamen horrore concutitur hoc enim fit ex ſpiritu quantulamcunque infectionẽ recipiente, & eam animæ repræſentante: præterea vulnus infectum ſpiritibus interficientis, aerem infectum trahit tranſeunte interfectore, quo intercepto ſanguis ebulliens extra manat, quod in viuente, non fieret. Natura enim corporis adhuc viuentis bonum ſanguinem, vt ſibi amicum traheret, & aerem infectũ, vt ſibi inimicum excluderet, & hic attractus fit accidentaliter ſcilicet ex ſimilitudine. Item ſi mulier acũ quantulocumque fumo ex cadauere reſoluto per futuram portauerit ſuper iacentis viri nephariam actionem impedit.

Experientia de aere.

De ſono in quo etiam apparet aeris intenſio.

Cap. XIV.

Sonus quid.

AEr licet maximè ſit paſſibilis, & benignus, In omni tamen violenta colliſione & motu, quod clamat vel ſonat ei oportet imputari. *Sonus eſt aeris percuſſio indiſſoluta, vſque ad auditum.* Sonatiuum autem eſt motiuum aeris, vſque ad auditum. Sonus duplex eſt, quidam ſcilicet actu. Alius vero potentia. Quædam enim ſonum habent potentia. vt æs & quæcunque lenia ſunt & plana, quia ſonare poſſunt, & magis concaua. Corpora namque concaua propter reflexionem faciunt plures repercuſſiones poſt primã propter prohibitionem exitus. Facere vero ſonum actu, eſt ipſius aeris medij, & auditus: fit autem ſemper ſonus ſecundum actum ab aliquo, & ad aliquod, & in aliquo. Aliud enim eſt verberans, & aliud quod verberatur, & aliud ipſa verberatio. Quædam autem non dicimus habere ſonum, vt ſpongiam, & pilos: oportet enim quod ſonatiuum ſit ad reſiſtentiam durum, læne ad continuationem, latum ad fortitudinem implendam. Omne muſicum inſtrumẽtum inanimatum ſub vno ſono omnia verba confundit: Idem etiam facit ſonus verborum hominis veniens à remotis. Buccina verſus extremitatem largior eſt, quia ab ore longior eſt. & aliquando ſonat conciſè, aliquando continuè. Cytharæ ſonus fertur ſomnum inducere, & dæmones effugare. Campana in tribus locis, ſi pulſetur tres habere ſonos inuenitur. In fundo mediocrem: in extremitate ſubtiliorem, in medio grauiorem. Campana vbi ſpiſſior eſt, ibi acutior. Clarior autem dicitur eſſe ſonus campanæ, iuxta aquam ſuſpenſæ. Campana maxima ſi pulſetur, etiam tenui filo circundata finditur. Percutiuntur autem campana, & olla, & lampas, & talia, vt ſic probentur an fracta ſint, vel integra.

Tres ſoni in campana.

Experientia.

De varijs ſoni generationibus.

Cap. XV.

SOnus autem multis modis generatur. Generatur enim quandoque ex duorum planorum, ac ſolidorum inuicem percuſſione, per hoc, quod expellitur aer aliqualiter à ſuperficie vtriuſque quæ ſi non eſſent aſpera non inde tunc generaretur, quia tunc aer contineretur non expulſus inter partem eminentem, & partem depreſſam. Similiter etiam non fieret ſonus, ſi mollia eſſent, quia tunc cederent aeri, nec ipſum expellerent. Similiter. Si acuta eſſet, nec ſic ſonum facerent, ſicut ſi acus acui obijceretur. Acutum enim eſt penetratiuum, ac diuiſiuum potius, quam expulſiuum ac fractiuum: fit autem præcipuè ſonus magnus, ſi ea quæ percutiantur aere ſint plena: ſicut metalla quæ aerem percuſſum diu retinent, ac per hoc magnum faciunt ſonum. Alio modo fit ſonus non ex percuſſione ſolidi corporis ad ſolidum, ſed ex ſciſſione vnius partis ab alia, ſicut cum rumpitur pannus vel lignum tunc enim aer frangitur violenter, & eius fractura cauſat ſonum. Tertio modo ſit ex aeris ad aliud, vel ab alio percuſſione, ſicut pulmo percutit aerem ad partes duras * tracheæ arteriæ. Quarto etiam modo fit aeris conſtrictione, ſicut quando conſtringitur per follem, vel per flationem intra fiſtulam. Et hoc modo etiam generatur, quando ventus aerem ad cauernas, vel foramina impellit, ibique ipſum conſtringit. Quinto modo generatur ex aeris inundatione ſecundum Algazelem: ſicut eſt in ſono ventorum, quando terreſtri ſono implente aeris magna pars proijcitur ſuper alteram: ante quam illa apta ſit cedere, tunc enim frangitur, & ſonus efficitur.

Sonus magnus vnde.

* *Id eſt aſpera.*

Qualiter in aere ſolo recipitur eius generatio.

Cap. XVI.

SOnus autem non generatur in vna parte aeris tantum, ſicut cætera ſenſibilia quę fiunt per medium, ſed in omni partevſque ad auditum. Nĩ ſi generaretur in vna parte tantummodo: oporteret, quod illa eadem eſſet numero in auribus diuerſorum, & ſic in diuerſis eſſet idem numero, quod eſt impoſſibile: præterea ſi eſſet tantum in vna materia diuidente medium, oporteret, quod illa vna in eodem tempore in diuerſis locis diuideretur per medium, Quia ſcilicet per circunferentiam contingit fieri auditum, & ſic oporteret, quod & lineæ quæ poſſent egredi à centro per circunferentiam ſimul, & ſemel diuiderent medium, quod iterum eſt impoſſibile. Dicimus ergo, quod ſit in omni parte. Nam vnaquæque res ſenſibilis non habet eſſe niſi in materia ſua: tantaque eſt, quanta & ſua materia, vnde quantũ aerẽ percutit primum percutiens à quo egrediens eſt ſonus, tantũ aerem percutit aer percuſſus, & generat in eo ſonũ. Ille quoq; aer tertiũ percutit, & ſic deinceps, quamdiu durat violentia percutientis. Et ſecundum debilitatem violentiæ illius debilitatur etiam ſonus. Denique ſonus duplex habet medium. Nam aer eius eſt materia & medium, aqua vero medium tantum: vnde cum vnumquodque generetur in materia ſibi conuenienti, poſt diuiſionem eius, in omni parte aeris moti generatur ſonus, nec oportet, quod ipſum diuidat in vna parte generatus: aqua vero quæ non eſt materia, non ſuſcipit generationem eius in partibus ſuis. Et quia ſonus non habet eſſe niſi in materia quę eſt corpus, nec poteſt tranſire corpus per corpus, niſi ipſum diuidendo: hinc eſt, quod ſonus non peruenit ad auditum per aquam niſi eam diuidendo. Nec eſt ſimile de ſono, & alijs ſenſibilibus, quoniam illa materiam habent, in qua ſunt prę ter medij materiam. Sonus autem non habet materiam, in qua eſſe naturale habeat, niſi aerem tantum.

Medium ſoni duplex.

De Eccho.

Cap. XVII.

IN Eccho non fit reflexio ad aerem, vel in aere primo percuſſio, ſed in forma, & figura primæ percuſſionis. Sed econtra obijcitur, quod ſi ſonus ſecundum ſignificationẽ percuſſionis figuratur. Mons autẽ repercutẽs repercuſſionẽ, non habet figurã ſicut primũ percutiens: videtur ergo Eccho non redire ſecundum ſimilitudinem ad primum ſonum, niſi rediret in materia primo percuſſa. Reſpõdemus, quod hęc obiectio rectè procederet ſi mons percuteret, at mõs non percutit, ſed tantũ reflectit: aer autẽ repercuſſus percutit, ſonum generando in poſteriori aere prius in ſe generatum. Concedimus tamen, quod aliquantulum retundatur figura ſoni propter reſiſtentiam ad aerem

Obiectio.

Reſp.

impulſum. Et hæc eſt cauſa cur voces in Eccho non ſunt ita diſtinctæ, ſicut in principali voce diſtinctæ ſunt, & articulatæ. Si autem quæritur vtrum ſemper in omni voce fiat Eccho. Reſpõdemus, quod ſemper quidẽ fit eccho, ideſt ſoni reflexio, nõ tamẽ ſemper eſt perceptibilis propter duo: vnum eſt debilitas reflectentis: alterum vero propinquitas eiuſdem ad aures audientis. Porro ſi quæratur cur ad montes, & altas ſyluas frequenter audiatur. Reſpondemus, quod huius eſt cauſa, quia in montibus eſt aeris percuſſi depreſſio ſicut in ſphera. Similiter etiam in altis ſunt multa repercutientia ad ramos ſuperius, & ſtipites inferius propter hoc etiam ibi fit ſpecialis depulſio. In cauerna quoque præcipue ſtricta prohibetur impulſionis diffuſio per circunferentiam. Ideoque neceſſe eſt, vt aer impulſus impellatur ad ante, vt fortificetur eius impulſio in materia, propter hoc in cauernis longè auditur ſonus, etiam paruus: hæc quoque eſt cauſa cur in ſyluis bene auditur, quia ſcilicet arbores impediunt aeris diffuſionem percuſſi, propterea fortificatur violentia eius, ita quod longe auditur ſonus.

Dubium.

Reſp.

De ſonis in aere ſibi inuicem occurrentibus.

CAPVT XVIII.

VIdetur autem, quod ſoni ſibi inuicem occurrentes in aere corrumpant ſeſe. Cum enim ſonus ſit paſſibilis qualitas contrarium habens in ſpeciebus ſuis: videtur quod in coniunctione ſupra materiam vnam ſpecies ipſæ corrumpant ſe. At vero cũ auditus, vt dictum eſt ſupra, per circumferentiam fiat, ſonus efficitur ſecundum circulũ maiorem, & minorem, ita quod minor circulus generat maiorem, & ille iterum maiorem. Cuius exemplum patet in lapillo in aquam proiecto, in aquam videlicet ſtantem: vbi videlicet lapis cadens eſt centrum multorum circulorum ſucceſſiuè generatorum; Eo quod vna pars aquæ impulſata inundat ſuper aliam circumquaque per circumferentiam. Sic ergo & aer impulſus per primum ſonans, inundat ſuper aerem vicinum circumquaque. Cum itaque circulus non tangat circulum niſi in puncto, & ita non corrumpent ſe adinuicem. At econtra poteſt obijci, quod videmus in aqua quod vnus circulus infringit alium, vel in toto, vel in parte, ergo ſimiliter erit & in aere. Corrupta vero circumſtantia, neceſſe eſt ſonum corrumpi: præcipuè in illa parte vbi motus fortior obuiat: præterea videmus quod venti nobis ſonos adducunt. Campana quippe longius auditur ad illam partem ad quam ventus flat, quam in alia: patet itaque quod circumferentia corrumpitur, quia plus in vnam partem, quam in alteram partem extenditur. Manifeſtum eſt etiam, quod quãdo magnus ſonus efficitur, minor non auditur: ſicut patet in campanilibus, & molendinis, quod loquentes ibi, non bene audiuntur. Sic ergo redit, quod vnus ſonus alterum corrumpit. Dicimus ergo, quod ſoni obuiantes contrarij ſeſe corrumpunt, & infringunt in loco contactus. Ita quod ex ambobus generatur vnus confuſus, cum ambo fuerint excellentes, vel alter alterum deſtruit, cum vnus fortis & alter debilis fuerit. Sed nota, quod non vbique confrigunt ſe, niſi alter alterum obtineat in tota circumferentia, ſicut cum vnus eſt debilis, & alter debilior valde. Sed cum operantur in fortitudine, tunc maximè confrigunt ſe ad rectum diametrum ſonantium. Sed in alia parte circumferentiæ non ita. Cum in ſono, vt dicit Ariſtoteles, vbique fiat reflexio. Inde contingit, quod vterque ſonorum illorum adhuc quandoque percipitur, quamquam in quadam ſui parte ſit corruptus: tamen in altera parte ſuæ circumferentiæ ad auditum reflectitur. Ex his patet cur in continuè ſonante, ſonus ſequens magis audiatur, quam ſonus præcedens, quia ſcilicet præcedentem obtinet ſequens, & corrumpit ipſum vel ſecundum aliquid, vel ſecundum totum.

Exemplum de generatione ſoni ſine compoſitione.

Ob.

Reſp.

De differentijs ſonorum.

CAPVT XIX.

EXtremi ſoni, qui dicuntur eſſe ſimplices, ſunt acutus, & grauis ſonus. Porro differentiæ ſonantium, oſtenduntur in ſono ſecundum actum. Sicut enim non diſcernuntur colores ſine lumine. Sic nec ſine ſono ſecundum actum diſcernuntur acutum & graue. Et hæc dicuntur ſecundum metaphoram id eſt ſimilitudinem ad velox & tardum. Quoniam acutum mouet ſenſum in pauco tempore in multum. Graue autem in multo tempore in paucum. Non tamen velox eſt acutum, & graue tardum. Sed acutum habet ſimilitudinem ad velox in immutando ſenſum, quia cito immutat. Et tardum ad graue, quia non cito immutat ſenſum: habet quoque ſimilitudinem ad acutum, & ad hebes in angulis, & in tactu, Quoniam *hebes eſt, quod obſtat, & pellit, & non penetrat cito.* Acutum vero, quod pungit penetrando ſtatim. Sic eſt & in auditu, quoniam hebes eſt ſonus, qui non cito penetrat. Acutus autem qui fortiter penetrat. Et ob hoc etiam lædit. Et quandoque dentes obſtupeſcere facit: præcipuè quando fit ex confricatione durorum aliquorum adinuicem. Nam tunc quidem, vt ens ſubtile penetrat terminum audibile, & quia primus ramus, qui diuiditur à termino audibili venit ad mandibulam, & coniungitur cuidam neruo tangibili, qui vadit ad partes maxillæ manifeſtas, vt dicit Auicenna, propter hoc impulſus acuti ſoni tangunt partes illius nerui, & quia nullum os recipit ſenſum, niſi à neruo ſenſibili tantum, Ideo ſentitur in dentibus tantum: porro læſio ab alio ſono non ita ſentitur, quia non ita ſubtiliter penetrat neruos capitellares neruum audibilem tangentes. Non ſunt ergo propriè denominationes illæ, quod ſonus, vt ſupra dictum eſt, habet debiliſſimum eſſe. Ideoque ſecundum eſſe proprium non poteſt diſtingui per differentias proprias. Sed oportet illas accipi per metaphoras: præcipueque à differentijs tangibilibus. Nam ſicut ſenſibile tactum, non ſeparatum à materia ſua venit ad tactum, ita ſonus non ſine materia ſua, quę eſt aer motu fractiuo percuſſus, venit ad auditum. Ac per hoc habemus aerem connaturalem in auribus, qui percutitur ab aere percuſſo extrinſecus. Alia quoque ratio huius, & melior eſt, quia ſpecies ſoni cauſantur à modo aerem ſcindendi. In qua ſciſſione figuratur aer, qui eſt materia in acutum, & hebes, & ita de alijs. Denique vox clara non niſi per ſimilitudinem dicitur ad album, ſicut enim albus color viſum penetrat per lucis actum, Sic vox clara per actum fractiui motus, bene pertingit ad auditum: porro numerus differentiarum diſtinguendus eſt, ſicut numerus colorum. Nam ſecundum proportionem arithmeticam derelictam, differentiæ ſoni ſeptem erunt: prout autem ſine proportione accipiuntur, multi ſunt. Similiter etiam ſicut eſt ſuperenatatio colorum, ita & coniunctio duorum ſonorum, quorum vterque in parte remittitur, ac ſequitur alterum. Hoc apertè claret in duabus chordis, vel fiſtulis ſimul ſonantibus, vel in duobus hominibus ſimul cantantibus.

Hebes quid.

Cur dentes obſtupeſcunt ex ſono acuto.

Alius modus explicandi differentias ſonorum.

De duplici medio ſoni.

CAPVT XX.

SOnus ſecundum Philoſophos duplex habet medium ſcilicet aerem & aquam, ſed hoc diuerſimodè. Aer enim eſt materia, & medium in quo generatur ſonus, & ſine quo non eſt eſſe illius. Aqua vero mediũ eſt tãtum, in quo videlicet tranſit ſonus in materia ſua, quæ eſt aer impulſus: propter hoc etiam aqua confundit, & prohibet ſonos. Aer autem

co nſeruat,quia conſeruatio rei eſt in materia propria. A
Ob. Si autem obijcitur in contrarium, quod ſonus eſt non ſecundum eſſe ſuum,niſi tantum in materia, qui eſt aer, & aer (vt legitur in lib.de ſenſu, & ſenſato) non eſt in aqua. Reſpondemus,quod immo(ſicut legitur in lib.4.de cœ. & mundo) aer leuis eſt in aqua.
Reſp. Ideoque ſecundum naturam aſcendit,vbi commotus ſit,ſicut in his quæ generantur ſub aqua. Nihilominus tamen impulſus violenter penetrat aquam ſecundum aliquam partem. Et ſecundum illam fit ſonus ſub aqua. Impulſus enim aer penetrat craſſa corpora,vt parietes. Et quando ſolida ſunt, impulſio aeri non cedentia vehementer ſcindit ea. Vnde habetur
Experientia aeris. *In lib.3.de anima*, quod aer tonitrus ſcindit lapides & ligna. Hinc eſt etiam, quod in turribus magnarum campanarum aer vehementer motus impellit aerem, qui eſt in rimis,ac poris murorum, qui cum non habeat quo cedat ex ſoliditate murorum, ſcindit murum. Hinc eſt,quod aer impulſus à tonitru,veniens ad burſam in qua eſt aurum ſolidum, ſcindit & comminuit aurum totum,burſaque apparet illæſa, eo quod eſt ex ſubſtantia molli poroſa,præſenti viam impulſio aeri permixto cum vapore ſicco terreſtri. Comminuit etiam quandoque propter eandem cauſam gladium in vagina,eadem vagina manẽte illæſa. Si autem quæritur,ſecundum quid aer ſit in auditu medium : Dicit
Dubium. Philoſophus,quod inquantum vacuum, quod tamen
Reſp. falſum eſt,quia nihil eſt in natura vacuum. Nos itaque dicimus aerẽ eſſe medium, ſecundum quod ipſe eſt abſonus id eſt illum habens ſonum,& hoc vocat Philoſophus vacuum. Dicitur enim vacuum vno modo C
locus non habens corpus,& ſecundum hoc nihil eſt vacuum actu. Alio modo materia non habens formam aliquam,& ſic iterum non eſt actu vacuum, ſed
Vacuum dicitur triplicit. potentia tantum. Tertio modo quietus aer non habens ſonum,& hoc propriè vocant abſonum. Aer ſiquidem ex raritate, & humido ſpirituali, id eſt non craſſo & corporali, habet quod facilè diuiſibilis ſit ſecundum naturam. Si vero præuenitur diuiſibilitas ſecundum naturam motu alicuius percutientis,tunc frangitur,efficiturque motus fractiuus aeris: pars vero fracta(vt dicit Algazel)in pellendo ſuper alteram inundat : & ſecundum huius frangibilitatis naturam aer eſt medium,& materia.

Iterum de eodem.

D

CAPVT XXI.

Dicit autem *Ariſt.* quod piſces qui ſub aqua ſunt, nec ſonum,nec vocem facere poſſunt,eo quod aerem non attingunt. Et ſi dicantur vocare,id eſt vocem facere vel emittere in Acello(hoc eſt in tali fluuio) hoc non fit niſi branchijs, vel pinnulis, vel quia ſonum faciunt, caudis attingentes ſuperficiem aeris. Ecce ibi videtur innuere, quod aer non ſit in aqua. Quod ſi concedatur,multa ſunt in contrarium experimenta. Nam & idem Philoſophus in lib.de animalibus,ponit experimentum tale, quod ſcilicet piſcatores aliquando percutiunt aſſeres, & tympana ſuper E
Aquam eſſe medium auditus probatur experientijs. aquam,& quandoque cum ſilentio vadunt,ne piſces audiant. Hæc omnia piſces auditum habere deſignant. Similiter etiam in nobis experimentum eſt, quia ſi quis caput ſub aquis ponat,audiet ſonos magnos, qui ſuper aquam fiunt. Cumque non poſſint ad aurem peruenire niſi per aquam,oportet quod aqua ſit medium in auditu: verum non eſt tale medium,quod immutetur à ſono,quia nihil immutatur ab eo,niſi quod eſt materia eius aliquo modo. Materia vero ſoni, nihil eſt,niſi quod percuſſum diu permanet : ſicut in 2. de anima dicit Philoſophus. At vero aqua non ita permanet,ſed permanentiam ſoni prohibet: vt ibidem dicit Ariſ. Non eſt ergo aqua medium & materia. Sed medium,vt per quid diuiſum, & non alteratum ſecundum ſpeciem ſoni, tranſitque per eam aer impulſus,in quo eſt ſonus vt materia. Et quoniam huiuſmodi diuiſioni reſiſtit, obſcurat ſonos, & impedit. Eſt enim corpus ſpiſſum, ideoque minus ſeruabile ſoni quam aer. Impedienſque motum eius fractiuum.

De tribus aeris partibus ſiue regionibus.

CAP. XXII.

Auguſt ſuper Gen. In ſuperiore quidem parte,quæ propter puram tranquillitatem, cælo cui collimitatur communique pace coniungitur, aer tam tenuis eſſe dicitur,vt neque nubibus obumbretur, nec aues ſubſtineat,nec homines qui aſcenderunt craſſiore ſpiritu alat,ſicut aer iſte. Aer tamen iſte,& in naturam humidam tempore diluuij conuerſus creditur.
B Aereos enim cœlos diluuio perijſſe in Canonica San- *Epi.2. ca.2.*
cti Petri legitur: quod intelligendum non eſt,niſi eos in aquarum naturam pinguioris aeris qualitate conuerſos. *Seneca vbi ſupra.* Summa itaque pars eius caliditſſima, & ſicciſſima, & ob hoc etiam tenuiſſima, propter viciniam ignium æternorum,& illos tot motus ſyderum, aſſiduumque cæli circumactum. Hæc autem pars ima,& terris vicina denſa eſt & caliginoſa quia terrenas exhalationes recepta. Media autem pars ſummis, & imis comparata, quantum ad ſiccitatem, & tenuitatem eſt temperatior. Cæterum vtraque parte frigidior. Superiora namque vicinorum ſyderum calorem ſentiunt,inferiora vero tepent: primũ *Cur inferiora tepent.*
quidem terrarum halitu, qui multum calidi ſecum affert; Deinde quia Solis radij replicantur,& quouſq; C
redire poſſint,id duplicato calore benignius fouent; Deinde etiam illo ſpiritu,qui omnibus animalibus,& arbuſtis ac ſatis calidus eſt, ineſt. Nihil enim ſine calore viueret. Adijce nunc ignes non tantum manu factos & creatos, ſed opertos terris, quorum aliqui erumpunt, & obſcuro conditoque ſemper flagrant. Sed & tot eius partes rerum ſteriles, habent aliquid teporis: quoniam quidem ſterile frigus eſt, calor autem gignit. Media pars aeris ab his ſubmota,in frigore ſuo manet. *Aer natura gelidus.* Natura enim aeris gelida eſt.

De inconſtantia inferioris partis eius.

CAPVT XXIII.

QVi cum ſic diuiſus ſit, circa terras maximè varius & inconſtans eſt. Ibi enim plurimum audet, & patitur,exagitat & exagitatur. Nec eodem modo totus afficitur,ſed aliter alibi. Cauſas autem illi mu- *Cauſa inconſtantia aeris vnde.*
tationi, & inconſtantiæ alias terra præbet, alias ſyderum curſus, ex quibus ſoli plurimum imputes. Illum etenim annus ſequitur ad illius fluxum hyemes æſtateſque vertuntur. Lunæ vero proximum eſt ius. Sed cæteræ quoque ſtellæ non minus terrena, quam incumbentem terris ſpiritum afficiunt. Et curſu ſuo occurſuque contrario,modo frigora, modo imbres, aliaſque terris iniurias turbine mouent. *Priſcianus ad Coſdroe regem Perſarum.* Duplicem etenim inflammationem Sol eſt faciens: humidam, ſcilicet & fumeam: vnde imbres, ac venti, ac terra generantur. Loca quibus appropinquat ſupergrediens vaporem facit: longius autem abſiſtens frigiditatis fit cauſa, & aqua ſuperius conſiſtens iterum in terram defertur. Per hoc igitur aquæ magis in hyeme fiunt, & noctu quam per diem, quia gelidiores ſunt noctes. Accidit autem ſæpe inflammationem ſiccam eſſe ſurſum, humidam autem deorſum. Et iterum econtra fieri, ſcilicet ex quibuſdam ſpiritibus compulſas eas propria loca commutare. Inde & venti à pluuijs compeſcuntur. Et iterum poſt pluuias venti fiunt, ſcilicet quando ab ea quæ in terra eſt caliditate ſubſiſtens,non extinguitur inflammatio à Solis caliditate incenſa, quæ ſcilicet deſuper inflammatio corpus venti eſt, & materies. Cum aqua dominata autem fuerit, fumeam inflammationem extin- *Materia venti.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

guit,& tunc venti a quieſcunt. *Ex imagine mundi.* Aer ille de quo vitalis ſpiritus hauritur, quia humidus eſt, in eo volant aues, ſicut natant in aqua piſces. In hoc commorantur dæmones cum tormentis Deum præſtolantes. Ex quo & corpora ſumunt, dum hominibus apparent.

Dæmones morantur in aere.

De varijs eius impreſſionibus.

CAPVT XXIV.

Gvilielmus de Conchis. In aere vero quædam aerea, vt venti & turbines contingunt. Quædam aquea, vt nubes, pluuiæ, niues, grandines, arcus cœli. Quædam ignea, vt fulmina, fulgura, ſcintillationes diuerſæ formæ ignium, cometæ. De his ergo ordine diſſeramus. *Auguſt. ſuper. Gen.* Iſte quidem aer inferior caliginoſus humida exhalatione pingueſcit: qui commotus ventos, & vehementius concitatus ignes, & tonitrua, contractus nubila, & conſpiſſatus pluuiam, congelantibus nubilis niuem, & turbulentius congelantibus denſioribus nubilis grandinem, & diſtentus ſerenum facit, occultis imperijs Dei à ſummis adinfima vniuerſa quæ creauit adminiſtrantis. Ipſi itaque aeri circunfuſo iuxta terras, & ob hoc infimæ parti deputato, tenues halitus vaporaliter inſeruntur, & auras intexunt, quæ etiam nocturnis rigoribus aggrauatæ, ſereno rore diſtillant. Si autem vehementius frigus eſt, etiam gelu candidus inalbeſcunt. *Philoſophus in lib. 1. Meteororum.* Cauſa etiam prima mouens terræ & aquæ vapores, vt eis eleuatis fiant impreſſiones aeris eſt motus orbium, ſcilicet Solis, & aliorum. Sol enim, dum appropinquauerit his rebus, & elongatur ab eis, cauſa eſt generationis, & corruptionis accidentium in illis, id eſt rerum huiuſmodi quæ in eis generantur. Dum enim calor eius ingreditur terram, eleuatur ex eo vapor humidus, & vapor ſiccus, atque in diuerſas ſpecies ſeparatur.

Cauſa impreſſionum.

Iterum de eodem.

CAP. XXV.

QVędam enim ſpecies, dum aſcendit ad ſupremum aeris reſoluitur ac ſubtiliatur, & appropinquat igni quo inflammatur. Et fit ex ea impreſſio inflammata, vt ſupra dictum eſt. Hæc autem vaporis ſpecies vocatur æſtus. Alia propinquior eſt nobis, quæ fit aer, niſi accidat ei accidens, id eſt niſi obuiet ei frigus accidentale ipſam conſtringens. Verum aer iſte factus ex vapore ſubtili fit aqua, quia vapor roridus eſt, id eſt materia roris, & pluuiæ. Nam ſi accidat ei frigus quod ipſum premat, incraſſatur & inſpiſſatur, & redit aqua ad terram pluens, & diſtillans in rorem, vel pluuiam, ſcilicet ex nubibus ſubtilioribus, & denſioribus. Et quandoque videtur ex eo nebula, ſcilicet ex reliquijs nubium reſolutarum. Cum ergo Sol appropinquat vapori, eleuatus aſcendit. Cum autem elongatur ab eo deſcendit. Cum autem id, quod ex eo deſcendit, eſt parua res, id eſt ſubtilis, & ideo tardat in deſcenſione ſua, & ros vocatur. Cum vero multam habet menſuram, id eſt ſpiſſitudinem, & ideo velociter deſcendit, pluuia nominatur. Et quando parua res eſt, nec peruenit ad altum propter perpetuitatem ſuæ caliditatis, & reſoluitur, fit aer. Quando autem vapori aſcendenti accidit vehementia frigoris aggregantis, tunc fit pruina. Quando enim ſuper ipſum eſt paruum frigus, id eſt temperatum exprimit rorem. Ptuina autem eſt vapor congelatus. Dico ergo, quod aqua non congelatur, niſi in loco vbi ſunt nubes Et quia deſcendunt ex loco nubium tria corpora, quorũ generatio, & eſſentia eſt per frigus, ſcilicet aqua, nix, grando. Corpora vero deſcendentia ex aere duo, duobus ſunt ſimilia, quia cauſa generationis vtrorum que eſt vna, nec diuerſificantur niſi multitudine & paucitate. Sunt autem hæc, ſcilicet nix & pruina, ſimiliter pluuia & ros. Eſt enim ros pluuia pauca, & ſubtilis: pluuia vero ros multus & craſſus, vel denſus. Pluuia namque non fit, niſi vapore multo iam infrigidato. Et cauſa illius ſunt tempus, & locus, & frigiditas. Roris autem locus ſtrictus eſt parui frigoris. Generatio vero niuis, & pruinæ eſt ex frigore, quia nix eſt ex nubibus, & pruina ex vapore congelato, non in loco nubium. Horum autem figuratio eſt mollities niuis, & pruinæ durities. Fit enim mollities niuis ex parte caliditatis admixtæ vaporibus, qui facti ſunt nubes, prohibentis partes ipſius vaporis comprimi, & vehementer aggregari. Durities autem pruinæ fit ex frigore loci & temporis, in quibus non eſt illa prohibens caliditas: & ideo partes vaporis contrahuntur. Grando autem fit in nubibus longinquis à terra, ſicut dicetur infra.

Æſtus. *Vapor.* *Pluuia.* *Pruina.* *Ros.*

De ventis.

CAPVT XXVI.

EX *imagine mundi.* De hoc itaque procreantur venti. Ventus enim eſt aer commotus, & agitatus, & nihil aliud, quam flatus aeris. *Senec. de naturalibus quæſt. lib. 2.* Ventus eſt fluens aer. Quidam addiderunt, In vnam partem, & hæc diffinitio videtur diligentior, quia nunquam aer tam immobilis eſt, vt non in aliqua ſit agitatione. Sic & tranquillum mare dicitur, cum non niſi leuiter mouetur, nec in vnam partem inclinatur. Itaque parum comprehendit, qui dixit, quod fluctus eſt maris agitatio. Dicatur ergo. Ventus eſt aer fluens in vnam partem, aut aer fluens impetu, aut vis aeris in vnam partem euntis, aut curſus aeris aliquo concitatior. Spiritum quidem à vento ſeparat modus: vehementior enim ſpiritus ventus eſt: inuicem autem ſpiritus leuiter fluens aer. *Idem in lib. 7.* Miraris cum flumina labantur aſſiduè, quædam etiam concita rapiantur, quod præſto ſit illis aqua noua ſemper, quod ſi mireris, quid cum venti totum aera impellant, non deficit ſpiritus, ſed per dies ac noctes æqualiter fluit. Nec in flumina certo feruntur alueo. Sed per vaſtum cœli ſpacium impetu lato incedit. *Iſid. lib. 4.* Ventus eſt aer commotus, & exagitatus, ſic dictus eo quod vehemens ſit, & violentus. Vis etenim eius tanta eſt: vt non ſolum ſaxa, & arbores vellat, ſed etiam cœlum terramque conturbet, & maria commoueat. *Vitruuius de architectura lib. 1.* Ventus eſt aeris fluens vnda cum incerta motus redundantia. *Ex lib. de naturis rerum.* Ventus eſt aeris fluctus. Quis autem primum motum in aere faciat, vnde ventus creatur, merito quæritur. Quidam ex antiquis Philoſophis hanc rationem aſſignant. In terra eſt abyſſus profundiſſima, cuius fontes olim in diluuio rupti fuiſſe leguntur. Iuxta hanc loca cauernoſa ſunt, & ſpelunçe latè patentes. Ex his ergo venti de ſpiramine aquarum concipiuntur, qui & ſpiritus procellarum dicuntur: & hi quidem ſpiramine ſuo per patentes cauernas, aquas maris introrſum in abyſſum trahunt, eaque inundatione iterum impetu magno impellunt, de his itaque ventus ſit, & terræmotus.

Vētus quid. *Creatio ventī vndo.*

De diuerſis ventorum cauſis.

CAPVT XXVII.

CAuſas ventorum ad plenum ſcire neminem mortalium arbitror: dicente Scriptura. Qui producit ventos de theſauris ſuis, id eſt de occultis cauſis ſecundũ gloſſam. Quod enim inquit iuſſu Dei flant ſcis, & quod perflant ſentis. Sed qua cauſa, vel de quo theſauro rationis educti ſint neſcis. Sed quoniam multi ſuper hoc multa dixerunt, opiniones & rationes Philoſophorum, de hac materia, breuiter percurramus. *Plinius de hiſtoria naturali lib. 2.* Ventos ſiue aſſiduo mundi incitatu, & contrario ſyderum curſu

Creatio vēti occulta.

naſ-

naſcuntur, ſiue hic eſt ille generabilis rerum naturæ ſpiritus, huc illuc tanquam in vtero aliquo vagus, ſiue diſparili errantium ſyderum ictu, radiorumque multiformi iactu flagellatus aer, ſiue à ſuis ſyderibus exeant his propioribus, ſiue ab illis cœlo affixis cadant, palam eſt illos quoque legem habere naturæ non ignotam, etiam ſi nondum præcognitam. *Vitruuius vbi ſupra.* Naſcitur ventus cum feruor offendit humorem, & impetus fractionis exprimit vim ſpiritus flatus, ſicut in colis id eſt ampullis æreis cauis, quæ punctum habentes anguſtiſſimum, aquæ infunduntur & ad ignem collocantur, & antequam caleſcant, non habent vllum ſpiritum. Simul autem vt feruere cæperunt, efficiunt ad ignem vehementiſſimum flatum. Ita iudicare & ſcire licet è paruo ſpectaculo de magnis, & immanibus cœli ventorumque naturæ rationibus. *Ariſtot. in lib. 3. Meteororum.* In vapore quidem ſicco eſt vapor humidus, & econuerſo. Sed vnuſquiſque eorum nominatur per id, quod ſuper ipſum vincit. Cum ergo Sol in orbe ſcilicet ſuo vol uitur, & appropinquat terræ, eleuat ex ea vaporem. Cum autem elongatur ab eadem, aggregatur illæ vapor aſcendens, & inſpiſſatur, & reſoluitur in aquam propter frigus dominans ſuper aerem. Ideoque fiunt aquæ id eſt pluuiæ plus in hieme, quam in æſtate, & in nocte, quam in die, ſcilicet propter Solis elongationem. Nam multotiens etiam caliditas Solis, & terræ ſiccant aquam deſcendentem ad terram. Nec tántum humiditatem exiccat Sol, ſed etiam terra exiccatione vehementi. Eleuantur itaque duo vapores ex terra. quorum vnus eſt humidus, & eſt materia pluuiarum. Alius eſt ſiccus, qui principium eſt & materia ventorum omnium. Fædus autem eſt illorum ſermo, qui dixerunt, quod ventus eſt iſte aer effuſus quando mouetur. Si enim hoc eſt, non eſt venti principium, aut finis, qui ſciatur. Nos autem dicimus, quia quod nominamus eum ventum, non eſt propter hoc quod ipſe mouetur, ſed quoniam habet eſſe ex radice, ex qua eſt eius materia. Non enim poteſt eſſe ventus, quin ſit aut ex aere moto, aut ex vapore aſcendente ex terra. *Sen. vbi ſupra lib. 2.* Democritus ait, quod in hoc, quod circundati ſumus aeris ſpacio, in exiguum locum multa corpuſcula, id eſt atomi impleuerunt: neceſſe eſt, vt alia alijs incidant, comprimant, & impellant ac repellantur. Ex quibus ventus naſcitur. Cum vero diu colluctata ſe inclinauerint, & in magna ſpacij laxitate corpuſcula pauca verſantur, nec raritate poſſunt impelli. At hoc eſſe falſum ex eo colligitur, quod tunc minimè ventus eſt, cum aer nubilo grauis eſt, ita vt conſpectum in vicinio ſtantium eripiat. Quod non eueniret, niſi in paruum locum corpuſcula ſe compellerent.

Exemplo declaratur.

Democriti ſententia.

Adhuc de eadem,

CAPVT XXVIII.

VEnti igitur cauſæ (vt exiſtimo) aquarum terrarumque euaporatione fiunt. Ex his enim grauitatem aeris fieri deinde impetu ſolui, cum ea quæ denſa ſteterant (vt eſt neceſſe) extenuata nituntur in ampliorem locum. Cæterum illa eſt ratio longè valentior veriorque habere aera naturalem vim mouendi ſe, nec aliunde eam concipere, ſed eam illi ineſſe. Cum & aqua motum ſuum habeat, etiam ventis quieſcentibus. *Guilelmus de Conchis.* Non enim (ſicut Democritus ait) ex atomis ex anguſta parte aeris congregatis, ac ſeſe compellentibus efficitur ventus, ſed verius eſt, ex reflexionibus Oceani, & earum occurſu ventos creari: de quibus in ſequentibus diſſeremus. Aliquando etiam fumus euaporat à terra, cum quo particulæ terræ, & aquæ eleuantur, quæ naturali motu ad centrum volunt deſcendere, ſed impetu fumi aſcendentis in contrarium mouentur. Ex hac fluctuatione aer in aliquam mouetur partem, & fit ventus, & hæc eſt cauſa ſecunda ventorum. Item terra cauernoſa eſt: vtpote naturaliter ſicca, ſubintrat ergo vna pars aeris cauernas terræ, altera laborat exire: ex quo conflictu aer motus regio ventorum dicitur. Ex ſubterraneis etiã nubibus ventus aliquando generatur. Aquas ſiquidem fluere per cataractas terræ conſtans eſt, & ſuper aquas in hypogeis aer exiſtit. Ex frigiditate vero aquę aer ille ſpiſſatur, & in nubem mutatur, qui per ſubterranea diſcurrit, terræque motum frequenter facit. Et ſi reperit terram facilem, illam rumpit, & frequenter euerſiones vrbium facit. Si vero foramen apertum reperit, cum impetu exibit, eſtque ventus. Nubes etiam ſuperiores ruptæ, & in pronum ſolutæ ventos generant: quæ hoc modo fiunt cum corpora diſſimilia terreno in vapore, in fumo aſcendunt. Quædam enim ſunt calida, quædam frigida, quædam humida, quædam ſicca; vt cum diſſimilia corpora in vnum ſunt conglobata, quædam concauæ nubes efficiuntur, inter quas interualla fiſtuloſa, & in modum tybiæ anguſta relinquuntur, quibus tenuis intercluditur ſpiritus, qui maius deſiderans ſpaciũ obſtantia ſibi ſcindit, & in ventum erumpit, hic ventus eſt procelloſus, quia ſuperius emittitur, & inſcindit aera, quia non fuſus, nec per apertum exit. Et cum deſcendit, alios ventos quos reperit, ſecum trahit, ſicut torrentes modicę magnitudinis ſuſceptis aquis creſcunt. Inde ex pluribus partibus cæli congregatur ſpiritus eliſus, & in terra impetum & moram ſuſcipit. Nubes ergo diſſoluta ventos facit, quæ pluribus modis diſſoluitur. Aliquando enim prædicto modo. Aliquando calore & radijs Solis. Aliquando attractione corporum in ea contentorum. Vehemens ergo ſpiritus eſt leuis aer.

Venti ſubterranei.

De qualitatibus ventorum.

CAPVT XXIX.

QVæri ergo poteſt cum ventus ſit aer in aliquam partem fluens, & dicatur aer eſſe calidus & humidus, quomodo dicatur eſſe boreas frigidus, & ſiccus? Huic quæſtioni reſpondemus, quod nihil eſt aere conuertibilius: vnde poſitus inter frigidum & calidum elementum: cito in eorum naturas conuertitur. Ex vicinitate ergo terræ, qualitates illius contrahit. Quales ergo ſunt terræ cardines: talis inde naſcitur ventus. Eſt autem Orientalis regio calida, & humida: vnde ventus qui inde naſcitur, calidus & humidus eſt. Occidentalis regio frigida & ſicca eſt, ex qua naſcitur ventus frigidus, & ſiccus. Duo capita terræ frigida ſunt, & humida: ex his venti frigidi & humidi naſcuntur. Nam & ſi auſter in ſua origine eſt frigidus & humidus, quia tamen per medium torridæ Zonæ ad nos peruenit, fit accidentaliter calidus, fugandoque nubes ad hunc angulum terræ, quam incolimus, pluuias operatur: vnde humidus iudicatur. Boreas & ſi in origine ſua ſit humidus, à nobis tamen nubes fugando ſerenitatem operatur: vnde ab effectu ſiccus dicitur. Dicis fortè, ſi quidem ventus eſt humidus, (vt tu affirmas) vnde fit, quod omnes venti, ſi careant pluuijs, aquam quę eſt in ſuperficie terræ deſiccant, vel veſtes, vel herbas, vel arbores? Reſpondeo, ventus qui eſt humidus, vt auſter, eſt etiam calidus: calor vero ſiccitatem operatur. Ille qui eſt frigidus, eſt etiam ſiccus: vnde non eſt mirum ſi deſiccat. Vel ſecundum Philoſophiam, quæ morti non dat locum, nihil perit in mundo. Corpora namque quæ ſola ſecundum opinionem vulgi deſtructioni ſubiacent, ſi ſunt ex elemẽtis compoſita, in elementa reſoluuntur. Si vero ſunt elementa, in alia transformantur. Aqua igitur quæ eſt in ſuperficie terræ, vel in panno, vel in herba, vel in arbore, cum tangitur à vento, in aerem tranſmutatur: vnde terra, veſtis, aut quæ naturaliter ſunt, ſicca in propria remanent qualitate.

Dubium. Reſp.

Boreas humidus, cauſat tamen ſiccitatem.

De augmentatione ventorum ſecundum partes à quibus flant.

CAPVT XXX.

Ariſtot. vbi ſupra. Ideo autem Meridies, & Septentrio pluris ſunt exufflationis, quam Oriens, & Occidens, & quæ ſunt inter vtroſque ventos, quia non eſt Sol in parte Septentrionis & meridiei, niſi in hora, id eſt in vno tempore anni ſcilicet in parte Septentrionis in hyeme, & in parte meridiei in æſtate. Ideo vapor aſcendens minor eſt, & per conſequens rarior, & ſubtilior. Ideo non multiplicatur alteratio eius in aquam, ſed fit ventus antequam alteratur. In Orientibus, & Occidentibus, & quę ſunt inter vtrunque, Sol eſt in omni hora: ideo plus eſt, quod ibi reſoluitur, & aſcendit de vapore: cum ergo reſoluitur in parte Orientis increſſatur propter eius multitudinem. Et cum peruenit Sol in Occidentem, infrigidatur vapor ille propter elongationem Solis ab eo, & alteratur, vt fiat aqua pluens. Similiter accidit & vapori aſcendenti ex Occidente: pluuia vero prohibet ſufflationem venti, quia materiam eius abſcindit, quæ eſt vapor ſiccus. Quoniam ergo vapor humidus, plus aſcendit ex parte Orientis, & Occidentis, quam ex parte Septentrionis, & meridiei, vapor autem ſiccus econtrario, ideo pluuiæ magis fiunt in parte Orientis & Occidentis, quam in parte Septentrionis & meridiei: venti autem econuerſo. Motus quidem venti tortuoſus, quia vapor aſcendit ſurſum, & poſtea reflectitur circulariter in circuitu terræ. Omnes autem venti debiles ſunt ex principijs ſuis propter ſeparationem partium aſcendentis, quæ ſunt eius materia. fortificatur ergo cum aggregantur illæ partes ad inuicem, & vehementer flat. Item ventus fit in parte Septentrionis, & meridiei pluſquam in alijs, quia partes iſtæ ſunt inhabitabiles, & niues, & aquæ multæ ſunt in eis, quæ exuberant, & liquefiunt: dum fortiter in eis agit, ſicque extrahit ex ea vaporem multum, & inde multiplicantur venti. Dico enim quod terra diuiditur in duas diuiſiones. Vna eſt habitabilis. Altera inhabitabilis. Et hæc duplex. Vna quæ eſt vehementis caloris propter vehementem propinquitatem Solis: & hæc eſt pars meridiei. Altera quę vehementis frigoris eſt propter elongationem Solis, & hæc eſt pars Septentrionis. Ex his duabus (vt dictum eſt) magis fiunt venti. Dico iterum, quod venti flantes ex parte Oriẽtis calidiores ſunt illis, qui ab Occidente, quia tempus in quo inflammat ventos, qui flant ab Oriente, longius eſt illo, quo eos quos flare contingit ab Occidente. Item ventus meridiei excitat nubem, & aggregat, & componit, quia in flatu ſuo curuitatem habet, vel flexuoſitatem. Et inuoluitur per partes nubium, vel eſt circa nubes. Septentrio vero recti flatus eſt, & ideo ſegregat partes nubium aggregatas, & ab inuicem diuidit.

Cur pluuia magis in occidente.

Cur ventus ſeptentrionalis ſegregat nubes.

De cauſis interpolationis ventorum.

CAP. XXXI.

VEntus autem commouetur multotiens poſt conſummationem pluuiarum, quia Sol terram illuminans eleuat ex ea vaporem ſiccum, qui generat ventum. Cum vero abſcinditur eleuatio vaporis ſicci, quieſcit ventus, & eleuatur occulta humiditas, ad quam exiccandam peruenit: ſicque vapor calidus, & humidus aſcendit de terra, cui cum aduenit frigus accidens in aere, alteratur & fit aqua pluens. Cum ergo pluit, quieſcit ventus, & eius materia abſcinditur, quia terra humectatur. Eſt autem Sol cauſa abſciſionis ventorum, & iterum eſſe eorum, quando enim appropinquat nobis appropinquatione pauca, id eſt debili, imprimit terram debiliter, & paucus vapor ex ea aſcendit, qui eſt venti materia. Quando autem appropinquatione forti, econuerſo accidit. Item quando diſcurrit ſuper terram, & adurit eam, ſicut ignis magnus ligna pauca, ex ea non aſcendit vapor. Sicque materia venti abſcinditur. Dico itaque quod prohibentia ventorum duplex eſt: quarum vna eſt frigus, altera calor cum ſiccitate. Nam & ſiccitas cum frigore terræ partes congregat, & continet. Et ſiccitas cum caliditate exiccat eam, vel adurit, vel opprimit: igitur & calor, & frigus cum ſiccitate quando fortis eſt ſuperfluitas, vtriuſque prohibet vaporem aſcendentem, & ſic abſcindit venti materiam. Flant autem venti apud ortum caniculæ, & eius Occaſum, quia oritur in tempore caliditatis quando Sol habet virtutem eleuãdi vaporem. Et occidit etiam in tempore, quo vapor aſcendit. Et iterum flant venti per diem, & quieſcunt per noctem, quia Sole Occidente minoratur caliditas eleuans vaporem. Flat autem Septentrio in vere, quia tunc Sol augetur, & reſoluit calor eius niuem: & ſic ex terra eleuat vaporem, qui hoc tempore propter frigiditatem aeris infrigidatur, & coarctatur & multiplicatur. Similiter in autumno fit.

Cur frigus & ſiccitas prohibent ventos.

De ventis antelucanis.

CAPVT XXXII.

Seneca vbi ſupra. Primum ergo antelucanos fluctus inſpiciamus, qui aut ex fluminibus, aut ex conuallibus, aut ex aliquo ſinu feruntur. Nullus ex his pertinax eſt, ſed cadit fortiore iam Sole. Nec ſunt vltra terratũ confinium. Hoc venti genus incipit in vere, nec vltra æſtatem durat. Et inde maximè venit, vbi aquæ plurimum, & montium eſt; plana licet aquis abundent, aura carent, hac dico quæ pro vento valet. Ventus autem quem Græci ἐγκολπίαν vocant ſic concipitur. Quicquid ex ſe paludes & flumina remittunt, (id autem & multum eſt, & aſſiduum) per diem Solis alimentum eſt. Nocte vero exhauritur, & montibus incluſum in vna regione colligitur: quam cum impleuit, & iam Sol non rapit, quærit quo defluat, & eo potiſſimum exit, vbi plurimum vacui eſt, & magna ac patens aura. Huius rei argumentum eſt, quod prima noctis parte non ſpirat. Incipit enim tunc illa collectio fieri, quę circa lucem iam plena eſt, eoque incumbit, quo liberior exitus inuitat. Adijcit autem ei ſtimulos ortus Solis feriens gelidum aera. Nam etiam antequam appareat, lumine ipſo valet, & nondum quidem aera impellit, iam tamen laceſſit, & irritat luce præmiſſa. Nam cum ipſe præceſſerit, alia ſuperius rapiuntur, alia tempore diſtrahuntur. Ideoque eis non vltra matutinum fluere datur, ſed omnis illorum vis conſpectu Solis extinguitur, & ſi violentiores flauerint, cito relangueſcunt, nec vnquam vſque ad meridiem aura producitur. Alia quidem enim valentior, & longior eſt. Alia imbecillior atque breuior, prout valentioribus minoribuſve collecta cauſis. In verè quidem, & æſtate validior eſt, quia ver aquoſum eſt ex pluribus aquis lociſque ob humidam cœli naturam. In ſatiuis enim, & redundantibus maior euaporatio eſt. Æſtate vero poſt Occaſum Solis remanet diurnus calor, & magna noctis parte perdurat, qui exeuntia euocat, ac vehementius trahit, quicquid ex his ſponte reddi ſolet. Deinde non tantum habet virium, vt quod euocauit abſumat. Facit autem ventum Solis ortus non calore tantum, ſed etiam ictu. Lux enim (vt dixi) quę Solem antecedit, nondum aera calefacit, ſed percutit tantum: percuſſus autem in latus cędit. Quanquam ne hoc quidem conceſſerim, lucem ipſam ſine calore eſſe, cum ex calore fit, quæ & ſi non tantum temporis habet, vt tactu appareat, opus tamen ſuũ facit, & denſa deducit ac tenuat. Loca etiã

quę

quæ ita clauſa ſunt, vt Solem accipere non poſſint, illa quoque nubilo, & triſti luce caleſiunt, & per diem minus, quam noctibus rigent. Dicimus ergo ante lucem auram incitati: eandemque cum Sol attigerit ſubſidere.

De cæteris ventorum generibus.

CAPVT XXXIII.

Somniculoſi venti cur ſic dicti?

AT vero etheſiæ ob hoc ſomniculoſi, & delicati venti vocantur à nautis, quia mane ſurgere neſciunt. Hi autem (vt quidam aiunt) idcirco hyeme nõ ſunt, quia breuiſſimis diebus Sol deficit antequam frigus euincatur, ideoque niues, & ponuntur, & durant, Æſtate vero fluere incipiunt, cum longius extenduntur dies, & recti in nos radij diriguntur. Veriſſimum eſt ergo concuſſas calore magno niues plus humidi efflare. Itemque terras exoneratas niue, retectasque ſpirare liberius. Et ita plura ex Septentrionali parte cœli corpora exire, atque in hæc loca, quæ ſubmiſſiora ſunt, ac tepidiora deferri, ac ſic impetum etheſias ſumere: & ob hoc ſolſtitio eſt illis initium: vltraque ortum caniculæ non valent, quia iam multum è frigida parte cœli in hanc coniectum eſt, ac Sol mutato curſu in noſtra rectius tenditur, & alteram partem aeris attrahit, aliam vero impellit: ſic ille etheſiarum flatus æſtatem frangit, & à menſium feruentiſſimorum grauitate defendit. At (vt dixi) etheſiæ tardè prodire incipiunt, quod non accideret ſi vt auram, ita illos Sol commoueret. Præterea ſi eis cauſa flatus diei ſpacium eſſet, ante ſolſtitium flarent, cum longiſſimi dies ſunt, & maximè niues tabeſcũt. Sunt autem quędam ventorum genera, quæ ruptæ nubes, & in pronum ſolutæ emittunt. Hos Græci ecnephias vocant: qui hoc modo (vt puto) fiunt, cum inæqualitas ac ſimilitudo corporum, quæ vapor terrenus emittit aſcendit, & alia ſicca, alia humida ſunt, ex tanta diſcordia corporum inter ſe pugnãtium, veriſimile eſt quaſdam nubes effici, atque inter illas interualla relinqui fiſtuloſa, & in modum tybiæ anguſta. His ergo tenuis includitur ſpiritus, qui maius deſiderat ſpacium, cum euerberatus curſu parum liber incaluit, & ob hoc amplior fit: ſcinditque cingentia & in ventum erumpit: qui vere procelloſus eſt, quia non fuſus, neque per apertum venit, ſed laborat, & iter in hac pugna ſibi parat. Eſt autem breuis flatus, quia receptacula nubium per quæ ferebatur perrumpit, multo vero maior ac diuturnior eſt, ſi alios quoque flatus eadem cauſa ruentes abſtulerit, & in vnum plures ſicut torrentes confluxerint. Facit ventum reſoluta nubes, quæ pluribus modis ſoluitur. Aliquãdo enim coagulationem, aliàs conglobationem illam rumpit ſpiritus. Aliquando autem incluſi, & in exitum nitentis luctatio, nonnunquam vero calor, quem modo facit Sol, modo ipſa arietatio magnorum inter ſe corporum attritu. Et quandoquidem nihil obſiſtit, vires ſuas ventus effundit. Vbi autem alio promontorio repercutitur, aut locorum coeuntium vi in canalem deuexum tenuemq; collectus, ſæpius in ſe volutatur, ac ſe ipſa vertigine concitans turbo eſt, qui ſi etiam diutius pugnans inflammatur, fit igneus turbo, quem Græci preſtera vocant.

Tẽpus etheſiarum.

Generatio ecnephiarũ.

Preſter.

De numero ventorum, & rationibus nominum ſingulorum.

CAPVT XXXIV.

ARiſtoteles *vbi ſupra.* Quidam ſapientes omnes ventos nominauerunt vnum ventum, ſicut omnia flumina vnum flumen natura, ponentes ventum eſſe aeris motum. Et quod diuerſitas ventorum, accidit pro diuerſitate locorum. Sed hoc dixerunt abſqüe inquiſitione. Melior autem ſermo poſt rectitudinem inquiſitionis. *Iſidorus vbi ſupra.* Ventus, id eſt, aer commotus & agitatus pro diuerſis partibus cœli, diuerſa nomina ſortitur: Ventorum autem ſpiritus quatuor principales ſunt. Quorum primus ab Oriente Subſolanus. A meridie Auſter. Ab Occidente Fauonius. A Septentrione eiuſdem nominis vẽtus aſpirat. Habentes hinc inde geminos collaterales. Subſolanus à latere dextro Vulturnum habet, à læua Eurum; Auſter à dextris Euroauſtrum. A ſiniſtris Auſtroaffricum, Fauonius qui, & Zephyrus, à parte dextra Affricum; A ſiniſtra Chorum: porro Septentrio à dextris Circium: à ſiniſtris Aquilonem. Hi duodecim venti globum mundi flatibus circumagunt, quorum nomina proprijs ex cauſis ſignata ſunt. Nam Subſolanus dicitur ideo, quod ſub Solis ortu naſcatur. Eurus eo, quod ab Eoo flat, id eſt, ab Oriente. Et Subſolano coniunctus vulturnus, eo quod ab alto tonet. Auſter ab hauriendo aquas: vnde & craſſum aerem facit, & nubila nutrit: hic Græcè nothus vocatur, eo quod interdum aerem corrumpit. Nam peſtilentia quæ ex aere corrupto naſcitur auſter flans in regiones reliquas tranſmittit. Sed ſicut auſter peſtilentiam gignit, ſic Aquilo repellit. Euroauſter dicitur: eo quod ex vna parte dicitur habere Eurum, ex altera Auſtrum. Auſtroaffricus, eo quod iunctus ſit hinc inde Auſtro & Affrico. Zephyrus Græcè, eo quod flores, & germina flatu eius viuificantur. Hic Latinè Fauonius dicitur: eo quod foueat quæ naſcuntur. Auſtro autem flores ſoluuntur: Zephyro fiunt. Affricus à propria regione vocatur: in Affrica enim flandi ſumit initium. Chorus ab Occidente æſtiuo flat ſic dictus, eo quod vento circulum claudat, & quaſi choros faciat. Septẽtrio eo quod à circulo ſeptem ſtellarum conſurgit, qui vergentes è mundo reſupinato capite ferti videntur. Circius dictus, eò quod ſit choro coniunctus. Aquilo eo quod aquas ſtringit, & nubes diſſipat. Eſt enim gelidus ventus, & ſiccus. Idem boreas, quia ab hyperboreis montibus flat: vnde natura frigidus eſt. Natura enim ventorum Septentrionalium, frigida eſt, & ſicca, Auſtralium calida eſt, & humida. Ex omnibus autem ventis duo Cardinales ſunt. Septentrio, & Auſter. Extra hos duo ſunt vbique ſpiritus magis, quam venti, aura in terra, altanus in mari. *Seneca vbi ſup.* Placet autem duodecim ventos eſſe. Non quia tot vbique ſint: quoſdam enim inclinatio terrarum excludit, Sed plures nuſquam ſunt.

Quatuor venti principales.

De locis eorum originalibus, & eorum effectibus.

CAPVT XXXV.

NVlla vero regio quæ non habeat proprium flatum, pauci tamen regionales. *Guil. de Conchis.* Habent nomina, verbi gratia, Achabulus infeſtat Apuliam. Iapix Calabriam. Pamphiliã Chagreus. Galliam Circius. Sol non ſemper eodem loco oritur, & occidit. Sed alius eſt ortus eius Æquinoctialis in medio, ſcilicet torridę Zonæ. Alius ſolſtitialis, vt in Cancro: alius hyemalis, vt Capricorno. Ventus vero qui ab Oriente æquinoctiali ſurgit, dicitur à nobis Subſolanus: à Græcis Apelotes: ab Oriente Hiberno exit ventus, hunc Greci vocãt Eurum: Latini vulturnum: ab Oriente ſolſtitiali exit ventus, qui apud Latinos eſt ſine nomine. Æquinoctiale Occidens Fauonium mittit, quem Zephyrum dicunt quidam. A ſolſtitiali Occidente Chorus venit: ab Occidente Hiberno Affricus furibundus, & ruens, hic à Græcis libs dicitur: à Septentrionali latere eſt Aquilo ſummus Septentrio: medius trachiaſmus: à meridiano axe eſt Euronothus: deinde nothus, poſt Auſter. *Ex libro de naturis rerum.* Sunt quatuor venti cardinales, & octo collaterales: primus cardinalis eſt Septẽtrio, qui aparcias dicitur: hic facit in aere nubes, & frigora creat: habet autem à dextris circium, qui & circias dicitur: faciens niues & grandines: à ſiniſtris Aquilonem, qui & boreas dicitur, conſtringens nubes. Secundus eſt ſubſolanus, in calore, & frigore temperatus: habens à

Quatuor venti Cardinales octo collaterales.

dextris vulturnum, qui & chalcias dicitur: cuncta deſiccans, eius ſiniſter Eurus eſt nubes generans. Tertius eſt Auſter, qui & nothus humorem, & calorem, & fulmina generans. Hic habet à dextris Euroauſtrũ, qui eſt ventus calidus: à ſiniſtris Euronothum, qui tẽperatus. Et notandum, quod Auſtrales venti, quia flãt ex humili maiorem faciunt tempeſtatẽ in mari. Quartus *eſt Zephyrus, qui & Fauonius:* hic hyemem reſoluit, floreſque producit: habet autem à dextris Affricum, qui tempeſtatem tonitrua & fulmina generat: à ſiniſtris vero chorũ, qui in duos diuiditur, ſcilicet auram & altanum: aura in terra, altanus in pelago: horũ duodecim ventorum concordia omne creatum in ſuo curſu ordinatè conſiſtit.

De quatuor ventis principalibus.

CAPVT XXXVI.

Septemtrionalis venti effectus.

Meridionalis effectus.

Orientalis effectus.

Occidentalis effectus.

Ariſtot. vbi ſupra. Auſter eſt ventus calidus, ſcilicet caliditate ſui loci, principium enim flatus eius eſt ex locis calidis, & ſiccis. Quando ergo flat cũ rore paruo adhæret ei pars caliditatis, ex caliditate locorum illorum ex quibus eſt egreſſus eius. Et cum in eo prætereunt miſcetur ei vapor calidus, & ſiccus. Flat autem flatu vehementi. Septentrio vero eſt frigidus & ſiccus, & eſt flatus eius ex locis aquoſis, & montibus eminentibus longinquis à nobis. Ideo peruenit ad nos purus. Auſtri vero non eſt egreſſio pura, deſcenditque ad nos humidus, & fit craſſus ac turbidus, & commouet pluuias, quoniam ei deſcendenti ex alto ad terrã, admiſcetur vapor craſſus ac turbidus. *Auicen. de medicina lib.* 1. Septentrionalis ventus corroborat & indurat, & quæ manifeſtè fluunt prohibet: claudit poros, & digeſtiuam fortem facit. Stringit vẽtrem, prouocat vrinam, & aerem peſtilenticum & putridum ſanat. Cum vero meridionalis Septentrionalem præcedit, accidit à meridionali fluxus, & à ſeptẽtrionali impreſſio interius, & quandoque prouenit inde fiſſura ad interiora: ideoque multiplicatur tunc fluxus maximarum capitis, & pectoris ægritudinum. Et ægritudines quidem ſeptentrionales ſunt dolores neruorum: de quibus ſunt veſica & matrix, & difficultas mingendi, & tuſſis, & coſtarum dolores, & lateris ac pectoris, & horripilationes. Meridionalis autem ventus laxat, & fortitudinem præſtat, ac aperit poros, & turbat humores, ac mouet eos ab interioribus ad exteriora, & in ſenſibus efficit grauitatẽ. Ægritudinũ quoque recidiuationem, ac debilitatem ſuper exituram, & podagram, facit pruritum, & commouet elephantiam, & affert ſomnum, & facit febres putridas, ſed nõ exaſperat guttur. Orientales venti vniuerſaliter Occidentalibus meliores ſunt ſemper: quiſi in poſtremo noctis, & in principio diei flauerint, veniẽt ab aere qui iam à Sole temperatus eſt & ſubtiliatus, & eius humiditas iam imminuta eſt. Ideoque ſicciores ſunt, & ſubtiliores, quod ſi in fine diei & noctis principio flauerint, erit res contraria. Occidentales venti ſi flauerint in principio noctis, & in principio diei, quia veniunt ab aere in quo Sol operatus non eſt ſpiſſiores erunt, & craſſiores, quod ſi in fine diei & principio noctis flauerint, erit res contraria.

De multiplici ventorum vtilitate.

CAPVT XXXVII.

Seneca vbi ſupra. Inter cætera itaque prouidentiæ opera hoc quoque aliquis, vt dignum admiratione ſuſpexerit. Non enim ex vna cauſa ventos, aut inuenit, aut per diuerſa diſpoſuit, ſed pluribus. Primum quidem, vt aera pigreſcere non ſinerent, ſed aſſidua vexatione vtilem redderent vitalem tracturis ſpiritum. Deinde imbres terris ſubminiſtrarent, eoſdem in vnum compeſcerent. Modo enim nubes adducũt, modo deducunt, vt per totum orbem pluuiæ diuidi poſſint. In Italia Auſter impellit. In Affrica Aquilo reijcit. Etheſiæ non patiuntur apud nos nubes conſiſtere. Iidem totam Indiam, & Æthiopiam continuis per id tempus irrigant aquis. Quid quod fruges percipi non poſſent, niſi flatu ſuperuacua mixtaque ſeruandis ventilarentur, niſi eſſet, quod ſegetem excitaret, & latentem frugem ruptis folliculis adaperiret. Quid quod omnibus inter ſe populis commercium dedit. Et gentes diſſipatas locis miſcuit. Ingens naturæ beneficium, ſi non illud in iniuriam ſuam vertat hominum furor. Quæ namque dementia nos exagitat, & in mutuum componit exitium, vt nos velamentis demus bellum paraturi, & periclitemur periculi cauſa. Nonne hoc prouidentia, ac diſpoſitor ille mundi Deus exercendum ventis aera dedit. Et illos ab omni parte, ne quid eſſet ſitu ſqualidum effudit. Et parum videlicet ad mortes noſtras terra latè patet. Nimis delicatè fortuna nos tractat. Non depopulatur nos caſus incurrens. Eamus in pelagus, & vocemus in nos fata creſcentia. Miſeri quid quæritis mortem, quæ vbique ſupereſt: petet & illa vos ex lectulo, ſed innocentes petet: ergo non immerito quis dixerit melius actum eſſe nobiſcum, ſi natura ventos flare vetuiſſet, magna namque pars humanæ pacis erat maria præcludi. Non tamen de autore Deo tantum queri poſſumus, ſi eius beneficia corrumpimus, & vt eſſent contraria efficimus. Dedit etiam ille vẽtos ad cuſtodiam cæli, terrarumque temperiem, ad euocandas, & ſupprimendas aquas, ad alendos ſatorum, & arborum fructus, quos ad maturitatem cum alijs cauſis adducit ipſa iactatio, cibum in ſumma attrahens, & ne torpeat permouẽs. Dedit etiam ad vlteriora noſcenda: fuiſſet enim homo animal imperitum, & ſine experientia rerum, ſi natalis ſoli circumſcriberetur fine. Dedit etiam, vt commoda cuiuſque regionis communia fierent, nõ vt legiones equitemq; geſtarent, aut pernicioſa gentium arma tranſueherent. At nihil tam manifeſtæ vtilitatis inuenies, quod non in contrarium tranſeat culpa.

Abuſus donorum Dei.

De quorundam ſanitate, & aliorum noxietate.

CAPVT XXXVIII.

Meridies.

Septentrio.

Oriens.

Occidens.

Conſtant. In Panter. lib. 5. Ventus eſt fumus ſiccus à terra diſſolutus, cuius natura ſecundum locum eſt ſibi propria. Mutatio autem naturæ loci eſt ex Solis vicinitate, vel longinquitate, vel ex curſus ſui diuerſitate. Loca vero ſunt quatuor ſcilicet Occidens, Oriens, Meridies, Septentrio. Meridies ortui Solis dextera calidus eſt, & humidus: Calidus, quidem, quia dum Sol ab altitudine ſua digreditur, ibi aliquamdiu immoratur. Humidus autem ex humiditate fumi maris, & humiditate loci. Ventus igitur ex hac parte flans, ſcilicet Auſter, calidus, & humidus eſſe probatur. Plaga Septentrionalis huic oppoſita, & Soli ſiniſtra, frigida eſt, & ſicca: quod ex nimia Solis remotione contingit. Cum enim Sol ad eam deuenerit, altiſſimus eſt, & à terra remotus. Igitur & ventus in hac parte veniens frigidus eſt & ſiccus, & Boreas vocatur. Orientis locus temperatus eſt, quia licet ibi naſcatur Sol: cito tamen inde ſeparatur. Ventus ergo inde veniens Eurus eſt temperatus, ſed tamen aliquantulum calidus & ſiccus. Occidens ſimiliter temperatus eſt locus, aliquantulum tamen frigidior & humidior: talis & eius ventus. Sunt & alij octo iſtorum ſuffraganei, quorum naturæ, principiorum ſuorum naturis ſunt affines: non tamen adeo feruentes: horum vnuſquiſque dum mouetur, natura in aeris & corporum complexiones imitantur. Boreas enim corpora indurat & confortat: humores & ſpiritus clarificat, cerebrum ſanat, ſenſus ſubtiliat, motum confortat, coitum augmentat: malos humores contrahit, ne in alia membra diſcurrant, quod ideo fit, quia corporis exteriora refrigerat, & calor naturalis intus adiuuatur. Tuſſes facit, & dolores pectoris, propter deſiccatio-

nem

nem ſpiritualis inſtrumenti, digeſtiones & vrinam ſtringit, dolores oculorum parit, corporibus frigidis nocet. Auſter econtra neruos emollit: corpora, humores, ſenſus, & ſpiritus turbat. Inde grauitas auditus, vertigo oculorum, pigritia, tarditas motus. Caput grauatur, terminus epilepſiæ mouetur, virtus digeſtibilis, & coitus deficit, quod inde cõſequitur, quia ventus hic calidus eſt & humidus, cerebrum implens humidis humoribus quæ omnia humectationem & cerebri denotant defectionem. Defectio enim digeſtibilis fit ex humoribus è cerebro ad ſtamachum deſcendentibus. Orientales autem, & Occidentales venti ex ſui temperie ſunt corporum temperatiui. Octo vero alij ſecundum naturam ſuorum principalium operantur circa corpora, ſed tamen mediocrius.

De Turbine.

CAPVT XXXIX.

Modus qui turbo generatur.

Isidorus lib. 13. Turbo eſt volubilitas ventorum, & dicitur à terra quotiens ventus conſurgit, & terram in circuitu mittit. *Seneca vbi ſup. lib.* 4. Turbinem efficit plurium ventorum inter ſe colluctatio: hæc circa terras concipitur, & fertur. Ideoque arbuſta radicitus vellit. Et in quodcunque incubuerit ſolum, nudat, ſyluas interim, & tecta corripiens. Inferior fere nubibus, altior vtique nunquam, huius rotunda facies eſt: dum columnæ modo circumagentis ſe voluitur, omni nube velocior rapitur, eius motus vagus eſt, & diſiectus, & verticoſus, diu autem manere non poteſt. Nam cum vagus & incertus ſpiritus colluctatus eſt. Nouiſſime vni vis omnium cędit. Nulla itaque tempeſtas perdurat magna, ſed tempeſtatum procellę, quanto plus habent virium, tanto minus tẽporis: ventiq cum ad ſummũ veniũt omni violentia remittitur. Et iſta concitatione neceſſe eſt, vt in exitium ſui tendant. Nemo itaque turbinem toto die vidit, ſed ne hora quidem. Mira eius velocitas eſt, & mira breuitas: violentius nc celerius circa tetram voluitur: quo eſt eo laxior, & ob hoc diffunditur. *Priſcianus ad Coſdroe*, Turbo fit cum ſpiritus ſegregatus ab aliqua nube offenditur, & circa eam voluitur. At circa eam circulum faciens, corroboratur: ita vt partem nubis accipiat, eo quod ab eo ſeparari non valeat. Ea quæ rapit in circuitu mouens, exitum non inueniendo in ſeipſum iterum reflectens: vnde & ex mari ſæpè abſtulit aquam, naues in altum ſubuehit: ex terra etiam lapides, & alia ſæpè ſubuehit animalia, Et paululum erepta deſerit. *Philoſophus vbi ſup. li.* 4. Ventus autem qui videtur in æſtate rotundus in campis, tollens ex terra paleas, & puluerem turbo nominatur, & fit ex vento deſcendente ex nubibus: quando occurrit ſibi ventus contrarius, & impellunt ſe inuicem diuerſa impulſione. Et dum vnuſquiſque coarctat alterum ex partibus ſuis eleuatur rotundus, inuolutus in alto cum puluere ſubtili.

De tempeſtate ac temporibus tempeſtuoſis.

CAPVT XL.

Tempeſtas.

Procella.

Isidorus vbi ſupra. Tempeſtas à ſtatu cæli dicitur: quæ à magnitudine ſui multis diebus oritur: maximè autem fit verno, & autumnali tempore, quando nec plena eſt æſtas, nec plena hyems. In medio enim & fine vtriuſque temporis ex coniunctione aerum contrariorum tempeſtates fiunt. Procella dicitur vis venti cum pluuia, eo quod procellat, id eſt percutiat & euellat: procellæ enim aut de fluminibus, aut de ventis fiunt. *Vegetius renatus de re militari libro* 4. Venti ſæpè ſinguli: & interdum duo, magnis autem tempeſtatibus, & tres pariter flare conſueuerunt. Horum impetu maria quæ ſua ſponte tranquilla ſunt & quieta vndis exæſtuantibus ſæuiunt. Horum flatu pro natura temporum, & locorum ex procellis ſerenitas redditur. Et rurſum in procellas ſerena mutantur; Nam ſecundo in ſpiramine optatos claſſis, inuenit portus, Aduerſo ſtare, aut regredi, aut diſcrimen ſuſtinere compellitur. Et ideo difficile naufragium pertulit, qui ventorum rationem diligenter inſpexit. Nam aut toto anno vim, atque acerbitatem maris patiuntur nauigantes: ſed quidam menſes aptiſſimi, quidam incerti, Reliqui claſſibus intractabiles ſunt poſt ortum Pleiadum, vſque in diem 18. Kalendarum Octobrium, ſecuta nauigatio creditur. Quia æſtatis beneficio, ventorum acerbitas mitigatur: poſt hoc tempus vſque in 3. Idus Nouembris incerta nauigatio eſt, & diſcrimini propinquior: quia poſt Idus Septembres, oritur arcturus vehementiſſimum ſydus. Et 8. Kalendarum Octobrium Æquinoctialis euenit, & acerba tempeſtas. Circa nonas vero Octobres, hædi pluuiales: & 5. Idus eiuſdem Taurus ventoſus. A Nouembri autem menſe crebris tempeſtatibus nauigia quatiuntur, vergiliarum hyemali Occaſu. Ex die ergo tertio iduum Nouembrium, vſque in diem: ſextum iduum Martiarum maria clauduntur. Nam lux minima, noxque longiſſima Poli ac nubium denſitas, aeris obſcuritas, ventorum imbri, vel in viſibus geminata ſęuitia. Non ſolum claſſes à pelago. ſed etiam commeantes à terreſtri itinere deturbant: poſt Natalem vero (vt ita dicam) nauigationis qui ſollenni certamine, publicoque multarum gentium ſpectaculo celebratur, plurimorum ſyderum ipſiuſque temporis ratione, vſque in idus Maias, periculosè maria tentantur. Non quo negociatorum ceſſet induſtria, ſed quia magis adhibenda cautela eſt, quando exercitus nauigat cum liburnis, quam cum priuatarum mercium feſtinat audacia.

Tempus ſecura nauigationis & incerta.

De ſignis tempeſtatum Prognoſticis.

CAPVT XLI.

PRæterea aliorum ortus Occaſuſque ſyderum tempeſtates vehementiſſimas commouet, in quibus licet certi dies auctorum atteſtatione ſignentur, tamen quia diuerſis cauſis aliquando mutantur, & quod confitendum eſt, cæleſtes cauſas humana conditio ad plenum ſcire prohibetur; Ideo nauticæ obſeruationis curam trifariam diuidunt. Aut enim circa diem ſtatutum, aut ante, vel poſtea tempeſtas fit, vt compertum eſt. Tranſituſque ſyderum, quos pleiades vocant, cum præſcripto curſu dies arbitrio. Creatoris ſuſcipiunt ſigna vel deſerunt, frequenter aſſolent ſerena turbare. Interluniorum autem dies tempeſtatibus plenos, & nauigantibus quam maximè intuendos, non ſolum peritiæ ratio, ſed & vulgi vſus intelligit. Multis quoque ſignis ex tranquillo in tempeſtatibus procellæ produntur, quæ velut in ſpeculo Lunę orbis oſtendit. Oſtendit rubicundus calor ventos. Cæruleus indicat pluuias. Ex vtroque commixtus nymbos, & furentes procellas. Lætus orbis ſerenitatem nauigijs retromittit, quam geſtat in vultu præcipuè, ſcilicet quarto ortu, neque obtunſis cornibus rutila, neque infuſa fuerit humore fuſcata. Sol quoque exoriens candens, intereſt vtrum æqualibus gaudeat radijs, an obiecta nube rutilet: vtrum ſolito ſplendore fulgidus, an ventis vrgentibus igneus, neve pallidus vel pluuia ſit impendente maculoſus. Aer vero & mare ipſum, nubiumque magnitudo, vel ſpecies ſollicitos inſtruit nautas. Aliquanta ab auibus, aliquanta ſignificantur à piſcibus. Quæ *Virgil. in Georg.* diuino penè comprehendit ingenio. Et *Varro in libris naualibus.* diligenter excoluit. Hæc gubernatores ſic ſe ſcire profitentur, peritiæ vt magis vſus inſtruit, quam altior doctrina firmauit.

Signum vẽtorum & pluuiæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De nubibus.

CAPVT XLII.

Nubes cur dictæ?

EX imagine mundi. Venti quoque ſpiramine ſuo aquas in aera trahunt, quæ conglobatæ in nubes denſantur. Et dicuntur nubes; quaſi nymborum naues. *Iſidor. vbi ſupra.* Nubes ab obnubendo, id eſt, operiendo cœlum dictæ ſunt, quas aeris denſitas facit vento conglobari. Vnde eſt illud. In nube cogitur aer. *Priſcianus ad Coſdroe.* Nubes & pluuiam non ex alio loco ſpirituum neceſſitas infert, Sed ex ipſo aere velociter turbato apparent, & hoc quidem præclarum, quod nubes talem ſoliditatem, & virtutem, & craſſitudinem non habent, vt etiam minutiſſimum quid graue ſuſtinere poſſint in aere, aut ex terra retrahere. Venti etenim multam virtutem habentes, potenter ſpirantes, non poſſunt nec lapidem paruum in aere comprehendere. *Ex libro de naturis rerum.* Nubes quidem dicuntur, quaſi nymborum naues. Solis namque calore de terra tractæ, per vapores in aere conglobantur, & condenſantur: grauidæque factæ nimietate humiditatis, & amplius ferre ſe non valentes, vento de facili diſſoluuntur, & per pluuiam, niues, & grandines ad terram iterum relabuntur, vt iterum aſcendentes concreſcant in nubes. *Hugo de ſex diebus.* Nubes nihil aliud eſt, quam guttarum minutiſſimarum aquæ congeries, per virtutem caloris in aera eleuata.

Nubes quãdo vertitur in aerem.

Sed ſi virtus caloris vehementior fuerit, tota illa congeries per virtutem caloris in purum aera tranſit. Si autem debilior, tunc illæ guttæ minutiſſimæ ſe inuicem incurrentes craſſiores guttas faciunt, & inde pluuias. Quòd ſi guttæ illæ minutæ vento conſtrictæ fuerint, inde nix. Si vero craſſæ, inde grando. *Auctor.* Nubes itaque de mari aſcendentes amaritudinem deponunt, & procul à terra ſuſpenſæ ſunt. Impulſæque ventis agitantur, vbi volantes diſcurrunt in pluuias, & tonitrua, niues, & grandines reſoluuntur, aut indurantur. Attenuatæ reddunt iridem, id eſt, arcum cæleſtem. Hinc eſt ille verſus de nubis proprietatibus:

Pulſa nothis procul à terra, mare linquit, in imbres
Soluitur, & tonitru volat, & tenuata dat irim.

De diuerſis nubium cauſis.

CAPVT XLIII.

SEneca lib. 5. Nubem tam arida, quam humida efficiunt. Eſt enim nubes aeris craſſi ſpiſſitudo. *Vitruuius vbi ſupra lib. 8.* A ventis quoque feruntur humores conglobati ex fontibus, & fluminibus, & paludibus. Cum tempore Solis colligunt & exhauriunt, & ita tollunt in altitudinem nubes. Aer quoque à Sole calefactus humores à terra tollit, vaporeſque & nebulas facit: licèt ex balneis exemplum capere. Nam cameræ quæ ſuper caldarias ſunt, fontes habent, ſed cœlum quod ibi eſt ab ignis vapore calefactum corripit ex pauimentis aquam: aufertque ſecum in camerarum curuaturas. Semper enim vapor calidus in altitudinem ſe trahit, & primo quidem ſuſtinet propter leuitatem: vt autem plus humoris congeſtum habet, ſuſtinere non poteſt propter grauitatem, ſed ſtillat ſupra lauantium capita. Eadem ratione cœleſtis aer cum abſolutè calorem percipit, ex omnibus locis hauriendo tollit humores, & congregat ad nubes. Sic enim terra feruore tacta humores eijcit, vt corpus hominis ex calore ſudores emittit. Indices autem huius rei ſunt venti. Ex quibus Septentrio, & Aquilo. quia frigidiſſimis partibus procreati veniunt, tenuatos ſiccitate in aere flatus ſpirant. Auſter vero & alij, quia curſu Solis impetum faciunt, humidiſſimi ſunt, & ſemper imbres afferunt, quia percalefacti à regionibus feruidis aduenientes ex omnibus terris lambentes humores arripiunt, eoſque ad Septentrionales regiones profundunt: huius rei teſtimonia poſſunt eſſe fluminum capita, quæ plurima maximaque ad Septentrionem leguntur egreſſa.

Exemplum docens Meteorologiam de vaporibus

De locis & coloribus, & generationibus nubium.

CAPVT XLIIII.

HIeronymus ſuper Iſaiam. Nubes autem dicunt Philoſophi, non amplius decem ſtadijs à terra in ſublime tolli, & Solis ſplendorem abſcondere. *Ariſt. in lib. Meteororum primo.* Nubes fiunt in aere tantum in locis, in quibus virtus radiorum Solis & ſtellarum, quarum lumen eſt radians in aere abſcinditur à frigore terræ & aquæ, nec peruenit ad ea caliditas deſurſum: partes namque vapotis aſcendentis à terra, & aqua, quando veniunt propè ſurſum, ſeparantur propter æſtum calidum, & ſiccum. Ideoque in illo ſupremo aeris non fiunt nubes, quia vincens ſuper illud eſt ignis, qui vaporis partes ſeparat. Nec eſt ipſi aeri, ſcilicet puro, ſubtili, & arido, vbi ipſum vaporem comprehendat, & aggreget. Sed in loco aeris inferiori frigido, per comparationem ad ignem aggregatur, & inſpiſſatur præcipuèque quando eſt inter montes altos, præfocatur, illicque infrigidatur ad naturam ſuam redit. *Idem in lib. 3.* Videmus autem quandoque nubes nigras, quia caliditas vehementer in eis operans conſtringit eas, ſcilicet tanquam calor circundans frigus, & inſpiſſat partes earum: vnde radios Solis non recipiunt. Alba autem eſt nebula quando non poteſt in eam ſolis operatio: vnde remanet non adusta. Non enim coarctatur in partibus ſuis, & ideo recipit radios Solis. Nubes autem rubeæ, & illæ quæ ſunt ad viriditatem, ſunt inter albas, & nigras. Et operatio quidem caliditatis in nube rubea, plus eſt in operatione ſua, quam in alba, ſcilicet quantum ad vſtionem, non quantum ad illuminationem. Et operatio illa quæ ad viriditatem, eſt ſupra operationem in nigram. *Ex libro de naturis rerum.* Secundum autem volatum nubium, quæ ventis in aere deferuntur, aura pluuialis, aut ſicca frigida, vel remiſſa fore conijcitur. Itaque ſi veſpere Solem in Occaſu nubes tegant, futuras in craſtino pluuias ſuſpicamur. Si etiam mane Solem Orientem nubes obtegat, reſiduo clareſcente, pluuia ſperatur: aut à mane vſque ad meridiem, aut à meridie vſque ad noctem: porro ſi ventis contrarijs flantibus nubes inter ſe diſpariles diſcordauerint, tempus dubium expectabis, quia cum quis ventorum ſuis nubibus alium ſuperauerit: auram illi cedere repente cognoſces.

Coniectura ex volatu nubium.

De Pluuijs.

CAPVT XLV.

EX libro de naturis rerum. Pluuia nihil aliud eſt, quã ros multus. Non enim fit pluuia niſi ex vapore multo, qui iam infrigidatus eſt. Cuius cauſa ſunt tempus, & locus frigida: velocius autem deſcendit, & in maiori quantitate, quam ros. Sunt itaque duo, corpora ex aere deſcendentia ſibi ſimilia, quia cauſa generationis vtrorumque vna nec diuerſificantur niſi multitudine tantum, & paucitate. Hæc ſunt ros, & pluuia: ſimiliter nix, & pruina. *Philoſophus.* Imber de nubibus deſcendit. Dum enim guttulæ in maiores guttas coeunt, aeris amplius natura non ferente, ad terras dilabuntur. In Orientis partibus raro pluit, ſed ibidem ſupra modum inundat cum pluuia venerit. Tantus enim ibi calor eſt per æſtum Solis, vt paucitas humorum aſcendentium de terra, peruenire non poſſit ad regionem imbris, Sole medio, quia paulatim aſcendentes eos deficcat. Rotem vero craſſum, & frugibus efficacem ibidem eſſe conſtat. Cum autem humores in viſceribus terræ coarctati diutius, ex abundantia ſui tandem erupe-

Cauſa pluuiæ.

rint,

rint, calore Solis, & aeris ſiccitate trahentibus, tunc ſupra modum inundant pluuiæ, & quanto rarius, tanto copioſius. In Europa vero tam frequenter cadunt pluuiæ: vt ex eis torrentes fluminum inſtar currant, & hoc maximè circa montium iuga. In Ægyptiacis Thebis, ſi in æſtate largiores pluuię fundantur, tota regio mox infinitis muribus repletur: pluuia ſeruata ciſternis, & ſtabilitate purgata, aquarum omnium clariſſima eſt, & ſine corruptione diutius durat: frigida quoque nimis eſt, & potu ſalubris: viſcera laxata ſtringit. Tempore pluuiæ maior pars piſcium impinguatur: vnde & ſupernatare, & alludere pluuiæ videntur cadenti. *Seneca lib. 7.* Ego autem, tam diligens vinearum foſſor, affirmo nullam pluuiam eſſe tam magnam, quæ terram vltra decem pedes in altum madefaciat. Omnis humor intra primam cruſtam conſumitur.

Quando impinguantur piſces.

De diuerſis pluuiarum cauſis.

CAPVT XLVI.

HIeronym. ſuper Amos. *Qui vocat*, inquit, *aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ*, id eſt, aquas maris amariſſimas æthereo calore ſuſpenſas excolat, & eliquat in dulcem pluuiarum ſaporem. Hinc diſcimus, quod inde natæ ſunt pluuiæ. *Iſidor. vbi ſupra.* Pluuiæ dicuntur quaſi fluuiæ, eo quod fluant. Naſcuntur enim de terræ, & maris anhelitu, quæ cum altius eleuatæ fuerint, aut ſolis colore reſolutæ, aut vi ventorum compreſſæ, ſtillantur in terris: dicuntur & imbres, eo quod inebriant terram ad germinandum. Ex his enim cuncta creantur. Nymbus autem dicitur denſitas nubis intempeſta, & obſcura, & nymbi à nube. Sunt enim repentinæ, & præcipites pluuiæ. *Guilelmus de Conchis.* Pluuiarum ergo diuerſæ cauſæ. Aliquando namque ſpiſſus, & humidus ex terra, & aqua euaporat fumus. Hic dum aſcendit, minutiſſimæ guttæ ſe inuoluunt, quæ craſſiores factæ, & graues cadunt, fitque pluuia. Aliquando aer ex frigiditate terræ, & aquæ ſpiſſatur, tranſitque in aqueam ſubſtantiam, quæ ſpiſſitudine ſua noſtris oculis tangitur, & hanc nubem vocamus. Cum autem radij ſolis hanc tangunt, acumine ſuo illam penetrant, partemque à parte ſeparant, quæ ab alijs ſeparatæ, naturali grauedine cadunt, fitque pluuia. Contingit aliquando ſolem ad nutrimentum ſui humorem attrahere, quod autem liquidius eſt, in igneam transformatur ſubſtantiam. Sed quod grauius eſt, deorſum cadit, vnde poſt acutiſſimum feruorem videmus contingere pluuiæ fuſionem. Quarta cauſa pluuiarum eſt ventus eleuans humorem de fluuijs, ſtagnis, lacubus. Inde eſt, quod ranunculæ, & piſces cum pluuia ſæpe viſi ſunt cadere. Cum enim (vt prædiximus) aqua vento ſubleuatur, contingit, quod ranunculas, & piſces ſecum eleuat, quibus ex naturali grauitate deſcendẽtibus ſtupent videntes. Nullum igitur tempus anni immune eſt à pluuia. In omni namque vel fumus euaporat humidus, vel aer ex frigiditate ſpiſſatur, vel humor ad nutrimentum ſolis attrahitur, vel vento eleuatur. Hęc pluuia quandoque plus ſolito ſpiſſata, & ex nimio calore intenſa, fit ad modum ſanguinis rubea, & ſpiſſa, vnde æſtimauerunt quidam quandoque pluiſſe ſanguinem.

Pluuia vnde?

Imbres vnde? Nymbi.

Cauſa pluuiarum diuerſa.

Cur poſt calorem pluuia?

Pluuia ſanguinis vnde?

De natura aquæ pluuialis.

CAPVT XLVII.

EX *imagine mundi.* Licèt autem pluuia de aquis amaris hauſta ſit, igne tamen ſolis in aere decocta dulceſcit, humoque infuſa dulcem ſaporem reddit. *Conſtant. in pantegni lib. 5.* Pluuia eſt fumus aquarum à ſole tractarum. Solis autem natura non niſi quod ſubtiliſſimum eſt trahit, vnde aqua pluuiæ putredini propinquiſſima eſt, quod ex ſui ſubtilitate contingit. Melior tamen eſt aquis cæteris, & digeſtibilior. Sed cum putreſcit, raucitatem vocis generat, & febres. Denique ex putredine non eſt vituperanda, ſed ex ſubtilitate laudanda. Nam omnis aqua cito putreſcens, & ad corruptionem cito propinquans, ſubtilis eſt. Rurſus aqua pluuialis, quæ ex aqua tenuiſſima conficitur, melior eſſe videtur. Subtilitatem enim fumi ſignificat, vnde oritur poſt hanc illa, quæ tonitruo cadit. Tonitru enim motu ſuo fumum in nebulam ſubtiliat, vnde & aquæ pluuiales melioran-tur, hęc frigida vel calida bibitur. *Iſaac in dietis.* Omnibus aquis pluuialis electior eſt, quæ vicini ab aeris ceciderit ſummitate. Munda tamen ſi fuerit ab omni putredine, & ponatur in aqua ciſternæ optimæ lotæ. Talis enim aqua minus cęteris eſt humida, & quiddam ſtipticitatis habet, nec nocet ſtomacho, ſed potius ipſum confortat. *Auicen. lib. 1.* Ex aquis ergo laudabilibus ſunt aquæ pluuiales, & illæ præcipuè, quæ in æſtate eueniunt, & ex nubibus cum quibus aſſunt tonitrua. Turbidatio autem vaporis vnde generantur venti maximi cum nubibus venientes, turbidat nubes ex quibus prouenit pluuia. Ideoque ſubſtantia eius falſa eſt, & non pura. Sed & aquæ pluuiali cito aduenit putredo, licèt cæteris aquis ſit melior, eo quod valde ſubtilis eſt, & in ipſa terrenus, & aereus humor corrumpens cito operatur, fitque putredo eius cauſa computreſcendi humores, & impedit pectus, & vocem. Quidam autem dixerunt cauſam huius eſſe, quod aqua pluuiæ generatur ex vapore, qui ex humiditatibus diuerſis ſublimatur. Sed ſi hęc cauſa eſſet, aqua pluuiæ vituperabilis eſſet, & non laudabilis. Non autem ſic eſt, imo hoc accidit (vt dictum eſt) propter ſubſtantiæ ſuæ ſubtilitatem, quia omnis ſubtilis ſubſtantia plus recipit paſſionem, quod ſi aqua pluuialis ebullierit, putrefactionis eius receptio minuetur. Acetoſa quoque ſi comedantur, quando neceſſe eſt vti aqua pluuiali, opponuntur putrefactioni, & eius impedimentum repellunt. *Ariſtot. in 2. lib. Meteororum.* Videtur autem, quod etiam in pluuijs ſit quiddam ſalſum. Cum enim vapor calidus, & ſiccus permiſcetur frigido, & humido, ex quo fiunt nubes, & pluuiæ, facit eam ſalſam. *Priſcianus ad Coſdroe.* Habet autem imbrea aqua etiam lutum, eo quod terrenum ſubleuatur mixtum cum humidioribus vaporibus. Non omnis autem ex aqua continenti meatus eſt imber, ſed qui per motionem vaporis in nubem conſtitutus eſt. Sæpe enim venti violentior tempeſtas, & turbo, humidum ex fluminibus, vel ſtagnis, vel mari rapiens in altum ſubleuat, deinde in terram mittit. Propter hoc apparuerunt cum pluuia aliquando ranæ, & piſces veluti ſurſum alicubi naſcentes deſcendere. Sæpe quoque guttæ ſanguineæ, & pici ſimiles fiunt ex igneo commixto nubibus, ſimulque terreno ſcirpeto, id eſt ex ventis collecto fumo, hęc itaque omnia violenter, & contra naturam ſurſum compulſa, naturali meatu fluunt iterum deorſum.

Aqua pluuialis electior quæ?

Nota de acetoſis.

Cur pluuia ſalſa?

De grandine, & eius forma, & proprietate.

CAPVT XLVIII.

EX *imagine mundi.* At illæ autem pluuiæ ventis, & frigore conſtrictæ, in aere congluciantur vel conglobantur, coagulanturque atque in lapides grandinis mutantur. *Iſidorus vbi ſupra.* Grando dicitur ideo, eo quod forma eius granorum habet ſimilitudinem: hoc autem ventorum rigore duratur, & ſolidatur, ruptoque aere ſoluitur. *Plinius lib. 2.* Grando conglaciato imbre gignitur, interdiu ſæpius, quàm noctu cadit, & multo celerius, quam nix reſoluitur. *Guilhelmus de Conchis.* Cum enim humor modo prædicto eleuetur, contingit aerem in ſuperioribus eſſe frigidum, & ſiccũ, qui guttas aquæ ſua frigiditate congelans, in lapideam conuertit ſubſtantiam. Sed quia guttæ aquæ rotundæ ſunt, quod per foramina, quæ

Grando vnde dictus?

Cur rotunda?

rotunda

rotundam lapides agunt aſſiduitate cadendi probari poteſt, grando fit rotunda. *Ex libro de naturis rerum.* Grando fit ex pluuiæ ſtillis ventis ac frigore ſuperioris conglaciatis. Et corpus ſphæricum habet propter circumitionem volubilitatis. Cuius materiam, id eſt, ſtillas pluuiæ ſi condenſatam fuderit aer, multæ guttæ conglobantur in vnum lapidem, & tunc excedit grando ſolitam quantitatem ſitque tempeſtas. Vnde legitur in chronicis, grandines aliquotiens tantæ magnitudinis ceciditſſe, vt etiam beſtias, & homines extra tecta poſitos conquaſſarent. Grando turbida magis eſt, quàm in terra glacies congelata, quia minimæ guttæ primitus coagulatæ paulatim adijcitur deſcendendo. Sicque de multis partibus fit, quod non contingit in glacie, quæ ex aqua continua tanquam materia per gelu concreſcit. Grando multa infrigidat aerem: vnde quandocumque in vere, & autumno ceciderit, periculum imminet peſtis, Et frugibus, ditæ gelidæque pruinæ, niſi immediatè poſt grandinem ſol calidior aerem terramque luſtraueric. Porro ſi circa ſolſticium æſtiuale ceciderit, ſignum eſt in ſuperioris aeris regione frigus eſſe per maximum, & niſi pars inferior, ſolis radijs calefacta grandinem deſcendentem liquefaceret, ad immenſam quantitatem moles faceret monſtruoſas. *Seneca de naturalibus quæſtionibus.* Poſſidonius dicit, eo modo grandinem fieri quo glaciem, gelata ſcilicet nube tota. Rotunda eſt autem, quia omne ſtillicidium rotundatur, glomerando, quod in ſpeculis quoque apparet, qui humorem halitu colligunt, & in poculis ſparſiſque folijs adhærentes guttæ in rotundum iacent, præterea poteſt etiam grando ſi talis non fuerit deſcendendo rotundari, totienſque per aeris ſpacium denſi deuoluta in orbem teri. Grando autem nihil aliud eſt, quàm ſuſpenſa glacies.

Vbi & ex quo generetur grando.

CAPVT XLIX.

Generatio grandinis. ARiſtoteles *vbi ſupra.* Grando fit in nubibus à terra longinquis. Cuius generationis cauſa caliditas eſt, quæ eſt in vapore aſcendente à terra, vnde fit in partibus calidis, & temporibus calidis, plus quàm frigidis. Calor enim eſt contrarius frigori, quare recipitur frigus ad interiora nubis ex multitudine caliditatis aeris in illa hora, gelatque, quod in ea eſt de aqua, & ſeparat eam in grandinem. In temporibus verò frigidis ſparſum eſt frigus in aere toto, & non in proprietate nubis. Nec eſt ibi caliditas, quæ poſſit ei eſſe contraria, propter quam contrahatur ad interiora: grando quidem rotunda, & parua, deſcendit ex locis in alto ſupremis. Eiuſque rotunditas, & paruitas ſunt, quia dum ex longinquo deſcendit, moratur in aere diu, eiuſque aqua reſoluitur cum ſpacio ex caliditate aeris in illo tempore, & ob hoc minoratur, & rotundatur. Grandini verò deſcendenti ex locis terræ propinquis accidit contrarium, eo quod non elongatur exitus eius à finibus eius fixis. Ideoque non reſoluta peruenit ad terram magna in menſura, nec valde rotunda. Guttæ etiam magnæ fiunt, *Cur gutta magna ſint in diebus calidis.* & velociter deſcendunt in diebus calidis, propter velocitatem conſtrictionis frigoris, quia calor accidens in aere vehementer, fugat frigus nubis, & contrahitur ac vehementer comprimitur. Dico ergo, quod quando eſt in aere calor, velocior eſt aquæ congelatio, cuius indicium eſt, quod quando calefit aqua, deinde funditur in locis frigidis, velocior eſt ad frigus ſuum, quia tunc magis eſt apparens ſuæ virtuti, & vehementius ad operationem ſuam, quàm quando non eſt illic eius contrarium, ſcilicet calor. Piſcatores quoque quando volunt harundinem congelare, vt velocior ſit ad merſionem in aqua, fundunt ſuper eam aquam calidam, deinde ponunt eam in loco frigido, ſtatimque ſuper eam glacies congelatur propter apparitionem frigoris, & vehementiam operationis eius, propter contrarietatem ex calore.

De Niue.

CAPVT L.

EX *imagine mundi.* Nix autem aquarum vapore, necdum denſato in guttas, ſed gelu præripiente formatur, quæ in alto mari non cadit. *Seneca vbi ſupra.* Nix in pruina eſt pendens congelatio. Nix autem non poteſt rotundari vt grando, quia non cadit tam ſolida, ſed fuſa. Nec per magnam altitudinem cadit, ſed circa terram eius initium eſt, & è proximo lapſus. Minus autem algere pedes eorum aiunt, qui fixam, & duram niuem calcant, quàm eorum, qui teneram, & labefactam. *Guilhelmus de Conchis.* In ſummitate quorundam montium propter aeris ſubtilitatem perpetuæ ſunt niues, quia ignea non ſunt calida, niſi vicina ſint alicui materiæ ſpiſſæ, & humidæ, vnde ſol in conuallibus montium vbi aer ſpiſſior eſt, maiorem calorem exercet. *Ex libro de naturis rerum.* Nix eſt aquarum vapore necdum denſato in guttas, ſed gelu præpediente formata, nec tamen trãslucet vt glacies, quoniam ex paruiſſimis, & innumeris minutijs fit, quæ non cohærent, pręferuntque candorem. Niuem probantur habere montes illi, qui orbis climata faciunt, vt caucaſus in India, Athlas in Andria, & cæteri. Olympius autem non habet, ſicut nec ventos, nec pluuias, quia excedit omnium regionum humores. Niues per totum annum ſeruari poſſunt ſub terra paleis coopertæ. In Oriente quidem ſeruantur ad miſcendum vinum in æſtate calida, vel ad aerem infrigidandum circa infirmos, infrigidant enim valde. Et notandum, quod membra fricata niue, & ſi ad horam quaſi frigus intolerabile faciant, poſtea tamen per ſe calore moderatiſſimo refouentur, quia calor naturalis in homine accidentali frigori reluctatur.

Cur nix non cadat rotunda?

Niues quomodo ſeruatur diu.

De niuis cauſa vel origine.

CAPVT LI.

ARiſtoteles *vbi ſupra.* Generatio niuis ex frigore fit in nubibus, & eius ſignificatio mollities eſt, quæ prouenit ex parte caliditatis admixtæ vaporibus prohibentis partes ipſius vaporis inſpiſſari, & vehementer aggregari. *Philoſophus:* cauſa generationis pruinæ, & niuis eſt vna, nec diuerſificantur niſi in ſimilitudine tantum, & paucitate, ſicut ros, & pluuia. Itaque generatio niuis & pruinæ eſt ex frigore, quia nix eſt ex nubibus frigore congelatis, vt ſupra dictum eſt. Et pruina fit ex vapore congelato in aere. Et huius ſignificatio eſt mollities niuis, & durities pruinæ, quia mollities niuis (vt dictum eſt) fit ex parte caliditatis admixtæ vaporibus, qui faciunt nubes, prohibentis partes illius vaporis inſpiſſari, & vehementer aggregari. Durities verò pruinæ fit ex frigore locis & tẽporibus, in quibus non eſt ex caliditate pars, qua prohibeatur aggregari vapor, quia partes frigoris partes ipſius vaporis aggregantur, & eas contrahunt. *Plinius libro* 2. Grando congelato imbre gignitur, & nix eodem humore mollius coacto. Per hyemem autem niues cadunt, non grandines, nec in alto mari cadunt niues.

Mollities niuis vnde?

Durities pruinæ.

De temporibus niuis, & grandinis.

CAPVT LII.

SEneca *de natur. quæſt. lib.* 3. Quæritur cur hyeme ningat, non grandinet. Vere autem iam infracto frigore grando cadat? hyeme quidem aer riget, & nondum in aquam vergit, ſed in niuem, cui propior eſt aer. Cum autem ver ceperit, maior inclinatio

temporis

temporis ſequitur, & caliodiori cælo maiora fiunt illicidia, nymbique graues, magis vaſtique, quam pertinaces, deferuntur ob mutationem aeris vndique patefacti, & ſoluentis ſe ipſo adiuuante tempore. Bruma verò lentas habet pluuias & tenues, quales interuenire ſolent cum pluuia rara, & minuta, niuem quoque habet admixtam. Prȩterea flante Aquilone, aut cœlum ſuum habente minimæ pluuiæ ſunt. Auſtro verò imber improbior eſt, & guttę pleniores. *Guil. de Con.* Humor in æſtate calore ſolis altius eleuatur. Sed dum ſic eleuatur, guttæ inuoluuntur, quæ craſſiores factæ atque congelatæ grandinem gignunt. In hyme verò, quia frigus circa terram eſt, guttæ aquæ antequam craſſæ ſint, ex frigiditate temporis conſtringuntur, & in niuem mutantur. Sed fortaſſe dicis: cum æſtas ſit calida, vnde in ſuperioribus partibus aeris, quæ ſoli ſunt propinquiores, contingit frigiditas? Dicunt quidam niues, quæ ſunt in altiſſimis montibus, calore æſtatis remitti, atque inde frigidum ſpiritum, qui per ſuperiora diſcurrit creari. Nix enim aliquantulum in aqua conuerſa, plus infrigidat, quàm dum eſt ſolida, quod calcando vtramque poteris probare. Sed fortaſſe dicis. Et vnde in ſummis montibus, qui proximi ſunt ſoli, eſt tanta frigiditas, quod ibi ſunt niues perpetuæ. In conuallibus autem eſt calor ſine niue? Reſpondeo: Diuerſæ ſunt cauſæ: Vna eſt. Ignis non poteſt accendi niſi in humido, & ſpiſſo. Sed aer quantò eſt ſuperior, tantò ſubtilior, & quantò inferior, tanto craſſior ſpiſſiorque. Item cum radij ſolis tangunt vallem, & non ſic alta montium, reſiliunt radij, & reſiliendo ſeſe percutiunt, ex quo conflictu generatur calor. Item omnis euaporatio quanto eſt ſuæ origini propinquior, tanto eſt calidior: his ergo concurrentibus, aer qui eſt propinquior terræ, eſt calidior, qui vero ab ea remotus eſt minus calidus.

Dubium. *Reſp.* *Dubium.* *Reſp.*

A B C

De natura aquæ niualis.

CAP. LIII.

Isaac in dietis. Nix frigidior eſt aqua, & minus humida, quia non eſt aliud, quàm aqua præ nimia frigiditate congelata, vnde humiditas eius occultatur. Siccitas autem ipſius palam eſt, proinde omnibus neruis corporis nocet, & dentibus, maximeque ſenibus generat ſpaſmum, & Paralyſim, &c. Pueris autem, & iuuenibus non cito talia eueniunt, propter naturalem calorem frigiditati aquæ repugnantem: ſi tamen aſſueſcant nocet, præcipueque nerui eorum incidunt in paſſionem de qua non poſſunt euadere. *Auicenna in ſecundo Can.* dicit, quod aqua niuis ſedat dolorem dentium calidum. Nocet autem neruis, quia coarctat vapores calidos currentes in eis, & retinet eos ne reſoluantur. Nocet etiam ſtomacho, & propriè frigido: Nocet iterum ſenſibus, & eis quibus humores frigidi generantur: facit autem quandoque ſitim, eo quod caliditatem adiuuat. *Conſtantinus pantegni quinta parte.* Aqua pluuialis cum niue frigeſcit, naturaliter refrigerat ſtomachum & epar ſicut de fontanis, ieiunus tamen non bibat, quia ſtomachum percutit rigor eius, & contractionem facit, pectori nocet, quia tuſſim facit, dentibus non congruit, nec neruis, nec cerebro, quia membra hæc frigida ſunt. Catarrhum quoque facit, pectoribus ſanguinem ſcreantibus, etiam ſi ceſſauerit, morbus reducitur. Aquam frigidam cum niue ſi quis poſt cibum biberit, bonum appetitum facit, ſtomachum confortat, vt benè digerat, non tamen ſubito bibenda eſt, ſed paulatim ſorbenda. Itaque nix, & glacies ſi de bona ſit aqua laudabilis eſt. Sed illa melior, quæ ſupra petram cadit, & mundam terram. Cadens enim ſuper metallinos montes, & terras ſapidas vel fætentes omnibus modis cauenda eſt.

Cur nix ſitim cauſet? *Aqua frigida cum niue poſt cibum.*

D E

De coruſcatione.

CAP. LIV.

Ariſt. vbi ſupra libr. 3. Coruſcationem dixerunt eſſe ſapientes in concauitate nubium. Quorum vnus Empedocles dixit, quod coruſcatio eſt ignis occultatus in nubibus ex radio ſolis, deinde apparens. Anaxagoras autem ait, quod ignis in nubem aſcendens occultatus ibi, apparet deinde, & eius apparitio eſt coruſcatio, qui quando extinguitur in nubibus, vox illius extinctionis eſt tonitruum. Ego autem dico, quod res iſtæ non ſunt niſi ex vapore: cũ enim vapor humidus aſcendens peruenit ad locum frigidum 1. ad medium aeris, inſpiſſantur, & aggregantur partes eius, & inde ſunt pluuia, & nix, & grando, & caligo, ſecundum modum diuerſitatis inſpiſſationis, & aggregationis eius, & loci ipſius, & eius, quod ei accidit id eſt frigoris. Cum autem inſpiſſatur iſte vapor humidus, comprimitur, quod in ipſo eſt, vapore calido, & ſicco aſcendente cum eo ex terra. Comprimitur inquam in nube propter frigus, & prohibet apparere. Itaque agitatur in ventre nubis, & percutit nubem humidam, & ſcindit eam, qua ex percuſſione vox exiens quaſi ſciſſura magna tonitrus eſt Sicut quando in ligno humido inflammatur ignis, auditur ex eo vox propter illud, quod eſt in eo de vapore compreſſo. Coruſcationis autem eſſe, eſt ex ventis calidis, & ſiccis compreſſis in nubibus, quoniam inflammat eas inflammatione vehementi, & adurunt, earumque humiditates pertranſeunt. Auditur ergo ibi vox, ſicut ſtridor ferri igniti ſubmerſi in aqua, & illa vox tonitruum eſt, ignis autem egrediens ex ea coruſcatio eſt. Coruſcationis quidem ſplendor ante tonitruum peruenit ad nos propter ſubtilitatem ſuam, ſicut & viſus auditum excellit propter eandem cauſam. Fit autem tonitrus etiam extinctione ignis in ventre nubis. Dico ergo, quod vapor, quæ eſt materia venti, quando apparet extra terram ventus eſt. Et quando occultatur in terra, terræmotus ex eo eſt. Quando autem in nube coarctatur ex eo tonitrus eſt. Quando vero nubes aggregantur, & inſpiſſatur humiditas quæ eſt in eis, eſt tonitrus, & coruſcatio. Quando autem ventus ex nubibus apparet paulatim, & eſt habens ſubtilitatem in partibus ſuis, non fit ex eo tonitrus nec coruſcatio.

Exemplo declaratur productio tonitru. *Coruſcatio.*

De tonitruo.

CAP. LV.

Iſidorus 14. libr. Tonitrus dicitur, eo quod ſonus eius terreat, tonus enim eſt ſonus. Nam cum procella venti vehementiſſimi nubibus ſe repente immerſerit, turbine inualeſcente & exitum quærente, nubem quam excauauit, magno impetu præſcindit, ac ſic cum horrendo fragore defertur ad aures: quod mirari quis non debeat, cùm veſicula quamuis parua magnum tamen ſonitum diſploſa emittit. *Plinius vbi ſupra.* Tonitrua ſunt impactorum ignium plagæ, cum flatus aut vapor in nube luctatur. *Seneca de naturalibus quæſtionibus*, Poſsidonius ait: quod eſt terra terreniſque omnibus pars humida efflatur, pars ſicca & fumida fulminibus alimentum eſt illa imbribus. Quicquid enim in aera ſicci fumoſique peruenit, id includi ſe nubibus non fert, ſed rumpit claudentia. Inde ſonus eſt quem nos tonitruum vocamus, nam & ignis in aquam demiſſus ſonat, dum extinguitur. *Idem in eodem.* Tonitrua nihil aliud ſunt, quam citi aeris ſonitus, dum aut terit, aut rumpitur. Nam, & ſi miſſus ignis in aquam ſonat dum extinguitur: non ignis ipſe tunc ſonum efficit: ſed ſpiritus per extinguentia effugiens. Quidam enim æſtimant eum ſpiritum per frigida humidaque meantem ſonum facere: ſicut

Tonitrus vnde? *Cur ſonitus tonitrui?*

in aqua feruens maſſa extinguitur cum murmure. Anaximenes ſic ait. Tonitrua ſpiritus incidens nubibus edit. Et dum luctatur per obſtantia atque interciſa euadere: ipſa ignem fuga accendit. Anaximandrus autem ad ſpiritum omnia retulit. Tonitrua inquit ſunt ictę nubis ſoni: quare & ſereno tonat, quia tunc ſcilicet per craſſum & ſciſſum, aera ſpiritus proſilit.

De ſpeciebus tonitrui.

CAP. LVI.

Diogenes ait. Tonitrua quædam igne, quædam ſpiritu fieri. Illa facit ignis, quæ ipſe antecedit, & nunciat. Illa vero ſpiritus, quæ ſine ſplendore crepuerint: vtrumque quidem ſine altero effici aliquando concedo, videtur autem quod non illis diſcreta poteſtas ſit, ſi vtrumque ab vtroque effici poſſit. Quis enim negabit ſpiritum impetu magno latum, cum efficiat ſonum, effecturum & ignem? Quis non concedet, & hoc, ignem aliquando poſſe nubes irrumpere, & non exilire? Si plurium aceruo nubium, cum paucas percidiſſet oppreſſus eſt. Igitur ignis ibit in ſpiritum, perdet & frigorem, & ſpiritus in ignem dum ſecata incendit. Neceſſe quoque eſt, vt impetus fulminis præmittat ſpiritus, agatque ante ſe, & à tergo trahat ventum, cum tamen vaſto ictu aera inſciderit. Itaque omnia antequam feriantur intremiſcunt vibrata vento, quem ignis ante præmiſit.. Tonitrua ſic diſtinxere quidam, vt dicerent vnum eſſe genus, cuius graue ſit murmur, quale terrarum motum antecedit, clauſo vento & fremente. Cum enim ſpiritum intra ſe clauſere nubes, in concauis earum partibus volutatus eſt, ſimilemque agit mugitibus ſonum raucum, & æqualem, & continuum. Aliud eſt genus acre, & acerbum, qualis ſonus auditur, cum ſuper alicuius caput veſica diſrumpitur. Talia eduntur tonitrua, cum nubes conglobata diſſoluitur, & quo fuerat intenta ſpiritum emittit. Hic propriè fragor dicitur ſubitus, & vehemens, quo edito concidunt homines, & exanimantur. Quidam autem vtique ſtupent & attoniti fiunt, quorum mentem ſonus ille cœleſtis loco pepulit. Et hoc illo quoque modo fieri poteſt, vt aer caua nube incluſus, & ipſo motu extenuatus diffundatur. Deinde dum maiorem locum ſibi quærit, à quibus inuolutus eſt, ſonum patitur. Nam quemadmodum inter ſe manus illiſæ plauſum edunt. Sic illiſarum inter ſe nubium ſonus poteſt eſſe magnus, quia magna concurrunt.

Sonus tonitru declaratur exemplo.

Quòd non ſit tonitrus ex qualibet colliſione.

CAP. LVII.

ET videmus inquis nubes montibus impingi, nec tamen ſonum fieri. Sed primum quidem non quocunque modo illiſæ ſonant, imo cum apte ad ſonum edendum compoſitæ ſunt. Nam, & auerſas manus inter ſe ſi collidas, non plaudent, ſed palma cum palma collata. Plurimumque intereſt, vtrum cauæ concutiantur, an planæ, & extentæ. Deinde non tantum ire nubes oportet, ſed agi magna vi, & procelloſa. Adijce nunc, quod motus nubem non findit, ſed digerit, primam quamque eius partem ſoluit. Sed nec veſica quidem ſonat, quocumque modo ſpiritum emiſerit, quia ſi ferro diuiſa eſt, ſine ſono vllo ſpiritus exit, vt igitur ſonet, oportet illam rumpi, non ſecari. Similiter, & nubes, niſi multo diſſiliuerint impetu, non reſonant. Adijce etiam, quod nubes in montem actæ non franguntur, ſed circumfunduntur, & in aliquas partes montis deductæ, ſiquidem habent ſpiritum, multifariam emittunt, qui niſi vniuerſus eruperit, non crepat. Lato enim ictu totumque globum ſemel diſſipante, opus eſt

Obiectio. Reſp.

Sonus nubiũ requirit vt multo impetu diſſiliant

vt ſonus erumpat, qualis auditur cum tonat. Præter hoc natura aptus eſt aer ad voces, cum vox nihil aliud ſit, quam ictus aer. Debent ergo nubes vtrinque inſeri, & cauæ, & intentæ. Nam, & verba vocaliora ſunt vacua, quam plena, & intenta, quam remiſſa. Item tympana, & cymbala ſonant, quoniam illa quidem repugnantem ex vlteriore parte ſpiritum pulſant. Hæc, & illa non niſi cauo aere tinniunt.

Quòd etiam ſine nube videtur fieri poſſe.

CAP. LVIII.

QVidam inter quos Aſclepiodorus eſt, quorundam quoque corporum concurſu fieri tonitruum, & excuti fulmina poſſe iudicant. Ætna ſiquidem aliquando multo igne abundauit, & ingentem arenæ vſtæ copiam inde effudit. Inuolutus eſt dies puluere, pluresque ſubita nox terruit illo tempore. Aiunt autem tunc plurima fuiſſe fulmina, & tonitrua, quæ corporum aridorum concurſu ſunt facta, non nubium, quas veriſimile eſt in tanto aeris feruore nullas fuiſſe. Cambiſes exercitum ad Hammonẽ miſit, quem arena Auſtro mota, in modum niuis incidens texit, deinde obruit. Tunc quoque veriſimile eſt tonitruum fulminaque fuiſſe attritu ſeſe affricantis arenæ. Non repugnat propoſito noſtro hæc opinio. Diximus enim vtriuſque natura corpora efflare terras, & ſicci aliquid, & humidi in toto aere vagari. Itaque ſi quid tale tunc interuenit, nubem ſolidiorem, & craſſiorem fecit, quam ſi tantum ſimplici ſpiritu texeretur. Illa frangi poſſunt, & edere ſonum. Iſta, quæ dixi ſiue incendijs vaporantibus aera repleuerunt, ſiue terras vrentibus, neceſſe eſt, quod nubes faciant antequam ſonum. Nubem verò tam arida, quam humida efficiunt. Eſt enim nubes aeris craſſa ſpiſſitudo.

Tonitrua ex attritu arenæ.

Nubes arenoſæ.

De fulmine.

CAP. LIX.

Iſidorus. Cum tonitruo autem ſimul, & fulgura exprimuntur. Sed illud celerius videtur, quia clarum eſt, hoc autem ad aures tardius peruenit ad inſtar ſecuris arborem procul cedentis, cuius quidem ante cernis ictum, quam ad aures ſonitus peruenit. Fulgur ergo, & fulmen eſt ictus cæleſtis iaculi à feriendo dicti. Fulgurare eſt ferire. Fulmina autem colliſa nubila faciunt. Nam omnium rerum colliſio ignem creat, vt in lapidibus cernimus vel in attritu rotarum. Similiter & ignis in nubibus fit, ex vento autem & igne fulmina fiunt, & impulſu ventorum emittuntur. Tria ſunt ergo eius vocabula. Dicitur enim fulgur, quia tangit, fulgor quia incendit, & vrit, fulmen quia findit. *Sen. de natu. quæ. lib.* Celidonius ait fulgurationem eſſe ſpeciem inanem non ignem. Heraclius exiſtimat eſſe fulgurationem velut apud nos incipientium ignium conatus. Et primam flammam victam, modo intereuntem modo reſurgentem, & ego vt breuiter dicam, quod ſentio, dico quod fulmen eſt fulgur incenſum. Calida enim fumidaque terris emiſſa cum in nubes incidunt, in earum ſinu diu inuoluta nouiſſimè erumpunt. Et quando vires non habent ſplendor eſt. At vbi fulgura plus habuerint materiæ, & maiore impetu arſerint, non tantum apparent, ſed decidunt: vbicumque autem fulmen deciderit, ibi eſſe odorem ſulphuris certum eſt, qui quia natura grauis eſt, ſæpius hauſtus alienat. Sed quare fulmẽ ſubito apparet, nec continuatur ignis? quia celer ignis vndiq; motus, ſimul & nubes rumpit, & aera incẽdit, deinde flãma deſinit motu quieſcẽte. Et eadem etiã cauſa modo ad terrã perfertur, modo diſſoluitur ſi minori impreſſus eſt materiæ

Sonus tonitru declaratur exemplo.

Cur ſubito diſparet fulmen?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quotiens enim ipſa iactatione fortius ſe accendit, fugiendi impetum capit, deinde cum euaſit, & pugna deſinit. *Cur oblique fertur?* Cur autem oblique fertur? quia ſpiritu conſtat, ſpiritus enim obliquus eſt. Et quia natura ignem ſurſum vocat, iniuria deorſum premit. Incipit autem obliquum eſſe iter dum neutra vis alteri cædit. Et ignis in ſuperiora nititur, & in inferiora deprimitur. *Cur cacumina montium feriuntur ſæpius fulmine* Et quare ſæpius cacumina montium feriuntur? quia ignibus oppoſita ſunt & è cęlo cadẽtibus, propter hęc tranſeundum eſt. Serenum autem tempus ſine fulmine eſt, nec habet iſtos metus dies purus, nec nox quidem niſi obſcura nubibus. Quid ergo nam quandoque apparentibus etiam ſtellis in nocte trãquilla fulgurat. Sed ſcias illic eſſe nubes vnde ſplendor effertur, quas à nobis videri terrarum tumor non ſinit, fieri ergo poteſt vt humiles nubes attritu ſuo ignem reddant, qui in ſuperiora expreſſus in parte cœli ſyncera videtur.

Cur non tonet ac fulminet in quolibet anni tempore.

CAP. LX.

CVm autem in omni tempore anni fumus humidus aſcendat, quare non in omni contingunt fulmina, & tonitrua? Ad hoc reſpondeo, & ſi humido fumo aſcendente habent fieri, non tamen inde fiunt donec ad ſummum aeris peruenerint. *Simile.* Quod per ſimile maris poteſt probari. Cum enim mare ex fumo terræ aſcendente in ſummo commouetur, ſpiſſitudine tamen ſua non poteſt huc, & illuc impelli. ſed cum vſque ad ſummum motio illa peruenerit, huc & illuc vnda impellitur ſitque tempeſtas. *Tempeſtas vnde ſit in mari.* Quod verò à fundo maris tempeſtas incipit, ex hoc poteſt probari, quod phocas vndas agitantes ante tempeſtatem videmus, vt enim ait Plinius, ſunt naturæ dormitoriæ, fumo tamen, vt prædiximus, fundum maris commouente excitatæ ad ſummum aſcendunt. *Nota de phocis ſeu vitulis marinis.* Quod videntes nautæ experimento certi, tempeſtatem futuram prædicunt, quippe iam incæpit in fundo maris. Simile contingit in aere, dum enim fumus ſuperiores partes aeris obtinet per ſpiſſitudinem ſuam huc, & illuc ex eius habilitate illum impellit, fiuntque tonitrua, & fulmina. In hyeme verò, & in vere, & ſi ſpiſſus ſit, non eſt tamen tantus calor, quod ſpiſſus fumus poſſit vſque ad ſummum erigi. Remanens ergo in inferiore parte aeris, ventos, & pluuias gignit. In æſtate cuius eſt maximus feruor vſque ad ſummum eleuatur, ſitque partium aeris diuerſa concuſſio, vnde fulmina, & tonitrua contingant. In autumno vero, qui frigidus eſt, & ſiccus, neque humor eſt qui eleuetur, neque calor qui eleuet.

De diuerſis ſpeciebus fulminis.

CAP. LXI.

PLinius ſecundo lib. Fulminum genera plura traduntur, quę ſicca veniunt non adurunt, ſed diſſipant, quæ humida veniunt, non adurunt, ſed infuſcant. Tertium eſt, quod clarum vocat mitificæ naturæ, quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio veſtigio relicto. Sacculis nullo modo ambuſtis aurum, & æs liquatur intus: fulgur autem prius cerni, quam tonitru audiri, cum ſimul fiant non eſt mirum, quia lux ſonitu velocior eſt. *Tria genera fulminum.* Seneca lib. 6. *naturalium quæſtionum.* Fulminum genera tria ſunt, *Terebrans.* quod terebat, quod diſſipat, quod vrit. Quod terebat ſubtile eſt, & flammeum cui per anguſtiſſimum fuga eſt, ob ſynceram, & puram flammæ tenuitatem. *Diſſipans.* Quod diſſipat conglobatum eſt, & habet admixtam vim coacti, & procelloſi ſpiritus. Illud itaque fulmen per id foramen per quod ingreſſum eſt, & redit, & euadit. *Vrens.* Et huius latè ſparſa vis rumpit icta, non perforat. Quod autem vrit multum terreni habet, & igneum magis eſt, quàm flammeum, ac magnas igniũ notas relinquit, quæ percuſſis inhærea nt. Nullum quidem ſine igne fulmen venit. Sed propriè tamẽ hoc igneum dicimus, quod arbori imprimit manifeſta veſtigia. Et aut fuſcat aut vrit. Vrit quidem tribus modis: Aut enim afflat, & leui quoq; iniuria lædit. Aut comburit, aut incendit, omnia genere, & differunt. Quodcunque combuſtum eſt vtique, & vſtum eſt, ſed non conuertitur, poteſt autem eſſe combuſtum non accenſum, & è contra. Illud autem genus quo icta fuſcantur, decolorat aut colorat. Decoloratur id cuius color vitiatur, non mutatur. Coloratur autem id cuius facies alia fit, quam fuit, vt cerulea vel nigra vel pallida.

De miraculis operationum fulminis.

CAP. LXII.

CÆterum mira fulminis ſi intueri velis ſunt opera, huius enim quadam ſubtili potentia loculis integris, & illęſis, conflatur argentum, manente vagina gladius liqueſcit. Et inuiolato ligno, circa pila ferrum omne diſtillat, fracto quoque dolio vinum ſtat, nec vltra triduum ille perdurat rigor. Illud æquè inter adnotanda ponendum. *Notanda de tactu fulmine.* Quod & hominum, & animalium, quæ icta ſunt caput ad exitum fulminis ſpectat, quod omnium percuſſarum arborum contra fulmina haſtulę ſurgunt. Quid, quod ſerpentium, & animalium cęterorum, quibus mortiferũ virus ineſt, cum icta ſunt fulmine, venenum omne conſumitur. In venenatis ſiquidem corporibus vermis non naſcitur, fulmine verò icta intra paucos dies vermiant *Guilhelmus de conchis.* Effectus verò fulminis circa ea, quæ tangit potius ſunt admirandi, quàm cauſæ inquirendæ: quis enim inuenit cauſam, quomodo fulmen integris, & illæſis loculis, aliquando conflat argentum. Manente vagina liquefacit gladium, circa lignum dolatum, ferrum diſtillat. Quod fracto dolio vinum facit ſtare, nec vltra triduum rigor ille durat, & alia multa. *Oroſius de Hormeſta mundi.* Lucius Elius *Equitis Romani filia.* eques Romanus cum vxore, & filijs de Roma in Apuliam rediens tempeſtate correptus, cum filiã conſternatam videret, vt citius propioribus tectis ſuccederent, relictis vehiculis, correptiſque equis, filiam virginem equo inſidentem in medium agmen accepit, puella continuo ictu fulminis exanimata eſt. Sed omnibus ſine ſciſſura aliqua veſtimentis ademptis, ac pectoris pedumque vinculis diſſolutis, monilibus etiã annuliſque diſcuſſis, ipſoq; corpore illæſo, niſi quod obſcænum in modũ nuda, & lingua paululum exerta iacuit. Equus quoque ipſe quo illa vtebatur, ſtratorijs frænis, & cingulis diſſolutis ſparſus ac paſſim procul exanimis iacuit. *Plinius vbi ſupra.* Martia princeps Romanorum icta grauida, exanimato partu, ipſa propter aliud incommodum vllum vixit: vigilans *Nota de icto vigilante.* ictus dormitantibus oculis, dormiens patentibus inuenitur: nullum animal niſi exanimatum fulgure accenditur: vulnera fulminatorum frigidiora ſunt reliquo corpore.

De variis eiuſdem operationibus ſecundum materias quas inuenit.

CAP. LXIII.

SEneca vbi ſupra. Pauca adhuc adijciam ad vim fulminis narrandam, quæ non eodem modo materiam omnem vexat. Valentiora, quia reſiſtunt vehementius diſſipat, cedentia non nunquam ſine iniuria tranſit. Cum lapide ferroque, & duriſſimis quibuſcumque confligit, quia viam per illa neceſſe eſt impetu quærat. Teneris ac ratioribus parcit, quamquam flammis opportuna videantur, quia tranſitu patente minus obſtaculum inuenit. Itaq; loculis, vt dixi *Cur fulmen teneris parcat, ſolida & contumacia vincat?* integris pecunia, quæ intus erat conflata reperitur, quia tenuiſſimus ignis per occulta foramina tranſit, quicquid autem in cingulo ſolidum, & contumax inuenit, vincit: interdum etiam in eadem materia multa

diuersa eiusdem vis fulminis facit, sicut in arbore, quod aridissimum, & tarissimum, est vrit. Et quod durissimum atque solidissimum terebrat, & frangit, summos cortices dissipat, interiores libros rumpit ac scindit, folia pertundit, & stringit, vinum gelat, ferrum & æs fundit. Illud etiam mirum est, quod vinum fulmine gelatum, cum ad priorem habitum redierit, potum aut exanimat, aut dementem facit. Cur illud accidat quærenti mihi id occurrit. Ineſt fulmini pestifera vis, & ex hoc aliquem remanere spiritum in eo ipso humore quem coegit coagulauitque verisimile est. Neque enim alligare potuisset, nisi aliquod ei vinculum additum esset, præterea quocunque decidit fulmen, odorem ibi sulphuris esse certum est, qui quoniam grauis est, sæpius haustus alienat. *Ex libro de naturis rerum.* Fulmen sæpius alta sternit, quia cum ab alto descendit citius alta repetit. Nullus autem fulmine tangitur, quam prius lumen viderit, aut tonitruum audierit. In silentio nunquam fulmen iacitur, fulmen quidem tactum hominem non semper extinguit, Cætera vero animantia semper, hunc honorem homini naturà tribuente.

Notæ de vino fulmine gelate.

Fumen honorem defert homini.

De differentia coruscationis siue fulgurationis, & fulminis.

CAPVT LXIV.

Seneca vbi supra. Tria sunt, quæ vna accidunt, fulguratio, fulmen, tonitruus. Fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit. Illa vt ita dicam comminatio est sine ictu. Inter omnia autem conuenit cuncta hæc in nubibus, & è nubibus fieri. Et fulgurationes atque fulminationes aut igneas esse aut ignea specie. Nunc ad illa transeamus in quibus lis est. Quidam putant ignem esse in nubibus, quidam ad tempus fieri nec prius esse, quam mitti. Anaxagoras illum ex æthere stillare. Aristoteles non multo ante colligi, sed eodem momento quo fit exilire. Quidam vero è nostris æstimant, aerem cum in ignem, & aquam mutabilis sit, non aliunde nouarum flammarum causas contrahere. Ipse etenim mouendo se accendit, & condensos compactosque nubium sinus dissipat, at necessario vastum in tam magnorum corporum diruptione sonum reddit. Illa vero nubium difficulter cedentium pugna aliquid confert ad concitandum ignem, sicut ad secandum aliquid ferro manus confert, sed secare ferri est. Quid ergo inter fulgurationem, & fulmen interest? Fulguratio est ignis latè explicitus, fulmen est ignis coactus, & in impetum iactus. Nubium enim inter se compressarum angustiæ medium spiritum eijciunt, & hoc ipso inflammatum, & tormenti modo emittunt. Nam & balistæ scorpionesque tela cum sono expellunt. At quare aliquando tonat, & non fulgurat? quia spiritus infirmior in flammam non valuit, sed in sonum valuit. Quid est ergo ipsa fulguratio? aeris deducentis se corruentisque iactatio languidum ignem, nec exiturum apetiens. Quid est fulmen? acrioris, & densioris spiritus cursus. Anaximander ait omnia ista sic fieri, vt ex æthere aliqua vis in inferiora descendat. Sic enim ignis impactus nubibus frigidis sonat. At cum illas interscindit, fulget. Et minor vis ignium fulgurationes facit, maior fulmina. Celidonius ait fulgurationem speciem inanem esse, non ignem. Heraclius autem existimat, velut incipientium ignium conatum primāque flammam victam, modo intereuntem, modo resurgentem, hęc antiqui fulgetra dicebant. Quid autem existimem, quæris, dicam fulguratio est repentinum latè lumen emicans, quod tunc euenit cum aer extenuatis nubibus in ignem vertitur, nec vires quibus longius prosiliat, inuenit. Aera siquidem motus extenuat, extenuatio incendit. Ideo plurima æstate sunt fulmina, quia plurimum calidi est, facilius autem attritu calorum ignis existit. Eodem autem modo fit fulgur, quod splendet. Et fulmen, quod accenditur. Sed illi leuior vis alimentíque minus est. Et vt breuiter dicam quod sentio, fulmen est fulgur incensum.

Discrimen inter fulgurationem & fulmen.

Cur fulmina æstate plurimat

Quòd vtrumque illorum est ignis

CAP. LXV.

FVlmen ignis est, æquè & fulguratio, quæ nihil aliud est, quam flamma fulmen futura si plus virium habuisset. Non ergo natura distant hæc, sed impetu. Illum ignem esse calor ostendit, hic non est nisi ex eo, quod ostendit effectus. Magnorum enim incendiorum sæpe fulmen causa fuit. Syluæ illo crematæ, & vrbium partes etiam, quæ non percussa sunt, tamen adusta cernuntur, quædam autem velut fuligine colorantur. Quid quod omnibus fulguratis odor sulphureus ineſt. Igitur, & vtramque rem ignem esse constat, & vtramq; meando inter se distare. Fulguratio enim est fulmen non vsque in terram perlatum. Et rursus fulmen est fulguratio vsque in terram perducta: fulguratio est igitur penè fulmen: & fulmen est quiddam plus, quàm fulguratio. Et ignis quidem fieri solet apud nos duobus modis. Vno scilicet si excitatur lapide percusso. Altero vero si attritu inuenitur, sicut cum duo ligna diutius inter se trita sunt. Nec omnis hoc tibi præstabit materia, sed eliciendis ignibus idonea sicut laurus, & hederæ, & alia in hunc vsum pastoribus nota: potest ergo eodem modo fieri vt nubes ignem quoque vel percussæ reddant, vel attritæ. Cumque aer in ignem mutabilis, cum in ventum conuersus est atteratur, verisimile est ignē excitari caducum ac cito interiturum, quia non ex solida materia oritur, nec in qua possit consistere, transitque ergo, tantumque habet moræ quantum itineris, & cursus, quia sine alimento proiectus est. Et ignis quidem natura in verticem surgit, fulmen autem vi quadam, & necessitate qua excutitur cadit. Id enim his ignibus accidit, quod arboribus, quarum cacumina trahit possunt, sed cum permiseris in locum suum exilient. Sic ergo, & igni si permitas ire quo velit, cęlum ideſt leuissimi cuiusque repetit sedem, vbicumque autem est aliquid, quod eum feriat, & ab impetu suo auertat, id non natura sua, sed eius seruitus fit. *Aristoteles vbi supra.* Cur autem coruscatio descendit inferius, cum ignis natura sit ascensio? quia in ea pars est vaporis crassi terreni, qui facit eam descendere propter contrarietatem suam, videtur autem coruscatio alba, quando vapor ex quo fit, vehementis est subtilitatis, non autem vehementis inflammationis, & adustionis.

Fulguratio. Fulmen.

Quòd humidæ nubes ignem possunt gignere.

CAP. LXVI.

Seneca vbi supra. Sed quomodo inquis cum humidæ sint nubes ignem gignere possunt? quem non magis verisimile est ex nube fieri, quàm ex aqua, quæ ex nube nascitur: primum quidem in nubibus non est aqua, sed aer spissus ad gignendam aquam præparatus. Nec est, quod existimes eam prius colligi, post effundi, simul enim fit & cadit. Deinde etiam si concessero humidam esse nubem conceptis aquis plenam, nihil tamen prohibet ignem quoque ex humido educi, immo ex ipso quoque quod mireris humore, vnde & quidam negauerunt in ignem quicquam mutari posse, priusquam in aquam mutatum esset: potest ergo, & nubes salua quam continet aqua, ignem aliqua sui parte reddere, sicut frequenter alia ligni pars ardet, alia sudat. Nec ideo dico non ista esse contraria inter se, & alterū altero perimi. Sed vbi valentior ignis, quàm humor est, vincit, & vbi copia

Dubium. Resp.

humoris

humoris exuperat, ignis ſine effectu eſt. Ideóque non ardent virentia. Refert ergo quantum aquæ ſit, exigua enim non reſiſtit, maior vim ignis impediet. *Poſsidonius tradit.* Cum inſula in Aegeo mari ſurgeret, interdum aliquo tempore aqua maris ſpumabat, & fumus ex alto ferebatur, demum prodebat ignem non continuum ſed interuallis emicantem more fulminũ, nec extinctum mari ſuperfuſo. Ardor ſiquidem inferius ſuperiacentis vnde pondus euicerat, deinde ſaxa euoluta, rupeſque partim illiſæ, quas ſpiritus antequam verterentur expulerat, partim exeſæ, & in leuitatem pumicis verſæ. Nouiſſimè montis vſti cacumẽ emicuit, tandem altitudine adiectum, & ſaxum illud in magnitudinem inſulæ creuit. Idem quoque noſtra memoria. Valerio conſule accidit. Aſclepiodorus etiam auditor Poſſidonij ducentorum paſſuum altitudinem in mari fuiſſe tradidit, per quam diruptis aquis ignis emerſit. Quòd ſi aquarum immenſa vis flãmarum ex imo ſubeuntem vim opprimere non potuit, quanto minus ignem impedire nubium tenuis humor, & roſcidus poterit.

Epilogus de tribus prædictis ſcilicet fulguratione, tonitruo ac fulmine.

Cap. LXVII.

Ex libro de naturis rerum. Itaque tonitruum fit quando venti nubibus incluſi nituntur erumpere, magnoque murmure concrepant. Et colliſis nubibus ignem terribilem eijciunt. Crepitus ergo nubium, & ventorum eſt tonitruum. Ignis autem inde excuſſus eſt fulgur, qui ſcilicet ignis ideo penetrat, quæ tangit, quia noſtro ſubtilior eſt. Et magna vi ventorum impellitur. Ab aquilone fulgur ab euro tonitrus tempeſtatem ſignificat. Itaque fumido calido, & humido ad ſuperiora tendente, cum ad ſummum aeris peruenit ex præponderatione humoris mouetur ſummitas aeris. Guius particulæ in modum vndarum concurrentium ſibi fragorem, & tonitru faciunt: Ex motu vero calefactus aer tranſit in ſubſtantiam igneam, fitque coruſcatio. Cum ergo impetus ille qui ex curſu aeris humido fumo ſpiſſati generatur, ſurſum aſcendit, fragor abſque fulmine fit. Similiter etiam ſi deorſum tendat, non tamen vſque ad obſtaculum perueniat, cum autem vſque ad obſtaculum peruenit obſtantia findit, vel vrit. *Guilhelmus de Conchis.* Humido vt prædiximus fumo ad ſuperiora aſcendente, cum ad ſuperiorem partem aeris peruenerit, ex pręponderatione humoris mouetur ſummitas aeris, cuius particulæ ad modum vndarum ex diuerſo ſibi occurrentes fragorem faciunt tonitrui. Ex motu vero aer calefactus tranſit in igneam ſubſtantiam, fitque fulgur vel coruſcatio, quę cum fragore quamuis fiat, citius tamen ad nos peruenit, quia viſus velocior eſt auditu. Cum ergo fit prædictarum particularum occurſus generatur impetus, qui ſi ſurſum aſcenderit eſt fragor ſine fulmine. Si autem impetus ille deorſum tendat, non tamen tantus ſit, quod vſque ad obſtaculum perueniat, nondum eſt fulmen. Cum vero vſque ad obſtaculum peruenerit, obſtantia findit. Sed quia proprius motus eſt aeris ſurſum tendere, nulla materia exire vetante reuertitur, ſparſoſque recolligit ignes. Si autem in hac inferiore parte aeris eſt multus humor, aer exiſtens in illo impetu igniri non poteſt, fitque fulmen findens, non vrens. *Eſt ergo fulmen pars aeris colliſione aliqua vſque ad obſtaculum cum impetu tranſiens. Tonitru eſt partium aeris ſibi cum impetu occurrẽtium ſonus. Coruſcatio verò pars eſt aeris ax impetu ignita, & ſplendens.* Non eſt fulmen lapidea ſubſtantia, vt quidam aſſerunt. Si enim lapidea eſſet ſubſtantia, non huc, & illud diſcurreret, nec ſurſum reuerteretur. Cum aliquem feriret, carnes diuideret, oſſa confringeret. Ideoque fulmen ſæpius alta ſternit, quia cum ab alto obliquando deſcendit citius alta reperit, ſed quia quorundam ſententia eſt, quoddam fulmen eſſe lapideam ſubſtantiam, ne ex ignorantia vel inuidia videamus illam vituperaſſe vel tacuiſſe, breuiter eam exponemus. Qui hanc ſententiam tenent aiunt, cum fumus humidus ad ſuperiora aſcendit cum eo aliquid terrenæ ſubſtantiæ eleuatur, quod ex calore ſolis in lapideam ſubſtantiã ſpiſſatur, atque in nubis concauitate continetur, donec nubes caſu aliquo diuiditur, vnde lapis cum impetu deſcendens aliquid altum percutit.

Fulmen aliquando eſt lapidea ſubſtantia.

Diuerſorum opiniones de prædictis.

Cap. LXVIII.

SVnt qui dicunt ventos contrarios ſibi occurrere, vnde fragor tonitrui generatur, parſque aeris cum impetu in inferiora deſcendit, quæ eſt fulmen. Alij tamen dicũt ſpiritum nube concaua incluſum, quemadmodum in noſtris inteſtinis ſentimus, per nubem diſcurrere. Vnde nubes ad modum veſicæ, quando exploditur, ſpirituſque intus clauſus cum impetu exiliens, ſi ad inferiora deſcenderit, & obſtaculum tetigerit, fulmen eſt: dum ergo nubes eſt integra ſpiritus intus diſcurrens ſonum æqualem, & continuum atque mugitibus ſimilem reddit, huiuſmodi tonitrua venturi imbris ſunt prænuncia. Sed cum nubes ad modum veſicæ eliditur vel exploditur, fit ſonus acutus, quo concidunt homines, & exanimantur quos propriè attonitos dicimus. Ariſtoteles verò ait, à terra diuerſa corpora euaporari, quædam enim ſunt ſicca, quædam humida. Sed quæ ſunt ſicca ex motu, & tactu radiorum in ignem tranſeunt, qui ſi leuis, & diffuſus vſque ad partem aeris deſcendit, eſt fulguratio. Si impetuoſus vſque ad terram veniat, fulmen: fulguratio igitur, & fulmen ſecundum illum non natura, ſed impetu differunt. Eſt igitur fulguratio, vt dictum eſt, fulmen non per latum vſque ad terras. Fulmen vero eſt coruſcatio vſque ad terras perducta. Alij dicunt, quod in æſtate calor in aere dominatur. Cum ergo nubes aquoſa ad ſuperiora aſcendit, duo contraria ſcilicet ignis, & aqua ſibi occurrunt, vnde maximus motus, & ſonitus generatur. Si enim paruum candens miſſum in aquam, magnum generat tumultum, quid ergo putas fieri, vbi nubes aquoſa tantum ignem tangit? ex contrariorum conflictu ignis generatur, qui modo prædicto nunc eſt fulguratio, nunc fulmen. Hæ ergo ſunt ſereniſſimæ diuerſorum ſententiæ de tonitruo, fulgure, fulmine, quæ quia poſſibiles ſunt, & veriſimiles, nullam damno.

Sententia Ariſtotelis.

Egregia ſententia aliorũ

Quibus in locis vel in temporibus fulminet, & quibus nõn.

Cap. LXIX.

Plinius 2. lib. Flatus aut vapor, qui in nubes luctans tonitruum facit, ſi erumpit ardens, fiunt fulmina: hæc autem hyeme, & æſtate rara ſunt contrarijs de cauſis, quoniam hyeme denſatus aer nubium craſſiore corio ſpiſſatur, omniſque terrarum exhalatio rigens ac gelida quicquid accipit ignei vaporis extinguit, quæ ratio immunem Scythiam, & circa rigentia à fulminum caſu præſtat. E diuerſo autem nimius ardor Ægyptum. Siquidem calidi ficique halitus terrę raras admodum tenues, & infirmas denſantur in nubes: vere autem, & autumno crebriora fulmina corruptis in vtroq; tempore æſtatis hyemiſq; cauſis; qua ratione crebra in Italia fulmina; quia mobilior aer mitiore hyeme, & æſtate nymboſa ſemper quodãmodo hybernat, vel autumnat. Ex his, quę terra gignuntur lauri fruticem non icit fulmẽ, nec vnquam altius quinque pedibus deſcendit in terram. Ideo pauidi altiores ſpecus tutiſſimos putant, ac tabernacula

Fulmẽ quid? Tonitru, Coruſcatio.

Nota de lauro, vitulo marino & aquila.

pelibus belluarum quas vitulos marinos appellant. A Eo quod hoc ſolum animal è marinis non percutiat, ſicut nec aquilam è volucribus, qui ob hoc armiger huius teli fingitur. *Seneca vbi ſupra.* Idcirco autem ſæpè cacumina montium fulminibus feriuntur, quia nubibus oppoſita ſunt è cœlo cadentibus, propter hoc inde tranſeundum eſt: vbicumque vero fulmen decidit, ibi odorem ſulphuris eſſe certum eſt: Qui quia natura ignis grauis eſt, ſæpius hauſtus alienat. Serenũ aut ſine fulmine eſt nec habet iſtos metus dies purus, nec nox quidẽ niſi obſcura nubibus. Quid ergo, nonne quandoque & apparentibus ſtellis, & nocte tranquilla fulgurat? Sed ſcias illic eſſe nubes, vnde ſplendor effertur, quas à nobis videri terrarum tumor non ſinit: fieri etenim poteſt, vt humiles nubes attritu ſuo ignem reddant, qui in ſuperiora expreſſus in parte cœli ſincera videtur ac pura, ſed fit in ſordida. *Ex libro de naturis rerum.* Præterea in Oriente non fiunt B æſtate tonitrua, ſicut apud nos, quia tunc æſtus ibi calidiſſimus eſt atque ſicciſſimus, nec poteſt aliquis humor etiam ſi aſcenderit in nubes cogi. Sed aeris calore diſſipatur. In hyeme verò fiunt ibi. Quoniam & humor ſufficiens de terra aſcendit, & eſt aer calidus, quo eleuetur, ſicque calore, & humore temperatus eſt aer, vt facillime fumi in nubes exereſcant, fiatque concurſus ventorũ ac nubium, quo tonitruum ac fulmina proueniant. Itaque noſtra æſtas in Europa, poteſt Orientis hyemi comparari.

Morale Senecæ de terrore fulminis.

CAP. LXX.

Seneca vbi ſupra. Malo inquis fulmina non timere, quam noſſe, mihique volo metum illorum excuti non in natura indicari. Sequor inquam quo vocas, omnibus quippe rebus cunctiſque ſermonibus aliquid ſalutare miſcendum eſt. Et dum imus per occulta naturæ, vendicandus eſt à malis ſuis animus, ac ſubinde firmandus. Non vt effugiamus ictus rerum, vndique enim in nos tela iaciuntur. Sed vt fortiter, & conſtanter patiamur. Inuicti ſiquidem eſſe poſſumus. Inconcuſſi verò non poſſumus: veruntamen contemne mortem, & omnia, quæ ad mortem ducunt contempta ſunt, ſiue bella, ſiue naufragia, ſiue morſus D ferarum, ſeu pondera ruinarum. Nunquid enim amplius facere poſſunt, quam vt corpus ab animo reſoluatur, hoc nulla diligentia deuitat, nulla fælicitas donat, nulla potentia euincit. *Animus igitur ex ipſa deſperatione ſumatur.* Ignauiſſima quidem animalia, quæ ad fugam natura genuit, vbi non patet exitus, fugam tentant corpore imbelli. *Sententia.* *Nullus hoſtis periculoſior eſt, quàm quem audacem angustiæ faciunt: paria conantur animus magnus ac perditus.* Et nos quidem omnes ad mortem reſeruamur, nec de re, ſed de die quærimus. Eodem citius tardiuſque veniendum eſt. Quid ergo non tibi omnium videtur inſipientiſſimus, & tardiſſimus qui magno ambitu moram mortis rogat. Nonne contemneres eum, qui inter perituros conſtitutus beneficij loco protenderet vltimus ceruicem. Idem facimus, cum tardius mori pro magno æſtimamus. In omnes enim conſtitutum eſt capitale ſupplicium. Quid intereſt vtrum ad mortem eamus miſſi, an nati. O te dementem, & oblitum fragilitatis tuę, ſi tunc mortem times, cũ tonat: viues, ſi fulmen effugeris? Repetet te gladius, petet lapis, perdet bilis. Non maximum ex periculis tuis, ſed ſpecioſiſſimum fulmen eſt. Male, ſcilicet actum eſt tecum, ſi ſenſum mortis tuæ celeritas infinita præueniet. Sed mors tua ſine te procuratur; paueſcis ad cœli fragorem, ad inane nubium trepidas. Et quotiens aliquid effulſit expiras. Quid ergo honeſtius putas deiectione perire, quam fulmine. Eo itaque fortior aduerſus cœli minas ſurge, & cum vndique mundus exarſerit, cogita te nihil tanta morte perdendum habere.

De ignibus in tranſuerſum per aerem agitatis.

CAP. LXXI.

Ariſtoteles vbi ſupra lib. 1. Videtur autem in aere quandoque quaſi perpendicularis ignis dilatatus, & quandoque minor. Cuius cauſa eſt, quia quando ſol inflammat terram per motum ſuum ſuper eam, eleuatur ex ea vapor caloris, ſcilicet reuerberati, cum vaporibus reſolutis, aſcendit igitur ex ea vapor calidus, & ſiccus quando non eſt in ea pars humiditatis: & iterum vapor calidus, & humidus, cui ſcilicet multum imprimitur de calore aereo: & iterum vapor frigidus, & humidus, quando aqua magis eſt vincens. Vapor ergo calidus, & humidus aſcẽdit quidem minus, quàm ſiccus, vnde reſoluitur, & fit aer: frigidus autem, & humidus aſcendit donec perueniat ad locum vbi coagulatur, & incraſſatur, ſicque grauatus, currit in pluuiam: Porro calidus, & ſiccus per vehementiam caloris reuoluti ſuper terram aſcendit, & vrit aerem, aſcendens per caliditatem, & ſiccitatem ſuam vſque ad vltimum inceſſum aeris, & terminum ignis, ibique vehementer inflammatur, propter continuationem ſuam cum igne, & propinquitatem ex motu orbis. Si igitur huic parti vaporis inflammati longitudo, & latitudo apparet, videtur ignis quaſi perpendicularis vel longus. Si autem paruus, videtur, quaſi candela rotunda, propter loci ſui longitudinem. *Seneca libr. 5.* Audi, quid ſentiam de igniſbus, *Ignes tranſ. uerſim acti cur.* quos aer tranſuerſos agit. Magna vi illos excuti argu- C mentum eſt, quod obliquè feruntur. Nam rapida celeritate apparet illos non ire, ſed proijci. Exiſtimo hos ignes eſſe cum aere vehementius trito in alteram partem inclinatio eius facta eſt, & non ceſſit, ſed interpugnauit, ex qua vexatione naſcuntur trabes, & globi, & faces, & ardores. At cum leuius colliſus eſt, minora lumina excutiuntur, crinemque volantia ſydera ducunt. Nullaque ſine huiuſmodi ſpectaculis nox eſt. Eadem itaque ratione fiunt iſta, qua fulmina, ſed vi minore, quemadmodum nubes mediocriter colliſæ fulgurationes faciunt, maiore impetu impulſæ fulmina. Philoſophus huius rationem reddit, quia varia, & multa terrarum orbis expirat quædam ſicca, quædam humida, quædam calentia, quædam concipiendis ignibus idonea. Nec mirum ſi tam varia euaporatio eſt: Cum & in cœlo quoque non vnus appareat color rerum, ſed acrior fit caniculæ rubor. Martis remiſſior. Iouis vero in lucem paruam nitore perducto. Neceſſe eſt igitur in tam magna copia corpuſculorum, quæ terræ eiectant, & in ſuperiorem partem agunt, aliqua in nubes alimenta ignium peruenire, quæ non tantum colliſa poſſint ardere, ſed etiam radijs ſolis afflata. Nam & apud nos quoque ramenta ſulphure aſperſa, ignem ex interuallo trahũt, veriſimile eſt ergo talem materiam inter nubes congregatam facilè ſuccẽdi, & maiores, minoresve ignes exiſtere prout illis plus, aut minus virium fuerit.

De Aſub, id eſt ſtella cadente.

CAP. LXXII.

Ariſto. vbi ſupra. Si autem prædicti vaporis inflammatæ partes continuæ ſunt ad inuicẽ prolongantur, ſcilicet ſecundum ſurſum, & deorſum, & fit impreſſio illa, quæ dicitur aſub id eſt ſtella cadens, fit autem aſub ſicut ignis, qui retentus in aliquo loco, demum apparet expulſus. Expellitur enim caliditas, quæ eſt in aere ſub illo loco ex frigiditate. Quod ſcilicet intelligitur de illo, qui deſcendit. Fit enim aſub dupliciter, ſcilicet aſcendens, & deſcendens. Deſcendens quidem generatur ſub nube, ſc. ex vapore cuius caliditas eſt expulſa ex frigore ſcilicet ſub nube vbi eſt frigus, vnde fluit ignis expulſus ex eo ad inferiora, qui tamen ſurſum aſcendit ſecundum natu-

ram.

ram. Aſub autem aſcendens fit à vapore inflammato in alto, ſcilicet ſupra loca nubium. *Seneca vbi ſupra.* Illud autem ſtultiſſimum eſt exiſtimare, aut decidere ſtellas, aut trāſillire, aut aliquid illis auferri vel abradi. Nam ſi hoc fuiſſet, iam nunc eſſe deſtitiſſent. Nulla enim nox eſt qua non plurimę ire, & in diuerſum videantur abduci. At verò quæque quo ſolet loco inuenitur, ſuaque ſingulis conſtat magnitudo. Sequitur ergo vt infra illas iſta naſcantur, & citò intercidant, quia ſine fundamento, & ſede certa ſunt. Quēadmodum autem de die ſtellæ latent, quia fulgore ſolis obumbrantur,, ſic facies interdiu quoque diſcurrunt, ſed abſcondit illas Diurni luminis claritas. Si quando tamen tanta vis emicuerit, vt etiam aduerſus diem vendicare ſibi fulgorem ſuum valeant, apparēt. *De imagine mundi.* Quòd ergo in nocte videntur cadere ſtellæ, non ſunt tamen ſtellæ, ſed igniculi afflatu ventorum ab æthere in aerem tracti. Et mox in madido aere extincti. *Ex li. de naturis rerum.* Stellæ quandoque cadere videntur in aere, ſed minime cadunt. Cum enim igneæ ſint naturæ, propriuſque locus earum in æthere, nunquam ad terram deſcendunt. Cæterum ſi ex eis vna caderet, totam terram vel partem illius maximam occuparet. Nam licèt ex remotione videantur paruæ, in ſe tamen ſunt maxime. Sæpè autem eſt in aere ſuperiori, licèt non in inferiori ventus, & commotio, ex qua commotus aer ignitur, & per aera ſplendens diſcurrit. Qui cum iuxta ſtellam aliquam tranſierit, ſplendore ſuo viſum nobis illius ſtellæ aufert, & quod ipſa obiecta illo cadente hæc ceciderit credatur. Si autem quæritur cur eadem ſtella poſtea non apparet. Reſpondemus, quod fumus procedens de extinctione ignis in aerem humidum cadentis, eam obtexit nobis, vel dicimus eandem à nobis poſtea videri, eſſe tamen hanc illam, quàm primo vidimus, neſcimus. Cum enim, vt prædiximus, aer ignitus diſcurrit, aer ſpiſſior, & inde tardior ſubſequitur, qui inter nos, & illam interpoſitus viſum illius nobis ſubtrahit, prius autem quam tranſeat, & illa ſtella appareat, firmamentum, quod ad occaſum tendit, iam eam ad vltiora detulit. Cum igitur appareat alia eſſe putatur, quia in alio loco, quām ante videtur.

Stella nō decidunt.

Magnitudo Stellarum.

Hallucinatio viſus in ſtellis & fulmine.

De cæteris igneis impreſſionibus aeris.

CAP. LXXIII.

SEneca *vbi ſupra.* Tempus eſt, & alios ignes percurrere, quorum diuerſæ ſunt figuræ, aliquando enim ſtella emicat, aliquando fiunt ardores, & hi quandoque fixi, & hęrentes, quandoque volubiles: horum plura genera ſunt. Quidam dicuntur vchei cum velut corona cingente introrſus ignei cœli receſſus eſt ſimilis in orbem effoſſæ ſpeciei. Sunt Ephitiæ, & vaſtus, & rotundus ignis dolio ſimilis, vel fertur vel in vno loco flagrat. Sunt etiam chaſmata cum aliquod ſpatium cœli deſidet, & flammam velut in abdito dehiſcens oſtentat. Colores etiam horum ſunt plurimi. Quidam enim ſunt ruboris acerrimi. Quidam verò flammæ leuis. Quidam etiam candidæ lucis. Quidam micantes. Et quidam fului. Videmus, ergo quaſi ſtellarum à tergo longos albeſcere tractus, velut enim ſtellæ exiliunt & tranſuolant, videturque longum ignem porrigere ob immenſam celeritatem. Cum acies noſtras tranſitum eorum non diſcernat. Sed quacumque cucurrerint id totum igneum credat. Itaque velut contineatur igne totum iter ſignat, quia viſus noſtri tarditas non ſubſequitur momenta currentis. Sed videt ſimul, & vnde poſilierit, & quo peruenerit: quod etiam in fulmine fit, longus enim nobis videtur ignis eius, quia citò ſpatium ſurſum tranſtulit, & oculis noſtris vniuerſum per quod deiectus eſt occurrit. At ille non eſt extenti corporis per omnem viam qua venit. Neque enim tam longa, & extenta in impetum valent. Quomodo ergo proſiliunt attritu aeris ignis incenſus vento præceps impellitur, non tamen ſemper vento vel attritu fit, ſed nonnunquam, & aliqua aeris opportunitate naſcitur. Multa enim in ſublimi ſunt calida, & ſicca terrena inter quę oritur & pabulum ſuum ſubſequens defluit, ideoque velociter rapitur. De his autem nemo dubitat, quin habeant flammam quam oſtendunt, certaque eſt illis ſubſtantia. Non ſicut arcui, & coronæ imago fallax, & vana. In magna tempeſtate ſolent apparere quaſi ſtellæ velo inſidentes Gelippo Siracuſas petenti viſa eſt ſtella ſuper ipſam lanceam conſtiſtiſſe. In Romanorū caſtris viſa ſunt pila ardere ignibus, ſcilicet in illa dilapſis, qui ſæpe fulminum more ſolent ferire arbuſta, ſed ſi minore vi vtuntur defluūt, & incidunt, nec feriunt, nec vulnerant, alij autem inter nubes eliduntur, alij ſereno, ſi aer ad exprimendos ignes aptus fuerit. Nam ſereno quoque cœlo tonat aliquando, eadem cauſa qua nubilo aere inter ſe colliſo. Qui ſi etiam lucidior eſt atque ſiccior, ire tamen, & facere corpora quædam ſimilia nubibus poteſt, quæ percuſſa reddant ſonum.

De iride, & eius coloribus.

CAP. LXXIV.

EX *imagine mundi.* Arcus in aere quadricolor ex ſole, & nubibus formatur, dum radius ſolis cauę nubi immiſſus repulſa acie in ſolem refringitur ac de cœlo igneum, de aqua purpureum, de aere hyacinthinum, de terra colorem gramineum trahit. *Iſidorus l.* 13 Arcus cæleſtis dicitur à ſimilitudine curuati arcus, dicitur autem propriè iris quaſi aeris, eo quod per aera ad terram deſcendat, hic à ſole reſplendet, dum cauæ nubes ex aduerſo radium ſolis accipiunt, & arcus ſpeciem fingunt. Cui varios colores illa dat res. Quòd aqua tenuis, aer lucidus eſt, nubes caligantes. Iſta irradiata varios creant colores. *Philoſophus in Metheororum lib.* 3. Cauſſa eſſe arcus eſt ex radio ſolis redeunte ad vaporem contrarium nubibus, ſicut radius refulgens in aqua, relucet in pariete rediens ad ipſum. Habet tres colores ordinatos, vel quatuor ad plurimum. Quorum interior alijs duobus debilior eſt, nec poſſunt pictores facere ſimiles, præcipueque colorem compoſitum inter intrinſecum, & extrinſecum. Color autem iridis ex hoc eſt quòd cœlum quando pluit reſoluitur ſuperfluitas coarctata in nubibus, & fit ex eo rotatio parua antequā ibi fiat pluuia magna. Cum ergo relucet ſol oppoſitus illi rotationi, & nubibus, & reſplendet Imago illius in vtriſq; tanquam in ſpeculo, ſicque recipiunt colores in eis reſplendentes ex ſole, & fit arcus in cœlo varius. *Plinius lib.* 2. Manifeſtum eſt radium ſolis immiſſum cauæ nubi, repulſa acie in ſolem refringi, colorumque varietates mixtura nubium, ignium, aeriſque fieri in arcu certè ipſæ ſole aduerſo non fiunt. *Albumaſar.* Iris nomen naturæ indidit obſcuritas, iris enim apud græcos idem eſt, quod arcus dæmonis. Dæmon autem idem ſonat, quod Angelus, dicitur autem iris idem, quod arcus Angelicę conſiderationis, tanquam ad eius notitiam humanus non aſcendat intellectus. *Ex lib. de naturis rerum.* Iris eſt limbus nubis concauæ, quæ eſt quaſi ſpeculum ſolis: ſicut enim terra ſphærica eſt, ita & vapor eius ſphæricus. Si ergo nubes concaua generetur oppoſita ſoli, limbus eius diuerſi coloris erit, propter adiunctionem multi nigri, fit ergo arcus cęleſtis ex nubibus, & radiis ſolis. Calore namque ſolis humores aqueos attrahente de terra, & mari, concreſcunt in nubes, eiſque ſuperius aſcendentibus intercurrunt radij ſolis, quibus medijs illuſtrātibus nubes fit arcus cæleſtis ex coloribus diuerſis, cæruleo, ſcilicet qui ex aqua contrahitur, & rubeo qui ex radijs ſolis igneis generatur. Cęteri vero colores ſicut viridis ac purpureus ſecundum quod magis, & minus ad illos duos principales accedunt ſimilitudinē trahunt.

Iris cur ſic dicta?

Color iridis vnde?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter exprimitur in eo ſolis imago.

CAP. LXXV.

PHiloſophus. Iris eſt ſpeculum ſolis. Nam quia terra ſphærica eſt, vapor aſcendens ex ea ſphæricus eſt. Qui ſi eleuetur ſpiritu mediocri id eſt non habente magis ex vna parte, quam ex alia, tunc ex coagulatione vaporis illius in ſurſum oppoſita ſoli contingit apparere arcuale. Nihil enim aliud eſt iridem apparere, niſi nubem concauam, & arcualem ſurſum apparere per reflexionem ſolis illi oppoſiti. Et quod in medio iridis apparet viror, hoc eſt, quod magis apparet ſpendor in ventre nubis concauæ, quàm in extremitate. Quòd autem apparet albedo ſupra, hoc eſt ex ſubtilitate nubis aqueſæ, in qua albedo apparet, ſicut videre contingit in vrina, quæ apparet radioſa, & alba, quando ſubtilis eſt, & humida. Sic quidem, & aſpicit aliquis ad nubem, & ſub ſole videt eam albam abſque alio colore. Qui ſi aſpiciat eam in aqua, videt colorem arcui ſimilem: quod ideo fit, quia viſus non penetrat in comprehenſione veritatis colores eius propter debilitatem ſuam ad hoc dum appropinquat ſoli. Cum autem aſpicit ad eam in aqua, penetrat ipſam viſus in comprehenſione coloris, & eius veritatis. *Seneca vbi ſupra.* Arcus nihil aliud eſt, quàm imago ſolis roſcida caua nube concepta. In nocte autem non fit, niſi admodum raro, quia luna non habet tantum virium vt nubes tranſeat, & illis calorem ſuffundat qualem ſuſcipiunt ſole ſuperſtite. Sic enim formam diſcoloris arcus efficiunt, quia alię partes in nubibus tumidiores ſunt, aliæ ſublimiores, & quædam craſſiores, quàm vt ſolem tranſmittãt. Quędam imbecilliores, quam vt excludant, hæc inequalitas alternatim lucem vmbramque permiſcet, & exprimit illam mirabilem arcus varietatem: videmus enim ſi aliquo loco fiſtula rupta eſt, aquam per tenue foramen elidi, quæ ſparſa contra ſolem obliquè poſitum, faciem arcus repræſentat, huius rei cauſa eſt in humore. Non enim fit arcus niſi in nubilo. Sed quæritur quemadmodum fiat. Quidam dicunt eſſe ſtillicida quædam, quæ ſolem tranſmittant. Quædam verò magis coacta, quàm vt tranſluceant: ab illis fulgor redditur, ab his vmbra. Et ſic vtriuſque intercurſu efficitur arcus, in quo pars fulget, quæ ſolem recipit, pars obſcura eſt, quæ excludit, & ex ſe vmbram proximis facit. Sed hoc ita eſſe negant quidam: poterunt inquiunt hęc videri, ſi arcus haberet duos tantum colores. Si ex lumine, & vmbra conſtaret. Nunc autem videmus in eo aliquid lutei, aliquid cerulei, & alia in modum picturæ ſubtilibus lineis ducta. Et an diſſimiles colores ſint ſcire non poteris, niſi cum primis extrema contuleris. Nam mira arte naturæ, quod à ſimillimo cæpit, in diſſimillimo deſinit.

Varietas arcus cæleſtis vnde?

Quod ibi multæ imagines in vnam turbidam confluunt.

CAP. LXXVI.

QVidam verò ſic æſtimant; ſingula ſtillicida pluuiæ cadentis dicunt eſſe ſpecula, & à ſingulis imaginẽ ſolis reddi, deinde multas imagines deuexas, & in præceps tranſeuntes confundi. Itaque, & aeri multarum ineſſe ſolis imaginum confuſiones. Hæ cõtra intuenti perturbatæ apparent, nec diſpiciuntur interualla quibus ſingulæ diſtant, ſpacio prohibente diſcerni, vnde pro ſingulis apparet vna facies turbida ex omnibus, hoc idem Philoſophus indicat. Ab omni inquit lenitate radios ſuos acies replicat. Nihil autem eſt aere, & aqua lenius. Ergo etiam ab aere ſpiſſo viſus noſter in nos redit, vbi verò acies hebes, & infirma eſt quolibet aeris ictu deficiet: vnde quidam ſibi ipſis videntur occurrere, tanquam imaginem ſuam cernentes vbique, quia infirma vis oculorum non poteſt perrumpere ne ſibi quidem proximum aerem, ſed reſiſtit. Itaque quod in alijs denſus aer in his omnis efficit. Itaque quia nubes aquoſa craſſior eſt, viſu noſtro peruinci non poteſt: ergo cum multa ſint ibi ſtillicidia, totidem ſunt ſpecula. Sed quia parua ſunt, colorem ſolis abſque figura exprimunt. Deinde cum in ſtillicidijs innumerabilibus, & ſine interuallo cadentibus, idem color reddatur, facit eſſe non multarum imaginum, & intermiſſarum, ſed vnius longæ, & continuæ nec vnquam niſi aduerſæ ſoli, & in contrarium motę. Nam illo deſcendente eſt altior, alto depreſſior: varietas autem fit, quia pars coloris à ſole eſt ſparſa in nube illa, humor verò cæruleas lineas, modo virides, modo purpureas, & luteas, aut igneas ducit, duobus coloribus hanc varietatem efficientibus remiſſo & intento: hinc autem apparet duas eſſe cauſas arcus, ſolem, & nubem, quia nec ſereno fit vnquam neque nubilo, ita vt ſol lateat. Ex his ergo vtique eſt quorum ſine altero non eſt. Itaque color igneus eſt à ſole, ceruleus à nube, cæteri vtriuſque maximè.

De vitio ſpeculi.

CAP. LXXVII.

NEc dubium cuique relinquitur quod arcus eſt imago ſolis malè expreſſa, ob vitium figuramque ſpeculi, cuius rei probatio eſt, quod arcus celerrime naſcitur, nihil autem tam cito redditur, quam à ſpeculo imago. Non enim facit quicquam, ſed oſtendit. Itaque arcus non eſt niſi percuſſio ſolis ad formam extenti arcus in oppoſita nube aquoſa. Arthemidorus autem dicit qualis eſſe nubes debeat, quæ talem imaginem ſoli reddit. Si ſpeculum inquit concauum feceris, quod ſit ſectę pilæ pars, vbi extra medium conſtiteris, quicunque iuxta te ſteterint inuerſi tibi videbuntur, & priores à te quàm à ſpeculo. Idem inquit euenit cum rotundam, & cauam nubem intuemur à latere, vt ſolis imago à nube diſcedat, priorque nobis ſit, & in nos magis conuerſa. De ſpeculis quidem duæ ſunt opiniones. Alij nanque in illis ſimulacra cerni putant, id eſt corporum noſtrorum figuras, & ab ipſis corporibus noſtris emiſſas, & ſeparatas. Alij non imagines in ſpeculo, ſed ipſa aſpici corpora retorta oculorum acie, & in ſe iterum reflexa. Sed nunc ad rem non pertinet quomodo videamus quæcumque videmus, verum quomodo in arcu ſolis imago eſſe valet, in quo neque figura neq; color neq; ſolis magnitudo apparet? Primum quidem ſciendum, acie noſtra nihil eſſe fallacius etiam in his, quæ ad manum cernit. Nam remus aqua tenui tegitur, & fracti ſpeciem reddit: poma per vitrum aſpicientibus multo maiora ſunt. Sol quoque quẽ toto terrarum orbe ratio maiorem probat, acies noſtra ſic contraxit, vt etiam ſapientes viri pedalem eum eſſe contenderunt. Et quem velociſſimum omnium ſcimus, nemo noſtrum moueri videt. Nec ire crederemus niſi appareret. Mundum etiam præcipiti velocitate labentem, nemo noſtrum procedere ſentit. Quid ergo miraris ſi oculi noſtri imbrium ſtillicidia nõ ſeparant, & ingenti ſpacio intuentibus minutarum imaginum diſcrimen interit? Illud etiam adijciam, omnia per aquam videntibus longè eſſe maiora. Sic litteræ quamuis minutæ, & obſcuræ, per vitreã pilam aqua plenam, maiores clarioteſque videntur. Sic per nubes ſydera aſpicienti ampliora videntur. Quoniam acies noſtram humido labitur. Nec apprehendere, quod vult, fideliter poteſt. Quod manifeſtum fiet ſi aqua poculum compleueris, & anulum intus conieceris, nam anulus in fundo iacet, facies eius in ſumma aqua redditur. Quod ergo mirum maiorem reddi ſolis imaginem, quæ in nube humida videtur, nec verò ad omnia obiecta, per ſimile reſpondent ſpecula. Sunt enim quæ etiam extimeſcas videre, quæ tanta defor-

Nubes in qua eſt Iris eſt ſpeculum ſolis.

Quid cernitur in ſpeculis?

Fallacia viſus.

mitate

mitate corruptam faciem videntium reddant, ſeruata in peius ſimilitudine. Sunt econtra, quæ cum videris, placere tibi vires tuæ poſſint; intantum lacerti creſcunt, ac totius corporis habitus augetur. Sunt quæ dextras facies oſtendant, ſunt quæ ſiniſtras, ſunt quæ diſtorqueant & vertant. Quid ergo mirum huiuſmodi ſpeculum in nube fieri, quo ſolis ſpecies vitioſa reddatur?

Diuerſorum ſententiæ de iride.

CAP. LXXVIII.

Duæ ſententia de Iride.

Vilhelmus de conchis. Itaque de iride diuerſi Philoſophi diuerſa ſenſerunt. Aliqui namque dixerunt ſubſtantiam eſſe diuerſorum colorum. Alij verò non eſſe ſubſtantiam, ſed imaginem ſolis, ibique videri colores eſſe, cum ibi non ſint: vtramque opinionem exponam ſi ſumatur prius, quod ad vtramque valet. Aer quando ſubtilis, & clarus eſt, nullam formam nobis oſtendit præ nimia ſubtilitate ſui, neque quando eſt nimis obſcurus: qui ergo irim tenent eſſe ſubſtantiam, ſic dicunt, in pluuia infinita ſunt ſtillicidia. Eorum quædam ſunt obſcura, quædam lucida. Quæ vero ſunt lucida ſplendent ex ſole ſibi oppoſito, quæ quamuis à ſe differant, videntur nobis continua. Ex his quoddam corpus in ſpecie arcus nobis apparet, quod ex ſplendidis ſtillicidijs ſplendet, ex obſcuris nigreſcit, ex commixtione iſtorum medium accipit colorem. Etiam vbi ſplendet iuxta intenſionem, & remiſſionem diuerſos accipit colores. Qui verò dicunt irim non eſſe ſubſtantiam, dicunt illam imaginem eſſe ſolis. Sed quia imago omnis ſimilis eſt illi cuius eſt imago, ſol autem, quia rotundus eſt, in eo rotunda apparet figura. Et quemadmodum iris non eſt ſubſtantia, ſed imago ſubſtantiæ, ſic nec ſunt in ea colores, ſed coloris imagines. Sed iuxta ſpiſſitudinem nubis in qua ſolis imago nobis apparet, diuerſorum colorum apparent imagines: fuerunt qui dicerent, irim non aliud eſſe quam nubem, nec nimis obſcuram, nec nimis lucidam, habentem etiam quatuor principales colores. Ab igne rubeum, ab aere purpureum, ab aqua glaucum, à terra propter herbas, & arbores viridem. Sed ſi arcus non eſt aliud, quàm ſolis imago in nube apparens, ſol vero eſt rotundus, vnde eſt, quod nunquam integrum orbem in hac imagine videmus? Reſpondeo, ſol longè eſt nubibus altior, ſuperiorem partem nubis tangens, in illa imaginem ſuam imprimit, vnde quanto ſol eſt ortui vel occaſui propinquior, tãto arcus apparet maior.

Cur orbis ſolis integer nõ apparet?

Quibus temporibus apparent, & quibus non.

CAP. LXXIX.

Ariſtoteles in libr. Meteororum 3. Arcus videtur quando aer mundus eſt, & viſus ſimiliter. Non videtur autem, aut propter turbulentiam aeris, aut propter debilitatem coloris, aut paucitatem complexionis corporis in aere. Tenſio ſiquidem, & ſplendor non videntur in aere, & aqua niſi quando ſunt quieti, videtur quidem iris per diem ex radio ſolis, & per noctem ex radio lunæ. Nec videtur niſi in plenilunio cum ortu lunæ & occaſu. Non videtur autem in nocte in 50. annis niſi bis. *Seneca vbi ſupra.* Philoſophus ait poſt æquinoctium autumnale qualibet hora diei arcum fieri. Æſtate vero non fieri niſi aut incipiente, aut inclinato iam die. Cuius rei cauſa manifeſta eſt. Primum quidem, quia media parte diei ſol calidiſſimus nubes efficit, nec poteſt imaginem ſuã ab his recipere, quas ſcindit: at matutino tempore vel vergẽs in occaſum minus virium habet. Ideóque nubibus ſuſtineri ac repercuti poteſt. Deinde verò quia cum arcum facere non ſoleat, niſi aduerſus his nubibus in quibus facit cum breuiores ſunt dies quibus ſemper obliquus eſt. Itaque qualibet diei parte, habet aliquas nubes quas ex aduerſo ferire poſſit. At temporibus æſtatis ſuper verticẽ noſtrũ fertur. Ideóq; medio die excellentiſſimus rectiore linea terras aſpicit, vt nullus ex obliquo nubibus occurrere poſſit. *Plinius vbi ſupra.* Certè arcus niſi ſole aduerſo nõ fiunt, nec vnquam niſi dimidij circuli forma, nec noctu quamuis Philoſophus hoc probat aliquando viſum, quod tamen fatetur idem non niſi 30. Luna fieri poſſe. Fiunt autem hi maxime ab æquinoctio autumnali, die decreſcente. Quo rurſus creſcente ab æquinoctio verno non exiſtunt, nec circa ſolſtitium longiſſimis diebus, bruma verò ideſt breuiſſimis diebus frequenter. Æſtate per meridiem non cernuntur, poſt autumni æquinoctium quacunque hora. Nec vnquàm plures ſimul, quam duo.

Cur virium nõ ſit æſtate immeridiano tẽpore diei.

De ſignificationibus iridis.

CAP. LXXX.

Seneca vbi ſupra. Arcus autem à meridie ortus magnarum vim aquarum vehit, quę à valẽtiſſimo ſole vinci non poſſunt. Si circa occaſum refulſerit, rorabit, & leuiter pluet. Si ab ortu vel circa ſurrexerit, ſerenum promittit. *Helinandus in Chronica ſua libr. 4.* Quod licèt naturaliter fiat, pro ſigno fœderis tamen inter Deum, & homines poſt diluuium poſitum eſt, vnde apparet, quod ante diluuium, nec pluuia fuerat, nec nubes aquoſa. *Ex libro de naturis rerum.* Quoniam autem Deus olim mundo diluuium induxit non tantum ex aquis, quæ ſub firmamento erant, quia nec Cataclyſmum facere ſuffeciſſent, ſed etiam maxime ex his, quæ ſunt ſupra firmamentum. Vnde ſcriptum eſt. *Et cataractæ cœli apertæ ſunt*: hinc factum eſt vt arcum poſtmodum in nubibus poneret, ne vltra diluuium ſuper terram induceret. Ac ſi diceret aquæ ſupercęleſtes induxerunt mundo diluuium, ſed nunc arcum meum ponam in nubibus, qui fit ex aqueis terræ humoribus vt & ſi pluuiarum aquę in aere pendeant, hoc ſigno apparente homines non timeant, quoniam aquæ quas in nubibus vident, de terra ſunt, nec tantum cumulum facere poterunt, vt mundo diluuium inducant: hęc eſt ratio naturalis cur Deus poſuit arcum in nubibus ob ſignum fœderis. *Philoſophus.* Nunquam poſſunt eſſe plures niſi duæ irides, vna per oppoſitum Solis, alia Lunæ, ſicut videre contingit in æſtate horis veſpertinis. Sole ergo exiſtente in occidente, apparet iris in Oriente. Et tunc luna exiſtente in Auſtro, altera iris apparet in Aquilone. Et iris huiuſmodi ſignificat incendium prope venturum. Eſt enim ex ſpiritu calido ebulliente per poros humidi terreſtris. Eſt autem incedium futurum per ſpiritum calidum, & excedentem in calore æqualitatem, & quantitatem ſicut accidit in diluuio, quod præceſſit calor multiplicatus in fundo maris, & in fiſſura terræ, non potens liberè exire vel exhalare per terram, ſicut modo patet, quod ibi multiplicabatur, & coagulabatur, quæ tandem ad tantam perueniens virtutem, vt haberet poteſtatem exhalandi ex abyſſo ideſt ex profundo maris, & terræ, exhalauit ſecum deferens multum humidum in ſurſum, propter quod factæ ſunt pluuiæ 40. dies. *Comeſtor.* Arcus ſignum eſt duorum iudiciorum, præteriti per aquam, ne timeatur: Et futuri per ignem, vt expectetur. Inde eſt, quod duos habet colores, cæruleum, qui aqueus eſt, & eſt exterior, quia præteriit. Et rubeum, qui igneus eſt, & eſt interior, quia futurus eſt. Et tradunt ſancti, quod *quadraginta annis ante iudicium non videbitur arcus.* Et hoc oſtendet naturaliter deſiccationem aeris iam incæptam.

Cur arcus ſignum fœderis.

Iris in aquilone.

Arcus ſignũ iudicij duplicis.

Nota.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Coronis in aere expreſsis.

CAP. LXXXI.

SEneca *vbi ſupra.* Memoriæ proditum eſt, die quo Auguſtus à Polonia reuerſus vrbem intrauit, circa ſolem viſum coloris varij circulum, qualis in arcu eſſe ſolet: hunc Græci halo vocant, nos coronam. Et quomodo fieri dicatur exponam. Cum in piſcinam lapis mittitur, videmus in multos orbes aquam deſcendere, fierique primum anguſtiſſimum orbem, deinde latiorem, poſtmodum verò alios maiores, donec euaneſcat impetus, & in planiciem aquarum motarum reſoluatur. Tale quidam fieri cogitemus etiam in aere. Cum enim ſpiſſior factus eſt, plagam ſentire poteſt, luxitaque ſolis aut lunæ vel cuiuſcunque ſyderis incutiens illum in circulos cogit recedere. Nam humor, & aer, & omne, quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis eſt eius, quod impellit. Quia ergo lumen rotundum eſt. *Deceptio viſus in Corona.* Et aer in hunc modum lumine percuſſus exilit. Non autem exiſtimemus coronas has in vicinia ſyderum fieri, longè enim ab his, & propè terram fit talis effigies. Quoniam tamen viſus noſter imbecillitate ſolita deceptus, circa ipſum ſidus poſitum putat. Illic namque nihil tale fieri poteſt, vbi tenuis eſt æther, quia formæ craſſis denſiſque corporibus imprimi ſolent. In ſubtilibus autem non habent vbi conſiſtant aut hæreant. Superiora ergo coronas non habent, quia ne ventos quidem, his etiam adijce nunquam coronam colligi, niſi ſtabili, & pigro vento. Nam & lapillus in piſcinam aut lacum, & in ligatam aquam miſſus circulos facit innumerabiles. At hoc idem in flumine non faciet, quia figuram omnem aqua fugiens diſturbat. Idem ergo in aere euenit, vt ille, qui manet figurari poſſit. At ille qui rapitur, & currit, non dat ſui poteſtatem, & omnem ictum, venientemque formam ex eo turbat, hæ verò coronæ cum æqualiter delapſæ ſunt, & in ſemet euanuerunt, ſignificatur aeris tranquilitas. Cum ad vnam partem ruptæ ceſſerint illinc ventus eſt, vnde & nautici inde ventum expectant, quando contextus coronæ perit. Si à ſeptentrione diſcedit, aquilo erit. Si ab occidente fauonius. *Significant tranquillitatem & ventum & tempeſtatem* Si verò pluribus locis ruptæ ſint, tempeſtas fit. Et noctibus quidem præcipuè circa lunam, & cæteras ſtellas hæ coronæ notantur, interdiu verò raro, quia ſolis fortius lumen eſt. Et aer etiam agitatus ab illo calefactuſque ſubtilior, & ſolutior eſt, lunæ autem inertior vis eſt. Ideoque facilius circumpoſito aere ſuſtinetur. Cætera quoque ſydera infirma ſunt, nec aera perrumpere vi ſua poſſunt, illorum itaque imago ſuſcipitur, & in materia ſolidiore minuſque cedente ſeruatur. Debet enim aer eſſe non tam ſpiſſus, vt lumen ad ſe immiſſum excludat atque ſummoueat. Nec tam tenuis ac ſolutus, vt nullam venientibus radijs moram præbeat. Et hoc noctibus temperatioribus contingit. Cum ſydera circumiectum aera, à luce leui non pugnaciter, nec aſpere feriunt, ſpiſſioremque quam eſſe ſolet interdum inficiunt.

De Virgis.

CAP. LXXXII.

NVnc de virgis dicendum eſt, quas non minus pictas variaſque quàm pluuialis aquę ſigna ſolemus accipere. In quibus non multum eſt immorandum, quia nihil aliud ſunt, quàm arcus imperfecti. Nam facies quidem illis picta eſt, ſed nihil curuati habens, in rectum iacens, fiunt autem iuxta ſolem ferè in nube humida, & iam ſe ſpargente. Itaque idem eſt in illis, qui in arcu color, tamen figura mutatur. Quia nubium quoque figura in quibus extenduntur, alia eſt. Similis quoque varietas in coronis eſt. Sed in hoc differunt, quia coronę vbique fiunt vbi ſydus eſt, arcus autem non niſi circa ſolem, virgæ verò non niſi in vicinia ſolis. Poſſum & hoc modo differentiam omnium reddere. Coronam ſi diuiſeris arcus erit, ſi direxeris virga. *Diſcrimen inter Coronam, virgas & arcum.* In omnibus color multiplex eſt, ex cæruleo fuluoque varius. Virgæ ſoli tantum adiacent. Arcus autem ſolares ac lunares ſunt Coronæ verò omnium ſyderum. Aliud quoque virgarum genus, apparet cuius radij per anguſta foramina nubium tenues, & intenti, diſtanteſque inter ſe diriguntur, & ipſi ſigna imbrium ſunt. Non autem placet in arcu vel corona nobis certi aliquid corporis ſubeſſe. Sed illam indicamus populis eſſe fallaciam alienum corpus mentientem. Non eſt enim in ſpeculo quod oſtenditur, alioquin non exiret, nec alia protinus imagine obduceretur. Nec innumerabiles formæ modo introirent, & modo eriperentur. Ergo ſimulachra ſunt, & inanis verorum corporum imitatio. Quæ ipſa à quibuſdam, ita compoſitis vt hic poſſunt, detorquentur in prauum, Sunt enim vt dixi ſpecula, quæ faciem perſpicientium obliquant. Sunt quæ nimium augeant, ita vt humanum habitum modumque corporum noſtrorum excedant.

De imagine ſolis.

CAP. LXXXIII.

IMagines ſolis hiſtorici ſoles vocant, & binos trinoſque memoriæ tradunt: hos Græci Parhelion vocant, quia in propinquo ferè à ſole naſcuntur, vel quia ad aliquam ſolis ſimilitudinem accedunt. Cæterum nihil habent ardoris hebetes, & languidi, hos ita quidam diffiniunt: *Parhelion eſt nubes rotunda, & ſplẽdida ſimiliſque ſoli.* *Parhelij definitio.* Nam & in eclipſis hora pelues ponimus, quas oleo vel pice implemus, ad notandum qualiter luna ſe opponat, quia pinguis humor dum minus facile turbatur, quas imagines recipit ſeruat. Sicut ergo vtriuſque imaginem in terris aſpici contingit, ſic fit & in aere, cum ſic coactus, & limpidus, conſtiterit vt faciem ſolis acceperit. Quam & aliæ quoquæ nubes ſuſpiciunt, ſed tranſmittunt. Si non mobiles ſunt, aut rarę, aut ſordidæ. Mobiles enim illam ſpargunt, taræ emittunt, ſordidæ turpeſque non ſentiunt: ſicut & apud nos imaginem maculoſa non reddunt. Solent autem eadem ratione etiam bona parhelia fieri. Nihil enim impedit, quin tot ſint, quot nubes ad exhibendam ſolis effigiem aptę fuerint. Quidam tamen ſentiunt quotiens duo talia ſimulachra exiſtunt, alteram imaginem eſſe ſolis, alteram ipſius imaginis, ſicut in ſpeculis ſibi inuicem depoſitis accidit: quia ſpeculum quicquid videt reddit: Nubes autem quæ hæc præſtant, denſæ, leues, ſplendidæ, planæ, materiæque ſolidæ eſſe debent, ob hoc omnia huius ſimulachra candida ſunt, & lunaribus circulis ſimilia: quia ex repercuſſo obliquè accepto Sole reſplendent. Nam ſi nubes infra Solem fuerit, & propior, ab eo diſſipatur. Longe autem poſita radios non remittet, nec imaginem efficiet. Nam & apud nos quoque ſpecula cum procul à nobis abducta ſunt, faciem non reddunt: quoniam acies noſtra vſque ad nos recurſum non habet. Pluuiarum & hi ſoles indicia ſunt. *Indicia pluuiæ.* Si à parte auſtri conſtiterit, vnde maxime nubes ingraueſcunt. Cum autem vtrinque Solem talis effigies cinxerit, tempeſtas, ſi Arato credimus, ſurget.

De rore, & eius effectibus.

CAP. LXXXIV.

EX *imagine mundi.* Ros etiam de aere venit, quando aquis grauatur frigore noctis, & ſplendore lunæ diſtilllat. Sed quando vehementius eſt frigus noctis, ros in pluuiam lapſus gelu candidior inalbeſcit. *Iſid. l.* 13. Rorem quidã dictum putant: *quia rarus eſt,* & *Etymologia roris.*

non

non ſpiſſus, vt pluuia. *Philoſophus vbi ſup. li.* 2. Ros eſt parua res id eſt humor ſubtilis ab aere lentè deſcẽdens in terram, frigore paruo id eſt temperato, fit autem ob duas cauſas, quarũ vna eſt frigus aeris inferioris, & calor loci. Altera vero calor aeris ſcilicet ſuperioris, & frigus loci. *Cauſa roris.* Nec fit in ſupremis montibus, propter nimiam frigiditatem, quæ illic eſt, fit autem quando flat auſter, & non quando flat ſeprentrio, excepto loco, qui Corinthus dicitur, vbi eſt locus valde calidus. In eo enim contrarium accedit: quia ros ibi fit cum flatu ſeptentrionis, non cũ auſtro, eo quod auſter ibi ſerenat, dum vaporem ſeparat Septentrio vero congregat: quia frigus eius contrarium eſt caliditati auſtri. *Vapor.* Vapor eſt humiditas ſubtiliata, & atenuata, cumque vapor aſcendit à terra, & eſt res parua, non peruenit ad altum propter paruitatem ſuæ caliditatis: ſed reſoluitur, & ros efficitur; vapor ſiquidem roridus nobis eſt propinquior æſtu, ſiue vapore ſicco. Et fiunt ex eo quandoque nubes, vel nebulæ. Cum enim ſol appropinquat vapori, vapor eleuatur aſcendens ſurſum, & cum elongatur ab eo deſcendit deorſum ab eo. Cum igitur, quod ab eo deſcendit eſt res parua, & tardatur in deſcenſione ſua, nominatur ros. Fit autem ros in hyeme in locis calidis ex reſolutione vaporis: quia non occurrit ei frigus congelans ipſum, vt autem dictum eſt ſuperius, pluuia nihil aliud eſt, quam ros multus. Non enim fit pluuia niſi ex vapore multo infrigidato. Nec diuerſificantur niſi multitudine tantum & paucitate ros, & pluuia: ſicut nix, & pruina. *Ex libro de naturis rerum.* Roris quoque propriũ eſt ſubtiliter, & quaſi inſenſibiliter ſuper terram deſcendere: qui ſupra quam credi poteſt, terram infundit, & ipſo imbre efficacior eſt in frugibus fæcundandis. Mundificat autem omnia quæ infundit, vnde viſibiliter gramina virent poſt rorem. *Beneficia roris.* Ros gelidus eſt, & multũ infrigidat, vnde æſtate calida niſi ſuperueniret ros nocte frugibus, ardore Solis irent in deterius. Sicut autem ros fæcundat ea quæ tangit infundens, ita ros in pruinam verſus, botros maximè maturos, & fructus areſcere facit: humorum virtutem exhauriens, & hoc maxime in autumno. In vere autem cum inſit rebus temperies, obrepit quandoque ros pruinoſus in aere, & per noctis quieta ſilentia decidens depaſcit adurendo fruges, & gramina, ſitque tam dura peſtis præcipuè vinearum, vt igne conſumptæ videantur, vt nec ipſa quercus duriſſima foliorum aduſtione ſit immunis. Nonnulla tamen arborum, & herbarum hanc peſtem non ſentiunt, eo quod humor inſit illis regidior, vt poſſint reſiſtere vaſtatori. *Effectus.* *Auctor.* Ros inuiſibiliter deſcendit, terram refrigerat, & fæcundat, ſuauis eſt, & lucidus. Modico calore ſiccatur, ros quidem in terram cadens facit fæcunditatem. In fauum autem ab apicula deportatus mutatur in mellis dulcedinem. In Concham verò marinam deſcendens, vertitur in Margaritam. Rorem autem impediunt tria ſcilicet ardor, & frigus, & ventus, ſiue ſiccitas. In quaſdam etiam herbas, vel lapides cadens operatur mannæ ſuauitatem, quod videlicet manna temperatiſſimæ complexionis eſſe reperitur. Et illius generis eſſe dicitur de quo in Exodo legitur, quod cum operuiſſet ros ſuperficiem terræ, apparuit minutum, & quaſi pilo tunſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.

De manna, quod generatur ex rore.

CAP. LXXXV.

Manna quid *Avicen. in* 2. *Can.* Manna eſt ros cadẽs ſuper lapidẽ aut arborẽ, & fit dulcis, & coagulatur, ſicut mel, & exiccatur ſicut gummi, virtutem autem aſſumit de natura eius ſuper quod cadit. Et adiungit illam ad id ad quod lenitas, & dulcedo ſua exigit. *Idem.* Saccharum Alhuſar, eſt manna cadens ſuper Alhurſar, & eſt ſicut fruſtum ſalis. In ipſa quidem eſt cum reſolutione, & abſterſione ponticitas, & amaritudo. viſum acuit, pulmoni confert, & renibus, ac veſicæ. Confert etiam hydropiſi cũ lacte Camelę nouiter fætæ. Nec facit ſitim, ſicut reliquæ ſpecies Sacchari: quia eius dulcedo parua eſt. Et eſt bonum ſtomacho, & epati. *Conſtantinus in lib. graduum.* Manna inter calidum & frigidum eſt temperatum, laxat ventrem, febres extinguit, pectora humida facit, colericis, & calidis non conuenit. *Temperamentũ manna.* *Platearius in lib. de Simplici medicina.* Manna calidum eſt, & humidum temperate. Eſt autem ros qui ſuper herbas quaſdam diureticas cadit, in quadam parte Græciæ, & Indiæ, & inuiſcatur circa herbam. Colligitur autem poſtea ſicut mel. Sed quoniam in parua quantitate reperitur, ſophiſticatur ex ſuo coliquiricæ, & melle, dinoſcitur tamen, quia purum Manna ſubalbidum eſt. *Glycyriza.* Et habet interius quaſdam concauitates velut fauus mellis. Eſt autem magnæ efficaciæ quando purum eſt: quia & pure dulce, nihilque eo dulcius. Sophiſticatum vero eſt dulce cum quodam acumine, ſi ex fauo ſophiſticatum fueritvel cum quadã abominatione, ſi ex ſucco liquiricæ, habet autem virtutem depurandi, & mundificandi ſanguinem, vnde valet in acutis febribus etiam ex cholera. *Glycyriza.* Impurum autem ex mellis admixtione plus obeſt, quam profit. *Ex lib. de naturis rerum.* Manna eſt humor aeris in Oriente, & partibus Græciæ, vel cum rore aut roris vice deſcendens nocturnis horis ſuper herbas. Ibique inuiſcatur, & poſtea colligitur. Sed quoniam in modica quantitate reperitur, multum ſophiſticatur, purum autem, & non mixtum aromaticum eſt valde, & precioſum, ſubalbidum, & vltra modum iucundi ſaporis. Fortaſſis autem hoc Manna eſt, de quo vixerunt Hebræi 40. annis in Deſerto, quod ibidem concreatum eſt in diuino miraculo, in melius mutata ſpecie, vel ſapore. *Manna Hebræorum.* De quo Aug. ad Ianua. ita loquitur. Faciat inquit vnuſquiſque ſecundum quod vult. Et ſecundum, quod per fidem ſuam aç deuotionem nouerit eſſe faciendum: hoc eſt enim quod in lib. Sapientiæ dicitur. Manna ſecundum deſideria ſingulorum ſapiebat in ore omnium. Hunc tamen locum retractauit idem Aug. dicens, hoc intelligendum non eſſe de illo Manna, quod vtique quaſi ſemen Coriandri erat, guſtuſque eius quaſi ſimilis melli. Sed de noſtro cæleſti pane, & ſpirituali Manna, quod tanto iucundius eſt, quanto ſumitur deuotius. Cur autem etiam apud nos in partibus Europæ non deſcendat Ladanum, & Manna, ſicut in Oriente eadem eſt ratio, quę de melle.

De Melle.

CAP. LXXXVI.

Mel quid? *Diaſcorides.* Mel eſt *ſuccus roris cæleſtis, quem Apes colligunt.* Et habet in ſe quaſi compoſitionẽ quãdam, quoniam ex multarum herbarum flore, & ſucco colligitur. Ideoque omnibus valetudinibus proficiẽs, omnibus antidotis miſcetur. Adiuncto autẽ ſale vulnerum ſordes diſſipat. Et intrinſecus illinitum fauces ſanat, deducendo humorem, & aperit. Mellis genera duo ſunt. Vnum, ſcilicet quod apes oblongæ colligunt. Aliud ſc. quod apes variæ ferociores, & lanuginoſæ reponunt. Et hoc eſt ſecundũ genus quod atticũ dicitur: melius habetur, ad oculorũ claritatẽ faciens, vtrumq; tamen maximam habet vim. *Mel Atticum* Calefacit, & deſiccat abundanter, ſinus vulnerum glutinat, coctũ vero minus eſt acre. Mel Atticum, quod & lunaticum dicitur. Et illud quod Hibblæum appellatur bonum eſt, & dulce, odoratiuum, & rufum: nõ valde liquidũ, & forte, virtus eſt ei ſtiptica, & anaſtomacha, humores deducit, vulneribus ſordidis prodeſt 14. diebus perunctum caliginẽ oculorum detergit. Gargariſmo adhibitum vulnera faucium, & ſynantes curat, vrinã prouocat, ventrem mollit, tuſſientibus prodeſt, morſibus venenaticis occurrit. Morſibus etiã rabidi canis adhibitum curat patientẽ, aridum comeſtum inflationes præſtat. verum æſtatis melius eſt, hyemis vero minus

vtile,

Mel ſardinicum amarũ.

vtile, & ſpiſſum. Mel Sardinicum amarum eſt, quoniam Apes ipſę paſcuntur Abſinthio, vtile autem eſt ad vulnera, & liuores vultus. In Iera, & Ponto vbi boni flores oriuntur mel bonum naſcitur. Quod cum quis comederit, phreneticus fit ſed ſudoribus vincitur. Mel ſolum faſtidium tollit, nauſeam prohibet, pulmoni, & omnibus interioribus medet. Mel eſt ſubſtantia humoris in aere, quæ de florum, & fructuum collecta ſuauitate, multa ſpacia tranſiens aeris, ſuper ipſam. Nubium regionem ſolis virtute aſcendit, & inde occulto & ſubtiliſſimo modo roti permixtus, iterum in herbis ac frugibus ac floribus reſidet, temperatque ſaporem in rebus. Eſt tamen duplex

Mel naturale & Artificiale.

mel. Naturale videlicet illud quod in aere virtute naturæ concreſcit. Et artificiale, quod aptum labore vel arte magiſtra equidem tamen & natura componitur. Apud nos ſcilicet quandoque in Europa circa ſolſtitium æſtiuale mella de ſuperioribus deſcendunt. Sed hoc raro & in modica quantitate & tunc imminet peſtis magna caprarum ouiumque, quia cum herbas irroratas melle comederint, moriuntur, vnde paſtores periti tempus obſeruant cum mella decidunt, & greges ad paſtus exire non ſinunt, quoadusque radijs ſolis humor mellis ex herbis in aerem transferatur. Apud nos igitur ſicut dictum eſt, mella deſcendunt, ſed raro, & modicè. In Oriente vero ferę omni menſe pernoctes continuè, humor namque melleus, qui de floribus ac fructibus, & frugibus in fumo per ſolem ad ſuperiora tranſuehitur, apud nos viſcoſas, & lubricas, & nubiloſas aeris regiones tranſire non poteſt, nec ad illam tranquillam venire quæ ſupra nubes eſt, vt ibi paulatim denſatus, ad nos iterum pondere ſuo deferatur. Sed aſcẽdere nitens ipſis lubricis aeris regionibus miſcetur. In Oriente vero cõgrue hoc fieri poteſt, quoniam aer totus ille puriſſimus eſt. Itaque deſcendit ibi mel ſuper terram, & in arboribus, & herbis non in tanta copia, ſicut ros inſidet. Mel apũ in plenilunio capiendum eſt ſereno die, abrumpi ſtatim ac reſilire guttas vtilitatis eſt indicium. Bonitatis vero probatio eſt, vt ſit odoriferum, & ex re dulci, glutinoſum ac perlucidũ. Cum autem eximitur mel, apes abigi fumo vtiliſſimum eſt ne iraſcantur, & mel auiditate vorent. Mel calidum eſt, & ſiccum. Conſeruat, & mundificat, in medicinis ponitur, vt amaritudo ſpecierum eius dulcedine temperet, in electuarijs quoque cum pulueribus miſcetur, vt diutius in maiori efficacia conſeruetur.

Peſtis ouium quomodo vitatur.

Mel aptum capiẽdum in plenilunio.

De Ladano.

CAP. LXXXVII.

Ladanum quid?

LAdanum dicunt quidam gummi arboris eſſe, ſed falſo. Eſt autem humor aeris in Oriente, & in partibus Græciæ, cum rore, vel roris vice deſcendẽs ſuper herbas terræ, qui cum deſcenderit, quibuſdam corrigijs herba percutitur, & ſic illa precioſa humiditas corrigijs conuiſcatur; Quibus expreſſis, & exterſis, humor ſoli exponitur ac deſiccatur. Exiccatum vero Ladanum dicitur. Quod per ſe quidem purum Aromaticum eſt, & precioſum valde, ſed quandoque cum digeſtione caprina, & ſorde animalium, & myrti baccis atque huiuſmodi rebus nigris ſophiſticatur. Eligendum eſt illud, quod ponderoſum eſt, & nigrũ, & quod magis malaxari poteſt, magiſque eſt aromaticum. Quod autem ſubrufum, vel frangitur vetuſtate conſumptum atq; nimis ſophiſticatum eſſe ſignificatur. Ladanum habet virtutem conſtringendi, &

Virtus.

calefaciendi ex viſcoſitate, & aromacitate. Valet contra catarrhũ ex frigida cauſa ſi odor eius naribus immittatur, ad digeſtionem quoque confortandam, & ad alia plura eſt vtile. *Auicenna vbi ſupra.* Ladanum eſt humiditas pendens in pilis caprarum paſcentium, & barbis earum, quando paſcunt plantam quæ caſus nominatur. Cadit ſuper eam ros, & aggregatur, in ea humiditas, & permiſcetur ille ros reſudationi illius foliorum. Et cum inficiuntur eo pili caprarum, & ſuſpenditur in eis ſumitur ab eis Ladanum, quod eſt calidum in fine primi, ſiccum in ſecundo. Meliuſque eſt illud quod eſt pingue, ponderoſum, purum, boni odoris, ad citrinitatem declinans. Eſt autem ſubtile valde, & eſt in ipſo pauca ſtipticitas. Maturatiuum humiditatum groſſarum viſcoſarum, reſolutiuum, attractiuum, calefactiuum, aperitiuum, orificiorum neruorum, facit naſci pilos, & inſpiſſat, ac prolongat eos & conſeruat. Corruptionem quoque corrodentem carnem mundificat. Confert tuſſi, & cum vino bibitum antiquo ventrem conſtringit, & vrinam prouocat. *Plinius lib.* 12. Arabia etiam manna & Ladano gloriatur, ſorte, caſuque hoc, & iniuria fieri odores plures tradidere. Capras maleficum aliàs frondibus animal, odoratorum vero fruticum expetens, tanquam intelligant precia, carpere germinum caules prędulci liquore turgentes, diſtillantemque ab his caſus mixtura ſuccum improbo barbarum villo abſtergere, hunc glomerari in puluerem, & incoqui ſole. Et ideo in Ladano caprarum pilos eſſe. Sed hoc non alibi fieri quam in Nabathęis, qui ſunt ex Arabia contermini Syriæ. Recentiores exauctoribus Strobon hoc vocant, traduntque ſyluas Arabum paſtu caprarum infringi atque ita ſuccum villis inhæreſcere: verum autem Ladanum Cypri in Inſula eſſe, vt obiter quęque genera odorum dicantur, quamuis non terrarum ordine. Similiter, & hoc ibi fieri tradunt, & eſſe Ceſyphum hircorum barbis genibuſque villoſis inhærens. Sed edere flore deroſo paſtibus matutinis cum eſt rorulenta Cypros, deinde nebula Sole diſcuſſa in puluerem madentibus villis adhæreſcere atque in Ladanum depecti. Sunt, qui herbam in Cypro ex qua id fiat, Ladan appellent. Etenim illi Ladanum vocant huius pingui inſidere, itaque attractis funiculis, herbam eam conuolui atque ita offas fieri. Ergo in vtraque gente bina genera terrenum, & facticium, id quod terrenum eſt friabile; facticium lętum: Necnon, & fruticem eſſe dicunt in Carmania, & ſuper Ægyptum, per Ptolomeos tranſlatis plantis. Aut vt alij generari, & id in his, vt thuris arbore colligique, vt gummi inciſo cortice, & caprinis pellibus excipi. Precia ſunt laudatiſſimo in libram aſſes 40. Adulteratur myrti baccis; & alijs animalium ſordibus. Sinceri odor debet eſſe ferus, & quodammodo ſolitudinem redolens. Ipſum vſu aridum ſtatim tactu molleſcere, accenſum fulgere odore iucundo gratuitum. Mirrata deprehenduntur crepitantque in igne. Præterea ſincero calculi potius erupibus inhærent, quam puluis. *Auctor.* Hæc de generationibus roris ad præſens ſufficiant. Nam de melle plenius dicetur inferius, vbi agetur de apibus, & etiam de Margaritis, vbi de lapidibus, vel de Conchis marinis.

Adulteratio Ladani?

De Pruina.

CAP. LXXXVIII.

Primavnde?

PLinius lib. 2. Pruina fit ex rore gelido. Rores autem neque gelu neque ardoribus neque ventis, nec niſi ſerena nocte gelando liquorem minui, ſolutaque glacie non eiuſdem inueniri modum. *Iſid. vbi ſupra.* Pruina eſt, matutini temporis frigus, ſic dicta: quia vrit, ſicut ignis, πῦρ enim ignis, & ſimilis eſt vis caloris, & frigoris, vtraque etenim ſaxa rumpunt. *Philoſophus vbi ſupra.* Pruina eſt vapor congelatus, antequam reſoluatur in aquam ſcilicet craſſam. Pruina non fit in ſupremis montibus propter caliditatem vehementem, quæ in eis eſt, qua reſoluitur vapor antequam illuc adueniat. Et iterum propter vicinitatem aeris inflammati. *Ex lib. de naturis rerum.* Pruina, & nix, vt habitum eſt ſupra: non diuerſificantur niſi multitudine tantum, & paucitate, ſicut & ros, & pluuia. Itaque generatio niuis, & pruinæ eſt ex frigore; quia nix fit ex nubibus frigore congelatis, vt ſupra dictum eſt. Et pruina, fit ex vapore congelato in aere,

Diſcrimen pruinæ & niuis.

& huiuſ-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& huiuſmodi ſignificatio eſt mollicies niuis, & duricies pruinæ: quia mollicies niuis, vt dictum eſt, fit ex parte caliditatis admixtæ vaporibus, qui faciunt nubes, prohibentis partes illius vaporis inſpiſſari ac vehementer aggregari: duritiesvero pruinæ fit ex frigore loci, & temporis, in quibus non eſt ex caliditate pars qua prohibeatur aggregari vapor: quia partes frigoris partes ipſius vaporis aggregãt, & eas cõtrahunt.

De Gelu, & glacie.

CAP. LXXXIX.

Iſidorus vbi ſupra. Gelu autem dicitur, quod eo ſtringatur tellus. Ge, enim terra dicitur. Tunc autem maiori gelu ſtringitur terra cum fuerit nox ſerena. Glacies à gelu, & aqua quaſi gelacies ideſt gelata aqua. *Ex lib. de vaporibus.* Omni autem gelato accidit fiſſura in percuſſione, ſicut videmus in glacie. Cũ enim percutitur glacies, frangitur. Et nec in longum nec in latum diffunditur, vnde & argentum cum ſit humidum, & congelatum, vt poſſit fabricari in longum, ei cuprum miſcetur, vt fiat viſcoſum, & ductile, ſicut infra dicetur. *Ex li. de naturis rerum.* Glacies eſt coagulatio frigidi, & humidi ex ſuperabundantia frigiditatis. Ex glacie nihil generatur: quę tamen chryſtallinam mentitur ſpeciem ac terræ ſoliditatem. Fit autem citius glacies ex aqua calida, quàm ex frigida, propter proprietatem qualitatum contrariarum. Et quia per calorem rarefacta à compactione remotior frigiditati non reſiſtit. Et quia vapor multus in ea expirauit, vnde & mare nunquam congelatur: quia ſemper vaporoſum, & craſſum, & compactum inuenitur. Ipſumque congelatum minus non eſt congelato, eo quod in congelato comprimuntur partes per exhalationem caloris. Nam videmus cum & de aqua fit chryſtallus, quod aqua quidem eſt parua, & etiam cryſtallus fit magis paruus. Non tamen aqua tranſit in chryſtallum per partium ſuarum compreſſionem, vt aliqui volunt. Sed per ſolius caloris expreſſionem. Nam calor qui primo faciebat in aqua fluiditatem per præſentiam ſui, & poſtea facit duritiam per ſui abſentiam. Extrahitur autem caliditas aquæ per caliditatem aeris ipſam circunſtantis, ſicut & caliditas vini, quãdo debet fieri acetum, per calorem ſolis, vel ignis, vel aeris. *Greg. in Moralibus li.* 29. Terra quidem quãdo compluitur iactata in ea ſemina feracius ligantur. Sed rurſum ſi illam pluuia immoderatius irrigat in culmo pinguedinem frumenti virtutẽmque inuitat. Si vero iactatum ſemen poſt pluuiam gelu premitur, quo foras citius apparere compellitur, eo intus fœcundius radicatur, & quo diutius vetatur progredi, eo abundantius cogitur multiplicari. Quia cum ab ortu immaturo reſtringitur, in conceptionis ſui tarditate laxatur, & ad fructum vberius impletur. *Auctor.* Gelu autem terram quidem indurat, & ſtringit herbas, & arbores vrit, lapides findit, ſemen in terra cõprimit, & retardat. Sed inde vberius fructificare facit, niſi fortè nimium ſit, vt ſemen extinguat.

Cur mare non geletur?

Modus quo generetur acetum ex vino?

Effectus gelu

De nebula.

CAP. XC.

Ariſt. vbi ſupra. *Nebula eſt reliquiæ nubium reſolutarum aqua pluente*, id eſt rotidæ, vnde nebula ſerenitatem ſignat. *Ex imagine mundi.* Nebula fit dum humidæ exhalationes vaporaliter trahuntur, & radijs Solis ad terram repelluntur. *Iſid.* Nebula dicitur à nubendo, ideſt operiendo terram, ſiue quod ſurſum volans nubes faciat. Exhalant enim valles humidæ nebulas, & fiunt nubes. Inde nubilum, inde niues. Nebulæ autem ima petunt, cum ſerenum eſt, ſumma cum nubilum. *Plinius vbi ſupra.* Nebula nec æſtate, nec maximo frigore exiſtit. *Auctor.* Nebula terram tegens latè ſpargitur, aerem obſcurat, terram fœcundat, frigida eſt, & ſolis ardorem mitigat, aſcendens pluuiam nunciat, deſcendens ſerenitatem. *Ex lib. de Naturis rerum.* Nebula aſcendens pluuiam nunciat, deſcẽdens vero ſerenum. Roremque ſalutiferum terræ fructibus affuturum, ſi ſuper aquas, & infima quæque terrarum perſeuerantius manet propter vicinitatem humiditatis. Eo quòd ex humido contracta ſimiliter continuetur. In locis autem in alto ſitis propter aerem ſubtiliorem citius diſſoluitur, vnde & huiuſmodi loca ſalubriter antiqui libentius habitabant, propter commodum autem aquæ. Moderni econtra locis demiſſis, & circa aquas ædificant, & commorantur, quod multis eſt cauſa languoris, & immaturæ mortis. Nebula quandoque denſa multum eſt fætida, quoniam humores corrupti de terra ſubleuantur ad aera, & hæc pectus lædit, rheumaque peſſimum in capite creat, quod ſi ad pectus deſcenderit, apoſtema ſæpius generat. Nebula quoque circa Maium, & æſtiuale, ſolſtitium, ac poſt Septembrem peſſima eſt. Ex vapore rorido, qui nobis propinquior eſt, vapore ſicco, fit nubes, & quãdoque nebula videtur in illo. Nebula iudicium viſus impedit. Auernus eſt lacus in Italia nebularum procurator multæque parens caliginis, & dicitur Auernus, quaſi ſine vere. Ideo tranſumitur ad nominandum infernum.

Nebula quidt

Etymologia.

Salubritas locorum editorum.

Auernus.

De exhalatione, vel euaporatione multipharia.

CAP. XCI.

Auctor. Ex impreſſionibus quoque aeris huius ſunt exhalatio ſiue vapor & fumus. Ideoque de his etiam hic pauca ſubijciemus. Eſt autem exhalatio, vel euaporatio eleuatio, vel ſublimatio ſubtilis rei à corpore craſſo in altum tendentis: huius cauſa præcipua eſt calor ignis, vel ſolis, quia cauſa eſt reſolutionis. *Ex libro de vaporibus.* Ignis itaque cum ſit corpus attractiuum, non eſt euaporatiuum, eo quod omne euaporans euaporat ſubtilius ſe, nihil autem in corporibus eſt ſubtilius igni. Aer quoque non eſt euaporans: eo quod omne euaporans euaporat in fumum ſe ſubtiliorem, & ignitum. Quod quia nequaquam accidit aeri: vtique non euaporabit. Aqua vero per calefactionem ignis euaporat in fumum ſubtiliorem ſe: & poſtea remanet terreſtre, vnde & contingit, quod cum aqua decoquitur: in decoctione ſubtiliatur. Et attende, quod terreſtre admiſcetur humido: ita quod agente caliditate ex illo terreſtri euaporat illud humidum: ſicut videre contingit in vino. At in ferro per actionem ignis euaporatio non eſt. Sed potius agente calore in ferro: impedit ſquamoſitas terreſtris ne humidũ euaporet, remanétq; magis aqueũ ſcilicet chalibs: vt dicetur inferius. Plumbum autem argento mixtum in argenti depuratione videmus exhalare ex caloris motione. Similiter & in auri depuratione. Siquidem artifices Sarraceni deferunt ſuum aurum de terra in terrã ſpecie terræ plumboſæ. Et poſtmodum eo in fornace poſito exhalat plumbum ſine auri deperditione. Sicut autem in homine póto euãporante ad cerebrum humido, contingit meatus ſpirituum obturari per illud humidum, & tunc ſpiritus, qui erant principium caloris in cerebro, per deflexum reuertuntur ad inferiora, ſicut ſunt extremitates manuum & pedum, propter quod in homine potato manus & pedes ſunt calidi, caput autem frigidum. Cum aſpergitur humidum ſuper laminam argenti combuſtam facit ventoſitatem, quæ inter teſtam & argentũ fuerat incluſa deſcendere ad ollæ ipſius profundum. Illaque ventoſitas facit argentum illud eleuari: quoniam occupat in fundo locum argenti. Et tunc argento infrigidato apparet foſſa eius in fundo; prout accidit in omni combuſto, plumbum autem aliquando eſt euaporans, aliquando conuiſcans, vnde volentes de illo facere vitrum admiſcent illud cum terra ſubtili: conuiſcãtque partes illas terreas & diſſoluunt ex parte per actionem caloris: fit etiam euaporatio multiplex è terra, ex vino & aceto, & huiuſmodi corpori-

Euaporatio non fit ex ferro.

Nota.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

bus aquoſis & terreſtribus, & præcipuè cadauerũ ac ſimilium corruptionibus, & putrefactionibus.

De illis, quæ ex terra ſiunt.

Cap. XCII.

QVoniam autem terra ſphęrica exiſtit, vtiq; vapor de ipſa aſcendens ſphęricus erit. Et ſi eleuetur de ſpiritu mediocri, ideſt non habente magis ex vna quã ex alia parte; tunc ex coagulatione vaporis illius in ſurſum oppoſita ſoli apparere contingit arcuale, ideſt. Iridem, quæ eſt nubes cõcaua per reflexionem ſplendoris Solis ſurſum oppoſiti arcualiter figurata, vnde non apparet niſi ex ſolis oppoſitione; Ideoq; nunquã poſſunt eſſe irides plures niſi duæ: vna per oppoſitum Solis, alia Lunæ; hoc videre contingit horis veſpertinis in æſtate, quod ſcilicet Sole exiſtente in Occidente apparet iris, ideſt Oriente, & tũc exeunte Luna in Auſtro; apparet alia Iris in Septẽtrione. Et inde eſt, quod Iris huiuſmodi figuræ arcuatæ haud incendium prope vẽturum ſignificat: quia ipſa eſt ex ſpiritu calido mediocri ebulięte per poros humidi terreſtris; Incendium autem ſi quod futurum eſt fit per ſpiritum calidum excedentẽ, ſicut accidit in diluuio, quod pręceſſit. Calor enim multiplicatus in fundo maris, & in terræ fiſſuris non potẽs exire liberè, vel exhalare ſicut nunc, ibidem multiplicabatur & coagulabatur: tandẽque perueniens ad tantam virtutẽ quod habebat poteſtatem exhalandi, ideóq; ex abyſſo, ideſt ex profundo maris & terræ, exhalauit multum humidi ſecum deferẽs in ſurſum, propter quod factæ ſunt pluuiæ xl. diebus. Ipſumq; mare in ebuliendo ſe per totũ orbem effudit. Quòd autẽ Iris non apparet de nocte, hoc eſt, quia ſplendor Lunæ fluens ad terram in debili multitudine ſui luminis calorem debilem generat. Ideóq; debiliter humidũ craſſum de terra ſoluit & eleuat, nec tantum, vt arcuale in ſummo apparere ſufficiat. Sicut autem panis cum extrahitur à furno habẽs humidum in poris ſuis diſperſim, & ipſius rarefactione per calorem mollis exiſtit: exhalante autem humido indureſcit. Sic humido ſubtili paſſibili exhalante, & admixto craſſo remanẽte in terra, remanebit ad modum lapidis ſicca & dura; diceturque terra lapidea. Terra lapidea fiſſuram facit circumquaque & extra. Cum fit terræ motus circumquaque auditur fragor, ſicut in diuiſione ligni ſolidi. Et non in diuiſione lanæ mollis, & humidæ, & quod ex vapore terræ fit terræ motus, ſignum eſt ventus ſequens, quia ventus eſt vapor terreus. Ex vapore autem cumulato non fit terræ motus, niſi in terra dura, eo quod in terra poros, & latos & amplos habente, continua eſt exhalatio ſpiritus, & nunquam eius retentio, propter hoc in Lybia quæ eſt arenoſa, non contingit fieri terræmotum, niſi rariſſime. Nec etiam in arenis creſcunt herbæ, quia nutrimentum earum iam exhalatum. Contingit autem in aliquo terræ loco: quod terreſtre compreſſione humidi in ipſo fit pinguius ſicut in ſterquilione, vnde accidit in cauernis fieri bitumen pingue craſſum, & inde auripigmentum, ſicut inferius dicetur.

Pluuia diluuij vnde?

In Lybia rari ſunt terræmotus; & cur

De illis, quæ fiunt ex aqua, aceto & vino.

Cap. XCIII.

AQua vero per calefactionem ignis euadorat; vt dictum eſt, in fumum, ſcilicet ſubtiliorem ſe, remanetq; poſtea terreſtre vnde & cum decoquitur, in ipſa decoctione ſubtiliatur, & ſi poſtea ponatur in olla per noctem apparebit hypoſtaſis terrea infundo exiſtens. Similiter autem euaporat acetum in aquam ſubtilem & inſipidam; remanetq; poſtea terreſtreitas parua. Euaporat autẽ vinum in aquam per inſtrumẽti aquę roſaceæ ſublimationem. Sed quãto vinum fortius eſt: tanto minor aqua extrahitur, & maior terreſtreitas remanet, vnde vinũ rubeum magis eſt terreſtre, & minus euaporat, pluſquam caloris habet in ſe; nam magis terreſtre plus habet caloris intra ſe at diutius calorem retinet quam minus terreſtre; hoc in ferro calido patet, quod calorem diutius quã aqua calida retinet. Sed attende primo, quod in vino ſunt duo ſcilic. humoroſitas craſſa: & humiditas oleagina, quæ nutrit calorem naturalem in eo, Ideóque euaporat in duo. Prius ſcilicet in aquam inſipidam, vt dictum eſt, cuius principium eſt ſua craſſa humoroſitas, & poſtea in oleum, cuius principium eſt ſubtilis humiditas, & oleagina. Ita duplex eſt euaporatio in aliqua re terreſtreitatem habente, prima, ſcilicet aquea, ſecunda, ſcilicet oleagina. Coniuncta vero cauſa huius duplicis euaporationis eſt, tum quia caliditate agente in vino, aqueum quod eſt in humido oleagino, de intentione contrarietatis ſtatim magis patitur, magiſq; calidum in illud agit, & euaporare facit, tum quia calòr naturalis in humido oleagino nutritur, & diutius remanet ipſum in quo nutritur, quam illud in quo non nutritur. Cum ergo admiſcetur humido, agente caliditate, ex illo terreſtri euaporat humidum illud: ſicut iam oſtenſum eſt in vino. At in ferro ſquammoſitas terreſtris euaporationem prohibet: ſicut paulo ante iam dictum eſt.

Ex vino fit aqua.

De illa quæ fit in corpore humano.

Cap. XCIV.

SIcut autem iſta euaporatio fit in inſtrumentis ſublimandi: ſic etiam contingit in ſtomacho corporis humani, vinum ſiquidem intus receptum euaporat per venas ſubtiles à ſtomacho, & etiam ab hepate, vſque ad cerebrum, ſicque vapor ille humidus à ſpiritu calido, qui ante deferebat ibi deſtitutus: coagulatur à frigiditate loci in ſubſtantia corpulentiori. Sicut etiam contingit, quod vapor humidus de terra reſolutus ad regionem aeris frigidam aſcendit, ibique deſtitutus à ſpiritu calido ipſum deferente coagulatur, & in ſubſtantia pluuiæ deſcendit. Sic ergo vapor humidus à vino reſolutus in craſſa corpulentia à cerebro deſcendit per eaſdem venas ſubtiles, per quas & aſcendit propter quod mouetur magis corpus in deſcenſu vaporis huiuſmodi dormiendo, quam in deſcenſu eiuſdem vigilando. Spiſſioremque tunc habet homo anhelitum, propter vaporem deſcendẽtem inſpiſſatum: homines etiam graciles venas habentes in collo magis dormiunt: ac in dormiendo magis mouentur, quia non habet hoc humidum in eis liberum deſcenſum. Ideóque dicit philoſophus, quod habentes capita craſſa, & gracilia colla, multum dormiunt, quia quando multum potarunt, tunc vapor humidus multum reſoluitur in ſubſtantia ſubtili per venas ſubtiles ad locum cerebri. Et quoniam amplior eſt in eis locus cerebri, multũ inde capitur, multumque coagulatur. Qui cum tam cito non poſſit deſcendere, diutius manens in cerebro meatus oppilat ſpirituum animalium. Ideóque multum durat ligamẽtum ſenſuum. Itaque ſomnus longus efficitur, eo quod humidum in cerebro coagulatum, diutius durat in meatibus ſpirituum, ſicut in epylepticis contingit, vnde philoſophus dicit, quod ſomnus in epylepſia eſt particularis, humidum autem huius multum neruos relaxat, & paralyſim inducit. Nam ſi vinum calidum in ſe & ſiccũ eſt, vapor ſimiliter reſolutus ex eo calidus & ſiccus eſt, vnde ille quidẽ vapor nõ relaxat neruos, quamdiu habet ſpiritum calidum & ſiccum deferentem illum in ſenſum. Sed poſtquam deſtitutus eſt ab illo ſpiritu calido, coagulatur in humidum corpulentum, præterea ſicut pluuia multa in terrã deſcẽdente, terra fluida redditur, ſic ex multo tali humido à cerebro in ſtomachũ deſcendente, materia in ſtomacho reperta liquefiens, ventris fluxus efficitur. Et quanto vapor eſt è craſſiori materia, maioriſque corpulentiæ, & coagulatur in cerebro, tanto tardius purgabitur per

Euaporatio à ſtomacho.

Cur epyleptici lõgiori ſõno vtantur.

operatio-

operationem naturæ, propter quod & diutius durat humiditas, quæ fit ex cereuiſia quam quæ ex vino. magis quæ ex vino rubeo craſſo, & ſubſtantioſo, quam quæ ex ſubtili albo. Denique humido illo meatus ſpiritum oppilante, non valentes ijdem ſpiritus animales exhalare, & extra fluere; decurrunt ad extremitates manuum, ac pedum: propter quod accidit in hominibus ebrijs frequentius, quod habent capita frigida, manus autem & pedes habent calidos & trementes. Ebrietas quippe nihil aliud eſt, quam fumus reſolutus è vino meatus oppilans, per quos fit repulſus ſpirituum animalium à cerebro: & iterum deſcenſus à cerebro ad ſtomachum.

Ebrietas quid?

De illa quę fit in arboribus.

CAP. XCV.

QVemadmodum vero duplex eſt exhalatio à terra ſcilicet vaporis terrei, & vnctuoſi, & vaporis humidi: ſic per cuiuſlibet arboris ſtipitem & cortices aſcendit duplex vapor ſcilicet vnctuoſus & humidus. Qui quando multiplicati ſunt in arboris ventre, volentes exhalare, faciunt fiſſuram in arbore. Et vnus quidem exhalat tranſeundo in materiam folij ſcilicet humidus. Et alter in materiam fructus, ſcilicet vnctuoſus. Et ideo dicitur quod fructus magis vnctuoſi ſunt quàm folia in arboribus, vnde & volentes habere roſas in die Nat. Domini, ligant in principio Maij Roſarium ſecundum omnem ſui porum à principio ſtipitis vſque ad vltimitatem rami obſtringendo, poſtea vero vnctuoſum, & humidum à terra veniẽs vſque ad ventrem ſtipitis & ramorum, multiplicatur in ſubſtantia, ibique calor quieſcit, quia exhalare nequit. Et tunc ruſtici per ſeptimanas tres aut per menſem ante Nat. Domini, ſolunt à ligamentis ramos, & ſtipitem, tunc de vigore informatiuæ virtutis exit vapor ille multiplicatus in formam verarum roſarum. Porro ſicut in homine famelico contingit, quod ſi dentur ei dulcia, in tantum attrahitur de dulcedine à membris, quod in ſubſtantia dulcedinis oppilantur meatus, per quos nutrimẽtum diſcurrere debet ad membra, quouſque fiat decopilatio eius quod meatus opilat. Sic etiã in arboribus animam vegetabilem guloſam habentibus. Si ab humiditate deſtituantur, & ſuperueniat pluuia, vel vapor humidus: Contingit illum in tantum attrahi in ebullitione vaporis illius à terra in longum per poros arboris, quòd in arboris imo fiat oppilatio craſſi vaporis, ne amplius aſcendere nutrimentum ad ramos poſſit. Et tunc calor qui viget in ſummo ventris arboris vaporem receptum diſpergit, & calefacit. Qui cum in loco in quo fuit prius iam contineri non poſſit, propter rarefactionem, quæ iam inualuit, tunc exit ſecundum vigorem informatiuæ virtutis in ſpeciem folij, & fructus Digeſtóque illo humido, quod oppilabat poros arboris in longum, ſi tempus ſit calidum, & locus calefactus, deficiet humidum quod in huiuſmodi arbore præſtabat fructibus nutrimentum, tuncque calore conualeſcente maturabuntur fructus illi, & cadunt, ex defectu nutrimenti. Et tunc iterum ſi abundet pluuia in illa terra, ex abundãte ſiccitate in huiuſmodi arboribus attrahitur iterum humor in excedenti abundantia, ex quo & fructus generabuntur ſimiliter, vt prædictum eſt: vnde arbores quædam multotiens ferunt in anno fructum ex huiuſmodi abundantia, ſed hoc non accidit niſi in calidis regionibus, & in quibus eſt multa caliditas interpolatim, & parua pluuia ſicut in Maurorum regione.

Roſa in Natali Domini

Exemplum.

Vt arbores ſæpe ferant fructus in anno.

De illa quæ fit ex putrefactionibus.

CAP. XCVI.

AVguſtinus *de Ci. Dei libr.* 19. Porro cadauer animalis mortui, ſi nulla ei cura condiendi adhibeatur, quæ formam eius diſſolui dilabique non ſinat, ſed naturali curſui relinquatur tamdiu quaſi tumultuatur diſſidentibus exhalationibus, noſtroque ſenſui diſconuenientibus, id enim eſt quod in putore ſentitur donec elementis mundi conueniat. Et in pacem eorum paulatim particulatimque diſcedat. *Ex libr. de vaporibus.* Quemadmodum autem accidit in cadauere quod exhalato humido ſubtili ab ipſo animalia generari contingit, ſic etiam in aqua ſtante calor aeris ipſam circunſtantis vincens calorem ipſius aquæ ſtantis, humidum ſubtile, quod naturalem ipſius aquæ calorem nutriebat, ad ſe attrahit, & cum humidum illud ebullit in ſuperficie ipſius aquæ cum calore aquæ illius ei adhærente, generantur herbæ minimæ ſine radicibus, natantes in ſuperficie ipſius aquæ: vnde generatio huiuſmodi animalium in putrefactis cadaueribus comparatur herbis in ſuperficie aquę putrefactæ natantibus. At vero mare putribile non eſt, ſed nec putrefiunt enrrentes. Dicit autem philoſophus, quod hoc ideo eſt, quia in motu eſt. Ego autem dico, quod motus non facit quin putrefiunt aquæ. Sed motus ipſe eſt ſignum, quòd calidum in eis abundet, & quamdiu ſic eſt, tamdiu erunt ſine putredine. Eſt enim putrefactio caloris naturalis per aerem circunſtantem corpus exhalatio. Et bene motus humidorum eſt in eis ſignum caliditatis, quia quando non mouentur, in ſtando congelantur, & hoc per compreſſionem aeris calidi, qui prius erit in eis.

Herba in aquis putridis

Cur mare non putrefit

De exhalatione, quæ fit per attractionem.

CAP. XCVII.

PRædictæ quidem euaporationes, vel exhalationes fiunt per eleuationem vel ſublimationem. Et interdum etiam exhalant aliqua per attractionem. Fit autem attractio quandoque per loci vacuitatem, vt apparet in ventoſa in aqua cum accenditur ſtupa, rarefacit aera circunſtantem in ventre ventoſæ, & ducit in raritatem eſſentiæ aeris innaturalem, quæ flamma extinguitur quando ventoſa corpori coniungitur. Et aer de ſui natura redit ad eſſentiam ac depreſſionem in ventre ventoſæ, & tunc occupat locum minorem quàm prius. Et ne locus ſit vacuus, qui prius occupatur aere rarefacto, ſanguis exit de corpore ad repletionem illius. Item ſi opponatur phiala plena aqua ſuper vinum in alia phiala contra ſolem, ita quod ſuperficies vini, & ſuperficies aquæ iunctæ ſint ſecundum continuationem, ſi phiala habeat collum gracile, ſubitoque vertatur, tunc vinum non aſcendit in phialam aquæ, ſed ſolum inficit aquam phialæ ſecundum calorem, & ſaporem. Illa tamen aqua in ſubſtantia eſt aqua. Et hoc eſt quod diuites decipit, cum deſiderant vinum in febtibus acutis, quia ſatis fit eis cum hoc pro vino datur eis. Item alio modo contingit attractio, cum ſcilicet attrahens deſtitutum eſt ab eo quod attrahit, & debet ipſum habere naturaliter. Verbigratia. Cum ſcirpus ſiccus & craſſus deſtitutus eſt à ſuo naturali humido, & coniungitur mixto ex aqua, & vino, attrahet ad ſe humidum aquoſum naturaliter, à quo deſtitutus erat, & relinquetur vinum purum. Hic etiam modus contingit in oui albumine, cum eius aquoſum remanet abſente viſcoſitate. Nam in hyeme cum auferuntur à ficu cortices à lacte viſcoſo deſtitutæ, & ponuntur in ouorum albumine, non attrahunt niſi albumen viſcoſum, & ideo remanet albumen aquoſum ſine aliqua viſcoſitate. Eſt etiam alia attractio, cum aliquid attrahit ad ſe ſuum ſimile, ſicut cum herbæ ſalſæ attrahunt ad ſe ſalſedinem terræ, itaque poſtea remanet dulcis terra. Eſt, & attractio alia, quę viget in caliditate, & ſiccitate, quando ſcilicet calidum, & ſiccum circunſtans aliquod corpus habens humiditatem idoneam ad nutrien-

Cur ventoſa fugunt ſanguinem.

Aquam colore vini inficiendi ratio

Modus purificandi vinũ dilutum.

dum illum calorem, attrahit ad ſe humidum, quod erat in illo corpore. Si enim humido illi adhæreat calor, extrahetur in ſuperficie illius rei calidę illud quod facit rem (ſi fuerit alba) nigreſcere. Et hæc eſt cauſa curſcyphus habens minimum de cupro & multum argenti, nigreſcit in igne poſitus, ſicut infra dicetur in tractatu de natura metallorum.

De fumo.

CAP. XCVIII.

AVctor. Fumus autem (*vt ait Philoſophus in 3. Meto.*) vapor eſt aduſtus. Eſt tamen multiplex, vt dicetur inferius. *Ex imagine mundi.* Fumus aſcendit de aqua. Omne namque corpus conſtat ex quatuor elementis. Lignum autem eſt corpus, quod igni iniectum, ignis materies quæ ei ineſt ardet. Terræ autem materies in cinerem vertitur. Aquæ vero, & aeris materies euaneſcit in aerem. Ideo fumus ille amarus eſt, quia natura aquæ ſalſa eſt, ſiue quia terræ admixta eſt. *Hugo de ſex diebus.* Fumus nihil aliud eſt quàm guttarum minutiſſimarum aquę congeries, per virtutem caloris in aera eleuata. *Auctor.* Fumus oculos grauat. Eodem tempore partim oritur, partim qui ortus fuerat in ſuperioribus diſſipatur. Nam aſcendendo attenuatur, & deficit. *Auicenna in quarto cano.* Fumus eſt terrea ſubſtantia, ſubtilis, digeſtiua, reſolutiua. Diuerſificatur autem eius ſubſtantia, & omnes ſpecies eius ſunt exiccantes. Eſtque in eis igneitas pauca, horum autem eſt fortior cinis Alchitram ideſt picis liquidæ, deinde picis humidę deinde picis ſtoracis, deinde mirrhæ, poſtea thuris, poſtea therebintinæ. Fumi autem naphtæ, videtur fortior omnibus: fumus thuris & therebintinæ ponuntur in medicamentis vlcerum oculi, & prohibent ortum pilorum abditorum, & curſum & corroſionem, & humiditates, cum quibus, & opthalmia, & vlcera lacrymaliũm oriuntur. *Albertus.* Si autem quęritur quæ differentia ſit inter exhalationem, & euaporationem, & fumum. Reſpondemus, quòd fumus propriè dicitur inquantum ab exteriori calido igneo, ideſt agente ſecundum proprietatem ignis elicitur, ſicut terreum ſiccum, quod proximum eſt vaporibus odorum. Fumus enim eſt vapor terræ, ſicut habetur in libro Metheo. Vapor igitur eſt inquantum elicitur ab intrinſeco calido. Exhalatio vero inquantum ab exteriori calido agente educitur calidum naturale, & cum illo humidum ſiccabile.

Fumi fortiores.

De Trina fumi varietate.

CAP. XCIX.

ISaac. Fumus triplex diuiditur. Vnus eſt quietus, & nullius odoris neque motus. Alius velociter mouetur, fortis odoratus, & aeris paſſiuus. Tertius autem inter hos duos mediocris, quoniam & ſi mouetur, & alicuius ſit odoratus, & aeris paſſiuus, temperamento tamen vicinus eſt. Primus quidem ſubſtantiam terreſtrem craſſam, & in aere grauiter diſſoluendam, tardeque in eo formandam ſignificat, & in eo, nec calor, nec frigiditas certificari poſſunt. Sed licet ex ſe nil ſignificet, nec materiam ſuam monſtret, tamen propter ſui motus defectionem & nullius aeris paſſiones craſſiciem ſuam, & frigiditatem propalet neceſſe eſt. Secundus materiam ſuam monſtrat eſſe ſubtiliſſimam ac penetratiuam, & calidiſſimam, & in duo diuiditur. Quidam enim ſua virtute & aeris perforationem temperatæ complexionis eſt, & inanimato ſpiritui conueniens. Altera vero intemperatæ complexionis, & inanimato ſpiritui inconueniens, hic malorum humorum, & corruptorum multitudinem ſignificat habere ſubiectum, eo quod naturales exierint qualitates. Et ideo complexionibus humani corporis repugnat, & portendit odoris horribilitas ſubſtantiæ ſuę corruptionem; Quæ cõtingit aut propter calorem non naturalem, aut propter putrefactam humiditatem. Si primo modo, fætens erit, quia huius calor in humiditate ebullitionem facit. Indéque putoris cauſa fit. Horum nutrimenta corrupta paſſiua ſunt, & putredinem in ſtomacho generant, ac peſſimitatem fumorum ad caput aſcendentium. Si ſecundo modo, fætens non erit nec fætentem reddit odorem, ſed grauem, quorum tamen nutrimenta ſunt peſſima, minoris tamen nocumenti ſunt, quàm eius qui fœtens fuerit. Denique ſi odor fuerit temperatus, ſubſtantiæ temperantia monſtratur: ſi horribilis ergo fœtidus, vel grauis, ſi fœtidus defectus caloris naturalis ſignatur, & virtutis naturalis, ſi grauis ebullitio, & putrefactio humiditatis. *Auctor.* De fumo fœtido in cadaueribus dictum eſt paulo ſuperius

De odoribus in genere.

CAP. C.

AVctor. Quoniam autem in vaporatione, quæ ſubiectum odorum eſt, exhalatio, & fumus inueniuntur, ideo hæc nomina odoribus attribuuntur: Odor ergo inficit aera, vnde iuxta Iſidorum Aroma dicitur quaſi Ærioma. *Guilielmus de conchis.* eſt ergo qualitas corporum, quæ odor nuncupatur. Aer vero rerum qualitates quas tangit, maximèque figuram, colorem, odorem, ſaporem, frigus, calorem, aſperitatem, lenitatem, aſſumit ſibi. Sed eaſdem penitus conſimiles ſibi. Cum ergo aer pomum tangit, odorem qui eſt in eo aſſumit, cum quo ſcilicet odore nares intrans vſque ad foramen quoddam quod ori & naribus eſt commune peruenit, vbi ſunt caruunculæ duæ, quæ à cerebo prodeuntes in modum mammillarum dependent, has penetrat quidē neruus à cerebro exiēs, quem anima per partem inſtrumenti prædicti, quæ plus ſe habet ad hanc qualitatem quam ad alias, vſque ad prædictum locum tranſmittit, quæ ſcilicet inſtrumenti pars odorem prædictum recipiens in ſe, in logiſtica cellula repræſentat animæ. Nec eundem penitus odorem in pomo & in manu tenentis, & in aere & inſtrumento concedimus eſſe, licèt Boetius videtur dicere. Boetius enim idem pro conſimili ponit interdum.

Arom a vnde

Gloſſatur Boetius.

Vtrum odor ſit qualitas ſimplex ac compoſita.

CAPVT CI.

ALbertus. Porro cum odor ſit agens in olfactu, cuius inſtrumentum habet naturam ſimplicis, quia dominatur in eo frigidum, & humidum, videtur quod odor qualitas ſit ſimplex, quoniam agens & patiens proportionalia ſunt ad inuicem. *Ariſtoteles quoque in libro de ſenſu, & ſenſato* contra Pythagoricos, qui dicebant odores eſſe compoſitos ac nutrire quatuor rationes inducit. Quarum prima eſt. Omne quod nutrit oportet eſſe cibum compoſitum. Odores autèm ſimplices ſunt, non ergo nutriunt. Amplius aqua ſimplex in potu accepta nõ poteſt ſola nutrire, quia coporale mixtum oportet corporis conſtitutiuum eſſe. At odores etiam ſunt aqua ſimpliciores. Præterea odores omnes cum ſunt in vaporatiuo ſicco: ad naturam eius accedunt, ergo ſimplices ſunt, & non nutriunt. Cæterũ omne nutrimentũ compoſitũ ab animali receptum vadit ad locum digeſtionis: à quo nutritur corpus totum. At odores non vadunt ad digeſtionis locum, ſed ad caput tantum. Non ergo vt cibus compoſiti ſunt, nec nutriunt. At vero contra rationes huiuſmodi poteſt opponi, quoniam odor eſt qualitas nutrimenti deſiderium conferens ſicut in eodem libro ſcriptum eſt. Non autem eſt

Odores non nutriunt.

qualitas

qualitas ſimplex, quia (ſicut dictum eſt iuxta eundem philoſophum) nuttimentum non eſt ſimplex ſed cõpoſitum. Præterea odor ſentitur per differẽtias compoſiti, quia (ſicut in eodem libro dicitur) oportet odores eſſe proportionales humoribus, ideſt ſaporibus. Et in 2. de anima dicitur, quod odores ad guſtum Analogiam habere videntur, & ita eſt humor ideſt ſapor hic quidem dulcis, ille vero amarus ſimiliter & in odoribus. Cum ergo quicquid ſentitur per differentias compoſiti, compoſitum ſit, oportet etiam quod odor qualitas compoſita ſit. Nos itaque dicimus, quod odor conſideratur modis duobus. Vno modo ſcilicet ſecundum quod naturam qualitatis habet & ſecundũ hoc ſimplex eſt. Alio modo in comparatione ad ſubiectum in quo eſt. Et hoc dupliciter. Vno modo ſcilicet in comparatione ad ſubiectũ, in quo eſt, quod eſt materia, & odoris cauſa, & hoc eſt odorabile corpus. Et ſecundum hoc non eſt odor ſimplex, nec conſtituitur ex ſimplici. Alio modo in comparatione ad medium, quod eſt ſubiectum differentiæ. Et ſecundum hoc ſimplex eſt quodammodo, ſcilicet quod ſimplex dicitur, quod eſt ſpirituale ſecundum aeris naturam. Et compoſitum quod eſt craſſum, mixtum habens purum impuro, & graue leui, ſicut eſt cibus animatorum corporum. Et de hac ſimplicitate intelligit philoſophus quod inducit contra Pythagoricos in ſuis rationibus. Porro illa proportio quæ eſt inter agens, & patiens, non attenditur in ſimplicitate vel compoſitione. Sed potius in hoc, quod patiens receptiuum ſit agentis formæ. Simplex enim bene agit in compoſitum, vt patet quando ignis exurit lignum.

Odor dupliciter conſideratur.

Quo ſenſu odores ſunt Simplices qualitates.

A

B

C

Quòd odor principaliter conſtituitur in vapore calido, & ſicco.

CAP. CII.

ODor principaliter quidem conſtituitur in actu ſicco. Secundario autem in humido ſaporoſo. Quod contingit tribus de cauſis: Vna eſt, ſcilicet quod odor refertur ad alimentum cuius excitat deſiderium. Alimentum quippe oportet incorporari, at omne quod incorporatur, neceſſe eſt id cui incorporatur ſubintrare. Non autem ſubintrat niſi in hoc quod eſt humidum ſubtile, & per hoc quod eſt humidum quærit terminos alienos, ac vt terminetur ad partes eius quod nutritur. Et per hoc quod eſt ſubtile fit penetratiuum partium, & partis partium, vt habetur in ſecundo de generatione, & corrupt. Neceſſe eſt itaque ſaporem, quoniam eſt in alimento, conſiſtere principaliter in humido, & ſecundario in ſicco. Odor autem quia non debet incorporari, vt præhabitum eſt; ideo conſtitui debet oppoſito modo ſcilicet principaliter ex ſicco, & ſecundario ex humido ſaporoſo. Secunda cauſa eſt in comparatione ad organum ſenſus, quia ſcilicet illud frigidum, & humidum eſt, vt habitum eſt ſuperius. Sic ergo neceſſe eſt odorem eſſe actu calidum, vt temperet excellens frigidum in cerebro. Ita neceſſe eſt, quod in actu ſit ſiccus vt temperet excellens humidum in eo. Tertia cauſa in comparatione ad medium per quod eſt odoratus, hoc enim eſt medium extra ſcilicet aer, & aqua. Dicit enim Ariſt. in primo Meteo. quod vapor calidus, & ſiccus omni vapore longe altior aſcendit. Ad odoratum neceſſe eſt, vt ſit in vapore actu calido, & ſicco. Si autem obijcitur, & quicquid quærit terminos alienos, principaliter humidum eſt. Reſpondemus quod quærere terminum alienum contingit ex duplici cauſa. Vna ſcilicet propter vehementiam paſſibilitatis: quia nullo modo ſtat in ſe & ſic humidum quærit terminos alienos. Alia vero propter vehementiam qualitatis actiuæ: quia ſcilicet quærit aliorum naturam in ſe tranſmutare, & ſecundum hoc calidum terminos alios quærit: præcipuè quando ſiccum eſt, & hoc modo terminos alienos quærit odor.

Cur ſapor principaliter in humido?

Odores cur calidi?

Nota determino alieno acquirendo.

D

E

F

Quod odor per euaporationes immutat.

CAP. CIII.

IN hoc autem ab omnibus alijs ſenſibilibus differunt odores, quia immutant per euaporationes. Dicit enim *philoſophus in libr. de ſenſu, & ſenſato, quod odor eſt fumalis euaporatio.* Fumalis autem euaporatio eſt ab igne, hoc etiam probari poteſt per hoc, quod in reſpirantibus membrum illud quod eſt excellenter calidum, neceſſe eſt habere refrigerationem, & mitigationem caloris ſui per aliquod, quod ſit actu frigidũ ad ipſum potẽs pertingere, qualem cor in animalibus habet per aerem inſpiratum: ſimiliter ergo, & membrum illud quod eſt excellenter frigidum, neceſſe eſt habere mitigationem frigoris, & per aliquid quod ſit actu calidum pertingere oportet ad ipſum. Quod quia niſi per euaporationem non poteſt, per euaporationem contingere neceſſe eſt. At vero nullum ſenſibile niſi odor habet organum ſuum à cerebro immediatè. Ideoque neceſſe eſt odorem per euaporationem ad cerebrum pertingere. Si autem obijcitur in contrarium, quod differentiæ odorum ſunt circa differentias ſaporum. At vero ſaporem non contingit fieri per euaporationem. Reſpondemus, quod illud non debet ita intelligi, quod differentiæ ſaporum, & odorum ſint eędem. Sed quia differentiæ odorum ad differentias ſaporum analogiam habent duplicem. Vna eſt, quia quicquid non habet ſaporem, etiam non habet odorem, vnde dicitur in libro de ſenſu & ſenſato, quod elementa ſunt inodorabilia, quoniam humida, & ſicca eorum achymia ſunt, & ſine ſapore, niſi fiant commixta. Secunda analogia eſt, quia ſapores & odores conſtituuntur ex eiidem qualitatibus primis, licèt non eodem modo complexis, actiuis, & paſſiuis. Sapor enim principaliter conſtituitur ex humido, ſecundario ex ſicco, calido commiſcente ſiccum cum humido. Odor autem principaliter ex ſicco, & ſecundario ex humido calido euaporationem faciente. Frigidum autem hebetat ſapores, & extinguit odores per hoc quod impedit euaporationem. Vnde patet quod odorum & ſaporum differentiæ non ſunt circa idem numero, quod fit immediatum vtrique. Si autem obijcitur iterum, quod non fit euaporatio niſi eleuatis partibus omnibus ſubtilioribus à corpore euaporante, partes autem illius corporis ſunt, in quibus eſt humidum ſaporoſum, ſicque videtur quod humidum ſaporoſum ſit in vapore odorum. Et quòd vtrumque diſcernatur per olfactum. Dicimus quod quando partes ſaporoſi eleuati ſunt ab ipſo per euaporationem, tunc non ſunt ſaporis vel humidi ſaporoſi ſubiectum. Sed potius quando ſunt in corpore commixto in quo dominatur humidum ſaporoſum, & ſic ſimili modo non ſunt odoris ſubiectum niſi potentia, ſcilicet inquantum poſſunt euaporare per calidum ſiccum.

Odor quid?

Obiectio.

Reſpoſio.

Analogia inter differentias odorum & ſaporum.

Obiectio.

Reſponſio.

Quod odor, & ſapor diuerſimodè cauſantur à qualitatibus ſubiectorum complexionalibus.

CAP. CIV.

CVm autem paſſio cauſata per ſe ex qualitatibus complexionantibus ſubiectum ſuum, ſit ſequela totius complexionis. Odorque ſit huiuſmodi paſſio, quoniam in eo permixtum eſt humidum ſiccum, & calidum euaporare faciens, ex quibus principaliter conſtituitur odoriferum corpus, videtur quòd odor ſit ſequela totius complexionis rei odorantis. At vero huic videtur eſſe contrarium, quod habitum eſt ſuperius. Idẽ corpus eſſe odoriferum, & ſaporoſum,

Obiectio.

vnde ſi odor eſſet ſequela totius complexionis. Eodem modo, vt videtur, & ſapor. Odor autem principaliter eſt in ſicco, & ſecundario in humido, ſapor econuerſo. Secũdum hoc ergo idem corpus eſſet principaliter ex ſicco, & ſecundario ex humido, & econuerſo, quod eſt impoſſibile. *Reſponſio.* Nos itaq; dicimus quod ſapor & odor reuera ſunt ſequela complexionũ corporum odorantium, quia cauſantur à qualitatibus complexionalibus, vt dictum eſt: verumtamen non oportet quod eodem modo cauſentur ab illis quo complexionantur, ac per hoc ſapor conſiſtit principaliter in humido, quoniam habet influere in partes, & nutrire. Odor autem principaliter in ſicco calido, vt temperet frigiditatem, & humiditatem cerebri. *Cur odor dicitur paſſio ſaporis.* *Dicitur autem odor paſſio ſaporis*, quia non accidit, niſi cui accidit ſapor, & cauſatur ab eiſdem principijs, non quidem eodem modo ſe habentibus, in odore, ſcilicet & ſapore, Sed eo modo quo dictũ eſt ſupra. Itaq; virtus ſaporis non eſt aliena, nec accidentalis odoribus, quia ſicut dictũ eſt, odores cauſantur à principijs ſaporis, verum odor nõ eſt paſſio proportionata vt habitum eſt & infra dicetur. Quæri poteſt cur non omnia corpora nobis bene ſapiant: quæ nobis bene odorant: Nam & *philoſophus ſecundo de anima dicit*, quod alia quidem proportionaliter habent odorem, & ſaporem. Alia vero contrarium, &c. *Non ſemper odor conſequitur ſaporem.* Nos itaque dicimus, quod non in omnibus odor ſaporem ſequitur. Nec hoc dicit philoſophus, ſed dicit, quòd in quibuſdam ſit, in quibuſdam non. Et huiuſmodi cauſa eſt: quia quandoque in corpore odorabili humidum, quod actu in ipſo eſt, indigeſtum eſt. Ideoque dat odorem acutum aereum illud quod euaporat ex ipſo per calidum. Et digeritur complete per calidũ, quod facit ipſum euaporare, hoc enim ſubtile eſt, facile digeſtibile. Et tunc erit odor dulcis, hoc propriè accidit in floribus, & in quibuſdam pomorum acetoſorum fructibus. *Odor dulcis quomodo ſit?* Et huiuſmodi ſignum eſt, quia ſi huiuſmodi poma aſſarentur vel elixarentur, acquirerent etiam dulcem ſaporem per humidi decoctionem. Odores itaque qui habent delectabile ſaporum, proportionati ſunt ſaporibus. Ideoque penes ipſum non diſtinguitur: qui vero proprium habent delectabile non ſemper proportionati ſunt. Odor enim floris quandoque dulcis eſt, etiam vbi ſapor non eſt dulcis. Ideoque penes ſapores non poſſunt diſtingui tales odores.

De quibuſdam corporibus odorabilibus ſecundum Ariſt.

CAP. CV.

Sal magis odorabile quam nitrũ. POrro dicit *philoſophus in libr. de Senſu, & ſenſato*, quod mare odorem habet, & ſal magis odorabile eſt nitro. Quod etiam manifeſtat per hoc: quoniam à ſale, & nitro fluit oleum, magis autem terreum eſt nitrum. Amplius inquit lapis non odorat, quoniam achymus eſt: ligna vero odorant, quia ſunt enchyma, lignorum quoque quę odorabilia ſunt aquatica minus. Vt enim iam habitum eſt ſupra nihil eſt odoriferum, niſi quod eſt compoſitum, & vapore ſicco euaporatum. Elementa igitur cum ſint ſimplicia, non ſunt odorabilia. Mare vero cum admixtũ habeat vaporem ſiccum terreſtrem aduſtum, qui cauſat ſalſedinem in eo, efficitur odoriferum, quoniam odor conſiſtit in vapore ſicco. *Mare odoriferum cur?* Porro ſal eſt ſpecies terræ, vt habetur in libris Meteororum, generatur enim ex ſicco terreſtri combuſto, liquente autem humido aquoſo. Nitrum autem ſpecies plus ſicca. Propterea etiam magis olei extrahitur de ſale quam de nitro, ſicut expertum eſt in alchymia. Et hoc ideo: quia humidum aereum plus eſt in ſale, quam in nitro. Quod quia facile vaporat, ideo magis eſt odoriferum ſal, quàm nitrum. Lapis vero generatur ex luto viſcoſo, & eſt compactus ac terreſtris. Ideoque non vaporat, ac per conſequens non habet odorem. Ligna vero plus habent de aereo, cuius ſignum eſt, quod cremabilia ſunt. Et quoniam talia facilè vaporant, ideoque ligna odorabilia ſunt. Et inter hæc aquatica ligna: quia magis frigida ſunt, & humiditate aquæ magis humida. Ideoque non magis ſed minus vaporantia ſunt, ac per hoc minus odorabilia.

De odoribus quorundam metallorum.

CAPVT CVI.

Ariſt. in lib. de ſenſu, & ſenſato. Inter illa vero, quæ metallantur, aurum non odorat: quia achymum eſt. Æs autem ideſt cuprum, & ferrum odorabilia ſunt. Et quando comburitur humidum in metallis: tunc ſcoriæ metallorum odoriferæ, ſiue odorabiles fiunt plus ipſis metallis. Argentum vero, & ſtannum magis odorantur quam aurum, minuſque quam æs aut ferrum, eo quod magis aquatica ſunt. *Albertus.* Aurum quippe, quia fit ex puro ſulphure, & argento viuo optimè commixtis: calido commiſcente: ac frigido congelante vehementem habet compactionem ex commixtionis bonitate. Et huius ſignum eſt eius ponderoſitas: habet etiam conſtrictionẽ pororum extrinſecus ex frigido congelante. Et vtrumque illorum prohibitiuum eſt euaporationis: ac per conſequens odoris. Cuprum autem & ferrum ita ſe habent, quod in cupro quidem eſt ſulphur purum, & argentum viuum non purum, & non bene commixta nec æqualia: quia plus eſt ibi de ſulphure. Ideoque nõ eſt ſolidum in partibus, ſed ob abundantiã ſulphuris eſt poroſum, & ob hoc euaporatiuum, ac per conſequens odoriferum. *Cur cuprum non ſit ita ſolidum.* Ferrum autem eſt ex ſulphure viſcoſo, & argento viuo lutoſo. Et propter viſcoſitatem huiuſmodi nõ poteſt aqueum huiuſmodi argenti viui ſeparari. Ideoque ferrum non eſt liquabile, ſed mollificabile, & propter hoc non bonam habet commixtionem, poroſum eſt atque euaporatiuum, & per conſequens odoriferum. Porro ſtannum, & plumbum ex vtroque impuro ſunt. Sed vincit in eis argentum viuum aqueum, & non habent compactionem partium, propter minorem ergo compactionem magis odorifera ſunt quàm æs, & aurum. Denique ſcoriæ omnium illorum propter actionem calidi quod eſt aperitiuum pororum, & euaporatiuum terrei, & humidi magis odorabiles ſunt.

De odoribus ciborum ac medicaminum.

CAP. CVII.

Razi in Almanſore. Plures autem vapores faciunt paſſionem in odoratu, quemadmodum & in guſtu. Aqueum enim & omnia acerba, & pungitiua, vt alium, & cepæ lædunt odoratus ſenſum nõ minus fere, quàm guſtum. Sic & in omnibus alijs ſecundum maiorem partem, ea quę mouent ſenſum guſtus, mouent & ſenſum odoratus, vnde & eſt inuenire plurima, quæ nunquam guſtauerunt homines propter odorem eorum fætidum: quia norunt cuius naturæ ſunt per copiam certificationis, quę peruenit ad illos ex eorum odoribus. Sunt autem & alia, quorum odor naturam eorum non prædicat, & hæc quidem aut diuerſa ſunt natura, aut odore priuata. Quæ diuerſa ſunt natura, iucundi ſunt odoris, maximeque roſa. Guſtus enim eius valde manifeſte diuerſus eſt ab odore. Nec ſignificatio concordat vtriuſque. Cuius rei cauſa eſt, quia roſa varia eſt, & non conſimilium partium. *Cur guſtus & odor roſarum, &c. differunt.* Guſtus quidem eius compoſitus eſt ex amaro, & aſpero ſuauiq;, & aquoſo. Pars eius amara calida eſt, & ſubtilis, pars ſuauis aſpera eſt, frigida, & craſſa. Aquoſa vero in ſapore varia eſt, media inter ſubtilem, & inter craſſum. Subſtantia vero odorifera eſt vaporoſa, & diſſoluta, maximè in corporibus odoriferis iucundi odoris. Vapor autem ex caloribus generatur, nec ab omnibus partibus odorati reſoluitur. Odor enim roſæ non ſignat quid calidum, & ſubtile in omnibus partibus eius tãtummodo. Sic ergo omnia quę odorẽ habent calida ſunt. Sed cum ſignificatio naturæ, quæ

ſumitur ex odore, tranſit rerum iucundarum odorem, nec eſt illi adæquata, fida non eſt, maximeque roſæ. Quæ autem odorem non habent, vt dulcia, & ſalſa, non manifeſtatur à nobis virtus eorum, niſi per ſaporem. Quæ etenim odore carent, aut ideo priuata ſunt odore: quia vapor, qui ſoluitur ab eis, eſt in vltimo paruitatis, aut quia non conſonat odoratui in temperantia inter craſſum, & ſubtile. Hinc eſt ergo, quod amara, & pungitiua propter ſubſtantiæ ſubtilitatem odorifera ſunt odoribus conſonis eorum ſaporibus. Salſa autem & aſpera odore priuata manent. He nãq; ſpecies ambæ ſunt craſſæ ſubſtantię. Et aſpera cum craſſiore ſubſtantia frigidæ complexionis ſunt, qua etiam de cauſa nullus eb ea vapor diſſoluitur. Porro odoriferorum odor deſignat, quod ſubtilis ſubſtantiæ ſunt, & calidæ complexionis, non tamen eſt certa ſignificatio quanta ſit eorum ſubtilitas, & calor. Ideo que indicium complexionis rerum ex odoribus minimè eſſe perpenditur. *Auicen. in 2. Cano.* Odores quidẽ proueniunt à caliditate, & proueniũt à frigiditate, ſed eorum olfactio, & ipſorum ſternutatio ſecũdum plurimum eſt caliditas, quia cauſa plurima in propinquitate odorum ad virtutem odorandi eſt ſubſtantia ſubtilis vaporoſa, quamuis aliquando ſit ſecundum ſemitam conuerſionis aeris præter reſolutionem alicuius rei ex habente odorem. Omnes ergo odores ex quibus ſentitur mordicatio, aut declinant ad latus dulcedinis, calidi ſunt. Illi vero ex quibus ſentitur acetoſitas, vt roralis characatus ideſt lacualis vapor ſcilicet de lacubus, vel paludibus omnes frigidi ſunt: omnia quoque bene redolentia ſecundum plurimum ſunt calida, præter illa quibus aſſociatur roralitas, vt muſcus, & ſadatio Spiritus, & anhelitus, vt camphora, & venufar. Amborum enim corpora non euacuantur ſubſtantia in frigiditate aſſociata odori vſque ad cerebrum, omne ergo bene redolens eſt calidum, ſimiliter etiam ſpecies, vt Piper, & ſimilia quæ calida ſunt, & ob hoc dolorem capitis faciunt.

De differentys odorum.

CAP. CVIII.

Albertus. De differentijs odorum *in lib. de Senſu, & ſenato dicit Philoſophus*, quod duæ ſunt ſpecies odoris. Vna ſcilicet quæ eſt penè delectabilis odoratus in ſaporibus, & non habet delectationem per ſe ſolum niſi etiam in quantum ſaporabile. Alia quando quidem ſecundum ſeipſos odores delectabiles ſunt. Exemplum primæ eſt odor ciborum. Secundæ autem odor florum. Porro *Gregorius Niſenus* dicit, quod generaliſſima odorum differẽtia eſt bonus odor, & malus. Et horum medium, quod ſcilicet nec bene odorabile eſt neque fætidum. Sciendum autem, quod ſpecies odoris diſtinguuntur ſecundum duplicem modum ſcilicet in ſe, & in comparatione ad delectationem, vel triſtitiam, quam inferũt olfactui. In ſe, quoque diſtinguuntur dupliciter ſcilicet abſolute, & in comparatione ad ſapores. Abſolute cum diſtinguũtur, propria eorum nomina non habemus, eo quod male odoramus. Vnde in illa diſtinctione non habemus niſi nomina excellentiarum. Et vnum dicimus redolens, & aliud fætens. Et ſi habemus medium hoc non eſt per commixtionem ſed per abnegationem extremorum, ſcilicet quod neque eſt redolens neque fętens. In cõparatione vero ad ſapores denominamus odores nominibus ſaporũ, vt à dulci ſapore, dulcem odorem, & a b amaro amarũ, & à pingui pinguem, & ita de alijs. Sicque multiplicandi ſunt odores ſecundum doctrinam ſuperius habitã de coloribus & ſonis. Porro penes delectabile diſtinguuntur odores in duas ſpecies tantum. Quarum vna eſt ſcilicet ſecũdum delectabile quod confert alimento, & hoc principaliter, & primo eſt in ſapore cibi, ſecundo in odore. Odor enim cibi manifeſtat ſaporem, qui eſt in eo delectabilis. Alia vero eſt ſecundum delectabile, quod confert ad ſanitatẽ & hoc eſt per ſe, & principaliter in odore. Cum enim odor ſit quędam euaporatio, pertingit ad locum cerebri, ad quam pertingere nõ poteſt ſubſtãtia cibi. Ideoque neceſſe eſt, vt hoc delectabile ſit per ſe ipſum in odore, & non in comparatione ad cibum, & hoc eſt præcipuè in floribus & aromaticis ſpeciebus. Quia vero humidũ vaporatiuum, vt eſt vinũ vel *κεθὺ γλυκὺ* nocet humano cerebro, eo quod vapores ad cerebrum eleuati propter cerebri frigidam naturam infrigidantur, & corrumpuntur, Indeque fiunt catarri ac defluẽtia reumatis. Ideo quandoque in potu talium immiſcentur odorifera, vt in vnum conueniant duorum ſenſuum delectabilia, vnde delectabile ſaporis in potu ad linguam confert ad alimentum. Et delectabile Aromaticorum in euaporatione ad cerebrum, confert ad ſanitatem.

Odores delectabiles.

De Aere temperato, & intemperato.

CAP. CIX.

Conſtantinus in Pantegni parte quinta. Aer quidẽ eſt temperatus, qui ſcilicet nec calidus eſt, nec humidus, nec ſiccus, nec frigidus: ſicut aer vernus. Quidam autem intemperatus, qui ſcilicet contrario modo ſe habet. *Item temperatus aer eſt mundificatus, ſubtilis, clarus, odore ſuauis, Sole occidente frigeſcens, Oriente vero cito caleſcens.* Aer has habens qualitates, corporum tẽperat complexiones, humores & ſpiritus confortat atque clarificat, & digeſtiuam virtutem adiuuat. Cõplexiones etenim corporis ſequuntur complexionem aeris, vnde ſi aer clarus eſt & lucidus, & humores, & ſpiritus clari ſunt, & lucidi, ſi vero turbidus, humores, & ſpiritus turbantur, & incraſſantur. Intẽperatus autẽ eſt aer, vel in qualitatibus, vt calidior, frigidior, humidior, ſiccior temperato. Aut in tota ſubſtantia, vt peſtilentialis. Qualitates habet quinque modis ſcilicet per diuerſa anni tempora, ſecundum ortus, & occaſus ſtellarum, propter ventos, propter regiones, propter fumos. *Auctor.* De his aliàs plenius dicetur, vbi inter artes cæteras de medicina tractabitur. *Auicenna lib. 1.* Aer bonæ ſubſtantiæ eſt, cui nec admiſcetur ex vaporibus nec ex fumis res extranea, & qui cœlo diſcoopertus eſt, non inter parietes, & tecta conſtrictus. Sed cum in aere putrefactio communis acciderit, tũc diſcoopertus magis eam recipit, quàm conſtrictus, & occultatus. Aliàs autem diſcoopertus melior exiſtit. Et hic quidem bonus aer permanet clarus, niſi cum eo vapores miſceantur lacuum, & ſtagnorum ac profunditatum aquam continentium, & terrarum quæ laxæ ſunt, & locorum vbi olera talia, qualia ſunt eruca, & caules oriuntur, & arbores viſcoſæ malarumque cõplexionum, & nuces & ficus, & odores putridi. Et propter hoc non remoueantur ab eo boni venti, qui ex alta terra ſufflant, vel æquali. *Aer calidus diſſoluit, & laxat:* & ſi caliditas eius pauca fuerit, vel temperata colorem rubificabit, eo quod ſanguinem ad exteriora trahit. Quod ſi fuerit multa, colorem citrinum efficit quia reſoluit illud quod attraxit. Ipſe quoque multũ ſudorem efficit, & minuit vrinam, digeſtionem debilitat, & ſitim facit. Frigidus autem *aer conſtringit, fortioremque digeſtionem reddit, vrinam multam efficit, eo quod humores conſtringit, & in ſudorem parum reſoluuntur, Egeſtionem quoque minuit*, quia muſculis natium ſe exprimentibus rectum inteſtinum parum obedit, iccirco egeſtio multum moratur, & eius aquoſitas in vrinam reſoluitur. Aer humidus *cutem lenit, & corpus humectat.* Siccus vero *cutem exiccat, & corpus denigrat.* Aer turbatus animam triſtificat, & humores commouet. Non eſt autem idem aer turbatus & craſſus. Aer enim craſſus eſt ille, qui in turbatione ſui ſimilatur. Turbatus vero, qui cum partibus craſſis miſcetur.

Temperatus aer qualis.

Diſcoopertus aer minus peſtilentialis.

Aer calidus.

Frigidus.

Humidus ſiccus.

De proprietatibus aeris Septentrionalis.

CAP. CX.

Conſtan. vbi ſupra. Aeris mutatio propter regiones eſt quinquepartita ſcilicet ex loci altitudine, ex eiuſdem humiditate, ex montium vicinitate, ex maris propinquitate, ex natura pulueris terræ. Locorum autem cauſæ maiores ſunt cæteris immutando aerem. Septentrionalis aer frigidus eſt, & ſiccus. Ciuitates ergo ſeptentrionali polo ſuppoſitæ, ſicut ſaxonicæ, hironicæ, frigidiores eſſe comprobãtur ac ſicciores. His aqua clara, & aer clariſſimus, corpora ſaniſſima, color pulcher, & rubicundus, corpora mollia, & fortiora, pectora lata, ſubtiles coxæ: quia calor naturalis ad interiora rediens pectoris, pectora dilatat, coxas ſubtiliat. Et quia ad ſuperiora refugit, inde capita eorum, & corpora fortiora ſunt, & vita longa, mores autem aſperi propter abundantiam coleræ rubeę. Maſculi maxime patiuntur pleureſim, peripleumoniam, alioſque morbos calidos. Fœminæ non multum concipiunt: quia frigidę ſunt. Nec tamen abortiuos pariunt, ſed cum anguſtia magna parturiunt propter earum ſiccitatem. Plurimę vero ſteriles ſunt, his etiam ineſt lactis paruitas, quoniam ex frigido coagulatur aqua. Pthiſis quoque propter laborem partũs: quia venæ in pectore crepant. Ventres huius gentis duri ſunt, vomitus facilis, & ſine anguſtia, appetitus boni, & cito digerentes, quod ex naturali calore eſt ad interiora fugienti. Stomachus mundificatus, potus non appetitus, quem nimia comeſtio tollit. Meridianorum qualitates his contrariæ, & oppoſitæ ſunt: quia ſunt ſecundum calidum, & humidum, & hoc malè recuperatum, multarumque putredinum, ſicut eſt aqua ſalſa, & putrida currens per terræ ſuperficiem. Homines ſicci, color niger, capita humida, & flegmatica. Flegma vero nimium de capitibus deſcendit in ſtomachum, vnde appetitus digeſtioque deficiunt ex nimia frigiditate eorum. Calor enim naturalis diſſoluitur dum exit ad exteriora, vnde deficiunt corpora: quia mollia ſunt, & flegmatica. Ex paruo potu facilè inebriãtur, capitibus cito deficientibus, color eorũ mutabilis, mores quieti, & manſueti, vita parua. In corporibus naſcũtur puſtulæ, vel apoſtemata ad ſanandum ſibi difficilia, propter humectationes nimias ad putredines citas. Plurimæ vero infirmitates in maſculis, dyſſenteriæ, diarrhia febres epiales diuturnæ, cathexiæ humidæ, hemorroidæ. Mulieres ſanguinis fluxu fatigantur, & frequenter abortiunt. Senes paralyſi laborant, pueri epilentici, & haneloſi fiunt. In iuuenibus autem maximè raro infirmitates naſcuntur: quia ventres eorum facilè ſoluuntur, vnde humores humidi purgantur.

Mores Borealium.

Meridianorum.

De proprietatibus aeris Orientalis, & Occidentalis.

CAP. CXI.

ORientalium regionum aer clarus eſt, parum ſiccus inter calidum, & frigidum temperatus, ſicut eſt veris complexio. Illic habetur aqua clara, mollis, ſapore ſuauis, ſiue ſit cæleſtis, ideſt pluuialis, ſiue terreſtris. Clarificatur enim Sole, quippe cum ſplendor eius temperatus ſit, nec eſt ſalſa, cum ibi ſol non diu maneat. Neque cruda: quia non ab ea ſe elongat. Ibi colores hominum lucidi cum rubore, & albedine mixti, carnes multæ, voces clariſſimæ, corpora ſana, & fortia, morbi pauci. Mores non ignobiles, herbæ multæ. Arbores magnæ multum generantur: quia propter qualitatum temperamentum multæ, & perfectæ ſunt actiones earũ. Habitatores huius poli non ſunt ſuperbi neque iracundi, ſed humiles, & manſueti. Ira enim & ſuperbia naſcuntur ex calore intemperato, & multo. Occidentales regiones aerem non temperatum habent, ſed calidum, & humidum craſſum, & clarum. Harum aqua mutabilis eſt, & turbida: quia ſplendor Solis non lucet eis in primis partibus diei, vt eorum aquas, vel aerem digerat, vnde homines ibidem multas patiuntur infirmitates, & color eorum mutabilis eſt, virtuteſque cito deficiũt: quia in æſtate principio diei frigeſcunt, & in veſpere caleſcunt. Aer ergo eorũ inæqualis eſt, ſicut autumnalis, voces mutæ. Et omnibus anni temporibus infirmitates patiuntur. Regiones autem cuilibet iſtarum vicinantes temperatæ, vel intẽperatæ ſunt ſecundum eas quibus affines ſunt.

De diuerſis aeris, & locorum ſitu, & vicinitate.

CAP. CXII.

ALtitudo locorum aerem habet clarum, & mudificatum: quia venti ſeptẽtrionales ab altis locis naſcentes, ad altiora loca cito penetrant. Aqua igitur eorum clara ſubtilis, & dulcis eſt. Homines pulchri coloris, fortes, & ſani, corpora eorum magna: humiles ſunt, & manſueti. Nec labores ſunt eis multi. Aer regionum quæ ſunt in vallibus, ſiue foſſis hyemalibus pluuijs infunditur, quæ ab altioribus ad inferiora facile prolabuntur. Illic homines in æſtate ſitiunt, quam collectam non currentem bibunt. Septentrionales ad eos non pertingunt venti, ſed meridiani tantum & ipſi calidi, iccirco eorum aqua calida eſt, multum infirmantur, virtutes eorum euacuantur, his corpora parua, & lata, crura craſſa, pili nigri, & cutis nigra ſiue liuida. Nec ſunt multi laboris propter molliciem corporis. Si vero loca non multum ſunt calida inhabitantes ſunt hydropici. Ex montium quoque vicinitate mutatur aer; ſi enim mons Meridiano vento eſt oppoſitus, & ſeptentrionalis ad eum perueniat, aerem frigidum, & ſiccum habet ſecundum qualitatem ſeptentrionalis. Si vero ſeptentrioni oppoſitus fuerit, econtra accidit. Ex vicinitate maris mutatur aer. Quia ſi mare ſit ex parte ſeptentrionali, fumus aſcendit de mari, qui vicino miſcetur aeri, & ſic eius natura frigida, & ſicca. Si autem ex parte meridiei calida erit, & humida. Mutatur etiam ex natura pulueris, quia ſi terra petroſa fuerit, regio frigida & ſicca erit, hoc enim teſtatur aqua profluens ex lapidibus frigidior, quàm quando ex luto naſcitur, ſi autem terra ſolida eſt, & aſpera, regio erit calida, & ſicca. Et inhabitantium corpora, ſicca, & macida. Si vero terra argilloſa, regio humida, & frigida eſt. Mutatur etiam aer ex natura fumi: quia ſi in exercitijs quorumlibet, vel quamlibet inhabitantium terram, ſiue in cryptisſiue ſimilibus vbi ſedent locis, paludes, herbæ, ſyluæ, arbores fætentes ſunt, aer cito putreſcit, vnde loci illius incolæ ſæpe ſolent ægrotare, Exque illa putredine cum fumi diſſolutione febricitare, quorum colos citrinus efficitur. Cibus non bene digeritur. Eorum enim aqua puttida cibum retardat, ſunt ergo ſine virtute.

Cur altis locis aer clarus?

Vicinitas maris mutat aerem.

De Aere peſtilentioſo.

CAP. CXIII.

AEr autem à ſubſtantiæ ſuæ temperamento in putredinem ſeu quamlibet peſſimam qualitatem mutatus peſtilentialis vocatur, vnde loca illa inhabitantibus vniuerſaliter, & æqualiter morbi dominantur: quia in diuerſis corporibus ſuis multa peſſima accidentia vnum, & eundem morbum facientia coadunantur, ſicut alienationes, dolores, nimij ſudores, in extremitatibus corporum frigiditates, in pectoribus calores, in linguis ſiccitates, in ore fætores, nimiæ anxietates, vomitus colerici, ſolutiones, ventoſitates, vrinæ peſſimæ ac diuerſæ, hic morbus vocatur epidimyacus: quia multiplex eſt, & ſubitus, vno eodemque tempore multis incongruens hominibus,

Cauſa morbi Epidimyaci.

huius cauſa eſt vniuerſallis mutatio circundantis aeris. Qui duabus ex cauſi mutatur, ex ſitu regionis, & ex qualitate temporis. Mutatio propter focum, fit ex fumo diſſoluto herbarum, fructuum: vel ſimilium putrefientium: quia dum aſcendit miſcetur aeri. Similiter ex fumo lacuum: cryptarum, foſſarum, corporum mortuorum. Mutatio ex qualitate temporis eſt: cum tempora naturam ſuam exierint, vt ſi tempora hyemis fuerint calida, & ſicca, ac ſine pluuia.

Intemperies anni cauſans peſtem.

Æſtas autem pluuioſa, vel frigidum, & ſiccum, autumnus calidus, & humidus. Hinc enim peſtilentia locis euenit, facierum varietates, peracutæ febres cum accidentium peſſimitate. Cauſa hæc prima minor eſt, quæ non tantum homines ſed beſtias mortificat ex corruptione humorum, ſiue ſpirituum. Aliquando etiam hæc peſtilentia cadit in terræ ſeminaria, vnde fructus arborum perdunt colores, & ſuccidunt, quos aliqui comedentes in peſſimas incidunt infirmitates. Corpora vero malis humoribus mundificata, & in cuſtodienda ſanitate non neglecta, in hac tamen peſte permanent ſalubria. Similiter & illa quorum complexio complexioni mutati aeris eſt contraria. Non ſolum inde non deteriorantur, ſed etiam ex eadem mutatione meliorantur. *Ex imagine mundi.* Ex aere igitur naſcitur peſtilentia, vel ſiccitate, vel calore, vel tempeſtate corrupto. Quæ ſpiraculo percepto, luem, vel tempeſtatem, vel mortem generat. *Iſidor. libr. 4. dicit.* Peſtilentia eſt contagium, quod dum vnum apprehendit celeriter ad plura tranſit, gignitur enim ex aere corrupto. Et in viſceribus penetrando innititur, hæc etſi plerumq; per aereas poteſtates fiat, tamen ſine arbitrio omnipotentis Dei omnino non fit: dicitur autem peſtilentia, quaſi peſtilentia, eo quod velut incendium depaſcens in toto corpore peſtis deſcendit. Eadem, & contagium à contingendo, quia quæcunque contigerit polluit. Ipſa, & inguinaria ab inguinum percuſſione, dicitur & lues ab labe, & luctu: quæ tam acuta eſt, vt non habeat ſpatium tem-

Etymologia peſtilentiæ & contagij.

A poris quo aut vita ſperetur, aut mors ſed repentinus languor, ſimul cum morte venit.

De habitatione dæmonum in hoc aere caliginoſo.

CAP. CXIV.

AVctor. Hæc autem omnia quæ diximus de ventis, & nubibus, ac cæteris, quæ ſequuntur, fiũt in hac inferiori aeris parte craſſa, & turbulenta. Nam ſerenitas atque tranquillitas ſemper eſt in ſuprema. In hoc eodem cœlo ideſt aere infimo, & caliginoſo, teſte ſcriptura, dæmones habitant. Non ad ipſius aeris ornatum, ſed in pœnam ſuam. *Petrus Lombar.* Etenim
B ſuperbię ſuæ merito de cœlo Empyreo, in quo cum alijs fuerat, Lucifer cum omnibus prauitatis ſuæ conſortibus in hunc aerem caliginoſum deiectus eſt, qui iuxta Petri ſententiam, eis quaſi carcer vſque ad diem iudicij deputatus eſt, tunc in barathrum detrudentur *Matt. 25.* inferni, ſecundum illud Euangelij. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Hoc etiam ad probationem noſtram factum eſt, vt ſint nobis cauſa exercitationis, ſicut ſcriptum eſt. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ, & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes mũdi, & aduerſus rectores tenebrarũ harũ. Hinc & ipſe diabolus dicitur princeps aeris huius. *Remig. ſuper epiſt. ad Eph.* Philoſophi *Multitudo dæmonũ in aere.*
C quoque dixerunt, & etiam noſtri Doctores ita opinantur, quod ita plenus eſt iſte aer caliginoſus dæmonibus, ſicut radius Solis minutiſſimis puluiſculis. *Caſsianus in lib. Collationum.* Horum quippe (ſicut iam ſuperius dictum eſt) tanta denſitate conſtipatus eſt aer iſte, qui eſt prope terram. In quo non quieti ocioſiq; peruolitant, vt eos vtiliter aſpectibus noſtris diuina prouidentia ſubtraxerit. Aut enim terrore concurſus eorum, aut horrore vultuum, in quo ſe pro voluntate ſua, cum libitum fuerit transformant, intolerabili formidine homines conſternatentur. Certè quotidieque nequiores eorum exemplis redderent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER QVINTVS.

De primo opere diei tertij, id est de aquarum congregatione.

CAP. I.

Cur aqua congregari dicuntur in locum vnum.

COMESTOR. Tertia die creator aquas existẽtes sub firmamento congreganit in locũ vnum: quæ licèt plurima loca obtineant, tamen quia continuantur omnes in viscetibus terræ: in locum vnum dicũtur congregatę vnde potuit esse, vt aquæ quæ totum aeris spatium scilicet vaporabiles occupabant, soliditate tamen modicum obtinerent locum. Et terra paululum subsedit, vt eas tanquam in matrice concluderet. Et sic apparuit arida, quæ prius latebat sub aquis. *Alexander.* Si autem quęritur, cur non dicat scriptura. *Fiant aqua, & terra,* vel fiant congregatio aquarum, sicut superius dixit *fiat lux & firmamentum.* Dicimus, quod non est simile de aqua, & terra, vt de firmamento, & luce. Cum enim factio pertineat ad speciem, lux autem & firmamentum habeant speciem valde distantem à materia informi, rectè idipsum ostenditur per verbum fiendi. Aqua verò, & terra licèt recepetint species in tertia die, tamẽ quia maximè accedunt ad materiam informem, quæ prius etiam dicta fuerat nomine terrę, vel aquæ, ideo sub alio loquendi modo eorum factura congrue designatur dicendo; Congregentur aquæ, vt inde notaretur, quod prius erant in cõfusione, nunc autem distinguantur, & sic in vnoquoque trium dierum vna distinctio notaretur. Vnde *Aug. super Gen.* Acceperunt inquit hæc duo proprias istas species nobis notissimas atque tractabiles. Aqua scilicet mobilem, terra immobilem. Ideóque de aquis dictum est. *Congregentur*, de terra vero, vt *appareat arida.* Aqua enim est labiliter fluxiua, terra vero stabiliter fixa. Cęterum si *quæratur*, cur cælum habeat diem in quo factum est, per se; cur non similiter, & terra, quę est aliud extremum, suum habeat diẽ per se. Et mediũ similiter id est aqua. Dicimus, quod

Quæstio.

Responsio.

A terra, & aqua plus inuicem sibi appropinquant in materia, & forma, quam cœlum cum altero illorum. Eadem enim est materia terræ, & aquæ secundum transmutationem. Cœli vero materia est ingenerabilis, & incorruptibilis, ita quod non corrumpitur secundum partem, nec secundum totum. Ideoque, vno die scriptura coniunxit ista duo, quæ in se inuicem erant confusa. Si vero quęritur, cur non fit mentio de aeris factura expressè, sicut aquę, & terræ? Dicimus, quia scriptura ibi loquitur tantummodo, vt carnalibus apprehendentibus sensibilia. Ideoque loquitur expressè de aqua, & terra, quæ sunt visibilia. Aer autem inuisibilis est, ideoque de illo non fit mentio, nec in opere distinctionis, nec in opere ornatus, sed totum cœli, & terræ, & aquæ nominibus insinuatur. Nam sicut hic nõ loquitur de aere, sed tantũmodo de
B aquis, sic etiam inferius in opere ornatus non fit mẽtio de aere sub ratione aeris, sed tantum sub ratione aquarum; Ibi namque dicitur; Aues multiplicentur, non in aere, sed super terram.

De quatuor elementorum dispositione.

CAP. II.

Nomine aquarum aer comprehenditur.

DAtur autem hic intelligi aeris distinctio à terra, in distinctione aquarum. Quia congregatis aquis, cum sit corpus vacuum necesse fuit corpus aliquod replere vacuum. *Comestor.* Non igitur aliquem moueat, quod in dispositione elementorum aer videtur prætermissus: quia non est nominatus, dispositus
C enim est, cum liber ab aquis notam nobis formam accepit. *Auctor.* Secundum opinionem quę dicit firmamentum esse igneum, idest summitatẽ, vel reuolutionem ignis, secunda die disposuit Deus ignẽ: quia tunc fecit firmamentum, tertia vero die reliqua tria elementa; Tunc enim dispositia est aqua: quando quæ prius aeris, & terrę spatium occupabat, in vnam partem terrę successit. Terra, quando aquis nudata arida apparuit: Aer quando liber ab aquis notam nobis formam accepit. Secundum alias autem opiniones de firmamento sc. quę non dicunt illud esse igneum, potest dici, quod tertia die facta est dispositio omnium elementorum per proprias sphæras. Nam aquis in locum suum cedentibus, sicut aeris sphæra li-

Duplex opinio de natura firmamẽti.

berata

berata est ab eis,ita & sphæra ignis,totũ enim spatium aquæ occuparant vsque ad cœlum. Ordinãtur autem quatuor elementa secũdum pondera, vt vnumquodque,scilicet quo leuius est, eo superius sit, quo grauius,eo inferius. *Albertus*. Verum si secundum naturam terra est in medio omnium, videbitur esse, quo ad omnem partem in medio aquarum. Et videtur, quod deberet aquis vndique esse cooperta, & nullibi apparere arida. At vero non est simile de aquis,& de aere,& de igne: quantum enim elementum quodlibet rarius est,tanto locum occupat maiorem, & quãto spissius,tanto minorem,vnde & dicit philosophus, quod ex vno pugillo aquæ fiunt decem aeris, propter hoc aqua in minori loco est quam aer, vnde non sequitur si aer,& ignis ambiant terram vndique, quod etiam aqua ambiat eam vndique. Cæterum aqua humidum habet incorporabile. Terra vero, siccum incorporabile,quę scilicet duo dominantur in omnibus elementis. At vero aer humidum habet spirituale, & incorporabile, propter hoc aqua secundum humidi sui naturam dissoluit terrã influens poros eius. Ideoque aperitur terra sæpe. Et non operit eam vndique. At vero non ita dissoluit eam aer humido suo, nec influit eam. Et ob hoc vndique circundat eam,& etiam terram, similiter & ignis.

Hiatus terræ vnde?

Qualiter tanta multitudo aquarum congregari potuit in vnum locum.

CAPVT III.

Obiect. AVctor. verum opinio illa de aquis, quod totum antea spacium aeris occuparunt, videtur habere calumniam. Si enim tota concauitas cœli stellati plena esset aere, sicut nunc est, & ex tanto aere fieret aqua per condensationem, Cum ex decem pugillis aeris fiat vnus pugillus aquæ,patet,quod multo plus fieret de aqua,quam nunc sit de sphera aquæ, & terræ: sphæra quippe tota contẽta in concauitate orbis lunæ,sic se habet ad hanc tanquam ad sui partem, ita quod continet eam septuagies milles,& quingentesies septies. Cum ergo omnis aqua densior sit aere, quanto magis ex aqua si totum occupabat, plus fieri aquæ per condensationem,quàm nunc fit in vniuerso *Responsio.* necesse foret. Ad hoc tamen posset dici: quod quia nondum elementa facta erant, vel distincta, congregatio aquarum ad verbum Dei,nihil aliud fuit,quam secundum inferiorem sui partem aquam ipsam condensari,& condensatam in partes terræ depressiores recipi. Secundum vero superiorem partem in aerem rarefieri, & tunc forte primo indita est aquis verbo Dei,vis inclinatiua ad descensum, vel illa vis naturalis, quæ prius inerat, tunc educta est de potentia in actum. *Alexander*. Si quæritur,cum aquæ essent per totum aeris spacium, quomodo congregari potuerunt *Quæstio.* in vnum. Cum non videamus aquam condensari in *Responsio.* se,sicut contingit de aere. Respondet Augustinus cõtra Manichæos,quod cum dicitur, congregetur aqua quę sub cœlo est in congregationẽ vnam,hoc dicitur vt illa corporalis materia in eam speciem quam habent istæ visibiles aquę formaretur. Ipsa enim cõgregatio in vnum,est ista formatio istarum,quas videmus & tangimus. Nam omnis forma cogitur ad regulam vnitatis. Quod autem dicitur,*& appareat arida*,quid aliud dici accipimus,nisi vt illa materies visibilem formam acciperet,quam nunc habet ista terra,quam videmus,& tangimus? Superius autem materiæ confusio & obscuritas nominabatur terra inuisibilis, & incomposita. nominabatur etiam aqua super quam spiritus Dei ferebatur. Nunc fortassis aqua ista & terra sunt ex materia illa,quæ tunc illis appellabatur nominibus antequam istas formas acciperet: quam in parte vna,scilicet ex parte aeris consecuta est rarefactio, & loci maioris occupatio. Ex parte vero aquæ densatio, & minoris loci occupatio. *Albertus*. Tria sunt elemẽta grauia scilicet aer, aqua, & terra. Quod patet ex hoc,quia remota terra in locum eius descendunt, aer & aqua,vnum tamen est simplex graue scilicet terra, cuius signum est manifestum, quia per se ac per alia descendit ad medium. Descendit enim per se ad centrum: posita quoque in aere & aqua,similiter descendit. Sicut & aqua in terra posita ascendit. hæc autem elementa duo in igne posita descendunt. Ideoque dicit philosophus, quod leuia sunt in alio, sunt etiam grauia in alio,hanc itaque naturam accipiendo vel attẽdendo,distincta sunt media ab extremis, vnde nihil aliud est aquas in locum vnum congregari, quam eis naturã illam dare,qua sunt in terra leues,& sic ab ipsa ascendunt. In aere graues,& sic ab ipso descendũt. Et hoc est quod dicũt sancti,quod ignis,& aer distincti sunt cũ aquę residẽtes ab igne & aere separatę sũt.

Terra inuisibilis quid?

De loco congregationis earum.

CAP. IIII.

LOcus itaque congregationis aquarum, est locus originis earum: licèt enim videamus eas, in multis locis esse,& manere,& in pluuijs, ac nimbis ex alto descendere, Tamen originaliter non sunt nisi in Oceani loco, sicut in libro Meteororum probatum est à philosopho. *Beda super Genes.* Itaque congregatæ sunt omnes aquæ inferiores in vnam matricem, vt lux quæ præterito biduo aquas clarè illustrauerit, in puro aere clarior fulgeret,sic & appareret terra, quæ cooperta latebat,& quæ aquis limosa erat,fieret arida & germinibus apta. Eodem enim die protulit terra herbas,& ligna. *Auctor*. Locus etiam congregationis aquarum dici possunt omnia loca depressa scilicet maris,lacuum,fontium,& fluminum,quæ omnia sunt vnus locus continuatione. Omnes enim aquæ per occultos meatus cõtinuantur cum mari,Sicut in humano corpore est vnus locus maximus sanguinis scilicet epar,vnde exeũt viæ sanguinis,vt totũ corpus irrigetur. Et sic totum corpus est vnus locus sanguinis cõtinuatione, quia ad quamlibet eius partem ab epate transmittitur. Vel naturalis locus congregationis aquarum est locus maris, quoniam illic naturaliter omnes aquæ tendunt. Iuxta illud Ecclesiastis, *Omnia flumina intrant in mare &c.* Sic etiam multi sunt ignes particulares, vnus est tamen locus naturalis ignis, ad quem omnis ignis naturaliter tendit.

Oceanus locus originis aquarum.

Eo congregantur.

Cur congregationes aquarum appellauit Deus Maria.

CAP. V.

Obiect. ALbertus. Cum autẽ ipsum elementum aquæ naturam habet insipidi,& congregationes aquarũ factæ sunt in vno loco,qui prius erat locus elementi, videtur quod congregationes illæ nppellari deberent insipidæ,& non Maria. Maria siquidẽ amara sunt, & *Mare, i. amarum.* habent aquas compositas,terrestri combusto permutatas. Aquæ vero ipsius elementi secundum naturam simplices sunt. Et nos quidem ad hoc dicimus, quod mare secundum aquarum suarum substantiã,vt est elementum,est insipidum. At vero per accidens amarum & mixtũ est,sicut iam dictũ est. Posset mihi dici, quod mare nõ est amarũ,nisi tantum in loco illo,vbi solis calor à fundo eius terrestres vapores eleuat crassos cõbustibiles. Sed in alio loco est insipidũ,vt videtur velle philosophus in l. 1. de animalibus c. 6. vbi dicit quoddã genus piscis esse dictũ Malachiæ carẽs sanguine,quod in locis calidis augmẽtatur, & magis est in pelago quã prope ripas: præcipuèq; in locis,in quibus aquæ multiplicantur insipidæ. Ex hoc enim accipitur, quod aquæ maris sunt insipidæ in aliqua eius scilicet maris parte. Si autem quæritur; cur illas congregationes aquarum scriptura pluraliter appellauerit Maria,& non singulariter mare. Dicimus, quod humidum aquæ malę terminabile est in se. Ideoque secundum omnem decliuitatem diuisibile. Vt ergo notetur diuersitas ista,vocauit Deus congregationes aquarum,non mare,sed Maria.

Responsio.

Ita Suidas legit alij legunt per (x) non per (χ)

De

De naturalibus aquæ proprietatibus.

CAP. VI.

A *Vicenna in 1. cano.* Aqua igitur est corpus simplex cuius naturalis locus est, vt sit circundans terrã, ab aere circũdata, cum in suis naturalibus sitibus permanserit, & hæc est eius grauitas comparatiua, cuius natura frigida est & humida ad spargendum & extendendum apta. Omnem figuram recipit, sed non retinet. Huius igitur esse in generatis iuuamentum præstat ad figurandum formas, ad lineandum & temperandum. Humidum enim cito formas figurales recipit, licèt eas cito amittat. siccum autem econtra. *Philosophus in li. de sensu & sensato.* Natura aquæ insipida est, sola & incommixta non nutrit. Subtilissimumque omnium humidorum est, etiam ipso oleo, sed protenditur oleum plus aqua propter lubricitatem. aqua vero tenuior est, quare & granius est eam in manu seruare quam oleum. *Isido. li. 13.* Aqua dicitur, eo quod superficies eius æqualis sit. Hinç & æquor appellatum est, quod æquale sit sursum. Duo autem validissima vitæ humanæ sunt elementa scilicet ignis, & aqua, vnde grauiter damnantur quibus ignis, & aqua interdicitur. Aquarum elementum cæteris elementis imperat. Aquę enim cœlum temperant, terram fæcundant, aerem exaltationibus suis incorporant, in sublime scandunt, & cœlum sibi vendicant. Quid enim mirabilius aquis in cœlo stantibus? piscium examina secum rapiunt. Effusæ omnium in terra nascentiũ causa fiunt, sordes detergunt, peccata abluunt, & potum cunctis animantibus tribuunt. *Plinius li. 31.* Si verum fateri volumus, elementum aquæ imperat alijs omnibus. Aquæ terras deuorant, flammas necant, in sublime scandunt, & cælum sibi vendicant, ac nubium obtentu vitalem spiritum strãgulant. Quę causa, fulmina elidit, ipso secum discordãte mundo. Sępe quoque subuehunt lapides aliena pondera portantes. Eodemque cadentes omnium e terra nascentium causa fiunt. Omnes quoque terræ vires aquarum beneficio sunt. *Vitruuius, de Architectura li. 8.* Nulla denique ex omnibus rebus tantas videtur habere ad vsum necessitates, quantas aqua: sine qua scilicet nec corpus animalium, nec vlla vitalibus virtus potest nasci, nec tueri, nec parari. *Gundisalinus.* Aquę superficies exterior est sphærica, quod patet inscypho aqua repleto.

Etymologia aqua.

De eodem.

CAP. VII.

EX *libro de naturis rerum.* Nihil liquidum secundũ seipsum maturatur absque arido. vnde aqua sola liquidorum minimè maturatur, sola quoque non impinguatur. Aquæ omnes profunde concurrunt in terra, quod est ob victoriam terræ super aquas. In pedibus autem montium aquæ minorantur. Aqua (vt dictum est) euaporat in fumum subtiliorem se per calefactionem ignis. Et postea remanet terrestre, vnde & contingit, quod cum aqua decoquitur in decoctione subtiliatur. Et si postea ponatur in olla per noctẽ, apparebit Hypostasis terrea in fundo vasis: similiter euaporat acetum, in aquam subtilem & insipidam, postea remanet terrestreitas parua; vinum similiter euaporat in aquam per sublimationem instrumenti aquæ rosaceæ. Et quanto fortius est vinum, tanto inde maior aqua extrahitur, & terrestreitas maior relinquitur; vnde vinum rubeũ quia magis est terrestre, magis euaporat in aquam. Et in quolibet liquido non submergitur, quod non excedit quantitatem in pondere ipsius liquidi, vnde ouum in aqua marina non submergitur, propter illius crassitudinem & grauitatem: aqua simplex non debet habere colorem, nec saporem, nec odorem. Nam si quid horum habuerit, aliam rem signat in ea admixtam. *Vnde secundum Galenum.* Aqua simplex tribus sensibus comprobatur. Visu scilicet quod sit nullius coloris, vel claritatis. Gustu quod sit nullius saporis. Olfactu vt sit nullius odoris. Aqua subtilis, & leuis est, quæ posita ad ignem vel ad solem citissime calefit. Calefacta vero si ad aerem ponatur, velociter infrigidatur. Citissimaque mutatio eius de qualitate in qualitatem ostendit eius leuitatem, nec illam habere quicquam terrestreitatis. *Philosophus.* Aqua est secundum elementum, cuius immensa profunditas dicitur abyssus, quasi absens fundus, habet tamen fundum, quamuis nimis profundum: hæc frigida est & humida, quæ de lapide manat leuior est atque limpidior. Aqua communis est omnibus, ad ima fluit, sordes abluit, terræ permixta lutum facit, sitim sedat, ignem extinguit &c.

Aqua simplex tribus sensibus comprobatur.

De Mari.

CAP. VIII.

ISidorus *vbi supra.* Mare omnis congregatio aquarum abusiuè dicitur. Sed illud cuius aquę amaræ sunt, propriè mare appellatur. Quod ideo incrementum non capit, cum omnes fontes, & flumina recipiat, quia influentes vndas ipsa magnitudo eius, non sentit. denique quia amara aqua dulce fluentum cõsumit, vel quia nubes multum aquarum ad se trahunt Siue qnod illud partim auferunt vẽti, partim sol exiccat: postremo quia per occulta terræ foramina percolatum, & ad caput omnium fontesque reuolutum recurrat. mare certum non habet colorem, sed pro qualitate ventorum immutatur. Nam modo flauum est, modo lutulentum, modo atrum. *Ambrosius in Exaemeron.* Bonum est mare tanquam hospitium fluuiorum, delibatio alluuionum, inuectio commeantium, quo sibi distantes populi copulantur, quo præliorum pericula remouentur, quo Barbaricus furor clauditur, est in necessitatibus subsidium, in periculis refugium, itineris compendium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum. Ex hoc pluuia in terras diffunditur. Siquidem aqua de mari radijs hauritur solis, & quod eius subtile est rapitur. Quantoque altius eleuatur, tanto magis nubium obumbratione frigescit, & hymber fit. Sen. li. 7. Natura maris est, vt immundum omne litoribus impingat, nec solum cadauera sed stramenta quoque, & naufragorum reliqua similia ex intimo trahens eijciat, Nec in tempestate ac fluctu tantum, sed tranquillum quoque & placidum. Omnis enim aquarum stantium clausarum que natura se purgat. Nam in his quibus cursus est, non possunt vitia consistere, quæ propria vis defert & exportat. Si quis autem excelsa perlibret maria, terris paria sunt. Nam par vndique ipsa sibi tellus est, caua eius, & plana inferiora eius sunt. Sed istis adeo in rotundum orbis æquatus est. In parte autem eius, & maria sunt, quæ in vnius pilæ æquitate conueniunt: sed sicut campos intuentem, quæ paulatim deuexa sunt fallunt, sic cum non intelligimus maris curuaturas, videtur planum quicquid apparet, at illud æquale terris est. *Philosophus in secundo Meteororum.* Dixerunt quidam quod mare manat ex orbe, & in ipso est radix eius, & principium, finis quoque eius apud finem illius. Est autẽ mare locus aquarum proprius, & aggregatio earum propter profunditatem, & longitudinem. Et quod est in eo ex aquis leue, eleuat sol. Quod autem graue remanet in terra, quando autẽ eleuatur vapor, subtile eius fit aer, & crassum fit aqua. Quando vero eleuatur vapor salsus, descẽdens super multam admixtionẽ aeris, efficitur dulcis. *Idem in libro vegetabilium.* Ideo autem mare super Arenas est, & terra mari propinqua Arenosa, quia in aqua siccitas terræ obtinuit, duratque secundũ durationẽ fixionis terræ, & existentiæ aquę, diuisitque lutum per minutas partes, & in arenã cõuertit, vt autem etiam in quibusdã campis existat Arena, causa est mora motus solis, & elongatio à dulcibus aquis. Nã

Vinum euaporat in aquam.

Principium maris.

Cur mare nõ crescat ex aduentu fluminum?

quia

quia non habẽt quod eos à ſole cooperiat, & ab aqua dulci remoti ſunt, ſiccauit ſol partes humiditatis dulcis, remanſitque quod eſt de genere terræ, perſeuerante ergo ſole in loco illo diſcooperto, ſeparatæ ſunt partes luti, factaque eſt Arena. *Author.* Mare itaque ſalſum & amarum turbidum & procelloſum ventos generat, inquietum iugiter fluit ac refluit, omnia flumina recipit, viua retinet, mortua abijcit, fætidum eſt, periculoſum, monſtris omnibus plenum.

De Salſedine maris.

CAPVT IX.

Cauſa ſalſedinis in mari.

FErtur autem Salſedinem in mari fieri propter calidum vaporem admixtum craſſis aquæ partibus. Nam & ſic ſudor, & vrina in quibus agit caliditas, inueniuntur ſalſi. *Guilelmus de Conchis.* Cum enim mare torridæ Zonæ ſuppoſitum ſit, ex calore ſpiſſatur, ſalſumque fit; certum eſt enim aquam per calorem tã-ſire in ſalem. *Ex libro de naturis rerum.* Exhauſto quidem à ſole dulci liquore, quem facile ignea vis trahit, aſperior craſſiorque relinquitur amnis, vnde ſumma maris vnda dulcior eſt, ima vero amarior. Et lunæ quidem alimentum eſt in dulcibus aquis, ſolis autem in amaris. *Philoſophus vbi ſupra.* Quidam dixerũt, quod ſalſedo accidit mari quia quando terra ignitur à ſole, reſudat humiditas, quæ eſt in ea, & fit mare ſalſum, quia ſudor eſt ſalſus. Alij quod cauſa ſalſedinis, eſt terra ſalſa, cui cum permiſcetur aqua, fit aqua ſalſa, ſicut aqua ſuper quam funditur cinis, & deinde colatur. Quidam autem dixerunt, quod aquę dulces eleuantur ſurſum ob leuitatem ſuam, & ſalſum deſcendit deorſum propter grauitatẽ ſuam. Sed videtur quod etiã in pluuijs ſit quoddã ſalſum. Cum enim vapor calidus, & ſiccus permiſcetur frigido & humido, ex quo fiunt nubes, & pluuiæ, facit eam ſalſam. *Plinius lib.* 2. Solis ardore maris liquor ſiccatur, & hoc eſſe maſculum ſydus accepimus vorans cuncta ſorbenſque, ſicque mari latè patenti ſalis ſapor incoquitur. Aut quia exhauſto inde dulci tenuique, quod facillime vis ignea trahit, omne aſperius craſſiuſque linquatur. Hæc autem verior eſt cauſa aſperi ſaporis potius qui quod mare terræ ſudor ſit æternus, aut quia plurimum ex arido miſceatur illi vapori. Marinæ autẽ quæ gelantur tardius, quam dulces, accenduntur celerius. *Priſcianus, ad Coſdroe.* Salſum eſſe mare cauſæ quidem dictæ ſunt differentes. Plures autem aiunt minutiſſimũ quidem eius; & dulciſſimũ per leuitatem ſurſum duci per dies ſingulos diſcretum & vaporatũ. Ibique conſiſtere per frigiditatem, & iterũ deferri ad terram. Salſum vero remanere propter grauitatem ſicut in corporibus animalium eſca intrante, quod dulce & potabile eſt ab inſita caliditate tractum in carnes, & aliam concretionem venit partium. Superfluum autem apparet amarum & ſalſum, ita vt etiam ſudores tales ſint. Quod autem mixta ſit ſalſedo dulcedini, hinc etiam poteſt accipi, quia ſi quis ſaccum cereum formans in mari immerſerit, prius circumligans os, vt non infundatur mare, tunc intrans aqua per cereos parietes fit potabilis, & quaſi per colatorium, quod craſſum ac tetreum eſt & ſalſum, ſecernitur. Si quis etiã iuxta mare in littore foſſam foderit, aqua in ea percolata ex mari per occultas terræ venas potabilis efficitur. Satius autem eſt dicere, ipſum mare ſic creatum à Deo fuiſſe. Sicut enim aliorũ elemẽtorum vnumquodque propriam habet naturã, ita etiam mari connaturalem eſſe ſalſedinem pro omnium ſalute in terra animalium, ne omnino putreſceret, ſicut quidam lacus, & aliæ conſiſtentes aquæ potabiles.

Ima pars maris amarior.

Exemplo illuſtratur ſalſedinis marinæ cauſa.

Experientia optima cuius meminit Scaliger in Exercitationibus in Cardanum.

De ponderoſitate aquæ ſalſæ.

CAPVT X.

ARiſto. *in li. Meteo.* 3. Aqua ſalſa grauior eſt dulci, quia ſalſa quidem craſſa eſt & turbida, dulcis autem facta eſt ſubtilis. Cuius indicium eſt, quia ſi vas cereum ore obſtructo mittatur in aquam ſalſam per horam, deinde extractum aperiatur, inuenitur intus aqua, quæ poros penetrans intrauit dulcis in ſapore ſuo, & leuis in pondere. Item ſi ſal attritum in aqua dulci diſſoluatur, donec penitus in ea reſoluatur, ouũ in eam proiectum non ſubmergitur, ſed natat, quoniam ex ſale incraſſata eſt & facta ſicut lutum. Ouum autem in aqua dulci ſubmergitur. Fertur in palæſtina etiam eſſe lacus, vehementis amaritudinis, & ſalſedinis, in quo non eſt piſcis, ſcilicet quia non eſt ibi ſubtile nutrimentum, Et ſi homo vel beſtia ligatura eius obſtricta proijciatur in eum, natat propter ipſius leuitatem & grauitatem aquæ ſalſæ, cum comparatur vnumquodque eorum ad ſuum comparabile, videlicet grauitas aquæ ad leuitatem animalis, vel grauitas aquæ ad grauitatem animalis, & leuitas ad leuitatem eſt etiam grauitas, & craſſities illius aquæ maior grauitate illius animalis. Et ſi mergatur in ea pannus ſordidus, ipſa hora mundificatur propter vehementiam ſalſedinis. Item inuenitur ſubmerſio nauis cadentis in aqua dulci magis, quam in ſalſa, quia hæc illa grauior eſt. Huius etiam indicium eſt quod in loco quæ dicitur * Gamon, manat aqua ſalſa, & currit ad flumẽ dulcis aquæ ſibi propinquum, propter quod etiam in eo non ſunt piſces. Et ſi quid de illo in vaſe ponitur, & mouetur, fit ſal ſimile niui tenue & ſubtile. Cuius virtus in ſalſedine craſſo ſale fortior inuenitur, quia ſubtilitas illius aquæ dulcis ſalſedinis virtutem ipſam intrantis propriam facit, & quando ex hoc ſale multiplicatur in cibis dulcorat ipſum, & eſt vehementis albedinis. *Idem in libro vegetabilium.* Ouum (vt dictum eſt) in aqua dulci mergitur, in ſalſa vero natat. Aqua igitur ſpiſſa eſt ſub non ſpiſſa. Spiſſa enim eſt de genere terræ, rara vero de genere aeris. Ideoque ſupereminet aqua dulcis omnibus aquis, & à terra remotior eſt. Hanc ergo naturalem eſſe neceſſe eſt. Aqua vero ſalſa ponderoſior eſt, non enim aſcendit aqua niſi dulcis. Et patet quia quod ſuper aquam aſcendit ſubtilius eſt aqua. Cum ergo illud attraxerit aer ſubtiliatur, & aſcendit magis. Ideoque fontes, & flumina fiunt in montibus, & aſcendit flegma ad cerebrum. Sic quoque omnes cibi aſcendunt, & omnes aquæ. Sed aqua ſalſa aſcendit cum eo quod ſiccauit calor ad genus aeris, vt in balneo patet. Cum enim aquam ſalſam apprehenderit calor, ſubtiliantur partes eius, & aſcendit vapor, parteſque ſalſedinis recedunt, cum humore naturali, qui eſt ex genere aeris, & ſequuntur vaporem. Cumque procedens vnus poſt alium ſurſum tectum compreſſerit, congregabitur & inſpiſſabitur ac conuertetur deorſum aqua dulcis guttatim. Et ſic in omnibus balneis ſalſis erit vapor dulcis.

Experientia de ouo.

Curphlegma in cerebro.

** MS. Vedaſtinum habet Gannen.*

De natura & effectu aquę marinæ.

CAP. XI.

AVicenna *in ſecundo canone.* Aqua marina aerea eſt & calida, fiſſuris accidentibus à frigore confert antequam vlcerentur, pediculos etiam necat & ſanguinem ſub cute congelatum diſſoluit. Confert etiam prurigini & ſcabiei & impetigini, vapor aquæ marinæ confert Epyleptiæ & Hydropiſi. Ex hac autem clyſter fit ad dolorem vẽtris pungitiuum. Quandoq; etiam bibitur, & ventrem ſoluit, deinde ius gallinæ

bibitur, eiusque mordicationem sedat. Item ad viperæ morsum in aqua marina sessio fit, & iuuatur ab ea. Similiter etiam fit in reliquis vermibus pernicioſis *Dioscorides*. Aqua marina viscidam & thermanticam & Cacostomacham habet virtutem, ventrem turbat, flegma deponit. Calida vero facta & fomento adhibita apostemata de alto educit & maturat. Duritiam spargit, omnibus Diaphoretesim præstat, neruorum causas componit. Cataplasmatibus necesse miscetur, & nobilibus medicaminibus additur, & impetiginibus adhibetur. Tepida quoque laterum torsionibus accepta præstolatur. Scabies, & prurigines fomento adhibita tollit, lendem capitis purgat, tumores mammillarum compescit, similiter adhibita liuorem corporis emendat, venenatibus morsibus occurrit, frigoribus opitulatur, Sphalongionum & Scorpionum ictus, vel aspidum non admittit. Calida quoque adhibita corpus tenuatum reficit, lauacris etiam vtilitet additur, quæ lauacra Hydropicis, & Cephalaricis, ac surdis opitulantur, si seruata fuerit aqua marina bromum non colligit. Multi vero coquunt eam & sic reponunt, dantes eam ad purgationem. *Galenus*. Aqua dulcis bibitur, & est frigida in natura sua semper, aqua vero maris non est taliter, sola enim aqua cui non admiscetur extranea substantia est frigida: vnde si homo tota die nataret in aqua dulci quæ non esset vehementer frigida, sed tepida, sicut aqua quam calefacit sol, infrigidaretur corpus eius necessario. In aqua vero maris quam plures natarunt iuuenes tota die & noctè, & tamen non nocuit eis.

Vtilitates aquæ marinæ.

Qualiter aqua maris amaritudinem deponat.

CAPVT XII.

Hieronymus super Amos. Vocat autem Deus aquas maris, & super terram effundit, dum ipsas amarissimas Æthereo calore suspendit & excolat, & eliquat in dulcem pluuiarum saporem. *Guilelmus de Conchis*. Cum autem terra cauernosa sit, aqua labilitate sua eam subintrat, quæ per cataractas transiens colatur, & extenuatur. Et ex qualitate terræ diuersas contrahit qualitates. Si enim per terram arenosam & lapidosam defluit, dulcem inde saporem contrahit, si per salsam salsum, si per limosam terram vapida est aqua, si per lapides Sulphuris, vel calcis, aut æris, fit amara. Iuxta diuersa ergo accidẽtia terræ diuersũ suscipit saporẽ. *Seneca vbi supra*. Quidam etiam iudicant terram quicquid aquarum amiserit rursum accipere, Et ob hoc maria non crescere. Quia quod influxit non in suum vertunt, sed protinus reddunt: occulto enim itinere terram subit, & palam venit, secreto reuertitur, & in ipso transitu colatur per multiplices namque terrarum an fractus, verberatum, amaritudinem deponit. Et in tanta soli varietate prauitatem saporis exuit, & in aquam synceram transit. *Ex imagine mundi*. Aqua maris per venas terræ occulto meatu discurrit amaritudinem in terra ponit, dulcis in fontibus erumpit, in mare iterum refluit, Hinc etiam dicitur quod aquæ natura duplex sit. Salsa maris, & grauior, fontium dulcis, & leuior. Quæ etiam dum in matricem abyssum refluit, aquis maris non immiscetur, sed vtpote leuis graues super aquas labitur, & in occultum cursum tuum reuectitur, hinc est quod mare non redundat, cum omnia flumina recipiat, sed & suprema maris vnda non est adeo amara vt ea quæ in imo est; huius immensa profunditas abyssus dicitur, quasi non habens fundum, habet tamen, licet profundum.

De Oceano.

CAPVT XIII.

Aristo. in libro Meteororum secundo. Origo autem omnium aquarum est oceanus, omnesque redeunt ad loca sua propria, quæ sunt principium separationis earum & motuum. Mutantur autem aquæ & sapor earum, & secundum diuersitatem locorum ad quæ perueniunt. *Isidorus vbi supra*. Oceanus in modum circuli terrarum orbem amplectitur, alternisque æstibus accedit & recedit. Respirantibus enim in profundum ventis, aut remouet maria, aut resorbet. *Secundus philosophus*. Quid est Oceanus? mundi amplexus, terminus coronatus, hospitium fluuiorum fons imbrium. *Ex imagine mundi*. Oceanus dicitur quasi Zonarum limbus, quia quandoque zonas mundi ambit in modum limbi. Sicut autem calor ex igne ita frigus ex aqua nascitur, vnde partes extremæ Oceani rigido gelu & perpetuo frigore horrent, quia calore solis carent: pars autem Oceani quæ medium orbis diuidit, ideo semper feruet, quia solis iter super se habet. Oceanus fluuiorum occursu non augetur, quia fluenta dulcia partim salsis vndis consumuntur, vel ventis, vel vapore solis arripiuntur, partim per occultos meatus in amnes suos reuertuntur. *Adelardus Bathoriensis philosophus*. Salsuginis causam in Oceano, in calore solis planetarumque pono. Cum enim per torridam, mediamque Zonam verus feratur Oceanus, ac per eandem, licet indirecte versetur planetarum cursus, à tanto calore stellarum ipsum mare calefieri est necesse. Ex quo & eiusdem caloris effectum salsuginem consequens est accipere. Quodque ita sit hoc, asserit, quod in maritimis, quæ illi Oceano sunt propinquiora, sine omni artificio aqua marina in sal vertitur ad solem super rupes siccata. In longinquioribus vero maribus, vt sal possis habere, ipsam maris aquam vt vtpote iam à vi caloris remotam, ideoque minus coctã, illi necesse est adhibere ac torquere. Sed & quasdam dulces aquas in sal verti visum est sæpe caloris artificiosa decoctione. Hue etiam illud accedit, quod æstate quidem omnis aqua marina salsior est quam Hyeme. Quod si quis operam dederit, etiam reipsa experiri poterit. Miraris autem cur tantus sit fluminum illuc concurrentium fluctus, tamque perpetuus cursus, tam ferè infinitus numerus, quomodo non inde augeatur Oceanus. At vero sicut in illud quædam defluunt, sic & ab illo quædam renascuntur. Itaque si dũ quid recipit & reddit, quare augmentũ sensibile non incurrit. Sic etiam à quibusdam dubitatum est, cum multa ex eo subterranea procedant flumina, multam quoque partem illius stellarum haustus auferat, decrementum quomodo non incurrat, quod nec supplementũ recipiat: vnde & apud Statium Phæbus cãtat, *Quo fonte immensum viuat mare*, nimirum viuit, dum quantum reddit reccipit.

Cur feruet Oceanus.

Experientia.

De causis augmenti & decrementi in eo.

CAPVT XIV.

Gvilelm. de Conchis. Macrobius dicit, in septem primis diebus lunationis fluctus Oceani decrescere, In alijs septem crescere. In tertia septima decrescere, in quarta crescere. Huius varietatis ratio est. Humorem in vase clausum videmus duobus modis crescere, videlicet in substantia & accidente, Olla semiplena supposita igni, nulla aqua addita impletur; Calor enim ad interiora penetrat, qui motu suo aquã ad superiora eleuat; Nil tamen est in olla vacui, quia vel aqua, vel fumositate tota impletur; Simile est in Oceano; cum igitur est interlunium, quia totus splendor solis, qui eum accendit, est supra, non potest aerem sibi subditum tenuare, qui spissatus in humorẽ aquæ transit. Est ergo tunc plenus fluctus. Cum vero splendor incipit descendere, accenditur luna, aeraque desiccat, atque humorem minuit; & quanto plus accenditur, tanto plus humoris consumitur; Septima vero die, quia tota est medietas accensa sui, mediante aere calefacit humorem, qui ebulliens, vt aqua in olla sursum eleuatur. Et ea crescente vsque ad 14. diem crescit fluctus. In tertia vero Hebdomada, quia calorem eleuans in lunam minuitur fluctus, quemadmodum fit, si ignis ollæ subducitur. In quarta vero quia iã

Ratio crementi & decrementi maris.

mul-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

multum deficit calor, ſpiſſatur aer, humorque creſcit. Creſcunt igitur fluctus vſque ad nouilunium. Prima igitur ſeptimana decreſcit Oceanus in ſubſtantia. Secunda creſcit accidente. Tertia decreſcit accidente. Quarta creſcit in ſubſtantia.

De mari Mediterraneo.

CAPVT XV.

OCcidentalis refluxio Oceani ad ſeptentrionem vergens, cum iuxta latera terræ tangens Aphricam vſque ad finem illius peruenerit, inter Calpem & Atlanta ingurgitatur vſque ad medium terræ iuxta Hieruſalem, Mediterraneumque mare vocatur, diuerſa à diuerſis regionibus nomina accipiens. Si vero qualiter aſcendat, & deſcendat, ſcire deſideras, & quæ nomina, & à quibus regionibus contrahat, mappam mundi conſidera. Prædicta ſiquidem occidentalis refluxio ad ſeptentrionem vergens, ex Atlante monte ſibi adiacente mare atlanticum vocatur. Infra hanc eſt Anglia & vicinæ inſulæ. Ex orientali refluxione ad ſeptentrionem ſe vrgente, mare Indicum, & mare Caſpium naſcitur. Similiter in alijs refluxionibus ad auſtrum ſe vergentibus credendum eſt diuerſa maria naſci. Sed hoc noſtra atteſtatione deſcribi non debuit quia propter Zonam torridam interiectam ſitus illarum nobis incognitus eſt. *Iſidorus vbi ſupra.* Mare magnum dicitur quod ab occaſu ex Oceano fluit, & & in meridiem vergit, deinde ad ſeptentrionẽ tendit, & dicitur Mediterraneum, quia per mediam terram vſque ad Orientem profunditur, Europam, & Aſiam Africamque diſterminans. Sicut ergo terra cum vna ſit, pro diuerſis locis varijs appellatur vocabulis. Eo modo pro regionibus, hoc mare magnum diuerſis nominibus nuncupatur, Vt Hibericum, Adriaticum. Sic & ab inſulis, & à gentibus, & ab oppidis.

De ſinibus maris.

CAPVT XVI.

Sinus quid?

ISidorus *vbi ſupra.* Sinus dicuntur ipſius maris maiores receſſus, vt in mari magno Ionius. In Oceano Caſpius, Indicus, Perſicus, Arabicus, qui & mare rubrum, quod Oceano aſcribitur. Rubrum mare vocatur, eo quod ſit Roſeis vndis infectum. Non tamen talem habet naturam, qualẽ videtur oſtendere. Sed vicinis littoribus vitiatur gurges, atque inficitur, quia omnis terra circunſtans rubea eſt, & ſanguineo colori proxima. Ideoque ibi minium acutiſſimum excerpitur & alij colores, quibus pictura variatur. Cũ ergo terra hanc habeat naturã, fluctibus ſubinde diluitur, & quicquid adhæſum eſt, in hunc colorem cadit, ob hoc etiam in his littoribus gemmæ rubeæ inueniuntur, lapillus enim eiuſmodi humo inuolutus, cum inter Arenas attritus eſt, & terræ colorem habet & maris. Hoc mare in duos ſinus ſcinditur, qui ab Oriente eſt, Perſicus dicitur, quia oram illius Perſæ inhabitant. Alter vero Arabicus, quod ſit circa Arabiam, *Comeſtor.* Hoc mare cannoſum Hæbræus vocat quia cannæ in littoribus abundant.

De duobus fontibus caloris ſcilicet & humoris inuicem ſibi oppoſitis.

CAPVT XVII.

Fons humoris.

GVilelmus *de Conchis.* In prima quidem creatione terra erat omnino aquis circundata. Sed vbi tenuior fuit cœleſtium calore eſt deſiccata, ita tamen quod fons, & principium aquarum fonti & principio caloris id eſt ſolis eſt ſuppoſitus. Sapientia vero diuina ſine calore & humore nil poſſe viuere præſciens, terram vero frigidam & ſiccam eſſe, vt aliquid in ea poſſit viuere, fontem totius caloris, id eſt ſolem, vt æqualiter terram calefaceret ſuper medium terræ poſuit. Sed quia ex ſolo calore nil viuere poſſit, in medio eiuſdem terræ fonti caloris fontem humoris ſuppoſuit. Ex his igitur duobus terra hinc & illinc temperatur. Eſt igitur fons humoris in medio torridæ Zonæ in modum æquinoctialis circuli terram cingens. Qui ideo à pluribus eſſe non creditur, quia propter nimiũ feruorem torridæ Zonæ ad ipſum non peruenitur. A phyſicis tamen prædicta neceſſitate eſſe creditur, verumq; mare appellatur. Hoc mare cum ad occidentẽ venerit duas reflexiones ibi facit, quarum altera ad auſtrum, altera ad ſeptentrionem vergit, latera terræ ſequentes. Similiter in Orientem facit duas ad prædicta loca vergentes. Aquę vero quæ ex prædicto fonte humoris, per ſuperficiem terræ exeunt nec per catharactas tranſeunt ſpiritæ ſunt & ſalſæ, mariaque vocantur. Ambroſius in Hexaemeron lib. 2. Cum itaque dicant philoſophi orbem cœli volui ſtellis ardenubus refulgentem, Nonne Dei prouidentia neceſſario proſpexit, vt in terra & ſupra cœli orbẽ aqua redundaret, quę illa feruentis axis incendia tẽperaret? Quia ergo exundat & feruet ignis, etiam aqua exundauit in terris, ne ſolis, ac ſtellarum ardor eas exureret. Et reuera rerum exordia vapor inſolitus læderet. *Auctor.* Denique quoniam ex calore & humore (ſicut ait Aug.) omnia terræ naſcentia procreantur ac concreantur, rectè ſolis, & pluuiæ beneficijs omnia terrena bona, quæ à Deo patre, videlicet totius bonitatis fonte, cunctis hominibus aſſiduè largiuntur filius in Euangelio ſignat & comprehendit, vbi ait. Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, &c.

De æſtibus maris.

CAPVT XVIII.

Opiniones de cauſa fluxus & refluxus Oceani.

GVlielmus *de Conchis.* Cum ergo illa refluxio occidentalis maris, & Orientalis ad ſeptentrionem ſe vergentes ſibimet occurrunt, ex repercuſſione ingurgitatur retro mare, ſitque famoſa acceſſio & receſſio Oceani. Similiter aliæ duę in alio capite terræ ſibi occurrentes. Sunt tamen qui dicunt, montes ſubditos mari cauſam eſſe acceſſionis, & receſſionis Oceani. Cum enim vſque ad ipſos mare peruenit, retro cadit atque ingurgitatur, impleturque retro alueus & ſic iterum relabens, & ante impletur & ingurgitatur. Alij dicunt ortum & occaſum lunæ huius rei cauſam eſſe, vnde bis hoc in die naturali nec amplius cõtingit. Sed quia non eadem hora quotidie luna oritur, vel occidit diuerſis modis fit fluxus maris. *Iſidor. lib.* 13.

Æſtuaria.

Æſtus eſt maris acceſſus, vel receſſus id eſt inquietudo, vnde & æſtuaria dicuntur per quæ mare viciſſim accedit & recedit, *Plin. li.* 2. Æſtus maris accedere & reciprocare mirũ eſt, verum cauſa eſt in ſole & luna. Bis inter duos exortus lunæ affluunt, biſque remeant vicenis quaterniſque ſemper horis. *Ariſto.* Nullum animal niſi æſtu recedente expirare affirmat. Obſeruatum eſt id multum in gallico Oceano, maximeque in homine compertum. *Ex imagine mundi,* æſtus Oceani id eſt acceſſus & receſſus lunam ſequitur. Cuius aſpiratione retro trahitur, eius impulſu refunditur. Quotidie autem bis effluere & remeare videtur, cum luna creſcente creſcit, cum decreſcente deſcreſcit. Cum luna eſt in equinoctio maiores fluctus Oceani ſurgunt, ob vicinitatem lunæ. Cum vero in ſolſtitio minores ob longinquitatem eius per 19. annos ad principia motus, & paria incrementa, vt luna reuertitur.

Qualiter fiant ſecundum curſum lunæ.

CAP. XIX.

ALbumaſar. Acceſſionis, & receſſionis, quæ fiunt in mari cauſa eſt luna. Nam & quidam dixerũt, quod maria quædam augentur, ex quo luna ſeparatur à ſole vſque ad menſis dimidium, quæ eſt eius impletio. Et minuuntur per lunæ diminutionem vſque

ad finem mentis, quod vulgus vocat interlunium. Quædam vero accedunt omni die ac nocte cum ortu lunæ in aduentu eius vsque ad medium cœlum. Et in descensione ipsius ad medium cæli iterum retrocedunt. Cum enim luna peruenit ad aliquem circulorum Hemispherij maris, id est ad aliquem ortum eius & eleuata fuerit super eum, mouet eum per naturam suam & proximitatem suam ex aqua maris. Incipitque mare veniens cum luna augmentari. Nec desinit quousque luna peruenit ad medium cœli in eodem loco, & tunc peruenit accessio ad perfectionem suam. Cumque luna descenderit ex medio cœli illius loci aqua recedit, & ad mare reuertitur. Nec desinit donec ad occasum eius peruenerit, & tunc peruenit recessio ad perfectionem suam. Rursus cum luna recesserit ex occidente eiusdem loci incipit accessio secunda, nec desinit veniendo augeri quousque luna veniat ad angulum terræ. Et tunc accessio peruenit ad perfectionem suam secundo in eodem loco. Deinde recessio incipit secunda, nec desinunt aquæ redire ad mare, donec luna peruenit ad Hemispherium orientis eiusdem loci, ibique pari ratione reuertitur accessio & recessio in simile, fiunt ergo omni die ac nocte secundum quantitatem cursus lunæ in eis in omni loco maris duæ accessiones, & recessiones. Cum enim luna fuerit aliquo die in aliquoto ex gradibus circuli, & postea fuerit orta super aliquem ex locis maris, incipit accessio in eodem maris loco, post meridiem autem erit luna iam recedens ab eodem gradu per quantitatem cursus eius æqualis in die & nocte, quare & recessio tunc in eodem maris loco incipit. Orta quoque sic fertur super eum post ortum eiusdem gradus per quantitatem eius cursus in eadem die & nocte: vnde quia terra rotunda est & mare circundat eam in circuitu mouetur super eam tota die ac nocte, secundum quantitatem cursus eius. Ergo quotiens cunque se mouet circulus vno gradu, fit locus lunæ circulus Hemispherij alicui ex locis maris. Et fit etiã idem locus alteri cœlum medium, & occidens alteri loco, atque angulus terræ alteri, fit igitur in mari eadem hora in quibusdam locis initium accessionis. Et alio loco initium recessionis atque in alio loco alterum esse in accessione & recessione.

Accessus maris quãdo est in perfectione sua

Nota vbi nõ fit accessio & recessio.

De ipsorum æstuum variatione.

CAPVT XX.

ET scito quod ordine naturali cum fuerit luna super terram erit accessio & recessio. Et iterum cum fuerit sub terra erit accessio & recessio, vnaquæque scilicet earum alterna vice. Eritque tempus vnius earum æquale tempori alterius, si luna æqualiter fuerit super terram, & sub terra. Quod si luna fecerit lõgiores moras super terrã, quam sub terra, erit accessio quæ fit cũ fuerit luna super terrã prolixior ea quæ fit cum fuerit luna sub terra. Econuerso autem erit si plus moretur sub terra ipsa luna. Cumque fuerit terra maris paucorum montium, aut fuerit mobilis, vel penetrabilis, transieritque aqua ex ea ad aliquod aliorum marium & locorum, aut in ipsa fuerit aquæ apparens, quod ex aquis ad eam affluxit, aut quod ex ea exiuit, vel fuerit aqua mobilis, & subtilis, ac mutabilis, vt flumina & fontes, non multiplicatur congregatio ventorum in eis, quia resoluitur, & expirat & particulatim exit scilicet vna pars post aliam & diuiditur vnda, & non colligitur in hac aqua ex vento quod eleuet eam. Cumque luna fuerit eleuata super illã, & mouerit eam, non erit in ea accessio, & recessio, sed venti & vndæ: hac de causa non apparet in multis maribus, nec in aliquo fluminum accessio & recessio. Accessionis aqua fit calida. Recessionis frigida. Et hoc ideo, quia tempore accessionis exit aqua de profundo maris, & ipsa calida, augetque calorem eius motus, & motus lunæ quæ mouet eam per calorem. Cum autem accessio ipsa venit ad loca extra profunditatem maris vt sunt littora, & insulæ, & flumina profundissima, & loca planiora refrigescit, ac reuertitur cum eodem frigore ad mare. Item cum luna fuerit coniuncta soli erit accessionis aqua fortis, & multa prolixi temporis: quia solis coniunctio addit in fortitudine lunæ, fitque commotio aquæ ab ea in eadem hora, plus illa quæ fuerat ante coniunctionem ipsius cum sole. Similiter quotiens cunque luna coniuncta fuerit alicui planetarum fortitudinem accessionis significantium, augebitur eius fortitudo, & confortabitur motus accessionis à fortitudine lunæ, sicque augmentabitur accessionis aqua, sed plus cum eadem hora fuerit luna soli coniuncta.

Fortis accessio in coniunctione lunæ cum sole.

De creatione ventorum ex maris refluxione.

CAPVT XXI.

Gvilelmus de Conchis. Cum autem duæ refluxiones, vt prædiximus in Occidente ex illo fonte totius humoris vna ad septentrionem, altera ad austrum, diuidantur, in tantarum separatione aquarum aer mouetur. Et si tantus fuerit impulsus, quod vsque ad nos peruenerit generatur ventus, qui zephyrus vocitatur. Duæ vero, quæ in Oriente diuiduntur: suo motu ventum generant, qui Eurus nominatur. Cum vero Occidentalis, & Orientalis ad septentrionem se vergentes in medio septentrionalis sibi occurrunt, ex repercussione mouetur aer, fitque ventus septentrionalis, qui boreas dicitur, qui cum & in frigida zona nascitur, ideoque & merito frigidus dicitur. Siccus vero, quia nubes de angulo terræ ad medium fugat, vnde, & pluuiosus efficitur iuxta torridam zonam. Vnde *Lucanus. Et nostris reficit sua rura serenus.* Cum vero transit torridam zonam calefit, vnde & si nobis est frigidus ibi tamen est calidus de per accidens. Similiter cum duæ refluxiones ad austrum se vrgentes in medio sibi occurrunt, generatur auster, qui etiam vltra torridam zonam est frigidus & siccus, vt apud nos boreas, quippe cum & in frigida zona oriuntur: quia tamen per torridam zonam transit calefactus ad nos peruenit calidus, fugandoque ante se nubes vsque ad istum angulum terræ in quo habitamus, generat nobis pluuiam. Estque nobis ex accidente calidus & humidus, & in sua origine est frigidus & siccus. Si autem in duabus refluxionibus & ad Septentrionem se vergentibus, boreamque generantibus, hoc contingat, quod Orientalis ex aliquo accidente fit velocior, vltra medium septentrionis occidentali occurrit, nasciturque ventus collateralis inter boream, & zephyrum. Si vero Occidentalis Orientali vltra medium occurrit, fit ventus collateralis inter boream, & eurum. Similiter, si aliæ duæ refluxiones vltra medium modo hinc, modo illinc recurrant, duos collaterales generant ventos, vnum inter eurum, & austrum, alterum inter austrũ, & zephyrũ: per simile istorũ de alijs intelligitur. Sed dicis si prædictis causis vẽti contingunt, cũ quotidie refluxiones diuidantur, & sibi occurrãt, quod testantur quotidiani fluctus maris, quare non quotidie cõtinguñt venti. Respondeo, & si quotidie contingũt venti, tamen non tanti sunt, quod ad nos vsque perueniant. Sæpe enim nobis non apparet, cum tamen sit ventus in illis regionibus. Et cum non sit in inferioribus partibus aeris, est in superioribus.

Ortus ventorum ex maris refluxione declaratur.

Obiectio.

Resp.

De periculis maris.

CAPVT XXII.

Isidorus vbi sup. Æstus ad Oceanum pertinet, fretũ ad vtrumque mare. Nam æstus est maris accessus, vel recessus id est inquietudo, fretum autem appellatum, quod ibi semper mare ferueat. Nam fretum est angustum, & quasi feruens mare, ab vndarum feruore nominatum, vt Gaditanum, vel Siculum. Nam freta dicta Varro, ait quasi feruida, id est feruẽtia, & motũ feruoris habentia. Fretũ Siciliæ, quod & Regium

Æstus. Fretum.

dici-

dicitur, eſt arctiſſimum, trium milium ſpacium Siciliam ab Italia diuidens, fabuloſis infame monſtris, cuius hinc inde Scylla, & Charybdis oſtenditur. Scyllam acolæ ſaxum mari imminens appellant ſimile celebratæ formæ procul videntibus, vnde monſtruoſam ſpeciem fabulæ illi dederunt, quaſi formam hominis capitibus caninis ſuccinctam: quia fluctus ibidem colliſi latratus videntur exprimere. Charybdis dicta eſt eo quod gurgitibus occultis naues abſorbeat. Eſt enim mare vorticoſum, & inde ibi laniata naufragia profundo emergunt. Ter autem in die fluctus erigit, & ter abſorbet. Nam accipit aquas, vt vomat vomit, vt rurſus accipiat. Syrtes ſunt arenoſa in mari loca, à tractu vocata, quod omnia ad ſe trahant, & appropinquanti vadoſo mari hæreant: vada vero ſunt per quæ in mari, vel in fluminibus homines, vel animalia pedibus vadunt. *Ex imagine mundi.* Eſt autem vorago in Oceano, quæ totas aquas, & naues abſorbet, & reuomit, & hæc in exortu lunæ maiori æſtu fluctus reuoluit, & reuomit: hæc autem vorago inde fit: eſt in terra abyſſus magna de qua ſcriptum eſt. *Rupti ſunt fontes abyſſi magnæ:* iuxta hanc ſunt cauernoſa loca, & ſpeluncæ latæ, & patentes, in quibus venti de ſpiramine aquarum concipiuntur, qui ſpiritus procellæ dicuntur, hi ſpiritus ſpiramine ſuo aquas maris per patentes terrarum cauernas, introrſus in abyſſum attrahunt, & eas exundare iterum magno impetu compellunt.

Scylla. *Charibdis.* *Syrtes.* *Vada.* *Vorago.*

De diluuijs.

CAPVT XXIII.

Vilhelmus de Conchis. Cum autem aqua, vt prediximus, fonti caloris ſit ſuppoſita, contingit humorem pauliſque creſcere, caloremque ſuperare, donec ad id creuerit, quod nullis littoribus retentus, per terras ſe diffundens, terrena ſubmergit, qui cum ex ſiccitate terrę conſumptus ſit, contingit calorem pauliſper creſcere, humoremque ſuperare, donec per terras diffuſus illas adurat. Sed dicis. Cum ſingulis annis humorem videamus, qui in hyeme creuerit, æſtate deficcari, & calorem æſtatis hyeme extingui, vnde iſta inundatio vel exuſtio contingit? Reſpondeo ſi ſemper æqualiter hic ſcilicet calor humorem, ille ſcilicet humor ipſum calorem deſtrueret, nullum contingeret diluuium. Sed quia contingit quod æſtas minus eſt calida & ſicca, ideoq; & minus de ſuo cõtrario conſumit, vnde ſequenti hyeme ex maiori frigiditate plus aeris ſpiſſatur, & poſt hoc in aquam ſiue pluuiam trãſit, ſicque fit per multos annos, donec cataclyſmus perueniat. Sic ſi ex contrario hyemes minus ſunt humidæ, & frigidæ, per multa tẽpora generatur exuſtio. Aliter etiam poteſt fieri. Certum eſt magna flumina in viſceribus terræ diſcurrere, quæ tempore certo & cõſtituto ad ſuperficiẽ terræ ſimul erumpunt, atq; diluuiũ faciunt. Cum vero aquæ quæ per terræ ſuperficiem currunt ad interiora ſe transferunt, nec eſt quod reſiſtat calori fit aduſtio. Sunt qui dicũt ex communi planetarum eleuatione & depreſſione iſta contingere. Si autem omnes planetæ eleuentur ſimul plus ſolito à terra remoti, minus de humore conſumitur, igitur humor creſcit qui per terras ſe diffundit, fitq; diluuiũ. Si vnus vel duo vel tres ſine alijs eleuentur, non intantum creſcit humor. Quod enim creſcit ex iſtorum eleuatione minuitur aliorũ depreſſione. Si vero omnes ſimul deprimantur ex vicinitate terras adurũt, fitq; aduſtio. Sed ſi duo vel tres deprimantur, hi ex propinquitate magis caloris faciunt, alij ex remotione faciunt minus. Et attende quod eſt & generale diluuium & particulare. Duo vero generalia ſimul eſſe non poſſunt, ſed multa particularia poſſunt. Ideoque dicit Plato plures præceſſiſſe inundationes, quod etiam Auguſtinus teſtatur.

Obiectio. *Reſp.* *Cataclyſmus.* *Fluminꝛ ſubterranea cauſa diluuij.*

De fontibus.

CAPVT XXIV.

Iſidorus. Fons eſt caput aquæ naſcentis, ſic dictus, quaſi aquas fundens. *Guilelmus, de Conchis.* Aqua enim per catharactas terræ decurrens ſi finem catharactæ reperit, ob terræ ſpiſſitudinem vltra non poteſt procedere, neque propter ſpecum aquæ ſequentis recurrere, vnde ad ſuperficiem terræ ebullit, fontemque perennis aquæ facit, qui iuxta quãtitatem aquæ quæ per catharactas terræ decurrit magnus, vel paruus exiſtit. Ex terræ vero qualitate ſaporem contrahit. *Adelardus.* Quod eſt ſudanti corpori gutta, hoc eſt vt mea fert opinio fons in humectanti terra. Cum enim multo afficitur terra humore, ille cum ex diuerſis partibus in vnum conuenit, fons eſſe incipit. Cum ergo terræ locus exudantem humorem generare non deficit, magna inde ſemper naſcens gutta, fons eſſe non definit, vnde fit etiam vt in locis, in quibus eſt humiditas parua, eadem æſtiuali calore ſiccata, fontiua ſcaturigo æſtate ceſſet, hyeme redundet. Sed miror inquis, de illis fontibus, qui naſcuntur in excelſis montibus. Cum enim planicies vndique circumiacens pateat, nec amnem illuc aſcendere poſſe video, nec vnde ibi naſcuntur intelligo. At inquam dum multiformem flumina curſum diuidunt, in viſceribus terræ fieri poteſt, vt tale quandoque territorium incurrat, quod vndique lapideis molibus obſtruſum, ea ſurſum ſi patet exitus, cogat effluere: dum itaque ſemper aſcendit, ſemper excurrit, quod etiam in humanis operibus perſpicuũ eſt, quibus aquas cohibent, & præter naturalem curſum in alia, & alia loca retorquent. *Auctor.* Fons de terra ſcaturit purus, ac lucidus, frigiduſque, Hyeme tamẽ calet. Gratus eſt enim viatoribus ad bibendum, quia ſitim ſedat & refrigerat. Quanto autem clatior eſt, tanto facilius turbatur. Aquas de mari per occultos meatus excipit, & ex ſalſis dulces reddit. Eaſdemque ad matricem abyſſum per apertos riuos, ac flumina remittit. *Ex libro de naturis rerum.* Fons cum cætera lauet, aliquando purgatione indiget. Origines fontium in altis locis ſunt & in montibus, alta quippe montium loca ſunt, ſicut ſpongia ſpiſſa, quæ fugunt ad ſe aquam, & paulatim aggregãt, eam omnium fontium origo eſt ex mari, & ex fonte oritur flumen, ita vt dici poſſit, quod fons non eſt flumen nec econuerſo, & tamen flumen & fons eadem ſunt, ſicut pater & filius eadem eſſentia.

Etymologia fontis. *Fons comparatur gutte in corpore ſudante.* *Origo fontiũ e montibus prouenit à fluminibus.* *Fontes à mari oriuntur.* *Montes ſunt quaſi ſpongia.*

Qualiter inueſtigandi ſunt fontes ſalubres.

CAPVT XXV.

Vitruuius de Architectura li. 8. Quod ſi non apetti fontes profluunt, eorum capita ſub terra quærenda ſunt, antequam ſol exortus fuerit. In locis vbi quærendum erit ſunt concriſpantes humores, & in aera ſurgentes videbuntur, ibi fodiatur. In Creta quidem tenuis, & exilis eſt aqua, & non alta copia nec optimo ſapore. Sabulone quoque ſoluto tenuis, ſed inferioris loci inuenitur, limoſaque eſt, & inſuauis. Terra autem nigra ſudoris ſtillæ exiles inueniuntur, quæ ex hybernis tempeſtatibus collectæ in ſpiſſis, & ſolidis locis ſubſidunt, & optimũ habent ſaporẽ. Glareæ vero mediocres, & ægregia ſuauitate. Item Sabulone maſculo, arenaque & carbunculo certioris ſunt copiæ, & boni ſaporis. Rubeo quoque ſaxo, & copioſæ ſunt, & bonæ, ſi non per interualla dilabantur, & liqueſcant. Sub radicibus autem montium, & in ſaxis vberiores ſunt, & frigidiores atque ſalubriores. In campeſtribus vero fontibus ſalſæ, graues, tepidæ, non ſuaues, niſi qui ex montibus ſub terra manantes erumpunt in medio campi: ſunt qui arborum vmbris contenti præſtant montanorum fontium ſuauitatem. Fodiatur itaque locus latus non minus quinque pedes & in eo collocetur circa ſolis Occaſum

Salubriores fontes in ſaxis &c.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Experientia pro fontibus inueſtigandis. Scaphium Æneum, vel plumbeum, aut peluis, idque intrinſecus vnctum ponatur inuerſum, & ſumma foſſura operiatur arundinibus aut frondibus poſtera die aperiatur, & ſi in vaſe aliquæ ſtillæ aquæ ſudoriſque fuerint, is locus aquam habebit. *Palladius de agricultura lib. 9.* Item ſi vas figuli fictum non coctum eadem ratione ponatur ac ſimiliter operiatur, altero die, ſi aquarum vena eſt in præſenti, vas humore concepto ſoluetur. Item lucerna oleo plena, & incenſa, ſi ibi ſimiliter tecta ponatur, ac ſecundo die inueniatur extincta aquas idem locus habebit. *Vitruuius vbi ſupra.* Similiter ſi in eo loco vellus lanæ collocetur, & in ſequenti die aqua de eo exprimatur. Item ſi ibidem ignis factus fuerit & percalefacta terra & adusta, vaporem nebuloſum ex ſe ſuſcitauerit, his itaque pertentatis, & ſignis inuentis puteus in eo loco deprimendus eſt, & ſi caput aquæ inuenitur plures circa fodiendi ſunt, & in vnum locum omnes concludendi.

Alia. *Alia.* *Alia.* *Alia.*

Quibus in locis quærendi ſunt fontes.

CAPVT XXVI.

Cur copia aquæ fontalis in montibus. HÆc autem maximè in montibus, & regionibus ſeptentrionalibus quærenda ſunt, eo quod in his, & ſuauiora & ſalubriora & copioſiora reperiuntur. Auerſi ſunt enim ſolis curſui, & in his locis crebræ ſunt arbores. Ipſique montes ſuas habent vmbras obſtantes, & radij ſolis non directi ad terram perueniunt, nec humores exurere poſſunt. Interualla quoque montium maxime imbres recipiunt. Et propter ſyluarũ crebritatem niues ab vmbris arborum & montium ibi diutius conſeruantur, deinde liquatæ per terræ venas percolantur, & ſic ad infimas montium radices perueniunt. Ex quibus profluentes fontium fluctus erumpunt. Eo quòd ſolis vehemens impetus ob nullam vmbrarum obſtãtiam eripit exhauriẽdo è planicie camporum humorem. Et ſi quæ ſunt aquæ apparentes, ex his, quod leuiſſimũ eſt ac tenuiſſimum ex ſubtili ſalubritate diſſipat, quæq; grauiſſimæ ac duræ, & inſuaues ſunt partes: in fontibus campeſtribus relinquuntur. Itaque quæ ex imbribus aqua colligitur, ſalubriores habet virtutes. Multoque meliora inueniuntur, quæ ad ſeptentrionem aut aquilonem ſpectant capita fontium, niſi inciderint in ſulphurioſum locum, aut aluminoſum vel bituminoſum tunc enim permutantur, aut enim calidę aut frigidæ odore malo, & ſapore perfundunt fontes.

Aquæ ex imbribus virtute maiori pollet.

De natura aquæ fontalis.

CAPVT XXVII.

Fontes meliores currũt ad Orientẽ. *Philoſophus.* Aqua fontis æſtate minus eſt frigida, quam aqua putei: quia propinquior eſt calido aeri, verum frigidior eſt quam aqua fluuij, & multo frigidior aqua pluuiali. *Auicenna lib. 1.* Aquæ fontium aliis aquis meliores ſunt, fontium inquam terræ quæ liberata eſt ab omni diſpoſitione extranea, quorum etiam aqua eſt currens ad orientem ſuper lutum incedens, ſoli ventiſque diſcooperta. *Diaſcorides.* Aqua de fontanis eligitur illa quę ad ſolis ortum tendit, vel meridiem & de montibus cauis exit: hæc enim propinquat pluuialibus, quæ vero contra Occidentem, vel Septentrionem currunt, ſunt peſſimæ: petram enim in veſica, & renibus creant. Mulieres ſteriles faciunt, & corporis torporem. Rigore quoque nimio menſtrua ſtringunt, inhibent ægritudine ſudorem prorumpere, vel ventris fluxum, vel nauſeam. *Vitruuius vbi ſupra.* Aquæ vero fontium, ſic probantur. Si fons nouus fuerit foſſus, & ſi vas ex ære bono aqua aſperſa maculam non fecerit: optima erit. Similiter, ſi legumen in vas cum aqua coniectum, ad ignem poſitum celeriter decoctum fuerit. Item ſi aqua fontis limpida ac perlucida profluxerit, ibique muſcus non naſcatur nec iuncus: nec aliquo locus is inquinatus fuerit, ſed puram ſpeciem habuerit. *Plin. lib. 31.* Damnantur in primis fontes, qui cænum faciunt, quique malum colorem bibentibus referunt, & ſi vas æneum inficiunt. Aut ſi tardè legumina percoquunt, ſi aquæ liquatæ leuiter terram relinquunt, decoctæque craſſis vaſa cruſtis obducunt. Eſt & vitium non fætidæ rei modo, verum etiã omnino quicquam recipientis, licet illud iucundum ſit atque gratum, & ad viciniam accedens lactis. Aquam vero ſalubrem aeri oportet eſſe quam ſimillimam. Vnus in orbe toto traditur fons eſſe aquæ iucundæ, videlicet in Meſopotamia Gabyle, de qua fabulæ rationem afferunt, quoniam ea vino ſit perfuſa. At vero ſalubrium aquarum nullus ſapor debet eſſe, nec etiam odor. Quidam ſtatera iudicant de ſalubritate fruſtrante diligentia, quia perrarum eſt vt leuior ſit aliqua. Certior autem eſt ſubtilitas inter pares, quod illa melior ſit, quæ celerius refrigeratur & calefit. Theſpicorum fons mulieribus repræſentat conceptus. Item in Archadia flumen elatum cuſtodit partum. Linus in eadem Archadia fons non patitur fieri abortus. Tungris Galliæ ciuitas fontem habet inſignem plurimis bullis ſtillantem, qui ferruginei ſaporis eſſe dignoſcitur, & hoc ipſum non niſi in fine potus intelligitur, purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia. Eadem aqua igne admota turbida fit, ad poſtremum rubeſcit. Leucogei fontes, inter puteolos, & Neapolim vulneribus medentur, & oculis.

Aqua ſalubris indicia. *Tales ſunt aquæ ſpadanæ.*

De diuerſis generibus fontium.

CAPVT XXVIII.

Ex li. de naturis rerum. Fontes autem ſaporem, virtutem, colorem ex occultis terræ viſceribus, de quibus originem trahunt, fluentes ducunt. Itaque cum paradiſi fons vniuerſæ terræ ſuperficiem in quatuor fluminibus irrigare dicatur, ex varijs terræ qualitatibus fontes quidam frigidas habent aquas, Alij vero calidas, & ex terra ſulphurea feruidas. *Vitruuius vbi ſupra.* Sunt autem nonnulli fontes calidi, ex quibus optimo ſapore profluit aqua. Sunt & in Reatino fontes, qui ſulphurati dicuntur, & cum ſint frigidi, feruere videntur. Quia cum in ardentem locum inciderint humore & igni inter ſe congruentibus offenſi, vehementi fragore validos in ſe ſpiritus recipiunt, ita vt inflatiui venti coacti bullientes ſcreatu per fontes egrediantur. Omnis autem aqua calida ideo medicamentoſa eſt, quæ in prauis rebus percocta aliam virtutem ad vſum recipit. Nam ſulphurioſi fontes neruorum labores reficiunt percalefaciendo & exurendo è corpore vitioſo humores. Aluminoſi vero cum diſſoluta membra paralyſi aut aliqua vi morbi repetiunt, fouendo per patentes venas refrigeratione contraria calore ſui reficiunt. Bituminoſi vero interioris corporis vitia potionibus purgando mederi ſolent. Eſt autem aquæ frigidæ genus nitroſum, quod potionibus depurgat per alumenque tranſeundo etiam ſtrumarum minuit tumores: vbi vero aurum, argentum, æs, plumbum & ſimilia fodiuntur, fontes inueniuntur copioſi, ſed hi maximè vitioſi, flumen Himeras à fonte progreſſum in duas partes diuiditur, quarum vna per dulcem terræ ſuccum decurrens infinitam habet dulcedinem. Altero vero per terram fluens vnde ſal foditur, ſalſum habet ſaporem. Sunt & alijs locis fontes, flumina, lacus, qui per ſalifodinas currunt, & neceſſario ſalſi fiunt: alij per pingues terræ venas currentes vncti oleo fontes erumpunt, vnde & lauantes, & natantes vnguntur. Sunt etiam venę fontium acidæ in Italia, pluribuſque alijs locis, quæ calculos in veſicis naſcentes potionibus diſcutiunt. Sunt & fontes quaſi vino mixti, vt eſt vnus Paflagoniæ ex quo potantes fiunt temulenti. In Archadia ciuitas eſt Clitori in cuius agris eſt ſpelunca profluens aqua, de qua qui bibunt fiunt abſtemij.

Sulphurioſi fontes neruos curant aluminoſi paralyticos. *Vitioſi fontes.*

Experientia ad probandã bonitatem aquæ fontanæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De mutabilitate quorundam fontium.

CAPVT XXIX.

Fons Iob.

ISidorus vbi supra. Fons Iob in Idumea quater in anno colorem mutare dicitur, in puluerulentum, sanguineum, viridem, & limpidum, ternis mensibus in annum tenens ex his colorem vnum. Fons syloe ad radicem montis syon non iugibus aquis, sed in certis horis ac diebus ebullit. In Iudæa quidam riuus sabbatis omnibus siccabatur. *August. de ciuit. Dei lib.* 22. Apud Garamantas perhibent fontem esse, tam frigidum diebus, vt non bibatur, tam calidum noctibus, vt non tangatur. *Seneca vbi supra.* Ergo sicut sanguis e vena percussa tamdiu manat, donec totus effluxerit, aut venæ scissura subsederit, aut aliqua alia causa sanguinem retrodederit. Sic in terra solutis, ac patefactis venis, riuus aut flumen effunditur. Et modo consumpta aqua ex vena deficit, modo aliquo impedimento siccatur, modo terra coit velut in cicatricem, comprimitque quam fecerat viam. Cur autem quidam fontes senis horis pleni seniſque sicci sunt. Et flumina quædam similiter certis mensibus magna, certis vero angusta, de omnibus eadē ratio reddi potest. Quemadmodum enim ad horam quartana venit, & ad tempus podagra respondet. Quemadmodum purgatio si nihil obstat, statutum diem seruat, & partus ad diem suum præsto est. Sic & aquæ interualla sua habent, quibus se retrahant, & redeant: harum autem quædam minora sunt, & ideo notabilia. Quædam vero sunt maiora, hæc minus certa. Et quid hoc mirum est, cum videas ordinem rerum & naturam per constituta procedere? Hyems nunquam aberrauit, Æstas semper suo tempore incaluit. Tam solstitium quam æquinoctium dies suus retulit. Sicut autem in nobis non tantum sanguis est, sed multa genera humoris, alia necessarij, alia corrupti, ac paulo quidem alia & pinguioris, sicut in ossibus medullæ, & in capite cerebrum muscus saliuæque & lachrymæ, & quoddam additum articulis, per quod citius flectantur ex lubrico. Sic & in terra quoque plura sunt humorum genera. Quædam scilicet quæ matūrè durentur, & hinc est omnis metallorum humus, ex quibus aurum & argentum auaritia petit. Et quæ in lapidem ex liquore vertuntur: in quadam autem terra humorque putrescunt, sicut bitumen, & cætera huic similia. Cæterum sicut in nostris corporibus, sic & in illa sæpe humores vitia concipiunt. Cum aut ictus, aut quassatio aliqua loci, aut senium, aut frigus, aut æstus corrumpere eius naturam dicitur.

De miraculis fontium.

CAPVT XXX.

VItruuius vbi supra. In insula Chio fons est, ex quo qui prudentes biberint, fiunt insipientes. Suesis vrbe fonticulus est, ex quo qui biberint amittunt dentes. Sunt etiam in quibusdam locis eiusmodi fontes, vt qui eis potentur, egregias habeant ad cantandum voces. *Isidorus vbi supra.* In Italia fons Ciceronis oculorum scissuras, & vulnera sanat. Zema fons in Aphrica, canoras voces facit. In Chio insula fons est, quo bibentes hebetes fiunt. In Boecia duo fontes sunt, quorum alter memoriam alter obliuionem affert. Cyrici fons amorem veneris tollit. In Æthiopia fonte rubro qui biberit Limphaticus fit. Lechnus fons Archadiæ abortus fieri non patitur. In Sicilia duo fontes sunt, quorum vnus fæcundat sterilem, alter fæcundam sterilem facit. Marsidæ fons in Phrigia saxa gerit. In Archadia è saxis aqua profluit. Stix est appellata quod illico potata interficit. Fons est in Aphrica circa templum Ammonis, qui humoris nexibus humum stringit, fauillas etiam in cespitem solidat. In Sardinia calidi fontes oculis medentur, rures arguunt, nam eorum facinus cæcitate detegitur. *Augustinus vbi supra.* Esse quoque perhibent in Epyro fontem alium in quo faces, & extinguuntur accensæ, & accenduntur extinctæ. *Ex libro de naturis rerum.* In partibus oriētis, vt dicit Iacobus, est fons quidam, ex cuius aquis efficitur Græcus ignis, alijs quibusdam mixtis, qui postquam vehementer accensus fuerit, vix aut nunquam extingui poterit, nisi aceto, aut hominis vrina, vel sabulo. In Britania minori asserunt esse fontem, de quo aqua hausta si proijciatur super lapidem vicinum illi fonti, videtur oriri pluuia repente cum grandine & vento vehementi. In oceano maximo, qui solis calore in modum cacabi feruere videtur, est fons quietus, & tranquillus, cum silentium ibi fuerit obseruatum, Sed si Tibia insonuerit, eleuatur & intumescit. In Sicilia dicuntur esse duo fontes, Quorum alter facit oues albi velleris nigras, Alter nigri velleris albas. Constat etiam vulgo fontes esse, qui ligna iecta in lapideam substantiam conuertunt, & ex huiusmodi lapidibus fiunt cotes optimæ. *Plinius lib.* 2. Gadibus, qui est delubro Herculis proximus, fons inclusus ad putei modum, alias simul cum Oceano augetur, minuiturque, alias vero vtrumque contrarijs temporibus. Eodem in loco alter Oceani motibus consentit. Omnes autem fontes æstate, quam hyeme gelidiores esse quem fallit? *Solinus* In littore maris rubri Varro affirmat esse fontem, quem si biberint oues mutant vellerum qualitatem. Et si antea candidæ, fuerint postea nigrescūt colore. *Philosophus.* Fotes autem tam in mari quam in terra dulcis aquæ limpidissimi reperiuntur. Itaque in maris superiori parte Tyreusis vrbis fons est, qui dulcissimis aquis tanta vehementia prosilit à fundo maris, vt duobus aut tribus cubitis super mare saltet. Et hoc cum mare tranquillum est, Cum autem inundationes vento feruntur, fons quidem ab eis obruitur. Sed cum transierint statim vt prius eleuatur. Sic autem eminet super aquas maris, vt hauriri possit in vasis.

Quæ extinguunt ignem Græcum.

De fluminibus.

CAPVT XXXI.

ISidorus vbi supra. Fluuius est, perennis aquarum decursus, à fluendo dictus, huius aqua ipsa propriè flumen dicitur. Duo autem sunt genera fluminum, vnum torrens, alterum viuum. Torrens est aqua veniens cum impetu, sic dictus, quia pluuia crescit, siccitate torrescit, id est arescit, in hyeme ergo succrescit, in æstate siccatur. *Secundus philosopus.* Quid sunt flumina? cursus indeficiens, refectio solis, irrigatio terræ. *Seneca vbi supra.* Sicut aer autem ventos, & auras mouet, sic aqua, & ipsa mundi pars quarta riuos, & flumina. Sed ventus est fluens aer. Et flumen est fluens aqua, flumen namque facit copia, cursusque perennis aquæ. *Adelardus.* Quæris autem si à mari flumina exeunt, cur non ad nos aliqua inde salsa perueniunt: verum quod ibi cæperunt, in itinere amittunt, licet enim à mari salsa prodeant, tamen dum per viscera terræ quodammodo cribrantis ea multipliciter transeunt, ibi salsuginem deponunt. Sed vnde (inquis) quædam eorum tam perpetuum habent cursum? Nam quæ est aut esse potest aquositas tantæ copiæ, quæ iampridem non fuisset excursa, aut si post aquam venit aqua, & post illā semper alia erit administratio infinita. At inquam, quicunque principia ignorat male de fine loquitur. Tu ergo in circulari re, nec principium, nec finem intellige. Nam quod tale est in seipsum reciprocabile est. In seipsas ergo aquæ redeunt, & quod eundo defluxerint, redeundo restituunt, vnde satyricus vulgarem irridens stoliditatem ait. *Rusticus expectat, &c. Isaac. vbi supra.* Bona & salubris est aqua fluminis longe à ciuitate remoti, cuius liquor clarissimus est, super arenas, & lapides currens. Melior tamen si super lapides: quia lapides illidunt aquam, & eius crassitiem attenuant. Illa quoque confortatiua est, in quadam bonitate quæ fluit ex parte Orientis,

Flumen.

Torrens.

Obiectio.

Resp.

Aqua fluuiatilis melior.

vel Septentrionis. Et melior, ſi fluat ex Oriente, quam ex Septentrione, ſicut teſtatur Hippocrates, plaga inquit Orientalis eſt calida, & ſicca. Mane etenim ib oritur ſol, qui eſt cauſa attenuandi aerem, & fumum mundificandi, atque craſſitiem in medio temporis ſubtiliandi.

De Origine fluuiorum, & quorundam exiccatione.

CAPVT XXXII.

Ariſtoteles in lib. Meteororum 2. Vapores aquoſi quando eleuantur, & inſpiſſantur, coagulantur in nubes, deinde eroluuntur ex eis pluuiæ, redeunt ad terram, & currunt, ſicut radix prima: aquæ vero ſub terra aggregatæ ſcilicet in eius profundo ſunt in materia fluminũ. Et ob hoc fit additio fluminis in hyeme plus, quam in æſtate. Quandoque etiam abſcinduntur quædam eorum in æſtate propter paucitatem materiæ, quia finitur ante aduentum pluuiæ: aquæ vero redeuntes in terram non ſunt ſeparatæ, ſicut eſt earum ſeparatio ſuper terram. Sed quædam earũ aggregatę ſunt cum quibuſdam: ſicut guttæ pluuiarum aggregantur, & inde fit aqua multa. Sic ergo redeuntes in terram comprimuntur paulatim, & aggregantur. Et fit ex eis principium curſus in fluminibus: huius rei ſignum eſt, quod illi qui fodiunt, vt extrahant aquam, fodiunt loca multa, deinde aggregant eam, & currere faciunt ad vnum locum inferiorem, ibique ponunt ei radicem. Currunt autem magis flumina ex altis locis, & montibus, & ſunt origines eius propinquæ, loca montium alta ſunt, ſicut ſpongia ſpiſſa, quæ ſugit id eſt attrahit ad ſe aquam, & paulatim aggregat eam ſcilicet ſurſum. In pedibus autem montium aquæ minorantur. Quidam autem dicebant, quod cauſa propter quam flumina fiunt, quandoque aliquando vero exiccantur, ſunt ſubterraneæ cauernæ, in quibus dum ſunt aquæ fiunt flumina, & currunt, dantque fluminibus materiam. Quando vero minorantur, materia fluminum abſcinditur. Nos autem dicimus, quod cauſa fluminum eſt magnitudo locorum eleuatorum, in quibus eſt aqua, & ſpiſſitudo eorum, & ipſorum frigus: in huiuſmodi enim locis non reſoluitur quicquam: & ideo multiplicantur illic materiæ ſcilicet aquæ. Loca vero depreſſa lapides albos molles habentia non retinent aquam, nec figitur in eis, vnde cum aduenit eis caliditas canicularum, velociter exiccantur.

Explicatur modus quo aqua aggregantur.

De his qui augentur in æſtate.

CAPVT XXXIII.

Seneca vbi ſupra. Quædam flumina in ęſtate augẽtur, vt Nilus. Cuius alias ratio reddetur. Theophraſtus auctor eſt, in Ponto quoque amnes creſcere æſtiuo tempore. Cuius quatuor indicantur cauſæ. Vna ſcilicet quia tunc maxime in humorem terra ſit mutabilis: aut quia maiores in remoto ſunt imbres quorum aqua per ſecretos cuniculos reddita tacitè effunditur. Tertia eſt, ſi crebrioribus ventis oſtium cæditur, & fluctu reuerberatus amnis reſiſtit, qui ſic creſcere videtur, quia non effunditur. Quarta vero ſyderum ratio eſt, hæc enim quibuſdam menſibus magis vrgent, & exhauriunt flumina, cum vero longius receſſerint minus conſumunt, & contrahunt. Quædam etiam flumina palam in aliquem ſpecum incidũt, & ſic ex oculis auferuntur. Quædam vero paulatim conſumuntur, & intercidunt, eademque ex interuallo reuertuntur. Cuius cauſa manifeſta eſt, omnis enim humor naturaliter ad inferius, & inane deſcendit. Itaque flumina illa recepta curſus egere ſecreto, ſi primum aliquid ſolidi, quod obſtaret occurrit, perrupta parte quæ minus ad exitum repugnauit curſum ſuum repetunt.

Quatuor cauſæ crementi amnium.

De Flumine Nili.

CAPVT XXXIV.

Iſidorus, vbi ſupra. Quidam autem fluuiorum proprijs ex cauſis nomina receperunt. Ex quibus nonnulli notandi ſunt, qui in hiſtorijs celebres habentur. Geon eſt fluuius de Paradiſo exiens, & totam Æthiopiam cingens, ſic dictus, quod incremento inundationis ſuæ irriget terram Ægypti γῆ enim terra dicitur, hic apud Ægyptios Nilus dicitur propter limum quem trahit, qui fœcunditatem efficit. Apparet autem in Nilide lacu de quo in meridiem verſus excipitur Ægypto: vbi Aquilonis flatibus repercuſſus, aquis reluctantibus intumeſcit, & inundationem Ægypto facit. *Solinus.* Nilus interiorem Ægypti partem circumfluit: originem habet à monte inferioris Mauritaniæ, qui propinquat oceano: protinuſque lacus fit: quem Nilidem dicunt. Nilum autem iam inde eſſe conijciunt, quod hoc ſtagnum in herbis, piſcibus, belluis nihilominus procreet, quam in Nilo videmus. Sed hoc lacu effuſis arenis ſorbetur, & cuniculis cæcis abſconditur: deinde in Cæſarienſem ſpecum prorumpens iterum ſubſidet, rurſuſque apud Æthiopas exit. Solus autem ex amnibus nullas expirat auras. *Comeſtor.* Ex inundatione Nili accidit, quod Ægyptus contra naturam aliarum regionum, cum abundat in frugibus ſterilis eſt in paſcuis, & econtra. Diutior enim mora fluminis ſuper terram, tempora colendi impedit, vel ſata extinguit, paſcua vero nutrit. *Auctor.* Plato quoque tradit nunquam in Ægypto pluiſſe. Vnde Iudæis in Deuteronomio dicitur. *Terra veſtra non eſt ſicut terra Ægypti,* quæ ſcilicet aquis Nili fluminis irrigatur, ſed montuoſa eſt de cœlo expectans pluuias, abundat autem Nilus Crocodilis, ibicibus, hypotamis, & huiuſmodi. *Auicenna li.* 1. Aqua fluminis Geon illa præcipuè, quæ in eius poſtremo ſumitur, vehementer turbida eſt. Sed in vna receſſione ſtatim clarificatur. Sunt autem qui aquam Nili maxima laude extollunt, & eius bonitates in quatuor comprehendunt. In longitudine manationis eius, & bonitate locorum per quæ vadit, & quia ſuo curſu à meridie ad ſeptentrionem tendit, ſubtilians illud quod ex aquis in illo currit. In multitudine vero ſui, aliæ ei communicant. *Seneca lib.* 8. Nilus dulcis eſt, nec vlli flumini dulcior guſtus, contra naturam aliorum fluminum, ante ortum caniculæ augetur medijs æſtibus vltra æquinoctium: hunc enim nobiliſſimum amnem extulit natura & ita diſpoſuit, vt eo tempore Ægyptum inundaret, quo maxime terra feruoribus vſta altius vndas traheret, & tanta menſura, quantum ſufficere poſſet annuæ ſiccitati. Nam in ea parte qua in Æthiopiam vergit, aut nulli ſunt imbres, aut rari, vnam itaque Ægyptus in hoc ſpem ſuam habet, quoniam aut ſterilis eſt annus, aut non, prout ille magnus, aut parcior in fluxerit.

Geon.

Nilus.

Caput Nili.

Bonitates aquæ Niliacæ.

De curſu eiuſdem & latitudine & irrigatione Ægypti.

CAP. XXXV.

Circa Philas primum ex vago & errante colligitur. Eſt autẽ Philæ Inſula aſpera & vndique præ-rupta, hæc duobus amnibus, in vnum coeuntibus cingitur, qui Nilo mutantur. Ab hac Nilus magnus magis, quam violentus egreſſus, per arduas exciſaſque pluribus locis rupes inſurgit, & vires ſuas concitat, frangitur enim occurrẽtibus ſaxis, & per anguſta eluctatus vbicumque vincit aut vincitur fluctuat. Et illic exercitatis aquis quas ſine tumultu, leni alueo duxerat violentus proſilit ſibi diſſimilis. Quippe ad illud vſque lutoſus ac turbidus fluit. At vbi in ſcopulos cautium verberauit, ſpumat, illique non ex natura

Phila inſula.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Color Nili vnde.

ſua, ſed ex iniuria loci color eſt. Tandem vero obſtantia eluctatus in vaſtam altitudinem, ſubito deſtitutus cadit cum ingenti circumiacentium ſtrepitu regionum. Quem etiam perferre gens à Perſis ibi collocata non potuit, obtuſis aſſiduo fragore auribus, & ob hoc ſedibus ad quietiora tranſlatis. Denique iam manifeſtus nouarum virium Nilus alto ac profundo alueo fertur obiectu mõtium preſſus. Circa Memphim demum liber ac per campeſtria vagus in flumina plura ſcinditur, ac per totam Ægyptum primo quidem deducitur, deinde continuis aquis in faciem lati ac turbidi maris ſtagnat. Quæ ſcilicet latitudo curſum illi violentiamque eripit. Sicque totam amplexus Ægyptum, arenoſo & ſitienti ſolo & aquam & terram inducit, cum enim turbulentus ſit omnem in ſiccis, & hiantibus locis fæcem relinquit, & quicquid pingue ſecum attulerit, arentibus locis allinit. Iuuatque agros duabus ex cauſis. Et quod inundat. Et quod oblinat.

Mira natura Nili.

itaque quicquid non adierit, ſterile & ſqualidum iacet. Si vero vltra debitum creuerit, nocet: mira itaque huius natura, quia cum cæteri omnes abluant terras, & euiſcerent, Nilus tanto cæteris maior adeo nihil excidit nec abradit, vt & econtra vires adijciat, illito enim limo ſaturat arenas, ac vngit, illaque pulcherrima facies eſt, cum iam ſe in agros ingeſſit, iacent campi & valles, & oppida inſularum modo extant, eo quod maior lætitia gentibus eſt quo minus terrarum ſuarum vident. Sic quoque cum ſe tipis continet Nilus, per ſeptena oſtia in mare emittitur. Et quodcunque elegeris ex his mare eſt. Multos etiam ignobiles ramos in aliud aquæ littus porrigit. Cæterum Belluas marinas, vel magnitudine vel noxa pares educat, ex eoque quantus ſit æſtimari poteſt, quod animalia tam ingentia & ſufficienti pabulo, & ad vagandum loco continet. *Idem in lib. 2.* Ægyptum vero nunquam tremuiſſe tradunt, eo quod ex limo tota concreuerit. Turbidus enim Nilus defluens, multumque cœni trahens. Et id ſubinde prioribus terris apponens annuo incremento ſemper vltra tulit. Inde pinguis, ac limoſi ſoli eſt Ægyptus. Nec vltra interualla in ſe habet, ſed creuit in ſolidum areſcente limo, cuius preſſa erat ac ſedens ſtructura, dum partes glutinarẽtur. Nec inane quicquam interuenire poterat, cum ſolido liquidum ac molle ſemper accederet.

Ægyptus nũquam tremuit.

De Gange.

CAPVT XXXVI.

Iſidorus *lib. 13.* Ganges a Gangaro rege dictus, quem Phiſon ſcriptura cognominauit, exiens de Paradiſo pergit ad Indiæ regiones, dicitur autem Phiſon, id eſt caterua: quia decem magnis fluminibus impletur ſibi adiunctis, & vnus efficitur: fertur autem Nili modo exaltari, & ſuper Orientis terras erumpere. *Comeſtor.* Phiſon interpretatur oris mutatio: quia mutatur à facie quam habet in Paradiſo. Mutatur etiam ſecundum diuerſa loca tribus modis. In colore: quia alibi clarus, alibi obſcurus, alibi turbidus. In quantitate: quia alibi paruus: alibi diffuſus. In ſenſu: quia alibi frigidus, alibi calidus: hoc circumit Indiam, & trahit aureas arenas. *Solinus.* Anguillas ad tricenos pedes lõgos educat Ganges, quem Statius Seboſus inter præcipua miracula vermibus dicit abundare cæruleis nomine, & colore: hi bina habent brachia, longitudinis cubita, non minus ſena, adeo robuſtis viribus, vt Elephantos ad potum veniẽtes mordicus apprehenſa ipſorum manu, rapiant in profundum. *Helinandus lib. 12.* Hic eſt Gãges, de quo dicit Marcianus in lib. de Geometria, quod eius latitudo vbi diffuſior, eſt 20. millia paſſuum, vbi anguſtior 8. profunditas autem vbi validior eſt centum pedes habet, à ſcythicis montibus venit: de eodem dicit Lucanus, quod ſolus fluuiorum contra ſolis ortum currit.

Aureæ arenæ Gangis.

Anguillæ trium cubitorum pedum.

De Tigri.

CAPVT XXXVII.

Iſidorus. Tigris eſt fluuius Meſopotamiæ de paradiſo exoriens & pergens contra Aſſyrios, & poſt multos circumitus in mare mortuum influens, vocatur autem Tigris propter velocitatem, ad inſtar beſtiæ Tigridis à nimia pernicitate currendi. *Solinus.* Tigris in Armeniæ regione caput tollit, mire inquam lucidum, conſpicuo fonte in loco edito, qui * elogos nominatur, nec ab exordio ſtatim totus eſt, primum pigre fluit non ſuo nomine, at cũ fines Medorum ingreſſus eſt, ſtatim Tigris dicitur. Ita enim Medi nominant ſagittam, influit autem in Arethuſam lacum, omnia pondera ſuſtinentem, cuius piſces nunquam ſe Tigridis alueo miſcent, ſicut nec amnici piſces in ſtagnum tranſeunt Arethuſæ, per quam diſſimilis colore, & velociter meat curſu. Mox reſiſtente Tauro, in profundum ſpecum mergitur, quem ſubterlabens, in altero eius latere apud * Zoroandam emicat, vluas & purgamenta plurima ſecum trahens, deinde identidem abſconditur, rurſuſque redditur: Adiabenos Arabaſque præterfluit, Meſopotamiam amplectitur nobiliſſimum amnem, Idaſpem accipit, Euphraten defert in Sinum Perſicum. *Plinius lib. 7.* Tigris oritur in regione Armeniæ maioris, fonte conſpicuo in planicie, loco nomen Elogoſine eſt. Ipſius qua tardior fluit, diglito. Vnde concitatur, à celeritate Tigris incipit vocari, ita appellant Medi ſagittam, influit Tigris in lacum Arethuſam illata pondera ſuſtinentem, & intra nebulas exhalantem, vnde genus ei piſcium eſt, & aquæ tranſcurrentis alueo non miſcetur, ſicut nec à Tigri piſces in lacum tranant.

Etymologia Tigridis.

* *Aliàs, egelos,*

* *Aliàs, Zomodam.*

De Euphrate.

CAPVT XXXVIII.

Iſidorus. Euphrates eſt fluuius Meſopotamię de Paradiſo exoriens copioſiſſimis gemmis, qui per mediam Babyloniam influit, hic à frugibus, vel vbertate Euphrates dicitur, quod fertilitas interpretatur. *Solinus.* Euphratẽ fundit Armenia maior ortum ſupra Zimarã ſub radicibus capoten montis proximi Scythis. hic receptis in ſe aliquot amnibus conualeſcit. Et ſtipatus conuenis aquis luctatur cum Tauri montis obiectu, quem apud Elegeam ſcidit, reſiſtat licet 12. millium paſſuum latitudine, longiſque ex curſibus dextera Commagenẽ, leua Arabiamque relinquit, deinde perlabens plurimas gentes Babyloniam quondam Chaldæorum caput diuidit, Meſopotamiam opimat innundationis annuæ exceſſibus, ad inſtar Ægyptij amnis terras contegens. Inuecta ſoli fœcunditate his fermè temporibus, in quibus Nilus exit, ſole ſcilicet in parte cancri 20. conſtituto. Tenuatur cum Leone decurſo, ad extrema virginis curricula tranſitum facit: vnde apparet contraria duo flumina eaſdem incrementi habere cauſas. *Comeſtor.* Hæc igitur paradiſi quatuor flumina ab eodem fonte manant, & ſeparantur. Et iterum quædam eorum commiſcentur, & iterum ſeparantur. Sæpe etiã exorbentur à terra, & locis iterum in plurimis emergũt, hinc eſt quod de eorum varia leguntur, dicitur enim Ganges naſci in locis Caucaſi montis. Nilus autem non procul ab Atlante. Tigris, & Euphrates ex Armenia. *Plinius lib. 5.* Euphrates oritur in præfectura Armeniæ maiori Caranitide, vt prodidere ex his, qui proximè viderunt, Domicius corbulo in monte Aga. Lucinius Mucianus ſub radicibus montis quem Capoten appellant, ſupra Zimaram duodecim milia paſſuum initio Pyxirates nominatus. Fluit Derzenen primum mox aneciam, Armeniæ regiones à Capadocia excludens. Daſcuſa abeſt à Zimaria 85. millia paſſuum. Inde nauigatur paſtonam quinquaginta millia paſſuum, Melitenẽ Capadociæ. 27. milia paſſuum. Elegeã Armeniæ 10. milia paſſuum

Inundatio Meſopotamiæ per Euphraten.

Ortus quatuor fluminum Paradiſi.

acceptis

acceptis fluminibus, Lico, Arſania, Arſano, Apud Elegeã occurrit ei Taurus mons, nec reſiſtit quanquã 12. milia paſſuũ latitudine perforata prævalens. Ommam vocant irrumpentem. Mox vbi cornu perfregit Euphratem, vltra quoque ſaxoſum ac violentum Arabiam. Inde leua Merorum dictam regionem tricena mẽſura dexteraque Commagenem diſterminat. pontis tamen etiam vbi Taurum expugnat patiens. Apud Claudiopolin Cappadociæ curſum ad occaſum ſolis agit, primo hunc illi impugnato curſum Taurus auſert, victuſquè & abſciſſus ſibimet alio modo vincit, ac fractum expellit in meridiem ita naturæ dimicatio illa æquatur, hoc eunte quo vult, illo prohibente ire qua velit.

De Iordane cæteriſque famoſis fluminibus.

CAPVT XXXIX.

Fontes Iordanis. I *Sidorus.* Iordanis Iudeæ fluuius à duobus fontibus nominatur, quorum alterior, alter dan vocatur: his ergo procul à ſe diſtantibus in vnum alueum fœderatis Iordanis deinceps vocatur. Naſcitur autem ſub Libano monte, & diuidit Iudæam & Arabiam, qui per multos circuitus iuxta Hiericho in mare mortuum fluit. *Hydaſpis.* Hydaſpis eſt fluuius perſarum qui cõtra Orientem decurrere dicitur. *Indus.* Indus eſt fluuius orientis, qui mari rubro accipitur. *Araris.* Araris eſt fluuius, qui currit per Parthiam & Aſſyriam. *Araxis.* Araxis eſt amnis Armeniæ qui ab vno monte cum Euphrate diuerſa ſpecie oritur, ſic dictus, quod rapacitate cuncta proſternat, vnde cum Alexander eum tranſgredi vellet ponte fabricato, tanta vi inundauit vt pontem dirueret. *Pactolus.* Pactolus fluuius Aſiæ Arenas aureas trahens, quem pro aurato fluore alij chryſiorham vocant. *Erinus.* Erinus fluuius Aſiæ Smirneos ſecat campos, & ipſe fluctibus, Aureis etiam plenus arenis. *Cygnus.* Cygnus eſt amnis Ciliciæ, ſic dictus, quaſi candidus. Nam quicquid candidum eſt cygnum gentili lingua ſyri dicunt, quia tumet æſtate, quando nives ſoluuntur, reliquis anni temporibus tenuis eſt & quietus. *Coaſpin.* Coaſpin fluuius Perſarum, miram aquæ dulcedinem habet, adeo vt Perſici reges quamdiu inter Ripas Perſidis fuerint ſibi ex eo poculum vendicarunt. *Ornus.* Ornus alias orentes fluuius Syriæ iuxta muros Antiochiæ decurrit. Guius fluentis ex ipſo impetu frigidioribus, & Zephiris aſſiduè ibi ſpirantibus, tota ciuitas momentis prope omnibus refrigeratur: hic ab ortu ſolis oriens, non longe ab vrbe mari conditur. *Tanais.* Tanais à Ryphæis ſyluis veniens dirimit Europam ab Aſia, inter duas mundi partes medium currens, atque in Pontum fluens, à Tano primo rege Scytharum cognominatus. *Padus.* Padus eſt Italiæ fluuius à iugis alpium fuſus, ex tribus fontibus oritur ex quibus vni vocabulum eſt padus, qui diffuſus in modum ſtagni amnem ſinu dirigit, à quo & padus eſt nuncupatus, qui à Græcis cognominatur Eridanus, ab Eridano ſolis filio, quem Phaetontem dicunt, qui fulminis ictu percuſſus, in eodem fluuio deiectus eſt & extinctus. Augetur autem ex ortu canis, liqueſcentibus niuibus, & cum acceſſione 30. fluminum circa Rauennam vrbem in Adriaticum mare defertur.

Adhuc de eodem.

CAPVT XL.

Leander. LEander fluuius Aſiæ flexuoſus, & nunquam currens rectus, qui recurrentibus ripis inter Aſiam & Ionium præcipitatur in ſinum qui miletum diuidit & pyreniam. *Inachus, Tybris.* Inachus Achaiæ fluuius à rege Inacho nominatus, argolicos irrigans campos. Tybris Italiæ fluuius à Tyberio rege albanorum dicitur, qui in tybrim cecidit. Nã antea Albula à colore nomẽ habuit, eo quod niuibus Albus fuit. Naſcitur ex mõte Apennino, & occidit in Tyrrhenum mare iuxta Romam. *Danubius.* Danubius Germaniæ fluuius dicitur à niuium copia quibus magis augetur, hic in Europa plus omnibus habet famam, dumque per innumeras gentes vadit, mutat & nomen, vnde & Hiſter dicitur. Oritur autem germanicis iugis, & occidentalibus partibus barbarorum. Et pergens contra Orientem 60. fluuios in ſe recipit, ac 7. oſtijs in pontum fluit. *Rhodanus.* Rhodanus Galliæ fluuius rapido curſu concitus, Tyrrheni æquoris freta ſcindens, non modicum ſæpe nauigantibus facit periculum, dum inter ſe maris fluctus, & amnis fluenta decertant. *Rhenus.* Rhenus à Rhodani ſocietate vocatur, quia cum eodem ex vna prouincia oritur. Eſt autem Germaniæ fluuius inter tres Europæ maximos fluuios cõputatus. Qui à iugo alpium vſque in Oceani profunda curſus ſuos dirigit, memorandus aduerſus feras gentes, Romani Imperij murus. *Hiberus.* Hiberus amnis eſt, qui quondam Hiſpaniæ nomẽ dedit. *Tagus.* Tagum fluuium Carthago Hiſpaniæ nuncupauit, ex qua ortus procedit fluuius arenis auriferis copioſus. Et ob hoc cæteris fluuijs Hiſpaniarum prælatus. *Betis.* Betis fluuius, qui & beticæ prouinciæ nomen dedit, dictus eo quod humili ſolo decurrat. Betin enim græci humile vel merſum vocant, Quædam autem flumina in diluuiõ ſoluta mole terrarum præcluſa ſunt. Quædam vero quæ non erant, abyſſi tunc ruptis meambus eruperunt. Sciendum quoque flumina cum ſupra modum creſcunt, non tantum ad præſens inferre damna, ſed etiam aliqua ſignare futura.

De quorundam fluminum miraculis.

CAP. XLI.

Etymologia. SOlinus. Fluminum miracula abunde varia ſunt. Dianam qui ad Camerinam fluit, ſi habitus pudicè hauſerit non coibunt in corpus vnum latex vineus, & latex aquæ. Apud ſegeſtenos helbeſus in medio flammæ ſubita exæſtuatione ferueſcit, quẽ quamuis Æthna dimiſſum à frigore nullus auertit, Tymereum cœleſtes mutant plagæ. Amarus denique Idum in aquilonem fluit, dulcis vbi ad meridiem flectitur. Varro opinatur duo in Boecia eſſe flumina natura licèt impari, miraculo tamen non diſcrepante, quorum alterum ſi onile pecus biberit pullum fieri quicquid induerit. Alterius hauſtu quæcunque vellerum fuſca ſunt, in candidum verti. *Plinius lib. 2.* In Syrio colchidis flumine lignum deiectum lapideo cortice obducitur. Similiter in flumine Silero nõ ſolum virgulta immerſa, verum & folia lapideſcunt: Et in rubro mari oleæ virenteſque frutices enaſcuntur. *Iſidorus lib. 13.* In Theſſalia flumina duo ſunt, ex vno bibentes oues nigras fieri, ex altero albas, vtroque varias. *Vitruuius vbi ſupra.* In Macedonia dextera ac ſiniſtra ſepulchri, Euripidis, aduenientes duo riui concurrunt, ad quorum vnum incumbere viatores ſolent propter aquæ bonitatem. Ad alterum nemo accedit quia mortiferam habere dicitur aquam. In Archadia Nõnagris regio eſt, habens in montibus ex ſaxo ſtillantes frigidiſſimos humores, quos nec argentum, nec æneum, nec ferreum vas ſuſtinere poteſt, ſed diſſilit, & diſſipatur, nec aliud eam niſi mulina vngula continere, & conſeruare poteſt. *Auctor.* De miraculis fluminum, & fontium multa alia traduntur à Plinio lib. 2. cap. 106. Et li. 31. capitu. 2.

De Lacubus, & lacualibus aquis.

CAPVT XLII.

Lacus quid. I *Sidorus vbi ſupra.* Lacus eſt receptaculum in quo aqua continetur, nec miſcetur fluctibus, vt lacus aſpalti vocatus, & cæteri, quos Græci limen, id eſt ſtagna vocant. Nam fontes labuntur in fluuios, & flumina in freta diſcurrunt. Lacus verò ſtat in loco nec profluit, & dicitur lacus quaſi *aquæ locus.* *Auicennain primo canone.* Aquæ ſtantes lacuales præcipuè diſcoopertæ mala ,& graues, quia non infrigidantur in hyeme, niſi propter niues, ideoque flegma generãt. Et calefiunt eſtate propter ſolem, & propter putrefactionem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nem, vnde generant choleram. Et propter ſpiſſitudinem quidem earum, & commixtionem terreſtrium cum eis,& propter reſolutionem ſubtilis earum,in his qui eas bibunt generantur ſplenes, & eorum mirach ſubtiliatur: Et eorum interiora incraſſantur, extrema macreſcunt,& humeri,& colla. Comedēdi deſideriū in eis ſuperat,& ſitis. Conſtringuntur eorum ventres, & difficile vomere poſſunt. Eſt etiā cum ad hydropiſim perueniunt, eo quod aquoſitas in eis retinetur. Et eſt cum ad apoſtema pulmonis vel ſplenis perueniunt,& ad diſenteriam. Et ſiccantur eorum pedes,& manus,& epata debilitantur. Nutrimentum minuitur propter ſplenem. Et in eis mania generantur,& emorroydes,& varices, & apoſtemata laxa, proprieque in hyeme. Mulieres etiam duriter imprægnantur,& cum difficultate pariunt. Et pariunt pueros apoſtemoſos, ſitque frequenter in eis mola, & imprægnatio mendoſa. Eorum quoque pueri ſæpe patiuntur ramicem, & magni varices,& crurum vlcera. Nec eorum plagæ ſanantur. Et eſt cum nocumento,& apoſtematibus in inteſtinis,& quartanis abundant. In ſenibus quoque febres fiunt adurentes propter ſiccitatem ipſorum naturarum ac ventrium.

Nocumenta aquarum lacualium.

De lacu Aſphalti, & Tiberiadis cæteriſque famoſis.

CAPVT XLIII.

Mare mortuum cur ſic dictum?

Iſidorus. Lacus aſphalti dicitur mare mortuum,quia nihil gignit vel recipit viuum, nec piſces habet, nec aues aquaticas patitur. Sed & quæcumque viuentia mergenda tentaueris, quacumque arte demerſa,ſtatim reſiliunt. Et quamuis vehementer illiſa,ſtatim excutiuntur. Sed neque ventis mouetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo omnis aqua ſtagnatur. Neque nauigationis patiens eſt, quia omnia vita carentia in profundum merguntur. Nec materiam vllam ſuſtinet niſi quæ bitumine illuſtratur, lucernam accenſam ferunt ſupernatare, extinctam verò dimergi, hoc & mare ſalinarum dicitur, ſiue lacus aſphalti, id eſt bituminis. Et eſt in Iudæa inter Hiericho, & Zoaram,longitudo eius vſque ad zoaros Arabiæ dirigitur ſtadijs,DCCLXXX, Latitudo ſtadijs, CL. vſque ad vicinia Sodomorum. Lacus Tiberiadis ab oppido Tiberiade vocatus eſt, quod quondam Herodes in honorem Tiberij Cęſaris condidit in Iudæa, omnibus lacubus ſalubrior, & ad ſanitatem corporum efficacior. Geneſar lacus ampliſſimus in Iudæa longitudine 140. ſtadijs extenditur latitudine 40. diffunditur, criſpantibus aquis auram non ventis,ſed de ſeipſo ſibi creans,vnde & Geneſar dicitur quaſi generans ſibi auram: denique per diffuſiora ſpacia lacus frequentibus agitatur auris ſpirantibus, vnde & purior hauſtus eius,& ad potandum dulcis,& habilis. Benacus lacus Italiæ in Venetia, qui magnitudine ſui tempeſtates marinas imitatur. Auernus lacus ſic vocatus eſt,quod aues ibi ſuperuolare non poſſunt. Nam antea ſyluarum denſitate ſic ambiebatur, vt exhalantes inde per anguſtias aquæ ſulphureæ grauiſſimus odor ſuperuolantes aues halitu ſuo necaret: quod Auguſtus Cæſar intelligens deiectis ſyluis, ex peſtilentibus amena loca reddidit.

Lacus Tiberiadis.

Geneſar.

Benacus.

Auernus.

De quorundam lacuum miraculis.

CAPVT XLIIII.

Ex libro de naturis rerum. Boetiæ lacus furialis eſt, de quo qui biberit ardore libidinis exardeſcit. *Iſidorus lib.*13. In Æthiopia lacus eſt,quo perfuſa corpora velut oleo niteſcunt. Ex clytorio lacu Italiæ, qui biberint,vini tædium habent. Clitumnus lacus in vmbria maximos boues gignit. In Indijs ſiden vocatur ſtagnum,in quo nihil innatat, ſed omnia merguntur. At contra in alce lacu per porcidamum omnia fluitant, nihil mergitur. Reatinis paludis aquis vngulas iumentorum indurari ferunt. Celonium Siciliæ ſtagnum tetro odore afficit proximantes. In trogloditi lacus eſt, qui ter in die fit amarus, & deinde totiens dulcis. *Solinus.* Stagnum penteſium ſerpentibus noxium eſt,homini ſalutare. In lacu Agrigentino oleum ſupernatat, & hoc pingue hæret arundinum comis de aſſiduo volutabro aquarum. Capillamentis legitur vnguentum medicum, contra carmentarios morbos. Apud Macrobios lacus eſt,quo perfuſa corpora velut oleo niteſcunt, ex hoc lacu potus ſaluberrimus eſt. Sane adeo liquidus eſt, vt nec caducas quidem vehat frondes. Sed ilico folia delapſa in fundum demittit, laticis tenuitate. *Plinius lib.* 2. In Piceno lacu velmo lignum deiectum, lapideo cortice obducitur. *Idem lib.* 5. Aſphaltides lacus nihil præter bitumen gignit. Nullum corpus animaliūm recipit, tauri camelique fluitant, inde fama eſt nihil in eo mergi, longitudine excedit centum milia paſſuum,latitudine maxima 25. implet minima ſex, proſpicit eum ab oriente Arabia Nomadum, à meridie Acharon. Secunda quondam arx Iudeæ ab Hieroſolymis. Eodem latere eſt calidus fons medicæ ſalubritatis, callirhoe aquarum gloriam ipſo nomine præferens. *Vitruuius vbi ſupra.* In Cappadocia eſt lacus, in quem pars arundinis ſi dimiſſa fuerit,& poſtero die exempta,inuenitur lapidea, pars autem quæ extra lacum manſerit permanet in proprietate ſua. *Seneca lib.* 7. Quoſdam etiam lacus eſſe, qui natandi imperitos ferant, notum eſt. Eſt etiam in ſyria ſtagnum in quo lateres natant, & mergi proiecta non poſſunt, licèt grauiora ſint: huius rei palam eſt cauſa ſicut dicetur, dum modo ad inferiora tranſitum fecerimus.

De puteis.

CAPVT XLV.

Puteus quid?

Iſidorus. Puteus eſt lacus defoſſus,ex quo hauritur aqua,à potatione dictus. *Seneca vbi ſupra.* Cenopedes chyus ait in hyeme ſub terris calorem contineri. Ideo & ſpecus calidos eſſe, & tepidiorem puteorum aquam. Itaque venas interno calore ſiccari. Sed in alijs terris augentur imbribus flumina. Nilus autem, quia nullo imbre augetur, tenuatur, deinde creſcit per æſtatem,quo tempore frigent interiora terrarum, & redit rigor fontibus, hoc ſi verum eſſet æſtate omnia flumina abundarent,deinde quod ſpecus, & putei hyeme calent,ideo eſt, quia extrinſecus aerem rigentem non recipiunt. Non enim ad illos remotos, & calefactos peruenit. *Plinius lib.*2. In ripa Bethis opidum eſt, cuius putei creſcente maris æſtu minuuntur, augeſcunt decedente,medijs temporum immobiles. Eadem eſt natura in hiſpali, oppidi vno puteo, cæteris autem vulgaris. *Guilhelmus de Conchis.* Aqua puteorum vnde principium habet? ſi enim à catharactis vt fontes principium haberet, quandoque ſicut videtur puteus impleretur, & aqua defluueret, verum ſi à catharactis principium habet, non tamen impletur puteus, contingit enim catharactam ibi non eſſe finitam, ſed hinc,& illinc eſt; vnde tranſit aqua putei, & non ſurſum ebulit. Cęterum,& ſi terra naturaliter ſicca ſit,habet tamen accidentalem humorem, qui ad modum ſudoris hominis guttatim in puteum cadit,indeq; eſt aqua putei. Quòd autem ex catharactis fit aliquando aqua putei,ex hoc poteſt probari,quod iuxta flumina ſtatim reperitur in puteo aqua, & quod ſæpe cōtingit vno puteo poſt alterum facto, aquā de primo auferri. Quod vero ex ſudore terræ fiat quādoque,ex hoc probari poteſt, quod in ſiccis locis aqua putei reperitur, ideo autem in hyeme aqua putei eſt calida, in æſtate vero frigida, quia frigiditate hyemis pori ſuperficiei terræ clauduntur, vnde fumus terræ exire non poteſt, qui intus remanens aquam calefacit, in æſtate verò potis ſuperficiei terræ ex calore apertis fumus euaporat, minuiturque calor vnde aqua ab intus erumpens exit frigida, vel ideo quia omnis qualitas ſuo gaudet

Principium aquæ putealis.

ſimili,

simili, suumque fugit contrarium, in hyeme vero cum superficies terræ suo modo frigore tãgitur, occidentalis calor ad terræ viscera fugiens suum scilicet contrarium, absconditur, vnde aqua putei calida efficitur: in æstate vero cum calore solis superficies terræ aduritur, & naturalis frigiditas terræ ad interiora refugit, atque aquam frigidam reddit. A

De natura aquæ pluuialis.

CAPVT XLVI.

EST igitur aqua putei in æstate frigidissima, aqua verò fontis, quia propinquior est calido aeri minus est frigida, minus aqua fluuiorum, adhuc minus pluuiarum. *Auicenna.* Aquæ puteorum, & aquæductuum, malę sunt in comparatione aquarum fontium. Sunt enim aquæ constrictæ terrestreitatem longo tẽpore retinentes, ideoque non potest esse quin sit in eis aliqua putrefactio, quoniam extractæ sunt, & motæ virtute artificiali cogente, & non virtute naturali. Ex his tamen illæ deteriores sunt, quibus ex plumbo viæ factæ sunt, quoniam ex eius virtute aliquid assumunt, vnde frequẽter ad disenteriam ducunt. Aqua paludis deterior est aqua putei, quia manatio aquæ putei acuitur, & renouatur, propter hoc, quod de ea extrahitur, vnde perdurat eius motus. Et in constrictione non diu moratur. Nec in locis vnde manat diutius manet. Aqua verò paludis, quia longo tempore moratur in foraminibus terræ putrefacientis, & eius motus in manando, & egrediendo tardus est, qui non peruenit ex fortitudine suæ expulsionis, propter largitatem materiæ ipsius, non est nisi in terra corrupta, & putrida. B C

Cur aqua paludis deterior puteali.

De puteo fodiendo.

CAPVT XLVII.

Palladius. Ad puteum verò fodiendum oportet caput aquæ requirere, vel si plura sunt in vnum colligere. Maximè verò sub radicibus montium in septemtrionali parte quærendæ sunt aquæ, quia in his locis magis abundant, vtilioresque nascuntur. Sed in fodiendis puteis cauendum est fossorum periculum, quoniam plerumque terra sulphur, alumen, bitumen educat, quorum spiritus mixti anhelitum pestis exhalant, & occupatis stati n naribus, extorquent animas, nisi quis fugæ velocitate sibi succurrat: prius ergo quam descendatur ad intima, in eis locis *lucernam ponas accensam, quæ si extincta non fuerit, periculum non timebis,* si vero extinguatur, cauendus est locus, quem spiritus mortifer occupauerit. Quod si alio loco aqua non potest inueniri, tunc dextra leua ve fodiamus puteos, vsque ad aquæ ipsius libramentum. Et ab his foramina hinc inde patefacta velut nares intus agamus, quibus nocens spiritus euaporet, quo facto latera puteorum structura suscipiat. Fodiendus autem est puteus latitudine octo pedum quaque versum, vt binos pedes structura concludat, quæ structura vectibus ligneis subinde densatur, & structura fit lapide tofico vel silice. Si aqua limosa fuerit, salis admixtione corrigitur. Sed dum foditur puteus si circumcirca terra non stabit vitio generis dissoluta, aut humore laxabitur, tabulas objcias directas vndique & eas transuersis vectibus sustentabis, ne fodientes ruina concludat. Aquam verò nouam sic probabis: in vase æneo nitido sparges, & si aqua maculam non fecerit, probabil s iudicetur. Item decocta æneo vasculo si arenam vel limum non relinquit in fundo, vtilis erit. Item si legumina citò valebit excoquere, vel si est colore perlucido, carens musco, & omni labe pollutionis aliena. Si in alto, qui sunt putei perforatis vsque ad infimam partem terris, ad loca inferiora possunt inde fontes exire, si vallis subiectæ natura permittat. D

Pericula fossorum terræ.

Remedium.

Latitudo putei octo pedum.

Probatio aquæ.

De aquæ ductu faciendo.

CAPVT XLVIII.

CVm verò ducenda est aqua, ducatur aut forma structibili, aut plumbeis fistulis, aut canalibus ligneis, aut fictilibus tubis. Si forma structibili ducitur, solidandus est canalis; ne per rimas aqua possit elabi. Cuius magnitudo pro aquæ mensura facienda est. Si per planum veniet, inter centenos vel sexagenos, pedes sensim reclinetur structura, vt vim possit habere currendi. Si quis mons interiectus occurrit, aut per latera eius aquam ducemus obliquam, aut ad aquæ caput speluncas librabimus, per quas structura perueniet: sed si se vallis intersecat, erectas pilas vel arcus vsque ad aquæ iusta vestigia construemus, aut plumbeis fistulis clausam deijci patiemur, & explicata valle consurgere. Sed quod est salubrius atque vtilius, fictilibus tubis cum ducitur, duobus digitis crassæ, & ex parte vna reddantur angustæ, vt spacio minori vna in alteram possit intrare. Quas iuncturas viua calce oleo subacta debemus illinire. Sed antequam his aquæ cursus admittatur, fauilla per eos mixta exiguo liquore decurrat, vt possit glutinare si quæ sunt vitia tubarum: vltima ratio est plumbeis fistulis ducere aquas, quæ aquas reddunt noxias. Nam cerussa plumbo creatur attrito, qui corporibus nocebit humanis. Diligentis erit aquarum receptacula fabricare, vt copia vel inops aquarum vena procurrat. E

Vt aqua currat in aquæductu.

Plumbea fistula nociua.

De Cisternis.

CAPVT XLIX.

Vitruuius. Cisterna sicut nec lacus habet aquas naturales, sed adventitias, quas ab extrinseco recipit. Est enim terra defossa ad colligendas, & retinendas aquas pluuiales. Quæ quidem quando cadunt, non omnino frigidæ sunt. Sed in cisterna per moram temporis magis infrigidantur. Vnde scriptum est: *sicut cisterna frigidam facit aquam suam,* &c. Motus siquidem causa caloris est; vnde aqua per motum incalescit, aqua verò cisternæ non est in motu, ideo etiam de facili corrumpitur. Iuxta illud. *Et capiunt vitium ni moueantur aquæ:* solent autem maximè fieri cisternæ in locis montuosis, & aridis, vbi est penuria fontium, & fluminum, sicut in Iudæa. *Palladius vbi supra lib.* 1. Itaque vitandum est, quod plerique fecerũt, aquæ causa villas in infimis vallibus mergere, & paucorum dierum voluptatem præferre saluti habitatorum. Cum si fons desit ac puteus, cisternas extruere conueniat, quibus omnium conduci possit aquarum contiuatio: sic igitur parietibus cisterna lõgior, quàm latior construatur, cuius solum alto rudere solidatum, relicto fossorijs loco testacij pauimenti superfusione leuigetur, hoc pauimentum omni cura tenendum est, at nitro in lardo pingui decocto assiduè perfricandum, quod vbi decocto humore siccatum est, ne rimis in aliqua parte findatur etiam parietes sub corio velentur obducti. Et ita post diuturnam, & solidam siccitatem aquæ præbeatur hospitium. Anguillas sane piscesque fluuiales nutriri in his pascique cõueniet, vt horum natatu aqua stans agilitatem currentis aquæ imitetur. *Isaac in dietis.* Aqua pluuialis munda si ponatur in aqua cisternæ optimè lotæ minus est humida cæteris, & quiddam stipticitatis habet, nec nocet stomacho, sed potius eum confortat, aqua vero morans in cisterna diu, malam suscipit qualitatem à fumositate terræ. F

Locus cisternarum.

Cisterna lõgior quam latior.

Anguilla in cisternis ponenda.

De Piscinis, & balneis.

CAPVT L.

Palladius vbi supra. Piscinæ vero duæ, vel solo impresso, vel cæto lapide circa villam debẽt fieri.

Quas

Quas facile est, aut fonte aut imbre, impleri, vt vna ex his pecoribus vel auibus aquaticis vsui sit. Alia verò madefaciat virgas & coria, lupinos, & si qua rusticitas infundere consueuit: nec alienum est, si aquæ copia patiatur, patremfamilias de structura cogitare balnei, quæ res, & voluptati plurimum confert, & saluti. Constituendum est autem balneum in ea parte in qua futurus est calor, loco ab humore suspenso, ne ipsum refrigeret fornacibus vicina vligo. Lumina danda sunt ei à parte meridiana, & occidentis hiberni, vt tota die solis iuuetur, & illustretur aspectu. Cellæ autem sic disponantur vt quadræ non sint, sed verbi gratia, si quindecim pedibus longe fuerint, decem latæ sint, fortior enim vapor inter angusta luctabitur: piscinales vero cellæ in æstiuis balneis lumen accipiant à septentrione, in hiemalibus à meridie. Et ita constituantur balnea, si potest fieri, vt omnis earum per hortos decurrat illuuies. Denique si copia est aquæ post fossuras balnearum, debet & pistrinam suscipere, vt ibi formatis aquarijs mollibus, frumenta frangantur absque animalium, & hominum labore.

Cellarũ balnearium constructio.

De vsu balnei.

CAP. LI.

Tempus balnei.

Hali in lib. regalis dispositionis. Balneo quidem sani post exercitium, & ante prandium vtuntur, quo ea, quæ per motum, non benè dissoluta sunt purgentur, & euacuentur. Siccitas quam motus fecerat, humectetur, sordesque quæ è vaporibus factæ à corpore egredientibus. & à puluere exterius superuenienti in ipso exercito, & post, abluantur. Ante exercitium verò balneum superfluitates cibi transmittit, quas etiam indigestas inuenit, humoresque liquefacit, & superfluitates exire paratas à poris ad aliqua membra defluere facit, vnde vt in plurimum paratur morbus. Sed etiam post prandium quis non debet vti balneo, replet enim tunc superfluitatibus caput, descenditque cibus indigestus à stomacho, vnde in cibi meatibus opilatio efficitur, & in temporis prolixitate si quis huiusmodi vtatur assiduè hidropis generatur. Quibusdam verò talium accidit defectus, cum balneantur antequam prandio se reficiant. Et ideo necesse est eos modico laudabilique refici cibo, præterhos itaque post prandium omnibus cauendum est balneum: post exercitium autem, & ante prandium eo vti sanis magnas vtilitates confert. Corpus enim & membra humectat, calorem naturalem confortat, digestionem optimam reddit, angustiam si qua est aufugat, poros aperit, superfluitates euacuat, dolores mitigat, viscositates vel ventositates dissoluit. *Iohannicius.* Balneum dulcis aquæ corpus emollit, & calidum quidem calefacit, frigidum autem infrigidat. Aquæ vero non dulcis balneum, corpus desiccat: Quod si quando ex aqua salsa, & amara vel sulphurea fuerit, calefacit, & desiccat. Si verò de alumnosa vel gypsea fuerit, infrigidat, & desiccat.

Vtilitates.

De iuramentis, & nocumentis balnei.

CAP. LII.

Nocumenta balnei.

Razi in almansore. Ex balnei iuuamentis est corpus humectare, & renouare, sordes congregatas detegere, repletionem quoque minuere, ventositatem dissoluere, & ad somnum ducere, humoresque subtiliare, præterea dolores reprimit, ventrem stringit, lassitudinem remouet, corpusque & nitori, & leuitati aptum reddit. Nocumenta verò eius sunt, vires destruere & cor adeo calefacere, vt quandoque ad syncopim perducat, nauseam quoque commouet, & malis humoribus occasionem tribuit descendi. Ideoque febricitans, vel concussionem perpessus, vel apostemata, vel plagam, vel excoriationem habens, balneum cauere debet. Corpora vero macra, & sicca habentes, humectatione balnei indigent. Ideoque cauere debent ne in balneo sudent. Circa se autem in pauimento multam calidam aquam proijciant, vt humidi humores, & vapores eleuati sursum corpora eorum humefaciant. Ab introitu verò balnei post cibum quisque sibi caueat, nisi qui corporis pinguedinem vult adipisci: aliquandiu quoque post balneum comestio debet tardari.

Hali vbi supra. Porro qui infirmantur, balneis pro necessitate ad ea vrgentibus vtantur, aut vt eorum complexio calefiat, aut vt frigescat, aut humectetur, aut certè desiccetur: prodest autem prurigini, & scabiei, quia superfluitates acutè euacuat, neruos emollit. Catarrhos ematurat, & corizas calefaciendo, & dissoluendo. Exitum quoque facilitat vrinæ, si arta fuerit ex frigiditate. Cholicæ medetur alijsque morbis huiusmodi. Et siquidem longa mora sit, ita vt sudor plurimus exeat, corpus calefacit, ac eius caliditate desiccat. Etiam euacuationis est causa, quæ fit per sudorem, porro si tam longa mora sit, vt immoderata sudoris euacuatio fiat, corpus refrigerat, & exiccat, quia calorem naturalem dissoluit, quin etiam humiditates corporis euacuat, vnde & virtus decidit, & defectio fit.

De diuersitate aquarum multiplici.

CAP. LIII.

Sulphurata, aluminosa aqua.

Seneca libro 7. Quæramus nunc de quibus rebus aquæ, & qua ratione fiant, quomodo tot ingentia flumina iugiter decurrunt. Et alia quidem hibernis aquis tumescant. Alia verò in defectu cæterorum amnium crescant, de illis autem quæ calent, vtrum calidæ nascantur an fiant, de cæteris quoque differendum quas insignes aut sapor aut aliqua alia reddit vtilitas. Quædam enim oculos, quædam neruos iuuant, quædam inueterata, & à medicis desperata vitia procurant, quædam medentur vlceribus, quædam interiora potu fouent ac pulmonis ac viscerum querelas leuant. Quædam etiam sanguinem supprimunt, & tam varius illis est vsus, quàm gustus. Omnes aquæ, aut stant, aut eunt, aut colliguntur, aut varias habent venas, aliæ dulces sunt, aliæ variæ. Asperæ quippe interueniunt, salsæ amareque aut medicatæ, ex quibus sulphuratas dicimus, ferratas; aluminosas, quas indicat vini sapor. Habent etiam alia discrimina multa. Primum quidem tactus, quia frigidæ sunt, & calidæ; deinde ponderis, quia leues, & graues; deinde coloris, quia puræ, turbidæ, cæruleæ, lucidæ; deinde salubritatis, quia sunt vtiles, & mortiferæ; sunt & quæ coguntur in lapidem, quædam tenues, quædam pingues, quædam alunt, quædam sine vlla bibentis ope transeunt, quædam autem haustæ fæcunditatem afferunt: vt autem stet aqua vel fluat, loci positio efficit. In deuexo fluit, in plano continetur, & stagnat. Aliquando verò in aduersum spiritu impellitur, & tunc non fluit, sed cogitur: colligitur ex imbribus, ex fronte suo natiua est. *Isidorus lib.* 12. Aquarum naturæ diuersitas multa est. Nam aliæ sunt salis, aliæ nitri, aliæ aluminis, aliæ sulphuris, aliæ bituminis, aliæ curam morborum adhibentes. Nam iuxta Romam albulę aquæ vulneribus medentur. Et in Italia fons Ciceronis oculorum vulnera curat. In campania sunt aquæ, quæ sterilitatem fœminarum, & virorum insaniam abolere dicuntur.

De diuerſitate aquarum in pondere.

Cap. LIV.

Ariſtoteles in li. Meteororum 3. Quæ ſalſa craſſa quidem eſt, & turbida, dulcis autem ſubtilis, vt dictum eſt ſupra. *Seneca li.7.* Quoſdam eſſe lacus, qui nandi imperitos ferant, vt dictum eſt, notum eſt. Eſt enim in Syria ſtagnum, in quo lateres natant, & mergi proiecta non poſſunt, licet grauiora ſint, huius rei palam eſt cauſa. Quacumque enim vis rem expande, & contra aquam ſtatue, ſi aqua grauior eſt, leuiorem rem quam ipſa eſt fert. Et tanto ſupra extollit, quanto leuior erit. Grauiora vero deſcendunt. At ſi aquæ, & eius rei, quam contra penſaueris par pondus fuerit, nec peſſum ibit, nec extabit, ſed æquabitur aquæ, & natabit quidem, ſed pæne merſa, nullaque eminens parte. Et hæc eſt ratio cur tigna quædam ſuper aquam penè tota efferantur. Quædam in medium ſubmittantur. Quædam ad æqui libram aquæ deſcendant. Cum enim vtriuſque pondus par eſt, neutrum alteri cedit. Grauiora vero deſcendunt, leuiora geſtantur. Graue autem, & leue eſt non æſtimatione noſtra, ſed illius comparatione, quo vehi debet. Itaque vbi aqua grauior eſt hominis vel ſaxi corpore, non ſinit id quo non vincitur, mergi. Sic euenit in quibuſdam ſtagnis, ne lapides quidem peſſum eant. Sunt enim, & alij pumicoſi, & leues, ex quibus, quæ conſtant inſulę in india natant. Theophraſtus eſt auctor ad tillas natantem inſulam vado. Inſula aſcillarum arbores habet, & nutrit, aqua tamen ſuſtinetur, & in hanc atque in illam partem non vento tantum, ſed aura cõpellitur. Neque vnquam illi per diem, & noctem vno loco ſtatio eſt, adeo leni flatu inducitur, huic eſt cauſa duplex. Aquæ grauitas medicatæ, & ob hoc ponderoſæ; Et ipſius inſulę vectabilis leuitas, quæ non eſt corporis ſolidi, quamuis arbores alat: forſitan enim leues truncos, & frondes in latus ſparſas pinguis humor apprehendit ac iunxit. Itaque etiam ſi qua illa ſaxa ſunt, inuenies aquoſa, & fiſtuloſa, qualia ſunt, quæ duratus humor efficit circa medicatorum fontium riuos, vbi enim aquarum purgamenta colluerunt, & ſpuma ſolidatur, neceſſario leue eſt, quod ex ventoſo, & inani concretum eſt. *Auicenna libro primo.* Pondus aquarum vnum eſt experimentis adiuuantibus ad cognoſcendum earum diſpoſitionem. Aqua namque quæ leuior eſt, in pluribus diſpoſitionum eſt melior. Eſt autem cum cognoſcitur pondus per menſuram. Et eſt cum cognoſcitur ſi in duabus aquis diuerſis duo panni vnius ponderis madefiant, & poſtea vehementer exiccentur, deinde ponderentur. Aqua enim cuius leuius fuerit pondus, melior eſt.

Inſula natantes.

Cauſa.

Pondus aqua vnde noſcitur.

Iſaac in dietis. Volentes aquas probare, quæ ſit grauis vel leuis, pannos lineos tenues ac veteres accipiãt, eoſque medio æqualiter diuidant, & duabus aquis diuerſis madefaciant, deinde æqualiter aquis expreſſis, vno in loco eodem tempore ſuſpendant. Quique prior exiccatus fuerit, aquam in qua madefactus fuerat ſciant eſſe leuiorem, & tenuiorem. *Auctor.* De hac quoque materia ſuperius require vbi dictum eſt de ponderoſitate aquæ ſalſæ.

De diuerſitate in colore.

Cap. LV.

Auicenna in primo canone. Aqua naturalis ſimplex eſt, nec inſpiſſatur, niſi quia aut frigoris qualitas prævaluit ſuper eam, aut propter fortem terreſtrium partium commixtionem. *Idem in eodem.* Aqua turbida lapidem generat, & opilationes. Ideoque poſt ipſam res prouocatiua comedenda eſt, licet ventrem mollem habenti plerumque conferat ipſa, & omnes aquæ cæteræ craſſæ, & graues, eo quod in eius ventre tenentur, nec cito deſcendunt. Ex huius quidem theriacis exiſtunt res vnctuoſæ, & dulces. *Conſt. vbi ſup.* Aqua clara bona eſt ad bibendum, ſi de fontibus ſit orientalibus lucida, ſerena, & nullius odoris, cito caleſcens, & cito frigeſcens aqua huiuſmodi eſt acceptabilis, citoque non grauans ſtomachum exit, eum refrigerans, & humectans. Claritas eius nihil ei admixtum ſignificat. Leuitas autem, & cito mutabilitas ſubtilem eſſe ſubſtantiam demonſtrat, huius ſecunda eſt ſeptentrionalis fontana; aqua quoque de lutoſis fontibus fortiter currens, & ſupra petram vel arenam clariſſimam, ſecundum tenet ſanitatis gradum: huiuſmodi enim aquæ in hyeme calidæ ſunt, in æſtate frigidæ. Aqua non pura, aliquantulum redolens, & ſapida vel turbida, vel quæ ex grandine, & niue conficiuntur, huiuſmodi aquæ conſtipationem faciunt in hepate, vel in renibus lapidem, dure digeruntur, ſtomachum difficulter egrediuntur. Aqua putrida, ſicut quorundam lacuum vel paludum ſiue lutoſa, ſiue in qua fætentes influunt ciuitatum putredines, ſplenem magnificat hepar & ſtomachum corrumpit, cutem horridam facit, diuerſas febres gignit.

Aqua clara bona qua.

De diuerſitate in ſapore.

Cap. LVI.

Seneca lib.7. Aquarum ſapor variatur, aliquando ex ſolo per quod feruntur, aliquando ex ſpiritu in aquam transfigurato, aliquando ex corruptionis vitio per iniuriam contracto. *Ariſtoteles in lib. de ſenſu, & ſenſato.* Natura quidem aquæ inſipida eſt, ſapores autem omnes craſſitudinem habent, calidum concraſſatiuum eſt, vnde aqua calida apparet incraſſata. *Conſtantinus vbi ſupra.* Aquarum quædam ſapida eſt, quædam non. Sapida quidem clara eſt, vel non clara. Item calida vel frigida, vel tepida. Item de fontibus, de fluminibus, de lacubus, de paludibus, de imbribus, & niuibus vel grandinibus, cæteris autem aqua pluuialis eſt ſaporoſior. Non ſapida vero eſt ſalſa vel ſulphurea, picea, aluminoſa, vitrea, metallina. *Auicenna lib.1.* Aqua ſalſa marceſcere facit, & exiccat. Et primo ſoluit ventrem propter vim radendi, quæ eſt in ea, poſtea vero ſtringit in fine propter ſiccitatem, quæ eſt in eius natura, & corrumpit ſanguinem, pruritum ergo generat, & ſcabiem. *Conſtantinus vbi ſupra.* Aqua ſalſa ventrem emollit, ſæpe autem bibita ventrem conſtipat, corpus deſiccat, pruriginem, & ſcabiem generat. Sed tamen hydropicos, & frigidos morbos adiuuat, ſi bibatur vel in ea balneetur.

Aqua pluuialis ſaporoſior cæteris.

Iſaac vbi ſupra. Cauere decet omnem aquam ſalſuginem, & nitroſitatem habentem. Talis enim corpora calefacit, & deſiccat, ac ventrem accidentaliter conſtipat. Eius enim actio initio craſſos humores diſſoluit, & inteſtina pungit, vnde fit ventris ſolutio. In fine vero ventris humectationem conſtipat, eique reſiſtit, ne per ſeceſſum exeat.

Aqua cauenda.

De ſaporibus in genere.

Cap. LVII.

Auctor. Quoniam autem ſubiectum vel medium ſaporum ſecundum Ariſtotelem eſt humidum aqueum. Dicente quoque Auguſtino, quod quæcumque ſapiunt, etiam ſi arida videantur cum accipiuntur humori tamen oris, vt ſapiant, commiſcentur. Hic etiam aliqua nihil videntur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

inſerenda eſſe de ſaporibus, ſicut ſupra in tractatu de aere dictum eſt de ſonis, & odoribus. Et in tractatu de luce dictum eſt de formis, & coloribus. *Albertus.* Videtur autem, quod ſapor non ſit actus humidi, ſed etiam ſicci euaporatiui. Nam vt dicit Ariſtote. ex eis nutrimur ex quibus ſumus. At vero quædam ſunt, quæ principaliter conſtant ex ſicco terreſtri, ac per poſterius ex humido aqueo, quædam è contra: videtur itaque quod cibus quorundam principaliter ſit ex terreſtri, ſicco, & quorundam ex humido aqueo. Cumque ſapor ſit paſſio cibi, videtur ſecundum hoc diuerſimodè ſapor eſſe ſicci terreſtris, & humidi aquei, quod eſt contra prædicta: dicimus ergo, quod quædam ſunt in quibus vincit terreſtreitas, tamen quia non poſſunt accipere nutrimentum, niſi cibus influat in quamlibet partem corporis eorum. Et influxus non eſt niſi per humidi actum, oportet cibum principaliter eſſe humidum, licet quandoque potentia ſiccum. hoc patet in ſanguinem habentibus; In quibus vltimum nutrimentum eſt ſanguis, qui actu eſt humidus.

Sapor debet habere humidum aqueum.

De ſaporum cauſis.

CAP. LVIII.

DE cauſis vero ſaporum dicimus, quod quædam ſunt cauſæ ſaporum per ſe, quædam per accidens. Cauſarum vero per ſe, quædam eſt efficiens, & quædam ſunt paſſiuæ. Efficiens vt calidum ſolis, & ignis. Videmus enim in fructibus plantarum amaris, in quibus humidum per calidum ſolis non eſt ſufficienter digeſtum digeſtione, quæ eſt πέψαντος, quod poſtea adhibita ad ignem efficiuntur dulcia, per digeſtionem, quæ eſt πέψις, ſicut videmus in elixatis vel aſſatis. Paſſiuæ autem ſunt vt humidum aqueum, vt ſubiectum in cuius actu eſt, quod neceſſe ſit eſſe ſaporoſum cum coniungitur ad guſtum, quia aliter non penetraret ad neruum guſtatiuum, qui eſt in lingua. Siccum vero terreſtre terminatiuum eſt humidi ad generationem ſaporis. Cauſæ per accidens, quędam ſunt intrinſecæ, quædam extrinſecę. Frigiditas enim eſt cauſa intrinſeca, quæ per ſe hebetat ſapores, ſed per accidens facit quoſdam. Cum enim calidum ſit euaporatiuum aeris ſubtilis, & ſubtiliatiuum aquæ, & terreſtris, & per conſequens diſſolutiuum commixti ex illis, frigidum per contrarium erit reſtrictiuum aeris, & incraſſatiuum, eo quod conuertit aerem ad aqueum, & aquam ad terreſtre, vnde etiam dicit Philoſophus, quod frigida ſunt ſaporoſiora calidis. Cauſa vero per accidēs extrinſeca eſt triplex ſcilicet reſeruatio, reſudatio, & conſtrictio, & præcipuè in fructiferis plantarum. In prima enim maturatione reſperſum eſt in fructiferis quoddam calidum, & nimis facit exhalare humidum, & remanet ſiccum fere inſipidum, & durum, & non bene commixtum cum humido. Et poſtea reſeruati fructus acquirunt humidum ex frigore, quod naſcitur in eis ex priuatione caloris ſolis, quod humidum ſubinductum commiſcetur terreſtri, & ſicco, & ſubtiliat ipſum, facitque fructus ſaporoſiores. Reſudatio autem tollit ſuperfluum humidum, poſt cuius ablationem naturale humidum benè adunatur ſicco terreſtri, & generatur melior ſapor. His duabus de cauſis meliores ſunt vt frequenter fructus in hyeme, quam in æſtate: porro conſtrictio humidi, quod clauſum eſt in partibus ſicci terreſtris, facile facit illud coniungibile linguæ, ac per hoc meliorem cauſat ſaporem.

Frigiditas cauſa per accidens ſaporis.

Vtrum generetur à qualitatibus primis.

CAP. LIX.

QVoniam autem omnes poſteriores qualitates ſecundum generationem reducuntur ad primas, vt in libro de generatione, & corruptione dicit Philoſophus, videtur quod & ſapores generentur in primis qualitatibus: hinc etiam dicitur in libro primo de plantis, quod mirabolani primo ſunt dulces, quia propter raritatē ligni calor ſolis digerens vbique conſequitur humidum attractum, poſtea vero calor attrahit ſiccum ſibi ſimile, & anguſtat poros arboris, ita quod calor ſub intrare non habet ad digeſtionem humidi, & tunc ex priuatione calidi frigiditas, & ſiccitas vincent calorem, & humorem. Eritque tunc fructus ponticus ac terreſtris ſaporis. Deinde vero ſol cum calore ſuo ſiccum oppilans multum attrahit ad exterius, ſicque multum incipiunt dominari frigiditas, & ſiccitas interius. Et tunc fortiſſimæ ponticitatis erit fructus. Tandem vero conſurgit calor naturalis interius per calorem ſolis adiutus, & expulſo frigido incipit adurere ſiccum inuentum in illo, & tunc erit fructus amarus. Ex his ergo colligitur, quod ſapores à primis qualitatibus generantur. At contra hoc eſſe videtur, quod in libro de ſenſu, & ſenſato legitur. Quemadmodum colores albi, & nigri ex commixtione ſunt. Ita & ſapores à dulci, & amaro, ſecundum proportionem in eo, quod minus eſt, & maius. Dicimus ergo, quod duplex eſt ſaporum generatio. Vna per cauſam efficientem, & hæc eſt à primis qualitatibus. Alia vero per commixtionem eorum, quæ eſſentialiter ſaluantur in mixto, & ſecundum hoc ſapores extremi ſimplices ſunt, medij vero ab illis compoſiti. Quantum ergo ad primam generationem ſaporis in genere eſt humidum principaliter vt ſubiectum, & ſiccum terreſtre illi commixtum, & calidum monens ad commixtionem. Generatio vero ſaporis in ſpecie vt à cauſa efficiente, hæc eſt. Nam à calido ſufficienter digerente humidum, generatur ſapor dulcis. A calido vero digerente, & ſubtiliante aqueum humidum in humidum aereum, generatur ſapor pinguis. Porro à calido non digerente, ſed adurente ſecundum aliquem modum, ſi quidem eſt cum humido generatur acidum. Si vero eſt cum ſicco generatur amarum, vel ſi minus adurat ſalſum. Et ſecundum hunc modum generationis loquitur. Philoſophus in libro de plantis, ſecundum alium vero in libro de ſenſu, & ſenſato. Per hoc etiam dicit, quod ſeptem ſunt ſapores ſicut ſeptem colores ſecundum proportionem arithmeticam. At vero plures erunt ſecundum proportionem armoniacam, & ſine proportione, ſicut ſuperius dictum eſt in tractatu de coloribus.

Duplex ſaporum generatio.

Vtrum ſapor ſit paſſio compoſiti vel ſimplicis.

CAP. LX.

DIcit autem Ariſto. in ſecundo de generatione, & corruptione, & in libro de anima, quod ex eiſdē generantur, & nutriuntur entia. Sed generantur ex cōpoſitis commixtis, ergo nutriuntur ex eis. Cū ergo ſapor ſit nutritiui paſſio, & qualitas, erit ſapor paſſio cōpoſiti, & non ſimplicis. Præterea ad hoc ponit Philoſophus quatuor rationes in libro de ſenſu, & ſenſato, obijciens contra quaſdam pythagoricorum ſentētias, ſic dicens: Cibum oportet eſſe compoſitum, etenim nutrimenta non ſunt ſimplicia, quia & ſuperfluitas fit cibi, hoc in ipſis, hoc vero extra, ſicut in plantis. Senſus eſt nutrimentum, propter hoc oportet eſſe cōmixtum, quia aliter per digeſtionem non ſepararetur ſuperfluum à nutrimento. Cum enim ſimplex ſit homogeneum, non eſt ratio quare vna pars abijciatur, altera autem

Cur Sapor ſit paſſio compoſiti.

autem ſumatur in cibo. Sed hæc ſeparatio ſuperfluitatis in ipſis cibarijs eſt in animalibus, quæ ſtomachos habent, & ventres, quibus fit ſeparatio puri ab impuro. Quandoque extra ipſa, vt in plantis, quæ terram habent pro ventre, & propter hoc non egerunt. Secunda eſt, quia nec aqua, quæ tamen magis inter cætera corporum ſimplicia videtur eſſe nutritiua, nutrimentum eſt, nutrimentum enim oportet eſſe corpus mixtum. Tertia ratio eſt, quia ſi vnum ſimplicium nutriret, tunc quodlibet ſimplex nutriret, quod falſum eſt, quia aer propter ſui ſimplicitatem non nutrit. Quarta ratio, quia cibis eſt locus receptiuus in corpore animato, ad quem non ingrediuntur ſimplicia, ſed compoſita. Ex his concluditur, quod cum ſapor ſit paſſio nutrimenti, ſapor non eſt paſſio ſimplex, verum compoſita. Contra hoc *Obiectio.* ſic obijcitur: Omnis cibus incorporabilis eſt ei, quod cibatur, ergo neceſſe eſt ipſum eſſe malè terminabile in ſe, & tamen benè terminabile in alieno, hęc autem eſt natura humidi. Et ita videtur ſapor principaliter eſſe paſſio humidi, & cum humidum ſit ſimplex, videtur eſſe ſapor paſſio ſimplicis. Hoc etiam videtur velle Philoſophus in 2. de anima, vbi dicit, quod ſapor eſt humidi, ſicut odor ſicci. Prętерea in lib. de ſen. & ſenſato videtur dicere, quod ſaporum ſubiectum humidum aqueum eſt.

Determinatio eiuſdem quæſtionis.

Cap. LXI.

NOs autem dicimus, quod ſapor eſt paſſio compoſiti corporis, eo quod omne alimentum commixtum compoſitum eſt. Sicut enim probat Philoſophus in li. de ſenſu, & ſenſato, generatio ſaporum eſt vt in ſubiecto in humido aqueo, vt in efficiente, aut in calido digerente, quod eſt calidum ignis, & *Probatur ad ſaporē terreū requiri.* ſolis. In ſicco autem terreo eſt ſicut in paſſiuo terminante humidum aqueum, & hoc probatur per experimentum. Cum enim ſaporoſum incorporabile ſit, neceſſe eſt ipſum eſſe humidum. Cum autem videamus in cibis, & in fructibus oblatis ad ignem, & ad ſolem generari omnimodos ſapores, patet quod cauſa ſaporum caliditas eſt. Similiter videmus ſalſa generari ex terreſtri aduſto in humido, & in aqua videmus generari multos ſapores, ex hoc, quod tranſeunt multa genera terrarū. Et ex hoc colligitur, quod ſapores generantur à primis qualitatibus à calido igneo, & ſole digerente, & humido aqueo & terreſtri ſicco patientibus. Si autem ſapores conſiderantur in ſe, prout ſunt vnum genus qualitatis, ſic extremi ſapores ſimplices ſunt, eo quod non ſunt compoſiti ex alijs. Et medij ſunt compoſiti, ſicut in alijs ſubiectis ſenſuum. Itaque nutrimentum habet quidem humidi naturam in hoc, quod fluit ad terminos alienos, non tamen eſt de natura tantum humidi, ſed etiam ſicci terreſtris, & calidi ignei. Quod autem dicit Philoſophus, ſubiectum ſaporū eſſe humidum aqueum, ſic intelligitur, quod ſapor eſt humidi ſicut ſubiecti, odor autem ſicci vaporatiui, vt ſubiecti.

De cognitione complexionis ac ſubſtantiæ cibi, vel medicaminis per ſapores.

Cap. LXII.

Hali. in practi. li. 2. Complexionis, & virtutis medicaminis ſignificatio, quæ ſumitur ex ſapore, excellentior eſt, quam illa, quæ eſt ex odore, & colore. Sapor enim nuncius eſt complexionis, & medicaminis ſubſtantiæ, per ſæpe etiam & eius actionis. Odor autem, & color non huiuſmodi. *Octo ſapores.* Sunt autem ſapores octo, ſcilicet *dulcis, vnctuoſus, acerbus, amarus, pungitiuus, ſalſus, ponticus octauus inſuauis, aſper, & durus.* Quod autem ſaporem non habet, vnum tantum eſt, & ſimplex, nec annumeratur ſaporibus. Omne autem, quod eſt obuium linguæ, neceſſe eſt aut aliquid aut nihil in eius ſenſu facere. Et ſi quidem nullam infert ei paſſionem, vocatur inſipidum, vt eſt aqua pura, & terra ſimplex, & etiam medicamina quibus terra vel aqua dominatur, & quibus terrenoſitas vt vicia, & ſimiles, & ſimilia. Quibus vero dominatur aquoſitas, humida ſunt, & viſcoſa, vt album oui, & oleum lotum ſine ſale. Oleo autem cum ſale dominatur cum aquoſitate terrenoſitas. Hæc ergo, & his ſimilia (nihil ſenſui guſtus ſi obueniat) linguæ aut delectationem facient, aut contra. Quæ quidem delectationem faciunt, hominis naturæ conſona ſunt, & conuenientia, eiuſque complexioni colligata. Quod autem huiuſmodi eſt, ſi cui dominatur aquoſitas vnctuoſum dicitur. Cui vero terrenoſitas dulce vocatur. Cui autem ſimul vtrunque, nec dulce, ſed ſuaue. Dulce quidem ſi linguæ obuiet, vacua eius implet, & lenit aſperitatem, ſedatque ſi mordens aliquid fuerit, atque delectat. Vnctuoſum autem idem facit, ſed eius delectatio minor eſt. At vero ſuaue inter hæc duo extrema medium eſt. Quæ vero ſaporem in guſtu faciunt iniucundum, *Saporis iniucūdi iudicia.* mordent linguam. Morſura vero ſpecies quædam eſt diuiſionis iuncturarum. Quod igitur hoc facit, aut partem linguę multa collectione ſtringit, aut nimium diuidit. Et ſi quod linguę ſeparationem inducit, aut eius ſubſtantia craſſa eſt, & terrea, aut fortiter ſeparat linguæ partes, aut plurimum abluit in tantum vt etiam valde exaſperet, & amarum vocatur: aut ſeparat eas fortiter, & lauat ſic, quod non valde exaſperet, & ſalſum nominatur. Cuius vero ſubſtantia ſubtilis, & ignea, facitque in linguam morſuram fortem pungitiuum dicitur. Quod autem congregat linguæ partes, aut craſſum, aut terreum eſt. Si fortiter coadunans linguam conſtringat, & aſperet, & deſiccet, & fortiter operetur, & inſuaue vocatur. Si vero in lingua facit horum accidentium, quod minus eſt, ponticum appellatur. Quod autem ſubtile, & aquoſum eſt faciens in lingua morſuram, eiuſque ſubſtantiæ ſine calefactione immergitur, acerbum vocatur. Ex his ergo 8. ſapores eſſe claret, excepto eo quod ſapore caret.

De numero, & differentijs ſaporum ſecundum Auicennam in ſecundo canone.

Cap. LXIII.

MEdici quidem ſapores ſimplices nouem ponunt, quorum tamen vnus inſipidus eſt ſicut aquæ puræ. Nominant enim ſaporem omne quod guſtu iudicatur actu, vel potentia. Inſipidum quidem duplex eſt, aut priuatum ſapore ſecundum veritatem, aut priuatum eo apud ſenſum ſcilicet quod in ſe quidem ſaporem habet, ſed propter vehementiam ſpiſſitudinis ſuæ non reſoluitur aliquid ex eo quod linguæ admiſceatur, & ab ea comprehendatur. Sed deinde cum ingeniatur reſoluuntur partes eius & ſubtiliantur, & ſapor eius ſentitur, vt æs aduſtum, & ferrum. Lingua enim non conſequitur ex eis ſaporem, quoniam non reſoluitur ex ſubſtantia amborum aliquid peruenies ad humiditatem poſitam in lingua, quæ eſt media in ſenſu guſtus. Et ſi ingenietur vt in partes minimas conuertatur, apparebit eius ſapor fortis. Sapores autem octo quos ponunt, hi ſunt, *dulcedo, amaritudo, acuitas,* *Octo ſapores & ratio eorum.* *ſalſedo, acetoſitas, ponticitas, ſtipticitas, vnctuoſitas.* Dicunt enim quod ſubſtantia ſaporem ferens, aut eſt ſpiſſa terrea, aut ſubtilis, aut media. Et eius virtus, aut

aut eſt calida, aut frigida, aut æqualis. Spiſſa itaque terrea ſi eſt calida, tunc eſt amara. Si frigida pōtica. Si æqualis dulcis. Subtilis autem ſi eſt calida, tunc eſt acuta. Si frigida acetoſa. Si æqualis vnctuoſa. Media vero ſi calida eſt tunc eſt ſalſa. Sed frigida ſtiptica. Si æqualis inſipida. At acutū quidem calidius eſt, deinde amarum, deinde vero ſalſum. Acutum enim fortius eſt ad reſoluendum, & inſcidendum, & abſtergendum, quam amarum. Salſum vero quando calefit à ſole vel igne, vel à ſeparatione aqueitatis frangentis virtutem caloris fit amarum. Et ſal amarum calidius eſt ſale quod comeditur, ponticum vero frigidius eſt, deinde ſtipticum, poſtea acetoſum. Et ob hoc in omnibus fructibus qui dulceſcunt, prius eſt ponticitas vehementis infrigidationis. Cum autem in eis currūt aeritas, & aqueitas, ita vt temperentur parumper cū aereitate, & calefactione ſolis digeſtiua, declinant ad acetoſitatem, ſicut agreſta. Et inter illud trahunt ad ſtipticitatem parumper, deinde permutantur ad dulcedinem, cum agit in eis caliditas digeſtiua. Quandoque vero permutantur ex ponticitate ad dulcedinem abſque acetoſitate, ſicut oliuæ. Acetoſum autem quamuis minus frigidum ſit, quam ſtipticum in plurimis tamen eſt plurimæ infrigidationis, propter ſubtilitatem, & penetrationem ſuam, ponticum autem, & ſtipticum in ſapore propinqua ſunt. Sed ſtipticum non contrahit, niſi quod de lingua manifeſtum eſt, ponticum vero contrahit, & exaſperat quod manifeſtum eſt, & quod occultum, & ponticum quidem ſubtilius eſt, & magis intrans. Acutum autem, & amarum ſunt linguam radentia. Sed amarum non radit, niſi quod de lingua apparet. Acuti autem abraſio, & eius ſeparatio profunda eſt, quia ſubtilis eſt ſubſtantię profundans. Amarum vero eſt grauis ſubſtantiæ ſiccæ. Et ob hoc ipſius purum non recipit putrefactionem ex qua generetur animal, nec etiam nutrit animal, propter ſiccitatem ſuam. Amarū quoque quod abradit, abradit cum exaſperatione aliqua: dulce autem, & vnctuoſum ambo dilatant linguam, & leniūt, faciendo currere id quod frigus læſit, & congelauit abſque reſolutione, & remouet aſperationem ipſius. Sed vnctuoſum ſalit illud abſque calefactione manifeſta, dulce vero cum calefactione, & ideo plus digerit dulce. Amarum quidem abradit vehementer, vt dictum eſt, ita vt exaſperet. Acutum autem, & acetoſum mordicant linguam. Sed acutum quidem vehementer cum calefactione. Acetoſum vero mediocriter abſque calefactione. Et ſalſum quidem prouenit ex reſolutione amari, & inſipido aquoſo. Cum ergo congelatur ſicut aqua cineris fit ſalſum. Acetoſum autem prouenit ex conuerſione dulcedinis cum diminutione caliditatis, aut digeſtione ponticitatis cum augmento caliditatis, & humiditatis. Et eius quidem ſubſtantia ſecundum rei ſummam humida eſt. Similiter, & dulce, ſubſtantia enim eius ad humiditatem pertinet, ſubſtantia vero amari, & pontici ad ſiccitatem.

De operationibus, & effectibus ſaporum.

Cap. LXIV.

Operationes itaque dulcis ſunt digeſtio, & leuificatio, ac multiplicatio nutrimenti ipſumque natura diligit, & attractiua virtus attrahit. Operationes amaritudinis ſunt abſterſio & aſperatio. Operatio vero ponticitatis eſt contractio ſi eſt debilis: & expreſſio ſi fortis. Operationes ſtipticitatis ſunt contractio & inſpiſſatio & induratio & retētio. Vnctuoſitatis autem eſt lenificatio & digeſtio parua. Acuitatis reſolutio & inſciſio & putrefactio. Salſedinis abſterſio & ablutio & exiccatio: & putrefactionis prohibitio. Acetoſitatis infrigidatio & inſciſio. Quādoque vero duo ſapores aggregantur in vna ſubſtantia: ſicut acuitas & dulcedo in melle decocto. Et quandoque quæ proueniunt ex duobus ſaporibus adiuuant ſe ad confortandum illud quod prouenire debebat ex vno. Acuitas enim, & mordicatio remanentes in aceto ex vino, faciunt ipſum vehementioris infrigidationis, quia tranſitus aperiunt. Ipſamque infrigidationem aceti faciunt magis penetrantem ac profundantem. Præterea duo ſapores quandoque ſe iuuant ad frangendum, quod ex vno prouenit, ſicut acetoſitas, & ponticitas in agreſta. Ponticitas enim agreſtæ prohibet acetoſitatem eius ab infrigidatione vltima. Amarum quidem abſolutum, & acutum nocent viſceribus, & ſi aſſociatur ſtipticum, conferunt. Omne etiam dulce cum ſtipticitate viſceribus eſt amicum, quia ſuaue eſt, & confortans, & exaſperationem prohibens. Vniuerſaliter autem quod prohibet mordicationem, generatiuum eſt carnis. *Hali. vbi ſupra.* Omne dulce calidum eſt, & contemperatum, propter hoc laxat, & maturat, nec multum calefacit. Omne autem vnctuoſum eſt aquoſum, & aereum, ideoque humectat, & emollit, & laxat ſine calefactione. Omne vero amarum igneum eſt, & terreum, quare purgat meatus, & opilationes aperit, mundatque & craſſitudinem inſcidit, ac mediocriter calefacit. Porro omne ſalſum terreum calidum, & ſiccum non igneū, quare mundat, & conſtringit ſine calefactione forti. Pungitiuum autem fortis caloris eſt igneum, propter hoc, & ſubtiliat, & purgat, & comburit. Omne porro inſuaue aſperum ponticum frigidum, & terreum eſt, ideoque coadunat, & poros ſpiſſos facit, & expellit, & incraſſat, quia refrigerat, & deſiccat. Cæterum acerbum omne aquoſum frigidum eſt, & ſubtile, vnde & inſcidit, & ſubtiliat, & aperit opilationes, purgat meatus, refrigerat, & deſiccat, & expellit.

Regula de dulci ſtiptico.

Iterum de eodem.

Cap. LXV.

Razi. in Almanſore. 3. parte. Dulce calidum eſt, licet non violenter, & qui frequenter eo vtitur, multitudo choleræ rubeæ & ſanguinis, generatur. Inde quoque accidit opilatio, & in hepate, & in ſplene phlegma, ventris etiam fluxus ex eo ſequitur, & ſtomachum mollificat, pectori vero & pulmoni confert, corpus itidem impinguat, & augmentat, ſpermata tribuit. Acidum vero frigidum eſt, licet non vehementer. Choleram rubeam, & ſanguinem reprimit, ventrem ſtringit, ſi tamen ſtomachus, & inteſtina munda fuerint. Si vero flegmatis in eis fuerit multitudo, ventris fluxum, & corpus infrigidat, virtutem quoque digeſtiuam impedit, & propriè in hepate. Neruis autem, & neruoſis membris nocet, & corpus deſiccat, virtutem appetitiuam excitat, vnctuoſum ſtomachum mollificat, & fluxum ventris facit, ac ſatietatem antequam homo cibi quantitatem ſibi neceſſariam ſumpſerit adducit. Calefacit quoque maximè febricitantes, aut hepar, aut ſtomachum calidum habentes, præterea corpus humectat, & lenit phlegma vero auget. Et cogitationem hebetem reddit, auget quoque ſomnum. Ponticum vero corpus infrigidat, & deſiccat, & carnem, & ſanguinem minorat, ſi quis eo multotiens vtatur. Stomachum quoque confortat, & ventrem frequenter ſtringit, ſanguinem melancholicum generat. Amarum porro calefacit, & deſiccat fortiter, citoque ſanguinem ad aduſtionem, & malitiam perducit. Choleram quoque rubeam in ſanguine augmentat. Acutum etiam multo pluſquam amarum calefacit, citoque corpus inflammat, ſanguinem adurit, ſed ipſum prius in choleram rubeam mutat, & poſt in nigram. Inſipidum aliud eſt quod magis nutrit, quod æqualitati vicinum eſt. Aliud vero, quod temperate calefacit, & aliud

Dulce. *Acidum.* *Ponticum.* *Amarum.* *Acutum.*

quod temperate infrigidat. Cum quo ſi multa fuerit humiditas humectabit. Siccum autem cum fuerit deſiccabit. Horum quidem ſaporum operatio ſic erit, cũ vnus eorũ alicui rei maximè dominatus fuerit. Porro ſi duo ſapores æqualiter dominentur, eorum operatio æqualiter compoſita erit.

De operatione ſaporum ad inuicem in calore, & frigore.

CAP. LXVI.

EA vero quæ de caliditate, & frigiditate, & humiditate, & ſiccitate diximus, in vnoquoque corporum habentium ſaporem, non ſunt in eis ſecundum eandem quantitatem, ſed in quibuſdam eſt æqualiter caliditas, & frigiditas, inæqualiter autem ſiccitas, & humiditas. In quibuſdam autem econtra. Quædam vero ſunt ab alijs diuerſa in quantitate cuiuſque qualitatis, ſed ſuo modo. Omne quidem ſuaue compoſitum eſt ex quatuor elementis. Acerba autem, & pontica æqualia ſunt in frigore, niſi quod ponticum craſſum eſt ac terreum: acerbum vero, & ſubtile, & aquoſum. Quod duobus modis oſtenditur, per ſenſum ſcilicet & collationem. Per ſenſum quidem, quia videmus omnes fructus in principio ſui ponticos eſſe & inſuaues, ſiccos, at ſimiles naturę eorum arborum: poſtea vero humectantur, & quidem tunc acerbi fiunt, indeque paulatim mutantur, donec compleantur, & maturentur, ac dulcia fiant. Quidam autem ad dulcorem ſine acerbitate tranſeunt, vt fructus palmarum, & poma dulcia, & oliuæ. Maturitas autem fructuum eſt per calorem naturalem, qui eſt in ſubſtantia eorum, & etiam per calorem qui eſt ſolis. Itaque cum ſuperiores ſcilicet põticus, & inſuauis, & aſper frigidi ſunt, & craſſi, patet quod ſit eorum tranſitus ad acerbum per ſubtiliationem caloris. Per collationem vero idem oſtenditur, quoniam aſperi & pontici diffuſio in corpus tarda eſt. Et maior actio eorum in corporibus eſt ea coadunare, & denſare: hoc autem ſignum eſt craſſitiei & frigiditatis eorum, quia frigidi eſt denſare. Craſſi vero non velociter diffundi. Acerbum autem velocius in corpus diffunditur, ac in profundum mergitur, & hoc eſt ſignum ſubtilitatis eius, maximè vero, quia acerbi generatio eſt per calorem debilem, qui non potuit illud in quo fuit ematurare, nec permutare. Sicut etiam accidit epulis, quando non plenè digerit eas ſtomachi calor, aceſcunt. Quod ſi debilis eſt calor, ita quod omnino à digeſtione deficit, nec illas immutat, nec aceſcunt vt in lynteria contingit: præterea videmus lac, & vinum ſubtile, & ſimilia, ſi frigus multum ſit non aceſcere, ſi vero ponantur in aere calido aceſcunt, hinc eſt ergo acerbum non inueniri fortis frigiditatis, quia generatio eius eſt ex calore. Sic quoque non reperiri aliqua medicamenta quibus dominatur frigus acerba. Hoc itaque ſignum eſt, ea quę aſpera ſunt, & pontica terrea eſſe, & craſſa. Ea vero, quę acerba ſunt ſubtilia, & aquoſa.

Probatur põticum eſſe terreum.

De hoc morbo vide Celſum l. 2. c. 1.

Adhuc de eodem.

CAP. LXVII.

SIcut autem dulce calidum eſt, & humidum temperatè, ſic ſimiliter, & vnctuoſum, amarum vero fortioris caloris, & ſiccitatis, quam dulce, quod duobus modis intelligitur, per ſenſum ſcilicet, & per collationem. Per ſenſum quidem, quia videmus, quod omnia humida ſi mixta ſunt, & decoquat ea calor naturalis, qui eſt in eis, aut etiam exterior, vt ignis, & ſolis, dulcorantur. Et ſiquidem exceſſerit in eis calor, incipit amaritudo dominari, ſicut eſt in communi videre in mirabolanorum fructibus, & in melle dactylico, in principio quidem hæc dulcia ſunt. Sed poſtea cum inueteraſcunt, deficcat illa eorum calor naturalis, & fit in eis amaritudo. Sic quoque ſi ſuperexceſſerit in eis decoctio, tranſeunt in amaritudinem. Ex collatione vero, quia videmus dulce, & amarum ſordes emundare, ſed emundatio, quæ eſt in dulci temperata eſt, & æqualis, humida, & delectabilis. Amarum autem fortiter lenit, & emundat in tantum vt etiam continua ſeparet cum læſione, & ab hominatione. Hæc ergo ſignificant ipſum eſſe terreum, & craſſum, & ſiccum. Significant quoque rei amaritudinem, quæ neque putreſcit, neque vermes producit. Pungitiuum quoque & amarum ipſa etiam calida ſunt, & ſicca. Sed pungitiuum fortioris caloris eſt, & ſubtilioris ſubſtantiæ, ſicut & igneum, ideoque corrodit, & vrit & liquefacit, amarum vero eſt minoris caloris pungitiuo. Eſt ergo craſſum, & terreum, ideo ſi quis vtatur eo exterius eſt mundans, & leniens & purgat corroditque carnes ſuperfluas in vulneribus. Si vero bibatur incidit ſuperfluitates craſſas. Et aperit oppilationem venarum, vnde & vrinam prouocat. Et adimit ſputa craſſæ humiditatis à capite, & à pectore, prodeſt etiam epilepſiæ craſſum humorem inſcidendo, diffundere enim ſe velocius poteſt, tanquam & pungitiuum, nec prohibetur tranſmitti ſicut ponticum, porro ſalſum ipſum quoque terreum eſt, & calidum, ſed minoris caloris quam amarum.

Pungitiuum fortioris caloris quam amarum.

De aquis metallinis.

CAP. LXVIII.

Auicenna in primo canone. AQuæ vero quibus admiſcetur ſubſtantia metallina vel eius ſimile, & aquæ ſanguiſugales, omnes malæ ſunt. In quibuſdam tamen earum exiſtit iuuamentum. Illa enim in qua virtus ferri ſuperat, ad hoc iuuat, vt interioribus fortitudo tribuatur, & vt de rebus ideſt corruptio ſtomachi prohibeatur. Et vt deſideratiuę virtutes omnes procedant. Itaque non coire valentes adiuuant aquæ ferreæ, ſplenem etiam reſoluunt. *Idem in lib. 2.* Aqua ferrea confert viſceribus, & ſpleni, & ſtomacho, & renibus, & cholicæ. Aqua etiam in qua ferrum extinguitur confert ſputo ſanguinis. *Conſtantinus in pantegni lib. 5.* Aqua de ferri metallo ventrem conſtipat, membra confortat, valet ad dolorem ſplenis, & apoſtemata. *Auicenna lib. 1.* Aquæ æneæ vel æreæ, corruptioni complexionis vtiles ſunt. *Idem in 2. li* Aqua ænea confert viſceribus, & ori, & auri, valet etiam renibus, & cholicæ. *Conſtantinus vbi ſupra.* Aqua de metallo æris humiditati ſtomachi ſubuenit, ſtranguiriam vero gignit, aqua vero de metallo argenti refrigerat, & deſiccat, aqua quoque aluminoſa refrigerat, & deſiccat fluxum ſanguinis, & hemorroidas ſtringit. *Auicenna lib. 1.* Aquæ aluminoſæ menſtruorum ſuperfluitatem currere non permittunt, nec ſanguinem ſpuere, nec emorroidas fluere. Sed corpora, quæ febribus ſunt apta fortiter ad eas perducunt. *Idem in lib. 2.* Aqua aluminoſa prohibet vomitum, & aborſum, aqua aſphaltidis nocet oculo, aqua nitroſa calefactiua eſt, & exiccatiua, quandoque confert pulmoni, quandoque ſtomacho humido propter nitroſitatem ſuam. *Conſtantinus vbi ſupra.* Aqua nitrea ventrem ſoluit. *Auicenna libro 1.* Aqua ſalis armoniaci ſimiliter ventrem ſoluit. *Idem in ſecundo.* Omnes aquæ minerales faciunt vrinæ difficultatem, ac pariendi & menſtruorum, & plurimæ earum ſoluunt, & exiccant, & quædam earum ſicut aluminoſa ſtringunt. Quandoque etiam cholicam euenire faciunt. Quædam autem vt ferreæ, bonæ ſunt renibus, & cholicæ.

Remedium ſputi ſanguinis.

Remedium hæmorroidarũ, vomitus, abortus.

Probatur amara eſſe calidiora quam dulcia.

De

De aquis ſulphureis.

Cap. LXIX.

Cauſa cur aqua feruent.

Vtilitas ſulphurea aqua.

ISidorus li.13. Iam vero in multis locis aquæ manent perpetim feruentes tanta vi, vt balnea calefaciant, quædam enim terræ ſunt, quæ multum aluminis, & ſulphuris habent. Itaque cum per venas calẽtes aqua frigida venit, vicino ſulphuris calore contacta excandeſcit, nec talis ab origine efflúit, ſed permutatur dum venit. Sulphur enim alumenque ſecum ferunt aquæ, vtramque materiam igne plenam, nimiſque motibus incaleſcentem. *Ex imagine mundi.* Cum omnis aqua dulcis ſit vel ſalſa, quædam tamen erumpit calida vel putrida. Sunt enim quædam foueæ ſubterraneæ naturaliter ſulphureæ. In his dum ventus concipitur eius afflatu ſulphur accenditur, per quod incendium quandoque loca eructant, vt ſit in Sicilia. Cum ergo aqua per hæc ignea loca currit, calorem & fætorem inde trahit, & ſi prope hunc locum erumpat flammiuoma ebullit. Si autem longius receſſerit, vix tepeſcit, deinde penitus frigeſit. *Auicenna vbi ſupra.* Aquæ ſulphureæ conferunt morpheę, & apoſtematibus, & iuncturarum duritijs, & verrucis pendentibus, & omnibus doloribus iuncturarũ, & neruorum, frigidis apoſtematibus, ſpleni quoque ac doloribus eius, & hepatis ſimiliter, valent etiam impetigini, & ſcabiei, ſi in eis fiat balneatio. Aquæ vero ſulphureæ, & lutoſæ ac turbidæ fetideque faciunt febres accidere. *Conſtantinus vbi ſupra.* Aqua picea vel ſulphurea valet ad infirmitates frigidas, neruos calefacit, hepar incendit.

De aquis calidis, & frigidis.

Cap. LXX.

Calida aqua.

AVicenna in 1. cano. Aqua temperate frigida ſanis melior eſt omnibus aquis, licet neruos impediat, & in interioribus habentes apoſtemata lædat. Ipſa enim appetitum excitat, & ſtomachum fortem efficit. Aqua vero calida digeſtionem corrumpit, & cibum natare facit, nec illico ſitim extinguit, eſt etiã cum ad hydropiſim, & heticam adducit, & corpus cõſumit. Aqua vero tepida nauſeam facit. Calidior in ieiunio bibita multotiens ſtomachum lauat: ventrem ſoluit, frequenter tamen eam bibere malum eſt: quia ſtomachi virtutem debilitat. Illa vero quæ multum eſt calida, quandoque cholicam reſoluit: & ſplenis ventoſitatem frangit. Et illi quidem quibus aqua calida iuuamentum præſtat: epilepſiam habent, & melancholicam, & capitis dolorem. Et frigidum aſma: & othalmiam: & bothor in gutture, & ſiccitatem: & apoſtema poſt aures habentes: & theumatiſmos, & vlcera in diaphragmate: & imparis ſolutionem in parte pectoris. Menſtrua præterea prouocat & vrinam: & dolores ſedat. *Idem in 2. lib.* Aqua frigida nocet habentibus opilationes, confert autem habentibus raritatem & curſum, quicunque, & ex quocunque membro fuerit. Confortat etiam omnes virtutes in operationibus ſuis, quando ſunt cum æqualitate, ſcilicet digeſtiuam: attractiuam: & retentiuam: & expulſiuam. Eſt autem valde nociua pectori: ſtringit ventrẽ: & ſedat motus ſpermatis: & curſum eius, & epileptici quidem læduntur ab aqua calida: iuuantur à tepida. Aqua tepida eſt vtilis apoſtematibus gutturis ſcilicet & pectoris. Quæuis autem aqua nociua eſt cãnæ pulmonis propter humectationem quę in ipſa eſt: cum ipſa indigeat exiccatione.

Adhuc de eodem.

Cap. LXXII.

Aqua leuiſſima aqua.

EX libro de naturis rerum. Aqua quæ cito calefit: & cito infrigidatur: leuiſſima eſt. Aqua frigida mortificat vlcera. Cum autem aqua frigida debet fieri frigidiſſima: oportet quod ipſa in medio calefiat. Sic enim, & cum de ſicco debet fieri ſicciſſimum, oportet, quod illud ſiccum in medio ſit humidum: aqua quoque calida citius gelatur quam frigida: ſicut oſtenſum eſt ſupra. Aqua vero ſupra niuem infrigidata melior eſt niue, minuſque nociua. *Iſaac vbi ſupra:* Aqua frigidiſſima plurimum neruorum pectoris, & ſtomachi & inteſtinorum percuſſiua eſt generatque dolorem in ventre: ſtrictũram in pectore, & omnibus inſtrumentis ſpiritus: & crepaturam in ſuis venis, quam qui aſſuete biberit, incidit in ſpaſmum, ideſt contractionem membrorum, & membrorum dormitationem patietur, & epilepſiam. *Conſtan. vbi ſupra.* Aquam frigidam non bibat, qui ſtomachum, & hepar naturaliter habet frigidum, vel qui ex frigore infirmitatem egreſſus eſt. Neque poſt coitum bibenda eſt, vel poſt nimia exercitia, quia calorem diſſipat naturalem. Et qui frequenter eam biberit, percuſſionẽ in ſenectute non euadit, ſed nec in nocte poſt ſomnum bibat ſitibundus, quia calor naturalis extinguitur niſi propter ardorem febrium, vel cibum calidum vel ſalſum. Aqua calida ieiunum ſtomachum lauat, & de ciborum fæcibus purgat, phlegma & omnem putredinem mundificat, ventrem ſoluit, & ſi quis frequenter eam biberit, digeſtiuam virtutem turbat, vẽtrem & corpus totum mitigat, ſtomachum emollit, ſanguis è naribus propter eam manat. Aqua vero tepida ventrem inflat, cum tamen ſitim non auferat.

Aqua frigida.

De aquis coctis.

Cap. LXXII.

Error de aqua cocta.

Coctio ſpiſſitudinẽ aquæ remouet.

AVicen. 1. li. Aquas malas rectificat ſublimatio, & diſtillatio, & ſi iſtud non fuerit, decoctio. Aqua enim cocta minoris eſt inflammationis, & velocioris deſcenſionis, & ſtolidi quidam medicorum exiſtimant, quod aquæ coctæ ſubtile reſoluatur, ſpiſſum eius remaneat, & ideo coctionem non iuuare, quia ſpiſſitudinem in aqua augmentat. Sed ſciendũ, quod aqua in aqueitatis definitione, conſtat ex partibus in ſubtilitate, & ſpiſſitudine ſimilibus, quia ſimplex eſt, nec inſpiſſatur niſi aut quia frigoris qualitas ſuper eam prænaluit, aut propter ſortem terreſtrium partium commixtionem, quæ quia paruiſſimæ ſunt, ab ea nequeunt ſeparari, nec in ea deſcendere, quia non ſunt tantæ quantitatis, vt aquæ continuitatem ad deſcenſum findere valeant. Oportet ergo vt eis accidat commixtio cum aquæ ſubſtantia. Decoctio vero ſpiſſitudinem remouet, primo, quæ propter frigus accidit, deinde partes aquæ vehementer rarificat, donec ſubtilioris ſubſtantiæ fiat, vt ab ea ſeparari poſſint partes graues atque terreſtres in eius ſpiſſitudine retentæ, & confringant eam deſcendentes, remanet igitur aqua pura, ſimplici propinqua, & illud, quod propter calefactionem ſeparatum eſt, homogeneum eſt ei, quod remanſit, nec ab eo in ſubtilitate longinquum. Decoctio ergo non ſubtiliat aquam, niſi quia ſpiſſitudinem frigoris aufert, & quia deſcendere facit, quod ei commixtum eſt, huius rei ſignum eſt, quod cum aquæ craſſæ dimittuntur longo tempore, non deſcendit ex eis magnum quid. Cum autem coquuntur, ilico res magna deſcendit, & fit aqua quæ remanet in pondere leuis, & clara, deſcenſionis vero cauſa eſt ſubtilitas, quæ ex decoctione acquiritur. Nonne vi

Indicium aquarum bonarum.

des, quod aquæ magnorum fluminum ſicut gyon, & illæ præcipuè, quæ in eius extremo ſumuntur, illico cum ſumuntur vehementer turbidæ ſunt, poſtea vero breui tempore in vna reſeſſione, ita clarificantur, quod ſi alia vice reſidere faceres, non deſcenderet in eis multa res. In aquis autem malis ſi eas quotidie de vno vaſe in aliud mutares, quotidie manifeſtam videres deſcenſionem ſicut in primis, quia non deſcendit ex eis, quod deſcendere cõſueuit, niſi paulatim, propter hoc etiam non perfectè clarificantur, commixtiones enim terreſtres leuiter à ſubſtãtia ſubtili deſcendunt, in qua non eſt craſſitudo, nec viſcoſitas, nec vnctuoſitas. Sed à ſpiſſa non ita facile deſcendunt. Itaque decoctio ſubtilitatem acquirit, poſt decoctionem vero concuſſus.

A

B

De ſimplici potu aquæ.

CAP. LXXIII.

AQua ſola inter omnia elementa hoc habet proprium, vt in eo, quod comeditur, & bibitur ingrediatur, non vt nutriat, ſed quia nutrimentum penetrare facit, & rarificat eius ſubſtantiam. Ideo autem non nutrit, quia nutriens in potentia ſanguis eſt. Corpus vero ſimplex non conuertitur ad recipiendum formam ſanguineam. Sed ipſa eſt ſubſtantia, quæ adiuuat ad liquefaciendum nutriẽs, & ſubtiliandũ, vt cito currat, & penetret in venas. Et abſque hoc eius auxilio non poteſt eſſe nutrimenti complementum. *Razi. in Almanſore.* Aqua naturales humores in corpore conſeruat, quæ nutrimentum ſubtilians penetrare facit, calorem quoque reprimendo calefactis aut calidam complexionem habentibus plus quam vinum confert. Aqua pondere leuiori calorem frigiditatemque citius ſuſcipit, quæ meliorem ſaporem retinet, dulcedini ſcilicet appropinquantem melior iudicatur. Turbida vero in hepate generat opilationem, & in renibus lapidem. Aqua ſalſa vẽtrem mollit, & poſtea conſtringit. Si quis vſualiter eam biberit, corpus deſiccat, atque in eo ſcabiem, & monoragadias generat. Aqua ſtans, & putrida ſplenem augmentat, complexiones corrumpit, ac febres generat. Aqua frigida vt nix ſtomachum percutit, ſi bibatur à ieiunis, ſed hepar multum infrigidat. Quam nulli ieiuni præſumant bibere, niſi calefacti, ſic enim eis proficit. Super cibum in parua quantitate ſumpta, ſtomachum corroborat, & auget appetitum. Aqua vero quæ non bene ſapit, eo quod frigida non ſentitur, vẽtrem inflat, ſitimque non minuit, ſed appetitum deſtruit, & corpus diſſoluit: aqua vero calida (quam quidam ieiuni bibunt) ſtomachum præcedentis nutrimenti à ſuperfluitatibus lauat, & ventrem fortaſſe ſoluit. Quæ tamen ſi frequenter bibatur ſtomachum corrumpit, & debilitat, aqua tepida faſtidium facit, aqua vero cocta quouſque minor reddatur eius ſubſtantia, minus inflat, citiuſque deſcendit.

C

D

E

Aqua vſus quid præſtat ad nutriendum.

Iterum de eodem.

CAP. LXXIV.

Iſaac in dietis. Aqua nullum dat nutrimentum vel augmentum corporibus humanis, niſi compoſita fuerit cum cibarijs ex quatuor elementorum complexionibus compoſitis. Quia cum ſit frigida, & humida, contraria eſt omnibus calidis, & ſiccis. vnde nihil in eis operatur, niſi ſicut contrarium in contrario ſcilicet repugnando, & deſtruendo ſicut videmus aquam igni reſiſtere, ipſum enim extinguit, non ergo augmentat, quia ſimplex eſt, corpus autẽ noſtrum cõpoſitum. Et compoſitum quidem ſuum ſimile facit creſcere, ſimplex autem econtra decreſcere. Sed neque nutrit, nutrimentum enim nihil aliud eſt, quam aſſimilatio cibi in corporibus edentium, & eſt ſimile poteſtatiue, aqua vero, nec poteſtatiue, nec actualiter ſimilis eſt caliditati, & ſiccitati corporis noſtri. Et tamen neceſſaria duobus modis. Vno quia portat cibum per totum corpus cum ſui ſubtilitate, & liquore, diſſoluit enim & attenuat eum, vt poſſit penetrare venas, & totius corporis vias. Alio vero, quia cum frigiditate ſuique humectatione refrigerat, & extinguit extranei caloris acumen, & ſitim ab eo generatã mitigat, & diſſoluit fumum circa cor cumulatum, vnde naturam in actione ſua confortat, veruntamen ſi fortem adeo calorem inuenerit, vt ei nequeat repugnare, mutatur in ipſum patiendo, ſicut etiam in exterioribus videmus aquam in igneam naturam tranſire pro ſui ſubtilitate ac leuitate, vnde ignis augmentatur, & confortatur. Ideoque vt tribuatur infirmis, oportet etiam ingeniare miſcendo rem compoſitam, vt fiat craſſior, & grauior, ne extraneo calori obediat, ſed ab ea extinguatur, & ſitis per eam generata mitigetur. *Ex li. de naturis rerum.* Aqua dulcis eſt de rebus deterioribus hydropicis, hæc enim membra reddit tremula, & mollia.

Aqua vſus.

De aquis ad potandum eligendis.

CAP. LXXV.

AVicenna. 1. *li.* Aquæ fontium cæteris meliores ſunt, nec tamen omnium, ſed fontium terræ liberæ, vbi nulla diſpoſitionum, & qualitatum extranearum ſuperat, nec ex omni fonte terræ liberæ, ſed illa tantum quæ eſt currens, ac ſoli ac ventis diſcooperta, & ſuper lutum incedens. Talis enim melior eſt illa, quæ ſupra petram fluit, quia lutum mundat aquam, & aufert ab ea res extraneas ſibi commixtas, & colat eam, quod non faciunt lapides. Sed oportet vt lutum per quod tranſit, ſit liberum, & non fætidum neque lacunoſum. Quod ſi hæc aqua multa fuerit, & forti cucurrerit curſu, vt propter ſui multitudinem illud, quod ei commiſcetur, in ſuam conuertat naturam: & ſuo curſu tendat ad ſolem ideſt ad orientem, propereque ad eius exitum erit aquis cæteris melior, & tanto magis, quanto à ſuo elongabitur principio, poſt hanc illa, quę ad ſeptentrionem vadit. Nam illa quę ad occidentem, & meridiem, mala eſt. Et propriè cum meridionales exufflant venti. Illa quoque quæ à locis altis deſcendit, cum alijs bonitatibus melior eſt, & eſt quaſi dulcis, nec vinum tolerat, vt ex ea ſibi admiſceatur, niſi parum. Eſt autem in pondere leuis, citoque infrigidatur, & cito calefit propter raritatem ſuam, frigida in hyeme, & calida in æſtate. In qua nullo modo ſuperat color aliquis vel odor, & cito deſcendit ab hypocondrijs. Quodque in eo coquitur, cito coquitur, & cito diſſoluitur. Ex aquis quoque laudabilibus ſunt aquæ pluuiales, & illæ præcipuè, quæ in æſtate veniunt, & ex nubibus cũ quibus aſſunt tonitrua. *Iſaac in dietis.* Laudabilis aqua duo continet in ſe, vnum ex ſui eſſentia, aliud ex ſui curſus origine. Ex ſui eſſentia claritas, & liquiditas, nullum habens colorem, neque ſaporẽ, nec odorem, nec fætorem. Hæc enim ſignificant quatuor elementorum complexiones in corporibus compoſitis, vnde ſi quid horum habeat aqua, ſignificat aliam rem in ea commixtam. Si autẽ habeat colorem, oportet vt ſit albus, clariſſimus, & mundus, hoc enim indicat aquam aeri tenuiſſimo admixtam. Si vero ſaporem, neceſſe eſt odorifera ſit, omni putore carens, & grauitate. Origo curſus aquæ neceſſe eſt vt ſit ad orientem, aliquantulum ſeptentrionali pertinens plagę, vt ſeptentrionalis, & orientalis ventus eam perflet. Huius citiſſima mutatio qualitatis in qualitatẽ ſignificat eiuſdem leuitatẽ, nec ex ſe terreſtre habere quippiam. *Diaſcorides.* Aqua quæ lapide emanat, leuior, & limpi-

Aqua fontium.

Qua melior alia.

Qua mala.

Aqua pluuiales collecta tempore tonitru optima.

Color aquæ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

limpidior eſt, & ventrem, & vrinam prouocat. Omnium autem aquarum pluuialis eſt optima, leuis, & dulcis, facilè digeritur. Cito enim calefit, & cito infrigidatur.

Aquæ ſalubres.

Iterum de eodem.

CAP. LXXVI.

Palladius libro vbi ſupra. Aquę ſalubritas ſic agnoſcitur. Primum ne à lacunis aut palude ducatur, ne de metallis originē ſumat. Sed perſpicui coloris, neque vllo aut ſapore aut odore vitietur, nullus illis limus inſideat, frigus teporem mulceat, æſtatis incendia moderetur, ſed quia ſolet his omnibus ad ſpeciem B cuſtoditis, occultiorem noxam rectior ſeruare natura. Ipſam quoque incolarum ſalubritate noſcamus, ſi facies bibentium puræ ſunt, ſi ſaluo capite, ſi in pulmonibus ac thorace aut nulla eſt, aut rara cauſatio. *Hipocras in regimine acutorum*. Ptiſanam hordeaceā ſuper omne de grano cibariū acutis morbis, & acutis paſſionibus excellentiſſimum iudico. Quippe, quæ viſcoſa eſt, & leuis, vncta quoque & lubrica, & mollis, temperatam habens humiditatem, ſitim extinguit, & ſi opus fuerit ablui facit. Nequaquam ſtiptica, non ad laborem furioſa, non inflatur in ſtomacho, nec ibi aceſcit. Quorum vtrūque nimirum in coctione, dum videlicet in poteſtate habet, expleret. *Conſtan. in panteo.* Hordeum frigidum eſt in primo gradu, ſiccum in ſecundo. Ptiſanæ ex eo confectæ frigidæ ſunt, & humidæ, hæc ptiſana complexionem adiuuat ſecundum temperamentum acutis febribus valet, digerens materiam vnde generatur, ſitim extinguit, & naturaliter lauatorium eſt, vnde fit vt membris omnibus cito diffundatur, de ſtomacho in inteſtina ſtatim effluit, vbi ſi incendentes humores inuenerit, facile expellit, limoſa interiora ſiue exteriora mundificat, nullum rancorem infirmis ge- *Hordeum ex quo fit ptiſana quale debet eſſe.* nerat, non inflat, nec ventoſitatem vllam apparat, ſicut alia ſolent grana. Hordeum vnde conficitur, oportet eſſe bonum, non vetus, ſed album, durum, & benè excoriatum atque piſtatum.

De aquis perniciosis ac venenoſis.

CAP. LXXVII.

Auicen. 2. lib. Aquæ malæ ſunt aquæ ſtantes, & quę ſunt in lacunis. Et ſuper quas dominatur odor, & ſapor extraneus, conturbatæ, ſpiſſæ, grauis ponderis. Et quæ cito conuertuntur in lapidem. Et illæ ſuper quas natat ſpuma alba mala, & in quarum ſupremo congelatur res extranea mala. Sed diuerſis earum nocumentis, diuerſis occurritur remedijs, vt nitroſitatis nocumento ſuccurritur cum lacte, & vino craſſo, & amilo, & melius eſt cum vino ſubtili odorifero, & antiquo crudo, & cucumeribus immaturis, & oleribus ſolutiuis, & cum prouocatiuis: aquas craſſas conturbatas rectificant ſubtiliatiua, vt allium, cepæ, portus, & vinum. Et aqua quidem aſpera non eſt niſi aut craſſa aut acuta abſterſiua, & dicitur quandoque aqua aſpera illa, quæ vehementer mundificat illum, qui ea abluitur. Amaram autem aquam rectificant dulcia. Salſam vero xylocaractæ ſyre, & grana mirti: vniuerſaliter autem aquas malas rectificat acetum, & remouet earum malitiam. *Ex imagine mundi.* Sunt loca ſerpentibus plena, qui vicinam aquam veneno inficiunt. Ita, quod bibentes intereunt, vt fons ſtygius facit. *Subtiliatiua rectificantia aquam craſſam.*

De his, quæ generantur ex aquis, & primo de vellere aureo.

CAP. LXXVIII.

Victor. Ex aquis porro non ſolum piſces, vt ab initio procreati leguntur, ſed nunc etiam multæ ac variæ rerum ſpecies quotidie generari cernuntur, vt ſal, nitrum, alumen, ſpongia, & etiam lana quædam marina, & etiam lapides diuerſi generis: horum quædam ex ſpuma procreari dicuntur, vt ſpongia, & lana marina, & etiā quidam lapides, vt pumex. Spuma quidem ex colliſione aquarum generatur, vento intus concepto vel incluſo, vnde tenuiſſima eſt, & inanis, & modico flatu ſpargitur. *Iſidorus.* Spuma dicta eſt, eo quod ſpuatur. Sordes enim ſunt vndarum, vnde & muſtum. & ea, quæ coquuntur ſpuma purgātur, hinc, & ſputum dicitur. *Papias.* Aureum vellus aqua in littoribus gignit, & nutrit. Cuius colorem naturalem nullus eorum, qui vellera diuerſis fucis obducunt imitari adhuc potuit. Et quæ pratorum vel hortorum amenitas poteſt cærulei maris æquiparare pictūram vel aurum. In pratis flores refulgent auri fulgore. Marina lana eodem pariter reſplendet, & illi cito marceſcunt. Iſta diu duratura ſeruatur. *Aureum vellus.*

De Spongijs.

CAP. LXXIX.

Philoſophus. Spongiæ marinæ ſunt quædam corpora media inter plantas, & animalia. Quoniam & radicibus aluntur, vt plantæ, & tactu ſentiunt vt animalia. Sed horum principia ſunt vapores, vnde prius per ſe oriuntur, plantæ vero ex ſeminibus pluuia mediante.

Plinius lib. 31. Spongiarum genera quidam ſic diſtinguunt. Alias enim mares ex his æſtimauerunt tenui fiſtula ſpiſſioreſque perſorbentes, & quę ringuntur in delicijs aliquando, & purpura. Alias fœminas maioribus fiſtulis ac perpetuis maribus duriores. Alias quas appellant tragos tenuiſſimis fiſtulis atque denſiſſimis. Candidæ cura fiunt è molliſſimis recentes per æſtatem tinctæ ſalis ſpuma, ad lunam, & pruinas ſternuntur inuerſæ, hoc eſt qua parte adhæſere, vt candorem bibant. Animal eſſe docuimus etiam cruore inhærente. Aliqui narrant, & auditu regi eas contrahique ad ſonum, exprimentes abundantiam humoris, nec auelli petris poſſe, ideo abſcindi, & ſaniem emittere. Quin & eas, quæ ab aquilone ſint genitæ præferunt cæteris, nec vſquam diutius durare ſpiritum medici affirmant. Sic & prodeſſe corporibus, quia noſtro ſuum miſceant, & ideo magis recentes magiſque humidas. Sed minus in calida aqua minuſque vnctas, aut vnctis corporibus impoſitas, & ſpiſſas minus adhæreſcere. Molliſſimum genus earum penicelli oculorum tumores leuant mulſo impoſiti. Item abſtergendi lippitudini vtiliſſimæ. Eam quæ tenuiſſima eſt molliſſimam quoque eſſe oportet. Imponuntur ſpongiæ ipſæ Epiphoris ex poſca, & aceto calido ad capitis dolores: de cætero recentes diſcutiunt, molliunt, mitigant, veteres conglutinant, vulnera vſus earum ad abſtergenda, fouenda, operienda à fotu dum aliud imponatur, vlcera quoque humida, & ſenilia impoſitæ ſiccant. Fracturæ, & vulnera ſpongijs vtiliſſime fouentur. Sanguis rapitur in ſecando vt curatio perſpici poſſit. Et ipſæ vulnerum inflammationibus imponuntur, nunc ſiccæ, nunc ex aceto inſperſæ, nunc è vino, nunc ex aqua frigida, ex aqua vero cœleſti impoſitæ ſiccant, recentia non patiuntur intumeſcere: imponuntur & integris partibus, & fluctuatione occulta laborantibus quæ diſcutienda ſint, & his quæ apoſte *Meliores Spongiæ.* *Medicantur.*

mata

mata vocant, melle decocto perunctis. Item articularijs alias aceto ſalſo madidæ. At contra ſcorpionum ictus ex aceto, in vulnerum curatione, & ſuccidæ lanę vicem implent, nunc ex vino, & oleo, nunc ex eadem. Differentia hæc, lanæ emolliunt, ſpongiæ coercent rapiuntque vitia vlcerum. Circumligantur & hydropicis ſiccæ vel ex aqua tepida poſcave, vtrumque blandioribus opus eſt opeririue, aut ſiccare cutem. Imponuntur & his morbis, quos vaporari oporteat feruenti ex aqua perfuſæ expreſſæque inter duas tabulas. Sic & impoſitæ ſtomacho proſunt, & in febri contra nimios ardores. Sed ſpleneticis è poſca, ignibus ſacris ex aceto, efficaciores quando aliud imponi oportet, ſic vt ſanas quoque partes ſpacioſæ operiant. Sanguinis quoque profluuium ſiſtunt ex aceto, aut frigida aqua. Liuorem ab ictu recentem ex aqua ſalſa ſæpius mutata. Tolluntque teſtium tumorem doloremque ex poſca. Ad canum morſus vtiliter conſciſæ imponuntur ex aceto aut frigida aut melle abunde ſubinde humectandę. Aphricanæ cinis cum porri ſectiui ſucco ſanguinem reiicientibus hauſtus ſalis ex frigida prodeſt. Item cinis cum oleo, & aceto fronti illitus, tertianas tollit: priuatim, Aphricanæ ex poſca tumorem diſcutiunt. Omnium autem cinis cum pice crematarum, ſanguinem ſiſtit mulierum. Aliqui raras tantum ad hoc cum pice vrunt, & oculorum cauſa comburuntur in cruda olla figulini operis plurimum proficiente eo cinere contra ſcabricies genarum excreſcenteſque carnes, & quicquid opus ſit ibi deſtringere, ſpiſſare, explere, vtilius in eo vſu lauare cinerem. *Auicen. in 2. Can.* Spongia eſt corpus marinum, laxum, rarum ſicut filtrum, & dicitur quod habet animalis motum in eo cui adhæret, & non ſeparatur ab eo. Illa ſiquidem, quæ recens eſt, fortior eſt, & fortioris exiccationis, propter fortitudinem naturæ maris: eſt autem calida in primo gradu, ſicca in ſecundo, eiuſque lapis eſt ei propinquus, & minus calidus. Spongia fortis eſt exiccationis, propriè autem, quod ex ea recens eſt aduſtum cum oleo, & ſimiliter eius cinis confert diruptioni ſanguinis propter inſciſionem aut apertionem. Inflammatur enim ignis ex ea ſuper locum, & cauterizat, cum hoc, quod eſt ſubſtantia retinens ſanguinem. Fiunt etiam ex ea licinia, & in orificiis venarum ponuntur, & retinent ſanguinem. Item ſpongia exiccat apoſtemata phlegmatica. Infuſa aceto ſuper plagas ponitur, & conſolidat vlcera profunda. Aduſta etiam cum oleo conuenit curationi ſputi ſanguinis. Lapis in ea inuentus frangit lapidem veſicæ, ſubtiliat autem abſque calefactione, & exiccat, & abſtergit. *Diaſcorides.* Spongiæ ſunt duo genera maſculus, & fœmina. Maſculus dicitur, qui pertuſuras habet minutas, & ſpiſſas, & albas. Fœmina vero rotundas, & maiores habet cauernas. Eſt tertium genus, quod tragon dicitur, duros habens inter ſe lapides, & cauernas plurimas. Noua ſpongia, & non pinguis vulneribus, & tumoribus impoſita medicatur, vulnera clauſa aperit. Vetus autem inutilis eſt vulneribus, rheumaticis, & antiquis. Sicca impoſita abſtergit humorem, combuſta virtutem habet ſtipticam. Quæ lota miſcetur colliriorum confectionibus. Comburuntur autem tinctę in pice liquida, & fluxum ſanguinis ſtringunt. Sunt enim acres & diaphoreticæ. Noua enim ſpongia per ſeipſam apertè deſiccat.

Curatio ex Spongijs.

De Lapidibus ex aqua generatis.

Cap. LXXX.

Ariſto. in lib. de vegetabilibus. Lapides etiam, quidam ex colliſione aquarum fiunt. Primum enim ſpuma coagulatur vt lac vnctuoſum. Et dum vnda arenæ illiditur, arena congregat vnctuoſitatem ſpumæ, ſiccatque illam maris ſiccitas cum ſuperflua ſalſedine. Congreganturque partes arenæ, ac per temporis longitudinem fiunt lapides.

Vitruuius vbi ſupra. In Cappadocia lacus eſt, in quam pars arundinis, ſi dimiſſa fuerit, & poſtero die exempta inuenitur lapidea, pars autem, quæ manſerit extra aquam, permanet in proprietate ſua. Sic, & hierapoli feruent aquæ calidæ, quæ circa hortos, & vineas foſſis ductis emiſſę poſt annum cruſtæ lapideæ ſunt, quibus ſcilicet cruſtis in agris ſepta efficiunt, hoc ideo videtur naturaliter fieri, quod in his locis, & ea terra quibus naſcuntur, ſuccus ſubeſt coaguli naturæ ſimilis. Deinde cum commixta vis per fontes extra terram egreditur, à ſolis, & aeris ardore congelatur, ſicut etiam in areis ſalinarũ videtur.

Ratio generationis lapidum in aquis.

Sen. vbi ſupra. Puteolanus quoque puluis, ſi in aquam inciderit, ſaxum fit. Quis autem non grauiſſimas aquas credat, quæ in cryſtallum coeunt. At econuerſo eſt, tenuiſſimis enim hoc euenit, quas ob ipſam tenuitatem facillime gelat frigus. Siquidem aqua cæleſtis minimum in ſe terreni habens, cum induruerit, longioris frigoris pertinacia ſpiſſatur magis ac magis, donec omni aere exploſo in ſe tota comprimitur, humor qui fuerat, lapis efficitur.

Ex lib. 3. Meteororum. Ariſt. In additis, de aquis fiunt lapides quatuor modis. Vnus eſt quando gelatur guttatim cadens aqua. Alius quando de aqua currente deſcendit quiddam reſidens in ſuperficie fundi ipſius, fitque lapis. Sunt etiam certa loca, ſuper quæ aquæ effuſæ, vertuntur in lapides diuerſorũ colorum. Sunt etiam aquæ, quæ ſeorſum acceptæ non gelantur, ſed ſi prope alueum ſuum fundantur, congelantur, fiuntque lapides. Scimus ergo, quod in illa terra vis eſt mineralis, quæ congelat aquas. *Ex lib. de na. re.* Conſtat etiam multos fontes eſſe, qui ligna iniecta (vt dictum eſt ſupra) in lapideam ſubſtantiam conuertunt, ex hiſque lapidibus optimæ cotes fiunt.

De natura & ſpeciebus pumicis.

Cap. LXXXI.

Auicen. in 2. Cano. Spumę maris, id eſt pumicis duę ſunt ſpecies. Prima eſt ſpongioſa in figura ſua, rancida in odore ſuo ſimilis odori piſcium graui, id eſt odori piſcium ſalſorum, & eſt ſpiſſa littoroſa. Item lænis, longa, odoris muſci naſcentis in lapidibus, qui ſunt in locis humidis. Eſt etiam roſea atque purpurea, ſimilis lanæ ſordidæ, leuis. Quinta formam habet fungi, exterius plana, interius aſpera, quia non habet odorem. Eſt autem ſpuma maris calida, & ſicca in tertio gradu, mundificatiua eſt ſordiciei abſterſiua, aduſtiua, tertia vero ſubtilior eſt aliis, aduſta quidem, & prope tertia facit διωπικείαν, ideſt defluxio capillorum, fungalis adminiſtratur in abraſione pilorum, & confert morpheę. Et duæ quidem ſpongioſæ ingrediuntur in ablutionibus, & in medicinis panni, & veſtigiorum in facie. Plana magis eſt conueniens abſterſioni dentium, & vniuerſaliter vehementi abſterſioni dentium. Conueniens etiam eſt apoſtematibus quę ſunt, in claui ſuperpoſita. Roſea vero ſcrophulis, & podagræ, ſpleni, & hydropicæ confert: & etiam difficultati vrinæ, & ad purgandum arenam, quę eſt in veſica, & dolori renum, ſcabiei vlceroſæ, & impetigini confert propriè ſpongia marina.

Vtilitates Spumæ.

Diaſcorides. Pumex eligendus eſt lænis, frangibilis, albus, & ſine lapide. Comburitur autem ſic, vt in carbonibus miſſus diu igneſcat, & poſt extractus vino odorato extinguatur: & hoc ſecundo fiat ſimiliter. Tertio vero extractus ab igne reponitur: virtus eius eſt ſtiptica, & thermantica, & purgatiua oculorum, cicatrices limpidat, & dentes, vulnera replens, & ad cicatricem ducens. Carnes vulneribus ſuperfluè creſcere non ſinit, capillos

Nota de pumice.

corporis

corporis tollit. *Theophraſtus* dicit, quod ſi cacabo bullienti miſceatur, vlterius bullire non ſinit.

De natura & origine ſalis.

CAP. *LXXXII.*

Etymologia Salis.

I*Sidorus lib.* 16. Sal quidam dictum putant, quod in igne exiliat: fugit enim ignem, dum tamen ſit igneum, ſed naturam aquæ ſequitur, quia ignis, & aqua ſemper inter ſe inimica ſunt. Alij ſal à ſalo, vel Sole vocatum exiſtimant. Nam aquis marinis ſponte gignitur, ſpuma in extremis littoribus derelicta, vel ſcopulis à Sole decocta. Sunt & lacus, & flumina, & putei è quibus hauritur: deinde in ſalinas ingeſtus Sole ſiccatur, ſed & ſumma fluminum denſantur in ſale amne reliquo ſub gelu fluente: alibi quoque detractis arenis colligitur, creſcens cum Lunæ motibus. Nam hammoniacis in Cyrenea ſub arenis inuenitur. Britannici quoque ſales ex aqua in ſilicis ſoliditatem vertuntur. Ita vt ferro cædantur, candore niuei, corpori ſalubres, cibo & potu grati. Sunt & montes natiui ſalis, in quibus ferro cæditur vt lapis, renaſcens maius: tantæ etiam alicubi duriciæ, vt muros domoſque maſſis ſalis faciant, ſicut in arabia. In natura quoque ſalis differentiæ ſunt. Nam alibi ſuauis eſt, alibi ſalſiſſimus. Commune in igne crepitat. Tragaſeum, nec in igne crepitat, nec exilit: Agrigentinum Siciliæ flammis impatiens in aqua exilit in igne fluit contra naturam. Sunt & colorum differentiæ: Memphiticus rufus eſt. In parte Siciliæ quadam, vbi Æthna mons eſt purpureus. Item in eadem Sicilia in Pachino adeo ſplendidus eſt, & lucidus, vt imagines reddat. In Cappadocia Crocinus effoditur: Salis autem natura ad omnem eſcam neceſſaria eſt: pulmentis enim ſaporem dat, auiditatem excitat, & appetitum in omnibus cibis facit. Quin etiam pecudes, & iumenta ſale maximè prouocantur ad paſtum, multum largiores lacte, & gratiores caſei dote. Corpora etiam ſal aſtringit, ſiccat, & alligat, defuncta à putredine conſeruat.

Mores Salis.

Iterum de eodem.

CAP. LXXXIII.

P*Linius lib.* 31. Sal omne aut fit, aut gignitur: vtrunque pluribus modis, ſed cauſa gemina, vel ex humore coacto, vel ſiccato conſiſtit: auiditatem excitat in omnibus cibis, ita vt ex eo inter innumera condimenta ſit intellectus peculiaris: ergo herclè vita humanior ſine ſale nequit degere: adeoque neceſſarium hoc condimentum exiſtit, vt intellectus ad voluptatem tranſierit: animi quoque loca ſales appellantur, omniſque vitæ lepos, & ſumma hylaritas, laborumque requies, non alio magis conſtat vocabulo: honoribus etiam militiæque interponitur, ſalarijs inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, ſicut ex nomine ſalarię viæ apparet. Quoniam illa ſal in ſabinos portare conſueuerat Ancus Marcius Rex, ſex millia modia ſalis in congiario populis dedit, & ſalinas primus inſtituit. Auctor eſt etiam Varro, vice pulmentarij veteres eſitaſſe ſalem cum pane & caſeo. Sal ille ſalſiſſimus, qui eſt ſicciſſimus. Suauiſſimus autem omnium eſt Tarentinus, & candidiſſimus: ac de cætero fragilis, qui eſt maximè candidus: omnis autem ſal pluuia dulceſcit: ſuauiorem tamen rores faciunt, ſed copioſum Aquilonis flatus: Auſtro non naſcitur, flos quoque ſalis non fit niſi Aquilonibus. Cappadociæ ſal effoditur croceus, tranſlucidus, & odoratiſſimus, ad medicinæ vſus antiqui maximè laudabant Tarentinum, & è marinis quemcunque ex eo genere, præcipuè ſpumeum. Ad obſonium, & cibum eſt vtilior, quiſquis facilè liqueſcit: itemque humidior: minorem enim amaritudinem habent huiuſmodi: vt Atticus, & Euboicus: porro ſeruandis carnibus aptior eſt acer, & ſiccus, vt Megaricus, conditus & additis odoribus.

Sales à Sale.

Salaria militaria à Sale & cur?

Auctor. Sal quoque in fœcunditatem terræ facit: iuxta illud, *poſuit terram fructiferam in ſalſuginem:* vnde & vrbes deſtructę ab hoſtibus ſolent ſale aſpergi: vt nihil in eis germinare poſſit: Sicut in omnibus condimentis nihil ſale vtilius, ſic ſale infatuuto nihil inutilius, quia neque ad ſterquilinium vtile eſt: immo nociuum, eo quod non ſinit terram fœcundare.

Sal infacunditatē facit.

Nota de Sale infatuato.

Vegetius Renatus de re militari lib. 4. Si maritima ſit ciuitas, & ſal defuerit liquor ex mari ſumptus, per alueos aliaque pocula ſi diffunditur, à calore Solis in ſalem duratur. Quod ſi hoſtis ab vnda fortaſſis prohibeat, arenas quas excitato vento mare profuderit aliquando colligant, & aqua dulci perfundant, quæ Sole ſiccata nihilominus in ſalem mutabitur.

De operatione ſalis in medicina.

CAP. LXXXIV.

A*Vicen. lib.* 2. *de medicin.* Sal naturā calidum eſt, & ſiccum, in ſecundo gradu. In ipſo eſt amaritudo, & ſtipticitas: & quanto amarior eſt, tanto calidior. Eſt autem abſterſiuus, & reſolutiuus, conſtrictiuus, exiccatiuus, & diruptiuus ventoſitatum. Sal aduſtum vehementioris eſt exiccationis, & reſolutionis, & confert putrefactioni, & humorum craſſitiei: huius flos eſt eo ſubtilior, & puluis eius ipſi propinquus, & ambo reſoluunt pluſquam ſal, & minus conſtringunt. Sal aduſtum mundificat dentes à lapidibus, & remouet nigredinem ſanguinis vbicunque linitus eſt. Et eius vſus cum melle bonum efficit colorem. Item ſal corrodit carnem additam, & morſam, & confert ſcabiei vlceroſæ, & impetigini: iuuat ad vomitum, & facilem ſuperfluitatis egreſſionem, ac deſcenſionem cibi. Item ſal valet ad diſſenteriam: adiuuat medicinas ſolutiuas ad eradicandum melancoliam, & humiditates viſcoſas de partibus membri: valet etiam in emplaſtris contra venena, contra podagram, contra carbunculos, contra apoſtemata phlegmatica. *Diaſcorides.* Virtus omni ſali ſtiptica eſt, & cathartica, & diaphoretica, putredinem tollit, ſcabiei medetur, collyrijs oculorum miſcetur, cum oleo iunctus labores itineris tollit. Tumores hydropicis, & dolores, ſi fuerit calidus adhibitus ſoluit, ſi faucibus, ſi gulæ, ſi gingiuis, & arterijs addatur cum melle rheuma prohibet, ac liuores tollit corporis. Tritus linteo ligatus, & aceto infuſus impoſitus morſibus venenatis occurrit, & ad alia multa valet. *Iſaac.* Sal calefit moderatè, multumque deſiccat, quia compoſitum eſt ex duabus qualitatibus. Vna eſt colatiua, & inſciſiua. Alia coadunatiua, & conſtrictiua, quarum vtraque deſiccans eſt. Ideoque ſal deſiccat in tertio gradu, calefacit in ſecundo. *Conſtan. in lib. graduum.* Vniuerſaliter autem ſal corpora cuſtodit, & putredinem ab eis mundat. In auro etiam ruborem augmentat, & in argento albedinem, ſi ex eo lotum fuerit: craſſos, & duros humores eliquat, & deſiccat: prohibet naturalem colorem, ne diſſoluatur & corrumpatur, peſſimis vulneribus appoſitum repugnat ne dilatētur: mixtum cum oleo membriſque fatigatis iunctum, omnem ab eis dolorem aufert. Cum ſemine lini cataplaſmatum, morſus reptilium curat.

Sal calidum & ſiccum in ſecundo gradu.

Vtilitates Salis.

Color nūmorum perficitur à Sale.

Iterum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iterum de eodem Plinij documenta.

CAP. LXXXV.

Curationes à ſale facta.

PLinius *vbi ſupra*. Salis operatio multiplex eſt in medicina: huius natura eſt per ſe ignea, & ignibus inimica: ipſos videlicet ignes fugiens, omnia eradens. Corpora vero aſtringens & ſiccans: defunctaque & putreſcentia ita vindicans, vt ea durent per ſæcula. In medendo autem mordens, & adurens, repugnans, extenuans, & diſſoluens. Stomacho tantum inutilis, præterquam ad excitandam auiditatem, aduerſus ſerpentium morſus valet, cum origano, melle, & hiſſopo, contra ceraſten cum origano, & cera, aut pice, aut melle. Aduerſus ſcorpionum ictus cum quarta parte lini ſeminis, & oleo, & aceto illitus. Contra ſcabrones, & veſpas ſimiliaque ex aceto. Ad vlcera capitis, & puſtulas papulaſve, & incipientes verrucas cum vitulino ſebo. Oculorum quoque remedijs prodeſt, & ad creſcentes ibi carnes, totiuſque corporis pterigia, ſed in oculis peculiariter: ob id additur collyrijs, & emplaſtris. Ad hoc maximè probatur ætateus, vel caunites. Ex ictu vero ſuffuſis cruore oculis ſigillatiſque cum myrrhæ pari pondere, ac melle, aut cum hiſſopo ex aqua calida, vtque foueantur ſalſugine, ad hoc Hiſpanienſis eligitur. Contraque ſuffuſiones oculorum cum lacte in coriculis teritur. Priuatim ſugillationibus in lintheolo inuolutus, crebroque ex aqua feruente impoſitus, valet vlceribus oris manantibus, ac tumori gingiuarum infricatus, & contra ſcabriciem linguæ frictus comminutuſque. Aiunt quoque dentes non erodi, neque putreſcere, ſi quis quotidie mane ieiunus ſalem contineat ſub lingua donec liqueſcat: lepras idem, & furunculos, & lichenas, & pſoras emendat cum paſſa vna exempto eius ligno, & ſebo bubulo, atque origano, ac fermento vel pane, maximè Thebaicus: hic & ad pruritus eligitur. Tonſillis & vuis cũ melle prodeſt; quicunque ad anginas: hic amplius cum oleo & aceto, eodem tempore extra fauces illitus: cum pice liquida in vino mixtus aluum emollit, noxia & tinearum genera potus in vino vellit. Æſtus balnearum conualeſcentes vt tolerare poſſint, linguæ ſubditus præſtat. Neruique dolorem maximè circa humeros, & renes in ſaccis crebro aqua feruente madefactus leuat. Præterea colum, & tormina coxarumque dolores leuat potus, & ſaccis candens impoſitus: podagram quoque ex melle, & farina cum oleo tritus. Tollit & clauos pedum ac perniones. Ex oleo imponitur ambuſtis, puſtulaſque reprimit. Ignibus etiã ſacris, ac vlceribus quæ ſerpunt imponitur ex aceto, aut hyſſopo, & morbo regio laborantibus, donec ſudent ad ignem. Contra pruritus quoque quos ſentiunt infricatus ex oleo, & aceto, & fatigatos ex oleo. Phagedenis vlcerum tritus cum farina ordei ſuperimpoſito lintheolo, madente vino. Multi & hydropicos ſale curauerunt, feruoreſque febrium cum oleo perunxere. Tuſſim veterem eius linitu diſcuſſere, iſchiaticis quoque cliſteribus infudere, vlceribus excreſcentibus, & putreſcentibus impoſuere. Crocodilorum morſibus ex aceto in lintheolis, ita vt battuerentur ante ictum vlcera. Bibitur & contra oppium ex aceto mulſo: luxatis imponitur cum farina, & melle, item extuberationibus: dentium dolori prodeſt cum aceto fotus, & cum reſina illitus. Ad omnia vero ſpuma ſalis iucundior atque vtilior: præterea pecorum quoque ſcabiem, & boum tollit illitus. Sed quicunque ſal acopis additur ad excalefactiones. Item ſmegmaticis ad extendendam cutem leuãdamque: datuſque lingendus, & oculis iumentorum inſpuitur.

De operatione ipſius in alchymia.

CAP. LXXXVI.

EX *libro de aluminibus, & ſalibus*. Sal eſt aqua quã coagulauit ſiccitas ignis: huius natura ſicca & calida eſt: proprietatis autem eius eſt, quod liquefacit aurum, & argentum cum vehementia ignis, & augmentat in eis natiuum colorem, ſcilicet in auro rubedinem, & in argento albedinem. Conuertitque ea corporeitate, ad ſpiritualitatem. Abluitque corpora à putredine, ſordicie, & corrodit eorum ſordiciem, ideſt ſulphureitatem. Cum eo quoque calcinantur corpora, non cum alio: inuenitur quoque in omnibus cineribus plantarum, & calcibus lapidum, & oſſibus animalium, & in omnibus rebus. Ideoque ſapientes nominauerunt argentum communitatis. Argentum quidem propter eius albedinem. Communitatis autem, quia omnes homines eo indigent, & vtuntur in omnibus rebus, & cum eo rectificantur creaturæ: Deus quoque excelſus non laudauit creaturam in lege: ſicut laus eſt eius in ſale. Qui ergo ſcit ſalem, & eius ſolutionem atque coagulationem, ſcit ſecretum occultum ſapientium, ideſt alchymiſtarum. Ipſe quidem corpora dealbat, & mundificat atque reſoluit: ſpiritus quoque coagulat & retinet, ac prohibet ab eis aduſtionem ignis. Sunt autem multi ſales, & omnes præparati apud complementũ redeunt ad ſalem hammoniacum, qui eſt ſalium melior ac nobilior, in regimine fixus non fugiens ignem, & ipſe quidem eſt oleum, quod coagulat ſiccitas ignis: huius natura calida eſt, & ſicca, ſubtilis, penetrans, profundãs, & eſt ſpiritus volans adiuuans exilit: ſine ipſo enim non compleretur elixir, nec exolueretur, nec egrederetur. *Ex additis libri quarti. Meteororum.* Alumen & ſal hammoniacum ſunt de genere ſalis, niſi quia ignis in ſale hammoniaco magis eſt quam terra, & totum ſublimatur, & ipſũ eſt cui miſcetur fumus calidus nimium ſubtilis igneitatis multę, & eſt coagulatum ex ſiccitate.

Sal inuenitur in omnibus rebus.

De diuerſis ſpeciebus ſalis.

CAP. LXXXVII.

Quatuor genera Salis.

CONſtant. *vbi ſupra*. Sal quatuor modis eſt. Quod fit in ſalina commune eſt. Eſt & ſal gemma. Eſt & Indicum cuius color pertinet nigredini, lucidum, & durum. Eſt & aliud, quod dicitur napticum, ideſt aqua coagulata de petroleo fluxa: omne tamen calidum & ſiccum eſt, ſed non æqualiter. Sal hammoniacum calidum eſt, & ſiccum in quarto gradu; facitque alterum ſal ſimiliter nitrum. Sal gemma ſuauiter purgat phlegma, eſt etiam ſale communi vtilior. Iudicum phlegma purgat, & choleram nigram, & diuerſos putridos humores: & facit velociter potionem à ſtomacho deſcendere. Napticum eſt calidius, & ſiccius cæteris: mundificat, & diſſoluit: corporis pruriginem amputat: ſuperfluã carnem palpebrarum creſcere non fluit: alias corrodit deforis, valet hydropicis ſi cataplaſmetur. Sal hammoniacum colat, & mundificat, & plus interiora quam exteriora purificat.

Plinius vbi ſupra. Sal omnis aut fit, aut gignitur, & vtrunque pluribus modis, ſed cauſa gemina, ſcilicet humore coacto, vel ſiccato. Siccatur in lacu Tarentino, æſtiuis ſolibus, totumque ſtagnum in ſalem abijt, modicum alioquin altitudine genua non excedens. In Sicilia quoque lacu qui canonicus vocatur & alio iuxta Gelam horum extremitates inarceſcunt tantũ, ſicut in Phrigia, & Cappadocia. Aſpendi vbi largius coquitur, & vſque ad medium lacum. Aliud etiam eſt in eo mirabile, quod tantundem noctu ſubuenit, quantum auferas die. Eſt autem omne aliud minutum, & non globatum: aliud genus ex aquis maris ſponte gignitur, ſpumaque in extremis littoribus, ac

ſcopulis

ſcopulis relicta: Solis calore denſatur,& acrior eſt qui in ſcopulis inuenitur:ſunt etiam tres differentiæ naturales. Nam in Bactris duo lacus vaſti, alter ad Scythas verſus, alter ad Darios,ſale æſtuant. In Cypro autem, & circa Memphim lacum illum extrahunt:deinde Sole ſiccant: alivbi quoque ſumma flumina deſiccantur, & denſantur in ſale: reliquo amne veluti ſub gelu fluente, vt apud Caſpias portas, quę flumina ſalis appellantur. Sunt & in Aphrica lacus turbidi ſalem ferentes: feruntur & Pegaſei calidi fontes.Sunt & montes natiui ſalis, vt Oromenus in Indis, in quo lapidicinarum modo cæditur renaſcens. Maiuſque regum vectigal ex eo eſt, quam ex auro, & margaritis: effoditur etiam de terra, vt palam eſt humore denſato in Cappadocia: ibi cęditur ſpecularium lapidum modo. Pondus magnum glebis, quas micas vulgus appellat. Carrhis Arabię Oppido muros domoſque maſſis ſalis faciunt aqua ferrumminantes. Inuenit & iuxta Peluſium Ptolomæus Rex cum aſtra faceret: quo exemplo poſtea inter Ægyptum, & Arabiam, etiam ſqualentibus locis inceptus eſt inueniri detractis arenis. Qualiter & per Aphricæ ſitientia vſque ad hammonis oraculum: is quidem creſcens cum Luna noctibus: nam Cyrenaici tractus nobilitantur hammoniaco, ipſo quia ſub arenis inuenitur appellato: ſimilis eſt colore alumini, quod ſchiſton vocant, longis glebis, neque perlucidis, ingratus ſapore, ſed medicinæ vtilis probatur, quàm maximè perſpicuus rectis ſciſſuris inſigne: de quo proditur, quod leuiſſimus intra ſpecus ſuos in lucem vniuerſam prolatus vix credibili pondere ingraueſcat.Sed cauſa euidens cuniculorum ſpiritu madido ſic adiuuante mollientes, vt adiuuent aquæ: adulteratur ſiculo,quem cocanicum appellamus,nec non Cypro miro ſimili.In Hiſpania quoque Citeriore è Gelaſte cęditur glebis penè tranſlucentibus. Cui iam pridem palma à pleriſque Medicis inter omnia ſalis genera perhibetur.Omnis autem locus in quo ſal reperitur, ſterilis eſt, nihilque gignit. Inter hæc ſunt varia facticij genera. Vulgaris namque plurimuſque in ſalinis mari affuſo, non ſine aquæ dulcis riguis, ſed imbre maximè iuuante, ac ſuper omnia ſole multo, non aliter inareſcens. Aphrica vero circa Vticam aceruos ſalis conſtruit ad collium ſpeciem, qui vbi ſole induruerint nullo humore, vix etiam ferro cæduntur: fit tamen & in creta ſine riguis, & in ſalinas mare infundentibus, & circa Ægyptum ipſo mari influente in ſolum Nilo (vt credo) ſuccoſum: fit & è puteis in ſalinas ingeſtis.Prima denſatio Babyloniæ in bitumen liquidum oleo ſimile cogitur,quo & in lucernis vtuntur, detracto ſubeſt ſal: & in Cappadociæ puteis ac fonte quē in ſalinas ingerunt. In Chaonia excoquunt aquam ex fonte, refrigerandoque ſalem faciunt inertem, nec candidum.Galliæ Germaniæqúe ardentibus lignis aquam ſalſam infundunt. Hiſpaniæ quadam ſui parte puteis hauriunt muriam appellantes: lignum quoque ſalem deferre arbitrantur. Quercus optima, vt quæ per ſe cinere ſincero vim ſalis reddat. Alibi vero corilus laudatur; ita infuſo liquore ſalſo. Carbo etiam in ſalem vertitur. Quicunque tamen ex ligno conficitur, niger eſt. Marmorum maximè laudatur Cyprius à ſalamine. At è ſtagnis Tarentinus, ac è riguis qui tateus vocatur. Hi duo oculis vtiles. A Cappadocia vero qui in laterculis affertur cutis nitorem dicitur facere.Magis tamen excedit is quem Schitium appellamus; itaque à partu ventrem cum melanthio illiniunt. *Ex lib. de natu. re.* Salis omnis ſpecies calida eſt,& ſicca,pontica & elimans.Diuerſificantur autem illarum actiones ſecundum ſubſtantiam. Sal Indi cum deſiccatiuum eſt, & ſubtiliatiuum. Sal vero napticum, id eſt, nigrum, calorem habet fortem: ſoluit choleram.

Flumina ſalis.

Domus ex maſſis ſalis.

Colles ſalis.

Muria Hiſpania.

Adhuc de eodem.

CAP. LXXXVIII.

Vicenna vbi ſup. Sal quidem eſt proximus Baurach. Alius eſt frangibilis, alius cauatus,alius ſal gemma, qui eſt ſicut cryſtallus, alius napticus, qui eſt niger, cuius nigredo eſt ex parte napticitatis quæ eſt in ipſo, qui cum tandiu ſuffumigatur donec ab eo napticitas remoueatur, remanet ſicut ſal gemma. Alius eſt Indus, qui etiam niger, non propter napticitatem quæ in ipſo ſit, ſed propter eius ſubſtantiam. Et marinus quidem cum aquæ obuiat, illico liqueſcit. Terrenus autem non ita: calidus eſt,& ſiccus in ſecundo.Et quanto plus eſt amarior, tanto plus eſt calidior. Eſt abſterſiuus,reſolutiuus,conſtrictiuus,exiccatiuus: cuius fortitudo operationum eſt propter reſolutionem, & ſtipticitatem ſuam, & eſt diſruptiuus ventoſitatum, & ille qui eſt aduſtus, vehementioris eſt deſiccationis & reſolutionis, & ipſe confert putrefactioni, & confert humorum craſſitiei: ipſius autem flos eo eſt ſubtilior, & ille qui eſt aduſtus, & pluuius eius eſt ipſi propinquus, & ambo reſoluunt pluſquam ſal. Cauatus minoris eſt reſolutionis, & minus ſubtilis. Et cauatus quando lauatur exiccat multotiens ſine mordificatione.Frangibilis autem eſt magis abſterſiuus & quando cibis frigidis admiſcetur diſſoluit eos Niger vero fortioris eſt reſolutionis, & omnes iſti liquefaciunt humores congelatos. Amarus autem vehementius calefacit,& reſoluit.Sal gemma ventoſitates fugat,ſenſum acuit,gingiuam mollificatam conſtringit: educit quoque phlegma crudum fortiter,& melancholiam,iuuat etiam vomitum propriè. & confert doloribus ſtomachi frigidis. Cum aceto ſuperpoſitus autis dolori confert. Napticus educit phlegma putridum, & aquam, & choleram, & melancholiam: valet ſimiliter ſquinantiæ, & apoſtematibus gulæ. Omnes quoque ſpecies ſalis inſcidunt phlegma vitreum,& viſcoſum in pectore. *Iſaac.* Sal duobus modis eſt, metallinum, ſcilicet & marinum. Marinum fit in lacubus, quos ſalinas appellant, vel de aqua maris æſtiuo calore cocta. Metallinum laudabile maximè, quod caret lapidibus, & eſt clarum, & obtuſum, & æquale. Marinum quoque bonum eſt, ſi candidum eſt, non tamen quale metallinum: vtrumq; in actione æquale eſt: initio ſoluunt, & mundificant ſuperfluitatem craſſorum ac putridorum humorum: deinde quod ex eis remanet, deſiccāt & conſumunt: quibus finitis naturalem corporis humiditatem coadunant, & conſtrictam conſeruant, & poros cutis claudunt. *Philoſoph. in lib. de vege.* Sal generatur in lacunis, quia dulcis aqua fit ſalſa: ſuperat ergo ſalſedo terrę ſalſedinem illam,quia remanet aer incluſus, ideo dulce non erit illud corpus. Alio quoque modo ſal ex aquis eſt, quoniam exit ex eis vt ſudor.

Salis vtilitates.

Salis gemma effectus.

Naptici.

Sal marinū & metallinum.

De flore ſalis.

CAP. LXXXIX.

Plinius vbi ſupr. Salis flos (vt iam dictum eſt ſuperius) non fit niſi flantibus Aquilonibus. Eſt autem fauilla ſalis, quæ ex eo: quod læuiſſima, atque candidiſſima eſt flos ſalis appellatur: & flos quidem ſalis in totum diuerſa res eſt,humidioriſque naturæ,& crocei coloris aut rufi, velut rubigo ſalis, odore quoque ingrato: diſſentiens à ſale, non à ſpuma tantummodo. Ægypto inuenitur, Niloque deferri videtur. Quibuſdam etiam fontibus innatat: optimum ex eo eſt,quod olei quandam pinguedinem reddit: eſt etiam in ſale pinguedo quod miraculum exiſtit. Adulteratur autem, tingiturque rubrica vel plerumq; teſta trita, qui, ſcilicet fucus aqua diluente facticium colorem deprehenditur, cum verus ille non niſi oleo reſoluatur, & vnguentarij propter calorem eo maximè vtantur.Canicia in vaſis eſt ſumma, humidior autem pars media. Floris natura eſt aſpera & calefactoria: ſtomacho eſt

Flos ſalis cur ſta dicitur?

Criterion fuci, falſus floris.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

inutilis, pilos detrahit ex palpebris, ſudorem eijcit, aluum ſoluit, in vino & aqua acopicis, & ſmegmaticis vtilis, detrahit & ex palpebris pilos efficaciſſimè: fæces imæ concutiuntur, vt color croci redeat: præter hæc etiam appellatur in ſalinis ſalſugo ab alijs ſalſilago tota liquida marina aqua ſalſior vi diſtans. Aliud etiam liquoris exquiſiti genus, quod garon vocauere inteſtinis piſcium cæteriſq; quæ abijcienda eſſent, ſale maceratis, vt ſit illa putreſcentium ſanies: hoc olim conficiebatur ex piſce, quem Græci garon vocabant Spuma ſalis ad omnia in medicinis eſt ipſo ſale iucundior, atque vtilior.

Author. Hæc de ſale, & eius ſpuma, & flore, & multiplici eius origine & virtute, vel operatione ad præſens dicta ſufficiant. Nunc de nitro, quod etiam in parte ſalis habet naturam, ac ſimilitudinem dicendum mox reſtat.

De Nitro.

CAP. XC.

Nitri nominis origo.

Sidorus. Nitrum à loco ſumpſit vocabulum, naſcitur enim in Nitria oppido, vel regione Ægypti: ex quo, & medicinæ fiunt, & ſordes corporum, veſtiumque lauantur: huius natura non multum à ſale differt, habet enim virtutem ſalis, & ſimiliter oritur caneſcentibus littoribus ſiccitate. Aphronitrum autem eſt ſpuma nitri, & colligitur in Aſia, in ſpeluncis diſtillans: de hinc ſole ſiccatur: optimum putatur ſi minimè fuerit ponderoſum, & maximè friabile, colore pænè purpureum. *Gloſſa ſuper parabolas.* Nitrum ſali ſimillimum eſt, excepto quod nihil ſalſi ſaporis habet; crepitat autem in aqua ſicut calx viua, ſed aquam lauationi habilem reddit. Sicut ergo acetum in nitro ebullit, ſic peruerſa mens deterior ſuccenditur correctione. *Plinius vbi ſupra.* Nitri natura, non multum à ſale diſtans, & eo diligentius dicenda, quia palam eſt medicos, qui de eo ſcripſere ignoraſſe naturam. Nec quemquam Theophraſto diligentius tradidiſſe, exiguum fit apud Medos caneſcentibus ſiccitate conuallibus, quod vocant halmigara. Minus etiam in Thracia iuxta Philippos ſordida terra, quod appellant agrium. Nam quercu cremata, numquam multum factitatum eſt. iam pridem in totum omiſſum. Aquæ vero nitroſæ pluribus locis reperiuntur, ſed fine viribus denſandi: in Macedonia nitrum optimum eſt, ac copioſum, quod caleſtrium vocant, candidum, & purum ſali proximum. Lacus eſt nitroſus exiliente in medio dulci fonticulo, ibique fit nitrum circa canis ortum nouenis diebus, totidem ceſſat, rurſuſque innatat: & deinde ceſſat, quo apparet ſoli naturam eſſe, quę hoc gignat: compertum eſt enim, nec ſoles proficere quicquam cum ceſſet, nec himbres. Mirum eſt autem illud ſcatebra fonticuli ſuperemicante lacum, nec augeri, nec effluere: hiſque diebus quibus gignitur, ſi fuerint himbres ſalſius faciunt nitrum: Aquilones deterius, quia validius commouent limum. Et hic quidem naſcitur: in Ægypto autem conficitur multo quidem abundantius, ſed deterius. Nam fuſcum eſt atque lapidoſum, fit autem eodem modo penè, quo ſal, niſi quòd ſalinis infundunt mare, nihilum autem nitrarijs: ſiccantur Nilo accedẽte, madent ſucco nitri eo diſcedente quadraginta diebus continuis, non vt in Macedonia ſtatis. Si etiam himbres affuerint minus de flumine addunt. Statimque vt denſari eſt cæptum, capitur ne in nitrarijs reſoluatur. Sic quoque olei natura interuenit ad ſcabiem animalium vtilis, conditum in aceruis durat: mirum in lacu Aſanio, & quibuſdam circa Chalcida fontibus ſummas aquas eſſe dulces potarique inferius nitroſas: in nitro eſt optimum, quod tenuiſſimum, & ideo melior eſt ſpuma. Tamen ad aliqua ſordidum, vt ad inficiendas purpuras tinctura ſque omnes. Nitrariæ egregiæ Ægyptijs. Nam circa Achatin, & Memphim tantum ſolebant eſſe: circa Memphim deteriores. Nam & lapideſcit ibi in aceruis, multiq; ſunt tumuli ea de cauſa ſaxei, faciunt ex his vaſa. Necnon frequenter liquatum cum ſulphure coquentes in carbonibus. Ad ea quoque quæ inueterari volunt, illo nitro vtuntur. Sunt ibi nitrariæ, in quibus & rufum exit à calore terræ: Spumam nitri quæ maximè laudatur, antiqui negabant fieri, niſi cum ros cecidiſſet prę gnantibus nitrarijs, ſed nondum parientibus. Itaque non fieri incitatis etiam ſi caderet. Alij operimentorum fermento gigni exiſtimauere: proxima ætas medicorum aphronitrum tradidit in Aſia colligi in ſpeluncis mollibus diſtillans, Specus eos cólligas vocant: deinde Sole ſiccant. Optimum putatur lydium: probatio vt ſit minimè ponderoſum, & maximè friabile, colore pænè purpureo: hoc in paſtillis affertur, Ægyptium in vaſis picatis ne liqueſcat, vaſa quoque ea ſole inareſcentia perficiuntur. Itaq; nitri probatio, quod ſit tenuiſſimum, & quàm maximè ſpongioſum, ac fiſtuloſum. In Ægypto calce adulteratur, guſtu deprehenditur. Sincerum enim facilè reſoluitur, adulteratum vero pungit, calce aſperſum vehementem odorem reddit. Vritur in teſta opertum ne exiliat. Nitraria nihil gignit nec alit, cum in ſalinis gignantur herbæ, & in mari tot animalia, tantum algæ. Maioremque nitro actimoniam apparet eſſe, non hoc tantum argumento, ſed in eo, quod calciamenta protinus conſumunt nitrariæ. In pane ſalis vice, caleſtrico nitro vtuntur. *Sal & nitrum ſulphuri concoctum in lapidem vertitur.*

Probatio Nitri.

Adulterati deprehenſio.

Nota.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. XCI.

Dem. Nitrum in medicina calefacit, mordet, ſiccat, extenuat, ſpiſſat, & exulcerat. Vtile eſt his quę ſunt euocanda, vel diſcutienda, & lenius mordenda atque extenuanda, ſicut in papulis puſtuliſque. Quidam in hoc vſu accenſum vino auſtero reſtringunt, atque ita trito in balneis vtuntur ſine oleo. Claritatem viſus cum melle inunctum adiuuat, oculorum cicatrices, ac genarum ſcabricias cum fico illitum extenuat. Sudores nimios cum iride arida adiecta oleo viridi inhibet: dolori dentium ex vino ſi cum pipere colluantur prodeſt: dentes quoque nigreſcentes crematum dentifricio ad colorem reducit: lendes & capitis animalia necat, cum ſamia terra illitum ex oleo. Auribus purulentis vino liquato infunditur. Sordes eiuſdem partis erodit ex aceto: ſonitus & tinnitus diſcutit ſiccum additum. Vitiligines albas cum cymolia creta ęquo pondere ex aceto in Sole illitum emendat: furunculos admixtum reſinæ extrahit, aut cum vua alba paſſa, nucleis eius ſimul tritis, teſtium inflammationi occurrit. Item eruptionibus pituitæ in toto corpore cum axungia. Contraqúe canis morſus addita reſina cum aceto illinitur, ſic & ſerpentium morſibus, phagedinis, & vlceribus quæ ſerpunt, aut putreſcunt cum calce ex aceto. Hydropicis fico tuſum datur, illiniturqúe: diſcutit & tormina, ſi decoctum bibatur, pondere dragmæ cum ruta, vel aneto, vel cymino. Reficit laſſitudines cum oleo ex aceto perunctorum, & contra algores horroreſque prodeſt manibus pedibuſque fricatis cum oleo. Comprimit & pruritus ſuffuſorum felle, maximè cum aceto datum. Succurrit & venenis fungorum ex poſca potum: aut ſi bupeſtris paſta ſit ex aqua: vomitioneſqúe euocat, his qui ſanguinem tauri biberint cum laſere datur. In facie quoque exulcerationes ſanat cum melle, & lacte bubulo. Ambuſtis toſtum donec nigreſcat tritumque illinitur. Infunditur vrceis & renum doloribus, aut rigori corporum, neruorumqúe doloribus. Valet etiam contra venena, contra paralyſim linguæ, vel tuſſim veterem, morbum regium in vino exterminat potum, & contra ſanguinis è naribus profluuia, aquæ vapore naribus rapto. Item contra lepras, & lentigines, & podagras. *Auicen. in 2. Can.* Baurach, ideſt nitrum fortius eſt ſale, calidum & ſiccum in ſecundo gradu. Ex eo melius eſt Armenũ, leue, laminoſum, frãgibile, ſpongioſum, album,

Quibus medetur nitrum.

Dentium nigreſcentium curatio

Modus generationis Nitri.

Contra algores manuum.

aut

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aut purpureum, aut roſeum, mordicatiuum. Abſtergit autem fortiter, & mundificat, & excoriat, & inſcidit humores craſſos, attenuat capillos: ſanguinem attrahit in ſuperficie corporis, & colorem emendat. Confert pruritui, quia virus eius reſoluit, propriè Aphricanum cum aceto, & etiam ſcabiei: paralyſi propriæ poſtremè, cum iam declinat quoque, ac corroſioni neruorum, & furfuribus, & auris ſurditati, cum ſpuma eius cum melle diſtillatur in aurem: nam mundificat eam, & aperit, atque ſonitui cum vino, aut cum ſyrupo & hyſſopo. Cum quibuſdam medicinis bibitum interficientibus vermes educit eos. Stomachum vero corrumpit: valet contra venena præcipuè Aphricanum, vt contra præfocationem fungorum: ex eius ſpuma contra morſum canis, & potum cantaridarum: quando comeditur cum ruta & cymino, aut decoctione rutæ & aneti, ſedat dolorem ventris pungitiuum. Baurachium autem nitrum bibitur cum antiuden propter ſanguinis nocumentum. Aphricanum commouet vomitum. Et emplaſtrum cum eo ex ficubus factum extenuat hydropiſim. *Spuma nitri melior.* Spuma nitri melior eſt eo: exque ea melior eſt marmorea, facilè frangibilis.

Conſtan. vbi ſupra. Nitrum affertur de Armenia, alterum de Arabia. Vniuerſaliter autem colatiuum & mundificatiuum eſt: interiora corporis, & exteriora maximè aceto mixtum lauat. Puluerizatum, & capillis aſperſum eos ſubtiliat. Laxatiuæ potioni mixtum eam ſtatim de ſtomacho deſcendere facit, & eam iuuat. Sed tamen neruoſitatem ſtomachi lædit, morſionem inteſtinis generat, & ſudores prouocat. Cum oleo inunctum contra oculorum albedinem valet: aceto mixtum, & auribus diſtillatum ſonitus grauedinem, & ventoſitatem aufert, & humores ad eos currentes coercet. Cum aceto bibitum contra mortiferos fungos facit. *Nitrum eligibilius.* *Dioſcorides.* Nitrum eſt eligendum leue, & rubeum, vel album pertuſutas habens ſicut ſpongia. Album acre eſt & amarum. Tale ex India venit. Nitri ſiquidem aliud eſt craſſum, & laminoſum, aliud tenue, aliud rubeum, aliud album: & omnium virtus deſiccatiua eſt: & ideo ſi fuerit ore acceptum, minuit ac tenuat pingues & viſcoſos humores, valet & contra fungos. *Platearius in lib. de ſimplici medicina.* Nitrum eſt calidum & ſiccum, in ſecundo gradu. Album melius eſt, quam citrinum. Virtutem habet diſſoluendi, & extinguendi. Vſus eius eſt contra iliacã paſſionem, ad faciem quoque purgandam. Item contra ſtomachi ſaniem & inteſtinorum. Contra furfures capillorum, & pediculos capitis. Contra vermes aurium & ſaniem.

De Bitumine.

CAP. XCII.

Iſidorus. Bitumen in Iudæa lacu Aſphaltide emergit. Cuius glebas ſupernatantes nautæ ſcaphis appropinquantes colligunt. In Syria autem limus eſt, paſſim à terra æſtuans, ſpiſſantur autem vtraque, & denſitate coeunt. *Modus rumpendi aſphaltum.* Et vtraque Græci ſpiſſa aſphalton appellant, natura eius ardens, & ignium cognata, & neque aqua, neque ferro rumpitur, niſi ſolis mulierum inquinamentis, ideſt menſtruis, vtilis autem eſt ad compages nauium. *Auicenna.* Bitumen (vt dixerunt quidam) aliud eſt, quod manat de quibuſdam montibus. Aliud quod natat in quibuſdam aquæ meatibus: & nigrum quidem malum eſt, leue, ſordidum, ſimile pici. Ex quo etiam cum maſticatur, ſapor picis egreditur, ſed eſt frangibile. Quod autem melius eſt, clarum eſt, purpureum cum ſplendore forte ponderoſum. *Bitumẽ melius quale?* *Plinius lib. 32.* Bituminis natura ſulphuris eſt vicina, alibi limus, alibi terra, limus à Iudeæ lacu emergens. Terra in Syria circa Sydonem Oppidum maritimum à Babylone liquidum inuehitur: ibique candidum gignitur: liquidum eſt & appollonaticum: quæ omnia Græci piſſas phalton appellant ex argumento picis & bituminis: pinguis liquoris in Sicilia gignitur. Agrigentino fonte riuum inficiens, hoc incolæ arundinum panniculis colligunt citiſſimè ſic adhæreſcens, olei vice vtentes ad lumina lucernarum, & item ad ſcabiem iumentorum. Naphthen quoque bituminis generibus quidam aſcribunt, ſed ardens vis eius ignium naturæ cognata, procul ab omni vſu abeſt. *Probatio bituminis.* Bituminis probatio eſt, vt quàm maximè ſplendeat, ſitque ponderoſum & graue, leue autem modicè, quoniam adulteratur pice, vtile eſt non ſolum medicinis, ſed etiam illinitur æramentis, firmatque contra ignes. Solent etiam ex eo ſtatuæ tingi, & illiniri. Calcis quoque vſum prębuit, ita ferrumminatis Babylonijs muris, placet in ferrarijs fabrorum officinis tingendo ferro, clauorum capitibus, & multis alijs vſibus. *Ex libro de vaporibus.* Contingit autem in aliquo terræ loco, quod terreſtri humidi cõpreſſione in ipſo fit pinguius: ſicut in ſterquilinio: & in tali caſu fieri contingit in cauernis bitumen pingue, & craſſa pinguedine, ſicut dicitur inferius in tractatu de mineralibus.

De virtute bituminis.

CAP. XCIII.

Plinius vbi ſupra. Bituminis autem vis eſt quæ ſulphuris, ſiſtit, diſcutit, & attrahit, glutinat. Accenſum ſerpentes odore fugat, ad ſuffuſiones oculorum, & albugines traditur efficax Babylonium. Item quia ad lepras, & lichenas pruritusque corporum, & podagras illinitur, omnia eius genera incommodos oculorum pilos replicant, dentiumque doloribus ſimul cum nitro illitum medetur. Tuſſi veteri, & anhelitui prodeſt cum vino bibitum, dyſentericis quoque datur, eodemque modo ſiſtit aluum, cum aceto quoque poſitum diſcutit, & detrahit ſanguinem concretum, mitigat dolores lumborum, itemq; articulorum, cum ordeacea farina impoſitum, emplaſtrum peculiare facit ſuo nomine, ſanguinem ſiſtit, vulnera colligit, neruos glutinat: vtuntur etiam ad quartanas bituminis dragma, & hędyoſmi pondere pari, cum myrrhæ obolo ſubactis, comiciales morbos vſtum deprehendit, vnluarum ſtrangulationes olfactu diſcurit, purgationes fœminarum in vino potum eijcit, procedentia ſedis ſuffitu reprimit. In reliquo vſu ęramentis illinitur, firmatque ea contra ignes, placet & ferrarijs officinis fabrorum tingendo ferro, clauorumque capitibus & in multis alijs vſibus. *Auicenna in ſecundo Canone.* *Bitumen malum nigrum.* Dixerunt quidam, quod bitumen illud eſt, quod manat de quibuſdam montibus. Et aliud eſt, quod natat in quibuſdam meatibus aquæ, & nigrum quidem eſt malum ſimile pici. Et eſt fruſtum nigrum leue, ex quo cum maſticatur, egreditur ſapor picis, ſed ipſum eſt frangibile, calidum eſt in tertio, ſiccum ad ipſum: virtus bituminis eſt propinqua virtuti picis: membra confortat, & liquefacit ſanguinem congelatum in ventre quando bibitur, confert albedini vnguis quando linitur, valet & contra impetiginem linitum deſuper, & confert tuſſi, & vlceribus pulmonis, & apoſtemata iuuat, & ad expuendum, & extrahit ſaniem à pectore, & confert apoſtematibus ambarum amigdalarum, & ſquinantiæ: confert duriciei matricis, & quando ſupponitur fumus eius confert exitui matricis, & doloribus eius. Et quando fit cliſter ex eo cum aqua ordei confert dyſenteriæ. *Conſtantinus vbi ſupra.* Bitumen calidum & ſiccum eſt in tertio gradu, vulnerata loca ſolidat, matricis ſuffocationem curat, fumus eius prodeſt phlegmaticis, & diuturnam febrem habentibus. *Platearius vbi ſupra.* Bitumen calidum eſt, & ſiccum in tertio gradu, multum valet ad ſolidanda vlcera, valet etiam ad purgandum phlegma de capite, & etiam ſomnolentis & lethargicis. Sed & vſus eius eſt contra iliacam paſſionem.

De alumine & eius origine, vel natura.

CAP. XCIIII.

Materia ex qua fit alumen.

Isidorus vbi supra. Alumen vocatur à lumine, quia lumen præstat coloribus tingendis. Est autem salsugo terræ, efficiturque hyeme ex aqua, & limo, & æstiuis solibus maturatur, huius species duæ sunt, liquidum & spissum. *Plinius lib.* 35. Salsugo terræ: Plura & eius genera. In Cypro candidum, & nigrum exigua coloris differentia, cum sit vsus magni, quoniam inficiendis claro colore lanis candidum, liquidumque vtilissimum est: contraque fuscis, & obscuris nigrum: & aurum nigro purgatur: fit autem omne ex aqua limoque, hoc est terræ exundantis natura. Cortiuatum hyeme æstiuis solibus maturatur. Quod fuerit ex eo præcox, candidum fit. Gignitur autem in Hispania, Ægypto, Armenia, Macedonia, Ponto, Aphrica, Insulis, Sardinia, Melolipara, Strongilæ, laudatissimum in Ægypto, proximum in Melo. Huius quoque duæ species, liquidum, scissumque. Liquidi probatio, vt sit limpidum lacteumque sine offensis fricandi, cũ quodam igniculo caloris: hoc phorimon vocant. An sit adulteratum, deprehenditur succo punici mali. Sincerum enim mixtura ea nigrescit. Alterum genus est pallidæ & scabræ naturæ, & quod inficitur galla: ideoque hoc vocant paraphoron. *Dioscorides.* Aluminis species multæ sunt. Sed medicinæ tres necessariæ, rotundum, scissum, liquidum. Rotundum probabilius est, quod naturali rotunditate formatum est, fistulosum, subalbidum, non lapidosum, friabile, ex aliqua parte pallidum, pingue, scilicet & vehementer redarguens. Scissum autem optimum est, quod est quasi flos illius rotundi, leue, album, capillos albos pectinatos similans, non in glebam compressum. Liquidum deinde melius est, quod leue, perlucidum, in summo autem in modum floris, quasi lac habens. *Razis in lib. de aluminibus & salibus.* Alumen est oleum, quod coagulauit siccitas terræ, & est in natura sui calidum, & humidum: retinet omne volatile, mundificat & decorat corpora, & augmentat tincturam eorum.

Deprehensio adulterati.

Alchymista. Alumen largè sumpto vocabulo, dicitur omne quod ligat tincturam in corpore aliquo, vt in pannis & corijs. Et sicut sunt diuersæ tinctura, sic & alumina diuersa. Nam tincta quælibet alumine suo indiget, sine quo imprimi non posset, vel cum corpore ligari: vnde non, vt quidam putant, alumen dat lumen, sed facit adhærere lumen, id est, colorem sicut apparet in corio, quia non præparatur cum galla si non imprimitur ei tinctura. Itaque galla est alumen tincturæ nigræ, sicut cinis clauellatus est alumen gladij. Alumen quoque de quo agitur est alumen rubeæ tincturæ, licèt alumen non rubificet nisi album.

Galla.

De virtute aluminis in medicina.

CAP. XCV.

Latearius vbi supra. Alumen calidum est, & siccum in tertio gradu: virtutem habet consumendi, & vehementer desiccandi. Quod album est, melius est, & acutum, & salsugini immixtum. Quod autem fæculentum & terreum est impurum, vsus eius contra cancrum, & inflationes gingiuarũ; & contra scabiem, balneum aquæ aluminotæ valet hydropicis, scabiosis, arteticis. *Dioscorides.* Omne autem alumen virtutem habet constrictiuam, & vehementius consumptiuam. Medetur denique putredinibus, & sanguinis fluxibus. Gingiuis humectis, seu dentibus mollibus cum aceto vel melle. Item aurium fluxus cum succo polgoniæ durat. Carnes quoque superfluas, vel putores alarum, vel inguinum sanat. *Plinius vbi supra.* Vis liquidi aluminis est astringere, indurare, rodere, melle ammixto sanatoris vlcera, papulas, pruritusque: hęc curatio fit in balneis duabus mellis partibus, tertia aluminis, virtus alarum sudoresque sedat. Sumitur pilulis contra lienis vitia pellendumque pruritum, ac per vrinam sanguinem emendat, & scabiem nitro ac melanthio admixtis. Concreti aluminis vnum genus schiston appellant Græci, in capillamenta quædam canescentia dehiscens. Vnde quidam trichitin potius appellant: hocque fit ex lapide, ex quo, & id chalcitin vocant, vt sit sudor quidam eius lapidis in spumam coagulati: hoc genus aluminis siccat, minusque sistit humorem inutilem corporibus. Sed auribus magnopere prodest infusum, vel illitum, vel oris vlceribus dentibusque si saliua cum eo contineatur, & oculorum medicamentis inseritur aptè verendisque vtriusque sexus. Coquitur in patinis, donec liquari desinat. Interioris est, & alterum genus quod strigilin vocant: duæ eius species, fungosum atque omni ore dilui facilè, quod in totum damnatur: melius pumicosum, & foraminum fistulis spongiæ simile, rotundumque natura candido propius, cum quadam pinguedine sine arenis friabile, nec inficiens nigricia: hoc coquitur per se carbonibus puris, donec cinis fiat. Optimum ex omnibus, quod melinum vocant ab insula meloi, vt diximus. Nulli vis maior neque astringendi, neque denigrandi, neque indurandi, nullum spissius: oculorum scabricias extenuat, combustum vtilius epiphoris inhibendis sic, & ad pruritus corporis, sanguinem quoque sistit in totum foris illitum. Vulsis pilis ex aceto illitum, renascentem mollit lanuginem summam, omnium generum vis in astringendo: vnde nomen à Græcis: ob id oculorum vitijs aptissima sunt, sanguinis fluores inhibent cum adipe. Sic & infantium vlcera, putrescentia vlcerum compescit cum adipe. Et hydropicorum eruptiones siccat, & aurium vitia cum succo punici mali, & vnguium scabricias, cicatricumque duritias, & pterigia, ac perniones, phagedenas vlcerũ ex aceto, aut cum galla pari pondere cremata, lepras cum succo olerum. Cum salis vero duabus partibus vitia quę serpunt, lendes, & alia capillorum animalia permixtum aquæ, sic & ambustis prodest, & furfuribus corporum cum pice. Infunditur & dysentericis, vuam quoque in ore comprimit, ac tonsillas, ad omnia quæ in cæteris generibus diximus efficacius intelligitur ex melo aduectum. Nam ad reliquos vsus vitæ in corijs laniſque perficiendis, quanti sit momenti significatum est.

Trichitis Chalcitis.

Strigilis.

Melinum.

Medicinalia aluminis.

Auicenna vbi supra. Alumen est calidum, & siccum ad tertium exiccat, & prohibet fluxum omnis sanguinis, & cursum superfluitatum, & effusionem earum. Cum aqua interficit alcharad, id est, cimices, & pediculos, & fętorem oris tollit. cum fece vini tantundem aluminis desiccat vlcera difficilia, cum salegemma valet corrosioni, & adustioni ignis. *Ex libro de naturis rerum.* Vniuersaliter alumen calidum, & siccum est, in quarto gradu stipticum & mundificatiuum, & visus obscuritatis clarificatiuum, superfluam palpebrarum carnem, aut membrorum corrodit, pessima & sicca vulnera inhibet, ne corpus perambulent, cum aceto & melle mixtum, dentes confortat infirmos, & valet tumidis gingiuis, sanguinem constringit de ore fluentem, pustulas sanat, & scabiem si ex eo fricentur, aut ex aqua in qua fusa fuerit lauentur. *Hali vbi supra.* Selbum ieminicum, id est, alumen melius est album, & est frigidum & siccum ponticum, sanguinem stringit, carnem laxatam confortat, ac gingiuas eneruatas, & è quibus fluit sanguis, dentes quoque solidat & corroborat, hæc de aquis & corporibus ex aqua generatis sufficiant. Sequitur liber sextus: quæ de nudatione terræ ab aquis restant profunda inuestigatione perquirens, & edisserens.

Remedium contra cimices &c.



SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER SEXTVS.

De nudatione terræ ab aquis.

CAP. I.

QVIS ergo, vt ſuperius dictum eſt, Dei præcepto in vnum locum ſecedentibus. Terra quæ prius cooperta & aquis ipſis, erat limoſa, nuda quidē, & arida mox apparuit: vnde & nomen ipſum accepit. *Iſid. lib.* 13. Terræ itaque nomina dat ratio. *Etymologia terra & varia nomina.* B Nam terra dicitur à ſuperiore parte qua colitur. Humus ab inferiore, vel humida, terra, vt ſub mari. Tellus autem, quia fructus eius tollimus: hæc & ops dicta eſt, eo quòd opem fert frugibus. Eadem & arua ab arando, & colendo vocata: propriè vero arida ad diſtinctionem aquæ nuncupatur. Naturalis eſt enim terræ proprietas ſiccitas. Nam vt humida ſit, aquarum affinitate ſortitur. *Albertus.* Si fortè ſecundum naturalem elementorum ordinem aqua ſit ſuperior terra, quærit aliquis, quo modo terra apparuit arida, & non potius vndique remanſit aquis cooperta, ſicut iſta duo elementa vndiq; ſunt aere, & igne iuxta ſphæratum ſuarum gradus circundata. *Cur aer circundat terram non aqua?* Verum (vt iam ſupra diximus) non eſt æqua; C vel ſimilis proportio ignis & aeris ad terram, cum aqua ſecundum humidi ſui naturam diſſoluit terram eius poros influens. Ideoque operitur à terra ſæpe, & non operit eam vndique. Aer vero non ita diſſoluit eam humido, nec influit eam. Et ob hoc vndique circundat aquam, & etiam terram, ſimiliter & ignis. *Gen. 7.* Porro in ſuperiori loco Scripturæ: vbi dicitur. *Terra erat inanis, & vacua.* Aliter ſumitur terra, videlicet pro informi materia: hoc autem ſumitur ſecundum rationem ſui nominis, ſecundum quam dicitur terra quaſi pedibus trita. Sumitur quoque pro loco quietis elementatorum. In omnibus enim dominatur terra, & ob hoc omnium quies eſt in ipſa.

A

De proprietatibus terræ.

CAP. II.

Auicenna in 1. *Canone medicinæ.* Terra eſt corpus ſimplex, cuius locus naturalis in medio totius vniuerſi conſiſtit. In quo naturaliter manet quieta. Et ab ipſo ſeparata naturaliter ad ipſum mouetur. Et hæc quidem eius naturalis grauitas exiſtit, cuius quidem natura frigida eſt, & ſicca, ipſa enim talis exiſtit, quòd ſi dimiſſa fuerit, neque altera res extrinſeca eam conuerterit, apparebit ex ea frigiditas ſenſibilis, & ſiccitas. Et in generatis præſtat iuuamentum ad retentionem faciendam, & fixionem, atque ad ſeruandas figuras, & formas. *Ex libro de naturis rerum.* Omnia quoque ponderoſa naturaliter ad eam, tanquam ad centrum feruntur: hæc naturaliter frigida & ſicca. Et vt dicit Beda, quando frigore circumſtringitur humores accipit. Cum autem calore ſoluitur, humorem receptum in nebulam emittit: hæc Oceano circumcingitur. Et interius aquarum meatibus, velut corpus venis ſanguinis irrigatur. *Cur venæ aquarū intra terram.* Quod ſi non fieret, propter ariditatem ſuam in puluerem redigeretur ac deſtrueretur: vnde vbicunque in terra foditur: aqua reperitur, hæc initio diſpoſitionis ſuæ rotunda fuit, & plana, nec montes, & valles erant in ea. Nunc autem eſt montuoſa, ſed tamen ſphærica. Cuius circumitus 180. millibus ſtadiorum menſuratur, quæ in duodecies mille milliaria, & quinquaginta duo computantur. Grauiſſima eſt, & ideo nouiſſimum locum obtinet. In medio mundi quaſi punctus in medio circuli æqualiter collocatur. Nulliſque fulcris, ſed diuina potentia ſuſtentatur: quinque Zonis diſtinguitur, fœcunda eſt, & omnium nutritiua. In ſe quoque continet metalla precioſa, ſuper omnia elementa paſſibilis, & mutabilis. Terra ſi petroſa fuerit frigida, & ſicca eſt: ſi pinguis, & craſſa, calida & humida, lutea vero frigida & humida.

De multiplici eius commendatione.

CAP. III.

Descriptio terra.

Benignitas terra præalijs elemẽtis.

Seneca de naturalibus quæſtionib. li. 16. Terra quidem, & pars mundi eſt & materia, ex hac enim alimenta ſunt omnibus animalibus, omnibus ſatis, omnibus ſtellis, diuiduntur hinc viritim ſingulis hinc ipſi mundo, tam multa poſcenti ſubminiſtrãtur. *Secundus Philoſophus.* Quid eſt terra? baſis cœli, mediculliũm mundi: frũctuum cuſtos, & mater, operculum inferni, mater naſcentium, nutrix viuentium, deuoratrix omnium, cellarium vitæ. *Plinius lib. 2.* Terra naſcentes nos excipit, natos alit, & ſuſtinet. Semelque editos ſuſtinet ſemper, nouiſſimè complexa gremio, iam à reliqua natura abdicatos, tũ maximè, vt mater operiens, nullo magis Sacramento, quàm quo nos quoq; ſacros facit, etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque prorogans noſtrorũ, & memoriam extendens contra breuitatẽ æui, cuius nomen vltimũ, iam nõnullis imprecamur iraſci graue, tanquã neſciamus hanc eſſe ſolam, quæ nunquam iraſcatur homini. Nam aquæ ſubeunt in imbres: rigeſcunt in grandines, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes. Aer quoque denſatur nubibus, furit procellis. At hæc benigna, mitis, indulgens, vſibuſque mortalium ſemper ancilla, quæ coacta generat, quæ ſponte fundit, quos odores ſaporeſque, quos ſuccos, quàm bona fide creditum fœnus reddit, quę noſtri cauſa alit. Peſtifera quoq; animantia vitali ſpiritu culpam habente neceſſe eſt illi ſeminata excipere, & genita ſuſtinere, ſed in malis generantium noxa eſt, illa vero ſerpẽtem homine percuſſo amplius non recipit, pœnaſque etiam mercium nomine exigit. Illa medicas herbas fundit, & ſemper homini parturit, quin etiam venena noſtri miſeria inſtituiſſe credi poteſt, ne tędio vitæ diræ famis mos terrę meritis alieniſſima lenta nos conſumeret tabẽ inſtituit ne in profundo quæſita morte ſepultura pabulo fieret: ne lacerum corpus abrupta diſpergerent: ne laquei torqueret pœnam præpoſtera: incluſo ſpiritu cui quęretur exitus, ne ferri cruciatus ſcinderet corpus; ita eſt miſerta genuit id, cuius facillimo hauſto illibato corpore, & cum toto ſanguine extingueremur nullo labore ſitientibus ſimiles. Quo taliter defunctos non volucres non feræ attingerent. Sed & verum fateamur, terra nobis malorum genuit remedium, nos illud fecimus vitæ venenum. Nos enim, & ferro quo carere non poſſumus, ſimili modo vtimur: nec tamen quereremur merito etiam ſi maleficij cauſa tuliſſet, aduerſus vnam quippe naturæ partem ingrati ſumus: quaſi quæ non delicias quaſque non ad contumelias ſeruit homini: in maria iacitur, vt freta amittamus! Eruditur aquis, ferro, igni, lapide, frugis omnibus horis cruciatur, multoque plus vt delicijs, quàm alimentis noſtris famuletur. Illa tamen quæ ſumma patietur, atque extrema cute tolerabilia videantur penetramus eius viſcera auri, & argenti venas, ęris ac plumbi metalla fodientes. Gemmas etiam, & quoſdam paruulos quærimus lapides ſcrobibus in profundũ actis, viſcera eius extrahimus, vt digito gemma geſtetur, quã petimus, quot manus atterunrur, vt vnus niteat articulus. Si vlli eſſent inferi, iam profecto illos auaritiæ, atque luxurię cuniculi refodiſſent, & miramur ſi eadem ad noxam genuit aliqua: feræ enim credo cuſtodiunt illam: arcentque ſacrilegas manus? nonne inter ſerpentes fodimus, & venas auri tractamus cum veneni radicibus. Placatiore tamen dea vtimur ob hoc, quod omnes hi opulentiæ exitus ad ſcelera cædeſque, & ad bella tendunt, quęque ſanguine noſtro rigamus inſepultis oſſibus tegimus, quibus tamen velut exprobrato furore, tandem ipſa ſe obducit, & ſcelera quoque mortalium occultat.

De ſitu terra.

CAP. IIII.

Terra circ. & infima & media comparata ad cælum & elementa.

Nota.

Iſidorus lib. 13. Eſt autem terra in media mundi regione poſita: omnibus cœli partibus in modũ centri æquali interuallo conſiſtens. *Ariſt. de cœlo & mundo lib. 2.* Omnes qui æſtimant cœlum eſſe finitum: dicunt, quod terra locata eſt in medio: in mundo autem non eſt, quod ſit igne nobilius. Cauſa vero fixionis & quietis terræ eſt eius latitudo & magnitudo. Corpora namque latitudinem habentia ipſa figuntur & ſtant, neque ventus à locis ſuis ea mouere poteſt. Terra itaque fixa eſt, & quieta: videmus enim partes eius incædere inceſſu ęquali ad medium. Porro in rebus incedentibus recto inceſſu locus ſuperior inferiori nobilior eſt, & anterior poſteriore: dextera quoque ſiniſtra, rei autem cui non eſt finis, non eſt poſſibile, vt ſit ei ſurſum & deorſum. *Ex ſphæra.* Terra quidem in medio mundi ſita eſſe probatur, quia cum de natura ſua ponderoſa ſit, ad infimum tendit, ac per hoc ad medium, quia quod infimum eſt, ideſt à circumferentia firmamenti maximè remotum, illud idem vtique medium eſt. *Plinius lib. 2.* Mediam eſſe totius mundi terram: haud dubijs conſtat argumentis, ſed clariſſimè ęquinoctij paribus horis. Nam niſi in medio eſſet: æquales dies, & noctes habere non poſſe deprehenderetur, vel maximè id confirmant cum æquinoctiali tempore ex eadem linea ortus Occaſuſque cernatur. Et ſolſtitialis exortus per ſuam lineam brumaliſque Occaſus, quæ accidere nullo modo poſſent, niſi in centro ſita eſſet. *Ex imagine mundi.* Terra igitur quaſi centrum in medio mundi collocatur æqualiter, vt punctus in medio circuli nulliſque fulcris, ſed diuina potentia ſuſtentatur, ſicut ſcriptũm eſt. *Qui appendit terram ſuper nihilum. Qui fundauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Hæc in circumitu Oceano, vt limbo cingitur, ſicut ſcriptum eſt, *abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius.* Interius vero meatibus aquarum, vt corpus venis ſanguinis penetratur, quibus ariditas ipſius vbique mitigatur: vnde vbicunque terra infoditur, aqua reperitur. *Macrobius de ſomno Scipionis lib. 1.* Terra in medio cœleſtis circuli per quẽ Sol diſcurrit, tanquam centro locata eſt. Cælum enim ab omni parte terræ diſtat æqualiter. Niſi ergo omnia pondera ferrentur in terram, imbres qui extra latum terrę defluunt, non in terram, ſed in cœlum caderent, quod vilitatẽ ſcurrilis ioci excedit. *Ex libro de naturis rerum.* Terra fixa eſt, & quieta, quia ęqualiter ab Orizontibus eſt locata, & omnia quidem corpora grauia incidunt terræ neceſſario, quoniam ipſa eſt medium totius. Denique in quibuſcumque locis eſt inceſſus partium alicuius terræ, illic neceſſario eſt inceſſus totius terræ, & vbi incidit inceſſu naturali, illic ſtat & quieſcit ſtatione naturali. Pars autem terræ maior impellit neceſſario partem minorem, & grauior leuiorem, vſque dum perueniant ad medium. Terra vero quanto plus vicinatur, & appropinquatur medio: velocior eſt inceſſu ſuo, & quod eſt grauius deſcendit velocius. Centrum autem de natura ſua eſt immobile. *Cumque corpora grauiora incedunt ad medium terra: non eſt inceſſus figura æqualis, ſed angularis.* Corpora ſiquidem habentia grauitatem incedunt ad angulos ſimiles.

Qualiter dicitur terra ſuper aquas eſſe fundata.

CAP. V.

Albertus. Quia vero dicit Scriptura, quòd *ſuper aquas Deus fundauit terram.* Alibi quoque, quòd *fundauit eam ſuper ſtabilitatem ſuam*, ne Scriptura diuina ſibi eſſe contraria videatur. Sciendum quòd terra duobus modis conſideratur. Vno modo, vt elementum. Alio modo vt materia corporum generabi-

lium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Terra dupliciter conſideratur in ſcriptura.

lium. Et primo quidem modo conſiderata ſuper ſtabilitatem ſuam eſt fundata: dicitur enim ſtabilitas ſua, videlicet illa natura, quæ ſupra ſe eſt, ſcilicet, ignis: quoniam ex illo habet in centro locari: ex hoc autem, quod terra per ſe in centro fundatur, & non ad alia elementa terminatur, ſed potius ad ipſam quædam alia, dicitur alibi ſuper nihilum fundata. Porro ſecundo modo conſiderata, vt eſt materia corporum elementatorum, fundatur ſuper aquas. Corpora quippe mixta eſſe noſcuntur: terra vero per ſe continuatur. Vnde Philoſophus in libr. 4. Meteororum. Terra inquit pura lapis non fit, quia continuationem non facit, ſed comminutionem. Continuatio autem eſt ex virtute aquæ, & ideo terræ continuatio fundatur ſuper aquas, propter humidum, ſcilicet continuans illam in corporibus commixtorum.

Author. Non ergo ſuperficialiter intelligendum eſt, quod de orbe terrarum ſcriptum eſt, quia ipſe ſuper maria fundauit eam. Cumque vtique terra ſit naturaliter infimum elementorum omnium, ideoque non ſuper flumina, ſed potius ſubter in naturali ordine eſt collocata: prærerea cum maria & flumina ſunt in motu continuo, terra quoque ſtabilis non eſſet ſi ſuper illa fundata eſſet. At econtra ſcriptura affirmat, quòd terra in æternum ſtat: poteſt autem etiam intelligi, quòd terra ſuper aquas fundata dicitur, quia vbicumque fodiatur, in eius viſceribus aqua reperitur, vel fortaſſe loquitur ibi vulgariter, ſicut dici ſolet caſtrum eſſe fundatum ſuper fluuium, quia ei adiacet, vel & intelligi poteſt ita, fundauit eam ſuper maria, hoc eſt, quòd plus quàm maria ſit fundata. Nam vt dicunt Philoſophi, cœlum velociſſimè mouetur, & trahit ſecum mouendo ignem impetu velociſſimo, & etiam aera, ſed non impetu tam veloci. Tertio quoque aquam ab Oriente cogit in Occidentem moueri, ſed ipſa ſuo pondere mota recurrit, ſicque fiunt maris curſus ac refluxus. Aliter quoque dicere poſſumus, quia ſicut ait Philoſophus, terra in minutiſſimum, & in atomos reſolueretur, niſi eſſet aqua tam dulcis, quàm ſalſa ei interius infuſa, ſcilicet partes eius coagulans & compaginans, ſicque terra fundamentum, ideſt firmitatem habet ab aqua. Et hæc eſt ratio illa, quam ponit Albertus ſupra. Item aliter poteſt dici, quòd ſecundum ordinem naturæ tota terræ ſuperficies aqua cooperiretur, & aere. At vero Creator omnium Deus magno beneficio ſuo, voluit vnam partem terræ aquæ ſupereminere, vt in ea eſſet hominum habitatio, & animalium. Iuxta quod legitur dixiſſe, *Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum, & appareat arida:* hæc igitur ipſa terræ eminentia deſignatur, cum de orbe ipſius dicitur: ſuper maria fundauit eum, vt ſcilicet mari operiretur, ſed virtute Creatoris fluctus eius cohiberentur, ſicut in pſalmo dicitur. *Terminum poſuiſti eis quem non tranſgredientur.* Alibi quoque legitur *quis concluſit oſtijs mare, &c.*

Quo ſenſu terra dicitur fundari ſuper aquas.

Cauſa fluxus & refluxus maris.

Qualiter terræ globus in medio aeris ſit libratus.

CAP. VI.

Delardus ad nepotem. Sed quoniam inquis, hæc terra quæ ſuſtinet omnia pondera à quo ſuſtinetur ipſa in eodem loco. Si enim lapides, & ligna cæteraq; huiuſmodi pondera quæ ſuſtinentiam quærunt, pro ſuo pondere in aere ſuſtineri non poſſunt, multo magis terræ globus, qui omnium grauitate ponderoſior eſt, ab aere vndique verſo teneri non poteſt. Sic igitur ipſum ſtare videtur irrationabile. At inquam, ipſum rationabiliter ſtare monſtremus, ne nos quidem ſimul cum ea cadamus. Terram ſiquidem nouimus ponderoſitatem habere, & ponderoſam eſſe in primatum qualitatum affectione, quod autem ponderoſum eſt, infimo loco melius degit: porro vnumquodque appetit, quod vitam ſuam, vel eſſentiam ſeruat. Et ad illud tendit, quod amat. Tendat ergo, neceſſe eſt, omne terrenum, ad omnium locorum infimum locum. Quid autem aliud in rotundo loco infimum eſſe potens eſt, niſi id quod in medio eſt. Tendit igitur ad medium locum quicquid eſt terrenum: locus autem medius quaſi ſimplex, & indiuiſibilis eſt punctus localis. Ad localem igitur ſimplicem punctum omnia terrena tendere manifeſtum eſt, qui ſcilicet punctus localis medius non plures, ſed vnus eſt. Ideoque ab vno non à pluribus occupari neceſſe eſt. Cum ergo ad eundem, vt dictum eſt, omnia tendant, vnumquodque prœuenit aliud, dum ad vnum ſingula feſtinant, illuc & cadunt. Nihil enim eſt caſus ponderum, niſi feſtinatio ad locum medium. At illud ad quod cadunt, ſcilicet medius punctus localis perſeuerat ſtabilis. Illa igitur dum ad ſtabilitatem cadunt, ſtare non deſerunt, niſi fortè cui eorum aliqua vis inferatur: vnde ab intentione naturali depellatur. Si ergo res in contrarium relapſa eſt. Nam quod ſuperius cauſam eſſe caſus putabas: illud idem nunc ſtabilitatem eſſe, cohœrentiamque ponderibus dare non dubitabis. Stant etenim quæque quoniam illud ad quod tendunt, reperiunt ſtare: à loco igitur ad quem properant ſuſtinentur quodammodo: licèt in eo ipſo medio loco non ſit huius ſtabilitatis prima cauſa, ſed ſecunda: erit enim ſecundum prædictam rationem quietis huius prima cauſa ſua proprietas: deinde loci qui appetitur ſtabilitas.

Cauſa ſtabilitatis terræ centralis.

Quorſum iniectus lapis erit caſurus ſi perforatus ſit ei terræ globus.

CAP. VII.

QVæris autem vlterius, ſi perforatus ſit terræ globus, vt ab vno cœlo in aliud pateat tranſitus: iniecta mole lapidis, quorſum ei futurus ſit caſus. At inquam *quod terrena moles, vt dictum eſt, ſtatum præbet: hoc tibi & lapideæ molis caſui quietem faciet. In medio vero loco quieſcet.* At idem vero iſtud, vt intelligas volo. Omnis natura ſicut ſimile ſuum diligit, ita contrarium ſuum fugit. Quoniam igitur ignis terræ qualitatum efficacia contrarius eſt, ipſum à terra vitari conſequens eſt. Ignis autem naturali circumferentia ſupremo loco vndique inhabitans eſt. Et quo ſequitur, quod ille locus ſuperior cum igne ſuo fugiendus eſt. At quocumque à medio loco fugiat, incurrit vtique quod vitat, ne igitur male fugiens quod fugit incurrat, ipſum tenet locum, qui vndique à ſuperioribus æqualiter diſtat, tenet igitur talem locum duplici intentione cauſatum. Vna quidem, dum ſua ponderoſitate, quod amat petit. Alia vero quod non amat fugit. Verum inquis, ſi, vt ſupra diſſertum eſt, medium & imum idem ſunt in compage mundana, quid eſt, quod Statius non minus poeta, quam Philoſophus, ea ſuis verbis poſuit oppoſita, imagine inquit tellus à media, &c. dum enim ſic diſiunxit, oppoſita indicauit. At inquam, Statius duplici ſtilo, dum ſic loquitur, ſeruit Nam & vulgaris opinionis ſibi mentiens falſitatem tangit, & phyſicam veritatem aperte ſubdit. Neſcit enim vulgus planeticæ continentiæ circumferentiam. Id quoque lippiente anima dum corporeis oculis male credit, imperfectionem praue fingit hemiſphæricam: patet autem vt doctrina initiatis huius mundanæ molis terram & imam eſſe, & mediam.

Reſpondetur ad quæſtionem.

Quod rotunda ſit forma, vel figura terræ.

CAP. VIII.

EX *libro de naturis rerum.* Dixerunt autem quidam, quod figura terræ non eſt facta niſi ad ſimilitudinem, & ſecundũ figuram tympani: ſed teſtibus Philoſophis, & Aſtronomis ſphęrica eſt. *Ex imagine mundi.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cur terra dicitur orbis?

mundi. Terræ forma eſt rotunda: vnde & orbis dicta eſt. Nam ſi quis in aere poſitus illam deſuper aſpiceret, tota enormitas montium, & concauitas vallium minus appareret in ea, quam digitus alicuius ſi pilam prægrandem in manu teneret. Ex ſphæra. Rotunda vero terra per hoc eſſe probatur, quod quælibet eius pars æqualiter tendit ad centrum. Ipſa enim ponderibus ſui ſuſtentatur, iuxta illud, Ponderibus librata ſuis, &c. quod non fieret ſi angulosa eſſet, imo alia eius pars magis elongaretur à centro quam alia, & ſic in partem illam terra vergeret, nec ſuſtentaretur ponderibus ſuis. Item ſi eſſet plana, tunc Sol leuaretur ſuper terram æquè cito, & æquè diu videretur à quolibet exiſtente in ipſo plano circumſcripto ſaltem impedimento: immo citius vident eum Orientem, illi qui ſunt in Oriente, quam illi qui ſunt in Occidente, & longè diuerſas habent meridies. Patet ergo, quod terra non eſt angulosa, nec plana, ergo rotunda. Aqua vero cum naturaliter ſequatur deuexa, talem ſibi formam aſſumit qualem ſibi inuenit in ipſa terra, & eſt ex omni latere circa ipſam terram, & ſimilem formam aſſumit aer circa aquam, & ignis circa aera. *Seneca de naturalibus quæſtionibus.* Orbis terrarum, vt pila eſt, pilæ autem proprietas eſt cum æqualitate quædam rotunditas, at æqualitati pilæ non multũ nocent conſſiſſuræ, aut rimæ quo minus pila par ſibi ab omni parte dicatur. Sic ergo in orbe terrarũ editi montes ſunt, ſicut in pila rimæ. Eorum altitudo totius mundi collatione conſumitur: vnde nec magis alti montes Solem ſentiunt, quam minores, ſicut nec homines longi quam breues, vel caput hominis quàm pedes, quia inter puſilla non poteſt magnum eſſe diſcrimen.

Orbis vt pila.

Diſtinctio opinionis contrariæ.

CAP. IX.

Vilielmus de Conchis. Quidam vero beſtiales plus ſenſui quam rationi credentes, dixerunt terram eſſe planam, eo quòd quocunque ſe moueant, tumorem ipſius non ſentiant: horum opiniones argumentis probationibus deſtruere aggrediar: Si terra plana eſſet, aqua imbrium in terra currentium non diſcurreret, ſed in vno loco congregata lacum faceret. Si iterum plana eſſet, ciuitas in Oriente poſita mane & meridiem ſimul, & eodem tempore haberet, ex quo enim Sol appareret, ſuper ipſam eſſet: Ciuitas vero in Occidente poſita veſpere & meridiem ſimul haberet, quanto enim ciuitates Orienti propinquiores eſſent, tanto minus ſpacij inter mane & meridie haberent. Sed plus inter meridiem & veſpere Sed quanto eſſent Occidenti propinquiores, econtra, &c. Cum igitur apud omnes æquale eſt ſpacium à mane vſque ad meridiem, & à meridie vſque ad Occaſum, apparet terram non eſſe planã, ſed rotundam: vnde apud Orientales citius eſt ortus, & meridies, & Occaſus quam apud Occidentales: ſingulis igitur horis cuidam parti terræ oritur Sol, cuidam occidit, cuidam eſt meridies, cuidam eſt media nox, quod eſt argumentum rotunditatis terræ. Aliud eſt eiuſdem rei argumentum, videlicet, quod ſtellæ quæ in vno climate apparent, in alio non apparent. Canopes ſtella quæ ab Ægyptijs videtur, à nobis non videtur, quod nunquam contingeret ſi terra plana eſſet. Eſt igitur terra rotunda & globoſa. Sed dicis: cum profunditates tantas vallium in terra videamus: montes etiam nubes excedentes, quomodo poteſt eſſe rotunda? Reſpondeo. Noſtra paruitas, ea quæ ſunt minima, facit videri magna. Nam & tota terra quæ nobis videtur magna, comparatione cœli nullius eſt dimenſionis: valles ergo & montes rotunditatem terræ non auferunt. Et terra quidem, quia rotunda eſt, volubilis eſt. Numquam tamen voluitur, ſicut lapis qui eſt in profundo maris viſibilis eſt, nunquam tamen videtur. Ita mobilis quidem eſt terra ſecundum naturam, ſed immobilis ſecundum actum.

Probatur terram non eſſe planam.

Obiectio.

Reſponſio.

Vtrum terra inhabitetur vndique.

CAP. X.

Plinius vbi ſupra. Eſt autem ingens hæc pugna literatorum contraque vulgi opinionem, circumfundi terræ homines vndique, conuerſiſque inter ſe pedibus ſtare. Et cunctis ſimilem cœli verticem eſſe: ſimili modo etiam ex quacunque parte mediam calcari, quærente vulgo, cur non decidant contra nos iti, tanquam non etiam ratio præſto ſit, vt nos non decidere mirentur illi. Interuenit autem ſententia, quamuis indocibili turbæ probabilis. In globo æquali, vt ſi figura ſit pineæ nucis, nihilominus terram vndique incoli. Sed quid hoc refert, alio miraculo exoriente, ipſos pendere ac non nobiſcum cadere, cum ſpiritus vim mundo præſertim incluſi. dubium ſit, an poſſit cadere natura repugnante, & quo cadat negante. Nam ſicuti ignium ſedes, non eſt niſi in ignibus, aquarũ niſi in aquis, ſpiritus niſi in ſpiritu non eſt. Ita quoque terræ niſi in ſe locus non eſt. Sed maria vndique dimidio globo circumfuſa, partem orbis auferunt nobis, non inde huc, neque hinc illuc tractu peruio incolis. *Auguſtinus de Ciuit. Dei lib.* 16. Quòd Antipodas eſſe fabulantur, ideſt homines contra nos à contraria parte terræ, vbi oritur Sol cum occidit nobis, aduerſa pedibus noſtris veſtigia calcare, nulla credendum eſt ratione, neque hoc vlla hiſtorica cognitione didiciſſe ſe affirmant, ſed quaſi ratiocinando coniectant, eo quod intra cœli conuexa ſuſpenſa ſit terra: eundem locum habeat mundus, & infimum, & medium. Ex hoc alteram terræ partem quæ infra eſt, opinantur non poſſe carere habitatione hominum. Nec attendunt etiam, ſi conglobata & rotunda figura mundus eſſe credatur, ſiue ratione aliqua monſtretur, non tamen conſequens eſſe, vt etiam ex illa parte terra nuda ſit ab aquarum congerie: de hinc etiam ſi nuda exiſtat, nec hoc ſtatim neceſſe eſt, vt homines habeat, quia nullo modo diuina Scriptura mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eo quod eius prædicta complentur. Nimiſque abſurdum eſt, vt dicatur ex hac in illam partem immenſitate Oceani traiecta, nauigare ac peruenire potuiſſe aliquos hominum, vt etiam illic ex illo vno primo homine genus inſtitueretur humanum.

De hominibus pendulis.

Auguſtinus putauit Antipodas eſſe fabulam.

Quod terræ globus ſit verticoſus.

CAP. XI.

Plinius vbi ſupra. Orbem ergo terræ globum eius dicimus, quem verticibus includi fatemur. Non enim abſoluti orbis eſt forma in tanta montium excelſitate, tantaque camporum planicie, ſed cuius amplexus, ſi cuncta linearum comprehendantur ambitu figuram abſoluti orbis efficiat. Idque ipſa rerum natura cogit, non eiſdem cauſis, quas de cœlo attulimus. Namque in illo caua in ſe conuexitas vergit, & cardini ſuo, ideſt terræ vndique incumbit, hęc autem vt ſolida atque conferta conſurgit intumeſcenti ſimilis, ex vtraque parte protenditur Mundus in centrum vergit: at terra centro exit, immenſum eius globum in formam orbis aſſidua circa eam mundi volubilitate cogens. Globum tamen effici terræ mirum eſt, in tanta planicie maris camporumque, cui ſummè adeſt. Deciarchus vir in primis eruditus, regum cura montes permenſus, ex quibus altiſſimum prodidit Pelion, Mille ducentorum quinquaginta paſſuum perpendiculi ratione, nullam vniuerſæ rotunditatis colligens huiuſcemodi portionem eſſe, mihi vero incerta videtur hęc coniectatio, non enim ignoro quoſdam vertices alpium longo tractu, nec breuiore quinquaginta millibus aſſurgere paſſuum.

Orbis terræ non vndequaque abſolutus.

Error Deciarchi in menſuratione montium.

Quòd etiam Oceanus terram cingens in verticem sit coactus.

CAP. XII.

Aquam esse globosam probatur.

SEd vulgo hæc pugna est maximè si coactam in verticem aquarum quoque figuram cogatur credere: atqui non est quicquam aliud in natura rerum aspectu manifestius. Nam & dependentes vbique guttæ paruis orbibus conglobantur, & pulueri illatæ, frondiumque lanugini impositæ absoluta rotunditate cernuntur: in poculis quoq; repletis, media tument maximè, quapropter humoris subtilitatem mollicia in semetipsa residente, ratione facilius quam visu deprehenduntur. Ideoque etiam magis mirum est in poculis repletis, addito humore minimo, quod supereſt circumfluere. *Experientia.* Econtra vero euenire ponderibus additis ad vicenos sæpe denarios, quia, scilicet intus recepta liquorem attollunt in verticem, vt eminente cumulo infusa dilabantur. Eadem est causa propter quam in nauibus non cernatur terra è nauium malis cõspicua, ac procul procedente nauigio, si quid quod fulgeat in mali cacumine religetur, paulatim descendere videatur, & postremo penitus occultetur, deniq; Oceanus, quem vltimum fateamur quanam alia figura cohæreret, atque non decideret nullo vltra margine includente. Idque ipsum ad miraculũ redit, quoniam modo etiam si globetur extremum mare non decidat, contra quod vt sint plana maria, & qua videntur figura, non posse autem id accidere magno sui gaudio magnaque gloria inuentores Græci geometrica docent subtilitate. Nam cum in inferiora naturaliter è sublimi ferantur aquæ, & si hæc natura earum confessa nec quisquam dubitet in littore accessisse illas, quam longissimè passa sit deuexitas. Apparet proculdubio quo quid humilius sit propius esse centro terræ: omnesque lineas quæ emittantur ex eo ad proximas aquas breuiores fieri, quam quæ à primis aquis ad extremum mare. Totas igitur omni ex parte aquas in centrum patet vergere. Ideoque non decidere, quoniam ad interiora nitantur. Quod quidem ita formasse naturæ artifex creditur, vt cum terra sicca, & arida per se ac sine humore constare non posset, neq; rursus aqua stare, nisi terra sustinente mutuo complexu fungerentur: hac sinus pandente, illa vero permeante totam intra, & extra, & supra, venis vt vinculis discurrentibus: atque in summis etiam iugis erumpente. Quo spiritu acta, & terræ pondere expressa syphonum modo emicat: tantumque à periculo decidendi abest, vt in summa quęque & altissima exiliat. *Cur flumina non augent mare.* Qua ratione manifestum est: cur tot fluminum quotidiano accessu maria non crescant. Quòd igitur in toto globo suo, tellus medio ambitu præcincta sit mari circumfluo, non est argumentis inuestigandum, sed experimento cognitum.

De mensura terræ.

CAP. XIII.

Macrob. vbi sup. Euidentissimis autẽ dimensionibus cõstat vniuersę terrę ambitũ, qui vbicumq; vel incolitur, vel inhabitabilis iacet, habere stadiorum milia ducenta quinquaginta duo. At vero quadragies octies centena millia stadiorum, à terra vsque ad Solis cursum, quo vmbra terræ peruenit. *Gerbertus in astrologia sua.* Eratosthenes Philosophus à Ptolomæi Philadelphi mensoribus adiutus, vt orbem terræ describeret, à Siene vsque ad Meroen, inuenit numerum stadiorum. Dispositis quoque per interualla locorum à Septentrione versus meridiem vasis horoscopicis, simili dimẽsione, & gnomonum æqua longitudine formatis: totidem gnomonicæ supputationis doctos homines, quot vasa fuerant singulis quibusq; imposuit. A Atque vna die omnes vmbram meridiani temporis obseruare fecit, & notare vnumquemque sui gnomonis vmbram quantę esset longitudinis. Atque ita comperit, quod vltra DCC. stadia, ad vnius longitudinem gnomonis vmbra non respondit. Ex hoc autem concluſit, quod partes CCCLX. quibus omnis Zodiaci tractus diuiditur ad terras vsque perueniant. Et pars quæ ibi incomperta, & inæstimabilis est mensuræ. In terris non amplius quam ducentorum, vel paulo minus stadiorum mensuram obtineat. Comperta igitur magnitudine vnius partis terrarum: quæ ad Zodiacum pertinet, & illam tricenties sexagies multiplicando circulum terræ diffiniuit: stadiorum ducentorum quinquaginta duorum millia, ideſt miliaria XXX. & vnum milia & D. B Vnicuique CCC. & LX. partium dans stadia DCC. ideſt LXXXVII. miliaria, & semissem. Igitur vigesimam quartam partem tot stadiorum transcurrit Sol in vna hora, ideſt stadia X. milia, & quingenta, siue MCCCCXII. miliaria & semissem: horæ autem parte XV. I. vnius ex CCCLX. gradibus ascensu, vel descensu Solem DCC. stadia, siue LXXXVIII. miliaria, & semissem transcurrere prædictæ terræ ambitus claret diuisione. Diametrum autem terrę iuxta circuli Geometricalem regulam in octuaginta milibus, & C. & LXXXI. stadijs ac semisse, siue miliaribus X. millibus & XXII. cum XI. sexta decimis vnius miliarij colligi probatur: quamuis Macrobius LXXX. milium stadiorum, vel non multo amplius eum esse fateatur. *Ex libro de naturis rerum.* Teste Alphragano, cæteriſque Philosophis & Astronomis terra sphærica est, & tota instar puncti respectu C cœli. Cum tamen Mathematici, & auctores Almagesti dicant, quod eius reuolutio habeat CLXXX. milia stadia, quæ in duodecies mille milliaria, & LII. computantur. *Ambrosius.* Verum quoque mihi quærere, quæ sit mensura circuitus terræ, quoniam Geometræ CLXXX. milibus stadiorum æstimauerunt melius est scire terrarum genera, quàm spacia.

Vide de hac re Gemonã Phrysium & Robertum Hues.

De quinque Zonis, id est, circulis terræ.

CAP. XIIII.

EX *libro de naturis rerum.* Sphęram terræ duo maria intersecant, in Oriente, & Occidente ad angulos rectos, videlicet Mediterraneum, quod circumiens terram vadit ab Oriente in Occidentem, & iterum in Orientem. Et Oceanus qui circumiens similiter terram, vadit à meridie ad Aquilonem, & ab Aquilone ad meridiem, quibus tota terra diuiditur in quinque Zonas, quarum vna vt alibi probatur est habitabilis, licet non tota, hæc in quatuor partes diuiditur, quæ quatuor orbis climata dicuntur. *Ex imagine mundi.* Quinque autem Zonis, ideſt circulis terra distinguitur. Quorum duo extremi sunt inhabitabiles algore. Medius inhabitabilis calore, à quo Sol numquam recedit. Ad illos vero extremos nunquam accedit. Medij vero habitabiles sunt, hinc algore, inde ardore temperati. Ex his autem circulis primus est Septentrionalis. Secundus solstitialis. Tertius æquinoctialis. Quartus brumalis. Quintus australis, nominatus. Sed solstitialis à nobis inhabitari noscitur, qui in tres partes diuiditur, Europam, Asiam, & Aphricam. *Guihel. de Conchis.* Terra quidem frigida, & sicca est, medio tamen terræ, quod Soli & cęteris subiacet planetis calore aduritur, duo illius capita ex remotione Solis, & ex frigiditate ipsius aquæ perpetuo gelu constringuntur, duæ vero partes quarum altera hinc, & altera illinc inter torridam & frigidam temperatæ sunt atque habitationis parientes. Sunt ergo in terris quandoque circuli, scilicet pars torrida, & duæ frigidæ, duę temperatæ. Quæ quia latitudinem habent, atque vndique terram cingunt, à Græcis Zonæ, à nobis circuli dicuntur.

Deprehẽsum est hoc esse assertũ falsum.

Zonæ Etymologia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quòd in cælo & in terra rectè dicuntur esse quinque Zonæ.

CAP. XV.

CVmque Virgilius zonas cœlo ascribit. Non ideo quinque zonas in terra esse negat. Et attende aerem hic cœlum vocari. Super Lunam enim est æther, qui nil aliud est quam ignis: vnde ergo pars illius posset esse frigida. Item æther subtilis est, neque super Lunam est, in quo ignis accendatur: vnde igitur pars erit torrida. Si vero super Lunam est quinta essentia, vt testantur quidam, nec frigiditas ibi, nec calor poterit esse. Calor enim & frigus qualitates sunt elementorum vel compositorum ex eis. In aere igitur pars quæ est supposita Soli calore accenditur, quæ accensa partem sibi subditam accendit, partes vero aeris quæ super capita terræ sunt, frigiditate terræ & aquæ, & ex remotione Solis fiunt frigidæ: partes vero inter frigidam & torridam zonam positæ, ex vtraque distemperie temperantur. Qualis vero est pars aeris superpositi, talis est pars terræ suppositæ. Sunt ergo quinque zonæ in cælo, idest in aere, & quinque in terra. Sed torrida est in terra ex superioribus, duæ frigidæ sunt in ea ex sui natura, duæ temperatæ, tam ex se quam ex superioribus. Sed in aere duæ frigidæ zonæ, ex terra & aqua, torrida ex Sole. Duæ temperatæ ex confinio frigidarum & torridæ. Sed dicis si super Lunam non sunt quinque zonæ, quomodo poterit stare, quod in auctoribus inuenitur, scilicet quod Aries, & Libra sunt in medio torridæ zonæ. Cancer in confinio torridæ & temperatæ, & alia similia. Respondeo. Solent auctores præpositionem pro præpositione ponere: vnde forsan dictum est in pro super, vt sit sensus: Aries est in medio torridæ, id est super medium torridæ, & similiter de alijs intellige: vel forsitan pars aeris superposita torridæ zonæ, & si non est in se torrida, nomine tamen illius quòd continet, torrida dicitur. Solent enim auctores nomen contenti attribuere continenti & econuerso: simili figura pars ætheris superposita frigidæ, frigida dicitur, superposita tẽperatæ temperata.

Quo sensu quinque zonæ cælo ascribuntur.

Quòd modica inhabitetur portio terræ.

CAP. XVI.

PLinius vbi sup. Quo tandem magnitudinis spacio creditur inhabitari terra. tantæ enim molis possessio debet esse improba, & infinita: at vero sicut dictum est superius maria circumfusa vndique diuiduo globo partem orbis auferunt nobis. Nec inde huc, neque hinc illuc peruio tractu. Ipsique Oceano nulla decedit portio, qui totus circundatus medio, cæteras omnes aquas fundit ac recipit. Quicquid etiam in nubes & sidera exit, ipsa tot, & tantæ magnitudinis pascens. Adde vero, quod ex relicto terræ spacio plus abstulit cælũ. Nam cũ eius sint quinq; partes, vt dictum est, quas vocant zonas, infesto rigore, & æterno gelu premitur, quicquid subiectum est duabus extremis vtrinq; circa vertices, hunc videlicet, qui Septentrion vocatur, Eumque qui aduersus illi, austrinus appellatur? vtrobique caligo perpetua, & alieno molliorum siderum aspectu maligna, ac pruina tantum albicans, lux vero media terrarum qua Solis orbita est exusta flammis, & cremata comminus vapore torretur: Circa quam duæ tantum inter exustam, & rigentes sunt temperatæ. Neque ipse propter incendium siderum inter se non peruiæ. Ità tres partes terræ cœlum abstulit. Oceani verò rapina in incerto est. Sed & relicta nobis vnica portio. Nescio an etiam in maiore sit damno. Idem si quidem Oceanus, in multos infusus vt diximus, sinus, adeo vicino accessu in terra mari allatrat, vt centum quindecim milibus passuum. Arabicus sinus distet à mari Ægyptio. Caspius vero trecentis septuaginta quinque millibus à Pontico. Idem interfusus per tot maria currit, quibus Aphricam, Europam, & Asiam dispertit. Quantum vero terrarum occuper computetur etiam nunc mensura tot fluminum, tantarumque paludum. Addantur & lacus, & stagna. Item in cœlum elata & aspectu ardua iuga detrahantur, siluæ, vallesque præruptæ, solitudines, & mille causis deserta. hæ tot terræ portiones, imò verò vt plures tradidere, mundi punctus. Neque enim aliud est terra vniuersa. Hęc est gloriæ nostrę materia, hęc sedes nostra, hic honores gerimus, hic imperia exercemus, hic bella instauramus, hic etiam opes quærimus, vt publicos gentium furores transeam, ad mensuram auaritiæ nostræ terram propagantes, furto vicini cespitem solo nostro affodimus.

Pulchra cõsideratio Senecæ.

De partibus habitabilibus terræ.

CAP. XVII.

ISidorus lib. 14. Orbis itaque terræ dictus à rotunditate. Nam vndique circumfluens Oceanus eius in circulo fines ambit diuersos. Trifariè diuisus est: & Asia quidem per Orientem ad Septentrionem peruenit. Europa verò à Septentrione ad Occidentem: & inde Aphrica vsque ad meridiem. vnde euidenter orbem medium duæ tenent Europa, & Aphrica. Reliquum vero dimidium sola Asia. Sed ideo istę duę partes factę sunt: quoniam ab Oceano inter vtramque mare magnum eas intersecans ingreditur scilicet quod Mediterraneum dicitur: quapropter si in duas partes Orientis, & Occidentis orbem diuidas. Asia erit in vna: in altera verò Europa, & Aphrica.

Guilelmus de Conchis. Duæ igitur partes terræ, vt dictum est, temperatæ sunt: atque habitationis patientes: vna circa torridam zonã: & altera vltra: vnam tantum ab hominibus inhabitari credimus, nec tamẽ totam. Nostra ergo habitatio ab Oriente, vsque ad Occidentem, A Meridie ad Septentrionem extenditur: quę quãuis temperata dicatur: non tamen æqualiter in omnibus partibus: pars enim torridæ zonæ propinquior: vt Libia, Æthiopia, est calida, & sicca. Vicina frigidæ, frigida & humida. Occidẽtalis frigida & sicca. Media verò pars, æqualiter temperata. Hęc in tres partes diuisa est, Asiam, Aphricã, & Europam. Incipit autem Asia ab Oriente extenditurque lateraliter hinc vsque ad Septentrionem: illinc vsque ad torridã zonam terminaturque ab Occidente Tanai, & Nilo mediamque partem nostrę habitabilis obtinet. Aphricam vero terminat ab Oriente Nilus: à Meridie torrida, à Septentrione Mediterraneum mare, ab Occidente mare Atlanticum. Europam verò ab Oriente Tanais terminat ab Occidente mare Gaditanum, à Meridie Mediterraneum mare, à Septentrione frigida zona, hęc nostra habitabilis aliquando extremitas: Aliquando pars illius subnota.

De locis conuenientioribus habitationi humanæ.

CAP. XVIII.

AVicenna in 1. canone. Locorum autem habitabilium dispositiones in corporibus diuersificantur causa altitudinum, & profunditatum in ipsis, & causa dispositionis eorum quæ in eis vicinantur, cum hoc ex montibus, & causa dispositionum terræ ipsius: vt si lutosa est vel cęnosa, vel si est in ea virtus mineræ, & etiam dispositionis multitudinis aquarum vel paucitatis, vel etiam dispositionis eorum quę vicinantur eis: sicut arborum, minerarum aut fouearum, cadauerum, montium quoque ac Marium, & etiam ex ventis earum. Omnis quidem aer qui cito infrigidatur cum occidit sol, & cito calefit quando sol oritur subtilis est. Qui vero contrarius huic, econtra se habet, omnibus autem aeribus deterior est ille qui cor constringit ac aeris attractionem angustat: loca habitabilia calida capillos nigrificant & crispant, ac digestiuam debilitant, cumque in eis maxima resolutio fuerit, minuetur humiditas, cito venit semũ,

Indicium boni aeris.

sicut

ſicut in terra nigrorum, ideſt Æthiopum. Ibi namque morantibus aduenit ſenium in annis 30.& eorum corda timida ſunt, eo quod ſpiritus multum reſoluitur. Præterea corpora illic morantium læuia ſunt. In locis autem frigidis morantes, ſunt fortiores, & audaciæ, maioris, ac melius digerentes. Et ſi humidi fuerint, erunt craſſi & carnoſi, & albi, quorum venæ profundæ, & iuncturæ occultæ. In locis humidis habitantes pulchras habent facies, & cutes lenes. Cumque exercitantur cito aduenit eis laxitas, horum ęſtas non multum calefit, nec hiems multum infrigidatur, his adueniunt ventres, ideſt fluxus ventris, & multus ſanguinis exitus, ex menſtruis, & hemorroidibus & vlcera putrida, & multiplicatur in eis epilepſia frequenter. In locis ſiccis morantium exiccantur complexiones, & ipſorum obfuſcantur cutes, horum ęſtas valde calida eſt, hiems valde frigida. In locis altis homines ſunt ſani, fortes, & laboris multum patientes, diu viuunt. In profundis autem morantes in vaporoſitate multa ſunt, & hepatis debilitate. Aquis abundant non frigidis ſed propriè ſi ſtantes fuerint, eorum aeres mali ſunt. In locis petroſis, & diſcoopertis morantium aeres in æſtate multum calidi ſunt, & hieme frigidi valde. Horum corpora dura ſunt, & ſolida, & multorum capillorum, & iuncturæ manifeſtæ, vincitque in eis ſiccitas, ſunt autem multum vigilantes, & morum malorum, & ſuperbi atque inobedientes. In bellis fortes. In artibus ſolertes, & acuti. In locis montuoſis terra frigida, & montium ratione ventoſa, dumque nix ibi moratur boni in eis venti generantur, dum autem reſoluitur, ſi montes habẽt, qui vẽtos prohibeant, vaporoſi fiunt: Locorum marinorum temperantur frigiditas & caliditas propter inobedientiam humiditatis ſuæ ad patiendũ & recipiendũ id quod eam penetrat. In humiditate verò & ſiccitate proculdubio ad humiditatem declinant. Et ſi ſeptentrionalia fuerint, erunt maris vicinitas, & habitationis profunditas magis in eis temperatæ. Si verò Meridionalia calida, erit econtrario, ita qui loca eligit habitabilia, cognoſcere debet terræ diſpoſitionem, & aquarum, & ventorum, & hominum ibi commorantium, ſitque magis ſollicitus, vt Orientales venti ſtructuras vibis vel domus ingredi valeant, & vt ſol vbique intrare queat, quoniam ipſe eſt qui aera rectificat. Sed & ciuitas aquarum dulcium mobilium currentium, multarum, & mundarum, quæ æſtate calefiunt, & hieme infrigidentur. Diuerſæ ab eis quæ occultantur, eſt res conueniens, & adiutorium præbens.

Ventus Orientalis & Sol intrare deberent domum vrbe ſituatam.

De inſulis, & nominibus earum.

CAP. XIX.

Inſularum Etymon. *Sidorus ex lib.* 14. Inſulæ dictæ ſunt eo quòd in ſalo ſint, ideſt, in mari Ex his notiſſimæ quędam & maximè, quas plurimi veterum ſolerti ſtudio indagauerunt, notandæ ſunt, vt in Oceano Britannia interfuſo mari orbe toto diuiſa à vocabulo ſuæ gentis cognominata, Thanatos etiam frero Gallico à Britannia vado tenui ſeparata, frumentarijs copijs & gleba vberi referta. Thyle quoque vltima Oceani inſula, inter Septentrionalem, & Occidentalem plagam vltra Britanniam ſita. Sunt ibi, & Orcades 33. inſulæ videlicet vltra Britanniam poſitæ, quarum 20. deſertæ ſunt, 13. incoluntur. Ibique Scotia quæ & Hibernia, Britanniæ proxima, inſula ſpacio terrarum anguſtior, ſed ſitu fœcundior. Hæc ab Aphrica in boream porrigitur Cuius partes priores Hiberiam & Cantabricum Oceanum intendunt. Vnde & Hibernia dicta. Scotia autẽ quòd à Scotorum gentibus colitur appellata: illic nullus anguis, auis rara, apis nulla, adeo vt aduectos inde pulueres ſeu lapillos, ſi quis alicubi ſparſerit inter aluearia examina fauos deſerant. Et Gadis, quæ dirimit Europam ab Aphrica. Sunt & ibidem Fortunatæ, & Gorgonides, & Heſperidum, Cryſæ, & Argyræ. & Taprobrana ſubiacens Indiæ. Sunt & in mari magno, id eſt, mediterraneo aliæ Inſulæ conſtitutæ, videlicet Cyprus, Creta, Abidos, Choos, Cyclades in numero 53. Æoliæ Inſulæ Siciliæ, quæ nouem ſunt. Sicilia, Sardinia, & Corſicæ, Eboſus, & Baleares Inſulæ. Omnibus autem inſulis commune eſt, vt promineant. vnde & earum loca dicuntur Promontoria.

Scotiam olim dictam fuiſſe eam inſulã quæ hodie vocatur Hibernia ſeu Irlandia facile conſtat ex hiſtoria V. Bedæ.

Author. Porro de Inſulis ac ſupradictis tribus partibus orbis plenius Deo adiuuante inferius proſequemur ſcilicet poſt tractatum de creatione hominum, de diſpoſitione humani generis per orbem.

De montibus, & cauſis eorum.

CAP. XX.

Sidorus. Montes ſunt tumores terrarum altiſſimi, ſic dicti, eo quod ſint eminentes. Colles ſunt prędominentia montium iuga, quaſi colla. Iuga montium dicta ſunt, eo quod propinquitate ſua iungantur. Tumulus autem eſt mons breuis, quaſi tumens tellus, vel terra congeſta. *Petrus comeſtor.* Sunt autem qui putant altitudinem montium ante diluuium non fuiſſe tantam: quanta nunc eſt. *Ex libro de naturis rerum.* Terra, vt dictum eſt ſupra, in initio diſpoſitionis ſuæ rotunda fuit, & plana, nec mõtes, nec valles erant in ea. Nunc autem eſt montuoſa, ſed tamen ſphærica. Ex fine quarti libri Meteororum, in additis. Quandoque ex cauſa eſſentiali montes fiunt, quando ſcilicet ex vehementi terræmotu eleuatur terra, & fit mons Quandoque vero ex cauſa accidentali, vt cum ex ventis, vel aquæductu accidit, & fit paulatim cauatio profunda. Sicque fit iuxta eam eminentia magna, & hæc præcipua eſt montium cauſa. Sunt enim quędam terrę molles, & quædam duræ. Molles quidem aquæductibus ventiſque tolluntur, duræ vero remanent, ſicque fit eminentia: fit etiam generatio montium, ſicut generatio lapidum, quoniam aquæductus adducit illud lutoſum, viſcoſum, continuum quod per longitudinem temporis deſiccatur, & fit lapis. Nec eſt longe quin ſit ibi vis mineralis vertens aquas in lapides. Ideoque in multis lapidibus inueniuntur partes animalium, & aquaticarum beſtiarum. Montes quidem per multa tempora facti ſunt, ſed nunc decreſcentes ſunt, venæ autem lateæ quando reperiuntur in eminentijs, non ſunt de materia illa lapidea: ſed de eo quod de montibus diminuitur, vel terreſtris aliqua ſubſtantia quam adducunt aquæ cum lutis, & herbis, quæ admiſcetur cum luto montis, vel forte antiquum lutum maris non eſt vnius ſubſtantiæ, vnde pars eius fit lapis, pars autem non. Sed mollitur ac diſſoluitur aquæ qualitate vincente. Maris quoque acceſſus, & receſſus loca quędam cauat quædam extollit, & quia quandoque totam terram cooperit, Inde mollia quędam abraſit, dura reliquit. Et in quibuſdam locis congeſſit. Mollia quoque quędam ab eo congeſta, cum abſcederet deſiccata ſunt & in montes conuerſa.

Tumulus vnde.

Ex lib. de natu. rerum. Sicut aqua putei creſcit poſt ablationem, ita creſcere contingit terram humoroſam. Si enim auferatur in aliqua quantitate, continuo crementum erit in æquali: quia humidum illi terræ admixtum, per minimas particulas eleuat illam in ęquali altitudine cum ſua origine, hinc eſt quod montes circa Toletum creſcunt poſt ablationem ſuarum partium.

Cur montes Toletani creſcant æqualiter.

De nominibus quorundam montium, & proprietatibus.

CAP. XXI.

Ariſt. in lib. Meteo. 2. Omnibus autem montibus, qui ſunt in ortu ſolis maior eſt Caucaſus. Cuius magnitudinis ſignum eſt magnitudo fundamenti eius, quod eſt rotundum. Et oriuntur de ſub eo multa flumina, & qui locum inferiorem habitant, vident ſolem ſuper hunc montem in nocte donec tranſierit

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Caucasi magnitudo.

tertia pars noctis eorum ex parte orientis, & occidentis. *Isid. vbi supra.* Mons Caucasus ab India vsque ad Taurum porrectus, pro gentium ac linguarum varietate quaque versum vadit, diuersis nominibus nuncupatur vbi autem ad Orientem in excelsiorem assurgit sublimitatem, propter nimium candorem Caucasus nuncupatur. Nam Orientali lingua Caucasum significat candidum. Est enim densissimis niuibus candidatus, mons Taurus à pleriſque idem vocatur Caucasus. Libanus mons phenicis est altissimus, cuius meminerunt Prophetæ, dictus à Thure: quia ibi colligitur. Cuius ea pars, quæ est super eum ad Orientalem plagam respiciens Antilibanus appellatur, idest contra Libanum. Ararat est mons Armeniæ, in quo Arcam historiæ post diluuium resedisse testantur, vnde & vsque hodie ibidem lignorum eius videntur vestigia. Acroceraunij montes propter altitudinem & fulminum iactus vocati sunt. Græcè enim fulmen Ceraunios dicitur. Sunt autem inter Armeniam, & Hiberiam, incipientes à portis Caspijs vsque ad fontem Tygridis fluuij. Hyperborei montes Scythiæ, dicti quod supra, id est vltra eos flat boreas. Riphei montes in capite Germaniæ sunt, à perpetuo ventorum flatu nominantur. Nam ὁρμὴ Græcè impetus dicitur. Olympus mons Macedoniæ præcelsus, ita vt sub illo dicuntur esse nubes, de quo Virgilius, *nubes excessit Olympus. Comestor.* Olympus vsque ad liquidum aera euadit, super quem literæ inscriptæ in puluere per annum inuentæ sunt illæsæ. & stetisse immobiles, vbi prę nimia aeris raritate nec etiam aues viuere possunt, nec philosophi ascendentes absque spongijs plenis aqua aliquantum ibi manere potuerunt, quas naribus apponentes crassiorem inde aerem attrahebant.

Ararat.

Hyperborei.

Olympi mirabile.

Athos.

Isidor. Hic Macedoniam diuidit à Thracia. Athos mons Macedoniæ, & ipse altior nubibus: tantoque sublimis, vt in Lemno vmbram eius pertendat, quæ ab eo septuaginta sex milibus separatur. Parnassus est mons Thessaliæ, iuxta Beotiam, qui gemino vertice est erectus in cœlum, hic in duo finditur iuga. Cythan & Nysan, vnde & nuncupatur, eo quod in singulis iugis colebantur Apollo & Liber. Ceraunij sunt montes Epyri à crebris dicti fulminibus Græcè enim fulmen Ceraunios dicitur. Appenninus mons appellatur, quasi Alpes Pœnicæ: quia Hanibal veniens ad Italiam, easdem Alpes rupit, & aperuit. Iuuenalis. *Et montes rupit aceto.*

Parnassus.

Appenninus mons vnde.

Adhuc de eodem.

CAP. XXII.

Ætna incendium vnde?

MOns Ætna ex igne & sulphure dictus est, vnde & Gehenna. Constat autem hunc ab ea parte, qua Eurus, & Aphricus flat habere speluncas plenas sulphuris, & vsque ad mare deductas, quæ speluncæ recipientes in se fluctus, ventum creant, qui exagitatus ignem gignit ex sulphure, vnde fit quod videtur incendium. Solinus. In Ætnæ vertice hiatus duo sunt Brateres nominati: per quos eluctatus erumpit vapor, præmisso prius fremitu, qui per æstuantes cauernarum latebras longo mugitu intra terę viscera diu voluitur. Nec antea flammarum globi attolluntur, quàm interim strepitus antecedant, mirum est hoc, nec illud minus, quod in illa feruentis peruicacia mixtos ignibus cineres præfert. Et licet vastis exundet incendijs apicis canicie perpetua brumalem detinet faciem, itaque in vtroque inuicta violentia est. Nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore dissoluitur. Quod autem in Campania Vesæuus, in Sicilia Ætna, hoc in Licia mons Chymera est. *Isid.* Pyreneus & ipse à crebris fulminum ignibus nuncupatur. Græcè enim ignis πῦρ pyros inominatur. Iste est, qui inter Galliam atque Hispaniam quasi de industria mummętum interiacet. Solarius à singularitate dicitur, quod omnibus Hispaniæ montibus solus altior videtur. Calpes mons in vltimis finibus Oceani, qui diuimit Europam ab Aphri-

Pyrenæi.

Calpe.

ca, quem Atlantis finem esse dicunt. Atlas frater Promethei fuit, & Rex Aphricæ, à quo Astrologiæ artem prius dicunt excogitatã, adeoq; dictus est sustinuisse cœlum ab eruditione disciplinæ, & scientiæ cœli. Igitur nomen eius in mõtem Aphricæ deriuatum est, qui nunc Atlas cognominatur, qui propter altitudinem suam quasi cœli machinam, atque astra sustentare videtur. *Solinus.* Atlas mons est è media Cirenarũ consurgẽs vastitate. Et eductus est in viciniam lunaris circuli vltra nubila caput condit, parte qua ad Oceanum extenditur. Cui & à se nomen dedit, manat fontibus, nemoribus inhorrescit, rupibus asperatur, squalet ieiunio: quia humus nuda nec herbida, qua Aphricam contrauersus est, fęlix nascentibus sponte frugibus, arborib. proceris optatissimus, quarum odor grauis, Comæ cupressi similes, vestiuntur lanugine sericis velleribus nihil viliore, in eo latere est herba euphorbia copiosa, cuius succus ad ocularium proficit claritatẽ, nec mediocriter percellit vim venenorum, vertex semper niualis, saltus eius quadrupedes, ac serpentes feræ, & cum his elephantes occupauerũt. *Isid.* Alpes sunt propriè montes Galliæ, de quibus Virgilius. *Aereas alpes.* Nam gallorum lingua alpes montes alti vocantur, hi sunt enim qui Italiæ murorum exhibent vicem.

Atlas.

Alpes.

Cur montes frigidiores sunt vallibus.

CAP. XXIII.

PHilosophus. Sicut autem alias dictum est, in summitate quorundam montium propter aeris subtilitatem perpetuæ sunt niues, quia ignea non sunt calida, nisi vicina sint alicui materiæ spissæ & humidæ, vnde sol in conuallibus montium vbi aer spissior est, maiorem calorem exercet. *Guilielmus de Conchis.* In hac itaque habitabilis nostri Zona sunt quidam montes, in quorum summitatibus sunt perpetuæ niues, in cõvallibus vero ipsorum est maximus feruor. Sed dicis, cum calor sit à sole & à superioribus, frigus vero ab inferioribus, montium vero summitates soli & superioribus propinquiores, & vallis inferioribus, quare illius est frigus, huius calor. Respondeo. Huius rei solutionem superius posuimus istam, quod ignis accendi non potest, nisi in spisso & in humido. In prędictis vero montibus aer subtilis est, vnde accendi non potest, sed ex sui leuitate huc & illuc impellitur, frigidusq; efficitur. Aer vero in conualli spissior est, & ferè immobilis. Radij verò Solis tangentes latera montium, sese resiliendo percutiunt, ex quibus omnibus calor accenditur. Sed dicis, si aer in superioribus est subtilis, vnde igitur nubes spissantur? Respondeo. Ille aer qui ibi est non spissatur, sed fumus humidus, qui ex conuallibus ascendit, frigiditate superiorum montium in nubes, & & niues constringitur. Hanc rationẽ frigiditatis montium prędferimus. Illa enim quam quidam reddunt scilicet mõtes inde esse frigidos, quia sunt expositi boreæ, non placet nobis. Tunc enim à parte meridionali non essent frigidi. Ex ea parte enim clausi sunt boreę, & expositi austro. Cum ergo ex omni parte sunt frigidi, frigiditates ventis non ascribimus. Non tamen negamus à parte septentrionis illos frigidiores esse.

Dubium.

Resp.

Obiectio. Solutio.

De vallibus, ac cæteris terræ locis patentibus, ac subterraneis.

CAP. XXIIII.

Etymon vallium.

ISidorus. Valles sunt humilia loca, sic dicta quasi vulsa. Hinc & conualles dicuntur depressa loca terrarum inter montes. Campus est terrarum planities ex Græco χαμαὶ idest breue nomen sumens, quia breuis sit pedibus, nec erectus, vt montes. Fauces aditus locorum angustorum inter montes arduos dicti à faucium similitudine. Confrages sunt loca in quæ vndique venti concurrunt, ac sese frangunt. Scabra sunt loca situ aspera, vnde & scabies à corporis asperitate dicitur. Lustra obscura ferarum latibula, & leonum

cubilia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cubilia per contrarium dicta: quia parum illustrãtur. Specus est fossa sub terra, qua prospici potest. Antra sunt loca ex quibus repercussæ voces imaginem referunt. Spelæa Græcé Latinè spelunca dicitur, est autè rupis concaua: hyatus est præruptio terræ profunda. Profundum propriè cuius porro sis fundus. Infernus dicitur eo quòd infra sit. Sicut autem in ordine corporum inferiora sunt omnia grauiora, ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora, vnde in græco quidem infernus, eo quod nihil suaue habeat, resonare perhibetur. Sicut autem animalis cor in medio est, ita infernus in medio esse perhibetur, vnde & in Euãgelio legitur, *in corde terræ*, philosophi autem dicũt, quòd inferi dicuntur, eo quòd animæ hinc ibi inferantur. Cocytus est locus inferi dictus à luctu, & gemitu. Styx à tristitia dicta est, eo quòd tristes faciat, vel tristitiam gignat. Herebus inferorum profunditas, & recessus. Tartarus: quia omnia ibi turbata sunt, vel verius à tartarizein Græcè, quod est horrere, vel tremere, ibi enim fletus erit, & stridor dentium. Gehenna est locus ignis, & sulphuris, quod appellari putant à valle Idolis consecrata, quæ est iuxta muros Hierusalem, olim repleta cadaueribus mortuorum. Ibi enim Hebræi filios suos immolauerunt Dæmonibus. Et appellabatur locus Gehennon. Futuri ergo supplicij locus vbi sunt trucidandi peccatores, huius loci vocabulo designatur. Duplicem autem esse dicunt Gehennam ignis, & sulphuris. *Ex libro de naturis rerum.* Sicut autem cor animalis in medio dicitur esse: ita Infernus in medio terræ esse perhibetur. Et ibi est maximè de materia, ideoque maxime de non ente. Econuerso autem in cœlo est maximè de forma, & ideo maximè de ente: quid ergo mirum, si peccatum, quod nihil est, tendit ad infimum.

Infernus vbi sit

Gehenna vndè

De quibusdam mirabilibus terræ locis.

Cap. XXV.

In area phani veneris non pluebat.

Plin. vbi supra. Sunt autem in diuersis terrarum locis quædam digna miraculis. Nam Paphos celebre Phanum habet Veneris, in cuius area quidem non pluit. In Taurorum perinsula in Ciuitate Parasino, est quædam terra qua sanantur omnia vulnera: & circa Asson Troadis lapis gignitur, quo omnia corpora consumuntur, & sacrophagus vocatur. Iuxta flumẽ Nidum duo montes sunt, cuius alteri natura est, vt ferrum omne teneat. Alteri vero, vt respuat. Itaque si in calciamẽto sunt claui, vestigia in altero non possunt euelli, nec in altero sisti. Locris, & Crotone pestilentiam annotatum est nunquam fuisse, nec vllo quidem motu terræ laboratum. In Licia vero semper à terræmotu. 40. dies serenos esse. In agro Arpano frumentum non nascitur etiam si seritur. Ad aras Mutias in Veiente apud Tusculanum, & in sylua Cimina loca esse asseruntur, in quibus in terram depacta non extrahuntur. In crustumino fænum natum ibidẽ noxium est, extra vero salubre est. Iuxta Narpasa oppidum Asiæ stat horrenda cautes, mobilis vno digito, eadem tamen resistens, si corpore impellitur toto. Itẽ in Nea oppido circa simulachrum Mineruæ in eodẽ relicta sacrificia non putrescunt. *Ex lib. de naturis rerum.* Carius mons est, in quo scorpiones lędunt non indigenas, sed hospites. Apud Iunonis aram lacuna cinerem habet, qui perfluentibus vndique ventis immobilis manet. Nimpheus petram habet, à qua flamma egreditur, quæ fluentibus desuper fluuijs accenditur. † Scotia nullum habet anguem, auem raram, apem nullam. Nam & si quis inde pulueres aduectos sparserit inter Alueatia, fauos deserunt examina. Angues Syriæ dormientes suos non attingunt, nec illis aliàs nocent, & tamen exteris omnino infesti sunt, qua propter Syri non eos necant. Thanatos est insula frugifera, sic à morte serpentum dicta, quos dum ipsa nõ habet, & terra inde asportata alibi serpentes perimit

Cautes mirabilis.

Flamma accensa fluuijs.

† *Nota Scotiam sumi pro Hibernia more antiquorum.*

siti. Et hæc est in partibus † Hiberniæ. Tata locus est in quem lepores delati moriuntur extremis quidem in litoribus. Tylia, vel Thyle est Insula in qua nunquam arbores deponunt folia, in hac semper est dies sex æstiuis mensibus. Semper nox hyemalibus.

† *Melius Britanniæ, vide c. 1. lib. 1. Beda hist. gent. Anglor.*

De Terræmotu, & eius causis.

Cap. XXVI.

Seneca lib. 3. Quæramus nunc quid sit, quod terrã ab infimo moueat, tantique ponderis molem pellat. Cur etiam modo tremat, modo laxata subsideat, nunc in partes diuisa discedat. Et aliàs interuallum ruinæ suæ seruet, aliàs cito comprimat. Nunc amnes notos introrsum conuertat. Nunc autem ignotos exprimat, & ignes similiter. Aquarum etiam aliquando calentium venas aperiat, aliquando refrigeret: mille miracula mouet, faciemque locis mutat, defert montes, plana subrigit, valles exuberat. Nouas in profundo Insulas erigit. Causam quidem qua terra concutitur, alij in aqua esse, alij in ignibus, alij in spiritu esse putauerũt, alij in omnibus his. Illud ante omnia mihi dicendum est, opiniones veteres esse rudes, & parum exactas. Circa verum enim adhuc errabatur: quia noua erant omnia primo tentantibus, postea vero eadẽ ipsa limata sunt. Et si quid ab illis, sit inuentum, nihilominus referri debet acceptum. Magni enim animi fuit rerum latebras dimouere. Cum excusatione igitur veteres audiendi sunt. Nulla enim res dum incæpit consummata est, sed in omni negocio semper longe à perfecto fuere principia. Causam quidem terræmotus esse spiritum, & ipse consentio, quem non per tenuissima foramina, sed per maiora & potentiora intrare credibile est. Nam in nostris quoque corporibus cutis spiritum respuit, nec illi est introitus, nisi per quem trahitur, nec receptus quidem in neruis, vel puppis potest consistere, sed in laxiore corporis parte. Idem de terra suspicari licet, vel ex hoc quod motus non circa summam terram est, sed subter & ab imo, huius indicium, vel quod altitudinis profundæ iactãtur maria. motis. scilicet, his supra quæ fusa sunt: verisimile igitur terram ex alto moueri: & illic spiritum in cauernis ingentibus concipi. Qui cum magna vi vacuum terræ locum opilauerit penitus; ac rixari cæperit, latera ipsa inter quæ latet sæpius percutit, ita vt ædificia supra posita procumbãt, denique cur aliquis ad hoc stupet, quod æs vnius statuæ ne solidum quidẽ, sed concauum ac tenue diruptum est, dum fortassis in illud se spiritus quærens fugam incluserit. Inter argumenta vero quibus probatur ista spiritu fieri: non est quod dubites & hoc ponere; cum maximus editus tremor est, quo in orbes terrasque sæuitum est, non potest illi par alius subsequi; Sed post maximum leues motus sunt, quia iam vehementius exitum ventis, luctantibus fecit, reliqui deinde non idem possunt, nec pugna illis opus est, cum iam viam inuenerint, sequanturque qua prima & maxima vis euasit.

Veritas paulatim limatur.

Iterum de eodem.

Cap. XXVII.

Plinius lib. 2. Terræmotus & hiatus terræ cæteraque omnia huiusmodi vi syderum fieri existimant. Sed illorum trium, quibus fulmina assignant ac ventos in causa esse, non reor dubium, neque enim vnquam intremiscunt terrę nisi sopito mari: cœloque adeo tranquillo, vt volatus auium noh pendeant subtracto omni spiritu, qui vehit, nec vnquam nisi post ventos conditos, scilicet in venas & cauernas eius occulto afflatu. Nec aliud est in terra tremor, quam in nube tonitruum, nec hiatus aliud, quam cum fulmen erumpit incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitẽte. Desinunt autẽ tremores cum vetus emersit.

Sopito mari & tranquillo cælo fit terræ motus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Fiunt etiam ſimul cum terræmotu & inundationes maris, eodem ſcilicet ſpiritu infuſi, vel reſidentis ſinu recepti. *Ex imagine mundi*. Hinc tellus Siciliæ, quę cauernoſa & ſulphure & bitumine ſtrata, ventis penè tota & ignibus patet, ſpiritu introrſum concertante, multis ſæpè locis fumum, vel vaporem, vel flammam eructat, vel vento acri vi incumbente & arenas & lapides inde egerit. *Iſido. lib.* 4. Terræmotum alij dicunt, aquam generalem in terris moueri, & eas ſimul concutere ſicut vas. Alij eandem terram frangi volunt, cuius plerumque latentes ruinæ ſuper poſita cuncta cõcutiunt. Terrę quoque hiatus aut motu inferioris aquæ fit, aut crebris tonitruis, aut de terra cõcauis erũpentibus ventis. *Philoſophus in* 3. *lib. Meteor.* Anaxagoras ait, quod altior æther inflatus deſcendit inferius, & occultatur in terra propter ſubtilitatem ſuam, ibique agitatur ſurſum, & deorſum & hinc terra mouetur. Democritus autem dixit, quòd terra ſimilis eſt vtri pleno, cum ergo recipit additionem aquæ ex pluuijs ſuper eam deſcendentibus agitatur aqua in ea propter arctationem loci, & mouet eam. Illius quoque ſignum dixit, quod terra humectatur, & poſtea exiccatur. Aqua verò in fiſſuras eius fluens agitatur interius, & eius agitatio eſt cauſa terræmotus. Sed omnium iſtorum ſermo error eſt: ſi enim ita, vt dicunt, eſſe terræmotus, toti terræ communicaretur: dico ergo, quod vapor ſiccus ex terra generatus per caliditatem ſolis ad eam peruenientis duplex eſt. Vnus qui apparet ex terra ſurſum aſcendens, & hic eſt ventus. Alius autem factus in ventre terræ illic agitatur, & inde terra mouetur. Non eſt enim ex elementis quod poſſet tantam commotionem facere, niſi ventus. Nam & ipſe eſt mouens aquam & ignem motu vehementi, inflat ignem, & ęſtuat aquã per vehementiam & potentiam ſuper illud.

Cauſa terræmotus eſt vapor in vētre terra.

De ſpeciebus terræmotus.

CAP. XXVIII.

IDem *in eodem* Quidam autem terræmotus eſt, ſicut res tremorem habens. Quidam vero ſicut maior ſonitus corporum fricantium ſe in aere. Quod accidit ex diuerſitate agitationis venti in terra incluſi. Et eſt ſicut homo non potens retinere ventum agitatum in ventre ſuo, vnde in quibuſdam locis accidit terræmotus, & non quieuit donec ſciſſa eſt terra. Et exiuit ventus audita voce. Rurſus dicitur quod ſecundum tempus Herculis regis in quadã inſula Corinthi fuit terræmotus, & non ceſſauit augmentari terra illa, donec factus eſt ibi collis. Deinde ſciſſus eſt ille locus & exiuit inde ventus vehemens & fortis. Exiuitque ex eo cinis, qui operuit ciuitatem deſtruens eam. Eiuſque loci impreſſio, ideſt combuſtio manifeſta eſt vſque nunc. Generatio autem cineris illic eſt, quia caliditas ibi coarctata combuſſit terram quæ erat in concauitate illius loci: auditur autem vox terræmotus, quia quando ventum in terra coarctatum impellit aqua maris ibidem coarctata vapor vnus propter alium agitatur: plerumque etiam videtur tenebroſitas ſolem tegens abſque nube, propter conſumptionem terræmotus, quia ventus egrediens è terra ſit vapor craſſus, ſcilicet cum cinere mixtus, & ideo lucem ſolis obnubilat. *Seneca vbi ſupra.* Duo tamen ſunt genera terræmotus, vt Poſſidonio placet, vnum dicitur ſuccuſſio, cum ſcilicet terra quatitur, & ſurſum ac deorſum mouetur: alterum inclinatio, quia in latera nutat nauigij more. Ego & tertium exiſtimo, qui tremor terrę vocatur, & vtrique diſſimilis eſt. Tunc enim ſuccutiuntur omnia, nec inclinãtur, ſed vibrantur. Res quidem in huiuſmodi caſu minimè noxia, ſicut longè pernicioſior eſt inclinatio concuſſione. Niſi enim celeriter ex altera parte properauerit motus qui inclinata reſtituat, ruina neceſſario ſequitur. Nobis ergo placet hunc eſſe ſpiritum, qui poſſit tanta conari, quo nihil eſt in rerum natura potentius, nihil acrius. Sine quo nec illa quæ vehementiſſima ſunt valent. Ignem enim ſpiritus incitat: aquæ ſi ventum detrahas, inertes ſunt. Cum autem eas adit flatus, impetum faciunt: poteſt etiam magna terrarum ſpacia diſſipare, nouos montes extollere. Inſulas ante non viſas, in medio mari ponere.

Succuſſio.

Inclinatio.

Tremor.

De multiplici eius effectu.

CAP. XXIX.

PLinius *vbi ſupra.* Variè ita terra quatitur, & mira opera eduntur, alibi proſtratis montibus alibi hiatu profundo hauſtis, alibi egeſtis molibus, alibi emiſſis amnibus nonnunquam etiam ignibus calidisve fontibus, alibi auerſo fluminum curſu: præcedit vero comitaturque terribilis ſonus, aut murmur ſimile mugitibus aut clamori humano, armorumve pulſantium fragori, pro qualitate materiæ excipientis, formaque vel cauernarum, vel cuniculi per quem meat exilius graſſante, in anguſto eodem rauco, In recuruis reſultante, In duris feruente, In humidis fluctuante, & ſtagnantibus. Item feruente contra ſolida; itaque ſine motu ſæpè editur ſonus, nec ſimplici modo quatitur vnquam ſed tremit, vibratque: hiatus vero aliàs remanet oſtendens quæ ſorbuit, aliàs occultat ore compreſſio, rurſuſque ita inducto ſolo, vt nulla veſtigia extent vrbibus plerumque deuoratis, agrorumque tractu hauſto. Nam ingens factum eſt terrarum portentum. L. Marcio, Sex. Iulio, conſ. in agro Mutinẽſi: duo enim montes inter ſe concurrerunt, crepitu maximo aſſultantes, recedenteſque: interea flamma fumoque in cœlum exeunte: interdiu ſpectante è via æmilia magna Romanorum equitum familiarumque multitudine. Eo concurſu villæ omnes eliſę, animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata ſunt. Non minus mirum oſtentum & noſtra ætas cognouit, anno Neronis Principis ſupremo, pratis oleiſque intercedente publica via in contrarias ſedes tranſgreſſis in agro Marrucino. *Ariſtotèles in lib. de vegetabilibus.* Terræ motus ſæpè oſtendit fontes fluminaque prius latentia, quando terra ſcinditur ex vapore vnctuoſo. Nam in fluuijs: qui ſub terra generantur, à montium pluuijs, cum aquæ multiplicatæ ſunt interius conſtrictæ: fit ex eis vapor ſuperfluus propter compreſſionem, ſcinditque terram, & apparent fontes, & flumina, quæ prius cooperta fuerunt.

Clamores humani præcedunt terræ cõcuſſionem.

Mirus terræmotus.

De peſtilentia conſequente motum terræ.

CAP. XXX.

SEneca *vbi ſupra.* In campano motu ſexcentarum ouium gregem exanimatum in Pompeiana regione narratur. Solent enim poſt magnos terrarum motus fieri peſtilentiæ, nec mirum. Multa enim mortifera in alto latent. Aer etenim ipſe vel terrarum culpa, vel pigritia, æterna nocte torpeſcens hauſtientibus grauis eſt, vel corruptus internorum ignium vitio, longoque ſitu emiſſus purum hunc liquidumque maculat, infuetumque ducentibus ſpiritum affert noua genera morborum; quid? quod etiam inutiles aliquæ peſtilenteſque paludes in abdito latent, vt quas nunquam vſus exerceat, nunquam aura liberior exuerberet, craſſa igitur & graui perpetuaque caligine, nihil niſi peſtiferum corporibus noſtriſque contrarium habent. Aer quoque qui mixtus eſt illis, quique inter illas iacet, cum emerſerit, latè vitium ſuum ſpargit, & hauſtientes necat, facilius autem hoc malum pecora ſentiunt quo auidiora ſunt, apertoque cœlo plurimum vtuntur & aquis, quarum maxima in peſtilentia culpa eſt: oues quoque quo propiora terris capita ferunt, corruptas eſſe non miror cum afflatus aeris diri circa humum ipſum exceperint: no

Cauſa peſtilentiæ conſequentis terræmotum.

Cur oues præſertim corrumpat

cuiſſet

cuiſſet ille & hominibus, ſi maior exiſſet . Sed illum aeris ſinceri copia extinxit , antequam vt ab homine poſſet trahi ſurgeret. Multa vero terras mortifera habere, vel ex hoc intellige , quod tot inde venena naſcuntur, non manu ſparſa, ſed ſponte , ſolo ſcilicet haberite mali vt boni ſemina. Quid quod pluribus Italiæ locis per foramina quædam peſtilens exhalat vapor? Quem nec homini ducere nec feræ tutum eſt. Aues quoque ſi in illum inciderint , antequam cœlo leuantur meliore, in ipſo volatu cadunt liuentque corpora, fauces tument , hic quidem ſpiritus, quamdiu terras continet, tenui foramine fluens, non plus habet potentiæ, quàm vltro ſibi illata conficiat, vbi vero per ſęcula conditis tenebris , & triſtitia loci creuerit, in vitium ingraueſcit . Eoque mora peior, quo ſegnior. Exitum ergo nactus aera noſtræ regionis infuſcat. Et tunc etiam ille purior ſpiritus tranſit in noxium: vincuntur enim meliora peioribus . Inde ſubitæ continuæque mortes, & monſtruoſa morborum genera, nec prius peſtilentia deſinit, quam laxitas cœli ventorumque iactatio ſpiritum illum grauem exercuerit vel extenuauerit.

Venti cur aerem corruptum purgant?

Quibus in locis accidat terræmotus, quibus non.

CAP. XXXI.

ARiſto. *in lib. meteororum tertio* . Fit autem terræmotus vehemens in locis in quibus eſt vehemens maris vndatio & agitatio. & in locis cauernoſis, quia in his maximè fit coarctatio venti . *Idem in lib. de vegetabilibus ſic ait*. Terræmotus in arenoſis locis non fit, ſed in terris duris, quæ loca ſunt aquarum & montium. Aqua enim ſolida eſt , & lapides ſolidi. Naturaque aeris calidi & ſicci eſt aſcendere. Cum ergo duæ partes eius corroborantur, impellunt locum, & exit ab eo vapor ille. Quòd ſi locus rarus eſſet, vapor primitus paulatim exiret. Sed quia ſolidus eſt vapor, congregatis partibus terram poteſt ſcindere. Igitur terræmotus accidit corporibus tantum ſolidis. Ideoque in partibus plantæ, & animalis non fit , quia in raritate ipſarum eſt aer qui ſemper aſcendit. In alijs autem omnibus erit, nam multotiens quoque erit in fictilibus, & vitro: & in mineris aliquibus . *Seneca vbi ſupra*. Ægyptum nunquam tremuiſſe tradunt. eo quòd ex limo tota concreuit. Turbidus enim Nilus defluens, multumque cœni trahens , & id ſubinde prioribus terris apponens, annuo incremento ſemper vltra tulit. Inde pinguis & limoſi ſoli eſt Ægyptus, nec vlla interualla in ſe habet, ſed creuit in ſolidum areſcente limo . Cuius preſſa erat ac ſedens ſtructura, dum partes glutinarentur, nec inane quicquam interuenire poterat , cum ſolido liquidum ac molli ſemper accederet. *Plinius vbi ſupra*. Maritima autem maximè quatiuntur , nec montuoſa tali malo carent. Exploratum eſt mihi alpes apenninas ſæpius tremuiſſe . Item Gallia & Egyptus minimè quatiuntur, quoniam hic æſtatis cauſa obſtat, illic hyemis.

Ægyptus nõ tremuit vnquam & cur?

Quibus temporibus accidat, & quibus non.

CAP. XXXII.

ARiſto. *in lib. Meteororum tertio* . Quod autem terræmotus fit ex vento in terra coarctato, ſignum eſt: quia plurimum eius cauſæ eſt, quando flare ſolent venti , quare , & in nocte plus quam in die, quod eſt propter elongationem ſolis. Et cum fit in die tunc in meridie, & apud diluculum , quoniam horæ ſunt in quibus multiplicantur ventorum flatus, plurimum etiam fit in verè, & autumno, & in horis multarum pluuiarum , & in temporibus ſiccæ complexionis : quia in his maximè fit ventorum flatus: non fit autem in æſtate, & hyeme niſi parum : quia calor, & frigus ventos prohibent , vt dictum eſt. In tempore quidem ſicco fit plus : quia eſt in eo vapor ſiccus. Et in tempore multo humido fit multus: quia quando multiplicatur humiditas in terra, incraſſatur, & opilat exitum vaporis terræ . Sicque occultatur in ea, & agitatur, & inde fit motus terræ. Item terræmotus prouenit apud eclypſim per lunam: quia calor ſolis tunc peruenit ad terram, & ideo coarctatur vapor nec aſcendit, ſed agitatur, & mouet terram. *Plin. vbi ſupra*. Autumno aut vere terræ crebrius mouentur, ſicut fulmina. Ideoque Gallia, & Aegyptus minimè quatiuntur, quoniam hic æſtatis cauſa obſtat, illic hyemis. Item noctu ſæpius, quam interdiu. Maximi autem ſigua motus futuri ſunt, matutini veſpertinique: ſed propinqua luce crebri . Interdiu autem circa meridiem fiunt. Et ſolis lunæque defectu, quoniam tempeſtas tunc ſopitur.

Tempus terræmotus.

De ſignis terræmotus.

CAP. XXXIII.

ARiſt. *vbi ſup*. Ante terræmotum accidentem diluculo inuenitur aer frigidus, & quietus, quod fit propter coarctationem venti in terra , quandoque vero antecedit terræmotum, quoddam ſignum : videtur enim in cœlo quædam nubes longa, ſicut linea recta ante ſolis occaſum: quia tunc ſeruatur ventus, & quieſcit. *Plinius, vbi ſupra*. Præcipuè vero æſtus imbrem ſequitur, vel imbres æſtum . Nauigantes quoque ſentiunt non dubia couiectura , ſiue flatu intumeſcente fluctu ſubito, aut quatiente icti. Intremunt autem, & in nauibus poſita æquè quàm in ædificijs: crepituque motum prænunciant , quin & volucres non impauidæ ſedent. Sed & in cœlo ſignum præcedit motu futuro: aut interdiu, aut paulopoſt occaſum ſereno ceu tenuis lineę ſpacium nubis in longum porrecta. Eſt & inputeis turbidior aqua: nec ſine odoris tędio. *Author* . Ad hoc autem vt fiat terræmotus, tria concurrere dicuntur, ſcilicet locus, materia, cauſa impellens: locus eſt vaſta concauitas , nullum aut paruum, aut remotum, aut tortuoſum habens reſpiraculum. Materia eſt vapor craſſus calidus, & ſiccus. Cauſa impellens eſt vehemens maris agitatio, aut vapor ipſe ex ſe motum concipiens.

Signa.

In mari.

In cælo.

In puteis.

De terris, & Inſulis ex cauſis terræmotus enaſcentibus.

CAP. XXXIIII.

PLin. *vbi ſupra*. Simul autem , vt dictum eſt, cum terræmotu fiunt, & inundationes maris , eodem videlicet ſpiritu infuſi: aut reſidentis, ſinu recepti eademque naſcentium cauſa terrarum eſt : cum idem ille ſpiritus ad tollendum potens , ſolo non valet erumpere, naſcuntur enim hoc modo nec fluminum tantum inuectu; ſicut Echynades Inſulæ ab Acheloo amne conuectæ, maiorque pars Aegypti à Nilo, in quam à Pharo Inſula noctis, & diei curſum fuiſſe Homero credimus, nec receſſu maris , ſicut idem Circeus, quod accidiſſe, & in Ambracię Portu decem millium paſſuum interuallo, & Athenienſium quinque mille paſſuum ad Pyreum, memoratur. Et Epheſi, vbi quondam ædem Dianæ alluebat, Herodoto ſi credimus, mare fuit ſupra Memphim , vſque ad Ethyopum montes. Naſcuntur, & alio modo terræ, & repente in aliquo mari emergunt, velut paria ſecum faciente natura , quæque hauſerit hiatus alio loco reddente. Clarè iampridem inſulæ Delos , & Rhodus, memoria produntur enatæ, poſtea minores vltra Melo Anaphæ. Intra Lemnum , & Helleſpon-

Inſulæ recens ortæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tum, Nea. Inter Lesbum, & Theon, Halone. Inter Cycladas Olimpiadæ 135. anno 4. Thera, & Therasia. Inter easdem post annum 130. Hiera. Et ab ea duobus stadijs post annos. 110. in nostro æuo. M. Iunio Sillano, & T. Balbo Consſ. ad 8. Idus Iulij, Thia. A

De insulis ac terris mari absorptis.

CAP. XXXV.

ANte nos, & iuxta Italiam inter Æolias Insulas; itemque iuxta Cretam emersit è mari mille quingentum passuum vna, cum calidis fontibus, altera in Thusco sinu flagrans hæc violento cum flatu; proditur quoque memorię magnam circa illam multitudinem piscium fluitantem confestim expirasse. Sic & in campano sinu fertur Pythecusas ortas, mox in his Epopon montem cum ex eo flamma emicuisset repente æquatum campestri planicie, in eadem & oppidum profundo haustum. Alioque motu terræ, stagnum emersisse. Et alio prouolutis montibus. Insulam extitisse Prochytam. Nam & hoc modo fecit Insulas rerum natura, auellit Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Euboeam Boetię, Euboe Atlantem, & Macriam, Belbicum Bithiniæ, Leucosiam Syrenum Promontorio. Rursus abstulit Insulas mari: iunxitque terris. Antissam Lesbo, Zephyrium Halicarnaso, Ethusam Mindo, Domiston ac Pernen Mileto. Arthemisian parthenio Promontorio. Hibanda quondam Insula Ioniæ ducentis nunc à mari stadijs abest. Syridem Ephesus in mediterraneo habet. Derasidas, & sophoniam vicinam ei Magnesia. Epydaurus, & Oriton Insulę esse desierunt. In totum vero terras abstulit primum omnium vbi Atlanticum est mare, si Platoni credimus in medio spacio, mox in termino quo videmus hodie mersam Acarnaniam sinu Ambrachio, Achaiam Corinthio, Europam Asiamque Propontide ac Ponto. ad hoc perrupit mare laucada, anthirrum, helespontum, bosphoros duos. Et vt sinus, stagnaque prætream, ipsa se condens terra deuorauit. Cibotum altissimum montem, cum oppido Curite. Siphilum in magnesia. & prius in eodem loco clarissimam vrbem quę Tantalis vocabatur. Pyram & antistam circa moetin pontus abstulit. Elicem & buram sinus corinthius, quarum in alto apparent vestigia. ex insula Oea plusquam triginta milium passuum abrupta subito cum plurimis mortalibus rapuit & in Siciliam dimidiam tyndarida vrbem, & quicquid ab Italia deest. Similiter & in Boecia & Eleusina. B

Sicilia auulsa Italia.

De terris semper trementibus, & insulis fluctuantibus.

CAP. XXXVI.

QVædam vero terræ tremunt in aduentantium ingressu, sicut in Gabinensi agro non procul ab vrbe Romana iugera ferme ducenta æquitantium cursu, similiter in Reatino: quædam insulę semper fluctuant, sicut in agro cercubo & eodem Reatino, mutinensi, stationensi. in vadimonis quoque lacu, & ad cutilias aquas opaca sylua quæ nunquam die ac nocte loco eodem videtur, in lydia aquæ vocantur calaminæ non ventis solum, sed etiam contis, vel quolibet impulsu multorum ciuium Mithridatico bello salus fuere. Sunt & in nimpheo paruæ saltares dictæ eo quod in cantu symphoniæ ad ictus pedum modulantium mouentur, in tarquinensi lacu magno Italię nemora duo circumferuntur, Nunc triquetram edentes figuram. Nunc rotundam complexu ventis impellentibus, Quadratam vero nunquam. C

Saltares.

De remedio contra terræmotum.

CAP. XXXVII.

SEd in eisdem videlicet terræmotibus remedium est, quale cloacæ & crebri specus præbent. Præconceptum enim spiritum exhalant, quod in certis notatur oppidis, quæ minus quatiuntur crebris ad purgandum eluuiem cuniculis cauata. Multo quoque tutiores sunt in eisdem illis, quæ pendent, sicut Neapoli in Italia intelligitur, parte eius, quæ solida est, ad tales casus obnoxia. tutissimi etiam sunt ædificiorum fornices, anguli quoque parietum posteſque alterno pulsu renitentes. Sed & latere terreno facti parietes, minore noxa quatiuntur. Magna est differentia & in ipso genere motus, Pluribus enim modis quatitur. tutissimum est cum vibrat, crispante ædificiorũ crepitu. Et cũ intumescit assurgens, alternoque motu resident innoxiũ. Et cũ concurrentia à tecta contrario ictu arietant, quoniã alter motus alteri renititur. Vndãtis autem inclinatio & fluctus more quædã volutatio infesta est. Aut cum in vnam se partem totus motus impellit. Desinunt autem tremores cum ventus emergit. Sin autem durauerint, non ante quadraginta dies sistuntur, plerumque vero & tardius, vtpote cum quidem annuo & biennij spacio durauerint. D

Cloacæ & specus remedium contra terræmotum.

Insulli terræmotus.

Terræmotus biennalis.

Moralis Seneca de terræmotu.

CAP. XXXVIII.

SEneca lib. 3. Hæc Lucili quantum ad ipsas causas. Illa vero nunc quæ ad animorum cõfirmationem pertinent, quoniam magis nostra refert fortiores fieri quàm doctiores, sed alterum sine altero non fit. Non enim aliunde animo robur venit, quàm à bonis artibus, & contemplatione naturæ. Quem enim non hic ipse terræmotus aduersus omnes casus firmauerit & erexerit? Cur enim hominem aut feram, cur ego sagittam aut lanceam tremam? Maiora me pericula expectant fluminibus, & terris, ac magnis naturæ partibus petuntur. Quærẽda sunt itaque solatia trepidis, & demendus ingens timor. Quid enim cuiquam satis tutum videri potest, si mundus ipse concutitur, & partes eius solidissimæ labantur. Si quod proprium habet terra stare, perdidit, vbi residet metus nostri. Quam perspicimus latebram, si mundus ipse ruinam agitat. Si hoc quod nos tuetur ac sustinet supra quod vrbes sitæ sunt, & quod fundamentum orbis quidam esse dixerunt discedit & titubat: Quid esse solatij potest, vbi timor fugam perdidit? A tempestate nos vẽdicat portus, nimborum vim effusam tecta propellunt, fugientes non sequitur incendium. Et aduersus tonitruum ac cœli minas subteraneæ domus, & in altum specus remedia sunt. Iste cœlestis ignis terram non transuerberat, sed exiguo eius obiectu retunditur. In pestilentia sedes mutare licet, nullumque malum sine effugio est. Nunquam enim fulmina populos percusserunt, pestilens cœlum vrbes exhausit, non abstulit. Hoc autem malum latissimè patet, ineuitabile ac publicè noxium. Non enim domos solum, aut familias, aut vrbes singulas haurit, sed gentes totas regionesque subuertit. Eo modo ruinisque operit, modo in altam voraginem condit, ac ne id quidem quo appareat, saltem fuisse relinquit. Nec desunt qui hoc genus mortis magis timeant, quo in abruptum cum sedibus suis eunt, & è viuorum numero viui auferuntur, vnde & aliquos insanis attonitisque similes fecit metus, montes discurrere cernentes, vrbes cadere, populos opprimi, terram concuti. Non enim facile est inter magna non desipere mala. Itaque leuissima ferè ingenia in tantum venere formidinis, vt sibi excíderent, quasi non omne fatum ad eundem E

Demendus timor ex consideratione naturæ.

veniat

veniat terminum . Cum enim ad exitum venimus omnes in æquo sumus. Nihil itaque interest , vtrum me lapis vnus elidat , an mons totus premat , vtrum super me domus vnius onus veniat, an totus terrarum orbis caput meum abscondat. In pace & in aperto reddat spiritum , an in vasto sinu terrarum dehiscentium. Solus in illud ferar profundum , an cum magno comitatu populorum concadentium. Nihil mea interest, quantus circa mortem meam tumultus sit, ipsa vbique timenda est . Proinde magnum sumamus animum aduersus istam cladem , quæ nec euitari nec prouideri potest. Istosque desinamus audire qui post hunc casum è Campania migrarunt, illique regioni renunciauerunt . Omnia etenim eiusdem sortis sunt. Et si nondum mota , tamen mobilia. Nihil, itaque vt immobile esset , natura concepit. At alia temporibus alijs cadunt , omnisque soli vitium est, male cohærere Et ex causis pluribus solui, summaque manere, partibus ruere.

Adhuc de eodem.

CAP. *XXXIX.*

Virgilius. ITaque humano generi dictum puta, quod illis inter hostem stupentibus dictum est, *vna salus victis nullam sperare salutem. Si* vultis nihil timere, cogitate omnia timenda esse . Nam nec cibus, nec humor, nec somnus, nec vigilia, sine mensura quadam nobis salubria sunt . Cumque mors vbique præsto sit, & vndique occurrat, nullum maius solatium mortis est quam ipsa mortalitas . Nihil enim tam exiguum, quod non in perniciem hominis satis valeat . Ideo non debent nos ista confundere, tanquam plus mali in se habeant quam vulgaris mors . Necesse est enim mori quandoque vbicumque, stet licet humus, & se teneat suis finibus supra me quandoque erit. Interest ergo illam ego mihi, an ipsa se mihi imponat ? Egregie Virgilius, *Si cadendū, è calo cecidisse velim.* si cadendum inquit mihi est, è cœlo cecidisse velim. Ingenti itaque animo mors prouocanda est, nihil enim quam minax veniat, refert . Quod quidem à nobis petit minimum est , hoc senectus ablatura est, hoc auriculæ dolor, hoc humoris abundantia, hoc cibus maximus, hoc pes leuiter offensus, pusilla res est hominis vita, sed ingens res contemptus vitæ. Qui hanc contempserit securus videbit maria turbari, etiam si illa omnes excitauerint venti. Etiam si æstus aliqua perturbatione mundi totum in terras verterit Oceanum, securus quoque trucem & horrendam fulminātis cœli faciem aspiciet, frangatur licèt, & ignes suos in exitium omnium mittat , si etiam ruptis compagibus dehiscens solum, & illa inferiorum regna deteganturˇ, stabit super voraginem illam intrepidus. Quid enim ad me quam magna sint quibus pereo? ipsum petire non est magnum: proinde si volumus esse fælices, nec rerum timore versari, si despicere fortunam superuacua promittentem, leuia minitantem, est anima in expedito habenda, siue illam insidiæ, siue morbi petent, siue hostium gladij, siue insularum cadentium fragor , siue ruina terrarum, siue vasta vis ignium, quid aliud debeo , quam exeuntem hortari & cum bonis omnibus emittere, vade fortiter, vade fæliciter, nihil dubitaueris, redieris: non de re, sed de tempore quæstio est , facis quod quandoque faciendum est, rerum natura te quæ genuit expectat: fluit quidem tempus , & auidissimos sui deserit, nec quod futurum est, meum est nec quod fuit, sed in punctofugientis pendeo, & magnum est modi cū fuisse. Eleganter itaque Lesbius dicebat cuidā dicenti, 60. annos habeo, hos inquit dicis 60. quos non habes, & nos quidem qui semper tēporis alicui sortē & annos numerauimus amissos, hoc affigamus animo,& hoc nobis subinde dicamus, moriēdum est, quandoquidem tua mors naturalis lex est : mors tributum officiumque mortalium , & malorum omnium remedium est, optauit illam quisque timens, hoc igitur vnum meditare Lucilli, ne mortis nomen reformides, effice illam tibi cogitatione multa familiarem, vt si ita tuleris, possis illi & obuiam exire. *Sed* nobis ignorantibus naturam rerum omnia terribilia sunt, quorum metum raritas auget . Leuius enim accidunt familiaria , nam in insolito formido maior est. Cur autem nobis quicquam insolitum est ? quia non ratione, sed oculis comprehendimus , nec cogitamus, quid illa facere possit, sed tantum quod fecerit. Damus itaque penas huiusmodi negl gentiæ tanquam nouis territi, cum illa non sint noua, sed insolita. Cumque timendi causa sint nescire , non est tanti scire, ne timeas.

Mors optanda.

De terræ fœcunditate.

CAP. XL.

EX *libro de naturis rerum.* Terra quidem , vt dictum est supra, fœcunda est , & omnium nutritiua, in se quoque continet metalla precioſa , super omnia elementa passibilis & mutabilis , & petrosa quidem frigida est & sicca, pinguis , & crassa , calida est & humida. Lutea vero frigida & humida . *Plinius, vbi supra.* Terra præ cæteris elementis est benigna, mitis, & indulgens, & mortalium vsibus semper ancilla, multa generat coacta , sponte quoque fundit multa, succos odores colores atque sapores , & similia, bonaque fide creditum fœnus reddit , quod causa nostra alit . Sed vt verum fatear , quod ipsa nobis malorum genuit remedium , nos illud vitæ facimus venenum.

Adelardus ad nepotem. At inquis cum terræ superficies plana primum & immobilis sit, quid est quod inde mouetur, & surgit ac crescit, & ramos extendit? Nempe cum aliquid terræ subtiliter cribratum in testeo vel æneo vase reponas, dehinc accessione temporum herbas inde resurgere videas , cui hoc nisi miraculo diuinæ voluntatis mirabili effectui imponas, voluntas inquam creatoris est, vt à terra nascantur herbæ, sed commixta, ita quod in singulis particulis suis, quæ seu sui subiacēt, omnia quatuor elemēta cū eorum qualitatibus contineat. Nam quatuor illa in omnibus sunt permixta. Cum ergo in hoc terreo corpore quod dicitur terra, licèt subtiliter puluerizaro, quatuor sunt causæ, necessarium quoddam compositum inde surgit , scilicet herba , terreum maxime, aquaticum parum, aereum minus, igneum minimè: per terram vtique cohærens, per aquam diffundens, per aerem & ignem surgens . Sed hæc plenius infra exponentur, vbi de generatione herbarum suo loco dicetur.

Virtutes 4. elementorū in herbis explicantur.

De diuersis generibus terræ.

CAP. *XLI.*

PLinius *lib. 17.* Cum autem diuersæ sint species terræ, terram amaram siue macram si quis probare velit, demonstrant eam atræ & degeneres herbæ, frigidam vero retorride nata, vliginosam tristia, rubricam oculis argillosam , operi difficillimam , quæ rastros, & vomeres ingentibus glebis onerat , quamquam aliquando non quod operi , hoc & fructibus sit aduersum. Item econtrario cinericiam. & fabulum album. Nam sterilis, densa callo facile deprehenditur vel vno cuspidis ictu. Cato breuiter ac suo more determinat vitia terræ. Terram inquit cariosam caue, neue plaustrum, neue peccra impellas . Ecce hanc tantopere reformidat, vt pene vestigijs etiam interdicat . Redeamus ad ligni cariem, & inuenimus illa, quæ intantum abominantur, vitia terræ scilicet aridæ fistulo-

Terra cariosa cauenda.

fiſtuloſæ, ſcabræ, caneſcentis, exeſæ, pumicoſæ: plus dixit vna ſignificatione quam poſſit vlla copia ſermonis enarrari. Eſt enim interpretatione vitiorum quadam non ætate, quæ nulla intelligi poteſt in ea, ſed natura ſua anus terra, ideoque ad omnia infœcunda & imbecilla. Idem agrum optimum iudicat ad radicē montium, planitie in meridiem excurrente, qui eſt ſitus totius Italiæ. Terram vero teneram, quæ vocatur pulla, erit hæc optima & operi congrua, aliàs ſatiua. Nam intelligere libeat, dictam mira ſignificatione teneram. Et quicquid aptari debet, in hoc vocabulo inuenietur. Illa vbertatis temperatæ, illa mollis, faciliſque culturæ, nec madida, nec ſitiens. Illa poſt vomeres niteſcens, qualem fons ingeniorum Homerus, in armis ab eo dixit celatā. Addiditque ad miraculum increſcere, illam quam recentem exquirunt improbe alites vomerem comitantes, coruique aratoris veſtigia ipſa rodentes. Cicero, lux altera doctrinarum, meliora inquit vnguenta ſunt quæ terram quam quæ crocum ſapiunt: hoc enim maluit dixiſſe, quam redolent: ita eſt profecto, illa enim erit optima quę vnguenta ſapiet. Quod ſi admonendi ſumus, qualis odor terræ ſit ille qui quæritur, ſæpe contingit etiā illa quieſcente ſub occaſu ſolis, in quo loco cœleſtis arcus capita ſua deiecerit. Et cum à ſiccitate continue imbre maduerit, tunc illum ſuum halitum diuinum ex ſole conceptum emittit, cui comparari ſuauitas nulla poſſit. Is eſſe odorem commota debebit repertuſque neminem fallet, ac de terræ odore optime iudicabit. Talis ferè in noualibus eſt terra cæſa vetere ſylua quæ conſenſu laudatur.

Anus terra.

Terra pulla.

A

B

C

De ratione agriculturæ.

CAP. XLII.

RIcardus de ſancto Victore in li. exceptionum. Porro agricultura circa quatuor ſpecies exercetur in terra, ſcilicet aruum, paſcuum, conſitum, floridum. Aruum, ideſt ager qui deputatur ſationibus. Conſitum vero nemoribus, vt ſunt pomeria, vineta, & oliueta. Paſcuum conſiſtit in paſcuis, vt prata. Floridum in floridis, vt roſaria & horti. *Tul. in lib. de ſenec.* Veniam igitur ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector, quæ nec vlla impediuntur ſenectute, & mihi ad ſapientis vitam proximè videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ nuſquam recuſat imperium, nec vnquam ſine vſura reddit, quod accepit, agroque ornato, & bene culto nihil poteſt eſſe vberius, nec ſpecie ornatius. *Idem in lib. offi.* 1. Omnium autem rerum ex quibus acquiritur aliquid: nihil eſt agricultura melius: nihil vberius: nihil dulcius, nihil homine libero dignius. *Aug. ſuper Gen. lib.* 8. Quid enim maius aut mirabilius ſpectaculum eſt, aut magis cum natura rerum humana ratio quodammodo loqui poteſt, quàm cum compoſitis ſeminibus, plantatis ſurculis, tranſlatis arbuſculis, inſitis malleolis tanquam interrogetur quæque vis radicis, & germinis, quid poſſit, quidue non poſſit, vnde poſſit, vnde non poſſit, quid in ea non valeat neruorum inuiſibilis interiorum potentia. Quid intrinſecus adhibita diligentia, & in ipſa conſideratione perſpicere: quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui incrementum dat. Nam & illud operis quod accedit extrinſecus, per iſtum accedit quem nihilominus creauit, & quem regit, & quem ordinat inuiſibilis Deus.

Aruum. Conſitum. Paſcuum. Floridum.

D

De ipſius apud antiquos veneratione.

CAP. XLIII.

PLin. lib. 18. Aruorum ſacerdotes Romulus primus inſtituit: ſeque duodecimum inter illos fratrem appellauit. Numa inſtituit Deos fruge colere, & mola ſalſa, ſupplicare, & (vt auctor eſt Hemina) far torrere: quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet, id vno modo conſecutum, ſtatuendo non niſi toſtum ad rem diuinam purum eſſe. Is & fortunę caluę inſtituit farris torrendi ferias. Et agrorum terminis æque religioſas. Hos enim Deos tunc maxime nouerant Seiam, ſcilicet à ſerendo, & Segeſtam à ſegetibus appellabant, quarum ſimulachra in cyrco videmus. Nec deguſtabant quidem fruges nouas, aut vina antequam ſacerdotes primitias libaſſent. Agrum male colere cenſorium probrum iudicabatur. Et (vt refert Cato) quem virum bonum colonum dixiſſent, ampliſſimè laudaſſe æſtimabant. Hinc etiam locupletes dicebant, locis hoc eſt agris plenos. Cautū quoque beniuolentia legū eſt. ne bouem prius quam ouem nominaret, qui mulctā indiceret. Frugem quidem aratro quæſitam furtim nocte pauiſſe & ſecuiſſe, puberi duodecim tabulis erat capitale, ſuſpenſumque ob ceretem grauius, quam homicidio conuictum iubebant necari. Impubem vero prætoris arbitratu verberari, noxamve duplionemve decerni. Iam vero diſtinctio ciuitatis ipſius honoſque non erat aliunde. Ruſticæ tribus eorum qui haberent rura laudatiſſima. Vrbanę ferè in quas transferri ignominia eſſet deſidiæ probro. Iraque quatuor ſolæ erant à partibus vrbis in queis habitabant. Suburbana, pallatina, collina, eſquilina. Nundinis vrbem reuiſitabant, ideoque nundinis non licebat habere comitia, ne plebs auocaretur ruſtica. Quies ac ſomnus in ſtramentis erat. Gloriam denique ipſam à farris honore appellabant adoriam. His itaque moribus non ſolum ſufficiebant fruges, nulla prouinciarum Italiam paſcente: Verumetiam incredibilis erat vilitas annonæ. Trebius in ędilitate aſſibus populo præſtitit frumentum, quam ob cauſam & ei ſtatuæ in capitolio atque palatio ſunt dicatæ. Et ipſe ſupremo die populi humeris portatus eſt in rogum.

Censorium probrum.

Trebij laus.

E

De iugerum portione.

CAP. XLIIII.

IVgerum vocatum eſt, quod vno die vno iugo boū exarari poteſt. Actus dicebatur, in quo boues agerent cum aratro vno impetu iuſto, hic centum viginti pedum erat. Et duplicatus in longitudine iugerum faciebat. Dona quidem ampliſſima Imperatorum erant, & fortium ciuium quanto quis vno die circumaraſſet plurimum. Marci quidem Curtij poſt triumphos immenſumque terrarum Imperio adiectum, nota concio eſt, pernicioſum intelligi ciuem cui ſeptem iugera non ſatis eſſent, hæc autem menſura plebeis poſt exactos reges eſt aſſignata. Quænam ergo tantæ vberratis erat cauſa, ipſorum nempe tunc imperatorum manibus agri colebantur, (vt fas eſt credere) gaudente terra lauteato vomere, ac triumphali aratore, ſiue illi eadem cura tractabant ſemina, qua bella, eademque diligentia diſponebant arua qua & caſtra, ſiue honeſtis manibus omnia perueniebant lætius, quoniam & curioſius fiebant. Subinde ex agris ſenatus ac duces accerſebantur. At nunc eadem illa, ſcilicet arua vincti pedes, damnati manus, inſcripti vultus, exercent. Et apud Romanos quidem multo ſerior vitium cultura cæpit eſſe, primo ſiquidem, vt erat neceſſe, arua tantum coluere.

Iugerum vndet

Imperatores agricolæ.

Vites ſerius culta à Romanis.

De agri electione.

CAP. XLV.

PAlladius, de agricultura libro 1. Eligendus eſt autē pinguis & reſolutus ager, qui minimum laborem petit, fructumque maximum reddit. Secundi vero meriti ager ſpiſſus eſt, qui labore quidem maxime ad vota reſpondet. Illud autem eſt genus deterrimum, quod ſiccum eſt ſimul & ſpiſſum, & macrum, vel frigidum,

Aruorum ſacerdotes.

Agri deterrimi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gidum , qui videlicet ager peſtiferi more fugiendus eſt. In agro vero eligendo vel emendo cauendum eſt ne bonum naturalis bonitatis , & fœcunditatis colentium inertia deprauauerit, & inde degeneres ſurculos vber ſoli feracis expenderit, quod quamuis emendari poſſit in ſatione, meliorum tamen harum rerum ſine culpa melior vſus eſt, quam cum ſpe corrigi ſerus inuentus: poſitio ipſius agri eligendi ea ſit; In frigidis prouincijs Orienti & Meridiani, lateri ager debet eſſe oppoſitus, ne alicuius magni montis obiectu his duabus partibus excluſis algore rigeſcat, aut per partem ſeptentrionis ſole remoto, aut per occidẽtis in veſperam ſole dilato, penitus ſterileſcat, In calidis vero prouincijs pars totius ſeptentrionis optanda eſt, quæ & vtilitati & voluptati & ſaluti æqua bonitate reſpondeat. *Plinius vbi ſupra.* Paraturos agrum ante omnia intueri oportet, aquarum vim , aut vicinium. Attilius regulus ille punico bello bis conſul aiebat, neque in fœcundiſſimis locis inſalubrem agrum parandum, nec effectis ſalubertimum. Salubritas loci non ſemper incolarũ colore detegitur , quoniam aſſueti durant etiam in peſtilentibus. Sunt præterea quædam partibus anni ſalubria, nihil autem ſalutare eſt, niſi quod anno toto ſalubre . Ager vtique eſt malus, cum quo luctatur dominus. Cato inter prima ſpectare iubet, vt ſolum ſua virtute valeat, qua dictum eſt poſitione, vt operariorum copia, oppidumque validum ſit prope, vt nautgiorum , vel itinerum euectus: deinde vt bene ſit ædificatus, & cultus, nihil enim agro deſerto damnoſius. Itaque Cato, de bono domino melius emi. Et in agro quæſtuoſiſſimam iudicat vitam, non fruſtra: quoniam ante omnia cauit de ratione impenſæ: proxime hortos irriguos , nec id falſo, ſi ſub oppido ſint & prata , quę antiqui dixere parata.

De ſalubritate aquæ ac agri electione conſideranda.

CAP. XLVI.

Aer colendi agri vnde agnoſcitur.

Aqua ſalubritas.

PAlladius *vbi ſupra*, Eligendi, & bene colendi agri ratio quatuor rebus conſtat: aere, aqua, terra, induſtria. Ex his tria ſunt naturalia, vnum facultatis, & voluntatis eſt. Naturę enim eſt, vt eis locis quæ colere deſtinabis, aer ſit ſalutaris, & clemens, aqua ſalubris, & facilis: vel ibi naſcens, vel adducta, vel imbre collecta. Terra vero fœcunda, & ſitu commoda aeris ſalubritatem declarat. Loca ab infimis vallibus libera, & nebularum noctibus abſoluta, & habitatorum conſiderata corpuſcula, ſi eis color ſanus, capitis firma ſinceritas, inoffenſum lumen oculorum , purus auditus, fauces commeatum liquidæ vocis exercẽtes, hoc genere benignitas aeris approbatur , his autẽ cõtraria: noxium illius cæli ſpiritum confitentur . Aquę vero ſalubritas ſic agnoſcatur , primum ne à lacunis aut palude ducatur. Ne de metallis originem ſumat, ſed ſit perſpicui coloris. Neque vllo ſapore, vel odore vitietur, nullus ei limus inſideat , frigus tempore ſuo mulceat. Aeſtatis incendia moderetur . Sed quia ſolet his omnibus ad ſpeciem cuſtoditis, occultiorem noxam rectior ſeruare natura, ipſamque quoque ex incolarum ſalubritate noſcamus, ſi fauces bibentium puræ ſunt, ſi ſaluo capite in pulmonibus ac thorace aut nulla eſt au rara cauſatio.

De terræ fœcunditate exploranda.

CAP. XLVII.

Terræ fœcunditatis ſigna.

IN terris vero quærenda eſt fœcunditas, ne alba, & nuda ſit gleba, ne macrum ſabulum , ſine admixtione terreni, ne creta ſola, ne arenę ſqualentes, ne ieiuna glaria, ne auroſi pulueris lapidoſa macies , ne ſalſa, vel amara, vel vliginoſa terra , ne tofus arenoſus atque ieiunus, ne vallis nimis opaca, ſed ſolida ſit gleba, putris, & ferè nigra, & ad regendam ſe graminis ſinceritate ſufficiens, aut mixti coloris , quæ & ſi rara ſit, tamen pinguis ſoli adiunctione glutinetur, at quæ protulerit, nec ſcabra ſint, nec torrida , nec ſucci naturali egentia, feratque quod frumentis dandis vtile ſignum eſt, ebulum, multum calamum, gramen, trifolium non macrum, rubos pingues , pruna ſilueſtria. Color tamen non magnopere quærendus eſt, ſed pinguendo atque dulcedo. Pinguem , ſic agnoſcas, glebam paruam dulci aqua aſperges, & ſubigas. Si glutinoſa eſt, & adhæret, conſtat illi ineſſe pinguedinem. Item ſcrobæ effoſa, & repleta, ſi ſuperauerit terra pinguis eſt, ſi defuerit , exilis , ſi conuenerit æquata, mediocris. Dulcedo autem cognoſcitur, ſi ex ea parte agri, quæ magis diſplicet, glebam fictili vaſe, dulci aqua madefactam iudicio ſaporis explorabis. Vineis quoque vtilia per hæc ſigna cognoſces, ſi coloris, & corporis rari aliquatenus atque ſoluti eſt. Si virgulta, quę profert, lenia, nitida, fœcunda ſunt, vt piros ſilueſtres, prunos, rubos cæteraque huiuſmodi, neque intorta habeat, neque ſterilia , neque macra exilitate languentia. Situs vero terrarum neque planus vt ſtagnet, neque præruptus, vt defluat, neque obruptus, vt in ima deiecta valle ſubſideat, neque arduus, vt tempeſtates immodicas ſentiat , & calores. Sed ex his omnibus vtilis ſemper eſt æquata mediocritas. Et vel campus apertior, & humorem plurimum cliuo valle ſubducens , vel collis molliter per latera inclinata deductus, vel vallis cum quadam moderatione, & aeris laxitate ſubmiſſa , vel mons alterius culminis defenſus obiectu, Et à moleſtioribus ventis aliquo liber auxilio, vel ſublimis aſper: ſed nemoroſus, & herbibus.

Pinguedinis ſignum.

De Operis ruſtici induſtria.

CAP. XLVIII.

Sententia ab agricolis tenenda.

NVnc exequi conuenit partem, quæ reſtat, induſtriæ: cuius hęc erit cura vel maxime quas ſubieci tenere ſententias; præſentia domini profectus eſt agri. Genera omnium ſurculorum, vel frugum præclara, ſed terris tuis experta committe. In nouo enim genere ſeminum ante experimentum non eſt tota ſpes ponenda; locis humidis ſemina citius, quam ſiccis degenerant: operum ratio vnum modum tenere non poteſt in tanta diuerſitate terrarum . Et ideo ſoli, & prouinciæ conſuetudo conſiderãda eſt , ſiue in ſurculis, ſiue in genere omnium ſatorum. Quæ florent, cõſtat non eſſe tangenda viribus agreſtibus. Officia maxime iuuenum congruunt, imperia ſeniorum. In agro periclitantur interiora, niſi colantur , extrema. Neceſſitas ferijs caret ; fœcundior eſt culta exiguitas, quam magnitudo neglecta . Terræ altitudinem cum fœcunditate , ſed ad frumenta duobus pedibus explora, quatuor vero ſi arbuſta, vel vites . Si tibi ager eſt, ſyluis inutilibus tectus, ita eum diuide , vt loca pinguia puras reddas nouales. Loca ſterilia ſiluis tecta eſſe patiaris : quia illa naturali vbertate reſpondent. Hæc beneficio lætantur incendij. Lupinus, & vicia pabularis, ſi virides ſuccidantur, & ſtatim ſupra ſectas earum radices arentur , ſtercoris ſimilitudine agros fœcundant, qui ſi ex ſe aruerint antequam proſcindas, ex his terræ ſuccus aufertur . Ager aquoſus plus ſtercoris quærit, ſiccus minus. Si neceſſitas cogat de ſalſa terra ſperare aliquid : poſt autumnum plantanda eſt, vel conſerenda , vt malitia hybernis imbribus elauetur. Aliquid terræ, vel arenæ fluuialis ſubijciendum eſt, ſi illis virgulta committimus.

Nota de vicijs & lupinis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iterum de quibuſdam documentis artis ruſtica.

CAP. XLIX.

Quæſtus certiſſimus quis?

PLin. *vbi ſupra.* Nunc etiam aruorum culturæ rationem tractare volumus, non modo vulgari: quandoquidem qui ea diligentius tractauere, quibuſuis oratoribus potius quam agricolis ſcripſiſſe poſſunt videri Principium quoque à Catone ſumemus. Prædium inquit ne cupide emas, & in re ruſtica operi nõ parcas. Idem Cato interrogatus quis eſſet quæſtus certiſſimus; reſpondit. *Si* bene paſcas qui proximus, ſit. At bene ſumma omnium in hac ſpectanda fuit, vt fructus is maximè probaretur qui minimo impendio conſtaturus eſſet: hoc ex locorum occaſione aliter alibi decernitur: eodem pertinet, quod agricolam vendicem eſſe oportere dixit, fundum in adoleſcentia conſerendum ſine contractione, ædificandum non niſi agro conſito, & eum qui bene habitet, ſæpius ventitate in agrum, frontemque domini plus prodeſſe, quàm occipitium, non mentiuntur. Modus autem hic probatur, vt nec fundus villám quærat, nec villa fundum. Dicere quoque conuenit, nec iuxta paludes ponendum eſſe, nec aduerſo amne, quanquã Homerus omnino è flumine ſemper ante Lucanas auras inſalubres tradidit veriſſimè: In æſtuoſis locis ſpectare debet ſeptentrionem. In frigidis vero meridiem. In temperatis exortum æquinoctialem. Ipſius agri bonitas, quibus argumentis iudicanda ſit, quanquam de optimæ terræ genere diſſerẽdo, quod dictũ eſt ſufficere poſſit, etiã tamen traditas notas ſubſignauimus. Catonis maximè verbis, ebulum vel prunus ſilueſtris, vel rubus bulbus minutus, trifolium herba pratenſis, quercus ſilueſtris, maluſque frumentarij ſoli notæ. Item nigra terra cinerei coloris. Omnis creta coquit, niſi permacta. Sabulum etiam, niſi id pertenue, & multo campeſtribus magis, quam cliuoſis reſpondet eadem. Agri modum in primis ſeruãdum antiqui putauere. Ita quippe cenſebant. Satius eſſe minus ſerere, ac melius arare, qua in ſententia Virgilium quoque video fuiſſe, vna fuit antiquorum vox. Temerarium, & fortaſſe ęſtimetur penitus incredibile, nihil minus expedire, quam agrum optime colere. Nam bene quidem colere neceſſarium eſt, optime vero damnoſum, præterquam ſobole ſua colono, aut paſcendis. Alioquin colente domino aliquas meſſes colligere non expedit, ſi computetur impendium opere, nec temere oliuam, nec quaſdam terras diligenter colere, ſicut in Sicilia tradunt. Itaque decipi aduenas dicunt. Inde reliqua proſequamur oracula. Nequam eſſe agricolam, quiſquis emeret quod ei præſtare fundus poſſet. Malumque patremfamilias eſſe, quiſquis interdiu domi faceret, quod noctu poſſet, niſi tantum in cæli tempeſtate: peiorem quoque qui profeſtis diebus ageret, quod feriatis deberet, peſſimum vero qui ſereno die potius operaretur ſub domi tecto, quam in agro, fruteta optime tolluntur igne, filix biennio moritur, ſi frondem agere non patiaris, id efficaciſſimè contingit germinantibus ramis baculo decuſſis. Succus enim ex ipſa defluens necat radices. Aiunt & circa ſolſtitium auulſas, non renaſci, nec arundine ſectas aut exaratas vomeri arũdine impoſita præcipiunt. Iuncoſus ager verti pala debet. At in ſaxoſo bidentibus: humidiorem agrum vtiliſſimũ eſt foſſione conſcidi atque ſiccari, foſſas vero retuſis locis apertas relinqui. In ſolutiori terra ſepibus firmari. Extirpandæ ſyluæ rationem prodidit Democritus, Lupini flore in ſucco cicutæ vno die macerato, ſparſiſque radicibus.

Notæ ſoli frumentarij

Oracula ruſticorum.

Extirpanda ſiluæ ratio.

De multiplici cultura terræ.

CAP. L.

ISidorus *lib.* 17. Cultura eſt qua frumenta vel vina quæruntur ex terra magno labore, ſcilicet ab incolendo ſic vocata, diuitię ſiquidem antiquorum in his duobus erant, videlicet bene paſcere, & bene arare. Cultura quidem agri multiplex eſt, ſcilicet cinis ſiue ſtipularum incenſio, ſtercoratio, intermiſſio, aratio, occatio, runcatio. Cinis eſt incendium per quod ager inutilem humorem exudat. Aratio dicta eſt, quia de ære prius terræ culturam exercebant, antequam ferri fuiſſet vſus repertus. Duplex autem eſt aratio, ſcilicet vernalis, & autumnalis. Intermiſſio eſt qua alternis annis vacuus ager vires reſumit. Stercoratio eſt lætaminis aſperſio. Stercus autem vocatur, vel quia ſternitur in agris, vel quia extergi oporteat, quicquid ſordidum in ciuitate redundat. Idem & fimus eſt qui per agros iacitur, & dictus fimus quia fiat mus, ideſt ſtercus, quod vulgo lætamen vocatur eo quod ſuo nutrimento læta faciat germina reddatque arua pinguia & fæcunda. Occatio cum ruſtici ſatione facta, bobus dimiſſis, grandes glebas cædunt, ac ligonibus frangunt. Et *dicta eſt occatio, quaſi obcæcatio, eo quod operiat ſemina.* Occare igitur eſt operire terra ſemina, vites, vel arbores. Runcare eſt à terra herbas vellere. Nam rus terra eſt. Sulcus à Sole vocatus eſt, eo quod proſciſſus Solem capiat. Et proſciſſio eſt aratio prima, cum adhuc durus ager eſt. Satio dicta, quaſi ſatorum actio. Serere autem vocatum eſt: quia hoc ſereno cælo faciendum eſt, non per imbres. *Plin. lib.* 18. In Aegypto Nilus vice coloni fungens, incipit euagari ſolſtitio, aut noua luna, at primo quidem lentè, deinde vehementius, quamdiu ſol eſt in Leone. Mox in virginem tranſgreſſo pigreſcit, atque in libra reſidet, ſi duodecim cubitos non exceſſerit, certa eſt fames, nec minus ſi 16. exuperauerit, tanto enim tardius decidit, quanto abundantius creuit, & ſementem arcet: vulgo credebatur ab eius deceſſu ſerere ſolitos, mox impellere ſues veſtigijs ſemina deprimentes, & hoc quidem in madido ſolo antiquitus factitatum credo. Nunc autem inarari cerum eſt, abiecta prius ſemina in limo digreſſi amnis: hoc eſt in Nouembri menſe incipiente, poſtea pauci runcant.

Diuitiæ antiquorum.

Cinis.

Aratio.

Intermiſſio.

Stercoratio.

Occatio.

Etymon.

Runcatio.

Sulci Etymon.

Satio.

De Agri cineratione.

CAP. LI.

AVctor. Cineratio igitur, vt dictum eſt, incenſio eſt ſtipularum per quam ager inutilem humorem exudat ſecundum Iſidorum. Nam: vt etiam ſuperius dictum eſt iuxta Plinium humidiorem agrum ſiccari eſt vtiliſſimum. *Plinius lib.* 17. Cineris vſus adeo placet Tranſpadinis, vt anteponant eum fimo iumentorum: quod quia leuiſſimum eſt, ob id exurunt, vtroque tamen pariter non vtuntur in eodem aruo, nec in arbuſtis cinere, nec ad quaſdam fruges. Suut etiam qui puluere vuas ali iudicent, pubeſcenteſque puluerent, ac vitium arborumque radicibus aſpergant, quod Narbonenſi Prouinciæ certum eſt, & vindemias citius, ſicco coqui, quia plus ibi puluis quam ſol confert. *Palladius, vbi ſupra.* Vt autem ſuperius dictum eſt ager inutilibus ſyluis tectus diuidendus eſt. Nam loca pinguia ſunt in puras nouales redigenda. Locaque ſterilia ſyluis tecta eſſe patienda. Nam illa quidem reſpondent vbertati naturali, hæc autem beneficio lætantur incendij, ſic tamen vrenda diſtingue, vt ad incenſum agrum poſt quinquennium reuertaris. Ita nimirum efficies, vt æqualiter, ſcilicet ſterilis gleba cum fæcunditate contendat. *Idem in lib.* 9. Menſe Auguſto vrenda ſunt paſcua, vt & altorum fruticum feſtinatio reprimatur ad ſtipites, & incenſis aridis noua lætius herba ſuccedat.

Cineratio.

Vuas puluerare.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Stercoratione.

CAP. LII.

Author ſtercorationis.

PLin. *vbi ſup. ſ. lib.* 17. Fimi vſum Augens Rex excogitaſſe traditur in Græcia, diuulgaſſe vero Hercules in Italia, quæ ſuo Regi Stercutio Fauni filio propter eius inuentionem tribuit immortalitatem. Varro dat Principatum ex Auiarijs fimo ſcilicet turdorum, quod etiam pabulo boum ſuumque magnificat, nec alio cibo pingueſcere celerius aſſeuerat: proximum Columella facit Columbarijs, mox Gallinarijs: fimo natantium alitum damnato. Cæteri auctores conſenſu humanas dapes ad hoc in primis adUocant. Alij ex his præferunt hominum potus in coriorum officinis pilo madefacto. Alij per ſe aqua iterum largiuſque etiam quàm cum biberint admixta. Quippe plus iam ibi mali domandum eſt, cum ad virus illud vini homo acceſſerit. Hæc ſunt certamina quibus inuicem ad tellurem quoque alendam vtuntur homines. Alij proximè ſpurcitias ſuum laudant. Columella ſolus damnat. Alij cuiuſcumque quadrupedis fimum dicunt exitioſum. Aliqui vero columbarum præferunt, proximum deinde caprarum eſt, dehinc ouium, deinde boum, nouiſſimuſque iumentorum. Nuper repererim oleas gaudere maximè cinere è calcarijs fornacibus. Varro præceptis adijcit æquino, quod leuiſſimum ſit, alendi ſegetes. Prata vero grauiore, & quod ex ordeo fiat, multaſque gignit herbas. Quidam etiam iumentorum fimum præferunt bubalino, opillumque caprino, omnibus vero aſinorum: quoniam aſini lentiſſimè mandunt. Econtrario autem vſus aduerſus vtrumque pronunciat: Porro inter omnes conſtat nihil melius eſſe lupini ſegete, priuſquam ſiliquetur, aratro, vel bidentibus verſa, manipuliſve defectis circa radices arborum ac vitium obrutis. At vbi non ſit pecus, ipſo culmo, vel etiam ſilice ſtercorare arbitrantur. *Cato.* Stercus vnde fiat, ſtramenta, lupinum, paleas, fabalia, ac frondis iligneas, quernaſque ex ſegete euellito, Ebulum, cicutam, & circum ſalicta herbam auctam vluamque ea ſubſternito ouibus, frondemque putridam, vinea ſi macruerit, ſarmenta ſua comburito, & itidem inarato. Itemque vbi ſaturus eris frumenti, oues delectato. Necnon, & ſatis quibuſdam ipſis dicit paſci terram. Segetem ſtercorant fruges lupinum, faba, vicia. Sicut econuerſo cicer: quia vellitur, & quia falſum eſt, ordeum fœnum Græcum, & eruum hęc omnia ſegetem exurunt, & omnia quæ velluntur. Virg. etiam lino ſegetem exuri, & auena, & papauere arbitratur. Fimeta vero fieri ſub diuo loco concauo, & qui humorem colligat, iubet, ſtramentis intecta ne in Sole areſcant, palo è robore depacto, ita fore ne innaſcantur his ſerpentes.

Cineres calcis oleis proſunt.

Exurentia ſegetum.

Pecorum manſio.

Idem in lib. 18. Sunt, qui optime ſtercorari putent ſub diuo retibus incluſa pecorum manſione. Ager ſi non ſtercoratur alget. Si nimium ſtercoratus fuerit, aduritur. Satiuſque eſt id ſæpe, quàm ſupra modum facere quo calidius ſolum eſt, eo minus addi ſtercoris ratio eſt.

De Stercorationis tempore.

CAP. LIII.

Tempus ſtercorationis

IDem *in lib.* 17. Plurimum vero refert miſcere ſimum terræ Fauonio flante, ac luna ſitiente. Id autem pleriqúe intelligunt praue ab ortu Fauonij faciendum, ac Februario Menſe tantum: cum id pleraque ſata menſibus alijs poſtulent. At quocumque tempore fiat, curandum eſt, vt ab occaſu æquinoctiali flante vento fiat, luna decreſcente ac ſicca, mirumque in modum obſeruatione tali vbertas augetur, eiuſque effectus.

Palladius lib. 1. Menſe Februario temperatis locis incipiunt prata cuſtodiri, quæ prius ſi macra ſint, debent ſparſo lætamine ſaturari, quod eijciendum eſt luna creſcente, quantoque recentius fuerit nutriendis herbis, plus tanto valebit, quod à parte fundendum eſt ſuperiori, vt eius ſuccus per totum poſſit elabi. *Idem in lib.* 10. Porro in menſe Septembri circa æquinoctium ſtercorandi ſunt agri, ſed in colle ſpiſſius. In caporarius lætamina diſponenda ſunt cum luna minuitur, quæ res videlicet ſi obſeruetur, herbis officiet: vni iugero aſſerit Columella ſufficere ſtercoris carpenta 24. in plano vero 18. Sed ijdem cumuli tot diſſipandi ſunt, quot ea die exarari potuerint, ne ſcilicet exiccata ſtercora nil profint. Eijciunt quidem lætamina etiam qualibet hyemis parte, ſi eijci non potuerint in ſuo tempore. Itaque antequam ſeratur puluis ſtercoris, more ſeminis, per agrum proijci debet, & ſpargi, terraque ſarculis permiſceri, nec prodeſt vno tempore nimium ſtercorare, ſed frequenter ac modicè. Ager aquoſus ſtercoris requirit plus, ſiccus vero minus. At ſi lętaminis copia non abundat, hoc etiam pro ſtercore optimè cædat, vt ſabuloſis locis ſpargas Cretam, ideſt Argillam, Cretoſis autem ac nimium ſpiſſis Sabulonem, hoc & ſegetibus proficit, & vineas pulcherrimas reddit, nam & lętamen in vineis ſaporem vini vitiare conſueuit. *Idem in libr.* 11. Menſe autem Octobri ſi ſuppetit intermiſſo fimo ſunt Oliueta ſtercoranda locis maxime frigidis.

Vni iugero quantum ſtercoris ſufficit.

Creta. Sabulo.

De Aratione.

CAP. LIIII.

PLinius *lib.* 18. In arando ſeruandum eſt Catonis oraculum, quod eſt bene colere, & bene arare agrum, lutoſam terram ne tangito, vi omnia arato, priuſquam ares proſcindito, hoc enim vtilitatem habet: quia inuerſo cæſpite necantur herbarum radices, boues aratris, quàm arctiſſimè iungendi ſunt, vt capitibus ſublatis arent, ſic enim colla minimè contundunt. Et ſi quidem inter arbores aut vites aretur, fiſcellis capiſtrati incedant, ne germinum tenera præcerpant, omne aruum debet ſubigi rectis ſulcis, mox & obliquis. In collibus aratur tranſuerſo tantum monte, ſed modo in ſuperiora, modo in inferiora roſtrante vomere, tantumque laboris eſt hominum, vt etiam boum vice fungantur. Nam ſine animalibus his montanæ gentes arant ſarculis. Arator niſi incuruus, præuaricatur: purget vomerem ſubinde ſtimulus cuſpidatus rallo, ſcanna inter duos ſulcos cruda ne relinquantur, glebæ ne exultent.

Boues quomodo iungẽdi aratris.

Palladius lib. 1. Qui arando crudum ſolum inter ſulcos relinquit, fructibus ſuis derogat, & terræ vber infamat. *Idem in lib.* 2. Boues ad arandum melius collo, quàm capite iunguntur, quos vbi ad menſuram venerint arator tetineat: iugum quoque protollat, vt eorum colla refrigerentur. Sulcus enim in aratione longior quam 120. pedum non debet eſſe. Seruandum eſt autem ne inter ſulcos terra non emota relinquatur, ſed glebæ omnes dolabris diſſipentur. Æqualiter vero terram cognoſcis eſſe motam, ſi tranſuerſam per ſulcos multos æqualiter partitam proſpexeris, vt non intelligatur vtro vomer ierit, quæ res ſæpius facta bubulcos ab hac remouebit negligentia. Obſeruandum eſt ne aretur ager lutoſus, aut, quod ſæpe fit, poſt longas ſiccitates imbre leui perfuſus. Nam in terra quæ lutoſa tractatur in primordio fertur non poſſe tractari toto anno. Quæ autem ſupra leuiter infuſa eſt, ac ſubter ſicca, ſi tunc aretur, per triennium fieri ſterilis aſſeritur. Ideoque mediocriter infuſus ager, vt nec lutoſus, nec aridus ſit, præſcindi debet, ſi collis tranſuerſus eſt per latera ſulcari debet, quæ forma tunc ſeruanda eſt cum ſemen acceperit.

Sulci longitudo.

Ager lutoſus non arandus.

De

De Temporibus arandi.

Cap. LV.

Terra cretosa quando aranda?

Plinius vbi supra. Tepidioribus locis à bruma præscindi debent arua, & frigidioribus ab æquinoctio verno. Maturius autem sicca regione quàm humida, maturius densa terra quam soluta, pingui quàm macra, vbi siccæ, & graues sunt æstates. Terra cretosa, & gracilis vtilius in solstitium, & autumni æquinoctium aratur, vbi vero leues sunt æstus ac frequẽtes imbres, pingue herbosumque solum, ibi melius caloribus. Altum, & graue solum etiam hyeme vomeri placet. Tenue valde, & aridum paulo ante sationis tempus. Quidam ab æquinoctio verno proscindi volunt, quodque vere semel aratum est. *Palladius lib.* 3. Mense Februario locis tepidis, aut si tempus clemẽs, & siccum fuerit, colles pingues proscindi conuenit. *Idem in lib.* 4. Mense Martio locis quidem frigidis prata purgari atque serenari oportet, locis autem calidis colles pingues, & agros vliginosos proscindere, & exarare conueniet. *Idem in lib.* 5. Mense quoque Aprili pingues agri quamdiu aquam tenent, post idus proscindendi sunt. Cum & omnes herbas protulerunt, & eorum semina nondum maturitate firmata sunt. *Idem in lib.* 6. Mense nihilominus Maio pingues herbosique proscinduntur agri. *Idem in lib.* 7. Mense vero Iunij frigidissimis locis, quæ Maio prætermissa sunt excoluntur: oportet fere tunc agros æquè proscindi herbosis, ac partibus gelidis vineta occari. *Idẽ libro* 9. Porro mense Augusti & circa Kalendas Aprilis, ager planus humidus exilis incipiat exarari.

Herbosi agri quando?

De agris incultis aperiendis.

Cap. LVI.

Ager tumidus?

Idem in libro sexto. Mense Maio (vt dictum est) agros gelidos herbososque proscindi oportet: verum si agros incultos volueris aperire, considera, siccus an humidus sit ager, syluis, aut gramine, frutetis tectus aut filice. Et si quidem est humidus, fossarum ductibus est vndique siccandus. Sed apertæ quidem fossæ notæ sunt. Occultæ autem hoc modo fiunt, sulci per agrum transuersi ternorum pedum altitudine imprimuntur, postea vero vsque medietatem lapidibus minutis aut glarea replentur ac desuper terra quæ fuerat egesta æquantur. Sed fossarum capita vnam patẽtem fossam petant, ad quam decliues currant, sic & humor deducetur, & agri spacia non peribunt, si vero lapides defuerint, sarmentis, vel stramentis subiectis cooperiantur, aut quibuscumque virgultis: verum si ager est nemorosus, extirpatis aut raro relictis arboribus excolatur. Si vero lapidosus fuerit, per macerias saxorum turba collecta, & purgari & inde minui poterit, frequenti aratione vincunrur gramen & iuncus, & filices. Sed filicem, si sæpe fabam conseras, vel lupinos & subinde nascentem mucrone falcis inscidas, ita exiguum tempus absumes. *Idem in lib.* 8. Mense Iulio cum Luna decrescit agri Syluestres vtilissime extirpantibus arboribus atque virgultis desectis radicibus atque combustis. *Plinius vbi supra.* Fruteta quippe igni tolluntur optimè, syluæ quoque rationem extirpandæ prodidit Democritus, lupini flore in succo cicutæ vno die macerato sparsisque radicibus.

Lapidosus.

De iteratione & occatione & resectione.

Cap. LVII.

Frosciſſum Iulio.

Palladius, vbi supra. Mense Iulio agri qui Aprili fuerant proscissi circa Kalendas sunt iterãdi. *Idem in libro decimo.* Mense quoque Septembri ager pinguis, & qui tenere diu consueuit humorem, tertia vice debet arari, quamuis ex humido anno possit ante tertiari. Eodem etiam anno pariter & mense ager humidus, & planus, & exilis, quem Augusto mense diximus, debere primitus exarari, iterari debet ac seminari, porro graciles cliui nunc primo sunt arandi, & statim serendi. *Plinius vbi supra.* A ratione per transuersum iterata, occatio sequitur, vbi res poscit crate vel rastro, & semine sato fit iteratio. Et vbi consuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro annexa, quod liram vocant, operiuntur semina, vnde primum deliratio est vocata. Quarto seri sulco Virgilius æstimatur voluisse, cum dixit optimam segetem esse, quæ bis solem bisque frigora sensisset. Spissius solum vt plerumque in Italia melius est seri quinto sulco, in Tuschis vero nono. Nec obmittemus arandi rationem vnam in Transpadana Italia bellorum iniuria excogitatam. Salassi cum subiectos alpibus depopularentur agros, panicum milliumque iam excrescens, tentauerunt. Et postquam natura respuebat, inararunt. At illæ messes duplicatæ docuere, quod nunc arrrare vocant, ideſt arattare. Hoc autem fit vel incipiente culmo, vel cum iam bina ternave folia emiserit, nec recens subtrahamus exempium, quod in agro Treuerico nupet est compertum. Nam cum hyeme prægelida captæ segetes essent, resarrientes campos mense Martio reseuerunt, vberrimaque messes habuerunt.

Septembri.

Angusto.

Lira. Deliratio vnde?

De seminatione.

Cap. LVIII.

Legumina vbi serenda Nota de fabis & triticо.

Palladius lib. 1. Omnia vero quæ in terra seruntur crescente Luna & diebus tepidis sunt serenda. Nã tepor euocat, frigus includit, frumenta omnia maximelætantur patente & soluto campo, & ad solem recliuo. Spissa & cretosa & humida terra bene far & triticum nutrit; ordeum soluto delectatur & sicco. Nam si in lutoso agro spargitur, morietur. Trimestris satio locis frigidis limosisque conuenit, vbi qualitas æstatis humecta est, cæteris ratio respondet euentui. Semen Trimestre locis tepidis melius respondebit, si seratur autumno. Omnia legumina græcis auctoribus seri iubentur in sicca terra, faba tantummodo in humida debet aspergi. Omne triticum solo vliginoso post tertiam sationem in genus siliginis commutatur. Tria vero mala in his nocent, sterilitas, morbus, vitium, quamuis temperatis agris serendum sit, tamen si siccitas longa est, semina occata potius in agris, quam horreis seruabuntur. Seminarium mediocri terra instituere debemus, vt ad meliorem quam sata fuerint, transferantur. Hortus qui cœlo clementi subiacet, & fontano humore percurritur, prope est vt liber sit, & nullam serendi disciplinam requirat. Semina vero plusquam annicula esse non debent, ne vetustate corrupta non prodeant. Frumentum collis grano quidem est robustius, sed mensura refundet minus. Serendi tempora licet signata sint per menses certa, ea tamen secundum loci ac cæli naturam vnusquisque obseruare debet. Frigidis locis autumnalis satio fiat celerior, verna vero tardior. Calidis autem regionibus, & autũnalis potest fieri serior, & verna maturior. Omnia vero serẽda sunt (vt dictũ est) cũ luna crescit, secanda vel legẽda cũ decrescit. *Plinius, vbi supra.* Plurimum vero refert soli cuiusque ratio. Terra vero si fuerit, qua teneram appellauimus, ordeo sublato milium seri potest, eoque condito Rapa, his sublatis ordeum vel triticum, sicut in Campania, satisque talis terra aratur cum seritur. Alius est ordo, vt vbi adoreum fuerit cesset quatuor mensibus hybernis, vernamque fabam recipiat, aut ante hyemalem, nec cesset, minusque pinguis alternari potest ita, si frumento sublato, legumen seratur tertio, gracilior & in annum tertium cessет. Frumẽtum quidam

Serendi tempora.

vetant

verant ſeri niſi in ea quæ proximo anno quieuerit, nec niſi ager ſtercoratus ſit. Virgilius alternis ceſſare ſuadet arua. Et hoc quidem vtiliſſimum eſt ſi patiantur ruris ſpacia. Quod ſi neget conditio, far ſerendum eſt, vnde lupinum aut vicia vel faba ſublata ſint, & quę terram lætiorem faciunt.

De Sarculatione.

CAP. LIX.

Plinius lib. 18. Porro Siligo, & far, ordeum & triticum in terra ſeminata & occata diebus cõgruis ſarrienda ſunt atque runcanda. Sarculatio induratã hiberno rigore ſoli triſtitiam laxat temporibus vernis, nouoſque ſoles admittit. At vero qui ſarriet, caueat ne frumenti radices ſuffodiat. Triticum & ordeum & fabam bis ſarrire melius eſt. Runcatio cum ſeges in articulo eſt, euulſis inutilibus herbis, frugum radices vindicat, ſegetemque diſcernit à ceſpite. Leguminum Cicer eademque far deſiderat, faba runcari non geſtit, quoniam herbas excedit & euincit, lupinum tantum runcatur. Millium & panicum occatur ac ſeritur, ſed non iteratur, nec runcatur. Sicilia & faſeoli tantum occantur, non runcantur. Sunt autem genera terræ, quorum vbertas pectinari ſegetem in herba cogat crati, & hoc genus dentatis ſtilis ferreis. *Palladius lib.* 2. Menſe Ianuario ſerenis, ac ſiccis diebus dum gelicidia non ſunt, frumenta ſarculanda sũt. Quod quidem opus plerique negant fieri debere, eo quod eorum radices detegantur aut inſcidantur, & frigore ſubſecuto necentur. Mihi vero tantum herboſis locis hoc faciendum eſſe videtur. Sed triticum & far ſarriuntur foliorum quatuor, ordeum quinque, faba vero & legumina, cum ſupra terram quatuor digitis fuerint. Lupinus autem qui vnam habet radicem, ſi ſarculetur extinguitur, quod nec etiam deſiderat, quia præter auxilium cultoris affligit herbas. Faba ſi ſarculetur bis proficiet multum fructum & maximum redditura, vt ad menſuram modij comlendi, freſa prope modum reſpondebit ſicut integra. Porro ſi ſegetes iam ſiccas ſarculaueris, aliquid & contra rubiginem præſtitiſti. Maxime autem ordeum ſarrietur ſiccum.

Qua non runcantur.

Sarculatio quibus locis prodeſt.

De terra vineis, & arboribus apta.

CAP. LX.

SOlum vineis ponendis eſt aptum nec ſpiſſum nimis, nec reſolutum, propius tamen reſoluto, nec exile lætiſſimum, proximum tamen læto, nec Campeſtre, nec præceps, ſed potius ædito campo, nec ſiccum, nec vliginoſum, modice tamen roſcidum, nec ſalſum, nec amarum, hoc enim vitium vina contriſtat ſapore corrupto. Ad paſtinandum denique potius eligendi ſunt agri rudes, vel maxime Sylueſtres: vltima conditio eſt eius loci in quo vineta fuerunt, quo ſi neceſſitas coegerit, exerceatur prius arationibus, vt abolitis vineæ prioris radicibus omnique illarum carie & ſqualore depulſis, tutius induci poſſit nouella vitis. Tophus, & alia duriora vbi gelu relaxantur & ſolibus, pulcherrimas ferunt vineas, refrigeratis æſtate radicibus, & humore detento. Sed & ſoluta glarea, & calculoſus ager, ac mobiles lapides ſi tamen hæc omnia glebis ſe pinguibus miſcuerunt. Silex tamen cui terra ſuppoſita eſt, quia frigidus, & humoris tenax eſt, ſitire non patitur æſtate radices, loca iterũ ad quæ de cacuminibus terra decurrit, vel valles quas fluminum aggeſtio ſaturabit, ſed hæc in his locis, quæ non poſſunt infeſta eſſe gelu ac nebulis. Arenoſa etiã terra aliquando eſt commoda. Argilla ſola grauiter inimica, & cætera in generalibus dicta. Nam locus qui miſera virgulta produxerit, vel vliginoſus, vel ſalſus, vel amarus, aut ſiticuloſus, aut aridus improbatur. Sabulo niger ac rubeus vtilis eſt, ſicubi terra fortis permixta eſt. Carbunculus niſi ſtercoretur macrę in eo vineæ reddũtur. In rubrica difficile comprehendunt, quamuis poſtea nutriantur. At hoc genus terræ operibus inimicum eſt, quia paruo vel humore vel ſole nimis madeſcit, aut dura eſt. Maxime vero vtile ſolum eſt, quod inter omnes nimietates temperamentum tenet, raroque quam denſo, proximum eſt.

Terra vineis apta.

Arenoſa terra.

Argilla.

Sabulo.

Carbũculus.

De ipſarum paſtinatione.

CAP. LXI.

MEnſe Ianuario tempus eſt congruum paſtino, quod quidem tribus fit generibus, *aut terra per totum foſſa, aut ſulcis, aut ſcrobibus*. Terra tota effodi debet vbi ager immundus eſt, vt ſylueſtribus truncis, atque radicibus ſilicis, herbarum que noxiarum, ſpacia liberentur: vbi vero mundę nouales ſunt, ſcrobibus, aut ſulcis paſtinandæ ſunt, ſulcis vero melius erit, quia humorem velut in totum ſpacia paſtinata tranſmittunt, quod ſi ſcrobes fieri placet, faciat eas cultor tribus pedibus altas, duobus ac ſemis latas. tribus vero longas, vltra tres autem fodiendæ non ſunt altius, ne laborent frigore ſarmenta quæ pangimus, latera vero ſcrobibus inſciſa ſint æqualiter, ne vitis obliqua ſaucietur alta nitentibus ferramentis, cum foſſor incumbit, paſtino vero quod omne verſabitur triũ vel duorum & ſemis pedum altitudine, terra vniuerſa fodietur, in quo adhibenda eſt diligentia, ne crudum ſolum fraude cultor occultè includát. Quam ſcilicet rem ſũbinde cuſtos virga in qua prædictæ altitudinis modus ſignatur, exploret per ſpacia quæ fodiuntur. Radices omnes ac purgamenta maxime rubeti ac ſilicis in ſummum egeri faciat, quę cura eſt etiam in omni poſitionis genere ſeruanda: locus igitur paſtinandus prius impedimentis, & omnibus eliſis arboribus liberetur, ne poſt aſſiduo calcatu terra foſſa ſolidetur. Si campus eſt, duobus ac ſemis pedibus, paſtinetur, ſi cliuus tribus, collis præruptus quatuor ne terra decurrat citius, vallis autem duobus pedibus. Sed ager vliginoſus, qui humores eructat altius foſſus, non amplius, quam in pedem ſemis effoditur. *Idem li.* 3. Menſe autem Februario omnia genera paſtinati ſoli vel ſulci ſeu ſcrobes vitibus complendas æſtimo, plano igitur loco vitis ſtatim poni debet, cuius genus nebulas, & pruinas ſuſtiner. Collibus autem illas, quæ ſiccitatem & ventos tolerãt ſtatuas. Agro pingui graciles, & fœcundas, macro feraces, & ſolidas, denſo validas, & frondoſas, frigido vero nec nebuloſo, qui hyemem celeri maturitate præueniunt, aut quæ duris acinis ſecurius inter caligines florent. Denique ventoſo ſtatue tenaces. Calido grani tenerioris. Et humido feraces. Sicco autem illas, quæ ferre non poſſunt pluuiales impetus. Et breuiter eligenda ſunt vitium genera, quæ vinorum ſuorum profeſſione contraria loca diligunt, his in quibus durare non poſſunt, placida ſane regio ac ſerena, tuto genus omne ſuſcipit.

Tria genera paſtinationis.

Scrobes vitium quãtæ?

De cæteris arboribus ſimiliter paſtinandis.

CAP. LXII.

EOdem quoque menſe locis temporaris inſtituenda ſunt oliueta, quæ & paſtinis conſerẽda, quod ſi oliuetum ſuo loco facere volueris hæc terrarum genera ſequeris. Terram videlicet glarea permixtã, aut cretam ſabulonis coniunctione reſolutam, aut pinguem ſabulonem, aut denſiorem, aut niuidæ naturæ terrã. Creta figuli omnino repudienda eſt ac terra vliginoſa, & in qua ſẽper humor aſſiſtit, ſabuloque macer, & nuda glarea, quãuis enim comprehẽdat, nõ tamẽ cõualeſcit. Seri poteſt & vbi arbutus aut ilex ſtetterat. Nã cedrus exciſa radices noxias relinquit, quarũ

Arbores noxiæ oleis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

virtus oleam necat. Arbores quoque pomiferę ita paſtinis diſponi poſſunt à ſeptẽtrionali regione, de quibus ſigillatim dicemus infra, quia ſpiritualiter ſunt tenenda. Nam & pomis eadem terra qui vitibus conuenit. Scrobes autem maiores ſunt faciendæ, & inter ordines triceni pedes relinquẽdi: plantæ quidem ſtatuendæ ſunt radicatæ, ſeruandumque ne cacumina vel manufracta, vel eroſa non creſcant, vnuſquiſque ordo generi ſuo deputetur, ne infimæ à valentioribus opprimantur: decliuo exili in planum ac pinguem & humidum transferantur. Et vbi regio ſiccior eſt, aquationibus adiuuentur.

Arbores pomifera.

De vineis fodiendis, & arboribus circumfodiendis.

CAP. *LXIII.*

EOdem quoque Februarij menſe locis maritimis, & calidis vites ſunt fodiendæ. Et eodẽ tempore ſi quæ ſunt in ſeminarijs plantæ ſunt circumfodiendæ. *Idẽ in li.* 4. Porro in menſe Martio frigidis locis celebrãda eſt vinearũ foſſio. Ægras autem vites, vel quibus fructus areſcit, cõuenit circunfodi, & vrinã veterẽ ſuſfundi. Itemque cineręẽ ſarmẽti vel querci aceto mixtum ſubice, vel inſciſas circa terram lætamine refice atque refoue, & quæ germinans fortiora dimitte. *Idem in lib.* 5. Menſe quoque Aprili locis frigidiſſimis foſſio vinearum ante idus debet peragi, & ſi quæ reſtabunt de Martio menſe, vites quoque ſunt inſerendæ. Porro ſeminaria quæ ante facta ſunt herbis liberentur, ac leuiter circumfodiantur. *Idem in lib.* 6. Porro in menſe Maio, aſſidue ſeminaria fodiuntur, ac locis prægelidis ac pluuioſis oleæ putãtur, eiuſque muſcus abraditur. *Idem in lib.* 8. Menſe Auguſti nouellæ vites mane ac veſpere iam calore depoſito debent effodi, & auerſo gramine pulueriſari. Hoc enim menſe, vel ante caniculares dies vtiliter extirpantur carix & filices. Arbores quoque quæ in meſſe ſteterant, aggeſtione terrarum obrui debent meſſibus ſectis, propter nimios ardores ſolis. *Idem in lib.* 12. Menſe vero Nouembri locis frigidis nouellas vites, & arborum plantas conuenit circunfodi & operiri. *Idem lib.* 13. Denique Decembri menſe ad inſtituendas vites (ſicut ante tractatum eſt,) inchoemus effodere.

Vrina, cinis, acetũ prosũt vitibus.

Foſſio vitiũ.

De pratis inſtituendis, & colendis.

CAP. *LXIIII.*

IDem in lib. 10. Prata ſi libuerit nouella formare, menſe Septembri locum pinguem, roſcidum, & planum, leuiter inclinatum, vel huiuſmodi vallem oportet eligere, vbi humor nec ſtatim præcipitari cogitur, nec diu debet hærere, poteſt quidem in ſoluto loco & gracili prati forma, ſi rigetur imponi. Extirpãdus eſt itaque locus hoc tempore, & liberandus impedimentis omnibus, herbiſque latioribus, & ſolutis, virgultiſque. Denique, cum fuerit frequenter exercitatus, multaque aratione reſolutus, ſubmotis lapidibus, & glebis vbique cõfractis, ſtercoretur Luna creſcente recenti lætamine. Ab vngulis vero iumentorum intactus ſeruetur attentione ſumma, præcipue quotiens humeſcit, ne ſolum inæquale reddant multis locis impreſſa veſtigia. Si vero prata vetera muſcus obduxerit, eſt abradendus ſcalpris, & eiſdem locis ſpargenda ſunt fæni ſemina, quodque ad muſcum necandum prodeſt cinis eſt ſæpius ingerendus. Quod ſi locus cariæ vetuſtate in cutia ſterilis eſt factus, exaretur ac de nouo rurſus æquetur. Nam pratum ſterile plerumque arare conuenit, ac in nouo prato cõſeri poſſunt rapæ, quarum meſſe finita, cætera quæ dicta ſũt exequenda. Rigari vero non debet antequam durum ſolum fecerit, ne cratem eius minus ſolidam vis interflui corrumpat humoris. *Idem in lib.* 12. In menſe quoque Nouembri maxime principio prata noua poſſunt inſtitui more prædicto. *Idem in lib.* 2. Menſe vero Ianuario in locis apricis, aut macris, vel aridis iã prata ſunt purganda, & pecore vendicanda. *Idem in lib.* 3. Porro menſe Februarij prata locis temperatis incipiunt cuſtodiri, & prius ſi macra ſint, debent ſparſo lætamine ſaturari. *Idem in lib.* 6. Menſe Maio in locis calidis ſiccis ſiue maritimis fæna reſcidantur, prius tamen quam areſcant, quod ſi pluuijs infuſa fuerint, conuerti ante non debent quam pars eorum ſumma ſicca eſt. *Plinius lib.* 18. Prata cæduntur circa Kalendas Iunij, quorum facillima eſt agricolis cura, minimumque impendij, in læto ſolo, vel humido vel riguo, eaque aqua pluuia rigari via publica; vtiliſſimum ſimul & herbæ arare, deinde cratire, ſerere florem ex fenilibus atque ex præſepibus feno dilapſum ſpargere priuſquam cratiantur, nec primo anno rigari, nec paſci ante ſecunda fæniſecia, ne herbæ vellantur, obtrituque hebetentur. Seneſcunt prata, reſtituique debent faba in his ſata, vel rapis, vel milio, mox in anno ſequenti frumento; Rurſuſque in prata relinqui tertio. Secandi tempus eſt fæni, cum ſpica defloreſcere cæperit ac roborari, ſecandum eſt enim antequam inareſcat. At fænum inquit Cato ne ſeces priuſquam ſemen maturum ſit. Quidam pridie rigant vbi rigua ſunt. Noctibus roſcidis ſecare melius eſt. Sectum autem oportet ad ſolem vetti, nec niſi ſiccum conſtrui: ni fuerit obſeruatum hoc diligenter, matutino nebulam quandam exalare, moxque ſole accendi & conflagrare certum eſt: rurſus deſecta rigari oportet, vt ſecetur autumnale fænum, quod vocant cordũ. Porro in Vmbria pleriſque locis etiam non rigua ſecantur quater in anno. Et poſtea in ipſo pabulo armentorum non minus alimenti eſt quam à fæno.

Iumentorum vngula notiua.

Remedia cõtra muſcum & cariem.

Prata quãdo cæduntur.

Reſtitutio pratorum ſeneſcentium.

Cordum.

De hortis in terra conſerendis, & areis faciendis.

CAP. LXV.

PAlladius lib. 1. Hortus vero maxime ſterquilinio ſit ſubiectus, cuius eum ſuccus ſponte fœcundet, ab area longe ſitus, nam puluerem palearum patitur inimicum. Fælix autem horti poſitio, cui leuiter inclinata planities, curſus aquæ fluentis per ſpacia diſcreta deriuat. Si fons deſit aut imprimẽdus eſt puteolus, aut piſcina cõſtruenda ſuperius, vt aquas illi pluuia conferente, hortus per æſtiuos ardores rigetur. Quod ſi hac omni facilitate careueris, ſemper altius tribus, vel quatuor pedibus, ad ſimilitudinem paſtini fodias hortulum, qui ſic cultus negligat ſiccitates. At huic quamuis ſtercore adiuta quælibet conuenit terra; hęc tamen genera ſunt in electione vitanda, videlicet creta, quæ dicitur argilla & rubrica. Illud quoque cuſtodias in hortis quos natura non adiuuat humoris, vt partes diuidas, & hyeme ad meridiem, æſtate ad ſeptentrionem ſpacia colenda conuertas. Multis autem generibus hortos muniunt. Nam alij luto parietes figurant. Alij congeſta in ordinem ſaxa componunt. Nonnulli quoque foſſis ſpacia colenda cingunt. Quod vtique cauendum eſt, quoniam hortis ſubducit humores, niſi locus paluſtris colatur. Alij vero ſpinarum plantas, & ſemina diſponunt in munitionem, ſed melius erit ſemina rubi & ſpinæ quæ rubus caninus vocatur, ad ſepem procreandam terræ mandare. Porro vero partes ſic diuidendæ ſunt, vt hæ quibus autumnali tempore ſeminabatur, verno tempore paſtinentur. Quas vero ſeminibus vere compleuimus, autumni tẽpore effodere debemus. Sic vtraque decoquitur paſtinatio. algoris vel ſolis beneficio: porro ſerendi tempora licẽt per menſes aſſignantur, certa tamen ſecundum loci ac cœli naturam ſunt obſeruanda. Nam frigidis locis (vt dictum eſt) autumnalis ſatio debet fieri celerior, verna vero tardior. Calidis autem econuerſo. Areæ porro faciendæ ſunt anguſtiores, ſcilicet duodecim pedum longitudine, ac ſex latitudine, ſintque propter ſpacia vtrimque purganda

Hortos rigãdi modus.

Horti non ſunt muniẽdi foſſis niſi in locis paluſtribus.

Tempus ſationis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ganda diuiſæ. Margines earum duobus pedibus irrigantur locis humidis vel irriguis. Siccis autem vno extuliſſe ſufficiet. Inter areas ſi humor effluere conſueuit, altiora ſpacia ipſis areis debent eſſe, vt facilius ingrediatur aream humor admiſſus de ſuperiori parte, vt vbi ſitientem ſaturauerit, in alias excluſus auerti poſſit. *Auctor.* De cultura terræ ad præſens dicta hæc ſufficiant in generali. Nam de ſingulis terræ naſcentibus dicetur in ſpeciali inferius, vbi agetur de herbis & arboribus. Nunc autem ad ea quæ parè de terra ſunt redeamus.

De pulueribus & glebis terræ.

CAPVT LXVI.

Pulueris etymon. PVluis eſt terra ſoluta, leuis, arida, infructuoſa, tenuis, & mobilis. *Iſidorus lib.* 14. Puluis dicitur eo quod vento pellatur, tollitur enim eius flatu, nec reſiſtit. Puluis Puteolanis collib. Italię colligitur, & ad ſuſtinenda maria fluctuſque frangendos opponitur. Nã merſus aquis fit lapis protinus vndiſque quotidie fortior effectus, in ſaxum mutatur, ſicut argilla igne in lapidem vertitur. *Gleba.* Gleba vero dicitur eo quod ſit globus, pulueris enim collectione compingitur, & in vno glomere adunatur. Nam terra ligata gleba eſt, ſoluta puluis. *Argilla. Creta.* Argilla eſt ab argis vocata; apud quos primum ex ea vaſa confecta ſunt. Creta ab inſula Creta in qua melior eſt. Terra Samia à Samo inſula dicta, glutinoſa eſt, & candida, & linguæ lænis; medicamentis, & vaſculis neceſſaria. *Diaſcorides.* Terra quidem omnis deſiccatiuam habet virtutem & frigidam, & periplaſtica, quando pura adhibetur. Terra de Alexandria, & Ægypto iuuat hydropicum & ſpleneticum. Emplaſtrum ex terra factum ſanat hæmorroidas. Lemnia terra cum aliquarum ſpecierum humore ſoluta vtiliſſimũ fit ad vulnerũ glutinationem. Et ad vlcera diuturna: quæ vix cicatrizãtur, nec facile ſanantur. *Medicamẽta præſtita à terra.* Terra vero Geſamia valet eis qui ſanguinẽ ſpuunt & vomũt & fluxui ſanguinis mulierũ; & vlceribus inteſtinorum, dyſentericos mitigat, inflationem maximè generatam in mammillis mulierum, & in teſticulis virorum. Oportet eam autem ſolui cum aqua, & poſt oleum admiſceri, vt non ſiccetur. Cimolia quoque terra mollis & vtilis eſt; lauatur ſicut ceruſa, & comburitur in cacabo nouo pertuſo, & cooperto in carbonibus viuis poſito, donec exeat puluis minutus, & color albidus. Eſt autem virtus lotæ & combuſtæ frigida, & ſtiptica, alta vulnera replet. Et fluxus ſanguinis mulierum obſtruit.

De luto multiplici.

CAPVT LXVII.

Lutũ vnde. ISidorus *vbi ſupra.* Lutum dicitur per antiphraſim, eo quod non ſit mundum. Nam omne lotum mũdum eſt. *Auicenna.* Lutum omne infrigidatiuum eſt, deſiccatiuum, abſterſiuum. Et lutum quidem calidũ terræ ſolaris, eſt deſiccatiuum corporum laxorum abſque mordicatione; propter ſuam glutinoſitatem. Conſtringit ergo carnem laxam, & in ceroto ponitur ſuper ſcrophulas & duricies. Ex luto terræ ſolaris hydropici ſpleneticiq; liniuntur, & manifeſte iuuatur. Lutum ſigillatum affertur de termino rubeo, qui lacuna appellatur, quæ eſt terra plana profunda; in qua non eſt herba, neque omnino lapis. Apud Diaſcoridem vero eſt lutum ſpeluncæ illius loci confectum cum ſanguine hircorum. Illud autem melius eſt quod odorem habet aluminis. Et retinet ſanguinem cum ex ore currit. *Lutum melius.* Nec eſt medicina magis abſcindens ſanguinem, & eſt infrigidatiuum, & glutinoſum. Confert à principio apoſtematum calidorum, vulnera recentia conſolidat, & vlcerationem aduſtionis prohibet ac ſanat, prohibet etiam catharrhum & curſus oris, & gingiuæ etiam effuſionem materiarum ad manus & pedes & prohibet corroſionem. Conſeruat autem membra apud caſum, & confert extenuationi à ſputo ſanguinis, quia exiccat vlcus pulmonis. Confert etiam roſuræ malignę inteſtinorũ. Reſiſtit venenis & morſibus cum vino bibitum, & cum aceto linitum. Quod ex eo purum eſt, cum bibitur, non ceſſat facere nauſeam, & facit venenum vomitu exire. Lutum ſamium dicit Gal. eſſe, ſicut ſigillatum in retentione ſanguinis, & rebus alijs. *Lutum Samium.* Sed eſt pluris aereitatis, & ideo pluris leuitatis. Eſt & tenacius & viſcoſius, ſed ſigillatum fortius. Eſt igitur hoc viſcoſum, tenax, glutinoſum, ablutione non indigens. Eiuſque infrigidatio parua eſt, & ſedatio plurima. Prohibẽt apoſtemata calida in inceptione, & confert apoſtematibns mammillarum. Et ſi infundatur, non ſentitur in eo aſperitas calefaciens, ſicut ex ſigillato. Confert à principio podagræ linitum. Confert etiam eruptioni ſanguinis à matrice, & egreſſioni ſanguinis cum egeſtione. *Lutum terræ maſticis.* Lutum terræ maſticis eſt abſterſiuum, lauatiuum, generatiuum carnis. Lutum creticum plurimæ aereitatis eſt, & eſt ſimile prædictis, ſed debilius. Abſtergit autem abſque mordicatione, & debilitat ſenſus. Confert vlceribus & inflammationi eorum. *Lutum vitis.* Lutum vitis exiccat, non longe à mordicatione, & in ipſo eſt aliquantulum reſolutionis Lutum Cimolea, quod de eo purum eſt, plurimi exiſtit iuuamenti, & in ipſo eſt infrigidatio & reſolutio ſed cum lauatur, deſtruitur eius reſolutio. Cum aceto ponitur ſuper apoſtemata quæ ſub ſtomacho ſunt: prohibet initium aduſtionis ab vlceratione. Lutũ vitis exiccat non longæ à mordicatione, & in ipſo eſt aliquantulum reſolutionis. Lutum quod comeditur, eſt opilatiuum, corruptiuum complexionis verum ipſum confortat os ſtomachi & delet eleuationem cibi.

De his quæ continentur in viſceribus terræ.

CAPVT LXVIII.

SEneca *lib.* 7. Placet autem natura regi terram ad corporum noſtrorum exemplar in quibus & venæ ſunt & arteriæ illæ ſanguinis, hæ ſpiritus receptacula. Sic enim in terra ſunt alia itinera per quæ ſpiritus currit. Vnde & maiores noſtri venas aquarum appellarunt. Sicut autem in nobis non tantum ſanguis eſt, ſed humoris multa genera, alij neceſſarij, alij corrupti, ac paulo quidem pinguiores, vt in oſſibus medullæ, & in capite cerebrum, muſci, ſaliuæ, & lachrymæ. Et quiddam additum articulis per quod citius flectantur ex lubrico, Sic & in terra quam plura ſunt humorum genera, quædam ſcilicet quæ maturè durẽtur, & hinc eſt omnis metallorum humus, ex quibus aurum & argentum auaritia petit. *Plura humorum genera in terra.* Et quæ in lapidẽ ex liquore vertuntur. In quędam autem terra humorque putreſcũt, ſicut bitumen, & cætera huic ſimilia. Cæterum ſunt in noſtris corporibus ſic in illa ſæpius humores vitia cõcipiunt. Cũ autẽ ictus aut quaſſatio aliqua aut loci ſeniũ aut frigus aut æſtus corrupere naturam. *Specus. Stagna. Hiatus.* Sub terra quidẽ nobis iura naturę minus nota ſunt, ſed nõ minus certa. Sũt & illic ſpecus vaſti, receſſus ingẽtes, & ſpacia ſuſpenſis hinc & inde mõtibus lapſa, ſtagna quoque locis amplius & tenebris obſeſſa. Sũt abrupti in infimum hiatus, qui ſæpe illapſas vrbes receperunt, & ingentem ruinam in alto condiderunt: hæc ſpiritu plena ſunt, nihil enim vſq; inane eſt. Illic quoque naſcuntur animalia; & tarda, & infirma, vt in aere cæco pinguique concepta, pleraque ex eis cæca, vt talpæ, & ſubterranei mures, quibus ideo lumen deeſt, quia ſuperuacuum eſt. Inde etiam (vt Theophraſtus affirmat) piſces quibuſdam locis eruuntur. *Subterranei mures & piſces.* *Idem in lib.* 2. Aſclepiodorus auctor eſt, dimiſſos quamplurimos à Philippo in antiquum metallum olim deſtitutum, vt explorarent, an aliquid futuris vetus auaritia reliquiſſet. Illos itaque deſcendiſſe cum multo lumine, deinde longa via fatigatos ingentia flumina, & inertium aquarum conceptus vaſtos, non quidem compreſſos terra ſuperueniẽte, ſed liberæ laxitatis vidiſſe.

Cum magna ergo hæc legi voluptate, intellexi enim A
ſæculum noſtrum non nouis vitijs, ſed iam antiquitus traditis laborare. Illi maiores noſtri, quos celebramus laudibus, quibus diſſimiles nos eſſe querimur, ſpe ducti montes ceciderunt, & ſupra lucrum ſub ruina ſteterunt. Quæ tanta neceſſitas hominem ad ſydera erectum incuruauit, & in fundum telluris intimæ merſit, vt erueret non aurum minori periculo quærendum quam poſſidendum, propter hoc cuniculos elegit, & circa prædam lutulentam inertemque reptauit, oblitus naturæ melioris, à qua ſe auertit. Nulli ergo mortuo terra tam grauis eſt quam iſtis, ſupra quos vrgens auaritia terrarum pondus iniecit, quibus abſtulit cælum, dum eos in imo vbi malum illud virtus latitat, infodit.

Pulchra cõſideratio Senecæ de auro.

De vaporibus terræ quibus aer imprimitur. B

CAP. LXIX.

VItruuius in. li. 8. de Architectura. Aer autem à Sole percalefactus humores à terra tollit, vaporumq; nebulas facit. Sic enim terra feruore tacta humores eijcit, ſicut corpus hominis per ſudores emittit. *Priſcianus ad Coſdroe.* Humidorum autem & aridorum ex terra, & circa terram inflammationis duæ ſpecies ſunt. Vna quidem humida, alia vero arida. Et ambarum cauſa eſt ſol. Circulariter enim & obliquè faciens meatum per Zodiacum, ſuperuectum humidum à terra ad ſuperiorem meatum trahit. Ipſam vero terram caliditate ſiccans, Inflammationis fumeæ reſpirationem facit. Exque his duabus fit nubium concurſus & ventorum. Ex humida quidem nubes & pluuiæ, nix & gelu proueniunt. Ex fumea vero copia ſpirituum, & aliorum quæcunque igneæ ſunt eſſentiæ. Ipſe namque vapor habens humidi plenitudinem in locum ſuperiorem ſurſum reducitur, qui eſt ſuper ſolarium radiorum repercuſſionem, & ibi propter frigus in aquam iterum conſtituitur, & denſatur longius facto ſole per obliqui circuli diſtantiam. Sicque ex ea nubes & pluuia fiunt, cæteraque huiuſmodi humida: quę in aere & circa terram conſiſtunt. Rigeſcit enim aliquando in guttationem exilem. Aliquando vero in imbrem propter validiorem nubis denſitatem: habet imbrea aqua, ſicut dictum eſt ſuperius, etiam lutum, eo quod terrenum ſubleuatur mixtum cum humidioribus vaporibus. Non omnis autem ex aqua continenti meatus eſt imber, ſed qui promotione vaporis in nubem eſt conſtitutus. Sæpe enim venti violentior tempeſtas & turbo humidum ex fluminibus vel ſtagnis vel mari rapiens in altum ſubleuat deinde etiam ſubtermittit; propter hæc etiam apparuerunt aliquando cum pluuia ranæ & piſces veluti ſurſum naſcentes deſcendere, ſæpe quoque guttæ ſanguineæ & pici ſimiles fiunt ex igneo commixto nubibus ſimulque terreno ſyrpheſo id eſt ex ventis collecto fumo: hæc itaque omnia violenter & contra naturam ſurſum compulſa, naturali meatu fluunt iterum deorſum, vaporis quidem qualitas humida & infirma, nec à terra multum elata, cum nec a ſpiritu, nec à calore offertur, primum facit nebulam, id eſt nubem infirmam, concreta autem paululum & compreſſa rorem, vaporis autem concretio in altum rapta, nix efficitur, nondum in aquam tranſmota, ſed prius ſurſum circumgelata, deorſum deducta. *Hieron.* Terra igitur etiam aerem in ſe habere probatur dum humecta temperiem ſolis acceptans largiſſimos vapores exhalat.

Inflammatio duplex.

Aqua in altium rapitur ſæpe. D

De igne terreno & multiplici eius effectu.

CAPVT LXX.

IN terræ quoque viſceribus ferrum, & lapides decernuntur, in quibus ignis latitat, vnde ignis in terra eſſe oſtenditur. *Seneca lib. 6.* Et ignis quidem fieri ſolet apud nos duobus modis. Vno modo ſcilicet ſi excitatur ſcilicet lapidis percuſſu, Alio modo ſi attritu inuenitur, ſicut ſi duo ligna inter ſe diutius trita ſunt, nec omnis hoc tibi præſtabit materia, ſed ignibus eliciendis idonea, ſicut laurus, & hederæ, & alia in hũc vſum paſtoribus nota. Poteſt ergo eodem modo fieri, vt nubes quoque ignem reddant, vel percuſſæ, vel attritæ. Cum enim aer in ignẽ mutabilis in ventũ conuerſus atteratur, poſſibile eſt inuiſibilẽ ignem excuti caducum ac cito interiturũ, quia non ex ſolida materia oritur: nec in aqua poteſt conſiſtere, tranſit igitur tantumq; habet morę, quantũ itineris, & curſus, quoniam ſine alimento proiectus eſt. Et ignis natura in verticẽ ſurgit, fulmen autem vi, & quadã neceſſitate qua excutitur cadit. Id enim his ignibus accidit, quod arboribus, quarũ cacumina ſubtus trahi poſſunt, ſed cũ permiſſæ ſunt, in locũ ſuum exilient. Sic ergo & igni ſi permittas ire quo velit, cælũ id eſt leuiſſimi cuiuſque ſedem repetit: vbicunque autem eſt aliquid quod eũ feriat, & ab impetu ſuo auertat: id non natura, ſed eius ſeruitus fit. *Iſid. 19. li.* Nihil eſt autẽ penè quod igne nõ efficiatur: alibi. n. vitrũ, alibi argentũ, alibi plũbũ, alibi miniũ, alibi pigmẽtum, alibi medicamina efficit. Igne lapides in æra ſoluuntur, Igne ferrũ gignitur ac domatur, aurum perficitur: nullum metalli genus, ſine eo fundi vel extendi poteſt. Igne cremato lapide, cæmenta, & parietes ligantur, lapides nigros ignis coquendo candificat, ligna candida vrendo obfuſcat. Carbones ex pruna fulgida nigros facit, de lignis duris fragiles, de putribilibus imputribiles reddit. Stricta ſoluit, ſoluta reſtringit, dura mollit, mollia dura reddit: habet & medicaminis vſum. Nam ſæpe vti prodeſt. Peſtilentiæ quoque quæ ſolis obſcuratione contrahitur ignem auxiliari certum eſt: habet autem in ſe diuerſitatem. Nam alius eſt qui vſui humano, alius qui in iudicio apparet diuino, ſiue qui de cœlo fulmen aſtringit, ſiue qui de terra per vertices montium eructat. Ignis autem dictus eſt, eo quod nihil ex eo gigni poteſt. Eſt enim inuiolabile elementum abſumens cuncta quæ rapit. C

Ignis omnia efficit.

Ignis peſti auxiliatur.

Ignis vnde dictus.

De miraculis corporum vim ignis ſuſtinentium.

CAPVT LXXI.

AVguſtinus de Ciuitate Dei lib. 21. Sicut autem ſcripſerunt (qui naturas animalium curioſius indagarunt) Salamandra in ignibus viuit. Et quidam notiſſimi Siciliæ montes, qui tanta temporis diuturnitate ac vetuſtate vſque nunc ac deinceps flãmis æſtuant & integri perſeuerant, ſatis indicant, non omne, quod ardet abſumi. Sed & calx occultiſſime ab igne ignem concipit, Eumque iam gleba tangentibus, frigida, tam latenter ſeruat, vt nulli noſtro ſeuſui prorſus appareat ſed experimento compertus, etiam dum non appareat ſciatur ineſſe ſopitus, vnde & calcem viuam dicimus, quaſi ignis ipſe latens anima ſit inuiſibilis corporis viſibilis. *Plinius libro ſecundo.* Montiũ in miraculis ardet mons Æthna noctibus ſemper: tantoq; æuo igniũ materia ſufficit. Niualis hybernis temporibus, egeſtũque cinerem pruinis operiens, flagrat in Phaſe Liciæ mons Chymera, & quidem immortalis diebus ac noctibus flamma. Ignem eius accendi aqua, extingui vero terra ac fæno, Gnidius Cthefias tradidit. Eadem in Licia montes epheſti flammante tæda tacti flagrant, vt lapides quoque riuorũm & arenæ in ipſis aquis ardeant, aliturque ignis ille pluuijs. Baculo ſi quis ex his accenſo traxerit ſulcos, riuos igniũ ſequi narrant. In Commagene vrbe Samoſata ſtagnum emittens limũ, multham vocant, flagrantem. Cum quid attingit ſolidi, adhæret: præterea & tactos ſequitur fugientes, ſic defendere muros oppugnante Lucullo, flagrabatque miles armis ſuis, aquis etiã accenditur, terra tantũ reſtingui experimẽta docuere. Similis eſt naturæ naphtha circa Babylonem profluẽs bituminis liquidi modo, hinc magna cognatio igniũ, tranſiliuntque in eam protinus, vndecumque viſam. Ferunt ita à Medea pellicem crematam, poſtquã ſacrificatura ad aras acceſſerat, corona igni rapta. E

Salamãdra.

Ignis ſopitus in calce.

Chymera mons.

Mirus ignis Samoſatenſis.

Ignis fit duobus modis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De virtute ignis in corporibus aduſtis.

CAPVT LXXII.

Ignis expirãs ex calce facit aquam infuſam feruere.

Calx oleo extinguitur.

AVguſti. *vbi ſupra.* De igne autem mira quis explicet, quo videlicet quæque aduſta nigreſcunt cum tamen ipſe ſit lucidus, & penè omnia quę lambit & ambit, colore pulcherrimo decolorat, atque ex pruna fulgida carbonem teterrimum reddit. Lapides tamen candidos facit, & quamuis ille magis rubeat, illi albicent, congruunt tamen luci, quod album eſt, ſicut nigrum tenebris. Cumque in lignis ardeat, & lapides coquat, contrarios habet non in contrarijs rebus effectus. Et ſi enim lapides, & ligna diuerſa ſunt, contraria tamen non ſunt, ſicut albedo, & nigredo, quorum vnum in lapidibus facit, alterum in lignis. Clarus ignis illos clarificant, hæc offuſcat cum in illis deficeret, niſi in iſtis viueret. Intueantur miraculum calcis, nam excepto eo, quod igne candeſcit, quo alia terra reddunturetiam occultiſſimè ab igne ignem concipit: eumque cuſtodit. Iam vero quam mirum eſt, quod cum extenguitur, tunc accenditur, vt enim occulto igne careat, aqua infunditur, aquave perfunditur, & cum antea frigida ſit, inde ferueſcit, vnde feruentia cuncta frigeſcunt, ergo velut expirante illa gleba diſcedens ignis ille, qui latebat, apparet; ac deinde tanquam morte ſic frigida eſt, vt adiecta vnda, iam non ſit aſtura. Additur & huic miraculo, quod ſi nõ adhibeas aquam, ſed oleum, quod magis fomes eſt ignis, nulla eius infuſione ferueſcit: hoc miraculum ſi de aliquo lapide indico legeremus aut audiremus, profecto aut mendacium putaremus, aut certe granditer miraremur. Quæ vero ante oculos noſtros quotidie verſantur, non minus mirabili genere ſunt, ſed ipſa aſſiduitate vileſcunt. *Iſid. li.* 19. Calx viua dicitur, quia dum tactu frigida ſit, occultum ignem continet intus, vnde & aqua perfuſa, ſtatim latens ignis erumpit. Natura eius mira facit, nam aquis accenditur, quibus ſolet ignis extingui, oleo extinguitur quo ſolet ignis accendi. Vſus eius eſt ſtructuris fabricæ neceſſarius. Nam lapis lapidi non poteſt adhærere fortius, niſi coniunctus calce. Et calx quidem è lapide albo, & duro melior eſt ſtructuris. Ex molli vero tincturis vtilis.

De Flamma & flauilla.

CAPVT LXXIII.

Tres ſpecies ignis.

Fator extincta candela quid facit.

EX *libro de naturis rerum.* Tres autem ſunt ſpecies ignis, ſcilicet lux, flamma, & carbo. De luce quidem, & eius natura ſufficienter iam dictum eſt ſupra, vbi ſcilicet actum eſt de luce primaria: maxime vero ignis eſt flamma. Eſt autem flamma fumus ardens. Cumque flamma ſit viſibilis, tamen calore creatur, & vapore, quorum vtrumque eſt inuiſibile. Denique flamma quæ ex igne generatur, tandem extincta fumũ ex ſe generat. Candela inflammata lucens quidem alijs prodeſt, ſed ſui diſpendio lux eius aliquando extinguitur vento, aliquando etiam abundantia materiæ flamma vel ignis flatu hominis immoderato extinguitur, & eodem moderato reaccenditur. Candela per eleuationem accenditur, & inflammatur, & extinguitur per declinationem. Luce autem flammæ, vel ignis recedẽte, quod lucidum fuit, fętorem emittit, denique fætor candelę extinctæ mulieri, & iumento cauſa eſt aborſus. Flamma, vel ignis videtur à remotis, ſeque & alia videri facit, & ſi eſſet oculus ſecundum naturam, prius videret, quam videretur. Vnius flamma candelæ videtur ebrioſo duæ. *Iſid. vbi ſup.* Flamma dicitur, quia flatu excitatur. Fauilla vero eſt deſerto igne ſcintilla. *Auctor.* Hæc de igne terreno dicta ſunt breuiter. Nam de proprietate ignis ſuperius eſt habitum, vbi de cœlo igneo dictum eſt. Adhuc tamen reſtat de fumo, & fuligine, ac cæteris corporibus ab igne procedentibus vel fornacibus igne mediante.

De Fumo, & fuligine.

CAPVT LXXIV.

Fumus.

ARiſtoteles *in li. Meteo.* 3. Fumus autem eſt vapor aduſtus. *Ex imagine mundi.* Fumus aſcendit de aqua. Omne namque corpus conſtat ex quatuor elementis. Lignum autem corpus eſt, quo igni iniecto materies ignis, quæ ei inẽſt ardet, terræ vero materies vertitur in cinerem. Aqua vero, & aeris materies euaneſcit in aerem. Ideo fumus ille amarus eſt, quia natura aquæ ſalſa eſt, ſine quia terra admixta eſt. *Hugo de ſex diebus.* Fumus nihil aliud eſt quam guttarum aquæ minutiſſimarum congeries, per virtutem caloris in aera eleuata. *Auctor.* Fumus oculos grauat, eodem tempore partim qui ortus fuerat in ſuperioribus diſparet. Nam aſcendendo attenuatur & deficit. De triplici autem fumo iam dictum eſt ſupra, vbi actum eſt de aeris impreſſionibus. *Auicenna.* Fumus, eſt terrea ſubſtantia, digeſtiua, reſolutiua, ſubtilis: diuerſificatur autem eius ſubſtantia, & omnes eius ſpecies ſunt exiccantes, eſtque in eis igneitas pauca, horum autem fortior eſt fumus alchitram id eſt picis liquidæ, deinde picis humidæ, deinde ſtoracis, deinde mirrhæ, poſtea Thuris, poſtea Therebinthinæ, fumus autem naphtæ videtur fortior eſſe omnibus: fumus Thuris, & Therebinthinę, ponuntur in medicamentis vlcerum oculi, & prohibent ortum pilorum additorum, & curſum, & corroſionem & humiditates, cum quibus non eſt obthalmia & vlcera lachrymalium. *Ariſtoteles in lib.* 3. *Meteororum.* Fuligo ex fumo relinquitur. *Auicenna in ſecundo canone.* Eſt autem omnis fuligo calida exiccatiua præter Indam; hanc enim indi & Paulus numerant inter infrigidantia. Æſtimant autem quidam, quod inda ponitur ſuper apoſtemata calida & confert eis, porro illa quæ aſſumitur ex fumo ligni pini, cum gummi & bdellio, ponitur ſuper aduſtionem ignis & dimittitur donec cadat. *Auctor.* Fuligo ſi de illa fiat Epithyma, confert ignis aduſtioni.

Fortiores fumi.

De carbone.

CAPVT LXXV.

Mirandum in carbonibus.

Pruna, carbo.

EX *li. de naturis rerum.* Vſtilia corpora ſunt quęcunque poros habent ſuſceptibiles ignis, & humorem igni debiliorem in poris habent. Vſtilium, quædam flammantia ſunt, vt quæcumque humida eſſentia vaporatiua ſunt, maxime quæcumque fumum emittunt. Carbonem autem faciunt, quæcumque talium plus habent terræ quam fumi, pix vero & oleum ſeu cera magis cum alijs, quam per ſe ſunt flammantia. Vaporatiua corpora ſunt, quæcumque humorem habent hactenus, vt non exhalet ſine ignitis. Eſt enim halitus, ſiue vapor à calido vſtiuo in aere ſpirituum ſegregatio ex humido humectiuo. Carboni vero ſine igne tanta firmitas eſt, vt nullo humore, nulla vetuſtate corrumpatur, vnde & in fundamentis, tam lignis, quam lapidibus ſubſternitur. *Auguſt. vbi ſupra.* Quid igitur in Carbonibus? Nonne miranda res eſt, & tanta infirmitas, vt ictu leuiſſimo frangantur, preſſu facillimo conterantur: & tanta firmitas, vt nullo humore corrumpantur, nulla ætate vincantur, ita vt eos ſubſternere ſoleant, qui limites figunt ad conuincendum litigatorem, quiſquis poſt quamtalibet tempora extiterit, fixumque lapidem, non limitem eſſe contenderit. Quis eos in terra humida foſſos vbi ligna putreſcerent, tamdiu durare incorruptibiliter poſſe, niſi rerum ille corruptor ignis effecit? *Iſidorus, vbi ſupra.* Pruna eſt quamdiu ardet *à perurendo*, extincta vero carbo dicitur, *eo quod caret flamma*, qui dum interijſſe videtur, maioris virtutis fit. Nam iterum incenſus, fortiori luce caleſcit.

De cinere.

CAPVT LXXVI.

Vtilitas cineris.

Auctor. Cinis ex prædictis corporibus vstis relinquitur, & est substantia terrena quidem, atida & compacta, in quam corpus solidum per ignem resolutum humore consumpto redigitur, vnde ex grandi corpore propter consumptionem materiæ modicus Cinis efficitur, despecti coloris est. Et quia partes habet minutissimas, leui flatu agitabilis est, ad multa tamen perutilis. Cinere namque primo quidem ignis ipse tegitur, vt conseruetur. Cinere pelles depilantur, & quodammodo innouantur. Cinis etiam pro alumine ponitur in tincturis pannorũ. In ecclesia dedicanda alphabetũ in cinere scribitur. In capite ieiunij cinis ad memoriã mortalitatis nostræ in capitibus nostris ponitur. Ex aqua cineri admixta fit lixiuium quo capita abluuntur. Cinis supra sanguisugam proiectus, sanguinem quem suxerat euomere facit. In medicinis quoque tam cinis, quam lixiuium proficit, sicut inferius dicetur, de cinere vero oleum cum sale per ignem extrahitur. *Aristoteles in lib. physicorum.* Testimonium autem de genere faciunt quod tantum aquæ recipit, quantum vas vacuum. *Auicenna in secundo de medicina.* Cinis omnis naturam habet absterſiuam, & exiccatiuam, diuersificatur tamen, & ablutio minuit eius absterſionem, & acquirit ei glutinationem, & exiccationem sine mordicatione: aqua vero cineris ingreditur in medicinis putrefacientibus, & earum fortiores sunt aqua cineris fici & lacticinij, plus enim abstergit & siccat quam cæteræ. Cinis Almezerion quæ sunt scilicet species lacticinij, absterſiuus est & putrefactiuus, visum acuit, squinantiæ confert, & proprie cum Dyatrundinis. Cinis autem lignorum stipticorum, & quercus, & reliquorum retinet sanguinem. Cinis Althahagi, reptilis scilicet cuiusdam sic nuncupati, super scabiem & impetiginem linitur, & confert. *Diascorides.* Lixiuium ex cinere quercus ad vsum medicinæ efficaciſſimum est, & hominibus, & pecoribus, quæ denſione pulmonis vexãtur, & quibus aliqua venenata res obsistit. Bibita namque statim salutem affert: vtilis etiam est in vulneribus humectis, & in fistulis, & ad vulnera difficilia ad sanandum & calloſa, longi temporis sordida. Quotidie ergo lauanda sunt, & sic apto medicamine sananda, quia virtus lixiuij non sanat, sed ad sanitatem vulnera disponit. Cinis ex sarmentis stipticus est, & in recenti vulnere & in profluuio positus sanguinem sanat. Cinis ex sarmentis oliuæ accerrimus est. Ex nucleo puro acrior. Ex hoc lixiuio vulnerum affert carcinomata, ex hoc etiam sordida sunt. Cinis calidus est, & siccus, aduſtionem facit, & apoſtemata mollia diſſoluit. *Auctor.* Porro de cinere quercus, & sarmentorum vitis, vel oliuæ lixiuio fit vtilis medicina, sicut inferius, in locis congruis recitabitur.

Lixiuij quercini vtilitas in medicina.

De vitro, & eius natura.

CAPVT LXXVII.

Etymon vitri.

Isido. lib. 29. Vitrum dictum est, eo quod visus perſpicuitate transſlucet, & quodammodo clauſus patet, leuibus aridiſque lignis concoquitur adiecto Cypro & Nitro, continuiſque fornacibus, vt æs liquatur, & maſſæ fiunt, postea ex maſſis rursus funditur in officinis, & aliud flatu figuratur aliud torno teritur, aliud argenti modo celatur. Tingitur etiam multis modis, ita vt iacinctos, & saphiros virides vincat & onyces, vel aliarum gemmarum colores. Nec est alia speculis aptior materia, vel picturæ accommodatior: Ferunt autem quod sub Tyberio Cæsare quidam artifex excogitauit vitri temperamentum vt flexibile esſet & ductibile, qui dum admiſſus fuiſſet ad Cęsarẽ, porrexit ei phialam, quam ille indignatus, in pauimẽtum proiecit. Artifex autem ſuſtulit phialam de pauimento quæ complicauerit ſe tanquam vas æneum, deinde marculum de ſinu protulit, & phialam correxit, hoc facto Cæſar dixit artifici. Nunquid alius ſcit hanc condituram vitrorum, poſtquam ille iurans negauit alterum hoc ſcire, iuſſit eum Cæſar decollari. Ne dum hoc cognitum fuerit, aurum pro luto haberetur. Et omnium metallorum precia abſtraherentur. Reuera ſi vaſa vitrea non frangerẽtur, meliora eſſent quam aurum & argentum. *Philoſophus:* vitrum perſpicuitate tranſlucet, quod in metallis non contingit. Et quod in eo clauſum eſt ſiue liquor, ſiue alia res exterius patet, nec eſt de poroſitate, tunc enim ſplendor feriens ſupra vitrum pictum, cum in poris non ſit, pictura inquam veniens ad oculum, appareret ſecundũ ſimilitudinem picturæ feneſtræ per quam ferit, cuius oppoſitum ſæpe videmus, fit autem vitrum ex terra & herba & lapide, & planta, fit etiam de cinere fæni, & filicis. Et etiam quandoque ex admixtione plumbi albumine etiam oui decocto. Et ſicut infra dicetur de Chryſtallo littera maior apparet ſecundum omnem dimenſionem vitro interpoſito. Subtilis etiam gloſſa interpoſito vrinali, pleno aqua, textus craſſitudinem repræſentabit. Ex cauſa ſupradicta factum ſemper eſt decoloratum, quod autem fit ex plumbo & terra arenoſa ſubtili aut ex cinere filicis coloratũ eſt.

Nota de ſanguiſuga.

Phiala ductilis.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. LXXVIII.

Vitri temperamentũ.

Auicenna. Vitrum eſt inter lapides ſicut ſtultus inter homines, declinat enim ad omnem tincturam, & frangitur, & abſcinditur cum eo ſcilicet imperſonaliter. Eſt autem calidum in primo, ſiccum in ſecundo. In ipſo eſt ſtipticitas, ſubtilitas, abſtergit dentes, & oculum, & eius albuginem delet, mundat & furfures, quando cum eo fit ablutio, facit oriri pilos inunctum cum oleo ſambucino, aduſtum autem fortius eſt, quod ex eo tritum eſt & aduſtum confert valde lapidi veſicæ & renum vino bibitum. *Conſtantinus in libro graduum.* Vitrum calidum eſt in primo gradu, ſiccum in tertio. In multis collyrijs vtile eſt, & contra impetiginem valet, lædit furfures capillos ſubtiliat, puluerizatum & cum vino bibitum lapidem veſicæ frangit. *Platearius.* vitrum frigidum eſt primo gradu & ſiccum ſecundo. Inde fit vnguentum quod valet ad ſcabiem, valet etiam ad ſerpiginem. Sed puluis eius cum Terebinthina vel gummi prunorum in aqua ad ignem reſoluto conficiatur & inde pars inungatur. Fit autem vitrũ ex terra, fit etiã ex herba. *Ex libro de naturis rerum.* Vitrũ ſi diligenter teratur, & cũ vino Rhenano id eſt forti bibatur, lapides qui ſunt in renibus frangit, & eijcit, puluis vitri deorſum in ſtipite infra corticem arboris ſuper quã pullificant corui vel cornices iniectus prohibet ne vnquam ad exitus pullorum aperiantur oua eorum. Caro etiam feſtinantius coquenda ſtatim decoquitur per appoſitionem fruſti cuiuſlibet materiei vitri. Quod tamen citius fit, ſi vitrum de cinere filicis ſit ac feni, quod vt dixi ſemper decoloratum eſt.

Vitrum cõparatur amenti.

De operatione ipſius in Alchymia.

CAPVT LXXIX.

Modus colorandi ferrũ.

Razi in li. de animalibus. Vitrum eſt ex ſectione mercurij, & vincens ſupra naturam eius eſt frigiditas, & ſiccitas, liquefacit ferrum & omnia corpora facitque ea currere infuſione. Si autẽ infundis vitrum quemcunq; colorẽ proijcis ſuper ipſum retinet. *Alchymiſta.* Vitrum eſt inter lapides ſicut amẽs inter homines. Nam recipit omnes tincturas, cito in igne ſoluitur, & cito ad lapideitatem ſuam reuertitur, mollificat & mundificat & liquefacit omnia corpora, deinde ſubtrahit ſe ab eis perfuſionẽ, ſicut ſal per lauationẽ, denique ſal & vitrum duæ ſunt res in quibus eſt totũ ſecretum artis, nec lapis poſſet fieri ſine eis pręcipue ſine ſale. *Ex libro de naturis rerum.* Vitrum dicitur

eſſe

esse de partibus Mercurij, nescio qua de causa, nisi quia recipit tincturam, & colorem & ipsum etiam ferrum soluit, omniaque corpora dissoluit & diffluere facit: sicut autem aqua de natura frigida igne calefit, & postquam refrigidatur frigidissima fit; Sic & cinis, de quo fit vitrum, cum siccus sit, si humectatur per liquefactionem, postea desiccatus siccissimus erit.

De latere cocto ac testa.

CAPVT LXXX.

Tegulæ Imbrices.

Lateres ex qua terra fieri debent.

Cur lateres natant alibi.

Tempus quo fieri debent.

I*Sido. li.* 19. Operum autem fictilium ad parietes ædificiorum,& fundamenta cocti laterculi, ad tecta vero tegulæ & imbriculæ aptantur. Tegulæ quidem dictæ eo quod ædes tegant, imbrices autem eo quod imbres accipiant, laterculi vero quod lati formentur. *Vitruuius de Architectura li.* 2. Lateres vero non de arenoso vel fabuloso luto ducendi sunt, quia ex his ducti graues fiunt, & imbribus sparti dilabuntur & dissoluuntur, paleæ quoque in his propter asperitatem non cohærescunt, fiant igitur ex terra albida, cretosa, vel de rubri aut etiam masculo fabulone: hæc enim genera non sunt in opere ponderosa, sed propter leuitatem habent firmitatem, & faciliter aggregantur, ducendi sunt autem in vere vel autumno vt vno tempore siccescant, qui enim per solstitiũ parãtur, ideo vitiosi fiunt, quia summũ corium sol acriter percoquit, efficiturque vt videatur aridũ. Interior autem pars non siccatur. Et cum postea siccescendo se cõtrahit, perrũpit ea quæ arida erant, sicque rimosi facti imbecilli sunt, vtiliores autẽ erunt si ante bienniũ ducti fuerint, quia non ante penitus siccescere possunt. Est in Hispania vlteriori ciuitas, vbi lateres ducti, & arefacti natãt. Quod ideo posse vidẽtur, *quia terra de qua ducuntur pumicosa est*, cũ sic leuis & rara sit, aere solidata non recipit in se neque imbibit liquorem. Non enim in corpus penetrare patitur humidam potestatẽ. Ideo quocunque pondere fiunt, coguntur vt pumex ab aqua sustineri. Itaque & in ædificationibus onerosi non sunt, & à tempestatibus non dissoluuntur. *Palladius lib.* 6. Lateres faciendi sunt mense Maio, ex alba terra & creta vel rubrica. Nam qui æstate fiunt celeritate feruoris in summa creta siccantur, in interioribus humore seruato, quæ videlicet res scissuris eos facit aperiri, fiunt autem sic. Terra diligenter cribrata, & omni asperitate purgata, mixta cum paleis diu maceratur, & iuxta formam lateri similem imprimitur, tunc relicta quidem ad siccandum, subinde versabitur ad solis aspectum. *Idem in li.* 6. Mense quoque Iunio fieri possunt lateres more prædicto.

De testa.

CAPVT LXXXI.

Samia vasa vnde sic dicta.

Cæ. 45. Isa.

A*Vctor.* Testa quoque fictili opere de terra cuiuslibet coloris argillosa conficitur, & igne cocta solidatur. Inde fiunt vasa multifaria, vt escaria, vinaria, olearia, & coquinaria, præcipue vero fieri solent in Samo ciuitate, vbi etiam ars fictilis inuenta dicitur fuisse, vnde scriptum est in libro Isaiæ Prophetæ. *Væ qui contradicit fictori suo, testa de Samijs terræ Isidorus. li.* 20. Samia vasa quidem à Samo putant nomen habere, videlicet quodam oppido Græciæ. Alij vero dicunt cretam Italiæ, quæ non longe à Roma nascitur, & samia vocatur. *Auicenna.* Testa quidem exiccatiua est & abstersiua, proprieque testa clibani. Emplastrum ex testa factum fortis est consolidationis. Confert vlceribus, & abstergit scabiẽ, fit ex ea cerotum super scrofulas, cum sale metallino confert vngulæ. Item testa clibani linitur super podagram, subtilior autem est testa cancri marini. *Auctor.* De hac inferius suo loco dicetur. Hæc omnia de igne terreno, & corporibus per eum solidatis ad præsens sufficiant.

De diuersis qualitatibus corporum terrenorum.

CAPVT LXXXII.

Coagulatio.

Irriguum.

EX *libro de naturis rerum.* Corporum autem terrestrium, quædam sunt dura, quædam leuia siue mollia, durum fit aliquid, vel quia cõgelatur, vel quia repletum extenditur, vel his simul obuiantibus: leue autem est ex contrarijs, denique omne quod cedit vel flectitur per se ipsum existens simplex & singulare, iudicatur leue. Item mollium quædam sunt coagulabilia, quædam non. Coagulatio est, vel humidorum quæ exprimuntur a calido, & tunc huiusmodi liquatio est vincente humido, vel calidi quod exprimitur à gelido, & tunc huiusmodi liquatio est vincente calido. Quorum autem ab vtrisque vt à calido & gelido est coagulatio maxime sunt illiquabilia, vt quæcumque calefacta deinde coagulantur à gelido. Incoagulabilia vero sunt quæcumque etiam aquea plus habent calidi & terrei, vel mel, mustum & huiusmodi, vel quæcunque aquea plus habent aerei, vt oleum argentum viuum, & talia: viscosa quidem facile coagulantur, viscus autem non: liquabilia sunt aquea per totum poros habentia, omne autem quod liquefacit separat ac discernit. Impossibile est enim esse vel fieri vacuum à calore forti. Mollificabilia sunt, quædam coagulatorum. Et horum quædam aquea sunt sed plus terrea, & non ex toto in humorem se dissoluentia, sicut dissoluitur sal per aquam, neque inæquales poros habẽtia vt lateres. Neruus, & corrigia tractiua, quoniam mollificabilia proprie non sunt, cum nec sint irrigua. Irriguum est, quod mollius est cum sit rigatum. Mollificant autem quædam ex via qua humectant, aut ex via qua liniunt, aut ex via qua euacuant. Quædam vero ex via qua destituunt. Item quædam sunt lenta, quędã inflexibilia, lenta quædã sunt quæ in se possunt extendi cũ incuruãtur, vt calamus, vimẽ & huiusmodi. Quædã vero quę possunt à rectitudine incuruari & econuersa, nõ tamẽ ex se, sed ab agente extrinseco vt pasta & gluten. Incuruabilia vero sunt, vt later, lapis. Item quædã frangi possunt & cõminui, vt quæcunq; poros habent & in longum & in profundũ Quædam vero cõminui possunt & non frangi, vt quæ poros habent tantum secundum profundum. Est enim fractio in magnas partes diuisio & separatio. Itẽ comminutio in quaslibet partes, & plures duabus.

Appressibilia.

Incompressibilia.

Ductilia.

Scissile.

De eodem.

CAPVT LXXXIII.

ITem quædam sunt formabilia, quædã non, pulsu namq; cedentia sunt, quę ad tactũ secundũ partem transponuntur in profundũ. Et horũ quæ manent impulsa & facile manui cedentia sunt, & formabilia. Pulsu vero non cedentia sunt, quæcunq; vel omnino nõ obediunt, vt later, vel obediunt quidem, sed partes mutuo transponuntur, nec manent impulsa vt aqua & spongia, & lana, quæ sunt informabilia. Item quædã sunt appressibilia, quædam non. Appressibilia sunt, quæcunque in se ipsa impulsa conuenire possunt in profunditatem vt spongia. Nam & si vndique cõprimatur, nulla eius pars in alterius locũ trãsponitur. Incõpressibilia vero sunt, quæ non in sui poros conuenire nata sunt, eo quod poros non habeãt vel eo quod durius plenum habeant, vt ferrum & lapis, & later, & omne liquidum. Item quædã ductilia sunt, quędã nõ. Ductilia sunt, quæcũque eadẽ plaga pariter in latitudinem & in profunditatem secundum partem transponi queunt. Non ductilia vero quæ non possunt. Et omnia quidem ductilia sunt pulsui cedentia, sed non conuertitur, vt patet in ligno & alijs multis. Item quædam sunt Scissilia, quędam non, Sciſſile siue fissile est, quod secundum lõgitudinem habet poros secundum quos diuiditur, & non secundum latitudinem,

vt lignum. Nam diuiſiuum quidem eſt ſecundum latitudinem, vt lignum, Sciſſile vero ſecundum longitudinem. Item quædam ſunt vſtilia, quædam non. Et vſtiliũ, quædam ſunt flammantia, quædam non, vt ibi dictum eſt vbi de his rebus agebatur.

De raritate ac denſitate.

CAPVT LXXXIV.

Cauſa rarefactionis.

Ex li. de vaporibus. Rarum & denſum in corporibus contraria ſunt, & omne rarum eſt facile pulſu cedens, vt Ariſt. dicit. Omne vero denſum reſiſtens ei quod impellit. Sed calor eſt cauſa rarefactionis, frigiditas vero conſtrictionis & hæc rarefactio aeris dicitur per ipſius calorem diſſolutio, quod idem eſt, quod apertio. Sic enim dicimus, quod calor æſtiuus humanum corpus diſſoluit, id eſt poros aperit, vnde etiam ex illa corporis apertione in æſtate contingit, quod minimum frigus tunc magis lædat corpus, quã maximum in hieme, quia conſtringũtur pori corporis exterius. Ita quod in profundum eius penetrare non poteſt etiam magnum frigus. At in æſtate poris apertis etiam minimum frigus intrat, & ita corpus debilitat, de hoc autem eſt quæſtio, cur vitrum cum ex cinere terreo, qui in ſe ſiccus eſt, generetur, magis eſt ſiccum, quam cinis ex quo generatur. Et ad hoc exemplum huius radicem tangens ſupponitur, ſicut enim cum de aqua frigida volumus facere frigidiſſimam, oportet vt aqua ipſa in medio calefiat, ita cum de ſicco fieri debet ſicciſſimum, oportet, vt illud ſiccum intermedio fiat humidum, propter quod cinis feni ac filicis, qui ſiccus eſt, vt tranſeat in vitrum, oportet vt per actionem calidi liquefiat, & poſtea deſiccatus erit ſicciſſimus.

Modus ſiccandi ſanũ vt ſit vitri.

De perſpicuitate.

Cap. LXXXV.

Color.

Peruium.

Cinis quomodo fit vitrum.

Libertus. Corpus quoque ſolidum ac denſum ſiue terminatum diuiditur contra corpus peruium ſiue perſpicuum: vnde dicit Ariſto. in libro de ſenſu, & ſenſato, quod color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato, ſicut alias expoſitum eſt. Et dicitur corpus terminatum, quia non ſuſcipit lumen niſi in terminis ſuis exterioribus ſuperficierum: peruium autem dicitur, quod ſuſcipit lumen in termino & in profundo. *Ex libro de vaporibus.* Quæſtio autem eſt cur calor diſſoluens cinerem non peruium, per diſſolutionem ipſam efficit peruium, congelatum vero de aqua peruium non poteſt facere non congelatum eſſe non peruium; videmus enim quod & ſi de aqua fiat chryſtallus, aqua quidem eſt peruia & chryſtallus etiam magis peruius, dico autem quod cinis quidem fit vitrum mediante calore per partium ſuarum rarefactionem. A qua vero non tranſit in Chryſtallũ per partiũ ſuarum compreſſionẽ, ſed per ſolius caloris expreſſionẽ. Calor enim faciebat fluiditatẽ in aqua per ſui preſentiã, poſtea vero duriciẽ facit per ſui abſentiam, ſed ſicut in exhalatione calida à vino contingit, ſic etiam in aqua congelante accidit. Calidum enim paulatim & non ſubito contra ſolem à vino exhalat, cum ſolis calor reſiduas eiuſdem vini partes rarificat, vnde & ſi calidum, quod raritatem in vino faciebat euaporet, reſiduum tamen per actionem caloris mediocrem conſeruatur in ſubtilitate & in raritate maiori; tranſitque in acetum ſubtilis ſubſtantiæ. Sic ergo & aqua per ſui calidi compreſſionem in calore aeris circunſtantis ipſum in regione calida indureſcit ſic in ſui raritate, ſaluata ſui certitudine & etiam ſubſtantiali humiditate, propter quod illud durum remanet peruium, nec vnquam ferret litteram pergamenæ fuſcam apparere pure nigram niſi peruiam humiditatem haberet in ſe, quæ manifeſtat litteræ nigredinem quæ celebratur per incauſti in pergamena ſicca exiſtentis ſiccitatem, dicit enim philoſophus, quod omne incraſſatum per ſiccitatem, fiet liquefactum perhumiditatem, ſicut in luto videmus. Ita & fuſcum quoque celatum per ſiccitatem contingit manifeſtari per humiditatem, vnde patet quod ſi chryſtallus congelata fuerit, humiditatem in ſe habebit. Sed quoniam aer magis eſt fluens in humiditate ſua, quam chryſtallus, non poteſt fluxum ex humiditate reſtringere vel terminare nec immutationem rei facere.

Quæſtio de aeris, & chryſtalli peruietate.

CAPVT LXXXVI.

Cur aëre ſpiſſo apparent omnia craſſiora?

NVnc itaque quod videmus, per aerem medium videbitur magis latum & in maiori quantitate, quam illud quod per chryſtalli cernimus intermedium. Cuius tamen videmus oppoſitum cum littera ſub chryſtallo apparet lata, quæ per medium aeris apparet coarctata. Aer præterea caliditatem & humiditatem habens in ſe facere deberet, vt res longa & lata magis videretur, quam chryſtallus habens frigiditatem, quæ principium eſt conſtrictionis, & longitudini atque latitudini contradicit. Quare res ſemper videri debet amplior per aquam quam per chryſtallum. Ad hoc autem dico, quia quod apparet littera maior quam ipſa ſit, ſub chryſtallo, hoc eſt, quoniam chryſtallus duriciem habet in ſe reſiſtentem, ſecundum quam de facili non penetratur ab immutatione litteræ, vnde immutatio illa inueniens ſibi reſiſtens, ac difficile ad immutãdum, nequaquam ſubito tranſit ſecundum rectitudinem, ſed fluit ad latum, quare videtur res maior ſub chryſtallo, quam ſub aere. Eo quod aer non reſiſtit aliquo modo immutationi præ ſui ſubtilitate, vnde & cum aer ſpiſſus, & craſſus eſt vaporibus humidis, vt videmus in mane ſol apparet maior, quam in meridie, quod eſt propter ipſius aeris craſſiciem, & denſitatem, quæ faciunt eum immutationi ſolis reſiſtere, quæ ſcilicet immutatio quia non cito poteſt aerem propter eius denſitatem ſecundum rectitudinem penetrare, immutat eum in latere circumquaque. Sicque immutatio hæc facit, vt ſol videatur in mane in maiori quantitate, quam in meridie. Et attende, quia quod vitrum peruium eſt vt chryſtallus, non eſt de poroſitate, ſed de craſſitudine ac luciditate. Si enim hoc eſſet ex poroſitate, tunc ſplendor feriens ſupra vitrum pictum, cum in poris pictura non ſit, nunquam ad oculum veniens ſecundum ſimilitudinem picturæ feneſtræ, per quam ferit, appareret. Cuius oppoſitum videmus frequẽter.

De curuabilibus & inciſiuis.

CAPVT LXXXVII.

Curuabilia.

CVruabilia vero ſunt vimen, gladius, lignum, & quæ in peripheriam exeunt, vimen autem in ſui nouitate, & vt exeat in peripheriam, ſi quando inflectitur, non tamen ſtatim vt permittitur, reuertitur in rectitudinem, quia ſcilicet in eo eſt craſſa vnctuoſitas quæ ſicut eam accepit conſeruat, virga vero petrariæ vel mangonelli quæ vt de rectitudine exit in peripheriam ſtatim reuertitur in rectitudinem. Et hoc ideo quia in eius curuatione comprimitur aer, qui fuit in eius poris vltra naturalem reſiſtentiam. Et quando virga illa recedit à violentia curuationis, tunc aer ad propriam conſiſtentiam intendit, naturaliter mouet lignum in rectitudinem; Et quantum eſt ex ſe diſcurrens per poros vniuerſi ligni tendens in ſuam propriam conſiſtentiam, in qua replens illos poros, conſiſtit in raritate, & inquantum ſic eſt decurrens curuitatẽ virgæ corruit ſecundũ rectitudinem. Signum autem huius, quod excellenter comprimitur aer ex huiuſmodi virgæ curuatione poſſumus accipere. Nam ſi multa curuatio fiat in aliqua fiſſura per cultellum vel aliud inciſiuum facta, ſtatim aer condenſatus, in excellentia principium per quod exhalare poteſt repetit

Per curuationẽ virga eõprimitur aër.

&

& incipit ſubito exhalare, facitque fiſſuram per vniuerſam virgam ita quod virga frangitur in eius ſubita exhalatione. Similiter etiam eſt de gladio, qui ſuſcipit incuruationem, & ſtatim accedit ad rectitudinẽ propter aerem compreſſum in eius poris, qui deſiderat propriam conſiſtentiam in raritate propria naturaliter ſibi deputata. Sed rectius experiens gladiũ in bonitate, cũ videt eum manere in curuitate, dicit gladiũ malum eſſe. Et hoc eſt, quia quando gladius accipit cõſiſtentiam in curuitate, ſignificatur, quod in eo ſit humidũ viſcoſum & craſſum, quod conſeruat conſiſtentiam quam accepit ſine reuerſione. Et tamen per hoc ſignificatur, quoniam humidum penetrationi contradicit, ad quam gladius factus fuit, ideoque gladius iudicatur malus. Inſciſiua vero quædam ſunt per naturam, quędam ſunt per violentiam, per naturam vt acetum & hircinus ſanguis, qui ſubſtantiam penetrat adamantis vere indiuiſibilis, & hoc ex ſiccitate quæ eſt in ea. Inſciſiua vero per violentiam ſunt, vt aer cãpanæ, namque in turri dependent, & ſonantes aera feriunt, qui ſcilicet aer non valens extra exhalare, poros intrat turris, ibique aerem poros eiuſdem turris implentem inuenit, & cum illo condenſatur, cumque in loco capi non poſſint, nec etiam exhalare, faciunt fiſſuram in turri, hinc eſt quod finduntur aliquando turres in quibus campanæ pendent. Quemadmodum etiam videmus, quod quando multum venti capitur in follibus, ſi obſtruantur ora follium & aeres comprimantur, aer exhalare volens facit fiſſuram in aſſeribus, aut in corio, vel facit diuiſionem corij ab aſſeribus per exitum clauorum. Sic etiam in argento cùm humidum ſit congelatum poſſumus videre, quoniam omni congelato accidit fiſſura in percuſſione. Contingit etiam inſciſionem ex ſubtilitate fieri ſubſtantiæ, ſicut cum acetum flammam, ideſt ignem græcum inextinguibilẽ extinguit, ſeparans ipſam in particulas minimas; ſic enim ex ſua frigiditate alterat & extinguit eam. Conuertendo calorem illum in frigiditatem.

Gladij mali indicium.

Inſciſiua.

De ignis vel flammæ extinctiuis.

CAPVT LXXXVIII.

PRæter hunc autem modum extinguendi ſcilicet flammam vel ignem inextinguibilem per acetũ, ſeparãdo ipſam in minimas particulas, Eſt etiam alius modus extinguendi eum ipſum per arenas. Nam particulæ arenoſæ flammam illam ſeparante in poris ſuis amplis accipiunt particulas eiuſdem, quæ ſcilicet particulæ tum exhalare in aere non poſſint, & ab ipſo reſpiraculum habere, extinguuntur. Cur autem illud fit alterius eſt iudicij, verum is eſt modus extinguendi vnamquamque flammam ſcilicet per ſuffocationem huiuſmodi eam occultantem vt arena, vel cum alteratione per diuiſionem vt in aceto. Eſt enim acetum inter omnes ſubſtantias magis ratiſſimum, & hoc patet in ouo, quando per tres, vel quatuor dies ponitur in aceto. Roditur enim tota teſta oui per inſciſionem aceti. Ipſius aceti ſubſtantia intrans oui pelliculam interiorem, facit in eius albumine inſciſionem, & aufert totam ab illo viſcoſitatem & tunc comprimitur ſuauiter inter manus, aceti ſubſtantia exeunte exit albuminis ſubſtãtia, remanetque ſolus vitellus oui pellicula intacta. Sal quippe & ſi calidæ vel ſiccæ complexionis fuerit, contingit tamen, quod flammam per accidens deſtruit. Cum enim poros directos & amplos habeat, proiectum in igne, diuidit flãmam in particulas minimas, eiuſque poris amplis flammæ particulas occultat, quæ cum reſpiraculum non poſſit habere, extinguitur in ſe, tamen cum ita ponitur ſupra ligna craſſam flammam emittentia cum fumo craſſo humido, & ſi ſubito flammam non extinguat, tamen ex ſuis qualitatibus conſumit humiditatem lignorum, & poſtea generatur flamma ex fumo.

Cur arena flammam extinguunt?

Aceti vis.

Cur ſal ignẽ deſtruit.

De caloris mitigatiuis.

CAPVT LXXXIX.

FIt autem calidi quandoque extractio ab humido, per impoſitionem aquæ in illo, ſicut videmus in muſto. Cum vtrum aqua ſitei admixta percipere volumus, ouum imponimus, quod ſtatim deſcendit, ſi aqua impoſita fuerit. Quod ideo fit, quia muſtum dũ purum eſt, duplicem calorem habet, vnum ſcilicet à propria complexione: Alterũ à loco generationis ſuæ, ſicut contingit in triplicem calorem habente puro pane nouiter à furno extracto. Et ille duplex calor facit ebullitionem in muſto, quæ prohibet ouum deſcendere. Sed aqua modica appoſita calor extinguitur, & ebullitio eſſe definit, ouumque deſcendit. Similiter in vino in quo ouum deſcendit, poſtquam exhalauerit calor, quẽ à loco generationis ſuæ accepit. At vinum calidiſſimum in dolio potum, volenſque frangere dolium, accipit exterminationem ſui caloris à minima caſei particula, ſi ponatur intra ipſum. Caſeus namque poroſus, intra poros ſuos ebullientis vini ſpiritum accipit, Illumque ex ſua frigiditate alterat, & tũc vinum ab ebullitione quieſcit. Alio etiam modo fit extinctio caloris ſcilicet per reſolutionem craſſæ fumoſitatis, vt cum aqua in ignem proijcitur, ignis extinguitur. Item alio quocunque modo calor per conſtrictionem fumoſitatis extinguitur, vt cum teſticuli hominis ebrij in aqua frigida ponuntur, correſpondentia quippe teſticulorum cum ſtomacho eſt, vbi aduenientes aquæ frigiditas ad ſtomachum, alterat ipſam ſecundum frigiditatem in eius fundo, quæ ſcilicet frigiditas conſtringit materiam euaporantem ad cerebrum, ne fumus ex illa parte amplius euaporet, & tunc ceſſat ebrietas. Quæ quidem nihil aliud eſt niſi fumus reſolutus de vino meatus opilans, per quos deſcenſus eſt ſpirituum à cerebro. Sic ergo quæ dicta ſunt caloris extenuatiua ſunt.

Experientia ad ſciendum an aqua vino miſceatur.

Caſeus vinũ ebullire vetat.

Remedium contra ebrietatem.

Ebrietas quid?

De caloris, vel ignis excitatione.

CAPVT XC.

CAloris autem excitatio contingit ex motu aliquando, plerumque vero caloris multitudo cõtingit ex reflexione aeris, in obſtaculo concauo, quemadmodum videmus, quod cum ſtyphus argenteus cõcauus ponitur ad ignem, non poteſt ſe tolerare manus in ſcypho contra eundem, ſic & cum vna olla verſa ponitur in patella, quæ eſt aqua plena, ſi apponatur ignis patellæ, ſpiritus ebulliens in ea, propter caliditatem ſuppoſitam ad fundum ollæ inflectitur & multiplicatur, cõtinue trahit humidum ad ſe, vnde per proceſſus temporis aqua tota quæ eſt in patella, in ollam tranſibit, ita quod vacua penitus apparebit. Itaque videtur hoc ruſticis admirabile, quoniam in tali caſu decoquitur fruſtum carnis in ollæ fundo euerſæ, licèt ille fundus à patella per magnam diſtantiam eleuatus ſit in aere. Et attende, quoniam alterius modi eſt ignis effectus in elixis, & alterius modi in aſſatis. Nam quãdocunque aqua calida circunſtat in elixum, decoquendo, totum humidum extrahitur ab elixo. Itaque in elixis relinquitur intus magis ſiccum. In aſſatis vero relinquitur interius magis humidum, exterius autem ſiccum. Si vero quęratur ratio quarè ſic fit diuerſo modo, dico quod ſpiritu calido exiſtente in aqua circunſtante aliquid elixabile, attrahet ſibi humidum illius elixabilis ſpiritus ille, quod videlicet humidum in elixabili quidem exit, quia ſimile ſuum in circũſtante ſcilicet humoroſitate inuenit: at omne humidũ aſſabile cum extrahi debet à calore circumſtante ipſum fugit in profundũ aſſabilis, quoniam eius oppoſitum, ſcilicet ſiccitas, eſt in calore circumſtanti. Attende iterum quod vbi eſt debilis humiditas, & fortis ſiccitas, acuta eſt flamma, & ſicca: vbi vero multa eſt humiditas, & minor ſiccitas, flamma nõ eſt adeo penetratiua.

Elixa intus ſicca, aſſata intus humida remanẽt.

Quæ flamma magis penetratiua

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Documentū pro coquis.

Nec ita humidi circumſtantis ipſum cōſumtiua, propter hoc quoque lixæ volentes ſeruare pinguem humiditatem in anſeribus decoctis, vt ſint ſaporoſiores, ſemper decoquunt illos cum lignis humidis, nunquam cum ſiccis.

De flammæ nutritiuis.

CAPVT XCI.

POrro irritatiuum caloris flammei eſt pinguedo maxime, ſed non ex ſe, videmus enim quod cum pinguedo porci liquefacta in patella puraque & aerea pinguēdo ſit, nunquam emittere flammam poterit. Quod ideo eſt quia illa pinguedo aerea, calida & humida eſt, flamma vero cum ſit ſicca non fit cum calido & humido puro, hinc eſt quod in candela ſiccitas lychni quandam temperantiam generat ſecundum quam flamma nutritur. Ideoque dicit philoſophus in 4. lib. Meteororum, quod vinum eſt flammæ nutrimentum. Quod ego ſic intelligo. Ex vino ſiquidem rubeo per ſublimationem aqua extrahitur, quia quando ſcilicet cum eodem vino aqua & ſulphur apponitur, aqua nimirum exhalans, accipit à mixtis cum vino rubeo ſiccitatem, indeque contrahit ſublimationem, quæ quia cum ſit ſubtilis humiditas, ſiccitatem trahit à ſulphure, propter quæ duo poteſt ipſa eſſe nutrimentū flammæ. Et tunc ſi ſuper ipſam pannus ponatur, ſine deperditione panni ſuperpoſiti aqua in flāmam ſeruabitur. Et attende, quia ſi craſſum eſt humidum, craſſum ex ſe proijcit fumum. Ideoque quia flamma eſt fumus accenſus, inde craſſus accenditur fumus, propter quod ligna in plenilunio non oportet deſcidere, quoniam aer tunc diſponitur in humiditate: vnde quia humiditas ad putredinem ruit & ſiccitas econtra, ligna in plenilunio deſciſa citius putreſcunt quam deciſa in nouilunio. Non ſemper autem eſt pinguedo nutrimentum flammæ, ſed aliquando etiam humiditas aquoſa craſſaque. Quod attendentes fabri proijciunt aquam ſuper carbones deſtitutos ab humiditate, ex cuius ſcilicet aquæ humoroſitate cum carbonum ſiccitate naſcitur temperantia, quæ valet ad nutrimentum flammæ, ſulphur autem quoniam in eo tanquam in materia calida & ſicca eſt pingue, & ex ſe flammam proijcit ſine alicuius admixtione. Porro ſebum vaccinum, & ſi pinguius ſit, tamen nequaquam ex ſe flammam proijcit, Et hoc ideo, quoniam abundat in frigiditate, cuius ſignū eſt, quia eſt de animali ruminante, & omne tale eſt complexionis frigidæ. Ideoque ſtomachus eius frigidus, ex vna herbæ comeſtione non poteſt digeſtionem facere, propter hoc quod ab huiuſmodi animalibus comeditur, bis comeditur, pix vero quoniam in eo ſiccum ex ſtipticitate ſubſtantiæ vnctuoſum aut viſcoſum exiſtit flamam reddit, lapis autem & ſi vnctuoſum in eo ſit, eſt tamen in eo excellens terreſtre, ideoque non eſt inflammabilis.

Ligna in pleniluuio non ſcindenda.

De ſebo vaccino.

De quinto elemento quod eſt vapor terreſtris.

CAPVT XCII.

Vapor.

PHiloſophus. Vaporem autem dicimus quintum elementum, quod eſt medium aquæ & aeris quantum ad ſubſtantiæ ſubtilitatē, quia ſubtilior eſt aqua, craſſior aere. Et quamuis ſit ex huiuſmodi elementis, puta quia reſoluitur ex aqua & terra à calore ſolis, ſiue maneat clauſus in viſceribus terræ, ſiue ſuper terram eleuetur plus & minus, iuxta triplex interſtitiū aeris, ipſe eſt principium aliarum rerum ſequentium. Nam ille qui eleuatur ſuper terram, principium eſt cometarum ac ſtellarum cadentium, & aſub & anaxet, & circulorum circa Lunam & Solem apparentium, & iridis, nec non ventorum, & turbinis, & tonitrui, & fulminis, nubis, & nebulæ, grandinis quoque, & niuis, pruinæ atque roris. Et iſta ſunt elementata primæ cōpoſitionis. Ille vero qui manet in viſceribus terræ, ipſe eſt, qui calefacit fontes in hyeme, ipſe principium terræmotus eſt. Exque eo corpora minetalia generantur, vt ſulphur, ex cuius combuſtione calefiunt terræ, vt lapis ſimiliter & argentū viuum, quod eſt principium omnium metallorum, quæ ſunt ſeptem *ſcilicet plūbum, ſtannum, æs, aurichalcum, cuprum, argentum, & aurum.* Et hæc ſunt elementata ſecundæ cōplexionis, vel compoſitionis. Sunt autem elementata quædā media, quæ nec ſub terra ſunt, nec ſuper terram. Et horum quædam ſunt infixa ſicut terræ naſcentia, puta plantæ arborum & herbarum, quædam vero non, ſicut animalia. Quædam tamen inter plantas, & animalia media ſunt, vt ſpongiæ marinæ, quæ & radicibus aluntur vt plantæ, & tactu ſentiunt vt animalia. Sed horum principia ſunt vapores, vnde per ſe prius generantur. Plantæ vero primo ex ſeminibus pluuia mediante. Nutriūtur itaque terræ naſcentia ex mixtione terræ & aquæ. Et ita ſunt in tertia compoſitione, in qua facta eſt aliquo modo contrarietas, quæ elementata ſecundæ cōpoſitionis animam habere prohibet, vnde plantæ animam habent vegetabilem. Et quia vapores ſunt principia terræ naſcentium, ex terræ vero naſcentibus generantur humores animalium, ex quibus ſcilicet animalibus, & ipſa nutriuntur ſemina, vel oua formantur, de quibus alia quoque generantur animalia, Manifeſtum eſt, quod vapores ſunt principia animalis, & hominum qui ſunt quartæ & quintæ compoſitionis. Sed in animalibus magis confracta eſt contrarietas, quàm in terræ naſcentibus, vnde & nobiliorē animam recipiunt ſcilicet ſenſibilem. In hominibus quoque adhuc magis, quam in animalibus, & ideo recipiunt animam nobiliſſimam, propter ſummam corporis humani temperantiam. Et quia non potuit eſſe nobilior perfectio, patet quod homo finis eſt omnium creaturarum. Sicut ergo prima creaturarum rationalis eſt ſcilicet Angelus, ſic & vltima ſcilicet homo, vt finis conueniat principio, ſicque creaturarum ordo circularis, vt ex perfectione circularis creationis intelligatur perfectio ſummi opificis. Rectè igitur quinque ponimus elementa, licet quatuor ſint primo prima.

Elementata prima cōpoſitionis à vapore, terra ſecūda & media.

Septem metalla.

Zoophyta.

Vapores principia animalium

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER SEPTIMVS.

De corporibus mineralibus.

CAPVT I.

AVCTOR. Dicto de terræ natura & eius fœcunditate atque cultura, de ipsius quoque passionibus atque vaporibus, restat dicendum de quibusdã terrenis corporibus partim in viscetibus terræ, partim in eius superficie apparentibus, videlicet de mineralibus, & marinis coloribus atque lapidibus. Hæc B etenim à libro superiori, ob vitandum prolixitatis fastidium, rescindentes, in sequentibus prosequenda diffusius reseruauimus. Nunc igitur à corporibus mineralibus exordium capiamus. *Seneca de naturalibus quæstionibus lib. 8.* Sicut in nobis non tantum est sanguis, sed multa genera humoris. Alia quidem necessarij, alia quoque corrupti, ac paulo quidem pinguioris, vt in ossibus medullæ, in capite cerebrum, musci saliuæque ac lachrymæ, ac quiddam additum articulis, per quod citius ex lubrico flectantur. Sic & in terra quoque plura sunt humorum genera, quędam scilicet quæ mature durentur, & hinc est omnis metallorum humus, ex quibus aurum & argentum auaritia petit, & quæ in lapidem ex liquore vertuntur. In quadam autem terra humore putrescunt, sicut bitumen C & cętera similia huic. Cæterum sicut in nostris corporibus sic & in illa humores sæpè vitia concipiunt, cum aut ictus aut quassatio aliqua loci, aut senium aut frigus, aut æstus corrupere naturam.

Metalla cõparantur ortis in corpore nostro,

De quatuor corporum speciebus.

CAPVT II.

Quatuor species mineralium.

EX *lib. Meteororum quarto.* Corpora vero mineralia in quatuor species diuiduntur; scilicet in lapides, & liquefactiua sulphurea & sales: horum quædam sunt raræ substantiæ & debilis compositionis, quædam vero substantiæ fortis, & quædam ductilia, A quædam non. Eorum quæ sunt debilis substãtiæ quędam sunt sales; vt quæ liquefiunt ex humido leuiter, vt aurum calcantum, sal hammoniacum. Quædam vnctuosa, nec facile solo liquore vel humore liquescunt, vt sulphur, auripigmentum. Sed argẽtum viuum est de parte secunda, quamuis sit elementum ductilium & aliquibus ductilibus simile. Sunt autem omnia ductilia liquabilia, & vt multum non ductilia non liquabilia, nec mollificatur nisi cum magna violentia. Est autem materia ductilium substantia aquæ admixta cum substantia terræ forti mixtura. Ita quod non potest vnum ab altera separari. Et gelatur substantia illius cum frigore post actionem caloris in ipsum quę est optesis. Et erit exemplum, quod si nondum gelauit propter suam vnctuositatem ductile est. Lapidea vero de substantijs mineralibus materialiter sunt aquæ. Non tamen gelatur aqua sola, sed & cum siccitate quæ alterat aqueitates ad terreitatem. Nec est in eis humor nimis vnctuosus. Et ideo non ducũtur, & quia coagulatio eorum est ex siccitate, non soluuntur vt multum nisi per ingenia naturalia.

De metallis & eorum origine.

CAPVT III.

ISidorus *lib. 14.* Metallorum genera sunt septem videlicet aurum & argentum, æs, electrum, stannum, plumbum, & quod domat omnia ferrum. In notitiam vero hominum formæ metallorum ita venerunt, dum quocumque casu ardentes syluæ excoquerent terram, quæ calefactis venis fudit riuos cuiuscunque structuræ, siue igitur æs illud fuerat, siue aurum, cum in loca terræ depressiora decurreret, sumpsit figuram in quam illud vel profluens riuus, vel excipiens lacuna formauerat. Quarum rerum splendore capti homines cum ligatas attollerent massas, viderunt in eas terræ vestigia figurata. Indeque excogitauerunt ad omnem formam posse deduci. Tria autem sunt genera auri & argenti & æris, scilicet signatum factum & infectum. Signatum est numismatis, factum quod in vasis, & signis, infectum quod in massis. In nummismate tria quæruntur, *metallum, figura & pondus*, si ex his aliquid defuerit, nummisma non erit. *Tria in nũmismate.* Antiquissimi autem nondũ auro argentoque inuento

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ære vtebantur. Nam prius ærea pecunia in vſu fuit, poſtea, argentea, deinde aurea, ſed ab ea qua cœpit & nomen retinuit.

De naturali metallorum creatione.

CAPVT IIII.

Metallorum confectio.

Auicenna in Alchymia de anima. Dicunt itaque philoſophi quod ſeptē ſunt res quæ cum malleo elongari poſſunt ad fornacem ſcilicet ſol, id eſt, aurum, Luna, argentum, ſtannum, æs, ferrum, plumbum. Et creantur naturaliter ſub terra. Aurum enim fit in ventre terræ cum calore ſolis magno de argento viuo pulchro cum ſulphure rubicundo claro abſque lapidibus cocto in centum annis, & amplius. Argentum de auro viuo claro & ſulphure claro coctis per centum annos. Cuprum autem de auro viuo craſſo & de ſulphure rubeo craſſo coctis per cētena annorum. Sed aurum quidem nimis coctum eſt & induratum. Ideo nec ignis, nec aqua, nec terra delet illud. Argentum autem illud crudum eſt, & non coctum. Ideoque terra cito delet illud. Cuprum vero combuſtum eſt. Ideo non delet ipſum terra niſi per annos multos, ſed ignis cito conſumit ipſum. Plumbum autem dicunt Philoſophi fieri ſubtus terram de auro viuo craſſo ac ſpiſſo, & de ſulphure peſſimo ac mixto crudo parum cocto. Et plumbum quidem in tantum de peſſima naturā eſt, quod cum odore ſuo frangit aurum, & ſtringit aurum viuum, qui vero ſoluūt aurum ſi dent odorem de plumbo vertitur in calcem. Stannum vero ſit don de auro viuo pulchro & claro, ſed de peſſimo ſulphure crudo parum cocto. Ferrum autem de auro viuo ſpiſſo, & ſulphure rubeo nimis cocto. *Ariſtot. in lib. 3. Meteororum.* Cum occultatur vapor humidus in terra, fiunt ex eo duarum ſpecierum corpora, quarum vna liqueſcit, vt æs & aurum, & argentum. Altera vero dilatatur in percuſſione, vt ferrum. *Et lib. 4.* ex aqua & terra conſtant metalla, & quæcunque liquantur ab igne, iſta ſunt aquoſiora, aurum profecto, & argētum, & æs, & ſtannum ac plumbum liquatur.

Cuprum cito conſumitur ab igne.

Plumbum.

Stannum.

De Metallorum inueſtigatione.

CAPVT V.

Auri locus ſedes manii.

Plinius lib. 33. Nunc itaque metalla, & opes ac rerum dicentur precia, tellurem intus exquirente multiplici cura. Alibi quoque diuitijs foditur, quærentibus aurum, & argentum, æs, electrum. Alibi delitijs gemmas & parietum digitorumque pigmenta, & alibi temeritati ferrum. Aurum etiam gratius inter bella proſequimur cædeſque, videmus quoque mirantes ſuperexcauatos montes dehiſcere. Aliquando etiam tellurem ipſam intremiſcere. Imus in eius viſcera, & in ſede manium opes quærimus, tanquam illa parum benigna fertilique qua ſecetur, & inter hæc minimum remediorum gratia ſcrutamur. Cui enim fodiendi cauſa eſt medicina? quamquam & hæc medicinam, ſcilicet ſumma ſui parte tribuit, vt minimè parca faciliſque in omnibus quæcunque proſunt. Illa nos premunt, illa & nos ad inferos agunt, quæ occultauit atque demerſit. Quis finis eſt ſæculis omnibus, exhauriendi quouſque penetret auaritia? quàm innocens, beata, imo vero quam delicata vita hominis eſſet, ſi nihil niſi quod ſupra terras eſt concupiſceret, ac non niſi quod ſecum eſt haberet. Eruitur aurum & chryſocolla iuxta ipſum, nomen ex auro cuſtodiens, vt precioſior videatur. Natura ſibi peſtem inuenit: ponens in auro precium, in precio famem auri quæſiuit. Auxerunt & prodigioſa ingenia rerum precia. Acceſſit enim ars picturæ, ac celando aurum argentumque fit carius. Et didicit homo naturam prouocare. Auxerunt & artem irritamenta vitiorum. In poculis libidines cælare iuuit, ac obſcænitates bibere. Murina & chryſtallina eadem fodiuntur terra, quibus precium fecerat fragilitas ipſa. Et hæc quidē vera luxuria æſtimata eſt, habere quod poſſet totū ſtatim perire. Nec hoc fuit ſatis, gemmarum quoque turba potamus. Ex ſmaragdis calices teximus, ac tumulentiæ cauſa Indiam tenere iuuat, & aurum iam acceſſu eius. *Iſidorus lib. 16.* Metallorum vero natura eſt talis, vt vbi vna vena apparuerit, ibi ſpes ſit alterius inquirendi.

Chryſocolla.

De artificiali eorundem tranſmutatione.

CAPVT VI.

Mineralium generatio.

Ex doctrina alchymiæ. Porro per artem alchymiæ tranſmutantur corpora mineralia à proprijs ſpeciebus ad alias, præcipue metalla. Hæc autem ſcientia oritur ab illa parte naturalis philoſophiæ, quæ eſt de mineris, ſicut agri cultura ab illa quæ eſt de plantis. Hanc etenim acceperunt artifices à naturalibus, quāuis ea quæ ſecundum illam fiunt, fortaſſe non ſunt tam certa & propria, ſicut naturalia, ſed his ſimilia, ars enim debilior eſt natura. *Razi in lib. de aluminibus & ſalibus.* Corpora vero mineralia ſunt vapores, qui inſpiſſantur & coagulantur ſecundum menſuram ſeruitutis naturæ in ſpacio lōgo: at primum quidem, quod coagulatur eſt argentum viuum & ſulphur, hæc enim ſunt elementa mineræ, & non ſunt aqua & oleum, ſed vnum generatur ab aqua, aliud ab oleo, ſuper quibus aſſiduat decoctio æqualis cum caliditate & humiditate, donec coagulata ſunt, & ex eis corpora generantur per gradatam mutationem in milibus annorum: nam ſi remanerent in mineris ſuis, præpararet ea natura, donec peruenirent ad ſpeciem auri & argenti. Sed per artificis ſubtilitatem fieri poteſt huiuſmodi tranſmutatio in vno die, id eſt, breui ſpacio. *Auctor.* De hoc plenius dicetur inferius, prius enim mihi videtur in ſpeciali dicendum de ſingulis metallorum ſpeciebus. Igitur ab auro, tanquam à digniori ſumamus exordium.

De auri natura.

CAPVT VII.

Auri etymō.

Iſidorus. Aurum ab aura dicitur, id eſt, à ſplendore, eo quod repercuſſo aere plus fulgeat. Naturale eſt enim, vt metallorum ſplendor plus fulgeat alia luce repercuſſus. Obrizum autem dictum eſt, eo quod ſplendore obradiat. Eſt enim coloris optimi, quod Hebræi vocant opham. *Ex lib. de nat. rerum.* Aurum inuenitur in riuulis & in fontibus, & etiam in montibus quandoque, ſed rarò, multus autem labor eſt in lauando. Sed & ſi per multas minutias terræ, & eius ſordibus inuenitur ſociatum, inuenitur tamen purum, & non terræ vel bitumini in ſe admixtum, ſicut æs vel argentum. Itaque ſi etiam inter pulueres bratea reperiatur, nequaquam tamen auri puritas in ſe ſordium ſqualoribus incorporatur. Contra diem, vt dicitur, frigeſcit, & ſic cognoſcunt habentes aurum in digitis quando dieſcit. Fertur etiam, quod aurum inter omnia elementa profundius generatur in terra, clareſcit cum malleo percutitur, & cædens in omnem partem dilatatur. Aurum poteſt occultari ſub ſpecie terræ plumboſæ. Si enim auro cum liqueſcit admiſceatur argentum viuum, & poſtea moueatur quouſque infrigetur remanebit pulvis. Argentum enim viuum ex penetrabilitate ſuæ ſubſtantialis humiditatis ſeparat humidum auri: nec patitur ipſum habere continuitatem: ſic ferunt artifices Saraceni aurum ſuum de terra in terram. Et cum volunt aurum habere purum: in fornace ponunt & liquefaciunt, & exhalat argentum viuum ſine aliqua deperditione. Occultatur etiam ſub ſpecie pulueris terræ, ſi & liquefacto admiſceatur cinis, & moueatur cum teſtula, quouſque puluerizetur. Teſtula quippe tunc propria humiditate deſtituta per calorem fornacis, extrahit humiditatem totam ipſius auri ad ſe. Idem quoque fiet ſi moueatur cum virga coryli recente. Calor enim auri liquantis extrahit & ſumit humiditatem virgæ, quo fit vt verſa vice

Obrizum.

Modus occultandi aurum ſub ſpecie pulueris.

virga

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

virga inanita ab humiditate propria attrahit ad ſe humiditatem auri loco ſuæ humiditatis, ſicque relinquitur aurum vniuerſaliter diſcontinuatum: hæc omnia poſſunt fieri de plumbo. Si vero aurichalcum fuerit auro admixtum, frangitur, eritque ſicut vitrum. *Plinius lib. 9.* Echini piſcis admodum parui ſale ſeruari hanc eſſe vim crebrius magiſter affirmat, vt aurum quod in altiſſimos deciderit puteos, admotus extrahat. *Idem in lib. 33.* Aurum paleis accenditur: omnique auro ineſt argentum pondere vario, & alibi nona, alibi octaua inuenitur portio. Alibi quoque 36. & ideo cæteris præeſt. Item aurum glutinatur argilla ferro. In auro lucentibus ſcintillis eſt terra alibi ruffa, & alibi cinericia. Aurum quo mollius eſt eo pulchrius. Omnia quidem argento viuo innatant, præter aurum, id vnum ad ſe trahit. Ideoque & ipſum optimè purgat: cæteras eius ſordes expuens crebro iactatu fictilibus vaſis, ita vitijs abiectis, ſed vt ipſum ab auro diſcedat, in pelles ſubactas effunditur, per quas ſudoris vice defluens purum relinquit aurum. Idem in lib. 29. *Membra gallinarum.* Auro liqueſcenti ſi gallinarum membra miſceantur, in ſe conſumunt illud. Ita hoc, id eſt, membra gallinarum eſt auri venenum. *Idem in lib. 35.* Aurum alumine nigro purgatur.

De ſpeciali ac multiplici auri præeminentia.

CAPVT VIII.

EX *lib. de natura rerum.* Aurum cæteris metallis eſt precioſius, durabilius & tractabilius, omni tempore fulget, & coinquinatum rubigine non conſumitur, viſum fouet. Et quanto rubicundius eſt, tanto melius eſt. In duplo quoque ponderoſius eſt, quam argentum, aut æs, aut ſtannum. Cumque ſit generoſiſſimum ſuper omnia metalla: nihilominus eſt maximè ductibile ſuper omnia. Omni metallo temperatius eſt. Et ideo quia caliditas eius modici eſt exceſſus: non locatur in gradu. Solum quoque non reſoluitur. *Auctor.* Aurum itaque non ſolum eſt inter metalla precioſiſſimum, ſed etiam ſolidiſſimum, habet colorem igneum ſplendidum fouentem viſum. In igne poſitum non comburitur, ſed purgatur & probatur. Itaque triplici de cauſa in igne ponitur, ad examinandum, ad purgandum, & ad fabricandum. Sed & humano corpori maximè congruit: vnde in cibo ſumptum iuuat multum. *Plinius in lib. 35.* Præcipuam auro fuiſſe gratiam arbitror: nam colore qui in argento eſt clarior, magiſque diei ſimilis: & ideo militaribus ſignis familiarior, quoniam is longius fulget: manifeſto illorum errore, qui colorem ſiderum in auro placuiſſe arbitrantur, cum in gemmis alijſque rebus non ſit præcipuus. Nec pondere, nec facilitate materiæ prælatum eſt cæteris, cum cædit plumbo per vtrumque. Sed quia rerum vni nihil deperit igne, tutum quippe eſt in incendijs rogiſque. Quinimo quo ſæpius arſerit, ad bonitatem auri proficit. *Aurum citius ardet paleis.* Aurique experimento ignis eſt, vt ſimili colore rubeat, ipſumque obrizum vocant: primum autem bonitatis eius argumentum eſt quam difficillimè accendi: præterea mirum violentiſſimi ligni pruna indomitum, palea citiſſimè ardeſcere, atque vt purgetur cum plumbo coqui. Altera vero cauſa precij maior eſt, quod minimè vſus deterit, cum argẽto ac ære, & plumbo lineæ ducantur: manuſque ſordeſcat decidua materiã. Nec aliud quidem auro laxius, vel latius dilatatur, aut numeroſius diuiditur. Hiſpania ſtrigiles vocat paruulas auri maſſas. *Strigiles.* Et quod ſuper omnia ſolum in maſſa auramento capitur. Cumque cætera in metallis reperta igni perficiantur, hoc ſtatim aurum eſt, conſummatamque materiam protinus habet cum inuenitur. Hæc enim eius inuentio naturalis eſt. Alia vero quam dicemus coacta. Itaque ſuper cætera non rubigo vlla, non ærugo, non aliud eſt ex ipſo, quod eius bonitatem conſumat, ponduſve minuat. Iam vero contra ſalis & aceti ſuccos rerum domitores eſt eius conſtantia, ſuper quæ omnia netur, & texitur, lanæ modo, & ſine lana. Æs autem inaurari argento viuo, vel lithargyrio legitimum eſt, & in hoc excogitata fraus eſt, vt dicemus illorum naturam reddentes.

De quibuſdam modis aurum inueſtigandi.

CAPVT IX.

PLinius 33. In orbe noſtro inuenitur aurum, vt omittamus Indicum. Et à formicis, & gryphibus apud Scythas erutum. Apud nos quidem tribus modis, vno modo, ſcilicet fluminum ramentis, vt in Tago Hiſpaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ. Nec vllum abſolutius eſt aurum, vt ipſo curſu attrituque perpolitum. Alio modo ſcrobibus effoditur puteorum, aut in ruina montium: quare vtraque ratio dicetur: Aurum aquarum qui quærunt, ante omnium ſculum tollunt, ita vocatur indicum, Alueus vbi arenæque lauantur, & ex eo quo reſedit, coniectura capitur, vt inueniatur. Inuenitur autem aliquando in ſumma tellure protinus rara fælicitate, vt in Dalmacia nuper tempore Neronis. Cæterum Hiſpaniæ montes aridi ſterileſque in quibus non aliud gignitur, hoc bono fertiles eſſe cognoſcuntur, quod autem puteis foditur cannalicium vocatur, marmoris glareæ inhærens non illo modo quo in Oriente ſaphyro atque Thebaico cæteriſque in gemmis ſcintillat, ſed micas amplexum marmoris: hi venarum cannales per marmor vagantur, & latera puteorum, & huc, & illuc: inde nomine inuento. Telluſque ligneis columnis ſuſpenditur. Et quod effoſſum eſt tunditur, lauatur, vritur, in farinam molitur. Nam quod in pilis cudunt, apilaſcudem vocant, Argentum quod exit à fornace, Sudoremque qui è camino iactatur. *Apilaſcudis.* Spurcitia vero in omni metallo ſcoria dicitur. *Scoria.* Et hęc in auro coquitur iterum, & tunditur. Catini ad coquendum fiunt ex Taſconio, hoc eſt alba terra ſimili Argillæ. Non enim alia afflatum, ignemque, & ardentem materiam poſſet tolerare.

Iterum de alio inueſtigandi modo.

CAPVT X.

TErtia ratio inueniendi aurum vincit opera gigantum. Cuniculis namque per magna ſpacia actis ad lucernarum lumina cauantur montes, protractiſque vigilijs multis menſibus non cernitur dies. Subſiduntque rimæ ſubito, & opprimuntur operantes. Ideo ſubſtinendis montibus relinquuntur crebri fornices. *Labores & pericula in aurifodinis.* In vtroque genere ſilices occurrunt, hos etiam igni & aceto rumpunt. Sæpius etiam quoniam in cuniculis vapor ſtrangulat & fumus cædunt fracturis cr. libras argenti egeruntque humeris noctibus ac diebus. Nocentiores tanto faciunt terras: vt iam minus temerarium videatur, è profundo maris petere margaritas. Eſt ex quodam Argillæ genere, terra glareæ mixta, prope inexpugnabilis, quam vocant candidam, hanc quoque ferreis cuneis, & malleis aggrediuntur, nihil durius putant, niſi quod inter omnia fames auri duriſſima eſt, opere peracto, ceruices fornicum cædunt ab vltimo, dat ſignum rima, ſicque mons fractus cadit ad ſe longè, fragore magno & incredibili flatu. Spectant victores ruinam naturæ, & tamen ad tanta pericula ſatis eſt cauſæ, quod cupiunt, ſeparare. Alibi quoque rupes inuiæ cæduntur, ſedemque trabibus cauatis præbere coguntur, is qui cedit funibus pẽdet, vt procul auri lineas aſpiciat. Iterum in ſuperciljs montium piſcinæ longæ ac ſtrictæ cauantur, vt aqua recepta currens tanta vi prorumpat, vt ſaxa prouoluat. Alius etiam nunc in plano labor eſt, foſſæ in quas profluat cauantur, & gradatim ſternuntur, vlex eſt frutex rori marino ſimilis, aſper, aurumque retinens. Cuius latera tabulis clauduntur,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ac per prærupta ſuſpenduntur. Ita cannali profluente de terra in mare vlex ſiccatus vritur, & cinis eius lauatur ſubſtrato ceſpite herboſo, vt aurum ſidat. Sic * Auſtria,& Gallicia,& Luſitania, aurum præſtat. Ita vt plurimum Auſtria gignat.

* *Forſan Aſturia.*

Quæ ſint auri prima æſtimatio.

CAPVT XI.

VTinam è vita in totum poſſet abdicari auri ſacra fames, quanto fælicius ævum fuit, cum res ipſæ permutabantur inter ſe, ſicut in Troianis temporibus factitatum Homero credi conuenit. Sic enim vt opinor, commercia victus gratia inuenta, videlicet alios corijs bonum, alios ferro captiuiſque rebus emptitaſſe tradit. Quamquam ipſe miratus aurum ſic fecerit æſtimationes rerum, vt centum boum arma aurea permutaſſe diceret Glaucum cum Diomedis armis nouem boum. Ex qua etiam conſuetudine multa legum antiquarum permutatio pecore conſtat etiam Romæ: Peſſimum ſcelus vitæ fecit, qui primus digitis aurum induit. Nec traditur quis hoc fecerit: nam & Prometheo ferreum annulum antiquitas dedit: vinculumque non geſtamen intelligi voluit. Nec Senatum Romanum aureos habuiſſe manifeſtum eſt. Sed his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri eſſent: annuli publicè dabantur: ſic enim apud exteros, vt credo, honoratiſſimi intelligebantur. Nec alijs vti mos fuit, quam qui ex ea cauſa publicè accepiſſent: vulgoque ſic triumphabant. Et cum corona ex auro Hetruſca geſtabatur à tergo: annulus tamen in digito ferreus erat, vt quam fortunam triumphantis ac ſerui oſtenderent. Hi quoque qui ob legationem acceperant, in publico tantum vtebantur. Intra domos autem ferreis. Quo argumento etiam nunc ſponſæ ferreus annulus mittitur, Iſque ſine gemma: Porro Deorum honori in ſacris, nihil aliud excogitatum eſt, quam vt auratis cornibus hoſtiæ maiores dumtaxat immolarentur.

Quis primus aurum digitis geſſit.

Ferreus annulus ſponſæ dabatur.

De luxuria modernorum in auro.

CAPVT XII.

ITaque peſſimum, vt diximus, inde ſcelus fecit, qui primus auro digitos induit: proximum vero ſcelus fecit, qui primus denarium ex auro ſignauit: quod & ipſum latet autore incerto: populus ſiquidem Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem deuictum vſus eſt, quin potius liberatis: vnde nunc etiam libella dicitur, & dipondius appendebatur aſſis. Quin & militum ſtipendiorum, id eſt, ſtipis ponderandæ penſatores dicuntur libripendes. Qua conſuetudine in his emptionibus quæ mancipi ſunt, & tunc libra interponitur. Porro in militia hæc quoque adoleuit luxuria fremente fibulas tribunicias ex auro geri. Mulierum quoque pedibus aurum geſtatum viſum eſt. Et ne ſcelus in annulis arguamus, habent etiam in lacertis, iam quidē & viri, quod de Dardanis venit, vnde & Dardanum dicitur. Habentque fœminæ in armillis totoque collo, & digitis, & auribus, per has diſcurrunt cathenæ circa latera, & inſerta margaritarum collo dominarum auro pendent pondera, vt in ſomnoque vnionum aſſit conſcientia: denique luxuria multimodas addit gemmas exquiſiti fulgoris, cenſuque optimo digitos onerat. Mox & effigies varias cælat, vt alibi materia ſit in precio: plures quam vnum annulum geſtare labor eſt: alij bracteas leuiore materia inſerũt, & propter caſum gemmarum totam ſolicitudinem putant. Alij quoque ſub gemmis claudunt venena, ſicut Demoſthenes oratorum Græciæ ſummus; Annuloſque mortis gratia habent. Demumque vt plurima opum ſic annulis fiunt ſcelera. Quibus quoque delitijs venerunt, tam aurea, quam inaurata? cum ſciamus interdixiſſe caſtris ſuis Spartacum, ne quis aurum haberet aut argentum. Meſſala orator prodidit Antonium aureis vaſis in omnibus obſcænis deſiderijs vſum fuiſſe: vtendo quoque crimine Cleopatræ. Itaque cõtumeliam fecit naturæ, vilitatem auro, opus dignum proſcriptione: vaſa coquinaria ex argento Caluus orator queritur fieri. At nos carrucas ex argento facimus cælari. Noſtraque ætate Poppea coniux Neronis Principis: quæ ſoleas ex auro induit delicatioribus iumentis ſuis: præter alia miror, & Populum Romanum victis gentibus in tributo ſemper argentum imperaſſe non aurum. Itaque Romæ non fuit aurum niſi admodum exiguum longo tempore, vnde & à Gallis capta vrbe, vt pax emeretur non plus, quam mille pondo potuerunt ſoluere. Sed iam regnauerat in Colchis Salauces, & Eſubopes, qui terram virginem nactus plurimum argenti & auri eruiſſe dicitur: ita quod velleribus aureis indito regno, trabes etiam aureas & argenteas, & columnas habuiſſe narratur. Habuerunt iam & alij multi plurimum auri, de quibus *in Plin. lib.* 33. ſufficienter patet.

Antonius.

Caluus.

Poppea.

Lytrum vrbis Romanæ.

De operatione auri in alchymia.

CAPVT XIII.

ARiſtot. *vbi ſupra lib.* 4. Aurum profecto liquatur calido, & ſi fuerit ſulphur mundum & purum, & argentũ viuum optimum cũ rubore clarum, fueritque in eo vis igneitatis ſimplicis non vrentis, erit res optima, quam recipere poſſunt alchymiſtæ, vt ex ea fiat aurum. Hoc enim ipſum conuertetur in aurum. *Razi vbi ſupra.* Aurum eſt calidum & humidum, omnibus corporibus nobilius, rex eorum ac dominus, nec terra, nec aqua, nec aere, nec igne corrumpitur, nec igne minuitur, ſed rectificat ipſum ignis, & humectat. Nec comburunt ipſum ſulphura quæ comburunt alia corpora, quia natura eius, & complexio recta eſt, æqualis, clara, in qua completæ ſunt naturæ quatuor & æquatæ, ita quod in eo non eſt additio neque diminutio, quapropter extulerunt ipſum ſapientes, & poſuerunt in eo compoſitionem elixir magnum, quia ſubſtantia ſtans, & permanens fixaque in perpetuum: Eſt autem ex ſectione ſolis, & eſt in corporibus ſicut ſol in ſtellis, quia ſol eſt rex ſtellarum ac lumen earum, & per eum complentur res terræ ex plantis, & fructibus, & mineris, & per ipſum creſcit & additur eſſentia eorum. Similiter & aurum in corporibus retinet omne corpus, & cum eo retinentur. Et eſt fermentum duorum elixir rubei & albi: quæ non niſi per ipſum tectificantur & complentur, ſicut nec paſta niſi per fermenta. *Auicen. vbi ſupra.* Aurum multiplex eſt, ſcilicet naturale magiſtrale, xirchi, zafri, orizum, colon, & alijs modis. Et illud quidem, quod eſt de elixir valet magis quam aurum aere, quo non poteſt operari. Aurum autem de elixir eſt tribus modis, ſcilicet de petra capillorum, & ſanguinis, & ouorum. Non enim poteſt aurum eſſe aurum de alio lapide. Quidam autem faciunt falſum aurum ſicut & argentum. Stringunt enim, id eſt, indurant ſtannum, & dealbant ac dicunt eſſe argentum. Sicut etiam auripigmentum cum ſubtus ſtercus mittunt ibique miſcent ſal hammoniacum, & incorporant cum cupro diſtenſo per botum barbatum, & cum mercurio rubeo, & dicunt quod fit aurum. Verum cuiuſmodi fit aurum ſeptem modis per magiſterium tentatur atque cognoſcitur, ſcilicet in ſolutione, in lapide, in pondere, in guſtu, in igne, in ſublimatione, in fuſione. Porro naturalis auri natura calida eſt, & ſicca, & quantum habet ferrum de natura ſiccitatis & duritiei, tantum habet aurum naturam bonam, ac mollem: fit autem in ventre terræ de argento viuo bono nimis, & de ſulphure non multum rubeo cocto.

Aurum cõparatur ſoli.

Auri multiplex.

Probatio auri ſeptuplex.

Spartacus. Meſſala.

De

De virtute ipſius in medicina.

Cap. XIV.

EX *lib. de natura rerum.* Aurum eſt calidæ naturæ, lepram,ac ſcabiem curat in puluerem redactum & antidotis mixtum:habet etiam virtutem confortãdi, non quod incorporetur, aut membra nutriat, ſed quod alteratiua virtute corpus immutat: vulnus ex auro factum non corrumpitur in tumores. *Hali regalis in practica ſua ſermone ſecundo.* Auri folia carnem comedunt ſine morſura,ſuntque ſicca ſubtilia, limatura auri confortat cor, & pulſioni medetur, ſi quæ his proſunt medicaminibus admiſcetur: acalimia auri melior eſt tenuis, & magis deſiccans,& amplius elimans. Quæ ſi comburatur,& linetur deſiccat oculorum vlcera ſine morſura. *Auctor.* Aurum vt dictum eſt ſuperius omni metallo eſt temperatius: vnde quia caliditas eius modici eſt acceſſus, ideo non locatur in gradu, licèt in gradu ponatur ab aliquibus. *Auicenna 2. cap. medicinæ.* Aurum eſt æquale ſubtile, confortat oculum in alcofol poſitũ. Confert & doloribus cordis ac tremori eius. Retentio eius in ore, fætorem ipſius oris remouet. Cauterium melius eſt, & velocius ſanabile, quod fit cum auro. Limatura eius ingreditur in medicinis melancholiæ,& in medicinis ſerpiginis, & alopiciæ leniendis,& in eis quæ bibuntur, confert etiam doloribus cordis,ac tremori eius,ac timori animæ,& ei qui ſolus loquitur. *Idem in eodem.* Clima vero eſt fex, vel ſimus ſuper locum in quo funditur aurum eleuatus. Et illud quod ſubmergitur laminoſum eſt. Auriclima, melior eſt illa quæ eſt aurea cineritij coloris, recens, & laminoſa craſſior. Eſt autem æqualis ad ſiccitatem declinans in tertio. Ipſa vero, & quod ablutum eſt de illa ſubtiliora ſunt argenticlima. In ipſa ſunt exiccatio,& abſterſio. Implet vulnera,& incarnat vulnera fraudulẽta. Vulnerum quoque ſordes mundificat,& corrodit carnes eorum additum albugini etiam oculo confert, & vitio aquæ, & oculum confortat. *Plinius lib.* 34. Aurum vulneratis, & infantibus applicatur, vt minus noceant veneficia quæ inferantur, fiſtulas, & hæmorrhoidas ſanat. Quod ſi trito ſpuma adijciatur, vlcera putrida, & tetri odoris emendat. *Idem in lib.* 34. Vtiliſſima affirmatur eſſe oculis ſpuma quæ fit in auratijs.

Aurum medicinale.

Tremor cordis, fatorque oris melancholiaque curãtur auro.

Spuma auratiorum.

De Eodem.

Cap. XV.

CONſtanti. *in lib. graduum.* Aurum temperatius eſt cęteris metallis. Habet proprietatem ſubueniẽdi ſtomacho defecto, timoroſos cordiacos confortat. Galienus dixit eſſe contra melancholiam,& alopiciam, atque tyriam. Quibus chyrurgia neceſſaria eſt, ſi fiat cum auro, nullam carnis putredinem facit, paleola cum funditur, remanet in loco vbi funditur, quaſi ſpuma,Et dicitur Cadmia aurea, quæ videlicet contra oculorum dolorem & pannos, humoribus calidis, & ad oculos deſcendentibus repugnat, palpebras confortat, & neruos eorum incolumes conſeruat. *Razi in Almanſore.* Aurum tremori cordis & melancholię prebet adiutorium. Cadmia auri ſubtilior eſt,quàm argenti, quæ etiam albulam, quæ eſt in oculo remouet. *Platerius in lib. de ſimplici medicina.* Aurum calidum eſt, & eſt omni metallo temperatius: fit autem de vena terræ per excoctionem,& quod inde ſuperfluum ſeparatur, ſpuma auri dicitur. Aurum habet virtutem confortandi & depurandi: vnde valet contra elephantiam, cordiacam paſſionem,& ſincopem, ſplenem,& infrigidationem ſtomachi: Vinum etiam in quo extinctæ

Cadmia aurea.

Spuma auri

fuerunt laminæ aureæ candentes, ſplenęticos iuuat, quæ ſi non poſſunt haberi,de chalybe fiant. Vſturæ quoque factæ ex aureo inſtrumento meliores ſunt, quàm ex alio metallo: puluis cadmiæ, ideſt ſpumæ auri more collyrij,vel,ſimpliciter oculis impoſitus,oculorum maculam corodit. Sed quæritur vnde aurum confortat, cum nec incorporetur, nec membra nutriat. Ad quod dicendum, quòd quædam confortat membra temperando ſpiritus, vt ęromatica, quædam reſtaurando membra, vt cibi & potus. Quædam conſtringendo relaxatum membrum vt emplaſtrum ex maſtice factum. Quædam alterando qualitatem membri diſtemperatam, vt diacoraſcos ſtomacho ex fragilitate debilitato appoſitũ. Quędam vero depurando ſuperfluitatem quę opprimendo debilitat, vt medicinæ laxatiuæ: hoc modo igitur confortat aurum,dum aſperitate ſua confortat, ſeu extergit ſuperfluum.

Lamina aurea.
Vſtura ex auro.
Diacoraſcos.
Modus quo aurum confortat.

De Argenti natura.

Cap. XVI.

ISidorus *vbi ſupra.* Argentum Græci apyopior dicũt: cui mirum in modum illud accidit, vt cum candidum ſit, impreſſum corpori nigras lineas reddit. Plinius lib.33. Omni auro ineſt argentum, quo mollius eſt eo pulchrius: lithargyrio argentum inauratur ſolum. Argenti duæ differentię: batillis ferreis candentibus ramento impoſito, quod candidum permanet probatur, proxima bonitas ruſſo, nulla nigro. Sed interuenit fraus experimento ſeruatis in vrina virorum batillis: ita ramentum inficitur, dum vritur, candoremque mentitur. Eſt autem aliquod experimentum politi in halitu hominis,ſi ſudet protinuſque nubem diſcutiat. Ex optimo argento fieri ſolent optima ſpecula. Argentum medicatis aquis inficitur,& etiam afflato ſalſo ſicut mediterraneis Hiſpaniæ. *Ex lib. natu. ter.* Argentum ductile eſt, & tractabile,ſonorumque, ac tinnitus dulciſſimi, & hoc maximè ſi ęri miſceatur: vnde tubas ex argento ductiles præcepit fieri Moyſes ad terrorem hoſtium, & exhortationem ad bellum, ad mouenda quoque caſtra,& populos ad eſcam conuocandos. Argenti venæ multæ, & in multis partibus orbis reperiuntur,nec eſt purum in ſe ſicut aurum. Sed terræ ac ſordibus incorporatum & admixtum: ideo labor maximus eſt, vt per ignem expurgetur, fumus autem purgationis eius valde nociuus eſt, nec de facili purgatur fumo huiuſmodi multo infectum,niſi fumo thuris aut aromaticis ſpeciebus,ac vbi purum fuerit argentum durabile eſt, impurum autem de facili contrahit corruptelam:argentum conſolidat alia metalla, & quaſi vnum efficit conſolidata.

Argentum inficitur vrina hominum.

Argentum impurius auro.

De Argenti fodina.

Cap. XVII.

PLinius *vbi ſupra.* Argenti metallo poſt aurum ſequentis eſt inſania: non niſi in puteis reperitur, nullaque ſui ſpe naſcitur, nullis vt in auro lucentibus ſcintillis. Terra eſt alia ruſſa, alia cinericia. Excoqui non poteſt niſi cum nigro plumbo, aut cum vena plumbi quam galenam vocant,quæ iuxta venas argenti plurimum reperitur. Et eodem ignium opere deſcendit pars in plumbum, ac ſupernè innatat argentum, vt oleum aquis. In prouincijs fere omnibus ſic in aquis reperitur argentum. Sed in Hiſpaniæ ſterili ſolo, atque etiam in montibus pulcherrimum reperitur argentum. Et vbicunque inuenitur vna vena, non procul inuenitur & alia: hoc ferè in omni metalli materia. Mirum adhuc per Hiſpanias ab Annibale olim inchoatos,durare puteos, ab

Argentum excoquitur cum galena.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inuentoribus ſua nomina habentes:per magnum ſpacium cauant montes,diebus ac noctibus aquas egerunt, argenti vena in ſummo fodinæ reperta vocatur crudaria:finis fodiendorum metallorum, & maximè argenti antiquis ſolebat eſſe alumen inuentum, vltra nihil quærebatur. Nuper autem inuenta æris vena infra alumẽ alba,finem ſpei nullum fecit. Odor ex argẽtifodinis inimicus eſt omnibus animalibus,ſed maximè canibus. Eſt & in his venis lapis,cuius vomica liquoris æterni argentum viuũ appellatur, de quo, ſcilicet inferius dicetur. In eiſdem quoque argenti metallis inuenitur, vt propriè dicamus lapis ſpumæ candidæ nitentiſque,non tamen translucentis. hunc alij appellant ſtibiam,alij alabaſtrum,alij turbas: duo ſunt eius genera mas & fœmina: fœminã magis probant,horridior eſt mas ſcabriorque, ac minus ponderoſus minuſque radians, & magis arenoſus: fœmina vero econtra nitet,fabricabilis, fiſſuriſque dehiſcens non globis:vis eius eſt aſtringere & refrigerare, ſicut dicetur inferius.

Crudaria.

Odor argentifodinarum canibus inimicus.

De operatione ipſius in alchymia.

Cap. XVIII.

EX *libro 3.Meteororum.* Argentum ſicut & aurum ex terra & aqua conſtat, & liquatur calido ſicut & alia metalla. *Razi vbi ſupra.* Argentum eſt corpus mũdum, & decorum circa aurum. Et eſt ex ſectione Lunæ, cuius non eſt complementum in lumine ſuo, & virtute ſua, ſed Solis, ſic eſt locus argenti apud aurum: huius natura frigida eſt & humida: corrumpitur enim in terra & in igne, & ſapor eius eſt ad acetoſitatem decliuis. Et ſulphur quidem, & plumbum, & ſtannum inimica ſunt ei, ab ipſis enim læditur,& ab igne minuitur. Eſt autem omnium corporum propinquius ad aurum: quoniam occultum auri manifeſtum eſt argenti, & econuerſo. *Auicenna in libro alchymiæ de anima.* Argentum triplex eſt,ſcilicet naturale,petrale,hoc eſt quod fit de lapidibus per magiſterium alchymiæ, & illud quod fit per vim medicinæ, ſcilicet de ſolo mercurio & ære per botum barbatum, ſed eſt melius de noſtro lapide. Eſt autem argenti natura frigida, & humida: fitque de argento viuo multo, & de pauco ſulphure. Et naturale quidem frigidius eſt quam petrale:petrale vero quã illud,quod cum medicinis. *Ex lib. de naturâ rerum.* Argentum depuratur de cupro mediante plumbo:etſi quidem fabricatum ad ſuperficiem planam in igne ponatur, & extractum eandem omnino ſuperficiem retineat:patet,quod à cupro eſt mundũ. Sin autem & in medio fiſſuram habeat,non eſt depuratum. Siccitas enim cupri facit ad corrugationem, propter quam talis apparet fiſſura, veruntamen argẽtum quando non eſt omnino purum: cum ſubſtantia eſt multum congelata, ſi percutiatur non diffunditur in longum,& in latum,ſicut nec glacies,ſed frangitur. Ideoque apponunt argẽto cuprum,vt ex commixtione ſicci cum humido generetur viſcoſum, quod fit diffuſionisargenti principium:argentum etiam viuum in igne cum argento mixtum aufert frangibilitatem argenti quæ eſt ex nimia ſiccitate. *Ex doctrina alchymiæ.* Aurum & argentum tribus modis examinantur, quorum tamen duo dicuntur examinationes impropriè,ſed vnus dici poteſt ſeparatio,alius tentatio. Separatio fit in paleola ſola,quando ſcilicet ibi ponitur adamas,vt ſeparet ab auro ferrum tantum, quia non habet ſeparandi aliud metallum proprietatem. Tentatio vero fit,tam in paleola quam in alio auro & argento,quando ſcilicet ibi fricatur lapis quidã ad modum cotis factus,vt per colorem ibidem remanentẽ ſciatur,quantum ſit ibi de mixtura, quantum ſcilicet cum auro mixtum ſit de argento vel ære,aut cum argento de ære: In vera examinatione tria ſunt neceſſaria,ſcilicet puluis antiqui lateris,& ſal,& ignis. In examinatione argenti tria ſimiliter,ſcilicet ignis,cinis,& plumbum.

Plumbum depurat argentum.

Examen triplex auri & argenti.

Argentum frigidum & humidum. Inimica ei.

De virtute ipſius in medicina.

Cap. XIX.

A *Vicenna in ſecundo Canone.* Argentum infrigidatiuum eſt, & exiccatiuum: bonum eſt valde ſcabiei & prurigini. Eius confricatio cum alijs commixtionibus confert fætori oris ac tremori cordis,& humiditatibus viſcoſis. *Conſtantinus vbi ſup.* Argentum frigidum & temperatum inhumiditate eſt, & eſt contra humidum, & viſcoſum flegma. Cadmia tamen auri fortior eſt, & melior argentea. *Razi in Almanſore:* Argentum frigidum eſt, cordiſque tremori proficit. Cadmia argenti ſcabiei quę in corpore oritur,& puſtulis quæ in oculis ſunt, bona eſt. *Hali vbi ſupra.* Scala ideſt limatura argenti, ſi conteratur cũ argento viuo prodeſt hæmorroidis. Acalimia argenti melior eſt tenuis mardaſegeno ſimilis. Temperata eſt in calore,& frigore ſiccæ complexionis,deſiccatiua, pontica. Si comburatur & lauetur elimat viſum deſiccatque ſine morſura, oculorum replet vlcera carne, deſiccat vlcera in corpore manifeſta. Item purgamentum argenti melius eſt viride ac tenue,ponticum eſt deſiccans fortiter. Ideoque neceſſarijs admiſcetur ad cicatrizandum vnguentis. *Plinius vbi ſupra.* Argenti ſcoriæ vis eſt, aſtringere corpora & refrigerare:additur in emplaſtris,& valet cicatricibus glutinandis, prodeſt etiam contra tenaſmos, & dyſenterias cum oleo mirthæ cliſteribus infuſa,adducitur & in medicamentis quæ vocantur lippara,ad vlcera excreſcentia vel ex attritu facta, vel in capite manantia, argenti ſpuma quæ eſt materiæ purgantis ſe, valet ad collyria, & nitrum ad cicatricum muliebrium fœditates maculaſque tollendas, & valet ad capillum abluendum. Vis autẽ eius eſt ſiccare, mollire,refrigerare, temperare,purgare, vlcera explere, tumores etiam in emplaſtris lenire, tollit & ignes ſacros,cum ruta myrtiſque & aceto.

Cadmia auri & argenti comparatio.

Scoria argenti vis.

De Speculis & vaſis ex argento.

Cap. XX.

A *Lbertus.* Argentum bene politum inter omnia metalla melius eſt ſpeculum, quia in colere magis accedit ad diaphanum. *Plinius vbi ſupra.* Laminas duci, ſpecula fieri, non niſi ex optimo argento creditum olim fuerat. At id quoque iam fraude corrumpitur. Sed mirrhæ eſt natura imagines reddendi,quod percuſſo aere atque in oculos regeſto cõuenit fieri, eademvi in vſu ſpeculi polita craſſitudine paululumque propulſa, dilatatur in immenſum magnitudo imaginum. Tantum intereſt, repercuſſum illum excipiat,an reſpuat:quin etiam pocula ita figurantur exculptis, intus crebris ceu ſpeculis,vt vel vno intuente populus totidem imaginum fiat. Excogitantur & monſtrifica, vt in templo Smyrnæ dicato. Id autem euenit figura materiæ, plurimumque refert vtrum concaua ſint, an media depreſſa an elata,an auerſa,an obliqua,ſupina an recta qualitate excipientis figuræ venientes vmbras torquente. Nec enim eſt aliud imago illa, quam digeſta claritate materiæ excipientis vmbra: Optima fiebant apud maiores Brunduſina, ſtanno & ære mixtis. Sed nunc prælata ſunt argentea. Nuperque repertum eſt certiorem imaginem reddi auro oppoſito auerſis. Tingit & Ægyptus argentum, vt in vaſis Anubem ſuum ſpectet, pingitque non celat. Tranſiit inde materia & in triumphales ſtatuas, mirumque creſcit precium fulgoris excæcati. Id autem fit hoc modo, miſcetur argento tertia pars æris Cyprij tenuiſſimi, quod coronarium vocant,& ſulphuris vini quantum argenti. Ita conflantur in vaſe fictili

Speculæ Brũduſinæ.

Coronarium

fictili argilla circumlito. Modus coquendi eſt donec ipſa ſe opercula aperiant. Nigreſcit & oui luteo indurat. vt tamen aceto & creta deteratur, mirum autem celando tunc neminem claruiſſe: vaſa ex argẽto mirrha humani ingenij variat inconſtantia nullum genus officinæ probando. Nunc furniana,nunc clodiana, nunc gratiana, nunc Anaglypha,vaſa coquinaria ex argento. Caluus orator queritur fieri, at nos etiam carrucas ex argento cælatas inuenimus.

De Lithargyrio.

CAP. XXI.

INnuenitur & lithargyrium in vicem argenti viui paulo ante dilatum,fit autem duobus modis,ſcilicet æreis mortarijs ac piſtillis trito minio ex aceto. Aut patinis fictilibus impoſitum ferrea concha calce coopertum argilla ſuperlita : deinde ſub patinis follibus accenſum igni continuo , atque ita ſudore calcis deterſo,qui fit argenteo colore, & aqueo liquore. Idem guttis diuidi facilis, ac lubrico humore confluere. Quod cum venenum eſſe conueniat, omnia quæ de minio in vſu medicinę traduntur,arbitror temeraria. Præterquam fortaſſe, quòd illitum capiti,ventrive ſanguinem ſiſtit, dum ne quid in viſcera prętereat ac vulnus attingat. Nam aliter vtendum eſſe, non equidem cenſeo. Lithargyrio argentum inauratur ſolum nunc prope, cum & in æra ſimili modo duci debeat.Sed eadem fraus quæ omni vitæ parte ingenioſiſſima eſt, vilioꝛem excogitauit materiam vt docuimus. Auri argentique mẽtionem comitatur lapis, quem appellant coticulam,qui non niſi ex Himocho flumine quem alij, nunc paſſim Heraclium, alij Lydium vocant , ſolet inueniri. Sunt autem modici quaternas vncias longitudinis habentes:binaſque latitudinis non excedentes:In his melius,quod fit à Sole, quàm quod à terra:his coticulis periti cum è vena lima experimentum ceperint , protinus dicunt quantum auri ſit in ea, tantum argenti vel æris , ſcrupulari differentia mirabili ratione non fallente.

Vſus minij in medicina temerarius.

Coticula.

De Lythargyrio.

CAP. XXII.

Iſidorus vbi ſup. Lithargyrium dicitur argenti purgamentum, quod nos argẽti ſpumam appellamus, fit enim ex argento & plumbo. *Plinius vbi ſup.* In prędictis metallis fit, & illa quę vocatur argenti ſpuma, huius genera ſunt tria : quorum illa quam criſitin vocant eſt optima , quam argyritin ſecunda, molybditis autem vocatur tertia,& plerumque omnes hi colores in eiſdem inueniuntur tabulis:probatiſſima eſt Attica:ſecunda Hiſpanienſis.Criſitis ex ipſa vena fit. Argyritis ex argento. Molybditis autem ipſius plũbi fuſura,quæ fit Puteolis , & inde nomen habet; omnis autem fit excocta ſua materia , ex ſuperiori catino defluens in inferiorem. Ex eo denique ſublata veruculis ferreis , atque in ipſa flamma conuoluitur veruculo , & fit modici ponderis . Eſt autem ferueſcentis & futuræ materiæ , ſicut intelligi poteſt ex ipſo nomine.Spumadiſtat à ſcoria quo à fæce poteſt diſtare ſpuma.Alterum purgantis ſe materiæ.Alterum purgaræ vitium eſt. Quidam duo genera faciunt ſpumæ , quæ vocant ſtelerithida & pumenem; Tertium molybdænam in plumbo ducendam:vt autem ſpuma ſit vtilis iterum coquitur confractis tabulis ad magnitudinem annulorum, ſicque accenſa follibus ad ſeparandos carbones cineremque abluitur. Quod ſi fit argiritis , vt candore decoretur magnitudine fabæ confracta, in fictili coqui ex aqua iubetur. Addito in linteolis tritico, & ordeo nouis,donec illa purgentur:poſtea ſex diebus terunt in mortarijs,ter die abluẽtes aqua frigida,& cum deſinant calida addito ſalis in libram ſpumæ obolo. Nouiſſimo autem die condunt in plumbeo vaſe.Alij cum faba candida & ptiſanam coquunt , ſiccantque diebus xl. calidiſſimis æſtate. Sunt qui non coquant , ſed cum ſale terant , adiectaque aqua abluant.

Lithargyrion quid?

Molybdena.

De vſu lithargyrij in medicina.

CAP. XXIII.

VSus eius ad collyria & nitrum , ad muliebrium tollẽdas fœditates cicatricum, maculaſque abluendas , & ad capillum,Vis autem eius eſt mollire, refrigerare,explere,temperare,tumores vlcerum lenire.Talibus quin emplaſtris ignes etiam ſacros , cum ruta myrtoque & aceto tollit.*Razi in Almanſore.* Lithargyrium frigidum eſt,& ſiccum , excoriationibus, & fœtori ſudoris confert. Carniſque augmentũ præſtat . *Platearius vbi ſupra.* Lithargyrium eſt & ſtipticum . Quod ſtipticum eſt conijcimus , quia ſiccum eſt , & tamen in qualitatibus ſuis eſt temperatum. Lithargyrioꝛum multiplex eſt differentia. Eſt enim quoddam, quod eſt ſpuma auri,& cum frangitur interius ſimile eſt, & cadmia dicitur propriè. Et eſt aliud ſpuma argenti, quod fit per excoctionem in igne, cum non putum à puro ſeparatur, & magis attinet frigiditati, & humiditati. Eſt & lithargyrium quo communiter vtimur , ſcilicet fæx ſtanni, quod fit ſimiliter per excoctionem cum fit ſtannum ex minera terræ,& illud frigidum eſt , & ſtipticum. Similiter dicunt quidam lithargyrium reperiri, quod eſt fæx plumbi:lithargyrium autem quo vtimur cõmuniter,ideſt fæx ſtanni:virtutem & conſtringendi, & conſolidandi habet, & purgandi , & diuerſo modo conficiendi:puluis lithargyrij vlceribus impoſitus ſaniem conſumit , & vlcera conſolidat. Contra ſcabiem quoque,& præcipuè factam ex ſalſo phlegmate vel cholera,fit dedecoctio aliquantula olei nucum, & puluis lithargyrij ſubtiliſſimus cum aceto diu cõficitur, & poſt additur oleum nucum , & bene cõficitur . Sed & contra dyſenteriam vitio inferiorum factam iuuat lithargyrium , & contra virgæ vlcerationem : lithargyrium quoque, quod eſt ſpuma auri puluerizatur , & cum aqua roſarum frequenter abluitur , & ille puluis in modum collyrij vel ſolus,vel cum aqua roſarum oculis imponitur. Contra feruores apoſtematum,in pilo conficitur puluis litargyrij,& ceruſſæ: cum aqua roſarum , & circumungitur,valet & idem puluis ad faciem depurandam . *Conſtan. vbi ſupra.* Lithargyrium quidam dicunt , neque refrigeratiuum , neque calefactiuum eſſe, ſed mediocre , eſſe tamen ſtipticum , ſolidatiuum , & omnium concauorum membrorum de bona carne repletum teſtatur . Carnem ſuperfluam rodit inunctum,putorem coxarum, ſcabiem , ſudorẽ alarum,& omnia vulnera,& puſtulas curat:non nunquam cliſterizatum fit optimum remedium vulneratis inteſtinis.Cum oleo roſaceo mixtũ puſtulas narium,& labiorum extirpat. *Hali vbi ſupra.* Lithargyrium melius eſt Atticum & Hiſpanicum . Quod cũ frangitur quaſi lamina refulget. Temperatum eſt in caliditate & frigiditate:deſiccans , prodeſt vlceribus humidis & apoſtematibus calidis, ſi eo cataplaſmentur,eſt & in eo quædam ponticitas : vnde & carnem in humidis vlceribus producit.

Vis Lithargyrij in medicina.

Lithargyriũ eſt multiplex.

Curatio ſcabiei.

Dyſenteria.

Apoſtematũ

De ære,vel cupro.

CAP. XXIV.

EX *libr. de natura rerum.* Aes ſiue *cuprum eſt eiuſdem duricici cum argento*; & eiuſdem liquationis

Eadem durities æris & argenti.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

hoc excepto, quod eſt rubei coloris: Æs nulla rubigine corrumpitur, fætorem habet, & tamen dulce ſonat *Ex lib. 4. Meteororum.* Æs ſicut & plumbum, & glacies, & quæcunque calidi priuatione coagulantur, & à calido liquantur. Æs pulſui cedit, eſt autem pulſui ceſſio, hembipedi in profundum tranſitio. Item quędam ductilia ſunt, vt æs: & quæcunque eadem plaga dicuntur in latitudinem pariter, & profunditatem trāſponi ſecundum partem. Æs quoque liquabile eſt, & non flammans. Et quæcunque liquantur ab igne, iſta ſunt aquoſiora vt argentum, & æs. Porro ſi fuerit argentum viuum bonæ ſubſtantiæ, & ſulphur non purum, ſcilicet quod ſit in eo vis adurens, conuertit ipſum in æs. *Iſidorus.* Æs autem à ſplendore aeris dicitur, ſicut & aurum, & argentum. Apud antiquos prior æris vſus, quàm ferri cognitus eſt. Aere quippe primi proſcindebant terram, & certamina belli gerebant. Eratque in precio æs magis. Aurum vero & argentum propter inutilitatem reiiciebantur. Nunc autem vice verſa iacet æs, & aurum ſummo ceſſit honore: vſus æris poſtea tranſijt in ſimulachris, in vaſis, in ædificiorum ſtructuris, ad perpetuitatem quoque monimentorum publicæ conſtitutiones in ære conſcriptæ ſunt. Æs omne frigore magno melius ſtunditur. Rubiginem celerius trahit, niſi oleo perungatur. Seruari autem illud optimè in liquida pice tradunt. Inter omnia metalla æs velociſſimum eſt, & maximæ poteſtatis. Ex eo & æneæ laminæ fiunt. *Philoſophus.* Æs ſiue cuprum ſonorum eſt, & vocale: natura calidum, ſonus eius per ſe rudis eſt: admixtum vero ſtanno, vel argento, vel auro valide eſt valde, dulcemque tinnitum habet. Tinnit autem altius cęteris metallis, ſed vexat auditum, niſi ſtanno commodius temperetur. Et fuſile quidem eſt, & in omne artificium ductibile, ſed cum labore & moderamine verberantis: nunquam vero purgari ſic poteſt, quin facilè contrahat corruptelam: durat tamen in annos plurimos. *Plinius lib. 34.* Et contactu menſtrui graue virus odoris accipit, & æruginem: magiſque ſi luna decreſcente id accidat. *Idem in li. 34.* Æs inaurari argento viuo, aut lithargyrio legitimè ſolet. Sed excogitata fraus eſt: æs ſiquidem in primis cruciatur, accenſumque reſtringitur ſale, aceto, alumine: poſtea vero exarenatur: an ſatis decoctum ſit ſplendore deprehenditur. In cinereque & igni exhalatur, vt poſſit edomitum mixtis pumice, alumine, argento viuo inductas bracteas accipere.

Etymon.

Vſus æris antiquior vſu ferri.

Æs ſtanno temperatum melius ſonat

Inauratio æris.

De diuerſis ſpeciebus æris.

CAP. XXV.

Iſidorus. Sũt autem diuerſæ ſpecies, æris, vt æs Cyprium, Corinthium, Coronarium, Pyropum, Regulare, Campanum. Cyprũ ęs in Cypro inſula prius repertum eſt: vnde appellatum eſt: fit autem ex lapide æroſo, quem Cadmiam vocant, & eſt ductile, huic ſi additur plumbum colore purpureo fit. Corinthium æs commixtionis huiuſmodi eſt, qualis fuit facta apud Corinthum, vt dicetur inferius. Coronarium vero ex ęre ductili tenuatur in laminas, taurorumque felle tinctum auri ſpecies in coronis hiſtrionum præbet: vnde & nomen habet. Pyropum autem igneus color vocauit. Nam in ſingulis æris vncijs additis auri ſcrupulis ſenis prætenui lamina igneſcit, & flammas imitatur. Regulare æs dicitur, quod ab alijs ductile vocatur: eo quòd malleo producatur, ſicut econtra fuſile, quod funditur. Et hoc etiam caldarium dicitur, malleis enim frangitur. Omne autem æs diligentius purgatis igni vitijs & excoctis, regulare efficitur. Campanum à Campania Italiæ dictum, vtenſilibus, & vaſis eſt probatiſſimum. *Plinius libro* 34. Æris vena foditur, ignique perficitur: fit & ex æroſo lapide, quam Cadmiam vocant: fit etiam ex alio lapide quem calchiten vocant in Cypro, vbi prima fuit æris inuentio. Moxque vilitas præcipua, reperto in alijs terris præſtātiore: maximèque aurichalco. Summa gloria in Cordubenſi, quod imitatur bonitatem aurichalci. Æs Corinthium maximè laudatur, quod caſus miſcuit Corinthus cum caperetur incenſa. Eſt enim admixtio omnium metallorum. Huius primum genus candidum, argenteo nitori quam proximè accedit, in quo illa mixtura prævalmit. Alterum genus eſt in quo aurifulua natura eſt. Tertium in quo æqualis fuit ſpecies omnium, colore precioſum. Coronarium æs ex ductili ære tenuatur in laminas, & tauri felle tinctum auri ſpeciem præbet (vt dictum eſt) in coronis hiſtrionum. Idemque in vncias additis auri ſcrupulis ſenis prætenui pyropi bractea igneſcit. Regulare in alijs quoque metallis fit. Idemque caldarium. Differentia vero, quod caldarium funditur tantum, malleis tamen frangibile, quibus obſequitur regulare, ab alijs ductile appellatum, quale omne Cyprium eſt. In cæteris quoque metallis cura diſtat à caldario. Nam æs omne diligentius purgatis igne vitijs & excoctis eſt regulare. In reliquis generibus eſt palma Campano ſimile, in multis partibus Italiæ prouincijſque, ſed octauas plumbi libras addunt, & bene recoquunt propter ligni inopiam, quantum ea res afferat differentiæ ſentitur in Gallia maximè: ibi, ſcilicet inter lapides funditur candefactos: coctura ſiquidem exurente efficitur nigrum, atque fragile: præterea ſemel recoquunt, quod ſæpius feciſſe plurimum bonitati confert.

Differentia metallorum.

Cadmia quid.

Coronarium æs vnde ſic dictum?

Caldarium æs.

De operatione cupri, vel æris in alchimia.

CAP. XXVI.

Razi in lib. de aluminibus & ſalibus. Æs quidem ſiue cuprum eſt de diuiſione veneris. Natura eius eſt calida & ſicca, ſed minus ſicca, quàm ferri. Eſt autem in virtute ſua argentum, & in ſua liquefactione & duricie, ſed rubeum eſt: qui ergo eradicat eius rubedinem, facit ipſum redire in argentum. Eſt enim in manifeſto ſuo æs, & in occulto argentum. Commiſcetur autem cum auro & argento, & recipit tincturam: fitque ex eo elyxir albedinis & rubedinis: nec fugit eius tinctura, quando ſoluitur cum aqua atramenti vel aluminis. Aqua æris liquefacit omnia corpora, & omnem rem ex lapidibus: regimen autem eius eſt, ſicut regimen ferri æqualiter. *Auicenna in libro alchymiæ.* Cuprum triplex eſt, ſcilicet Hærmenium, naturale, & cuprum Nauarrę. Natura eius calida eſt, & ſicca non multum, ſed eſt in eo humiditas: ideo ſoluitur. Efficitur autem, vt dixi, de argento viuo craſſo, & de ſulphure rubeo cocto in ventre terræ per cẽtenas annorum, ſed non adeo cocto ſicut aurum. Nec eſt combuſtum ſicut ferrum: ideoque leue eſt ad imitandum, & eſt propinquius argento quàm auro, quia plus habet de ſulphure, quàm de argento viuo. Eſt autẽ cuprum melius rubeum, & album: quod quando percutitur ſonat. Armenium autem cuprum nigrum eſt, & non eſt in eo alchymiæ operandum, quia multitudo ſulphuris quæ ibi eſt confundit ipſum. Nec poteſt lauari, nec dealbari. Lauatur enim cuprum vt eius immunditia auferatur. Calcinatur autem vt eius materia attenuetur. Lauatur iterum cum fortiſſimis aquis, vt humiditatem recuperet, quam in calce perdidit. Sublimatur autem, vt magis attenuetur, & cum auro viuo miſcetur, vt materia ſua præparetur. *Ex lib. de natura rerum.* Æs ſiue cuprum eſt eiuſdem duritiei cum argento, & eiuſdem lauationis, hoc excepto, quòd eſt rubei coloris. Si quis autem eius rubiginem abſtulerit, argentum erit. Huius manifeſtum eſt calidum multum, & ſiccum parum. Eius autem occultum eſt debilis frigiditatis, &

Natura Cupri.

Cuprum in occulto argentum.

Cuprum triplex.

multæ

Occultum æris plumbi.

multæ humiditatis. Et dico, quòd æris occultum eſt plumbum. Sed ipſum in argentum facilius eſt cõuertere, quam in plumbum peruenire, namque ad latera facilius eſt venire, quàm ad fundum.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. XXVII.

PLatearius vbi ſupra. Æs artificio quodam cõaptatur & comburitur, vt poſſit puluerizari. In olla enim facta terrea ponitur æs rubeum, ſcilicet quod diu antè à fabris fabricatum eſt, & in fornace vbi ſit ignis continuus, ponitur diu: poſtea puluerizatur. In excoctione enim nimia augmentantur partes terreſtres, & diminuuntur aquoſæ. Huiuſmodi ergo æs vſtum calidum eſt, & ſiccum in iiij. gradu: *Virtus æris.* virtutem habet conſumendi, diſſoluendi, & melancholicum humorem purgandi & extenuandi: vnde conuenienter ponitur in emplaſtris attenuatiuis, & emplaſtris contra ſplenem. Carnem ſuperfluam corrodit. Contra fiſtulam puluis eius cum melle conficitur, & penna intincta imponitur, os fiſtulæ elaxat, & etiam curat. *Razi in almanſore.* Æs vſtum capillos tingit, vulnus conſolidat, aquam expellit. *Auicen. in 2. Can. medicinæ.* Æs calidum eſt, & ſiccum in tertio: vlcera maligna ambulatiua conſolidat & prohibet, & carnem augmentatam corrodit: acuit viſum, & confert duritiei palpebrarum. Capillos denigrat: palato illinitum vomitum excitat. In ære adoſto eſt ſtipticitas, & acuitas, & conſolidatio. Eſt autem genus æris, quod dicitur calacon. Et frequens eſt *Prouerbium Arabum.* prouerbium: *Si cum forcipibus de calacon euellantur pili, prohibebit ortum eorum.* Non eſt autem bibendum vaſis æreis, in quibus eſt ſalſedo, vel amaritudo, vel acetoſitas, aut dulcedo, vel pinguedo: ſicut ſunt olera & carnes: ipſa quippe tranſmittunt zamariam, quod eſt venenum. *Conſtan. vbi ſupra.* Æs vſtum calidum calidum & ſiccum in quarto gradu vulnera mũdificat, tenebroſitatem oculorum clarificat, ſuperfluã carnem vulnerum deſtruit: peſſimis vulneribus ne dilatentur repugnat: ſed totum fit vtilius humidis naturis, ſicut eunuchis, pueris, & mulieribus. *Plinius lib. 34.* Æris metalla multis modis inſtruunt medicinam: vtpote cum vlcera omnia ibi ociſſimè ſanentur. maximè tamen prodeſt Cadmia. *Hali vbi ſup.* *Æs melius.* Æs vſtum melius eſt ſubtile, leue, planum, & vtrunque rubeum. Eſt autem calidum ponticum. Cicatrizat vlcera, quę ſunt in corporibus dura. Sed & ſi abluatur; mollia quoque cicatrizat corporis vlcera.

De Cadmia æraria.

CAPVT XXVIII.

ISidorus. Purgamenta vero æris ſunt Cadmia, & ærugo, & æris flos. Cadmia gignitur in metallorum æris, & argenti fornacibus inſidente nidore. Nam & ipſe lapis Cadmia vocatur, ex quo æs fit: ſic rurſus in fornacibns exiſtit, & ſui nominis originem recipit. *Cadmia locus generationis.* *Plinius vbi ſupra.* Cadmia ſine dubio fit in argenti fornacibus candidior, & minus ponderoſa, ſed nequaquam æratiæ comparanda. Tria ſunt eius genera, vel etiam plura. Namque ipſe lapis ex quo fit æs, Cadmia vocatur: neceſſarius quidem fuſuris, & medicinæ inutilis. Sic rurſus in fornacibus alia exiſtit, quę ſui nominis originem recipit. Fit autem egeſta flammis, atque flatu tenuiſſima parte materiæ *Capnitis.* in cameris lateribuſve fornacum, ore, quo eluctantur flammæ appellata capnitis. Exuſta ex nimia leuitate ſimilis fauillæ. Interior autem eſt optima cameris *Botryſentos.* dependens, & ab hoc argumento botryſentos cognominata. Hæc priore ponderoſior, ſecuturis leuior. Duo ſunt eius colores. Deterior eſt cinerius, Melior puniceus: frialis, & oculorum vtiliſſima medicamentis. Tertia eſt in lateribus fornacum, quæ propter grauitatem ad cameras peruenire non potuit: & hæc dicitur placitis. Et ipſa ab argumento cruſta verius quam pumex: intus varia, ad pſoras vtilior, & ad detrahendas cicatrices. Fluunt ex ea alia duo genera: Onychitis extra pene cærulea. Intus onychiti maculis ſimilis. Oſtracitis tota nigra cæterarumque ſordidiſſima, vulneribus maxime vtilis. Omnis autem Cadmia in Cypri fornacibus eſt optima. Iterum à Medicis coquitur carbone puro: & vbi redigitur in cinerem, extinguitur: quæ ad emplaſtra præparatur vino amineo. Quæ vero ad pſoras aceto. Quidam in ollis fictilibus tuſam vrunt, & in mortarijs lauant, poſtea ſiccant. Cadmiæ effectus eſt ſanare, ſiccare, fluitiones ſiſtere, pterigia ſordes oculorum purgare, ſcabriciem extenuare. Et quicquid in effectu plumbi dicemus inferius, & æs ipſum ad omnia eadem vritur, præter quę ad albugines oculorum cum lacte ſanat: facit & vomitiones è melle ſumptum. Vritur autem æs Cyprium in fictilibus crudis, cum pari pondere ſulphuris, vaſe circumlito ſpiramento in caminis, donec ipſa vaſa percoquantur. Quidam & ſalem, Aliqui alumen pro ſulphure addunt, Alij vero nihil, ſed aceto tantum perfundunt. Vſtum mortario thebaico teritur, Aqua pluuiæ lauatur, Iterum adiecta largiore teritur, ac relinquitur donec cõſedeat, & hoc ſæpius donec ad ſpeciem minij redeat, tunc ſiccatum in Sole in ærea pixide ſeruatur.

Placitis. *Onychitis Oſtracitis.* *Effectus Cadmiæ.*

De Scoria æris ac flore, & ſquama.

CAP. XXIX.

ÆRis ſcoria ſimili modo lauatur, minor effectu quam ipſum æs. *Hali vbi ſupra.* Tubal hoc eſt æris ſcoria melius eſt nigrum: ſed inclinans ad ruborem tenue velut cortices, & eſt ſubtilius ære combuſto. Elimat & incidit quæ noxia ſunt. Tenebras oculorum aufert, & aſperitatem palpebrarum diſſoluit, zemarum, ideſt viridis æris calidum, carnem ſuperfluam comedit & eſt incidẽs, ſi cum cera & oleo oliuæ miſceatur: elimat ſine morſura & carnem adducit. *Plinius vbi ſupra.* Æris quoque flos vtilis eſt medicinæ. Fitque ære fuſo & in aliam fornacem translato. Ibi namque flatu crebriore excutiũtur, velut milij ſquamæ quas lepidas vocãt: & ſic adulteratur flos, vt ſquama veneat pro eo. Eſt autem ſquama *Squama æris* æris decuſſa vi clauis, in quos panes ærei feruminantur. In Cyprijs maximè officinis omnia.

Differentia hæc eſt, quòd ſquama excutitur ictibus; ijſdem panibus flos ſponte cadit. Eſt alterum genus ſquamæ ſubtilius, ex ſumma, ſcilicet lanugine decuſſum, quod ſcilicet ſtomoma vocant. Squama autem, & flos in patinis fictilibus, aut æreis vtũtur: deinde (vt ſupra) ad eoſdem vſus lauantur. Amplius & *Tonſillarum curatio.* narium carnoſa tollit vitia. Iterumque ſedat grauitates aurium, per fiſtulas in eas flatu impulſa, vlcera oris aufert admota farina, & tonſillas cum melle. Fit autem & ex ære candido cyprio, ſquama longè inefficacior. *Iſidorus vbi ſupra.* Aeris flos fit ſeu gignitur conflationibus ære ſoluto ac reliquato aqua frigida ſuperfuſa: repentina quippe denſatione; tanquam de ſucco reparatur flos. *Auicen. vbi ſupra.* Flos æris ſti- *Flos æris qualis.* pticus eſt, corroſiuus & mordicatiuus, carnem additam corrodit. Quod ex eo album eſt, tritum & in aurem ſufflatum delet ſurditatem antiquam. Et ex eo tingitur palatum cum melle propter apoſtemata gulę, & vuæ. Soluit autem humorem craſſum, & aquam citrinam. Et ponitur in exiccatiuis hæmorroidarum & exiturarum ani. *Conſtanti vbi ſupra.* Flos æris calidus eſt, & ſiccus in quarto gradu, Carnes ſuperfluas conſumit, & viſum clarificat.

De ipſius rubigine vel ærugine.

CAP. XXX.

Creatio aruginis. PLinius vbi ſupra, Aera exterſa celerius ſentire rubiginem, quam neglecta tradunt, niſi oleo perungãtur: ſeruari autem optimè in liquida pice tradunt. *Iſidorus:* ęruginem quoque æs creat. Nam æreæ laminæ ſuper vas aceti aſperrimi ſuperponuntur: atque ita diſtillantibus quod ex eis ceciderit in ipſum acetum teritur & cribratur. *Plinius vbi ſupra.* *Vſus.* Aeruginis quoque magnus eſt vſus, ſed illa fit modis pluribus. Nam & e lapide ex quo coquitur æs deradditur: & ære cãdido perforato, atque in cadis ſuper acetum ſuſpenſo, æreo obturatumque operculo, multo probatior eſt quàm ſi hoc idem ſquamis fiat. Quidam ipſa vaſa cãdidi æris in aceto fictilibus condunt, ac decima die radunt. Alij vinaceis tegunt, totidemque poſt dies radunt. Alij delimatam æris ſcobem aceto ſpargunt, verſantque ſpatis ſæpius in die, donec abſumatur. Eãdem ſcobem alij in mortarijs æreis ex aceto malunt terere. Ociſſimè vero coronarium contrahit æruginem reciſamentis in acetum additis. *Adulteratio.* Adulterant autem marmore trito maximè rhodiam eruginem. Alij pumice, aut gummi: præcipuè vero fallit attramẽto adulterata ſutorio. Cætera quippe dente com*Probatio.* prehenduntur ſtridentia in frendendo. Experimentũ eſt batillo ferreo, nam quæ ſincera eſt colorem ſuum retinet, Quæ mixta attramento rubeſcit. Deprehenditur & papyro galla prius maceratque. Nigreſcit enim ſtatim ęrugine illita: deprehenditur & viſu malignè virens. Sed ſiue ſinceram ſiue adulteram, ſiccatam eius aptiſſimum eſt vri ac verſari in patina noua, donec fiat fauilla, poſtea teritur & reconditur. *Virtus.* Nonnulli & thus maſculum admiſcent; lauatur autem ærugo ſicut cadmia: vis eius oculorum collyrijs eſt aptiſſima, & de lachrymationibus mordendo proficua. Sed ablui neceſſarium eſt penicillis calidis, donec rodere deſinat. Aerugo cruda vulneratijs emplaſtris miſcetur: oris etiam & gingiuarum exulcerationem mirificè emendat. Et labiorum vlcera cum oleo. Quod & ſi addatur cera purgat, & ad cicatricem perducit. Aerugo & callum fiſtularum erodit, vitiorumque circa ſedem, per ſe ſiue cum hammoniaco illita, vel collyrij modo in fiſtulas adacta. Eademque cum reſinæ terebinthinæ tertia par*Scolecia.* te ſubacta tollit lepras. Eſt & alterum genus æruginis in ære cyprio, quam ſcoleciam vocant: hoc trito alumine, aut ſale, aut nitro pari pondere cum aceto albo, quam acerrimo, eſt medicinæ remedio. Nec fit hoc niſi diebus æſtuoſiſſimis circa ortum canis. Teritur autem donec putridum fiat, vel viride, contrahetque in ſe ceu vermiculorum ſpeciem, vnde & nomen habet, nam κωνλήκιον dicitur vermiculus. Quod vitiũ, vt emendetur: duæ partes aceti vrina impubis pueri miſcentur. Idem autem in medicamentis & ſanterna efficit, quia diximus aurum ferruminari: vſus vtriuſq; eſt, qui ęruginis: ſcolecia fit perſe raſa ab ærario lapide dicto chalcite, de quo nũc reſtat dicere.

De Chalcite.

CAP. XXXI.

Diſcrimen Cadmiæ & Chalcitis. CHalcitis namque lapis vocatur, de quo & ipſum æs coquitur. Diſtat à Cadmia, quod illa quidem ſupet terram ex ſubſidialibus cæditur petris: hic autem ex obrutis. Item quod chalcitis friat ſe ſtatim mollis natura, vt videatur lanugo concreta. Eſt & alia diſtinctio, quod chalcitis tria genera continet æris & miſy, & ſori, de quibus infra. Habet aut venãs *Probatio.* æris oblongas: probatur mellei coloris, gracili venarum diſcurſu, friabilis nec lapidoſa. Putant & recentem eſſe vtiliorem, quoniam inueterata ſori fiat vis eius ad creſcentẽ in vlceribus ſanguinem ſiſtendum; viſam gingiuas tonſillas farina compeſcendum. *Virtus.* Vuluę quoq; vitijs in vellere reponitur. Cum ſucco vero porri, & verendorum vitijs additur emplaſtris. Maceratur autem in fictili ex aceto circumlinito fimo diebus xl. & croci colorem trahit: & cum admixto cadmiæ pari pondere, medicamentum ſoricon dictum efficit. Quod ſi duæ partes chalcitis tertiæ cadmiæ temperẽtur, acrius hoc idem fiat. Acrius etiamnum & vehementius factum, ſi aceto quam vino tẽperentur. Toſta vero fit efficacior ad eadem omnia. *Sory ægyptiũ.* Sori Aegyptium maximè laudatur, multum ſuperato Cyprio, Hiſpanienſi, & Aphrico, quamquam oculorum quoque curationi quidam vtilius Cyprium putant. Sed in quacunque natione optimum, cui maximum virus, olfactu, trituque pinguiter nigreſcens & ſpongioſum ſtomacho res contraria intãtum, vt quibuſdam olfactu modo vomitiones foueat. Et Aegyptium quidem tale eſt: Alterius nationis contritum *Vtilitas miſy* ſplendeſcit. & Miſy eſt lapidoſius: prodeſt autem & dentium dolori, ſi contineatur atque colluatur, Et oris vlceribus grauibus quæque ſerpunt. Vritur carbonibus, vt chalcitis. Miſy vero aliqui tradiderunt fieri exuſto lapide in ſcrobibus eius flore luteo miſcente ſe ligni pinea fauilla. Porro reuera ex ſupradicto fit lapide concretum natura, diſcretumque & optimum in Cypriorũ officinis, cuius notæ ſunt friati aureæ ſcintillæ, & cum teratur arenoſa natura, ſiue terra chalcitidi ſimilis. Hoc autem miſcent, qui aurum purgant. Vtilitas eius eſt: infuſi cum roſaceo auribus purulentis, & lana impoſiti capitis quoque vlceribus. Extenuat etiam ſcabrities oculorum inueteratas: præcipueque vtilis eſt tonſillis, contraque anginas & ſupurata. Ratio vt xvj, dragmæ in hemina aceti coquantur melle addito, donec lenteſcat. Quotiens opus ſit molliri vim eius, melle aſpergitur. Erodit & callum fiſtularum ex aceto fouentium, & collyrijs additur. Siſtit & ſanguinem & vlcera quæ ſerpunt, quæve putreſcunt. Abſumit etiam carnes excreſcentes: peculiariter autem virilitatis vitijs proficit, ac fœminarum profluuium ſiſtit. Sorum Aegyptium maximè laudatur. *Dioſcorides.* Chalcitis eſt gleba naturalis, quæ in inſula Cypro inuenitur in metallis, colore ſubaureo, fragilis, intus venas diffuſas habens, etiam in modum ſtellarum fulgentes guttas, optima eſt recens & mundiſſima, & æqualiter fragilis. Virtus eſt ei ſtiptica, & thermantica, & ſcarotica, purgans palpebras, & oculos. Ignem ſacrum extinguit, & herpetas curat, faucium rheuma impoſitum aſtinet, fluxumque ſanguinis matricis retinet, vulnera paſcentia ſanat,

De Chalcantho.

CAP. XXXII.

ISidorus libro decimoſexto. Calchantum dicitur, quia chalcitis eſt thymum, ideſt flos: vnde apud latinos æris flos appellatur: olim in Hiſpaniæ puteis, vel ſtagnis id genus, aquę habentibus eam decoquebant, & in piſcinas ligneas fundebant, appendentes ſuper eas reſtes lapillis extentas, quibus limus in ſimilitudinem vitreis acinis adhærebat. Sicque euectum ſiccabatur diebus xxx. Fit autem nũc alibi in ſpeluncis, quod liquidum collectum: dehinc diffuſum in quoſdam botros ſolidatur. Fit & in ſcrobibus cauatis, quorum è lateribus decidentes guttæ coaleſcunt. Fit & ſalis modo ex flagrantiſſimo Sole. Adeo autem cõſtrictiuæ virtutis eſt *Virtus.* vt in Leonum, & Vrſorum ora aſperſum, tantã vim habet aſtringendi, vt non valeant mordere. *Plinius vbi ſupra.* Græci cognationem æris fecerunt nomine attramento ſutorio, quod appellant chalcantum. Nec vllius æque mira eſt natura. In Hiſpania quidẽ

è ſtagnis,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Atramentū ſutorium.

è ſtagnis, & puteis huiuſmodi aquam habentibus efficitur: ea quæ dulci menſura pari admixta decoquitur, & in piſcinas ligneas funditur immobilibus ſuper has tranſtris dependent lapillis reſtes extentæ. E quibus adhæreſcens limus vitreis acinis imaginem quandam vuæ reddit, exemptum ita ſiccatur diebus xxx. colore ceruleo, per quam ſpectabili nitore, vitrum q; eſſe creditur. Diluen lo ſit ringendis corijs attramentum. Fit & pluribus modis genere eo in ſcrobe cauato, quarum è lateribus diſtillantes hyberno gelu ſtyrias (ſtalagmiam vocant) neque eſt purius aliud. Sed ex eo candidum colorem ſentientem violam leucanthon vocant. Fit & in ſaxorum catinis pluuiæ aqua cotriuato gelante limo. Fit & ſalis modo flagrantiſſimo Sole admiſſas dulces aquas cogente. Ideo quidā duplici appellant differentia chalcantum, ſcilicet foſſile, aut factitium: hoc quidem Palladius: & quantum colore melius, tātum in bonitate deterius. *Dioſcorides.* Chalcanti ſpecies ſunt tres. Vna, ſcilicet quæ diſtillat ex metallicis fabricis, vel à cloacis aliquibus, & inſpiſſatur, ſicque colligitur. Altera in ſpeluncis inuenitur. Et collecta in vaſis refunditur: ibique coagulatur, Tertia in Hiſpania fit imbecillis & decolorata. Conficitur autem aqua mixtum & coctum. Eſt itaque ſummū cyanei coloris, graue, ſpiſſum, ſplendens, mundum & lympidum. Coctum autem ad denigrandum, & infecturam vtile eſt.

Stirin.

Stalagmia.

Chalcantum duplex.

De multiplici eius in medicina remedio.

CAP. XXXIII.

Virtus.

IDem. Virtus eſt eius ſtyptica, thermantica, ſcarotica, lumbricos latos excludit: venenum graue bibitum cum mulſo expellit; vomitum prouocat bibitum cum aqua, vel in naribus miſſum caput purgat. *Plinius vbi ſupra.* Chalcanthum maximè probant Cyprium: in medicinæ vſu. Dragmæ pondere ſumitur ad depellendà ventris animalia cum melle: purgat quoque caput dilutum in naribus inſtillatum: purgat etiam ſtomachū cum melle, vel in aqua mulſa ſumptum. Medetur & oculorum ſcabritiei dolorique, necnon & caligini, & oris vlceribus. Siſtit quoque ſanguinem narium, & item hæmorroidum. Idem cum ſemine hyoſciami oſſa fracta extrahit. Epiphoras ſuſpendit, penicillo fronti impoſitum. Efficax etiam eſt in emplaſtris ad purganda vlcera, & vlcerum excreſcentia. Cum lini ſemine ſupponitur, & emplaſtris ad dolores tollendos. Tollit & vuas ſi decocto tangantur: Quodque ex eo candicat in eo vſu violaceis præfertur. Et aurium grauitati per ſi tulas inſpiratur, vulnera quoque per ſe illitum ſanat, ſed cicatrices tingit, nuper inuentum eſt Vrſorum in arena, & Leonum ora aſpergere illo. Illique tanta vis eſt aſtringendi: vt ex tunc non queant mordere.

Remedium Epiphora ſine lachryma oculorum.

Oculorum curatio.

De Pompholyge, & ſpondio.

CAP. XXXIV.

NVnc etiam in ærarijs reperiuntur quæ pompholygen, & ſpondion vocant. Differentia vero eſt, quòd pompholyx aſperatur lotura, ſpondio ſublotum eſt. Aliqui quod candidum ſit atque leuiſſimum pompholygen dixere ipſumque fauillam æris & chalcitis. Spondion autem nigrius eſſe: quod deraſum parietibus fornacum, mittit ſcintillas ex carbonibus quandoque. Hoc aceto præſtat oris odorem, & ſi lingua tangatur horridum ſaporem. Conuenitque oculorum medicamentis, quibuſcunque occurrens vitijs valet, & ad omnia ad quæ ſpondion. Hoc diſtat, quod vis huius elutior eſt. Et in emplaſtris additur, quibus leuis refrigeratio & ſiccatio quæritur: vtilis autem eſt ad omnia quod vino eſt lotum. Spondio cyprium eſt optimum, fit autem cadmia & ærario lapide liqueſcentibus: læuiſſimè hoc efflatur, & ocyus euolatque & fornacibus tectiſque adhæreſcit, à fuligine diſtans candore. Quod minus ex ea candidum eſt: immaturæ fornacis argumentum eſt. Quod vero rubicundius eſt, acriorem vim habet: adeo exulcerat, vt cum lauatur excæcet ſi oculos attingat.

Eſt & ſpondium mellei coloris, in quo plurimum intelligitur æris. Sed quocunque genus lauando fit vtilius. Purgatur ante pinna, deinde craſſiore lotura: digitis ſcabriciem exterunt. Media vis eius eſt quæ vino lauatur. Eſt & aliqua in genere vini differentia: læni etenim lotum collyrijs oculorum vigilijs fatigatorum putatur aptum. Idemque efficacius eſt vlceribus quæ manant, vel oris quæ madent, & omnibus medicamentis quę contra gangrenas parantur, fit & in argenti fornacibus ſpondium quod lauriotin vocant vtiliſſima confirmatur oculis, illa quæ fit in aurarijs. Nec in alia parte magis eſt mirari ingenia vitæ.

Color.

De Diphryge & antiſpondio.

CAP. XXXV.

IN eiſdem officinis diſcernitur, quam diphrygen Græci vocant, ab eo quod bis torreatur. Cuius origo triplex inuenitur, fieri namque traditur ex lapide pyritę in caminis cremato, donec in rubricam excoquitur: fit & in Cypro ex luto cuiuſdam ſpecus prius arefacto paulatim mox circundatis ſarmentis. Tertio fit modo in fornacibus æris fæce ſubſidente: differentia eſt quidem, quod æs ipſum in catino defluit: ſcoria extra fornaces: flos ſupernatat. Diphryges remanent. Quidam tradunt in fornacibus globos lapidis qui coquantur ferruminari: circa hunc æs feruere. Ipſum vero non percoqui, niſi tranſlatum in alias fornaces. Et eſſe modum quendam materiæ, id quod excocto ſuperſit, diaphryga vocant. Ratio eius in medicinis ſimilis eſt ſupradictis, ſiccare, & excreſcentia conſumere ac propurgare: probatur lingua, vt eam ſiccet tactu ſtatim, æriſque ſaporem reddat: Antiſpondion vocant cinerem fici arboris, vel caprifici, vel myrti foliorum, cum tenerrimis partibus ramorū: vel oleaſtri, vel cytori vel lētiſci. Item ex moris immaturis, ideſt candidis in Sole arefactis, vel è buxi coma, vel pſeudocypri, vel rubi, vel terebinthi, vel oenanthis: vruntur omnia ea fictili crudo in fornacibus, donec figulina percoquatur. In ærarijs officinis, & ſmegma fit ære iam liquato ac percocto, additis etiam carbonibus paulatimque accenſis, ac repente flatu vehementiori expuitur pala quædam æris: ſolum autem quo excipiatur ſtratum eſſe debet.

Origo.

Diſcrimen

Vtilitas. Antiſpodiū.

De Aurichalco.

CAP. XXXVI.

ISidor. Aurichalcum dicitur, eo quòd ſplendorem auri, & duriciem æris poſſideat. Eſt autem nomen compoſitum ex lingua Latina, & Græca. Æs enim Græcè χάλκος vocatur, fit autem ex ære, & igne multo: ac medicaminibus ad aureum colorem perducitur. *Plinius libr.* 33. In Ægypto (vt dictum eſt ſupra) fuit æris inuentio prima. Moxque vilitas eius præcipua, in alijs terris præſtantiore reperto maximeque aurichalco, quod ob præcipuam bonitatem diu obtinuit admirationem. Summa gloria in Cordubenſi, quod imitatur bonitatem aurichalci. *Ex libr. de natur. rerum.* Ex ære fit aurichalcum, ſic dictum, quia ſplendorem habeat auri, vel quia de ipſo ſit aurum. Dicit enim Philoſophus in libr. de lumine: *quod ex vrina pueri, & aurichalco fit aurum optimum.* Quod intelligendum eſt in colore, non in ſubſtantia. Dicit enim idem Ariſtotel. quod variatur color, ſed ſubſtan-

Etymon.

Dictum philoſophi expenditur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Electrum.

ſubſtantia manet. Hoc aurichalcum frequentius ſcripturæ vocant electrum. Et hoc propter colorem electro prope conſimilem. *Ex doctrina alchymiæ.* Æs autem tranſmutantur in aurichalcum, quod fit mediante tuchia, quia fumus eius albificat, & habet naturam ſpiritus: ſtatimque cum puluis eius proijcitur ſuper æs fuſum, vel miſcetur cum laminis æris, in ipſa æris fuſione tuchia calefit, & fugam quærit tanquam ſpiritus: vnde apparet, quòd eius fuga fit per æris corpus fuſum: ſicque ſiccat ipſum, quia fumus eius eſt temperatè albus: & album huiuſmodi mixtum cum rubeo reprimit rubedinem, & fit cytrinum, & ita aurichalcum.

De Stanno.

CAP. XXXVII.

I*Sidorus.* Stanni Etymologia eſt ſeparans, & ſecernens. Mixta enim, & adulterata inter ſe per ignem, metalla diſſociat: & ab auro, & argento ęs plumbumque ſecernit. Alia quoque metalla ab igne defendit, & cum ſit natura æris ferrique durilſima, ſi abſque ſtanno fuerit, vritur, & crematur. Stannum illitum æreis vaſis, ſaporem facit gratiorem, & virus compeſcit æruginis. Specula etiam ex eo temperantur: ceruſſa quoque ex eo ſicut ex plumbo conficitur. *Plinius lib.* 34. Æramentis conglutinatur ſtannum, ſtannoque argentum. Et iterum. Optima vero fiebant olim ſtanno, & ære mixtis, & ſpecula Brunduſina. Nunc prælata ſunt argentea. *Idem in libr.* 34. Plumbum nigrum aliquando cum argento naſcitur, mixtiſque venis conflatur. Eins qui primus fuit in fornacibus liquor, appellatur ſtannum, qui ſecundus argentum. Stannum (vt dictum eſt) ſaporem gratiorem reddit æreis vaſis illitum, compeſcit æruginis virus: mirumque, quòd pondus non auget. Specula quoque ex illo (vt diximus) laudatiſſima temperabantur Brunduſij, donec argenteis & ancillæ cœperunt vti. Nunc autem adulteratur ſtannum æris candidi, tertia portione addita in plumbum album. Fit & alio modo mixtis albi plumbi nigrique libris: & hoc nunc argentarium vocant aliqui. Idem & tertiarium appellant: in quo duæ ſunt portiones nigri, tertia vero albi. Precium eius in triginta libris æſtimatur: & hoc fiſtulæ ſolidantur. Improbiores additis ad tertiarium æquis partibus albi, argentarium vocant: & eo quo volunt incoquunt precio huius faciùndo in pondo cxxx. In libras albo per ſe fincero precia ſunt triginta, nigro xvij. *Ariſtot. in libro quarto Meteororum.* Stannum vt cætera quæ prædicta ſunt, aquoſum eſſe probatur, quoniam & ipſum calido liquatur. Et videtur ſtannum habere bonum argentum viuum, ſuphur vero malum, & hæc non bene mixta, ſed tanquam per parua compoſita: ideoque fit tale. *Ex libr. de natur. rerum.* Stannum temperatiſmæ naturę eſt, In Britannia tantum olim operire ſolebant: ſed nunc in Germaniæ partibus abundantiſſima vena reperta eſt, valde ductile & tractabile, ſuper omnia quoque metalla liquabile: per ſe quoque eſt mutum, ſed cum ære, vel argento, vel auro mixtum ſonorum eſt, & harmoniacum. Fulget interius, ſed foris de facili contrahit corruptelam, & hoc ſqualoris, non rubiginis, nunquam enim rubiginatur. In aqua diu iacens de facili putreſcit: vnde fiſtulæ aquæductus quę ſub terra fieri ſolebant, ex plumbo & conſolidati ſtanno, modernis temporibus ex calido, & fuſili plumbo conſolidari ars hominum excogitauit, quia ſoliditate ſtanni ſolidatæ durare non poterant in longinquum. Plumbum vero ſub terra ſemper durat.

Plumbi & argenti venæ mixtæ.

Argentariũ.

Stannum aquoſum.

Stannum ſonorum cum ære, &c.

Nota de aquæductibus

De operatione ſtanni in alchymia.

CAP. XXXVIII.

E*X libro de aluminibus & ſalsubs.* Stannum eſt ex ſectione leuis: natura eius eſt calida & humida: ſed minorata eſt eius caliditas, quia complexio eius corrupta eſt per dominium ſuper ipſum in minera ipſius. Et in ipſo ſunt mollities & ſtridor, & velocitas liquefactionis, & acetoſitas. Qui ergo remouet ab eo has infirmitates quatuor, reducit ipſum in argentum. Eſt autem grauis tincturæ, & albificat æs propriè, quia ſingulare cum eo eſt. Recipit autem tincturam rubeam, & fit ex eo aqua acuta, cum qua retinetur argentum viuum, & eſt inimicum argento & æri, conueniens autẽ auro & ferro. Auicenna in lib. alchymię de anima. Stannum quadruplex eſt, & omnia intrant in alchymiæ magiſterio. Horum autem melius eſt album & croceum, quod ſonat percuſſum: & hoc vocatur althe. Secundum genus eſt inoe, quod apparet nigrum, & non ſonat. Tertium eſt calicon, quod graue ſoluitur. Quartum eſt cerab, & eſt ſicut althe. Ex lib. de vaporibus. Auerroes. Stanni conſolidatiuum eſt plumbum, & plumbi ſtannum. Quodquè plumbum conſolidetur ſtanno, non eſt de natura plumbi, ſed de natura ſtanni liquefacti, plumbum humidum liquefactum penetrantis: ex qua videlicet penetratione in illis duobus generatur humidum viſcoſum ligans partes ſtanni. Stannum vero conſolidans, & ſtannum conſolidatiuũ, quoniam vtrũque ſic contradicit viſcoſitati, quæ debet eſſe ex vno humido, & alio ſicco, Ideo non eſt aliqua conſolidatio ſtanni cum ſtanno. Borax autem conſolidat argentum cum argento, vel ſtannum cum ſtanno, impoſſibile eſt hoc eſſe, niſi communicet cum eis in radice, ſicut dicetur inferius. *Ex libro de natura rerum.* Ex ſtanno fit optimum ſal ex quo faciunt aquam acutam: & cum ea tingunt argentum viuum Stanno liquefacto, & poſtmodum aceto in quo eſt argentum viuum infuſo, cum valde ſit penetratiuum, adhuc magis iuuante aceto omnes ſtanni partes intrat, ſuaque humiditate remollit ſtanni ſiccitatem.

Stannum reducitur in argentum: eſt tamen eſt inimicum.

Stannũ non conſolidatur ſtanno.

De virtute ſtanni in medicina.

CAP. XXXIX.

S Tannum quoque valet ad multorum remedia morborum, & eius ſcoria prodeſt vlceribus oculorum. *Auicenna in ſecundo Canone.* Razas ipſum eſt ſtannum, & eſt frigidum, & humidum. Subtile eſt ex eo, quod aduſtum eſt, & eius ceruſſa, oportet autem vt timeatur eius odor, quãdo aduritur. In eo quidem quod aduſtum eſt, eſt lænificatio, ſubtiliatio, reſolutio, & interiectio ſanguinis. Eiuſque ceruſſa eſt glutinatiua, & infrigidatiua: cuius virtus eſt quaſi tuchiæ aduſtæ. Confert autem ſtannum apoſtematibus fricatum cum vino, aliquove ſuccorum frigidorum. Confert etiam vlceribus fraudulentis & ambulatiuis. Et ceruſſa replet vlcera atque glutinat ea: præterea ceruſſa ſtanni fricata ſuper punctũram marinis ſcorpionis confert; Similiter & draconis marini. Sed oportet vt odor eius caueatur propter aduſtionem. *Hali vbi ſupra.* Azerebrum, ſtannum frigidum eſt. Et eſt in eo ſiccitas: illud melius eſt, quod minimè ſubdentibus frendet, vel ſtridet. Et in eo ſunt quædam virtutes aquoſæ: ſi fricetur ad lapidem cum modico vino, vel oleo oliuæ proderit apoſtematibus, quæ circa, & ſupra verenda fiunt, & in lumbis. Item ſi cum eius fruſtro emplaſterizetur anus inferius, ſedat appetitum coitus.

Stannum medicinale.

Veneręi appetitus ſedatio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Plumbo.

Cap. XL.

Etymon. I *Sidor.* Plumbum dicitur, quod ex eo primum pilis factis altitudo maris tẽtata eſt. Huius duo ſunt genera nigrum, vel candidum. Sed candidum melius eſt, quod prius in inſulis Atlantici maris inuentum eſt. Similiter & in Luſitania, & in Gallicia gignitur ſumpta tellure arenoſa coloris nigri, & pondere graui. Interueniunt & minuti calculi, maximè & Torrentibus ſiccatis: has arenas lauant metallici, & quod ſubſidet coquunt fornacibus. Inueniuntur & in auratis metallis aqua miſſa calculi nigri, & graues. Et dum aurum colligitur, cum eo remanent: poſtea ſeparati conflantur, & in puluerem album reſoluuntur. Inde & eadem eſt grauitas plumbo, quæ auro. Nigrum plumbum circa Cantabriam abundat, cuius origo duplex eſt. Aut enim ſolum ex vena ſua prodit, aut cum argento naſcitur, mixtiſque venis conflatur. Huius primus in fornacibus liquor ſtannum eſt Secundus argentum. Quod remanet ſuperaddita vena rurſuſque conflata fit nigrum plumbum. India neque æs, neque plumbum habet, gemmis tantum, & margaritis hæc permutat. Nigro plumbo ad fiſtulas laminaſque vtimur. Laborioſius in Hiſpania, & Gallia plumbum eruitur. Nam in Britannia ſummo terræ corio. *Ex lib. 4. Meteororum.* Plumbum quoque liquatur vt fluat: fluenſque rurſum ex frigore congelatum, colore nigrum, & ſimile calci efficitur. Nam quæcunque (vt ſupra dictum eſt) calidi priuatione coagulantur à calido liquãtur, vt glacies, plumbum, æs, & ſimilia: & iſta ſunt aquoſiora. Plumbum quando liquatur eſt argentum viuum, cumque calefactum fuerit, conuertitur in liquorem omnibus liquabilibus communem, ſcilicet igneum rubeum. *Ex libro de natura rerum.* Plumbum temperatæ naturæ eſt, ſicut ſtannum, ponderoſum ſicut aurum. Ita quod duplex habet pondus argenti vel æris: ductile quoque eſt tractabile, minus autem ſtanno liquabile, ad horam autem liquatum ante niteſcit, poſtmodum vero naturalibus ſordibus adumbratur. Compreſſiuũ eſt, & leuificatiuum. Nec ſolum in ſe mutum eſt naturaliter, ſed etiam muta efficit alia metalla quibus admiſcetur: liquefactum in igne cæteris metallis plus minuitur. Scoria eius, id eſt, ſpuma continet argentum. Hoc autem proprium eſt, & ſpeciale plumbo inter metalla, quod ſemper augmentatur: & hoc ſub diuo magis, & in aere, quàm ſub terra, ſqualorem vero continet, ſed non rubiginem. *Gloſſa ſuper Iob.* Quod in plumbo ſcribitur citius deletur, quod vero in ſilice ſcribitur diutius manet. Vnde Iob in perſona Chriſti, vel Eccleſiæ. *Scribantur inquit ſermones mei ſtilo ferreo in plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice.* Iudæa vero cito verba Dei recipit, ac deſerit: ſed Gentilitas vix recepit, & fortiter tenuit. *Gloſſa ſuper Hieremiam.* Plumbum metallis adulteratis miſcetur, vt aliena materia ſeparetur. Et ſi fortè purgata non fuerit, plumbum omnino conſumitur: & in nihilum redigitur. Vnde per Hieremiam à domino, de his in quibus ſermo Dei perit, metaphoricè dicitur: Defecit conflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum. *Plinius in libro* 34. Plumbum nigrum conglutinatur albo, ipſumque album ſibi oleo. Argentum quoque non poteſt excoqui, niſi cum plumbo, vel vena plumbi.

Cantabricũ plumbum.

Scoria.

Adhuc de plumbi origine & natura.

Cap. XLI.

P *Linius libr.* 34. Plumbi genus candidum eſt, præcioſiſſimum à Græcis caſſiterium: fabuloſeque narratum eſt in inſulis Alantici maris peti, vitilibuſque nauigijs corio circumſutis aduehi. Nunc autem certum eſt in Luſitania gigni, & in Gallitia ſumma tellure, arenoſa coloriſque nigri, pondere tantum ea deprehenditur. Inuenitur & in aurarijs metallis, quæ allucia vocantur. Aqua ſiquidem immiſſa, eluunt calculos nigros paululum candore variatos, quibus eadem grauitas quę auro. Et ideo in calathis, in quibus aurum colligitur, cum eo remanent: poſtea vero caminis ſeparantur, conflatiſque in plumbum album reſoluuntur, nec fit in Gallitia nigrum, cum in vicina Cantabria abundet tantum nigrum. Nec fit argentum ex albo, cum fiat ex nigro. Plumbi vero nigri duplex eſt origo, vt ſuperius dictum eſt. Albi natura plus aridi habet. Contraque nigri tota humida eſt. Ideóq; albũ nulli rei ſine mixtura vtile eſt. Nec ex eo argentum plumbatur, quoniam prius liqueſcit argentum. Confirmant, quòd ſi minus albo nigri, quàm ſit ſatis miſceatur, argentum ab eo eroditur. Album incoquitur æreis operibus Galliarum inuento: ita vt vix diſcerni queat ab argento. Albi plumbi experimentum in charta eſt, vt liquefactum pondere videatur non calore rupiſſe. Iungi non poteſt inter ſe plumbum nigrum ſine albo. Nec hoc ei ſine oleo. Sed nec album quidem ſecum iungi poteſt ſine nigro. Nigri genera ſunt Ioueranum, Caprarienſe, Oleaſtrenſe. Nec vlla eſt differentia ſcoriæ modo diligenter excocta. Mirum in his ſolis metallis, quod ea derelicta fertilius reuiuiſcunt: hoc videtur facere relaxatis ſpiramentis ad ſatietatem aer infuſus, vt æquè fœminas quaſdam fœcundiores facere abortus. Nuper id compertum eſt in Bætica metallo ſantarenſi, quod locari ſolitum decem libris per ducentos ante annos, poſtquam oblitteratum erat lxv. locatum eſt. Simili modo Antonianum in eadem Prouincia, pari locatione peruenit ad pondo ccc. vectigalis: & mirum vas è plumbo conſtat addita aqua non liqueſcere. Eadem in aqua ſi additur calculus ereuſve quadrans vas peruri.

Origo.

Æris albi incoctio in Gallijs inuenta.

Mirum.

Philoſophus. Plumbum eſt frigidum & ſiccum. In ipſo eſt aurum, & argentum eſſentialiter, & non viſibiliter. Et eſt receptiuum tincturæ, quoniam præter aurum, nunquam acceperit eam. Quando cum ferro miſcetur vt cum ſtanno, bene conuenit, & non ſeparatur ab eo. Et melioratur cum cupro. Bene quoque concordat argento, excepto quod diuiditur ab eo cum decoctione, quæ ſolet argentum purificare. Auro verò nunquam ſociatur, nec cum eo melioratur, nec cum eo congaudet. Eius etiam olfactus minuit aurum. Plumbum ſtanni eſt conſolidatiuum, argento quoque depurando à cupro miſcetur plumbum. Aliter enim in argenti depuratione, ignis qui eſt diſgregatiuus heterogeneorum, ſeparando cuprum, ſe ſtatim ad argenti ſubſtantiam conuerteret, vt eam conſumeret, quia poſſibilior eſt, quam ſubſtantia cupri. Quod ne fiat, additur toti plumbum, vt eius ſubſtantiam, quia humidior eſt, ac conſumptioni paratior, quam argenti ſubſtantia, conſumat.

Aurum in plumbo.

Non cõgaudet auro.

De operatione plumbi in alchymia.

Cap. XLII.

E *X libro Meteoror.* 4. Plumbi craſſi argentum viuum eſt malum, ponderoſum, luteum, eius quoque ſulphur eſt malum, & mali ſaporis fætidique ac debilis, vnde non gelatur. Et artifices faciunt artificialiter gelationem fere ſenſibilem. Sciant vero artifices naturæ ſpecies permutari non poſſe. Sed eis ſimilia poſſunt facere, plumbique immunditias abſtergere, veruntamen ſemper erit plumbum, & ſi videatur argentum, ſed obtinebunt in eo qualitates alienæ, vt in ipſo errent homines. *Auicen. in libr. alchymiæ.* Plumbum ſicut & ſtannum quadruplex eſt, ſcilicet mixtum cum ſtanno, naturale, plumbum

Plumbum quadruplex.

de

de enchacia, plumbum greſſuri. Huius natura frigida A
eſt, & parum ſicca, ſed eſt ibi humiditas multa. Eſt autem de auro viuo craſſo, & de ſulphure craſſo ſpiſſo non claro, & eſt ibi plus de auro viuo, quàm de ſulphure. Nec eſt multum coctum, ſed molle remanſit, & ideo ſoluitur ſtatim. Et quia in eo multum eſt argenti viui, magis eſt de natura auri, niſi quia aurum eſt de pulchro auro viuo cum ſulphure claro, plumbum autem èconuerſo, & aurum quidem coctum, hoc autem crudum. Si quis autem ſciat præparare, leuiter ſe mutat in naturam auri. Eſt autem plumbum illud melius, quod eſt bene ponderatum, & quando ſcinditur eſt album, & quando percutitur non ſonat, quando funditur tarde ſe infrigidat.

Melius.

Razi in libro de aluminibus, & ſalibus. Plumbum eſt ex ſectione Saturni, in ipſo ſunt aurum, & argentum per potentiam, non per viſum. Et eſt grauis corporis, velocis liquefactionis, tardi motus ſuſcipiens tincturam. Ex ipſo exit argentum, & fiunt ex eo lithargyrium, & ceruſſa, & elixir maius rubedini, & albedini, & etiam aquæ cum quibus retinetur argentum viuum. Rectificatur cum ære prępparatiuo, & vnitur cum argento. Sed ſeparatur ab eo per examinationem. Ventus eius frangit aurum, & coagulat argentum viuum. Conuenerunt Græci Philoſophi, quod omnium corporum plumbum auro propinquius eſt, quia eius occultum eſt calidum, & humidum, occultum verò auri frigidum, & ſiccum. Itaque manifeſtum huius corporis plumbum, quia frigidum, & ſiccum, occultum verò eius aurum, quia calidum, & humidum. Ait etiam Armenides. Non æſtimetis plumbum eſſe ex ſtanno, vel ex aliquo corporum. Neque enim eſt niſi aurum, ſuper quod introiuit nocumentum in minera ſua, ſicut ingreditur ſuper fætum in ventre matris, vnde & auro ſimile eſt in diſpoſitionibus ſuis. Nam ſicut aurum eſt permanens ac ponderoſum, expectans ſub terra, & aqua, & ære, nec permutatur, ſimiliter & plumbum. Eſt autem in ipſo nigredo, albedo, & rubedo.

Auro propinquius.

B

De mutua plumbi, & ſtanni collatione.

CAP. XLIII.

Plinius vbi ſupra. Plumbum (vt dictum eſt) plerumque cum argento naſcitur, mixtiſque venis conflatur. Eius liquor, qui primus in fornacibus fluit appellatur ſtannum, qui ſecundus argentum, & qui remanet, ſuper addita vena rurſuſque conflata, fit nigrum plumbum. Nunc autem adulteratur ſtannum, addita ęris tertia portione candidi in plumbum album. *Ex lib. Auerrois de vaporibus.* Et attende, quod plumbum conſolidatiuum eſt ſtanni, & ſtannum plumbi. Mirumque quod ſimile non poteſt adhærere ſuo ſimili, & continuare partes in ſuo ſimili potius, quàm in ſuo diſſimili. Sed hoc eſt propter craſſum humidum in plumbo, quod cum calefit diſſoluitur. Similiter eſt ſtannum ſiccum diſſolutum ex ſiccitate ſua, quæ facit ad penetrationem, miſcetur plumbo humido, & ex ſiccitate ſua ſecum retinet plumbum humidum, quod eſt admixtum, propter hoc, & ipſum conſolidat, quoniam ibi generatur quoddam humidũ viſcoſum tenax, dico etiam, quod ſtannum cum ſit calidum liquefactum ſuper plumbum ſimiliter liquefactum retinet diutius calorem, & diſſolutionem in plumbo, quouſque admiſceatur per ſiccitatem ſuam penetrantem. Itaque cum iſta cauſa inueniri non poſſit in additione ſtanni cum ſtãno, vel plumbi cum plumbo, nequaquam conſolidatur ſtannum ſtanno, vel plumbum plumbo. Quòd autem plumbum conſolidatur ipſi ſtanno, non eſt de natura plumbi, ſed de natura ſtanni liquefacti penetrantis plumbum humidum liquefactum. Ex qua penetratione in illis duobus generatur viſcoſum humidum ligans partes ſtanni. Plumbum autem frigidũ eſt, quod ſi liqueſiat antequam admiſceatur alicui plumbo conſolidato, ſtatim vtrumque infrigidatur, & remanet vtrumque diſcretum per ſe. Stannum verò conſolidans, & ſtannum cõſolidatum, quia vtrunque ſiccum, contradicit viſcoſitati, quæ debet eſſe in vno humido, & alio ſicco. Ideo non eſt aliqua conſolidatio ſtanni cum ſtanno. Quemadmodum argentũ viuum remollit humiditatẽ ſtanni, ſic & plumbum iuuat ad eius duriciem. Et etiam reperto ſtanno ad duriciem plumbi, vnde volentes artifices plumbum aut ſtannum facere durum, admiſcent plumbum, & ſtannum ad inuicem, efficiturque totum magis durum, quàm alterum componentium. Et hoc ideo, quia ex ſiccitate ſtanni, & humiditate plumbi generatur quædam viſcoſitas dura, quæ duriciei principium eſt in hac mixtura.

C

De diuerſimoda plumbi puluerizatione.

CAPVT XLIIII.

SIcut autem contingit extrahere humiditatem vel humoroſitatem à vino vel etiam à lapide humidum conuiſcans partes ipſius lapidis, ita contingit extrahere humidum à plumbo, & tunc remanebit plumbi puluis. Sic enim faciunt ollarum artifices, qui plumbum liquefactum in olla ponentes, cum cinere ac reſticula mouent ipſum, quouſque puluerizetur. Nam cineris ſiccitas, reſticulæque humiditas per calorem recedens, faciunt vt reſticula cõtrahatur, & humiditas plumbi, & tunc remanet plumbum puluerizatum, & diſtentum. Dicunt, & alij quod puluerizatur plumbum, quando liquefactum eſt in fornacibus, per virgam coryli recentem intra plumbum poſitam, dum enim virga mouet plumbum, per fornacis calorem extrahitur humiditas virgæ ipſaq; virga attrahit ad ſe humiditatem plumbi loco ſuę humiditatis extractæ, & tunc plumbum remanet ſiccum diſcontinuatum, & abſtractum. Alius etiam eſt modus in puluerem reducendi plumbum, vt cum eidem liquefacto admiſcemus argentum viuum, & tunc mouemus illud quouſq; infrigidetur, tunc enim remanet puluis, quia viuum argentum ſeparat humiditatem plumbi, ex penetrabilitate ſuæ ſubſtantialis humiditatis, nec patitur ipſum habere contiguitatem. Hoc enim artificio vtuntur Saraceni artifices, in deferendo aurum ſuum de terra in terram in ſpecie terræ plumboſæ, poſtea vero ponunt illud in fornace, exhalatque viuum argentum ſine perditione auri, & eſt ſimiliter exhalatio plumbi, prout videmus in depuratione argenti, plumbum videlicet mixtum exhalare ex caloris motione, ad quod argentum depurandum ponitur plumbum, & ex cauſa ſuperius dicta. Accidit etiam quando pila ſunt concaua, & terrea, & intra medium pororum chalybs cum plumbo ponitur, quia per calorem argentum euaporat plumbum. Et cum in euaporatione chalybs remaneat, mollificatur ſicut poſtea dicetur.

Humidum extrahitur à vino & plumbo.

Modus puluerizationis plumbi.

Alius modus.

D

Subtilitas artificum.

De virtute plumbi in vſu medicinæ.

CAP. XLV.

Plinius vbi ſupra. Plumbi per ſe vſus eſt in medicina cicatrices reprimere, & alligatis laminis, membrorum ac renum partibus frigidiore natura veneris impetus inhibere. Viſa etiam in quiete venerea ſponte naturæ erumpentia vſque in morbi genus Caluus orator his laminis traditur cohibuiſſe, vireſque corporis ſtudiorum labore cuſtodiuiſſe. Nero etiam princeps plumbi lamina impoſita pectori ſub ea cantica exclamans, alendis vocibus vtilem demonſtrauit. Coquitur autem ad vſus medicinæ patinis fictilibus, ſubſtrato ſulphure minuto, laminis tenuibus impoſitis ac ſulphure opertis. Cum autem coquitur,

Venereorum curatio.

E

Diſſimilia adhærẽt melius.

munienda

Habitus nociuus plumbi.

munienda ſunt in hoc opere foramina ſpiritus. Alioquin plumbi è fornacibus halitus noxius ac peſtilens ſentitur, & halitus quidem plumbi nocet ocyſſime canibus. Omnium verò metallorum muſcis, & culicibus. Quidam in coquendo ſcobem plumbi lima quæſitam ſulphuri miſcent. Alij ceruſſam potius, quàm ſulphur. *Platearius.* Plumbum frigidum eſt, & humidum in ſecundo gradu. Ignis actione facile ſoluitur. Ex plumbo fit mortariolum, & piſtillus, & imponitur oleum roſaceum vel violaceum, & mouetur vſque dum perueniat ad aliquam ſpiſſitudinem, poſtea ſoli per quinque dies exponitur, oleo roſaceo addito, & ſemper mouetur, poſt hoc in aliquo vaſe ponitur, hoc vnguento miro modo valet contra vſturā ex igne vel aqua, & calida apoſtemata, & excoriationes. *Conſtant. in libr. graduum.* Plumbum frigidum eſt in ſecundo gradu. Quiddam habet communitatis, & eſt perfectum in coagulatione. Habet etiam

Tria accidẽtia plumbi.

partem quandam aeream. Vnde *& Philoſophus in libro de lapidibus intitulato,* plumbum inquit eſſet argentum niſi tria accidentia pateretur. Putorem ſui odoris, mollitiem ſuæ ſubſtantiæ, & quia natura eius ante focum ſtare non poteſt. Quæ accidentia in terra ſicut fœtus in vulua patitur. *Dioſcorides.* Plumbum ſimplex tritum, & ſuper vnctum mitigat ictus ſcorpionum marinorum, & draconum. *Hali. regalis in practica ſua ſermone* 2. Abaurum, ideſt plumbum combuſtum cõtinet in ſe virtutem deſiccantem cum acumine. Quod ſi abluatur, deſiccat ſine morſura. Et eſt medicamen vtile peſſimis vulneribus, maximeque oculorum, humiditatem eorum deſiccat, & cicatricem ſuperinducit. *Auicenna in* 2. *Can.* Plumbum nigrum frigidum eſt, & humidum in ſecundo gradu, & ipſa ſubſtantia aquoſa multum, quam congelauit frigus. Cuius ſignum eſt, vt æſtimat, Gal. velocitas calefactionis eius. In ipſo quoque eſt terreitas non vehementis multitudinis. Et eſt vehemẽter infrigidans apoſtemata, vnde confert apoſtematibus calidis, ligatur ex eo lamina ſuper ſcrophulas, & glandiolas.

De plumbo vſto, & eius lotura.

CAP. XLVI.

Platearius. Plumbum etiam vſtum fit, quod pulueriza tur, & in vnguentis medicinalibus ponitur. *Plinius vbi ſupra.* Fit & loturæ plumbi vſus in medicina, cum ſeipſo teritur in mortarijs plumbeis, addita aqua cœleſti, donec craſſeſcat, poſtea ſupernatans aqua ſpongijs tollitur, & quod craſſiſſimum fuerit, ſiccatum in paſtillos diuiditur. Quidam limatum plumbum ſic terunt, Quidam etiam plumbaginem admiſcent, Alij verò acetum, Alij vinum, Alij adipem, Alij roſam, Quidam in lapideo mortario, & maximè thebaico plumbeo piſtillo terere malunt.

Vſus lotura plumbi.

Candidius, quia ita fit medicamentum. Id autem, quod vſtum eſt plumbum lauatur, & ſtibijs, & cadmiæ poteſt aſtringere, ſiſtere, & contrahere cicatrices. Vſus enim ex eodem, & in oculorum medicamentis, maximeque contra procidentia eorum, & inanitatem, & vlcerum excreſcentiam. Rimaſque ſedis aut hæmorrhoidas & condilomata. Ad hæc maximè facit plumbi lotura. Cinis autem vſti ad vlcer.

Cinis vſti plumbi ad quid valet?

ſerpentia, & ſordida. Vritur autem in patinis per laminas minutas cum ſulphure: verſatum rudibus ferreis donec liquor mutetur in cinerem, deinde refrigeratum in farinam teritur. Alij elimatam ſcobem in fictili cado coquunt in caminis, donec percoquatur figulinum. Alij ceruſſam miſcent pari menſura, aut ordeum, teruntque & præferunt ſic tritum plumbum ſpondio Cyprio. *Dioſcorides.* Lotura plumbi virtutem habet ſtypticam, & frigidam, & malacticam, alta vulnera replentem, rheumaque oculorum aſtringentem. Carnis vulneribus ſuperfluè creſcentibus depaſcitur, fluxumque ſanguinis vulnerumque reſtringit. Plumbum quoque combuſtum, & lotum ſomnos venereos cohibet, ſeminis lapſu vexatos medetur appoſitum clunibus. Hæmorrhoides aſtinet, & oculorum fluores. Habet enim in ſe humectationem nimis frigidam. *Auicen.* 4. *Can.* Denique plumbum, vſtum venenum eſt, ſcilicet in potu vel cibo vel odore, nam opilat vias anhelitus in corpore. Idem in eodem: Accidit autem ei, qui bibit lithargyrium limaturam plumbi, quod apoſtematur corpus eius, ac grauatur lingua eius, ac retinetur vrina. Et quandoque ſtercus ſit, ac quandoque ventris fluxus. Sentiturque grauitas in ſtomacho, & inteſtinis ita, quod egrediatur quandoque anus, & ad raſuram perueniat, & eius inflatio fiat. Eritque quaſi glandiola lapidea in ventre illius, & fit color plumbeus, anhelituſque conſtringitur, & fortaſſe prouocatur. Accidunt etiam quandoque accidentia ilijs. Cura eius eſt vomitus ſitque cum aliquo apertiuo vt eſt decoctio ſeminis aneti, & ficus, datur etiam in potu myrra in vino vel abſynthium, & hyſopus, aut ſemen apii, vel piper, cum vino. Signum ſanitatis eſt, ſi materia ſoluitur, & vrina prouocatur. Ad vltimum indiget apertiuis, & ſolutiuis.

Contra ſomnos venereos

Symptomata ex bibitione limaturæ plumbi.

De ſcoria eius, & ſpuma.

CAP. XLVII.

Plinius vbi ſupra. Plumbi quoque ſcoria vſum habet in medicina, optima eſt quæque ad luteum colorem maximeque accedit ſine plumbi reliquijs, aut ſulphuris ſpecie ac terra carẽs: lauatur hęc in mortariis minutim fracta, donec luteum colorem trahat aqua. Inde transfunditur in vas purum. Idque ſæpius, donec ſubſideat, quod eſt vtiliſſimũ: habet eoſdem effectus quos plumbum ſed acriores. Fit & ſpõdion ex plumbo eodem quo ex cyprio ære diximus. Lauatur in linteis raris aqua cæleſti, ſeparaturque terrenum transfuſione, cibratumque teritur. Quidam puluerem volunt cum pennis detergere, malunt aliqui in vino odorato terere. Eſt & in molybdena, quam alibi galenam vocauimus, ſcilicet plumbi, & argenti vena communis, melior hæc eſt quanto magis aurei coloris habet, quanto minus plumboſa, friabilis, & modicè grauis. Cocta cum oleo iocineris colorem trahit. Auri etiam, & argenti fornacibus adhæreſcit, hanc metallicam vocant, laudatiſſima eſt, quæ in Cypro fit, probantur minimè terrenæ, minimę que lapidoſæ. Coquuntur, & lauantur in modum ſcoriæ, vſus eius in lippara ad lenienda refrigerandaque vlcera, Emplaſtriſque, non alligantur. Sed illita ad cicatricẽ perducũt teneris corporibus molliſſimiſque partibus. Compoſitio eius eſt libris tribus, & ceræ libra vna, olei tribus heminis. Quod in ſenili corpore cum amurca additur. Temperatur, & cum argẽti ſpuma, & cum plumbi ſcoria, ad dyſſenteriam, & tenaſmum calida fouendo. *Idem in libro* 33. Plumbi ſpuma fit ipſius plumbi fuſura, Puteolis efficitur. Indeque nomen ſortitur.

Modus lotionis plumbi Scoriæ.

De Ceruſſa.

CAP. XLVIII.

Idem in libro 24. Ceruſſa medunt officinæ plumbariæ. Laudatiſſima eſt in Rhodo, fit autem rasmentis plumbi tenuiſſimi ſuper vas aceti aſperrimi impoſitis, atque ita diſtillantibus, quod ex eo in acetum ceciderit, arefactũ molitur, & cribratur. Iterumque aceto mixto in paſtillos diuiditur, & in ſole æſtate ſiccatur, fit & alio modo, addito in vrceos aceti plumbo obturatos per dies decem. Deraſoque ceu ſitu ac rurſus deiecto donec deficiat materia. Quod deraſum eſt teritur, & cribratur, & coquitur in patinis, miſceturque rudiculis donec ruffeſcat, & ſimile ſandaracæ fiat. Deinde lauatur dulci aqua, donec

Locus generationis ceruſſæ.

nubeculæ

nubeculæ omnes eleuantur, ſiccaturque ſimiliter poſtea, & in paſtillos diuiditur: vis eius eadé eſt, quæ ſupradictis, leuiſſima tamen eſt ex omnibus, præter quæ ad candorem fœminarum, adhibetur. Eſt auem lætalis potus, ſicut argenti ſpuma. Ceruſſa ipſa ſi coquatur ruffeſcit. *Iſidorus in lib.* 19. Ceruſſa de plumbo fit hoc modo. In vaſe aceto acerrimo impleto; ſarmenta aminæa in eodem vaſculo collocantur, ac ſuper ſarmenta tabulæ plumbeæ tenuiſſimæ ponuntur, deinde vas diligentiſſime clauditur, & illinitur, ne inde aliquid ſpiraminis exeat, poſt dies triginta vas aperitur, & ex diſtillatione tabularum innata ceruſſa inuenitur, quod ablatum atque arefactum teritur, & iterum aceto mixto in paſtillos diuiditur, & in ſole ſiccatur. Hac obſeruantia, ſi laminas æreas ſarmentis ſuperponas, æruginem creat chalcanthum.

Candor fœminarum ceruſſa prodeſt.

Modus quo fit.

Platearius vbi ſupra. Ceruſſa flos plumbi eſt, & eſt frigida, & ſicca, in ſecundo gradu, hanc qui faciunt ſæpius incurrunt apoplexiam, epilepſiam, paralyſim, arthreticam propter frigiditatem aceti diſſoluentem, & mortificantem. Habet autem ceruſſa virtutem mundificandi, & extergendi ſuperfluitates. Vnde quędam mulieres abluta facie puluerem ceruſſæ tenuiſſimæ ſuperadducunt. Aliæ vero, quia ceruſſa aliquantulum ſicca eſt, conficiunt eam in aqua roſarum, & exponunt ſoli maximè in æſtate, qua conſumpta aliam apponunt, & hoc faciunt donec fit albiſſima, & aliquantulum aromatica, poſtea formant in pillulas, & faciei apponunt. Nota, quòd quæ longo tempore vtuntur adhibitione ceruſſæ, dolorem dentium incurrunt, & putredinem oriſque fœtorem.

Incommoda vtentium ceruſſa.

Hali vbi ſupra. Heſpidagum plumbi hoc eſt ceruſſa, melius eſt onuſtum plurimum, album, ſuaue, molle, frigidum, & ſiccum, vlcera deſiccat cataplaſmatum ſuper ea, prodeſt ophthalmię ſi miſceatur oculorum medicaminibus, vulceraque eorum cicatrizat. Si vero ſuper acuta apoſtemata cataplaſmetur, inflationem eorum ſedat. *Auicenna in ſecundo canone.* Ceruſſa eſt cinis plumbi, ponitur in emplaſtris, & vlcera replet, ac generat in eis carnem, corrodit carnem malam. Confert Bothor oculi, lenificat apoſtemata frigida, & dura. Fit autem ceruſſa quandoque cum aceto, quandoque cum ſalibus, & eſt frigida, & ſicca in ſecundo gradu. Quæ autem cum aceto fit vehementioris eſt ſubtiliationis. Eſt etiam ex medicinis, quę conueniunt aniſiſſuris. Eſt iterum ex venenis.

De Antimonio.

CAP. XLIX.

Idem in eodem. Antimonium eſt ſecundina plumbi mortui, eiuſque virtus ſimilis eſt virtuti plumbi aduſti, quod autem ex eo bonum eſt, luminoſum eſt, fruſtis eius confractis eſt ſplendor, eique nihil extraneum admiſcetur, nec eſt ſordidum, valdeque velociter frangitur. Et eſt frigidum in primo gradu, ſiccum in ſecundo. Eſtque vehementioris deſiccationis antimonium, quàm attramentum rubeum. Conſtringit autem, & exigit ſine mordicatione, fluxumque ſanguinis abſcindit. Item vlceribus conuenit, deſtruit carnes additas, & conſolidat. Ponitur etiam cum adipe ſuper aduſtione ſiccatque vlcera: prohibet præterea fluxum ſanguinis narium ex velaminibus cerebri. Conferuntque ſanitatem oculi, ac remouet ſordes vlcerum ſuorum. Item confert fluxui ſanguinis matricis, quando ſupponitur loco eius ſtannum aduſtum.

Curationes ex Antimonio.

De Ferro.

CAP. L.

Iſidorus lib. 16. Ferrum dicitur, eo quòd ferra, id eſt ſemina frugum condat. Vſus ferri poſt alia metalla repertus eſt, cuius poſtea verſa eſt in opprobrium ſpecies. Nam vnde pridem tellus tractabatur, inde modo cruor effunditur. Nullum autem corpus eſt tam denſis inter ſe cohærentibus, & implicitis elementis, quàm ferrum, vnde ineſt ei duritia cum frigore. Ferri metallum ferè vbique reperitur, ſed ex omnibus generibus palma Serico ferro datur, Seres enim hoc cum veſtibus ſuis pellibuſque mittunt. Secunda ſcilicet palma parthico. Nec alia ferri genera ex mera acie temperantur, cæteris enim mollior cōplexus admiſcetur. Differentia ferrorum plurima eſt iuxta terrę genus. Nam aliud eſt molle plumboque vicinum, rotarum, & clauorum vſibus aptum. Aliud fragile, & æroſum, culturæ terræ conueniens. Aliud breuitate ſola placet, clauiſque caligarijs. Aliud rubiginem celerius ſentit. Aquarum ſumma differentia eſt, quibus ferrum candens immergitur. Hæc aqua alibi atque alibi vtilior nobilitauit loca gloria ferri, quo vtilius fiat, ſicut Bilbilin in Hiſpania, & Turiaſſonem, & Comum in Italia. In acuendo ferro oleo delicatior fit acies, vnde & tenuiora oleo reſtingui mos eſt, ne aqua in fragilitatem durentur. A ferro ſanguis humanus ſeſe vlciſcitur, eo namque contactum celerius rubiginem trahit. Cum ferro magnes lapis concordiam habet; ſola enim hæc materia vim ab hoc lapide accipit, retinetque longo tempore. Ex eodem lapide quidam architectus. Alexandriæ templum concamerauit, vnde in eo ſimulachrum de ferro in aere pendere videretur. Ferrum accenſum ne duretur ictibus corrumpitur. Rubens non eſt habile ad tornandum, neque antequam albeſcere incipiat. Aceto vel alumine illitum ferrum fit æri ſimile *Ariſt. in libr. Meteoror.* 3. Ex vaporibus humidis in terra ſpecies nulla dilatatur in percuſſione ſicut ferrum. Eorumque eſſe eſt, quod quando coartatur igneitas, & lapideitas deſiccantur, & areſcunt. *Idem in libr.* 4. Quædam ſunt igne mollificabilia, velut ferrum, & cornu. Eritque ferrum ſic molle, & ſciſſibile. Ferrunt autem à calido liquatum coagulatur infrigidatum. Ipſumque operatum liquatur vt humidum fiat itemque coaguletur. Scoria vero ſubitat, & deorſum datur. Cumque multotiens patitur, & mundum fit, hoc chalybs fit. Minuſque pondus eſt emundati. Melius quoque ferrum eſt, quod minorem purgationem habet.

Etymon. ferri.

Sericum ferrum optimū.

Parthicum.

Ferrum Hiſpanicum. Italicum.

Ferrum fit æri ſimile.

Iterum de ferri natura.

CAP. LI.

Plinius libro 33. Proximè iudicari debent metalla ferri optimo vitæ peſſimoque inſtrumento. Si quidem hoc tellurem ſcindimus, ſerimus arbuſta, ponimus pomeria, vites ſqualore deſciſo, ſingulis annis iuueneſcere cogimus. Hoc tecta extruimus, ſaxa cædimus, omneſque ad alios vſus ferro vtimur. Sed eoſdem ad bella cædeſque, & latrocinia non ſolum cominus, ſed etiam miſſili volucrique, nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis, nunc vero pennato, quam ſceleratiſſimam ingenij humani arbitror fraudem. Siquidem vt ocyus mors ad hominem perueniret, alitem illam fecimus, pennaſque ferro adiecimus. Denique in fœdere quòd expulſis Regibus populo Romano dedit Porſenna, nominatim comprehenſum inuenitur, ne ferro niſi in agricultura, quis vteretur, & cum ſtilo ſcriberetur: intantum, vt veſtutiſſimi auctores prodiderunt, Ferri metalla vbique propemodum reperiuntur. Inſula

Vtilitas ferri.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quippe Italiæ Ilua gignente, minimaque difficultate agnoſcuntur colore ipſo terræ manifeſto, ſed ratio eadem excoquendis venis in Cappadocia tantum quæſtio eſt, aquæ an terræ fiat acceptum, quia profluuio terra certo perfuſa, nec aliter ferrum è fornacibus reddit.

Differentia. Differentia ferri numeroſa eſt. Prima eſt in genere terræ cælive Alicubi vena bonitatem ei præſtat, vt in Noricis. Alicubi vero factura, vt Sulmone. Alicubi aqua. Quippe cum in exacuendo oleares cotæ, & aquariæ æquè differunt, & oleo delicatior acies fiat. Mirumque eſt, cum excoquatur vena in modum aquæ ferrum liquari, poſtea in ſpongias frangi. Metallorum omnium ferri vena eſt largiſſima. Cantabriæ maritima parte, qua oceanus fluit, *Mons Cantabricus.* mons præruptè altus incredibile dictu totus ex hac materia exiſtit. *Ex lib. de natu. re.* Ferrum frigidæ naturæ eſt, durum, ſolidum, & inſciſiuum. Omnia fortitudine ſua domat, & à ſe tantum conſumitur. Super omnia metalla corruptelam facilius cõtrahit, & etiam connexa corruptione inficit. Raucè ſonat, igne hebeſcit, & ductile fit. Ex eo fiunt arma diuerſaque inſtrumenta inſciſionibus apta.

De Chalybe, & alidena.

CAPVT LII.

Temperamẽtum Chalybis. *Etymon.* *Alidena.*

EX *libro de natura rerum.* Chalybs eſt genus ferri duriſſimi, quod vulgo dicitur aciare vel aciarium. Ferrum quidem magis eſt terreſtre, quam chalybs, & ideo ſiccius. Chalybs ſuper ferrum abundat in aqueo congelato, & tamen chalybs magis eſt frangibilis, quam ferrum, ſicut glacies frangibilior eſt, quam cornu. Ferrum duplicem habet humiditatem terreſtrem ac craſſam, conuiſcantem partes ſcabioſas, & hæc per actionem ignis euaporat. Alia eſt humiditas aquea ſubtilior, & hæc remanet igne agente magis depurata, & condenſata. Conuerſo modo contingit in duplici humiditate vini, & aliarum plurium rerum, vnde autem ferrum eſt ſiccum, inde etiam eſt poroſum. Et dum tale eſt, non valet, vt inde fiat inſtrumentum inſciſiuum ſubtilis acuminis. Ideoque excoquitur in igne, vt abſterſa ſcabioſitate ſua terreſtri relinquatur aquæ ſubſtantia, quæ eſt maximè denſa, quæ cum ductilis ſit ad modum aquæ aptabilis eſt inſciſioni & omni figuræ: denſatur etiam ferrum, & opilatur eius poroſitas per admixtionem chalybis, & ſic habilius fit ad inſtrumenta inſciſiua. Chalybs ſi concauatur & in eius concauitate plumbum ponatur, totumque ponatur in ignem, euaporabit plumbum, ſed non ita, quia relinquatur chalybs aliquantulum mollificata; vnde totiens ita fieri poſſet per additionem alterius plumbi, quod tandem chalybs totam duriciem ſuam amitteret, atque ita laxabilis in modum ceræ fieret. *Iſidorus vbi ſupra.* Chalybs à chalybe flumine dicitur, vbi optima ferrum acie temperatur. Vnde abuſiuè materies ipſa chalybs dicitur, vt vulnificus chalybs. *Philoſophus.* Chalybs ex ferrarijs fit, multiſque tenſionibus induratur, vt virtutem habeat ſuper ferrum, & hoc ferri genere acuuntur acies armorum vt valeant. Eſt & aliud ferri genus in orientis partibus, quod vulgariter alidena dicitur. Inſcriptionibus aptum eſt, & fuſile ſicut cuprum vel argentum, & ductile non eſt, ſicut ferrum aliarum mundi partium.

De Ferri, & chalybis differentia.

CAP. LIII.

EX *libro de vaporibus.* Ferrum itaque caret vaporibus, nam terreſtre quidem in quibuſdam admiſcetur humido, ita quod caliditate agente ex illo terreſtri euaporat humidum illud, ſicut videre contingit in vino. At in ferro, euaporatio, per actionem ignis non eſt, ſed potius agente calore in ferro, ſquamoſitas terreſtris impedit, ne humidum euaporet, & magis aqueum ſcilicet chalybs remanet. Et quoniam terreſtreitas ex ſua ſiccitate ad poroſitatem facit, ferrum magis, quam chalybs poroſum erit. Ideoque faber in acumine cultelli admiſcet cum ferro calibem, vt per calibem in acumine fiat opilatio pororum ferri, ſitque bonum ad inſciſionem: ferri namque poroſitas, & craſſa terreſtreitas eiuſdem impediũt, ne cultellus duci poſſit ad tenuitatem inſciſioni aptam. Et tunc quoniam aqueum, ductile eſt in omnem formam, Ideo chalybs cum ſit magis aqueus, aptatur in acumine cultelli, vt per ipſum ducatur in tenuitatem inſciſioni aptam. Si vero quæritur cur chalybs ſit frangibilior ferro, cum potius videatur ſequi contrarium, ſi magis eſt aqueus, quam ferrum. Dico, quod ſicut glacies frangibilior eſt, quam cornu, propter terreſtreitatem exiſtentem in cornu, quæ tendit ad viſcoſitatem, quæ ſcilicet viſcoſitas fractioni contradicit ſic terreſtreitas, quæ eſt in ferro faciens ad viſcoſitatem, magis facit ferrum fractioni contradicere, quam eius principium in Chalybe. Denique quemadmodum poſt euaporationem humidi à vino, remanere contingit terreſtre humidum, ita per actionem caloris humiditate conſumpta, quæ conuiſcat in ferro partes terreſtres, & ſcabioſas à partibus aqueis, & coagulatis, remanet chalybs in aquea ſubſtantia, & congelata, poros habens ſtrictiores, quam ferrum, propter quod quidem deficit in ſicco, quod facit amplitudinem pororum in ferro, & in cupro, & tunc quia chalybs eſt magis aqueus, & aqueum ab aqueo deleri vel infici contingit, accidit, quod chalybs cum plumbo per calorem agentem (vt ſupra dictum eſt) plumbum euaporabit. Attamen in euaporatione chalybs mollificatus aliquantulum remanet. Totienſque hoc fieri poteſt, quod chalybs totam duriciem amittet, atque impreſſiones ad modum ceræ recipiet. Et hoc videlicet propter humiditatem, quam accepit à plumbo, quod eſt remollitiuum duriciei, ſicut videri contingit in paralyticis, vbi duricies nerui relaxatur per humiditatem ſine aliqua repletione, quę generet ſpaſmum repletionis.

Cur chalybs humiditas non euaporat per ignem. *Pori chalybis cur ſtrictiores quam ferri.*

De operatione ferri in alchymia.

CAPVT LIIII.

EX *libro de aluminibus, & ſalibus.* Ferrum eſt ex diuiſione martis, natura eius calida, & ſicca, & eſt acetoſum in ſapore, vehementis virtutis, expectans ignem, & impugnans ipſum, liquefit autem cum quatuor rebus, ſcilicet *cum arſenico, & plumbo, & magneſia & marcaſita*, regimenque eius eſt ſecundum quatuor modos. *Auicenna in libro alchymiæ de anima.* Ferrum pluribus modis efficitur, primum eſt ferrum deandelum, quod eſt forte & de illo faciunt martellos, & fiſſoria cæteraque opera, ſed non eſt bonum ad ſcindendum, nec intrat in magiſterium alchymiæ. Aliud eſt ferrum de alidena, quod eſt craſſum, nec bonum ad operandum. Tertium eſt acerium, quod poteſt acuere ferrum deandelum. Quartum eſt ferrum de India, quod ſcindit magis, quam alia, quia calor plus eſt in eo, quam in alijs. Sed opus eſt vt prius calefiat ad ignem vel ad ſolem, & acerium quidem eſſet eiuſdem naturæ, niſi quia in acerio eſt multum de ſulphure. Nullum autem de ferris intrat in opus alchymiæ, ſed ſeruit magiſterio, præparari tamen poſſet, vt ingrederetur, & corpus fieret, ſed non niſi grauiter ſoluatur, & cum magno magiſterio. Eſt etenim natura ferri calida, & ſicca, & ſiccitas eius maior eſt omnibus illis, quæ ſe elongant. Ideoque de facili fundi non poteſt. Eſt autem factum de argento viuo craſſo, & de ſulphure rubeo lapidoſo craſſo.

Liquefit per quatuor. *Oe ferrum calefactum non ſcindit melius ob ſulphur.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Phil. Sophus. Ferrum cum auro miſcetur, nunquam ab eo exterminatur; neque decoctione, neque alia re. Cumque adiungitur argento ſtans cum auro, tingit ipſum colore, pulchro, & quaſi aurum apparet. Ferri natura calida & ſicca eſt. Quidam tamen dixerunt, quod eſt frigida, & ſicca, & maſculinum, & fœmineũ. Huius autem manifeſtum eſt calidum, & ſiccum, & durum. Occultum autem his contrarium: Nec in aliquo corporum eſt aliquid durius manifeſto ipſius. Similiter eius mollities manifeſtatur, cum in eius occultum conuertitur. Huius exemplum eſt argentum viuum, cuius occultum eſt ferrum, eiuſque manifeſtum eſt argentum viuum. Cum igitur occultabitur eius manifeſtum, & manifeſtabitur eius occultum conuertetur in ferrum. Aut ſi volueris, eius minue calorem, & apparebit eius frigiditas, fitque argentum. Aut minue ipſius ſiccitatem, & apparebit eius humiditas, fitque aurum.

Natura ferri.

Vt fiat aurũ è ferro.

De virtute ferri in medicina.

CAPVT LV.

EX *libro de natura re.* Ferrum dicunt Philoſophi quod virtutem habet attenuandi, & deſiccandi. Infrigidatiuum eſt ac diſſolutiuum, & ſtomacho prodeſt limaturis ſumptum. *Auicen. in ſecundo Cano. medicinæ.* Ferrũ tres habet ſpecies. Vinum, & aqua in quibus extinguitur ferrũ, conferũt apoſtemati ſplenis, ac mollificationi, & debilitati ſtomachi. Ærugo eius vtilis eſt cum vino poſitum ſuper pannaricium. Similiter & ſuper heriſipilam, & ſuper podagram. Vtilis etiam eſt aſperitati palpebrarum, & vngulæ: hæc quoque infrigidat, & ſtyptica eſt, ſuppoſita fluxum ſanguinis abſcindit ex matrice, & exicsat hemorrhoidas. Præterea vinum in quo ferrum extinguitur, retinet ſolutionem antiquam, & dyſſenteriam. Confert mollificationi ani, & inſenſibilitati vrinæ, & fluxui menſtruorum, & prouocat coitum. *Idem in eodem.* Aqua ferrea confert viſceribus, & ſpleni, & ſtomacho, ac renibus, ac Cholicæ paſſioni. Aqua etiam in qua ferrum extinguitur, ſputo ſanguinis confert. *Idem in lib.* 1. Subſtantia quidem metallina vel eius ſimile, & aquæ ſanguiſugales malæ ſunt omnes in quibuſdam, tamen illarum exiſtit iuuamentum. Illa ſiquidem in qua virtus ferri ſuperat, ad hoc iuuat, vt interioribus fortitudo tribuatur, & inde rebus id eſt ſtomachi corruptio prohibeatur, & vt deſiderantes virtutes procedant. Itaque non coire valentes aqua ferri adiuuantur. Splenem etiam reſoluunt. *Conſtant. in lib. graduum.* Dioſcorides ait, Ferrum candens in aqua vel vino extinctum optimum diuturnæ ſolutioni, & vulneribus inteſtinorum, apoſtemata ſplenis, & ſtomachi mollificat. Gal. autem dicit. Aqua in qua candens ferrum extinguitur, neruos confortat, hemorrhoidas curat, & plumbeum colorem, qui ex eis eſt aufert, mulieri prohibet ne concipiat, cum aceto bibitum humorem de auribus tollit cataplaſmata podagram infrigidat, vncta ſuper allopiciam capillos inſtaurat. Eſt autem calida in ſecundo gradu. *Idem in Pante. li.* 5. Aqua de ferri metallo ventrem conſtipat, membra confortat, valet ad dolorem ſplenis, & apoſtemata. *Plinius vbi ſupra.* Medicina è ferro eſt & alia pungi, ſcilicet leniter mucrone quo percuſſus ſit homo, prodeſt contra dolores laterum pectorumve ſubditos, qui punctiones afferant. Quædam etiam vſtione ſanantur, præcipuè canis rabidi morſus. Quippe morbo prævalente potum expaueſcentes vſta plaga illico ſanantur. Calefit quoque ferro candente potus in multis vitijs, præcipuè vero diſſintericis.

Remedium ſplenis ac ſtomachi.

Remedium dyſſenteria.

Sputi ſanguinis.

Inſtauratio capillorum.

Contra dolores lateriũ & morſum rabidi canis.

De Ferri purgamentis.

CAPVT LVI.

ISidorus. Ferri quoque purgamenta ſunt rubigo, & ſcoria. Eſt enim rubigo dicta velut ab erodendo, non ab æramento. Eadem etiam ſegetes rodit. Ferro (vt dictum eſt) ſeſe vlciſcitur humanus ſanguis, quia contactum ſanguine ferrum rubiginem celerius trahit. Caret autem rubigine, ſi perungatur ceruſa, & gypſo ac liquida pice. Rubigo quoque non vitiat ferramenta, ſi medulla ceruina inungatur, vel ceruſa roſaceo mixta. Scoria vero purgamenta ſunt, & ſordes, quæ igne excoquuntur, ſic dictæ, quia de ferro excutiuntur. *Plinius vbi ſupra.* Rubigo ipſa ferri eſt in medicinis, quæ deraditur humido ferro veteribus clauis. Vis eius eſt ligare, ſiccare, ſtringere, vel ſiſtere. Illita emendat alopicias, vtuntur eadem & ad ſcabricias genarum, puſtulaſque totius corporis cum cera, & oleo myrteo, ad ignes vero ſacros ex aceto. Item ad ſcabiem, paronychia digitorum, & pterigia in lintheolis. Siſtit & fœminarum profluuia velleribus impoſita. Plagis quoque recentibus vinò deluta, & cum myrrha ſubacta, & condilomatis ex aceto prodeſt, podagras etiam illinita ſanat. Squama quoque ferri eſt in vſu, & acriore vi, quam rubigo. Quamobrem etiam contra epiphoras oculorum aſſumitur, ſanguinemque ſiſtit, cum vulnera maximè ferro fiant. Siſtit & fœminarum profluuia. Imponitur etiam contra lienum vitia. Hemorroidas compeſcit. Vlcerum ſerpentiæ, & genis prodeſt, farinæ modo pauliſper aſperſa: præcipua tamen eius commendatio eſt, in quodam emplaſtro irge dicto ad purganda vulnera, & fiſtulas, omnemque callum erodendum, ac roſis oſſibus ad carnes recreandas. *Razi in Almanſore.* Squama ferri ſtomachum corroborat. Hemorrhoidarum ſanguinem ſtringit. Aqua vero in qua ferrum extinguitur, proficit craſſo ſpleni ſed deſiderium ſtimulat coeundi.

Contra ruginem ferri.

Contra puſtulas.

Eroſio calli & recreatio carnium,

Adhuc de eodem.

CAPVT LVII.

PLatearius *in lib. de ſimplici medicina.* Ferrum, ferrugo, ac ſquama ferri, eiuſdem virtutis ſunt. Ferrugo calida eſt, & ſicca in ſecundo gradu. Squamma ferri eſt illud latum, & tenue, quod euolat à ferro per concuſſionem. Ferrugo autem per exuſtionem liqueſcit à ferro, & habet virtutem deſiccandi, & attenuandi. Ad attenuationem ſplenis valet vinum, in quo ferrum candens extinctum fuerit, multum enim ſubtile eſt. Contra oppilationem ſplenis, & hepatis ex longo tempore datur, puluis ſubtiliſſimus ferruginis cum vino calido vomitum in multa quantitate prouocat, etiam in tantum quod ad mortem ducit, vnde in impetu debet dari aqua, in qua lapis magnes tota nocte iacuerit, & puluis eius in aqua detur, reprimit enim violentiam eius, & ſiſtit vomitum eius, atteſtante Dioſcoride, ſed ibi vomitus periculoſus eſt, vnde non laudo fieri. Contra hæmorrhoidas, puluis eius, ſcilicet ferruginis vel quammæ ferri ſubtilis conficitur cum ſucco tapſi barbati, & bombicem intinctam ſuperponit ſibi patiens, & optimum eſt. *Auicenna in 2. Canone.* Scoria ferri eſt fortioris exiccationis omnibus cæteris. In ipſa eſt virtus ſoluens aquam. Eſt autem ficca in tertio gradu, Aeriſque ſcoria ei propinqua. Reliquæ vero minus propinquæ & minus ſunt calidæ, omneſque ſunt exiccatiuæ, & exiccant humiditates. Scoria ferri reſolnit apoſtemata, confert aſperitati palpebrarum. Confortat ſtomachum, & exiccat humiditates eius ſpongia, remouetque mollificationem eius quando potui datur in vino antiquo, & admixtum, prohibet autem

Squamma ferrugo.

Contra oppilationem hepatis.

Contra apoſtemata,

im-

imprægnationem & fluxum hæmorrhoidarum, fluxumque menſtrui ſanguinis abſcindit, & eſt in eo vltima, ſimiliter, & in vrina. Anum quoque coarctat linita. *Idem in eodem.* Zimar ferri eſt ſtypticum, & corroſinum. Ærugo ferri vtilis eſt ſuper eriſipilam, & ſuper bothor, & ſuper podagram. Vinum & aqua in quibus ferrum extinguitur conſumit apoſtemata ſplenis: & prodeſt mollificationi ſtomachi, & debilitati eius. Scoria eius ſoluit aquam, & ærugo eius eſt ſtyptica. Exiccatque hemorrhoidas ſuppoſita. Denique vinum in quo extinguitur ferrum: retinet ſolutionem antiquam & dyſſenteriam. *Idem in libro quarto.* Ex limatura & ſcoria ferri accidunt, quandoque dolor vehemens in ventre, & ſiccitas in ore, & inflatio, ſuperatque dolor capitis. Cura eius eſt vt detur in potu lac cum roſaceo, & violaceo oleo, ſuccus foliorum de ſalicibus quaſſatorum cum aceto ſuper capita eorum. Datur etiam quandoque in potu aliquid de magnete vt aggregetur id quod ſeparatum eſt ad ipſum, deinde adhibentur ſolutiua.

Zimar.

Cura accidentium ex ſcoria ferri.

De quibuſdam metallis commixtis electro, & corinthio.

CAPVT LVIII.

Etymon. *Iſidorus.* Electrum dicitur: eo quod ad radios ſolis clarius auro argentoque reluceat. Sol enim à poetis vocatur electron, defæcacius enim eſt hoc metallum omnibus metallis. Huius tria ſunt genera, vnum quod ex arbore pini fluit, & ſuccinum dicitur, Alterum metallum, quod naturaliter inuenitur, & in præcio habetur, Tertium quod fit de tribus partibus auri & vna argenti. Quas partes etiam ſi naturale ſoluas, inuenies: vnde & nihil intereſt, natum ſit an factum, vtrumque enim eiuſdem naturæ eſt. Electrum quod eſt naturale eſt eiuſmodi naturæ vt in conuiuio & ad lumina clarius cunctis metallis refulgeat, & venenum prodat. Nam ſi ei venenum infundas ſtridorem edit & dolores varios in modum arcus cæleſtis emittit. *Ex libro de natura rerum.* Electrum duplex eſt, artificiale quod ex auri & argenti mixtura conficitur. Et naturale quod in colore quidem ſimile eſt, & in virtute præſtantius. Rariſſime autem inuenitur, & ſophiſticatum auro difficillime diſcernitur. Sed vas ex vero & naturali electro venenum prodit. Cui ſi venenum infundatur: ſtridet, quaſi violentiam paſſum, & colorem perdit, vſque dum igne purgetur. Metallum hoc conſeruatiuum eſt, vnde olim in locellis ex electro magnorum corpora condebantur. *Plinius libro 33.* In auro vbicumque argenti eſt quinta portio, electrum vocatur. Scrobes huiuſmodi reperiuntur in auro canalienſi: fit & cura electrum dū argento additur aurum, quod ſi proportionem quintam excedit incudibus non reſiſtit. Electrum natura eſt clarius argento ſplendore ad lucernarum lumina. Quodque natiuum axiſtit, venena deprehendit. Nam in calcibus arcus, cæleſti arcui ſimiles, cum igneo ſtridore diſcurrunt, geminaque ratione prædicunt. Electro (teſte Homero) auctoritas fuit, qui Menelai regiam auro, electro, argento, & ebore fulgere tradit. *Gloſſa ſuper Ezechielem.* Electrum ex auro & argento, compoſitum eſt. Dumque argentum miſcetur, in claritatem creſcit. Et aurum à fulgore ſuo palleſcit, vnde in Ezechielis viſione, per electrum recte ſignificatur Chriſtus mediator Dei & hominum. Dum enim humanitas eius in maieſtatis gloriam excreuit, diuinitas à proprij fulgoris potentia humanis oculis ſe temperauit. Sicque dum in eo palleſcit aurum, fulget argentum. Electrum vero in igne, Deus homo in perſecutione. *Iſidor.* Corinthium eſt commixtio omnium metallorum. Quod caſus primum miſcuit, Corinthus cum caperetur inceſa. Nam dum hanc ciuitatem Hannibal cepiſſet, omnes ſtatuas æneas, & aureas, & argenteas in vnū rogum congeſſit, & eas incendit. Ita ex hac commixtione fabri ſuſtulerunt, & paropſides fecerunt, vnde vſque hodie ſiue ex ipſo, ſiue ex eius imitatione æs Corinthium, vel Corinthia vaſa dicuntur.

Venenum prodit.

Conditiua ex electro.

Electrum ſignificat Chriſtum.

Corinthium aes curiosa dicitur.

De moneta & nummo.

CAPVT LIX.

Etymon. *Idem.* Moneta inde appellata eſt, quia monet ne qua fraus, vel malitia in pondere, aut metallo fiat. Nummi vero à Numa Romanorum rege dicti ſunt, qui eos primum apud latinos imaginibus notauit, & titulo ſui nominis præſcripſit. Itaque numiſma eſt ſolidus aureus vel argenteus aut æreus, ſic dictum, quia nominibus principum effigiebuſque quondam ſignabatur. In numiſmate (vt ſupra dictum eſt) tria quæruntur, ſcilicet metallum, figura, & pondus. Si ex his aliquid defuerit, nummiſma non erit. Antiquiſſimi autem nondum auro argentoque inuento, ære vtebantur. Nam prius ærea pecunia in vſu fuit, poſtea argentea, deinde aurea. Sed ab eo, quo cæpit, & nomen retinuit. *Plinius vbi ſupra.* Seruius primus æs ſignauit. Antea vero rudi vſam Romam Thineus tradidit. Signatum autem eſt pecudum nota, vnde & pecunia dicta. Maximus cenſus, 110. millia aſſium illo rege fuit exactus. Argentum vero anno vrbis 585. quinto Fabio conſule eſt ſignatum quinque annis ante bellum punicum, placuitque denarius pro libris æris, Quinarius pro quinque, Seſtertium pro dipondio ac ſemiſſe. Libræ autem pondus eris imminutum eſt bello punico primum cum impenſis reſpublica non ſufficeret. Conſtitutumque vt aſſes ſextario pondere ferirentur. Ita quinta parte lucrifacta, diſſolutū ęs alienū: poſtea verò Hannibale vrgente Quinto Fabio Maximo Dictatore aſſes vnciales facti placuitque denarium 16. aſſibus permutari, Quinariūm octonis, Sextarium quaternis. Ita reſpublica dimidium eſt lucrata, In militari tamen diſpendio ſemper denarius pro decem aſſibus eſt datus, Mox vero lege Papyriana ſemiunciales facti ſunt aſſes. Liuius Druſus in tribunatu plebis argento miſcuit octonam partem æris. Nummus qui nunc appellatur victoriatus, quia ſcilicet victoria ſignatus, lege Clodia eſt percuſſus. Antea ſiquidem loco mercis habebatur, ex Illyrico aduectus. Aureus vero nummus poſt annum 62. percuſſus eſt, quam argenteus, ita vt ſcrupulum valeret ſeſtertijs vicenis. Verum à Numa prima eſt auaritię origo fœnore excogitata, queſtuoſaque ſegnicia. Nec paulatim rabie quadam, non iam auaritia, ſed auri fames exarſit, vtpote Sepeius Claudius. C. Grachi familiaris, caput eius auro repenſum exciſum ad Opimium tulerit, plumboque in os addito, parricidio ſuo rempublicam etiam circumſcripſerit. Nec iam Quiritum alicui, ſed vniuerſo nomini Romano infamis. Rex Mithridates aurum in os infudit Aquilio duci capto, hæc parat cupido habendi. Peſſimum ergo ſcelus fecit, qui primum ex auro denarios ſignauit, quod & ipſum auctore incerto latet. Populus quidem Romanus ne argento quidem ſignato ante, Pyrrhum regem deuictum vſus eſt, vtinam è vita in totum abdicari poſſet auri ſacra fames. Multo fælicius ævum fuit cum res ipſe permutabantur inter ſe.

Triæ in numiſmate quæruntur.

Seruius.

Argenteus nummus quādo Romæ percuſſus.

Aureus numerus quidē.

De Spiritibus mineralibus.

CAP. LX.

Auicenna in lib. Alchymiæ de anima. Spiritus autem minerales ſunt Sulphur, Auripigmentum, Sal hammoniacum, Mercurius, Spiritus inquam ſunt, quia per eos imprimitur corpus, vt poſſit cum anima coniungi. Corpora quidem ſunt, ſed ab alijs corporibus differunt, quia ſublimantur hæc, & non alia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ideo dicuntur ſpiritus, quia nulla res ſine ſpiritu ſublimari poteſt. Lapis enim per ſe non aſcendit, ſic nec alia corpora. Iſta vero per ſemetipſa aſcendunt, ideſt ſublimantur, & ſoluuntur leuiter & faciunt alia ſolui & cremant, & infrigidant, & ſiccant, & humidant quatuor elementa. *Ex doctrina alchymiæ.* Vide ergo, quod in viſceribus terræ virtutem mineralem habentis fit generatio ſpirituum, & corporum. Spiritus quidem ſunt quatuor, ſcilicet ſal hammoniacum, & ſulphur, & argentum viuum, & arſenicum. Corpora vero ſex ſcilicet aurum, argentum, æs &c. Ex prædictis enim elementis mineræ generantur aliquando corpora munda; vt aurum, & argentum. Aliquando immunda, vt æs, & ferrum. Nam ex argento viuo puro albo coagulato à virtute ſulphuris albi non vrentis generatur materia in minera, quæ perfuſionem conuertitur in argentum. Ex ſulphure autem mundo, claro, rubeo, non habente in ſe virtutem adurentem, & ex argento viuo bono claro à ſulphure coagulato, generatur aurum. Porro ex bono argento viuo & ſulphure habente virtutem adurentem generatur æs. Ex prauo autem ſulphure, & prauo argento viuo ferrum. Ex bono vero ar.vi. & prauo ſulphure non bene commixto ſtannum. Ex prauo argento viuo ſcilicet ponderoſo, & luteo, & prauo ſulphure fœtido ac debili plumbum. Hæ operationes ſunt quas natura facit in mineralibus, & has alchymiſtæ conantur. Dicuntur autem ſpiritus, vel habere ſpirituum naturam, quæcumque ignem fugiunt, hæc enim, quæ dicuntur corpora, natura facit, vnde & fixa dicuntur. Itaque cuncta etiam, quæ egrediuntur de planta vel alia re per diſtillationem, habent naturam ſpirituum, quia fugiunt ignem, & omne tale dicitur volatile ac fugitiuum, vnde & argentum viuum à ſapientibus alchymiæ *ſeruus fugitiuus* vocatur. Infirmitatis autem ſpirituum duplex eſt remedium, ſcilicet in eorum fixione, & eorum coloratione. Quod autem non fugit ignem, dicitur fixum, ſicut corpora lapidum, & metallorum. Hoc tamen ſecundum magis & minus. Nam vt vera loquamur. Nullum genus metallorũ eſt verè, & omnino fixum, ita ſcilicet vt non paulatim fugiat ignem, præter ſolum aurum examinatum, hoc enim, nec fugit ignem, nec ab ipſo minuitur, ſed potius rectificatur, & humectatur. Circa hoc & ſimilia ſecundum præfatum modum negociantur alchymiſtæ, & hæc eſt eorum materia.

Spiritus quatuor.

Spiritus qui dicuntur.

De argento viuo, & eius origine, vel natura.

CAPVT LXI.

Locus.

Isidorus vbi ſupra. Argentum viuum dicitur, quod excidat materias quibus injcitur, hoc & liquidum quia percurrit. Inuenitur autem ſpecialiter in metallis, ſiue in fornacibus argentarijs, guttarum concretione tectis inhærens. Sæpe etiam in ſtercore vetuſtiſſimo cloacarum, vel puteorum limo, fit etiam ex minio conchulæ ferreæ impoſito patena teſtea ſuppoſita. Tunc enim circumlito vaſculo circundantur carbones, ſicque argentum ex minio diſtillat: ſine hoc neque argentum, neque æs inaurari poteſt. Tantæ autem virtutis eſt, vt ſi ſuper ſextarium argenti viui centenarium ſaxum ſuperponas, oneri ſtatim reſiſtit. Sin autem auri ſcrupulum, leuitatem eius raptim ſinu recipiet. Ex quo intelligitur, Non pondus, ſed naturam eſſe cui cedit, Seruatur autem melius in vitreis vaſculis, nam cæteras materias perforat. Potui autem datum interficit ponderis cauſa. *Plinius vbi ſupra.* Argentum viuum venenum eſt omnium rerum, exedit ac perrumpit vaſa permeans tabe dira. Omnia enim innatant præter aurum. Id vnum ad ſe trahit. Ideoque optime purgat cæteras eius ſordes expuens, crebro iactatu fictilibus in vaſis, ita vitijs abiectis, vt & ipſum ab auro diſcedat, in pelles ſubacta effunditur, per quæ eas ſudoris vice defluens purum relinquit aurum.

Ergo & cum æra inaurantur ſublitum bracteis pertinaciſſimè ea retinet. Verum pallore detegit ſimplices aut prætenues bracteas. Huiuſmodi liquor æternus venis argenteis vomitur.

Auicenna vbi ſupra. Argentum viuum ſubtus terram naſcitur, propter humiditatem magnam in loco illo exiſtentem. Et hoc euenit propter ſolem, & aerem, qui tangunt eum, Ideoque efficitur currẽs propter humiditatem, & frigiditatem, quæ in eo ſunt, nec efficitur niſi in loco frigido. *Ex lib. 4. Metheororũ.* Argentum viuum eſt liquefactiuum, & raræ ſubſtantiæ ac debilis compoſitionis. Eſt enim vt aqua, quæ miſcetur cum terra nimia ſubtilitate ſulphurea, mixtione forti, donec non quieſcit ſuperficie plana. Et hoc eſt ex ſiccitate magna, quæ ineſt illi, & ideo non adhæret tangenti. Eſtque albedo eius ex claritate aquæ illius. Et ex albedine terræ ſubtilis, quæ eſt in eo. Et ex admixtione aeris cum ea: proprium autem eius eſt, quod ex vapore ſulphuris coagulatur. *Ex libro de vaporibus.* Argentum viuum aufert frangibilitatem ex ſiccitate prouenientem, vt patet in ſtateris. Stannum quippe liquefactum, & poſtea in aceto infuſum, vbi eſt argentum viuum, ſtatim penetratur ex ſubſtantia argenti viui, & etiam ex ſubſtantia aceti coadiuuante ad penetrabilitatem, & tunc humiditas argenti viui ſiccitatem aufert ſtagni, & eius humiditatem remollit, præterea viuum argentum laminæ argenti cum argento eſt conſolidatiuum. Quod ideo fit, vt dicit Philoſophus, quia communicat in radice cum omni metallo. *Ex libro de natura rerum.* Argentum viuum eſt reuera calidum, & humidum in quarto gradu, licet in quibuſdam libris inueniatur eſſe frigidum. Extinctum poteſt alij rei admiſceri. Sed viuum non. Optimè ſeruatur in vaſis vitreis, & loco frigido, poſitum enim in calidum exhalaret in fumum. Poteſt autem fieri album, & rubeum cum ſulphure, fertur enim de facili omnes colores recipere. Si extinguatur cum pinguedine apparebit quaſi terra, & ſic inter ollas artificioſe crematum, extrahitur ab igne clarum maleabile, & tractabile ad modum argenti, ad maxima firmacula facienda. Denique ſine argento non poteſt fieri deauratio, cumque argentum non conſolidetur argento medio argento, hoc videtur benè fieri cum argento viuo.

Albedo fit ex claritate aqua.

Argentum viuum calidum & humidum.

De operatione ipſius in alchymia.

CAP. LXII.

Virtus.

Non perditur ab igne.

EX *libro de aluminibus, & ſalibus.* Argentum viuum eſt frigidum, & humidum elementum. Ex quo Deus creauit omnes mineras, & eſt aereum fugiens ab igne, cum ergo infigitur ei quælibet fixio efficit operationem ſublimem, & eſt ſpiritus in imis ſolum, nec eſt ei in mundo ſimile profundans in omni corpore erigens ipſum, & conuertens de diſpoſitione in diſpoſitionem, de colore in colorem, quando agitur cum eo, & commiſcetur ei. Ipſum eſt etiam, quod mortificat, & viuificat, exiccat, humectat, calefacit, infrigidat. Et facit contrariam operationem ſecundum menſuram ſui regiminis. Et ignis quidem perdit omnem rem, ac finit, & diſpergit eam tempore breui vel longo, niſi argentum viuum. Super ipſum enim non poteſt neque comedit ipſum, ſed fugit ab eo. Ingeniauerunt autem ei Philoſophi prætendentes modos ingeniorum, ſcilicet mortificationem, ſublimationem, ſolutionem. Hæ ſunt quatuor ſpecies ipſius regiminis ingenioſæ à Philoſophis inuentæ, quas oportet præcedere fixionem, donec ſcilicet paulatim fiat expectans ignem. Ipſumque cum mutatur mutat, & perit eius nigredo, ac ſonitus, albificat in viſione oculi, & rubificat in ſucceſſione. Et acetum eſt attrahens, & aqua aggregans, & oleum mollificans. *Eſtque pater mineralium*

om-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Deſcriptio pulchra Argenti viui.

omnium, ſeruus quoque fugitiuus, qui & auro ſe præſtulit, & ipſum vincit. Dixit ergo aurum ei. Quanto præfers te mihi. Et ego ſum dominus lapidum execrans ignem. Reſpondit ei vtique. Sed ego genui te, & ex me natũ eſſe te noſcis. Et vna pars ex me viuificat multas de te, & tu auarum es non dans ex te aliquid per comparationem ad me. *Auicenna vbi ſupra.* Argentum viuum vt ſuperius dictum eſt, efficitur currens propter humiditatem, & frigiditatem, quæ ſunt in eo, Nec efficitur niſi in loco frigido. Ideo etiam effugit de igne, quia maior pars eius eſt aqua, quæ eſt igni contraria. Quando vero calere incipit, deſiccatur, & aſcendit ſicut ignis. Et ſi multum ignem ei dederint, & ſit in loco clauſo, recedit inde humiditas, & vertit ſe in colorem ignis accidentalem, dicuntque naturales, quod eſt aurum viuum.

Qualiter argentum viuum ſit elementum omnium liquabilium.

Cap. LXIII.

Plumbum liquatum, eſt argentum viuum.

Stannum habet argentum viuum bonum.

Remedium pediculorum & ſcabiei & puſtularum.

EX *libro 4. Meteororum.* Argentum viuum (vt dictum eſt ſupra) eſt liquefactiuum, & miſcetur plumbo, & huiuſmodi corporibus, quoniam hoc eſt de ſubſtantia eorum: videtur autem, quod argentum viuum, & quæ illi ſunt ſimilia ſunt elementum omnium liquabilium, quoniam alia liquabilia cum liquantur, ad ipſum conuertuntur. Sed non liquantur niſi calefacta. Et cum liquata fuerint, apparent rubea, vt apparet in plumbo, quod proculdubio cum liquatur eſt argentum viuum, ſed non liquatur niſi caleſiat. Et cum liquefactum fuerit conuertitur ad calorem communem omnibus liquabilibus, ſcilicet igneum. Et ideo miſcetur argentum viuum cum iſtis corporibus, quia eſt de ſubſtantia eorum. Sed iſta ab eo differunt in compoſitione ſua, eo modo quo differt argentum viuum à ſuis ſimilibus. Et permixtiones, quæ miſcentur cum illis, donec congelantur: & quidem ſi fuerit argentum viuum purum coagulabit illud vis ſulphuris albi, non vrentis, & illud eſt optimum, quod recipere poſſunt alchymiſtæ, vt conuertant ipſum in argentum. Si autem fuerit ſulphur mundum, optimum, rubore clarum: & fuerit in eo vis igneitatis ſimplicis vrentis, erit res optima, & alchymiſtæ conuertunt illud in aurum. Quod ſi fuerit argentum viuum bonæ ſubſtantiæ, & ſulphur non purũ, cui inſit vis adurens, conuertit ipſum in æs. Si vero fuerit argentum viuum malum, non mundum, poroſum, terreum, ſulphur quoque non mundum fiet ex eo ferrum. Porro ſtannum videtur habere argentum viuum bonum, ſulphur vero malum. Et hæc benè non mixta, ſed tanquam pur parua compoſita, & ideo benè fit tale. Plumbi vero craſſi argentum viuum malum eſt ac ponderoſum, & luteum, & ſulphur eius malum, mali vaporis, & fœtidi ac debilis, vnde non bene gelatur. Artifices autem faciunt gelationem ferè ſenſibilem artificialiter quamuis artificialia non ſunt eo modo quo naturalia nec tam certa quoniam ars debilior eſt natura. Nec eam conſequitur quamuis multum laboret. *Auctor.* His autem verbis libri Meteororum conſonat ſententia libri de aluminibus, & ſalibus, videlicet quod argentum viuum eſt elementum, in quo Deus creauit omnes mineras.

De virtute ipſius in medicina.

CAPVT LXIIII.

CONſtanti. *in lib. graduum.* Argentum viuum calidum eſt in quarto gradu, & humidum, pediculos capitis occidit, & reptilia omnia cum lithargyrio, & aceto, & oleo, fitque bonum ad curandum ſcabiem, fit etiam vnguentum ad puſtulas optimum. *Auicenna in ſecundo Canone medicinæ.* Argentum viuum aliud generatur ex minera ſua purgatum; Et aliud extrahitur ex lapide mineræ ſuę cum igne, ſicut aurum, & argentum, qui ſcilicet lapis mineræ eius quando purus eſt, non permiſcentur ei terra, & lapides. Habet autem colorem nizifur, id eſt cinabrij, & eo fortiorem, frigidum eſt, & humidum in ſecundo gradu vel in tertio Sublimatum quidem ſtypticum eſt. Extinctum autem cum oleo roſato medicamen eſt pediculorum, & lendium, & ſcabiei, & vlcerum malorum. *Platearius vbi ſupra.* Argentum viuum calidum eſt & humidum in quarto gradu. Nam calidum eſſe ex effectu probatur, quia diſſoluit, inſcidit & penetrat. Sed quia valde frigidum actualiter eſt, frigidum ab auctoribus quibuſdam iudicatur. In terra generatur, & ab ea quaſi aqua fluens producitur. Diutiſſime conſeruatur ſed in vaſe ſolido, & in loco frigido. Habetque virtutem diſſoluendi, & penetrandi: farina lupinorum amarorum decoquitur in aceto fortiſſimo vſque ad ſpiſſitudinem, & argenti viui extincti facta commixtione, caput patientis ex abundantia periculorum perungitur per diſcriminalia. Extinguitur autem vel cum ſaliua, vel fricatur cum cinere, & ſaliua, Aut cum capillis, & ſaliua, aut cum puluere oſſis ſæpe & ſaliua, melius autem dicitur extingui cum alteri rei poteſt aſmiſceri, Niſi enim ſic extinguatur, ipſius ad aliud non fit admixtio. Ignis autem ex actione facile extenuatur in fumum, denique nec in re actualiter calida ponendum eſt, quia extenuaretur in fumum, fumus autem argenti viui aſtantibus obeſt. Contra ſcabiem autem vnctum, oleo parum calefacto miſcetur acetum, deinde lithargyrium, & ceruſſa pulueriżata ebulliuntur ad ſpiſſitudinem mellis. Et refrigeratis argentum viuum imponitur, & vſui reſeruatur. Cum axungia quoque gallinacia argentum viuum, & ceruſſa conficiuntur. Et hoc facies inuncta clarificatur, & dealbatur.

Ratio cur argentũ viuum ſit calidum.

Fumus argenti viui nocet.

Dealbat faciem.

De ipſius potione ac fumigatione venenoſa.

CAPVT LXVI.

Potus venenoſus. Remedium.

ISidorus. Argentum viuum potui datum interficit cauſa ponderis. *Conſtanti. vbi ſupra* Diaſcorides quoque dicit, quod argentum viuum bibenti mortem tribuit. Euadere tamen poterit qui hoc biberit, caprinum lac bibendo, ac ſe mouendo, vel etiam bibendo vinum addito abſinthio ſinapi vel hyſopo. Cuicumque membro adhæret ipſum percutit, & corrodit. Quod, ſi ad ignem ponatur deſtruitur, fumumque facit, qui ſcilicet fumo quiſquis appropinquauerit, mox eius mollificabuntur oſſa, omneſque nerui atque lacerti. Et omnia membra, quæ propter motum voluntarium ſunt ſcilicet compoſita, vnde plerique incidunt in paralyſim, in tremorem ac ſurditatem, & actionis corruptionem animatæ. Denique quocumque loco fumus argenti viui fuerit, omnia reptilia fugiunt aut moriuntur. *Platearius vbi ſupra.* Argenti viui fumus vt dictum eſt aſtantibus obeſt quia ſcilicet remolliendo neruos paralyſim operatur: ore etiam, receptum vel auribus immiſſum occidit, membra diſſipando. Si tamen fuerit ore receptum, detur lac caprinum in multa quantitate, & patiens ſit in motu, vel detur vinum decoctionis hyſopi, & abſinthij. Hæc enim ſunt ad ſalutem remedia. *Auicenna vbi ſupra.* Argentum viuum ſublimatum interficit, propter vehementem inſciſionem, & eius cura fortis eſt biberelac, & vomere. Sed Galienus dicit, hoc ſe expertũ non fuiſſe. Dicunt, & quidam, quod extinctum interficit, quia quicquid ei obuiat ſua grauitate corrodit, Interficit etiam murem. Et ex eius fumo fugiunt vermes, & ſerpentes venenoſi. Item vapor eius facit accidere paralyſim, tremorem: fumus eius deſtruit viſum ac auditum. Et facit oris fœtorem, cum tranſit per ipſum.

Idẽ in li. 4. Argenti viui extincti venenũ eſt de genere medi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

medicinarum acutarum calidarum. Mordicationi, & inſciſioni, & punctur æ corroſionis aptum. Potatum verò plurimum non nocet, ſed egreditur per inferiorem regionem, porro in aurem infuſum facit dolorem vehementem, & accidit commixtio, & quandoque ſpaſmus, Et grauedo illius lateris. Quandoque etiam epilepſia vel apoplexia, propter læſionem cerebri cum frigore ipſius. Extinctum autem, & ſublimatum eſt malum nociuum inſciſiuum lithargyrio ſimile ex punctura, & inteſtinorum torſione, & ſanguinis deambulatione, & linguæ grauitate, ſtomachique grauedine. Corpus etiam apoſtematur, & vrina retinetur. Cura extincti potati eſt, vt poſt vomitū myrrha cum vino, & aqua mellis detur, & cliſterizetur. Cum autem in aure effuſum eſt, declinet caput inquantum poteſt. Stanſque ſuper vnum pedem ſaliat ſuper aliam partem, vel manu ſuſpendatur, vt concutiatur argentum viuum, & egrediatur.

Morbi cauſati ab argento viuo potato.

De ſulphure, & eius natura.

CAPVT LXVI.

Iſidorus. Sulphur dicitur, quia igne accenditur. Verus ignis eſt. Nam vis eius ab aquis feruentibus ſentitur. Nec vlla res facilius accenditur. Naſcitur in inſulis Æolijs inter Siciliam, & Italiam, quas ardere dicunt. Inuenitur: & in alijs locis effoſſum, huius genera quatuor, vnum, quod effoditur, tranſlucet, & viret, quo ſolo ex omnibus generibus medici vtuntur. Alterum, quod glebam appellant, vſibus tántum fullonum familiare. Tertium liquor eſt, vſus eius ad lanas efficiendas, quia candorem molliciemque præſtat. Quartum ad lixiuia maximè conficienda aptum. Sulphuris tanta vis eſt, vt morbos comitiales nidore ſuo comprehendat. Impoſitum ignibus ardeſcens in calice vini, prunaque ſubdita circumferens ex ardeſcentis repercuſſu pallorem dirum velut defunctorum effundit. *Plinius lib. 25.* In generibus terræ ſecundum regiones vel maximè naturam, mira vis eſt ſulphuris, quo plurima domantur. Naſcitur in Aeolijs inſulis, Sed nobiliſſimum in Melo inſula. In Italia quoque inuenitur in agro Neapolitano Campanoque, collibus, qui vocantur leucogabi è cuniculis effoſſum igni perficitur: primum genus græci apyron appellant, quod ſolidum hoc eſt gleboſum naſcitur. Eoque ſolo ex omnibus generibus medici vtuntur. Cætera namque liquore conſtant, & conficiuntur oleo incocta, viuum autem effoditur tranſlucens, & virens. Secundum vocatur gleba, fullonum tantum officijs familiare. Tertium regula. Cui vnus tantum eſt vſus ad ſufficiendas lanas, quoniam candorem tantum molliciemque confert. Quartum ad lixiuia conficienda maximè valet. Impoſitum igni comiciales morbos nidore ſuo deprehendit. Luſit eo Anaxilaus candens in calice nouo pruna ſubdita circumferens, ex ardeſcendit repercuſſu & pallorem dirum velut defunctorum conuiuis effundente. Sentitur vis eius, & in aquis feruentibus. Neque alia res facilius accenditur, quo apparet ignium vim magnam etiam et ineſſe: fulgura, & fulmina quoque ſulphuris odorem habent. Et lux ipſorum eſt ſulphurea. *Auctor.* Sulphur calidum eſt, fœtidum, tenax, duratiuum. Accenſum autem plus fætet.

Locus. Genera. Primum. Secundum. Tertium.

Quartum.

Apyron,

Palloris defunctorum ſimulatio.

De regimine, & operatione ipſius in Alchymia.

CAPVT LXVII.

Ex lib. de aluminibus & ſalibus. Sulphuris natura ac regimen ipſius eſt, ſicut arſenici. Quod autem de ipſo conſideratur, eſt remotio aduſtionis eius. Et deletio oleagineitatis, & albificatio ipſius æqualiter ſicut arſenicum. Huius generis rubeum melius eſt. De arſenico dicetur inferius. *Auctor.* Ex ſupradictis verò patet, quod ſulphur, ſicut & argentum viuum, eſt elementum omnis mineræ metallorum. Nam ex argento viuo puro, & albo, vt ſupra dictum eſt, à virtute ſulphuris albi non vrentis coagulato, generatur materia in minera, quæ per fuſionem conuertitur in argētum. Ex ſulphure autem claro mundo, rubeo, non habente in ſe virtutem adurentē, & argento viuo bono, claro, à ſulphure congelato, generatur aurum. Porro ex bono argento viuo, & ſulphure habente virtutem adurentem generatur æs. Ex prauo autem ſulphure, & prauo argento viuo ferrum. Ex bono vero argento viuo, & prauo ſulphure non bene commixto ſtannum. Ex prauo argento viuo, ſcilicet ponderoſo, & luteo, & prauo ſulphure debili ac fœtido non benè gelatis plumbum.

Sulphur elementum metallorum.

Ex libro de vaporibus. Sicut autem cum ignis attrahit humiditatem cupri, nigreſcit Scyphus argenteus in igne. Sic quando ſulphur vel etiam auripigmentum puluerizatum apponitur ſupra cuprum calefactum, nigreſcit cuprum. Eo quod auripigmenti, & ſulphuris attrahit ſibi humidum. Ex hoc etiam eſt radix cur homines declarare volentes auripigmentum, & ſulphur, lauant ea in acutis lauaturis, vt in vrina, & aceto, & lixiuio, & ſero caprino, vt extrahant ex eis vnctuoſitatē, quæ faciebat in eis ad citrinitatem. Cumquè videre volunt, vtrum ſint purè dealbata, & receſſit ex eis tota citrinitas, apponunt illa ſupra cuprum calidum. Et ſi quidem nigreſcit purum in illa poſitione, ſciunt, quod hoc eſt propter vnctuoſitatem, quam extrahit illis, quæ ante faciebat in illis ad citrinitatem. Nec ex toto receſſit ab eis, & tunc ſciunt quod non ex toto dealbata eſt per acutas lauaturas. Si autem viderint, quod cuprum nullo modo nigreſcit propter illorum appoſitionem, tunc ſciunt, quod in illis nulla remanſit vnctuoſitas, quæ faciebat ad citrinitatem, & tunc ſciunt illa corpora purè eſſe dealbata, & apta, vt ex eis fiat ſublimatura. Et nota, quod ſulphur quoniam in eo eſt pingue tanquam materia calida, & ſicca, proijcit flammam ex ſe ſine alicuius admixtione. Sebum autem vaccinum licet pinguius ſit, non tamen flammam ex ſe proijcit. Et hoc ideo, quoniam abundat in frigiditate, cuius ſignum eſt, quia eſt de animali ruminante, quod eſt complexionis frigidæ.

Lotione declaratur ſulphur.

Cur ſebum non proijcit flammā vt ſulphur.

De virtute ſulphuris in medicina.

CAP. LXVII.

Plinius vbi ſupra. Sulphuris natura excalefacit, & concoquit. Corporumque collectiones diſcutit, propter hoc talibus emplaſtris, & malagmatibus miſcetur. Renibus etiam ac lumbis in dolore, cum adipe impoſitum, mirè prodeſt. Lichenas è facie, cum terebinthi reſina, & lepras aufert, prodeſt & ſuſpirioſis, purulenta quoque extuſſientibus, & contra ſcorpionis ictus. *Conſtantinus vbi ſupra.* Sulphur calidum eſt, & ſiccum in quarto gradu. Vnde Diaſcorides. Sulphur inquit calefacit, & diuturnam tuſſim maturat. Saniem pectoris excludit mixtum cum aceto, valet impetigini, & ſcabiei, & alopicię. Arbore pomorum citrinorum ex eo fumigata, mox omnia poma cadunt. Quod ſi roſa atque rubei panni ex eo fumigentur, fiunt albi coloris, mixtum cum melle, & nitro, veteri valet ſcabiei, puſtulis, & putori corporis. Puluerizatum corporique aſperſum ſudorem egredi prohibet, rheuma, & catarrhum curat. Cum nitro, & aqua mixtum frigidam podagram mitigat. Diaſcorides, & Gallenus concordati ſunt dicentes, aquam ſulphuream puſtulis, ſcabiei, & impetigini valere, corporibus inde lotis. Morſus reptilium, & leonum, & diuturnas febres curat. Mulieres etiam concipere nequientes propter humores accumulatos, excludit. *Auicenna in 2. capitu.* Sulphur calidum, & ſiccum eſt ad quartum gradum pertingens

Curatio renum.

Nocet pomis. Albificat roſas.

Curat podagram, febres & morſus.

ſub-

ſubtiliatiuum eſt, & attractiuum. Eſt autem in medicinis Albaras propriè, dum non tangit ipſum ignis, cum aceto ſuper morpheam ponitur. Cum gemma albotri mixtum corrodit, & eradicat veſtigia, quæ ſunt in vnguibus, ponitur quoque ſuper aduſtionem, & ad vlcerationem, & abſtergit impetiginem propriè cum aceto, & nitro propter pruritum, aut lauetur ex eo corpus. Suffumigatum, reſtringit corizam. Et cum nitro, & aqua linitur ſuper podagram. Cum aceto, & melle ponitur ſuper auris contritionem. *Dyaſcorides.* Sulphur eligendum eſt, viuum, colore limpidum, reſplendens ac perlucidum, ac ſine lapide, quod miſſum in focum viridem, & pinguem colorem facit. Naſcitur in Meloſda, & Lippara, virtus eius eſt thermantica, & diaphoretica, & recorporatiua, & extenuatiua. Tuſſim prohibet, Empicis, & aſmaticis in ouo acceptum medetur reſinæ mixtum ictus ſcorpionis mitigat, & draconis maritimi, pruriginem corporis prohibet. Catarrhum, & ſuperfluum ſudorem corpori aſperſum tollit, cum nitro, & aqua podagricis confert. Fumigio reddit auditum, & lethargicos curat. Item aceto mixto cum terebenthina leproſos vngues excludit, venenis in vino bibitum reſiſtit. *Platearius de ſimplici medicina.* Sulphur eſt calidum, & ſiccum in primo gradu. Terra actione caloris in naturam ſulphūream mutatur, aquoſis & terreſtribus partibus in igneas tranſeuntibus, viuum tale eſt, quale ab ipſa terra producitur. Aliud extinctum vel mortuum, quod artificioſè paratur. In calamis æneis vel ferreis funditur, & per actionem proprij caloris conſumitur. Et in cinerem album conuertitur, ſicque in medicinis ponitur. Et habet virtutem diſſoluendi, conſumendi, attrahendi.

Color optimus ſulphuris.

Curatio lethargicorū. Temperamētum.

De Arſenico, & eius natura.

CAPVT LXIX.

Iſidorus lib. 19. Arſenicum, quod Latinè ob colorem auripigmentum dicitur, colligitur in Ponto ex auraria materia, vbi & ſandaracha, optimum eſt, quod in aureum colorem tranſit, purum, & fuſile gracili venarum diſcurſu. Quod verò pallidius, aut ſandarachæ ſimile eſt, deterius iudicatur. Eſt & tertium genus ſquamoſum, quo miſcetur aureus color: vis eorum eſt, vt Sandaraclæ, ſed acrior. *Plinius lib.* 34. Arſenicum eſt ex eadem materia, qua & Sandaracha. Quod ex eo optimum, eſt coloris etiam in auro excellentis. *Ex lib. de vaporibus.* Contingit in aliquo loco terræ, quod terreſtre compreſſione humidi in ipſo fit pinguius, vt ſterquilinio. Nam propter compreſſionem partis ad partem, & humidi craſſi exhalationem, redditur ſterquilinium pingue. In tali caſu contingit in cauernis fieri bitumen pingue, & ex craſſa pinguedine, tunc venientibus ventis terreſtribus calefactis in fundo maris per meatus terræ, calefactis inquam per ſplendorem ſolis reflexum ab ipſis partibus collatis, per humidum fluens per cauernas terræ exhalante humido, partes terreſtres in cauernis exiſtentes habent in ſe ſubtilem vnctuoſitatem, quæ veniens ad prædictum bitumen admiſcetur illi, & tunc vnctuoſitas eſt duplex. Vna ſcilicet quæ eſt bituminis craſſi, & altera, quæ eſt ſubtilis iſtarum partium terreſtrium, quæ admixtæ ſunt ei, porro tali corpore congelato per tempus contingit ipſum tranſire in ſubſtantiam auripigmenti ſicut in ſulphuris, hinc auripigmentum duplicem dicimus habere vnctuoſitatem, & ſimiliter ſulphur. Itaque auripigmentum, vt ſuperius de ipſo, & de ſulphure dictum eſt, quando puluerizatum apponitur ſupra cuprum calefactum, nigreſcit cuprum, eo quod ſibi attrahit auripigmenti humidum: vnde homines declarare volentes auripigmentum, & ſulphur, lauant ea in acutis lauaturis, vt in vrina, in aceto, & lixinio, & ſero caprino, vt extrahant vnctuoſitarem, quæ faciebat in eis ad citrinitatem. Cumque videre volunt vtrum ſint purè dealbata, & receſſit tota citrinitas, apponunt illa ſupra cuprum calidum, & ſi quidem nigreſcit cuprum in illa poſitione, ſciūt quod hoc propter vnctuoſitatem, quam extraxit ab illis, quæ ante faciebat in eis ad citrinitatem, nec ex toto receſſit ab eis, & tunc ſciunt quod non ex toto dealbata eſt per acutas lauaturas. Si autem viderint, quod cuprum nullo modo nigreſcit propter illorum appoſitionem, tunc ſciunt, quod in illis nulla remanſit vnctuoſitas, quæ faciebat ad citrinitatem. Et tunc ſciunt illa corpora eſſe purè dealbata, & apta vt ex eis fiat ſublimatura.

Cauſa bituminis pinguis.

Duplex vnctuoſitas ſulphuris & arſenici.

De operatione ipſius in Alchymia.

CAPVT LXX.

Ex lib. de aluminibus, & ſalibus. Arſenicum eſt calidum, & humidum, & eſt diuerſi generis, ſcilicet rubeum, & citrinum, & laminoſum, cum vtriſque non ſit quod fortius, neque quod vehementius adurat corpora. Eſt arſenicum ſimile ſulphuri in multis operibus, & in ſublimatione, & in velocitate liquefactionis, & à paruitate expectationis ſupra ignē. Citrinum verò diutius expectat, quàm rubeum. Et eſt copioſioris tincturæ, laudabilioriſque ſucceſſionis. De proprietatibus autem eius eſt, quod albificat aliud quando ſublimatur, & denigrat quando non ſublimatur, Et adurit dum permanet viuum. Quod autem voluitur de arſenico, eius eſt albificatio, & deletio oleaginitatis eius ac remotio aduſtionis, & combuſtionis eius. *Ex libro de vaporibus.* Arſenicum ſiue auripigmentum, vt prædictum eſt, duplicem vnctuoſitatem habet, & ſulphur ſimiliter: vnde cum intendimus auripigmentum vel ſulphur ſublimare, auferimus vnctuoſitatem vnam per eius ablutionem in vrina, & lixiuio, & aceto, & caprino lacte, quæ quidem ablutiones acutæ ſunt, & vnctuoſitatem ex eo auferunt, quæ ſi remaneret auripigmentum ſublimari non poſſet; Nam ſtatim incenderetur, & flamma fieret. Eo quod illa vnctuoſitas ad ſuſcipiendum calorem habilis eſt. Nec talia corpora ſublimari poſſunt. Etenim benè poteſt eſſe duplex vnctuoſitas in aliquo, ſicut in carne leonis duplex eſt calor, vnus quem ſemper retinet, alter quem aliquando amittit.

Genera diuerſa.

Sublimatio Arſenici.

Ex doctrina alchymiæ. Cum autem inquireremus aliquid, quod ſi proijceretur ſuper liquefactum adhæreret ei ac commiſceretur ac ſubmergeretur in eo, nec ipſum corrumperet, non inuenimus niſi de mineralibus ſulphur, & de commixtis arſenicum. Ipſum tamen fugiunt ſine mora, niſi quod breuiſſimo tempore incipiunt procedere ad conuerſionem cum eo. Inuenimus autem ingenium per quod illa rectificentur, Ita vt eis maneat adhærentia, & deſtruatur aduſtio. Cauſa ſiquidem adhærentiæ liquefactio eſt. Deinde ſimilitudo minereitatis, & vicinitatis quam habet cum eo.

De virtute ipſius in medicina.

CAPVT LXXI.

Plinius vbi ſupra. Arſenici eadem eſt vis, quæ & ſandarachæ, ſed acrior. Tollit digitorum pteggia, carneſque digitorum, & condilomata, & quicquid excreſcit, torretur autem in noua teſta, donec mutet colorem, vt validius proſit. *Auicenna vbi ſupra.* Arſenicum aliud eſt album, Aliud rubeum, Aliud citrinum, omnia putrefactiua ſunt, & mordicatiua. Eſt autem calidum in tertio, ſiccum in ſecundo, pilos abradit, & alopiciæ cum gummi pini conuenit. Emplaſtrum cum eo fit ſuper vulnera. Cum adipe & oleo conuenit ſcabiei, & ſahaphat humidæ, & putredini, & abſtergit, & adurit cutem. Aſſumitur ad tuſſim antiquam, & ſputum ſaniei, & ſanguinis, ac quan-

Virtus.

Temperamē tum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

doque ponitur in pillulis ad aſma. Miſcetur autem cum oleo roſaceo ad bothor,& hęmorrhoidas. Quod autem ex eo ſublimatũ eſt interficit. Et ex rubeo quidem melius eſt,quod eſt puluerizabile. Armenum autem, laminoſum, ſubtile, Album autem interficit. *Dioſcorides.* Arſenicum naſcitur in metallis,vbi & ſandaracha. Aſſatur autem in teſta donec mutet colorem, & reponitur: virtus ei ſtyptica eſt: cum calce viua mixtum,& corpori illitum,tollit pilos.

De ſale hammoniaco.

CAPVT LXXII.

Sal Hammoniacum cur ita dictum?

Mirum.

Temperamẽtum.

Locus.

Species.

Probatio.

Paraphoron.

Curatio lyenis.

ISidorus *lib.*13. Sal hammoniacum, in Cirenaia ſub arenis inuenitur. *Plinius lib.*31. Inuentum eſt ſal inter Ægyptum, & Arabiam, etiam ſqualentibus locis detractis arenis, qualiter & per Aphricæ ſitientia vſque ad oraculum Hammonis. Id quidem cum luna noctibus creſcit. Nam Cyrenaici tractus hammoniaco ſale nobilitantur, ipſo ſic appellato, quia ſub arenis inuenitur. Simile eſt colore alumini (quod ſchiſton vocant) longis glebis neque perlucidis. Ingratum eſt ſapore,ſed vtile medicinę,probatur,quàm maximè perſpicuum, rectis ſciſſuris inſigne. De quo proditur,quòd leuiſſimum intra ſpecus ſuos,in lucem vniuerſam prolatus vix credibili ingraueſcat pondere. Cauſa euidens eſt cuniculorum ſpiritu madido ſic adiuuante molientes vt adiuuent aquæ. Adulteratur autem Siculo,nec non & Cyprio miræ ſimili. In Hiſpania quoque citeriore è gelaſtæ cæditur glebis penè tranſlucentibus. Cui iam pridem palmam inter omnia ſalis genera à pleriſque medicis datã eſſe perhibetur. Eſt autem ſal hammoniacum calidum,& ſiccum in quarto gradu.

Ex libro de aluminibus,& ſalibus. Sunt quidem multa genera ſalium, & omnes præparati apud complementum redeunt ad ſalem hammoniacum, qui eſt ſalium melior ac nobilior in regimine, fixus non fugiens ignem. Et ipſe quidem eſt oleum, quod coagulauit ſiccitas ignis,huius natura calida eſt,& ſicca,ſubtilis, penetrans, profundans, & eſt ſpiritus volans adiuuans elixir. Sine ipſo enim non compleretur elixir. Nec exolueretur,nec ingrederetur. *Ex lib.*4. *Meteororum.* Alumen, & ſal hammoniacum ſunt de genere ſalis, niſi quia ignis in ſale hammoniaco eſt magis terra,vnde & totum ſublimatur,& ipſum eſt cui miſcetur fumus calidus nimium ſubtilis multæ igneitatis. Et eſt coagulatum ex multa ſiccitate. *Auctor.* De cæteris autem generibus ſalis dictum eſt plenius ſuperius in tractatu de elemento aquæ ac glebis ex aqua congelatis.

De cæteris mineralibus, quæ media ſunt inter corpora, & ſpiritus & primo de alumine.

CAPVT LXXIII.

Spiritus metallorum & corpora.

EX *doctrina alchymiæ.* Hæc ſunt igitur vt dictum eſt ſupra, quæ in mineralibus operatur natura. Cuius operationes imitari conatur alchymia. Quædam etiam alia generantur in terræ viſceribus, quorum partes obtinent vicem ſpirituum, & quædam vicem corporum, vt ſunt alumen, atramentum, & nitrum. *Plinius lib.* 35. Alumen intelligitur eſſe ſalſugo terræ, nec minor eſt aut ab eo diſſimilis operatio aluminis, ab illa quæ bituminis, plura ſunt eius genera: in Cypro candidum,& nigrum. Exiguaque eſt coloris differentia cum ſit vſus magni,quoniam inficiendis lanis colore claro candidum, & liquidum eſt vtiliſſimum. Econtra verò fuſcis, & obſcuris nigrum. Aurum nigro purgatur, fit autem omne ex aqua limoque hoc exundantis eſt terræ natura. Corriuatum hyeme, æſtiuis ſolibus maturatur. Quod ex eo prȩcox fuerit,cãdidum fit: gignitur in Hiſpania, & Ægypto, Armenia, Macedonia, Ponto, Aphrica, multiſque prouincijs. Sed laudatiſſimum in Ægypto, proximum in Melo. Huius quoque duæ ſunt ſpecies, liquidum, & ſpiſſum. Liquidi probatio eſt, vt limpidum ſit ac lacteum, ſine offenſis fricantium cum quodam igniculo caloris. An ſit autem adulteratum deprehenditur ſucco mali punicȩ. Sincerum enim mixtura ea nigreſcit. Alterum genus eſt pallidæ,& ſcabræ naturæ,quod galla inficitur. Ideoque hoc vocant paraphoron. Vis alumnis liquidi eſt,aſtringere, indurare, rodere. Admixto melle ſanat oris vlcera, & papulas, prurituſque. Curatio hæc fit in balneis, duabus mellis partibus tertiaque aluminis, virus alarum ſudoreſque ſedat. Sumitur, & pillulis contra vitia lyenis pellendumque pruritum ac ſanguinem per vrinam. Emendat & ſcabiem nitro,& melanthio admixtis. Concreti aluminis autem vnum genus Græci ſchiſton appellant, In capillamenta quidem caneſcentia dehiſcens. Vnde quidam trichitin potius appellauere. Hocque fit ex lapide, ex quo & id chalcitin vocant, vt ſit ſudor quidam eius lapidis in ſpumam coagulati. Hoc genus ſiccat, minuſque ſiſtit humorem inutilem corporibus. Et auribus magnopere prodeſt infuſum vel illitum, aut oris vlceribus dentibuſque ſi ſaliua cum eo contineatur. Oculorum etiam medicamentis inſeritur apte, verendiſque ſexus vtriuſque. Coquitur in patinis donec liquare deſinat. Inertioris eſt & aliud genus, quod ſtrongylen vocant, cuius duæ ſunt ſpecies, vnum ſcilicet fungoſum, & omnium ore dilui facile, quod damnatur in totum. Melius vero pumicoſum, & foraminum fiſtulis ſpongiæ ſimile, rotundumque natura; candido propius, cum quadam pinguedine ſine arenis friabile, Nec inficiens nigricia. Id coquitur per ſe carbonibus puris donec fiat cinis. Illud autem eſt optimum, quod ab omnibus vocatur à Melo inſula melinum. Nulli maior vis eſt aſtringendi,neque denigrandi, neque indurandi, Nullumque ſpiſſius, oculorum ſcabricias extenuat. Combuſtum autem melius eſt epiphoris inhibendis, Et ſimiliter ad pruritus corporis. Sanguinem quoque ſiſtit in totum foris illitum, vulſis pilis illitum ex aceto, renaſcentemque mollit lanuginem ſummam. Omnium generum vis in aſtringendo,ob id oculorum vitijs aptiſſima, vlcera putreſcentia cum adipe compeſcit, & hydropicorum eruptiones ſiccat, cõtra lepras etiam ac lendes, ac animalia capillorum, vel aurium vitia, remedia præſtat. Infunditur, & dyſſentericis,ac prodeſt ambuſtis. *Auctor.* Cætera quoque de alumine atque eius operatione, tam in alchymia quàm in medicina, dicta ſunt ſuperius in fine tractatus de aquarum ac corporum aqueorum natura.

Melinum.

Curationes varia.

De atramento, & eius natura.

CAPVT LXXIV.

Etymon.

Confectio.

Infecti carbones.

ISidorus *lib. decimonono.* Attramentum ſic dictum eſt, eo quod ſit atrum. Cuius ſpecies, & picturæ, & quotidiano vſui neceſſariæ. *Dioſcorides.* Atramentum ſcriptorum ex tædarum lignis fit, huic admiſcetur gummi reſinæ, & pictorum fauilla, & atramentum ſutorum, & aptantur aduncta ſtypticis medicaminibus quæ dyſſentericæ putredini conueniunt. Quidam etiam igne aduſtionis illiniendum probant cum aqua in mellis craſſitudinem oleum ſuperinungente. *Plinius vbi ſupra.* Atramentum inter colores ficticios erit. Quamquam & terræ ſit, geminæ ſcilicet originis. Aut enim fit arte humana, aut terra ipſa ſulphurea. Inuenti ſunt pictores, qui è ſepulchris effoderent infectos carbones: fit autem fuligine pluribus modis, reſina vel pice exuſtis, propter quod etiam officinas ædificauerunt, fumum earum non emittentes. Laudatiſſimum eodem modo fit è tædis fuligine, fornacea balnearum fuligine adulteratur, quo ad volumina ſcribenda vtuntur. Sunt qui & vini fæcem ſic-

catam

catam excoquant. Et ſi ex bono vino fuerit fæx, Indici ſpeciem illud atramenti præbere affirmant, Poligonius, & Micon celeberrimi pictura in Athenis, vinaceam fecere ſtigmon vocant. Appelles verò commentatus eſt ex ebore combuſto facere, quod elephantium appellat: apportatur & indicum ex India, inexploratæ adhuc inuentionis mihi. Apud infectores etiam ex flore nigro fit, qui cortinis æreis adhæreſcit, fit & è tædis ligno combuſto, tritiſque carbonibus in mortario. Mira vero & ex hoc natura ſepiarum, ſed ex his non fit picturæ atramentum. Omne autem atramentum ſole perficitur, librariumque ac tectorium glutino admixto, quod autem aceto liquefactum eſt ægre eluitur.

De operatione ipſius in Alchymia.

CAPVT LXXV.

Melius.

EX *libro de aluminibus, & ſalibus.* Atramentum eſt aqua, & tinctura, quam terræ ſiccitas coagulauit. Et eſt in ſui natura calidum, & ſiccum, huius multa ſunt genera quorum melius eſt in Hiſpania. Et ipſum quidem denigrat corpora. Et augmentat rubeum rubedine, Album verò denigrat; Huius regimen vt dicit Ieber, eſt cum Aquilia, id eſt cum ſale hammoniaco. Quoniam atramentum eſt ſubmerſionis longinquæ, ſed ipſum ſubmergit. Et in attramentis inquit ſunt ſulphura ſubtilia, quæ ſublimantur, & colorantur, & forſitan tingunt. Et proprietas quidem eius eſt, quod retinet omne fugitiuum à fuga. *Philoſophus.* Colchatar, & cyrina atramentum quaſi terræ fragmina ſunt. Virtus earum eſt ſubtiliatio, & aduſtio, quæ ſi comburantur, ſubtilitas augetur, & aduſtio fortior efficitur. *Ex libro quarto Meteororum.* Atramenta compoſita ſunt ex ſale, & ſulphure, & lapidibus. Et eſt in eis vis aliquorum corporum liquabilium quoniam ex eis fiunt, vt calchanthum, & abachar, generantur ex maioribus granis atramenti. Et non ſoluitur ſalſedo eius niſi cum eo, quod in illo eſt ſulphureum, & poſtea coagulatur reſiduum. Illudque iam cœpit vim mineralem in aliquibus corporibus. Quod autem cœperit vim ferream, erit rubeum, aut croceum, aut calathar. Quod autem cœperit vim æream erit viride ſicut calchanthum, vnde poſſibile eſt illa duo artificialiter fieri.

De virtute ipſius in medicina.

CAPVT LXXVI.

Temperamẽtum.

AVicenna *in ſecundo canone.* Atramentum eſt diuerſorum colorum, eſtque differentia inter atramenta alba & rubea, & citrina, & viridia. Colchatar eſt citrinum, Calchadis album, Calchanthum viride, & Aſſurie rubeum. Hæc autem omnia ſoluuntur in aqua, & decoctione, præter Aſſurie, quod eſt vehementis ſoliditatis, & congelationis: viride quoque vehementius congelatum eſt, quàm citrinum, & vehementiores habet tunicas. Atramentum non aduſtum fortius eſt, aduſtum vero ſubtilius. Et ſubtiliora quidem eorum ſunt calchadis & viride. Æqualius vero colchatar, Craſſius autẽ Aſſurie, propter hoc in aqua non reſoluitur. Virtus quidem atramenti in quo ſunt ſplendores aurei, propinqua eſt virtuti alcolchatar, & illud alcolchatar melius eſt, quod velociter frangitur, æreum, mundum, non antiquum. Et atramentum vero quod in enchauſto ponitur eſt illud, quod ſaphira. Et eſt durum habens quaſi aureum ſplendorem, & virtuoſum ſicut alcolchatar. Melius, eſt autem Aſſurie, quod affertur de Ægypto, & frangitur à nigredine, & eſt habens venas plurimas, raucidi guſtus, ſtypticum, & eius odoratus ſimiliter. Eſt autem atramentum calidum & ſiccum in tertio. Omnia ſunt aduren-

palpebrarum, & aſperitati earum, aut apoſtematibus inguinis. Eſt tamen in atramento virtus venenoſa deſiccans pulmonem, ita quod fortaſſe interficit. Suffla-

tur autẽ in naribus propter fluxum ſanguinis, & propriè alcolchatar, ex quo etiam fiunt licinia, & ponuntur in fiſtulis, & extirpant ventoſitatem, licinium quoque confert vlceribus auris, & ſaniei eius, & prohibet corroſionem dentium. *Idem in eodem,* Colchatar calidum & ſiccum eſt in tertio gradu. In ipſo ſunt aduſtio vehemens, & curſuum ſanguineorum conſtrictio, & exiccatio, & eſt ſtypticitas plurima. Confert formicæ, *Medicinalia.* & eriſipilæ, quando linitur cum aqua coriandri: puluerizatur autem ſuper fraudulentum vulnus & ambulatiuum, adurit carnem additam. Confert etiam fluxui ſanguinis narium, & apoſtematibus gingiuæ, & ganonis. Et prohibet fluxum matricis; ponitur etiam in alcofol ad abſtergendum, & ſubtiliandum craſſitudinem palpebrarum.

De vitro.

CAPVT LXXVII.

PLinius *lib.* 36. Vitri vero hæc primo dicitur fuiſſe origo. Phœnice Syriæ paludem habet quæ Candebea dicitur, ex qua Belus amnis naſci creditur quinque millium paſſuum ſpacio in mare profluens iuxta Ptolemaidem colomam: lentus hic currit, inſalubris potu, ſed cerimonijs ſacer, vado limoſus profundus: non niſi refuſo mari arenas fatetur, quæ fluctibus volutatæ niteſcunt detritis ſordibus. Nunc & à marino creduntur aſtringi morſu non prius vtiles. Quingentorum non amplius eſt paſſuum littoris ſpacium, Idque tantummodo per multa ſæcula gignendo fuit vitro; fama eſt appulſa naue mercatorum nitri cũ ſparſi per litus epulas pararent, nec eſſet cortinis attollendis lapidum occaſio, Nitri glebas è naui ſubdidiſſe, quibus accenſis arena littoris permixta tranſlucentes noui liquoris riuos fluxiſſe, & hanc vitri originem fuiſſe. Mox vt aſtuta eſt atque ingenioſa ſolertia, non fuit nitrum miſcuiſſe contenta, cæpit addi & lapis magnes, eo quod in ſe quoque vitri liquorem vt ferrum trahere creditur. Similiter cœperunt vri & calculi multifariam ſplendentes, deinde conchiæ & arenæ foſſiles: auctores ſunt in India è cryſtallo fracta fieri. Et ob id nullum Indico compararı. Leuibus autem aridiſque lignis coquitur addito cyprio ac nitro maximè ophirio. Continuis fornacibus liquatur vt æs, fiuntq; maſſæ nigricantes ac pingues; acies quacunque tanta exiſtit, vt citra vllum ſenſum ad oſſa conſecet quicquid corporis afflauerit. Ex maſſis rurſus in officinis funditur, tingiturq; & aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, & aliud argenti modo cælatur, Sidon quondam his officinis nobilis fuit, ſiquidem etiam ſpecula excogitauerat, fit vitrum rubeum, & album, & murrhinum, vt imitetur colores omnium lapidum. Nec eſt materia ſequacior vel picturæ, ſcilicet accommodatior. Maximus tamen eſt honos in candido tranſlucente, quam proxima cryſtalli ſimilitudine: vſus eius ad potandum pepulit metallum argenti & auri. Eſt autem caloris impatiẽs niſi præcedat liquor frigidus, vitria pila cum aqua addita ſole ex aduerſo in tantum incandeſcunt, vt veſtes exurant. Temperata tantum agglutinantur fragmenta, vt rurſus tota non queũt fundi: vitrum ſulphuri concoctum ferrum minatur in lapidem peractiſque omnibus quæ conſtant ingenio, artem natura faciẽte, nec ſuccurrit mirari; nihil penè non igne perfici.

Belus amnis.

Fabuloſum Plinij de vitri origine.

Iterum de vitro & obſiano.

CAPVT LXXVIII.

EX *lib. de vaporibus.* Vitrum aliquando fit etiam ex plũbo ac terra ſubtili, abſque cinere filicis ac fœni: plumbum enim aliquando eſt euaporans, aliquãdo conuiſcans, vnde admixtũ cũ terra ſubtili, terræ partes

illas

illas conuiſcat. Et diſſoluit in parte per actionem caloris, admixtaque puluere cum terra ſubtili, accipit à terra deſiccationem. Et etiam à calore faciente liquefactionem in vtroque vnibilem, vel vniuerſalē admixtionem, propter quod volentes cito decoqui carnem, fruſtum vitri apponunt cum carne in aquam: vitrum enim cum ſiccum ſit, tantum extrahit de humiditate carnis ſua ebullitione, quod caro ſtatim relinquitur decocta. Citius quoque decoquitur talis caro, ſi vitrū apponatur, quod eſt de cinere fœni, ac filicis, quia tale minus abundat in humido: primum enim vitrum habet aliquid humiditatis, quam accepit à plumbo, quod primum in compoſitione fuit. Et eſt differentia inter iſta genera, quod vitrum de cinere fœni ac filicis ſemper eſt diſcoloratum. Quod autem fit ex plumbo, & terra ſubtili, vel ex cinere filicis, habet colorem glaucum: plumbum enim quantum eſt in ſe principium eſt viroris in decoctione. Et quia coniungitur cum limatura cupri, cuius puluis habet albedinem, propter hoc accidit ei glaucedo, quæ media eſt inter albedinem, & virorem. *Plinius vbi ſupra.* In genere vitri & Obſidiana numerātur ad ſimilitudinem lapidis quem Obſidius in Ethiopia inuenit. Eſt autem coloris nigerrimi, & tranſlucidi, aliquando viſu craſſiore, & in Speculis parietum pro imagine vmbras reddente: gemmas ex eo faciunt multi. Vidimuſque & ſolitas imagines diui Auguſti: capti craſſitudinis huius materia' qui etiam pro ipſo miraculo Obſidianos quatuor elephantes in concordiæ templo dicauit: fit & Obſidianum tinctuæ genere ad eſcaria vaſa, totum rubens vitium non tranſlucens Hæmatinon appellatum. *Auctor.* Cætera de vitri origine, & natura, & de operatione ipſius in alchymia, & virtute in medicinis dicta ſunt ſupra in tractatu de natura & effectibus ignis.

Experientia de vitro.

Obſidiana vitra.

Hæmatinon.

De naturali generatione lapidum mineralium.

CAPVT LXXIX.

Lapis naturalis & Herbalis.

Vicenna in lib. Alchymiæ de anima. Lapis naturalis eſt res, quæ efficitur in ventre terræ, ſine opere, per ſeipſum itaque naſcitur, & non creſcit nec minuitur, vt argentum viuum, auripigmētum, ſal Hammoniacum, ſulphur. Hi ſunt lapides naturales, & ſpiritus. Lapis autem herbalis naſcitur, & creſcit, porro acetū & vrinæ, & ſperma medicinæ ſunt lapides noſtri naturales, quorum autem aqua indurat Mercurium, id eſt vitrum, & tingit omnes res ſunt ſpirituales, vt ſanguis. Eſt autem inter ſpiritualem, & naturalem differentia. Quia naturalis ſtatim operatur. Spiritualis non niſi in termino ſtatutò. *Ex lib. 4. Meteororum.* Terra quidem pura lapis non fit: quia cōtinuationem non facit. Vincens enim in ea ſiccitas, non permittit eam coagulari. Fiunt autem lapides duobus modis: conglutinatione & congelatione. In quibuſdam autem lapidibus dominans eſt terra, in aliquibus aqua. Aliquotiēs namque deſiccatur lutum, fitque primum quod medium eſt inter lutum & lapidem, quod deinceps fit lapis: huic tranſmutationi aptius eſt lutum viſcoſum. Quod enim tale non eſt comminutiuum erit. In ripis quoque gyon viſa terra eſt, quæ dicitur in lapidem conuerti in ſpacio 33. annorum. De aqua vero quatuor modis fiunt lapides, vt ſuperius eſt dictum: vnus eſt; quando gelatur aqua guttatim cadens. Alius, quando de aqua currente deſcendit quiddam, quod reſiſtit in ſuperficie fundi ipſius, fitque lapis. Sunt etiam certa loca, ſuper quæ aquæ effuſæ vertuntur in lapides diuerſorum colorum. Sunt etiam aquæ quæ ſeorſum acceptæ non gelantur. Sed ſi prope alueum ſuum fundantur, coagulantur, fiuntque lapides. Scimus ergo quod in terra illa eſt vis mineralis, quæ cōgelat aquas: principia ergo lapidum ſunt, vel ex ſubſtantia lutea vnctuoſa, vel ex ſubſtantia in qua vincit aqua, quæ ex quadam minerali virtute conglutinatur, vel vincit ſiccitas in ea terra, faciens eam coagulari. Eodem modo coagulatur ſal. Salem autem non ſufficit vis terrea permutare. Sed adiuuat ipſam calor coagulans virtute occulta. Et fortaſſe fit virtute terrea frigida, & ſicca. Aqua enim fit terra cum eam vicerint terræ qualitates, & econuerſo.

Duplex modus quo fiunt lapides.

Mira proprietas terra.

Iterum de generatione lapidum, & corporum mineralium.

CAPVT LXXX.

Fiunt ergo lapides ex luto viſcoſo per calorem Solis, vel ex aqua coagulata virtute terrea, ſicca, vel ex cauſa calida deſiccatiua. Similiter & quædam vegetabilia, & quædam animalia vertuntur in lapides virtute quadam minerali lapidificatiua, & hoc fit in loco lapidoſo, dū diſcontinuantur ſubito virtute quadam quæ exit à terra in hora terræmotus, quæ conuertit in lapides, quod in illa hora conſequitur. Et hæc tranſmutatio corporum animalium, & vegetabilium æquè propinqua eſt, ſicut tranſmutatio aquarum. Eſt ergo impoſſibile, vt aliquid complexionatum conuertatur in vnum elementum, ſed elementa mutantur ad inuicem dum tranſeunt in dominās, vnde quod cadit in ſalinas, fit ſal, & quod in ignem fit ignis. Sed quædā citius, quædam tardius ſecundum potentiam actiuarum, & reſiſtentiam paſſiuarum. Eſtque locus in Arabia, qui colorat alia corpora in eo exiſtētia colore ſuo: panis quoque prope Coracem in lapidem conuerſus eſt, remanſerat tamen ei color ſuus. Sunt autem talia mira: quia raro accidunt, ſed eorum cauſæ manifeſtæ ſunt. Sæpe namque fiunt lapides ex igne dum extinguitur, & ſæpe corpora lapidea, & ferrea cadere contingit in coruſcationibus. Quoniam ignis extinctione ſua frigidus, & ſiccus efficitur. In Perſia quoque cadūt corpora ærea, vt æs vſtum, & ſimilia ſagittis comatis vel barbatis. Nec poſſunt liquefieri, ſed per ignē euaporant in fumum, attingentem viriditati donec reſiduum fit cinis. Cecidit etiam apud Nerigen fruſtum ferri præ duritia ferè infrangibile. Cuius pars miſſa eſt Regi Corinthum. Qui cum præcepiſſet, vt enſes inde fierent, erat infabricabile: dicunt autem Arabes, quod enſes, qui optimi ſunt, de tali ferro fiunt. Cum autem cæcidit illa maſſa, reſiliuit aliquotiens à terra ſicut pila. Erat quoque ex minimis fruſticulis compoſita, cohærentibus adinuicem ad granorum milij quantitatem. Simile etiā apud tepreſten euenit, ſic itaque fiunt & lapides. Et earum generatio, vel erit ſubito propter magnum calorem accidentem, vel paulatim per longum tempus. *Ex libro de aluminibus, & ſalibus.* Corpora quoque mineralia generantur ex vaporibus inſpiſſatis, & coagulatis ſecundum naturæ menſuram in ſpatio longo, ſicut dictum eſt ſup.

Virtus lapidificatiua.

Panis in lapidem conuerſus.

Ferrum infabricabile.

De lapide elixir per quem ars imitatur naturam.

CAPVT LXXXI.

Alchymiſta. In corporibus itaque mineralibus, vt ſupra dictum eſt, ad inſtar operationis naturæ, conati ſunt alchymiſtæ facere breui tempore, quod natura facit in annis mille: vnde & docuerunt rem quandam facere, quæ corpora ſuper quibus proijcitur tranſmutat. Hæc vocatur ab eis *elixir, & dicitur lapis non lapis. Lapis, quia teritur. Non lapis, quia funditur.* Et currit abſque euaporatione, ſicut aurum. Nec eſt alia res, cui proprietas illa conueniat. *Auicenna vbi ſupra.* Elixir igitur eſt res quę proijcitur ſuper maius corpus, & mutat rem à natura ſua in aliam. Fit autem quando miſcetur corpus minus, & ſpiritus, & elementa, & fermentum, fitque de omnibus vna confectio, & eſt elixir verbum Græcum quod ſonat magnum theſaurum, vel meliorem de theſauris. Omne quidem quod miſcetur cum alia re miſcet ſe, aut per talem mixtionem, quæ nūquam poteſt diuidi, ſicut tuchia cum cupro, aut per talem quæ poteſt diuidi, ſicut Mercurius

Elixir deſcriptio.

Elixir verbū Græcum.

cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum aliquibus de corporibus: aut per mixtionem de coniunctione, ita quod permanet vnumquodque singulariter. Et elixir quidem quæ ſe, cum corpore miſcet, eſt ſicut Tuchia cum cupro. Sed augmentatur, vel creſcit in ſuo põdere, ſicut creſcit cuprum de illa Tuchia. Cuius ratio eſt: quia Tuchia res terrenalis eſt. Elixir autem res ſpiritualis. Et reuertitur natura ſui generis ad aliud genus.

De duplici factura elixir.

CAPVT LXXXII.

Confectio elixir.

Alchymiſta. Fit autem elixir duobus modis. Vno modo ex ſpiritibus mineralibus, & corporibus mundis præparatis. Alio modo ex quibuſdam rebus prouenientibus ex animatis, ſcilicet ex capillo, vel ouo, vel ſanguine: primo modo ſic. Mortificantur quidam ſpiritus, & ſublimantur, donec mundi fiant, poſt hoc vnum de corporibus à natura generatis comburitur, donec poſſit teri, deinde calcinatur donec in modum calcis mundum efficiatur. Tandem vero Spiritus, & corpora ſic præparata teruntur, & imbibuntur cum aquis acutis diſtillatis: poſtea tamdiu inhumidantur, donec in aquam claram conuertantur, deinde congelantur, ad extremum tamdiu ponuntur in igne, donec fixa efficiantur. *Auicenna vbi ſupra.* Abimazer Alpharabi in libris de principio mundi poſt naturam dicit, petram quam abſconderunt philoſophi, Alij dicunt quod ſit petra herbalis. Alij, quod naturalis, Alij, quod vitalis, ſiue animalis: mihi autem videtur & probaui, quod petra herbalis ſunt capilli. Et petra naturalis oua, petra vero animalis ſanguis humidus. Hæ ſunt petræ de philoſophis extractæ: vnde Bazamur accepit filium ſuum in collo ſuo, & iurauit per Deum cœli, & terræ, lapis eſt de me, & de ipſo. De me dicit propter ſperma, de ipſo propter capillos, & ſanguinem: dicit quoque Ieber, quod petra, quæ non eſt petra, inuenitur in ſimis. Lapis itaque noſter non eſt aliud niſi capillus, oua, ſanguis. Capilli quidem hominis, & non niſi pueri vel virginis. Sanguis etiam hominis, & hoc iuuenis. Oua vero de gallinis non eſt niſi gallo exiſtente cum eis. Diuiditur autem lapis noſter in quatuor elementis, & parum de illo accipitur ac proijcitur, vt faciat argentum vel aurum. Quod fieri non poteſt ſine præparatione, & ſubtiliatione corporis, quia partes eius minimæ non poſſent ingredi, niſi minimis ac ſubtiliatis partibus corporis. Ideoque materia præparatur ac ſubtiliatur, & in quatuor elementa diuiditur, pluſquam de vno quam de alio mittitur iuſtè, prout debet, & in ipſa hora tunc corpori ſe incorporat, quod prius propter craſſitiem multam non poterat.

Petra philoſophica abſcõdita qualis?

De complemento elixir albi, & citrini ſine rubei.

CAPVT LXXXIII.

Auicenna in Epiſtola ad Baſem. Elixir itaque tinctura ſua tingit, & oleo ſuo ſubmergitur, & calce ſua figitur, & album quidem completur tribus in quibus non eſt ignis. Citrinum vero completur quatuor totis. *Gloſſa*: Verum eſt, quòd elixir album non indiget niſi tribus rebus, ſcilicet oleo, tinctura, & calce. Sed rubeum quatuor, ſcilicet oleo, calce, tinctura, & iterum tinctura quæ dicitur ignis. Et ideo ſubdit Auicenna in quibus non eſt ignis, vnde in elixir facto de mineralibus eſt pro tinctura nitrum, pro oleo arſenicum, pro calce argentum calcinatum. Et hoc in albo. Sed in rubeo pro calce aurum, vel æs calcinatur, pro tinctura nitrum, pro oleo ſulphur, id eſt rubedo ſulphuris, quæ rubificat ſpiritus, & calces. Vel ſi ab igne lapides maiores rubricentur, tãtumdem valeret. Ideo citrinum dicitur compleri quatuor totis. Idem accidit in lapide facto de re animata. Qui conſtat ex aqua, oleo, igne, & terra & hoc ad rubeum. Ad album vero non niſi ex aqua oleo, & terra. Credo tamen quod aliter ſit in elixir de re animata. Et quia quod dicit princeps, rubeum quatuor, & album tribus conſtare, locum habet in elixir facto de mineralibus. In elixir vero facto de re animata, credo, quod rubeum tribus completur, & album quatuor, ſcilicet aqua & oleo, & igne, & terra: Neceſſarium quoque eſt aurum factum ſpiritus fixus, vel nitrum factum corpus fixum: quia quamuis illud diuiditur in quatuor elementa, totum tamen eſt oleum, totum tinctura, totum ſubſtantia fixa, vnde indiget aliqua re nobilis mineræ, quæ totum hoc deferat per vniuerſum corpus ſuper quod proijcitur, vel cum quo per aliud miſcetur. Idem in albo, quod conſtat ex tribus. Oportet enim addi ſubſtantiam mineræ, vel nitrum factum corpus fixum, vel argentum factum Spiritus fixus. Magnæ autem eſt induſtriæ, facere de corpore ſpiritum fixum, vel de ſpiritu corpus fixum. Item dicit Auicenna, quod ſeptem res neceſſariæ ſunt in elixir, id eſt in lapide maiori, *nitrum ſcilicet rubeum, fermentum auri, Calx argenti, Terra, aqua, ignis, & aer*: quorum nitrum tinctura eſt, id eſt ponitur in lapide, vt tingat. Calx, & fermentum ponitur pro ſubſtantia fixa, fermentum quidem, quia tam elixir ſuam quàm corpus ſuper quod proijcitur tranſmutat in ſeipſum, ſicut modicũ fermenti totam paſtæ maſſam augmentat, & in ſeipſum tranſmutat, & tamen eſt ſubſtantia fixa. Calx vero, quia totam elixir conuerti facit, & conſolidari cum argento ſupra quod proijcitur elixir. Et hoc propter ſimilitudinem, quam habet calx argenti cum illo argento, porro aqua, & terra, & ignis, & aer, pro oleo ponuntur. Sed hæc quatuor elementa per diſtillationem extrahuntur, de ouo, vel capillo, vel ſanguine. De quolibet enim iſtorum fieri poteſt hæc medicina, quæ pro oleo ponitur in lapide. Vnde dicit Morienus, quod illa res quæ fit lapis eſt in homine, vt homo eſt in minera.

Elixir de re animata.

Septem neceſſaria in elixir.

Qualiter per hunc lapidem fiat metallorum tranſmutatio ſecundum quoſdam.

CAPVT LXXXIV.

An verum aurum fiat ab Alchymiſtis?

Hic itaque lapis, videlicet elixir, vt ſupra dictum eſt, ſi ſupra corpus minerale liquefactum proijcitur, tranſmutat ipſum ſecundum proprietatem. *Ex lib. 4. Meteororum.* Sciant autem artifices alchymiæ ſpecies naturæ permutari nõ poſſe, ſed his ſimilia poſſunt facere, vt albũ tingere citrino colore, vt videatur eſſe aurum: plumbi quoque immundicias abſtergere, vt videatur eſſe argentum: verũtamen ſemper erit plumbum, ſed obtinebunt in eo huiuſmodi qualitates, vt errent in eo homines. Cæterum quod ſpecifica differẽtia aliquo tollatur ingenio, non credo eſſe poſſibile. Sed ibi fit expoliatio accidẽtium vt coloris, ſaporis, & ponderis. Artificialia quoque non ſunt eo modo quo naturalia, nec tam certa, licèt propinqua ſint & ſimilia. Quoniã ars debilior eſt natura. Nec conſequitur eam, licèt multum laboret. Cęterum proportio compoſitionis iſtarum ſubſtãtiarum non erit omnibus eadem. Hæc igitur in aliam permutari non poterit, niſi fortè in primam reducatur materiam. Sic in aliquod quod prius erat permutetur. Hæc autem non ſolum per liquefactionem fit, ſed accidunt ei ex hoc res quædam extraneæ. Alchymiſtæ videtur tamen quod per ſolutionem in aquam primò, deinde per diſtillationem, tandem per congelationem in primum rediganter naturam: fieri tamen non poteſt, vt artificioſè tranſmutata talia ſint qualia ſunt naturalia. Et ab igne examinationis defendant ſe illa. Si enim ita eſſet, neceſſario oporteret, quod elixir rubea, quæ proijcitur ſuper argentum, vt de eo fiat aurum, tale eſſet quod ipſum argentum tranſmutatum defenderet ab omni eo, quod adurit argentum, & non aurum. Sicut ſunt cæmenta, & ſulphur, quæ in examinatione auri ponuntur. Simi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

liter quod elixir,quæ proijcitur ſuper æs, vt albificetur,& tranſmutetur in argentum, defenderet ipſum ab omni eo,quod adurit æs,& non argentum,ſicut & plumbum,quorum vtrumque eſt impoſſibile. Sciendum itaque quod ſi aurum infuſione bulit, & feruet de magiſterio eſt. Si non: nequaquam, ſed ſi poſt fuſionem citrinum eſt, bonum eſt, ſi nigrum prauum. Argentum vero in fuſione ſi minuitur, & facit ſcoriam:naturale eſt. Si autem non artificiale.

Quòd verè fiat eorum tranſmutatio, vel potius diſgregatio per alchymiam.

CAPVT LXXXV.

AVctor. Ex verbis autem prædictis videtur,quod alchymia quodammodo ſit falſa, verumtamen tam ab antiquis philoſophis,quã ab artificibus noſtris noſtri temporis probata eſt vera, vtrumque aurum & argentum ſecundum illam, non quidem fieri tantum, ſed à cæteris materiebus quibus permixta ſunt vel incluſa quodammodo per ignem ſegregari vel excludi. Nam,verbi gratia,quod exterius eſt cuprum,eſt aurũ interius,tanquam, ſcilicet,anima ipſius. Nonnulli etiã illud vltimum capitulum Meteororum, vbi agitur de tranſmutatione metallorum, dicunt non eſſe Ariſtotelis, ſed additum ex verbis cuiuſdã alterius auctoris. *Auicenna in libro alchymiæ de anima.* Quidam ex naturalibus dicunt,quod non eſt alchymia. Sed Ariſtoteles, & Plato per magni Philoſophi cæteriq; plures, dicũt quod eſt,& hoc ipſe viſus oſtendit. Nam vnumquodque ſeptem corporum quæ per malleum elongantur efficitur currens,ſicut argentũ,aurum viuum,& azenzar,quod de iſtis efficitur,eſt coloris ſulphurei,& azẽzar de ferro,rubeum eſt,de cupro croceum:vnde ſcire oportet,quod omne corpus quod ſoluitur,& inde efficitur azenzar,factum eſt de argento viuo, & de ſulphure:denique nitrũ efficitur fluens,eſt enim de terra ex qua poſſet fieri aurum viuum. Et figuli quidem qui vaſa terrea faciunt,quando mittunt in eis ignem, efficiunt vitrea. Dicunt autem iſti Philoſophi, quæ calor ſolis coqueret in ventre terræ per centena annorum: facit ignis in hora breui. Sic ergo & nos ſulphur, & aurum viuum, quod calor Solis coquit per centena annorum, coquimus ad ignem in paruo tempore,& deinde facimus aurum. Contra illos autem qui dicũt: quod non poteſt homo trahere genus de alio genere, dicunt, quod ſi quis ſtercus equi mittat in loco, vbi calor eũ tãgat,inde procedunt beſtiæ quas dicunt adlactas:præterea ſi quis ſpinã alicuius piſcis accipiat,& mittat ſubtus algaceram, ibique per menſem remaneat,inueniet eam vermem qui centipes dicitur: ſicque de non viuente retrahit rem viuentem.

Indicium de libro 4. meteororum.

Reſponſio Auicennæ contra illos dicentes Alchymiam eſſe falſam.

CAPVT LXXVI.

Obiectio.

SVnt & alij qui non concedunt alchymiæ magiſterium,dicentes,quod de re de cuius natura non eſt vt ignem ſuſtineat,non trahi poteſt quæ ſuſtineat ignem. Nec fieri poteſt in re naturali, vt rem coloratam diſcolores, & in alium colorem mutes, in quo permaneat,nec ad primum reuerti poſſit,quia primus color ſemper perſiſtere debet,& ſecundus deleri: & ad naturam ſuam primam reuerti,ſic eſt de ſapore,& pondere. Quibus ad primum reſpondemus per rationem de nitro, quod terra quidem cito deletur ad ignem: Sed quamdiu tangitur ab igne efficitur fortis. Non enim habet ignis vim ſuper nitrum. De tinctura vero dicimus,quod cuprum quando cum tuchia miſcetur inde auricalcum efficitur. Cum capillis autem mixtum efficitur aurum, & nunquam illum colorem amittit quem recipit,quando cum tuchia mixtum eſt. Cæterum omnia ſupra dicta mutantur in nitro. Quia nitrum nõ eſt de colore terræ,neque de ſapore,neque de pondere. Sic & de re dulci efficitur amara, de alba nigra:& ſic de cæteris proprietatibus corporum,denique non putes,quod ego traham metallum de ſuo genere ad aliud genus quod ibi non ſit. Ibi enim eſt per vim, quia verè ſi ibi eſſet in naturam illam mutari non poſſet. Adhuc eſt vna ratio prædictarum rationũ fortitudo. Cur enim plus valent Saphyri quidam, & alij lapides quam alij,& nitrum ſimiliter, niſi quia efficiuntur,in loco valde calido? Locus enim Orientis vbi precioſi lapides inueniuntur,eſt proximus ſoli. Sic & nitrum quanto plus tangitur à ſolis calore, tanto magis valet. Itaque & lapis mineralis, qui magis ſuſtinet ignes alioſque labores, & tardè frangitur, ille plus valet. Sicut aurũ pluſquam argentum, & argentum quam cuprum, & cuprum, quam ſtannum, & ſtannum quam ferrum,& ferrum quam plumbum.

Reſponſio pro Chymia.

De artificibus & materia huius artis.

CAPVT LXXXVII.

HVius artis magiſtri fuerunt. Adam,Noe, Idrid, Squilia, Cora,Moyſes,Cato,Virgilius,Ariſto. Alexan. Geber,Iahie, Razi, Maurienus, Abimazer, Ioannes Euangeliſta,Garſias,& Gilbertus Cardinales, Guilelmus Epiſcopus HucK appellatus Ægidius, Magiſter Hoſpitalis, qui extraxit librum de 125. lapidibus. Androitus etiam Epiſcopus, & Apoſtolicus: Dominicus,& Iacob Aranicus Iudæus, qui me in iſta arte non pauca docuerunt. Petrus quoque & Dunandus Monachi. Dixit autem Iahie hæc eſſe neceſſaria in magiſterio alchymiæ. Sulphur,auripigmentum viuum, Sal Hammoniacum, ſal Gemma, ſal Commune, ſal Alchali, nitrum, vitreolum, alumen, acetum, vrinam,capillos,oua,ſanguinem,ſperma,ſtercus equi & illa ſex quæ cum malleo elongantur.

Neceſſaria chymicis.

De clauibus & inſtrumentis.

CAPVT LXXXVIII.

EX doctrina Alchymiæ. Claues practicæ huius artis ſunt: *Mortificatio, ſublimatio, diſtillatio, ſolutio, congelatio, præter hæc etiam fixio, calculatio, rubificatio.* Spiritus quidem figuntur propter vehementiam commixtionis cum calce. Ideo autem mortificatur ſpiritus, vt pereat in eis virtus adurens,ne ſcilicet adurẽt corpora, & etiam præparentur ad ſublimandum. Ideo autẽ ſpiritus ſublimantur, vt purificentur, & non denigrent corpora. Soluuntur vero in aquam claram vt poſſint figi,& cõmiſceri,Et vt ex pluribus vna res fiat. Congelãtur quoque propter eandem cauſam, Et vt alia procedat operatio ex hac compoſita medicina quàm ex ſuis ſimplicibus fieret, Talis eſt operatio ſpirituum. Corpora quoque aduruntur,calcinantur,teruntur,rubificantur,ſoluuntur,& congelantur,Sed aduri dicuntur impropriè,quia adurũtur ſine denigratione,& cõbuſtione,poſtea vero calcinantur,ſicut inferius demõſtrabitur. Teruntur quoque terendo ea ſubtiliſſime in marmore porphyritico,vt apta ſint ad ſoluendũ. Rubificantur autem,vt quando faciendum eſt aurum, & tinctura debet recipere rubedinem ab igne,aliter non valet:ſicut eſt flos ferri, atramentum, rubedo ſulphuris, oleum ouorum; poſtea ſoluuntur in aquam claram, tandem congelantur. Itaque ad prædicta omnia exercenda,ſcire oportet facere diuerſa genera vaſorũ, furnellorum,ignium,ac lucorum & huiuſmodi. Nam verbi gratia,ſolutionis corporum & ſpirituum inſtrumenta ſunt multa. Quorum vnum dicitur venter equi, de quo ſupra dictum eſt. Et fit in duobus vaſis, quorum in vno eſt aqua, in alio furnus equi. Vbi eſt Phiala cum medicina, ſtatque in furnello, & deſuper comburitur leuis ignis, vt aqua tantum euaporet, & non ebulliant. Ibique eſt canalis,per quem additur aqua quæ minuitur. Solutiua quoque corporum multa ſunt,vt aqua limonum,vel pomorum citrinorum,quę

Claues Chymicæ.

Inſtrumenta ſolutionis corporum.

dicuntur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dicuntur melangoli, vel arangij, diſtillata per filtrum, quæ ſcilicet poma in Archiepiſcopatu Ianuenſi ſunt vena etiam vaccæ diſtillata per alembicum ſimile, aqua quoque hammoniaci, ſed & alumen ſparſum in aqua per bullitionem diſſolutum, & per alembicum diſtillatum ſoluit. Et dicitur quòd eius virtus ſuperius rapitur.

De igne multiplici ad operandum.

CAP. *LXXXIX.*

Diuerſitates ignium.

ESt autem ignis multiplex & eius qualitas diuerſa, per quoſdam gradus diſtincta. Quidam enim in primo gradu eſt calidus ignis, & humidus in ſecundo, ſcilicet ignis ventris equi. De quo ſupra dictum eſt. Cuius proprietas eſt, quòd non deſtruit oleum. Sed augmentum propter ſuam humiditatem præſtat. Nam alij deſtruunt propter ſiccitatem. Huic ergo nõ aſſimilatur alius in mundo, niſi naturalis ignis corporis hominis ſani. Ignis quidem ſolis calidus eſt, in eodem gradu, ſed ſiccus eſt. Hic autem eſt qui domat rem, & de animata fit, ac nutritur re : ſicut puer cui datur in principio lac. Nam puer ex calido, & humido augmentatur Sic & ignis equi augmentat oleum ſua humiditate, figit autem lapidem, non lapidem ſuo calore temperando. Eſt inter hos duos, & alius, qui eſt calidus & ſiccus in ſecũdo gradu, vt ignis furni poſt panis extractionem; hic fundit leniter, & non comburit, quia non eſt in eo flamma, nec fortitudo caloris. Calor enim paulatim declinando recedit. Sed ſi ſtaret, ſpiritum figeret in corpore vel extra corpus. Ignis autem equi nec fundit, nec comburit, ſed domat, & humidum augmentat. Eſt etiam quartus furni fixionis, hic fundit & figit, non autem comburit, quia flammalis non eſt, nec differt à præcedenti, niſi quia in hoc eſt calor conrinuus, in illo non. Quintus dicitur flammalis, & eſt calidus & ſiccus in tertio gradu, hic calcinat tantum, & non fundit, ſcilicet ad comparationem auri & argenti, & aliorum corporum in eodem gradu vel vltra. Et eſt hic ignis in furno calcinationis. Sextus eſt calidus & ſiccus in quarto gradu, & hic fundit, & figit fortiter, mollificando corpora ſuauiter, nec diſſipat ea vel diſpergit. Hic eſt ignis furni fuſionis, in eodem gradu eſt & ignis follium, qui corpora diſſipat, & diſpergit, & fundit, & hic eſt ſeptimus. Octauus eſt qui fundit & calcinat, & eſt flammalis, quia in eo ſola flamma operatur. Subſtantia ignis carbones & flamma. Sed in iſta ſola flamma lignorum; hic etiam eſt in eodem gradu cum præcedentibus, In eodem quoque gradu eſt nouus, ſcilicet qui omnibus eſt magiſter, vt ignis officiationis, ideſt, examinationis. Hic fundit & comburit, & diſſipat, & diſpergit malum, ſaluat & rectificat bonum, & eſt quaſi iudex diſcernens iuſtum ab iniuſto.

De calcinatione corporum mineralium.

CAP. XC.

Regimen quadruplex.

EX *lib. de aluminibus & ſalibus*. Prædictorum itaque corporum regimen quadruplex eſt, ſcilicet *calcinatio cum ſale, ceratio, ſolutio, deinde coagulatio.* Calcinatio combuſtio cum igne vehementi & ſale, vt deleantur ab eis ſulphura corrumpentia, & remaneant munda, ſicut calx. Aurum quidem & argentum non eſt neceſſe calcinare niſi propter quietem partium eorum, & præparationem, ſcilicet, vt exiccata eorum humiditate, ſint humiditatis alienæ ſuſceptibiliora, & ad fundendum velociora. Plumbum autem, & ęs & ferrum neceſſe eſt calcinare, propter cauſam pręcedentem, ſcilicet vt deleantur earum ſulphura, corrumpatur & deleatur earum vnctuoſitas comburens. *Alchymiſta.* Ex his patet quod prędicta diffinitio calcinationis non cadit ſuper corpora munda, quæ ſunt aurum & argentum, cætera namque calcinantur, vt pereat ab eis ſulphureitas aduſtionis, quæ corpora denigrat, hæc autem vt præparentur ad ſuſcipiendum humiditatem alienam, vt ponantur in elixir, & bene commiſceantur cum alijs rebus. Quorum vnum erit calx, ſcilicet argentum. Alterum vero fermentum, ſcilicet aurum: vt infra dicetur. Niſi aurem fieret puluis, ſiccus non ſuſciperet humidum, quia ſiccum ſitit humidum, & ab eo penetratur. Ignis autem vehemens hic propriè dicitur, qui ad modum vehiculi, id eſt quadrigæ curſum ſuum æqualiter continuat, quod facere non poteſt ignis flammę. Sed talis eſt ignis furni calefacti, & clauſi poſt carbonum extractionem. Eſt enim ibi calor continuus ſine combuſtione. Talis etiam eſt ignis furni, in quo poſiti ſunt carbones, qui fumum non faciunt. Ignis quoque carbonum accenſorum combuſtorum, vel lignorum combuſtorum accenſorum, vel cineris calidiſſimi. Talis igitur eſt ignis qui corpora calcinat, & fundit. Cuius proprietas eſt, quòd comburit partem minus potentem, ſcilicet ſulphureitatem, partem vero potentem dimittit, donec ipſum corpus erigit, & mundat à nigredine. Sal quoque quod miſcetur cum limatura corporis in igne, defendit ipſum ne fundatur vel comburatur. Et ſi eſt corpus immundum, reddit ipſum mundum à ſulphureitate, & nigredine: quia deſiccat, & corrodit, & deglurit ſulphureitatem: propter eius mundıtiam, & ſiccitatem. Si vero mundum reddit illud mundius, & augmentat rubedinem in rubeo, albedinem in albo: quia ſemper corrodit, & mundat ipſum à particula illa ſulphureæ nigredinis, quæ remanſit: quando generatum eſt à natura. Cum autem inter ea diſgregandum eſt: lauatur ipſum corpus aqua: tunc enim ſal in aqua diſſoluitur, & corpus reſidet. Nam omne ſal in aqua diſſoluitur, & ſeparatur à corporibus, & ſpiritibus per lotionem in aqua calida, quæ tamdiu fieri debet, donec ſalſedo de aqua cedat, ſicque completur opus.

Ignis vehemens quid?

Diſſolutio ſalis in aqua.

De quadruplici corporum, & ſpirituum præparatione.

CAP. *XCI.*

DIcit autem princeps aboali (ſcilicet Auicenna) quòd oportet corpora aduri: donec in puluerem poſſint redigi, deinde cum ſale calcinari præparato, & poſtea lauari, & ea calcinare nihil aliud eſt, quàm extrahere humiditatem corrumpentem, & intromittere humiditatem igneam rectificantem, per quam eſt vita eorum & eſſentia poſtmodum ſtans in igne examinationis. Calcinantur autem pari modo aurum, & argentum, ſcilicet cum ſale præparato, poſito ad duplum ſui, & cum furnello flante, &c. *Raſi vbi ſupra.* Ceratio eſt ſublimatio partium ipſius cerati, vt minoretur ac ſubtilietur, incraſſetur, & profundetur humiditas in corpore. Quod non fit niſi eum attractione, & inhibitione donec ſubtilietur, ſicut cera quæ liqueſcit ſupra ignem cum minore caliditate, poſt cerationem autem artificioſè fit ſolutio: deinde coagulatio. *Alchymiſta.* Itaque præparatio corporum mineralium eſt quadruplex, ſcilicet calcinatio, ceratio, ſolutio, congelatio: princeps quidem dicit in epiſtola ad Arſem, quòd oportet ea primum aduri, deinde calcinari. Sed dicuntur impropriè aduri, quoniam aduruntur ſine denigratione, & combuſtione. Corpora munda ideſt aurum, & argentum ideo calcinantur, vt perueniat humiditas ad profunda ipſorum, & vt poſſibile ſit ea cerare, & ſoluere in aquam. Immũda vero, vt pereat ab eis vnctuoſitas adurens, Et nigredo quæ in eis ex ſulphureitate conſiſtit. Cerantur autem dum in marmore purphyritico teruntur, donec fiat puluis ſubtilis, vt apta ſint ad ſoluendum, poſtea ſoluuntur in aquam clatam, vt poſſint commiſceri cum aqua ſpirituũ, & ex pluribus rebus fiat vna quaſi res iterum nata, & hoc eſt forraſſe,

Calcinare quid?

Ceratio.

quod dicitur in fine Meteororum, niſi forte in primã reducatur naturam. Tandem verò congelatur, quando quod ſolutum eſt in aquam conuertitur in lapideã ſubſtantiam, vt eo Alchymiſta conſequi poſſet intentionem. Spiritus quoque quatuor modis præparentur, qui ſcilicet Spiritus ſunt, Mortificatio, ſublimatio, ſolutio, congelatio. Mortificantur quidem multipliciter, & ob multas cauſas. Nam argentum viuum vt aptum ſit ad ſublimandum, quia niſi curſus ipſius auferatur, non poteſt ſublimari. Sulphur autem & auripigmentum vt in eis pereat virtus adurens corpora. Hanc enim ab eis aufert mortificatio: Sal autem Hammoniacum non indiget hac præparatione: poſtea vero ſublimantur ſpiritus, vt purificentur, & non denigrent corpora: fit autem ſublimatio quando ſpiritus ex ignis calefactionibus reſoluuntur in vaporẽ, & fumum. Deinde retinetur ille vapor in Cadmiæ vaſis. Et inſpiſſatur ibidem, ita quod poteſt recolligi: ſoluuntur tandem & congelantur ſpiritus, ſicut iam dictum eſt de corporibus.

Spiritus quinam?

Qualiter corpora dura liquefacta recipiunt tincturam.

CAP. XCII.

Cauſa in quibus tinctura non conſequitur effectum.

Avicenna, vbi ſupra. Permixtio quidem tincturæ cum corporibus duris lapideiſque fieri non poteſt antequam leniantur, ideſt mitigantur, & currant, nec eorum lenificatio, & curſus antequam liquefiant. Cum autem liquefacta fuerint, non omnis tinctura rubea, vel alba effectum conſequitur optatum, ideſt metalli tranſmutationem. Tinctura namque nõ proficit, ſiue quia non aduritur, ſiue quia non figitur: ſed euolat, & fugit: ſiue quia non ingreditur, & permiſcetur, ſiue quia non defendat argentum ne aduratur, ab his quæ non adurunt aurum ſed adurunt argentum, ſicut ſulphur, & reliqua quibus aurum purificatur ab argento. Nec defendat æs ne aduratur ab his quæ nõ adurunt argentum, ſed ęs, ſicut plumbum, &c. Inquirenda eſt tinctura, quæ corporibus liquefactis permiſceatur, & non aduratur cum rebus acutis adurentibus ſed obuiet, & non purgetur. Nec permittat adurentia partes corporum ſeparare, habeatque ſubſtantiam conſolidatiuam, & coagulatiuam, & fixã ſuper ignem. Ingenium quoque permiſcendi iſta ad inuicem, ita vt fiant vniendo ſubſtantia vna, in quam ignis non imprimat, ideſt non eum euaporare faciat, tingatque cum eo quod eſt in eadem tinctura, & permiſceatur cum eo quod eſt ibi de ſubſtantia conſolidatiua, & figatur ſemper cum eo quod eſt ibi de ſubſtantia fixa. *Alchymiſta.* In ſpiritu quidem multum eſt de tinctura, etiam antequam figatur nec per eius fixionem augmentatur. Quod econuerſo eſt in corpore. Nam aurum non figitur niſi primo augmentetur tinctura. Sed in qua quantitate augmẽtatur in ea tingit. Similiter & reliqua corpora quæ munda ſunt, quia de quolibet elixir fieri poteſt. Sed qualiter in eis augmentatur tinctura ſecretum eſt.

Quod qualitas olei ſit ibi cauſa permixtionis.

CAP. XCIII.

SVbſtantiæ autem permixtibilis eſt omne quod habet oleum in ſe, vt eſt aurum & argentum & cætera, & etiam ſpiritus ſublimatus, & impinguatus. Et illæ ſolæ res permiſcentur, quæ ſunt eiuſdem naturæ & ponderis. Nam corpora metalli & nitri non permiſcentur, quia diuerſa ſunt. Similiter nec lapis, & metallum quorum vnum ſiccum eſt, & aliud humidum: fit autem permixtio inter corpora quæ ad inuicẽ proportionantur in humiditate & ponderoſitate. Hoc ſemper verum eſt, niſi quando humidum cum ficco, & calidum cum frigido miſcetur in compoſitione elixir. Sed in compoſitione inter elixir & corpus, ſupra quod proijcitur, debet eſſe ſimilitudo, quia aliàs non coniungerentur, nulla quoque elixir ſiue de corpore, ſiue de ſpiritu fieret. Nec conſolidatur cum corpore ſupra quod proijcitur, niſi ſit ei admixtum illud quod conſolidat corpora ad inuicem, hoc eſt oleum inaduſtibile ſiue ſit de planta, ſiue de animali. Fixa vero dicitur ſubſtantia quæ ab igne in ipſam agente non corrumpitur nec euaporatur: hæc omnia ſi habuerit tinctura, bona erit ac perhennis, & à corpore inſeparabilis. *Auicenna vbi ſupra.* Cum autem inquiremus aliquid, quod ſi proijceretur ſuper liquefactum, ahæreret ei & commiſceretur ac ſubmergeretur in eo, nec ipſum corrumperet, non inuenimus niſi de mineralibus ſulphur, & de commixtis arſenicum: ipſum tamẽ fugiunt ſine mora, niſi quod breuiſſimo tempore incipiunt procedere ad conuerſionem cum eo. Inuenimus autem ingenium per quod illa rectificentur, ita vt eis remaneat adhærentia, & deſtruatur aduſtio. Cauſa ſiquidem adherentiæ liquefactio eſt, deinde ſimilitudo minereitatis, & vicinitatis quam habet cum eo. Eſt igitur ſubiectum liquefactionis humiditas currens, permixta partibus ſiccis terreis, In quibus moratur cum reſoluit eas ignis. Nec moueri poteſt propter vehementiam commixtionis. Cauſa autem euaporationis eſt humiditas in eo non vehementer commixto, Ex hoc enim eleuatur, & egreditur. Cauſa vero aduſtionis, eſt communitas cum igne. Itaque auferatur aduſtio de oleo, antequam miſceatur cum corpore. Et vt ſit adhærentia, vehemens commixtio fiat humidi cum ſicco. Alioquin humidum euaporabit, & ſiccum remanebit cum currente. Sed ſi bene immiſceatur oleum facit currere ſiccum, & ab eo non euaporat, vt dictum eſt.

Subſtantia fixa quæ?

Cauſa adherentiæ.

Euaporationis. Aduſtionis.

De operatione boracis & commixtione argenti & æris.

CAP. XCIIII.

EX *lib. de vaporibus.* Cum autem borax conſolidat argentum cum argento vel ſtannum cum ſtanno, impoſſibile eſt hoc eſſe niſi communicet eis in radice: propter hoc artifices alchymiæ vtuntur borace in metalli ſui multiplicatione. Aliud enim eſt occultum & aliud manifeſtum in ære: quando volunt ęs in argentum tranſſubſtantiare, non laborant in hoc, vt tranſſubſtantietur ſubſtantia æris, ſed ſolummodo vt auferant ab eo colorem, qui ſubſtantiam argenti celabat. Cum autem humidum ductibile ſit in omnem partem, ſecundum Ariſto. humidum erit male terminabile proprio termino, bene autem alieno. Itaque nervus tractabilis eſt in longum, vt corrigia, & hoc eſt ab humiditate, quæ eſt in eo in omnem partem ductilis, humiditate dico admixta terreſtriati ſubtili, quę facit viſcoſitatem habilem ad diffuſionem, ſicut videmus in molli. Hinc eſt quod fabricatores argenti volentes illud fabricare in longum apponunt ei cuprum, vt in permixtione cupri ſicci cum argento humido generetur viſcoſum, quod ſit principium diffuſionis argenti in longum aut latum. Argentum quippe eſt ſubſtantia humida multum & congelata, vnde & ſi per ſe in fabricatione fabricaretur acciperet fiſſuram, ſicut videmus in glacie, cum enim percutitur glacies frangitur, & nec in longum nec in latum diffunditur. Siquidem in omni congelato accidit fiſſura in percuſſione. Cumque extrahitur argentum, apparet rubor particularis, qui eſt ex paruo cupro. Quod ſi magnum eſſet cuprum appareret nigredo coloris, celans ſubſtantiam argenti. Et attende quòd ſicut humiditas remollit, ſic & ſiccitas corrugat, vnde cum cuprum ſimul calidum & ſiccum ſit magis quam aqueum, iudicant artifices metallorum, quod cum argentum ſit decoctum, habet corrugationem, & ita non relinquitur in decoctione purum. Et hoc patet. Cum enim argenti ſuperficies eſt plana, & in medio

Nervus tractabilis in argento.

Fit per cuprum.

fiſſura,

Signum non puri argenti

fiſſura, dico illam fiſſuram in fundo exiſtentem eſſe tantum in ſiccitate cupri, cum ſcabroſitate ipſius cupri, à qua non eſt depuratum argentum, vnde tunc eſt ibi ſignum, quod argentum non eſt purum. Aliquando autem argentum viuum frangibilitatem ex ſiccitate prouenientem aufert, vt patet in ſtagno, ſicut iam ſuperius dictum eſt. Videmus autem in argenti depuratione, plumbum mixtum exhalare ex caloris motione, ad quod depurandum apponitur. Nō quia depuret ipſum: ſed quia tanquam conſumendo calor ei adhæret, qui aliàs ſubſtantiam argenti conſumeret. Et iterum argentum per calorem depuratur, qui facit tranſire cuprum in vna parte, & argentum in alia per ſuam caliditatem, vnde enim dicit Ariſtoteles calidum diſgregatiuum eſt heterogeneorum.

De operationibus alchymiæ in corporibus cæteris.

CAP. XCV.

Alchymiſta. Exceptis autem operationibus circa nobilia corpora terreſtria vt ſunt aurū & argentum, & ſimilia, Eſt etiam in alchymia ſubtilitas ſublimis, vt vtilitas non parua, quantum ad tranſmutationem & diſgregationes, permutationeſque rerum quæ iugiter in mundo fiunt ad varios vſus hominum, partim à natura, partim induſtria humana, vt eſt opus minij, vermilionis, nitri & aurichalci, vnde & dicta eſt occulta Philoſophia, quia rationum vel cauſarum inueſtigatio quibus hæc fiunt, difficilis eſt & occulta. *Occulta philoſophia.* Tale eſt etiam diſgregare res quatuor de qualibet planta per diſtillationem. Ita quod in vnaquaque remaneat elementi vnius dominiū Et hoc eſt extrahere primo aquam, deinde oleum, tertio ignem, qui eſt liquor huiuſmodi rubeus. Quarto loco remanet terra, tanquam fæx. Et per hoc ſciri poteſt, quod elementū magis dominatur in illa planta, de qua hic agitur. De ſicca tamen planta non extrahitur aqua, quia iam euaporauit humiditas aquæ, quæ ſcilicet citius euapotat, quàm humiditas oleagina. Illa enim eſt quæ diutius remanens defendit plantas à putrefactione: Idem etiam fieri poteſt de quibuſdam rebus, quæ procedūt ex animalibus, vt de oſſe, capillo, ouo, & huiuſmodi. Vnde docet Auicenna in capitulo de complexionibus membrorum diſtillare oſſa & capillos, ad ſciendū in quo eorum plus ſit humiditatis. Sic etiam eſt extrahere ſalem de omnibus generibus cinerum, plantarum, & animalium oſſium, & de calcibus lapidum. In hoc autem differunt hi ſales inter ſe, quod in ſale calcium non eſt oleum, quia caret vtraque humiditate cum nec vegetatur, nec nutritur ſicut planta & animal. Animal enim ſecūdum frigidum & humidum viuit; Sicque vita & nutrimentum, prouenit in planta & animali, vt dicit Ioannes Damaſcenus. *In ſale eſt oleum.* In ſale verò de cineribus plantarum, & oſſium eſt oleum, quod ignis non poteſt diſgregare, eſt enim inaduſtibile. Sed oleum quod extrahitur per diſtillationem non eſt aduſtibile. Nam omne quod egreditur per diſtillationem fugit ignem, & habet naturam ſpirituum, vt ſupra dictum eſt. In qualibet etiam re minerali, ſiue de planta, ſiue de terra, ſiue de animali eſt oleum, ſine quo non poſſit fundi & currere.

De opere vermilionis, & cinabrij, & aurichalci.

CAP. XCVI.

SVnt & aliæ multæ, vt dictum eſt, Artificum operationes, propter rerum tranſmutationes ad alchymiam pertinentes, verbi gratia. Opus vermilionis per ſolum ignem & de ſola ceruſſa, quæ cum ſit albiſſima ponitur in igne vehementi & fit rubea, eo quòd eius occultum eſt rubeum, licèt manifeſtum ſit album. Nam in lib. de 70. dicitur, quòd omnis res habet contrarium in occulto eius, quod apparet in manifeſto, & econuerſo. Ignis itaque quod manifeſtum eſt, ponit in occulto, & quod occultum in manifeſto. Ciuabrij vero tranſmutatio accidit ex proprietate compoſitionis; fit enim ex argento & ſulphure albo vel citrino, quæ rubedinem quidem, quæ in eis non eſt in coniunctione, acquirunt ex violentia ſulphuris illita argento viuo mediante igne, & ingenio artificis. Nam ſicut ex compoſitione diuerſarum rerum prouenit in compoſitione vtriuſque quod in ſimplicibus non eſt, vt in theriaca, Sic & color, vt in cinabrio. Aes autem tranſmutatur in aurichalcum, quod fit mediante Tuchia, vt ſupra dictum eſt. Itaque arſenicum, & tuchia proprietatem habent imprimendi ſe in ære, Sed non eſt par vtriuſque effectus. Nam arſenici ad citrinum, fumus eſt albiſſimus, & albificat pluſquam in eo ſit de tinctura excedens omnem albedinem in albificando. Ideoque totam æris albedinem ad ſe trahit, & ipſum in album conuertit, vt dicit Conſtantinus in lib. graduum, vbi agit de arſenico, ideſt auripigmento. Fumus autem tuchiæ non tantum habet de albedine, ſed multo minus, & ideo non aufert æris rubedinem, ſed reprimit vt dictum eſt.

Omnis res habet contrarium.

Arſenicum & Tuchia imprimunt ſolare.

De coloribus natiuis & fictitijs.

CAP. XCVII.

Iſidorus lib. 19. Colores autem quidam ex terra vel in terra naſcuntur, vt ſinopis, rubrica, Melinum, auripigmentum, & cætera huiuſmodi. Quidam vero finguntur, aut arte, aut permixtione. *Plinius lib. 35.* Sunt autem colores floridi, vel auſteri, & vtrumque natura, vel permixtura euenit. Floridi ſunt quos ars fingendi præſtat, vt Minium Armenum, cynabaris, Chriſocolla, Indicum, purpuriſſum. Cæteri vero auſteri ſunt. Ex omnibus autem alij naſcuntur, & alij fiunt. Naſcuntur ſinopis, & rubrica, & parethonium melinum, æretria & auripigmentum. Cæteri vero finguntur, vt Ochra, Ceruſſa vſta, ſandaracha, ſandix, Syricum, atramentum. Sunt etiam noui duo colores atque viliſſimi, Viride: quod & Apianum vocatur: Et quod Chryſocollam luteam mentitur. Fit ex viridi crera: æſtimata ſeſtertijs in libras. Annulare, quod candidum vocatur, eſt quo muliebres picturæ illuminantur, fit & ipſum ex creta admixtis vitreis gemmis, & vulgi annulis, vnde & annulare dictū. Ex omnibus coloribus cretulam amare, Vdoque illini recuſant, purpuriſſum, indicum, cæruleum, melinum, auripigmentum, apianum. Ceruſſa cærę tingentur eiſdem coloribus ad eas picturas, quæ vtuntur alieno parietibus genere, ſed claſſibus familiari, & onerarijs nauibus. Totque colorum tanta varietate ſubit, Antiquitatem mirari, pingebant enim antiqui & pericula, & rogos. Iuuabatque pugnaturos ad mortem, vel cædem ſpecioſè vehi. Nero Princeps iuſſerat coloſſeum pingi 120. pedum in lintheo ad hoc tempus incognitum. Eaque pictura vbi peracta fuit in Marianis hortis, accenſa fulmine cum optima parte hortorum conflagrauit.

Floridi.

Colores amantes cretulam.

De Sinopide & rubrica.

CAP. XCVIII.

Iſido. Sinopis inuenta primum in Ponte fuit, indeque nomen ab vrbe Sinope accepit. Species eius ſunt tres, ſcilicet rubra minuſque rubens, & inter has media. *Plinius vbi ſupra.* Sinopis à ſinope nominatur vrbe, naſcitur in Ægypto, Balearibus, Aphrica. Sed optima in Lemno, & Cappadocia, Effoſſa, & in ſpeluncis excellit quæ ſaxis adhæſit. Glebis color extra maculoſus eſt, hac vſi ſunt ad ſplendorem veteres. Excepto vſu eius in pictura, in medicina quoque

Medicinalia ſinopidis.

blandis eſt emplaſtris & malagmatis ſiue ſicca compoſitione eius ſiue liquida. Facilis eſt contra vlcera in humore velut in oris ſedis ſita, fœminarum profluuia ſiſtit denarij pondere poto. Aluum ſiſtit infuſa. Eadem adusta ſcabricias oculorum ſiccat, cum vino maximè.

Etymon rubrica.

Iſidorus. Rubrica vero ſic dicta eſt, eo quòd ſit rubeo & ſanguineo proxima. Hæc in locis plurimis gignitur: ſed optima in Ponto, vnde & Pontica dicitur. Plinius vbi ſupra. Rubricæ genus in ea voluerunt quidam intelligi auctoritatis ſecundæ. Palmam enim dabant Lemniæ, hæc eſt Minio proxima, multum antiquitus celebrata, cum Inſula in qua naſcitur. Nec niſi ſignata vendebatur; hæc itaque Minium ſublimiunt & adulterant: ponitur in medicina, & res habetur præclara. Epiphoras enim oculorum mitigat & dolores circumlita. Egylopias manare prohibet. Sanguinem quoque reijcientibus ex aceto datur bibenda. Bibitur & contra lyenum ac renum vitia, & purgationes fœminarum. Itemque contra venena & ictus ſerpentium marinorum ac terreſtrium. Ideoque familiaris eſt omnibus antidotis. Ex cæteris rubricę generibus Ægyptia, & Aphricana ſunt fabris vtiliſſimæ, quoniam ſorbentur maximè, picturis autem apta naſcitur in metallis ferrarijs. Ex ea, it Ochra ſcilicet exuſta rubrica in ollis nouis luto circumlitis. Quæ quo magis in caminis arſerit, eo melior exiſtit. Omnis autem rubrica ſiccat. Ideoque & emplaſtris conuenit, etiam igni ſacro.

Medicinalia minij.

Vtiliſſima rubrica.

De parethomo ac melino ac feretria.

Cap. XCIX.

Locus.

PArethomon habet nomen loci ab Aegypto, ſpumamque maris eſſe dicunt ſolidatam cum limo. Et ideo conchæ minutæ inueniuntur in eo, ſit & Cyrenis, & in Creta inſula. Adulterarut Romæ autem Creta Cimolia decocta conſpiſſataque. *Iſidorus.* Melinum dictum eſt, eo quòd eius metalli ferax ſit vna de Cicladibus Inſula Melos nomine. Eſt enim candidum nec vtuntur eo pictores propter nimiam pinguedinem. *Plinius vbi ſupra.* Melinum candidum eſt, candidis coloribus pinguiſſimum & propter liuorem tenuiſſimum, & ipſum in Melo Inſula optimum. In Samo quoque naſcitur, & eo pictores propter nimiã pinguedinem non vtuntur. Hoc autem effodere ſolẽt accubantes intra ſaxa venas ſcrutantes, porro in medicina eundem vſum habet, quem eretria creta: præterea linguam tactu ſiccat, pilos detrahit, & mitigat, pretium in libra ſeſtertijs ſingulis. Æretria ſuæ terræ nomen habet, & hac Nicomachus, & Parthaſius vſu refrigerat, & mollit, & explet vulnera ſi coquatur ad ſiccandum, vtilis capitis quoque doloribus præcipua eretria terra & ad deprehendenda pura.

Melinum vndet

Eretria.

De Syrico, & Indico ac ceruſſa.

Cap. C.

Etymon syrici.

ISidorus *vbi ſupra.* Syricum eſt rubei coloris pigmẽtum, ex quo ſcribuntur & capita librorum. Ipſum eſt & Phæniceum, ſic appellatum, eo quod in Syria colligatur in littoribus rubri maris, vbi Phænices inhabitant. Eſt autem inter colores facticios, quia ſæpe fit aut ſinopide aut ſandyce mixtis. Indicus color in Indicis calamis inuenitur ſpuma limo adhærente. Eſt autem coloris Cyanei mixturam purpuræ ceruleique mirabilem reddens. Eſt alterum genus in purpurarijs officinis, ſpuma videlicet in æreis cornitis innatans, quam infectores detrahentes, ſiccant.

Indicum.

Plinius vbi ſupra. Indico eſt auctoritas maxima, quod venit ex India, vnum genus eſt arundineum adhęreſcente ſpuma limo, cum teritur nigrum, quod in diluendo mixturam purpuræ ceruleique mirabilem reddit. Alterum eſt in purpurarijs officinis innatans cortinis. Et eſt purpuræ, quę adulteratur ſpuma. Indicum ſtercore columbino tingunt, aut Creram Selinuſiam aut Anullariam vltro inficiunt, probatur autem carbone, reddit enim quod ſincerum eſt flammа excellentis purpuræ. Et dum fumat, odorem matis olet. Ob id quidam id colligi è ſcopulis putant. In medicina quoque indicum rigores, & impetus ſedat, oris vlcera ſiccat. Ceruſſæ color eſt candidus, cuius rationem in plumbi metallis diximus: fuit & in terra per ſe in Theodoti fundo inuenta Smyrnę, qua veteres ad nauium picturas vtebantur. Nunc autem omnis ex plumbo fit, & aceto, vſta caſu reperta in incendio pyræ, & ceruſſæ cremata. Oprima vero Aſiatica nunc habetur, quæ & purpurea nuncupatur: fit & Romæ cremato ſilice marmoroſo ac perfuſo aceto. *Auctor.* De hac plenius actum eſt ſuperius, vbi de plumbi metallo diximus.

Ceruſſa.

De Minio, & Ochra.

Cap. CI.

Fluuius Minius in Hiſpania diuidit Halaciã & Luſitaniam.

MInium primi Græci traduntur inueniſſe in Epheſiorum ſolo, cuius pigmenti copia cæteris regionibus plus abundat Hiſpania, Vnde nomen etiam dedit flumini proprio. Huius diſtillatio argentum liquidum gignit Minimum autem hoc quidam Cynabrium eſſe dicunt. *Plin. lib.* 33. Inuenitur Minium quoque in argentarijs metallis. Et nunc inter pigmenta magnæ auctoritatis, & quondam etiam apud Romanos. Ita vt Iouis ipſius ſimulachri faciem diebus feſtis illinire, triumphantiumque corpora, legantur ſoliti fuiſſe. Sicque Camillum triumphaſſe conſtat, & Æthyopum populos totoſque illo tingi proceres ſolitos eſſe, & hunc ibi Deorum ſimulachris colorem eſſe. Theophraſtus anno 249. vrbis noſtræ tradit Minium inuentum eſſe à Challia Athenienſi initio ſperante poſſe aurum excoqui, in metallis argenti arena rubente, & hanc eius originem fuiſſe. Reperiri autem iam tum in Hiſpanijs, ſed durum, & arenoſum. Optimum vero ſupra Epheſum Cilbianis agris arenam cocci colorem habere, & hanc teri, deinde lauari farinam. Et quod ſubſidat iterum lauari. Differentiam vero artis eſſe: quia alij Minium faciunt prima lotura, idque dilucidius eſſe. Optimum, quod ſequentis loturæ. Olim qui Monochromata pingebant pinxerunt Epheſio Minio, quod ideo relictum eſt, quia operis erat curatio. Præterea vtrumque exiſtimatur minus acre, ideoque ad rubricam, & Sinopidem tranſire. Iuba Minium naſci tradit & in Carmania: Hermogenes, & in Aethyopia, nec ferè aliunde, quàm ex Hiſpania, ſed neutro ex loco aduehitur ad nos. Celeberrimum eſt ex Siſaponenſi Regione in Bætica Miniario metallo, vectigalibus populi Romani nullius rei diligentiori cuſtodia. Non licet ibidem perficere excoquique, Romam defertur, vena ſignata, ibique lauatur. Eſt alterum genus in omnibus ferè argentarijs atque plumbarijs metallis, quod fit exuſto lapide permixto venis, non ex illo cuius Vomica argentum viuum dicitur. Is enim & ipſe in argentum excoquitur. Sed ex alijs ſimul repertis, ſteriles etiam plurimi deprehenduntur, ſolo colore tantum in fornacibus rubeſcentes. Exuſtique in farinam tunduntur. Sublini autem Minium Syrico demonſtrat compendij ratio. Et alio modo pinguentium furto eſt oportunũ plenos ſubinde penicillos abluentiũ. Sidit autẽ in aqua conſtatque furantibus. Sinceri cocci nitor eſſe debet. Secũdarij vero ſplẽdor in parietibus imaginem ſentit, quanquam hoc rubigo quædam metalli eſt. Siſaponenſibus autem in Minarijs ſuæ venæ arena ſine argento excoquitur, auri modo probatur. Auro candente fucatum nigreſcit, ſincerum retinet colorem. Inuenio, & calce adulterari, ac ſimili ratione ferri candentis lamina, ſi non ſit aurum illico

Inuentio minij.

Monochromata olim dicta cinnabaris, vide Plin cap. 7. l. 33.

In Bætica Hiſpania Minariam Siſaponenſe celeberrimũ.

deprehendi,

deprehendi, Solis, & cõractus inimicus. Remedium, vt siccato pariete cera punica cum oleo liquefacta cãdens setis inducatur. Iterumque admotis Gallæ carbonibus, vsque ad sudorem aduratur, postea candelis subigatur, ac deinde linteis puris, sicut & marmora, nitescunt. Qui Minium in officinis poliunt, faciem laxis vesicis illigant, ne pernicioſum puluerem inspirando trahant, & tamen vt per illas spectent. Non solum autem Minium in pictura, sed in voluminum vsurpatur scriptura. *Isid.* Ochra gignitur in Topazon rubri maris Insula, vbi & Sandaracha. Fit autem & Ochra exusta rubrica in ollis nouis luto circumlitis, quæ quanto magis in camino arserit, tanto melior fit.

Vsus minij.

De Sandaracha.

CAP. CII.

Sandaracha rufa melior.

IDem: Sandaracha quoque nascitur in Insula rubri maris Topazon, colore Cinnabri, odore sulphuris. Inuenitur in aurarijs & argentarijs metallis, eo quidẽ melior, quo magis rufa, quoque virus redolet magis. Quamquam & cerussa si torreatur in fornace Sandaracham facit, vnde & color flammeus existit. Quod si torreatur, & æqua parte rubrica admixta sandycem reddit. *Plin. lib.* 34. Sãdaraca inuenitur in aurarijs, & in argentarijs metallis, meliorque quo magis rufa, quoque magis redolens virus, ac pura, & friabilis. Valet autem purgare, sistere, & excalefacere, perrodere. Summa eius dos est styptica, expellit allopecias ex aceto illita. Additur & oculorum medicamentis. Fauces purgat cum melle sumpta. Vocem limpidam, & canoram facit. Suspiriosis tussientibusque iucundè medetur cum resina terebinthina in cibo sumpta. Suffita quoque cum cedro medetur eis nidore ipso.

Vsus in medicina.

Adulteratio. *Idem lib.* 35. Sandaracham, & Ochram Iuba nasci tradit in Insula rubri maris Topazon, sed inde prouehuntur ad nos. Fit autem adulterina Sandaracha ex cerussa in fornace cocta, Color flammeus esse debet: Hæc si torreatur æqua parte admixta rubrica, Sandycem facit, quamquam animaduerto Virgilium eximasse id herbam esse, versu illo. *Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.* Pretium in libras est dimidium eius quod sandarachę. Nec sunt alij colores maioris ponderis. Inter factitios est & syricum quo Minium sublini diximus, fit autem synopide, & sandyce admixtis.

Virgilius.

Temperamentum. *Auicen. in* 2. *can.* Sandaracha calida est, & sicca in secundo gradu. Styptica est, & sanguinem retinet. Hac vtuntur luctatores, vt leues & fortes fiant, ne difficultatem anhelitus incurrant. Item macredinem facit, fistulas fumigio sistit, & siccat, fumus catarrhos prohibet, dolorem dentium optimè sedat, gingiuam rectificat, prohibet tremorem cordis, & fluxum sanguinis, & etiam asma humidum exiccatione sua. Cõfert etiam in potu spleneticis, & est bona solutioni antiquæ. Fumus eius cõfert Emorrhoidis. *Dioscorides.* Sandaracha in eisdem locis nascitur, in quibus auripigmentum. Eligenda est autem ruffa valde, & facile terribilis, munda, calorem habens Cinnabri, & odorem sulphuris. Virtus est ei similis arsenico, quod est causticæ virtutis, & diaphoreticæ, & styptícæ. Resinæ mixta Alopecias curat, cum pice vngues leprosos excludit, cum oleo pediculos necat, & pustulas corporis purgat.

De Prasi, & Chrysocolla.

CAP. CIII.

Prasis quid?

ISidorus. Prasis, idest creta viridis, & si promiscuè generetur in aliquibus terris, optima tamen in Libya Cyrenensi. Chrysocolla colore Prasino, sic dicta est, eo quòd aurum habere traditur eius vena. Hæc etiam nascitur in Armenia, sed probabilis venit ex Macedonia. Foditur enim ex metallis æris, cuius inuentio argentum atque indicum prodit. Nam vena eius cum his habet naturæ societatem. *Dioscorides.* Chrysocolla colorem habet Prasinum, ideſt viridem valde. Melior est autem & Armenica. Secunda vero Macedonica, & Cypria. Eligenda vero est munda, sine lapide, sine terra, virtus est illi insciſoria, & constrictiua.

Virtus chrysocollæ.

Plin. lib. 33. Chrysocolla est humor per auri venam defluens humore crassescente frigoribus hybernis vsque in duritiam pumicis. Laudatiorem eandem fieri compertum est in aurarijs metallis, & proximam in argentarijs. Inuenitur etiam in plumbarijs vilior etiam auraria. In omnibus autem his metallis fit & cura multum infra naturalem illam, immissis in venã aquis leuiter hyeme tota vsque ad Iunium mensem, & in Iunio Iulioque siccatis. Natura eius est, quæ lino, & lanæ ad succum bibendum. Tunditur in pila, deinde cribro tenui secernitur, postea mollitur, ac deinde tenuius, sic cribratur. Quicquid non transmeat, in pila reperitur, deinde mollitur, puluis semper in catinos digeritur, & ex aceto maceratur, vt omnis duritia soluatur, rursumque tunditur, deinde in Conchis lauatur, & siccatur. Tunc alumine herbaque sola quam luteam vocant tingitur atque pingitur, antequam purgat. Refert quàm bibula dociliſque sit. Nam nisi rapuerit colorem, adduntur & Scytanum atque turbistum, ita vocant medicamenta sorbere cogentia. Laudatissima est in Armenia. Secunda in Macedonia. Largissima vero in Hispania: sunt & in Cypro genera eius duo. Summa commendationis est, vt colorem herbæ segetis lętè virentis reddat quàm simillimè. Luteam putãt à lutea herba dictam, quam ipsam cæruleo subtritam pro Chrysocolla inducunt viliſſimo genere, & fallaciſſimo. Tribus generibus distinguunt eam, scilicet asperam, mediam, & atritã, quam vocant herbaceam. Subliniunt enim arenosã, priusquam inducant atramento, & parethonio, quoniam est natura pinguissimum, & propter liuorem tenaciſſimum. Atramento quidem spargitur, ne candorem Parethonij Chrysocollæ pallor afferat.

Tria genera.

De operatione Chrysocollæ in Auriſicio, & medicina.

CAP. *CIIII.*

CHrysocollam & Aurifices sibi vendicant in auro agglutinando, & inde omnes appellatam similiter vtentes dicunt. Temperatur autem ærugine Cypria, & pueri impubis vrina nitro addita. Teritur Cyprio ære in Cyprijs mortarijs. *Santernam* huiusmodi vocant nostri. Ita ferrumminatur aurum, quod vocãt argentosum. Signum est, si addita Sãterna nitescit. Ex diuerso æroſum se contrahit, & heberatur, ac difficulter ferrumminatur aurum, at id glutinum fit auro, & spuma argenti ad supra dicta additis, vnaque contritis. Contexi reliqua par est circa hoc: vt vniuersa naturæ contingat admiratio: vsus Chrysocollæ est in medicina, cum oleo, & cera ad vulnera purganda. Eadem per se arida siccat, & contrahit: datur & in Angina Orchopno eave cum melle miscenda, concitatque vomitiones, miscetur & collyris ad oculorum cicatrices, ac viridibus emplastris ad mitigandos dolores, atque trahendas cicatrices. *Dioscorides.* Chrysocolla eligenda est, ad vsum medicinę (sicut dictum est) munda, sine lapide, sine terra, virtus est illi inſciſoria, & constrictiua, rheuma gingiuarum compescit, vulnera purgat, carnes superfluas vulneribus crescere non sinit. Cicatrices attenuat, vomitum prouocat, & plus sola accepta homicidium facit, Collyrijs miscetur ad lachrymam facientibus.

Santerna.

Angina curatio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Cæruleo ac purpuriſſo,

CAP. CV.

Tria genera cærulei.

PLinius *vbi ſupra.* Cæruleum eſt arena, cuius genera ſunt tria. Antiquius Ægyptium, quod maximè probatur. Syricum, hoc facillimè diluitur, cumque teritur, in quatuor colores mutatur. Candidiorem, nigriorem, vel craſſiorem, tenuioremve. Huic etiam nunc Cyprium præfertur. Acceſſit his Puteolanum, & Hiſpanienſe, arena ibidem confici cæpta. Tingitur autem omne, & in herba ſua coquitur, bibitque ſuccum. Reliqua confectura eadem eſt, quæ Chryſocollæ. Ex Cæruleo fit, quod lomentum vocatur. Idque lauando, terendoque perficitur : hoc eſt cæruleocãdidius atque precioſius. Cerulei ſinceri experimentum eſt in carbone, vt flagret, fraus eſt, arida viola decocta in aqua ſuccoque per lintheum expreſſo in cretam eretream, vis eius eſt in medicina, vt purget vlcera. Adijciunt illud emplaſtris : itemque cauſticis. Teritur autem difficillimè. In medendo leniter mordet, & aſtringit atque expellit vlcera, vritur autem in fictilibus, vt proſit. *Idem in lib.* 35. Purpuriſsũ & coloribus reliquis quos ab homine dari diximus propter magnitudinem pretij ante omnes eſt, & creta argentaria cum purpuris tingitur pariter, bibitque colorem illum celerius lanis. Puteolanum plus laudatur, quàm Tyrium, aut Gethulicum, vel Laconicum, vnde precioſiſſimæ purpuræ. Cauſa eſt, quod id genus maximè inficitur, rubeamque ſorbere cogitur, pingentes ſandyce ſubdita: mox ouum inducentes purpuriſſum fulgore minij faciunt. Si purpuram facere malunt cęruleum ſublinunt, moxque purpuriſſum ex ouo inducunt.

Lomentum.

Probatio.

Vis.

Purpuriſſũ.

De Cinnabri, & Armeno.

CAP. CVI.

Cinnabar quid?

ISid. Cinnabar eſt puluis rubei coloris, hunc aiunt eſſe ſanguinem Draconis, Elephantem implicantis, ac ſub ipſo ruentis. *Diaſcorides*, Cinnabar multi putant eſſe Minium, & alij ſanguinem Draconis, ſed falluntur: quia Minium in Hiſpania conficitur ex lapide, qui Argyritidi miſcetur. Qui ſi tritus fuerit, colorem mutat. Sed odor eius in metallo hominem excęcat. vnde qui in metallo conuerſantur, veſicas ſibi in facie ponunt ad liberandos oculos. Cinnabar autem in Lybia naſcitur, color eſt illi ſanguineus, & ideo ſanguis Draconis à multis eſſe putatur. Virtus eſt ei ſimilis Æmathiti lapidi. Itaque vehementer conſtringit, & ideo fluorem ſanguinis abſtinet. Combuſtionibus etiam ac puſtulis opitulatur. Ceratis additur, & vtiliter Collyrium commiſcetur confectionibus. *Plin. vbi ſup. lib.* 35. Armenum lapis dicitur, quem Armenia mittit, eiuſque nomine appellatur. Hic quoque Chryſocollæ infectus modo : optimus eſt, qui maximè viridis eſt, communicato colore cum cæruleo. Solebant eius libræ taxari nummis tricenis. Inuentaque per Hiſpanicas arenas eſt, ſimilem curam recipiens. Itaque ad denarios ſenos vilitas redijt. Diſtat à cæruleo candore modico, qui teneriorem hunc efficit colorem. Vſum habet in medicina tantum ad pilos alendos, maximeque in palpebris. Porro de Arſenico, ſiue Anripigmento, & de atramento cæteriſve coloribus iam dictum eſt ſuperius in tractatu de Minerabilibus. Hæc itaque ſufficiant de corporibus in terra mineram habentibus, & natiuis coloribus. Et ad librum ſequentem tranſeamus, in quo agendum reſtat de lapidibus.

Virtus.

Armenij.

Vſus in medicina.

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER OCTAVVS.

De Lapicidinis.

CAP. I.

Tophus albus & niger.

Lapidicinæ Aniciana.

Lapis bibulus.

† *Alias piperinus. Sic legit editio Parisiensis.*

Lapides incorrupti.

Vitruuius de Architectura li. 2. Lapidicinæ quædam molles sunt, quædam duræ, aliæ vero temperatæ. Est in Campania ruber, & niger Tophus. In Vmbria, & Piceno, Vinetia albus, qui etiam serra dẽtata secatur, vt lignum. Sed ex his omnibus quæ mollia sunt, exempta saxa faciliter omni tempore tractantur. Et si quidem in locis tectis sint, laborem sustinent. Sin autem in apertis, & patentibus stillicidijs, aut gelicidijs, & pruina congesta, fricantur & dissoluuntur. Iuxta maritima quoque à salsugine defluunt, nec æstus perferunt. Temperata vero, & ab humoribus, & tempestatibus iniurias sufferunt. Sed ab igne tuta esse non possunt, quin potius simul eo tacta dissoluuntur & dissipantur, eo quòd humores parui sũt, nec habent terreni multum, sed aeris, & ignis plurimum, qui scilicet ignis tactu, & vi vaporis aere fugato venarum vacuitates occupans feruescit, eaque ardentia, sibi similia efficit. Sunt item Lapidicinæ complures in finibus Tarquinensium, quæ Anicianæ dicuntur, quibus nec Gelicidiorum tempestas, nec ignis tactus nocere potest, sed firmæ sunt & ad vetustatem, Ideo permanent, quod parum de mixtione naturæ aeris, & ignis habent, humoris autem temperati terrenique plurimum.

De Lapidibus ædificationi aptis.

CAP. II.

Sidorus lib. 19. Lapides structuris apti sunt albus tyburtinus, colũbinus, sfungia, rubens fluuiatilis, & reliqui. Albus alius mollis est, alius durus. Mollis in opere non durus est, sed tractabilis, ita vt in eo quasi in ligno litteræ scribantur. Tyburtinus à loco Italiæ dictus est, qui cum ad fabricam fortis sit, vapore tamen dissilit. Arenacius lapis est arenis maris concretus, hic & bibulus dicitur, quia seruat humorem acceptũ. Papyrinus † tubalbidus est cum pũctis nigris, durus atque fortissimus. Cochleaceus autẽ cochleis, & lapillis concrẽtus est, & arena asperrimus. Molaris in parietibus vtilis est, quia est quædam eius natura pinguior duraque & aspera, ex quo etiam molæ fiunt. Huius quatuor genera sunt. Albus, niger, permixtus, fistulosus. Sfungia lapis creatus ex aqua leuis ac fistulosus, cameris aptus.

Plin. lib. 36. Multitudo lapidum inutilis est, ædificijs morositate quadam. In Lyguria, & Venetia lapis albus secatur dentata serra. Hi tractabiles in opere sunt, laborem quoque tollerant sub tecto dumtaxat. Aspergine ac gelu brumisque rumpitur in testas contra humores, & maris auras. Talis lapis robustus est. Tyburtini ad reliqua fortes, vapore dissiliunt. Nigri Silices optimi quibusdam in locis rubentes, nonnunquam & albi, sicut in Tarquinensi, & in Anicianis Lapidicinis circa lacum Volsinensem. Et in Stratonensi sunt lapides, quibus nec ignes quidem nocent, & in monumenta sculpti contra vetustatem quoque permanent incorrupti. Ex his formæ fiunt, in quibus æra funduntur. Est & lapis viridis vehementer igni resistens, sed nusquam copiosus, & vbi inuenitur lapis, non saxum. E reliquis pallidus in cæmento raro vtilis. Globosus contra iniurias quidem fortis, sed ad structuram infidelis, nisi multa suffrænatione deuinctus. Nec certior est fluuiatilis, semper veluti madẽs. Remedium est in lapide dubio, æstate illum eximere. Nec ante biennium eum domi tecto inferere, domitum tempestatibus, quæ ex eo læsa fuerint, in subterranea structura vtilius est aptari, & qui restiterint tutum est cœlo committere.

De Lapidibus ad mortaria medicinalia congruis.

CAP. III.

Idem in eodem. Auctoribus quoque fuerunt curæ lapides, mortariorum quoque nec medicinalium tãtum ad pigmenta pertinentium. In his pertulere lapidem Æthesium. Mox etiam Thebaicũ quem Pirrho-

poecilon appellauimus. Alij vocant Pſaronium. Tertium ex Calazio Chryſiten, Medici autem & Baſaniten. Hic enim lapis nihil ex ſe remittit. Hi vero lapides, qui ſuccum reddunt, oculorum medicamentis vtiles exiſtimati ſunt, ideoque ad ea maximè Æthyopici ſunt probati. Tænarium vero lapidem ac Pænicum, & Hæmatitem his medicamentis prodeſſe tradunt, quæ ex Croco componantur. Ex alio Tænario, qui niger eſt, & ex Patio lapide non æquè quoque medicis vtilem, potiorem ex Ægyptio lapide Alabaſtrite, vel ex albo Ophite. Eſt enim hoc genus Ophitis, ex quo vaſa, & etiam Cados faciunt. In Syphno lapis eſt, qui cauatur tornaturque in vaſa coquendis cibis vtilia, vel ad Eſculentorum vſus, nigreſcit oleo excalefactus, dureſcitque: natura molliſſimus. In Belgica Prouincia candidum lapidem ſerra facilius etiam ſecant ad tegularum, & imbricum vicem, quàm ligna, vel ſi libeat, ad ea quæ vocant Pauonacea tegendi genera. Specularis vero lapis quoniam & hic lapis nomen obtinet, faciliore multo natura finditur in quamlibet tenues cruſtas. Hunc olim Hiſpania citerior dabat tantum, nec tota, ſed circa Sogobricam vrbem intra centum millia paſſuum. Iã vero etiam Cyprus, & Capadocia, necnon Sicilia, nuperque inuentum eſt in Affrica, poſt ferendos tamen omnes Hiſpaniæ, & Capadociæ molliſſimis, & ampliſſimæ magnitudinis ſed obſcuris.

Pauonacea tegendi genera.

De quorundam lapidum miraculis.

Cap. IIII.

LApidem è Scyro Inſula fluctuare tradunt integrum, eundemque mergi comminutum. In oſſa Troadis fiſſili vena ſcinditur lapis Sarcophagus, corporaque defunctorum in eo condita, intra diem quadrageſimum abſumi conſtat, exceptis dentibus. Mucianus Auctor eſt, Specula quoque, & ſtrigiles ac veſtes, & calciamenta mortuis illata fieri lapidea. Eius generis in Lycia, & in Oriente ſaxa ſunt, quæ viuentibus quoque alligata corpora rodunt. *Theophraſtus Auctor eſt*, Ebur foſſile candido nigroque colore reperiri, & oſſa è terra naſci atque lapides oſſeos inueniri. Varro tradit Luneuſem ſilicem ſerra ſecari. Tuſculanum igni diſſilire. Sabinum fuſcum, addito etiam oleo, lucere. *Auctor.* Etiam de quibuſdam mirabiliter creatis lapidibus iam dictum eſt ſuperius in libro præcedenti, vbi actum eſt de lapidibus mineralibus. *Zenon in libro de Naturalibus*: virtus enim eſt occulta vniuerſalis, quæ lapides ex igne facit; Et ex aqua quãdo funditur ipſum ſuper locum Bezon. Tunc enim ſubito coagulatur. Nec amplius in naturam ſuam reuertitur. Itaque quod igni, aquæ, & terræ contingit, illud etiam animalibus, & plantis accidit, Qua ſcilicet virtute materiæ ſuæ, temporis aut loci, fit eorum omnino diſſolutio, aut in lapidem conuerſio.

Ebur. Lapides oſſei.

De Lapidibus quibuſdam medicinalibus.

Cap. V.

PLin. *vbi ſupra.* Lapis Aſſeus guſtu ſalſus, Podagras lenit, pedibus in vaſe ex eo cauato inditis. Omnia præterea crurum vitia in his Lapidicinis ſanantur, cũ in metallis omnibus crura vitientur. Eiuſdem lapidis flos appellatur in redigẽdam farinam mollis ad quædam peinde efficax. Eſt autem ſimilis pumici tuffo. Emendarque vitia mammarum, admixtus æri Cyprio. Pici autem vel reſinæ mixtus, ſtrumas vel pannos diſcutit, ac phryſicis proficit, linctus cum melle ad cicatrices vlcera vetera perducit: excreſcentia erodit. Ad beſtiarum quoque morſus vtilis repugnantia curationi ſiccat ſuppurata. Et fit ex eodem mixto fabę vel lomento podagricis caraplaſma. *Auicenna in 2. cano.* Indicus lapis eſt, ſicut nux parua modicè longa, quaſi dactylus amigdala, hunc etiam in extremitatibus lineæ ſecant, & aliæ lineæ latitudinales æquè diſtantes. Itaque ſe ſecant, & remanent ex eis, ſicut ſquamæ paruæ lucidæ. Stomacho non conuenit, ſed eum debilitat, & dejicit appetitum. Confert lapidi renum, & eum extrahit, & ſanguinem abſcindit. Lapis lacteus eſt cinericij coloris, dulcis ſaporis Cumque fricatur cum aqua, egreditur ex eo quaſi lac & reſeruatur. Eſt autem temperatus, & confert initio calidorum apoſtematum, prohibet curſum ſuperfluitatum ad oculum, & vlcera in eo accidentia. Lapis lunæ dicitur ſplendor, vel ſpuma, vel ſputum lunæ. Et inuenitur apud augmentum lunæ in terra Arabum leuis. Suſpenditur autem & fertur ſuper arborem, & fructificat; Epileptiam; quoque ſanat; Itaque ſuper epilepticum ſuſpenditur, qui ſecundum terminum ab eo aſſumitur. Lapis ſerpentis (vt dicitur) ſuſpenſione ſua, morſui ſerpentis confert. Eſt etiam lapis quidam qui inflammatur aqua: extinguitur oleo. Ex iſto fugiunt vermes venenoſi.

Lapis Aſſeus.

Medicinalis vſus.

Lapis ſerpentis.

De quibuſdam lapidibus communibus.

Cap. VI.

ISidorus *lib. 16.* Lapis dicitur eo quod lædit pedem. Cautes ſunt aſpera ſaxa in mari, dictæ à cauendo, quaſi cautæ Murices petræ in littore, ſimiles muricis nimis acutiſſimæ, & nauibus pernicioſæ. Icon eſt ſaxum dictum, quod humanæ vocis ſonum captet, etiã verba loquentium imitatur: Icon enim Græcè imago latinè dicitur, licèt hoc quidem & locorum natura eueniat, & quandoque conuallium. Calculus eſt lapillus terræ admixtus, rotundus atque duriſſimus, & omni puritate leuiſſimus, dictus eo quod ſine moleſtia breuitatis ſuæ calcetur. Cui contrarius eſt ſcrupulus lapillus minutus, & aſper. Qui ſi inciderit in calciamentum, nocet & moleſtus eſt, vnde & animi moleſtiam ſcrupulum dicimus. *Ex libro luminum.* Ex elementorum beneficio tria genera ſubſiſtunt, ſcilicet lapides, vegetabilia, & animalia. Lapis eſt corpus minerale, & eſt duplicis generis. Eſt enim lapis cui ſola natura ſpeciem dedit, & complementum vltimum, vt lapides vulgares, & precioſi. Eſt & alius quem natura quidem incæpit, ſed artificium compleuit, vt corpora metallina, & ſpiritus, & huiuſmodi. *Ex lib. Meteororum.* Terra quidem pura lapis non fit: quia continuationem non facit, ſed comminutionem, ſiccitas in ea vincens non permittit eam glutinari Fiunt autem lapides aut conglutinatione, vt in quibus dominans eſt terra; Aut congelatione, vt in quibus aqua prædominatur. *Ex lib. de na. re.* Lapis vulgaris viliſſimus, & qui ſculpi non poteſt nec ſecari, lapidibus tamen ſecabilibus in fundamento ſubditur, & ſubſternitur. Ædificiorum quoque viſcera roborat interius. *Auctor.* Lapis durus eſt, & volubilis, aqua tamen non mollitur, ſed aſſidua gutta cauatur, gelu frangitur. De pumice quidem & alijs lapidibus, qui ex aqua generantur, dictum eſt ſupra: vbi actum eſt de aquæ natura. Nunc autem de cæteris dicendum reſtat.

Lapis. Cautes. Murex. Icon.

Calculus.

Scrupulus.

Duplici modo fiunt lapides.

De arena, & eius ſpeciebus.

Cap. VII.

ISid. *vbi ſupra.* Arena ab ariditate dicta eſt. Huius probatio eſt, ſi manu preſſa ſtrideat, Aut in veſtem candidam ſparſa, nil ſordis relinquat. *Vitruuius, vbi ſupra.* Alia eſt arena foſſicia, alia fluuiatica, vel marina. Arenæ foſſiciæ ſunt hæc genera, ſcilicet nigra, cana, rubea, carbulum. Ex his optima erit, quæ in manu confricata ſtridorem fecerit. Quæ autem terroſa eſt, aſperitatem non habet. Item ſi in veſtimentum candidum coniecta fuerit, & poſt excuſſa, id non inquinauerit, nec ibi terra ſubſiderit, idonea erit. Sin autem non fuerit arenaria, vnde fodiatur, tamen de

Arenæ probatio.

Optima.

fluminibus,

fluminibus,& è glarea extrahitur. Hæc tamen in ſtructuris odioſa eſt: quia difficile ſicceſcit. Nec onerari ſe continenter paries patitur, niſi intermiſſionibus requieſcat, nec concamerationes recipit. Marina vero hæc amplius, & etiam parietes, cum in his tectoria facta fuerint, remittentes ſalſuginem eorum diſſoluũtur. Sicceſcunt autem celeriter fofficiæ, & tectoria permanent, & concamerationes pariuntur, ſed hæ quæ ſunt de arenarijs recentes. Si enim exemptæ diutius iacent, à Sole, & à luna, & à bruma coactæ reſoluuntur, & petroſæ fiunt, ita quod in ſtructuram coniectæ cæmenta continere non poſſunt, ſed labuntur, & ruunt, oneraque parietum ſuſtinere non poſſunt. Recentes etiam à foſſicie, licèt tam vtiles ſint in ſtructuris, non tamen in tectorijs: quia earum pinguedini calx paleaque commixta, propter vehementiam non poteſt, ſine ruinis inareſcere. Fluuiatica vero propter mactitatem in tectorio recipit ſoliditatem.

Rufa melior. *Palladius de agricultura lib.* 1. Omnium arenæ generum præcipuè melior eſt rufa, ſequentis meriti cana, tertium locum poſſidet nigra. Sed foſſilis arena non inuenitur, de fluminibus autem glarea, vel littore colligitur. Marina quidem tardius ſiccatur, ideoq; non continuè ſed intermiſſis temporibus eſt conſtruenda, ne opus corrumpat onerata. Camerarum quoque tectoria falſo diſſoluit humore, foſſiles autem tectorijs, & cameris ac cœli ſiccitati vtiles ſunt. Melioreſque ſi ſtatim cũ effoſæ ſũt miſceãtur: quia diutino Sole, aut imbre, aut bruma vaneſcunt. Fluuiales vero tectorijs conuenire magis poterunt. At ſi vti neceſſe ſit arena maris, commodum erit eam prius lacuna immergi dulcis humoris, vt aquis ſuauibus illuta: deponat vitium ſalis.

Iterum de natura & proprietatibus arenæ.

CAP. VIII.

EX lib. de naturis rerum. Arena ſuper flammam inextinguibilem extinguit eam. Cur autem arena flammam, vel ignem Græcum extinguat, iam ſuperius dictum eſt. *Tria genera arenæ.* *Plin. vbi ſup.* Arena habet tria genera. Vna ſcilicet foſſicia, cui calcis debet addi pars quarta. Secunda fluuiatilis aut marina. Tertia vero fit, ſi teſtæ tuſæ tertia pars calcis addatur, & melior erit materia. Ab Apennino ad Padum non inuenitur foſſicia nec marina. Ruinarum vrbis ea maximè cauſa oſtenditur, quod furto calcis, ſine ferrumine ſuo cæmenta componuntur. Intrita quoque quo vetuſtior, eo melior. In antiquarum ædum legibus inuenitur, ne trima recentiore quis vteretur, ideoque nulla eorum tectoria fædauerunt rimæ. Tectorium quidem quod niſi ter arenato; & bis marmorato inductum eſt, non ſatis ſplendoris habet. In Græcia tectorijs arenarum, quod inducturi ſunt, prius in mortario ligneis vectibus ſubigunt Experimentum marmorati eſt in ſubigendo, donec rutro non cohæreat. Contra in opere Albario, vt macerati calx ceu glutinum hæreat. Macerari vero non niſi ex gleba oportet.

Cauſa arenarum. *Ariſt. in lib. de Vegetabilibus.* Ideo autem mare ſuper arenas eſt, & terra mari propinqua arenoſa: quia in aqua ſiccitas terræ obtinuit, duraũitque ſecundum durationem fixionis terræ, & exiſtentiæ aquę: diuiſitque lutum per minutas partes, & in arenam conuertit. Vt autem etiam quibuſdam campis exiſtat arena, cauſa eſt mora motus Solis, & elongatio à dulcibus aquis. Nam quia non habent, quod eos à ſole cooperiat, & ab aqua dulci remoti fiunt, ſiccauit ſol partes humiditatis dulcis, remanſitque quod eſt de genere terræ: perſeuerante ergo ſolo diſcooperto, ſeparatæ ſunt partes luti, factaque eſt arena. *Remedium contra tumores itinerantium.* *Dioſcorides.* Arena maris, quæ in littore eſt Sole calefacta carnes humidas deſiccat: Item cocta ſacellis ad compeſcendum tumores itinerantium iuuat.

De calce.

CAP. IX.

Mirandã calcis proprietas. I *Sid. vbi ſupra.* Calx viua dicitur: quia dum tactu frigida ſit, occultum ignem intus haber, vnde & aqua perfuſa ſtatim latens ignis erumpit. Natura eius mira facit. Nam aquis accenditur, quibus ſolet ignis extingui. Oleo extinguitur quo ſolet ignis accendi, vſus eius eſt ſtructuris fabricæ neceſſarius. Nam lapis lapidi non poteſt adhærere fortius, niſi calce coniunctus. Et calx quidem è lapido albo, & duro melior eſt ſtructuris, Ex molli vero tincturis vtilis. *Plinius.* Calcem è vario lapide Cato Cenſorius improbat. Ex albo ſtructuræ melior eſt, quàm ex duro. Tectorijs vtilior, quæ ex fiſtuloſo. Ad vtrumque damnatur ex ſilice, vtilior eſt eadem ex lapide effoſo, quàm ex ripis fluminum collecto, vtilior etiã è molari eſt: quia pinguior natura eius eſt. Mirumque illam poſtquam arſerit aquis accendi. *Palladius vbi ſupra.* Calcem albo ſaxo duro, vel tyburtino aut columbino fluuiatiue conuenit coquere aut rubro, vel ſpongia, aut poſtremum marmore. Et illa quidem quæ ex ſpiſſo aut duro ſaxo, conuenit ſtructuris. Ex fiſtuloſo autem, vel molliore lapide, conuenit tectorijs, vtilius quidem ſi in duabus calcis partibus arenæ vna miſcetur. In fluuiali vero arena, ſi tertiam partem tritæ teſteæ addideris, operum ſoliditas inuicta præſtabitur.

Vitruuius vbi ſupra. Calx de albo ſaxo, aut ſilice coquenda eſt, & quæ ex ſpiſſo, & duro in ſtructura vtilis erit. Quæ autem ex fiſtuloſo in tectorijs. Principijs autem, vt corpora cætera, ſic & ſaxa ſunt temperata. Et quæ plus habent aeris, ſunt tenera, quæ aquæ lenta, quę terræ, dura, quæ ignis, fragiliora. Ita que ſaxa ſi antequam coquantur cõtuſa minuta mixta arena in ſtructuram conijciantur, non ſolideſcunt nec eam continere poterunt. Cum vero in fornacem conjecta, & ignis vehementi feruore correpta, priſtinæ ſoliditatis virtutẽ amiſerũt, tunc exuſtis, & exhauſtis eorum viribus relinquuntur patentibus, & inanibus foraminibus. Cum ergo liquor qui eſt in corpore lapidis exhauſtus fuerit, & ereptus, habuerit que in ſe reſiduum calorem latentem, intinctus in aqua penetrante humore in foraminum raritates conferueſcit, & ita refrigeratur, dum ex calcis corpore calorem rejicit. Ideoque etiam quo pondere ſaxa in fornacem conjciuntur, non poſſunt ad id reſpondere dum eximuntur. Sed dum expetuntur permanente ea magnitudine, excocto liquore circiter tertia parte ponderis imminuta eſſe inueniuntur. Itaque cum eorum raritates, & foramina patent arenæ mixtionem in ſe corripiunt, & ſicceſcendo cum cæmentis coeunt, ac ſtructurarum ſoliditatem efficiunt. Sic autem materia miſceatur, vt calce extincta, ſi fuerit arena foſſicia, tres partes arenæ, & vna calcis infundatur. Si autem fluuiatica vel marina, duæ arenæ & vna calcis. In fluuiatica etiam vel marina ſi quis teſtam tuſam & ſucretam ex tertia parte adiecerit, melius erit. *Modus mixtionis arenæ cum calce.*

De operatione calcis in vſu medicina.

CAP. X.

Medicinalis vſus. PLinius *vbi ſupra.* Magnus quoque calcis vſus in Medicina, eligitur enim recens Nec aquis aſperſa, vrit, diſcurit, extrahit, & vlcerum impetus incipientes ſerpere coercet, aceto & roſaceo temperata, perducit ad cicatricem. Laxatis quoque cum adipe ſuillo vel liquida reſina ex melle medetur. *Auicenna in ſecundo canone medicinæ.* Calx eſt cinis corporum lapidoſorum. Illa quidem quam aqua non tetigit; & illa quam aqua tetigit cum remanet extincta duobus diebus, aut tribus, tunc non adurit, ſed tantum calefacit. *Calcis.*

facit. Et abluta quidem dicta est, & exiccatiua sine mordicatione. Calx vero bullita cum oleis fit maturatiua. Calx fluxum sanguinis abscindit, carnem additam corrodit, & abluta consolidat, ignis adustioni confert. *Constantinus.* Calx est calida & sicca in quarto gradu. Quæ mixta sero & oleo pustulas, & apostemata putrida habentes iuuat, vulneraque & inscisionem solidat. *Rasi in Almansore.* Calx calida est, adurit & carnem superfluam corrodit, fluxum sanguinis constringit, quæ cum lauatur adustioni ignis confert. *Auctor.* Porro de miraculo calcis dictum est superius, vbi actum est de effectibus ignis.

Temperamentum.

De maltha & gypso.

CAP. XI.

Maltha vbi ficienda modus.

PLinius *vbi supra.* Maltha est cum è calce recenti gleba efficitur, vinoque constringitur. Mox tunditur cum ficu, & adipe suillo duplici linamento, quæ res omnium tenacissima existit, duriciemque lapidis antecedit. Quod autem malthatur oleo perfucatur. *Auctor.* De maltha vero flagrãti, quę est limus è stagno Samosatæ vrbis, naturaliter emissus, dictum est superius, vbi actum est de ignis effectibus, & corporibus terrenis semper ardentibus. *Isidorus, vbi supra.*

Gipsum.

Gypsum quoque calci cognatum est, cuius plura sunt genera. Omnium autem optimum est lapis specularis, ędificiorum signis gratissimus, & coronis. Plinius vbi supra. Gypsum est res calci cognata, pluraque sũt genera eius. Nam è lapide coquitur vt in Syria, & Thurijs è terra funditur, & in Cypro, & Perrhebiæ summa tellure. Qui coquitur lapis, non esse debet alabastriti marmori dissimilis: hic est in Syria durissimus quem ad id eligunt, coquuntque fimo Bubalo, vt vratur celerius. Omniũ autem optimum fieri compertum est ex speculari lapide, squamamque vitalem habere Gypso madido statim vtendum est, quia celerrime cogit & siccatur. Tamen rursus tundi, & in farinam resolui patitur. Gypsi vsus in Albarijs sigillis ædificiorum atque coronis est gratissimus. Exemplum Illustre C. Proculeium Augusti Cęsaris familiarem, in maximo stomachi dolore Gypso poto sibi mortem conscisisse. *Auicen.* Gypsium est lapis Gypsi laminosus albus, paruus, cuius subtilitatis fit cum aduritur. Est autem frigidus, & siccus, glutinatiuus, ponitur super partes fluxum sanguinis patientes, & constringit, quia in ipso est cum glutinatione virtus faciens adhærere, & in ipso est stypticitas cum viscositate. Linitur ex eo frons, aut cooperitur ex eo caput vt pileo, & retinet fluxum sanguinis ex naribus, ponitur & super ophthalmiam sanguineam. Est autem ex summa venenorum præfocantium.

Optimum.

Potus Gypsi mortalis.

De Topho.

CAP. XII.

Tophi vsus ad solidã da ędificia.

ISidorus, *vbi supra.* Tophus est lapis ædificijs inutilis, aptus fundamentis mobilitate & mollitie. Ex æstu enim & halitu maris fricatur, & imbribus verberatur. *Vitruuius vbi supra.* Tophus, est genus puluueris circa montem Vesuuum, quod calce & cæmento commixtum, non modo cæteris ædificijs firmitates præstat, sed etiam moles in mari constructas sub aqua solidat. Quod ideo fieri videtur, quia sub his montibus, & terrę feruentes sunt fontes crebri, qui non essent, si non ex sulphure in imo, aut ex bitumine aut ex alumine ardentes maximos ignes haberent. Itaque ignes, & flammæ vapor per interuenia permanans, & ardens, terram illam leuem efficit. Et ibi qui nascitur Tophus, sine liquore existit. Cum ergo tres prædictæ res consimili ratione ignis vehementia formatę, in vnam peruenerint mixtionem, calida humoris ieiunitas aqua repente satiata, communibus corporibus la-

tenti calore consuescit, & vehementer ea cõire efficit, celeriterque vnam soliditatis virtutem percipere, quã nec fluctus, nec vis aquæ potest dissoluere. Omnibus ergo locis, & regionibus non eadem genera terrę nec lapides nascuntur, sed nonnulla terrena sunt, alia sabulosa. Itemque hic glareosa, alijs locis arenosa. Quibusdam locis non sunt terrenosi montes, sed ignis per eius materiæ venas egrediens, quod molle ac terrenum est exurit, quod autem asperum relinquit ita, sicut in Campania exusta terra fit cinis, vel Tophus, sic & in Thuria excocta materia efficitur Carbunculus.

De Silice.

CAP. XIII.

Etymon.

ISidorus, *vbi supra.* Silex est lapis durus, sic dictus, eo quod ab eo ignis exiliat. *Idem in lib.* 19. Ex genere silicum optimi sunt nigri quibusdam in locis, ac rubentes. Alibi quoque contra vetustatem incorrupti, qui & in monumentis sculpti & incorrupti permanent, quibus nec ignis quidem nocet. Nam ex his etiam formæ fiunt, in quibus ęra funduntur. Sed & viridis Silex vehementer igni resistit, at nusquam copiosus est, & vbi inuenitur, lapis non saxum est. Pallidus autem in cæmento raro vtilis. Fluuiatilis vero Silex semper veluti madens est, hunc æstate exhiberi oportet, nec ante biennium in structuris domorum inseri. *Plinius, vbi supra.* Sunt in Bononiensi parte Italiæ breues maculosi complexu silices alligati, quorũ tamen apparet natura similis eis qui puteis in Hispania profunda altitudine effodiuntur. Necnon ex saxo inclusi super terram inueniuntur: Extrahunturque vel exciduntur, sed maiori parte fissili natura, absoluti segmenti modo, nunquam adhuc ampliores quinque pedum longitudine. Humorem hunc terræ quidam autumant chrystalli modo glaciari, & in lapidem concrescere. Hoc apparet manifeste, quod cum ferę in puteos decidere, tales in ossibus earum apparent medullæ, in eadem lapidis natura post vnam hyemem figuratæ. Inuenitur & aliquando niger, sed candidus natura, soles rigoresque perpetiendi est aptus. Nec senescit, si modo iniuria non adsit, cum hoc in cæmentis multorum generum accidat.

Viridis silex.

Pallidus.

Fluuiatilis.

Ferę figuratę in lapidibus.

De cote.

CAP. XIIII.

Oleum reddit cotes acutas.

ISido *lib.* 14. Cotis dicitur eo quod ferrum ad inscidendum acuat. Cotis enim grece inscisio. Ex his aliæ aquariæ sunt, aliæ oleo indigẽt in acuẽdo. Sed oleo leniorem, aqua acerrimam aciem reddunt. *Plinius, vbi supra.* Inter operarios lapides sunt qui ferro acuendo conueniunt cotes. Multa sunt earum genera. Creticæ diu maximam laudem habuere. Secundã Laconicæ ex Taygeto monte, oleo indigentes vtræque. Inter aquarias vero laus fuit maxima Naxiæ. Mox Armeniacæ: ex oleo & aqua pollent Ciliciæ. Ex aqua Arsinoeticæ. Repertæ sunt & in Italia, aciem acerrimo effectu aqua trahentes. Necnon & transalpes quas vocant pascernices. Quarta ratio cotium est hominis saliua proficientium, quæ in tonstrinarum officinis inutilis est, fragili mollicie. Flaminitanæ ex Hispania Citerione in eo genere sunt præcipuę. *In libro de natura rerum.* Cote cultelli exacuuntur, & durior cos cultello molli competit exacuendo, molliot duro. Vulgo constat fontes quosdam esse, qui ligna iniecta in lapideam substantiam conuertunt, exque huiusmodi lapidibus fiunt cotes optimæ. *Auicenna.* Cotis fricatio super mammillam testiculumque ponitur, vt non magnificentur, valet etiam apostematibus mammillæ calidis.

Cotium diuisio.

Cotes ex fontibus optima.

De mármore marmorumque generibus.

CAP. XV.

Etymon. ISidorus *lib.* 16. Marmora dicuntur eximij lapides, qui maculis, & coloribus commendantur. Marmor autem græcus ſermo eſt, à viriditate dictus. Et quamuis poſt etiam alij colores inuenti ſunt, nomen tamen priſtinum à viriditate retinuerunt, horum colores, & genera innumerabilia. Nec omnia è rupibus excidunturſed multa precioſiſſimi generis ſub terra ſparſa ſunt. *Marmora ſubterranea.* *Plinius vbi ſupra* Marmorum genera coloreſque non attinet in tanta notitia dicere, nec enumerare facile eſt in tanta multitudine. Quoto enim cuique loco non ſuum marmor inuenitur? Ettamen celeberrimi dicta ſunt generis in ambitu terrarum cum gentibus ſuis. Non omnia vero gignuntur in lapicidinis, ſed multa & ſub terris precioſiſſimi generis Sicuti Lacedæmonium viride cunctis hilarius. Sic & *Marmor Auguſteum Tyberium.* Auguſteum ac deinde Tyberium in Ægypto Auguſti ac Tyberij primum ac principatu vtrumque repertum. Differentiaque eorum eſt ab ophite, cum illud ſit ſerpentum maculis ſimile, vnde & nomen accepit. Quod hæc maculas diuerſo modo colligunt. Auguſteum vndatim in vertices Criſpum. Tyberium ſparſim conuoluta canicie. Sunt & alia eius genera, de quibus dicetur infra.

De alabaſtrite & alabandico.

CAP. XVI.

ISidorus, *vbi ſupra*. Alabaſtrites eſt lapis candidus interſtinctus varijs coloribus, hunc cauant ad vaſa vnguentaria. Quoniam vnguenta optime ſeruare dicitur incorrupta. Naſcitur circa Thebas Ægyptias, & Damaſcum Syriæ, cæteris candidior, probatiſſimus vero in India. *Plinius vbi ſupra*. Alabaſtriten lapidem vocant, quem ad vnguentaria vaſa cauant &c. Idem & exuſtus emplaſtris conuenit. Naſcitur circa Thebas *Probatiſſimi alabaſtrita.* Ægyptias, & Damaſcum Syriæ. Hic cæteris candidior, ſed probatiſſimus eſt in Carmania, mox in India, iam quidem & in Syria atque in Aſia, viliſſimus autem & ſine vllo candore in Cappadocia. Probantur quam maxime coloris mellei in vertice maculoſi, atque non tranſlucidi: vitia ſunt in his corneus color candidus, & quicquid vitro ſimile eſt. *Dioſcorides*. Lapis Alabaſtrites virtute laxatiuus eſt. Emollit denique duricies, Stomachique dolorem admixtus cerato ſedat. *Iſidorus vbi ſupra*. *Virtus.* Alabandicus ſuæ nomine terræ nuncupatur, purpuræ aſpectu ſimilis. Iſte in oriente igne liquatur, & ad vſum vitri *Alabandici vſus.* funditur. *Plinius, vbi ſupra*. Alabandicus niger eſt, terræ ſuæ nomine dictus, quamquam & Mileti naſcens, Ad purpuram tamen magis aſpectu declinante. Idemque liquatur igni ac funditur ad vſum vitri. *Auctor*. Nota & Alabandicus lapis ab Iſidoro ponitur inter marmora Alabandina, tamen ab Arnoldo ſaxone inter gemmas ponitur infra.

De Ophite ac Porphyrite & Pario.

CAP. XVII.

PLinius, *vbi ſupra*. Ophites (vt dictum eſt) ſerpẽtum maculis ſimilitudinem habet, nec ex eo inueniuntur columnæ niſi paruæ, duo ſunt eius genera, molle, ſcilicet candidum, nigricans durum. Ambo capitis dolores alligata ſedare dicuntur. Et ſerpentum ictus. Quidam etiam phreneticis, ac lithargicis illigari iubent candicantem. Porphyrites etiam ex Ægypto rubet candidis interuenientibus punctis. *Porphyrites.* *Iſidorus, vbi ſupra*. Porphyrites eſt ex Ægypto rubens candidis interuenientibus punctis. Nominis eius cauſa quod rubeat vt purpura. Parius eſt lapis marmoreus eximij candoris. Hic apud Paron Inſulam naſcitur, vnde & nominatur. Magnitudo eius eſt qua lances crateraſque non excedat, vnguentis & ipſe aptus eſt. *Parius.*

De cariſteo & numidico cateriſque marmorum ſpeciebus.

CAP. XVIII.

ISidorus, *vbi ſupra*. Cariſteum viride optimum eſt, nomen ſuum ab aſpectu habens, eo quod gratum ſit his qui gemmas ſculpunt, Eius enim viriditas reficit oculos. Numidicum marmor Numidia mittit, quod ad cotem ſuccum dimittit croco ſimilem, vnde & nomen accepit. Non cruſtis ſed in maſſa, & in liminum vſum aptum. Teſphrian à colore cineris appellatur, cuius alligatio contra ſerpentes laudatur. *Cariſteum.* *Numidicũ.* *Plinius, vbi ſupra*. Inuenit & Ægyptus, & Syria & Æthiopia lapidem quem vocant Balſaten, ferreique coloris atque duriciei, vnde & ei nomen dedit. Nunquam vero maior repertus eſt, quam in templo pacis ab Imperatore Veſpaſiano Auguſto dicatus. Nec abſimilis ei narratur in Thebis delubro Serapæis, vt putant ſtatuę dicatus Mennonis, quem quotidiano ſolis ortu contactum, radij crepare dicunt. Onychidem *Baſaltes.* *Onychis.* etiam in Arabiæ montibus, nec vſquam alibi naſci putauere noſtri veteres. Sed in germania potatorijs inde vaſis primum factis, deinde lectorum pedibus, ac ſellis, quæ Cornelius Nepos tradit magno fuiſſe miraculo, cum Publius Lentulus amphoras, & vrceos magnitudine cadorum oſtendiſſet ex eo.

De lapidibus inſignioribus, & primo de magnete.

CAP. XIX.

AMarmoribus digredienti ad reliquorum lapidum inſignes naturas quis dubitat in primis magnetem occurrere? Quid enim mirabilius, aut qua parte naturæ maior improbitas dederat vocem ſaxis reſpondentem homini, immo vere & obloquentem? Quid lapidis rigore pigrius? Quid enim duritia ferri pugnacius? ſed cedit & patitur mores, trahiturque namque à lapide magnete. Illaque materia rerum omnium domitrix ad inane neſcio quid currit, atque vt propius venit aſſiſtit, ac tenetur, & complexu hæret. Sideritin ob hoc alio nomine appellant. Quidam *Vnde magnes dictus?* Heracleon. Appellatus autem eſt magnes ab inuentore, vt Auctor eſt Nicander in India repertus. Nam & paſſim inuenitur, vt in Hiſpania quoque. Huius genera quinque, Sotacus demonſtrat, ſcilicet, Æthiopium & Magneſiacum è Macedonia, Tertium in Echio Boetiæ, Quartum circa Troadem Alexandriæ, Quintum in Magneſia Aſiæ: Differentia prima mas ſit an fœmina proxima in colore. Nam qui reperiuntur in Magneſia & Macedonia, Rufi ſunt & Nigri; *Quinque genera magnetum.* Boetius vero plus habet Rufi coloris quàm Nigri. Qui Troade venit, niger eſt ac fœminei ſexus, ideo ſine viribus deterrimus: in Magneſio candidus, neque attrahens ferrum, ſimiliſque pumici. Æthiopicis laus ſumma datur, ponduſque argento rependitur. *Modus quo primo inuẽtus magnes.* *Iſidorus, vbi ſupra*. Magnes eſt lapis Indicus, ab inuẽtore vocatus. Fuit autem in India primum repertus, clauis crepidarum baculique cuſpidi hærens, cum idem Magnes armenta paſceret, poſtea paſſim eſt inuentus. Eſt autem colore ferrugineus, ſed probatur cũ ferro adiectus fecerit raptũ, vnde & eum vulgus ferrũ viuum appellat: liquorem quoque vitri vt ferrum trahere creditur. Omnis autem magnes tanto melior eſt, quanto magis cæruleus. *Ariſto. in lib. de lapidibus.* *Color optimus.* Lapis magnes ferrũ trahit, & ferrum obediens eſt huic lapidi per virturem occultã, quæ ineſt illi, ipſũ mouet ad ſe per omnia corpora ſolida, ſicut per aera, & vno quidem ipſius angulo trahit ferrum, ex oppoſito aut

angulo

angulo fugat ipsum. Angulus quidem eius cui virtus est attrahendi ferrum, est ad Zaron, idest septentrionem. Angulus autem oppositus ad Afon, idest meridiem. Itaque proprietatem habet magnes, quòd si approximes ei ferrum ad angulum ipsius, qui Zaron, idest septentrionem respicit, ad septentrionem se cõuertit. Si vero ad angulum oppositum ferrum admoueris, ad Afon idest meridiem se mouebit. Quod si huic ferro ferrum aliud approximaris ipsum de magnete ad se trahit, hoc & lapis Adamas facit, naturamque condemnat magnetis.

De miraculo magnetis in ferri attractione.

CAP. XX.

Mira experiẽtia magnetica.

Actio mira.

Aliud mirum.

AVguſ. de Ciu. Dei lib. 21. Magnetem lapidem nouimus esse mirabilem ferri raptorem. Quod cum primum vidi, vehementer exhorrui. Quippe cernebam à lapide ferreum annulum raptum atque suspensum, denique tanquam ferro quod rapuerat vim suam dedisset, communemque fecisset, idem anulus alteri admotus est, eundemque suspendit, sic accessit & tertius, & quartus. Iamque sibi per mutua circulis nexis non implicatorum intrinsecus, sed adhærẽtium extrinsecus, quasi cathena pependerat anulorum. Quis istam vim lapidis non stuperet, quæ illi non solum inerat, sed etiam per tot suspensa transibat, & inuisibilibus ea vinculis subligabat? Sed multo mirabilius est, quod à fratre meo & coepiscopo Seuero Milleuitano de isto lapide comperi. Seipsum namque vidisse narrauit, quemadmodum Lucanarius quondam comes Aphrycæ, cum apud eum conuiuaretur, episcopus eundem protulerit lapidem, & eum tenuerit sub argento, ferrumque super argentum posuerit. Deinde sicut subter mouebat manum qua lapidem tenebat, Ita ferrum desuper mouebatur, atque argento medio nihilque patiente concitatissimo cursu ac recursu infra lapis ab homine, supra ferrum rapiebatur à lapide: dixi quod ipse conspexi, dixi quod ab alijs audiui, cui tanquam ipse viderim credidi. Quid etiam de isto magnete legerim dicam: quando iuxta eum adamas ponitur, ferrum non rapit. Et si iam rapuerat, vbi ei appropinquauerit mox remittit. Et hoc autem quod magnes ferrũ attrahit, tam mirifica fiunt arte mechanica, vt ea qui nesciant, opinentur esse diuina: vnde factum est, quod in quodam templo lapidibus magnetibus in solo & in camera proportione magnitudinis positis, simulachrum ferreum aeris illius medio inter vtrumque lapidem quasi numinis potestate penderet. Quale aliquid etiam in lucerna veneris de lapide asbesto ab artifice fieri potuit, quod gentiles mirarentur. In quo lapide mirum est, quòd cum ignem nullum habeat proprium, accepto tamẽ, sic ardet alieno, vt extingui non possit. Sic ergo & in magnete, quod nescio qua insensibili sorbitione stipulam non mouet, & ferrum rapit.

De virtute ipsius in medicina.

CAP. XXI.

Locus generationis magnetica.

DIoscorides. Magnes gignitur circa litus Oceani, apud trogeoditas magnas habens virtutes, & velut spiritum in attrahendo ferrum: fures intrantes domum vt preciosa diripiant, intra quatuor angulos domus carbones ardentes ponunt, & lapidem minute præscisum supermittunt, sicque mentes, & oculos eorum qui adsunt, auertunt, vt & timore fugiant, putantes super se ruere domum. Habet autem vires purgatorias, & ob hoc Hydropicis cum mulso datus, crassitudinem deducit, & omnes humores per ventrem ministrat. Tritus etiam & superaspersus combusta sanat. *Constanti. in lib. graduum.* Magnes in Ripa maris Indiæ reperitur, cuius natura calida est & sicca in tertio gradu. Dicit *etiam Gal. in lib. de lapidibus*, quod nautæ nauem ferreos clauos habentem, illuc non audent ducere, Nec vllum ferri artificium in ea habere. Nam ea illis montanis appropinquante, omnes claui & quicquid ferri in ea habetur à montanis attrahuntur sua proprietate. Hic lapis potui datus, optimum est ei qui de ferro toxicato vulneratus est. Et eis qui infirmantur deferrugine cataplasmatibus, vel emplastris commixtus, valet ad sagittam vel gladium extrahendum de vulnere. Ruffus dixit eundem lapidem melancholicos confortare, timorem & suspicionem eis auferre. *Platearius, vbi supra.* Magnes est calidus, & siccus in tertio gradu, valet præcipuè vulneratis, quia ferrum attrahit, puluis etiam eius datus in succi feniculi, valet contra Hydropisim & splenem & Alopeciam. Attrahit enim phlegma & melancholiam. *Auicenna vbi supra.* Magnes cum adduritur fit Æmathites, & virtus eius sicut virtus illius. Melius est niger imbibitus rubedine, purus autem absterſiuus, & mundificatiuus. *Plinius vbi supra.* In quadam Æthiopiæ regione inuenitur Æmathites, magnes sanguinei coloris, sanguinemque reddens, si teratur, sed & etiam crocum. At in attrahendo ferrum, non est natura eadem Æmathiti quæ magneti. Omnes autem hi medicamentis oculorum ad suam quoque portionem prosunt, maximeque Epiphoras sistunt, sanant & adusta cremati ac triti.

Vsus in medicina.

Temperamentum.

De Gagate.

CAP. XXII.

Etymon.

ISidorus, *vbi supra.* Gagates primum in Sicilia inuentus est, Gagatis fluminis fluore reiectus, vnde & nominatus, licèt in Britannia sit plurimus Est autem niger, planus, leuis, & ardens igni admotus: fictilia in eo scripta non delentur. Incensus serpentes fugat, dæmoniacos prodit, virginitatem deprehendit. Mirum quod aqua accenditur, oleo extinguitur. *Plinius, vbi supra.* Gagates lapis nomen habet loci & amnis, habet enim nomen gagatis Lyciæ. Aiunt & in leucocolla expelli mari, atque infra duodecim stadia colligi. Est autem pumicosus, non multum à lygno differens, planus, leuis, frangibilis, odore si teratur graui. Nam tritus odorem sulphureum reddit. Ex vino decoctus medetur dentibus. *Solinus.* Gagates calefactus applicata detinet. *Arnoldus, vbi supra.* Gagates lapis alius est glaucus, alius niger, & est leuissimus, per attritionem calefactus paleas attrahit, & facile combustibilis existit. Hydropicis confert, firmat dentes, valet contra ventris subuersionem & phantasmata, eiusque suffumigatio reddit menstrua. Aqua ex hoc lapide bibita, si bibens est virgo non vrinabit. Si autem virgo non est vrinabit, sicque Virginitas in eo experitur. Et etiam contra laborem parturientis auxiliatur. *Ex libro de natura rerum.* Gagates lapis niger est ac lucidus, caducis prodest accẽsus. Dæmones quoque fugat, aut si per os hominis obsessi loquantur, fumus eos tacere cogit. Idem stomachum euersum iuuat. Et aqua in qua triduo iacuerit, cito partum liberat. Ipsa quoque aqua si à puella potetur an virgo sit deprehenditur. Nam si virgo est immota manet, si corrupta incontinenti mingit. Idem lapis dæmonibus, & incantationibus resistit, serpẽtes fugat, vnde & aquila ponit eum in Nido suo contra serpentes. Sergius tamen dicit, quod hoc facit vt calorem suum circa oua temperet. Idem quoque calefactus confricatione paleas attrahit ad se, & cortices granorum tritici. *Auicenna vbi supra.* Gagates est lapis leuis, habẽs odorẽ Asphalti, confert podagræ, & suffocationi matricis, quando suffumigatur ex ipso, epylepticis confert, fumus eius effugat vermes venenosos. *Dioscorides.* Gagates melior est ille, qui facile igne exarserit & odorem habet Asphalti, hic aqua solutus dentes mobiles confirmat, ad rigores præcordiorũ ac dolores, & euersiones facit.

Vis.

Probatio virginitatis.

Color.

Nota de aquila.

Indicium bonitatis.

Incen-

Incensus serpentes fugat, & epylepticos prodit. Incenditur autem & in aqua mittitur, & parturienti de eadem aqua per triduum potui datur: dæmonibus & omnibus maleficijs resistit, virginitatem deprehendit.

De Æthite.

CAP. XXIII.

Isidorus, vbi supra. Æthites reperitur in Nidis aquilarum, aiunt inueniri binos, marem ac fœminã. Nec sine his aquilas parere. Horum autem masculus est durus, similis gallæ subrutilus, fœminæus vero pusillus, ac mollis. Alligati partus celeritatem faciunt. Aliquid etiam vuluæ excidunt, nisi cito parturientibus auferantur. *Plinius, vbi supra.* Æthites magnam habet famam argumento nominis. Aiunt binos inueniri, marem & fœminam. Genera eorũ quatuor. In Aphrica nascentem pusillum ac mollem, intra se velut albam argillam habentem, suauem cãdidam, ipsum friabilem, quem feminei sexus putant. Marem qui nascitur in Arabia, durum gallæ similem, vel subrutilum, habentem in aluo duritiem lapideam. Tertius inuenitur in Cypro, colore similis eisdem in Aphrica nascentibus, amplior tamen atque dilatatus. Cæteris enim quasi globosa facies, arenam iucundam, & lapillos in aluo habet. Ipse vero tam mollis, vt fricetur etiam digitis. Quarti generis est Taphiusius nascens iuxta Leucadem vbi est mons Tophius, qui dextra locatus est ad Leucadem nauigantibus. Inuenitur autem in fluminibus candidus, ac rubicundus, huic est in aluo lapis, qui vocatur callimus, nec quicquam tenerius. Omnes grauidis alligati mulieribus, vel quadrupedibus, pelliculis sacrificati vteri animalium cõtinent partus, non nisi parturiant remouendi, alioquin vuluæ excidium fit. Sed nisi parturientibus auferatur, omnino non pariunt. *Aristo. vbi supra.* Lapis Æthites suspensus super cubitum eius, qui habet epilepsiam, prohibet eam, & imprægnatæ iuuat partum.

Arnoldus de Saxonia in libro de virtutibus lapidum. Æthites lapis est punicei coloris, qui reperitur in aquilæ nidis, aut in Persia, aut in littoribus Oceani, hic alium lapidem continet, & in sinistro suspensus lacerto, prægnantibus confert, casum caducorum prohibet, contra etiam abortum & laborem prægnãtis valet. Si de veneni fraude aliquis suspectus est, hic lapis sub eius cibo suppositus, ipsum deglutire prohibet si reus est. Si vero lapidem à cibo ipso subtraxeris, mox eundem cibum deglutiet. *Ex li. de na. re.* Aquila in nido lapidem habet Æthitem, qui velut prægnans fœtum continet intus lapidem minutum sonantem, & hunc contra calorem nimium, quem habet aquila, naturaliter incubans in nido, ne scilicet depereant oua decocta calore nimio. Huic enim lapidi calor ignis nocere nequit. *Physiologus.* Æthites facillime igne vicino accenditur. Sunt autem bini, masculus, & fœmina. Nec solum aquilis, ad pariendum oua prosunt, sed etiam prægnantibus ad alligati celeritatem partus efficiunt.

Mas & fœmina.

Locus.

Superstitiosum.

De Pyrite.

CAP. XXIV.

Isidorus. Pyrites lapis Persicus est fuluus, similans aeris qualitatem, sic dictus, eo quod insit illi ignis plurimus. Si quidem facile scintillas emittit, hic tenentis manum, si vehementius prematur, adurit. *Plinius, vbi supra.* Corallium lapidem pyritem vocant aliqui, eo quod ignis plurimus insit ei. Sed est etiam alius pyrites eris similitudine, quem reperiri volunt in Cypro. Et in metallis, quæ sunt circa Acananiam, vnum argenteo colore, alterum aureo. Coquuntur variè: Ab alijs iterum tertioque in melle, donec liquor consumatur; Ab alijs vero pruna prius, deinde melle, ac postmodum vt æs lauantur. Vsus eorum in medicina est ex calefacere, siccare humorem, extenuare, duritiasque nimias mollire. Vtuntur, & crudis, & tusis ad strumas atque furunculos. Pyritarum etiam aliqui genus vnum faciunt plurimum habens ignis, quos viuos appellamus, & ponderosissimi sunt. Hicastrorum exploratoribus maxime necessarij sunt, qui clauo, vel altero percussi scintillas edunt, quæ scilicet sulphure, vel fungis aridis, aut folijs exceptæ, dicto celerius ignem trahunt. *Diascorides.* Lapis pyrites eligendus est, colorem æraminis habens. Huic crudo & cocto virtus styptica & thermantica, caligines oculorum purgat, duritiem mollit, Diaphoresim & digestionem facit, addita resina carnes peræquat. Lapis iste combustus à multis diphryges dicitur.

Vsus in medicina.

Color.

De phrygio & phingite.

CAP. XXV.

Isidorus. Phrygius à loco dicitur, eo quod in phrygia nascitur colore pallidus, mediocriter grauis gleba pumicosa, vritur ante vino perfusus, flatusque follibus donec rubescat. Rursusque dulci vino extinguitur tribus vicibus, tingendis vestibus tantum vtilis. *Diascorides.* Phrygius lapis tres habet species. Vna est metallica, quę in Cypro nascitur, & de profundo ascendit lacu, quę & terrenosa est, & post hoc sole siccatur. Hęc in medio posita fatmento circuitur & comburitur. Altera species est fæx æraminis habens gustum æri vsto similem. Tertia vero sic colligitur, lapis pyrites colligitur, & in fornace positus vt calx cõburitur, quamdiu colorem sanguineum facit, & collectus reponitur, ac diphryges appellatur. Vtilis est ille qui gustu stypticus est, æris vsti similem saporem habens, & linguam fortius velut alumen deficcans, vnde si comburitur, pro diphryge venditur. Diphrygi quidem virtus styptica est purgatoria, & in modum niuis refrigeratoria. Crescentes superfluè carnes vulneribus æquat, ad cicatricem ducit, ad fluores oculorum vtilis est, vulnera maligna & pascentia curat, apostemata spargit. Ceraque & resina additis, omnia supradicta facere potest. *Isidorus.* Phengites Cappadociæ lapis est, duritia marmoreus, candidus atque transluces. Ex quo quondam templum à quodam rege constructum est, foribus aureis, quibus clausis intus diurna claritas erat. *Plinius, vbi supra.* In Cappadocia repertus est lapis phengites, sub Nerone Principe, ex argumento sic appellatus, quoniam candido & translucenti fuluæ inciderant venæ. Hic eidem constituit fortunæ, quam sciam appellant. Seruio rege sacratam, aurea domo complexus. Quamobrem & foribus opertis, erat interdiu ibi claritas diurna, haud alio specularium modo tanquam inclusa luce non transmissa.

Tres species phrygij.

Etymon.

Scia.

De Samio & Sarcophago & ostracite.

CAP. XXVI.

Isidorus. Samius à Samo Insula vbi reperitur vocatus est & grauis, & candidus, ad poliendum aurum vtilis, potatus vertigines sedat, Mentesque commotas restituit, adalligatus vero continet partus. *Plinius, vbi supra.* Samius lapis auro poliendo est vtilis. In medicina quoque vtilis est, oculorum vlceribus, cum lacte contra veteres lachrymationes prodest. Etiam contra stomachi vitia potus. Quidã & morbis comitialibus vtiliter putant eum dari, & ad vrinę difficultates aceto misceri, probatur autem grauitate atque candore. *Isidorus.* Sarcophagus lapis est dictus, eo quod corpora defunctorũ in eo condita, infra quadraginta dies dentibus exceptis consumuntur. Sarcos enim græcè caro dicitur. phagẽ, comedere; vestes quoque & calciamẽta mortuis

Samij virtus.

Etymon.

Corallium.

Sarcophagus lapis vnde

mortuis illata lapidea fieri, Mucianus auctor affirmat nascitur autem in Troade fissilique vena scinditur.

Locus. *Plinius, vbi supra.* In Asia Troadis fissili vena scinditur Sarcophagus lapis. Mucianus auctor est, specula quoque strigiles, ac vestes, & calciamenta mortuis illata fieri lapidea. Sunt & eiusdem generis in Oriente saxa, quæ etiam viuentibus adalligata erodũt corpora & mitior est seruandis corporibus, nec absumẽdis Chemites Eboræ simillimus, in quo Darium conditum ferunt.

Ostracita *Plinius, vbi supra.* Ostracitæ testæ similitudinem habent,

Vsus. vsus eorum est ad cutem leuigandam pro pumice, poti quoque sanguinem sistunt. Et illiti cum melle vlcera, doloresque mammæ resanant.

De Asbesto & Amantho & Catochite ac Memphyte.

CAP. XXVII.

Asbestos. ISidorus. Asbestos Archadiæ lapis ferrei coloris, ab igne nomen accepit, eo quod semel accensus nunquam extinguitur, de quo lapide mechanicum aliquid ars humana mollita est, quod gentiles capti sacrilegio mirantur. Aiunt enim in templo quodã fuisse veneris phanum, ibique candelabrum, & in eo lucernam sub diuo sic ardentem, vt illam nulla tempestas, nullus imber extingueret. *Plinius, vbi supra.* Amanthus alumini similis, nihil igne deperdit, omnibus veneficijs, & priuatim magorum resistit.

Amanthus.

Catochites. *Solinus.* Catochites est lapis in agro Corsicano maior cæteris, qui ad ornatum destinatur. Nec tam gemma quam cautes; hic impositas manus detinet. Ita seiunctis corporibus adnectens, vt cum ipso hæreant quibus tangitur, sed inest ei vellus, & de glutino lentiore nescio

Memphytes obstupefacit corpus. quid pariat gũmi. *Isidorus.* Memphytes à loco Ægypti vocatus gemmautis naturæ est, hic tritus atque in his, quæ vrenda & secanda sunt, ex aceto illinitus, ita obstupescere facit corpus, vt non sentiat cruciatum.

De Androdamanto & de quibusdam alijs.

CAP. XXVIII.

Androdamantus. ISidorus, vbi supra. Androdamantus est colore niger, pondere & duricia insignis, vnde & nomẽ traxit, præcipuus autem in Aphrica inuenitur. Argẽtum, vel æs, in se trahere dicitur. Attritus, vt hemathites in colorem sanguinis redigitur. Syrus à Syria vbi reperitur appellatur: hic integer fluctuare traditur, comminutus mergi. *Physiologus.* Theroboleni lapides sunt

Theroboleni lapides. igniferi in quodam monte Orientis, Masculus, & fœmina, qui quando longe sunt ab inuicem, ignis ab eis non accenditur. Cum autem casu aliquo appropinquauerit fœmina masculo, statim accenditur in eis ignis. Ita vt ardeant omnia quæ circa montem illum sunt. *Plinius, vbi supra.* Geoden ex argumento appellant, quia complexus est terram, vtilissimus est oculorum medicamentis. Itemque mammarum ac testiculorum vitijs.

Arabus. Arabus est lapis Ebori similis, qui crematus accommodatur dentrificijs, priuatim hemorrhoidas sanat cum lanugine linteorum eisdem lintheolis

Melinus lapis. insuper impositus. Melinus lapis dulcem emittit succum, atque mellicum. Tusus, ac cerę mixtus eruptionibus pituitæ, maculisque corporis medetur, & faucium exulcerationi. Epinictidas quoque tollit, & vul-

Spongia. uarum dolores impositus velleti. Spongiæ lapides inueniuntur in spongiis, & sunt natiui. quidam eos cysteolithos vocant, quoniam in vino poti vesicæ medẽtur, & calculos rumpunt.

Theamedes. Theamedem lapidem alius mons in Ethiopia gignit, qui omne ferrum abigit & respuit, porro in aliis atque aliis lapidum generibus sunt qui & lunam non tolerent, & qui vetustate rubiginem trahant, coloremve candidum oleo mutent.

De gemmis & earum virtutibus.

CAP. XXIX.

ISidorus. Gemmæ dicuntur eo quod instar gummi transluceant. Nam quæ non transluceant gemmæ cæcæ appellantur, eo quod densitate sua obscurantur. Multum vero decorem auro tribuunt gemmæ, colorum venustate. Lapides autem precioſi dicuntur, quia care valent, vel quia rari sunt, quoniam omne quod rarum est, precioſum vocatur. *Ex libro de natura rerũ.* Gemmarum virtus magna est, & vnde habeat nisi à Deo homini incompertum est. Nam omnis virtus à Deo fit. In herbis quidem est mediante operatione naturæ, vtpote quæ naturaliter calidæ sunt aut frigidæ. Ideoque competunt medicinæ, quæ scilicet per contraria fit, horum autem nullum in lapidibus est, vt scilicet excessus caliditatis, aut frigiditatis in aliquo lapidum denotetur. Constat ergo quia sine vllo medio indidit virtutem omnipotens, eisque voluntatis suæ virturem & potentiam tribuit, pro ratione naturæ. De his autem dicit Aug. quod per has etiã dæmones alliciunt. Vnde & Salomon inclusisse dæmones sub gemmis, & in annulis legitur. Sed sicut in peccato primi hominis omnis creatura corrupta est, sic etiã in ipsis virtutes, quæ post peccatum in eis remãserant, per attactum & vsum immundorũ & impiorũ hominũ, præcipui lapides corrũpuntur. Sed sanctificatione consecrationis, ad virtutum efficacias reparantur.

De dæmonibus inclusis in lapidibus.

Ex Lapidario.

Occultas autem lapidum cognoscere vires,
Quarum causa latens effectus dat manifestos.
Egregium quidam volumus rarumque videri,
Scilicet his solers medicorum cura suuatur.
Auxilio lapidum morbos expellere docta,
Nec nimis inde dari reliquarum commoda rerum,
Auctores perhibent, quibus hæc perfecta feruntur,
Nec dubium cuinis debet falsumve videri,
Quin sua sit virtus diuinitus insita gemmis.

Hier. super Hierem.

De natura vero lapidum siue gemmarum, & græcorum plurimi & latinorum scripserunt, ex quibus sanctæ memoriæ episcopus Epiphanius vnus fuit, qui nobis ingenii & eruditionis suæ volumen insigne reliquit. Plinius quoque secundus orator & philosophus extitit, qui etiam in opere pulcherrimo naturalis historiæ librum 37. qui & extremus est, lapidum atque gemmarum disputatione compleuit.

De gemmarum generibus atque coloribus.

CAP. XXX.

ISidorus, vbi supra. * Gemmarum autem innumerabilia genera esse traduntur. Quarum etiam colores diuersi sunt. Nam aliæ sunt virides, vt Smaragdus, Prasius, Chrysoberillus, Chrysoprassus, & Iaspis, Topasius, Callaicus, Molochites, Heliotropium, Sagda, Myrrhites, Aromatices, Choaspites.

* *Vide c. 7. 8. 9. & c. 16. originũ.*

Aliæ vero rubeæ, vt Corallius, onyx, sardonix, hæmathites, succinus, lygurius.

Aliæ purpureæ, vt amethistus, sapphyrus, hyacinthus, chelidonius, cyanea.

Aliæ quoque candidæ, vt margarita, pædorus, asterites, galactites, galatiis *, selenites, cymedia, epymelas.

* *Plin. Galaxia.*

Aliæ vero nigræ, vt achates. Absyctos, Ægyptilla, Media, Veientana, Baroptis, mesomelas, veneris crinis, pyritis, dionysia.

Porro aliæ sunt variæ, vt panctæus, olea, Mitraax, Oppalus, Ponticæ, murrhinæ, henecontalithos.

Aliæ vero chrystallinæ, vt chrystallus, adamas, galacias, ceraunius, iris, astrion, Alectria, Enhydros, Carbunculus, Antracites, saudactros, lychnites alabandina, carchedonius, draconites, chrysoprasius, ermistion, phlegontis, syrtites.

Quædam

Quædam autem aureæ, vt chrysopis, chrysolitus, A chryselectros, Aramochryſus, chryſolamis, lemochryſus, chryſocolla. Multum vero (ſicut iam dictum eſt ſupra) decorem auro tribuunt gemmę colorum venuſtate.

De luxuria hominum in gemmarum precijs & aſpectibus.

CAP. XXXI.

Gemmarum æſtimatio. PLinius li. 37. Denique in arctum coarcta rerum natura maieſtas nulla ſui parte mirabilior apparet hominibus, quam circa gemmas. Tantum varietati coloribus, ac materiæ decori tribuunt. Violare quoque ſignis gemmas nephas dicunt. Aliquas vero arbitrãtur extra humanarum opum taxationem ac precia, ita vt pleriſque ad ſummam abſolutamque rerum naturæ contemplationem, ſatis ſit vna aliqua gemma, *Mirum de ſcauro.* Polycrates, etſi fatebatur, quod fælix eſſet, ſatis tamẽ videretur piamenti vnius gemmæ voluntario damno, ſi cum fortunæ volubilitate paria faceret; planeque ab inuidia eius habendæ redimi ſe putaret, ſi hoc vnũ doluiſſet. Aſſiduo ergo gaudio laſſus nauigio proiectus in altum annulum merſit. At illum piſcis ex nimia magnitudine regi natus eſcæ vice raptum, vt faceret oſtentum, in culina domini, rurſus fortunæ inſidiantis manu reddidit. Hanc vero gemmam conſtat fuiſſe ſardonicem. Poſt hunc annulum regia fama exiſtit de gemma Pyrrhi, qui aduerſus Romanos bellũ geſtabat. Achatem enim habuiſſe traditur in qua nomen muſæ & Apollo cytharam tenens, non arte, ſed ſponte naturæ ſpectarentur, ita diſcurrentibus maculis vt muſis quoque darentur inſignia ſingulis. Pompeius tertio triumpho, quem de pitatis, Aſia, ponto, gentibuſque ac regibus egit, alueum cum teſſeris luſorium è gemmis duabus latum pedes tres, longum quatuor, tranſduxit. In eo fuit aurea luna, pondo triginta milium, triclinares lecti tres, vaſa ex auro & gẽmis abacorum nouem. Signa vero aurea tria. Mineruæ matris, & Apollinis corona ex margaritis triginta tres. Mons quoque aureus quadratus cum ceruis, ac leonibus, & pomis omnis generis circũdatus vite aurea. Muſeum ex margaritis, in cuius faſtigio erat horologium. Cætera triumphi eius, quam veriſſime ſubijciam. Sed honore id reciduo, ſeueritate ſcilicet victa ex veriore luxuria quam triumpho, profecto inter illos viros cognomen magni duraſſet, ſi ſic è margaritis triumphaſſes Magne, re tam prodiga, feminiſque repetta, quam habere gereque fas non ſit. Tollerabiliorem tamen fecit cauſam Caij Principis, qui ſuper cærera muliebria oculos è margaritis induebat, Neroniſque Principis, qui ſceptra perſonis hiſtrionum, & cubiculi viatoria vnionibus conſternebat.

Anuelus Pyrrhi.

Alueus luſorius Pompeij.

Deploratio Pompeij fortunæ & luxus.

De quarundam earum denominationibus, & effectibus.

CAP. XXXII.

ISidorus, *vbi ſupra.* Sunt autem gemmarum quædã genera ex metallorum vel lapidum ſpecie cognominata, vt chryſopis quoniam aurum tantum eſſe videtur. Leochryſus colore aureo intercedente candida vena, Chryſelectros auro ſimilis, ſed in colorem vergens electri, Calcites coloris ærei, Ethiopicus ferrei, Zunilanicius, ſimilis marmori. Arabica Ebori. Sunt & quædam earum genera ab animalibus cognominata. *Namaphites, vipereas exprimit maculas, caccine eſt ex cancri maritimi colore, Scorptis colore effigieque ſcorpionem refert, vnde & nominatur. Myrmicites formicæ reptantis effigiem imitantur, Chaos ſimilis eſt pauoni. Hieracites accipitris coloris, Æthites aquilæ, Egòphthalmus caprino ſimilis eſt oculo. Lycophthalmus eſt colorum quatuor, ex rutilo ſanguineum, in medio nigrum, candido cingens, vt luporum imitetur oculos. Meconithes exprimit papauer. Multi ſunt autem & mirabiles gẽmarum effectus in medicinis, & varijs vſibus. Sunt & quædam earum quibus gentiles in quibuſdam vtuntur ſuperſtitionibus. Nam liparea ſuffita omnes beſtias euocari tradunt. Anancitidæ in Necromantia dæmonum imagines euocare dicũtur, Synochitidæ vmbras inferorum euocatas, teneri aiunt. Chelonites oculus eſt indicæ teſtudinis varius atque purpureus, quo magi linguę impoſito futura prænunciare fingũtur * Bronia à capite teſtudinum è tonitribus putatur cadere, Ictuſque fulminis reſtinguere. Hyenia quoque lapis in oculis hyenæ beſtiæ inuenitur, ſi ſubditus fuerit hominis linguæ, futura dicunt eum præcinere. Sed corallius tempeſtati & grandini reſiſtere fertur, pontica quoque gemma dicuntur interrogare dæmones, ac fugare.

Superſtitioſus vſus gemmarum.

** Alij legunt Brontia.*

De quarundam adulteratione ac meliorum electione.

CAP. XXXIII.

IDem. In quibuſdam vero gemmarum generibus, magna difficultas eſt à falſis verá diſcernere. Quippe cum inuentum ſit, ex vero genere alterius, in alia falſa traducere; vt ſardonices è ceraunijs glutinantur gemmis, ita vt deprehendi non poſſint. Fingunt enim eas ex diuerſo genere, nigro candido niueoque colore. Nam & pro lapide precioſiſſimo ſmaragdo, quidã vitrum arte inficiũt, & fallit oculos ſubdole quædam falſa viriditas, dum non eſt qui probat ſimulatum & arguat, Sic & alia alio atque alio modo. Nec eſt ſine fraude vlla vita mortalium. *Plinius vbi ſupra.* Inuentum eſt ex veris gemmis fieri traductionem in falſas alterius generis. Sardonices è ceraunijs glutinantur gemmis aliunde nigro, aliunde candido, aliunde niueo, ſumptis omnibus in ſuo genere probatiſſimis, ita vt fieri non poſſit artis deprehenſio. Quinimo extant etiam auctorum commentarij, quos aiunt demõſtrare quibus modis ex chryſtallo tingantur ſmaragdi, aliæque tranſlucentes gemmę. Sardonix è ſarda, & itẽ ex alijs cæteræ. Nec vlla fraus vitę eſt lucroſior. Nos autem econtra rationem deprehendendi falſas demõſtremus, cum etiam luxuriam aduerſus fraudem muniri deceat, præter illa quę in principalibus cuiuſque generis priuatim dicemus. Tranſlucentes matutino probari cenſent, aut ſi neceſſe eſt in quartam horam, poſtea vetant. Experimenta vero pluribus modis conſtant, primum quidem pondere ſi grauiores ſentiuntur, poſt hoc corpore, ficticijs puſtulæ in profundo apparent, ſcabricia in cute. In capillamento frigoris inconſtantia, priuſquam ad oculos perueniat, deſinens nitor ficticiæ etiam ſcarificationis candicantiam fugiunt. Cæterum caue extuberantes, quia videntur æqualibus viliores, figura maxime probatur oblonga, deinde quæ vocatur lenticula poſtea clipeidos & rotunda; Angulosis vero minima eſt gratia.

Sophiſticatio gemmarum.

Fraus lucroſiſſima.

Probationes gemmarum.

De quarundam virtutibus attractiuis.

CAP. XXXIV.

ARiſto. *in li. de lapidibus.* Inter lapides atque gemmas quædam habent diuerſas virtutes attractiuas. Nam verbi gratia carrabre lapis attrahit paleam, & non eſt ei operatio, donec teratur multum. Adamas ferrum attrahit & magneti ſurripit. Species vero magnetis multæ ſunt. Et in attrahendi virtute diuerſæ ſunt. Ex his enim eſt quæ colligit aurum diuerſa quidem ab illa, quæ colligit argẽtum. Eſt etiam quę colligit æs, & quæ colligit plumbum. Alia quoque colligit carnem, alia os, alia pilos, alia vero aquas, & piſces alia Zibar ideſt ferrum quando coæquantur virtutes, quæ ſunt in magnete, pendebit corpus in aere. Ignis quoque ſulphuris ad ſe ferrũ & lapides trahit, eoſque adurit. Modica vero eſt eius operatio in lignis, & alia re multum

Species Adamantis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Lapis olearij

re multum ſubtili. Naphtha quoque alba ignem trahit. Eſt etiam inter lapidum ſpecies lapis olearij nominatus, qui trahit ad ſe oleum & lapis aceti, qui trahit ad ſe vinum. Et ſpuma eius ad ſe ſpumam trahit. Eius quoque fæx fæcem attrahit. Sic autem trahunt, & trahuntur hæc omnia. Tanquam his ſapor eſſet optimus, aut odor, aut anima. *Arnoldus de natura lapidum.* Itaque in lapidibus eſt proprietas aliqua, quæ nulli complexioni eſt attributa. Sed cum prima ſimplicia mixta ſint, ex eis virtus fit vna, ſicut in magnete virtus attractiua, qui & ferrum ex vno attrahit angulo, & fugat ex alio. Sic & virtutes ſpecificæ diuerſi generis ſunt lapidibus, variè ſingulis eorũ attributę.

De quarundam ſigillis.

CAP. XXXV.

Lapides ignei.

Item in li. de ſigillis lapidum. Igitur ſi in quibuſdam lapidibus inueneris Arietem, vel Leonem, vel Sagittarium, inſculptum, Lapides illi ſunt ignei & Orientales, liberãtque ſæpe ferentes ſe à febribus quotidianis & hydropiſi. Eoſque reddunt facundos, & ingenioſos. Si inueneris autem in aliquibus Geminas, Libram, Aquarium, hi calidi ſunt aerei & Occidentales, liberantque à febribus, & à paralyſi ſe ferentes. Porro in quibus inueneris Cancrum vel Scorpionem, ſeu Piſces impreſſos, illi frigidi ſunt, & aquei, & Septentrionales, defendũtque ab arthretica, tertiana, & acura febri. In quibuſcunque autẽ inueneris Taurum vel Capricornum, vel Virginem, hi frigidi ſunt & Meridionales, perpetuoque tutos à ſynocha reddũt ſe gerentes. Porro ſerpentarius lapis, qui ſerpente hominem habet cinctum, cuius caput dextera manus tenet, ſiniſtra caudam. Hic geſtatus, vel bibitus liberat omnem hominem à veneno ante cibum ſumptus, & poſt. Lapis autem in quo ſignatus, eſt Centaurus habens in ſiniſtra manu leporem ſuſpenſum cultello, & in dextra baculum, in quo beſtiola infixa eſt, cum lebete ſuſpenſa. hic reddit ſe gerentem in ſanitate perpetua. Inde dictum eſt, quod Centaurus, qui magiſter Achillis erat, hunc lapidem manu ferebat. Si autem in lapide inueneris ſigillum cerui, canis, vel leporis, aut venatoris, hic habet potentiam ſanandi dæmoniacos, ac phreneticos, & melãcholicos atque lunaticos. Porro ſi inueneris in eo Martem armatum aut Venerem cum ſtola tenentem laurum cum magna veſte, hic lapis dat pulchritudinem ac leuitatem, & aufert timorem aquæ. Denique ſi leonem in lapide inueneris, qui eum portauerit non ei nocebit, nec ægritudo frigoris. Hi & alii lapides aſſignati fuerunt in templo Apollinis, regis Perſarum, conſilio omnium aſtrologorum, tam Ægyptiorum quam Chaldæorum ſecundum curſus ſignorum, & horas planetarum.

Aerei.

Frigidi & aquei.

Omnia iſta ſunt fabuloſa.

De proprietatibus gemmarum ſecundum ordinem alphabeti & primo de abſyćto.

CAP. XXXVI.

Vtlor. Dicto de gemmis in generali, nunc reſtat dicendum de ſingulis ſecundũ ordinem alphabeti. Non quidem de omnibus, quia multæ & quaſi infinitæ ſunt, ſed de illis quæ principales vocantur, & virtute inſigniores exiſtunt, vt hic ſequitur. Abſyctos, Achates, Adamas, Agapis, Alabandina, Alabaſtrum, Alectorius, Amethiſtus, Auadrodamanta, Anthracites, Aſius, Aſtrites, Aſtrion. Balagius, Berillus, Callaica, Calchedoneus, Chatophonus, Carbunculus, Catochites, Chelidonia, Ceraunium, Coralius, Cornolus, Chryſelectros, Chryſocolla, Chryſopraſus, Chryſopraſius, Chryſtallus, Cynædia, Dæmonius, Droſelitus, Dracontites, Diacodos, Dionyſia. Ebenus, Epheſtis. Electra, Heliotropium, Æmathites, Enhydros, Ephiſtites, Erinicion, Exacontalithus, Calcones, Phlegontes, Filaterum, Galacteus, ſiue Galactides, Galaties, Garamantites, Gerachites, Gloſopetra, Hyenia, Iacinthus, Iacinthizontes, Iaſpis, Karabrattes, KaKabræ, Ligius, Lychius, Lygurius, Lipparea, Margarita, Malachites, Media, Myrrhita, Muria, Nitrum, Nicomar, Noſe, Onix, Opalus, Oſtratites, Pantros, Peanites, Pędoros, Praſius, Pyrites, Quirinus, Quanhydros, Radix, Ramni, Sapphyrus, Sagda, Sandaſirus, Sardius, Sardonix, Selenitis, Smaragdus, Solis gemma. Theogolitus, Topaſius. Torcois, Varac, Veientana, Venix, Vrices, Iris, Zignites, Zimetu.

Iſidorus. Abſyctos gemma eſt nigra & ponderoſa, diſtincta venis rubentibus. Hæc excalefacta igni ſeptem diebus retinet ignem vel calorem.

De achate.

CAP. XXXVII.

Magicus vſus Achatis.

Dem. Achates eſt gemma nigra habens in medio circulos nigros, & albos iunctos, & variatos, ſimiles æmathiti, polita autem pingueſcit. Magi ſuffitu earum (ſicut creditur) tempeſtates auertunt, fulmina ſiſtunt. *Idem.* Achatem Sicilia primum dedit in Achate fluminis ripis repertum non vilem. Quippe inſcribentes eum venæ, naturalibus ſic notant formis, vt cũ optimus eſt, varias præferat rerũ imagines. Vnde anulus Pyrrhi regis, qui contra Romanos geſſit bella, non ignobilis fuit, cuius gemma erat Achates. In quo nouem muſæ cum inſignibus ſuis ſingulæ & apollo tenens cytharam videbantur. Non impreſſis figuris, ſed ingenitis. Nunc autem diuerſis locis patet hic lapis. Creta dat Achatem corallo ſimilem, ſed illitum guttis auro micantibus, & ſcorpionum ictibus reſiſtentem. India dat Achatem, nunc nemorum, nunc animalium facies reddentem, qui viſum fouet. Et intra os receptus, ſitim ſedat. Sunt & qui vſtæ redolẽt myrrhæ odorem. Achates maculis ſanguineis irrubeſcit. Sed qui maximè probantur, habeant vitream perſpicuitatem, vt Cyprius. Nam qui facie cærei ſunt abundantes negliguntur. *Plinius vbi ſupra.* Achates in auctoritate fuit magna. Nunc autem in nulla. Reperta primum eſt in Sicilia iuxta flumen eiuſdem nominis, poſtea vero plurimis locis. *Ex li. de natura rerum.* Achates in orientali fluuio reperitur, viperarum morſus aufert, quia cõtra venena valet, venena quippe fugat, ſitim ſedat, viſum fouet, portantẽ roborat & fęcundat.

Loca ex quibus affertur Achates.

Ex Lapidario.

Hic lapis (ſcilicet achates) *ingenitas memoratur habere figuras.*
Cuius natiuis facies interlita venis.
Nunc formas rerum dat, nunc ſimulacra Deorum,
Sic licet ipſe niger, Zonis tamen obſitus albis.

De multiplici achatis origine ac ſpecie.

CAP. XXXVIII.

Virtus.

Plinius vbi ſupra. Achates excedens amplitudine, eſt numeroſa, varietatibus diuerſis, mutantibus eius cognomina. Coral-Achates guttis aureis ſapphyri modo ſparſa, qualis copioſiſſima eſt in creta, putant eam contra ſcorpionum & aranearum ictus prodeſſe. Quod in ſiculis vtique crediderim, quia primum extinguitur ſcorpionum peſtis afflatu eius prouinciæ. In India quoque inuentæ contra eadem pollent, alijſque magnis miraculis, reddũt ſpecies fluminum & nemorum, & iumentorum, prodeſt etiam oculis ſpectaſſe. Sitim ſedat in os impoſita. Thebis Ægyptiis repertæ carent rubentibus venis, & albis, proſunt tamen cõtra ſcorpiones valde. Eadem quoque Cyprijs eſt auctoritas. In Perſis quoque ſuffitu earum tempeſtates fulminaque dicuntur auerti. Et argumentum eſſe, ſi refrigerent in feruentes lebetes additæ, vt tamen proſint leoninis iubis ad alligandas eſſe. Nã hyenæ pelli ſi-

milem

Vnici coloris vis maior.

milem abhominantur, domibus diſcordialem. Illam vero quæ vnius eſt coloris, inuictam eſſe dicunt athletis. Argumentum vero eius eſſe & cocta cum pigmẽtis in olla plena olei intra duas horas ſubferuefacta, vnum colorem ex omnibus faciat minij. *Arnoldus, vbi ſupra.* Achates eſt niger lapis cum albis venis. Eſt autem quoddam genus achatis corallo ſimile. Et eſt genus creticum cum venis croceis. Aliud quoque genus indicum ſanguineis guttis variũm, primum genus aptum eſt ad formas regum & ſymulachra monſtranda ſomniorum. Creticum vero pericula vincit, gratum & facundum, bonique coloris hominem facit vireſque confert ac munit. Tertium genus viſum fouet, contra ſitim, ac venenum eſt, & accenſio eus odorifera eſt.

Ex Lapidario.

Nunc quoque corallio ſimilem gerit inſula Creta,
Cuius planicies chryſeis eſt illita venis,*
Ille nocens virus fugat, quod vipera fundit,
Reddentem varias facies dat & Indus achatem,
Nunc nemorum frondes, Nunc dantem ſigna ferarum,
Hic ſedare ſitim, viſumque fouere putatur,
Eſt & qui myrrha ſuccenſus ſpirat odorem,
Sanguineas maculas eſt qui perhibetur habere,
Ærea cui facies, cui creber viſus habetur.

* *Forſan croceis.*

De adamante.

CAP. XXXIX.

Magnitudo adamantis,

ISidorus, *vbi ſupra.* Adamas eſt lapis Indicus paruus, & indecorus, ferrugineum habẽs colorem, & ſplẽdorem chryſtallinum. Nunquam autem vltra magnitudinem nuclei auellanæ repertus eſt: hic nulli materiæ cedit, Nec ferro quidem, Nec igni, Nec vnquam incaleſcit, vnde & nomen interpretatione græca, indomita vis accepit: ſed cum ſit inuictus, ferrique & ignis contemptor, hyrcino ſanguine rumpitur recenti & calido, ſicque maceratus multis ictibus ferri perfringitur. Cuius fragmentis ſculptores pro gemmis inſignandis, ac perforandis vtuntur, hic cum magnete lapide diſſidet intantum, vt iuxta poſitus ferrum non patiatur trahi à magnete, aut (ſi admotus magnes ferrum comprehenderit) rapiat atque auferat: fertur quoque in electri ſimilitudine venena deprehendere, metus vanos expellere, Maleficis artibus reſiſtere: Eius genera ſunt ſex. *Phyſiologus.* Adamas in quodam monte orientis inuenitur. Nocte tantum non in die quæritur, quia nocte lucet, per diem autem non lucet, quia ſol eius lumen abſcondit.

Etymon.

Antipathia cũ magnete.

Nocte quaritur.

Ariſtoteles, vbi ſupra. Adamas ferrum magneti aufert. Eiuſdemque magnetis naturam condemnat, omnia quoque ſolida corpora lapis adamas confringit, plumbum vero frangit eum, nec ferrum eum frangit. Sed nec in igne comburitur. Omnes quoque lapides penetrat & corrodit. Eorumque ſplendores detegit. *Plinius, vbi ſupra.* Maximum in humanis rebus, non ſolum inter gemmas, precium habet adamas, diu non niſi regibus, & his admodum paucis cognitus. In metallis repertus eſt auri modo nec naſci videbatur niſi in auro: veteres eũm in Æthiopum metallis tantum, inter Mercurij delubrum & inſulam Meroen, exiſtimauerunt inueniri. Dixerunt non ampliorem cucumeris ſemine, vel colore diſſimilem reperiri. Nunc autẽm eius genera ſex naſcuntur, de quibus ſcilicet infra dicetur. Illa vero eius inuicta vis. duarumque violentiſſimæ naturæ rerum, ignis, ferrique contemptrix, hyrcino rumpitur ſanguine. Nec aliter quàm recenti calidoque macerata, & ſic quoque multis ictibus, tũc etiam præterquam eximias incudes malleoſque frangit. Cuius hoc ingenio inuentum? quove caſu repertum? aut quæ fuit coniectura experiendi rem immenſi ſecreti etiam in fædiſſimo animalium? Cumque fęliciter rumpere contingit, in tã paruas frangitur cruſtas, vt vix diſcerni poſſint, quæ quidem à ſculptoribus expetuntur, ferroque includuntur omnem duriciem ex facili cauantes. Adamas venenã irrita facit, & lymphationes abigit. Metuſque vanos à mente expellit. *Arnoldus, vbi ſupra.* Adamas eſt lapis chryſtallo obſcurior, huiuſmodi tamen fulget colore, nec igne ſoluitur, vt dictum eſt, nec ferro. Sed hyrci ſanguine vel plumbo. Gemmas penetrat, & ferrum attrahit ipſum, magnetis quoque naturam ſoluit: virtus eius eſt in auro, vel argento, vel ferro, valetque contra inſaniam, & contra venena, & vana ſomnia, & phantaſmata. Et contra incubos, & contra hoſtes indomitos, geſtatus in lacerto ſiniſtro. *Ex li. de natura rerum.* Adamas fortem facit hominem contra hoſtem, ſomnia vana repellit, venenũ fugat & prodit, fertur enim ſudore madere, ſi venenum adhibeatur prope, prodeſt lunaticis, ac dæmone repletis. Ex contactu etiam prodeſſe dicitur inſanis.

Color.

Indicat venenum.

Vis.

Rumpitur hyrcino ſanguine.

Virtus.

De vario adamantis genere.

CAP. XL.

Sex genera.

PLinius, *vbi ſupra.* Adamantis genera ſex eſſe noſcuntur. Indicus cognationem habet cũ chryſtallo. Siquidem & colore non differt, tranſlucidus, laterum quoque ſexangulo lęuore, turbinatus in mucronem, aut duabus contrariis partibus, quo magis miremur, vt ſi duo turbines latiſſimis ſuis partibus iungãtur. Auellanę vero nuclei magnitudine: ſimilis eſt huic Arabicus, minor tantum ſimiliter naſcens cæteris pallidior, & in auro non niſi excellentiſſimo natalis: incudibus hic deprehenditur, ita reſpuens ictus, vt ferrum vtrinque diſſultet, incudes etiam ipſæ diſſiliant, duritia quippe inenarrabili eſt ſimulque ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens, vnde & nomen indomita vis græcè accepit: vnum ex his vocant Centrõ milii magnitudine, Alterum eſt Macedonicum, in auro Philippo repertum cucumeri ſemini par: poſt hunc Cyprius notatur, in Cypro repertus, in aureum colorem vergens, ſed in medicamine efficaciſſimus: poſt hunc eſt ſiderites ferrei ſplendoris, pondere quidem ante cæteros, ſed natura diſſimilis. Nã & ictibus frangitur, & alio adamãte, qui ex Cypro venit perforatur. *Ex li. de natura rerum.* Adamantis duo ſunt genera, vnum in Indiæ partibus inuenitur, inter rupes chryſtallinas, Chryſtallini coloris, Sed quaſi ferrum lima tũm micans, cuius ſcilicet naturam deſcribit Iſidorus: huius vis maior eſſe perhibetur, ſi ſedes eius cum in annulo ponitur, ferrea ſit. Annulo tamen pro dignitate lapidis ex auro conſtante, hic à quibuſdam Diamas dicitur. Aliud in Arabia reperitur, & in mari circa Cyprum, & in Ferraria quæ Philippis eſt, dignitate quidem & virtute multo inferius. Sed maioris quantitatis, & colore diſſimilis, obſcurum ſcilicet ac ferrugineum, ſine cruore hyrci frangitur, ferrum autem hic aufert magneti. Stellamque maris indicem itineris, inter obſcuras nebulas per diem vel noctẽ nautis prodit. Cum enim vias ſuas ad portum dirigere neſciunt, accipiunt acum & acumine eius ad adamantem lapidem fricato per tranſuerſum in feſtuca parua figunt, & vaſi pleno aqua immittunt. Tunc adamantem vaſi circumducunt, & mox ſecundum motum eius ſequitur in circuitu cacumen acus, rotatum ergo perinde citius, per circuitum lapidem ſubito retrahunt, moxque cacumen acus auulſo ductore, contra ſtellã aciem dirigit, ſtatimque ſubſiſtit, nec per pũctum mouetur, & ntauæ ſecundum demonſtrationem factam ad portum vias dirigunt.

Syderites.

Adamas frangibilis ſine cruore hyrcino.

Pyxidis nautica inuẽtio.

Iterum de eodem.

CAP. XLI.

SOlinus. Adamas Indicus lymphationes abigit, venenis reſiſtit. Eximius, in chryſtalli genere quodam inuenitur, Materia vnde naſcitur æque ſimili, ſplendore liquidiſſimo, in mucronem ſexangulum per vtrumque latus leuiter turbinatus, paruus eſt

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Adamantis species.

vt auellanæ nucleus; Secundus est pallidior, & magis argenti splendore renitens; Tertius in venis Cypri repertus ad aeriam faciem prior. Quartus, in metallis ferrarijs legitur, cæteros antecedens pondere, non tamen potestate. Nam hic & qui in Cypro deprehenduntur, frangi queunt, & etiam plerique ab altero adamante perforantur, primi vero nec ferro vincuntur nec igne domantur. Verum tamen hyrcino sanguine recenti calidoque macerati, malleis aliquot ante fractis, & incudibus dissipatis. Aliquando cedunt atque in particulas dissiliunt, qua fragmenta sculptoribus in vsu insigniendæ gemmæ cuiusdam expetuntur. Hi vero primi in auro excellentissimo deprehenduntur.

Ex Lapidario.

De Adamante.

Vltima præcipuè genera Indiæ sunt adamantis,
Ad chrystallorum natum sumptumque metallis,
Nunc ita fulgentem chrystallum reddit origo,
Vt ferruginei non desinat esse coloris,
Cuius durities solidissima cedere nescit,
Ferrum contemnens nulloque domabilis igne:
Qua tamen hyrcinò calefacta cruore liquescit,
Incudis damno percussorumque labore,
Huius fragmentis gemma sculpuntur acutis,
Alterius generis producit Arabia adamantem,
Non sic inuictum, nam frangitur absque cruore,
Nec nitore par huic preciyque minoris habetur,
Pondere sit quamuis, & enormi corpore maior,
Tertius est Adamas, quem dat maris Insula Cyprus,
Quartum producit ferraria vena philippis:
Omnibus æqua tamen vis est, adducere ferrum,
Quod facit & magnes, absente potens adamante,
Nam præsens Adamas magneti, quodrapit aufert.
Ad magicas artes idem lapis aptus habetur,
Indomitumque facit mira virtute gerentem,
Clausus in argento lapis hic auroue feratur.
Cingit & hic læuum fulgens armilla lacertum.

De agape & alabandina.

CAP. XLII.

Virtus.

Dioscorides. Agapis potentias habet maximas, qui colorem pelli leonis habet similem, ad morsum scorpionis valet. Alligatus enim vel illinitus cum aqua statim dolorem tollit, Tritus, & vulneribus aspersus, vel in potione cum vino datus, viperarum sanat morsus, portatusque facundum & amabilem gratum ac potentem facit.

Etymon.

Isidorus, vbi supra. Alabandina dicta est ab Alabanda regione Asiæ. Est autem chrystalli genus, cuius color ad chalcedonium vadit, sed rarus. *Arnoldus, vbi supra* Alabandina fulgore habet, qui est rufus, clarus, vt sardius. Huius virtus est, quod fluxum sanguinis prouocat & augmentat.

Ex Lapidario.

Est Alabandina cuius lux æmula sardi,
Indicis ambiguum de nomine fallit amicum.

De alectorio.

CAP. XLIII.

Solinus. Alectorius lapis traditur, qui chrystallina specie, fabæ modo in gallinaciorum ventriculis nascitur, aptus vt dicunr præliatoribus.

Virtus.

Dioscorides. Alectorius lapis in ventribus gallorum gallinaciorum inuenitur, quem gladiator habens in ore, permanet inuictus, ac sine siti. Mulieribus quoque quæ volunt placere viris proderit, quia portantes se probas, ac speciosas reddit.

Locus. Tempus.

Arnoldus, vbi supra. Alectorius est lapis obscuro chrystallo similis, è ventriculo galli castrati trahitur post quartum annum, vltima eius quantitas est ad magnitudinem fabæ, hic excitat Venerem, hominemque disertum & constantem facit, atque in ore tentus sitim reprimit. *Exli. de naturis rerum.* Alectorius lapis est Chrystallo vel aquæ limpidæ similis, in iecore gallinacij reperitur, si castratus fuerit, post quã tribus annis vixerit castratus. Nullus maior est faba, postquam hic lapis in gallinacio fuerit nunquam bibit, valet frigidis, & qui coire non possunt. A muliere quoque bibitus facit eam viro suo placere, portãtem se facit inuictum, & sine siti. Hinc reges eum habẽtes in ore fortiter dimicant. *Phisiologus.* Alectorius in vẽtre galli nascitur, qui post tres annos castratur. & postea per septem annos viuens hunc lapidem portat idẽ gallinacius, hic lapis sitim extinguit, hominemque disertum & gratũ, maximeque gratam vxorẽ marito facit, vt autẽ habeat hæc omnia, clausus in ore portatur.

Ex Lapidario.

Ventriculo galli qui testiculis viduatus,
Cum tribus ad minimum factus spado vixerit annis,
Nascitur ille lapis, cuius non vltima laus est,
Et per bis binos capit incrementa sequentes,
Mensuraque fabæ crescens excedere nescit,
Chrystallo similis, vel aquæ cum limpida paret,
Inuictum lapis hic reddit quemcunque gerentem,
Extinguitque sitim patientis in ore receptus,
Nam milo crotonias pugiles hoc præside vicit.
Hoc etiam multi superarunt prælia reges,
Hic oratorem verbis facit esse disertum,
Constantem reddens, cunctisque per omnia gratum,
Hic circa veneris facit incentiua vigentes,
Commodus vxori quæ vult foregrata marito,
Vt bona tot præstet, clausus portetur in ore.

De amethysto.

CAP. XLIV.

Etymon.

Isidorus, vbi supra. Amethystus Indicus inter purpureas gemmas tenet principatum. Est autem color eius purpureus permixto colore violaceo, & quasi rosæ nitor, leniter quasdam flammulas fundens: alterum genus eius descendit ad hiacynthos. Causam nominis eius reddunt. quia sit in eius purpura quoddam non in toto igneum, *sed vini colorem habens.* Est autem sculpturis facilis. Huius gemmę genera sunt quinque.

Remedium contra ebrietatem & pestem.

Aristotel. vbi supra. Iapis amethystus si posueris eum super vmbilicum, vaporem vini prohibet, ebrietatemque soluit & hominem à contagio liberat. *Arnoldus, vbi supra* Amethystus est gemma purpurei coloris, vt rosa, & transmittitur ab India; Sunt quædam eius species, Sed hæc ideſt Indica cæteris vtilior est, huic mollities ad sculpendum inest, virtusque illius est contra ebrietatem, facitque hominem vigilem, malamque cogitationem repellit, & intellectum bonum tribuit. *Plinius, vbi supra.* Indicæ quidem Amethisti principatum tenent. Sed in Arabiæ quoque parte, quæ est finitima Syriæ, petria vocatur. Et in Armenia minore, & in Galatia reperiuntur, & in Ægypto, sordidissimæ atque vilissimæ in Tharso & Cypro. Indicæ absolutum phœnicis purpuræ colorem habent, Et ad hãc tingentium officinæ vota dirigunt: fundit autem aspectum leniter blandum, neque in oculos vt carbunculi vibrantem. Alterum earum genus descendit ad hiacynthos, & hunc colorem Indi Sacon vocant; Est & paranites in continuo Arabiæ gentis. Quartum genus colorem vini habet. Quintum ad viciniam descendit chrystalli albigante defectu purpureæ, has gemmas magorum vanitas promittit ebrietati resistere, multaque mira efficere.

Genera Amethysti.

Color optimus.

Ex libro de natura rerum. Amethystus violacei coloris est optimus. Est autem quædam velut gutta vini rubei aqua corrupta. Et hæc facilior est ad sculpendum: valet multum vinum bibentibus, quoniam ebrietati est contrarius.

De

De Androdamante & anthracite.

CAP. XLV.

Nitor. *Isidorus.* Androdamanta nitorem habet argenti & penè Adamas ſemper teſſeris quadrata, Magi putant ei nomen impoſitum ab eo, quod domare ac refrenare dicatur impetus, vel iracũdias animorum. Gignitur autem in mari rubro. *Arnoldus, vbi ſupra.* Androdamanta lapis eſt coloris argenti, trahiturque de rubro mari, forma eius, vt teſſera, duricies eſt adamantis, virtus eius eſt cõtra furorem animũque cõmotum.

Etymon. Locus.

Ex Lapidario.

Androdamanta lapis formæ eſt quaſi teſſera quadra,
Ipſe maris rubri mixtus reperitur arenis,
Quem magus affirmat tantæ virtutis haberi,
Vt poſſit præſens animos ſedare calentes.

Ex libro de natura rerum.

Androdamanta lapis quadrus atque duriſſimus tãtæ virtutis eſt, vt animum furore calentem & luxuria ſedare poſſit. *Iſidorus.* Anthracites eſt coloris ignei vt carbunculus. Sed candida vena præcinctus cuius proprium eſt quod iactatus in ignem, velut mortuus extinguitur, ac contra perfuſus exardeſcit. *Plinius, vbi ſupra.* Eſt inter carbunculorum ſpecies anthracites, in Theſpeſſia foſſilis, carbonibus ſimilis, hæc quoque candida vena præcincta traditur. *Ariſtoteles, vbi ſupra.* Anthrax ideſt carbunculus rubeus, ſi cum eo ponatur orithy nocte lucebit.

Anthracitis locus.

De Aſio, aſterite, aſtrione.

CAP. XLVI.

Locus. *Dioſcorides.* Aſius lapis in Alexandria tantum inuenitur, qui optimus eſt ad vſum medicinæ, qui eſt colore candidus, ac leuis in modum pumicis, ac velut puluis manibus inſidens. Sanat fiſtulas, ſcrofas, podagram & lienis paſſiones. Cum melle vero putredinem circumſcribit, datur etiam pthiſicis more electuarij. Et habet ſaporem ſalſuginoſum ac nitroſum.

Vis.

Aſterites. *Iſido. vbi ſupra.* Aſterites eſt gemma candida, lucem continens incluſam veluti ſtellam intus ambulantem. Soliſque candicantis radios reddit, vnde & non ẽ inuenit. *Plinius, vbi ſuprà.* Proxima candicantium gemmarum eſt aſteria, principatum habens proprietate naturæ quod incluſam lucem pupillæ modo quodam cõtinet, & trãſfundit cũ inclinatione, velut intus ambulantẽ ex alio atque alio loco reddẽs. *Iſido. vbi ſupra.*

Etymon.

Aſtrion. Aſtrion gemma eſt cryſtallina in India, cryſtallo propinqua, in cuius centro fulget ſtella lunæ plenæ fulgore. Nomenque eo ſumpſit quod aſtris oppoſita fulgorem rapit & gerit. *Plinius, vbi ſupra.* In Carmania naſcitur gemma, quæ Aſtrios vocatur, ſimiliter vt Aſtria vel Aſterites candida, chryſtallo propinqua. In India vero naſcens, & in Pallenes littoribus Aſtrios, ſtella fulgore Lunæ plenæ lucet à centro intus. Quidam vero cauſam nominis huius reddunt, quod Aſtris oppoſita fulgorem rapiat & gerat. Optima autem in Carmania, nullique vitio obnoxiam gigni. Ceraunian vero quæ ſit deterior vocari, peſſima vero ſimilis eſt lucernarum lumini. Celebrant & Aſtroitem, miraſque laudes eius in magicis artibus Zoroaſtrem ceciniſſe, quidam diligentius, de ea re produnt. *Aſtrobolon ſudmes* dicit oculis piſcium ſimilem eſſe, & in ſole candido radiare.

Optimus.

Peſſimus.

De balanite & beryllo.

CAP. XLVII.

Arnoldus, vbi ſupra. Balamites eſt gẽma rufa perlucentis naturæ degenerans à carbunculo, ipſius colore ac virtutibus omnibus debilibus in eo remiſſis. *Iſidorus, vbi ſupra.* Beryllus in India gignitur, viriditate ſimilis ſmaragdo, ſed cum pallore, politur autem ab Indis in ſexangulas formas, vt hebetudo coloris repercuſſione angulorum excitetur, aliter politus non habet fulgorem, genera eius ſunt nouem. *Helinandus in Chronicis lib.* 10. Beryllus eſt coloris violacei vel aquæ marinę. Iuba ſcripſit quod cõiugis dat amorem, & portantem ſe magnificat. Dexteram ſtringentis adurit. Aqua in qua iacet pota, valet infirmis oculis, tollit rictus, & ſuſpiria & cunctis epatis fertur curare dolores. *Arnoldus.* Beryllus eſt lapis cuius color eſt pallidus, vt lympha, forma ſexagona. Cumque genera eius ſunt nouem, qui magis pallet eſt meliot, virtus eius eſt contra hoſtium pericula, contra pigritiem, oculos humidos ſanat, geſtantem adurit. Si oculo ſolis opponitur ac rotundatur, ignem accendit. *Dioſcorides.* Beryllus lapis lucidus eſt & clarus, oleo ſimilis, ſculpitur locuſta marina, ac ſub geminis pedibus eius cornuta, ac ſub gemma ponitur herba ſauina modico auro incluſa: geſtata, amorem coniugij facit. Aqua in qua miſſa eſt, pota, ad oculorum vitia valet, & ad omnem valetudinem.

Color Beryllj. Forma. Melior. Virtus.

Item de beryllo.

CAP. XLVIII.

Philoſophus. Beryllus eſt lapis conſpicuus, oleo vel aquis marinis colore ſimilis. Radium ſolis ad ſe trahit, qui ſcilicet radius lapidem ſine continuitatis ſolutione penetrans, ex altera parte lapidis, quæ ſcilicet remotior eſt à ſole, ſtuppas, & panniculos, & quæcumque ſicca & comburenda facile attrahit & accendit. Manum quoque ſe tenentis adurere dicitur. Aqua ablutionis eius valet oculis infirmis, valet etiam contra eructationes & ſuſpiria, & dolorem hepatis. *Plinius, vbi ſupra.* Beryllus eandem aut certè ſimilem habere videtur cum Smaragdo naturam. India gignit beryllos raro alibi repertos, probatiſſimi ſunt ex his, qui viriditatem imitantur puri maris, proximi vero qui vocantur Chryſoberilli, Paulo quidem pallidiores, ſed in aureum colorem exeunte fulgore: vicinum huic genus eſt pallidius, & à quibuſdã proprij generis exiſtimatur, vocaturque Chryſopraſus. Quarto loco hyacinthizontes numerãtur, Quinto illi quos heroides vocant: poſt eos ſunt cerini, deinde oleagini, hoc eſt coloris olei, poſtremi vero cryſtallis ferè ſimiles, & hi habent capillamenta ſordeſque alioquin euanidi quę omnium vitia ſunt. Indi mirè gaudẽt eorum longitudine, ſoloſque ſe gemmarum eſſe, qui malunt auro carere, prædicant. Et ob id perforatas Elephantorum fætis religant. Aliis conuenit nõ oportere perforari, quorum ſit abluta bonitas. Ideoque Cylindros ex his facere malũt, quam gemmas, quoniam eſt ſumma commẽdatio in longitudine. Quidam putant, & anguloſos ſtatim naſci, perforatosque gratiores fieri, medulla candoris exẽpta, Additoque auro repercuſſa, vel omnino caſtigata. *Ex lib. de natura rerum.* Beryllũ India mittit, optimi ſunt oleo lucido ſimiles, & maximè qui maculas interius non habent. Sunt enim quidam lucidiſſimi, minutas & longas habentes interius maculas velut paruos capillos. Beryllus ſi formã ſexangularem habuerit, arcus cœleſtis colores in radio ſolis efficit. Idem etiam ſi rotundus vt pomum fuerit, humectatus aqua in claritate ſolis, carbones mortuos, vel pannum laneum nigrum, vel bullituram arboris ſiccam accendit: vnde quidam egregiè metro luſit in perſona Berylli dicens.

Adurit manum. Probatiores. Arcus cæleſtis in Beryllo. Accendit carbones.

Me dedit inſignem virtus qua formar in ignem,
Solis ſplendorem non ignis paſſa calorem,
Sic lux æterna deſcendit ab arce ſuperna;
Eſt incarnata, non matre tamen violata.

Dicitur etiam, quod morbo ſquinãcię medetur, Et glandes, quæ ex humoribus colliguntur per fricationẽ tollit, maximè cum adhuc in augmento ſunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A

De borace,

CAP. XLIX.

* *Vocabulũ b ibarum à Gallico (crapeau.)*

BOrax eſt gemma quæ vulgo dicitur * crapondina, vocata ſic, quia borax, quoddam ſcilicet bufonum genus eam in capite portat: huius genera duo ſunt, vnum, ſcilicet album, & hoc melius eſt atque rarius. Aliud vero fuſcum, & nigrum. In medio ſui habens oculum, qui parumper colorem imitatur cæruleum. Sed quando bufoni viuo & palpitanti hic lapis extrahitur, tunc oculum habere dicitur. Quando vero extrahitur aliquamdiu mortuo, tunc malitiâ veneni illius oculus extinguitur, & lapis vitiatur. Hic lapis contrarius eſt venenis, & in cibum ſumptus, interna hominis mala ſanare dicitur, Inteſtina namque circuit, & facta cura per inferiorem regionem egreditur, hic lapis alio nomine noſe dicitur, ſicut ex ſequẽtibus oſtenderur. *Arnoldus, vbi ſupra.* Noſe lapis eſt, cuius duo ſunt genera, vnum ſubalbidum, & aliud varium. De bufonis capite trahuntur antequam bibat, vel aquam tangat. Et forte in eis quandoque apparet forma bufonis cum pedibus ſparſis, hic lapis valet contra morſus reptilium, & contra venenum. Nã præſente veneno, vt varius lapis, digitum adurit tangentis amboque ſimul includendi ſunt.

B

De Callaica & Chalcedonio & Chalcophane.

CAP. L.

C

Etymon.

I*Sidorus, vbi ſupra.* Callaica eſt gemma colore viridis, & pallens ac nimis craſſa, nihilque iucundius decens auro, vnde & appellata. Naſcitur in India vel Germania in rupibus gelidis. Oculi modo extuberãs. Chalcedonius hic facere dicitur quod & lychnis, quãquam multo vilior ſit cęteris gemmis cryſtallinis. Naſcitur apud Naſamonas diuino vt ferunt imbre & inuenitur ad repercuſſum Lunæ plenæ. Omni autem generi reſiſtit ſculpturæ. *Gloſa ſuper Apocalipſin.* Chalcedonius eſt lapis colorem habens lucernæ pallentis, fulget ſub diuo, obſcurus in domo. Omnibus ſculpentium argumentis reſiſtit. Radio ſolis, vel digitorum attritu excandens paleas attrahit.

Contra illuſiones diabolicas.

D

Arnoldus. Chalcedonius eſt lapis colore pallidus, hic tamen virtute lapidis Zimetu eſt perforandus, colloque geſtandus, virtus eius eſt contra illuſiones diabolicas. Et vt perfecte cauſas aduerſariorum euincat, virtutes conſeruat. *Ex libro de natura rerum.* Chalcedonius in Ethiopia naſcitur, velut ignis lucet ſed pallentis ſpeciem retinet. Semper itaque detentus pallore, colorem habet medium inter hyacinthum & beryllum. Qui ſi pertuſus ſit, & collo vel digito feratur, cauſas vincere perhibetur. Huius ſpecies tres eſſe dicuntur. *Plinius.* Archelaus & in Ægypto circa Thebas naſci tradit Chalcedonios fragiles, ac venenoſos, morientibus carbonibus ſimiles. Ex hac & ex lychnite potoria inuenio factitata. Omnia vero genera hæc ſculpturæ contumaciter reſiſtunt, partemque ceræ in ſigno tenent.

E

Ex Lapidario.

Chalcedon lapis eſt hebeti pallore refulgens,
Hæc ſpecies lapidum tantum tricolor reperitur.

Iſidorus. Chalcophonus eſt gemma nigra, ſed æris tinuitum reddit ſi lapide fuerit illiſa. *Arnoldus.* Chalcophonus nigri coloris lapis, clarificat vocem, prohibet raucedinem. *Ex libro de natura rerum.* Chalcophonus ſonorus, ac dulcis inſtar æris, ſi ferro vel ære percutiatur, vocem quoque ſonoram ac dulcem reddit ſi portetur ab homine caſto.

De carbunculo.

CAP. LI.

I*Sidorus.* Carbunculus dicitur, eo quod ignitus ſit, vt carbo, cuius fulgor nec nocte vincitur. In tenebris enim non vincitur, quia in eis lucet, adeo vt flammas ad oculos vibret: hic græce dicitur anthrax, & in Libya gignitur apud troglodytas, omniumque gemmarum ardentium habet principatum, huius genera ſunt 12, *Arnoldus, vbi ſupra.* Carbunculus eſt gemma rubicundiſſima, in obſcuro & tenebris lucens, vt carbo. Colore virtutibuſque ſuperat omnes gemmas ardentes, ſola enim habet omnes, quæ in ipſis ſunt virtutes. Suntque præter illam 12. ſpecies minus ea vtiles. *Philoſophus.* Carbunculus, qui & græcè anthrax dicitur vulgariter rubith, dicit philoſophus, quod cum cuncta pereant ab igne, tenta, carbunculus minimè patitur ab igne, qui eſt ſigillum lapidum. Et dicit Aluredus, quod eſt ideo ſigillum lapidum. Alij vero quia carbunculus poteſt imprimere figuram ſuam omni alij lapidi, & non econtra. *Ex li. de natura rerum.* Carbunculus eſt lapis omnium precioſiſſimus atque cariſſimus, & omnium lapidum perhibetur virtutibus præditus, huius color igneus eſt, & nocte magis, quã die lucet. Nam die obſcuratur, nocte vero tantum refulget, vt circa ſe noctem quaſi in diem vertat.

Carbunculus ſigillũ lapidum cur?

Ex Lapidario.

Ardentes ſuperat gemmas Carbunculus omnes,
Nam velut ignitus radios iacit vndique carbo,
Huius nec tenebræ poſſunt extinguere lucem,
Quin flammas vibraus oculis micet aſpicientum.

De multiplici carbunculorum genere.

CAP. LII.

Species.

EX *libro de natura rerum.* Carbunculorum ſpecies in arte lapidaria periti diſtinguunt tres, prima carbunculus proprię nominatur. Secunda Rubith. Tertia Balauſtus, & hic vilior dicitur. Rubith. quidem ignei coloris eſt, ſed incomparabiliter minoris, quam carbunculus, vnde nec tenebras noctis fugat, virtutibus etiam impar eſt. Sed tamen inter cæteros lapides precioſior & elegantior, colore Sydereo. Balauſtus vero multo vilior eſt colore virtute & precio. Tamen Sapphyro & Iaſpide dignior exiſtimatur. *Iſidorus.* Sicut dictum eſt carbunculi genera ſunt duodecim, ſed præſtantiores, qui videntur fulgere ac velut ignem effundere. *Plinius, vbi ſupra.* Principatum habent carbunculi à ſimilitudine ignium appellati, cum tamen ignes non ſentiant ipſi. Horum genera ſunt Indici & Garamantici, qui & vocantur Chalcedonij. Adijciunt Ethiopicos, & Alabandicos in Ortoſiaca caute naſcentes, ſed qui perficiantur alabandicos. In omni vero genere maſculi appellantur acriores, ac languidius fœminæ refulgentes. In maſculis quoque obſeruant alios flammæ liquidioris, alios nigrioris, & quoſdam ex allio lucidius cęteriſque magis in ſole flagrantes. Optimos autem Amethiſtizontes, quorum ſcilicet extremus igniculus exeat in Amethyſtum, proximos illis quos appellant ſyrtitas pinnato fulgore radiantes. Inueniri autem vbicumque ſolis repercuſſu maximè. Satyrus, Indicos, non eſſe claros dicit plurimumque ſordidos, ac ſemper retorridi fulgoris. Caliſtratus fulgorem carbunculi tradit eſſe debere candidum; poſtea extremo viſu nubilum, ac ſi ita attollatur, exardeſcentem, ob id à pleriſque hunc carbunculum candidum vocari. Quique languidius, & liuidius ex Indicis luceant, appellari Licizonias. Chalcedonios autem eſſe multo minores. Indicos etiam minus vnius ſextarij menſura cauari. Archelaus vero Chalcedonios dicit eſſe aſpectus nigrioris. Sed in igne vel ſole vel inclinatione acrius, quam

Præſtãtiores.

Diuerſitates opinionũ de Chalcedonijs.

cæteros

cæteros excitari. Eoſdemque obumbrante tecto purpureos videri. Sub cœlo, flammeos. Contra ſolis radios ſcintillare. Ceras ſignantibus his, quamuis in opaco, liqueſcere. Multi vero indicos Chalcedoniis candidiores eſſe & è diuerſa inclinatione hebetari, ſcripſere, & etiam in Chalcedoniis maribus ſtellam intus ardere, fœminas autem vniuerſum fulgorem extra ſe fundere. Naſcuntur in Thracia coloris eiuſdem ignem minimè ſentientes. Theophraſtus autem autor eſt, & in Orchomeno Archadiæ & in Chio inueniri. illoſque nigriores. Ex quibuſdam & ſpecula fieri. Eſſe & Trocenios interuenientibus maculis albis varios Itemque Corinthos & pallidiores & cãdidos. Nec eſt aliud plus difficile, quã hæc genera diſcernere. Aiunt ab Ethiopibus hebetiores in aceto maceratos 14. diebus niteſcere totidem menſibus durante fulgore. *Adulteratio.* Adulterantur vitro ſimillimè. Sed cote deprehenduntur, ſicut aliæ gemmæ facticiæ. Mollior enim materia & fragilis, centroſa ſcrobe deprehenduntur, & pondere, quod minus eſt vitreis, aliquando & puſtulis argenti modo relucentibus.

De Chelidonia.

Cap. LIII.

Etymon. I *Sidorus*. Chelidonia eſt gemma purpurea ex hyrundinum colore vocata, duoque ſunt eius genera, vna eſt purpurea ex parte altera. Et alia nigris interuenientibus maculis purpurea. Diaſcorides. Chelidonius lapis eſt, qui in vteris hyrundinum inuenitur. Cuius genera duo ſunt, niger & rufus, hic ſublatis pullis hirundinum ex Nido, fiſſiſque ventribus eorum. in ipſis inuenitur. Et rufus quidem ſanat lunaticos, & *Virtus rufa Chelidonia.* languidos, & inſanos panno immiſſus, & in ſiniſtro ægroti brachio circumligatus: præterea portantes ſe *Virtus nigra.* facundos, gratos, & amabiles facit. Nigrum quoque qui habuerit omnibus placebit. Sed cui dolent oculi eo trito cum aqua inungitur, & ſanatur. Idem in panno lineo croco tincto miſſus, quotidianas, tertianas, & quartanas compeſcit. Aduerſus omnes humores *Modus inueniendi.* aptus eſt excellenter. *Phyſiologus*. Pullum hyrundinis primo die Luna deficiente aperi, & inuenies in eius ventre duos lapides, vnum pulchrum, alium deformẽ, vnus eſt niger, alius rufus. Accipe ambos, & caue ne terram tangãt, & ne adſint pater & mater pulli, quia *Superſtitioſa.* tunc lapis fortius operabitur. Liga ergo eum in pelle vituli, vel cerui antequam coeant, & porta in brachio ſiniſtro, iuuat Epylepticos, valet contra febres, & noxios humores. Rufus portantes gratiſſimos facit. Niger quoque portatus optimum finem negociis imponit. *Ex li. de natura rerum*. Chelidonius eſt lapis informis, & paruus, quem hyrundinum pulli in iecore ſuo portantes, ex hoc cognoſcentur, ſi ore ad os in ſignum pacis, adinuicem conuerſi ſedent. Rufus vero lunaticos, & inſanos mitigat. Niger autem iram ſedat. Et aqua dilutus lumina clarificat. *Arnoldus*. Chelidonius rufus panno lineo, vel vituli corio inuolutus, & ſub aſcella ſiniſtra geſtatus valet contra inſaniam, & antiquos languores, ac lunaticam paſſionem. Niger autẽ valet cõtra nociuos humores, & contra iras, & febres. Si vero inuoluatur in foliis herbæ chelidoniæ, ſic viſum obfuſcat. Aqua etiã lotus oculos ſanat.

De chelonite & cinædia.

Cap. LIV.

CHelonites eſt lapis purpurei variique coloris: qui hũc ſub lingua geſtauerit, diuinat futura. Atĥæc virtus ipſi tantummodo tunc ineſt, cum luna primo accenſa creſcens eſt. Nec hic lapis ab igne corrumpitur. *Iſidorus*. Chelonites eſt indicæ teſtudinis oculus, varius & purpureus, hoc magi impoſito linguæ finguntur futura pronunciare.

Ex Lapidario.

Indica teſtudo lapidem mittit chelonitem,
Gratum purpureo varioque colore nitentem,
Quem ſub lingua loto ſi quiſquam geſerit ore,
Noſſe magi credunt hunc diuinare futura,
Orto mane diem ſextam duntaxat ad horam,
Tempore quo Luna ſuccreſcere cernitur orbis,
Sed luna prima lapidis prædicta poteſtas,
Totius fertur ſpacio durare diei,
Quinta poſt decimam concordant tempora Lunæ.
At detrimenti Lunaris tempore toto,
Ante diem tantum lapidi manet illa poteſtas:
Eſt etiam nulli lapis hic obnoxius igni.

Iſidorus.

Cynædia eſt gemma quæ inuenitur in cerebro piſcis, eius nominis, candida & oblonga. his præſagire dicuntur magi ſigna tranquillitatis, & tempeſtatis.

De ceraunio.

Cap. LV.

Duo genera Ceraunij. I *Sidorus*. Ceraunium dicitur, eo quod alibi quam in loco fulminis ictui proximo non inuenitur. Græci enim fulmen Cæraunos vocant. Horum duo ſunt genera, vnum quod Carmania mittit, chryſtallo ſimile, ſplendore tamen cæruleo. Et ſi ſub diuo fuerit poſitũ, fulgorem capit ſidereum. Alterum Hiſpania in Luſitaniis littoribus gignit, cuius color ſimilis Pyropo rubenti, qualitas, vt ignis, hic aduerſus vim fulgurum opitulari fertur ſi credimus. *Plinius, vbi ſupra*. Eſt inter candidas gemmas, & illa quæ vocatur Ceraunia ſiderum fulgorem rapiens, ipſaque cryſtallina, ſplendoris cerulei naſcens in Carmania. Zenothemis albã eſſe fatetur, ſed intus ſtellam coruſcantem habere. Fieri & hebetes Ceraunias, quas nitro & aceto per aliquot dies maceratas, ſtellam tradit concipere, Eamque poſt menſes totidem relangueſcere. Sotacus, & *Nigra & rubeſcens Ceraunia.* alia duo genera fecit ceraunię, nigræ rubeſcentiſque. Traditque ſimiles illas eſſe ſecuribus, his quæ nigræ ſunt & rotundæ, vrbes expugnare & claſſes, eaſque betulos vocari, quæ vero longe ſunt ceraunias vocari: faciunt & aliam raram ad modum Parthorum magis quæſitam, quia non inuenitur alibi quam in loco fulminis ictus. *Arnoldus*. Ceraunius eſt lapis chry- *Vſus.* ſtallo ſimilis inuectus cæruleus de Carmania. Alter vero de Hiſpania rutilans, vt flamma. Hi de locis tonitrui cadunt, valentque ad dulces ſomnos & ad prælia cauſaſque vincendas, loca etiam omnia in quibus ſunt à fulmine & tempeſtate contuentur. *Ex li. de natura rerum*. Ceraunis ex græco dicitur, quia cum fulmine de cœlo cadere perhibetur, & in loco vbi lapis iſte fuerit fulmen cadere negatur. Eſt autem cærulei coloris, exque vna parte ſæpius acutus.

Ex Lapidario.

Ventorum rabie cum turbidus æſtuat auſter,
Cum tonat horrendum, cum fulgurat igneus æther,
Nubibus illiſis cælo cadit ille lapillus,
Cuius apud græcos extat de fulmine nomen,
Illis quippe locis quos conflat fulmine tactos,
Ipſe lapis tantum reperiri poſſe putatur,
Qui caſtè gerit hunc, à fulmine non ferietur,
Nec domus aut villa, quibus affuerit lapis ille,
Se neque nauigio per fulmen vel mare vectus,
Turbine mergetur, vel fulmine percutietur:
Ad cauſas etiam vincendaque prælia prodeſt,
Et dulces ſomnos, & ſomnia læta miniſtrat.

De Coralio.

Cap. LVI.

AMbroſius. Coralius in mari herba eſt. Si in aerem transferatur, lapidis ſoliditate firmatur. *Iſidorus*. Coralius in mari rubro gignitur, forma

ramoſus,

ramoſus, colore viridis, & maximè rubens, virgę eius candidæ ſub aqua & molles, detractæ confeſtim durantur, & rubeſcunt tactuque protinus lapideſcunt. Itaque occupari euellique retibus ſolet & acri ferramento pręſcidi. Qua de cauſa coralius vocitatur, vt hunc magi reſiſtere fulminibus affirment. *Diaſco.* Lapis coralius maximas habet virtutes. Eſt enim tenax & omnia ſomniorum ludibria repellit, atque ab omni maleficio, atque vmbris dæmonum, & inanibus ſtudijs cuſtodit, ſed & fulminibus etiam in naui ventris & tempeſtatibus reſiſtit. *Arnol.* Coralius à mari trahitur ſicut ramuſculus, & valet contra quemlibet fluxum ſanguinis & epilepſiam, & contra vana monſtra collo ſuſpenſus, valet etiam contra tempeſtates & grandines, agris aſperſus multiplicat fructus. *Philoſophus.* Coralius tantummodo radicem habet, nec ſtipitem, nec flores, nec folia, nec fructus. Et eſt planta maris ſine cortice, cuius caro aliquantulum mollis eſt in aqua, cum autem venit in aerem ſterilem dureſcit in lapidem, quantum apud nos margaritum Indicum precioſum eſt, tãtum apud Indos Coralius. Hunc magi fulminibus reſiſtere affirmant ſcilicet rubeum. Albus vero eligendus eſt, qui craſſus & clarus & planus. Et quanto albior tanto melior, & qui non eſt perforatus paruis foraminibus.

irtus. *Melior.*

De eodem.

CAP. LVII.

Temperamẽtum. *Vſus medicinalis.* *Color.* *Cur dæmonibus terribilis.*

Vicenna in primo cano Coralius eſt frigidus in gradu primo, ſiccus in ſecundo. Stypticus eſt, & vehementer prohibet fluxum ſanguinis, carnem additam abſcindit, confortat oculum abſtrahendo & exiccando humiditates infixas in eo. Et eſt præcipuè, quod aduſtum eſt, & ablutum conuenienſ lachrymis, veſtigia quoque vlcerum abſtergit, confert apoſtematibus inteſtinorum & ſplenis. Retinet ſputum ſanguinis, cor etiàm confortat, & eius tremori confert. Naſcitur autem in maribus, quę ſunt in Aphrica. Et alius quidem rubeus eſt, alius niger, alius albus, dolorem ſtomachi remouet, ac prohibet ſuper os eius directè ſuſpenſus. Et ideo collis puerorum appenditur: Dicitur autem, quod ſi teratur, & impleantur ex eo concauitates infirmorum dentium, & eradicat eos, & eſt ſummus in confortatione gingiuarum, confert etiam ſputo ſanguinis, & eius fluxui, propiciq́ne rubens, Et omnibus ægritudinibus ſtomachi

Arnol. vbi ſupra. Coralius eſt qui collo ſuſpenſus epileptici, caſum eius prohibet. *Ex lib. de natura rerũ.* Coralius eſt lapis rubeus valde, figuram habẽs vt cornu cerui, vel vt herbæ radix cum multis radicibus, nec mirum quoniam herba fuit in mari primum: hic fulminibus & tempeſtatibus reſiſtit, vnde antiqui lapidẽ huiuſmodi confractum cum ſeminibus in agro iactabant aut in arboribus ſuſpendebant, vt grandinum pericula non ſentirent. Dæmonibus quoque terribilis eſt, & hoc fortè, quia frequenter ramorum eius extenſio modum crucis habet.

Ex Lapidario.

Coralius lapis eſt dum vixit in aquore vimen,
Retibus auulſus vel caſus acumine ferri,
Aere contactus fit durior & lapideſcit,
Quique color fuerat viridis, modo puniceus fit,
Hic velut arbuſti ramuſculus eſſe videtur,
Circa ſemipedem vix longior inuenietur,
Ex quo finguntur teſtamina commoda multis,
Quippe ſalutaris geſtantibus eſſe probatur
Fulmina, typhonicas tempeſtateſque repellit,
Arate, vel tecto, vel agro quocunque geratur,
Aſt in vineis aſperſus & inter olivas,
Aut inde anniculos cum ſemine iactus in agros
Grandinis auertit calamis contraria tela,
Multiplicat fructus vt fertilitate redundent:
Vmbras damonicas & theſſala monſtra repellit.

De Cornelio ſiue Corneolo.

CAP. LVIII.

Arnoldus. Cornelius lapis eſt rufi & obſcuri coloris, vt lauatura carnis, hic collo digitove ſuſpenſus, iras mitigat, valerque contra quemcũque ſanguinis fluxum ac pręcipuè menſtruorum. *Ex libro de natura rerum.* Corneolus vel ſecũdum quoſdam cornelius, eſt lapis rubens perlucidus, ſed obſcuri coloris, inſciſæ carni ſimilis. Horum lapidum multitudinem filij Iſrael in deſerto ſculpſiſſe dicuntur, quorum ſculptura tam ſubtilis acuminis comprobatur, vt nullus poſterorum huiuſmodi operis imitationem audeat attentare; Nec dubium quod ſecundum efficacias, & virtutes gemmarum ſculpebãtur imagines figurarum.

virtus. *Nota.*

Ex Lapidario.

Sed neque cornelios lapides memorare pigebit,
Qui licet obſcurum videantur habere colorem,
Non ſpernenda tamen his creditur inſita virtus,
Nam lapis hic digito collove gerentis adhærens,
In diſceptando ſurgentes mitigat iras,
Quique lauaturæ carnis par eſſe videtur,
Sanguinis ex membro ſiſtit quemcunque fluorem,
Præcipuè talem patitur ſi famina fluxum.

De Chryſoelectro & chryſocolla.

CAP. LIX.

Color. *Vſus.*

Iſidorus. Chryſoelectrus eſt lapis auro ſimilis, ſed in colorem electri vergens, matutino tantum aſpectu iucundus ignium rapaciſſimus, & ſi iuxta fuerit, celerrime ardeſcens. *Ariſtotel. vbi ſupra.* Chryſoelectrus ignem trahit, & ex eius natura eſt quod ab igne cito comburitur. *Arnoldus.* Chryſoelectrus gemma eſt aurei coloris ab igne cito inflammabilis, vitu pulcherrimus eſt in horis matutinis, in aliis vero per omnia diſſimilis *Plinius.* Chryſoelectrum collo adalligatum medetur febribus, tritum vero cum melle atque roſaceo auium vitiis. Et ſi cum melle attice conteratur, oculorum etiam obſcuritati, ſtomachiq́ue vitiis medetur, vel per ſe farina eius ſumpta, vel cum maſtice ex aqua pota.

Ex Lapidario.

Eſſe Chryſoelectrus ſimilis deſcribitur auro,
Cuius ad electrum color inclinare videtur,
Hic matutinis viſu iucundior horis,
Cuius materies rapidiſſima dicitur ignis,
Nam cito vicino correptus flagrat ab igne.

Iſidorus.

Chryſoelectra color & vis.

Chryſocolla eſt gemma quæ gignitur in India, vbi formicæ aurum eruunt. Eſt autem auro ſimilis, habet naturam magnetis, niſi quod aurum augere traditur, vnde & nuncupatur.

De Chryſolanſi & chryſolitho.

CAP. LX.

Locus.

Idem. Chryſolanſis eſt gemma ex auro & igne vocata, die quidem eſt aurea, & noctu ignea, hanc gignit Æthiopia. Chryſolithus etiam eſt lapis auro ſimilis cum marini ſimilitudine coloris, hunc quoque gignit Æ hiopia.

Meliores.

Plinius vbi ſupra. Æthiopia mittit, & chryſolithos aureo fulgore tranſlucentes, his autem præferuntur Indici, & ſi varii non ſint Bactriani, deterrimi vero ſunt Arabici, quia turbidi ſunt & varii, macularum nubilo interpolati fulgentes. Optimi vero chryſolychi ſunt, qui in coliatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt. Fundo includuntur perſpicuè, cæteris ſubiicitur aurichalcum. Tametſi iam expertis gemmarum vſu appel-

lantur

lantur & chriſoelectri: in colorem electri declinantes matutinus aſpectus iucundior, Bocchus auctor eſt Chryſolithon 12. pondo à ſe eſſe viſam. *Arnol.* Chryſolithus eſt gemma cuius color aureus ſcintillat, hoc in auro ponitur, ſiniſtroque lacerto geſtatur. Et eſt virtus eius contra dæmones. & contra melancholiam, nocturnosque timores. *Ex libro de natura rerũ.* Chryſolithus auro micat, & vt ignis ſcintillat. Qui ſi perforatus fuerit & foramen ſetis aſini repletum fuerit, dæmones exterret, & exagitat. Dicit autem Techel Philoſophus Iudæorum in libro de ſculpturis lapidum, quod quando inuenitur in chryſolitho fœmina habens in vna manu auem & in alia piſcem valet ad negociandum.

Color Chryſolithi & virtus.

Superſtitioſa.

De Chryſopraſio, & chryſoptaſio.

CAP. LXI.

Color.

ISidorus. Chryſopraſius Indicus eſt lapis colore porri ſuccum referens, aureis inter venientibus guttis. *Solinus.* Chryſopraſios ex auro & purpura mixtam lucem habentes, beryllorum generi adiudicauerunt. *Ex libro de natura rerum.* Chryſopraſius inuenitur in India. Sed hic quoque rariſſimè, vt dicitur, vnde & inuentus carior habetur. Eſt autem ex duobus coloribus, aureolis ſcilicet guttis micans, & porri ſucco colore permixtus. *Iſidorus.* Chryſopraſius eſt lapis Æthiopicus, quem lux cælat, prodit obſcuritas. Nocte ſiquidem eſt igneus, die aureus. *Arnoldus.* Chryſopraſios gemma quem mittit Æthiopia, hic lucet in tenebris, in lumine autem tenebreſcit, fitque in eo reciprocatio coloris non determinati, velut in quercu putrefacta, & in noctiluca.

Lotus.

Ex Lapidario.

Æthiopum tellus lapidem chryſoptaſion edit,
Quem tenebræ produnt occultum tempore lucis,
Noctibus igne micans vaneſcit luce diurna,
Abſque nitore iacens auro pallore ſepultus,
Hic quoque natura mutatus cernitur ordo,
Nam quem lux celat ſolito nox more reuelat.

De Chryſtallo.

CAP. LXII.

Etymon.

ISidorus. Chryſtallus eſt lapis reſplendens, & colore aquoſus. Traditur autem, quod ſit nix glacie durata per annos, vnde & nomen Græci ei dederunt. Gignitur autem in Aſia & Cypro maximeque in ſeptentrionum alpibus, vbi nec æſtate ſol feruentiſſimus inuenitur. ideoque ipſa duricia diuturna & annoſa reddit hanc ſpeciem, quæ chryſtallus dicitur, hac oppoſita radiis ſolis adeo flammam rapit, vt aridis fungis vel foliis ignem præbeat, vſus etiam eius ad pocula deſtinatur. Nihil autem aliud, quam frigidum pati poteſt. *Plinius vbi ſupra.* Chryſtallum contraria naturæ cauſa facit, gelu vehementiore concreto. Nec alibi certè reperitur, quam vbi maximè niues rigent hibernæ, certúmque eſt glaciem eſſe. vnde & nomen Græci dedere Oriens & hanc mittit nec vlla præfertur Indicæ. Naſcitur & in Aſia, viliſſima: circa Arabas & in Ortoſiade, finitimiſque montibus, item in Cypro. Sed laudata & in Europa iugis alpium. Auctor eſt Iuba, & in quadam inſula rubri maris naſci ante Arabiã ſita, quæ neron vocetur. Er in ea, quæ iuxta gemmam topazion ferat cubitalemque effoſſam à Pythagora Ptolemæi regis præfecto. Cornelius nepos dicit & in Luſitania naſci. Hoc autem mirum, quod & Xenocrates Epheſius tradit aratro in Aſia, & in Cypro excitari, non enim in terreno, nec niſi inter cautes creditum fuerat inueniri, veriſimile eſt (quod idem Xenocrates tradit) à torrentibus ſæpe deportari. Sudines autem negat, niſi ad Meridiem ſpectãtibus locis naſci. Quod certum eſt, non in aquoſis quanquam in regione prægelida reperitur, etiam ſi amne, ad vada vſque glacientur, humore cæleſti, paruaque niue, id neceſſe eſt fieri. Ideoque caloris impatiens, non niſi frigido potui addicitur. Cur autem naſcatur ſex angulis lateribus, non facile ratio inuenîri poteſt, eo magis, quod neque in mucronibus eadem ſpecies eſt. Sicque adeo abſolutus eſt laterum læuor, vt nulla id arte poſſit æquari. Magnitudo viſa nobis eſt ampliſſima, quã in capitolio dicauerat Liuia Auguſta librarum circiter quinquaginta. Ad idem Xenocrates auctor eſt chryſtalli vas amphorale viſum quatuor ſextariorum. Nos liquido affirmare poſſumus in cautibus naſci alpium, adeo in vijs, vt extrahant eam pendentes funę plurimum, peritis enim ſigna eius & indicia ſunt nota; vitiis infeſtantur plurimis, ſcabro ferrumine, maculoſa nube, occulta, aliqua vomica, præduta fragilique. Eſt & rufa aliquibus rubigo, aliis capillamentum rimæ ſimile, hoc artifices lituras occultant. Quæ vero ſine vitio ſunt puras eſſe malunt aſyntheta appellantes, nec ſpumei coloris aquæ limpidæ. In pondere vero eſt auctoritas poſtrema. Medici vrenda corporum non aliter vtilius fieri putant, quam pila chryſtallina, ſolis radiis aduerſis oppoſita. Fragmenta chryſtalli nullo modo quærunt ſartiri. Mireque ad ſimilitudinem vaſa vitrea acceſſerunt, ſed prodigii modo, poſt ſuum precium auxerunt.

Sex angula latera.

Indicia & vitia.

Melior.

Aratro excitatur.

De eodem.

CAP. LXIII.

Triginta annis fit Chryſtallus.

PHiloſophus. Chryſtallus, vt dictum eſt traditur eſſe nix, glacie durata, per annos ſcilicet, vt quidam volunt, triginta. Quidam autem volunt, quod chryſtallus non fiat per congelationem maximè cum eum per calidæ perducant regiones, & cum in ſe non habeat humiditatem, littera autem maior appareat ſecundum omnem dimenſionem chryſtallo impoſito. Aer enim propter multam ſui peruietatem ſpeciei rei in ſe facilem præbet tranſitum veniendi ad oculum, & ideo immutatio, quæ venit à litteris fit ad oculum ſua quantitate propria & non ſub maiori. Quia vero immutatio inuenit in chryſtallo duriciam reſiſtentem, non ita ſubito, & de facili tranſit per medium ipſius, ſed fluit in latum. Idcirco videtur ſub maiori quantitate quam habeat.

Cur littera maior cum Chryſtallo apparet.

Arnoldus. Chryſtallus lapis non vi frigoris eſt induratus, ſed vi magis terreſtreitatis, ac ipſi glaciei ſimilis. Is ſolis radiis oppoſitus ignem concipit, ſi frigidus eſt, nequaquam vero ſi calidus eſt: huius virtus contra ſitim, & ardorem eſt, trituſque melle ac potatus vbera lacte replet. *Dioſcorides.* Chryſtallus vites habet ſtypticas. Quidam enim cum melle tritum potui dederunt, ad generandum lac.

Virtus.

Ex libro de natura rerum. Chryſtallus lapis eſt ex glacie induratus. Solinus tamen in aliquibus mundi partibus hunc inueniri dicit, vbi nunquam gelu vel glacies fuit. Hic lapis tritus, & cum melle mixtus atque potatus, vbera lacte replet.

Ex Lapidario.

Chryſtallus glacies multos durata per annos,
Quod lapis hic ſoli ſubiectus concipit ignem
Admotosque ſibi ſolet hic accendere fungos,
Hunc etiam tritum quidam cum melle propinant,
Matribus infantes quibus aſſignantur alendi,
Repleri potu quo creduns vbera lacte.

De dæmonio, & draconitide ac droſelito.

CAP. LXIV.

Vſus. ARnoldus. Dæmonius eſt lapis bicolor, confert febricitantibus, venena pellit, hominemque tutum ac victorē reddit. *Iſidorus*. Dracontites ex chryſtallinis vnus, qui ex cerebro draconis eruitur. Quæ niſi viuenti abſciſa fuerit, non ingemmeſcit, vnde eam magi dormientibus draconibus amputant. Audaces enim viri ſpecus eorum explorant, ibique gramina medicata ſpargunt, ad incitandum ſoporem draconum. Atque ita ſopitis capita deſecant, & gemmas detrahunt. Sunt autem candore tranſlucido, vſu earum Orientis reges præcipuè gloriantur. *Droſelitus.* Droſelitus eſt lapis varius, cuius nominis cauſa extitit, quia ſi ad ignem applicetur velut ſudorem emittit.

De diacodo & diamantico, & dionyſia.

CAP. LXV.

ARnoldus. Diacodos eſt lapis pallidus beryllo ſimilis, dæmones excitat & phantaſmata, applicatus defuncto vires amittit. *Ex libro de natura rerum.* Diacodos eſt lapis beryllo ſimilis, qui aquis iniectus varias effigies dęmonum efficit, ita vt det reſponſa petentibus. Hic ſi corpori defuncti admoueatur, amittit vires, & quaſi ſenſibiliter mortem abhorret.

Ex Lapidario.

Eſt qui diacodos reſponſa petentibus aptus,
Dæmonis effigies varias oſtendere fertur,
Nec lapis eſt alius, qui fortius euocat vmbras,
Sanctus enim lapis eſt, & quem mors ſternit, abhorret,
Hunc autem perhibent ſimilem fulgore beryllo.

Ex libro de natura rerum.

Diamãticos. Diamanticos eſt lapis, qui in quocunque metallo geſtetur ferream tamen ſibi ſedem propinquã eligit.

Dionyſia virtus. *Iſidorus*. Dionyſia eſt lapis niger mixtus rubentibus notis, hic ex aqua tritus vinum fragrat, & odore ſuo putatur ebrietati reſiſtere. *Philoſophus*. Dionyſia lapis eſt Orientis fuſci coloris niueis reſperſus guttis, in aqua tritus vinum fragrat, & tamen ebrietas contra naturam odore ſuo fugari ſolet.

De ebeno & epheſte, & Ægyptilla.

CAP. LXVI.

Virtus Ebeni. DIaſcorides. Ebenus eſt lapis albus ac precioſus, quo ſolent artifices aurum lympidare, hic potatus in paſſo & aqua ſtomacichos curat. Amentes ſimiliter potus eius ſanat, veſicas etiam dolentes ſoluit, potatuſque ſine ægritudine ſeruat, & fœmore circumuolatus velociter parturientes facit. *Iſidorus*. Epheſtis lapis eſt ſpeculi naturam habens in reddendis imaginibus quanquam rutilet. Experimentum eius, ſi feruenti aquæ addita ſtatim refrigeret. Aut ſi ſoli oppoſitus materiam aridam accendat. Naſcitur in Chorintho Ægyptilla gemma eſt radice nigra, facie vero cærulea, ex Ægypto vbi reperitur ſic appellata.

De Heliotropio.

CAP. LXVII.

Etymon. ISidorus. Heliotropium eſt gemma coloris viridis ac nubili, ſtellis puniceis ſuper ſparſum cum ſanguineis venis. Cauſa vero nominis eſt de effectu ipſius lapidis. Nam in labris æneis deiectum, radios ſolis mutat ſanguineo repercuſſo. Extra aquam autem ſpeculi modo ſolem excipit, deprehenditque defectus *Locus.* eius, ſubeuntem Lunam oſtendens, Gignitur in Cypro, & Aphrica, ſed melior in Æthiopia. Magi hanc admiſta herba heliotropio, quibuſdam additis præcãtationibus gerentem conſpici negant. *Ariſto.* Lapis heliotropium ſi ponatur ſuper aquam euaporabit eã. *Arnoldus.* Heliotropium eſt gemma viridis ſmaragdo ſimilis, cum guttis ſanguineis, hanc mittit Æthiopia, & Cyprus & India: hic lapis in aquam poſitus eandem quæ in vaſe eſt aqua, cum radijs ſolis opponitur, ebullire facit, & in nebulam reſoluit, quæ paululum imbrem inducit, hæc etiam hominem reddit incolumen. Contra fluxum quoque ſanguinis valet ac contra venena, porro ſi iungatur cum herba eiuſdem nominis, valet in fallendo viſum hominis, dũ hoc modo ſe videri prohibet homo. *Ex libr. de natura rerum.* Lapis heliotropium in vaſe aqua pleno ſolis radijs ſubiectus ſanguinem ſolem reddit, ac ſi pateretur eclipſim. Nec mora vàs ipſum in quo iacet ebullire videtur, & aquam velut imbres ſpargere, hoc facto, videntes arreptitij, ſi præſentes ſint, extra ſe rapiuntur, & futura prædicunt: hic lapis geſtantem in longa vitæ tempora producit, ſanguinem ſtringit, venena fugat, & contra dolos tutum facit. *Virtus reddit inuiſibilem.*

Ex Lapidario.

Ex re nomen habens eſt heliotropia gemma,
Quæ ſolis radijs in aqua ſubiecta patillo,
Sanguineum reddit mutato lumine ſolem,
Eclipſimque nouam terris effundere cogit,
Denique poſt modicum vas ebullire videbis,
Aſpergique foras ſubita ſcaturiginis imbrem.

De Æmathite.

CAP. LXVIII.

ISidorus vbi ſupra. Æmathites lapis eſt dictus, quia rubore ſanguineus αἷμα quippe ſanguis eſt. Gignitur autem in Æthiopia, ſed principalis in Arabia, & Aphrica inuenitur. *Plinius lib.* 36. Æmathites in metallis inuenitur, vſtus minij colorem imitatur. Oculis cruore ſuffuſis mirè congruit, mulierum profluuium potus ſiſtit. Reiectionibus ſanguinis cum ſucco mali punici, & in veſicæ vitiis efficax. Bibitur & in vino cõtra ſerpentium ictus: adulteratos æmathites deprehẽdunt venæ rubentes, & eſt natura friabilis. *Platearius.* Æmathites dicitur, quia αἷμα ſanguis τίθημι ſiſtit, habet enim virtutem ſtringẽdi fluxum ſanguinis. *Arnol.* Æmathites lapis eſt rufus ferrugineus, valet contra veſicæ vitia, fluxum ventris, & carnem ſuperfluam, & menſtruorum fluxum, & ſputum ſanguineum & vulnera, & vlcera, viſus hebetes ſanat, & aſperitatem palpebrarum. Et eſt virtus huius lapidis ſtyptica. *Conſt. in libro graduum.* Æmathiten dixit Gal. parum eſſe calefactiuum, & extenuatiuum, puſtularum oculorum mundificatiuũ, & ſi cum melle temperetur aſperitatis palpebrarũ, & angulorum oculorũ lenitiuum. *Ex libro de natura rerum.* Æmathites lapis eſt ferruginei coloris mixtus venis ſanguineis, hic miſſus in aquam bullientem eam reddit tepidam. Si quis eum deferat, ſolis ardorem non timebit. Idem ſoli expoſitus à ſe ſcintillas emittit, fructus à locuſtis & grandine ſeruat. Idẽ quoque confractus, & in aqua reſolutus ſanat eos qui ſaliuas ſanguineas emittunt. Sanat etiam ventris fluxum, puluis eius carnes mortuas creſcentes in vulnera corrodit & tollit, vino quoque permixtus vlcera ſanat, bibituſque lapidem veſicæ frangit. *Color.* *Virtus.* *Temperamentum.* *Contra ardorem ſolis.*

Ex Lapidario.

Eſt æmathitis Græcum de ſanguine nomen.
Natura lapis humana ſeruire creatus,
Styptica cui virtus per multa probatur ineſſe.

De vario æmathitis genere.

CAP. LXIX.

PLinius vbi ſupra. Æmathitis genera quinque præter magnetem tradit Sotacus ex vetuſtiſſimis auctoribus, ex his principatum Æthiopico dat, oculo- *Genera quinque.*

rum

rum vtiliſſima medicamentis, itēque ambuſtis. Alterum vocari dicit androdamanta colore nigro, pondere ac duritia inſignem, & inde nomen traxiſſe, præcipuéque in Aphrica repertum, ad ſe autem argentum, & æs ac ferrum trahere; Experimentum eius cote eſſe, & lapide Baſanite. Sanguineum quippe colorem reddere, & ad iocinerum vitia remedij precium exiſtere. Tertium genus facit arabici, duricia ſimilis, vix reddentis ſuccum ad cotem aquarium aliquando ſimilem croco. Quarti generis elathiten vocari dicit quandiu crudus ſit. Coctum vero vtilem ambuſtis, ad omnia vtiliorem rubrica. Quinti generis ſchiſtos reprimit hæmorrhoidas. Æmathitis vis eſt in totum ſanare ſtrúmas omnes. Tritus in oleo pondere dragmarum trium ac bibitus à ieiunis, ſanat vitia ſanguinis. Idem auctor ſchiſton eſſe alterius generis tradit quàm æmathiten quem attraetitem vocant, ipſumque in Aphrica naſci nigrum, ac tritum aquātijs cotibus ab ea parte, quæ fert à radice nigrum colorem, ab altera parte croceum, & ipſum oculorum medicamentis eſſe vtilem. *Auicen. vbi ſupra.* Æmathites inuenitur quandoque in mineris. Quandoque vero magnes vritur, & quod inde prouenit eſt Æmathites in operationibus ſuis. Melior eſt ille qui velociter frangibilis eſt, æqualis duriciei, cui non admiſcētur ſordes, & in quo ſunt venę. Non ablutus quidem, calidus eſt in primo, ſiccus in ſecundo. Ablutus autem frigidus eſt ad ſecundum propter ablutionem, ſiccus in tertio. In ipſo eſt ſtypticitas vehemens, & calefactio quædam, & ſubtiliatio & exiccatio vltima. Pulueriz atus ſuper carnem additam, extenuat eam, Confert vlceribus oculi, & aſperitati palpebrarum, datur etiam in potu cum vino ad difficultatem vrinæ, & ad fluxum menſtruorum, & eſt in eo proprietas rectificandi gomorham.

Virtus.

Temperamentum.

De Enydro & epiſtite.

Cap. LXX.

Etymon.

Isidor. Enydros lapis eſt ab aqua vocatus, exundat enim aquam ita vt clauſam putes in eo fontaneam ſcaturiginem. *Arnold.* Enydros eſt lapis diſtillans perpetuis guttis, nec liqueſcit omnino, nec efficitur, minor. *Ex libro de natura rerum.* Enydros lapis chryſtallo ſimilis, miro modo perpetuis lachrymis diſtillat, & tamen durus, & integer in omnibus perſeuerat.

Ex Lapidario.

Huius naturæ graue ſit deprehendere cauſam.
Nam ſi decurrit lapidis ſubſtantia, quare
Non minor efficitur, aut non omnino liqueſcit?
Si res exterior deſcendit ad interiora.
Vt ſemper reſtuat, cur ſe non impedit ipſam.
Scilicet ingrediens contrarius egredienti.

Ariſtot. Epiſtrites lapis eſt qui ſecuritatem à beſtijs præbet, & ſi mittatur in aquæ bullientis vaſe, ceſſant ebulitionis eius ampullæ. *Arnold.* Epiſtrites lapis eſt rutillans, & rubicundus in binari natus. Ex parte cordis geſtatus, hominem tutum cuſtodit locuſtas & volucres nebulaſque ſteriles, grandinem ac turbinem à fructibus terræ compeſcit, & ſoli oppoſitus ignem & radios emittit. *Dioſcorid.* Epiſtrites lapis rubicundus ac dilucidus eſt, & naſcitur in Corintho: hic in aquam feruentem miſſus, continuò tepidiorem eam reddit, & ſi aliquantulum ſteterit ibi, omnem ardorem tollens frigidam eam facit. Hunc cum aliquis in manu dextra contra ſolem tenuerit radios emittit, & ignem vomit, ita vt videntes mirentur. Qui vero circa brachium ſiniſtrum eum portauerit, omnes turbas contemnit.

** aliæ. Aembit.*

Ex Lapidario. *Epiſtrites*

Naſcitur in binari rutilans lapis, & rubicundus.
Ad ſolem poſitus radios emittit, & ignem.
Mirantes oculos perſtringens luce corruſca.
Accenſas idem compeſcit ſeditiones,
Et tutum ſeruat dubia ſub ſorte gerentem.
Pectora, ſed memori fixum teneamus oportet,
Qua cor parte iacet lapides hos eſſe gerendos.

De ermiſtione, & æthite exacontalitho.

Cap. LXXI.

Etymon.

Isidor. Ermiſtio gemma inter gratiſſimas aſpicitur, & ex igneo colore radians auro, portans ſecum in extremitatibus candidam lucem. *Ex lib. de natura rerum.* Æthites eſt lapis punicei coloris habens lapillum interius, ex quo fit ſonorus, hic ab Aquila de extremis orbis partibus in nidū portatur: naturaliter enim hunc eſſe pullis ſuis tutamen repetitur, Alij dicunt hanc eſſe cauſſam, quod oua Aquilæ immoderato calore concaleſcunt niſi lapis nuturaliter frigidus præſens ſit, hic pueros incolumes ſeruat. Efficaciſſimè prægnantes iuuat, ne aborſum faciant vel in partu grauiter laborent, in læuo lacerto portati vult, ſobrietatem confert & gratiam, facitque victorem. *Auctor.* De hoc lapide plenius dictum eſt ſuperius vbi actum eſt de lapidibus inſignioribus. Quidam enim lapides quaſi ſunt medij inter gemmas & lapides cæteros inſigniores, & ideo inter vtraſlibet deputantur, vt ſunt androdamanthus, & æthites & æmathites. *Iſidor.* Exacontalithus, lapis in parua magnitudine multicolor eſt, vnde & nominatus eſt. Tam diuerſis enim notis aſperſus eſt, vt 60. gemmarum colores in paruo eius orbiculo deprehendantur. *Arnoldus.* Exacontalithus eſt lapis valde paruus ex coloribus ſexaginta diſtinctus, hic hominis oculos efficit tremulos.

Contra aborſum.

Etymon.

Ex Lapidario.

Exacontalithus lapis ex re nomen adeptus,
Corporis exigui numero diſpendia ſupplet,
Dum tot gemmarum fert gemmula ſola decorem.

De Falcano, & filatero, & ſlongite.

Cap. LXXII.

Arnoldus. Falcanos (qui & aſenicum, vel auripigmentum dicitur.) Lapis eſt rubeus, & citrinus. Habetque naturam ſulphuris calefaciendi ac deſiccandi, ſi æri apponatur tranſmittit illud in album, Omniaq; metallina corpora exurit præter aurum. Filaterus eadem eſt gemma eiuſdemq; virtutis cuius & chryſollithus, de quo, ſcilicet iam ſufficienter dictū eſt ſuperius. *Iſidor.* Phlegontes gemma eſt ex Perſida, & hæc eſt vna ex gemmis ardentibus vel chryſtallinis oſtentans intra ſe quaſi flammas æſtuantes, quæ non exeant exterius.

De Galactite, & garamantite.

Cap. LXXIII.

Virtus.

Idem. Gelactites lapis lecteus dicitur, qui attritus reddit ſuccum album, ad lactis ſaporem. Fœminis nutrientibus illigatus fœcundat vbera. Infantium quoque collo ſuſpenſus ſaliuam fertur facere, in ore autem liqueſcere, & memoriam adimere. *Arnold.* Galactites lapis eſt cineri ſimilis, hunc mittit Nilus, & Achelous datque lactis ſuccum, & ſaporem, & in ore clauſus turbat mentem. Collo circundatus vbera lacte replet, & fœmori ligatus faciles partus præbet. Denique ſi veſpere cum ſale mixtus aqua ouili circumſpargitur, oues lacte replentur, & ſcabies ab eis fugatur. *Ariſt.* Lapis galactites dum ponitur contra incendium, ignis extinguitur, & ſi ſupra mulierem ſuſpenditur, partus egreditur. *Dioſcorides.* Galactites lapis colore cinereus eſt, guſtu dulcis, ſic dictus, quia tritus colorem lacteum emittit, hic poſt balneum ieiuno datus cum mulſo, vel aqua lactis copiam miniſtrat. Lacteus autem dicitur, quia præcedentia mala in obliuionem adducit, vnde & mulieri difficulter parienti, filo facto de lana ouis circa femur dextrum

Locus generationis.

Adiuuat partum.

ligatus, mox eam ſine dolore parere facit. Idem faſcino ligatus dolorem dentium liberat, & qui ſecum eum portauerit, ſi principem vel alium offenſum habuerit, in obliuionem eum adducit, & gratioſum reddit. *Plinius vbi ſupra.* Garamantiten aliqui vocant lapidem, qui & ſandareſus, de quo ſcil. dicetur inferius.

De Gelatia, & gloſſopetra.

CAP. LXXIV.

ISidor. Gelacia ſiue galatias lapis candorem & figuram præſtat grandinis, duritia quoque inuicta eſt, vt adamas, & in igne fertur etiam frigus ſuum manere. *Arnold.* Galatias lapis omni tempore frigidus nec vnquam calefit.

Ex Lapidario.

Eſt quæ candorem fert grandinis atque figuram,
Ictibus omnimodis inuicta gelacia gemma,
Cuius naturæ vis tanta probatur, vt omni
Tempore frigida ſit, nulloque calefcit ab igne.

Gloſſopetra vis magica. *Solinus.* Gloſſopetra lapis deficientibus lunis è cælo cadit, linguæ humanæ ſimilis, eſt non modicæ, vt magi ferunt, poteſtatis, qui ex ea motus lunares excitari putant.

De Hyæna, & hieracite.

CAP. LXXV.

ISidor. Hyæna lapis eſt qui in oculis hyænæ beſtiæ inuenitur Qui ſi ſub lingua hominis ſubditus fuerit, futura eum præcinere dicunt. *Ariſt. in lib. de animalibus.* Gemmam hyęna portat in oculis, vel vt aliqui dicunt in fronte. *Solinus.* Varietas multiplex colorũque mutatio ineſt oculis hyænæ, in quorum pupillis inuenitur lapis, quem dicunt prædicendi futura præditum poteſtate.

Ex Lapidario.

Tollitur ex oculis lapis extollendus hyęnæ,
Vatidicum numerum dicunt inferre gerenti,
Qui queat imbutus prædicere quæque futura.
Sub lingua loto ſi contineatur in ore.

Contra muſcas. Color. *Iſidor.* Hieracites eſt lapis accipitris coloris ſimilis. *Ariſt. in lib. de lapid.* Hieracites lapis ſi ab homine geſtetur, à muſcis vel apibus non mordetur. *Arnoldus.* Hieracites lapis eſt niger, quem qui in ore geſtauerit, magis cogitationum, & opinionum iudex efficitur, & amabilis redditur. Sic autem virtus eius probatur, corpus geſtantis ſi nudum melle fuerit inunctum, & muſcis expoſitum, intactum relinquent ipſum, at ſi lapis ab eo auferatur, fugẽt atque corrũpunt corpus.

De Hyacintho & hyacinthizonte.

CAP. LXXVI.

ISidor. Hyacinthus ex nominis ſui fulgore vocatur, hic in Æthopia inuenitur cæruleum colorem habens, optimus autem eſt, qui nec rarus eſt, nec denſitate obtuſus, ſed ex vtroq; temperamento luce purpuraque refulgens, non autem æqualiter rutilat. Nã ſereno perſpicuus atque gratus, nubilo coram omnibus euaneſcit atq; marceſcit. In miſſus frigidos, & in ſculpturis durißimus, nec tamen inuictus, nam adamante inſcribitur & ſignatur. Solinus. Hyacinthus nitore cęruleo lapis eſt precioſus: ſiquidem inculpabilis inueniatur, eſt enim vitijs obnoxius: nam plerũque, aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, aut albicantius in aquaticum eliqueſcit, hic eſt qui auras ſentit, & cum cælo mutatur, nec æqualiter rutilat cũ aut nubiloſus eſt dies aut ſerenus. *Arnoldus.* Hyacinthus lapis aquaticus, cuius color eſt rufus, vel purpureus, aut cæruleus. Suntque tres ſpecies hyacinthi, ſcilicet granati; ac citrini, & Veneti, frigidi atque duriſſimi. Sed meliores ſunt granati, & qui medij ſunt inter rarum & denſum, & perſpicui, hic lapis triſtitiam fugat, & ſuſpitiones vanas, eſt autem confortatiuæ corporum virtutis, dat vigorem membris, collo vel digito ſuſpenſus reddit hominem ſecurum ab hoſtibus, ſomnum prouocat, neruos vegetat. Ariſt. Hyacinthus venenũ fumoſum tollit, & imprægnata, quãdo tenuerit ipſum, abortit, ſi eſt in homine vulnus ponitur ſupra venenum eius. *Plinius vbi ſupra.* Hyacintho fulgor violaceus diluitur primo quoque aſpectu gratus euaneſcit antequam ſatiet, adeoque non implet oculos, vt penè non attingat, celerius inarideſcẽs nominis ſui flore. *Ex libr. de naturis rerum.* Hyacinthus eſt lapis cæruleus, in obſcuro, nubiloſus, in ſereno clarus. Ita quod aeia ſentire dicitur peroptimus eſt ille qui nec nimium clarus nec nimis obſcurus. Eſt autem frigidiſſimus, & hoc magis ſi mittatur, in os. Solidiſſimæ quoque duriciæ eſt, ita quod findi vel ſculpa recuſat. Sculpitur tamen aliquando fragmentis adamantis, hic confortat geſtantem, & fugat triſtitiam ac ſuſpitiones vanas, ſecurum facit in peregrinas terras euntem, tutamen etiam eſt contra peſtilentiam, & contra ſerpentes atque venena. Dicit autem thethel quod cum inuenitur, in Hyacintho albus lapis admixtus, & in ipſa albedine equus hoc valet ad obtinendam gratiam & gloriam. Dioſc. Hyacinthi vt dictum eſt, ſpecies ſunt tres inter quas granati ſunt meliores, qui iuxta ignem magis ac magis rubicundi fiunt, & ſi aliqua ibi fuerat nigredo tollitur. Veneti vero non patiuntur ignem. Alexander omnes hyacinthos dicit eſſe calidos & ſiccos in primo gradu, licèt quidam Venetos dicant eſſe frigidos. Si quis in collo vel alio modo portauerit intrans terram peſtiferam, vt fertur, idem non inficietur, idem lapis pilos à pubertate retinet. *Iſidor.* Hyacinthizonta lapis eſt indicus hyacinthum prope referens. Quidam eorũ chryſtallis ſimiles capillamentis intercurrentibus obſcurantur. Ex quo etiam vitio nomen illorum eſt.

Virtut. *Index aris.* *Durus.* *Virtus.* *Temperamentum.*

De Iaſpide.

CAPVT LXXVII.

IAſpis Græcè Latinè viridis gemma ſmaragdo ſimilis eſt, ſed craſſi coloris, huius ſpecies ſunt 17. *Helinandus libr.* 10. Iaſpis optimus eſt viridi tranſlucentique colore. Caſtè geſtatus fugat febres, & hydropem. Appoſituſque iuuat mulierem parturientẽ, vis autem eius dicitur eſſe in argento. *Ariſtot.* Iaſpis clarificat viſum hominis, ſanguinem ſtringit, & ſi ſuper mulierem eſt partum eius ſoluit. *Arnold.* Iaſpis eſt gemma multorem colorum, ſed optimus eſt viridis, & tranſlulens: de multis partibus tranſmittitur, hominem tutum facit, & hyantaſmata pellit, luxuriã quoque cohibet, & conceptum prohibet, eſt autem virtus eius contra fluxum ſanguinis, & meſtruorum. *Plin. vbi ſupra.* Iaſpis eſt vt ſmaragdus viridis ſed craſſi coloris. Otiẽs iaſpidum ſpecies 16 geſtare traditur, Ex his quæ ſmaragdo ſimilis eſt è Petra per tranſuerſum, alba linea præcingitur, & grammacia vocatur. Qui autem pluribus polygrammos dicitur, quam magi prodiderunt vtilem eſſe concionantibus. Eſt & onychipnacta quæ Iaſponyx vocatur, nubem complexa, & niues imitata, quæ eſt rutilis punctis ſtellata, & ſali męgarico ſimilis, & veluti fumo infecta, quæ capnias vocatur. Magnitudinem iaſpidis vnciarum, 15. vidimus, formatam in effigiem Neronis thoracatam, adulteratur autem maximè tinctura, idque in regis Ægyptij, qui primus eam tinxit, aſcribitur gloria. Diuiditur & hic in mares & fæminas, ineſt autem & aliquando aureus puluis non qualis in ſapphyrinis, nam in ſapphyris aurum collucet punctis cæruleis, *Philoſophus.* Iaſpis eſt lapis virens guttas ſanguineas habens. Ille peroptimus eſt qui magis tranſlucet. Caſtum hominem ſe portantem tutum facit, & gratum, ſi conſecratus ſit noxia quoque phantaſ-

Optimus. *Virtut.*

Tres ſpecies

mata

mata pellit. Huius genera plura ſunt. Eſt autē quoddam genus valde rubens, inſtar ignis & trāſlucidum, & hoc precioſum eſt, quoddā vero rubens non perlucidum: thetel ait, quod quando inuenitur in iaſpide homo ſcutum habens in collo vel manu, & cuſpidem in altera manu, ſub pedibus quoque ſerpentem, hic habet contra omnes inimicos virtutem. Cum autem inuenitur in eo homo habens faſciculum herbæ in collo, ponatur in argento, & habet virtutem inter infirmitates diſcernendi, & in omni loco ſanguinem reſtringendi; Itaque Galienus in digito portaſſe fertur hunc lapidem; Si quis autem inuenerit iaſpidem viridem, & in eo crucem habet virtutem, vt ferens ipſum non mergatur. Rabanus. Iaſpis in virore fidem immarceſſibilem indicat, quam virtutum flores comitari ſolent. Iaſpidum tamen multa ſunt genera. Alius enim eſt viridis coloris & tinctus quaſi floribus apparet, alius quaſi ſmaragdi habens ſimilitudinem, ſed craſſi coloris, alius niuis, & ſpumæ marinorum fluctuum, quaſi mixto colore obrutilans, primus eſt præſtantior, vanos fugat timores.

Superſtitioſum.

Iaspis hieroglyphicum fidei.

De kabrate & kacabre, & kakma.

CAP. LXXVIII.

ARnold. Kabrates eſt lapis chryſtallo ſimilis, hic eloquentiam & honorem, & gratiam dat, à noxijs quoque defendit, & hydropiſim curat. Kacabre lapis eſt idem cum gagate, ſed melior, nec virtutibus ab eo diſcrepans aut colore. Ariſt. Ex gagate, & Kacabre ſomnium fit, & mouet epilepſiam hominis. Arnol. Kakma lapis eſt cuius color albus, & coloribus varijs diſtinctus: hic à Kaumate, quod eſt incendium dicitur, quoniam in locis ſulphureis calidis reperitur. Huius virtus exiſtit maximè ex ſculpturæ in eo diuerſitate.

De lychynite.

CAP. LXXIX.

ISidor. Lychynes ex ardentium gemmarum genere eſt à lucernarum flagrantia appellata. Gignitur in multis locis, probatiſſima apud Indos. Huius duplex eſt facies, vna quæ purpura radiat, Alia quæ cocci rubore: à ſole excalefacta aut digitorum attritu, paleas, & folia chartarum ad ſe rapere dicitur, ſculpturis reſiſtit, & ſi quando ſculpta eſt dum ſigna imprimit, quaſi quodam animalis morſu, partem cerę retentat: huius genera ſunt quatuor. Solinus. Lychynes dicitur, eo quod lucis vigorem excitat flagrantia lucernarum. Plin. Lychinites ex genere ardentium lucernarum accenſarum pręcipua gratia eſt appellata. Naſcitur circa Orthoſiam, totaque Carmania, & vicinis locis, ſed probatiſſima in Indis. Quidam enim eam dixerunt eſſe carbunculum remiſſiorem. Secunda bonitate ſimilis eſt Ionica ſic à floribus prolatis appellata. *Helinandus libr.* 12. Lychines eſt lapis purpureus, fulgens vt lucerna: hic tactus ſub ſole digitis paleas attrahit, ſubitumque incendium reſtinguit.

De lygurio, & lyparea.

alius lingurio.

CAP. LXXX.

ISidorus. Lygurius gemma ſic eſt appellata, eo quod fiat ex vrina lyncis beſtiæ tempore indurata. Eſt autem ſicut & ſuccinus fulua attrahens ſpiritu folia propinquantia. *Helinandus lib.* 10. Lygurium Theophraſtus dicit electri colorem habere, paleas attrahere, ſtomachum dolentem iuuare, ictericis colorem reparare, fluxum ventris ſtringere: *Plinius vbi ſupra.* De lygurio dicere cogit auctorum pertinacia, quippe ſi non etiam electrum id eſſe, gemma tamen eſſe contendunt, fieri autem ex lyncis vrina, ſed egeſtam terra protinus operiente beſtia, eo quod vſui hominum eam inuideat, eſſe vero qualem in igneis ſuccinis colorem gemmæ, ſcalpique nec folia tantum aut ſtramenta, ſed etiam æris ac ferri laminas ad ſe rapere credit Theophraſtus atque Diocles, ego totum id falſum arbitror, nec viſam in æuo noſtro gemmam vllam ea appellatione. De medicina quoque ſimul proditur, hoc lapide poto veſicæ calculos elidi, & morbo regio occurri. *Dioſcorides.* Lotium lyncis quem multi lygurium vocant, mox vbi minxerit lapis fit, dolores ſtomachi tollit. *Rabanus.* Lygurius habet colorem quaſi electri, & ſi fuerit confricatus, paleas ad ſe trahit. Philoſophus. Hic lapis eſt frigidæ, & ſiccæ complexionis, rotundus, valet præcipue vulneratis, & à vulnere ferrum extrahit. *Ex libr. de natura rerum.* Lygurius eſt lapis, quem ſtillare dicunt ab inguine lyncis beſtiæ ſcilicet vrinantis, huius enim vrina ſecundum Plinium ſolidatur in lapidem, quod naturaliter beſtia ſciens, inuidet bono noſtro, egeſtumque precioſum vrinæ liquorem arena obruit, & hic eo citius in lapidem dureſcit. Eſt autem frequentius croceus parum ad nigredinem tendens. Huius color iuxta Plinium igneus ac rubicundus eſt, & carbunculo ſimilis, niſi quod nequaquam nocte lucet: iuxta lapidarium vero viridis eſt: virtus eius habetur ad multa remedia, præcipueque ablutus in aqua conſtipatos iuuat, & ventrem ſoluit, colorem quoque perditum in facie recuperat. Auctor. De hoc iterum inferius dicetur, vbi de natura beſtiæ lyncis agetur. Arnoldus. Lyparea eſt lapis ſtypticus, huius proprietas eſt, quòd omne genus ferarum ad eius præſentiam cito properat & ipſum intuetur. Iſidor. Lyparea ſuffita gentiles omnes beſtias euocare traduntur. *Ex libr. de natura rerum.* Lyparea lapis eſt in Lybia valde mirabilis, ad quem omnem ferarum genus, docente natura ſponte quaſi ad patronum currit, cum canes vel venatores eas inſequuntur. Sed nec aliquis aduerſarius eis nocere poteſt.

Temperamentum.

Color.

Virtus.

Vſus mediciuales.

Generatio.

De margarita.

CAP. LXXXI.

ISidor. Margarita eſt prima candidarum gemmarum, quam inde margaritam vocari dicunt, quod in conchulis maris inueniatur. Ineſt enim in carne conchæ calculus natus ſicut in carne oſtreæ margarita precioſiſſima reperiri dicitur, vel ſicut in cerebro piſcis lapillus. Gignitur autem de cæleſti rore, quem certo anni tempore conchę hauriunt. Ex quibus margaritis quædam vniones vocantur, aptum homen habentes, eo quòd tantum vnus, & nunquam duo vel plures ſimul reperiantur. Meliores autem ſunt candidæ margaritæ, quam quæ flaueſcunt. Illas enim aut iuuentus, aut matutini roris conceptio reddit candidas. Has ſenectus, vel veſpertinus gignit obſcuras. *Phyſiologus.* Conchus vel vnio eſt lapis in mari concauus, & rotundus, in duas partes diuiſus, vnde aperiri poteſt, & concludi, hæc de fundo maris aſcendit ſuper mare hora matutina, & aperiens ſe ſuſcipit de rorecæli intra ſe, & circumfulget eum radius ſolis, ſic fit intra eum margarita precioſa, & ſplendida valde, quippe quæ rore cæli eſt concepta & ſolis radio clarificata. *Arnoldus.* Margarita eſt candidus lapis, qui ex marinis tollitur Conchis. Quædam ex his perforatæ ſunt, & in tonitruo fit aborſus ab eis: Meliores mittit India, & Britannia. *Plin. lib.* 9. Principium culmenque omnium rerum tenent margaritæ precia Indicus maximè has mittit Oceanus, fertiliſſima & eſt Taprobane ac Troiſis, præcipuè vero laudantur circa Arabiam in ſinu perſico rubri maris. Origo ac genitura cōchę exiſtit haud multum differens oſtrearum conchis, has vbi genitalis ſtimulauerit hora, pandentes ſe quadam oſcitatione

Etymon.

Vniones cur ita dicti.

Modus generandi vniones.

Meliores.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

roſcido conceptu tradunt impleri, grauidaſque poſtea eniti partumque concharum eſſe magaritas, pro qualitate roris accepti. Si purus influxerit, candorem conſpici, ſi vero turbidus, & fætum ſordeſcere, eundemque pallere cælo conceptum minante, ex eo quippe conſtare, cœlique maiorem eis ſocietatem, quam maris eſſe, Inde ergo trahit colorem nubilum, aut pro claritate matutina ſerenum; Si tempeſtiuè ſatientur, grandeſcere traduntur, & partus. Si fulguret conchas comprimi ac pro ieiunij modo minui. Si vero etiam tonuerit, pauidas ac repente compreſſas, quæ vocant phyſemata, efficere ſpeciem, verum inani modo inflatam ſine corpore, hoſque Concharum abortus eſſe. Sani quidem partus cute conſtant multiplici, & purgantur à peritis. Miror autem ipſo tantum eas cœlo gaudere ſole rubeſcere candoréque perdere, vt corpus humanum; quare præcipuum eum ſcilicet candorem cuſtodiunt in ſe, pelago altius, quàm vt radij penetrent, merſæ. Senecta tamen & ille flaueſcunt rugiſque torpeſcunt, nec niſi in inuenta conſtat ille, qui quæritur vigor. In ſenecta quoque craſſeſcunt, & Conchis adhæreſcunt, nec his euelli niſi lima queunt. Quibus vna tantum eſt facies & ab ea rotunditas, auerſis planicies, ob id tympana nominantur.

Margarita partus concharum.

Iterum de eodem.

Cap. LXXXII.

Margaritas in Conchis cohærentes videmus hac dote vnguenta circumferentibus. Cæterum in aqua mollis exiſtit, vnio exemptus protinus dureſcit. Concha ipſa cum manum videt, ſe ſe comprimit, opeſque ſuas operit, gnara propter illas ſe peti, manumque ſi præueniat, acie ſua abſcindit. Conchas huiuſmodi retibus incluſas, multo ſale dicunt in vaſis fictilibus obrui, eroſaque omni carne nucleos quoſdam corporum, ideſt vniones in ima decidere. Nec dubium eſt illas vſu atteri, coloremque in diligentia mutari, dos omnis eſt in candore, magnitudine, orbe, pondere, leuore. Nunquam duo reperiuntur indiſcreti, ideoque & nomen vnionum Romanæ deliciæ impoſuerunt eis. Nam id apud Græcos non eſt, nec apud Barbaros inuentores aliud, quàm margaritæ nomen. Eſt & in candore ipſo magna differentia, clarior in mari rubro repertus, Indicus vero ſpecularium lapidum ſquamas aſſimilat, magnitudine præcellens alias. Summa laus coloris eius eſt vocari exaluminatos, proceritoribus autem ſua eſt gratia. Elenckos appellant fatigata longitudine, alabraſtrorum figura, in orbe pleniore deſinentes. Hos digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria eſt. In mari noſtro reperiri ſolebant crebrius circa boſphorum thracium, rufi & parui, in Conchis, quas myas appellant. Corpus earum ſolidum eſſe manifeſtum eſt, quia nullo lapſu frangitur, nec ſemper in media carne, ſed alijs & alijs locis reperiuntur, vidimus, in externis iam etiam marginibus velut è Cõcha exeuntes. In Britannia paruos atque decolores naſci certum eſt.

Mirum de concha.

Dos vnionũ

Etymon.

Exaluminati colores vnionum.

Elenchi.

Mya.

Ex libr. de natura rerum. Margarita, vt dicit Solinus, ſic efficitur. Conchæ in quibus inueniuntur nocturno tempore littus adeunt, & rore cæli eas concipiunt, ſi purum fuerit quod accipiunt, gemmę candidæ fiunt. Si vero turbidum, aut pallore languent, aut rufo obnubilantur. Denique quotiens accipiunt matutini aeris ſemen, fit clarior margarita, quotiens veſpere, fit obſcurior, quanto magis hauſerint rorem, tanto magis peficitur lapidum magnitudo. Si vero Conchis apertis repente coruſcatio micuerit intempeſtiuo metu comprimantur, ſubitaque formidine abortiuntur, aut perparuæ efficiuntur. Talis autem Conchis ipſis eſt ſenſus, vt partus ſuos timeant maculari, cum ſol vrentes acferuentes orbes emerſerit. Itaque ne calore nimio fuſcentur lapides, Conchæ ſubſidunt in profundum. Duo nunquam in vna Concha reperiuntur, vnde & vniones à pleriſque dicuntur. Grandinibus deſcendentibus conchæ lapides † dureſcunt, vltra ſemiunciam nunquam reperiuntur. Dicuntur autem cum Luna creſcere, & deſcreſcere, dum viuentes in Concha ſunt. Huius gemmas digitis, vel auribus ſuſpendere binas aut trinas, fœminarum gloria eſt. In aceto vero poſitæ citius reſoluuntur dènique margarita vndique perforabilem ſe præbet, & contra morbum caducum valet.

Senſus concharum.

**alias flaueſcunt.*

De luxuria antiquorum in margaritis.

CAPVT LXXXIII.

Plinius vbi ſupra. Margaritæ vt dictum eſt, Oceano maximè Indico mittuntur, interque belluas immanes per tot maria venientes, tam longo terrarum tractu, tantiſque ſolis ardoribus petuntur. Itaque iam ex tota rerum natura ventri mare damnoſiſſimum, & tot modis, tot menſis, tot piſcium ſaporibus, quibus precia capientium periculo fiunt. Sed quota hæc portio eſt reputantibus purpuras, & conchylia, & margaritas, parum ſcilicet fuerat in gulas condi maria, niſi manibus, auribus, capite, totoque corpore fœminis atque viris geſtarentur? Quid mari cum veſtibus? Quid cum vellere vndis ac fluctibus? Non rectè nos recipit hæc natura rerum niſi nudos. Eſto, ſit tanta ventri ſocietas cum eo. Quid tergori? Parum ſit niſi qui veſtimur, periculis etiam veſtiamur, adeo per totum corpus animæ hominis quæſita placent maximè, præcipuè ergo rerum precium tenent, vt dictum eſt, margaritæ. Has digitis ſuſpendere, & binas trinaſque auribus, gloria eſt, fœminarum. Subeunt luxuriæ eius nomina, & tædia exquiſita perditione portatus; Siquidem cum id fecere crotalia appellant, ceu ſono quoque gaudeant, & colliſu ipſo margaritarum. Quin & pedibus nec crepidarum tantum obſtragulis, ſed & totis addunt ſocculis. Neque enim geſtare iam ſatis eſt margaritas, niſi calcent, ac per vniones etiam ambulent: duo maximi fuerunt vniones, & vtrumque poſſedit Cleopatra reginarum Ægypti nouiſſima, per manus regum Orientis ſibi traditos, hæc cum exquiſitis quotidie Antonius Epulis ſaginaretur, ſuperbo ſimul ac protaci faſtu vt regina meretrix, lauticiam eius omnem apparatumque detrectans, eo quærente quid aſtrui magnificentiæ poſſit, vna ſe cœna centies ſeſtertium abſumpturam oſtendit. Cupiebat Antonius diſcere, ſed non arbitrabatur fieri poſſe. Sponſionibus ergo factis poſtero die quo iudicium agebatur, quotidianam Antonio cenam appoſuit irridenti, & computationem expoſtulanti. At illa conſumpturam ſe ſolam ea in cena taxationem confirmans ſcilicet centies ſeſterium cænaturam, ſecundam inferri menſam iuſſit, & ex præcepto miniſtri vnum tantummodo vas ante illam appoſuerunt aceti, cuius aſperitas viſque in tabem margaritas reſoluit. Gerebat auribus tum maximè ſingulare illud ac verè vnicum opus naturæ. Itaque Antonio ſpectante, quidnam eſſet actura, detractum alterum merſit, ac liquefactum abſorbuit. Iniecit alteri manum Lucius Plancus iudex ſponſionis eius, eum quoque paranti ſimili abſumere modo, victumque Antonium pronunciauit, homine irato: prior id fecerat Romæ Clodius Tragœdi Æſopi filius in amplis opibus hæres ab ipſo relictus, ne triumphatu ſuo nimis ſuperbiat Antonius penè hiſtrioni comparatus, & quidem nulla ſponſione ad hoc productus, quo id magis regium erat. Sed vt experiretur in gloria palati, quid ſaperent margaritæ, atque vt mire placuere, ne ſolus hoc ſciret, ſingulos vniones conuiuis ad ſorbendum dedit. Denique conchylia, & purpuras ora omnis atterit, quibus eadem mater luxuria pœne paria etiam magaritis precia fecit.

Crotalia.

Prodigalitas Cleopatræ.

Luxuriosa contentio.

Simile exẽplum Romæ prius contigit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De virtute ipſarum in medicina.

CAPVT LXXXIV.

Temperamentum. *Virtus.*

Platearius in lib. de ſimplici medicina. Margaritæ frigidæ ſunt & ſiccæ. Quæ perforatæ meliores ſunt, & in medicinis ponuntur. Sed eligendæ, quæ claræ, & albæ ſunt, virtutem habent confortandi, quia quadam aſperitate ſua membra à ſuperfluis abſtergunt, & ea quaſi aſtringendo, & coarctando ad vnum ducunt, contra, debilitatem, & ſyncopen, vel fluxum ventris, vel ſanguinis, & contra cardiacam paſſionem. In febribus datur puluis eius cum Saccharo roſaceo. *Arnol.* Margarita virtutem confortantis ſpiritus habet, contraque cardiacam, & ſyncopen, & contra fluxum ſanguinis, & lienteria ac diarrhia valet. *Ex libr. de natura rerum.* Margarita contrita, & confecta ſecundum modum debitum, valet contra ſtomachi debilitatem, confert corporis ſanitatem, & etiam mentis, quia caſtum reddit portantem, valet etiam (vt dictum eſt) contra morbum caducum. Eligendæ ſunt autem (vt dictum eſt margaritæ albæ, & claræ, confortant enim reparando ſubtiles ſpiritus. Quæ autem obſcura eſt quaſi. & ſubalbida, non ponatur in medicina.

De media, & myrrhite.

CAPVT LXXXV.

Media Etymon. *Virtus.*

Iſidor. Media eſt gemma nigra, & ærei coloris habens venas. Sudorem reddit croci, ſaporem vini. *Arnold.* Media, lapis eſt, cui color viridis alternis niger. Tranſmittitur à regione Medorum. Eiuſque virtus eſt contra cæcitatem oculorum, ac veterem podagram, & phreneticam paſſionem, Refouet autem feſſos, & debiles; Sed ſi huius lapidis nigri fragmenta in aqua calida reſoluta, hoſti tibi ſuſpecto ad lauandum dederis, membrorum excoriationem protendit, Et ſi ad potandum dederis vomitu, ſtomachique ſubuerſione peribit. *Dioſcorides.* Medius lapis in Media inuentus eſt apud fluuium phaſin vnde & nomen accepit. Niger quidem eſt, ſed tritus colorem croceum emittit. Eſt autem duplicis potentiæ, bonæ ſcilicet & malæ. Nam, & tritus in coctura medicinali cum lacte mulieris, quæ ſemel puerum primo partu edidit, & vnctus albugines oculorum curat & omnem illorum dolorem, etiam ſi fuerit deſperatus, podagricos etiam eodem modo cum lacte ouis, quæ ſemel genuit maſculum ſanat: verum ſiquis ex eo biberit, pulmonem euomet.

De medo lapide.

Ex Lapidario.

Aſt in Medorum regione lapis reperitur,
Quem Medium vocitant mentis dator atque ſalutis,
Namque ſuper cotem mulieris lacte ſolutus,
Quæ ſemel atque marem peperit perſanat inunctus,
Viſu fraudatos iam multo tempore cæcos,
Lacte ſolutus ouis ſemel atque marem parientis,
Expellit veterem ſimili de more podagram,
Et feſſos reficit ſub anhelo pectore fibras.
Hoc & phrenetici ſaneſcunt inguine renes,
Debet in argento mixtus nitroue reponi.
Ieiunoque dari, ſic vtile ſit medicamen,
Hic totus niger eſt, ſed non eſt tota poteſtas,
Candida dum prodeſt, dum ledit, nigra vocatur.

Myrrhites vnde?

Iſidorus. Myrrhite dictus eſt eo quòd myrrhæ color in eo eſt, compreſſus autem vſque ad colorem nardi ſpirat ſuauitatem aromatis.

De malachite & murhina ſiue muria.

CAPVT LXXXVI.

Etymon.

Iſidorus. Malachites lapis eſt ſpiſſius virens, & craſſius quàm ſmaragdus. Hic à calore maluæ nomen accepit, & in reddendis laudatus ſignis. Naſcitur autem in Arabia. *Arnoldus.* Malachites eſt gemma viridis Smaragdo ſimilis, & valde mollis, hæc membra cuſtodit à nociuis caſibus, & cunas infantium ſimiliter. *Iſidorus.* Muria eſt gemma, quæ apud Parthos gignitur, ſed præcipua in Carmania. Humorem ſub terra putant, calore denſatum, vnde & nomen accepit: varietates eius in purpuram, candoremque & ignem, cum quodam colorum repercuſſu, quales in arcu cœleſti ſpectantur. Cuius contraria cauſa, chryſtallum facit gelu vehementiori concreto. *Plinius libr.* 37. Primus in vrbem Pompeius murhinam inuexit, & eo triumpho capitolino ſex pocula Ioui dicauit: Quæ protinus ad vſum hominum tranſiere, abacis etiam eſcariiſque vaſis expetitis. Excreſcit in dies eiuſdem rei luxus, murhino, 70. ſeſtertijs empto, capaci plane ad ſextarios tres calice. Oriens hunc lapidem mittit. Inueniuntur illic in pluribus locis, nec inſignibus, maximè Parthici regni, præcipua tamen in Carmania humorem putant ſub terra calore denſari, amplitudine nunquam paruos excedit abacos, craſſitudine vero quanta dictum eſt. Vaſi potorio, potentia ſplendoris eius eſt ſine viribus, nitor potius quam ſplendor. Sed in precio varietas eſt colorum, ſubinde circumagentibus ſe maculis in purpuram candoremque & tertium ex vtroque igneſcente veluti per tranſitum coloris purpura rubeſcente, aut lacte candeſcente. Sunt qui maximè in his laudant extremitates, & quoſdam cololorum repercuſſus, quales in arcu cœleſti ſpectantur. Maculæ pingues in eis placent. Tranſlucere quicquam vel pallere vitium eſt. Item ſales verrucæque non eminentes, ſed vt in corpore etiam plerunque feſſiles, aliqua & in odore commendatio eſt.

Muria dicitur obliquamen eius

De nitro, & noſe, & onyche.

CAPVT LXXXVII.

Arnoldus vbi ſupra. Nitrum eſt lapis ſubalbidus atque perſpicuus. Huius virtus eſt diſſoluendi, & attrahendi, & contra ictericiam valet. Noſe lapis eſt, qui & borax, de quo dictum eſt ſupra. Onyx eſt gemma nigri coloris, & eſt aliud genus nigrum cum albis venis, hunc Arabia, & India mittunt. Eius ſpecies quinque ſunt ex diuerſitate venarum & colorum. Hic collo ſuſpenſus vel digito triſtitiam, & timores excitat, & phantaſmata in ſomno. Multiplicat quoque rixas, & lites, ac pueris ſaliuam auget, & ſi præſens ſit ſardius tunc non nocet onyx. *Ariſtot.* Onyx lapis (ſi ſuſpendatur ſupra pectus hominis) pallorem, & tumorem ac triſtitiam facit. *Plinius vbi ſupra.* Exponenda eſt onychis ipſius natura: propter nominis ſocietatem hoc in gemma tranſilit, & à lapide ex Carmania. Sudones dicit in gemma candorem eſſe in ſimilitudinem humani vnguis. Item chryſolithi colorem, & ſagdæ, & iaſpidis, Onyx indica plures dicitur habere varietates, igneam, nigrã, cingentibus candidis venis oculi modo interuenientibus, quarundam oculis obliquis venis. Sotacus, & Arabicam onychen tradit, ſed à cæteris diſtare, quod Indica igniculos habeat albis cingentibus zonis ſingulis pluribuſve aliter quam in Indica Sardonyce. Illic enim eſſe momentum, hic vero circulum. Arabicas onychas inueniri nigras zonis candidis. Satyrus carnoſas eſſe indicas parte carbunculi, parte chryſolithi, & amethiſti. Totum id genus abdicat. Onychen autem veram plurimas variaſque cum lacteis zonis habere venas, omnium in tranſitu inenarrabili colore exiſtente, & in vnum redeunte concentum grata ſuauitate. *Iſidor.* Onyx in gemmam tranſit ex lapide, ſic dicta, eo quod habeat in ſe permixtum candorem in ſimilitudinem vnguis humani, Græci enim vnguem onychen dicunt, hanc India, vel Arabia gignit. Arabica autem hæc ab indica diſtat, quod indica igniculos habet albis cingentibus zonis. Arabica autem nigra eſt, cum candidis zonis. Genera eius quinque.

Virtus onychis.

Arabica onyx. Indica.

Ex li. de nat. rer. Onyx eſt lapis precioſus ex parte albus & ex parte niger, lites & diſcordias commouet, & multiplicat. De lapide onychino duæ ſunt opiniones. Dicit enim Gloſſ. ſuper Leuit. quod oſtreola ſit parua ſuauiter redolens, à magnitudine, & colore vnguis, humani dicta. Habet enim colorem medium inter rubeum, & album: hæc aquis exempta dureſcit in lapidem ſicut margarita. Beda tamen videtur velle, quod onychinus ſiue onyx (vt ipſe dicit) niger ex parte ſit intercurrentibus albis, & rubeis zonis. Platearius autē dicit, quod onycha vel onyx eſt genus gummi fluens ex arbore, quod poſtea dureſcit in lapidem, ſicut de ſucco legitur. Sed forſitan aliud dicit onycham, quàm onychinum. Onycha tamen pro onychino ponitur ſecundum Gloſſ. in loco Exodi, vbi de vnguento compoſitionis agitur. Valet autem onychinum contra ſcabiem, & albificat faciem. In ignem vero miſſus odorem ſuauiſſimum reddit. Hoc etiam de onycha valde mirabile fertur, quòd cum nihil adeo exiguum ſit, quòd non lædat oculum, ſi intrauerit, hic infirmo appoſitus oculo, ſponte ſua, quaſi ſenſata res intrat ſine læſione, circuitque oculum, & omnes partes interius penetrat, quouſque contrarios viderit eſſe humores, prorſus excutit.

Contra ſcabiam.

Prodeſt oculo.

De opalo, & oppallio ſeu ophthali

CAPVT LXXXVIII.

Isidorus. Opalus eſt lapis diuerſarum colore gemmarum diſtinctus. Eſt enim in eo carbunculi tenuior ignis. Amethyſti fulgens purpura, Smaragdi nitens viriditas, cunctaque pariter ſub quadam varietate lucentia. Nomen habet ex patria. Sola enim parturit eũ India. *Plin. vbi ſup.* Opali ſunt in India, quibus precioſiſſimam gemmarum compoſitores gloriam, & maximè inenarrabilem difficultatem dederunt, quia ſunt in eis cuncta pariter incredibili mixtura lucentia, alij ſummo fulgoris augmento colores pigmentorum æquauerint, alij vero ſulphuris ardentem flammam, aut etiã ignis oleo accẽſi. Magnitudo nucẽ auellanã æquat, inſigni apud nos hiſtoria. Extat hodie quoque gemma generis huius propter quam proſcriptus eſt ab Antonio Senator Nonius filius Strumæ Nonij eius, quem Catulus Poeta in ſella curuli viſum indigne tulit, Auúſque Seruilij Noniani, quem Conſulem vidimus. Illeque proſcriptus fugiens hunc ex fortunis ſuis omnibus annulum abſtulit ſecum. Quem certum eſt ſeſtertijs viginti milibus æſtimatum. Miraque Antonij feritas atque luxuria propter gemmam proſcribentis, nec minus Nonij contumacia proſcriptionem ſuam amantis, cum etiam abroſas corporis partes beſtiæ relinquant, propter quas periclitari ſe ſciant. Opali vitia ſi color in florem herbæ, quæ vocatur Heliotropium exeat, aut chryſtallum aut grandinem. In Galacia, & Tharſo ac Cypro, qui profecit opali gratiam habet, ſed mollius nitet raro non ſcaber. Summa coloris ex aere, & purpura conſtat, viriditas ſmaragdi deeſt. Melior color ille conſtat cuius fulgor vini colore fuſcatur, quàm qui aqua diluitur. Arnold. Ophthalis eſt lapis precioſus, geſtanti ſe contra omnes oculorum morbos proficuus, viſum eius acutum confortat, per omnia vero circunſtantium viſus & oculos excæcat & obumbrat.

Magnitudo opali.

Annulus inæſtimabilis pretij.

Ophthalis reddit inuiſibilem.

Ex Lapidario.

Auertens oculis morbos opallius omnis,
Aſſeritur, furum tutiſſimus eſſe Patronus,
Nam ſe geſtantum viſus conſeruat acutos,
Ac circunſtantes obducta nube retundit,
Vt poſſint ſpoliare domos impunc latrones.

De Orithe, & oſtracite.

CAPVT LXXXIX.

Arnoldus. Orithes eſt lapis triplicis generis, vnus eſt rorundus ac niger. Alius viridis, & maculas albas habet. Tertius eſt cuius altera pars aſperſa eſt, altera plana. Et eſt corpus quaſi ferri lamina, hic lapis geſtatus & oleo roſaceo mixtus prohibet ab aduerſis caſibus atque peſtiferis reptilium, & aliorum animalium morſibus. Idem appenſus mulieri prohibet ipſam imprægnari, & ſi prægnans eſt abortit.

Tria genera.

Ex Lapidario.

Lætiferos morſus, niger atque rotundus orithes,
Quos fera, vel cornu, vel ſæuo dente peregit,
Cum roſeo mixtus perfectè curat oliuo.
Per vaſtas ſyluas interque feras gradientes,
Illæſos ſeruat morſus abigendo ferarum.
Qui viret, & maculas albas habet, alter orithes,
Caſibus aduerſis portatus vbique reſiſtit,
Tertius aſſeritur famæ gratioris orithes,
Altera pars cuius crebris eſt, aſpera clauis,
Altera læuior eſt, corpus quaſi lamina ferri,
Hic facit appenſus ne fiat fœmina prægnans,
Aut vt ſi prægnans fuerit cito fundit abortum.

Isidorus. Oſtracites gemma eſt teſtacea, durior eſt altera ſimilis achati, niſi quòd achates politura pingueſcit. Duriori tanta ineſt vis, vt aliæ gemmæ ſculpantur eius fragmentis.

Oſtracites.

De panthero ac pæanite.

CAPVT XC.

Isidorus. Pantherus eſt lapis varius ex omnibus penè coloribus conſtans, vnde & nominatus. *Arnoldus.* Pantherus eſt lapis multos habens colores ſparſos, ſimulque defunctos, ſcilicet nigrum ac viridem, & rubeum, Eſt etiam pallidus, & purpureus ac roſeus, hic luſcos efficit viſus. *Ex libro de natura rerum.* Panthera lapis eſt omnium ferè colorum, ſic dicta ab huius nominis beſtia, hic rabiem ſedat, totque dicitur habere virtutes, quot & colores.

Etymon.

Ex Lapidario.

Pantherum multos teſtantur habere colores.
Nam niger, & rubeus, viridis, pallenſq; videtur,
Purpureus, roſeus, ſimul ſparſoſque colores,
Hos habet, & varios diſtinctus ſchemate vernat,
Expedit hunc orto quam primum ſole videri,
Vt victor poſſis omnes exire per actus,
Ipſo namque die poterit te vincere nemo.

Arnoldus. Pæanites lapis eſt genitus de Michedon, & eſt fœminei ſexus. Nam certo tempore concipit, lapidémque conſimilem parit, & confert prægnantibus.

Pæanites. parit.

Ex Lapidario.

Gignitur in Machedon regione lapis pæanites,
Fœminei ſexus referens imitando labores,
Nam quibus ex cauſis dubium, ſed tempore certo,
Concipit, & parit, & parientibus auxiliatur,
Vltima quas vrget dubij diſcriminis hora.

De pædoros, & pontica, & praſio ac pyrite.

CAPVT XCI.

Isidorus. Pædoros eſt gemma poſt margaritam gemmarum candidarum ſecunda, de qua quæritur in quo numerari colore debeat, totiens iactata per pulchritudines nominis alienas adeo vt decoris prærogatiua vocabulo ſit facta. Ponticæ gemmæ dicuntur à ponto genere diuerſo, nunc ſanguineis, nunc auratis guttis micantes, Aliæ ſtellas habentes, aliæ quoque longis colorum ductibus lineatæ. Praſius eſt lapis pro viridante colore ſic dictus, ſed vilis cuius alterum

Pontica Etymon.

genus

genus ſanguineis abortit punctis. Tertium vero diſtinctum eſt virgulis tribus candidis. Arnoldus Praſius eſt gemma cuius color conſpicuus viridiſque viſum confortat.

Ex Lapidario.

Conſpicuus Praſius gemmis ſolet annumerari,
Sed non eſt carus contentus quippe decore,
Vtile nil affert, niſi quòd decet, & iuuat aurum,
Altera ſanguineis ſpecies eſt illita guttis,
Tertia candidulis tribus eſt inſcripta licuris.

Pyrites. *Iſidorus.* Pyrites gemma nigra quidem exiſtit, ſed attrita digitos adurit.

Ex Lapidario.

Cui fuluus color eſt cui nomen ab igne pyrites,
Se negat aſtringi pertractaríque recuſat,
Tangi vult leuiter, pauidaque manu retineri.
Nam preſſus nimium digitos ſtringentis adurit.

Auctor, De hoc Plinius dictum eſt ſuperius, vbi actum eſt de lapidibus inſignioribus.

De Quirino, & quanidro, & raday & ranny.

CAPVT XCII.

Arnoldus. Quirinus eſt lapis qui reperitur in vpupæ nidis, hic ſecretorum proditor in ſomno eſt, & phantaſias auget. Quanidros lapis à cerebro trahitur vulturis, valet contra quaſlibet cauſas nociuas replet lacte mammillas. Raday, & donatides idem lapis eſt niger atque tranſlucens. Inuenitur in capite Galli maris, quando datum eſt comedere formicis. Idem geſtatus (vt dicitur) valet ad impetrandũ quodlibet. Ranny eſt idem, quod bolus armenicus, & eſt lapis ſubrubeus. Huius virtus eſt conſtrictiua ſanguinis diſenteriæ menſtruorumque.

Quanidros

Raday.

Ranny.

De Sapphyro.

CAP. XCIII.

Iſidorus. Sapphyrus lapis eſt cæruleus cum purpura, habens pulueres aureos, ſparſos, optimus apud Medos, nunquam tamen perlucidus. Helinandus vbi ſupra. Sapphyrus circa ſyrtes lybicas inuenitur, fluctibus expulſus à vento, mixtus arenis, cœlo ſereno ſimilis, ſed viſum non tanſmittit. Caſte portari vult, gemmaque gemmarum dicitur, & lapis ſanctus. *Plinius vbi ſupra.* Sapphyrus enim aureis collucet punctis. Cæterum inutiles ſculpturæ chryſtallinis interuenientibus centris: quæ ſunt ex his cyanei coloris, mares exiſtimantur. Arnoldus. Eſt gemma fulgens, & vt cœli puritas flamma; Optimus eſt Sapphyrus denſus, & non tranſlucens, Hunc Indica regio mittit, Aliud vero genus dant ſyrtes; hic lapis hominem reddit caſtum, & firmat in bonis animum. Mites, & humiles facit, & magicis artibus deſeruit. *Gloſſa ſuper Apocalyp.* Sapphyrus ſereno cœlo ſimilis eſt, qui radijs ſolis percuſſus ardentem emittit fulgorem. *Ex libr. de natura rerum.* Sapphyrus ſereno colore cælo aſſimilatur. Nunquam tamen quãtumcunque purus ſit, imaginem in ſe vt ſpeculum oſtendit. Dicitur autem optimus eſſe contra fraudes, & contra inuidiam, & terrores, ad pacem quoque gratioſus eſt. Sed oportet vt ille, qui portat, ſummo ſtudio caſtitatem ſeruet. Orientales Sapphyri ſunt optimi, maximè hi, qui vehementer ſplendent colore cæruleo & quaſi nubeculas habent in ſuperficie coloris denſioris. Sunt & quidam Orientales Sapphyri, qui lapidem rubith admixtum habent, hique inter cæteros cariores ſunt, & virtute potentes.

Lapis ſanctus.

Optimus.

Orientales.

Ex Lapidario.

Sapphyri ſpecies digitis aptiſſima regum,
Egregium fulgens puroque ſimillima cælo,
Vilior eſt nullo virturibus atque decore.
Hic, & ſyrtites lapis eſt pleriſque vocatus,
Quòd circa ſyrtes lybicis permixtus arenis,
Fluctibus expulſus feruente freto reperitur,
Ille ſed optimus eſt, quem tellus Media gignit.
Qui tamen aſſeritur nunquam tranſmittere viſum,
Quem natura potens tanto ditauit honore,
Vt ſacra & merito gemmarum gemma vocetur,
Et qui portat eum non vlla fraude necatur,
Inuidiam ſuperat, nullo terrore mouetur,
Hic lapis (vt perhibent) educet carcere vinctos,
Obſtructaſque fores ac vincula tacta reſoluit,
Ferturque & pacem bonus eſſe ad conciliandam,
Et pluſquam reliquas amat hanc necromantia Gemmam,
Vt diuina queant per eam reſponſa mereri.

De virtute ipſius in medicinæ remedio.

CAPVT XCIV.

Dioſcorides. Sapphyrus lapis eſt, qui & orinicus dicitur, corpora præbet integra bonique coloris. Torſiones ventris cum lacte portatus curat, & omnia vlcera cum lacte ſanat. Ariſtot. Sapphyrus poſitus ſuper algid, ideſt arteriam, calorem mitigat, & dum ponitur ſuper corpus hominis, malam ſuſpicionem aufert, atque à turbatione liberat. Arnoldus. Sapphyrus corpus vegetat, & integra membra conſeruat. Curat dolorem frontis, ſudorem reſtringit. *Ex libr. de natura rerum.* Sapphyrus morbum illum horribilem fugat, qui vulgariter dicitur Noli me tangere. Sed poſt fugationem dicitur vitiari color. Membra geſtantium ſe vegerat, & confortat, tumores ſedat, vlcera ſanat.

Curatio morbi, Noli me tangere

Ex Lapidario.

Hic corpus vegetat, conſeruat, & integra membra,
Corporeis etiam morbis lapis iſte medetur.
Scilicet ardorem refrigerat interiorem,
Sudorem ſtringit nimio torrente fluentem,
Contritus, lacti ſuperillitus, vlcera ſanat,
Tollit & ex oculis ſordes, & fronte dolorem.
Et vitijs linguæ ſimili ratione medetur.
Sed qui geſtat eum, caſtiſſimus eſſe iubetur.

De Sagda, & ſandaſiro.

CAPVT XCV.

Iſidorus. Sagda eſt gemma praſini coloris apud Chaldæos, cuius tanta vis eſt, vt permeantes naues è profundo petat, & carinis ita tenaciter adhæreat, vt niſi abraſa parte ligni vix ſeparetur.

Vis

Sagda.

Ex Lapidario.

Difficilis gemmas ſuper omnes Sagda repertu,
Nunquam ſciretur niſi ſe daret inueniendam,
In medio ſiquidem natus lapis iſte profundo.
Naues incautas petit è regione meantes,
Et prælambentis tabulis hærendo carinæ.
Ad portum trahitur maris, ignaris data nautis,
Eſt autem morſu tabulæ ſic fixa tenaci,
Quod nequit abraſa ligni ſine parte reuelli,
Huic praſinus color eſt regio Caldaica tellus

Iſidorus. Sandaſirus naſcitur in Indis loco eiuſdem nominis: Species eius eſt quod velut intra lucidum ignem intus aureæ guttæ fulgent. Conſtat inter omnes quantum ſtellarum accedat numero, tanto & precium accedere. Plinius. Sandaſiros antraciti cognata eſt ex gemmis ardentibus, quã aliqui grammatiten vocant: Naſcitur in India loco eiuſdem nominis. Gignitur & in Arabia ad Meridiem verſa. Commendatio ſumma, quod velut in tranſlucido ignis, intus ſtellantes tranſfulgent aureæ guttæ, ſemper in corpore, nunquam in cute. Accedit religio à ſyderum cognatione ab inſpectoribus narrata, quia ferè ſtellarum hyatum numero, & diſpoſitione ſtellantur, & ab hoc à Caldeis in cærimonijs eſt habita. Mares diſtinguit auſteritas quodam vigore appoſita pingueſcens. Indicæ quidem viſus hebetare dicuntur. Blandior

Sandaſirus. preciosior.

fœmineis eſt flamma. alliciens magis, quam accendens. Sunt, qui Arabicas indicis præferant. Numidæque chryſolitho ſimiles illas dicunt. Iſmenias vero negat poliri Sandaſiros propter teneritatem, & ob id magno venire, Sunt qui & ſandaſira vocent, Affert errorem aliquando nominis ſimilitudo. Sandaſer Nicander Sandeſerion vocauit. Alij ſandereſon. Quidam autem habent ſandaſtron, & illam ſandareſon in India naſcentem nomen loci cuſtodientem mali coloris, viridis omnibus improbatam.

De Sardio.

CAP. XCVI.

Vilitas. *Color.* *Laudatiſſimus.* *Tria genera.* *Damnati.* *Effectus.*

Iſidorus. Sardius gemma ſic dicitur, eo quod à ſardis primum reperta ſit, hæc rubrum habet colorem marmoribus præſtans, ſed inter gemmas viliſſima. Inuenitur autem plurimis locis in officinis lapidum hærens in ſaxo cordis modo. *Arnoldus.* Sardius eſt gemma rubei clarique coloris, & ſunt eius quinque ſpecies, ſed hic vtilior eſt alijs. Gaudium accendit, timorem pellit, audaces reddit, & mentem exacuit. Eoque præſente lapis onyx non poteſt nocere. *Plinius* Sarda quoque ex gemmis ardentibus eſt viliſſima, quæ nomen cum ſardoniche communicat. Ipſa eſt vulgaris gemma, primumque ſardibus reperta. Sed laudatiſſima circa Babyloniam, cum lapidicinæ quædam aperirentur inuenta eſt, hærens in ſaxi corde, hocque modo metallum apud Perſas defeciſſe traditur, ſed compluribus alijs locis inueniuntur, vt in epyro, & aſſo. In India trium generum inuenitur ſcilicet rubeũ, & quod demum vocant à pinguedine. Tertium quoque quod argenteis bracteis ſublinitur, perlucent Indicæ, craſſiores ſunt Arabicæ, Circa Leucadiam Epyri quoque inueniuntur, & circa Ægyptum, quæ bractea aurea ſubliniuntur, In his autem mares exiccatius fulgent, fœminæ vero pinguiores ſunt, & craſſius nitent. Nec alia gemma fuit apud antiquos vſu frequentior. Hac certè apud Menandrum & Philomenem ſuperbiunt fabulæ, nec vlla eſt ex tranſlucentibus, quæ tardius humores ſuffuſo hebetetur, oleóque magis quam alio liquore, damnantur ex his melleæ, & validius teſtaceæ. *Ex libr. de natura rerum.* Sardius rubei coloris eſt, ſed acri, vt rubea terra, hic ſanguineum fluxum reſtringit, & eſt idem, quod lapis Cornelius, de quo dictum eſt ſuperius, vt dicit Gloſ. ſuper Exód.

De Sardonyche.

CAPVT XCVII.

Tres colores. *Effectus.*

Iſidorus. Sardonyx gemma, ex duorum nominum ſocietate vocata eſt. Eſt enim ex onychis candore, & ſardio. Conſtat autem ex tribus coloribus, ſubterius nigro, medio candido, ſuperius minio; hæc ſola in ſignando nihil ceræ auellit. Reperitur autem apud Indos, & Arabes, detecta torrentibus. Genera eius ſunt quinque. *Helinandus.* Sardonyx optimus eſt ad ſigilla, quia nihil ceræ tenet. *Arnoldus.* Sardonychus lapis eſt, cuius color eſt niger, & albus ac rubeus, ſed magis ſupereminet rubeus, & qui colores hos habet magis diſtinctos; laudabilior eſt, & qui denſior eſt. Quinque ſunt eius ſpecies, inter quas hic magis vtilis eſt. Tranſmittitur ex Arabia, & India, luxuriam depellit, hominemque caſtum, & pudicum reddit. *Plinius.* Sardonyches olim, vt ex ipſo nomine apparet, intelligebantur candore in Sarda, hoc eſt velut carnibus vngue hominis impoſito, & vtroque tranſlucido. Ceperuntque pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi, radice nigra, vel ceruleum imitante, & vngue; creditum enim candido pingui, nec ſine quadam ſpecie purpuræ candore in minium tranſeunte. Has Indis non habitas in honore Zenothenis ſcribit, tantæ aliàs magnitudinis, vt inde capulos factitarent. Etenim conſtat ibi torrentibus detegi: placuiſſe autem in initio noſtro orbi, quoniam ſolæ prope gemmarum ſculptæ ceram non auferrent. Perſuaſimus deinde & Indis vt ipſi quoque gauderent his, vtiturque perforatis vtique vulgus tantum in collo. Et hoc eſt indicarum argumentum. Arabicæ excellunt prope lucido circuli candore, atque non gracili, nec in receſſu gemmæ vel in deiectu renitente, ſed in ipſis vmbonibus nitente, præterea ſubſtrato nigerrimi coloris. Et hoc indicis cereum, aut corneum inuenitur etiam circuli albi, quædamque in his arcus cæleſtis eſt anhelatio. Superficies autem locuſtarum maris cruſtis rubentior. Iam enim melleæ, vel fæculentæ, hoc enim nomen eſt vitio, improbantur. Et ſi Zona alba fundat ſe, non colligatur. Simili modo ſi ex alio colore in ſe admittat aliquid enormiter. Nihil autem in ſua ſede ab alieno interpellari, placet. Ariſt. Sardonyx contrariatur malis operationibus onychis, quamdiu vicinatur ei. *Ex libr. de natura rerum.* Sardonyx ex duobus lapidibus naturaliter factus eſt, in parte rubeus ex lapide ſardio, in parte vero albus, & in parte niger, qui duo colores ſunt ex parte onychis. Habet autem ſpeciem pulcherrimam, vbi colores permixti fuerint, ſed nullam virtutem habere dicitur, niſi quoniam, & ſardius, ſcilicet quod ipſo præſente lapis onyx nocere non poteſt. Neſcit autem conuellere ceram, & eum qui hunc portat oportet eſſe prudentem, & humilem.

Magnitudo. *Arabicarũ excellentia.* *Vitioſa.*

De Selenite atque ſyrtite.

CAPVT XCVIII.

Augetur & minuitur cũ luna. *Syrtites.*

Iſidorus. Solenites gemma, tranſlucet candido melleoque fulgore, continens imaginem Lunæ. Quam iuxta curſum ipſius aſtri perhibent in dies ſingulos minui, & augeri. Naſcitur in Perſia. *Arnoldus.* Silenites eſt gemma Perſidis: cuius color eſt, vt Iaſpidis: Lunares motus ſeruat, geſtatuſque languentes, ac debiles curat. *Ex libr. de natura rerum.* Selenites lapis eſt colore pulchro: maximè albeo, rubeo,, vario, purpureo, quem portat Indiæ teſtudo. Horum quoddam genus eſt: quod viret vt herba. hunc qui portat in ore fertur diuinare futura. Igne nunquam frangitur. Inter diſſidentes amorem reconciliat, pthiſicos curat. Auctor. Iſta duo vocabula gemmarum chelonites, & ſelenites videntur confundi: & vnum pro alio ſumi, ac vitio ſcriptorum alterutrum corrumpi. Nam eadem ex parte hic dicuntur de Selenite, quæ ſuperius dicta ſunt de chelonite.

Ex Lapidario.

Non ſic ſelenitem fas eſt omnino ſilere,
Qui velut herba virens & iaſpidis æmula gemma,
Lunares motus, & menſtrua tempora ſeruat,
Creſcit enim luna creſcente minorque minuta.
Efficitur; tanquam cœleſtibus anxia damnis,
Iccirco ſanctus lapis à pleriſque vocatur,
Dicitur eſſe potens ad conciliandum,
Languores lenit: pthiſicoſque iuuare putatur,
Toto geſtatus creſcentis tempore lunæ,
Nec minus & toto per detrimenta fluentis,
Effectus miros, & commoda plurima præſtat.

Iſidor. Syrtites gemma eſt, ſic vocata: quoniam in littore Syrtium in parte Lucaniæ primum eſt inuenta, huius color eſt croceus: continens intus ſtellas languidas, & ſub nubilo renitentes. Auctor. Syrtites appellatur, & ſapphyrus: ſicut ex lapidario iam dictum eſt ſuperius.

De ſmaragdo.

Cap. XCIX.

SMaragdus omnium gemmarum virentium habet principatum. cui veteres poſt margaritas & vniones tertiam tribuunt dignitatem. Dicitur autem ſmaragdus à nimia viriditate : quia omne ſatis viride ſmaragdum dicitur. Nullis enim gemmis, vel herbis maior quàm huic viriditas eſt, Nam herbas virētes ac frondes exuperat. Sculpentibus quoque gemmas nulla gratior oculorum refectio eſt. Solo enim contuitu implet oculos, nec ſatiat. Præterea longinquo amplificatur viſu: inficiens circa ſe viriditate repercuſſum aerem. Cuius corpus ſi extentum eſt ſicut ſpeculum ita imagines reddit. Nam Nero Cæſar gladiatorum pugnas in ſmaragdo ſpectabat. Ferunt & in Cypro inſula in tumulo reguli hermię iuxta cætarias leoni marmoreo inditos oculos ſmaragdinos ita radiantes in gurgitem, vt thynni territi refugerent. Smaragdi mero & viridi oleo proficiũt: quamuis natura imbuantur. *Solinus.* Smaragdis nihil iucundius, nihil vtilius vident oculi. Imprimis virent vltra herbas aquaticas, deinde fatigatos obtuitus coloris lenitate reficiunt. & quos alterius gemmæ fulgor retuderit, ſmaragdi recreant. Nec ob aliud placuit, vt non ſculpentur, ne offenſum decus imaginum lacinijs corrumperetur: quanquam qui verus eſt, difficiliter vulneretur. Probantur hoc pacto: ſi aſpectus tranſmittant: ſi cum globoſi ſint proxima ſibi inficiant aere repercuſſo, Aut cum concaui ſunt, inſpectantium facies æmulentur, qui nec vmbra, nec lucernis mutentur, Optimos tamen ſortiuntur ſitus, quibus planicies reſupina eſt & extenta, *Plinius vbi ſupra.* Auctor eſt Iuba ſmaragdum, quem cholan vocant. in Arabia ædificiorum ornamentis includi, & lapidem quem alabaſtriten vocant Ægyptij Complures vero è proximo laconicos in monte taygeto erui, medicis ſimiles, & alios in Sicilia. Inſeritur ſmaragdis, & quæ vocatur tanos, è perſis veniens, gemma ingratè viridis, & intus ſordida. Itemque chalcoſmaragdos in Cypro venis æreis turbida. Theophraſtus in Ægyptiorum commentarijs reperiri tradit, eorum regi à rege babylonio miſſum ſmaragdum munere quatuor cubitorum longitudine: triumque latitudine fuiſſe quoque apud eos in delubro Iouis obeliſcum è quatuor ſmaragdis quadraginta cubitorum longitudine, latitudine vero in vna parte quatuor, & duorum in parte altera. Se autem ſcribente in Tyro Herculis templo pilam è ſmaragdo eſſe: niſi ſi potius pſeudoſmaragdus ſit. Nam & hoc genus reperiri & inuentum eſſe in Cypro ex dimidia parte ſmaragdum, ex dimidia iaſpidem: nõ dum humore in totum transfigurato. Appion etiam pliſtonices pauloante reliquit ſcriptum: eſſe in labyrintho Ægypti coloſſeum ſerapin è ſmaragdo nouem cubitorum. *Ex libro de natura rerum.* Forma ſmaragdi optima eſt plana: quia dum ſtrata eſt, adũbratur

Smaragdus viridis.

Oleo proficiunt.

Probatio.

De ſmaragdi ſpeciebus varijs.

Cap. C.

ISidorus. Smaragdi genera ſunt 12. ſed nobiliores ſcythici. Secundum locum tenent Hactriani, qui colliguntur in commiſſuris ſaxorum flante Aquilone. Tunc enim tellure deoperta intermicant, quia his ventis arenæ maximè mouentur. Tertium Ægyptij qui reperiuntur circa copron oppidum Thebaidis collibus excauatis. Reliqui in metallis ærarijs inueniũtur, ſed vitioſi. Nam aut æri, vel plumbo, vel capillamentis, vel ſali ſimiles notas habent. Smaragdi (vt dictum eſt) optimos ſortiuntur ſitus, quibus planities reſupina eſt & extenta. Vitioſi eorum habent intrinſecus quaſdam ſordea plumbo, vel lapillamentis, vel ſali ſimiles; lauãtur auſtero mero, ſed viridi proficiunt oleo. Præcipuus eſt honor ſcythicis: & ſcythiæ quidem terræ locupletes ſunt, inhabitabiles tamen. Nam cum auro & gemmis affluant gryphes, vniuerſa tenent, alites ferociſſimi, & vltra omnem rabiem deſæuientes, quorum obſiſtente immanitate, aduenis acceſſus rarus eſt. Viſos quippe decerpunt velut geniti ad plectendum auaritiæ temeritatem. Cum his Ariſmapi gens monocula dimicat, vt lapides intercipiant. *Arnoldus.* Smaragdus lapis eſt viridiſſimi coloris: cuius ſpecies ſunt 12. ſcilicet Scythici, Britannici, Iulaici, & qui naſcuntur in venis ęris, & Maculoſi, & Chalcidonij. Melioreſque ſunt Scythici, qui de Griphibus eripiuntur, & quos viſus penetrat eorumque luce aer tingitur, & quos nec lux, nec vmbra obſcurat, & quorum forma eſt plana, & concaua, hic opes auget & in cauſis verba perſuaſoria præbet.

Optimi vitioſi.

Virtus.

De eodem.

Cap. CI.

PLinius. Smaragdorum nobiliſſimi ſunt Scythici: deinde Bactriani. Tertio Ægyptij, porrò genera quædam in metallis inueniuntur ærarijs. Quapropter ex his Ægyptij principatum obtinent: dos eorum in colore liquido, nec diluto, hic colorem expellit, & aciem recipit, ſed & vitia demonſtrari oportet reperta, omnium quidem eadem ſunt, quædam tamen nationum peculiaria, ſicut in homine. Cyprij variè glauci magiſque, ac minus in eodem ſmaragdo alijs partibus tenorem illum ſcythicæ auſteritatis non ſemper cuſtodiunt. Adhuc quibuſdã intercurrit vmbra ſurduſque fit color, qui improbatur etiam dilutior. huicque genera diſtinguuntur. Et ſunt aliqui obſcuri: qui vocantur cæci. Alij vero denſi, nec è liquido translucidi; Quidam varia nubecula improbati, aliud eſt hoc quam vmbra. Nubecula ſiquidem albicantis vitium eſt, cum viridis aſpectus non pertranſit, ſed aut intus occurrit, aut in fine viſum candor excipit, hęc coloris vitia, iſta corporis capillamentum, ſal, plumbago. Ab his Æthiopici laudantur acriter virides: ſed non facile puri aut concolores. Democritus in hoc genere ponit hermicos, ac perſicos. Illos quidem pinguiter extumeſcentes. perſicos vero translucidos, ſed non iucundi tenoris, Implere viſum, quem non admittant, Felium pantherarumque oculis ſimiles; Namque & illos radiare, nec perſpici; Eoſdem hebetari in Sole, in vmbra refulgere, & longius quam cæteros nitere. Omnium horum vitium eſt, quod felis colorem, aut aeris habent. In Sole dilucidi quidem, ac liquidi, ſed non virides, hæc vitia in Atticis maxime in argentarijs metallis repertis ſentiuntur in loco, qui Thoricos vocatur, ſemper minus pingues, & è longinquo ſpecioſiores. frequens & his plumbago. hoc eſt vt in Sole videantur plũbei. Illud autem eſt peculiare quod quidam ex his ſeneſcunt, paulatim euanida viriditate, ac Sole læduntur. poſt hos Medici plurimum habent varietatis, interdum & è ſaphyro. Hij fluctuoſi ſunt ac rerum imagines complexi, vt, verbi gratia, papauerum, aut auium pinnarumque vel catulorum, ac ſimilium. Qui tamen virides naſcuntur quoniam meliores fiunt oleo. nec eſt aliorum amplior magnitudo. Carchedonii, neſcio an in totum exoleuerint poſtquam metalla æris ibi defecerunt, ſemper tamẽ fuere viles nimiumque fragiles, colore incerti, & virentium in caudis pauonum, columbarumque in collo plumis ſimiles: ad inclinationem magis, ac minus lucidi, venoſi quidem ac ſquamoſi.

Duodecim genera ſmaragdorum.

Comparatio. ſmaragdorũ

Plumbago.

Seneſcentes ſmaragdi.

De ſmaragdi virtute in medicinis.

CAP. CII.

Virtus.

Dioſcorides. Smaragdus collo ſuſpenſus hemitriteum,& morbum caducum curat, viſumque debilem confortat,& oculos illæſos conſeruat, laſciuos motus compeſcit, memoriamque reddit, & cõtra dæmoniacas illuſiones valet, ac tempeſtatem auertit. *Ariſtot.* Lapis ſmaragdus viſum ſanat:& ſi ponatur ad epileptici caput, iuuat, ſi ſuper arteriam, calorem eius temperat. *Ex lib. de natu. rerum.* Smaragdus ſi reuerenter portetur, morbum caducum fugat, & morbum qui hemitritæus vocatur,viſum etiã refocillat:& oculos purgat. Qui vino ablutus, vel oleo perunctus, hominem gratum etiam verbis facit, libidinis quoque motus compeſcit. fertur etiam diuitias augere, perſuaſionem in omni negocio facere,& facundiam parare.

Ex Lapidario.

Omne virens ſuperat forma viridante ſmaragdus,
Lucidus atque virens, leuis & leniſſimus ille,
Ardet aqua lotus, reſtinguitur vnctus oliuo.
Prodeſt geſtatus tumidis intercute lympha.
Et dilutus aqua dentes firmat labefactos,
Per ſuffumigium mulieri menſtrua reddit.
Accenſus prodeſt ſumi nidore caducis,
Effugat immites ſimili ratione chelydros.
Idem dæmonibus contrarius eſſe videtur.
Euerſos ventres iuuat, & præcordia ſanat.
Vincit præſtigias, & carmina dura reſoluit,
Et ſolet, vt perhibent, deprehendere virginitatem.
Prægnans potet aquam triduo qua merſus habetur.
Quo vexabatur fundit cito libera partum.

De Solis gemma & ſuccino.

CAP. CIII.

Etymon ſuccini.

Sid. Solis gemma eſt candida, quæ nomen ex hoc traxit, quod ad ſpeciem ſolis in orbem fulgentes radios ſpargit. Succinum quem Græci electron vocant fului cereique coloris, fertur arboris ſuccus eſſe, & ob hoc hic ſic appellatus. Conſtat autem eum nõ eſſe populi ſuccum vt phaetontis fabula dicit; ſed pineæ arboris. Nam accenſum tedæ nitore flagrat, naſcitur autem in inſulis Oceani Occidentalis: ſicut gummi, denſaturque vt chryſtallum, rigore vel tempre. Ex ea fiunt decoris gratia agreſtium monilia fœminarum, vocari autem à quibuſdam dicitur arpaga: eo quod attritu digitorum accepta caloris anima folia paleasque & veſtium fimbrias rapiat: ſicut magnes ferrum. Quocunque autem modo libeat tingitur,

Tinctura.

Nam anchuſæ radice, conchilioque inficitur. *Ambroſ. in Hexæmeron. li.* 3. Clementem licet eſſe ſermonem quod electrum lachryma virgulti ſit, & tantæ materiæ ſoliditatem lachryma dureſcat, nec leuibus aſtruitur id teſtimonijs, quantum folia aut ſurculorum minutiſſimæ portiones, aut exigua quędam animantia in electris ſæpe reperiantur, quæ videntur cum adhuc molliora eſſet recepiſſe, & ſolidata tenuiſſe. *Solinus*, Succinum vnde primum naſcitur eſt corticoſum, deinde incoctum adipe lactentis ſuis expolitur ad quem videmus nitorem. Amellum dicitur Phalernum, de ſimilitudine vini, aut mellis. In aperto eſt, quod folia rapiat, quòd paleas trahat. Quod vero medeatur multis vitalium incommodis, medentium docuit diſciplina.

Amellum.

Opiniones falſæ de Succini origine.

CAP. CIV.

Plinius. Succinum proximum obtinet locum in delicijs fœminarum: plurimi dixerunt Poetæ Eſchyſus, Philoxenus, Nicander, Euripedes, & Satyrus Phaetontis icti fulmine ſorores fletu mutatas in arbores populos, lachrymis electrum annis omnibus fundere iuxta Eridanũ amnem, quem Padum vocamus. Et electrum hinc appellatum, quia ſol elios eſt vocatus; Quod falſum eſſe teſtimonio patet Italię. Modeſtiores æquè falſum prodidere ſcilicet in extremis Adriatici ſinus inuijs rupibus arbores ſtare; quæ ortu canis hanc gemmam effunderent. Theophraſtus in Liguria dixit effodi, Phaetontem in Æthiopia Hammonis obiiſſe: ob id delubrum ibi eſſe atque oraculum, & in eo oraculo Hammonis electrum gigni. Philemon etiam dicit eſſe Foſſile, & in Scythia erui duobus locis. Vno ſcilicet in loco candidum atque cerei coloris, quod vocaretur electrum. Alio in loco fuluum, quòd appellaretur ſubalterticum. Tertium quoque demonſtrat quod vocat Lyncurion, fierique ex vrina lyncum beſtiarum, è maribus quidem fuluum,& igneum, E fœminis autem languidius atque candidum. Alij dixere langurium. In Italia quippe langurias beſtias eſſe, Zenothenis eaſdem langas vocat,& circa padum his vitam aſſignat. Sudues arborem quæ gignat in Liguria. In eadem ſententia,& Metrodorus fuit. Sotacus credit in Britannia arboribus effluere, quas Electridas vocauit Pitheas Gotonibus, Germanię genti Accolis æſtuarium Mentonomon nomine ab Oceano ſpacio ſtadiorum ſex milium. Ab hoc diei nauigatione inſulam abeſſe abalum, Illo vere fluctibus aduehi, Et eſſe concreti maris purgamentum, Incolas pro ligno ad ignem eo vti, proximisque Teutonis vendere. Huic,& Timeus credidit ſed inſulam Baſiliam vocauit; Philemon negauit flãmam ab electro reddi, Nicias ſolis radiorum ſuccum intelligi voluit, hos circa occaſum credit vehementiores in terram actos, pinguem ſudorem in ea parte Oceani relinquere. Deinde æſtibus in littora Germanorum eijci. In Ægypto quoque ſimili modo naſci,& ſacal vocari. In Syria fœminas inde verticillos facere, & Harpaga vocare, quia veſtium fimbrias rapiat,& paleas foliaque. Theophraſtus Oceano id exæſtuante, ad Pyrenei promontorium eijci. Aſurubas tradit iuxta Atlanticum mare eſſe lacum Cæphiſida, quem Mauri vocant electrum, hunc ſole excalefactum, è limo dare fluitans electrum. Sophocles tragicus poeta vltra Indiam fieri è lachrymis Meleagridum auium Meleagrum deflẽtium. Multa quidam Poetę tradunt æquè fabuloſa, ſed hoc in ea re, quæ quotidie inuehatur, & abundet, & hoc mendacium coarguat, ſerio quemquam dixiſſe, ſumma hominum cõtentio eſt, & mendaciorũ eſt impunitas intolerãda.

Fabula poetica de electro.

Lyngurium.

Alias Gutonibus.

Errores de electro.

De certa ipſius origine ac proprietate.

CAP. CV.

Gleſſum.

SVccinum itaque certum eſt in inſulis Septentrionalis Oceani gigni,& à germanis gleſſum appellari. Itaque & à noſtris inſularum vnam ob id gleſſariam appellatam. Naſcitur autem defluente medulla in arboribus pinei generis, vt gummi in ceraſis. Erumpit humoris abundantia, denſatur rigore, vel tempore aut mari. Cum vero intumeſcens æſtus rapuit ex inſulis, certè in littora expellitur, ita volubile, vt pendere atque in vado conſidere videatur. Quod arboris priſci noſtri crediderunt eſſe ſuccum, ob id appellantes ſuccinum. Pineæ autem arboris eſſe, indicio eſt pyneus in attritu odor. Et quod accenſæ tædæ modo ac nitore fragret, hodieque Tranſpadanarum fœminis agreſtibus monilium vice ſuccina geſtantibus maximè gratia decoris eſt, ac medicinæ, quia tonſilis creditur reſiſtere, fauciumque vitiis vario aquarum genere iuxta illos guttura vicinaſque carnes infeſtãte. Naſci & in India certũeſt. Archelaus, qui regnauit in Cappodocia, illinc corti-

Succinum vnde.

Medetur tõſillis.

ci pineo

ci pineo inhærente tradit aduehi rude atque poliri lacte incoctum, & liquidum primo diſtillare, argumẽto ſunt quædam intus translucentia, vt formicæ, aut culices, lacertæque. quas muſteo non eſt dubium adhæſiſſe incluſas indureſcenti. Cum autem plura ſunt eius genera, præſtantiſſimi ſunt odoris candida. Sed nec precium eſt his neque terris. Maior auctoritas eſt fuluis. Ex his etiam amplior translucentibus eſt præterquam ſi nimio ardore flagrent, imaginemque igneam ineſſe non ignem placet. Summa laus eſt Falernis à vini colore ſic dictis, molli fulgore perſpicuis. Sunt in quibus & decocti mellis lenitas placet. Quocunque modo tingi libeat hædorum ſebo, & anchuſæ radice, inficiuntur etiam conthylio. Cæterum attritu digitorum accepta vi caloris, attrahunt in ſe paleas foliaque arida, & huiuſmodi videlicet leuia, vt ferrum magnes lapis. Ramenta quoque ſuccini oleo addito, flagrant dilucidius atque diutius, quàm lini medulla: in omnibus denique alijs vitijs vſus placet aut oſtentatio, in ſuccinis deliciarum conſcientia tantummodo: vſus tamen ſuccinorum in mediciua reperitur aliquis, ſed nõ ob hoc placent fæminis. Infantibus adalligari prodeſt amuleti ratione. Caliſtratus, & ætati cuicunque contra lymphationes tradit prodeſſe, vrinæ difficultatibus valet potum atque adalligatum: hic & differentiam nouam attulit, appellando chriſoelectrum quaſi coloris aurei, & matutino aſpectus grauiſſimi. Rapaciſſimum ignium, & ſi iuxta fuerit, celerrimæ ardeſcens. Succina ex gemmis quæ translucidæ ſunt adulterandi magnum habent locum, amethiſtis maximè, cum omni (vt diximus) tingantur colore. *Ex lib. de natura rerum*. Succinu eſt gemma, quæ vulgariter appellatur lambra. hoc crocei coloris eſt, & vt vitrum aliquando translucet. Caſtitatem portantibus conferre dicitur, fumus eius iuuat parturiẽtes, & fugat ſerpentes, prima quidem gutta quæ de arbore pino fluit, pura, & lucida eſt, & hæc eſt illa quæ in æſtate calida proſilit. Reliquo vero tempore fluens obſcura eſt, & immunda.

Tingendi modus.

Contra lymphationes.

Virtus.

De teogolitho, & topazio, & turcoi.

CAP. CVI.

Virtus.

Solinus. Teogolithus eſt lapis oliuæ nucleo ſimilis. Spernitur cum videtur, ſed vim aliorum vincit bonis remedijs. Solutus quippe hauſtus, pulſis calculis renum dolorem ac veſicæ leuat. *Iſidor.* Topaſion eſt lapis ex virenti genere, omnique reſplendens in colore, Inuentus eſt primum in Arabiæ inſula, in qua troglodite prædones fame, & tempeſtate feſſi, cum herbarum radices effoderent, eam inuenerunt. Scribit enim Plinius hanc gemmam tantę repertam magnitudinis, vt ex eo Ptolemæus Philadelphus ſtatuam faceret quatuor cubitorum. Eſt autem ampliſſima gemmarum. Egregia topazio gloria eſt ſuo virenti genere, & cum reperta eſt omnibus prælata. Iuba topazion inſulam in rubro mari continentem, ſtadijs 300. abeſſe tradit, nebuloſam, & ideo ſæpe à nauigantibus quæſitam, & ex ea cauſa nomen accepiſſe. Topazion enim troglo ditarum lingua ſignificationem habet quærendi. Ex hac primum importatam Beronicæ Reginæ quæ fuit mater ſequentis Ptolemæi à Philemone Præfecto Regis admire placuiſſe, & inde factam ſtatuam Arſione Ptolemæi Philadelphi vxori quatuor cubitorum, ſacratam delubro quod aureum cognominabatur, recentiſſimi auctores, & circa quoddam Thebaidis alabaſtræ oppidum naſci dicunt, duoque ipſius genera faciunt, videlicet praſo idem atque chryſopterum chryſopraſio ſimilem, eius ſimilitudo tota ad ſuccum porri dirigitur. Sola nobilium limam ſentit, ceteræ ſaxo, & cote poliuntur hæc & vſu atteritur. *Gloſſa ſuper Apocaly.* Topazius quo rarior eo præcioſior, & habet duos colores ex auro, & ætherea claritate. Maximè lucens cum Solis ſplendore tangitur, ſuperans omnium gemmarum claritates, in aſpectum ſuum ſingulariter prouocans aſpicientes, quem ſi polis, obſcuras: ſi naturæ relinquis, clarior eſt, & nihil eo carius regibus inter diuitias. *Arnoldus*. Topazij duæ ſunt ſpecies, vnius color eſt auro ſimilis. Alterius clarior eſt magis, & tenuis. Naſcitur in Arabia, & in eiuſdem nominis inſula, valet contra hæmorrhoidas, & paſſionem lunaticam iram ſedat, & triſtitiam, Contra noxios quoque motus, ac phreneſim, & contra mortem ſubitaneam valet, vndas feruentes compeſcit, eaſque bullire prohibet, idolum extrinſecus receptum repræſentat, vt in ſpeculo concauo vniuerſum. *Ariſto.* Topazion cum ponitur ſuper hominis vulnus ceſſat fluxus eius. Eſt autem aliud genus, quod ſi ſupra rem bullientem ſuſpenditur, ceſſant ampullæ ipſius. *Ex lib. de natura rerum.* Topazius ille cuius color auro ſimilis eſt, hic magis precioſius eſt. Aliud autem genus eſt multo lucidius, & colore magis tenue, ſed deterius. Hic lapis inter cætera quæ facit, dicitur etiam iram luxuriamque reſtinguere. *Arnoldus.* Turcois eſt lapis cuius color eſt flauus in album vergens, à regione Turcia dictus in qua naſcitur. Et eſt virtus eius viſum conſeruare ſaluum etiam à nociuis extrinſecis caſibus, dum eſt ſuper ipſum, hilaritatem quoque inducit.

Color.

Vſus medicinalis.

Turcois.

Magnitudo Topazij.

Topazion dicitur ab inſula cognomine.

De Varach, venice ac veientana, & vnione.

CAP. CVII.

VArach ſiue ſanguis draconis, eſt ſecundum Ariſto. lapis, ſecundum Medicos ſuccus herbę rubentis coloris, virtus eius eſt contra quemlibet fluxum, ſed præcipuè ſanguinis, & ex eo atque argento viuo algala fit. Venix eſt lapis Armenicus, qui eſt coloris ſubalbidi, hic valet contra melancholiam, contra virium ſplenis, & hepatis, & paſſionem Cardiacam. *Iſidorus.* Veiẽtana Italica gẽma eſt à veietanis reperta nigra facie albis intermicantibus notis. *Ex lib. de nat. re.* Vnio lapis eſt in inſula Capuæ ſic dictus, quia virtute, & nobilitate eſt vnicus, hic tantæ continuitatis eſt, quòd nulla in eo patet venarum vel ſquamarum diuiſio, ſed planus eſt ad modum glaciei. Naturaliter tamen aperit ſe contra rorem cœli, ipſumque in ſe recipit, & continet tanto tempore, quanto mulier fœtum geſtat in vtero ſuo. Et tunc tandem illum rorem per tantam moram in lapidem iam conuerſum emittit quaſi fœtum ſuum, aluumque iterum recludit, quòd nullum in eo patet diuiſionis veſtigium. Vterus vero nunquam prædicto aperietur modo. In mane quidem eſt deſuper mare, ibique recipit cœli rorem, deinde ad fundum maris deſcendit, ibique receptum in ſe rorem illum conuertit in lapidem. *Auctor.* Quia vero vnio idem eſt quod margarita, vel ſpecies margaritæ, de hac dictũ eſt plenius ſuperius, vbi actum eſt de margaritarum origine ac proprietate.

Varach.

Venis.

Veientana.

Vnio.

Ex Lapidario.

Tollitur è conchis ſpecies memoranda marinis,
Vnio dictus ob hoc, quod ab vno tollitur vnus.
Nec duo, vel pluros vnquam ſimul inuemuntur,
Cuius ad ornatum, laudatur candida forma,
Cum deceat veſtes, deceat cum nil minus aurum,
Conchæ temporibus certis referantur hiantes,
In cœlum patulum rores haurire ſupernos.
Ex quibus orbiculi candentes concipiuntur,
De matutino ſit clarior vnio rore.
Ros veſpertinus fœtus ſolet edere fuſcos,
Et iuuenes Conchæ dant Bacchas candidiores.
Obſcurat fœtus Concharum grandior ætas,
Quanto rorantis fuerit plus aeris hauſtum.
Tanto maiorem gignit conceptio Baccham,
Vltra ſeminecm, ſed creſcere nulla putatur.

Quod

Quod ſi celſa micent tonitru conuerſa coruſco,
Conchæ diffugiunt ſubita formidine clauſæ.
Sic intercepto conceptio deperit haustu,
Et ſit abortiuum quod ceperat inde creari.
Infignes Bacchas prædam maris India gignit,
Gignit & infignes antigua Britannia Bacchas.

De iri, & Zimeni ellazuri, & zignite.

CAP. CVIII.

Sexangula eſt.

Iſidorus. Iris apud Arabiam naſcitur in mari rubro coloris chriſtallini, ſexãgulata, dicta ex argumento iris. Nam ſub tecto percuſſa Sole ſpecies, & colores cæleſtis arcus in proximos parietes imitatur. Plinius. Proximum cerauniæ nomen habet iris, quæ in quadam effoditur inſula rubri maris, quæ diſtat à Beronicæ vrbe, 60. millia paſſuum, cætera ſui parte chryſtallus. Itaque quidam chriſtalli radicem eſſe dixerunt, hæc ſub tecto percuſſa Sole, ſpecies ac colores arcus cœleſtis in proximo pariete eiaculatur, ſubinde mutans, magnáque admiratione ſui varietatem augens. Sexangulam vt cryſtallum eſſe conſtat, A ſed aliquas eſſe ſcabris lateribus, & angulis inæqualibus. Dicunt etiam in aperto Sole proiectam radios in ſe recandentes diſcutere. Aliquas vero ante ſe proiecto nitore adiacentia illuſtrare. Colores autem non niſi ex opaco reddunt, nec vt ipſæ habeant, ſed vt repercuſſu parietem illidant. Optima eſt quæ maximos facit arcus, ſimillimoſque cœleſtibus. Zimeniellazuri eſt lapis, cuius cœleſtis color eſt flauus cum corpuſculis aureis, Inde fit & noſtrum; Virtus eius eſt contra melancholicam paſſionem, & contra quartanam, & ſyncopen ex vaporibus melancholicis. Zignies eſt lapis vitrei coloris, qui collo geſtatus contra noctilucam valet. Sanguinem ſtringit, ac mentis alienationem depellit, & ſi ad incendium ignis tenetur flamma eius extinguitur. *Auctor.* B Hæc de opere primo tertiæ diei id eſt de aquarum congregatione ac terræ denudatione, de natura quoque vtriuſque, & earum rerum ſcilicet inanimatarum, quæ vel ex eis, & cum eis à principio creatæ naſcuntur, vel etiam nunc per proceſſum temporis iugiter procreantur, Ad præſens dicta ſufficiant.

Optima.

Vis Zignies.

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER NONVS.

De primaria terræ germinatione.

CAPVT I.

DETRVS *Comeſtor.* Terra ergo aquis nudata eodem die produxit Deus ex ea herbam virẽtem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum ſecundũ genera ſua. Non enim per moras temporum, vt modo produxit terra plantas ſuas, ſed ſtatim in maturitate viridi, in qua & herbæ ſeminibus & arbores pomis onuſtæ ſunt. Quod vero dicit ſcriptura. *Germinet terra herbam virentem*, &c. non de actu tantum intelligendũ eſt generandi, ſed de potentia, quaſi dicatur potens ſit germinare. Ex hoc autem quod dicitur virentem, dicunt quidam mundũ in vere factum fuiſſe, quia viror illius tẽporis eſt, & fructificatio. Alij vero quia legunt, lignum faciens fructum, & herbam habentem ſemen, dicunt factum in Auguſto ſub Leone, Sed in Martio factum dogmatizat Eccleſia. *Ambro. in Hexaemeron, lib.* 4. Prima illa vox Dei ſingulis creaturis impartita gignendis, lex naturæ eſt quæ terris in æuum remanſit, futuræ ſucceſſionis datura præſcriptum. Quam vehemens vox, germinet terra, per ſe ſcilicet nullum alterius quærens auxilium, nec cuiuſquam indigens miniſterio. Solent plerique dicere, niſi clementior ſolis calor tepefecerit terras, & radijs ſuis fouerit, germinare terra non poteſt. Et ideo gentes honorem diuinum ſoli deputant, quod virtute caloris ſui terrarum penetrat ſinus, ſparſaque ſemina fouet, vel rigentes gelu venas arborum relaxat. Sed nunc ineptus hominũ ſermo conticeſcat, herba naſcitur antequam ſol fiat, Ne error hominum conualeſcat, prius germinet terra, quam fomentum ſolis accipiat. Germinet inquit terra herbam, & ſubito terrarum germina pullulauerunt, & diuerſæ ſpecies rerum refulſerũt. Hinc pratorum virens gratia abundantiam pabulis miniſtrauit, inde temporum ſpica flaueſcens imaginem Pelagi fluctuantis commotione ſegetis vberioris expreſſit. Sponte omnes fructus, nondum agricola formato, terra ſuggeſſit, verbum enim Dei in ea fructificabat, nec vlla adhuc maledictione terra damnata erat.

Gen. 1.

Dogma Eccleſiæ de mũdi conditionis tempore.

Erroris gentilium occaſio.

De Plantarum varietate.

CAPVT II.

ARiſtot. *in lib. de vegetabilibus.* Itaque plantarum quædam ſunt arbores, quæ ſcilicet habent ex natura ſua ſtipitem, in quo multi naſcuntur rami, vt oliuæ, fici. Quædam vero ſunt herbæ, quæ non habẽt ſtipitem ex ſua radice, ſed folia. Quędam autem olera, quæ ſcilicet multos habent ſtipites ex vna radice, & multos ramos, vt ruta, & caules. Quædam etiam inter arbores, & herbas, vt Ambachion, quæ multos habet in radicibus ramos, Item plantarum quædam faciunt fructum, quædam non. Quædam oleum, quædã non. Quædam folia, quædam non. Et quibuſdam folia cadunt, quibuſdam non. Item quædam producunt fructum ſuper folia, quædam vero ſub folijs. Et quarundam fructus ſuſpenſus eſt à ſtipite ſuo, quarundam à radice, Item plantarum quædam eſt domeſtica, quædam hortenſis, & quædã ſylueſtris ſcilicet inculta. Eſt etiam plantarum diuerſitas in magnitudine, & paruitate, In pulchritudine, & deformitate, In bonitate fructuum, & malitia. Item quædam ſunt totæ cortex vt Mediannus, Quædam habent nodos, vt cannæ, Quædam ſpinas, vt rhamnus. Quædam etiam carent ramis, quædam habent ramos multos, vt morus Sylueſtris, Ex quibuſdam etiam prodeunt ſurculi multi, ex quibuſdam non, & hoc ex radicis diuerſitate. Quædam autem vnam tantum radicem habent, vt ſquillæ. Figuræ quoque plantarum tres ſunt, quędam enim prodeunt ſurſum, quædam vero deorſum, quædam inter hæc. *Ex lib. de natura rerum.* Planta quoque multum variatur ad diuerſitatem locorum. Cumque locus, & labor ei conferant, anni tempus in quo plantatur maximè confert. Et ſicut animalia quædam ſunt domeſtica quædam Sylueſtria, ſic & plantarum quædam eſt hortenſis, quædam Sylueſtris: & puto quod omnes ſpecies plantæ quando non fuerint cultæ Sylueſtres erunt. Diuerſitas quoque plantarum Sylueſtrium

Diuiſio plãtarum.

Figura tres plantarum.

ſtrium dignoſcitur per maſculos ſuos, & fœminas, quia maſculus eſt ſpiſſior,& durior, & ramoſior, minus humoroſus,fructus autem breuior.

De compoſitione plantarum,& complexione.

CAPVT III.

Cutis implãtis. *Oſ.* *Nerui.* *Pili.* *Vngues.* *Mater.* *Pater.*

Ariſtot. vbi ſupra. Plantæ compoſitæ ſunt partibus ſuis ad inſtar membrorum animalis. Cortex enim plantæ ſimilis eſt cuti. Radix autem ori, quia mediatrix eſt inter plantam, & cibum; vnde vocant eam Græci cauſam vitæ plantarum. Nodi quoque ſimiles ſunt neruis animalis,& reliqua ſimiliter cęteris. Cadunt multotiens de planta partes multæ non determinatæ ſicut pili hominis, & vngues, & naſcuntur pro eis aliæ. Eſt autem principium cibi plantarum à terra. Principium generationis fructuum à Sole, quia Anaxagoras dixit, quòd earum fructus eſt ab aere. Ideo dixit Alchimeon, quòd terra plantarum mater eſt, Sol vero pater. Denique planta tres habet vires, & à tribus; à terra enim eſt eius fixio, ab aqua coagulatio, ab igne coadunatio: ſicut & in fictilibus eſt lutum quaſi fomentum,& aqua, qua vniuntur fictilia,& ignis quo partes illius quibus raritas inerat congregantur,& coniunguntur, dum ſcilicet humoris materia inde finitur. Viriditas quidem plantæ exterius cõmuniſſima eſt in arboribus,& albedo interius ſcilicet in ligno,& hoc eſt, quia maturius vtuntur propinquioti. Natura enim plantarum, & calor attrahunt humorem,& rarificant lignum arboris, finitque calor parua digeſtione, quæ cauſa eſt albedinis. Remanet quoque adhuc humor apparetque exterius: Erit ergo viriditas, & hæc eſt in foliis, & in cortice, quia maior illis ineſt digeſtio, & hæc media ſunt inter lignum, & roſam, id eſt inter albedinem ligni, & ruborem roſæ: adhuc fortioris digeſtionis planta,quæ eſt ſicut natura aquæ,non fructificat,propter dominium aquæ ſuæ,& amplitudinem meatuum, & fluxibilitatem radicum ſuarum:quòd autem de lignis in aqua mergitur vt vlmis, vel hebenis, accidit, quia partes eius compactæ ſunt,& meatus anguſti,nec aer in illis.

De quatuor elementis eas complexionantibus, & qualitatum gradibus.

CAPVT IIII.

Obiectio. *Reſp.*

Vilhelmus de Conchis. Non ſolum autem de herbis, & arboribus, ſed & de omni corpore hoc affirmo, quod ex quatuor conſtat elementis. Quod per actiones, & reſolutiones poteſt probari. Quod enim adhæret terræ, terræ eſt, Quod autem in altum creſcit,ignis,Quod dilatatur,& ſpiſſatur aquæ, & aeris, Cum autem arbor vel herba putreſcit, & comburitur, in minorem ſubſtantiam reducitur, deinde paulatim videtur ad nihilum redigi, vel ergo perit aliquid de eis, vel in inuiſibilia reſoluuntur: ergo in aera & ignem. In ea enim & reſolutio eſt; ex quibus conſtitutio. Sunt ergo in illorum conſtitutione aer & ignis.

Sed dicis: ſi herbæ & arbores non ſolum conſtant ex terra,ſed ex reliquis tribus elementis, quare nomine materiali terrea corpora dicuntur? vel quia terrea ſunt dicenda, quare calida, quare humida dicuntur, cum terra ipſa frigida ſit & ſicca? Reſpondeo, Philoſophi tria in corporibus conſiderant, numerum particularum quatuor. Et è ſingulis elementis intenſiones qualitatum, & remiſſiones earum. Et à numero particularum nomen attribuunt materiale. Sed à qualitate intenſa vnum de his quatuor, calidum, frigidum,humidum,vel ſiccum. Omnis autem herba vel arbor plures habet partes à terra, quam ab alio elemento,vnde terreum corpus dicitur. Quędam tamen eorum habent calorem intenſum,& frigus remiſſum, iſta calida dicuntur,ſi econtra frigida. Quædam ſiccitatem intenſam, humiditatem remiſſam habent, quæ dicuntur ſicca. Quædam econtrario, quæ dicuntur humida. Quæ etiam in qualitate intenduntur, quædam magis,quædam minus. Vnde philoſophi 4. gradus qualitatibus herbarum, & arborum fructuum & ciborum & potuum aſſignat. Sed dicis: Cum grammatica tres gradus comparationis nouerit, vnde philoſophica quartum gradum accepit? Reſpondeo philoſophica propter hominem, qualitates cæterorum conſideraut. Cum ergo homo naturaliter in quatuor qualitatibus ſit temperatus: ea quæ minus homine ſunt calida,dixit in primo gradu calida, quæ æqualiter in ſecundo. Quæ aliquantulum plus, in tertio; quæ multo plus,in quarto. Hæc ergo quatuor, minus homine,æqualiter,aliquanto plus,multo plus vocat philoſophica quatuor gradus. Et quod dixi de calido,intellige de frigido ſicco & humido.

Ob. *Reſp.*

De ſexu plantarum, & generatione.

CAPVT V.

Arbores vt neris intelligentes.

Plinius lib. 13. Arboribus immo potius omnibus, quæ terra gignit, herbiſque etiam vtrumque ineſſe ſexum diligentiſſimi naturæ tradunt. Nullis tamen arboribus quam palmitibus manifeſtius. Mas in palmite floret,fœmina circa florem germinat tantum ſpinæ modo:vtriſque autem prima naſcitur, pomi caro,poſtea lignum intus hoc eſt ſemen eius. In Arabia languidæ dulces traduntur eſſe palmæ, quamquam Iuba apud Scenitas Arabas præfert omnibus ſaporibus,quam vocant dabulan. Cæteræ non ſine maribus gignere fœminas, ſponte edito nemore confirmant. Circaque ſingulos plures nutare in eum pronas blandioribuſq; comis. Illum erectis hiſpidum; afflatu viſuque ipſo & puluere etiam reliquas maritare. Huius arbore exciſa fœminas viduas poſt ſterileſcere, adeo veneris eſt intellectus vti coitus etiam excogitatus ſit ab homine,ex maribus flore,atque lanugine.

Ex lib. de nat. rer. Ait autem Ariſtot. quod non inueniuntur maſculineitas, & fœminineitas conjunctæ in aliqua herbarum: quia ſi hoc ita eſſet, planta perfectior eſſet animali. Et dicunt phyſici,quod omnia ſemina in terram cadentia humiditatem aquæ,& eſſentiam terræ ſibi trahunt, quæ ſcilicet complexioni ſuæ ſunt ſimilia. Infuſa vero & inflata infunduntur terræque infiguntur, à quibus radix quædam egreditur, quæ quaſi os cuiuſlibet animalis arbori eſſe perhibetur, quo materia nutrimenti ſui apta exugatur. Semen quidem plantæ ſimile eſt impręgnationi, quæ eſt mixtio maris & fœminæ. Et ſicut eſt in ouo vis generandi pullum, & materia cibi eius vſque ad horam complementi, & ſui exitus. Materia vero dum mollis eſt, magis apta eſt generationi eius, quod ex ea generatur, aut vegetatur. Dicit autem Ariſtot. quod principium cibi plantarum eſt à terra, & principium generationis fructuum eſt à ſole. Vnde plantarum inquit eſt terra mater,ſol vero pater:quod vt verum poſſit eſſe, oportet quod non intelligatur de fructibus primis, quos Deus ſolo verbo, cum terræ naſcerentur, ſubito fecit terram producere. *Vnde Ambro. in hexaeme.* Sciant inquit homines ſolem non eſſe naſcentium auctorem; Dei quidem clementia terram relaxat, denique indulgentia prorumpere facit fructus; Quomodo enim ſol id faceret, cum ſol herbis & fructibus iunior ſit.

Cibus plantarũ à terra.

De vita earum, & nutrimento.

CAPVT VI.

Pulſus & anhelitus plantarum.

Ex lib. de nat. rer. Plantæ non ſolum viuunt,ſed & habent anhelitum & pulſum. Pellitur enim humor in circuitu ſcilicet à medio,nam aliter plãta ſcinderetur.

deretur. *Ariſtot. vbi ſupra.* In animalibus quidem eſt vita manifeſta, in plantis autem occulta. Quas etiam quidam animas habere dixerunt, quia generari, nutriri, augeri, etiam in iuuentute vireſcere, ſenioque diſſolui cõſpexerunt. Dico autem, quod in plantis eſt aliqua pars animæ, & non ſunt animalia, quia nec ſenſum, nec deſiderium habent. Et animalia quidem habent membra determinata, plantæ vero indeterminata. Planta vero non eſt creata niſi propter animal, & non econuerſo. Et in qualibet ſpecie plantarum eſt calor & humor, quæ quando conſumuntur, infirmatur & veteraſcit, corrumpitur & areſcit. Denique planta non habet ſenſum, nec motum voluntarium, nec animam perfectam. Eſt autem (vt dictum eſt) principium cibi plantarum à terra. *Item in lib. de morte & vita.* Sunt in plantis quæ longius viuunt, & magis quam in animalibus. Primo quidem quia minus aquoſa ſunt, nec cito denſantur. Poſtea vero, quia dulcedinem habent & pinguedinem, ex quo cum ſicca & terrea ſint, tamen non habent humorem leuiter exiccabilem. *Ex lib. de nat. rer.* Patet autem quod omnia terræ naſcentia plus de terra, quam de alio aliquo elemento recipiant, & ideo locum ſuum in natiuitate contra terram occupant. Cumque in eis maior pars terrea ſit, quædam tamen ex eis reperiuntur calidæ, quædam frigidæ, ſecundum quod magis, vel minus rerum qualitatibus adhęſerunt. Nutrimentum enim ſuſcipiunt, non à terra ſimplici, ſed à compoſita, in qua quatuor elementa ſunt, vnde ſingulæ nutrimentum habent ex eo quod ſibi competit, & per quod adhæreant; denique cum eradicantur è terra, licet & aer in ſe cõtineat quatuor elementa, non tamen nutrimentum inde habere poſſunt, quia de eo quo minus egebant, id eſt, aere plus viuunt, vnde neceſſe eſt eas diſſolui deficiente eis naturali nutrimento ſcilicet terreno.

Temperamẽtum plantarum.

De ipſarum incremento.

CAPVT VII.

Ariſtot. in lib. de plantis. Aſcendit autem arbor quælibet, donec compleatur & intereat, animalia vero non ſic, quia cuiuſlibet animalis longitudo propinqua eſt ſuæ latitudini, planta vero remota eſt, quia radix eius aqua & ignis feſtinant in aſcenſum. Diuerſitas autem plantæ in ramis, eſt de ſuperflua raritate. *Idem in lib. de animalibus.* Sicut animalia omnia, ſic & arbores, ſiue plantæ paulatim creſcunt, quouſque perueniant ad ſuum terminum naturalem & magnitudinis ſuæ finem. Tam in arboribus vero, quam in generibus animalium, crementum quantitatis in ſemen tranſit, & ſicut homines multæ carnis, multæque pinguedinis, non ſpermatizant, niſi modicum, neque coitum deſiderant, raroque generant. ſic & quædam arbores non fructificant, vt ſalix, & nux Romana. Iterum ſicut aues parui corporis ſunt multi coitus, & multorum ouorum, ſic accidit & in quibuſdam arboribus, quia crementum corporis tranſit in humiditatem ſpermaticam, denique arbores quæ multum faciunt fructum, cito deſiccantur, quia cibus tranſit in ſemen. *Ex lib. de nat. rer.* Plantæ (ſicut iam dictum eſt) quod adhęret terræ, terræ eſt, quod in altum creſcit ignis, quodque dilatatur & ſpiſſatur aquæ, & aeris. Et eius quidem plantæ, quæ tantum in altum creſcere debet, rami abſcinduntur relicto ſtipite, tum vero in latus relicti rami & ſtipites abſcinduntur, planta quæ craſſos habet humores extenditur, propter intenſionem humoris & expulſionem caloris, vt patet in pinu & palma.

Arbores ſunt ſicut homines non fructificantes.

De plantarum digeſtione.

CAPVT VIII.

Ariſtot. in lib. de plantis. In omni animali & planta & minera, finita humoris materia, prouenit ſiccitas, loco humoris, propter victoriam & digeſtionem. Digeſtio enim eſt vbi humor, & calor quando terminum conſequuntur. Eritque digeſtio in lapidibus & mineris. In animali vero, & planta non ſic, quia partes earum compactæ non ſunt. vnde & ab eis fluxus venit. In mineris autem non eſt fluxus, neque ſudor, quia partes earum raræ non ſunt: ideoque nihil ab eis egreditur; ſicut ab animali & planta ſuperflua quædam, ſed nec exitus, niſi ex raritate fit. Ideoque ſolidum eſt, quod augeri non poteſt, quia quod augeri poteſt indiget loco in quo dilatetur & creſcat. Itaque lapides & ſales, & huiuſmodi non augentur, neque creſcunt. Partes autem plantarum ſecundum plurimos raræ ſunt, quia calor humorem ad extremitates plantæ trahit. Diſpergiturque materia per omnes partes eius, & quod ſuperfluit, emanat: ſicut enim in balneo calor humorem attrahit, qui in vaporem conuerſus eleuatur, & quod ſuperfluum fuerit in guttas conuertitur, ſic in animali, & planta ſuperfluitates aſcendunt, & iterum deſcendunt in actionibus ſuis. Cum autem habuerint plantæ virtutem attrahentem vehementer, erit fructificatio vna. Quam ſi non habuerint, vtetur natura digeſtione viciſſim, & in qualibet digeſtione fructum producunt. Ideo quædam plantæ frequenter in anno fructificant. Planta quæ eſt ſicut natura aquæ non fructificat, propter dominium humiditatis ſuę, & amplitudinem meatuum, ac fluxibilitatem radicum ſuarum. Omnibus autem arboribus quæ primo plantatæ fuerint, dominabitur amaritudo, vel ponticitas, quia fructus in principio non bene digeſtus eſt. Digeſtio enim eſt cum calore, & humore. Mirabolanorum tamen arboris fructus in principio cum apparent dulces ſunt, conſequenter pontici, & in complexione amari, ſicut dicetur inferius.

In mineris cur ſudor non ſit?

Plata aquea natura non fructificant.

Idem in lib. de animalibus. Generatio quidem animalis eſt de indigeſtiuo, quod eſt ſanguis non purus, ſed indiget operatiua digeſtione: ſic accidit, & in arboribus, ſiue plantarum generatione quando cibus earum fuerit completus, tunc enim indigent operatione, & purgatione. Et ſicut exeunt ſuperfluitates ab animalium corporibus, ſic accidit & arboribus, quia ſemina mouentur ex calore naturali, ac vento, qui eſt in eis, & ex his exeunt fructus in locis ſuis, viuunt autem (vt fingunt quidam) & non habent ſuperfluitatis locum, quo non indigent, quia cibum ex terra completum, & coctum recipiunt per ſuas radices. Ideoque non eſt eis ſuperfluitas, quia terra & calor qui eſt in ea faciunt in eis, quod in animalibus ventres. Itaque ſicut ſanguis vadit per venas, quæ à ventre exeunt ad omnia membra animalium ſic cibus arborum quem à terra accipiunt, per radices vadit ad arborem totam, donec digeſtio venit ad finem, & complementum. Huius rei ſignificatio eſt, exitus ſeminis, & fructuum. Quædam etiam aquatilia non habent ſuperfluitatem, ſicut nec arbores.

De foliorum productione.

CAPVT IX.

Iſidor. in lib. Etymologiarum. Folia Græcè dicuntur φύλλα. Indeque hoc nomen ad nos tranſlatum eſt per deriuationem: frondes autem ſunt dictæ, eo quod virgulta, vel vmbras ferant. Sunt enim cauſa vmbrarum. Oculi vero nodi ſunt ex quibus frondes exeunt. *Ambro. vbi ſupra.* Tanta eſt domini prouidentia, vt vbi fructus mollior eſt, ibi folij craſſitudo validius tegumentum tũendo deferat pomo, vbi autem eſt fructus validior, ibi teneriora ſunt folia, folij craſſitudo proficit ad tempeſtatis iniuriam repellendam, vt in fico, intenſio vero ad fructus vaporandi gratiam, vt in pampino. *Ariſtot. in lib. de plantis.* Folia ſunt partes plantæ, licet non ſint determinatæ, decidantque paulatim. Plantarum quædam quoque faciunt folia, quædam non, & quędam producunt fructus ſuper folia, quædam ſub folijs. Planta quæ naſcitur in aquæ ſuperficie, non habet folia, quia longè eſt à temperantia. Olus autem omne,

Cur folia innatãt aquæ?

& folia ſupernatant aquæ, quoniam in his eſt calor, & humor. Oriuntur in arboribus aliquibus folia poſt fluxum, ſicut pili in homine, & plumæ in animalibus nidificantibus propter immutationem temporum, quia fluunt ac creſcunt ſecundum alterationem ęſtatis, & hyemis. In homine vero oriuntur pili poſt caſum primorum pilorum, quoniam alteratio ætatum hominis eſt ſimilis alterationi quatuor temporum. Itaque cum humores plantæ, vel arboris compreſſi fuerint, calefit natura, ac feſtinat in dirigendo, formanturque rami, & apparent folia, quorum meatus anterius ampli efficiuntur, & poſt, id eſt, in poſteriori parte gracilantur, & pyramidantur. Antiqui ſapientes folia fructus eſſe aſſerebant. Sed quia humor tantus erat, quod non maturabatur, nec coagulabatur propter appropinquationem caloris deſuper & feſtinationem attractus ſolis. Humor ergo in quem non eſt operata digeſtio, alteratus eſt in folia, nec habent folia aliam intenſionem, niſi attractionem humoris, & vt ſint cooperimentum fructuum à vehementia ſolis. Pauci vero ſunt flores, & folia, & plantæ, quæ contingunt in niue, ibique omnes herbæ amaræ, quia nix deſcendit ſimilis fumo, quam ſtatim congelat ventus, & conſtringit eam aer, vnde quia inter partes eius eſt raritas, ibi retinetur aer qui eam calefacit, manatque de ea aqua putrida propter aerem incluſum, cumque fuerit aer multæ aptitudinis, ſolque affuerit, erumpet aer comprehenſus à niue, apparebitque humiditas putrida, coagulabiturque cum calore ſolis. Quòd ſi fuerit locus niue coopertus, fient in eo plantæ ſine folijs. *Item Ariſtot.* Plantarum quarundam folia, & nodi ſunt indiſcreti, quarundam folia ſunt ęqualia, & inuicem ſimilia. Quarundam etiam folia ſunt aſpera, quarundam lenia, & quarundam ſciſſa, vt ſunt vitis folia. Folia paulatim decidunt, ſicut & cornua cerui atque capilli hominum, & quorundam animalium pili, de his quæ ſe abſcondunt hyemali tempore ſub terra cadunt, & illud ſimile eſt caſui foliorum.

Humores indigeſti vadunt in folia.

De florum natura, & pulchritudine.

CAPVT X.

Plinius lib. 16. Flos eſt indicium pleni veris, & anni renaſcentis. Flos eſt gaudium arborum. Tũc ſe nouas aliaſque quam ſunt oſtendunt. Tũc varijs colorum picturis in certamen vſque luxuriant; *Ariſt. vbi ſupra.* Flos de ſubtili materia tantum exiſtit, qua digeſtio incipit, & ideo fructum in plantis vt plurimum prędecidit.

Cur quædã plantæ non habẽt flores.

Quod autem plãtæ quędam, vt palmæ, & ſimilia, flores non habent, vt plurimum fit propter ſuarum partium diuerſitatem, ſuamque ſubtilitatem, & aſperitatem, vel craſſitudinem. *Ambr. vbi ſupra.* Quid autem deſcribam purpuraſcentes violas, candida lilia, rutilãtes roſas, depicta rura, nunc aureis, nunc varijs, nunc luteis floribus in quibus neſcias, vtrum ſpecies florum, an odor amplius delectet, paſcuntur oculi grato ſpeculo, longe lateque odor ſpargitur, cuius ſuauitate complemur. Cõſiderate inquit lilia agri, quantus ſit candor in folijs, quemadmodum ipſa folia ſtipata ab imo ad ſummum videantur aſſurgere, vt ſcyphi exprimant formam, vt auri quędam ſpecies intus effulgeat, quæ tamen vallo in circuitu floris obſepta, nulli vt pateant iniuriæ. Si quis autem florem decerpat, & ſoluat, quæ tanti eſt manus artificis, vt poſſit eius ſpeciem reformare? cui dominus tantum teſtimonium dedit, vt diceret. *Matthæi 6.* *Nec Salomon in omni gloria ſua ita veſtiebatur, ſicut vnum ex iſtis. Auctor.* Flos ergo habet in ſe pulchritudinem, & redolẽtiam ſiue fragrantiam. In ipſo ſpes fructus habetur, & mel ab apibus inuenitur. In deſertis capita coronantur. Ex herba, & virga naſcitur per ſe, videlicet ſine ſemine, ſed breui durat tempore. Propter hæc omnia flori comparãtur à Chriſto in Sacra ſcriptura. Vnde verſus.

Flos pulcher redolens, ſpes fructus, & breuis æui,
Mel dat api ſertum capiti, ſine ſemine naſcens.

De plantarum fructificatione, & multiplici vtilitate.

CAPVT XI.

Ariſtot. vbi ſupra. Plantarum quędam faciunt fructum, quędam non, Et quædam producunt fructum ſuper folia, quædam vero ſub folijs, Quarundam etiam fructus ſuſpenſus eſt à ſtipite ſuo, quarundam à radice; Diuerſitas quoque plantarum eſt in bonitate, & malitia fructuum. Meliores autem ſunt fructus hortenſium quam ſylueſtrium. Quod ex planta eſt comeſtibile, erit in locis calidis, lenibus, altis, & frigidis. Ideoque multiplicantur ſpecies in locis frigidis altis, propter attractionem humorum, & temperantiam in calore ſolis in diebus vernalibus, planta vero in locis à ſole remotis, non habet vires folium & fructus producendi. Sicut autem dictum eſt ſupra, cum habuerint plantæ virtutem attrahentem vehementer erit fructificatio vna. Quani ſi non habuerint vtetur natura digeſtione viciſſim, & in qualibet digeſtione fructum producunt; Ideo quædam plantæ frequenter in anno fructificant. Planta vero quæ eſt ſicut natura aquæ non fructificat propter dominium humiditatis ſuæ, & amplitudinem meatuum, ac fluxibilitatem radicum ſuarum. Non autem omnis planta producit ſemen ſimile ſemini à quo orta eſt. Quædam enim faciunt melius, quędam peius. Et à quibuſdam malis ſeminibus arbores bonæ proueniunt, vt amygdalis, & malis granatis accidit. Quarundam iterum ſemen cum debiles fuerint deficit, vt pinus, & palmæ. Et non prouenit ex facili de ſemine malo planta bona, nec ex ſemine bono arbor mala. Cæterum in animali multotiens contingunt hæc. *Ex lib. de nat. rer.* Teſte Ariſtot. Principium generationis fructuum eſt à ſole, quod oportet intelligi de fructibus annuis non de fructibus primis, quos Deus ante ſolis creationem ſolo verbo cum terræ naſcentibus ſubito fecit terram producere. Quædam autem plantæ germen ſuum faciunt in ſummo ſicut eſt in cicere, & faba, & glande, & nuce, quędam in imo farinæ ſuæ; vt eſt in tritico ordeo, & auena. Quædam in circumitu farinæ, vt in allio, & oliua. Et vbi ponit natura germen, ibi incipit, & opus ſuum. *Ambroſ. vbi ſupra.* Quid autem enumerem ſuccos herbarum ſalubres? quid virgultorum ac foliorum remedia? Ceruus ęger ramunculos oleæ mandit, & ſaluus fit, locuſtas quoque folia oleæ ac roſæ liberant ab ęgritudine. Culices non tangunt te ſi abſynthium cum oleo coquas, & eo te perungas. Per mandragoram ſomnus frequenter accerſitur vbi ęgri vigiliarum incommodo afflictantur. Oppio quoque dolores ſæpe viſcerum grauiſſimi ſopiuntur. Como plerumque furores libidinum marcuerunt & elleboro vetuſtæ paſſiones corporis ęgri ſolutæ ſunt. *Auctor.* Hęc & alia plantarum genera tam in radicibus, quàm in caulibus, & folijs ac floribus, & fructibus vel ſimilibus ad plurima ſunt vtilia, quędam videlicet ad eſcam, quędam ad medicinam, quędam ad fabricarum lignearum opera diuerſa, quędam ad diuerſarum artium mechanicarum inſtrumenta, de quibus plenius infra dicendum eſt.

Sol principium generationis fructuum.

De plantarum ſeminatione.

CAPVT XII.

Plinius libro 17. Semen in primis natura ſerere docuit, cum decidens exceptumque terra vireſceret. Sed quædam non aliter proueniunt vt caſtaneæ, iuglandes, cæduis dumtaxat exceptis. Semine quoque quamquam diſſimili ſeruntur vites mala & pyra. His namque pro ſemine nucleus, non vt cæteris ipſe fructus. Palma vero ſuis folijs apud babylonios ſeritur. Ad ſeminarij curam præcipuum oportet ſolum eligi, quia nutricem indulgentiorem eſſe quàm matrem

Seminarium quale.

ſæpe

sæpe conuenit. Sit ergo solum siccum, atque succosum, bipalo subactum, aduenis hospitale, terræque simillimum in quam transferendum sit. Ante omnia vero elapidatum, & ab incursu etiam gallinacij generis munitum, minimeque rimosum ne penetrans sol exurat fibras. Interuallo sesquipedum seri debent, quia si inter se contingant, præter alia vitia etiam vermiosa fiunt. Sarriri quoque sæpius conuenit, herbasque euelli, præterea semina ipsa fructificantia supputari falcemque pati consuescere. Cato etiam furcis crates imponi iubet altitudine hominis ad solem recipiendum, atque integi culmo ad arcenda frigora. Sic pyrorum malorumque semina nutriri, sic pineas nuces, sic cypressos semine satas, & ipsas minimis ex granis constat, vt vix quædam perspici possint. Sic è cypresso fœmina, mas enim (vt diximus) non gignit: pillulæ collectæ siccantur sole, ruptæque emittunt semen mirè formicis expetitum ampliato miraculo quod tantarum natalis arborum tantuli animalis absumitur cibo. *Auctor.* de hac quoque materia videlicet de sationis industria, plenius dictum est supra.

Interuallum quod?

De plantarum fixione vel plantatione.

CAPVT XIII.

Plinius, vbi supra. Plantaria quoque natura demonstrauit multarum radicibus pullulante sobole densa, & pariente matre quas necet. Eius etenim vmbra turba indigesta premitur, vt in lauris punicis, prunis, platanis, cerasis. Paucorum in hoc genere rami parcunt soboli, vt vlmorum atque palmarum. Nullis vero tales pulluli proueniunt, nisi quarum radices amore solis, & imbris in summa tellure spaciantur. Omnia autem hæc non statim moris est in sua locari, sed prius nutrici dari & in seminarijs adolescere, iterumque migrare. Qui transitus mirum in modum mitigat etiam syluestres. Siue enim arborum, vt & hominum natura, nouitatis, ac peregrinationis auida est, siue decedentes virus relinquunt & mansuescunt tractatu, ceu fere dum radici auellitur planta. *Ex libro de natura rerum.* Planta (sicut iam superius dictum est) variatur multum ad diuersitatem locorum. Cumque locus, & labor ei conferant, anni tempus in quo plantatur maxime confert: planta prope solem citius nascetur, & si fuerit ad Occidentem tardabitur: loca à sole remota non erunt multarum plantarum, animalium quoque similiter, nec habebit planta vires, folium & fructus producendi, planta, quæ prouenit in montibus si species fuerit erit aptior medicinæ, fructus vero durior ad dirigendum, nec nutriet multum, Omnis autem planta si vltra modum debitum in terra ponatur, tarde vel nunquam crescit. *Aristot. in libro de plantis.* Plantarum quidem plurimæ plantantur in vere, & paucæ in hyeme & Autumno, pauciſſimæ autem in æstate post ortum stellæ caniculæ. Sed in Ægypto non fit plantatio nisi semel in anno.

Transitus arborum cõfert.

De ipsarum translatione.

CAPVT XIV.

Plinius vbi supra. Plantaria vero supradicta (sicut iam dictum est) non statim moris est in sua locari, sed prius nutrici dari, & in sementarijs adolescere, iterumque migrare. Qui transitus mirum in modum mitigat etiam syluestres, siue arborum, vt & hominum natura nouitatis ac peregrinationis auida est, siue decedentes virus relinquunt, & tractatu mansuescunt. Itaque plantas è seminario in aliud transferre, prius quàm in loco ponantur, operosè præcipi arbitror, licet translatione folia latiora fieri spondeant. Ante omnia ergo in similem terram aut in meliorem oportet transferri, nec è tepidis aut præcocibus in frigidos ac serotinos situs. Ante quidem scrobes præfodiantur, donec pingui cespite obducantur. Hoc enim & ante annum Mago fieri iubet scilicet præfodere scrobes, vt solem pluuiasque combibant. Aut si conditio largita non sit, ignem in medijs fieri ante duos menses, nec nisi post imbres in his seri. Altius autem demittantur, quæ summa tellure gaudent, vt fraxinus & olea. Hæc enim & similia quaternos pedes oportet demitti vel infodi. Cæteris autem sufficiunt altitudinis pedes terni, arborem vero minorem bima, nec maiorem trima quidam transferri præcipiunt. Alij vero cum annum compleant. Hoc autem non negligendum, ne mora radices inarescant, aut Septentrionis flatibus, neve Aquilone Meridianis solibus oppositæ fundantur, aut algeant Aquilonibus Meridianæ, aut ne flante Aquilone effodiantur arbores vsque ad exortum brumalem, neve radices his ventis aduersæ præbeantur, propter quod emoriuntur, ignaris tunc agricolis. Cato ventos omnes & imbres in tota translatione damnat, & ad hoc proderit quàm plurimum radicibus cohærere terræ in qua vixerint, totasque cespite circumligari, cum ob id Cato iubeat in scrobibus transferri. *Idem in libro 16.* Non autem in omnibus locis omnia nasci docuimus, nec translata viuere. Et hoc aliàs fastidio, alias contumacia, sæpius imbecillate earum, quæ transferuntur euenit. Aliàsque cœlo inuidente, & aliàs solo repugnante fastidit.

Pedes quot sufficiunt?

Terra fumida in transplantatione.

De prima herbarum è terra productione.

CAPVT XV.

Ambros. in Hexa. libro 3. Germinet inquit terra herbam virentem, &c. & subito terrarum germina pullulauerunt, & diuersæ rerum species refulserunt. Hinc pratorum virens gratia abundantiam pabuli ministrauit. Inde camporum spica flauescens imaginem Pelagi fluctuantis cum motione segetis vberioris expressit. Sponte omnes fructus, nondum agricola formato, terra suggessit. Verbum enim Dei in ea fructificabat, nec vllo adhuc maledicto terra damnata erat. Sed forte mirentur aliqui, cur prius pecori pabulum quam cibus homini sit creatus. In quo primum profundum Dei debemus aduertere, quòd etiam minima quæque non negligat, sicut dicit: *Respicite volatilia cœli.* Deinde quia simplicem victum, & naturalem cibum reliquis cibis debuit anteferre. Hic enim sobrietatis cibus est, reliqui deliciarum atque luxuriæ, hic communis omnibus animalibus, ille paucorum. Exemplum itaque frugalitatis magisterium parsimoniæ est. Herbæ simplicis, oleriſque vilis, aut pomi contentos omnes esse oportere, quæ natura obtulit, quæ liberalitas Dei prima donauit. Hic salubris, hic vtilis cibus, qui morbos repellat, qui resecet cruditates nullo partus hominum labore, sed dummodo effusus munere, sine sationis fruge, fructus sine semine, tam dulcis & gratus, vt etiam repletis vsui sit atque voluptati.

Cur pabulum pecorum prius creatũ quam cibus hominum?

De continua earum generatione.

CAPVT XVI.

EX libro de natura rerum. Causaliter quoque dictum est, terram herbam virentem, & lignum produxisse, id est, producendi virtutem accepisse. In ea quippe iam tanquam in radicibus temporum facta erant, quæ per tẽpora futura erant, à qua conditione Deus requieuit, mouensque deinde per temporales cursus ea ipsa quæ condidit, non solum paradisum, sed etiam omnia, quæ nunc nascuntur plantauit. Quis enim etiam nunc ista creat, nisi qui vsque nunc operatur. Sed modo creat hęc ex his quæ iam sunt, tunc autem ab illo, cum omnino nulla essent, creata sunt. Terra siquidem ad Dei verbum accepit omnes numeros eorum, quos exerceret

Terra apta transplantandis arboribus.

per tempora ſecundum genus ſuum. *Adelardus Anglicorum Philoſophus.* Voluntas quidem creatoris eſt, vt à terra naſcantur herbæ. Sed eadem non eſt ſine ratione. Non enim à pura naſcuntur terra, immo commixta. Illa quoque ſingulis particulis ſuis, quæ ſenſui ſubiacent, omnia quatuor elementa cum eorum qualitatibus continent. Sicut enim illa quatuor ſimplicia huius mundi corpus vnum componunt, vt cum in ſingulis compoſitis illa componentia exiſtant, tamen ita vt ſunt ſenſibus non apparent, ſed ipſa compoſita ſuorum ſimplicium nominibus falſo vocata ſunt, quia nec terra, nec aqua, nec aer, nec ignis, ſed terrea, aquatica, aerea, ignea, dicenda ſunt. Ex eo tamen quod magis in eis abundat, hanc appellationem ſortita ſunt. Cum ergo in hoc terreo corpore, quod terra dicitur, licet ſubtiliter puluerizato, quatuor cauſæ ſunt neceſſariæ. Inde quoddam compoſitum ſurgit ſcilicet herba terreum maximè, aquaticum parum, aereum minus, igneum minimè. Per terram vtique cohærens, per aquam ſe diffundens, per aerem & ignem ſurgens. Niſi enim in eodem ignis eſſet, nunquam ad ſuperiora motum haberet, & niſi iterum aer vel aqua ineſſet in latitudinem diffundi non poſſet. Poſtremo niſi terra præſtaret, cohærentiam non haberet. Itaque illa quæ mira ſubtilitate in puluere illo incluſa fuerunt exterioribus elementis irritantibus, ſuiſque qualitatibus idem exigentibus, in publicum produnt. *Ariſtot. vbi ſupra.* Herbæ in aquis ſalſis non naſcuntur propter multum frigus, & ſiccitatem. Nec in locis multum ſalitis, & ſiccis, quia remota ſunt à temperantia longèque ſunt calor, & humor, quæ propria ſunt aquæ dulcis.

Herbas habere aerem probatur.

De nutrimento.

CAPVT XVII.

Delardus, Sicut autem herbæ à terra naſcuntur, ſic & ab eadem nutriuntur. Quod mihi ſatis aſſerere promptum eſt. Cum enim à terra euelluntur, tam vigorem, quam incrementi proprietatem, & ipſum etiam viuere amittunt. Vnde patet quod aliquid ab ipſa matre accipiunt, quo cum priuantur, ſimul & moriuntur, propterea ſi nihil à terra traherent fructus, ab agricolis exercendæ terræ tanta cura non adhiberetur. Itaque à terra quidem habent nutrimentum, non ſimplici certè, ſed compoſita, imo non à terra, ſed terreo, vt ſuperius eſt probatum, in quo videlicet terreo cum illa quattuor elementa ſunt, habent ſingulæ nutrimentum quod ſibi ſimile trahunt, vt quæ calida ſunt, calidum, quæ frigida frigidum, ſicca ſiccum, humida humidum affectent. Quod euidenti ratione liquere poteſt. Nam cum aer exterior quicquid à terra traxerit, æſtiua deſiccatione illud auferat, quicquid extra terræ ſuperficiem ex eis eſt, marcendo moritur, quod autem intra ſinum terræ matris quodammodo lactantis contiguo radicitus latet vitale reſeruatur. *Ex libro de naturarerum.* De herbarum origine maxima quæſtio eſt, cur naſcantur quandoque ſine præiacenti materia vel ſemine. Cumque diuerſarum herbarum radices inter ſe contrariæ ſint, vna ſcilicet calida alia frigida: Cur in eodem territorio viuunt, cum vnumquodque ſuo ſimili nutriatur, & à contrario deſtruatur. Sed ſciendum, quod iſta terra quæ humano ſenſui ſubiacet, nequaquam ſimplex, ſed compoſita eſt, & in ſingulis operibus ſuis, quatuor elementa cum ſuis qualitatibus continet. Nam ſimplicem ac veram terram nullus videt, ſicut nec cætera elementa. Sed omnia commixta ſunt & ex eo in quo ſingula magis abundant, appellationem ſortita ſunt. Igitur in re quæ à nobis terrea dicitur, cum ex quatuor elementis compoſita ſit, terreum poteſt illud dici, quod maximè terreum videtur. Aqueum quod parum, aereum quod minus, igneum vero, quod minimè: per terram ſcilicet cohærens, per aquam ſe diffundens, per ignem, & aerem ſurgens. Niſi enim in ea ignis

Nutriuntur 4. elementis.

Omnia elementa quæ videtur ſunt mixta.

A concluſus eſſet ad ſuperiora motum habere non poſſet. Niſi aquam & aera nequaquam in latum ſe diffunderet. Nutrimentum ergo ſuſcipiunt non à terra ſimplici, ſed à compoſita. Quatuor elementa ſunt, vnde ſingulæ nutrimentum habent, ex eo, quod ſibi competit, & per quod adhærebant.

Cur non ab aere ſicut à terra concipiant nutrimentum.

CAPVT XVIII.

FOrtaſſis autem dicet mihi aliquis, ſi vt dicis in ſingulis corporibus compoſitis illa quatuor ſimplicia ſunt, ideoque & alijs compoſitis nutrimentum præſtare poſſunt, reſtat an aer quem videmus aliud idem nutrimentum præbere valeat. Quod ſi eſſet, herba etiam à terra eradicata ab ipſo aere nutrimentum acciperet, quod quia illi quodammodo id deſideranti aer addere non poteſt, tota ratio tua naturalis debilitata eſt, magiſque vniuerſorum effectus ad Deum referendus eſt. Cui ego prompte reſpondeo. Ego quidem non detraho, Quòd quicquid enim eſt ab ipſo, & per ipſum eſt. In ipſo tamen confuſe, & abſque diſcretione non eſt, quæ quantum humana ſcientia procedit, audienda eſt, vbi vero vniuerſaliter deficit, res ad dominum referenda eſt. Nos ergo quia nondum in ſcientia pollemus ad rationem veniamus: Aer etiam ſicut & terra quatuor illas in ſe cauſas continet, nec tamen herbis eradicatis nutrimentum prębere valet, aut debet. Nam vniuerſum ſenſibile cum ex illis cauſalibus principijs coniunctum ſit, non tamen in ſingulis ſenſibilibus ſingula illa compoſita æqualiter affert, & apponit. In hoc enim corpore terra abundat, in illo aqua exuberat, hoc aerem magis participat, id igne maximè flagrat: ſecundum ergo, quod vnumquodque coniunctum cauſis, vel minus, vel magis participat, ſecundum hoc illorum ſingulorum proprietates ſequitur, & ſenſibus demonſtrat, & ex illis quæ in eis præcipua ſunt præcipuè ſingula nutrimentum accipiunt, herbæ itaque quia magis participant à terrea natura, ideo magis paſcuntur à terra. Quod ſi eradicentur, in aere quidem nutrimentum inueniunt, ſed aliter quam oportet, de illo enim quo magis egebant, ibi reperiunt minus, & de minori indigentia magis, vnde & eas diſſolui neceſſe eſt, hac neceſſitate videlicet, quod cum pars ſua terrea in aere ſufficientem refectionem non inueniat, à tali coniunctione ſolui velit, vt ad ſuum ſimile, terram dico, redeat. Ea vero remota, cætera quoque componentia à põdere liberata, ad ſua redeunt propria. Quam videlicet diſſolutionem vulgus mortem dicit, cum vtique non mors, ſed mutatio dicenda ſit: vnde etiam protinus refectionem vocant. Nec immerito, cum in hoc ſenſibili mundo nihil moriatur omnino, nec hodie minor eſt, quam cum creatus eſt, quia ſi qua pars eius ab vna coniunctione ſoluitur, non perit, ſed ad aliam ſocietatem tendit. Quod autem ſic ſe habeant prędicta, aſſero. Nam quantum aqua à terra diſtat, tanto ipſa radicibus nutrimentum præſtat, minus dico quam terra, maius tamen quam aer, ſimiliter & aer, minus eis quàm aqua, maius, quàm ignis præbet; In aqua enim prædicta parum durant, in aere minus, in igne vero minime.

Temperamenta diuerſa.

Nihil omnino moritur in hoc mundo.

De herbis aromaticis & odoriferis.

CAPVT XIX.

Iſidorus. Harum autem ſcilicet herbarum plurimæ ſunt odoriferæ, vt apium, abrotanum, mentha, petroſilenum, fæniculum, ligуſticũ, aniſum, anetum, enula, ruta, ſaluia, coriandrum. Quædam etiam dicũtur aromaticæ, quia vehemẽtius odorant, vt nardus, gariophlatũ, & aloe. Sunt enim aromata quæq; fragrantis odoris: India mittit, Arabia, vel etiã aliæ regiones. Nomen autẽ

aroma-

Aromatum Etymon.

aromaticum traxisse videtur, vel ex eo quod aris imposita diuinis inuocationibus apta putantur, vel ex eo quod aeri sede inserere ac miscere probantur: Nam quid est odor nisi aer contractus. *Plinius lib. 21.* Omnium odoramentorum, atque adeo herbarum duritia est in odore, & colore & succo. Odorato sapor raro est vlli non amarus. Econtrario dulcia raro sunt odorata. Itaque & vina sunt odoratiora mustis. Et syluestria magis omnia satiuis, quorundam odor est suauior è longinquo propius admotus hebetatur, vt violæ. Rosa recens à longinquo redolet, sicca propius. Omnis enim acrior est verno tempore & in mane. Quicquid ad horas meridianas diei vergit hebetatur. Nouella quoque minus odorata sunt vetustis. Acerrimus tamen est odor omnium æstate media. Rosa & crocum odoratiora sunt cum serenis diebus leguntur. Et omnia in calidis magis, quam in frigidis, In Ægypto tamen minime sunt odorati flores, quia nebulosus & roscidus aer est à Nilo flumine. Quorundam suauitati grauitas inest. Quædam cum virent non olent propter humorem nimium, vt buceros, quod est fœnum grecum. Acutus odor non omnium sine succo est, violæ, rosæ, croco. Quæ vero ex acutis succo carent, eorum odor omnium est grauis, vt in lilio vtriusque generis. Abrotonum, & amaracus, acres habent odores. Quorundam flos tantum est iucundus, reliquæ partes ignauæ, vt violæ, ac rosæ. Hortensium odoratissima sunt, quæ sicca, vt ruta, menta, apium, quæ in siccis nascuntur. Quædam vetustate sunt odoratiora vt cotonea, eademque decerpta quam in suis radicibus. Quædam non nisi defracta, aut ex attritu olent, alia nõ nisi detracto cortice. Quædã verõ nõ nisi vsta, sicut thura myrrhæque. Flores triti omnes amariores, quam intacti. Aliqua arida diutius odorem continent; vt mellilotos. Quædam locum ipsum odoratiorem faciunt: vt iris quin & arborem totam cuiuscunque radices attingunt. Hespartis noctu magis olet: inde nomine inuento. Animalium vero nullum odoratum, nisi de pantheris quicquam dictum est, si credimus. Illa quoque non est omittenda duritia odoramentorum etiam multa nihil attinere ad coronamenta vt irin ac saliuncam, quamquam vtraque nobilissimi sit odoris.

Cur in Ægypto flores sunt minime odorati.

Sicca hortensio odoratiora.

Hespartis noctu magis olet.

De nomine ac numero herbarum, & primo de incultis.

CAPVT XX.

Isidorus. Herbarum nomen ab aruis inflexum creditur: Eo quod terræ fixis adhærent radicibus. Quædam autem herbarum nomina ex aliqua sui resonant causa habentes nominum explanationem. Non tamen omnium herbarum etymologiam inuenies; Nam pro locis mutantur etiam nominibus. *Rabbi Moyses.* Dixerunt ante sapientes de gubernatione generationis & corruptionis, quod ipsa fit per virtutes venientes à cœlis. Itaque dictum est ab antiquis herbam in terra non esse, quæ stellam in cœlo non habeat: quæ illam respiciat: eamque crescere faciat. Vnde dicitur in lib. Iob. *Nunquid nosti ordinem cœli: & pones rationem eius in terra. Auctor.* Quoniam ergo herbarum species innumerabiles sunt, quarum nominibus & naturis præcipuè libri medicorum de simplici medicina plena sunt. Hoc in loco naturales earum proprietates more nostro iuxta ordinem literarum alphabeti describendas puto, non omnium quidem, sed illarum præcipuè, quarum in diuinis scripturis nomina reperio, addens etiam nihilominus de quibusdam cæteris, quarum species ac nomina communiter omnibus, vel pluribus nota sunt, virtutes autem plurimis ignotæ sunt, & quoniam ex his aliæ quidem sponte id est absque hominis opera siue cultura in montibus, & saltibus, ac syluis, Aliæ vero agricolarum industria in hortis, & agris proueniunt, & in vtroque genere multæ innumerabilesque existunt:

Omnis herba suam habet stellam.

A illas quidem prioris generis, videlicet communes, & incultas describendo primitus intra hunc librum coarctabimus, Cæteras vero scilicet hortulanas, & satiuas libro sequenti reseruabimus. Nunc ergo ab absynthio inchoamus.

De absynthio.

CAPVT XXI.

Isidorus vbi supra. Absynthium Grecum nomen est cuius probabilius est, quod in Ponti regione nascitur, vnde & Ponticum appellatur. *Ambrosius in hexaemeron lib. 3.* Culices te non tangent, si herbam absynthij cum oleo coquas: & eo te perungas. *Hypocrates in quadã epistola.* Absynthiũ est calidũ quidẽ mediocriter, succus autem nimis humores cholericos si fuerit infusum in vino per vrinam purgat, propter quod in ventre phlegma consistens nihil iuuat: virtutem enim stypticam habet, & quæ in eo est, amara virtus est. *Auicenna vbi supra.* Absynthium est herba similis folijs origano, calida in primo gradu, sicca in secundo, & eius succus siccior est, scilicet in tertio. Est autem herba amara, stiptica, aperitiua, & acuta, huius genera sunt quinque quorum nabacium fortioris stypticitatis est, sed & minoris caliditatis. Ideo non soluit phlegma etiam ex stomacho. Huius autem operatio est in phlegmate, & melancholia, in ipso est solutio. Eiusque proprietates sunt, quod prohibet pannos à tineis, & à corruptione vermium, Encaustum quoque ab alteratione & chartas à corrosione. Facit colorem bonum, confert tyriæ, alopeciæ, ac duricijs intrinsecis, & crassiciei palpebrarum. Confert autem apostematibus, quæ sunt post aures, & dolori auris, fluxui humiditatis. Confert & apoplexiæ bibitum cum melle. Idem reducit appetitum, vrinam & menstrua fortiter prouocat, vermes interficit. Confert morsui marini draconis, & scorpionis & mugali, & iusquiamo. Emplastrum ex eo factum valet hepati, & stomacho illis, & confert doloribus eorum. Sed & potus syropi eius confert hæmorrhoidibus & ragadijs in ano. *Dioscorides.* Absynthium propabilius est Ponticum, & Capadocium in monte nascentis virtutis est acerrimæ, feruentis & redarguentis, Amaræ vehementer, stypticæ, purgatoriæ stomachi; ventrem mollit, choleram deponit, Diureticum est, & inflationibus vtile. Mediocriter calidum est, & capiti vexabile, Succus eius calidior est, & cholericum humorem purgat. In sole siccatus, vel in aqua coctus ad tertias, & sic in mulsa recoctus lumbricos expellit.

Remedium contra culices.

Temperamentum.

Vsus medicinalis.

Iterum de eodem.

CAPVT XXII.

Constantinus in libro graduum. Absynthium calidum est in primo gradu, siccum in secundo, Stomachum confortat. Et choleram rubeam cum egestione purgat. Gallenus in epistola quam Glutoni misit, absinthium inquit virtutes duas contrarias habet, vnam laxatiuam, & alteram stypticam, propter hoc si datur in morbo nondum digesto, materiam, vt fugat, inobediens indurat, vnde quasi bellum facit: virtus enim laxatiua materiam mouet, vt cum egestione exeat, & virtus stiptica materiam indurat, & prohibet ne moueatur, quare laborat natura. Quo dato cum materia morbi digesta est, fit obediens faciliſque ad exeundum duobus modis, vno quia vis laxatiua eius materiam dissoluit, Altero, quia ponticitate sua comprimente adiuuat ad excludendum materiam morbi, quæ est in concauitatibus membrorum: hepar autem confortat, & adiuuat, opilationem quoque aperit, appetitum irrigat, ictericiam curat, Cum siseleo vel spica bibitum, dolorem stomachi, & intestinorum de crassa vento sitate & humiditate natum mitigat. Nullam

actionem facit phlegmaticam. Cum vino vel ante vinum bibitum, vrinam prouocat, ebrietatique repugnat. Cum aceto propinatum, ſuffocationem, quæ eſt propter fungorum comeſtionem placat. Cum melle temperatum, tumorem qui eſt ſub lingua curat, & nigredinem, quæ ſub oculis eſt, expellit, viſum quoque clarificat. Succus eius auribus inſtillatus humiditatem ab eis deſiccat manantem. Cum felle taurino mixtum, & auribus iniectum confortat, & ſonum ab eis excludit. Cum oleo roſaceo & cera ſtomachum inunctum confortat, & dolorem expellit. Cataplaſmatum duriciem ſplenis mox diſſoluit, temperatum cum melle menſtrua prouocat. Syropus ex eo factus, ſtomacicis, & hepaticis ſubuenit. Cum oleo coctum, & ſtomacho inunctum iuuat, abſynthium in arca poſitum, in qua panni conditi ſunt, tuetur eos ne à tineis deſtruantur, & excauſtum ex aqua factum vbi abſinthium eſt coctum cartas incolumes cum eodem ſcriptas ſeruat ne mures eas comedere poſſint.

Remedium contra ſuffocationem ex comeſtione fungorum, & alia.

De diuerſis ſpecibus abſynthij.

CAPVT XXIII.

P*Latearius in libro de ſimplici medicina.* Abſynthij vero duo ſunt genera, vnum ponticum, quia in Ponto inſula reperitur, vel quia Ponticum habet ſaporem. Colorem habet viridem, ſapore eſt amarum, & tale minoris eſt effectus. In fine veris colligitur, in vmbra exiccatur, per annum ſeruatur. Abſynthium duas virtutes habet contrarias, conſtrictiuam ex craſſitudine ſubſtantiæ, & ponticitate, laxatiuam ex caliditate, & amaritudine. Contra opilationem ſplenis datur ſuccus eius cum puluere coſti. Idem valet contra opilationem hepatis ex frigida cauſa. Contra ebrietatem datur ſuccus eius cum melle calido. Contra dolores & liuores membrorum ex percuſſione, ex ſucco abſynthij puluere cumini, & melle fit emplaſtrum. Contra vermes etiam aurium ſuccus eius inſtillatur. Idem potatus viſum clarificat, & oculis impoſitus ruborem, & pannum remouet, libros & pannos à muribus tutos reddit. *Plinius lib.* 27. Abſynthij genera ſunt plura. Santonicum dictum à Galliæ ciuitate. Ponticum à Ponto, vbi eo pingueſcunt pecora, & ob id ſine felle reperiuntur. Nec eſt aliud præſtantius. Multumque Italico eſt amarius. Sed medulla pontici dulcis, herba facillima & inter paucas vtiliſſima ſtomachum roborat, & ob hoc hic ſapor eius transfertur in vina. Nauſeas maris arcet in nauigationibus potum. Inguinum tumorem in ventrali habitum. Somnos allicit olfactum, aut inſcio ſub capite poſitum, veſtibus inſertum tineas arcet, culices ex oleo perunctis abigit, fumo quoque ſi vratur, attramentum librorum ex diluto eius temperatum litteras à muſcis, tuetur. Capillum denigrat abſinthij cinis vnguento roſaceo permixtus. Sanat & pruritus, & aduerſatur fungis ex aceto viſcoſoque. Cicutæ ex vino, muris, aranei morſibus draconi marino, ſcorpionibus. Oculorum etiam claritati valde confert. Et ad alia multa prodeſt. Eſt & abſynthium marinum, anguſtius priore minuſque amarum, ſtomacho inimicum. Aluum mollit, interaneorum animalia pellit. *Ex libro de natura rerum.* Vnum eſt genus abſynthij viride magis amarum, aliud vero ſubalbidum minus amarum. Et dicitur habere qualitates contrarias ſcilicet conſtrictiuam ex craſſitudine ſubſtantiæ, & laxatiuam ex amaritudine & caliditate: valet contra dolores capitis propter fumos ſtomachi ad caput aſcendentes. Succus eius libros, & ligna per multos annos à vermibus ac muribus ſeruat, ad digeſtionem etiam & ſtomachum confortandum multum valet. Item abſynthium occurrens interius ſtypticat & conſtringit. Si coquatur cum oleo & inungantur corpora humana ex eo à morſu & moleſtia pulicum ea præſeruat. Eſt ergo abſynthum herba quidem amariſſima, ſaluti humanæ commoda. In locis incultis, & montuoſis naſcitur. Eiuſque ſuccus contra periculum fulgurum bibitur. Contra dolores capitis ex fumoſitate valet, contraque apoplexiam ne veniat. Contra loquelam amiſſam optimum remedium eſt, facit etiam ad tiphum tertianum, & ad liuores collendos, & ad lumbricos.

Contra ebrietatem.

Duo genera.

Contra nauſeam marinam.

Virtus.

Contra pulices.

De Acantho.

CAPVT XXIV.

I*Sidorus.* Acanthus eſt herba Ægyptia ſemper frondens ſpinis plena, flexibile virgultum habens. In cuius imitatione veſtis arte ornatur, quæ achantina dicitur. *Plin. lib.* 22. Acanthus eſt herba topiaria vrbana, è lato longoque folio crepidines marginum aſſurgentiumque puluinorum thoros veſtiens: huius genera duo ſunt, videlicet aculeatum, & criſpum quod breuius eſt, alterum vero leue, quod aliqui pæderoton vocant. Alij melanphylum. Huius radicis vſus luxatiſque mirè proſunt. Itemque ruptis conuulſis, & ptyſim metuentibus incoctæ cibo maximè, ptiſana. Podagris etiam illinuntur tritæ, & calidis calefactæ. *Dioſcorides.* Acanthus Græce melanphyllon aut pederodos dicitur, in parietibus & locis lapidoſis, & humectis naſcitur, duæ ſunt eius ſpecies. Altera ſpinoſa, & breuis. Altera vero thyrſoſa: dicitur autem melanphylon eo quod habet folia nigra & veluti pinguia, diuiſa vt eruca, longiora lactucis, & latiora, virgas habet duorum cubitorum in craſſitudine digiti, & in capite ipſius virgæ folia minuta, in qua caput eſt vt carduis coloris hyacinthini flos eſt illi, albus, & ſemen coloris melini cum radice muſtilaginoſa, & rubra & longa, quæ cataplaſmatibus adhibita combuſtionibus facit effectum. Ipſaque herba bibita prouocat vrinam, ventrem mollit, phtiſicis opitulatur, lateris dolorem compeſcit. Et quaſſationibus maximum præſidium eſt. Alia vero agreſtis ſpinoſa, & breuior eſt, eiuſque radix efficaciam primæ ſimilem habet.

Pæderotos.

Melanphyllum.

Acanthus, vel vt Latini dicunt ſpina alba, naſcitur in montibus, ac ſylueſtribus locis & viſcidis, habet folia vt Cameleonta, ſed anguſtiora, & albidiora & ſpinoſa virgam cubitis duobus longam, interius inanem, & in ſummitate capitellum ad inſtar echini ſpinoſum, & ob longum, floremque purpureum, in quibus eſt ſemen rotundum. Radix eius mediocriter deſiccat, & eſt ſtyptica. Ideoque celiacos & ſtomacicos iuuat. Sanguis aduſtionem reprimit, tumores vice cataplaſmatis ſpargit. Eadem bibita prodeſt hęmoptoicis, opem quoque facit iſchiaticis, & ſtomaticis, vrinam prouocat. Et humores omnes in cataplaſmate ſpargit. Elixatura eiuſdem dentium compeſcit dolorem. Semen eius leptomeres, calidæ eſt virtutis, membraque putrefacta iuuat potatum, fluorem ſanguinis curat, & interaneorum, rheumatiſmum, fluores quoque matricis aſtringit, & miſcetur cataplaſmati conſtrictiuæ virtutis. Idem ſemen bibitum contractos infantes ſaluberrime curat, morſibus venenatis occurrit, & qui eam in collo portauerit, incurſum ſerpentis non timet. Acanthus Arabicus naſcitur ſpinoſus & albus, eique virtus eſt ſtyptica, fluxus ſanguinis ſtringit, reijcientibus ſanguinem ſubuenit, & omnibus rheumatiſmis occurrit. Radix eius omnia ſupradicta & ſuprascripta facere nouit.

Virtus.

Semẽ eius eſt Leptomeres.

De Aconito.

CAPVT XXV.

I*Sidor.* Acone portus eſt Bithiniæ prouentu graminum malorum vſque adeo celebris eſt, vt herbas noxias illinc nominemus aconita. *Plin. libro* 27. Aconitum eſſe conſtat omnium venenorum ocyſſimũ, & tactis quoque genitalibus fœminei ſexus animalium, eodem die mortem inferre. Id nempe venenũ fuit, quo interem-

Aconitum vnde?

Vſus ſalubris Aconiti.

interemptas dormientes à Calphurnio Beſtia vxores M. Cæcilius accuſator obiecit, hoc tamen etiam in vſus humanæ ſalutis eſt, aduerſari ſcorpionum ictibus expertum, in vino calido datum. Eaque illius eſt natura vt hominem occidat, niſi inuenerit quod in homine perimat. Cum eo ſolo colluctatur, ac velut præſentius inuento ſolo, hæc pugna eſt, cum venenum reperit in viſceribus. Mirumque exitialia per ſe ambo cum ſint duo venena in homine, commoriuntur vt homo ſuperſit. Quis ergo ſatis poſſit antiquorum curam, & diligentiam venerari? Quin etiam prodiderunt antiqui ferarum remedia, quomodo ipſa quoque ſanarentur venenata. Aconiti tactu torpeſcunt ſcorpiones, ſtupentque pallentes, ac vinci ſe confitentur. Auxiliatur eis elleborum album, tactu reſoluente. Ceditque aconitum duobus malis, ſuo, & omnium: ſi quis hæc certè ab homine potuiſſe excogitari credit, ingrate Dei munera intelligit. Tangunt aconito carnes, necantque guſtatu earum pantheras, illos ſitus repleturas, niſi hoc fieret. At illas ſtatim à morte liberari excrementorum hominis deguſtu monſtratum.

Excrementũ hominis præualet Aconito.

Aconitum folia habet cyclamini aut cucumeris non plura quatuor, à radice leniter hirſuta, radicem modicam cammaro ſimilem marino, quare quidam cammaron appellauere, alij lycoctonon. Radix incuruatur paululum ſcorpionum modo, quare & ſcorpion aliqui appellauere. Nec defuere, qui myoctonon appellare mallent, quoniam procul, & è longinquo odore mures necat. Naſcitur in denudis cautibus quas aconas vocant. Et ideo aconitum aliqui dixere, nullo iuxta ne quidem puluere nutriente. Hanc aliqui rationem nominis attulere. Alij quoniam vis eadem in morte eſſet, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam, ſtatimque admota velocitas ſentiretur. *Dioſcorides.* Aconiti duo ſunt genera, vnum quod lycoctonon dicitur, & multum in Italia vicinis montibus naſcitur. Habet folia platano ſimilia, ſed plus diuiſa, & nigrioria, haſtam habet leuem in altitudine cubiti vnius aut plus, ſemen in folliculis oblongum. Radix eſt ei ſicut aſcaridamora. Hanc herbam multi in carnem mittunt, & lupos occidunt: vis eius eſt, vt inebriatos teneat. Alterum genus eſt, quod myoctonon dicitur habens folia tria vel quatuor cyclamino vel cucumeri ſimilia, ſed minora & aſpera. Haſta eſt illi duorum palmorum longa, radix ſimilis caudæ ſcorpionis, & ſicut alabaſtros limpida, hæc radix à ſcorpione comeſta paralyſim ei facit, ſed hic ſemetipſum remediat, cum elleboro ſe applicuerit. Collyrijs etiam antidotis ac medicaminibus neceſſariè miſcetur. Cum obſonio, id eſt pane vel carne data, leopardos occidit, & lupos, & porcos, & pantheras, omniaque agreſtia animalia.

Naſcitur in cautibus ſine puluere quæ ideo ἄκονες dicuntur.

De Acoro.

CAPVT XXVI.

Iſidorus in lib. etymologiarum. 17. Acorus eſt herba folijs ſimilibus iridis, radicibus odoris acerrimi, ſed iucundi: propter quod aromatica eſt. *Dioſcorides.* Acorus id eſt venerea, vel aphrodiſia eſt herba habens folia iri ſimilia, lata & oblonga, ex albida in ſummum, denſa, & quaſi gladius acuta: auroſum habet florem, radicem diſſimilem nec rectam, geniculatam & nodoſam: guſtu acrem, & aliquatenus odoratam. Semen vero plenum habet, & ſpiſſum, & integrum, & ipſum eſt odoris ſuauis, ſed per omnia efficacior eſt, quæ magis calefacit. Radix eius calidæ, ac ſiccæ nimium virtutis eſt, & leptomeris. Succus eiuſdem radicis claritatem oculorum mirificè præſtat. Aqua vero in qua fuerit decocta, eſt diuretica, vtilis eſt etiam pleureticis & thoracis paſſionibus hepaticis ac torminoſis & corruptelis, vtilior autem ſpleneticis & ſtrangyrioſis, qui vrinam cum dolore faciunt. Efficax eſt iterum ad morſum ſerpentis & ad mulierum menſtrua per fomentum vtilis, miſcetur & antidotis, & theriacis, cæterum ne apes ab examine fugiant, herba venerea in earum vaſe ſuſpendatur, & nunquam ſeducentur. Herba hæc raro inuenitur, nec illam quis ſcire poterit, niſi cum floſculum emiſerit. Naſcitur in hortis & locis cultis & aratis, legenda eſt in Auguſto menſe, quia vix inuenitur ſine flore, ac per florem cognoſcitur. *Auicenna in ſecundo canone.* Acorus eſt radix plantæ, ſuper quam ſunt nodi ad albedinem declinantes, in qua eſt odor horribilis: parumque boni odoris: & eſt calidus & acutus. Dixit autem Galenus, quod in medicina non adminiſtratur, niſi radix: eiuſque virtus eſt propinqua virtuti ariſtologiæ, & ireos: melior eſt acorus ille qui eſt ſpiſſior, magiſque ſolidus, & dulcior, ac melioris odoris. Natura calidus eſt, ac ſiccus in principio ſecundi gradus, & vſque ad medium. Inflationum ac ventoſitatum eſt reſolutiuus, ſubtiliatiuus, abſtergit ſine mordicatione; aperitiuus, colorem clarificat, & morpheæ confert, ſpaſmoque ac contritioni lacertorum: decoctio eius ambrocata & bibita confert dolori dentis valde, & grauitati linguæ: confert etiam albugini, & corneæ craſſitudinem attenuat: propriè in vtriſque ſuccus eius. Iterum decoctio eius eſt bona dolori lateris & pectoris: confert & dolori hepatis frigido, & confortat ipſum, & confert ſtomacho. Multum quoque ſplenem extenuat: ſtomachumque mundificat, confert etiam rupturæ ac dolori pungitiuo ventris. Et eius decoctio valet ad dolorem matricis, vrinam & menſtrua prouocat, & in coitu augmentum efficit: eiuſque deſiderium excitat. Confert etiam dolori inteſtinorum, & puncturæ vermium venenoſorum. *Platearius vbi ſupra.* Acorus eſt calidus & ſiccus in ſecundo gradu. Eſt autem radix gladioli: quæ non tantum humidis locis, ſed etiam in ſiccis creſcit & marinis. In æſtatis principio debet colligi: ac remotis extrinſecis ſuperfluitatibus, in quatuor pedes findi, & ſic ad ſolem deſiccari: ne cum humiditate ſua remaneat, & citius putreſcat: poteſt autem in efficacia multa per biennium ſeruari: habetque virtutem diureticam, apertiuam, diſſolutiuam ad duriciem ſplenis & hepatis. Si folia eius ſpargantur per pauimentum mira frigiditate actuali aerem infrigidant, & ſuccus radicis eius oculos mundificat. *Plinius lib. 26.* Lien acoro conſumitur poto, præcordijs & ilibus vtiliſſimæ radices.

Vtilitas medicinalis. Nota de apibus.

Melior.

Tempus in quo colligi debet, videtur tamen hoc diſplicere Dioſcoridi.

De Affodillo.

CAPVT XXVII.

Iſidorus vbi ſupra. Affodillus herba eſt quam latini à calore albutium vocant. *Dioſcorides.* Affodillus herba omnibus nota, quam multi albutium dicunt, habens folia ſicut porrus, virgam lenem ſuper quam habet ſemẽ nigrũ: quod altericon vocant. Radices oblõgas & rotundas balano ſimiles habet: quibus calida & viſcida virtus eſt; hæc radix vrinam prouocat, menſtruis imperat, & dolorem, & quaſſationes capitis tollit, tuſſientibus ſuccurrit. Id eius folia facere poſſunt, & radix cum vino bibita: partemque radicis eius quiſq; ſumptam: lætam diẽ ducit. Morſibus venenatis cataplaſmate hæc adhibita occurrit. Flos eius ſimiliter cum vino ſanat paſcentia vulnera: ſordidaq; ſaluberrimè curat. Tumoremteſtium & mammarũ impoſita ſpargit, puſtulas & ordiolos adhibita ſtringit maximè ſi vini fæce cocta & impoſita fuerit. Succus radicis eius addito vino & dulcore ac myrrha, quæ ſimul cocta maximum oculis effectum præſtant. Dolores etiam aurium & ſanies addito vino, & libanotide & melle ac amurca detergit. Succus eius auribus tepidus infuſus. Et ſiquidem dextræ partis dentes doluerint, auri ſiniſtræ infuſus medetur. Cinis quoque radicis eius, alopicias emendat

Proprietates Acori.

Virtus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Et albas maculas in ſole illinitus. Præterea ſi radix excauata, & oleo repleta calefiat, donec oleum ſcatere, incipiat, id pernionibus, & doloribus aurium eſt ſingulare præſidium. Eadem bibita cum aqua ventrem mollit: & comeſta facilè vomitum facit. Impoſita quoque ſoluit ſcroffas, atque duricias præterea ructus aut rheumatis eruptiones, lacertorum dolorem ſanat vrinam & menſtrua prouocat: huius coctura aqua renum dolori proficit & fructus eius potui datus ventrem deducit. Item radix in cataplaſma miſſa, & potui data, ſingulare præſidium eſt vexatis à vipera, Semen eius & flores minus acris ſunt virtutis: & in coctione vini data potui medentur ſcorpione vexatis.

Auicenna vbi ſupra. Affodillus eſt calidus naturaliter ac ſiccus, & abſterſiuus, ac reſolutiuus: propterea radix eius, & quando teritur fit calefactiuus & exiccatiuus & plus eo radix eius, confert alopeciæ, & impetigini, Et ponatur cinis radicis eius cum fæce vini ſuper apoſtemata glanduloſa omnia, Et ſuper carbunculos, ac ſuper vlcera fraudulenta & ſordida, & cõfert eis. Confert etiam contritioni lacertorum, atque contorſioni. In ſucco radicis eius eſt iuuamentum ad oculum. In potu cum vino datus confert dolori vtriuſque lateris & tuſſi. Radix eius cum fæce vini bona eſt apoſtematibus mammillæ: confert ictericiæ etiam. *Platearius.* Affodillus eſt herba in ſecundo gradu calida & ſicca, folia porrorum folijs habens ſimilia: Radix medicinæ competit, magis quam folia, & viridis eſt melior, quam ſicca. In eius radice inueniuntur quaſi quædam capita in modum teſticulorum, eſt diuretica & habet virtutem attrahendi, ac deſiccandi, valens ad morpheam, & alopeciam & ad alia plura.

Temperamentum.

De Agarico.

CAPVT XXVIII.

Dioſcorides. Agaricum eſt radix fungo ſimilis, cuius ſunt genera, Maſculum & fœmina: mas eſt rotundis, & in ſe collectus, fœmina vero ſimilis eſt pectini quo capilli diſcriminantur, radioſque mittit, & albedine glauca videtur. Ambobus eſt guſtus vnus, primum dulcis, poſt modum amaricans. Naſcitur in Arabia & Samaria, & in Ponto, qui omnibus melior eſt, cæterorum vero locorum iners, virtus eſt eis calida, & ſtyptica, & diaphoretica, vnde tortionibus opem ferunt, ac per ventrem humores crudos deponunt, de alto cadentibus vtiliter adhibentur hepaticis, aſmaticis, & diſſuriæ, ac phreneticis, & ictericis maximum præſtant effectum. Pthyſicis etiam accepta medicantur, & ſpleneticis cum oxymelle auxiliantur. Agaricus comeſtus abſtinet ſanguinem reijcientibus, celebrat quoque digeſtionem. Obolo minus acceptus cum aqua dolorem compeſcit arteriacis, & hyſchiaticis, vtiliter quoque combuſta datur epilepticis, menſtruis imperat, ſtericas inflationes prohibet. Omnia frigida excludit, ventrem purgat, cum mulſo bibitus, & morſibus venenatis acceptus cum vino ſubuenit. Maximeque omnes cauſas intraneorum curat ſecundum virtutem hominis vel ætatem datus. Nam alijs dandum eſt cum aqua, alijs cum vino, alijs cum oxymelle, alijs cum mulſo. Cæterum vt dicunt alij doctores agaricum excreſcit ab arboribus, ſicut boletus tactu lænis, & quaſi vanus, fragilis, aſpectu ſubrubeus, nec penitus albus, & furfuri non diſſimilis, vires habens acriter relaxantes, ac venenoſis morſibus & punctibus reſiſtentes, ventrem aliquatenus purgat, & choleram & phlegma deponit, ideo nec dolorem, nec vomitum facit. Eſt etiam dyaphoreticæ virtutis; Ideoque pingues ac ſpiſſos humores purgat. Et icteticos ex hepatis conſtipatione iuuat. Suppoſitus extrinſecus in morſu ſerpentum, vt æqualiter vulnus operiat & in potione cum vino acceptum liberat. Itemque cum aqua tepida, vel aſino lacte datus, ſpuentem ſanguinem curat. Cum mulſo vero datus ventrem deducit. Itemque paſſo vel vino dulci ptyſicis. Et cum aceto mulſo lieno ſis conuenit. *Plinius lib. 16.* Arbores glandiferæ Galliarum ferunt agaricum. Eſt autem fungus candidus & odoratus: efficax antidotis: in ſummis arboribus naſcens, noctibus relucens. Signum hoc eius, quod in tenebris decerpitur. *Idem in lib. 25.* Agaricon vt fungus naſcitur in arboribus circa boſphorum, colore candido. Id quod in Gallia naſcitur infirmius habetur. Mas ſpiſſior & maior ex iſtis qui & capitis dolores facit, fœmina vero ſolutior, initio quidem guſtus dulcis, mox in amaritudinem tranſit.

Locus vbi naſcitur.

Vſus in medicina.

Modus dandi agaricum varius.

Temperamentum.

De eodem.

CAPVT XXIX.

Platearius. Agaricum eſt quaſi fungus, & eſt calidum in ſecundo gradu, ſiccum in tertio. Creſcit ſupra radicem abietis, & maxime in Lombardia, fœmina melior eſt, quia rotundam formam habet, deſiccatur, & fit albiſſima. Mas habet ſubſtantiam oblongam, & non eſt adeo albus, porro fœmina eſt alba, ac lænis ac frangibilis, & habet quaſdam tuberoſitates intus, & quædam fruſtula quaſi diuiſa. Mas vero non habet, ſed eſt durus, nec adeo frangibilis eſt. Sed eius lænitas eſſe poteſt, tum ex humiditate, tum ex corruptione. Cum manibus tractatur, & puluerizatur, manus puluerulenta remanet, ſed non ex bonitate. Poteſt autem reſeruari per quinque annos in multa efficacia, & principaliter purgat phlegma, ſecundario melancholiam, valet contra quotidianam febrem ex phlegmate naturali prouenientem, & contra cholicam paſſionem, contraque diſſuriam, & contra fiſtulam, & contra hemorrhoidas, & contra morpheam. *Auicenna.* Agaricum ſecundum quoſdam generatur in arbore corroſa ſecundum ſemitam putrefactionis, & in eius ſapore ſunt acredo, & ſtypticitas, eiuſque ſubſtantia eſt aerea, terrea ſubtilis. Melius eſt album, velociter frangibile, poroſum, valde planas habens extremitates, in cuius amaritudine dulcedo inuenitur, & fractum habet fruſta ſuperpoſita, & hæc eſt fœmina. Illud vero quod eſt mas non eſt bonum, ſed durum & nigrum. Eſt autem agaricum natura calidum in primo gradu: ſiccum in ſecundo. Et eſt reſolutiuum & inſciſiuum craſſorum humorum, aperitiuum omnium oppilationum. Ipſa eſt ſtyptica virtus. Confert omnibus calidis apoſtematibus. Datur in potu cum ſyrupo aceti ad ſchyaticam paſſionem. Et proprietate ſua mundificat ſuperfluitates cerebri, ac neruorum confert etiam caſui, & ægritudini lacertorum. Confert etiam epilepſiæ, & aſmati, & vlceri pulmonis cum rob, & cum aqua ſputo ſanguinis ex pectore, præterea confert ictericiæ: daturque bibendum ad apoſtema ſplenis cum oxymelle. Et quando ſolum maſticatur & deglutitur confert dolori ſtomachi & eructuationi acetoſæ, datur & in potu ad dolorem hepatis. Solutione vero deducit humores craſſos & diuerſos melancholiæ, ac phlegmatis, & choleræ rubeæ, quãdo ſumitur cum mellicrate. Et quandoque ſolutiuas medicinas adiuuat, & facit eas vſque ad extrema corporis peruenire, vrinam, & menſtrua prouocat & renum dolorem ſedat. Confert iterum præfocationi matricis ac febribus antiquis craſſis & tremori, & ex eo fit emplaſtrum ad puncturam vermium veneni frigidi.

Temperamentum.

De Agrimonia.

CAPVT XXX.

Dioſcorides. Agrimonia eſt herba omnibus nota, quæ dicitur ferraria minor. Similis eſt in omnibus agreſti papaueri vel herbæ ammoni. Sed in hoc diſcernitur, quod caput ſuperius habet latius, & floreſcit

Ferraria.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ruellius li. 3. c. 95. ait agrimoniã ipſam vocatam à veteribus Eupatoriũ.

ſerius, nec florem facit ita fœniceum ſed croceum. Radix eſt illi rotunda deorſum, ex qua dimittit croceum acrioris virtutis ſuccum, qui argemone id eſt oculis nominatæ paſſioni conuenit, & nebulis oculorum. Naſcitur in campis vel circa ſepes. Radix eius dicitur eupatorium Græco nomine, eſt diuretica valde. Quæ viridis trita anthracas, ideſt puſtulas malas curat. Ad ſerpentum quoque morſus, & canis, & hominis rabidi, facit; ſic potata ad ventris dolorem & contra venena, Item vulnera cauterizata viridis ſanat. Trita & impoſita mirè dolori, & tumoribus luxu concitatis valet. In ſerpentium morſu cum vino data venenum mirificè diſcutit. Ad percuſſum quoque ferro vel ſude cum aceto impoſita facit, verrucas tollit, & ad ſplenis dolorem, In cibo tamen ſumpta ſplenem conſumit. Item ea quæ ſecundina ſunt conſtricta aperit ac perſanat. Radix eius deſiccat. Et puluere vino aſperſa omnes ſerpentinas paſſiones liberat. Ipſa quoque radix in vino cocta & potata paralyticis prodeſt.

De alcamia & altea & alga.

CAPVT XXXI.

Tinctura ſit per Alcamiam.

Platearius vbi ſupra. Alcamia eſt herba in tranſmarinis partibus, & etiam in Sicilia copioſe inuenitur. Eſt autem frigida in primo, ſicca in principio ſecundi. Et quia non vbique reperiri poteſt, qui eam habent puluerizant, & ſic per regiones deportant, puluiſque ſubnigri coloris eſt: per annos tres ſeruatur, & habet virtutem conſolidandi, & extergendi ac mundificandi, valet ad mundificationem cutis ad conſolidationem quoque vulneris, & ad tingendum capillos, vel vngues, ac alias partes corporis. Et ſiquidem velit aliquis eos tingere colore rubeo, diſtemperet eam cum aqua vel aceto. Si autem nigro diſtemperanda eſt cum oleo, & pars inuncta ſiccari dimittatur, vixque poſtea recedit illa tinctura, niſi cũ ſucco porrorum, & cantabrio, & aceto. *Auicenna.* Alcamia alias artanita, habet capita ſicut capita ciceris, & eius folia ſunt ſicut folia caulis, eiuſque radix eſt nigra radici rapæ ſimilis, & illud quod de hac in opere medicinæ adminiſtratur, eſt radix eius. Sed hæc ſpecies quam diximus, non eſt illa quæ in tempore noſtro cognoſcitur. Nam illa quæ nunc artanita cognoſcitur eſt ſpina ſpiſſa ac breuis, quæ radicem habet qua lana lauatur. Eſt autem inſciſiuum & reſolutiuum bonumque doloribus iuncturarum, & vtriuſque anchæ, facit ſternutationem ac vehementer aperit narium conſtrictionem & colatorij opilationem, confertque ſingultui, ac fœtum eijcit, eius decoctio valet punƈturis venenoſis, & ſimiliter ſyrupus eiuſdem. *Plinius lib. 27.* Altea herba eſt habens folia verbanacę ſimilia, quę & periſterion cognominatur, caules tres aut quatuor foliorum plenos, floes roſæ, radices albas, cum plurimum ſex cubitales obliquas. Naſcitur in pingui ſolo nec ſicco, vſus radicis eius eſt ex vino vel aqua dyſſentericis aluo cita, & ruptis, conuulſis prodeſt. *Iſidorus vbi ſupra.* Alga eſt herba quæ naſcitur in aquis ſtantibus, dicta ſic ab algore aquæ, vel eo quod alliget pedes, quia craſſa eſt folijs, aquam ex parte ſupernatantibus. *Palladius lib. 3.* In caulium plantatione dicit Columella plantarum radices alga marina inuoluendas, viriditatis cauſa ſeruandæ, ſimo ſimul adhærente.

Altea.

Alga etymon.

De aloe herba.

CAPVT XXXII.

Iſidor. Aloe eſt herba ſucci amariſſimi. *Platearius.* Aloe fit ex ſucco herbę, quæ appellatur eodẽ nomine, hæc herba non ſolum in Græcia reperitur, & in India, & Perſia, verum etiam in Apulia. Et ſuccus vtilis eſt ad multa ſicut dicetur infra. *Dioſcorides* Aloe ſuccus eſt herbę, quæ habet folia & ſquillas, ſed pinguiora & latiora & rotunda, & circa ea habet ſpinas raras, virgam autem habet ſimilem anterico, florem album, & ſemen affodillo, odore graui, guſtu amarum. Radicem habet vnam ſicut lignum in India naſcens plurimum, naſcitur & maritimis locis & in Aſia ſplendida, ſubrufa, lucida ſine lapide, guſtu amariſſima. Citius emittit humorem dum alitur. Radix eius inſciſa ſuccum emanat, vel herba tota contuſa exprimitur, & ſiccatur: adulteratur autem mixto gummi, quod facile ex guſtu & odore intelligitur, & quod non ſe partibus minutis ſoluit, & ſi manibus retenta non cohæret. Virtus eſt ei ſtyptica, mediocriter calida & ſicca nimis, ventrem mollit, putredinem purgat, phlegma deducit. *Plinius lib. 27.* Aloe ſimilitudinem habet ſquillæ. Sed maior, & pinguioribus folijs, ex obliquo ſtricta. Caulis etiam tener eſt rubeus medius radice vna ceu palo in terram demiſſa, graui odore, guſtu amara, laudatiſſima ex India affertur, ſed naſcitur in Aſia, nec vtuntur ea niſi ad vulnera recentibus folijs, mirifice enim conglutinat, vel fucco ob id in eam ferunt. Quidam & caulem ante maturitatem ſeminis inſcidunt ſucci gratia, aliqui & folia: inuenitur autem & per ſe adhærens lachryma. Ergo pauimentandum cenſent vbi fuerint ſata, ne abſorbeatur lachryma; fuere qui traderent eſſe in Iudæa ſuper Hieroſolymam metallicam eius naturam; Sed nulla magis improba eſt, nec alia nigrior aut tumidior eſt.

Figura.

Virtus.

De altea.

CAPVT XXXIII.

Iſidorus. Altea eſt agreſtris malua ſiue maluæ viſcus. Sed altea dicitur, eo quod in altum ſurgit. Viſcus autem quod glutinoſus ſit. *Ex ſynonymis.* Altea biſmalua, viſcus, maluauiſcus, ibicus idem eſt. *Dioſcorides.* Altea digeſtoriam & calefactiuam diaphoreticam habet virtutem, folia ſunt ei rotunda, cyclamino ſimilia, flores habet ſimiles roſis. Haſtam longam duobus cubitis. Radix eſt illi muſti laginoſa, flos eius in mulſa, vel vino coctus ac tuſus & impoſitus, vulnera curat, ſcrophas ſpargit, dolorem mitigat, neruorum tenſiones relaxat, apoſtema rumpit vel ſpargit, vulnerum cicatrices curari facit. Elixa vero ac trita cum axungia porcina, vel anſerina & reſina terebinthina tumores ſtericos & effocationes medetur appoſita. Elixatura quidem eius hæc omnia facit & ſecundinas excludit. Item radicis eius elixatura cum vino bibita in præſenti iuuat contra dyſenteriam & ſanguinem reijcientibus propter ſuam vim quandam ſtypticam vnde multum congruit diſſurijs, medicatur calculoſis, opitulatur ſciaticis, & dyſentericis, & de alto cadentibus ſubuenit. Dolori quoque dentium opitulatur cum aceto elixa, & garganiſmo adhibita, ſemen eius viride ac ſiccum cum aceto, & oleo tritum ac perunctum, maculas tollit, morſibus venenatis occurrit. Elixatura quoque ſeminis eiuſdem dyſentericis & ſanguinẽ reijcientibus ſubuenit, & etiam in ſolutione ventris. Contra omnia venena opitulatur cõbuſta bibita. Cicatrizat etiã caua vulnera cũ melle trita, horũ ſcilicet qui molles habent carnes, vt ſunt pueri fœminæ eunuchi. Omnem etiã duritiem & rigorẽ mollit ac relaxat. Eſt & alterum genus agreſtis alteę folia habens diuiſa vt hierobotanus, & haſtas quatuor aut tres, ſed coriũ habet canabo ſimile, floremq; minutũ rodo ſimilẽ, radices albas & trãſuerſas 5. vel 6. habẽtes cubiti longitudinẽ, hæc tamẽ cũ vino vel aqua bibita dyſentericis, & conquaſſationibus ſubuenit. Sola in aqua decocta, & pota dolores inteſtinorum ſanat die tertia, trita quoque cum veteri axungia, podagras ſanat impoſita. Omneſque collectiones vel duritias, quæ naſcuntur in corpore aufert, decocta cum

Etymon Altea.

Virtus.

Hierobotanus.

fæno

fæno græco & lini ſeminis, polliue impoſita. *Plinius li.* 20. Alteæ in omnibus efficacior eſt radix, præcipuè conuulſis & ruptis. In aqua cocta ſiſtit aluum, in albo vino ſtrumas & parotidas & mammarum inflationes & pannos. Idem in vino decocta folia eius quamlibet pernitioſam tuſſim medentur. Hypocrates vulneratis ac ſitientibus defectu ſanguinis bibendum dedit ſuccum decoctæ radicis. Ipſam vero vulneribus, cum melle ac reſina. Idemque conuulſis laxatis tumentibus, & muſculis, neruis, articulis, impoſuit, & aſmaticis ac dyſſentericis in vino bibenda dedit. *Auicenna.*

Altea deriuatur ab ἀλθέω id eſt ſano,

Altea nomen Græcum deriuatũ eſt ex plurium iuuamentorum nomine, cuius natura calida eſt cum æqualitate. In ipſa ſunt lenificatio, & maturatio, & mollificatio, & reſolutio. Semen & radix ſunt in eius virtute fortiora plurimum exiccatiua & ſubtiliora, linitur ſuper morpheam cum aceto: mollificat apoſtemata & prohibet ea, & reſoluit ſanguinem & maturat vulnera. Confert apoſtematibus inflatis, & ſcrophulis & valet ad duritiem matricis. Sedat dolorem iuncturarum, & proprie cum adipe anſeris, confert etiam iſchiaticis ac remori, & attritioni lacertorum, & extenſioni neruorum. Tumorem & inflationem reſoluit, quæ ſunt in palpebris. Semen eius tuſſi calidæ confert, & facilè ſputum efficit, prohibetque fluxum ſanguinis, cum virtute ſuæ ſtypticitatis: eius folia conferunt apoſtematibus mammillæ, & ponitur in emplaſtris pleureſis & peripleumoniæ, eius quoque gummi ſitim ſedat. Decoctio radicis eius bibita confert vrinæ, & inteſtinorum ardori, & apoſtematibus ani.

De Ambroſia.

CAPVT XXXIIII.

Botrys.

Arthemiſia.

Figura.

Locus.

Azõ maius.

P*Linius lib.* 27. Ambroſia (quam alij Ambriam vocant) vagi nominis eſt, & circa herbas alias fluctuans, vnum fruticem denſum ramoſum tenuem trium fere palmorum habet, tertia parte radice breuiore, folijs rutæ. Circa imum caulem ſemen eſt vuis dependentibus odore vinoſo. Qua de cauſa botrys à quibuſdam vocatur, ab alijs arthemiſia. Coronantur illa Capadoces, & vſus eius ad ea quæ diſcuti opus ſit. *Iſidorus vbi ſupra* ambroſia eſt herba quam latini apium ſyluaticum vocant. De qua Virgilius ait, ambroſiæque comę diuinum virtutis odorem aſpirauere. Dioſcorides: ambroſia quam botryn vel arthemiſiam dicunt, frutex eſt multas habens virgas tribus palmis longas, & folia initio minuta, rutæ ſimilia, virgæ ſunt planè fœminæ. Et eſt quaſi acinus odorem habens vini, quæ non floreſcit. Radix eſt tenuis, & longa duabus palmis. In Capadocia naſcitur, & quæ circa ſe inuenerit complectitur, virtus eſt illi ſtyptica, & omne corporis rheuma prohibet cataplaſmati adhibita. Naſcitur in locis ſaxoſis, vel parietibus ex lapide fabricatis, habet autem folia ſcolopendriæ ſimilia. Eiuſque folia multa ſunt ex vna radice aſcendentia, diuiſa ſicut polypodium, ſubitò rufa & aſpera, & deſuper viridis. Eſt autem ſine haſta, ſine flore, ſine ſemine: folia eius elixa cum aceto, & bibita diebus 30. ſplenem ſiccant. Eademque vino addito & vt cataplaſma impoſita ſpleni ſingulare præſidium eſt, ſtrãgurijs ac ſubglutionibus & ictericis prodeſt, bibita vero calculos frangit. Azon quoque maius quod omni tempore folia ſeruat viridia, dicitur etiam bulcamon aut ambroſia, haſtas habet maiores cubito, in craſſitudine pollicis, virides ac pinguiores diuiſas folia ſuper terram expanſam inſciſa, linguæ ſimilia, ſuperiora vero ſtricta ſunt & ſpiſſa, & ſicut oculis picta. Naſcitur in locis montuoſis, ac teſtoſis: multi & in tegulato tecto ſeminant eum: virtus eſt ei ſtyptica & frigida vnde herpetis & igni ſacro neceſſariè apponitur, cum polenta trita paſcentia vulnera & tumores oculorum medendo compeſcit, folia eius impoſita combuſtionibus & podagricis eſt ſingulare præſidium eademque cum polenta, & ſuccus eius cum oleo roſeo cephaliticis maximum præſtat effectum. Idem ſuccus bibitus ſphalangionis morſus non ſæuire facit, & ſolutioni ventris & dyſſenteriçis principale exiſtit remedium. Ipſaque cum vino bibita rotundos lumbricos excludit, & ſuccus eius cum lana impoſita mulieris fluxum extinguit, eademque turbores oculis inuncta prohibet.

De anabulla & anagallide.

CAPVT XXXV.

Remedium contra vſtionem anabulla.

Duo genera anagallidis.

Paracenteſis.

Contra dolorem dentium.

Contra argema.

P*Latearius, vbi ſupra.* Anabulla eſt ſpecies tithymalli, quæ virtutem habet diſſoluendi & attrahendi, purgat principaliter phlegma, ſecundario choleram: lac eius colligitur in medio veris, & principio æſtatis. Summitates eius franguntur, & inde guttæ lactis exeuntes in vaſe vitreo recipiuntur: cauendum eſt ne manus colligentis à lacte tangatur, quoniam exuſta excoriaretur. Quod ſi tangat locus Solatri vel alterius herbæ frigidæ ſucco fricetur per annos multos efficacia ſeruatur in multa, per ſe autem non debet dari, quia nimis vehementer operaretur. Inde tamen medicinæ & aureæ pillulæ acuuntur multique medici neglectis omnibus hoc acumine vtuntur, tum quod facilius habetur, tum quod facilius laxat. Sed antequã alia medicina ex eo acuatur, ita præparandum eſt, vt eius malitia reprimatur. *Plinius lib.* 25. Anagallida aliqui chorcoron vocant, duo ſunt eius genera. Mas flore phœniceo, fœmina cæruleo, nõ altiores palmo, frutice tenero, folijs puſillis rotundis in terra iacentibus. Naſcuntur in hortis, & locis aquoſis, priorque floret cærulea, vtriuſque ſuccus oculorum caliginem cum melle diſcutit, & ex ictu cruorem magiſque cum attico melle inunctus pupillas dilatat. Et ideo hoc inunguntur, quibus paracenteſis fit. Iumentorum etiam oculis medetur. Succus eius purgat caput per nares infuſus, ita vt deinde vino colluatur. Idem quoque ſuccus contra angues in vino bibitur. Mirum quod fœmina tam pecora vitant, at ſi decepta ſimilitudine, (flore enim diſtant tantum) deguſtauerint, ſtatim eam in remedio quærunt quæ aſyla nuncupatur. *Dioſcorides.* Anagallis quam multi chorcoron dicunt, duæ ſpecies ſunt, vna quæ florem hyacinthinum profert, & fœmina eſt. Alia vero quæ flores dactyli colorem habentes profert, & maſculus eſt. Ambarum frutices ſunt minores ac ſuper terram expanſi, ſed quadratas virgellas habentes ad thyrſum cum tenui radice, ſemen deſuper obrotundum habentes. Ambæ verò vulneribus effectum præſtant humorem non admittunt. Infixa corporibus euocant, præſentia vulnera abſtinent. Dolorem dentium prohibet ſuccus eius, ſi pro dextro dente in ſiniſtra nare fuerit immiſſus. Idem cum attico melle cocto adhibitus omnes cauſas vel caligines oculorum deterit ſiue vitium eorum, quod argenta dicitur. Morſibus quoque venenatis bibitus medetur, phreneticis, & hydropicis, & hepaticis ac renali paſſione defectis auxiliatur. Aluo tumenti impoſita ſubuenit. Alias verò impoſita ſi fuerit, inutilis eſt. Succus quoque naribus infuſus, putredinem capitis purgat, habet enim deſiccatiuam virtutem abſque mordicatione, vnctaque vulnera glutinat, ventrem quoque deducit, mulſo admixtus, & potui datus, herba ipſa contuſa, & impoſita ſtirpes educit de corpore. Ex herbario. Anagallidis ſuccus melli permixtus æquis ponderibus, & naribus infuſus, phlegmata deducit, dentium dolorem ſedat, faciem quoque mulieris claram, & denſam reddit, facit etiam ad epilepticos, & mente alienatos.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Anchuſa.

CAP. XXXVI.

ISidorus vbi ſupra. Ancuſa eſt herba, cuius radix digitos inficit contrita. Sanguinei quoque coloris eſt, vnde etiam pictoribus ad purpuram effingendam vel efficiendam in vſu eſt. *Dioſcorides.* Anchuſæ duo ſunt genera, vna ſiquidem habet folia lactucæ ſimilia, ſed acuta,& aſpera,& integra,& ſpinoſa. Radix eſt ei craſſitudinem habens digiti, coloris ſanguinei, in æſtate digitos inficiens. Naſcitur in locis cultis, habens in Ægypto folia ſuper terram ſparſa, virtus redarguentis eſt radix, medetur combuſtionibus, cera, & oleo additis vulnera renum optime curat, ignem ſacrum cum polenta extinguit, maculas corporis, & lepras cum aceto impoſita emundat. Suppoſita menſtruis imperat. Abortum facit. Eius elixatura rectè mulierum ſtericis adhibetur, nefreticis aut ſpleneticis opitulatur, & cũ vino febrientibus. Eius quoque folia ventrem ſtringũt cum vino bibita. Ipſius herbæ coctio mẽbrum arcuatum ſanat. In oleo decocta, & admixta ceræ apponitur vſtionibus, & vlceribus difficile cicatrizantibus. Alia eſt anchuſa quam multi dicunt alcibiadion, ſupradicta minor, habet enim folia minora, ſed aſpera, virgaſque ſimiles, ſed tenues, ſuper quas florem purpureum vel phæniceum profert. Radices habet rufas, & oblongas. Naſcitur in locis arenoſis, vnaque virtus eſt radici, & folijs. Morſibus venenatis occurrunt, manducata, bibita,& in collo ligata, vim venenatorum non admittunt. Folia maſticata ſi conſpueris ſerpentem necabis. Eſt etiam alterũ genus anchuſæ ſupradictis ſimile, ſed minus habet ſemẽ, & phæniceum colorem,& hoc ſimiliter maſticatum,& conſputum, celerem ſerpentibus infert mortem. Radix eius cum cardamo,& hyſopo bibita, lũbricos latos excludit. *Ex herbario.* Anchuſa duplex eſt, vna quam Afri Barbatam vocant, alia quæ maximè medicinæ apta eſt, hæc in terra præſſa, ſpinoſis folijs ſine caule naſcitur, & menſe Februario tegitur. Radix eius in oleo decocta, & cera facit ad combuſturas.

Duo genera Anchuſæ.

Alcibiadiõ.

Virtus.

De Ariſtolochia.

CAP. XXXVII.

ISidorus. Ariſtolochia dicitur eo quod, mulieribus fętis optima eſſe comprobetur. Nam poſt partum ſuper ſeſſa matricem beneficio vaporis expurgat. Huius genera ſunt duo, vna dicitur rotunda, eo quòd radicem habeat rotundam. Altera vero longam habet, cum ramis, & foliis longioribus. Quam etiam dactylinam vocant, eo quod radice ſit robore digitali, & longa. *Plinius lib.* 25. Ariſtolochiæ nomen inter nobiliſſimas herbas grauidæ dediſſe videntur, quam eſſet ariſtæ œchuſes. Noſtri malum terræ vocant, & quatuor eius genera ſeruant, vnum tuberibus radicum, rotundis foliis inter maluam,& hederam, nigrioribus ac molliori-bus. Alterum, maſtula radice, quatuor digitorum longitudine, baculi craſſitudine. Tertium vero longiſſimæ tenuitatis, vitis nouellæ, cui ſit præcipua vis, omnes colore buxeo, caulibus paruis, flore purpureo. Bacculas ferunt paruas vt cappares, valent radice tantum. Eſt etiam quarti generis, quæ vocatur piſtolochia, tenuior quam proximè dicta, radicis denſis capillamentis craſſitudine iunci plenioris, hanc quidam polyrrhizon vocant. Omnium medicatus eſt odor, ſed oblonga radice, tenuiorique gratior. Carnoſi enim eſt corticis, vnguentis conueniens nardinis. Locis naſcuntur pinguibus, & campeſtribus. Effodere eas meſſibus tẽpeſtiuum, ita deſquamato terreno ſeruantur. Maximè vero laudatur pontica, & in quolibet genere quoque ponderoſiſſima, medicinis aptior eſt. Rotunda contra ſerpentes. Oblonga in ſumma gloria eſt etiam modo, à conceptu admota vuluis in carne bubula mares, vt traditur, figurat: Piſcatores Campaniæ radicem illam, quæ rotunda eſt, vocant venenum terræ. Hanc verò confuſam immixta calce mari ſparſere, mira cupiditate piſces aduolant, ſtatimque exanimati fluitant. Radix pota ex aqua, eius quæ polyrrhizos vocatur, cõuulſis, contuſis, ex alto præcipitatis, eſſe traditur vtiliſſima. Semen vero pleureticis ac neruis confirmare, & excalefacere, eadem ſatyrion eſt. *Idem in lib.* 25. Ariſtologia putrida vlcera curat, ſolida expurgat cum melle, ferrum & æs extrahit, infixa corpori omnia, præcipueque ſagittas,& oſſa fracta cum reſina. *Auicenna.* Ariſtologia duplex eſt. Quædam eſt longa, quædam rotũda. Omnes eius ſpecies ſunt calidæ in quarto gradu, ſiccæ in ſecundo. Eſt autem abſterſiua, & aperitiua, ſubtiliatiua, attenuatiua, attractiua. Et longa quidem in naſcentibus,& vlceribus dignior eſt, quia calidior, & magis abſterſiua, ſed in reliquis operationibus rotunda. Confert autem morphęæ, & abſtergit dentes propriè rotunda. Mundificat quoque pectus, & pulmonem, & confert dolori lateris cum aqua bibita. Mundificat autem vlcera ſordida, & excoriationi generat carnem propriè longa, prohibet fraudem vlcerũ putridorum. Confert etiam punctura ſcorpionis,& ad alia multa proficit. *Platearius vbi ſupra.* Ariſtolochia vtraque calida in primo gradu,& ſicca in ſecundo. Rotunda magis competit medicinæ, & radix magis, quã folia. Habet autem virtutem diſſoluendi, conſumendi, & expellendi venenum: puluis etiam eius vulnere vel fiſtula mortuam carnem corrodit.

Malum terræ herba.

Venenum terræ.

Satyrion.

Duplex eſt.

Temperamentum.

De Arnogloſſa.

CAP. XXXVIII.

ISidorus. Arnogloſſa eſt idem quod agni lingua, ſcilicet herba, quæ à Romanis plantago dicitur, eo quod planta eius cito terræ adhæreat,& hac multi pro olere veſcuntur. *Platearius.* Arnogloſſa ſiue heptapleuros nomen ſumpſit à ſimilitudine agninæ linguæ. Nam Græci arnon dicunt agnum, gloſſa linguam, vel quia ſepe adnata habeat germina in longitudine ſeptẽ coſtis ſimilia, ideo heptapleuron vocatur, Latinè verò plantago nominatur. Eius genera ſunt duo, maius ſcilicet polypleuron,& aliud quod eſt minus, & illud quidem, quod minus eſt, habet folia minuta, & angu-ſta,& lenia. Eiuſque virga multos habet angulos ad terram inclinata, florem habens viridem, & ſuper ipſam virgam ſemen. Naſcitur autem in locis carduariis. Alterum genus plantaginis habet folia lata, & neruoſa, huius virgę ſunt rufæ, vnius cubiti longitudine à media virga vſque ſurſum eſt ſemine plenum, radices habet multas, & teneras, & aſperas, & albas, ad vnius digiti craſſitudinem. In vallibus naſcitur, & in locis aquoſis, & in hortis, & in pratis. Melior eſt tamen maior, virtus eſt ei in folijs ſicca, & ſtyptica. Cataplaſmate adhibita ſordida vulnera purgat, & rheumata purgat, & ſiccat, profluentibus ſanguinem occurrit, maculas nigras curat, & ad cicatrices vulnera facile ducit. Semen eius tuſum, & in puluerem redactum, ſanat vulneri aſperſum, & vſtionibus eſt ſingulare præſidium. Morſibus caninis auxilium præſtat, & ſcroffis ac tumoribus, maximè ſi cum ſale imponatur. Toſta vero folia eius cum aceto, & ſale dyſſentericis ac celiacis opitulantur, maxime ſi cum lenticula adhibeantur. Cocta iterum ſubueniunt hydropicis,& epilepticis proſunt, & aſmaticis. Succus eius gargariſmo purgat ſordida oris vulnera. Idem extinguit ſacrum ignem, cum abſynthio, & cymolea mixtus, & fiſtulis medetur, per cliſterem adhibita, dolori aurium infuſus medelam præſtat, oculorum quoque dolores mitigat. Collyriis neceſſariè miſcetur, gingiuis ſanguinem abſtinet, pthyſicis, & ſanguinem reijcientibus adhibetur, dyſſentericis quoque cliſtere adhibitus maximum præſidium eſt. Effocationes ſtericas cum

Etymon. Plantago. Heptapleuros.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

lanis adhibita ſoluit, & matricis rheumatiſmum ſimiliter ſuſpendit. Semen eius cum vino bibitum ventris ſolutionem ſtringit, ac reijcientibus ſanguinem mire proficit. Herba ipſa cum vino vel aceto cocta, id confert. Elixatura quoque radicis eius omnia ſupradicta facere poteſt. Crudá commaſticata dentium dolorem ac veſicæ mitigat. Minor etiam planta valet ad multa, prout ſub hoc nomine plantago dicetur inferius. A

De Arthemiſia.

CAP. XXXIX.

Etymon. *Iſidorus.* Arthemiſia eſt herba Dianæ a gentibus conſecrata, vnde & nuncupata. Diana ſiquidem Græcè arthemis dicitur. *Plinius lib.* 25. Arthemiſiam, quæ anthea Parthenis vocabatur, à Parthe id eo cognominatam quidam putant, quoniam priuatim fœminarum malis medicatur. Abſinthij modo frutſcoſa eſt, maioribus folijs pinguibuſque Duæ ſunt eius ſpecies. Altera quidem latioribus folijs. Altera vero tenuioribus folijs, & non naſcens niſi in maritimis. *Idem lib.* 26. Arthemiſiam alligatam qui habet viator, negatur laſſitudinem ſentire. Arthemiſia vuluæ mulieBri mederur ex oleo irino vel fico trita, aut cum myrrha oppoſita. Einſdem quoque radix pota in tantum purgat, vt partus enecatos extrahat. Decoctum ramorum eius menſes, & ſecundinas cit inſidentibus. Ad eadem omnia proſunt eius folia potu vel impoſita ventri vna cum farina ordeacea. *Platearius vbi ſupra.* Ar-

Contra laſſitudinem.

Temperamentum. themiſia, quæ alio nomine dicitur mater herbarum, calida eſt, & ſicca in ſecundo gradu. Huius folia magis competunt medicinæ, quàm radix, valet autem contra ſterilitatem mulieribus factam ex humiditate. C Nam ſi ex ſiccitate potius obeſſet, valet etiam ad alias mulierum cauſas. Idem contra emigranem, & cephaleam. *Dioſcorides.* Arthemiſiæ ſunt duo genera, vna eſt fructicoſa ſimilis abſinthio, folia maiora, & pinguiora habens, & haſtas longas, hoc naſcitur in maritimis locis lapidoſis, & ſabuloſis, floret autem æſtate floribus albis, paruulis, graue olentibus, amaris alia vero in mediterraneis naſcitur, vnam habens haſtam foliis plenam, florem melinum, & tenuem atque iucundiorem, habet autem vtraque virtutem acerrimam, purgatiuam, tenuantem, calidam, leptomericam, & multis valetudinibus remedium præſtat.

MACER.

Herbarum matrem dedit arthemiſia, nomen,
Præcipue morbis mulieribus, iſta medetur. D
Menſtrua deducit eius decoctio ſumpta,
Hæc matrixque facit, ſi ſæpe ſonetur eadem,
Vel ſi cruda mero ſociata terendo bibatur,
At ſi trita virens ſuper aluum nocte ligatur,
Pellit abortiuum potu vel ſubdita tantum,
Duricias ſoluit ſtericas pellitque tumorem.
Vrinam potata ciet, lapideſque repellit,
Icterico ſque iuuat cum vino ſæpius hauſta,
Hanc adipi innctam ſtrumis apponere laudat,
Plinius, atque iubet cum vino ſumere tritam,
Hic opium nimium ſi quemquam læſerit hauſtum,
Subuenit eximiè, ſi vino iuncta bibatur,
Affirmat quidam quiſquis guſtauerit illam,
Quod nullo valeat nocuo medicamine læsi,
Et quod eum morſu non appetat vlla ferarum, E
Radix illius collo ſuſpenſa rubetis,
Dicitur, & cunctis nocuis obſiſtere ranis,
Succus adhuc eius cum vino proderit hauſtus,
Si muſto contrita recens ſeruabitur herba,
Vinum prædictis reddit medicabile morbis,
Et ſapor eſt & odor vino gratiſſimus illi,
Confortat ſtomachum ſanat præcordia ſumptum,
Et multis alys affirmant vtile cauſis.

Carmina de Arthemiſia.

De Aſa, & aſaro, & aſclepia.

CAP. XL.

Aſa. *Avicenna.* Aſa quidem duarum ſpecierum eſt, quarum vna eſt fœtida, & altera odorifera, nec fortem odorem habens. Calidior eorum eſt fœtida, & eſt berba vehementis igneitatis in ſe tota, plurimum huius ſpeciei eſt cyenenſe, & almaroth gummi, de qua ſcilicet inter aliam gummi dicetur infra. Et eſt *Virtus.* calida in principio quarti, ſicca in ſecundo, frangit ventoſitates, & effugat eas propter ſuam reſolutionem, & eſt cum hoc inflatiua. Inſcidit, & reſolut ſanguinem congelatum in ventre. Confert alopeciæ illinita cum aceto, & pipere, & quando adminiſtratur in cibarijs facit bonum odorem, & abſcindit verrucas, quæ ſunt vt claui, cum inſciduntur rectè apoſtemata fraudulenta mortificantia membrum, & ponitur aſa ſuper ea, confert, & eſt bona in cura dubelet apparentium, & occultarum: Confert impetigini, Quando bibitur cum aqua granatorum confert contritioni lacertorum, & confert doloribus neruorum ſicut tetano, & paralyſi. Confert dentibus, & habet operationem peoniæ in epilepſia, & cum ex ea fit gargariſmus eradicat ſanguiſugam gutturi annexam, eſt bona initio aquæ alcofol facto ex ea cum melle. Valet & ad plura alia. *Iſidorus.* Aſarum naſcitur in vmbroſis *Aſarum.* montibus, herba floribus caſię ſimilibus. Ineſtque flos iuxta radicem purpureus in quo ſemen continetur vuarum ſimile, radicibus pluribus ac tenuiſſimis, & bene redolentibus, & eſt virtute ſimilis nardo. *Dioſcorides.* Aſarum eſt quod multi nardum agreſtem appellant, habet folia hederæ ſimilia, tenuia & rotunda, florem inter folia iuxta radicem purpurei coloris in ſimilitudinem hyoſcyami. Semen vero ſimile vuis, habet & radices plurimas tenues atque nodoſas, & geniculoſas ſimiles gramini, odore ſuaues, ac linguam re-

Virtus. mordentes cum feruore ſufficienti. Habet enim calefactores vires, & cum acrimonia rixantes, vnde vrinam, & menſtrua prouocat. Ad totum & corpus facit, cum vino, & oleo iunctum calefaciendo. Diuretica eſt, hydropicis, & iſchiaticis prodeſt. Pota cum mulſo ventrem purgat ſicut elleborus albus. Miſcetur quoque diuerſis oleis odoratiuis. Naſcitur autem in locis vmbroſis, & montuoſis in Phrigia, & etiam in Ponto vel Italia.

Auicenna. Aſarum eſt herba habens ſemina plurima cuius radicum nodus eſt tortus, & aſſimilatur piperi boni odoris linguam mordicanti, habet florem inter folia apud radicem ſuam, cuius color eſt purpureus ſimilis flori hyoſcyami. Radix eius eſt magis iuuans, quam aliquid quod in eo fit, & eius virtus eſt virtus acori vel in eo fortior. Ex eo melius eſt, quod ſubtilis odoris eſt. Nam calidum eſt, & ſiccum in terio gradu, & dicitur, quod ſiccitas eius eſt maior caliditate ipſius. Operit, & ſedat omnes dolores intrinſecus pro- *Vſus medicinalis.* prieque infuſio eius, & ſubtiliat, & reſoluit, membraque frigida calefacit. Confert etiam iſchiaticæ ac dolori aurium antiquo & propriè ipſius infuſio. Confert iterum craſſitudini corneę, & oppilationi hepatis, eiuſque duriciei, denique confert eius infuſio icthericiæ, & hydropiſi, eiuſque iuuamentum eſt maius in febribus, & confert duriciei ſplenis, veſicam & renes prouocat eiuſque potio ſicut elleborus albus in purgatione ventris cum aqua mellis ſoluit. *Plinius libro vigeſimo ſecundo.* Aſarum eſſe ſalutare ait iecoris tradi vitiis, axungia ſumptum in hemina mulſi myrti aluum purgat ellebori modo, hydropicis quoque prodeſt, ac præcordiis vulſis & morbo regio. In muſto ſi addas facit vinum vrinis ciendis. Cum folia mittit in vmbra effoditur atque ſiccatur. *Idem in lib.* 27. aſclepia eſt her- *Aſclepia.* ba habens hederę folia, ramos longos, radices numeroſas, tenues, odoratiuas, flos eius aureus, graue ſemen, ſæculatum, naſcitur in montibus, radices eius meden-

tur

tur torminibus, contraque ſerpentum ictus, valet non ſolummodo, ſed etiam illitum.

De Baccari, & barba hircina, & baſilica.

CAP. XLI.

Dioſcorides. Baccaris herba eſt odoratiua coronis apta, folia habens aſpera, & lata interſciſa. Cui virga eſt vnius cubiti longitudinis, anguloſa, ramis aſperis plena, florem habet purpureum, & pinguem, & albidum, & odoratum. Radicem habet ſimilem elleboro albo, odoremque ſimilem cyminano. Naſcitur in locis humidis, & aſperis. Radix eius in aqua cocta conquaſſationibus, & de alto cadentibus opem fert bibita. Tuſſientibus etiam medicatur, vrinam prouocat, ſuppoſita menſtruis imperat, morſibus venenatis occurrit. Cum vino bibita idem præſtat, vnctionibus quoque bene miſcetur præ odore, virtus eſt ei ſtyptica, & digeſtibilis, impoſita tollit dolorem capitis, tumorem oculis amputat, alopecias ſucco emendat. Mammarum tumorem impoſita ſpargit, ignem ſacrum extinguit. Eius herba ſomnum inducit. *Plinius libro vigeſimoprimo.* Baccar quam aliqui ex noſtris perpenſam vocant, auxiliatur contra ſerpentes, & contra epiphoras, & capitis dolores atque feruores, imponitur & mammis à partu tumentibus, & ægylopis incipientibus atque ſacris ignibus. Eſt etiam hepaticis, conuulſis, & ſuſpirioſis ſalutare, radicem eius decoctam bibere, laterum quoque punctiones tollit, veſicæ calculos pellit. Cum diaplaſmate tunditur, & odoris gratia veſtibus inſeritur. Eius etiam odor ſomnum gignit. *Auicenna.* Barba hircina par habet caliditatis, & frigiditatis, imo frigiditas eius eſt in fine primi gradus, & ſiccitas eius vehemens ad tertium perueniens. Styptica eſt vſque ad terminum, & radix eius eſt fortioris ſtypticitatis. Ponitur in theriaca ad conſtringenda membra. Succus eius eſt in ſtypticitate feminis roſę, folia eius cum exiccantur vulnera vlceraque conſolidant, & vlceribus antiquis conferunt, ipſius quoque flos in omnibus iſtis eſt fortior, radix eius eſt ex medicinis aurium ſordiciem abſtergentibus, itemque vlcera deſiccantibus, & odoratui conferentibus, flos eius, & folia, & radix quodcumque fuerit bibitum cum aqua ordei, pulmonis vlceribus confert, eiuſque ſuccus ſputo ſanguinis prodeſt. Confortat hæc herba ſtomachum, & prohibet effuſiones materierum ad ipſum, proprieque ſuccus eius. Eſt etiam medicina fortior ad inteſtinorum vlcera, quando bibitur flos eius proprieque ſuccus cum vino. Ad fluxum quoque ſanguinis ex matrice valet in modum emplaſtri ſuperpoſitus aut etiam bibitus. *Ex herbario.* Baſilica eſt herba filici ſimilis, folijs longioribus, & anguſtis, guttis nigrioribus, & aſperis. Radix eius pedi vrſi ſimilis eſt, florem cryſocitum habet, hæc omnes baſiliſcorum violentias obtinet, & qui ſecum illam habuerit eos obtinet, ad omnes quoque ſerpentium generationes tutus erit, ſed qui eam legit, ab omnibus mundus erit.

Virtus. *Perpenſa herba.* *Barbæ hyrcinæ temperamentum.* *Valet ſtomacho confortando.* *Baſilica.*

De Borith, & botrachio ac botry.

CAP. XLII.

Gloſſa ſuper Hieremiam. Borith herba fullonum dicitur, quæ in palæſtina in humidis, & virentibus locis naſcitur. Eandem vim quam & nitrum habet ad lauandas ſordes. *Dioſcorides.* Botrachion quia riſum adducit ſi quis eam manducauerit, multi riſum vocant: Huius ſpecies ſunt quatuor, vna habet folia coriandro ſimilia, ſed latiora, & alba, & pinguiora, florem verò melinum aliquando purpureum, virgamque non longam, ſed breuem, radicem albam, & non amaram, in modum ellebori fiſſam, virtus eſt ei viſcida & exuulneratiua, locis aquoſis naſcitur, vulneribus cum axungia ſiue ſale impoſita, putredines ac ſordes expurgat. Sed non diutius in loco ſtare debet ne carnem ſanam vulneret. Hæc eadem, quæ ſcelera dicitur, cum fimo porcino trita, & impoſita ſcrophas, formiculas, & apoſtemata, intra paucas diſpergit horas. Secunda eſt thyrſi longioris, folijs hyrtis, multiſque locis inſciſis, guſtu acerrimis, hæc multa in Sardinia naſcitur, quam dicunt apium agreſte, eique virtus eſt viſcida valde. Tertia ſpecies eſt habens folia paruiſſima, & incendioſa, tetri odoris, cum floribus auroſis, botrachij genus, quod ſtatice dicitur, & locis ſabuloſis, & campis arenoſis naſcitur. Radix eius articulo ſimilis eſt, quæ radiculas paucas, & tenuiſſimas habet: hæc herba cum radice ſua, & cum aceto mixta, & impoſita, cicatrices nigras colori proprio reddit: luna creſcente cum in ſigno tauri vel ſcorpionis fuerit, prima pars in collo ligata, lunaticos ſanat. Quarta ſpecies florem lacteum habens: omnes cum folijs, & radicibus vulneratiuæ ſunt, & ſcarioticę, vnde cum dolore exuulnerantes impoſitæ vngues leproſos tollunt, id eſt verrucas expurgant, ſtigmata quoque auferunt, Alopecijs medentur, & ipſorum elixatura fomento pernionibus opitulatur. Radix eius ſternutamenta prouocat, ſicca vero idhibita dentium dolorem ſenſim auferendo tollit, folia eius cataplaſmate impoſita cruda vſtulationem ibſque ſcara faciunt, ſiquidem vrendo exeunt. Thyrſus quoque naturaliter facit ad omnes leproſos, & repaturas cutis quas Græci ſtigmata vocant. Secundum alios hæc herba ſimilis eſt cicutę, creſcens in nodum ferulæ, florem in ſummo auroſum ac ſplendidum habens, radicem ſubalbidam, & longam, in locis humidis naſcens. Habet autem vires cauſticas, & vlcerantes. *Plinius lib.* 25. Ramunculum vocamus quem Græci botrachion, cuius genera ſunt quatuor, vnum pinguioribus quaſi coriandri folijs accedentibus ad latitudinem maluæ, liuido colore, gracili caule, & alba radice. Naſcitur in limitibus humidis, & opacis, alterum genus folioſius pluribus foliorum inſciſſuris, altis caulibus. Tertium eſt minimum graui odore, aureo flore. Quartum eſt huic ſimile, ſed luteo flore. Omnibus eſt vis cauſtica, ſi cruda folia imponantur, puſtulas vt ignis faciunt. Ideoque ad lepras, & pſoras vtuntur his, & ad tollenda ſtigmata. Omnibus miſcentur cauſticis. Alopeciijs etiam imponunt celeriterque remouentes. Radix in dolore commanducata diutius rumpit dentes. Eademque ſicca conſciſa ſternutamentum eſt. Noſtri etiam herbarij ſtrumam vocant, quia medetur ſtrumis, & pannis parte infirma ſuſpenſa. *Dioſcorides.* Botrys herba eſt fruticoſa, tota ſuper terram ſparſa, colorem melinum habens per internalla fruticata, virgæ huius in omnibus ramis ſemine plenæ ſunt, foliaque cum maximo, & bono odore, ideoque multi pro ſuauitate odoris eā rebus alijs adiungunt. Naſcitur in locis cultis, & ſpacioſis, quæ cum vino bibita prodeſt orthopnoicis. Capadoci vero illam dicunt ambroſiam, alij arthemiſiam. Succus eius in balneo bibitus ictericis colorem reddit.

Secunda. *Tertia.* *Quarta ſpecies.* *Figura.* *Ramunculus.* *Struma.* *Botrys.* *Orthopnoicæ curatio.*

De Branchia vrſina, & brionia.

CAP. XLIII.

Platearius. Branchia vrſina eſt calida, & humida in primo gradu, virtutem habet mundificandi, maturandi, & lenificandi. Contra frigida apoſtemata eius folia cum porci axungia teruntur, & ſupponuntur trita, & in aqua decocta. Contra vitium ſplenis, & ariditatem neruorum fit ex eadem contrita, & in oleo diu macerata cera colaturę addita vnguentum, folia vero recentia ſemper in vnguentis ſunt ponenda. *Iſidorus.* Brionia eſt herba quædam quam Latini vocant albam vitem vel à coloris qualitate, vel quod eius radix contrita, & infricata corpori teneriorem, & candidiorem reddat cutem. Nam & ſuccus baccarum eius, lac ſiccis reddit vberibus. *Dioſcorides* am-

Virtus. *Brionia.* *Ampeloſteuce.*

pelolleuce vel brionia habet haſtas, & folia viti noſtræ A
ſimilia, ſed aſpera, & minora. Capreolis quoque ſimiles ſunt implicantes ſe, ſemenque eius eſt vuæ ſimile rarum, & fuluum. Folijs, & haſtis eius, & radici virtus eſt viſcida, vnde vulneribus Chironijs medicatur, ſuperpoſita vulnera, & cancros ad ſanitatem perducit. Radix eius colorem bonum corpori reddit, huorem & panaricia emendat. Cum vino in cataplaſmate adhibita duricias apoſtematum oſſaque corpori infixa eijcit. Medicaminibus ſtypticis neceſſariè commiſcetur, epilepticis bibita toto anno præſtolatur. Simili modo accepta prodeſt apoplexiæ, & ſtomaticis præſidium eſt ſingulare. Morſibus venenatis occurrit, abortum facit, & plus accepta maniam adducit. Secundinas deponit, vrinam prouocat addito melle vt electuarium datur. Sicque dyſpnoicis, & effocationibus opitulatur. Tuſſim, & dolorem lateris compeſcit, de alto cadentibus, & conquaſſationibus maximum remedium exiſtit, cum aceto bibita ſplenem ſiccat 30. B
diebus accepta, cum caricis quoque factum cataplaſma facere poteſt omnia ſupraſcripta, in aqua cocta, & fomento adhibita, ictericos purgat, Succus eius cum mulſo bibitus, omnia ſupraſcripta facere nouit, & phlegma deponit, capreoli eius in vino elixi, & comeſti, ventrem, & vrinam mouent. Semen eius tritum ac perunctum ſcabiem, & leproſos curat, & lac mulieribus præſtat. Succus quoque baccarum eius lac ſiccis reddit mulieribus. Radix proiectoriam, & extenuatoriam habet virtutem, & deſiccat mediocriter. Ideo ſplenem reſoluit inſcleroſi poſita, extrinſecus autem ſuprapoſita cum ficis ſcabiem, & lepram ſanat, in cibo etiam pro ſplene datur, ac per vrinam ſplen digeritur, hæc herba denique tam laudabilis eſſe probatur, vt theriacę potioni miſceatur.

Remedia medicinalia.

Virtus radicis eius.

De Bugloſſa.

CAP. XLIIII.

Etymon.

ISidorus. Bugloſſos à Græcis eſt dicta, eo quod aſperrima folia in modum linguæ bouis habeat. Quæ mirum in modum ob ſapientiam nutriendam à veteribus infundenda vino memoratur. Conuiuijs quoque hilaritatem præbere fertur, & etiam pro olere ſumitur. *Plinius libro vigeſimoquinto.* Bugloſſos folia habet bouis linguæ ſimilia, ſuper terram ſparſa, & aſpera, & nigra & minora. Quæ vino mixta animi voluptates auget, & vocatur euphraſinum, fluitiones quas Græci rheumatiſmos dicunt ſedat, & iſchiaticis cum aqua bibita ſingulare præſidium tribuit. *Auicenna.* Lingua bouis eſt herba lata habens folia. Et canna eius eſt plana, cuius rami ſunt vt pedes locuſtarum, & color eſt ex viridi, & citrino, adminiſtranda eſt autem in medicina, illa quæ craſſa habet folia, ſuper quorum faciem ſunt puncta, quæ radices ſpinarum aut pilorum exeuntium ab ea. Proxima eſt æqualitate in calore, ad caliditatem enim paruam declinat, & eſt in fine primi gradus in humiditate. Quæ autem ſicca eſt, minoris eſt humiditatis: virtus eius eſt, quę aduſta eſt alcula, quæ ſunt in infantibus remouet, & inflationem oris ſedat. Eſt etiam lenificatiua pectoris, & confortatiua cordis. Bona melancholię & ſolicitudini ac tremori cordis ex vino, & diſpoſitionibus melancholicis. Quidam in potu tribuunt eam ad tremorem cordis calidam. Confert etiam tuſſi, & aſperitati cannæ proprieque cocta cum ſaccharo, & ydromele.

Euphraſinũ.

MACER.

Lingua bouis Græco ſermone bugloſſa vocatur,
Hac choleram rubeam nimio ſeruore peruſtam,
Purgat cum vino fuerit ſi ſumpta frequenter,
Cardicam cholerę quam fecit copia nigrę,
Conſimili potata modo curare valebis,
Pulmonem nocuos humores detrahit hauſta.
Mixtus aquæ tepidę ſuccus ſi ſumitur eius,
Vim memorem cerebri dicunt ſeruare periti,
Vinum potatum quo ſit macerata bugloſſa,
Lætos conuinas decoctio dicitur eius,
Reddere, ſi fuerit inter conuiuia ſparſa.

De Bupreſte ac bupthalmo.

CAP. XLV.

Reprehenduntur Graci.

PLinius libro vigeſimoſecundo. Bupreſtim, magna inconſtantia Græci in laudibus ciborum etiam habuerunt ijdemque remedia tanquam contra venenũ prodiderunt. Ipſum quoque nomen eſt indicio, boum eſſe venenum quos deguſtata diſſilire fatentur. Quapropter nec de hac plura dicemus. *Iſidorus vbi ſupra,* Bupthalmon habet florem croceum oculo boum ſimilem, vnde & à Græcis accepit nomen. Eſt autem caule molli, folijs ſimilibus Coriandri. Naſcitur iuxta muros ciuitatum. *Plinius lib.* 25. Bupthalmon oculis boum ſimilis, folio fœniculi, circa oppida naſcitur fruticoſa caulibus, qui & decocti manducantur. Quidam eam calchian vocant, hoc cum cera ſciromata diſcutit.

Etymon.

Dioſcorides. Bupthalmos eſt herba antuni ſimilis, lænes emittens thyrſos, & folia tenuiter ſciſſa & mollia, maratro ſimilia, flores habet nigros ac vehementer ſplendentes, & in oculorum ſimilitudinem rotundos, vnde & nomen traxit. Naſcitur in ciuitatibus, flores eius aut folia trita, & aceto addita, puſtulas, & duritias ſpargere prohibentur. Aliqui vero affirmant, quod ſi poſtquam lauatur quis eam biberit, bonum colorem reſtituet, & maximè arcuato morbo infectis: acris eſt herba, & ideo dyaphoretica. Thyrſi eius in cibum ſumuntur. Eſt etiam huius ſpecies mollis, foliis Coriandro ſimilibus, naſcens iuxta muros ciuitatis, viridis, vel arida cum vino ſumpta oſcedinem oris purgat, dentium dolores, vel ſi nutauerint ſuccus, vel puluis eius cum vino ſumptus mirifice ſanat, viridis quoque cum ſua radice trita & cum optimo vino ſumpta, paralyſim curat, eiuſque ſuccus pro viribus potui datus ventrem purgat. Præterea ſplenecticis, aut paralyticis data proficit. Eiuſque flos comeſtus omni tempore anginam hoc eſt ſynatiten pati non permittit.

Virtus

De Calamo agreſti, & aquatico

CAP. XLVI.

AVctor. Calamus eſt arundo vel arundinei generis. Sed eſt etiam calamus aromaticus de quo ſuo loco inter arbores aromaticas dicetur inferius. *Iſidorus lib.* 16. In ſtagnis Indicis arundines calamique dicuntur naſci, ex quorum radicibus expreſſum ſuauiſſimum ſuccum bibunt Indi, vnde & Varro.

Indica non magnam concreſcit in arborem arundo,
Illius, & lentis premitur radicibus, humor,
Dulcia cui nequeant ſucco concedere mella.

Gloſſ ſuper Iſaiam 12. Calamus de quo charta fit medullam habere videtur, & non eſſe vacuus, ſed fragilis eſt, & cito marceſcit, vnde ſcriptum eſt: *calamus, & iuncus marceſcit. Dioſcorides.* Calamus agreſtis maior eſt in omnibus agaricis; Quem ſi comederint animalia citius infert mortem, & maximè ille, qui naſcitur in Babylone, & in Parnaſſo: haſtas habet multas, folia hæderæ ſimilia, flos eius albus, & odoratiuus, ſemen vero minutum, & bonum. Radices quinque vel ſex habet albas, & longas, & dulces, vnius digiti craſſitudinem habentes. Ex eius elixatura conficitur medicamentum, quod tollit caligines oculorum. Elixatura radicis eius tantum poteſt quantum & radix. Semen eius diureticum eſt, nauſeam prouocat, ventrem ſtringit. In Sicilia naſcitur, quæ bouem impinguat, ſi fuerit viridis comeſta.

Virtus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Calamento.

Cap. XLVII.

Temperamentum.

Platearius. Calamentum eſt herba, quæ alio nomine dicitur nepita. Calidum eſt,& ſiccum in tertio gradu, melius eſt montanum, quia magis ſiccum. Cum flores producit debet colligi, ac per annum poteſt ſeruari, habet autem virtutem diſſoluendi, & conſumẽdi,& confortandi. Contra tuſſim frigidam, & antiquũ aſma, datur vinum decoctionis eius, & glycyrhizæ, & vuæ paſſæ vel ficuum ſiccarum. Ad hoc quoque potiſſimum eſt electuarium, quod dicitur diacalamentum: Præterea cõtra prædicta datur puluis eius, & cum ouo ſorbili, criſpillę quoque fiunt de farina ordei, & puluere calamenti. Contra dolorem quoque ſtomachi ex frigiditate, & inteſtinorum frigiditatem vtatur patiẽs in cibis puluere ipſius, & vino decoctionis eius: valet etiam inunctio circa renes contra tenaſmon ex phlegmate vitreo vel alio humore frigido, prodeſt iterum contra rheuma frigidum, ſi vngatur occipiti, & contra vuluæ relaxationem in gargariſmo. *Auicenna.* Calamentum aliud eſt fluuiale aliud eſt montanum, hyſopo ſimile in ſapore, & ſimiliter eius folia ſunt ei ſimilia. Eſt & alia ſpecies eius, quæ nominatur, alhauni, & alia, quæ dicitur calamentum hyrci,eiuſque virtus eſt ſicut virtus aliorum acris. Calamentum quidẽ eſt ſubſtantiæ ſubtilis, & montanum fortius fluuiali. Subtiliat fortiter acuitate ſui, & amaritudine, & propriè ſylueſtre, propter hoc eſt rubificatiuum, & vlceratiuum. Cumque bibitur ſolum, prouocat ſudorem, & calefacit vehementer per id, quod extrahit profundo corporis, & inſcidit, & exiccat, & calefacit valde. Quando recens decoquitur cum vino,& fit emplaſtrũ ex eo, veſtigia nigra remouet à corpore, & occultationem, quæ accidit ſub oculo. Montanum confert runturæ atque raſuræ inteſtinorum, ſitque balneatio ad pruritum, & ſcabiem ex eius decoctione: potus decoctionis eius contritioni lacertorum in carnibus ſuis, & extremitatibus,ex eo fit emplaſtrum ad hepaticam, & iſchiaticam, adurit cutem,& permutat complexionem, & extrahit de profundo. Et quando comeditur, & bibitur poſt ipſum aqua caſſiæ diebus continuis,cõfert elephantiæ atqne varicibus. Bibitum quoque cõfert ſpaſmo,& linitur ex eo podagra, & confert ſuffumigatio cum ipſo, confert etiam potus eius lepręnon tantum ſua reſolutione ſed ſua ſubtiliatione, & etiam inſciſione. Præterea ſuccus eius interficit vermes in aure, & in ipſa eſt virtus faciendi ſodam. Montanum quidem confert oris vlceribus,& extrahit ſuperfluitates ex vtriſque naribus. Quod aduſtũ eſt de alhauni gingiuas ſtringit. Confert etiam decoctio dilationi anhelitus, & eſt fortis in extractione humorum viſcoſorum, & craſſorum ex pectore, propriè cum comeditur cum ficubus. Confert etiam dolori laterum,& quidem fortius eſt illo montanum. Calamentum hyrci confert cordis tremori, confert etiam paucitati appetitus, ac debilitati ſtomachi, propriè ſylueſtre,confert etiam patientibus ictericiam cum abſterſione,& apertione ac ſubtiliatione ſua, etiam cholicam patientibus, & melancholicam. Confert etiam hydropiſi quãdo cõmeditur cum ficubus. In montanis quidẽ eſt virtus faciendi appetitus cibi, & ſuccus eius confert hydropiſi. Calamentum hirci cum croco ſuper ſplenẽ in emplaſtrum extenuat eum. Eſt etiam vehementer cõferens ſtomatico, cordis tremori,& nauſeæ conturbationi:eius decoctio prouocat vrinam, & confert pungitiuo ventris dolori, & cholicæ paſſioni. Tritum ac decoctum,& bibitum cum melle prouocat menſtrua, & quandoque facit vomere phlegma, valet etiam herba contra morſus, & punctiones ac venena: ſecundũ quoſdam abſcindit coitum, & pollutionem prohibet ventremque ſylueſtre ſoluit ſufficienter, confert etiã matrici, ac vermes interficit, & montanum ſolutione choleram nigram educit.

Species.

Vſus medicinalis.

De Chamedrio.

Cap. XLVIII.

Etymon.

Isido. Chamedrios appellata eſt à Græcis, ex eo quod ſit breuis, ac per terram ſtrata & minuta foliis paruiſſimis. *Platearius vbi ſupra.* Chamedrios appellatur quercula minor, ſicut chamithea quercula maior, vtraque calida eſt, & ſicca in tertio gradu, & ſimilis eſt illarum virtus, habentque virtutem, & diureticam, & mundificatiuam. In fine veris cum flores producunt debent colligi cum folijs,& floribus,abiectiſque radicibus in vmbra deſiccantur, ac per annum in efficacia multa ſeruantur, valent contra ſtranguriam, & diſſuriam,& phlegmaticam paſſionem,& contra ſplenis, & hepatis oppilationem, & iterum contra vomitum factum ex anaſtropha vel ex aliqua cauſa frigida, cum melle datus earum puluis, lumbricos necat. Optimum eſt etiam contra catarrhum, ſi pulueres ijdem in ſacello calidi ponantur, & capiti ſupponantur. Idẽque puluis in cerato vulneraque ſuperaſperſus conſolidat, valet & ablutione capitis contra furfuriſcas. Cõtra paralyſim vero dolenti loco herbæ ipſæ ſupponuntur decoctæ in vino, valent etiam in fomentatione,& cataplaſmate ad matricem mundificandam, & ad mẽſtruorum prouocationem, & ad matricem infrigidatam ex ſuperfluitatibus phlegmaticis calefaciendam. *Dioſcorides.* Chamedrios vel chimelia frutex eſt virgas habens formoſas in omnibus notas. Naſcitur in locis aſperis, cum virgis plurimis tenuibus in longitudine cubiti, folia ſunt ei chameleæ ſimilia, ſed anguſtiora, & pinguiora cum maſticatione argilloſa, & glutinoſa, florem habet ſemenque paruum, rotundum, in initio viride, quod acceptum phlegma deponit cholerãque. Eius grana trita cum oleo, & nitro non facile ſudantibus rectè perunguntur addito aceto: folia eius ac earum flores veris tẽpore debent colligi,& in vmbra ſiccari. Quæ tuſa, & accepta cum vino ventris humorẽ aquoſum deponunt. Idemque cum oleribus decocta faciunt. Cachoſtomacha ſunt,appoſitaq; matrici abortum faciunt. Multi verò falluntur in ea putantes illud ſemen eſſe chameleæ cognitum, pro ſimilitudine foliorum. *Auicenna.* Chamedrios quid eſt? Stipites ac folia frangibilia in craſſitudine myrti, & maiores ad viriditatem declines, herba eius quercus terræ apud Græcos eſt nominata, quoniã habet folia parua, ſimilia folijs quercus, amara, eiuſque radix ad purpureitatẽ declinat. Colligi debet dum ſemen habet, calidus & ſiccus eſt in tertio, eius tamen deſiccatione fortior eſt ipſius calefactio. Eſt autem aperitiuus,inſciſiuus,ſubtiliatiuus, & cum melle confert antiquis vlceribus. Recens lacertorum contritioni confert vel eius decoctio, eiuſque ſyrupus: confert ſpaſmo, & quanto plus antiquatur eſt melior, hydropiſi quoque confert in principio. Idem cõfert antiquę tuſſi & ictericæ nigrę. Facit craſſiciem ſplenis detumeſcere, eiuſque ſyrupus confert malitiæ digeſtionis valde. Vrinam, & menſtrua prouocat, & extrahit, & ex eo fit emplaſtrũ morſibus venenoſorum. *Plinius li.* 24. Chamedris eſt herba, quæ tritago dicitur Latinè. Alij vero chameropem, alij teucriam appellauere, habet folia magnitudine mẽthæ, diuiſura quercus, & colore. Alij vero dixere ſerratam, & ab eo ſerram eſſe inuentam, florem habet penè purpureum, carpitur ſucco prẽgnãs in petroſis,aduerſus ſerpentum venena pota, & illita efficaciſſima. Itemque ſtomacho, tuſſi veteſtæ, pituitæ in gula cohæreſcenti, ruptis conuulſis, & doloribus lateris, lienem conſumit, vrinam & menſes cit,& ob id incipiẽtibus hydropicis efficax exiſtit. Sanat & vomicas, & vlcera vetera vel ſordida cum melle: vinum quoque vitijs pectoris ex ea fit, & foliorum eiuſdem ſuccus cum oleo caliginem oculorum diſcutit. Ad ſplenem ex aceto ſumitur,& excalefacit perunctionibus.

Vſus Medicinalis.

Contra ſpaſmum.

Tuſſim. Actymiam.

Chamerops.

De Chamephyto.

Cap. XLIX.

Etymon. ISidorus. Chamephytos vel chamepetos à Græcis dicta est, eo quod terræ adhæreat, & odorem pini habeat. Hanc vero cucurbicularem Latini vocant, eo quod ex parte cucurbitæ referat odorem. *Auicenna.* Chamephyti stipites sunt, & flores rubei, ad nigredinem decliues, virides ac subtiles, flos eius est amari saporis cum pauca stypticitate, & eius acrimonia minor est amaritudine, folia sunt herbalia subtilia, super terram incedentia, flores vero citrini. Est autem aperitiuus, & abstersiuus, & eius abstersio membris interioribus est maior calefactione ipsius, & in ipso est soluciua virtus. Calidus est in secundo, siccus in tertio, ponitur super duricies mammillarum propriè, prohibetque incensionem formicæ. In emplastro cum melle consolidat vulnera, & vlcera putrida, bibitus in aqua mellis confert ischiaticæ, ac resoluit duriciem podagræ, confert etiam ictericiæ nigræ, aperit enim oppilationes hepatis ac splenis, & matricis, vrinam & menstrua prouocat, renum dolorem prohibet, suppositumque cum melle matricem mundificat, valet etiã contra venenum ofiston.

Vsus medicus.

Plinius lib. 24. Chamephytis adhęret terræ cubitalibus ramis, flore pinus, & odore. Est & altera breuis, & incurua, tertia eodem odore, & ideo nomine quoque paruula collicula crassitudine digitali, foliis scabris, exilibus, albis, nascens in petris. Omnes herbæ, sed propter cognationem nominis non differendæ, prosunt aduersus scorpionum ictus, itemque iocinori illitæ cum palmis, aut cotoneis. Decoctum earum cum ordeacea farina prodest renibus ac vesicæ, morbo quoque regio, difficultatibus vrinę bibuntur ex aqua decoctæ. Nouissima contra serpentes valet cum melle, sic & apposita matricem purgat, & sanguinem densatum extrahit pota. Sudores facit perunctis ea, peculiariter renibus est vtilis: fiunt & ex illa hydropicis pillulę cum fico aluum trahentes, lumborum dolorem in vino quoque finit, & tussim recentem. *Constantinus vbi supra.* Chamephytos est in tertio gradu calida, & sicca, crassorum humorum attenuatiua, morborum intestinorum mundificatiua, oppilationum hepatis, & matricis aperitiua, vrinam, & menstrua prouocat, ictericam proijcit, & eius aposima cum melle bibitum dolorem fæmoris, & coxarum mitigat loca vulnerata cataplasmatum deficcat, duriciemque mammillarum soluit, & temperat. *Dioscorides.* Chamephyti species sũt tres, vna est expansa super terram, habens folia minora aizoo similia, sed tenera, & pinguiora, & asperiora, & spissa circa virgas, odorem pini redolentia. Ramulos emittit oblongos, & curuos, surculum tenuem, flores minutos ac mellinos, semen cum coma tenui, nigrum, odoris picini. Radix eius bibita medetur ictericis, opem quoque fert ischiaticis, maximè cum aqua mulsa. Valet etiam hepaticis, & dissuriis, ac nephreticis. Torsionibus iterum subuenit. Tritaque cum caricis, & in modum catapuciæ data ventrem mollit. Cũ resina tepida imposita, sordida purgat vulnera, adhibito melle matricis causas componit, duritias vulnerum soluit, paracollesim præstat, herpetas addito melle curat. Alterum genus appellatur masculus, habens vnius cubiti virgas obscuratas, sed comam superiori similẽ, nigrumque florem. Semen similiter nigrum habet, odoris resinæ, folia vero tenuiora, & quasi pilosa. Tertium genus quasi repit in terra continuo contractu, quod syderitis dicitur, habet folia carduis similia, sed quasi pinguiora, & velut pilosa, cum flocello aurosa. Odorem habet resinæ picineę, eique virtus est æqualis supradictæ.

Curatio renum & vesicæ, morbi regij.

Temperamentum.

Virtus.

De Chameleone siue chamelea.

Cap. L.

Chameleon. ISidorus. Chameleon est herba, quæ Latinè viscarpago vocatur, eo quod viscum gignat, in quo hærent aues, quæ sponte descendunt ad escam. *Plinius lib. 24.* Chamelea foliorum oleæ similitudinem habet, sunt autem ei mora odorata, in petrosis nascens altitudinem palmæ non excedens, aluum purgat, detrahit pituitam, & bilẽ, foliis in duabus absynthij partibus decoctis, eoque succo cum melle poto, foliis etiam impositis vlcera purgantur. Aiunt, si quis ante solis ortũ capiat, dicatque ad albugines oculorũ se capere, adalligata discuti id vitium. Quoquomodo vero collectũ salutare est oculis iumentorum, & pecorum. *Dioscorides.* Chamelea vel cteonidium hastas super terram habet expansas duabus palmis longas, frutex eius est sarmentosa, folia oliuę habet similia, sed tenuiora, & spissa, gustu mordacia, & gulam exasperantia. Quæ accepta deponunt phlegma, vulneraq; sordida curant imposita. *Auicenna.* Chameleon nequaquam in aliquo bibitur, sed exterius administratur. Et est in summo exterius abstergitiuum, & in emplastris lenificatiuum ac resolutiuum. Linitur super morpheã, & super scabiẽ, & impetiginem. Fit & ex eo emplastrũ vlceribus corrosiuis: datur & in potu de albi radicibus in vino, & inde iuuatur hydropisim habens. Albi radices interficiũt vermes. Quod autẽ nigrum est, interficit, quia venenũ est. *Ex herbario.* Chamelea habet folia aspera, & spinosa, terræ strata. Semen album, radicem albam, & odoratam. Habet autem vim theriacæ, decoctio eius potata difficultatem vrinæ soluit, facit etiam ad lumbricos, & ad hydropisim.

Chamelea.

Virtus.

Iterum de eodem nimirum de Chameleonte nigro, & albo.

Cap. LI.

Figura. DIoscorides. Cameleon niger, quẽ multi falso antixion dixerunt, habet folia tenera, & rufa. Virga est illius vnius digiti mẽsura crassa, & vnius cubiti lõga, & obrufa, florem habet spinosum hyacyntho similem, & varium. Radix eius crassa, & nigra, & spissa, & diuisa, & subrufa, gustu mordaci, nascitur in locis mõtuosis, & maritimis, radix eius admixto chalcanchro ac cedria & axungia scabiosis medetur, zernas purgat, maximè si additum fuerit asphaltum vel sulphur. Eadẽ lixa cum aceto id præstat imposita. Eiusdem elixatura ore retenta dentium dolorem compescit, & cum pipereac cera commotos dentes confirmat, & calefacit. Si cum aceto cocta, & ore retenta fuerit, cõbusta carbonibus sanat. Dentes imposita frangit, maculas emẽdat. Porro cum sulphure viuo medicaminibus stypticis adhibetur, phagedenica vulnera, id est quæ comedunt, & sordida vulnera curat imposita. Dicitur autẽ chameleõ pro colorum varietate, facit ad vulnera maligna, quæ dicunt Græci cardiaca. Præterea lentigines tollit, & deuorat aliis rebus mixta. Chameleõ vero alba maxime à multis itiõ dicitur, cuius radice mulieres prænostication vtuntur, folia circa radicem suã habet in terra aspera, & acuta, & fortia. Virga vero eius est in medio velut hasta, spinosa, similis echino maritimo vel carduo, cum flore purpureo in modum capillorum dẽso ac minuto. Semen est ei simile gnidio. Radicem habet in terra pinguem, albam, & crassam, & teneram, odoris grauis, & aromatici, gustu dulcis. Bibita maxime cum vino austero, vel cum origano, lumbricos excludit. In his etiam elixatura eius vtiliter datur. Cum vino vel cum passo mouet vrinam, bibitaque siccat dissuriam. Eius etiam elixatura bibita venenis occurrit. Cum polenta vero accepta porcos, & canes occidit. In aqua & oleo cocta sorices interficit. Nascitur autem in locis montuosis.

Virtus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Camphorata, & chamomilla.

CAP. LII.

Platearius. Camphoraca eſt herba, cuius ſuccus eſt camphora, multipliciter vtilis in medicina, ſicut videlicet dicetur infra. Hæc herba noſtræ camphoracę ſimilis eſt. In fine veris colligitur ac teritur, & inde ſuccus exprimitur. Quod fæculentum eſt, reſidet & abijcitur, quod liquidius ac purius, retinetur. Soli exponitur, & exiccatur, ac deſiccata in camphoram reducitur. *Chamomilla.* *Dioſcorides.* Chamomilla vel anthennos herba dicitur quam alij errantē itidem vocant, eo quod verno tempore floreſcat, vel ad vſum colligatur. Alij vero cameleonem, eo quod habeat odorem mali mariani ſimilem, huius herbæ tria ſunt genera, differentias in flore habentia. Haſtæ ſunt vel duarum palmarum fruticoſæ, quæ ramulos multos cum viminibus multis ac tenuibus generant, teneraque parua, & anguſta folia. Superius verò capitellum habet cum quadam rotunditate, habens deintus florem aureum, qui tegitur exterius alborum aut melini vel purpurei coloris obiectione foliorum magnitudine thymi ſimilium. Naſcitur in locis aſperis vel circa ſemitas, & vias. Colligitur autem tempore verno, maximè virtus eſt ei radici, & flori omnique frutici vernantica, & leptomerica. *Virtus.* Bibita, & ſuppoſita fomento menſtruis imperat, abortum celebrat, calculos frangit, vrinam prouocat. Torſionibus, & inflationibus auxiliatur, ictericis ſubuenit. Hepaticis maximum præſidium eſt elixatura eius, fomento adhibita facere poteſt hæc omnia, veſicæ quoque cauſas componit, & hæc omnia facit ea, quæ coloris purpurei fuerit.

Erratica modo quoque florem habet purpureum, & eſt cæteris efficacior, & maxima omnium. Egylopas cataplaſmate ſuo eodem die curat, & ſquamas in vultibus natas limpidat: camomilla calefacit, & deſiccat mediocriter, eſt autem & leptameris. i. extenuatoria ex parte, & conſolidatoria, & propterea diuretica, & calaſtica. i. relaxatiua. Condenſat, & arefacit, ideoque in doloribus iuuat. Igitur relaxat, quæ denſa ſunt, & mollit, quæ dura ſunt, mediocriter relaxando. In febre quoque viſcerum inflationem ſoluit, & his maxime quibus ex humore cholerico conſpiſſata cutis conſiſtit, eſt etiam hypocondriis aptiſſima ſuper omnia, oculorum quoque dolores curat, & vitia, eiuſque ſuccus mirè proficit hepaticis. Febricantibus potui datus cum aqua calida. Iterum ad venenum cum aliis rebus bibita optimè facit, & aquam omnem de corpore per vrinam extrahit. Mouet vrinam, & purgationē menſtrualem, & excludit fœtum in vtero mortuum, decoctaque & admota vaporationibus iliacam releuat paſſionem. *Auicenna.* Chamomilla eſt nota, ſed alia eſt cuius flos eſt citrinus, & alia cuius flos eſt purpureus, alia cuius eſt albus. In primo gradu eſt calida, & ſicca, & ſecundum Gal. propinqua virtuti roſæ in ſubtiliatione ſua, ſed eſt in modum olei conuenienter calida. Eſt autem aperitiua, ſubtiliatiua, mollificatiua, reſolutiua, apoſtemata calida mollificat, & dura lenificat, bibiturque propter apoſtemata viſcerum ſpiſſa, & membra neruoſa omnia confortat, vtilis eſt etiam ad alia plurima.

De Canaria, & canna.

CAP. LIII.

Plinius lib. 25. Canariam herbam innenerunt canes qua faſtidium deducunt, eamque in noſtro conſpectu mandunt, ſed ita vt nunquam quæ ſit intelligatur, etenim depaſta cernitur. Siquidem & in alia herba maior animalis huius malignitas eſt notata, percuſſus enim à ſerpente mederi ſibi dicitur quadam, ſed homine inſpectante non decerpit eam. *Canaria.* *Iſidorus.* Cannæ vocabulum Latini ſumpſerunt de lingua hebræa, quoniam apud eos calamus dicitur canna de quo ſcilicet calamo nonnulla iam dicta ſunt paulo ſupra. *Dioſcorides.* Canna eſt ſicut triticum aſcendens, & ſimilia folia habens. *Canna.* Semina ſibi deſuper duo iuncta. Semen eius adhibitum, vt cataplaſma, ventrem ſtringit, eiuſque ſuccus bibitus tuſſientibus medicinaliter proficit. *Virtut.* Habet autem canna ſpecies quatuor, vna dicitur haſtoſa, ex qua fiunt ſagittæ, altera vero ſemina vnde fiunt ad calamos ligulę. Tertia ſpecies ſyrongia nominatur, robore ſolido, & duro, ac nodis ſpiſſis, quibus ſcriptores vtuntur. *Quatuor ſpecies.* Eſt autem quartum genus calami, quod carix, & à plurimis cyprion appellatur, quod genus in locis riguis, & fruticoſis maximè naſcitur. Huius radix cataplaſmatibus cum bulbis adhibita eijcit corpori infixa, acero vero mixta dolores dentium ſchyaticos mitigat, folia eius virida cataplaſmatibus adhibita iguem ſacrum compeſcunt, omneſque duricias ſoluunt. Corium eius combuſtum, & aceto tritum alopecias emēdat, ac flos cannæ ſi in aures miſſus fuerit auditum tollit. *Canna mellis.* *Razi.* Canna mellis temperatè calida eſt, gulam lenit, vrinam prouocat, tuſſi quoque auxilium præſtat. *Auctor.* Cannamellis quoddam genus cannæ dicitur, vnde ſaccarum ſumitur, ſicut inferius dicetur.

De capillo veneris, & carice & catapucia.

CAP. LIV.

Iſidor. Capillus veneris dictus eſt ſiue quod elapſos poſt alopeciam capillos recreet, ſiue quod capillorum fluores coerceat, vel quod ſit virgulis nigris lenibus cum ſplendore quaſi capilli. Naſcitur autem in aquoſis locis. *Platearius in lib. de ſimplici medicina.* Capillus veneris frigidus & ſiccus eſt, temperatè tamen, ex ſubtili ſubſtantia virtutem habet diureticam. *Temperamentum.* Recens multę efficaciæ eſt, ſed parum ſeruari poteſt, quia herba ſubtilis eſt. Contra calefactionem hepatis, & datur aqua decoctionis eius, vel de aqua illa, & ſaccaro fit ſyrupus. Si etiam ſit vitium ſplenis, aliquid additur calidum diureticum, & pagellæ in ſucco eius intinctæ ſupponatur, vel etiam herba contrita. *Conſtantinus vbi ſupra.* Capillus veneris (teſte Galeno) inter calidum, & frigidum eſt mediocris, vnde dicit, quod eius poſima valet hanelituoſis, lapidem frangit. *Virtus.* Cum vino bibitus veneno reſiſtit, & humoribus à ſtomacho fluentibus. Menſtrua prouocat, dolorem pectoris, & pulmonis mitigat. Et (vt dicūt quidam) de ſtomacho, & inteſtinis deponit choleram rubeam, alopeciæ valet cataplaſmis. Et ſcrophis cum aqua coctus, capite ex eo loto puſtulas etiam, & putrefactionem mundificat.

Ex herbario. Capillus veneris, herba videlicet, quæ & polytrica dicitur, in parietibus videlicet naſcitur. *Polytrich* Habet folia coriandro ſimilia, caulem nigrum, ſed nec florem habet, nec ſemen, hęc in oleo decocta facit ad mulierum capillos nutriendos. *Figura.* Decoctio eius pota ictericos, & eos, qui vrinam difficile faciunt adiuuat, menſtrua mouet, ventris fluxum ſiſtit. Capillos etiam cadentes continet, ſi cum vino, & lixiuio coquatur, & cum eodem humore caput abluatur. Item cum vino appoſita ſtomacho pro cataplaſmate, morſui canis ac ſerpentium medetur, eius autem radix eſt vtilis. *Vſus medicinalis.* *Iſidorus.* Carix eſt herba acuta, & duriſſima, aſparago ſimilis, de qua Virgi. dicit, *Et carice paſtus acuta.* *Auctor.* Ex huius herbæ copia videtur dici carectum, de quo legitur in Exo. *Filia Pharaonis infantem Moyſen reperit iuxta 4 carectum fluminis.* ** In noſtra vulgata legitur (in papyrio.) Ex. 2.*

Platearius. Catapucia eſt quædam tithymalis ſpecies, & herba calida in gradu tertio, humida in primo, fructum vel ſemen habēs, quod ſimili nomine nūcupatur, & hæc in receptione medicinali remoto exteriori cortice ponitur. Calidū in tertio, humidū in primo. Per annū ſeruari poteſt in efficacia multa, ſed eligenda eſt illa, quæ nō eſt perforata, nec liuida, ſed alba

Catapuciæ virtus.

Virtutem habet purgandi principaliter phlegma, secũdario choleram, & melancholiam, Habet quoque virtutem purgandi per superiora ex ventositate, quam habet ac lenitate, vnde quandoque sanis datur ad sanitatis conseruationem, quandoque autem ægris ad ægritudinis remotionem. Itaque vsus eius est contra quotidianam de salso phlegmate febrem ac scabiem, contra quotidianam quoque de phlegmate vitreo, & cõtra iliacam passionem, sed contra paralysim, & arthreticam, ad vomitum quoque prouocandum. Si materia frigida sit in ore stomachi catapuciæ tritæ cum oleo, fuso vino conficiuntur, & super os stomachi ponuntur, oleum ex eis factum potest seruari per annum.

De Chelidonia.

CAP. LV.

Etymon.

Sidorus. Chelidonia dicitur, vel eo, quòd aduentu hyrundinum erupere videatur, vel eo, quòd pullis hirundinum, si oculi auferantur, matres eorum illis ex hac herba mederi dicantur. *Plinius lib.* 25. Animalia herbas inuenerunt, imprimisque celidoniam. Hanc enim hyrundines oculis pullorum in nido visum restituunt (vt quidam etiam volunt) erutis oculis. Eius

Genera duo.

genera duo sunt. Maior fructicosa caule, folio pastinacæ erraticæ, ipsa ampliore, duorum cubitorum altitudine, flos albicans, flos luteus. Minori folia sunt hederæ rotundiora, minus candida. Succus croci mordax semen papaueris, florent hirundinum aduentu, marcescunt discessu. Florentibus illis succus exprimitur, & in vase æreo cum attico melle leniter cinere feruenti decoquitur, singulari remedio contra caligines oculorum. Succo etiam per se in collyrijs vtuntur,

Collyria Chelidonia.

quæ ab ea chelidonia, appellantur. *Dioſco.* Chelidonia maior virgam habet vnius cubiti longam, & amplius, teneram ac tenuem. Quæ in gyro habet folia plura botracio similia, sed molliora, & subalbidiora, florem aurosum profert, succum croceum habens, virtus eius est viscida, mordens, & amara, non boni odoris. Radix desursum est vna, desubtus plures. Succus addito melle coctus in examine super carbones, caligines oculis detergit. Radix eius anisо mixta, & vino albo bibita, ictericis opilatur, vt cataplasma adhibita maculas detergit, masticata dolorem dentium prohibet. Ex hoc autem accepit nomen, quod in aduentu hirundinum nascitur, & in earum profectione definitur. Dicitur etiam cæcatis earum pullis, parentes hanc herbam collectam dare, ipsosque comedere, ac visum recipere.

Figura.

Chelidonia minor herba est minutas habens virgas, & folia similia hederæ, sed obrotunda, & minora, pinguiora, & mollia, radices minutas, & plures, longitudine differentes. Nascitur in locis aquosis, & pratis, florem habet paruum, & folia terræ adhærentia. Virtus est ei viscida similis ammoniæ: Imposita cutẽ vulnerat, scabiem extrahit, vngues leprosos excludit. Succus radicis eius addito melle naribus infusus, purgat caput. *Platearius.* Chelidonia est calida, & sicca in tertio gradu. Cuius duplex est modus, videlicet indica, quę

Indica.

maioris est efficaciæ. Et

Communis.

communis, quæ in nostris regionibus invenitur, & est minoris efficaciæ, vna tamẽ potest poni altera. Indica citrinam radicem habet, & in receptione non herba, sed radix poni debet, quę per annos tres in efficacia multa seruari valet. Ex qualitate sua virtutem habet dissoluendi, & attrahendi, & consumendi. Contra dolorem dentium in frigida causa valet radix hæc aliquantulum trita, valet & ad caput purgandum, & vuam ex frigidis humoribus repletam, contra cholicam passionem herba trita, & in vino decocta supponitur, & ad cancrum aut neruorum, puluis radicis cum puluere rosarum conficitur, & cum aceto decoquitur. Ad fistulam eius puluis cum capitello conficitur, & ori fistulæ cum melle immittitur.

De Centaureon.

CAP. LVI.

Sidorus vbi supra. Centaureõ dicitur, αλίκυη stagnũ. & limmisios, quia locis humectis, & limosis nascitur. Eadem quoque fel terræ propter amaritudinẽ appellatur. *Plinius vbi supra.* Centaureon. dicitur chiron curatus, cum herculis hospitio exceptus pertractando arma excidisset ei sagitta in pedem, propter hoc aliqui

Chyronium.

chironium eam vocant. Folia sunt ei lata, & oblonga, ambitu serrata densaque à radice. Caules trium cubitorum geniculati, in quibus sunt capita ceu papauerum. Radix vasta, rubescens, tenera fragilisque, ad bina cubita, succo madida, & amara cum quadam dulcedine. Nascitur in collibus pingui solo, laudatissima verò in Archadia, Elide, messenia, phorno, & lyceo, atque in alpibus, pluribusque locis in Lycia. Quidam

Vsus.

& ex ea lycium faciunt: vis ei tanta est in vulneribus, vt etiam carnes cohæresce re tradantur, si pariter coquatur. In vsu radix tantum duabus dragmis est bibẽda, & si febris in aqua trita, in vino medetur cæteris, & decoctæ succus ouium morbis. Alterum est centaureon cognomine lecton minutis folijs, quod alij vocant *libadion*, quia iuxta frontes nascitur origano simile quidem, sed angustioribus & longioribus folijs,

Libadion.

anguloso caule palinum alto fruticanti flore lychnidis tenuique radice, & superuacua; succo efficax, ipsa herba autumno legitur succus è fronde. Quidam caules conscisos madefaciunt diebus 18. atque ita exprimunt: hoc genus nostri fel terræ vocant propter amaritudinem suam, Galli vero exacum, quoniam omnia mala medicamenta potum è corpore per aluum exiccat.

Exacum. Triorchis.

Tertia est centauri species cognomine triorchis, hæc succum sanguineum emittit. Theophrastus illam defendi, & impugnari colligentes à triorche genere accipitrum tradit, à quo & nomen accepit: hæc omnia confundunt imperiti, & vni assignant generi. Centaureo maiori putant oculorum aciẽ adunari, succo quoque minoris cum melle culices, nubeculas, obscuritatemq; discuti, & cicatrices extenuari aduersus angues maioris alba radice vtuntur, albi vini cyathis tribus.

Figura.

Dioscorides. Centauria maior (quam multi nartham aut gentianam dicunt) habet folia oblonga, & viridia, sicut cauliculi rotunda, serratim exterius insciſa, virgam lapacio similem, radicem crassam, grauem ac fortem, & acerrime succulentam. Succo sc. viscido, ac styptico, & acerrimo, rubri coloris, & amaro valde. Hæc radix conquassationibus vtilis est. Pleureticis ac dyspnoicis maximè prodest, tussim antiquam compescit, asmaticis, & hemoptoicis singulare præsidiũ est. Non febrientibus cum vino, febrientibus cum aqua datur. Tortionibus vero clausis stericis similiter data prodest, menstruis imperat, abortum facit. Ex acredine quidem sua prædicta facit. In hoc autem, quod styptica est plagas glutinat, ac rheumata iuuat. Succus etiam eius hæc omnia facit, maximè vulneribus cicatricem inducit, paracolesim efficit. In carnibus insciſis addita memoratur, quod carnem in se coagulare facit: hæc in Lycia, & Archadia abundat. Centaurea

Centaurea minor.

minor nascitur in locis aquosis, hyperico vel origano similis, virgam habens prælongam, angulosam, florem purpureum, folia minuta, & oblonga, sicut ruta, semen vt triticum. Radix est ei oblonga, & amara, quæ viridis tusa impositа vulnera purgat paracolesim præstat, cicatrices vulneribus inducit. Elixatura eius bibita pingues humores deponit. Succus eius addito melle caliginem oculis detergit, menstruis imperat, abortum facit, neruis dolentibus fomento auxilium præstat.

Iterum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iterum de eadem

CAP. *LVII.*

Temperamentum.

Platearius. Centaurea calida eſt, & ſicca in tertio gradu, & eſt herba amariſſima. Eſt autem centaurea maior, quę maioris efficaciæ eſt, & minor quæ minoris: radix maior habet amaritudinem cum quadam dulcedine, & etiam ponticitate, vnde virtutem habet conglutinandi. Centaurea maiorem habet efficaciam ſecundum folia, & flores: in vere colligi debet, in vmbroſo loco ſuſpendi ac deſiccari, per annum in multa efficacia poteſt ſeruari: virtutem habet diureticam attractiuam, & conſumptiuam: vinum decoctionis eius addito Saccharo valet contra oppilationes ſplenis, & hepatis, remediat veſicę, puluis eius valet contra iliacam paſſionem, & contra paralyſim. Succus eius eſt contra vermes aurium, contra lumbricos, & ad viſum clarificandum.

Tempus quo naſcuntur.

Auicenna. Centaurea maior, & minor naſcuntur in fine veris. Craſſa ſpecies habet duas, citrinam, & albam, in quarum capitibus eſt viriditas, herbæ vero paruę: habet folia ſicut rutæ, & aſſumitur ſuccus ex ea, quandoque ex viridi, quandoque ex ſicca. In aqua enim decoquitur donec aqua virtutem eius aſſumat, deinde aqua illa rectificatur. Calida eſt, & ſicca in gradu tertio, & in ipſo ſunt abſterſio, & ſtypticitas, & acredo, parumque dulcedinis, & exiccatio. Et eſt fine mordicatione, fertur autem, quod ſi coquatur cum carne inſciſa, coniungit eam. Quæ recens eſt mundificat vulnera, & vlcera ſigillat antiqua, Quæ autem eſt ſicca, ponitur in emplaſtris, & conſolidat fiſtulas, & vlcera profunda, & vulnera mala. Et quandoque fiſtulæ de centaurea replentur, & ligantur earumque diſpoſitio rectificatur. Confert etiam attritioni in lacertis, & ſaniei in eis. Et quandoque clyſtere refectum ex ea confert iſchiaticæ, doloribuſque neruorum, & concuſſioni eorum. Sed minor eſt magis iuuatiua ad illa omnia: vtraque confert anhelitus difficultati. Et datur de illa in potu cum vino frigidæ pleureſi, & ſputo ſanguinis. Confert etiam oppilationi hepatis, & duriciæ ſplenis. Prohibet autem ſputum ſanguinis propter ſtypticitatem. Vrinam, & menſtrua prouocat, fœtum extrahit, ac vermes interficit. Datur & de illa in potu ad pungitiuum dolorem ventris, & dolores matricis. Cholicæ quoque confert, & minoris quidem decoctio quandoque ſoluendo ex phlegmate, & humore crudo choleram educit, potuſque duarum ſpecierum eius quando ſuperfluit ſolutione ſanguinem, & propriè minor educit.

Vis medicatiua.

De Cyclamino.

CAP. LVIII.

Etymon.

Iſidorus. Ciclaminos Græcè dicta eſt à quodam qui Cyclos vocatus eſt, ſiue quia rotundam habeat radicem Græci namque cyclon rotundum vocant. Huius autem radix aut ſuccus, ſi vino admixtus fuerit, ebrioſos facit. Naſcitur in agris, & locis ſiluoſis. *Plinius lib.* 25. Cyclaminos habet folia minora, quam hedera, & nigriora, & tenuiora, ſine angulis, in quibus albicant maculę, caule exiguo, floribus purpureis, radice lata, vt rapum videri poſſit, cortice nigro, in vmbroſis naſcitur, & à noſtris *tuber terræ* vocatur. In omnibus domibus eſt ſerenda, ſi verum eſt, vbi ſata ſit, nihil nocere mala medicamenta. Radix eius bibita valet contra ſerpentes omnes. Narrant & ebrietatem repręſentari, addita in vino radice, atque ſiccata. Suũ tamen venenum ineſt ei. Traduntque ſi prægnans radicem tranſgrediatur, obortum fieri. Eſt & altera cyclaminos cognomine cyſſanthemos, geniculatis caulibus ſuperuacuis, à priore diſtans, circa arbores acinis hederæ, ſed mollibus ſe voluens, flore candido ſpecioſa, radice ſuperuacua. Acini tantum in vſu ſunt acri guſtu, & lenti, in vmbra ſiccantur, tuſſique in paſtillos diuiduntur. Mihi, & tertia cyclaminos demonſtrata eſt, cognomen *chameciſſos* vno omnino folio, radice ramoſa, qua piſces necantur. *Dioſcorides.* Cyclaminis folia ſunt aſo ſimilia, & vario picta, inter quæ ſunt & alba folia, Thyrſus eſt ei niger ſine foliis, vnius palmæ, habens in ſummo flores roſeos vel purpureos. Radix nigra, & craſſa, & lata, ſicut rapa, quæ cum aqua bibita per ventrem deponit humores, & phlegma, menſtruis quoque dicitur imperare bibita, & impoſita. Et ſi ſuper eius radices mulier prægnans tranſierit, abortum facit, diu vero parturientibus ſub femore poſita, citius generare facit. Cum vino bibita venenis eſt contraria, morſuſque venenatos ſaluberrime curat cataplaſmatibus adhibita. Succus eius melli mixtus, & naribus immiſſus, caput purgat. Eiuſque puluis ſparſus anum propendentem reuocat. Radix eius cataplaſmata tumentem ſplenem attenuat, allopecias emendat, maculaſque ſordidas limpidat, podagricis ſubuenit, & vulnera capitis ſanat. *Conſtant. vbi ſupr.* Cyclaminus calidus, & ſiccus in tertio gradu cum vino potatus, morſus reptilium curat, vſtus & cum aceto temperatus, valet contra venenum, & locis iſchiaticorum impoſitum dolores placat, valet etiam ſuper allopeciam. *Platearius.* Cyclaminus eſt calidus in quarto gradu, qui caſſanius, & panis porcinus, & malum terræ appellatur. Radix ipſa ciclamini dicitur quaſdã habere tuberoſitates, quæ quanto maiores, tanto efficaciores ſunt. Radix ergo ſiccata magnam habet efficaciam, ſed recens maiorem. Habet autem colligi circa finem autumni, & in quatuor partes ſcindi, ac per filum in vmbroſo loco vel ad ſolem purum ſuſpẽdi, ſicque per annos duos in efficacia multa poteſt ſeruari. Habet autem virtutem diſſoluendi, & attrahendi, & conſumendi, cuius eſt vſus ad hemorrhoidas inflatas, & non fluentes, exterius apparentes, ad menſtrua quoque prouocanda, & matricem mundificandam, & contra vitium ſplenis, & contra apoſtemata ex frigida cauſa, & contra fiſtulam.

Cyſſanthemos.

Chameciſſos.

Virtus.

Panis porcinus.

Tempus quo colligi debet.

De Cichorea.

CAP. *LIX.*

Platearius. Cichorea, quę & *ſponſa ſolis, & ſolſequium*, & iptuba dicitur, frigida & humida eſt in ſecundo do. Herba ipſa comeſta valet contra venenum. Quod ſi ſit, & ſicut morſura, imponitur trita. Succus eius valet ad oppilationem ſplenis, & hepatis ex calida cauſa, & contra calefactionem eiuſdem. Hæc herba viridis eſt multæ efficaciæ, ſicca vero nullius, vel paruæ. Cocta, & comeſta valet oppilationi ſplenis, & hepatis, & contra calefactionem hepatis. Succus hepati ſuperponitur vel cataplaſmatur. Et quia virtutẽ habet reſtinguendi venenum, animalia quædam à venenoſis animalibus læſa, huius herbæ tactu ſanantur.

Solſequiũ.

Efficacia.

Conſtantinus in lib graduum. Sponſa ſolis frigida eſt, & ſicca in primo gradu. Confortat ſtomachum, & valet contra ſcorpiones, aliorumque reptilium morſum. Cum myrrha mixta, & mulieri ſuperpoſita prouocat menſtrua. *Plinius lib.* 20. Intubum erraticum apud nos, quidam & ambugiam appellauere, in Ægypto vocant cichorium. Id refrigerat in cibo ſumptum, & collectiones ſanat illitum. Succus decoctus ventrem ſoluit, iocinori ac renibus, & ſtomacho proficit. In aceto decoctum, vrinæ tormina diſcutit. Itemque morbum regium è mulſo, ſi ſine febre ſit, veſicam adiuuat. Mulierum purgationibus in aqua decoctum adeo prodeſt, vt emortuos trahat partus. *Idem in libro* 21. Cichorium poſt vergilias naſcitur, florentque particulæ eius. Radix eſt eis lenta, qua vtuntur ad vincula. *Auctor.* Hæc herba, ſcilicet quæ vulgo dicitur cichorium, ipſa etiam alijs nomini-

Sponſæ ſolis temperamẽtum & virtus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Heliotropiũ. bus præter ſupradicta dicitur heliotropium, & dionyſia, vnde de ipſa quoque dicetur inferius ſub hac littera E, videlicet ſub eliotropij nomine.

De Cicuta, & cynogloſſa.

CAP. LX.

Sideru. Cicuta dicitur, eo quod in thyrſo geniculatos nodos habeat occultos, vt canna, ſicut dicitur foſſa cæca, quæ occulta eſt, hæc potui data interficit. *Socrates libit cicutam.* Hanc Socrates bibit, & expirauit: hæc cum hominibus venenum ſit, capellas tamen pingues efficit. *Plinius lib.* 25. Cicuta venenum eſt publica quadam athenienſium pœna inuiſa, ad multa tamen vſus non omittendi. Semen habet noxium, Caulis autem eſt viridis, & vrit plerumque ſicut in platanis, lenis hic & geniculatus vt calami nigricans, altior ſæpe binis cubitis, in cacuminibus ramoſis habet folia coriandri tenuiora, graui odoratu, aniſo craſſius, radice concaua nullius vſus. Semini, & folijs ineſt vis refrigeratoria, quæ ſi enecat, incipiunt algeri ab extremitatibus corporis. Remedium autem eſt, prius quam perueniat ad vitalia, natura vini excalefactoria: ac in vino potata, irremediabilis exiſtimatur. Succus exprimitur folijs atque floribus, tunc enim eſt maximè tempeſtiuus, & melior. Semine trito expreſſus, & ſole denſatus in paſtillos necat ſanguinem ſpiſſando, hæc altera vis. *Vſus in medicina.* Ideoque ſic necatorum in corporibus apparẽt maculæ. Ad diſſoluenda medicamenta vtuntur illo pro aqua, & ad refrigerandum ſtomachum fit ex eo malagma, valet ad cohibendas epiphoras æſtiuas, oculorumque dolores ſedandos circumlitum. Miſcetur collyriis, & alias omnes cohibet rheumatiſmos, folia quoque tumorẽ omnem, ac dolorem, & epiphoram ſedant. Anaxilaus auctor eſt mammas virginitatis illitas, ſemper eſſe ſaturas. Quod certum eſt, lac puerperarum extinguit mammis impoſitum, veneremque teſtibus circa pubertatem illita. *Laudabilior.* Maxima laus eſt Parthicæ, Mox Leonicæ, Creticæ, Aſiaticæ, In Græcia vero megaticæ, deinde atticæ. *Conſtantinus vbi ſupra.* *Temperamentum.* Cicuta eſt calida, & ſicca in tertio gradu, craſſos humores ac viſcoſos attenuat, vrinam & menſtrua prouocat, & augmentat. Lumbricos, & aſcaridas necat, iſchiaticos, & arthreticos de craſſo phlegmate iuuat, ſi in eius poſimate lauetur, aut potetur. Craſſam inteſtinorum ventoſitatem diſſoluit. Cholicam paſſionem, & ilij dolorem curat, pectus ac pulmonem de viſcoſo, & craſſo phlegmate purgat. *Platearius.* Cicuta calida eſt & ſicca in tertio gradu, virtutem habet diſſoluendi, attrahendi, & conſumendi. Hac non vtimur in interioribus, quia venenoſa eſt, & in ſubſtantia, & in qualitatibus. In tantum enim diſſoluit, quod ſpiritus inaniuntur, & ex hoc membra mortificantur virtutem habet potiſſimam ſecundum radicem, ſecundo ſecundum folia, minorem ſecundum ſemen, vnde ſemen eius quandoque ponunt in medicinis, & ex ea vnguentum potiſſimum fit contra arthreticam, & podagram, ſi fiſſa per medium ponatur ſuper arthreticam, citiſſimumque remedium eſt. *Iſidorus.* Cynogloſſos eſt herba quam linguam canis vocant, eo quod ad morſum caninum trita cum ſale ſuccurat impoſita. *Cinogloſſa virtus.* *Plinius vbi ſupra.* Cynogloſſos caninam imitans linguam topiariis operibus eſt gratiſſima, aiuntque eam, quæ tres thyrſos ſeminis emittat, eius radicem potam ex aqua prodeſſe ad tertianas, quæ quatuor ad quartanas. Eſt & alia ſimilis, & quæ lappas ferat minutas, cuius radix pota ex aqua, ranis & ſerpentibus aduerſatur.

De Cypero.

CAP. LXI.

Sideru. Cyperus eſt radix iunci trianguli folijs ſimilibus pomi, radicibus nigris in ſimilitudinem oliuarum contiguis, odoratiſſimis, atque acerrimis Naſcitur autem in paludibus, & vacuis locis, & à Græcis nomen habet, eo quod virtutem habeat feruentem. *Plinius lib.* 21. Cyperus eſt gladioli ſpecies paluſtris bulboſa radice, laudatiſſimus in inſulis Cretæ: deinde Naxo, & poſtea phœnice. Cretico eſt candor odorque vicinus nardo, acrior Naxo, Exiguum ſpirans phœniceo, nullus Ægyptio. Iulio menſe iubet eum Mago ad radicem ſecari, Tertioque die donec candidius fiat in Sole ſiccari: quotidie autem ante Solem Occidentem in tectum referri, eo quod paluſtribus detectis noceant rores nocturni. Mirum tradit Apollodorus, Barbaros huius herbæ ſuffitum excipientes ore lienes conſumere. Et non egredi domibus niſi ab hoc ſuffitu, ſic etiam validiores ac firmiores fieri: & ipſum aduerſus calculos efficaciſſimum eſſe. Cyprus itaque iuncus eſt angulоſus iuxta terram candidus, cacumine niger pinguiorque, folia ima porraceis exiliora, in cacumine, minuta, inter quæ ſemen eſt. Radix oliuæ nigræ ſimilis, quam cum eſt oblonga cyperida vocant, magni vſus in medicina: laus Cypero prima eſt hammoniaco, ſecunda Rhodio, tertia Thracio, nouiſſima Ægyptio. Eſt & per ſe Indica herba, quæ cyperis vocatur, & gingiberis effigie commanducata vim croci reddit. Cyperus inedetur oris & genitalium vlceribus, & radix aduerſus ſerpentum, & ſcorpionum ictus præſertim remedio eſt. Calculos expellit, & vrinam cit, ob id vtiliſſimum hydropicis.

Dioſcorides. Cyperum vel (vt alij dicunt) eriſtetum habet folia porro ſimilia, ſed oblonga & tenera. Accendit autem de terra cubito vno, & ſemis haſtam habens angulоſam, iunco ſimilem, quæ in capite generat ſemen. Radices vero ſub terra rotundas & oblongas, ſicut oliua nigras, multas & coniunctas, colore nigro, odore ſuaui, guſtu ſubamaro. Naſcitur in locis aquoſis & in paludibus, & in pratis. In his radicibus illa nobilior eſt, quæ fuerit grauior, & durior atque craſſior, & non frangibilior, ſed aſperior, & odore plenior: vires habet calefaciendi ac deſiccandi abſque mordicatione. Ideoque multum infuſa mirabiliter curat vlcera, quæ cicatrizantur difficile. In ſe quoque ſtipticum aliquid habet: & ideo ad oris remedium valet, diuretica eſt, & inde habet vim comminuendi, per quam comminuit in renibus generatos lapides, vrinam & menſtrua prouocat. Fertur & in India cyperum naſci: quod cum maſticatur, colorem croceum facit. *Auicenna.* Cyperus eſt radix plantæ, ſimilis ſegeti, niſi quia ſubtilior eſt & longior. Melior eſt ille, qui eſt ſpiſſus grauis & ad frangendum difficilis aromaticus: cuius herba breuis eſt, & eius acredo vehemens. In ipſo eſt parua ſtypticitas, & exiccat ſiue mordicatione: aperit orificia venarum, & ventoſitates extenuat: adurit ſanguinem, ponitur in emplaſtris. Colorem bonum efficit, & bonum oris odorem. Inde autem (vt dicitur) pilos abradit. Idem cyperus conſolidat ea quæ ſunt difficilis conſolidationis, & fiſſa, & putrida, & corroſa, cum oleo de grano viridi. Item valet ad dolorem in ilijs, & ſtringit neruos. Calefacit ſtomachum & hepar. confert putredini narium & oris, alcola, lapidem extrahit & frangit. Et confert debilitati veſicæ, ac frigori eius: valde quoque renibus, & matrici, & hæmorroidibus, & antiquis febribus. Multitudo autem eius acquirit lepram. Cyperus eſt radix iunci trãſmarini, quanto maior, tanto melior. Et eſt ſubſtantia indica continua & ruberoſa, in ſecundo gradu calida & ſicca: per biennium ſeruatur. *Figura.* *Laudabilior.* *Qualitates.* Minoris eſt virtutis, qui apud nos naſcitur, ac per annũ ſeruatur. *Virtus.*

ſeruatur Eligendus eſt non ramoſus, & qui cum frangitur, interius colorem citrinum prætendit, & facile puluerizatur. Habet vim ex ſubtilitate ſua diureticam: & valet contra ſtranguriam & diſſuriam, contraque lithargiam, & ad mulierum putredinem. Succus eius cum vino datus dolorem ſtomachi,& inteſtinorum ex frigiditate vel ventoſitate ſoluit.

De Coloquintida.

CAP. LXII.

Figura.

Isidorus. Coloquintida eſt agreſtis cucurbita, & vehementer amara, quæ ſimiliter vt cucurbita per terram flagella tendit. Dicitur autem coloquintida, eo quod ſit fructu rotundo, atque folijs vt cucumis vſualis. *Dioſcor.* Coloquintida agreſtis haſtas & folia habet ſuper terram ſimiles cucumeri hortiuo. Quæ folia inſciſa ſunt, & guſtu amara. Semen habet rotundum vt pila, quod colligendum eſt cum maturitas colorem variauerit. Huius pilæ ſiccæ tuſæ, & mixtæ cliſteri adhibitæ iſchiaticis medentur: & paralyticis opitulantur: phlegma & choleram deponunt: menſtruis imperant: abortum faciunt, dolorem dentium deponunt. Cacoſtomacha eſt, & inde collyria fiunt. *Platearius.* Coloquintida calida eſt in tertio gradu, ſicca in ſecundo. Et eſt pomum cuiuſdam fruticis eiuſdem nominis, cuius medulla potiſſima eſt vſui medicinæ, ſemen ſecundario. Cortex autem habet efficaciam modicam. Eligenda eſt illa quæ habet medullam continuam, & multum albam,& ſemina bene medullæ inſita. Illa autem abijcienda, quę cum concutitur, multum ſonat,& alia ſimiliter, cuius interiora cum manibus tractatur, facilè puluerizantur. Poteſt autem ſeruari per ſex annos,& melius in pomo ipſo, & habet virtutem diſſoluendi, conſumendi, ex amaritudine, & virtutem diureticam. Purgat quidem principaliter phlegma, ſecundo melancholiam: & valet contra quartanam, & contra ſcabiem vetuſtiſſimam, contraque dolorem dentium interiorum: decoctio puluerís eius contra lumbricos, & vermes aurium. Succus eius contra ſplenis, & hepatis duritiem.

Mas. Fœmina.

Auicenna. Coloquintida alia eſt mas, alia eſt fœmina: mas eſt villoſus, fœmina laxa, alba, facilis Eligenda eſt autem alba vehementer: nigra enim mala eſt, & ſimiliter dura. Eſt autem calida & ſicca in tertio gradu, reſolutiua, inſciſiua, & attractiua ex longinquo. Confert autem doloribus neruorum & iuncturarum, & iſchiaticæ, & podagræ frigidæ, purgatque cerebrum. Solutione vero educit phlegma craſſum ex iuncturis & neruis. Propriè etiam ſoluit choleram, & confert cholicæ humidæ & ventoſæ. Euacuatio per eam facta confert dilationi anhelitus. Illa quæ colligitur viridis ſuperfluè ſoluit & conturbat, ita vt fortaſſe interficiat. Item coloquintida confert ægritudinibus renum & veſicæ. Radix eius confert paralyſi: nocet autem ſtomacho. Idem confert morſui viperæ: & eſt de medicinis magis iuuantibus ad puncturam ſcorpionis. Item radix eius cum aceto decoquitur, & os ex eo colluitur, ad dolorem dentium. Cum autem in oleo coquitur, oleum illud ſtillatum confert ſonitui in aure: & facit eradicationem dentium facilem. Dixerunt autem quidam, quod oportet vt alienentur cortex, & ſemen eius. Et cum non eſt ſuper arborem niſi coloquintida vna, mala eſt & pernicioſa. *Razi.* Coloquintida calida eſt & ſicca: craſſum expellit phlegma. Caput mundat, Neruorum dolori, & ex ſiccitate paſſioni, ac frigidæ podagræ, & elephantiæ beneficia parat. *Conſtantinus vbi ſupra.* Coloquintidæ phlegmaticos & viſcoſos humores purgant: tortiones tamen in ſtomacho, & dolores in inteſtinis generant, eademque excoriant.

Virtus.

De Coniza & conſolida.

CAP. LXIII.

Coniza.

Dioſcorides. Coniza quædam eſt maior, & odore grauis, alia vero parua & iucundi odoris, & inter has media grauis odoris: prima dicitur etiam coniza lata, ſiue nauitis, vel (vt Latini dicunt) armentalis. *Armentalis Libanotis.* ſecunda vocatur etiam libanotis, ſiue (vt Latini dicunt) pix marina. Maior & minor habent folia oliuæ ſimilia, ſed aſpera & pinguia. Minoris quidem folia ſunt odorata, Maioris autem grauis odoris: virga maioris eſt duobus cubitis longa: minor autem vnius pedis longitudine perfecta, florem habet fragilem & amarum, colorem melinum. Cumque floruerit velut capillos facit, radix eius inutilis eſt, omnis autem frutex cum folijs ſuis fumigio adhibitus, & carbonibus vel igne ſuperpoſitus, venena longius arcet. Aqua eius ſparſa pulices necat, folia eius cataplaſmata morſus venenatos mitigant, puſtulas & vulnera curant: flores eius & folia bene adhibentur ictericis, & cum aceto bibita epileptico auxiliantur. Elixatura eorum *Virtus.* adhibita fomento, cauſas matricis componit: oleo mixta & peruncta tuta corpora contra frigora cuſtodit. Minor autem impoſita & cataplaſmata, dolorem capitis mitigat. Media vero coniza haſtam habet longam, craſſam, & folia lænia. Maior & minor calefacit & deſiccat: flos cum foliis in vino bibitus vehementer menſtrua purgat. *Plinius lib.* 21. Conizę duo *Coronamenta duo Coniza.* ſunt in coronamentis genera, mas & femina: eſt autem in foliis differentia. Fœminæ namque tenuis & conſtrictius, & anguſtius. Imbricatum maris, & ramoſius eſt: flos etiam eius magis ſplendet Serotinus vtrique poſt arcturum. Mas eſt odore grauior, fœmina vero acrior: & ideo contra beſtiarum morſus optior, folia fœminę habent odorem mellis, maſculæ radix appellatur à quibuſdam libanotis. *Ex herbario.* Coniza minor habet gratiſſimum odorem, maior habet grauem, folia minora & pinguiora, flos vterque ſimilis: hæc cum foliis incenſa ſerpentes fugat. Culices & pulices interficit, vulneribus cunctis medetur: flos eius cum folijs tritus in vino potatus menſtrua mulieris mouet, partus diſcutit, & difficultatem vrinæ commouet. Morbum quoque regium ſanat, purgat matricem, dolorem capitis ſedat. Oleo in quo fuerit decocta, ſi corpus vngatur, frigidę febres expelluntur. Conſolida maior quæ & ſymphytum dicitur: ſiccata *Conſolida. Symphytū.* & in puluerem redacta, potuiq; data, mox ſanguinem reſtringit.

De Coſto.

CAP. LXIV.

Coſtum.

Isidorus. Coſtum eſt radix herbæ naſcentis in India, Arabia,& Syria. Sed melius eſt Arabicum. Eſt enim album & leue ac ſuaue, odore iucundum. Indicum eſt atro colore & leue, vt ferula. Syriacum vero graue pondere, buxeo colore, acrique odore. Summum tamen eſt album leue aridum guſtu incendens: & eſt igneæ virtutis & vnctualis. *Plinius lib.* 22. Radix & folium Indis in precio ſunt,& maximè radix coſti, guſtu feruens, odore eximio, frutice aliàs inutili. Duo ſunt eius genera, videlicet nigrum, & quod melius eſt candicans. *Auicenna libro ſecundo.* Coſti ſpecies ſunt tres, *Tres ſpecies.* vna eſt coſtum Arabicum, album, lænæ, aromaticum. Secunda eſt coſtum Indum nigrum, lænum amarum, grauis odoris, quod dicitur gariophilatum. Tertia ſpecies melior eſt, cuius eſt odor pini, & tendit ad nigredinem Coſtum Romanum habet latum odorem: bonum autem coſtum quandoque falſificatur cum ænuledinis radicibus, & propter hoc non mordicat linguam, nec habet odorem fortem. Eſt autem melior album recens, plenum, non corroſum:

deinde

deinde Indum nigrum ixne. Eſt autem melius marinum ſubtiles habens cortices, & eſt coſtum calidum in tertio, ſiccum in ſecundo. In ipſo eſt amara qualitas & acris valde, & caliditas, & acredo adeo vt vlceret: ipſum confert omni morbo indigenti calefactione, & vt ex illo extrahantur humores de profundo: abſtergitque pannum cutis, linitum cum aqua & melle. Amarum coſtum vlcera exiccat humida: confert mollificationi neruorum, & contritioni lacertorum, & iſchiaticæ ſuperpoſitus, vt emplaſtrum: confert etiam lithargiæ, pectoriſque doloribus: & prouocat menſtrua bibitum: prouocat etiam vrinam, & extrahit aſcharidas, ac vermes. Rigore quoque confert in febribus, cum oleo linitum: confert iterum morſibus omnibus, ſc. morſui viperæ, cæteriſque cum bibitur cum vino vel abſynthio. Oleum de coſto iuuentam in capillis conſeruat: in diuerſitatibus diſpoſitionum peſtilentiæ iuuat. Odorem vaſis & aeris efficit bonum: remouetque velociter pruritum & ſcabiem. *Platearius.* Coſtum eſt calidum & ſiccum in tertio gradu. Indicum eſt ſubruffum & violentius, quo caremus. Arabicum autem album, & temperatius, quo vtimur. Eligendum eſt autem illud quod cum frangitur non facilè puluerizatur: & habet ſaporem amarum ponticitati mixtum. Nam illud quod cum linguæ applicatur à pōticitate & amaritudine deficit, & minuta foramina interius habet, abijciendū eſt: poteſt autem ſeruari per annos x. virtutem habet confortandi ex ponticitate, & diureticam ex qualitatibus ſuis, & amaritudine. Quod enim ex qualitatibus ſuis diſſoluit, ex ponderoſitate ſua comprimendo educit: contra duriciem ſplenis & hepatis ex frigida cauſa datur vinum decoctionis eius. Ad conceptum iuuandum, qui ex frigiditate impeditur, valet puluis eius cum oleo confectus, ſi bombix intinctus ſupponatur. Prodeſt etiam contra dolorem ſtomachi emplaſtrum ex eodem & alijs rebus confectum: contra dolores capitis ex frigida cauſa, vt eſt cephaleia, datur vinum decoctionis eius, & contra lumbricos puluis eius cum melle confectus. Electuarium quoque quod diacoſtum dicitur, præcipuè ad ſplenem valet.

Curatio iſchiatica, & lethargia.

Peſtilentia.

Cephaleia.

A B C

De Dauco.

CAP. LXV.

Iſidorus. Daucus eſt herba folijs fæniculi ſimilis, thyrſo bipalmis. *Plinius lib. 25.* Dauci differentiæ ſunt duæ. Probatiſſima eſt in Creta, mox in Achia: & in ſiccis vbicunque fæniculi ſimilitudine, candidioribus folijs & minoribus, hirſutiſque recto caule pedali, radice guſtus, & odoris ſuauiſſimi. Hæc in ſaxoſis naſcitur meridianis: reliqua genera naſcuntur vbique, terrenis collibus limitibuſque niſi pingui ſolo, folijs coriandri, caule cubitali, capitibus rotundis, ſæpe pluribus quam ternis, radice lignoſa, ſed cum inaruerit ſuperuacua. Semen eius cymino ſimile, prioris milio, album, & acre, odoratum, omnibus ac feruens. Secundum quoque priore vehementius eſt, ideoque parce ſumi debet. Sed iam tertium genus libeat facere, ſimile eſt ſtaphylino, quod vocant paſtinacam erraticam, oblongo ſemine, dulci radice. Omnia hæc & hieme, & æſtate ſunt intacta quadrupedibus, niſi poſt abortus. Ex alijs vſus ſeminis. Ex Creta dulcis, & ad ſerpentes magis eſt: drachma vna datur à ſerpentibus percuſſis. *Dioſcorides.* Daucus eſt calidę virtutis & extenuatoriæ: vrinam & menſtrua prouocat, partum educit. Habet folia fæniculo ſimilia, ſed minora & tenera: virgam que duarum palmarum, in qua eſt caput ſimile coriandro: florem habens album, in quo ſemen eſt quaſi piloſum in magnitudine milij, minutum, & guſtu aſperum, viſcidum & odoratum. Radix eius eſt vno digito craſſa, duabus palmis longa. Naſcitur in locis aſperis & ſolanis. Sed vnum eſt Dauci genus apio agreſti ſimile, odoratum viſcidum & calidum: melior eſt autem Cretica de qua ſupra diximus. Eſt & tertium genus habens folia coriandro ſimilia: & in florem album, in cuius capillo ſemen eſt ſimile anetho. Eſt etiam aliud quod ſemen habet oblongum & graue, ſicut cyminum agreſte: & eſt calidius cunctis ſupraſcriptis ſeminibus. Bibitum menſtruis imperat, vrinam prouocat, tortionibus ſubuenit, ad omne vitium thoracis idoneè facit. Tuſſientibus effectum tribuit: percuſſionibus ſphalangiorum occurrit. Tuſſi veteri & torminoſis proficit, cataplaſmatibus adhibitum puſtulas & tumores compeſcit. Omnia ſemina cum vino bibita faciunt contra morſus ſerpentium ac venena.

Probatiſſima.

Multa genera Dauci

D E

Effectus.

Sphalangiarum ſiu Tarantularum percuſſura ſanatio.

Conſtan. vbi ſup. Daucus eſt calida in initio tertij gradus, & ſicca in ſecundo. Febrem phlegmaticā, & morſus reptilium, ac pleureſim & hydropiſim curat: vrinā & menſtrua prouocat. Eius poſima potui datū pectus à ſcreatibus mundat: craſſos inteſtinorum humores diſſoluit: vnde ventris dolores ac torſiones amputat. Idem ſplenis & hepatis aperit oppilationem. Et ſi cū apij ſemine miſceatur, eius actio fortior efficitur. *Platearius.* Daucus eſt calida & ſicca in tertio gradu. Et duplex eſt eius modus: videlicet daucus Cretica, ſic dicta, quia in Creta reperitur præcipuè, & eſt maioris efficaciæ. Et daucus aſinina, que præcipuè aſinorum eſt cibus: hæc & pro Cretica ponitur, quia illa rata habetur. Habetque daucus maiorem efficaciam ſecundum herbam & flores: nullam vero vel modicam ſecundū radices: herba itaque cum floribus debet colligi, & abiectis radicibus in vmbroſo loco deſiccari. Per annum in multa ſeruatur efficacia. Virtutem habet diſſoluendi & conſumendi, & attenuandi ex qualitatibus ſuis, diureticam ex ſuſtantia ſubtili. Contra frigidum aſma, & frigidam & humidam tuſſim datur vinum decoctionis eius ficuumque ſiccarum, & contra ſtomachi dolorem ex ventoſitate vel frigiditate: contra ſtrāguriam & diſſuriam. Et contra cholicam & iliacam vinum decoctionis eiuſdem ex ſaxifrage. Contra oppilationem ſplenis & hepatis ex frigida cauſa, & hydropiſim fit ſyrupus ex ſucco fæniculi ac decoctione illius. Contra frigidum rheuma faccellatur caput ex puluere ipſius bene calefacto.

Daucus aſinina.

De Dictamo.

CAP. LXVI.

Iſidorus. Dictamnum tantæ potentiæ eſt, vt ferrum à corpore expellat, & ſagittas excutiat: vnde & eius pabulo feræ percuſſæ ſagittas à corpore inhærentes eijciunt. Hanc quidam Latinorum Polemon Martis dicunt, propter belli tela excutienda. *Platearius* Dictāmum expellit venenum: vnde præcipuè contra morſus venenatorum animalium datur ſuccus potui, & etiam vulneri imponitur, vel puluis, ſi ſuccus non habetur. Eſt autem hæc herba calida & ſicca in tertio gradu: huius radix maioris eſt efficaciæ quam herba, & viridis quam ſicca. Ex dictamno & alijs quibuſdam poteſt fieri confectio, quæ vice theriacæ probetur. Dictamnum etiam educit fœtum mortuum: valet & contra epilepſiam, & contra paralyſim. *Dioſcor.* Dictamnum multi dicunt eſſe pulegium agreſte, vel batin: herba eſt viſcida, & plus Cretica mordax, vt pulegium habet folia lanoſa: & ſuper omnem fruticem ineſt ei velut lana: ſed nec florem habet, nec ſemen: virtus eſt ei tanta quanta pulegio, ſed paulo viſcidior, quia ſi igni ſuperponatur, aut fumigio adhibeatur mortuos in vtero infantes excludit. Cui etiam tanta virtus eſt, vt à capreis vel aliquibus beſtiis ſagitta percuſſis ſi comeſta fuerit, ſtatim eam foris eijciat. Præterea pſeudodictamnum locis multis naſcitur, ſimile ſupradicto: ſed virtute inferius, quia minus viſcidum eſt, minoremque efficaciam habet. Eſt & aliud genus dictamni, quod habet folia ſiſimbrio ſimilia: ſed virgam maiorem. Super quam habet florem agreſti ſimilem, ſed maiorem nigrum & mollem. Eiuſque

Pſeudedictamnum.

folia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Virtus folia odorem habēt ſiſimbrij. Eſt autem dictamnum leptomenis & calefaciens læniter ac ſtringens ; pro prieque vrinam mouet, ac menſtrua producit, & odore ſuo incenſa viperas, & ſerpentes interficit.

Conſtantinus vbi ſupra . Dictamnum vulnera humoribus, & melancholiam mundificat, bibitum, aut ſuppoſitum menſtrua prouocat, ſecundinam & fœtū *Inuentio.* mortuum expellit. *Plinius li.* 25. Cerui, vt indicamus, dictamnum oſtendere, vulneratæ eo paſtæ ſtatim decidentibus telis. Non eſt alibi quam in Creta, ramis prætenue pulegio ſimile, feruens & acre guſtu : folijs tantum vtuntur, flos nullus ei eſt, ſemen vt caulis: radix tenuis & ſuperuacua. Et in Creta autem non ſpecioſè naſcitur, mireque à capris expetitur. Pro eo eſt & pſeudodictamnum, multis in terris naſcens, folio ſimili, ramulis minoribus, à quibuſdam condris vocatum. Minoris effectus ſtatim intelligitur dictamnū minima portione accendit os: qui eam leguntur in ferula vel arundine condunt: præligantque ne potentia euaneſcat . Sunt qui dicunt vtramque naſci multiphariam, ſed deteriores in agris pinguibus. Et verum quidem dictamnum, non niſi in aſperis . Eſt & genus tertium dictamni, nec caule, nec effectu ſimile folio ſiſimbrij, ramis maioribus: procedente illa perſuaſione, quicquid in Creta naſcitur infinito præſtare cæteris eiuſdem generis alibi genitis. proximè vero quod in parnaſſo: alioquin herbiferum eſſe, & Delium mōtem in Theſſalia, & electrium in Euboea, & totam Archadiam & Lycaoniam . Tradunt Acchades non medicaminibus vti, ſed lacte circa tempus veris, eo quod tunc maxime ſuccis herbæ turgeant, & medicentur vbera paſcuis . Bibitum autem lac vaccinum, eo quod boues omni hora fere in herbis ſunt: potentia earum per quadrupedes, etiam nunc claris exemplis manifeſta fit. Circa Abderam , & limitem qui Diomedis vocatur paſti rab e inflammantur equi: circa Pontiam vero & aſim. *Idem. in lib.* 26. Dictamnum ſagittas pellit potum & alia tela extrahit illitum.

De Dracuntio & dracunculo.

CAP. *LXVII.*

Serpentaria, colubraria. ISidorus. Dracontion dicitur , eo quòd haſta eius varia ſit in modum colubri: ſimilitudinemque Draconis imitetur, vel quod eam vipera timeat. *Platearius.* Dracontea quæ & ſerpentaria, vel colubraria dicitur calida & ſicca eſt: huius radix puluerizata valet ad faciem clarificandam. Idem puluis confectus cum ſapone & fiſtulæ impoſitus, foramen ampliat in tantum, vt os fractum vel putrefactum extrahi poſſit. Idem etiam puluis confectus cum calce viua, & aceto fortiſſimo optimus eſt ad cancrum , ita vt tertia pars ſit de calce.

Virtus. *Plinius lib.* 24. Dracunculum ſerpentes fugiunt, ideoque percuſſis prodeſſe potu aiunt. Succus eius & aurium dolori prodeſt. Id autem quod Græci dracontion vocant, triplici effigie mihi demonſtratum eſt: vnum folia betæ habere, non ſine thyrſo , flore *Figura varia.* purpureo. Aliud radice longa veluti ſignata articuloſaque tribus omnino cauliculis. Eius folia iubentur ex aceto decoqui contra ſerpentium ictus . Tertia folio maiore quam cornus, arundineæ radicis, totidem (vt affirmabant) geniculatæ nodis, quot haberet annos, totidemque eſſe folia: hi eam ex vino vel aqua contra ſerpentes dabant. *Idem in libro vigeſimoquinto.* cognoui nuper in agro hoſpitis ibi repertum dracunculum habentem caulem pollicali craſſitudine, verſicoloribus viperarum maculis, quem ferebant contra omnium morſus eſſe remedium . Alius eſt quem nos in priore volumine diximus. Sed huius alia eſt figura, aliudque miraculum ad primas ſerpentium vernationes bipedali fere altitudine de terra exeuntis, rurſumque cum eiſdem in terra ſe condentis. Nec omnino ſerpens apparet eodem occultato.

Dioſcorides. Dracontea vel vt alij dicunt eſclepras vel (vt latini) colubrina ſiue viperina, habet folia aſo ſimilia: ſed maiora & varia: Huius haſta duobus cubitis eſt longa, ſerpentis maculas habens purpureas, vt digitus ſolidas, in qua ſemen eſt botro ſimile, primo colore viride, poſt maturitatem vero color eſt ſimilis citri, & eſt guſtu mordax. Radix eius habet bulbi rotunditatem ſimilem aſaro cum tenui cortio. Naſcitur in vmbroſis locis & in hortis. Semen eius virtutem habet in ſucco. Nam dolores aurium compeſcit *Doloris aurium curatio.* addito ſibi oleo, lana inunctus & naribus additus polypoſis maximè prodeſt: cancros optimè curat. Seminis grana combuſta bibita caligines oculorum emendat: virtus radicis eius eſt calida , & electuarij more accepta tuſſibus & catarrhum habentibus maximum auxilium præſtat. Tumores thoracis curat ſi aſſa & cocta fuerit accepta. Sicca & in puluere tuſa melle addito facere poteſt omnia prædicta: vulnera ſordida purgat cum alba brionia. Fertur quod ſi quis ſe ex ea vnxerit, ab incurſu ſerpentium tutus erit. Aceto mixta, maximè maculas limpidat . Succus eius caligines detergit: ipſaque radix comeſta proficit: ad fiſtulam quoque facit: & cum vino data ventrem deducit: habet in ſe tamen aliquam ſtipticam virtutem cum parua acredine. Radix eius plus eſt operatiua: purgat enim viſcera, & extenuat pingues & glutinoſos humores & ad vulnera malitioſa medicamentum optimum eſt.

De ebulo & echino & echio.

CAP. *LXVIII.*

PLatearius. Ebulum eſt calidæ & ſiccæ complexionis. Cuius radicum cortices ac tuſiones præcipuè competunt vſui medicinæ. Cortices radicum eius in ve re colliguntur, ſole exiccantur, ac per annum ſeruantur. Habet autem virtutem diſſoluendi & conſumendi atque purgandi principaliter phlegma : vnde contra quotidianam de plegmate naturali, & etiam contra arthreticam & podagram, & chiragram datur *Contra podagram.* ſuccus radicum eius , vel ſaltem tuſionum cum eſulæ puluere, addito etiam ſaccharo, & etiam puluis radicum eius cum ſucco fæniculi : & præcipuè ſic valet contra leucophantiam. Porro contra tumorem extremitatum fit fomentum ex aqua ſalſa decoctionis radicum eius & tuſionum , vel etiam totius herbæ. Denique balneum ex aqua ſalſa decoctionis ipſius herbæ factum , valet contra arthreticam, & contra leucophantiam . *Plinius lib.* 26. Ebulum tenerum cum folijs tritum calculos pellit ex vino potum, teſtes quoque ſanat impoſitum. *Ex herbario.* *Echinum.* Ebulum facit ad ſplenem, & ad colubri morſum, & ad hydropiſim. Echinum naſcitur in locis montuoſis atque lapidoſis, habet folia Cameleonti ſimilia, teneriora & albidiora ſpiſſa & ſpinoſa . Caulem vero duorum cubitorum ſubalbidum & cauum. In cuius capite ſunt globi ſpinoſi. Semen eius cardui ſimile, rotundius & minutius. Huius radix tuſa & cribrata vrinam prouocat : liuores aufert . Decoctio eius in ore tenta dentium dolorem ſedat . Semen eius tuſum, & *Medicinalia.* ex aqua potatum morſibus prodeſt ſerpentium: hanc enim volunt homines effugere ſerpentes. *Echios.* Echios eſt herba quæ habet folia longa, tenuiſſima & aſpera. Ipſaque aſperitas ſimilis eſt ſpinis paruis : flores habet inter folia purpureos, in quibus eſt ſemen ſimile capiti viperæ. Radix parua & integra eſt quæ trita & cum vino potata, contra ſerpentium morſus, vel ante, vel poſtea prodeſt. Eſt autem vna vis herbæ & radicis ac ſeminis.

Plinius lib. 25 Echios pulegio ſimilis coronata folijs, datur dragmis duabus, ex vini quatuor cyathis. Altera vero quæ lanugine ſpinoſa diſtinguitur, cui &

capitula viperæ ſimilia ſunt: hæc ex vino & aceto datur. Quidam echion vocant perſonatam, cuius folio nullum eſt latius, grandes lappas ferentem. Huius radicem decoctam ex aceto potui dant, Cum folijs contuſa datur ex vino peculiariter contra aſpides.

De Helleboro albo & nigro.

CAP. LXIX.

Etymon. *Veratrum.*

Isidorus. Elleborum dicunt in Græcia, circa quendam fluuium huius nominis plurimum gigni, & inde à Græcis appellari: hanc alio nomine Romani veratrum dicunt, eo quod mentem moram in ſanitatem reducit ſumptum. Duo ſunt autem eius genera, ſcilicet nigrum & album. *Plin. li.* 25 Melampodis fama diuinationis artibus eſt nota, ab hoc appellatur vnum hellebori genus melampodion. Aliqui paſtorem eodem nomine tradunt inueniſſe, purgari capras ipſo paſtore animaduertente: datoque illarum lacte parotidas ferentes ſanaſſe. Quamobrem de omnibus eius generibus dici ſimiliter conuenit. Prima duo huius genera ſunt candidum ac nigrum: & hoc intelligi tradunt plerique radicibus tantum. Alij vero nigra folia dicunt platani ſimilia, minoraque ac nigriora, & pluribus diuiſuris ſciſſa, Alij betæ incipientis: hæc quoque nigriora & canalium dorſo rubeſcentia, vtraque caule palmi ferulaceo, bulborum tunicis conuoluto, radice fibrata cæparum modo. Nigro equi, boues, ſueſque necantur; ideoque cauent, cum candido tempeſtiuo veſcantur. Id tempeſtiuum eſſe tradunt meſſibus, In Oeta monte naſcitur plurimum. Et optimum vno eius loco circa Epyrum. Nigrum vbiq; prouenit, ſed melius in Helicone, qui mons & alijs laudatur in herbis. Probatur primo Oeteum candidum: ſecundo Ponticum: tertio Heliaticum, quod in vitibus naſci fertur: quarto Parnaſium, quod Ætolico adulteratur. Nigrum ex his melanpodion vocant, quo & domi ſuffiunt aſpergentes ſe, & pecora purgant. Cum precatione ſolemni hæc & religioſius colligitur. Nec album facilè colligitur caput aggrauans maximè, niſi allium præſumatur, & ſubinde vinum ſorbeatur, celeriterq; fodiatur: farina eorum per ſe, & mixta radiculæ, qua lanas diximus lauari, facit ſternuramentum. amboque ſomnum: leguntur autem radices tenuiſſimæ, breues, ac velut decurtatæ. Nam ſumma quæ eſt chariſſima, cæpis ſimilis, canibus tantum datur purgationis cauſa. Antiqui radicem corticemque carnoſiſſimam eligebant, quo tenuior eximeretur medulla; ſpongijs humidis opertam & turgeſcentem in longitudinem acu findebãt, deinde fila in vmbra ſiccabant. Optimum eſt quod acre guſtu, ac feruens exiſtit, & in frangendo puluerem emittit. Eiuſque vim ferunt durare xxx annis. Helleborum album habet folia arnogloſſę vel betæ agreſti ſimilia, ſed breuiora, & modicum obtuſa: haſta eſt ei longa duobus palmis, & villoſa, citiuſque ſolet marceſcere, quando ſiccari incipit, & ſicut capilli iunci ex imo radices prodeunt nigellæ. Naſcitur in locis montuoſis, & fodi debet veris tempore radix: vtilis autem eſt illa, quæ alba & tenſa, & fragilis, & plena, & acuta, & viſcoſa eſt. Quam cum fregeris velut fumum iactat: & eſt albior iutus, cum guſtu calido, nec valde ſaliuam prouocat: plus autem accepta, hominem ſuffocat. Melius eſt Quirinacium, & Italicum. His autem albidius eſt Cappadocium. Helleborum nigrum dicitur, aut polyrrhizon, aut melampodion, quia Melampus filias ſuas curauit ex eo: hæc herba folia quidem habet ſimilia platano, viridiora, ſed minora, ſicut affodillum: multis locis diuiſa, ſed nigriora & aſpera: virga eſt ei breuis, flores albi, & purpurei, ſarmento botroſo: hæc olim eſcamoides dicebatur, quia multi ea in purgationibus vtebantur. Naſcitur in locis, & aſperis, & ſiccis, & agreſtibus, eiuſ-

Folia albi arnogloſſa ſimilia. *Plus accepta hominem ſuffocat.* *Melampodij tymon.* *Optimum.* *Somni prouocatiuum.*

A

B

C

D

E

quę radices ſunt tenues ac nigræ, quarum maximus eſt vſus.

De vtriuſque virtute in medicinali operatione.

CAP. LXX.

Linius vbi ſupra. Helleborum nigrum alij vocant euchymon, alij polyrrhizõ. hæc per inferiora purgat. Candidum autem vomitione, cauſaſque morborum extrahit, quod Italici veratrum vocant. Nigrum medetur paralyticis, inſanientibus, hydropicis, veteribus podagris, articularijs morbis. Trahit aluum & bilem, & pituitas: oculorum caliginem fotu diſcutit. Strumas, ſuppurata, & duricias concoquit & purgat: itemque fiſtulas: pecorum & iumentorum pituitas ſanat, ſurculo per aurem traiecto, & die poſtero eadem hora exempto: hydropicorum ventri imponitur cum vino & farina hordeacea, ſcabiemque quadrupedis ſanat, cum ture ac cera vel cum piſſeleo. Album optimum eſt, quod ſternutamenta celerrimè mouet. Sed multum terribilis eſt, nigro præcipuè ſi quis apparatum potaturorum legat apud antiquos: contra horrores, ſtrangulatus, intempeſtiuas ſomni vires; ſingultus infinitos, aut ſternutamenta, ſtomachi diſſolutiones, Tardiores vomitus, longinquiores, exiguos, aut nimios. Alia quippe dari ſolent quæ vomitiones concitarent: ipſumque elleborum medicamẽtis, aut clyſteribus extraherent. Sæpè quoque ſanguine venis emiſſo: magno terrori ſunt hæc omnia & famæ. Namque tradunt abſumi carnem ſi coquatur vna. Cauendum eſt etiam fælici cura ne nubilo die detur: quo impatibiles exiſtunt cruciatus. Corpus ſeptem diebus ante præparandum eſt cibis acribus, abſtinentia vini, tertio & quarto die vomitionibus, pridie cænæ abſtinentia. Album induci datur, aptiſſimè vero in lacte & pulte. Nuper in vere diſſectis raphanis elleborum inſerere, rurſumque raphanos, vt tranſeat ius, comprimere, atque eius lenimento dare. Medetur ita morbis comitialibus, vertigini, melancholicis, elephantiæ albæ. lepris podagricis, incipientibus vſque tympanicis ſtomaticis, lymphaticis, inſanientibus tetano, tremulis, ſpaſmaticis, clinicis, quartanis etiam quæ aliter non deſinant, tuſſi veteri, inflammationibus ac torminibus redeuntibus, & iſchiaticis: vetant illud dari ſenibus & pueris, itemque mollibus, ac fœminei corporis, animæve exilibus, aut teneris aut timidis, & fœminis minus quam viris, minimè vero ſanguinem excreantibus. Medetur extra corporis eruptionibus & pituitæ cum axungia ſalis illitum, & mures necat polentæ admixtum. Galli ſagittas helleboro tingunt, à vulnere circumciſo teneriorem ſentiri carnem aſſerunt. Muſcæ quoque necantur albo trito, & cum lacte ſparſo.

Dioſcorides. Helleborum album tenue phlegma omneſque humores vomit, purgat, nobilibus miſcetur collyrijs, oculorum caliginem purgat, ſternutamenta prouocat. Et niſi polentæ vel ſilamo, vel ſuccopti ſanæ, vel caſiæ, vel alicæ, vel mulſæ, vel ſucco lenticulæ mixtum, vel in pane, coctura dari non poteſt: quia ſic ab antiquis medicis inuentum eſt. Cum aceto mixtum & ano ſuppoſitum nauſeam prohibet: ſed in vtero perimit infantes. Hellebori nigri radix eſt in maximo vſu. Eligenda eſt carne plena, quæ inter ſe habet colorem, guſtumque viſcidum & calidum Talis in Parnaſſo monte naſcituri hæc accepta choleram per ventrem purgat & phlegma. Alij ſcamoneam miſcent & ſal: multi vero viſcellis eam coquunt. & multi cum lenticula. Hæc purgatio medetur melancholicis & epilepticis, & arthreticis, & paralyticis: ſuppoſita menſtruis imperat: abortum facit: fiſtulas purgat impoſita & poſt triduum ſublata. Surdis auribus impoſitum reddit auditum. Scabies curat & in aceto cocta gargariſmo adhibita dolorem dentium mitigat.

Curat paralyticos &c. *Non detur die nubilo.* *Morborum variorum curatio.* *Contra nauſeam.* *Contra ſurditatem.*

Miſcetur

Miſcetur etiam ſtypticis medicaminibus. Et aqua in qua infuſa fuerit, ad expiationem aſpergitur domus. Cum foditur celerius faciendum eſt, quia fodientis tarditate viſum hebetat, aut dolorem capitis commouet.

Iterum de eodem.

CAP. LXXI.

Modus adminiſtrandi helleborum.

Perſonæ quibus dari debet.

Tempus quo ſumitur.

Contra verrucas.

Quibus venenum.

Contra vermes auriũ.

Vicenna. Helleborus niger fortioris acuitatis eſt quàm albus: habet crus breue ad purpureitatẽ declinans, & eius figura eſt ſicut racemi, in qua eſt fructus, & habet venas ſubtiles nigras, & quod de ipſo adminiſtratur ſunt iſtæ venæ. Melior eſt medius inter veterem & nouum, craſſum & extenuatum, habens colorem cinericium, velociter frangibilis, non ponderoſus, in cuius natiuitate eſt quoddam ſimile telæ araneæ, ſaporem acutum habens, & linguam mordicans: vt autem adminiſtretur, lignum paruum quod eſt apud radicem eius aſſumatur, & aqua parua infuſum excorticetur, Illique cortices in vmbra exiccentur, ſicque triti & cribellati adminiſtrentur. Nam calidus eſt ac ſiccus in ſecundo gradu, & eſt reſolutiuus. Eſt etiam fortis abſterſionis, ita quod carnem mortuam corrodit. De proprietatibus quidem helleborí, quod permutat corpus à ſua complexione, ipſumque facit bonam complexionem ac iuuenilem acquirere. Multi quidem ſumunt elleborum ad vomẽdum, non tamen vomere facit, nec ſoluit, ſed facit illud quod vomitus & ſolutio facit, Eiuſque conuenientia eſt ad viros, & virgines, & adoleſcentes, & fortiores, eoſque qui habent in corpore multitudinem Sanguinis, teneraſque carnes. Non autem conueniens eſt caſtratis neque mollibus. Et eſt conueniens in Martio, deinde in Septembri. Sic tamen vt tribus ante diebus abſtineatur à comeſtione craſſorum & potatione: & adminiſtrentur ea quæ delectari faciunt & gaudere, vt poſt cœnam bis aut ter euomatur, deinde aſſumatur. Linitur autem ſuper morpheã cum aceto, & ſuper loca ſordida, & eradicat verrucas. Linitur quoque albus & niger cum lacte ſuper ſe abiem & impetiginem. Valet etiam linitus eius ad excoriationem: viſum confortat, & alia plurima remedia præſtat. Hellebori albi amaritudo vehementior eſt quàm nigri: planta eius eſt ſicut arnogloſſa vel cycla ſilueſtris, ſed breuior, rubei coloris: longitudo eius eſt vſque ad quatuor digitos: & habet venas ſub vna radice plurimas. Naſcitur in locis montuoſis: colligitur & ſiccatur in tempore meſſis. Eligendus eſt qui ſuperficiem habet planam, albus, velociter frangibilis: habens minuta grana plurima: non ſtatim vehementer mordicans linguam, & qui attrahit ſaliuam. Natura calidus & ſiccus eſt in medio ſecundi gradus. Si vermis eum comederit, moritur. Fortiter confortat, ſed in ipſo eſt timor, quia præfocat puluerizatus, & odoratus ſternutationem excitat: viſum acuit, & in pane ponitur vt vomere faciat. Venenum eſt canibus & porcis.

Platearius. Helleborus eſt calidus & ſiccus in tertio gradu: contra quotidianum de phlegmate naturali & phlegmate vitreo, & arthreticam, & podagram, & chiragram valet oxymel factum de radice hellebori albi. Factum vero de radice nigri, valet ad purgandum melancholiam & quartanam. Ad vermes aurium expellendos conficitur modicum puluerís hellebori cum ſucco perſicariæ auribus imponitur, & ſtatim exeunt. Idem puluis ſuperpoſitus carnem ſuperfluam corrodit: valet & contra furfuriſcas capitis & pediculos, & contra ſcabiem. Sed & contra lethargiam & epilepſiam prouocatur ſternutatio ex puluere naribus immiſſo, & in panno poſito, & ad nares pertuſo. Dioſcor. dicit, quod ſi puluis eius cum farina & aqua miſceatur, & fiat tortellus, mures occidit, ſi inde comedant. *Conſtantinus vbi ſupra.* Helleborum album cum vomitu mundat ſtomachum. Sed poſt modicum cibum id dare conuenit, ne ſtomachus inanitus ſit. Puluerizatum aqua mixtum, & in circuitu domus perfuſum, muſcas necat: & cum aceto mixtum allopeciam curat. Nigrum vero tribus diebus poſitum foraminã mundificat hemorrhoidarum.

De Heliotropio.

CAP. LXXII.

Etymon.

Solſequia.

Verrucaria.

Scorpion.

Contra ſcorpiones.

Quartanas.

Podagras.

Contra calorem hepatis.

Iſidorus. Heliotropium primo nomen accepit ex eo, quòd æſtiuo ſolſtitio floreat, & quod ſolis motibus folia circumacta conuertat: vnde & à latinis *ſolſequia* nuncupatur. Nam & Oriente Sole flores ſuos aperit, & ſe iterum recludit cum ſol occubuerit. Ipſa eſt quam *intubum ſiluaticum* latini vocant. Hæc & *verrucaria* dicitur, quòd ex aqua potata verrucas extinguit, vel in cataplaſmate abſtergit. *Dioſcorides.* Heliotropion maius *ſcorpion* dicitur à multis, eo quòd eius flores ſimiles ſint figuræ ſcorpionis. Ex hoc autem nomine heliotropium accepit, quod ſemper curſum ſolis reſpicit. Habet folia ocimo ſimilia, ſed aſperiora & nigriora. Haſtas habet ex vna radice quinque, vel ſex, cum ramulis quàm plurimis, in quibus ſunt flores albi ac ſub purpurei coloris, ac ſubcurui, ſicut eſt cauda ſcorpij. Naſcitur in locis aſperis, eiuſque radix tenuis eſt & inutilis. Manipulus vnus ex ipſo elixus & bibitus choleram & phlegma deponit. Cum vino bibitum ſcorpionum ictibus occurrit. Cataplaſmatibus adhibitum idem facere poteſt. Multi quoque radicem eius in collo ſuſpendunt contra vim ſcorpionum. Seminis eius quatuor grana cum vino bibita ante acceſſionem, maximum eſt remedium quartanarijs. Tria quoque grana vtiliter dantur tertianarijs. Folia in cataplaſmatibus adhibita tumores ſpargunt: myrmicas corporis purgant, & corporis clauos limpidant. Sicca vero eius folia podagricis impoſita maximum præſtant effectum: eademque trita & matrici ſuppoſita menſtruis imperant, ſed faciunt abortum. Heliotropium vero minus naſcitur in locis cultis, & in pratis, & eſt ſimile ſupradicto. Semen habet rotundum & pendens. Huius herba cum ſemine decocta: & cum nitro & hyſſopo & cardamomo bibita, rotundos lumbricos & latos excludit: clauos impoſita cum ſale tollit, maximè ſi elixata, & ſic impoſita fuerit.

De hepatica & heraclio.

CAP. LXXIII.

Etymon.

Contra calorem hepatis.

Platearius. Hepatica eſt quædam herba creſcens in locis aquoſis & præcipuè lapidoſis: habet minuta folia, terræ lapidibuſque adhærentia. Et dicitur hepatica, quia præcipuè hepatis eſt iuuatiua. In primo gradu frigida & ſicca eſt, & quæ habet maiora folia melior eſt: habetque virtutem infrigidandi, & ex ſubtilitate ſubſtantiæ ſuæ confortandi, Eſt etiam diuretica: vnde aqua decoctionis valet contra opilationem hepatis & ſplenis ex calida materia, & contra hepatis calorem & ictericiam. Syrupus etiam factus ex aqua decoctionis eius, addito rheubarbaro in fine decoctionis contra icteritiam eſt optimus. Sed & in omnibus aquis ex quibus ſyrupus fit contra calefactionem hepatis, poni debet hepatica, multum enim iuuat. Iterum contra calida apoſtemata valet in principio trita & ſuperpoſita. Operatur enim repercuſſionem.

Plinius, libro 20. Heracli tria ſunt genera, vnum eſt nigrum folijs latioribus glutinoſum, Alterum exilioribus folijs mollibuſque ſanſucco non diſſimile, quod aliqui praſium malunt vocare. Tertium inter

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

hoc medium eſt, minus quàm cætera, ſed efficax. Optimum creticum eſt, nam & iucundè olet, proximum vero Smyrnæum: deinde heracleoticum ad potum vtilius, vſus autem eius eſt ſerpentes fugare, petuſſis eſui dare: eoque decocto ruptis conuulſis mederi, cum panacis radice, hydropicis quoque valet cum fico & hyſſopo decoctum. Itemque ſcabiem & pruriginem ſanat in deceſſione balnearum. Succus eius cum lacte infunditur & capitis vlceribus medetur, venena opij & gypſi extinguit, ſi decoctum cucumere, aut vino bibatur, aluum mollit: idemque dentium dolori proficit, & ſanguinem narium ſiſtit. Ad parotydas cum hordeacea farina coquitur: ad arterias aſperas cum melle & ſale: craſſiores pituitas extenuat: coctumque cum aceto & ſale ſumptum paulatim regium morbum medicat, & tritum cum oleo in nares funditur. Lapſi ex eo purgantur, ita vt venter accingatur, furunculos aperit cum fico, ſtrumas cum farina hordeacea & oleo, & aceto. Lateris dolores curat cum fico illitum, fluxiones ſanguinis in genitalibus tuſum, & reliquias purgationum à partu cum aceto illitum. *Dioſcorides.* lithos & heraclion vocatur propter fortitudinem ſeminis eius: habet folia oliuę ſimilia, ſed latiora & oblonga, tenueſque virgas in craſſitudine iunci lignoſas: in ſummo virga eſt diuiſa, in qua folia ſunt minuta, vbi & ſemen piſo ſimile, rotundum, lapidoſum, & album. Naſcitur in locis aſperis & altis, eiuſque virtus eſt vnctualis. Semen eius cum albo vino bibitum calculos pellit, & vrinam prouocat.

Vſus medicinalis varius.

Contra calculum.

De Equicauda & eſula.

CAP. *LXXIIII.*

Vicenna. Equicauda eſt planta in locis concauis & in conuallibus naſcens, ſtipites concauos ad rubedinem declinantes aſperos & duros habens. Eſt autem nodoſa cum nodis intrantibus, & apud nodos ſunt folia vt ſquinanti minuti eſt ſpiſſa, & adhæret arbori cui appropinquat. Deinde plutes extremitates generantur ex ea, ſicut eſt cauda equi. Habetque radicem duram, & frigida eſt in gradu primo, ſicca in ſecundo. Eſt itaque ſtyptica proprièque ſuccus eius. Eſt & vehementis exiccationis abſque mordicatione: & ad fluxum ſanguinis iuuatiua valde: vulnera & vlcera mirabiliter conſolidat, & ſi ſunt in eis nerui etiam confirmat. Quando linitur, aut ex ea fit emplaſtrum confert attritioni medij lacertorum, ad inteſtina quoque fit emplaſtrum ex ea: denique confert apoſtematibus hepatis & ſtomachi. *Platearius vbi ſupra.* Eſula frutex eſt, cuius tantum vſui medicinæ competunt radicis cortices. In vere colliguntur, ac per biennium in efficacia multa ſeruantur, ſed melius eſt vt annis ſingulis renouentur. Eſt autem calida & ſicca in tertio gradu. Virtutem purgandi habet humorem phlegmaticum principaliter. Vnde contra ægritudines phlegmatum valet, & inter illa quidem quæ purgant acumine ſuo, poſt ſcamoneam, eſula vtilis eſt: ac ſecurius dari poteſt, nec multum abhominabilis eſt. Itaque contra quotidianam de phlegmate naturali, arthreticam, podagram, chiragram, paralyſim, & iliacam paſſionem, & etiam, leucophantiam vtiliter datur, puluis eius cum alijs rebus confectus, etiam ſanis ad preſeruationem, delicatis etiam qui medicinas abhorrent ponitur puluis eius cum carnibus decoquendis.

Temperamentum.

Eſula.

De Euphorbia.

CAP. LXXV.

Iſidorus. Euphorbia dicta eſt, eo quòd ſuccus eius oculorum acuat viſum. Eius tanta vis eſt, vt duris carnibus ſuperadiecta citius coqui compellat. Naſcitur in ſocis multis, ſed plurimum in Mauritania. *Solinus:* in latere montis Atlantis eſt herba euforbia copioſa, cuius fructus ad ocularium proficit claritatem, nec mediocriter percellit vim venenorum.

Plin. li. 25. inuenit Rex Iuba quam appellauit euphorbiam: medici fratris ſui nomine. Itidemque fratres inſtituere à balneis multa frigida corpora aſtringi, cum antea non eſſet mos niſi calida tantum lauari. Extatque Iubæ volumẽ & clarum præconium de hac herba, quam in monte Atlante inuenit: & ſpectatur folijs achantinis. Vis eius tanta eſt, vt etiam è lõginquo ſuccus excipiatur inſciſæ cõto ſuſcipitur excipulis ventriculo hędino lactis humor effluere videtur. Siccatur conto & ſic thuris effigiem habet. Qui colligunt clarius vident: medeturque contra ſerpentes; quacunque parte percuſſa, vertice inſciſo & medicamento addito, ibi Getuli qui legunt hedino lacte adulterant: ſed igne diſcernitur. Id enim quod ſincerum non eſt, faſtidioſum odorem habet.

Virtus.

Conſtantinus vbi ſupra. Euphorbia eſt calida & ſicca in tertio gradu, vrit & attenuat. Ideoque phlegma viſcoſum inſcidit & purgat, & in quocunque loco corporis, anguſtiam & ſiccitatem ac decoriationẽ generat: propter hæc eius acumen oportet mitigari cum bdellio, cinamomo, ſpica, coſto, & huiuſmodi. Euphorbia cum melle collyrizata prodeſt cataractis oculorum. Item cum oleo temperata & gurtatim auribus inſtillata, ſonitum & grauedinem doloreſque amputat, cum aromatibus in potione bibita iſchyaticos curat: & cum oleo veteri temperata allopeciam veterem ac ventrem ſanat. *Diaſco.* Euphorbia ſimilis eſt ferulæ albæ, naſcens in Mauritania Cæſarienſi, quæ plurimum lachrymam facit viſcidam valde. Optima eſt recens, ſubalbida, glutinoſam, linguam vehementer ſubmordens, & quæ ſubſtratis pellibus legitur, non autem quæ in terram cadens. Virtus eſt ei calida cauſtica diaphoretica. Collyrijs nobilibus miſcetur: dolores iſchyaticos curat. Oſſa confracta impoſita eijcit. Sed cauendum eſt, ne carnem aliquo modo tangat. Valet hydropicis & cholicis, & in omnibus frigidis. ventris autem choleram turbat: & ſitim grauem facit, quia ſiccatiuæ virtutis eſt. *Auctor.* Notandũ quod tam herba quàm ſuccus eius appellatur euphorbiam: vel ipſa herba propriè dicitur euphorbia, euphorbium autem ſuccus: de quo etiam inter ſuccos herbarum inferius dicetur.

Prodeſt oculis.

De Eupatoria.

CAP. *LXXVI.*

Vicenna. Eupatorium eſt ex herbis aromaticis habens folia ſicut canabis. Flos eius eſt ſicut nenufar: & illud quod ex eo adminiſtratur, eſt ſuccus eius. Nam calidum eſt in gradu primo, ſiccum in ſecundo. Eſt autem ſubtiliatiuum & inciſiuum valde. Abſterſiuumque non eſt ſine manifeſta caliditate. In ipſo eſt panca ſtypticitas & ponticitas, & amaritudo aloes. Bonum eſt vitio allopiciæ atque tyriæ: & ſuper vlcera difficilis conſolidationis linitur cum veteri adipe. Eiuſque ſuccus ſcabiei confert ac pruritui, quando bibitur cum aqua terræ & oxymelle: ſimiliter flos eius, ſed fortior ſuccus ipſius. Confert doloribus hepatis & eius oppilationibus, ipſumque confortat: duritiei quoque ſplenis confert, ac ſtomachi apoſtematibus. Herba etiam & ſuccus conferunt maliciei formę & accidentibus. Iterum in potum cum vino datur, & confert inteſtinorum vlceribus. Confert iterũm in febribus chronicis & antiquis: proprièque ſuccus cum ſucco abſynthij. *Plinius lib. 25.* Eupatoria regiam auctorita-

Doloris hepatis curatio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tem habet: caulis lignoſi, nigricantis, hirſuti, cubitalis aliquãdo,& amplioribus folijs per interualla quinque: & in ipſa ſunt, vt cannabis per ambitum inſciſis quinque partito, nigris & ipſis plumoſiſque, radice ſuperuacua. Semen eius in vino potum auxiliatur vnicè dyſſintericis. *Dioſcor.* Eupatorium eſt frutex ſarmentoſa: cuius haſta recta eſt & lignoſa tenuis ac nigra & aſpera, cubiti longitudine vel amplius porrecta, folia ſicut pentaphyllo, aut canabi, ſunt in gyro diuiſa, & in capite inciſa ſunt, vt ſerra. Semen autem in media haſta eſt aſperum, & ſubtus decliuum. Follia eius ſicca cum axungia porcina veteri trita & impoſita ad cicatricem ducunt vulnera dura. Semen eius & folia bibita cum vino dyſſentericis ac morſibus venenatis occurrunt medicando. *Conſtantinus vbi ſupra.* Eupatorium eſt calidum in primo gradu, ſiccum in ſecundo. Extenuat & mundificat: inde mitigat hepatis colorem, eiuſque ſoluit duritiem, & aperit oppilationem.

Temperamentum.

De Ferula.

CAP. *LXXVII.*

Etymon.

Iſidorus. Ferula dicta eſt à medulla. Nam illã Varro tradit ferulæ eſſe medullam, quam Græci appodelan vocant. Nonnulli autem à feriendo ferulam vocant. Hac etenim pueri vapulare ſolent. Huius ſuccus galbanum eſt. *Plinius lib.* 13. Ferula naſcitur locis caſidis atque trans maria geniculatis nodata ſcapis. Duo ſunt eius genera. Nartheca Græci vocant aſſurgentem in altitudinem. Nartheciam vero ſemper humilem: à genibus exeuntia folia ſunt maxima vt quæque terræ proxima. Cætera natura quæ aneto & fructu ſimilis. Nulli fruticum leuitas maior eſt. Ob id geſtata facilius baculorum vſum ſenectuti præbet. Semen ferulæ tapſiam quidam vocauere decepti, eo quod ferula ſine dubio eſt tapſia, ſed ſui generis: fæniculi folijs, inani caule: nec baculi longitudine excedente ſemen quaſi ferulæ. Ignem ferulis optimè ſeruari certum eſt: & ob id eas in Aegypto præcellere. *Idem in lib.* 20. Semen ferulæ aneto eſt ſimile, quæ ab vno caule diuiditur cacumine, fœmina putatur. Caules eius decocti eduntur. Cum amurca ac melle ſtomacho vtiles comeduntur, Sin autem plures ſumpti fuerint, dolorem capitis faciunt. Radix eius denarij pondere in duobus vini cyathis aduerſus ſerpentes bibitur, ipſaque radix imponitur Sic & torminibus medetur. Ex oleo autem & aceto contra ſudores immodicos, vel in febribus proficit. Aluum ſoluit ferulæ ſuccus fabæ magnitudine deuoratus. E viridi ferulam ramuſculus vtilis eſt ad omnia ea vitia. Ad ſanguinem ſiſtendum decem grana ſeminis bibuntur in vino trita vel medulla. Sunt qui comitialibus morbis dandum putant Luna quarta, ſexta vel ſeptima, lingulę menſura. Natura ferularum murenis infeſtiſſima: tactæ quidem ea moriuntur. Caſtor radicis ſuccum etiam claritati oculorum conferre multum putat. *Dioſcor.* Ferula viridis hæmoptoicos & cæliacos maximè iuuat: cum vino potata morſibus venenatis occurrit. Tuſa & impoſita fluxum ſanguinis vulnerum ſtringit. Semen eius bibitum torſionibus medetur. Idem cum oleo tritum & perunctum ſudorem commouet: huiuſmodi virgæ comeſtæ capitis dolorem commouent: in ſale vero poſitæ comedi poſſunt.

Narthex. Narthecia.

Tapſia.

Valet contra ſerpentes.

Nocet murenis.

De philanthropo.

CAP. *LXXVIII.*

Ratio nominis.

Dioſcorides. Philanthropos Grecè dicitur herba, quæ latine, dicitur ylarpago purpurea. Ipſa eſt aparmen, virgas habens multas, longas, raras, & aſperas, folia vero rara & in ordine poſita. Semen eſt illi album, rotundum, durum, & paruum. In medio ſicut vmbilicus pertuſatum, florem habet album, circa muros & hortos naſcitur, eiuſque folia veſtibus tranſeuntium inhærent, & ob id philanthropos dicitur: huius herbæ ſuccus & virgarum ſeminis eius, morſum ſphalangionum, & venenis occurrit cum vino bibitus. Idem quoque ſuccus aurium dolorem mitigat infuſus, herba vero axungia mixta ſpargit ſcroffas, folia eius conſtringentis ſunt virtutis, propterea fluoris ſanguinis cataplaſmati appoſita medentur, ac rei cohærenti miſcentur. *Plinius lib.* 24. Perphilantropõ herbam græci naſutheum appellant, eo quod veſtibus adhæreſcat, & ex hac impoſita corio dolores capitis ſedantur. *Idem in lib.* 27. Apparinen quam alij philanthropon vocant, eſt herba ramoſa & hirſura, quinis ſeniſve in orbem circa ramos folijs per interualla. Semen habet ſubdulce, rotundum, durum & concauum. Naſcitur in agro frumentario vel in hortis pratiſve, aſperitate etiam veſtium tenax. Efficax ſemen poto ex vino contra ſerpentes atque phalangia, folijs eius impoſitis, abundantia ſanguinis ex vulneribus reprimitur, & ſuccus eiuſdem auribus infunditur.

Contra phalangia.

De Filice ac filipendula.

CAP. *LXXIX.*

Iſidorus. Filix eſt herba à ſingularitate folij appellata, ex vna denique virgula cubitali altitudine, ſciſſa gignuntur folia, reſimplicata velut penna. *Plinius vbi ſupra.* Filicis duo ſunt genera, nec florem, nec ſemen habentia, vnũ Græci pterin vocant. Alij vero blachnõ dicunt. Cuius ex vna radice quam plures filices exeũt, bina quoque cubita excedẽtes longitudine, non graues odore, hanc matrem exiſtimant. Alterum genus Græci vocant thelipterin, Alij vero nympheopterin. Eſt autem ſingularis & non fruticoſa, breuior ac mollior & denſior folijs, ad radicem canaliculata. Vtriuſque radice ſuesi; pinguescunt, folia vtriſque lateribus pinnata ſunt: vnde & Græci nomen impoſuerunt. Radices vtrique longæ ſunt, in obliquum, nigrę, præcipuè cum inaruere. Naſcuntur vbique ſed maxime frigido ſolo, virgilijs occidentibus debent effodi, & ſole oportet illas ſiccari, vſus radicum in trimatu tantum, nec antea, nec poſtea. Intraneorum animalia pellunt, & ex his tineas cum melle, cætera ex vino dulci triduo potæ ſtomacho inutiliſſima eſt, vtraque aluum ſoluit primo trahens bilem, mox aquam melius tineas cum ſcamonij pari pondere. Radix eius duorum obulorum pondere ex aqua poſt vnius diei abſtinentiam bibitur, melle præguſtato contra rheumatiſmos. Neutra mulieribus danda eſt, quia grauidis abortum, cęteris ſterilitatem facit, farina eorum inſpergitur tetris vlceribus. Iumentorum quoque cerui cibus: folia cimicem occidunt, ſerpentem non recipiunt. Ideoque ſubſterni vtile eſt in locis ſupectis, huius etiam herbæ diſcrimen medici fecere. Optima eſt Macedonica ſecunda vero Caſſiopea.

Thelipteris nympheopteris.

Tempus effodiendi radicem filicis

Contra tineas.

Cimices.

Raſi in Almanſore. Childarum, ideſt filix calida eſt & expellit aſcharides. *Platearius.* Filipendula in tranſmarinis partibus & in Apulia in locis mõtuoſis & calidis reperitur, quæ alio nomine fiſalidos appellatur. Calida eſt, & ſicca in gradu tertio. Radix eius præcipuè competit vſui medicinæ. In fine Autumni colligitur, ac per annos decem in efficacia multa ſeruatur, habet virtutem diureticam ex ſubſtantia ſubtili, & ex qualitatibus ſuis. Contra vitium lapidis, ſtranguriam & dyſſuriam, paſſionem iliacam, præcipuè valet electuarium quod ex ea conficitur, ſcilicet philotropium ad idem quoque valet viuum dececoctionis eius. Cõtra dolorem ſtomachi ex cauſa frigida vel ventoſitate datur puluis eius cum fæniculi pulnere, teſte Dioſcoride, & contra frigidum aſma puluis eius in cibis & potibus cum puluere gentianæ.

Filipendula.

De Flammula & folio.

Cap. *LXXX.*

Idem, Platearius: Flammula dicitur, quia virtutem habet incenſiuam. Et eſt calida & ſicca in tertio gradu viridis eſt multæ efficaciæ, exiccata vero nullius ad cauterium ſiue iguem faciendum, flammula conteritur, & ſuper locum ponitur, ac per diem dimittitur, ſic poſtea cutis combuſta reperitur, ad apoſtema rumpendum quando verſum eſt ad ſaniem, & caput eſt durum, hæc cum ſquama ferri conteritur, & cum oleo ſupponitur Oleum ſiquidem apponitur ad relaxationem, ne multum flammula deſiccet Contra quartanam etiam & artheticã interius operatur quid- B
Virtus. dam. Oleum roſaceum ex ea confectum contra iliacã valet in cibis, vel alio modo ſumptum. Idem quoque valet exterius inũctum contra dolorem arthreticum, & iliacam, ſtranguriam, & dyſſenteriam, contra vitiũ
Folium. lapidis per clyſterem iniectum. *Iſidorus*. Folium dictũ eſt, eo quod ſine radice innatans in Indiæ litoribus colligatur. Quod in ligno perforato ſiccant Indi atque reponunt. Fertur autem herba eſſe parad ſi guſtu nardum referens. *Dioſcorides*. Folium in India naſcitur locis humidis & paludoſis. Colliguntur autem folia in aqua ſupernatantia, optimum eſt leue, albidum, viſcidum, ſuauiter olens in modum ſpicæ, guſtum nardi referens. *Conſtantinus vbi ſupra* Foliũ eſt C
Temperamentum folij. calidum in gradu ſecundo. ſiccum in tertio. Stomaticis & hepaticis valet Confortatiuum enim eſt: inflationem diſſoluit, vrinam prouocat. Idemque cataplaſmatum apoſtemata diſſoluit oculorum. *Auicenna*. Folium proximum eſt virtuti ſpicæ, ſed leuius & habet florem frangibilem. In India naſcitur, & ſuper faciem aquæ erigitur abſque ſuſpenſione radicis: calidum & ſiccum in tertio. Spatſum in pannis conſeruat eos à tineis: ſub lingua tentum odorem oris efficit
Valet contra tineas. bonum. Ex eo cum aqua toſata decocto fit emplaſtrum ſuper apoſtema calidum. Confert etiam ſtomacho & hepati, & vehementer vrinam prouocat: loco eius in medicina ponitur pondus ipſi de macis vel de ſpica. Oleum eius habet virtutem olei de croco, ſed fortius eſt.

De Fu & fuco.

Cap. *LXXXI.*

Iſido. Fu herba in Ponto naſcitur folijs oleaſtro ſimilibus. *Platearius*. Fu eſt herba quæ alio nomine dicitur. *Valeriana*, in ſecundo gradu calida & ſicca.
Valeriana. In æſtate radices eius colliguntur & ad ſolem exiccãtur ac per triennium in efficacia multa ſeruantur. Radix tantum in medicinis ponitur. Eligẽda eſt illa quæ ſolidam intus habet ſubſtantiam & non perforatam: quæ cum frangitur, non puluerizatur, habetque virtutem diureticam: vinum decoctionis eius datur contra ſtranguriam, & dyſenteriam, herba etiam ipſa in vino cocta & ſuperpoſita prouocat vrinam: ad confortandum digeſtionem, & ad dolorem ſtomachi ex frigida cauſa vel ventoſitate, datur vinum decoctionis eius, & ſeminis fæniculi vel maſticis, cum ſucco alicuius herbæ diureticę. Contra vitium pectoris ex frigida cauſa datur vinum decoctionis eius vel aqua. Ad ſuperfluitatem matricis mundificandam, fit ex ea fomentum vel etiam ſuppoſitorium. *Dioſcorides*. Fu multi nardum agreſtem appellant. In Ponto naſcitur habens helleboro folia ſimilia: haſtam mollem & leuem ac nodoſam, flores narciſſo ſimiles, radices iunco ſimiles, colore rufa, cum odore grato, feruentis virtutis eſt, & vnctualis. Huius elixatura facit ad dolorem lateris, Incitat menſtrua, vel miſcetur antidotis, maximè quæ oris vlcera limpidant: Elixatura foliorum eius bibita, vrinam prouocat. *Auicen*. Fu folia A
Figura & color. ſunt ſicut folia apij, & crus eius vnius cubiti: plus planum & tenerum: cuius ſupremum eſt digiti craſſitudini proximum ac purpureum, nodos habens, & florem ſicut narciſſus vel maiorem. In albo etiam ipſius: eſt quaſi purpureum. Inferius in radice ſua emittit ramos: & in ipſa radice eſt aromaticus odor: virtus eius eſt ſpicæ ſimilis in pluribus. Itaque virtus radicis
Virtus. eſt aromatica, calefaciens, vt ſpica. Confert dolori lateris: vrinam prouocat ſi bibatur ſicca: & eius decoctio prouocat menſtrua, plus etiam ſpica. *Iſido*. Fucus
Fucus. eſt genus herbæ, de qua veſtis tingitur, ſiç dicta, quia colorem alienum mentitur.

De Fumaria & fumo terræ.

Cap. *LXXXII.*

Dioſcorides. Fumaria Latinè capos Græcè dicitur herba quædam naſcens in ſegete hordeacia. fruticoſa, coriandro ſimilis: ſed mollis, & alba, & cineroſa: florem habens multum atque purpureum. Succus eius viſcidus eſt: oculis detergit caligines: lachrymas prouocat: vnde & nomen accepit, mixtoque gummi eductis capillis palpebrarum impoſitus eos renaſci non ſinit, herba ipſa comeſta vel bibita, choleram per vrinam prouocat. *Platearius*. Fumus terræ eſt herba calida in gradu primo, ſicca in tertio, Et vt quidam dicunt ſic appellatur, quia vt fumus è terra multa quantitate emittitur, & generatur à quadam fumoſitate craſſa à terra reſoluta, & circa ſuperficiem terræ adhærentem. Quanto viridior eſt, tanto meliot: exiccata nullius eſt efficaciæ: principaliter purgat melancholicam: ſecũdario phlegma ſalſum & choleram.
Etymon & ratio. *Etymologia.* *Contra ſcabiem.* Contra ſcabiem datur ſuccus eius addito ſaccharo cũ aqua calida ter in ſeptimana: & optimè purgat humorem inducentem ſcabiem: valet idem ſuccus & contra hydropiſim, ſi fiat ex eo ſyrupus: herba etiam
Hydropiſim. in vino cocta & cataplaſmata, podagricis valet: fumus terræ diſſoluit cum ventoſitate, vnde & tortionem infert, ad melancholiam valet vel phlegma exiſtens in ore ſtomachi vel ſtomacho, vnde quandoque ſequitur nauſea. Et contra opilationem ſplenis & he- D
patis datur ſuccus eius addito ſaccharo cum aqua calida. Quia fumus terræ ventoſitatem facit, dandus eſt cum aliquo reprimente ventoſitatem, vt cum ſemine fæniculi, vel maſtice. *Auicenna*. Fumus terræ dicitur
Temperamentum. eſſe frigidus in primo, ſiccus in ſecundo: melior eſt recens, acutus, amarus, ſanguinem purificat. In ipſo eſt frigus propter id, quod eſt ibi de ſapore ſtypticitatis, & calor propter illud, quod eſt in ipſo de ſapore amaritudinis. Sed quaſi frigus eſt fortius. Bibitur ad pruritum & ad ſcabiem: ſtringitque gingiuam, Stomachum confortat: oppilationes hepatis aperit, & E
Effectus. naturam lenit, vrinam prouocat. *Conſtantinus*. Fumus terræ calidus eſt in primo, ſiccus in ſecundo, vnde cõfortat ſtomachum, excitat appetitum: ſuccus eius potui datus corpus à ſcabie, ac pruritu puſtuliſque mundificat: choleram rubeam aduſtam purgat, ſanguinemq; calefacit, maximè ſi cum mirabolanis mixtus ſit. *Dioſcorides* quoque dixit, quod fumus terrę ſua proprietate mundat corpus ab omni humorum putredine.

De Gallitrito & garriophyllato.

Cap. *LXXXIII.*

Platearius. Gallitritum quod alio nomine dicitur gallicentrum, eſt calidum & ſiccum, fomentum ex aqua decoctionis eius factum, & matricem optimè mundificat, & menſtrua prouocat. *Author*. Gallitritum eſt, quod alio nomine polytritum vocatur, ſicut inferius dicetur. *Platearius*. Garriophyllatum eſt quædam herba ſatis communis, efficaciam magis habens ſecundum folia, in medicinis ſunt ponenda. Et
Gallicentrũ

dicitur

Etymon. Suppoſitoriũ ex gario-phyllato.

dicitur garriophyllatũ, quia ſimilem habet gariophyllis odorem, vel ſaporem, vel effectum . In ſecundo gradu calida eſt herba recenſque maioris eſt efficaciæ, quam exiccata, nec niſi per annum ſeruari poteſt, habet autem virtutem diſſoluendi, conſumendi & aperiendi, ad menſtrua prouocanda fit ex ea fomentum, vel etiam ſuppoſitorium: in aqua marina & oleo cocta valet contra cholicam paſſionem, anteriori & poſteriori parte ſuppoſita. vinum decoctionis datur pro confortanda digeſtione, & contra ſtomachi dolorem & inteſtinorum ex ventoſitate vel frigiditate. *Conſtãtinus vbi ſupra.* Garriophyllatum eſt in ſecundo gradu calidum & ſiccum , confortat & adiuuat frigidum ſtomachum, craſſumque digerit cibum: Hepaticis & cardiacis propter choleram nigram ac phlegma patientibus ſubuenit, naribus applicatum oppilationem narium ac cerebri aperit.

De Geniculari & gentiana.

CAP. LXXXIIII.

I*Sidorus* . Genicularis herba dicitur quæ ob vim ſcorpionum reuellendam ſubſternitur. *Dioſcorides.* Licius quam Latini vocant genicularem, ideſt bellariam, florem habet violæ, ſed paulo fuluiorem. Huius ſemen datum potui ventrem mollit, valet etiam hæc herba contra ſcorpiones. *Iſidorus* . Centiana nomen ſumpſit, vt medici memorant, ab inuentore radicibus ſimilis ariſtolochiæ. Naſcitur ſub Alpibus, & in Galatia Aſiæ. *Plin. lib. 25.* Gentianam inuenit Gẽtius Rex Illyricorum, vbique naſcentem in Illyrico tamen præſtantiſſimam folio fraxini, ſed magnitudine lactucæ, caule tenero, pollicis craſſitudine, cauo, & inani, ex interuallis folliato, trium cubitorum , alto caſu, radice lenta, ſubnigra, ſiue odore aquoſa . Sub Alpinis montibus plurima naſcitur, vſus eius in radice ac ſucco. Naturaque radicis excalefactoria, ſed prægnãtibus non bibenda. Succus eius pro meconio miſcetur collyrijs acrioribus. *Idem in lib.* 26. Illinitur gentiana radice tuſa, vel decocta in aqua ad mellis craſſitudinem, his quæ ſerpunt vlceribus , vel ſuccus eius vulneribus. *Plateariu* . Gentiana eſt herba calida & ſicca, cuius radix præcipuè comperit vſui medicinę, non ipſa herba. In fine veris colligitur & ſiccatur, & per annos quatuor in multa efficacia ſeruatur. Debet autem eligi ſolida & continua, habens citrinum colorem, quæ non ſit forata, nec facile in puluerem exoluatur, cum frangitur, virtutem habet diſſoluendi, attrahendi, conſumendi, & aperiendi . Eſt enim diuretica. Cõtra antiquũ aſma datur puluis eius cum vino, addita aqua hordei. Contra epilepſiam datur & puluis eius cum ſucco pigani . Contra morſum reptilium puluis eius ſuper vulnus ſpargitur . Et cum ſucco mentæ puluis eius in potu datur ad menſtrua, & fætũ mortuum, & ſecundinam eijciendam puluis eius cum ſucco arthemiſiæ, vel cum vino & terebinthina confi-citur & ſupponitur. *Conſtantinus vbi ſupra.* Gentiana calida & ſicca in tertio gradu attenuat, mundificat & colat. Oppilationem ſplenis & hepatis aperit, cum melle & aqua calida potui data , vel cataplaſmata, morſum ſerpentis curat. Peſſarizata vero menſtrua prouocat, ſecundinam & fætum mortuum expellit. *Dioſcorides.* Gentiana naſcitur in locis altis, humectis & vmbroſis, radicem habet ſicut ariſtolochia lõgam, ſolidam & amaram, ſed nigriorem & fragiliorem. Eius folia quæ ſunt circa radicem habent nucis odorẽ, & ſunt platani & lactucæ ſimilia, ſed paulo ſubruſa & in ſummo diuiſa, vel inſpeciem ſerræ inſciſa, in medio habent haſtam leuem & vacuã, habentem digiti ſimilitudinem duobus cubitis longiorem. Eſt autem nodoſa, circa quos nodos ſibi naſcuntur folia. Semen eſt illi circa folia latum, leue, ſicut affodilli, non inutile. Hæc herba viridis eſt acris calefactoria, relaxans, acrimonia & amaritudine ſua partum expellens, ſerpentes quoque fugans. Radici eius, eſt calida & ſtiptica virtus, quæ cum vino & pipere accepta, morſibus venenatis occurrit, vulneribus impoſita proficit. Succus eius acceptus dolori laterum prodeſt , atque conquaſſationibus , idem iunctus oculorum tumorem compeſcit: viſcidis, ideſt actibus collyrijs miſcetur, & maculas corporis tollit.

Gentiana. *Etymon.* *Tempus quo colligitur.* *Effectus.* *Figura.*

De Gladiolo.

CAP. LXXXV.

I*Sidorus*. Gladiolus dicitur, eo quòd ſit folijs gladio ſimilibus, thyrſo cubitali, floribus purpureis. *Dioſcorides.* Dexeris aut ceſtris Romani gladiolum vocãt. Hæc habet folia iridi ſimilia, ſed latiora, & acutiora, & virgas habentes capitella. Semen eius in folliculis eſt , ſimile cucumeris ſemini rotundum & nigrum, guſtu viſcidum. Radix eſt illi nodoſa, longa & rufa, quæ capitis optimè curat vulnera, fracturis medetur, oſſa confracta excludit, omnia confixa corpori euocat, impoſita tumores ac duricias ſpargit, lateris dolorem tollit, ſtrangurijs aciſchyaticis optimè ſubuenit. Radix eius ventris fluxum ſtringit , ſumpta cum dulcore & aqua maritima . Semen eius diureticum eſt, & cum vino prædicta omnia facere poteſt: cum aqua autem deſiccat ſplenem. *Idem.* Gladiolum radicem habet quæ ex vino potata venenum prohibet, & menſtrua prouocat. Trita vero & in modum fomenti impoſita, ſurculos ac ſpinas extrahit de corpore: omnem duriciem diſſoluit & euaporat.

Conſtantinus vbi ſupra. Gladiola, ideſt iris, eſt calida in gradu ſecundo: dolorem neruorum de phlegmate mitigat, tuſſimque diuturnam placat, & ſcreatum facilem reddit. Craſſos pectoris humores attenuat, cum aceto potata morſus reptilium ſanat: ſpleneticis ſubuenit, ſpaſmum ac rigorem febrium curat. *Plinius lib.* 21. Bulborum generi & cipiri adnumerant quidam hoc eſt gladioli radicem: dulcis ea eſt, & quę panem etiam gratiorem facit decocta ponderoſiorẽque pariter ſubacta. Eſt itaque cypirus, vt dictum eſt ſupra, gladioli ſpecies paluſtris bulboſa radice, laudatiſſimus in inſulis Cretæ, deinde Naxo , & poſtea phrenice Cretico eſt candor odorque vicinus nardo, acrior Naxino : exiguum ſpirans phæniceo , nullus Ægyptio. Iulio menſe iubet eum Mago ad radicem ſecari, tertioque die donec candidius fiat in ſole ſiccari: quotidie autem ante ſolem Occidentem in lectũ referri: eo quod paluſtribus deſectis noceant rores nocturni. Mirum tradit Apollodorus ; huius herbæ ſuffitum barbaros excipientes ore lienes conſumere, ſic etiam validiores ac firmiores fieri, & ipſum aduerſus calculos efficaciſſimum eſſe. *Ex ſynonimis.* Sciendum quod acorus eſt gladiolus . Sunt enim quatuor herbæ in forma ſimiles valde . Sed *acorus* diſcernitur citrino flore rubeaque radice . *Spatula* fætida malo diſcernitur odore, & caret flore, iris florem gerit purpureum, hircus album , Gladiolus habet croceum, ſed ſpatula fętida nullum . Dicitur autem bulbus omnis tunicata radix. At vero moderni medici quando ſimpliciter ponitur accipiunt pro radice narciſſi.

Temperamentum. *Genus bulbi.* *Sectio & ſiccatio eius.* *Acorus.* *Spatula.* *Iris.* *Hircus.*

De Gramine.

CAP. LXXXVI.

I*Sidorus.* Gramen dicitur à ſitu, eo quod plurimum in agris ſit: licèt omnis herba gramen vocetur, ab eo quod germinet. *Plinius lib.* 24. Gramen inter herbas vulgatiſſimum eſt: geniculatis internodijs ſerpit: crebroque ab his & ex cacumine radices nouas ſpargit. Eius folia in exilitatem faſtigiantur in orbe reliquo, in Parnaſſo tantum hederacea ſpecies denſius, quam vſquam fruticanti flore odorato & candido; Iumentis non alia gratior herba ſiue viridis , ſiue in

fæno ſiccata: aqua quidem aſperſa tunditur, eius ſuccus in Parnaſſo propter vbertatẽ excipi traditur: dulcis hic eſt. In eius vicem in orbe reliquo ſuccedit decoctum ad vulnera glutinanda: quod & ipſa herba præſtat tuſa: ab inflammationibus quoque tuetur & ad dentium dolores epiphoraſque conficitur. Radix in vino decocta medetur torminibus, & vrinæ difficultatibus, & vlceribus. Calculos frãgit, ſemen vehementius vrinam impellit, aluum vomitioneſque ſiſtit. Priuatim autem auxiliatur draconum morſibus. E graminum genere, quod ſeptem internodia habet capiti contra dolores adalligatur efficaciſſimè. Quidam propter veſicæ cruciatus, decoctum & vino gramen bibi iubent. Denique gramen circundatum capiti sãguinis fluxiones ſiſtit. Camelos traditur necare id quod iuxta vias naſcitur in Babylonis regione. *Dioſcorides.* Agreſtis ſiue gramen virgas habet nodoſas & ſpinoſas ſuper terram. Super quas folia ſunt acuta & lata & dura, ſicut cannæ minoris. Radix autem nodoſa eſt, & dulcis ac manducabilis: aquoſa in guſtu & ſubſtyptica, quam boues & animalia paſcunt: & hæc cataplaſmata in vulneribus, paracoleſim facit, huius elixatura bibita tortionibus ac diſſuriæ medicatur: veſicę vulnera optimè curat, calculos frangit, vrinam prouocat. Canes quando purgare ſe volunt, hanc herbam comedunt. Splenis dolori decocta & impoſita proficit. Gramẽ quod in ſe trifurcum habet (nam & in plura diuiditur) decreſcente Luna ſublatum, & depoſitum ad collum ligatum, celeriter oculorum epiphoras excutit. Radix frigida & ſicca, ob hoc glutinatiua eſt recentium vulnerum, & mordicãs & leptomeris eſt modicè. Ipſa vero herba perfectè aquoſa eſt, & cataplaſmo infrigidat. Semen autem eius imbecille eſt: & tantum diureticum. Rheuma ventris vel ſtomachi deſiccat, virtus eius frigida eſt: deſiccatiua & leptomeris, ideſt extenuans partem. *Auicenna.* Gramen plagas ſanguineas cohærere facit, & eius decoctio lapidem extrahit ſemenque ipſius prouocat & conſtringit. *Razi vbi ſupra.* Gramen prouocat vrinam & frangit lapidem.

Effectus.

Figura.

Nota de canibus.

De Arundine.

CAP. *LXXXVII.*

Etymon. Arundinis.

ISidorus. Arundo eſt dicta, eo quod cito areſcat: hanc veteres *cannam* vocauerunt, & eſt nomẽ Hebreum. In indicis ſtagnis arundines calamique naſci dicuntur, ex quorum radicibus expreſſum ſuauiſſimum ſuccum bibunt. *Plin. lib. 16.* Arundo principatum tenet inter aquaticas frutices, qui frigidis gaudent. Arundo contuſa & interiecta commiſſuris nauium feruminat; textus, glutino tenacior, ac rimis explendis pice fidelior. Belli paciſque experimentis neceſſarię ſunt arundines, & in delicijs gratæ; harum tegulo domos ſuas Orientales populi operiunt, eiuſque tecta perdurant. Aegypti quoque calami quadam cognatione papyri chartis ſeruiunt. Calami Orientales populi bella conficiunt, dum ſpicula calamis addunt, & irreuocabili hamo noxia, mortem accelerant, pinna calamis addita, ſirque & ex ipſo aliud telum in vulneribus fracto. Nullus autem ſagittis aptior calamus quam in Italia, ſcilicet in Rheno amne Bononienſi, cui plurima ineſt medulla, ponduſque volucre, contra flatus quoque peruicax libra: Arundines indicę bellicis commendationibus præferũtur. Haſtarumque vicem præbent additis cuſpidibus: Differre mares ac fœminas, in his quoque tradunt Indi ſpiſſius mari corpus fœminæ capacius, arundo Indica arboream habet amplitudinem qualis in templis videtur, folia autem breuia. Nauigiorum vicem præſtant, ſi credimus, ſingula internodia. Arundo omnis, ex vna ſtirpe numeroſa, atque etiam reſciſa fœcundius reſurgit. Radicis natura viuax eſt ipſaque geniculata, folia ſunt Indicis tantum breuia. Omnibus vero nodoſa complexu teuues per ambitum tunicas inducũt atque à medio internodio cum plurimum veſtiri deſinunt, procumbunt: Arundini calamo latera bina ſunt in rotunditate ſuper nodos, alterno ſemper inguine, vt alterum ad dexteram fiat, alterum vero geniculo ſuperiore ab leua per vices. Inde exeunt aliquando rami qui ſunt tenues: plura ſunt eius genera, alia enim ſpiſſior denſiorque geniculis, breuibus internodijs, Alia rarior, & ipſa tenuior. Calamus alius totus concauus, quem ſyringam vocant, vtiliſſimus fiſtulis, quia nihil eſt ei Cartilaginis & carnis, alius quẽ auleticon vocant continuo foramine peruius, hæc tibijs vtilior eſt. Orchomenius eſt continuo foramine peruius, & ille fiſtulis vtilior, Alius eſt craſſiore ligno & tenui foramine, quem totum fungoſa replet medulla, Alius breuior, alius procerior, exilior, craſſiorque & fruticoſiſſimus, qui vocatur donax, non niſi in aquatis natus. Quoniam etiam hæc differentia eſt multum prælata, arundinique quę in ſiccis prouenit, ſuum genus eſt ſagittario calamo, ſed longiſſimis internodijs cretico ad obſequiumque quo libeat flectitur calefacta. Differentias faciunt & folia, non multitudine verum & colore, & robore valida. Laconicis, & ab vna parte denſiora quales in totum gigni putant circa ſtagna. Eſt & obliqua arundo, non excelſitate naſcens, ſed iuxta terram fruticis modo ſe ſpargens, ſuauiſſima in teneritate animalibus & vocatur eligia. Eſt & in Italia naſcens ad archa nomine paluſtris ex cortice tantum. Sub ipſa coma vtiliſſima dentibus, quoniam vis eadem eſt ei, quę ſinapi. Eſt arundo aucupatoria à Panhorino laudatiſſima, piſcatoria vero ex Aphrica, arundinis autem Italiæ vſus eſt ad vineas maxime. Cato eam ſeri iubet in humidis agris, bipalia ſubacto prius. ſolo, oculis diſpoſitis interuallo ternorum pedum. *Auctor.* Quoniam ergo licèt arundo ſine cultura in locis paluſtribus oriatur, tamen in aliquibus locis ſeritur, vt dicit Plinius, de hac etiam inter ſatiuas herbas dicetur inferius.

Syrinx.

Orchomenius.

Donax.

Elegia.

Inſeruiunt charta arũdines ægyptiaca.

De herba vitri & hermodactylo & hyberida.

CAP. *LXXXVIII.*

Auicenna. Herba vitri eſt qua vitrum abluitur, lenificatiua & mundificatiua. In ipſa eſt ſtypticitas cum humiditate faciens adhæreſcere. Sedatiua eſt apoſtematum. In potu dantur eius folia ad eriſipilam, & ignis aduſtionem ac præcipuè apoſtemata phlegmatica. Eius quoque ſuccus cum ceruſſa de plumbo ſuper formicam & eriſipilam ponitur, & ad ambarum amygdalarum apoſtemata fit ex ea gargariſmus. Itemque ſuccus eius ſorbetur ad tuſſim antiquam, herbaque ipſa ponitur cum aceroto ſuper podagram, hemorrhoidas remouet. Eiuſque ſuccus cum oleo roſaceo ad dolorem auris valet. *Auicenna.* Hermodactylus eſt radix plantæ roſas albas & citrinas habentis, quæ cum aperiuntur flores aperitur in primis. Naſcitur in planiciebus montium, & in angulis eorum, eiuſque folia expanſa ſunt ſuper terram. Melior eſt albus & ad frangendum durus. Natura calidus eſt ac ſiccus, ad ſecundum perueniens, & in ipſis eſt humiditas ſuperfluens. In ipſo eſt ſolutiua virtus, & efficit augmentum in coitu, & adhibetur iunctura-rum doloribus. Rubeum & nigrum ſinit venenum. Aeſtimauerunt quidam, quod in albo eſt caliditas ſubtilis, & in alijs virtus fortis, & ſi non ſolueret. Dixerunt alij quod ſi eſſet calidus, mordicaret vlcera purus, ſed in ipſo non eſt mordicatio penitus. Aeſtimauerunt alij, quod eſt calidus valde. Cum ipſo eſt virtus ſolutiua, & ſi fit in ipſo ſtypticitas. Albus eſt bonus vlceribus antiquis. Confert podagrę, & ſedat dolorem ſtatim more emplaſtri ſuppoſitus. Eſt malus ſtomacho debilitans eum. Et rubeus & niger retinent

Hermodactyli virtus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

medicinas ſolutiuas in ſtomacho, & attrahunt nocumentum maximum. Digiti Hermetis Hermodactyli flos eſt, eiuſque virtus ei ſimilis eſt.

Conſtantin. vbi ſupra. Hermodactyli ſunt in tertio gradu calidi & ſicci, dolorem in arthreticis podagricis & iſchiaticis curant, quia proprietas ſua craſſos & viſcidos humores diſſoluit, ſed ſtomacho moleſtum, eo quod anguſtiam & dolorem in ſtomacho generat.

Inuentor primus Hyberida. *Plinius lib. 25.* Hyberidam Seruilius Democrates primus medentium inuenit, quam & ſic appellauit quãquam ficto nomine, inuentioni eius aſſignato carmine. Naſcitur circa veteta monumenta, parietinaſque, & itinerum occulta, floret ſemper folio naſturcij caule cubitali, ſemine tam paruo, vt vix poſſit aſpici. Radici eſt odor naſturcij. Vſus eius æſtate eſt efficacior & tantum recenti: difficulter tunditur, cum axungia modica coxendicibus & articulis omnibus vtiliſſima, viris plurimum quaternis horis, fœminis vero minus dimidio adalligata: ita vt deinde balneum in calidũ deſcendatur: & poſtea corpus oleo ac vino perungatur: idemque fiat diebus vicenis interpoſitis ſiqua ſuperſit admotio doloris: hoc ſiquidem modo theumatiſmos omnes ſanat occultos: prẽterea herbis cũ quinque folio adligata epiphoras emundat, & ſiqua ſunt in oculis vitia.

Remedium vtiliſſimum contra rheumatiſmos.

De hyacintho & iaro & impia herba.

CAP. LXXXIX.

I*Sidorus.* Hyacinthus eſt herba florem habens purpureum, traxit autem nomen à puero nobili, qui in ſaltibus inter purpureos flores repertus eſt interfectus. Eſt autem radice & flore ſimilis violæ: pueros à pubertate retinens. *Dioſcor.* Hyacinthus habet radicẽ bulbo ſimilem, cui puerilis funeris caſus dedit nomẽ.

Barba. Aaron. Vitulipes. *Platearius vbi ſupra.* Iarus alio nomine barba Aaron dicitur: & etiam vitulipes appellatur. Calida & ſicca eſt in tertio gradu: in locis humidis & ſiccis montanis & planis reperitur. In hyeme & æſtate magnam habet efficaciam, ſecundum folia minorem, ſecũdum radicem maximam. Et hoc circa tuberoſitates quaſdam, quæ reperiuntur circa radicem. Hæ tuberoſitates colliguntur, finduntur ac deſiccantur, ac per annũ ſeruantur: virtutem habent diſſoluendi, laxandi, ac extenuandi. Contra tumores aurium herba ipſa cũ tuberoſitatibus in vino & oleo addito cymino decoquitur: & inde factum emplaſtrum auribus ſupponitur. Contra frigida quoque apoſtemata tota herba cũ tuberoſitatibus in vino & oleo & axungia veteri teritur: ac poſtmodum in teſta calefacta ſupponitur. Contra ſcrophulas nouellas: herba ipſa & ſquilla cum axũgia veteri vel vrſina teritur, ac ſupponitur: & ſi recentes ſunt liberantur. Contra hæmorrhoidas ac ficus, iarus & capſus excoquuntur in vino & aqua: vel fit enchathiſma ad menſtrua prouocanda. Succus iari peſſario mittitur, vel cum benedicta. Puluis tuberoſitatũ cum aqua roſacea confectus, & ad Solem ſiccatus valet ad faciem depurandam, & cutem ſubtiliandam. Nam ſi facies ex puluere illo illiniatur, plus etiam quam à ceruſſa depuratur; Solus etiam eius puluis carnem ſuperfluam corrodit. *Plin. lib. 24.* Impia herba vocatur in canna roris marini aſpectu thyrſi modo veſtita & capitata. Inde alij ramuli aſſurgunt ſua gerentes capitula. Ob hoc impiam appellauerunt eam. quod liberi ſuper parentem excellant. Alij potius eam dicunt ſic appellatam eſſe, quia nullum animal eam attingat, æſtimauere: hęc inter lapides duos trita feruet: prȩcipuo aduerſus anginas ſucco, lacte, & vino admixta. Mirumque traditur, nunquam qui guſtauerint ab eo tẽtari morbo. Suibus quoque dari, quæque medicamẽtum id noluerint haurire, eo morbo interire. Sunt qui & in nidis auium ex ea aliquid putant inferi: ſicque pullos auidius deuorantes non ſtrangulari.

Ad faciem depurãdam. *Impia herba cur?*

De Iunco.

CAP. XC.

I*Sidorus, vbi ſupra.* Iuncus dicitur, eo quod iunctis radicibus hæreat. Scyrpus autem eſt à quo ſegetes texuntur ſine nodo, de quo Ennius. *Quærunt in ſcyrpo ſoliti quod dicere nodum. Et in prouer. Qui inimicus eſt etiam in ſcyrpo nodum quærit. Plin. lib. 12.* Iuncus odoratus nihil differt à cæteris ſui generis aſpectu Sed calamus odoratus præſtantior eſt. Odore ſtatim è lõginquo inuitat, mollior tactu, meliorque eui, minus fragilis & quia à ſole ſe potius quam raphani modo frangitur. Ineſt autem fiſtulæ araneum, quod vocant florem. Præſtantior eſt cui numeroſius: Reliqua probatio eſt, vt niger ſit. Damnantur albi, melior qui breuior craſſiorque & lentus in frangendo. Calamo precium eſt in libras 12. iunco in 15. Traduntque iũcum odoratum, & in Campania inueniri. *Plin. lib 21.* His quæ ſuperius dicta ſunt de gladiolo, Mago ſimilia præcipit & de iunco, quem mariſcon appellant ad texendas tegetes & ipſum Iunio menſe eximi, vel ante medium Iulij. Alterum genus iuncorum facit quod marinum, & à Græcis oxyſchoenon inuenio vocari. Tria ſunt eius genera, vnum acutum, ſterile, quem marem & oxyn Græci vocant: reliquum fœminini generis ſemen nigrum ferentem, quem melanciamin appellant & hic eſt craſſior & fruticoſior. Tertius vocatur holoſchenos. Ex his melancranis ſine alijs generibus naſcitur. Oxys & holoſchenos eodem ceſpite vtiliſſimus eſt ad vitalia Oloſchenos, quia mollis & carnoſus eſt: fructum vuarum cohærentium modo fert. Naſcitur autem is quem marem appellamus ex ſemetipſo, cacumine in terram defixo, melacranis vero ſemine ſuo. Alioquin omnium radices omnibus annis intermoriuntur. Vſus eſt ad naſſas marinas, vtilium & elegantium lucernarum lumina præcipua sũt medullæ amplitudine. Iuxta maritimas Alpes tanta ſunt, vt inſciſo ventre impleant penè vnciarum latitudinem, In Aegypto vero cribrorum longitudinem. Quidam etiam vnum genus trianguli iunci faciunt quod cyperum vocant. Eſt enim cyperus iuncus angulоſus, iuxta terram candidus. cacumine niger, pinguiſque; folia ima porraceis exiliora: in cacumine minuta, ſicut iam dictum eſt ſupra. Iunci radix in aqua decocta, tuſſi medetur. Semen eius toſtum & in aqua potum aluum ſiſtit, capitiſque dolores facit. At qui vocatur holoſchenos. Quæ proxima ſunt radicis cõmanducantur aduerſus atanearum morſus. Inuenio & vnum genus iunci quod tropicem vocant, cuius ſemen ſomnum excitat. Iuncus odoratus in Cohele Syriæ naſcitur, laudatiſſimus ex Nabathæa regione, theutitis cognomine: proximus Babyloni' ex Aphrica peſſimus ac ſine odore. Eſt autem rotundus, vinoſę mordacitatis ad linguam, ſyncerus in confricando, roſæ odorem emittit, rubentibus fragmentis. Diſcutit inflationes, & ob id ſtomacho vtilis, itidemque ſãguinem reijcientibus. Singultus ſedat, ructus mouet, vrinam cit, veſicæ medetur, ad muliebres vſus decoquitur.

Etymon. *Ennius propoſitum quod dicere nodum.* *Mariſcos.* *Oxyſchoenos.* *Holoſchenos* *Cyperus.* *Tropice.*

De Hyoſcyamo.

CAP. XCI.

I*Sidorus.* Hyoſcyamus eſt herba ſic à Græcis appellata ſed à latinis herba *caulicularis* dicitur, eo quòd cauliculi eius in figura cantharorum naſcantur, vt & mali punici, quorum ora ſerrata ſunt habentes intrinſecus ſemina papaueris ſimilia, hæc herba & *inſana* vocatur, eo quod vſus eius periculoſus eſt. Deniq; ſi bibatur, vel edatur, inſaniam facit vel ſomni imaginem turbidã. *Plinius lib. 25.* Herculi aſcribũt herbã quæ Appollinari apud Arabas altricũ ſiue altercagenium dicitur, apud græcos autem hyoſcyamos appellatur.

Caulicularis. *Inſana.* *Altercagenium.*

latur . Plura ſunt eius genera, vnum nigro ſemine, folijs penè purpureis , ſpinoſum, Talis in Galatia naſcitur, vulgare autem candidius eſt ac fruticoſius, altius papauere. Tertij ſemen eſt ſimile trionis ſemini, & omnia inſaniam gignunt ac vertigines capitis. Genus quartum molle, lanuginoſum , eſt pinguius cæteris, candidi ſeminis, naſcens in maritimis, hoc recepere medici, itemque ſeminis ruffi nonnunquam ante candidum ruffeſcit, & ſi non ematuruit improbatur: hyoſcyami ſemen cum mæconio, & vino bibitur ad epiphoras inhibendas. *Idem in lib. 26.* Succus eius hyoſcyami prodeſt excreantibus, & nidor accenſi tuſſientibus. *Auicenna.* Hyoſcymus niger frigidus eſt, & ſiccus in fine tertij , albus autem in principio ipſius. Ex eo deterius eſt , & fraudulentius nigrum. deinde rubeum: melius autem album: ſtupefactiuum eſt, & abſcindit fluxum ſanguinis & ſtupefactione ſua ſedat dolores percuſſionis. Reſoluit teſticulorum duriciem & confert eriſipilæ. Epithimatum ſedat dolorem podagræ . Cum vino folia eius bibita ſanant corroſionem oſſium. Succus eius acceptus ſedat dolorem auris. & cum aceto, & oleo roſaceo, dolorem dentium &c.

Temperamentum.

Plateavius. Hyoſcyamus, herba eſt frigida in tertio gradu, ſicca in ſecundo. Huius ſeminis diuerſitas triplex eſt, album, rubeum. & nigrum. Nigrum mortale eſt, album & rubeum ſatis competunt medicinæ vſui. Maioris efficaciæ ſunt ſemina quam herbæ: virtutem habet conſtringendi & mortificandi, virtutem quoque ſomniferam. Ad ſomnum ergo prouocandum in acuta febre ſit fomentum ex aqua decoctionis eius ſeminis circa pedes , frontem , tempora. Contra calida apoſtemata in principio ſit emplaſtrum ex ipſa herba trita & ſuppoſita, vel de ſemine eius , & oleo roſarum . Contra dyſſenteriam ſit emplaſtrum de ſemine eius, cum albumine oui & modico aceto, ſupra pectus, & renes. Contra dolorem dentium herba ipſa trita aliquantulum inter dẽtes teneatur: per decem annos ſeruatur . *Dioſcorides.* Iuſquiamus eſt frutex minor, haſtam habens craſſiorem, & folia lata, & oblonga, & diuiſa nigra & aſpera. Iuxta cuius haſtas ſunt capita ſemine plena . Sed huius tria ſunt genera, vnde flores habet purpureos, folia milatæ ſimilia. Semen nigrum folliculos duros & ſpinoſos. Alterum flores melinos , ſemen obruffum, folliculos molles: ambo hæc maniam faciunt ac carotica ac minus vſuales ſunt. Tertium vero cuius frequentatur vſus. habet folia pinguia & mollia, ſucco plena, flores albos. ſemen album . Naſcitur in locis maritimis & in tipis. Semen album eſt vtile, nigrum inutile. Semen & folia exiccantur , & haſta tuſas ſuccus exprimitur . Qui confectionibus collyriorum mixtus, rheuma viſcidum compeſcit , dolores aurium mitigat, & polentæ mixtus podagricos humores adhibitus ſpargit. Semen eius omnia prædicta nouit facere, & maximè tuſſientibus ſubuenit . Catarrhum ſoluit, oculorum rheuma compeſcit, vino mixtum, & cataplaſmatum, tumorem teſtium ſoluit atque mammarum. Radix eius in aceto cocta, dolorem dentium mitigat.

Contra apoſtemata.

Contra dolorem dentium.

Vſus.

Virtus.

De Lacteride, & lacticinio.

CAP. XCII.

EXherbario. Lacterides naſcitur in locis cultis, & fabuloſis, valet contra ventris duritiem granum eius purgatum, & potui in aqua datum calida . *Dioſcorides.* Lacteridem putant haſtam in cubiti longitudine, ſed inanem, in qua capitellum rotundum eſt, & folia oblonga, ſicut amygdalæ, ſed oblongiora, & leuiora. Semen autem obrotundum, ſicut capparæ, deforis nigrum, intus album, & dulce. Omnis frutex eius lachryma & ſucco plenus eſt, ſicut tithimallus: virtus eſt illi cathartica: grana eius comeſta, & ſuper aqua calida accepta phlegma, & choleram deponunt, folia cum caſſia , vel cum viſcella accepta ventrem ſoluunt. *Auicenna.* Lacticiniũ eſt omnis planta, quę habet lac acutum, ſolutiuum, inſciſiuum, aduſtiuum. Ex his famoſa ſunt ſeptem, quorum vnum eſt pentaphyllum , ad vltimum eſt lacticinium, quod dicitur maſculum, & eius nomen charachylus , poſt ipſum omnes fœminæ ſunt, & eorum fortius eſt , quod aſſimilatur myrto, & nominatur buraſtius . Deinde eſt arboreum generatum inter lapides . Deinde illud quod citrolo aſſimilatur. Et dixerunt vice alia , quod lacticiniorum fortius eſt maſculum prædictum, & radix eius longior eſt cubito ad rubedinem declinans, plena lacte eiuſque rami ſunt ſimiles oliuæ , ſed longiores ſunt ac ſtrictiores. Plãta vero fœminæ quæ nominatur nucalis, eſt ſicut planta herbę muris, ſed maior ac fortior. Capita foliorum eius ſpinoſa ſunt, & egrediuntur ex eius radice ſtipites palmi longitudinem habentes, & fructificat vno anno, & non alio: fructus ille mordificatiuus eſt linguæ ſimili nuci, & eius origo eſt, ſicut origo maſculi. Omnia vero mortifera ſunt, fortius autem eorum eſt lac, deinde ſemen, poſtea radix, deinde folia: lac eius calidum eſt & ſiccũ in quarto, reliqua vero ipſius in ſecundo vſque ad tertium. Eſt autem vlceratiuum, & interfectiuum . Cumque ponitur in lacunam, piſces omnes eleuantur ſuper aquam. Eradicat autem mora ac verrucas , & impetiginem, & hemorrhoidas, phlegmaque ſoluit , & aquoſitatem, & eſt conueniens vlceribus putridis, & corroſis. lac eius eradicat vngulam , abſcindit pilos, dentem corroſum frangit, & deijcit.

Lacticiniũ.

Septem famoſa.

Ad eleuandum piſces in aqua.

Ad eradicãdum verrucas.

De Lappa, & lappacio.

CAP. XCIII.

ISid. Lappa dicitur eo, quod habeat caulem ingentemper terram diſpoſit um, hæc à Græcis Philanthropos vocatur, eo quod veſtibus hominũ inhæreat ob aſperitatem ſui. *Plin. lib.* 21. Notabile eſt in lappa quæ adhæreſcit, quod in ipſa flos naſcitur non euidẽs, ſed intus occultus, & intra ſe ſemina quæ velut animalia in ſe pariunt. *Idem in lib* 24. Lappa quæ appellatur canaria. cum plantagine ac mellifolio trita ex vino carcinomata ſanat, diebus ternis ſoluta. *Auctor.* De hac quoque dictum eſt ſupra ſub hoc nomine philanthropos. *Plin. lib.* 20. Lappacium effectus alteæ non diſſimiles haber. Eſt autem, & ſilueſtre quod alij oxalidem appellant, proximum ſatiuo, folijs aquoſis colore betæ cãdidæ, radice minima, noſtri vero rumicem dicunt. Et alij lappacium cantherinũ ad ſtrumas cũ axungia efficaciſſimũ. Eſt & alterũ genus, quod oxylapaton vocant, ſatiuo idem ſimilius, habens acutiora folia, & rubriora, non niſi in paluſtribus naſcẽs. Sunt qui tradunt & ydrolapaton in aqua natũ. Eſt & aliud hippolapatõ ſatiuo maius, candidiuſque ac ſpiſſius. Silueſtria ſcorpionũ ictibus medentur , & ferite prohibent habẽtes. Radix aceto decocta, ſi coletur, ſuccus dentibus auxiliatur. Si vero bibatur morbo regio medicatur. Semen inextricabilia ſtomachi vitia ſanat: hippolapati radices priuatim vngues detrahunt ſcabroſos. Semen in vino potatum liberat dyſſentericos. Oxylappati ſemen in aqua lotum cæleſti, prodeſt reijcientibus ſanguinem. Satiuo in epiphoris oculorũ illiniunt frontibus, radice curant cherias, & lepras, in vino autem decocta ſtrumas calculos , & parotidas, pota vino etiam lienes; Cæliacos æquè, & dyſentericos iuuat, & renaſmos; Denique vis lappati, & ructus facit, & vrinam cit, & oculorum caliginem diſcutit, Radix commanducata dentes firmat , & eadem cum vino decocta ſoluit aluum, folia quoque ſoluunt, adiecto ſale. Et vt non omittamus bulapaton radicis tãtum altitudine differens eſt, & ergo dyſentericos efficacis effectus ex vino potum eſt.

Philanthropos, la, pa.

Carcinomatũ ſanatio.

Remedium pro dentibus

Morbo regio Stomacho.

Dioſcorides Lappaciũ calidæ & auſterę virtutis eſt, & ideo in cibũ ſumptũ venerẽ reprimit , ſtomachum cõfirmat, vrinã cõfundit, ventrẽ mollit, cũ oleo roſeo

Effectus.

cataplaſmatũ

cataplaſmati adhibitum, duricias ſpargit. Radix eius cataplaſmata, leproſis ac vernis medicatur. Eius elixatuta fomento adhibita, & in balneis fricata, pruriginem corporis tollit, dolorem aurium mitigat, in vino elixa dolorē dentium gargariſmo compeſcit & cataplaſmata ſcrophas ſpargit. Radix etiam eius ligata, & in collo ſuſpenſa, ſcrophas naſci non admittit, fluxum ſanguiuis mulierum abſtinet, Cum vino elixa, & bibita, ictericos ſanat, calculos veſicæ frangit, Item radices ex acero coctę & impoſitę ſtrumas, & parotidas ſanant, potata auruginem expurgat. Lappacij quatuor ſunt genera, ſed omnium virtus eſt vna. *Platearius.* Lappacium eſt calidum, & ſiccum in tertio gradu. Et eſt triplex, ſcilicet acutum habens acuta folia, quod efficacius eſt: & rotundum, quod rotunda: & domeſticum, quod aliquantulum lata, & magis eſui competit. Habet autem lappacium virtutem diſſoluendi, relaxandi, aperiendi. extenuandi. Succus lappacij acuti cum alijsquibuſdam confectus, valet contra ſcabiem, pruriginem, & impetiginem, & contra ſplenis duritiem, ad apoſtema maturandum lappacium rotundum tritum, & in oleo decoctum, vel cum axungia ſuperponitur. Ad rumpendum prædicto modo lappacium acutum. Contra lumbricos valet ſuccus eius datus cum melle. Lappacium etiam crudum, vel coctum comeſtum confert ſcabioſis.

Quatuor genera.

Virtus.

De Laſere, & laureola, & lepido.

CAP. XCIIII.

Sid. Laſer herba in monte Oſcobagi naſcitur, vbi, & Ganges fluuius oritur. Cuius ſuccus primum eſt dictus laxir: quia manat in modum lactis, deinde vero vſu deriuato laſer nominatus eſt. *Platearius.* Laureola frutex eſt, cuius ſemen, vel fructus vſui medicinæ competit, & *cocognidium* appellatur. Itaque cum eius receptio inuenitur, fructus debet poni, per duos annos in efficacia multa ſeruatur, virtutem habet purgandi principaliter phlegma, & choleram, vnde & ſaniſ, lapſis, & ægris non multum febricitantibus dari poteſt: puluis cocognidij ſubtilis diu cum oleo bullitur, & ſic ex eo pectus propter ſtranguriam & dyſuriam inungitur. Renes quoque propter tenaſmon ex frigido, & glutinoſo humore inteſtini adhærente, propter ſurditatem immittitur auribus. ſi fiat ex humoribus ibidem exiſtentibus. Sanioſas quoque ſuperfluitates conſumit. *Dioſcorides.* Lenticula ſuper aquam inuenitur narans, rotunda ſicut lens, colorem viridem habens, virtus eſt ei frigida, vnde tumores omnes ſpargit, ignem ſacrum extinguit, podagricis neceſſariè miſcetur, ſola, & cum polenta medicaminibus apponitur, infantibus & enterocælicis auxiliatur. Lepidum quem multi gingion appellant: herba eſt nota omnibus, in ſale & lacte componitur, huius folia habent virtutem viſcidam, & vulneraticam: apij radice addita, & horis quatuor impoſita, faciunt vulnera. Iſchiaticis medentur, ſpleneticis opitulantur, lepras mundant, Radix eius collo ſuſpenſa dolorem dentibus tollit.

Cocognidiū.

Curationes varia.

Lenticula virtus.

De Libanotide, & lingua auis.

CAP. XCV.

Dioſcorides. Libanotidis genera ſunt tria, vnū profert ſemen, quod cacoethes dicitur, habens folia maratro ſimilia, ſed latiora, virgam in medio longam amplius cubito in qua eſt capitellum proferens ſemen album ſimile ſpondylio. Quod ſemen obtotūdum eſt, & angulolum odorem habens quaſi reſinæ viſcidum. Quod ſi maſticatum fuerit, os tomburit, alba eſt illi radix odorem habens thuris. Alterum eſt genus ſupradicto ſimile, cuius ſemen eſt latum, & nigrum, ſicut ſpondylion, ſed non ita candidum. Radix enim eſt deforis nigra, deintus alba: porro libanotis quæ dicitur acarpos, ideſt ſine ſemine, ſupradictis omnibus ſimilis eſt, ſed nec florem habet, naſcitur in *locis* aſperis atque ſaxoſis: omnium folia cataplaſmati adhibita, hemorroides prohibent. Anitumorem pellunt, condilomata ſoluunt. Scrophaſque ſpargunt, & apoſtemata ſimiliter curant. Radix eorum ſicca melle adito, vel vino, vulnera curat ſordida, tortionibus medetur, venenatis occurrit morſibus, menſtruis imperat, vrinam prouocat, puſtulas corporis emendat. Succus radicis earum capillos manare non ſinit, Semen etiam omnia prædicta facit, Epilepticis quoque præſtat effectum. cauſas thoracis ſanat bibitum, hydropicis eſt ſalutare cum oleo perūctum, ictericis cum vino & pipere datum ſingulare præſidiū eſt, prodeſt etiam conquaſſationibus, & podagris cataplaſmatibus impoſitum. In Thracia naſcitur libanotis amaro guſtu, habens folia prędictis ſimilia ſed aſperiora, & albidiora. Cuius accepta radix purgat caput & ventrem deponit. Eſt iterum libanotidis genus, quod Romani roſmarinum vocant, de quo ſcilicet dicetur inferius. *Platearius.* Lingua auis habet folia parua, & acuta, linguæ auis conformia, & eſt in primo gradu calida, & humida, decocta in aqua ordei prodeſt hecticis, & conſumptis, & aqua decoctionis eius contra ſiccitatem pectoris. *Auicenna.* Lingua auis eſt calida in tertio, humida in primo gradu. In ſolijs eius eſt conſtrictio. & mundificatio, & conſolidatio, Itaque conſolidant, & vlcera humida carne replent; Cortices eius cum acero conferunt, poſiti ſuper contritionem lacertorum. Confert etiam tremori cordis, & in coitu addit. (*Conſtantinus vbi ſupra.* Lingua auis in primo gradu calida, & humida coitum propriè confortat, ſpermaque augmentat.

Acarpos.

Roſmarinus genus libanotidis.

De Maiorana, & malabatro.

CAP. XCVI.

Platearius. Maiorana eſt herba, quę alio nomine *ſanſuccus* dicitur, calida, & ſicca in ſecundo gradu, flores, & folia eius competunt vſui medicinæ. Igitur in æſtate collecta cum floribus in vmbroſo loco deſiccatur, ac per annum ſeruatur. Ex aromaticitate virtutem habet confortandi, & ex qualitatibus ſuis diſſoluendi, conſumendi, & mundificandi: puluis eius in cibo datus, & vinum decoctionis eius ſtomachum infrigidatum calefacit, & digeſtionem confortat, appoſita quoque naribus confortat cerebrum, fomentatio ex aqua decoctionis eius facta matricem mundificat, & ſuperflua conſumit, flores & folia in teſta calefacta, & in ſaccello dolori ſtomachi ex ventoſitate ſuperpoſita eum ſoluunt: quia euentationem faciunt. Eadem quoque capiti ſuperpoſita valent cōtra theuma ex frigida cauſa. *Auicenna.* Maiorana eſt calida, & ſicca in tertio gradu, & eſt ſubtilis, reſolutiua, aperitiua cum fortitudine. Virtus olei eius eſt calefactiua, ſubtiliatiua & acuta. Ex ea bonum eſt epithema ſuper apoſtemata phlegmatica. In cerotis quoque ponitur, & ſuper torſionem neruorum linitur. Confert dolori dorſi, & inguinum. Et eſt medicamē paralyticis. Eius oleum aperit oppilationes cerebri, confert emigraneæ, & humiditati, ſola quoque melancholicæ ac ventoſitatibus craſſis, & dolori autis, embrocata, & diſtillata eius decoctio confert hydropiſi, & vrinę difficultati, etiam pungitiuo ventris dolori. Quod ex ea ſiccum eſt linitur cum melle ſuper nigredinem ſanguinis, & viriditatem eius proprieque ſub oculo. Oleum eius cōfert matricis coartationi ad præfocationem ipſius deducenti. Ex ea quoque cum aceto fit emplaſtrum contra puncturas ſcorpionum.

Sanſuccus.

Temperamentum.

Paralyſis medicina.

Dioſco. Malabatrum putauerunt quidam medici nardi folium eſſe, ſed falluntur: quia licèt ei ſimile ſit, in odore tamen alterius eſt naturę. Inuenitur autē ſupernatās in quibuſdā paludibus Indiæ, foliorum ſpecie, carens radice, & illud eſt optimum, quod eſt recentiſſimum tenue, & integrum, guſtu non ſalſo, ſed potius pontico, hanc herbam cum Indi colligunt;

Malabatrū non eſt nardi folium.

inſerunt

inſerunt lino, & ſiccant æſtate. Eſt autem folium odoris integri cum ſuauitate, ſtypticum & diureticum cum diuturno odore, virtutem ſpicenardi habet, quæ ſimiliter diuretica eſt. Elixum in vino tumoribus oculorum adhiberur fomento. Idem folium diutius tenet odorem maſticatum & tineolas non permittit cũ veſtimentis impoſitum *Platearius*. Malabatrum, quod dicitur folium Paradiſi, vel folium album, calidum eſt ac ſiccum, & multum aromaticum, quod nõ habent medici noſtri, ſed eius loco folia gariophilorum ponunt, vel ſpicam nardi.

De mandragora.

CAP. XCVII.

Malum terra.

Circelos.

Effodiendi modus.

Muria mãdragoraũ.

Cur Rachel concupiuit mandragoras.

Mãdragora eſt planthomo.

Iſidorus. Mandragora ſimilis eſt paruo peponi, dicta quod habet mala ſuaue olentia, magnitudine mali Maciani, vnde & Latini eam *malum terræ* vocant, eo quod radicem habet formam hominis ſimilantem. Anthropos enim homo dicitur, huius cortex in vino miſſa datur ad bibendum his quorum corpus ſecandum eſt propter curam, vt ſoporati dolorem non ſentiant. Species eius duæ ſunt, fœmina folijs lactucæ ſimilibus mala generans in prunorũ ſimilitudine. Mas vero folijs ſimilibus betæ. *Plin. lib.* 25. Mandragoram alij vocant circelon, cuius genera ſunt duo. Cãdidus, qui & mas, niger quæ fœmina exiſtimatur, foliis anguſtioribus, quàm lactucæ, hirſutis caulibus, binis terniſve radicibus refulis, intus carnoſis teneriſque penè cubitalibus, ferunt mala magnitudine nucum auellanarum, & in his ſemen album ceu pirorum, hoc alij arſen, alij morion, alij vocant hippoplomon, huius alba ſunt folia. Alterius autem vel lappace ſatiuè latiora. Cauent effoſuri contrarium ventum, & fodiunt ſpectantes ad occaſum. Et tribus circulis ante gladio circumſcribunt, Succus fit & emalis, & è caule deſciſo cacumine, & radice punctio aperta, vel decocta eſt vtilis, vel furculo. Conſciſa quoque in orbiculos ſeruatur in vino. Succus non vbique inuenitur, Sed vbi poteſt circa vindemias qnæritur. Odor grauis eſt ei, ſed grauior radicis, & mali. Mala matutata & in vmbra ſiccantur, & ſuccus ex his Sole denſatur, itemque radices tuſæ, vel in vino nigro ad tertias decoctæ. Folia ſeruantur in murijs efficacius. Et quanquam mala in aliquibus tertis mandentur, nimio tamen odore obmuteſcunt ignari potu etiam largiore moriuntur.

Ambro. in exaemeron. Per mandragoram ſomnus frequenter accerſitur, vbi ægri vigiliarum incommodo affligantur. *Auguſt. ſuper Gen.* 30. de hoc genere ſcilicet mandragoræ quoſdam opinatos ſcio, quòd acceptum in eſcam ſterilibus fœminis fœcunditatem paret. Ideoque inſtitiſſet Rachel apud Liam, vt illud acciperet, quod ego non arbitror: quantum vero renunciat viſus, & olfactus, & guſtus rem comperi pulchram, ſuaue olentem, ſapore autem inſipido. Cur ergo mulier tantopere cupierit eam, neſcio, niſi forrè propter pomi raritatem, & odoris iucunditatem. *Dioſcorides.* Mandragora fœmina folia habet nigra lactucæ ſimilia, ſed minora, odoris grauiſſimi, ſuper terram expanſa. In quorum medio naſcuntur mala vuæ viridi ſimilia. In quibus eſt ſemen apio ſimile. Radices autem habent duas ac tres ſibi inuicem cohærentes, deforis nigras, intus albas cum corio craſſo, haſta carens. Maſculus vero habet folia alba, & maiora, lata, & leuia, ſicut betæ Mala eius duplicia naſcuntur colore croceo odore ſuaui, cum grauitate, quę paſtores comedunt & ſtatim ſomnum capiunt. Radix autem prædictæ ſimilis, ſed alba, huic etiam haſta non eſt. *Auicenna.* Mandragora frigida vſque ad tertium & humida. Omnis autem mandragoræ radix magna eſt, hominis formę ſimilis, & hoc eius nomini competit. Mandragora enim nomen eſt imaginis naturalis, ſcilicet ſicut planta exiſtens in forma hominis. Iabrol autem ideſt radix mandragoræ ſilueſtris frigida eſt in tertio, & ſicca in primo. Radix quidem eſt fortis, deſiccatiua, & in mandragora ipſa eſt humiditas. Dicitur autẽ quod dens elephãtis cũ eius radice decoquitur, & lenit ipsũ fitque facilis eius obedictia.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. XCVIII.

Temperamentum.

Prouocatiuũ ſomni.

Vſus medicinalis.

Inebriat.

MAndragora frigida eſt, & ſicca. Radix, & cortex præcipuè competunt vſui medicinæ, Secũdario poma, Tertio folia, Cortices radicis per tres annos in multa virtute ſeruãtur. Haber autem virtutem infrigidandi, & aliquantulum mortificandi, & ſomnum prouocandi, ad ſomnum ergo prouocandum in acutis febribus puluis corticis eius conficitur cum lacte mulieris, & albugine, & ſuperinducitur fronti, & temporibus: poma mandragoræ trita in oleo communi, aliquantulum decoquuntur, & oleum mandragoraneum cuius inunctio valet contra dolorem capitis ex caliditate, contra calida apoſtemata, contra calorem febrilem, contra fluxum ventris ex impetu choleræ. Sed & folia eius trita ſuper tempora ponuntur contra dolorem capitis ex ſcabie. *Ex herbario.* Mandragora fortiſſimi odoris eſt, ab homine ieiuno non colligitur. Maſculus autem habet albidiora, & maiora folia, ſed vtriuſque vis vna eſt, hæc cum polenta trita, feruores oculorum, & dolores aurium ſedat. Radix eius cum aceto trita, & illita, ignem ſacrũ curat. *Dioſcor.* Folia eius viridia tumoribus oculorum imponuntur cum polenta. Similiter, & vulnerum tumores ſoluunt, & apoſtematibus omnibuſque duritijs remedia ſunt Scrophis medentur, attritionibus itinerum opitulantur, colorem bonum vultibus reddunt Multi quoque folia ipſa ſiccant omnibus ſuprascriptis neceſſaria. Radix eius cum aceto trita ignem ſacrum extinguit, cum melle roſaceo, vel oleo, morſibus venenatis occurrit. Cum aqua ſcrophis medetur, cum polenta adhibita pitadas ſoluit, & articulorũ dolores ſanat, omneſque dolores mitigat. Semen eius bibitum ſtericos purgat. Succus eius plus acceptus, vocem hominis tollit, ſimiliter & folia eius ac mala dum exiccantur, auferunt vocem hominis vi odoris ſui. *Auicenna.* Mandragora ſomnum prouocat, & quando ponitur in vino, vehementer inebriat. Multuſque vſus eius & odoramentum, faciunt apoplexiam: lac eius euellit lentigines, & pannum ſine mordicatione. Soluendo autem educit choleram & phlegma. Radix eius trita, & cum aceto impoſita ſuper erilipilam, ſanat eam. Eius etiam lachryma dolorem oculi tedat. Semen eius matricem mundificat, vel vomitum prouocat. *Razi in almanſore.* Mandragora frigida eſt, capitis grauedinem, & letargiam, & paralyſim efficit. In vino bibita valde inebriat. Comeſta veto faſtidium ac vomitum inducit, & forſitan interficit. Medicinis autem admixta dolorem aufert. *Plin. vbi ſupra* Mandragoræ vis eſt ſomnifica pro bibentium viribus bibitur & contra ſerpentes, & ante ſectiones ac punctiones ne ſentiantur. Ob hoc ſatis eſt aliquibus ſomnum odore quæriſſe: bibitur & pro helleboro obolis duobus in mulſo. Efficacius tamen eſt helleborum ad vomitiones & ad bilem nigram extrahendam.

De maraco & maratro.

CAP. XCIX.

Patemion.

Virtus.

Dioſcorides. Maracon, qui & patemion dicitur: habet folia ſimilia coriandro: melinum cum odore brumoſo, & guſtu amaro: virtus ei talis exiſtit, quòd bibita cum oxymelle, ſicut epithomæ phlegma choleramque per ventrem deponit: Medetur aſmaticis, & melancholicis. Herba ſine flore bibita calculos ac aſmaticis ſanitatem reſtituit: maximeque ipſius elixatura fomento adhibita duritias, & tumores ſtericos ſoluit. Cataplaſmis adhibita cum flore

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſuo ignem extinguit,& ſiccum eſt in gradu ſecundo, herba vero ipſa recens calida eſt in primi gradus medio. Confortat ſtomachum, oppilationem aperit, & hepatis,& veſicæ,& renum. Succus eius coctus, ac deſpumatus,aut cum oxymelle, vel oxiſaccharo potatus,diuturnas febres habentibus periodicas, ſit optimus,vrinam quoque prouocat,viſum clarificat. Idē ſuccus purus,ſi eo lauentur oculi, aquam in eis hordiacam diſpergit, multis etiam collyrijs congruit. Sperma eius oppilationem hæpatis aperit, ventoſitatem inflatiuam remouet,lapidem frangit. Menſtrua prouocat,abhominationem ex humidis humoribus amputat. Cum melle temperatum, & ſupra morſum canis rabidi poſitum iuuat.

De Marrubio,& Marrubiaſtro.

CAPVT C.

Praſies. Linoſtrophos Philopeda. Philochares.

Virtus.

Duo genera.

Temperamentum.

Effectus.

Eupatorium.

I*Sidorus*. Marrubium in campis naſcitur, propter amaritudinē ſic vocatū. *Plin.li.* 20. Marrubium plerique inter primas herbas cōmendauerunt,quā Græci *praſion* vocant. Alij *linoſtrophon*,nonnulli *philopeda aut philochares* notius quam vt indicandum ſit. Huius folia ſemenque contrita proſunt contra ſerpentes, pectorum,& laterum dolores,& contra tuſſim veterem & his qui ſanguinem reijciunt eximiè vtile eſt,ſcopis eius cum panico aqua decoctis, vt aſperitas ſucci mitigetur. Imponitur ſtrumis cum adipe. Aluum ſoluit cum ſale,& aceto. Succus eius articulis ac naribus ac minuendæ bili cum melle prodeſt. Item contra venena inter paucas potens eſt, ipſa herba ſtomachum, & excreationes pectoris purgat. Cum iride, & melle vrinam cit. Cauendum tamen eſt exulceratę veſicæ, ac renum vitijs. Dicitur, & ſuccus claritatem oculorum adiuuare. Caſtor duo Marrubij genera eſſe tradit. Nigrum,& quod magis probat candidum. In ouum inane ſuccum adijcit his ipſumque ouum infundit melle æquis portionibus tepefactum, vomicas rumpere, purgare,perſanare,promittentes. Illitis etiam vulneribus à cane factis tuſa cum axū gia veteri. *Platearius*. Marrubium calidum eſt & ſiccum in tertio gradu. Herba hæc alio nomine praſion dicitur. Folia præcipuè competunt medicinæ,folia radicis ſecundario, virtutem habent diſſoluendi, & conſumendi ex qualitatibus ſuis, Ex amaritudine virtutem diureticam. Contra vitium pectoris ex frigido, & viſcoſo humore datur diapraſium, quod ab eo denominatur. Contra tuſſim valet vinum decoctionis eius,& ficuum ſiccarum. Eadem decoctio valet contra ſtranguriam,& dyſſuriam, & cholicam paſſionem,& contra hæmorrhoidas inflatas, & non fluentes,cum melle confectus. Contra vermes aurium,ſuccus eius in auribus mittitur,valet etiam herba contra ſplenis duritiem.

Conſtantinus vbi ſupra, Marrubium quod Grecè dicitur praſion,eſt calidum in gradu ſecundo ſiccum in tertio. Oppilationem hepatis ac ſplenis aperit, menſtrua prouocat, humores putridos exiſtentes in pectore ac pulmone purgat,puluerizatū ac melle mixtum,vulnera putrida mundificat, eiuſque poſima viſum clarificat,aufert dolorem auribus inſtillatum,ſanatque puſtulas earum:aufert etiam dolorem dentiū ex eodem lotorum. Eius poſima potum contra hydropiſim valet,& oculis vngi ex eo prodeſt, renibus tamen ac veſicæ nociuum eſt. *Dioſcorides*. Marrubium Græci propter amaritudinem vocant praſion. Alij vero eupatorium, frutex eſt multorum thyrſorum cum virgis albis,& hyrtis,& quadrangulis,folijs ceu rotundis,& hyrtis, & acerrimis cum ſemine ac flore nodoſo,hoc eſt,quadrato ac veluti rotūdo. Naſcitur per campos. Eius folia cum ſemine exiccantur, ac ſerpente vexatis aptantur. Succus eorum remedium eſt phthiſicis,ac tuſſiculoſis,& anheloſis. Idem cum attico melle illitus, neruoſis locis congruit, ſordida vulnera purgat, pterygis ac putredinibus, & viſus obtuſioni competit, arcuato morbo laborantibus ſuccurrit naribus infuſus,habet autem Marrubiū vuas efficaciter relaxātes. Aliud quoque genus Marrubij tradunt, quod latini vlcerariam dicunt. Marrubiaſtrum eſt ſubſimile Marrubio,facilè notum,huius vires faciunt ad morſus ſerpentum, & ad ſuſpirioſos. Idem ſtrumas ſoluit,& menſtrua prouocat.

Marrubiaſtrum.

De Medica,& melilote.

CAP. CI.

Aſini comedunt Medicam.

Vis.

Locus.

Curationes variæ ex melilote.

Temperamentum.

Corona regia.

D*Ioſcorides*. Medica ſimilis eſt trifolio, quod inter fœnum naſcitur,habetque folia anguſta, vt virgulam trifolio ſimilem,in qua ſemen eſt illi, vt lenticula. Semen hoc pani miſcetur pro odore, & ſalibus. Elixum,& fomento adhibitum,calidum eſt, hāc herbam aſini comedunt. *Melilotum* diaforeticum eſt ac modicè digeſtorium cum nimio calore. Cū vino dulci,vel cum ſemine lini coctum aut cum vitellis ouorum aſſatis commixtum,tumentibus oculis,& matrici ac teſtibus valet cataplaſmatum. Mitigat,& auriculę dolorem inſtillatum, vino dulci ante perfuſum. Stomachi dolorem ex multa humorum fæce ſanat, omneſque tumores cum ouo aſſo ac polline tritici mixtum ſpargit, & cum vino bibitum dolorem ſtomachi mitigat. Naſcitur in Campania fœnu Græco ſimile,crocinum habēs colorem. Naſcitur,& in Macedonia,ſed vtilis eſt omnibus. *Plinius libro* 21. Melilotos vbique naſcitur, laudatiſſima tamen in Attica,vbicunque vero recens nec candicans, & croco quàm ſimillima,quanquam odoratior in Italia. Oculis medetur cum lacte,vel cum lini ſemine. Cum roſaceo lenit dolores capitis,& maxillarum. Itemque aurium è paſſo. Quæque vero in manibus intumeſcunt,vel erumpunt curat. Stomachique dolores cruda tritaque vel in vino decocta ſanat. Effectus eoſdem habet ad vuluas etiam ad teſtes, & ad ſedem prociduam,& quæque ibi ſunt vitia:eo quoque recenti ex aqua decocta, vel ex paſſo abiecto roſaceo illiniuntur carcinomata.

Auicenna. Mellilotum eſt flos plantæ coloris paleę in quo eſt figuræ lunaris quandam habens duritiam cum ſua raritate. Et ex eo quidem aliud eſt album, aliud citrinum. Melius autem illud, quod durius eſt. Cuius color ad albedinem declinat parumper. Eiuſque ſapor ſentitur amarior, & odor eius eſt manifeſtior. Iuxta Dioſcoridem. Melius eſt crocei coloris, & acutioris odoris. Calidum, & ſiccum eſt in primo,& ad vltimum eſt compoſitum, & caliditas ipſius eſt dominatior frigiditate ipſius. Iuxta Dioſcoriden eſt æquale in frigiditate,& caliditate. In ipſo eſt ſtypticitas pauca cum reſolutione,& propter illud digerit,& eſt liquefactiuum ſuperfluitatum,vt Dioſcorides ait. Eſt autem reſolutiuum, & confortatiuum membrorum. Confert apoſtematibus calidis, & duris,confert etiam vlceribus humidis. Denique confert apoſtematibus aurium, & doloribus ambarum ſuppoſito emplaſtro ex eo cum capeno, & reliquis quæ dicta ſunt. Et diſtillatione facta in eis ex ſucco eius,& eius iuuamentum in doloribus eſt velocius. Ex ipſo quoque fiunt embrocæ,& ſedant ſoda,& cōfert apoſtematibus oculi, & auri ac teſticulorum. *Platearius*. Melilotum eſt calidum & ſiccum in primo gradu,cuius ſemen ſimiliter appellatur, & quia ſemicirculi formam habet,etiam corona Regia dicitur. Semen cum corticibus in medicinis ponitur, ac per tres annos ſeruatur,adeo namque paruum eſt, & adhærens cortici,vt vix inde poſſit ſeparari, virtutem habet confortandi ex aromaticitate, diureticam ex ſubtilitate ſubſtantiæ:vinū decoctionis eius digeſtionē confortat,ventoſitatem excludit,oppilationē renū ac veſicæ aperit. Semen autē in brodio cibiſque poſitū boni odoris os,& dentes optimè olentes reddit.

De Meliſſa, & Meliſſophillo.

CAPVT CII.

Herba citraria. IDem. Melliſſa quę & *herba citraria* dicitur, calida & ſicca eſt in ſecundo gradu. Et viridis,& ſicca multæ eſt efficaciæ,prius quidem ad ſolem exiccata, poſtea in vmbra ſuſpenſa,per annum ſeruatur,virtutem habet confortandi diſſoluendi,conſumendi,& extergendi, Effectum maioranæ ſimilem habet, & contra eaſdem cauſas ſimilis vſus eſt,excepto quod eius decoctio magis menſtrua prouocat, matricem mundificat,& confortat,& conceptum adiuuat: vinum decoctionis eius valet contra ſyncopen ex frigida cauſa: melliſſa in vino,& oleo decocta,& cataplaſmata maturat apoſtemata,duriciemque ſplenis, & hepatis relaxat,& ſoluit. *Dioſcorides.* Melliſſophyllon vel vt alij dicunt Meliſſophilon, eo quòd libenter illam apes manducant,thyrſos habet quadrangulos, nigros, & hyrtos,plurimos ex vna radice,foliaque ſimilia bugloſſæ,maiora tamen & tenera,& non ſic aſpera, acida tamen trita in odore. Huius folia cum vino bibita,& etiam cataplaſmata,vim ſcorpionum, & phalangiorum optimè curant morſuſque caninos ad ſanitatem perducunt. Elixatura eius idem facere poteſt. Iterum elixatura eius fomento adhibita menſtruis longiſſimi imperat temporis. Ore retenta dolori dentium medicatur,dyſſentericis opitulatur: folia quoq; ipſa addito nitro omnia ſupradicta facere poſſunt. Torſionibus rectè adhibentur, & in electuarium orthopnoicis proſunt. Sale autem addito in cataplaſmatibus adhibita ſcrophas purgant,& arthreticis opitulantur. Eſt etiam herba quam multi biblote dicunt,& multi marrubium nigrum, virgas habet nigras quadras,& aſperas,ex vna radice virgellas proferens multas,folia ſunt ei ſimilia marrubio, ſed obrotunda, & nigra,& aſpera,& rara ſimilia melliſſophyllo cum odore graui, vnde & iſtud multi melliſſophyllon dicunt,flores autem ſuper nigras rotundas habet, folia eius addito ſale cataplaſmata morſus caninos mitigant,in cinere calido miſſa,& marcida facta condilomata ſoluunt,ſordidaque vulnera melle addito purgant.

Biblote marrubium.

Contra condilomata.

Macer.

Herbam quam Græci dixerunt melliſophilos
Doracum noſtri dicunt vulgariter illam,
Præ cunctis apibus gratiſsima dicitur herbis,
Nec gaudere magis vllius flore videntur.
Contritæ foliis apium ſi vaſa perungas,
Non fugient meliuſque facit ſi lac ſibi iungas,
Vnguine cultores retinent examina tali
Auxilium præſens apum fert ictibus illa,
Ictus detrita tegitur ſi protinus herba,
Hocque modo quos veſpa vocet, vel aranea, curat,
Trita ſolet veteres compeſcere cum ſale ſtrumas,
Hocque modo vitijs dicunt ſuccurrere fœdis,
Gremia curantur decoctæ cum ſale ſucco.
Tali diſcutitur inſtatio noxia potu,
Eius ſi viridis decoctio ſæpe bibatur,
Antiquos dyſſentericos iuuat, & Cœliacos.
Aſmaticis eadem prodeſt orthopnoicisque.
Vlcera depurgat morbos leuat articulorum,
Herba canis morſum ſuperaddita cum ſale curat,
Eius fomento decoctio menſtrua purgat.
Ore retenta ſolet dentis ſedare dolorem,
Lumina purgari caligine, Plinius inquit.
Eius ſi ſucco fuerint cum melle peruncta.

De Mentaſtro, & men.

CAP. CIII.

PLinius lib. 20. Mentaſtrum eſt menta ſilueſtris differens ſpecie foliorum, quāſi figura ocimi colore pulegij, propter quod & quidam ſilueſtre pulegium vocant. his commanducatis, & impoſitis elephantiā ſanari traditum eſt, ſicut magni Pompeij ætate, fortuito cuiuſdam experimento propter pudorem in facie illita compertum eſt, Eadem illiniuntur atque bibuntur in vino aduerſus ſcolopendras,& ictus ſerpētium, cum ſale quoque, & oleo, & aceto aduerſus ictus ſcorpionum denique aduerſus omnia venena, hæc folia ſeruantur ad farinæ modum arida. Mentaſtrum quoque ſubſtratum, vel accenſum ſcorpiones fugat, potum fœminas purgat, ſed partus necat. Orthopnoicis, torminibus cholericis efficaciſſimum. Itēque podagris impoſitum. Succus eius auribus verminoſis inſtillatur, in morbo Regio datur,& ſtrumis illinitur. Omnia veneris inhibet, tineas pellit, & contra pruriginem valet *Dioſcorides.* Men, quod amanticum dicitur, in Macedonia,& in Hiſpania naſcitur, thyrſo, & folijs aniſo,& aneto ſimilibus aſcendit de terra vſque ad cubitos duos radicibus ſparſis, ac teneris,& lōgis ſuauique odore, guſtu calido linguam mordente. vires habet radix ipſa releuantes. vnde trita, & elixa in aqua vtiliter datur in potione, ad renum dolores, & cauſas veſicæ, vrinam prouocat, ſtomachique inflationes, ac tortiones intraneorum mitigat, & ſtericas, ideſt dolores matricis curat, arterias etiam per fomentum mitigat. Thoracis rheumatiſmo cum melle prodeſt, electuarij more datum. Stranguirias infantium reſoluit, vt cataplaſma ſuper pectus impoſitum. Ex hoc autem ſi plus bibitum fuerit, mouet dolorem capitis, *Platearius.* Men eſt herba in ſecundo gradu calida,& ſicca, huius radix appellatur ſimili nomine. Et præcipuè competit vſui medicinæ, vnde radix in medicinis debet poni, quæ per duos annos poteſt ſeruari, virtutem habet diureticam ex ſubtilitate ſubſtantiæ, attrahendi,& conſumendi ex qualitatibus ſuis, vinum vel aqua decoctionis eius ſoluit oppilationem ſplenis,& hepatis ex frigida cauſa factam,& etiā ſtrāguriam,& dyſſuriam, aqua vero competentius in æſtate datur,& iuueni, vinum autem in hyeme, & ſenij puluis eius cum fæniculi ſemine in cibo, vel potu datus, excludit inteſtinorum ſtomachique vētoſitatem, & confert, contra Tenaſmon ex frigida cauſa, in vino decoquitur herba ipſa.

Aduerſus ſcolopendras.

Effectus.

Men.

Temperamentum.

De Millefollio, & morella.

CAP. CIV.

PLinius libro. 24. Millefolium quod & myrophillon dicitur, caulem habet tenerum, ſimilem fæniculo, plurimis folijs, vnde & nomen accepit. Naſcitur in paluſtribus, magnifici vſus ad vulnera, bibitur cū aceto ad difficultates vrinæ, vel veſicæ, vel ſuſpiria, præcipitatiſque ex alto. Eadem ad dentium dolorem efficaciſſima eſt. Hetruria nomine hoc appellat herbam, in Pratis tenuem, à lateribus capillamenti modo folioſam eximij vſus ad vulnera, eaque affirmat boum neruos vomere abſciſos ſolidari rurſuſque addita axungia iungi. *Ex herbario.* Millefolium, quæ & ambroſia, vel archillea dicitur, in locis cultis naſcitur, habet flores auroſos,& albos. Coma eius tuſa, & appoſita nouis vulneribus dolorem tollit,& eadem glutinat, profluuium ſanguinis ſtringit. Eadem aqua potata dyſſentericos curat. Idem valet ad dentium dolorem, ad vrinæ difficultatem,& ad tumorem. *Platearius.* Morella,& ſtrignum, & ſolatrum idem eſt. Eſt autem hæc herba in ſecūdo gradu frigida,& ſicca, & etiam aliquantulū diuretica. Secundum folia, & fructus eſt multæ efficaciæ, exiccata modicæ, virtutem habet infrigidandi contra ſplenis, & hepatis oppilationem,& maximè icteritiam. Contra apoſtemata in ſtomacho, vel inteſtinis, vel hepate datur ſuccus eius, cū aqua hordei, teſte Dioſcoride. Penna eadem ſucco intincta hepati frequenter ſuperponēda eſt cōtra eius calefactionē, itemq; contra podagram calidā, vel etiā herba ipſa trita ſępius eſt ſuperponenda. Cōtra calida

Efficacia.

Ambroſia achillea.

Morella.

quo-

quoque apoſtemata in principio ad repercuſſionem materiei, herba ipſa ſuperponitur trita.

Macer.

Herba quam Græci ſtrignum dixere, latini
Morellam dicunt vis eius frigida valde,
Dicitur auriculæ mirè ſedare dolorem,
Illius ſuccus ſi ſenſim funditur intus.
Aegilopas ſtringi dicunt cataplaſma mederi.
Iſtud idem credunt capitis prodeſſe dolori,
Vnde cum ſtrigno ſi ſal paniſque teratur,
Parotidas reprimet cataplaſmatis addita more.
Strigni prurigo depellitur illita ſucco,
Succus ſuppoſitus fluxum ſtringit muliebrem,
Contritis foliis eius coniunge polentam,
Dicitur expelli, ſi vero iunxeris eſtis.
Argenti ſpumam, cerulam oleumque roſarum,
Fortius, & melius ſit prædictum medicamentum.

De Napello, & Narciſſo.

CAP. CV.

Vicenna. Napellus in ſummo caliditatis, & ſiccitatis venenum eſt pernitioſum, delet albaras linitum. In potu quoque ſumitur, & lepræ ſimiliter confert. Maior eius potio eſt vna, alioquin ſe bibentem deſtruit, & interficit. Theriaca vero eius eſt mus napelli, Et ipſe quidem eſt mus, qui eo nutritur. Coturnices etiam illo cibantur, & non moriuntur. Ex omnibus autem confectionibus diamuſcum ei reſiſtit. Napellus moyſi eſt herba naſcens cum napello, & quæcunque appropinquat ei non creſcit arbor. Eſt autem maior theriaca napello, & omnia iuuamẽta quæ ſunt in napello ad albaras, & lepram ſunt in ipſo: Confert ergo albaras, & lepræ confert, & eſt tyriaca omni veneno, & viperę. Non eſt itaque napellus Moyſi napellus ille, qui venenum pernitioſum ſuperius dicitur, ſed eſt animal, & ſimilatur illi, & moratur in radice napelli, ſicut mus. *Iſidorus.* Narciſſus fabuloſè nomen impoſitum habet à quodam puero, cuius membra in hunc florem tranſierunt, qui & nomen narciſſi in appellatione cuſtodit, & decus pulchritudinis in candore retinet foliorum. *Plinius lib.* 21. Narciſſi duo genera in vſu medici recipiunt, vnum flore purpureo, & alterum herbaceum, hunc ſtomacho dicunt inutilem, & ideo vomitorium aluoſque ſoluentem neruis inimicum; caput grauantem, & à narce narciſſum non à fabuloſo puero dictum. Narciſſi radix cum exiguo melle prodeſt ambuſtis, ſic & vulneribus, & luxatis. Pannis vero cum melle farinaque aduenæ. Sic & infixa corpori extrahit in polenta tritus, oleoque contuſus medetur, & lapide pertuſis, permixtus farinæ vulnera purgat, nigrat, vitiligines emaculat. Ex eo flore fit oleum narciſſinum ad emolliendas duritias, calefaciendo, qui alſerint. Auribus vtiliſſimum, ſed capitis dolores facit. *Dioſcorides.* Narciſſum ſiue bulbum veneficium multi lilium dixerunt, habet folia Porro ſimilia, ſed minuta, haſtas autem duarum palmarum inanes, ac ſine folijs, flos eſt ei albus in gyro, & in medio croceus ac purpureus. Radicem habet rotundam ſicut bulbus, ſemen nigrum, & oblongum in membranulis. Naſcitur in locis montuoſis; huius flos ſuauem longe iactat odorem. In reliquis autem habet porri ſimilitudinem, viridis eſt. Radix eius bibita & comeſta cocta, vomitum prouocat. Trita cum melle combuſtionibus medetur. Neruos inſciſos ſolidat. Luxationes componit, antiquis articulorum doloribus præſtolatur, melli mixta maculas omnes vultibus tollit, vulnera ſordida purgat, apoſtemata dura rumpit, Impoſita quoque corpori infixa euocat. *Auicenna.* Narciſſus abſtergit pannum, & morpheam. Radix eius extrahit ex profundo, abſtergit, lauat, & ſiccat. Extrahit ſpinas ac ſtipites, & confert alopeciæ. Idem trita cum melle, confert aduſtioni ignis, ac neruorum vulneribus aperit oppilationem cerebri, & melancholicæ, facit autem ſoda capitibus calidis. Oleum quoque de narciſſo valet ad multa ſicut dicetur infra.

Diamuſcum

Narciſſus.

Duo genera.

Lilium.

Vſus medicinalis.

De Nardo.

CAP. CVI.

Iſidorus. Nardus eſt herba ſpicoſa, vnde & à Græcis nardoſtacys eſt appellata. Huius alia Indica alia Syriaca vocatur, non quòd in Syria naſcatur, ſed quòd alio latere Indiam, Altero Syriam ſpectet mõs, in quo inuenitur. *Plinius lib.* 22. De folio nardi plura dicere par eſt, vt principali in vnguentis, frutex eſt graui & craſſa radice, ſed breui, ac nigra, fragilique quamuis pingui vinum redolente aut cupreſſum aſpero ſapore, folio paruo denſoque. Cacumina in ariſtas ſe ſpargũt. Ideo gemina dote, nardi ſpicas, & folia celebrant, adulteratur autem pſeudonardo herba quæ vbique naſcitur: craſſiore atque latiore folio, & colore languido in candidum vergente. Itemque ſua radice permixta ponderis cauſa, & gummi ſpumaque argenti cyperive cortice. Sincerum autem lenitate deprehenditur, & colore rufo, odoriſque ſuauitate, & guſtu, maximè ſiccante os ſapore iucundo. *Platearius.* Spica nardi calida in primo gradu & ſicca in ſecundo. Eligenda eſt illa quæ ſuauiter redolet, quæ in guſtu eſt acuta; aliquantulum ſub amara habens aliquid ponticitatis in carne rufa. Cum autẽ in medicinis ponitur abijciendum eſt quoddam album, quod interius eſt, & quoddam nigrum, quod eſt exterius. Spicanardi quæ nigra eſt vel terrea, non debet poni in medicinis, habet autem virtutem confortatiuam ex aromaticitate, & ponticitate, & diureticam ex qualitatibus ſuis, & amaritudine, per decem annos ſeruari poteſt in loco ſicco & non humecto. Contra *ſyncopen* & cardiacam paſſionem lymphatur vinum patientis ex aqua roſacea, decoctionis eius vel ex tali aqua addito ſuccaro, fit ſyrupus. Contra *debilitatem cerebri* applicatur naribus. Contra *frigidum rheuma* puluis eius in oleo decoquitur, & cum digito naribus imponitur. Tale oleum multum confert etiam *contra ſurditatem ex frigidor ſtomacho, & contra putredinem autium* poſt apoſtemata. Contra *frigiditatem ſtomachi, & indigeſtionem, opilationem* ſplenis & hepatis ex frigido humore vinum decoctionis eius. *Contra putredinem gingiuarum* puluis eius ſuperponitur, valet ad matricem mundificandam & conceptum adiuuandum. Oleum fit ex ſpicanardi quod eſt optimum contra paralyſim, epilepſiam, arthreticam, & podagram: ſumptum per os, vel inũctum: fit autem precioſiſſimum, vt dicit Dioſcorides hoc modo, accipiunt, 50. libras ſpicæ nardi: & ponunt in olla cuius os bene obturant, aliam ollam in terra infodiunt, & à fundo ſuperioris ollæ deſcendit calamus ad inferiorem ollam, circa ſuperiorem faciunt ignem qui exoluit, deinde effluit oleum per calamum in inferiorem, Et ex 50. libris non fiunt niſi 5. vel 6. vnciæ. Quidam vero puluerum ſpicæ nardi dimittunt in oleo per 20. dies, poſtea bulliunt & bene colant ac reſeruant. *Auctor. ex gloſſis.* Nardus eſt herba humilis, calens, & redolens, de qua fit vnguẽtum preciоſum, maximè quando non ſolum de radice ſed de ſpicis, & folijs conficitur, nec alijs herbis adulteratur. Tunc enim piſticus ideſt fidele dicitur. *Conſtantinus vbi ſupra.* Spica hepar ſtomachumque confortat: quia dolorem ab eis amputat. Eius poſima bibitum, renes ac veſicam ab omni ſordicie mundat, vrinam & menſtrua prouocat, ictericiam ex oppilatione fellis & hepatis curat, humoribus à capite ad pectus, & ſtomachum deſcendentibus reſiſtit, ventoſitatem inteſtinorum amputat, mulieribuſque ſuppoſita ſanguinis fluxum conſtringit, ſuper impetigenes fricata eas omnino mundificat, cum aqua frigida potata abhominationem & cordis tremorem tollit, cum ſappa vero bibita libidinem augmentat cum

N ardo ſtachis.

Pſeudonardus.

Temperamentum.

Virtus.

Vſus.

Nardus pliſticus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cum vino propinata contra morſus ſcorpionis atque ſerpentis valet. Collyrium ex ea factum humiditatem ſalſi phlegmatis deſiccat, piloſque palpebrarum confortat.

De diuerſis ſpeciebus nardi.

CAPVT CVII.

Indicum. *Sidorus.* Nardum Indicum eſt multiforme, ſed melyus Syriacum, cyperum ſimulans. Quod ſi multum in ore tardauerit, linguam ſiccat: nardum celticũ à regione Galliæ nomen traxit, naſcitur enim ſæpius in Liguriæ alpibus: & in Syria, frutice paruo, radicibus in manipulos collectis ligamentis, flos eius tantum propter bonum odorem accipitur, thyrſi eius & radiculæ vſibus noſtris vtiles probantur. *Plinius vbi ſupra.* Nardum in noſtro orbe proximè laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum, quod alij quidem agrion vocãt, alii aliphum, folio oluſatri, caule cubitali geniculato in purpura albicante, radice obliqua villoſaque imitante auium pedes. Baccaris vocatur nardum ruſticum. Quæ omnia herbæ ſunt præter indicum. Ex his Gallicum cum radice vellitur, vinoque abluitur, in vmbra ſiccatur, faſciculis alligatur in charta, non multum ab Indico differens. In his probatio vna ne ſint fragilia, & arida potius, quàm ſicca folia. Cum Gallico nardo ſemper naſcitur herba quæ hyrculus vocatur à grauitate odoris, & ſimilitudine qua adulteratur. Diſtat autem quod ſine cauliculo eſt & quod minoribus foliis, quodque radices neque amarę, neque odoratæ. *Idem in lib.* 21. Nardus Gallicus aduerſus ſerpentes ſuccurrit in vino, inflationibus quoque coli vel ex aqua, vel ex vino, itemque tocinoris, ac renum ſuffuſis, & hydropicis, vel per ſe, vel cum abſynthio purgationem mulierum ſiſtit radix eius trita vel decocta potui datur ad ſtrangulationes, vel pectoris, laterumve dolores: menſes quoque cit, ſi cum vino bibatur. *Dioſcorides.* Nardus eſt herba ſpicoſa, huius genera duo ſunt ſcilicet. Indicum & Syriacum. Montis enim in quo naſcitur vna pars in Indiam porrigitur, Altera in Syriam ſpectat, In illa quæ Syriam reſpicit inuenitur nardus lenis ac rufa multis capillis illigata, ſuauem habens odorem, vt cyperum, & ſpicam breuem quæ in ore miſſa ſuauitatem habet cum amaritudine, ſi vero in ore diutius teneatur, linguam ſiccat. Ex parte autem Indiæ, nardus inuenitur ſine virtute, generans ſpicam oblongam ac multum ſpiſſam, ac ex vna radice multos ramos generans in circuitu, non vtiles in odore. In cacumine vero eiuſdem montis quod aqua non infeſtatur, vtilior odore naſcitur, folijs cypero ſimilibus. Alia quoque inuenitur apud Syrios, ſpicam habens oblongam, ſubalbidam, & fruticem maiorem, cum odore non valde ſuaui. Omnium autem prædictarum virtus vnctualis eſt. Calefaciunt modiocriter, & deſiccant abundanter. Compoſitæ ſunt de ſtyptica abundanti ſubſtantia & caloris acredine non multa, ſub amaritudine quadam modica, vnde bibitæ ventrẽ ſtringunt, fluxum matricis abſtinent. *Nauſeam* patientibus cum aqua frigida potatæ ſubueniunt. *Inflationes* etiam ſtomachi in potum datę reſoluunt hepaticis, ictericis, nefreticiſque ſubueniunt. In aqua elixatæ *matricis duritias* per fomentum diſſoluunt, & eadem aqua prurigines oculorum aufert.

Celticum. *Syriacum.* *Creticum.* *Baccaris.* *Hyrculus.* *Effectus.* *Curationes*

Idem. Nardus, quia ſtiptica eſt, deſiccat rheuma vẽtris, & capitis, & thoracis, non ſolum potata ſed exterius poſita. Optima vero eſt odoratiſſima, colore ſubrufa, guſtu ſubamara, tactu grauis, ſed magis denſa. Nominatur autem ſpica, eo quod ſpicæ frumenti ſimilis eſt: adulteratur autem à pleriſque colligatione ragon, quæ eſt herba per omnia ſimilis, ſed odore differt, & eſt albidior nardo. Inde ob grauationem ponderis quidam adulterat nardum ſtibio cum aqua vel vino rubeo admixto, nardi materiam inflantes. *Auicenna.* Spicæ ſpecies vna eſt aromatica, & eſt auiũ ſpica. Altera vero neriden, & ſpica Romana, & alithicia debilior eſt inda, ſyræ in virtute proxima. Arbor eius parua eſt, quæ cum luto ſuo euellitur: quia planta illa horribilis odoris inuenitur. Eſt præterea quædã montana, cuius ſunt vt croci hortulani folia, & ſimiliter eius ſtipites, ſed citrini ſunt & plani, non in modum retis inuoluti. Duas vel plures habet radices, ſed crus non habet nec fructum nec florem. Melior eſt illa cuius pili ſunt plures, ad rubedinem declinans, boni odoris, vt cyperi, ſua ſpica linguam mordicans. Et hæc eſt ſyra quæ multos effectus habet in medicina. Calida eſt in primo, ſicca in ſecundo, Eſt aperitiua, reſolutiua, Et in Inda quidem eſt ſtypticitas plurima, & caliditas eius minor eſt, ſed eſt leuis, Et in primis cũ guſtatur eſt raucida, Deinde procedunt ex ea caliditas, & acuitas. Et ex ſpica aromatica fit puluis prohibens ſudorem plurimum, Et lutum quidẽ ſpicæ eſt abluens corpus, & eſt bonum ad bonum odorem faciendum. *Reſoluit apoſtemata*, & bothor. *Prohibet rheumatiſmos*, & *confortat cerebrum*, facit *naſci pilos* palpebris quando ponitur in alcofol. Confert tota tremori cordis, & mũdificat pectus, & pulmonem, & prohibet effuſionem materiarum ad ea; & fluxus. Aperit oppilationes hepatis, & ſtomachi, & confortat ea. Et conferũt omnes ictericiæ, & prohibent effuſiones materiarum ad ſtomachum, & ſedant mordicationem eius. Et quando bibitur quæcunque ſpecies eius cum vino, confert ſpleni.

Tempera-mentum.

De Nemyfare.

CAP. CVIII.

Etymon. *Latearius.* Nemifar eſt herba in ſecundo gradu frigida, & humida, habens folia lata, In locis reperitur aquoſis, & in calidis regionibus & in frigidis. Duplex eſt eius materies, vna quę purpureum florẽ producit, & melior eſt. Alia vero quæ croceum, & non adeo bona eſt. Flos eius medicinæ competit, & melior eſt ille qui in calidis regionibus reperitur, quàm qui frigidis. In ſeptembri collectus in efficacia multa ſeruatur. Ex floribus præcipuè fiunt ſyrupi contra febres acutas, & calefactiones hepatis, calidaſque diſtemperantias, itaque flores in aqua decoquuntur, & ex tali aqua ſaccharo addito, fit ſyrupus, contra dolores capitis ex calore. Sarraceni florem per noctem in aqua ponunt, & mane talem aquam bibunt, floreſque naribus ſuis applicant. *Auicenna.* Nemifar nominauit Galenus caulem aquę, fortius eſt illud quod habet radicem albam, quàm quod nigram, flos eius frigidus eſt, & humidus in ſecundo. Et ſyrupus eius vehementis extinctionis eſt, & ſubtiliatiuus valde. Cõfert tuſſi, & pleureſi & febribus acutis. Radix eius cõfert bothor, & apoſtematibus calidis ſplenis. Eadem cum aqua confert morpheæ ſuppoſita, cum pice vero alopyciæ. Idem Nemifar ſomnium facit, ſoda calidam, & cholericam ſedat, ſed tamen debilitat, pollutionem minuit, & frangit deſiderium coitus cum ſyrupo de papauere bibitus, & congelat ſperma, proprièque radix eius. Eademque radix confert ſolutioni antiquæ, & vlceribus inteſtinorum, & doloribus veſicæ. Semen eius fortius eſt in omni re, & prohibet fluxus menſtruorum. Natura Nemifaris Indi eſt natura mandragoræ. *Conſtantinus vbi ſupra.* Nemifar eſt ſubtile ac penetrabile, dolorem capitis ex calore placat appoſitum naribus cholericis, & ſanguineis ex omnibus calidis congruit paſſionibus. Syrupus eius calidam tuſſim extinguit, ac febres cholericas, ac ſanguinolentas aufert vigilias. Oleum eius dolorem capitis aufert, ſi cataplaſmetur, aut ſi eo ſternutatio prouocetur.

Syrupus. *Debilitat ve-nerem.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Nymphea.

CAP. CIX.

Etymon. I *Sidorus.* Nymphea dici traditur à nympha Zelotypa erga Herculem Rhopalo mortua, vnde aliqui Heraclion vocant eam, Alij rhophalon. Naſcitur radice claui ſimili, eoſque qui biberint eam 12. diebus dicunt coitu genituraque priuari: laudatiſſimam in orchomeno ferunt, & Marathone Boetiæ, Timalon vocant, quę ſemen ædit. Naſcitur in aquoſis flore Lilio ſimilis, dum defluerit papaueris capiti. Eſt alia Nymphea in Theſſalia amne Pæonio, alba radice, luteo capite, roſæ magnitudine. Idem in libro 26 *Venerem adimit.* Venerem in totum adimit Nymphæa Heraclea per 40. dies à ieiuno pota, & in cibo ſumpta. Illita radix genitalibus inhibet non ſolum venerem, ſed B etiam genituræ affluentiam, & ob id corpus alere dicitur, atque vocem. *Dioſcorides.* Nymphæa, vel (vt dicunt alij) *cacabus veneris* ideſt papauer paluſtre, ſiue vt *Cacabus veneris.* latini *alga paluſtris*, naſcitur in aquis ſtantibus, vel locis non cultis: habens folia cichorio ſimilia, ſed minora, & oblonga, caput altius ſuper aquam proferens, multaque capita infra aquam ex vna radice habens flos eſt illi albus ſimilis lilio, cum pallore paruo, ſemē eius in medio croceum, ſed cum efflorueriт nigrum efficitur, haſta lænis, & non craſſa, & nigra, radix quoque aſpera, & nigra, & nodoſa. In Autumno ſiccatur, ſiccaque bibita cum vino cæliacis medetur. Splenem ſiccat, cataplaſmata, doloreſque compeſcit ſtomacho impoſita. Radix eius bibita, dolorem veſicæ C mitigat, corporis maculas detergit, alopecias emendat addita pice, & ſemen eius bibitum hoc aſſiduè facere nouit. Idem radix eius ac ſemen, habet deſiccatiuam ſine mordicatione virtutem, & ideo rheuma ventris reprimit. Semen quoque potatum ſeminis fluxum reſtringit. Quæ autem albam habet radicem eſt virtute fortior, & bibitur cum vino nigro Stypticitatem namque participat, & aliquid proiectorię virtutis habet, ita vt aluum infuſa ſanet, & alopeciam cum pice liquida curat.

De oleandro, & orchi & orpino.

CAP. CX.

A *Vicenna.* Oleander habet duas ſpecies. Nam alia eſt ſylueſtris alia fluuialis. Sylueſtris naſcitur in domibus deſertis, habens folia ſicut portulacæ, ſed ſtrictiora. Eius thyrſi ſunt longi ſuper terram, & apud folia ſunt ſpinæ. Fluuialis autem in ripis fluuiorum naſcitur, cuius thyrſi longè à terra eleuantur. Eiuſque ſpinæ ſunt occultæ, & folia vt ſalicis lata vt amygdalæ. Eſt autem ſaporis valde amari. Superiora cruris eius ſunt craſſa inferioribus eiuſque flos eſt E ſicut roſa rubea, bonus valde, & ſuper ipſum egredi tur quiddam pilis ſimile: fructus eius eſt durus, aſper, re quæ eſt ſicut lana, plenus. Calida eſt in gradu tertio, ſicca in ſecundo. Reſolutiua eſt valde, domuſque ſternuntur eius decoctione, & interficit pulices, ac terrenos vermes, ponuntur eius folia ſuper apoſtemata dura, & ſunt eis valde iuuatiua. Iterum bona eſt pruritui, & ſcabiei, & excoriationi, propriè ſuccus foliorum eius valet etiam dolori dorſi antiquo, & geniculi ſuperpoſita more emplaſtri, flos eius ſternutationem facit, mixta cum vino & ruta & bibita, fertur à venenis vermium venenoſorum liberare. Ego tamen dico, quod hoc eſt timoroſum, quoniam ipſa, & flos eius hominibus ac beſtijs ſunt venenum. Verumtamen cum vino decocta dicitur conferre bibita cum ruta.

Deſcriptio. *Temperamentum.*

Orchis. Priapiſmus. *Dioſcorides.* Orchis quam alij dicunt veneream vel priapiſmum, thyrſum habet bipalmum, folia oliuæ ſimilia, ſuper terram expanſa, ſed molliora, & anguA ſtiora, & longiora. In haſta oſtendit florem purpureum. Radix eſt ei bulbo ſimilis longa, duplex, anguſta ſicut oliuæ, vna ſuperior, & altera inferior, vna fortis altera mollis & rugoſa: radix eius comeditur aſſa ſicut bulbus, ferturque multas vires coeūdi ſicut ſuccus excitare, maiorque radix eius à viris comeſta maſculos gignere, minor autem à mulieribus comeſta fœminas gignere. Sicca vero comeſta ventrem impedit. Et dicitur, quod ambæ radices ideſt mollis & dura, ſibi contrariæ ſunt. Naſcitur autem hæc in locis ſaxoſis & arenoſis. Eſt alterum genus orchis quàm multi ſphæriadam vocant, habens folia praſſio ſimilia, & oblonga, latiora & ſordida, virga eius duobus palmis eſt longa, florem purpureum proferens, & radicem inſtar caſtorei, ideſt quaſi teſticulorum habēs, virtus eſt illi, vt cataplaſmata omnes puſtulas, & vulnera purget, arenas tollat, fiſtulas curet. Item cataplaſmata tumores omnes compeſcit, ſicca vero adhibita putredines vulnerum prohibet, & abſtinet, & paſcentia vulnera conſumit. Denique omnia corporis vulnera maligna extinguit impoſita, ad vētris quoque fluxum perhibetur apta. *Ex lib. de natu. rerum.* Orpinum dicitur, quod à medicis *craſſula*, herba eſt calida, & humida, fracturis oſſium conueniens. De qua certiſſimè probatum eſt, quòd ſi quis eam decem diebus ante ſolſtitium æſtiuale collectam intra tecta domus in aere ſuſpenderit, ipſa ſine vllo terræ, vel aquæ adiuuamento ferè per totum annum pullulans germinabit, & in vna ſui parte areſcens ex altera parte reuireſcit.

Orpinum craſſula. *Mirum.*

De Paliuro.

CAP. CXI.

I *Sid.* Paliurus eſt herba aſperrima, & ſpinoſa. *Gloſſa ſuper Iſaiam.* 14. Paliurus tanta ſpinarum circundatione denſeſcit, vt pro aſperitate vix tangi poſſit. *Plinius lib.* 13. Cyrenaica regio Lothō præpoſuit ſuæ paliuro, fruticoſior eſt hæc, fructuque magis rubens, cuius nucleus non ſimul manditur. Iucundus per ſe atque ſuauior vino, quin & vina ſucco ſuo commendans. *Idem in libro.* 24. Paliuri, quod eſt genus ſpinæ, *Virtus.* ſemen cōtra ſerpentes efficaciſſimū eſt. Item calculoſis, & ruſſi, folia vim aſt ictoriam habent. Radix diſcutit pannos, collectionis vomicas, vrinas trahit pota. decoctum eius in vino aluum ſiſtit, Serpentibus aduerſatur, Radix præcipuè datur in vino, Baccæ purgationi mulierum proſunt, Cæliacis, dyſentericis, & cholericis. Radix eius decocta, & illita extrahit infixa corpori, vtiliſſima quoque tumoribus eſt ac luxatis. *Dioſcorides.* Paliurus eſt, quę ab alijs *acus palearis* dici- *Acus palearis.* tur, vel *cicer domeſticum* vocatur: folia eius, & radix ſti- *Cicer domeſticum.* pticæ virtutis ſunt, ita vt ventrem fluentem conſtringant, In hoc quoque diaphoreticam virtutem participant, vt in veſica lapides frangant, & ex thorace atque pulmone ſputamina phlegmatica cum humore educant. Dicitur & *lanaria*, eo quod plerique ex ea la- *Lanaria.* uant. Semen illius bibitum tuſſim compeſcit, lapides veſicę frangit, morſibus venenatis occurrit. Eius elixatura bibita ventrem ſtringit, vrinam prouocat, venenis acceptis obuiat. folia eius, vt cataplaſma impoſita curant apoſtemata, ſi ſint recētia. Radicibus quoque ſicut & folijs eſt virtus ſtyptica.

De Panace.

CAP. CXII.

I *Sidorus.* Panax eſt herba fragrantis odoris: thyrſo ferulæ ſimilis, ex qua profluit ſuccus, qui opopanacis dicitur. Croceus, & pinguis, odore grauis, & *Etymon.* amariſſimus. *Plinius lib.* 25. Panax ipſo nomine morborum omnium remedia promittit. Huius eſt numeroſum genus, & dijs inuentoribus aſcriptum. Vnum quippe cognominatur Aſclepion: quoniam is

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Aſclepion. filiam panaciam appellauit, huic ſuccus eſt coactus, qualem ferulæ diximus, Radix eſt corticis multi, & ſalſi. *Bucolicon.* Id quod affertur è Macedonia Bucolicon vocant, armentarijs ſponte erumpentem ſuccum excipientibus, hoc euaneſcit celerrimè. Et in alijs generibus improbatur maximè nigrum ac molle. Illud enim argumento eſt adulterati certo. Alterum genus Heracleon dicunt, & ab Hercule inuentum. Alij autem origanum Heracleoticum ſylueſtre, quoniam origano-ſimile, inutile radice. Tertium genus *Chironeon.* Chironeon ab inuentore cognominatur. Folium eius eſt lappato ſimile, maius tamen & hirſutius, flos aureus, paruaque radix, huius flos efficaciſſimus eſt, & amplius quàm ſupradicta prodeſt. Quartum genus *Centaureon* ab eodem Chirone repertum centaureon cognominatum eſt, ſed & pharnaceon à Pharnace rege deductum eſt, hæc habet folia cæteris longiora atque ſerrata. Radix odorata in vmbra ſiccatur, vinoque gratiam adducit. *Pharnaceon.* Panaci radicem cũ polenta epiphoris imponunt. *Idem in libro* 26. Panacis omnium generum ex vino calido vulneribus manantibus illita ſiccat ea, priuatimque illa quam chironeon diximus cũ melle trita aperit tubera. Illinitur & vlceribus quæ ſerpunt, deploratis eſt auxilio cum æris flore, vino temperata modis omnibus, vel flore, vel ſemine, vel radice. Eadem quoque cum polenta vetuſtis vulneribus eſt proficua. *Dioſco.* Eſt panax heraclea, vnde o*Opopanax.* popanax colligitur, hæc habet folia expanſa ſuper terram, horribilia, & aſpera valde, in quinque partes diuiſa, virgam longam ſicut ferulæ, coloris albi, & ſuper eam capitella aneto ſimilia, cum flore melino, ſemen odoratum, & calidum, radicem vnam ſolidam, quæ de ſe multas emittit radices albas, odore graues, & guſtu amaras. Ipſa radix lachrymam emittit, quæ colorem croceum oſtendit. Eſt & panax aſclepij: cuius flores, & ſemen addito melle vulneribus, & puſtulis auxiliantur, hæc quoque venenatis morſibus obuiat.

De Papyro, & paritaria, & paratella.

CAP. CXIII.

I *Sidorus.* Papyrum dicitur, eo quòd ignibus, & ceris aptum ſit. Pyron enim græci ignem dicunt. *Bibula.* Idem & *bibula*, eo quòd humorem bibat. Ex eo charta conficitur. *Plinius lib.* 13. Papyrum in paluſtribus Ægypti naſcitur, aut quieſcentibus Nili aquis vbi *Locus.* euagatæ reſtagnent. Duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiale radicis obliqua craſſitudine triangulis lateribus decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem faſtigiatum thyrſi modo, cacumen includens ſemine nullo, aut vſu eius *Vſus.* alio quàm floris ad Deos coronandos. Radicibus incolæ pro ligno vtuntur, nec ignis tantum gratia, ſed ad alia quoque vtenſilia vaſorum. Ex ipſo quoque papyro nauigia texerunt. Et è libro vela tegeteſque, nec non & veſtes atque ſtragula & funes. Mandunt & crudum decoctumque, ſuccum tantum deuorantes. Naſcitur & in Syria, circa quem lacum & odoratus naſcitur calamus, nec alios ad vſus quàm fumbus. Rex Antigonus vſus eſt in rebus naualibus. Nuper & in Euphrate naſcens, circa Babylonẽ papyrum intellectum eſt eundem vſum habere quem chartæ, & tamen adhuc malunt Parthi veſtibus litteras intexere. *Idem in lib.* 24. Papyro præcipuè ſunt vtilitates cum inaruerit ad laxandas ſiccandaſque fiſtulas, & in tumeſcendo ad introitum medicamentorum adaperiendas. Charta quæ ſit ex ea, cremata eſt *Charta cinis potus facit ſomnum.* inter cauſtica. Cinis eius ex vino potus facit ſomnũ, ipſaque ex aqua impoſita ſanat callum. *Auicenna.* Papyrus eſt frigidus & ſiccus. Confert fluxui ſanguinis, & prohibet eum ipſius cinis, Sputumque ſanguinis retinet, & oris corroſioni confert, pulnerizatur ſuper vulnera recentia, & conſolidat ea, infunditur autem in aceto quandoque & exiccatur, & intromittitur fiſtulis, & omnibus vlceribus ambulatiuis atque vulneribus. Valet etiam contra hæmorroidas.

Platearius. Paritaria eſt herba, quæ alio nomine vi*Vitreola paritaria.* treola dicitur: quoniam hac optimè vaſa vitrea mundantur. Calida eſt, ac ſicca in quarto gradu, exiccacata nullius efficaciæ viridis autem multæ, virtutem habet diſſolutiuam, diaphoreticam, & extenuatiuam. Contra frigiditatem ſtomachi, & inteſtinorum ac dolorem eorum ex frigiditate; vel ventoſitate, calefacta in teſta munda ſuperponitur aliquantulum trita, & in furfure decocta, in vino albo aliquantulum acido. Contra ſtranguriam, & diſſuriam in aqua ſalſa, & oleo decoquitur, ac pectori cataplaſmatur. *Auicenna.* Herba vitri, ideſt paritaria eſt illa qua vitrum abluitur. In ipſa eſt ſtipticas cum humiditate faciens adhærere, lenificatiua eſt, & mundificatiua. Sedatiua eſt *Virtus.* apoſtematum. Cum ceroto ſuper podagram ponitur. Remouet hæmorroidas. Folia eius in potu dantur ad eriſipilam, & aduſtionem ignis præcipueque ad apoſtemata flegmatica. Succus eius ſorbetur ad antiquam tuſſim. Idem cum oleo roſato confert dolori auris. Eius ſuccus cum ceruſſa de plumbo ponitur ſuper eriſipilam, & formicam. *Auctor.* Paritariam nonnulli dixerunt eſſe Lappacium, quod & *paratella* dici*Lappacium paratella.* tur, ſed lappacium, & paritaria pro duabus à Plateario ponuntur.

Macer.

Herba ſolet lappaci vulgo paratella vocari.
Illius ſpecies dicuntur quatuor eſſe,
Par tamen eſt ferme vis omnibus in medina,
Omnibus eſt illi ſeruens auſteraque virtus,
Vnde quidem ſtomachum confortat ſumpta ſoletque,
In ſtomacho clauſum per ructus pellere ventum
Pruritus mordax ſcabieſque cutis laceratrix,
Illius tepido cædunt apoſtemate fota,
In vino coctæ radices, & bene tritæ,
Appoſiti ſcrophas compeſcunt parotidaſque,
Eius ſæpe tepens ſi coctio gargarizetur,
Vuas ſedabis tumidas dentiſque dolorem,
Hæc dyſentericos potu iuuat, & cæliacos,
Pellitur ac tepida dolor auris, ſi foueatur,
Decoctas valido radices eius aceto,
Et tritas ſpleni ſuperaddita ſæpe tumenti,
Quamuis non modicum reprimet ſiccando tumorem,
Cum vino, vel aqua radicum coctio facta.
Menſtrua reſtringit potu lapideſque depellit,
Hæc eadem iuuat hicterícos ſuſpenſaque collo.
Illius radix ſcrophas naſci prohibebit.

De Pentaphyllo.

CAPVT CXIV.

I *Sid.* Pentaphillon à numero foliorum eſt dicta: *Quinquefolium.* vnde & à latinis *quinquefolium* eſt vocata. Herba videlicet adeo mũda, vt olim purificationi, & templis adhiberi à gentilibus eſſet ſolita. Plin. li. 25. Quinquefolium nulli eſt ignotum, cum etiam fraga gignendo commedatur, hanc Græci vocant camezeleon, ſiue penthapeton, ſiue penthaphilon, rubeam habet radicem cum effoditur, Hæc marceſcens nigreſcit, & anguloſa fit. Nomen à numero foliorum habet. Et ipſa herba incipit, & deſinit cum vite, aduerſus *Etymon.* ſerpentes bibitur & eius radix, quę ſparganion vocatur ex albo vino. *Idem li.* 29. Quinquefolij ſuccus iocineris, & pulmonis vitiis, ſanguinemque reijcientibus, & cuicumque ſanguinis vitio occurrit. Quinquefolium medetur pectoris vitijs, vel ei quod grauiſſimum eſt tuſſis. *Dioſcorides*, Pentaphillon dicitur aut pentapetas aut pentadactilum, aut pſeudoselinum, haſtas ſemine plenas, & tenues habet longas duobus palmis: in quibus ſemen eſt, folia in quinque partibus diuiſa ſingula in ſingulis haſtis folia. Naſcitur in locis humidis, & inuijs. Radix eſt ei ob-

longa,

Locus. longa,& ruffa,plus elleboro craſſo. Cuius elixatura vſque ad tertiam decocta dolorem dentium mitigat. Ore retenta,& quaſi gargariſmo adhibita: putredines tollit:aſpredinem arteriarum diſſoluit:ventrem ſtringit. Neceſſario etiam adhibetur dyſentericis, arthreticis quoque præſtat effectum, & iſchiaticis. Elixatura cum aceto cataplaſmata impoſita herpetas curat: ſcrophas ſpargit,Duritias, & tumores ſoluit,ignē ſacrum extinguit, apoſtemata, & panaritias impoſita ad ſanitatem perducit,condilomata ſoluit, ſcabiem tollit. Succus radicis eius mollis acceptus cauſas hepatis, & pulmonis componit, potionibus venenatis occurrit. Eius folia cum hydromele, vel vino bibita, addito pipere quartanarijs eſt remedium, ſi tantum biberint quatuor folia,tertianarij,vero tria,Ephimeris vnum.Epilenticis autem vigintitribus diebus accepta præſtant effectum. Succus foliorum hictericis maximum eſt præſidium. Iſchiaticis tribus acceptis ſanitatem præſtant vulneribus, & fiſtulis, Item cataplaſmata profluentem abſtinet ſanguinem. Radix abundanter calida eſt ac nimis acris, & ideo ad ventris fluxum, & dolorem dentium eſt vtiliſſima, *Auicen.* Pentaphyllon eſt fortis exiccationis ſine acuitate,& aduſtione,& mordicatione. Ex eo fit emplaſtrum ad fluxum,& ſedat ipſum,iterumque ad ſcrophulas,& panaritias,& durities phlegmatis. Radicis eius decoctio valet ad linguam doloroſam,& ad vlcera ambulatiua,& quod de illo coctum eſt cum aceto ad formicam. Confert in eriſipila, & ſcabie: Cum eius decoctione fit gargariſmus ad aſperitatem gutturis, & ſuccus radicis eius valet ad dolorem pulmonis, & hepatis, & icteritiam. Radix eius confert ſolutioni,& vlceribus,& ſimiliter decoctio radicum eius: folia eius cum vino conferunt quartanariæ & quotidianę.Succus radicis eius medicina pernitioſa eſt.

Effectus.

Temperamentum.

De Pæonia.

CAP. CXV.

Glyciſis penterobos.

Dactylos.

Figura.

Virtus.

Sid. Pæonia dicitur à Pęone medico à quo inuenta perhibetur,hanc quidam glyciſidem vocant, eo quod dulcis ſaporis ſit, vel penterobon à numero granorum,vel (vt alij) dactylos à ſimilitudine digitorum. Naſcitur autem in Inſulis. *Plin.lib.* 25. Vetuſtiſſima inuenta Pæonia eſt, nomenque auctoris retinet, quam quipam *Penterobon* appellant, alij glyciſiden. Naſcitur in opacis montibus caule inter folia digitorum quatuor ferente cacumine veluti græcas nuces quatuor aut quinque. Ineſt his ſemen copioſum rubrum nigrumque. Medetur autem hæc faunorum in quiete ludibrijs. *Dioſcorides.* Pæoniam Gideon dactilycum vocat, & radicem eius pæoniam. Haſtas habet cum ramulis longas duabus palmis. Maſculus habet folia nuci regali ſimilia, fœmina vero folia diuiſa,& in ſummo emittit ex ſe virgas quaſi cucurbitarum cariolas. Folliculos habet velut amygdala, in quibus eſt ſemen diuiſum,& minutum ac rufum,malogranato ſimile, ſed in medio ſunt quinque vel ſex grana nigra, & ſubpurpurea. Radix maſculi craſſitudinem habet digiti, duobus palmis longa, & guſtu ſtyptica. Fœmina vero radicem habet ſicut Balanus,in ſex vel in octo partes diuiſam, aſphodillo ſimilem, Datur hæc mulieribus, vt facile purgari poſſint. In modum amygdalæ cum vino bibita dolorem intraneorum compeſcit. hictericis ac nefreticis, & veſicæ doloribus in vino elixa,& bibita maximè ſubuenit, ventrem abſtinet ſtomachoque comeſta ſanitatem præbet. Stomaticis dolorem tollit,& ab infantibus comeſta initium calculorum excludit. Nigrum ſemen acceptum, longius arcet preſſuram ſomniorum, & effocationes. Radix menſtrua multum mouet. Cum amygdala vero in mulſa potata hæpar purgat,renes conſtipat. Et quia ſtyptica eſt, conſtringit ventris rheuma, cum vino auſtero cocta, & potata. Integra vero herba fortiter deſiccatiua eſt,ita vt radix eius appenſa pueros epilepticos ſanet. Eſt enim virtus leptomeris huius herbæ,deſiccatiua, & calida non manifeſte.

Iterum de eodem.

CAPVT CXVI.

Incubi remedium.

Temperamentum.

Forſan coſti vel coti.

Medetur capiti.

Auicenna. Pęonia eſt calida,& ſicca vehementer; In ipſa ſuut exiccatio, & ſtypticitas cum reſolutione,& apertione ac ſubtiliatione,& inſciſione, & abſtertione,& quando maſticatur, apparet poſt eam acuitas ad ſtypticitatem declinans, abſtergit veſtigia nigra in cute,confert podagræ. Confert epilepſiæ,ita quod etiam ſuſpenſa, & (vt inquit Iudæus quidam) ſuffumigatio facta cum eius ſemine confert dæmoniacis, & epilepticis, & ſanat eos. Ego autem dico, quòd hæc eſt forſitan ſpecies Pæoniæ Romanæ. Nam illa quæ ex India fertur ad nos:non habet effectum in hoc capitulo. Et bibuntur de ſemine illius 15. grana cum vino aut melicrate, & conferunt incubo valde. Naturam retinet decocta cum ſyrupis ponticis,prohibetque materias effuſas ad ſtomachum, & mordicationem ipſius. Radix eius confert ictericiæ,& apperit oppilationem hepatis,Potus eius vrinam prouocat,Et eius decoctio cum vino ventrem ſtringit, & prouocat. De radice ipſius quantitas Auellanę confert dolori renum ac veſicæ. Grana eius cum vino conferunt præfocationi matricis, & abſcindunt fluxum ſanguinis *Conſtan. vbi ſupra.* Pæonia eſt in tertio gradu calida,& ſicca. Quiddam habet ponticitatis,& quiddam dulcedinis. Qua maſticata ſentitur in ore amaritudo modica cum aliquanto acumine,vnde prouocat menſtrua cum melle bibita. Hepatis; & ſplenis opilationem cum acumine aperit, ventrem conſtipat cum ſua ponticitate. Ideoque cum vino bibita diarrhiam in inteſtinis curat, epilepticos quoque iuuat. *Platearius.* Pæonia calida, & ſicca in ſecundo gradu,hæc contra epileptiam habet virtutem occultam collo patientis ſuſpenſa,vt teſtatur Gal. de quodam puero, cuius collo dum ſuſpenſa erat,non patiebatur; ea vero ſublata morbo affligebatur. Sed quidam dicunt hoc non de qualibet verum eſſe, ſed de quadam ſpecie tantum. Ad idem valet puluis eius datus in ſucc pigani. Contra paralyſim datur ſuccus eius cum vino decoctionis caſtorei. Contra ſtranguriam, & dyſſuriam datur vinum decoctionis eius pulueris. *Ex herbario.* Peonia in ſummitate habet maligranati magnitudinem,quæ noctu lucet quaſi lucerna, & habet granum cocti ſimilem. Noctu à paſtoribus inuenitur, res eſt ſaluberrima.

De Peucedano.

CAPVT CXVII.

Plinius lib. 25. Peucedanum inter primas celebratur,laudatiſſimum in Archadia, mox in Samothracia. Caulis eius eſt tenuis & longus, fœniculo ſimilis. Iuxta terram folioſus,radix nigra, craſſa, odore graui,ſuccoſa. In montibus opacis gignitur, & exitu autumni colligitur. Placent radices eius tenerrimæ, & altiſſimæ, hæc conſciduntur in quaternos digitos oſſeis cultellis. Peucedanum ex oleo,& roſaceo, & aceto tepidum hoc prodeſt,& doloribus, qui plerumque ex dimidia parte capitis ſentiuntur, & vertigini, vulneribus capitis medetur,fracta extrahens oſſa, & in alia quidem corporis parte, ſed maximè capite. Succus Peucedani cum mæconio, & roſaceo facit ad caligines oculorum. *Dioſcorides.* Peucedanum habet in medio virgam maratro ſimilem; & folia perplura ſpiſſa circa radicem. Cui flos eſt melinus, nigra radix craſſa eum odore graui, lachrymam habens plurimam. Naſcitur in locis vmbroſis,& montuoſis. Cum recens fuerit radix,pertuſa cultello lachrymam quam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Notandum de gutta radicis peucedani.

emiserit, colligitur, & in vmbra (ne Solis ardore pereat) siccatur, Quæ radix cum ex se lachrymam emiserit remanet inutilis, Colligentibus autem vi odoris sui scothosim, & dolorem capitis commouebit, si non oleum roseum fronti naribusque traiectum fuerit. Similiter & de virgis eius colligi potest, sicut de mandragora succus. Sed lachryma radicis virtute maior existit, quia succus virgarum citius virtutem perdit. Et aliquando lachrymas in radice thuri masculo similis inuenitur, qui prædictis est melior, qualis in Sardinia. Et in Samothracia nascitur obrusus, & gustu calidus. Hic oleo rosaceo, & aceto mixtus, fomentoque capitis adhibitus lethargicis, ac nefreticis medetur. Stomaticis & epilepticis plurimum prodest, dolorem capitis mitigat, ischiaticis, & contractis, & paralyticis maximum præsidium est. Omnes neruorum causas cum aceto & oleo peruncto componit, ori applicatus effocationes stericas soluit. Somnum dormientibus prohibet plurimum. Fumigatione sua domibus serpentes excludit, oleo roseo mixtus dolores aurium tollit. Iniectus foramim dentis dolorem non admittit. Tussientibus opitulatur ouo sorbili additus & acceptus, dyspnoicis, & torsionibus, & inflationibus medicatur, ventrem leniter mollit, splenem attenuat, dolorem stomachi compescit, vesicæ quoque dolorem ac renum bibitus prohibet, matrici salutaris est, radix eius elixata, facit omnia suprascripta, fomento adhibita curat vulnera. Radix sicca & imposita, id facit; ossaque fracta excludit, & vulneribus antiquis cicatrices deducit, vtiliter miscetur, cerotis, malagmatibus quoque thermanticis. Radix eligenda est odore suauis & fortis, non vetus, hęc recentia vulnera à sanie purgat; incensaque viperas & serpentes fugat. *Platearius.* Peucedanum est herba calida & sicca, alio nomine fœniculus porcinus appellata. Huius radix in medicina poni debet, quia principaliter secundum radicem, secundario secundum herbam effectum habet. Radix collecta per annum, vel etiam per duos seruatur; sed melius est vt annis singulis renouetur, habet autem virtutem diureticam. Contra stranguriam, & disenteriam & oppilationem splenis, & hepatis datur vinũ vel aqua decoctionis eius, herba etiam ipsa decocta in vino vel oleo, & pectori cataplasmata contra stranguriam, & dyssuriam proficit & splenem remollit, fomentum decoctionis eius mẽstrua prouocat.

Temperamentum.

Fœniculus porcinus.

De pyretro.

Cap. CXVIII.

Isidorus. Pyretros græcè dicta est, eo quod radicem habeat incendiosam, & coacerbantem. *Dioscorides* Pyretros est herba folijs maratro similis, & etiam virga, in qua capitellum est simile aneto, & obrotundum. Radix crassitudinem habet vnius digiti, gustu vehementer excalefaciens & saliuam prouocans, hæc causticam habet virtutem, & cum oleo trita & superuncta febrium rigorem tollit, & membrorum stuporem in quocunque loco sit, paraliticos etiam iuuat, & masticata capitis exuberans phlegma deponit. Cum aceto quoque cocta & gargarismo adhibita similiter facit, & dolorem dentium compescit. Cum oleo roseo, sudorem vncta prouocat, ab aeris rigore tuta corpora seruat. *Constantinus vbi supra.* Pyretrum est in quarto gradu calidum & siccum, linguam vrit & phlegma nimium attrahit. Ideoque dentibus valet de frigiditate & humiditate dolentibus. Alexander & Stephanus illud tritum & cum melle potatum, epilepticis valere testantur. Collo suspensum aut naribus applicatum, subuenit infantibus epilepticis. Cum oleo mixtum, & dorso fœmineo inunctum ante rigoris accessionem venire prohibet eam, valet etiam paralyticis, ac neruorum molliciei, de frigiditate & humiditate totius corporis. Denique in corpore toto ex eodem peruncto, prouocatur sudor.

Effectus.

Temperamentum.

Auicenna. Pyretrum est planta, cuius maximè radix administratur in medicina, melius est illud quod acutum est ac mordicatiuum linguæ, & eius magnitudo est digiti quantitate. In tertio gradu calidum est & siccum, & phlegma, extrahit masticatum, adustiua est eius virtus, & sudorem prouocat, cum ex eo mixtum cum oleo abstergendo inungitur corpus, fricatio ex eo facta. & decoctione ipsius, & oleo eius confert antiquæ mollificationi neruorum, & stupori eorum; vehementer aperit oppilationes colatorij, & constrictionem narium, & eius decoctio confert dolori propriè frigido dentium, dentes quoque motos confirmat, si cũ aceto decoquatur, & in ore teneatur. Confert etiam rigori febris facta ex eo cum oleo fricatio corporis. *Platearius.* Pyretrum est satis communis herba in tertio celida & ficca. Radix eius in medicinis ponitur, quæ in hyeme colligitur, ac per annos quinque seruatur. Pyretrum debet eligi continuum, & non perforatum saporem habens acutum, & cum frangitur non puluerizatur acumen eius non statim percipitur, sed debet aliquantulum masticari, & in ore teneri. Quod contingit propter eius leuitatem vel substantiæ soliditatem, virtutem habet dissoluendi, consumendi, & attrahendi. Gargarisma factum ex vino dulci decoctionis eius, cerebrum à superfluitate phlegmatica mundificat, & humores vuæ consumit. Inter dentes masticatum dolorem tollit dentium, & stomachi rheumatismum. Masticatum quoque linguæ paralysim soluit Contritum in vino, & oleo decoctum, & ad loca paralytica, & podagrica cataplasmatum valde proficit.

Curatio doloris dentiũ.

Contra paralysim linguæ.

De plantagine.

Cap. CXIX.

Isidorus. Plantago dicitur à Romanis, eo quòd eius planta cito terræ adhæreat. Ipsa est Arnoglossa, id est agni lingua, de qua scilicet iam dictum est sup. *Plinius lib.* 25. Herbam vulgarem plantaginem tanquam inuentoi celebrauit medicus Themison, volumine de illo edito. Duo sunt eius genera. Minor est angustioribus folijs, & nigrioribus, pecorum linguæ simillimus. Caule angulosa in terram inclinato: nascens in pratis. Altera vero maior est folijs, laterum modo inclusa, quæ quia septena sunt à quibusdam Heptapleuron appellata est. Huius etiam caulis cubitalis est, & napi similis. Nascitur in humidis multoque efficacior vis mira in siccando densandoque corpore vicem obtinens cauterij. Nulla res æquè fluitiones sistit, quas Græci rheumatismos vocant, instillatur quoque succus plantaginis oculorum lippitudini. *Idẽ in lib.* 26. Plantago omnium generum, medetur vlceribus peculiariter fœminarum, senum, & infantium. Igne mollita mollior existit, & cũ ceroto crassa vlcerum labra purgat, nomasque sistit. Tritam suis folijs oportet integere suppurationes, collectiones ac sinus vlcerum.

Arnoglossa.

Duo genera.

Heptapleurõ.

Curat rhemmata.

Ex Synonimis Arnoglossa, plantago maior: lingua arietis idem est. *Auicen.* Lingua arietis habet sex costas, & est duorum generum, scilicet parua, & magna. Folia magnæ maiora sunt quam paruæ, & eius substantia composita est ex aqueitate ac terrestreitate. Aqueitate infrigidat, & terrestreitate constringit. Maior est magis iuuatiua, & fructus quidem, & radix natura folijs sunr propinqui, Sunt tamen magis sicci, & minus frigidi. Frigus eius est minus stupefactione ipsius, & infra mordicationem eius est siccitas ipsius Ideoque vtilis est ad vlcera, & est subtilis proprie cũ siccatur. Dixit G. quod est frigida, & ficca in tertio gradu, Eius folia sunt constrictiua, repercussiua cum aqueitate frigida, & ideo cursum sanguinis vincentia. Siccitas eius est mordicatiua, ideoque inuatiua est ad

Vsus varius in medicina.

contoli-

conſolidanda vlcera antiqua & recentia, nec eſt aliquid melius illa. In ipſa eſt abſterſio propter apertionem quæ eſt in ea, & radix ſuſpenditur ſuper collum habentis ſcrophulas. Bona eſt etiam apoſtematibus calidis, aduſtioni ignis, vlceribus quoque fraudulentis, & igni perſico, ac formæ, & herisipilæ, & ambulatiuis ac vulneribus profundis. Et ſublimis eſt vniuerſaliter in his capitulis. Cum thimolea, & ceruſſa ponitur ſuper herisipilam. Ex eo quoque fit emplaſtrum ad elephantiam, auris etiam dolori ex caliditate confert, & radix eius maſticata, vel eius decoctio ore ea colluto dentium dolori prodeſt. Confert etiam obtalmiæ cum ſucco ſuo, & ſemen eius, ſputo ſanguineo. Item radix ac ſemen ac folia eius ſunt bona in oppilatione hepatis, ac renum cura. Valet etiam hydropiſi, & potus ſeminis eius confert vlceribus inteſtinorum, & aquoſæ ſolutioni. Clyſterizatio cum eius ſucco retinet hæmorrhoidarum fluxum, & bibuntur eius folia cum vino ad dolorem veſicæ ac renum. Dicitur etiam radix eius bibita conferre febri tertianæ atque quartanæ, Super morſum quoque canis rabioſi ponitur cum ſale.

Dentium doloriprodeſt

De Policaria, & poligano.

CAPVT CXX.

Platearius. Polycaria eſt calida in tertio, ſicca in ſecundo. Huius ſpecies eſt triplex. Maior, minor, & media, quæ magis competit vſui medicinæ. Eius folia cum ſtipitibus in medicinis ponuntur: virtutem habet conſumendi, & diſſoluendi. Vinum decoctionis eius valet aſmaticis, & contra frigidum humorem exiſtentem in ſpiritualibus aqua decoctionis eius. Fomentum ex ea valet ad mundificationem matricis. Puluis eiuſdem ſubtilis ſuppoſitus valet contra tenaſmon ex frigida cauſa. Faſciculi ex folijs eius in vino decocti, & dolenti loco ſuperpoſiti, dolorem ex ventoſitate tollunt. In teſta ſine liquore calefacti, & capiti ſuperpoſiti valent cõtra frigidum rheuma. *Conſtan. vbi ſup.* Polycaria eſt calida in tertio, ſicca in ſecundo. Et eſt aperitiua, ſtomachi confortatiua, appetitus excitatiua, Puluerizata, & cum oxyzuccharo data, choleram nigram purgat, & phlegma. Duritiem, & apoſtemata matricis calida diſſoluit mulieribus in eius apoſima ſedentibus. Interiores quoque curat hæmorroides. Eius oleum calefacit, & mundificat, ora venarum aperit, vrinam & menſtrua prouocat. *Iſidor.*

Curat ventoſitates & rheuma.

Polygonos. Polygonos eſt quam latini herbam ſanguinariam vocant, eo quod in naribus miſſa ſanguinem moueat.

Sanguineus. *Platearius.* Polygonorum genera ſunt quatuor. Primum, *Samſur*, quæ ſanguinaria dicitur, fructicoſa ſerpens terra, & ſtyptica, hæc fluxum ventris, ſiue ſanguinis reſtringit. Secundum, minorem habet gratiam folijs aſperius, & nigrum geniculis denſius huius ſemen vrinam mouet, veſicæ dolorem tollit. Tertium, *orion* dicitur, quod in montibus naſcitur, arundine tenera, ſimile omnino caulæ, multis geniculis: hæc iſchiaticis commoda eſt. Quartum, *heliacum*, eſt ſylueſtre, habens fructicoſa, & lignoſa ſtirpe cedri rubicunda. Cocta in vino vitiis gingiuarum, & oris vlceribus medetur.

Plinius. 27. Polygonium Græci vocant herbam, quã nos dicimus ſanguinariam. A terra non attollitur, folijs rutæ, ſimilis gramini. Succus eius naribus infuſus, ſanguinem ſupprimit, & potus cum vino: cuiuſcunque partis profluuium, & cruentas excreationes inhibet ac ſiſtit. *Dioſco.* Polygonos maſculus herba eſt, habens virgas teneras, molles, ac multas nodoſas, & ſuper terram expanſas, ſicut agreſtis, vnde & Polycarpos dicta eſt. Flos illi eſt albus, aut fœnicinus. Virtutem habet ſtypticam, & frigidam, vnde ſuccus eius bibitus medicatur hæmoptoicis, & abſtinet rheumatiſmum ventris. Medetur quoque cholericis, & ſtrangurijs, vrinã prouocat. morſibus venenatis cum vino bibitus occurrit, febribus periodicis maxime prodeſt ante horã acceſſionis. Suppoſitum quoque fluxum mulieris cõſtringit, aurium dolores compeſcit, Coctum cum vino ac melle curat vulnera naturæ, folia eius cataplaſmata æſtuationes ſtomachi tollunt, ſanguinem reijcientibus ſubueniunt, herpetas curant, ignem ſacrum extinguunt, tumores ac duritias tollunt, ſanguinem reijcientibus vulneribus maxime, proſunt. Poligonos vero fœmina frutex eſt virgam habens mollem & carnoſam & ſpiſſam. Et eſt ramoſa pinguis atque nodoſa, in quibus nodis ſunt folia pyri ſimilia. Radix ei eſt inutilis, & naſcitur in locis humidis: virtus eſt ei ſyptica, & facere poteſt omnia ſupraſcripta, licèt minorem habeat virtutem.

Polycarpos.

De Polynoſo.

CAP. CXXI.

Iſidorus. *Polyõ ſeu forſan à græcis dicitur, à latinis *omnimorbia*, eo quod multis morbis ſubueniat. Naſcitur in montibus, & duris locis, de vna radice multas, & tenues fibras mittit, ſeminis plenas. In ſummitate habet corymbos caneſcentes odoris grauis, & ſubdulcis. Succus eius aqua coctus à ſerpentibus percuſſos ſanat. Sparſa in domum vel incenſa omnes ſerpentes fugat. *Platearius.* Polynoſi diuerſa ſunt genera, ſed montanum præcipuum. Cum flores producit debet colligi, virtutem habet diſſoluendi, & conſumendi, & diureticam ex ſubtilitate ſubſtantiæ, vinum decoctionis eius valet contra frigiditatem pectoris, cõtra frigiditatem ſtomachi & inteſtinorum, & dolorẽ ex ventoſitate, contra opilationem ſplenis, & hepatis. *Dioſcorides.* Polyon vnum eſt maius, alterum minus, ideſt montuoſum quod nobis venit in vſum. Et eſt frutex alba & tenera, habens folia vnius cubiti longa, & ſuper virgam capitella, ſemine plena, à quo procedit quaſi lanicies alba, & velut capilli longi habens odorem cum ſuauitate grauem, eius elixatura morſibus occurrit venenatis, magnumque præſidium eſt Hydropicis. Aceto mixto, ſpleni adhibetur vtiliter, ſed dolorem capitis commouet, & cachoſtomachum eſt, ventrem mollit, menſtruis imperat, reſque venenas extinguit: vrinam mouet, ſtratoque compoſitum, ſerpentes longius arcet. Cataplaſmatum vulneribus confert rheumaticis, paracoleſim facit, & arcuato morbo ſuccurrit.

Polynoſos.

Omnimorbia.

Effectus.

Anice. Polyũ eſt ſpecies de ſchæa in qua eſt caliditas & acuitas pauca. Quod ex eo eſt minus eſt acutius, & amarius, & ſũt in eo thyrſi & flores. Eiuſque caput eſt vt ſphæra, in quo ſunt quaſi pili albi grauis odoris cũ aromaticitate aliqua. Maius autem eſt debilius, quod nec amarum eſt, & acuitas quædam in ipſo eſt. Montanum minus eſt, & minus quidem eſt calidum in tertio, ſiccum in ſecundo. Maius autem eſt calidum & ſiccum in ſecundo. Eſt autem aperitiuum, ſubtiliatiuum, & propriè minus eſt ad oppilationes intrinſecas aperiendum. Quod ex eo viride plagas recentes conſolidat, & proprie maius, quod autem ex eo ſiccum eſt, vlcera fraudulenta, præcipue minus. Cum aceto epithematum, conuenit ſplenis apoſtematibus, & duriciei eius, facit autem capitis ſodam, nocetque ſtomacho, ſed confert hicſtericiæ nigræ, proprièque maioris decoctio. Confert etiam eadem Hydropiſi. Idem prouocat vrinam & menſtrua, ſoluit ventrem & confert aſcaridibus, & antiquis febribus, ac ſcorpionis punctionibus, decoctio maioris, morſui vermium venenoſorum omnium proficua, & ex ea ſuffumigatur ac ſternitur & fugat minora venenoſa. *Conſt. antinus vbi ſupra.* Polyum eſt calidum in ſecundo, ſiccum in tertio, humores craſſos attenuat, valet Hydropicis patientibus propter oppilationem hepatis, ac fellis, & ſplenis, vrinam & menſtrua prouocat, ventrem ſoluit. Cum aceto bibitum valet contra duriciem ſplenis, & eius poſima propinatum lumbricos cucurbitinos, & aſcarides excludit. Capitis tamen dolorem generat,

Vſus medicinalis.

Temperamentum.

nerat,& ſtomacho nocet. Si domus ex eo ſuffumigetur,reptilia inde fugantur.

De Polypodio.

CAP. CXXII.

Etymon. I *Sidorus.* Polypodion eſt herba cuius radix hyrta eſt & crinita,vt polypus,vnde & dicta eſt. Naſcitur autem in teneris petrarum terris, ſiue quercinis vicinis. *Dioſcorides.* Polypodion naſcitur in parietibus humectis,& in ripis,& contra radices arborum vetuſtarum,etiam in quercubus,habet in longitudine cubitos duos,& eſt pteridi ſimile, aſperum & diuiſum, *Figura.* ſed non ita ſpiſſum Radices illi ſunt aſperæ, ſibique illigatæ,ſicut polypi, craſſitudinem habentes digiti. B Raſa vero deintus apparet viridis.& ſubalbida,guſtuque dulcis & ſtricta,virtus eſt illi cathartica, dataque cum mulſo choleram deponit ac phlegma, attritionibus eſt vtilis. Et cataplaſmata condilomata ſoluit ani. *Platearius.* Polypodium calidum eſt in tertio gradu & ſiccum in ſecundo. Radix eius aliquantulum viridis virtutem habet diſſoluendi,attrahendi,& purgandi phlegma,& melancholiam principaliter. Semper autem in decoctione Polypodij debet poni ali- *Miſcenda cum Polypodio.* quòd excluſiuum ventoſitatis, vt aniſum vel ſemen fæniculi,vel cyminum,quia ſoluit humores in multa ventoſitate. Valet contra quotidianam & iliacam paſſionem, Alopeciam & dolorem arthreticum & ad conſeruationem ſanitatis.

Auicenna. Polypodium eſt lignum cinericium nodoſum, declinans ad nigredinem & rubedinem patumper,minutos habens ramos, ſicut vermis plurimorum pedum. In eius ſapore eſt dulcedo cum ſtypticitate. Naſcitur ſecundum quoſdam in nemore ſuper arborem,& ſecundum quoſdam ſuper lapidem. Ex eo melius eſt id quod eſt interius fiſticium, craſſum,declinans ad rubedinem & citrinitatem,ſolidum recens,in quo eſt occulta amaritudo, & bonus ſapor cum ponticitate,cum garſophyllorum ſapore. Nam calidum eſt in ſecundo,ſiccum in tertio. Reſolutiuũ eſt ventoſitatum & humiditatum,emplaſtrumque factum ex eo confert torſioni neruorum. Soluẽdo melancholiam educit ſine punctione, ſoluitque phlegma & chymum aquoſum,ac propter choleram decoquitur in iure gallorum & piſcium,propter cholicam autem in iure olerum. *Conſtan. vbi ſupra.* Polypodium eſt calidum in tertio, ſiccum in ſecundo. Choleram nigram & craſſum phlegma purgat cum gallina craſſa vel gallo coctum dolorem ilij de viſcoſo phlegmate placat. Cum caſſia fiſtula potatum leproſis, ac melancholicis prodeſt.

De Polytricho.

CAP. CXXIII.

DIoſcorides, Polythrichon, gallitrichum, quod adianthos dicitur, habet folia coriandro ſimilia, in ſummitate ſciſſa, haſta eius ex duobus palmis longa, habens ſupra ſe turgida capitella ſemen habentia. E *Virtus in folijs.* Radix eſt illi vtilis,ſed virtus eius eſt in folijs, his ſiquidem in aqua elixis,aqua ipſa bibita medicatur aſmaticis,& dyſpnoicis, ictericis,& dyſſurijs. Calculos frangit,ventrem ſtringit,morſus caninos ad ſanitatem perducit,rheumaque ſtomachi compeſcit. Cum vino bibita menſtruis imperat,abortum facit,& ſanguinem reijcientibus ſubuenit, morſibus quoque venenatis occurrit,allopecias,& vlcera capitis ſcilicet quas acoras vocant,& pterigia purgat, ſcrofaſque ſpargit. Impoſita quidem trita & mixta cum lixiuio addito cinere ac vino,id præſtat & capitellis, comeſta à pugilibus,ad pugnam vtiliter confortat. A pecoribus etiam comeditur,& in locis vmbroſis atque parietibus humidis,& circa fontes naſcitur. Alij tanquam reco- D poratiuam decoctionem tardis etiam paſſionibus laborantibus dant in potu ſcilicet anheloſis, ſtomaticis, fluori ventris, & in difficultate mictus. Deſiccat enim adyantos,& extenuat. ideoque chiradas digerit, apoſtema & lapidem rumpit. Potus ad humores glutinoſos,ac pingues,de thorace ad pulmonem aſcendentes bene iuuat,rheumaque ventris conſtringit. mediu enim eſt inter calidam & frigidam temperantiam. In dolore colli folia eius trita cum granis piperis ac ſemine coriandri cum optimo vino dator ad bibendum introeunti balneum, Facit & ad capillos mulierum nutriendos,ſi decoquatur in oleo. *Effectus.*

De prafio & proſerpinaca.

CAPVT CXXIV.

D*Ioſcorides.* Praſium græci vocant, quod nos marrubium propter amaritudinem dicimus, de quo ſcilicet iam dictum eſt ſuperius, in campis naſcitur. *Auicen.* Praſium eſt herba ſaporis amari, inquit Oribaſius, Non ſunt calefactio eius, & exiccatio ipſius fortes. Alij autem dixerunt, quod calidum in tertio, ſiccum in ſecundo. Eſt aperitiuum,abſtergit & liquefacit,& reſoluit,& inſcidit. Eius ſuccus confert dolori auris antiquo,& mundificat & aperit meatus auditus,& remouet antiquum dolorem eius. Succus eius cum melle eſt conueniens ad acuendum viſum. Mũdificat pectus,& pulmonem productione ſputi, Eſt aperitiuum oppilationum in hepate & ſplene & renibus,prouocat menſtrua,& mundificat matricem. Fit C ex eo emplaſtrum cum ſale ad morſum canis rabioſi. *Dioſco.* Praſium aut philophilos,eſt frutex ex vna radice multas proferens virgas albas, & aſperas, & quadras,folia vero ſimilia digito, maiora & obrotunda, aſpera & rugoſa,& guſtu amara. Semen eſt illi obro- *Semen quale* tundum,ac verticuloſum & aſperum. Naſcitur in lo- *Locus vbi naſcitur.* cis incultis,& aſperis. Huius folia ſicca,& ſemen eius elixum,ac cum melle bibitum pthiſicis ac tuſſientibus,& aſmaticis profunt. Thoracem purgat ingenuè, cum iri Illirica mixta purgandis vulneribus vtiliter adhibetur. Secundinas excludit,& diu parturientibus ſubuenit. Veſicę autem ac renibus contrarium eſt,addito melle vulnera purgat,pterigia detergit,paſcentia vulnera compeſcit,dolorem lateris tollit,Succus eius ſiccatus omnia ſupradicta facit,melle vinoque addita caliginem oculis detergit, ictericis quoque naribus immiſſus fert auxilium. Et cum oleo roſeo ſedat do- *Effectus.* lorem aurium. *Conſtantinus vbi ſupra,* Praſium calidũ eſt in ſecundo,ſiccum in tertio. Oppilationem hepatis,ac ſplenis aperit,menſtrua prouocat,putridos humores à pectore & pulmone purgat. Puluerizatum & cum melle mixtum putrida vulnera mundificat, puſtulas ſanat,dolorem dentium ex eo lotorum placat,& eius poſima potatum hydropiſim curat. Oculi quoque curantur ex eo loti. Renibus tamen nociuum eſt ac veſicæ,nonnunquam & ſanguinem facit mingere. *Plinius lib.* 27. Proſerpinaca eſt vulgaris herba, *Contra laſſitudinem.* eximia contra ſcorpiones habens remedia. Eademque trita in vino muria & oleo tradunt anginam eximie curari,& in quantalibet laſſitudine defeſſos, etiã cum obmutuerint,*ſi linguæ ſubijciatur recreari,* ſi deuoretur,ſalutarem vomitionem ſequi.

De pſyllio.

CAP. CXXV.

I *Sidorus* Pſyllios dicta eſt eo quod ſemen habeat *Herba pulicaris.* ſimile pulicis,vnde & latini vocant herbam pulicarem. *Plinius lib.* 27. Pſyllion à græcis herba vocatur, quæ in ſaxoſis montibus naſcitur, fœmina magis eſt coloris herbacei, caule tenui, radice quoque parua, ſemine papaueri rotundo ſimili, hæc ſui ſexus facit partus. Mares autem ſemine tantum differunt, quod

eſt

eſt incipiente oliuo,vtrumque bibitur in vino. *Dioſcorides.* Pſyllium aut quadrophillon quam dicunt ſiculi cryſtallion aut quinomellam, habet folia coronopodi ſimilia & aſpera,virgaſque duabus palmis lõgas,frutex eius eſt piloſa,coma eius à medietate virgæ incipit,in qua duo vel tria ſunt capitella conſtricta Semen eius eſt ſimile pulicibus nigrum & durum,cuius eſt frigida virtus,in cãpis naſcitur. *Auicenna.* Pſyllium eſt duorum colorum,hyemale & æſtiuum. In ſecundo gradu frigidum eſt & humidum,& ex eo melius eſt magis craſſum,quod & in aqua ſubmergitur. Quod ex eo fixum eſt, in oleo roſeo inuolutum eſt ſtypticum,ſedatque dolores emplaſtri more cum aceto ſuperpoſitum.Super apoſtemata calida & formicam & eriſipilam adminiſtratum cum aceto cõquaſſatum.Et ex ipſo fit emplaſtrũ corriſioni, ſpaſmoque neruorum, podagræ,ac doloribus calidis iuncturarũ. Sodæ quoque calidæ confert eius emplaſtrum capiti ſuperpoſitum,Idem pectus lenit, eiuſque muſtilago cum oleo roſeo confert ſiti cholericę vehementi,frixum in oleo roſeo inuolutum ſtringit, ac dyſſenteriæ confert proprieque infantium. Quod ex ipſo eſt muſtilaginoſum, cum oleo roſeo vel violaceo bibitum ſedat inflammationem febrium acutarum. *Platearius* Pſyllium eſt in tertio gradu frigidum & humidum. Semen eius,quod etiam ſic vocatur,in æſtate colligitur,ac per annos decem ſeruatur, virtutem habet infrigidandi & humectandi, Contra linguæ ariditatem in acutis febribus. Pſyllium in ſubtili panno ligatum in aqua ponitur, & poſtquam maiorem viſcoſitatem receperit aliquantulum comprimitur, poſtea lingua cum tali aqua frequentiſſimè illinitur,& cum cultel lo ligneo raditur, Contra ſitim & ſiccitatem ſpiritualium vt in acutis in aqua ponitur,quodque ſupernatat,abijcitur, & quod in fundo reſidet cum frigida datur.In ſyrupis quoque contra acutas rectè ponitur, & contra dyſſentericam in teſta combuſtum & pulueriſatum cum aqua roſacea vel ouo ſorbili datur. Emplaſtrum ex eo cum oui albumine & aceto & aqua roſarum,contra ſanguinis fluxum è naribus valet, ſupra frontem & tempora poſitum. Contra etiam apoſtemata calida valet ſaccellus eius ſemine plenus & in ſucco alicuius herbæ frigidæ ſuperpoſitus.

Temperamentum.

Tempus quo colligẽdum.

Contra ariditatem linguæ & ſitim

De rheubarbaro & rheupontico.

CAPVT CXXVI.

Etymon.

**Qua lingua hoc ita dicatur Iſidorus non dicit; certè non græca.*

ISidor. Reubarbarum dicitur,quod in ſolo barbarico trans Danubium inuenitur,reuponticum quod circa ponticum colligitur.Et idem dicitur* rheu quod radix, quaſi radix barbarica vel pontica. *Platearius.* Rheubarbarum quod in India & vltra marinas partes reperitur,radix eſt cuiuſdam arboris, quaſi quædam tuberoſitas. Eligitur illud quod graue eſt in ſuo genere & non perforatum,quod etiam cum frangitur, interius habet quaſdam venulas diſtinctas, hinc rufas, hinc ſubalbidas,hinc croceas,& commaſticatum tingit quaſi crocus, virtutem habet purgandi choleram principaliter & diureticam, competenter ponitur in ſyrupis contra febres acutas, Contra calefactionem hepatis, & oppilationem ex calida cauſa, datur cum aqua calida.Rheuponticum ſimile eſt rheubarbaro, ſed non contiguit ſicut illud ,habet virtutem mundificandi & confortandi ex ponticitate,& diureticam ex qualitatibus.Aqua decoctionis eius,vel ſuccus fæniculi cum eo datus ſoluit oppilationem ſplenis, & hepatis ex frigida cauſa,puluis eius cum melle datus lumbricos occidit. *Dioſcorides.* Rheuponticum in Boſphoro naſcitur,& ſic ad Græciam deportatur. Radix eſt aliquantulum vaſta & incraſſata, centaureæ maiori ſimilis,ſed breuior atque fragilis, leuis in ponderę,ſine odore,guſtu amara,leniter ſtringens & ſi maſticetur glutinoſa fit,& crocei coloris, habet autem vires efficaciter ſtringentes.Ob hoc in vino lymphato adhibita fomento inflationes deſiccat, vulneraque glutinat,& ſanguinis abundantiam reprimit, habet in ſe maximam temperandi ſubſtantiam, quia retinet in ſe terreni frigoris,& caloris partem.Eſt etiam leptomeris,vnde potata ad ſpaſmata rheumatica iuuat, & leniores impetigines ſanat,Semen reprimit & luxuriã tollit,cum aceto bibita hemaptoicis, & dyſſentericis eſt iuuatiua.Bibita quoque ſtomachi tollit inflationẽ,eiuſque laſſitudinem prohibet ac dolorem. Spleneticis,& hæpaticis proficit, conquaſſationes corporis reficit,ac de alto cadentibus ſubuenit, lumbis etiã & tortionibus Thoracis Hypocondrijs eſt ſalutaris. Stericas,& iſchiaticas cauſas compeſcit, ſanguinem reijcientibus adhibetur vtiliter, aſmaticis ſubglutiẽtibus prodeſt. Dyſſentericis maximum præſtat effectum,ſtigoribus typicis ſingulare eſt remedium,morſibusvenenatis occurrit,cum aceto impoſita zernas, & liuores limpidat ,& ſimiliter cum aqua tumores omnes tollit.

Reprimit luxuriam.

Auicenna. Rheubarbarum adulteratum ſpiſſius eſt ac vehementius ſtypticum . Purum autem eſt vehementiùs rarum & minus ſtypticum,& eſt croceæ tincturæ.In ipſa eſt terreitas amara propter actionẽ igneitatis in ipſa.Confert panno ac veſtigijs ſuper cutes remanentibus,quando cum aceto linitur.Ex eo fit emplaſtrum ad apoſtemata calida, confert etiam impetigini cum aceto.Eius epithema caſui ac percuſſioni confert, valde prodeſt etiam contuſioni lacertorũ & rupturæ.Confert aſmati & ſputo ſanguinis,& hepatis ſtomachique doloribus intrinſecis,ſingultui ,& dolori pungitiuo ventris,ac dyſſenteriæ, ac dolori renum & veſicæ,atque matricis,& fluxui ſanguinis, ac febribus antiquis.Splenem attenuat , & morſui vermium venenoſorum remedium eſt. *Conſtantin. vbi ſupra.* Rheu aliud eſt indicum aliud ponticum . Indicũ eſt laudabilius,calidum & ſiccum in ſecundo gradu. Quoddam ſtypticitatis,& acuminis habet, ſtomacho defecto valet , ventoſitatem & hepatis dolorem , & ſplenis duritiem,& hypocandria,& extenſionem curat, renum ac veſicæ dolorem & matricis extirpat. Sanguinem de pectore manantem conſtringit, anhelitus ſingultum,vulnera inreſtinorum, diuturnam ſolutionem,ac prolixam febrem amputat,faciem & cutem à lentiginibus,& impetigine mundificat, Contra reptilium morſus facit puluerizatus , & cum aceto temperatus.

Epithema Rheubarbari

Curationes.

De roſmarino.

CAP. CXXVII.

Herba ſalutaris.

ISidorus. Roſmarinum latini ab effectu *herbam ſalutarem* vocant,folia habet fæniculi ſimilia atque aſpera,& rotatim terræ proſtrata. *Platearius.* Roſmarinus eſt herba calida & ſicca, cuius folia & flores cõpetunt vſui medicinæ. Flos autem anthos dicitur,vnde fit electuarium quod dicitur dianthos. In locis marinis creſcit,vnde & nominatur, habet virtutem confortandi ex aromaticitate, diſſoluendi ex caliditate, extergendi & mundificandi & conſumendi ex ſiccitate,& virtutem diaphoreticam ex calore aperiente. Cumque calida & ſicca eſſe dicatur in exceſſibus ab auctoribus non determinatur. Herba ipſa libanotis, vel dedrolibanum dicitur, Quidam tamen dicunt quod ſit frutex,alij vero quod herba ſit.Cum inueniatur in medicinis receptio anthis,vel roſmarini, debẽt poni flores vel folia libanitidos, vel deudrolibani. Flores ad ſolem deſiccati per annum ſeruantur in efficacia multa,ſimiliter & folia, contra Syncopen & Cardiacam paſſionem datur dianthos cum vino decoctionis oſſis de corde cerui, vel decoctio ſit in vino vel aqua roſarum, ipſumque vinum datur patienti. vel aliter ex ſucco foliorum & aqua roſarum & ſucco paſtinacæ addito Saccharo fit optimus ſyrupus, & puluere oſſis de corde cerui, vel in tali herba datur.

Dianthos.

Libanotis. Dendrolibanum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Contra frigiditatem cerebri. *Contra frigiditatem ac debilitatem cerebri* roſmarini decoctio in vino fit, & patiens diſcooperto capite fumum recipit. *Contra vuæ humiditatem acetum* vel vinum decoctionis eius gargarizatur. *Contra ſtomachi frigiditatem* & ad digeſtionem confortandam dianthos, vel vinum decoctionis eius, & maſticis maſticatur. *Varia curationes.* *Contra ſtomachi dolorem* & inteſtinorum ex ventoſitate vinum decoctionis eius, ac cymini potatur. *Contra ſtranguriam* & dyſſuriam flores eius, vel ſaltem folia in vino cocta pectori cataplaſmantur. *Ad menſtrua prouocanda*, matricem mundificandam & conceptum iuuandum fit ex aqua decoctionis eius fomentum. Mulieres Salerniranæ flores in oleo muſtelli decoquunt, & ita ſupponunt. *Ex ſynonymis.* Notandum quod hoc nomen anthos apud græcos pro quolibet flore ſumitur, ſed apud nos propriè roſmarini vel libanotidis anthos dicitur. *Dioſco.* Libanotis quam Romani roſmarinum vocant, eo quod in corona componitur, habet virgas tenues longas, & virides, in quibus ſunt folia ſpiſſa & oblonga, de foris alba, deintus viridia, cum odore graui. Virtus eſt ei thermantica & leptomerica extenuatoria & purgatoria, ictericis medetur, acopis confectionibus, & glutinis neceſſariè miſcetur.

A

B

De Sabina, & Saliunca.

CAPVT CXXVIII.

Effectus. PLinius li. 24. Sabina quæ à græcis brachy dicitur, duorum generum eſt, Altera ſimilis eſt Amaraco folio, altera cupreſſo. Ideoque quidam dixerunt eam cupreſſum creticam. In medicamantis vero duplicato põdere aſſumitur, & eoſdem effectus habere quos cynamum traditur. Collectiones minuit, nomas cõpeſcit. Illita purgat vlcera, emortuoſque partus extrahit appoſita & ſuffita. Igni ſacro & carbunculis illinitur, & cum melle ac vino pota morbo regio medetur pituitas quoque gallinacei generis herbæ fumo tradunt ſanari. *Conſtan. vbi ſupra.* Sabina in tertio gradu calida & ſicca, humores attenuat, vrinam & mẽſtrua prouocat. *Platearius.* Sabina eſt herba in ſecundo gradu calida & ſicca, Folia eius medicinæ competunt, ac per annum ſeruari poſſunt. Virtutem habet diaphoreticam & extenuatiuam, Contra vitium matricis, ſtranguriam, dyſſuriam eius folia contrita in vino & oleo decoquantur, & ſuper pectus cataplaſmẽtur. Ad idem valet ex ea fomentum, Contra vitium pectoris ex frigida cauſa, & contra ſtomachi dolorem & inteſtinorum ex ventoſitate datur vinũ decoctionis eiuſdẽ herbæ. Contra tenaſmõ ex frigida cauſa, folia eius contrita in aceto forti & vino decoquuntur, vt fumũ patiens ſuſcipiat per inferiora. *Temperamentum.* *Dioſcorides* Saliunca eſt *Saliunca.* genus herbæ quę radiculas, & folia habet ſubrufa, floreſque plurimos; à terra refoſſa, in modum ſtipulatũ conſtringitur, Naſcitur autem in lapidibus ſummis, & Notica regione. Illa vero optima eſt quæ eſt odorifera, recens, & ſine ſabulone plurimoſque ramulos, & radices habens, poteſt ergo eadem, quæ & ſpica, quamuis deformior ſit. *Plinius lib.* 21. Odoramentorum multa nihil attinent ad corona menta, vt iris atque Saliunca, quamquam vtraque nobiliſſimi ſit odoris. Saliunca quidem folioſa, ſed breuis eſt, & quæ neſti non poſſit, radici numeroſæ cohæret, herba verius eſt quàm flos, veluti manu preſſa, breuiterque ſui generis ceſpes, hanc Pannonia gignit & Notica alpiumque aprica, vrbium eporedia, tantæ ſuauitatis, vt metallum eſſe ceperit: veſtibus eam interponi gratiſſimum eſt: huius radix in vino decocta vomitiones ſiſtit, ſtomachumque corroborat. *Ex ſynonymis.* Saliuncam intelligunt quidam in medicinis pro anchuſa, ſed in aurea Alexandria recipitur pro ea ſpica celtica.

C

D

E

De Satyrione & ſaxifraga.

CAPVT CXXIX.

Etymon, Orchis Leporina. ISidor. Satyrion dicta eſt à ſatyris propter incendium libidinis, Venerem enim ſuſcitat, dicitur & orchis, eo quod radix eius in modum teſticulorum ſit, quos græci orchi vocant, dicitur etiam leporina, eo quod caulem mollem emittat. *Plinius libro* 26. Concitatricem vim habet ſatyrion, cuius genera ſunt duo, vna longioribus folijs, quam oleæ, quatuor digitorum caule, purpureo flore, gemina radice ad formam teſtium humanorum, alternis annis intumeſcente ac reſidente, altera orchis, cognominatur, & fœmina eſſe dicitur: fœmina diſtinguitur internodijs, & ramoſiore frutice, radice faſcinis vtili. Naſcitur ferè iuxta mare: hæc tumores, & vitia partuum erumpentia illita ſedat, cum polenta vel per ſe trita, Superioris radix in ouino lacte data neruos intendit. Eadem ex aqua remittit. Græcis ſatyrion, folijs lilij rubri minoribus, & tribus non amplius è terra exeuntibus tradunt caule leni, nudo, cubitali, radice gemina, cuius inferior pars, & maior mares gignit, ſuperior ac minor fœminas. Eſt & aliud genus ſatyrion quod erithrococcon appellant, ſemini viticis maiori, leni, dura radice, cortice rubro, intus album includitur, ſapore ſubdulci, fertur in montoſis inueniri. Venerem etiam ſi omnino manũ tenеatur radix ſtimulat. Magis adeo ſi bibatur in vino auſtero. Arietibus quoque & hyrcis ſegnioribus in potu dari, Et à Sarmentis equis ob aſſiduum laborem pigrioribus in coitu, quod vitium proſedamum vocant: vim eius reſtinguit aqua mulſa aut lactuca ſumpta, In totum quidem græci cum concitationem hãc volunt ſignificare, ſatyrion appellant, ſic & crategin cognominantes, & theligonon quarum ſemen teſtiũ ſimile eſt. *Dioſcorides.* Sartyrion multi vocant trifoliũ, eo quod habet tria folia ſuper terram expanſa lappatio vel lilio ſimilia, ſed breuiora & colorata, virga eſt illius leuis, & mollis, longa cubito vno, floreſque profert lilio candido ſimiles, radix eius ſimilis eſt bulbo, rotũda eſt vt mela, & à foris rufa hæc cum vino nigra bibita ventrem ſtimulat. Satyrion ellitrachiocos, ſemen habet ſemini lini ſimile ſed maius, ac leue, lucidum & forte. Radix eius corium habet tenerum à foris rufum & intus album, dulce guſtu & euſtomachum. Naſcitur in locis montuoſis, & vbi abundat radius ſolis: fertur, quod hæc herba manu tenta Venerem ſtimulat, cum vino bibita acriter coitum excitat. Satyrion tertia ramulos habet oblongas: radicemque habet duplicem quaſi teſticulos, florem habet purpureum & exalbidum. Radix potata veneris actus prouocat; eſt enim humidæ & calidæ temperantię, libidinem excitat. Succus radicum inunctus lippitudines optime curat. *Conſtantinus vbi ſupra.* Satyrion in tertio calida & humida, libidinem augmentat cum vino bibita. Galenus, & Dioſcorides, in hoc concordati ſunt dicentes, Satyrion paralyticis eſſe vtiliſſimum. *Platearius.* Satyrion calidum eſt & ſiccum in tertio gradu, virtutem habet attrahendi, valet ad arthreticam. *Iſidorus.* Saxifraga dicitur eo quod ſemen eius petras in veſica frangat & comminuat. *Platearius.* Saxifraga calida eſt & ſicca in tertio gradu, vinum decoctionis radicis eius, quæ ſola competit vſui medicinæ, valet contra ſtranguriam & dyſſuriam & vitium lapidis, & contra iliacam paſſionem. Puluis etiam adhibitus ad idem valet per tres annos ſeruatus.

Erithrococcon. *Mouet ad venerem.* *Temperamentum.* *Vtile Paralyticis.*

De Scabioſa & ſcamonea

CAP. CXXX.

PLatearius. Scabioſa eſt herba ſic dicta, quia contra ſcabiẽ valet, & eſt in ſecũdo gradu calida & ſicca

virtu-

virtutem habet diſſoluendi entia cõſumendi & mundificandi. Succus eius confectus in oleo nucum aliquantulum decoquitur, & ſic ex eo contra ſcabiem vnguentum efficitur, *ad ſurditatem auris* factam ex ſanie, ſuccus oleo in quantitate modica immittitur, autrique infunditur. *Contra ſerpiginem & impetiginem* ex ipſa herba locus confricatur, & *contra lepram* maxime quando fit ex felle putrefacto ſuccus eius in quantitate quatuor vel tertiarum vel quinque datur. *Contra hæmorroidas* ſcabioſa & phleginus in vino bulliuntur, & eſt cathiſmate facto ſubcataplaſmatus. Idem quoque fit *contra condylomata*, ideſt quaſdam glandulas, quæ *attriti* dicuntur. Ficus enim eſt interius in ano cum inflatione venarum, & raro ſine chirurgia curatur. Condylomata vero ſunt apparẽtes exterius in ano quædam carnes ſuperfluæ quaſi paruæ glandulæ. *Iſidorus.* Scamonea quam latini *acridium* vocant, herba eſt ſucci plena, qui ſubcauata radice colligitur. Terram enim rotunda cauitate fodiunt, tunc ſuppoſitis aut cochleis aut nucis folijs ſuccus excipitur, atque ſiccatus aufertur, venit autem ſæpius probabilior ex Myſia, huius contrarius eſt atque falſus ex Syria vel Iudæa. *Dioſco.* Scamonea frutex eſt habens haſtas longas pingues, & aſperas, folia ſimiliter aſpera, trium angulorum hederę ſimilia, flores albos rotundos, & altos, cum odore graui lachrymæ plenos. Multi radicem eius in aceto coquunt, & conterentes cum polline ordei iſchiaticis vtiliter adhibent, puſtulas melle purgat, cum aceto cocta & ſuperuncta leproſis medicatur, antiquum quoque dolorem capitis, aceto & oleo mixta & fomento adhibita mitigat. *Ex libro de medicinis diſſolutiuis.* Scamonea eſt calida & ſicca. Choleram rubeam purgat, Maxime de locis longinquis, ſtomacho & hepati nocet, & ſi quis plus dederit, mortem infert aut dyſſenteriam generat, aut hepar ſtomachumve diſtemperat. Galenus præcepit, vt aniſum vel ſene cum ea percipiatur, vt aliquãtulum molliatur. Eſt autem ſuccus tithimali babylonij, qui & diagridium dicitur, & in diebus canicularibus ſic efficitur. Sũmitates eius rumpuntur, indeque lac diſtillatum adhæret ſtipiti, ac deſiccatur & colligitur.

Curationes varia.

Scamonea. Acridium.

Temperamentum.

Confectio.

De ſcyrpo & ſcolopendra.

CAP. CXXXI.

ISidorus. Scyrpus quo ſegetes teguntur, eſt ſine nodo, de quo etiam Ennius. *Quærunt in ſcyrpo ſoliti quid dicere nodum*, ſicut in prouerbio dicitur, in ſcyrpo nodum quærit. *Iſidorus.* Scolopendra dicitur, eo quod folia eius ſcolopendro animali ſimilia ſunt. Naſcitur in petris humidis, & caulem, nec ſemen, nec florem habet, folia eius à ſuperficie viridia ſunt, ſubter rufa & lanoſa. Splen curat, vnde & ſplenos dicitur. *Auctor.* Scolopendra ſecundum phyſicos ipſa eſt, quæ vulgo lingua ceruina dicitur. *Razi. in Almanſore.* Saculufundirion id eſt ſcolopendra calida eſt, ſpleni craſſo & ſtrangurię ac lapidi remedium affert. *Auicenna.* Scolopendra calida eſt in primo, ſicca in ſecundo, ſubtilis reſolutiua. Confert ſpleni magnificè, confert etiam ſingultui & ictericiæ, frangit lapidem in renibus, & veſica, & dicitur quod ipſa eſt herba petroſa, quæ naſcitur in locis fontium. Quidam autem dixerunt quod eſt ſpecies ſquillæ.

Prouerbium Ennij.

Scolopendra Etymon.

Virtus.

Temperamentum.

De ſemperuiua.

CAP. CXXXII.

AVctor. Semperuiua ipſa eſt iouis barba. Sed barba iouis, & ſticados, cytrinum, idem eſt, vnde quidam ait. *Barba iouis ſticades, ſed ſemperuiua iouis barba. Platearius.* Semperuiua herba frigida in tertio gradu, ſicca in ſecundo, & ſemperuiua dicitur, quia ſemper viridis reperitur. Itaque viridis multæ efficaciæ eſt, & in medicinis poni debet, exiccata vero non. Virtutem habet infrigidandi & alterandi, plagellæ in ſucco eius, & aceto vel agreſti intinctę valent contra calefactionem hepatis, epithimate contra dolorem ex calida cauſa in principio valet ipſa herba trita & ſuppoſita. Contra apoſtemata calida valet ad materiei repercuſſionem, licet poſtmodum obſit conſtipando materiam. Contra ignis, vel aquæ vſturas fit vnguentum ex ſucco eius, & oleo roſeo ac cera. Contra fluxũ ſanguinis è naribus, quod fit ex ebulitione ſanguinis in hepate ac venis in iuuenibus, & in æſtate, plagella in ſucco eius, ac aqua roſarum intingitur, ac fronti ac temporibus, & gutturi ſuperperponitur. *Auctor.* Eſt autem ſemperuiua ſpecies minor acidulæ, vnde *Macer* ſic deſcribit proprietates vtriuſque.

Barba iouis. Stycados. Cytrinum.

Temperamentum.

Macer.

Dicimus acidulam, quam græcus dicit Aizon.
Sic dici credunt ſapor illi quod ſit aceti,
Creſcit arenoſis in pratis, & ſecus amnes,
Hanc auide quidam comedunt in tempore veris,
Expertumque ferunt ſibi quod faſtidia tollat.
Virtus eſt illi ſiccans, & frigida valde,
Tertius à medicis datus eſt gradus, huic in vtroque,
Hanc fugit appoſitam, ſacer ignis, & herpeta mordax,
Et tumor ex oculis trita cataplaſmate cedit,
Vlcera quæ ſerpunt, cohibet combuſtaque curat,
Et multum calida dicunt prodeſſe podagræ,
Si fuerit folijs illius operta virentis,
Aut cataplaſmetur mixta contrita polenta,
Eius cum roſeo, ſuccus permixtus oliuo,
Dicitur antiquo capitis prodeſſe dolori,
Qui dolor & lingua dictus cephalalgia graca.
Omne genus, fluxus ventris reſtringere mire,
Cum vino potata ſolet vel manſa frequenter,
Hocque modo nimium manantia menſtrua ſiſtit,
Vel ſi matrici tritam viridem ſuperaddas,
Sic quoque lumbricos pellit potata rotundos,
Talister in cunctis prodeſt potata venenis,
Exhilarat ſuccus illius viſus iuunctos,
Affirmant iſtam qui ſecum geſſerit herbam,
Quod non appetat hunc letali ſcorpius ictu,
Auribus expreſſus ſuccus ſi funditur eius,
Adiuuat auditus mirè pellitque dolorem,
Altera vero minor ſpecies eſt iſtius herba,
Quam ſemperniuam dicunt, quoniam viret omni
Tempore Barba iouis vulgari more vocatur,
Eſſe refert ſimilem prædictæ Plinius iſtam,
Nec minus hanc prædictis poſſe iuuare.

De Sene ac ſenecione.

CAP. CXXXIII.

PLatearius. Sene eſt herba calida & ſicca, quæ in tranſmarinis partibus naſcitur, maximè circa babyloniam & in Arabia, vel in confinio babyloniæ & Arabiæ, folia tantummodo competunt vſui medicinæ per annos 10. ſeruatur, & virtutem habet diſſoluendi, attrahendi, & purgandi phlegma, principaliter melancholiam. Sed cum per ſe datur, principaliter in decoctione poni debet in quantitate vnius drachmi: cum autem cum alijs, in quantitate mediæ vel tertiæ partis. Contra melancholicas paſſiones, epilepſiam, quartanam, hæmorthoidas, contra vitium ſplenis, & hepatis, & Syncopen, at ſyrupus fit ex aqua decoctionis eius cum ſaccharo, & valet communiter ad hoc maxime contra melancholiam & ſyncopen & epilepſiam. Ad idem quoque valet ſyrupus ex ſucco fæniculi ac ſene cum ſaccharo & maxime contra vitium ſplenis. *Iſidorus.* Senecion dicitur, eo quod vere primo ſeneſcat, vnde & eam latini ſenecionem vocant, græci origanon. Naſcitur per macerias. *Dioſcor.* Senecion naſcitur in tectis, & in petris, & habet folia viridia & dẽſa, thyrſũ ſubrufum, & in eius

Folia ſene medicinalia tantum.

Senecio.

Origanon.

ſummitate capitella in modum viticellæ, vires habet ſtringentes, eademque facientes, quæ & plantago. Cum aceto cataplaſmata valet ad neruorum inſciſiones, cum vino autem dulci teſticulorum inflammationē tollit, folia enim eius ſtrigida ſūt. *Ex herbario.* Senecio tuſa cum axungia & impoſita vulnera ſanat etiā recentia. Stomachi quoque & pedum, lumborum, & coxarum, atque neruorum dolorem tollit, ad podagram etiam tuſa & impoſita æque pedibus proficit. *Auctor.* Senecio dicitur *& carduus benedictus*, ſicut in ſynonymis legitur, Aliud eſt ſenecio, videlicet *naſturcium aquaticum*, de quo inferius dicetur.

irtus.

Carduus Benedictus.

Macer.

Origanon graci nos ſenecio vocitamus,
Quod ſimilis canis videatur flore capillis,
Naſcitur in muris, inque hortis, & tegulatis
Illius herba vis frigida dicitur eſſe,
In medicinali radix non ponitur uſu,
Flores cum foliis tundens infundito vini
Per modicum dulcis, & ſic tepefacta tumori
Hac ſimul apponas ani veltesticulorum,
Addito thus iſtis neruos, & vulnera quauis
Curabis facile poſito cataplaſmate tali,
Hac eadem trita facient eius capitella,
Potari prohibent quia ſuffocare bibentem
Quidam confirmant, ac contra Plinius auctor
Ilicis quoſdam potu donaſſe ſalubrem,
Cum vino dicit talique modo medicari,
Morbis veſica plures ait ille probaſſe,
Et cordis vitijs illam iecoriſque dediſſe,
Torminibus quoque cum paſſo minuiſſeque potu,
Hac varios morbos pracordia quos patiuntur,
Et viridis facit hac ſi tincta voretur aceto,
Trita ſolet duras hac cum ſale ſpargere ſtrumas,
Hanc circumſcriptam ſiquis fodiat ſine ferro,
Et tangat dentem vicibus tribus inde dolentem,
Vnaquaque ſpuens vice, poſtque reponat eodem,
Quo fuit orta loco, ſic ſurſum iuuat vt herba,
Plinius vt dicit, non amplius ille dolebit.

Contra dolorem dentium.

De Silphio.

CAP. CXXXIV.

Linius li. 22. Silphion ex ſyria venit deterius parthico, ſed medico melius, cuius eſt vſus in medicina. Nam ad lyenes prodeſt radix eius, arteriis etiam exaſperatis, & collectionibus ſanguinis illinitur. Sed & in cibis concoquitur ægrè inflammantibus. Inflationes facit & ructus, vrinæ quoque noxia. Suggillatis cum vino & oleo eſt amiciſſima & ſtrumis cum cera, ſedis quoque verrucæ cadunt eius ſuffitu crebriore, folia eius ad purgandas matrices, ac pellēdos partus emortuos in albo & odorato vino decoquuntur, vt acetabuli menſura bibatur. *Dioſcorides.* Silphii radix nota eſt omnibus, cuius lachryma *laſer* nominatur, aures acriter calefaciens, ac veſicam lędens, ſed ventrem purgans, hęc herba fortiter calefacit, virtus eius omnino inflammatiua eſt, & propter hoc indigeſtiua eſt. Radix eius cocta cum aqua & modico melle potata, iuuat ad difficultatē vrinæ, ſuccus eius cū lacte reſolutus emigraneam curat in aurem miſſus. Extrinſecus autem poſitus operatur amplius. Naſcitur in Syria & Armenia & Lybia. Huius virga *ſpleten* vocata eſt ferulæ ſimilis, foliaque habet apio ſimilia & ſemen latū, virtus radicis eius thermantica & xerantica, & ſtomachum inflat, & ructationem prouocat. In digeſtibilis, ac veſicæ cōtraria eſt accepta. Cerotis autē mixta, puſtulas ſpargit impoſita. Oleo addito liuores corporis limpidat, oleo cyprino vel irino mixta iſchiaticis humorem frigidum errantem ſiccat. In aceto cocta, & cataplaſmata cauſas ani compeſcit, bibita venenis occurrit. Eſt etiā euſtomacha mixta ſeminibus, & oxiguris nobilibus addito ſale comeſta: virga eius diuiſa eſt, lachrymūque quod ex ſe dimiſit colligi neceſſariū eſt.

Laſer.

Spleten.

De Sisimbrio.

CAP. CXXXV.

Ex ſynonimis. Siſimbrium idem eſt quod *mentaſtrū* de quo ſcilicet *mentaſtro* iam ſuperius dictum eſt ſub nomine iſto. *Pli. li. 20.* Siſimbrium Sylueſtre à quibuſdam *tymbraum* eſt appellatum, pedali non amplius altitudine. Quod autem in riguis naſcitur eſt naſturcio ſimile, vtrumque aduerſus aculeata efficax eſt animalia, vt ſunt ſcrabrones & ſimilia. Quod in ſicco oritur odoratum eſt & coronis inſeritur, anguſtius folium habens, ſed ad dolorem capiris, & epiphoras valens, Alii panem addunt, Alii per ſe decoquunt in vino. Sanat & epinictidas, & vitia cutis in facie mulierū, intra quartam diem noctibus impoſitum, diebuſque detractum, vomitiones, ſingultus, tormina, ſtomachi diſſolutiones cohibet, ſiue cibo ſumptum, ſiue ſucco potatum. Non eſt autem grauidis edendum, niſi mortuo conceptu, quippe illum eiicit etiam impoſitū, mouet vrinam cum vino potū ſyluestre & calculos. Quos vigilare opus ſit excitat capiti cū aceto infuſum; *Plateārius.* Siſimbrium quod alii Serpillum vocāt, agreſti maius eſt. Naſcitur in locis cultis, & aquoſis, & eſt idiaſmo ſimile, ſed eo eſt odoratius, & foliis latioribus, quę multi in coronas componunt. Virtus eius thermātica exiſtit, ſtranguriis medetur, & calculos frāgit, hoc maxime facit ſemen eius, cum vino bibitum, tortionibus & ſugglutionibus maximum præſtat effectum. Idem nauſeantibus opitulatur, folia eius cataplaſmis adhibita capitis dolorem mitigant fronti impoſita. *Diaſcor.* Notum eſt ſyſimbrium, quod eſt natura calidum in ſecundo & ſiccum in ipſo, putrefactionibus reſiſtit, pediculos interficit. *Confert apoſtematibus frigidis*, ac phlegmoni duritiei vehementis decoctum cum aceto, mixtūque cum oleo roſeo *confert obliuioni ac ſenſus commixtioni & litargia*, quādo linitur caput ex eo. *Confert etiam ſingultus* bibitum cū vino, ad ſoda quoque fit emplaſtrum ex foliis ſyluestris. *Confert tamen vermibus aſcaridibus*, & extrahit fetum mortuum, & prouocat vrinam, proprièque petroſum. Quod autē eſt ſyluestre, cum vino bibitum prohibet diſtillationē vrinæ & lapidem extrahit, ac ventris dolori pungitiuo ſubuenit. Confert etiam puncturis. *Auctor.* Quia ſyſimbrium ab auctoribus non ſolum dicitur mentaſtrum, ſed etiam menta, videlicet domeſtica. De ipſo etiam inter hortulanas herbas ſub hoc eodem nomine dicetur infra.

Mentaſtrū.

Tymbraum.

Sanationes eius.

Serpillum.

Contra lethargiam & alia.

De Spartania & Sparto.

CAP. CXXXVI.

Linius li. 25. Spartania vocatur herba quædam vtiliſſima, magna eius commendatio, quod habentes illam in ore famem ſitimque non ſentiunt. Idem & alia præſtat hippice dicta, eo quod in equis etiam eūdem effectum habeat. Tradunt ſcythas his duabus herbis ſcilicet ſcythia & ſpartania etiam in duodenos dies durare in fame ſitique. *Iſidorus.* Spartus eſt frutex virgoſus ſine foliis, ab aſperitate ſic vocatus. Volumina namque funium quæ ex illo fiunt aſpera ſūt. *Plinius lib. 19.* Sparti vſus poſt multa ſæcula cæptus eſt, nec ante Pænorum arma, qui primum hanc herbam Hiſpaniæ intulerunt, hæc ſponte naſcens, & quæ non quærat ſeri. Iuncuſque propriè aridi ſoli vni terræ initio dato. Nam illud malum telluris eſt, nec ibi aliud ſeri vel naſci poteſt. In Aphrica exiguum naſcitur & inutile carthaginenſis portio citerioris Hiſpaniæ, nec tota hæc ſed quatenus parit. montes quoque ſparto operit, hinc ſtrata ruſticis eorum, hinc & ignes faceſque hinc calciamina veſtiſque paſtorum. Animalibus eſt noxium, præterquam

Contra famem & ſitim.

Spartus.

Scritur tantum in mala terra.

cacuminum

cacuminum teneritate, ad reliquos vſus euellitur laboriosè, ocreatis cruribus manibuſque tectis manicis cõuolutum oſſeis ligneiſve conamẽtis. Manet in hyemen vix, facillimè tamen ab idibus Maijs in Iunias *Tempus maturitatis.* eſt ei maturitatis tempus, & tunc facillimè venit in vſus. Euulſus faſcibus in aceruo adunatum biduo vel triduo reſolutus in ſole ſpargitur & ſiccatur, ac rurſus in faſcibus ſub tecta reportatur, poſtmodum aqua marina optimè maceratur, & dulci ſi marina deſit. Siccatumque ſole iterum rigatur. Denique tunditur, vt fiat vtile, in aquis præcipuè maris inuictum. In vſu *Res mira.* eſt omnibus terris. Nauium armamentis, ędificationũ machinis alijſque vitæ deſiderijs. Ad hos omnes vſus ſufficiant minus 30. paſſuum in latitudinem, à littore Carthaginis nouæ, minuſque eſſe reperiuntur in longitudine. Iunco Græcos ad funes vſos nomini credamus σχοίνος primo herbam eam appellant, poſtea palmarum foliis phylliraque manifeſtum eſt. Et inde tranſlatum à pœnis ſparti vſum per quam ſimile eſt veri. Theophraſtus auctor eſt bulbi genus circa ripas amnium naſcens, cuius inter ſummum corticem, eãque partem qua veſcuntur eſſe laneam naturam, ex *Eniophoros.* qua mapalia veſteſque quondam conficiebantur. Sed neque regionem in qua id fiat, neque quippiam diligentius, præterquam eriophorõ id appellari in exemplaribus, quæ equidem inuenerim, tradit.

De ſquilla.

CAP. CXXXVII.

Sidorus. Squilla vel ſcylla dicitur, eo quod nocens ſit, de qua gentilium ſuperſtitio dicit, quod ſi ad limen ſuſpendatur integra, fugat omnia mala. *Plinius li. 20.* Scylla quæ candidiſſima fuerit, vtiliſſima erit, huic aridis tunicis direptis, quod reliquum è vino eſt conſutum ſuſpenditur lino modicis interuallis. Poſtea arida fruſta in cadum aceti quam aſperrimi pendentia immerguntur, ita ne vlla parte vas contingant, hoc *Pro claritate oculorum.* fit ante ſolſtitium diebus 48. Gypſo deinde oblitus cadus ponitur ſub tegulis totius diei accipientibus ſolem, poſt eum numerum dierum tollitur vas, Scylla eximitur, Acetum transfunditur, hoc clariorem aciem oculorum reddit. Salutare eſt etiam ſtomachi laterũque doloribus modicè ſumptũ. Sed tanta vis eius eſt, vt extincte animæ momento aliquo ſpeciem præbeat auidius hauſtum, prodeſt gingiuis, ac dentibus manducata. Tineas, & reliqua ventris animalia pellit ex *Vtilitates varias.* aceto & melle ſumpta. Linguæ quoque recẽs ſubiecta præſtat, ne hydropicus ſitim sẽtiat. Præparata & cõſciſa in aceto coquitur, ac ſerpentiũ ictibus imponitur. Toſta quoque purgatur, & medium eius iterum in aqua coquitur, vſus ita coctæ valet ad hydropicos vrinamque ciendam in potu tribus obolis cum aceto ac melle Item ad ſpleneticos, & ſtomaticos, ſi non ſentiat vlcus, quibus innatet cibus ad tormina regioſque morbos, tuſſim veterem cum ſuſpitio diſcutit, & ex folijs ſtrumas, furfures capitis, & vlcera manantia ex oleo cocta & illita. Rimas pedum ſanat in oleo cocta & reſina mixta. Semẽ eius lumborum dolori ex melle imponitur. Pythagoras Scyllam tradit ſuſpẽſam in limine ianuę, malorum medicamentorum introitum pellere, cęterum ex aceto & ſulphure medetur vulneribus in facie, per ſe vero tritus neruorum prodeſt contractionibus, Ex vino porrigines, Canum vero morſibus, & vt Eraſiſtrato placet cum pice. Idemque ſanguinem tradit ſiſtere, illitum cum melle. *Idem in lib.* 21. Notabilis eſt natura ſcyllæ crocique. Quæ cũ omnis herba folium primum emittat & mox in caulem *Natura Croci.* rotundentur. In his caulis prior quam folium intelligitur. Et in croco quidẽ flos impellitur caule. In ſcylla vero caulis exit, deinde flos ex eo emergit. Eademque ter floret, tria tempora ſationumoſtendens. *Dioſcorides.* Scyllę virtus eſt calida, & maximè cauſtica, aſſa *Ter floret Scylla.* multis eſt vtilis, cum oleo & reſina morſibus venenatis occurrit, cum ſale aſſo & aceto cocto, vẽtrem mollit, vrinam prouocat, hydropicis ſtomachis prodeſt, in digeſtiuis, & ictericis tortionibus ac tuſſientibus aſmaticis, & anaphoreticis, ſed cauendum ne vulneratis intraneis detur. Integra in limine ſuſpenſa arcet maleficia, piſtata fortiter inuncto ſuper apoſtemata ponitur illa, vt aliam carnem non tangat, cito rumpuntur. *Auicenna.* Squilla eſt cepa muris ſic dicta, quia murem interficit, habet folia lilij ſimilia, oleum ad nigredinem declinans. Eſt autem calida & ſicca in ſecundo, pungitiua, acuta, fortis inſciſiua, & in ipſa eſt viſcoſitas adultiua. Cum melle confecta ſuper alopeciam & impetiginem imponitur. Eius acetum exaſperat guttur, & carnem illius indurat, aſmati prodeſt & antiquæ tuſſi. *Platearius.* Squilla eſt in ſecũdo gradu calida & ſicca, alio nomine appellatur cepa murina, & quæ ſola reperitur eſt mortifera, virtutem habet diſſoluendi, incendendi, ac per vrinam purgandi, valet ad digeſtionem materiæ tam in quotidianis, quã in quartanis, contra oppilationem quoque ſplenis & hepatis, ac dolorem iliacũ & arthreticam, vt ait Iſaac in dictis. *Conſtantinus, vbi ſupra.* Squilla in ſecundo gradu eſt calida & ſicca, inſciditque humorẽ, proinde vomitum & egeſtionem prouocat, pectus ac pulmonem de craſſis humoribus, & viſcoſis mundificat. Ideoque valet anhelituoſis, & hydropicis, & etiam ex hepatis oppilatione propter humores craſſos, ac viſcoſos, patientibus ictericis. Cataplaſmata cum ramno & oleo, fiſſuras pedum ſanat, cum vino cocta & cataplaſmata morſus ſerpentis curat. Caueamus autem ſquillam quæ naſcitur in campis ſola, illa enim eſt mortifera. *Cepa murina.*

De ſquinanto.

CAP. CXXXVIII.

Platearius. Squinantum dicitur palea camelorum, quoniam eo cameli nutriuntur. Eſt autem in tertio gradu calida & ſicca. In Aphrica & Arabia reperitur, per annos 10. ſeruatur. Eligendum eſt quantum albius inueniri poteſt ac molle. Si autem quoddam durum & quaſi ligneum circa ſtipitem reperiatur abijciatur, virtutem habet principaliter purgandi phlegma ſicut polypodium & coloquintida. *Dioſcorides* dicit quod in vino coctum & cataplaſmatum pudendis matricem mundificat, ſtranguriam & diſſuriam ſoluit. *Auicenna.* Squinantum aliud eſt Arabicum & boni odoris, aliud agrinium quod eſt minimum & durius, & craſſius, & terreum & ſine odore. *Aut Dioſcorides.* Squinantum eſt duarum ſpecierum, vna eſt quæ non habet fructum, alia quæ nigrum. Melius eſt ex eo arabicum, rubeum, fortiorem habens odorem, ſed illud quod eſt ſupra ipſum aliquãtulum declinat ad rubedinem. Cumque finditur fit purpureum, mordicãs linguam & acuitate ſua adurens eam. In agrinio virtus eſt infrigidatiua, eius radix eſt vehemẽtis ſtipticitatis, & eius flos parumper calefacit. In ſua natura calidum & ſiccum eſt in ſecundo, propter ſtipticitatem eius, confert flos fluxui ſanguinis vndecumque ſit, & in eius oleo ſunt reſolutio & contractio, ſed eius radix fortior eſt & naturã conſtringit, & in ipſo ſunt lenificatio & digeſtio. Orificia venarum aperit, ſedatque dolores intrinſecos proprièque in matrice, ac ventoſitates reſoluit. Oleum eius prurituí confert etiam animalibus, & *confert calidis apoſtematibus* eius decoctio. Valet etiam *duricys* intrinſecis, *& apoſtematibus frigidis*, & vlceribus. Confert etiam *lacertis*, *& ſpaſmo*, bibitum cum pipere & laſſitudinem remouet. Caput autem grauat propriè agrinium. ſed minutũ eius facit ſoda. Craſſiotis ſemen dormire facit & ſtupefacit. Denique totum ipſius carnem rubeam inter gingiuas confortat, & humiditatem earũ deſiccat, eiuſque flos caput purgat. *Confert dolori pulmonis*, eiuſque flos ſputo ſanguinis, & ſedat dolores ſtomachi, & cõfert apoſtematibus eius, & hepatis. Radix eius confortat ſto- *Palea camelorum.* *Vtilitates.*

machum & facit appetitum, ſedatque nauſeam. Item frangit lapidem, ſtringitque naturam, propriè agrinium abſcindit vtrumque, ſanguinis matricis fluxum, proprièque flos, & confert doloribus renum & fluxui, ſanguinis eorum Cumque bibitur ex eius radice cum pipere confert hydropiſi, eiuſque flos confert apoſtematibus ani. Species eius craſſa cum ex eius folijs recentibus, quæ ſunt iuxta radicem fit emplaſtrum, eſt iuuatiua morſuræ venenoſorum. *Conſtant. vbi ſupra.* *Temperamentum.* Squinantum eſt in tertio calidum & ſiccum, ſtomachum confortat, vrinam prouocat, hepar & renes matricemque mundificat, apoſtema in hepate vel in ore venarum exiſtens diſſoluit, lapidem frangit, ſanguinis fluxum ſtringit, dolorem hepatis ac renum curat. Stomachum radix eius confortat & appetitum corroborat. Eius poſima valet hydropicis.

De ſtaphyſagria.

CAP. CXXXIX.

Pediculuria. ISidorus Staphyſagria eſt herba quę habet folia quaſi vitis, & caules rectos emittit, ſemen habens in folliculis viride ac trigonum in modum ciceris, aſperum, fuſcum, intus album & amarum. Naſcitur in locis humidis. *Dioſcorides.* Staphyſagria quam latini pedicularіam vocant, naſcitur in locis vmbroſis, habens folia viti agreſti ſimilia, diuiſa & ſciſſa tanquã malua agreſtis, haſtas habens longas, erectas, & nigras. Semon eſt ei ſimile iſaci & flores. Quod ſemen in viridioribus folliculis eſt obiectum. Quando teritur eſt higrum, ſed interius album, guſtum inſcido & acri & calido. *Excludit phlegma.* Grana eius 15. accepta cum mulſa vomitibus excludunt pingue phlegma. Verum hi qui acceperint mulſam, aſſiduè bibant & deambulent, quoniam effocationes citius præſtant, & gulam exaſperant. Trita & bibita pediculos interficiunt, ſcabiem & prurigines tollunt. Cum aceto elixa, & ore retenta, facere poſſunt omnia ſupradicta, Rheuma gingiuis abſtinent, tumores faucum ſpargunt. Miſcentur & malagmatibus calidis. Semen tritum & oleo mixtum necare lendines, ac pediculos eſt manifeſtum. Conueniens quoque probatur in apophlegmatiſmo faciendo, vel aſperitatibus effectis, quas græci ſtigmata vocant, ob recorporationem faciendam. *Auicen.* *Temperamentum.* Staphyſagria eſt vua paſſa montana. Cuius granum eſt ſicut cicer nigrum. In tertio gradu eſt calida & ſicca, & eſt aduſtiua, corroſiua, acuta, actis. Interficit pediculos, & proprіè cum arſenico, & confert allopecię antiquæ linita. Eadem cum arſenico vel ſola ponitur contra ſcabiem & excoriationem, & maſticatur ad extrahendum ex cerebro phlegma & humiditatem. Ex ea quoque in aceto cocta colluitur os ad dentium dolorem & gingiuæ humiditatem. *Medicinalis eius.* Præterea ſanat alcolá cum melle, & bibuntur ex ea 15. grana cum mellicrate, facitque chymum viſcoſum vomere. In eius tamen bibitione tumor eſt, quoniam ipſam veſicam vlcerat. *Conſtant. vbi ſupra.* Staphyſagria in tertio gradu eſt calida & ſicca, habet acumen quo cum maſtice vel olibano maſticato multum à phlegmate caput purgat, linguâque propter phlegma aggrauatam alleuiat. Gargariſata quoque caput de craſſo & viſcoſo phlegmate mundat, cum aceto cocta dolorem dentium ac gingiuarũ putredinẽ curat. Sternutatio de illa & vigella vtriſque in aceto coctis iuuat in oppilatione venarum icterіcos, mixta vero cum auripigmento & oleo valet contra ſcabiem ac pediculos.

De Strigno, vel ſolatro.

CAP. CXL.

Salutaris herba. ISidorus. Strignos latinè *ſalutaris herba* dicitur, eo quod dolorem capitis, & ſtomachi incendium mitigat. Eſt enim frigida, & retinens, vnde & ſuccus eius ignem ſacrum curat. Folia eius trita cum vino potata, ſeminis lapſum conſtringunt. Eadem & *vua lupina* dicitur eo quod ſemen eius vuæ ſimile fit. *Platearius.* *Vualupina.* Strignum idem eſt quod ſolattum vel morella, de qua ſcilicet iam dictum eſt ſupra. *Ex herbario.* Strignos quæ vua lupina dicta eſt, frigidæ virtutis eſt, folia eius *Temperamentum.* ſunt ocimi ſimilia, niſi quod maiora. Caulem vero cũ creuerit ad terram declinat. Semen habens inter folia per totos ramos interuallis modicis ordinatum folliculis, qui ſimiles ſunt veſicis. In quibus ſunt baccæ rubeæ, lenes rotundæ multæ ac minutæ, frigidam vim habẽt, huiuſque folia pro cataplaſmate impoſita ignẽ ſacrum ſedant. Liuores abſtergit dolorem capitis, & ardorem ſtomachi cum oleo trita diſſoluit, dolores aurium ſanat, fluxum matricis cohibet, laborem quoque partus ſubleuat, ad tumorem corporis. & ad dentium dolorem valet, ad ſanguinis quoque fluxum de naribus reſtringẽdum, ſi quis eius ſucco lana intincta ſibi nares obſtruet. *Auctor.* Eſt etiam ſpecies quædam ſolatri quę comeditur, videlicet hortulana, de qua inter cæteras hortulanas dicetur inferius.

De Strichade.

CAP. CXLI.

Vtilitas. ISidorus. Stichas in inſulis ſtichadibus naſcitur, vnde & nuncupatur. *Dioſcor.* Stichas à ſtichadibus dicitur, vnde & nomen accepit. Eſt autem herba tenuis ſemen habens minutum, cum folijs thymo ſimilibus, & oblongis guſtu acrior, & ſubamara. Eius elixatura cauſas mitigat thoracis, & vtiliter miſcetur antidotis, habetque vires acriter relaxantes cum odore graui, & menſtrua prouocat, & eſt humilis, ac per terram repens cum foliis & ramis origano ſimilibus, albidioribus tamen, ſanſueci odorem fingentibus. Duæ ſunt eius ſpecies. Vna eſt vſualis, quæ in campis ſaxoſis creſcit & lapidoſis. Alia vero agreſtis, quæ zoyr appellatur, quæ non ſolum ſerpit, ſed extante poſitione erigitur. Cum ramulis bipalmis, & horrentibus, cum foliis paruulis rutæ ſimilibus, ſed anguſtis, & longioribus haſtam habet ſarmento ſimulantem, florem & odorem in omnibus virgis conſtitutum, & in ſummitate purpureum, linguam remordentem, & guſtu viſcidum. Radix eius eſt inutilis. Eſt autem ve- *Herpillum.* hementior, & calidior quæ eſt ſuauis, quæ ideo nomen accepit herpillum, quod Græci herpere repere dicunt. Nam frutex huius plurimum fructificando conſtrictiuam habet virtutem ſiue redarguentem. Menſtruis imperat, vrinam prouocat, tortionem, & conquaſſationem ſanat. Tumorem hepatis compeſcit, morſibus venenatis occurrit. Bibitum & impoſitum id facit, doloremque capitis cum aceto coctum & oleo roſarum additum compeſcit maximeque bibitum prodeſt lethargicis, ac phreneticis. Nauſeam prouocat, & cum aceto ſumptus medetur hemaptoicis. *Auicenna.* *Effectus.* Sticas eſt planta ſpicam habens, ſicut eſt hordei ſpica, ſed eius folia ſunt longiora. In ipſo ſtipites ſunt cineritij, ſicut in epithimo. Eſt autem ſine ſemine acutius cum amaritudine pauca, compoſitus ex ſubſtantia terrea frigida & ignea ſubtili. Calidus eſt in primo, ſiccus in ſecundo. Reſoluit & ſubtiliat amaritudine ſua, & ſyrupus eius ſimiliter. Oppilationes aperit, & abſtergit in ipſo eſt ſtypticitas pauca, confortatque corpus, ac viſcera & prohibet putrefactionem. Eius decoctio ſedat do- *Virtus.* lores neruorum ac iuncturarum & laterum. Eiuſque ſyrupus eſt res magis iuuatiua ægritudinum interius frigidarum. Ideoque oportet vt eo vtatur aſſiduè, qui debiles habet neruos ex frigiditate. Confert iterum melancholiæ & epylepſiæ. Conturbat autem humorem cholericum & eum vomere facit, & eſt ex his quæ faciunt ſitim, vrinæ confortat inſtrumenta, & ſoluendo melancholiam educit & phlegma. *Platearius.* Sticas calida & ſicca eſt, virtutem diureticam habet, vinum decoctionis eius, & dragaganti

ſpiritualia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

spiritualia calefacit, & inteſtina ſtomachumque mũdificat, valet ad iliacam & ad oppilationem ſplenis, & hepatis, & contra ſtranguriam & dyſſuriam. *Conſtantinus, vbi ſupra.* Sticas eſt calida & ſicca in primo, apetit, attenuat, interiora membra confortat, pectus ac pulmonem omniaque viſcera mundificat. *Ex ſynonimis.* Sticatis ſpecies duæ ſunt, Citrina & Arabica. Quando ſimpliciter ponitur, citrina intelligitur: Idem eſt barba iouis. Sed aliud eſt iouis barba ſcilicet ſemperuiua ſicut dictum eſt ſupra.

Temperamentum.

De ſyderite.

CAP. CXLII.

Dioſcorides. Syderitis, vel heraclea habet folia prafio ſimilia, ſed & oblonga & aſpera, haſtam habet quadram duabus palmis longam, virgas lõgiores, ſtypticas, & in guſtu ſuaues. In quibus ſcilicet virgis capita obrotunda, ſiue verticelli ſicut praſij oriuntur, & in eis ſemen nigrum inuenitur. Sub petra naſcitur, folia eius trita, paracoleſin faciunt mirè, vulneribus impoſita. Alia eſt ſyderitis, quæ haſtas duobus cubitis habet longas & teneras, foliaque in ipſis haſtis periſteridi ſimilia & diuiſa in circumitu plurimum naſcẽtia, ſed in viſu tenuia & longa. In cacumine vero haſtæ capitellum habet rotundum & aſperum, in quo ſemẽ bleręeſt ſimile, obrotundum & durum. Eſt autem virtutis thermanticæ ſimilis ſupradictæ. Tertium eſt genus ſyderitis, quod catebras heracleon dixit, & naſcitur in parietibus ſicut vitis, habet folia minuta teneraque multa ex vna radice naſcentia, coriandro ſimilia, huius haſtæ duobus ſunt palmis longæ, molles, & albidiores, fænicinos habet flores. In guſtu eſt nuſtillaginoſa, tritaque vulneribus recentibus paracoleſim facit impoſita. *Plinius libro 25. Panacem* heracleon alij *ſyderitem* & apud nos vocant *mill folium* in cubitali ſcapo ramoſum, minutioribus quam tæniculi folijs ab imo veſtitam. Alij fatentur illam quidem vulneribus vtilem, ſed veram achillæam eſſe ſcapo cæruleo pedali ſine ramis ex omni parte ſingulis folijs eleganter veſtitam. Alij quadrato caule, marrubij capitibus folio quercus. Hac quoque neruoſi prę-ſciſos glutinare faciunt. Aliam dicunt ſyderiten naſcentem in macerijs cum teritur fœdi odoris, ſed & aliam huic ſimilem candidioribus tamen foliis, & pinguioribus, ac tenerioribus cauliculis in vineis naſcentem. Aliam vero quinum cubitorum, exilibus ramulis, atque triangulis filicis folio pediculo longo. Omnes autem vulneribus præcipuas eſſe. Eam vero quæ eſt latiſſimo folio noſtri *ſcopam regiam* vocant. *Idem in libro 26.* Syderitis varices adalligata minuit & ſine dolore præſtat.

Tria genera ſyderitis.

Panax ſyderites milleſolium.

Scopa regia.

De ſymphaco & ſynapiagrion.

CAP. CXLIII.

Iſidorus. Symphacos græcè dictus eſt, eo quod tantam radice virtutem habeat, vt fruſtra carnis in cacabo aſperſa coagulet. *Dioſcor.* Symphacum naſcitur in locis aſperis, habens virgas origano ſimiles, ac tenues, capita vero ſicut thymum, virgæ lignoſæ ſunt, & odoratæ, guſtuque dulces, phlegma prouocantes. Radix eſt illi longa & obtuſa, in modum digiti craſſa. Elixum in mulſa pulmonem purgat, reiicientemque ſanguinem, aut nefreticos cum aqua medicinaliter iuuat. Radix eius cum aqua cocta & bibita fluxum mulieris abſtringit, dyſſentericis quoque proficit. Cũ oxymele data conquaſſationes atque dolores lateris ſaluberrime curat, maſticata vero ſitim amputat, & aſpredinem faucum mitigat, vulneri recenti peracoleſim facit, enterocæliacos bibita & cataplaſmata optime curat, & carnes cõcoqui facit. Aliud eſt ſymphacum quod piten eſt appellatum, haſtam habet aſperã duobus cubitis lõgam, angulosam & abintus inanem, in qua folia ſunt aſpera & anguſta, ſicut bugloſſos oblonga, angulos etiam habet ipſa haſta, in quibus naſcuntur folia, flores habet melinos, & ſemen ſuper haſtas, ſicut flomos, haſta & frutex habent quiddã ſimile pulueri quod cum carni applicatum fuerit, prurigi nem facit. Radix eſt ei nigra, quæ cum fracta fuerit, apparet alba, & muſtillaginoſa, hæc trita & bibita medetur hæmoptoicis, conquaſſationes reficit, & ani tumores ſpargit. Cum yriger foliis cataplaſmata facere poteſt omnia ſupradicta, vulneri paracoleſim efficit, carnes inſciſas, & in cacabos miſſas in ſe glutinare facit. *Dioſcorides.* Sinapiagrion vel vt dicunt latini *ſcandalicum*, id eſt pes pulli, naſcitur in tumulis, & ſuper regulas, herba eſt habens folia minuta & anguſta, duobus digitis longa, in ſummo diuiſa & pinguia, virgam profert in medio duorum palmorum cum paucis ramulis, in quibus fert ſemen cardamo ſimile, latum, obrotundum ac veluti conquaſſatum, vnde & vocatur claſpium. Græci namque claein dicunt frangere ſiũe quaſſare: florem habet album, virtus eſt ei ſemini thermantica, atque acris potui datũ vehementer pũrgationem facit ſuperiorum ac inferiorũ iſchiaticis medetur per clyſtere adhibitum, menſtruis imperat bibitũ. Colle&iones in aceto bibitum rũpit, abortũ facit.

Synapiagriõ. Scandalicũ.

Etymon ſymphaci.

Aliud genus ſymphaci.

De Syſeleo.

CAP. CXLIV.

Platearius Siſeleos idem eſt quod *ſiler montanum*, & eſt in ſecundo gradu calidum & ſiccum. Semen eius medicinæ competit, & per annos tres ſeruatur: virtutem habet diuretica, diſſolutiuam & cõſumptiuam. Contra aſma ex frigida cauſa datur vinum decoctionis eius, & ficuum ſiccarum, vel puluis eius cũ ficubus ſiccis, & aſſatis. Cõtra oppilationem ſplenis, & hepatis, ac renum, veſicæ, ſtranguriam & dyſſuriã datur vinum decoctionis eius: herba ipſa in vino & oleo cocta & pectori cataplaſmata ſtranguriam & dyſſenteriam ſoluit. Sed & fumigatio facta ex aqua vel vino decoctionis eiuſdem herbæ menſtrua prouocat, & valet contra ſtrãguriam & dyſſenteriam. *Auicenna.* Syſeleos eſt in ſecundo gradu calidum & ſiccum reſolutiuum, mundificatiuum, carminatiuum. Similiter ſemen & radix eius ſunt ſedatiua dolorum interiorũ, & liquefacit phlegma congelatum, de ipſo datur in potu animalibus, & multiplicat eorum partus. Bibitũ in vino prohibet frigus, & in itinere nocumentum ipſius. Confert doloribus dorſi, aſmati, & anhelitus difficultati, & antiquę tuſſi, & radix eius propriè. Semen quoque ipſius eſt in virtute ſimile: radix eius cũ melle confecta & deglutita, pectus ab humiditatibus viſcoſis mundificat. Item hæc herba confert valde ſola. Reſoluit inflationem, ſedatque viſcerum dolorem. Digerit radix eius propriè cibum, & eſt ſtomacho bonũ. Reſoluit dolorem ventris pungitiuum atque ventoſum, & facilem in omnibus animalibus efficit partum, remouet vrinæ difficultatem, reſoluit dolores matricis, & eius præfocationi confert. Succus autem caulis eius, ac ſemen recentia in potu cum arob ſanant dolorem renum & ipſorum eſt penitus iuuatiuum. *Conſtantinus, vbi ſupra.* Syſeleos eſt calida & ſicca in ſecũdo, digeſtionem adiuuat, vrinam & menſtrua prouocat, matricis ſuffocationem curat, ſtranguiriam ex frigiditate diſſoluit, anhelituoſis & diu ex humido tuſſientibus ſubuenit, potata cum pipere & vino calefacit eos qui in itinere deficiunt, & propter hyemem frigeſcunt.

Siler montanum.

Temperamentum.

Virtus.

De tapſia.

CAP. CXLV.

Platearius. Tapſia in tertio gradu eſt calida & ſicca, per tres annos ſeruatur. Radix eius medicinæ cõpetit vſui, ſed nunquam debet per ſe dari, principaliter

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

educit, per vomitum, ſecundario per ſeceſſum. In medicinis vomit iuis maximè ponitur, ſed quando teritur oportet quod terens maximè faciẽ & oculos cooperiat, vt parum aut nihil videat, teſticuloſque, quia cito inflantur. Quod ſi aliqua inflato euenerit, infundatur pannus in aceto, & fiat inde partis infrigidatæ fricatio, vel idem fiat cum ſucco etrahith. virtutẽ habet humores diſſoluendi, & ad ſuperficiem corporis attrahendi, & in craſſam ventoſitatem reſoluendi.

Virtus.

Semẽ ferula. *Plin. lib.* 13. Tapſiam vocauere quidam *ſemen ferulæ*, eo decepti quod ferula ſine dubio non eſt Tapſia, ſed ſui generis, fæniculi folijs, inani caule, nec baculi lõgitudinem excedente. Semen quale ferulæ, radix candida, inſciſa lac emanat, & contuſa ſucco abdicat omnia venenata. Quippe fodientibus etiam nocet ſi minima aſpiret aura, intumeſcunt corpora faciẽque ignes acres inuadũt, & ob id ceroto prius illiniunt. Quibuſdam tamen morbis auxiliari dicunt medici permixtã alijs. Item in alopecijs, ſugillatiſque ac liuentibus, ceu vera remedia deſinit, vt ſcelera contractent. Sed iſta prætexuerunt noxio inſtrumento, tantumque impudentiæ eſt vt venenum artis eſſe perſuadeant. Tapſia eſt in Aphrica vehementiſſima. Quidam per meſſes caulem inſcidunt, & in ipſa radice excauant quo ſuccus confluat, arefactumque tollunt, Alij folium, Radicem in pila tundunt, & ſuccum in ſole coactum etiã in paſtillos diuidunt. *Idem in libr.* 26 Ad lychenas vtuntur & tapſiæ, radice cum melle trita, anginæ, & argemonia medetur ex vino ſumpta. *Conſtantinus, vbi ſupra.* Tapſia eſt herba ſuper terram ſaliens, id eſt brachium cuius color rubeus eſt, frondes habet viridis, aliquantulum colori plumbo pertinentes. Cortex autem radicis eius rufus, nigredini parum attinẽs, ſed intus eſt cytrinus, hic cortex medicinæ congruit, calidus, & ſiccus in tertio gradu. Craſſos, & viſcoſos humores attenuat, & valet iſchiaticis ac podagricis, phlegmaque viſcoſum vbicumque fuerit purgat. Miſcetur & medicinis impetiginis, morpheæ atque ſcabiei. colatiuus enim eſt ac mundificatiuus. *Dioſcoriides.* Tapſia dicta eſt eo quod in Tapſo Inſula primo inuenta eſt, frutex eſt illi fæniculo ſimilis, habens folia ſimilia maratro, haſtas tenues in quibus ſingul s ſunt capitella, ſicut in antho, flos autem eſt niger ſiue melinus, ſemenque latum ferulę ſimile, ſed minus. Radix eſt illi alba & maior, corium habens craſſum, & in odore viſcida. Succus eius, quando colligitur, colligens non ſit contra ventum ſitus, quia manus, & facies ebullient: virtus eſt ei calida & cathartica. Corium radicis eius, & ſuccum & lachrymũ accepta mulſa ſuperius, & inferius hominem purgat, plus tamen iuſto accepta necem infert. Purgatio ipſius dolorem mitigat lateris, aſmaticis opitulatur, his etiam qui putridum habent ſputum medicatur. Eſt autẽ dieta eius cretica, eiuſque potio danda eſt eſcis, aut cocturis admixta. Radix eius, & lachrymum tantã habet caliditatem, vt nullam habeat cõparationem, vnde ſuccus eius capiti ſuperunctus alopecias emendat, & radix eius viridis infricata idem præſtat, liuores etiã detergit. Succus eius addito libanotide ac cera æquali pondere omnia prædicta poteſt facere. In quolibet autem loco poſitus non debet amplius eſſe quã duabus horis, ſed ante & poſt loca fouenda ſunt aquis calidis: lentigines mundat, lepras limpidat; puſtulas purgat, maximè mixto ſulphure, veteres lateris, aut pulmonis dolores curat, arthreticos & podagricos maximè iuuat. Nudis locis impoſitus ea veſtit, ſed fomento id facit, humores etiam de profundo violenter extrahit, ſicque diaphoreſim facit.

Potio quomodo dãda.

Tapſia virtus.

De Tapſobarbato & tetrahith.

CAP. CXLVI.

Herba luminaria. PLatearius. Tapſusbarbatus idem eſt quod *herba luminaria* vel flomos, frigida & ſicca eſt, viridis in medicina valet, ſicca nihil, virtutem habet conſolidandi & conſtringendi. Contra fluxum hæmorrhoidarum, ex vino decoctiones eius patiẽs ſuffumigatur, anoque tritum infunditur, herba etiam ipſa cataplaſmatur. Cæterũ & ex ipſa herba poſt aſſellationẽ ſe patiens ſemper extergat, hoc ipſum hæmorrhoidas conſtringit & ſanat. Contra fluxũ ventris, & contra tenaſmon ex calida cauſa encathiſma fit, & fomentum ex aqua decoctionis eius circa ventrẽ & inferiora. *Dioſcorides.* phlomos quam latini barbaſton dicunt, duo ſunt genera, maſculus, & fœmina, vnum eſt album, alterum vero nigrum, fœmina quidem habet folia cauliculo ſimilia, ſed apertiora & latiora, haſtam vno cubito lõgam albam & aſperam, flores virides, & albos, ſemenque nigrum. Radix eſt ei dura in modum pollicis craſſa, naſcitur in cãpis. Maſculus habet folia oblonga & anguſta, haſtam tenuem, ac tenue ſemen. Nigra in omnibus eſt lata, & dicitur phlomos nigra. Agreſtis autem phlomos habet vitgas in ſe longas, & arboroſas, folia ſaluiæ ſimilia circa virgas habet flores auroſos aut melinos. Sed folia ſunt ei circa terram aſpera & obrotunda. Eſt alterum genus phlomi, qui dicitur lychnitis, aut thryalis habens folia aſpera & pinguia & craſſa, quibus vtuntur multi in lucernis. Duarum ſupradictarum radices ſtipticæ ſunt, fluxumque ventris cum vino ſtringunt. Elixatura eius bibita conquaſſationes, ac dolores lateris ſoluit, tuſſim mitigat, dolorem dentium gargarizata cõpeſcit phlomos, qui florem auroſum habet, capillos inficiet, folia eius in aqua cocta cataplaſmata, duritias, & tumores oculorum ſoluunt, malignaque vulnera melle addito ad ſanitatem adducunt, acero mixto vulnera recentia ſingulariter iuuant, punctionem ſcorpionis mitigant agreſtis folia combuſtionibus opem ferr, & folia eius quæ dicitur fœmina cum caricis impoſita, putredinem in eis non admixtum.

Phlomos.

Lichnitis Thryalis.

Infectio capillorum.

Ex herbario. Phlomos maſculus habet folia lõgiora & anguſtiora quam fœmina, vtrique lanoſi thyrſumque lanoſum habent longi, & craſſi in modum digiti: aqua cum ea decocta & potata eos, qui venenum ſumpſerint curat, qui potus & contra veterem tuſſim prodeſt, eademque ſi contineatur ore, dẽtium dolorem ſanat: folia eius trita & oculis ſuperpoſita dolores, ac tumores ſedant. Eademque cum vino ac melle decocta eunuchorum vulnera curat, denique cum acero decocta contra ſcorpionum ictus valet, & contra vulnera recentia, valet & hæc herba ad licinia.

Contra venenum.

Auctor. Æſtimo quod hæc herba corrupte dicatur tapſusbatbatus, cum ab auctoribus dicatur potius barbaſton vel barbaſtus, à quibuſdam etiam verbaſcus, de quo iterum ſub hoc nomine dicetur inferius.

Iudicium authoris.

Platearius. Tetrahith eſt herba iudaica in ſecũdo gradu calida & ſicca, viridis bona eſt in medicina, inutilis autem ſicca, virtutem habet calefaciendi ac deſiccandi & depurandi, virtutem quoque diureticam. Cõfert valde mulieribus ad matricem & ad vrinarum noſtrarum mundificationem, Caloriſque naturalis confortationem, ſipula ex farina & aqua facta. Ipſaque herba contrita naturalem calorem confortat, & vrinam prouocat. Contra ſtranguriam & dyſſenteriam eadem contrita & in vino cocta multum valent pectori cataplaſmata.

De tribulo.

CAP. CXLVII.

PLinius. *libr.* 22. Tribulus non niſi in paluſtribus naſcitur, dira res alibi, in cibis excipitur iuxta Nilum & Strimonem amnes, inclinatis in vadum, folio ad effigiem vlmi, pediculo longo, ac in orbe teliquo ſunt genera tria Cicerculæ folia alteri aculeata: hic & ſerius floret, magiſque ſepta villarum obſidet. Semen eſt ei rotundius in ſiliqua nigrum alteri arenaceum.

Cicerula.

Dioſcorides. Tribuli genera duo ſunt, ſiccus, & humidus. Siccus

dus. Siccus habet folia andraginæ ſimilia, ſed teneriora, haſtas longas, teneras, & porrectas, in quibas sũt ſpinæ Naſcitur autem in locis deſertis, humidus vero naſcitur in fluminibus, cuius coma ſuper aquã extenditur, & folia ſupernatant, haſtã habet in ſummo craſſam, ad radicem vero tenuem, habentem in ſe tenues ſpinas ſicut ſpica. Semen eſt ambabus, virtus eſt illi frigida & ſtyptica, & deſiccatiua, & leptomeris inflãmationes faciens. Omnes quidem tumores impoſiti ſpargunt, addito melle naptas ideſt oris putredines tollunt, faucibus, & gingiuis opitulantur. Succus eorum nobilibus collyrijs admiſcetur, ſemen eorum calculos frangit & excludit. Terrenæ ſemen bibitum & impoſitum morſibus venenatis occurrit, eius elixatura ſparſa pulices necat. in flumine Thraciæ herba eius equi enetuantur. *Auicenna*. Haſek ideſt tribuli ſecundum Dioſcoridem duæ ſunt ſpecies, quæ frigidę ſunt & ſiccæ. Alij vero dixerunt quod eſt calidus, & ſiccus in primo. Eſt & magis ſimile haſcek terræ noſtræ. Sylueſtris quidem plurimæ terreitatis eſt, domeſticę autẽ plurimæ aqueitatis. Inipſo eſt prohibitio effuſionis materierũ propter ſypticitatẽ ſuã, & maturatio & lenificatio, prohibet ergo accidere apoſtemata calida, & eſt bonus apoſtematibus gutturis. Cõfert vlceribus antiquis. & putridis in carne cũ melle. Itaque bonus eſt vlceribus gingiuæ putridis. Intrat etiã ſuccus eius in alcofol. Item facit augmentum in coitu, frãgitque lapidem renum ac veſicæ, ſimiliter & ſuccus eius, & confert difficultati vrinę & cholicæ, fructus autem ſylueſtris confert morſui vipere. cum vino quoque venenis pernicioſis. Ex eiuſdem decoctione ſi quis locum aſperſerit pulices interficit.

Vſus in medicina.

Vtilitas.

Frangit lapidem veſicæ.

De trifolio & tripolio.

CAP. CXLVIII.

I *Sidorus.* Trifolima græcis Triphyllum vocatũ eſt, eo quod ſit folijs trinis per ſingulas annotationes. *Plinius li.* 21. Folio coronat & trifolium. Cuius genera tria ſunt. Hepenthes græci vocãt Alij aſpalthiõ & maiori folio, quo vtuntur coronarij. Alterũ acuto oxytriphyllon. Tertiũ ex omnibus minutiſſimũ & inter hæc neruoſi quibuſdã cauliculi, vt mararro. hippomararro myophano. Vtuntur & ferulis. & corymbis, & hæderæ flore purpureo. Eſt & in alio genere earũ ſylueſtribus roſis ſimilis, & in his tantum color delectat, odor autẽ abeſt Trifoliũ creditur ad ſerpẽtum ictus, & ſcorpionũ eximiè prævalere. Serpenteſque nunquã in trifolio aſpici. Præterea cõtra venena omnia 25. eius grana pro antidoto ſufficere. *Idem:* Animaduerto ſemẽ eius cuius minima ſunt folia, vtile ad cuſtodiendã mulierum gratiã illitum in facie cutis. *Dioſcorides.* Trifolii genera ſunt quatuor ſcilicet odoratum acutũ parthenion & leporinum. Semẽ eius, & folia cum aqua bibita, pleureticis, diſſuriis, epilepticis, & hydropicis minutio & ſingulare præſidium eſt. Stericis opitulatur, menſtruis imperat, folia eius cũ oxymele accepta morſibus venenatis occurrunt, trita vero & cum vino bibita febribus, vt dicitur, tertianis medicantur. Tripolio in locis naſcitur maritimis ideſt littoribus ipſis, folia quidem habet apio ſimilia & craſſa haſtamque duobus palmis longam in capite diuiſam, florem dicitur ter mutare in die. Nam mane colorem facit album, media vero die purpureum, ſero cæruleum Radix eſt illi alba & odorata, intus autem candidiſſima. Bibitum humores ventris aquoſos deponit, vrina prouocat, acceptis venenis occurrit. *Plinius li.* 21. Polion ſiue tripoliõ apud græcos herbam inclytam Muſæi & Heſiodi laudibus ad omnia prædicant ũ vtilẽ ſuperque cætera, ad famã quoque dignitatis prorſus mirãdi, ſi modo vt tradũr eius folia mane candida, meridie purpurea. Sole occidente aſpiciuntur cærulea. Duo ſunt genera eius. Campeſtre maius, & ſylueſtre minus, folia canis hominis ſimilia, à radice palmo nunquã altiora. *Auctor.* Videtur idem eſſe polion quod tripolion, quod enim dictum eſt de tripolio iuxta Dioſcoridem de polio dicit Plini. de quo iam dictum eſt ſuperius.

Tertur in die mutat colorẽ.

Prævalet ſerpentibus.

Quatuor genera.

De turbith.

CAP. CXLIX.

P *Latearius.* Turbith eſt radix cuiuſdã arboris ideſt fruticis in India & Syria & Arabia naſcentis, in tertio gradu eſt calida, & ſicca per biennium duratiua. Eligenda eſt illa quæ in medio eſt concaua, ſecundũ longitudinẽ nõ habens interius fuſtem, & ſi habet extrahi debet, cũ in medicina ponitur, & ſit talis, quæ nõ facile puluerizetur, propter nimiam eius violentiã per ſe nõ datur, ſed hac medicinę apperenter acuũtur, virtutẽ habet diſſoluendi humores, & phlegma præcipuè ab extremis partibus attrahendi, valet contra iliacam & arthreticam & podagram cũ aliqua medicina confectus his morbis cõpetenti. Puluis eius cum oleo roſarum modico ad reprimendum eius mahciam addito gũmi arabico ac melle bene deſpumato, carnẽ mortuã corrodit & conſumit. *Conſtantinus.* Turbith eſt radix quæ intus, & extra aliquando eſt albi & citrini coloris. Inuenitur in Syria & Arabia. Arbor eius eſt quaſi ferula, quæ in tertio gradu eſt calida & ſicca, phlegma frigidoſque chymos, ac viſcoſos humores purgat proinde vtilis eſt podagræ frigidæ ac dolori arthretico, nocet tamen & anguſtiam facit ſtomacho, vnde poſt inungi oportet cũ oleo violaceo vel amygdalino. *Auicenna.* Turbith melius eſt album viſibiliter & cõtritum, habens foramina ſicut cannæ ſubtilis foramina, planũ velociter frangibile non craſſum perforatum eſt debile, ſed eius rectificatio eſt, vt fricetur cortex cinericius donec remaneat albus, & quod contritũ eſt de ipſo cõiungatur cũ oleo amygdalino. Cõfert ægritudinibus neruorũ ſolutione phlegma educit plurimũ. Et ſoluit aliquid ex humoribus parũper aduſtis. Et hoc cũ aſſumitur tritum. Econuerſo autẽ decoctum ſecundum quoſdã educit humorem crudum ex anchis & quod verius eſt educit ſubtile phlegma, & ſi cum zinzibere cõfortetur, & aliquo quod habeat virtutis acuitatem, educit craſſum & crudum humorem.

Virtus.

Melius quod nam.

De typho, & titimallo.

CAP. CL.

I *Sidorus.* Typhus circa fontes, vel paludes, & ſtagna naſcitur, ſic dictus, quia ab aqua ſe inflat, vnde & ambitioſorum hominum ſibique placentium tumor typhus dicitur. Titimallus nomen ſumpſit ex hoc quod foliorum comam ad radium ſolis circumactam conuertat. Nam græci titan ſolem vocant, & * mallonem coma. *Platearius.* Titimallus eſt herba in tertio gradu ſicca, & multæ ſunt eius ſpecies'. Eſt enim vna quæ eſula dicitur. Alia vero laureola, alia vero catapucia. Alia quoque canabulla ex cuius lacte medicinæ acuuntur. *Ex ſynonimis.* Habet ſpecies quinque titimallus, ſed non vtuntur medici noſtri niſi tribus videlicet anabulla & eſula & catapucia: lacte quidem anabullæ, cortice radicis eſulæ, ſemine vero catapuciæ. & ſumptum eſt titimalli nomen ex eo quod omnis eius ſpecies comas ſuas vertit ad ſolem. *Dioſcorides.* Titimalli genera ſunt ſeptem, primum eſt maſculus, & caritieas dicitur, ſecundum fæmina & carides vocatur. Tertium paralmos. Quartum ilioſcopos. Quintum dendrodes. Sextum platophyllos. Septimum vero cyparaſias dicitur. Caritias habet haſtas vno cubito longas & ruffas, lachrymumque viſcoſum & album, folia circa haſtas oliuæ ſimilia, ſed minora & anguſta. Radix eius eſt craſſa atque lignoſa. In haſta eius ſunt comæ iunco ſimiles, in quibus ſemen eſt. Naſcitur in locis montuoſis, ac aſperis, lachryma eius ventrem ſoluit, phlegma

Etymon typhi.

Etymon Titimalli

* *Pulvis à Titan & μάλλειν.*

Anabulla. Ebula. Catapucia.

Septem genera.

choleramque deponit, hoc facit acceptum vt posca. Nauseamque proi ocat acceptum cum mulsa. Vindemiarum tempore colligitur. Sed obseruandum est ne hoc in vento fiat, vel ne manus oculis applicẽtur. Sed antequam exiccetur, manus, & facies axungia vel argilla tenera perungantur. Odor eius gulam exasperat. Succus eius viridis infricatus capillos tollit & in sole decapillatis locis perunctus, capillos rubeos educit. Impositus forẽmini dẽtes dolorem compescit. Sed cera concludi debet, ne fauces aut linguam exasperet. Corporis verrucas impositus, & clauos, & condylomata tollit, naribus vnctus caput purgat & oculis pterigia detergit. Carbunculos, & fagedenica vulnera tollit, cancros & fistulas ad sanitatem perducit. Semen eius autumno collectum, in sole siccatur, & vẽtrem purgat leniter acceptũ. Radix eius data cũ mulsa ventrẽ purgat, in aceto cocto & ore retenta dolorem dentium mitigat. Carides nascitur in locis asperis, & est lauro similis, folia eius myrto sunt similia sed maiora & fortiora, quæ in fine acuta sunt & spinosa, hastæ sunt vno cubito longæ, semen autem interpolato anno profertur, mordens linguam, nucibus simile. Similis est ei supradicto virtus, sed succus eius plus est vomificus. Paralmos nascitur in locis maritimis, hastis ex tenui radice 6. vel 7. duorum palmorum erectis, ac subrufis, in quibus folia sunt minuta & angusta, & oblonga, linguę similia. In hastis capitella sunt rotunda, in quibus semen rotũdum est, & varium flores albos habet, omnisque frutex lachrymum album & infinitum habet, cui virtus supradicta similis est. Ilioscopos habet folia andragnæ, id est portulacæ similia sed tenuiora, & obrotunda, hastasque duobus palmis longas, & tenues, ac rufas. Succus eius est albus, Capitella sunt ei multa similia aneto flore plena. Semen est ei circa folia, iuxta ripas nascitur, & circa ciuitates, & ædificia. Semen eius, & succus colligitur, virtute similis supradicto, sed paulo fortior. Dendrodes habet multas comas, lachrymum infinitum, & virgas obrufas, in quibus folia sunt similia myricæ sed oblõga, semenque simile carici. Compositionem & virtutem supra scriptis habe. similem. Platophyllos habet folia & radices phlomo similes, virtus est ei similis supradictis. Succus acceptus humorem deponit ventris. Tusus & in aquam missus occidit pisces, omnisque titimallus id facere potest. Cyparasicas habet hastas duobus palmis longas, & subrufas, folia pino similia, sed paulo molliora. Nascitur in locis asperis, & saxosis. *Plinius libr.* 26. Titimallum nostri vocant herbam lactariam, lactucam caprinam. Narrantque lacte ipsius in scripto corpore, cum inaruerit, si cinis inspergatur literas apparere, & ita quidam adulteras his potius quam codicillis alloqui malluere.

Tempus vindemiæ colligitur. *Carides.* *Paralmos.* *Ilioscopos.* *Platophyllos.* *Herba lactaria. Lactuca caprina.*

De verbasco ac verbena.

CAP. CLI.

Sidorus. Verbascum latini vocant herbam quã græci phlomos appellant, harum altera est masculus, albidioribus & angustioribus foliis, altera vero fœmina, foliis latioribus atque nigris lanuginosis, & hirsutis. *Plinius lib.* 26. Contra tussim bibitur verbascus, cuius flos est aureus, atque tantavis huic est, vt etiam iumentis non modo tussientibus, sed ilia quoque trahentibus in potu auxilietur. Quod & de gentiana reperitur. *Ex herbario.* Verbascus nascitur in locis sabulosis, & aggeribus, ad podagram hæc herba contusa & imposita dolorem sedat. *Isidorus.* Verbena siue herbena dicitur quasi pura, sed à græcis hierobotane nomen accepit, eo quod remedijs, ac ligamentis hominum ac purificationibus sacerdotum a Gentilibus apta probata sit, vnde & pontifices illam appellabant sagmen quasi sancimen. *Plinius libr.* 25. Nulla tamen Romanæ nobilitatis plus habet quam hierobotanæ, quam nostri verbenatam vocant. Hac iouis mensa verritur, domusque purgantur ac lustrantur. Duo sunt eius genera, folios quę fœmina putatur, mas foliis rarioribus, vtriusque plures ramuli tenues, cubitales, angulosi, folia minora, quàm quercus & angustiora, diuisuris maioribus, flos vero glaucus. Radix longa, tennis, & vbique nascitur in planis aquosis. Quidam autem non distinguunt, sed vnum tantum faciunt genus, eo quod eosdem vtraque habeat effectus, vtraque galli sortiuntur ac responsa præcinunt, sed magi vtique circa hanc insaniunt, hac perunctos impetrare dicunt quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique morbo non mederi, sed circa canis ortum absque solis & Lunæ conspectu debere colligi, hęc aduersus serpentes ex vino conteritur. *Dioscorides.* Hierabotane quam multi peristeron vocãt aut verbenam, habet duas species, vna est supina, altera recta. Primaque syderitis, & curetis, vel typerison vocatur, latine autẽ intruba idest quasi lustrago aut vertipedium dicitur. Secunda vocatur tergominon bimion vel hierabotana, teralia, herculana, latine chrystallina: vtraque habet folia subalbida vel inscisa, similia iri, sed angustiora, virgas cubito longas & amplius habet, angulosas radices tenues, & oblongas. radix & folia medentur ictericis cum vino bibita & etiam cataplasmata, ipsaque folia cum vino bibita & etiam cataplasmata, venenatis morsibus occurrunt imposita. Eius elixatura prẽstat hilaritatem, si fuerit in conuiuio aspersa. Cum tribus folijs, & totidẽ radicibus datur tertianariis, cum quatuor quartanariis, herba cocta glutinat vulnera, alienationes stringit, ad omnia quoque venena potui data optime facit.

Vsus magicus. *Species.* *Vsus.*

De Betonica.

CAP. CLII.

Plinius lib. 25. Betones in Hispania, eam quæ Betonica dicitur in Gallia, in Italia autem serratula, à græcis Cestron aut phischroteron: ante cunctas laudatissima exit angulosa caule cubitorum duum à radice spargens, folia fere lappati, semine purpureo, folia siccantur in farinam plurimos ad vsus, fit ex ea vinum & acetum stomacho & claritati oculorũ tantum gloriæ habet, vt domus in qua sita sit tuta existimetur à piaculis omnibus. Denique Vetonica præcipuè morsibus imponitur, cui tanta vis esse perhibetur, vt inclusi serpentes eius circulo, ipsi se se interimant flagellando. Semen eius cum vino vel farina datur ad ictus. *Dioscorides.* Betonica virgas habet tenues, & longas quadrifolia longa & tenuia & odorata, radices & folia infinita, semen vt spica. Radices eius cum mulsa bibitæ, nauseam phlegmaticam prouocant, folia dantur ad conquassationes. Item cum vino bibita morsus venenatos saluberrime curat, vrinam prouocat, epilepticos maxime iuuat. Spleneticis etiam cum oxymele accepta effectum præstat. Digestionem celebrat ischiaticis, & nefreticis accepta cum aqua medicatur, & vesicæ dolorem compescit, ictericos quoque sanat, menstruis imperat, hidropicis febrientibus cum mulsa datur, non febrientibus autem cum vino ac melle. Item bibita cum vino ac mulsa ventrem mollit, cum melle vero composita sicut electuarium, & accepta pthisicis, & hæmoptoicis maxime subuenit. In fractura capitis hæc herba contusa & imposita, vulnus mira celeritate conglutinat, & id melius fit si trita recens imponatur, tantaque illi vis est, vt ossa confracta ibi extrahat neruis pręcisis, & dolori lateris subuenit. Cum vino & aceto ad tertias cocta, & in ore retenta, dolorem dentium aufert. Cum aqua calida à ieiuno accepta, caliginem oculorum extenuat & claritatem facit, Rheumaticis etiã in aqua calida datur. *Platearius.* Betonica est in tertio gradu calida & sicca, cuius folia medicinæ competunt viridia. Exiccata quoque multæ sunt efficaciæ, ad dolorem capitis valet decoctio eius, & contra dolorem

Vsus in medicina. *Contra dolorẽ dentium.* *Temperamentum.* *Mira vis contra serpentes.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dolorem ſtomachi datur cum aqua calida & abſynthij ſucco. Macer.

Vetonicam ſoliti ſunt ceſtron dicere graci,
Vrinas potata ciet, lapideſque repellit,
Fert hamoptoicis cum poſca ſumpta iuuamen,
Hydropicos ſiccat cum vino melleque ſumpta,
De folijs eius tritis factum cataplaſma,
Non modicum prodeſt oculis quos laſerit ictus,
Illius roſeo commixtus ſuccus olino,
Auribus infuſus varios fugat inde dolores
Betonica puluis cocto cum melle iugatus,
Emputos tuſſimque iuuat, ſuſpyria ſedat,
Et ſtomachi varios ſumptus iuuat ille dolores,
Si febris ex calido, cum vino ſi febris abſit,
Cum mulſa bibitus idem puluis mouet aluum,
Cum ſale contritis folijs cataplaſmate facto,
Vulnera curabit qua ſunt illata recenter,
Tritaque fractura capitis hac ſola medetur,
De folijs eius elixis fit cataplaſma,
Vtile non modicum varijs vitijs oculorum,
Reſtringit maculas oculorum manſa vel hauſta,
Hac etiam caligo ſolet metuenda repelli,
Æquo ſiruta fuerit cum pondere mixta.
Et ſi cum lympha ſumatur ſæpe tepenti,
Sic oculis ſanguis nocuus per poſteriora
Dicitur expelli, ſic libera lumina reddi,
Sumpta cum hac tepida purgatur; vomica dira,
Pectoris & morbi potu curantur eodem,
Splen iuuat illius decoctio ſumpta iecurque,
Vncia cum cyathis calida potata duobus,
Dicitur immodicum ventris ſedare dolorem,
Hac tuſſim cum melle fugat ventremque remollit,
Vncia betonicæ cyatho calidè reſoluta,
Prodeſt hydropicis ſi ſit potata frequenter.
Radicum puluis cum mulſa triſtus & hauſtus,
Humores velut helleborum vomitu cito purgat,
Cum mulſa bibitus prodeſt puluis foliorum,
Ruptis atque ſteras potus leuat iſta cadentes,
Cum vino ſumptus obſtat potata venenis,
Præcipuè ſemen quo deſit ſi datur herba,
Vncia betonica cum vino ſumpta tepenti,
Ictericos curat, cum mulſa menſtrua purgat,
Pondere vero faba puluis cum melle voratus,
Poſt canam, ſtomachum iuuat, vt bene digerat eſcam.

De Virga paſtoris.

CAP. CLIII.

Ad digeſtionem iuuandam.

EX *ſynonimis.* Virga paſtoris herba quædam dicitur, quæ multum cardoni fullonum aſſimilatur. *Conſtantinus vbi ſupra.* Virga paſtoris, herba eſt quæ frondes ramoſque virides habet, eiuſque radix eſt tubea, cum aliquantula nigredine mixta. Eſt & in tertio gradu frigida & ſicca. Cataplaſmata ſtomachi, & capitis, & hepatis ardorem atque dolorem placat, ſternutatio de ipſa cum camphora prouocata, ſanguinem de naribus fluentem deſiccat. Succus eius auribus inſtillatus puſtulas curat, & ſanguinem ab eis fluentem exiccat. *Auicenna.* Virga paſtoris duplex eſt maſculus, qui fortior eſt, & fœmina. In ipſa eſt ſtypticitas, & prohibet fluxum, ſed aquæ & pars eſt in ipſa plurima. Recentia vulnera conſolidat, fluxum ſanguinis ex matrice prohibet, & inteſtinorum vlcera ſanat, & ſecundum quod æſtimat. *Dioſcorides.* vrinam prouocat, vlceratis confert valde. Succus eius interficit vermes auris, & vlcera eius exiccat, aqua eius confert ſputo ſanguinis. *Platearius.* Virga paſtoris eſt frigida & ſicca in tertio gradu: ſola eius folia viridia & ſicca, vſui medicinæ competunt, ac per annum ſeruantur, viridia tamen meliora ſunt, virtutem habent conſtringendi, replendi, & repellendi & infrigidandi. Emplaſtrum ex eius puluere, & aceto, & albumine oui factum ſupra pectus, ac renes contra ventris fluxum valet impoſitum, ad idem valet puluis datus cum ouo ſorbili, vel cum ſucco plantaginis: & etiam ad profluuium matricis, ad quod etiam valet fomentatio facta, ex decoctionis ipſius aqua. Eadem herba trita, valet ad apoſtema calidum in initio, & ad eriſipilam, & ad ſimilia: Capiti quoque cataplaſmata abraſis prodeſt phreneticis.

Prodeſt phreneticis.

De viſco & viticella.

CAP. CLIV.

Viſcus quercinus.

EX *ſynonimis.* Viſcus eſt pyri arboris & pomi, aliarumque multarum arborum, in quibus creſcit. Sed quando ſimpliciter ponitur, quercinus intelligitur. Eſt autem & alius viſcus, quo capiuntur aues, qui de omni viſco per decoctionem fieri poteſt. *Plinius lib.* 16. Quædam in terra gigni non poſſunt, & in arboribus naſcuntur, quia cum ſedem ſuam naſcēdi, ideſt propriam non habeant, in aliena viuunt, vt viſcum polipodion, dolichos, ac ſerpillum. Eſt & herba in Syria quæ vocatur caſſicias, non tantum arboribus, ſed ipſis etiam ſpinis circumuoluens ſe. Item circa tēpla Theſſalica, quæ polypodion vocatur, & dolichos ac ſerpillum. Oleaſtro quoque deputato, quod gignitur phannos vocant. Arbores viſco necari, licut & hedera licet tardius quidam arbitrantur. Viſci tria ſunt genera. Namque in abiete & larice caſſicias, Stelin dicit euboea naſci, & hippear Archadia; viſcum autem in quercu, robore, ilice, pruno ſylueſtri, terebintho, nec alijs arboribus adnaſci, plerique copioſiſſimum in quercu, quod dryoshyphear vocant. In omni arbore excepta ilice, & quercu differentiam fecit odor viruſque. Et folium non iucūdi odoris. In vtroque viſcum amarum & lentum, hyphear ad ſaginanda pecora, vtilius eſt, vitia quidē primo purgat, deinde vero ea pingue facit quæ ſuffecere purgationi. Quibus ſit aliqua tabes intus, negant durare ea. Edendi ratio ætatis quadragenis diebus. Adijciunt diſcrimen in his quæ folia mittant, & ipſi decidere. Contra inhærere nato in æterna fronde. Omnino quidem ſatum nullo modo naſcitur, nec niſi per aluum auium redditum. Maximè in palumbis ac turdis, hæc enim eſt eius natura, vt niſi maturatū in auium ventre non proueniat. Eius altitudo cubitalem non extendit, fruticoſi ſemper ac viridis. Mas quidem fertilis eſt, fœmina vero ſterilis. Aliquando non fert: viſcum præterea fit ex acinis, qui tempore meſſium immaturi colliguntur, ſicut infra videlicet in tractatu de ſuccis & gummis plenius dicetur. *Auicenna.* Viſcus eſt notus. Eiuſque fructus eſt ciceri nigro ſimilis, non ſincerè rotundus: virgulatus, ſtangibilis, ex quo inuiſcantur manus. Minera eius eſt arbor ferens glandes, & malus, & pyrus, in aqua ſunt aquea & aerea virtus. Bonus ex eo recens eſt: planus, coloris puri interius, viridis exterius. Teritur & lauatur, deinde coquitur. Non niſi poſt longam moram calefacit: ſicut gummi rutæ agreſtis, & in hoc eo debilior exiſtit. In ipſo quidem eſt humiditas ſuperflua non digeſta. Eſt enim in tertio gradu calidus & ſiccus: reſolutiuus, humiditates enim craſſas ex profundo propter virtutis attractiuæ fortitudinem reſoluit, ac lenit. Eradicat vngues malos: cum arſenico poſitus ſuper eos. Reſoluit apoſtemata frigida, propriè cum calce confortatus, lenit & vulnera mala, & vlcera antiqua: lenit quoque iuncturas cum cera æqualis ponderis, & pini reſina. Confert apoſtematibus frigidis poſt aures mixtus cum gummi pini, & cera. Splenem extenuat ſuper ipſum poſitus cum calce, vel alijs rebus ipſum confortantib. *Iſidorus.* Viticella quædam herba latinis ſic nominatur: eo quod ſicut vitis quicquid proximum habuerit apprehendat cornibus quos annullos appellamus. *Platearius.* Viticella eſt calida, & ſicca, cum axungia porcina teritur, & ſic ad ignem reſoluta colatur æ, cui colaturæ farina ſeminis lini, vel lupini & oleum additur. Et hæc confectio ſciroſin tollit cum

Tria genera viſci.

Generatio viſci.

Temperamentum.

Virtus.

Etymon viticella.

Duplex.

Vſus & virtus.

Temperamentum.

plagella hepati ac ſpleni cataplaſmata. Idem valet ad maturandum apoſtema. Suppoſitorium ex eius radice factum menſtrua prouocat ſecundinam & fœtum mortuum educit, eiuſque ſuccus faciei pallidæ inunctus colorat eam & rubificat.

De Yppericon.

CAP. CLV.

Herba S. Ioannis Corona Regia.

EX *ſynonimis.* Yppericon dicitur *herba ſancti Ioannis*, herbaque perforata. Quidam etiam nominãt eam coronam regiam. *Plin. lib. 26.* Yppericon appellant quidam charon: folium habet tamarici & ſub ea naſcitur, ſed folijs pinguioribus minuſque rubẽtibus. Eſt autem odoratum, altius palmo, leniter ſuaue aculeatum, vis ſemini excalefactoria. Et ideo inflammationem facit enterocælicis, ſed ſtomacho non eſt inutile, ad ſtranguriam ſi exulcerata veſica nõ ſit, eſt præcipuum, medetur & pleureticis ex vino potum. Eſt & aliud yppericon quam alii chamepityn alii coricõ appellant, oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente, folio rutæ odore acri, ſemini ſiliquæ, nigro, matureſcente cum ordeo. Natura ſeminis ſpiſſandi, Aluum ſiſtit, & vrinam cit, Ad calculos veſicæ cum vino bibitur. *Dioſcor.* Cænum à multis yppericon dicitur, & à latinis rapa ruſtica nominatur, habet folia rutæ ſimilia, ſed paulo minora & ſucculentiora, & rufa. Ramulos habet plures oblongos ac tenues, frutex eius eſt duobus palmis alta: viſcida, & euſtomacha, & odorata, huius ſemen bibitum vrinam prouocat, mẽſtruis impetrat: ictum ſphalangionũ mitigat, iſchiaticis adhibetur vtiliter, opiſthotonicis cum vino bibita maximè prodeſt. Cum pipere accepta, contra vim frigoris tuta ſeruat corpora. Aſquiron, vel andraſenion yppetrici ſpecies eſt, ſed virgis maior & ſarmentoſa eſt. Colorem habet fæniceum, florem melinum. Semen vero ſimile habet yppetico, ſed maius. Quod fricatũ reſinæ odorem emittit & colorem ſanguineum facit, hoc ſemen cum hydromele bibitum iſchiaticis proficit, choleramque cum abundantiſſimo fumo deponit. Sed quotidie cum mulſa calida bibatur donec patiens percuretur ad combuſtiones quoque mirè facit hæc herba cataplaſmati adhibita. *Auicenna.* Yppericõ nominatur alharib Arabicè, & vua dæmonis Syriacè. Thyrſi & flos eius puluerulentus, & citrinum eſt granum eius: figuræ ſumach eſt ſimile: ſed non in eius rubedine. Natura calidum eſt in ſecundo, ſiccum in fine ipſius. Et eſt ſubtiliatiuum, aperitiuum, liquefactiuum, & reſolutiuum, confert apoſtematibus propriè frigidis, & duris & emplaſtrum foliorum eius cõfert aduſtioni ignis. Conſolidat plagas & vlcera mala. Confert etiam tritum & puluerizatum ſuper vlcera tremula & putrida. Confert & dolori anchæ & iſchiaticæ, decoctum cum vino propriè. Menſtrua prouocat, & vrinã; eiuſque fructus ſoluendo educit choleram. *Conſtantinus, vbi ſupra.* Yppericon eſt in tertio calida & ſicca, vrinam prouocat & menſtrua. Hepar & venas mundificat, dolorem aufert fœmorum, & eſt contra venenum: vulneribus cataplaſmata celeriter curat ea.

Rapa ruſtica.

Virtus medicinalis.

Vua damonis.

Temperamentum.

De Hippogloſſa & iringion.

CAP. CLVI.

Alexandrina.

PLatearius. Hippogloſſam dicunt Alexandrinam, folia habet oximirſino ſimilia, ſed maiora & albidiora, & molliora. Semẽ in medio foliorum ei ſanguineum eſt, & tanquam Cicer: virgas duabus palmis, aut modicum plus habet longas: radiceſque ſimiles mirſinę: ſed maiores & odoratas, & molles ac rubeas. Naſcitur autem in locis montuoſis, virtus eius radici tantum exiſtit, quæ cum vino dulci bibita: diu parturientibus ſubuenit. Stranguriosis etiam medicinaliter proficit, & ſanguinẽ per vrinam deponit. *Plinius lib. 27.* Hippogloſſa habet folia ſylueſtris myrti figura concaua & ſpinoſa. Et ceu linguas in his folio paruo exeũte de foliis. Corona impoſita, ex eis dolorem minuit capitis. *Dioſcorides.* Yringi, vel yringion, ſiue nux agreſtis, herba eſt ſpinoſa, cuius folia in initio comeduntur & in ſale componuntur. Quæ videlicet folia lata ſunt, & aſpera, guſtum aromaticum habentia: & cum creuerint obrufum colorem habent, multis virgis abundant, in quibus capitella rotunda ſunt & ſpinoſa, habet duram in gyro, quaſi albam aut viridem cum colore hiacinctino. Radix eius eſt oblonga & alta, deforis nigra, & deintus alba, & aromate plena. Naſcitur autem in locis lapidoſis & campis: virtus eſt illi naturaliter calida: ideoque bibita deducit menſtrua, vrinam cit, inflammationes ac tortiones ſtomachi ſoluit. Hepaticis prodeſt adhibita, morſibus venenaris occurrit cum vino bibita, meliuſque poteſt id agere ſi addatur ei ſemen paſtinacæ. Denique cataplaſmata & collo ſuſpenſa corpus limpidat.

Nux agreſtis.

Virtus.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER DECIMVS.

De herbis hortulanis & ſatiuis.

CAP. I.



Linius lib. 20. Agro colendo proximam multi curam hortorum fecere, miramurque quoſdam ſcientiæ gratia eruditionis ſuæ gloriam ex his petentes, tam multa prę-
terijſſe. Nulla mentione habita tot rerum ſponte curaue prouenientium, præſertim cum pleriſque illarum precio vtuque vitæ, maior etiam quam frugibus perhibeatur auctoritas, quæque non ſolum terras omnes, verum etiam maria repleuere. Omniaque ſylueſtria ferè ſint, & folijs: & caulibus minora, ſucco acriora, ſicut origanum, & cunila. Solum vero ex omnibus lappatium ſylueſtre, melius hoc in ſatiuum ramex vocatur, naſcituque fortiſſimum. Traditur ſemel ſatum durare, nec vnquam terra vitiari, iuxta aquam maximè, ferturque ſi ſemina ſerantur incluſa, porri, erucæ, apij, naſturcii, lactucæ, intubi mirè illa prouenire. Quæ autem ſylueſtria ſunt, eadem in ſatiuis ſicciora intelliguntur & acutiora. *Auctor.* Poſtquã ergo diximus de herbis communibus & ſponte, ideſt ſine cultura in agris & ſyluis, cæteriſque communibus locis naſcentibus, reſtat dicendum de hortulanis atque ſatiuis, quæ videlicet hortulanorum & agricolarum cura proueniunt, & non ſolum in medicina, ſed etiam in cibo plurimæ illarum vtiles ſunt. *Iſaac in dietis.* Herbarum hortulanarum ſiue domeſticarum nutrimenta meliora ſunt, citiuſque digeſtibilia facilè venas penetrantia. Sed tamẽ membris aſſimilari tardiora, quia cito membris aſſimilanda de neceſſitate proprietatem quandam habere debent, vt facilè coagulentur. Sylueſtres in comparatione domeſticarum ſicciores ſunt, & ob hoc ad digerendum tardiores. Sed cum bene digeruntur, cito membris aſſimilãtur, quia ſiccitate coagulationi vicinantur. De nutrimẽto quidem herbarum pauca in corpus veniunt, laudabilio-

Sylueſtria ſicciora in ſatiuis.

A res autem ad bonum ſanguineum generandum ſunt lactucæ, quia ſanguini naturaliter ſunt vicinæ. Secundo loco ſunt molochiæ, tertiò attriplices, blites, portulacæ, herbæ acetoſę, Dicit autem Gal. *quod quæ naturaliter duræ ſunt, cocta molleſcunt, & ad digerendum faciles ſunt. Naturaliter autem tenera quando coquuntur, durę ſunt, & ad digerendum tardiores, quaſi corrigia, quod in porris eſt videre.* *Regula Galeni.*

De cultura antiquorum circa culturam agrorum & hortorum.

CAP. II.

Reges agriculturæ dediti.

AVctor. Hortorum autem & agrorum culturæ quanta ſit voluptas & vtilitas humana, iam ex parte oſtenſum eſt ſupra, huic denique vacabant antiqui delectabiliter, non ſolum noſtri, ideſt fideles, vt eremitæ ac Sancti Patres, ſed etiam Gentiles vſque ad Reges & Principes: vnde Hierony. ad Ruſticum de vita monachi Anachoritæ ſcribens inter cętera eiuſdem vitæ documenta quę ſcribit, hæc etiam ponit, fac inquit & aliquid operis, vt te ſemper inueniat diabolus occupatum, humus ſarriatur, æquo limite areolæ diuidantur. In quibus cum olera plantata, iactataue fuerint ſemina, vel plantæ per ordinem poſitę, aquæ inducantur irriguæ, vt tu denique pulcherrimorum verſuum ſpectator aſſiſtas. Inſerantur & arbores infructuoſæ, vel gemmis, vel ſurculis, vt paruo poſt tempore laboris tam dulcia poma decerpas. Hæc Hieronymus. Fertur etiam de quodam Rege Romanorum, quod cum à Senatu exilio relegatus eſſet, & horti ſui culturæ vacaret, tandem remiſit ad eum Senatus nũcium vt rediret, ac denuo regnum ſuſciperet. Qui iã huius culturæ voluptatem expertus, bonum horti ſui prouentum reſpiciens, noluit acquieſcere, ſed dixiſſe nuncio fertur. Si ſcirent inquit, qualia vel quam pulchra ſint olera mea, nunquam mandaſſent mihi talia. *Plin. vbi ſupra.* Antiquitus nihil prius eſt mirata natura, quam & heſperidum hortos ac Regum Adonidis & Alcinoi, Itemque penſiles, ſiue illos quos Semiramis, vel Rex Aſſyrię Cyrus fecerit; Romani quidẽ Reges ipſi coluerunt hortos, Quippe ſuperbus etiã Tarquinius inimicũ illum ſæuum atque ſanguinariũ filio

Hortus Regis Romanorum.

Hortus Tarquinij.

remiſit

remiſit ex horto, In duodecim tabulis legum nuſquã nominatur villa, ſed ſemper in ea ſignificatione hortus. In horto vero ædium. Iam quidem hortorum nomine delicias, agros, villaſque poſſident in ipſa vrbe. *Epicurus hortorũ magiſter* inſtituit Athenis, nam vſque ad eum moris non fuerat haberi rura in oppidis. *Auguſt. ſuper Gen. lib.* 8. Quid opere agriculturæ innocentius eſt vacantibus, & quid plenius magna conſideratione prudentibus. Sanè videmus etiam nunc tanta voluptate animi quoſdam agricolari, vt eis magna pæna ſit inde ad aliud auocari. Quid ergo aberrat à vero ſi credamus etiam hominẽ primum in Paradiſo conſtitutum, vt operaretur agriculturam, non labore ſeruili, ſed honeſta voluptate animi? Quicquid enim deliciarum agricultura nunc habeat, tunc in illa longè amplius erat, quando nihil aduerſi terræ, vel cælo accidebat. Non enim erat laboris afflictio, ſed voluptatis exhilaratio. Cum ea quæ Deus creauerat humani operis adiutorio lætius prouenirent atque feracius: vnde Creator ipſe laudaretur vberius, qui animæ in corpore conſtitutæ rationem operandi dediſſet, & facultatem, quantum animo volenti ſatis eſſet, non quantum inuitum corporis indigentia cogeret.

Epicurus hortorũ magiſter Athenis.

Voluptas agricultura.

De collatione & diſpoſitione hortorum.

CAP. III.

PLinius *lib.* 19. Hortos non eſt dubium eſſe villæ iungendos: riguoſque maximè habendos, ſi contingat profluo amne, Sin minus è puteo pertica organiſve pneumaticis tollendo, non hauſtu rigando. Solum enim proſcindendum à Fauonio in Autumnũ præparandum, & poſt 14. dies, iterandumque ante brumam. Octo iugerum operarijs palari, iuſtum eſt ſimum, non tres pedes altè cum terra miſceri, areis quoque diſtingui, eaſque ſupinis puluinorum thoris ambiri ſingulis tramitum ſulcis: qua detur homini acceſſus, ſcatebriſque decurſus. *Palladius de agricultura lib.* 1. Hortus domui debet eſſe proximus, ac ſterquilinio maximè ſubiectus, cuius eum ſponte fæcundet ſuccus. Ab area vero longè ſitus, quia puluerẽ palearum patitur inimicum: fælix autem impoſitio illa, cui læniter inclinata planicies curſus aquæ fluentis deriuat per ſpacia diſcreta. Si vero fons deſit, aut imprimendus eſt puteus, aut ſi hoc nequeas, piſcina ſuperius conſtruenda, vt aqua pluuia conferente, hortus per æſtiuos rigetur ardores. Si hac omni difficultate caueris, ſemper altius tribus vel quatuor pedibus ad piſcinæ ſimilitudinem hortulum fodies, qui ſic cultus negligat ſiccitates. Sed hinc quamuis contra neceſſitatem adiuta ſtercore conueniat qualibet terra, tamen hæc genera ſunt in electione ſulcanda, Creta quam argillam dicimus, atque rubrica. Illud quoque ſerua in hortis, quos humoris natura non adiuuat: vt partes diuiſas, & hyeme ad meridiem, æſtate ad Septentrionem ſpacia colenda conuertas. Multa quidem in hortis ſepiendis ſunt genera munitionis. Alij nempe luto inter formas clauſo: parietes figuratos ex partibus imitantur. Quibus autem ſuppetit, maceries luto & lapide extruunt, plerique ſine luto congeſta in ordinem ſaxa componunt. Nonnulli foſſis ſpacia colenda præcingunt. Quod vtique vitãdum eſt, quoniam horto ſubducit humores, niſi fortè locus paluſtris colatur. Alij vero ſpinarum palmas & ſemina munitioni diſponunt. Sed melius erit rubi ſemina, & ſpinæ quæ rubus caninus vocatur matura colligere, & cum herui farina ex aqua macerata fimos miſcere, de hinc ſparſos veteres hoc mixtionis genere inducere, vt intra fimos ſemina recepta ſeruentur vſque ad verni temporis initia. Cum vero ſepes eſt futura, duos ſulcos tribus à ſe pedibus ſeparatos, oportet ſeſquipedis altitudinem facere, ac vtroſque fimos cum ſeminibus leni terra obruere. Ita triceſima die procedunt ſentes, quos teneros adminiculis opus eſt adiuuare, qui inter ſe per ſpacia vacua relicta iungentur. Porro areæ faciendæ ſunt anguſtiores ac longè: hoc eſt 12. pedum longitudine, & ſex latitudine: ſintque per ſpacia vtrimque purgandæ diuiſæ. Margines autem earum humidis locis vel irriguis duobus pedibus irrigantur: ſiccis vno ſufficiet extuliſſe. Inter areas ſi humor conſueuit effluere: altiora ipſis areis ſpacia debent eſſe, vt facilius ingrediatur aream de ſuperiori parte humor admiſſus, & vbi ſiccitatem ſaturauerit, in alias aduerti poſſit excluſus.

Hortus ab area diſſet.

Sepimentum hortorum.

De Agri colendi electione.

CAP. IIII.

PLinius *lib.* 17. Ager optimus iudicatur à radice montium planicieque in meridie excurrente qui eſt totius Italæ ſitus. Terra vero optima eſt tenera, id eſt temperatæ vbertatis: ipſaque molli & facilis culturæ, nec madida, nec ſitiens. Poſt vomerem niteſcens, quam etiam recentem exquirunt alites improbæ vomerem comitantes: coruique aratoris veſtigia ipſa rodentes. Certè Cicero lux altera doctrinarum, meliora, inquit, ſunt vnguenta quæ terram, quàm quæ crocum ſapiunt: hoc enim maluit dixiſſe, quam redolent. Ita profecto illa erit optima terra quæ ſapiet vnguenta. Quod ſi admonendi ſumus, qualis ſit odor ille terræ qui quæritur: ſæpe contingit etiam illa quieſcente ſub Occaſu ſolis, in quo loco cæleſtis arcus capita ſua deiecerit. Nam cum à ſiccitate ſua contiuuo immaduerit imbre: tunc emittit illum ſuum halitum diuinum ex ſole conceptum, cui comparari ſuauitas nulla poſſit. Is de ipſa terra odor optimè iudicabit. Talis ferè in noualibus cæſa vetere ſylua, quæ conſenſu laudatur, & in frugibus quidem ſerendis eadem terra vilior intelligitur: quotiens intermiſſa cultura quieuit, quod in vineis non fit. Rerum autẽ omnium quędam ſunt in alto ſecreta ſuo cuique corde prouidenda. Non eadem terra plerumque conuenit arboribus quæ frugibus, Nec pulla qualem habet Campania, vbique vitibus optima eſt, aut quæ tenues exhalat nebulas, nec lubrica multis quoque laudata. *Cretam* in Albanenſium Pompeianorumque agro & *argillam*, cunctis generibus ad vineas, quamquam impingues anteponunt. Quod accipitur in eo genere inuicem ſabulum album. In Ticinienſi & in multis locis nigram. Itemque rubrum etiam pingui terræ permixtum infæcundum eſt.

Ager optimus.

Odor terra quando bonus.

Carbunculus terra.

De Agricolarum inſtitutione.

CAP. V.

ARgumenta quoque iudicantium ſæpe fallunt. Non enim vtique lætum ſolum eſt, in quo proceræ nitent arbores præterquam illis arboribus. Quid enim abiete procerius, aut quæ alia vixiſſe poſſit in eodem loco? Nec luxurioſa pabula pinguis ſoli ſemper indicium habent. Nam quid laudatius Germaniæ pabulis, & tamen ſtatim ſubeſt arena tenuiſſimo ceſpitum corio. Affligit agricolam terra quę *carbunculus* vocatur, eaque vitem emendari putatur. Virgilius & quæ filicem ferat, non improbat vitibus. Salſæque terræ multa melius creduntur tutiora vitijs innaſcentium animalium. Quaſdam etiam prunis, ac nebulis paſci diximus vites. Quid quod mutatur ſæpe iudicata quoque & diu compreſſa? In Theſſalia circa Lariſſam emiſſo lacu frigidior facta eſt regio, deſieruntque oleæ quæ prius fuerunt. Circa Philippos quoque cultura ſiccata, regio mutauit habitum cœli. At in agro Syracuſano aduena cultor elapidato luto Sole prodidit fruges, donec lapides regeſſit. In Syria terram lenem tenui ſulco

imprimunt

Modo rigor modo æſtus fertilem agrum reddit

imprimunt, quia ſubeſt ſaxum exurens æſtate ſemina. Thracia rigore, frugum fertilis eſt, æſtibus Aphrica & Ægyptus. In Chalcia Rhodorum inſula locus, quidam eſt adeo fœcundus, vt ſuo tempore hordeum ſatum demetant ſublatumque protinus ſerunt, & cum alijs frugibus metunt. Glareoſum oleis ſolum ampliſſimum eſt in Venefrano, pinguiſſimum in Bætica. Tanta eſt argumentorum ac ſoli varietas & differentia.

De Agri emendatione.

CAPVT VI.

Marga.

Leucargilliõ.

TErra vero terram emendari præcipiunt, quidam iniecta præpingui ſuper tenuem, ac gracili bibuláque ſuper humidam & præpinguem. Dementia operarij eſt, quid enim poteſt ſperare qui talem colit. Alia eſt ratio terram alendi, in qua ſpiſſior vbertas intelligitur, ipſúmque genus, *margam* vocant. Et ſunt quidam terræ adipes, ac velut glandia in corporibus ibi denſante ſe pinguedinis nucleo, *leuchargillion* vocant argillam candidam, qua in mægarico agro vtuntur, ſed tantum in humida frigidáque terra fruges alit tophacea. Eſt & *creta argentoria*, qua maximè Britannia vtitur. Eſt & *creta ſullonia* mixta pingui terra, pabuli quàm frugum fertilior, denſior autem viſco, cymini modo ſolum ſtrangulat. Columbinam Gallia ſuo nomine leucopelon appellat, glebis excitatur lapidum modo ſola gelatione ita ſoluitur, vt tenuiſſimas bracteas faciat. Hæc ex æquo fertilis. Hædui Pictoneſque calce vberrimos agros fecere, quæ ſanè oleis ac vitibus vtiliſſima reperitur. Omnis autem marga aratro inijcienda eſt, vt medicamentum rapiatur, & fimi aliquantulum deſiderat. Quæ primo plus aſpera, & quæ in herbas non effunditur, alioquin nouitate quæcunque fuerit ſolum lædat, nec ſic quidem primo anno fertilis. Intereſt autem, & quali ſolo quæratur, Sicca enim humido melior eſt, Arido pinguis, & temperata alterutra creta vel columbina conuenit. Tranſpadanis adeo placet vſus cineris, vt anteponant fimo inuentorum, quod quia læuiſſimum eſt, ob id exurunt, vtroque tamen pariter non vtuntur in eodem aruo, nec in arbuſtis cinere, nec etiam ad quaſdam fruges. Quibuſdam etiam ſatis terram paſci, Cato dicit; Segetem ſtercorant fruges, lupinum, faba, vitia, ſic econtrario Cicer, quia vellitur, & quia ſalſum eſt. Hordeum quoque, fœnum græcum & eruum, hæc omnia ſegetem exurunt, & omnia quæ velluntur. Præterea nucleos in ſegetem ne indideris. Virgilius quoque lino ſegetem exuri, & auena, & papauere arbitratur, fimi vero plures ſunt differentiæ ſicut aliàs dictum eſt.

Pictonum & Hæduorũ agri calce vberes.

Cineres tranſpadanorum.

De cultura herbarum hortenſium.

CAPVT VII.

Seminanda in vere fodiuntur in Autumno.

PAlladius *de agricultura libro* 1. Horti vero partes ita diuidendæ ſunt, vt illæ in quibus Autumno ſeminabitur, verno tempore paſtinentur. Quæ autem ſeminibus oportet in vere compleri, Autumni tempore debent effodi: ita vtraque paſtinatio decoquetur algoris, aut ſolis beneficio. Serendi tempora licet per menſes ſignentur certa, tamen ſecundum loci ac cæli naturam ab vnoquoque ſunt cuſtodienda *frigidis locis autumnalis ſatio fiat celerior*, verna vero tardior, calidis enim regionibus & autumnalis poteſt fieri ſerior & verna maturior. Quæcumque ſunt ſerenda, cum creſcit Luna ſeminentur. Quæ autem ſunt ſecanda vel legenda cum minuitur. *Plinius lib.* 19. Quædam autem meliora naſcuntur aceruatim ſato ſemine quam ſparſo. Ita certè porrum ſerunt & alium in lacinijs colligatum apium, etiam paxillo cauerna facta, ac ſimo ingeſto. Naſcuntur autem, aut ſemine, aut auulſio-

Creſcente luna ſeminatur.

ne omnia. Quædam vero ſemine & ſurculo, vt ruta, origanum, ocymum. Præſcidunt enim, & hoc cum peruenit ad palmæ altitudinem. Quædam & radice, & ſemine: vt cœpa, & allium & bulbi. Eorum vero quæ à radice naſcuntur radix diuturna & fructicoſa eſt, vt bulbi getij ſquillæ. Fruticant alia & non capite, vt apium, & beta. Caule reſciſo fere quidem omnia regerminant, exceptis, quæ non ſcabroſum caulem habent, lactucam à regerminatione ſuauiorem putant. Raphanus vtique iucundior eſt detractis ſolijs, antequam decauleſcat: hoc & in rapis. Nam & eadem directis ſolijs cooperta terra creſcunt, & in æſtate durant. Quædam etiam naſcuntur non ſata, vt mentaſtrum, nepta, intubum & pulegium: peculiaris medicina eſt raphano, betæ, rutæ, cunilæ, in aquis ſalſis quæ plurimum ſuauitati ac fertilitati conferunt. Cæteris autem dulcium aquarum irrigua proſunt, vtiliſſimè quidem ex his quæ frigidiſſimæ, & quæ potu ſuauiſſimæ. Minus vtilis è ſtagno, & quæ ſilices inducunt, qui herbarum ſemina inuchunt. Præcipuè tamen imbres alunt. His autem rigandis, ſunt horæ, matutina & veſpera: ne inferueſcat aqua ſole. Ocymum tantum & meridiana etiam ſatum erumpere celerrime putant, inter initia ferueuti aqua aſperſum. Omnia vero tranſlata, meliora ſunt, & grandiora, maxime porri, napique. Eſt etiam in tranſlatione medicina: deſinuntque ſentire iniurias, vt getii, porri, raphanum, apium, lactuca, cucumis, rapa.

Lactuca ſuauior qua

Hora ad rigandum.

Exceptio.

De incremento earum.

CAPVT VIII.

IN horto ſatorum celerrime naſcuntur, ocymum, blitum, napus, eruca, erumpunt enim tertio die, anetum vero quarto, lactuca quinto, raphanus ſexto, cucumis & cucurbita ſeptimo, prior cucumis, naſturtium ac ſinapi v. Beta æſtate vj. hyeme x. Attriplex viij. Cæpæ xix. vel xx. Getium x. vel xij. Contumacius coriandrum. Cunila quidem & origanum poſt diem xxx. Omnium vero difficillime apium, xl. enim die cum celerrime maiori ex parte emergit. Aliquid & feminum ætas confert, quia recentiora maturius gignuntur in porro, getio, cucumere, cucurbita. Ex vetere autem celerius proueniunt apium, beta, cardamum, cunila, origanum, & coriander. Mirumque apparet in betæ ſemine. Non enim tota, eodem gignitur anno, ſed aliquid ſequente, aliquid tertio. Itaque ex copia ſeminis naſcitur modice: quædam anno ſubpariunt tantum: quædam ſæpius vt apium, porrum, getium, hæc enim ſemel ſata, pluribus annis reſtibili fertilitate proueniunt. Sicut autem dictum eſt ſupra. Semina porri, erucæ, lactucæ, apij, intubi, naſturcij, aiunt mire prouenire, ſi ſerantur incluſa. Quædam autem vocamus ferulacea, vt anetum & maluas. Tradunt autores in Arabia maluas ſeptimo menſe arboreſcere, baculorúmque vſum extemplo, præbere. Sed & arbor, & malua in Mauritania lyci oppidi æſtuario, vbi heſperidum horti produntur fuiſſe: ipſáque altitudinis pedes viginti, craſſitudinis quam circumplecti nemo poſſet. In ſimili genere habebitur & canabis.

Apium omnium difficillime emergit.

Teta Beta non gignitur eodem anno.

Malua arboreſcentes.

De morbis ac remedijs eorum.

CAPVT IX.

MOrbos ſentiunt & hortenſia, ſicut reliqua terræ ſata. Nam & ocymum ſenectute degenerat in ſerpillum, & ſyſimbrium in calamintham, & ex ſemine braſſicæ veteris rapæ fiunt. Atque inuicem enecatur ciminum ab vno dorſo niſi repurgetur. Eſt autem vnicaule radice bulbo ſimili, non niſi in ſolo gracili naſcens. Alias priuatim cimini morbus

Rapa ex Braſſica.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

eſt ſcabies, & ocimum ſub canis ortu palleſcit. Omnia vero mulieris menſtrualis acceſſu flaueſcunt. Beſtiolarum quoque genera innaſcuntur napis culices: raphano erucæ & vermiculi. Itémque lactucis & oleri, vtriſquè hoc amplius limaces & cocleæ. Porro vero priuata animalia quæ facillime capiuntur iniecto ſtercore ſedentia in id: ferro quoque non expedire tangi rutam, cunilam, mentam, ocimum: autor eſt Sabinus Tyro in libro Cepuricon quem Mæcenati dicauit. Item contra formicas, videlicet non minimum hortorum exitium ſi non ſint rigui, monſtrauit remedium limo marino, vel cinere obturatis earum foraminibus. Sed efficaciſſimè herba heliotropio necantur. Quidam & aquam diluto latere crudo inimicam eis putant. Infeſtant & culices hortos riguos. Præcipuè ſi ſint arbuſtulæ aliquæ: hi galbano accenſo fugantur. *Platearius vbi ſupra.* Contra nebulas & rubiginem paleæ, ac purgamenta pluribus locis per hortum diſpoſita, ſimul omnia cum nebulæ videntur inſtare, ſunt comburenda. Contra grandinem quoque multa dicuntur: vt quod omne horti ſpatium alba vite præcingatur. Aut ferramenta quibus operandum eſt vrſino ſepe vngantur. Aliqui etiam vrſi adipem cum oleo tuſum reſeruant falcéſque hoc cum putaturi ſunt, vngunt. Cuius tanta prohibetur eſſe vis, vt nec gelu, nec nebula, nec aliquod animal nocere poſſit. Contra culices ac limaces ſpargunt, vel amurcam recentem vel ex caminis fuliginem. Contra formicas ſi foramen habent in horto: noctuæ cor admoueatur, ſi foris veniunt, omne horti ſpatium cinere vel cretæ candore ſignetur. Contra erucas ſemina quæ ſpargenda ſunt ſemperuiuæ ſucco, vel erucarum ſanguine madefiant. Cicer ſerendum eſt inter olera propter multa portenta. Aliqui vero cinerem de fico ſuper erucas ſpargunt, Itémque ſquillam vel in horto ſerunt, vel ſuſpendunt, Aliqui mulierem menſtruam incinctam ſolutis capillis, nudis pedibus contra erucas & cætera hortum circumire faciunt, & aliqui fluuiales cancros pluribus locis infra hortum configunt. Extinguuntur cimices *amurca & felle bubulo locis perunctis*, vel folijs hederæ tritis ex oleo, vel incenſis ſanguiſugis: denique vt olera animalia infeſta non gerant, in corio teſtudinis omnia ſemina quæ ſpargenda ſunt ſiccantur, vel etiam pluribus locis maximè origano & ſulphure origes abiguntur. Itémque ſi coclearum vacuæ teſtæ vrantur: & eo cinere foramen inculcetur. Culices infoſſo galbano vel ſulphure, mures ſi amurcam ſpiſſam patinæ infuderis, & in domo nocte poſueris, adhærebunt. Aduerſus mures agreſtes Apuleius aſſerit, ſemina priuſquam ſpargantur felle bubulo maceranda: Talpas vt dictum eſt ſupra, dicunt Græci impletis fumo cuniculis vel fugere protinus vel necari: Eſt etiam Græcorum opinio ſi nubes locuſtarum repente ſurrexerit, amari lupini, vel agreſtis cucumeris aqua decocta, ſi muriæ mixta fundatur depelli.

Herba non tangenda ferro quæ?

Formicæ quomodo occiduntur.

Contra grãdinem.

Contra limaces.

Extinctionis cimicum modus.

De differentia ipſarum in radicibus, & folijs, & fructibus & floribus.

CAPVT X.

Plinius vbi ſupra. Hortenſibus omnibus fere radices ſingulæ vt raphano, betæ, apio, maluæ. Ampliſſima autem lapato, vt quæ deſcendat ad tria cubita, Sylueſtri minores tumidæ. Quibuſdam tamen capillati ſunt, vt maluæ & apio, quibuſdam ſurculoſæ, vt ocimo, Alijs vero carnoſæ, vt betæ, vel magis etiam croco, Aliquibus ex cortice & carne conſtant, vt raphano & rapis, quorundam vero geniculatæ ſunt vt graminis. Quæ radicem non habent rectam, ſtatim pluribus nituntur capillamentis, vt attriplex & blitum. Squilla & bulbi ac cæpæ, & allium non radicantur niſi in rectum. Sponte naſcentium quædam numeroſiora ſunt radice, quàm folio, vt calax perdiotum & crocum, & alia quoq; multa folia cadunt à cacuminibus origano inulæ, & aliquando rutæ iniuria læſæ. Maximè vero concaua ſunt cæpæ & getio, florent cum fraxino ſerpillum, abrotanum, napi, raphani, mentha, ruta. Et cætera quidem defloreſcunt cum cæperint, ocimum autem particulatim, & ab vno incipit. Qua de cauſa diutiſſimè floret hoc, & in heliotropio herba euenit, flos autem alijs candidus aliis lucens, aliis purpureus. Semina plurimis ſunt, rotunda, & aliquibus oblonga. Paucis autem, vt attriplici foliacea, & lata, quibuſdam anguſta & cauliculata, differt & colore nigro candidóque porro duricie ſurculacea in foliculo ſunt raphano, ſinapi & rapo. Nudum eſt ſemen coriandri, aneti, fæniculi, & cimini, cortice autem obductum bliti, betæ, lactucæ, attriplicis, & ocimi, ac lactucis in lanugine. Nihil ocimo fæcundius. Quæ in cortice ſunt difficillimè matureſcunt, maximéque ocimum, & gith. Siccantur omnia, & ſunt fœcunda. Cæterùm in hortis naſcentium, alia bulbo commendantur, alia capite, alia caule, alia folio, alia vtroque, alia cortice, alia cute, aut cartilagine, alia carne, alia tunicis carnoſis, aliorum fructus eſt in terra, aliorum vero non niſi extra. Et quædam iacent ac creſcunt, vt cucurbitæ & cucumis, eadémque pendent, quamquam grauiora multo, & his quæ in arboribus gignuntur. Sed cucumis cartilagine, & huic enim cortex in lignum tranſit maturitate. Conduntur terra raphani, & napi, & rapæ atque alio modo multæ ſiſer & paſtinaca. Quod autem ad permutationem ſeminum attinet, Quibuſdam ex hortulanis firmitas maior eſt, vt coriandro, betæ, naſturcio, ſinapi, erucæ, cunilæ, & fere acribus. Infirmiora vero ſunt attriplici, ocimo, cucurbitæ, cucumi. Singula genera ſunt ocimo, lappato, blito, naſturcio, erucæ, attriplici, coriandro, aneto. Hæc enim vbiqúe eadem ſunt, nec melius aliud alio vſquam. Econtra vero plura ſunt genera apij, betæ, ferulę, ac plurium cæterorum, de quibus dicendum eſt infra.

Commendatio hortenſiũ herbarum vnde?

De radicidiuerſis.

De herbis quæ naſcuntur ſine radicibus.

CAPVT XI.

IN rerum autem miraculis maximum eſt, quid, naſci vel viuere ſine vlla radice. Tubera vocantur hæc vndique terra circundata, nulliſque fibris aut ſaltem capillamentis nixa, nec vtique exuberante loco in quo gignuntur, aut rima agente, nec ipſa cohærent terræ. Includuntur etiam cortice, vt plane, nec terram eſſe dicere poſſumus, nec aliud quam *callum terræ*. Siccis hæc fere fabuloſis fruticoſiſque naſcuntur, & excedunt ſæpe magnitudinem mali coronei etiam librali pondere, duo ſunt illorum genera, videlicet arenoſa dentibus inimica, & altera ſincera. Diſtinguuntur etiam colore rufo, ac nigro, & intus candido, laudatiſſima creſcunt in Aphrica, Laertio licinio prætorio viro iura reddente in Hiſpania, Chartagine paucis his annis ſcimus accidiſſe mordenti tuber, vt deprehenſus inde denarius, primos dentes inflecteret. Quo manifeſtum eſt terræ naturam in ſe globari, quod certum eſt ex his quæ naſcuntur, & non poſſunt ſeri. Simile eſt quod in Cyrenaica prouincia vocant *myſi* præcipuum ſuauitate odore & ſapore, ſed carnoſius, & quid in Thracia ceraunium: de tuberibus peculiariter hęc traduntur. Cum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, tunc naſci & maxime è tonitribus, nec vltra annum durare, verno autem eſſe tenerrima. Sunt & in fungorum genere. A Græcis dicti pezicæ, quæ ſine radice vel pediculo naſcuntur. Ad hos proximum dicetur laſerpicium auctoritate clariſſimum, quod Græci ſilphion vocant, in Cyrenaica prouincia repertum, cuius ſuccum vocant laſer, magnificum in vſu medicamentiſque & ad pondus argentei denarij penſum. *Auctor.* Hæc ideo de fungis & tuberibus, hic poſuimus, quoniã hęc inter olera ponit Iſidor. Nunc de herbis hortulanis, & ſatiuis

Tubera maximum miraculũ cur?

Callum terræ.

Denarius in Tubere.

Ceraunium.

Silphion.

per

per ſingulas ſpecies more noſtro per ordinem alphabeti procedamus

De Abrotano.

CAPVT XII.

Plinius libro vigeſimoprimo. Abrotanum eſt herba iucundi odoris & grauis, floret æſtate: flos eius eſt aurei coloris, vacuum, ſponte prouenit. Seritur autem ſemine, melius quam ſurculo vel radice. Copioſum quidem ſemen eſt amaraco, æquè ac abrotano. Sed abrotano radix eſt vna alte deſcendens. Cæteris autem in ſummo terræ leuiter hærens. Duorum traditur eſſe generum: campeſtre ſcilicet ac montanum. Hoc fœminam, illud marem intelligi volumus, amaritudo abſinthij in vtroque: vſus eſt folijs, ſed maior ſeminis, ad calefaciendum. Ideo neruis eſt vtile: tuſſi orthopnoicis conuulſis, & ruptis ac lumbis, vrinæ anguſtiis, datur ad bibendum manualibus faſciculis decoctis ad tertias partes, ex his quaternis cyathis bibitur: datur & ſemen tuſum in aqua pondere drachmæ, prodeſt & vuluæ, concoquitur panis cum farina ordeacea, & oculorum inflationi illinitur. Phyſicus. Abrotanon hæba eſt ramoſſa: minutiſſima habet folia, flores vel ſemina minutiſſima, & auroſa, boni odoris & grauis, guſtu amara. Semen eius cum aqua tritum & potum ſuſpiriioſis, ſchiaticis, & his qui vrinam difficulter emittunt prodeſt, & paralyticis, Idem menſtrua mouet, Contra venena & morſus ſerpentium in vino potum ſubuenit, Cum oleo tritum, & corpori ſuperlinitum contra febres frigidas prodeſt, Serpentes etiam vel ſparſum, vel incenſum fugat, Principaliter autem contra ſphalongiorum & ſcorpionum ictus prodeſt.

Vtilitas. *Deſcriptio.* *Temperamentum.*

Auicenna in ſecundo Canone medicinæ. Abrotanum eſt calidum in primo gradu, ſiccum in ſecundo, ſubtile, amarum, aduſtum, confert alopeciæ. Idem decoctum cum quibuſdam oleis barbam celerius naſci facit propter ſuam apertionem, conſtringit ſanguinem gingiuæ. Idem reſoluit apoſtemata phlegmatica: menſtrua prouocat, & extrahit fœtum; lapidem veſicæ & renum frangit. Inunctum cum oleo confert rigori febris, bibitum cum vino confert venenis, vermes quoque venenoſas quando ſternitur, fugat & interficit. Decoctum cum oleo ſtomachum calefacit, & etiam caput ſimiliter. Vulneribus autem recentibus non eſt conueniens, ſed mordicat ea. *Conſtantinus vbi ſupra.* Abrotanum eſt calidum in ſecundo, ſiccum in primo. In cuius poſimate mulieribus ſedentibus menſtrua prouocantur, ſecundinam fœtuſque mortuos expellit. Idem quoque lapidem frangit, ſtranguriam ſoluit, Potatúmque lumbricos & aſcarides occidit. Puluerizatum & mixtum hordei farina, ſoluit apoſtemata dura. Cinis eius cum oleo vetuſto mixtus: alopeciam ſanat, occurritque locis pilos non habentibus. Abrotanoleon epithe matum rigorem tollit febrium.

Macer.

Tertius abrotano legitur gradus eſſe caloris:
Vnde iuuat neruos & cauſas pectoris omnes,
Illius elixi ſi ſit decoctio ſumpta,
Sic quoque diſpnoicis prodeſt tuſſimque repellit,
Et prodeſt lumbis, ſic vuluarumq́, querelis,
Omnibus his crudum cum vino proderit hauſtum,
Vrinam purgat ſic & præcordia mundat,
Sic curat ſchiaſim, ſic ſumptum menſtrua purgat,
Serpentes odore fugat, bibitumque venena,
Illorum extinguit, ſedat quoque frigora febris,
Antea quam veniant ſi mixto ſumitur anne,
Aut oleo quo decoquitur ſi membra perungas,
Lumbricos ventris hanc ſæpe bibendo necabit,
Huic panis micas, & malacidonia iungens,
Inſimul anne comas, oculorum cocta dolori
Apponas, vel feruori curabis vtrumque,
Stirpes infixas vel ſpinas detrahit ipſum,
Appoſitum per ſe vel adeps ſi iungitur illi,
Hoc etiam venerem puluino ſubdita tantum
Incitat in venerem, nocuis potata reſiſtit.

De Acalifice & acetoſa.

CAPVT XIII.

Dioſcorides. Acalifex vel vt alij dicunt ignida: Latinè dicitur vrtica, eius altera maior, altera minor: quæ & vſualis eſt, ſimplex cum tenui ſemine folijsque minus apertis: altera vero eſt agreſtis cum denſioribus, atque nigrioribus & latioribus folijs. Quæ cataplaſmati impoſita corporis frictionem dolorem, atque pruritum faciunt. Sed recorporatiuæ virtutis ſunt. Similiter lienoſis medentur ſimilibuſque duriciis: & his etiam, qui vexati fuerunt ab animalibus venenatis. Eadem cocta & contrita ventrem emollit. Semen eius perfectam crentiginem, ac ventrem mouet: folia ſeménque diaphoretica ſunt, & lepto.nerica abundant in virtute: ſanátque ſine nimia calefactione: humores pingues ac glutinoſos educit ex thorace ac pulmone, habet autem in ſe ventoſitatis aliquid ad luxuriam prouocandam, & libidinem excitandam. Eſt autem acalifex valde calefactoria, qui morbum regium emendat, ex vino potata. Semen eius miſſum in antidotis, prodeſt cholericis. Cum melle tritum, & in modum electuarii datum tuſſim veterem ex frigore conceptam emendat, ac humores calore ſuo diſſoluit. *Auicenna.* Acetoſa herba alia eſt domeſtica, alia ſylueſtris, quæ dicitur etiam ſylueſtris ſicla: ſylueſtris in omni re fortior eſt, & natura in primo frigida eſt, & ſicca in ſecundo, & ſemen eius frigidum in primo, & ſiccum in ſecundo. In ipſo eſt ſtypticitas & reſolutio parua & acetoſa magis eſt ſtyptica. Et illa quæ non eſt vehementis rubedinis, plus nutrit, & eſt endiuiæ ſimilis. Choleram ſuperat omnis: & humor eius eſt laudabilis. Radix eius cum aceto, confert vlceroſæ ſcabiei, & cocta cum vino confert in emplaſtro impetigini. Ex ea quoque fit emplaſtrum ſcrophulis. Et dicitur, quod ſi radix eius ſuſpendatur collo habentis ſcrophulas iuuetur ea. Colluitur ad dentem doloroſum os cum ſucco eius, & decoctio in vino confert apoſtematibus quæ ſunt ſub auribus, confert ictericiæ nigræ cum vino ſedátque nauſeam. Et dicitur, quod in eius foliis eſt quædam lenificatio, & in ſemine conſtrictio. Dixerunt tamen quidam, quod in ſemine acetoſæ non frixo lubricitas eſt, & lenificatio. Radix eius trita confert fluxui matricis, cum vino bibita, & lapidem in renibus frangit, viſcoſitas quæ in ipſo eſt, confert inteſtinorum raſuræ, quæ accidit ex ſiccitatis ſuperfluitate. Confert etiam punctura ſcorpionis, & propriè ſylueſtris. Et ſi ſemen eius adminiſtretur ante punctura, non ei punctura nocebit.

Virtus. *Curat cholcram. Tuſſim.* *Acetoſa temperamentum.* *Scrophulas curat.* *Dentes.* *Apoſtemata.*

De Allio & eius natura.

CAPVT XIIII.

Iſidorus. Allium dictum eſt, eo quod oleat. *Ambroſius in Exaemeron lib. 5.* Allium tantam vim odoris habet, vt eum Leopardus ſuſtinere non valens, fugiat: vnde ſi quis allium alicubi confricauerit, Leopardus inde reſilit, nec reſiſtit. *Plinius de hiſto. naturali libro 19.* Allium ad multa ruris præcipuè medicamenta prodeſſe creditur. Tenuiſſimis, & quæ ſeparantur in vniuerſum velatur membranis, mox pluribus coagmẽtatur nucleis, & his ſeparatim veſtitis aſperi ſaporis, & quo plures nuclei fuere, hoc eſt aſperius. Tædium huic quoque halitu, vt cæpis, nullum tamen coctis. Generum differentia. In tempore præcox matureſcit lx. diebus, Allium Cyprum Græci vlpicum appellauere. Alii antiſcordon præcipue Aphrica celebratum inter pulmentaria ruris: grandius allium tritum

Etymon. *Leopardus non ſuſtinet allium.* *Vlpicum.* *Antiſcordon*

cum oleo & aceto mirum quantum increſcat ſpuma. Quidam & allium vlpicum in plano vetant ſeri, caſtellatúmque grumulis imponi diſtantibus inter ſe pedes ternos. Inter grana debent intereſſe quatuor digiti, ſimúlque, vt folia eruperint ſarriri. Grandeſcunt quo ſæpius ſarriuntur, Et matureſcentium depreſſi caules in terra obruuntur, ſicque ne in frondem luxurient cauetur. In frigidis vtilius vere ſeri, quàm Autumno. Cæterum vt odore careat hæc omnia cum Luna ſub terra ſit, iubentur ſeri, & cum in coitu colligi. Menander è Græcis auctor eſt, Allium edentibus, ſi betæ radicem in pruna toſtam ſuperederint, odorem extingui. Sunt qui & allium, & vlpicum inter compitalia & ſaturnalia ſeri aptiſſimè putent. Allium & ſemine prouenit, ſed tardè: primo enim anno porri craſſitudine capite efficitur, Sequenti diuiditur, tertio conſumatur, pulchriuſque tale à quibuſdam æſtimatur. In ſemen exire à quibuſdam vetatur, ſed intorqueri cauli, ſationis gratia, vt caput validius fiat. Quòd ſi diutius allium, aut cæpe inueterari libeat, aqua ſalſa tepida intingenda ſunt capita, ſic diuturniora fient, & vſui meliora, ſed in ſatu ſterilia. Alij contenti ſunt ea primo ſuper prunas ſuſpendiſſe, ſicque ne germinent arbitrantur abundè profeciſſe, (quod allium cæpámque extra terram certum eſt facere, & cauliculo acto euaneſcere) Aliqui & allium palea ſeruari putant optimè. Allium eſt in aruis, ſponte naſcens, allium hoc vocant quod aduerſus improbitatem alitum depaſcentium ſemina coctum ne renaſci poſſit, abijcitur, Statimque illud cum deuorauerint aues, ſtupentes manu capiuntur, & ſi paululum ſe commorauere reſopitæ. Eſt & aliud ſylueſtre, quod vrſinum vocant, odore molli, capite prætenui, folijs grandibus. *Palladius vbi ſupra lib.* 2. Menſe Ianuarij allium & vlpicum bene ſeri poteſt, ſed allio alba terra proficiet. *Idem in lib.* 12. Menſe quoque Nouembri allium, vel vlpicum ſeritur bene, terra maximè alba foſſa & ſubacta ſine ſtercore. Sulcos in areis oportet fieri, & in locis altioribus ſemina poni quatuor digitis ſeparata, nec altius foſſa, æqualiter ſarculanda ſunt, & inde plureſcent. Si capitatum facere volueris allium vbi cæperit caulis prodire, proculca, ſic quoque ſuccus reuertetur ad ſpicas. Fertur autem ſi Luna ſub terris poſita ſeratur, & iterum ſub terris latente Luna vellatur allium, odoris feritate cariturum. Denique vel paleis condita, vel fumo ſuſpenſa, durabunt allia.

Tempus ſerendi.

Allia odore careant.

Remedium contra odorē

Vt allia ſint diuturniora.

Palea ſeruāt allia.

Remedium contra aues.

Vt allium ſit capitatum.

De virtute ipſius in medicina.

CAPVT XV.

Aqua. Serpentes. PLinius *libr.* 20. Allij magna vis eſt contra aquarum, & quorumlibet locorum mutationes. Serpentes abigit, & ſcorpiones, odore & omnium beſtiarum ictibus medetur, ac priuatim contra hæmorrhoidas cum vino illinitur. Contra canis morſus, & in vulnera cum melle imponitur. Suſpyrioſis coctum, aliqui crudum, aliqui & tritum in lacte dederunt. Praxagoras & contra morbum regium vino miſcuit, & contra ileū in oleo & pulte ſic illiniunt, ſtrumis quoque. Antiqui & inſanientibus dabant crudum: Diocles autem phreneticis lixum contra anginas tritum illud imponi, & gargarizare prodeſt. Dentium dolores tribus capitibus in aceto tritis imminuit, vel ſi aqua decocta colluantur, & in concaua dentium addatur, pthiriaſes & prurigines ſanat potum, itémque cum aceto vel nitro tuſum. Compeſcit diſtillationes cum lacte coctum vel tritum, & cum caſeo molli permixtum. Quo genere & raucitatem extenuat, coctum vtilius eſt crudo, elixumque toſto, ſic & voci confert. Tineas & animalia reliqua interancorum pellit, in aceto mulſo coctum. Tenaſmo in pulte medetur. Temporum doloribus illitum valet elixum, & puſtulis cum melle coctum deinde tritum. Tuſſim curat, cum adipe vetuſto, vel cum lacte coctum, aut ſi ſanguis etiam excreetur, vel purulenta ſint. Et pituitæ ſub pruna coctum potum, & cum melle pari modo ſumptum. Conuulſis autem, & ruptis, cum ſale & oleo prodeſt. Nam cum adipe tumores ſuſpectos ſanat. Extrahit etiam fiſtulis vitia cum ſulphure & reſina: valet etiam contra ſacros ignes. Suggillata vel liuentia reducit ad colorem. Ex melle combuſtum credunt, & comicialem morbum ſanari: ſiquis eo in cibo vtatur ac potione. Sed & caput vnum ipſius cū laſerpitij obolo in vino auſtero potu in quartanas excutere. Supputationes quantaſlibet ſanat, fractæ fabæ incoctum, & in cibo ſumptum, donec ſanitatem reſtituat: facit & ſomnos, & in totum rubicundiora corpora: venerem quoque ſtimulat, cum viridi coriandro tritum, & è mero potum. Porro vitia eius ſunt, quod oculos hebetat: inflationes facit: ſtomachum lædit, & copioſius ſumptum ſitim gignit. Cæterum contra pituitam & gallinæ, & gallinaceis prodeſt in cibo farre mixtum: iumentis quoque vrinam reddere, non torquere tradunt: ſi eo trito natura tangatur. Hippocrates in quadam epiſtola. Allium callidum eſt, vrinam deducit & mingitur. Corpori quidem bonum eſt, oculis vero pernicioſum.

Fiſtula. ſacri ignes.

Comitialis morbus.

Facit ſomnum & rubicundius corpus.

De ſpeciebus eius.

CAPVT XVI.

Hæmorroides

Canis morſus morbus regius.

Phreneſis.

Dentium dolores.

Pthinaſes raucitas.

Tenaſmus.

Tuſſis.

AVicenna *in ſecundo Canone.* Allium aliud eſt domeſticum: aliud ſyluestre, quod eſt amarum & ſtypticum: eſt etiam aliud quod dicitur porrinum, & eſt compoſitæ virtutis ex allio & porro. Eſt & aliud quod dicitur allium ſerpentis. Eſt autem allium calefactiuum & exiccatiuum in tertio vſque ad quartum, & ſyluestre plus allio: allium reſoluit inflationem valde, & eſt vlceratiuum & aduſtiuum cutis. Alli montani decoctio bibita & ſuperuncta, lendes & pediculos interficit. Cinis eius cum melle linitus ſuper morpheam & occultationi oculi confert. Confert & alopeciæ factæ ex materijs putridis. Allium ſyluestre vulnera fraudulenta facit cohærere: quando recens ſuper ea ponitur. Idem allium aſſatum ſedat dolorem dentium: vocem & guttur clarificat decoctum. Confert & tuſſi antiquæ & doloribus pectoris, ex frigore. Idem alium confert punctura vermium eneno- ſorum ac ſerpentum, & morſui canis rabidi: debilitat autem viſum, & attrahit bothor in oculos. Quando ſedetur in decoctione foliorum eius prouocat vrinam, & menſtrua prouocat, & ſecundinam educit: propter vehementiam autem exiccationis & reſolutionis ſuæ, coitum impedit quandoque.

Contra pediculos.

Sedat dolore dentium.

Dioſcorides. Allij genera duo ſunt: vnum, ſcilicet hortiuum, aliud quod in Ægypto naſcitur, ſed non ſatis diſſimile, virtus ei eſt viſcida, inflatilis, ſtyptica, calida, ventrem purgat, ſtomachum ſiccat, ſitim commouet: corpora vulnerat, lumbricos, latos excludit, vrinam prouocat, morſibus venenatis mirificè prodeſt, fluxum ſanguinis abſtinet. Cum vino bibitum rabidi canis morſum nocere non ſinit. Comeſtum autem arterias limpidat, tuſſi temporali ſubuenit, pediculos & lentes occidit. Combuſtum & cum melle tritum & impoſitum liuores tollit, & alopecias detergit, &c. *Conſtantinus vbi ſupra.* Allium duplex, domeſticum & ſyluestre, ſcilicet ſcordion domeſticum calidum eſt in medio quarti gradus, quod nocet calidis naturaliter. Acutam enim choleram cito ſe comburentem generat. Sed phlegmaticis prodeſt, & eis qui præparati ſunt ad paralyſim. Sperma deſiccat, opilationemque craſſam, & ventoſitatem dyſſoluit, ventrem humectat. Vnde Hippocrates. Allium ſolutionem facit, vrinam prouocat, viſui nocet, quia propter multam diſſolutionem & deſiccationem, quam agit, viſus deficit. Valet contra morſus reptilium, & omnes dolores quaſi theriaca magna: vnde quidā dicunt illud theriacam

Virtus Alij.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Theriaca ruſticorum allium.

riacam ruſticorum. *Idem in Pantegni.* Allia calidiora ſunt cæpis & ſicciora: acuta ſunt & dolorem capitis faciunt: quæ ſi coquantur ardor ille amittitur: potioni, quam cibo meliora ſunt, cocta magis nutriunt quam cruda: ſanitatem cuſtodiunt, quia calorem naturalem confortant, digerere faciunt. *Platea.* Allium inquit craſſam diſſoluit ventoſitatem, ventrem humefacit, lumbricos & aſcarides excludit: vrinam prouocat, morſum rabidi canis curat, eis etiam qui malam aquam potauerunt ſubuenit. Cataplaſmatum locis craſſos humores habentibus diſſoluit, dolorem dentium de frigiditate mitigat. Sitim propter phlegma coagulatum ſtomacho amputat, ſcabiem, morpheam, impetiginem, & puſtulas in quocunque loco fuerint, potenter curat, ſi ex eo confricentur aut cataplaſmentur. Menſtrua & vrinas prouocat, ſecundinam expellit ſi in eius poſemate mulieres ſederint. Sylueſtre allium virtutem habet ſicut domeſticum, tamen calidius & ſiccius eſt.

Vtilitates.

De Amaraco & ammone,

CAPVT XVII.

Virgilius in Eclog.

Sanſuccus.

I *Sidorus.* Amaracus eſt herba quæ & ſanſuccus dicitur: cuius nominis vſum Virgilius, etiam ad venerem referens ait, vbi mollis amaracus & illum, floribus aſpirans amplectitur vmbra. Apta eſt autem hæc herba vnguentis: vnde & amaracus nomen traxit à puero regis cuiuſdam qui caſu lapſus dum ferret vnguenta nouum & gratiſſimum ex confuſione odorem creauit. *Plinius lib.* 21. Amaracum Diocles medicus, & Sicula gens appellauerunt, quod Ægyptus & Syria ſanſuccum: vtroque genere, videlicet & ſemine, & ramo ſeritur: viuaci vſu, quibuſdam & odore. Copioſum eſt ſemen amaraco æquè, ac ambrotano. Sed ambrotano radix eſt vna & alte deſcendens, cæteris in ſummo terræ læniter hærens. *Auctor.* De hac autem plenius ſub nomine ſauſucci dicetur inferius. *Dioſcorides.* Ammonis herbæ duo ſunt genera, ſcilicet agreſtis & hortiua. Hortiua florem habet coccineum: altera vero album, & lachineum aut purpureum, folia vero minuta, ſicut coriandri & diuiſa, virgas tenues ac virides ſicut meconiu, In medio capitella nigra, Radix eſt ei ſicut oliuæ nodoſa, & curuata curta. Agreſtis maior eſt in omnibus folijſque latioribus. Maiora quoq; habet capitella & longa, florem fæniceum aut melinum. Radices ſunt plures, atque tenues. Eſt alterum genus ammonis naturæ viſcidæ, cuius virtus eſt viſcida, & acris, & proiectoria, & habet vim aperiendi: vnde ſuccus radicis eius naribus immiſſus, caput purgat, denteſque conquaſſatos confirmat, & vulnera ſordida limpidat. In dulcore cocta & impoſita tumorem oculorum tollit, caliginem viſui detergit. Radix eius & folia cum ptiſana cocta lac mulieribus prouocant, ſuppoſita menſtruis imperant, & cataplaſmata lepram expurgant.

Duo Genera Ammonis

Virtus eius.

De Andrafraxo & andrachne.

CAPVT XVIII

D *Ioſcor.* Andrafraxus eſt olus duplici genere, videlicet hortiuũ & agreſte, ventrem molliunt ſi elixa comedantur, & cataplaſmata pappulis impoſitis medicantur. Semen eorum in muſſa bibitum ictericos curat. Andrafraxi virtus eſt leptomerica: dolorem capitis tollit cataplaſmis adhibita. Tumoribus oculorum adhibita ſubuenit: ſtomachi fatigationes impoſita tollit. Succus eius nephreticis medetur: eius folia tuſa & impoſita ignem ſacrum compeſcunt: eadémque comeſta, veſicæ dolores amputant, & ſimiliter rheuma ſtomachi ventrémque prohibent: febres acutas extinguunt, & lumbricos rotundos, prodeſtque ſanguinem reijcientibus ac dyſſentericis auxiliatur: oculis quoque cataplaſma vtiliter adhibetur. Rheumatiſmum inteſtinorum compeſcit adhibita, dolores quoque matricis mitigat ſuppoſita. Eſt enim andrafraxus abundanter humida, mediocriter frigida: nihil habens ſtypticum, ſed aquoſa eſt, vt malua. Domeſtica multo frigidior exiſtit, & ideo inflammationibus in initio expedit, in ſtatu vero & declinatione ſylueſtris. Semen eorum vim proiectoriam habet: vnde icterici & hepaticis vtile eſt. Omnes duricias & furunculos ſanat impoſita: ſcabros vngues ſine iniuria vlceris detrahit, podagiæ feruores cum nitro, aceto ac melle reſtringit, eſt enim ſolutoria. Andrachne vel portulaca, eſt omnibus nota, frigidam habet virtutem atque redarguentem, vt ſtrignum, & eſt eiuſdem cauſis conueniens, ſed præſtantius. Maſticata vel cum oxygaro comeſta, fluorem ſanguinis cohibet, ac viſcidè ſtringit: propriè tamen maſticata dentium offenſam de immaturis prunis ſanat. In ardore ſtomachi cum aceto comeſta mirè iuuat: tuſa & cum hordeo molito mixta, quaſi malagma ſtomacho impoſita, febrem eliminat. Eſt autem andrachne frigida nimis, & abundanter humida, modicè auſtera. Ideo rheuma reprimit, & maximè choleram calidam tranſmutans eam in ſuam qualitatem. Stuporem dentium commaſticata ſanat, & non ſolum extrinſecus poſita, ſed etiam potata infrigidat: & quæ ſtyptica eſt, dyſſentericis in cibo ſumpta iuuat. Ad fluxum quoque ſanguinis mulierum, & ſanguinem reijcientibus eius ſuccus mirificè facit, quia viſcidè ſtringit. *Auctor.* De hac iterum dicetur inferius ſub nomine portulacæ.

Contra rheuma ſtomachi.

Andrachne Portulaca.

Contra febrim.

De Aneſo & anetho,

CAPVT XIX.

I *Sidorus.* Aneſum eſt herba omnibus nota, feruens acerrimè & vnctualis. Anethum eſt herba hortulana odorifera: hæc in cibo ſumpta calefacit conſtringit: prohibet & ſternutamentum naribus impoſita. *Auicen. vbi ſupra.* Anethum calidum eſt & ſiccum: maturatiuum humorum frigidorum, & apoſtematum: ſedatiuum quoque dolorum, & carminatiuum ventoſitatum: facit ſomnum & confert ſingultui repletionis, facto ex natatione cibi in ſtomacho, nocet & ſtomacho & in ſemine eius eſt vomitio: huius cinis confert vlceribus tremulis & humidis. Oleum eius confert doloribus neruorum, & ſimilium, Succus autem eius valet auris dolori & exiccat eius humiditatem, aſſidua eius comeſtio debilitat viſum. Anethum etiam, & eius ſemen lac abundare faciunt, ipſum autem ſemen abſcindit hæmorrhoidas egreſſas. *Iſaac medicus libro* 3. Anethum calidum eſt in fine ſecundi gradus, ſiccum in medio, ventoſitatem & tumorem diſſoluit. Huius rami in oleo cocti fiunt diureticæ virtutis. Inflammationem diſſoluunt, laborioſos mitigant, ſomnum præſtant, humida apoſtemata ad ſaniem perducunt. Semen eius bibitum vrinam prouocat, lac augmentat, ventrem ab humorum putredine purgat, doloremque diſſoluit. *Plinius lib.* 20. Anethum ructus mouet & tormina ſedat, aluum ſiſtit. Epiphoris radices illiniũtur ex aqua vel vino, Singultus cohibet ſemen feruens olefactum. Sumptum ex aqua ſedat cruditates, cinis eius vuam leuat, oculos & genituram hebetat. *Dioſcorides.* Anethum vires habet acres diureticas, & deſiccatiuas. Tortionibus & inflationibus vtilis eſt: nauſeantibus prodeſt, vrinam prouocat, caliginem oculis infert. *Conſtantinus vbi ſupr.* Anethum calidum eſt & ſiccum in ſecundo gradu: viride tamen minoris caliditatis & ſiccitatis poſema eius bibitum, aut ſperma, aut vrinam prouocat. Tortionem & inflationem mitigat, vomitum ex cibo in ſtomacho natanti compeſcit: mulieris in eius poſemate ſedentis menſtrua prouocat. Semen etiam peruſtum & ca-

Virtus tollit ventoſitates.

Poſema anethi.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& cataplaſmatum hæmorrhoidas omnino ſanat. Singultum ex plenitudine amputat. Coctum in oleo & epithematum oppillatos aperit poros, ſomnum prouocat & mollia maturat apoſtemata, vnde aſſuefactum, viſum defectat, & ſperma deſiccat. Anethileon epithematum, rigorem periodicarum febrium curat, laborem articulorum, & dolorem amputat. *Platearius vbi ſupra.* Anethi ſemen principaliter conuenit vſui medicinæ, radix ſecundario, herba vero tertio. *Palladius vbi ſupra.* Menſe Februario anethũ ſeritur locis frigidis. Omnem ſtatum cæli patitur, ſed tepidiore locatur. Rigandum eſt, ſi ſe abſtineat imber: ſerendum eſt rarius. Aliqui ſemen eius non obruunt, opinantes quòd à nulla aue tangatur.

Semen anethi non tangitur ab auibus.

De Apio.

CAPVT XX.

Etymon. *Isidorus.* Apium dicitur, eo quod apex, ideſt caput antiquorum triumphantium eo coronabatur. Hanc herbam Hercules primus capite circumtulit. Cuius radices efficaciter pugnant contra inſidias venenorum.

Nocet Epilepticis *Iſaac vbi ſupra.* Apium hortulanum calidum eſt in principio tertij gradus, ſiccum in medio: hoc teſtatur eius amaritudo & acumen, ideóque coctũ vel crudum eſui datum opilationem aperit, vrinam prouocat, ventrem conſtringit ſit autem noxium epilepticis, eo quod conſtipationem ſoluens viam humoribus facit, eóſque ad ſtomachum, vuluam, & caput attrahit. Hinc etiam nocet fœtui maximè in vulua exiſtenti. Vnde Gal. prægnantibus, inquit, apium comedentibus fit cauſa generandi in corpore fœtus apoſtemata & putridas puſtulas. Rurſus apium, ſecundum cibum laudabile non eſt, quia membrorum totius corporis humores adiuuat, vnde ventus generatur: ſemen diureticum eſt pluſquam frõdes, & radix plus omnibus, quæ ſi cum lactucis comedatur, non adeo corporibus nocet, quia de earum humiditate temperatur aliquantulum. Nonnunquam vero ſemen in medicina mittitur, & præſtat dolori mitigationem, ac tuſſientibus remedium ſit, & contra venenum, ſed vniuerſaliter apium nocet epilepticis.

Virtus. *Conſtant. vbi ſupra.* Apium oppilationem hepatis ſoluit, menſtrua & vrinam prouocat, maximéque ſemen eius ventrem conſtipat, habet proprietatem attrahendi ſuperfluos humores totius corporis ad ſtomachum, ad caput, ad vuluam: vnde nocet epilepticis & fœtui, quia

Nocet prægnantibus. contrahit malos humores ad vuluam. Ideo medici prohibent mulieres prægnantes, & pueros lactãtes ab apio, ne puer fiat inſipiens. Apij radix eſt fortior omnibus, ventrem humefacit. *Plinius libr.* 20. Apio gratia vulgo eſt, Rami namque largis portionibus per rura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Oculis valet illitum cum melle, ita vt ſubinde foueantur. Epiphoris per ſe tritum cum pane, vel polenta impoſitum mirè auxiliatur, piſces qnoque ſi ægrotant in piſcinis, apio viridi recreantur. *Palladius libr.* 5. Apium in menſe Aprili, bene ſeritur locis calidis & frigidis, terra qualibet dummodo ibi humor aſſiduus ſit, quamuis naſci ſi neceſſe fuerit, & in ſiccitate non deneget. Et

Apia maiora faciendi modus. propriè omnibus menſibus: primo à vere ad Autumnum. Ex huius genere ſunt hippoſelinon, & holoſelinon, & petroſelinon: apio aut maiora facies, ſi ſemen quantum tribus digitis comprehendi poteſt rariore lintheolo clauſum, breuique foſſa obrueris: ſic enim omnium germen ſeminum capitis vnius ſoliditate nectetur. Criſpi vero fient, ſi ſemina prius tundantur, vel ſi ſuper areas naſcentes aliqua pondera volutentur, aut pedibus enata proculcentur. Apij ſemina vetuſtiora citius naſcuntur, quæ nouella ſunt ſerius.

De diuerſis apij ſpecibus.

CAPVT XXI.

Fœmina apium Mas. *Plinius vbi ſupra.* Apium ſexu diſtinguitur: Chryſippus fœminam dicit eſſe folijs criſpioribus & duris, caule craſſo, ſapore autem & feruido. Dionyſius vero marem nigriorem, breuioris radicis vermiculos gignentem: ambo neutrum ad cibos admittendum, immo nefas omnino. Nam id defunctorum epulis feralibus dicatum, Ipſius quoque viſus claritati eſſe inimicum: vermiculos gigni caule fœminæ, ideóque eos qui ederint ſterileſcere, in puerperijs vero ab eo cibo comitiales fieri, qui vbera hauriunt, Innocentiorem tamen eſſe marem: cuius cauſa eſt, ne inter nefaſtos damnetur frutices. Mammarum duritiem emollit, impoſitis folijs & ſuauiores aquas incoctum potui præſtat, Succo maximè radicis cum vino lumborum dolores mitigat, Et eodem iure inſtillato grauitatem aurium. Semen, vrinam ciet, & menſtrua ac ſecundos partus, Et ſi foueatur, ſemine decocto, ſugillata reddit colori, cum oui albo illinitum. Aut ex aqua coctum, & potum medetur renibus: in frigida vero tritum odoris vlceribus.

Contra calculum. Semen cum vino, vel radix cum vino veteri, veſicæ calculos frangit. Apiaſtrum Hyginus meliſſophyllon appellat: ſed in confeſſa damnatione eſt venenatum in Sardinia.

Olus atrum, ſeu hippoſelinon. Oluſatrum quod hippoſelinon vocant ſcorpionibus aduerſatur, & poto ſemine torminibus intraneis medetur. Idem facit difficultatibus vrinæ ſemen eius decoctum, & in mulſo potum. Radix eius in vino decocta pellit calculos, & lumborum ac lateris dolores. Canis rabioſi morſibus, medetur potum atque illinitum. Succus eius algentes calefacit potus. Quartum genus ex eodem aliqui faciunt oreoſelinon, alio frutice tecto ſemine ſimile cumino, vrinæ ac menſtruis efficax. Contra vero araneas vis priuata eſt helioſelino: ſed oreoſelino fœminæ purgantur è vino. Alio genere petroſelinon quidam appellant in ſaxis natum ad

Oreoſelinon. vomicas præcipuum. Addidere quidam & buſelinon differens breuitate caulis, à ſatiuo radicis colore ruffo eiuſdem effectus. Ipſum quoque dicunt prævalere cõtra ſerpentes, potum atque linitum. *Idem in libro.* 19. Id genus apij, quod ſponte in humidis naſcitur helioſelinon vocatur, vno folio nec hirſutum. Rurſus hyppoſelinon in ſiccis, pluribus folijs helioſelino ſimile.

Petroſelinon. *Buſelinon.*

Oleoſelinum. Tertium eſt oleoſelinum, cicutæ folijs tenui ſemine anetho ſimili minutiore tamen. Differentia eſt in folio denſo, criſpo, aut rariore & leniore: itemque caule tenuiore & craſſiore, & aliorum caulis eſt candidus, aliorum purpureus, aliorum varius. *Pallad. vbi ſup.* Ex apij

Genera apij. genere eſt hippoſelinon durius & auſterius, & oleoſelinon molli folio & caule tenero, quod naſcitur in lacunis, & petroſelinon quod maximè in locis aſperis. Hæc omnia genera poſſunt habere diligentes in horti cultura. *Conſtantinus vbi ſupra.* Eſt autem & apij genus quod vulgus cerafolium vocat, de quo ſcilicet dicetur inferius.

Cerafolium.

Iterum de eodem.

CAPVT XXII.

Auicenna. Apium aliud eſt montanum aliud ſylueſtre, aliud domeſticum, & aliud quod oritur in aqua domeſtico minus, cuius eſt ſicut domeſtici virtus. Eſt & alia ſpecies eius quæ nominatur ſmyrnium minus domeſtico, crus habens concauum ad albedinem decliue. Fortius eſt Romanum Montanum.

Romanum. Eſt autem in primo calidum, in ſecundo ſiccum. Rufus autem dixit, quod domeſticum eſt humidum, verum radix eius eſt ſicca cum conuenientia, & eſt reſolutiuum inflationis, aperitiuum oppilationis faciens ſudare, ſedatiuum dolorum. Sylueſtre autem eſt vlceratiuum impediens, & magis calefactis conueniens. Sylueſtre

Sylueſtre.

confert

Smyrnium. confert alopeciam habenti,& fiſſuris frigoris ac verrucis. Domeſticum oris odorem efficit bonum valde:reſoluit apoſtemata phlegmatica in principio, & dura, & calida, & propriè id, quòd ſmyrnium nominatur. Sylueſtre in emplaſtro vlcerat & confert ſcabiei, ac impetigini, ac vulneribus vſque ad ſigillationem. Eſt autem malum epilepſiæ,excitans eam.Apium domeſticum ingreditur in emplaſtris dolorum oculi, & confert tuſſi: *Vtilitas. Contra dolores dentium.* propriéque ſmyrnium & ſimiliter aſmati & ſtricturæ anhelitus, & difficultati eius. Fertur, quod ſi radix apii ſuſpendatur in collo, confert dolori dentis, veruntamen ipſum frangit. Emplaſtrum ex eo factum, valet apoſtematibus calidis mammillarum.Confert hepati ac ſpleni, & mouet eructationem propter ſuam reſolutionem: nec eſt velocis digeſtionis ac deſcenſionis, & in ſemine quidem apii niſi aſſetur eſt aliquid, quod nauſeam & vomitum facit. Quidam autem dixerũt, quod omnes eius ſpecies ſtomacho conferunt. Rufus vero dixit, quod non: immo quandoque attrahit ad ipſum humiditates malas acutas, & crudum de eo prolongatur in ſtomacho, facitque nauſeam, veruntamen Romanũ ſtomacho melius eſt. Galenus dicit, quod ipſum cum lactuca comedere conuenit,temperat enim lactucæ frigiditatem.Semen eius confert hydropiſi,mundificat hepar,ipſúmq; calefacit,vrinam & menſtrua prouocat, ſed malũ eſt prægnantibus;renes autem ac veſicam & matricem purgat. Montanum autem frangit lapidem:apij decoctione cum lentibus poſt veneni potum fit vomitus: valet etiam contra puncturam ſcorpionis. *Dioſcorides.* Apium vel (vt alij dicunt)ſelinum, eſt omnibus notum tam hortiuum, quam agreſte, virtutis eſt vnctualis & acetrimæ. Hortiuum pane mixtum tumorem oculorum ſpargit impoſitum. In aqua coctum & bibitum, æſtuationem ſtomachi compeſcit, mammiſque tumentibus vtiliter apponitur, & vrinam prouocat. Elixatura radicis eius bibita, veneni occurrit, vomitum prohibet, ventrem ſtringit. Semen eius diureticum morſibus venenatis occurrit: ventrem & inflammationem ſtomachi tollit, tuſſientibus ſubuenit. Apium agreſte locis humectis naſcitur, & minus eſt hortiuo, ſed tanta poteſt facere quanta & illud. Oleum ſelinum eſt apium montanum: virgam habens longam & radices teneras, & tenues ex vna plurimas: In quibus ſunt capita Como ſimilia, ſed minora & obrotunda. In his eſt ſemen oblongum & viſcidum,odorem habens cumino ſimilem, virtus eſt huic ſemini viſcida & diuretica.

Medicinalis vſus. *Contra tumorem oculorum.*

De arboracea, & aſcalonia.

CAPVT XXIII.

Lapſana. *Iſidorus.* Arboracea ipſa eſt lapſana. *Plinius libr.* 20. Lapſana inter ſyluestres braſſicas pedalis eſt altitudinis, hirſutis foliis, ſinapi ſimillimis niſi candidior eſſet flore. In cibo coquitur & aluum leniter emillit. *Palladius.* In menſe Martio ſerenda eſt arboracea ſicut & ſinapis & malua, pluraque olerum genera. Idem in menſe quoque Octobri competenter ſeritur arboracea, vel vt melior fiat transfertur ad loca culta. Hæc *Raphanus agreſtis.* eſt enim raphanus agreſtis. *Dioſcorid.* Eſt quoddam genus raphani,quod à multis arboracea dicitur:habens folia lapſanæ ſimilia, cuius radix oblonga eſt & tenera folia eius elixa comeſta ſunt euſtomacha: virtus eius eſt viſcida & diuretica, & calida: ideóque copioſam effundit vrinam,in cibo ſumpta incitat & fœminarum menſtrua:ſtomacho vtilis eſt ex aceto data,pituitam glutinoſam diſſoluit cum melle ſempta. Radix aduſta,& in puerem verſa ſiccandis & purgandis vulneribus imponitur. Præterea quidam eius ſuccum vtilem contra venena crediderunt ex vino datum, eadem quoque vis eſt in ſemine, ſi ſumatur cum melle. Nobis expertum eſt in ptiſanæ diſcoctam ſorbitione thoracis vitia ſanare. Iſidor. Aſcalonia dicta eſt ex vna vrbium Paleſtinæ, quæ aſcalon dicitur, vnde prius aduecta eſt. *Plinius lib.* 19. Aſcalonia genus eſt cæpæ ſicut & ſcyrta, ambaque conduntur in terra, ſed aſcalaniorum eſt propria natura. Nam velut ſteriles ſunt à radice, & ob id ſemine illas ſeri, non deponi iuſſere Græci. Serius autem circa ver cum germinant transferri. Sic dicunt eas craſſeſcere, & tunc properare præteriti temporis feſtinatione. Feſtinandum autem in his eſt,quoniam maturæ putreſcunt celeriter.Si deponantur caulem,& ſemen amittũt, *Tempus quo ſeritur.* ipſæque euaneſcunt. Aſcaloniam menſe Februario noſtri ſerunt.

De aſparago.

CAPVT XXIV.

ASparagus dicitur, eo quod ſpinoſa & aſpera ſit eius frutex ex qua gignitur. *Iſaac in dietis libr.* 3. Aſparagus calidus eſt & humidus in primo gradu: domeſticus temperatior eſt: ſtomacho conuenit: vrinam prouocat. Syluestris autem calidior & ſiccior, oppilationem hepatis aperit & renum:vrinam prouocat,icthericis quoque valet, huius ſeminis & radicis poſema bibitum morbis areanarum occurrit. Elixus eſui datus ventrem humefacit. Sed cholico dolori mitigationem præſtat, & dolorem dentium amputat. *Plinius vbi ſupra.* Omnium rerum in hortis prouenientium, laudatiſſima cura eſt aſparagis, quas ſeri Cato iuſſit in arundinetis. *Idem in libr.* 20. Aſparagi (vt traditur) addito cumino inflationes ſtomachi, colique diſcutiunt, ventrem leniter molliunt, puncturis & ſpinæ doloribus inteſtinorumq; vitijs proſunt. Vino cum coquũtur addito ad lumborũ & renu dolores. Semen triũ obolorum pondere, cum parte cumini bibitur, ventrem ſtimulant,vrinam cient vtiliſſimè,præterquam quod veſicam exulcerant. Radix quoque trita, & in vino albo pota, calculos exturbat, lumborum & renum dolores ſedat. Eadem in aceto decocta contra elephantiam proficit. Aſparago trito cum oleo perunctum ab apibus pungi negant.Aſparago ſyluestri ad omnia ſupradicta vis eſt efficacior & candidiori maior. Regium morbum extenuat, & cauſa veneris aquam eorum decoctam bibi iubent. Ad idem & ſemen valet cum aceto tritum: datur & ſuccus decoctus ad ictus ſerpentium. In vino quoque radicis decoctæ, ſuccus ſi ore contineatur, dentibus medetur. Si vero canibus detur aſparagus, occidit eos. *Idem libr.* 21. Eſt autem aſparagus herba in totum ſpinoſa, non vt carduus ſpinoſa foliata. Nullum enim habet folium aſparagus. *Palladius libr.* 3. In menſe Februario poſt idus, aſparagorum ſpongias conuenit, vel nouas formare ex ſemine, vel antiquas ponere. Mihi etiam vtile videtur agreſtis aſparagi radices plurimas in vnum congerere locum cultum, vel certè ſaxoſum, quæ ſtatim fructum dent, ex loco qui aliud nil alebat: & has annis omnibus in ſcopis incendere, vt fructus frequentior & fortior *Vtilitas medicinalis.* ſurgat:hoc ſiquidem genuseſt ſapore iucundius.*Plateat.* Aſparagus eſt calidus & ſiccus: frutex eſt habens minuta folia, & ad modum ſpinæ pungitiua: fructus eius & ſemen medicinæ competunt,qui fructus quaſi fuſtes tenerrimi ſunt. Coquinati cum carnibus,vel cum aqua valent contra ſtranguriam & dyſſuriam: ſemen eius valet contra ſtomachi & inteſtinorum dolorem, & cõtra vitium lapidis, & contra iliacam paſſionem. Hoc ſemen per annum ſeruatur, & in medicinis ponitur, cuius & receptio reperitur.

Aſparagi in arundinetis ſerenda. *Aſparagus occidit canes.*

De eodem.

CAPVT XXV.

De curatione thoracis. *Ioſcorides.* Aſparagus aſperatilis, quem multi ragantum vel myon appellant, proiectoriæ virtutis eſt, non nimis calefaciens, nec nimis infrigidans. Huius radix & ſemen hepati ac renibus vtilia ſunt: dolorem dentium ſanat, quia ſiccum eſt virtute abſque ca-

Aſcalonia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

lore hoc agens. Coctus & bibitus ventrem mollit: vrinam prouocat. Radices autem eius in vaſe duplici coctæ ac bibitæ medicantur dyſſurijs, ſubueniũt iſchiaticis, ictericis proſunt, percuſſum ſphalangiorum compeſcunt. In vino elixæ & ore diu retentæ dolores dentium mitigant: ſimiliter facit & ſuccus eius in ore tentus. *Vſus.* Ad veſicæ dolorem vel tumorem dant in potu coctum eius radicis, datur & in quartanam. Radix ergo ac ſemen cum vino vrinam prouocat: diureticam relaxat: ſtomacho laborantibus vtilis eſt cibus aſparagi, & in vicem tranſit antidoti. Cum vino & oleo & ſale aceptus dolorem oculis emendat: caligines diſcutit, & ventrem mollit leniter. *Contra calculum.* Radix cum albo vino trita & potata calculos frangit, lumborum ac renum dolores tollit. Sicca tuſa in lana dẽtis dolori admota ipſum detrahit ſine dolore. Semen cum cumino tritum, & cum vino datum ventrem ſtimulat: vrinam ſolicitat. Dicitur quod eius elixatura, ſi fuerit à canibus bibita, moriantur. *Modus faciendi aſparagos.* Alij quoque dicunt aſparagos naſci, ſi cornu hircinum contuſum aſpergatur. Hippocrates in quadam epiſtola. Aſparagus venerem & vrinam prouocat, dolores dentium mitigat. Sciaticis quoque ſubuenit, ictericis ac percuſſis ſphalangij proficit. *Auicenna.* Aſparagus non elongatur à caliditate, & quanto plus incipit indurari caliditas eius roboratur. Dixit tamen Gal. quod in ipſo non eſt apparens calefactio, nec infrigidatio, niſi in petroſo. Apparet autem ſuper ipſum veſtigium tithymalorum mordicans valde. *Virtus.* Virtus eſt ei abſterſiua, & in ipſo eſt reſolutio, propriéque in petroſo. Aperit opilationes omnium viſcerum, propriéque hepatis & renum. Eius decoctio bibitur propter dolorem dorſi, & iſchiaticæ, confert etiam ictericiæ: radix eius ac ſemen bona ſunt dentium dolori, & in ipſo eſt virtus nauſeam faciendi. Iuxta Ruffi æſtimationem ſtringit: & id forſitan eſt propter eius prouocationem. Alij dixerunt quod elixus lænit: plures autem dixerunt, quod cholicæ phlegmaticæ atque ventoſæ proficit. Decoctio radicis eius prouocat vrinam, & confert vrinæ difficultati: confert etiam difficultati imprægnationis, menſtrua quoque prouocat, oppilationes ſplenis aperit. Coctus in vino confert punctioni rutelæ, & eius decoctio dicitur canes interficere.

De Attriplici.

CAPVT XXVI.

Chryſolocanna. *Iſidorus.* Attriplex eſt olus humidum & frigidum habens virtutem, & in cibo ſumpta ſoluit ventrem. *Auicenna.* Chryſolocana eſt attriplex, & in primo gradu frigidus & humidus, ſed apud quoſdam eſt temperatus. *Iſaac vbi ſupra.* Attriplex eſt frigida in primo gradu, & humida in ſecundo: parum nutrit, quia liquor eius aquoſus eſt, & cito eijcitur: conuenit medicinæ propter viſcoſitatem, quia cataplaſmatum ſuper apoſtema calidum illud refrigerat: ſemen eius mundificatiuum eſt, & colatiuum: proinde ictericiam patientibus valet, quæ de hepatis oppilatione naſcitur. Nam quod datur potui cum melle & aqua cholericos prouocat vomitus. *Plinius libr. 20.* Attriplex & ſyueſtre eſt & ſatiuum, à Pythagora quidem accuſatum, tanquam faceret hydropicos, & morbos regios & pallorem. Difficillimè coquitur, ac ne in hortis quidem iuxta id, quicquid naſci niſi languidum culpauit: addidere Dionyſius & Diocles morbos ex eo plurimos gigni, nec niſi mutata ſæpius aqua debere coqui. Stomacho contrarium eſſe, lentigines pappulaſque gignere. Miror cur hoc difficulter in Italia naſci tradiderunt Solon ſmyrnæus, Hippocrates, Mulierum vitijs id, cum beta docent infundi Licus Neapolitanus contra cantaridas, panos, & furunculos incipientes bibendum dedit. Sed & duricias omnes illini putant vtiliter, eodem cocto vel crudo. *Mulebrium vitiorum curatio.* Idémque ſacrum ignem cum melle aceto nitroque ſimiliter, & podagris id prodeſſe, vngues ſcabros fertur detrahere ſine vlcere. Sunt & qui in morbo regio ſemen eius cum melle dent, arterias & tonſillas nitro addito perfricent: aluum moueant. Cocti per ſe cum malua vel lenticula concitantes vomitiones, ſylueſtri capillos tingunt. Econtrario in magnis laudibus eſt malua ſicut dicetur infra. *Palladius libro quinto.* In menſe Aprili ſerenda eſt attriplex, ſed rigari poterit & Iulio, vel cæteris menſibus vſque ad Autumnum, amat humore aſſiduo ſatiari. Semen obruendum ſtatim cum ſpargitur: eiáque herbæ ſubinde vellantur, transferri neceſſarium non eſt, cum bene ſeritur: poteſt tamen melius adoleſcere ſi ſpatio rariore pangatur, & ſucco letaminis humoriſque iuuetur, ferróque ſemper reſcindendum eſt, quoniam ita pullulare non ceſſat. *Seritur in Aprili.*

Macer.

Infrigidare gradu primo, humectare ſecundo,
Attriplicem dicunt, eius mollit cibus aluum,
Duricias ſoluit varias, clauiſque medetur,
Emplaſtrum tectæ vel crudæ, ſi ſuperaddas,
Hocque ſuperpoſitum ſcabros, cito detrahit vngues,
Ignibus & ſacris dicunt ſic poſſe mederi.
Attriplicem tritam cum nitro melle & aceto,
Dicunt appoſitam calidam ſedare podagram.
Ictericum dicit Galenus tollere morbum,
Illius ſemen cum vino ſæpius hauſtum.

De Auricula muris.

CAPVT XXVII.

Auricula muris. *Auicenna.* Auricula muris eſt herba virtuti herbæ qua vitrum abſtergitur ſimilis: & hoc nomen abſolutum eſt duabus herbis, quarum vna eſt quam nominat Gal. habens maluæ odorem, & non habens duriciam. *Figura.* Altera quam nominauit Dioſcorides æſtimans, quòd ſit ſimilis volubili, niſi quòd habet folia minora comparata ad ipſam. Et eſt herba expanſa ſuper faciem terræ, paruos ſtipites habens: domeſtica bona ſine odore, nec habens ſaporem fortem, flores azulinos habens: huius ſemen aſſimilatur ſemini coriandri, & hirundines ex ipſo edunt. *Virtus.* Eſt autem calida & propriè cuius origo non eſt aquæ propinqua. Iuuamentum eius eſt, vt ait Muſalach, iuuamentum abſinthij, & eſt res quæ non eſt inuenta ſimul in duabus plantis. Quæ nota eſt ex eis (teſte Gal.) frigida eſt & humida in gradu primo. Altera vero eſt ex ſumma medicinarum calidarum. In prima vero eſt ſtypticitas, altera eſt deſiccatiua, rubificatiua: illa quam nominauit Gal. Spinas & ſurculos extrahit, & plagas adhærere facit. Confert epylepſiæ bibita: torturæ quoque ſternutatione facta ex ea, & eius ſternutatio cerebrum mundificat.

De Baucia.

CAPVT XXVIII.

Platearius. Baucia duplicis eſt modi, domeſtica videlicet ac ſylueſtris: hæc & paſtinaca dicitur alio nomine, pluſque cibo competit, quàm medicinæ. Calida eſt in principio ſecundi gradus: humida in principio eiuſdem: virtutem habet generandi multum & ſpiſſum ſanguinem: ideóque augmentat bibita. Conualeſcentibus ac melancholicis valet commeſta cruda vel cocta, viridis tamen & non ſicca: fit autem ex ea zinziber conditum ad digeſtionem confortandam & ad coitum excitandum. *Temperamentum.*

Iſaac in dietis particularibus. Baucia calida eſt in medio ſecundi gradus, & humida in medio primi: eſt duobus modis domeſtica & ſylueſtris, duri craſſique nutrimenti exiſtit, & minus quàm rapa nutrit: aliquid habet acuminis, propter quod eſt extenuans, & diaphoreſim faciens: ideóque vrinam & menſtrua prouocat: habet etiam aliquantulum ventoſitatis, vnde coi-

tus eſt

tus est iuuatiua: sed illaudabilem generat sanguinem assuefacta. Vt ergo temperetur oportet eam bene elixari, & aqua eiecta, tertio quoque cum lactuca, & coriandro, & cepa coqui, atque cum oleo onphacino, & aceto, ac pipere, & carui condi. *Auicenna in 2. Can.* Daucus est semen bauciæ syluestris. Calidus est in tertio gradu, & siccus in eiusdem principio: apperitiuus est valde, prouocat vrinam & menstrua. *Ex synonymis.* Baucia propriè dicitur agrestis pastinaca, sed quandoque ponitur pro domestica.

Agrestis pastinaca.

De Beta.

CAPVT XXIX.

Nigra candida.

Sidorus. Bèta est oleris genus apud nos, littera vero apud Græcos. *Plinius libr. 19.* Beta hortensium leuissima. Eius quoque à colore duo genera Græci faciunt, videlicet nigram & candidam. Nostri vero genera betæ faciunt vernum & autumnale. Sic enim ea nominant à satiuis temporibus, quamquam & Iunio seratur. Transferuntur autem in planta: hæ quoque fimo radices suas oblini, locumque similiter madidum amant: vsus his & cum lente, atque fabarúmque; qui & oleris, & præcipuus vt lenitas excitetur acrimonia sinapis, Medici hanc innocentiorem esse, quàm olus indicauerunt. Quamobrem appositas minimè degustare etiam religio est: vtique validis potius in cibo sint, gemina his natura, & oleris, & capite ipso exilientis. Sunt qui betas optimè florente malopunico seri existimant: transferri vero cum quinque foliorum esse cæperint. *Palladius libro 12.* Mense Februario betam seri conuenit, quamuis & tota æstate possit seminari. Amant putrem agrum, humidum locum. Transferenda est autem quatuor aut quinque foliorum radicibus fimo recenti oblitis: amat etiam frequenter effodi, multóque stercore saturari.

Vsus.

Tepus translationis.

De virtute ipsius in medicina.

CAPVT XXX.

Contra serpentis tineas

Plinius libro vigesimo. Beta quoque sine remedio non est vtraque. Nam siue candidæ, siue nigræ radix recens & madefacta, funiculóque suspensa, contra serpentium morsus efficax dicitur esse. Candida quidem cocta & cum allio crudo sumpta valet contra tineas. Nigræ vero radices pruriginem tollunt in aqua coctæ: atque in totum efficacior nigra traditur esse. Succus eius capitis dolores veteres, ac vertigines, itemque sonitum aurium sedat infusus, vrinam quoque cit. Medetur, & dysentericis iniecta, & morbo regio, doloresque dentium succus eius sedat illitus, & contra serpentium valet ictus, sed huic radici dumtaxat expressus, ipsa decocta occurrit pernionibus. Alba verò epiphoras sedat fronte illita. Modico aluminis admixto, ignem quoque sacrum iuuat, sine oleo trita adustis medetur. Et contra eruptiones pappularum cocta. Eadem contra vlcera, quæ serpunt, illinitur & allopecijs cruda, & vlceribus, quæ in capite manant, succus eius cum melle naribus inditus caput purgat. Et cum lenticula coquitur addito aceto, vt ventrem emolliat, validius cocta fluctuationes stomachi sistit, & ventris. Est & beta syluestris multo minoribus ac densioribus folijs, vndecim sæpe caulium, huius folia sunt ambustis vtilia. Semen dysentericis prodest. Et aquæ è radice illius coctæ dicuntur eluere maculas vestium, item membranarum.

Vsus medicinalis.

Remedia Betæ.

Platearius. Beta frigida est, venerem procurat, contra veneni suspicionem iuuat. Egerit enim ac per nares purgat frigidum humorem. Est & alba beta, est & nigra, hæc stypticam virtutem habet, & magis in radicibus illa, quæ nigra est. *Dioscorides.* Betæ duæ sunt, alba & nigra. Nigra ventrem abstinet, alba mollit. Ambæ verò cacostomachæ sunt, humores malos nutriunt, succus earum naribus infusus caput purgat, & infusus in auriculas dolorem mitigat. Cum radicibus suis elixæ lendes mundant, fomento zernis prosunt. Cruda folia cataplasmate adhibita maculas emundant, alopecijs post scarificationem impositа capillos restituunt, vulnera pascentia compescunt. Cicatricibus nigris colorem reddunt, & ignem sacrum extingunt. *Physicus.* Beta nigra ventrem stringit, maxime cum lenticula, & aceto cocta. Alba autem ventri commoda est ad molliendum: betæ succus ventrem deducit, olera verò eius restringunt.

Betarum duo genera.

De Blito, & bleta.

CAPVT XXXI.

Sidorus. Blitum est genus oleris cuanidi saporis, quasi beta vilis. *Dioscorid.* Blitus est nimis frigidus, & humidus, Elixatus, & comestus ventrem emollit, Eustomachus est ac digestibilis, sed humidi corporis medicaminibus non conuenit eius natura, quibusdam iners, & sine acrimonia est visa, plurimúmque conturbat ventrem, vsque ad choleram. Hippocrates hunc in cibo præcipit, dandum, ad sistenda menstrua fœminarum. Clauos pedum credunt eo imposito limari atque comprimi. Succus eius ex vino datus scorpionum resistit venenis. Quidam verò putant eundem tritum, & impositum mederi plagis, beta & sinapi iecore laborantibus ac splencticis vtilissime datur esui, ignes acros exstinguit adusta cum alumine illinita vlceribus valet manantibus in capite, crudaque trita illinitur alopeciis optime, aqua in qua decocta est eliminat furfures capitis, pernionibus, aut fomento adhibetur, & iniecta cum melle deponit onera ventris. *Palladius lib. 4.* In mense Martio blitus seritur solo caule, dum olus habet, neque runcandum, neque sarculandum. Cum semel natum fuerit ipsum se per multa sæcula seminis sui deiectione reparabit, vt etiam si velis vix abolere possis. *Plinius lib. 20.* Blitum iners videtur ac sine sapore vel acrimonia, vnde conuitium fœminis apud Menandrum faciunt mariti. Stomacho est inutile, & ventrem adeo turbat, vt choleram faciat aliquibus. Dicitur tamen prodesse contra scorpiones è vino potum, & illini ex oleo clauis pedum. Idémque lienibus ac dolori temporum ex oleo. Hippocrates putat ex eo sisti menstrua. *Ex synonymis.* Bleta est attriplex agrestis, & ipsa est sicla, de qua scilicet dicetur infra.

Contra pedũ clauos.

Modus colẽdi Blita.

De Boragine.

CAPVT XXXII.

Isaac vbi supra. Borago est calida, & humida in primo gradu, in vino potui data lætitiam generat, & cor confortat, proinde antiqui miscebant eam medicinis cardiacæ valentibus passioni. Quæ etiam cum aqua cocta, & cum melle aut saccaro potui data, canales pulmonis, & gutturis optime mundat. *Platearius.* Borago folia habet aspera, quæ viridia sunt, præcipuè competunt vsui medicinæ, exiccata non secundario semina virtutem habent generandi bonum sanguinem, vnde conualescentibus ex ægritudine valet, syncopizantibus etiam cardiacis comesta cum carnibus, vel condita cum sanguine. Semen eius per duos annos in multa efficacia seruatur. Radix non competit vsui medicinæ, herba etiam cruda comesta bonum sanguinem generat, contra ictericiam cocta cum carnibus comeditur. *Constantinus vbi supra.* Borago est calida, & humida in primo gradu, choleram rubeam purgat, cardiacis subuenit ex cholera nigra patientibus. In vino

Temperamentum.

Contra syncopen.

missa,

miſſa, & potui data lætitiam generat. Eiuſque poſema cum melle, & ſaccharo bibitum, & contra gutturis aſperitatem, & pulmonis ac pectoris valet.

De Braſsica.

CAPVT XXXIII.

Tria genera braſsica.

Tempus quo ſeritur.

Vt ſint maioris gratia & ſaporis.

Tritanum genus.

Cima quid?

ISidorus. Braſſica eſt oleris genus, quæ & citocacia vocatur. Dicta eſt autem citocacia, eo quòd ventrem depurget, quam vulgus corruptè, citocociam vocat. *Ex ſynonymis*. Braſſica dicitur caulis nondum tranſplantatus, ſed quandoque pro quolibet caule ſumitur. *Plinius lib.* 19. Braſſicæ. Cato miras laudes canit, eiuſque tria genera facit, vnam extentis folijs caule magno, alteram folio criſpo quam apianam vocant, tertiam minutam caulibus lenem ac teneram, eamque minimè probat. Braſſica toto anno ſeritur, quoniam & toto ſecatur, vtiliſſime tamen ab æquinoctio autumni. Transfertur cum quinque foliorum eſt. A prima ſectione cimas præſtat proximo vere, hic eſt quidem ipſorum caulium delicatior cauliculuſquè tenerior. Poſt cimam verò ex eadem braſſica contingunt æſtui autumnaleſque cauliculi mox Hyberni. Iterum cimæ nullo æquè multifero genere, donec ſua conſumatur fertilitate. Tertia verò circa ſolſtitium, ſi humidior eſt locus æſtate, ſi ſiccior autumno plantatur. Humor ſimuſque ſi defuerint, maioris ſaporis eſt gratia, ſi abundauerint, lætior fertilitas: ſimus aſininus maximè conuenit, præcipuus autem fit caulis ſapore ac magnitudine. Primo ſi in repaſtinato ſeras, deinde ſi terram fugientes cauliculos ſeces. A terra attollentes ſe proceritate luxuriosa exaggerando aliam accumules ita, ne pluſquam cacumen emineat. Tritianum hoc genus vocatur. *Palladius libr.* 3. Semen braſſicæ vetuſtum, mutatur in rapam. *Idem in lib.* 5. In menſe Aprili vltimo, & propè tranſacto, braſsica poteſt ſeri, quæ cauli ſeruiet, quia cimæ tempus amiſit. *Idem libr.* 7. In menſe quoque iunio circa ſolſticium braſſica ſeritur, quæ inchoante caule tranſferenda eſt anguſto vel irriguo loco, vel initiante pluuia madefacto. *Idem in libr* 9. Braſſicam autem ſicut, & raphanum conſtat eſſe vitibus inimicam. Nam ſi ſerantur circa ſe, refugiunt natura diſcordante. *Idem in lib.* 10. in menſe verò Septembri braſſica vtilius ſeritur, vt eius plantæ inchoante Nouembri tranſponantur, de quibus & hyeme olus, & verè cima poſſit produci. Dicit autem Iſidor. quòd cima dicitur quaſi coma, & eſt ſummitas olerum, vel arborum in qua vigens virtus naturalis eſt.

De Laudibus eius in medicina.

CAPVT XXXIV.

Chryſippi volumen de Braſsica.

Selinas.

Lea. Caulodes. Crambe.

Vtilitas criſpæ Braſsica.

PLinius *libr.* 20. Braſſicæ laudes longum eſt exequi, cum & Chryſippus medicus priuatim ei volumen per ſingula hominis membra digeſtum dicauerit, & iterum Dieuches, ante omnes autem pythagoras & Cato non parcius celebrauerint. In tres autem ſpecies eam diuiſerunt antiquiſſimi Græci. Criſpam videlicet, quam ſelinada vocauerunt à ſimilitudine foliorum apij ſtomacho vtilem aluum modice molientem. Alteram lean latis folijs è caule exeuntes, vnde cauloden vocauerunt cum quidam, & hic nullius in medicina momẽti. Tertia verò crambe eſt appellata tenuioribus folijs, & ſimplicibus ac denſiſſimis, amarior quidem ſed efficaciſſima. Cato criſpam maximè probat, deinde lenem grandibus folijs caule magno. Prodeſſe tradit capitis doloribus oculorumque, caligini, & ſcintillationibus, & ſtomachi præcordijs, & aliis multis infirmitatibus. Nulla ergo ſunt crimina braſſicæ, immo apud eoſdem grauitatem animæ dicitur facere, dentibus, & gingiuis nocere, & in Ægypto propter amaritudinem non eſtur. Syluestris ſiue erraticæ effectus laudat Cato, ita vt eius odore tantum naribus rapto vicia orium, & grauem olentiam ſanare affirmet, hanc alij petream vocant inimiciſſimam vino quam præcipue vitis fugiet, aut moritur ſi fugere non poſſit, habet folia bina, rotunda, parua lenia. Satina candidior, & hirſutior. Hæc inflationibus mederi dicitur, melancholicis quoque, & vulneribus recentibus cum melle, ſtrumis etiam, & fiſtulis in aqua contrita Chryſippo auctore. Excreſcentia quoque abſumere, ſerpentia compeſcere, cicatrices ad planum reducere. Contra canis rabioſi morſum ſatis eſſe dicitur illa in potu, meliuſque cum laſere, & aceto acri. Necari quoque canes ea dicuntur, ſi ex carne detur. Semen eius toſtum contra ſerpentes fungorumque venena auxiliatur, radicum verò cinis vuæ in faucibus tumenti tactu medetur, parotidas quoque reprimit cum melle illita, ſerpentium quoque morſus ſanat. Denique virium braſſicæ magnum eſt argumentum, & mirabile, quod cruſtæ ſi occupent intus vaſa omnia in quibus aquæ feruent intantum vt eas non iis auellere; ſi braſſica intus decoquatur abſcedunt.

Braſsica inimica vino.

Virtus.

Contra morſum canis rabidi.

Argumentum virium braſſicæ.

De Eodem.

CAPVT XXXV.

Medicina Braſsica ſexcentis annis Romæ in vſu

Medicamentum Catonis

Vt pueri non ſint debiles.

Vtilitas Braſsicæ in cibum ſumptæ.

DIoſcorides. Braſſica virtutis eſt deſiccatiuæ, plagas glutinat, inflationes iam induratas ſanat. Eriſipilas etiam induratas, & herpetas curat, habet etiam aliquam virtutem proiicientem, qua curat lepras. Semen eius potatum lumbricos occidit, & lentigines tollit. Cinis verò caulis, & radicis fortiter deſiccat. Aliquid habens cauſticæ virtutis, vnde axungiæ mixtus quarta parte, ad lateris dolorem, qui eſt ſine febre, aut ex percuſſura, aut ex aliis cauſis dolentibus, diaphoreſim facit, & dolorem valide tollit. Cato populum Romanum, 600. ferè annis vſum medicina braſſicæ tradit. Non enim in vrbem medici commeauerant, qui peregrina ſecum pigmenta detuliſſent. Sed & viri militares etiam hoc tempore glorioſi, olere gratuito curabant vulnera, & cicatrices Idem hortiui caulis vſus illis ad ſalutem extitit, dum illos ſanat, & paſcit. Ponam itaque primo in loco medicamentum reuera Catonis appellatum, quod ille putauit ex braſſica componendum, dolori capitis, & oculorum caligini, & ſtomachi præcordiis profuturum. Crudam illam cum coriandro, & menta, & ruta, & radiculis laſeris ex aceto ac melle iubet conteri, & mane duorum acetabulorum menſura ieiunis propinari. Cæterum braſſica modo curat non ſolum recentia, verumetiam vetera. Podagræ, & articularibus cum ruta, & coriandro, & hordei farina, & ſalis mica vtiliter admoueri putant, fiſtulas iterum & laxaturas diſcutere, tumores euocare, & ſpargere ſomnia, vigiliaſque compeſcere, ſi ieiunis detur in cibo decocta cum ſale, & oleo, porro decoctam in fomento aqua neruis, & articulis prodeſſe. Vrinam quoque ſeruari iubet eius, qui braſſicam comederit, quam calefactam neruis vtilem aſſerit, pueros etiam nunquam fieri debiles ſi lauentur ex vrina frequenter. Hæc Cato. Chryſippus autem braſſicæ librum dictauit, peculiarem omnium ex illa membrorum remedia continentem. Ipſius ac cæterorum peritorum in medicina hæc opinio eſt de braſſica. Cibus eius aſſiduus caliginem diſcutit, concoctione multum proficit, purgationem ſeminis excitat, copiam lactis infundit. Cocta ſemicruda aluum reſoluit, diſcocta conſtringit, partus etiam mortuos pellit. Cocta contrita, & ſtomacho cum axungia veteri, & roſaceo ſuperimpoſita, febrium ardores mitigat, lepras cum alumine rotundo ex aceto illita emendat, ſic & fluentes capillos retinet. Teſtium ac genitalium vitiis vtiliter imponitur, efficaciter ad idem profutura, ſi fabæ tritæ miſceantur. Stirpes eius aridæ combuſtæ vim cauſticam præſtant. Quorum cinerem ſi quis pſilotris cum aceto, & laſere coniunxerit, detracti non renaſcentur

capilli.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Contra lũbricos.

capilli: Apud Gallenum inuenio ſemen braſſicæ potum, & Ægyptiæ maximè, lumbricos, & omnia intus animalia extinguere. Cinis radicum eius recentem vuam attollit ſubiectus.

De Bulbo.

CAPVT XXXVI.

Iſidorus. Bulbi vel volui ſunt appellati, eo quod volubiles atque rotundi. Bulbus eſt omnis radix tunicata. Sed moderni medici quando ſimpliciter ponitur accipiunt pro radice narciſſi. *Dioſcorides.* Bulbus qui manducatur, & hæmaticus dicitur, habet folia longiora, & intra firmiora. Species eius duæ ſunt. Vna infimi, qui bonus eſt ex terra pingui collectus, & euſtomaſticus. Alia vero plus eleuati euſtomacha, & ſimilis prædicto. Omnes autem bulbi calidi ſunt & viſcidi. Comeſti autem venerem erigunt. Corpori ſuccum addunt, linguam, & fauces exaſperant, ſtomachum inflant. Bulbi cataplaſmati podagricis adhibiti ac luxationibus,& doloribus iuncturarum maximum præſtant effectum, infixa corpori euocant, tumores hydropicos impoſiti ſpargunt. Caninis morſibus ſubueniunt,addito melle dolorem ſtomachi compeſcunt, furfures, & acores addito nitro purgant, liuores maculaſque tollunt, addito etiam oui medulla, & aceto ac meile lentigines corporis emundat, conquaſſationibus aurium, & vnguium adhibiti cum polenta ſubueniunt, in cinere quoque toſti vel cocti addita polenta, & capitibus iuniorum piſcium, nigris cicatricibus, colorem reddunt. Ijdem cocti, & comeſti lateris dolorem tollunt vel compeſcunt, illiſque qui vrina ſua doluerint latus, ſed multum comedendi non ſunt,quia deſiccatiuæ virtutis, ac neruis contrarij ſunt, Chocho bulbus agreſtis, eſt quem ephimeros dicunt, naſcitur in fine autumni, florem habens croci ſimilem, album, poſtmodum affert folia bulbo ſimilia, & pinguia, haſtam habet duabus palmis longam, ruffamque radicem, & ſubnigram. Quæ ſi decorticata fuerit inuenitur alba. Mollis eſt ac dulcis pleno ſucco lactei coloris. Ipſe bulbus habet inſciſuram in medio, inde flos exit radix accepta effocationem præſtat, ſed ideo hanc in notitiam protulimus ne pro bulbo comedatur, eo quòd illi veneni vis inſit, quamuis ſuauis guſtus ſit. Huic eſt ſingulare præſidium ſi ſumatur lac bulbiſinum.

Dua ſpecies bulborum.

Remedia quæ præſtat.

Venenum in bulbo.

Contra phalangia.

Iterum de eodem.

CAPVT XXXVII.

Liuius lib. 20. Bulbis Theodorus lichenas curat ex aceto, & erumpentia in capite eum auſtero vino vel ouo. His etiam illinitis ſanantur epiphoræ, & ſic lippitudini medentur. Eorumque vitia, qui ſunt facie rubentes, maximè in ſole illitis cum melle, & nitro emendat, lentiginem cum vino aut cumino coctis,vulneribuſque mirè proſunt, & in vino cocti ventrique illiniti pleuriciam præcordiorum emolliunt, dyſſenthericis in vino ex aqua cœleſti temperato, dantur, ad conuulſa verò intus cum ſilphio pillulis fabæ magnitudine ad ſudorem tuſi illiniuntur. Ijdem & auriculas fracta, teſtiumque pituitas curant,& in articulorum doloribus farinam miſcent, vtiles quoque ſunt neruis, ideo dantur & paralyticis. Qui ruſti ſunt ex his cum melle, & ſale ſanant citiſſime, venerem ſtimulant, maximè mægarici. Hortenſij parum cum ſapa vel paſſo ſumpti, ſylueſtris cum ſylphio pillulis deuoratis ſanant intraneorum plagas, & vitia, ſed & ſatiuorum ſemen in vino bibitur contra phalangia. Ipſi ex aceto illiniuntur contra ſerpentum ictus. Horum ſemen antiqui bibendum inſanientibus dabant, flos bulborum tritus maculas crurium, & varietates igne factas emendat. Diocles ab his oculos hebetari putat,elixos aſſis minus vtiles cuiuſq; naturæ. Bulbinem Græci vocant herbam paracæ folijs rubicundo bulbo,hæc traditur mirè vtilis eſſe vulneribus, duntaxat recentibus. Bulbus (quem vomitorium vocant ab effectu) habet folia nigra cæteris longiora, vtiliſſimus ſtomacho cibus. *Idem in libr.* 21. Bulborum generi quiddam annumerant, & cyperi radicem, hoc eſt gladioli, de qua ſcilicet dictum eſt ſupra. Aſphodelus manditur, & ſemine toſto, & bulbo, ſed hoc in cinere toſto, deinde ſale, & oleo addito, præterea cum ficis tuſo præcipua voluptate, vt videtur. Heſiodor. Traditur, & ante villarum portas ſatum, remedio eſſe contra noxam veneficorum. Radix eius eſt ſimilis napo, ne vlla numeroſior octuaginta ſimul aceruatis ſæpe bulbis. Theopraſtus, & Pythagoras caulem eius cubitalem, & ſæpe bicubitalem, folijs porri ſylueſtris vocauerunt antheriſcon, radicem autem ideſt bulbum aſphodelon.

Bulbus vomitorius.

Contra noxam veneficorum.

De Canabo.

CAPVT XXXVIII.

Iſidorus vbi ſupra. Canabum ad ſimilitudinem cannæ vocatum ferunt, vel ab etymologia Græca,quoniam canabum illi canabin dicunt. *Plinius lib.* 19. Vtiliſſima funibus canabis, ſeritur à fauoneo, quo denſior eſt eo tenerior. Semen eius quoniam maturum eſt ab æquinoctio autumni defringitur, & ſole vel vento vel fumo ſiccatur. Ipſaque canabis poſt vindemiam vellitur, ac lucubrationibus decorticata purgatur. Optima eſt alabandica præcipuè plagarum vſibus. Tria ſunt eius genera improbatur cortici proximum, aut medullæ laudatiſſimum eſt è medio, quæ meſa vocatur. Secunda dicitur milaſea quod ad proceritatem attinet. Tertia roſea, quæ agri ſabini arborum altitudinem æquat. *Idem in li.* 20. Canabis nata eſt primum inſyluis, folio nigrior, & aſperior. Semen eius virorumgenituræ extinguere dicitur. Succus ex eo vermiculos aurium, & quicquid intrauerit eijcit, ſed cum dolore capitis, tanta vis eſt ei vt aquæ infuſa coagulare eam dicatur. Ideoque iumentorum aluo ſuccurit pota in aqua. Radix eius contractos articulos emollit in aqua cocta. Itẽque podagras, & ſimiles impetus, ambuſtis autem illinitur cruda, ſed ſæpius eſt mutanda priuſquam areſcat. *Auicenna.* Canabis campeſtris reſoluit ventoſitates, & exiccat fortiter, humorque eius paucus eſt, & malus. Ex eius radice decocta fit emplaſtrum apoſtematibus calidis in locis duris inquibus chymi viſcoſi, ſedatque caliditatem & ſoluit duritiem. Exiccat ſperma, ſolutione flegma educit, & choleram, viſum obtenebrat, ſtomacho nocet. Succus eius diſtillatur ad dolorem auris opilatiuum, & ad eius humiditatem ſimiliter, & oleum ipſius, folia verò eius eradicant furfures in capite, ſemen eius calidum eſt, & ſiccum in tertio. Idem ex decoctione canabi ſylueſtris fit emplaſtrum eriſipilæ, & apoſtematibus calidis. Succus eius, & oleum conferunt auris doloribus, & cum ſucco foliorum eius lauatur caput, confertque furfuribus. Eius grana difficilis ſunt digeſtionis, & ſtomacho mala,eumque plurimum ex corticibus eius ſumitur, interſecat ſperma. *Idem,* ſchedegini eſt ſemen canabi. At aliud quidem eſt hortolanum, aliud campeſtre. Humaym dixit, quod arbor campeſtri ſecundum cubiti quantitatem in deſertis egreditur, & ſuper folia eius albedo dominatur. Eiuſque fructus piperi,& gramini aſumnati aſſimilatur. Natura eſt calidum, & ſiccum in tertio, ſuccus eius conſtrictionem ſoluit, ac ſolutione phlegma, & choleram educit. *Palladius libro* 3. In Februario menſe vltimo canabum conuenit ſeri terra pingui, ſtercorata, rigua vel plana, & humida, & altius ſubacta. In vno pede quadrato ſex eiuſdem generis ponuntur grana. Idem in libro 4. In menſe quoque Martio vſque ad æquinoctium vernum bene poteſt ſeri canabum ſecundum rationem ſupradictam.

Modus ſerendi canabin.

Meſa milaſea. Roſea.

Contra dolores aurium

Quo terra ſerenda.

Pro paralyticis.

De

De Canna.

CAPVT XXXIX.

Temperamentum.

Vomitus procuratiuus.

Agricultura soli cannarij feracis.

Virtus.

Temperamentum.

Contra paralysim.

AVctor. Canna etiam de qua inter herbas incultas dictum est supra, inter satiuas, ex parte computatur, quod cannarum plura sunt genera, inter quæ canna mellis habetur, vnde Saccarum Candiæ sumitur. propter quod & cannæ Saccharinæ appellantur. *Razis in Alman.* Canna mellis temperate calida est, gulam lenit, & vrinam prouocat, tussi quoque auxilium præstat. *Isaac in dietis particularibus.* Canna mellis est quasi musa, quæ tamen magis congruit humidis corporibus quam illa, dulcior enim est quam musa, proinde vrinam prouocat, renes ac vesicam mundificat, ventrem humectat, pectoris ac pulmonis asperitatem lenit, & humores attenuat, inflationē tamen præsertim sumpta post cibum facit. Quæ si assa edatur, vtilior fit asperitati pulmonis ac pectoris, aliquantulum tamen inflat. Porro si multum de canna mellis propinetur, deinde aqua calida cum modico sale potetur, vomitum excitat, & stomachum de crassis humoribus mūdificat. Iccirco multum ad curandas febrium putredines vtilis esse probatur, si superiore modo sumatur. *Palladius libro 3.* In mense Februario canneta ponenda sunt factis breuissimis scrobibus, & oculis cannarum per singulas scrobes obrutis, qui se nipedis spacio inter se distare debebunt. Si calidæ, & siccæ prouinciæ studemus, valles humidas vel irriguas opus est deputare cannetis. Si frigida regio est, locis mediis instituantur, sed succo villarum irriguo simoque subditis. Inter hæc asparagorum etiam semina spargere possumus, vt iuxta nascantur, quia & asparagi coluntur, & incenduntur hoc more quo cannæ. Sed si sunt antiqua canneta hoc tempore sarrientur resciſis, quæ in radice purganda sunt, idest putridis malè porrectis, & siqua gignendi oculos non habebunt.

De Cappari.

CAPVT XL.

Contra paralysim.

Virtus.

Temperamentum.

ISidor. *vbi supra lib.* 17. Capparis dici videtur, eo quod habeat in summitatibus rotunda quædam seminum capitella. *Plinius vbi supra.* Diximus inter peregrinas frutices de capparo, non vtendum transmarino, innocentius est Italicum. Ferunt illos qui quotidie edunt, paralysi non periclitari, nec lienis doloribus. Radix eius vitiligines albas tollit, si tritæ in sole fricentur, in vino potata prodest splencticis, & in lumborum doloribus atque paralysi; dentium dolores sedat tritum ex aceto. Infunditur, & dolori aurium oleo decoctum, vlcera quæ phagedenas vocant folia, & radix recens cum melle sanant. Sic & strumas discutit radix, vermiculosque, cocta in aqua iocinerisque maculas medetur, datur & ad tineas in aceto ac melle. Oris etiam exulcerationes in aceto decocta tollit, stomacho tamen inutilis esse inter auctores conuenit. *Dioscorides.* Capparis schirosim splenis super omnia medicamina iuuat. Frutex eius spinosa super terram sparsa, punctione plena sicut sentis habens folia cydoniæ similia, semen autem sicut oliua. Radices magnas, & multas locis aridis, & maximè in muris nascitur. Semen eius ventrem mollit. Comestum autem cacostomachum est. Radix & semen cum vino bibita splenem attenuāt, vrinam prouocant, sanguinem deponunt, ischiaticis, & paralyticis bibita mirifice prodest, menstruis imperat, semen eius coctum cum aceto, & ore retentum, dolorem dentium mitigat. Radix eius trita, & imposita duritias, & scrophas spargit. Succus eiusdem auri infusus vermes occidit. *Isaac.* Cappari sunt, & radix & frondes, & fructus eius omnes sunt calidi in secundo gradu, quod testatur eorum ponticitas acumen, & amaritudo. Ideo inscidunt, & dissoluunt, & mundificant stomachum à superfluis humoribus, oppilationem splenis ac hepatis aperiunt, & duritiam soluunt, vrinā & menstrua prouocant. Meliores sunt secundum medicinam, quam secundum cibum, quoniam illaudabilis nutrimenti sunt, vtpotè cholerici, nigrique sanguinis generatiui, neruos etiam stomachi impediunt, & percutiunt assuefacti, vnde oportet eos elixos manducari ablataque eorum aqua conditos cum oleo, & aceto. Qui si cum carne vel alio comedantur, non absq; coriandro manducandi sunt, cuius natura temperiem magnam eis præstat. *Platear.* Capparis siue capparus herba est vel frutex in transmarinis partibus, cuius cortex præcipuè conuenit vsui medicinæ. In principio veris colligitur, & deficcatur, per sex annos in multa efficacia seruatur. Eligendus autem est cortex, qui cum frangitur non puluerizatur, & qui aliquantulum subruffus est, & subamarus, flores enim adhuc tuberosi colligi debent, quia iam dilatati non valent. Cum sale, & aceto conditi seruantur, virtutem habent incitandi appetitum, humorem in ore stomachi existentem digerendi, stomachum confortant, infrigidatum calefaciunt. Cibus enim sunt & medicina, contra vitium splenis, & duritiem hepatis valet vinum decoctionis capparis. Succus foliorum eius auribus immissus vermes necat, valet etiam herba hæc ad iliacam passionem & arthreticam.

Seruatur per sex annos.

Iterum de eodem.

CAPVT XLI.

Virtus.

Humidum est magis nutritiuum.

Contra mala capitis.

Temperamentum.

Contra vermes in auribus.

AVicenna. Capparis est frutex habens radicem, & fructum alium, qui est sicut cucumeris, & est acris & calida, quæ posita in musto conseruat illud ab ebullitione sicut sinapis. Eiusque radix est amara, & acris. Et quædam species eius est culzumia faciens in ore bothor vsque ad terminum quo vesicetur, & apostemat gingiuam. Quod in ipsa iuuatiuum est, sunt radicis eius cortices. Est autem capparis resolutiua, & aperitiua, & abstersiua. Eiusque radix est inscisiua, subtiliatiua, mundificatiua, & aperitiua, in eius cortice sunt amaritudo, & acrimonia, & stipticitas, Nutrimentum fructus eius præcipue cum sallitur, paruum est & quod ex ea est humidum magis est nutritiuum, quàm quod siccum est. Radix eius resoluit scrophulas, & duricias, eique admiscetur, quod eius virtutem frangat. Cortices radicis eius ponuntur super fraudulenta, & sordida vulnera, conferuntque ischiaticæ, & anchæ doloribus, Paralysi quoque & stupori confert, & membra constringit propter stipticitatem, quæ in ipsa est. Similiter etiam confert attritioni lacertorum capitibus, & in medio eorum accidenti. Cortices radicis masticati extrahunt è capite humiditatem, ac sedant in eo frigidum dolorem, in aurem quoque distillatur succus eius, propter vermes ipsius, & cum læso dente stringitur cortex radicis eius. Quod sallitum est ex ea confert patientibus asma, ipsaque magis confert spleni ac duriciei eius bibita, & cum hordei farina, & similibus emplastri more superposita. Solutione humorem crudum crassum educit, & menstrua prouocat. Interficit quoque serpentes, & in intestinis vermes. Hemorroidibus confert, augmentatque coitum, & quod ex ea sallitum est soluit, cum sumitur ante cibum. *Constantinus vbi supra.* Cappari sunt in secundo gradu calidi, & sicci, horum radix, & frondes, & poma, & semen intrant medicinam. Magis tamen cibo poma, & frondes, radix verò medicinæ pertinet. Omnia tamen hepar, & splenem aperiunt opilatum, sed radix est fortior omnium, vnde contra duriciam splenis maximè cum aceto bibita conuenit, & crassos ac viscosos humores per vrinam, & egestionem ejcit. Cum melle verò & aqua calida potata arthreticam de crassis humoribus dissoluit. Cataplasmata quoque cum melle duriciam splenis curat, puluerizata, & cum aceto temperata, morpheam albam mundificat. Succus frondium eius auribus instillatus, vermes in eis natos occidit, cataplasmatus autem scropham, & apostemata dura soluit.

De

De Cardamo.

CAPVT XLII.

Dioſcorides. Cardamus (id eſt naſturcium vel creſſon) babylonicus eſſe dicitur omnibus vtilior. Semen eius calidiſſimum, cauſticæ virtuti participans, & cacoſtomatichum, ventrem turbat, lumbricos expellit, ſplenem attenuat cum aceto, ſed abortum facit, & ſperma coagulat, & venerem ſtimulat, ſimilis eſt ſinapi, & erucæ, impoſitum lepras, & zernas emendat, additoque melle duricias ſplenis compeſcit, ſordida vulnera ſucco adhibito purgat. Morſibus venenatis bibitus occurrit, fumigatio eius ſerpentes fugare facit, profluentibus capillis illitus ſuccus occurrit. Carbunculos cum polenta rumpit, & aceto coctum iſchiaticis vtiliſſime cum aceto, & polenta impoſitum ſubuenit, tumores atque duricias ſpargit. Reſoluit ordiola matura, impoſitum cum aqua ſalſa, in dolore cordis in lacte caprino coquitur, & ad bibendum datur. Omniſque loci dolorem tollit puluere ſeminis aſperſo, ſed prius vncto melle loco, Scabiem quoque ſanat cum aceto. Natura cardami cauſtica eſt, & tamen vſum venereum inhibere, videtur ea fortaſſe ratione, qua etiam ruta nimia vi caloris ſemen conſumit genitale-fermento mixtus, & appoſitus, vermiculos, & carbunculos prouocat, ſuppurationem dirumpit. Succus eius infuſus auribus, dentium dolorem mitigat, ſemen vero partus necat. Idem cum auſtero vino bibitus animalia ventris extinguit, pruriginem cum adipe anſerino tergit, ſorbitionibus mixtum pituitam pectoris ſoluit, lichenas id eſt impetigines & vlcera capitis, illitũ cũ melle purgat humores pectoris, dolores pectoris cum lacte caprino coctum mitigat. Aluum ex aqua propinatum purgat. A ieiunis ſumptum ex melle tuſſientibus eſt ſalutare. Corpus autem rubere facit, & ideo cephalgicis, & ad ea, quæ calefieri opus eſt, congruit: herba eius hæc omnia facere valet, ſed paulominus efficaciam habet. Cardamus agreſtis vbi naſcitur, & quam plurimum locis aquoſis, frutex eius habet vnius cubiti, longitudinem, in folijs plena, quæ cardamo ſimilia ſunt, ſed maiora: naſcitur verno tempore, matureſcit æſtate, flores habet in omnibus virgis, multos, minores, & albos, minutum ſemen, radicem oblongam, tenuem, & odore viſcidam. Cardamo ſimilatur, & iſchiaticis medicatur. Dolorem capitis temporalem compeſcit, arthreticis antiquis ſubuenit. Quæ tuſa, & axungia mixta debet imponi, & poſtea ſine vctione olei quamdin faciat vſtionem lauari, quod ſi aliquid cauſæ ipſius remanſerit, iterum radix tuſa imponitur, & omnia ſupradicta facit.

Contra ſerpentes & capillos profluentes.

Cauſtica natura, tamen impedit venerem quia conſumit ſemen.

Cephalgicis congruit.

De Carduo, & eiuſdem cultura.

CAPVT XLIII.

Tempus quo ſeritur.

Sidorus. Carduus eſt herbæ ſpinoſæ genus. Cuius natura mordax eſt, & ſubauſtera, mollis ac frigidus, & indigeſtus, vnde alopecias curat ſuccus eius. *Palladius.* In menſe Martio carduus ſeritur, Terram ſtercoratam, & ſolutam diligit, quamuis in pingui poſſit melius prouenire, & hoc illi contra talpas prodeſt, ſed plantatur in ſolido, ne terra ab inimicis animalibus facilius perforatur. Serendi ſunt cardui luna creſcente in area iam parata ſemina ſpacio ſemipedis ſint diſcreta. Cauendum eſt ne ſemina inuerſa ponãtur, nam debiles in curuos, & duros creabunt: non alte imprimenda ſunt, ſed tribus digitis comprehenſa mergantur, donec ad primos articulos terra proueniat, Tunc leniter operiantur, & herbis liberentur aſſidue, donec plantaria ſolidentur, & rigentur ſi æſtus interueniat. Si acumina ſeminum confringas, ſpinis carebunt. Idem ſi ſemina eorum madeſceris per triduum laurino auleo, vel nardo, vel opio, vel balſamo vel ſucco roſæ, vel maſticino, & poſtea depreſſeris, eiuſdem ſaporis orientur, cuius vnguenti vim

Luna creſcente. - Tribus digitis imprimuntur.

Vt cardui odoriferi ſint.

ſemina combiberunt, ſingulis ſane annis à caudice auferendi ſunt plantæ, vt nec matres fatigentur & ſoboles per alia ſpacia digeratur, cum aliqua tamen radicis parte vellendi ſunt. Quos autem reſeruabis ad ſemina colligenda liberatos omnibus pullis teſta ſupertegere debebis aut cortice. Nam ſolent ſemina ſole vel imbribus interire, Contra talpas prodeſt canes frequenter habere in medijs carduetis. Muſtelas habent plerique manſuetas, aliqui foramina eorum rubrica, & ſucco agreſtis cucumeris impleuerunt. Nonnulli iuxta cubilia talparum plures cauernas aperiunt, vt illæ territæ fugiant, ſolis admiſſum. Plerique laqueos in aditu eorum, ſetis pendentibus ponunt. *Idem in libro* 11. In menſe Octobri ponuntur & cardui, quos cum ponemus radices eorum ſummas ferro reſecamus ac ferro condimus. Ternum pedum ſpacio ſeparamus incrementi cauſa, pedali ſcrobe depoſitas binas aut ternas. Cinerem ſæpe ſub hyeme diebus ſiccis, ſimumque miſcebis.

Contra talpas.

Tribus pedibus ſeparandi.

De operatione ipſius in medicina.

CAPVT XLIIII.

Plinius lib. 20. Carduorum ſatum inter hortenſia diximus, quapropter & medicinam ex his non differamus. Sylueſtrum genera duo ſunt. Vnum ſtatim à terra fruticoſius, alterum vnicaule craſſius, vtrique folia ſunt pauca, ſpinoſa muricatis cacuminibus, ſed alter purpureum mittit florem inter medios aculeos celeriter caneſcentem, & cum aura abeuntem, hunc ſcolimon Græci vocant: hic antequam floreat, contuſus, & expreſſus, & illito ſucco replet alopecias, eiuſque radix ex aqua decocta potatoribus ſitim facere dicitur, ſtomachum corroborat & vuluis aliquid conferre traditur ad hoc vt mares gignantur. *Diſcorides.* Cardui natura mordax eſt, & ſubauſtera. Ideo ſuccus eius alopecias à capite depellit, ſtomachum iacentem ſi non auidius ſumatur erigit, & recomponit. Radix eius decocta cupiditatem bibendi cohibet, matrici vero cibus vtiliſſimus eſt, & ideo à fœminis appeti ſolet. Glaucias quoque ſcribit cardui cibum adiuuare fœminas vt maſculos procreent; maſticatio quoque cardui odorem oris commendabilem reddit. Cardui aceto ac melle diluti conduntur, & addito radice laſeris, & cumino ſeruantur, huiuſmodi arte prouiſum eſt, ne quis omnino dies ſine carduis eſſet. Hippocrates, in quadam epiſtola. Carduus calefacit, & vrinam prouocat.

Natura cardui mordax.

Adiuuat fœminas, & odores oris.

De Caule, & eius culturæ diſciplina.

CAPVT XLV.

Sidorus. Caulis eſt generaliter herbarum vel olerum medius frutex, qui vulgo thyrſus dicitur, eo quod à terra ſurſum conſcendat. Ex quo deriuatum eſt vt ſpecialiter quoddam genus olerum caulis diceretur, quia thyrſus eius plus cæteris omnibus coaleſcit, ideſt creſcit. *Auicenna.* Caulis corpus naturaliter eſt humidis folijs. Silueſtris autem eſt calidior, & ſiccior, ipſe totus eſt calidus in primo, ſiccus in ſecundo. Caulis ſiquidem alius eſt domeſticus alius ſylueſtris, alius marinus, & alius caulis aquæ. Sylueſtris eſt amarior, & acutior, & remotior à cibo. Eſt autem craſſi nutrimenti, incraſſans ſanguinem, & inflat, & facit corpus doloroſum, maturatiuus eſt autem ac lenificatiuus, & deſiccatiuus propriè quando decoquitur, & ab eo prima aqua effunditur, eiuſque nutrimentum eſt paruum, & humidius, nutrimentum lentium, & ſanguinem facit malum. Cum ergo cum carne pingui, & gallinis decoquitur, parum bonus efficitur. *Palladius libro* 3. In menſe Februario caules ſeruntur, qui & toto anno ſeri poſſunt. Solum pingue, & ſatis ſubactum diligunt argillam, & glaciem timent, ſabulone & arenis non delectantur, niſi perennis vnda ſuccurrat. Omnẽ ſtatũ cœli

Temperamentum.

Frigus iuuat caules.

Ad conſeruandum caules virides.

patitur caulis, frigidum magis. Contra auſtrum poſiti citius ferunt, contra ſeptentrionem ſerius, ſed hoc & ſapore caulis vincit, & robore. Cymis delectatur, & ideo ponendæ ſunt plantæ per bulbinos arearum. Gaudet ſtercore, & ſarculatione. Rarius poſitus conualeſcit, celerius coquitur, virore ſeruatur, ſi dum eſt trium vel quatuor foliorum nitrum tritum cribello deſuper ſpargas, & ſpeciem pruinæ canẽtis imitetur. Columella dicit plantarum radices alga marina inuoluendas ſeruandæ viriditatis cauſa, ſimo ſimul adhærente. Ponendæ ſunt plantæ maioris nutrimenti. Qua licet ſerius comprehendant, fortiores tamen fiunt. Si hyems eſt, tepida die, ſi æſtas, cum ſol in veſperam declinat, planta pangenda vaſtior fiet ſi terra aperiatur aſſiduè, ſemen braſicæ vetuſtum mutatur in rapam. *Auctor.* Hoc addit Palladius, quia caulis ipſe eſt braſica de qua ſub hoc nomine dictum eſt ſupra.

De virtute caulis in medicina.

CAPVT XLVI.

A *Vicenna.* Caulis habet proprietatem in ſedatione dolorum, ſtipticus eſt eius cinis, & fortis exiccationis. Sylueſtris, & marinus ac domeſticus, maturant phlegmata atque duricias. *Idem.* Caulis conſolidat, & prohibet fraudulentis ambulationem, poniturque cum albumine oui ſuper aduſtionem. Tremori confert & cum fenu græco embrocatur ſuper podagram, eiuſque decoctio ſanat dolores iuncturarum. Iterum eius decoctio ac ſemen tardant ebrietatem. Confert etiam furfuribus, & fit capiti purgium cum ſucco eius. Ex eius proprietatibus fit exiccatio linguæ, facitque ſomnium, & tenebrat viſum. Cum ſucco eius aut decoctione ipſius cum oleo fiſamino fit gargariſmus contra præfocationem, & eius comeſtio clarificat vocem. Eſt autem malus ſtomacho. Succus eius cum vino de paſſis confert ſpleni, & ictericiæ, prouocat vrinam, & menſtrua, eiuſque ſemen vermes interficit cum lupinorum aqua. Cinis radicis lapidem frangit. Caulis marinus declinat ad ſalſedinem, & amaritudinem, & ideo lenit naturam, ſoluitque propriè cum pingui carne. Eius folia ſunt ſicut ariſtologiæ, quæ oriuntur ex vna radice. Succus eius cum vino confert morſibus etiam canis rabioſi. *Dioſcorides.* Cauliculi hortiui elixi, & non valde percocti ventrem molliunt. Nam caulis thyrſus ſi fortius elixetur ventrem abſtinet, & maximè ſi in calido ciuere coquatur, cacoſtomachus ac viſcidus eſt. Qui naſcuntur in Ægypto amari ſunt & ſi commeſti fuerint caligines oculorum detergunt. Typicis proſunt crudi commeſti ebrietatem in conuiuio non admittunt. Cima caulis euſtomacha eſt ac diuretica, ventrem mollit. Cum vino bibitus venenatis morſibus occurrit. Cum fenugræci polline artheticis proficit, vulneribus ſordidis opitulatur, ſuccus eius caput purgat, naribus additus, cum hyreos polline mixtus menſtrua deponit appoſitus. Eius folia cruda, & cum polenta cocta in cataplaſmate adhibita ignem ſacrum compeſcunt, & leproſis ſimiliter proſunt. Eadem cum ſale mixta medentur carbunculis, & fluentibus occurrunt capillis. Cruda cum aceto commeſta ſpleneticos adiuuant, maſticata ac eius ſucco deglutita vocem purgant, caulis elixatura ventrem mollit, menſtrua deponit. Semen Ægyptij cauliculi bibitum lumbricos excludit, antidotis cæliacorum miſcetur, lentigines tollit, virgulæ cauliculorum combuſtæ, & in cinerem radactæ dolores lateris veteres ſoluunt cum axungia veteri vel oleo roſeo adhibitæ, cauliculus agreſtis, qui naſcitur in locis marinis ac deſertis, albidior eſt ac longior, & amarus, virtus eſt ei paracholiaca, ſordidaque purgat vulnera. Diaphoreſin facit. Impoſituſque pappulas mitigat, cauliculus, qui dicitur maritimus à noſtro diſſimilis eſt, habens folia longa, & rotunda ariſtologiæ ſimilia, virgaſque robuſtas, & rufas vt hædera. Succum habet album, & cum guſtaueris amarum, herba ipſa elixa data ſoluit ventrem, prouocat vrinam, pinguibus carnibus miſcetur, & concoquitur.

Effectus.

Adhuc de eodem.

CAPVT XLVII.

Temperamentum.

Ius caulium.

I *Saac vbi ſupra.* Caulis ſiccus eſt & frigidus in primo gradu, turbidum, & melancholicum generat ſanguinem odorem dantem: caules æſtiui vſtiorem ſanguinem generant, choleræ enim vſtæ vicini ſunt, & mundificatiui, hiemales vero non tanti acuminis ſunt, ſed vis eorum ventrem humectat, & vrinam prouocat. Horum ius bibitum ventrem ſoluit, & ſine iure commeſti eundem conſtipant, corpus enim eorum ſiccum eſt, vnde & conſtipatiuum. Ideoque vt ab eorum nocumento temperetur elixentur, & aqua proiecta in ola coquantur cum pinguiſſima carne pecudis vel ſuis. *Raſi.* Caulis calidus eſt, & ſiccus choleram generat, ſomnia mala videre facit. Veruntamen guttur ac pectus lenit, ventrem quoque fluere facit, & ebrietatem aufert. Hæc de caule Romano, & Imperiali inueniuntur, ſed alij qui frigidiores ſunt ſperma augmentant.

Macer.

Caulis Romana Græcorum braſica lingua.
Dicitur is, quamuis paſſim naſcatur in hortis,
Eſt tamen illius ad multa ſalutifer vſus.
Annis ſexcentis vſtos medicamine caulis,
Romanos; Cato teſtatur, ſcripſiſſe libellum,
Chryſippum dicunt, huius de viribus herbæ.
Omnes confirmant caligine lumina tergi,
Eius qui viridi veſcetur caule frequenter,
Auget lac mammis, cibus eius menſtrua purgat,
Atque iuuat ſtomachum ſumptus vt decoquat eſcas.
Si multum coquitur reſtringere dicitur aluum,
Et ſemicrudus ſolet illum ſoluere ſumptus.
Aſſumptus crudus ſic vt iungatur aceto,
Splen reprimit tumidum, ſemen depellit abortum.
Vncto cum veteri, coctos bene contere caules.
His oleum roſeum quantum res poſtulat addas.
Ardores iuuat hæc confectio febris,
Si ſuperaddatur ſtomacho membroque calenti,
Acri non ſciſſum ſi iungis alumen aceto.
Et caules ſicut corpus redigantur in vnum.
Cuncta terendo diu maculas his ſæpe perunges,
His etiam crines poteris retinere fluentes.
Dicitur, & teſtes illud curare tumentes,
Et varios morbos genitalia quæ patiuntur,
Et melius ſi prædictis faba cocta iugatur,
Cum fenugræco ſi iungas hunc, & aceto,
Et ſuper arthreticos apponas iſta dolores,
Multum ſubueniet illis vitiſque podagræ.
Non modicum poterit iſtud cataplaſma mederi.
Vncto cum veteri caulis cineres benè triti
Proſunt ad ventris, lateris coxæque dolores.
Si caulis ſemen mixto potatur aceto,
Pellere ſæpe ſolet animalia noxia ventris.
Fit cinis ex ſiccis caulis radicibus vſtis.
Subditus hic vuam releuat ſuccando iacentem.
Dentibus attriti ſuccum glutire virentis,
Affirmant raucæ multum ſuccurrere voci,
Naribus infuſus ſuccus purgat caput eius,
Qui prius eſt caules, vix ſentiet ebrietatem.

De Cæpa, & cultura ipſius.

CAPVT XLVIII.

I *Sidorus.* Cœpa dicitur, quia non eſt aliud niſi tantummodo caput. *Plinius lib.* 19. Cæpæ genera ſunt apud Græcos Sarda, Samothracia, Halſidena, Setania, Schyrta, & Aſcalonia. Omnibus autem eſt odor lachrymoſus, & Cyprijs præcipuè, minimè Gnidijs, omnibuſque corpus tutum pinguedinis earum

cartile-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Folia eur cæpis de trahenda.

cartilagine. E cunctis Serania minima, excepta Tuſculana, ſed dulcis. Schyrta autem, & Aſcalonia conduntur, Schyrtam hyeme cum coma ſua relinquunt, vere folia ſua detrahunt & alia ſupernaſcuntur, vnde & hoc exemplo quidam reliquis quoque generibus detrahi iubent, *vt in capita potius, quam in ſemetipſa creſcant.* Aſcaloniarũ propria eſt natura, ſicut videlicet dictum eſt ſupra. Eſt & colorum differentia. Samo enim & Sardibus proueniunt candidiſſimæ. In honore ſunt & creticæ, de quibus dubitant Philoſophi, vtrum eædem ſint quæ Aſcalonicæ, quibus ſatis in capita craſſeſcunt depoſitis caulibus, & ſemine. Diſtant tantummodo dulci ſapore. Apud nos duo genera. Vnum genus condimentarium quod illi getion, noſtri pellicana vocant. Seritur menſibus Martio, Aprili, Maio. Alterum genus eſt capitatum, quod æquè ab æquinoctio autumni vel fauonino. Eius genera ſunt auſteritatis ordine Aphricana, Gallica, Tuſculana, & amiternina. Optima vero, quæ rotundiſſima. Item acrior eſt rufa, quam candida, ſicca quam viridis, cruda quam cocta, ſicca quam condita. Seritur amiternina frigidis, & humidis locis, & ſola alio modo capite, reliqua vero ſemine; proximaque æſtate nullum ſemen emittunt, ſed caput tantum quod marceſcit. Anno autem ſequenti ratione permutata ſemen gignitur. Ipſumque caput corrumpitur. Omnibus ergo annis ſeparatim ſemen cæpe cauſa ſeritur, ſeparatim cæpæ cauſa ſeminis. Seruantur autem optimè in paleis. *Getium.* Getium penè eſt ſine capite, ceruicis tamen longæ, & ob hoc in fronde totum, ſæpiuſque reſecatur vt porrum. Ideo, & illud ſerunt, non deponunt. Porro cæpas ter foſſo ſolo iubent ſeri, extirpatis herbarum radicibus, & in iugere denas libras, ſature iam intermiſceri, quoniam ſic proueniat melius. Runcari præterea, & ſarriri oportet, ſi non ſæpius quater. Semen cæparum nigreſcere incipiens, antequam marceſcat metunt. *Palladius libro* 3. In menſe Februario cæpullas conuenit ſerere, ſed conſtat vere, & autumno ſeminandas eſſe. Si ſemen eius ſerius in caput creſcit, & minus in ſemine reddit. Si capitulum ipſum ponas, marceſcit, & multum ſemen educit. *Terra in qua creſcit melius.* *Terram cæpa deſiderat pinguem, vehementer ſubactam, irriguam, ſtercoratam ibi* areas faciemus omnibus herbis, & radice purgatas. Serimus placido, & ſereno die, maximè auſtro vel euro flantibus. Si in vento, ſic erunt robuſtæ, & ſaporis humecti. Rarius ſunt ponendæ, runcandæ ac ſarculandæ ſepius. Si capita volueris his eſſe maiora, folia omnia debes auferre, & ſic ſuccus ad inferiora cogetur. De quibus vero ſemina colligenda ſunt, inuenitur amminiculis, vbi caulem cæperunt excitare. Cum niger color ſeminis fuerit, præferunt maturitatis indicia. Vellendi ſunt tali adhuc ſemiſicci cum ſemine, & ſic in ſole ſiccandi.

De Virtute ipſius in medicina.

CAPVT XLIX.

Virtus. *Dioſcorides.* Cæpe virtutem habet viſcidam. Succus eius naribus immiſſus optimè purgat, melli mixtus caliginem oculorum detergit. Idem tenues oculorum ſuffocationes limpidat, ſynanticis vtiliter adhibetur, menſtruis imperat, morſibus caninis occurrit, in aceto miſſa & trita maculas tollit. Cum ſebo gallinacio dolores aurium, & ſuperfluos ſonos compeſcit. Eadem cruda fricata allopecias emendat. Comeſta capiti dolorem commouet, bibita lithargicis opitulatur. Cum alcionio fricata capillis crementa præſtat. Cum adipe gallinæ trituras pedum ex calciamentis mitigat. Somnum autem cæpas prouocare, & aluum mollire omnium ſenſu creditum eſt. *Auicenna.* Cæpe calidum eſt in ſecundo gradu, & in ipſo eſt humiditas ſuperflua, acuitas inſciſiua, amaritudo & ſtipticitas. Comeſtum autem, quod ex eo longiuseſt, acutius eſt. Rubeũ quoque acutius eſt albo, & ſiccum humido, crudum aſſato. Eſt autem ſubtiliatiuum, & inſciſiuum, & aperit for-

Acutior pars cæparum qua.

Terra in qua creſcit melius.

A titer. In ipſo eſt abſterſio, & attractio ſanguinis ad exteriora, vnde rubificatiuum eſt cutis. Et decoctum quidem non multum nutrit, nutrimentum etiam eius, decoquitur, eſt humor craſſus. Rubificat autem faciem & aperit orificia hæmorrhoidarum, & ſaliuam multiplicat. Confert etiam morſui canis rabioſi ſuperlinitum. Dixerunt etiam, quod ſtomacho generat humorem plurimum, frangentem nocumentum venenorum, ſemen eius delet morpheam cum circa locum fricatur. Confert etiam allopeciæ. *Ipſum vero cum melle verrucas eradicat.* Aqua eius valet vlceribus ſordidis. Succus eius confert aquæ deſcendenti in oculum, & abſtergit viſum. Item eius aqua cum melle confert præfocationi. Silueſtre difficilis eſt digeſtionis & quædã ſpecies commouet vomitum. Idem propter ſuam caliditatẽ com- B meſtum confortat ſtomachum debilem, & facit appetitum. Quod autem bis decoctum eſt, multi nutrimenti eſt faciens ſitim, & confert ictericiæ. Omnes autem ſpecies cæpæ coitum excitant. Aqua eius menſtrua prouocat, & lenit naturam. Eſt autem cæpe ex his, quæ nocent intellectui, quia generat humorem malum. *Conſtantinus in Pantegni.* Cæpæ in tertio gradu calidæ ſunt, & ſiccæ, parum quidem humidæ, Coitum mouent, & inflant, dolorem in capite faciunt. Itaque oportet ea in aceto condire vel lacte. *Plinius libro* 20. Cæpæ ſylueſtres non ſatiuæ olfactu, & de lachrymatione caligini medentur, magis vero ſicci inunctione, ſomnum etiam facere traduntur, & oris vlcera ſanare, cum pane manducatæ, & canis morſus virides ex aceto illitæ, aut ſiccæ cum melle, & vino, ita vt poſt C diem tertiũ ſoluantur, ſic & trita ſanant toſta in cinerẽ epiphoris, multi impoſuere cũ farina ordeacea, & genitalium vlceribus, ſucco & cicatrices oculorum, & albugines, & argenias inunxere, & ſerpentium morſus, & omnia vulnera cum melle. Auricularum vulnera cum lacte mulierum, & in eiſdem ſonitum aut grauitatem mendant cum adipe anſerino aut cum melle ſtillata. Aſclepiadis ſcholę dixerunt hæc vtilia eſſe præcordijs, & concoctione ſtomacho ventrem mollire, hęmorroidas pellere, ad validum quoque colorem cibo profici, & ſi ſuccũ ieiuni edant quotidie firmitatẽ valitudinis cuſtodiri, ſtomacho etiam vtilia eſſe, atq; ſpiritus cogitationi.

Contra verrucas.

Cæpa nocent intellectui.

Somnum faciunt.

Iterum de eodem.

CAPVT L.

Hipocrates vbi ſupra. Cæpa eſt calida, & virtus eius leptomerica eſt atque viſcida. Inflationem præſtat comeſta, faſtidium tollit, ventrem mollit, ſitim prouocat, oris fætorem toſlit, caligines oculorum detergit. Radices eorum vtiles ſunt, phlegma diſſoluunt, & inflationem procurant, folia vero eorum omnibus articulis dolentibus impoſita proſunt. Radix ſi à ieiuno vel poſt balneum comeſta fuerit, à nullo veneno poteſt noceri. *Palladius.* Cæpa virtutem habet inſciſiuam. Oblongior plus eſt ſtiptica, quam rotunda, & rufa quam alba. Siccæ ſunt inſciſiores quam viridis, & crudę plus inſcidunt, quam coctę, virtus eius eſt leptomera id eſt penetratiua, inflationes facit comeſta faſtidium tollit, ſitim prouocat, & oris fætorem excludit, euſtomacha eſt, hæmorrhoidas prohibet. Morſibus caninis occurrit, melle ac ſale, & ruta additis dolores aurium, & ſonos ſuperfluos compeſcit, & ad vlcetationem aurium ſimiliter proficit, plus comeſta dolorem capitis mouet, fricata cum menta capillos præbet.

Macer.

De cæpis medici non conſentire videntur,
Namque Dioſcorides inflare caputque grauare,
Atque ſitim cæpas manſas ſuccendere dixit,
Felliti non eſſe bonas inquit Galienus,
Phlegmaticis verò multum putat eſſe ſalubres,
Non modicum ſanas Aſclepius aſſerit illas,
Præſertim ſtomacho, pulchrumque creare colorem,

Affirmat, quotiens aliquis conſpexerit illas;
Et dicit quiſquis ieiuna ſoluerit illis
Vnaquaque die, quod ſic iuuat abſque dolore,
Affirmant omnes manſas inferre ſaporem.
Et dicunt illas mollire ſalubriter aluum.
Appoſitas perhibent morſus curare caninos,
Si tritæ cum melle prius fuerint vel aceto,
Apponunt alij cum vino melleque tritas,
Tranſactiſque tribus ſoluunt cataplaſma diebus,
Sal, rutam cæpaſque Dioſcorides iubet anguis.
Morſibus apponi, ſic aſſerit ille iuuari,
Fœmineo lactis commixtus ſuccus earum,
Pellit ſæpe graues infuſus ab ore dolores.
Sic ſuccus commixtus aquæ bibituſque iuuabit,
Illos quos ſubitos facit obtumeſcere morſus,
Naribus attractus harum tantummodo ſuccus,
Humores capitis nocuos deponere cogit.
Manſæ vel potæ tardantia menſtrua purgant,
Trituraſque pedum ſoleæ quas vel caligarum
Duricie faciunt, ſucco ſanabis earum.
Cum gallinarum pingus ſi ſæpe perungas,
Mane ſibi dentes qui ſucco perfricat iſto,
Dicunt hunc dentis nunquam ſentire dolorem,
Vlcera compeſcunt oris cum pane comeſtæ,
Intingens oleo coctas, qui ſumpſerit illas,
Sedant quos intus dat dyſſenteria morſus,
Contritis cæpis loca denudata capillis,
Sæpe fricans poteris capitis reparare dolorem.
Oris fœtori proſunt, faſtidia tollunt,
Haſque iubent hemorrhoidi ſuperaddere tritas,
Illarum ſuccus caligine lumina purgat,
Admixtus melli maculas quoque mixtus aceto,
Emundare ſolet, ſi ſint hoc ſæpe fricati.

De Cerafolio.

CAPVT LI.

Iſaac. Cerafolium vulgo dicitur quoddam genus apij calidum in tertio gradu, ſiccum in ſecundo. Quod potui datum cum mellicrate vrinam & menſtrua prouocat, laterum dolorem renum ac veſicæ placat, ventris ſolutionem de craſſa ventoſitate mitigat, ſtomachi ventoſitatem, & omnium viſcerum diſſoluit, & oppilationem aperit. *Ex herbario.* Cerafolium naſcitur in locis cultis, facit ad ſtomachi dolorem cum papauere, & melle, & pullegio inductum. In menſe Februario locis frigidis poſt idus ſeritur cera folium, quod agrum deſiderat lætum, humidum, ſtercoratum. Dioſcorides. Cerafolio vis ignea eſt, & acerrima, poteſt cum melle canceratis mederi, lateris dolorem hauſtum ex vino mitigare. Ex aqua mulſa pituitatem reſoluit, ex aceto lumbricos, & tineas perimit, vrinam, & menſtrua impellit, omnemque tumorem ſoluit.

Carmina macri.

Macer.

Eſt cerafolio vis acra, ac ignea valde,
Appoſitum cancris tritum cum melle medetur.
Cum vino bibitum lateris ſedare dolorem,
Sæpe ſolet, tritam ſi nectas deſuper herbam,
Cum mulſa bibitum, pituitæ noxia ſoluit,
Ex oleo coctum frigus depellit inunctum.
Si tritum inuncto volenti ſoluis aceto,
Lumbricos tali potu tineaſque repelles,
Cum vino eijcit vrinas, & menſtrua purgat.
Virgine cum cera vetus huic axungia mixta,
Non modo parotidas, verum quoſcumque tumores,
Curat vel reprimit, ſi ſæpius huic ſuperaddas.
Intincto valido ſi manducetur aceto,
Sæpe ſolet vomitum ventremque tenere ſolutum,
Si trito tegitur pecten ſuccuſque bibatur,
Vrinæ clauos referat quoſcumque meatus,
Illius elixatura vertigo fugatur,
Si caput hac tepida patientis ſæpe lauetur,
Herbaque temporibus, & fronti cocta ligetur,

De Cumino, & cicrolo.

CAPVT LII.

Iſidorus. Cuminum eſt herba hortulana virtutem habens calidam, & deſiccatiuam. *Plinius libro 19.* Inter omnia, quæ faſtidio ſunt, cyminum (ſiue cuminum) amiciſſimum. Naſcitur in ſumma tellure, vix hærens & in ſublime tendens, in putribus, & calidis locis maximè medio ferendum eſt verè. Alterum genus eſt ſylueſtre, quod quidam ruſticum vocant, alij thebaicum: in dolore ſtomachi valet tritum, & ex aqua potatum. In carpentania noſtri orbis maximè laudatur, alioquin Ethyopico Aphricoque palma eſt. Quidam Ægyptium præferunt. *Idem in libro 20.* Cuminum ſylueſtre eſt prætenue quaternis ac quinis folijs veluti ſerratis, ſed vt ſatiuo magnus eſt ei vſus in ſtomachi præcipuè remedijs. Pituitas, & inflationes diſcutit. Tritum, & cum pane ſumptum, vel ex aqua vinoque potatum tormina, & dolores inteſtinorum, veruntamen omnem bibentibns gignit pallorem. Narium ſanguinem ſiſtit inditum paſtillis, vel ex aceto recenti. Et oculorum epiphoris per ſe impoſitum, tumentibus cum melle prodeſt, infantibus imponi in ventre ſatis eſt, morbo regio in vino albo ab alienis datur. *Effectus cumini.*

Dioſcorides. Cuminum noſtrum eſt cuſtomachum, ſed plus æthyopicum, quod hipocras cuminum baſilicũ vocat. Secundum eſt Ægyptium cæterarumq; prouinciarum, virtus eſt illi xerantica feruens inunctualis, & ſtiptica. In oleo coctum tortionibus, & inflationibus medetur ſuppoſitum. Cataplaſmis quoque miſcetur orthopnoicis cum puſta neceſſario datur. Cum vino venenatis morſibus opitulatur. Aceto mixtum menſtrua ſiſtit, ſanguinemque narium fluentem ſic conſtringit, potui datum vel inunctum pallores facit. Et quia calidiſſimum eſt, veſicæ dolorem placat, & ad calculos iuuat. Cuminum agreſte multum naſcitur in Calcedonia Hiſpaniæ, virgam habet duabus palmis longam, in qua folia quatuor aut quinque naſcuntur tenuiſſima, & diuiſa ſicut guidium. In hac virga ſunt quinque vel ſex capitella rotunda, & mollia, in quibus ſemen eſt, quod ſi applicueris guſtui viſcidior noſtro eſt. Naſcitur autem in locis humectis. Semen eius bibitum torſiones, & inflationes ſaluberrime curat aquæ mixtum. Cum aceto vero ſugglutientibus opitulatur, venenis occurrit, dolorem ſtomachi compeſcit, maſticatum, & impoſitum liuores detergit, addito melle, & vua paſſa, omnia ſupra dicta facit. Flos in eo naſcitur niger, qui bibitus morſibus venenatis occurrit, ſtringuirijs ac veſicæ doloribus proficit, & coagulatum ſanguinem per vrinas mingere facit. *Auicenna.* Herba cumini ſylueſtris prouocat choleram in vrina. Succus eius tritus aqua mellis ſoluit ventrem. Idem ſuccus abſtergit viſum, & attrahit lachrymas, ponitur etiam in cauterijs ad vulſiones pilorum in oculo, & non naſcuntur. *Palladius libro 3.* In menſe Februario cuminum ſeritur loco benè ſubacto, & cui lætamen admiſceatur. Quodque ſatum eſt herbis aſſiduè purgetur. *Idem in libro 4.* Locis lautioribus melius prouenit, itemque cæteris ſi humore iuuetur ac ſtercore. *Iſaac.* Cicroli sũt frigidiores, & cucumeribus grauiores. Sunt enim frigidi in fine gradus ſecundi, proinde craſſum flegma generant, ac neruoſitati ſtomachi pluſquam cucumeres nocent. Rurſum propter duritiem ſuam, & frigiditatem craſſam, & frigidos humores gignunt. Quod certificat, quia viſcoſitatem in ſtomacho faciunt, venenoſorum tamen humorum corruptioni ſubueniunt. Omnibus ergo cicroli plus nocẽt, medulla tamen eorum generat chymum perfectiorem. *Cicroli.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Coriandro, & eius medicina.

CAPVT LIII.

Contra ſerpentes valet.

Isidorus. Coriandrum ex Græco nomine ſumptum eſt, quod illi corion vocant. Cuius ſemen in dulci vino datum, proniores reddit in venerem. Si ſupra modum dederis, amentiam nutrit. Canes etiam ex coriandro interfici traditum eſt. *Palladius lib. 3.* A menſe Martio vſque ad Octobrem totum ſeritur coriandrum, amat terram pinguem. Sed & macro ſolo naſcitur, & eius ſemen, quod vetuſtius fuerit, melius putatur, humore delectatur, & ſatum bene cum olere quocumque naſcitur. *Plinius lib. 20.* Coriandrum inter ſylueſtria non inuenitur, præcipuum eſſe conſtat Ægyptium, valetque contra ſerpentium genus vnum, quod amphibenam vocant, potum & impoſitum. Sanat & alia vulnera epinictidas, & puſtulas tritum. Sic & omnes tumores atque collectiones cum melle vel vua paſſa, pannos vero tritum ex aceto; ſeminis eius genera tria iubent in tertianis deuorari, ante acceſſionem vel plura, fronti iubent illiniri. Sunt & qui ante ſolis ortum ceruicalibus efficaciter putent ſubijci. Vis magna virdi eſt ad refrigerandos ardores, vlcera ſerpentia ſanat cum melle & vua paſſa. Itemque teſtes, ambuſta, carbunculos; aures, cum lacte mulieris epyforas oculorum, ventris, & inteſtinorum fluxiones, ſemen ex aqua bibitur in choleris cum ruta. Idem cum punici ſuccó, & oleo potum animalia pellit intraneorum. *Marcus Varro.* Coriandro ſubtrito, & aceto carnem incorruptam æſtate ſeruari putat. *Dioſcorides.* Coriandri virtus frigida eſt, tritum & cũ polenta ac pane triticeo mixtum ignem acrum extinguit, tumores igneos tollit. Collectiones compeſcit, cum faba freſa mixtum ſcrofis ac puſtulis præſtat effectum. *Conſtantinus in Pantegni*, Coriandrum melius eſſe inter potiones, quam inter herbas numerandum, aliquando occidit, aliquando ad præſtandum ſomnum facit herba per ſe non eſt comedenda, ſed cum alijs coquendis admiſcenda. Odoris boni cauſa maſticatum, aufert allij ac cæparum odorem fœtidum.

Iterum de eodem.

CAPVT LIV.

Contra vertiginem.

Confert tremori cordis.

Capillus algol.

Auicenna. Coriandrum frigidum eſt in fine primi, ſiccum in ſecundo. In ipſo eſt ſtipticitas, & ſtupor confert apoſtematibus calidis cum ceruſa, & aceto. Confert & vertigini factæ cum vapore cholerico, & phlegmatico, & epilepſiæ factæ ex hoc. Nam eius proprietas eſt vaporem prohibere à capite, & ob hoc ponitur in cibo patientis epilepſiam ex vapore ſtomachi. Multitudo quidem eius humidi, & ſicci permiſcet ſenſum, & quod humidum eſt facit ſomnum, & prohibet fluxum ſanguinis narium. Generat autem tenebroſitatem viſus, & ſuccus eius diſtillatus ſedat pulſationem in oculo. Idem vero ſuccus multum bibitus cum infrigidatione, interficit, ſemen eius torrefactum conſtringit. Eſt autem coriandrum tarde digeſtionis, & confortat ſtomachum calidum ſiue calefactum, & quod ex eo torrefactum eſt prohibet vomitum. Dicitur quod ipſum ſedat eructuationem acidam poſt cibum, confert etiam tremori cordis calido potatumque cum aqua linguæ arietis, retinet ſputum ſanguinis. *Beſceguaſcen* eſt coriandrum putei, & perſice eſt *bereguaſcen*, Syriace *capillus porcinus*, & Arabice eſt *capillus algol*. Et eſt herba naſcens in ſaltibus, & curſibus aquarum coriandro humido ſimilis. Eius thyrſi ad rubedinem, & nigredinem declinant, & eſt ſine ſtipite, nec florem habet. Dixit Galienus, quod eſt æqualis, ego autem dico, quod fortaſſe modicum declinat ad caliditatem, & ſiccitatem. Eſt autem reſolutiuus ſubtiliatiuus, & aperitiuus. In ipſo eſt ſtipticitas prohibens curſum, & quando miſcetur cibo gallorum fortes eos facit ad dimicandum. Cinis eius cum aceto confert alopiciæ, & etiam tyriæ. Ipſe cum oleo myrtino prolongat capillos, & caſum eorum prohibet. Itemque ſcrofulas delet, confert etiam fiſtulis fraudulentiſque vulneribus, eiuſque cinis confert furfuribus, confert etiam pulmoni purgando ipſum valde. Et cum vino fluxui ſuperfluitatum ad ſtomachum, confert etiam dolori ſplenis, & ictericiæ, vrinam, & menſtrua prouocat, lapidem frangit, ſecundinam extrahit, & fœtam mulierem purgat, fluxumque ſanguinis abſcindit. Apud plures ventrem ſtringit, ſed iuxta filium meſangi ſoluit, idem cum vino confert morſui ſerpentis, & rabioſi canis, cæteriſque venenoſis.

Contra caſum capillorum.

Platearius. Coriandrum eſt calidum, & ſiccum in ſecundo gradu. Huius ſemen in receptionibus ponitur, quod ex qualitatibus, & aliquantula aromaticitate virtutem habet confortandi. Ad digeſtionem autem confortandam, & dolorem ſtomachi ex ventoſitate datur ſemen eius in cibis, & vinum decoctionis eius puluis ſeminis ſuper carnes aſperſus eas reddit ſaporatas. *Iſaac vbi ſupra.* Coriandrum diuerſæ virtutis eſt, varietas ſui ſaporis hoc teſtatur, habet enim amaritudinem, & ponticitatem hoc enim ſecundum cibum durius eſt, digeſtionique inobediens. Quod ſi miſceatur cum aceto, & mali granati acetoſique ſucco temperiem ſumit vnde calorem extinguit, ſuccus eius mixtus cum ceruſſa aceto lithargyrio, & oleo fit contra apoſtemata calida, & cholericas puſtulas, mixtus autem cum mica panis, & farina lentis, valet contra eriſipilam de craſſis humoribus.

De Croco, & eius medicina, & diſciplina.

CAPVT LV.

Optimus crocus.

Isidorus. Crocus dicitur à loco in quo plus, & melius prouenit, ſcilicet à Coricio Liciæ opido. Optimus autem eſt qui fuerit recens, odoris boni, albedine parua, porrectæ longitudinis, integer, & neque in fragmenta comminutus, inſpiratione bona, & cum carpitur manus inficiens & leniter acris. Qui autem huiuſmodi non fuerit aut vetuſtus, aut infuſus agnoſcitur. Adulteratur autem aduſto crocomagmate augendi quoque ponderis cauſa ſpuma argenti contrita adijcitur, & proditur ſi puluerulentus reperitur, atque decoctus ſi à proprio odore fuerit lapſus. *Solinus* dat crocum plurimum circa corilum Cilicia, ſed & Syrena dat atque Licia, hoc autem præcipuum eſt ſpiratque fragrantius, & eſt còlore plus aureo, ſuccoque proficit ad medelam citius.

Melior crocus.

Dioſcorides, crocus medicinæ vſui eſt vtilis, ſed melior eſt coricius cæteris, qui fuerit recens, & boni odoris, colore rutilus, modice ſubalbus, & oblongus non fragilis, ſed plenus. Cuius tactu inficitur manus, & qui non habet ſecum odorem viſcidum. Qui hæc ſigna non habet vetus aut infuſus eſt, ſecundus eſt ex Olympo monte, & Lioca, & ex Centerino, qui defertur ex lacu Siciliæ, ſed omnes hi præter coricium laſſæ virtutis ſunt, quamuis ſucco abundent, qui maximè infectioni neceſſarius eſt, inuenitur autem crocus in Italia, qui facit ad omnia medicamina. Coricius adulteratur admixto crocomagmate vel eius decoctione vel argenti ſpuma vel molibdena, ponderis cauſa, ſed proditur ſi puluerulentum reperiatur ex decoctione admixtum inuenitur ponderoſum atque ab odore proprio delapſum. *Platearius vbi ſupra.* Croci ſunt duæ ſpecies *Hortenſis*, qua in hortis naſcitur, & *Orientalis*, quæ in Oriente. Iſte in medicinis non vomicis ponitur, & cum flores producit. In medio florũ tres vel quatuor flores parui naſcuntur. Eligendi ſunt ſubrufi vel omnino rufi, qui autem citrinitatis aliquid habent abijciendi, in ſacculo ſtricto de corio ſeruantur, per quinque annos ſeruari poſſunt, virtutem habent confortatiuam ex qualitatibus ſuis, & ex aromaticitate. *Palladius li. 4.* In mẽſe Februario croci ſerendi ſunt bulbi, & ſubtiliter ſi fuerint arte

Hortenſis, Orientalis crocus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

fodiendi. *Plinius lib.* 21. Notabilis est croci scyllæque natura. Quod cum omnes herbæ folium primum emittant, moxque in caulem rotundentur, in his caulis prior, quam folium intelligitur, & in croco quidem flos caule impellitur, in scylla vero caulis exit, deinde flos ex eo emergit. Eademque ter floret vt diximus, tria tempora sationum ostendens.

Crocus ter floret.

De operatione ipsius in medicina.

CAPVT LVI.

Platearius. Croci flores parui, vt dictum est virtutem habent confortatiuam ex qualitatibus suis & ex aromaticitate, vnde contra debilitatem stomachi & syncopen valet. Contra ruborem oculorum ex sanguine, & macula, fit pulvis de croco Orientali non siccato & conficitur cum vitello oui, & bombix intinctus oculis superponitur. Contra iliacam passionem facta decoctione eius mediocriter in oleo locis dolentibus cataplasmatur. *Isaac in dietis lib.* 3. Crocus est calidus, & siccus in primo gradu, stomachum confortat, hepatis constipationem aperit. Anhelituosos iuuat, & membra debilia confortat. *Dioscorides.* Croco virtus est digestibilis, & malactica, & stiptica, & refrigeratoria, qui cum dulcore bibitus digestionem præstat, oculorum rheuma compescit inunctus, mixtus lacti mulieris vtiliter miscetur intraneorum potionibus, & cataplasmatibus. Matrici, & ano vtilis est, ventrem stimulat, tumorem sedat, ignem acrum cum aqua superunctus, & illitus lenit, dolorem aurium mitigat. Aliqui dicunt eum bibitum esse venenosum: vt autem facilius teratur in sole siccatur, & addito vino teritur, at si sol pro tempore desit in testa calefit. Radix eius cum passa potu sumpta vrinam mouet. Est enim virtutis vnctualis ac redarguentis. Quapropter lachryma fluentibus oculis vel auribus, vel similibus fluoribus cum lacte conuenit. Miscetur & collyrijs, & auricularibus medicaminibus vel in ore similibus causis, vexationem quoque violentiæ quam Græci caprilem vocant prohibet, gustu linguam submordet. Saliuam diu multumque inficit, ac desiccat mediocriter. Ideoque ad digerendum aliquem consensum habet. Modice quoque stipticum mitigat omnem dolorem collyrijs vel antidotis mixtum, adulteratur autem, & oleo rosaceo. *Plinius vbi supra.* Crocus cum melle non soluitur nulloque dulci, facillime autem vino vel aqua vtilissimus in medicina seruatur pixide cornea, inflationes discutit, omnes quidem, sed oculorum maximè ex ouo illitus, vuluarum strangulatus, stomachi exulcerationes, ac pectoris ac renum, iocinerum, pulmonum ac vesicarum. Earum inflammationi peculiariter vtile est vehementer. Itemque tussi ac pleuresi, pruritus tollit, vrinam cit. *Qui crocum prius biberint crapulam non sentiunt, & ebrietati resistunt.* Coronę quoque ex eo mulcent ebrietatem, Somnum facit, Caput leniter mouet, ventrem stimulat, flos eius igni sacro illinitur cum creta cimolea. Collinio vni nomen dedit. Ex eo quoque expresso vnguento crocino, quod appellatur crocomigma, vrinas magis calefacit, quam crocum, & est vtile contra suffusiones oculorum. Illud optimum est, quod gustatum saliuam inficit ac dentes: in Plinio hoc, quod sequitur de iri scribitur. Et continuatur ibi sic iris rufa, &c. sed hic habetur, in his rufa melior est, quam candida, infantibus dentientibus salutare est illum eis circumligari, præcipuũ, & tussientibus, tinearum initio laborantibus instillari. Cæteri eius effectus non multum à melle differunt.

Curat fluores.

Solutio croci.

Contra crapulam & ebrietatem.

Adhuc de eodem.

CAPVT LVII.

Vicenna. Crocus calidus est, & siccus, stipticus, resolutiuus, maturatiuus, & propter illud, quod in eo de stipticitate est glutinatiuus est, & aperitiuus, nusquam alterat humorem, sed semper conseruat eum secundum æqualitatem & rectificat putrefactum, & confortat viscera, *melior est autem recens, boni coloris, subtilis odoris, super cuius pilos est paululum albedinis, non plurimum crassus, sanus, qui non velociter tingit, nec infuscat, nec frangitur*, potus eius colorem bonum efficit, ipse quoque apostemata resoluit, & linitur ex eo erisipila. Capiti vero nocet, & cum vino bibitus inebriat, ita vt adroona producat, scilicet vt rideat homo sine causa, facit etiam somnũ, dum sensum obtenebrat, item abstergit visum, & prohibet fluxum ad ipsum, & valet ad paunum. Confortat cor, & instrumenta anhelitus, facitque anhelitum facilem, ipsum odorat habens pleuresim, patiens brisen vt dormiat, facit autem nauseam, & deijcit appetitum, propter hoc oppositus est acetositati, quæ est in stomacho, qua est appetitus, sed confortat stomachum propter quod est in eo de caliditate, & stipticitate, & secundum quosdam vtilis est spleni. Excitat autem coitum, & vrinam prouocat, & matrici confert. Dixerunt etiam quidam, quod ipsi dederunt in potu ad prolixum partum, & statim factus est partus. Dicitur quoque quod tres aurei de ipso quasi venenum interficiunt lenificando vel lætificando. *Idem.* Crocus hortulanus mundificat pannum, & morpheam, ponitur autem cum aceto super impetiginem. *Idem.* Croconia est fæx olei de croco, melior est in medicina illa, quæ boni est odoris, ponderosa, & nigra in qua non sunt ligna. Et cum soluitur, tingit aquam croci colore, cumque masticatur, tingit dentes, tinctura vehementi remanente. Est autem calefactiua, & maturatiua, virtus eius est oculi abstersiua, & vrinæ prouocatiua. *Isaac in dietis li* 4. Crocus est calidus, & siccus in primo gradu. Stomachũ confortat, hepatis constipationem aperit, anhelituosos iuuat, & membra debilia confortat.

Crocus bonus.

Croconia.

De Cucumere, & eius disciplina.

CAPVT LVIII.

Isidorus. Cucumeres dicuntur eo quod interdum amari sunt. Qui dulces nasci perhibentur, si lacte mellito eorum semen infundatur: cucumeris natura frigida est, stomacho incommoda. *Plinius lib.* 19. Græci genera tria fecere cucumerum videlicet Laconicum, Sitalicum & Boeticum. Ex his tantum Laconicũ, aqua gaudere dicunt. Sunt qui herba, quæ vocatur culix nomine, trita semẽ eorum maceratum seri iubeant, vt sine semine nascantur. Particulatim cucumis floret. Ipse sibi superflorescens, & sicciores locos patitur lanugine candida obductus, magisque dum crescit. *Idem in lib.* 20. Cucumerẽ syluestrem multo infra magnitudinem satiui diximus esse. Ex eo fit medicamentum succo expresso è semine, quod vocatur *Elaterium* de quo scilicet dicetur inferius. Cucumin qui magnificant, nasci præcipuum aiunt in Arabia, mox Cyrenis, Alij in Archadia tradunt elitropio similẽ, cuius inter ramos, & folia prouenire nucis iuglandis magnitudine semẽ. Esse autem ad speciẽ scorpionis cauda reflexa, sed candida. Aliqui etiam ab eo vocant cucumim scorpionem, contra scorpionũ ictus efficaciſſimũ. *Palladius li.* 4. In mense Martiũ cucumeres *seminantur rare* sulcis altitudine sesquipedali latitudine denum, tritum, inter sulcos, octo pedum spacium crudum relinquis, non possunt vagari, herbis iuuantur, ideo sarculatione, & runcatione non indigent. Semina *si ouillo lacte, & mulso maceres dulces nascentur*, & candidi longi ac teneri sunt, si aquam in patenti vasculo sub eis ponas duabus palmis inferiorem, ad aquam festinando tales efficientur. *Sine semine nascentur si prius eorum semina oleo sabino* perungantur, & herba ea, quæ culex dicitur, trita confricetur. Aliqui florem cucumeris cum nuciculæ suæ capite, cannæ inserunt, cui prius omnes nodos perforauerint, ibi cucumeris nascitur in nimiam longitudinem tensus. Oleum sic metuit, vt si iuxta posueris, velut humus plicetur.

Etymologia.

Elaterium.

Seminantur rarè.

Vt sint dulces.

Vt nascantur sine semine.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quotiens tonat, velut timore conuertitur. Si eius florem ſicut in vite ſua eſt, *in forma fictilis clauſeris ac ligaueris*, qualem vultum forma vel hominis vel animalis habuerit talem cucumeris figura præſtabit, hæc omnia Gargilius Martialis aſſeruit. Columella ſic dicit. Loco aprico,& ſtercoroſo ſi rubos habeamus aut ferulas poſt autumni æquinoctium, his iuxta terram exciſis, & excauatis lignea ſitula inter medullas lætamen immittamus, & cucumeris ſemen addamus, hinc naſci fructus, qui poſſunt,& inter frigora non necari.

Vt figura dominetur qualibet.

De virtute cucumeris in medicina.

CAPVT LIX.

Auicenna. Cucumer frigidus eſt,& humidus ad ſecundum. Melior, & ſubtilior eſt maturus, ſedat caliditatem, & choleram. Sed eius chymus malus eſt, excitans putrefactionem, & febres prauas. Habentes ſyncopen calidam ipſum odorant,& reuiuiſcunt. Idem ſedat ſitim & ſtomacho bonus eſt, raro tamen benè digeritur. In ipſo quoque ſunt prouocatio, & lenificatio, & confert doloribus inteſtinorum ac veſicæ conueniẽs eſt. Radix eius in hydromele bibita, vomere facit humorem ſubtilem, folia eius conferunt fere phlegmatico,& morſui canis rabioſi. *Idem.* Cucumer aſininus eſt ille cuius ſuccus ad medicinas vtilis eſt. Emigraneam craſſam reſoluit, nares purgat, & aurium dolores in eas ſtillatus. *Idem.* Bule eſt cucumer Indus ſimilis cappari, & eſt amarus, ſimilis zinziberi. Calidus ac ſiccus in ſecundo, apud quoſdam in tertio. Stipticus eſt, viſcera confortat duriciei neruorum, & humiditati, & ægritudinibus eorum frigidis vt paralyſi ac torturæ confert. Accendit ignem ſtomachi, & confert vomitui. Conſtringit ventrem,& ſiccat ventoſitatem. *Iſaac.* Cucumeres frigidi ſunt,& humidi in ſecundo gradu. Craſſi ſunt ad digerendum duri, & tarde è ſtomacho deſcendunt. Sed & cibum illic inuentum, ſui frigiditate crudum ſeruant, nec à ſtomacho deſcendere dimittunt. Vnde Hippocras. Cucumeres craſſi ſunt,& difficiles ad diſſoluendum, & magis quam melones vrinam prouocant, ſed nec ventrem humectant. *Dioſcorides.* Cucumeris natura frigida eſt, ventrem ſoluit, ſtomacho accommodatur quibus animus deficit ſuccurrit, valet & veſicæ laboranti,& dyſſenteriæ. *Conſtantinus in Pantegni.* Cucumeres, & cicroli frigidi, & humidi ſunt, calorem & ſitim extinguunt,& vrinam prouocant. Sed cicroli frigidiores aliquantulum ſtiptici. Si autem hos comedant multam choleram habentes ſitiunt, quia conuertibiles ſunt. *Plinius vbi ſupra.* Cucumeris ſylueſtris radix ex aceto cocta podagris illinitur, ſuccoque dentium dolori medetur. Arida cum reſina impetiginem,& ſcabiem ſanat, & cicatricibus colorem reddit, foliorum ſuccus auribus ſurdis cum aceto inſtillatur. Cucumeris, quod dicitur *ſcorpinum* & ſemine,& elaterio cõtra ſcorpionum ictus eſt efficaciſſimum, ad purgandum quoque aluos,& vterum. Modus eſt portione virium à dimidio obolo ad ſolidum. Copioſius autem necat, ſic & contra pteriaſim bibitur & hydropicis illinitur. Anginas, & arterias, & cum melle,& oleo veteri ſanat, multi hũc eſſe arbitrantur, qui apud nos anguinus, ab alijs erraticus vocatur. *Idem:* podagris, & articularibus morbis illiniunt decoctum in aceto preſentaneo remedio. Lumborum quoque dolori valet ſemine ſole ſiccato, deinde trito, & in aqua dato, ſanat & humores ſubitos illitum cum lacte mulierum purgat eas elaterium, ſed grauidis abortum facit. Suſpirioſis prodeſt, morbo vero regio in nares cõiectum, lẽtigines,& maculas è facie tollit in ſole illitum multi eadem omnia ſatiuis attribuunt, magnum etiam in eis momentum. Nam & eorum ſemen cum cumino tritum tuſſientibus auxiliatur in vino potum. Sed phreneticis in lacte mulieris & dyſſentericis. Prodeſt etiam cum cumino expuentibus purulenta. Iocineriſque vitijs in aqua mulſa, vrinã mouet ex vino dulci. Et in renum dolore ſimul cum cumino clyſteribus infunditur.

Virtutes Cucumeris.

Cucumer aſininus.

Scorpinum.

Anguinus Erraticus.

Curatio morbi regij.

De Cucurbita.

CAPVT LX.

Iſidor. Cucurbita calida eſt,& humida, ventrem mollit,& in cibo. *Plin. lib.* 12. In inſula Perſica ſunt arbores lanigeræ, ferunt etiam cucurbitas cotonei mali magnitudine, quæ maturitate ruptæ lanuginis pilas oſtendunt, ex quibus veſtes pretioſæ linteo faciunt. *Idem libro decimonono.* Cucurbitis eſt natura cucumeri ſingulis dũtaxat in naſcendo. Æquè hyemem oderunt, amãt rigua, & ſimum. Seruntur ambo ſemine in terra ſeſquipedali foſſura inter Æquinoctium vernum,& ſolſticium, paribus tamen aptiſſimè. Aliqui malunt ex Kalendis Martij cucurbitas,& nonis cucumeres, & per quinquatros ſerere, ſimili modo reptantibus flagellis per arteſum aſpera in tectum vſque ſcandunt, natura ſublimitatis auida, vireſque ſine adminiculo ſcandi non ſinit. Pernix velocitas, vmbra leui operiens cameras, ac per glorias; duo ſunt eius genera, *camerarium, & plebeum*, quòd humi creditur, in priore mire tenui pediculo libratur pondus immobile, cucurbitarum numeroſior eſt vſus & caulis in cibo primus. Nuper in vſum balnearum venerunt vrceorum vice, iam pridẽ vero etiam cadorum ad vina condenda, cortex viridis tener deraditur nihilominus cibis. Semina quæ proxima collo fuerunt, pariunt proceras itemque ab imis, ſed non ſupradictis comparandas, quæ in medio rotundas, quæ autem in lateribus breuiores craſſas, in vmbra ſiccantur, & cum ſerere libet, in aqua macerantur, cibis quoque longiores ac tenuiores, eo & graciores,& ob id ſalubriores. Quæ pendendo creſcunt minimum ſeminis tales gerunt, duritia eius in cibo gratiam terminante eaſque ſemini ſeruantur, ante hyemem non præſcidunt, poſtea fumo ſiccantur: inuenta eſt ratio qua cibis quoque ſeruarentur, eodemque modo cucumis vſque ad alios penè prouentus & id quidem iniuria fit ſcrobe opaco, arena, ſubtracto fœnoque opertos ſicco, ac deinde terra, virides ſeruari tradunt. Sunt & ſylueſtres in vtroque genere & omnibus hortenſibus ferè. *Palladius lib.* 4. In menſe Martio cucurbita ſerenda eſt, amat ſolum pingue, humidum, ſtercoratũ, ſolutum: hoc in cucurbitis inſigne eſt, quod longas pariunt & elegantes ſemina, quæ earum ceruice naſcuntur. Quæ in ventre fuerant, cucurbitas faciunt craſſiores, quæ in fundo latas ſi inuerſis cacuminibus obruantur, vbi adoleſcere cœperint adminiculis adiuuentur. Quæ ſeruantur ad ſemina vſque ad hyemem in ſuauitate dependeant, deinde ſublatæ in ſole ſiccentur, aut fumo fumentur, aliter ſemina putrefacta depereunt.

Camerarium. Plebeum.

Solum in quo ſerenda cucurbita.

De operatione ipſius in medicina.

CAPVT LXI.

Auicenna. Cucurbita frigida eſt & humida in ſecundo. Elixata nutrit aliquantulum,& eſt velocis deſcenſionis ſi non ante digeſtionem corrumpatur, nec ex ea generetur humor malus. Alioquin tardæ conſiſtentiæ eſt, ſicut cæteri fructus, & humor ex ea generatus, inſipidus, niſi dominetur ei aliud ſibi commixtum vt citonia, vel aquæ granati. De proprietate quidem eius eſt quod *ex ea nutrimentum eſt omogenium ei quod ſibi aſſociatur.* Nam ſi comeditur cum ſynapi, generatur ex eo humor acris & malus, ſi cum ſale, humor ſalſus, ſi cum ſtipticis humor ſtipticus. Eſt autem omnino nocitiua melancholicis,& phlegmaticis, bona vero cholericis. Succus eius dolorem auris calidum ſedat, & propriè cum oleo roſato confert apoſtematibus cerebri, & dolori gutturis, tuſſi quoque ac dolori pectoris ex caliditate factis & cholericis febribus. Nocet autem vehementer inteſtinis, & propriè colon, & generat ægritudinem ſtomachi præcipuè puerorum adoleſcentium. Nec eſt medicamen nocumẽti ſtomachi, niſi vomitus.

Proprietas.

Medicamen nocumenti ſtomachi.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Huius decoctio ſuperfluitates calidas à ſtomacho remouet, & ſimiliter vinum in eius vacuitatem effuſum, deinde adminiſtratum. Ex eius quoque ſucco fit capiti purgium ad dolorem dentium, & abſcindit ſitim. Romana cucurbita non ponitur in medicinis, nec aliquid imprimit infrigidationis aut calefactionis, ſed propter calefactionem adminiſtratur. *Dioſcor.* Cucurbita trita,& cataplaſmata,nebulas corporis amputat, cruda excauata,& vino impleta ſi vna die ac nocte mãſerit & poſtea bibatur, ſimiliter ventrem mollit. Succus raſuræ eius dolores aurium mitigat cum oleo roſeo mixtus. *Idem* in cerebro imponitur eſtuationes infantium mitigat, tumoribus oculorum opitulatur, apoſtematicis & podagricis maximum præſidium eſt. Idem ſuccus in ore diutius tentus dolorẽ dentium lenit. Roſaceo quoque mixtus,& vnctioni corpori adhibitus,ardorem febrium reſtinguit. Cinis corticis eius aridæ, poteſt efficaciter combuſta ſanare. Idem in cibo ſumpta ſtomachum relaxat,& bibendi deſideria non excitat.

Iſaac. Cucurbita frigida eſt & humida in ſecundo gradu,phlegmaticum chymum generat,vnde phlegmaticis contraria eſt & nociua,niſi elixata ex aqua expreſſa cum ſynapi, & pipere, apio, & menta præparetur, vt ex *eorum caliditate condimentorium temperetur*, calidum generat chymum hoc,ſi paſta opetiatur & aſſetur, & ſuccus in paſta inuentus potui detur, calorem febris mitigat ac ſitim extinguit. Corticis eius ſuccus cum oleo roſeo mixtus dolorem capitis ortum ex calida complexione amputat. Rurſus ſi ex eodem ſucco in aure calidum apoſtema habente diſtilletur, mirè dolorem placat, & apoſtemati repugnat, ſed tamen cholericæ paſſioni nocet,propter ſuæ libertatis indulgentiam.

Condimentorium.

Iterum de eodem.

CAPVT LXII.

Platearius. Cucurbitæ & cicroli ſunt frigidæ & humidæ complexionis & temperatæ in qualitatibus ſuis. Cucurbitæ ſemina artificioſè terræ iniecta in tempore veris herbam procreant, quæ fructus producit cibis ac medicinis competẽtes, ſemina ipſa diuretica ſunt propter ſubtilem ſubſtantiam, & præcipuè medicinis competunt. Contra opilationem hepatis renum ac veſicæ, & contra apoſtemata pectorum ſemina bene mũdata,à corticibus concerhuntur,& in aqua ordei aliquãtulum coquuntur, vel abluuntur aqua colata, vel ſyrupus ex ea factus patienti datur. In acutiſſimis etiam febribus ſimiliter fit. Ipſa autem cucurbita cum carnibus cocta,maximè cholericis ſanis in æſtate confert. Acutiſſimè etiam febricitantibus elixæ cucurbitæ ſine condimento,vel aſſatæ cum agreſta datæ,& cibus ſunt & medicina. Contra calefactionem hepatis raſura cucurbitæ & ſucco expreſſo additoque aceto,vel agreſta panis intinctus ſuperponitur. *Razis vbi ſupra.* Cucurbita ſtomacho mala eſt,appetitum deſtruit, ſitim ſedat, & hepatis & ſtomachi dolorem,& ardorem extinguit. *Conſtantinus vbi ſupra.* Cucurbita conuenit febricantibus, ac ſitientibus,& ex calore tuſſientibus.

Pro opilatione hepatis.

Plinius lib. 20. Cucurbita ſylueſtris quoque inuenitur ſomphos à Græcis appellata inanis,vnde & nomen maior digitali craſſitudine non naſcens niſi in ſaxoſis. Huius commanducatæ ſuccus admodum ſtomacho prodeſt. Alia colocinthis vocatur. Ipſa quidem plena, ſed minor, quàm ſatiua vtilior pallida quaſi eius medicinæ ſunt herbacea arefacta per ſe inanit aluum. Infuſa quoque clyſteribus medetur vitijs inteſtinorum omnium & renum, atque lumborum & paralyſi, eiecto ſemine aqua mulſa,in qua decoquitur ad dimidias, tuſſienti infunditur obulis quatuor. Prodeſt etiam ſtomacho,farinæ aridæ pilulis cum decocto melle ſumptis in morbo regio ſemina eius inſumuntur, & protinus aqua mulſa. Carnes eius cum abſynthio & ſale dentium dolorem tollunt,ſuccus verò cum aceto calefactus dentes mobiles ſiſtit. Semina adalligata, febres ſanare dicuntur,quæ

Somphos.

Colocinthis.

Curatio fibrium periodicarum.

à Græcis periodicæ vocantur: ſatiuæ quoque ſuccus tepefactus medetur auribus, caro eius interior ſine ſemine valet pedum clauis,& ſuppurationibus, quæ apoſtemata vocantur à Græcis. Decoctæ autem vniuerſæ ſuccus dentium ſtabilit motus,dolores inhibet. Vinumque cum ea feruefactum,oculorum etiam impetus. Ramẽtis corticis recentes podagras refrigerat. Aridæ cinis impoſitus mirè combuſta ſanat. Chryſippus medicus damnabat eas in cibis, ſed omni conſenſu ſtomacho vtiliſſimæ iudicantur, & intraneorum ac veſicarum exulcerationibus.

De Culcaſia, ſiue colocaſſia.

CAPVT LXIII.

Vicenna. Culcaſia eſt planta in primo calida & ſicca. In ipſa eſt ſalſedo cum ſtipticitate, eiuſque partes non ſunt ſimiles,& eſt cum pauca inflatione, ſolutione aquam citrinam educit, & propriè ſemen, ac ſuccus eius vrinam prouocat,ſperma generat,choleram & aquoſitatem expellit. *Iſaac vbi ſupra.* Culcaſia eſt radix plurimum in partibus Ægypti naſcens, aliquantulum ponticitatis cum acumine habens, vnde monſtratur eſſe calida & ſicca. Quæ ſi elixetur,acumen penitus amittit, & viſcoſitas quam prius latenter habuerat, in hepate fiat, ideoque craſſi ac duri nutrimenti eſt generatiua,ſed cum ſui ponticitate ſtomachum confortat,& ventrem conſtipat. Prẽterea ſi moderatè comedatur, bonum nutrimentum generat. Dyſſenteriæ valet cum viſcoſitate,ac ponticitate quam habet. *Plinius lib.* 21. In Ægypto nobiliſſima colocaſſia quam cyamon vocant: hanc metunt è Nilo caule, cum coctus eſt, arenoſo in mandendo. Tyrſo autem qui inter folia emicat, eſt ſpectabilis,folijs etiam lautiſſimis. Adeo quod Nili ſui dotibus gaudent, vt implexis colocaſſiæ folijs in variam ſpeciem vaſorum potare gratiſſimum habeant. Seritur iam hęc in Italia,& in Ægypto. *Palladius lib.* 3. In menſe Februario colocaſſij ponuntur bulbi, amant humidum locum,pinguem,maximè riguum. Inter fontes lætantur & riuos,nec de ſoli qualitate curãt, ſi perpetuo foueantur humore,frondere propè ſemper poſſunt,ſi tanquam turris tegumentis defendatur à frigore.

Cyamos.

De Cunila.

CAPVT LXIV.

Plin. lib. 20. Cunilæ prẽter ſatiuam plura ſunt genera in medicina. Illa quæ appellatur bubula, ſemen habet pulegij ad vulnera vtile commanducatum impoſitumque,vt quinto poſt ſoluatur die. Contra ſerpentes in vino bibitur,& tritum plagę imponitur,vulnera quoque ab alijs facta perfricantur. Et iterum teſtudines cum ſerpentibus pugnaturæ hac ſe muniunt. Quidam in hũc vſum panaceam vocant. Sedat & tumores,& mala virilium, ſicca vel folijs tritis in omni vſu mirè congruens ex vino. Eſt alia cunila quæ gallinacia vocatur à noſtris, à Græcis origanum heracleoticum. Oculis prodeſt trita addito ſale. Tuſſim etiam emendat, & iocinerum vitia, laterumque dolores cum farina,& oleo,& aceto in ſorbitionem temperata præcipuè vero ſerpentium morſus. Tertium genus eſt eius quæ à Græcis maſcula & à noſtris appellatur cunilago,odoris fœdi,radicis lignoſę, folio aſpero,vires eius vehementiſſimas in omnibus his generibus earũ tradunt,manipulo quoque eius adiecto, omnes etiam à toto domo blactas ad eam conuenire,& priuatim aduerſus ſcorpiones ex poſca tollere. Tribus quoque folijs ex oleo homine peruncto fugari ſerpentes. Econtrario quæ mollis vocatur, piloſioribus ramis, & aculeatis,trita mellis odorem habet,tactu eius cohęrentibus digitis. Altera thuris ſcilicet odorem habens, illa quæ libanotides vocatur, & vtraque contra ſerpentes ex vino, vel aceto medetur, pulices etiam necant contritæ cum aqua ſparſæ. Satiua quoque ſuos habet

Bubula.

Cunila gallinacia.

Cunilago.

Libanotides.

vſus.

vſus. Nam ſuccus eius cum melle roſaceo iuuat auriculas. Ipſâque bibitur ad ictus. Eſt ex ea montana ſerpillo ſimilis, efficax contra ſerpentes, vrinã mouet, purgat & à partu mulieres, prodeſt luxatis. Contra veſparum ictus, & ſimiles exhordeacea farina, & poſca vtiliſſima eſt. Libanotidis alia genera dicentur ſuis locis. *Palladius libr. 3.* In Februariomenſe, cunila ſeritur, & eo more quo allium, vel cæpula colitur.

De endiuia.

CAPVT LXV.

Auicenna. Endiuiarum alia eſt hortulana, & alia ſylueſtris. Et quædam habet lata folia: quædam ſtricta, ambæ vincunt lactucam in aperiendo, & in præſtando iuuamentum oppilationi hepatis, quamuis ab ea minorentur extinguendo, & confortando. Ex his magis iuuatiua eſt hepati, quæ eſt amarior. Eſt autem endiuia frigida in primo, & ſiccæ quidem ſiccitas in primo, humidæ vero humiditas in fine ſecundi. *Hortulana frigidior eſt*, & humidior, quàm ſylueſtris. Endiuia aperit oppilationes viſcerum ac venarum, confert optalmiæ calidæ, ſedat nauſeam, & excitationem choleræ. Confortat ſtomachum, & eſt de melioribus medicinis ſtomacho, cuius complexio calida eſt. Sylueſtris quoque melior eſt ſtomacho quàm hortulana. Idem quartanæ confert, & febribus frigidis, cum radice ſua ponitur emplaſtrum ſupra pũcturam ſcorpionis, & veſpæ, ac vermiculorum venenoſorum. Cum aceto comeſta ſtringit ventrem, & propriè ſylueſtris. Cuius & lac abſtergit albuginem oculi. *Idem.* ex ea fit emplaſtrum podagræ, & ex eadem cum farina ordei tremori cordis, & confortat cor. Ex ea quoque fit gargariſmus. & confert apoſtematibus gutturis.

Conſtantinus vbi ſupra. Endiuia, vel ſcauola de amaritudine, & ponticitate compoſita, & ſicca eſt in ſecundo gradu. Stomachum cõfortat, oppilationem aperit, Succus eius coctus, & deſpumatus cum oxyzaccaro bibitus, humores expellit putridos, & diuturnas febres curat. Cataplaſmate inde facto, calor hepatis, & ſtomachi mitigatur. Cum polline ordei, & oleo roſeo mixtus apoſtemata calida maximè ſi in oculis fuerint ſanat, arthreticos de calore mitigat. *Iſaac. vbi ſupra.* Endiuia domeſtica, & ſylueſtris eſt, quarum domeſtica, & diuerſæ virtutis eſt, habet enim amaritudinem, ponticitatem, & inſipiditatem. Quæ iterum in duas diuiditur partes. Eſt enim hyemalis, & æſtiualis. *Hyemalis eſt inſipida* propter amaritudinis & ponticitatis paucitatem, & etiam inſipiditas eſt propter temporis frigiditatem, frigida quidem eſt in fine ſecundi gradus. Quidam autem illam dicunt eſſe humidam, quod ſenſu non patet: quia ſiccitas eius palam eſt propter amaritudinem ſui atque ponticitatem. Secundum medicinam eſt vtilis: quia cacaplaſmata ſuper ſtomachum mirè confortat eum, valetque cholericis, & cardiacis. Æſtiuæ autem eſt amaritudo maior, ſed frigiditas minor. Eſt enim frigida in gradu primo, ſicca in ſecundi medio, proinde ſanguinem generat peiorem. *Vnde Galenus*, Lactuca ſiue endiuia quæ maioris eſt amaritudinis, ipſa deteriorem ſanguinem facit. Æſtiua tamẽ ſecundum medicinam eſt mediocris, quæ plus eſt aperitiua, maximè conſtipationis hepatis, quæ ſi elixa detur cum opſomagaro, & oleo minus erit nocibilis. Si vero cum aceto ſtomachum confortat, & ventrem conſtipat. Succus etiam coctus ac deſpumatus cum oxyzaccaro bibitus conſtipationem aperit, humores putrefactos mundificat, & diu febricitantibus conueniens fit. Sylueſtris quæ frigida eſt in initio primi gradus, & ſicca in fine eiuſdem, habet ſtypticitatem ſtomachum confortantem. Quæ ſi manducetur, aut ſuccus eius potetur, morſui ſcorpionis prodeſt, & cataplaſmata ſimiliter operatur. Radix eius ſi potatur, contra venenum auxiliatur. Cum myrrha vero mixta & immiſſa prouocat menſtrua.

Hortulana Endiuia. *Sylueſtris.* *Hyemalis.* *Æſtiua.*

De Enula.

CAPVT LXVI.

Iſidorus. Enula herba eſt quam ruſtici alnam vocant radice aromatica, odoris ſummi cum leui acrimonia. *Dioſcorides.* Ellenium multi ſimphicum vocant. Alij vero batum, & frontum. Latini autem enulam appellant, habet folia ſlomo ſimilia, anguſta, & mollia, & oblonga, non in altum creſcentia, ſed ſuper terram latam diſtenſa. Radix ei eſt ingens, & odorabilis, rufa & viſcida, guſtu non ſuauis: frutex eidem lilio ſimilis eſt, tyrſum autem album habet, in cuius ſummo flos auroſus eſt. *Montuoſis, & vmbroſis naſcitur locis*, & in humidis, & in hortis. Et eſt virtutis feruentis ac vnctualis. Crateas etiam Ægyptum habere alterum ellenium perhibet, quod virgas longitudiuis vnius cubiti ſuper terram porrectas herpillo ſimiles habet, folia vero ſunt ei, vt lenticulæ, ſed plura & longiora contra eadem virgulta. Radices quoque minores ac viridiores ſunt illi, in ſoliditate minoris digiti. Quarum ſuperior pars eſt craſſior, ad imum deducta in tenuitate cum cereo nigro. Naſcitur autem in maritimis, & ſiccioribus locis. *Auicen.* Enulæ eſt ſpecies quædam hortulana, & eſt quædam ſpecies eius cuius omnia folia ſunt ab imo palmo vſque ad vnum cubitum ſuper terram expanſa, ſicut zinziber, ac lentis folia, & quod in ipſa iuuatiuum magis eſt, radix eius eſt, in ſecundo gradu calida eſt, ac ſicca, & in ipſa eſt humiditas ſuperflua. Ideoque non ſtatim corpus calefacit, cum ei occurrit. In ipſa eſt virtus albificatiua, & abſterſio vltima.

Alna. Ellenium. *Locus naſcitura.* *Temperamentum.*

De Virtute ipſius in medicina.

CAPVT LXVII.

Dioſcorides. Enulæ, ſiue elenij radix contuſa melle addito in modum electuarij, tuſſim ſedat, & orthopnoicos curat. Morſibus etiam venenatis occurrit. Radix eius æſtate foditur, & ſiccatur. Aqua elixaturæ ipſius vrinam prouocat, menſtruis ſolutionem imperat, folia eiuſdem tuſa, & cataplaſmatibus addita; iſchiaticos ſanant, eadem ex vino cocta, & renibus impoſita taxioſos emendat. Multi vero eadem folia ſicca ſale addito, & dulcore in cibum procurant, pro ſtomachi ſalubritate. Quæ cum ſale quidem ſiccanda ſunt, vt & ex cappari cibi fieri ſolent. Succus ellenij cum ruta tuſſiẽtibus, & rupturis proficit, vrinã quoq; ac menſtrua, & partũ expellit. Illud autẽ ellenium quod Crateas Ægyptum habere fatetur, morſibus venenatis radice bibita medetur. *Auicenna.* Enula confert omnibus læſionibus ac doloribus, frigidis, & commotionibus ventoſitatum etiam inflationibus, Confert etiam ſchiaticæ ac dolori iuncturarum. Soda vero facit, ſed emigraneam phlegmaticam reſoluit. Adiuuat ad ſpuẽdum deglutita cum melle, & admixta cum electuarijs pectus mundificantibus eſt operationis bonæ. Confortat cor, & confert morſui venenoſorum vermium propriè que Ægyptia, virtus ſyrupi eius fortis eſt in ſuis operationibus. *Platearius.* Enula campana calida eſt in fine tertij gradus, & humida in primo. Enulæ radix magis competit medicinæ quàm folia, & viridis quàm ſicca, valet contra indigeſtionem ac ventoſitatem, & tortiones ex ea prouenientes, & vitia ſtomachi, & inteſtinorum. Contra conſtrictionem quoque pectoris, & vitium ex frigiditate. *Ex herbario.* Enula campana ab homine ieiuno comeſta dentes confirmat. Idem valet ad veſicæ dolorem, & ad lumbricos. Naſcitur in locis cultis, & ſabuloſis.

Effectus Enula. *Enula campana.*

Macer.

Enula quam Græcus alnam vocat, ellenium que
Dicitur à medicis, eſt forma cognita cunctis,
Humida vis eius & feruida dicitur eſſe,
Humor habere gradum primum, feruorq; ſecundum
Dicitur, illius decoctio menſtrua purgat.

Carmina.

Sic

Sic bibitus mouet vrinam, depellit abortum,
Dicitur hęc eatlem ſtipatum ſoluere ventrem,
Radix trita fugat ſchyaſim ſuperaddita coxæ,
Ex eius foliis cum vini nectare coctis,
Mirè nefreticis renes inuoluere prodeſt,
Eius radicum puluis cum melle voratus,
Tuſsim compeſcit, pulmoque iecurque medetur,
Cum ſucco rutæ ſi ſuccus ſumitur eius,
Affirmant ruptis, quod proſit potio talis,
Cum butyro modicoque oleo decocta tumorem,
Matricis ſubiecta tepens fugat illa colique,
Et cunctis morbis intus ſic ſubdita prodeſt,
Ac etiam poteris teſtes curare tumentes.

De epythimo.

CAPVT LXVIII.

Virtus & tęperamentum Epithymi.

Avicenna. Epithymum eſt ſemen, & flos, & ſtipites parui confracti, & eſt acutum, calidum, pungitiui ſaporis, ſemina habens rubea. Quod ex eo melius eſt creſcente, & Hieroſolimitanum, & quod vehementius eſt rubeum, & acutioris odoris eſt melius, eſt autem calidum, & ſiccum in tertio ſecundum Galenum. Sedat inflationem, & conuenit conſiſtentibus ac ſenibus, & remouet ægritudines opilationum. Confert etiam ſpaſmo, & melancholiæ, & epilepſiæ, & eſt ex eis quæ ſitire faciunt. *Conſtantinus vbi ſupra.* Epithymum eſt in tertio gradu calidum, & ſiccum, in melancholicis eſt valde vtile. Purgat enim choleram nigram abſque vlla defectione. Debet autem & ſubtiliter puluerizari: & quia generat anguſtiam & ſitim, debet cum amigdaleo iungi. *Dioſcorides.* Epithymum eſt flos thymi. Sunt autem capitella lenia, & caudas habentia. Accepta viridis ſtomachum vexat, & ventrem mouet. Nauſeam prouocat, choleram & phlegma deducit, maximèque nigram choleram. Datur & ad tormentum, ſiue ad vertiginem, & inflammationem. Item ad purgãdum thoracem cum iri illirica, & melle accipitur electuarij more. Alterius vero thymi flos eſt albus, ſed habent ambo æquam virtutem. Nam per os phlegma purgant, ac per ventrem choleram nigram fortè, dragmæ ſex cum vino dulci ac mellicrato admixto ſale modico. Datur etiam quibus præcordia præfocantur, & hepaticis ac ſuſpirioſis. *Platearius.* Epithymum eſt herba quæ præcipuè in locis calidis naſcitur, florem habens qui ei quoque euoluitur, vnde dicitur epithymum quaſi creſcens ſuper thymum, multæ quidem eſt efficaciæ tam ſiccum quàm viride. Nec herba ſed flos in medicinis ſumitur, & cum producit flores colligitur. Principaliter melancholiam purgat, ſecundo phlegma. Nec per ſe ponitur ſed cum medicinis melancholiam purgantibus. Contra quartanam valet eius decoctio in aqua cum lapide lazuli, & contra hęmorrhoidas ex melancholico ſanguine. Contra ſyncopen factam ex melancholica fumoſitate, fit ſyrupus ex aqua decoctionis ac ſenæ. Idem valet contra cardiacam, & contra ſtrangui iam ad extenuandum ſplenem.

De eruca.

CAPVT LXIX.

Etymologia.

Iſidor. Eruca dicitur quaſi vruca, eo quòd igneæ ſit virtutis, & in cibo ſæpe ſumpta, veneris incendium mouet: huius ſpecies ſunt duæ. Quarum altera vſualis, altera agreſtis acrioris virtutis, vtraque tamen vſum veneris commouet. *Plin. lib.* 19. Eruca, & naſturcium naſcuntur facillimè vel ęſtate vel hyeme, eruca præcipuè frigorum contemptrix eſt, diuerſæ quàm lactuca naturæ, veneriſque concitatrix. Iccirco iungitur illi ferè in cibis, vt numio frigori par feruor immixtus temperamẽtum ęquet. *Idem in lib.* 20. Semen erucæ ſcorpionum medetur venenis, & muriſaranei, arcetque beſtiolas omnes innaſcentes corpori, vitia cutis in facie cum melle illitum emendat, & lentigines in aceto, cicatrices quoque nigras reducit ad candorem cum felle bubulo. Aiunt illam verba ſubituris *ex vino potam, quandam contra ſenſum inducere duritiam*, huius etiam in condiendis obſonijs ſuauitas eſſe tanta, vt Græci appellauerunt euzomon, putant eruta ſubtrita ſi foueantur oculi claritatẽ reſtitui, fertur & tuſſim infantiam ſedare, & in aqua decocta radix eius oſſa fracta extrahere. *Dioſcorides.* Erucæ ſemẽ eſt diureticũ & calefactorium, carnes autem à putredine poteſt ſeruare *Auicẽ.* Eruca alia ſylueſtris, alia hortulana, cuius ſemen ponitur in decoctione loco ſynapis. Calida eſt in ſecundo ſicca in primo, & humidæ quidẽ eſt humiditas in primo. Eſt autem aperitiua, & lenitiua. Cuius aqua cum felle vaccino veſtigijs vlcerũ confert, & ſemen eius in aqua cum melle lentiginibus prodeſt, facit autem ſoda, & propriè comeſta. Sed nocumentum hoc remouet lactuca, ſimiliter endiuia, & portulaca, præterea lac abundare facit, & in ipſa eſt digeſtio cibi. Sylueſtris abundare facit vrinam commouens coitum, & faciens erectionem proprièque illius ſemen. Cum autem comeditur & poſt eam vinum odoriferum bibitur, theriaca eſt morſui rutelæ. *Iſaac.* Eruca calida eſt in ſecundo gradu humida in primo. Capiti dolorem generat, ſola comeſta ventoſitatem, & inflationem facit, & ideo cholericis *ac ſanguineis cauenda eſt.* Appetentibus ergo eam comedere, datur cum endiuia lactuca portulaca. Sola enim accepta generat calorem, digeſtionem corripit, ventrem conſtipat: frigidis vero naturaliter conuenit: quia digeſtionem eorum adiuuat, ventrem humefacit, ſperma quoque augmentat. *Platearius.* Eruca eſt calida, & ſicca in tertio gradu domeſtica minoris eſt efficaciæ quàm ſylueſtris, vſui medicinæ conuenit præcipuè ſemina ſecundo folia, virtutẽ habent conſumendi, & coitum excitandi, valet contra ſtranguriam, & ecthiſim, & paralyſim cum carnibus decocta, vel puluis ſeminis eius cum cæpis decoctus.

Nota pro ſubituris verbera.

Sylueſtris. Hortulana.

Cauẽda ſanguineis & cholericis.

De fœniculo.

CAPVT LXX.

Vſus in medicina.

Iſid. Fœniculum latini vocant, eo quod thyrſi vel radicis eius ſuccus acuat viſum. Cuius virtus eſſe traditur vt ſerpentes annuam ſenectutem eius guſtu deponant. *Palladius lib.* Fęniculus ſerendus eſt loco aprico & modicè ſaxoſo, & hoc primo vere ſcilicet Februario. *Razi in Almanzore.* Fœniculum calidum eſt, & vrinæ prouocatiuum, antiquis febribus conferens, quod cum recens eſt lac generat, huius ſuccus in oculo poſitus viſum acuit. *Platearius.* Fœniculus eſt, 2. gradu calidus, & ſiccus, virtutem habet diureticam ex ſubtili ſubſtantia, & qualitatibus ſuis. Semen eius & folia, & cortices atque radices competunt vſui medicinæ: in principio veris colliguntur ac per medium annum ſeruantur. Contra opilationem ſplenis, & hepatis ſtranguriam, & diſſuriam, & vitium lapidis ex humore calido datur aqua decoctionis corticum ipſius. Si autem eſt ex frigido, datur vinum decoctionis ipſius, fœniculus ipſe decoctus, valet contra prædicta commeſtus. Eadem aqua vino ſoluit dolorem ſtomachi ex frigiditate procedentem, & confortat digeſtionem. Succus radicum valet contra leucofoliam, & contra oculi pruritum, & pannum. *Plin. lib.* 19. Fęrulacei generis eſt, fœniculum anguibus gratiſſimum & ad condienda plurima cum inaruerit. *Idem in lib.* 20. Fœniculum nobilitauere ſerpentes guſtatu ſenectam exuendo, & oculorum aciem eiuſdem ſucco reficiendo, vnde intellectum eſt, homini quoque caliginem eo præcipuè rèleuari. Colligitur autem caule turgeſcente atque in ſolſt ſiccatur, & inungitur ex melle: vbique eſt hoc laudatiſſimum, tamen in Hiberia fit è lachrymis, & ex recenti ſemine, fit etiam è radicibus prima germinatione inſciſis. *Dioſcor.* Fœniculus manifeſte calefacit, mediocriter autem deſiccat. Ideo lac ex mammmillis generat, comeſtus vrinam prouocat, & menſtrua educit. Id præſtat & cataplaſmis adhibitus, idque facit cum ptiſana coctus. Eius elixatura ſi bibatur

Gratum ſerpentibus.

nephre-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nephreticis, ac veſicæ dolori medetur, vrinam prouocat, morſibus venenatis cum vino occurrit, menſtruis imperat, ægris nauſeam tollit. Cum aqua bibitus ſtomachi feruorem extinguit. Radix eius cum melle cocta *morſus caninos ad ſanitatem ducit.* Succus foliorum eius, & virgarum in ſole ſiccatus miſcetur oculorum confectionibus, & caligines eorum detergit. Semen eius viride expreſſum, dimittit ad ſupradicta vtilem ſuccum. In hiberia ſuccum eius pro lachrymo vendunt, quia omnibus cauſis opitulatur oculorum. Radicis quoque ſuccus idoneus eſt ad multa, maxime tamen ad oculorum vitia, leniter enim calefacit & mollit. Calidam vim dicunt fœniculo inſitam, non tamen ſimplicem, ſed cui etiam auſteritas mixta ſit, guſtus oſtendit, multaque poſtea per quæ vel ſoluendi vel extenuandi vel exiccandi poteſtatem exprimit.

Contra morſus caninos.

Macer.

Fœniculum medici calidum ſiccumque ſecundo
Dicunt eſſe gradu, maratrum græcus vocat illud,
Cum vino cunctis obſtat potata venenis,
Hac manſa ſerpens oculos caligine purgat,
Indeque compertum eſt ac experiendo probatum,
Illum luminibus humanis poſſe mederi,
Radicum ſuccus oculis cum melle perunctus,
Expreſſus maratri viridi de ſemine ſuccus,
Soleque ſiccatus, magnum medicamen habetur,
Ad quoſcumque voles oculorum pellere morbos,
Auribus infuſus ſuccus vermes necat eius,
Renibus in ptiſana radix decocta medetur,
Cum vino fugat hydropicos potata tumores,
Sicque venenatis obſtabit morſibus illa,
Sic quoque pulmonis obſtat iecorisque querelis,
Et ſic nutrici ſumpta fit copia lactis,
Cum vino vel aqua radicum cottio ſumpta,
Neuphreticis, & veſicæ morbis medicatur,
Vrinas purgat, & menſtrua ſumpta reſoluit,
Vel ſi trita ſuper pectus hæc herba ligetur,
Nauſea cum vino ſumpta ſedabitur illa,
Feruorem ſtomachi cum vino mitigat hauſta,
Radix illius vino decocta dolores,
Fomento curat patitur quos virga virilis,
Hoc quoque ſi iungas oleum facit, hocque perungas,
Ictum vel factos ſubito quoſcumque tumores,
Apponas tritum iuncto ſedabis aceto,
Semen cum vino bibitum veneris mouet actus,
Hocque modo lateris diros ſedare dolores,
Dicunt, aut herbæ ſi ſit decoctio ſumpta,
Tradunt auctores, eius iuuenescere guſtu
Serpentes, & ob hoc ſenibus prodeſſe putatur.

Prodeſt ſenibus.

De duplici fœniculo ſylueſtri & hortulano.

CAPVT LXXI.

Vicenna. Fœniculum ſylueſtre vehementioris eſt caliditatis, & ſiccitatis in tertio, hortulani vero caliditas eſt in ſecundo. Opilationes aperit, viſum acuit, eiuſque gummi propriè, & confert initio aquæ. Quod humidum eſt facit lac exuberare, & hortulanum propriè. Cum aqua frigida bibitum nauſeæ confert, & inflationi ſtomachi. Eiuſque digeſtio tarda eſt, aut nutrimentum eius malum eſt, vrinam & menſtrua prouocat, & ſylueſtre propriè lapidem frangit. In terreno quidem ac fluuiali iuuamẽtum ad renes ac veſicam, & confert propriè diſtillationi vrinæ, mundificat fœtus, & radix eius comeſta cum ſemine ſuo ſtringit, & confert etiam antiquis febribus. In potu data cum aqua frigida confert nauſeæ in febribus, & inflammationi ſtomachi ex eis. Eius decoctio cum vino confert venenoſorum vermiũ morſui, & radix eius, cũ aqua trita morſui canis rabioſi. *Plinius, vbi ſupra.* In fœniculi genere eſt etiam ſylueſtre, quod alij quidem hippomarathron, alij merſeneum vocant, folijs maioribus acriore guſtu ac procerius, brachiali craſſitudine, candida radice. Naſcitur in calidis, ſed ſaxoſis. Dyocles, & aliud hippomarathri genus tradidit longo & anguſto folio ſemine coriandri

Hippomarathron.

A medicinæ in ſatiuo ad ſcorpionum ictus, ac ſerpentium, ſemine in vino poto. Succus eius auribus inſtillatur, in quibus vermiculos necat. Id ipſum & condimentis prope omnibus inſeritur. Semen eius ſtomachum abſtringit diſſolutum, nauſeam ſedat ex aqua tritum, pulmonibus, & iocineribus laudatiſſimum, ventrem quoque ſiſtit, modice ſumptum, vrinam excitat, & ad tormina decoctum valet atque inſumpta, renes purgat, ſiue ſucco decocto, ſiue ſemine ſumpto, prodeſt ex vino radix cocta hydropicis. Itemque conuulſa folia tumoribus illiniuntur. Ardẽtes ex aceto veſicæ calculos pellunt. Hippomarathron ad omnia vehementius eſt, præcipuè calculos pellit veſicæ, cum vino leui ac menſtruis prodeſt. Semen eius efficacius, quam radix. Micon qui rhizi tonumena ac Petridius, qui ophiaca ſcripſit, nihil aduerſus ſerpentes hippomarathro putauerunt efficacius.

B

Dioſcorides. Fœniculi ſuccus, cum addito melle mixtus vetuſtiſſimam licet caliginem diſcutit, ac vermiculos in eis naſcentes interficit. Radix in ptiſana cocta renum tumorem laxat, hydropicis ex vino potata ſuccurrit, verendis laborantibus ex vino cocta, fomentum perutile ſubminiſtrat. Ipſa quoque cum oleo trita eidem cauſæ medetur. Semen ex mero ventrem ſtimulat, lactis *abundantiam puerperis præſtat*, cum aqua nauſeam ſedat. Nec vllum periculum oritur, etiam ſi in febre ſumatur. Fœniculus agreſtis maior eſt prædicto & ſemine & frutice, ſemen habens acaro ſimile, radicem odoratam. Semen eius & radix abſtinent ventrem, morſibus venenatis occurrit, calculos frangit, & ictericis ſubuenit. *Iſaac.* Fœniculus domeſticus calidus eſt in medio ſecundi gradus, ſiccus in medio primi, inobediens eſt digeſtioni. Succus eius coctus, & deſpumatus atque cum oxymele potui datus, valet cõtra diuturnas febres, vrinam prouocat, deſiccatus autem & collyrio commixtus vtilis eſt lumini oculorum. Sylueſtris autem ſtranguirioſos iuuat, lapides, vrinam & menſtrua plus domeſtico curat. Radix fœniculi cum ſemine ſuo potata, valet contra icteritiam, & venenum. *Razi.* Fœniculum calidum eſt, & vrinæ prouocatiuum, & antiquis febribus conferens, quod cum recens eſt lac generat. Huius ſuccus in oculo poſitus viſum acuit.

Pro puerperis.

Curatio febrium.

C

De fungo.

CAPVT LXXII.

D

Iſidorus. Fungi dicuntur eo quod aridi ignem acceptum concipiant. Φώς enim ignis eſt, vnde & vulgo eſca dicitur, eo quod ſit fomes ignis, & nutrimentum. Alij dicunt fungos vocatos, eo quod ſunt ex eorum genere quidam interemptorij, vnde & defuncti. *Plin. lib. 22.* Fungorum lentior eſt natura, & numeroſa genera, & origo ex arborum pituita. Claudius Boletos vtiles ſtomacho putat Suillo iunco tranſfixi pendentes ſiccantur, & hi fluxionibus alui quas rheumatiſmos vocãt medentur; excreſcentibuſque in ſede carnibus, ipſas enim minuunt, & tempore abſumunt: Itemque lentigines emendant, ac vitia in facie mulierum, lauantur etiam vt plumbum. Canum morſibus ex aqua illiniuntur, in medicamentis oculorum valẽt, & capitis eruptionibus. Noxij erunt fungi qui in coquendo duriores ſunt, innocentiores qui nitro addito coquuntur, ſi vtique percoquantur. Tutiores fiunt cum carne cocti, aut cum pediculo piri, proſunt & pira confeſtim ſumpta; de imbre proueniunt hęc omnia. *Et debellat eos aceti natura his contraria. Iſaac.* Fungi frigidi ſunt & humidi in tertio gradu, quod mollitie ſuaque humiditate teſtantur. Sunt autem ex his quidam mortiferi, ex frigiditate, & humiditate, veluti cum ſunt in tertio gradu. Quidam ex nimia viſcoſitate, & opilatione quam in poris, & venis faciunt, & propter humores eorum ad diſſoluendum inobedientes. Quidam ex mala qualitate quam de loco habent vbi naſcuntur, vt illi qui ſunt iuxta ęruginoſum, aut pannos putridos, aut foramen reptilium, vel arbores, craſſos humores, & viſcoſos habentes: mortiferorum hæc

Etymologia.

Curatio rheumatiſmorum.

Noxij fungi qui?

Debellantur aceto.

ſigna

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſigna ſunt,mollities,& viſcoſitas,humiditas, & craſſitudo. Qui etiam ſi per medium diuidantur, & in aere aliquantulum dimittantur,putridi inueniuntur:ignoranter hos comedentes,ita curantur:Pira eis dantur eſui,& nitrum cum oleo potui, aut cinis cum aceto, vel ſal cum aceto. Apozima etiam calamenti origani hyſopi, ac ſimilium iuuat,ſed & illi qui non ſunt mortiferi, craſſam habent humiditatem, & viſcoſam actionem naturæ, & indigeſtionem. Ideoque omnino vitandi ſunt, quos tamen comedere volentes, eorumque nocumentum vitare, elixant eos pira & calamentum miſcentes. Quorum iure expreſſa in alia aqua decoquuntur, ac cum pipere,zinzibere, & ſimilibus condiantur.

Fungorum nocumentũ quomodo vitatur.

De gaiſdone, & galanga.

CAPVT LXXIII.

Auctor. Gaiſdo, vulgo herba dicitur qua in blauium colórem panni tinguntur. Ipſa eſt iſacis ſecundum Macrum,de qua dicetur infra. Et ipſa fortaſſis eſt quæ alio nomine dicitur ſandix, de qua itidẽ ſub hoc nomine dicetur inferius. *Auicenna.* Galãga eſt fruſta inuoluta,rubea, nigra,in ſecundo gradu calidũ eſt ac ſiccũ & eſt ſubtile reſolutiuũ ventoſitatum,odorẽ oris efficit bonum,ſtomacho etiam bonum eſt ac cibi digeſtiuum, cholicæ confert,iuuat coitum,& dolori renum prodeſt. *Conſtantinus vbi ſupra.* Galanga eſt in tertio gradu calida,& ſicca,ſtomachum phlegmaticum confortat,virtutem digeſtiuam adiuuat,ventoſitatem diſſoluit,os odoriferum reddit,Curat cholicam, renes calefacit, & auget libidinem. *Platearius.* Galanga eſt calida, & ſicca in tertio gradu, Alij dicunt, quod arbor ſit, alij quod frutex. *Dioſcorides* dicit quod eſt radix, & circa pedem arboris in Perſia reperitur. Quod patet ex eo quod interius quandam radicem habet, & etiam terra ei adhæret. Poteſt autem ſeruari per annos quinque in efficacia multa,& ſine corruptione.Sophiſticari ſolet admixtione iunci habentis radicem infra tortuoſam, & etiam admixtione biſtortæ, ſed dignoſcitur, quia radix iunci ſaporem habet inſipidum ſiue ſalſum, biſtorta ponticum, Galanga vero aromaticum, & acutum. Eligenda eſt ergo ſubruſa, & ponderoſa quæ acutum ſaporem habet: virtutem habet confortandi ex aromaticitate, diſſoluendi, conſumẽdi ex qualitatibus ad digeſtionem confortandam, & dolorem ſtomachi ex frigida cauſa, vel ex ventoſitate,datur vinum decoctionis eius.Ad cerebrum confortandum,naribus applicandum eſt, cõtra ſyncopen,& cardiacam datur puluis eius cum ſucco boraginis, habet ſimilem effectum folijs, & ligna gariophyllis.

Digeſtionem adiuuat.

Sophiſticatur.

Macer.

Phlegmonem ſtomachi ſumptum galanga reſoluit,
Et ſi phlegmaticus fuerit corroborat ipſum,
Incluſum ventum ſumptum fugat interiorum,
Vim digeſtiuam iuuat hoc,choliciſque medetur,
Oris non modicum manſum commendat odorem,
Augmentat ſumptum,venum veneriſque calorem.

De arundine ſatiua.

CAPVT LXXIV.

Plin. lib.17. Arundo quoque ipſa ſatiua eſt,quam nimirum & Cato in humidis agris ſeri iubet. Arundinis genera 29. demonſtrauimus non aliter euidentiore illa natura, quam his continuis voluminibus tractamus.Si quidem arundinis radix contrita,& impoſita extrahit à corpore filicis ſtipitem. Itemque radix filicis arundinem.Illa quæ naſcitur in India,& Syria, odorum vnguentorumque cauſa: vrinam mouet cum gramine, vel apij ſemine decocta, menſtrua quoque cit admota. Medetur conuulſis duobus obolis pota, iocineri ac renibus proficit: hydropiſi prodeſt ac tuſſi etiam ſuffitu magiſque cum reſina furfuribus vlceribuſque manantibus cum mirrha decocta radix.Arundo Cypria quę donax vocatur,cortice, vel cinere alopicias emendat, item putreſcentia vlcera: folijs eius ad extrahendos eiuſdem aculeos vtuntur. Efficacius & contra ſacros ignes omneſque collectione. Arundo vulgaris extractoriam vim habet,& recens tuſa non in radice tantum. Medetur & luxatis ſpinæque doloribus,in aceto illita radix, Eadem recens trita,& in vino pota venerẽ concitat:arundinum lanugo auribus illita obtundit auditum,& eſt res in Ægypto de arundine cognita. *Auicen.* Arundo ſacchari in natura ſacchari exiſtit, & vehemẽtioris eſt exiccationis, in ipſa eſt iuuamentum ad vomitum. *Auctor.* Hæc arundo ſcilicet ſacchari ipſa eſt canna mellis: de qua paulo ante dictum eſt in capitulo de cannis. Cætera vero de natura vel proprietatibus arundinis,dicta ſunt in præcedenti libro vbi actum eſt de herbis incultis.

Donax.

Arundo ſacchari.

De inula & intuba.

CAPVT LXXV.

Palladius lib.3. Inula menſe Februario ſeritur, quo & canneta ponuntur.Seritur oculis vt calami,quos abſcidi ac terra leniter oportet operiri, terra foſſa & ſubacta excitatis ad linea puluinis quibus oculos eius oportet infodi. Trium vero pedum inter ſe ſpacio debent ſeparari. *Iſidor.* Inula quam ruſtici alnam vocant radice aromatica, odoris ſummi, leni acrimonia. *Plin. lib.20.* Inula quidem à ieiunis commanducata dentes confirmat.Et ſi vt eruta eſt,terram non attigit, condita tuſſim emendat. Radicis quoque decocta ſuccus tineas pellit. Siccata vero in vmbra, farina tuſa, conuulſis, & inflationibus,& arterijs medetur ac venenatorum morſus abigit, folia ex vino lumborum illiniuntur dolori. *Iſidor.* Intubus Græcum nomen eſt, & dicitur intubus, eo quod intus ſit tophus, huius genera duo ſunt, ſubamarus & dulcis,qui ſtomacho accommodi ſunt. Intubum autem ſyluaticum, ipſum eſt eliotropium, de quo ſcilicet in præcedenti libro iam dictum eſt. *Palladius lib.3.* intubum vel intuba ſicut & raphanos aliqui ſerunt in Martio menſe quibus vtantur in æſtate. *Idem lib.19.* intubi ſerendi ſunt in Octobri menſe, qui ſeruntur hyeme,humores,ac terram ſolutam appetunt, arenis,& ſalſis locis atque maritimis ſummi proueniũt:his area planior apparetur,ne radices eorum terra fugiente nudentur. Cumque fuerint quatuor foliorum, transferantur ad locum ſtercoratum. *Plin.lib.19.* Intubi hyemis ſunt impatientiores viruſque præferentes, ſed caule non minus grati.Eorũ plantæ verno ſeruntur,vltimo vere trãſferuntur.Eſt autem & intubum erraticum, quod in Ægypto vocant cichoriũm,de quo alias dictum eſt. *Idem lib.20.* Intubi quoque non extra remedia ſunt. Succus eorum cum roſaceo lenit dolores capitis, idemque potus cum vino iocineris ac veſicæ imponitur, & Epiphoris.

Modus ſerendi.

Alna. Vide eadem ante dicta c.66.

Etymologia Intubi.

Intubi venenati qui?

De lactuca.

CAPVT LXXVI.

Iſidor. Lactuca dicitur eo quod abundantiam lactis exuberet,ſeu quod lacte nutrientes fœminas implet, hæc & in viris veneris vſum coercet. *Razi.* Lactuca ſtomachi calidi ardorem reprimit, ſperma minuit,& ſomnum facit. *Dioſcorides.* Lactuca naturam habet frigidam,& humidam,& euſtomacham. Somnum præſtat, ventrem mollit,lac mulieribus prouocat, inflammationibus calidis adhibita iuuat, & ad leues eriſipilas comeſta caliginem infert: Lactucæ quidem natura frigida eſt non tamen noxij frigoris, ſed medij temperatique, alioquin nec vſui eſſe poſſet. Sortita rigorem aeris ardorem releuat, faſtidio languidos ad cibum reuocat, ſanguinem acquirit. Trita cum ſale combuſta ſanat. Ignem quoque ſacrum eadem ratione compeſcit. Lactucam cum ſit mediocriter frigida, & humida, melior eſt cæteris herbis ad generandum bonum ſangui-

Etymologia.

Generat bonum ſanguinem.

nem.

nem. Quæ ſi non lauetur aqua, melior eſt. Aqua enim humiditati ſuæ attribuit, lac etenim augmentat: lactuca cito digeritur, vrinam prouocat, tuſſim placat, ſanguinis ebullitionem refrigerat, ſomnum vigilias habentibus præſtat, capitis dolorem de cholera rubea, vel de ſanguine factum amputat, cocta pluſquam cruda fit conueniens eſui: quia eius lac quod ſomnum erat inducens, calore ignis minuitur propter hoc etiam in exordio ſuo cum lacte indiget, fit vtilior ſtomacho, & ad augmentandum lac in muliere. Cum autem induratur & lactis copiam habuerit, eius humiditas minuitur, & fit amari ſaporis. Sanguinem generat peſſimum, tenebroſitatem oculorum facit: quia mortificando ſpiritus viſibiles extinguit. Calorem naturalem etiam ſuffocat cataplaſma frondium lactucæ eriſipilam habentibus ſubuenit, & calida apoſtemata deſtruit. *Platearius.* Lactuca cibariorum vſui competit, ſemen eius medicinæ, quod frigidius eſt ipſa herba. Iudicatur autem ab auctoribus omnium herbarum temperatiſſima: cibus eſt cholericis conueniens, in febribus multum valet elixa cum cruda. Cocta in aceto addito croco ſoluit opilationem ſplenis, & hepatis. *Conſtantinus in panregni.* Lactucæ omnibus herbis vtiliores ſunt, ſanguinem meliorem alijs herbis generant, ſitim mitigant, ſomnum præſtant, libidinem auferunt, maxime ſi poſima earum bibatur.

Herbarum temperatiſſima.

Macer.

Frigida lactucæ vis conſtat & humida valde,
Inde poteſt nimios hęc manſa leuare calores,
Et præſtabis idem. ſuperaddas ſi bene tritum,
Vtilis eſt ſtomacho. ſomnum dat, mollit & aluum
Omnibus his melius prodeſt decocta comeſta,
Et ſtomacho potius non tota comeſta medetur,
Lactucæ ſemen compeſcit ſomnia vana,
Cum vino bibitum fluxum quoque reprimit aluj,
Lac dat abundanter nutrici ſumpta frequenter,
Vt quidam dicunt oculis caligo creatur,
His quibus aſſidue fuerit cibus eius in vſu.

De lactucę cultura.

CAPVT LXXVII.

Plin. lib. 19. Lactucæ ſeruntur toto anno, locis & irriguis ac ſtercoratis, menſibus binis inter ſemen, vel plantam, & maturitatem, legitimum tamen eſt à bruma ſemen iacere, tollerant hyeme maximè plantam in fauonio transferre, aut ſemen fauonio, plantam æquinoctio, verno humore quidem omnia hortenſia gaudent ac ſtercore. Seri etiam radices illitas ſimo intereſt; & repleri ablaqueata humo. Quidam & aliter amplitudinem augent cum ad ſemipedem excreuerint, reciſis ſimoque ſuillo recente illitis. Candorem vero contingere putant his dumtaxat quæ ſunt ſeminis albi, ſi arena de litore à primo incremento in medias congeratur, atque creſcentia folia contra ipſas redigantur. *Palladius lib. 2.* menſe Ianuario lactuca ſerenda eſt, vel Decembri; vt planta eius Februario transferatur: Item Februario ſeritur, vt poſſit Aprili menſe transferri: ſed certum eſt eam toto anno bene ſeri ſi locus ſit lætus, ſtercoratus, irriguus. Antequam pangatur radices eius reſecemus æqualiter, & liquido ſimo linamus, vel quæ iam pactæ ſunt nudatæ lætamen accipiant, *amant ſolum ſubactum; pingue, humidum, ſtercoratum.* Inter has herba manu vellenda eſt, non ſarculo: latior fit ſi rara ponatur, vel cum producere incipiet caulem, eo leniter inſciſo, gleba prematur, aut teſta. Candidæ fieri putantur, *ſi fluminis arena, vel littoris frequenter portetur in medias, & collectis ipſæ foliis colligentur.* Si vitio loci, vel temporis, vel ſeminis cito lactuca dureſcit, planta eius auulſa, & denuò poſita teneritudinem conſequetur. Idem in multis ſeminibus condita naſcetur, ſi caprini ſtercoris baccam ſubula ſubtiliter excauaueris, & in ea ſemen lactucæ, naſturcij, ocimi, erucæ radicis immiſeris, & tunc inuolutam ſimo baccam terra optimè culta, breui ſcrobe demerſeris.

Serendi modus.

Temptis quo ſeri debent.

Solum quod amant.

Vt ſint candida quid facto opus.

Raphanus inferius in radicem, Cætera ſemina in ſummo, lactuca pariter mergente proſiliunt, ſingulorum ſapore ſeruato. Alij hoc ita aſſequuntur. Auulſæ lactucæ folia carpunt, quæ radicibus iuncta ſunt, & in eiſdem gradibus ſurculo punctis, præter raphani ſemina ſupradicta deponunt, ac ſimo obliniunt. Sic obruta iterum lactuca prædictorum ſeminum caulibus ambietur. Naſturcium, ſi cum lactuca ſeratur, ægre naſci fertur.

Antipathia Lactucarum & Naſturtij

De diuerſis ſpeciebus lactucæ.

CAPVT LXXVIII.

Plin. vbi ſupra. Lactucæ tria genera Græci fecere, vnum lati caulis, cui folium paulo maius herbaceo, & anguſtiſſimum, vt alibi conſumpto incremento, Alterum vero caule rotundum, tertium ſeſſile, quod vocant laconion. Alij coloris, & temporis ſatis lactucæ genera diſcreuere. Dicũt enim eſſe nigras, quarum ſemen ſeritur in menſe Ianuario, albaſque quarum in Martio, & rubentes quarum in Aprili. At omnium earum plantas poſt binos menſes differri. Diligentiores vero plura genera faciunt, videlicet purpureas, criſpas, Cappadocias, Græcas, longiora ſunt his folia, latique caules præterea longi, & anguſti intubis ſimiles, peſſimum autem genus cum amaritudiñis exprobratione picrida vocari. Eſt etiam tunc alia diſtinctio, atræ quæ miconis appellatur à copia lactis ſoporiferi, quanquam omnes ſomnum parere credantur. Apud antiquos Italiæ ſolum hoc genus earum fuit, & ideo lactucæ nomen adeptæ: Purpureæ maxime radicis vocant Cæcilianam, rotũdam vero ac minimam latis folijs artylida, & quidam cumechion, quoniam hęc maxime veneri refragetur. Eſt quidem omnibus natura refrigeratrix. Ideo ęſtate gratæ à ſtomacho faſtidium auferunt, cibique appetentiam faciũt. Diuus certe Auguſtus lactuca conſeruatus fertur in ægritudine prudentia medici Muſæ: ſanguinem quoque augere credũtur. Eſt etiam quæ vocatur lactuca caprina, de qua inter medicas dicemus inferius:

Seſſile.

Picris.

Caciliana artylis.

Iſidorus. Eſt agreſtis lactuca quam ſerraliam dicimus, eo quod in ſerræ modum eſt thyrſus eius. *Iſaac.* Lactuca ſylueſtris in forma quaſi domeſtica eſt, Rami tamen eius longiores ſunt, & frondes ſubtiliores, aſperiores, minuſque virides, propter humiditatis ſuæ paruitatem, quod teſtatur amaritudinis, & ponticitatis ſuæ multitudo, iccirco minoris eſt frigiditatis: huius lac cum ſucco domeſticæ, & aceto mixtum ac potui datum, humores crudos expellit. Solum etiam lac bibitum ſomnum inducit, alij etiam dicuntur eam menſtrua prouocare propter ſuam amaritudinem. *Auicenn.* Albugiliſa, id eſt, lactuca aſini eſt ſpinoſa, piloſa, aſpera, nigra, plurima habens folia ſuper radicẽ ei annexa. Eiuſque radix in craſſitudine digiti, coloris valde rubei, quæ cum tangitur in æſtate tingit. Eſt & alia ſpecies ex ea coloris rubei habens folia citrina. Et eius ſpecies ſunt quatuor, albugiliſe intiſamus amelinius anſubeſin. Duæ primæ ſunt fortiores omnibus. Dixit Galenus, quod albugiliſe eſt calida, & ſicca. Subtiliatiua eſt, cum ſtipticitate, & ideo pontica, amara. Sed ponticitas eſt magis apparens in reliquis: reliquæ vero duo ſunt acutiores primis, & fortioris caliditatis. Radix etiam eſt fortioris caliditatis quàm folia, in decoctione quando linitur aceto confert morpheæ, & ipſa cutem excoriat, eiuſque folia debiliora ſunt radice.

Serralia.

Lactuca aſini qualis?

De medicinali earum operatione.

CAPVT LXXIX.

Plin. lib. 20. Lactucæ ſponte naſcentis primum genus eſt illa quam caprinam vocant. Qua in mare deiecta, protinus necantur piſces, qui in proximo ſunt. Huius lac expiſſatum mox in aceto duobus obolis adiecto aquæ cyatho hydropicis datur, inſciſi quoque nerui caule, ipſius folijſque contuſis aſperſo ſale ſanantur:

Lactuca caprina necat piſces.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Alterum genus eſt,quod eſopon Græci vocant, & in aruis naſcitur,eiuſque folia trita, & cum polenta illita vlceribus medentur. Tertium genus eſt,in ſiluis naſcens quod iſatim vocant, eiuſque folia trita, & cum polenta illita vulneribus proſunt. Lactuca ſylueſtris, lappato ſimilis eſt folijs,niſi quod habet plura, & nigriora. Siſtit ſanguinem,phagedenas & vlcera putreſcentia quæ ſerpunt ſanat, itemque tumores ante ſuppurationem. Contra ignem ſacrum radice, vel folijs prodeſt, vel ad lyenes pota. Et hoc quidem ſingulis propria: porro ſponte naſcentibus communia ſunt candore caulis interdum cubitali longitudine, thyrſo & folijs ſcabricia. Ex his habentem rotunda folia, & breuia, ſunt qui hieraciam vocant,eo quod accipitres eam ſcalpendo, ſuccoque oculos tingendo obſcuritatem cum ſenſerint diſcutiant. Succus omnibus eſt candidus, viribus quoque papaueri ſimilis, carpiturque per meſſes inſciſo caule, ſictilique nouo conditur ad multa præclarus. Omnia ſanat oculorum vitia, cum mulierum lacte, arcet nubeculas,cicatrices,aduſtiones omnes,ac caliginem præcipuè, imponitur etiam oculis in lana, contra ephoras, item ſuccus aluum purgat in poſca potus. In vino autem bibitus medetur ſerpentium ictibus, folia thyrſuſque triti ex aceto bibuntur,& illiniuntur vulneribus, maxime contra ſcorpionum ictus. Alijs quoque venenis reſiſtunt,exceptis illis quę ſtrangulando necant aut his quæ veſicæ nocent, imponitur, & ex melle atque aceto ventri ad detrahenda vitia alui. Succus emendat vrinæ difficultates. Crateas eum & hidropicis in aceto cyatho vini dari iubet. Ex ſatiuis quoque ſuccus colligitur,ſed minus efficax: peculiares earum vtilitates partim iam dictæ ſunt, videlicet ſomnum faciendi, veneremque inhibendi,æſtum refrigerandi, ſtomachum purgandi,ſanguinem augendi,necnon & paucę reſtant, quoniam & inflationes diſcutiunt: ructuſque lenes faciunt. Nec vlla res maiorem in cibis auiditatem incitat inhibetque. Eadem in cauſa alterutrinque modus eſt. Sic & aluum copioſiores ſoluunt,modicè ſiſtunt,lenticiam pituitæ digerunt, & vt aliqui tradiderunt, ſenſum purgant, ſtomachoſque diſſolutos vtiliſſimè adiuuant. Dantur & cæliacis cum intubo erratico, & ad duritiem præcordiorum,& ad tuſſim hyſopitæ admixto. Dantur & melancholicis candidæ & ad vitia veſicæ. Diſſenterici etiam Praxagoras dedit. Ambuſtis quoque proſunt recentibus priuſquam fiant puſtulæ, & igni ſacro illiniuntur in vino tritæ. Conuulſa & luxata leniunt caulibus tritis cum polenta ex aqua frigida, eruptiones quoque papularum ex vino,& polenta. Miras, & alias inuenio laudes.

Quibus venenis reſiſtunt.

Ambuſtis proſunt.

Elixata melior.

Adhuc de eodem.

CAPVT LXXX.

Vicenna. Lactuca ſylueſtris eſt in virtute papaueris nigri. Hortulanæ frigiditas eſt ſecundum Galenum, ſicut aquæ lacunæ, & eſt in humectatione, & exiccatione inter caules,& attriplices,& blitos, in ipſo eſt abſterſio nec ſtipticitas nec ſolutio, propter euacuationem ſuam à ſalſedine, & ponticitate, & reliquis. Sanguinem generat meliorem quam olera. Nutribilior eſt elixata, meliorque eſt non abluta, quoniam ablutio addit ei inflationem, & ſimiliter omnibus oleribus frigidis. Eſt etiam velocis digeſtionis,& in medio vini adminiſtrata prohibet ægritudines ebrietatis. Confert etiam apoſtematibus calidis, & eriſipilę linita, ſi non fuerit vehementia. Elixata quoque & cruda vigilias remouet, & ſomnum facit. Confert & alleuiationi, & aduſtioni ſolis in capite, & opilationi in naribus factæ. Tuſſi quoque & inflammationi ſtomachi, & ictericiæ. Addit etiam in lacte,& cum aceto ſumpta facit appetitum,lac eius quæ ſylueſtris eſt,abſterget vlcera corneæ. Menſtrua prouocat,& in potu datur morſui rutelæ, & ſcorpionis. Lac etiam hortulanæ propinquum eſt lacti ſylueſtris, fitque ex ea emplaſtrum opthalmiæ calidæ.

A Lac ſylueſtris confert fiſtulis lachrymalium. Et aſſiduatio comeſtionis eius obtenebrat oculum: lactucæ ſemen ſperma exiccat, & deſiderium coitus ſedat. Eſt & lactuca aſini,cuius folia ſicut lactucæ ſubtilia, pluris numeri ad nigredinem declinant. Iſta calida eſt & ſicca, abſterſiua,& aperitiua. Confert apoſtematibus duris,& podagrę,& iſchiaticę. Idem radix albugiliſæ,ideſt lactucæ aſininæ,cum farina ordei fracti eriſipilam frangit ſuperpoſita cum adipe ſcrofulas reſoluit. Et ponitur cum cera ſuper omnia vlcera proprieque aduſtionem ignis. Eadem radix aptat ſtomachum & eius decoctio valet ictericiæ ac dolori ſplenis. Item decoctio eius cum aqua cardami confert dolori renum,& in renibus lapidi. Folia eius cum vino fuſa ventrem ſtringunt: albugiliſa reſoluit humores cholericos craſſos, & radix habentis fo- B lia citrina cum hyſopo, & ſinapi vermes interficit, & educit. Decoctio radicis albugiliſæ cum aqua alkaratim,confert febribus antiquis. Mulieri vero ſuppoſita radix,abortum facit. Cum autem maſticatur ex citrina habente folia,& proijcitur ſuper venenoſa interficit ea. Aliæ duæ ſpecies conferunt morſuræ viperæ bibitæ ac linitæ & ſputatæ. *Iſaac.* Lactucæ ſylueſtris lac cum ſucco domeſticæ,& aceto mixtum ac potui datum humores crudos expellit,ſolum quoque lac bibitum, & alia inducit. Nam dicunt eam menſtrua prouocare propter ſuam amaritudinem. *Ex herbario.* Lactuca leporina eſt C herba quam lepus comedit in æſtate,cum amor deficit, facit ad febrem, & ad pilos religandos cum oculis obſtant.

Obtenebrat viſum.

Pro febribus antiquis.

Lactuca leporina.

De lapiſtro,& liguſtico.

CAPVT LXXXI.

Iſid. Lapiſtrum eſt lapacium, hæc in cibo ſumpta ſtomachum confortat, ventrem reprimit. Liguſticum à regione nomen accepit,naſcitur in Liguria odore aromatico,& guſtu acri. *Plin. vbi ſup.* Liguſticum aliqui panacem vocant,Stomacho vtile eſt,itemque conuulſionibus,& inflationibus. Sunt & quidam qui falſo id appellauerunt cunilam bubulam. *Dioſcorides.* Liguſticus naſcitur in monte Liguriæ vicino. Sed ciues illam panacem vocant,eo quod radix eius eſt alba,& odorata ſimilis panaci,eique virtus eſt vna cum panace. Naſcitur autem in locis altis,& vmbroſis,virgam habet longam,& nodoſam aneto ſimilem, in qua ſunt folia melliloto ſimilia,ſed molliora,& odorata, quæ in cacumine ſunt tenuiſſima,& diuiſa. In ſummitate virgæ caput eſt vmbraculoſum,vbi ſemen eſt nigrum,& oblongum ſicut fæniculi,guſtu inſcidum, & aromaticè odoratum. Cuius virtus vnctualis eſt,radix eius eſt alba, ſimilis panaci Eracleontico,& odorata,virtuſque radici,& ſemini eius eſt calida,omnibus intraneorum occurrunt doloribus. Inflationem quoque ſtomachi ſoluit,& ictibus venenatis opitulatur,vrinam quoque prouocat ac menſtruis imperat, ſi bibatur, antidotis etiam quæ colicis proſunt admiſcetur. Idemque confectionibus omnibus etiam digeſtibilibus,quoniam euſtomachus eſt, vtiliter adhibetur,vnde multi ciues ipſius prouinciæ conditutis eum miſcentes eo pro pipere vtuntur.

Panax.

Deſcriptio.

Vſus in medicina.

Conſtantinus vbi ſupra. Liguſticum eſt in tertio gradu E calidum,& ſiccum. Cibum digerit,opilationem hepatis aperit,de frigido humore dolorem mitigat, ſtomachi ventoſitatem,& inflationem,rugitum, & intorſionem diſſoluit, menſtrua, & vrinam prouocat. *Platearius.* Liguſticum calidum,& ſiccum eſt in ſecundo gradu, cuius ſemen ſimiliter appellatur. Semen autem vt herba vel radix in medicinis ponitur: virtutem habet diureticam,virtutem quoque aperiendi, & extenuandi, vnde vinum pel etiam aqua decoctionis eius valet cõtra opilationem ſplenis,& hepatis,& contra ventoſitatem, & contra dolorem ſtomachi, & inteſtinorum ex ventoſitate. Puluis etiam eius cum puluere cynamomi datus valet ad prædicta.

Macer.

A Ligurum patria ſumpſere Liguſtica nomen.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Copia, quod maior ibi naſcitur illius herbæ,
Tertius huic gradus eſt ſicci calidique vigoris,
Maior radicis vis eſt & ſeminis eius,
Et par eſt illi vis in medicamine quouis,
Inflato ſtomacho cum vino ſumpta medetur,
Et tali potu vis digeſtiua iuuatur,
Omnibus, & morbis ſic proſunt interiorum,
Vrinam ſic ſumpta mouent, & menſtrua purgant,
Tota venenatis medicatur morſibus herba,
Si bibitur bene trita prius vinoque ſoluta,
Et pars contritæ ponatur deſuper herbæ,
Non modicum cholicis prodeſt, hæc manſa, vel hauſta,
Vel ſi radicis elixatura bibatur,
Nec ſolum cholicis decoctio ſubuenit iſta,
Sed ſupradictis medicabitur omnibus hauſta,
Digeſtibilibus ſemen bene iungitur eius,
Omnibus antidotis, quod ineſt ibi pectica virtus,
Hanc oculis ſtrabus potuque & odore nociuam
Aſſerit, antidotis eius tantummodo ſemen
Miſceri iuſſit, hoc vtrum dixerit à ſe,
An à Doctorum libris non eſt mihi notum,
Hoc ſcio, quod veteres non paruis laudibus iſtam
Extollunt herbam, nec me legiſſe recordor
Illum, qui Strabi ſermonibus aſtipuletur.

Contradicit Strabo.

De lilio.

CAPVT LXXXII.

Lilia exprimunt formã ſcyphi.

Iſid. Lilium eſt lactei floris herba, vnde & nuncupata quaſi Lidia. Cuius dum candor, & in folijs eſt, auri tamen ſpecies intus effulget. *Ambro.* Conſiderate lilia agri quantus ſit candor in folijs, ipſaque folia ſtipata quomodo ab imo ad ſummum aſſurgere videantur, vt exprimant formam cyphi, & vt auri ſpecies quædam intus effulgeat, qua cum vallo in circuitu floris obſepta iniuriæ nullæ pateat. Si quis hunc florem decerpat, & in folia ſua ſoluat, quæ tanta eſt manus artificis, quæ lilijs ſpeciem reformare valeat? *Gloſſa ſuper Lucam cap.* 12. Lilia non in ſiluis ſed in hortis naſcuntur, nec vllum agricolarum cultum requirunt, ſicut cæteri fructus: ſicut ſcriptum eſt, *conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant neque nent.* Non laborant coloribus ſe ornando, neque nent, ſibi indumenta faciendo. *Plinius lib.* 21. Lilium roſæ nobilitate proximum eſt, quadam cognatione vnguenti, oleique quod lilion appellatur. Nulla florum excelſitas maior. Interdum cubitorum trium, languido ſemper collo, & non ſufficiente capitis oneri. Candor eius eximius, folijs foris ſtrictis, & ab anguſtijs in latitudinem paulatim ſeſe laxantibus effigie calathi reſupinis per ambitum labris, tenuique filo, & ſemine, ſtantibus in medio crocis. Sic odor colorque duplex, & alius calicis, alius ſtaminis, differentia anguſta. In vnguenti vero & olei vſu, folia quoque non ſpernuntur.

Conuoluolus ſimilis lilio.

Eſt autem flos illi non diſſimilis in herba, quam conuoluolum vocant per fruteta naſcens, odore nullo, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac veluti indumentum naturæ lilia facere condiſcentis. Alba lilia omnibus eiſdem modis ſeruntur, quibus & roſa. *Nihilque fœcundius, vna radice quinquagenos ſæpe bulbos emittente.*

Fœcunditas liliorum.

Eſt & lilium rubeum, quod Græci vocant crinon. Alij florem eius cynorhodon, laudatiſſimum eſt in Anthiochia, & Laodicia Syriæ, mox in Phaſelide. Quartum locum obtinet in Italia naſcens. Sunt & purpurea lilia gemino caule, carnoſiore tantum radice, maioriſque bulbi ſed vnius, hoc narciſſum vocant: huius alterum genus flore candido calice purpureo. Differentia lilijs eſt hæc, quoniam folia narciſſis in radice ſunt probatiſſimis in Lyciæ montibus. Tertio generi cætera ſunt eadem: ſed calix herbaceus, omnes ſerotini, poſt arcturum enim florent ac per æquinoctium autumni. Inuenta eſt in his ratio inſerendi monſtrificis hominum ingenijs, lilia in fumo ſuſpenduntur, deinde nudantibus ſe nodulis in fœce nigri vini, vel Græci, menſe Martio macerant, vt colorem accipiant, atque ita ſeruntur in

Narciſſus.

Ratio inſerendi lilia.

A ſcrobiculis heminis fœcis circumfuſis. Sic purpurea lilia fiunt: mirum ita tingi aliquid vt naſcatur infectum. *Palladius libro* 3. In Februario menſe liliorum bulbos ponemus, vel lilia ante habita ſarriemus, ſumma diligentia ne oculos circa radicem naſcentes, & minores bulbulos ſauciemus, qui à matre ſubtracti atque in alios digeſti ordines, noua lilieta formabunt.

De medicinis ex lilio.

CAPVT LXXXIII.

B *Dioſcorides.* Lilium duritias neruorum remollit, folia eius cocta, & impoſita ad combuſta loca proficiunt, & vexationem ſerpentium curant. Succus eius cum melle decoctus in vaſculo nouo veteribus vlceribus medetur. Radix eius ſub prunis cocta, & cum oleo roſeo trita, & impoſita vſturas ſanat, & optimè vulnera cicatrizat, ventrem laxat, & menſtrua prouocat. Semen quoque eius potui datum menſtrua prouocat, & partum deijcit. Ad ſerpentis morſum facit. Flores eius leptomeres ſunt. Et oleum ex eis diaphoreticum eſt, ac ſine vlla mordicatione malacticum, ad omnes matricis duritias vtile. *Platearius.* Lilium eſt calidum, & humidum. Aliud autem domeſticum, aliud ſylueſtre. Sed ſilueſtre, aliud gerit florem purpureum quod efficacius eſt, aliud florem croceum: domeſticum lilium cum axungia tritum, apoſtema calidum maturat. Radices lilij valent contra duritiem ſplenis, ad faciem quoque colorandam radix lilij agreſtis. *Auicen.* Lilium album hortulanum calidum & ſiccum eſt in ſecundo. In ipſo eſt terreitas ſubtilis acquirens amaritudinem & aquæitas æqualis complexionis. Ireos autem ſylueſtris vehementioris eſt calefactionis, & exiccationis. Confert panno, & lentiginibus proprieque radix eius, & mundat faciem ac remouet eius contractionem, valet inſciſionibus neruorum, & ſpleni, ſed malum eſt ſtomacho, proprieque oleum eius, quod eſt reſolutiuum, aperitiuum, lenitiuum duritiei matricis bibitum, & inunctum. Nec eſt ei par in ægritudinibus matris. Extrahit fœtum, & confert dolori ventris pungitiuo. Conuenit etiam vlceribus capitis, ac furfuribus eius. Et diſtillatus in aurem ſedat dolorem eius ex ſonitu. Radix eius aperit orificia hæmorrhoidarum. Idem radix eius confert aduſtioni aquæ calidæ, quoniam exiccatiua eſt, mollitiua & abſterſiua cum æqualitate conſolidat. Ex decoctione quoque ipſius radicis fit oris collutio ad dolorem dentium, & propriè illius quod ſilueſtre eſt. Idem lilium confert punctura vermium venenoſorum, proprieque ſcorpionis. Ipſumque & ſuccus eius & ſemen, & ſyrupus bibita conferunt omnibus puncturis. Oleum quoque eius eſt theriaca coriandri, & fungorum. Emplaſtrum ex folijs cum vino factum ſuper eriſipilam confert valde.

Ad faciem colorandum.

Pro dolore dentium.

Iterum de eodem.

CAPVT LXXXIIII.

C *Plin. vbi ſupr.* Lilij radices multis modis florem ſuum nobilitauere, contra ſerpentium ictus ex vino potæ, & contra fungorum venena, *propter clauos pedum in vino decoquuntur triduoque non ſoluuntur.* Cum adipe, vel oleo decoctæ pilos etiam aduſtis reddunt. E mulſo potæ ſanguinem inutilem cum aluo trahunt: lienique ac ruptis vulſiſque, & menſtruis fœminarum proſunt in vino decoctæ. Impoſitæque cum melle, neruis præſciſis medentur, dichenas, & lepras, & furfures in facie emendant, folia in aceto cocta vulneribus imponuntur. Semen illinitur ſacro igni, flos, & folia vlcerum vetuſtati. Succus, qui flore expreſſus eſt, ab alijs mel ab alijs Syrium vocatur, valet ad vuluas emolliendas ſudoreſque faciendos, & ſuppurationes coquendas.

Pro clauis pedum.

Macer.

Auroſas, vt credo roſas argentea dicunt
Lilia iure ſequi, quæ nec ſpecie nec odore.

Cedere creduntur roſeo collata decori.
Nec minus in multis hominum ſint apta querelis
Eius radicis bulbus, qui lilia profert
Sub prunis coctus, vncto quoque tritus oliuo,
Prodeſt vlcuris mirè ſuperadditus ignis,
Et melius roſeum ſibi ſi iungatur oliuum.
Duras matrices tollit ſi ſubditur idem,
Elixis eius foliis cataplaſmate facto
Molleſcunt nerui combuſtaque membra iuuantur,
Sicque ſuperpoſitus morſus curabitur anguis,
Aut ſi cum vino bulbus potabitur ille,
Sic quoque fungorum negat illa venena nocere,
Hunc vino coctum tritumque pedum ſuperadde
Clauis, nec ſoluas niſi cum lux tertia tranſit,
Pingui porcino decoctus idem vel oliuo
Reddere poſſe pilos membris narratur aduſtis,
Cum vino potum nocuumque purgare cruorem
Per ventrem dicunt, & ſic prodeſſe lieni,
Sicque iuuat vuluas, ſic idem menſtrua purgat,
Vel ſi cum vino veteri tritum ſuperaddas.
Preſciſis neruis tritus cum melle medetur,
Expreſſus ſuccus foliorum mixtus aceto
Et melli coquitur, ſic mellis ſint & aceti,
Vt geminæ partes, prædicti quinque liquoris
Ad deſiccandas nihil eſt magis vtile plagas,
Inde cicatrices duci licet inueteratas,
Elixus bulbus, & cerotis bene mixtus,
Rugas diſtringit, vultus maculas fugat omnes,
Lychenas purgat, faciem quoque furfure mundat,
Exprimitur ſuccus de tritis floribus eius
Emollit vuluas, cum lana ſubditus illis,
Illitus aſſeritur putorem poſſe mouere
Turgida maturat, plus decoquit, & cito purgat,

Reſtitutio pilorum in membris aduſtis.

De lino.

CAPVT LXXXV.

Byſſus.

Linum viuum.

Argumenta duo maturi lini.

I*Sid. lib.* 19. Linum ex terræ nitenti ſpecie oritur. Nomen ſumpſit à Græco, vel quod lene ſit ac molle. Byſſum autem eſt genus quoddam lini nimium candidi ac molliſſimi, quod Græci papaten vocant. *Plin lib.* 19. Linum ſabuloſis locis maximè naſcitur, vnoque ſulco, nec magis feſtinat aliud vere ſatum æſtate vellitur, digeritur, pectitur. Illiſum crebro in ſilice ex aqua tectumque rurſus clauis tunditur, ſemper iniuria melius atque in filo ponitur. Inuentum eſt linum: quod ignibus non abſumeretur, *viuum id vocant*. Ardenteſque in focis conuiuiorum vidimus ex eo mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis quam poſſent aquis. Naſcitur in deſertis locis Indiæ ſoleque aduſtis, vbi non cadunt imbres inter diros ſerpentes, aſſueſcitque viuere ardendo. Cadurci, caleti, rutemi, bituriges, vltimique hominum exiſtimati morini, immo vero Galliæ vniuerſa vela de lino texunt, iam quidem & tranſrhenani hoſtes nec pulchriorem aliam veſtem eorum fœminæ nouerunt. Varro tradit in Serranorum familia Gentilicium eſſe, fœminas linea non vti veſte. In Germania id opus agunt defoſſi, & ſub terra, In Campania ſit inde piſcium alitumque captura. Eadem & plagis materia. *Nec enim minores inſidias cunctis animalibus, quam nobis metipſis lino tendimus.* Sed Cumanæ plagæ apros conſcidunt, & ferri, & hæc caſſeſve aſperi, aciem conuincunt. Ægypti lino minimum eſt firmitatis plurimum lucri. Quatuor ibi diſtinguuntur cum regionum nominibus in quibus naſcuntur, apud eos maturitas eius intelligitur argumentis duobus, videlicet *Intumeſcentis ſeminis, vel colore flaueſcente.* Tunc euulſum, & in faſciculos colligatum ſiccatur in Sole pendens conuerſis ſuperne radicibus vno die. Mox alijs quinque faſcium cacuminibus in contrarium inter ſe verſis, vt ſemen cadat in medium. Huic inter medicamina vis, & in quodam ruſtico ac prædulci Italiæ Tranſpadanæ cibo, ſed iampridem ſacrorum tantum gratia. Deinde poſt meſſem triticeam virgæ ipſius merguntur in aquam ſolibus tepefactam, pondere aliquo depreſſæ, nulli enim leuitas maior. Maceritatis indicio eſt membrana laxatior, iterumque vniuerſæ, vt prius Sole ſiccantur. Mox arefactæ in ſaxo tunduntur, & *quod proximum cortici fuerit ſtuppa vocatur.* Depectitur atque digeritur, deinde in fila politur ſemper iniuria melius. Linum ſupradictum, quod in deſertis naſcens ardendo viuit rarum inuentu, difficile textu propter breuitatem, rufo ignis colore ſplendeſcit. Ex argumentatione vocatur à Græcis *asbeſtinum*, & cum inuentum eſt æquat excellentium precia margaritarum. Anaxilians auctor eſt, *huius lintheo circundatam arborem ſurdis ictibus, & qui non exaudiuntur cædi.* Huic ergo lino Principatus eſt in orbe toto, proximus vero biſſino, mulierum maximè deliciæ circa Ælim in Achaia genito, quaternis denarijs eius ſtipula permutata quondam, vt auri. Repertaque lintheorum lanugo è villis nauium maritimarum maximè in magno vſu medicinæ eſt, & cinis ſpodij vim habet. *Palladius vbi ſupra.* In Februario menſe aliqui ſemen lini læto ſolo ſpargunt, & lina conſequuntur exilia. *Idem libro* 11. In menſe Octobri ſemen lini ſeri poteſt ſi placuerit, quod tamen pro ſui malitia ſerendum non eſt, quia terræ vber exhaurit. Sed ſi velis loco pinguiſſimo, & modicè humido ſerere poteris. Aliqui macro ſolo ſpiſſum ſerentes, ſic aſſequuntur, vt linum ſubtile naſcatur.

Stuppa qua.

Asbeſtinũ. Nota.

De liquiricia.

CAPVT LXXXVI.

Deſcriptio.

Vſus medicinalis glycyrrhizæ.

Clarificat vocem.

Quæ eligenda.

E*X ſynonimis.* Liquiricia ipſa eſt quæ alio homine dicitur glycoricia, ſiue glycyricia, vulgariter autem dicitur ricolicia. *Iſid. lib.* 17. Glycyriſa Græcè dicta eſt, eo quod dulcem radicem habet, glycin enim dulce dicunt Græci. Eadem & adipſos dicitur; quod ſitim ſedat ſitientibus. *Dioſcorides.* Glicoria, ſiue glicoricia, vel adipſa, naſcitur in Ponto, vel in Cappadocia. Frutex eſt virgas duobus cubitis longas habens, in quibus folia ſunt ſpiſſa lentiſco ſimilia, ſed pinguia, & glutinoſa, florem vero iacineto, ſimilem. Semen habet planum, & aſperum, quod eſt latum, ſicut lenticula, ſed rufum, & oblongum. Ruxei coloris habet radices longas, vt gentiana, conſtrictas, & dulces, quæ vt linum (alias licium) exiccantur: vires habet relaxantes, & cum dulcedine exhumidantes, vnde ſitim ſedant, renum ac veſicæ dolorem mitigant, vrinam, & menſtrua prouocant, omnemque tumorem tuſæ, & impoſitæ placant. Succus ipſe aſpredinem arteriarum diſſenit, & non ſolum tracheam ſanat arteriam, ſed etiam veſicam ſcabioſam, qui ſuccus videlicet diu lingua retentus debet glutiri quoniam æſtuationẽ ſtomachi ſoluit. Tumorẽ quoque ſtomachi, & hepatis cõpeſcit. Radix eius renum ac veſicæ vlcerationem curat. Bibita cum dulcore ſitim prohibet. Idem vulneribus vtilis eſt, maſticata ſtomatica eſt. Elixatura radicis eius hæc omnia facere nouit, ipſaque radix in pulueremredacta, & impoſita pterigia detergit. *Auicen.* Liquiriciæ radix eſt temperata, & ad caliditatem, & humiditatẽ declinat. Succus eius panaritio confert, & radix eius ſimiliter. Idẽ ſuccus eius ad vlcera valet. Radix eius vngulæ confert, eiuſque ſuccus fortior eſt. Idem pulmonis cannam lenit, & *mundificat, pulmoni confert ac gutturi, vocemque clarificat.* Sitim ſedat, propter humiditatem ſui, & ſimiliter confert inflammationi ſtomachi. Confert iterum vrinæ ardori, & valet ad vlcera renum ac veſicæ eiuſque ſcabiei, febribus etiam confert acutis.

Conſtantinus vbi ſupra. Liquiricia tẽperati caloris eſt, & humectat moderatè, habet etiam aliquid dulcoris, proinde valet tuſſientibus gutturi, & cannales pulmonis humectat, & pectus. Succus eius optimus eſt aſperis pulmonis cãnalibus, & ſtomacho peruſto, vniuerſaliter etiã pectoris, & pulmonis ac ſpiritus inſtrumentis liquiricia cõgruit. *Platearius* Liquiricia quidã dicũt, quod ſit radix, quidã quod frutex, ſed ipſa eſt ramus. Eſt autem eligenda quæ non multum craſſa ſed tenuis eſt, & inferius crocea eſt. Quod defrangitur, non puluerizatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quæ autem leuis & interius ſubalbida, vel nigra, vel viridis eſt, abijcienda eſt. Succus etiam eius eſt eiuſdem efficaciæ, & adhuc fortioris: qui hoc modo fit. Cum ramus eſt viridis bene conteritur, & in aqua bullitur, & vſque ad conſumptionem decoquitur, poſtea vero exprimitur, & ſoli exponitur ac deſiccatur, & in rotundam formam ſecundum formam vaſorum formatur: valet contra omnia pectoris vitia eius decoctio in aqua & pleureſi ac pleripleumoniæ, vinum decoctionis eius valet contra tuſſim. Ad idem valet electuarium ex liquiriciæ ſucco ac melle confectum, liquiricia denique commaſticata & ſub lingua retenta, ſitim & aſperitatem ſtomachi gutturiſque mitigat.

Curatio pectoris.

Contra ſitim.

De Malua.

CAPVT LXXXVII.

Iſid. Malua dicitur, eo quod molliendi aluum ac ſoluẽdi naturam habeat: huius ſucco ſi quis ſe oleo mixto perunxerit, ab apibus feriri negatur, folia eius ex oleo trita, & impoſita ſcorpionibus creduntur afferre torporem. *Plin. lib.* 20. Malua vtraque eſt in laudibus magnis, & ſatiua, videlicet, & ſylueſtris. Duo earum genera amplitudine folij diſcernuntur, maiorem Græci malopen in ſatiuis vocant. Alteram ab emolliendo ventre Malachem dictam putant. E ſylueſtribus cui grande folium eſt atque radices albę, althea vocatur, ab effectus excellentia, à quibuſdam ariſtalthea. *Omne ſolum in quo ſeruntur, faciunt pingius. Palladius li.* 3 In Februario menſe malua ſerenda eſt, quæ occurſu hyemis ab incrementi reprimetur longitudine, loco pingui delectatur, & humido gaudet lætamine. Transferuntur eius plantæ cum cæperint quatuor habere folia, vel quinque. Melius eius plãta quæ tenera eſt comprehendit. Maior enim tranſlata languebit. Sapor eius melior eſſe probatur ſi non transferatur. Sed ne cito in caulem erigantur, & in earum medio glebulæ, vel lapilli conſtituantur. Rara ponenda eſt, aſſiduo ſarculo delectatur. Sunt autem herbis maluæ liberandæ, ne motũ ſentiant in radice. Si tranſferendis plantis nodum facias, in radice ſeſſiles fient.

Etymon.

Althea.

Nota.

De operatione maluę in medicina.

CAPVT LXXXVIII.

Plin. vbi ſup. Maluæ, quæ althea dicitur, contra omnes aculeatos ictus efficacior vis eſt, vtilis, præcipuè ſcorpionum ac veſparum, & ſimilium ac muriſaranei. Quin & trita cum oleo qualibet earum perũcti ante, vel habentes eas non feriuntur ab his. Folium impoſitum ſcorpionibus, torporem affert, & contra venena confert. Aculeos omnes extrahunt illitæ, crudæ, aut cũ aneto potæ. Decoctæ vero cum radice ſua, leporis marini venenum reſtringunt, & ſi vomatur (vt quidam dicunt). Mira de eiſdem & alia traduntur, ſed maximè ſi quotidie *quis ſucci ex qualibet earum ſorbeat dimidium cyathum morbis omnibus carituru*m. Sanant vlcera manantia in capite. In vrina putrefactæ, lychenas, & oris vlcera cum melle. Radix decocta capitis ſanat furfures, dentiumque mobilitates. Eius quæ vnum caulem habet radice circa dentem qui dolet perũgat, donec dolor deſinat. Eadem ſtrumas, & parotidas, & pannos addita hominis ſaliua purgat. Semen eius in vino nigro potum, à pituita liberat. Radix in lana nigra mammarum vitijs occurrit adalligata. Tuſſim emendat in lacte cocta, & ſorbitionis modo quinis diebus ſumpta. Seſtius niger dicit eas ſtomacho vtiles. Aliqui folijs earum manus plenè menſura dicunt in oleo, & in vino ſumptis fœminas purgare. Vtique conſtat parturientes folijs ſubſtratis celerius ſolui, ſed protinus à partu reuocanda, ne vulua ſequatur. Dant & ſuccum parturientibus ieiunis bibendum in vino decoctum. Melancholicis quoque datur vnicaulis ſuccus tepidus & inſanientibus: hoc & calculoſis, & inflationi & torminibus aut opiſthonico lab orantibus tepidus illinitur, & ſacris ignibus & ambuſtis decocta in oleum folia, & ad vulnerum impetus cruda cum pane imponuntur, decoctæ ſuccus veſicæ & inteſtinorum prodeſt roſionibus. Alteæ radix efficacior eſt in omnibus ſupradictis præcipuè conuulſis atque ruptis. *Iſaac.* Malua calida eſt in gradu primo, humida in ſecundo. Radix eius & ſemen diſſoluit pulmones, ſaniem apoſtematis digerit, poſima eius valet ad ſanguinis fluxum: quiddam enim habet ponticitatis. Quæ ſi cum vino potui detur, craſſos humores renum diſſoluit, & lapides frangit. *Platearius.* Malua domeſtica magis frigida eſt, & humiditatem habet ſubtiliorem. Syluestris autem creſcit altius, & altiora habet folia, & fit quaſi frutex, hęc minus frigida eſt, & habet viſcoſam humiditatem, valet ad maturandum calida apoſtemata. Teruntur enim folia maluæ cum axungia porcina recenti, & ſuper tegulam calefacta ſuperponitur. Hæc etiam valet contra duritiem ſplenis & hepatis. Fomentum ex aqua decoctionis eius factum circa pedes, valet ad ſomnum prouocandum in febribus acutis. Contra tuſſim ſiccam etiam valet, & contra ethicam.

Extrahunt aculeos.

Nota.

Dolorem dentium auſert.

Ad accelerandum partum.

Temperamentum.

Contra morſus ſphalangionu.

Iterum de eodem.

CAPVT LXXXIX.

Conſtantinus vbi ſupra. Malua eſt frigida in ſecundo gradu. Quiddam caloris accidentaliter habet, ideoq; ſi in vino ſit cocta, & cataplaſmetur, contra ſcrofulas, apoſtemata, tumores mãmillarũ valet. Succus eius ſi cum vino bibatur, ſtranguriam ideſt difficultatem mingendi diſſoluit, & lapidem frangit. Schiaticæ conueniens, inteſtina ſanat vulnerata, ſi cum aceto coquatur, dolorem ea lotorum mitigat. *Dioſcorides.* Malua vtilior eſt hortiua quam agreſtris, ſed cacoſtomacha eſt, ventremque mollit. Maximè autem eius virgulæ inteſtinis medentur ac veſicæ. Eius folia cruda cataplaſmata cum ſale modico medentur ægilopis, valent & apum percuſſuris. Idem malua elixa, & oleo admixta cataplaſmatibus adhibita, acoras & furfures capitis tollit. Elixatura eius malactica eſt, ad durities inteſtinorum atque matricis & ani neceſſario ſupponitur. Folia eius cocta & impoſita cum oleo modico, combuſtionibus & igni ſacro. Item malua cum radicibus cocta in viſcello venenoſis potionibus ſubuenit, ſi frequenter bibatur, morſus ſphalangionis retemperat, lac mulieribus prouocat. Semen agreſtis maluæ cum vino bibitum dolorem mitigat veſicæ. *Author.* De althea, quæ eſt agreſtis malua, iam dictum eſt in alio libro ſupra.

Macer.

Altheam maluæ ſpeciem nullus negat eſſe,
Alt beamque vocant illam quæ creſcit in altum,
Hanc ipſam dicunt euſcum, quod quaſi viſco,
Illius radix contacta madere videtur,
Agreſtiſque ſolet à multis malua vocari,
In mulſa coctus flos eius vulnera purgat,
Vel ſi cum vino tritum florem ſuperaddas.
Spargere ſic ſcrophas anumque iuuare dolentem,
Dicitur hocque modo conquaſſatis medicatur,
Elixata prius radix adipique refrendo,
Addita porcino, therebintinæque tumores
Matricis curat reliquoſque leniare dolores,
Dicitur, illius neruos ſic ipſa relaxat,
Rumpit vel ſpargit ſic apoſtemata dura,
Omnes has cauſas elixatura iuuabit,
Si loca morborum foueantur ſæpe tepenti,
Ad dyſenterias radicum coctio ſumpta,
Cum vino fluxum ſtringens compeſcit earum,
Et pellit tardas hæc coctio ſumpta ſecundas,
Et prodeſt æmoptoicis, lapidſque repellit,
Veſicæque ſolet varijs ſuccurrere morbis,
Acri cum vino contritum ſemen oliuo
Iungito, deformes maculas hoc vnguine pelles,

Cum posca potata potest obstare venenis
Elixata prius, cum melleque trita replebit
Vulnera quæ causa sunt si sint superaddita sæpè,
Sic quoque duritias mellit lenitque rigores,
Decoctis oleo folijs factum cataplasma.
Quæsus pestiferos morsus combustaque curat.

De Meconio.

CAPVT XC

Descriptio.

Ioscorides, Meconium dictum est, quia flore citius caret. In locis cultis nascitur. Autumno colligitur, habet folia coriandro similia, diuisa, & oblonga, & aspera. Hasta est illi similis iunco, recta & longa cubito vno, cum flore fœniceo vel albo, similis ammoni agresti. Capitella quoque habet oblonga, ammone minora, semen rufum, radicem oblongam, & subalbam, amaram, in modum digiti minoris crassam. Meconij tamen duo sunt genera, vnum hortiuum, & aliud agreste. Virtus omnibus frigida est, folia eorum cataplasmata, tumores, & ignem sacrum extinguunt. Capitella elixa mixto melle spissata in coctura, vt electuarium data ad tussim & ad rheumatismum faciunt, cæliacis etiam addito succo hipoquistidæ, & achaciæ maximè prosunt. Semen vero nigrum meconis tritum & cum vino bibitum, rheumatismum ventris abstinet, ac mulierum fluxum. Idem acceptum, vt herbum somnum præstat, tussim mitigat, fluxum ventris abstinet. Quod si plus bibitum fuerit lethargicos facit, & occidit. Dolorem capitis cum oleo roseo compescit, fomento adhibitum. Aurium quoque dolorem cum oleo amigdalino, vel croco, vel myrrha curat infusum, sed & oui medio vitello, & croco mixto compescit dolorem, & tumorem oculorum. Ignem sacrum extinguit, & ad sanitatem vulnera perducit, podagris cum lacte mulieris, & croco subuenit, suppositum quoque vt collyrium somnum facit. Mecon erratilis quem multi vocant pardalion, aut agreste mæconium habet folia alba, & crassa flomo similia in medio secta, hastam & florem habet viridem. Semen minutum, & curuum sicut carui, & fænugræcum. Radix eius est super terram longa, & nigra cui coctæ in aqua vt ad medium redeat, virtus est diuretica: hepaticisque cõuenit bibita. Nascitur in locis maritimis, & asperis. Semen eius ventrem purgat bibitum cum mulsa, folia eius & flores abstinent pascentia vulnera. Oleum mixtum, & inunctum caligines detergit oculorum. Mecon aphrodis appellatur, & heraclia, & habet hastam duorum palmorum longam, foliaque minuta strucio similia. Semen album habet, Ipsaque herba omnis alba est, sed radix tenuis est. Semen eius in æstate quando minus est colligitur, & siccum reponitur. Quod acceptum cum mulsa vomitu stomachum purgat; Et hæc ipsa purgatio epilepticis medicatur.

Mecon erratius.

De Melone.

CAPVT XCI.

Constantinus in Pantegni. Melones frigidi sunt in secundo gradu, & humidi, cito digestiui: quia colatiui vrinam prouocant. Impetiginem ac morpheam cutis inde lotæ mundificant, quod semen maximè facit, vt dicit Gal. in stomacho corrupto venenosos humores generant, sæpe vero multum comedentes diarriam patiuntur. *Isaac in dictis particularibus.* Melones frigidi sunt, & humidi in medio secundi gradus: horum quidam sunt rotundi, quidam longi, rotundi viscosiores sunt, & crassiores, & causa rotunditatis eorum hæc est. Liquor enim eorum qui crassus atque viscosus fuerat in superficie natando, æqualiter se diffundit circa latera, longorum autem liquor: quia subtilis, & aquosus fuit, effluit, & inferius discurrit, Iccirco prolongantur. Quod huiusmodi ratio testificatur, sapor enim rotundi aliquantulum vicinatur dulcedini, longus vero in sapore quasi aqua est, vnde longus est minus nociuus: parumque colatiuus mundificatiuus. Rotundus autem notabilior, & magis colatiuus, & vrinæ prouocatiuus, arenas & lapides expellit à vesica, & renibus, fæcundum quod testatur sapor ipsius: videmus & corpora ex eo fricata ab omni sordicie fieri munda, vtrique tamen ad corruptionem operantur, & in qualitatem humorum in stomacho existentium mutantur, siue sint cholerici siue plegmatici, iccirco nocẽt stomacho. Neruos enim eius omnes mollificant, Eisque lubricitatem præstant, Quod si cibum in stomacho inuenerint, cum eo miscentur, & lubricitatis causa cibus digeritur, priusquam coquatur. Intestinis etiam rugitum faciunt & vẽtositatem, nonnunquam vomitum & abhominationem. Iccirco necesse est illos ante omnem cibum stomacho ab humoribus inanito comedi, & tunc obediut digestiuæ virtuti, & bonis assimilantur chymis, licet eorum conuersio phlegmatica sit. Quibus econtra datis frigidi generantur humores, ac pessimi, fiuntque causa febrium maxime his, qui cholerici sunt & naturaliter calidi. Quod fit propter conuersionis velocitatem, suiq; mutationem in cholericum humorem. Semen melonis, & radix minus carne frigida sunt, sed cum desiccantur in fine secundi gradus sicca fiunt, ideoque plus carne colatiua sunt, semen eius vrinam prouocat, renes, ac vesicam ab arenis & lapidibus mundificat. Cortex melonis, si ex eius puluere os lauetur tollit fœtorem eius. Radix eiusdem puluis bibitus irritat vomitum. Est apud Sarracenos genus melonis, cuius humiditas minor est cæteris. Frigidiores quoque calorem habentibus in stomacho febricitantibus conueniunt, & ardorem febrium repugnando extinguunt.

Nocent cholericis.

Valent febricitantibus.

Temperamentum melonum.

Causa figura melonum.

De melongena.

CAPVT XCII.

Idem ibidem. Melongia vel melongena, est in secundo gradu calida & sicca. Quod testatur eius acumen & amaritudo & morsus quo inficit linguam, ideoq; cito cõuertitur in cholericam vel choleram nigram & adustam, vnde cutem corporis corrumpit: lentiginem, impetiginem, cancrum, elephantiam, duraque ad dissoluendum apostemata gignit, & opilationes atque similia facit. Quæ vt minoris efficiatur nocumenti, conuenit vt findatur, & sale impleatur, deinde in aqua calida diu dimittatur, & postmodum etiam in aliam mittatur, & bis aut ter lauetur, vt omni nigredine careat aqua qua lauatur, deinde vero elixẽtur, & tunc aqua eiecta, cum carne pingui boum seu pecudum vel pecorum & similium coquatur. Qui autem illam absque carne comedere desiderant, & cum oleo & aceto & obsomagaro eam coquant. *Auicen. in secundo can.* Melongena est nota iuxta filium mesangæ, frigida est. Verumtamen in ea caliditas & siccitas in secundo gradu dominatur propter amaritudinem & acuitatem ipsius. Melancholiam & opilationes generat, superficiem corporis denigrat, & colorem citrinat. Antiqua ex ea mala est, retens vero sanior est. Quæ ex eis sunt paruæ, comedantur excorticatæ. Et quidem ipsæ generant pannum & soda & cancros, & duritias, ac lepras, faciuntque multiplicari tristitiam. Generat etiam hæmorroides, & hepatis opilationes. Verumtamen si ex eius capitibus in vmbra siccatis, & contritis epithyma fiat, hæmorroidibus confert. Et melongena quidem non habet ad soluendum vel stringendum proportionem, sed cum in oleo coquitur soluit, & in aceto stringit.

Temperamentum.

Sanior qua?

De Menta.

CAPVT XCIII.

Sid. Mẽta est genus herbæ odoriferæ. Huius genera sunt sex. Agrestis, quam vulgo nepitam, vel nepetam

vocant,

vocant, eſt maior in virtute ac vehemens in calore. *Palladius de agricultura lib. 3.* In menſe Februario mentam ſeri conuenit plantis, vel radicibus circa aquas, vel in humido loco. *Plinius lib. 19.* Ab æquinoctio verno menta ſeritur planta, vel ſi nondum germinat ſpongia. Minus hæc in humido gaudet, æſtate viret, hyeme flaueſcit. Genus eius ſylueſtre mentaſtrum dicitur, & hoc vt vitis propagatur, vel ſi vniuerſi rami ſerantur. Mentæ nomen ſuauitas odoris apud Græcos mutauit, cum alioquin minta vocaretur, vnde nomen declinauerant veteres noſtri. Grato menta menſas odore percurrit in rũſticis dapibus. Semel ſata durat ætate diutina, pulegio congruit, cuius natura in coronarijs floreſcit, hæc quoque ſeruantur ſimili genere, mentam dico pulegium ac nepitam in condimentò ſumpta. *Idem libr. 20.* Odor mentæ animum excitat, & ſapor auiditatem in cibis. Ideoque in mammillarum mixtura familiares ipſæ acceſſere, vt coire deſerique lac non patiantur. Quare lactis potionibus additur, ne huius coagulati potu ſtranguletur. Data in aqua & mulſo eadem vi reſiſtere creditur & generationi cohibendo genitalia denſari æquè maribus ac fœminis.

Tempus ſerendi mentam.

Mẽtaſtrum.

Odor menta ad quid cõfert.

De virtute ipſius in medecina.

CAPVT XCIV.

Idem de eodem. Menta ſanguinem ſiſtit, & purgationes fœminarum inhibet. Cum amilo ex aqua potum cæliacorum impetus, & ex mulſo vitia iocinerum, prodeſt in ſorbitionem excreantibus ſanguinem, vlcera in capite infantium mirè ſanat. Arterias humidas ſiccat, & ſiccas aſtringit, pituitas corruptas in mulſa, & aqua purgat, ſingultus, & vomitiones ſiſtit cum ſucco granati, vt Democritus monſtrat. Recentis ſuccus narium vitia ſpiritus ſubductos emendat, ipſaque trita choleram in aceto pota, illinitur & temporibus in dolore capitis, & iterum epiphoris, & omnibus in capite eruptionibus, ſediſque vitijs. Idem contra ſcolopendras, & ſcorpiones marinos ac ſerpentes ſumitur. Auribuſque cum mulſo inſtillatur. Aiunt & aridæ farinæ tribus digitis apprehenſam, dolorem ſtomachi ſedare, & animalia ventris expellere. *Iſaac.* Menta calida eſt, & ſicca in ſecũdo gradu, habet ponticitatem, & aromaticum odorem, vnde ſtomachum confortat, appetitum irritat, abominationem de putridis humoribus amputat. Succus eius ſucco malorum granatorum commixtus, & cum aceto pomi citrini ſingultum ſedat, & vomitum cholericum, linguã etiam lenit aſperam, ſi ex eo fricetur. Cataplaſmata ſuper mammillas lacte tumidas omnem tumorem diſſoluit. Eſui aſſuefacta coitum ſuſcitat.

Contra dolorem ſtomachi.

Platearius. Menta domeſtica, ſiue hortulana magis competit vſui medicinæ quàm aliæ, habet virtutem cõſumendi ex proprijs qualitatibus, & confortandi ex aromaticitate, contra fœtorem oris ex putredine gingiuarum & dẽtium abluitur os ex aceto decoctionis eius, & poſt ex puluere mentæ ſiccæ fricetur. Ex hac etiam fiunt remedia contra impedimentum appetitus factum ex ſuperfluis humoribus in ſtomacho exiſtentibus, contra vomitum factum ex debilitate virtutis cotentiuę, vel ex frigida cauſa. Contra ſyncopen, & debilitationem, contra iliacam paſſionem. Succus etiam cuiuſdã mentæ datus, lumbricos interficit, auribus inſtillatus vermes necat. *Conſtantinus in libro graduum.* Menta ſtomachũ confortat, os odoriferum reddit, digeſtionẽ adiuuat, abominationem & vomitum ex phlegmate aufert, & bonam ructuationem generat. Succus eius bibitus valet ſtomaticho ſingultui. Sæpe etiam comeſta lumbricos occidit, & libidinem auget. Cataplaſmata ſuper vlcera lac in eis coagulatum diſſoluit. Succus eius cum modico melle mixtus auribuſque diſtillatus, dolorem de frigiditate, & ventoſitate amputat, & dolorem capitis mitigat, lingua cum frondibus fricata, omnem amittit aſperitatem. Cataplaſmata cum ſale morſum ſanat rabidi canis. Succus eius cum ſapa potui datus prẽgnantibus facilem facit partum.

Sanat vlcera, dolorem capitis, morſum rabioſi canis.

Idem de eadem.

CAPVT XCV.

Dioſcorides. Menta eſt herba omnibus nota. Quæ virtutem habet thermanticam, & xeranticam, & ſtipticam. Succus eius cum aceto bibitus, ſubuenit ſanguinem reijcientibus, lumbricos extinguit, ventrem ſtimulat, ſugglutiones tollit. Choleram, & nauſeam compeſcit, cum ſucco maligranati acidæ accepta, & impoſita cum polenta, ſpargit apoſtemata. Impoſita vero fronti dolorem mitigat capitis, tumorem quoque mammarum tollit, addito ſale morſibus opitulatur caninis. Succus eius cum mulſa dolorem aurium depellit, aſpredinem linguæ diſlenit, lac coagulat, *caſeum à putredine tutum ſeruat.* Condituris quoque miſcetur vtiliter, quoniam euſtomachus eſt, odoris efficacia labẽtem recreat animum, & ſtomacho nil concupiſcenti detrahit faſtidium. In ſorbitione ptiſanæ ſanguinem excreantibus propinatur optimè. Aridæ mentæ puluis tribus digitis apprehenſus, & cum aqua calida in potione datus omnem iniuriam ſtomachi detergit. Eadẽ quoque res animalia ventris interficit, contuſa temporibus illinitur, in dolorem capitis ſtringit abundantiam ſanguinis, & nimios vomitus. Hortulana vero humidior eſt, & ad libidinem excitãdam mediocris, habet autem aliquid amaritudinis, per quod potata lumbricos occidit. Eſt etiam ſtiptica, ideoque ſputum ſanguinis reprimit, recens cum poſca bibita. Eſt iterum eius ſubſtantia leptomeris plus alijs. Eſt & edioſimus, id eſt, menta agreſtis habens folia aſperiora & maiora, quæ omnibus eſt brumoſa & ad curam hominis inutilis.

Seruat caſeum à putredine.

Macer.

Vim calidam ſiccamque gradu fert menta ſecundo,
Illius potu vis digeſtiua iuuatur.
Confortat ſtomachum, vomitum quoque detinet hauſta,
Lumbricoſque modo depellere fertur eodem,
Diuerſis morbis occurrit teſticulorum,
Si foueantur aqua, qua mente cocta ſit herba,
Concretum ſoluit lac mammis addita trita,
Inſtillata fugat auris cum melle dolorem,
Aſperitas linguæ fugatur ſæpe fricata,
Hauſtáque cum ſapa partum ſolet accelerare
Trita canis morſum ſuperaddita cum ſale curat,
Hæc æmoptoicis mixta ſuccurrit aceto,
Matrici ſuccus ſi ſubditur illius ante
Quam fiat coitus, mulier non concipit inde,
Caſeolos ſuccus putreſcere non ſinit eius
Admixtus, vel ſi viridis ſuperaddatur herba.

De Mercuriali.

CAPVT XCVI.

Platearius. Mercurialis, qui & linozoſtis calida, & humida herba eſt, competenter cocta cum carnibus craſſis ad ſolutionem datur. Ex herbario Mercurialis ſemen habet fœmina in modum botri, maſculus in ipſis ramis, vtraque pro olere accepta ventrem relaxat, decoctio earum potata, fella cum humore deducit. Tuſa, & appoſita tumores omnes ſpargit, & liuores tollit. Si quid in aurem introierit, ſuccus eius ſtupefactus in aure ſtillatus & liberat, valet etiam ad menſtrua prouocanda, & ad oculorum vitia. *Dioſcorides.* Linozoſtis, ſiue parthenion aut herba mercurialis habet folia ocimo ſimilia, & haſtas ſicut helſinæ, ramulos autem breuiores, & inanes cum furcis pluribus ac denſis: fœmina quidem maior eſt, quæ & appellatur thilicon, ſemen habens quaſi acinos, & quam plurimos. Maſculus vero paruior eſt ac rotundus, ac veluti binis teſticulis paruis circa exordium natiuitatis ornatus. Capitella etiam habet minuta circa folia, ſicut epithymum, ſemenque rotundum, vtriuſque frutex elixus, & comeſtus vẽtrem mollit, & eius elixatura accepta humores aquoſos de-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ponit:folia fœminæ, vt dicitur bibita, fœminas generare faciunt, & folia maſculi maſculos ſimiliter. *Plin. lib.* 25. Linozoſtis, ſiue parthenion à mercurio eſt inuentus. Ideoque apud Græcos hermopoan multi vocant, apud nos mercurialis vocatur. Duo ſunt eius genera, videlicet maſculus, & quæ efficacior eſt, fœmina, cubitali interdum caule ramoſo in cacumine, ocimo anguſtioribus folijs,geniculis denſis,cauis alarum multis, ſemine in oculis fœminæ copioſo dependente, mari iuxta genicula ſtante rariore,ac breui, contortoque, fœminæ ſoluto,& candido, folia ſunt maribus nigriora, fœminis candidiora. Radix prætenuis ſuperuacua. Naſcuntur in campeſtribus cultis. Mirum eſt,quod de vtroque proditur genere, vt mares gignantur hunc facere, vt fœminæ illam,hoc contingere, ſi ſuccus à conceptu protinus in paſſo bibatur, Edanturve folia decocta ex oleo, vel ſale,vel cruda ex aceto. Quidam decoquunt eam in nouo fictili, cum heliotropio, & duabus aut tribus ſpicis,donec decoquatur. Decoctum dari iubent, & herbam ipſam in cibo altero die purgationi, mulieribus per triduum, quarto die à balneo coire eas. Has Hipocrates miris laudibus in mulierum vſus prædicauit,quas ad hunc modum adhuc nemo medicorum nouit. Illæ vuluæ eas cum melle,vel roſaceo,vel lilio, vel irino,admouit, & ad ciendos menſes ac ſecundinas, hoc idem prẽſtare potu fotuque dixit. Auribus ſurdis ſuccum inſtillauit inunxitque cum vino veteri. Aluo folia impoſuit,epiphoris, ſtrãguriæ,ac veſicis, decoctum eius cum myrrha,& thure dedit. Aluo quidem ſoluendum, vel in febri decoquitur, quantum manus capit in duobus ſextarijs aquæ ad dimidias, bibitur ſale, & melle admixto, necnon cum vngula ſuis aut gallinacio decoctum ſalubrius. Purgationis cauſa putauere aliqui vtramque dandam,ſiue cum malua decoctum thoracem purgant, bilem detrahunt,ſed ſtomachum lædunt.

Mercurialis mas & fœmina.

De Mione & molochia.

CAPVT XCVII.

IDem *lib.* 20. Mion aliàs meu in Italia non ſeritur niſi à medicis,& his admodum paucis. Duo ſunt genera. Nobilius vocant achamanticum tanquam ab Achamante inuentum,folio eniſo ſimile, & aliquando bipedali caule,radicibus multis,& obnigris,quibuſdam altiſſimis,hoc minus eſt rufum quam alterum,vrinam cit in aqua potum,radice trita,vel decocta,inflationes ſtomachi mirè diſcutit. Itemque tormina, & veſicæ ac vuluæ vitia. Articulis cum melle valet. Infantibus cum apio illitum ventri vrinas mouet. *Dioſcor.* Molochiam Seſtius niger, & alij ſtomacho arbitrantur inutilem hanc molliendi atque ſoluendi naturam Græco vocabulo credo eſſe ſortitam. Nam à potu molochian,id eſt,laxante nomen accepit:hęc in cibo ſumpta prodeſt intraneis, vulnera recentia curari aſſeuerant eiuſdem folijs. Eadem cum axungia veteri quaſſaturas fouet. Radix vnius cauliculi admota denti dolorem pellit. Eadem fœmori alligata mammarum compeſcit vitia. Galenus criminatur eam,quod corpus minimè alat, ſed cito lapſu per vẽtris meatum erumpat. Eſt autem agreſtis fortioris effectus, emplaſtris mollibus accommodata. Quæ tamen poteſt & plagis recentibus ſubuenire,& vlcerum tabes admota ſiccare,hęc ſi in prẽſentia non erit,in eius vſum ſatiua ſuccedit. *Auctor.* Molochia vt althea ſiue biſmalua, de qua ſcilicet in alio membro dictum eſt ſupra.

Achamanticum.

De napo & napocaule.

CAPVT XCVIII.

ISidorus. Napus à ſimilitudine rapæ vocatus eſt, niſi quod folijs latior & radicis guſtu ſubacrior eſt. Nominis autem affinitas in vtriſque inde penè communis, quod vtrumque ſemen viciſſim in alterum commutatur. *Nam rapta* (vt Æmilianus ait) *in alio ſolo per biennium mutatur in napum, in alio vero napus tranſit in rapam. Palladius libr.* 8. In menſe Iulio ſerendi ſunt napi loco riguo: rapa quoque ſolo putri,& ſoluto, nec ſpiſſo: locis humidis, & campis lætatur: ſed napos in proprio ſicco & tenui, ac deuexo & ſabuloſo melior naſcitur. Loci proprietas vtrumque ſemen in alterum mutat. Nam rapæ mutantur in napos in alio per biennium ſata,alia vero napus tranſit in rapam. Subactum ſolum ſtercoratum verſatumque conquirunt, quod & ipſis ſegetibus proderit, quæ anno eodem ibi ſeruntur. Iugero naporum quatuor ſextarij ſufficiunt,rapæ vero quinque ſufficiũt. Et ſiquidem ſpiſſa videntur, aliqua interuellenda ſunt, vt cętera roborentur. *Plinius lib.* 18. Napis eſt acrimonia domita etiam coloribus picta. Horum genera Græci duo prima fecere,maſculinum fœmininumque,& ea ſerendi modo ex eodem ſemine, denſiore namque ſatu maculeſcere. Item in terra difficili, ſemen eo prẽſtantius quo ſubtilius. Omnium vero ſpecies ſunt tres. Quidam enim in latitudinem funduntur, quidam in rotunditatem globantur. Tertiam vero ſpeciem ſylueſtrem appellauere,radice in longitudinem procurrente,raphani ſimilitudine,folio anguloſo & ſcabro,acri ſucco. Qui circa meſſem exceptus oculos purgat,& caligini medetur admixto lacte mulierum, frigore dulciora fieri exiſtimantur & grandiora, tepore autem exeunt in folia. Diligentiores napum ſeri iubent quinto ſulco, Rapam quarto,vtroque ſtercorato.

Idem lib. 19. Naporum genera quinque fecerunt, Corinthium,cleonium, liothaſium,boeticum, & quod per ſe viride dixerunt. Ex his Corinthium in amplitudine adoleſcit,nuda fere radice. Solum enim hoc genus tendit in ſuperna,non vt cætera in terram. Liothaſium quidam appellant thracium frigorum patientiſſimum. Boeticum dulce eſt, rotunditate etiam breui notabile, nec vt cleonium prælongum. In totum autem cui tenuiora folia ſunt,ipſi quoque ſunt dulciores, quorum vero ſcabra & anguloſa & horrida ſunt,amariores. Eſt prẽterea genus ſylueſtre, cuius folia ſimilia ſunt erucæ. *Idem lib.* 20. Naporum duas differentias in medicina Græci ſeruant,anguloſis foliorum caulibus florentes,vnum quod bunion vocant,purgationibus fœminarum & veſicæ & vrinæ vtile, decoctum potum ex aqua mulſa, vel ſucci eius dragma. Semen eius toſtum & tritum in aqua calida è ciathis quatuor,dyſſentericis prodeſt,ſed ſi non lini ſemen vna bibatur,vrinam inhibet. Alterum genus appellant buniada,raphano & rapę ſimile,prẽclari ſeminis contra venena,ob id & in antidotis eo vtuntur. *Iſidorus.* Napocaulis ex duobus oleribus nomen habet compoſitum,quia cum ſit ſapore napo ſimilis, non in radicem ſed in thyrſum conſcendit vt caulis.

Naporum quinque genera.

De naſturcio.

CAPVT XCIX.

ISidorus. Naſturcium à ſapore nomẽ habet,eo quod acrimonia ſua naſum torquet. *Palladius, lib.* 5. In mẽſe Ianuario naſturcium conſtat ex communi tempore ponendum eſſe, loco quali placebit, & cœlo. Fimum quippe non deſiderat,humorem quamuis diligat, tamẽ deeſſe non curat. Si cum lactuca ſeratur, egregie naſci fertur. *Plin. lib.* 19. Naſturcium accepit nomen à naſi tormento, & inde vigoris ſignificatio prouerbio id nomen vſurpauit, veluti torporem excitantis, ęſtate vel hyeme facillime ſicut eruca naſcitur, & in Arabia miræ amplitudinis dicitur gigni. *Idem li.* 20. Naſturcium ventrem inhibet, animum exacuit. Duo ſunt eius genera, vt diximus,vnum albius,quod aluum purgat, bilem detrahit in aqua potum. Cum lomento ſtruminis illitum & braſſica opertum præclare medetur. Alterum eſt nigrius, quod capitis vitia purgat, viſum clarificat, & mentes commotas ſedat ex aceto ſumptum, lyenem ex vino potum vel cum fico, tuſſim ex melle ſi à ieiuno ſumatur quotidie. Semen ex vino omnia inteſtinorum animalia expellit, efficacius addito mentaſtro, prodeſt

Etymon.

Album naſturtium.

Nigrius.

Nota.

etiam

etiam contra tuſſim & ſuſpiria cum origano dulcique vino, pectoris autem doloribus in lacte caprino, pannos cum pice diſcutit, corpori aculeos extrahit, & maculas, illitum ex aceto. Contra carcinomata adijcitur ouorum album. Ex lienibus illinitur cum aceto, Infantibus autem è melle. Seſtius adijcit hoc ſerpentes fugari. Scorpionibus reſiſtere, capitis dolorem ſedare contritum, & alopecias emendare. Sinapi grauitatem aurium trito impoſito auribus cum fico. Dentium dolores infuſo in aures ſucco, furunculos concoquit cum fermento, carbunculos ad ſuppurationem producit ac rumpit, phagedenas vlcerum expurgat, cum melle, coxendicibus, & lumbis cum polenta ex aceto illinitur, itemque lycheni, & vnguibus ſcabris. Eius quippe natura eſt cauſtica, optimum autem babylonium eſt, ſylueſtrique ad omnia prædicta effectus maior eſt. *Hippocrates vbi ſupra.* Naſturcium calidum eſt, corpora extenuat & vrinæ difficultatem facit. *Platearius.* Naſturcium calidum eſt & ſiccum in quarto gradu: huius ſemen præcipuè competit vſui medicinæ, valet contra paralyſim In lithargia quoque prouocatur ſternutatio ex eius puluere naribus appoſita, valet & contra iliacam paſſionem, & contra vuæ relaxationem & contra ſtranguiriam, *Razi in almanſore.* Naſturcium calidiſſimum eſt, ſtomachum & hepar calefacit, vermes è ventre educit, pulmonem mũdat, coeundi deſiderium ſtimulat, aſmati & craſſiciei ſplenis prodeſt, abortum facit. Appetitum vero iuuat, licet inflammationem & capitis dolorem efficiat.

Natura cauſtica Naſturij.

Temperamentum.

Iterum de eodem.

CAPVT C.

Auicenna. Naſturtium calidum & ſiccum eſt in tertio, virtus eius eſt ſimilis virtuti ſinapis & ſeminis raphani coniunctorum. Reſolutiuum eſt & maturatiuum cum lenitate, putredinem vacuitatis ventris exiccat. Bibitum & lenitum capillos cadentes retinet, apoſtematibus, phlegmaticis, & carbunculis in emplaſtro cum aqua & ſale valet. Confert etiam ſcabiei vlceroſę & impetigini, & ignem perſicum eradicat. Idem valet Mollificationi neruorum & iſchyaticæ, & aſmati, & craſſiciei ſplenis, & venenoſorum vermium punctuæ. *Conſtan. vbi ſupra.* Naſturcium eſt duplex, album & rubeum, vtrumque calidum & ſiccum in tertio gradu, pectus, & pulmonem de craſſo phlegmate mundificat, de quo tritæ quinque dragmæ & cum calida aqua potatæ ventrem ſoluunt, & ventoſitatem inteſtinorum propter cholicam paſſionem diſſoluunt. Aſſum propinatum ventrem, & humidam conſtipat egeſtionẽ, *Dioſ.* Naſturcium inquit lumbricos, & aſcarides educit, tumidum ſplen diſſoluit. Coitũ augmentat & puſtulas curat. De cuius poſimate capite loto viſcoſi humores & putridi excluduntur, & ſanguinem confortat, de quo domibus fumigatus reptilia fugantur. Tritum & potui datur morpheæ valet.

Excludit viſcoſos humores capitis.

Contra dolorem dentium.

Macer.

Dicunt feruentes quod habet maſturtia vires,
Et ſiccas, acrem venerem ceu ruta coercet,
Siccando ſemen, ſuerit ſi ſumpta frequenter,
Fermento commixta recens hæc herba terendo,
Antracas curat bona quæ plebs vlcera dicit,
Si ſuperaddatur vtraque furunculis iſta,
Emittit ſaniem, cum qua dolor ipſe recedit,
Illius ſuccus carnes retinere fluentes,
Illitus aſſeritur dentiſque leuare dolores,
De qua parte dolens dens eſt, infuſus in aurem,
Fortius eſt herba, ſemen depellit abortum,
Hauſtum cum vino, ventriſque animalia ſoluit.
Et ſic ſerpentis dicunt obſtare venenis,
Solus odor poſitis carbonibus effugat illos,
Splen reprimit mixto ſi ſæpe bibatur aceto,
Herbam vel ſemen cum polline iunge, & aceto,
Hæc contrita ſimul ſchiaſis ſuperadde dolori.
Vtile non modicum confirmat hoc medicamen,
Lichenas ſuccus purgat cum melle peructus,
Si prurigo caput aut vlcera turbida ſedant,
Anſeris admiſcens adipi naſturcia trita,
Sæpius vnge caput vitium pellitur vtrumque,
Si coquis hanc herbam capræ cum lacte recenti,
Illius aut ſemen, dolor angit pectora quiſquis,
Aſſumpto tepido potu ſedabitur iſto,
Semen cum tepidæ contritum pondere dragmæ.
Et bibitum dicunt quod durum molliat aluum,
Tuſſim compeſcit ſemen cum melle voratum.

Ad emolliendum aluum.

De nepeta.

CAPVT CI.

Iſidorus. Nepetam noſtri vulgariter vocant, quam græci calamentum appellant. Ipſa eſt colocaſia ſiue agreſtis menta, quæ maior eſt virtute, ac vehemens in calore. *Auctor.* De hac ergo iam dictum eſt in præcedenti libro ſub calamenti nomine, & etiam in hoc eodem libro ſupra ſub nomine colocaſiæ. *Plinius libro vigeſimo.* Nepetæ pulegioque ſocietas eſt. In aqua decoctæ ad tertias frigora diſcutiunt, mulierumque menſtruis proſunt, & æſtate calores ſedant. Nepeta quoque vires contra ſerpentes habet, fumum enim ex ea nidoremque fugiunt, quam & ſubſternere in metu obdormituris vtile eſt. Tuſa egilopis imponitur, capitiſque doloribus recens cum tertia parte panis aceto temperato illinitur. Succus eius inſtillatus naribus ſupinis profluuium ſiſtit ſanguinis. *Idem* radix cum mirti ſemine in paſſo tepido gargariſata medetur anginis. *Ex herbario.* Nepeta calidiſſimæ virtutis vrinam cit, menſtrua mouet. Hæc in puluerem redacta febricitantem ſanat, in aqua calida ſub acceſſione in potu data, valet iterum ad combuſturas, & ad ſerpentis morſum.

Colocaſia.

Macer.

Herbam quam nepetam vulgari more vocamus,
Hanc medici græco calamentum nomine dicunt,
Sicca calenſque ſibi vis eſt & tertius illi
Eſt in vtroque gradus, cum mulſa ſicca tepenti
Sumpta ſolet totum ſudore reſoluere corpus,
Ex oleo quæ ſit decocta perunge fricando,
Illum venturæ metuit qui frigora febris,
Non frigus tantum, ſed febres ſæpe repellit,
Illi qui ſciaſim patitur coxæ ſuperadde,
Contritam viridem fertur comburere pellem,
Et ſic humores ſiccando fugare dolores,
Appoſitu potuque ſuo cito menſtrua purgat,
Et lepræ ſpecies, elephantiaſiſque vocatur,
Et maior cunctis morbis hæc eſſe videtur,
Vt maior cunctis elephas animalibus extat,
Hunc in principio morbum potus calamenti
Cum vino curat, humores extenuando,
Serpentum morſus ſuperaddita trita nocere
Non ſinit, & pellit cum vino ſumpta venena,
Potus, & iniectus, lumbricos enecat eius
Succus, & in membris vermes necat omnibus ipſe,
Si mel iungatur huic cum ſale plus operatur,
Si bibit hanc pregnans aut tritam ſubdit abortit,
Purgat & ictericos cum vino purgat anhelos.
Aſmaticos medici quos græco nomine dicunt,
Et iecoris morbos cum vino mitigat hauſta,
Hocque modo ventrem, lateris iuuat illa dolorem,
Atque cicatrices nigras ſuperaddita trita,
Hæc naturalis reddit purgando colori,
Vino decoctæ facit hoc melius cataplaſma,
Compeſcit ſtomachi cum vino ſumpta dolorem.
Fumus de domibus ſerpentes effugat eius,
Tollere ſingultum cum vino dicitur hauſta,
Hocque modo ventrem cohibet potata frequenter.

De ocimo.

CAPVT CII.

ISidorus. *Ocimum nomen Græcum eſt*, & eius origo Latinis incerta eſt. *Plin. lib.* 19. Eadem eſt ocimo natura ex parte, quæ & rutæ, niſi quod difficilius areſcit, ſed durata runcatur, non ſine difficultate prouenientibus vlceribus. Itaque manibus munitis, id fiat, oleoue defenſis. Conſciduntur autē & eius folia, ſeruãturque faſciculis. *Idem in lib.* 20. Ocimum Chryſippus grauiter increpauit, inutile dicens eſſe ſtomacho, & vrinæ, oculorum quoque claritati. Præterea inſaniam facere ac lethargicos, ac iocineris vitia, ideoque capras id aſpernari. In hominibus quoque fugiendum cenſet. Addunt quidam tritum illud ſi operiatur lapide, ſcorpionem gignere, commanducatum & in ſole poſitum vermes afferre. Alij vero ſi eo die feriatur quiſpiam à ſcorpione, qui ederit ocimum, ſanari non poſſe. Quinimo aliqui tradunt ocimi manipulo cum 10. cancris marinis, vel fluuialibus trito conuenire ad eum ſcorpiones omnes proximo. Diodorus in emitericis etiam pediculos facere dicit ocimi cibum. Ætas ſecuta alacriter defendit. Nam id edere capras aſſerit, nec minus, quàm mentam & rutam ſcorpionum terreſtrium ictibus, marmorumque venenis illud mederi, & hoc cum vino addito aceto exiguo. Vſu quoque compertum eſt deficientibus ex aceto odoratu ſalutarem eſſe, & ad multa medicinaliter prodeſſe. *Dioſcor.* Ocimum habet haſtas duarum palmarum, quæ videlicet haſtæ folliculos habent ſimiles iuſquiamo, ſemē nigrum ſimile milantico. Ei virtus eſt calida, morſuſque venenatos compeſcit cum vino bibita, ſchiaticis quoque maxime prodeſt, cum pipere ac myrrha. Radix eſt ei tenuis, & inutilis. *Palladius, lib.* 5. In menſe Aprili ocimum ſeritur, citoque naſci dicitur, ſi ſtatim vt ſatum eſt aqua calida perfundatur. Rem miram de ocimo, Martialis affirmat, *quod modo purpureos, modo albos flores pariat*, & ſi ex eo ſemine frequēter ſeratur, modo in ſerpillum, modo in ſyſimbrium mutetur. *Idem in lib.* 11. In menſe quoque Octobri ocimum ſeritur, quod & citius hoc tempore naſci fertur, ſi aceti imbre leniter infuſum ſpargatur.

Ocimū grauiter increpatur.

Res mira.

De virtute ipſius medicinali.

CAPVT CIII.

1. Sententia de ocimo.

DIoſcorides. Ocimum cuius virtutis ſit, penè inter medicos incerta eſt opinio. Nam qui Auctore Chryſippo ipſum criminantur, hæc eius vitia percēſent, quod ſtomacho ſit inutilis, quod oculos hebetet, quod iecori obſiſtat, quod inſaniā faciat. Ideoque genus huius herbæ captum ab inſania nunquam omnino contingere. Adduntque prēterea lapide contritum ſcorpiones gignere. Aphri quoque putant pediculos nutrire. Hoc etiam perſuaſum dicunt eſſe, quod ſi quis eo die quo ſumpſerit ocimū, à ſcorpione feriatur, ſaluari non poſſe.

Aduerſa ei 2. ſententia.

Qui de opinione aduerſa ſunt, hęc falſa aſſerunt, immo prodeſt ſtomacho, quia inflationes eius diſſoluit ructando. Ex aceto coctum & ſumptum defluentem reprimit aluum. Semen eius tritum & hauſtum naribus ſternutamenta cit. Attramento ſutorio temperatum verrucas tollit. Ocimum vero multum comeſtum caligines oculis infert, ventremque mollit, & diureticum eſt, lac mulieribus prouocat, ſcorpij percuſſum mitigat. Cum vino bibitum dolores tollit oculorum, ſuccus eius inunctus detergit oculorum caligines, rheuma prohibet, ſemen eius bibitum maximè prodeſt melancholicis, medetur diſſurijs.

Gariophyllatū ocimum.

Conſtan. vbi ſupra. Ocimi duo genera ſunt, gariophyllatum eſt calidum in primo, ſiccum in ſecundo, ſi tamen in aqua frigida infundatur, & naribus applicetur, aquæ frigiditas per nares cum odore ducetur, ideoque infrigidat, vnde & quidam frigidum illum eſſe putant. Eius ſperma ſtipticum eſt, de quo cum bibitur egeſtio de calore facta conſtringitur, & membra confortātur. Aliam ſpeciem quam vulgus citrinum vocat, *Gal.* triſtia corda lætificantem notauit: eſt calida in primo gradu & ſicca in eodem. Quod genus eſui datum ſtomachum frigidum confortat & humidum, opilationem aperit cerebri, defectiōnem cordis amputat, vigilia, tumorem, ſuſpicionem cordiſque tremorem quæ propter choleram nigram & vſtam fiunt pellit. *Plinius, vbi ſupra.* Ocimum lethargicis, & inflammatis valet, illitumque capitis doloribus, cum roſaceo vel mirteo vel aceto, & oculorum epiphoris impoſitum ex vino. Eſt etiam vtile ſtomacho, inflationes, & ructum facit ex aceto diſſoluere ſumptum. Aluum ſiſtere impoſitum, vrinam ciere, ſic & morbo regio & hydropicis prodeſſe, diſtillationes eo coli & ſtomachi inhiberi, valet etiam cælialis, & coctum dyſſentericis, aliquo & in tenaſmo, & ſanguinem excreantibus in vino, auribus cum adipe anſerino eſt vtiliſſimum, præcipuè infantium. Semē eius tritum ſternutamenta prouocat naribus hauſtū, diſtillationes quoque capitis illitum, vuluas purgat in cibo ex aceto. Verrucas mixto ceramento ſutorio tollit, venerem denique ſtimulat, & ob hoc etiam equis aſiniſque ingeritur tempore admiſſuræ. Ocimo ſylueſtri efficacior eſt vis ad eadem omnia, peculiaris ad vitia quæ vomitionibus crebris contrahuntur, beſtiarum morſui radix in vino efficaciſſima eſt. *Plateā.* Ocimum quod alio nomine dicitur baſilicum eſt calidum & ſiccum, cuius eſt duplex materies, gariophilatum & citrintum. Hæc herba ex aromaticitate virtutem habet confortandi, ex qualitatibus, diſſoluendi, conſumendi, extergendi, mundificandi, aqua decoctionis eius datur contra ſyncopen, & cardiacam, ad idem quoque valet vinum in quo iacuerit ipſa per noctem, valet etiam contra tenaſmon, & contra ſtomachi frigiditatem. *Hipocrates vbi ſupra.* Ocimum calidum eſt & inflammationem ventris commouet, eiuſque ſemen melancholicis valde prodeſt.

Citrinum.

Contra verrucas.

Prodeſt melancholicis.

De oleoſileno & oliſacre.

CAPVT CIV.

ISidor. Oleoſilenon eſt apij ſpecies, ſic dicta eo quod ſit mollior, folio & caule tenero. *Plin. lib.* 19. Oleoſilenon (vel oreoſelinon) eſt herba cicutæ folijs, radice tenui, ſemine aneti, minutiore tamē. *Idem in lib.* 20. Oleoſileno (vel oreoſelino) vis eſt priuata cōtra araneas. *Iſidor.* Oliſacrum quoque eſt genus herbæ hortulanæ, quæ (vt ait Hipocrates) calidæ eſt virtutis, & auſteræ. In oleribus cocta ſtomacho eſt commoda. Eruca vero comeſta multum calefacit, veſicam & vrinam mouet. *Plinius, vbi ſupra.* Oliſacrum quod hypoſelinum vocant, ſcorpionibus aduerſatur, potoque ſemine torminibus intraneis medetur, vrinæ quoque difficultatibus prodeſt ſemen eius decoctum & ex mulſo potum, canis rabioſi morſibus potum & illitum medetur, ſuccus eius algentes calefacit potus. *Dioſcorides.* Oliſacrū occurrit ictibus ſcorpionum, & morſui canis ex vino datum. De ſemine illius vber ſermo eſt, in mulſa decoctum vrinæ difficultatibus medetur potatum. Eodem modo ſanat vētris tormentum, ac cæterorum querelas inteſtinorum. Radix in vino decocta calculos expellit, & lateris lumborumque doloribus eadem potione ſuccurrit. Succus algentibus propinatus calorem per membra diffundit. *Ex herbario.* Oliſacrum vel hypoſelino trita ex paſſo potui ſumpta ſtrangũriam potenter emendat.

Contra morſum canis.

De olere.

CAPVT CV.

ISidorus. Olus ab alēdo dictum eſt, eo quòd primum oleribus quondam alerentur homines, antequam fruges ederent & carnes. Tantummodo enim oleribus alebantur & arborum pomis, ſicut animalia herbis. Dicitur olus molle quoddam herbæ hortulanæ genus.

Etymon.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Olus ſpecialiter dictum ſumitur pro braſſica.

Auctor. Olus itaque generaliter dicitur omnis herba præcipuè hortolana,quæ in cibum & alimentum hominis aſſumitur. Vnde Iſidorus maluam & rapam,napum, raphanum, lactucam, paſtinacam, aſcaloniam, cæpam, intubum, allium, vlpicum, & ſimilia deputat inter olera. Nihilominus tamen appropriato vocabulo dicitur olus herba quędam ſpecialis hortolana,quæ vulgo caulis nominatur, ſiue braſica, de qua ſub vtroque nomine iam in hoc eodem libro dictum eſt ſupra. *Auicenna vbi ſupra.* Olus alidanum quid eſt? in ipſo ſecundum Dioſcoridem medicinæ virtus omnino non eſt, & eſt aquoſum ſicut attriplex, quod ſaporem non habet, & in hoc abundat plus omnibus oleribus. Eſt enim vehementioris humiditatis,quàm lactuca & quàm cucurbita. Nutrimentum eius paucum eſt, eius penetratio non eſt velox,eo quod penitus nitroſitate priuatum eſt. Teſte Galeno frigidum & humidum eſt in ſecundo. Ex eo fit emplaſtrum calidis apoſtematibus,& eius radix melinis vlceribus, ſuccus eius cum oleo roſeo confert ſoda ex aduſtione ſolis accidenti. Confert etiam tuſſi calidæ propriè decoctum cum oleo amigdalino & aqua dulcis granati.

De origano.

CAPVT CVI.

Colena vnde?

Iſidor. Origanum dicitur,quod Latinè interpretatur colena,eo quod *vinum coloret infuſa.* Hæc herba eſt calida, deducit & phlegma & inungitur. *Plinius lib.* 19. Ægyptium Origanum tantum prędfertur, peregrinum fuit & lepidum,ſeritur à fauonio,deinde cum fructificauerit iuxta terrã præſcinditur, tuncque runcatur ac ſtercoratur per biennium. Hic poſtmodum eiuſdem fructibus vtuntur ſi non ſęuitia hyemis ingrauat, quoniã impatientiſſimum eſt frigorum,exit & in cubitalem altitudinem folijs laurinis,ſed mollibus,vſuſque eius non ſine lacte. *Idem lib.* 21. Origano in coronamentis vſus eſt,alterius enim nullum ſemen, & id creticum vocatur, cui odor eſt. *Dioſc.* Origanũ eſt omnibus notum. Huius ſpecies ſunt tres. Prima nominatur *heracleotica* habens folia in ſimilitudinem hyſſopi velut ſciſſa vmbraculo cum ſemine in ſummitate virgarum non frequẽti vel denſo. Altera vero ginchis eſt appellata,hyſſopo ſimilis,ſed albior folijs cum ſemine iugi ac denſo, coronarum vice pendẽtium. Tertia denique agreſtis appellatur panaces, vel aſclepias,vel cunilia,ſicut poſuit Meander. hęc virgis eſt bipalmis tenuis cum vmbraculo,aneto ſimilis,& floribus albis,cum radice tenui. Primam virgam habet decliuem, ſuper quam ſemen habet non ſpiſſum guſtu ſubamarum. *Palladius de agricultura lib.* 10. In menſe Septembri circa ęquinoctium ſerendum eſt Origanum, ſtercorari atque rigari amplectitur, donec conualeſcat, & aſpera loca ſaxoſaque amat.

Tres ſpecies origani.

De medicinali virtute origani.

CAPVT CVII.

Plinius, lib. 20. Origanum quod in ſapore cuniculam æmulatur. Habet plura genera in medicina. Vnum appellatur othimin vel praſion, non diſſimili hyſſopo, priuatim vſus eius contra ſtomachi torſiones, & cruditates in aqua tepida. Cõtra aranеas autem & ſcorpiones valet in albo vino, luxata & incuſſa in aceto & oleo & lana. Tragoriganon vero ſimilis eſt ſylueſtri ſerpillo,vrinam cit,tumores diſcutit. Cõtra viſcum à vipera ictum in potu efficaciſſimum ſtomacho acida ructanti & præcordijs. Tuſſientibus quoque cum melle datur,& pleureticis. Heraclium autem habet tria genera,ſicut videlicet in alio libro dictum eſt ſupra. *Dioſcor.* Origano virtus eſt calida,& eius elixatura morſibus venenatis occurrit, cum vino data, bibita quoque cum dulcore præſtat effectum aconitum gypſumve bibentibus,& prodeſt conquaſſationibus,omnibuſque doloribus hydropicis medetur,maxime comeſta cucumere. Bibita cum mulſa nigram choleram per ventrẽ deponit, menſtruis imperat, & ſicut electuarium cum melle datum pruriginem corporis,& acoras omnemq; maculã extergit. Aqua ipſius ictericis in balneo bibita medetur. Succus eius bibitus viridis tumorẽ faucium & vuæ tollit. Idem oris vulnera curat, & cum oleo irino ſuccus eius in naribus miſſus ſanguinẽ prouocat. Cum lacte infuſa prohibet aurium dolorem,& prouocat nauſeam. Si cũ ea cepulas,& roſſyriacum in ęneo vaſe diebus canicularibus in ſole coquas, & ſtratui ſupponas, animalia omnia nociua non permittit adeſſe. Idem tuſſiculã & ſcabiem,& pruritum, & arcuatum morbum, & longi temporis in fœmininis purgationibus abſtinentiam,potui data vel cataplaſmati impoſita, vel ſeſſionibus incocta facit optimè. Origano Græci tria nomina poſuerunt,ex quibus vnum tragoriganum vocauerunt,qui maioris efficaciæ ſentitur in ratione medicinæ. Hoc ex albo vino tritum,& in potione ſumptum venenis reſiſtit ſcorpionũ & aranearum. Cruditatem diſcutit, ſtomachi morſum ex aqua calida datũ lenit. Cum oleo & aceto tritum, & ſuccida lana collectum,luxatis, & contuſis partibus prodeſt. Idem vires habet excalefactorias,& relaxãtes,ac nimium deſiccantes, participans aliquid ſtipticæ virtutis, propter quod ſuſpirioſis,& tuſſientibus prodeſt. Serpẽtes quoque fugat,bilem detrahit,ventrem vel Venerem temperat,vrinam & mẽſtua propter calefactoriam & extenuatoriam virtutem prouocat. *Auic.* Origanum eſt in potẽtia ſicut ſyrupus alhaſtæ,& quod ex eo fortius exiſtit, eſt ſylueſtre. In ſecũdo gradu eſt calidũ & ſiccum, reſolutiuum, ſubtiliatiuum,vehementis eſt abſterſionis, & in ipſo eſt acuitas propter id quod eſt in ipſo virtutis adurẽtis. Bonum eſt concauationi dentium, & cõfert doloribus ancharum,maſticatur & ſedat dentis dolorem. Sanatque gingiuarum fluxum propter virtutem ſuam adurentem. Oleũ eius confert pectori ac pulmoni,ſtomacho & hepati,prouocat vtrumque. Extrahit vermes, & aſcarides.

Comeditur cum cucumere.

Tragoriganum.

Iterum de eodem.

CAPVT CVIII.

Conſtant. vbi ſupra. Origanum duplex eſt,domeſticum videlicet & ſylueſtre, vtrumque calidum & ſiccum in tertio gradu, ſylueſtre tamen calidius eſt, vrinam & menſtrua prouocat, ventoſitatem & rugitum ſtomachi & inteſtinorum expellit, & maxime ſi ſunt ex craſſis humoribus aut indigeſtis, lumbricos, & Aſcarides occidit & expellit,ſi ex eius poſimate potetur. Maſticatum dolorem dentium mitigat, ſtomachum & hepar & pulmonem de craſſis humoribus mundat,cum ficubus ſiccis manducatum ſudoremi prouocat. Corpore ex eius poſimate loto ſcabiem & ictericiam ſanat. Rurſus viſum propter phlegma obſcuratum clarificat. Succus eius cum lacte mulieris auribus diſtillatus dolorem mitigat. *Platearius.* Origanum calidum eſt & ſiccum in tertio gradu. Eſt Origanum ſylueſtre quod latiora habet folia,& fortius operatur, & eſt domeſticum quod in hortis reperitur,& minuta habet folia,ſuauiuſq; operatur,quod in medicinis ponitur. In tempore productionis florum colligitur, & cum floribus in vmbra ſuſpenditur & exiccatur, per annum ſeruatur: folia cum floribus abiectis ſtipitibus in medicinis ponuntur, virtutem habet diſſoluendi,attrahendi,relaxandi,conſumendi,valet etiam contra frigidum rheuma. Vinum decoctionis eius gargarizatum gingiuarum & faucium humiditatem conſumit,faſciculi formati ex herba decocti in vino & ſuppoſiti renibus ſoluunt ſtranguriam & diſſuriam. *Ex herbario.* Origanum naſcitur in locis cultis inter vepres & fructices,valet contra tuſsim.

Temperamentum.

Macer.

Origani vires calidæ ſiccæque leguntur,
Tertius huic in vtroque gradu conceditur eſſe,
Illius in vino curat decoctio ſumpta,
Quoſuis peſtiferos morſus ſi ſæpè bibatur,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cum mulſa ſumptum prodeſt acenita bibenti,
Sic multis alijſque poteſt obſtare venenis,
Conquaſſata iuuat manſum vel ſæpius hauſtum,
Hydropicos reprimit bibitum, ſiccatque tumores,
Cum mulſa bibitum choleram deponere nigram
Dicitur, ox iſabi fuerit ſi pondere tritum.
Menſtrua deducit bibitum vel ſi ſuperaddas
Tritum, vel cocta mulier ſi ſe fouet herba,
Illius puluis tuſsim cum melle repellit,
Pruritus, acoras, maculas, cutis effugat omnes,
In quo decoquitur, ſi ſæpius amne lauentur,
In lauacro iuuat ictericos, hæc coctio ſumpta,
Succus prædictæ viridis ſi ſumitur herbæ,
Vuas, & fauces curat ſiccando tumentes
Oris vulneribus medicabitur ore retentus,
Naribus infuſus irino mixtus oliuo.
In viſum capitis cogit manare cruorem,
Auribus infuſus ſedat cum lacte dolorem,
His ſuccus mixtus capitis, vel toſiriaco
Ponitur ad ſolem tunc quando ſirius ardet,
Sicque quaterdenis feruebis meridiebus,
Si ſupponatur lecto confectio talis,
Effugat, vt dicunt, animalia cuncta nocina
His quibus ex aliquo vitio digeſtio tarda
Euenit ex vino prodeſt ſi ſumitur albo,
Cum calida morſus ſtomachi lenire probatum,
Illius ſuccum oleo mixto vel aceto,
Succida lana bibat, vel ſic ſuperaddita membris
Luxatis, & contuſis multum iuuat illa
Prouocat vrinam lumbricos reijcit hauſtum,
Dente diu tritum inde ſolet fugare dolorem,
Omnia potatus ſuccus iuuat interiora
Eius cum ſucco ſi carica trita bibatur
Sudorem poris producere fertur apertis,
Appoſitus ſuccus eius cum polline farris,
Auris ſæpe grauem pellit reprimitque dolorem.

De papauere.

CAPVT CIX.

Iſidorus. Papauer eſt herba ſomnifera. Soporem enim facit languentibus ſuccus eius. Alia quidem eſt vſualis, alia agreſtis, ex qua fluit ſuccus quem opion appellãt. *Plin. lib.* 11. Sunt quidam aliorum ſatus comitantia, vt papauer, nanque cum braſica ſeritur ac portulaca & eruca cũ lactuca. Papaueris ſatiui tria ſunt genera, vnum videlicet candidum, cuius ſemen toſtum in ſecunda menſa cum melle apud antiquos edebatur, hoc & panis ruſtici cruſta inſpargitur affuſo ouo inhærens, vbi inferiorem cruſtam apio, gitque ceriali ſapore cõdiunt. Alterum vero genus papaueris nigrum dicitur, cuius ſcapo inſciſo lacteus ſuccus exprimitur. Tertium genus chiam *vocant Græci, erraticum autem noſtri.* Sponte quidem, ſed maturius cum ordeo maxime naſcitur, erucæ ſimile, cubitali altitudine, flore rufo protinuſque deciduo, vnde & nomen à Græcis accepit. Fuiſſe autem in honore ſemper apud Romanos, Tarquinius ſuperbus eſt indicio, qui legatis à filio miſſis, decutiendo papauerã in horto ſanguinarium illud dedit reſponſum, hac facti ambage reddidit. Rurſus alio comitatu æquinoctio autumni ſeruntur coriandrum, anetum, attriplex &c. *Auicenna in 2. canon.* Papaueris ſunt ſpecies hortolana & cãpeſtris, & ſimiliter eſt nigrum papauer, & ſpecies cornuti quod eſt marinum, cuius fructus eſt curuus, & eſt ſpecies ſpumoſi eradienſis. Quod melius, & ſanius eſt, album eſt, hortolanum frigidum & ſiccum in ſecundo, nigrum in tertio, & dicitur quod vſque ad quartum. Papaueris ſpecies ſunt infrigidatiuæ, & nõ eſt in ipſo multa conglutinatio. Nigrum eſt incraſſatiuum & exiccatiuum. Marinum autem cornutum, cuius fructus eſt curuatus inſtar cornuum taurinorum, eſt vehementer abſterſiuum & inſciſiuum. *Palladius.* In menſe Septembri papauer feritur locis ſiccis, & calidis, ſeminarique poteſt & cum oleribus. Fertur autem vtilius prouenire vbi virgæ ſarmentaque combuſta ſunt.

Papauer cãdidum.

Papauer nigrum.

Erraticum.

De medicinali operatione papaueris.

CAPVT CX.

Platearius. Papauer album eſt & frigidum & humidum, nigrum vero frigidum & ſiccum, magiſque mortificat. Semen eius collectum decem annis ſeruatur. In medicinis ponitur cum determinatione, habet autem virtutem ſomnum inducendi, leniendi, & mundificandi. Contra calida apoſtemata in principio & calefactionem hepatis, ſemen papaueris, vel etiam herba ipſa contrita cum oleo roſeo conficitur ac ſuperponitur. *Plin. lib.* 20. Papaueris ſatiui albi calix ipſe tritus ſomni cauſa bibitur, ſemen autem elephantijs medetur. E nigro papauere ſopor gignitur. Eiuſque ſuccus lana excipitur, de quo ſcilicet inferius dicetur, folijs ipſis vtuntur ad ignes ſatros, & ad vulnera ex aceto. Nigrum celiacis datur in vino, ſatiuum omne magis rotundat capita, ſylueſtre longum ac puſillum, & ad omnes effectus valentius, decoquitur, & bibitur contra vigilias. Eademque aqua fouẽt ora. Optimum eſt in ſiccis, & vbi raro pluit. Cum capita ipſa & folia decoquuntur, ſuccus opio multum ignauior meconium vocatur. *Dioſcor.* Papaueris capita foliaque decocta meconium faciunt medicamentum contra vitia corporis, quæ medio rigore ſunt ſananda, ſuccus eius cum roſacco mixtus dolorem aurium mitigat, folia decocta & cum roſaceo trita morbis articularibus illiniuntur. Aqua in qua papauerum capita decocta ſunt, foueri prodeſt vigiliæ morbo laborantibus, & iterum ex epiphora lippientibus; ſemen cum melle tritum non modicum tumentibus præſtat auxilium. Cortex cauliculorum contuſus, & in puluerem redactus, mellique permixtus, ſordidis vtiliter imponitur vlceribus. Eſt etiam ſyluestre papauer capitis modici & fruticis non ita elati, qui miro modo ſanat fauces in tumore poſitas, & arterias aſperatas, fitque medicamen ex eo, quod opion medici vocant, Auctore Chryſippo. *Auicenna.* Flos papaueris campeſtris mundificat veſtigia vlcerum in oculis animalium. Liniuntur autem ſuper heriſipilam ſpecies papauerum, præter marinum, folia cornuti ad vlcera ſordida valent, & carnem additam propter abſterſionem ſuam corrodunt, & eſcaras eradicant. Similiter flos eius, qui propter ſuperfluitatem abſterſionis ſuæ non eſt conueniens manifeſtis vlceribus. Ex campeſtri fit emplaſtrum ſuper vlcera, & eradicat ea, linitur ſuper podagram cum lacte. Eiuſque radix in aqua decocta donec conſumatur medietas, in potu confert iſchiaticæ. Papauer facit ſomnum, & propriè nigrum, quod eſt ſtupefactiuum, & prohibet catarrhum. Cum ergo vigilias habentis fronti emplaſtrum ex eo ſuperponitur, iuuatur inde, & ſimiliter cum eius decoctio embrocatur. Et cũ ex ſpumoſo fit vomitus. Ipſo in mellicrate bibito epileptici iuuantur. Oleum eius cum oleo roſarum eſt conueniens ſoda, cum ex eo caput inungitur. Eiuſque decoctio diſtillata in aurẽ læſam ſedat eius dolorem. Confert tuſſi calidæ, & ad pectus fluxibus ex ſputo ſanguinis. Semen nigri mundificat pectus. Corticis autem manifeſtior diſpoſitionum eſt, quod adiuuat ad ſpuendum. Et in eius ſemine totum eſt mundificatio. Confert iterum papauer humiditatibus ſtomachi. Radix marini in aqua decocta donec medietur, confert hepatis ægritudinibus. Semen ſpumoſi vomere facit. Album & nigrum trita in potu cum vino nigro & pontico data ſedant fluxum antiquum. Natura quidem eius non eſt vacua à virtute ſolutiua. Ex eius vehementi decoctione factum clyſtere confert dyſenteriæ. Semen ſpumoſi phlegma ſoluit, & humorem crudum.

Meconium.

Contra morbos articulares.

Contra Catarrhum.

Pro hepate.

Iterum de eodem.

CAPVT CXI.

Conſtan. vbi ſupra. Papauer calidũ & ſiccũ in primo gradu eſt. Succus eius in oleo myrtino mixtus capillos denigrat & cõfortat. Collyriũ ex eo factum, pannum oculorũ mũdificat. Radix eius maſticata humores

capitis

capitis per nares purgat. Succus propinatus venas mundificat, morpheam curat, vrinam & menſtrua accelerat. Cum ſapa coctus, & oculis cathaplaſmatus apoſtema diſſoluit, puſtulas in eis natas ſanat, viſumque clarificat. *Contra apoſtemata.*

Macer.

Dicunt vim gelidam ſiccamque papaueris eſſe,
Tres illi tribuunt ſpecies flos vnius albus,
Alterius roſeus, rubeus pallenſve minoris
Flos eſt, hanc vulgo dicunt agreſte papauer,
Cunctis nobilior eſt cui flos naſcetur albus,
Ex eius teneris opium faciunt capitellis,
Inſciſa leuiter ſumma cute lacque quod inde
Effluit, excipiunt cocleis ſumptumque reſeruant,
Antidotis multum eſt aptum varyſque medelis,
Sunt qui contundunt cum lacte ſua capitella,
De quibus expreſſum ſiccant cum ſole liquorem,
Poſt primum ſiccus vires habet ille ſecundas,
De ſpecie vero, roſeos quam gignere flores
Dixi, conficiunt oleum de ſemine tunſo,
Non modicum guſtu iucundum ſomniferumque,
Tertia qui flos eſt rubeus ſemenque nigellum
Præſtat ſi bibitur reliquarum more ſoporem,
Elixatura tepida cuiuſlibet harum,
Æger ſi foueat faciem, vel ſi bibat illam,
Optatum capiet, niſi ſit mors proxima ſomnum,
Sperma niger bibitum cum vino ſtringere ventrem
Dicitur hocque modo fluxus inhibet muliebres,
Somnum dat bibitum, tuſsim compeſcit iniquam,
Pondere denarij debent hæc ſemina ſumi.
Nam plus lethargum vel mortem ſæpius infert,
De ſolys eius tritis factum cataplaſma,
Eximiæ fauces dicunt curare tumentes,
Quoſque vocant ſacros extinguere dicitur ignes,
Frigore vel cantu potuve cibove vel æſtu,
Aſpera ſi fuerie vocalis reddita vena,
Appoſito tali fiet medicamine lenis,
Candida meconij ſpecies, ſic nempe vocari,
Græcorum lingua, dicunt quodcumque papauer,
Longe nobilior eſt vtiliorque duabus,
Tunc cum lacte fluunt capitella papaueris huius,
Lecta coquatur aqua, cui ſit pars tertia mellis
Addita, cuncta coquas donec decoctio ſpiſſa,
Sit quaſi mel, varios ſic conſeruetur in vſus,
Sumpta facit ſomnium, tuſsim fugat, abſtinet aluum,
Vocalis venæ bene rheumatiſmata ſiccat,
Eiuſdem teneris opium factum capitellis,
Sicut iam docui, roſeo miſcebis oliuo,
Vnge caput mixtis ſedabitur his dolor omnis,
Et ſolet hoc vnguen ſomni præſtare quietem,
Prædictis admiſce croci redolentia fila,
Auris curabis hoc infundendo dolorem,
Hoc modo fæmineo cum lacte crocoque ſubacto,
Vnguendo calidam poteris ſedare podagram,
Ano ſuppoſitum ſolet hoc adducere ſomnum,
Iſtud idem ſolo præſtare putatur odore,

De paſtinaca.

CAPVT CXII.

Etymon. I*Sidorus.* Paſtinaca dicitur, eo quod radix eius ſit præcipuus hominis paſtus. Eſt enim odoratu iucunda cibo delectabilis. *Palladius lib.* 3 Paſtinaca vere ſeritur primo, ſemine ponitur & plantis loco pingui, & ſoluto altius paſtinato. Rarąque ſtatuenda eſt vt robur accipiat. *Plinius lib.* 19. Lignoſiora ſunt hortulana quædam à nobis poſita in cartilaginum genere, mirumque ſaporis vehementiam omnibus ineſſe. Ex his vnum eſt genus paſtinacæ, ſed agreſte, quod prouenit ſponte, ſchaphylinos græce dicitur. Altera vero ſeritur radice vel ſemine primo vere vel autumno, vt placet Igino, Februario, Auguſto, Septembri, Octobri, ſolo quam altiſſime refoſſo, vtilis eſſe incipit annicula, vtilior bima, gratior autumno patiniſque maxime, & ſic quoque virtus ei eſt intractabilis. Ineſt ei ſicut & ſyſeri neruus *Tempus ſerendi.* longitudine maiori dumtaxat anniculæ, quæ in decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna relicta parte quæ mulſo in cibis temperata etiam in gratiam vertitur. *Idem in libro* 20. Semen paſtinacæ contritum in vino potatum tumentem aluum & ſuffocationes doloreſque mulierum lenit intantum, vt vuluas corrigat. Illitum quoque paſſionibus ventris earum prodeſt, viriſque prodeſt cum panis portione æqua tritum, & contra ventris dolores cum vino potatum vrinam pellit. Et phagedenas ſiſtit vlcerum recens, cum melle impoſitum. Radicem eius Diuces dari iubet ex aqua mulſa contra iocineris aut lienis ilium, lumborum, ac renum vitia. Cleophantus & dyſſentericis veteribus, Philiſtion in lacte coquit & ad ſtranguriam dat vncijs 4. Etiam ex aqua hydropicis, & pleureticis comitialibus, & opiſthotonicis: habentes eam negantur à ſerpentibus feriri, vel qui ante guſtauerunt non lædi, percuſſis cum axungia imponitur, folia contra eruditates manduntur. Orpheus amatorium ineſſe dixit ei, fortaſſe quoniam venerem hoc cibo certum eſt ſtimulari. Ideoque conceptus aliqui prodiderunt adiuuari. Ad reliqua pollet ſatiua, magiſque in petroſis nata. Semen ſatiuæ contra ſcorpionum ictus ex vino medetur, eiuſque radice circumſcalpti dentes dolore liberantur. *Contra percuſſionem ſerpentium.*

Dioſcorides. Paſtinacæ vis omnis in radice & ſemine conſtituta eſt. A qua mulſa in qua radix decocta & potui data iocineris, & lienis, querelis, lumborum ac renum vitia compeſcit. Dyſſentericis quoque vetuſtis vtilis eſt. *Idem* radix in lacte decocta & potui data pleureticis medetur, eadem alligata collo tumorem teſtium ſedat. Negant etiam à ſerpentibus feriri qui paſtinacam ſecum tulerint, vel ante guſtauerint, hæc in cibo copioſius ſumpta ventrem ſtimulat. Dentes eius radice circundati creduntur à doloribus releuari, ſemen ex vino datum tumentem aluum fœminarum, & ſuffocatione matrices præcluſas ſoluit. Idem cum melle tritum canceratis vlceribus imponitur.

Macer.

Eſt paſtinacæ virtus in ſemine tantum,
Vel radice ſua muſta ſi decoquis eius,
Radicem multum decoctio proderit eius,
Si potanda datur ſplenis iecoriſque querelis,
Lumborumque leuat eadem potata dolorem,
Has ſi lacte coquas decoctio ſumpta, iuuabit
Aſmaticos curat veteres ventreſque fluentes,
Radix illius colo ſuſpenſa tumores,
Vt quidam dicunt, compeſcit teſticulorum,
Qui paſtinacam ſert aut qui veſcitur illa.
Dicitur à nullo ſerpentum poſſe noceri,
Accendit venerem ſi large ſumitur illa,
Si circumſcalpis dentes radicibus eius,
Dicunt ingenti dolore perſæpe leuari, *Contra dolorem dentiũ.*
Ex vino paſtinacæ ſi ſperma bibatur,
Compeſcit diros quos ſcorpius intulit ictus,
Sic quoque fœminei ventris curare tumorem,
Dicunt, quo mulier quaſi prægnans eſſe videtur
Appoſitum cancris tritum cum melle medetur.
Quod paſtum tribuat eſt paſtinaca vocata,
Namque cibum nullæ radices dant meliorem.

De pepone.

CAPVT CXIII.

Lapias. Pepones creſcunt in ſimilitudine cucurbitæ, frigidi ſunt, difficilè digeruntur. *Plin. lib.* 19. Cucumeres, cum magnitudine excelſerunt pepones vocantur. Mirè oleum oderunt, nec minus *aquas diligunt defecti quoque ad eas modicè diſtantes arrepunt, aut ſi quid obſtet vel ſi pendeant curuantur.* Idque vel vna nocte deprehendetur, ſi vas cum aqua ſubijciatur à quatuor digitorum interuallo ante poſterum diem deſcendentibus, ac ſi oleum eodem modo ſit in hamos curuatis. Idem in fiſtula flore dimiſſo mira longitudine creſcunt. *Nota.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Melopepones.

creſcunt. Noua eorum forma prouenit in Campania mali cotonij effigie. Forte primo natum ita audio vnum, mox ſemine ex illo genus factum, melopepones vocant, nec hi pendent, ſed humi tantum iacent & rotundantur. Mirum in his, & præter figuram coloremque & odorem, quod maturitatem adepti quam quam non pendentes ſtatim à pediculo recedunt. Columella commentum ſuum tradit, vt anno toto cõtingant; Fruticem rubi quam vaſtiſſimum in apricum locum transferre, ac recidere duorum digitorum relicta ſtirpe circa æquinoctium vernum, ita in medulla rubi cucumeris inſito ſemine, terra minuta, fimoque circumaggeratas radices frigori reſiſtere. *Idem libro.* 20. Pepones maxime in cibo refrigerant & emolliunt aluum. Caro eorum epiphoris oculorum aut doloribus imponitur. Contra vomitiones ſiccantur &

Contra vomitionem.

in farina tuſa, dantur in aqua mulſa quatuor obolis, ita vt qui biberit quingentos poſt ea paſſus ambulet. Cortex quoque vomitionem mouet, faciem purgat, hoc & folia cuiuſcunque ſatiui illita cum vino canis morſus hos coctos deraſo cortice ex oleo aceto & melle iucundiores eſſe certum eſt. *Dioſcorides.* Peponis quidem vſus gratior eſt, ſed difficile coquitur propter naturalem rigorem. Et ideo nonnulli cum aceto ſumunt pulegium miſcentes, quo nocitura vis frigoris temperetur. Item pepo in cibo lenior eſt, quia detracta cute & abiecto ſemine vſui datur. Stomachi compeſcit ardorem, aluum lenit & mollit, Coctus ex aqua cum oleo aceto & melle iucundiſſime ſumitur. Caro eius impoſita fronti dolorem oculorum miro modo mitigat, vlcera in modum faui concreta trita eius radice pelluntur. Cortici eius aſſignatur, vt maculas ex facie detrahat. Semen in puluere verſum lomentoque permixtum nitidiorem fœminis cutem præſtat.

Cutem facit nitidam.

De Petroſelino.

CAPVT CXIV.

Iſidorus. Petroſelinon dicitur, eo quod apio ſit ſimilis, & naſcatur in petris mõtibuſque præruptis, quod nos dicere poſſumus *petrapium.* Selinon enim græce apium dicitur. Sed eſt ſummum ac probabile Macedonicum, guſtu ſuaue, & odore aromatico. *Platearius.* Petroſelinum eſt in tertio gradu calidum & ſiccum. Eſt autem duplex ſcilicet domeſticum & agreſte, cuius ſemen maxime competit vſui medicinæ. Contra eaſdem cauſas, & eodem modo valet quo peucedonum, & competens ſit de domeſtico ſalſamentum. Herbaque ipſa ibidem poſita digeſtionem confortat, & ventoſitatem excludit. *Plinius libr.* 20. Petroſelinon appellant quoddam apij genus, quod in ſaxis natum ad vomicas cochlearibus binis cum ſucco marrubij ad ciathum & aquæ calidæ tribus chiatis præcipuum. *Dioſcorides.* Petroſelinon in Macedonia naſcitur in rupibus vel in ſpeluncis. Semen eius eſt minutum, aneto ſimile, odoratum, & viſcidum, & aromaticum, virtus eſt illi diuretica. Menſtruis imperat, vrinam abundanter prouocat, maxime cum vino datum, inflationes ſtomachi & coli compeſcit deſiccando nimis, & calefaciendo, tortionibus quoque ſubuenit. Diureticis etiam miſcetur antidotis. *Conſtan. vbi ſupra.* Petroſelinum dicunt apij genus, quod calidum & ſiccum eſt in fine tertij gradus: vnde Gal. Petroſelinum inquit cataplaſmatum puſtulis, aut morpheæ vel ſcabiei ea mirè mundat. Semen eius vrinam & menſtrua prouocat, vẽtoſitatem & inflationem diſſoluit, valet hydropicis, & periodicis febribus, dolorem renum & veſicæ amputat, hepar mundificat, opilationem aperit, maxime ſi fuerit in renibus, ventoſitatem cholicæ paſſionis diſſoluit, vuluæ ſuppoſitum menſtrua prouocat, & ſecundinam & mortuum fœtum expellit. *Iſaac vbi ſupra.* Petroſelinum calidum & ſiccum eſt in fine tertij gradus. Ideoque diureticum eſt inſcidens, vrinam, & menſtrua

Temperamentum.

A prouocans ac ventoſitatem diſſoluens, & inflationem. Cataplaſmatum ſuper puſtulas, ſcabiem ac morpheam miro modo mundificat, vnde fit hydropicis iuuatiuum, & periodicam febrem patientibus. Renum dolorem ac veſicæ placat, quia corporis poros aperit, viaſque rarificat, & humores extenuando cum ſorde & vrina proijcit, hepar & vulnera mundificat, & opilationes eorum aperit, ſecundinam & fœtum mortuum expellit. Quo etiam potui dato mundificat fetas à craſſis humoribus.

De pipere aquæ ac piperite.

CAPVT CXV.

B *Auicenna in 2, canon.* Piper aquæ eſt herba vt olus naſcens in aqua, ſapori piperis in guſtu ſuo propinqua, ſed non eſt ei piperis acuitas. Itaque calefacit ſufficienter, ſed minus, quàm piper. Plinius lib. 20. *Piperitis, quàm ſiliquaſtrum* appellamus, contra morbos comitiales bibitur, caſtore taliter demonſtrante: eſt quidem caule rubro & longo, denſis geniculis lauri folijs, ſemine albo ac tenui, guſtu piperis. Eſt autem vtilis gingiuis, ac dentibus, oris ſuauitati ac ructibus.

Si liquaſtrũ.

De porro & eiuſdem cultura.

CAPVT CXVI.

C *Iſidorus.* Porrus eſt olus, cuius duo ſunt genera; videlicet ſectilis & capitatus. *Plinius lib.* 11. Porro ſectiuo nuper dedit auctoritatem princeps Nero, vocis gratia ex oleo, menſium æſtatis omnibus diebus, nulloque alio, ac ne pane quidem veſcendo. Seritur autem ſemine ab æquinoctio autumno. Si ſectiuum facere libuerit, denſius in eadem area ſeratur, donec deficiat, ſemperque ſtercoratur. Si nutriatur in capita antequam ſecetur, cum increuerit in aliam areã transferatur ſummis folijs leniter reſciſis, ante medullam, & capitibus retractis, tunicique extremis. Antiqui ſilice vel tegula ſubiecta dilatabant capita, hoc item de bulbis. Nunc autem ſarculo leuiter conuelluntur radices, vt delumbatæ alant neque diſtrahant. Cum autem porrus fimo lætoque ſolo gaudeat, rigua odit, & tamen proprietate quadam ſoli conſtat. Sectiui duo ſunt genera. Vnum quidem herbaceum folio euidentibus eius inſciſuris, quo vtuntur medicamentarij. Alterum genus eſt folijs ſuauioris atque rotundioris leuioribuſque inſciſuris. Fama eſt, Madam, æqueſtris ordinis reum ex procuratione à Tyberio Principe accerſitum, in ſumma deſperatione porri ſucco ad trium denariorum argenteorum pondus hauſto confeſtim ſine cruciatu expiraſſe. Ampliorem modum negant eſſe noxium.

Sectilis. Capitatus.

Dilatandi capita porrorum modus.

Palladius li. 4. In menſe Februario conuenit porrum ſerere. Quem ſi ſectilem velis, poſt duos menſes, quam ſatus eſt, poteris deſiccare, manentem in areis ſuis. Quãuis aſſerit Columella etiam ſectiuum diutius duraturum, melioremque ſi transferatur. Et quotiens ſecabitur aqua iuuetur & ſtercore, ſi capitatum facere velis: quod vere ſeueris, Octobri menſe transferre debebis. Serendus eſt loco læto & maxime campeſtri, area plana, paſtinata alte & diu ſubacta & ſtercorata ſi ſectiuum *velis ſpiſſius, Si capitatum rarius ſeres*, ſarculo frequentandus eſt, & herbis liberandus. Cum digiti craſſitudinem habuerit à media parte præſciſis folijs, & truncatis radicibus, transferatur oblitus fimo liquido quaternis vel quinis digitis ſeparetur rigeturque, modicè comprehendendus, & alienandus eſt ſarculo, vt ſuſpenſus à terra quod ſpacij ſubter inuenerit capitis vaſtitate cogatur implere. *Idem* ſi plura ſemina in vnum ligata depoſueris, grandis porrus naſcetur ex omnibus. *Idem* ſi capiti eius ſemen rapæ immittas, ſine ferro, & pangas multum ferrur increſcere

Modus ſerendi porros.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

melius si frequenter hoc facias. *Idem in lib. 6.* In mense Maio planta porri trãsfertur, vt rigationibus animetur. *Idem in lib. 11.* In Octobri mense porrum verno satum conuenit transferre, vt crescat in capite. Sane sarculis assiduè circumfodiatur, & comprehensa porri planta velut tenacibus alleuietur, vt inanitas spacij quæ suberit radicibus, incremento capitis suppleatur.

De operatione ipsius in medicina.

CAPVT CXVII.

Isaac vbi supra. Porrus calidus est & siccus in tertio gradu, quod certificat eius ponticitas, vnde sanguinem è naribus manantem constringit. Sed secundum cibum illaudabilis est, nocet enim stomacho faciens inflationem, ac ventositatem, & cum sui acumine neruos eius mordet. Facit & fumum nigrum, qui ad caput saliens visum obtenebrat, ac terribilia ac timorosa inducit somnia, valet tamen secundum medicinam. Crudus enim comestus canales pulmonis de crassis humoribus mundificat, hepatis opilationem aperit. Succus eius, cum aceto oleo rosaceo & thure naribus immissus sanguinem inde fluentem constringit, eis scilicet qui frigidæ sunt naturæ, in aurem distillatus dolorem placat ex frigiditate ortum. Crudus cataplasmatus super morsum serpentium prodest. Caput eius coctum & cum amigdaleo conditum ventrem humectat, Venerem excitat, valet contra cholicam passionem, quæ fit de crassis, & viscosis humoribus. Semen porri siccius est & fortioris actionis. Quod si assetur & cum semine nasturtij misceatur. Æmorrhoidas patientibus, prodest ventositatem intestinorum dissoluit, opilationem aperit, vrinam & menstrua prouocat. *Hippocrates.* Porrus calefacit ac desiccat nimis, hepar & splenem aperit vel curat, soluens quæque constipata sunt in eis. Thoracem & pulmonem purgat, ad aurium quoque dolorem diuturnum facit, ac per nares ictericos purgat. *Dioscorides.* Porro capitato ad multa vtilia corporis Hippocras vsus est. Succũ eius etiam solum bibendum dedit sanguinem reijcientibus, quamuis dandum censuisset cæteris cum galla vel farina thuris vuluas contractas eodem modo resoluit, etiam in cibo sumptum fæcunditati plurimum acquirere æstimauit, vlcera purgat ex melle contritus. Distillationes, ac tussim thoracis, & arteriæ pulmonisque vitia compescit, in sorbitione ptisanæ datus vocem purgat, ventrem stimulat, adducit somnum. Capita eorum minuta molliunt aluum in aqua bis cocta, & eadem aqua restringit in vino potata, succus eius sanguinis profluuium sistit, & maxime in naribus si cum galla contritus ibidem iniectus fuerit. Idem contra venena prodest, *datus cum mero vel aqua mulsa, eiusque folia trita cum melle prosunt vulneribus apposita.* Idem succus, siue auribus prodest siue naribus cum tertia parte mellis infusus. Fracturas alligat, duricias relaxat, vulnera recentia cum sale appositus statim claudit, & ebrietatem discutit, sitim sedat, humores viscosos nutrit, virtus est ei diuretica, somnia facit nigra, leptimicam virtutem habet, comestus satis caliginem oculis infert, vesicæ ac renibus vulneratis contrarius est, folia eius sunt viscida & stiptica. *Plinius libro 20.* Porrus sectiuus tussi veteri ac pectoris vitijs medetur. Et illitis eius folijs ambusta sanantur. Aliaque vlcera cum melle trito, bestiarum morsus ex aceto. Succus eius prodest morbo regio & hydropicis, ac renum doloribus, cum ptisanæ succo. Sed oculorum aciem traditur hebetare, inflationẽ quoque facere. Quæ tamen stomacho non noceat, ventremque molliat, voci splendorem affert. Capitato quoque maior ad eadem effectus est.

Nocet stomacho. *Contra venena.* *Contra morbum regium & hydropisim.* *Contra haemorrhoidas.*

De diuersis porr speciebus.

CAPVT CXVIII.

Auicenna. Porrum aliud est scemium, aliud est nabatium, & aliud est quod dicitur syluestre porrum. Est & illud quod est inter porrum & allium, quod melius est in medicina, quàm in cibo. *Nabatium est calidum in tertio,* siccum in secundo. Syluestre autem est calidum, & siccum, & ideo deterius. *Scemium* cum sale confert fraudulentis vlceribus, syluestre autem vlcerat corpus. Abscindit ex naribus fluxum sanguinis, & suffumigatur ex eius semine cum alchitran dens in quo est vermis, ipsumque vermem interficit, & illum eijcit. Eius comestio facit soda, & facit imaginari & videre somnia mala. Eius cinis cum oleo roseo & aceto est conueniens dolori aurium, corrumpit autem gingiuas, & dentes, ac eos findit, & propriè scemium visui nocet, & asmati facto ex crassa materia cum aqua ordei confert nabutium præcipuè, & propriè cum melle. Confert etiam aposthematibus pulmonis, ac sputo sanguinis. Malum est autem stomacho, & syluestre deterius est domestico, quoniam amarius, & acutius est, magisque mordicatiuum illo. Porrum quidem totum est inflatiuum, propter hoc elixandum est in duabus aquis & sic alleuiatur eius inflatio à nocumento. Rursus dixit, quod eructuationẽ acetosam abscindit, & vniuersaliter tardæ digestionis existit, vrinam & menstrua prouocat, præcipuè nabatium & syluestre. Amboque nocent vlceratis renibus, ac vesicæ. Confert autem hæmorroidibus, & elixatum commouet coitum, similiter eius semen torrefactum. Semen eius torrefit cum granis myrti ad tenasmon, & ad sanguinem ani. Decoctio radicis eius cũ oleo amigdalino cholicæ confert, eiusque succus est ex summa eorum quæ sanguinem soluunt. Denique succus eius cum melicrate cõueniens est animalium morsibus.

Nabatium. *Scemiũ syluestre.* *Elixanai porri ne inflatione nocent.*

Macer.

In multis causis vsus medicamine porri,
Dicitur Hippocras medicinæ maximus auctor.
Ipsius succum solum dedit ipse bibendum
Ægrotis, qui reijciunt spumantve cruorem,
Quos æmoptoicos solitis sunt dicere græci,
Cum galla dant hunc aly thurisve farina,
Aut geminis dragmis porrorum seminis vnam
Apponunt myrrhæ, vino quoque trita resoluunt,
Præ cunctis alijs dicunt hæc sumpta iuuare,
Manantemque potes naribus retinere cruorem,
Intus si nares vngas medicamine tali.
Contractas vuluas succo curabis eodem,
Reddit fœcundas mansa persæpe puellas,
Vlcera cum malle tritum iuuat, appositumque,
Humooum capitis si distillatio fiat,
Pulmones pectusque nocens vocemque canoram,
Indeque consurgat tussis præcordia lædens,
Cum ptisana succum porri sorbere iuuabit,
Et per se solum prodest his omnibus ipsum,
Si porri partes in vino coxeris albas,
Sic vt aquam primam mutes addesque secundam,
Vtilis eius aquæ duro fit potio ventri,
Dicitur hæc eadem cum vino stringere ventrem,
Cum vino potum datur his quos læserit anguis,
Quodlibet aut aliud fundens lætale venenum,
Nec minus his prodest si vulneribus superaddas,
Sed velut emplastrum porrum cum melle subactum,
Commixtus porri succus lacti muliebri,
Et bibitus tussim fertur sedare vetustam,
Et varijs vitijs pulmonis subuenit idem,
Auris compescit capræ cum felle dolorem,
Præstat idem pariter cum mulso mixtus, & auri
Infusus tepidus, fungis si manditur obstat,
Eius iungatur succo pars tertia mellis,
Et sic per nares tepidum fundendo vel aures,
Immensum capitis poterit sedare dolorem.

Contra duritiẽ ventris.

Ex vino bibat hunc lumborum quem dolor angit,
Dicunt vtilius tali nihil esse dolori,
Fracturas solidas cito duritiamque relaxat
Appositum, vulnusque recens cito cum sale claudit.
Si crudum sumptum fuerit leuat ebrietatem,
Sic Venerem stimulat, sic durum molliat aluum.

De portulaca.

CAPVT CXIX.

Contra constrictionem ventris.

Efficacior portulaca.

Contra crudit ates,

Contra distillationem capitis.

Platearius. Portulaca optimus est cibus febricitantibus cocta vel cruda. Qui si patiantur constrictionem ventris, cum prunis in aqua coquitur, sic quoque prunas,& portulacam comedunt, & aquam bibunt. Portulaca enim humectat & ralaxat, habet quoque virtutem leniendi & infrigidandi. Contra ragadias id est fissuras labiorum profundissimæ radices portulacæ comburuntur in vase terreo, & fit puluis niger. Cui mel adiungitur,& ragadiæ illiniuntur, sic palliat etiam ragadias leprosorum. *Isaac.* Portulaca frigida est in tertio gradu, humida in secundo, vnde calorem & febrium extinguit acumen. Et propter ponticitatem quam rami habent, stomachum confortat & intestina, & valet contra vulnera in eis, vel in vesica, sanguinis fluxum vndecumque manauerit constringit. Succus eius in capite vel fronte vel temporibus inunctus dolorem aufert & calorem. Rami eius manducati dyssenteriam & choleriam digestionem habentibus subuenit. *Papias.* Portulana vel portulaca secundum Gal. recens refrigerat, calefacta calefacit. Trita cum pane ad oculorum tumorem imponitur, ad podagras quoque simili modo medetur. *Plinius vbi supra.* Est & portulaca quàm peplion vocant, non multum satiua efficacior, cuius memorabiles vsus esse traduntur. Venena quippe sagittarum ac serpẽtium æmorroidum traduntur ea pro cibo sumpto restringi, & plagis imposita extrahi. Item hoscyamo poto è passoque expresso succo. Resistit & aquarum vitijs, & dolori capitis, vlceribusque in vino tusa & imposita. Reliqua quoque sanat vlcera cum melle commanducata, sic & infantium carebro imponitur, vmbilicoque prociduo. Et in epiphoris omnium fronti temporibusque cum polenta. Ipsis autem oculis è lacte ac melle. Eadem si procident prodest oculis, folijs tritis cum corticibus fabæ, pustulisque cum polenta & aceto & sale ac cera. Oris vlcera commanducata cruda sedat,& tumorem gingiuarum. itemque dolorem dentium. Commanducata quoque mobiles stabilitat dentes, sedat cruditates, vocemque confirmat, & sitim arcet. Ceruicis dolores sedat cum galla & lini semine ac melle pari mensura. Mammarum quoque vitia cum melle vel cimolia creta. Salutaris etiam est suspiriosis semine hausto cum melle. Stomachum in acetarijs sumpta corroborat, ardentibus febribus cum polenta imponitur,& aliàs manducata refrigerat etiam intestina. Dyssenteriæ vomicisque datur etiam ex aceto, vel bibitur cum cumino. Tenasmo autem vel comitialibus prodest in cibo vel potu. Purgationibus mulierum acetabuli mensura prodest in sapa, podagris calidis cum sale illita & igni sacro. Succus eius potatus renes,ac vesicas iuuat, ventris animalia pellit. Ad mulierum dolores imponitur ex oleo cum polenta, neruorum duricias emollit, Venerem inhibet, veneriscque somnia: apud Auctores inueni caput inde litum distillationem anno toto non sentire, oculos tamen hebetare putatur.

Iterum de eodem.

CAPVT CXX.

Avicenna. Portulaca est frigida in tertio gradu humida in fine secundi. Succus eius est illud quod in ea est magis, vltimæ operationis. In ipsa est stiptici-tas,& prohibet fluxum sanguinis, & fluxus antiquos. Nutrimentum eius paruum & illaudabile, resistẽs choleræ valde. Fricantur ea verrucæ,& eradicat ea sua proprietate non qualitate. Apostematibus calidis fit emplastrum ex ea, in quibus putrefactio timetur & erisipila. Confert etiam bothor abluto ex ea capite cum vino mixta, deletque dentium stuporem, propterea quod lenit asperitatem, & sedat soda calidam pulsatiuam. Opthalmiæ confert & ingreditur in alcofol. Eiusque nimius vsus facit accidere pannum in oculo: succus eius prohibet sputum sanguinis, propter virtutem suam ponticam. Inflammationi stomachi confert bibita,& emplastri more superposita. Confert & hepati inflammato, prohibetque vomitum cholericum,& debilitat appetitum, fit ex ea clyster dyssenteriæ ac solutioni cholericæ, Confertque doloribus renum ac vesicæ & vlceribus eorum, & abscindit secundum Plinium coitus desiderium. Et ipsa quidem retinet mẽstrua, sed eius aqua hæmorroidibus confert, eiusque succus extrahit ascarides. Confert iterum portulaca febribus acutis,& si assetur & comedatur sanguinem abscindit. *Auctor.* Portulaca dicitur & andragne, de qua iam dictum est superius sub isto nomine.

Contra febres.

Macer.

Andragnis græce quę portulaca latine
Dicitur, hic vulgo pes pulli more vocatur,
Humida vis eius, & feruida dicitur esse,
Vnde iuuat febrem quam dicit græcia causon,
Trita super stomachum viridis si ponitur herba,
Præstat idem succus si sumitur, herbaque mansa,
Aut accepta vt olus, solet hæc lenire calorem,
Mansa vel hausta potest nimium restringere fluxum
Sanguinis, & ventris nociuum cohibere fluorem,
Esse vetat dentes, quibus est contrita stupentes,
Et tumidis oculis prodest superaddita trita,
Feruorem solis æstate comesta nocere
Non sinit, & ventrem cum vino & cum sale mollit,
Vesicæque solet comesta sedare dolores,
Est æmoptoicis hæc sæpe comesta salubris,
Accidulæ similes huic pene per omnia vires,
Effectusque pares testatur Plinius esse.

De pulegio.

CAPVT CXXI.

Contra dolores capitis & æstum solis.

Dioscorides. Pulegium omnibus est notum, huius virtus thermantica est. Calefacit nimis, & extenuat, de thorace & pulmone pingues & viscosos humores facile per os spuere facit. Nauseam & morsum stomachi cum posca bibitum separat, nigram choleram per ventrem deponit, cum vino bibitum morsibus venenatis occurrit. Sic cum & combustum gingiuas confirmat, cum polenta adhibitum omnibus tumoribus vtile est. Solum impositum medetur podagricis. Cerotis mixtum papulas limpidat, spleneticis impositum cum sale prauos humores exurit. In balneis infricatum pruriginem tollit, fomento tumores stericos mitigat. Odor eius nauseam prohibet. Tussientibus prodest, & est diureticum valde: huius genera duo sunt, scilicet masculum, quod florem generat album,& fœmina quæ purpureum. *Plinius libro 10.* Magna est cum menta societas ad recreandos animo defectos pulegio cum surculis suis in ampullas vitreas aceti vtrisque deiectis. Nam & capitis dolores imposita leuare dicitur, quin & olfactu capita tueri contra frigorum æstusque iniuriam traditur. *Nec illos æstuare qui duos è pulegio surculos habeant impositos auribus in sole.* Illinitur etiam in doloribus cum polenta & aceto, fœmina efficacior quæ florem habet purpureum, mas vero candidum. Nauseas inhibet cum sale ac polenta in aqua frigida pota, sic & pectoris, ac ventris dolorem cohibet, stomachi autem ex aqua interscisiones sistit,& cum aceto ac polenta vomitiones. Intestinorũ vitia sanat melle decocto,& vino nigro vrinã-

que

que pellit ex vino,& ſi amineum ſit, etiam calculos, & omnes interiores dolores. Ex melle & aceto menſtrua ſedat, ſecundinas vuluaſque conuerſas corrigit, defunctos partus eijcit. Semen obtumeſcentibus olfactu admouetur. Comitialibus in aceto cyathi menſura datur, ſi aquæ inſalubres bibendæ ſunt, tritus aſpergitur, ſalſitudines quoque minuit corporis, ſi cum vino tradatur. Neruorum cauſa & opyſthotono in contractione confricatur cum ſale & aceto ac melle, Imbibitur ad ſerpentum ictus decoctum, & ad ſcorpionum in vino tritum, maxime vero quod in ſiccis naſcitur. Ad oris vlcerationes,& ad tuſſim efficax habetur. *Flos recentis incenſus pulices odore necat.* Xenocrates tradit pulegij ramum lana lotum in tertianis, ante acceſſionem olfactandum dari, vel ſtrangulis ſubijci, & ſic ægrum collocari inter remedia tradit. Syluestri ad eadem vis efficacior eſt, quod ſimile eſt Origano, minoribus folijs, quam ſatiuum, & à quibuſdam dictamnus vocatum eſt. A pecore capriſque guſtatum concitat balatum. Natura tam feruens eſt, vt illitas partes exulceret. Conuulſis,& torminibus, ac podagricis mirè prodeſt, hæpaticis cum melle & ſale bibendum datur. Pulmonum quoque vitia facit execrabilia. Ad lienem cum ſale eſt vtile & veſicæ ac ſuſpirijs, & inflationibus decoctum ſucco æqualiter, & vuluas corrigit. Contra ſcolopendram terreſtrem vel marinum & ſcorpiones priuatimve contra omnem morſum valet. Radix contra increſcentia vulnera recens eſt potentiſſima. Cicatricibus vero decorem affert arida. Item pulegio nepitæque ſocietas eſt, ſicut iam ſuperius dictum eſt, ſiquidem in aqua, decocte ad tertias frigora diſcutiunt, mulierûque menſtruis proſunt,& ęſtate calores ſedant.

Necat pulices.

Contra podagram.

Iterum de eodem.

CAP. CXXII.

Temperamentum.

Latearius. Pulegium calidum eſt & ſiccum in tertio gradu, cuius virtus conſiſtit in folio & flore. Tempore florum colligitur, & per annum ſeruatur, valet contra frigidũ rheuma, vinum decoctionis eius cõtra frigidã tuſſim ex glutinoſo vel aquoſo humore, contra dolorẽ ſtomachi ex frigiditate & vẽtoſitate. *Ex herbario.* Pulegium maſculũ florem habet albũ, fœmina rubeũ vtrinque. Si infans in vtero mortuus fuerit, huius tres rami recentes triti & in vino veteri potati mirè ſanant valet & ad veſicæ vel calculi & ad cordis pectoris ſtomachi thoracisve dolorem.

Pro calculo.

Macer.

Feruida pulegij vis ſiccaque dicitur eſſe,
Tertius à medicis datus eſt gradus huic in vtroque,
Sæpius hanc herbam ſi prægnans ſumit abortit,
Menſtrua deducit cum vino ſumpta tepenti,
Hocque modo tardas hæc extrahit herba ſecundas,
Hoc nomen quia non notum reor eſſe quibuſdam,
Expouam tali quid nomine ſignificetur,
Vt nondum fotus teſta circundatur oui
Pullus, ſic infans matris veſtitur in aluo,
Quadam pellicula, matris de ſemine facta,
Quam naſcens rumpit quaſi teſtam pullulus oui,
Iſtas pelliculas medici dixere ſecundas,
Quod mox expoſitos naturæ iure ſequantur,
Hæ ſi plus iuſto vitio cogente morantur,
Aut mors ſubſequitur, dolor aut qui vix toleratur,
Iſtas pulegium prædicto more repellit,
Cum ſale contritam melli ſi iunxeris illam,
Vnguine contractis potes hoc ſuccurrere membris,
Illius puluis ſumptus, cum melle vel hauſtus,
Pectoris humores viſcoſos extenuare,
Et per ſputa poteſt illos educere mire,
Nauſea vel morſus ſtomachi curabitur illa,
Cum puſca ſumptum vel aceto quod ſit aquoſum,
Cum vino nigram choleram pota repellit.

Secundarum deſcriptio.

Sicque venenatis ſerpentum morſibus obſtat,
Si per vim febris nimioue fluore cruoris,
Aut aliquo caſu ſubito defecerit eger,
Quod ſolet à doctis medicis malefactio dici,
Pulegium valido tritum iungatur aceto,
Naribus ægroti ſic apponatur odore.
Solo confeſtim dicunt releuare iacentem,
Gingiuas ſicci pulus confirmat & vſtus,
Appoſitam viridem dicunt ſedare podagram,
Et quoſuis ſalios ſolet emendare tumores,
Si ſuperaddatur tepide commixta polentæ,
Addita cerotis papulas de corpore tollit,
Splenetricis multum ſuperaddita cum ſale prodeſt,
Elixatura ſi quiſquam ſæpe repenti,
Illius abluitur, pruritum non patiatur,
Et ſic matricis poterit curare tumorem,
Tuſsim compeſcit cum vino ſumpta tepenti,
Et ſic vrinam compellit reddere largam,
Et magis ex vino ſi ſit decoctio facta,
Aut oleo mixto contrito ſi ſuperaddas,
Si radix trita valido iungatur aceto,
Sedabit multos ſuperaddita ſæpe tumores,
Obſtat ſerpentum cum vino ſumpta venenis,
Et ſic aſſumptum Venerem ſtimulare fatentur,
Sic quoque pulmonis prodeſt iecoriſque querelis,
Et ſic nutrici ſumptus lac præbet abundans,
Herba virens curat morſus cum melle caninos,
Si ſuperaddatur & vino mixta bibatur,
Hac manſa ſerpens oculos caligine purgat,
Indeque corporis eſt humani poſſe mederi.
Illam luminibus eſt experiendo probatum,
Radicum ſuccus mixtus cum melle recenti,
Pulſa reddit eos omni caligine claros.

De radice.

CAPVT CXXIII.

Actor. Radix eſt communis omnibus fere plantis, vnde radix dicitur herbæ, vel radix arboris. Cum autem ſimpliciter, ac ſine additione radix ponitur, illa quæ vulgo radix appellatur, hoc nomine propriè intelligitur. *Palladius lib.* 20. In Auguſto menſe vltimo *ſiccioribus locis radices conuenit ſeri*, quæ hyeme miniſtrent vſum. Amant terram qualem rapa, pinguẽ ac ſolutam & diu ſubactam, tophum vero reformidant & glaream, Gaudent cœli ſtatu nebuloſo, Serendi ſunt autem grandibus ſpacijs & alte foſſis. melioreſque proueniunt ſi ſerantur in arenis poſt nouam pluuiam niſi forte poſſint rigari, quod ſatum eſt ſtatim leui ſarculo debet operiri. Letamen non eſt inge rendum, ſed potius paleæ quæ inde fungoſæ ſunt. Suauiores autem ſunt, *ſi eas aqua ſalſa frequenter aſpergas.* Radices feminini generis putantur, quæ minus acres ſunt, habentque folia latiora lenia & cum iucunditate virentia, ex his ergo ſemina ſunt colligẽda. Maiores fieri creduntur ſi ſublatis omnibus folijs ſolo tenui caule demiſſo ſæpe terris operiantur. Si ex nimis acri dulcem fieri velis, ſemen die ac nocte melle aut paſſo macerabis. *Raphanum tamen ſicut braſicam conſtat vitibus eſſe inimicam.* Nam ſi circa ſe ſerantur natura diſcordante refugiunt. *Iſaac vbi ſupra.* Radix eſt calida in tertio gradu ſicca in ſecundo, minus quam rapa nutrit propter acumen ſuum quod fortius eſt acumine rapę. Nutrimentum eius eſt durum & craſſum digeſtioni ſtomachi nociuum & inconueniẽs dentibus ac oculis, & gulæ, omnibuſque doloribus vuluæ. Secundum vero medicinam conuenit, ſecundum cibum manducata tortionem & inflationem facit, & illaudabilis ſtomacho fit. Quod teſtatur ructatus eius, qui maxime fit ante cibum, eleuat enim & deſcendere prohibet cibum ad locum coctionis, ideoque fit cauſa induratæ digeſtionis naturalemque virtutem inhibet, cibum expellens in ſuperiori parte, ex qua re fit vomitus, maxime his,

Quo menſe ſeruntur.

Vt ſint ſuauiores.

Antipathia radicis & vitis.

qui ventoſitatem in ſtomacho habent ex conſuetudine. Quæ tamen poſt cibum accepta minorem agit ventoſitatem aſcendentem ſupernus, *quia cum grauitate ſua deſcendit inferius, deponitque cibum* in coctionis locũ, & vt oportet digeritur, vnde cauſã confortandæ ſecundæ digeſtionis efficitur, hoc eſt gratiæ ſuæ coctionis, quæ non habentibus ventoſitatem accepta poſt cibum impedit. Proinde ſi quis eam vult accipere pro vomitu, ante cibum ſumatur, ſed propter ſupplementum ſecundæ ac tertiæ digeſtionis, poſt cibũ manducetur. *Platearius.* Radix eſt herba, cuius radix ſimili nomine appellatur, & eſt calida & ſicca in ſecũdo gradu, virtutem raphano ſimilem habet, & contra eaſdem cauſas valet, eodemque modo, ſed non efficax eſt. Itaque cum in receptione inuenitur, poteſt poni radix raphani, ſi radix non habeatur.

Manducandi ſunt raphani poſt cibum.

De radicula.

CAP. CXXIV.

Plinius libro 19. Radicula eſt herba lauandis lanis apta, ad hoc ſuccum habet mirum quantum cãdore conferens æque & mollycia. Naſcitur vbique ſatiua, ſed ſponte præcipua in Aſiæ Syriæque ſaxoſis, & aſperis locis. Trans Euphraten tamen laudatiſſima caule tenui ferulacea ipſiſque cibis indigenarum expetito, & vnguenti quicquid ſit cum quo decoquatur, oleę folio, hanc ſtruthion vel iſatim græci vocãt. Æſtate floret, aſpectu grata, verum ſine odore, ſpinoſa & caule lanuginoſo ſemen ei nullum, radix magna quæ conciditur ad quem dictum eſt vſum. *Idem in li.* 24. Tingentibus & radicula ramos præparat, quam ſtruthion à græcis vocari diximus. Medetur morbo regio ipſa decocta, & ius potum. Itemque vitijs pectoris, vrinam cit, aluum ſiſtit, vuluaſque purgat. Quamobrem aureum poculum vocant medici. Ex melle etiam prodeſt magnificè ad tuſſim. Orthopnœæ prodeſt menſura cochlearis. Cum polenta vero & aceto lepras tollit. Eademque cum panace & caparis radice calculos frangit ac pellit. Pannos diſcutit cum ordeacea farina & vino decocta. Miſcetur & malagmatibus, & collyrijs claritatis cauſa. Ad ſternutamenta vtilis inter pauca, lieni quoque ac iocineri eodem modo proficit. Pota denarij pondere ex aqua mulſa ſanat ſuſpirioſos, ſic & pleureticos, omneſque lateris dolores.

Struthios.

Contra morbum regiũ, orthopnœã lepram.

De raphano & eiuſdem cultura.

CAP. CXXV.

Iſidorus. Raphanum græci nos radicem vocamus, eo quod totus deorſum nititur, cum reliqua olera magis in ſumma proſiliãt: huius *ſemine macerato quiſquis manus ſuas infecerit, ſerpentes impunè tractabit, Ex eius ſiquidem radice & ebur albeſcit: In cibo quoque venenis obſiſtit:* Nam contra venena radices, nuces, lupini, citrum apium, ruta, proſunt, ſed contra futurum venenum, non contra acceptum, vnde & apud veteres ante aliàs epulas hæc ſolebant menſis apponi. *Plinius lib.* 19. Cortice & cartilagine conſtant raphani, multiſque illorum cortex craſſior eſt, quam etiam quibuſdam arborum. Amaritudo illi eſt plurima, & pro craſſitudine corticis. Cætera quoque aliquando lignoſa, & mira vis colligendi ſpiritum laxandique ructum. Ob id illiberalis cibus vtique ſi proxime mandatur olus. *Si vero cum oluus diruptis rarior eſt ructus minuſque fœtidus.* Ægypto mire celebratur propter olei fertilitatem quod de ſemine faciunt ipſius, hoc maxime ſerere ſi liceat cupiunt, quoniam & quæſtus plus, quam è frumento, & minus tributi eſt, nullum copioſius olus. Genera raphani tria fecerunt græci, videlicet foliorum differentia, criſpi, ac lenis, Tertium vero ſylueſtre. Et huic lenia quidem folia, ſed breuiora & rotũda copioſa & fructicoſa. Sapor autem aſper, & medicamenti inſtar ad eliciendos aluos. In prioribus tamen differentia ſeminis eſt, quoniam aliqua exiguum admodum ferunt. Noſtri vero alia fecere genera, vnũ algidenſe à loco longum atque tranſlucidum. Alterum rapi figura, quod vocant ſyriacum, ſuauiſſimum fere ac tenerrimum, hyemiſque patiens. Nunc etiam vnum ſylueſtre græci cheriam vocant, pontici armon alij leucen, noſtri amorachiam, fronde copioſius, quã corpore. In omnibus autem probandis *maximè caules ſpectantur*, in initio rotundiores atque canalibus longis, folia ipſa triſtiora & angulis horrida. Seri vult raphanus terra ſoluta & humida, ſimum odit, contentus palea, frigore adeo gaudet vt in Germania magnitudinem infantium puerorum æquet. Seritur poſt idus Februarij vt vernus ſit. Iterumque circa vulcanalia, quæ ſatio melior exiſtit. Multi & Martio ferunt & Aprili, & in Septembri. Incipiente incremento confert alterna folia circum obruere, ipſos vero accumulare. Nam qui extra terram emerſerit, durus atque fungoſus fit. Ariſtomachus folia per hyemem iubet detrahi, & ne lacunæ ſtagnent accumulari, ſicque in æſtate grandeſcere. Quidam prodidere ſi palo adacto cauerna palea inſternatur, in ſex digitorum altitudine deinde ſemen ſimuſque & terra congerantur ad magnitudinem ſcrobis creſcere. præcipuè ſalſis aluntur. Ob hoc aquis talibus irrigantur, & in Ægypto nitro ſperguntur, vbi ſuauitate præcipui ſunt. In totum quoque amaritudo eorum eximitur ſalſugine, fiuntque ſimiles coctis. Nam & cocti dulceſcunt, & naporum vicem tranſeunt. Fertur raphanus adeo cæteris cibis prælatus in Apollinis templo, vt duceretur raphanus ex auro, beta ex argento, rapum è plumbo. Scripſit, & Morchiõ Græcus volumen vnum de raphano. Vtiliſſimi tempore hiberno in cibis exiſtimantur. Idemque dentibus ſemper inimici, quoniam his atterantur. Ebora certe poliunt. *Palladius vbi ſupra libro quarto.* In menſe Martio raphanos aliqui ſerunt, quibus vtuntur æſtate. *Idem in lib.* 9. Raphanum vt iam prædictum eſt, ſicut & braſicam conſtat eſſe vitibus inimicam. Nam & ſi circa ſe ſerantur, natura diſcordante refugiunt.

Cur radix ita vocetur. Nota ſecretũ de radice.

Contra ructũ ex manducatione adicum.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. CXXVI.

Auicenna. Raphanus habet lignum calidum & humidum in primo. Semen calidum in tertio, fortius eſt ſemen, deinde cortex, poſtea folia, deinde caro. Oleum eius eſt vehementis caliditatis Sylueſtre raphanum domeſtico communicat in omnibus, & eſt illo fortius. Illud quod magis eſt temperatum eſt magis elixatum. Si cum illo miſceatur farina lolij, facit pilos in alopicia naſci. Emplaſtrum ex eo factum cũ melle eradicat veſtigia quæ accidunt ſub oculo cum occultatione. Folia vernalia elixata & comeſta cum oleo almuri, nutriunt plus, quàm radix. Elixatum eſt nutribilius. & eiuſdem quidem nutrimentũ eſt phlegmaticum & paucum, & in ipſo eſt ſubſtantia quæ velox eſt ad putreſiendum, ſemen eius confert lentiginibus in membro factis, ac reliquis coloribus, extraneis, & veſtigijs & percuſſionibus, & panno. Idemque cum condiſi linitum morpheam nigram in balneo purgat, ſed pediculos in corporibus multiplicat, emplaſtrum ex eo cum melle vlcera fraudulenta & lenia eradicat, & ſemen eius cum aceto vlcus gãgrænarum integrè ſanat, ſuper impetiginemque ſimul operatur. Iterum ſemen expellit pulſationem iunctu-rarum, & eſt bonum valde dolori earum. Nocet autem raphanum capiti, dentibus, & palato, nocet etiã oculo: veruntamen aqua eius in eo diſtillata, ipſum abſtergit, ac delet in oculo veſtigia quæ ſunt ſub lachrymali: ſuccus eius, & oleum conferunt valde ventoſitatibus in aure. Ait autem filius Meſangæ quod

Probatio raphanorum quomodo fit.

Cur raphani Ægyptij excellant ſuauitate.

Pro naſcentia pilorum.

Nocet capiti.

eius

eius folia visum acuunt. Raphanus elixatus est conueniens tussi antiquæ, & chymo crasso generato in pectore. Confert etiam præfocationi ex fungis mortiferis accidenti. Cum oxymele decoctus si fiat ex eo gargarismus confert præfocationi: in ipso est gutturis nocumentum, & malus est stomacho faciens eructare. Post cibum ventrem lenit, & cibos penetrare facit. Ante cibum natare facit, & non quiescit & ideo facilem vomitum efficit, & conuenit lateri ac spleni superpositus more emplastri, semen eius cum aceto nauseam valde facit, & apostemata splenis resoluit. Filius Mesangæ dixit, quod si comedatur post cibum digerit, & *proprie folia eius*, & aqua foliorum eius aperit opilationes hepatis, & ictericiam remouet. Dixerunt quidam quod eius folia digerunt, & corpus eius facit nauseam, & eius semen resoluit ventris inflationem, facitque facilem ciborum egressionem, & facit appetitum cibi, & aufert dolorem hepatis, & eius aqua bona est hydropisi. Confert iterum raphanus morsui viperæ & cum vino morsui cornutæ, semen eius confert venenis, & valet contra vermes venenosos, & si fructum eius super scorpionem ponatur, moritur, aqua etiam eius in hoc experta est & fortior est. Denique si *scorpio momorderit aliquem qui raphanum comedit non ei nocebit.*

Prodest ventositatum auris & tussis sanationi.

Folia raphani magis digestiua sunt.

Notent raphanofagi.

Itertum de eodem.

CAP. CXXVII.

Dioscorides Raphanum græci nos radicem vocamus. Radix eius à ieiuno comesta vel potata prouocat antidotum, magnum adiutorium est sanitatis & cutamentum corporis, sed inflationem facit & ructus fœtidos. Fructus eius vrinam mouet, ventrē decocta malaxat, & in cibo phisicis prodest, thoracis phlegmata purgat. Cum oxymele accepta vomitum mouet, cum melle mixta putredinem curat, liuores tollit, vim fungi venenosi compescit. Contra viperarum morsus proficit. Semen cum aceto datum splen minuit, hydropicis ac splenereticis in modum cataplasmæ impositum subuenit. Radix in aceto ac melle cocta si gargarizetur synanticos curat, folia eius contusa & imposita dolentibus articulis prosunt. Raphano calidam esse virtutem, omnium medicorum opinione patet, sed nobis ex vsu intelligere licet, nam cum cæteris cibis comesta, ideo in stomacho ructus efficit solus, quia in eo coquitur prima. Capillos ab iniuria alopiciæ restituit cum melle. Succus etiam grauedinem aurium instillatus emendat.

Prodest doloris articulorum.

Centra dolorem dentiū

Ægyptij reges in quibus erat studium scrutari corpora mortuorum & causas valitudinum occulta fide recognoscere, & in ipso corde vitium nasci prodiderunt, Semine raphani cum melle trito & sumpto suspiria mitigantur, tussis arcetur. Sola cum tale sumpta ventris animalia extinguit, ventrem stimulat, vrinam concitat, puerperis copiam lactis acquirit. Nulla res fortius vrinæ difficultatem solut, vel fœminarum imperat mēstruis. Raphanus comestus est customachus. Post cibos sumpta digerat, eructationē facit. Coctus & esus tussiētibus & pituitatibus stomachi medetur. Corium eius cataplasmis adhibitum cum melle pascentia vulnera curat, liuorem impositus tollit, morsibus venenatis occurrit, lemigines purgat, bibitus mēstruis imperat. Semen eius bibitum est diureticum, splenem tenuescere facit. Elixum cum oxymele gargarismo synanticis squinanticisque opitulatur, cerasti quoque puncto accepta statim medetur. *Denti cauo immissa vel gingiuis fricata, dolorem eius mire sedat.* Est aliud genus raphani quod multi armoracēam dicunt, habens folia lapsanæ similia, cuius radix oblonga est ac tenera, de qua scilicet dictum est supra.

Adhuc de eodem.

CAP. CXXVIII.

Platearius. Raphanus calidus est & siccus in secundo gradu, virtutem habet inscidendi, dissoluendi: ex eo sit competens oxymel, contra quartanam, & contra quotidianam, contra duriciem splenis. Herba ipsa cocta in vino & oleo spleni cataplasmetur. Pectini cataplasmata stranguriam & dissenteriam soluit. *Plinius lib.* 20. Raphani stomachum purgant, pituitatem extenuant, vrinam concitant. Est æstuosus in Italia, & armoraceam vocant satiuam. Satini decocti mane ad tertios cyathos poti calculos cōminuunt, & eijciunt. Idem in posca decocti cōtra serpentium morsus valent illiniti. Ad tussim quoque ieiunis raphanus prodest in mane cum melle. Semen eius tostum deinde contritum cum melle suspiriosis valet, idemque contra venena prodest. Scorpionibus cerastisque aduersatur, vel ipso semine infectis manibus impune tractabilibus. Impositoque raphano scorpionibus moriuntur. Contra fungorum quoque venena salutares sunt, lienem extenuant, iocineri lumborumque doloribus prosunt. Ex aceto vel sinapi sumpti valent hydropicis lethargicis. Praxagoras quoque dandos censet ilhosis. Intestinorum sanant vlcera & præcordiorum purulenta cum melle comesta quidam ad hoc illito luto coquere malunt, sic & fœminas purgari debent. Ex aceto & melle sumpti intestinorum animalia detrahunt, itemque ad tertias decocto eorum poto cū vino enterocelis prosunt, sanguinem inutilem extrahunt. Medicus ad hæc coctos dari iubet excreantibus sanguinem, puerperis ad copiam lactis adaugendam. Hippocrates capillos mulierum defluos raphanis iubet fricari, & contra tormenta vuluæ super vmbilicum imponi, reducunt & cicatricem ad colorem. Semen impositum ex aqua sistit ea quæ sagedenas vocant vlcera. Democritus Venerem hoc cibo putat stimulari, & ob id fortasse voci nocere tradiderunt aliqui, folia quæ duntaxat in oblongis nascuntur, actē oculorū excitare dicuntur, vbi vero acrior medicina admota sit, hyssopū darī protinus imperant, hæc antipathia est. Aurium vero grauitati raphani succum instillant. *Vapras.* Humectat & dispergit phlegma auctoritate sua, folia tamē eius minus austera sunt. Trita radix in vino nauseam prouocat.

Contra calculum.

Vsus medicinalis varius.

De rapa.

CAPVT CXXIX.

Isidorus. Rapa dicta est à rapiendo idest comprehendendo. Est autem radice amplior rapa sapore dulcior & folio tenui. *Palladius lib.* 3. Semen braſicę vetustum, vt dictum est supra, mutatur in rapa. *Idem in libro* 8. In mense Iulio serenda est rapa solo puri & soluto nec spisso, locis humidis, & campis lętatur: napus autem in sicco ac propriè tenui declexo & sabulosis melior nascitur, loci proprietas vtrumque semen in alterum mutat. Nam rapa in alio solo per biennū fata mutatur in napos, alio vero napus transit in rapam. Subactum solum stercoratum versatumque coquunt, quod ipsis, & segetibus proderit qui ibi anno eodem seruntur. Iugo raparum quatuor sextarij, napi autem quinque sufficiunt. Si spissæ sunt interuelles aliquas, vt cæteræ roborentur: vt vero in semina maiora redigantur, erutam rapam folijs omnibus purges & ad dimidij digiti crassitudinem in caule succides. Tunc in sulcis diligenter subactis octonis digitis separatam obtues, injicies terram & calcabis, ita magna nascetur.

Etymon.

Idem libro 13. In mense autem decembri, conuenit rapam condiri. Rapa siquidem in partes minutas rescisa, leniterque cocta, & tota die diligentius exiccata,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Modus condiendirapas.

ne quid humoris reſeruent, ſinapi ex aceto ſicut moris eſt temperato merguntur, & condiuntur, repletaque vaſe clauduntur, & poſt aliquantos dies explorata guſtibus in vſum proferuntur. Quæ res congruè poteſt effici Ianuario quoque ac Nouembri. *Plinius lib.* 18. Rapa autem omnia cunctis naſcuntur animalibus, nec in nouiſſimis, ſatiant ruris alitum quoque genera, magiſque ſi decoquantur aqua. Quadrupedes eorum & fronde gaudent homini quoque cibo grata ſunt. Durant & in terra ſua & poſt à paſſo pene ad alium prouentum famemque ſentiri prohibent, à vino atque meſſe ſeruata, tertius hic tranſpadanis fructus, terram nõ moroſe eligit, pene vbi nihil aliud ſeri poſſit. Nebulis, & pruinis, ac frigore vltra aluntur amplitudine mirabili, *ita quod quadraginta libras excedentia vidi.* In cibis quidem noſtris comeduntur pluribus modis, & vſque ad alia durant ſinapis acrimonia domita. Diligentiores, quinto ſulco napum ſeri iubent, rapam quarto, vtroque ſtercorato. Rapam dicunt fieri latiorem, ſi ſeminetur palea. Satus vero eſt vtrique generi inter duorum numinum dies feſtos neptuni atque vulcani, feruntque ſub ſubtili obſeruatione, quota luna præcedente hyeme nix prima ceciderit, ſi totidem die numinum prædictum temporis ſpacium ſerantur mire prouenire. Seruntur & vere in calidis atque humidis. *Idem in li.* 19. De rapis abunde dixiſſe poteramus videri, niſi medici facerent maſculini ſexus in his rotunda, latiora vero & concaua fœminini, ſuauitate præſtantiora, & ad condiendum faciliora. Sæpiuſque fata tranſeunt in mares.

Rapa quadraginta librarum.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. CXXX.

Apias. Rapa eſt napus validiſſimus, conturbat corpus, & deducit, ſed mingitur. Semen eius cõtra venena in potum datur. Rapa ſi frequenter cõedatur, inflationem ſtomachi facit. Semen eius ex vino tritum valet contra morſus ſerpentum. *Plinius lib.* 20. Eſt rapo vis medica, perniones feruens ſanat impoſitus, frigus è pedibus pellit aqua decoctus. Ius eius feruens podagris etiam frigidis medetur, & crudum, tuſumque cum ſale, cuicunque vitio pedum auxiliatur. Semen eius illitum, & in vino potum contra ſerpentes, ac toxica ſalutare eſſe proditur. A multis autem antidoti vim habere in vino & oleo dicitur. At propter inflationes in totum eum abdicauit in cibis Democritus. Diocles autem magnis extulit laudibus, Venerem quoque ſtimulari ab eo profeſſus. Itemque Dionyſius magiſque, ſi cum eruca condiretur. Toſtum quoque prodeſt articulorum dolori cũ adipe. Silueſtre rapum in aruis naſcitur, maximè fruticoſum candido ſemine. Duplo maiore, quàm papaueris, & hoc vtuntur ad albicandam cutem in facie totoque corpore mixta vrina pari menſura. *Dioſcorides.* Radix rapæ bona eſt, & ſi ventrem inflat, corpori tamen ſuccum addit, Veneremque ſtimulat. Eius elixatura fomento podagris, ac pernionibus præſidium eſt. Ipſaque trita, & impoſita hæc omnia facere poteſt. Cyma eius elixa, & comeſta eſt diuretica. Semen eius ex vino bibitum vulneribus venenatis proficit. Itaque ſemen in rapis calidum ac feruens videtur, & ipſæ paulo ſolutiores creduntur, Sed quo minus caloris poſſident molliendi poteſtatem eo fortiorem continent. *Idem* radix inflat, & ſemen in homine generat, vel augmentat. Agreſtis rapa locis ſiccis naſcitur, fruticem collectum faciens cubiti longitudinem habens multaſque virgellas; folia leuiora, & in modũ digiti craſſa. Semen eius in folliculis eſt concluſum nigrum, & fragile, quod fractum habet intus colorem album. Itaque faciei miſcetur albamentis, vel etiam totius corporis. *Iſaac.* Rapa calida eſt in ſecundo gradu, humida in primo, durè digeritur. Mollem & inflatiuam carnem facit propter ſui ventoſitatem proinde coitum ſuſcitat, phlegma augmentat, vtilis autem eſt, ſi bis cocta vtraque aqua reiecta coquatur cum pinguiſſima carne. *Idem* cuius iure, ſi pedes podagricorum loti fuerint, dolori mitigationem præſtat.

Podagra medetur.

De roſa.

CAPVT CXXXI.

Sidorus. Roſa à ſpecie floris dicta eſt, eo quòd rutilanti colore rubeat. *Ambroſius.* Ante peccatum floribus immixta terrenis ſine ſpinis roſa ſurgebat, & pulcherrimus flos ſine vlla fraude vernabat, poſtea vero ſpina ſepſit gratiam floris, tanquam humanæ vitæ ſpeculum præferens, quæ ſuauitatem perfunctionis ſuæ finitimis cũrarum ſæpe compungat ſtimulis, vallata eſt enim elegantia vitæ noſtrę, atque quibuſdam ſolicitudinibus obſepta, vt eadem triſtitia diſtincta ſit, & gratia. *Plinius libro vigeſimoprimo.* Roſa verius ſpina, quàm frutice naſcitur. In rubo quoque proueniens illic etiam odoris iucundi, quamuis anguſti, germinat omnis incluſa primo cortice granoſo, quo mox intumeſcente, & in vitides alabaſtros faſtigiato paulatim rubeſcens dehiſcit, ac ſe ſe pandit in medio calicis ſui ſtantis complexa luteos apices, vſus eius coronis. Oleo maceratur. In vnguenta tranſit, & emplaſtris, atque collyrijs imponitur mordaci ſubtilitate. Menſarum etiam delitijs perungendis minimè noxia. Genera eius noſtri fecerunt celeberrima, Prænestinam & Campanam, addiderunt alij Mileſiam, cuius ſit ardentiſſimus color non excedentis folia duodena proximam ei; Trachiniam minus rubentem mox Alabandicam foliis albicantibus viliorem, ſpinoſam vero minutiſſimam, vel viliſſimam. Differunt enim foliorum multitudine, aſperitate, leuore, colore, odore, Pauciſſima quina folia, ac deinde numeroſiora, cum ſit genus eius, quàm centifoliam vocant, quæ eſt in Campania Italiæ. Græciæ vero circa Philippos, ſed ibi non ſuæ terræ prouentu. Pangæus namque mons in vicino ferè eſt numeroſis foliis, ac paruis. Vnde accolæ transferentes conferunt. Ipſaque plantatione proficiunt. Non autem talis odoratiſſima eſt. Nec cui latiſſimum maximumque folium. Breuiterque indicium odoris *ſcabricia corticis eſt*; quæ Græca vocatur à noſtris, à Græcis vero lichnys non niſi in humidis locis proueniens, nec vnquam quinque folia excedens, magnitudine violæ nulloque odore. Eſt & alia græcula vocata, conuolutis foliorum panniculis, nec dehiſcens niſi manu cocta, ſemperque naſcenti ſimilis, latiſſimis folijs. Alia funditur è maluaceo caule, habens folia oleata quam aceton vocant, atque inter has media magnitudine autumnalis quàm coroneolam appellant, omnes ſine odore. Coroneola in rubo nata tot modis adulteratur. Et álias vero quoque plurimum ſola præualet. Cirenis eſt odoratiſſima. Carthagine Hiſpaniæque hyeme quoque tota præcox. Refert & cœli temperies, Quibuſdam enim minus odorata prouenit annis. Præterea *odoratior magis omnibus ſiccis locis*, quàm humidis prouenit.

Etymon.

Sententia eſt aliquorum patrum roſam aliquando caruiſſe ſpinis.

Indicium odoris roſæ.

Odoratior ſiccis locis prouenit.

De Roſarum cultura.

CAPVT CXXXII.

Idem in eodem. Roſa nec pinguibus vult, nec argilloſis ſeri locis, neque riguis, Contenta raris propriè ruderatum agrum amat. Præcox eſt Campana, ſera vero Mileſia, nouiſſimè tamen deſinit Prænestina, fodiuntur altius quàm fruges, leuius, quam vites, tardiſſimè proueniunt ſemine, quod eſt

in

in ipſo cortice ſub flore opertum lanugine. Ob id potius inferuntur caule conſciſo,& ocellis radicis vt arundo, vnum genus inſeritur pallidæ, ſpinoſæ, ac longiſſimis virgis quinque foliæ, quæ à græcula altera eſt. Omnis reſciſione proficit, & vſtione. Tranſlatione quoque vt vitis optimè ocyſſimeque prouenit: ſurculis quaternorum digitorum longitudine,vel ampliore poſt vergiliarum occaſum ſata, deinde per fauonium tranſlata, pedalibus interuallis, crebroque circumfoſſa. Qui præcocem illam faciunt, pedali circa radicem ſcrobi aqua calida infundunt calice germinare incipiente. *Palladius libro tertio.* In mẽſe februario roſaria conſerenda ſunt, quæ ſulco breuiſſimo,aut ſcrobibus ponenda ſunt, vel virgultis, vel etiam ſemine. Semina autem roſarum non putemus medios floſculos eſſe aurei coloris, quos roſæ ferunt, ſed baccis nutriunt, quas breuiſſimi pyri ad ſimilitudinem plenas ſeminibus ſuis poſt vindemiam reddunt, maturas ex colore fuſco & mollitie poſterimus æſtimare. Si qua etiam ſunt antiqua roſaria hoc tempore circunfodiuntur, & ſarculis vel dolabris ariditas vniuerſa reſcinditur. Tunc quæ rara ſunt, poſſunt ducta virgarum propagine ſeparari. Si roſam ipſius habere volueris duobus palmis ab ea gyrum fodies, & aqua calida bis rigabis in die. *Idem in libro ſexto.* Roſas nondum patefactas ſeruabis, ſi eas in canna viridi ſtante fiſſa recludas, ita vt ſciſſuram coire patiaris, & eo tempore cannam reſcidas, quo virides roſas habere volueris. Aliqui verò eas olla noua conditas, & bene munitas ſub diuo obruunt & ſic reſeruunt. *Idem libro duodecimo.* Quamuis menſe Februario ſunt conſerenda roſaria, tamen locis calidis, apricis, atque maritimis menſe etiam Nouembri potuerimus inſtituere roſeta. Quæ ſi indigus plantarum volueris ex paucis virgulis habere copioſa, quaternorum digitorum ſurculos germinantes cum geniculis ſuis debebis excidere, & in modum propaginis ſternere, ſtercore ac rigationibus adiuuare, vbi annum etiam compleuerint pedis ſpacio inter ſe transferre diſiunctos,atque ita ſolum,quod huic generi deputaueris implere.

Tempus ſerendi roſas.

Ad ſeruandum roſas diutiſsime etiam per totam hyemem.

De operatione roſæ in medicina.

CAPVT CXXXIII.

Platearius. Roſa frigida eſt in primo gradu,ſicca in ſecundo,& viridis & ſicca competit vſui medicinæ. Quidam colligunt eam poſt maturitatem, ſed non tam diu ſeruatur. Debent autem colligi cum non habent folia omnino expanſa, & tamen aliquantulum iam rubea. Collectæ autem ad Solem aliquantulum deſiccari poſſunt, & per triennium ſeruari. Roſæ ſiccæ naribus appoſitæ, cerebrum & cor confortant, ſpiritus reparando, ſuccus roſarum viridium in vaſe vitreo poteſt valere per annum. *Poſt dentis extractionem ſi fluxerit ſanguis, fit decoctio roſarum in aceto, & fit garzariſmus. Auicenna.* Roſa eſt virtutis compoſitæ ex ſubſtantia aquea, & terrea. Et in ipſa ſunt acuitas, ſtipticitas, & amaritudo cum pauca dulcedine, ſubtilitas quoque faciens ipſius ſtipticitatem penetrare. Quare facit corizam accidere. Eſt autem frigida in primo, ſicca in principio ſecundi. Et virtus quidem amara permanet in ipſa,dum recens eſt. Cum autem ſiccatur, eius amaritudo minoratur- Sicca quoque frigidior eſt, & magis ſtiptica. Eſt autem aperitiua,& abſterſiua valde, & ſedat motum choleræ. Semen eius fortius ſtipticum eſt, quod in ipſa fit & pili ſimiliter, qui ſunt in eius medio. In toto autem ipſius eſt confortatio membrorum interiorum. Dicitur autem, quod in ipſa eſt virtus extrahens ſurculos & ſpinas, & reliqua carni affixa. Rectificat autem ſudorem fætoris,quando adminiſtratur ex ea in balneo. Emplaſtrum ex ea factum ſoluit apoſtemata calida, confert etiam eriſipilæ & vlceribus, præcipuèque abraſionibus in coxis, & in profundis carnem generat. Sedat dolorem in oculo ex caliditate, Et ſimiliter dolorem matricis. *Dormire vero ſuper locum ex eo ſtratum abſcindit deſiderium coeundi.* Et illa quidem, quæ recens eſt fortaſſe ſoluit, ſicca vero non ſoluit. Decoctio ex roſa ſicca confert craſſiciei palpebrarum, & vlceribus inteſtinorum. Item roſa, & eius ſuccus conferunt humiditati ſtomachi. Decoctio aquæ eius, & oleum ipſius faciunt ſternutationem cum odorantur. Semen eius ſtringit gingiuam, & ſimiliter ſuccus eius cum decocto, confert etiam dolori aurium. Succus eius confert ſyncopi: virgulta vero eius, & etiam capita ſputo ſanguinis ſunt vtilia. *Conſtantinus vbi ſupra.* Roſa frigida eſt in primo gradu, ſicca in fine ſecundi, ſubrilem ſubſtantiam & ſtipticam habet, valet ſtomacho, & hepati: eius enim opilationem aperit, capitis dolorem ex fumo choleræ, aut ſanguinis vſto naribus applicata placat. Cocta cum vino capitis aurium & gingiuarum dolorem, ſi os eo lauetur aut gargarizetur tollit. Cataplaſmata fit contra hæmorrhoidas, ſperma eius puluerizatum putridas gingiuas ſanat. Cortex potatus ſanguinem inferius manantem conſtringit.

Nota.

Pro Syncope & ſputo ſanguinis.

Sanat gingiuas putridas

Iterum de eodem.

CAPVT CXXXIV.

Plinius vbi ſupra. Roſę flos ſomnum facit, inhibet fluxiones mulierum, maximè albæ in poſca potus, & ſanguinis excreationes, ſtomachi dolores in vino ciathis tribus. Semen eius optimum eſt crocinum, nec anniculo vetuſtius, & in Sole ſiccatur, nigrum inutile. Dolori dentium illinitur, vrinam ciet, ſtomacho imponitur. Iterum, igni ſacro non veteri. *Naribus ſubductum caput purgat.* Capita eius pota ventrem & ſanguinem ſiſtunt, vngues roſæ ſalubres epiphoris ſunt, vlcera enim oculorum roſa,præterquam in initijs ſordeſcunt. Item epiphoræ, ita vt imponatur arida cum pane. Sunt & folia vitijs ſtomachi roſionibus,ac vitijs ventris, & inteſtinorum præcordijs vtiliſſima,vel illita. Diaplaſmata inde fiunt, ad ſudores coercendos, ita vt à balneis inareſcant corpora deinde frigida abluantur. Sylueſtris roſæ pillulæ alopicias emendant cum vrſino adipe.

Capiti purgium.

Razi vbi ſupra. Roſa dolorem capitis ex caliditate remouet,crapulam aufert, rheumatiſmum tamen ac ſternutationem inducit.

Macer.

Dici flos florum nobis roſa iure videtur.
Quod ſpecie cunctos præcedat odoreque flores,
Non tamen hæc ſpecie tantum nec odore iuuare,
Nos valet ac variis nos adiuuat illa medelis,
Eius ficca gradu vis eſt,& frigida primo,
Compeſcit ſacrum ſi trita apponitur ignem,
Sic quoque ſi ſtomachus calet, aut præcordia ſedat,
Fluxum matricis cum vino ſtringit & alui,
Illius ſuccum collyria plurima quærunt,
Et ſiccæ puluis morbis bene ſubuenit oris,
Infrictus per ſe tantum.cum mellevve mixtus,
Omnes feruores ſuperaddita trita coercet,
Ipſa recens,vel ſi mulſo contrita bibatur,
Dicam Palladius quid ſcripſerit inde peritus,
Quod rubeum fuerit foliorum ſumito floris
Vncia ſic purgatorum mergatur oliui
In libra vitreo ſic claudens omnia vaſe,
Sub Phębo ſeptem tantum ſuſpende diebus
Inde medelarum varios ſeruatur in vſus.

De his, quæ procedunt, vel conficiuntur ex rosa.

CAPVT CXXXV.

Platearius. Rosa, & quæ ex ea fiunt vsui medicinæ competunt. De rosis namque fit mel rosaceum, & saccharum roseum: syrupus roseus, & oleum roseum, aqua rosata. Mel primo despumatur, deinde colatur, postea folia rosarum viridia minutatim incisa imponuntur, & fit decoctio aliquantula, signum decoctionis est odor & color, rufus per annos quinque seruatur, virtutem habet confortatiuam ex rosis, mundificatiuam ex melle. Vnde valet ad mundificationem stomachi ex frigidis humoribus cum aqua decoctionis fœniculi & sale datum: saccharum roseum habet virtutem constringendi, & confortandi, valet contra dyssenteriam & lienteriam & diariam, quæ facta est ex debilitate virtutis retentiuæ, quibusdam alijs commixtis, valet & contra vomitum cholericum, contra syncopen, & cardiacam, cum fit ex calefactione spiritualium. Syrupus roseus contra ventris fluxum & vomitum datur cum aqua pluuiali, vel rosata. Febricitantibus autem cum aqua frigida post minutionem potui datur, & contra syncopen similiter. *Oleo rosaceo contra calefactionem hepatis hæpar inungitur.* Contra dolorem capitis ex frigida causa, frons, & tempora inunguntur. Aqua rosata contra fluxum ventris, & vomitum simpliciter datur. Syncopizantibus etiam & cardiacis in potu datur, & faciei superspargitur. In collyrijs ad oculos ponitur, & in vnguentis ad faciem, quia pannum superfluum abstergit, & subtiliat cutem.

Contra calefactionem hepatis.

Constantinus vbi supra. Aqua rosea stomachi dolorẽ & hepatis mitigat; ex aqua capite sæpius loto canicies festinabitur, syrupus roseus dolorem stomachi ex calore curat, nec non acumen febris, & dolorem intestinorum, & cholericas passiones sanat. Et similiter facit rhodosacchara. Cocta cum vino capitis, aurium & gingiuarum dolorem, si os de eo lauetur, aut gargarizetur, tollit. Oleum rosaceum bibitum ventrem humectat, & calorẽ stomachi refrigerat. Calidum in naribus distillatum, calida sanat apostemata. Cum aqua rosacea mixtum dyssentericis subuenit, vniuersaliter etiam valet contra omnia vulneta calida, siue sint extrinsecus, siue intrinsecus. *Auicenna.* Aqua rosata, cum bibitur, confert syncopi; bona est etiam hepati, vel stomacho, & confortat & iuuat ad digerendum. Oleum quoque rosatum inflammationem stomachi extinguit, & ventrem soluit, *Plinius vbi supra.* Vinum quomodo fiat è rosa diximus inter vini genera. Succi vsus, ad aures, oris vlcera, gingiuas, tonsillas, prodest gargarizatus, valet etiam ad stomachum & ad vuluas, sedis vitia, capitis dolores in febre, vel cum aceto ad somnos & nauseas. *Palladius lib. 6.* Ad rosatum faciendum, in Maio quinque libras rosæ pridie purgatæ in veteris vini decem sextarijs merge, ac post triginta dies despumati mellis decem libras adijce, & vtere. Ad oleum autem roseum in olei libras singulas rosæ purgatæ singulas vncias mitte, ac septem diebus Sole & Luna suspende: Ad rhodomel vero conficiendum succi rosæ sextarijs singulis libras singulas mellis admisce, & diebus quadraginta sub Sole suspende.

Compositio rosati.

Macer.

Ex hac conficitur oleum roseumque vocatur,
Diuersis morbis, & multis vtile causis,
Si bibitur ventrem mollit stomachique dolorem
Extinguit nimium, bene si foueatur eodem;
Et dolor & feruor capitis curabitur illo,
Permiscendo sibi, si forte iungatur aceto,
Expurgat sordes, vulnusque repletque profunda,
Et combusturis præclare subuenit ignis,
Ore diu tentum dentis sedare dolorem,
Dicitur, & duras palpebras reddere molles,
Aufert suppositum pruritus interiorum,
Et sternicis variis solet hæc succurrere causis.

De Rubia.

CAPVT CXXXVI.

Isidorus. Rubia dicitur, eo quòd rubra sit radix eius; vnde & lanas colorare perhibetur. *Dioscorides.* Rubia quam alij Ereuthrodanum, Latini verò rubium dicunt, herba est omnibus nota. Species eius duæ sunt, vna videlicet agrestis, alia vero, quæ vocatur sarchos, ramulos, siue thyrsos habens tenues, & quasi nodosos, folia per interualla distantia, ac per singulas connodationes, veluti stellarum imaginem. Fructus eius, vel semen est rotundum, & viride primo, deinde rubrum, circa maturitatem vero nigrum. Radicem habet paruam, tenuem, rubicundam, virtutem habet vnctualem. Albas maculas curat cum aceto illita, vsus etiam eius ad ea proficit, ad quæ cætera diuretica. *Plinius libr. 19.* Rubia tingendis lanis & corijs est necessaria, laudatissima est Italica, & maximè suburbana, prouenit sponte: seriturque eruiliæ similitudine, verum spinosus est in cauli & geniculatus hic est, quinis circa articulos in orbe folijs, semen eius est rubeum plures habens vsus in medicina. *Idem in lib. 14.* Erythrodanus quam aliqui Ereuthrodanum vocant, nos rubiam, herba est qua lanæ tinguntur, pelleſque perficiuntur. In medicina vrinam ciet, morbum regiũ sanat ex aqua mulsa, & lichenas ex aceto illita, & ischiaticos etiam & paralyticos potest curare, ita vt bibentes lauentur quotidie. Radix ac semen menses trahunt, aluum sistunt, & collectiones discutiunt. Contra serpentes rami cum folijs imponuntur folia quoque capillum inficiunt. Apud quosdam inuenio regium morbum hoc frutice sanari, etiam si adalligatus spectetur tantum.

Etymon.

Tinctura lanarum ex rubia.

Sanat morbum regium

Auicenna. Rubia tinctorum est pontici saporis, & absterhit cum æqualitate, ponitur cum aceto super impetiginem & sanat eam, similiter & morpheam albam, ab omni vestigio mundificat cutem. Bibita cum mellicrato confert ischiaticæ & paralysi, valet etiam percussioni & casui, succus eius cum oxymelle datur ad apostemata splenis, & mundificat hepar & splenem. Eorumque opilationes aperit, & in hoc ei proprietas existit, aceto vehementer prouocat vrinam, vt quandoque faciat mingere sanguinem, & oportet vt qui eam biberit quaque die balneetur. Supposita menstrua prouocat, & extrahit fœtum, eiusque stipites cum foliis conferunt morsui vermium venenosorum. *Platearius.* Rubia calida est & sicca in secundo gradu, virtutem habet confortatiuam ex aliquantula sua ponticitate, & diureticam ex amaritudine. Contra debilitatem stomachi & hepatis relaxationem, datur vinum decoctionis eius. Radix eius rasa supponitur ad menstrua prouocanda, & fœtum mortuum educendum, aqua decoctionis eius, si caput inde abluatur capillos reddit rubeos. *Constantinus vbi supra.* Rubia est in fine primi gradus calida & sicca, habet quiddam amaritudinis & ponticitatis, vnde splen & hepar mundificat, & eius opilationem aperit, vrinam & menstrua prouocat. Omniaque membra corporis à putredine mundificat, & morpheam curat, adhibetur quoque cum melle, & aqua calida propter ilij dolorem.

Mundificat hepar.

De Ruta & eius cultura.

CAP. CXXXVII.

Isidorus. Ruta dicta est, eo quod sit feruentissima. Cuius altera agrestis atque virtute acrior; sed

Experientia à muſtelis ſumpta.

vtraque feruentiſſima comprobatur: hanc venenis repugnare muſtelæ docent, *quæ dum cum ſerpente dimicauerint, cibo eius armantur. Plinius lib.* 19. Ruta ſeritur Fauonio, & Autumni Æquinoctio. Odit hyemem, & humorem ac ſimum. Apricis gaudet ac ſiccis, terraque quam maximè latericia. Cinere nutriri vult, huic & fœnum miſcetur, vt careat erucis. Sed & cum fico eſt ei amicitia, intantum quod nuſquam lætior, quàm ſub hac arbore proueniat, ſeritur & ſurculo melius in perforatam fabam, inditoque ſucco nutrit, comprehendendo ſurculum, ſeritur & à ſeipſa. Nãque incuruato cacumine rami alicuius, cum attigerit terram, ſtatim radicatur. *Palladius de agricultura lib.* 4. Menſe Martio ruta ſeritur locis apricis, ſolius cineris inſperſione contenta, loca deſiderat altiora, vnde humor eius elabitur, ſi ponas eius ſemina adhuc clauſa folliculis, ſigillatim debebis manu afficere. Si iam minuta ſunt, ſparſa iactabis, & raſtro obducta cooperies. Caules eius, qui incluſis ſeminibus nati fuerint fortiores erunt, ſed ſero naſcentur. Ramuli eius cum aliqua radicis parte conuulſi verno tempore pro plantis tenebunt, tota vero tranſlata morietur. Nonnulli ramulos eius pertuſæ fabæ inſerunt, vel bulbo, atque illa obruunt alieno vigore ſeruandos. *Sub fici arboris vmbra libentius acquieſcit.* Non effodi herbas, ſed optat auelli. *Immundæ mulieris formidat attactum,*

Tempus quo ſeri debet.

Sympathia cum ficu.

Nota.

De virtute ipſius in medicina.

CAPVT CXXXVIII.

Nota.

Contra cephalalgiam.

Nota.

Avicenna. Ruta calida eſt & ſicca, inſciſiua, reſolutiua, carminatiua, valde mundificatiua, venarum vlceratiua, ſtiptica, Cum nitro ponitur ſuper morpheam albam, & ſuper verrucas, & remouet odorem alliorum ac cæparum, & confert alopiciæ & eriſipilę, paralyſi iſchiaticæ, & doloribus iuncturarum, acuit viſum, excitat ſperma, *& deijcit coitus deſiderium.* Digerit autem & cibi facit appetitum, confortat ſtomachum & confert ſpleni, reſiſtit venenis, emplaſtrum ex ea factum cum aceto retinet fluxum ſanguinis narium. *Iſaac.* Ruta ſylueſtris calida & ſicca in quarto gradu, domeſtica vero in tertio, quæ melior eſt ad digerendum, quia virtutem habet inſcidendi, & craſſos humores & viſcoſos extenuandi, ventoſitatem, & inflationem diſſoluit, ventrem humectat, inferiora inteſtinorum iuuat. In vino cocta & pota, valet hypoſarchæ. *Platearius.* Eſt ruta domeſtica & ſylueſtris, quæ piganum dicitur huius folia & ſemina competunt vſui medicinæ: virtutem habet diureticam diſſoluendi, & conſumendi valet contra cæphalalgiam & epilepſiam dolorem dentium, contra frigiditatem ſtomachi, paralyſim & contra defectum viſus ex frigiditate melancholica, contra iliacam paſſionem, opilationem ſplenis hepatis, & ſtranguriam & dyſſenteriam, contra liuorem, contra lippitudinem oculorum, & colorem, ruta etiam bibita valet contra venenum bibitum, & morſum venenatorum animalium, & etiam ſuper cataplaſmata, vel ſi quis totus circundatus fuerit ruta viridi, ſecurus accedere poteſt ad interficiendum baſiliſcum.

Hippocrates vbi ſupra. Ruta calida eſt & vrinam procurat, pingues & viſcoſos humores per vrinam deducit, & non inflat, ſed extenuat. Ideoque ad inflationem expediens eſt. *Nam & libidines refrenat & reprimit, & conſumit ſemen & deſiccat omnino. Plinius libr.* 20. In præcipuis medicaminibus eſt rutæ ratio. Satiuæ folia ſunt ramis fructicoſiora, ſylueſtris ad effectum eſt horrida & acrior ad omnia. Ea tuſa ſuccus exprimitur, & aſperſa modica aqua, in pixide Cypria ſeruatur, hic copioſior datus, veneni noxam obtinet Macedoniæ maximè iuxta flumen anacimum, mirumque quod extinguitur ſucco cicutæ, adeo etiam venenorum venena ſunt, quando ſuccus cicutæ prodeſt manibus colligentium rutam. Rutæ folia trita, & cum vino ſumpta pro antidoto valent, contra aconitum maximè & viſcum, contra ſerpentum & ſcorpionum & araneorum ictus & contra crabronum, apum, ac veſperarum aculeos, & cantaridas ac ſalamandras, caniſve rabioſi morſus, acetabuli menſuras ſi ſuccus eius cum vino bibitur. Efficaciſſima tamen è ſylueſtribus radix cum vino ſumpta. Eandem adijciunt efficaciorem eſſe contra venena ſub diuo potam. Pythagoras & in hac marem minoribus herbaceique coloris foliis à fœmina diſcreuit, etiam latioribus folijs & colore. Idemque oculis noxiam putauit falſo, quoniam ſculptores & pictores hoc cibo vtuntur oculorum cauſa, cum pane vero vel naſturtio ſatiuæ, atque ſylueſtris propter viſum. Vt aiunt multi ſucco eius cum melle attico inuncti diſcuſſerunt caligines, vel cum lacte mulieris puerum enixæ, vel puro ſucco oculorum, angulis tactis, Epiphoras cum polenta impoſita, lenit autem capitis dolores pota cum vino, vel aceto & roſaceo illita. Si vero ſint cæphalea cum farina, ordacea, vel aceto. Eadem cruditates diſcutit, mox inflationes, dolores ſtomachi veteres, vuluas aperit, conuerſaſque illita melle toto ventre & pectore corrigit, hydropicis cum fico prodeſt, decocta ad dimidias partes potaque ex vino: ſic bibitur & ad pectoris, laterumque & lumborum tuſſes, ſuſpiria, & pulmonum iocinerum, renum vitia ad horrores frigidos. *Ad crapulæ grauedines decoquuntur folia poturis.* Et in cibo vel cruda, vel decocta conditaue prodeſt. In torminibus in hyſſopo decocta, & cum vino. Sic & ſanguinem ſiſtit interiorem, & narium indita. Sic & collutis dentibus prodeſt. Auribus quoque in dolore ſuccus infunditur cuſtodito modo. E ſylueſtri vero contra tarditatem, & ſonitum cum roſaceo, vel cum laureo oleo, aut cumino & melle. Succus & phreneticis ex aceto tritæ inſtillatur in tempora, & cerebrum, adiecerunt aliqui & ſerpillum & laurum illinientes capita & colla. Dederunt & lethargicis ex aceto olfaciendum. Dederunt & comitialibus bibendum decoctæ ſuccum in cyathis quattuor ante acceſſiones, quarum frigus intolerabile eſt. Vrinam quoquè, vel cruentam pellit, fœminarum etiam purgationes, ſecundaſque etiam emortuos partus, vt Hippotrati videtur ex vino dulci nigro pota. Itaque illitam & vi uarum cauſa etiam ſufficere iubet. Dyocles & Cardiacis imponit ex aceto & melle cum farina ordeacea, & contra ilium decocta farina in oleo ac velleribus collecta. Multi vero & contra purulentas excreationes ſiccæ drachmas duas ſulphuris vnam & dimidiam ſumi cenſent, & contra cruentas ramos tres in vino decoctos. Datur & dyſſentericis cum caſeo in vino contrita. Dedertint & cũ bitumine infricta potioni propter anhelitum. Ex alto lapſis ſeminis tres vncias, olei libra, vinique ſextario illinitur. Cum oleo coctis folij partibus, quas frigus aduſſerit, pſoras & lepras cum melle & allumine illita emendat. Item vitiligines, vel rugas ſtrumas & ſimilia, cum hircino & adipe ſuillo ac taurino ſepo. Ignem ſacrum ex aceto & oleo, vel pſimithio. Carbunculum ex aceto. Nonnulli laſerpicium vna illini iubent. Sine quo epinictidas & puſtulas curãt. Imponunt & mammis tumentibus coctam & pituitæ eruptionibus cum cera. Teſtium vero epiphoris cum ramis laureæ teneris, adeo peculiari in viſceribus his effectu, vt ſylueſtri ruta cum axunhia veteri illitos ramices ſanari prodant, fracta quoque membra ſemine trito cum cera impoſito. Radix rutæ ſanguinem oculis ſuffuſum & in toto corpore cicatrices aut maculas illita emendat. Præcauendum eſt autem grauidis, vt abſtineant hoc cibo necari enim partus inuenio. Item generationes impediri hoc cibo, ideoque profluuio genitali datur, & venerem crebro per ſomnia imaginantibus.

Succus ruta venenoſus ſi detur in copia.

Contra grauedinem crapulæ.

Phreneticis prodeſt.

Curat dyſenteriam,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iterum de eodem.

CAPVT CXXXIX.

Prodeſt ſtomacho.

Dioſcorides. Rutæ duo ſunt genera ſcilicet agreſtis & hortiua. Sed viſcidior eſt hortiua, eſcis non bona. Illa vero melior eſt, quæ naſcitur circa cucumeres. Ambæ virtutem habent calidam & cauſticam, & exuberantem, & diureticam. Ruta menſtruis imperat comeſta. Et bibita colli dolorem ſedat. Stomachum erigit, vrinam prouocat, tuſſientibus proficit. Partum ſi plus ſumatur expellit, ventrem ſtringit. Eius folia comeſtæ cum nucibus regalibus occurrunt venenatis morſibus, quæ ſi multum fuerint comeſta vrendo ſiccant genitalia. Eadem cocta cum aceto, & aqua torſionibus medentur bibita. Iſchiaticis & arthreticis, ac frigoribus typicis ſubuenit, matricis focationes ac ſtericam ſoluit. In oleo cocta & bibita lumbricos, occidit, cum caricis cocta & addito vino hydropicos ad ſanitatem perducit. Omnibus prædictis cum vino maximè prodeſt. Quæ cruda comeſta caliginem oculorum detergit, tumorem & dolorem oculorum commixta polenta ſpargit, aceto & oleo roſeo addito capitis dolorem tollit. Succus eius naribus infuſus ſanguinis fluxũ ſiſtit, lauri folijs addita & cataplaſmata tumorem teſtium tollit. Agreſtis ruta minus calefacit, & extenuat, diaphoretica eſt, ac deſiccat pluſquam domeſtica.

Macer.

A medicis rutæ vis feruida dicitur eſſe,
Siccaque fertur in his gradus illi tertius eſſe,
Vtilis eſt ſtomacho valde, ſi ſæpe bibatur,
Expellit partum potu, veneremque coercet.
Tuſſim ſi bibitur compeſcit, menſtrua purgat,
Si coquis hanc in aqua, ſi vinum iunxeris acre.
Compeſcit talis decoctio tormina ventris,
Pulmonem iuuat & pectus, morboſque medetur,
Coſtarum quam pluresim vocat attica lingua,
Ictericos, ſciaſimque iuuat, febribuſque medetur,
Hauſta, vel in oleo viridem ſi coxeris illam,
Et foueas tepido, patientes ante tremorem,
Matricis prodeſt inteſtinique tumori,
Inſtrumento clyſteri, ſi funditur intus,
Hauſtaque cum vino prodeſſe valebit utrique,
Lumbricos oleo decocta & pota repellis,
Carica iungatur rutæ vinoque coquatur,
Cum caricis decocta diu vinique liquore,
Proſunt hydropicis, ſi ſint ſuperaddita nocte,
Cruda comeſta recens, oculos caligine purgat,
Et melius maratri cum ſucco, felleque galli,
Melleque ſi ſuccus ex æquo iungitur eius,
Indeque ſint oculi patientes ſæpe perunctí,
Cumque oleo miſcens roſeo necnon & aceto,
Illius ſuccus capitis curare dolorem,
Quamuis in modicum poteris, hoc ſæpe perungens,
Naribus expreſſus, ſi ſuccus funditur eius,
Siſtit manantem bene deſiccando cruorem,
In corio mali granati ſi tepefactum
Auribus hunc fundas, depelles inde dolorem.
Ceruiſiæ roſeoque oleo miſcens & aceto.
Illius ſuccum, mirandum conficis unguem,
Ad depellendum ſacrum quem dicimus ignem,
Et ſcabiem dextræ, quæ dicitur herpeta Græcè,
Et Græcè dictas acoras hoc unguine purgat,
Vlcera ſunt capitis humore fluentia pingui.
Curat & hoc oxymas immiſſum naribus; hæc ſunt,
Quæ grauiter ſæuent in naribus ulcera nata,
Obſtat pota nimis hæc cruda comeſta venenis,
Hoc Mitridates Rex Ponti ſæpe probauit,
Qui rutæ folijs viginti cum ſale pauco,
Et magnis nucibus binis, caricisque duabus,
Ieiunus veſci conſurgens ſæpe ſolebat,
Armatuſque cibo tali, quicunque veneno
Quaſlibet inſidias ſibi tenderet haud metuebat,
Muſtelæque docent obſiſtere poſſe venenis
Mirifice rutam, comedunt cum primitus illam,
Cum pugnaturæ ſunt cum ſerpentibus atris,
Cum butyro modicoque oleo decocta tumorem,
Matrici ſubiecta tepens fugat illa, colique,
Et cunctis intus morbis ſic ſubdita prodeſt,
Hac etiam teſtes poteris curare tumentes,
Cum folijs lauri bene tritam ſi ſuperaddas,
Ex hac antidotum non paucis utile cauſis,
Efficitur medici dicunt diapignamon illud,
Pignamon in Græca lingua quæ ruta vocatur,
Illius antidoti confectio talis habetur,
Pondere iunge pari piper atque cyminum,
De tribus his quantum de ruta ponito tantum,
Conuenit in ferro prius aſſari calefacto,
Sed prius ex acri vino macerare cyminum,
Omnia deinde ſimul bene trita ex melle ligabit,
Pectoris & lateris renum iecoriſque dolores.
Et hoc antidoto curantur ſæpe comeſto,
Extenuat bilem ſoluit ſine tormine ventrem,
Confortat ſtomachum, facit ut bene digerat eſcam.

Confectio Pignami.

De Saluia.

CAPVT CXL.

Temperamentum.

Ex herbario. Saluia habet folia longa, & anguſta, ſubaſpera, odore ſuaui & graui. In locis aſperis naſcitur, decoctio eius potata vrinam & menſtrua mouet. Paſtinacæ marinæ ſi quem percuſſerit, virus excludit, ſanguinis eruptionem ſiſtit. *Platearius.* Saluia calida eſt in primo gradu, ſicca in ſecundo. Solum folia competunt vſui medicinæ & viridia & ſicca: domeſtica magis conſumit, & confortat. Sylueſtris autem magis diaphoretica: vinum decoctionis ſaluiæ valet paralyticis, & epilepticis, fomentatio ex aqua decoctionis eius valet contra ſtranguriam & dyſſenteriam, matricem mundificat. *Plin. lib. 22.* Herbam noſtri qui nunc ſunt herbarij *eleliſphacon Græce*, Latini vocant ſaluiam, mentæ ſimilem, canam, odoratam: hac appoſita partus emortuos extrahunt, itemque vermes aurium & vlcerum. *Idem in lib. 26.* Herba quæ quibuſdam appellatur ſaluia ſimilis verbaſco, conteritur ea & colata calefit, & ſic ad tuſſim lateriſque dolores bibitur. Eademque contra ſcorpiones, atque dracones marinos efficax eſt, contra ſerpentes etiam ex oleo perungi ea prodeſt hyſopi faſciculus cum quadrante mellis decoquitur ad tuſſim. *Dioſcorides* eleliſphacon, ideſt ſaluia frutex eſt oblonga, multas habens virgas, quadras & albas, foliaque habet malis cidonijs ſimilia, ſed oblonga & minora & aſpera, & albidiora, & odorata, ſed ruboſa. Semen ſupra virgas eſt illi ſimile formino agreſti. Naſcitur in locis aſperrimis, virtus eſt ei diuretica, menſtruis imperat, abortum facit, ſcorpionis maritimi percuſſum mitigat. Eſt autem carmantica, id eſt ſanguinem fluentem vulneribus ſtringit, ſordidaque purgat vulnera. Capillos nigreſcere facit, & elixatura foliorum ac virgarum eius naturæ pruriginem compeſcit. Eſt etiam virtutis redarguentis cum acrimonia, vnde ad dyſſenteriam & viſcerum fluxum, quem Græci rigeon vocant, facit. Succus foliorum eius capillos denigrat & vrinam prouocat.

Eleliſphacõ.

Curat dyſenteriam.

Macer.

Saluia cui nomen eleliſphacos eſt apud Argos,
Cum muſa iecoris prodeſt potata querelis,
Pellit abortumque ſociumque & menſtrua purgat,
Trita venenatos curat ſuperaddita morſus,
Crudis vulneribus, quę multo ſanguine manant.
Apponas tritam dicunt retinere cruorem,
Cum vino ſuccus tepidus ſi ſumitur huius.

Com-

Contra herpetam.

Obſtat venenis.

Compeſcit tuſſim veterem lateriſque dolorem,
Pruritus vulua curat, virgaque virilis.
Si foueas vino fuerit quo ſaluia cocta,
Illius ſucco crines nigreſcere dicunt.
Si ſint hoc vncti crebro ſub ſole calenti.

De Sandice & ſampſucho.

CAP. CXLI.

EX *ſynonimis.* Sandix eſt herba quædam, de qua panni tinguntur in balneum colorem. *Plinius lib.* 35. Sandaraca ſi torreatur æquè parte rubrica admixta ſandicem facit. Quanquam animaduerto Virgilium æſtimaſſe id herbam eſſe, verſu illo. Sponte ſua ſandix paſcentes veſtiet agnos. *Idem in lib.* 22. Sandix in olere ſylueſtri à Græcis ponitur, ſicut Opinio & Eraſiſtratus tradunt. Decocta vero aluum ſiſtit, & ſemine ſingultus confeſtim ex aceto ſedat. Illinitur ambuſtis, vrinam cit. Succus decoctę prodeſt ſtomacho, iocineri, renibus, ac veſicæ, hæc eſt quam Ariſtophanes Euripidi poetæ iocularitèr obijcit eius matrem, ne olus quidem legitimum venditaſſe, ſed ſandicem. Peculiaris laus eius, quòd fatigato Venere corpore ſuccurrit. Marceſſenteſque ſenio iam excitat coitus. Alui quoque fœmina profluuia ſiſtit. *Dioſcorides.* Sandix, vel ſcandix calefacit, & deſiccat fortiter ac diaphoreticum eſt, & ob hoc merito viſcerum purgatiuum eſt. *Iſidorus.* Sampſuchus eſt herba quam Latini vocant *amaracum*, de qua ſcilicet ſub eadem amaraci nomine iam dictum eſt ſupra. *Dioſcorides.* Sampſucus à ſiculis nominatur amaracus, & eſt ramoſa multas habens virgas ſuper terram expanſas, cum folijs paruis, atque rotundis nepitæ ſimilibus, ac velut hirtis & acerrimis, herba rota eſt valde amara, vires habens acres atque calefactorias, ad omnem duritiem, vel rigorem valde idonea. Medetur etiam cataplaſmata, ſiue potata à ſcorpione vexatis, vel difficultati mictus, vel inteſtinorum tormento laborantibus. Eius elixatura medetur hydropicis, vrinam prouocat, & tortionibus eſt vtilis. Succus addito melle liuores detergit, ſcorpionum ictus cum aceto & ſale compeſcit laxationibus bene adhibetur, cerotis vtiliter additur. Omnes tumores corporis, & oculorum ſpargit cataplaſmata, & maximè cum polenta impoſita. Item appoſita ſolitæ purgationem materiæ prouocat in fœminis, bene quoque malagmatibus miſcetur & acopis. Sampſuchum eſt in tertio calidum & ſiccum, dolorem capitis & emigraneum de phlegmate & cholera nigra curat, ſi ex eius apoſimate caput lauetur, aut naribus applicetur, diſſoluit opilationem & craſſam ventoſitatem. Eius apoſima bibitum hydropiſim, ſtrangurıam, ventris dolorem habentibus fit bonum. Cum melle cataplaſmatum nigredinem in palpebris amputat, & cum aceto morſum ſcorpionis curat, peſſariſatum vero menſtrua prouocat, lapidem aufert, epilepticis conuenit & paralyticis, auribus inſtillatum dolorem placat, & ſonitum.

Ariſtophanes irridet euripidem.

Amaracum.

Effectus.

Vſus medicinalis.

De Satureia.

CAP. CLXII.

ISidorus. Satureia eſt herba calida, & propriè ignita, vnde & illi nomen inditum credunt, eo quod in Venerem pronos facit. *Palladius lib.* 3. In Februario menſe ſatureia ſeritur ſolo pingui, vel ſtercorato & apruco, vel melius mari proximo, & cæpulis mixta ſeminatur. *Dioſcorides.* Satura vel ſatureia calefacit, & nimis deſiccat, manifeſtè extenuat. Ideoque vrinam & menſtrua mouet ac fœtus extrahit, potui data viſcera purgat, à thorace atque pulmone humorem purgat, & per hos ſputa pellit, vrinam quidem mouet ex vino potata, lethargicos lætaliter dormientes excitat, eorum capiti cum aceto frequenter infuſa. Stomachum quoque nauſeantem confirmat in ouo ſumpta, vel potata, & contra ea, quæ ictibus aculeatis ſentiunt animalia. *Platearius.* Satureia eſt calida & ſicca. Et plures ex farina, & aqua, & eius puluere mundificant ſpiritualia: puluis eiuſdem comeſtus ad idem valet.

Macer.

Thymbra ſolet Græcè dici, ſatureia Latine,
Illi ſicca nimis vis eſt & feruida valde,
Prouocat vrinam, mouet quoque menſtrua ſumpta,
Pellit abortiuum, muliebria viſcera purgat
Illius puluis cum cocto melle ſubactus,
Et manſus vel cum vino ſi ſumitur idem.
Pectoris humorem pellit per ſputa tenacem
Cum vino tepido compeſcit tormina ventris,
Si largè bibitur, verum iam ſæpe probaui
Eſt quidam morbus lethargus nomine dictus
Oppoſitum medici quem dicunt eſſe phreneſim,
Quod vetat hæc ſomnum, ſomnus grauat hic nimis agrum.
Hoc tam lætali ſomno depreſſus aceto
Thymbram commiſcens, foueat caput inde frequẽter,
Sic vitium pigri poterit depellere morbi,
Hanc herbam caueat mulier contingere prægnans,
Nam non manſa modo, ſed partum ſubdita pellit,
Nauſea ſedatur hac, ſi bene trita bibatur
Cum modico vino, vel ſi ſumatur in ouo,
Hocque modo mirè venerem ſolet illa mouere,
Si largo potu viridis vel ſicca bibatur,
Si deſit thymus pro thymo ponere thymbram
Præcipiunt medici, quod vis eſt vna duabus,
Quod ſi cum vino mel iungitur & piper illis,
Non modicum veneris ſuccendere dicitur ignem,
Hinc eſt à Satyris merito ſatureia vocata,
Quod ſint in Venerem nimis hæc animalia prona.

Etymon ſatureiæ.

De Scorodo.

CAP. CXLIII.

PLatearius. Scorodo eſt allium agreſte, calidum & ſiccum in tertio gradu. In productione florũ colligitur, per duos annos ſeruari poteſt, floribuſque tantum in medicina vtuntur, virtutem habet mordendi, & diſſoluendi, & ex ſubtilitate ſubſtãtiæ ſuæ diaphoreticam: vinum decoctionis eius valet contra doloré ſtomachi ex frigiditate & contra ſplenis & hepatis opilationem, contraque diſſuriam & ſtrangurıam fomentum ex aqua decoctio eius menſtrua educit, matricem mundificat, ſtrangurıam diſſuriamque ſoluit: allium quidem eſt calidum & ſiccum in medio quarti gradus, ſcorodon autem ſiccum quidem eſt, & calidum, ſed minus, quam domeſticum, & mediocriter operatur; vnde in receptionibus ponitur & non domeſticum, virtutem habet diſſoluendi & conſumendi & expellendi venenum, vnde contra morſus venenatorum cataplaſmatur. Succus etiam eius interius receptus diſcutit venenum: vnde dicitur *theriaca vulgaris*: valet & ad aperiendas vias hepatis, & vrinales meatus, & contra ſtrangurıam & diſſuriam, & dolorem iliorum, viſui autem obeſt, quia deſiccat, & nocet toti corpori, ſi vltra modum ſumatur, quia generat lepram & apoplexiam, maniam & vlcera: flores alij ſylueſtris diuretici ſunt, & in ſyropo, vel alio potu ſumpti, valent ad ſtrangurıam & diſſuriam. *Dioſcorides.* Scorodi magna eſt vis, omnibus quippe pernicioſis vehementer reſiſtit hominum malis, ſerpẽtes aut ſcorpiones, aliaſque latentes beſtias odore ſuo fugat, & ictibus eorum medetur, ſiue illitum, ſiue in potione, vel cibo ſumptum. Morſui canino cũ melle ſuccurrit, tineas & ventris animalia coctum in mulſa & aceto perimit & expellit, peregrinantibus datum eſui, minimè patitur illos aquarum & locorum mutatione turbari. Diocles hunc hydropicis cũ cẽtaurea miſcuit. Idem & phreneticis elixum dedit. In faba

Virtus eius eſt contra venenum.

Prouerbium.

coctum & temporibus illitum dolori capitis opitulatur, auriumque doloribus eiuſdem ſuccus cum adipe anſerino tepefactus infunditur, raucedinem vocis emendat tenaſmon ex pulte coctum iuuat. Aliud ſcordeum naſcitur in locis montuoſis & ſiluis, habet folia camedriæ ſimilia, ſed maiora & non ita dura. Odore & guſtu ſimile eſt & alio, quod guſtu ſtipticum & amarum eſt, virgaque illi eſt quadra, in qua floré rufum profert. virtus eſt illi thermantica, & diuretica. Cum vino bibitum morſibus, & omnibus veneni generibus occurrit, dolori ſtomachi, & dyſſenteriæ cum hydromele bibitum ſubuenit. Thoracem purgat maximumque præſidium eſt tuſſiemibus, rectè quoque adhibetur conquaſſationibus: acero mixtũ, & ſuperpoſitum, podagris ſubuenit. Paracoleſim vulneri facit, menſtruis imperat, additoque melle vulnera antiqua. & ſordida purgat, & ad cicatricem ducit. Siccum vero impoſitum reſidere facit vulnera. Omnibus autem melius eſt lybicum, & creticum, & ponticum.

A

B

C

Iterum de eodem.

CAP. CXLIV.

Auicenna. Scorodon eſt allium agreſte plurimũ minus, quam hortulanum, habetque longum crus, ſuper quod eſt flos albus. Calidum eſt & ſiccum ad quartum perueniens gradum. Eſt autem ſubtile, aperitiuum, abſterſiuum, vulnera magna. & fraudulẽta conſolidat. & bonum eſt ad attritionem lacertorum. *Auctor* Scorodon licet allium agreſte quadam nominis appropriatione nuncupetur, nihilominus tamen hoc ipſum vocabulum allio cõmuniter tam domeſtico, quam agreſti conuenire videtur. Ideo ſcorodi proprietates hic ordinari placuit inter herbas ſatiuas potius, quam agreſtes.

Macer.

Scorodon argiuè ſunt allia dicta latinè,
Huius vim medici, ſiccam calidamque periti,
In quarto poſuere gradu, manſum vel inunctum,
Curat quos ſerpens vel ſcorpius intulit ictus
Et nocui vermes triti pelluntur odore
Sanat, & appoſitum morſus cum melle caninos
In muſſa coctum commixtum cui ſit acetum,
Et bibitum vermes ventris tineaſque repellit,
Ex elco cum veſte ſua ſi decoquis illud,
Morſus peſtiferos reddes hoc vnguine ſanos,
Corpus, & attritum cura ſanabis eadem,
Vnguina veſica dolor ac humor hoc reprimuntur.
Ipſe refert Hipocras educi poſſe ſecundas,
Fumo combuſti ſi vulua diu foueatur,
Pulmonum varias coctum cum lacte querelas,
Potatumque iuuat, vel crudum ſæpe comeſtum,
Cum centaurea Diocles dare præcipit illud,
Hydropicis ſic humores deſiccat aquoſos,
Idem nephreticis elixum ſumere iuſſit,
Praxagoras illo fuit vſus cum coriandro,
E vino cauſas ſic curans ictericorum,
Et ſic potatum dicit, quod molliat aluum,
Cumque faba coctum capitis ſedare dolorem
Dicitur attrito ſi tempora perlinis illo,
Anſeris huic adipem iungas tepidumque dolenti
Infundas auri, præclarè ſubuenit illi,
Elixum tuſſim iuuat, & ſuſpiria ſedat,
Clarificat raucam crudum coctum quoque vocem,
Sed magis elixum iuuat illam ſæpe comeſtum,
Adiuuat incoctum pulti ſumptumque tenaſmon,
Porcino iungens adipi ſi conteris ipſum,
Non modicos reprimes ſuperaddens ſæpe tumores,
Hunc ignotarum potus non ladet aquarum,
Nec diuerſorum mutatio facta locorum,
Allia qui mane ieiuno ſumpſerit ore.

Confert pulmonibus.

D

E

De Senecione.

CAP. CXLV.

Latearius. Senecio idem eſt, quod naſturtium aquaticum, & eſt in tertio gradu calidum. Senecio-nes cocti cum carnibus vel in aqua ſola mundificant ſpiritualia, fomentum & ex aqua decoctionis eorundem factum valet contra paſſionem iliacam, & contra ſtranguriam, & diſſuriam. Ipſi quoque valent ad idem in vino cocti, & cataplaſmati, ſunt enim diuretici. *Dioſcorides.* Senecio qui ab alijs creſion dicitur, in aqua naſcitur, fruticem habet pinguem, & ramulos longos, foliaque minuta ſimilia Ipoſelino. Quæ cum maſticata ſunt, odorem ſuauiſſimum reddunt. Senecio crudus comeſtus, calculos expellit, dyſſentericis proficit, vrinam prouocat, menſtruis imperat. *Auctor.* Ex prædictis patet, quod herba illa, quæ ſimpliciter id eſt ſine additione naſturcium ab autoribus appellatur, non eſt illud aquaticum, ſed potius hortulanum. Nam de illo dicit. *Palladius de agricultura li. 3.* quod naſturcium omni tẽpore conſtat eſſe ponendum id eſt plantandum vel ſeminandum loco quali placebit, & cœlo. Cæterum inquit humorem quamuis diligat tamen deeſſe non curat. Et ſi cum lactuca ſeratur egregiè naſci fertur, hæc Palladius. Illud inquam ſatiuũ naſcitur in ſicco, hoc autem ſuo tempore ſponte naſcitur in humido, illud eſt calidum in gradu quarto, hoc autem in tertio. Quod etiam vocabulo proprio dicitur ſenecio. Nam ſenecio eſt carduus benedictus, de quo iam in alio libro dictum eſt ſuperius.

Contra calculum.

De Seride.

CAP. CXLVI.

Linius lib. 20. Seris lactucæ ſimillima duorum generum eſt. Sylueſtris melior eſt nigra iſta, & æſtiua. Deterior hiberna, & cãdidior eſt, vtraque tamen ſtomacho vtiliſſima, præcipuè quem humor vexat, & cum aceto in cibo refrigerant, vel illitę diſcutiuntque, & alios, quam ſtomachi. Cum polenta ſylueſtrium radices ſtomachi cauſa ſorbentur, & cardiacis ſuper ſiniſtram mammã illiniuntur ex aceto podagris, & ſanguinẽ reijcientibus vtiles ſunt omnes hæ. Itemque quibus genitura fluit alterno dierum potu. Petronius Diodotus ſeridem multis modis arguẽs in totum damnauit, ſed aliorum omnium opinio reſiſtit. *Dioſcorides.* Seridis duæ ſunt ſpecies, vna videlicet agreſtis, & alia hortiua eſt. Agreſtis quidem pinguis, & cytoton eſt appellata. & habet folia lata. Altera vero eſt hortiua: ſpecies habet duas, vna quidem habet lata folia lactucæ ſimilia, altera vero eſt amara & habet folia anguſta. Omnium virtus eſt ſtiptica & euſtomacha, ventrem abſtinet cum aceto cocta, maximèque agreſtis, vexatum ſtomachum confirmat, & æſtuationes mitigat. Sola cum polenta impoſita blanditur cardiacis, & oculorum tumori ſubuenit, folia impoſita vt cataplaſma mitigant ſcorpij percuſſum. Ipſa quoque addita polentis, & impoſita compeſcit ignem ſacrum. Mixta cum aceto ac ceruſa omnibus calidis rebus opitulatur.

Duæ ſpecies ſeridis.

De Serpillo.

CAP. CXLVII.

Iſidorus. Serpillus dicitur, eo quod radices eius longè ſerpant. Eadem & matris animola dicitur, eo quod menſtrua moueat. *Palladius libro 3.* Menſe Martio ſerpillum plantis aliquo ſemine ſeritur, ſed vetuſta melior lætius frondebit, ſed iuxta

piſcinam

piſcinam vel lacum vel peutei margines conſeratur.
Etymon. *Plinius vbi ſupra.* Serpillum à ſerpendo putant dictum, quod in ſylueſtri euenit, maximè in petris. Satiuum non ſerpit, ſed ad palmi altitudinem increſcit, pinguius voluntarium, & candidioribus folijs. & ramis, efficax eſt aduerſus ſerpentes, maxinè cenchrin & ſcolopendras terreſtres, atque marinas, & ſcorpiones decoctis ex vino ramis, & folijs, fugat & odore comminus hoc ſi vratur, & contra marinorum venena præcipuè valet. Capitis autem doloribus in aceto decoctum illinitur cum roſaceo fronti, & temporibus. Item phreneticis, ac lethargicis, contra tormina, & vrinæ difficultatem, & anginas, & vomitiones drachmis quatuor datur. Ex aqua bibitur & ad iocinerum dolores. Eius folia obolis, quatuor ex aceto dantur ad lienem, & ad cruentas excreationes in duobus cyathis aceti ac mellis teritur.
Cicer erraticum. *Dioſcorides.* Serpillum quem alij herpillum, latini verò cicer erraticum vocant, herba eſt humilis ac per terram repens cum folijs, & ramis origano ſimilibus, albidioribus tamen, ſampſuchi odorem fragrantibus. Species eius duę ſunt, vna ſcilicet hortualis ſiue vſualis, quæ in campis ſaxoſis creſcit atque lapidoſis. Alia verò agreſtis, quæ zoir appellatur, quę non per ſolum ſerpit, ſed directa, & extante poſitione erigitur. Cum ramulis bipalmis tenuibus, & horrentibus, cum foliis paruulis, foliis rutæ ſimilibus, ſed anguſtis, & longioribus cum haſta ſimilante ſarmenta, florem & odorem ſuauem habet in omnibus virgis conſtitutum, & in ſuauitate purpureum, ac mordentem linguam, & guſtu viſcidum. Naſcitur in locis ſaxoſis, eiuſque radix eſt inutilis. Eſt & alia vehementior, & calidior vſualis, quæ ideo dicitur herpillum, eo quod Græci herpere repere dicunt. Nam frutex huius plurimum fruticando per terram repit, virtutem habet conſtrictiuam ſiue redarguentem. Menſtruis imperat, vrinam prouocat, tortionem & conquaſſationes vtiliter curat. Tumorem hepatis compeſcit, morſibus venenatis occurrit, bibitum, & impoſitum id præſtat. Vt autem ſerpilli potentiam intelligas, Antiochus rex magnus theriaca ex ſerpillo cum aliis rebus confecta ſemper vſus eſt aduerſus toxicam, & potionem malam, & animalia venenata, eamque in templo Æſculapii dedicauit, ſicque quantum ei debuerit ex hoc licet colligere, quòd teſtimonii ſuo arbitrio medicinas deinde fecerat.

Iterum de eodem.

CAP. CXLVIII.

Platearius. Serpillum eſt calidum, & ſiccum, & eſt duplex: domeſticum ramos ſuper terram effundit. Syluaticum in longum creſcit, & in altum, folia & flores eius medicinæ competunt, valet contra frigidum rheuma, contra tuſſim, contra frigiditatem ſtomachi, & dolorem ex ventoſitate. *Ex herbario.* Serpillum quòd in montibus ſaxoſis naſcitur, efficacius eſt ad medicinam, huius tunſi, & ſiccati puluis cum aqua calida potatus menſtrua mouet, vrinam prouocat, tortiones viſcerum, & fomentorum ruptiones ſanat. Idem valet ad capitis dolorem, ad ſerpentium ictus, ad phreneticos, & letargicos.

Macer.

Serpillum veteres dixerunt, quod quaſi ſerpat,
Terræ vicinius, huic feruida ſiccaque vis eſt,
Acri cum vino tritum contundis olino,
Cui roſa dat nomen, hoc vnguine perline frontem,
Ægroti capitis ſolet hoc ſedare dolorem,
Nidor combuſti ſerpentes effugat omnes,
Et quoduis animal infundens ore venenum,
Hunc ideo miſcere cibis meſſoribus eſt mos,
Vt ſi forte ſopor feſſos depreſſerit illos,
Vermibus à nocuis tuti quieſcere poſſint.

Peſtiferos morſus bibitum iuuat, appoſitumque,
Prouocat vrinas, compeſcit tormina ventris;
Splen iuuat, admixto ſi ſæpe bibatur aceto,
Si mel prædictis iungatur ſputa cruenta,
Lactantes mire potus ſolet ille iuuare.
Hauſtum cum vino iecoris ſedare dolorem
Dicitur, isque ſolet producere menſtrua potus.

De Sicla.

CAP. CXLIX.

Vicenna. Sicla duarum ſpecierum eſt, quarum vna nigra propter vehementiam viriditatis. Altera vero nota eſt. Apud quoſdam eſt in primo calida, & ſicca, & ſecundum veritatem eſt compoſitarum virtutum, & apud quoſdam eſt frigida. *Temperamentum.* Nec dubium eſt quin in eius radice humiditas ſit, in ipſa eſt virtus baurach ſubtiliatiua, & reſolutio: & apertio fortior reſolutione attriplicum, & lenificatio. In nigra eſt ſtipticitas, & propriè cum lentibus. Et baurachitas, quæ eſt in ipſa, eſt reſolutiua, & terreitas eſt conſtrictiua vel contractiua. Totum elixatum eſt mali chymi, totumque parui nutrimenti ſicut olera reliqua. Succus eius ac decoctio foliorum, fiſſuras frigoris prohibent, & alopiciei conferunt. Confert etiam panno, & quandoque abſcindit verrucas ſuccus eius, & interficit pediculos. Ex eadem elixata fit emplaſtrum apoſtematibus, ac reſoluit, & maturat ea. Eius folia decocta bona ſunt ignis aduſtioni. Et linita cum melle conferunt impetigini. Ex eius aqua cum felle gruis, fit capitipurgium, *Capitipurgium.* ac delet torturam, & valet ad vlcera narium. Itē eius aqua diſtillatur in aurem, & ſedat eius dolorem. Radix eius eſt mala ſtomacho, faciens nauſeam, & hoc plurimum propter baurachitatem eius mordificatiuā. Ad opilationes hepatis fortior eſt apertione maluæ cum ſynapi, & aceto proprie. *Iſaac in dietis particularibus.* Sicla quā vulgus appellat blitum, calida, & ſicca eſt in gradu primo. Illaudabile ſtomacho nutrimentum generat, propter quandam ſui acuminis, & humiditatis multitudinem. Quæ tamen ſi coquatur cum aceto, obſomagro, carui, oleo onfacio vel amigdalino facilis quidem digeſtioni fit, ſed parum nutrit, ventrem humectat, hepatis opilationem aperit; maximè vero ſi de craſſis ac viſcoſis humoribus ſit. In aqua cocta, & ſic comeſta fit ſtiptica. *Auctor.* De hac quoque ſub nomine bliti dictum eſt ſuo loco in ſuperiori parte huius libri.

De Sinapi, & eius cultura.

CAP. CL.

Iſid. Sinapis dicitur, eo quod foliis ſimilis ſit napo, *Etymon.* & vt autores dicunt calidam habet virtutē, & egeritur, ſed ſtringit vrinam. Crudum in cibo ſumptum, ſtomacho contrarium eſt. Coctum vero in olere ſtomachum iuuat. Semen eius cum aceto ſerpentium vulnera curat *Palladius de agricultura li.* 11. In menſe Octobri ſynapim conuenit ſeri. Terram diligit aratam, & ſi fieri poteſt congeſticiam, quamuis vbique naſcatur. Sarculari debet aſſiduè vt reſpergatur puluere quo fouetur, non minus gaudet humore, de quo ſemen legere diſponis, ſuo loco eſſe patiaris. Quod ad eſcam robuſtius facies tranferendo. In ſinapi vetus ſemen eſt vtile vel ſationi vel vſui. Quod *Signum nouitatis vel vetuſtatis ſinapis.* dentibus fractum ſi intus viride videbitur, nouum eſt, ſi album fuerit, vetuſtatē fatere. *Plin li* 19. Sinapi nulla eſt cultura melius tamen planta relata. Quin è diuerſo vix eſt fato ſemel illo liberare locum, quia ſemē cadens protinus viret, vſus etiam eius eſt pro pulmentario in patellis decocto citra intellectum acrimonię. Coquuntur, & folia ſicut olerum reliquorum. Sunt autem trium generum vnum videlicet eſt gracile, alterum rapi foliis, tertium erucæ ſimile. Semen opti-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mum eſt Ægyptium *Dioſcorides*. Sinapi Pythagoras inter illa, quæ propter virtutem, & efficiam laudat, primum locum aſſignat. Cuius naturam medici thermanticam eſſe volunt, eo quod alicui applicatum calefaciat, ſeptimicam, eo quod quicquid inueuit extenuet, epiſpaticam, eo quod quem comprehendet humorem educat.

De operatione ipſius in medicina.

CAP. CLI.

Vicen. Sinapis eſt calida, & ſicca vſq; ad quartum, & illa quæ ſilueſtris eſt generat humorem malum. In ipſa eſt abſterſio, & reſolutio. Radix eius, & folia comeduntur elixata. Inſcidit phlegma, Reſoluit apoſtemata calida. Et omne antiquum apoſtema, confert ſcabiei, & impetigini ac dolori iuncturarum, & iſchiaticæ, febribuſque periodicis, & antiquis, & præfocationi matricis. Splenem extenuat, ſitim facit, & deſiderium coitus. Mundificat humores capitis. Et ex ea fit emplaſtrum contra lithargiam, aqua eius diſtillatur ad omnem dolorem auris, & molaris, & eius oleum ſimiliter aperit etiam colatorij opilationem. Et dixerunt quidam, *quod ſi bibatur à ieiuno, bonum efficit intellectum*, adminiſtratur etiam in alcofol oculi, ad pannum, & aſperitatem. Tritum, & bibitum cum aqua mellis aufert aſperitatem antiquam in canna pulmonis. Oleum eius calidius eſt oleo raphani, fugiunt ex eius fumo vermes venenoſi, Syluestris emplaſtrum valet ſordiciei, linguam exiccat, & alopiciæ confert.

Nota.

Pli. li. 20. Synapis ad ſerpentium ictus, & ſcorpionum tritum cum aceto illinitur, fungorum venena diſcutit. Contra pituitam tenetur in ore donec liqueſcat, aut gargarizatur cum aqua mulſa. Ad dentium dolorem manditur, ad vuam gargarizatur cum aceto, & melle. Stomacho vtiliſſimum contra omnia vitia, pulmonibuſque. Excreationes faciles facit in cibo ſumptum, datur & ſuſpitioſis. Item comitialibus tepido cum ſucco cucumerum. Senſus atque ſternutamenta capitum purgat, aluum mollit, menſtrua & vrinam ciet. Et hydropicis imponitur. Cum fico, & cumino tuſum ternis partibus comitiali morbo, & vuluarum conuerſionem ſuffitum excitat odore aceto mixtum, Item lethargicos, adiicitur cordylon, eſt autem ſemen ex ſe ſe, & ſi vehementior ſomnus lethargicos premat, cruribus aut etiam capiti illinitur cum fico, & aceto. Veteres dolores thoracis lumborum, coxēdicum humerorum, & in quacumque parte corporis ex alto vitia extrahenda ſunt, Illitum cauſtica vi emendat puſtulas faciendo. At in magna duricia ſine fico impoſitum; vel ſi vementior, vertigo timeatur per duplices pannos, vtuntur ad alopicias cum rubrica, pſoras, lepras, pthitiaſes, lithannicos, opiſtothonicos. Inungunt quoque ſcabras genas aut cum gallica inter oculos cum melle. Succuſque tribus modis exprimitur in fictili, caleſcitque in eo in ſole modice. Exit è cauliculo, ſuccus lacteus, qui ita cum induruit, dentium dolori medetur. Sinapis ſemen, & radix cum immaduere muſto conteruntur, & manus plene menſura ſorbentur ad firmandas fauces ſtomachum, oculos, caput, ac ſenſus omnes, mulierum quoque laſſitudines ſaluberrimo genere medicinæ. Calculos quoque diſcutit, ex aceto potum. Illiniuntur & liuoribus, ac ſugillatis cum melle, vel anſerino adipe: fit & oleum ex ſemine madefacto in oleo, & expreſſo, quo vtuntur ad neruorum rigores, & lumborum ac coxendicum perfrictiones.

Vſus medicinalis.

MACER.

Inter eas quas Pythagoras laudauerat herbas,
Aſſeritur primam laudem tribuiſſe ſinapi,
Quartus ei gradus eſt in vi ſicca calidaque.
Extrahit humores viſcoſos extenuatque,
Comburitque cutem, vis eſt ſibi tanta caloris.
Maior vis eius in ſemine dicitur eſſe.

De Siſere.

CAP. CLII.

Plinius li. 19. Siſer Tyberius princeps omnibus annis à Germania flagitans nobilitauit, cuius in Gelduba caſtello Rheno impoſito generoſitas eſt præcipua, ex quo apparet frigidis locis conuenire. Ineſt ei longitudine neruus, qui in decoctis extrahitur amaritudinis magna parte relicta, quę mulſo in cibis temperata, etiam in gratiam vertitur. Neruus idem & paſtinacæ maiore duntaxat anniculæ. Siſer ſeritur menſibus his videlicet Februario, Martio, Aprili, Auguſto, Septembri, Octobri, Breuior his eſt ſed toroſior amariorque medulla per ſe minutiſſima. Eadem vero dulcibus mixtis ſalubertima: inuenit gratiam pluribus modis auſteritate victa. Nam & in pollinem tunditur arida, liquidoque dulci temperatur, & decocta poſtea, aut aſſeruata vel macerata pluribus modis, & tunc mixta defruto, aut ſubacta melle vuiſve paſſis aut pinguibus cariotis, alio rurſus modo cotoneis malis vel ſorbis aut prunis aliquando pipere vel thymo variata, defectus præcipuè ſtomachi excitat. Iuliæ Auguſtæ quotidiano cibo maximè illuſtrata. Seritur autem & ſiſer, & paſtinaca vtroque tempore, ſcilicet vere, & autumno, magnis ſeminum interuallis nullave minus quaternorum pedum, quoniam ſpacioſe fructificat ſi ſeratur, transferre autem melius. *Idem in lib.* 20. Siſer erraticum ſimile eſt ſatiuo & effectu, & excitat ſtomachum. Ex aceto laſerpiciato ſumptū aut ex pipere, & mulſo cit vrinam, & vt Opinio credit etiam venerem. Eſt & Diocles in ſententia eadem, præterea cordi conualeſcentium conuenire, & poſt multas vomitiones per quàm vtile. Heraclides contra argentum viuum dedit, & veneri ſubinde offenſantem ægriſque recolligentibus. Hunc Hæſiuus ideo ſtomacho vtile videri dixit quoniam nemo tres ſiſeres edendo continuaret. Eſſe tamen vtile conualeſcentibus, & ad viuum tranſeuntibus. Satiuique priuatim ſuccus aluum ſiſtit, cum lacte caprino potus. *Dioſcorides.* Siſarum eſt omnibus notum, quod comeſtum, eſt cuſtomachum. Radix eius elixa, & comeſta, tollit faſtidium, & eſt diuretica.

Tempus quo ſeritur.

Cibus Iuliæ Auguſtæ.

De Solatro.

CAP. CLIII.

Vicenna. Solatrum melius adminiſtratur, habens folia viridia, ſemenque citrinum, eſt enim quinque ſpecierum. Natura frigidum eſt in primo, ſiccum in ſecundo, hortulanum eſt infrigidatiuum, & conſtrictiuum. Eſt etiam quoddam genus ſtupefactiuum faciens ſomnum, proprietatibus ſuis ſimile opio, niſi quia debilius eſt illo. Eſt autem ſtupefactiunm in tertio gradu frigidum, & ſiccum: & eſt quoddam genus eius, quod eſt mortale. Eſt itaque emplaſtrum bonum omnibus apoſtematibus calidis intrinſecis, & extrinſecis, & bibitur eius aqua ad apoſtemata calida intrinſeca, & ponitur eius aqua cum ceruſa, & oleo roſeo ſuper eriſipilam, & formicam. Cortex eius radicis eſt vehementis exiccationis. Si ex ſtupefactiuo bibatur vltra duodecim grana *facit maniam euenire*, gargariſmus autem ex eius aqua confert apoſtematibus linguæ, ſi bibatur ex eius cortice cum vino pondus aurei ſomnum attrahit, emplaſtrum ex ſolatro trito factum capiti, ſanat ſoda, & reſoluit radicis auris ac velaminis cerebri apoſtemata. Confert etiam diſtillatione dolori auris, ſanatque fiſtulas oculi lachrymalis, & ſucus ſpecierum eius vſque ad illam, quę facit ſomnum; & ex eo factum alcophal confortat viſum. Stupefactiui ſemen eſt vrinæ prouocatiuum, renum

Cauſat maniam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ac veſicæ mundificatiuum, omneſque ſpecies eius cum ſupponuntur abſcindunt fluxum menſtruorum, & eſt ex illis quæ infrigidant ac pollutionem prohibent. Eſt autem præter prædictas quædam ſolatri ſpecies, quæ interficit, ſi comedantur ex ea quatuor aurei. Nec eſt in ea ſolatri iuuamentum niſi ad emplaſtrum faciendum. *Auctor.* Solatrum ipſa eſt morella, de qua iam in alio libro dictum eſt ſupra. Ipſa quoque alio nomine ſtrignus vel ſtrignos appellatur, ſub quo videlicet nomine propter ſpeciem eius hortulanam, de ipſa quoque protinus dicetur inferius.

Morella.

De Strigno.

CAP. CLIV.

Dioſcorides. Strigni quatuor ſunt ſpecies, prima eſt hortualis iucundi odoris, & hæc comeditur. Nam frutex eius eſt minor, ramulos habens plurimos, folia verò nigra, ocimo maiora, & latiora, ſemen autem eius eſt viride, nigrum aut rufum, quod cum maturauerit, ſe mutat in colorem flauum. Vtilis eſt manducata, virtuſque illi eſt frigida vnde adhibita cum polenta ignem capitis, & æſtuationem ſtomachi compeſcit, addito & pane parotidibus medetur. Spuma vero argenti mixta & ceruſa, & oleo roſeo, herpetas curat, ignem ſacrum extinguit, ſola cum pane infantium æſtuationem tollit, id & oleo roſeo facit. Succus eius collyris miſcetur, cum ouo vel aqua maximè cõficitur ad rheuma oculorum, doloré quoq; aurium mitigat. Altera eſt ſtrigni ſpecies, quã alij cacabum vocant, foliis ſupradictę ſimilibus, ſed latioribus. Haſtæ vero eius cum creuerint, per terram expanduntur. Semen in folliculis habet obrufum, & obrotundum, ſicut in veſica, lene ſicut vua, & in coronis à pluribus componitur. Virtus eius, & vſus ſimilis eſt ſupradictæ, ſed non comeditur. Semen eius bibitum icterícos per vrinam curat. Amborum folia in vmbra exiccantur, & omnia prædicta faciunt, frigidęque virtutis ſunt. Strignus hipnoticus à latinis *lunaria* vocatur, frutex eſt haſtas habens ſpiſſas, & multas, & ſarmentoſas, & non fragiles, foliaque pinguiora, malis cydonijs ſimilia, cum flore rufo, & maiori. Semen ei eſt in folliculis colore croceum. Radix eius corium obrufum habet & maior eſt. Naſcitur in locis aſperis, ac in petroſis. Corium radicum eius cum vino bibitum præſtat ſomnum, ſecundum aliquos autem hoc non ſolũ, ſed grauationem. Virtus ei ſimilis apio, ſed paulo minor. Semen eius vrinam prouocat nimis. Dantur & capitella. 12. & medentur hydropicis, ſi verò maniam prouocat, quod mulſa abundanter bibita emendat. Corium, & ſuccus eius decocta in vino dolorem dentium mitigant gargariſmo. Idem ſuccus eius caliginem oculorum detergit melli additus. Strignus macion, quem latini *furialem* dicunt, eo quod furorem faciat; habet folia euſonio, ideſt erucæ ſimilia, ſed maiora, & ſpinoſa. Haſtæ ſunt illi 10. aut 12. hæderæ ſimilia, mollia ſicut acina. Radix alba, & craſſa, & larga, vno cubito longa. Naſcitur in montuoſis locis, vbi abundant platani. Radix eius eſt venenoſa, & bibita infert necem vel inſaniam, vel mala phantaſmata.

Medetur parotidibus.

Lunaria.

Furialis.

De Struthio.

CAP. CLV.

Iſidorus. Struthios quam quidam *herbam lanariam* vocant, eo quod plerique lanam ex eo lauent, naſcitur in locis cultis. Hæc & ſplenos dicta eſt, eo quod ſplen auferat, vel ſcolopendros, eo quod eius folia ſcolopendro animali ſunt ſimilia, de qua ſcilicet ſub nomine ſcolopendræ dictum eſt ſupra. *Dioſcor.* Struthio lanarij vtuntur ad fumigium lanæ, quo lana limpidatur. Radices eius rotundæ ſunt & oblongæ quæ bibitæ diureticæ ſunt, & calidę. Hepaticis tuſſientibus, & orthopnoicis medentur. Morbo etiam regio vtiliter adhibentur. Cum panace, & cyparo bibitæ calculos veſicæ frangunt, & excludunt, ſchyroſim ſplenis ſpargunt. Struthium matrici appoſitum menſtruis imperat, & facit abortum. Cum polenta, & aceto poſitum tollit lepras, cum ordei farina impoſitum limpidat fiſtulas.

Herba lanaria.

Cõtra morbum regiũ.

Plinius lib. 24 Herba lanaria quibus data ieiunis facit abundantiam lactis. *Platearius.* Struthios, ideſt agreſtis cauliculus in ſecundo gradu eſt calidus, & ſiccus, Succus ac ſemina foliaque competunt vſui medicinæ, Cum inuenitur receptio cauliculi, ſemen caulis agreſtis debet poni. Cum autem ipſa folia debent poni, ſuccus ita debet præparari, folia conterantur, & ſuccus expreſſus ad ſolem deſiccetur, per biennium durat. Folia viridia poni debent in medicinis, & in vnguentis. Virtutem habet diſſoluendi, & extenuandi, & diureticam. Contra linguæ paralyſim ſemen eius commaſticetur, & à patiente diu ſub lingua teneatur, ſi paralyſis in ſuperficie ſit alicuius partis corporis, ſemen conteratur, & in ſacculo poſitum in vino decoquatur, & ſuper locum patientem ſaccelletur. Contra lithargiam puluis eius naribus inſufflatur; vt cerebrum commoueatur. Denique contra iliacam, & ſtranguriam, & diſſuriam eius folia benè in oleo coquantur, & ſuper pectinem cataplaſmentur.

Contra linguæ paralyſim.

Macer.

Struthion oſtracium, quod vulgi more vocatur,
Vim calida ſiccamque tenet, radix fugat eius
Cum vino morbos iecoris ſi trita bibatur,
Ictericos ſic ſumpta iuuat ſpleniſque tumorem
Durum, quem Graci ſclyroſim dixere repellit,
Hocque modo lapides veſicæ frangere dicunt,
Menſtrua ſic lotiumque mouet tuſſique medetur,
Sic orthopnoicis prodeſt ſi ſæpe bibatur,
Subdita matrici depellere fertur abortum,
Et ſic tarde nimis educere menſtrua tradunt,
Acri cum vino ſi iungitur atque polenta,
Illius ſuccus lepras emundat inunctas,
Hoc etiam ſucco tincto cum polline quam dant
Ordea, curatur vt dicunt puſtula quauis,
Si ſuperaddideris emplaſtri more dolori.
Illius ſuccus cum melle terendo iugatus,
Humores capitis purgat ſi nare trahatur,
Sternutamentum per ſe puluis mouet eius,
Naribus iniectus maratro non ſegnius albo,
Ictericos mire ſuccus medicabitur eius,
Hunc ſi nare trahunt lacti mixtum muliebri.

De Thymo.

CAP. CLVI.

Iſidorus. Thymus dicitur, eo quod odorem refert flos eius. *Plinius. lib.* 21. Thymi plures ſunt in coronamentis ſpecies, candidum, nigricans. Circa ſolſtitia florent, cum & apes decerpunt, & augurium mellis eſt. Prouentum enim ſperant apiarij, eo largè floreſcente. Lædítur autem imbribus, amittit florem. Semen thymi non poteſt deprehendi, cum tamen quàm perminutum non fallat origani, Sed quid intereſt id occultaſſe naturam in flore ipſo intelligitur, eoque fato naſcitur. Attici mellis in orbe toto ſumma laus exiſtimatur. Ergo tranſlatum eſt ex attica thymum, & vix flore vti docemus ſatum. Sed alia ratio naturæ obſiſtit, non durante attico thymo, niſi in afflatu maris ſeratur. Erat quidem in omni thymo hæc opinio antiqua. ideoque non eum naſci in Archadia. Tunc & oleam non putabant gigni niſi intra trecenta ſtadia à mari. Thymis quidem nunc etiam lapideos campanos in prouincia Narbonenſi refertos ſcimus: hęc penè ſolo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quãdo colligitur thymus.

redditu & longinquis regionibus pedum milibus conuenientibus, vt thymo veſcãtur. Thymum oportet *in flore colligi, & in* vmbra ſiccari. Duo ſunt autem eius genera, candidum radice lignoſa, naſcens in collibus, quod & præfertur. Alterum verò nigrius floriſque nigri, vtraque multum exiſtimantur, & in cibo, & in medicamentis oculorum claritati conferre. Itemque diutinæ tuſſi faciles excreationes facere cum aceto, & ſale, ſanguinem non patitur concreſcere, è melle longas faucium diſtillationes extra illita cum ſynapi extenuare, & iterum ſtomachi vitia ventriſque. Candilomata excalefaciunt quamuis ſiſtunt aluum, quæ ſi exulcerata ſit, denarij pondus in ſextarium aceti & mellis addi oportet. Item ſi lateralis dolor ſit, aut inter ſcapulas, vel in thorace, ex aceto cum melle medetur præcordiis. Quę potio datur & in alienatione mentis ac melancholicis, datur & comitialibus, quos correptos excitat thymi olfactus. Aiunt, & dormire oportere ipſos in molli thymo: prodeſt & orthopnoicis, & anhelationi, mulierumque menſibus retardatis, vel ſi mortui ſint in vtero partus, decoctum in aqua ad tertias. Et viris autem contra inflationes cum melle, & aceto, ſi venter turgeat, teſteſve, aut ſi veſicæ dolor exigat. E vino tumores, & impetus tollit impoſitum. Coxendicibus imponitur cum articularibus morbis ſale tritum obolorum pondere in tribus cyathis aceti, & mellis. Et in faſtidio tritum cum ſale.

Prodeſt mortuis in vtero partubus excutiendis.

Cõtra phlegma.

Salutaris eſt iſchyaticis.

Iterum de eodem.

CAP. CLVII.

PALLADIVS. Thymum, & in Septembri menſe vltimo cõuenit ſerere, ſed melius plantis naſcitur, quamuis poſſit, & ſemine, agrum diligit apricum, macrum, maritimum. *Dioſco.* Thymus eſt herba omnibus nota, frutex eſt habens folia anguſta, puſilla, & oblonga, & in ſummo capitella in ſpem formicarum in ſe implicata. Eſt enim herba humilis, & ramoſa cum duris ramulis, & lignoſis, cui flos eſt purpureus, & naſcitur in locis ſaxoſis, & aſperis, vires habet acres, & calefactorias paululum ſtringentes propter quod omnibus ſtomachi thoraciſque vitiis aptiſſimum eſt medicamen. Bibita verò cum ſale, & aceto phlegma deponit per ventrem. Elixatura eius addito melle medetur orthopnoicis, & aſmaticis, lumbricos excludit, menſtruis imperat, ſecundinas deponit, abortum facit, cataplaſmata, tumores recentes ſpargit, ſanguinem coagulatum diſſipat, clauoſque corporis tollit. Addito polline, & macerato cum vino iſchiaticis eſt ſalutaris feruens ſuperpoſita, oculorum caliginem detergit commeſta, condituris omnibus neceſſariè miſcetur, trita ex aceto papulas fugat impoſita, & imminentia excludit mala. *Conſtantin. vbi ſup.* Thymum eſt in tertio gradu calidum, & ſiccum. Cum ſale, & aceto craſſum phlegma purgat, & viſcoſo phlegmati pectoris ſuccurrit, lumbricos expellit, menſtrua deducit, acuitatem phlegmonis de pectore excludit, & opilationem interiorum aperit. *Aui. in 2. Can. medicinę.* Thymi ſemen fortis eſt caliditatis, prouocat & extrahit embryonem mortuum, & ſolutione ſanguinem educit, & humorem cholericum, extrahitque vermes.

De Tribuloſa, & tubere.

CAP. CLVIII.

EX *herbario*. Tribuloſa duorum generum eſt, alia quippe naſcitur in hortis, alia eſt agreſtis. Cuius maior efficacia eſt, & habet folia portulacæ ſimillia, ſed maiora, caules mittit ſecus terras in quibus habet quoſdam globulos, duris ſpinis extantibus, angulatos in quibus eſt ſemẽ incluſum, & habet virtutem ſtipticam atque frigidam: hæc trita, & corpori appoſita feruens mulcet, tritaque cum melle omnes oris & faucium curat putredines. Eadẽm herba cum ſemine decocta, *pulices necat*, ſi aqua ipſa domus aſpergatur. Huius ſemine Phæaces faciunt panes, & cum vino potio eiuſdem ſeminis, contra veneni potionem eſt ſalutaris. *Iſido.* Tuber eſt oleris ſpecies, quam tumor terræ prodit eaque cauſa illi nomen dedit. *Plin. libr. 19.* In rerum miraculis (vt iam dictum eſt ſuperius) maximum eſt aliquid naſci vel viuere ſine vlla radice. Tubera vocantur hęc vndique terra circundata, nulliſque fibris aut ſaltem capillamentis nixa, nec vtique exuberante loco in quo gignuntur, aut rima ingente, nec ipſa cohęrent terræ. Cortice etiam includuntur vt planè, nec terram eſſe poſſimus dicere, neque aliud, quam terræ callum. Siccis hæc ferè ſabuloſis locis frutetoſiſque naſcuntur, & excedunt ſępe magnitudinem mali cotonei, etiam librali pondere. Duo ſunt illorum genera, videlicet arenoſa dentibus inimica, & altera ſyncera: diſtinguuntur etiam colore rufo, ac nigro, & intus candido, laudatiſſima, *quæ creſcunt in Aphrica Laercio Licinio, Prætorio* viro iura reddente in Hiſpania Carthagine paucis his annis ſcimus accidiſſe mordenti tuber, *vt deprehenſus inde denarius primo dentes inflecteret*. Quo manifeſtum eſt terræ naturam in ſe globari, quod certum eſt ex his, quæ naſcuntur, & non poſſunt ſeri. De tuberibus peculiariter hæc traduntur. Cum fuerint *imbres autumnales aut tonitrua crebra tunc naſci*, & maximè è tonitribus, nec vltra annum durare, verno autemeſſe tenerrima. *Auicenna.* Tubera ſunt ex ſubſtantia terræ plus, & aquæ minus. In ſa eſt acritas, & ſubtilitas pauca, ſuntque ſapore priuata. Meliora ſunt ex his arenoſa, & alba, non mali odoris, & ſicca deteriora ſunt humidis. Elixata poſt excoriationem ac ſciſſionem in aqua, & ſale cum oleo ac ſpeciebus condentibus cocta ſunt meliora. Porro deteriora generis eorum ſunt fungi, & propriè eorum, qui naſcuntur ſub arboribus, & in terra mala. Sunt autem tubera valde craſſa, præbentque nutrimentum craſſum, & melancholicum, nec in hoceis aliquid appropinquat. Theriaca eorum *eſt vinum purum, & ſpecies condientes*. Timetur ex eis apoplexia, & paralyſis, faciunt incurrere cholicam, & vrinæ difficultatem. Tardæ digeſtionis ſunt, & grauantia ſtomachum, & ſunt craſſi chymi. Gal. tamen in quodam loco dixit, quod non ſint mali chymi.

Contra pulices.

Natura miraculum.

Laudatiſſima quæ?

Nota.

Tempus in quo naſcuntur.

Vinum theriacatuberũ.

De Viola.

CAP. CLIX.

ISIDORVS. Viola dicitur propter vim odoris. Huius genera tria ſunt, videlicet purpureum album, melinum. *Plinius libr. 21.* Violis honos eſt proximus liliis. Plura ſunt eorum genera, videlicet purpureæ, luteæ, albæ, plantis omnes vt olus ſatę. Ex his verò, quæ ſponte apricis, & macris locis proueniunt, purpureæ latiore folio ſtatim à radice carnoſa exeunt, ſolæque diſcernuntur à cæteris Græco nomine appellatę, ita vt ab his hyacinthina veſtis. Sed ſatiuis maxima auctoritas luteis. Genera ſunt his Tuſculana, & quæ appellatur marina aliquanto latiore folio, ſed minus odorato. In totum verò ſine odore minutoque folio calathiana, munus autumni, cæteræ veris, proxima eſt ei caltha cum coloris aliàs concolori amplitudine. Vincit numero foliorum marinam non excedentẽ folia quinque, eadem ſuperatur odore. Cãdida florum prima ver nunciantium, viola alba. Tepidioribus autẽ locis etiã hyeme emicat. Poſtea quæ appellatur purpurea, proximè flammea, quę & philox vocatur, ſylueſtris dũtaxat. Cocliaminon bis in anno, vere & autumno; hyacinthus maximè durat. & alba

Etymon.

Calathiana.

Caltha.

Philox.

viola,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

viola, ſi crebro prohibeatur deuulſa. Nouiſſima vero roſa, eadē primo deficit excepta ſatiua. In Italia violis ſuccedit roſa, vita longiſſima eſt violæ albæ trimatu. *Palladius li.* 3. In menſe Februario plantæ violarum, & croci bulbi ſunt ſere ndi, vel ſubtiliter ſi fuerant ante fodiendi.

De Virtute ipſius in medicina.

CAP. CLX.

Contra inflationes.

Plinius vbi ſupra. Violæ ſylueſtres ſunt & ſatiuæ, purpureæ quidem refrigerant. Contra inflationes illiniuntur ſtomacho ardenti: Imponuntur capiti quoque in fronte. Oculorum priuatim epiphoris, aut ſede vuluaue procedente valent contra ſuppurationes, crapulam, & grauedines capiti coronis impoſitis, olfactuque diſcutiunt, Anginas ex aqua potæ: id quod purpereum eſt ex his, comitialibus medetur in aqua potum, maximè pueris. Semen violæ ſcorpionibus aduerſatur. Flos albæ ſuppurata aperit, ipſaque diſcutit, alba autem, & lutea extenuant menſtrua, ciunt vrinam. Minor recentibus eſt vis, ideoque poſt annum vtendum eſt aridis, lutea menſes trahit in aqua trita. Radices illitæ cum aceto ſedant lienem, itemque podagram. Oculorum autem inflationes cum mirrha, & croco, folia cum melle capitis vlcera purgant. Cum cera vero rimas ſedis, & quæ ſunt in humidis. Ex aceto autem collectiones ſanant. *Aui.* Viola frigida eſt, & humida in primo, & dicitur quod generat ſanguinem æqualem. In emplaſtro ponitur, & ſedat apoſtemata calida. Soda vero ſanguineam ſedat odorata, & illinita. Item opthalmię confert calidæ, & tuſſi calidæ, & inflationi ſtomachi, lenit pectus, & ſyrupus eius pulmoni confert, & pleureſi, & dolori renum, & vrinam prouocat. Eadem epithymata valet ſcabiei, & quæ ex ea ſicca eſt ſoluendo choleram educit, eiuſque ſyrupus naturam cum facilitate lenit.

Dioſcorides. Leucis ideſt viola in floribus habet diſtantiam, quia melinum, & album, & purpureum. Sed melinus color medicinæ neceſſarius eſt. Qui elixatus, & fomento adhibitus tumores ſtercoris curat, menſtruis imperat, melli vero additus puſtulas, & inflationes tollit. Radices eius cataplaſmatæ cum aceto ſplenem ſiccant, podagricis medicantur. Leucis autem, ideſt viola alba proiectoriæ virtutis eſt, & extenuatoriæ, ſed flos plus. *Idem.* Violæ tres ſunt, ſpecies, ſed folia omnium aquoſæ, & ſubfrigidæ ſubſtantiæ ſunt, omnes viſcidæ, relaxant ventrem, & vrinam prouocant. Aliquando ſemen eorum partus expellit, lumbricos excludit vel occidit. *Platearius.* Viola frigida eſt in principio primi gradus, & humida in fine ſecundi, habet virtutem leniendi, humectandi, refrigerandi, relaxandi: violæ contritæ ſuper calidum apoſtema in principio, valent fomenta ex aqua decoctionis ipſius herbæ facta circa pedes, & frontem in acutis ſomnum prouocant. Ex violis viridibus, fit ſaccharum violaticum & oleum violaceum. Syrupus autem violaceus, & de viridibus, & de ſiccis magis decoquitur, quam roſacei, aliter enim citius corrūperetur. Olei inunctio exterius facta valet contra calefactionem hepatis. Facta vero ſuper frontem, & tempora, dolorem ex calore remouet.

Viola alba virtus.

Tēperamentum.

Iterum de eodem.

CAP. CLXI.

Razi. Violę ſomniferę ſunt, capitis dolorē à calore factum remouent. Viola frigida eſt in fine primi gradus, humida in initio ſecūdi. Choleram nigram de ſtomacho, & inteſtinis purgat, calorem eorum mitigat, potata iuuat pueros ſuffocationem habentes, pleureticis, & aſperitati pectoris ſubuenit, naribus applicata mitigat dolorem capitis ex fumo calido natum. Cum polline ordei cataplaſmata contra calida valet apoſtemata, ſyrupus violaceus ventrem humectat, tuſſim de calore mitigat, ſedat pectoris & pulmonis calorem, ſpleneticis occurrit, ſimiliter facit ſaccara violacea.

Curat dolorem capitis.

Macer.

Nec roſeus ſuperare decor, nec lilia poſſunt
Fragrantes violas ſpecie, nec vi nec odore,
Dicitur humida vis illius, frigida primo
Eſſe gradu, ſpecies tres eſſe leguntur earum,
Noſcere quas tantum diuerſo flore valemus,
Nam ſunt purpures flores albique nigrique
Cunctis penè pares ſunt in medicamine vires,
Inflammata iuuant loca trita ſi ſuperaddas,
Crapula diſcutitur bibitis capitiſq; grauedo,
Olfactu ſolo vel ſi caput inde coronas,
Anginis potæ medicantur aqua reſoluta,
Purpuream violam dicunt curare caducos.
Præcipuè pueros ſi mixtum ſumitur amne,
Radices violæ cum myrrha tunde crocoque,
Hoc inflammatis oculis impoſito nocte,
Contritis foliis violæ cum melle perungens,
Vlcera ſanabis capitis ſi iungis acetum.
Et cataplaſma facis cedet collectio quauis
Illius curat elixatura tumorem
Matricis, tepidaſi ſæpe fouebitur illa
Aut fiſſuras quas appellant ragadias,
Addita cerotis medicatur ſæpe perunctis,
Puſtula ſi fuerit melli ſuperadde iugatam,
Illius ſemen cum vino menſtrua purgat.
Tritę commixta radices eius aceto.
Splen ſiccant bibita, vel ſpleni ſi ſupperaddes,
Hocq; modo calidam dicunt ſedare podagram,
A ſtomacho cholera rubeam potata repellit,
Herba virens violę vel flos ſuccuſve recenſve,
Morbos de cholera rubea vel ſanguine factos,
Mollibus in coſtis aut in pulmonibus ipſis,
Sedat ſi mixto potabitur amne recens.
Infantum tuſſim ſicut, & ſuſpiria ſedat,
Ex violis oleum, ſicut de flore roſarum,
Conficiunt, multis, quod dicunt vile cauſis,
Auribus infuſum ſonitum fugat atque dolorem,
Et capiti prodeſt quocumque dolore laboret,
Leniter infrigidans corpusq; ſopore reſoluens,
Lumbricos necat infuſum bibitum vel inunctum,
Et capitis furfur oleo depellitur iſto,
Intantum vt lingua patiens amiſerit vſum,
Fac prius hunc violam cum vino ſumere tritam.
Poſtea vero ſi fuerit capitis pars dextera laſa,
Contrita plantæ pedis hanc annecte ſiniſtri.
Atque è conuerſo fuerit ſi læua plagata,
Os reſilit linguæq; die redit vſus eadem,
Vt Iuſtus tradit medicus, qui talia ſcripſit,
Altera vis violæ fertur mirabilis eſſe,
Albæ ſi violę radix teneatur in ore,
Et transglutitus ſuccus ſit ſæpius eius,
Vulneris in modicum tradunt mox ſiſtere fluxum,
Hanc glycyrrhizæ tradit vim Plinius eſſe.

Contra crapulam.

De Vlpico, & vrtica.

CAP. CLXII.

Sid. Vlpicum appellatum eſt, eo quòd allij odorem habet. Vlpicum autem cum vino tritum, calculoſis aiunt prodeſſe potui datum. *Palladius libro* 11. In menſe Nouembri vlpicum ſicut & allium ſeritur terra maximè alba foſſa, & ſubacta ſine ſtercore. Sulcos in areis facies, & in locis altioribus, ſemina pones quatuor digitis ſeparata, nec altius preſſa. Sarculari frequenter debent, quia plureſcunt. *Si caputaium facere volueris, vbi ceperit caulis prodire, proculca, ſicque ſuccus reuertetur ad ſpicas.*

Pro calculo.

Nota.

Etymon vrtica.

Vrtica ex eo vocata eſt, quod tactus eius corpus adurat. Eſt enim igneæ omnino naturæ, vnde, & tactu perurit, & pruriginem facit. *Plinius libr.* 21. Ex omnibus herbarum aculeatarum generibus vrtica maxime noſcitur, acceptabilis in flore purpuream lanuginem fundente ſæpe cubitis altior duobus. Duæ ſunt eius differentiæ ſylueſtris quam fœminam vocant mitior, & ſylueſtri, quæ canna dicitur acrior, caule quoque mordaci, foliis fimbriatis. Quæ vero etiam odorem fundit *herculanea* vocatur. Semen omnibus eſt copioſum atque nigrum. Mirum ſine vllis ſpinarum aculeis lanuginem ipſam noxiam eſſe, & tactu tantum leui pruritum puſtulaſque confeſtim aduſto ſimiles exiſtere. Notum eſt, & olei remedium, ſed mordacitas non protinus cum ipſa gignitur herba, nec niſi ſolibus roborata. Incipiens quidem ipſa naſci, vere non ingrato, multis etiam religioſo eſt in cibo, ad depelllendos totius anni morbos. Sylueſtrium quoque radix omnem carnem facit tenuiorem ſimul cocta, quæ innoxia eſt morſu carens aononium vocatur.

Herculanea vrtica.

De operatione ipſius vrtica in medicina.

CAP. CLXIII.

Dioſcorides. Vrtica calefactoria eſt valde, quæ potata ex vino morbum regium curat. Tritum cum oleo vel axungia contra frigus inunctione iuuat: ſemen eius melle mixtum propriè cholicis proficit. Tritum vero cum melle & potui datum, tuſſim veterem emendat, & tumorem ventris, vel frigus in pulmonibus conceptum ſedat. Calore ſuo omnes humores deſiccat. Sunt autem eius genera duo: vna eſt agreſtis aſperiora & latiora, & nigra habens folia: ſemen autem ſemini lini ſimile, ſed in modico minus. Altera vero ſemen minutum habet, & non ſic aſperum Amborum folia cataplaſmata cum ſale caninos morſus mitigant. Cancros & ſordida malignaque vulnera curat & limpidat: laxationibus occurrit, & puſtulis, & parotidis: & apoſtematibus maximum præſidium eſt. Cærotis mixta ſplen ſiccat. Succus earum & folia ſuppoſita naribus ſanguinem currere faciunt. Semen earum bibitum cum dulcore venerem ſtimulat: melli mixtum & acceptum pleureticis, & peripleumonicis medetur. Thoracis ſuperfluos humores purgat. Elixatura foliorum bibita ventrem mollit: & ptiſana cocta & accepta pituitas varias tortiones & inflationes tollit.

Frigus pulmonium ſedat.

Mollit ventrem.

Auicenna. Vrtica & ſemen eius calida ſunt in principio tertij gradus, & ſicca in ſecundo. Semen tamen minus ſiccum eſt, quàm ipſa: cuius color ſimilis ſemini porri: ſed minus eſt & ſubtilius, nec eſt in eius longitudine. Mordicat autem, quod ei obuiat, etiam inteſtina. Vrtica eſt attractiua, vlceratiua, reſolutiua, cum virtute aduſtiua. In ipſa eſt virtus aperitiua, & abſterſio fortis, & vlcerum mordicatio. Sed quando cum carne coquitur caro ſoluit inter ipſam & eius operationes, ideſt non permittit eam operari. Emplaſtrum eius cum raphano confert durietibus. Cinis cum ſale confert vlceribus malignis, & his quæ accidunt à morſura canum & cancro. Eius folia contrita fluxum ſanguinis abſcindunt è naribus. In aqua ordei decocta craſſos humores pectoris educunt. Recentia vero matricem exeuntem reducunt. Horum quoque decoctio cum oſtratis ventrem lenit. Facilius autem ſoluit, cum medulla ſeminis contrita cum ſauith in vino bibitur: ſed poſt eius hauſtum bibatur aliquid ex oleo roſato, ne guttur adurat. Vrtica quidem ſoluendo educit phlegma, & humorem crudum abſterſione ſua, non virtute ſolutiua quæ eſt in ipſa. Semen eius ſtrictura, vel fetori narium contrafert: & aperit opilationes colatorij fortiter, & aſma remouet. Emplaſtrum ex eo factum, facit eradicationem dentium.

Educit humores craſſos è pectore.

Adhuc de eodem.

CAP. CLXIV.

Auctor. Vrtica ipſa eſt & acalyphe, de qua ſcilicet in hoc eodem libro dictum eſt ſupra.

Macer.

Dicimus vrticam, quam Gracus acalyphe dicit,
Feruida non modicè vis illi dicitur eſſe,
Vnde nec immerito nomen ſumpſiſſe videtur,
Tacta quod exurat digitos vrtica tenentis,
Hæc ſolet ictericos cum vino ſumpta iuuare,
Ilius ſemen cholicos cum melle medetur,
Et tuſſim veterem curat ſi ſæpe bibatur:
Frigus pulmonis pellit ventriſq́, tumorem,
Omnibus his prodeſt puluis cum melle ingatus,
Aut ſuccus viridis cum vino ſæpius hauſtus,
Cum ſale de foliis eius factum cataplaſma,
Vlceribus prodeſt, & ſordida vulnera purgat,
Et contra morſus valet cataplaſma caninos:
Hocque reformatur caro quæ diſceſſit obeſa,
Et ſolet humores hoc deſiccare nocentes,
Acri cum vino radix contrita tumorem
Compeſcit ſplenis podagræ ſic ſubuenit illa,
Omnibus his prodeſt ſuperaddita vel ſibi iuncta,
Si coquis hanc oleo, foueas hoc vngnine membra,
Omnibus & morbis ſic ſubuenit articulorum,
Naribus impoſitus ſuccus ſoliumve, cruorem
Elicit: innati vis eſt ſibi tanta caloris,
Quodſi manantem cupias retinere cruorem,
Vrticæ ſucco frontem line, reprimit illum.
Si ſupponatur cum myrrha, menſtrua pellit,
Cum vino bibitum venerem ſemen mouet eius
Et melius tritæ ſi iungas melque piperq́,
Si clauſit vuluam matrix humore grauatam,
Vrticæ foliis renocabitur illa fricata,
Et ſi cum vino prædicto more bibatur,
Pleureticos, pectus, pulmones adiuuat eius
Semen: ſi ſumptum fuerit cum melle ingatum,
Cum mulſa bibitum lotium producit abundans.
Herba recens eius olerum ſi more coquatur:
Detur illius decoctio molliet aluum.
Ore diu clauſus ſuccus, ſi voluitur eius,
Vuæ non modicum poterit ſedare tumorem,
Sudorem mouet ex oleo decocta perunctis,
Si quadrupes perferre marem quæcunque recuſat,
Vrticæ foliis illius vulua fricetur,
Sic naturalem calor excitat ille calorem,
Defluuium capitis ſi ſucco ſeminis huius,
Vngas ſæpe caput reprimi dicit Galienus,
Illius ſemen collectum tempore meſſis,
Et deſiccatum, multis erit vtile cauſis.

Vrtica reprimit cruorē.

De hipoquiſtide & hippoſelino.

CAP. CLXV.

Latearius. Hipoquiſtidos eſt fungus, qui circa radicē roſæcaninæ reperitur: eſt in ſecundo gradu frigidus & ſiccus. Succus eius, qui glutinoſus eſt, exprimitur ac ſiccatur, & aliquantulum in die mouetur ne corrrumpatur. Exiccatur autem in loco non multum ſicco, non multum humido. Per annos duos in multa efficacia ſeruari valet: & virtutem habet conſtringendi. Contra fluxum ventris ex cholera, vel ex debilitate virtutis contentiuæ cum aqua roſacea conficitur, & patienti datur. Fit etiam emplaſtrum ex hipoquiſtidos, & ſucco plantaginis, & albumine oui ſuper renes ac pectinem. Contra vomitum quoque fit idem ſupra pectoris furcellam. Contra profluuium autem mulierum fit ſuppoſitorium

Emplaſtrum contra vomitum.

cum

cum plantaginis ſucco, iniiciturque peſſario. *Iſidorus.* Hippoſelinon eſt quoddam oleris genus odoratum, ſic dictum, eo quod durum ſit & auſterum. *Plinius lib.* 19. Hippoſelinon eſt quædam ſpecies apij, quæ naſcitur in locis ſiccis, pluribuſque folijs, elioſelino ſimilis. In locis autem humidis naſcitur elioſelinum, vno folio, nec hirſutum. *Idem lib.* 20. Hippoſelinon, quod & *oluſſacrum* dicitur, ſcorpionibus aduerſatur, & poto ſemine torminibns intraneis medetur: itemque difficultatibus vrinæ, ſemen eius decoctum, & in mulſo potum. Radix eius in vino decocta pellit calculos, & lumborum lateris que dolores. Canis rabioſi morſibus medetur potum atque illinitum. Succus eius algentes calefacit potus. *Auctor.* Quoniam (vt prædictum eſt) hippoſelinum ipſum eſt oluſſacrum iuxta ſententiam Pliuij, de hoc quoque ſuperius in hoc eodem libro dictum eſt ſub nomine oluſſacri.

Elioſelinũ.

Oluſſacrum.

De Ireos.

CAP. CLXVI.

Platearius. Ireos vel iris calidæ & ſiccæ, ſunt in ſecundo gradu: ſimiles quidem ſunt in folijs & in effectu, ſed iris florem facit purpureum, ireos album: harum radice medici vtuntur, quæ in fine veris colligitur ac deſiccatur, per duos annos ſeruari poteſt. Itaque pro radice iris poteſt poni radix ireos, & ſimiliter è conuerſo, virtutem habet diureticam: vnde diſſoluit & aperit. Contra vitium ſpiritualium, opilationem ſplenis & hepatis, renum ac veſicæ, dolorem ſtomachi ex ventoſitate, valet vinum decoctionis eius, ſcilicet ireos. Puluis eiuſdem leniter corrodit ſuperfluam carnem, ad oculi pannum ex puluere ipſius, & aqua roſacea fit collyrium. *Auctor.* Notandum quod ireos accipitur quandoque pro gladiolo, ſicut in libro graduum accipitur à Conſtantino: aliquando autem pro iri, & ſic accipit Auicenna, gladiolus quoque commune nomen eſt omnium huiuſmodi, *Auicenna.* Ireos eſt radix lilij cæleſtis, & eſt ex herbis habentibus ſtipitem, ſuper quem diuerſi ſunt flores compoſiti ex albo, & citrino, & cæleſti, & purpureo: & ab hoc iris nominatur, ſcilicet arcus cuſa. Radix hæc nodoſa eſt: eius folia parua, & quando veteraſcit à vermibus perforatur: eſt autem calida & ſicca in fine tertij gradus, digeſtiua, apertiua, abſterſiua, mundificatiua, quod ex ea bonum eſt, durum eſt: ſpiſſum & compactum: declinans ad rubedinem aliquantulam boni odoris: & eſt mordicatiua linguę: mouetque ſternutationem cum fortitudine: purgat pannum & lentigines, elixata quoque lenificat duricies & apoſtemata craſſa & ſcrophulas, confert vlceribus ſordidis, & carnem naſci facit in fiſtulis etiam ſi puluerizetur, & os carne veſtit, dormire facit, lachrymas attrahit. Sedat dolorem lateris *& pleureſis*, & confert tuſſi præcipuè ab humiditate craſſa, & peripleumoniæ, & difficultati anhelitus, ac ſinantiæ, ſuperfluitates pectoris expellit. Sedatque dolorem hepatis & ſplenis frigidum cum aceto bibitum: & confert hydropiſi, aperit orificia venarum & hemorrhoidarum, & remouet dolorem pungitiuum: plurimumque pollutionem aufert: oleum eius matricem iuuat. Soluendo educit aquã citrinam, & coleram, & phlegma: cum bibitur ex veteri eius confracto. Idem oleũ eius aufert fætorem narium, remouet frigus & tumorem, & reſoluit laſſitudinem. Idem oleum cum aceto ſonitum aurium ſedat, & rheumatiſmos antiquos prohibet. *Idem* cum aceto aut vino bibitum confert ſpaſmo & contritioni lacertorum. *Idem*, collutio oris ex decoctione illius ſedat dolorem dentium. *Conſtantinus vbi ſupra.* Ireos eſt calidum in ſecundo, ſiccum in tertio, valet contra dolorem neruorum de phlegmate. Diuturnam tuſſim placat, ſcreatum facile reddit. Humores pectoris craſſos attenuat: morſum reptilium curat: ſpleneticis & habentibus ſpaſmum prodeſt, rigorem febrium mitigat, mẽſtrua prouocat, ſtomacho tamen nocet. Cum aqua calida bibitus, ventris dolorem mitigat, coctus & oleo roſeo mixtus puſtulas, & vulnera ſanat. Puluis eius vulnera *putrida mundificat*, & bonam carnem in eis generat: ireleon quoque valet dolori neruorum de phlegmate, mitigat quoque dolorem aurium de frigiditate.

Valet contra oppillationẽ ſpiritualiũ.

Sedat dolorẽ pleureſis, hepatis &c.

Tiperamentum.

Mũdat vulnera putrida.

De Iri.

CAP. CLXVII.

Isidorus. Iris illyrica à ſimilitudine Iris cæleſtis nomen acepit: *vnde arcumen* à latinis dicitur, eo quod flos eius varietate coloris eundem arcum cæleſtem imitetur. Illyrica dicitur, quia in illyrico plurima eſt & violentiſſima. Species eius folijs gladioli ſimilibus: radice aromatica, odoris boni.

Arcumen.

MACER.

Iri dat florum nomen color ipſe ſuorum,
Caleſtis ſimiles ſunt nempe coloribus iris,
Illyricam dicunt illam, quia plurima naſci
Fertur in illyrico, vis eius ſicca calenſque
Dicitur: atque gradum dant hunc in vtroq; ſecundum,
Maior vis huius eſt in radicibus eius.
Has deſiccandas per fruſta rotunda ſecatas,
Sic vt ſe partes non tangant inſere filo:
Inq; loco ſicco fac ſuſpendatur in vmbra,
Vix aliter totum poteris ſiccare per annum,
Cum vino ſedant tuſſim, præbentq; ſoporem,
Si latitans intus ſanies præcordia ladit,
Pellitur illatum cum vino puluere ſumpto,
Cum mulſa bibitus choleram depellit inquam,
Tormina cum mixto bibitus ſedabit aceto,
Taliter & ſumptis dicunt prodeſſe venenis,
Spleneticis, & contractis, & frigore laſis,
Cum vino bibitus puluis medicabitur eius.
Hocq; modo ſumptus, tardantia menſtrua purgat.
Duricias ſtericas radicum coctio mollit,
Si ſumptus tepida foueantur, ſæpius illa
Hæ cum clyſterio ſi ſit ſubiecta per annum,
Non modicum ſchiaſi dicunt prodeſſe dolori.
De radicibus his mixto collyria melle,
Fiunt quæ vulnæ pellunt ſubiecta ſecundas,
Inque locis infixa cauis ſiringia curant,
Commixtus melli deſiccat vulnera puluis,
Carneqne nuda replet, ſi ſit ſupperauditus oſſa,
Pulueris ellebori parstertia iungitur albi.
Iris radicum tenui cum puluere duplo,
Puluis vterque ſimul commixto melle ligatus,
Hoc ſuper appoſitum purgat lentigine vultum,
Et papulas eius iſtud cataplaſma repellit.

De Hyſſopo.

CAP. CLXVIII.

Sydorus Hyſſopus eſt herba purgandis pulmonibus apta: vnde in veteri teſtamento aſpergebantur cum faſciculis hyſſopi, qui agni ſanguine volebant mundari. Naſcitur in petris hærens ſaxo radicibus. *Papias.* Hyſſopus eſt herba humilis: calefacit, & phlegma deducit. Eius radicibus nihil fortius & penetrabilius inter ſaxa. *Platearius.* Hyſſopus eſt calida & ſicca in tertio gradu: virtutem habet ſecundũ folia & flores, non ſecundũ radicem. In eſtate cum flores producit colligitur. In vmbroſo & non fumoſo loco ſuſpenditur & deſiccatur. In medicinis abiectis ſtipitibus flores & folia ponuntur. Per annum ſeruatur. Virtutem habet diureticam, diſſoluẽdi, attrahendi, conſumendi. Contra tuſſim frigidam valet vinum decoctionis eius, & ficuum ſiccarum Ad idem

Nota de veteri teſtamẽto.

Contra tuſſim.

valet

valet electuarium, quod fit ex ea, ſcilicet exhyſſopo. *Auicenna.* Hyſſopus alia eſt montana, alia hortiua, calida & ſicca in tertio: & eſt ſubtilis ſicut origanum: potus eius colorem bonum facit: & eius gummera veſtigia in facie abſtergit. Cum vino bibita reſoluit apoſtemata dura, Confert pectori & pulmoni patientibus diſſuriam, & tuſſi antiquæ. Soluendo autẽ educi phlegma, & aſcarides, & vermes. Valet etiam ſpleni & hydropiſi. Decoctio eius cum aceto, & ex melle ſedat dolorem dentis: & vapor decoctionis cum ficis confert ſonitui auris. Ex ipſa etiam cocta fit emplaſtrum, tarfati & ſanguini mortuo ſub palpebra. *Conſtan. vbi ſup.* Hyſſopus calida eſt, & ſicca in tertio gradu. *Succus eius cum ficubus coctus, & melle ac ruta bibitus apoſtemata pulmonis anhelitus, & durities, tuſſim, & catarrhum ad gulam de capite deſcendentem curat*: lumbricos occidit, Apozima cum melle craſſos humores diſſoluit. Idem ſi cum ficubus ſiccis vtatur, ventrem humectat, & cutem clarificat. Cum aceto cocta, ſi os tantum abluatur ex ea, dolorem dentium amputat. Auribus inde fumigatis dolorem & ſonitum placat.

Contra Catarrum.

Iterum de eodem.

CAP. CLXIX.

Razi. Hyſſopus vt origanum valet: pectus & pulmonem purgat: aſmati quoque & tuſſi antiquæ confert phlegma & vermes è corpore educit. *Plin. lib. 26.* Hyſſopi quinque rami cum duobus rutæ ac ficis tribus decoctæ thoracem purgant. Iterum hyſſopi faſciculus cum quadrante mellis ad tuſſim decoquitur.

Macer.

Hyſſopum eſt ſiccum, calidum, quoque tertius illi
Eſt in vtroque gradus eius decoctio facta,
Vt decocta ſimul ſint mel, ficus quoque ſicca,
Prodeſt non modicum tuſſim patientibus hauſta,
Subuenit & vocirauca verſata palato,
Et prodeſt cunctis pulmonum ſumpta querelis,
Lumbricos ventris eadem potata repellit,
In pectus capitis ſi diſtillatio fiat,
Quæ perſæpe ſolet tuſſim pthiſſimque creare,
Prodeſt hac eadem decoctio ſumpta frequenter,
Omnis his prodeſt puluis cum melle iugatus,
Contritio viridi ſi iungitur oxymel illi,
Sicque datur bibitum, ſtipatum molliet aluum,
Cum vento nocuo viſcoſum phlegma repellens,
Cardama ſi iunges his, ſolues fortius aluum,
Potio ſi viridis vel ſicci ſæpe bibatur,
Vultibus eximium fertur præſtare colorem,
Cum nitro & ficu ſicca ſi conteris ipſum,
Atq; ſuperponas ſpleni cataplaſma tumenti,
Hydropiciſve, ſolet ſiccando repellere morbum,
Cum vino bibitum præcordia tenſa relaxat,
Et quicunque nocet tumor interiora recedit,
In quo decoquitur ſi dens foueatur aceto,
Fertur ab immodico citò ſæpe dolore leuari.
Accenſi fumo ſonitus compeſcitur auris
Elixum appoſitum liuores limpidat omnes.

De Zeodare,

CAP. CLXX.

Auicen. Zeodar melior eſt illa, quæ cum napello creſcit: & eius vicinitas plantam napelli debilitat. Eſt autem theriaca venenorum omnium viperę, & napelli, & aliorum. *Razi.* Zurumbet, id eſt, zeodaria calida eſt & ſicca: ventoſitatem diſſoluit: morſibus venenatorum animalium occurrit, & impugnat. *Conſtantinus vbi ſup.* Zeodar calidum in tertio gradu, ſiccum in primo: valet contra venena, & morſus reptilium: inflatiuã ventoſitatem diſſoluit: ſtomachum curat & confortat, *appetitum excitat: putorem oris propter alia amputat*, ſi poſt alia accipiatur, Similiter & vini odorẽ aufert, & malos humores à corpore. *Platearius.* Zeodar calidum eſt in tertio gradu, ſiccum in ſecundo: vinum decoctionis eius contra frigidam tuſſim valet: & contra dolorem ſtomachi & inteſtinorum ex frigiditate & ventoſitate. Salſamentũ ex eo factum, & rore marino, & pane aſſo & aceto appetitum excitat. Suppoſitorium ex eo & trifera matricem calefacit & mundificat.

Vſus medicinalis.

Macer.

Apprime ſumptus Zeodar obſtare venenis
Affirmant, & reptilium morſus alleuiat hauſtum,
Sumptum confirmat ſtomachum ructuſq; ſalubres,
Commouet, & crebro faſtidio reprimit vſu,
Antiquum ſtomachi dicunt curare dolorem,
Si patiens illud ieiuno maſticet ore,
Et ſic infectam ſenſim voret ille ſaliuam,
Lumbricos ventris depellere dicitur hauſtu,
Allia quem faciunt fœtorem, pellit ab ore,
Et nimium bibiti vini depellit odorem.

De Zinzibere.

CAP. CLXXI.

Auicen. Zinziber ſimile eſt piperi in naturis ſuis: ſed non eſt in eo illius ſubtilitas, & accidit ei vt corrodatur propter humiditatem ſuam ſuperfluam: propter hoc etiam, & propter ſpiſſitudinem ſuam calefactio eius durabilior eſt calefactione piperis. Eſt autem calidum in fine tertij, & ſiccum in ſecundo. Non autem calefacit niſi poſt tempus, propter modicum, quod eſt in eo de humiditate ſuperflua: ſed eius calefactio fortis eſt, & eſt lenitiuum ac reſolutiuum inflationis, augmentum efficit in ſeruatione, id eſt, memoria & abſtergit humiditatem à partibus capitis, & gutturis, tenebroſitatem oculi. Digerit etiam & conuenit frigiditati hepatis & ſtomachi: confert etiam venenis vermium venenoſorum. Idem zinziber caninum eſt olus notum, & eſt ſicut piper aquæ ipſumque interficit canes. Eius folia ſunt, vt folia ſalicis, niſi quia ſunt magis citrina. Eiuſque virgulta rubea ſunt habentia calorem zinziberis. Natura calidum eſt in ſecundo, ſiccum in primo. Recens cum ſemine ſuo contritum, veſtigia quæ in facie ſunt abſtergit, ac lentigines antiquas & pannum. Recens etiam apoſtemata dura tritũ reſoluit, & eius ſemen ſimiliter cũ ex eo fit emplaſtrũ.

Alias Ginziber.

Auget memorium.

Confert frida ſtomacho.

Iſaac zinziber calidum eſt in tertio gradu, humiditatem habet, licèt ſenſui non appareat: hoc teſtificatur, quod putredini apparatus eſt: vtilis eſt frigidos ſtomachos habentibus: ventrem ſoluit, humiditatem deſiccat: digeſtiuam virtutem adiuuat, vẽtrem humectat. *Platearius.* zinziber eſt calidum in tertio gradu, humidum in primo: & eſt radix herbę creſcentis in tranſmarinis partibus, & in montanis Sclauoniæ. Vinum decoctionis eius, & ficuum ſiccarum, & paſſulorum valet ad tuſſim frigidam, ad ſpiritualium frigiditatem. Si puluis etiã ficubus ſic ponatur, & ſic cõmẽdatur, ad idem valet: vinum decoctionis eius & cymini valet ad dolorem ſtomachi & inteſtinorum ex vẽtoſitate: *digeſtionem etiam procurat.* Puluis etiam in cibis exhibitus, ſyncopizantibus confert: per bienniũ ſeruatur, & in multo pipere melius ſeruatur. *Razi.* zinziber calidum eſt & humidum: cibum digerit, ventrem mouet, ſtomacho & hepati frigidis confert, & oculis ex humiditate obſcuris. *Conſtantinus vbi ſuprà.* zinziber calidum eſt in tertio gradu, humidum in primo, hepar frigido humore opilatum aperit, craſſam ſtomachi & inteſtinorum ventoſitatem diſſoluit, ventrem humidum facit: duę z. de eo, & duæ z. ſacchari cum calida aqua accepti, viſcoſos humores purgant. Conditum libidinem augmentat, ſtomachum calefacit, cibum digerit, ſuperfluam humiditatem ſtomachi de fructibus deſiccat. Pro quo piper album & longum poni poteſt.

Purgatio humorũ vitioſorum.

Macer.

Zinziber atque piper æqualia nam medicina,
Dicunt: hac cauſa taceo de viribus huius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER VNDECIMVS.

De Seminibus herbarum.

CAP. I.

Vctor. Postquam naturas herbarum singularum, videlicet agrestium & hortulanarum colligendo diligẽter compleuimus: restat, vt ea quæ ex herbis procedunt, videlicet semina, & grana, & succos per singula genera describamus. Nam de floribus, & folijs iam dictum B est supra: videlicet vbi actum est de communi natura plantarum. *Ambrosius in Exaemeron.* Mirantur siquidem, quod cito terra germinauerit ad Dei vocẽ. Quãto maiora sunt miracula si spectes singula, quo modo ad inuicem iacta in terram semina resoluuntur, & nisi mortua fuerint, nullum afferant fructum: si autẽ fuerint, quadam sui morte resoluta, in vberiores fructus resurgant. Suscipit granum tritici putris gleba: sparsumque cohibet, ac velut materno gremio terra fouet & comprimit. Inde cum se granum illud resoluerit herbam germinat: cuius viriditatis species herbescentis, iam grata est oculis. Et statim genus satiui similitudine sui prodit, vt iam in herbis fructus recognosci possit: paulatimque adolescit & culmo pubescens assurgit. At vbi se geniculata iam spica subtulerit: vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum interius formatur, ne tenera eius primordia, aut frigus lædat, aut solis æstus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis sæua discutiat. Succedunt quidam ordines spicæ mirabili arte formati, vel ad speciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter se naturalis colligationis astricti. Et ne frugis numerosioris pondere cedat fultura culmorum, vaginis quibusdam ipse culmus, vt geminatis viribus, possit frugem sustinere multiplicem, ne impar oneri curuetur in terram. Tunc super ipsam spicam vallum instruitur aristarum, vt quasi quoddam bellum prætendant, ne minorum auium

Mira Dei prouidentia erga satiua.

A morsibus spica lædatur, aut fructibus suis exuatur, aut vestigijs proteratur. Sic terra quod *acceperat fœneratum restituit*, manetque fidelis agricola, tanquam fœneratori suo. Nam & si quando fœnus non soluit, eo quod forsitan inclementia frigoris, aut nimia siccitas, aut immensa imbrium aduersa fuerit: *alio anno superioris anni damna compensat*. Cęterum quę species agri pleni, quis odor, quæ suauitas, quæ agricolarum voluptas, dignè explicare non possumus si nostro eloquio vtamur.

Terra fœneratum restituit.

Palladius de agricultura lib. 1. In nouo genere seminum non est tota spes ponenda ante experimentum. Locis humidis semina citius degenerant quam siccis. Semina plusquam annicula esse non debent, ne vetustate corrupta non prodeant. Seminarium mediocri terra rectè instituitur: vt ad meliorem quæ sata fuerint transferantur. Omnia vero quæ seruntur in terra *crescente Luna*, & diebus tepidis sunt serenda. Nam tepor euocat, frigus includit. Serenda sunt inquam cum Luna crescit, *secanda vel legenda cum decrescit*. *Auctor.* Dicturi autem de seminibus quibusdam herbaceis, quæ in vsu communiter sumuntur incipiemus.

Crescente Luna serendum, decrescente secandum.

De Ameos & anetto.

CAP. II.

Dioscorides. Ameos multi cuminum æthiopicum, aut basilicen dicunt esse. Sed ameos alterius est naturæ. Est quidem semen pæne cumini æthiopico simile, sed minutius & exalbidius, & quodammodo spissius, gustum habens origano similem. Sed eligendum est recens atque mundum: virtus illi est acris, thermantica, & desiccatiua. Tortionibus medetur: vrinam & menstrua prouocat, desiccat nimis & extenuat. Idem diaphoreticum est. Cum vino bibitum menstruis imperat: inflationem prorsus sedat. Melli additum liuores detergit. Bibitum ac perunctum corpori bonum colorem reddit. Cum resina & vua passa matricem purgat fumigatione sua.

Ameos.

Platearius. Aneti semen multipliciter conuenit vsui medicinæ, radix secundario, herba vero tertio: de

Anetum.

qua

qua ſcilicet dictum eſt in præcedenti libro. *Conſtant. in libro graduum.* Aneti ſemen peruſtum & cataplaſmatum hæmorrhoidas omnino ſanat. *Dioſcor.* Aneti ſemen adhibitum in cataplaſmo ſoluit condilomata. Idem feruefactum & admotum naribus, ſingultire non patitur. *Palladius lib. 3.* Anetum quando ſeritur, aliqui ſemen eius non obruunt, opinantes, quod à nulla aue tangatur. In Februario frigidis locis ſeritur, & omnem cęli ſtatum patitur, ſed tepidiore lætatur. Serendum autem eſt rarius & rigandum.

Macer.

A meditis calidum ſictumque referiur anetum,
Et dicunt quod ſit gradus huic in vtroque ſecundus,
Aſſiduè bibitum viſui nocet, & geniale
Claudit iter ſiccans humorem ſeminis intus,
Si nimio venter turgens humore grauetur,
Suſpendit puluis combuſti ſeminis huius:
Appoſitus digitis, aut intus clyſtere fuſus,
Olfactum reprimit ſingultum ſemen aneti,
Aſſatum & feruens ſi ſæpius olfacit æger,
Apponas hæmorrhoidis ſi ſemen aneti,
Vtilum curat eas, & condilomata ſoluit.

De Aniſo.

Cap. III.

Aniſum. P *Lateurius*. Aniſum quod alio nomine cyminum dulce dicitur, ſemen eſt cuiuſdam herbæ ſimili nomine appellatæ: & eſt calidum & ſiccum in tertio gradu. Virtutem habet diſſoluendi & conſumendi: *valet contra ventoſitatem*, indigeſtionem, acidam eructationem, & dolorem inteſtinorum ex frigiditate, dolorem aurium ex humiditate. Sed & decoctio aniſi cum alijs herbis diureticis ſoluit opilationem ſplenis & hepatis. Contra liuorem ex percuſſione cum cymino conteritur, & cum cera liquefacta ſupponitur. Ad augmentationem lactis valet puluis eius in cibo & potu ſumptus. Meatus enim lactis ſuo calore aperit. *Dioſcorides*. Aniſus feruentis eſt naturæ vel virtutis, & ſiccæ atque ſcaroticæ ac vnctualis. Medetur hydropicis: ſitim bibitus tollit: venenis occurrit. Inflationes amputat, ventrem ſtringit, menſtruis imperat, lac mulieribus prouocat, bibitus ventrem ſtimulat: fumigatione naribus adhibitus dolorem capitis tollit: aurium dolorem cum oleo roſeo adhibitus mitigat, ventoſitatem ventris tollit. Optimum eſt autẽ Creticum: deinde vero Ægyptium. Gallicum autem vetuſtiſſimum.

Curat ventoſitates.

Auicenna. Aniſum eſt ſemen fæniculi Romani. In ipſo eſt dulcedo & acuitas, qua medicinis adurentibus fit vicinum. Eſt autem aperitiuum cum ſtipticitate parua, ſedatiuumque dolorum, reſolutiuum ventoſitatum, propriè ſi aſſetur. Confert etiam inflationi in facie, & apoſtematibus extremitatum: vapor eius attractus ſoda atque vertiginem ſedat: lac & vrinam, & menſtrua prouocat: aperit opilationes renum & veſicæ atque matricis, & confert febri antiquæ.

Sedat vertiginem.

Conſtantinus vbi ſupra. Aniſum calidum eſt & ſiccum in tertio gradu, craſſos humores attenuat: ventoſitatem & inflationem diſſoluit, opilationem aperit hepatis & ſplenis: lac mulieris augmentat, libidinem excitat, vrinam & menſtrua, & ſudorẽ prouocat: ventrem conſtipat, maximè ſi aſſum accipiatur, & ſuperfluis humoribus ad ventrẽ fluentibus repugnat. Quod ſi fumigatum, & naribus applicatum fuerit, dolorem capitis de craſſa ventoſitate & rheumate curat.

Ex epiſtola Hippocratis. Aniſus calefacit & deſiccat nimis: diureticus autem exiſtit: amputat itaque ventoſitatem in ventre, ac ſine dolore facit eſſe.

Locus & tẽpus in quibus ſeritur aniſũ.

Palladius vbi ſupra. Aniſum ſicut & cyminum. In Martio ſeritur bene. In locis autem lætioribus melius prouenit: & item cætetis, ſi humore inuenitur ac ſtercore.

Iterum de eodem.

Cap. IV.

P *Linius libro vigeſimo.* Aniſum aduerſus ſcorpiones ex vino bibitur. A pythagora inter pauca laudatum, ſiue coctum, ſiue crudum. Idem viride aridumve, omnibus quæ condiuntur quæque intingutur deſideratum. Ipſum oris halitum iucundiorem facit, fætoremque tollit maſticatum matutinis cum ſmirneo & melle exiguo. Mox vino collutum vultum iunioré præſtat. In ſomnia leuat ſuſpenſum, aut puluino, vt dormientes olfaciant. Appetentiam ciborũ præſtat, cum id quoque inter artificia deliciæ fecerunt, ex quo labor deſijt cibos poſcere. Ob has cauſas, quidam *anicetum* id vocauere. Laudatiſſimum eſt Creticum, proximum Ægyptium, hoc liguſtici vicem præſtat in condimentis: dolorem capitis leuigat ſuffitum naribus. Epiphoris oculorum radicem eius tuſam imponit Iollas. Ipſumque cum croco pari modo & vino, per ſe quoque tritum cum polenta, valet ad magnas fluctuationes, extrahendaque ſiqua in oculos inciderint. Narium quoque carnes conſumit ex aqua illitũ: *ſedat anginas* cum melle & hiſſopo ex aceto gargarizatum, auribus infunditur cum roſaceo. Thoracis pituitas purgat toſtum, cum melle ſumptum melius. Cum acetabulo à niſi nuces amaras quinquaginta purgatas tere in melle ad tuſſim. Facillimè vero aniſi dragmæ tres, duæque papaueris melle miſcentur ad magnitudinem fabæ: triniſque diebus ſumuntur, & præcipuũ eſt ad ructus. Ideoque inflammationibus ſtomachi, & inteſtinorum torminibus, ac celiacis medetur. Singultus inhibet decoctum, & olfactum, & potum: decocti quoque ſuccus digerit cruditates. Ipſumque olfactum cum apio ſternutamenta inhibet. Potum concitat ſomnum: calculos pellit. Cohibet vomitiones: præcordiorumque tumores. Eſt etiam vtiliſſimum vitijs pectorum: neruis quoque, quibus corpus eſt ſuccinctum vtiliſſimum: prodeſt & capitis doloribus ſuccus eius inſtillati cum oleo decoctum, nec aliud ventri & inteſtinis putant vtilius: ideoque dyſſenteriçis ac tenaſmon patientibus datur toſtum. Aliqui addũt opium pillulis in die ternis lupini magnitudine, & vini cyatho dilutis. Dieuches & ad lumborum dolores ſucco vſus eſt. Semen hydropicis & cęliacis dedit tritum cum menta. Verum & radicem ad renes. Dalion herbarius parturientibus ex eo cataplaſmata impoſuit cum apio. Item vuluarum dolori: deditque bibẽdum cum aneto parturientibus: phreneticis quoque illiniuit recens cum polenta, ſic & infantibus comitiale vitium, aut contractiones ſentientibus. Pythagoras in manu habentes æſtimauit non corripi comitiali vitio: ideoque quamplurimum domi ferendum: patere quoque facilius olfactantes, ſtatimque à partu dandum eſſe potui, aſperſa polenta Soſimenes contra duricias omnes illo vſus eſt ex aceto. Et *contra laſſitudines* in oleo decoquens, addito nitro: poto quoque ſemine eius laſſitudinis auxilium ſpopondit viatoribus. Heraclides ad *inflammationes ſtomachi* ſemen eius tribus digitis cum Caſtorei duobus obulis dedit ex mulſo: ſimiliter ad ventris & inteſtinorum inflationem & orthopnoicis, quod ternis digitis prehenderit ſeminis tantum denique iuſquiami cum lacte aſinino. Multi vomituris acetabula eius & folia lauri decem trita in aqua bibenda inter cænam ſuadent. Strangulationes vuluæ ſi manducetur & linatur calidum: vel ſi bibatur cum caſtoreo aceto & melle ſedat *vertigines* à partu cum ſemine cucumeris, & lini parti menſura in albo vino diſcutit. Cleopolemus ad quartanas ternis digitis ſeminis aniſi ac fæniculi vſus eſt, in aceti ac mellis cyatho vno. Idem lenit articulares morbos cum amaris nucibus illitum.

Contra oris fœtorem.

Anicetum.

Sedat anginas.

Contra inteſtinorum tormina.

Datur parturientibus.

Phreneticis.

Laſſis.

Inflammatis ſtomacho.

Vertigineſis.

Articulari morbo laborantibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

illitum. Sunt qui & aspidum venenis putant eius naturam aduersari, vrinam cit, sitim cohibet, venerem stimulat, cum vino sudorem leniter prestat, vestes quoque à tineis defendit. Recens semper est efficacius, & quo nigrius. Inutile tamen est stomacho præterquam inflato.

De apij semine & asparagi & atriplicis.

CAP. V.

Semen apij. *Isaac in dietis.* Apij semen diureticum est, pluſquam frondes. Nonnumquam vero semen eius in medicina ponitur: præstatque dolori intraneorum mitigationem ac tuſſientibus remedium: & fit etiam contra venenum: at vero vniuersaliter apium epilepticis nocet. *Palladius lib. 5.* Apij semina vetustiora quidem nascuntur citius: ea vero quæ nouella sunt serius.

Plinius vbi supra. Apij semen menstrua cit & vrinam. Idem quoque semen cum vino frangit vesicæ calculos. *Contra calculum, hydropisim.*

Auicenna in secundo Canone medicina. Alij semen confert hydropisi, mundificat hepar, ipsumque calefacit, vrinam quidem & menstrua prouocat, sed malum est prægnantibus.

Asparagi semen. *Platearius.* Asparagi semen & fructus medicinæ competunt. Semen eius valet contra stomachi & inteſtinorum dolorem, & contra vitium lapidis, & contra iliacam passionem. Hoc itaque semen per annum seruatur, & in medicinis ponitur cum asparagi receptio reperitur.

Dioscorides. Asparagi semen & radix vtilia sunt hepati ac renibus. Semen ipsum cum cymino tritum, & cum vino datum, ventrem stimulat, vrinam quoque sollicitat.

Contra morsus aranearum. *Isaac in dietis libro tertio.* Asparagi seminis atque radicis posima bibitum occurrit morsibus aranearum.

Atriplex. *Idem in eodem.* Atriplicis semen est mundificatiuum atque colatiuum. Proinde valet ictericiam patientibus, quæ de hepatis opilatione nascitur. Nam quod inde cum melle & aqua datur, cholericos prouocat vomitus.

De Bancia semine & beta ac boraginis & brassica.

CAP. VI.

Bancia sylueſtris semē. *Auicenna.* Bancia sylueſtris semen appellatur daucus, qui calidus est in gradu tertio, & siccus in eiusdem principio: aperitiuus est valde, prouocat vrinam & menstrua.

Beta & Boraginis semen quibus prosunt. Brassica. *Plinius vbi supra.* Betæ sylueſtris quæ respectu domesticæ multo minoribus, & tenuioribus ac densioribus est folijs: semen prodest dysentericis.

Author. Boraginis semen (vt dicit Isaac) per annos duos in efficacia multa seruatur, & in medicinis ponitur. *Plinius vbi supra.* Brassicæ semen, tostum contra serpentes fungorumque venena prębet auxilium.

Dioscorides. Semen brassicæ potatum lumbricos occidit, & lentigines tollit. Apud Galenum inuenio semen brassicæ potum, & Ægyptiæ maximè lumbricos & intus animalia extinguere.

Palladius. Semen brassicæ vetustum mutatur in rapam.

De Cannabi semine atque capparis.

CAP. VII.

Cannabum. *Plinius libro vigesimonono.* Cannabi semen quando maturatum est, Æquinoctio Autumni distinguitur, & Sole vel vento, vel fumo siccatur.

Dioscorides. Cannabi semen omnibus notum est, vsui vtile, quod & facile manducari potest. Nimiè comestum genitalia stringit: viridis succus auris dolorem mitigat infusus. Cannabum agreste plurimum quoque idem facit, eiusque semen atque radices supradictis similes sunt.

Auicenna vbi supra. Semen cannabi ventositates fugat & excitat: difficilis est digestionis, malique humoris: quod ex eo frixum est, minoris nocumenti est. Et syrupus de saccharo acetosus expellit nocumentum eius. Ipsum enim semen, facit soda propter caloris vehementiam eiusque vaporem. Sehedegeni est semen cannabi, & aliud quidem est hortulanum, aliud campestre. Semen cannabi campestris, est calidum & siccum in gradu tertio. *Sehedegeni.*

Dioscorides. Cappar semen est sicut oliua: ventrem mollit, & comestum cacostomachum existit. Idem semen & radix eius cum vino bibita splenem attenuant: vrinam prouocant, sanguinem deponunt. Item semen eius cum aceto coctum, & ore retentum dolorem mitigat dentium. *Cappar.*

De Cardamomo.

CAP. VIII.

Cardamomum. *Dioscorides.* Cardamomum semen est videlicet nasturtij, quod in Arabia nascitur & alijs locis. Sed eligendum est fragile, flauum, plenum grauedine, & quasi lentum, sed non rugosum, clausum, & si frangatur puluerosum, gustumque subamarum calefaciens odore suaui & graui. Est autem calidæ virtutis, aliquid habens amaritudinis: ideoque lumbricos latos occidit. Cum aceto bibitum scabiem sanat & expurgat. Cum aqua vero calida prodest epilepticis, tuſsim mitigat ischiaticos curat, paralyticos sanat. Et quoniam aliquid habet causticæ virtutis, & quemadmodum sinapis relaxat, ideoque ventris tortionem & inflationem relaxat, & sanat: vrinam & menstrua prouocat, potatumque partum expellit, animalia ventris excludit, Serpentium morsibus occurrit, Cum vino nephreticos adiuuat: ictusque serpentium vel scorpionum omnium salubriter curat: vesicæ lapides frangit: menstrua fumigando deponit. *Vsus eius.*

Auicenna. Cardamomum quoddam est magnum, sicut cicer nigrum, quod cum frangitur, interius habet granum album, mordicans linguam sicut cubebe. Et aliud est paruum sicut lens, etiam aromaticum. Calidum est & siccum in tertio gradu: & in ipso est cum calefactione stipticitas, propriè que in illo quod habet caput, & propriè in capite ipsius. Confert nauseæ ac vomitui cum masticis aqua, & aqua vuiusque granati. *Confert vomitui.*

Constantinus vbi supra. Cardamomi duo sunt genera, maius & minus: vtrumque in primo gradu calidum & siccum. Sed maius est minoris caloris ac ponticitatis, & magis odoriferum, ideo stomachum confortat, & digestionem adiuuat, vomitum cholericum arcet, cum ligno aloes mastice ac succo mentæ potatum, extinguit phlegma, maximè suis corticibus bibitum. Cortex enim stipticior est, & stomachi confortantior.

Platearius. Cardamomum est fructus, vel potius semen cuiusdam arboris: & est calidum & siccum in secundo gradu. Maius melius est, & habet aliquantulum acuminis, & dulcedinem immixtam. Per annos xx. potest seruari, Virtutem habet confortandi ex aromaticitate, dissoluendi & consumendi ex qualitatibus. Valet contra syncopen & cordiacam passionem ex frigida causa: & ad debilitatem stomachi, id est digestionem confortandam, & appetitum prouocandum, & contra vomitum ex frigida causa, contraque debilitatem cerebri. *Contra syncopen.*

Ex epistola Hippocratis. Cardamomum calidam virtutem habet, & aliquid amaritudinis, quia lumbricos occidit, & scabies fortiter sanat.

De Carui.

CAP. IX.

Carui vel alias Caru.

PLatearius. Carui appellatur ſemen, & herba in tertio gradu calida & ſicca. In tranſmarinis partibus, & in Sicilia repetitur in quantitate multa: per annos quinque ſeruari poteſt. Virtutem diureticam & diaphoreticam habet: vnde vinum decoctionis eius confert ſtranguriæ ac dyſſuriæ: puluis etiam eius in cibis ſumptus digeſtionem confortat, ventoſitatem excludit, & poſitum in ſalſamentis appetitum excitat. Semine vtuntur tantum in medicinis.

Conſtantinus in libro graduum. Carui eſt calidum & ſiccum in tertio gradu: *ventoſitatem & inflationem diſſoluit, ſtomachumque corroborat, lumbricos occidit,* digeſtiuam virtutem confortat: vrinam prouocat.

Auicenna. Carui eſt proximum diſpoſitionibus aniſi: Calidum eſt & ſiccum in ſecundo. Expellit ventoſitates & exiccat, & non eſt in ſubtiliatione cymini. *Confert tremori cordis.* Eſt bonum vermibus, interficit enim eos.

Plinius libr. 19. Careu gentis ſuæ nomine appellatum in quacunque terra ſeri vult eadem ratione, qua oluſſacrum, laudatiſſimum tamen in Caria, proximum in Phrigia.

Dioſcorides. Careos ſemen eſt omnibus notum: virtus eſt illi calida, & vnctualis, aniſo ſimilis, euſtomacha, miſceturque antidotis, & oxyporijs. Radix eius comeditur cocta ſicut paſtinaca.

Cardumen. Virtus.

Ex ſynonymis. Cardumen eſt agreſte carui. Auicenna. Cardumen eſt in tertio gradu calidum & ſiccum, & eſt rubificatiuum. In ipſo eſt virtus liquefactiua, eiuſque virtus eſt confortare membra intrinſeca: *confert ſcabiei, & impetigini, & confert agritudinibus neruorum*, ac dolori anchæ ex phlegmate atque paralyſi, & lacertorum contuſſioni. In aqua bibitum confert epilepſiæ. Eſt etiam mundificatiuum pectoris, & ſedatiuum tuſſis, *confert doloris pungitiuo ventris, ac vermibus & aſcaridibus.* Et cum vino renum dolori, & vrinæ difficultati. Datur & ad lapidem in potum cum cortice radicis lauri, eiuſque fumus fœtum interficit, denique confert mordicationi ſcorpionis, ac reliquis puncturis.

Conſtantinus vbi ſupra. Sylueſtre carui, quod dicitur cardumen, valet epilepticis, diuque tuſſientibus iſchiaticis, nephreticis, ſtranguriosis, ac reptilium morſibus. Tortionem ventriſque dolorem de craſſa ventoſitate, ac viſcoſo phlegmate curat, cum aceto mixtum ſcabiem, impetiginem, alopeciam ſanat. De quo qui fumigatus fuerit, ſtridorem ei prouocabit.

De Cymino.

CAP. X.

PLatearius. Cyminum eſt ſemen herbæ cuiuſdam in multa quantitate naſcentis, nec ſophiſticatur propter multam eius copiam: per annos quinque ſeruari poteſt, virtutem habet diureticam, & fumoſitatem ſubtiliandi. Vnde ſumptum in cibis & potibus & ſalſamentis digeſtionem confortat: vinum decoctionis ſeminis fœniculi, & cymini dolorem ſtomachi, & inteſtinorum tortionem ex ventoſitate mitigat. Contra tuſſim frigidam datur vinum decoctionis eius & ficuum ſiccarum: valet contra tumores ac dolores fœcium: contra frigidum rheuma, contra ſtranguriam & dyſſuriam, contra liuorem ex contuſione. Ex frequenti autem vſu cymini fit decoloratio.

Cymini virtus.

Iſaac. Cyminum eſt calidum in tertio gradu, ſiccum in ſecundo: ventoſitatem diſſoluit, dolorem & tortionem ventris placat. Coctum cum cibis inflantibus temperat eos.

Dioſcorides. Cymini ſemen bibitum tortiones & inflationes ſaluberrimè curat aquæ mixtum. Cum aceto vero ſubglutientibus opitulatur, venenis occurrit, dolorem ſtomachi compeſcit, Maſticatum & impoſitum, liuores detergit. Addito melle & vua paſſa omnia ſupradicta facit.

Curationes cymini.

Plinius libro vigeſimo. Cyminum ſatiuum datur ad iocineris vitia toſtum in aceto tritum, Item & ad vertiginem, in dulci vino tritum, ad vuluarum vitia. Teſtium quoque tumoribus toſtum tritumque cum melle, vel roſaceo ac cera tritum, Sylueſtre ad omnia efficacius eſt, præterea valet ad ſerpentes cũ oleo, ad ſcorpiones, ad ſcolopendras. Siſtit & vomitiones ex vino, nauſeasque quantum valent tres digiti apprehendere: propter collum quoque bibitur, illiniturque vel penicillo feruens, vel aſtringitur faſcijs. Strangulationes vuluæ potum in vino aperit, tribus dragmis in tribus vini cyathis, inſtillatur auribus quos ad ſonitus atque tinnitus cum ſeto vitulino, vel melle. Sugillatis illinitur cum melle & vua paſſa & aceto. Lentigini nigræ ex aceto.

Conſtantinus vbi ſupra. Cyminum eſt calidum & ſiccum in tertio gradu: ventoſitatem & inflationem ſtomachi diſſoluit, vrinam prouocat, & valet contra frigiditatem hepatis. In oleo coctum & clyſterizatum, tortionem & dolorem de craſſa ventoſitate & inflatiua pellit, in aceto infuſum & aſſum ventris ſolutionem propter liquidos humores conſtringit. Bibitum cum vino curat reptilium morſum. Peſſarizatum cum oleo veteri conſtringit ſanguinis fluxum. Naribus inſufflatum cum aceto, vel facta ſternutatione cum eo, conſtringit ſanguinem de naribus profluentem, aſſuetè tamen quis ex eo lotus, aut illud potans, patitur in ſuperficie cum plumbeo colore mixtam citrinitatem.

Palladius libro tertio. Cyminum in Februario feritur loco non bene ſubacto, & cui lætamen admiſceatur.

Locus & tẽpus ſerendi.

Iterum de eodem.

CAP. XI.

AVicenna. Cyminum aliud eſt Chermenium, & aliud Perſicum, & aliud Æmium, & aliud Nabarium. Et ex omnibus aliud eſt ſylueſtre, cuius acrimonia fortior eſt. Aliud autem domeſticum eſt. Chermeninum coloris eſt nigri, perſicum vero citrini. Eſt autẽ calidum in tertio, ſiccũ in ſecundo. In ipſo eſt inſciſio & exiccatio atque ſtipticitas vẽtoſitates expellit ac reſoluit, faciem clarificat ex aqua eius ablutio, & ſimiliter eiuſdẽ acceptio, verũtamen cum menſura fiat, quia nimius eiuſdem vſus faciem citrinat. Idem vulnera ex ipſo impleta conſolidantur. Idem cum aceto tritum odoramento ſuo fluxum abſcindit ſanguinis narium, & ſimiliter cum in nares intromittitur ex eo lichinum. Cum aceto bibitum aquæ mixto, difficultati confert anhelitus, ac tremore cordis frigido. Cum oleo & farina fabarum adminiſtratum frangit lapidem proprièque ſylueſtre, & confert diſtillationi vrinæ, mictui quoque ſanguinis ac dolori pungitiuo & inflationi ventris. Idem datur in potu cum vino ad morſus vermium venenoſorum, proprièque ſylueſtre, cuius ſemen eſt ſemini lilij ſemine. Cyminum quidem nabatium ventrem ſoluit. Chermenium vero ſtringit. Et herba ſylueſtris prouocat choleram in vrinam. Quandoque maſticatur & miſcetur cum oleo, & diſtillatur ſuper vngulam, & ſuper coagulatum ſanguinem ſub oculo, & confert. Quandoque maſticatur cum ſale, & diſtillatur ſputum ſuper ſcabiem & vngulam abſciſam, & prohibet adhærentiam. Et ſuccus ſylueſtris abſtergit viſum, & attrahit lachrymas.

Supradicta virtutis alia repetitio.

Macer.

Eſſe putant medici calidum ſiccumq; cyminum,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tertius eſt illi gradus in virtutibus iſtis.
Aſſumptum quocunque modo depellere tradunt,
Viſcera vexantem ventum ſtomachumque grauantem,
Eſt digeſtiuum ſtomachi iecoriſq; calorem
Excitat, & Veneris dicunt inhibere furorem,
Et fluxum ventris in aceto ſtringere coctum
Hoc orthopnoicus miram præſtare medelam,
Experti dicunt, cum puſca ſæpius hauſtum
Atque venenoſis cum vino morſibus ipſum
Prębet opem, tritum fabæ cum Pollne iuncto,
Melle tepente ſolet teſtes curare tumentes,
Appoſitum ſiſtit cum puſca menſtrua ſumptum,
Dicunt pallentem dare manſum ſæpe colorem.

De Crocognido, & coriandro.

CAP. XII.

Crocognidii.

Platearius. Grocognidum eſt ſemen laureolæ: quod competit vſui medicinę, virtutem habet purgandi principaliter phlegma & choleram, vnde & ſanis lapſis, & ægris non multum febricitantibus dari poteſt: puluis crocognidij ſubtilis diu cum oleo bullitur: & ſic ex eo pecten propter ſtranguriã, & dyſuriam inungitur, Renes quoque propter tenaſmon ex frigido & glutinoſo humore inteſtinis adhęrente, & propter ſurditatẽ immittitur auribus: ſi fiat ex humoribus ibidem exiſtentibus, Saniosas quoque ſuperfluitates conſumit. *Plinius lib.* 27. Crocognido eſt color croci. magnitudo maior eſt grano piperis. Vis eius eſt ardens, & ob hoc in pane deuoratur: ne cum gulam tranſit exurat. Huic eſt vis præſentanea contra cicutam: & ſiſtit aluum. *Conſtan. vbi ſupra*, Crocognidum eſt calidum & ſiccum in fine ſecundi gradus, hydropicis eſt conueniens ventri tamen nocet, ſed aquam citrinam purgat, & choleram rubeam, & phlegma. Frondes eius cataplaſmatæ vulnera putrida mundificant ſcabiem, & impetiginem curant.

Coriandri ſeminis effectus.

Platearius. Coriandri ſemen in receptionibus ponitur, quod ex qualitatibus, & aliquantula aromaticitate virtutem habet confortandi, ad digeſtionem ſcilicet confortandam, & ad dolorem ſtomachi ex ventoſitate datur ſemen in cibis, & vinum decoctionis eius. Puluis eiuſdem ſeminis ſuper carnes aſperſus, eas reddit ſaporatas. *Iſidorus.* Coriandri ſemen datum in vino dulci *proniores in venerem* reddit, & ſi ſupra modum dederis, amentiam nutrit. *Dioſcorides.* Semen coriandri bibitum cum dulcore, id eſt paſſo: lumbricos extinguit. genitalia & ſemen virile creſcere facit, quòd ſi multum acceptum fuerit, ſenſus his hebeteſcit, aut etiam infert necem, ex aqua vero potatum ſolutionem ventris abſtringit. Mirum eſt autem, quod Xenocrates tradidit, quot grana ſeminis mulier biberit tot ei diebus menſtrua contineri, ſcilicet vno die ſi vnum: duobus ſi duo: & ſic deinceps.

Mirum de coriandro.

Croci hortenſis effectus.

Conſtant. vbi ſupra. Croci hortenſis ſemen calidum & ſiccum eſt in tertio gradu. phlegma purgat & cholicam paſſionem. Tritum & in iure pinguis gallinæ miſſum, & potuidatum, purgat phlegma viſcoſum, & ſtomacho nocet.

Plinius libro 20. Seminis coriandri grana tria iubent in tertianis deuorari ante acceſſionem ali qui, vel plura fronte iubent illiniri. Sunt & qui ante ſolis ortum ceruicalibus efficaciter putant ſubiici. Semen illud ex aqua bibitur in choleris, cum ruta pellit animalia intrancorum cum mali punici ſucco & oleo ſemen potum.

Auicenna. Semen coriandri torrefactum conſtringit.

Tempus quo ſeritur Coriandrum.

Palladius libro tertio. Coriandrum à menſe Martio ſeritur vſque in Octobrem, amatque terram pinguem, ſed & macro ſolo naſcitur, & eius ſemen quo vetuſtius fuerit melius putatur, humore delectatur, & ſatum bene cum olere quocunque naſcitur.

De Dauco & eruca ſemine.

CAP. XIII.

Auicenna in ſecundo canone. Daucus eſt ſemen banciæ ſylueſtris: calidus eſt in gradu tertio, & ſiccus in eiuſdem principio, aperitiuus eſt valde, prouocat vrinam & menſtrua. *Plinius lib.* 25 Dauci differentiæ ſunt. Probatiſſima eſt in Creta, mox in Achaia. Semen prioris eſt cymino ſimile, album, & acre, odoratum, ac feruens. Secundum quoque priori vehementius eſt, ideoque parce ſumi debet. Tertium quoque ſimile eſt paſtinacæ erraticæ, oblongo ſemine, dulci radice. Omnia hæc intacta ſunt quadrupedibus percuſſis, niſi poſt abortus. Ex alijs vſus eſt fœminis. Ex Creta dulcis, dragmaque vua bibitur, à ſerpente percuſſis datur, etiam quadrupedibus percuſſis.

Curat quadrupedia percuſſa.

Dioſcorides. Daucus eſt calidæ virtutis, & extenuatoriæ. In flore albo ſemen naſcitur quaſi piloſum, in magnitudine milij minutum, guſtu aſperum viſcidum & odoratum. Eſt & aliud genus quod ſemen habet oblongum, & graue ſicut cyminum agreſte, & eſt calidius cunctis ſupradictis ſeminibus. Bibitum menſtruis imperat, vrinam prouocat, torrionibus ſubuenit, ad omne vitium thoracis optimè facit. Tuſſientibus effectum tribuit. percuſſionibus phalangionis occurrit. Tuſſi veteri ac torminoſis proficit. Cataplaſmatibus adhibitum puſtulas & tumores compeſcit. Omnia ſemina cum vino bibita, faciunt contra ſerpentium morſus ac venena.

Platearius. Erucæ ſemen vſui medicinæ competit præcipuè, ſecundo folia, virtutem habet conſumendi & coitum excitandi, valet & contra ſtranguriam & dyſſenteriam, & paralyſim cum carnibus decocta, vel puluis ſeminis cum cæpis decoctis.

Eruce ſeminis vſus.

Dioſcorides. Erucæ ſemen eſt diureticum & calefactorium, carnes à putredine poteſt ſeruare.

Plinius lib. 20. Semen erucæ ſcorpionum medetur venenis & muriſaranei, Arcetque beſtiolas omnes innaſcentes corpori: vitia cutis in facie cum melle illitum emendat, & lentigines ex aceto, cicatrices quoque nigras reducit ad candorem cum felle bubulo.

Palladius libro ſecundo. Semen erucæ in Ianuario ac menſibus & locis quibus volueris, ſerere nil moreris.

De fœniculi ſemine ac ferula.

CAP. XIIII.

Seminis fœniculi efficacia.

Iſaac Fœniculi ſemen calidum eſt in ſecundo gradu, ſiccum in fine primi lactis augmentatiuum. Opilationum hepatis renum & veſicæ *aperitiuum. lapides frangit, menſtrua prouocat*, valetque contra diuturnas febres.

Platearius. Semen fœniculi in principio Autumni colligitur, in multa efficacia per medium annum ſeruatur. Cum inuenitur receptio mararri, ſemen fœniculi debet poni, valet contra dolorem ſtomachi ex frigiditate, vel ventoſitate, digeſtionem confortat.

Plinius vbi ſupra. Semen fœniculi efficacius eſt, quàm radix, ſtomachum aſtringit diſſolutum. Nauſeam ſedat ex aqua tritum, pulmonibus & iocineribus laudatiſſimum, ventrem quoque ſiſtit, modicè ſumptum vrinam excitat, & ad tormina decoctum valet, atque in defectu lactis potu mammas replet.

Dioſcorides. Fœniculi ſemen ex mero ventrem ſtimulat, lactis abundantiam puerperis præſtat, cum aqua nauſeam ſedat, nec vllum periculum oritur, & ſi in febre ſumatur hoc ſemen viride expreſſum, dimittit ſuccum vtilem ad plura, ſicut videlicet dictum eſt ſupra. Agreſtis fœniculi ſemine ſato ſimul cum ſua radice potum ventrem abſtinet, morſibus venenatis occurrit, calculos frangit, & ictericis ſubuenit. ▸

Tempus ſerendi. *Palladius libro tertio.* Semen fæniculi ſerendum eſt loco aprico & modicè ſaxoſo, & hoc primo vere, ſcilicet Februario.

Macer.

Fœniculum medici calidum ſiccumq́; ſecundo.
Dicunt eſſe gradu, maratrum Græcus vocat illud,
Semen cum vino bibitum, veneris mouet actus,
Horq́; modo lateris diros ſedare dolores

Ferulæ. *Dicunt &c. Dioſcorides.* Ferulæ ſemen tortionibus medetur bibitum, ſudoremq́ue commouet cum oleo tritum atque perunctum.

De Iuſquiami ſemine.

CAP. XV.

Legitur Hyoſcyamus *Platearius.* Vſitatius Iuſquiami ſeminis eſt triplex diuerſitas, videlicet album, rubeum, & nigrũ. Nigrum eſt mortale, album & rubeum ſatis competunt vſui medicinæ. Maioris efficaciæ ſunt ſemina, quàm herba ipſa: virtutem habet conſtringendi & mortificandi, virturem quoque ſomniferam ad ſomnum ergo prouocandum in febre acuta, fit fomentum ex aqua decoctionis eiuſdem ſeminis circa pedes ac frontem ac tempora. *Emplaſtrum.* *Contra calida vero apoſtemata* in principio fit emplaſtrum ex eodem ſemine cum oleo roſaceo. Porro contra dyſſenteriam fit emplaſtrum ex ipſo ſemine cum oui albugine modicoque aceto ſupra renes ac pectinem.

Dioſcorides. Iuſquiami ſemen album eſt vtile, nigrum inutile, ſemen & folia exiccantur, haſtaq, tunſa exprimitur. Qui confectionibus collyriorum mixtus rheuma viſcidum compeſcit, dolores aurium mitigat, & polentæ mixtus podagricos tumores adhibitus ſpargit. Semen eius omnia prędicta facere nouit, & maximè tuſſientibus ſubuenit. Catarrhum ſoluit, & oculorum rheuma compeſcit vino mixtum, & cataplaſmatum tumorem teſtium ſoluit atque mammarum.

Plinius lib. 15. Hyoſcyami vnum genus eſt nigri ſeminis, foliis penè purpureis & ſpinoſis, Talis in Galatia naſcitur, vulgare autem eſt candidius ac fructicoſius. *Effectus hyoſcyami.* Alterius vero ſemen eſt ſimile papaueris. Tertij ſemen trionis ſemini eſt ſimile, *& omnia inſaniam facunt, ac vertigines capitis.* Quartum genus molle lanuginoſum eſt, pinguius cæteris, candidi ſeminis, naſcens in maritimis, hoc recepere medici. Itemque ſeminis rufi, nonnunquam ante candidum rufeſcit, ſi non ematurit, improbaturq́ue alioquin nullum legitur, niſi cum inaruerit. In eo vini natura ideoq; mentem, & caput infeſtat. *Nota.* Nec ſolum ſemine, ſed etiam foliis conſtat *mentem corrumpi, ſi plura quàm quatuor bibantur ex eis.* Antiqui etiam in vino febrem arbitrantur depelli. Oleum ex ſemine fit, quod & ipſum auribus infuſum tentat mentem. Mirèque contra venenum in eo bibito remedia prodidere, adeo nullo omnia experiendi fine, vt cogerentur etiam venena prodeſſe. Iterumque hyoſcyami ſemen cum meconio, & vino bibitur ad epiphoras inhibendas.

De Lactuca ſemine.

CAP. XVI.

Bibitio Lactucæ ſeminis quid præſtat? *Iſaac.* Lactucæ ſemen bibitum ſuperflua *ſomnia prohibet. Venerem abſtinet, ſeminis quoque fluxum per ſomnum reprimit.*

Auicenna. Semen lactucæ ſperma exiccat, & deſiderium coitus ſedat. *Plinius lib.* 19, Semen lactucæ toto anno ſeritur locis lætis & irriguis ac ſtercoratis, menſibus binis inter ſemen vel plantam & maturitatem, legitimum tamen eſt à bruma ſemen iacere plantamq́ue fauonio transferre, aut ſemen fauonio plantam æquinoctio verno.

Idem libro vigeſimo. Semen lactucarum ſatiuarum datur contra ſcorpiones tritum & ex vino potum, & imaginationes in ſomno tentantes, compeſcit libidinum.

Palladius lib. 2. Certum eſt anno toto bene ſeri ſemen lactucarum, ſed amant ſolum ſubactum, pingue, humidum, ſtercoratum.

Macer.

Lactucæ ſemen compeſcit ſomnia vana,
Cum vino bibitum, fluxum quoque reprimit alui.

De Lini ſemine.

CAP. XVII.

Iſaac. Lini ſemen calidum eſt in primo gradu, ſiccum & humidum in medio, dutum eſt digeri, inflatiuum, & ſtomacho nociuum. Tamen diureticum eſt, & cum melle acceptum melius eſt, *ad frigidam tuſſim valet.* Pectus quoque phlegmatica collectione purificat.

Auicenna. Semen lini proximum eſt virtuti fœnu Græci *Lini ſemen.* In primo gradu eſt calidum, & humiditate & ſiccitate commenſuratum, & ex ipſo cum nitro & bolo fit emplaſtrum. Eſt autem maturatiuum, & abſtergit & inflat propter humiditatem ſuam ſuperfluam, & eſt dolorum ſedatiuum minus quam camomilla. Emplaſtrum prędictum valet panno & borhor leni & confert vnguium contractioni fiſſuris atque fracturis, lenit apoſtemata calida & dura, *prohibetque ſpaſmum.* Eius ſuffumigatio confert corizæ, confert etiam tuſſi phlegmaticæ, & quod ex ipſo aſſatum eſt propriè ſtomacho malum eſt, ac difficilis digeſtionis, & quod ex eo fixum eſt, ventrem conſtringit. Cum melle ac pipere ſumptum *mouet coitum.* Ex eius decoctione fit matrici peſſarium. Ex ipſo quoque fit *vlceribus veſicæ ac renum* inteſtinorumque *iuuamentum.*

Plinius libro 20. Lini ſemen cum alijs quidem in vſu eſt, ac per ſe vitia cutis mulierum emendat in facie, oculorum aciem ſucco adiuuat, epiphoras cum thure & aqua, aut cum myrrha, cum vino ſedat parotidas, cum melle vel adipe, vel cera ſtomachi ſolutiones, inſperſum polentæ modo. Ang nas in aqua & oleo decoctum, cum aniſo illinitum. Torretur vt aluum ſiſtat. Cæliacis & dyſſintericis imponitur ex aceto. Ad iocineris quoque dolores, cum vua paſſa. Muſculorum ac neruorum, & articulorum duritias, cerebri membranas mitigat farina ſeminis, nitro vel ſale aut cinere additis. Cum radice vero ſylueſtris cucumeris quæcumque inhęrent, corpori extrahit, ſic & oſſa fracta, vlcus quoque ſerpere prohibet in vino decocta. Eruptiones pituitæ emendat cum melle vngues ſcabros cum pari modo naſturtij, ac teſtium vitia & ramices cum reſina, & myrrha, gangrenas ex aqua, ſtomachi dolores cum fœnu Græco ſextarijs vtriſque decoctis in aqua mulſa, inteſtinorum & thoracis pernicioſa vitia clyſtere in oleo ac melle. *Morbi quos curat.*

Palladius lib. 3. In menſe Februario aliqui ſemen lini læto ſolo ſpargunt, & lina conſequuntur exilia. *Serendi tempus.*

Idem in lib. 11. In menſe quoque Octobri ſemen lini ſeri poteſt ſi placuerit, quod tamen pro ſui malitia ſerendum non eſt, quia terræ vber exhaurit. Sed ſi velis loco pinguiſſimo, & modice humido ſerere poteris. Aliqui macro ſolo ſpiſſum ferentes ſic aſſerunt, quòd & linum ſubtile naſcatur.

De Melonis ſemine.

CAP. XVIII.

Iſaac. Melonis ſemen & radix minus carne frigida ſunt, ſed cum deſiccantur, in fine ſecundi gradus ſicca fiunt, ideoque carne plus colatiua ſunt. Semen eius vrinam prouocat, renes ac veſicam ab arenis lapidibuſque mundificat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Semen melonis.

Palladius lib. 4. Semen melonum in menſe Martio eſt ſerendum Serendi ſunt autem rarius, ita vt diſtent inter ſe ſemina pedibus duobus, locis ſubactis & paſtinatis maximè arenis. Semina eius mulſo & lacte per triduum maceranda ſunt, & tunc iam ſiccata ponenda, hinc ſuaues efficientur, & odorati ſi eorum ſemina multis diebus inter roſæ folia ſicca mergantur. *Conſtantiam Panteg.* Melones frigidi ſunt & humidi, *impetiginem & morpheam cutis* inde lotæ *mundificat*, quod ſemen maximè facit.

De Nigella.

CAP. XIX.

Nigellæ effectus.

Platearius. Nigella calida eſt & ſicca in 3. gradu, ſemen eſt herbæ cuiuſdam, quæ in locis lapidoſis reperitur, ſemen rotundum eſt planum, ſubnigrum & ſubamarum: vnde virtutem habet diureticam ex aromaticitate, diſſoluit & conſumit ex qualitate farina eius confecta cum aceta tepido, & auribus infuſa *vermes necat*, valet & in vnguento *contra ſcabiem* & lentigines.

Auicenna. Nigella eſt in tertio gradu calida & ſicca, acris inſciſiua, phlegmatis abſterſiua, vētoſitates inflationemque cholicam *reſoluit*, & eius mundificatio vltima exiſtit. *Abſcindit verrucas*, ac morpheam, & *reſoluit apoſtemata* phlegmatica & dura poniturque cum aceto ſuper vlcera phlegmatica, & ſcabiem vlceratam. Corizę quoque confert, propriè torrefacta, & in panno linea ligata linitur & ſupra frontem illius qui habet ſoda frigida. Aperit valde *opilationem*, quę eſt in colatorio. Et eius decoctio cum aceto confert *dolori dentium* ore ex ea colluto. Iterum ex ea cum oleo irino fit *caputpurgium*, & prohibet aquæ initium. Bibita cum vino diſtillationi anhelitus confert. Iterum vermes interficit & aſcarides, prouocat menſtrua, & in potu cum melle & aqua calida datur ad *lapidem in renibus*, & veſica: reſoluit phlegmaticas febres ac *melancholicas*: & propriè remouet eas: *vermes venenoſos* fugat eius ſuffumigatio. Et æſtimauerunt quidam, quòd de ipſa interficit multitudo, denique confert ad morſum rutelæ.

Conſtantinus vbi ſupra. Nigellę calidæ ſunt & ſiccæ in tertio gradu, craſſam ventoſitatem & inflationem ſtomachi & inteſtinorum diſſoluunt, & ſuperfluos humores deſiccant. Cum melle temperatæ potui datę lapidem renum ac veſicæ frangunt, vrinam & menſtrua prouocant, ſed contra albam morpheam & phlegmaticam ſcabiem potatę conferunt, lumbricos & aſcarides occidunt. Tritæ & cum oleo lentiſcino mixtæ & auribus diſtillatæ, frigiditatem & ventoſitatem, inflationem & opilationem curant, cataplaſmatæ cum aceto, fiunt contra ſcabiem, puſtulas & apoſtemata dura. Coctæ in oleo rheumati de craſſis humoribus, ſternutatione ex eis prouocata, valent epilepticis & paralyticis, fumus etiam earum reptilia fugat, mortem inducit.

Iterum de eodem.

CAP. XX.

Meſantium.

Iſaac in dietis particularibus. Nigellę ſicut & cuminum coctæ cum cibis ventoſitatem generantibus eas temperant. Aliam quoque proprietatem nigellæ habent, quod lumbricos ſi potæ fuerint occidunt. *Dioſcorides.* Meſantium, id eſt nigella frutex eſt, folia habens minuta & tenera, ſemen quoque minutum, qui ſcilicet frutex duobus palmis longis, deſuper habet capitellum ſimile meconio, ſed oblongum. In medio veluti parietes habens, qui diſcernunt: ſemen hoc eſt nigrum, odoratum & viſcidum, quod & multi panni aſpergunt. In cataplaſmate dolorem capitis mitigat. Medetur etiam initio ſuffuſionibus tritum & naribus im miſſum, addita vero iri illyrica lentigines & lepras impoſitum emundat, verrucas quoque ſaluberrimè curat. Tumores veteres ac duricias cum aceto diſſoluit. Carbunculos cum vrina veteri curat, & ad ſanitatem perducit. Tæde additum atque cum aceto coctum & ore retentum, dolorem non admittit dentium. Porro in aqua coctum lumbricos occidit, vt cataplaſma vmbilico impoſitum, puluis ex eo factus in lintheo ligatus, & odori frequenter applicitus, catarrhum compeſcit, inflationes dolorem facientes dentium tollit. Et quoniam calidæ virtutis eſt, ideo multis diebus potatum menſtruis imperat, vrinam prouocat, & lac deponit. Eſt etiam deſiccatiuum nimis ac leptomeræ virtutis. Ideoque calidis appoſitum, pingues ac glutinoſos humores tollit, & conſtipatos digerit. Cum nitro bibitum diſpnoicis eſt ſingulare præſidium, morſibus venenatis occurrit, ſuoque fumigio ſerpentes de domo excludit.

Effectus nigellæ.

Macer.

Frumentis nocuam lolium Græcus vocat herbam
Quam noſtri dicunt vulgari more nigellam,
Cancros emendat, paſcentia vulnera curat,
Cum raphano modicoq; ſali ſuperaddita trita,
Zernas & lepras cura compeſcit eadem,
Sulphure cum vino purgamentiſq; columba,
Admiſce lolium, ſemen, quod lilia præbent,
His iungas, hoc cocta mero ſuperaddito ſcrofis,
Sic ſcrofas ſpargit, ſic apoſtemata rumpit,
Duriciaſq; alias emolliet hoc cataplaſma,
Multa decoctam commixta thure crocoq;
Apponas coxæ Ichiaſis quam vexat iniqua,
Parturiens mulier ſi ſe ſuffumiget illa,
Aſſeritur citius ventris deponere pondus.

De Ocimo.

CAP. XXI.

Ocimum Baſilicum.

Platearius. Ocimum eſt calidum & ſiccum alio nomine baſilicum dictum. Semen eius poni debet in medicinis. Herba vero ipſa in vnguentis & emplaſtris. Semen habet aliquantulum virtutem conſtringendi ex glutinoſitate, quod patet ex hoc quia ſi ponatur in aqua ſtatim incraſſatur, vel glutinoſitas quędam efficitur. Ipſumque ſemen collectum, per tres annos ſeruatur. Contra fluxum ventris ex frigiditate, ſemen hoc cum modico pulueris Achaiæ decoquitur in aqua pluuiali, & datur patienti. Eſt autem duplex ocimi materies, videlicet gariophylatum, atque citrinum. Gariophyllatum habet odorem gariophylij ſimilem, minutaque folia. Citrinum autem habet folia, in modum citri longa. Et gariophylatum quidem eſt calidum in gradu primo, ſiccum in ſecundo. Cytrinum vero calidum & ſiccum in primo.

Gariophillatum citrinū.

Effectus.

Dioſcorides. Ocimi ſemen tritum & hauſtum naribus ſternutamenta compeſcit, attramento ſutorio temperatum, verrucas tollit. Idem quoque ſemen bibitum maximè prodeſt melancholicis, medetur & dyſſurijs.

Plinius libro 20. Ocimi ſemen ſternutamenta prouocat naribus hauſtum, diſtillationes quoque capitis illitum.

Nota.

Palladius lib. 5. In menſe Aprili ocimum ſeritur, *citoque naſci dicitur, ſi ſtatim vt ſatum eſt aqua calida perfundatur.*

De Papauere.

CAP. XXII.

Papaueris effectus.

Iſaac vbi ſupra. Papauer, vt ait Dioſcorides, parum nutrit, durum eſt digeri, aſſuetis *dormitionem & obliuionem* generat. Si aqua in qua decoquitur caput abluatur, temperatum ſomnum & bonum in febribus præſtat, de papauere faciunt oleum & ſyrupum, valet contra tuſſim ex calidis humoribus.

Item ad cholericam & diuturnam egeſtionem: papauer album laudabilius eſt ac nutribilius, nigro quippe minus frigidum eſt, ſcilicet in ſecundo gradu. Nigri virtus eſt in potione non in cibo, frigiditas eius & ſiccitas in quarto gradu. Ideo vis eius in omnibus actionibus maior eſt albo, præſertimque in ſomno ventriſque conſtipatione. Ideoque cauendum eſt, ne ſæpe ſumatur, quia aſſuefactum maximè *cerebro ſtuporem infert*, & calor naturalis extinguitur. Papauer ſylueſtre in omnibus fortius eſt domeſtico.

Plinius vbi ſupra. Papaueris ſemine trito & in paſtillo è lacte vtuntur ad ſomnum, ad capitis quoque dolores cum roſaceo prodeſt. *Aurium quoque dolori* cum his inſtillatum, *podagris* cum lacte mulierum illinitur, ſic & folijs ipſis vtuntur. Semen autem *elephantijs* etiam medetur.

Platearius. Contra calida apoſtemata in principio & calefactionem hepatis ſemen papaueris, vel etiam herba ipſa contrita cum oleo roſaceo conficitur ac ſuperponitur.

Dioſcorides. Semen papaueris cum melle tritum non modicum tumentibus præſtat auxilium.

Auicenna. Semen papaueris ſpinoſi, *vomere facit*, ac phlegma humoremque crudum ſoluit.

Conſtantinus vbi ſupra. Semen nigri papaueris frigidum in initio quarti gradus, ſiccum in tertio. Bibitumque conſtipationem generat, naturalem calorem diſſipat & ſuperat, eiuſque vſus nimius *lumen obſcurat*, & ſenſum animalem defectat, vnde aliquando modica quantitas cum & ex vino datur ei valet, qui ſolutionem patitur.

Tempus quo ſeritur. *Palladius libro decimo.* In menſe Septembri papauer ſeritur, locis ſiccis & calidis, ſeminarique poteſt cum oleribus alijs.

De paſtinaca ſemine & petroſelini & porri.

CAP. XXIII.

Paſtinaca ſeminis effectus. PLinius *vbi ſupra.* Paſtinacæ ſemen contritum, & in vino potatum tumentem aluum, & ſuffocationes, doloreſque lenit mulierum, viris quoque prodeſt cum pane tritum & contra ventris dolores cum vino potatum, vrinam pellit, & phagadenas ſiſtit vlcerum recens cum melle impoſitum. Denique contra ſerpentium ictus ſemen paſtinacæ ſatiuæ ex vino medetur.

Dioſcorides. Tota vis paſtinacæ conſtituta eſt in ſemine atque radice, ſemen eius ex vino datum, tumentem aluum fœminarum, & ſuffocationem matricis præcluſas ſoluit, idem cum melle tritum canceroſis vlceribus imponitur.

Tempus ſerendi. *Palladius lib* 3. Paſtinaca ſeritur vere primo ſemine ponitur, & plantis loco pingui, & ſoluto. Raraque ſtatuenda eſt, vt robur accipiat.

Petroſelinũ. *Platearius.* Petroſelinum eſt domeſticum, & agreſte, cuius ſemen maximè competit vſui medicinæ. Et cum inuenitur receptio petroſelini, apponendum eſt ſemen domeſticum. Cum ſynonij agreſtis (ſic enim appellatur) per annos decem ſeruatur. Ipſa ſemina virturem habent diureticam, ſed ſynonij fortiorem.

Dioſcorides. Petroſelini ſemen eſt minutum ameo ſimile, odoratum & viſcidum, & aromaticum, virtus eſt illi diuretica, menſtruis imperat, & facit cætera ſupradicta.

Porrus. *Iſaac.* Porri ſemẽ & ſuccus eſt fortioris actionis quam ipſe porrus. Quod ſi aſſetur, & cum naſturtij ſemine miſceatur, prodeſt hęmorrhoides patientibus.

Auicenna. Semen porri torrefit cum granis myrthi, ad tenaſmon & ſanguinem ani.

Nota. *Palladius vbi ſupra.* In Februario ſerendum eſt ſemen porri, læto ſolo, & maximè campeſtri, area plana & paſtinata altè diu ſubacta & ſtercorata, *plura vero ſemina in vnum ligata ſi depoſueris, grandis porrus naſcetur ex omnibus.*

De Pſilij ſemine.

CAP. XXIIII.

Pſillij effectus. PLatearius. Pſillij ſemen, quod & ipſum pſillium vocatur, in æſtate colligitur, ac per annos decem ſeruatur virtutem habet infrigidandi & humectandi. Contra *linguæ ariditatem* in acutis febribus pſillium in ſubtili panno ligatum in aqua ponitur, & poſtquam maiorem viſcoſitatem receperit aliquantulum comprimitur, poſtea lingua cum tali aqua frequentiſſimè illinitur, & cum cultello ligneo raditur. Contra *ſitim & ſiccitatem ſpiritualium* in acutis febribus in aqua ponitur, quodque ſupernatat abicitur, & quod in fundo reſidet cum frigida datur. In ſyrupis quoque contra *acutas febres* rectè ponitur, & ad plura cætera, quæ videlicet dicta ſunt ſuperius medicatur.

Dioſcorides. Pſillij ſemen cataplaſmatum arthreticis medetur & parotidis, puſtulaſque purgat, & tumores ſoluit. Conquaſſarionem corroborat corporis, *dolorem prohibet capitis.* Cum oleo roſeo & aqua & aceto cataplaſmatum maximè curat infantes foras habentes *vmbilicum*: vires efficaciter refrigerantes & ſtringentes habet, ideoque cito *lachrymantibus oculis* prodeſt, & etiam *dyſentericis* valet. Iterum ad *ramices* conteritur, & in aqua infunditur &, cum ſe coagulauerit lintheo illitum imponitur, denique ſemen integrum nocte ac die in aqua infuſum addito modico quoque ſacchari potatum, intolerabiles acutarum *febrium calores* extinguit, *ventremq; ſoluit.*

Herba pulicaris. *Iſidorus.* Pſillium ſemen habet, vt ſupra dictum eſt, ſimile pulicis, propter quod & à latinis vocatur herba pulicaris.

De Raphani ſemine.

CAP. XXV.

Seminis raphani vſus. IDem. Raphani ſemine macerato quiſquis manus ſuas infecerit impunè ſerpentes tractabit.

Auicenna. Raphanum habet lignum quidem calidum & humidum in primo, ſemen vero calidum in tertio. Itaque fortius eſt ſemen in ipſo, deinde cortex, poſtea folia, deinde caro. Semen eius confert *lentigini bus* in membro factis ac reliquis coloribus extraneis, & veſtigijs percuſſionis. Idem cum condiſi linitum morpheam nigram in balneo curat, ſed pediculos in corporibus multiplicat. Iterum hoc ſemen cum aceto *vlcus gangrænarum* integrè ſanat, ſuper impetiginem & ſimiliter operatur. Iterum ſemen expellit *pulſationem iunctura rum*, & eſt bonum valde dolori earum. Idem cum aceto nauſeam valde facit, & *apoſtemata ſplenis* reſoluit. Hoc denique ſemen *confert venenis, & contra vermes venenoſos.*

Dioſcorides. Raphani ſemen bibitum eſt diureticum, ſplenem tumeſcere facit. Cum aceto cataplaſmatum, cancris eſt adiutorium. Elixum cum oximele gargariſmo *ſynanticis* opitulatur. *Ceraſti* quoque punctura accepta ſtatim medetur. Item ſemine raphani cum melle ſumpto, & trito *ſuſpirium* mitigatur, *tuſſis* arcetur, hoc ſemen cum aceto datum ſplen minuit, hydropicis ac ſpleneticis in modum cataplaſmæ impoſitum ſubuenit.

Plinius lib. 20. Raphani ſemen toſtum, deinde tritum cum melle *ſuſpirioſis* valet, idemque *contra venena* prodeſt, idem etiam ſemen impoſitum ex aqua ſiſtit, ea quæ phagadenas vocant *vlcera.*

Idem in lib. 19. Semen raphani vult ſeri terra ſolida & humida, fimum odit, contentum palea. Seritur autem poſt Idus Februarij, vt raphanus venuſtus ſit, iterumque circa vulcanalia, quæ ſatio melior exiſtit. Multi & Martio ſeruat & Aprili & in Septembri.

De rapæ ſemine atque roſa.

CAP. XXVI.

Semen rapæ.

Apias. Rapę ſemen contra venena datur in potum, idemque tritum ex vino valet contra morſus ſerpentum. *Plinius lib.* 20. Rapæ ſemen illitum, & in vino potum contra ſerpentes ac toxica ſalutare eſſe proditur. A multis autem antidoti vim habere in vino & oleo dicitur.

Dioſcorides. Semen rapæ miſcetur antidotis ac theriacis, & potionibus occurrit venenoſis. Idem ex vino bibitum vulneribus proficit venenatis, itaque ſemen in rapis calidum ac feruens videtur, & ipſæ paulo ſolutiores creduntur. Agreſtis rapæ ſemen in folliculis eſt concluſum nigrum & fragile, quod fractum habet intus colorem album, itaque faciei miſcetur albamentis, & etiam totius corporis.

Palladius lib. 8. Semen rapæ ſerendum in menſe Iulio, videlicet ſolo putri & ſoluto, nec ſpiſſo locis humidis, & campis lętatur, napus autem in ſicco, ac prope tenui ac deuexo & fabuloſo melior naſcitur, loci propietas vtrumque ſemen in alterum mutat. Nam rapa in alio per biennium ſata mutatur in napos, alio vero napus tranſit in rapam: ſubactum ſolum ſtercoratum verſatumque conquirunt, quod & ipſis ſegetibus proderit, qui in anno eodem ſeruntur.

Roſa ſemen.

Auicenna. Roſæ ſemen fortius ſtipticum eſt quod in ipſa eſt, & pili ſimiliter qui ſunt in eius medio, hoc itaque ſemen *gingiuam ſtringit.*

Plinius lib. 21. Semen roſæ optimum eſt crocinum nec anniculo vetuſtius, & in vmbra ſiccatur. Nigrum autem inutile, *dolori dentium* illinitur, *vrinam ciet, ſtomacho* imponitur. Idem igni ſacro non veteri, naribus ſubductum *caput purgat.* Capita eius pota *ventrem & ſanguinem ſiſtunt.*

Palladius lib. 3. Roſarum ſemina nequaquam putemus eſſe floſculos medios aurei coloris, quos roſæ ferunt, ſed baccas nutriunt quas in breuiſſimi piri ſimilitudinem plenas ſeminibus ſuis poſt virides iam reddunt maturas. Quarum tamen maturitas ex colore fuſco & mollicie poterit ęſtimari.

De Silere montano.

CAP. XXVII.

Siler.

Dioſcorides. Siler eſt ſemen cuiuſdam herbæ fœniculo vel aneto ſimile, ſed vaſtius & oblongius. Diaphoreticam habet virtutem, & in plutimum miſcetur antidotis, propriėque *facit ad colli dolorem.*

Platearius. Siler montanum eſt in ſecundo gradu calidum & ſiccum. Semen non herba ponitur in medicinis, habet virtutem diaphoreticam, virtutemque diſſoluendi & conſumendi. Contra *opilationem ſplenis & hepatis*, veſicæ quoque ac renibus datur decoctionis eius vinum: idem quoque fit contra ſtranguriam & dyſuriam: porro contra aſma proueniens ex frigida cauſa datur decoctio ipſius & ficuum, pariter autem & puluis eiuſdem cum ficubus ſiccis & aſſatis.

De Sinape.

CAP. XXVIII.

Temperamẽtum ſinapis.

Iſidorus. Sinapis ſemen, vt dictum eſt, cum aceto curat ſerpentium vulnera. Sinapis eſt calidus & ſiccus in medio quarti gradus, non herba, ſed ſemen. Quod collectum per annos quinque ſeruatur, & in medicinis ponitur, virtutem habet diſſoluendi, attrahendi, & extenuandi, & conſumendi. Contra *paralyſim linguæ* maſticatum, & ſub lingua contentum valet, valet & contra paralyſim aliorũ mẽbrorum, puluis eius naribus appoſitus, *ſternutationem prouocat, cerebrum a ſuperfluitate* phlegmatica *mundificat*, ponitur etiam in confectione contra *duritiam ſplenis.*

Effectus ſinapis.

Iſaac. Sinapis humiditatem capitis & ſtomachi *deſiccat* & ſi cum blito eſui detur, ſtomachum de craſſis mundat humoribus.

Razi in Almanſore. Sinape calidum eſt, In palato poſitum phlegma inſcidit, præterea vermes expellit, & apoſtemata maturat. *Dioſcorides.* Sinape eligendum eſt non ſiccum valde, quod fricatum habitu viride apparet, virtus eſt ei calida & leptintica. Succus eius cum mulſa mixta *tumorem faucium* mitigat, *ſcroſas* ſpargit, *aſpredinem arteriarum* diſſenit. Fumus eius eſt *epilenticis & effocationibus* maximum præſidium. *Lethargicis* auxiliatur, *Iſchiaticis & ſplenęticis* medetur. Cum melle & axungia mixtum, *vulnerationes* curat. Cum aceto vero *leproſis & Zernoſis* ſubuenit. Tritum & bibitum *periodicas febres* ſingulariter curat, *ſcabiem* quoque purgat, & incongruos *aurium ſonos* tritum & impoſitum tollit. Succus eius *caligines* oculis detergit.

Repetitio eorundem effectuum.

Conſtant. vbi ſupra. Sinapis calida eſt & ſicca in medio quarti gradus, *humores capitis & ſtomachi* diſſoluit, grauitatem linguæ propter paralyſim alleuiat. Bona eſt tumido ſpleni. Capiti cataplaſmata lethargiam & alopiciam curat. Gargarizata vel maſticata phlegma capitis & inteſtinorum, & linguæ omniumqúe inſtrumentorum excludit. Naribus applicata ſternutationem prouocat, epilepticos curat.

Hippocras dixit. Sinapis ventrem ſoluit, ſed vrinam non prouocat, valet omni dolori qui eſt ex phlegmate & cholera nigra, humores interius exiſtentes educit.

Plinius lib. 20. Sinapem Pythagoras ex his quorum in ſublime vis feratur, iudicauit habere principatum, quia non aliud magis *penetret in nares ac cerebrum.* Ad ſerpentium ictus & ſcorpionum illinitur cum aceto tritum, *venena quoque diſcutit fungorum.* Contra pituitam in ore donec liqueſcat tenetur, aut cum aqua mulſa gargarizatur, Ad dentium dolores manditur. Ad vuam cum aceto & melle gargarizatur. Stomacho contra omnia *vitia pulmonibuſq;* vtiliſſimum, excreationes faciles facit in cibo ſumptum, datur *& ſuſpirioſis*, itemque comitialibus tepidum cum ſucco cucumerum. Senſus & *caput ſternutamentis purgat.* Aluum quoque purgat & mollit, *vrinam & menſtrua prouocat.* Imponitur & hydropicis tuſum cum fico & cumino ternis partibus commitiali morbo, vuluarum conuerſionem ſuffitum excitat odore aceto mixto. Idemque lethargicos addito cordilo. Et ſi vehementior ſomnus premat *lethargicos*, capiti vel cruribus illinitur cum fico & aceto. Item *puſtulas* emendat & *dentium dolorem* medetur, eo quoque ad alopicias & lepras vtuntur.

Iterum de eodem.

CAP. XXIX.

Palladius. Sinapim conuenit ſeri menſe Octobri Terram diligit aratam, & ſi poteſt fieri congeſtitiam, quamuis vbique naſcatur. Et illud quidem, de quo ſemen legere diſponis, ſuo loco eſſe patieris, quod autem ad eſcam parabis robuſtius facies transferendo. In ſinapi vetus ſemen vtile eſt, & ſationi, & vſui. Quod dentibus fractum, *ſi intus viride videbitur, nouum eſt*, ſi album fuerit, vetuſtatem fatetur.

Indicium noui ſinapis.

Author. Hoc etiam mirabile, atque iuxta Euangelium notabile eſt in grano ſinapis, quod cum ſit minimum in granis vel ſeminibus, germinans tamen dilatatur in ramis, & fit maius omnibus oleribus. Et cum feruentiſſimum & acutiſſimum ſit, tritum magis feruet, & odorem diffundit.

Macer.

Inter eas quas Pythagoras laudauerat herbas,
Aſſeritur primam laudem tribuiſſe ſinapi,
Maior vis eius in ſemine dicitur eſſe
Senſus exacuit vis eius, & mouet aluum,
Confringit lapides, vrinam & menſtrua purgat,
Si tritum iungas tepidæ verſeſq; palato.
Ad Solem, capitis purgabit phlegma nociuum

Sternutamentis hoc admiſcere ſalubre,
Illo nam capitis ſtructura reſoluitur omnis,
Manſum confortat ſtomachum, ſuſpiria ſedat,
Morſus ſerpentum, ſi trito iungis acetum,
Et ſuperapponis, tali medicamine curas,
Manſam peſtiferos necat intima ladere fungos
Vi nimium feruente cutem comburere dixi,
Sed cum hac multis eſt vtilis vſtio talis,
Hac oculis nociuus capitis ſedabitur humor
Et qui diſtillans pulmonum concaua ladit,
Et ſtomachum morboſq; creat, tuſſimq; ptyſimq;
Hac per veſicas coxæ dolor inueteratus
Elicitur, ſchiaſim quam Graco nomine dicunt,
Hacq; tumor ſplenis durus iecoriſq; fugatur,
Et multum cauſis hac ſubuenit inueteratis,
Vtile tot cauſis quoniam cataplaſma ſinapis.
Sæpius à medicis variatur conficiendo,
Dicam qualiter hoc iubeat fieri menemachus,
In mortariolo tritam bene pone ſinapis
Semen, iungatur hinc panis candida mica,
Sic vt tertia ſit panis pars iuncta ſinapi.
His ficus ſiccas & mel iungas & acetum,
Ætatis quantum vel morbi cauſa requirit,
Nam quod plus ſicus ſicca, vel mellis habebit.
Ille ſynapismus tanto ſolet acrior eſſe
Debilior, quo plus panis mittes & aceti,
Nec tibi ſit vilis moneo confectio talis,
Effectum cuius in multis ſæpe probaui,
Non tamen hoc iubeo cunctis apponere morbis,
Sed raro magnis, & cauſis inueteratis,
Plinius in muſto cum ſemine præcipit huius
Radices iungi, ſic poſtquam ſenſerit horum,
Omnem vim vinum multum putat eſſe ſalubre,
Faucibus & ſtomacho potatum luminibuſq;.
Pluribus & capitis dicunt prodeſſe querelis:
Infuſo faciunt oleum de ſemine quidam,
Vtile lumborum vitijs, ſtupidis quoque neruis,
Exprimitur ſuccus tenero de caule ſinapis.
Quo ſucco madens, dentis tormenta fugabis,
Vocales venas ſemen linire ſinapis,
Manſum confirmant, adipi tumendo vetuſto
Commixtum ſcrofas diſperget, ſi ſuperaddas,
Illius fumus multum prodeſſe caducis
Dicitur, atque ſteræ cauſas iuuando ſiccare.
Cum fico tritum capiti ſuperaddere raſo,
His qui lethargum patiuntur magna medela eſt.
Vel ſi ſæpe pedes vngendo fricabis eorum,
Semen contritum melli coniunge vel vncto,
Illud alopicias iuuat vngere ſæpe fricando,
Acri cum vino lepris emendat inunctum,
Hoc quoque curatur manſo periodica febris,
Anteaquam diri ſiat commotio morbi.

Contra lethargiam.

De thymi ſemine, & vrticæ.

CAP. XXX.

Virtus thymi.

PLinius *lib.* 19. Thymi ſemen non poteſt deprehendi, cum tamen per minutum non fallat origani. Sed quid intereſt occultaſſe naturam, in flore ipſo intelligitur, eo quòd ſato naſcitur.

Auicenna. Thymi ſemen fortis eſt caliditatis, prouocat & extrahit *embryonem* mortuum & ſolutione *ſanguinem* educit, & *humorem cholericum*. Extrahit quoque *vermes*.

Palladius vbi ſupra. Thymi ſemen in Septembri menſe vltimo conuenit ſerere, ſed melius plantis naſcitur, quamuis poſſit & ſemine. Agrum diligit apricum, agrum maritimum.

Plin. lib. 21. Vrticæ ſemen in omnibus generibus eſt copioſum, atque nigrum. *Dioſcorides.* Vrticæ ſemen cum melle mixtum, propriè *cholicis* conuenit, tritum verò cum melle potui datum, *tuſsim veterem* emendat & *tumorem ventris*, vel *ſtrigus in pulmonibus* conceptum ſedat. Calore ſuo *omnes humores deſiccat*. Agreſtis vrticæ ſemen eſt ſemini lini ſimile, ſed in modico minus. Altera verò ſemen habet minutum, & non ſic aſperum. Semen earum bibitum cum dulcore, venerem *ſtimulat* melle mixtum, & acceptum pleureticis & *peripleumonicis* medetur, thoracis ſuperfluos humores purgat.

Macer.

Dicimus vrticam quam Græcus acaliſe dicit,
Illius ſemen cholicis cum melle medetur,
Et tuſsim veterem curat, ſi ſæpe bibatur,
Frigus pulmonis pellit, ventriſque tumorem,
Omnibus his prodeſt puluis cum melle ingatus.

De Frugibus.

CAP. XXXI.

ISidorus. Prima Ceres in Græcia cœpit vti frugibus ac ſegetes habere, translatis aliis ſeminibus. Huius meminit & *Ouidius in 5. Metamorph. dicens.*

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro.
Prima dedit fruges alimenta mitia terris,

Dicuntur autem *fruges à fruendo*, ſiue à *frumendo*, hoc eſt à veſcendo. Nam frumen ſumma pars gulæ dicitur. Primitiæ propriè dicuntur, ea quę de frugibus præcerpuntur. Spicas autem abuſiuè dicimus de maturis frugibus. Nam propriè ſpica eſt, cum perculmi folliculum, ideſt extremum timorem ariſtæ adhuc tenues in modum ſpiculi eminent. Ariſta verò appellata eſt, eo quod ipſa *prius areſcat*. *Culmus eſt ipſe calamus ſpicæ*, quæ à radicibus naſcitur & dictus *culmus quaſi calamus*. Folliculum theca frumenti, in qua granum ſeruatur interius: hæc ſuper ſpicam vallo inſtructa munimen prætendit, ne auium minorum morſibus ſpica ſuis fructibus exuatur, aut veſtigiis proteratur. Stipulæ ſunt folia, ſeu vaginę, quibus culmus ambitur atque fulcitur, ne pondere frugis corruetur, quæ ambiunt culmum. Et dicta ſtipula quaſi vſta, & quaſi *vſtipula*. Stipula eſt dicta ab vſto, collecto enim meſſe vtitur propter culturam agri. Item ſtipula, vel quia pars eius vritur, pars interdum pro palea præſciditur. Palea à quibuſdam vocari dicitur, *quod pala ventiletur*, vt frumenta purgentur. Gentiles autem paleam à quadam Palæ frugum inuentrice nuncupauerunt, quam Cererem eſſe volunt. De qua *Virgilius. Te quoque magna Pales, & te memoranda canemus.* Item *alij à pabulo nuncupatam dicunt paleam*, quòd ea primum ſola in paſcendis animalibus præbebatur. Cuius natura ex contrario tanto eſt frigida, vt obrutas niues fluere non ſinat, adeo calida vt matureſcere poma immatura compellat. *Plinius lib.* 22. Paleam tritici, vel ordei calidam imponi rami cum incommodis iubent experti, quaque decoctæ ſunt aqua foueri. Denique fruges non ſolummodo ſunt cibus: ſed etiam cedunt in medicinarum vſus. Ex eiſdem quoque fiunt & potus, videlicet Zithum in Aegypto. Cœlia & Cærea in Hiſpania, Cereuiſia, & plura genera in Gallia, cœterisque prouinciis, quorum omnium ſpuma cutem fœminarum nutrit. In primis autem animalium ſapientiſſima conſtat eſſe, quæ veſcantur fruge.

Etymon frugum.

Ariſta Etymon.

Culmi Etymon.

Stipula Etymon.

Palea Etymon.

Potus ex frugibus.

De Frumentis & leguminibus.

CAP. XXXII.

IDem *in lib.* 18. Sunt autem duo. Prima frugum, genera, frumenta, & legumina. Frumenta videlicet, vt triticum & ordeum, legumina vero, vt cicer & faba. Differentia vero notior eſt, quam vt indicari deceat. Frumenti quoque totidem ſunt genera per tempora fata diuiſa, videlicet hiberna & æſtiua. *Hiberna* ſunt, quæ circa vergiliarum occaſum fata, terra per hyemem nutriuntur, *vt triticum, far & ordeum. Æſtiua* verò, quæ *eſtate ante* vergiliarum exortum ſeruntur, *vt milium, ſiſama*, horminum, irio, panicum, Italiæ duntaxat ritu: Alioquin in Græcia & in Aſia vergiliarum occaſu

Hiberna.

Frumenta æſtiua.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

occasu seruntur omnia, quædam autem vtroque tempore in Italia. Ex his quædam & tertio veris scilicet tempore serantur. Aliqui verna *milium, panicum, lentem, cicer*, halicam appellant. Sementica autem triticum, hordeum, fabam, napum, rapam. Est autem & in frumenti genere pars aliqua, pabuli quadrupedum causa sati, vt farrago, & in leguminibus vitia. At vero vsui quadrupedum, hominumque lupinum est commune.

Verna.

Frumenta quæ dicantur? Legumina quæ.

Isidorus. Frumenta sunt proprie, quæ aristas habent: fruges autem reliqua, & dicuntur à frumendo frumenta, sicut & fruges, sicut dictum est supra. Legumina vero dicta sunt à legendo, quasi electa, veteres enim legebant quæque meliora: vel dicta sunt legumina, eo *quod manu legantur*, id est colligantur, nec sectionem requirant, sicut videlicet segetes in messium tempore, quę falcibus abscinduntur. Leguminum autem plurima genera distinguuntur, ex quibus faba, lenticula, pisum, faseolum, cicer, lupinum, in vsu hominum gratiora esse videntur.

De Præparatione agrorum ad fruges,

CAP. XXXIII.

Victor. De agrorum cultura multa iam per diuersos libros pro materiæ congruentia posita sunt superius, iccirco de ista materia breuiter ad præsens transeamus.

Plinius vbi supra. Quia de frugum, ac terræ generibus abunde diximus, nunc de arādi ratione dicemus, ante omnia Aegypti fœlicitate commemorata. Nilus ibi coloni vice fungens euagari incipit e Solstitio à noua Luna, & primò quidem lente, deinde vehementius, quandiu Sol est in Leone. Mox verò pigrescit eo in Virginem transgresso, atque in Libra residet. Fames certa est, si 12 cubitos non excesserit, nec minus, si 16. exuperauerit, tanto namque tardius decidit, quanto exabundantius creuit, ac sementem arcet. Catonis sententia est pro primo agrum bene colendum esse, pro secundo bene arandum, pro tertio stercorandum. Tepidioribus locis bruma proscindi oportet arua, & frigidioribus ab Aequinoctio verno, & maturius sicca regione, quàm humida, maturius terra densa, quàm soluta, pingui quàm macra: vbi siccæ & graues sunt æstates, terra cretosa vel gracilis, vtilius inter Solstitium Autumni & Æquinoctium aratur, vbi leues æstus, frequentes imbres, pingue, herbosumque solum, ibi melius caloribus. Altum solum & graue moueri, placet etiam hyeme.

Nilus in Ægypto Colonī vices obit.

De quibusdam obseruandis in agri proscissione.

CAP. XXXIIII.

Palladius lib. 2. Agri pingues ac sicci mense Ianuario proscindi possunt, & apparari. Sed boues melius collo, quàm capite iniunguntur, quos vbi ad versuram venerunt, arator retineat, & iugum propellat, vt eorum colla refrigerentur. Sulcus enim in arationibus longior, quam centum viginti pedum non esse debet. Seruandum est *ne inter sulcos non emota terra relinquatur*, glebæ omnes dolabris dissipandæ sunt. Sed æqualiter terram esse motam cognoscis, si transuersos per sulcos partitam videris, ita vt non intelligatur, vtrum vomer ierit. Quæ res sæpius facta bubulcos ab hac negligentia submouebit. Obseruandum est, *ne lutosus ager aretur, aut quod sæpe sit post longas siccitates leni imbre perfusus.* Nam terra, quæ lutosa tractatur in primodio fertur, toto anno non posse tractari. Quæ autem supra leniter infusa est, & subter sicca, si tamen aretur, asseritur per biennium sterilis fieri, & ideo mediocriter infusus ager, vt nec lutosus, nec aridus sit, proscindi debet, si collis est transuersus, per latera sul-

Sulcandi modus.

Regula pro aratione.

cetur. Quę forma tunc seruanda est, cum semen accipiet.

Idem in lib. 3. Mense Februario locis tepidis, aut si tempus clemens & siccum fuerit, colles pingues proscindere conuenit.

Idem in lib. 4. Mense Martio locis calidis colles pingues proscindere conuenit & agros vliginosos.

Idem in lib. 5. Mense Aprili pingues agros, qui diu tenent aquam oportet proscindere post Idus videlicet, cum omnes herbas protulerit, & earum semina nondum firmata sunt maturitate.

Idem in lib. 6. Mense quoque Maio præscindantur agri pingues & herbosi. Sed si agros incultos volueris aperire considerabis sulcos, aut humidus sit ager, syluis aut gramine frutectis vestitus, aut filice. Si humidus erit fossarum ducibus ex omni parte siccetur, sed apertæ fossæ notæ sunt, Græcè vero hoc genere fiunt. Imprimuntur sulci per agrum, transuersi altitudine pedum trium, postea vsque ad medietatem lapidibus minutis replentur, aut glarea & supra terram quam ægesseramus æquatur. Sed fossarum capita vnam patentem fossam petant, ad quam decliues recurrant. Itaque & humor deducetur, & agri spacia non peribunt. Si defuerint lapides sarmentis in stramine subiecto cooperiatur, vel quibuscumque virgultis, sed si nemorosus est extirpatis aut raro relictis arboribus excolatur, & purgari poterit, & inde muniri. Iuncus & gramen & filices frequenti aratione vincentur, sed filicem si sæpe fabam conseras, vel lupinos, & si subinde nascentem mucrone falcis inscidas, intra exiguum tempus absumes.

De iuncis, graminibus & filicibus.

Idem in lib. 8. Mense Iulio agros qui Aprili fuerint præcisi, circa Kalendas conuenit iterari.

Idem in lib. 9. In Augusto mense vltimo circa Kalendas Septembris incipiat exarari ager planus, humidus & exilis.

Idem in lib. 10. Mense Septembri ager pinguis, & qui diu tenere consuenit humorem, tertia vice debet arari. Nunc etiam ager humidus, planus exilis, quem primo Augusto arari diximus, iteratur ac sic seritur, graciles cliui nunc primum arandi sunt, & statim serendi,

De Lætaminis aspersione.

CAP. XXXV.

Vni iugero quot carpenta stercoris sufficiunt.

EOdem mense circa Æquinoctium agri stercorandi sunt, sed in colle spissius, in campo rarius. Lætamina disponentur, cum Luna minuitur. Quæ nimirum res, herbis si seruetur, officiet: vni iugero asserit Columella 24. stercoris carpenta sufficere, in plano vero 18. Sed idem cumuli tot dissipandi sunt, quot ea die potuerint exarari, ne stercora exiccata nil prosint. Ejciuntur quidem lætamina è qualibet hyemis parte: sed si tempore suo ejci aliqua ratione non potuerunt, antequam seras more seminis per agros puluerem stercoris sparge, vel caprinum manu projice, & terram sarculis misce. Nec prodest nimium stercorare vno tempore, sed frequenter & modicè, ager aquosus plus stercoris, siccus verò minus requirit. Sed si lætaminis copia non abundat, hoc pro stercore optimè cædit, vt fabulosis locis cretam id est argillam spargas: cretosis ac nimium spissis fabulonem, hoc & segetibus proficit, & vineas pulcherrimas reddit. Nam lætamen in vineis saporem vini vstulare consueuit.

Plinius lib. 17. Varro dat principatum ex auiarijs fimo turdorum, quòd etiam pabulo boum suumque magnificat, nec alio cibo pinguescere celerius asseuerat: proximum Columella facit columbarijs, mox gallinarijs, *fimo natantium altum damnato.* Alij proximè spurcitias suum laudant, Columella solus damnat. Alij cuiuscumque quadrupedis fimum dicunt exitiosum. Aliqui verò columbarum præse-

Nota.

runt,

runt, proximum deinde vt fertur. caprarum eſt. Ab hoc ouium, deinde boum, nouiſſimuſque iumentorum. Varro præceptis adijcit equinum, quod leuiſſimum ſit ad alendum ſegetes. præterea verò grauiora & quod ex ordeo fiat, multaſque gignat herbas. Quidam etiam iumentorum fimum præferunt bubalino, ouillumque caprino, omnibus verò aſininum, *quoniam aſini lentiſſimè vadunt*. Econtrario autem vſus aduerſus vtrumque pronunciat.

Fimus aſininus melior alijs.

Idem in lib. 18. Hoc vnum in confeſſo eſt, niſi ſtercorato agro ſeri non oportere, quamquam & huic leges ſint propriæ. Milium, panicum, rapa & napus, niſi in ſtercoratione non ſerantur. Agro non ſtercorato frumentum potius, quàm ordeum ſerito. Item in noualibus tametſi fabam in illis ſeri volunt, eandem vbicumque, quàm recentiſſimè ſtercorato ſolo ſerunt. Autumno aliquid ſaturus Septembri menſe fimum inaret poſt imbrem. Vtique ſi verno erit ſaturus, per hyemem fimum diſponat. Iuſtum eſt autem fimum diſpergere priuſquam areſcat, aut iactato ſemine. Si hæc omiſſa ſit. ſtercoratio, ſequens eſt, priuſquam ſerat ante pulueream. Sunt qui ſtercorari ſub diuo putent optimè, retibus incluſa pecorum manſione. *Ager quidem alget, ſi non ſtercoratur. Si vero nimium ſtercoratus eſt, aduritur.* Satiuſque eſt id ſæpe, quàm ſupra modum facere, denique quo calidius ſolum eſt, eo minus addi ſtercoris ratio eſt.

Nota.

De Frugum ſeminatione.

CAP. XXXVI.

Palladius lib. 1. Cuncta verò, quæ ſeruntur in terra, creſcente Luna & diebus tepidis ſunt ſerenda. Nam tepor euocat, frigus includit, frumenta quidem omnia maximè lætantur campo patenti, & ſoluto, & ad tetram recliui: ſpiſſa & cretoſa, & humida terra, bene far & triticum nutrit, ordeum ſoluto delectatur & ticco. Nam ſi in lutoſo agro ſpargitur, morietur. Trimeſtris ſatio locis frigidis, & niuoſis conuenit, vbi qualitas æſtatis humecta eſt. Cæteris raro reſpondet euentui. Semina pluſquam annicula eſſe non debent, ne vetuſtate corrupta non prodeant.

Ordeum vbi ſeritur.

Author. Hæc & alia plura de iſta materia dicta ſunt ſupra libr. 8.

Plinius vbi ſupra. Sententia Catonis eſt in agro craſſo & lento ſeri frumentum. Si verò nebuloſus tit, raphanum, milium, panicum, prius ſerendum in aquoſo frigido, poſtea vero in calido. Si verò non ſit aquoſum in ſolo rubricoſo vel pullo, vel arenoſo lupinum. In cretoſo & rubricoſo & aquoſiore agro adoreum. In ſicco & non herboſo, nec vmbroſo triticum. In ſolo valido fabam Et quàm minimè aquoſo, herbidoque vitiam. Siliginem, & triticum in aperto loco edito, qui Sole, quàm diutiſſimè torreatur. Lentem in fruteto & rubricoſo, qui non ſit herbidus. Ordeum in nouali & in aruo, quod reſtibile poſſit fieri trimeſtre, vbi ſementem naturam facere non poſſit. & cuius craſſitudo reſtibilis ſit. Subtilis & illa ſententia ſerenda eſſe ea in tenuiore terra, quæ non multo indigent ſucco, vt citiſus ac cicer, exceptis leguminibus, quæ euelluntur è terra, & non ſubſecantur, propter quod & legumina nuncupantur, quia ſcilicet ita leguntur: *porro in ſolo pingui ſerenda ſunt, quæ cibi maioris ſunt, vt olus, triticum, ſiligo, linum.* Sic ergo tenue ſolum dabitur ordeo, minus enim alimenti poſcit radix, lenior terra, denſiorque tritico. In loco humili far adoreum potius ſeretur, quàm triticum. Temperato & triticum & hordeum. Colles robuſtius, ſed minus reddunt triticum: *far & ſiligo cretoſum ſortiuntur*, & vliginoſum ſolum. *Semen optimum eſt annicu-lum*, bimum deterius, trimum peſſimum, vltra ſterile. Quod in imo areæ ſubſedit ad ſemen eſt reſeruandum, id enim optimum eſt, quia grauiſſimum: *optimum eſt granum, quod rubet, ac dentibus fractum eundem colorem habet*, deterius cui plus intus albi eſt Locis humidis celerius fieri ſationem ratio eſt, ne ſemen imbre putreſcat, ſiccis autem ſerius, vt pluuiæ ſequantur. ne diu iacens & non concipiens euaneſcat. Itemque feſtinata ſatione denſum ſpargi ſemen, quia tardè concipiat, ſerotina vero rarum, quia denſitate nimia necetur. Artis quoque cuiuſdam eſt æqualiter ſpargere. Manus vtique cum gradu debet congruere, ſemperq; cum dextro pede. *Palladius lib* 7. Aſſerunt Græci menſe Iunio Ægyptios tali modo prouentum cuiuſque ſeminis experiri. Aream breuem loco ſubacto & humido nunc excolunt, & in ea diuiſis ſpatijs omnia frumenti, vel legumina genera ſpargunt, deinde in ortu caniculæ, qui apud Romanos 14. kalen. Auguſt. die tenetur, explorant, quæ ſemina ortum ſidus exurat, quæ illæſa cuſtodiat: his abſtinent, illa procurant, quia indicium noxæ, aut beneficij per annum futurum generi vnicuique ſidus aridum præſenti exitio, vel ſalute præmiſit.

Frumentum in quo agro ſerendum.

Quæ ſolum pingue requirunt.

Far & ſiligo. Semen optimum.

De temporum in ſerendo varietate.

CAP. XXXVII.

Plinius lib. 18. De tempore vero fruges ſerendi, ſequitur queſtio dilata, & maxima indigens cura, magnaque ex parte ratione ſiderum connexa. Heſiodus princeps omnium de agricultura præcipuè, vnum tempus à vergiliarum occaſu tradidit ſerendi. Scribebat enim in Boetia Hælladis, ita vt diximus ſeri. Inter diligentiſſimos conuenit, (vt in alitum, quadrupedumque genitura) eſſe quoſdam ad conceptum impetus terræ, hos Græci ita diffiniunt, cum ſit calida & humida. Virgilius triticum & far à virgiliarum occaſu ſeri iubet, hordeum inter Æquinoctium Aurumni & brumam, vitia vero & phaſeolos, ac lentem occidente Boote. Quo fit, vt horum ſyderum, aliorumque exortus & occaſus dirigendi ſint in dies ſuos. Sunt qui & ante vergiliarum occaſum iubeant ſeri, dumtaxat in arida terra, calidiſque prouincijs. Cuſtoditi nempe ſemen, humore corrumpente, & à proximo imbre vno die erumpere. Alij verò ſtatim ab occaſu vergiliarum imbres ſequi à ſeptimo ferè die. Aliqui autem in frigidis, ab Æquinoctio Autumni, & in calidis ſerius, ne ante hyemem luxurient. *Inter omnes autem conuenit, circa brumam ſerendum non eſſe*, magno quidem argumento, eo quod hiberna ſemina, ſi ante brumam ſata ſunt, erumpant die ſeptimo, ſi poſt brumam vix 40. Sunt qui properent, atque ita pronunciant, ſementem facientem feſtinatam ſæpe decipere, ſerotinam ſemper. Econtrario alij etiam vere potius ſerendum, quàm male in Autumno. Et vbi neceſſe fuerit inter Fauonium, & Æquinoctium vernum. Quidam omiſſa cæleſti cura, vt inutili, temporibus diffiniunt. *Vere linum & auenam & papauer*. Atque vti nunc etiam tranſpadani ſeruant vſque in quinquatribus fabam. Et ſiliginem menſe Nouembri: far extremo Septembri vſque in Idus Octobris. Alij poſt hunc diem in Kal Nouembris. Ita his nulla eſt naturæ cura, illis vero nimia. Et ideo ſubtilitas cæca, cum res inter ruſticos geratur, ac litteratum non modo ſyderum expertes. Et ea cœlo maximè conſtare confitendum eſt, ac verò omnium dierum anni, motusque Solis ratio prope eſt inexplicabilis. Nec poſſunt tradi certa ſiderum tempora: ſed accedat & rerum obſcuritas confeſſa, nunc præcurrente, nec paucis diebus tempeſtatum ſignificatione, quod Græci vocant prochemazin: nũc poſt veniente, quod epichemazin, & plurimumque, aliàs citius, alias tardius cœli effectu ad tertiã deciduo.

Nota.

Vere ſerenda.

Præterea cum hæc omnia ſtatutis ſyderibus, cæloque affixis conſtent, interueniunt ſtellarum motus, grandines, imbresque, & ipſi non leui effectu, turbantque conceptæ ſpei ordinem Idque ne nobis tantum putemus accidere, fallit & animalia reliqua circa hoc ſagaciora, vt quo vita eorum conſtet. Æſtiuasque

alites præpoſtere, aut præpropère rigore, nec ante hibernos æſtus: & iccirco Virgilius errantium quoque ſyderum rationem ediſcendam præcepit, admonens obſeruandum frigidæ Saturni ſtellæ tranſitum. Sunt qui certiſſimum arbitrentur iudicium veris ob animalis infirmitatem, papilionis prouentum. Ideoque cum hęc commentaremur notatum eſt, prouentum eorum ter repetito frigore extinctum. Aduenaſque volucres ad 6. kal. Februarias ſpem veris attuliſſe, moxque ſæuiſſima conflictas hyeme. Occaſum matutinum vergiliarum Heſiodus Aſtrologus tradit fieri Autumni Æquinoctio. Thales 25. die ab illo. Anaximander 29. Eudemon 48. Eſt autem vera ratio non prius ſerendi, quàm folia decidere cœperint. Hoc ipſo vergiliarum occaſu fieri putant. Aliqui ad tertium idus Nouembris ſeruant. Quiſquis autem ęſtiuos fructus ante vergilias ſeuerit, ipſe ſe fraudabit: hoc interuallo, & apicula procedens florere fabam indicat, fabaque floreſcens eam euocat. Dabitur & aliud finiti frigoris indicium. Cum enim germinare morum videris, iniuriam poſtea timere nolito frigoris.

Iudicium veris.

Vera ratio ſerendi.

Iudicium finiti frigoris.

De ſatorum vitijs vel nocumentis.

CAP. XXXVIII.

IDem. Primum autem omnium frumenti vitium eſt auena, & hordeum in eam degenerat, ſicut ipſa frumenti fit inſtar. Cum illam Germaniæ populi edant, neque alia pulte viuant, hoc vitium euenit, Soli maximè cœliqúe humore. Sequentem cauſam habet ſeminis imbecillitas, cum diutius eſt terra retentum, priuſquam erumpat. Eadem eſt ratio, ſi carioſum fuit, cum terueretur. Primaque ſtatim agnoſcitur eruptione. Ex quo apparet in radice cauſam eſſe. Eſt & aliud ex vicino auenæ vitium, cum amplitudine inchoato grano, ſed nondum maturo priuſquam roboretur corpus afflatu noxio caſſum, & inane in ſpica euaneſcit quod abortiuo: venti verò tribus temporibus nocent frumento & hordeo, videlicet in flore, aut protinus cum defloruere, vel incipientibus matureſcere. Tunc enim exinaniunt grana, ptioribus autem naſci prohibent cauſis. Nocet & Sol creber è nube. Naſcuntur & vermiculi in radice, cum ſecutis imbribus ſementem incluſerit repentinus calor humorem. Gignuntur & in grano cum inferueſcit calor ſpicæ in fluuijs. Eſt & cantharis dictus, ſcarabeus videlicet paruus, erodens frumenta. Omnia quippe cum ea cibo deficiunt animalia oleum, pix, adeps contraria ſunt ſeminibus, cauendumque, ne illis contacta tunc ſerantur: imber in herba vtilis eſt, florentibus autem frumento & hordeo nocet, leguminibus eſt innocuus, prętęrquam ciceri. Matureſcentia quoq; frumenta imbre læduntur, & hordeum magis. Naſcitur & herba quædam alba panifico ſimilis, occupans arua, pecori quoque mortifera: lolium & tribulum, carduum, lappamque non minus, quam rubum. Inter frugum morbos potius, quam inter ipſius terræ peſtes numerauerim. Cæleſte frugum vinearumque malum, nullo minus eſt noxium, videlicet *rubigo*, frequentiſſima hæc in roſcido tractu, & conuallibus ac locis perflatum non habentibus prouenit, e diuerſo carent ea ventoſa & excelſa. Eſt & *luxuria* inter vitia ſegetum, cum onerata fertilitate procumbunt. Commune autem omnium ſatorum eſt vitium vrica etiam ciceris cum ſalſilaginem eius abluendo imber id dulcius facit. Herba quæ vocatur orobanche, hæc cicer enecat & eruum circumligando ſe. Tritico facit ſimili modo era, hordeo feſtuca, quæ vocatur egylops, lenti vero herba ſecuridaca, quam Græci à ſimilitudine pelicinon vocant. Et hæ quidem complexu necant. Circa Philippos autem Antranium nominant, in pingui ſolo herbam, qua faba necatur. Era nonnunquam in macro cum vdam quidam ventus afflauerit. Eræ granum minimum eſt in cortice aculeato. Cum eſt in pane celerrimè vertigines facit. Aiuntqúe in Aſia *balneatores, cum velint turbam pellere, carbonibus id ſemen inijcere.* Naſcitur & Sphangius in eruo, beſtiola videlicet aranei generis, ſi hyems aquoſa ſit limaces naſcuntur in vitia, & aliquandó è terra cocleæ minutæ mirum in modum eam erodentes.

Ventorum nocumentum ſentitur à frumẽtis ter.

Frugum morbi.

Rubigo.

Luxuria ſegetum.

Vrica.

Nota.

De ipſorum remedijs.

CAP. XXXIX.

REmedia verò frugum quæcunque pertinent ab herbas in ſarculo, & cum ſemen iactatur cinere, quæ verò in ſemine, ac circa radicem conſiſtunt, cauentur cura præcedente. Ægrotare minus exiſtimant ſemina vino ante perfuſa. Virgilius nitro, & amurca perfundi fabam præcipit, & ſic etiam grandeſcere promittit. Quidam *ſi triduo ante ſatum vrina & aqua maceretur, præcipuè putant adoleſcere.* Reliqua ſemina vermiculis obnoxia non eſſe, ſi ſolijs cupreſſi tuſis miſceantur, nec ſi interlunio ſerantur. Multi ad milij remedia, *rubetam noctu aruo circumferri iubent*, priuſquam ſarriatur. Defodique in medio incluſam vale fictili, nec paſſerem nec vermem nocere, ſed eruendam priuſquam metatur, alioquin amarum fieri arbitrantur. Et ſemina fieri vberiora armo talpæ contacta. Democritus ſucco herbæ quæ appellatur aizoon in tegulis naſcens tabuli ſeſſum: Latine verò ſeduma, vt dicit ille, medicata ſeri iubet omnia ſemina: vulgo autem ſi dulcedo noceat: vermeſque radicibus inhæreant, Remedium eſt amurcam puram, & ſine ſale ſpargere: deinde ſarrire. Si vero in articulum ſeges ire cœperit, runcare ne vincant herbæ. Sturnorum vel paſſerum agmina ſcio abigi herba cuius nomen ignotum eſt, in quatuor angulis ſegetis defoſſa, mirum dictu, ita vt auis nulla omnino intret. Mures abiguntur cinere muſtellæ, vel felis diluto & ſemine ſparſo, vel decoctarum aqua. Sed redolet virus animalium illorum etiam in pane: ob id vtilius putant attingi ſemina bubulo felle. Rubigo quidem eſt maxima ſegetum peſtis, ſed lauri ramis in aruo defixis tranſit in eius folia ex aruis. Luxuria ſegetum caſtigatur dente pecoris dumtaxat in herba, & depaſtæ, quidem ſuibus ſæpius, nullam iniuriam ſentiunt in ſpica. Retonſarum etiam ſemel omnino certum eſt granum longius fieri, ſed inane caſſumqúe, ac ſatum non naſci. Babylone bis tamen ſecant, tertio depaſcunt, alioquin folia tantum fierent. Nec eſt cura difficilis, diutiſſimè gaudent aquari: vt diluatur vbertas præpingnis, ac denſa, limum autem non inuehunt Euphrates, ac Tygris, ſicut in Ægypto Nilus, nec ipſa terra herbas gignit: vberiaris tamen tantæ ſunt, vt anno ſequenti ſpõte reſtibilis fiat ſeges impreſſis veſtigio ſeminibus.

Idem in lib. 22. Leguminibus innaſcuntur beſtiolæ ſolifugarum generis venenatæ, quæ manus pungunt, ac periculum vitæ afferunt, aduerſus has omnia eadem medentur, quæ contra araneas & ſphalangia demonſtrantur.

Palladius lib. 10. Solet humorem ſalſum vomere terra, qui ſegetes necat, & vbi hoc fit columbinum ſtercus, aut cupreſſi folia oportet inſpergere, atque ita vt eadem miſceantur inarare. Melius tamen omnibus remedijs erit, ſi aquarius ſuccus noxium deducat humorem. Si modo quando ſeritur hienæ pelle veſtieris, & ibi aliquandiu quod ſerendum eſt eſſe patiaris: fata bene prouenire feruntur. Idem quoniam quædam animalia ſubterranea ſectis radicibus necant: plurimumqúe frumenta contra hęc proderit agreſtis cucumeris humor expreſſus, & eius radix ſi aqua diluatur & eadem quæ ſerenda ſunt humore macerentur. Aliqui vbi hæc ſegetes perferre ſenſerint, inter initia vitiorum amurca infuſa aqua prędicta ſulcos, & aratra perfundunt.

Nota.

Superſtitioſa rubeta circumgeſtatio.

Aizoon.

Amurca.

Nota.

Bubulum fel.

Contra luxuriam ſegetum.

Contra humorem ſalſum agri.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De effectu ſyderum in ſatis.

CAP. XL.

Vredinem à frigore prouenire probat.

Plinius vbi ſupra. Plerique dixere rorem inuſtum ſole frugibus cauſam rubiginis, & carbunculi vitibus eſſe. Quod arbitror eſſe falſum ex parte: omnem quę vredinem frigore tantum innoxio ſole conſtare: id manifeſtum fiet attendentibus. Nam primum omnium hoc non euenire niſi noctibus & ante ſolis ardorem deprehenditur. Totumque lunari conſtat ratione, quia talis iniuria non fit niſi interlunio, plenave Luna, hoc eſt prævalente, vtroque ſiquidem plena eſt habitu: ſed interlunio omne lumen, quod à Sole accipit, cœlo regerit. Differentia vtriuſque habitus eſt magna, ſed manifeſta. Namque interlunio æſtate eſt calidiſſima, hyeme autem gelida. E contrario in plenilunio æſtate facit noctes frigidas, hyeme vero tepidas. Cauſa euidens eſt, ſed alia redditur à Fabiano Græcisque autoribus. Æſtate ſiquidem, interlunio neceſſe eſt, vt cum Sole nobis proximo circulo currat, eius igne comminus receptio candens. Eademque interlunio abſit hyeme, quoniam abſcedit & Sol. Item in plenilunio æſtiuo aduerſa Soli procul abeat. Hyeme verò ad nos per circulum æſtiuum accedat: ergo per ſe roſcida, quotiens algeт Infinitum quantum illo tempore cadentes pruinas congelat. Ante omnia verò debemus meminiſſe duo genera cœleſtis iniuriæ. *Tempeſtates.* Vnum quod tempeſtates vocamus, in quibus procellæ, grandines, cæteraque ſimilia intelliguntur, quæ cum acciderint, vis maior appellatur. Hęc à ſyderibus exeunt horridis, veluti arcturo orione hædis. Alia vero ſunt illa, quæ ſilente cælo, ſerenisque noctibus accedunt, nullo ſentiente, niſi cum facta ſunt publica hæc, magnæque differentiæ à prioribus, alijs rubiginem, alijs vredinem, alijs carbunculum appellantibus, omnibus verò ſterilitatem; Duæ ſunt autem cauſæ præter lunarem. Nam vergiliæ priuatim ad fructus attinent, vt quarum exortu æſtas incipiat, occaſu hyems, ſemeſtrique ſpacio inter ſe meſſes ac vindemia, & omnium maturitatem complexæ. Eſt præterea in cœlo lacteus circulus etiam viſui facilis, cuius defluuio velut ex vbere aliquo ſata cuncta lacteſcunt. Duorum ſiderum obſeruatione, videlicet Aquilæ in ſeptentrionali parte, & in Auſtrina, Caniculæ, Circulus ipſe fertur per ſagittarium, & geminos, ſolis centrum infra æquinoctialem circulum ſecans, commiſſuras eorum obtinente hinc Aquila, illinc canicula, propter hoc vtriuſque effectus ad omnes frugiferas terras pertinent, quoniam in his tantum locis, terræque centra congruunt, horum itaque ſyderum diebus, ſi purus ac mitis aer genitalem illum, lacteumq; ſuccum in terras tranſmiſerit, lata quidem adoleſcunt ſata. Si vero Luna qua dictum eſt ratione, roſcidum frigus aſperſerit, admixta amaritudo velut in lacte puerperum necat.

Aquila in Italia oritur ad 13. Kalendas Ianuarij, nec patitur ratio naturæ quicquam in ſatis ante eum diem eſſe certæ ſpei. Si verò interlunium incidat, omnes hibernos fructus ac præcoces lędi neceſſe eſt. Rudis fuit priſcorum vita, atque ſine litteris, non minus tamen ingenioſam fuiſſe in illis obſeruationem apparebit, quàm nunc eſſe rationem. *Tria feſta antiquitus inſtituta pro fructibus.* Tria namque tempora fructibus metuebant, propter quod inſtituerunt ferias, dieſque feſtos, videlicet rubigalia, floralia, vinalia. Rubigalia Rex Numa conſtituit anno regni ſui 11. quæ nunc aguntur ad 7. Kalendas Maij, quia tunc ferè ſegetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinat Sole Tauri partem decimam obtinente, ſicut nunc ferebat ratio. Sed vera cauſa eſt, quod poſt dies vndeuiginti ab Æquinoctio verno per id quatriduum varia gentium obſeruatione in 4. Kalend. Maij canis occidit, ſydus & per ſe vehemens, & cui præoccidere caniculam neceſſe ſit. Idem itaque floralia 4. Kalend. eaſdem vrbis, anno 516. inſtituerunt ex oraculis Sybillæ, vt omnia bene defloreſcerent. Hunc diem Varro determinat, Sole Tauri partem quartamdecimam obtinente. Ergo ſi in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges & omnia quæ florebunt, lædi neceſſe erit, vinalia priora, quæ ante hos dies ſunt 9. Kalend. Martij deguſtandis vinis inſtituta nihil ad fructus attinent. Nec quæ adhuc diximus ad vites, oleasque quoniam earum conceptus exortu vergiliarum incipit ad 6. Idus Maij, vt docuimus. Aliud hoc quatriduum, quod neque rore ſordere velint, exhorrent enim horridum ſydus arcturi poſtridie occidens, & multominus plenilunium incidere 4. nouas Iulij: Iterum Aquila exoritur veſperi, decretorio die florentibus oleis vitibuſque, ſi plenilunium in eum incidat. Equidem & Solſticium 8. Kalend. Iunij, in ſimili cauſa dixerim, & canis ortum, poſt dies à Solſticio 24. Sed interlunio accidente, quoniam vapore conſtat culpa, acinique pręcoquuntur in callum, Rurſus plenilunium nocet ad 4. nonas Iulij, cum Ægypto canicula exoritur, vel certè 16. Kalend. Auguſtij cum Italiæ. Item 4. Kalend. Auguſti cum Aquila occidit vſque in 10. Kalend. eiuſdem. Sunt & altera vinalia, quæ aguntur ad 13. kalendas Septembris, tempeſtatibus inſtituta leniendis. Intra hæc conſtat cœleſtis ſterilitas. Neque negauerim poſſe eam permutari arbitrio legentium locorum æſtimantium naturas.

De radicatione ſatorum, & eruptione.

CAP. XLI.

De die quo erumpunt ſata.

Iterum de eodem. Frumenta multis radicantur fibris ſiue ramis. Omnia vero legumina præter fabam radices habent ſingulas, eaſque ſurculoſas, quia non in multa diuiduntur, cicer autem altiſſimas. Ordeum erumpit à primo ſatu die 7. legumina 4. vel cum tardiſſimè 7. faba à 15. ad 20. Legumina in Ægypto die 3. Ex ordeo grani caput alterum exit in radicem, alterum in herbam, quæ & prior floret. Ipſiusque grani pars craſſior fundit radicem, tenuior florem, cæteris autem ſeminibus eadem pars & radicem & florem. Frumenta hyeme quidem in herba ſunt. Verno tempore faſtigiantur in ſtipulam quæ ſunt hiberni generis, at milium & panicum in culmen geniculatum & concauum. Siſama verò in ferulaceum. Omnium que ſatorum fructus aut ſpicis continetur, vt tritici & ordei, muniturque vallo ariſtarum quadruplici. Aut includitur ſiliquis vt leguminum, aut vaſculis vt ſiſamæ, vel papaueris. Milium & panicum tantum pro indiuiſo, & paruis auibus exponuntur, indefenſa quippe membranis continentur. Frumenta quędam incipiunt in genu tertio concipere ſpicam, quędam in quarto, ſed etiam non occultam. Genicula verò tritico ſunt quaterna. Farri ſena. Hordeo octona. Sed non ante ſupradictum geniculorum numerum conceptus eſt ſpicæ. Qui & ſpem ſui fecerit quatuor, aut quinque tardiſſimè diebus florere incipiunt, totidemque aut paulo pluribus defloreſcunt. Hordea vero cum tardiſſimè, ſeptem. Varro quaternouenis diebus fruges tradidit abſolui, ac menſe nono meti. Fabæ in folia exeunt, ac deinde caulem emittunt nullis diſtinctum internodijs. Reliqua vero legumina ſurculoſa ſunt. *Legumina ſurculoſa.* Ex his autem cicer heruum atque lens ramoſa ſunt. Quorundam caules ſparguntur in terram, ſi non habeant adminiculum vt piſorum, quod ſi non habuere deteriora fiunt: leguminum ſola vnicaulis faba, vnus & lupinis. At cæteris eſt caulis prætenui ſurculo ramoſus. Omnibus verò fiſtuloſus. Folium quędam mittunt à radice, quędam à cacumine. Frumentum autem & ordeum vitiaque, & quicquid in ſtipula eſt in cacumine vnum folium habet. Sed ordeo ſunt ſcabra, cęteris autę lenia. E contra

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vero multiplicata ſunt fabæ ac ciceri & piſo. Frumentis eſt folium arundinaceum. Fabæ rotundum, magnę que leguminum parti. Longiora eruiliæ & piſo, faſeolis venoſa. Siſamæ & irioni ſanguinea. Cadunt folia lupino & papaueri tantummodo, legumina florent diutius, & ex his heruum ac cicer: ſed diutiſſimè faba 40. diebus, non autem ſinguli ſcapi tamdiu, quoniam alio defluente, alius incipit, nec tota ſeges ſicut frumẽti pariter. Siliquantur vero omnia diuerſis diebus, & ab ima primum parte paulatim flore ſubeunte. *Palladius lib. 5.* In menſe Aprili ſeminaria, quæ ante ſata ſunt, herbis liberantur ac leniter circumfodiuntur. *Idem in lib. 6.* In menſe Maio omnia prope florent, quæ ſata ſunt, nec à cultore tangi debebunt. Frumentum quidem & ordeum, & quæ *ſingularis ſeminis ſunt 8. diebus florent, ac deinde per dies 40. flore depoſito vſque ad maturitatis euentum grandeſcunt.* Quæ vero ſicut faba, & ipſum, cæteraque legumina duplicis ſeminis ſunt 40. diebus florent, ſimulque grandeſcunt.

Tempus quo florẽt & maturãtur ſata.

B

De maturatione ipſorum & collectione.

CAP. XLII.

Plinius vbi ſupra. Frumenta cum defloruere craſſeſcunt, & maturãtur, cum plurimum diebus 40. perficiuntur. Itemque faba. Cicer autem pauciſſimis diebus, id enim à ſementi diebus 40. perficitur. Milium ac panicum ac ſiſama, omniaque eſtiua, maturantur à flore diebus 40. Magna vero terræ cęlique differentia. In Ægypto ſiquidem ordeum ſexto à ſatu menſe, frumenta ſeptimo metuntur in hellade. Ordeum in Peloponenſi octono, & frumenta tardius. Grana in ſtipula crinito textu ſpicantur. In faba vero & leguminibus alternis lateribus ſiliquantur. Tunicæ frumento plures ſunt. Ordeum maxime nudum & halica, ſed præcipuè auena. Calamus altior eſt frumento, quam ordeo, ariſta mordacior ordeo. Meſſis autem ipſius varia eſt ratio. Galliarum latifundiis valli prægrandes, dentibus in margine infeſtis, duabus rotis per ſegetẽ impelluntur iumenta in contrarium iuncto vel acto. Ita direptę in vallum cadunt ſpicæ. Alibi ſtipule media falce præſciduntur. Atque inter duas mergetes ſpica deſtringitur. Alibi vero à radice euelluntur, quod qui faciunt proſcindi ab ſe obiter agrum interpretantur, cum extrahant ſuccum. Differentia hæc vbi ſtipula domos contegunt, quam longiſſimam ſeruant, vbi fæni inopia eſt, paleam ſtramento quærunt. Panici culmo non tegunt, milij vero culmum inuruntur: ordei verò ſtipulam bobus gratiſſimam ſeruant. Panicum & milium pectine manuali Galliæ ſigillatim legunt, *legumina cum cæperint matureſcere rapienda ſunt, quia cito exiliunt, latentque cum decidérint*, ſicut & lupinum.

C

Nota.

D

Palladius in lib. 7. In menſe Iunio frigidis locis peragenda eſt leguminum meſſis, eodem vero menſe Iunio primitus ordei meſſis incipitur, quæ conſumenda eſt, antequam refractis ſpicis lapſa decurrant, quia nullis vt triticum folliculis veſtiuntur. Sed ordei culmos in agris aliquantulum ſinamus iacere, quia fertur hoc more grandeſcere. Tunc etiam menſe poſtremo locis maritimis & calidioribus, ac ſiccis abſcinditur tritici meſſis. Quam videlicet paratam eſſe cognoſcas, *ſi æqualiter ſpicarum populus maturato rubore floreſcit*, pars Galliarum planior hoc vtitur compendio ad metendum, ac præter hominum labores opera bouis vnius abſumit totius meſſis ſpacium. Itaque vehiculum efficitur, quod duabus rotis breuibus fertur. Huius quadrata ſuperficies tabulis munitur, quæ forinſecus recliues in ſummo reddunt ſpacia longiora. Ab eius fronte carpenti breuior eſt altitudo tabularum. Ibi denticuli plurimi & rari ad ſpicarum menſuram in ordinem conſtituuntur ad ſuperiorem partem recurui, à tergo vero eiuſdem vehiculi duo figurantur temones breuiſsimi. Ibi bos capite in vehiculum verſo iugo aptatur & vinculis, manſuetus ſane, qui nondum excedat compulſoris, hic ergo vbi vehiculum per meſſes impellere cæperit, omnis ſpica in carpentum denticulis comprehenſa, abruptis ac reliquis paleis cumulatur: altitudinem, vel humilitatem, plurimumque bubulco moderante qui ſequitur. Sicque perpauco itu, acreditu, breui horarum ſpacio tota meſſis impletur. Hoc campeſtribus locis eſt vtile, vel æqualibus, & his quibus neceſſaria palea non habetur. *Idem in lib. 8.* In menſe Iulio temperatis locis tritici meſſis expletur, eo more quo dictum eſt prius.

Quãdo meſſis cenſetur parata.

E

De Areæ præparatione ac frugum purgatione.

CAP. XLIII.

Idem in lib. 7. Menſe Iunio paranda eſt ad trituram area, cuius primo radatur terra, deinde leuiter effoſſa mixtis paleis & amurca æquatur infuſa, quæ res à muribus & formicis defendit frumenta. Tunc vero premenda eſt rotundo lapide, vel quocunque fragmẽto, cuius volutatio poſſit eius ſpacia ſolidare, deinde ſiccentur Sole. Aliqui vero mundatis areis aquã ſpargunt, & ibi minuta pecora diu ſpaciare, ac proculcare compellunt. Cumque terra fuerit vngulis ſtricta, ſpectatur ſiccitas ſolida. *Plin. vbi ſupra.* In area exteruntur triticum, ſiligo & ordeum, ſic pura ſeruntur qualiter moluntur, quia toſta non ſunt. E diuerſo far milium & paniculum purgari niſi toſta non poſſunt: hæc itaque cum ſuis folliculis cruda ſeruntur. Et far in vaginulis ſuis ſeruant ad ſatus, neque torrent, leuiſſimum ex his eſt ordeum: far ponderoſius, magis etiam triticũ, quod in areæima ſubſedit ad ſemen eſt reſeruandum. Idem eſt optimum quoniã grauiſſimũ. Abiicietur ſpica, quę habet ſemina per interualla, *optimum eſt granum quod rubet, ac dentibus fractum eundem colorem habet*, deterius cui plus intus albi eſt. Meſſis alibi tribulis in area, alibi equorum greſſibus exteritur, alibi vero perticis flagellatur. Triticum quo ſerius metitur, copioſius inuenitur. Quo vero celerius, eo ſpecioſius, atque robuſtius: lex aptiſſima eſt, antequam granum indureſcat, & cum iam texerit colorem; Siliginis & tritici ratio eſt in area, & horreo. Far qui difficulter excutitur, conuenit cum palea ſua condi, ſtipulaque tantum & ariſtis liberatur. Palea plures gentium vtuntur pro fæno. *Ea melior eſt quæ tenuior, ac minutior & pulueri propior. Ideoque optima eſt ex milio, proximaque ex ordeo, peſſima vero ex tritico*, præterquam iumentis opere laborantibus. Culmum ſaxoſis locis, cum inaruerit baculo frangunt, ſub ſtratu animalium. Si palea deficit, & culmus teritur. Ratio hæc: maturius deſectus, muria diu aſpergitur; & dehinc & in manipulos ſiccatus conuoluitur, atque ita bobus pro fæno datur. Sunt qui accendunt & ſtipulas in aruo, magno quidem Virgilij præconio. Summaque ratio eſt, vt herbarum ſemen exurant. Ritus diuerſitatem magnitudo facit meſſium, & raritas operariorum.

Areæ præparatio.

Signum optimi grani.

Melior palea.

Plin. lib. 1. Area longè eſſe non debet, & propter exportandi facilitatem, vt fraus minor timeatur Domini, vel procuratoris in ciuitate ſuſpecta. Sit autem ſtrata ſilice, vel ſaxo montis exciſo, & ſub ipſo triturę tempore vngulis pecorum, & aquæ admixtione ſolidata, clauſa deinde & robuſtius munita cancellis propter armenta, quæ cum terentur, inducimus. Sit circa hanc locus alter purus & planus, in quem frumenta transfuſa refrigerentur, & horreis inferantur, quæ res in eorum durabilitate proficiet. Fiat deinde vndecunque proximum tectum, maximè in humidis regionibus, ſub quo propter imbres frumenta ſi coegerint raptim, vel munda, vel ſemitrita ponantur. Sit enim loco ſublimi & vndecunque perflabili, longè tamen ab ortis, vineis, atque pomarijs. Nam ſicut radicibus virgultorum proſunt lætamen & paleæ, ita inſidentes frondibus perforant, atque arefaciunt.

Area vbi collocanda.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Horreis ad frugum depoſitionem.

CAP. XLIV.

Horrea edificandi ratio.

PLinius. Meſſium rationi connexa eſt ratio frumenti ſeruãdi. Horrea quidem operoſa, ac tripedali craſſitudine latericio pariete iubent aliqui exædificari. Præterea ſupernæ impleri, nec afflatus admittere, aut feneſtras vllas habere. Alij ab exortu tantum æſtiuo, vel Septentrione, ea quæ conſtrui ſine calce, quoniam inimiciſſima frumento dicitur eſſe. Alij contra, colũnis granaria lignea ſuſpendunt, & vndique perflari malunt, atque etiam fundo. Alij omnino pendunt; & ab efflatu extenuari granum arbitrantur, & ſi tegulis ſubiaceat; cõferueſcere. Nobis quidem referre plurimum videtur tempeſtiuitas condendis, quia ſi parum toſtum, atque robuſtum collectum ſit, calidumve cõditũ, in eo vitia neceſſe eſt innaſci. Diuturnitatis cauſæ plures ſunt, aut in ipſius graui corio, quando numeroſius eſt, vt milio. Aut ſucci pinguedine, qui pro humore ſufficit tantum, vt ſiſamæ. Aut amaritudine vt lupino & cicerculæ. In tritico maxime creſcunt animalia, *quia ſpiſſitate ſua concaleſcit, & furfure craſſo veſtitur.* Tenuior eſt ordeo palea. Exilis & legumini, ideoque non generant talia. Faba craſſioribus operitur tunicis, & ob hoc efferueſcit. Quidam triticum gratia diuturnitatis aſpergunt amurca mille modios quadrãtali. Quidam abſinthio, vel chalcidica, ſiue cariotica creta. Eſt & olinthi, ac perinti, euboeæ terra, quæ corrumpi non ſinat ea. Nec lædũtur ferè cõdita in ſpica, & vtiliſſime ſeruãtur in ſcrobibus, quos Syros vocãt, vt in Capadocia, vel Thracia, Hiſpania, & Aphrica. *Ante omnia vt ſolo ſicco fiant, curatur, mox vt palea ſubſternantur.* Præterea, cum ſpica ſua conduntur, ita, frumẽta, ſi nullus ſpiritus penetret, nihil maleficũ naſci certum eſt. Autor eſt Varro, *triticum ſi ſit conditũ annis* 50. *milium vero* 100. *durare*, fabam & legumina in olearijs cadis oblita cinere ſeruari longo tempore. *Idem* fama Pyrrhi Regis ætate quodam ſpecu Ambracię duraſſe vſque ad piraticum bellum Pompei Magni, *videlicet annis circiter* 120. Ciceri tantum in horreis mille beſtiolæ innaſcuntur. Sunt qui vrceis cinere ſubſtratis, & illitis acetum habentibus, leguminum aceruos ſuperingerant, ita non naſci maleficia credentes. Alij vero qui ſalſamentarijs cadis gipſo illiniant. Alij qui lentem aceto laſerpiciato reſpergant, ſiccatamque oleo inungant. Sed breuiſſima eſt obſeruatio, quod vitijs carere velis, legere interlunio. Itaque plurimum refert, condere quis malit aut vendere. *Creſcente ſiquidem Luna grandeſcunt frumenta.*

Cur animalia maxime in tritico creſcunt?

Nota.

Nota.

Nota.

De eodem iuxta Palladium.

CAP. XLV.

PAlladius *vbi ſupra.* Horreorum ſitus & ſuperior, & longè ab omni humore ac lætamine, & ſtabilis eſt ponendus, frigidus, ventoſus, & ſiccus. Cui prouidẽdum eſt ſtructuræ diligentia, ne rimis poſſit abrumpi. Solum ergo omne bipedis ſternatur, vel minoribus laterculis, quos ſuffuſo teſtaceo pauimento debemus imprimere. Tunc *diuiſas cellas*, ſi magnus ſperabitur ſeminum modus, grano cuique tribuemus. Si terrę pauperes minora promittunt, vel cratiſpodijs erunt diſcernenda granaria, vel vimineis vaſculis peditus tenues congeremus. Sed fractis granarijs *amurca luto mixta parietes liniuntur*, cui arida oleaſtri folia, vel oliuæ pro paleis adijciantur. Quo tectorio ſiccato *rurſus amurca reſpergitur*, quę vbi ſiccata fuerit, frumenta condentur, hæc res gurgulionibus, & cæteris noxiis animalibus inimica eſt. Alij coriandri folia frumenti miſcent ad ſeruandum profutura. Nihil tamen commodius erit diu cuſtodiendis frumentis, quàm ſi ex areis in alterum vicinum locum transfuſa refrigerentur aliquantis diebus, atque ita horreis inferantur.

Modus condendi horrea.

Contra gurgulliones.

Negat Columella ventilanda eſſe frumenta, quia miſcentur magis animalia totis aceruis. Quæ ſi non moueantur in ſummitate intra menſuram palmi ſubſiſtent, & hæc velut corrupto corio cætera illæſa durabunt. Aſſerit idem animalia noxia intra prædictam menſuram non poſſe generari. Herba coniza ſicca (vt Græci aſſerunt) ſubſtrata frumentis addit ætati, ab horreis tamen auſter debet eſſe auerſus.

De Molitura, & farina.

CAP. XLVI.

PLinius *vbi ſupra.* Quod autem ex ſegete molendum reddit plus, vel minus de farina, vel furfure, hoc cõſtat molę diſcrimine. Nam quæ *ſicca moluntur plus reddunt farinæ*, quæ autem aqua ſalſa ſparguntur, candidiorem medullam, ſed plus retinent in furfure. Farinã à farre dicta, apparet ipſo nomine. Similago laudatiſſima fit è tritico. *Iſaac.* Farinę modus trifariam diuiditur: primus propter eſſentiam ſui. Quædam enim *viſcoſa* eſt & grauis, medullę multum habens, corticis parum, huius nutrimentum multum eſt, egeſtio tarda, digeſtio dura. Quædam autem leuis & rara medullæ paucæ, corticis plurimi, hæc parum nutrit, facilè egeritur, leuiterque digeritur; Secundus pro qualitate molitionis. Nam quæ perfectè trita eſt, & tota æqualis, huius in ſtomacho facilis eſt conuerſio, nutrimentum plus. Quę autem perfectè trita eſt, nec tota æqualis, ſed partim craſſa, partim tenuis moratur in ſtomacho, & digeri dura, & egeri tarda. Tertius ſecundũ breuitatem vel longitudinem temporis, ex quo mola contrita eſt. Nam quę vicini temporis eſt, corpus calefacit, ventrem conſtipat. Igneam enim naturam ex molendinę volutione adipiſcitur. Vnde ſtomachum calefacit, & egeſtionis humiditatem deſiccat. Quæ vero longinqui temporis eſt, parum calefacit, & è ſtomacho cito eijcitur. Medij vero temporis quæ eſt, laudabilis eſt. *Ius de farina tritici confectum purgatiuum eſt pectoris & pulmonis*, eorumque lenit aſperitatem. Idem facit triticum ſi ptiſanum fiat, de ordeo fieri ſolet, & plus ordeaceo ad tuſſim, & fluxum ſanguinis valet. Si coquatur cum oleo, & ſupponatur apoſtemati duro, diſſoluitur. Si aceto mixto, & melle puſtulis apponatur, quæ naſcuntur in facie remouentur. Temperata cum ſucco iuſquiami, & cataplaſmate ex ea ſuper neruos facto, humores noxij in eos deſcendere prohibentur, de tenuiſſimo puluere qui à molendino eijcitur, ſi fiat ius ad fluxum ſanguinis & ſaniei per os eiectum, valet hæmoptoicis.

Nota.

Nota.

De Simila, & furfure.

CAP. XLVII.

ISidorus *lib.* 20. Simila & pollines Græca ſunt nomina. Amolum eſt flos farinæ tenuiſſimus, præ leuitate de mola egeſtus. Vnde & appellatum eſt amolum quaſi à mola. Furfures à farre dictæ ſunt, cuius videlicet purgamenta ſunt. *Auicenna in ſecundo canone medicinæ.* Furfur calidum eſt, & ſiccum in ſecundo gradu. In ipſa eſt abſterſio, & lænificatio plurima, prodeſt cum aceto forti in initio apoſtematis caliđi, & ſuper vlceratione ſcabiei. Item abſterſione ſua *lenit pectus.* Mouet autem inteſtina ad expellendum quod in eis eſt, & cum ſorbetur *ventrem lenit.* Confert etiam *puncturæ ſcorpionis*, & ſerpentes more emplaſtri ſuperpoſita. *Placentinus vbi ſupra.* Furfur tritici appellatur cantabrum, & eſt calidum & ſiccum temperatè diaphoreticum. In aqua calida reſolutum, reddit eam mitigatiuam & humidam. Vnde aqua illa iudicatur diaphoretica. Vſus enim talis eſt contra iliacam paſſionem, & contra ſtranguriam, & dyſſuriam. Cum vino ſubtili & albo mediocriter acido conficitur, ita quod nec nimis ſpiſſum ſit, nec nimis tenue, poſtea vero diu coquitur, deinde loco dolenti ſupra pannum apponitur, ac

Amolum.

Furfuris vis.

Cantabrum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſępius reuocatur, & ſic perfectè medetur. Item valet *contra ſtomachi dolorem* ex frigiditate, vel ventoſitate. Itē contra *iliacam paſsionem* injcitur per clyſterē colatura huius furfuris. mollificat enim ſatis, hac etiam aqua mollificatiua competenter vtimur, cum alia mollificatiua reperire non poſſumus. Contra *ſiccam tuſsim*, & etiam factam in peripleumonia & pleureſi & ſimilibus in aqua decoctionis ordei bene mundati ac triti & colati cantabrum diſſoluatur, iterumque colatura ſuper ignem aliquantulum bulliat, & talis aqua, vel aliquantulum calida patienti detur. *Iſaac*. Cortex triticeus calidæ naturæ eſt & ſiccæ, colatiuæ magis & mūdificatiuæ, quàm farina, ſed nutrimentum eius paruiſſimum. In aqua miſſus & perfricatus, colatus, & coctus, vt fiat ius, pectora & pulmones viſcoſis humoribus purgat, & ſi vice aquæ mittatur in lac, nutribilior fit, & è ſtomacho cito exijcitur. Si furfuris aceto mixti cataplaſmata calida puſtulis & vulneribus & ſcabiei adhibeas, reſoluit & mundificat, ſi cum vino aquæ mixto coquatur, & cataplaſmata ex eo mammillæ propter coagulationem lactis duræ ſupponatur, diſſoluit: valet itidem ad ſerpentis morſum.

De Pane.

CAP. XLVIII.

Panis etymon. *Iſidorus vbi ſupra*. Panis dictus eſt, eo quod cum omni cibo apponatur, vel quod omne animal eum appetit. Pan enim Græcè omnis dicitur. Panis cibarius eſt, qui ad cibum ſeruis datur non delicatus. Fermentaceus dicitur fermentis confectus. *Azimus* autem non fermentatus, nam azimus eſt ſine fermento ſincerus. *Acrizimus* autem leuiter fermentatus quaſi acro azimus. *Clibanicius* in teſta coctus. *Rubidus* autem recoctus, & rubefactus. *Subcinericius* dicitur cinere coctus ac reuerſatus, idem & focacius. *Sfungia* dicitur panis aqua diutius laxatus, ſimilam modicam, frumentumque modicum accipit, & habet humectationis plus, quam omnis panis, propter quod & ſfungiæ nomen accepit. *Placentæ ſunt*, quæ de farre fiunt, quas alij quidem liba dicunt, *eo quod libeant & placeant*. Dulcia ſunt operis piſtorij genera, ſic à ſapore dicta, melle enim aſperſa ſumuntur. *Auctor*. Collyrida dicitur panis quadratus de ſimila factus in ſartagine cum oleo frixus, vel modicus panis triangulus. Lagana ſunt panes lati ac tenues, cruſtum eſt panis ſuperficies. *Auicenna*. Panis vt comedatur, oportet quod ſit mundus, ſalitus, maſſam habens confectam, fermentatus, bene decoctus. Ne comedatur calidus. ſed vna nocte permanens. Calidus enim non eſt apud naturam receptibilis. Et acceptio eius, qui eſt de furno, & reliquorum ſibi ſimilium eſt mala. Panis de ſimila melior eſt, & mundior, ac nutribilior, quam alius. Eius nutrimentum melius eſt, ſed tardioris penetrationis. Opirus autem, qui eſt plurimi furfuris, velocis eſt penetrationis: ſed nutrimenti minoris, ac deterioris. Ille vero qui non bene coquitur, eſt plurimi nutrimenti, & ſimiliter qui parum habet fermenti. Sed eius nutrimentum opilat, niſi illos, qui plurimi ſunt exercitij: huius generis eſt panis de patella; nam eius interior pars raro bene coquitur. Emplaſtrum ex pane factum calidius eſt, quam ex frumento. *Panis ex frumento nouo, velociter impinguat.*

De Medicinis ex pane.

CAP. XLIX.

Vis medicinalis panis. PAnis de frumento cum mellicrato, ſucciſque conuenientibus, valet apoſtematibus calidis, lenit enim, & infrigidat ea. Panis cum aqua & ſale decoctus & impetigini infuſus, confert. Panis *calidus ſua caliditate ſitim facit*, & propter humiditatem ſuam vaporoſam natat ac velociter ſatiat. Eſt quid velocis digeſtionis, & tardæ deſcenſionis. Panis opirus eſt lenitiuus naturæ, fermentatus quoque ventrem lenit, & azimus ſtringit. Similiter in patella coctus, & antiquus panis ſiccus ventrem ſtringit. *Plin. lib.* 22. Panis ipſe quo viuitur, innumeras penè continet medicinas, ex aqua & oleo vel roſaceo collectiones mollit. Ex aqua mulſa duritias, & ex vino valet ad diſcutienda, quæ perſtringi opus ſit. Cum aceto valet *aduerſus occultas petuita fluxiones*, quas Græci rheumatiſmos vocant, item ad percuſſa luxata: Ad omnia vero eſt vtilior fermentatus, qui vocatur antopirus. Illinitur & paronychis, & callo pedum in aceto veteri. Nanticus panis tuſus, & iterum coctus, aluum ſiſtit, vociſque ſtudioſis, & contra diſtillationes, ſiccum eſſe primo cibo eſt vtiliſſimus. Sitanius hoc eſt trimeſtris incuſſam faciem, aut deſquamatam cum melle aptiſſimè curat. Aegris leuiſſimum cibum præbet candidus, aqua calida frigidave madefactus. Oculorum quoque tumori imponitur ex vino ſic, & puſtulis capitis, atque adiecta myrto acida. Tremulis panem ex aqua eſſe ieiunis ſtatim à balneis demonſtrant, quin & grauitatem odorum in cubiculis vſtus emendat. *Illos qui vtuntur pane ordeacco, tentari negant pedum morbo.*

Panis cum aceto valet contra rh. uma.

Nota.

De diuerſitate panis ex farina.

CAP. L.

Diuiſio panis. *Iſaac in dietis*. Panem tritico calidiorem diximus, cuius diuerſa ſunt nutrimenta quatuor modis. Primo propter farinam vnde factus eſt. Secundo ex artificio ſui. Tertio ex igne à quo coctus eſt. Quarto pro qualitate qua ſumitur. Farinæ modus trifariam diuiditur. Primus propter eſſentiam ſui. Secundus pro qualitate molitionis. Tertius ſecundum breuitatem vel longitudinem temporis ex quo mola contrita eſt, vt ſuperius dictum eſt, panis quanto mundior eſt, tanto pluris nutrimenti, & durioris egeſtionis. Diuerſitatis panis ex artificio ſui, duo ſunt modi, vel ex forma, vel ex artificio ſimpliciter. Forma autem triplex eſt. Magna, parua, media. Magna medullæ plus habet, corticem vero ſubtiliorem & duriorem. Cortex prēterea parum nutrit, & eſt ad digerendum durus, humiditatem egeſtionis exiccat, vnde & ventrem conſtipat. Medulla craſſa eſt & viſcoſa, & inflatiua phlegma viſcoſum generans, panis parui & ſubtilis interiora ignis perforat, & humiditatem medullæ exiccat, vnde parū nutrit, & tardius digeritur, & ventrem conſtipat, maxime ſi æſtus ſit in primo vel ſecundo die poſt decoctionem. *Vnde Hippocrates*. Panis magnus, & craſſus eſt medullæ multæ, nutrimenti pluris, ventrem ſoluit, paruus autem & tenuis, medullæ eſt paucæ, nutrimenti pauci. Egeſtio eius tarda eſt, ventrem conſtipat. Qui autem menſuræ mediæ eſt in forma, & mediæ eſt poteſtatis.

Triplex diuerſitas formæ panis.

De diuerſitate panis ex artificio ſui.

CAP. LI.

Nota de pane bene cōfecto. ARtificium panis quatuor diuiditur modis. Eſt. n. panis quantum expedit fermenti tantum habēs, & ſalis, & bene confectus, & ſicut oportet coctus. Eſt parum fermentatus, & coctus, & in cæteris à neceſſaria temperantia imminutus. Eſt habens fermentum & ſal vltra quam ſat eſt. Eſt azimus, & ſale carēs. Primus, quidem moderatior eſt in omnibus his ſupradictis, in ſtomacho perfectè digeritur, *& ſanguinem in corpore clariſſimum generat, vnde naturę confortat actionem, propterea commodus eſt his qui quieti ſunt & delitiarum delectatione viuunt*, & eis quorum digeſtio defectum patitur, vt ſeniorum & ægritudines exeuntium. Ars enim exhibita exterius ſufficit naturæ laboranti interius. Exercitantibus autem & laborantibus non adeo conueniens eſt propter ſuam ſubtilitatē & facilitatē diſſolutionis ex membris

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

membris eorum. Panis fermentatus modicum habens ſalis, nec bene coctus, viſcoſitatem generat & craſſitatem, vnde durior eſt, & priore tardior, propter hoc aptus eſt exercitantibus, & laborantibus. Nam abundantia caloris eorum eſt cauſa fortitudinis, & digeſtionis. Sed qui fermenti ſaliſque ſuperfluum habuerit, minimum nutrit & confortat, virtus enim ſalis humiditatem eius deſiccat, fermentum coniunctionem rarificat. Azimus ſimiliter minimum nutrit, & duriſſimè digeritur, tardiſſiméque egeritur, proprietatem habet opilationem & ventoſitatem generandi, idcirco inconueniens eſt omnibus naturis, niſi raro eis, qui maximis laboribus exercentur, vt meſſores.

Azimus panis peſſimus.

De diuerſitate ipſius ex modo coquendi.

CAP. *LII.*

LOcus duobus modis eſt diuerſus, aut ex natura ſui, aut ex artificio cocti panis. Ex ſui natura tripliciter, aut magnus eſt & fortis, aut debilis, aut leuis, aut mediocris. Fortis & magnus deſiccat, & indurat exteriora panis, mica vero non bene cocta remanet, quia cortex non permittit calorem penetrare interiora. Inde duabus, de cauſis eſt illaudabilis, vel quia cortex eſt durus, & inde non nutriens interiora, ſicut feruore incenſus, vel quia viſcoſa & craſſa eſt mica, & ita vtrũque indigeſtum diuerſorum humorum eſt generatiuũ. Duricies corticis, & incenſio ſui *ſicciſſimum ſanguinem generat, & conſtipat ventrem:* viſcoſitas, & craſſicies micæ humores crudos, & phlegmaticos facit, & inflationes ventris adiuuat, debilitas foci ex defectu ſui penetrare interiora pigreſcit, vnde oportet diutius immorari. Si enim antequam ſit coctus extraxeris, viſcoſus erit, fortis digeri, exercitantibus tamen neceſſarius. Si vſquequo coquatur dimiſeris, ſiccus, & durus erit digeri & ſtipticus. Mediocris temperatus eſt focus, quia totum corpus æqualiter penetrat. Ex artificio duo ſunt modi, aut in furno, aut ſub teſtis. In furno ſi ſecũdum quod oportet coquatur, bene digeritur, & penetrat totum corpus panis ſc. micam cum cortice. Si coquatur ſub teſtis peior eſt, quia focus in vna parte operatur, altera vero viſcoſa & craſſa remanet, & ideo ad digerendum durus eſt. Si ergo ſæpe comedatur, poſt multum tempus inflationem, & dolorem lateris generat. Subcinericius vero ſubter carbones, vel cineres coctus velociter deſiccatur extrinſecus. Intrinſecus vero craſſum remanet & cinereum & terræ admiſcetur multum, maxime autem ſi ligna mollia fuerint, & viſus obſcuritas.

Nota de duritie corticis panis.

De pane calido.

De pane comeſto poſt duos dies.

De diuerſitate panis ex qualitate ſumendi.

CAP. *LIII.*

DIuerſitates panis ex qualitate accipiendi quatuor ſunt, alius calidus accipitur, ſecũdum quod à foco egreditur. Alius frigidus, ſed tamen eadem die comeditur. Alius poſt vnum vel duos dies. Alius poſtquã eſt ſicciſſimus. Calidus magis eſt nutritiuus, digeſtiuus, penetratiuus, quia melior eſt & cito diſſoluitur, ſed à *ſtomacho & inteſtinis eijci durus*, ideo ea grauat accidentaliter non naturaliter. A ſtomacho quia non deſcendit inferius propter leuitatem ſuã. Ab inteſtinis, quia vias non penetrat, vt ad inteſtina parum trãſeat, ideoque grauat: accidentaliter autem, quia naturaliter *ventrem humectat, fæces diſſoluit*. Qui autem eadem die comeditur, minus eſt nutritiuus, & velociter digeritur, tarde deſcendens, quia intrinſecus infrigidatur, & poris clauſis, & calore recluſo interius manet fumus, & inde exire nõ poteſt propter ipſorum opilationem, & reuertens inuenit aliam fumoſitatem, quibus craſſicies ventoſitatis, & inflationis efficitur, & inde durus, indigeſtus, & inflatiuus ſtomacho redditur. Qui poſt vnum vel duos dies accipitur, intus, & exterius exiccatur, *hic laudabilis eſt nutrimenti, ad comparationem tamen calidi minoris, & velocius diſſoluitur à ſtomacho & inteſtinis cito ejicitur*, cito penetrat vias, à ſtomacho, quia neque viſcoſus ab inteſtinis, quoniam durus vias penetrat. Craſſus neque adunatus, grauat inteſtina, & eijcitur ſicciſſimus, & leuis, & rarus cauſa ablatæ humiditatis, bene humiditatem ſtomachi deſiccat, & multa humiditas, vt infundatur eſt neceſſarium. Digeſtionẽ deſiccat, ventrem conſtipat.

De fermento.

CAP. LIV.

ISidorus *vbi ſupra*. Fermentum *à feruore* nuncupatum eſt, eo quod plus hora prima contineri non poteſt, creſcendo.n. excedit. *Iſaac*. Fermentum diuerſis conſtat virtutibus compoſitum. Calorem habet paruum & frigiditatem, vnde ſubtilem habet virtutem humores ex corporis interioribus extrahendi, & ſi cum ſale & oleo temperatum *carbunculis apponatur, maturat* & aperit. *Pli. lib.* 18. Milij præcipuus eſt ad fermenta vſus è muſto ſubacti in annum tempus. Simile fit & tritici furfuribus minutis, & optimis è muſto albo triduo macerato ſubactis, ac ſole ſiccatis. Inde paſtillos, in pane faciendo dilutos, cum ſimilagine ſeminis feruefaciunt, atque ita farinæ miſcent, ſic optimum fieri panem arbitrantes. Olim cũ fieret panis ordeaceus, huic cicerulæ farinæ admixtione fermentabatur. Nunc autem fermentum fit ex ipſa farina, quæ ſubigitur priuſquam ſal addatur ad pultis modum decocta, & donec aceſcat relicta. Palamque natura eſt acore fermentari, ſicut & corpora quæ *pane fermentato aluntur eſſe validiora*, quippe cum apud veteres ponderoſiſſimo cuique præcipuo tritico ſalubritas ſit perhibita. *Razi in Almãſore*. Fermentum de farina tritici ſi ex eo fiat emplaſtrũ doloribus, qui ſunt in *plantis pedum auxiliatur, & apoſtemata maturat*.

Fermenti etymon.

Nota.

Vſus in medicina.

De amylo vel amido.

CAP. *LV.*

DIoſcorides. Amylum dicitur eo quod ſine mola efficitur. Græci namque mylos molas vocant. Eſt autem vtile quod fit ex tritico Sicanio & Cretico vel Ægyptio hoc modo. Triticum lotũ in aqua bona infunditur, eiq; aqua limpida quinquies in die mutatur. Nocte quoque aqua mutatur, & cum molle fuerit liquatur, & manibus confricatur. Confricatum quoq; liquatur, & poſt quam perliquatum fuerit ad ſolem colatum ponitur, ſed non multum habeat aquæ cum liquatur. Eſt autem optimum recens, & candidum ac leue ſine vllo acrore & ignoſo odore, ad rheuma oculorũ abſtinendum facit, alia vulnera in oculis replet, & aſpredinem oculorũ tollit, ſanguinem reijciẽtibus bibitum eſt ſingulare præſidium, aſpredinem arteriarum diſlenit, lactis iuſcello miſcetur, & ventris profluuiũ valde ſiſtit: poteſt autẽ leuiter ſtringere, propter quod & collyrijs lachrymas ſtringentibus miſcetur. *Plin. vbi ſup.* Amilum ex omni tritico fit ac ſiligine, ſed optimũ ex trimeſtri. Inuentio eius inſulæ Chio debetur, & eſt hodie laudatiſſimum, ab eo quod ſine mola fiat ſic appellatum. Proximum ex trimeſtri, quod eſt minime ponderoſo tritico, madeſcit dulci aqua, ita vt in vaſis ligneis integatur, quinquies in die mutata, meliuſquè ſi & nocte mutatio fiat, ita vt miſceatur pariter emolitum priuſquam aceſcat, lintheo vel ſportis ſiccatum tegulæ fermento illitę infunditur, & ita in ſole ſiccatur, poſt Chyũ maxime laudatur Creticũ, mox Aegyptium: probatur autem leuitate & leuore, atque vt recens ſit. *Idem li.* 22. Amylon oculos hebetat, gulæ inutile contra quam creditur. Siſtit aluum, epiphoras inhibet oculorum, & vlcera ſanat. Item *fluxiones ſanguinis* curat, & *puſtulas*, & genas emollit duras, datur & cum ouo his qui reiecerunt ſanguinem, valet etiam contra *veſicæ dolorem*.

Etymon amili.

Inuentio amyli

Vſus medicinalis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iterum de eodem.

CAP. *LVI.*

PLatearius. Amilum eſt temperatè calidum & humidum frumentum in aqua frigida poſitum, per diem & noctem ibi moratur, ac de die in diem innouatur aqua donec frumẽtum eſſe putrefactũ videatur, poſtmodũ aqua remota optimè cõteratur, & ſic eadẽ addita conficiatur ac per pannum exprimatur. Soliqueque vſque ad aquæ conſumptionem exponatur. Et aqua frigida vſque ad eius dealbationem frequenter renouetur. Demumque quod reſidet deſiccari vel indurari permittitur, & ſic amylum efficitur. Ex ordeo mũdato ſimiliter fieri poteſt: valet autem contra ſpiritualium *apoſtema*, & *tuſſim* ac pthiſim mitigat cum aqua ordei coctũ, & cum lacte conditum additis penidijs. *Iſaac.* Amidũ eſt frigidum & ſiccum, non tamẽ malum generat ſanguinem ſed quãdam habet viſcoſitatem, propter hoc aſperitatem lenit corporis, ac pectoris, & pulmonis. Et ſolidatiuum eſt eorũ vulneris. Et ſi coquatur cũ aqua & ſaccharo & amigdaleo, multum valet ad *ſiccam tuſſim*, & ad humores, qui tenues ſũt, & à capite in pulmonẽ vel pectus deſcẽdunt. Aliquando cum ſimila coctum bene nutrit, & ſanguinẽ generat temperatum. Sæpe tamẽ vſum, *lapidem in renibus*, & in veſica creat, præcipuè ſi tenes calidos naturaliter vel accidentaliter inueniat. Valet iterũ ad *repellendos humores deſcendentes in oculis* ad vulnera quoq; naſcentia in eis: ſi oculorũ medicinæ mixtũ ſit.

Modus conficiendi amylum.

Virtus.

De Granis ſegetum ac leguminum ſecundum alphabetum.

CAP. LVII.

AVctor. Hæc dicta ſunt in generali de frugibus, ideſt ſegetibus ac leguminibus, quæ omnia frugum nomine comprehendit Plinius, vt patet in præcedentibus, ea tamen quæ nunc vltimo de farina & furfure ac fermento, & pane & amilo diximus: ad ſegetes maximè pertinent: quia de illis maximè talia efciuntur Et licet frumentum apud eos vulgari nomine triticum vocetur. *Iſid.* tamen hoc idem vocabulum ad reliquas etiam ſegetes extendit, & propriè ad illas quæ habent ariſtas. Similiter Plinius frumentum appellare videtur omne granũ, de quo ſecundũ vſum cõmunem panis efficitur, vt eſt *triticum, ſiligo, auena, ordeum & far, & milium, & panicum, & ſimilia.* Sunt itaque propriè fruges, vel ſegetes, vt alica, & auena, triticum, ſiligo, ſeſama, ſiſamium, panicum, ordeum, izea, & ſi qua sũt ſimilia. Legumina vero ſunt, vt adoreũ, cicer, citiſum, faba, faſelus, lenticula, lupinus, orabum, piſum, rizũ, robelia, ſiliqua, vicia, & ſimilia. Quia vero hæc omnia in nomine grani conueniunt, & de quibuſdam eorum nihilominus, & panes, & pulmenta communiter fiunt: de his omnibus vnico tantũ ordine ſecundum alphabetum more noſtro dicemus.

Frumentum.

Legumina.

De Adoreo.

CAP. LVIII.

ISid. lib. 17. Adoreum eſt tritici genus, quod idem dicitur vulgo ſemen. Edor vero quondam appellatum *eſt ab edendo*, quoniam eo primitus homines vtebantur, ſiue quia in ſacrificio panis huius generis ad aras offerebatur, vnde & *adorea dicuntur ſacrificia.* *Palladius lib.* 10. Triticum, & adoreum in Septembri menſe locis vliginoſis aut exilibus, aut frigidis, vel opacis circa æquinoctium ſunt ſerenda, videlicet dum ſerenitas conſtat, vt radices frumenti ante hyemem conualeſcant. *Idem in lib.* 11. Iuſta quoque ſatio eſt ordei, & tritici à 10. Kal. Nouembris vſque ad 6. idus Decẽbris, regionibus temperatis. *Plin. vbi ſup.* In creta & rubrica lupinũ, in agro autẽ aquoſiore adoreum, in ſicco, & non herboſo nec vmbroſo triticũ, in loco etiã humili ſerendum eſt adoreum potius quàm triticum.

Edor.

Adorea.

De Alica.

CAP. LIX.

ISido. Alica nomen Græcum eſt, alicaſtrum eſt alicæ ſimile, præcipua bonitate, & pondere. *Plin vbi ſup.* Dicatur & alicæ ratio præſtantiſſimæ ſalubertimæque quæ palma frugum indubitanter Italiam cõtigit. Sine dubio ſit & in Ægypto, ſed admodum ſpernenda. In Italia vero pluribus locis, ſicut Veronenſi & Piſano agro. In Campania tamen laudatiſſimus eſt eius campus, ſubiacens nimboſis montibus totis quidem 40. milibus paſſuũ planicie. Gratia terræ eius, vt protinus ſoli natura dicatur Puluerea ſũma, inferior bibula, & pumicis fiſtulans vice, montium quoq; culpa in bonũ cedit. Crebro enim imbre percolat atq; trãſmittit, nec diui aut madere voluit propter facilitatẽ culturæ. Eadem acceptum humorem nullis fontibus reddat, ſed temperat, & cõcoquens intra ſe vice fuſi continet. Seritur anno toto panico ſemel: bis farre & tamen vere ſegeres quæ interquieuerunt fundunt roſam, odoratioẽ ſatiua, adeo terra parere nõ ceſſat Alica fit ezea, quã ſemen appellauimus. Granum eius in pila lignea tunditur. Nam lapidis duritia conteritur, iterumque armamẽtis nudata medulla conſciditur. Ita fiunt alicę tria genera, *minimum ac ſecundarium, & grandiſſimum* quod epherema appellant. Nondum habent candorẽ ſuum, quo præcellunt, iam tamen Alexandrinę præferuntur, poſtea mirum dictu *admiſcetur creta quæ tranſit* in corpus, & colorem ac teneritatem affert, hæc inter Puteolos, & Neapolim inuenitur, in colle qui Leucogeos appellatur. Extatq; diui Auguſti decretũ, quo anno ad vicena milia Neapolitanis pro eo numerari iuſſit è fiſco ſuo: Coloniam deducens Capuam, adiecitq; cauſam afferendi: quoniam Campani negaſſent alicã ſine illo metallo poſſe confici. *In eodem reperitur & ſulphur*, emicantq; fontes oraxi oculorum claritati medicinales ac vulnerũ medicinæ dentiũq; firmitati. Alica fit adulterina maximè è zea quæ degenerat in Aphrica: eiuſque ſpicæ latiores ſunt, & nigriores, ac breui ſtipula, hãc pinſunt cum arena, & ſic quoq; difficulter viriculos conterunt, & fit in dimidia modij mẽſura. Poſtea gypſi quarta pars inſpergitur, atque vt cohęſerit farinario cribro ſubcernunt Quæ in eo remanſerit appellatur excepticia, & eſt grãdiſſima Quæ vero tranſit arctiore cribro ſecernitur, & ſecundaria. Item cribraria quæ ſimili modo in tertio remanſit cribro anguſtiſſimo, & tantum arenas tranſmittente.

Tria genera alica.

Nota.

Adulterandi alicam ratio prima.

Alia vbiq; ratio eſt adulterandi hoc modo. Ex tritico candidiſſima & grandiſſima grana eligunt, ac ſemicocta in ollis poſtea ſole arefaciunt, rurſumque leuiter aſperſa molis frangunt. Ex zea pulchrius quam ex tritico fit granum quamuis alicę ſit hoc vitium. Candorem autem ei pro creta lactis incocti confert mixtura *Idem in lib.* 22. Alicam fieri diximus ex zea, efficacior etiam videtur ordeacea Trimeſtris mollior ex vino rubro valet ad ſcorpionũ ictus tepida, & ſanguinem excreantibus. Item arteriæ. Tuſſi cum ſebo caprino, vel butyro. Molliſſima omnium eſt ea fænu Græco, *Furfures etiam* corporis ſanat, *vlcera q;* manãtia, *ſtomachi dolores* pedes atque mammas cum vino, & nitro cocta. Herina vero plus cæteris purgat vlcera vetera, & gangrænas. Cum raphano, & ſale, & aceto *lichenas, lepras* cum ſulphure ac vino. *Capitiſq; dolores* impoſita fronti cum adipe anſerino *Sturmas.* & *pannos* concoquit in fimo columbino, & lini ſemine decocta in vino. Hęciam de alica allegata ſecundũ Plin. de zea dicuntur. Nam de alica ſic dicit *Plinius.* Alica res Romana eſt, & nõ pridẽ excogitata, alioquin non ptiſani potius laudes ſcripſiſſent Græci. Nondũ arbitror Põpeij Magni ætate in vſu fuiſſe, & ideo vix quicquã de

Adulterandi alia ratio.

Vſus medicinalis alica.

ea ſcriptum ab Aſclepiadis ſchola. Eſſe quidem eximiè vtilem nemo dubitet, ſiue eluta detur ex aqua mulſa, ſiue in ſorbitiones decocta, ſiue in pulte. Eadē in aluo ſiſtendo torretur. Deinde fauorum cera decoquitur. Peculiaris tamē longo morbo ad tabitudinem redactis ſubuenit ternis eius cyathis in ſextarium aquę ſenſim decoctis, donec omnis aqua conſumatur, poſtea ſextario lactis ouili aut caprini addito per continuos dies mox adiecto melle. Tali ſorbitionis genere emendantur ſyntheſes, quæ ſunt ex his ſumptæ.

De Auena.

CAP. LX.

Auena vitiū frumenti.

Sid. Auena eſt herba ſeminalis ſegeti ſimilis. Vnde Virg. *Vrit enim lini campum ſeges, vrit auena.* Ponitur aliquoties pro calamo. *Plin. lib.* 18. Primum omnium *vitium frumenti eſt auena*, ſicut videlicet iam dictum eſt ſup. & ordeum in eam degenerat, ſicut ipſa frumenti fit inſtar, quippe cum illam Germaniæ populi edant, nec alia pulte viuant, hoc vitium euenit maximè ſoli cælſque humore. Eſt & aliud ex vicino auenę vitium cum amplitudine inchoata granum, ſed nondum matura priuſquàm roboretur corpus afflatu noxio caſſum, & inane in ſpica euaneſcit quodā abortiuo. *Auctor.* De auena nōnunquā miratus ſum, quòd de ipſius natura vel operatione medicinali penè nihil reperitur in libris authenticis medicorum, ſed hoc ideo accidiſſe videtur: quia in eorumdem auctorum regionibus nequaquā vt grana cætera reperiebātur, & fortaſſe nec olim ſeminabātur cōmuniter, ſicut modo fit apud nos. Vnde nec Iſid. eā inter fruges ponit, ſed inter herbas Nunc autē vſitatiſſimus eſt cibus iumētorū, & in pluribus locis hominū. Nam & ex ea fit panis ſuauiſſimus, & granellum, congruentiſſimus infirmorū cibus & ceruiſia, vel ptiſana, quę eſt cibus & potus. *Conſtan. in li. gra.* Auena vires habet leniter laxantes, & ad omnem tumorem facientes, mollit duritias, & ideo farina eius ſi cataplaſmetur, commixta congruè facit ad Aegilopas.

Granellum Ceruiſia. Ptiſana.

De brancheac bromo.

CAP. LXI.

Brance.

Plin. vbi ſup. Brancem Gallię ſuum genus farris dedere, quod apud nos ſandala dicitur, & eſt nitidiſſimi grani. Eſt & alia differentia, quod ferè libris quaternis plus reddit panis quā aliud. *Idem in lib.* 22. Bromos eſt ſemen cuiuſdam ſpicam ferentis herbæ, quæ naſcitur inter vitia ſegetis auenæ genere, & folia & ſtipula triticum imitatur, paruulas veluti lobas habet in cacuminibus dependentes. Semen ipſum eſt vtile ad cataplaſmata atque ordeum, & ſimilia. Succus etiam ipſius medicinaliter *prodeſt tuſſientibus.*

Bromos.

Vſus medicinalis.

De Candreo ac cicere.

CAP. LXII.

Candreos.

Auicenna. Candreos aliàs canderos eſt triticum Romanum: huius nutrimentum eſt frigidius ac minus nutrimēto tritici, cum hoc tamen eſt bonæ digeſtionis ac plurimi nutrimēti fortis, & craſſi. *Iſid.* Cicer nomen Græcum eſt, genus eſt leguminis. Cicer album, & nigrum *ventrem molliunt, vrinam prouocāt*, & nutriunt. *Plin. lib.* 18. Ciceris natura eſt cum ſalſilagine gigni. Ideoque vrit ſolum, nec ſeri debet niſi pridie madefactū. Plures ſunt eius differentiæ, videlicet magnitudine, colore, figura, ſapore. Eſt enim arietino capiti ſimile, vnde *& arietinum* appellatur. Eſt album, & nigrum. Eſt & columbinum, quod alij venerium vocant, cādidum, rotundum, leue, minus arietino. Eſt & cicercula minuti ciceris inæqualis angulos habens veluti piſum. Eſt autem dulciſſimum id quod heruo eſt ſimillimum. Firmius eſt quod nigrum & rufum quam quod album cicer radices habet altiſſimas, folia multiplicia, pauciſſimiſque diebus maturatur. Nam à ſemente quadraginta diebus perficitur. Siliquę ciceri ſunt rotundæ. Cęteris autem leguminum longè & ad figuram ſeminis latę. Cōmune autem omnium ſatorum vitium eſt, vrica etiam ciceris cum ſalſuginē eius abluendo imber dulcius id facit. Eſt etiam herba quæ cicer enecat, eruumque circumligando ſe, & vocatur *orobanche.* Subtilis eſt illa ſententia, qua dictum eſt ea ſerenda in tenuiori terra, quæ non multum ſucco indigent, vt cicer ac cithiſus, exceptis leguminibus quæ velluntur è terra non ſubſecantur. In pingui verò ea quę cibi maioris ſunt, vt ſiligo, & linum, & triticum. *Pal lib.* 2. Menſe Ianuario cicercula ſeritur loco læto, cœlo humido. Sed hoc genus ſeminis raro reſpōdet, quia decipitur auſtro vel ſiccitate dum floret, quod tunc euenire prope neceſſe eſt. *Idem in lib.* 4. In Menſe Martio cicer vtrumque ſerendum eſt loco lætiſſimo, cæloq, humido. Macerandum eſt autem pridie, vt citius naſci poſſit. Græci quoq; dicunt cicer naſci grāde, ſi aqua tepida infundatur pridie: loca quoque maritima amare, temperiuſque ſi ſeratur autumno prouenire. Tunc etiam cicera ſerenda eſt, quæ diſtat à cicercula ſolo colore, & quod ſordet, ac nigrior eſt.

Orobanche

Tēpus & locus quibus ſeritur cicer.

De Medicinali ciceris operatione.

CAP. LXIII.

Cicer pulchrā cutem facit.

Iſaac. Ciceris eadem eſt differentia, viridis & ſicci, quæ fabarum, & ſiccarum, & viridium. Siccum eſt album, & nigrum. Album calidum eſt in primo gradu, humidum in medio. Ideo nutrimentum eſt multum, nec tamen bonum, ſed ad digerendum durum, ventoſitatē, & inflationem faciens, vnde qui eo vtuntur pulchræ cutis fiunt: quia dilata, & extenſa caro luceſcit, & clarificatur. Ciceris duæ ſunt poteſtates contrariæ, quas cum coquitur amittit, & in aquam vbi coquitur redeunt, vnam dulcedinis, alteram ſalſuginis: ex dulcedine ſua mundificat, & excolat bene & nutrit, lac augmētat, ventrem humectat, apoſtemata diſſoluit, maximè quæ in inteſtinis ſunt, & retro auriculas. Ex ſalſugine autem humores craſſos diſſoluit ac minuit, vrinam & mēſtrua prouocat, ventrem humectat, valet iterum ictericis, & hydropicis, valet ad totius corporis, & capitis pruriginē, ſi eius iure lauetur. Impetiginem ſerpiginemque mundificat. Nigrum albo calidius eſt, humidum minus, propter hæc amaritudo eius, dulcedine manifeſtior eſt. Ideoque plus albo valet in apertione hepatis, & ſplenis, & lapidis fractura ac lumbricis.

Auicen. Cicer aliud eſt album, aliud rubeum, aliud nigrum, vt herbum. Et harū ſpecierum aliud eſt ſylueſtre, quod amarius eſt, & digeſtibilius, ac vehemētioris calefactionis. Aliud vero domeſticū, quod melius eſt nutrimento. Album quidem calidum eſt, & ſiccum in primo, & nigrum fortius eſt. Ambo ſunt lenitiua, & inflatiua, & in ipſis eſt inſciſio. Nutrimentum eorum fortius eſt, quàm fabarum & magis ſolidum, abſtergit *lentigines, & colorem efficit bonum* linitum, & comeſtū. Cōfert etiam *apoſtematibus* calidis, & duris, ac reliquis apoſtematibus quæ ſunt ex eis in glandulis, & *doloridorſi, vocem clarificat*, & nutrit pulmonē melius quàm res aliqua. Eius decoctio vtilis *eſt hydropiſi ac ictericiæ*, & aperit opilationes *hepatis, & ſplenis*, & renum. Oportet autem quòd nec comedatur in principio cibi, nec in fine, ſed in medio. Oleum eius confert impetigini, & eius farina fraudulentis vlceribus, & cancerois atque prurigini. Decoctio nigri *frangit lapidem in veſica*, & renibus cum oleo amigdalino, & raphano, & apio. Totum quod ex eo eſt. *extrahit fœtum.* Nocet autem vlceribus veſicæ, & vehemēter addit in coitu. Ob hoc animalia maſculina nutrit, & camelos. Dixerunt etiam quidam quod cicer aceto infuſum, & à ieiuno come-

Vſus medicinalis ciceris.

ſtum

ſtum *vermes interficit*. Hippocras ait quod in cicere ſunt duæ ſubſtantię quæ ſuparantur cum decoctione, quarum vna eſt ſalſa,& lenit naturã alia;dulcis,& prouocat vrinam.Dulcedo in ipſa inflatiua eſt,& coitum excitat.

Idem vſus reperitur ex Dioſcoride.

De eodem.

CAP. LXIV.

Dioſcorides.Cicer comeſtum vrinam prouocat,inflat, & ventrem mollit, colorem bonum facit, menſtrua quoque & embryones & *lac mulieri comeſtum deponit*,Cataplaſma ex peregrino cicere, *tumores teſtium,& formicas,ac zernas,& cancros & ſcabies malignas*, mixto melle curat ſaluberrimè. Aliud genus quod erios dicitur, ſimilem habet virtutem;Eſt etiam illi virtus Epiſpatica, & calida, ex media parte cum amaritudine, propter quod & ſplenem cit, renes heparque purgat.*Scabies*, *parotidas* & vulnera mala cum melle ſanat. horum quoque duorum generum elixatura *hydropicis* & *ictericis* medetur cum libanotide accepta. Eſt etiã aliud quod dicitur *cicer arietinum* omni cicere plus diureticum,& maximè illud quod nigrum eſt,cuius decoctio bibita rumpit *in renibus lapides*. Eſt cicer agreſte habens folia prędictis ſimilia,odoris viſcidi,ſemine diſſimile.Sed tanta eſt illi efficacia quanta & illis.*Plin.li.*22. Eſt cicer etiam ſylueſtre folijs ſatiuo ſimile,graui odore, ſed ſi largius ſumatur, aluus ſoluitur, & inflatio torminaque contrahuntur. Toſtum vero ſalubrius habetur. Cicercula quoque magis in aluo proficit,farina vtriuſque capitis vlcera manantia ſanat, & ſyneſtris efficacius. Item comitiales *morbos ac iocinerum tumores*,ac *ſerpentium ictus*. Cit menſes,& vrinas grano maximè.*Emendat & lichenas* ac teſtium inflationes, *regiumq; morbũ* & *hydropicos*. Hæc autẽ omnia genera lædunt exulceratã veſicã, & renes.Gangrẽnis vtiliora cũ melle, & his quæ cacetha vocãtur. *Verrucarum* in omni genere prima luna ſingulis granis ſingulas tangunt.Eaque grana in lintheolo deligata abijciunt poſt ſe, ita fugari vitium arbitrantes. Noſtri præcipiunt arietinum in aqua decoquere, & ex eo bibere in difficultatibus vrinæ. Sic & *calculos morbumque regium pelli*, & eiuſdem folijs ſarmentatis atque decoctis aqua maximè calida morbos pedum tolli.

*Idem in lib.*22.

Cicer arietinum quid præſtat.

Cicercula vſus.

De Eruo, & eriſimo

CAP. LXV.

Plin. vbi ſup. Erui cura non eſt operoſa hoc amplius quàm vitia truncatur. Ipſum vim obtinet medicaminis. Quippe diuum Auguſtum ipſius epiſtolis memoria per id extat curatum. In Martio menſa ſatum, bobus aiunt eſſe noxium. Item autumno graui noxium innoxium, autem fieri vere primo ſatum.Eſt herba, ſicut iam dictum eſt, quæ cicer,& eruum enecat circumligando ſe, & vocatur *orobanche*. Naſcitur & ſpalangion in eruo, aranei generis beſtia, ſi ſit hyems aquoſa. *Idem lib.* 22. Eruo non minorem potentiam veteres tribuere,quàm braſſicę. *Contra ictus ſerpentium* ex aceto ad crocodilorum hominumque morſum. Si quis eruum quotidie comedat ieiunus, lienem eius abſumi certiſſimè auctores affirmant. Farina eius (vt ait Varro) *maculas* emundat ex toto corpore. *Vlcera* quoque non patitur ſerpere. *In mammis* efficaciſſimum eſt. *Carbunculos* ex vino rumpit,*vrinæ* difficultates, *inflationem*, *iocineris vitia*, *tenaſmon*, quæ cibum non ſentiant *atropha* appellata, toſtum, & in nucis auellanæ magnitudine collectum deuoratumque corrigit, *Item impetigines* ex aceto coctum, & in quarto die ſolutum *panos* in melle ſuppurare prohiber impoſitum. Aqua decoctum *pernio-nes* ac pruritus ſanat fouendo. Quinetiã ſi quis quotidie ieiunus bibat,melioré colorẽ fieri exiſtimãt corpori vniuerſo. Idem vero cibis hominũ eſt alienũ vomitiones mouet,aluum turbat,capiti & ſtomacho eſt oneroſum, genua quoque grauat, ſed mitelcit pluribus diebus madefactum bobus & iumentis vtiliſſimum. Eiuſque ſiliquas virides priuſquàm indureſcant cum ſuo caule folijſque contritæ, capillos inficiunt nigro colore.

Orobanche.

Vſus erui.

Palladius lib. 2. In menſe Ianuario eruum ſeri nouiſſimè poteſt in loco ſicco, & macro.*Idem in lib.*3. In Februario quoque menſe eruum adhuc ſeri poteſt, quoniam in Martio ſerẽdum non eſt,ne paſtu ſuo pecoribus noceat,& boues inſanos reddat.*Anctor*.Eruũ & heruum,& orobum idem ſunt, vt in medicorũ ſynonymis legitur,ideoque de illo ſub prædictis nominibus adhuc inferius cõgruis locis dicetur. *Plin.lib.*18. Eriſimõ eſt in Aſia Græciaque ſeſimæ ſimile granum: Idemque eſſet: niſi pinguis exiſteret, quod apud nos vocant irionem, medicaminibus potiuſquàm frugibus annumerandum.*Idem in lib.*22.Irionem inter fruges ſeſamæ diximus eſſe ſimilem, & à Græcis eriſimõ vocari, quam velarũ appellant Galli.Eſt autem frutico-ſũ erucæ folijs paulo anguſtioribus, ſemine naſturtij:vtiliſſimũ cũ *melle tuſſientibus* & in purulẽtis *thoracis excrationibus*. Datur & *regio morbo*,*lumborumq;* vitijs *pleureticis* torminibus ac *celiacis*.Illinitur & *parotidum*,& *carcinomatum* malis, ac *teſtium ardoribus* ex aqua cum melle.*Infantibus* quoq; vtiliſſimũ eſt,& iterũ ſedis vitiis,& articularibus morbis cum melle,& fico,cõtra *venena etiã* efficax potu medetur & ſuſpiriosis. Item *fiſtulis* cum axungia veteri,ne intus addatur.

Eriſimon.

Vtilitas eius.

De Faba.

CAP. LXVI.

Iſid. vbi ſup. Faba dicitur à veſcendo, quaſi phaga,*φάγειν* nãque dicitur græcè comedere.Primum autem homines hoc legumine vſi ſunt. *Plin. vbi ſup. Faba erumpit à primo ſatu die* 15. *vel* 20. Fabæ in folia exeunt,ac deinde caulẽ nullis diſtinctum internodiis emittunt.Reliqua vero legumina, & ſurculoſa ſunt. Vnicaulis eſt faba, folia vero habet multiplicia, frumentis eſt folium arundinaceum,fabæ rotundum,legumina diutius florent ex quibus eruum & cicer. *Sed diutiſsimè faba diebus* 40. floret. Frumenti grana in ſtipula crinito textu ſpicantur.In faba vero leguminibuſque lateribus alternis ſiliquantur *Inuentus eſt aliquando ſcapus vnus centum fabis onuſtus*. Iuter legumina maximè honos eſt fabæ,quippe ex qua tentatus ſit etiam panis.Fabæ multiplex eſt vſus omnium quadrupedum generi,ac præcipuè hominum. Frumento etiam miſcetur apud pleraſq; gẽtes, & maximè panico ſolida,& delicatius fracta.Quin priſco ritu fabacia ſuæ religionis diis in ſacra eſt:præualet pulmẽtarii cibo,& exiſtimatur *ſẽſus hebetare*, *inſomnia quoq; facere*. Ob hoc Pythagorica damnata eſt ſententia,vel(vt alii tradidere)hoc factum: quia mortuorũ animæ ſunt in ea,Qua de cauſa parentãdo aſſumitur.Ob hoc quoq, Varro Flaminem ea non veſci tradit,& quoniã *in eius flore lugubres literæ reperiuntur*,fabam vtique in frugibus referre mos eſt auſpicii cauſa, quæ ideo referuia dicitur,& auctionibus eam adhiberi lucroſum putãt. Sola certè etiã frugum exeſa repletur creſcente Luna. *Aqua marina nõ coquitur, aliaue ſalſa*. Setitur ante vigiliarum occaſum leguminum prima,vt hyemem antecedat.Virg.per ver eã ſeri iubet circumpadanæ Italiæ ritu. Sed maior pars malunt fabalia maturæ ſationis quam trimeſtrem fructũ eius.Silique cauleſq; gratiſſimo ſunt pabulo pecori. *Aquas in flore maximè cõcupiſcit*, *exiguas vero deſiderat cum defloruit*. Solum in quo eſt ſata, ſtercoris vice lætificat. Ideo circa Macedoniam & Theſſaliam cum florere cæperint, vertunt arua. *Naſcitur & ſponte pleriſq* in locis,ſicut in Inſulis Oceani Septẽtrionalis,quas ob id noſtri *fabarias appellãt*.Item in Mauritania paſſim reperitur ſylueſtris,ſed prędura,& quę pręcoqui nõ poſſit.Naſcitur & in Aegipto caule ſpinoſo,qua de cauſa crocodili timentes aculeos effugiũt, lõgitudo quatuor cubitorũ eſt ſcapo,

Cicer arietinum quid præſtat.

Nota.

Nota.

Scapus mirus.

Faba operatio.

Cur flamen à fabis abſtinet.

Nota.

Nota.

Inſula fabana vnde dicta.

Ampliſſima craſſitudo octona habet genicula, molli calamo, ſimile caput papaueri colore roſeo. In eo fabæ nõ ſupra tricenas, folia vero ampla, Fructus ipſe amarus, & odore ſed radix perquã lata, cibus incolarum, cruda, & omnino decocta radicibus arundinum ſimilis.

De faba cultura.

CAP. LXVII.

Faba vellẽda luna minuente.

P*Alla. li.* 11. Faba ſi bis ſarculetur proficiet, multum fructum & maximum, redditura, vt ad menſuram modij complendi freſa quoque pro modo ſicut integra reſpondeat. *Idem lib.* 7. Menſe Iunio *faba vellenda eſt luna minuente* ante lucem ſane, & antequam luna procedat. Excuſſa & refrigerata ponatur, ſicque gurguliones infeſtos non patietur. *Idem in lib.* 12. In principio menſis Nouembris faba ſpargenda eſt, quæ pinguiſſimum vel ſtercoratum deſiderat locum, vel vallem quam ſuccus veniens à ſummitate fœcundet. Primo ſeritur, deinde proſcinditur, & tunc ſulcatur, occanda eſt large, vt tegi plurimum poſſit, aliqui locis frigidis dicunt in fabæ ſatione glebas non eſſe frangendas, vt per eas gelicidiorum tempore poſſint Germina obumbrata defendi, ſatione eius generis, vt opinio habet, non fœcundatur terra, ſed minus lædit. Nam Columella dicit agrum frumentis vtiliorem probari, quo anno ſuperiori vacuus fuerit quam in calamos fabaceæ meſſis eduxit pingue iugerũ ſex modij occupant, mediocre amplius. Spiſſo bene prouenit, macrum locum nebuloſumque non patitur. Curandum præcipuè vt 15. ſeratur ſi adhuc ictum ſolis repercuſſa non ſenſit. Aliqui dicunt. 14. potius eligenda.

Nota.

Sanguine caponis græci aſſerunt faba ſemina macerata, herbis aduerſantibus nõ noceri. Aqua pridie infuſa citius naſci. Nitrata vero aqua reſperſa cocturam nõ habere difficilem. *Idem in li.* 13. In menſe Decembri faba circa 7. idus poteſt ſeri. Nam poſt exactam brumam male ſeminatur. *Plinius, vbi ſupra*: Virgilius nitro & amurca iubet fabam perfundi, ſic quoque grandeſcere promittitur.

Experientia aliquorum.

Quidam vero ſi triduo ante ſatum aqua, macereturꝝ vrina, præcipuam putant adoleſcere. Ter quidẽ ſartam, modium fractæ, modium ſolidæ reddere. In ſolo valido, fabam conuenit ſerere. Fabam non antequam trium foliorum ſit oportet ſarrire, tunc etiam leni ſarculo purgare verius, quàm fodere: florentem vero fabam primis diebus 15. non attingere.

De proprietate fabæ in cibo.

CAP. LXVIII.

Sicca & virides fabæ quid præſtãt.

I*Saac.* Fabæ in ſui natura frigidæ ſunt, in ſiccitate vero diuerſæ. Nam quæ comeduntur virides, frigidæ ſunt & humidæ in primo gradu. Minus nutriunt, *humores crudos, & craſſos generant*, inflatiuæ ſunt, in ſuperioribus ventris ventoſitatem faciunt, ideo *ſtomacho valde nociuæ ſunt. Siccæ vero* ideſt completo meſſionis ſuæ tempore collectæ, *frigidæ ſunt & ſiccæ* in primo gradu, ſanguinem non laudabilem creant, ordeo magis nutriunt non naturaliter ſed accidentaliter, ſcil. propter ſubſtantiæ ſuæ craſſiciem, & tarditatem diſſolutionis ex membris, *Carnem inflant* & dilatant, in inferioribus ventris *ventoſitatem generant*, ex qua fumus aſcendit in capite cerebro nocens, & *ſomnia multa & corrupta inducit*, nec eis aliquo coctionis modo ventoſitas poteſt auferri, ſed tãtum minui. *Idem.* Cortices fabarũ ſtiptici ſunt, medullæ ſolutiuæ, vnde ad generandam torturam & inflationem ſunt propriè, quia diſcordant medullarum & corticum natura. Alterum enim laborat vt ſoluat & exeat, alterum obuiat vt ſtringat.

Auicenna. Fabæ proximè ſunt æqualitati, ſed plus decliues ſunt ad frigiditatem & ſiccitatem, in ipſis eſt humiditas ſuperflua, proprièque in viridibus, quæ frigidæ & humidæ iudicantur. Nabatiæ quidem vehementius ſtipticæ ſunt, & Ægyptiacæ humidiores, ac minoris nutrimẽti: virides ſunt plurimæ ſuperfluitatis, ac tardæ digeſtionis, ac multæ inflationis. Et niſi hæc eſſent æquè bene nutritẽt vt pultes ordei, ſed ſanguis eorum craſſior eſt & fortior. Fabarum meliores *ſunt craſſæ & albæ, quę non à gurgulionibus perforantur.* Deteriores autem earum ſunt recentes: & earum quidem rectificatio eſt prolongatio infuſionis earũ, & bonitas decoctionis, & eas comedere cum pipere & ſale & origano, & ſimilibus abſtergunt parumper & inflant valde. Sed earũ decoctio vehementer iterata, remouet earum inflationem. Similiter quando excorticãtur & moluntur, ac decoquuntur in vaſe ſine motu, minoratur earum inflatio, ſed & quę ex eis frixę ſunt, paucę ſunt inflationis, ſed tardioris digeſtionis. Hippocras quoque teſtificatus eſt bonitatem nutrimenti earum, & conſeruationem ſanitatis ab eis.

Quæ faba meliores

De operatione ipſius in medicina.

CAP. LXIX.

Vſus medicinalis fabarum.

I*Saac.* Fabæ ergo ſecundum cibum quidem inflationem faciunt, & duræ ſunt digeri: ſecundum medicinam autem adiuuant *excreare humores de pulmone & pectore*, quia colamentum habent, ideoque nec morãtur in ſtomacho ſicut alij cibi craſſi; vnde & curis hominis exterius mundificatur, ſi ex earum farina abluatur. *Apoſtemata in mammillis*, vel teſticulis appoſitæ, cataplaſmate facto, *diſſoluũt*, hæc omnia quæ de eis diximus, medullæ tantummodo inſunt, cortici autem nihil. Cortex quippe ſtipticus eſt, colamẽtum nullum habet, vnde aliquando faba cum cortice coquitur in aceto, daturque patientibus diarriam, propter defectũ contentiuæ virtutis. Electior eſt faba magna alba non vetus. *Cocta in aqua laudabilior* eſt quam aſſata, & *aquo plurimum ventoſitatis eis aufert.* Coctæ cũ cortice duræ ſunt ad digerendum, & craſſæ & inflatiuę, & in vẽtre mora diuturna. Coctæ autẽ ſine cortice minus inflãt, & ſi ſecundum ius fiant calefactiuis rebus appoſitis, vt pipere lõgo, zinzibere &c. coitum excitant, *ſed farina earum in inguine appoſita, puerorum libidinem ſtringit.*

Cocta faba melior & cur.

Nota.

Fabæ cum roſa mixta thure ouiq; albumine ad excoriationẽ oculorũ *vel lippitudinem*, cataplaſmate facto valent. Toſtæ & maſticatæ & temporibus appoſitæ *humoribus reſiſtunt* à capite in oculos deſcendentibus. Mammillis propter coagulationem lactis induratis appoſitæ eas diſſoluunt. *Auicenna.* Fabæ in duo media ſciſſæ, & ſuper fluxum ſanguinis inſciſionis poſitæ valẽt. Ex proprietatibus earum eſt, quia abſcindunt oua gallinarum, cum ex eis nutriuntur, & quod faciunt videre ſomnia cum alienatione perturbata, pruritum quoque accidere, & propriè recentes. Emplaſtrum ex corticibus earum factum capillos ſubtiliat, & ſi ſuper fæmur infantis ponitur, prohibet ortum pilorũ. Abſtergunt etiam morpheam in facie, præcipuè cum cortice, & pannum ac lentigines; & faciunt colorem bonum. Confert & vlceribus, & ſpaſmo lacertorum, & pectori, & ſputo ſanguinis, & tuſſi ac podagræ, & apoſtematibus gutturis, ac teſticuli & mammillæ. Decoctæ cum corticibus ſuis in aceto prohibent vomitum, conferunt *ſolutioni antiquæ ac diſſenteriæ.*

Curant lippitudinem.

Emplaſtrum fabarum.

De eodem.

CAP. LXX.

Farina fabæ quid præſtat.

D*Ioſcorides.* Faba inflat, & indigeſtibilis eſt. Tuſſi medetur, & corpori ſuccũ addit. Cui ſi aqua in coctura mutata fuerit, inflationẽ ſtomacho non facit. Viridis inflat ventrẽ comeſta, & eſt cacoſtomacha. Farina fabæ cũ poléta cataplaſmata percuſſuræ *tumoribus occurrit, lachrymiſq;* profluentibus impoſita ſtringit, mixta cum melle ac fenu græcifarina, parotidis

quoque

quoque prodeſt, *liuores corporis* detergit. Dentibus cō quaſſata, & impoſita fronti *rheuma oculis* ſuſpendit. Cū vino appoſita *teſtium tumores* ſpargit. Eſt autem faba inter calidum & frigidum mediæ virtutis, proiectoriç. atque ſtipticæ. Extrinſecus itaque poſita deſiccat, *podagricis, & arthreticis*, in aqua cocta cum adipe anſerino dolores mitigat. Neruorum contractiones, & vlcerationes cum oxymele farina eius cocta & ſuper cata plaſmata ſanat. *Plin. lib.* 22. Faba ſolida fracta feruenſque in aceto coniecta, torminibus medetur. In cibo freſa & cum allio cocta *contra deploratas tuſſes, & ſuppurationes* pectorum cibo quotidiano ſumitur. Et commanducata ore ieiuno ad furunculos maturandos, aut diſcutiendos imponitur. In vino decocta ad teſtium tumores, ac genitalium proficit, lomento etiam ex aceto decocto tumores maturat & aperit. Item liuoribus quoque combuſtis medetur. Et *voci eam prodeſſe.* Marcus Varro fatetur. Fabalium denique ſiliquarumque cinis ad coxendices, & ad neruorum veteres dolores prodeſt cum vetuſtate ſuilli adipis. Per ſe quoq; decoctæ ad tertias cortices fabarum ſiſtunt aluum.

Fabalium ſiliquarum cineres.

De farre atque farragine.

CAP. *LXXI.*

Farris etymon.

ISidorus. Far frumenti genus ſic dicitur, eo quod initio frangeretur. Apud antiquos enim nondum erat vſus molarum, ſed in pila miſſum frangebant frumentum, & hoc erat genus molendi. *Plinius vbi ſupra.* Populum Romanum farre tantum è frumento trecentis annis tradit Varrius vſum. In loco humili ſerendum eſt far, & a doreum potius, quam triticum. Far & ſiligo cretoſum ſortiuntur ſolū & vliginoſum. Qui Zea vtuntur, non habent far. Duriſſimum far & firmiſſimum contra hyemem frigidiſſimos patitur locos, minuſque ſubactos, vel æſtuoſos, ac ſitientes. Itaque far ſicut & triticum & ordeum *inter genera frumentorum hiberna*, quæ circa vergiliarum occaſum ſata per hyemē nutriuntur terra. In area quidem (vt dictum eſt) exteruntur triticum & ordeum. E diuerſo purgari niſi toſta non poſſunt far milium & panicum. Itaque far in vaginulis ſuis ad ſatus ſeruant, atque non torrent. Piſtura non omnium facilis. *Idem in lib.* 22. Eſt in farre *vermiculus* teredini ſimilis, quo dentium cauis cera incluſo, *cadere vitiati dicuntur*, & ſi fricentur. *Palladius lib.* 2. Far ſarritur & triticum quando quatuor foliorū. *Idem in lib.* 22. In menſe Nouembri ſerendum eſt far & triticum ſatione legitima & ſemente ſolemni. Iugerū ſeminis vtriuſque tenebitur modijs quinque. *Iſidor.* Farrago à farre dicta eſt. Eſt enim herba ordeacea adhuc viridis, nondum granis ad maturitatem turgentibus. *Plin. vbi ſupra.* Eſt in genere tritici pars aliqua pabuli cauſa ſati, vt farrago. Seritur autem prædenſa ex recrementis farris farrago admixta, & vicia aliquando. Eadem aliquando in Aphrica fit ex ordeo, omnia hæc pabularia. *Palladius lib.* 10. Menſe Septembri ſeritur farrago in locis reſtibilibus. In iugero decem modij ſparguntur, ordeum canterinum circa æquinoctium, vt ante hyemem conualeſcat. Sed depaſcitur ſæpius, nam vſque in Maium eius paſtura ſufficiet. Quod ſi ex ea ſemen etiam redigere velis vſque ad Kalendas Martij, ac dehinc pecora prohibebis.

Far frumentum hibernum.

Remedium contra dentes vitiatos.

Farrago.

De Faſelo.

CAP. *LXXII.*

ISidorus. Faſelum ſicut & Cicer Græcum nomen eſt, & eſt leguminis ſpecies. In cibo ſumptum multo melius, quam piſa egeritur, & minus inflat, optimè nutrit. *Palladius lib.* 11. Faſelum in menſe Octobri ſerendum eſt, terra pingui, vel agro ſterili. *Iſaac.* Faſeoli calidi ſunt & humidi in ſecundo gradu. Craſſos humores gignunt, & inflatiuam ventoſitatem, ſomnumque plurimum caput implentem, ſomnia peſſima & terribilia faciunt. Sunt autem & albi & ruſſi. Albi minus calidi, humidi magis. Vnde eorum craſſius nutrimentum, ad digerendum durum humores phlegmaticos generat. Ruſſi autem plus calidi ſunt, humidi minus. Ideoque fortiores ſunt in operibus ſuis. *Auicenna.* Faſeoli natura rubei ſunt calidiores, ſed ſecundum quoſdam frigidi ſunt & ſicci. Apud me autem ſubſtantia eorum eſt ſicca, in qua eſt humiditas ſuperflua. Ipſique ad caliditatem declinãt, velocis enim digeſtionis ſunt, ſed fabæ plus illis inflatiuæ ſunt. Humor faſeolorum humidus eſt ac phlegmaticus, & ſomnia mala videre facit ſed pectori & pulmoni boni ſunt, humorem generant craſſum, ſed ſinapis prohibet nocumentum eorum: qui cum aceto nutriti ſunt, paucæ humiditatis ſunt. Menſtrua denique prouocant faſeoli maximè rubei.

Temperamentum.

De fenugræco.

CAP. *LXXIII.*

PLatearius. Fenugræcum calidum & ſiccum eſt, ſubſtantiam glutinoſam habet, virtutem habet maturandi & relaxandi. Igitur ad *apoſtema maturandum* & exterius rumpendum farina eius cum vitello oui conficitur & ſuperponitur, ſicque maturat, & attenuat. Ad *duriciam ſplenis* herba ipſa in oleo & vino macerata per quindecim dies optimè decoquitur. Ad *apoſtemata ſpiritalium* fenugræci farina in ſacello poſita & in aqua decocta cum malua ſæpius ſuperponitur. Ad apoſtemata & inteſtinorum ex farina fenugræci & aqua prædicta fiunt pultes, ac ſuperponuntur. *Auicenna.* Fenugræcum eſt in fine primi calidum, in eodem vero ſiccum, virtus eius eſt digeſtiua & lenitiua, propter id quod aggregatur in ipſo de caliditate cum viſcoſitate, viſcoſitas ipſius prohibet dominium nocumenti caliditatis eius. Eiuſque caliditas, cum facilitate operatur, & humor eius eſt malus, licet non ſit paucus. Oleum eius, quod cum myrto ſit confert capillis, ac veſtigijs vlcerum, fiſſuris quoque frigidis propriè cum oleo roſato valet & in panni medicinis, & colorem bonum facit, alterat odorem oris, ac fætere facit odorem corporis, & ſudoris. Reſoluit apoſtemata phlegmatica & dura. Cum oleo roſeo confert aduſtioni ignis, mundatque furfures ablutione capitis facta ex eo facit ſoda capiti, *vocē clarificat*, & pulmoni aliquod nutrimentum tribuit, *pectus lenit & guttur, ſedatque tuſſim & dyſſenteriam*, propriè quando cum melle vel dactylis, ac ficubus coquitur. Emplaſtrum ex eo cum nitro factum confert ſpleni, eiuſque decoctio cum aceto *debilitati ſtomachi*. Electuarium eius nauſeam facit, ſed acetum & myrtum nocumentum expellunt eius comeſtionis. Eius decoctio cum *aceto vlceribus inteſtinorum* conuenit eademque cum aqua calida tenaſmo & ſolutioni proficit. Eius oleum eſt apoſtematibus ani bonum, & clyſterizatur etiam ad tenaſmon, & dolorem ventris pūgitiuum. Nec mouet fæcem expellendam, niſi propter acrimoniam ſuam. Eius decoctio cum melle facit humiditates craſſas ab inteſtinis deſcendere, *vrinam & menſtrua prouocat*. Et ſuppoſitum cum adipe anatis confert *duricici matricis*, facitque generationem illius facilem, cuius generatio difficilis eſt propter deſiccationem. Eſt etiam bonum hemorrhoidas habentibus, nec eſt ſicut lupinum difficultate ſui exitus.

Virtus fenugraci.

Temperamentum.

Emplaſtrum ex eo.

Adhuc de eodem.

CAP. LXXIV.

PAlladius *lib.* 2. Fenugræcum in Italia colligendi cauſa ſeminis ianuario menſe vltimo & circa Kalendas Februarias eſt ſerendum, ſeptem modij ſufficiunt iugero vni. Arandum eſt autem ſpiſſè, ſed non altè. Nam *ſi plus, quam quatuor digitis obruatur, difficile naſcitur.* Idcirco quidam minimis aratris proſciſſa prius terra,

Serendi tempus.

Modus arandi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

terra, ſeminant, & ſtatim ſarculis operiunt. *Idem in lib.7.* Fenugræcum menſe Iunio reſecamus ad pabulũ. *Idem in lib.10.* In menſe Septembri fenugræcum ſeritur cauſa pabuli. *Plinius lib.18.* Fenugræcum ſcariſatione ſeritur, non altiore quatuor digitorum ſulco. *Res mirꝛ.* *Quantoque tractatur peius, tanto prouenit melius. Rarum dictum: eſt aliquid cui negligentia proſit.* Id autem quod ſecale ac ferrago appellatur, occari tantum deſiderat. Secale Taurini ſub alpibus vocant Aſiam, deterrimum quidem, ſed tantum ad famem arcendam vtile. Fœcunda ſed gracili ſtipula, nigricia triſti, præcipuum pondere. Admiſcetur huic far, vt amaritudinem eius mitiget, & tamen ſic quoque ventri ingratiſſimum eſt, naſcitur qualicumque ſolo cum centeſimo grano, ipſumque pro lætamine eſt.

Idem lib.24. Fenugræco quod telin vocant, alij carphos, alij buceras, alij egoceras, quoniam corniculis ſimile ſemen habet, non minime auctoritatis eſt. Nos ſiliquam, vocamus, vis eius eſt ſiccare, mollire, diſſoluere. *Succi vſus.* Succus decocti, *fœminarum pluribus malis ſubuenit*, ſiue duricia, ſiue tumor, ſiue contractio ſit matricis fouentur inſidunt, infuſum quoque prodeſt, & extenuat in facie *furfures*, addito nitro decoctum & impoſitum medetur ſpleni. Item ex aceto & *iocinori* decoctum. Diocles difficile parientibus eius ſemen dedit acetabuli menſuram tritum in nouem cyathis ſæpe ad tertias partes bibere, vt qui biberint in calida lauarentur, & in balneis ſudantibus dimidium ex relicto iterum dedit mox à balneo, reliquum pro ſummo auxilio. Farinam fenugræci cum ordeo aut lini ſemine decoctam aqua mulſa contra vuluæ cruciatus ſubuenit, itẽque impoſuit imo ventri. Lepras, & lentigines ſulphuris pari portione mixta eius farina curauit, nitro antea cute præparata, ſæpius per diem illinens, perungique præcipiens. Nec dubitabitur quin eius decoctum vtiliſſimum ſit matricibus, & intraneis exulceratis, ſicuti ſemen articulis, ac præcordijs. Si vero cum malua decoquatur, poſtea addito mulſo potus, ante cætera vluis intraneiſque laudatur. Quippe cum vapor quoque decocti plurimum proſit. *Carcinomata* ſubacta ex vino purgat, mox addito melle perſanat. Eius quoque ſemen decoctum emendat *alarum graueolentiam*. *Farinæ eius vſus.* Farina eius cum vino & nitro celeriter tollit capitis prurigines atque furfures. Aceto ſubacta luxatis illinitur, ac lieni addito melle. In hydromelite decocta cum axungia medetur genitalibus. Itemque parotidi, panno, podagræ articulis, carnibuſq; quæ procedunt ab oſſibus. Sumitur ad *pectus exulceratum* è farina eius ſorbitio, *longamque tuſſimque* diu decoquitur, donec ceſſet amaritudo, poſtea mel additur. *Dioſcorides.* Fenugręci farinam multi buceron vel egoceras vocant, virtus eſt ei malactica. Cataplaſmata cum mulſa tumores intraneos, & foris poſitos ſpargendo compeſcit. Nitro & aceto impoſita ſplenem tumeſcere facit. Succus eius tumores, ac conſtrictiones matricis fomento curat, *capillos ab immunditijs limpidos ſeruat*. Fenugræcum quidẽ nimium calidum eſt, ſuccus autem mediocriter, propter hoc ignitas inflationes exarcebat, intus calidas vero ſchiroſes digerit, ac relaxat. Efficaciter autem idoneum eſt ad omnem tumorem vel rigorem.

De Gith.

CAP. *LXXV.*

Gith. Virtus. HAymo *ſuper Iſaiam*. Gith eſt genus leguminis ſimile cymino in quantitate, ſed nigri coloris, & in pane dulcorando imponitur. *Dioſcorides*. Gith eſt herba quæ in ſegetibus creſcit, habens ſemen nigrum, minutum, odore ſuaui. Hoc enim *relaxat* & calefacit, ideoque potatum *vrinam & menſtrua prouocat, lumbricos* expellit, impoſitum vero *tumores*, ac duritias ſoluit. Eſt etiam deſiccatiuum ac leptomicum. *Lepras ac verrucas* appoſitum tollit. Pingues, ac glutinoſos atque conſtipatos *humores* digerit. *Catarrhum* ſanat calefaciendo, ſi puluis eius ligetur in lintheolo, & ad nares ſæpius apponatur, vt ex eo odoretur. Lumbricos autem enecat comeſtum vel contuſum extrinſecus ventri appoſitũ. *Platearius.* Gith calidum eſt & ſiccum in ſecundo gradu, & eſt herba quæ inter frumentum oritur, ſemen nigrum & quaſi triangulum facit. Aliquantulam habet amaritudinem, vnde diuretica eſt. Virtutem habet diſſoluendi & conſumendi. Contra *opilationem* hepatis, ac ſplenis, & renum, *ſtranguriam, dyſſuriam, iliacam paſſionem, & dolorem ſtomachi* ex ventoſitate datur vinum decoctionis eius, & puluis eius in cibis, valet & contra *hemorrhoidas* inflatas, contra *lumbricos* etiam datur puluis eius cum melle, valet contra vermes aurium. *Temperamentum.*

Plin.li.20. Gith ex Græcis, alij melanthion, alij melaſpermon vocant optimum quam excitatiſſimi odoris. Medetur *ſerpentium plagis*, & ſcorpionum. Illini ex melle & aceto reperio, incenſoque *ſerpentes fugari*. Bibitur dragma vna contra araneos. Diſtillationem narium diſcutit, tuſum in lintheolo olfactum; *Capitis dolores* illinitum ex aceto, & infuſum naribus. Cum murrino oculorum *epiphoris*, & tumoribus, *Dentium dolores* coctum in aceto, *vlcera oris* tritum aut commanducatum, item *lepras*, & lentigines ex aceto, *difficultates ſpirandi* addito nitro potum, duritias *tumoreſque* veteres, & ſupputationes illinitum, quinimmo lintheolis illigatis tantum granis, 20. *ſecundinas trahi* reperio, lac mulierum auget, continuis diebus ſumptum. Succus eius, vt hyoſcyami venenum eſt, quod miremur cum ſemine gratiſſimè panes condiat, oculos quoque purgat, vrinam & menſtrua cit. Aiunt etiam eum *clauis in pedibus mederi*, tritum in vrina *culices ſuffitu necare*, & etiam muſcas. *Melanthion.* *Succus venenum ſemen pani deſeruit.*

De herbo.

CAP. LXXVI.

ISidorus. Herbum à Græco traxit vocabulum. Hoc enim illi orobum dicunt. Quod cum ſit quibuſdã pecoribus infeſtum, tauros tamen efficit pingues. *Dioſcorides*. Herbum vel (vt alij dicunt) orobum in lenticula naſcitur, & etiam ſeritur. Cuius aliud eſt pallidũ, aliud ſubrufum, & aliud album. Vires habet alba & diureticas valde, calidas, media participans qualitate, partem habens amaritudinis. Si comedantur extra rationem, caput grauant, ventremque turbant, ſanguinẽ per vrinam educunt. Herbum elixum boues pingueſcere facit. Fit autem farina ex eo aceto hoc modo. Herbum album eligitur, & vna die aqua infunditur, alia die donec corium dimittat coquitur, tunc demum in farina mollitur ac reponitur. Hæc farina ſumpta *ventrem mollit, vrinam* prouocat, *colorem* bonum facit. Si tamen nimium comeſta vel bibita fuerit, caput grauat, tortiones, cum ſanguine deponit, ventrem ac *veſicæ* vulnera cum melle ſanat, *cancros*, & duritias mammarum malignaque vulnera & *carbunculos* impoſita curat, tumorem rumpere facit, mixtoque vino *caninis morſibus*, ac venenoſis ſuccurrit. Cum aceto cocta torminibus, & ſtrangurijs, ac punctionibus medetur, ſuper pectinem impoſita. Eiuſdem elixatura *pernιones*, ac *prurigines* totius corporis tollit, fomento adhibita. De illis quandoque qui albi ſũt, alio modo fit farina. Prius enim parum aqua ſparguntur, & ſic in patella quouſque corium dimittant aſſantur, de hinc tenuiſſimè tũduntur atque cribrantur. *Orobum.* *Farinæ herbi vſus.*

Auicenna. Herbum dicitur granum in magnitudine lentis non compreſſione rotundum ſed lateratum eius color eſt inter cinericium & citrinum. Quandoque eſt album, ad citrinitatem declinãs, & quandoque rubeũ, herba eſt parua, minuta folia habẽs, & in thecis eſt eius ſemen. Boues id comedunt, eoque nutriuntur. Calidum eſt in primo & vſque ad ſecundum, & in tertio ſiccum. Eſt autem abſterſiuum & aperitiuum, & ineſt ei malus humor, cuius rectificatio eſt ſicut lupinorum: linitũ ſuper morpheã & pannũ, lentigines, ac cicatrices proficit, & bonum colorem efficit. Extenuatis prodeſt, eiuſque *Idem ferè vſus repetitur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eiuſque decoctio ponitur ſuper fiſſuras frigoris,& pruritum eius manibus accidentes. Lenit duricias mammillarum, & vlcera cum melle mundificat. Confert igni perſico ac mellino, confert duricieí mammillarũ, & facile efficit craſſæ ſaniei ſputum. Cum aceto bibitum vrinæ difficultati confert, ſedatque tenaſmon & ventris dolorem pungitiuum. Plurimis tamen vſus eius mingere facit ſanguinem propter ſuæ prouocationis fortitudinem, ſoluitque naturam. Denique fit emplaſtrum ex eo cum vino ſuper morſum viperæ vel canis rabioſi, & hominis ieiuni. *Iſaac.* Orobum calidũ eſt in primo gradu, ſiccum in ſecundo, vnde mundificatiuum eſt & colatiuum, ventrem humectat, vrinam & menſtrua prouocat, cutem clarificat. Non tamen plurimum aſſuefiat, ne forte ſanguinem mingere faciat. Aliquando etiam per nares ſanguinis efficit fluxũ. Farina eius cocta cum ſepotis, quod eſt ſpecies thuris, hydropicis, ictericiſque proficit. Temperata cum vino valet ſuper rabidiſſimi canis morſum impoſita. Rurſumque cum melle temperata lentiginem mundificat, vulneribus apoſtematibusque ſimiliter valet. *Auctor.* Nota tamen quod orobum phyſici noſtri illud eſſe putant, quod nos vitiam eſſe dicimus. Sed Iſidorus hæc pro duobus ponit. Et dicitur quod duo genera ſunt, vnum maius, quod orobum vocatur, & aliud minus, quod vitiam dicimus.

De lente ſiue lenticula.

CAP. *LXXVII.*

Lentis etymon. *Iſidorus.* Lens dicta eſt, eo quod humida & lenta eſt, vel quod adhæret humida, hæc in cibo ſumpta deducit ventrem, magis autem & vrinam. *Plinius lib.* 18 Lens amat tenue magis, quam pingue ſolum & cœlũ vtique ſiccum. Duo ſunt eius genera, in Ægypto alterum rotundius atque nigrius, alterum vero ſua figura, vnde vario vſu tranſlatum eſt in lenticulas nomen. Inuenio apud auctores veſcentibus ea fieri æquanimitatem. Lenti ſeminatæ nocet herba ſecuridaca, quam Græci plecinon vocant à ſimilitudine, necat enim cõplexu. Lentem denique ſeri conuenit in loco fruteto rubicoſo, qui herbidus non ſit. Lentem piſcudam torrere prius oportet, deinde cum furfuribus leniter pinſi, vel addito in ſextarios, 20 lateris crudi fruſto, & arenæ ſemodio, herulliam quoque modis eiſdem, quibus & lentem. *Palladius lib.* 3. In menſe Februario lenticulã conuenit ſeri, ſolo tenui ac reſoluto vel in pingui, ſed ſicco maxime, quia luxuria corrumpitur & humore vſque ad duodecimam lunam bene ſeminatur. Quæ vt cito exeat atque grandeſcat, prius cum fumi ariditate vtiliter miſcetur, & vbi ſic requieuerit quatuor diebus, vel quinque, tunc ſpargitur. Semen vnius modij iugerum implebit. *Idem in li.* 7. Menſe Iunio in locis frigidis peragenda eſt leguminum meſſis: lenticula itaque collecta bene ſeruatur cineri mixta, vel in vaſis olearij vel ſalſamentarijs repletis, ſtatimque gypſatis.

Serendi tẽpus.

De proprietatibus eius in medicina.

CAP. *LXXVIII.*

Vſus in medicina. *Dioſcorides.* Lenticulæ virtus eſt ſtiptica, indigeſtibilis eſt & cacoſtomacha, ventrem inflat, inteſtina lædit, frequenterque comeſta caliginem oculis facit. Cocta cum corio ventrem mollit, molica & comeſta ventrem ſtringit. Molitam tamen cum coxeris ſi aquam in coctura mutes, exinde ventrem mollire poteris. Nimium comeſta *viſiones ſomnij ſuperfluas* facit, & pulmoni & capiti eſt contraria. Cum polenta cataplaſmata *podagris* medetur. Cum melle cocta & impoſita duricias, & *ſcrophas* reſoluit. Cũ vino melliloti vel cotoneo cocta & impoſita *tumores* oculorũ curat. Oleoque roſaceo mixta & impoſita *tumores ani* compeſcit. *Putredines* vulnerum & gangrenas aqua marina mixta purat. Igni acri *ac herpetis*, & *papulis* medicinalis eſt, *pernionibus*, & mammis tumentibus in aqua marina cocta maximum præſidium eſt. Cum melle *vulnera* purgat & glutinat, cum oleo roſeo *virgæ vitia* emendat. *Platea.* Lenticula eſt in ſecundo gradu calida & ſicca, fructus, vel ſemen eius competit veſcendi vſui, ac medicinæ, vnde contra dyſſenteriam in aceto vſque ad aliquantulam denigrationem decoquitur, & omni mane patienti ieiuno ad comedendum datur. *Temperamentum.*

Plinius lib 22. Lens optima eſt quæ facillime coquitur, eaque quæ maxime aquam abſorbet, aciem quidẽ oculorum obtundit & ſtomachum inflat, ſed aluum in cibo, magiſque decocta cœleſti aqua ſiſtit. Eadem minus percocta ſoluit, puſtulas vlcerum rumpit, & ea quæ intra os ſunt purgat & aſtringit: omnes collectiones impoſita ſedat, maximeque rimoſas, & exulcerata, cum melliloto aut cotoneo oculorum *epiphoras*, contra ſuppurantia cum polẽta imponitur, decoctæ quoque ſuccus ad oris vlcerationem ac genitalium adhibetur. Cum polenta *podagris* imponitur, & vuluis, & renibus, *pernionibus* vlceribuſque cicatricem difficilè trahentibus. In dyſſẽteria efficacior eſt in tribus aquis cocta. In quo ſcilicet vſu melius eſt ſemper illam torrere, vel tundere, vt tenuiſſima detur, vel per ſe vel cũ cotoneo malo, vel pyris, aut myrto, aut intubo erratico, aut beta nigra, vel plantagine. In aceto decocta duritias diſcutit & ſtrumas. Decoctæ ſuccus ad oris exulcerationes, & genitalium adhibetur. Ad ſedem cum roſaceo aut cotoneo. In his quæ actius remedium exigunt cum putamine punici, melle modico adiecto. Ad id demum ne celeriter inareſcat, adijciũtur & betæ folia. Imponitur & ſtrumis pannuſque vel maturis, vel matureſcẽtibus ex aceto diſcocta. Rimis ex aqua mulſa, & gangrenis, cum punici germine. Propter *diſſolutionem ſtomachi* triginta grana lentis deuorantur. *Pulmoni* eſt inutilis, & *capitis dolori*, neruoſiſque omnibus, & felli, nec ſomno facilis. Ad *puſtulas* vtilis, igniq; ſacro & *mammis* in aqua marina decocta. Stomachi quidem cauſa polentæ modo potionibus inſpergitur. Quæ ſũt ambuſta, aqua ſemicocta curat. Poſtea trita & per cribrum effuſo furfure, mox procedente curatione addito melle. Ex poſca coquitur *ad guttura*. Eſt etiam lens paluſtris per ſe non naſcens in aqua non fluente, refrigeratoriæ naturę, propter quod illinitur collectionibus, & maxime *podagris*, per ſe vel cum polenta, glutinat & intranea procidentia. Eſt iterum ſylueſtris agreſtis à Græcis dicta heliphacos, ab aliis phacos, lenior ſatiua lente, folioque minore ac ſicciore. Eſt iterum altera ſpecies eius ſylueſtris, odore graui, hæc mitior, habet mali cotonei effigie folia, ſed minora & candida, quæ cum ramis decoquuntur. Menſes, & vrinas cit, ictus marinæ paſtinacæ ſanat, locoque percuſſo torporem obducit. Cum abſinthio bibitur ad dyſſenteriam. Eadem cum vino commorantes menſes trahit, abundantes ſiſtit, decocto eius poto. Ipſaque herba vulnerũ ſanguinem cohibet, per ſe impoſita. Serpentium quoque morſus ſanat. Et ſi decoquatur in vino, pruritus teſtium ſedat. *Virtus eius ex Plinio.*

Adhuc de eodem.

CAP. *LXXIX.*

Lenticula componitur ex duobus contrarijs. *Iſaac.* Lenticula frigida eſt in primo gradu, ſicca in tertio. Ex duobus contrariis eſt compoſita, in cortice & medulla. Nam cortex eius acuitatem habet, vnde & ventrem ſoluit. Medulla autem ſtiptica, & confortatiua ſtomachi, & inteſtinorum, ac contra diarriã valet. Vniuerſaliter autem nutrimentum corporis craſſum eſt, & ad digerendum durum, melancholicũ ſanguinem generat: maxime ſi cum cortice comedatur. Cerebrum fumo craſſo, & melancholico implet, vnde cauſa eſt doloris, & fallaciũ formidoloſorumq; ſomniorum, *ventoſitatem* facit, & conſtipationem, ideo plus cæteris granis ſtomacho nocet ac pulmoni. Sanis etiam officit oculis, quanto magis infirmis. Deſiccationis ſuæ cauſa *ventrem*, & *menſtrua conſtipat*. Lens cũ *Virtus.*

cortice

cortice cocta, ſiccæ complexioni eſt noxia, & paſſionẽ in ea melãcholicam generat, ſicut nigram morpheam, impetiginem, ſerpiginem, cancrum, elephantiam, & leoninam. Eis autem qui humidæ complexionis ſunt aliquando proſunt, ideoque ſi ſine cortice edantur, *hydropicis* valent, cum cortice autem nimis nocent propter ventoſitatem, & inflationem quam creant. Valent etiam aliquando in cataplaſmate contra *apoſtema*.

Virtus ſecũdum Galenũ & Auicẽnã.

Auicen. Lens (vt Galeno viſum eſt) aut eſt æqualis in caliditate & ſiccitate, aut parum decliuis ad caliditatem. Et illud quidem genus quod comeditur notũ eſt, ſed aliud genus eſt ſylueſtre, malum, & eſt lens amara, & manifeſtæ caliditatis, in qua eſt ſiccitas, & parum ſtipticitatis. Lens quidem compoſita eſt, ex virtute conſtrictiua, & abſterſiua. Cortex eius plurimum ſtipticus eſt, & in ipſo eſt inflatio plurima, ſanguinem inſpiſſat, & non currit in venis, & ex ea melancholicæ generantur ægritudines. Ex ea cum aceto factum emplaſtrum, reſoluit ſcrophulas, & *apoſtemata* dura. Item cum aceto replet *vlcera* profunda, & eorum ſordes eradicat. Cum ſauich poſita ſuper podagram confert, & eius multitudo *generat lepram, minorat vrinam* & mẽſtrua, quia ſanguinem inſpiſſat, & omnino non prouocat. Qui eius cibo plurimum vtitur, ei viſus obtenebratur propter exiccationis illius vehementiam. Melior eſt autem illa quæ vehementius maturatur, & eſt alba & lata. Quæ quando cadit in aquam non denigrat eam, & oportet vt bene maturetur in decoctione. Cũ aqua marina valet ad formicam, & fiſſuras accidentes ex frigore.

De lupino.

CAP. LXXX.

Cur lupinũ dicitur triſte.

Iſidorus. Lupinum & ipſum ſicut & cicer nomẽ Græcum eſt, de quo *Virgilius ait. Triſteſque lupini*. Quia videlicet *amaritudine contriſtant vultum guſtantis*, nam & de ipſis præ amaritudine nec vermis, nec vllum animal comedit. Horum natura calida & fortiſſima eſt, ſed cocti leniores ſunt, & egeruntur, & lumbricos, ac tineas ventris excludunt. *Plinius lib.* 18. Commune eſt lupinum vſui quadrupedum, & hominum. Folia eius cadunt ei, ſicut & papaueri. Itaque lupino vſus eſt proximus rapis, cum ſit & hominum & quadrupedis generi vngulas habenti communis. Remedium eius eſt, ne merentes fugiant exiliendo, vt ab imbre tollatur, nec aſſenſu ac terrore mirabilior eſt vllius natura quæ ſeratur. Primum quidem omnium cum ſole quotidie circumagitur, *horaſque agricolis* etiam nubilo *demonſtrat*. Ter prętereа floret, terram amat, *terraque non vult operiri*. Et vnum hoc ſeritur, non aratro, vbi fuerit maximè ſabuloſa, & ſicca, & etiam arenoſa, *coli vtique non vult*. Tellurem adeo amat, vt quamuis fruteto ſolo coniectum inter vepres, ad terram tamen radice proueniat, huius ſatu arua & vineæ pingueſcunt. Itaque adeo *ſimo non eget*, vt vicem optimi repræſentet nihilq; aliud. Nullo conſtat impendio, vt quod ne ſerendi quidem gratia opus ſit afferre, protinus ſeritur ex aruo. Ac ne ſpargi quidem poſtulat decidens ſponte, *primũque omnium ſeritur, nouiſſime colligitur*, vtrumque ferè menſe Septembri, quia ſi non antecellerit hiemem frigoribus eſt obnoxium. Impune prætercа iacet, ſed derelictum, etiam ſi non protinus ſecuti obruant imbres. *ab omnibus animalibus amaritudine ſua tutum eſt*. plerumque tamen leni ſulco integunt eum, & denſiore terra, maximeque rubricam amat. Ad hãc alendam poſt tertium florem verti debet: in ſabulo poſt ſecundum. Cretoſa tamen limoſaque odit: & in his non prouenit.

Mira de lupino.

Cibus quomodo ſit homini.

Maceratum aqua calida homini eſt in cibo. Nam bouem vnum modij ſinguli ſatiant, validumq; præſtant. Sed & ventribus puerorum pro remedio eſt impoſitũ. In fumo condi maxime conuenit: quoniam in humido vermiculi vmbilicum eius in ſterilitatem caſtrant.

Lichum & cretoſum agrũ reformidat.

Et ſiquidem in fronde ſit depaſtum, inarari protinus ſolum eſt opus. Serendum in terra & rubrica lupinum & aquoſiore agro adoreum.

Palladius lib. 20. Lupinus, qui radicem vnam habet, ſi ſarculetur extinguitur. Quod nec deſiderat: quia præter auxilium cultoris affligit herbas. *Idem in lib.* 6. Menſe Maio ſeminaria fodiuntur aſſiduè, & locis prægelidis, ac pluuioſis oleæ putantur, & eis muſcus abraditur. Et ſiquis lupinum agri ſtercorandi cauſa ſeminabit: aratro illum euertendo condet. *Idem lib.* 7. In menſe Iunio lupinus colligitur: & ſi placuerit ſtatim ex area ſeritur, ſed longè ab humore in horreis eſt ponendus: ſic enim diutiſſimè cuſtoditur: maximè ſi granaria eius aſſlauerit fumus aſſiduus. *Idem in lib.* 10. Mẽſe Septembri, vel aliquanto maturius in qualicunque terra, vel crudo, vel culto ſolo ſeritur lupinus. Cui hoc proderit vt ſeratur antequam incipiat frigus; agro limoſo non naſcitur; cretam reformidat; exilem terram, atque rubricam amat. Et vt loca exilia fæcundet, circa idus Septembris ſeratur: atque vbi creuerit, vertente vomere putrefiat exciſus.

De operatione ipſius in medicina.

CAP. LXXXI.

Virtus lupini.

Auicenna. Lupinus eſt faba Ægyptiaca: & eſt granum compreſſæ figuræ, amari ſaporis, in medio pertuſum. Sylueſtris in omnibus eſt fortior, ſed minor calidus eſt in primo, ſiccus in ſecundo, ſtipticus cum virtute capillos ſubtiliat & abſtergit, pannum ac morpheam ac veſtigia, & occultationem & bothor abſtergit faciem, quando cum aqua pluuiali decoquitur, donec diſſoluatur, confert bothor in facie, & vlceribus & *apoſtematibus* calidis, & *ſcropulis*, ac duriciebus, vel cũ aceto ac melle, vel ſicut oportet in vnoquoque corpore. Eius decoctio fuſa ſuper *gangrenas*, confert earum corruptioni. Confert etiam ſcabiei & *herpetæ*, & vlceribus fraudulentis ac *perſico igni*. Emplaſtrum ex eo ſuper *iſchiaticam* fit. Eiuſque farina confert humidis vlceribus capitis. Aperit *opilationes* hepatis ac ſplenis. Ille qui non habet amaritudinem, ſedat nauſeam, & dirumpit appetitum. Ille autem cuius amaritudo remota eſt, difficilis digeſtionis ac penetrationis eſt. Item lupinus *extrahit vermes* cum melle & aceto bibitus, & ſimiliter *vrinam* prouocat & menſtrua, confertq; mulierum doloribus. In ipſo eſt conſtrictio ventris, dulcoratus vero ſecundum quoſdam, nec ſoluit, nec ſtringit.

Temperamentum.

Conſtantinus vbi ſupra. Lupinus & calidus & ſiccus in primo gradu eſt, aliquantulum ponticitatis habet. Choleram rubeam purgat, ventresq́ue conſtipatos laxat, ſuccus eius bibitus magis eſt laxatiuus, minus tamen opilationis aperitiuus, coctus autem ac deſpumatus prius aperit, quàm laxa, & ſucco ſolatri commixtus optimus eſt. In hepate dolorem habentibus, vel apoſtema confert, & contra phlegmones in hepate ac ſplene prodeſt, ictericiam curat, ventrem humectat, calorem extinguit. Super ſplenem cataplaſmatus dolorem ab eo celeriter excludit. Aures etiam ab omni putredine & putore mundat eiſdem inſtillatus, ſimiliter operatur in naribus. Succus cum oleo roſeo temperatus refrigerat loca igne peruſta. *Iſaac*. Lupini ſunt in ſecundo gradu calidi & ſicci, horum farina cũ ruta & pipere bibita ſpleneticis valet, aqua in qua cocti ſunt lotæ puſtulæ auferuntur.

Iterum de eodem

CAP. LXXXII.

Medicamẽta ex lupino.

Dioſcorides. Lupinus eſt omnibus notus, huius farina cum melle mixta *lumbricos* excludit comeſta, vel cum aceto bibita: lupinus amarus elixus idem præſtat comeſtus, ſimiliter & aqua eius bibita. Eademque ruta, vel pipere admixta *ſpleneticos* curat ſumpta

& fo-

& fomento adhibita. *Cancris* & morſibus venenatis & *ſcabiei* ſingulare præſidium eſt, *maculas* nigras & liuores & papulas corporis impoſitus ebullire non permittit. Eius farina polenta mixta & aceto & aqua impoſita, *tumores* ſpargit. Cum aceto cataplaſmata *ſcrophas* matureſcere facit. Cum aqua cœleſti elixus, *carbunculis* proficit multumque ad carcinomata facit. Cum cameleonta nigra coctus, *ſcabiem* omnem curat. Radix eius eſt diuretica, quæ in aqua decocta, mouet *vrinam* potui data, dulcorati lupini cum aceto bibiti, *putredines* tollunt ſtomachi, ac medentur *indigeſtioni*. Farina cum praſio poſita in vmbilico expellit *lumbricos*. Cocta vero magnas plagas ſanat, & *diaphoreſim* facit, quia proiectoriam, & digeſtoriam habet vim. Eius fomentatio *vulnera* peſſima deſiccat. Abſque mordicatione cum aceto ſeruoribus optima. Sunt & ſyluatici lupini ſimiles noſtris: ſed amariſſimi, & tantam habent efficaciam, quantam & noſtri.

Plinius lib. 22. Lupini ſunt & ſylueſtres omnimodo minores ſatiuis, præterquam amaritudine ex omnibus, quæ eduntur. Sicco nulli minus eſt ponderis, nec plus vtilitatis, cinere miteſcunt, vel aqua calida: homines diſcolores in cibo frequentiores *exhilarant*. Amari contra *aſpides* valent. Aridi decorticari ac triti contra vlcera ſuperpoſito lintheolo ad viuum corpus redigunt. *Strumas & parotidas* in aceto cocti diſcutiunt, decoctorum ſuccus cum pipere ac ruta etiam in febre datur ad ventris animalia pellenda minoribus triginta annorum. Ex alio genere toſti, & in defruto poti vel ex melle ſumpti, lidem auiditatem cibi faciunt, *faſtidium detrahunt*, farina eorum aceto ſubacta papulas & *pruritus cohibet* in balneis illita, & per ſe ſiccat *vlcera*, *liuores* emendat, *inflationes* cum polenta ſedat. Sylueſtrium efficacior eſt vis contra coxendicum *debilitatemque lumborum*. Ex eiſdem decocta lentigines & fouentium cutem corrigunt, & ſi ad mellis craſſitudinem decoquantur ſatiui, *vitiligines* nigras & *lepras* emendant. Satiui quoque *carbunculos* rumpunt, impoſiti *ſtrumas* minuunt vel maturant, & cocti ex aceto cicatricibus candidum cololorem reddunt. Si vero cæleſti aqua decoquantur, ſuccus ille ſmegma fit, quo ſolent fouere gangrenas, *eruptiones* pituitæ, ad vlcera manantia vtiliſſimum, expedit ad *lienem* bibere, & cum melle menſtruis hęrentibus. Radix quoque in aqua decocta *vrinas* pellit. Crudi cũ fico ſiccotriti ex aceto imponũtur *lieni*, medẽtur & *pellori* cũ chameleone herba decocti, aqua in potum collata, ſcabiemq; quadrupedum ſanant in amurca decocti. Fumus crematorum *culices necat*.

Eadem explicãtur iterum ex Plinio.

De Medica.

CAP. LXXXIII.

Praparatio areæ pro ſatione medicæ.

ISidorus Medica dicta eſt, quia à Medis in Græciam tranſlata tempore quo eam Xerxes Rex Perſarum inuaſit. Hæc ſemel ſeritur, & decem annis permanet, ita vt quater, vel ſexies per annum poſſit reſcidi. *Palladius libro tertio.* In Februario menſe ager qui acceptarus eſt medicam, eſt iterandus, & purgatis lapidibus diligenter occandus. Porro circa Kalendas Martij ſubacto ſicut in hortis ſolo, formandæ ſunt areæ decem pedibus latæ, quinquaginta vero pedibus longæ, ita vt eis aqua miniſtretur, & facile runcari poſſint ex vtraque parte. Tunc iniecto antiquo ſtercore, in menſem Aprilem reſeruentur paratæ. *Idem in libro quinto.* Menſe Aprili in areis (vt dictum eſt) præparatis medica ſerenda eſt. Quæ ſemel quidem ſeritur, & decem annis permanet, vt quater aut ſexies per annum reſcidi poſſit, agrum ſtercorat, animalia reficit macra, curat ęgrota. Iugerum eiuſ anno toto abundè ſufficit equis tribus. Singuli cyathi ſeminis occupent locum pedibus quinq; latum, decem pedibus longum. Sed mox ligneis raſtellis obruantur iactata ſemina, quia ſolc citius co mburuntur. Poſt ſationem ferro locum tangi non licet, ſed raſtris ligneis frequenter, herba ne teneram medicam premat. Prima meſſis tardius fiat, vt aliquantulum ſemen excutiat. Cęterę vero meſſes, quam volueris cito peragantur, & iumentis præbeantur, ſed primo parcius prębẽda eſt nouitas pabuli, inflat enim, & multum ſanguinis creat: vbi ſeruerís ſæpius riga, poſt paucos dies cum fructificare cæperit omnes alias herbas runcato. Ita & ſexies per annum metis & annis decem poterit manere continuis.

Quali ſolo ſeritur.

Quoties ſecari debet.

Iterum de eodem.

CAP. LXXXIV.

PLinius *libro decimo octauo.* Medica etiam Græciæ eſt externa, vtà Medis per bella Perſarum, quæ Darius intulit, aduecta. Sed in primis tanta dos eius dicenda eſt, vt ex vno ſatu amplius, quàm triceníis annis duret. Eſt autem trifolio ſimilis caule, ac folijs geniculata quicquid in caule aſſurgit, in folia contrahitur. Vnum de illa & cithiſo volumen. Solum in quo ſeratur, elapidatum & purgatum Autumno ſubigitur, mox aratum & occatum integitur crate, iterum, ac tertio, quinis diebus interpoſitis, & fimo addito. Poſcit autem ſolum ſuccoſum, vel irriguum. Ita præparatum ſeritur menſe Maio, aliàs pruinis eſt obnoxia. Opus eſt denſitate ſeminis omnia occupari, & inter naſcentes herbas excludi. Id præſtant in iugera modia vicena. Cauendum eſt ne aduratur terraque protinus integi debet. Ideoque protinus altitudine initiali liberanda eſt herbis omnibus manu potius, quàm ſarculo. Secatur cum florere incipit, & quotiens refloruit, id euenit per annos ſexies cum minimum quater. In ſemen matureſcere prohibenda eſt, quia pabulum vſque ad trimatum vtilius eſt. Verno debet ſeri, liberatique alijs herbis, ad trimatum in aruis à ſolo radi. Itaque reliquæ herbæ intereunt ſine ipſius damno propter altitudinem radicum. Si euicerint herbæ, remedium vnicum aratio ſæpius vertendo, donec omnes aliæ radices intereant: dari non ad ſatietatem debet, nec replere ſanguinem oportet, & viridis vtilior eſt, areſcit ſurculoſè, ac poſtremo in puluerem inutilem extenuatur. *Dioſcorides.* Medica trifolio aſſimilatur, quod inter fœnum naſcitur, folia quidem habet anguſta, virgulamq; trifolio ſimilem, in qua ſemen eſt illi lenticulæ ſimilis. Semen hoc miſcetur pani pro odore & ſalibus. Elixum & fomento adhibitum eſt calidum, hanc herbam aſini comedunt.

De Milo & miliaria.

CAP. LXXXV.

ISidorus. Milium à multitudine fructus vocatum eſt, hinc & centenum dictum, eo quod in pleriſque locis iactus ſeminis incrementum frugis centeſimum renaſcatur. *Palladius libro quarto.* Menſe Martio calidis & ſiccis regionibus milium ſeremus & panicum, leuem & ſoluiam terram deſiderant, nec in ſabulone ſolum, ſed in arena quoque proueniunt. Dummodo cælo humido & ſolo ſerantur irriguo, quia ſiccum & argilloſum locum reformidant, herbis liberentur aſſiduè. Quinque ſextariis ſpacium iugeri complebitur. *Idem in libro quinto.* In menſe quoque Aprili, locis mediocriter ſiccis milium & panicum conuenit ſeri. *Plinius vbi ſupra.* Milio præcipuè Campania gaudet, pultemque candidam ex eo facit, fit & panis ex eo prædulcis. Sarmatarum quoque gentes hac maximè aluntur pulte, & cruda etiam farina equino lacte, vel ſanguine cruris venis admixto. Æthiopes non aliam frugem nouere quàm milii ordeique. Milium & panicum ſunt ex frumentis ęſtiuis,

Etymon milij.

Fruges Æthiopum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quæ ſeruntur exortu vergiliarum, vernoque tempore ſurgunt in culmum geniculatum & concauum, paruis nodis ſunt expoſita, quippe membranis continentur indefenſa. Milium intra hos decem annos ex India in Italiam inuectum eſt, colore nigro, amplum grano arundineum culmo adoleſcit ad pedes ſeptem altitudinis, prægrandibus culmis, lobas vocant omnium frugum fertiliſſimum. Ex vno ſi quidem grano ſextarij terni gignuntur, ſeri debet in humidis. Porro milium & omnia æſtiua maturantur à flore diebus quadraginta, nec far & milium purgari poſſunt niſi toſta. Catonis eſt ſententia milium & panicum prius ſerendum in aquoſo ſolo & frigido, poſtea in calido. Si vero non ſit aquoſum in ſolo rubricoſo, vel pullo vel arenoſo. Cætera quidem æſtiua frumenta riguis magis, quàm imbribus gaudent: milium autem & panicum aquis minimè cum in folia exeunt: vetant ea inter vites arboresque frugiferas ſeri, terram eſtimantes hoc ſatu emaciari. Milij præcipuus eſt ad fermenta vſus muſto ſubacti in annuum tempus, milium occatur & ſeritur, & non iteratur, non runcatur: milium in ſtercorato non ſeritur.

Vſus medicinalis milij.

Idem in libro vigeſimo ſecundo. Milio quidem *aluus* ſiſtitur, *tormina* diſcutiuntur, in quem vſum torretur ante. Neruorum doloribus feruens in ſacco imponitur, nec aliud eſt vtilius, quia leuiſſimum eſt ac molliſſimum & doloris capaciſſimum. Itaque talis vſus eius eſt ad omnia, quibus calor profuturus eſt, farina vero eius cum pice liquida ſerpentium ac multipedum plagis imponitur. *Iſaac.* Milium frigidum eſt in primo gradu, ſiccum in ſecundo. Teſtatur hoc lenitas eius, & concauitas, & viſcoſitas, atq; vnctuoſitatis abſentia: minus nutrit, quàm cætera grana ex quibus panis fit, ſãguinem minimum, nec laudabilem generat. Sed tamen gratia ſiccitatis *confortat ſtomachum* & alia membra corporis, *ventremque conſtipat.* *Dioſco* dicit milium eſſe diureticum, aſſatum ad tortionem doloremque ventris ſuppoſitum calidum valet. *Plinius vbi ſupra.* Miliaria vocatur herba, quę milium necat. Hæc autem trita, podagras iumentorum ſanare dicitur cornu cum vino infuſa.

Temperamen.

Miliaria.

De Ocyno, & olira.

CAP. LXXXVI.

Plinius libro decimo octauo. Ocynum Cato vocat quoddam apud antiquos pabuli genus, quo ſiſtebant aluum bobus. Id erat è pabulis ſegete viridi deſecta antequam gelaret. Sura manulius id aliter interpretatur. Tradit enim decem modios fabæ, duosque vitiæ, & tantundem eruiliæ in iugero, miſceri Autumno, & ſeri ſolitos: melius & auena Græca, cui non cadit ſemen admixta, hocque vocitatum ocynum, & boum cauſa ſeri ſolitum. Varro autem propter celeritatem proueniendi dicit ocynum appellatum à Græco, videlicet quod ocys oceos dicunt.

Ocyni Etymon ſecundũ Varronem.

Olira eſt frumenti genus ex quo farina in Ægypto conficitur. Hoc ſiquidem eſt ibi tritum ſpicæ genus. Oliram autem, & oriſam eandem eſſe quidam exiſtimant. *Idem in libro vigeſimo ſecundo.* Oliram diximus vocari caricam, hac decocta fit medicamentum quod ateram Ægyptij vocant, infantibus vtiliſſimum. Sed eodem & adultos illiniunt.

Olyra.

De Ordei natura.

CAP. LXXXVII.

ISIDORVS. Ordeum dictum eſt, eo quod præ cæteris frumenti generibus *aridũ* fiat, vel quod ſpica *eius ordines habeat*; huius tria ſunt genera, primum *exaſtichum* dicitur, eo quod ſpica eius ſex ordines habeat, quod quidam canterinum appellant, eo quod animalia melius quam triticum paſcit, & homines ſalubrius quàm malum triticum. Alterum *diſtichum*, eo quod duos ordines habeat, hoc plerique calaticum vocant. Tertium *trimenſe*, quia cum cogit neceſſitas verno ſeminatur, & celeriter colligitur.

Etymõ ordei.

Exaſticum.

Diſtichum

Trimenſe.

Plinius libro decimo octauo. Circa vergiliarum occaſum ſatum, terra per hyemem nutrit ordeum ſicut far, & triticum. Sine ramis erumpit à ſatu primo, die ſeptimo. Ex ipſo alterum grani caput exit in radicem, alterum in herbam, quę & prior floret. Radicem craſſior pars grani fundit, & tenuior florem. Cæteris autem ſeminibus eadem pars & florem & radicem. Ordei ſati fructus ſicut & tritici ſpicis continetur, valloque ariſtarum quadruplici munitur. Et genicula quidem tritico ſunt quaterna, farri ſena, ordei octona. Sed non eſt ſpicæ conceptus antequam ternarius geniculorum numerus aut quaternus impletur. Qui vt ſpecie ſui fecerit, quatuor aut quinque tardiſſimè diebus florere incipiunt, totidemque, vel paulo pluribus defloreſcunt. Ordea vero cum tardiſſimè, ſeptem. Ordeum & frumentum & vitia: & quicquid in ſtipula eſt vnum folium habet. Sed hordeo quidem ſunt ſcabra: cæteris autem lenia. Magna vero terræ cœlique differentia. Si quidem in Ægypto metitur ordeum à ſatu menſe ſexto. in Hellade ſeptimo, in Peloponeſo octauo. Leuiſſimum ex frumentis eſt ordeum.

Nota

Tempus metendi ordeum eſt diuerſum ratione loci.

Antiquiſsimũ etiam in cibis eſſe ſicut Atheniẽſium ritu, Menandro auctore, probatur: & gladiatorum cognomine, qui ordearij vocabantur. Ordeum Indis & ſatiuum & ſylueſtre inuenimus: ex quo panis apud eos præcipuus. Quidam eo vtuntur in vſu iumẽtorum, quod mirum eſt, ignibus durato, & poſtea molito. Spicæ vero quædã ordines habent binos, quędam plures vſq; ad ſenos. Ipſi quoque grano aliquot differentiæ; videlicet longius, aut breuius, leuiuſq; aut rotundius, candidius, aut nigrius: vel cui purpura eſt. Vltimo ad polentam contra tempeſtates cãdido maxima infirmitas. Denique ordeum molliſſimum eſt omnium frugum. Melior ex ordeo polenta fieri traditur, ſi non exacta maturitate tollatur. Granum eius fragili continetur ſtipula, & tenuiſſima palea.

Antiquitas ordei.

De Ordei cultura.

CAP. LXXXVIII.

Idem de eodem. Ordeum ex omnibus frumentis ſeritur primum, ipſumq; frugum omnium (vt prædiximus) eſt molliſſimum. Seri autem non vult, niſi tantum ſicca & ſoluta terra, & niſi læta. Ex optimis palea, ſtramento vero eius nullum comparatur. Minimeque calamitoſum eſt ex omni frumento, quia tollitur antequam triticum occupet rubigo Itaque ſapientes agricolæ triticum cibarijs tantum ſerunt, ordeum ſarculo ſeri dicunt, propterea celerrimè reddit, fertiliſſimumque. Quod in Hiſpania & Carthagine Aprili menſe collectum eſt, hoc ſeritur & eodem menſe etiam in Celtiberia, eodemque anno bis naſcitur. Rapitur autem omne ſtatim à prima maturitate feſtinantius, quàm cætera, quia granum eius (vt dictum eſt) continetur frag li ſtipula, & tenuiſſima palea. Catonis ſententia eſt ordeum ſeri in nouali & in aruo, quod reſtibile poſſet fieri, Ordeum denique non eſt ſarriendum niſi ſiccum.

Tempus & terra requiſita pro ſatione ordei.

Palladius libr. 2. Menſe Ianuario ſi clemens fuerit hyems, ordeum galaticum, quod graue atq; candidũ eſt, circa idus ſeratur, & in locis temperatis, octoque modijs iugerum compleatur. *Idem in libro 4.* Menſe quoque Februarij circa Kalendas Martij, ſerendum eſt ordeum galaticum in locis frigidis. In Iulio menſe primo meſsis ordei inchoatur, quæ conſumenda eſt antequam refractis ſpicis lapſa decurrentur, quia nullis vt triticum folliculis veſtiuntur. Sed ordei culmi (vt iam ſupra dictum eſt) in agris aliquantulum ſinantur iacere, quia fertur hoc more grandeſcere. *Idem in libro decimo.* Menſe Septembri ſolo gracili

ſeritur

ſeritur ordeum canterinum, modijs quinque integrum impletur. Poſt hoc autem genus agros ceſſare patieris, niſi fortè lætamen aſperſeris. *Idem in libro vndecimo*. Menſe quoque Octobri ſeritur ordeum quod dicitur canterinum, macra & ſicca terra, vel ſatis pingui, hac quippe vincitur, aliud non habet amplius quod noceat, quo ſemen aliud ferre non poſſit.

Ordeum cãterinum.

De operatione ipſius in medicina.

CAP. LXXXIX.

ISaac. Ordeum eſt frigidum, & ſiccum in primo gradu. virtutem habet mundificatiuam, & excolatiuã. plus tamen faba exiccat. Ideo nutrimentum eius ab inflatione liberum. Cæteris granis nutribilius eſt, ac laudabilius excepto tritico. Eſt autem ex ordeo vtilis confectio. Elixatur enim cum aqua, deinde aſſatur, Inde farina facta, cum ſaccharo conficitur, hoc in æſtiuo tempore ad *ſtomachi refrigerium* multum valet, & *hepatis ſitim* aufert cum aqua temperatum. Fit etiam ex *eo ptiſanum* hoc modo: Conſtringitur ordeum donec cortex auferri poſſit, & mẽſura vna ſumitur ordei, aquę vero decem, ac tamdiu coquitur, donec ad vnũ redigatur. deinde colatur, & potui datur. hoc valet ad ſanitatem cuſtodiendam, corpuſque humectandum. Etſi etiam corpus refrigeriũ ex eo plus appetat, aceti parum adiungitur. Quod ſi calidæ naturæ fuerint, ſeminis papaueris albi parum additur: hoc ptiſanũ dandum eſt ſanis, quibus crebro vſu clariſſimum & *perfectiſſimum ſanguinem generat*, nec minus, quàm corpus nutrit. *Infirmis* vero diuerſis modis dandum eſt, prout cuique infirmitati expedit: ad ſitim & calorem hepatis extinguendum datur vt ſupra dictum eſt. Colatiuum & mundificatiuum erit, ſi cum cortice ipſo coquatur, propter hepatis conſtipationem coquitur ſimul radix fœniculi & apij, & accipitur cum oxyſaccharo.

Cõfectio potus ex ordeo.

Confectio ptiſani quomodo fit.

Datur ptiſanum ſanis & infirmis.

Plin. li. 21. Ordeum optimum eſt calidiſſimum. Succus in aqua cæleſti decocta in paſtillos digeritur, vt exulceratis intraneis & matricibus infundatur. Cinis eius ambuſtis illinitur, & carnibus quæ recedunt ab oſſibus & eruptionibus pituitæ, ac muriſaranei morſibus. *Idem* aſperſo ſale ac melle candorem dentibus & ſuauitatem oris facit. Eos qui pane ordeaceo vtuntur morbo pedum tentari negant. Nouemque granis ſi furunculum quis circumducat ſingulis ter manu ſiniſtra & omnia in ignem abijciat confeſtim ſanari aiũt. Eſt & herba quæ à Græcis appellatur *Phenecea*, à noſtris autem *ordeum murinum*, & hęc trita præclarè citmenſes ex vino potą. *Dioſcorides*. Ordeum quidem bonum eſt niueum & mundum, ſed non tantum addit corpori quantum triticum. *Auicenna*. Ordeum eſt frigidum & ſiccum in primo, & in ipſo eſt abſterſio. Eiuſque nutrimentum eſt minus tritici nutrimento, aqua eius nutribilior eſt ſauich ipſius. Ambo frangunt acuitatem humorum, aqua ordei alſalech humidior eſt: & omnis aqua ordei inflatiua eſt. Super pannum adminiſtratur ex eo epithema calidum: & ex eius decoctione ſuper apoſtemata dura & calida ponitur emplaſtrum, linimentum ex eo cum aceto forti ſcabié vlceratam ſanat: impoſitum more emplaſtri. Iterum ex eo cum citoniis & aceto ſuper podagrã fit emplaſtrum: prohibetque humiditatum ad iuncturas fluxũ. eius aqua confert ægritudinibus pectoris. & bibita cũ fœniculi ſemine, lac abundare facit. Ex eius quoque farina cum melliloto & cortice papaueris fit emplaſtrum ad *dolorem lateris*. Eius ſauich retinet *ventrem* & ſimiliter decoctio ſauich eius, & furfur eius prouocat *vrinam*. Sed aqua triticei furfuris bibita vehementioris eſt prouocationis. Aqua eius eſt infrigidatiua, *febrium* humectatiua, *ſtomacho* tamen eſt mala. In calidis quidem febribus eſt pura. In frigidis autem cum apio & fœniculo. Datur & in potum quod cum ficubus eſt coctum cum mellicrato permixtum ad febres phlegmaticas.

Tẽperamen ordei.

Vſus medicinalis.

De his quæ ex ordeo fiunt, & primo de farina.

CAP. XC.

PLatearius. Ordeũ eſt frigidum & ſiccum, de ordeo multa fiunt quę vſui medicinæ cõpetunt. In aqua quidem ordei farina decoquitur, & fiunt pultes, optimus cibus febricitantibus, & maximè ſpiritaliũ apoſtema maturat & bene nutrit. Contra calida quoque apoſtemata in principio ad repercuſſionem materiei, ex farina eius & aceto fit emplaſtrum, quod eſt repercuſſiuum in parte diaphoreticum & oui vitello conficitur ad maturitatem eorum. Ad frigida deniq; apoſtemata maturanda fit emplaſtrum ex eius farina & pice liquida, vel farina & terebinthina & melle.

Cibus febricitantium ex ordeo.

Plin. vbi ſupra. Farina ex ordeo & cruda & decocta collectiones impetuſque diſcutit, lenit & coquit. Decoquitur aliàs in mulſa aqua, vel fico ſicca. Ad *iocineris* dolores eam in poſca impoſitam cõcoqui opus eſt aut cum vino. Cum vero inter coquendum diſcutiẽdũque cura eſt, tunc in aceto melius, aut in fæce aceti, aut cotoneis pyriſve decoctis. Ad multipedum morſus cum melle, *ad ſerpentium morſus* in aceto, & cõtra ſupputantias. Ad extrahendas vero *ſuppurationes* ex poſca quidem addita reſina & galla. Ad cõcoctiones & *vlcera* vetera cũ reſina. Ad duricias cum fimo columbarum ac cinere, vel fico ſicca. Ad neruorum *inflationes*, aut inteſtinorum, aut aurium, aut *virilium dolores* cum papauere, vel melliloto, & quotiens ab oſſibus recedit caro. Ad *ſtrumas* cum pice & impubis pueri vrina. Cum oleo & fœnugræco contra *tumores* præcordiorum, vel in febribus cum melle vel adipe veruſto. *Dioſcorides*. Farina ordei cocta valet contra duritias & *inflationes*, podagricoſque tumores cocta cum caricis in mulſa omnes tumores ſpargit impoſita. Cum melle & papauere impoſita, *dolores* lateris tollit. Simili modo inflationibus cum ſemine lini ac ruta & fœnugræco cocta proficit, addita vero pice liquida & cera & licio *infantibus* ſubuenit. Et cum oleo poſt coctionem impoſita *ſcrophas* ad ſanitatem ſpargendo perducit. Cum citoniis & aceto cocta & impoſita *podagricos tumores* ſpargit. Cum aceto viſcido cocta *leproſis* ſuccurrit. Ipſa quoque farina infuſa in aqua & cocta cum pice liquida, & oleo matureſcere facit *apoſtemata*. Aceto denique infuſa, & cum dura pice cocta articulorum rheuma abſtinet accepta polenta.

Farinæ ordei vſus.

De Ordei polenta.

CAP. XCI.

PLatearius. Ordei farina cum aqua cocta dicitur polenta, & fit competens cibus apoſtemate ſpiritalium laborantibus. *Plinius libro* 18. Polentam Græci non aliunde quam ex ordeo præferunt: hæc autem fit pluribus modis. Græci ordeum aqua perfuſum nocte ſiccant, & poſtero die frigunt, deinde molis frangunt. Sunt qui vehementius toſtum aqua exigua rurſus aſpergant, ſiccentque priuſquam molant. Alij vero virentibus ſpicis decuſſum ordeum recens purgãt, madidumque in pila tundunt, ſiccatumque ſole, rurſus tundunt, & purgatum molunt. Quocunque autem genere præparato vicenis ordei libris ternas ſeminis lini, & coriandri ſelibras ſaliſque acetabulo torrentes ante omnia miſcent in mola, qui diutius eam ſeruare volunt cum polline ac furfuribus ſuis fictilibus nouis condunt. Italia ſine perfuſione toſtum, in ſubtilem fariną mollit, eiſdem additis, atque etiam milio. Meliorem ex ordeo polentam fieri traditur, ſi ordeum ipſum (vt ſupra dictum eſt) non excocta maturitate metatur.

Polendæ cõficiendæ modus.

Idem in lib. 22 Polenta ratione locorum à farina

Vſus polentæ.

distat ordei, eo quod torretur, ad *stomachum* vtilis. *aluum* sistit, & impetus rubicundi tumoris. Illinitur *oculis & capitis dolori* cum menta vel alia refrigerante herba. Idem quoque *pernionibus ac serpentium plagis*. Et iterum ex *vino ambustis*. Inhibet quoque *pustulas*. Farina extrahendi vim habet *humores* in polline subacta, propter hoc cruore suffusis in fascias vsque sanguinem perducit, efficacius in sapa. Imponitur & *pedum callo clauisque* Porro cum oleo veteri ac pice decocta polline condilomata, & omnia alia sedis vitia, quàm maximè calida, mirum in modum curantur. Pulte vero corpus augetur. Farina denique qua chartæ glutinantur, tepida sanguinem excreantibus sorbenda efficaciter prodest. *Dioscori*. Polenta ex ordeo facta & eiusdem succus optimus est cibus, *aspredines* arteriarum curat, *humores viscidos & austeros* temperat. Denique farina (vt dictum est) ordei aceto infusa, & cum dura pice cocta *articulorum rheuma* abstinet accepta polenta.

De Ordeaceo farre, & furca, & alfica & pane.

CAP. XCII.

Far ordeaceum. *Platearius*. Ordeaceum far sic efficitur. Ordeum & à palea mundatum in mola ponitur, & aliquantulum subleuata mola conteritur, vt crassam substantiam operetur: huiusmodi far diu decoctum optimus est cibus febricitantibus, & maximè laborantibus ex apostemate spiritalium. *Dioscorides*. Furca quoque fit de ordeo, quæ quidem est diuretica, sed neruis contraria, ventrem inflat, humores viscidos nutrit. Ex eo fit elephas, quod oleum infusum dicitur, quod etiam aliqui cancium vocant, eo quod multi pro vino in Hibernia & Britannia vtuntur. Conficitur & de tritico, vnde pultes fieri solent: virtus est ei eustomacha, corpori addens virtutem, cui succus digestibilis est, ventrem abstinet, sed dolorem capitis commouet. Est autem cacochymum, neruisque contrarium.

Furca.

Cancium.

Alfica confectio. *Palladius libro septimo*. Alfica fit ex ordeo hoc modo. Ordeum semimaturum cui adhuc supereſt aliquid de vitore, per manipulos ligabis, & vt facili mola infringi possit, in fumo torrebis, atque in vno modio salis aliquantum dum molitur miscere curabis, sicque seruabis. *Constantinus in Pantegni*. Panis ordeaceus frigidus est & siccus, minus, quã frumenti nutritiuus, totus ventositatis generatiuus, & constipatiuus. Vtẽdum est eo cum vnctuosis, vt est caro crassa atque butyrum. *Plinius vbi supra*. Qui pane ordeaceo vtuntur negant illos tentari pedum morbo.

De Ordei ceruisia & ptisana.

CAP. XCIII.

Ceruisia Etymologia. *Razi* Ordei ceruisia id est de ordeo facta, neruos impedit, caput dolere facit, & inflat Vrinã tamẽ prouocat, & dolorem ex ebrietate reprimit. Quæ autem de siligneo pane conficitur, habens mentam & apium melior iudicatur. Solis tamen confert calefactis & dispositionibus & temporibus calidis *Isidorus libro vigesimo*. Ceruisia quidem est à Cerere id est fruge vocata. Est enim potio ex frumenti seminibus confecta vario modo. *Plinius libro* 22. Ex frugibus itaque fiunt & potus. Zythum in Ægypto, cælia & cerea in Hispania, Ceruisia pluraque genera in Gallia cæterisque prouincijs. Quorum omnium spuma cutem fœminarum in facie nutrit. *Platearius*. Ptisana quoque fit ex ordeo scilicet & aqua, quæ cibus est competens febricitantibus, & maxime spiritalium apostemate laborantibus. Eisque semper dari debet tepida, nunquam frigida. Ordeum itaque mundatum decoquitur in aqua donec accedat ad subrufum colorem, & aliquantulam spissitudinem, & talis aqua est optima. *Plinius in libro decimo octauo*. Ptisanæ bonitas est præcipua Vticensi. In Ægypto quoque fit ex ordeo, cui bini sunt anguli. Huius conficiendæ vulgata est ratio. Simili modo ex tritici semine fit tragum in Campania dumtaxat & Ægypto, *Idem in libro vigesimo secundo*. Ptisanæ quæ fit ex ordeo laudes condidit Hippocrates volumine vno, quæ nunc omnes in alicam transeunt. Contra quanto innocentior est alica. Hippocrates tamen sorbitionis gratia laudauit, quoniam lubrica ex facili haurietur, quoniam facile reddetur, quoniam sitim arceret, quoniam in aluo non tumesceret, & assuetis hic cibus solus in febribus die dari possit tantum remotus ab illis qui fame medicinam exercent. Sorbitione tamen in totum dari vetuit. Aliudve, quàm succum ptisanæ. Item vetuit quamdiu pedes frigidi essent, tunc si quidem nec potionem esse dandam. Fit autem è tritico glutinosior, arteriæque exulceratæ vtilior. *Constantinus in Pantegni*. Ordeum frigidum est in primo gradu, siccum in secundo. Ptisanæ ex eo confectæ frigidæ sunt, & humidæ: hoc ptisanæ calidam complexionem adiuuat. Secundum temperamentum acutis febribus valet, digerens materiam vnde generatur. Sitim extinguit, & naturaliter lauatoriu est, vnde fit vt membris omnibus cito diffundatur, stomacho & intestinis statim effluit, vbi si incedentes humores inuenerit, facile expellit, limosa interiora siue exteriora mundificat. Nullum rancorem infirmis generat, nec inflat, nec ventositatem vllam apparat, sicut alia solent grana, Ordeum vnde conficitur, oportet esse bonum, nec non vetus, sed album durum, bene excoriatum, atque pistatum.

Hippocrates scripsit in laudem ptisanæ.

Temperamẽ ordei.

De Oriza & ormino & orobanche.

CAP. XCIV.

Oriza. *Plinius libro decimo octauo*. Oriza maximè gaudent Italici, ex quo ptisanam conficiunt, quam ex ordeo mortales reliqui. *Oriza* folia sunt carnosa, porro similia, sed latiora: altitudo eiusdem est cubitalis, Flos purpureus, radix gemmeæ rotunditatis. *Orminum* à Græcis dictum eiusdem natura eius est cuius & erisimum siue irion, sed cumino simile. Seritur cum sisama & irione, nullum animal vescitur his virentibus. *Idem in libro vigesimo secundo*. Orminum semen, vt dictum est, est cymino simile cætero drodrantali altitudine. Duorum est generum, alteri semen est nigrius, & oblongum, idque facit ad *Venerem stimulandam* & ad *albugines oculorum*. Alteri vero semen est candidius atque rotundius, vtroque tuso extrahuntur aculei à corpore ex aqua per se illito. Folia ex aceto imposita, pannos per se vel cum melle discutiunt. Idemque furunculos priusquàm faciant capita & omnes acrimonias. Orobanchem appellamus herbam eruum ac legumina necantem, alij cynomorion eam appellant, à similitudine canini genitalis, cuius cauliculus est sine folijs, pinguis, rubeus. Estur & per se & in patinis cum tenera est decocta.

Oriza.

Orminum.

Virtus.

Orobanche Gynomoriõ.

De Orobo.

CAP. XCV.

Orobum. *Auctor*. Orobum vt superius diximus ipsum est herum siue herbum, cuius naturam subherui cum aspiratione vel erui sine aspiratione nominibus iam ex magna parte superius locis congruis posuimus, nonnulli medicorum nostrorum illud esse putauerunt orobum, quod nos vitiam dicimus. Sed Isidorus hoc ponit pro duobus. Et dicitur à nõnullis, quod duæ species sũt quasi vnius generis, vna videlicet maior quæ orobum vocatur, alia vero minor quę vitia & vulgariter neceron appellatur. *Dioscorides*. Herbum omne siue orobum cum parte amaritudinis est calidum. Ideo *splenem* ac *renes* & hepar purgat, *scabies* & *impetigines* sanat, *vulnera* quoque curat

Temperamentum.

tat cum melle impoſitum, deſiccatum, abundanter inſcidit, aperit, proijcit, *parotidas* induratoſq; teſticulos digerit. *Iſaac in dietis.* Orobum eſt calidum in primo gradu, ſiccum in ſecundo, vnde mundificatiuum eſt & colatiuum. Mundatum corticibus iureque de eius farina facto, *ventrem* humectat, *vrinam* & menſtrua prouocat, *cutemque* clarificat. Non tamen plurimum aſſuefiat, ne fortè ſanguinem mingere faciat. Aliquando per nares *ſanguinis efficit fluxum.* Farina eius cocta cum ſepotis, quod eſt ſpecies thuris, *hydropicis*, ictericisque valet. Temperata cum vino valet ſuper rabidiſſimi *canis morſum* poſita. Rurſus cum melle temperata lentiginem mundificat, vulneribus & *apoſtematibus* ſimiliter valet.

Vſus medicus.

De Panico.

CAP. XCVI.

Etymon. Panici

ISidorus. Panicum dictum eſt eo quod in multis regionibus ex eo *panis vice homines ſuſtententur* quaſi *panis vitium.* *Plinius lib.* 18. panicum & milium inter frumenta ſunt æſtiua, quæ ſeruntur ante exortum vergiliarum, & conſurgunt in culmum geniculatum & concauum. Paruis auibus ſunt expoſita, quia membranis vt prædictum eſt continentur indefenſa. Dictum eſt autem panicum à panniculis cacumine languido nutante, paulatim extenuato culmo penè in ſurculum, prædenſis granis aceruatur, cum longiſſimo pedali obſimili comæ granum complexæ, quæ fimbriato capillo curuatur. Sunt & panico genera mammoſa, è panno paruis racemato panniculis, & cacumine gemino. Quin & colore diſtinguitur, candido, nigro, rufo, & purpureo: panis quidem multifariè fit è milio, rarus è panico. Panicum & milium & ſeſima & omnia æſtiua maturãtur à flore diebus quadraginta. Triticum & ordeum exeruntur in area, panicum autem & far & milium purgari non poſſunt niſi toſta. Itaque cum ſuis folliculis ſeruntur cruda, panico vtuntur & quædam Galliç, Aquitania præcipue, Ponticæ vero gentes nullum panico cibum preferunt. Et cętera quidem æſtiua frumenta riguis magis etiam quam imbribus gaudent. Panicum autem & milium aquis minimè, quoniam in folia exeunt: vetant ea inter vites arboresve frugiferas ſeri, terram exiſtimantes hoc ſatu amacrari. Catonis eſt ſententia, panicum prius eſſe ſerendum in aquoſo frigido, poſtea vero in calido, & ſi non ſit aquoſum in rubricoſo, vel pullo, vel arenoſo ſolo.

Colores Panici.

Tempus in quo maturantur.

Tempus & locus in quibus ſeri gaudet.

Palladius li. 4. Menſe Martio calidis & ſiccis regionibus panicum ſerendum eſt ac milium, leuem & ſolutam terram deſiderant, non in ſabulone ſolum, ſed in arena quæque proueniũt, dummodo cælo humido & ſolo ſerantur irriguo, quia ſiccum & argilloſum locum reformidant, herbis liberentur aſſiduè. *Idem in libro quinto.* In menſe quoque Aprili locis mediocriter ſiccis panicum & milium conuenit ſeri.

De operatione panici in cibo & medicina.

CAP. XCVII.

Temperamẽ.

Melfrugum.

ISaac in dietis. Panicum in forma & natura ſimile eſt milio, minus tamen eo nutrit, ventrem magis conſtipat, coquitur ſæpe cum pinguedine, vel cum lacte. *Conſtantinus in Pantegni.* Panicum & milium frigida & ſicca ſunt in ſecũdo gradu, parum nutriunt, ſtiptica ſunt, & panis inde factus multo plus eſt conſtipatiuus, vrinam autem prouocant. Cum butyro, vel lacte cocta ſunt meliora, quibus admixtis humectantur & eorum ſiccitas expellitur. *Plinius libro* 22. panicum Diocles medicus *melfrugum* appellauit, effectus habet quos milium. In vino potum *dyſentericis* prodeſt. Similiter his, quæ vaporanda ſunt calefactum imponitur, ſiſtit aluum in lacte caprino decoctum, & bis in die hauſtum, ſic prodeſt & ad *tormina.* *Dioſcorides.* Panicum in eſca *omnibus vtile eſt.* Vnde ſi panis ex eo factus & comeſtus fuerit, ventrem abſtinet, *vrinam prouocat*, *aſſum* vero in cacabo nouo & impoſitum in ſacello ſicut & milium prodeſt.

Vſus medicus.

De Piſo.

CAP. XCVIII.

Piſi etymon

ISidorus. Piſa dicta eſt quod ea penſabatur auri aliquid minutum. Nam pis dicitur aurum: hæc in cibo ſumpta minimè inflat, ideo magis & egeritur. *Plinius libro decimo octauo.* Piſum in apricis ſeri debet, frigorum impatientiſſimum. Ideoque ſeritur in Italia, & in auſteriori cœlo non niſi tempore verno terraque facili & ſoluta. Frumentum quidem & ordeum ac vitia & quicquid in ſtipula eſt in cacumine vnum folium habet, multiplicia vero ſunt è contra ciceri & fabæ ac piſo. Frumentis eſt folium arundinaceum, fabę rotundum, & magnæ leguminum parti longiora vt ipſo. Siliquę rotundæ ſunt, ciceri cæterisq; leguminum longæ & ad figuram ſeminis latæ: piſo vero cylindraciæ. Ex leguminibus vomere ſeritur lenticula & in Græcia piſa Thiſæ ac piſa ſunt eiuſdem generis, ex qua in orbe noſtro fit oriza. *Palladius libro decimo.* In menſe *Septembri* poſtremo ſerendum eſt piſum in terra facili & ſoluta loco tepido. Cœlo delectatur humecto & quatuor, vel tres modios ſparſiſſe ſufficiet iugero. *Auctor.* Miror quod in libris medicorum noſtrorum authenticis nihil manifeſtè de piſorum natura, ſed hoc æſtimant quidam eſſe, quod alio nomine robeliæ dicuntur, vel fortaſſis eadem ratio poteſt aſſignari de ipſo, quam ſuperius aſſignauimus de auena.

Quo menſe ſeritur.

De Riſo.

CAP. XCIX.

Temperamẽ riſi.

ISaac. Riſi natura calidum eſt in primo gradu, ſiccum in ſecundo, aliquando mola teritur, eiuſque farina ſicut tritici coquitur, & valet his, qui *morſionem* in ſtomacho & inteſtinis patiuntur. Integrũ autem cum aqua coctum, valet ad cholericam diarrhidam. Cum lacte & amigdaleo coctum conſtipationem ſuam amittit, & perfectè nutrit, ſanguinem bonum generat. Si cum eo, vel aqua eius lentigines laues, aufert eas, & cutem mundificat. *Conſtantinus in Pantegni.* Riſum calidum eſt in primo gradu, ſiccum in ſecundo, vnde ventrem ſtringit, non tamen multum niſi mixtum ſit ibi milium, totum quoque & cum butyro, & amigdaleon coctum non eſt ventris conſtipatiuum, ſed mitigat dolorem ſtomachi, & ardorem inteſtinorum. Huius nutrimẽtum temperatum eſt & indigeſtiuum. Si cum lacte coquitur conſtipationem facit, ſed humectat ac nutrit.

Cortex riſi venenum.

Auicenna in 2. *cano. medicina.* Riſum calidum eſt & ſiccum, nutrimentum præbet, multum tardè infrigidatur, & in ipſo eſt abſterſio. Decoctum cum aqua ſtringit vſque ad terminum, & in ſpermate facit augmentum. *Idem in quarto canone.* Cortex riſi venenum reputatur, vt enim quidam primorum dixerunt, ei cui in potu datur accidit ſtatim dolor in ore, & in lingua, & ipſa lingua apoſtematur, deinde dolor in vmbilico extenditur, & ſtomacho inteſtinisque, eius totumque corpus inflammatur, curatur cum curatione cantharidum: oportet autem quod in oleo eius quod ipſe in potu ſumit citonia ſint decocta.

De Robelia.

CAP. C.

ISaac. Robeliæ frigidæ ſunt in primo gradu, mediæ inter humida, & ſicca. Cortex earum ſtipticus eſt. Corticæ vero mundatæ laudabiles generant chymos,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nec inflationem aut ventoſitatem faciunt vt fabæ. Ad vſum edendi bonæ ſunt in æſtate, & in calida regione.

Cataplaſma ex robelijs pro membris fractis.

Cataplaſma ex eis *membris fractis* appoſitũ ſolidat, & dolorẽ aufert. Ius ex eis velut ex faba factum valet ad cardiaſim tuſſim, & dolorem pectoris. *Auctor.* Iſtæ ſunt videlicet robeliæ ſicut diximus paulo ſupra, quę à nonnullis medicorũ noſtrorum æſtimantur eſſe piſa.

De Seſama.

CAP. CI.

Seſama ſationis tẽpus.

Plinius vbi ſupra. Seſama venit ab Indis ex qua & oleum faciunt, & eſt candidi coloris. Eſt autem ex æſtiuis frugibus, quæ in æſtate ante vergiliarum exortum ſeruntur, eiuſque fructus vaſculis ſicut & papaueris includitur, hæc quidem ſicut milium & panicum & omnia æſtiua maturantur à flore diebus quadraginta. Seſamam vt pinſatur in calida aqua maceratam conuenit exportigi, deinde confricari, & frigidæ immergi, vt paleæ fluitent, iterumque in ſole ſuper linthea exportigi. Quod niſi feſtinato peragatur, liuido colore mutatſcit. Ipſa vero quæ euoluuntur variam habent piſturarum rationem, acus vocatur cum per ſe pinſatur. Spica tantum ad vſus aurificum. Si vero in area teritur, cum ſtipula palea, maiore parte terrarum pabulo iumentorum. *Idem in li.* 22. Seſama trita inhibet *vomitiones*, *Auriumque* inflammationi illinitur & ambuſtis, Eadem & dum in herba eſt, efficit.

Vſus medicus ſeſame.

Amplius in vino decocta imponitur *oculis*, *Stomacho* autẽ eſt inutilis cibus, & animo grauitatem facit. Stellionum *morſibus* reſiſtit, *vlceribus* quæ cacoethes vocant. Et *auribus* prodeſt oleum quod ex illa fit. Seſamoides à ſimilitudine nomen accepit, grano amaro & minore folio, naſcitur in glareoſis. *Bilem* in aqua potum detrahit. Et eius ſemen illinitur *igni ſacro*, *pannosque* diſcutit. Eſt etiam nunc alius ſeſamoides, videlicet, Anticyræ naſcens, quod ob hoc aliqui vocant *anticyricon*. Cætero ſimile erigeronti herbæ. Granum ſeſamæ in vino dulci ad detractiones datur quãtum tribus digitis capitur. Miſcent etiam ellebori albi vnum & dimidium obolum purgationi eam adhibentes maximè inſanæ melancholiæ, comitialibus quoque & podagris, etiam per ſe dragmæ pondere exinanit.

Anticyricon.

De Siligine ac ſiliqua.

CAP. CII.

Siliginis etymon.

Iſido. Siligo eſt genus tritici, à *ſelecto* dictum. Nam in pane ſpecies eius præcipua eſt. *Plinius lib.* 18. Siliginem dixerim propriè tritici delicias, candor eſt & ſine virtute, ac ſine pondere conueniens humidis tractibus, quales Italiæ ſunt, & Galliæ comatæ. Sed & tranſalpes in Allobrogum tantum Auernorumque agro pertinax. In cæteris ibi partibus biennio in triticum tranſit. Remedium eſt vt grauiſſima quæque ipſius grana ſerantur. E ſiligine laudatiſſimus panis ac piſtrinorum opera laudatiſſima præcellit in Italia, ſi Piſis natæ miſceatur Campana. Ruffior quidem eſt illa, ſed candidior Piſana, ponderoſior autem Cretacea. Iuſtum eſt è grano Campanæ, quam Caſtratam vocant, redire ſextarios quatuor ſilignis ex modio. Iuxta ſententiam Catonis ſiligo & triticum in aperto loco edito ſeruntur, qui ſole quàm diutiſſimè torreatur. Serenda dicitur in tenuiori terra quæ non multo indiget ſucco, vt cicer ac cithyſum. In pingui vero quæ cibi ſunt maioris vt ſiligo ac triticum & linum. Denique far & ſiligo ſolum ſortiuntur cretoſum & vliginoſum. Siligo nunquam pariter matureſcit, nec vlla ſegetum minus dilationem patitur propter teneritatem, eisque quæ maturuere protinus granum dimittentibus. Sed minus, quam cætera frumenta periclitatur in ſtipula: quia ſemper rectam habet ſpicam. Nec continet rorem qui faciet rubiginem. Dulciſſimus eſt panis ex Aphrica. Ipſaque ſpiſſior quam far & ſpica maior, eadẽ & ponderoſior, difficulter exteritur in Græcia, ob id dari iumentis ab Homero dicta, hęc eſt enim quam oliram vocant. Eadem in Ægypto facilis atque fertilis. Far ſine ariſta eſt. Itemque ſiligo: excepta ea quæ Laconica nuncupatur. Adijciuntur his genera bromos, ſiligo excepricia, & tragos. Summa ſiliginis laus bonitate & cribri tenuitate conſtat. Et Galli quidem è ſetis equorum inuenere cribrorum genera, Hiſpania lino excuſſorio & pollinario Ægyptus è papyro iunco. Siliginem quidem ex ouis ſubigunt vel lacte, butyro vero gentes pacatæ ad operis piſtorij genera cura tranſeunte. *Idem in lib.* 22. ſiliginis grana combuſta & trita in vino amineo atque oculis illita epiphoras ſedant. *Auicenna.* ſiligo eſt ſpecies ordei ſine cortice, & eius operatio propinqua eſt operationi ipſius. *Gloſſa ſuper Lucam:* Siliqua eſt genus leguminis ſonoris follibus & vacuus, quod ventrem magis onerat quàm reficiat. *Razi. in Almanſore:* Siliquæ, quę in terra Hieroſolymitana naſcuntur, temperatum calorem habent, & ventrem ſtringunt. Quæ autem in alijs terris, ventrem fortius ſtringunt, & calidæ non ſunt.

Panis ſiligineus Laudatus.

Differt ſiligo maturationem.

Genera cribrorum.

Curant grana ſiliginis.

De Siſano vel ſiſamo.

CAP. CIII.

Vſus medicus ſiſami.

Temperamentum.

SIſanum eſt ſemen pluris vnctuoſitatis quam reliqua femina. Quidam dixerunt quod eius oleum non niſi melancholicis confert vt eos impinguet & humectet. Et eriſimon eſt genus quoddam ſiſami abominabilis ſaporis. Corpus eius eſt folio ſuo fortius, & eſt calidum in medio primi, humidum in fine ipſius. Eſt autem glutinatiuum & lenificatiuum æqualis calefactionis & ſimiliter oleum eius & decoctio ipſius. Eſt etiam mollificatiuum, & in eius oleo eſt craſſitudo. Et quod eſt torrefactum minoris eſt nocumenti, viriditatem percuſſionis reſoluit, & ſanguinem congelatum. Et confert *fiſſuræ* & aſperitati melancholicorum bibitum & linitum, & eſt impinguatiuum propriè exeorticatum & prolongat *capillos*, & propriè ſuccus arboris eius ac foliorum ipſius ac lenit eos. Remouet quoque *furfures*. Oleum eius in quo myrtus coquitur *conſeruat capillos*, eosque facit fortes ac duros. Item *apoſtemata* calida reſoluit, & ponitur ſuper aduſtionem. Oleum eius bibitum aufert *pruritum phlegmaticum* & ſanguineum proprie cum aloes infuſione & aqua vuæ paſſæ. Ex eo quoque fit emplaſtrum ad craſſiciem neruorum. Confert etiam ſuperpoſitum oculi pulſationi, & eius *apoſtemati*, & bonum eſt conſtrictioni anhelitus & aſmati. Malum eſt autem ſtomacho nauſeam faciens, deſiderium proſternens, velociter ſatians, ſed quando cum melle comeditur, eius malitia remouetur, eiusque digeſtio tardatur. Et mollificat *viſcera*. Eiusque nutrimentum eſt valde vnctuoſum & *ſitim facit*, ſit autem velox eius deſcenſio cum cortice ſuo. Et cum excorticatur, deſcenſus eius tardatur, denique confert inteſtino colon. Et eius infuſio vehemens eſt in prouocatione menſtruorum, adeo quod ipſa eijcit fœtum. Cõfert iterum morſui rabioſi canis ac ſerpentis lenticularis. *Iſaac.* Siſanum calidum eſt in primo gradu, humidum in ſecundo. Quod ſine cortice eſt, vnctuoſius eſt. Ideoque craſſius & ad dirigendum durius. Quam ob rem ſtomacho officit, ſitim & faſtidiũ generat, os boni odoris fœtore contaminat, maximè ſi inter dentes temaneat. Cum melle ſumptum minus nocet. Dicunt autem contra venenum illud prodeſſe, ſua enim viſcoſitate & vnctuoſitate poros omnes corporis opilat, nec ad cor venenum penetrare permittit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Adhuc de eodem.

CAP. CIV.

Cataplaſmatis ſiſami vſus.

Dioſcorides. Siſanum vel ſiſamum eſt euſtomachũ. Comeſtum oris fœtorem facit. Cataplaſma vero adhibitum neruorum duritias & craſſitudinem componit, prodeſt impoſitum *parotidibus.* medetur combuſtionibus. *Tumores lyenis* ſumptum compeſcit tritum & oleo roſeo mixtum dolorem capitis ab æſtu defendit, Ipſius herba dolores *ac tumores compeſcit* oculorum, ex ipſo etiam oleum fit, quo maximè veſcũtur Ægyptij. Cicis vel ſiſami agreſtis ſemẽ habet ſimile acinis, frutex illi eſt vt ficus arboroſa, ſed minor, habetque folia platano ſimilia, ſed minora, & leuia & nigriora, haſtaſque valloſas habet cannę ſimiles, ſemen habet vt brotum compoſitum, ſed aſperum, vnde exprimitur *oleum cicimum*, quod valde dicitur eſſe vtile medicaminibus & emplaſtris. Ex quo ſemine ſi triginta grana purgata fuerint accepta, choleram & phlegma ventris deponunt, vomitum prouocant, guſtu non bono, hęc purgatio ſtomachum non lædit. Succus eius tritus & impoſitus maculas limpidat, folia eius trita cum polenta tumores oculorum ſpargunt. Duritias omnes & mammarum tumorem compeſcunt, ignem ſacrum ſola exigunt ipſa cum aceto mixta. *Palladius libro decimo. In menſe Septembri ſerendum* eſt ſiſanum putri ſolo, vel pinguibus arenis, vel terra congeſtitia. Iugero quatuor, vel ſex ſextarios ſeuiſſe conuenit. *Idem in libro vndecimo.* Siſamum vſque ad Idus Octobris & faſelum conuenit ſeri, terra pingui, vel agro ſterili.

Oleum cicimum.

Quo menſe ſerátur.

De Tritico.

CAP. CV.

Tritici etymon.

Iſidorus. Triticum à tritura dicitur, eo quòd purgatiſſimum horreo reconditur, vel quia granum eius teritur & commolitur, plura ſunt eius genera vt adoreum, ſiligo, far, de quibus ſcilicet iam dictum eſt ſupra. Tremenſe autem triticum ideo dicitur, quia ſatum poſt tres menſes colligitur. Nam vbi propter aquam, aliamve cauſam matura ſatio omiſſa eſt, præſidium ab hoc petitur. *Plinius libro decimooctauo.* Triticum eſt ex fructibus, hibernis quæ circa vergiliarum occaſum ſeruntur, ac terra per hyemem nutriuntur, fructus eius ſicut & ordei ſpicis continetur, & ariſtarum vallo quadruplici munitur. Genicula quidem ordea ſunt octona, tritico quaterna, ſed non ante ternarium, vel quaternarium geniculorum numerum conceptus eſt ſpicæ, quæ vt ſpecie ſui fecerit quatuor, *aut quinque tardiſſimè diebus florere incipit, totidemque, vel paulo pluribus defloreſcit.* Tritici genera ſunt plura, Italico nullum equidem comparauerim candore, ac pondere, quo maximè diſcernitur. In externis autem principatum tenuit Boetia, deinde Sicilia, mox Aphrica. Tertium pondus eſt Thracio, Syrioque, deinde vero Ægyptio. Græcia verò Ponticum laudauit, quod in Italiam non peruenit. Leuiſſimum & maximè inane, ſeu tenuiſſimi calami in humidis iubebat ſeri, quia multo egeret alimento. Hæ fuerunt ſententiæ Alexandro Magno regnante, cum clariſſima fuit Græcia, & in orbe terrarum potentiſſima. Ita tamen, vt ante mortem eius anni ferè 145. Sophocles Poeta in fabula Triptolemo, frumentum Italicum ante cuncta laudauerat, ad verbum tranſlata ſententia, & fortunatam Italiam frumento caneſcere candido, quæ laus peculiaris etiam hodie eſt Italico. Nunc autem ex generibus, quæ Romam vehuntur, leuiſſimum eſſe Gallicum oſtenditur. Cyprum fuſcum eſt, panemque facit nigrum, ideoque miſcetur Alexandrinum candidum. Aqua marina lubigitur, quod plerique locis maritimis faciunt, occaſione lucrandi ſalis viliſſimum. Non alia de cauſa oportuniora morbis exiſtunt corpora. Gallia, & Hiſpania frumento in potum reſoluto ſpuma ita concreta vtuntur pro frumento. Qua de cauſa panis lenior eſt illis, quàm cæteris.

Quinq. diebus floret & defloreſcit totidem.

Differentia etiam eſt calami. *Craſſior quippe melioris eſt generis*, plurimis tunicis Thracium veſtitur triticum, ob nimia frigora illi plagę exquiſitum. Eadem cauſa inuenit & trimeſtria, detinentibus terras niuibus. Quod tertio ferè ſatum menſe, ſicut in reliquo metitur orbe. Notum eſt hoc alpibus totis, & hyemalibus prouinciis. Nullum hoc frumento lætius. Vnicalamum præterea, nec vſque capax, ſeriturque non niſi tenui terra. Eſt & bimeſtre circa Thracium ſinum, quod 40. die quam ſatum eſt matureſcit, mirumque nulli frumento plus eſſe ponderis, & furfuribus carere, vtitur eo & Sicilia & Achaia, montoſis ex vtraque partibus, Euboia quoque circa Cariſtum. Intantum fallitur Columella, qui nec trimeſtris quidem proprium genus exiſtimauerit eſſe, cum ſit antiquiſſimum. Græci, *trimenon* vocant, traduntque in Bactris grana fieri tantæ magnitudinis, vt ſingula ſpicas noſtras æquent. Similago laudatiſſima fit è tritico. Ipſoque nihil eſt fertilius, hoc enim natura ei tributuit, quoniam maximè hominem alit, vtpote cum è modio, ſi aptum ſit ſolum, quale in Bizantio Aphricę campo, centeni quinquageni modij reddantur. Miſit Diuo Auguſto procurator eius ex eo *loco ex vno grano, vix credibile dictu, quadraginta paucis minus germina*, extantque de ea re epiſtolæ. Mihi & Neroni ſimiliter, *trecentas ſexaginta ſtipulas* ex vno grano. Cum centeſimo quidem & Leontini Siciliæ campi fundunt. Alijque & tota Betica, & in primis Ægyptus, fertiliſſima tritici genera, ramoſum aut quod centigranum vocant. Triticum pinſendum Mago iubet aqua multa perfundi, poſtea euelli, deinde ſole ſiccatum pila repeti. Triticum, iuxta Caronem in aperto loco edito ſeritur, qui ſole diutiſſimè torreatur, huius ſemine nullum eſt auidius, nec quod alimenti trahat amplius.

Differentia triticorum ex calamis cognoſcitur.

Error Columellæ.

Quadraginta germina ex vno grano tritici.

Palladius libro 10. Menſe Septembri locis vliginoſis, aut exilibus, vel frigidis, vel opacis circa æquinoctium, triticum & adoreum ſeri oportet, dum ſcilicet ſerenitas conſtat, vt ante hyemem conualeſcant radices. *Idem in libr. 2.* Menſe Ianuario triticum & far ſatum oportet, dum quatuor foliorum eſt. *Idem in libr. 2.* In Iunio menſe poſtremo locis maritimis, ac ſiccis, & calidioribus tritici meſſis abſcinditur, ſicut videlicet iam dictum eſt ſuperius. *Idem in libr. 8.* Menſe Iulio temperatis locis tritici meſſis explenda eſt, eo more quo dictum eſt.

De Proprietate tritici in cibo.

CAP. CVI.

Saac. Triticum eſt cibus ad humani corporis nutrimentum præcipuus, & naturaliter ſimile complexioni eius. Triticum ſecundum naturam ſui ſubſtantialem, in primo gradu eſt calidum & humidum & ſiccum in medio: panis ex eo factus calidior eſt in ſecundo gradu, quia calor eius augmentatur à calore ignis & coctione, ſicut ordeum & faba, cum in propria natura ſicca ſint, ſi in aqua coquantur, humiditatem aſſumunt. Granum tritici maſticatum, vel aſſatum *apoſtlematı*, quod ex rabidi canis morſu contingit, ſuperpoſitum morſum fugat. Oleum autem de grano factum ad *impetiginem*, & ſerpiginem auferendam valet. Tritici recentis ac noui nutrimentum paruum exiſtit, & crudum & phlegmaticum, & inflatiuum, rugitum ac dolorem lateribus commouet, & inputredinem cito conuertitur. Aſſatum ad ignem magis nutrit, ventoſitatem minus facit, & ſtipticum eſt. In aqua coctum grauiſſimum eſt, & inflatiuum, digeſtioni durum, & rugitum mouet. humores denſiſſimos generat, & viſcoſos, maximè ſi granum eſt farinæ multum habens, furfuris parum.

Temperamẽ tritici.

Si tamen bene digeritur, multum nutrit, & membra confortat, tardè egeritur: vnde dãdum eſt eis, qui magnis laboribus exercitantur. Granum fractũ & ſimila ſanguinem laudabilem faciunt, & multum nutriunt. Si tamen ſępe vtantur, opilationẽ hepatis faciunt, duritiã ſplenis, lapides in renibus, vel in veſica, maximè ſi renes calidi inueniãtur naturaliter, vel accidẽtaliter. *Auicenna.* Frumentum natura calidum eſt, & temperatum in humiditate, & ſiccitate. Et ipſius ſauich declinat ad ſiccitatem. Sauich prętерea tritici eſt tardę deſcenſionis, & plurimum inflatiuum, indigens dulcedine faciente ipſum deſcendere velociter, & ablutione cum aqua calida, ita vt remoueatur inflatio eius, & humor ipſius ſauich eſt paruus. Id autẽ melius eſt, quod eſt *magnum, pingue, recens, planum, medium inter duriciem & raritatem, medium inter rubedinem, & albedinem.* Nigrum vero mali nutrimenti eſt. Quod autem plurimæ rubedinis eſt, plurimi eſt nutrimenti. Frumentum elixatum tardę digeſtionis eſt, & inflatiuum, verum cum digeritur, nutrimenti plurimi eſt. Frumentum omnibus granis magis nutritiuum eſt, & ſanguis ex eo generatus temperatior eſt, quàm ex omnibus cęteris.

Melius triticum quod.

De Diuerſitate qualitatum ex eo.

CAP. CVII.

ISAAC. Triticum antiqui, & maximè Pythagorici conſenſerunt eſſe diuerſarum qualitatum quinque modis. *Primo ſecundum genus ſuum.* Nam vnũ ſpiſſum eſt & graue, ac frangi difficile, ſuperficie lene ac lucidum. Aliud rarum, & lene frãgi facile. Primum, quod ex ſubſtantia ſui corticem vincit & furfurem, melius eſt faciendæ ſimilæ, quàm farinæ. Nutrimentum eius plus, eiectio à ſtomacho tarda, digeſtio dura, valentiuſque eſt ad membrorum confortationem, quàm ad ſanitatis cuſtodiam. In alio vero furfur, & cortex medullam ſuperant. Ideoque ad corporis nutrimentum minus eſt, ad ſolutionem facilius, vnde & ad ſanitatis cuſtodiam, quàm ad membrorum confortationem eſt validius. *Secundus modus eſt propter terram* in qua naſcitur. Eſt enim terra craſſa, & pinguis, atque potribilis, in qua naſcitur granum pinguius, grauiuſque in pondere, ac nutribilius. Et eſt terra macra & ſicca naturaliter, in qua naſcitur macrius & ſiccius, leuiuſque in pondere, & minus nutriens. Eſt & macra accidentaliter, quæ ſcilicet ex aduſtione herbarum ibi naſcentium deſiccatur & macreſcit, vnde in ſuperficie nitroſa fit, & ſalinaria, & infructuoſa. Si quos tamen ferant, ficciſſimi ſunt & macerrimi, & à frumenti natura degeneres, medullæ nihil habent, & zizania dicuntur, venenoſamq; naturam ingreſſi, corporibus humanis fiunt nociuiſſimi.

Quinque diuerſitates tritici.
1. diuerſitas.
2. diuerſitas
3. diuerſitas
4 diuerſitas.

Tertius modus eſt *ex regionum natura* vbi naſcitur. Eſt enim regio calidæ & ſiccæ naturę meridionalis. Eſt frigidæ, & ſiccæ Septentrionalis. Eſt calidæ & humidæ Orientalis. Eſt frigidæ & humidæ Occidentalis. In calida & ſicca naſcitur triticum calidum & ſiccũ & durum, & parũ nutribile, quia humores pauci ſunt vnde nutritur. In calida & humida eſt rarum & leue, quia calor ex aere veniens, humiditatem eius exurit: frigida autem & humida vmbroſa eſt & luculenta, & hoc multiplicandorum humorum cauſa eſt, quibus granum nutritur, tenereſcit, & molleſcit: ſed interiora eius frigiditas aeris perforans extinguit, & hoc medullæ minuendæ cauſa eſt, ac furfuris augendi. In frigida autem, & ſicca glacie ac niue denſiſſimus aer interiora tritici non penetrat, exteriora claudit & ſpiſſat, proinde naturalis calor clauſus exire non ſinitur, fitque hoc cauſa, vt coniunctum & ponderoſum medullæ plurimæ ſit, & corticis pauci, perfectè nutrit, & cito digeritur. *Quartus modus eſt, ſecundum tempus naſcentia eius*, vel aeris qualitatem. Aliquando enim moderatum eſt tempus, & vrenale, ſcilicet æquale in calore & humiditate. Et tunc naſcitur triticum craſſum, & medullæ plurimę, corticis pauci. Aliquando vero immoderatum, & tunc macrum & imperfectum & male nutriens generatur. *Quintus modus eſt proſui vetuſtate & nouitate*, Nam vetuſtum & longi temporis ſiccum eſt, & parum nutrit, ad digerendum etiam durum, eo quod humiditatem eius aeris calor exhauſerit. Nouum etiam ex humiditate ſimul, & viſcoſitate terrę humidum, atq; viſcoſum eſt, denſum, & digeſtioni durum, & inflatiuum, ac ventoſitatem, & rugitum faciens ventris. Si autem medium ſit ſcilicet neque nouum, neque vetus, ideſt inter multum & paucum tempus hæc media ſpecies laudabilior eſt, quia cito nutrit, & cito digeritur.

5. diuerſitas.

De Operatione ipſius in medicina.

CAP. CVIII.

Auicenna. Triticum mundificat faciem, & eius farina & amilũ cum croco eſt medicamen panni. Sauich tritici, & ordei grauat. Triticum crudum & etiam decoctum elixatum non molitum, neque fractũ, neque coctum, ita vt ſit puls, & fractum etiam ſimiliter quando comeditur, generat vermes. Triticum quoque quidem tritum & puluerizatum ſuper morſum rabioſi canis eſt iuuatiuum. *Dioſcor.* Triticum vtile eſt recens, ac rufum, id eſt auroſum. Et quod ficaneum vocatur crudum, maſticatum, & impoſitum *canis rabioſi morſum* curat. Farina eius addito ſucco iuſquiami, & cataplaſmata neruorum rheuma compeſcit. Oxymeli mixta *inflationem* tollit, *lentigines* emendat. Furfur eius cum aceto cocta, lepras minuit, & impoſitum tumores omnes compeſcit. Cum ruta coctum *tumores* ſpargit, morſibus venenatis medicatur, *tortionibus* calefaciendo ſubuenit. Fermentum eius virtutem habet calidam, tumores plantarum ſpargit, *puſtulas* minutas corporis emendat. *Razi in Almanſore.* Triticum bene coctũ omnibus cibis plus nutrit, & maximè ſi cum lacte coctum fuerit. Confert etiam natura calidis, & *macris*, & his qui *multum laborant*, vel qui augmento virium indigent, habentes vero diſpoſitiones contrarias cito venas replet, & febres & arthreticum *dolorem & lapides in renibus*, & apoſtemata adducit. *Plin. libr. 22.* Tritici grana ferro combuſta his quos frigus vſſerit, præſentaneo ſunt remedio. Tritici farina ex aceto cocta, eſt vtilis neruorum contractionibus, cum roſaceo vero, & fico ſicca; mixtiſque decoctis, Furfures autem gargarizatione *tonſillis* proſunt, & faucibus. Sextus Põponius prætorij viri pater Hiſpanię citerioris princeps, cum horreis ſuis ventilandis præſideret, dolore *podagra correptus, ſe ſe merſit in triticum ſuper genua*, leuatuſque ſiccatis pedibus, mirabili modo poſtea hoc remedio vſus eſt: vis eius tanta eſt, vt cados plenos ſiccet: paleam eius calidam imponi ramicum incommodis iubent experti, quaque decocte ſunt aqua impoſita foueri.

Tritici vſus in medicina.
Triticũ confert macris & debilibus.
Nota miram experientiã contra podagram.

De Poculis ex tritico confectis.

CAP. CIX.

Auicen. Triticea quoque fit cereuiſia, ſicut ordeacea, & auenacea. vnde cereuiſia, ſicut dictum eſt ſupra, iuxta Iſidorum eſt à Cerere, ideſt à fruge vocata, quia potio eſt ex frumenti ſeminibus vario modo confecta. *Iſidorus lib. 20.* Cælia vero calefaciendo ſic eſt vocata: eſt *enim potio ex ſucco tritici per artem confecta.* Illa ſiquidem vis germinis madefactæ frugis igne ſuſcitatur, ac deinde ſiccatur, & poſt in farinam redacta molli ſucco admiſcetur, quo fermentato ſapor auſteritatis, & calor ebrietatis adiicitur. Hæc quidem fit in Hiſpaniæ partibus, vbi ferax vini non eſt locus, fæx dicta, quod ſe ſe vaſis emergendo afficiat.

Cælia quid?

Palla-

Modus conficiendi musteos.

Palladius libro 11. Fermentum autem musteorum mediante tritico sic faciendum est, ac seruandum. Ex nouo tritico farriculus efficitur & musto sub pedibus rapto infunditur, ita vt modio farris lagenam musti adiiciant. Deinde sole siccatur, iterumque similiter infunditur, & siccatur, hoc cum tertio feceris, panes ex eo breuissimos admodum facies musteorum, & in sole siccatos vasculis nouis fictilibus recondes, & gypsabis, pro fermento quo tempore anni musteos facere volueris, hoc vteris.

De Vela & vitia.

CAP. CX.

Vela.

Irco.

Plinius vbi sup. Velam appellant galli irionem inter fruges sesamæ, similem, quã videlicet superius diximus à Græcis ethisimum vocari. *Isid. lib.* 17. Vitia dicta est, eo quod vix ad triplicem fructũ perueniat, cum alia legumina prouentum habeant fertilem. Vnde *Virgilius, Vt tenuis fetus vitia. Plinius libr.* 18. Sicut in tritici genere pars est aliqua, vt farrago, pabuli quadrupedum causa satis: sic & in leguminibus & vitia, & iuxta Catonis sentẽtiam, in solo minimè aquoso herbidoque seri conuenit vitiam: vitia pinguescunt arua, nec ipsa quidem agricolis est operosa, vnico sulco sata, non sarritur, nec stercoratur, nec aliud quam decoquatur.

Vitia cur ita dicta.

Tria sunt tempora sationis vitiæ.

Tria sunt eius sationis tempora, vna circa occasum arcturi, vt mense pascat Decembri, Tunc optime seritur: nam semen æquè fert depasta. Secunda satio est mense Ianuario, nouissima verò Martio, tunc ad frondem vtilissima, siccitatem maximè amat ex omnibus quæ serũtur. Vmbrosa etiam non aspernatur ex semine eius, & si lecta matura est palea cæteris præfertur, vitibus succum præripit, languescuntque, si serantur in arbustis. Nascuntur in vitia limaces, & aliquãdo è terra cocleæ minutæ mirum in modum ipsam erodentes.

Palladius lib. 2. In mense Ianuario vltimo seritur vitia, non pabuli secandi, sed colligendi seminis causa. iugerum occupant modij septem. Serenda est autem in terra proscissa post horam tertiam, vel secundam, cum ros esse desierit, quem ferre non potest: sed statim cooperienda est ante noctem. Nam si nuda manserit, humore corrumpitur noctis. Obseruandũ est, ne ante lunam 25. seratur, quia sic satam limaces persequũtur.

De Isia, & zea, & zizaniis, soliba.

CAP. CXI.

Isia.

Plinius vbi supra. Isia est apud Græcos, traduntque ipsam, & Tiphem, cum sint degeneres ad frumentum redire: si pistę serantur, nec protinus, sed anno tertio. *Zea* semen est ex quo fit alica, granum eius in pista lignea tunditur, vel lapidis duritia nobilius conteritur, excussisque inde tunicis, iterum armamentis nudata, conscinditur medulla. Est zea, quæ degenerat in Aphrica, vnde adulterina fit Alica, cuius spicæ latiores, ac nigræ sunt, & breui stipula. *Isaac.* Zizania nascuntur inter triticum siccis, corruptisque temporibus, vnde vim acutam habent, & venenosam, & aliquãdo mentem perturbant *& inebriant.* Mixta sulphuri vino, & aceto ad impetiginem, *vel serpiginem* valent. Cocta autem cum radicis cortice *vulneribus iam putrefactis* apposita, sanant, & mundificant, valẽt etiam ad *apostemata* dissoluendum.

Zea.

Zizania.

Virtus zizaniorum.

Hieronymus super Matthæum. Inter triticum, & zizania, quod nos loiium appellamus, quamdiu herba est, nec dum calamus prouenit ad spicam, grandis similitudo est, & in discernendo aut nulla, aut perdifficilis distantia. *Auicenna.* Zizania secundum duas res ab hominibus dicitur. Quidam enim zizaniam vocant granum simile frumento, ex quo faciunt panem, & dicunt, quod zizania plurima est. Alij verò rem quandam inebriantem malam, quæ in granis prouenit. Melior est illa, quæ est leuis ponderis, non vetus, nec frangibilis, sed viscosa, cum masticatur, declinans ad rubedinem, & in ipsa est ponticitas parua. *Plinius libro vigesimosecundo.* Infælix dictum est à Virgilio lolium, hoc tamen molitum, ex aceto coctum & impositum, sanat impetigines, eo celerius, quo sæpius mutatum est. Medetur & podagræ, cæterisque doloribus cum oxymelle. Curatio hæc à cæteris differt aceti sextario vno dilui, mellis vncias duas iustum est, ita temperatis sextariis tribus decocta farina lolij sextariis duobus vsque ad crassitudinem, calidumque imponi ipsum dolentibus membris. Eadem quoque farina extrahit ossa fracta.

Melior. Lizania.

Lolium & eius vsus.

De Succis herbarum describendis secundum alphabetum.

CAP. CXII.

Vtor. Hæc de seminibus herbarum & granis frugum, ac leguminum diuersi generis ad præsens sufficiant exposita secundum ordinem alphabeti. Ex quibus autem herbi succi quoque medicinales colliguntur, quorum etiam plurimi nominibus propriis appellantur, vt ex scamonea diagridium. Ex aloe succus eiusdem nominis. Et ex herba męconio similiter succus mæconicus. Ex ferula vero Galbanum, Ex agresti cucumere Elacterium, Opopanacis ex panace, Ex ex albo papauere opium. Atque ex diuersis herbarum generibus oleum, De his ergo secundum ordinẽ alphabeti more nostro consequenter dicemus.

De Aloe.

CAP. CXIII.

Aloes.

ISIDORVS. Aloes est succus amarissimus herbæ eiusdem nominis, sicut dictum est superius. *Auicenna.* Aloes est succus congelatus inter rubedinem, & citrinitatem existens: sed cum antiquatur, nigrescit. Illud melius est, cuius aqua est sicut aqua croci, & odor eius, vt myrrhæ, splendidus, frangibilis, mundus à gypso. Est autem calidus & siccus, virtus ei stiptica est & exiccatiua faciens somnum. Cum vino positum super capillos prohibet *casum eorum*, & est conueniẽs *vlceribus*, difficilis consolidationis, proprièque in naso & ore, & ano, & fistulis. Mundificat *superfluitates cholericas*, quæ sunt in capite. Confert etiam doloribus iuncturarum & *vlceribus oculi*, & *apostematibus*, atque doloribus eius, & cursui anguli lachrymalis, & exiccat humiditatem eius. Mundificat quoque superfluitates cholericas & phlegmaticas, quæ sunt in stomacho, & cum aqua bibitum infrigidat *appetitum falsum* & corruptum, aperit *opilationes* hepatis: sed lædit ipsum, & aufert ictericiam soluendo ipsam. Aloes Indus plurimi iuuamenti est. Exiccat enim sine mordicatione, & est parum stipticus: perficus *acuit rationem*, & acuit etiam os stomachi. In medicinis solutiuis positus nocumentum earum à stomacho expellit. Aloes cum aqua *calida soluit.* Cum aqua mellis solutione phlegma & choleram educit. Et ablutus quidem debilioris est solutionis, sed magis stomacho confert, & eius permixtio cum melle virtutem ipsius minuit: adeo vt forsitan non soluat attrahendo, sed extrahat, quod ei obuiat, Arabicus in potu sumptus conturbat, & facit dolorem ventris pungitiuum, & soluit, & aliquandiu remanet eius virtus in tunicis stomachi. Dare autem aloen in potu diebus frigoris timorosum est, quia quandoque solutione sanguinem educit, positum autem cum vino dulci super hemorroidas eminentes & fissuras in ano, sanguinem ex eis currentem abscindit.

Aloes.

Vsus & efficacia eius.

Razi in Almansore. Aloes calidus est, cholerã rubeã expellit, caput & stomachum purgat, carnẽ creat.

Contra appetitum falsum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Alius vſus ex Dioſcoride deſcribitur.

Conſt. vbi ſup. Aloes vniuerſaliter calidus eſt & ſiccus in ſecundo gradu, ſtomachũ mũdificat, caput & articulos de phlegmate purgat, egeſtiones prouocat, hepatis opilationem aperit, colorem ictericum emendat, ſed tamẽ ſi multum & ſæpius ſumatur ſtomachũ & inteſtina excoriat: oportet ergo vt miſceatur cum eo maſtix, aut dragagantum, aut bdellium ſecundum proprietatem vniuſcuiuſque ſumentis, proprietatem tamen habet ſoluendi recentia vulnera, aut deſiccandi, aut mundificandi eorum putredinem. Cum aqua temperatum apoſtema narium, labiorũ, & oculorum ſanat. Vnde. *Dioſcorides.* Aloen, inquit, cum melle temperatum, aufert nigrorem, quæ ſub palpebris eſt. Mixtum cũm oleo roſaceo, & aceto fronte, & temporibus perunctis, mitigat dolorem capitis, & pruritum oculorum extinguit. Cum vino temperatum *cadentes pilos confortat*, & retinet. Cum vino, & melle temperatum *apoſtema lacertorum* linguæ, & gingiuarum, toto etiam ore exiſtentium curat.

Adhuc de eodem.

CAP. CXIV.

Modus conficiendi aloẽ.

Latearius. Aloes eſt calidum, & ſiccum in ſecundo gradu ſit ex herbę ſucco eiuſdem nominis, quę in India, Perſia, Græcia, & etiam in Apulia, reperitur. Fit autem hoc modo herba, teritur, ſuccus extrahitur, ad ignem ponitur, & cum bullierit remouetur, ſoli exponitur & ſiccatur. Et nota, quod omne, quod de natura eſt aromaticum, quanto aromaticius, tanto melius, excepto aloe. Et omne quod de natura fœtidum eſt, quanto fœtidius, tanto melius, excepto aloe. Omne etiam, quanto in ſapore ſuo naturali intenſius eſt, tanto melius, excepto aloe quod cum ſit de natura amarum, quanto minus amarum eſt, tanto laudabilius. Habet autem virtutem purgandi phlegma, & choleram, & mundificandi melancholiam, cofortandi membra neruoſa. vnde valet cõtra frigidos humores ſtomachi, ipſumq; ſtomachum confortat. Caput à *dolore releuat*, qui fit ex fumoſitate ſtomachi. *Viſum* clarificat. *Opilationem* ſplenis, & hepatis aperit. Corpus diſcoloratum ex ægritudine *coloratum reddit*. Valet etiam contra *alopiciam*, & caſum capillorum. Granũ aloes cum melle mixtum *ſtomachum mundificat*, digeſtionem procurat. Et licet aloes ſit amarũ ori, dulce eſt tamen ſtomacho. Item puluis eius cum melle datus *lumbricos* interficit Cum ſucco perſicarię auribus inſtillatus, *vermes* necat.

Remedia præſtita ab aloe.

Adulteratus aloes vnde noſcitur?

Dioſcorides. Aloe eſt ſuccus herbæ quę habet folia, vt ſquilla, ſed pinguiora, vt dictum eſt ſupra. Radice inſciſa promanat, & colligitur, vel tota herba contuſa exprimitur: adulteratur autẽ admixto gummi. Quod facile intelligitur, & guſtu, & odore, & quia non ſe partibus minutis ſoluit, & quod manibus retentus non cohæret, virtus eſt illi ſtiptica, & mediocriter calida, & ſicca, nimis *ventrem mollit*, putredinem purgat, choleram, & phlegma deducit. In oxymelle datus tepidus aut frigidus ſtomaticis, & *hepaticis* magnũ eſt adiutorium. Sanguinem quoque reiicientibus ſubuenit, medetur *ictericis*. Succus impoſitus paracoleſim facit, cicatricem ducit pro *vulneribus* poſt ſectu ram iuuat, *fluxum ſanguinis* vulnerum ſiccat, addito melle *liuores* omnes tollit, *pruriginem* oculis ampurat. ſtomachum ſuper omnia iuuat, vulnera quæ difficile glutinantur, & maximè circa virgam, vel anum curat, ad inflationes etiam ibidem factas iuuat. Iterum ad oris, vel narium, & oculorum *inflationes* facit. Omnia reprimit, digerit, prouocit. Cum aceto, & oleo roſeo ſolutus dolorem capitis arcet fronti illinitus. Achacia multi addita eum adulterant.

Contra dolorem capitis

De diuerſis ſpeciebus aloes.

CAP. CXV.

Tres ſpecies aloes.

Conſtan. vbi ſup. Aloes tribus modis eſt: vnum rubeum, de quadam inſula Indiæ veniens, quæ dicitur ſcorta. Aliud autem nigrum, quod eſt de Perſia. Tertium vero citrinum, quod fit in Arabia, quibus omnibus laudabilius eſt Scottenſe, aloes præcipuè ſi fuerit vnctuoſum, perlucidum, & rubeum, quaſi color hepatis, cito frãgibile, & odorifer ũ, & amariſſimum. *Platearius.* Sunt herbæ diuerſæ non genere, ſed bonitate, ex quibus fiunt tres modi aloes. Optimum eſt cicotrinum, quod diſcernitur ex colore citrino, ſeu rufo, & præcipuè cum frangitur, cuius puluis apparet quaſi croci, & habet claram, ac ſubtilem, & purã ſubſtantiam. Vnde & leuiter per fruſta minuta frangitur. Diſcernitur etiam ex hoc quod non eſt fœtidum, nec valde marum. Hepaticũ autem coloribus hepatis aſſimilatur, & hinc inde habet foramina, vt omnia venarũm. Obſcuram habet ſubſtantiam non claram, & alia ſigna prędicta habet omnia, ſed remiſſoria, & maximè colorem. Caballium autem nigrum, & obſcurũ eſt, fęculentam habens ſubſtantiã: amariſſimũ. & horribilem prætendens odorem, quia valde fœtidum. Sophiſticatur autem beneq; vt cicotrinũ, vel hepaticum videatur. Sed diſcernitur, quia cũ frangitur, & digitis contricatur ſtatim fœtidiſſimum ſentitur,

Optimum aloes.

Macer.

Sunt aloes ſpecies geminę quæ ſubrubet æquè
Intus ſicut hepar cum frangitur, hæc hepatice
Dicitur, & magnas habet in medicamine vires,
Vilior eſt piceo quæ fracta colore videtur,
Phlegmata mundificat ſtomachum caput articuloſq;,
Lenit per aluum humorem purgando nociuum,
Ictericos purgat, iecoris iuuat interiora.
Vulnus quodq; recens putredine purgat ab omni,
Illius inuctus puluis ſiccandoq; ſanat,
Præcipuè ventris debent, & teſticulorum
Vlcera ſanari, vel vulnera puluere tali,
Si ſolnatur aqua, iuuat apoſtema labrorum,
Et naris ſuperpoſitum, nec non oculorum,
Liuoremque fugat, ſi circa lumina factum,
Acri cum vino miſcens oleoq; roſato.
Vnde dolens caput & frontem mireq; iuuabit,
Cum vino bene contritum cataplaſmaque factum,
Confortat retinetq; pilos quoſcunque cadentes,
Linguæ, gingiuæ vitijs quoque ſubuenit oris,
Si fricentur eo, eum vino melleque trito,
Hoc ſumptum per ſe ventrem non ſoluit acutè,
Eſſe tamen ſtomacho putat Oribaſius aptum,
Cum lędunt illum ſoluentia cætera ventrem.
Illius geminas, cum mulſa ſumere dragmas,
Idem præcepit, choleram ſic phlegmaq; purgat,
Vnaquaq; die poſt canam ſumere dixit,
Vtile tres eius pilulas binaſque virentis,
Cum ſucco caulis formatas. vt faba craſſa,
Aut cicer humores nocuos cum ſtercore purgat,
Non corrumpendo ſtomachum nec vim faciendo,
Purgatus puluis fuerit ſi ſæpius iſtis,
Si vero duram vis ſolnere largius aluum,
Partibus eſt geminis pars admiſcenda terendo,
Vna diagridij, ſic apta ſolutio fiet.

De Anabula.

CAP. CXVI.

Anabula eſt Titimallum

Laterius. Anabula, ſicut dictum eſt ſupra, ſpecieſeſt titimalli. Habetque virtutem diſſoluendi, attrahendi, purgat principaliter phlegma, ſecundario choleram: lac eius colligi deber in medio veris, & in principio æſtatis, hoc modo, frangantur eius ſummitates, & in vaſe vitreo recipiantur guttæ lactis inde exeuntes, & hoc cautè fieri debet, ne manus colligẽtis à lacte tangatur, quoniam exureret, & excoriaret.

Quod

Quòd ſi forte manus ab ipſo tãgatur, locus ille ſolatri vel alterius herbę frigidæ ſucco fricetur. Per annos multos in efficacia multa ſeruatur, per ſe autem dari non debet, quia nimis vehementer operaretur. Acuũtur tamen inde pillulæ aureæ, pillulæ de quinque generibus mirabolanorum abſq; omni medicina, acuũtur etiam inde medicinæ, vt benedicta ttifera, ſaracenica, & huiuſmodi ſine appoſitione alterius laxatiuæ, multi namq; medici hoc acumine neglectis aliis omnibus vtuntur, tum quia facilius laxat, tum quia facilius habetur. Sed tamen antequam alia medicina ex eo acuatur, hoc modo præparetur, vt eius malicia reprimatur. Cum gummi arabico, vel dragaganto in oui teſta decoquatur, vt aliquantulum bulliat ſuper prunas. Et in medicina quantitate quatuor dragmarum ponatur. Si quis etiam abhorruerit medicinam accipere, fiat puls ex aqua & farina hoc acumine addito in quantitate prędicta, deturque pro medicina, ſic enim competenter accipere poteſt.

Acuit pillulas aureas.

De Camphora.

CAP. CXVII.

IDEM. Cãphora eſt in tertio gradu frigida, & ſicca: dicunt quidam ſed falſo gummi eſſe, cum ſit ſuccus herbæ cuiuſdam, teſte Dioſcoride, multiſque aliis herbaque ipſa dicitur camphorata, de qua videlicet dictum eſt ſupra. Camphora eligenda eſt, alba & lucida, nam turbulẽta non eſt adeo bona. Ex admixtione autem vernicis ſophiſticatur, dum inter ipſius cãphoræ fruſtula ponitur. Eſt enim vernix in ſubſtãtia ſimilis camphorę, & ex admixtione ſimilis eſt in odore. Diſcernitur autem quia vernix ſolidam habet ſubſtãtiam, & difficile frangitur, camphora vero cito, & ſi tractetur in manibus, de facili puluerizatur. Cãphora niſi artificioſe ſeruetur, de facili perditur, Eſt enim aromatica, *& omne aromaticum eſt fumoſum*, Ideoque in fumoſitatem ſoluitur. Seruari autem poteſt in vaſe marmoreo, & melius in alabaſtreo, *ſeruaturque in efficacia multa, in pſillio, vel lini ſemine, vel millio per annos quadraginta*. Contra *calefactionem hepatis* puluis eius cum ſolatri ſucco conficitur, in quo plagellæ intinctæ ſæpius hepati ſuperponuntur. Cõtra *fluxum ſanguinis* è naribus fiunt magdaliones ex puluere ipſius, & ex puluere ſeminis vrticæ, vſti atque confecti cum ſucco ſanguinariæ, & imponuntur naribus: ſi vero fiat fluxus ex ebullitione ſanguinis, vel ex hepate, puluis eius cãphoræ cum aqua frigida conficiatur, & plagellæ infuſæ fronti, & temporibus, & gulæ, & hepati ſuperponantur: contra maculam oculi conficitur puluis eius cum aqua roſarum, addito fœniculi ſucco, & in vaſe ponitur æneo contra faciei pannum, & ad faciem clarificandam conficitur quoque cum aqua roſarum, addito melle albo atq; mundiſſimo, *contra libidinem odoretur camphora per nares*. Nimia enim actione frigiditatis ſpiritus inſpiſſat, corpus infrigidat & libidinẽ ſtringit. vnde *camphora per nares caſtrat odore mares*. Nota quod ſatis competenter ponitur in ſyrupis, contra acutas ægritudines. In phreneſi competenter prouocat *ſternutationes* ſi puluis eius diſtemperetur, cum oleo roſarum, & penna intincta per nares intingatur, & in aliis febribus acutis, quia non augmentat calorem nec naturam.

Camphorata.

Camphora cur difficile ſeruatur.

Nota contra calorem hepatis.

Nota contra libidinum.

De Diagridio.

CAP. CXVIII.

PLatearius. Diagridium eſt in tertio gradu calidũ, & ſiccam. Eſt autem ſuccus herbę cuiuſdam naſcentis in partibus tranſmarinis, quę ſpecies eſt titimalli in canicularibus diebus ſummitates huius herbę rapiuntur: inde lac effluens in paruis vaſis colligitur, quod ſoli exponitur, ac deſiccatur, & in ſubſtantiam diagridij tranſmutatur. Quidam per decoctionem id faciunt. Et quãdoque dum fit, ex admixtione alterius titimalli ſophiſticatur, & tunc vehementius operatur. Quod vero bonũ eſt, ſuauius eſt. Præterea fit, vt quandoque ex admixtione puluetis ſubtilis colophoniæ ſophiſticatur, & quandoque fruſtula colophoniæ inter diagridium pro diagridio venduntur. Eſt autem illud eligendum, *quod eſt album, vel nigrum, vel ſubnigrum in colore*, in ſubſtantia per totum clarum. Quod etiam *ſit frangibile*: licèt enim colophonia facile frangitur, non tamen adeo facile ſicut diagridium. Quod etiam *ſubamarum habet ſaporem*, & non multum abominabilem. Quod enim abominabilem habet, ſophiſticatum eſt ex alterius lactis admixtione. Quod autẽ inſipidum aut nullum ſaporem habet, ſophiſticatum eſt ex admixtione colophoniæ. Quod vero quandam partem claram, & quandam obſcuram habet, abiiciẽdum eſt. Illud autem eligendum eſt *quod ſputo humectatum continuo in album colorem conuertitur*, ad naturam enim ſuam redit. *Craſſum* etiam eligẽdum eſt, & in medicinis ponendum: Puluis eius ex admixtione puluetis colophoniæ facile ſophiſticari poteſt, & non tamdiu quam craſſum ſeruari valet. Craſſum enim per decem annos, vel nouem annos poteſt ſeruari. In medicinis ponitur acuendis, quoniam in pauca quãtitate poteſt ſufficienter acuere, & quia non educit multum violenter, & quia non multam abominationẽ habet. *Nunquam per ſe datur, ſed eius violentia prius reprimitur.*

Diagridium eſt ſpecies titimalli.

Diagridium melius.

Sophiſticatur.

Nota.

Iterum de eodem.

CAP. CXIX.

AVctor. Diagridium idem eſt, quod ſcamonea, de qua videlicet ſub hoc nomine dicetur & infra. *Ex libris de medicinis diſſolutinis*. Diagridium, vt ſcamonea ſuccus eſt herbæ, quæ dicitur titimallus babylonicus, & eſt calidę, & ſiccæ complexionis in fine tertij gradus: colligitur, & deſiccatur, & in paſtellis ad nos defertur, *purgat principaliter choleram rubeam* per ſimile, & ſecundario phlegma per contrarium, haberque naturam excoriandi, ac ſtomachi villis adhærendi, & ad dyſſenteriam inducendi. Ideoq; opus eſt in arte repreſſiua quod fit ita, in pomo, vel coctano, vel ſaltem in paſta, & melius ordei inuoluitur, & donec bene cocta ſit, decoquatur, & tunc in pondere vnius drach. cholerico, vel duarum, aut trium, phlegmatico, vel melancholico tribuatur, granumque maſticis, quaſi medium ſcamoneę, tritum. vtraq; in oleo violaceo, vel roſaceo, fricentur: ac medicina acuatur. *Non autem debet dari alicui hepar calefactum habenti.* *Dioſcorides*. Diagridij virtus talis eſt: Si fuerint cum melle dragmæ duæ *choleram, ac phlegma deponit*. Solutioni ventris oboli duo ſufficiunt: ita vt leniter purget. Maximè vero cum aliquibus dandum eſt, quæ ſtomachum reſtituant. Sed ſi fortem humorem, ideſt *choleram nigrã* deponere volueris obolos eius duos, vel tres, ellebori nigri duos, aloes dragmam vnam dabis, ac ſupradicta purgabis, cui & ſalem admiſce. *Conſtant. vbi ſupra*. Diagridium eſt in tertio gradu calidum, & ſiccum propriè choleram rubeam purgat: per contrarium phlegma. Stomacho tamen, & hepati nocet, appetitum amputat: propter hoc antiqui iuſſerunt, aniſum, & daucum, & apium cum eo, & amigdaleon, miſceri, terique vel cum cytoniis coqui. Hæc ſubtiliſſime debent teri, ne villi auellantur ſtomachi, & lyenteriam generent. Tritum & cum aceto temperatum, *morpheam, & ſcabiem acutam* aufert, tamen ſi aſſuefiat eſt malum.

Scamonea.

Virtus.

Nota.

Temperamentum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Elaterio.

CAP. CXX.

Elaterium quid.

PLATEARIVS. Elacterium *eſt ſuccus cucumeris agreſtis.* In canicularibus enim diebus fructus eius colliguntur, & conteruntur; ſuccus expreſſus ſoli exponitur, & ſiccatur. Calidum eſt, & ſiccum in quarto gradu, & eſt laxatiuum. Virtutem habet purgandi principaliter *phlegma*, ſecundario *melancholiam*, vſus eius eſt contra arthreticam, *podagram, cheiragram, iliacam paſſionem*, apoſtemata calida, & contra *vermes* aurium, contra *dolorem* ſtomachi ex frigida cauſa, & contra *lentigines* faciei. *Dioſcorides.* Elacterium eſt agreſtis cucumeris ſuccus, non foliorum, vel radicis eius, ſed fructus. Qui collectus antequam in plenam maturitatem veniat, inſciditur, & ſuccus in vaſe fictili recipitur: ac ſupprimitur, vt non ſolum humor, ſed quicquid carnoſum eſt, exprimatur: deinde ſiccatur: ac limpidatur, & quod quaſi fæculentum reſidet leuigatur, & in paſtillos redigitur. Ille vero ſuccus vtilis eſt: qui eſt *albus, lenis, humectlicus, & in guſtu amariſſimus, citoque igneſcit lucernæ appoſitus, viridis autem & aſper: & quaſi colore auroſus, & grauis, eſt inutilis.* Elacterium duorum aunorum ad ventris purgationem vtile. Idemque ſuccus bene factus decem annis durare poteſt. Quidam ita probandum dicunt elacterium, vt lucernæ admotum, & incẽſum, ſi ſcintillę ad ſuperiora, & inferiora exiliant, pariter & vomitum, & ventrem purgabilem oſtendit. Si vero in alteram partem exilierint magis, quàm in aliam, maiores fore virtutes in eadem. Obolo vno datum perfectæ quidem virtutis homines: oboli vero dimidiũ purgat infantes. Nam ſi plus acceperint necem infert, ſic neceſſitatibus infantium diſciplina datur: choleram, & phlegma ventris deponit, vrinam prouocat, dyſpnoicis ſubuenit, maximè ſale addito, & poſt calida bibita. Solutum in aqua & cum penna ſub lingua traiectũ, facit vomitum. Quem ſi fortius volueris facere, adde illi oleum irinũ, & loco prædicto traiice.

Elacterium ſeu ſuccus vtilis quis.

Probatio elacterij.

Nota pro purgatis elacterio.

Sane qui purgãtur eius virtute, *non admittendi ſunt dormire:* at ſi prouocato vomitu nimiè vomuerint, aqua frigida compeſcẽdi ſunt, & polenta, & puſca, & malis macianis, & omnibus quæ ſtringere poſſunt, lacti mixtum & naribus immiſſum: *ictericis eſt ſingulare præſidium.* Mitigat dolorem capitis antiquũ: & lynanticis inunctum maximum præſtat effectum, maxime oleo addito: aut melle, aut felle taurino, Nam ſic virtus eius augetur. *Plinius lib.* 20. Elacterium tempeſtiuum eſt autumno, nec vllum ex medicamentis longiore durat æuo. Incipit à trimatu: ſi quis vti recẽtiore velit paſtillos in fictili nouo; igne lento in aceto domet, eo melius quo vetuſtius erit. Quod 200. annis ſeruatũ eſſe, auctor eſt Theophraſtus. Et vſque ad quinquageſimum lucernarũ lumina extinguit, & hoc veri experimentum eſt, ſi admotum priuſquã extinguat, ſcintillare ſurſum, ac deorſum cogat. Melius eſt pallidum, ac leue herbaceo, & ſcabro, ac leuiter amarum.

De Fęniculi ſucco.

CAP. CXXI.

Vſus ſuccis fæniculi.

Dioſcori. Fæniculi foliorum & virgarum ſuccus in ſole ſiccatus, miſcetur confectionibus *oculorum. & caliginem* detergit eorũ. In Hibernia ſuccus hic pro lachrymo venditur, omnibus enim oculorum cauſis opitulatur. Radicis vero ſuccus idoneus eſt ad multa, maximè tamẽ ad *oculorũ vitia.* Leniter enim calefacit atq; mollit. Traditũ eſt in libr. antiquorum ſerpentẽ annuam ſenectutem fæniculi guſtatione deponere, oculorumque caligines ſuccum eius exprimere. Vnde intelligi datum eſt, eaſdem virtutes etiam humanis corporibus vtiles eſſe, & certa poſtmodũ experimẽta docuerint ſic eſſe. *Succus* ergo ipſius vetuſtiſſimam licèt caliginem diſcutit, cum attico melle mixtus. Idẽ quoque ſuccus infunditur auribus purulentis, ac vermiculos in eiſdem naſcentes interficit.

De Galbano.

CAP. CXXII.

Virtus purgatiua.

Optimum Galbanum.

Virtus.

Temperamentum.

Vſus.

AVICEN. Galbanũ eſt ſuccus ferulæ, ſicut dicit Iſidorus, de qua. ſ. ferula ſuo loco dictum eſt inter herbas ſuperius. *Dioſcorides.* Galbanum eſt lachrymum herbæ ſimilis ferulę, quæ in Nichomedia naſcitur, & in Syria. Cuius optimum eſt, *mundiſſimum, & hammoniaco ac thuri ſimile* in colore, grana habens vt faba limpida, & quod eſt ſine ligno, & non eſt graue: adulteratur autem reſina, & faba diuiſa, & gutta hãmoniaci, virtus eſt ei ignea, & diaphoretica, aceto & nitro mixtum, *lentigines* tollit. Vt granum fabę glutitũ *tuſsi* medetur, *& aſmaticis* opitulatur. De alto cadentium conquaſſationibus ſubuenit, cũ vino, & myrrha bibitum, venenis occurrit. Infantes in vtero mortuos acceptum excludit. Impoſitum quoq; *dolorem lateris* mitigat, tortiones ſpargit. Epilepticis vtiliter adhibetur. Acceptum *etiam iter vrinæ* præſtruit. *Platearius.* Galbanum eſt calidum in tertio gradu: humidum in primo. Liquor eſt, qui in æſtate à frutice erumpit, & circa fruticem condenſatur. Quidam etiam corticem findunt, vt magis effluat. Sophiſticatur autem ex immixtione minutorũ lignorum. Alij vero miſcent pluuerem colophoniæ, & fabas fractas. Eligẽdum eſt autem quod album eſt, & purius: habetque virtutem attrahendi, diſſoluendi, conſumendi, & leniendi, maturandi, relaxandi. *Contra aſma* frigidum datur cum aqua ordei, cõtra *lethargiam* ſuper carbones ponitur, & patiens fumum recipit. Ad *apoſtema* rũpendum, & maturandum ſuperponitur. Ad *dentium dolorem* fit ex eo caſula, & denti ſuperponitur. Ad *lumbricos* occidendos, dãtur pillulæ ex eo melle inunctę, valet & in emplaſtro contra *ſplenis duriciem. Conſtantin. vbi ſup.* Galbanum eſt calidum in tertio gradu, ſiccum in ſecundo. Cataplaſmatum cum raphano & aceto *ſordiciem puſtularum* mundificat, *tuſsimque* & anhelitum tollit. Eius etiã ſuffumigatio reptilia fugat. Epithema ſuperpoſitum, *reptilium morſibus* repugnat. Super *dentes dolentes* & roſuram habentes poſitum eos curat. Si vero cum forti vino prægnanti detur, mortuum celeriter expellit, & laborioſis etiam *ſpaſmaticis* ſubuenit.

Iterum de eodem.

CAP. CXXIII.

Spinoſum. Spiſſius.

Quibus confert.

Quibus medetur.

AVICEN. Galbanum duas habet ſpecies, vnum *eſt ſpinoſum*, leuis ponderis, vehementioris albedinis. Alius vero *ſpiſsius*, & grauius. Et ex vtroq; melius eſt illud, quod eſt ſpiſſius. Eſt autẽ calidum in ſecũdo, exiccatiuum in tertio. Virtus eius eſt lenitiua, reſolutiua, carminatiua ventoſitatum. Eſt autem ex eis, quæ carnem corrumpunt, & in ipſo ſunt calefactio, & inflãmatio, & attractio, & reſolutio, lentigines eradicat. Confert apoſtematibus, *& ſcrofulis*, & *laſsitudini*, & *ſpaſmo* lacertorum, & *dolori molaris, ac denti corroſo* ſubito, *doloribus* quoque frigidis in aure, & *aſmati & tuſsi antiquæ.* Confert etiam *ſchotomia*, & epilepſiæ, nã epyletticus ipſum odorans, reuiuiſcit, prouocat menſtrua fortiter, & *vrina difficultatem* remouet. Eſt autem theriaca venenis, cum vino bibitum: & fumus eius fugat *vermes venenoſos*: nec approximant illi qui ex eo linitus eſt. *Plin. li.* 12. Dat ſyria in amano monte galbanum, reſinę modo quod maximè laudant cartilaginoſum, & purum ad ſimilitudinem hammoniaci, minimeque lignoſum, adulteratur autem faba aut ſagapeno. Syncerum ſi vratur, fugat nidore ſerpentes. *Idem in li.* 23. Galbanum neq; humidum neque aridũ probatur, per ſe bibitur ad *tuſsim* veterem, *ſuſpiria, rupta, conuulſa.* Imponitur *iſchiaticis, lateris doloribus, pannis, furunculis, corpori ab oſsibus recedenti, ſtrumis articulorum nodis*, dentiũq; doloribus illinitur, & cum

melle

melle capitis vlceribus purulentis infundit auribus cũ roſaceo, aut nardo odore comicialibus ſubuenit, & vuluę inſtrangulatu,& ſtomachi defectu. Abortus non exeuntes trahit appoſitum, vel ſuffitu. Item ramis hellebori circunlitum atque ſubiectum. Serpentes eiuſdem cum vritur nidore fugantur. Fugiunt & galbano per vnctos. Medetur & à ſcorpione percuſſis. bibitur, & in difficili partu fabæ magnitudine in cyatho vini, vuluaſque conuerſas corrigit. In myrrha autem & in vino mortuos partus extrahit. Aduerſatur & venenis, maxime toxicis, cum myrrha,& vino Serpentes oleo, & ſpondilio mixto tactu necat, vrinę nocere exiſtimatur.

De Glaucio.

CAP. CXXIIII

Glaucij vſus.

Dioſcorides. Glaucium eſt ſuccus herbæ eiuſdem nominis habentis folia papaueris. hæc ſiquidem folia calido cinere cooperiuntur, & ſic ſuccum remittunt. Alij vero herbas ipſas in ollam,& in furnum feruentem mittunt, & circa circunlinunt,& ſic inde,ſcilicet agente calore ſuccum eliciunt, Eſt autem glaucium intus crocati coloris, & guſtu amarum, odoriſque grauis, vires habet ſtipticas, & ex parte frigidas, vnde ex aqua teſolutum, & inunctum primos impetus reſtringit lippitudinis, miſcetur etiam ocularibus medicinis.

De Laſere.

CAP. CXXV.

Silphion.

Idem. Laſar vel laſer lachrymum herbæ,quæ appellatur ſilphion, & hæc in multis locis creſcit in ſimilitudinem ferulę, habens folia circa ſe maiora quàm apium, & ſemen ſimile. Eſt autem optimum laſer cyrenaicum,ſubrufum,ac perlucidum,intus exalbidum, odore viſcidum, quod humore cito reſoluitur, & in guſtu ſtatim humorem prouocat, vires habet acerrimas. Ideoque cum magnis vexationibus,& calefacit, & relaxat Adulteratur autem dum viridis eſt cum ſagapino, vel farina fabæ, quod facilè inuenitu guſtu, odore,viſu,ſolutione: hic ſuccus eſt neceſſarius in medicinæ vſibus, virtus eſt illi viſcida, & ſtomachum inflat, vino additus alopicias emendat. Idque melius agit ſi piper & acetum acceperit. Suffuſiones in initio detergit. Addito melle caligines oculorum limpidat. Pertuſorum dentium dolorem mitigat. Cum thure mixtus & ore retentus, morſum rabidi canis curat. Et venenis acceptus & canerı morſibus opem pręſtat. Nitro & rutæ ac melli additus, ſingulare præſidium eſt carbunculis. Duritias quoque vulnerum ſoluit. clauos tollit aceto mixtus, zernas tollit. & polypum, carneſque creſcentes in naribus. Aſpredines faucium & voces limpidat, maximè cum aqua & melle,propendentem vuam ſuſpendit. Gargariſmo cum mulſa frequenter ſumptus, colorem limpidum facit, & in ouo ſorbili tuſſientibus proficit,pleureticis & hydropicis cum caricis ſiccis auxiliatur. Cum pipere ac ruta bibitus, addito vino,topicos rigores excludit. Cerę additus tetanicis ac ſpleneticis medetur glutitus. Sãguiſugas bibitas aceto excludit,Lac coagulatum ſtomacho ſoluit. Aſpredinem arteriarum per catharrum longi temporis, vel vocẽ amputatam curat. Epilepticis cum puſca bibitus, medicatur. Cum myrrha & pipere bibitus imperat menſtruis, ventrem mollit. Cum lixiuia bibitus opitulatur de alto cadentibus amigdalis amaris,& rutæ mixtus, in omnibus cauſis neceſſariè comeditur. Cum ficu & hyſſopo decoctus, & oris collutioni adhibitus, medetur exeſis dentibus.

Virtus.

Vſus medicinalis ex Plinio.

Plinius lib.22. Laſer e ſilphio profluens inter eximia naturæ dona numeratur, pluribuſque compoſitionibus inſeritur, per ſe autem algores excalefacit. Potu extenuat vitia neruorum. Fœminis in vino datur,& lanis mollibus ad ciendos menſes admouetur. Ceræ mixtum, extrahit pedum clauos, ferro circumſcarificatos. Vrinam ciet ciceris magnitudine dilutum: Item hyeme æſtate fertur vtilius & aquam bibentibus, cauendum ne qua ſit exulceratio intus, ab ęgritudine recreationi efficax eſt in cibo. Tempeſtiuè enim datum cauterium obtinet. Aſſuetis etiam vtilius quam expertibus, venena telorum ac ſerpentium extinguit potu. Ex aqua vulneribus ſcilicet circumlinitur. Scorpionum tantum plagis ex oleo. Vlceribus vero non matureſcentibus cum farina ordeacea vel fico ſicca. Carbunculis valet cum melle, vel ruta, vel per ſe viſco ſuperlitum vt hęreat,ſic & ad canis morſum. Excrescentibus circa ſemen cum gramine punici mali ex aceto decoctum. Clauis pedum,qui vulgo morticini appellantur, nitro mixto ante ſubactas carnes replet cum vino & croco, aut pipere, aut murium fimo,& aceto. Perniones ex vino fouet,& ex oleo coctum imponitur ſic & callo. Clauis pedum ſuperraſis pręcipuæ vtilitatis. Contra aquas malas, peſtilentes tractus, vel dies, in tuſſi vna fellis veteris ſuffuſione, hydropicis raucitatibus,confeſtim enim purgat fauces,vocem quoque reddit, podagras ſpongia dilutum poſtea lenit. Pleureticis in ſorbitione vinum poturis datur, In angina gargarizatur. Præcordiorum vitijs ſyntheticis & omicialibus in vino datur. In aqua mulſa linguæ paralyſi, lumborumque doloribus cum decocto melle illinitur. Non cenſuerim,quod auctores ſuadent cauernis dentium in dolore inditum cera includi, magno experimento hominis qui ſe eadem præcipitauit ex alto. Anhelatoribus & in tuſſi veruſta cum porro ex aceto datur, atque aceto his qui coagulum lactis ſorbuerint. Coxendicibus lumborumqúe doloribus cum decocto melle illinitur, quippe tauros inflammat naribus illitis. Serpentes auidiſſimas vini admixtum rumpit. Ideo nec inungi ſuaſerim cum attico melle licet præcipiant. Quas habeat vtilitates admixtum alijs immenſum eſt referre, & nos ſimplicia tractamus, quoniam in his naturam eſſe apparet,in illis coniecturam ſæpe fallacem. Nulli ſatis cuſtodia in mixturis concordia naturæ ac repugnantia.

De Licio.

CAP. CXXVI.

Licium optimum.

Lacearius. Licium eſt calidum in primo, ſiccum in ſecundo. Dicunt quidam quod gummi eſt, ſed falſum eſt. Eſt autem ſucus herbæ ſic appellatæ. In principio ſiquidem æſtatis colligitur ac teritur, & ſuccus expreſſus ſoli exponitur ac deſiccatur, & in ſubſtantiam licij tranſmutatur. Eſt autem eligendum illud, quod eſt durum habens quandam *glutinoſitatem*, & *interius lucidum*. Quod autem molle & obſcurum eſt, abijciendum eſt: per annos 5. ſeruari poteſt, appellatur & oculus licij, vel *oculus lucidus, quia lucidos reddit oculos*, valetqúe puluis eius contra oculi maculam, & contra lippitudinem coagulatam ex phlegmate congelato, exterius factam. Item contra linguæ ſciſſuram & labiorum oris vlcerationem. Ex licio quoque valet in acuta febre ſuperpoſitorium ac ſtercora deſiccata, diſſoluit multum. Contra tumorem gingiuarum, frequens lotio & fricatio circa gingiuas ex aceto fit in quo reſolutum eſt licium.

Oculus lucidus.

Auicenna. Licium fortius eſt Indum in colore capillorum & in confortatione eorum. Illud autem de mæcha fortius eſt in apoſtematibus. In caliditate & frigiditate licium eſt temperatum, & in ſecundo gradu ſiccum. Adulteratur autem, & falſificatur etiam, quod probos etiam latet medicos. Et illud cum ſucco azereſco. In aqua enim coquitur, donec coagulatur, & virtus eius eſt propinqua ſubſtãtiæ ſubtili igneæ,& terreæ frigidę. Illud autẽ,quod de męcha eſt,res artificialis eſt. In Indo eſt reſolutio & ſtipticitas patua,& cõfert omni fluxui ſanguinis. & eius reſolutio eſt plurima ſtipticitate illius,& eſt in ſecũdo in reſolutione. Etiq; ſtipticitas minor eſt eius exiccatione: virtus ſubtilis

Licium quibus confert.

eſt in ipſo, & omne licium confert panaricio. Rubificat capillos & confortat eos, propriéque Indum, & ſanat pannum, formicæ conferi, & apoſtematibus fluxis, & vlceribus fraudulentis, membraque conſtringit. Indum confert fluxui ſaniei ab aure, & palatum ab alcola curat, vlceraque gingiuæ, & eius ægritudines ſanat. Opthalmiæ confert, corneam abſtergit, ſanatque ſcabiem oculi, Indum bibitum ad ſputum ſanguinis & ad tuſſim, & ſimiliter prohibet ictericiam nigram & ſplenem bibitum vel illinitum. Confert etiam ſtomatichofluxui, & vulneribus ani. Bibitur quoque vel ſupponitur anriquę ſolutioni, vel illi, quæ eſt ex debilitate ſtomachi. ac dyſſenteriæ. Menſtrua prouocat, eiuſque fructus recens ſoluendo aquoſum phlegma educit. Confert etiam ani vlceribus & hæmorrhoidibus, fructus eius confert perniciosis. Et Indum in potu datur ad morſum canis.

De Meconio.

CAP. CXXVII.

Melius Meconium.

Dioſcorides. Meconij duo ſunt genera ſcilicet vnum hortiuum, & alterum agreſte, ſicut dictum eſt ſupra. Succus eorum melior eſt qui grauior & in guſtu amarus, ac citius reſoluens in modum lactis. Et qui eſt ſine aſpredine, lenis, & aquoſus, & qui in ſole poſitus ſpargit ſe. Et *ſi quidem in lucerna poſitus incendatur, bonum facit odorem lacti ſimilem*, adulteratur autem glaucio mixto, vel gummi, vel lactucæ ſucco. *Iudicium falſificationis Meconij.* Dignoſcitur autem hoc modo. Si glaucium habuerit, quando ſoluitur, colorem croceum oſtendit. Lactucæ verò ſuccus ex odore intelligitur: gummi autem tactu digitorum, & quod odorem perdidit, & limpidius efficitur. Multi auaritia capti, axungia mixta ſuccum maſſant, quamdiu rufus appareat, & mollis inueniatur, virtus eſt illi cathartica, dolorem auium mitigat, caligines oculorum detergit. Andræas perhibet tantam illi eſſe virtutem, vt ſi purum *collyrijs miſceatur, luminibus auferre poſſet caecitatem.* Mnetides verò virtutem eius ponit in odore, in quo cathartricam virtutem habet præcipuè. Multi quidam herbæ ipſius caſtella & folia tundunt & exprimunt, liquant ac terunt, & trociſcos faciunt, hos dicunt miconium, & habent *Confectio lachrymi.* ſecundam efficaciam poſt eius lachrymam. Qui videlicet lachrymus ita colligitur. Cum Sol clarescere cœperit aura remota, capita ipſa leniter à ſummitate ſunt ſcindenda, ita vt ipſa ſciſſura intrinſecus non accedat, ſed corium ipſum tantummodo tractum remoueat. Succus autem digito detergente excipitur, & in conchula, vel calice digito ipſo trajcitur, ita vt tenuitate vaſis bene extergatur, Deindeque in mortario teritur, & inde trociſci ad vſus medicinales efficiuntur.

De oleo roſato, & violaceo, & lilino.

CAP. CXXVIII.

Auctor. Oleum quoque multiplex ex diuerſis herbarum, florumque generibus colligitur, aut conficitur, varijs vſibus medicinæ neceſſarium, vt eſt oleum roſatum, violaceum, mandragoraceum, rutaceum, lilinum, nardinum, narciſcinum, raphaninum, anetinum, catholicum, & ſimilia.

Oleum roſatum ad quid confert.

Auicenna. Oleum roſatum valde vtile eſt inflammationi cerebri, & augmentat eius virtutes & intellectum, valet etiam in principio aperitionis apoſtematum. Eſt autem decliue ad æqualitatem & ob hoc dicit Galenus, quod ipſum calefacit corpus vehementis frigiditatis, & infrigidat calidum. Secundum me autem corpora calida, quæ ipſum temperat, plura ſunt, frigidaque calefacit. Idem quandoque ſoluit, quando ſcilicet inuenit materiam, quæ indiget lubrificatione. Quandoque verò ſolutionem retinet cholericam.

Confectio olei roſei.

Palladius lib. 6. Ad oleum roſeum conficiendum in libras olei ſingulas vncias roſæ addes, & ſeptē diebus in Sole, ac Luna ſuſpende. *Platear.* Oleum roſaceū fit hoc modo. Quidam roſas in oleo communi decoquunt, colant, ac ſeruant Quidam vero vitreum, roſis, & oleo implentes in caldario aqua pleno imponunt, ac buliire faciunt. Alij roſas virides in oleo terunt, & in vaſe vitreo per quinquaginta dies ſoli exponunt: hoc oleum bonum eſt, quo inungitur hepar contra ſui calefactionem. *Contra calefactionem hepatis.* Contra dolorem quoque capitis ex calore facto inunguntur tempora, & frons, & contra diaphoreſim. *Conſtantinus vbi ſupra.* Oleum roſatum bibitum, ventrem humectat, & calorem ſtomachi refrigerat. Calidum in nares diſtillatum, calida ſanat apoſtemata, cum aqua roſacea mixtum, dyſſentericis ſubuenit. Vniuerſaliter etiam valet contra omnia vulnera calida, ſiue ſint extrinſecus ſiue intrinſecus. *Idem.* Oleum violaceum calorem mitigat, ac feruorem totius corporis maximè capitis, de quo ſternutatione prouocata, ſomnus prouocabitur.

Vſus medicinalis olei roſei.

Dioſcorides Oleum roſaceum virtutem habet ſtipticam & proijciendo lumbricos excludit, infantum capite illinito renibus & vmbilico.

Confectio olei violacei & virtus.

Platearius. Oleum violaceum vt conficiatur; violæ in oleo decoquuntur, atque colantur, vel decoctio fiat in duplici vaſe, vel melius decoquantur & colentur & colaturæ recentes addantur, ſicque per 15. dies ad ſolem dimittantur, & colentur. Si ſecundo, vel tertio ſic factum fuerit, optimum erit: virtutem habet leniendi, & humectandi, refrigerandique atque laxandi. Exterius inunctum, valet contra hepatis calefactionem Inunctum vero ſupra tempora, & frontem, valet contra dolorem ex calore. *Palladius lib. 5* In menſe Aprili oleum violaceum conficiendum, tot vncias violæ quot libras olei mitte, & diebus ſexaginta ſubdiuo pone. *Auicenna.* Oleum de lilio calidum eſt & ſiccum in tertio, lenitiuum eſt & confortat membra & infrigidat ea, prohiberque materias aduenientes, duritiam antiquam reſoluit. Confert laſſitudini & ei quem frigus læſit, partum efficit facilem, & dolores matricis ſedat bibitum. *Palladius lib. 6* In menſe Maio ad oleum liliaceum conficiendum per libras olei ſingulas dena lilia curabis infundere, & vas vitreum 40. diebus ſub diuo locare.

Olei lilini vis.

Author. De hoc etiam oleo dicit Plinius quod vtiliſſimum eſt renibus, & euocandis ſudoribus.

De cæteris oleis herbaceis.

CAP. CXXIX.

Confectio olei mādragoracei.

Platearius. Oleum quoque mandragoraceum ſic conficitur. Poma mādragoræ trita cum oleo communi diu macerantur, poſtea fit aliquantula decoctione & colatur. Oleum hoc, vt dicitur, valet ad ſomnum prouocandum, & dolorem capitis ex calidis humoribus ſi frons & tempora inungantur. *Virtus.* Contra calida apoſtemata fit ex eo inunctio in principio, reperecutit enim materiam. Contra fluxum ventris ex impetu choleræ, vēter ac tota ſpina cum eodem inungitur, & cum aliquo leui cliſtere modicum injicitur.

Oleum ruta & lauri.

Auicenna. Oleum rutaceum reſolutiuum eſt, ſicut laurinum, ſed eo calidius, ambo ſunt ſedatiua dolorum antiquorum & ſoluriua ventoſitatum. *Oleum narciſſi.* Oleum de narciſſo confert neruis, confert etiam ſoda humidæ, & melancholicæ. Roſoluit apoſtemata dura & frigida in velamine, quando comprimendo inungitur ſuper pectus. Item aperit coartationem oris matricis, & confert doloribus eius. *Oleum vrtica.* Oleum de vrtica calidum eſt in gradu primo & humidum in ſecundo, ventrem ſoluit. Oleum anetinum laſſitudini confert, & ei quem frigus læſit, confert etiam febrium rigori.

Oleum anēti.

Dioſc. Oleum anetinum virtutis eſt anatomacę, matricis malacticum eſt, & periodicis febribus vtile, laborem itineris tollit, dolores articulorum compeſcit, dolorem capitis ſine dubio amputat. *Oleum raphacinum.* Oleum raphacinum aſpredinem de facie tollit, hoc maximè

in

Oleum catholicum. *Oleum irinum.*

in vſu habent Ægyptij cibis admiſcentes, pediculoſis enim prodeſt. *Oleum catholicum* dicitur, quod fit ex herba catholica, ideſt alippiade, valde bonum eſt ad arthreticos & omnes dolores. *Oleum irinum* calidum eſt ac leptenticum. Ideoque tumores reprimit, & humores pingues ſubtiliando conſumit, ad catarrhum facit naribus illinitum, ad tinnitum aurium cum aceto & ruta & amigdalis, ſynanticis etiam opitulatur gargariſmo adhibitum, purredines aufert narium. ventrem mollit in menſura cyathi acceptum. Torſiones viſcerum clyſtere adhibitum placat, tumores ſtericos & effocationes ſedat, hæmorrhoidas veteres aperit inunctum ſiue iniectum. *Platearius.* Oleum quoque fit de ſpica nardi quod optimum eſt contra epilepſiam, paralyſim arthreticam & podagram, per os ſumptum vel inunctum. Ad hoc conficiendum quidam pulueres eius in oleum per viginti dies dimittunt, poſtea bene bulliunt ac bene colant & ſeruant. Saraceni vero alirer de ſpica viridi oleum conficiunt, & hoc precioſiſſimum eſſe dicunt. *Solinus.* In regione pontica apparet herba qua conficitur oleum, quod vocatur medicum, hoc autem ad incendium excitatum ſi obruere aqua geſtias ardet magis, nec alio ſopitur, quam iactu pulueris.

Confectio irini. *Nota de oleo medico.*

De Opio.

CAP. CXXX.

Opij virtus.

Platearius. Opium eſt ſuccus albi papaueris frigidus in quarto gradu, & ſiccus in primo. In æſtate tempore maturitatis operantur in capite albi papaueris, & in folijs quaſdam inſciſiones cum ſcalpello & lac emanans circa caput conuiſcatur, & cultello abraditur, manibuſque conteritur & opium dicitur. In medicinis ponitur ad reprimendum virtutem ſpecierum acutarum, virtutem habet conſtringendi & mortificandi, valet in emplaſtris ad ſomnum prouocandum, & contra calida apoſtemata, contra dolores acutos, opium thebaicum cæteris præfertur.

Dioſcorides. Opium eſt ſuccus herbæ & lac papaueris, quod colligitur ſic. Capitella ſcalpello acuto inſciduntur, ita tamen vt non intrinſecus lædantur, & ſic lac, quod manat digito tergitur, & in conchulis reponitur, & ſiccatur, optimum eſt opium odore grauiſſimnm, colore ſubrufum, guſtu amariſſimum, & quod humore cito reſoluitur. Candidum accenſum & aliquantulum flammam emittit, & rurſum extinctum proprium odorem reſeruat, adulteratur lentis & lupinorum farina & gummi nigro, & lactucæ erraticæ ſucco. Sed intelligitur *eo quòd non coeant omnia in ſiaceritate illius* Poteſt autem opium ſincerum lachrymas reſtringere collyrijs admixtum, & circumlinitum refrigerare, & aurium dolorem & totius corporis, illa videlicet ratione qua ſomnum facere poteſt.

Sophiſticati criterion.

Conſtantinus vbi ſupra. Opium frigidum eſt in quarto gradu, ſiccum in ſecundo, de quo ſumptum in modum vnius oboli ſtupefacit ſenſum ne poſſit ſentire dolorem, prouocat & ſomnum, valet etiam tuſſientibus & diſſolutionem habentibus. Superpoſitum, temperatum ſomnum prouocat. Multa quantitate accepta ex eo, lumen naturalis coloris extinguitur: cum oleo roſato temperatum temporibus & frontibus inunctum cholericum capitis dolorem amputat, aceto temperatum & eriſipilis cataplaſmatum dolorem tollit. Mandragora eodem modo facit.

Vſus.

Adhuc de eodem.

CAP. CXXXI.

Vicenna. Opium eſt ſuccus papaueris nigri, Ægyptij ipſum ſeminant. Et quandoque fit etiam ex ſemine agreſtis lactucæ, & eſt ſtupefactiuum, debile, ſubtile, quod de illo melius eſt, grauius eſt, acuti odoris, frangibile, facile in aqua reſolubile. In ſole reſoluitur, & non extinguit candelam cum ex eo inflammatur. Citrinum tingens aquam, aſpetum, debilis eſt odoris, clari coloris. Tale falſificatum eſt cum memithe, & quandoque cum lacte ſylueſtris lactucæ, adulteratur quoque cum gummi, & eſt ſplendidum & clarum valde. In quarto frigidum & ſiccum narcoticum, omniſque doloris ſedatiuum, ſiue bibitum, ſiue linitum. Eiuſque potio debet eſſe quantitas lenticulæ magnæ. Confert apoſtematibus præcipuè calidis, & in ipſo eſt vlcerum exiccatio. Podagra quoque ex eo cum oui vitello aſſato permixto linitur: & dolor ſedatur: proprièque cum lacte. Dormire facit ſi ſupponatur, & ſedat antiquam ſoda. Eſt autem ex eis quæ deſtruunt intellectum, & ſenſum: dolores ſedat opthalmiæ: & eius apoſtemata cum mulieris lacte. Sedat tuſſim continuam retinet ſolutionem. Confert dyſſenteriæ & vlceribus inteſtinorum. Interficit autem congelando virtutes, & extinguendo calorem innatum, eiuſque theriaca eſt caſtoreum. Eius loco ponitur ſeminis iuſquiami duplum vel etiam triplum.

Vis medicinalis opij.

Plinius lib. 20. Experimentum opij eſt primum in nidore. Accenditur enim difficilius, & crebro extinguitur. Eſt ſinceri experimentum, in aqua quaſi nebula iunarat, fictum in poſca coit, ſed maximè mirum eſt æſtiuo ſole deprehendi. Syncerum enim ſudat, & ſe diluit, donec ſucco recenti ſimile fiat. Mneſides id optimè ſeruari putat hyoſcyami ſemine adiecto, alij vero in faba.

Iudicium ſophiſticati ex Plinio.

De Opopanace.

CAP. CXXXII.

Opopanacis collatio.

Iſidorus. Opopanax eſt ſuccus panacis, croceus, pinguis, odore grauis, & amariſſimus. *Dioſco.* Opopanax eſt ſuccus herbæ per omnia ſimilis ferulæ, quę panax dicitur, aſperiſque locis & lapidoſis naſcitur. Sic autem ſuccus ipſe colligitur, medijs ęſtatibus terra quæ circa radicem eſt cauatur, deinde folia eius in gyrum ſternuntur, & ſic ipſa radix & ferula in longum & in gyrum inſciditur. Sicque quot in folia decurrit, ſiccatur, & myrrhæ odorem accipit. Eſt autem eligendus opopanax colorem croceum habens deforis, album deintus. Eſt guſtu amarus, odore grauis, leuis, pinguis, fragilis, ſeque citius ſeparans. Niger autem mollis eſt inutilis, quoniam adulteratur ammoniaco & cera, *quod probatur digitis cum aqua fricatis.* Nam ſi fuerit integer, vt lac ſoluitur. Sin autem vt viſcus fiet, virtus eſt ei calida & malactica. Vnde frigoribus medetur periodicis, & conquaſſationibus ac doloribus laterum, tuſſientibus ac torminibus maximum præſtat effectum. Inflationes ſtericas & durities ſoluit, carbunculos impoſitus rumpit. ſtrangurijs ac veſicæ ſcabioſæ cum mulſa vel vino bibitus proficit. Imperat menſtruis, abortum facit, melli additus iſchiaticis vnctu præſidium eſt ſalutare. Vuæ paſſæ mixtus & cataplaſmatus podagris medetur, dolores dentium impoſitus tollit, maximè ſi in ipſo foramine dentis mittatur, dolorem capitis confectioni additus, mitigat pari pondere addita pice, morſum canis rabidi curat. Caliginem oculorum detergit. Antiqua vulnera ad ſanitatem perducit. Oſſibuſque nudis impoſitus cum melle carnes reſtituit.

Probatio adulterati. *Curatio eius*

Platearius. Opopanacis eſt ſuccus panacis, calidus & ſiccus in tertio gradu. Opos enim ſuccus, panax eſt herba ſimilis ferulæ, in ęſtiuo tempore radix finditur terraque remota liquor emanat. Qui ex actione ſolis induratur & poſt cum cultello abraditur. Eligendum eſt, quod claram habet ſubſtantiam, & colorem habet ſubrufum, vix vnquam corrumpuntur, virtutem habet diſſoluendi, attrahendi, conſumendi. Fumigium ex eo factum, valet contra lethargiam, valet & contra aſma frigidum. Contra hydropiſim ex phlegmate, contra frigora periodicarum febrium, contra cholicam paſſionem, contra lumbricos.

Opopanacis etymon. *Vis eius.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Scamonea.

CAP. CXXXIII.

Isidorus. Scamonea eſt herba ſucci plena, qui ſub caruata radice colligitur, ſicut dictum eſt ſupra.

Auicenna. Scamonea ſuccus eſt, cuius virtus vſque ad annos triginta perdurat. Melior eſt illa quæ eſt varia ad albedinem declinans, & cum aqua reſoluitur, facit ipſam ſicut lac: calida eſt & ſicca in tertio. In ipſa eſt abſterſio & reſolutio. Mundificat morpheam & pannum, & ponitur cum aceto ſuper ſcabiem vleratam. Radix eius ponitur ſuper antiquam ſoda cum aceto & oleo roſato. Eſt autem ex eis quæ nocet cordi, nocet etiam ſtomacho & hepati valde. Eius malitia frangitur cum aſſatione, & ſemine apij. Et ipſa quidem conturbatiua eſt, ac facit nauſeam & ſitim, & deſtruit appetitum. Solutione vero choleram fortiter educit. Confert etiam puncturæ ſcorpionum bibita & linita. *Vis ſcamonea.*

Dioſcorides. Eligenda eſt ſcamonea, quæ lingua tacta fiat alba. Multi vero titimalli ſuccum admiſcent ei, ſed intelligitur ex eo, quod lingua exardeſcit. Ipſa eſt diagridium, de quo ſcilicet dictum eſt paulo ſupra, quod in India naſcitur & in Syria, ſed graue ac ſpiſſum, quod ipſi adulterant miſcendo titimallum.

Plateariꝰ. Scamonea principaliter purgat choleram, ſecundario phlegma & melancholiam. Numquam medicina ſcamoneæ debet dari cum aqua frigida, quoniam ea frigiditate poteſt ſcamonea ſtomachi villis inuiſcari. Poteſt autem per ſcamoneam fieri laxatiuus potus: & fructus laxatiuus. Cum enim claretum, vel nectar conficitur, inter alias ſpecies ſcamonea ponatur. Sic etiam ſi pulueriꝛetur, & addito maſtice in paſta ponatur & coquatur, panis laxatiuus efficitur. *Purgat.* *Nota.*

Scamonea in arbore infixa non prope terram ſit, ſed in medio ponatur, & pannis circumpoſitis creta deſuper ligetur. Sic humoroſitas arboris & nutrimentum tendentis ſurſum, efficaciam ſcamoneæ fert ad ramos ſecum, facitque fructum laxatiuum. Et licet ſcamonea, ſiue diagridium principaliter choleram. ſecundario phlegma purget, ac melancholiam. tamen cum diuerſis medicinis commixta, diuerſos humores purgat. poſita namque cum electuario frigido, ac trifera ſaracenia, purgat principaliter choleram. cum benedicta vero phlegma cum thede, ac diaſone, melancholiam. Diutius autem ſeruatur poſita cum electuario cum melle facto: quia per duos annos, vel tres, pluſquam ſi ponatur cum electuario confecto cum ſyrupo. *Cum quibus conſeruatur.*

De ſinapi & ſinapis ſucco.

CAP. CXXXIIII.

Dioſcorides. Sinapis ſuccus in quo omnis vis eſt conſtituta, neruoſis corporum vitijs auxilium præſtat, ſenſus acuit, aluum mollit, vrinam mouet, calculos frangit, menſtruis imperat, caput purgat. Nunc palato gargarizatur, vt craſſior pituita profluat; nunc naribus admouetur vt ſternutamentum cum ſtrictura moueatur, ſtomacho ſuccurrit contra querelarum genera. Et vtilis eſt cibus contra fungorum venena, ſuſpirioſis phlegmate diſſoluto, liberos aeris hauriendi meatus præſtat. Poſitus autem extrinſecus cutem vi cauſtica exulcerat. Raroque medici veniunt ad eius remedia, quoniam vſtionem penè intolerabilem ſuſcitat: nec vero in magnis ac vetuſtiſſimis cauſis tam ſæua ſint ſubeuntia. Hoc ſiquidem tormenti genere & humor capitis auertitur, qui cæcitatem oculis comminatur, quique ſtomacho ac pulmoni inſtillatus, iter lætale ad pthiſim præſtruit. Coxæ dolor per veſicas digeritur, ac tumor ſplenis ſoluitur, iocinerum indignatio relaxatur. Et hydropicis innatans humor non reuerſurus hauritur. Aiunt etiam letargicos excitari, ſi pedes illorum valde fricentur trito ſinapi. Nos interim locuti ſumus de ſucco qui exprimitur ſemine, admixtis ſcilicet, vt vſus exegerit, nunc aqua, nunc melle. Eſt etiam alius, qui colligitur æſtate, & hic cum aruerit lacteam guttulam facit, vtilem quidem dentibus, ſi videlicet in dolore mandatur, elegans ex eo velut antidotum fieri Plinius tradit. Nam ſemen ſynapis eiuſque radices in muſto conteri præcipit, hocque colatum putat dandum vitijs ſaucium, ſtomachi, capitis, oculorum. Potionis modum ſtatuit, quantum manus plenè menſura concludit. Fit etiam ex ſinapi oleum ſemine effuſum lumborum doloribus ac neruis torpentibus neceſſarium. *Sinapis ſuccivis.* *Antidotum.*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER DVODECIMVS.

De Arboribus in generali.

CAP. I.



Etymon arboris. SIDORVS. Arborum nomen ſicut herbarum ab aruis creditur inflexum, eo quod terræ fixis radicibus adhærẽt. Trũcus autem ſtatura eſt arboris, inſiſtens radici. *Arbuſta.* Arbuſta eſt arbor nouella & tenera, in qua inſerio fieri poteſt. Arbuſta dicta, quaſi arboris haſta. Alij arbuſtum accipere volunt locum in quo arbores ſunt, ſicut & *vireta* vbi virgulæ nouellæ ſunt & virentes. *Vireta.* *Frutex* breuis appellatur, eo quod terram fronde tegat, cuius plurale nomen eſt fruteta. *Frutex.* *Sylua* eſt ſpiſſum nemus & breue. *Sylua.* *Nemora* vero ſunt arbores maiores frondibus vmbroſæ. *Nemora.* Et dicitur ſylua quaſi xylua, eo quod ibi cedantur ligna. Nam Græci lignum dicunt xylon. *Etymon ſilua.* *Nemus* autem dictum eſt à numinibus, eo quòd ibi conſtituebant idola Pagani. *Nemoris.* Porro *lucus* per antiphraſim, dictus eſt locus denſis arboribus ſeptus, lucem ſolo detrahens, quaſi minimè lucens. *Luci.* Vel etiam à luce, eo quòd in eo lucebant funalia vel ceræ, propter nemorum tenebras. *Saltus* eſt arboris denſitas alta, eo quod in altum exiliat, ſic vocata. *Saltus.* *Auiaria* dicuntur ſecreta nemora, eo quòd illuc aues frequentant, ſic appellata. *Auiaria.* Plantas & plantaria ita diſtinguunt, quod plantæ ſunt raptæ de arboribus. *Plantæ.* Plantaria vero, quæ ex ſeminibus nata ſunt, & cum radicibus à terra proptia transferuntur. *Plantaria.* Arbores vero genere fœmininо dicimus, poma vero neutro genere. Omnes itaque pomorum arbores Latinè fœminini generis ſunt, exceptis paucis, vt hic oleaſter, hic ſiler, & hoc buxum, quamuis & hæc buxus dicatur. Nam & ſuperfluam quidam volunt facere diſcretionem, vt hæc buxus de arbore dicamus, buxum vero de ligno compoſitum.

Author. De hac differentia ſolet dici verſus ille.

Pro mare pone ſiler rubus dumus ac oleaſter.

Plinius lib. 12. Olim ſummum datum homini munus, arbores ſiluæque intelligebantur, hinc alimenta primum, harumque fronde mollior ſpecus, libero veſtis. Num etiam gentes ſic degunt, quo magis ac magis admireris in marmora cædi montes, veſtes à ſeribus peti, vnionem in profundo maris rubri, ſmaragdum in ima tellure quæri, ad hoc excogitata ſunt aurium vulnera. Nimirum quoniam parum erat collo crinibus geſtari, niſi infoderentur etiam corpori. *Animaduerſio in luxus humanos.* Quamobrem ſequi par eſt ordinem vitæ: & arbores ante alia dicere, moribuſque primordia ingetere. Arborum genera quondam numinibus ſuis dicata perpetuè ſeruabantur: vt Ioui eſculus, Apollini laurus, Mineruæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Quin & ſyluanos & faunos ac deorum genera ſiluis ac ſua numina tanquam è cœlo credebant attributa. Nec magis auro fulgentia, & ebore adorabant ſimulachra, quàm lucos, & in his ipſa ſilentia. Multos in vſus hominum aſſumptæ ſunt arbores poſtea: ſicut videlicet infra dicetur.

De arborum creatione vel origine.

CAP. II.

Sidorus. Arborum creandarum naturaliter tria ſunt genera, aut enim ſponte naſcuntur, aut ex ſeminibus fortuito iacentibus ſurgunt, aut ex radicibus pullulant. Nam vſus inuenit cætera fauente natura.

Ariſtoteles in libro de animalibus. Sicut operatio multorum animalium eſt emiſſio ſpermatis, ſic & operatio arborum eſt emiſſio fructus & ſeminis. Arbores quoque quędam ſunt ex ſemine, quędam etiam ſunt ex caſu naturaliter ex terra videlicet putrefacta. Denique arbores quędam poſtquam abſcinduntur perfectæ naturæ ſunt, & ob hoc ex arbore vna multæ exeunt.

Plinius libro decimoſeptimo. Arbores aut ſemine proueniunt, aut plantis radicis, aut propagine, aut auulſione, aut etiam ſurculo, aut inſito & conſerto arboris ramo.

Auguſtinus ſuper Geneſim ad litteram. Conſideremus pulchritudinem cuiuſdam arboris in robore ramis frondibus & pomis. Species hoc non vtique talis & tanta exorta eſt repente. *Admiratio de exortu plantarum.* Sed eo quo nouimus ordine. Nam à radice quidem ſurrexit, quàm primum terræ germen infixit, atque inde omnia illa formata & diſtincta creuerunt, porro illud germen ex ſemin-

In ſemine ergo omnia illa primitus fuerunt, non mole corporeq; magnitudinis, ſed vi potentiaque cauſali. Nam illa magnitudo copia terræ, humorisque congeſta eſt. Sed illa in exiguo grano mirabilior præſtantiorque vis eſt, qua valuit ad radices humor terræ commixtus tanquam materies illius ligni qualitate initij in ramorum diffuſionem, in foliorum viriditatem & figuram in fructuum formas & opulentiam, omniumque ordinatiſſimam diſtinctionem. Quid enim illa arbore ſurgit vel pendet, quod non ex quodam *occulto theſauro ſeminis illius* extractum atque depromptum eſt. At illud ſemen ex arbore, licet non iſta ſed alia, atque illa rurſum ex alio ſemine. Aliquando autem arbor ex arbore cum ſurculis demitur, atque plantatur. Ergo & arbor ex ſemine, & ſemen ex arbore, & arbor ex arbore ſemen vero ex ſemine nullo modo, niſi arbore interueniente. Alternis exgo ſucceſſionibus alterum ex altero, ſed vtrumque ex terra.

Semen eſt a cultus theſaurus.

De Membrorum vel partium eius diſpoſitione.

CAP. III.

Ariſt. vbi ſup. Arborum natura paucorum eſt membrorum organicorũ, quoniam fixa eſt Viuunt autem, vt fingunt quidam: & non habent ſuperfluitatis locum, quo non indigent, quia cibũ cõpletum ex terra & coctum recipiunt per ſuas radices. Ideoq; non eſt in eis ſuperfluitas, quia terra & calor qui eſt in ea faciunt in eis quod in animalibus ventres. Itaq; ſicut ſanguis vadit per venas, quæ à ventre exeunt ad omnia membra animalium, ſic & cibus arborum, quem à terra recipiunt, per radices vadit ad arborem totam, donec digeſtio veniat ad finem & complementum. Huius rei ſignificatio eſt exitus fructuum. Quędam etiam aquatilia non habent ſuperfluitatem ſicut nec arbores. *Plinius li.* 13. Arborum quarundam naturæ ſignum totum habent loco corticis, hoc eſt forinſecus, loco vero ligni fungoſam medullam intus, vt ſambuci, quidam autem inanitatem, vt arundines.

Cibus arborum.

Idem lib. 16. In toto autem, arborum, ſicut & animalium corpore ſunt cutis, & ſanguis, & caro, nerui. venæ, oſſa & medullæ. Pro cute ſiquidem arboribus cortex eſt & cortici humor ineſt: qui ſanguis earum intelligi debet. Non autem omnibus adipes carneſve largè ſunt, ſicuti nec acerrimis animalium. Neutrum autem habent buxus, & cornus, & olea: nec medullam, minimumque ſanguinis; ſicuti oſſa non habent ſorba; carnem ſambuci, & plurimam ambæ medullam, nec arundines ex parte maiori. In quarundum arborum carnibus pulpæ ſunt ac venæ, diſcrimen earum facilè. venæ quidem latiores & pulpæ candidiores fiſſilibus inſunt. Ideoque fit vt aure ad caput admota quamlibet prælongè trabis ictus ab altero capite grauis ſentiatur, ſono rectis meatibus penetrante. vnde deprehenditur, an torta ſit materies, nodiſque conſciſa. Quibuſdam autem tubera, ſicut ſunt in carne glandia, & his, neque pulpa, neque vena, quodam callo carnis in ſe conuoluto & hoc pretioſiſſimum eſt in acere, & cedro. Quibuſdam vero pulpa ſine venis mero ſtamine tenuique conſtat, & hæc magis fiſſilia ſunt. Alia vero frangi celeriora quã findi, quibus pulpa non eſt, vt oleæ & vites. At econtrario totum è carne corpus eſt fico, tota vero eſt oſſea, ilex cornus, robur, cythiſus, morus, ebenus, lothos, & quæ ſine medulla eſſe diximus. Laricis lignum proximum eſt medullæ. Cedro quoque duriſſima, quæ medullæ proxima, vt oſſa in corpore deraſo modo limo. Inueniuntur autem in quibuſdam arboribus, ſicut in marmoribus centra ideſt duritia, clauo ſimilis, inimica ferris. Denique ex quarundam arborum ad inuicem colliſione excluditur ignis ſicut ex lapide.

Cutis arborum. Sanguis.

Pulpæ. Venæ.

Tubera.

Centra.

De multiplici arborum varietate, & primo in radicibus.

CAP. IIII.

Victor. Arborum multiplex eſt varietas in partibus ſuis, vt in radice, cortice, ramis, folijs, flore, fructu, & in pluribus alijs. Iſidorus. Radix appellatur, quia quaſi radijs quibuſdam fixa terris in profunda demergitur. Nam phyſici dicunt parem eſſe altitudinem radicum, & arborum. Alij radicem à ſimilitudine radiorum dici putant, vel quia ſi eradatur non repullulat.

Radicis etymon.

Plinius li. 16. Magna eſt in arboribus radicum differentia. Nam copioſę fico robori platano. Breues & anguſtæ malo. Singulares abieti larici. ſingulis. n. iunguntur. quamquam minimis in latere diſperſis Craſſiores lauro, & inæquales. Item oleæ, cui & ramoſę at arbori carnoſæ & in profundum actæ. Si Virgilio quidem credimus, eſculus quantum corpore eminet, tantum radice deſcendit. Oleæ malisque atque cypreſſis per ſumma ceſpitum, alijs quoq; recto meatu deſcendũt, vt lauro, & oleæ, & alijs flexuoſo, vt fico. Quędam minutis capillamentis hirſuta, vt abies, multęque ſyluęſtrium, è quibus montani prętenuia fila decerpentes ſpectabiles lagenas nectunt. Quidam non altius deſcendere radices quã ſolis calor tepefaciat dixere, idque natura loci, tenuiores ſiue grauiſſimas dixere. quod ego falſum arbitror, apud auctores inuenitur certè abietis plantam cum transferretur, octo cubitorum altitudine fuiſſe nec totam refoſſam, ſed abruptam. Maxima ſpacio ac plenitudine & cedri eſt. Ab ea platani, roboris, & glandiferarum. Quarundam radix eſt viuacior ſuperficie, vt lauri Itaque cum trunco inaruerit, reſciſa etiam lætius fructificat. Quidam breuitate radicũ celerius arbores ſeneſcere putant, quod fici coarguunt, quarũ radices lõgiſſimæ ſunt, & ſenectus ocyſſima, falſum arbitror & quod aliqui prodidere, radices arborũ minui vetuſtate. Viſa eſt enim annoſa quercus vi tẽpeſtatis euerſas & ſoli iugerũ amplexa. Viſum eſt etiã arbores proſtratas reſtitui plerunq, & quadã teręs cicatrice reuiuiſcere. Hoc platanis familiariſſimum, quæ plurimum ventorum concipiunt propter denſitatem ramorum, quibus amputatis, leuiato quidem onere in ſua reponuntur ſcrobe. Iamque factum eſt hoc in glandibus, ac oleis ac multis alijs.

Capillamenta arborum.

Ariſtot. in lib. vegeta. Radix plantæ ſimilis eſt ori animalis & inter plantam & cibum eſt mediatrix: ideo que vocant eam Græci cauſam vitæ plãtarum: quoniam ipſa cauſam plantis adducit. & quædam vnam tantum radicem habent, vt ſquilla. Illa quippe naſcitur in vno ſolo ramo: & procedit inferius ſe dilatando. Quantocunque magis creuerit ſolique acceſſerit augebitur, quia ſol ſurculos elicit; Arbor durum corticem habens ſterilis effecta, ſi radix eius findatur, & fiſſuris lapis immittatur rurſus fertilis efficitur. Planta quę naſcitur in aquę ſuperficie radices non habet, quoniam in partibus duris terrę erunt radices: ſed nec habet folia, quia longè à temperantia. *Gloſſa ſuper Oſee* 4. Arbores libani excelſæ, quantum in auras verticem extollũt, tantũ radices ad ima demergãt, vt nulla tempeſtate moueantur. Vnde ſcriptum. *Erumpet radix eius vt libani*, & ibunt eius rami. *Gloſſa ſuper epiſt. ad Epheſ.* 3. *In charitate inquit Apoſtolus eſtote radicati*, hoc eſt firmiter ad ſimilitudinem arboris plantati, quæ quanto plus terrę radices infigit: tanto plus trahit humorem, ac creſcit & vberius fructum reddit.

Radix planta eſt vt os animalis.

Explicatur ratio radicari in charitate.

De varietate arborum in corticibus.

CAP. V.

Iſidor. Cortex dicitur, eo quod lignum corio tegat. Liber eſt corticis pars interior dictus à liberato cortice id eſt ablato. eſt enim medium quoddam inter lignum & corticem. *Ariſtoteles vbi ſupra.* Cortex arboris

Corticis etymon.

boris ſimilis eſt cuti animalis, & quędam habent vnum corticem vt ficus, quædam multos vt pinus, quædam vero ſunt totæ cortex vt medianus. Planta quæ craſſos habet cortices extenditur propter tenſionem humoris, impulſionem caloris, & hoc in palma & pinu. Cortices arboris quando areſcunt denigrantur. Arbor (vt paulo ante dictũ eſt) durum corticem habens ſterilis effecta, ſi radix eius findatur, & fiſſuræ lapis immittatur, rurſus fertilis efficitur. Cortex palmę maſculæ, ſi folijs fœminæ cohæret, cito fructus eius ematurantur, eorumque caſum prohibet. *Plin. in lib.* 13. Quarundam arborum naturæ (vt dictum eſt ſuperius) lignum habent totum loco corticis, hoc eſt forinſecus. Loco vero ligni fungoſam medullam interius, vt ſambuci, quædam autem inanitatem, vt arundines. *Item in lib.* 16. Arboribus eſt differentia & in corticibus. Nam alijs eſt cortex tenuis, vt lauro & tiliæ, alijs craſſus, vt robori, alijs etiam lenis, vt malo & fico. Idemque ſcaber, robori & palmæ; Omnibus autem eſt in ſenecta rugoſior, Quibuſdam autem ſponte rumpitur, vt viti, quibuſdam autem cadit, vt malo, vredoni. quibuſdam eſt carnoſus, vt ſuberi & populo. quibuſdam membranaceus, vt viti & arundini. quibuſdam libris ſimilis, vt ceraſo: quibuſdam etiam multiplex tunicis, vt vitibus, tiliæ, abieti: quibuſdam ſimplex, vt fico, arundini pro cute cortex eſt arbori, & humor vt (dictum eſt) ineſt cortici, qui ſanguis earum debet intelligi. Cæteris quidem arboribus nigricans color eſt, fulua cornus in venabulis nitet, inſciſuris nodata propter decorem. Cedrus autem & larix ac iuniperus rubent.

Quo pacto ſteriles aliquæ arbores fertiles reddantur.

Corticum differentiæ.

Color.

De varietate arborum in ramis.

CAP. VI.

Virgultum.

Virga.

Surculi. Flagella.

Isidorus. Rami ſunt qui de trunco, ideſt de ipſo arboris robore manant, ſicut à ramuſculis cætera procedunt. Virgultum propriè dicitur, quod ad radices arboris naſcitur, ac velut inutile ab agricolis amputatur, hinc & *virgultum appellatur, quia ex virga tollitur.* Virga ergo à ramis pullulat, Et dicitur *virga à virtute*, quia multam in ſe vim habeat, *vel à viriditate*, vel quia paci indicium eſt, quod vim negat. Porro *ſurculi* à ſerræ præſciſione ſunt nuncupati. *Flagella* vero ſunt ſummæ partes arborum, ex eo ſic dictæ, quod crebros ſuſtineant flatus ventorum.

Ariſtoteles in libro de vegetabilibus. Rami ſunt qui naſcuntur ſupra ſurculos, qui de radice pullulant, plantarum vero ramos habentium, quidam ſunt non ſempiterni, ſed anno poſt annum. Diuerſitas autem plantæ in ramis eſt de ſuperflua raritate. Cumque fuerint humores compreſſi, natura calefiet ac feſtinabit in dirigendo, formabunturque rami.

Arboris diuiſio ratione ramorum.

Plinius vbi ſupra. Gignentium fructum quædam ex lateribus ramorum ferunt & cacuminibus, vt pirus punica, & ficus ac myrtus: Arbores quędam ſunt ſimplices, quibus eſt à radice caudex vnus, & rami ſequentes vt oliuæ viti ac fico. Quædam vero fruticoſi generis, vt paliurus, & myrtus. Item nux auellana, quinimo melior eſt & copioſior fructu in plures ramos diſperſa. In quibuſdam omnino nullus, vt in ſuo genere buxo, & Lotho tranſmarinæ. Quædam bifurceæ atque etiam in quinas partes diffuſæ. Quędam indimduæ tamoſæ, vt piceæ. Quibuſdam eſt ordo ramorum compoſitus, vt picæ & abieti. Alijs autem incondirus, vt malo & pyro ac robori. Et abieti quidem ſubiecta commiſſura, atque in cœlum tendentes rami non in latera proni. Mirumque quod earum cacuminibus deſciſis moritur, totis vero detruncatis durat, & ſi infra quam fuere rami præſcidatur, quod ſupereſt viuit, ſi vero cacumen auferatur moritur. Iterum alia ſunt à radice brachiata, vt vlmus. Alia vero in eacumine ramoſa, vt pinus, lothos ſiue faba Græca, præcipuè domibus expetitur petulantia ramorum breui caudice latiſſima vmbra expaciantium, & in vicinas domos ſæpe tranſientium, nulla eſt opacitas breuiori, nec aufert ſolem hyeme decidentibus folijs. Nulli cortex iucundior, aut oculos excipiens blandius. Nulli rami longiores validioreſque aut plures, vt dixiſſe liceat totidem arbores. Cortice pelles tingunt, radice lanas. Malis proprium eſt ramorum genus, ferarum enim roſtra reddunt adhærentibus vni maximo minoribus. Ramorum etiam quidam ſunt cæci, qui non germinant, quod natura fit ſi non euaſuere, aut pœna cum amputata cicatrix hebetauit. Vuæ diuiduis in ramo natura eſt, hoc viti quidem in oculo, arundini in geniculo, omni terræ proximè craſſioti. In longitudinem excreſcunt, abies, larix, cupreſſus, vlmus, & ſiqua ſunt vniſtirpia, Ramoſarum ceraſus. Reperitur etiam in 60. cubitorum trabes æquali per totum duorum cubitorum craſſitudine. Quædam vero ſtatim in ramos ſparguntur, vt malus.

De Arborum folijs.

CAP. VII.

Foliorum Etymon.

Isidorus. Folia dicuntur Græcè φύλλα. Indeque hoc nomen ad nos tranſlatum eſt per deriuationem. Frondes autem dictæ ſunt, eo quòd virgulta vel vmbras ferunt, ſunt enim cauſa vmbrarum. Occulti vero nodi ſunt ex quibus frondes exeunt.

Munus foliorum.

Ariſtoteles vbi ſupra. Sunt autem folia cooperimentum fructuum à ſolis vehementia, Ideoque & folia ſimul ſunt cum fructu. Sed humor aſcendit ſuper ea, & alterantur folia. Oriuntur autem in arboribus folia poſt fluxum ſicut & pili & plumæ in animalibus nidificantibus propter mutationem temporum, quia fluunt ac creſcunt ſecundum alterationem temporis æſtatis & hyemis. In homine vero non oriuntur pili poſt caſum primorum pilorum, quoniam alteratio ætatum hominis ſimilis eſt alterationi quatuor temporum. Itaque cum humores plantæ vel arboris compreſſi fuerint, calefit natura: ac feſtinat in digerendo, ac formantur rami & apparent folia quorum meatus anterius ampli efficiuntur & poſt, idem in poſteriori parte gracilantur & pyramidantur.

Craſſitudo folij ad quid

Ambr vbi ſupra. Tanta eſt domini prouidentia, vt vbi fructus eſt mollior, ibi folij craſſitudo validius tegimentum tuendo deferat pomo. Vbi autem eſt fructus validior, ibi teneriora ſunt folia. Folij craſſitudo proficit ad tempeſtatis iniuriam repellendam, vt in ficu. Interſciſio vero ad fructus vaporandi gratiam, vt in pampino.

Plinius libro duodecimo. Indi veſtes lineas è folijs palmæ faciunt. Molabathres habet folium conuolutum, ex quo ad vnguenta premitur oleum, gemina dote. Nardi celebrant ſpicas & folia, quæ parua ſunt & denſa. Maron habet folia breuia minuta edorata.

Idem in libro 13. In Aſia, & Græcia naſcitur epicactis, quam alij emblionem vocant, paruis folijs, quæ potata contra venena proſunt, ſicut herices contra ſerpentes.

Myrtus.

Idem in lib. 15. Myrtus habet lata folia, quæ ad vlcerum remedia in corpore humano ſiccantur in farina.

Laurus.

Laurus, quam Pompeius appellauit moſtacem, folio maximo & albicante atque flaccido.

Fraxinus.

Idem in libro 16. *capit.* 14. Folia fraxini iumentis mortifera cæteris ruminantium Græci prodiderunt innocua, in Italia nec iumentis obſunt. Contra ſerpentes vero ſucco expreſſo ad potum, & impoſita vlceribus opifera ſunt. In Oriente funes validos faciunt ex folijs palmæ.

A

De Varietate arborum in folijs.

CAP. VIII.

Diuersitates foliorum.

Aristoteles in lib de plantis. Arbores quædam ex radicibus suis producunt folia, quędam ex geminibus, quędam ex ligno, quędam propè terram, quędã longe, quædam in medio, quædam quoque diuersis tempo ribus folia pauca. Item quædam producunt fructum ante folia, vel cũ folijs, vel post folia perfecta. *Ambr in Hexaemeron* Quid autẽ foliorum describã diuersitates, quemadmodum alia rotundiora, alia longiora, alia flexibilia, alia rigidiora sunt, alia nullis facile ventis labantia. Alia quæ læui motu decutiantur aurarum. Inexplicabile est singulorum proprietates exquirere, diuersitates distinguere, causasque latentes aperire. *Plinius vbi supra.* Folia sunt latissima fico & viti & platano. Angusta vero myrto & oleæ ac punicæ, Capillata pino & cedro, Aculeata ilicum generi & aquifolio. Nam iunipero spina est pro folio. Carnosa sunt cupresso thamarici. Crassissima vero alno longa arundini & salici. Palmæ etiam duplicia. Circinata sunt pyro. Mucro nata malo. Hederæ angulosa. Platano diuisa. Infecta pectinum modo, piceæ abieti. Sinuosa toto ambitu robori. Spinosa cuterubo. Mordacia sunt quibusdam, vt vrticis. Pungentia vero pino, piceæ, abieti, larici, cedro, & aquę folijs, Pediculo breui sunt oleæ, & ilici folia. Longo vitibus. Tremulo populis, & eisdem solis inter se crepitantia: iam & in ipso pomo mali quodam in genere parua medijs emicant folia, interim & gemina. Præterea alijs circa ramos, alijs in cacumine ramorum. Robori & in caudice ipso iam densa sunt folia & rara semperque lata rariora, dispositа myrto, concaua buxo, inordinata pomis, Plura sunt eodem pediculo exeuntia, malis pyrisque ramulosa vlmo & cythiso.

De Arborum, & frondium coloribus varijs.

CAP. IX.

Plinius lib. 16. Cæteris arboribus (sicut iam dictum est superius) nigricans color est, fulua cornus in venabulis nitet in scisturis nodata propter decorem. Cedrus autem & laxir ac iuniperus rubent. Porro quibusdam arboribus sũt varij colores in frondibus. Nam foliorum vnitas in suo cuique permanet genere, præterquam populo & crotoni, quam & cynum diximus vocari & hederæ. Vnum populi genus habet folia minima nigerrima, aliud vero alba, tertiumque duorum colorum. id est superius candicantia & in inferiori parte viridia. Quibusdam arboribus foliorum figuræ mutantur, vt populo nigro, cui & crotoni in iuuenta folia circinatæ rotunditatis sunt. Vetustiora vero in angulos exeunt, econtrario hederæ angulosa rotundantur, populorum folijs grandissima lanugo, euolat candidæ, tradita folio numerosiore candida, & vt villi. Granatis autem, & amigdalis, folia sunt rubentia. Mirumque in primis, idest quod vlmo tileęque & oleæ ac populo albæ atque salici euenit. Circumaguntur enim earum folia post solsticium nec alio argumento certius intelligitur sydus esse confectum. Est & publica omnium foliorum differentia. In ipsis namque pars inferior à terra herbido viret colore, & ab eadem leuiora neruos callum & articulos in superiori habent parte. Inscisuras vero subter, instar manus humanæ. Oleæ folia supernè habent candidiora, & minus leuia. Item hederæ. Sed omnium folia quotidie ad solem oscitant, interiores partes tepefieri volentia. Superior pars omnium lanuginem quantalancumque habet, quæ in alijs gentium lana est.

Argumẽtum solstitij ex folijs quarundam arborum.

Differentia partis superioris & inferioris foliorum.

B

C

D

E

De Folijs arborum quarundam perpetuis.

CAP. X.

Ambrosius vbi supra. Mirare autem in paruis prudentiam Dei, quomodo alia semper florentia reseruauerit, alia mutationis & expoliationis amictus habere voluerit, & inter cana niuium, pruinas frigorum viriditatem suam arua conseruant. In ipsis quoque generibus arborum, quæ diuturnis frondibus vestiuntur: non mediocris distantia est. Olea vel pinus semper indumentum suum seruat, sed tamen folia sæpe commutat. Nec ea quasi diuturna, sed quasi succidanea, protendunt arboris suæ pulchritudinem, perpetui vestitus integritate vice muneris obumbrantes. Palma autem semper virens manet conseruatione ac diuturnitate, non mutatione foliorum, nam folia quę primo germinat, ea sine vlla successione conseruat.

Palma semper viret, semper conseruat folia; idemque est de alijs arboribus.

Plinius lib. 12. In insula Persici maris, quæ Tilos dicitur, nulli arborum folia decidunt.

Idem in lib. 13. Prunus etiam Ægyptia non dimittit folia. *Idem in lib. 16.* Locorum denique tanta vis est, vt circa Memphin Ægyptij, & Elephantinæ Thebaidis, nulli arborum decidant folia, nec vitibus quidem Arborum ergo alijs decidunt folia, aliæ coma virent sempiterna. Quam differentiam necesse est antecedat prior. Sunt enim arborum quædam omnino syluestres. Quædam vrbaniores, quas his placet nominibus distinguere: ergo mites quæ fructu aut aliqua dote vmbrarumve officio humanius iuuant non improbè dicantur vrbanæ. Vrbanarum generi non decidunt, oleæ lauro palmæ myrto cupresso pino hederæ rhododendro. Syluestrum vero generi folia non decidunt, abieti, larici, pinastro, iunipero, cedro, terebintho buxo, ilici, aquifolio, suberi, taxo, thamarici. Inter vtraque genera sunt andrachne in Græcia & vbique vredo, his enim reliqua folia decidunt, præterquam in cacuminibus. Non decidunt autem & in fruticum genere quibusdam: rubo & calamo. In agro Turino vbi vrbs Sybaris fuit, ex ipsa vrbe prospiciebatur vna quercus numquam dimittens folia, nec ante mediam æstatem germinans.

Vrbanæ arbores.

Syluestres.

De frondibus deciduis.

CAP. XI.

IGitur omnes extra prædictas folia deperdunt. Obseruatumque est non arescere, nisi tenuia & lata & mollia. Quæ vero non decidunt, callo crassa, & angusta sunt. Cadunt autem plurimis in Autumno, quædam tardius amittunt & in hyemes mora prorogant. Nec interest maturius germinasse, vtpote cum quædam germinent primæ & inter nouissimas nudentur, vt amigdali, fraxini, sambucci. *Morus autem nouissimè germinat, & cum primis folia dimittit.* Magna & in hoc est vis soli, prius enim decidunt in siccis macrisque, & vetustæ prius arbori. Multis etiam antequam matureſcat fructus, vt in Serotina ficu, & in Hiberna pyro, ac male granato. Neque his autem, quæ semper comas retinent, eadem folia durant, sed subnascentibus alijs, tunc arescunt vetera, quod euenit maximè circa solsticia. Sorbo decidunt vniuersa, cæteris vero paulatim.

Nota de moro.

Aristoteles. Quod autem quarundam arborum folia cadunt, accidit propter fluxibilitatem velocis raritatis. Cum enim apparet materia cum digestione completa, frigus obturat extremitates meatuum superius, nec habent folia nutritiua, & ideo siccantur & cadunt. In quibusdam autem cum vicerit frigus, colorantur. Occultatione namque caloris interius in medio plantæ, & apparitione frigoris exterius, fugato calore in profundum glauca fiunt folia, nec cadunt, vt oliuæ & myrti. Diminutio quidem humoris

calidi,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Caluities arborum vnde proueniat?

calidi, & pinguis est causa caluitiei. Ideoque non fluunt arboris folia, in quibus est humor pinguis. In contrarium dicit.

Plinius libro decimosexto. Falsa diffinitio est non decidere his quarum succus pinguior sit. Quis enim potest in ilice intelligere decidere. *Thimeus* autem Mathematicus sole scorpione transeunte syderis vi, vt quodam veneno aeris putat id fieri. Cur ergo eadem causa aduersum omnes non polleat iure miremur.

Auctor. Causa itaque fluxus foliorum naturalis ex arbore hæc est. Recedente solis calore, sicut in hyeme fit, naturalis calor qui modicus est, ad radicem arboris colligitur, & sicut potest nutrimentum attrahit. Cumque ab exteriori trahere non possit, à superioribus partibus arboris attrahit, & sic humore ad inferiora descendente vel recurrente, fit in superioribus desiccatio, foliorumque defluxio.

De Vmbris earum & stillicidijs.

CAP. XII.

HÆc de folijs arborum dicta sufficiant. Et quia (sicut iam dictum est supra iuxta Isidorum) folia sunt causa vmbrarum & ex foliis præcipuè stillicidia proueniunt arborum, de vtrisque restat consequenter dicendum, maximè quia quarundam arborum vmbræ, vel stillicidia sunt vtilia, quarundam vero sunt noxia.

Vmbrarum proprietas diuersa.

Plinius lib. 17. Vmbræ sunt breues, quamuis magnarum arborum, quod in orbem ramos circinent, vt in malis & pyris; Eædemq; enormes cerasis & lauris. Iam vero quædã vmbratũ proprietas. Inglandium grauis & noxia humano capiti, omnibusque iuxta satis. Gramina necat & pinus. Sed ventis vtraque resistit, quoniam & protecta vinearum egent ratione. Stillicidia pinus ac quercus & ilicis sunt ponderosissima. Nullum cupressi, vmbra minima & in se circumuoluta: ficorum leuis est, quamuis sparsa, ideoque non vetantur inter vineas seri. Vlmorum quoque leuis est, nutriens quę cunque opacat. Sed artico hæc quoque videtur è grauissimis. Nec dubito, si emittatur in ramos. Iucundã & platani quanquam crassa necet gramina. Populo vero vmbra nulla, ludentibus foliis. Alno pinguis est, pascens sata. Vitis sibi sufficit mobili folio, iactatuque crebro. Solem vmbra temperans, eodemque graui protegens in imbre. *Omnium ferè leuis vmbra, quarum pediculi longi sunt.* Nec fastidienda hęc quoque scientia, nec in vltimis ponenda est, quoniam *vmbra quibusque satis aut nutrix aut nouerca est.* Inglandium quidem, & pomorum ac picearum & abietis quacunque attigerit non dubium est esse venenum. Porro stillicidij arborum breuis est ista diffinitio. Omnium quæ proiectu frondis ita diffunduntur, vt per ipsas non defluant imbres, stilla sęua est.

Quarum arborum vmbra leuis.

De Arborum cultura, & primo de seminatione.

CAP. XIII.

DE arborum cultura iam dictum est superius ex parte, videlicet in septimo libro, vbi actum est de terræ proprietatibus, & de feracitate.

Quo tempore arboresiamen accipiunt.

Palladius de agricultura lib. 3. Mense Februario lætamen arbores debent accipere *Luna decrescente*, ita vt subducta à radicibus terra, & fimo permixta reuocetur, hoc etiam tempore, si quę sunt in seminarijs plantæ, circunfodiendę sunt, & eius rami superflui amputandi, vel radiculæ, quas miserunt in superiori parte.

Plinius lib. 16. Est inter arbores differentia, quòd ea quæ subarantur, vel ablaqueantur celeriora sunt neglectis ac fertiliora, & in totum adijcit omnis cura fertilitatem; fertilitasque senectam, propter hoc præflorent talia, & quę germinant tota sunt pretiosa, Quędam etiam restituuntur prostratæ, & quædam virelcunt cicatrice, vt iuglans & platanus, olea & salix, vlmus & populus.

Iterum in lib. 17. Arbores (vt dictum est superius) aut semine proueniunt, aut plantis radicis, aut propagine, aut auulsione, aut surculo, aut insito & consecto arboris trunco. Semen in primis natura docuit serere, cum decidens, exceptum terra virescaret. Sed & quædam non aliter proueniunt, vt castaneæ, iuglandes, cæduis duntaxat exceptis. Semine quoque quamquam dissimili seruntur vites & mala & pyra. His namque pro semine nucleus. non vt supradictus ipse fructus. Mespilæ quoque semine nasci possunt. Palma foliis suis seritur apud Babylonios. Vbi Plinius. Nam folia palmarum apud Babylonios seri, atque ita in arborem prouenire, Trogum credidisse demiror. Omnia quidem supradicta tardo prouentu sunt, ac degenerant & insito restituenda. Interdumque etiam castaneæ. Econtrario vero non degenerant, quoquo modo serantur, cypressus larix & palma laurus & pinea. Eædem baccis seruntur, & plerumque propagine. Omnia myrti genera baccis seruntur in Campania. Romæ vero propagine Tarẽtina. Inter ea quæ semine seruntur, Mago in nucibus operosus est. Amigdalæ in argilla molli meridiem spectante seri iubentur, & dura calidaque terra gaudere. In pingui vero vel humida mori, aut sterilescere; ternas autem simul serendas esse trianguli ratione palma distantes inter se. Denisque diebus; donec grandescant adaquari. Iuglandes vero nuces porrectę seruntur, commissuris incentibus, pineæ nucleis septenis ferè in ollas perforatas additi, aut vt laurus, quæ baccis seritur. Citrea grano & propagine. Sorba semine & à radice planta & auulsione proueniunt, sed illa in calidis sorba in frigidis & humidis.

De arboribus quæ seruntur semine.

De Plantatione arborum, & translatione.

CAP. XIIII.

Isidorus. Plantas & plantaria ita distinguunt, quod plantæ de arboribus raptæ sunt. Plantaria vero nata sunt ex seminibus, & à terra propria transferuntur cum radicibus. *Plinius lib.* 17. Plantaria quoque natura demonstrauit multarum radicibus pullulante sobole densa, & pariente matre quas enecet: eius enim vmbra turba indigesta premitur, vt in lauris, punicis, & platanis, cerasis, prunis. Paucorum in hoc genere rami parcunt soboli, vt vlmorum atque palmarum. Nullis vero tales pulluli proueniunt, nisi quarum radices amore solis, atque imbris in summa tellure spaciantur. Omnia autem hæc non statim moris est in sua locari, sed prius nutrici dari, atque in seminarijs adolescere, iterumque migrare. Qui transitus mirum in modum mitigat etiam syluestres: siue enim arborum, vt & hominum natura nouitatis ac peregrinationis auida est, siue discedentes virus relinquunt, mansuescuntque tractatu, ceu feræ, dum radici euellitur planta. Sed etiam auulsionem natura docuit, quoniam arboribus auulsis stolones vixerunt. Quo in genere & cum parui sint, auelluntur, & partem aliquã è corpore matris auferunt secum fimbriato cõrpore hoc modo plantantur punici mali coryli, sorbi, mespilæ, fraxini, fici, & in primis vites. Cotonem autem ita satum degenerat. Itaque plantas ex seminario in aliud transferre, priusquam in suo loco ponantur operosè præcipi arbitror, licet translatione folia fieri latiora spondeant. Ante omnia ergo in similem terram, aut meliorem oportet transferri, nec ex tepidis, aut præcocibus in frigidos, aut serotinos situs, vt neque ex his in illos, aut quidem scrobes ante præfodiantur, vt pingi cespite obducantur. Hoc enim & ante annum Mago fieri iubet, vt Solem pluuiasque combibant, aut si conditio largita non sit, ignes in medio ante duos menses fieri, nec nisi post imbres in eis seri. Altius autem demittantur, quæ summa tellure gaudent, vt fraxinus & olea:

Planta. Plantaria.

Arborum natura vt hominum peregrinationis auida.

Documenta circa translationem plantarum.

olea: hæc enim & ſimilia, quaternos pedes oportet demitti, vel infodi. Cæteris autem ſat eſt, ſi altitudines pedes trinos effecerint. Arborem nec minorem bima, nec maiorem trima quidam transferri præcipiunt. Alij vero cum annum impleat. Hoc autem non negligendum, ne mora radices inareſcant. Neve à Septentrionibus, aut ab ea parte cœli vſque ad exortum brumalem vento flante effodiantur. Aut certè non aduerſæ his ventis radices præbeantur, propter quod emoriuntur ignaris cauſæ agricolis. Item meridianam cœli partem ſignate in cortice, vt translata eiſdem & aſſuetis ſtatueretur oris, ne Aquiloniæ meridianis oppoſitæ ſolibus finderentur, & algerent meridianæ Aquilonibus. Cato ventos omnes & imbres in tota tranſlatione damnat, & ad hoc proderit plurimum radicibus, cohærere terræ, in qua vixerint, totaſque ceſpites circumligari, cum ob id Cato iubeat in ſcrobibus transferri. Quidam malis punicis ſubſtrato lapide tradunt pomum in arboribus non rumpi, radices inflexas poni melius. Arborem ita locari, vt media ſit totius ſcrobis neceſſarium.

Interualla in plantatione ſeruanda.

Interualla quoque ſeruanda ſunt in plantatione, vel ſeminatione arborum. Quidam punicos & myrtos & lauros depreſſiores ſeri iuſſerunt: in nouenis tamen pedibus, malos autem paulo amplius, magis & pyros, magiſque ficus & amigdalas. Optimè namque dijudicabit interualla, ramorum amplitudinis ratio, locorumque & vmbræ cuiuſlibet arboris. Nam has quoque vmbras obſeruari oportet. Colles minora quærunt interualla. Ventoſis autem locis crebriores ſeri conducit. Olea tantum interuallo maximo, de qua Catonis Italica ſententia eſt, in viginti quinque pedibus minimum, plurimum triginta ſeri. Sed hoc variatur locorum differentia.

Palladius vbi ſupra. Menſe Nouembri locis ſiccis, calidis & apricis, maiores arbores ſunt transferendæ, truncatis ramis, & illæſis radicibus multo ſtercore, atque rigationibus adiuuandæ.

De Inſitione.

CAP. XV.

Inſitio quid?

Iſidorus vbi ſupra. Inſitio dicitur cum fiſſo trunco, ſurculus arboris fœcundæ ſterili inſeritur. Aut oculorum impoſitio, cum inſciſo cortice libro, arboris alienæ germen immittitur.

Ex libro de natura rerum. Eſt itaque modus arbores tranſplantandi, & eſt modus eas à ſua natura alterandi, vt videlicet arbore ſucciſa, trunco eius ramus inſeratur alterius generis, vendicetque ſibi ramus inſertus naturam totius arboris. Nam creſcentia quidem omnia nutrimentum habent à terra. Inſertus itaque ramus trahit nutrimentum ſuum ſuper truncum, truncus autem trahit duo, ſcilicet vnum, quod ſibi retineat, aliud quod alij tranſmittat ſicut ſtomachus.

Semen ab auibus deuoratum pullulaſſe.

Plinius vbi ſupra. Inſerere quoque natura docuit, nam ſemen auium fame deuoratum, integrumque manens, & alui tepore madidum cum fœcundo ſimi medicamine, in mollibus arborum lecticis abiectum, & ventis ſæpe tranſlatum: in aliquas corticum rimas vidimus pullulaſſe. Vnde ceruſſum inuenimus in ſalice, platanum in lauro, laurum in ceraſo, baccaſque ſimul diſcolores. Tradunt & monedulam ſemina condentem in theſauros cauernarum eiuſdem rei præbere cauſas. Hinc nata eſt inoculatio. Inſitionem caſus magiſter alius docuit agricolam. Poſtea ratio duplex. Prima quidem fuit inter corticem & lignum inſerendi. Timebant priſci truncum findere, mox auſi medio inforare, ipſiſque medullæ calamum imprimebant vnum inſerentes, neque enim plures capiebat medulla ſubtilior. Poſtea ratio ſenos adiecit mortalitati eorum ex numero ſuccurrere perſnaſa, per media trunco leuiter fiſſo, cuneoque tenui fiſſuram cuſtodiente donec cuſpitatim deſciſus deſcendat in rimam calamus. Multa A quidem in hoc obſeruanda ſunt. Primum omnium quæ arbor talem coitum, ideſt inſciſionem patiatur, & cuius arboris calamus variè quoque & non eiſdem partibus ſubeſt omnibus ſuccus vitibus ac ficis media ſicciore, & è ſumma parte conceptus. Ideoque illinc ſurculi petuntur. Oleis eſt circa medios ſuccus, inde & ſurculi cacumina ſitiunt, facillimè coaleſcunt, quibus eſt eadem natura corticis, quæque pariter ſunt florentia eiuſdem horæ genitionem, ſudorumque ſocietatem habent. Lachrymantes calamos inſeri non oportet, non hercule magis, quàm aridos, quia illo modo labat humore nimio cortex. Validius quidem demiſſi tardius ferunt, & fortius durant. Aptiſſimum eſt inſerere, quàm proximum terræ patitur nodorum truncique ratio. Si craſſior truncus inſeratur, inter corticem & lignum inſeri melius eſt. Quædam autem in plantario inſita, eodem die transferuntur. Eminere calami ſex digitorum longitudine non amplius debent.

Obſeruanda in inſitione.

Lachrymantes calamos non oportet ſeri.

B

Cato Argillæ, vel Cretæ arenam, ſimumque bubulum admiſceri, atque ita vſque ad lentiorem ſubigi iubet, idque interponi, & circumlini. Cato etiam præcepit inſeri pyra & mala per Ver, & poſt Solſtitium diebus quinquaginta poſt vindemiam. Oleas autem & ficus per ver tantum Luna ſiciente, id eſt ſicca. Præterea poſt meridiem, ac ſine vento Auſtro. Inſerentes verno tempus vrget, incitantibus ſe gemmis, præterquam in olea, cuius oculi diutiſſimè parturiunt, nimiumque ſucci habent ſub cortice, qui nimius inſitis nocet. Punica verò, & ficum quamquam alias ſicca ſint, recraſtinare minimum vtile. Pyrum florentem inſeri licet, & in vnum menſem protendere inſitionem. Ceraſi dempto libro finduntur. Hæ ſolæ & poſt brumam inſeruntur. Dempto libro habent veluti lanuginem, quæ etſi comprehendit inſitum putrefacit. Incolumi cuneo adactum vtiliſſimè aſtringit. Capaciſſima inſitorum omnium dicitur platanus, poſtea robur, Sed vtraque ſapores corrumpi. Quædam omni generi inſeruntur, vt ficus, & punica. Vidimus, iuxta tyburtes, tiliam omnium genere pomorum onuſtam arborum, alio quidem ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, pyris, ficis, punicis, malorumque generibus: ſed huic breuis fuit vita. Nec tamen omnem experimentis aſſequi naturam poſſumus. Quædam enim naſci nullo modo, niſi ſponte queunt, ea quæ in immitibus tantum, & deſertis locis proueniunt.

Tempus in ſerendi.

C

D

De diuerſis speciebus inſitionis.

CAP. XVI.

Inoculatio quid?

Idem in eodem. Inſerere quidem firmiſſimum eſt, & fœcundius, quàm ſerere. Fertiliſſima verò omnium eſt inoculatio, deinde emplaſtratio; ſed vtraque infirmiſſima, & quæ cortice tantum nituntur, aura leui ocyſſimè deplantantur. Eſt autem *inoculatio fiſtula ſutoriæ ſimili aperire oculum in arbore exciſo cortice, ſemenque includere, eadem fiſtula ſublatum ex alia.* In ficis & malis hæc fuit antiqua inoculatio virgiliana, quærit ſinum in nodo germine corticis expulſi, gemmamque ex alia arbore includit. Et hactenus ipſa natura docuit. Inſitionem autem (vt dictum eſt) docuit caſus magiſter, & penè numeroſior ad hunc modum. Agricola nempe ſedulus caſam ſepis munimento cingens, quo minus putreſcerent ſudes, limen ex hedera ſubdidit. At illæ viuaci morſu apprehenſæ, ſuam ex alieno fecere vitam, apparuitque truncum eſſe pro terra. Aufertur ergo ſerta æqualiter ſuperficies, leuigatur falce truncus. Emplaſtri ratio ex ipſa inoculatione natavideri poteſt. Craſſo autem maximè cortici conuenit, ſicut eſt ficus. Ergo ramis omnibus amputatis, ne ſuccum auocent, Nitidiſſima in parte, quamquam præcipua cernatur hilaritas, exempta ſcutula, ita ne deſcendat vltra ferrum cortici imprimitur. Ex alia cortex par cum ſui germinis mamma, ſic compage denſata, vt cicatrici locus non ſit, & ſtatim vnitas fiat, non humorem, non afflatum

E

recipiens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quæ non recipiunt emplaſtra.

recipiens. Nihilominus & luto munire, & vinculo melius. Vitis emplaſtra non recipit, nec aliæ, *quibus caducus & tenuis eſt cortex, atque rimoſus.* Nec inoculationē ſiccę recipiūt, aut quæ ſūt humoris exigui, inoculatiorem amat leues. *Ariſtoles in libro de Plantis.* Quædam ergo in terra plantantur, quædam in arboribus inſeruntur. Eſtque melior inſitio ſimilium in ſimilia proportionalia, quoniam optimè proueniunt talia, ſicut mali in pirum, fici in ficum. *Palladius lib. 1.* In omni autem opere inſerendi, putandi, ac reſcindendi, duris & acutis vtendum eſt ferramentis, & quę facienda ſunt in vite, vel arbore, peragenda ſunt ante apettionem floris, & gemmæ.

Iterum de temporibus & modis inſerendi.

CAP. XVII.

Menſis inſitioni conuenies.

Idem in libro tertio, In menſe Februario, calidis & apricis locis optimè celebratur inſitio, quæ tribus generibus conſtat. Sed ex his quidem duo poſſunt tunc fieri, tertium reſeruatur æſtati. Sunt autem genera hęc inſerendi, aut ſub cortice, aut in trunco, aut emplaſtro. Inſeritur ergo, ſic arbor vel ramus in loco viridi, ac ſine cicatrice ferra cortice non læſo reſciditur, poſt ferraturam vero plaga ferramentis inſcidatur. Inde quaſi cuneus tenuis ferreus, vel oſſeus maximè leoninus inter corticem, & lignum tribus prope digitis deponitur, & conſideranter, ne corticis faſcia diſſipetur, ſicque ſubducto cuneo, ſtatim mergitur ſurculus vna parte deſciſus ſalua medulla, & cortice partis alterius, quæ ſupra arborem ſex, vel octo digitis eminet. Duo quidem, aut tres ſurculi, aut plures pro qualitate trunci conſtituuntur: & quaternis, vel amplius digitis inter eos ſpacium relinquitur, tunc iunco, vel culmo, aut vimine ſtringantur. & ſuper lutum muſto tectum ponuntur, aut ligantur vt quatuor digitis ſuper lutum ſurculi eminere poſſint. Pleriſque placet, ſtrictum primo ſectæ arboris truncum vinculis actiotibus in medio findere, & ibi ſurculos ex vtraque parte raſos in modum cunei, vt integra ſit medulla demergere, præmiſſo autem cuneolo, quo ſubducto depoſitus ſurculus, redeunte in plagam materia arctius poſſit aſtringi. Sed hoc vtrumque genus verum eſt. & fit creſcente Luna, vbi incipit arborū gemma turgeſcere.

Creſcente Luna arboribus gemis turgeſcentibus ſit inſitio

Surculi autem qui inſerendi ſunt, ſint nouelli, fertiles, nodoſi, de nouo nati, ab orientali arboris parte deſciſi, craſſitudine digiti minoris, bifurci vel trifurci, gemmis pluribus vberati. Si arborem minorem voluerit inſerere, in qua ſine dubio meliora incrementa proueniunt circa terram ſecato, & quod eſt melius, ſurculos inter lignum, corticemque depone, tunc ſtringe. Quidam raſum ex vtraque parte ſurculum conuenientem ſoliditati arboris inſerendæ ſic in medio deponunt, vt cortex ſurculi vndique cortici arboris reddatur æqualis. Sed in nouella arbore terra mota vſque ad ipſum inſitum colligatur, quæ res eam à calore, & vento defendet. Mihi aſſeruit diligens agricola, omne inſitum ſine dubio virtutem comprehendere, ſi depoſitis ſurculis, viſcum non temperatum in ipſa plaga pariter mergamus quaſi glutino quodam ſuccos materiæ vtrique mixturum. De emplaſtratione dicemus poſtea. Quartum genus Columella ſic retulit. Gallica terebra vſque ad medullam arborem perforandam, plaga interius leuiter inclinata ibi educta omni ſcrobe, vitem vel ramum ad modum foraminis impreſſi delibratum; ſuccidum tamen, & humentem ſtrictè imprimi, vna aut duabus gemmis foris relictis. Tunc argilla, & muſto locum diligenter operiri. Ita vites in vlmo inſeri poſſe commiſſas. Hiſpanus quidam mihi oſtendit inſitionis nouæ genus, quod ex Perſico ſe aſſerebat expertum, ſicut videlicet dicetur inferius.

Quibus mẽ ſibus ſit emplaſtratio.

Idem in libro 7. Menſe Iunio, vel Iulio celebratur in ramis inſitio, quę dicitur emplaſtratio, Solis arboribus conuenit, quibus in cortice ſuccus eſt pinguis, vt ficis, ac oleis, & ſimilibus, vt Martialis dicit, & Perſico. Fit autem ſic; ex nouellis, ramis & nitidis, ac feracibus, gemma quæ bene apparet proceſſiua, duobus digitis quadratis circum ſignatur, vt ipſa in medio ſtatuatur, & ita ſubtiliter cortex acutiſſimo ſcalpro leuatur, ne gemma lædatur Ex arbore quoque illa, cui debet inſitio fieri, ſimiliter cum gemma tollitur emplaſtrum nitido, & vberi loco. Tunc ibi conuenienter aſtringitur, preſſumque circa gemmam vinculo abſque germinis læſione cohærere cogitur, vt locum gemmæ prioris includat ea, quæ ſic appoſita redditur. Tunc luto debet liniri, & gemma libera relinqui Rami eiuſdem arboris ſecari debent ac ſtirpes, ſicque 21 diebus exactis reſoluto vimine vinculorum externi ſeminis gemmam, mirè in arboris alienæ membra tranſiſſe reperies.

Modus quo fit.

De Arborum incremento, & magnitudine.

CAP. XVIII.

Ariſtoteles in libro de Plantis. Arbor quælibet aſcendit ſemper, donec compleatur, & intereat; animalia quidem non ſic, quia *cuiuslibet animalis longitudo propinqua eſt ſuæ latitudini.* In planta verò remota eſt, quia radix eius, aqua, & ignis feſtinant in aſcenſu.

Nota.

Plinius vbi ſupra. Arbores quædam tardè creſcunt natura, & in primis tantum ſemine naſcentia, æuoque longo durantia, quæ autem citius occidunt, velocia ſunt, vt ficus & punica, malus, prunus, pirus, myrtus; ſalix, & tamen diuitiis antecedunt, In primatu enim ferre incipiunt oſtendentes & ante. Ex his eſt lentiſſima pyrus. Omnium ocyſſima cypirus & frutex pſeudocapyrius: protinus enim floret, ſemenque profert. Omnia verò celerius adoleſcunt, Srolonibus ablatis, & in vnam ſtirpem redactis alimentis.

Idem in lib. 16. Arborum ampliſſima ab hoc ęui exiſtimatur Romæ viſa, quam propter miraculum Tiberius Cæſar in ponte Naumachario expoſuerat advectam cum materia reliqua, duraſſitque vſque ad Neronis Principis Amphiteatrum. Fuit autem trabs è latice longa *pedes centum viginti bipedali craſſitudine æqualis, quo* intelligebatur altitudo reliqua vix credibilis, faſtigium ad cacumen æſtimantibus. Abies admirationis prępipuę viſa in naui, quæ venit ex Aegypto Caij principis iuſſu & obeliſcum in vaticano circo ſtatutum, quatuorque truncos lapidis eiuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit. Qua naue nil admirabilius viſum in mari certum eſt *Centum viginti modii tunc lentis pro ſaburra ei fuere. Longitudo ſpacium obtinuit mogna ex parte hoſtienſis portus latere leuo.* Ibi namque demerſa eſt à Claudio Principe ttibus molibus turrium altitudine in ea exædificatis obiter puteolano puluere aduectis, Quæ arboris craſſitudo quatuor hominum vlnas complectentium implebat. Vulgoque auditur octuaginta nummorum, & pluris, malos ad eos venundari vſus. Rares vero connecti quadraginta feſtertijs pleraſque. In Aegypto, & Syria Reges vſi feruntur ad Claſſes maxime cedro abietis inopia, hęc in Cypro traditur ſucciſa. Centum triginta pedum longitudinis, & ad trium hominum complexum craſſitudinis Germaniæ prædones *ſingulis arboribus cauatis nauigant,* quarum & quædam homines triginta ferunt.

Mira latitudinis arbor.

Nauis ingẽs.

Craſſa arbor.

Singulæ arbores Germanę cauatæ, naues erant.

De Arborum germinatione.

CAP. XIX.

Iſidorus. Germen dicimus pręgnantem ſurculum, à generando, vel gerendo ſic appellatum.

Germen vndet

Plinius vbi ſupra Orbo autem annuus naturæ ita ſe habet in arbore Primus eſt conceptus incipiente flare vento Fauonio, exinde Idus Februi ferè ſexto. Hoc enim

enim vẽto maritantur viuescentia è terra, quippe cum etiam equæ flante illo, concipiant in Hispania. Hic est genitalis mundi spiritus, à fouendo dictus, vt æstimauere quidam, & flat ab occasu æquinoctiali, ver inchoans. Hunc cathlitionem rustici vocant, natura gestiente semina accipere, eaq; satis omnibus animã inferente, vt varijs diebus concipiunt, & pro sua quæq; natura (alia protinus vt animalia) tardius aliqua, & diutius grauida ferũt partus, & ideo germinatio vocatur. Pariunt vero cũ florent, stosque ille ruptis constat vinculis: eius educatio in pomo est. Omnes autem germinant, etiam quæ non florent. Magna & locorum differentia, quippe cum ex eodem genere, quæ sunt in palustribus, germinent priora, mox vero campestria, & in syluis nouissima. Per se autem tardius pyri syluestres, quàm cętera; primo fauonio generat cornus, proximè laurus, pauloque ante æquinoctium, tilia, & acer. Inter primas vero nux & populus & vlmus, & salix & alnus; festinat & platanus. Cæteræ concepturę fiunt in vere, vt aquifolium, therebintus, paliurus, castanea, glandes. Serotino vero germine malus, tardissimus autem suber. Quibusdam germinatur germinatio, nimia Solis vbertate, aut inuitantis cœli voluptate, quod magis in herbis segetum euenit. In arboribus tamen nimia germinatio elassescit. Sunt aliæ naturales quibusdam germinationes, pariterque vernæ, quæ suis syderibus constant. Hibernæ quidem Aquilæ exortu. Aestiua vero canis ortu. Tertiaque arcturi constat: has duas quidam omnibus arboribus esse communes putant: sentiri aut maximè in fico, vite ac punice, causam afferentes, quoniam in Thessalia, & Macedonia tunc ficus exeat plurima. Maximè tamen in Aegypto apparet hæc ratio.

Arbores grauidæ sunt dum germinant, pariunt cum florent.

Etreliquæ quidem arbores continuant germinationem, vt primum cœperunt. Robur autem larix, atque abies intermittunt tripartita quidem, ac trina germina edunt, ideo inter squamas corticem spargunt, quod omnibus in germinatione euenit arboribus, quia pręgnantium cortex rumpitur. Est autem prima earum incipiente vere circiter quindecim diebus. Iterumque germinant Sole geminos transeunte. Sic fit, vt dum prima cacumina impelluntur, se cutis aperiat geniculato incremento Tertia illarum est ad Solstitium breuissima, nec diutius septenis diebus, clarèque etiam tunc cernitur excrescentium cacuminum articulatio.

Vitis sola bis parturit.

Vitis *sola bis parturit, cum primum vuam emittit, iterumque cum digerit,* eorum quæ non florent, partus tantum est, & maturitas. Quædam statim in germinatione florent, properantque in eo, sed tardè matureſcunt vt vites. Serotino quædam germinatu florent, *celeriterque maturant,* vt morus, quæ germinat vrbanarum nouissima, *nec nisi exacto frigore.* Dicta ob id arborum sapientissima, sed cum cœperit, vniuersa germinatio subito erumpit.

Arborum sapientissima morus.

De Arborum floribus, & earum varietate.

CAP. XX.

Florum etymon.

Isidorus. Flores dicti sunt: quia cito de arboribus defluunt, quasi fluores, eo quod cito soluantur. In his duplex est gratia, coloris & odoris, Austro soluuntur flores, zephyro fiunt.

Aristoteles vbi supra. Flos (vt dictum est superius) de subtili tantum materia existit, qua digestio incipit, & ideo fructum in plantis, vt plurimum præcedit. Quod autem quædam (vt palmæ, & similia) flores non habent, vt plurimum fit propter suarum partium diuersitatem, suamque subtilitatem, & asperitatem, & crassitudinem.

Plinius lib. 16. Pariunt arbores cum florent, & flos ille ruptis constat vinculis. Flos est gaudium arborum. quæ tunc se nouas aliàs quàm sunt, ostendunt, varijsque colorum picturis in certamen vsque luxuriant. Non tamen florent omnes, sed sunt aliquę triſtes, quę-

Arbores triſtes quæ non florent.

A que annorum gaudia non sentiunt. Nam *nec ilex, nec picea, nec pinus, nec larix, vllo flore exhilarantur*, nataleſ ve recursus pomorum annuos versicolore nuncio promittunt, nec fici, atque caprifici; protinus enim flores fructum gignunt. Sed nec iuniperi florent. Quidam earum duo genera tradunt, alteram florem non ferre. Quæ verò non floreat ferre protinus baccis subnascentibus, quæ biennio hæreant. Sed id falsum est, omnibusque his dura facies semper. Sic & hominum multis forma sine flore est. Eorum quæ non florent, partus tantum & maturitas est, Quædam statim in germinatione florent, atque in eo properant, sed tandem matureſcunt, vt vitis.

Serotino quædam germinatu florent, celerique maturant, sicut morus, quæ vrbanarum nouissima germinat, nec nisi exacto frigore, ex his quæ hyeme Aquila exoriente concipiunt, omnium prima floret amigdala mense Ianuario, pomum verò maturat in Martio. Ab ea proximè Armenica florent, deinde tuberes, & præcoces illæ peregrinæ, hæ coactæ. Ordine autem naturæ syluestrium primæ, sambucus cui medulla est plurima, & cornus mascula, cui nulla. Macula vrbanarum malus, paruoque post, vt simul videri possit, & pirus, & cerasus & prunus. Sequitur laurus, illamque cupressus, deinde punica & fici, at vites & oleæ germinant, florentibus iam his. Vergiliarum exortu concipiunt, idest tertio Idus Octobris: hoc enim sydus illarum est, floret autem Solstitio vitis & olea, quæ paulo serius incipit. Defloreſcunt omnia diebus septenis non celerius, quædam tardius, sed nulla pluribus biseptenis,

Glo. super Lucam In fico loco floris quidam fructus creſcunt, qui succreſcentibus alijs decidunt, quidam tamen ex illis remanent, qui clementiori aura syluestrem naturam peioris succi exuentes, cæteris specie atque maturitate præferuntur.

Auctor. De floribus autem herbarum dicta sunt quædam superius, quæ etiam conueniunt floribus arborum, & sicut flores herbacei sunt diuersicolores, alij videlicet candidi, alij rubicundi, alij crocei, alij purpurei sic & flores arborei.

De Arborum fructificatione.

CAP. XXI.

Aristoteles vbi supra. Sicut autem operatio multorum animalium est amissio spermatis, sic operatio arborum est emissio fructus, & seminis. Prima quidem virtus mouens, est in seminibus. Semina mouentur ex calore naturali, ac vento, qui est in eis: ex his exeunt fructus in locis suis. Tripliciter autem est arborum fœcunditas, producunt enim fructum, vel ante folia, vel cum folijs, vel post folia perfecta. Quędam quoque producunt fructus super folia sua, quędam sub folijs. Ex quarundam fructus est suspensus à stipite suo, quarundam à radice, quarundum fructus est in medio earum, quarundam & fructus sub cortice. Fit autem *fructus amarus* quandoque, quia *calor & humor completi non sunt in digestione.* Frigus autem & siccitas prohibent, vt compleantur, & ob id ad amaritudinem conuertuntur. Arbores autem, quæ in arenosa terra nascuntur, fructum dulcem, faciunt. Iterum arbores in aqua acetosa faciunt fructum dulcem, quia acetositas attrahitur cum calore Solis, quod fuit suæ qualitatis, hoc est frigus, & siccitas. Apparent ergo aquæ intrinsecæ dulces, calefitque venter arboris, quoniã perseuerat super eam calor Solis, eritq; fructus acidus in succositate, & quantum in plus digestum fuerit, dissoluetur paulatim acetositas, donec consumatur, apparebitque dulcedo. Erit ideo fructus dulcis, tamen folia sua, & extremitates acidę.

Fructus amaritudo vnde proueniat.

Omnibus autem arboribus, cum primo plantatæ fuerint, dominabitur amaritudo, vel ponticitas causa humorum, quando fuerit in extremitatibus illarum, & digesserit loca, quæ sunt in medio arborum, de qui-

bus

Cur prima digeſtio amara.

bus erunt materiæ, prouenit ſiccitas, & conſequitur humorem, ſitque prima digeſtio acida, vel amara, vel pontica. Cauſa eſt, quia cum calore & humore eſt digeſtio, cumque vicerit humor & ſiccitas calorem, erit ex eo in principio fructus non bene digeſtus: & ideo generatio fructuum in principio eſt præter dulcedinem. Mirabolanorum tamen arboris fructus in principio, cum apparent, dulces ſunt, conſequenter pontici, in completione amari. Arbor enim rara eſt nimis, & in hora digeſtionis, cum ſint meatus ampli, ſequitur calor humorem, & maturabit fructum: etit ergo in principio dulcis. Deinde calor attrahit ſiccitatem ſibi ſimilem, & anguſtabit meatus, ideſt poros, vincunque frigiditas, & ſiccitas calorem, & humorem. Alterabitur ergo fructus ad ponticitatem, vincetque Sol cum calore per attractionem ſupefluam ſiccitatis in ſemine illo, quod eſt in apparenti arborum, vincetque frigus ſiccitatem, erit ergo fructus fortis ponticitatis. Deinceps aſcendet calor naturalis ſurſum, & adiuuabit eum calor Solis extrinſecus. Vincent ergo calor & ſiccitas, & erit fructus amarus. *Idem in li. de animalibus.* Arbores quædam non faciunt fructum, niſi per continentiam, qua adiuuantur in digeſtione, ſicut ficus agreſtis & caprifici. *Palladius li. 3. Menſe* Februario, *ſi vetus vrina pomis & vitibus affundatur, & numero fructuum præſtat, & forma.* Cui etiam proderit, *vt amurca miſceatur inſuſa*, ſed hoc diebus frigidioribus, antequam feruor incipiat. *Plinius lib. 16.* Arborum fructum gignentium quædam ex lateribus ramorum ferunt, & cacuminibus, vt pyrus, & punica, & ficus, & myrtus. Cæteræ eadem natura, quæ frugibus, namque & in eis ſpica in cacumine naſcitur, & legumina in lateribus. Palma ſola in ſpatulis habet fructum in racemis propendentem. Reliquis ſub folio pomum, vt protegatur, excepta fico, cui folium eſt maximum, & vmbroſiſſimũ, & ideo ſupra id pomum, & demum ſerius naſcitur folium, quàm pomum. Celerrimè malus ſeneſcit, & in ſenecta deteriorem fructum gignit. Nam & minora proueniunt poma, & vermiculis etiam obnoxia, quin & in arbore naſcuntur ipſa.

Nota experientiam vt fructibus arbores abundent quædã.

De quarundam arborum feracitate.

CAP. XXII.

Ariſtoteles in libro de Plantis. Porro tam in arboribus, quàm in animalium generibus crementum quantitatis creſcit in ſemen, & ſicut ex vno coitu generant quędam animalia multos filios, ſic & arbores paulatim creſcunt, quouſque proueniant ad terminum ſuum naturalem, & magnitudinis ſuæ finem. Denique ſicut aues parui corporis ſunt multi coitus, & multorum ouorum, ſic accidit & quibuſdam arboribus, quia crementum corporis tranſit in humiditatem ſpermentalem. Verum arbores, quæ multum faciunt fructum, cito deficcantur, quia cibus tranſit in ſemen. Arbores ſylueſtres magis fructificant, quàm hortenſes, ſed hortenſium fructus ſunt meliores. *Plinius lib. 16.* Arbores quædam bis anno ferunt fructus, quædam ter. In Choo inſula caprifici triferæ ſunt. Primo fœtu ſequens euocatur, ſequenti tertius. Sunt & in malis & piris biferæ, ſicut & præcoces. Malus ſylueſtris bifera eſt, ſequens eius fructus eſt poſt arcturum, in apricis maximè vites quędam, & triferæ ſunt, quas ob id inſanas vocant, eo quòd in his quædam matureſcunt, alia turgeſcunt, alia florent. Marcus Varro auctor eſt, vitem fuiſſe Smyrnę triferam, & malum in agro Conſentino. Hoc etiam perpetuo euenit in frauenneſi agro. Talis eſt enim fertilitas ſoli. Trifera eſt enim cypreſſus. Eſt & in ipſis arboribus onuſtis differentia particularis. Nam ſumma ſui parte fertilior eſt arbutus, Quercus inferiore, iuglandes, ac fici, & mariſcæ. Omnes quo magis ſeneſcunt, eo maturius ferunt, & in apricis locis, nec pingui terra. Sylueſtria omnia tardiora, quædam ex his omnino non matureſcunt. Item quæ ſubarantur, aut quę ablaqueantur, celeriora neglectis, hæc & fertiliora.

Caprifici triferæ.

Eſt etiam ætatis differentia. Amigdãla & pyrus in ſenecta fertiliſſimæ ſunt, & glandiferæ, & quoddam genus ficorum. Cæteræ in iuuenta, tardiusque maturantes, quod maximè notatur in vitibus. *Nam vetuſtioribus quidem vinum eſt melius, ſed nouellis copioſius.* Omnia verò præfæcunda celerius ſeneſcuut. Quin & protinus moriuntur aliqua cœlo fœcunditatem omnem eblandito, quod maximè vitibus euenit. Denique in totum omnis cura fertilitatem adiicit, fertilitas ſenectam. Ideo præflorent alia, & prægerminant, & tota fiunt præcocia, quoniam infirmitas omnis cœlo magis accidit. Cętera quędam in terra gigni non poſſunt, & in arboribus naſcuntur, quia cum ſedem naſcendi ſuam, id eſt propriam non habeant, in aliena viuunt, vt viſcum. Et eſt herba in Syria, quæ vocatur Caſtas, non tantum arboribus, ſed ipſis etiam ſpinis circumuoluens ſe. Item circa templa Theſſalica, quæ polypodion vocatur, & quæ dolichos, ac ſerpillum. Oleaſtro quoque deputato, quod gignatur, Phaunos vocant. *Idem in lib. 12.* Arborum quædam glandes ferunt, quædam irritamenta gulæ nouiſſima Circa radices gignunt quædam viſcum, & mella ferunt, vt robur. Conſtatque melleos rores è cælo cadentes frondibus inſidere, quædam lanugines, ex quibus fiunt veſtes pretioſo lintheo.

Nota de vitibus.

De varietate temporis arborum in proferendo, & maturando fructum.

CAP. XXIII.

Idem in lib. 16. In pleriſque arboribus non ſtatim poſt defloratione ſequitur fructus. Cornus enim circa Solſtitia reddit fructum ſuum primo candidum, poſtea ſanguinem. Fœmina in hoc genere poſt Autumnum bacchas fert acerbas, & inguſtabiles cunctis animantibus, ligno quoque fungoſa, & inutilis. Terebinthus ſemen reddit meſſibus, & acer, & fraxinus, nuces, & mala, & pira, prętерquam & hiberna aut præcocia. Autumno glandiferæ etiam non ſerius vergiliarum occaſu. Eſculus tantum Autumno. Incipiente autem hyeme quędam genera mali, pirique ac ſuber. Abies flores croci colore circa Solſtitium, ſemenque reddit poſt vergiliarum occaſum. Pinus autem & picea 15. ferè diebus pręueniunt germinatione, ſemen quoque poſt vergilias reddunt & ipſæ. Cedri ac iuniperus, ac ilex, annuę ferè habentur, nouusque fructus in his cum Autumno pendet. In maxima tamen admiratione pinus eſt, habet enim *fructum matureſcentem, habet & anno proximo, ac deinde tertio venturum ad maturitatem.* Nec vlla ſe auidius arbor promittit, quia quo menſe nux ex ea decerpitur, eodem alia matureſcit. Sicque diſpenſatur, *vt nullo non menſe matureſcant.* Omnes autem arbores, quo magis ſeneſcunt, eo maturius ferunt. Omnia vero ſylueſtria tardiora ſunt, quædam etiam ex his omnino nõ matureſcunt.

Maxima admiratio Pinus.

Amigdala & pirus in ſenecta fertilliſſimæ, cæteræ in iuuenta, tardiusque maturantes. Sola ficus ex omni arborum fœtu maturitatis cauſam meditatur; Iam quidem ex portentis, quoniam maiora ſunt pręcocia prępoſteris. *Ariſtoteles vbi ſupra.* Arbores in terris temperatis exiſtentes accelerant maturationem ante dies vernales, quia calor, cum fuerit prope temperantiam, & cum ſit humor apparens, aerque clarus calore multo non eget in digeſtione fructus. Mirabolanorum (vt dictum eſt) arbor rara eſt nimis, & in hora digeſtionis, cum ſint meatus ampli ſequitur calor humorem, & maturat fructum, ideoque in principio dulcis eſt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qua loca, vel tempora magis conueniunt arboribus ad fructificandum.

CAP. XXIV.

PLinius lib. 19. Aquilone maximè gaudent arbores denſiores ab eius afflatu latiores, & materiæ firmiores. Qua in re plerique falluntur, cum in vineis pedamenta non ſint à vento eo opponenda, & id tantum à Septentrione ſeruandum. Quinimo & tempeſtiua frigora plurimum conferunt arborum firmitati, & ſic optimè germinant. Alioquin ſi blandiantur Auſtri, defatiſcunt, ac magis in florem. Nam ſi cum defloruere, protinus imbres ſequuntur, in totum poma depereunt, adeo vt amigdali & piri, etiam ſi omnino nubilum fiat, Auſtrinusve flatus, amittant fœtus. Circa vergilias pluere, & inimiciſſimum eſt viti, & oleæ, quia tunc eſt coitus earum. Hyemem quidem Aquiloniam eſſe, omnibus ſatis vtiliſſimum eſt, imbres vero tunc expetendi euidens cauſa eſt. Nam arbores exinanitas, languidasque foliorum amiſſione, naturale eſt auidè eſurire. Cibus autem earum eſt imber. Quare oportet hyemem tepidam eſſe, vt arborum partu abſumpto ſequatur protinus conceptus, & germinatio, deinde folia. Qui ergo ſerenas hyemes optandas eſſe dixit, non pro arboribus vota facit, nec per Solſtitia vitibus imbres conducunt. Arborum vota, frugumque communia ſunt, niues diutinas ſedere. Cauſa non ſolum, quia terræ animam euaneſcentem exhalatione includunt, & comprimunt, retroq; agunt in vires frugum atque radices. Verum quod & liquorem ſenſim præbent, purum etiam ac leuiſſimum, quia nix eſt aquarum ſpuma cæleſtium. Humor ergo ex his non eſt vniuerſus ingurgitans atq; diluens. Sed quomodo ſtitur ſtillans, velut ex vbere alens omnia non inundans. Tellus etiam hoc modo fermenteſcit, & ſucci plena. Nam cum tempus aperit tepidis arridet otris. Sic maximè frumenta pingueſcunt, præterquam vbi eſt ſemper calidus aer, vt in Ægypto; continuatio ſiquidem, & ipſa conſuetudo idem quod modus alibi effecit. In maiore orbis parte cum præcoces excurrerint germinationes euocatæ indulgentia cœli ſequentis frigoribus exuruntur. Qua de cauſa ſerotinæ hyemes nóxiæ ſunt ſylueſtribus, quæ magis quoque dolent, vrgente vmbra ſua, nec adiuuante medicina, quoniam veſtire teneras intorto ſtramento in ſylueſtribus non eſt: arbores quæ fructus ſuos diutius continent, longioresq; cibos deſiderant, his & aquæ ſerotinæ ſunt vtiles, vt oleæ, viti, puniciſque. Virgilius ad occaſum vites ſeri damnauit. Aliqui vero ſic maluere, quàm in exortu. A pluribus autem probati meridiem aduerto.

Pluuia inimiciſſima viti quæ?

Arborũ vota niues.

Regula pro arborum cura.

Igitur ad naturam *Solis*, ad ingenium loci, ad mores quoque cœli dirigenda eſt cuiuſlibet ſolertia. In Aphrica vineas ſpectare meridiem, & ſi viti eſt inutile, colono tamen eſt ſalubre, quoniam ipſa regio meridianæ ſubiacet plagę. Qua propter ibi, qui in Occaſum, aut Septentrionem conſeret, optimum ſolum cœlo miſcebit. Multum vero rationis obtinent & venti. Quidam cœlum terræ parere cogunt, vt quæ ſerantur in ſiccis Orientem, ac Septentriones ſpectent, & quæ in humidis meridiem. Nec non ex ipſis vitibus cauſas mutuantur in frigidas ſerendo præcoces, vt maturitas antecedat algorem. Quæ vero poma, vitesque rorem oderint contra ortum, vt ſtatim auferat eum Sol. Quæ autem amant rorem ad Occaſum, vel ad Septentrionem, vt diutius eo fruantur. Cæteri vero vites, & arbores in Aquilonem poni, ſuaſere ſecuti rationem naturæ. Odoratiorem quoque fieri talem fructum, Democritus putat. Et manifeſtum videtur ſalubritatis argumentum, quoniam in meridiem ſpectantium ſemper decidunt folia.

De Sterilitate vel aborſu quarundam arborum.

CAP. XXV.

IDem in lib. 16. Fructum arborum ſolæ nullum ferunt, hoc eſt, nec ſemen quidem tamarix, & Scopis tantum naſcens populus, alnus, vlmus, attinia. Alaternus, cui folia inter ilicem, & oliuam. In fœlices autem exiſtimantur, quæ nec vnquam ſeruntur, nec fructum ferunt. Nouellæ arbores carent fructu, quandiu creſcunt. Facillimè perdunt ante maturitatem fructus palma, ficus, amigdalus, malus, & pyrus. Item punica, quæ roribus nimijs, & pruinis florem amittit, qua de cauſa ramos eius inflectunt, ne ſubrecti humorem infeſtum excipiant, atque contineant. Pyrus & amigdala, etiam ſi non pluat, ſed auſtrinum cœlum, atque nubilum fiat, florem & primos fructus amittunt, ſi cum defloruere tales dies fuerint. Ocyſſimè ſalix amittit ſemen, antequam omnino ſentiat maturitatem. Et ob id ab Homero dicta eſt *frugiperda. Et in libro 17. idem*: animalium depaſtio quaſdam arbores lædit, ac ſterileſcere facit. Oleam quidem ſi lambit capra, ſterileſcere auctor eſt Varro. *Iterum in 16. idem.* Fiunt & quædam loci vitio infructuoſa, ſicut in pharo ſylua eſt quæ nihil fert. Perſicæ quoque arbores in Rhodo florent tantummodo. Fit etiam hic differentia ex ſexu, in his eſſe mares, quæ non ferunt. Aliqui tamen hoc permutantes tradunt mares eſſe quæ ferunt. Facit & denſitas ſterilitatem. *Idem in 17.* Arbores fœtu exinanitas, & foliorum quoque amiſſione languidas, naturale eſt auidè eſurire. Cibus autem earum imber. Quare tepidam eſſe hyemem, vt abſumpto partu arborum ſequatur protinus conceptus, ideſt germinatio ac deinde alia floreſcendi exinanitio inutiliſſimum experimentis creditur. Quinimmo ſi plures continuentur anni, etiam ipſæ moriuntur arbores, quoniam nemini dubia pœna eſt in fame laborantium. Quibuſdam verò debilitas ſterilitatem affert, non necem, vt ſi quis auferat pomo, vel palmę cacumen, ſterileſcunt enim nec moriuntur. *Ariſt. vbi ſupra.* Homines multę carnis, multęque pinguedinis non ſpermatizant, niſi modicum, neque coitum deſiderant, raroque generant. Sic & quędam arbores non fructificant, vt ſalix, & nux Romana. Denique (ſicut iam ſuperius dictum eſt) arbores, quæ multum faciunt fructum, cito deficcantur, quia cibus tranſit in ſemen.

Arbores quæ nec ſemen nec fructum ferunt.

Salix frugiperda ab Homero vocatur & cur.

Arbores auidæ ſitiunt amiſſo fœtu.

De Morbis arborum communibus.

CAP. XXVI.

PLinius vbi ſupra. Infeſtantur namque & arbores morbis. Quid enim genitum caret his malis, & ſylueſtrium quidem pernitioſos negant eſſe, vexatiq; tantum eas grandine in germinatione, aut flore. Aduri quoque feruore vel flatu fragiliore præpoſtero die, quàm ſuo. Frigora etiam obſunt. Quid ergo nonne & algore vites intereunt? & hoc eſt, quo deprehendatur vitium ſoli, quia non niſi in frigido. Itaque per hyemes cęli rigorem probamus. Non ſolum enim infirmiores, ſed etiam maximæ arbores gelu periclitantur. Sicq; vexatis *primo cacumina inareſcunt*, quoniam *humor gelu præſtrictus non potuit eo peruenire.* Arborum quidam morbi communes ſunt, quidam priuati generis. Communis eſt vermiculatio, ſideratio, doloreque membrorum ex detruncatione. Vnde partium adhibita ſocietate, nominum quoque cum hominum miſerijs, trunca dicimus certa corpora, & oculos germinum exuſtos, multaque ſimili ſorte. Laborant quidem arbores & fame, & ariditate, quæ fiunt humoris quãtitate. Aliquæ vero obeſitate, ſicut omnes, quæ ferunt reſinam, pinguedine nimia mutantur in tædam. Cumque & radices pingueſcere cœperint,

Primo cacumina inareſcunt in arboribus gelu vexatis, & cur?

intereunt,

intereunt, ſicut alia nimio adipe, quanto & peſtilentia per genera ſicut inter homines, ſeruitia, nunc plebs vrbana, vel ruſtica. Vermiculantur magis minusve quædam, omnes tamen ferè. Idque aues caui corticis experiuntur ſono. Iam quidem & in hoc luxuria eſſe cœpit.

Prægrandesq; roborum delicatiores vti in cibo, coſſes vocant, & etiam farina ſaginati. Hi quoque altiles fiunt. Maximè autem arbores hæc ſentiunt, pyri, & mali, & fici, minus quę amaræ ſunt, & odoratæ. Eorum qui exiſtunt in ficis, alij ex ipſis naſcuntur, alias parit, qui ceraſtes, vocatur. Omnesque in ceraſtem figurantur, ſonumque edunt paruuli ſtridoris. Sorbus vermiculis rufis, atque piloſis infeſtatur, atque ita emoritur. Meſpila quoq; in ſenecta ei morbo eſt obnoxia.

Syderatio. Syderatio tota conſtat è cœlo, quapropter in ea debet intelligi grandinatio, & carbunculatio, & quæ pruinæ euenit iniuria. Hoc enim malum verno tempore inuitatis, & erumpere audentibus, ſatis mollibus inſidens, adurit lacteſcentes germinum oculos, quod in flore carbunculum vocant. Pruinæ pernicioſior eſt natura, quoniam lapſa perſidet, ac gelat, & nec aura quidem vlla depellit, quia non fit niſi immoto aere ac ſereno, proprium tamen ſiderationis eſt ſub ortu canis ſiccitatū vapor, cum inſitæ & nouellæ arbores moriuntur, præcipueque vites & ficus. *Idem in li.* 18.

Sub ortu canis fit ſyderatio & cur. Denique arboribus accidunt duo genera cœleſtis iniuriæ. Primum quidem tempeſtates, in quibus procellæ, grandines, cæteraque ſimilia intelliguntur, quæ cum acciderint, vis maior appellant, hæc ab horridis ſyderibus exeunt, velut arcturo, orione, & hædis. Alia vero ſunt illa, quæ ſilente cœlo, ſereniſque noctibus fiunt, nullo ſentiente, niſi cum facta ſunt. Hæc multum differunt à prioribus. Aliis quidem rubiginem, & aliis vredinem, aliis quoque caniculum appellantibus, omnibus autem ſterilitatem *Idem in lib.* 16.

Scabies arborum. Scabies quoq; omnium communis eſt, & impetigo. Scabies gignitur roribus lentis poſt vergilias. Nam ſi rariores fuerint, perfundunt arborem non ſcalpunt ſcabie. Sic etiam cadunt, ſi imbres nimij fuere.

De Morbis earum ſpecialibus.

CAP. XXVII.

Idem in eodem. Peculiaria ſunt ficorum vitia, impetigo, & quę cochleæ adnaſci ſolent, nec vbiq;. Sunt enim & locorum ægritudines quædam. Verum, vt hominum neruorum cruciatus, ſic & arbori. Ac duobus æquè modis. Aut enim in pedes ideſt radices erūpit vis morbi, aut in articulos, hoc eſt in cacuminum digitos, qui longiſſimè à corpore toto exeunt. Inareſcunt ergo, & ſunt apud Græcos ſua nomina vtrique vitio. Vndique primo eſt dolor, mox & materies earum partium fragilis, Poſtremo tabes morbusq; non intrante ſucco, vel non perueniente, maximeque id ſentiunt fici. Porro caprificus immunis eſt omnibus, quæ adhuc diximus. Alio etiam morbo laborat ficus madidis radicibus. Vitibus præter vermiculationem, & ſyderationē, Articulatio morbus eſt peculiaris, quæ tribus accidit de cauſis. *Una vi tempeſtatum* germinibus ablatis. *Altera* (vt notauit Theophraſtus) *in ſupinum exciſis.* Tertia vero culturæ imperitia læſis, omnes earum iniuriæ ſentiuntur in articulis. Syderationis genus eſt in his defloreſcentibus roratio. Aut cum acini priuſquam creſcant, decoquuntur in callum. Ægrotant & cum alſere, læſis vredine attonſarum oculis. Ex calore hoc euenit intempeſtiuo, quoniam omnia modo conſtant, certoq; temperamento: fiunt & vitia colentium culpa, ſicut videlicet dicetur infra.

Morbi ſunt arborum.

Articulatio accidit vitibus ex triplici cauſa.

Olea præter vermiculationem, quam æquè vt ficus ſentit, patitur & *clauum ſiue fūgum*, dici placet aut patellam, hoc eſt ſolis aduſtio. Nocet etiam plerunque vitibus, & oleis *fertilitas* nimia. Nocere tradit Cato, & rubrum muſcum. Infirmiſſima vero malus eſt, maximè quæ dulcis eſt. Quarundam natura non necat quidem, ſed vel ſucci mixtura lædit, vt raphanus & laurus vitem. Olfactrix enim vitis intelligitur & mirum in modum tangi talium odore. Ideoque cum iuxta ſit auerti, & recedere, ſaporemque fugere inimicum, Hinc ſumpſit Androchides medicinam contra ebrietatem raphanum mandi præcipiens. *Odit & caulem*, & omne olus, odit & corylum, procul *abſint triſtes & agræ arbores.*

Quę noceant oleis.

Olfactrix vuis.

Quæ odit.

Quędam vero temporum cauſæ, vel locorum ſpecialium non propriè dicuntur morbi quia protinus necant, ſicut tabes, cum inuaſerit arborem, aut vredo, aut flatus alicuius regionis proprius, vt eſt Atabulus in Apulia, Olympias in Euboea. hic enim ſi circa brumam flauerit, arbores frigore exurit: ſic eas arefaciens, vt nullis poſtea ſolibus recreari poſſint. Hoc genere cōualles, & oppoſita fluminibus laborant, præcipueque vitis & olea & ficus. Quod cum euenerit ſtatim in germinatione detegitur in oliuis tardius. Sed in omnibus ſignum eſt reuiuiſcendi, ſi folia amiſere alioquim moriuntur, quas putes pręualuiſſe. Deniq; nitrum & alumen, & aqua marina calida, & fabæ putamina vel erui vltima venena ſunt inter arborum vitia.

De Nocumentis arborum illatis ab hominibus, vel animalibus.

CAP. XXVIII.

QVæ vero hominis iniuria conſtant, cauſas ſecundas habent, cortice in orbe detracto necātur arbores, excepto ſubere, quod ſic etiam iuuatur. Craſſeſcens enim præſtringit, & ſtrangulat. Nec andrachne offenditur, ſi non ſimul & corpus inſcidatur. Alioquin ceraſus & vitis, ac tilia corticem mittunt, non tamen vitalem, nec proximum corpore, ſed eum, qui alio ſubnaſcente expellitur. Quibuſdam vero rimoſus eſt cortex, vt platanis. Tiliæ tenaſcitur paulominus, quàm totus. Ergo his, quarum cicatricem trahit, medentur luto, fimoq; & aliquando proſunt, ſi non vehementior frigorum, vel calorum vis ſecuta eſt. Quædam tardius ita moriuntur, vt robur & quercus. Refert & tempus anni. Nam abieti & pino ſi quis detraxerit corticem, Sole Taurum vel Geminos trāſeunte, cum germinant, ſtatim moriuntur. Eandem iniuriam hyeme paſſæ diutius tollerant, Similiter & ilex & robur & quercus. Quod ſi anguſta decorticatio fuerit, nil nocet ſupradictis. Infirmioribus quidem & in ſolo gracili, vel ab vna tantum parte detractus interimit. Similem & decacuminatio rationem habet, piceæ, cedri, cupreſſi. Hę na mque cacumine detracto, aut igne aduſto, intereūt. Similē habet & animalium depaſtio. Oleam ſiquidem (vt dictum eſt ſuperius) ſi lambat capra ſterileſcere, auctor eſt Varro. Quædam autem (vt diximus) hac iniuria moriuntur. Aliqua vero deteriora fiunt tantum, vt amigdalæ. Ex dulcibus enim transfigurantur in amaras, Aliqua vero etiam vtiliora, ſicut apud Chios, pirus quam phocida appellant. Nam detrūcatio quoque, quibus prodeſſet diximus. Intereunt pleraque & fiſſa ſtirpe, exceptis vite, malo, fico, punico. Quædam vel ab vlcere tantum, at ficus hanc iniuriam ſpernit, & omnia quæ reſinam gignunt radicibus amputatis mori, minimè mirum eſt. Pleræque tamen non omnibus, ſed maximis, aut quę ſunt inter illas vitales, abſciſis moriuntur. Vitiantur denique vites, vel arbores colentium culpa, cum præſtringuntur, aut cum circumfoſſor iniurioſo ictu verberauit, vel etiam ſubarator imprudens radices laxauit, corpusve deſquamauit. Eſt & quædam contuſio falcis hebetioris. Quibus omnibus cauſis difficilius tollerāt frigora, vel æſtus, quoniam in vlcus omnis iniuria penetrat à foris. Pino, vel palmæ, ſi acumen auferatur, ſterileſcunt quidem, ſed non moriuntur.

Refert tempus anni pro detractione corticis arborum.

Quomodo vitiantur vites.

De Corruptione fructuum in arboribus.

Cap. XXIX

AEgrotant aliquando, & poma ipſa per ſe ſine arbore, ſi neceſſariis temporibus imbres, aut tepores, vel flatus defuerint, aut econtrario abundauerint, aut enim decidunt, aut deteriora fiunt. *Peſſimum eſt inter omnia, cum vitis, & olea defloreſcentes imbre percutiuntur*, quoniam ſimul defluit & fructus. Sunt & ex eadem cauſa naſcentes & erucę dirum animal, eroduntque frondem, aliæ florem. Oliuarum quoque, vt in Mileto, & arborem depaſtam turpi facie relinquunt. Naſcitur hoc malum *tempore humido & cæleſto*. Fit & aliud ex eodem ſi ſol acrior inſecutus ipſum vitium inuſſerit, ideoque mutauit. Eſt etiam nunc peculiare vitium oliuis ac vitibus, quod araneũ dicunt, videlicet cum veluti telæ fructum inuoluunt & abſumunt. Adurunt & quidam flatus eas maximè, ſed & alios fructus. Nam vermiculationem & ipſa poma per ſe quibuſdam annis ſentiunt, mala, pyra, meſpila, punica. In oliua ancipiti euentu quando ſubeunt nati fructum adimunt. Augent ſi in ipſo nucleo fuere erodentes eum. Illos gigni prohibent, quæ poſt arcturum fiunt pluuiæ. Eædem vero, ſi auſtrinæ fuerint, hydropiſim quoque generant, quæ matureſcentes tunc præcipuè ſunt caducæ. Id magis euenit riguis, etiam ſi non ceciderint faſtidiendis. Sunt & culicum genera quibuſdam permoleſta, ſicut iuglandibus & ficis, quæ videntur ex humore naſci tunc dulci ſubdito corticibus. Hæ ſunt ægrotationes accidentes per ſe arboribus, vel earum fructibus.

Nota.

Eruca quãdo naſcãtur.

Araneum.

De Arborum prodigiis.

Cap. XXX.

ESt & in arboribus prodigijs locus. Inuenimus enim eas ſub folijs natas, vitem ficum & malum punicam ſtirpe fructum protuliſſe, non palmite, vel ramis & *vitem vuas ſine foliis*, oleas quoque *amiſiſſe folia hærentibus baccis*. Sunt & miracula in eis fortuita. Nam & *oliua in totum ambuſta renixit*, & in Boetia *ficus à locuſtis deroſa iterum germinauere*. Mutantur arbores & colore, ac *fiunt ex nigris candidæ*, non ſemper prodigioſæ, & maximè quæ naſcuntur ex ſemine, vt alba populus in nigram tranſit. Quidam & ſorbum ſterileſcere putant, ſi in loca calidiora venerit. Prodigio quoque *fiunt ex dulcibus acerba poma*, vel ex acerbis dulcia è caprifico fici, & econtra. Graui oſtento cum in deteriora mutantur, vt olea in oleaſtrum, & vua candida, vel ficus in nigras, vt Laodiceæ Xerxis aduentu platanus in oleam. Apud Græcos Ariſtandri volumen ſcatet oſtentis talibus, ne in infinitum abeamus. Apud nos vero C. Epidii commentaria reperiuntur, in quibus *arbores locutæ referuntur*. In Cumano ſubſedit arbor graui oſtento paulo ante Pompeij Magni bella ciuilia, paucis eminentibus ramis. Inuentumq; eſt libris Sybillinis verſibus internecionem hominum fore, tantoq; eam maiorem, quanto propius poſtea facta eſſet ab vrbe. Sunt & prodigia cum alienis locis enaſcuntur, vt in capitibus ſtatuarum vel aris. Vel cum in arboribus ipſis alienæ, ſicut ficus in lauro nata eſt Cyrici ante obſidionem. Romæ quoque in Capitolio bis bello Perſei enata palma, victoriam triumphosque protendit. Ac tempeſtatibus proſtrata, eodem loco ficus enata eſt M. Meſſalæ. C. Craſſij Cenſorum luſtro à quo tempore pudicitiam ſubuerſam Piſo grauis auctor prodidit,

Miraculum naturæ.

Arbores loquutæ.

De Ipſarum remediis.

Cap. XXXI.

Remedia arborum.

IDem *in eodem*. Nunc expoſitis arborum morbis, conſentaneum eſt dicere quoque de remediis. Ex his ſunt quædam omnium communia, quædam vero aliquarum propria. Communia *ſunt ablaqueatio, aculeatio, afflari radices, aut cooperiri, riguis potu dato, vel ablato, ſimi ſucco refectis, putationeq; onere leuiatis. Item emiſſo ſucco quibuſdam veluti detractio ſanguinis circumraſi corticis. Vitium extenuatio*, & palmitum gemmarumque dominatura, ſi frigus retorridas hirtasque fecerit, *repumicatio, & quędam politura*. Arborum his aliæ magis gaudent, aliæ minus. Nam cypreſſus aquam & ſimum ac circum foſſuram, & amputationem aſpernatur, omniaque odit remedia, quin etiam his necatur. Riguis & vites punicæ præcipuè aluntur. Ipſaq, arbor ficus riguis alitur pomum autem inareſcit, Amigdalæ ſi colantur foſſione, florem amittunt. Nec inſitas oportet circumfodere, priuſquàm validæ cæperint poma ferre. Plurimæ autem oneroſa ſibi & ſuperuacua, amputari volunt, ſicut nos vngues atque capillos. Veteres reſciduntur totæ, & rurſus à ſtolone aliquo reſurgunt, ſed non autem omnes niſi quarum natura patitur.

Nota.

Aquæ riguæ effectus.

Remedia particularia diuerſarum arborum.

Rigua æſtiuis vaporibus vtilia ſunt, hyeme vero inimica. Autumno varia, & hoc eſt ex natura ſoli. Quippe cum vindemiatur, Hiſpaniarum vuas ſtagnante ſolo demetat. Cæterum maiore in parte orbis etiam pluuiæ & omni aqua ſeri & arari conuenit. Circa canis ortum rigua maximè proſunt, ac ne tunc quidem nimia, quoniam inebriatis radicibus nocent. Ætas etiam modum temperat, nouellæ namque minus ſitiunt. Deſiderant autem maximè rigari quæ aſſueuerunt. Econtra, quæ ſiccis genita locis humorem non expetunt, niſi neceſſarium. Aſperiora vina rigari vtique cupiunt. In Sulmonenſi Italiæ Agro Pago Fabiano, *vbi & arua rigantur, mirum quod herba aqua illa necantur, fruges aluntur, & riguis pro ſarculo eſt*. In eodem agro bruma tanto magis ſi niues ſcateant geletve, ne frigus vites adurat, circumfundunt riguis quod ibi tepidare vocant, mirabili natura in amne ſolo, ſed eadem in æſtate vix tolerandi rigoris. *Ambroſius vbi ſup*. Aqua rigua radicem arboris impinguat, codicem peruehit, ramos diffundit, folia vireſcere facit, fructum alit, ſemina pomorum augere conſueuit. *Plinius vbi ſupra*. Eſt & caprificatio quædam in remediis macie corticis ex ægritudine conſtringente, iuſtoq; plus arborum vitalia comprimente, exactam falcis aciem vtraque manu imprimẽtes, perpetuis inſciſuris deducunt ac veluti cutem laxant. Maximaque ex parte ſimilis eſt hominum & arborum medicina, cum earum quoq; terebrãtur oſſa. Amigdalæ fiunt ex amaris dulces, ſi circumfoſſo ſtipite ab ima parte circumforato, pituita defluens abſtergatur. Vlmis quoque detrahitur ſuccus inutilis ſupra terram foratis vſque ad medullam in ſenecta aut cum alimento nimio abundare ſentiunt. Idem & turgido ficorum cortice inſciſuris in obliquum leuibus emittitur, Ita fit, ne decidant fructus, pomiferis, quæ germinant, & fructum non ferunt, ſciſſa radice lapis inditur, & ferunt atque fertiles fiunt. Hoc idem in amigdalis fit è robore cuneo adacto: In pyſtis ſorbisque è teda ac cinere & terra, cooperto radices circumſcidiſſe prodeſt. Vitium luxutiantium atque ficorum & circumſciſis cinerem addiſſe. Fici ſerotinæ fiunt ſi primę craſſi, cum fabæ magnitudine exceſſerint, detrahantur, ſubnaſcuntur enim, quæ ſerius matureſcunt. Eædem cum frondere incipiunt ſi cacumina rami, cuiusque detrahantur, firmiores ac fertiliores fiunt.

Adhuc

Adhuc de eodem.

Cap. XXXII.

Culices in ficu. IAm captificatione fico maturata, in ea & culices naſci è craſſis manifeſtum eſt, quia cũ euolauerint non inueniuntur intus grana, quæ in eos verſa apparent. Exeundi tanta eſt auiditas, vt plerique aut pede relicto, aut penna pariter erumpant. Eſt & aliud genus culicum, quos vocant *centrinas*, fucis apum ſimiles ignauia malitiaque cum pernitia verorum & vtilium, interimunt enim illos atque ipſi moriuntur. Vexant & tineæ ſemina ficorum, contra quas eſt remedium in eadem ſcrobe defodere. *Italicam lentiſcum* inuerſa parte, quæ fuerit à cacumine. Vberrimas autem ficus lubrica amurca diluta, & cum fimo infuſa radicibus fondere incipientium facit. Cauendum eſt ne ex remedijs fiant vitia, quod euenit ſi nimia vel intempeſtiua fuerit medicina. *Interlucatio* arboribus prodeſt. Sed omnium annorum trucidatio inutiliſſima. Vitis annuam tantum tonſurã quærit. Alternam vero myrtus & oleæ & punicæ, quia fruteſcunt celerius. Cæteræ vere tondentur rarius nullaque Autumno; Ac ne raduntur quidem, niſi vere putatione. Plagæ ad vitalia ſunt omnia, quæcunque non ſuperuacua. Simili ſtercoratione gaudent ea. Cauendum eſt autem ne admoueatur in feruore ſolis, & ne immaturius, neve tardius, quàm opus ſit.

Centrina.

Contra tineas remedium.

Interlucatio arborum.

De ſtercoratione vinearum & arborum. *Vrit* vineas ſuillum ſtercus, ni quinquennio interpoſito, præterquã ſi riguis diluatur. Columbino quidem ac ſuillo plagis arborum medentur. Si mala punica naſcantur acida, ablaqueatis radicibus fimum ſuillum adhibent, eo quidẽ anno violentia proximoque dulcia futura. Alii vero vrina hominis aqua mixta cenſent rigari quater anno ſingulis amphoris, vel cacumina vino laſere diluto ſpargi. Porro ſi findantur in arbore pediculum intorqueri, ficis amurcam affundi. Cæteris arboribus ægris vini fœcem, aut lupinum circa radices earum ſeri. Aqua quoque lupini decocti pomis circumfuſa prodeſt. Fici, ſi cum Vulcanalibus tonuerit, cadẽt, remedium eſt, vt ante ſtipula ordeacea areę ſtringantur. Ceraſos præcoces facit & matureſcere cogit calx admota radicibus. Hæc autem ante omnia poma interuelli melius eſt, vt quę relicta ſunt grãdeſcant. Quædam vero pœna emendantur, aut morſu excitantur, vt palmæ & lentiſci, ſalis enim aquis aluntur. Salis vim & cinis, ſed leniorem habet, ideo ficis aſperguntur, rutaque ne fiant verminoſæ neve radices putreſcant.

Aqua ſalſa vitibus prodeſt. *Quin* & viti in radicibus aquam ſalſam iubent affundi. *ſi lachrimoſæ ſint.* Si vero fructus earum decidant, cinerem aceto aſpergi ipſaſque illini. Aut certè, ſandaraca ſi putreſcat vua, ſi vero ſteriles non ſunt, aceto acri ſubacto cinere rigari atque oblini. Quod ſi fructum non maturent prius inareſcentem, præſciſarum ad radices plagam fibraſque aceto acri & vrina vetuſta madefacere, eoque luto obruere ac ſæpe fodere. Olearum ſi purũ promiſere fructus radices nudatas hiberno frigori opponunt, eaque caſtigatione proficiunt. Omnia hæc annua cæli ratione conſtant, & aliquando ſerius poſcuntur aliquando celerius. Ignis præterea prodeſt aliquibus, vt arundini. Ambuſta namque denſior mitioráque ſurgit. Sunt arborum *peſtes & formicæ*, has *abigũt rubrica ac pice liquida perunctis radicibus*. Nec non & pice ſuſpenſo iuxta in vnum locum congregantur: Aut lupino trito cum oleo radices linunt. Multi quoque talpas amurca necant, contraque erucas, & mala ne putreſcant, lacertæ viridis felle tangi cacumina iubent. Item ne quod animal paſtu malefico frondem decerpat, fimo boum diluto aſpergi folia quotiens imber interueniat, quia ſic abluitur virus medicaminis mira quædam excogitante ſolertia humana. *Idem in libro* 18. Cum autem iniurias è cœlo ſupra dictas timueris, ſarmenta aut palearum aceruos & euulſas herbas frutices per vineas, & campos incende, fumusque medebitur. Hic & ex paleis contra nebulas vbi nocent, auxiliabitur. Quidam vero tres cancros viuos cremari iubent in arbuſtis vt carbunculi non noceant.

Arborum peſtes formicæ quomodo abigũtur.

De Situs arborum varietate.

Cap. XXXIII.

Arbores mõtoſa quædã in vallibus & planis. *Idem in libro* 16. Arborum natura etiam per ſitus diſtinguitur, aliæ *montes* amant, vt cedrus, larix, teda, & cæteræ ex quibus reſina gignitur. Quędam *montes & valles* diligunt, vt abies, robur, caſtanea, ilex, tilia. Quædam *& in plana* deſcendunt, vt cornus, coryluś, quercus, ornus, acer, fraxinus, fagus, caprinus. Quædam frigidis gaudent, vt ſorbus & magis etiam betulla Gallica arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis magiſtratuum virgis, Eadem circulis flexibilis, Item corbium ſportis, bitumen ex ea Galliæ excoquunt. Quædã non niſi *in aquoſis* proueniunt, vt ſalices, alni, populi, ſiler, liguſtra. Quædam ſunt vrbaniores, aliæ vero ſylueſtres. Denique non in omnibus locis omnia naſci docuimus, nec tranſlata viuere, & hoc aliàs faſtidio, aliàs contumacia, ſæpius eorum imbecillitate, quę transferuntur euenit aliàs quoque cælo inuidente, & aliàs ſolo repugnante faſtidit. Tantaque locorum vis eſt, *vt circa Memphin Aegypti, & in Elephantia Thebaidis nulli arborum decidant folia, nec vitibus quidem.* Arbores quædam iuxta Helleſpontum ſunt, quæ cum intantum creuerunt vt ilium aſpiciant, *inareſcunt, & rurſus adoleſcunt. Idem in lib.* 12. Oneſicritus tradit in conuallibus Hircaniæ ſimiles arbores, quæ occhi vocentur, ex quibus *defluat mel horis matutinis duabus.* Thilos Inſulæ maris Perſici *arbores ſunt lanigeræ*, alio modo quam ſerum, hiſq; folia ſunt infœcunda, quæ niſi eſſent minora videri poterunt eſſe vitium. Arabiæ quoque arbores cinæ vocatæ folio palmæ ſimili ſunt, ex quibus *veſtes faciunt.* ſic & *Indos arbores ſua veſtiunt.* In tilijs autem & arbor alia floret, albę violę ſpecie, ſed magnitudine quadruplici ſine odore, quod miremur. In eo tractu arbor eſt & alia ſimilis, folioſior tamen & roſei floris, *qui noctu ſe comprimens, aperire incipit exortu ſolis*, meridie autẽ expandit. Vnde & incolę dicunt eam dormire. Fert & eadem inſula palmas & oleas, & vites ac ficus & ſimilia. Nulliąque arborum ibi decidunt folia. Arrianæ gentis conterminæ Indis eſt frutex peſtilens, folio raphani, odore lauri, equos inuitante. Nã & Alexandrũ primo introitu penè orbauit equitatu. Ibi quoq; ſpina eſſe traditur, cuius liquor aſperſus oculis cæcitatem infert omnibus animalibus.

Nota de mirabilibus arborum.

Quædam aquoſa.

Idem in lib. 17. Arborum *in meridiem* ſpectantium, vt dictum eſt ſupra, *ſemper ante decidunt folia.* Similis eſt in maritimis cauſa. Quibuſdam in locis noxii ſunt afflatus maris, in plurimis idem vtiles. Quibuſdam ſatis è longinquo maria iucundum eſt aſpicere, propius admouere ſalis halitum inutile. Similis eſt & fluminum ſtagnorumque ratio, nebulis adurunt, aut æſtuantia refrigerant opacitate, quædam etiam gaudent rigore. Quapropter experimentis optimè creditur in hac re. A cœlo eſt proximum terræ dixiſſe rationem haud facili aurã tractatu. Quippe non eadem conuenit arboribus quæ & frugibus. Plerumque nec pulla qualem habet Campania, vbique vitibus eſt optima, aut quæ tenues exhalat nebulas, nec lubrica quoque multis laudata. Argumenta quoque indicantium ſæpe fallunt. Non enim vtique lætum ſolum eſt, in quo proceræ nitent arbores præterquam illis ipſis arboribus. Quid enim abiete procerius? aut quæ alia vixiſſe poſſit in eodem loco? Sed nec luxurioſa pabula pinguis ſoli ſemper inuicium habent, vt oſtenſum eſt ſupra, nec colles opere nudantur, ſi quis peritè fodiat, nec campi omnes minus ſoles atque perflatus quam opus ſit, accipiunt, & quaſdam

Nota de lapſu foliorum.

vites pruinis ac nebulis pasci diximus. Omnium itaque rerum quædam sunt in alta secreta, suoquecuique corde præuidenda. *Aristoteles vbi supra.* Arbores, vt dictum est superius, in aqua acetosa, faciunt fructum dulcem, quia acetositas attrahit cum calore solis, quod fuerit suę qualitatis, hoc est frigus & siccitas. Arbores vero, quæ sunt in terris temperatis, accelerant maturationem ante dies vernales, quia cum sit humor apparens, aeráque clarus, non eget fructus multo calore in digestione.

Multa in rebus secreta.

De Illis quæ sita sunt intra mare.

CAP. XXXIV.

PLinius libro. 13. Nascuntur & mari frutices arboresque Minores in nostro, Rubrum enim & totus Orientis Oceanus syluis fuit refertus, nec habet alia lingua nomen, quod Græci vocant phytos, quoniam alga herbarum magis vocabulum intelligitur. Hic autem est frutex, folia lata colore viridi gignit, quod quidam vocant grason, alij zostera. Alterum genus eiusdem folio capillaceo simile fœniculo in saxis nascitur, superius inuadit, haud procul à litore, tempore verno vtrumque, & interit Autumno. Circa Cretam Insulam nato in petris, purpuras quoque inficiunt laudatissimo à parte Aquilonis, aut spongijs. Tertium simile est gramini, radice geniculata & caule, vt calami. Aliud genus fruticum brion vocatur, folio lactucę rugosior tantum hoc iam nascens. In alto vero abies & quercus nascuntur cubitali altitudine, ramisque illarum adhærent conchæ. Quercu & lanas tingi tradunt. Grandes & quasdam ferre in alto. Palmo quoque fruticum generis fit extra columnas Herculis porti fronde, Nascitur frutex & alius lauro thymo, qui ambo erecti in pumicem transfigurantur. In mari rubro mirum est viuere syluas, maximè laurum & oliuam ferentem baccas & cum pluit fungos, qui sole tacti mutantur in pumicem. Ipsorumque magnitudo fruticum ternorum est cubitorum caniculis referta, vix vt respicere è naui tutum sit remos plerumque ipsos inuadentium. Qui nauigauerunt in Indos Alexandri milites, frondem marinarum arborum tradiderunt in aqua fuisse viridem, exemptamq; sole protinus in salem arescentem. Iuncos etiam lapideos, per quam similes veris per littora, & in alto quasdam arbustulas colores bubuli cornus, ramosas, cacuminibus vero rubentes, cumque tractarétur vitri modo fragiles, in igne autem, vt ferrum exardescentes, ac restinctas ad colorem suum redeuntes. Eodem tractatu insularum syluas æstus operit, quanquam altiores sint populis platanisque altissimis, folia sunt his laurea, flos violæ & odore atque colore, baccæ vt oleis & ipse odoris iucundi, & Autumno nascentes folijs nunquam deciduis harumque mare totas intingit minores. Maximarum vero cacumina extant ad quæ religantur naues, & cum decesserit æstus ad radices. Iuba tradit circa Troglodytarum insulas fruticem in alto vocari Isidosplomachas corallio similem, sine foliis esse, pręsciſumq; mutato colore in nigrum durescere, cum cadat frangi.

Sylua in mari rubro. has videtur Lucianus in veris historijs derisisse.

De His quæ gaudent vel laduntur societate.

CAP. XXXV.

IDem ibidem. Arbores quædam simul cum quibusdam plantatæ conferunt eis, vt in palmis masculus fœminæ confert, & ficus syluestres hortensibus & balaustiæ oliuis. *Plinius libro* 16. Arbores hedera necari certum est, similemque illarum iniuriam in visco quidam arbitrantur, & si tardiorem. *Idem in lib.* 17. Necãt arbores sese inuicem vmbra vel densitate & alimenti rapina. Necat & hedera vinciens, nec viscũ prodest ac citisus, nec aureo, quod alimon Græci vocant. Quarundam vero natura non necat quidem, sed lædit odore succi vel mixtura, vt raphanus & laurus vitem. Olfactrix enim vitis intelligitur extingui mirum in modum eius odore, ideoque cum iuxta sit auerti ac recedere saporemque inimicum fugere. Odit & vitis corylum, procul absint ab ea tristes & ægræ arbores, sicut dictum est supra. *In arborum* seminatione vel plantatione seruanda sunt interualla. Quidam punicas & myrtos & lauros depressiores seri iusserunt, in pedibus tamen nouenis. Malos autem paulo amplius, magis etiam piros, magisque ficus & amigdalas. Optimè namque diiudicauit interualla ramorum amplitudinis ratio locorumque, & vmbræ cuiusque arboris: vmbra ficorum quamuis sparsa, leuis esse cognoscitur. Ideoque inter vineas seri non vetantur. Cum aut ex arborum radicibus plantariorum soboles pullulauerit, necat mater quas peperit. Eius etenim vmbratura premitur indigesta, vt in lauris, punicis, platanis, cerasis, prunis, paucorum in hoc genere rami soboli parcunt, vlmorum atq; palmarum. Denique quid abiete procerius? aut quę alia vixisse possit arbor in eodem loco? Nouam serédi rationem Columella docuit, quam nusquam excogitatam inueniſſe se dicit, vt diuersæ, insociabilesq; copulentur arborum naturæ, sicut fici & oleæ, iuxta hanc ficũ iubet seri, non ampliori quidem interuallo quam vt largè possit contingi oleæ ramo, quàm maximè obedituro ac sequaci, ipsumq; omni tempore interim edomari, medicatione curuandi, postea fico adepta vires, quod euenire trime, atq; vtique quinquenni solet. Detruncata superficie, ipsaq; depurata, & abraso cacumine in cruce fici defigi custoditum vinculis ne fugiat curuatura. Ita quodam propaginum insitorumque temperamento, triennio continuè inter duas matres coalescere, & anno quarto absciſum totum ad optantis esse nondum vulgata ratione.

Antipathia

Interualla arboribus requisita.

De diuerso arborum sexu

CAP. XXXVI.

AMbrosius in Hexaemeron libro 4. Est equidem quod mireris in arboribus discretio sexus. Nam palma dactylos generans ramos suos inclinat, & subijcit, atque concupiscentiæ, amplexusque speciem prætendit ei arbori, quam marem appellant. Vnde & ramis palmarum cultores semina masculorum præiaciunt, quibus illi fæmineæ arbori velut quidam sensus perfunctionis infunditur, & expetiti concubitus gratia repræsentatur, quo munere donato, rursus ramos suos erigit & in veterem statum comam suam attollit. De ficu quoq; sicut de palma eadem est opinio, videlicet quod in eis sit discretio sexus. Vnde pleriq; secundum domesticam & fructiferam, ficum agrestem ficulnea feruntur inserere, eo quod cito fructus illius fœcundę & domesticæ ficus vel aura tentari, vel æstu defluere ferantur in terram. *Vnde gnari huius remedij, grossos arboris agrestis ad illam feracem alligantes, medentur eius infirmitati, vt possit fructus proprios reservare,* Iam iamque si deflorent remedia lapsuros. *Plinius lib.* 13. Arboribus ergo immo potius omnibus, quæ terra gignit, herbisque vtrumque inesse sexum diligentissimi naturæ tradunt. Nullis tamen arboribus, quàm palmis manifestius. Mas in palmite floret, fœmina circa florem germinat, tantum spinæ modo. Cætero non sine maribus fœminas gignere, sponte edito nemore, confirmant. Circaque singulos plures mutare in eum pronas blanditioribus comis, illum erectis hispidum afflatu, visuque ipso, & puluere, etiam reliquos maritare: *huius arbore excisa post viduas sterilescere fœminas, adeo veneris est intellectus,* vti & coitus etiam excogitatus sit ab homine, ex maribus flore, atq; lanugine, interim vero intantum puluere inspersо fœminis. *Idem in li.* 16. In omnibus autẽ syluestris, & mascula differentia cuiusq;

Palmæ mas & famina.

Ficus mas & famina.

Notamiram experientiã.

Nota.

generis

generis augẽt, & infœcunda fertilibus firmiora ſunt, niſi quo in genere mares ferunt, ſicut cupreſſus, cornus, & abies. E cunctis eſt ampliſſima prolixior etiam fœmina, materie mollior, & vtilior, atque iucundior. Hederæ quoque duo ſunt, vt reliquarum genera, prima videlicet mas & fœmina. Mas quidem maior eſſe traditur corpore, folio duriore ac pinguiore, & flore ad purpuram accedente. *Ariſtoteles vbi ſupra.* Itaque cum arbor ſementauerit à mare fœmina, ſicut in animalibus diſtingui poterit.

De variis ætatibus earum.

CAP. XXXVII.

Arbores quæ reparãt ſucceſſionem ſuam exciſæ.

Arbores non ſeneſciũt breuitate radicum.

Arbores vetuſtiſſima recenſentur.

AMbroſius *vbi ſupra.* Deniq; ipſis arboribus ætas, aut ſenilis, aut nouella deprehenditur. Iunioribus enim exiliores rami, antiquioribus validiora & nodoſa ſunt brachia. Illis folia leuigata, atque diffuſa: iſtis contractiora & aſpera. Sunt etiam arbores, quæ ſenſu & emortua radice ſucceſſionem ſui ſi forte cedantur reparare non nouerunt, aliæ quibus & viuendi virtus & natura fœcundior eſt: quibus exciſio potius lucrifit quam detrimento, vt per plures ſui rediuiua ſucceſſione mouentur hæredes. *Plinius libro* 16. Eſt in arboribus ætatis quoque differentia. Amigdalus enim & pinus in ſenecta fertiliſſimæ ſunt. Sic & glandiferæ, & quoddam genus ficorum, Cæteræ vero in iuuenta: tardiuſque matureſcunt. Quod maxime notatur in vitibus. Vetuſtioribus enim vinum melius, nouellis copioſius. Celerrime porro malus ſeneſcit: & in ſenecta deteriorem fructum gignit. Nam & minora poma proueniunt, & vermiculis obnoxia. Quin & in arbore ipſa naſcuntur. Omnia quoque præfecunda celerius ſeneſcunt: quin etiam protinus moriuntur. Nõnulla è cœlo fœcunditatem omnem expetunt: quod maxime vitibus conuenit. Ecõtra morus tardiſſimè ſeneſcit fructu minimè laborãs. Tarde quoque & ea quorum criſpa materies: vt acer, palma, populus. Item ſubarrata ſeneſcunt ocyus, ſylueſtria vero tardiſſimè. Denique in totum omnis cura fertilitatem adiicit, fertilitas ſenectam. Ideo & præflorent alia & prægerminant, atque in totum fiunt præcocta: quoniam infirmitas omnis cœlo magis accidit. Seneſcunt quidem celeriter, ſed è radicibus repullulant laurus, mali, & punicæ. Videntur autem vites aquaticæ celerius interire: firmiſſiæ ſunt ad viuendam cunctis annis oleæ. Quidam breuitate radicum arbores ſeneſcere celerius putant: ſed hoc fici coarguunt: quarum radices longiſſimæ ſunt & ſenectus ocyſſima. Porro vita quarundam arborum immenſa credi poteſt: Si quis profunda mundi, & ſaltus inacceſſos cogitet. Verum ex his quas hominum memoria cuſtodit in Veliterno durant oliuæ Aphricani prioris manu ſatæ. Itemque myrtus eodem loco magnitudinis conſpicuæ, ſpecuſque ſubeſt in quo manes eius draco traditur cuſtodire. Vetuſtior vrbe in Vaticano ilex, in qua titulus eſt, cereis litteris, Hetruſcis religione arborem tunc dignam fuiſſe ſignat. Tyburtes originem multo ante Romam vrbem habent, apud quos extant ilices tres, etiam tiburtino eos conditore vetuſtiores apud quas inauguratus traditur. Auctores quoque ſunt delphicam platanum Agamemnonis manu ſatam: & in caphię Arcadiæ luco alteram. Argis oleam nunc quoque durare dicitur: ad quam Iouem mutatum in vaccam alligauerit Argus. In Ponto circa Heracleam aræ ſunt Iouis ſtatiui cognominæ, vbi duæ quercus ab Hercule ſatæ: palma Beli ab ætate conſpicitur eiuſdem Dei. Econuerſo breuiſſima eſt vita punicis, dulcibus quàm acutis.

De Arborum pulchritudine, & multiplici vtilitate.

CAP. XXXVIII.

Vtilitas arborum vel ad fructum vel ad vſum

Platanus vmbræ cauſa quæſita.

AMbroſius *vbi ſup.* Quid autem numerem, quanta varietas arborum, quàm diuerſus in ſingulis, & pulcher ornatus quàm patulæ fagi, quàm proceræ abietes, quam comantes pinus, quàm vmbroſæ ilices, quàm populi bicolores, quàm nemoroſa, & rediuiua caſtanea, quæ ſimul vt exciſa fuerit tanquam ex ſe pullulare conſueuit. *Virgilius in bucolicis. Fraxinus in ſyluis, pulcherrima pinus in hortis, Populus in fluuiis, abies in montibus altis. Ambroſius in Hexaemerõ.* Omnia genera arborum vtilia ſunt *alia ad fructum nata, alia ad vſum data.* Ex quibus fructus vberior non eſt, vſus tamen pretioſior eſt. Arborum vmbra defendimur à ſole, cibus in fructibus eſt, amænitas in folijs. Reliquis animantibus eſca non mediocris eſt, in folijs, corticibusque ſylueſtribus. Ad vſum quoque medendi proficiunt ſucci lachrimæ & ſurculi. *Plinius libr.* 12. Arbores blandioribus fruge ſuccis mitigauere homines, & ex his membra recreans olei liquor, vireſque potus vini, totidem quoque ſapores annui ſponte venientes ei menſæ. Mille præterea ſunt vſus earum, ſine quibus vita degi non poſſit. Arbore nanque maria ſulcamus, terraſque admouemus, arbore tecta ædificamus. Denique quis non iure mirerur arborem vmbræ gratia tantum ex orbe alieno petitam: platanus hoc per mare Ionium in Diomedis inſulam eiuſdem tumuli gratia primum eſt inuecta, inde in Siciliam tranſgreſſa, atque inter primas Italiæ donata: etiam ad Morinos vſque peruecta, & tributarium detinet ſolium, vt gentes vectigal & pro vmbra pendẽt. Celebratæ ſunt primum in ambulatione Achademiæ Athenis cubitorum triginta ſex, vnius radice ramos antecedente. Nũc eſt clara, xxx. in Lycia, ſocia, quoque gelidi fontis amenitate, itineri appoſita domicilij modo caua, octoginta & vnius pedum ſpatio, vertice numeroſo; & ſe protegens ramorum arboribus vaſtis; agros longis obtinens vmbris.

De Arboribus caduis ad perticas & pales,

CAP. XXXIX.

Salix.

Populus alba

Arundo.

Caſtanea.

IDem *lib. decimooctauo,* De arboribus ſerendis & inſerendis fructus gratia ſuperius diximus in vniuerſo, hinc reſtat illarum ratio, quę propter alias, vineas maxime ſeruntur cæduo ligno. Principatum in his obtinent ſalices, quæ loco ſeruntur madido: duos pedes, ac ſemi refoſſo. Talea ſeſquipedali, vel pertica, quæ vtilior quo plenior. Interuallo eſſe debent pedes ſenos trimæ. Pedibus binis à terra putatione coercentur, vt in latitudine fundentur, ac ſine ſcalis tondeantur. *Salix* enim eo fœcundior quo terræ propior. Perticas ex ea iuſtum eſt cædi, quarto ferè anno. Eiuſdem rei cauſa ſeritur *populus alba* bipedaneo paſtinatu, Talea ſeſquipedali biduo ſiccata palmipede interuallo, terra duorum cubitorum craſſitudine ſuperiniecta. *Arundo* eſſe dulciore, quam hęc, gaudet ſolo, ſeriturque radicis bulbo, quem alii vocant oculum, dodrantali ſcrobe duorum pedum ſemis interuallo. Reficiturque ex ſeſe, vetere arundineto extirpato, quod vtilius repertum, quàm caſtrare. ſicut antea. Namque inter ſe radices ſerpunt, mutuoque diſcurſu cæcantur. *Caditur* autem decreſcente Luna, vineis ſiccata vtilior, quam viridis.

Caſtanea pedamentis omnibus prefertur facilitate tractatus, perdurandi peruicacia, & regerminatione cędua, vel ſalice lętior. Quærit ſolum facile, necnon arenoſum, omnemque terræ fœcunditatem recuſat, quam ſeri nuce diximus. Sed niſi ex maximis nõ prouenit. Nec niſi quinis acernatim ſatis. Interualla pedalia vndique dodrantali ſulco debent eſſe, & ex hoc

ſeminario transferuntur in aliud bipedali interuallo plus biennio. Suntque propagines nulli quidem faciliores. Nudata enim radice tota in ſulco proſternitur, tunc ex cacumine ſuper terram relicto renaſcitur, & alia ab radice. Sed tranſlata neſcit hoſpitari, pauetque nouitatem. Cæditur intra ſeptimum annum, pedamenta iugeri vnius vicenis vinearum iugeribus ſufficiunt, quando etiam bifida ea ſtirpe fiunt, durantque vltra alteram ſyluæ ſuæ cæſuram. *Eſculis* ſimiliter prouenit cęſura, triennio ſenior, minuſque naſci moroſa, hoc pedamentum minimè putreſcit, læſumque maximè fructificat. Præter hęc autem, quæ diximus, cædua ſunt *fraxinus, & laurus, perſica, corylus, malus, ſed non* tardius naſcuntur, terramque defixa vix tolerant, non modo humorem. Sambucus econtra firmiſſima ad palum, talis ferítur vt populus. De cypreſſo diximus aliàs ſatis, cæteriſque vinearum velut armamentis.

Eſculus.

Alia cadua.

Sambucus.

De temporibus congruis ad ligna in materiem cædenda.

CAP. XL.

Cædendum quo tempore & menſe

PAlladius vbi ſupra, libro ſecundo. *Menſe Ianuario.* cædenda eſt materies ad fabricam, *cum Luna decreſcit*, ramiceſque vel pali etiam ſunt faciendi. *Idem in libro duodecimo. In menſe quoque Nouembri* materies ad fabricam decreſcente Luna congruè poteſt cædi, ſed arbores ipſas primitus vſque ad medullam ſecuribus reſciſas, aliquandiu ſic ſtare patieris, vt per illas partes humor ſiquis in venis continetur, excurrat. Vtiles autem maximè ſunt iſtæ. *Abies*, quam Gallicam vocant, niſi perpluatur, leuis, rigida, & in operibus duris perenne durabilis. *Larix* vtiliſſima, ex qua ſi tabulas ſufficias tegulis in fronte, atque extremitate tectorum, contuliſti præſidium contra incendia. Neque enim flammas recipiunt, aut carbones poſſunt creare. *Quercus* ad fabricæ materiam apta eſt, durabilis ſi terrenis operibus obruatur & aliquatenus palis. *Eſculus* ædificiis, & radijs apta materies. *Caſtanea* mira ſoliditate perdurat in agris & tectis & operibus cæteris inteſtinis, cuius ſolum pondus in vitio eſt. *Fagus* in ſicco vtilis, humore corrumpitur. *Populus* vtraque, ſalix, & tilia, in ſculpturis neceſſaria. *Alnus* fabricæ inutilis, ſed neceſſaria, ſi humidus ſit locus, quia ad accipienda fundamenta palandus eſt. *Vlmus* & fraxinus, ſi ſiccentur, rigeſcunt, arte curuabiles cardinibus vtiles habentur. *Caprinus* vtiliſſima. *Cypreſſus* egregia. Pinus niſi in ſiccitate non durans, qui contra celerem putredinem comperi in Sardinia hoc genere prouideri, vt exciſę trabes eius, aut in piſcina qualibet anno toto merſæ iacerent, poſt operi futuræ, Aut arenis obruentur littore, aut aggeſtionem, qua erectæ eſſent alternis æſtibus reciprocans fluctus allueret. *Cedrus* durabilis, ſi humore tangatur. Quæcunque autem ex parte meridiana cæduntur, vtiliores ſunt. Quæ verò ex Septentrionali, proceriores, ſed facilè vitiantur. *Idem in libr.* 13. Denique & in Decembri menſe materies bene poteſt cædi, palique, ac corbes fieri &c.

Quercus.

Eſculus.

Caſtanea.

Fagus.

Populus.

Alnus.

Pinus.

Cedrus.

De Proprietatibus arborum in materia.

CAP. XLI.

PLinius lib. 16. Arbores nec nouellæ, nec veteres, ad materiem vtiliſſimæ ſunt. Ex omni materia ſpiſſiſſima quidem, & ideo grauiſſima iudicatur ebenus & buxus, natura graciles neutra in aquis fluitat. Nec ſuber, ſi dematur cortex, nec larix. Ex reliquis autem ſicciſſima eſt lothos. Deinde robur exalbunatum, & huic nigricans calor. Magiſque cythiſo, quæ proximè accedere videtur ebeno. Quamquam non deſint, qui Syriacas terebintho nigriores affirment. Oleæ quoq;, & omnibus, quæ diximus ſpiſſa firmitas eſt. Terebintho vngi vulr, & melior olea fit: his proxima eſt cornus, & ad rotarum radios vtilis eſt. Robori *tanta durities eſt, vt terebrari niſi madefacta non queat, & nec ſic quidem adactus auelli clauus*. E diuerſo verò clauum non retinet cedrus. Molliſſima tilia eſt, eademque videtur & calidiſſima, cuius argumentum aſſerũt, quod aſcias citiſſimè retundat. Laricis lignum proximum eſt medullæ, nulliſque rimis fiſſile. Cedrus quoque duriſſima, & quę medullis proximant oſſa in corpore. Item eſt lenta materia platano, ſed madida ſicut alno. Siccior autem eſt eadem vlmo, fraxino, moro, ceraſo, ſed ponderoſior. Rigorem fortiſſimè ſeruat vlmus, & ob id cardinibus, aſſamentiſque portarum eſt vtiliſſima, quia minimè torquetur, permutanda tantum, vt cacumen ab inferiori ſit cardine, radixque ſuperior. Palma verò mollis eſt, & ſuberis materies ſpiſſa, & malus & pirus necnon & acer, ſed fragilis, ſicut quæcunque criſpa.

Duricies roboris.

Nota.

In omnibus autem ſylueſtria & maſcula differentiam cuiuſcunque generis augent. *Et infœcunda ſunt firmiora fertilibus*, niſi quo in genere mares ferunt, ſicut cypreſſus & cornus. Cariem vetuſtatemque non ſentiunt, cypreſſus, cedrus, ebenus, lothos, buxus, taxus, iuniperus, oleaſter, olea, & reliqua: tardiſſimè quoque larix, robur, ſuber, caſtanea, iuglans. Rimam fiſſuramque non capit ſponte cedrus, cypreſſus, olea. Buxum maxime æternam putant, ebenum & cypreſſum, cedrumque claro de omnibus indicio, larix in in humore præcipua, & alnus nigra. Fagus & cerrus, vel ceraſus celeriter inareſcunt. Eſculus quoque humoris impatiens. Econtra *adacta in terram in paluſtribus alnus aterna, oneriſque quantilibet patiens*. Valuę ſunt è cypreſſo. Mirumque iam quadringentis annis prope durare materiam omnem nouę ſimilem. Id quoque notandum valuas in glutinis compage quadriennio fuiſſe. Cypreſſus inter illas electa, quoniam præter cætera, vno in genere materiæ nitor maximè valeat æternus. *In plenum vero dici poteſt, vtique quæ odore præcellant, ea & æternitate præſtare*. A prædictis morus laudatur proxime, quę nigreſcit etiam vetuſtate. Quædam tamen in aliis vſibus ſunt diuturniora, quàm alia. Vlmus in pręflatu firma eſt. Roburque defoſſum, Et in aquis quercus obruta. Eademque ſuper terram rimoſa facit opera ſeſe torquendo. Robur aqua marina corrumpitur. Fagus & iuglans in aqua non improbantur. Hæc quidem in his, quæ defodiuntur, principales ſunt. Itemque iuniperus eadem & ſubdialibus aptiſsima. Ceraſus firma eſt, vlmus & fraxinus, lente quidem, ſed facilè panduntur, flexibiles tamen, ſtanteſque à circumciſura ſiccitate fideliores.

Alnus aterna in paluſtribus.

Regula.

Adhuc de eodem.

CAP. XLII.

LAricem in nauibus maritimis teredini tradũt obnoxiam, Omniaque præter oleaſtrum, & oleam. Quędam enim in mari, quædam in terra vitiis infeſtantibus ſunt oportuniora. Teredines capite ad portionem grauiſſimo dentibus rodunt. Hę tantum ſentiuntur in mari, nec aliam putant teredinem propriè dici, terreſtres namque tineas vocant, Culicibus verò ſimiles triphas dicunt, quorum alij è vermiculorum genere ſunt, & eorum alij putreſcente ſucco materie naſcuntur, alij pariuntur, ſicut in arboribus, & qui ceraſtes vocantur, cum tantum eroſerint, vt ſe circumagant, alium generant. Hæc autem naſci prohibet in aliis duritia, vt buxo. In aliis amaritudo vt cupreſſo. Tradunt *& abietem circa germinationes decorticatam diebus quattuor proximis, quibus Luna plena fuerit, aquis non corrumpi*. Inuenitur autem in quibuſdam arboribus centra, ideſt duritia clauo ſimilis inimica ferris. Lignum ligno teritur, ignemque concipit attritu, excipiente materia fomitis aridis, ſicut fungi, vel foliorum. Sed nihil hedera præſtantius, quæ lauro teratur,

Teredines.

Culices. Triphæ.

Abies quando aqua non corrumpitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ratur,& laurum terat. Frigidiſſima verò ſunt quęcunque aquatica. Porro lentiſſima ſunt, & ideo ſcutis faciendis aptiſſima, quorum plaga ſe protinus contrahit, ſuumque vulnus claudit, & ob id contumacius ferrum tranſmittit, vt fici, betula, ſalix, tilia, ſambucus. Et populus vtraque leuiſſima eſt ex his, ſicut & ſalix. Ideoque vtiliſſima.

Recenſentur varia arbores architectura vtiles in diuerſo genere.

Arbores quædam architecturis aptæ ſunt, quę ſpõte finduntur, & ob id architecti eas fimo illitas ſiccari iubent, vt afflatus non noceant Pondus validè ſuſtinent abies, & larix etiam in tranſuerſum poſitæ. Robur autem & olea incuruantur, ceduntque ponderi. Illæ verò renituntur, nec temerè rumpuntur, priuſque carie, quàm viribus deficiunt, palma arborum valida, in diuerſum enim curua. Pinus & cypreſſus aduerſus cariem, tineaſque firmiſſimæ ſunt: facilè panditur iuglans, fiunt enim & ex ea trabes, & frangi ſe prænunciat crepitu. Alni piceæ & pinus ad aquarum ductus in ſtobos cauantur, obruta terra plurimis durant annis. Eędem ſi non integantur cito ſeneſcunt, multum in modum fortiores, ſi humor quoque extra ſuperſit. Firmiſſima in tectum eſt abies. Valuarum repagulis, & ad quęque libeat opera inteſtina aptiſſima fabricæ artis genere ſpectabilis, ramentorum crinibus pampinato ſemper orbe ſe voluens ad incitatos runcinarum raptus. Eadem & turribus maximeque glutino ſociabilis, intantum vt findatur, antequam ſolida eſt. Magna autem & glutinatio, propterea que ſectilibus laminis, ac in alio genere operiuntur. Staminea hoc vſu probant venam, & vocant fertileam argumento ſimilitudinis, quoniam lacunoſè criſpa. In omni genere & glutinum abdicant quædam, & inter ſe & cum aliis inſociabilia ſunt glutina, ſicut robur. Operi cuicunque facilia ſunt, & flexibilia, quæ lenta eſſe diximus, præterquam morus & caprificus. Durabilia ſunt ac ſectilia, modicè humida. Viridia vero præter robur & buxum pertinacius reſiſtunt, ſerrarumque dentes replent æqualitate inerti. Obedientiſſima eſt in quocunque genere fraxinus, eademque haſtis corylo melior, cornoque leuior, ſorbo lentior. Vitem æmularetur vlmus, niſi pondus eſſet in culpa. Facilis eſt fagus, quamquam & fragilis & tenera. Iterum flectibilia ſunt citrus, terebinthus, acer, buxus, palma, aquifolium, ilex, ſambucus, populus, alnus. Cato vectes aquifolios laureos, vlmeos fieri iubet. Oleaſter, buxus, ilex, vlmus fraxinus, vtiles ſunt vaginis terebrorum. *Auicenna in ſecundo Canone.* Serratura, *corroſionis eſt mundificatiua*, & ineſt ei reſolutio, & exiccatio, ſi fuerit in arbore ipſa. Serratura ligni corroſi *conſolidat*, & illa propriè, quæ ex arboribus ſtipticis eſt accepta. Aggregatur enim cum tanto aniſo, quanto eſt ipſa, cum quo & aduritur. Deinde teritur, & confert *vlceribus formicalibus*, quando ſuper ea ſpargitur.

Vſus medicinalis.
Serratura.

De quarundum arborum mirabili natura, vel proprietate.

CAP. XLIII.

Lignum vitæ.

Trabus ſuper Gen. Arbor, vel *lignum vitæ* Paradiſi hanc naturaliter habet virtutem, vt qui ex eius fructu comederet, perpetua ſoliditate firmaretur, beata immortalitate veſtiretur, nulla infirmitate, vel anxietate, vel ſenij laſſitudine vel imbecillitate fatigaretur. *Aug. ſuper Geneſ.* Arbor quidem, vel *lignum ſcięntiæ boni, vel mali* erat corporale, ſicut arbores aliæ in paradiſo terrę ſunt, nec cibo erat noxium. Sed dictum eſt lignum ſcientiæ cognoſcendi bonum & malum, quia poſt prohibitionem erat in illo futura tranſgreſſio, qua homo experiendo diſceret quid inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum intereſſet. *Hieronym. ſuper Leuit. 27. Facies (inquit Dominus) altare de lignis ſethim, &c.* Ecce altaris ligna, quæ de lignis paradiſi ſunt, igne vicino non cremantur, ſed puriora

Ligniũ ſcientiæ boni, vel mali.

redduntur. Nec mirum, cum etiam amithon genus ligni, quanto plus arſerit, tanto mundius inueniatur. *Gl. ſuper 3. Reg. 10. Thyna ligna* imputribilia ſunt, & ſpinoſa in ſimilitudinẽ albæ ſpinæ, rotũda quoque ſunt, & candida. Ex eis facta ſunt fultra, ſc. ad fortitudinem, templi ſuſtentacula & omnia muſicorum inſtrumẽta. *Plin. vbi ſup.* Cæterũ ex quarundã arborum ad inuicẽ colluſione ignis excluditur, ſicut ex lapide. Calidæ namque ſunt morus, laurus, & hedera, omneſque quibus igniaria fiunt. Lignum itaque, ſicut paulo ante dictum eſt, ligno teritur, ignemque concipit attritu, excipiente materia fomitis aridi, ſicut foliorum aut fungi. *Auctor. ex lib. de natura rerum.* Arbores in Oriẽte ſunt, vt dicit venerabilis Iacobus Tuſculanus, quæ poma pulcherrima ferunt citrina colore, in quibus tamen morſus hominis cum dentibus apparet manifeſtè. Iccirco *poma Adam* ab omnibus appellantur: & hoc mirum eſt, quia Deus primi hominis ſcelus voluit adhuc in fructu pomi mortalibus demonſtrare. Arbores quoq; Solis & Lunæ in admiratione ponũtur, eo quod non ſolum certę, ſed etiam Diuina Scriptura de his tangere videatur. Dicit enim Moyſes de Ioſeph pro benedictione Domini. *Terra eius de pomis fructuũ Solis*, quod tamen non de illis ad litteram intelligitur, niſi metaphoricè. De his etiam arboribus Alexãder quoque Macedo Ariſtoteli præceptori ſuo per epiſtolam ſcripſit, quòd hæ arbores in Oriente ſunt in regionibus Indiæ centum cubitos habentes in altitudine, ad quas idem Alexander accedens, de futuris eas conſuluit, ac de omnibus reſponſum accepit, & ſpecialiter, quòd ſorore ſua procurante veneno interiret. Nec dubium, quin à malignis ſpiritibus id actũ ſit. Vel ſecundum quoſdam, quod per miniſterium Angelorum Deo volente hoc factum ſit, qui etiam in effigie Pontificis Iudæorum ei dignanter apparuit. Legitur autem ibi, quod dum oriente ſole, ſplendor tangebat arborum ſummitatem, vſque ad radices cõcutiebantur, & tunc interrogantibus reſponſa dabãtur. Harum pomis ſacerdotes earum veſcebantur, & vſque ad annos trecentos viuebant illæſi. Nec cuique licebat earum intrare ambitum, qui animo leuis eſſet, & immundus de contactu mulierum. Arbores præterea ſunt, vt dicit Ioſephus, ſupra maris ripas mortui, quarum poma forinſecus *pulcherrima cernũtur, intus verò nihil aliud, quàm fauilla fœtida reperitur.* *Auctor.* Hæc de arborum natura in communi excerpſimus. Nunc ad deſcribendas nominatim ſpecies ſingulas per ordinem alphabeti tranſeamus.

Lignum ſylueſtre.
Poma Adæ.
De arboribus ſolis.
Poma maris mortui.

De Abiete.

CAP. XLIV.

Abietis etymon.

Iſidorus. Abies dicta eſt, eo quòd præ cæteris arboribus longè abeat, & in excelſum promineat. Huius natura eſt expers terreni humoris, ac perinde habilis habetur, & leuis. Eſt autem ſine nodo, & de hac fiunt naues: hanc propter candorem gallicam vocant quidam. *Palladius libro duodecimo.* Abies quam vocant gallicam. vtilis eſt ad materiam, quæ niſi perpluatur, eſt leuis, rigida, & in operibus ſiccis perenne durabilis. *Ambroſius in Hexaemeron.* Abies procera non terrenis radicibus, & aereo vertice contenta, caſus marinos tuto remigio ſubitura, nec ſolum ventis, ſed etiam fructibus certatura proceſſit. *Gloſſa ſuper Ezechielem 27.* Ex abietibus tabulata cęduntur, quibus nauis texitur, propter leuitatem, iuncturaſque tabularum mollius iuuicem ſe ſe tenentium, atque mordentium. Vnde Tyro dicitur per Prophetã. *Abietibus de Sanir extraxerunt te cum omnibus tabulatis maris. Ex libro de natura rerum.* Abies arbor eſt leuis, & abſque nodoſitate, quæ difficillimè cedit putredini, vermibus autem nunquam. *Plinius lib. 13.* In alto mari naſcitur abies ac quercus cubitali altitudine, ramiſque illarum adhærent conchæ. *Idem quoque libro decimo ſexto de abiete*

Ezech. 27.

ſic di-

ſic dicit. Gignit abies canchrin, videlicet pillulam in medicina vim vtendi habentem, quę poſtquam hyeme folia deciderint, durat, & continet nucleum. Is hyeme creſcit, & aperitur pillula tota, caditque, cum folia creſcere cæperint; huius arboris cortex in magno vſu eſt, agreſtium vaſa, corbeſque, atque potentiora quædam meſſibus conuehendis, ac vindemiis ex eo faciunt, atque prætexta tuguriorum.

Adhuc de eodem.

CAP. XLV.

IDEM *in lib. 16.* Abieti rami ferè ſtatim à radice modici, velut brachia lateribus inhærent, experiti nauigiis. Situs in excelſo montium quaſi maria fugerit, materies vero præcipua rutribus, & pluribus vitæ operibus. Reſina ei vitium, vnde fructus vnus piceæ, exiguumque ſudat aliquando contactu ſolis. E diuerſo materies, quæ abieti pulcherrimæ piceæ ad fiſſiles ſcandulas, cupaſque, & alia ſecamenta pauca. Abies è cunctis eſt ampliſſima, & fœmina etiam prolixior, materie mollior, vtiliorque arborum, atque iucūdior: folio pinnato, denſa vt imbres non tranſmittat, atque hilarior. Abieti non decidunt folia, quæ pectinum modo ſunt inſecta. Arbores quędam germinationem continuant, vt cœperunt. Abies ac larix & robur intermittunt. Tripartita quidem ac trina germina edūt. Ideo & inter ſquamas corticem ſpargunt. Quod omnibus arboribus euenit in germinatione, quia prægnantium rumpitur cortex. Abies floret croci colore circa Solſtitium, ſemen vero reddit poſt vergiliarum occaſum. Huic eſt ramorum ordo, ſicut & piceæ quidem ſub recta diuiſura. Ramique in cælum tendentes non proni in latera. Mirumque *ſuis cacuminibus deſciſis moritur, totiſque detruncatis durat.* Et ſi quidem infra, quam rami fuerint, deſcidatur. quod ſupereſt, viuit. Si verò cacumen tantum auferatur, tota moritur. In longitudinem excreſcunt abies, larix & palma, & ſiqua ſunt vniſtirpia. Singulares quoq; radices ſunt abieti, ſicut & larici. Item larici & magis abieti ſucciſus humor diu defluit. Hæ omnium arborum altiſſimæ ſunt, & rectiſſimę. ſed propter leuitatem præfertur abies nauium malis antēniſque. Communia vero ſunt his, atque pino, vt quadripartitos habeant venarum curſus, biſidos, vel ſimplices omnino. Abietis quæ pars à terra fuit, enodis eſt. Hac qua diximus ratione fluuiata decorticatur, atque ita ſapinus vocatur. Superior pars eſt nodoſa, duriorque fuſterna, & in *ipſis autem arboribus robuſtiores ſunt partes Aquiloniæ*, & in totum deteriores ex humidis, opaciſque. Spiſſiores ex apricis & diuturnæ. Ideoq; Romæ abies inferna præfertur ſupernatæ.

Mirum de Abiete.

Partes aquiloniæ in arboribus duriores.

Differentia abietum.

Eſt eadem pergentium quoque regiones in his differentia. Nam alpibus Appeninoque laudatiſſima. In Corſica, Bithinia, Ponto, Macedonia, deteriores Eneatica & Archadica. Peſſimæ Parnaſia & Euboea, quoniam ibi ramoſę & contortę, facilèque putreſcētes. Abies præcipuæ admirationis viſa eſt in naui, quæ venit ex Ægypto iuſſu Caij Principis; Nam arboris eius craſſitudo quatuor hominum vlnas complectētium implebat. Tradūt abietem circa germinationes diebus *quatuor proximis, qua Luna plena fuerit decorticatam* aquis non corrumpi. Abies & larix in tranſuerſum poſitę validæ ſunt pondus ſuſtinere. Abies in tectum firmiſſima, eademque valuarum repagulis, & ad quælibet opera inteſtina eſt aptiſſima, quolibet fabricæ artis genere ſpectabilis, ramentorum crinibus pampinato ſemper ſe orbe voluens. ad incitatos runcinarum raptus, maximeque glutino ſociabilis. Viſcū naſci fertur in abiete ſimile & in larice. *Idem in lib. 12.* Abietis vmbra, ſicut iuglandium quacunque attigerit, eſt venenum. Abieti & pino ſi quis detraxerit corticem ſole taurum, vel geminos tranſeunte, cum germinant, ſtatim moriuntur.

Abies qua aquis non corrumpitur.

Vmbra abietum eſt venenum.

De Acere.

CAP. XLVI.

ISIDORUS. Acer dicitur arbor, vel lignum quoddam coloribus impar. *Plinius libro 16.* Acer fere eiuſdem cum tilia eſt amplitudinis, operum elegantia, & ſubtilitate cedro ſimilis. Pluraque ſunt eius genera. Vnū videlicet album, quod præcipui candoris vocatur gallicum in tranſpadana Italia traus alpeſque naſcens. Alterum vero genus criſpo macularum diſcurſu, qui, cum excellentior fuerit à ſimilitudine caudæ pauonum nominatur. In Iſtria, Græciaque præcipuum. Quod ex viliore genere vocatur craſſiuenium. Græci vero ſic diſcernunt. Campeſtre ſiquidem, quod glinō vocant, aiunt eſſe candidum & non criſpum. Montanum verò criſpius, atque durius ad opera lautiora. Tertium genus zigiam rubentem, fiſſili ligno, cortice liuido, & ſcabro. Hoc alij generis proptij eſſe malunt, & Latinè caprinum appellār. Pulcherrimum eſt bruſcum, ac multo etiam excellentius quam molluſcum. Tuber vtrumque arboris eius. Bruſcum intortius criſpum. Molluſcum ſimplicius ſparſum. Et ſi magnitudinem caperet menſarum, haud dubio cedro præferretur. Nunc autem inter pugillares lectorumque ſilicios, aut lamina vſu raro ſpectatur. E bruſco autem, & menſæ fiunt nigreſcentes. Reperitur & in alno tuber, tantoque deterius, quanto ab acere ipſa diſtat alnus. Acerum mares prius florent, & in ſiccis natæ præferuntur aquaticis, ſicut & fraxini. Aquoſis montibus gaudet acer, ſicut & fraxinus, & in plana deſcendit ſicut quercus. Paulo ante æquinoctium germinat, ſemen quoque meſſibus reddit. Palma quidem eſt mollis, & ſuberis materies ſpiſſa, necnon & acer, ſed fragiles & quęcunque criſpa. Arbores quædam ſunt tubera, ſicut in carne glandia, & in his nec vena nec pulpa, quodam callo carnis in ſe conuoluto, & hoc precioſiſſimum in acere & cedro. *Idem in lib. 24.* Aceris radix contuſa iocineris doloribus vtiliſſime imponitur.

Bruſcum. Molluſcum.

Medicina proiecore.

De Agno caſto.

CAP. XLVII.

PLATEARIUS *in lib. de ſimplici medicina.* Agnus caſtus eſt frutex, in quarto calidus & ſiccus. Omni tempore reperitur viridis & magis in locis aquoſis, minus autem in ſiccis, vſui medicinę competunt folia, non radix, flores etiam magis, flos eius ſaccharum nominatur. Virgulta verò à quibuſdam ſalices marini dicuntur. Eius namque flores, qui debent in receptione poni, vere colliguntur, ac per annum in efficacia multa ſeruantur. Et dicitur agnuſcaſtus, *quia libidinem reprimendo caſtum reddit hominem. ſicut eſt agnus.* Viridis maioris eſt efficaciæ, quàm ſiccatus. Lectus itaque ex eo factus libidinem reprimit. Ad hoc etiam genitalia fomentātur ex aqua decoctionis eius, & potatur eiuſdem ſuccus, vel in eius ſucco caſtoreum modicum decoquitur, & in potu datur, ac genitalibus cataplaſmatur. Sciendumque, quod quædam *extinguunt libidinem, inſpiſſando* ſperma. vt ſunt lactucæ, piſillum, citrulli, melones, cucurbita, portulaca, ſcariola, acetum, agreſta, ſumach, camphora, & ſimilia. *Alia vero inaniendo ſpiritus, & conſumendo ſperma*, vt ſunt ruta, agnuſcaſtus, cyminum, calamentum, anetum, maiorana. Sunt enim calida & aperitiua, ventoſitatemque ſoluunt, & extenuant. Vinum decoctionis floris agnicaſti datum leuco phlegmati, ideſt frigidam, ſiue albam hydropiſim patienti, multum ei confert. Fomentum ex aqua decoctionis eius ſuperfluitates matricis exiccat, & menſtrua prouocat. Contra Lethargiam quoque eſt vſus eius, & contra ſplenis duriciem. *Iſaac in dietis particularibus.* Agnicaſti proprietas eſt

Cur agnuſcaſtus ita dicitur.

Extinguitia libidinem.

libidinem

libidinem deſecare, concupiſcentiam mortificare, Inflationem aufert, ſperma ſiccat. Non ſolum ſi cibo, vel potu aſſumatur, ſed etiam ſi iacenti ſubſternatur, hanc Græci *pantafolium* dicunt. Hoc autem nomen agnus Syrum eſt, & caſtitatem, vel munditiam ſignat. *Dioſcorides.* Agnus, ſiue aligos latinè vocatur Alexandria. Agnus Græcos nomine propter caſtitatem dicitur quia corporibus veneream tollit potentiam, & id etiam ſemen eius potui datum operatur. Aligos autem dictus eſt propter ſuauitatem, & eſt frutex arboris circa flumina, vel in campis aquoſis naſcẽs, longas virgas, quæ difficilè franguntur, nutriens. Habetque folia oliuis maiora, & molliora. Species autem eius duæ ſunt, altera cum flore purpureo, altera cum albo. Semen quoque tanquam piper habet, virtutisque feruentis. *Serpentum morſui* mederi perhibetur. *Semen* quoque bibitum *hydropicis*, ac *ſpleneticis* medicatur. *Morſibus venenatis* occurrit. Lac mulieribus prouocat, *menſtruis imperat.* Cum vino bibitum ventrem & *venerem* ſtimulat, *dolorem capitis* commouet, ac *ſomnum* adhibet. In cataplaſmata cum oleo & aceto *lethargicos ac phreneticos* iuuat, vtilem quoque fomentationem capiti præſtat. Sub lecto poſitus *ſerpentes* arcet longius, Sed & fumigatione ſua id facit, *duritiasque teſtium* tollit.

Plantafolii.

Vſus medicinalis.

De Aliſo & alno.

CAP. XLVIII.

Linius li. 41. Aliſon intantum à Rubia in folijs diſtat, inquantum eſt ramis minoribus. Ex hoc autem nomen accepit, quod ex aceto potus, & adalligatus à cane emorſum rabiem illum ſentire non patitur. Mirumque eſt, quod additur, hoc frutice conſpecto ſaniem omnino ſiccari. *Iſidorus.* Alnus dicitur, eo quod amne alitur, nec facilè extra vndas viuit, hinc & tenera & mollis eſt. *Palladius lib.* 11. Alnus fabricæ inutilis eſt, ſed neceſſaria, ſi locus ſit humidus, quoniam ad accipienda fundamenta parandus eſt. *Plinius lib.* 16. Alno folia ſunt craſſiſſima, & inter primas germinant: Arborum ſolæ nullos ferunt fructus, hoc eſt, ne ſemen quidem tamarix, alnus, & populus, & vlmus. Eſt lenticia platano, ſed madida ſicut alno. Larix quidem eſt in humore præcipua, & alnus nigra. Denique in paluſtribus alnus æterna eſt, onerisque quamlibet patiens eſt. Et licet alnis ſæpe muniant, & contra erumpentium amnium impetus, riparum muro in tutela ruris excubent. In aqua ſatæ cæſæque, denſius innumero heredi proſint. Alnus & pinus ad aquarum ductus in ſcobes cauantur, *obrute terra plurimis annis durant.* Eædem vero, ſi non integantur, cito ſeneſcunt, & mirum in modum, ſi humor quoque extra ſit fortiores ſunt. *Idem in lib.* 16. Inuentum eſt ſurculos abſciſos ferere, quod primo ſepis cauſa factum eſt ſambucis, mox etiam cauſa cultũrę populis & alnis. *Idem in lib.* 24. Alni folia ex aqua feruenti certiſſimo remedio ſunt tumori.

Aliſi virtus.

Alnus.

Nota de Alnis terra obrutis.

De Aquifolio.

CAP. XLIX.

Linius libr. 16. Aquifolium eſt arbor habens folia aculeata, quæ non decidunt. Cato vectes fieri iubet aquifoleos, ſicut laureos & vlmeos. Et eſt aquifolium materiæ præcipuum, ſicut acer, terebinthus, & buxus, & citrus. *Idem in lib.* 24 Arbor aquifolia in domo, vel in *villa ſata arcet veneficia.* Pythagoras tradit aquam eius flore glaciari. Itaque baculum ex ea factum in quoduis animal emiſſum, etiam ſi citra ceciderit defectu mittentis, ipſum per ſe recubitu propius allabi, tam præcipuam ineſſe naturam arbori. *Auctor.* Fortaſſis aquifolium ipſa eſt arbor, quam Dioſcorides agrifolium dicit, niſi fortè vitio ſcriptoris acciderit. *Dioſcorides.* Aquifolius eſt arbor ingens, vel fortis, cuius ſemen ſimile eſt pipeti dulciſque ſaporis. Aptum eſt ſtomacho ad edendum, tollit *faſtidium, ventrem* abſtinet. Scobæ illius, id eſt cortices ligni decoctæ ac bibitæ, & ano ſuppoſitæ *dyſſentericis* medicantur, *fluxus mulierum* ſtringunt, capilliſque rufum colorem faciunt.

Aquifolium valet contra veneficia.

Virtus.

De Bdellio.

CAP. L.

Linius libro vigeſimoprimo. Bdellium eſt arbor nigra, magnitudine oleę, folio roboris, fructu caprifici, naturaque gummi. Eſſe autem debet tranſlucidum, ceræ ſimile odoratum, & cum fricatur pingue, guſtu amarum, vinoque pertuſum odoratius. Adulteratur amigdala nuce, vel cortice eius generis ſcordaſti, ita vocatur arbor æmula gummi, ſed deprehenditur odore, colore, guſtu, pondere, igne. Eſt autem bdellium in Bactriana nominatiſſimum, Naſcitur & in Arabia, Indiaque & Media ac Babylone. *Razi in Almanſore.* Bdellium calidum eſt, dura diſſoluit apoſtemata, & hemorrhoidis vtile iudicatur. Bdellium tamen de Mecha frigidum eſt, & ſiccum, ventrem ſtringit. *Auicenna.* Bdellium Iudaicum aliud eſt Siculum, aliud Arabicum, & ambo ſunt ex palmis ſylueſtribus. Bdellium autem Mechum eſt ex fructu arboris palmarum ſylueſtrium & eſt frigidum & ſiccum, aliud vero lenitiuum. Melior duarum gummarum eſt illa, quæ eſt varia, clara, amari ſaporis, munda à lignis, facilis reſolutionis, boni odoris, cuius fumus habet odorem picis. Bdellium natura lenitiuum eſt & maturatiuum, diſrumpit *ventoſitates*, reſoluit ſanguinem congelatum, & apoſtemata frigida, propriè que cum ſaliua ieiuni: diſſolutum confert *contuſioni* lacertorum & ſpaſmo, ac duriciei neruorum & congelationi ipſorum, doloribus quoque cannæ pulmonis, & apoſtematibus eius, *& tuſſi antiquæ*, ac *doloribus lateris*, & apoſtematibus gutturis, & *hemorrhoidibus*, & *lapidi renum*, ac *morſui vermium* venenoſorum: & quando ponitur in ſolutiuis prohibet abraſionem inteſtinorum, prouocat vrinam & menſtrua. Aperit os matricis clauſum, & educit fœtum, matricemque mundificat. Mechum autem ſtringit, & lapidem frangit.

Bdellii melius quale.

Sophiſticationis deprehenſio.

Vſus medicinalis bdellij.

Conſtantinus in libro graduum. Bdellium eſt calidum in ſecundo, & humidum in primo. Dyſſenteriæ de acuta pharmacia factæ repugnat. Apoſtema interius, vel exterius inunctum curat, lapidem frangit, tuſſim mitigat, morſus reptilium curat, cum aceto temperatum crepituram ex eo inunctam ſanat. Mixtumque cum ceruſa, & ſapa teſticulorum apoſtemata curat. *Ex lib. de natura rerum.* Bdellium eſt arbor in Oriente nobiliſſima colore nigra, lachrymam quoque nigram habens, cum in offas voluitur, eiuſque natura eſt quæ & gummi.

Idem repetitur.

De Buxo.

CAP. LI.

Iſidorus. Buxum eſt nomen Græcum à Latinis ex parte corruptum. Pixos enim apud Græcos arbor ſemper virens eſt appellata, & lenitate materię elementorum apta. Vnde Scriptura, *Scribe*, inquit, *buxo arborum.* Buxus exprimendis elementorum apicibus vtilis, leni materia informat vſum manus puerilis. Simul enim admonet te ipſa materia, quæ ſemper viret, nec vnquam ſuis exuitur foliis, ne vnquam ſpei tuæ diſſimulatione nuderis, ſed ſemper tibi per fidem germinet ſpes ſalutis. *Plinius lib.* 16 Montes amant ilex & buxus. Itaque buxus Ryrenæis, ac citeriis montibus plurima, berecynthio tractu craſſiſſima, in Corſyca florem non ſerendo. Quæ cauſa amaritudinis mellis. Semen illius cunctis inuiſum animantibus. Nec in

Vſus buxi.

Olympo

Duritias buxi.

Olympo Macedoniæ gracilior est, sed breuis, Amat frigida aprica, *In igne quoque, quæ ferro duritia*, neque carbone vtilis, neque flamma. Buxo folia concaua sunt, & non decidunt. Hæc arbor in plures ramos dispersa, sicut & lothos transmarina. Spississima verò ex omni materie, & ideo grauissima iudicatur. Buxus sicut & hebenus natura gracilis, & neutra fluctuat in aquis. Buxus & cornus & olea medulla & adipibus, atque carnibus caret, minimumque & sanguinis habet. Cariem vetustatemque buxus non sentit, & rimam, fissuramque sponte non capit. Et sicut in cypresso teredines nasci prohibet amaritudo, sic & duritia in buxo. Arida enim latius, quàm viridia serris cedunt præter robur & buxum, quæ pertinacius resistunt, serrarumque dentes inerti æqualitate replent, scilicet quando laminæ sectiles ex eis fiunt. *Idem in lib.* 17. Proueniunt buxi tenuissimis quinis, senisque virgulis colligatis depacti. Eratque quondam in obseruatione, vt defringerentur ex imputata buxo, aliter non crediti viuere. *Auctor.* Buxus est arbor omnibus nota, huius ramis vtimur in die palmarum, quales oliuarum sunt, quæ in regione nostra non abundant. Huius etiam lignum propter sui soliditatem leuitatemque ac decorem, ad fabricandas tabellas, & chochlearia atque manubria, & ad alios plurimos vsus aptissimum inuenitur. Est autem arbor humilis & tenuis, neque enim multum ascendit, nec multum crassescit. De huius autem natura nihil penitus in libris medicorum reperisse me memini.

De Caprifico.

CAP. LII.

Caprifici etymon.

ISidorus. Caprificus dicta est, quia parietes, quibus innascitur, carpit. Rumpit enim, & prodit ex latebris, quibus concepta est. Alij caprificum dictum putant, eo quod arbor ficus eius remedio fœcundetur. *Aristoteles* in libro de animalibus. Arbores quædam non faciunt fructum, nisi per conuenientiam, qua adiuuantur in digestione, sicut ficus agrestes, idest caprifici. *Plinius libro decimosexto.* Culices ficarias caprificus generat. *Idem libro decimoquinto.* Caprificus vocatur ex syluestri genere ficus nunquam matureſcēs, sed quod ipsa non habet alij tribuens, quia naturalis est causarum transitus, vt gignatur aliquid è putrescētibus. Itaque parti culices fraudati alimento in matre, puta eius putri tabe nati, ad cognatam volant, morsuque ficorum crebro, hoc est auidiore pastu aperientes ora eorum ita, atque penetrantes intus, solem primo secum inducunt, ac cereales auras foribus adapertis immittunt, moxque lacteum humorem, idest infantiam pomi assumunt, quod fit & sponte. Ideoque *ficetis caprificus permittitur ad rationem venti, vt flatus euolantes in ficus ferat.* Inde repertum est, vt illatæ aliunde, & inter se colligatæ fico iniicerētur, quod in macro solo & aquilonio situ non desideratur, quia sponte arescunt loci situ, rimisque eadem culicum opera causa perficit, nec non vbi multus est puluis, quod maximè via frequenti appositа euenit, namque pulueri est vis siccandi, succumque lactis absorbendi. Quæ ratio puluere & caprifico hoc quoque præstat, ne ficus decidant humore assumpto, & cum quadam fragilitate ponderoso.

Vsus Caprifici in ficetis.

Idem lib. 16. Nec fici, nec caprifici flore vllo exhilarantur. Protinus enim flores fructū gignunt. In Choo Insula caprifici triferæ sunt, primo fœtu sequens euocatur, sequenti tertius: hic fici caprificantur, caprifici autem ab aduersis foliis. Morus & caprificus durabilia sunt ac sectibilia, quia modicè humida. *Idem in lib.* 24. Caprificus etiam non multo efficacior fico, lactis minus habet. Surculis quoque eius lac coagulatur in caseo, exceptum id & in duritiam coactum suauitatē carnibus affert. *Aluum* soluit, *lentigines* expurgat, *venenatorum* ictus, & canis *morsus*, *dentium* quoque dolori prodest. Grassi eius inflationes discutiunt. & quæ minutissima sunt, ad scorpionum ictus è vino bibuntur. Quæ autem ex foliis eius mollissima sunt cum aceto vlcera manantia sanant. Arboris ipsius cinis ex melle rhagadias. Radix deferuefacta in vino dentium dolores mitigat, Hiberna caprificus in acero cocta, & trita, impetigines tollit, Caprificus taurorum quamlibet ferocium collo eorum circumdata, in tantum rabidam naturam compescit, vt immobiles præstet.

Virtus medicinalis.

De Cedro.

CAP. LIII.

ISidorus. Cedrus quam Græci cædros vocant, id est arboris humor ardentis, cuius folia ad cypressi similitudinem resplendent. Lignum vero iucundi odoris est, diu durans, nec vnquam à tinea exterminatur. De qua Persius, & cedro digna locutus est scilic. propter eius durabilem perpetuitatem. Vnde & in templis ex eo lacunaria fiunt: huius resina cedria dicitur. Nascitur in Creta, Aphrica, & Syria. *Ambrosius.* Cedrus & picea conuenerunt, scilicet in altum. Est ergo cedrus suspendendis tectorum apta culminibus: eo quod procera sit spaciis, nec onerosa parietibus. Vnde in canticis dicit ecclesia. *Tigna domorum nostrarum cedrina.* *Plinius lib.* 13. Habent Phænices cedrum minorem, Cuius duo sunt genera Oxycedros vocatur ramosa & nodis infesta: altera vero præstat odorem, fructum ferens myrti magnitudine, dulcem sapore. Maioris quoque duo sunt genera. Quæ floret, fructum non fert, Fructifera non floret, atque in ea fructum antecedentem occupat nouus. Semen eius cypresso simile. Æternitas vero inest ipsi materiæ, vnde & ex ea simulachra deorum factitauerunt. Ex hac resina laudatissima. Arbor est cedro similis in Archadia quæ frutex vocatur in Phrygia.

Cedri perpetuitas.

Oxycedros.

Idem in lib. 14. Crassior est vero & ad pices faciendas cedrus. *Idem in libr.* 15. Ex malis cedri fit oleum quod cedroleon dicitur odoris causa. *Idem in lib.* 16. Montes amat cedrus, & teda, larix. Syluestrium generis folia non decidunt abieti, buxo, ac cedro. Foliaque pungentia sunt cedro abieti ac pino. Cedrum natura dederat æstuosis partibus: nunc autem in lyciis frigidisque nascitur montibus. Rubet autem cedrus, & larix ac iuniperus. Sūt aut cedri durissimæ in Creta Aphrica, & Syria, Cedrus non tenet clauum in se infixum, Præterea rimam fissuramque sponte non capit, cariem vetustatemque non sentit. Oleo cedri materies perunctа: nec sentit rimam nec cariem. Æternam denique cedrum putant, & ebenum ac cypressum, claro de omnibus materiis indicio. Itaque templum Dyanæ in Epheso ac tectum eius ex trabibus cedrinis quadringentis durauit annis. *Idem in lib.* 17. Semen serere natura docuit, cum decidens exceptum terra viresceret, & quædam aliter non proueniunt, vt cedrus, iuglandes atque castaneæ. *Decacuminatio* cedro nocet, & piceæ ac cypresso. Hæ siquidem intereunt detracto cacumine, vel igne adusto.

Cedroleon.

Decacuminatio nocet cedro.

Iterum de eodem.

CAP. LIV.

EX *libro de natura rerum.* Cedrus est arbor nobilissima, altitudine quasi ad nubes elata odorifera, serpentibus inimica, Huius duo sunt genera. Quæ floret, fructum non fert. Fructifera vero non floret, fructumque in ea antecedentem occupat nouus. Quæ vero fructificant maritimæ vocantur, & paruæ sunt. Fructus eius secundum humani capitis quantitatem. Triplicem autem substantiam, habet in se, pomum cedrinum, vt dicit Iacobus. In prima parte quæ de foris est, substantiam calidam habet. In secunda quæ est interior temperatiua. Medium vero pomi

Triplex substantia pomi cedrini.

ponitur

ponitur quaſi cor eius intrinſecus latens: frigidum exiſtit. Hunc autem fructum eſſe, de quo dominus in Leuitico dicit. *Sumentis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ.* Circa montem libani cedri ſunt pulchrę valde: ac ſublimes, ſed ſemper manent ſteriles. *Palladius vbi ſupra.* Cedrus in materia durabilis eſt, niſi humore tangatur. *Gloſſa ſuper tertio Regum. 9.* Præbuit Salomon in Hieruſalem tantam multitudinem cedrorum, velut ſycomorum. Cedrus ſiquidem eſt arbor imputribilis natura, odore iucunda, aſpectu nitida, quæ accenſa nidore ſerpentes fugat & perimit. *Gloſſa ſuper pſalmum vigeſimumoctauum.* Cedrus eſt arbor altiſſima in libano maximè: quæ niſi ſucciſa ſit, eſt inutilis: nec facit vtiles fructus manens in ſua radice. Sic & ſuperbia non bene fructificat ſua radice, ſed ea ſucciſa creſcunt fructus gratiæ. *Pſal. 28.* *Vnde ſcriptum eſt. Vox domini confringentis cedros, & confringet dominus cedros libani. Gloſſa ſuper Eccleſi. 24.* Cedrus eſt arbor altitudinis, & odoris præcipui: cuius odor ſerpentes fugat, & interimit. Libri quoque qui reſina eius liniti ſunt, nec tinea nec ſenectute deficiunt.

Cedria virtus medicinalis.

Vita mortuorum Cedrus.

De Virtute ipſius in medicina.

Cap. LV.

Dioſcorides. Cedrus eſt arbor, de qua pix cedria fit: ſed quędam eſt parua atque ſpinoſa fructu iuniperi vel myrti & ſimilis. Alia vero maior, quæ cedrus lata nominatur: fructum cypreſſi ſimilans, ſed pronior, tamen vexabilis ſtomacho, acrem & feruentē habens virtutem, de qua fit cedria, quæ ad multa vtilis eſt in medicina. Fit autē oleum ex arbore quod eſt nimium leptomere. *Molles carnes* abſque dolore conſeruans. Dura vero longo tempore, & nigra corpora deſiccans: *lachryma* etiam eiuſdem viſcidè atque efficaciter pariterque cum vexatione refrigerat ac ſtringit. Nam corpora mortuorum in eadem arbore recondita à tabe defendit, & inde vita mortuorum vocatur. Cedrides autem ſemen arboris cedri dicitur. *Tuſſim* ſedat plaſmata prohibet, *Rheuma* conſtringit. *Stranguriis* medetur, *menſtruis* imperat cum pipere bibitum, & ſi cum adipe ceruino mixtum fuerit omnes beſtias arcet, *antidotis* quoq; miſcetur *Plinius lib. 24.* Cedri ſuccus defuncta corpora incorrupta conſeruat, viuentia corrumpit. Cedri ſcobę ſerpentes fugari certum eſt. Cedrides ideſt frutices, vel fructus cedri tuſſim ſanant, *vrinam* ciunt, *aluum* ſiſtunt, ruptis conuulſisq; vtiles ſunt: proſunt & ſtranguriæ matrici admoti, & contra lepores marinos. Itemque collectionibus, & inflationibus.

De Cinosbato.

Cap. LVI.

Dioſcorides. Cinosbatum, ideſt aigientricum, multi vocant ciricanta: & eſt arbor nimium ſpinoſa cum radice alta, & in plurimas partes diuiſa, fructum habet myrto ſimilem ſed paulo maiorem, rubrū exterius cum venerit ad maturitatem ac deintus lanam aſpertimam. Semen eius ſiccum ſine lana, ventrem ſtringit: quia virtutis eſt cohærentis: mederur etiam *in cibo*, & potu datum, ſanatque *fluores ac fœmineum fluxum.* Eius vero radix acrioris virtutis eſt, nam appoſita cataplaſmatibus euocat è corpore ſtirpes: folia etiam eius appoſita cataplaſmatibus occurrunt *apoſtematibus.* Semen eius granatum eſt. *Plinius libro 13.* In Ægypto eſt capparis frutex firmioris ligni ſeminiſque ac cibi vulgati, caule quoque vno plurimumque decerpto. Cauenda ſunt eius genera peregrina Si quidem arabicum peſtilens: Aphricum gingiuis inimicum. Marmaricum vuluis, & omniū inflationibus. Apulumq; vomitus facit, ſtomachum & aluum mouet. Quidam eum cinosbaton vocant, Alij autem opheoſtaphylem. *Idem in li. 24* Cinobaton quàm alij cinobaſton, alij neurosbaſton vocant: habet folium hominis veſtigio ſimile, fert vuam nigram, in cuius acino habetur neruus: vnde & *neruuſpaſius* dicitur. Alia eſt capparis, quam medici cinosbaton appellauerunt, huiuſque Thyrſus ad remedia ſplenis, & inflationes manditur ex aceto conditus. Neruus eius cum maſtice chya manducatus os purgat. *Dioſcori.* Cappara quam multi cinosbaton vel caprion appellauere, ex luctantibus componitur virtutibus, habetque proiicere ac purgare, & extenuare, & euentare acredines ſimulque adducere & conſtringere. Eſt enim ſtiptica, ideoque ſchiroſi ſplenis ſuper omnia iuuat medicamina, ſicut videlicet iam dictum eſt ſupra. *Auctor.* De hac enim dictum eſt ſuperius inter herbas, quia frutex eſt. Et ideo tanquam media pertinet ad arbores vel ad herbas.

Capparis cinosbatum & orpheoſtaphyle vocatur.

Neruus paſſus.

De Cypreſſo.

Cap. LVII.

Iſidorus. Cypreſſus grece dicitur, eo quod caput eius à rotunditate in cacumen erigitur. Vnde *conon* vocatur, id eſt alta rotunditas. Hinc & fructus eius conus dicitur: quia rotunditas eius conum imitatur. Huius lignum cedro penè proximam habet virtutem. Templorum quoque trabibus aptum impenetrabili ſoliditate, nunquam oneri cedit. Antiqui ramos cypreſſi propè togum cōſtituere ſolebant, vt odoris ſui iucunditate cadauerū odorem dū vrerentur opprimerent. Hęc arbor apud Paganos *mortuis conſecrata eſt*: eo quod in modum hominis exciſa nō pullulat. *Ambroſius.* Cypreſſus & Pinus in alta ſe cacumina extulerūt. manetque prærogatiua cypreſſis, vt nulli eas venti honore, ſuisq; deſpolient coronis. Hæc arbor lacunaribus eſt vtilis commendandiſq; faſtigijs. Vnde in canticis dicitur etiam *lacunaria noſtra cypreſſina. Palla. lib. 12.* Cypreſſus ad fabricæ materiam eſt egregia. *Plin. lib. 23.* In Choo inſula naſci traduntur cypreſſi florem imbribus decuſſum terræ halitu animante. *Gloſſa ſuper eccleſiaſticum. 24.* Cypreſſus eſt altitudinis & odoris præcipui, medendis apta corporibus, venuſtatemque ſuæ coronæ nullis deponit impulſibus.

Cypreſſi etymon.

Conon.

Arbor conſecrata mortuis.

Plin. lib. 14. Cypreſſi fundunt reſinam ſapore acerrimam, præterea cedri vtriuſque ac cypreſſi baccæ lignum recens in muſto decoquitur, & vinum efficitur. *Idem in libro 15.* Oleum quoque fit ex cypreſſo. *Idem lib. 16.* In longitudinem creſcunt cypreſſus & alnus atque palma, & ſiqua ſunt vniſtirpia. Cypreſſi ac iuglandes & caſtaneæ ſunt *ſiccanea ideſt terram ſiccam amant.* Cypreſſis, & malis, & oleis per ſumma ceſpitum radices deſcendunt. Cypreſſus & robur ac pinus ferunt boletos noxios atq; ſuillos. Trifera eſt cypreſſus. Nam eius baccæ colliguntur *menſe Ianuario, & Maio, ac Septembri*, ternaq; magnitudines earū gerit. Poſt pyrum aut ceraſum primum floret cypreſſus, ſimiliter & laurus, Folia ſunt cypreſſo carnoſa, thamarici craſſiſſima, nec cypreſſo decidunt folia. Cypreſſus aduena, & difficillime naſcentum fuit, de qua verboſius ac ſępius quam de omnibus alijs Cato prodiderit, natu moroſa, fructu ſuperuacua, baccis torua, folio amara, odore violenta, ac ne vmbra quidem gratioſa, materie rara, vt pene fruticoſi generis, diti ſacra. Ideoque ſigno funebri ad domos poſita.

Arbores ſiccanea.

Cypreſſus trifera.

Signū funebre cypreſſus.

Vis therapentica cinosbati.

De virtute ipſius in medicina.

Cap. LVIII.

Idem lib. 24. Cypreſſi folia trita *ſerpentum* ictibus imponuntur, & *capiti* cum polenta, ſi à ſole doleat. Itemque ramici, qua de cauſa & bibuntur, teſtium quoque tumori cum cerato illiniuntur, Capillum denigrant ex aceto, Panis mollis, & è vino

Vis medicinalis cypreſſi.

amineo ſubacta, pedum ac neruorum dolores ſanant. Pilulæ contra *ſerpentum* ictus bibuntur, ſuccus quoque mixto oleo caliginem *oculorum* curat. Radix cum foliis trita & pota, veſicæ *ſtranguriæ* medetur, & contra *ſphalangias*. Ramenta quoque pota menſes ciunt, & ſcorpionum ictibus aduerſantur. *Platearius*. Cypreſſus eſt calida in primo gradu, ſicca in ſecundo. Huius arboris folia, lignum, & poma competunt vſui medicinæ. Sed poma ſtiptica ſunt & conſolidatiua. Lignum & folia diuretica contra *fluxum ventris* ex debilitate virtutis contentiuæ. Poma eius recentia comeduntur, vel puluis pomi ſicci in cibis detur: contra ſtranguriam & dyſſenteriam datur puluis ligni, & foliorum eius in vino, & maximè in muſto, hoc etiam vinum præſeruat ab iliaca paſſione. *Dioſcorides*. Cypreſſus eſt arbor omnibus nota. Huius ſemen viride, vel pila bibita, medetur hemoptoicis. *Dyſſentericis* & iliacis maxime prodeſt, & etiam *tuſsi* valet. Iterum ſemẽ eius admixtis caricis duritias ſoluit, *polypos* naribus emendat. Huius elixatura leproſos vngues limpidat, huius folia cataplaſmata *recentia vulnera* ſanant. In aceto cocta, & infuſa *capillos* inficiunt. Trita & polenta admixta *ſacrum ignem* compeſcunt, vulneribus medentur, carbunculis opitulantur. Tumorem oculorum deprimunt, ceratis nobilibus miſcentur, *ſtomachum* conſeruant, & ſanguinem ſtringunt.

Tẽperamentum eius.

Auicenna. Cypreſſus eſt calida in primo, ſicca in ſecundo. In eius ſapore ſunt acredo, & ſtipticitas pauca, & amaritudo plurima, & ponticitas maior. Diuerſificatur à reliquis calefactiuis, quia non attrahit. In ipſa eſt acuitas & reſolutio & reſoluit humiditates. Folia eius, & nux ſtiptica ſunt. Et nux quidem fortior eſt in omni re, quàm folia. In ipſa eſt vis faciendi adhærere, & abſcindit ſanguinem, ita quod remouet putredinem Folia eius delent morpheam, cum vino bibita difficultati mingendi conferunt, & curſui ſuperfluitatum ad veſicam, & vlceribus inteſtinorum.

Curatio eius

Nux autem cum vino potui datur, ad ſputum ſanguinis, ad difficultatem anhelitus, & ad tuſſim antiquam. Et ſimiliter eius decoctio cum aceto ſedat dolorem dentium. Nux & folia recenter collecta, conſolidant vulnera, quæ ſunt in membris duris, confert etiam *formicæ*, & *eriſipilæ*, proprieque cum farina ordei confortant *neruos*, & extenuant ramicem emplaſtri more ſuppoſita, & roborant mollificationem, & ſtringunt eam.

De cocco & corallo.

Cap. LIX.

Dioſcorides. Coccus vnde cocceus inficitur, eſt frutex carmentoſa bacculas in ipſis virgis habẽs rotundas, ſicut lenticulas, quæ colliguntur, & conficiuntur. Eſt autem bonus coccus Galiticus, & Armenicus: ſecundus Aſianus, & Lycius, Epanus autem nouiſſimus. Virtus eſt ei ſtiptica: aceto tritus, & impoſitus mulieribus *peracoleſim* facit. Neruis inſciſſis maximum præſidium eſt. Naſcitur in Sicilia, & in Triſilico minor quàm coccea, quam mulieres colligunt & vtuntur, inde coccus appellatus.

Corci virtus

Corallus. Lycodendrõ.

Corallus quam multi lycodendron dicunt, eſt arbor in fundo maris, quæ dum velli cœperit, accepto aere graueſcit. Nam mollis quidem natura eſt, ſed poſt detractionem ex aquis dureſcit, ſiue lapideſcit. Naſcitur multum in promontorio Siciliæ nomine Pachyno. Eligendus eſt autem colore coccineus, aut ſardinicus vnum colorem habens, fragilis, odoris granifici, & quaſi cinomomi. Virtus eſt ei frigida, & ſtiptica. Carnes ſuperflue creſcentes paſcit, *cicatrices* oculi curat, alta *vulnera* replet *hæmoptoicis* mirè ſubuenit, *dyſſuriis* medetur, cum aqua bibitus *ſplenem* ſiccat, Item cum aqua pluuiali bibitus *ſtomachi*, *ventrisque* dolorem ſedat, cum cornu ceruino vſto, & aqua

Coralli virtus.

tepida bibitus profluuium mulierum ſiſtit, Item contra fulminis ictus, vel grandines facit, Reprobandus autem eſt ſcabroſus, vel lapidoſus, vel fiſtulatim perforatus, vel diffuſus. *Conſtantinus vbi ſupra*. Corallus frigidus eſt, & ſiccus in ſecundo gradu. Valet oculorum dolori & obſcuritati, & putrefactioni, hæc omnia curat, & mundificat, ſi in collyrio mittatur. Puluerizatus dentes fricatos clarificat, gingiuas putridas ſanat.

De Dipſeo.

Cap. LX.

Dipſeus.

Dioſcorides. Dipſeus eſt frutex ſpinoſa, habens virgam ſpinis plenam, & folia in circuitu lactucæ ſimilia. In ſingulis nodis habet bina ipſaque oblonga, & intus ſpinoſa: deforis quoque ſpinis plena. Habet etiam folia contracta, quæ pluuiam & aurã in ſe continent: vnde & nomen accepit. In virgis eius ſingula capita ſurgunt ſpinoſa echino maritimo ſimilia: ſed oblongiora, quæ colorem album faciunt ſiccata. In virga deintus vermes naſcuntur. Radix eius tuſa in vino cocta, & ſicut cirotum impoſita ragadias, & fiſtulas curat. Quod medicamen videlicet, & in ænea pixide ſeruandum eſt. Corporis *clauos* mundat, & formicas & vermes, qui in capite inueniuntur: ligata & collo ſuſpenſa, vel brachio dicitur quartanam febrem penitus curare.

Curatio eius

De Drisbero.

Cap. LXI.

Drisberos arbor ſtiptica eſt: ſed maximè ſtipticum eſt, quod inter lignum & corium eſt. Cortex fructum eius tegit, id eſt glandem. Huius coctura *caliacis*, ac *dyſſentericis*, & *hemoptoicis* ad *rheuma* ventris diuturna maximum præſtat effectum, ſtringitque mirificè fluxum ſanguinis mulierum. Semen eius diureticum eſt, comeſtum dolorem capitis commouet, *inflationes* ſedat, *venenis* ſumptum occurrit. Elixatura eius & corium cum lacte bubalino contra venena vtiliter adhibetur. Cruda cataplaſmatibus tumores ſoluit, cum axungia porcina & ſale commixta vulnera ſordida ad ſanitatem perducit.

Virtus drisberi.

De Ebeno, & eius natura.

Cap. LXII.

Ebenus è ligno fit lapis.

Iſidorus Ebenus in India, & Ethiopia naſcitur, quæ cæſa dureſcit in lapidem cuius *lignum nigrum eſt*, *& cortex lenis*, vt lauri. Sed Indicum maculoſum eſt in paruis diſtinctionibus albis, ac fuluis. Æthiopicum verò, quod præſtantius accipitur, in nullo eſt maculatum, ſed eſt nigrum, lene, & corneum. Eſt autem mareotica palus in India vnde venit ebenus. Sed crepundiis illigatur, vt infantium viſus nigra non terreant. *Ariſtoteles in libro de Plantis*. Ebenus & ea quæ illi vicina ſunt, merguntur in aqua, quia in eo raritas eſt parua, nec eſt aer in ipſo, qui poſſit ipſum tollere: partes enim eius ſunt multum ſolidæ. In terris nempe valde calidis, & ſiccis plantæ non habent humorem, qui materiæ ſufficiat, Ideoq; partes compactæ ſunt, & auguſti meatus, Vnde color plantam inter albedinem, & nigredinem colorat, fitque lignum huius nigrum, & mergitur in aqua, vt ebenus.

Virgilij opinio de Ebeno

Plinius libro 12. Item arborum Indiæ magnitudinem vnam, quam peculiarius celebrauit Virgilius ebenum alibi nuſquam naſci profeſſus. Herodotus illã Æthiopiæ maluit intelligere, Regibus Perſidis in vicẽ tributi, & materiæ eius cẽtenas Phalangas, tertio quoque anno penſitaſſe Æthiopes cum auro & ebore prodendo. Item in tributorum auctoritate Romani

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Imperij tertia materies ebenus fuit, & hanc Romæ in triumpho Mithridatico Pompeius Magnus oſtendit. Hanc accendi Fabianus negat, vritur tamen odore iucundo. Duo ſunt genera eius. Rarum id quod meliusarboreum trunco enodi, materię nigri ſplendoris, atque etiam ſine arte protinus iucundi. Alterum vero citiſi modo fruticoſum, & hoc in tota India eſt diſperſum. *Idem lib.16.* Tota eſt oſſea ebenus, ſicut & ilex & morus. Spiſſiſſima verò ex omni materie, ideoq; grauiſſima iudicatur ebenus & gracilis natura buxus, neutra in aquis fluctuat, nec ſuber ſi dematur cortex. Cariē vetuſtatemq; non ſentit ebenus, ſicut nec cypreſſus, aut cedrus. Deniq; putāt ebenum æternam & cypreſſum ac cedrum, claro de omnibus materiis indicio. *Ex li. de natura rerum.* Ebenus eſt arbor, cuius lignum duriſſimum & imputribile, non facilè cedens igni. *Contra lapidem in veſica.* Quod licet igne vehementiſſimo ardeat quodammodo & abſumatur, nunquam tamen eius combuſtio tranſit in flammam. Cortex eius lenis eſt, vt lauri: lignum hoc puluerizatum lapidem in veſica frangit.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. LXIII.

Plinius lib. 24. Ebenus in Ægypto non naſcitur, vt docuimus, nec orbes alienos in medicina tractamus. Non omittetur tamen propter miraculum. Scobem eius oculis vnicè dicunt mederi, lignoq; ad cotem trito, cum paſſo *caliginem* diſcutit. *Vis therapeutica Ebeni.* Ex aqua verò & radice *albugines oculorum. Tuſſim* quoque pari modo radices cum melle adiecto. Ebenum inter erodentia medici aſſumunt. Auicenna. Ebenus calida eſt & ſicca in ſecundo. Ex ea melior eſt nigra æqualis, in qua non ſunt lineæ, & in ſuo tactu ſimilatur cornui tornatili. Eſt autem validè compacta & ſolida, in cuius ſapore eſt mordicatio. Cumque ſuper carbonem ponitur, odor bonus & acutus ex ea odoratur: fricatur in aqua, ſicut pulueres lapidum, & eſt ſubtiliatiua & abſterſiua, abſtergit *pannum* oculi, & albuginem, & ad eius frication em collyria fiunt. Confert & *vlceribus* antiquis eius ſerratura aduſta, & othalmiæ ſiccæ, & ſcabiei oculi. Fertur etiam, quod ipſa *frangit lapidem in renibus*, & quod *inflationem ventris* ſoluat. *Dioſcorides.* Ebenum eſt lignum, quod ex Æthiopia venit. colorem habens nigrum duplici caligine, tactu lene, durum & guſtu ſtipticum. In coticula confricatum oſtendit colorem rufum. Eſt alterum ex India colore vario, ſed melius prędictum. *Falſificatores qui ſupponunt alia pro Ebeno vnde cōuincantur.* Multiq; anonyma ligna & acantica vendunt, quia ebeno ſimilia ſunt: ſed inde *fiunt nota, quia mollia ſunt, non grauia. Cumque fructum ferunt haſtilia eorum, ſubruſi coloris apparent nec odorem nec guſtum talem habent.* Eſt autem optimum, quod eſt nigrum, & æqualiter lene, vires habens in guſtu acres, & proficit mulieribus. Virtus etiam ei purgatoria eſt, ideoq; caliginem oculorum ac rheumatiſmum detergit, & prohibet. Puluis etiam in cacabo crudo bene munito combuſtus, ad oculorum claritatem facit.

De Fago.

CAP. LXIII.

Iſidorus. Fagus ſicut, & eſculus arbor glandifera *Fagi etymō.* inde nominata fuiſſe creditur, quod olim eius homines vixerunt fructibus. Dicta eſt enim fagus à φάγειν Græcè, quod eſt Latinè comedere. *Plinius lib.16.* Fagis pectines tranſuerſi in pulpa fuerunt apud antiquos, inde & vaſis honos. Marcus Curius iurauit ſe ex præda nihil attigiſſe præter guttum fagineum, quo ſacrificaret: lignum in longitudinem ita fluctuat, vt quæ pars fuit à radice, validius fidat, fagus ac cerrus celeriter inareſcunt, facilis eſt fagus in materia, quam quam fragilis, ac tenera. Eademque fictilibus laminis in tenui flexibilis, capſisque ac ſcriniis ſola vtilis, fagus in plana deſcendit, ſicut & quercus. Huius glans muribus gratiſſima eſt, Arborum fertilitas omnium ferè alternat, ſed maximè fagi. Huius folium tenne atque leniſſimum, populo ſimile, celerrimè flauescens, & media parte plerumque gignens ſuperne paruulam baccam viridem cacumine aculeatam In quodam vſu ſacrorum religioſus æſtimatus fagi cortex: ſed arbor ipſa non durat. *Scandula* vero fit ex glandiferis alijs, fagoque, facillimè ex omnibus, quæ reſinam ferunt, ſed minimè durant. prętetquam ex pino. *Idem in libro vigeſimo quarto.* Fagi folia in gingiuarum, & labrorum vitijs manducantur. Glandis fagineæ cinis *calculis* illinitur. Itē cum melle alopicias. *Vis fagi cu ratuna.* *Palladius libro primo.* De fago, vel fraxino diutiſſimè tabulata durabunt, ſi ſtratis ſuper paleis, vel ſilice calcis humor nuſquam ad tabulati corpus accedat. *Idem in lib. duodecimo.* Fagus in ſicco vtilis eſt, humore corrumpitur. *Ex libro de natura rerum.* Fagus eſt arbor glandifera, cuius fructus eſt dulcis: ſed pectori nociuus. Oleum vero clariſſimum lampadibus adminiſtrat, lignum eius ſatis admodum durum: ſed vermibus penetrabile, niſi fumo pœnæ fuerit continuè delibutum, viride autem in aquis poſitum per longa tempora fertur in lapidem dureſcere.

De Fraxino.

CAP. LXIV.

Siderus. Fraxinus vocari fertur, eo quod magis in aſperis locis, montanisque fraga naſcatur. *Fraxini etymon.* *De qua Ouidius. Et fraxinus vtilis haſtis. Plinius libro decimo ſexto.* Materiæ cauſa reliquas arbores genuit natura, copioſiſſimam quoque fraxinum. Procera hæc ac teres, & ipſa folia pennata, multumque Homeri præconio, & Achillis haſta nobilitata. Materies ad plurima vtilis eſt. Ea quidem, quæ eſt in Ida Troadis intantum cedro ſimilis eſt, vt ementes fallat cortice ablato. Græci duo eius genera fecere: vnam quidem longam enodem, alteram verò breuem duriorem, fuſcioremque laureis foliis. Bumeliā in Macedonia vocant *ampliſſimam, atq; lentiſsimam.* *Bumelia.* Alij vero ſitu diuiſere. Campeſtrem enim aiunt eſſe criſpam, mōtanam verò ſpiſſam, *Nota.* *Earum folia iumentis mortifera, cæteris vero ruminantium Græci prodiderunt innocua.* In Italia vero, nec iumentis nocent. Sed contra ſerpentes valet ſucco expreſſo ad potum, & impoſita, vlceribus opifera eſt. Tantaq; vis eius eſt, vt ne matutinas occidētes ve *vmbras, quamuis longiſsima ſint, ſerpens huius arboris attingat:* ſed procul eam fugiat experti prodimus, *ſi eius frō de gyro claudatur ignis ac ſerpens, in ignes potius, quàm in fraxinum fugere ſerpentem.* *Contra ſerpentes valet.* Mira benignitas naturæ, priuſquam ſerpentes prodeant: fraxinum florere, nec ante conditas folia dimittere. Aquoſis montibus gaudent fraxini, acer, ac ceraſus, ſed aceris mares in ſiccis natæ præferuntur aquaticis, ſicut & fraxini, fraxinus germinat inter primas, & nudatur inter nouiſſimas, ſemenque meſſibus reddit. Eſt quidem lenticia platano, ſed madida, ſicut alno. Eademque fraxino & vlmo ſiccior, ſed ponderoſior. Itaq; fraxinus & vlmus, lentè quidem, ſed facilè panduntur: flexibiles tamen atque ſtantes, quæ à circumciſura ſiccitate fideliores. Denique obedientiſſima eſt in quocunque opere fraxinus: eademque haſtis corylo melior, corno lenior, ſorbo lentior.

Idem in libro decimo ſeptimo. Fraxinos & populos, quia geminant feſtinātius, diſponi quoq; conuenit in transferendo matutius, hoc eſt ab Idibus Februarij, ipſas quoq; naſcentes plantis. Et ea quidem, quæ ſumma tellure gaudent, demittantur altius, ſicut olea & fraxinus. Nam hæc & ſimilia pedes, & quaternos oportet demitti: cęteris vero ſufficiunt altitudinis pedes terni. Cędua ſunt fraxinus & laurus, ac perſicus & *Quādo fraxini ſunt tranſponēda.* malus,

malus, ſed naſcuntur tardius. Defixaque vix tolerant terram, non modo humorem: plerique non ſpernunt fraxinum, vt portet vitem iuxta ſe plantatam. *Palladius vbi ſupra.* De fraxino, vel fago diutiſſimè *durabunt tabulata, ſi ſtrat is ſuper paleis, aut ſilice, calcis humor nuſquam ad tabulati corpus accedat. Idem in lib* 12. Fraxinus & vlmus ſi exiccentur rigeſcunt, ante curuabilescatenis vtiles habentur.

Nota.

De Medicinis ex fraxino.

CAP. LXV.

Curationes fraxini.

PLatearius. Fraxinus frigida eſt, & ſicca in ſecundo gradu, cuius cortices & viſcoſitas, quemadmodum fungi ſuper eam excreſcit, vſui competunt medicinæ contra fluxum ventris, dyſſenteriam, *contra vomitum* ex debilitate virtutis contentiuæ, vel humorum acumine. *Auicenna.* Dirdar, ideſt fraxinus eſt arbor cimicum, ex qua ſcilicet capita egrediuntur inflata ſicut granata, in quibus eſt humiditas, quæ generat cimices, & eius folia comeduntur viridia, ſicut olera. In ipſa ſunt ſtipticitas & abſterſio, humiditas capitum eius abſtergit faciem. Cortex eius percuſſiones, & vulnera conſolidat. Ex decoctione radicis, & foliorum eius embrocantur oſſa confracta. Cortex eius craſſus cum aqua frigida bibitus expellit *phlegma. Conſtantinus in libro graduum.* Arboris fraxini cortex, & rami ſunt in primo gradu frigidi, & ſicci; frondibus eius cum aceto cataplaſmatis *puſtula*, & *plaga* curantur, & *ſcabies*, eiusque cortice cum aqua, vel vino potui dato, *phlegmatici* purgantur humores. Cum aceto temperat *morpheam* innatam omnino à cute mundificat, ſuppoſitus quoque *fracturam oſſium* celerius ſolidat. *Plinius libro vigeſimo quarto.* Fraxinus quam vim aduerſus ſcorpiones habeat, indicauimus. Semen eius folijs ineſt, quæ medentur iocineri & *doloribus lateris* in vno. Aquam quæ ſubit cutem extrahunt. Corpus obeſum leuant onere, ſenſimque ad maciem reducunt.

De Geniſta, & geniſtula.

CAP. LXVI.

Geniſta.

PLinius *vbi ſupra.* Geneſta vel geniſta præſtat vſum vinculi. Suntque flores ipſius apibus gratiſſimi. Dubito an hęc ſit, quam ſparton appellauerunt auctores Greci, cum ex ea lina piſcatoria docuerim apud eoſdem factitari, & nunquid hanc Homerus deſignauerit cum dixit, *nauium ſparto diſſoluta*, nondum enim Aphricannm vel Hiſpanum ſpartum fuiſſe in vſu certum eſt, & cum ſutiles fierent naues, lino tamen non ſparto vnquam fuiſſe conſutas. Semen eius quod Græci appellant eodem nomine, in ſolliculis paſſiolorum modo naſcens, *purgat ellebori vice drachma* & dimidia, in aqua mulſa cyathis quatuor potum à ieiuno videlicet homine. Ramis ſimiliter cum fronde & aceto maceratis pluribus diebus & tuſis, ſuccum dant, *hiſchiaticis* vtilem cyathi vnius potu. Quidam & ſemine vtuntur ad ſtranguriam. Geniſta denique tuſa cum axungia *genua* ſanat dolentia *Auctor.*

Spartos.

Vis medica Geniſta.

Myrica. Tamariſcus.

Tamariſcum arborem in medicorum ſynonymis legitur geniſtę nomine deſignari, quam nomine myricæ quidam intelligunt in medicina, de quorum tamen vtroq; ſcilicet myrica & tamariſco per ſe ſub eiſdem nominibus dicetur infra. Nam de geniſta & myrica in eodem capitulo ſeparatim Plinius tractat, dicens myricam quibuſdam & amaricon appellatam, & fortaſſe vocat amaricō, quam auctores cæteri tamariſcem vocant vel tamariſcum, vel vitio fortè ſcriptoris accidit, vt amaricon poneretur pro tamariſce, vel tamariſco, vel etiam econuerſo. *Platearius in libro de ſimplici medicina.* Geniſtula frigida & ſicca eſt ſimilis geneſtæ, ſed minor, facitque florem album, geniſta vero croceum:

Geniſtula virtus.

habet autem, geniſtula conſtringendi virtutem, valetque contra *dyſſenteriam.*

De Arundine.

CAP. LXVII.

Arundines ſpiculis deſeruiunt.

AVctor. Arundinem ponit Iſidorus inter arbores, & hoc (vt videtur) propter quaſdam ſpeciales, quarum tanta craſſitudo & magnitudo eſſe dicitur, vt ex illis naues & ædificia fabricentur. De cæteris autem dictum eſt ſuperius inter herbas incultas & inter ſatiuas. *Plinius libro decimo ſexto.* Arundines primatum tenent inter aquaticos frutices, frigidis gaudentes. Belli pacisque experimentis neceſſariæ ſunt, atque etiam in delitijs gratæ, his enim Orientales populi bella conficiunt, dum ſpicula calamis addunt. Nullus autem ſagittis aptior eſt calamus, quàm in Rheno, Bononienſi amne, cui plurima ineſt medulla ponduſq; volucre. Contra flatus quoque peruicax libra, Quippe non eadem gratia Belgicis. Hæc & Creticis commendatioribus, quanquam præferantur Indi, quorum alia quibuſdam videtur natura, quando & haſtarum vicem præbent additis cuſpidibus. Arundo denique Indica arboream habet amplitudinem qualis videtur in templis, folia vero breuia. Nauigiorumque vicem præſtant, ſi credimus, internodia ſingula *Alexander in Epiſtola ad Ariſtotelem.* Poſt victoriam noſtram de Dargo rege obtentam acceptis centum quinquaginta ducibus Indorum, qui breuitates itinerum nouerant, cum pergeremus, pariter flumen apparuit, cuius ripam *arundo pedum ſexagenum* veſtiebat, pinorum abietumque vincens in craſſitudine robora, eaq; Indi vtuntur ad ædificia. Aqua vero fluminis guſtu elleboro amarior erat, quam nec homo bibere, nec pecus etiam ſine tormento poterat. Deinde vidimus homines nauiculis *per flumen vehi rotundis ex arundine*, qui nobis oſtenderunt vbi dulcem aquam poſſemus inuenire. *Solinus* Theremitanis eſt locis inſula ferax arundinum, quæ accommodatiſſimæ ſunt in communē vſum tibiarum. In India quoque quæ paluſtria ſunt arundinem creant ita craſſam, vt fiſſis internodijs lembi vice vectitet nauigantes. E radicibus autem humor dulcis exprimitur ad melleam ſuauitatem.

Arundo pedum ſexagenum.

Nauicula ex arundine.

De Hedera.

CAP. LXVIII.

Hedera etymon.

ISidorus. Hedera dicta eſt, eo quod arboribus reptando *adhæreat*, vel quod *hedis* ſupra lactis abundantiam à veteribus in eſca præbebatur. Hederæ frigidæ terræ indices ſunt ſecundum Phyſicos. Nam antipharmacon ebrietatis eſt, ſi quis hedera coronetur. *Plinius lib.* 8. Apri hedera medentur ſibi. *Idem lib.* 16. Hedera cum lauro teritur, & ignis, ſicut ex lapide excutitur. Hederæ quoque folia non decidunt, & anguloſa ſunt. Foliorum quidem vnitas in ſuo permanet cuique genere, præterquam populo, & hederæ. Hedera iam in Aſia dicitur naſci, (quam negauerat Theophraſtus) nec India niſi in monte Mero. Alexander verò ob raritatem ita exercitu coronato ex India victorem redijſſe Liberi patris exemplo. Arbor eſt inimica ſatis omnibus, ſepulchraque ac muros rumpens. Serpentum vero frigori gratiſſima, vt mirum ſit eam in honore vllo habitam.

Hedera antipharma cũ ebrietatis.

De Medicinali earum operatione.

CAP. LXIX.

Tria genera hedera.

DIoſcorides. Hederæ genera tria ſunt, ſcilicet alba, nigra, & elix. Alba florem affert album, & nigra nigrum, vel croceum. Elix vero non habet ſemen: ſed folia minuta & anguloſa & craſſa. Omnis

autem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

autem hedera virtutem habet viſcidam & ſtipticam, vnde nerui eam citius ſentiunt contrariam. Flores eius bibiti medentur *dyſſentericis*, folia verò eius cum cerotis mixta *combuſtionibus* maximè proſunt. Eadem cum aceto cocta, & impoſita *ſplenem tumentem* attenuant. Succus eius naribus infuſus *caput purgat*, eius dolores mitigat. Item cum oleo puro decocta *doloribus aurium* opitulatur. Hederæ nigræ ſuccus, aut ſummitas eius, ſi bibatur, *amentes* quoque homines facit. Quinque grana ſeminis eius cum oleo roſeo in cotio maligranati cocti, & auri dextræ infuſa, *ſiniſtro* denti medentur. Cataplaſmatibus impoſita *capillos* nigrefaciunt. Similiter & vultibus vtilia ſunt. Huius folia cum vino *combuſtionibus* madentur, maculas impoſita emendant. Summitates eius *menſtruis* imperant. Poſt purgationem vero mulierum bibita *generare non ſinit*. Succus eius naribus immiſſus *putredinem* natium tollit. Lachryma eius *pediculos* occidit, & capillos nudat, euulſosque renaſci non ſinit. In dentem cauum miſſum dolorem tollit, & ipſum corrumpit. Succus radicis eius cum aceto bibitus *morſibus phalangionum* occurrit. Eſt autem hedera, quam multi haſteron vocant. Flos eius cum vino bibitus auſtero *dyſſenteriæ* medetur. Cataplaſmatibus adhibitus naſcentia vulnera ſanat. Cerotis admixtus medetur combuſtionibus, & vtiliter adhibetur antiquis *vulneribus*. Circa radices eius naſcitur hipoquiſtis Lydię roſę ſimilis, cuius vna pars alba, & altera ruſa: hęc tunditur & exprimitur ſicut Achacia, eaq; in medicinis vtimur. Habet enim Achaciæ virtutem, ſed paulo ſtipticam. Ad ſolutionem vētris & *dyſſenteriam* vtiliter adhibetur, *ſpuentibusque ſanguinem* ſubuenit, & abſtinet menſtua. Eſt & alterum genus hederę, quod multi vocant *alimon*, frutex eſt ſupradictæ ſimilis habet folia longiora & integra, ac neſcio quam pinguedinem ſuper folia, huic virtus eſt in foliis ſtiptica, ſuperiori ſimilis, & ex ea laudanū colligitur Huius ſiquidem hederæ folia caprarum hirci libenter manducant, quam cum depaſcere cœperint, pinguedo illa deſuper folia exiſtens, barbis eorum & humeris adhæret, ex quibus collecta laudanum faciunt. Quidam autem deſuper ramos ipſius inter ſe funem extendentes trahunt, & ſi quid ex ipſa pinguedine funi adhęſerit, colligunt, & ex eo paſtillos facientes laudanum vocant.

Medicina ex hedera.

Alimos.

Laudanum.

De Ilice.

CAP. LXX.

Ilicis etymō.

Sidorus. Ilex dicitur ab electo. Huius enim arboris fructum homines primum ſibi elegerunt ad victum. Nam prius quàm vſus eſſet frumenti, glande vixerunt antiqui. *Author.* Hæc eſt arbor quæ in Daniele, iuxta Grecum idioma dicitur σχῖνος & lētiſcus ibidem vocatur prinus. Ilicis autē fructus appellatur *cocus*, ſicut dicetur inferius, vbi agendū eſt de fructibus. *Ambroſius.* Ilices vmbroſæ verticem præferunt, & in Oriente comam hyeme ſeruant. *Ariſt. in li. de Plantis.* Ilex ſicut & amigdalus fructificat melius in ſenectute, quàm iuuentute. *Plinius lib. 16.* Ilex fert glandem ſicut & quercus, & ſuber. Continentur hiſpido calice per genera plus minus. Item complectente folia præter ilicem, grauia, carnoſa, & procera, ſinuoſa lateribus, nec cum cadunt flaueſcentia. Ilicis duo ſunt genera. Ex his in Italia, folio vero multum ab oleis diſtant. *Milaces* à quibuſdam Græcis dictæ. In prouincijs aquifoliæ ſunt: ilicis vtriuſque glans breuior eſt, atque gracilior. Homerus aculon appellat, eoque nomine diſtinguit à glande.

Cocus.

Milaces.

Maſculas autem ilices negant ferre: iligna glans facit ſuem anguſtam, nitidam, ſtrigoſam, ponderoſam. Nigidius tradit, nec ex alia ſolidiorem carnem naſci, ſed durā: *iligna ſues tentari niſi detur paulatim, hanc* verò nouiſſimam cadere. Montes amat ilex, ſicus buxus. Arborum ſylueſtrium generi folia non decidunt, ilici ac buxo & abieti. Ipſa quoque folia ſunt aquifolio & ilicum generi aculeata. Non autem florent, ſed r iſtes ſunt, & annorum gaudia non ſentiunt, nec vllo flore exhilarantur: ilex, & larix, & picea, & pinus, anniferæ ſunt, ilex & iuniperus, in quibus nouus cum annotino pendet fructus: ilici eſt firmitas ſpiſſa, totaq; oſſea eſt ſicut morus & hebenus: ilex etiam flexibilis eſt, colore non ingrata, ſed maximè his, quæ teruntur, vt rotarū axibus fida, ad quos lentore fraxinus vtilis, ſicut ilex duritia. Vaginę quoque terebris vtiliſſimæ fiunt ex vlmo & fraxino & buxo & ilice. Ex his maior ad firmitatem cauſa tempeſtiuæ cæſuræ, quàm immaturæ. Ipſaque ſunt præcipua materies, ilex, & palma, terebinthus, buxum, ſambuci radix, populus & acer. Vrbe Romana vetuſtior fuit ilex in Vaticano. Vicina quoq; luco eſt ilex, & ipſa nobilis. 35. pedum ambitu caudicis decem arbores metiens ſingulas viſendæ magnitudinis, ſyluamque ſola faciens. Adnaſcitur & viſcus in ilice, ſicut in quercu ac terebintho & robore. *Idem in li. 17.* Ilicis & pinus, ac quercus ſtillicidia ſunt ponderoſiſſima. Ilex autem & robur & quercus, ſi anguſta fuerit, decorticatio nihil nocet.

Ilex arbor triſtis

Ilex vetuſta.

De Iunipero.

CAP. LXXI.

Etymon iuniperi.

Sid. Iuniperus Grecè dicta eſt, ſiue quia ab amplo in anguſtum finit, ſiue eo quod conceptum ignem diu teneat, ita ſi prunę ex eius cinere operte fuerint, vſque ad annū perueniāt, pyri enim Grecè ideſt ignis Latinè. Iuniperus autē alia parua eſt, alia magna. *Plinius lib. 12.* Piperis granum, cuius arbor in Italia naſcitur, Iuniperi baccis mirè vim trahentibus adulteratur. *Idem in li. 16.* Mōtes amat iuniperus, ſicut ilex, ac terebinthus. Et ſylueſtrium generi folia non decidūt iunipero, ſicut nec abieti, vel cedro. Eſt autē iunipero ſpina pro folio. Iuniperi non florent. Quidam ramē earum duo genera tradunt, & alterum florem nō ferre, Quæ verò non floreat protinus ferre baccis naſcentibus, quæ biennio hæreant, ſed hoc falſum. Omnibusque his dura facies ſemper. Sic & hominum *multis fortuna eſt ſine flore*. Iuniperus & ilex habentur anniferæ, nouus fructus in his cum annotino pendet. Rubet autem iuniperus, ſicut & cedrus, eademque virtus eſt iunipero, quæ & cedro, cuius materies oleo peruncta, nec ruinam nec cariem ſentit. Vaſta hæc in Hiſpania medulla eius vbicunque ſolidior etiam quàm & cedrus. Denique cariem vetuſtatemq; non ſentit iuniperus, ſicut nec cypreſſus aut cedrus. Iuniperi trabibus durantibus ſuper omnia memorantur in quodam templo ante bellum Troianum ædificato. Iuniperum cedrus, ac cypreſſus præcellunt odore, ſed iuniperus eas præcellit æternitate.

Fortuna ſine flore multis.

De Medicinis ex Iunipero.

CAP. LXXII.

Iuniperi medicatio.

Plinius lib. 24. Iuniperus autem omnia cætera excalefacit, & extenuat. Huius duo ſunt genera, maior & minor, vtraque accenſa *ſerpentes* fugat. Semen eius *ſtomachi, pectoris, lateris* doloribus vtile. Inflationes & *algores* diſcutit, *tuſſes* concoquit, & duritias. *Tumores* illitum ſiſtit. Iterum *aluum* ſiſtit baccis ex vino nigro potis, ventriſque *tumores* illitis, vrinas ciet. Illinitur & oculis in epiphoris. Iterum miſcetur antidotis oxyporis, daturq; *conuulſis, ruptis, torminibus, vuluis*, iſchiaticis. Sunt qui, & eius ſemine perungant corpus contra *ſerpentum* ictus. *Auicenna.* Iuniperus eſt cypreſſus ſylueſtris, & eius quidem alia eſt parua, alia magna. Hæc arbor multiplicatur in terris Romanorū, & in Occidente, & aſſumunt ex ea ligna ad fabricas magnas. Eſt autē calefactiua, ſubtiliatiua, carminatiua, & in ſolo fructu eius tamen hæc eſt ſtipticitas, non in reliquis partibus arboris. Vtilis

Nota.

eſt doloribus pectoris,& tuſſi,& inflationi ſtomachi, mundificat & aperit opilationes. Confert etiam præfocationi matricis, & eius doloribus & attritionibus lacertorum, expellit nocumẽtum puncturæ vermium venenoſorum, & ex qualibet arboris ipſius parte facta ſuffumigatio effugat vermes venenoſos. Ipſa quidem arbor eſt declinans ad caliditatem & ſiccitatem. Semen autem eius calidum eſt in primo, ſiccum in ſecundo. *Idem.* Abhel eſt fructus iuniperi ſimilis, zarui, ſed vehementius niger, & eſt boni odoris, & acuti. Arboris eius duæ ſunt ſpecies. Vna cuius folia ſunt vt cypreſſi, multas habens ſpinas quæ dilatatur, & non elongatur. Alia cuius folia ſunt vt tamariſci, & ſapor eius vt cypreſſi: ſed ſiccior eſt, & nimis calida: fructus iſte vehementis reſolutionis eſt, & ineſt ei deſiccatio cum mordicatione, & ſtipticitas lenis. Eius pulueriZatio confert vlceribus putridis. Cum melle prohibet ambulationẽ, & vlcera denigrata, ponitur in oleis calefactiuis, & aromaticis. Nux eius diſtillatur in aurem, & confert ſurditati valde. Cortices foliaq; iuniperi cũ pipere valent venenoſorum mordicationi. *Platearius.* Iuniperus calida eſt, & ſicca in tertio gradu. Huius fructus in receptionibus ponitur. Qui in vere colligitur, & per duos annos ſeruatur: habet virtutem diſſoluendi, conſumendi. Vſus eius eſt contra fluxum ventris ex ſcamonea adhærente ſtomacho, & inteſtinis, contra ſtrangluriam, dyſenteriã, & contra iliacam paſſionem. Ex lignis etiam iuniperi ſiccis fit oleum, modicum quidem, ſed efficaciſſimum. Valetque contra quartanam, & contra iliacam paſſionem, contra epilepſiam, contra vitium lapidum.

Temperamentum iuniperi.

De Larice.

CAP. LXXIII.

Larix vnde dicitur.

ISidorus. Larix à caſtello laricino dicta eſt ex qua tabulæ tegulis affixæ flammam repellunt, nec ex ſe carbones exuſtæ efficiunt. *Plinius in libro 16.* Latix eſt arbor ex ſylueſtri genere, cui folia non decidunt, ſicut nec abieti. Nulloque flore exhilaratur, protinus enim è flore fructus gignitur. Montes amat ſicut & cedrus & teda. Et eſt quintum genus earum, quæ picem ferunt, cui ſitus idem & facies vt abieti. Huius materia longè præſtantior incorrupta, vis humori contumax, rubeus præterea & odore acrior. Huic quoque pluſculum erumpit liquoris, melleo colore atque lentiore nunquam dureſcentis. Sextum vero genus eſt teda, laricisque morbus eſt vt teda fiat. Omnia vero huius genera, quæ picem ferunt accenſa fuligine immodica repente carbonem cum eruptionis crepitu expuunt, eiaculanturque longè, excepta larice, quæ nec ardet, nec facit carbones, nec alio modo ignis vi conſumitur, quàm lapides. Omnia quoque illa perpetuo virent, nec facile etiam diſcernuntur in fronde etiam à peritis, tanta natalium mixtura eſt. Sed picea minus alta quàm larix, illaque craſſior leuiorq; cortice, folio villoſior, pinguior & denſior molliorque flexu, ac piceæ rariora ſiccioraque folia, & tenuiora & magis algentia totaque horridior eſt ac perfuſa reſina, lignum vero abieti ſimilius, larix radicibus vſtis non repullulat. In Macedonia laricem maſculam vrunt, Fœminæ radices tantum, vt fiat pix.

Canchris.

Gignit & larix canchrin, ſicut & abies, videlicet pillulam in medicina vim vrendi habentem, quæ continet nucleum pineis ſimilem. Larix & abies, & robur germinationem intermittunt, tripartita ternaque germina edunt. Ideo & inter ſquamas corticem ſpargunt. In longitudinem excreſcunt larix & abies atque palma, & ſiqua ſunt vniſtirpia. Radices ſunt ſingulares larici, ſimiliter & abieti. Larix rubet, fœminamque mellei coloris habet, quam Græci vocant ægida. Inuentum eſt pictorum tabellis immortalem, nulliſque rimis fiſſilem. Larici & magis abieti ſuciſis, humor diu defluit. Hę ſunt *omnium arborum altiſſimæ atque rectiſſimæ.* Communia vero ſunt his atque pino, vt quadripartitos habeant venarum curſus, biſidos, vel ſimplices omnino. Fuit autem trabs ex larice longa pedum centũ viginti, bipedali craſſitudine, æqualis, qua intelligebatur altitudo reliqua vix credibilis faſtigium ad cacumen æſtimantibus. Cariem vetuſtatemque ſentit larix tardiſſimè. In maritimis nauibus eam tradunt obnoxiam teredinibus. Pondus ſuſtinere ſunt validæ larix & abies in tranſuerſum poſitę. Larix in humore præcipua, & alnus nigra. Viſcus etiam dicitur in larice naſci, ſicut & in abiete. *Idem in libro 17.* Seruntur autem ſemine, nec vnquam degenerant larix ac cypreſſus ac palmæ. *Palladius libro 12.* Larix ad materiam eſt vtiliſſima, ex qua ſi tabulas ſuffigas tegulis in fronte & extremirate tectorum, contuliſti præſidium contra incendia. Nec enim flammas recipiunt, aut carbones creare poſſunt.

Arborum altiſſimæ & rectiſſimæ.

Præſidium contra incẽdia.

De Lentiſco.

CAP. LXXIV.

ISidorus. Lentiſcus dictus eſt, eo quod cuſpis eius lentus ſit & mollis ac flexibilis. Huius fructus oleũ deſudat, cortex reſinam, quæ maſtix appellatur. Cuius plurima & melior in inſula Chio gignitur. *Ambroſius.* Si lentiſci fructus aquæ miſceantur, in olei morem facili natura transfunduntur. *Gloſſa ſuper Danielem 13.* Schinum latini dicunt lentiſcum, & eſt arbor humilis. Cuius foliorum ſuccus ſolidat ſciſſuras labiorum, vel manuum. *Plinius lib. 14.* Lentiſcus reſinam fundit, quæ maſtyx dicitur, & vt vinum quoque fiat lentiſci baccæ, vel lignum recens in muſto docoquitur. *Idem in lib. 15.* Cura quę cornis, eadem & lentiſco adhibetur, ne quid non hominis ventri natum eſſe videatur. *Idem in li. 16.* Picem terebinthinam in referuenti ſartagine coquunt, & hanc cæteris pręferunt, proximam & lentiſco ferunt. *Idem in lib. 17.* Quædã pæna emendantur, aut morſu excitãtur, vt lentiſci, & palmæ, Salis enim aquis aluntur. *Idem in li. 18.* Iam ſemper viridis, ſemperque granata.

Lentiſci etymon.

Maſtix.

Lentiſcus triplici ſolita eſt glandeſcere fructu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

De Medicinis ex lentiſco.

CAP. LXXV.

AVicenna *vbi ſupra.* Lentiſcus calida eſt in tertio, humida in primo, & eſt abſterſiua, reſolutiua, attractiua, ex profundo corporis: & gummi eius ſicut laudanum imponitur. Eſt autem boni odoris, & ingreditur in odoramentis mulierum. Rob, ideſt vinum coctum lentiſci, confert valde *fluori oris & vlceribus* eius. In ipſa quoque eſt virtus conſtringendi ventrem. *Idem in eodem.* Arbor maſticis eſt compoſita ex aqueitate pauca, & terreitate plurima. Omnes eius partes ſtipticæ ſunt ſicut & maſticis, & ex eius fructu fit oleũ vehementis ſtipticitatis. Ambulatiua prohibet ſuccus eius, & decoctio foliorum eius. Oleum eius ſcabiei confert, etiam pecudum & canum. Iterum ſuccus & decoctio prædicta effunditur ſuper vlcera, carnemque generat. Et ſuper oſſa fracta ſimiliter, eaque reſtaurat. Decoctio radicis eius & corticis confert tuſſi, ac ſputo ſanguinis, & apoſtematibus inteſtinis, eiuſque folia fluxui matricis.

Virtus medicinalis Lentiſci.

Dioſcorides. Lentiſci ſemen & folia & corium & ramuli cum radice virtutem habent vnam, id eſt ſtipticam. De cuius corio ſuccus fit, ac de radice & de folijs, ſic folia ethymo cortexque radicis in aqua vehementer decoquuntur ad ſpiſſitudinem mellis, & eſt aqua ipſa res ſtiptica. Daturque cum frigida puſca hęmoproicis ac dyſſentericis. Et eſt ſolutioni ventris ſingulare

Virtus ſucci Lentiſci.

gulare præſidium illis. Fluxum matricis conſtringit, cauſas ſtericas curat, & ani propendentia. Exilatura foliorum eius eſt diuretica, de qua fractura frequenter fomentata celerius ſolidatur. Succus foliorum eius *dentes* commotos confirmat, ſi ſæpius in ore teneatur, quia ſtipticæ virtutis eſt, & ſimilibus cauſis prodeſt: ligno eius viridi dentes candidantur confricati: fit & eius ſemine oleum ſimilibus neceſſarium, vt inferius dicetur.

De Licio & Lotho.

CAP. LXXVI.

Exacanthos licios. *Dioſcorides.* Licios eſt arbor, quæ exacanthos eſt appellata, generans folia buxo ſimilia, atque ſpinoſa. Naſcitur & in locis dumoſis, ideſt ſpinoſis. Huius folia & gummi & radix in vnum contunduntur & ex aqua dulci vſque ad craſſitudinem decoquuntur. Eſt autem deſiccatiuæ virtutis, & compoſita ex contrariis, videlicet habens vim extenuatoriam & digeſtatoriam, calidam & frigidam & modice ſtipticam. Ideoque diaphoreſim facit, proiiciens & purgans, facit autem ad *herpetas*, & ad *hepatis* vlcera, & etiam ad *parotidas* & *vlcera* putrida. Hęc eſt arbor vnde fit licium. Succus videlicet ſtipticus, intus colore rufus, ac deforis niger, guſtu amarus, multipliciter ad medicinam proficuus, ſicut in ſequenti dicetur, vbi de ſuccis ac gummis arboris tractabitur. *Plinius lib.* 16. Lothos ſiue faba Græca ſylueſtris quidem, ſed ceraſorum penè natura, præcipuè domibus expetitur, ramorum petulantia, breui caudice, latiſſima ſpaciantium vmbra: nulli opacitas breuior, nec aufert ſolem hyeme decidentibus foliis. Nullis cortex iucundior, aut oculos blandius excipiens. Nullis rami longiores, validioresque, aut plures, cortice pelles tingunt, radice lanas. *Auctor.* Lothos ipſa arbor eſt iuxta Iſidorum, quæ apud latinos dicitur mella, ſicut dicetur & infra.

Curatio licij.

Lothos.

Mella.

De Malabatro & malomello.

CAP. LXXVII.

Malabathros. *Plinius libro* 12. Malabatron Syria dat, videlicet arborem folio conuoluto, colore arido, ex quo premitur oleum ad vnguenta. Fertilius eſt eiuſdem generis ex Ægypto, laudatius etiam ex India venit. In paludibus ibi gigni traditur lentis modo, odoratius croco, nigricans, & ſcabrum, quodam ſalis guſtu. Minus probatur candidum. Celerrime ſitum in vetuſtate ſentitur. Sapor eius nardo ſimilis eſſe debet ſub lingua. Odor vero in vino ſubferuefactus antecedit alios. *Iſidorus.* Malomellum à dulcedine dicitur, eo quod fructus eius mellis ſaporem habeat, vel quod in melle ſeruetur. *Auctor.* Eadem videtur arbor eſſe malomella, quæ & mella, de qua dicetur infra, licèt Iſidorus de his ſeparatim loquatur, ac pro duabus ponere videatur.

Malomellũ.

De Myrica.

CAP. LXXVIII.

Myrica. Tamaricia. *Iſidorus.* Myricæ quam latini tamariciam vocant, ex amaritudine nominata eſt, quia guſtus eius nimis amarus eſt. Hæc in ſolitudine & ſaxoſa humo naſcitur, ex qua etiam arbore maleficis artibus odia concitari dicuntur. *Ambroſius.* In myricis natura expreſſit figuram in parte calliditatis. Sicut enim duplicis cordis viri vbique præſto ſunt, & gratiam atque ſimplicitatem ad bonos prætendunt, vitioſis ſeminum verbis glutinantur. Sic & in locis inaquoſis & in deſertis quodam vſu contrario hæc virgulta naſcuntur, vnde & Hieremias dubia morum ex myſterio myricis comparat. *Plinius libro* 24. Myricem quam & amaricem vocant, arbitrantur quidam eſſe tamaricam, ſed ad lienem præcipua, ſi ſuccus eius in vino bibatur, huiuſmodi ſplenetico cibum potumque dant in valis ex ea factis. Hoc quoque affirmant ſi ex ea factis alueis bibant ſues ſine liene inueniri: vulgus hanc infælicem arborem vocant, *eo quod nihil ferat, nec vnquam feratur.* Corinthus, & quæ circa eſt regio *brianeam* vocat. Eiuſque duo genera facit. Sylueſtrem planè ſterilem, ſed altera eſt mitior, quæ fert in Ægypto Syriaque abundanter lignoſum fructum maiorem galla, aſperum guſtu, quo medici vruntur vice gallæ in compoſitionibus quas antheras vocant. Lignum autem & flos & folia & cortex in eoſdem vſu adhibentur, quanquam remiſſiora. Datur *ſanguinem reiicientibus* cortex tritus, & contra *profluuia* fœminarum, Cæliacis quoque. Idem tuſus & impoſitus collectiones inhibet. Foliorum decoctio ad dolorem dentium & aurium ſalubris eſt. Radix ad eadem ſimiliter folia. Semen aduerſus *ſphalangias* & araneas bibitus: efficax eſt contra *ſerpentum* morſus, pręter aſpidum. Necnon morbo *regio pthiriaſi lendibusque* decoctum infuſum prodeſt. *Auctor.* Nota quod Plinius geniſtam & myricam pro duabus arboribus computat, nos tamen eandem myricam dicimus, quam vulgus geniſtam vocat. Tamaricam autem vel tamariſcum aliud, de quo infra. *Dioſcorides.* Myricæ elixatura paſſarijs adhibita, *matricis* humores prohibendo conſtringit, pediculos ac *lendes* perimit. Cinis eius ſimiliter menſtrua ſtringit. Foliorum elixatura cum vino bibita ſplenis *dolorem* compeſcit, dolori *dentium* ſubuenit. Ex eius ligno calix efficitur in quo vtiliter bibitur.

Infælix arbor. Brianea.

Virtus eius.

Medicinalis & elixatura Myricæ.

De Myrabalano.

CAP. LXXIX.

Myrabalani virtus. *Auicenna.* Myrabalanus eſt arbor magna, & quod eſt ſupra ipſam, eſt calidum in ſecundo, ſiccum in fine primi. Aqua foliorum eius interficit *pediculos*, & prolongat capillos. Flos eius aperit *opilationes cerebri.* Fructus eius valde nociuus eſt pectori: & *ſtomacho* malus eſt. Succus extremitatum eius cum melle *venenis omnibus* reſiſtit. Et ſuccus fortaſſe eius etiam interficit. *Ariſtoteles in libro de vegetabilibus.* Omnibus autem arboribus cum primo plantatæ fuerint, dominabitur amaritudo vel pōticitas: quia fructus in principio non bene digeſtus eſt. Digeſtio enim eſt cum calore & humore. Myrabalanorum tamen *arborum fructus in principio cum apparent dulces ſunt*, conſequenter pontici, & in completione amari. arbor enim rara eſt, & in hora digeſtionis cum ſint meatus ampli, ſequitur calor humorem: & maturat fructum, ideo in principio dulcis eſt. Deinde calor attrahit ſiccitatem ſimilem, & anguſtat meatus & poros. Vincuntque frigiditas & ſiccitas calorem & humorem. Alteratur ergo fructus ad ponticitatem. Deinceps aſcendit calor naturalis ſurſum: & adiuuat æquè calor ſolis extrinſecus, Vincent ergo calor & ſiccitas & erit fructus amarus. *Plinius lib.* 12. Myrabalanum Troglodytis & Thebaide & Arabia commune eſt, naſcens vnguento, *vt ipſo nomine apparet.* Fructus magnitudine auellanæ nucis. Ex his in Arabia naſcens candida ſyriaca appellatur. Contra in Thebaide nigra. Illa olei bonitate, ſed thebaica copia. Inter hęc troglodytica vtiliſſima eſt. *Item in lib.* 23. Palma quę myrabalanum fert in Ægypto probatiſſima non habet modo reliquarum in balanis oſſa: aluum ac menſes cit in vino auſtrio, vulneraque conglutinat.

Mirum in Myrabalanis.

Etymō myrabalani.

De Myrto.

CAP. LXXX.

Etymon Myrti. *Iſidorus.* Myrtus à mari dicta eſt: eo quod magis arbor littorea ſit. *Vnde Virgil. Littora myrtetis latiſſima: & amantes* littora myrti. Hanc libri medicorum aptam ſcribunt mulierum neceſſitatibus plurimis.

Palladius lib. 3. Menſe Februario ex baccis myrti, & lauri ſeminaria ſunt facienda, vel ſi facta fuerint colenda. *Ex lib. de nat. rerum.* Myrtus eſt arbor, quæ calores nimios, aut frigora corporis tentare dicitur. *Tamaricia.* Hæc alio nomine *tamaricia* vocatur, cuius decoctio, vel ex eius ligni vaſe bibitio valet contra opilationes ſplenis & hepatis. Eſt & myrtus parua frutex potius quam arbor: in humidis locis naſcens, cuius flos eſt odoris iucundiſſimi, & ponitur in potibus qui fiunt ex aqua & frumento, vel ordeo. *Ambroſius.* Ripæ fluminum ad verbum Domini ſe myrtis veſtire properauerunt. *Gloſſ. ſuper Iſai.* 41. Myrtus eſt arbor aromatica: quæ feſſa conſolidat & reparat membra.

Ariſtot. in lib. de plantis. Quæ in primis naſcuntur in figura plantæ granorum, & poſtea fiunt arbores, vt planta, quæ dicitur, bacca caprarum, & quandoque myrtus etiam, & malus, & pyrus. Harumque multi & ſuperflui ſunt ſtipites ex earum radicibus. Cum autem frigus vicerit plantam: colorabit eam tantum occultatione caloris in medio plantæ, & frigoris exterius in extremitatibus eius apparitione. Indeque folia glauca ſunt, nec cadunt vt myrti, ac oliuæ. *Idem in libr. de animalibus.* Prope aluear apum plantare conuenit myrtum, & amygdalum. *Plinius libr.* 12. *Myrtus Veneri dicata.* Veneri ſolet eſſe dicata myrtus, ſicut Herculi populus. *Idem libr.* 15. Succorum natura præcipuam habet admirationem in myrto: quoniam ex vna omnium olei vinique bina genera ſunt. Idem myrtidanum. Alius autem vſus baccæ fuit apud antiquos: antequam piper reperiretur: libæ obtinens vicem: quodam etiam generoſo obſonij nomine inde tracto, quod etiam nunc myrtarum vocatur. Eademque origine aprorum ſapor commendatur: plerunque additis myrtis ad intinctus. Arbor ipſa in Europa terriore cœlo, quod à ceraunijs montibus incipit primum Celtæis in Elpenoris tumulo viſa traditur, eique nomen Græcum remanet quo peregrinam eſſe apparet. *Idem in libr.* 16. Folia myrto concaua ſunt, & non occidunt. Fructum vero fert myrtus & lateribus ramorum & cacuminibus.

De Medicinali virtute ipſius.

Cap. LXXXI.

Ioſcorides. Myrtus frigidã habet in ſe extenuatoriam ſubſtantiam, calefacit & fortiter deſiccat. Vna eſt alba, altera nigra. Folia earum & ſemẽ & ſuccus ſtiptica ſunt. Nigra vero plus ſtringit, vnde ſanguinem excreantibus vel reiicientibus vtiliter datur. Stomaticis conueniens eſt, & vrinam mouet, ſcorpionum morſibus prodeſt. Coctura eius nigro vino mixta, capillos ſtringit cum polline vero tritici tumores oculorum compeſcit. Ægilopis etiam vtilis eſt. Grana eius contuſa & expreſſa vinum faciunt, quod facit *contra ebrietatem*, quia cohærentis virtutis eſt. *Vinũ myrti valet contra ebrietatem.* Valet & ad furfures capitis, & ad caua vulnera ſi frequenter inde lauentur. *Plinius in libro vigeſimoquarto.* Myrtus ſatiua candida minus vtilis eſt medicinæ quam nigra. Semen eis medetur ſanguinem excreantibus. Item contra fungos in vino potum, vel pridie commanducatum odorem oris commendat. Datur & dyſſentericis denarij pondere in vino. Vlcera difficilia in extremitatibus corporis ſanat cum vino ſubferuefactum. Imponitur lippitudini cum polenta. Et cardiacis in mamma ſiniſtra, & contra ſcorpionis ictus in mero, & ad veſicæ vitia capitiſque doloribus. Et Ægilopis antequam ſuppurent. Item tumoribus. Succus feminis aluum ſiſtit, vrinam cit. Ad eruptionem puſtularum pituitæque cum cerato illinitur, & contra ſphalangias. *Medicinalia ex myrto.* Oleum eſt vt vinum ex eadem myrto quo nunquam inebriantur. Tormina ſanat, faſtidium abigit. Foliorum arentium farina ſudores inſperta cohibet, etiam & in febre. Vtilis eſt cæliacis & procidentiæ vuluarum. Sedis vitiis, vlceribus manantibus, *igni ſacro* fotu. *Capillis* fluentibus folia fungis aduerſantur ex vino trita. Cum cera vero articularibus morbis & collectionibus. Eadem in vino decocta dyſſentericis & hydropicis potui dantur. Siccantur in farina, quæ inſpergitur vlceribus, aut hemorrhoidæ. Purgant & lentigines phterigia & paronychia & epinychida, condilomata, teſtes, tetra vlcera. Item ambuſta cum cerato, ad aures purulentas, foliis crematis vtuntur & ſucco decocto. Eſt & myrtus ſylueſtris baccis rubentibus, ſed breuitate ſatiua diſtat. Radix eius in honore eſt, decocta vino valet contra renum dolores pota, & difficilis vrinæ præcipuè craſſæ & grauiter olenti. Semen cum vino potum vel oleo vel aceto calculos frangit. Idem in aceto & roſaceo tritum capitis dolorem ſanat. *Platearius.* Myrtus frigida eſt in primo, ſicca in ſecundo. Et eſt frutex, cuius fructus, ſcilicet myrtilli propriè competunt vſui medicinæ, folia & flores ſecundario. Fructus poſt maturitatem. Sole tamen deſiccari folia debent, diutius flores ſeruari nequeunt. *Amplius ide declaratur.* Habent autem virtutem conſtringendi ex ponticitate, & confortãdi ex aromaticitate. Foliis in aqua pluuiali decoctis, fit fomentum circa interiora, propter diſſolutionem & profluuium, circa frontem & tempora ad ſomnum prouocandum in febre acuta, & etiam propter rheuma & dolorem capitis ex caliditate. Contra fluxum, vel dolorem renum valet miro modo ſyrupus ex floribus, vel ex aqua decoctionis earum. Aqua etiam facta ex aqua pluuiali cum floribus myrti admodum aquæ roſaceæ, multum valet contra prædicta, & contra ſyncopen. Puluis eius ſuppoſitus, vlcera conſolidat.

De Picea.

Cap. LXXXII.

Iſidorus. Picea ex pinorum genere: differunt enim pini ſpecie. Nam aliam picin Græci, aliam vocant peucen, quam nos piceam dicimus, eo quòd deſudet picem. *Etymon piceæ.* *Plinius libr. decimoſexto.* Picea eſt arbor ramoſa, cui ramorum eſt ordo ſicut & abieti. Picea montes amat & frigora, feralis arbor, & indicio funebri ad fores poſita, rogiſque virens, iam tamen & in domos conſimili facilitate recepta. *Feralis arbor* Hæc plerumque plurimam interueniente candida gemma fundit reſinam, thuri tam ſimilem, vt mixta à viſu diſcerni non poſſit. Huius arboris cortex eſt in vſu magno, ſicut abietis & fagi ac tiliæ. Gignit quoque picea canchrin, videlicet pillulam in medicina vim vrendi habentem, quæ poſtquam folia ceciderint, hyeme durat & continet nucleum pineis ſimilem. Is hyeme creſcit, & aperitur pillula tota, caditque cum folia creſcere ceperint. Huic etiam arbori folia ſunt breui ſeta & craſſiore, duraque ſicut cypreſſis. Rami vero penè ſtatim à radice modici, velut brachia lateribus inhærent.

Picea minus eſt alta quàm larix, totis panniculis minoribus atque gracilioribus, habet nucleos minimos ac nigros, propter quod Græci phyrophoron eam appellabant. In eadem quoque nucamenta ſunt maribus compreſſiora, minusque roſcida reſina. Vt autem pix exeat, aperitur picea à parte ſolari, non plaga ſed vulnere corticis ablati, cum plurimum hiatu bipedali, vt à terra cubito cum minimum abſit, nec ipſo corpori parcitur, vt in cæteris quoniam haſtula in fructu eſt, verum terræ proxima laudatur, altior amaritudinem affert, poſtea humor omnis è tota confluit in vlcus. Hæc picea folia pungentia, nulloque flore exhilaratur, protinus enim fructus à floribus gignitur. Abies quidem circa ſolſticium floret. Pinus & picea germinatione 15. ferè diebus præueniunt. Semen vero & ipſæ poſt vergilias reddunt: picea & pinus & alnus ad aquarum ductus in ſcobos cauantur, obrutę terra plurimis annis durant, cito

vero

Vmbra picearum eſt venenum.

vero ſeneſcunt ſi non integantur. *Idem in libr.* 17. Vmbra picearum quacumque attigerit, eſt venenum. *Idem in libro* 24. Piceæ & laricis folia trita, & in aceto decocta dentium dolori prodeſt, Cinis corticum eius interrigini, & ambuſtis: potus aluum ſiſtit. Vrinam mouet. Suffitu vuluas corrigit: piceæ folia priuatim *iocineri* ſunt vtilia, dragmæ pondere in aqua mulſa pota. Denique ſyluas illas dumtaxat, quæ picæ ac reſinæ gratia radantur vtiliſſimas eſſe phtiſicis autumant. Vel his qui longa ægritudine vires non recolligunt.

Vſus medicinalis.

De pino & eius natura.

CAP. LXXXIII.

Pini etymō.

Iſidorus. Pinus ab acumine foliorum dicta eſt. Pinum enim acutum antiqui dicebant. Hanc aliam picin, aliam Græci peucen vocant, quam nos piceam dicimus, eo quòd picem deſudet. In inſulis Germaniæ huius arboris lachryma electrum gignit. Gutta enim defluens rigore, vel tempore, in ſoliditatem dureſcit & gemmam facit. De qualitate ſua & nomen accipiens, ideſt *ſuccinum*, eo quòd ſuccus arboris ſit. Pinus creditur prodeſſe cunctis, quæ ſub ea ſeruntur, ſicut ficus nocere omnibus. Nuclei *autem pinorum* (vt ait Hippocrates) nimis calidi ſunt, venerem commouent, ſtomachum & renes calefaciunt, vrinam purgant, ex dulci vino potati ventrem commouent. *Ambroſius.* Pinus comantes ſunt, & in alta ſe cacumina efferunt: pinus & olea ſemper indumentum ſuum ſeruant, ſed tamen folia ſua ſæpe commutant, nec ea quaſi diuturna, ſed quaſi ſuccedanea prætendunt. Arbores ſuæ pulchritudinem perpetui veſtitus integritate muneris obumbrantes.

Electrum à Pino.

Succinum.

Nuclei pinorum quid præſtant.

Palladius lib. 22. Pinus niſi in ſiccitate non durans, cui contra celerem putredinem comperi in Sardinia hoc genere prouideri, vt exciſæ trabes eius aut in piſcina qualibet anno toto merſæ laterent, poſt operi futurę, aut arenis obruerentur in littore, aut aggeſtionem qua erectę eſſent, alternis æſtibus reciprocans fluctus allueret. *Ariſtot. in libro de plantis.* Pinus multos habet cortices, in qua ſicut & in palma ſemen deficit, cum fuerint debiles. *Plinius libro decimoquinto.* Pinea corona apud hiſtrum victores coronantur. *Idem libro decimoſexto.* Pinus eſt arbor in cacumine ramoſa, cui folia ſunt, vt cedro capillata. Scandula ſit ex omnibus arboribus quæ fundunt reſinam, ſed minimè durans, præterquam è pino. Ex arbotibus picem ad vina condienda ferentibus, Pinus & pinaſter folium habent capillamenti modo prætenue, longum, & aculeatum mucrone. Fert autem pinus reſinę minimum ex ipſis nucibus interdum. Et larix, ilex, & picea nullo flore exhilarant nec veſti colore nuncio promittunt annos nataleſve pomorum recurſus, protinus enim flores gignunt fructus. Iterum arbores quædam tribus annis ferunt ante maturitatem fructus, ex quibus etiam in admiratione maxima eſt pinus. Habet enim fructum matureſcentem, habet & anno proximo venturum ad maturitatem, Ac deinde tertio, Nec arborum vlla auidius, ſcilicet promittit, quo enim menſe nux ea decerpitur, eodem alia matureſcit. Quæ autem in arbore ſe diuidunt, azaniæ vocantur, læduntque cæteras, niſi detrahantur. Pinus quadripatritas venarum curſus habet, bifidoſque vel omnino ſimplices. *Pinus autem & cypreſſus aduerſus cariem tineaſque ſunt firmiſſima. Pinus & picea & alnus ad aquarum ductus intus cauantur, Obruta vero terra plurimis durant annis. Eademque ſi non integantur cito ſeneſcunt, mirum in modum fortiores ſi humor quoque extra ſuperſit.*

Modus conſeruandi Pinus.

Scandula è pino melius durantes.

Nota.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. LXXXIV.

Auicenna. Pinus eſt arbor, in cuius cortice eſt ſtipticitas plurima, vnde ſanat abraſionem quando ponitur ſuper eam vt emplaſtrum. Confert etiam *corticalibus*, & eius puluerizatio confert *aduſtioni* aquę calidæ. Conſolidat etiam loca percuſſionis, ſed eius folia ad hæc conuenientiora ſunt, quoniam humidiora ſunt. Puluerizata faciunt cohærere vulnera. Gargariſmus ex decoctione corticis eius attrahit phlegma plurimum. Et cum aceto valet ad dolorem dentium. Fumus eius confert caſui palpebrarum, & corroſioni anguli lachrymalis. Granum eius confert tuſſi antiquę, & retinet menſtruum. Fructus eius cum ſemine cucumeris in vino prouocat, & confert vlceribus & veſicæ. Cortex eius ventrem retinet. Cortices foliorum eius ſi bibantur conferunt dolori hepatis. Vermis viridis qui eſt in pino exiſtit in natura & virtute cantharidis. *Dioſcorides.* Arboris pini aliam picin, aliam Græci peucen vocant, & ſpecie quidem differunt, ſed vnius virtutis ſunt. Cortex eius virtutem habet redarguentem, ideſt ſtipticam. Attritionibus medetur. Et cataplaſmatibus mixta vulneribus corporis, & combuſturis cicatrices ducit. Bibita ventrem ſtringit, & ſanguis fluores cariemque ſuperfluam reprimit. Folia eius eiuſdem ſunt virtutis, ſed paulo minoris, quæ tuſa & cataplaſmatibus addita tumores ſpargunt. Trita & in aceto bibita hepaticis proſunt. Lignum etiam cortici ſimile in virtute, fumus eius propter attramentum ſcriptorum recens colligitur, vtiliter eſt tibiæ, prurigines palpebrarum compeſcit, lachrymam oculis ſiccando ſuſpendit. *Ambroſius vbi ſupra.* Lachrymula pinus vulpes ſibi medetur.

Virtus medica pini.

Medicamētum vulpiū.

De pinaſtro.

CAP. LXXXV.

Plinius libro decimoſexto. Pinaſter nihil aliud eſt, quàm pinus ſylueſtris, mira quidem altitudine, & à medio ramoſa ſicut pinus in vertice, copioſiorem dat iſta reſinam, gignitur & in planis. Eaſdem arbores alio nomine, per oram eſſe Italiæ, quas ſtipulas vocari arbitrantur plerique, ſed graciles ac ſuccinctiores, & enodes liburnicarum ad vſus, pænè ſine reſina. Huic quoque arbori non decidunt folia, & eſt ex illis generibus cognatarum arborum in Europa, quæ picem ferunt ad vina condienda. Sunt enim ſex, videlicet pinus & pinaſter ac picea larix & abies & teda. Ex quibus pinus atque pinaſter folium habent capillamenti modo prætenue, longum & aculeatum mucrone. Hæc autem omnia genera, ſcilicet quæ picem ferunt, accenſa fuligine immodica, repente carbonem cum eruptionis crepitu expuunt, eiaculanturque longè, excepta, quæ non ardet larice. *Idem in libro decimoquinto.* Et genus pineæ nucis, quòd pythia vocant è pinaſtris, aduerſus tuſſim remedij ſingularis, nucleos in melle decoctos taurini vocant aquicelos.

Arbores quæ picem ferunt ad vina condienda ſunt ſex.

Remedium aduerſus tuſſim.

De piſtacia & pythio.

CAP. LXXXVI.

Iſidorus. Piſtacia, dicitur, eo quòd cortex eius pomi nardi piſtici habeat odorem. Huius virtus auſtera eſt & ſtiptica. In cibo autem ſumpta ſtomacho fit accommoda. *Plinius libro decimotertio.* Syria peculiares habet arbores in nucum genere piſtacia nota, cum aduerſus ſerpentum morſus traduntur & cibo & potu prodeſſe. *Palladius libro tertio.* In menſe Februario piſtaciæ planta ſtatim poteſt & inſeri &

Piſtacia etymon.

planta

planta caſtanearum aſpergi. *Idem in libro vndecimo.* Piſtaciæ ſeruntur Autumno menſe Octobri & ſobole & nucibus ſuis. Sed melius ipſa piſtacia iuncta ponũtur mas & fœmina. Marem dicunt cui ſub corio, velut oſſei longi videntur latere teſticuli. Qui diligentius voluerit ſerere, pertuſos aqualiculos & ſtercorata terra repletos parabit, & in his piſtacia terna conſtituet, vt ex omnibus germen quodcunque prodeat. Quod vbi conualuit, planta transferatur menſe Februario: amat locum calidum, ſed humectatum, & rigatione gaudet, & ſoli inſeritur terebintho menſe Februario, vel Martio, vt alij, ſed & amigdalo inſeri poſſe autumauerunt. *Palladius* libro vigeſimoquarto. Pythius eſt frutex ſimilis piceę, flore paruo purpureo, quam quidam in tithymali numerant genere. Bilem & pituitam per aluum detrahit radix decocta. Folia eius in aceto decocta cutis emendant furfures, mammas quoque mixto thure decocto. Tormina ac ſerpentum ictus & in totum collectiones incipientes.

Mas piſtacia

Pythij virtus.

Commendatio platani.

Platani de iecta reponũtur in ſua ſcrobe.

De platano & eius natura.

CAP. LXXXVII.

Platani etymon.

I*Sidorus.* Platanus à latitudine foliorum dicta eſt, vel quia arbor ipſa patula & ampla eſt. Nam platos Græci latum vocant. Huius arbor & nomen & formam expreſſit ſcriptura dicens. *Quaſi platanus dilata ſum in plateis.* Eſt autem tenerrimis foliis ac mollibus & vitium ſimilibus. *Pliniuslib. 11.* Quis non miretur arborem vmbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe. Platanus ea eſt, hæc per mare Ionium in Diomedis inſulam tenuis eiuſdem tumuli gratia primum inuecta, in Siciliam tranſgreſſa, atque inter primas Italiæ donata, etiam ad marinos vſque peruecta, ac tributarium etiam detinens ſolum, vt gentes vectigal etiam pro vmbra pendant, tantumque poſtea increuit honoris, vt mero infuſo enutriantur, eadem nunc in Athenis cubitorum 36. à radice ramos antecedente, nunc eſt in lycia clara ſocia gelidi fontis amænitate itineri appoſita domicilij modo caua, 81. pedum ſpecu, vertice numeroſo, & ſe protegens ramorum arboribus vaſtis, inſtar agros longis obtinens vmbris. Eſt Gortinæ in inſula Creta iuxta fontem platanus vna inſignis, vtriuſque monumentis linguæ, nunquam folia dimittens. Statimque illi Græciæ fabulositas ſuperfluit, Iouem ſub ea cum Europa concubuiſſe. Eſt autem hominum natura nouitatis auida, multa genera platanis adiicere, quandoquidem arboris huius commendatio *non alia maior eſt, quàm æſtate ſolem arcere, hyeme admittere. Idem in libr.* 15. Inopia cogit aliquando luminum cauſa oleum fieri & è platani baccis aqua & ſale maceratis. Virgilius dicit platanum inſitam ceraſis. *Idem lib.* 16. Gignitur & in platano canchris pillula, videlicet in medicina vim vrẽdi habens poſtquam folia ceciderint, hyeme durans, nucleum ſimilem pinis continens. Platano ſunt folia diuiſa, radices copioſæ, primo quidem fauonio germinat cornus, feſtinat & platanus. Arbores proſtratas reſtitui plerumque & quadam terrę cicatrice viueſcere vulgare eſt. Hoc platanis familiariſſimum quæ plurimum ventorum concipiunt propter denſitatem ramorum, quibus amputatis onere leuiato in ſua ſcrobe reponuntur. Eſt lenticia platano, ſed madida, ſicut alno, ſiccior autem vlmo & fraxino.

Vectigal pro vmbra.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. LXXXVIII.

D*Ioſcorides.* Platanus eſt arbor frigidæ humidæque ſubſtantiæ, & ideo folia eius viridia trita & impoſita inflammata genua curant. Cortex & pilæ, cum ſebo, vel adipe vlcera vſta ſanant. Item platani folia molia elixata cum vino & cataplaſmata oculorum theuma ſuſpendunt, & tumores reprimunt. Semẽ eius cum vino bibitum morſibus venenaticis occurrit. Axungia mixta combuſtionibus medetur. Huius flos ſi in facie ſederit maculam facit, ac ſi in aurem intrauerit, auditum perdere facit. Iterum eius folia tenera cum aceto medentur humidis gingiuis, dentiumque dolori, quia cohærentis virtutis ſunt. Solutionibus etiam epithematibus mixta medentur. *Plinius in libro* 24. Platani aduerſantur veſpertilionibus: pillulę earum in vino potę proſunt omnibus ſerpentium & ſcorpionum venenis, & ambuſtis. Tuſæ etiam cum aceto acri magiſque ſcillitino, ſanguinem omnem ſiſtunt, & lentiginem & carcinomata addito melle emendant. Cortex in aceto dentium remedium eſt. Folia autem tenerrima decocta in vino albo oculorum vitio. Cinis pillularum ſanat ambuſta igni vel frigore. Cortex eius è vino ſcorpionum ictus reſtringit. Folia & cortex illiniuntur collectionibus & *ſuppurationibus* & decoctum eorum. Lanugo foliorũ & oculis & auribus inutilis eſt.

Virtus medicinalis platani.

De populo & eius natura.

CAP. LXXXIX.

I*Sidorus.* Populus dicta eſt, eo quòd ex eius calce multitudo naſcatur. Cuius genus duplex. Nam altera eſt alba, altera nigra. Alba populus dicta eſt, quia folia eius vna parte ſunt alba, altera viridia. Eſt ergo bicolor, habens quaſi noctis & diei notas. Generat etiam reſinam quæ electrum nominatur circa Eridanum fluuium, vel (vt alij memorantur) in finibus Syriæ. *Ambroſius* Bicolor eſt populus arbor, videlicet coronis vmbroſa victricibus. *Plinius lib.* 16. Montes amat populus ſicut & buxus, nec niſi in aquoſis prouenit populus, ſicut nec ſalix nec alnus. Vnitas vero foliorum cuiuſque permanet in ſuo genere, præterquam populo & hæderæ. Tria ſunt populi genera, videlicet alba & nigra, & quæ lybica appellatur minima folio, ac nigerrima, fungiſque enaſcentibus. Laudatiſſima alba, folio bicolor, ſupernè candicans inferiori parte virens. Huic vero nigræ, quę in iuuenta circinatæ rotunditatis ſunt, vetuſtiora in angulos exeunt. Econtra vero hæderæ angulosa rotundantur. Populorum foliis grandiſſima lanugo euolat. *Populo albę circumaguntur folia poſt ſolſtitium, nec alio argumento certius intelligitur ſydus confectum.* Pediculo tremulo ſunt populis folia, & iiſdẽ ſolis inter ſe crepitantia. Inter primas germinant populus & vlmus. Tardeque ſeneſcunt ea quorum eſt criſpa materies, vt palma & acer ac populus.

Populi etymon.

Tria populi genera.

Argumentũ ſolſtitij ex populi foliis.

De virtute eius in medicina.

CAP. XC.

D*Ioſcorides.* Populus eſt arbor, quam alij leuce dicunt. Hæc fortiter calefacit. Humectat autem mediocriter. Huius cortex bibita iſchiaticis medetur, & ſtranguriis ſubuenit. Multi etiam dicunt, quod eadem bibita cum rene vel vrina burdonis generare non permittit. Eius folia bibita poſt purgationem menſtruorum, ſimili modo conceptum non admittunt. Succus foliorum eius doloribus aurium ſubuenit. Succus ſeminis eius melle mixtus caligines oculorum detergit. Item folia cum aceto cataplaſmata podagricis medentur. Semen vero cum aceto bibitum epilenticos curat. Reſina eius virtute calidior eſt, & malagmatibus vtiliter miſcetur. Aliqui etiam perhibent huius arboris lachrymum radanum diſtillatum & coagulatum, ſuccinum facere, quod tritum ac bibitum ſolutiones ventris conſtringit, & ſtomachum reficit, ac fluorem ſanguinis reprimit. *Plinius libr.* 24. Populi albæ cortex potus iſchiaticis & ſtranguriæ prodeſt, foliorum ſuccus calidus aurium dolori. Populus nigra efficaciſſima habetur, quæ in

Impedit generationem & conceptũ.

Vis ad medicandum.

Creta

Creta naſcitur. Comicialibus ſemen ex aceto vtile fundit, & illa reſinam exiguam qua vtuntur ad malagmata. Folia podagris in aceto decocta imponuntur. Humor è cauis populi nigrę effluens verrucas & pappulas attritu odoratus tollit. Populi ferunt & in foliis guttam, ex qua apes propolim faciunt. Gutta quoque aquę propolis remedium quàm efficax eſt. *Conſtant. vbi ſupra.* Populus calida & ſicca in primo gradu, aliquantulum habens ponticitatis. Cholerам rubeam purgat, prodeſt eis qui dolorem habent in capite, aut apoſtema vel hydropiſim, conſtipatos etiam ventres purgat.

Temperamentum populi.

De Quercu.

CAP. XCI.

Quercus Mambræ quanta durationis.

Iſidorus. Quercus eſt arbor multum annoſa, ſicut legitur de quercu Mambræ, ſub qua habitauit Abraham, quæ *fertur vſque ad Conſtantini Regis Imperium per multa ſæcula perduraſſe.* Quercus dicta, eo quod ex ea ſoliti erant dij gentium quærentibus præcinere reſponſa. Huius fructus appellatur galla. *Plin. libr.* 13. In alto mari naſcitur quercus & abies cubitali altitudine, & ramis earum adhærent conchę. Quercu etiam tingi lanas tradunt. *Idem in lib.* 16. Quercus glādem fert ſicut eſculus & robur & ilex & ſuber: Glans quercina diffuſam atque grauiſſimam facit ſuem, & ipſa glādium dulciſſima. Fortius etiam lignum habet quercus, & incorruptius, quàm hemeris, quæ maximā glandem fert coriis perficiendis aptiſſima. Ramoſa & ipſa, procerior tamē & craſſior caudice. Quercus boletos probatiſſimos, robur autem & cypreſſus noxios. Deſcendit & in plana quercus ſicut acer & cornus & fraxinus. In agro Turno vbi vrbs Sybaris fuit, ex ipſa vrbe proſpicitur quercus vna nunquam folia dimittens, nec ante mediam ęſtatem germinans. Querna vero folia Cato iubet dari animalibus non per arida. Summa ſui parte ſteriliores ſunt quercus & mariſci, fici, iuglandes, ſed ſumma ſui parte fertilior eſt arbutus. Arbitror autem falſum vetuſtate minui radices arborum, viſa eſt enim annoſa quercus vi tempeſtatis euerſa iugerum ſoli amplexa. Firma eſt in aquis quercus obruta. Eademque ſuper terram torquendo ſeſe rimoſa facit in opera. In Ponto iuxta Eracleam ſunt quercus duæ ab Hercule ſatæ. Viſcum etiam adnaſci dicunt in quercu, ſicut in robore. Olea vbi quercus foſſa ſit male ponitur, quia vermes qui raucæ vocātur in radice quercus naſcuntur, & tranſeunt. Quercus & robur quibus ſi anguſta decorticatio fuerit nihil nocet. Cortice vero in orbem detracto moriūtur tardius robora & quercus. Porro quercus & ilex ac pyrus ſtillicidia ſunt ponderoſiſſima.

Quercus iugerum amplexa.

Gloſſa ſuper Iſaiam. Quercu ariditate concuſſa defluunt folia. vnde Propheta Iudæis. *Eritis*, inquit, *velut quercus defluentibus foliis. Et iterum.* Baſan habet glandiferas quercus, qui non hominum ſed porcorū eſt cibus. Vnde iuxta Prophetam. *Dies domini veniet ſuper quercu Baſan. Palladius vbi ſup.* Quercus ad fabricę materiam apta eſt, durabilis ſi terrenis operibus obruatur, & aliquatenus palis. *Ex libr. de natura rerū.* Quercus dicitur quaſi quernus, putredine enim difficile cedit in ſicco ſeruata. *Auicen.* Cinis quercus certorumque lignorum ſtipticorum retinet ſanguinem. *Dioſcorides.* Cinis cum oleo mixtus & inunctus mouet ſudores, hoc & cæteri præſtāt cineres, ſed magis quercinus, lixiuia quoque ex cinere quercus ad vſum medicinæ efficaciſſima eſt hominibus & pecoribus, quę tenſione pulmonis vexantur, & quibus aliqua venenata res obſiſtit. Bibita namque ſalutem affert, vtilis etiam eſt vulneribus humectis & in fiſtulis. Et vulnera difficilia ad ſanandum & calloſa, longis temporibus ſordida. Quotidie iraque lauanda ſunt, & ſic apto medicamine ſananda, quia virtus lixiuiæ non ſanat, ſed ad ſanitatem diſponit vulnera.

Lixiuium ex quernis cineribus.

De Rhamno.

CAP. XCII.

Dioſcorides. Rhamnus eſt genus rubi, quam vulgo lenticem vrſinam appellant, aſperum nimis & ſpinoſum. *Dioſcorides.* Rhamnus eſt frutex quę circa hortos naſcitur. Huius virgę longę ſunt & ſpinoſæ. Folia quoque longa & pinguiſſima atque læuia. Eſt autem rhamnus alta, colorem habens album & ſubrufum, & virgas cubitis quinque, virtutem habet minimam. Semen eius latum eſt ac tenue recluſum in folle, ſicut aphodili. Omnium vero folia cataplaſmis adhibita, *ſacrum ignem corporis prohibent. Plin. libr.* 24. Inter genera ruborum, rhamnus appellatur à Græcis candidior frutex. Is floret ramos ſpargens rectis aculeis, non vt cæteri aduncis. Alterum genus eſt ſylueſtre nigrius rubentes ferens folliculos. Huius radice decocta in aqua fit medicamentum, quod licium vocatur. *Semen ſecundas trahit.* Alter ille candidior ſtringit, ſed magis refrigerat, collectionibus & vulneribus accommodatior. *Conſtantinus vbi ſupra* Rhamnus frigida eſt in primo gradū, ſicca in ſecundo, valet puſtulis oris. Ventris dolorem & ſtomachi defectionē curat, cataplaſmatus *eriſipilam* deſtruit. Succus eius oculorum collyrio mixtus ſiue ſolus conuenit dolori oculorum, maximeque pannorum albedini. Bibitus autem lapidem renum frangit.

Rhamni vſus.

De Robore.

CAP. XCIII.

Auctor. Robur ſecundum Iſidorum, generaliter dicitur ex omni materia quicquid eſt firmiſſimū. Nihilominus tamen & arbor quædam hoc nomine nuncupatur, de qua frequēter Plinius loquitur. *Plin. libr.* 16. Robur eſt glandifera ſicut & quercus ac ilex, præter fructū & alia gignit plurima, fert enim & gallæ genus vtrumque. Et quædā veluti mora, niſi diſtarent arida duricie, plerunq; caput imitantia tauri, quibus ineſt fructus nucleis oliuæ ſimilis. Naſcuntur & in eo pillulæ nucibus non abſimiles, intus habentes floſculos molles lucernarum luminibus aptos. Nam & ſine oleo flagrant, ſicuti galla nigra. Fert & aliam vtilē pillulam cum capillo, verno tempore tamen melligeni ſucci. Gignunt & alij ramorum eius pillulas, corpori non pediculo adhærentes, candicantes vmbilicis. Cętera nigra varietate diſperſa, media cocci colorem habent. Apertis amara inanitas eſt. Aliquando & culices gignit, Necnon è foliis conuolutas pillulas, & in folio rubentes, Aquoſos nucleos candicantes ac tranſlucidos, quandiu molles ſint, in quibus & culices naſcuntur. Matureſcunt in modum. Ferunt & robora canchrin pillulam in medicina vim vrendi habentem. Is creſcit hyeme, aperitur vere pillula tota, caditque cū folia creſcere ceperint. Tam multifera ſunt, & tot res præter glandem robora pariunt. Sed & boletos, ſuilloſque nouiſſima irritamenta gulę, quæ circa radices naſcuntur. Robora quoque viſcum ac mella ferunt, vt auctor eſt Heſiodus, conſtatque *rores melleos è cœlo cadentes non aliis magis inſidere frondibus*. Cremati quoque roboris cinerem introrſum eſſe certum eſt. Scādula quidem è robore fit aptiſſima, mox è glandiferis aliis, ſed minime durans præterquam epino Mōtes & valles diligit robur, caſtanea, & abies. Sunt autē robori folia toto ambitu ſinuoſa. Et ſunt eis etiam in caudice ipſo iam dēſa ac rara, ſemperque late ramoſa, diſpoſita myrto. Item robur, & abies, & iarix non cōtinuant germinationem, ſed intermittunt, & tripartita trinaque germina edunt. Ideo & inter ſquamas corticem ſpargunt, quod omnibus arboribus euenit in germinatione, quia rumpitur cortex prēgnantium.

Canchris in robore medicinalis.

Ros melleus inſidet frōdibus roborum.

Robori ſciſſus eſt cortex non lenis, ſed ſcaber Radices copioſæ atque carnoſæ, quas in profundum agit. Mollis ac peſſima ligni pars etiā in robore facile putreſcens,

treſcēs, teredini obnoxia. Ideoq; ſēper eſt amputāda. Robur & ilex, ac morus, & hebenus, & quæ ſine medulla ſunt, tota oſſea ſunt. Robur ſpiſſam habet materiem: eique nigricans color eſt. Tanta *duritia ineſt robori*, vt niſi madefactū *non queat terebrari*, & ne quidem ſic quit adactus clauus auelli. Itaque cariem vetuſtatemq; ſentit tardiſſimè ſentit tamen teredinem cæſum in vere; Bruma vero neque vitiatur neque finditur, alias obnoxium etiam, vt torqueat ſeſe findatque: quod inſubere tēpeſtiuè cæſo euenit. Defoſſum diu durat robur, ſed aqua marina corrumpitur. Robur & olea in tranſuerſum poſitæ incuruantur, ceduntque ponderi. Viridia præter robur, & buxum pertinacius reſiſtunt ſectioni ſerrarum, quia dentes æqualitate replent inerti. *Sunt autem robora & inter ſe, & cum aliis glutino inſociabilia.* Viſcus adnaſcitur & in robore, vt in quercu & ilice. *Idem li.* 17. Inſitorum omniū capaciſſima dicitur platanus, poſtea robur. Verum vtraque ſapores corrumpunt, pedimenta *ſunt optima vitibus è robore oleaque.* Præterea pomiferis quæ germinant, nec fructum ferunt, ſciſſa radice lapis inditur, fertileſque fiunt. Hoc idem in amigdalis è robore cuneo adacto fit. Denique arbores quædam ablato in totum cortice moriuntur. Tardius autem robora, & quercus.

Durities roboris. *Nota.* *Pedimenta vitium optima.*

De Rhododendro, & roſmarino.

CAP. XCIV.

Rhododendron. *Nota.* *Roſmarinū.* *Virtus eius.*

ISidorus. Rhododendrō corruptè vulgo lorandrum vocatur: eo quod foliis lauri ſit ſimilis: flore vt roſa. Arbor enim venenata eſt, interficit enim altera, & medetur ſerpentum vexationibus. *Plinius li.* 16. Rhododendro vt nomine apparet, à Græcis venit. Alij neruium vocauerunt. Alij rhodophanem vocauerunt, frōde ſempiternum, roſę ſimilitudine, caulibus fructicoſum. *Iumentiſq; capris & ouibus venenum. Idem tamen eſt homini contra ſerpentum venena remedium.* *Idem lib.* 17. Rhododendrum ſeritur propagine, ſicut etiam ſemine *Idem in lib.* 24. Rhododendros ne nomen apud nos inuenit Latinum: ſed rhodophanem vocant aut neruium. Mirumque folia eſſe quadrupedum venenū, homini vero contra *ſerpentes præſidium additaruta, & vino pota.* Pecus etiam & caper, ſi aquam biberint, in quo folia ea maduerint, huiuſmodi mori dicuntur.

Dioſcorides. Roſmarinum quod alij lithos vocant: eſt arbor quædā ſtiptica, & mediocriter extenuatoria & deficcatiua. Semen eius aut limatura ligni eius ad fluxum ſanguinis mulierū, & dyſſintericos & *caliacos* facit. Si ex ea lauatur caput, capillos cadere prohibet. *Plin. vbi ſup.* Roſmarini duo genera ſunt. Alterum ſterile, alterum cui caulis & ſemen reſinaceum, quod cāchris vocatur, Eius foliis eſt odor thuris. Radix vulnera ſanat viridis impoſita. Sediſque procidentia condilomata *hemorroidos*. Succus, & fruticis & radicis *morbum regium*, & ea quæ repurganda ſunt. Oculorū *aciem* exacuit: ſemen ad vetera *pectoris vitia* datur potui, *podagris illinitur* cum farina erinea. *Menſes* adiuuat, & ea quæ ſerpunt purgat, humidaque *corporis vitia*, collectiones, *articulos contuſos*, *perniones*, *pterigia*, abundantiam *menſtrui* in fœminis ſiſtit: vuluæque ac ſedis procidentia. Itemque oculos, *& oris vlcera* & genitalium. *Auctor.* De roſmarino etiam dictum eſt ſuperius inter herbas incultas, quia tanquam frutex medius eſſe videtur inter arbores & herbas.

De ſalice & eius natura.

CAP. XCV.

Etymon ſalicis.

ISidorus. Salix dicta eſt, eo *quòd ſaliat*, id eſt creſcat. Arbor lenta vitibus vinciendis habilis. Cuius ſeminis hanc dicunt eſſe naturam, vt ſiquis in poculis illud hauſerit, liberis careat, ſed & fœminas infęcundas efficit. Eſt autem ſicut populus & tilia mollis materię, & ad ſculpturam aptæ. *Ambroſ.* Salices videntur nihil habere ſeminis. Habent tamen granum quoddam in foliis, quo terris commiſſo tanquam ſemine poſito ſurgat arbor de ſurculo, & tanquam ſeipſum exuſcitet de ſemine ſuo. Habet itaque granum illud virtutem radicis & ſeminis. vnde plerique hac ratione incrementum ſui propagauerunt nemoris. *Gl. ſuper Iſa.* 44. Salix eſt arbor infructuoſa, ſed cito creſcit, maximè ſi *iuxta* aquam ſit. *Ariſt. in li. de plant.* Quædam in humido loco, quædam in arido, & quædam in vtroque, vt ſalix. *Idem in lib. de animalibus.* Quædam arbores non fructificant: ſicut viri pingues non multum ſpermatizant, talis eſt ſalix, & Romana nux. *Idem in li.* 16. In aquoſis tantum proueniunt ſalices & alni, lōgaque folia ſunt vtrique: inter primas germinant. Circumaguntur ſalicis folia poſt ſolſtitium, nec alio argumento intelligitur certius ſydus confectum. Ocyſſime vero ſalix amittit ſemen antequam maturitatem ſentiat omnino, & ob id frugiperda dicta eſt ab Homero. Sequens vero ætas ſcelere ſuo hanc ſententiam interpretata eſt, quod ſemen ſalicis mulieris ſterilitatis medicamentum eſt. Sed in hoc quoque naſcenti natura prouidit, quòd depacto ſurculo incurioſius ſemen dedit. Vna tamen proditur ad maturitatem proferre ſolita, in inſula Creta.

Folia ſalicis arguunt ſolſtitium.

De generibus ſalicum & eius cultura.

CAP. XCVI.

Diuerſitas ſalicum. *Viminalis ſilex.* *Vitellina: Gallica.*

IDem in eodem. Salicis vero plura ſunt genera. Nam in proceritatem magnam iugis vinearum perticas emittunt, & baltheo vincula corticis pariunt, & aliæ virgas ſequaces ad iuncturas lenticie. Aliæ vero prætenues viminibus texendis ſpectabili ſubtilitate. Rurſus aliæ firmiores corbibus agricolarum, & ſuppellectili. Plurimæ candidiores ablato cortice, lenique tractatu mollioribus vaſis, quam vt è corio fiant, & etiā ſupinarum in deliciis cathedrarū apriſſimę. Decidua ſalici fertilitas denſiorque tōſura & breui pugno neruis, quam ramo, non vt remur in nouiſſimis arbore curanda. Nullis quippe redditus eſt tutior, minoriſve impendij aut tempeſtatum ſecurior. Tertium ei locū attribuit Cato in æſtimatione ruris, prioremq; quam oliuetis, quamque frumento, vel pratis, nec quia deſint alia vincula. Salici præcipua dos, funditur: Græca rubens armenia candidior, ſed paulo fragilior, Ideoq; ligant nexu ſolido. In Aſia tria genera obſeruant, nigram vtiliorem viminibus, candidam agricolarum vſibus, tertia vero quæ breuiſſima eſt, hælicem vocāt Apud nos quoque multi totidem generibus imponūt nomina. Nam *viminalem* vocant eādem, quæ purpurea. Alterā *vitellinam* à colore, quæ ſit tenuior. Tertiā *vero gallicam* quæ tenuiſſima. Frigidiſſima ſunt quæcunque aquatica, lentiſſima vero, & ideo ſcutis faciēdis aptiſſima, quorum plaga ſe protinus contrahit, ſuumque vulnus claudit, & ob id contumacius ferrū tranſmittit. In quo genere ſunt ſalix, ficus, tilia, ſambucus, & populus vtraque. Leuiſſima ſunt ex his ficus & ſalix, ideoque vtiliſſimæ.

Idem in lib. 17. Inuentum eſt ſurculos abſciſos ſeri, quod primo ſepis cauſa factum eſt ſambucis & rubis depactis, mox & cauſa culturę ſalicibus & alnis & populis. Semen quoque natura inſerere docuit, raptum auium fame deuoratum, ſolidoque alui tempore madido, cum fœcundo fimi medicamine in mollibus arborum lecticis abiecto, & ventis ſæpe in aliquas corticū rimas tranſlato. Vnde vidimus in ſalice ceraſum, & in ceraſo laurum. In his autem quæ propter alias ſeruntur, & maximè vineas ceduo ligno, principatum obtinent ſalices, quarum *ſatio ſit loco madido, tamen pedes duos ac ſemipedum refoſio.* Interuallo dicunt eſſe pedes ſenos trimæ. pedibus binis à terra putatione coercentur, vt ſic in latitudinem ſe fundant, & ſine ſcalis tondeantur. Salix enim eſt fœcundior quo terræ

Satio ſalicū vbi & quomodo ſit.

propin-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

propinquior. Has etiam omnibus annis iubent confodi, vel configi menſe Aprili. Viminalium hæc eſt cultura. Perticalis autem & virga & talea ſeritur eadem foſſura. Perticas autem cædi iuſtum eſt quarto fere anno, & hæc autem ſeneſcentium præſartiunt pro pagine, locum pertica immerſa, & poſt annum reſciſa ſalicis viminalis iugera ſingula ſufficiunt 25. vineæ iugeribus. *Palladius libro* 3. in menſe Februario plantæ ſalicis obruendæ ſunt, & omnium generum, quæ applicantur arbuſto.

De Virtute ſalicis in medicina.

CAPVT XCVII.

Virtus medicinalis Salicis.

Dioſcorides. Salix eſt arbor cuius folia glutinant vulnera cruenta. Flos etiam eius ſine mordicatione deſiccatiuus eſt. Cuius cinis cum aceto ſuper *callos pedum* inductus eos tollit, & ſimiliter *verrucas* emundat. Flos eius cum aqua bibitus omnem calorem *libidinis frigeſcere facit. Auicenna.* Salicis fructus & folia ſtiptica ſunt ſine mordicatione, & eſt in eis exiccatio ſufficiens. Cinis autem eius vehementis eſt exiccationis. Emplaſtrum ex ea factum retinet fluxum ſanguinis. Ex folijs eius fiſſis egreditur gumma vehementis abſterſionis ſubtiliatiua. Ex fructu eius & folijs fit emplaſtrum ad *vulnera* magna. Cinis eius formicam remouet, quando linitur ex ea cum aceto quoti eſt eius ſuperius. Et eius aqua ſedant *ſoda.* Succus foliorum vltimus eſt in cura *ſaniei*, quæ currit ex aure. Iterum fructus eius & aqua ponũtur ſuper percuſſionem pupillæ. Eius quoque gummi valde confert *viſui debili.* Aqua eius confert opilationi *hepatis & ictericiæ.* Fructus eius confert habentibus *fluxum ſanguinis.*

Temperamentum Salicum.

Conſtantinus vbi ſupra. Salices frigidæ ſunt in ſecundo gradu, ſiccæ in primo. Valent dolori capitis de calore, ſi in naribus mittantur. Succus eius vulnera ſolidat. Cortex eius vſtus & cũ aceto temperatus verrucas, & porros aufert. Sed lac corticis à ſalicibus florem habentibus eruti, viſum clarificat, defectos confortat oculos. Succus frondium & pomorum potatus, mulieri vt concipiat, non permittit, bibitus ſanguinem conſtringit. *Plinius lib.* 24. Salicis fructus ante maturitatẽ collectus prodeſt ſanguinẽ reijcientibus. Cinis corticis è ramis primis clauum & *callum* aqua mixta ſanat. *Vitia cutis* in facie emendat, magiſque ſucco ſuo admixto. Eſt autem trium generum. Vnum arbor ipſa gummi modo exudat, alterum manat cum flore in plaga exciſo cortice trium digitorũ magnitudine. Hic valet ad purgãda, quæ obſtent oculis. Iterumque ad ſpiſſanda, quæ opus ſunt, atque ad ciendam vrinam, & ad omnes collectiones intus extrahendas. Tertius vero ſuccus eſt detruncatione ramorum à falce diſtillãs. Ex his ergo aliquis cum roſaceo in calice punico calefactus auribus infunditur. Iterumque folia cocta, & cum cera trita imponuntur podagricis: foueri neruos vtiliſſimum eſt cortice ac folijs in vino decoctis. Iterum *folia contrita & pota intemperantiam libidinis coercent*, atque in totum auferunt vſum eius ſumpta. Denique flos tritus cum folijs furfures in facie purgat.

Tria genera fructuum Salicis.

Contra libidinem.

De Natura Sambuci.

CAPVT XCVIII.

Sambucus.

Iſidorus. Sambucus eſt arbor mollis & parua. *Plinius libro* 16. Sambuci habent acinos nigros & paruos, humoris lenti, inficiendo maximè capillo, qui & ipſi in aqua decocti manduntur. *Idem lib.* 15. Arborũ quarundam fructus pediculis dependent, vt pyri. Alia vero racemis, vt hederæ, atque ſambuci. *Idem libro* 16. Sambucus *germinat inter primas, & nudatur inter nouiſſimas.* Et ex his, quæ hyeme Aquila oriente concipiunt ordine naturæ florent primæ ſylueſtriũ ſambucus, cui medulla eſt plurima, & cornus cui nulla.

Nota.

Deſcriptio Sambuci.

Sambucus eſt arbor diuidua, nec ramoſa, lentiſsima, & ideo ſcutis faciẽdis aptiſſima, cuius nimirum plaga ſe protinus contrahit, ſuumque vulnus claudit, & ob id contumacius ferrum tranſmittit. Sambuci atque rubi generis ſunt fungoſi, aliter tamẽ quàm ferulæ. Quippe plus ligni atque ſucci eſt vtique ſambuco, ex qua magis canoram buccinã tubamque credit paſtor, ibi cæſæ, vbi gallorum cantum non exaudiat frutex ille.

Idem libro 17. Inuentum eſt ſurculos abſciſos ſerere, quod ſepis cauſa factum eſt ſambucis & coroneo rubiſque depactis: ad palum vinearum firmiſſima eſt ſambucus, taleiſque feritur vt populus.

De virtute ipſius in medicina.

CAPVT XCIX.

Temperamentum Sambuci.

Auicenna. Sambucus alba calidior eſt, quàm citrina, & quam purpurea, & eſt vniuerſaliter in tertio calida & ſicca. Eſt autem ſubtiliatiua humiditatum, ſenibuſque confert eius oleum. Delet autem *pannum*, & facit rubedinem eius odoramentum. Oleũ eius confert ſenibus, & frigidis *neruorum* ægritudinibus. Odor eius facit *ſoda*, cum hoc tamen reſoluit ſoda frigidam à phlegmate odorata. Denique purum eius oleum fluere facit ſanguinem ex naribus calefactũ cum ipſum odorat. *Conſtantinus vbi ſupra.* Sambuci calidi ſunt in ſecundo, ſicci in primo diſſolutiui ac neruorum mollitiui ſunt, ſtomachum quoque molliunt, *vomitum* prouocant, & cataplaſmati mammillarum *apoſtemata* ſanant. Sambuceolum quoque *ſcabiem ac puſtulas* & apoſtemata narium ſanat, vulnera clauſa aperit, euerſaque ad ſuã naturã conuertit. *Auriũ dolorem* placat, bibitumque lumbricos & aſchariades phlegmaticos excludit, ac melancholicos humores purgat.

Virtus Sambuci.

Plinius libro 24. Sambucus habet alterũ genus magis ſylueſtre, quod Græci chameacten, alij hellon vocant, multo breuius, vtriuſque foliorum vel ſeminis vel radicis decoctum in vino veteri, & ad cyathos binos potum ſtomacho inutile eſt, aluo detrahens aquã. Refrigerat etiam inflammationem maximè recentis ambuſti, & *canis morſum* cum polenta, molliſſimis foliorum illitis. Succus cerebri collectiones lenit infuſus. Acini eius infirmiores, quàm reliquæ, capillum tingunt. Poti acetabuli menſura vrinam mouent. Ad omnia efficacior eſt, quæ minor. Radix eius decocta ac pota *hydropicos* exinanit. Folia in vino pota *ſerpentum ictibus* reſiſtunt. *Podagricis* cum ſebo hircino vehementer proſunt cauliculi, ijdem in aqua macerantur, vt ſparſi pulices necentur. Foliorum decocto ſi locus ſpargatur, muſcæ necãtur. Boa appellatur morbus papularum cum rubent corpora, ſambuci ramo verberatur. Cortex interior tritus, ex vino albo potus aluum ſoluit.

De Saphato & ſentice ac ſetha.

CAPVT C.

Saphatum.

Auicenna. Saphatum eſt arbor Arabica & Armena, & eſt vnum de lacticinijs. Calida eſt in gradu tertio, & eius ſiccitas eſt in quarto. In ipſa eſt ſtipticitas temperata, & confert impetigini linita. Super alcola quoque cum melle linitur & remouetur, *ventrem ſoluit, & debilitat viſcera*, & eſt quædam ſpecies eius interficiens ſedentem in eius vmbra. Caueatur ergo ab ea. Nam & lactis eius tres ſpecies, & interficit in duabus hepar & pulmonem frangendo. *Iſidorus.* Sentix dicta eſt à ſitu, eo quod eſt terra inculta, in qua ſentices, ſpinæque naſcuntur. Maiores autem noſtri omnem arborem ſpinoſam dicebant veprem, eo quod vi prendat. *Hieronymus ſuper Iſaiam.* Setha eſt genus arboris

Sentix veprium etymologia.

Setha.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

arboris naſcentis in eremo, ſpinæ albæ ſimilitudinem habens. Cuius lignum imputribile & leuiſſimum, omnium lignorum tam in fortitudine, quàm in nitore ſoliditatem & pulchritudinem ſuperat, vnde omnia ligna arcæ & tabernaculi facta ſunt inſtrumento. *Haimo ibidem.* Ex hac arbore terra in qua naſcitur, dicta eſt ſethim, vnde dicuntur ligna ſethim.

Deſcriptio Sethim.

Ex libro de natura rerum. Sethim eſt arbor nobiliſſima ſimilis albæ ſpinæ, ſed multo maior & altior creſcit. Lignum eius album & leue non facilè cedẽs igni, nec vnquam humore aliquo, vel antiquitate corruptibile, quòd adhuc patet in Archa Noe, quæ eſt ſupra montes Armeniæ.

De Sycomoro.

CAPVT CI.

Etymon Sycomori.

Isidorus. Sycomorus dicta eſt, eo quod folio ſit ſimilis moro. Hanc latini celſam appellant ab altitudine, quia non eſt breuis vt morus. Eſt autem Sycomorus Græcum nomen, ſicut & morus. *Auctor.* Sycomorus interpretatur ficus fatua. *Dioſcorides.* Sycomorum multi ſicamum dicunt, eſt arbor ingens, ſico ſimilis, habens circa folia pinguedinem plurimam, & folia celſæ ſimilia, ſemen autem non tale. Ter aut quater in anno profert fructus. Semen vero in cacumine profert, vt ficus, ſed & ipſis ramulis fructum fert dulcem, ſicut ficus, & eius grana minuta, ſicut fici. Hæc plurimum matureſcit, ſed immaturus calor ineſt ei. Naſcitur apud Rhodos, ſed non locis calidis. Huius fructu multi pro eſca vtuntur, quia ſanguinem plurimum gignit, ventrem mollit & cacoſtomachus eſt. Hæc arbor *ſi lapide percuſſa fuerit, ſuccum gummi ſimilem emittit, ſed in altum percuſſa nequaquam.* Hic ſuccus exiens ſpongia, vel lana molli colligitur & in catino ſiccatur, & inde torriſci fiunt. Huius virtus eſt malactica & paracoletica, *vulneribus* diaphoreticus eſt, contra morſus venenatos bibitur *& inungitur, tumores ſplenis* compeſcit, & ſtomachi *dolorem*, frigus corporis non admittit. Idem ſuccus diutius ſeruatus tempore perit. Hæc arbor in Cypro naſcitur virtute diſſimilis ſuperioribus. Semen habet ſicanio ſimile, & vt coccimella dulce.

Nota.

Virtus eius.

De Silere ac ſiliqua.

CAPVT CII.

Siler.

Plinius vbi ſupra. Siler eſt frutex, cuius folia illita fronti, capitis dolores ſedant, *ſerpentes hunc fugiunt* & ob id baculum ex eo ruſtici gerunt. *Iſidorus.*

Siliqua.

Siliqua à Latinis corruptè dicitur, à Græcis xylicon, eo quod frutex ligni eius ſit dulcis, xylon quippe lignum dicitur; glycon dulce. Huius arboris pomo ſuccus expreſſus à Græcis Acacia dicitur.

Plinius libro 13. Siliqua quàm iones *ceraſiam* vocant, fert pomum ſiliquæ. *Idem libro* 17. Siliquę Græcis ac Perſis eſt tempus ſerendi vel inſerendi ante brumam per Autumnum. *Idem in libro* 14. Ex ſiliqua Syriaca fit vinum. *Ex libro de natura rerum.* Siliqua eſt arbor, ex cuius fructu dulci, ſuccus expreſſus habilis eſt ad bibendum, ſed ipſe fructus magis eſt cibus porcorũ, quàm hominum. *Palladius libro* 3 Siliqua ſeritur mẽſe Februario, vel Nouembri, & ſemine, & plantis, amat loca maritima, ſicca, calida, campeſtria. Tum, vt ego expertus ſum, in locis calidis fœcundior fiet, ſi adiuuetur humore: poteſt & taleis poni. Scrobem defiderat largiorem. Inſeri eam menſe Februario credũt aliqui in pruno, vel amygdalo. Siliquæ ſeruantur diutiſſimè, ſi expandantur in cratibus. *Auctor.* Siliqua dicitur & arbor, & eiuſdem fructus, & etiam quoddam leguminis genus, de quo videlicet dicetur inferius.

Tempus quo ſeritur.

De Spina.

CAPVT CIII.

Isidorus. Spina in Ægypto celebratur circa Thebas duntaxat nigra. Quoniam incorrupta etiam in aquis durat, & ob id vtiliſſima nauium coſtis. Candida facilè putreſcit, aculeus ſpinarum, & in folijs, ſemen in ſiliquis; coria perficiunt gallæ vice. Flos & coronis iucundus, & medicamentis vtilis. Manat & gummi ex ea: ſed præcipua vtilitas, quod cæſa tertio anno reſurgat. *Ariſtot. lib. de vegetabilibus.* Spinæ non ſunt de genere, nec natura plantæ: ſed humor & frigus aſcendit, & cum eis parua decoctio, illudque coagulat Sol, & ex illo ſunt ſpinæ. Fitque forma pyramidalis in ſpina, quoniam aer, cum elongatus fuerit ab aliqua planta, augentur partes eius cum extenſione materiæ.

Cauſa formæ pyramidalis ſpinarum.

Plinius libro 12. In India eſt ſpina, ſed deprehenſa in lucernis igne protinus tranſiliente. India fert in ſpinis ſimilitudinem piperis, amaritudine præcipua, folijs paruis, denſiſque, cypri modo, ramis cubitorũ trium, cortice pallido, radice lata, & lignoſa buxei coloris. Hac in aqua cum femine excepta, in æreo vaſe medicamentum efficitur, quod licione vocatur. Eadem ſpina & in Pelio monte naſcitur, qua medicamentum adulteratur. Gens Indis contermina vocatur Ariana, cuius ſpinarum lachryma eſt precioſa, myrrhæ ſimilis, acceſſu propter aculeos anxio. Lauri folia ibidem ſpina eſſe, tradita eſt, cuius liquor aſperſus oculis cęcitatem omnibus animalibus infert.

In Ægypto naſcitur aſpalathros ſpinæ candida, magnitudine arboris modicæ, flore roſæ. Radix eius vnguentis expetitur. Tradunt in quocunque *frutice curuetur arcus cœleſtis, eandem quæcunque ſit aſpalathri, ſuauitatem odoris emittere*, ſed in aſpalathro inenarrabilem quandam exiſtere. Huius probatio eſt in colore rufo, vel igneo, tactuque ſpiſſo, & odore caſtoreo.

Aſpalathros.

Nota.

Idem libro 13. In Ægypto celebratur ſpina duntaxat nigra, quoniam in aquis durat, & incorrupta manet, & ob id nauium coſtis vtiliſſima. Candida verò facilè putreſcit, aculeus ſpinarum & in folijs, ſemen in ſiliquis, quo gallæ vice coria perficiuntur. Flos eius iucundus eſt coronis, & medicamentis vtilis. Manat & gummi ex ea, ſed præcipua vtilitas exiſtit, *quòd cæſa tertio anno reſurgat*. Nec omittendum eſt etiam, quod in Babylone ſeritur in ſpinis, quoniã non alibi viuit, & eſt ſicut viſcum in arboribus, ſed illud in ſpina tantum, quæ regia vocatur. Mirumque quod eadem die germinat, quod iniectum eſt. Inijcitur autem ipſo canis ortu, & arborem celerrimè occupat. Vinum ex ea condiunt, & ideo ſeritur. Spina hæc naſcitur & Athenis etiam longis muris.

Cæſa tertio anno reſurgit

Idem libro 17. In Calabria eſt ſpina ſylueſtris, quę per inſitionem vtiliter myrtos & ſorbos recipit.

De Spina virtute in medicina.

CAPVT CIV.

Spina ad quid conducit in medicina.

Auicenna. Spina alba frigida eſt, & ſicca in primo. Confert mollificationi ſtomachi. Decoctio eius confert inſtrumentis iuncturarum & podagræ. Spina Iudaica calida eſt, ſubtiliatiua, reſolutiua. Confert alcuzet & *ſputo ſanguinis*. Ex eius decoctione colluitur os ad *dolorem molarum*. Spina Ægyptiaca frigida eſt in primo, ſicca in ſecundo. Exiccatiua eſt, & *catharros* abſcindens. Confert *apoſtematibus* gutturis, & ſtomachi. Radix eius, & propriè ſemen eius vehementis ſunt conſolidationis.

Idem in eodem. Zedeguaro eſt ſpina alba, quæ ſpinas habet ſimiles folijs amomi, ſed ſubtiliores & albiores, florem purpureum, ſemen rotundum. Stirps eius

quandoque

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quandoque peruenit ad duos cubitos. In ipſa eſt virtus reſolutiua & aperitiua, propriè que in eius ſemine, quod eſt calidum & ſubtile. In ipſa eſt *retentio fluxus* ſanguinis, confert *apoſtematibus phlegmaticis* & *ſpaſmo*, & ſputo sãguinis, ſolutioni antiquæ. Febribus phlegmaticis longis, & omnibus *febribus antiquis*, debilitati quoque *ſtomachi*, & aperit opilationes. Maſticata & poſita ſuper punctura ſcorpionis attrahit *venenum*. Semen eius bibitum confert morſuræ venenoſorum reptilium. Collutio oris ex eius ſucco facta ſedat *dolorem dentium*. Radix eius eſt infrigidatiua exiccatiua cum reſolutione quadam.

Plinius libro 23. Spina Arabica ſpiſſat, ſtringitque diſtillationes omnes, & ſanguinis excreationes, menſiumque abundantiam, etiam nunc radice valentior. *Corona ex ea impoſita capitis dolorem minuit.* Huic ſimilis eſt ſpina illa, quam Græci acanthon dicunt minoribus multo folijs aculeatis per extremitatem, & arenoſa lanugine obductis. Qua collecta etiam veſtes quædã in Oriente fiunt ſimiles bombycinis. Ipſaque folia, vel radices ad remedia bibuntur. Eſt & alia quam nos rubeam dicimus, qua lanæ tinguntur, pelleſque perficiuntur. In medicina *vrinam cit*, *morbum regium ſanat*, *iſchiaticos* ac *paralyticos*. Radix ſemenque menſes trahunt, *aluum* ſiſtunt, & collectiones diſcutiunt, contra ſerpentes rami cum folijs imponũtur folia eius capillum inficiunt. Eſt & paliurus genus ſpinæ. *Auctor*. De acantho & rubea & paliuro ſuperius inter herbas diximus, inter quas nimirum ponit eas Iſidorus.

Corona ex ſpina.

Rubea ſpina effectus.

De Subere vel ſuberie.

CAPVT CV.

Suberies vnde dicta.

ISidorus. Suberies eſt arbor, ex qua validiſſimus cortex natatorius extrahitur, ſic dicta quaſi ſubedies, eo quòd fructus eius ſues edunt. Porcorum enim ſunt alimenta, non hominum. *Plinius libro* 16. Glandẽ fert ſuber, ſicut quercus & ilex: fungoſam carnem. Nigidius tradit fieri ſubere, ſicut eſculo & robore. Tardiſſimo germine germinat ſuber ac concipit, & incipiente hieme fructum emittit. Syluestrium generi folia non decidunt ſuberi ac buxo, & eſt cortex carnoſus ſuberi ac populo. Suber tempeſtiuè cæſa torquet ſeſe finditque. Cariem vetuſtatemque ſentit hæc arbor tardiſſimè, ſicut & iuglandes atque caſtaneæ. *Cæterum in aquis non fluitat ſuber, ſi demat ur cortex.* Eſt autẽ ſuber arbor minima, glans eius peſſima & rara. Cortex tantum in fructu præcraſſus ac renaſcens, atque etiam in denos pedes vndique explanatus. Vſus eius maximè nauium anchoralibus, piſcantiumque tragulis, & cadorum obturamẽtis. Præterea in hiberno fœminarum calciatu, quamobrem non infacete Græci cortices arborum appellant. Sunt & qui fœminam ilicem vocent. Et vbi non naſcitur ilex, pro ea ſubere vtuntur in carpentarijs præcipuè fabricis, vt circa Helyn & Lacedæmonem. Nunc in Italia naſcitur tota, aut omnino in Gallia.

Nota.

Vſus medicus.

Idem in libro 24. Suberis cortex tritus & aqua calida potus ex vino calido ſanguinem excreantibus magnopere laudatur.

De Tamarice, ſiue Tamariſco.

CAPVT CVI.

IDem in libro 16. Tamarix eſt arbor craſſiſſima, habens folia nunquam decidentia.

Plinius libro 24. Tamaricem arbitratur quidam eſſe myricem, de qua videlicet dictum eſt ſuperius, quod multis modis valet ad medicinam.

Auicenna. In tamariſco eſt ſtipticitas & apertio & mundificatio, abſque vehementi exiccatione. Et eius aqua eſt abſterſiua & deſiccatiua, cuius abſterſio plus eſt eius exiccatione, & eius, exiccatio eſt cũ ſtipticitate. Sed fructus eius vehementioris eſt ſtipticitatis. In tamariſco quidẽ eſt ſubtilitas pauca, & quandoque adminiſtratur loco viridis gallæ. Eius decoctio embrocatur *ad pediculos*, & interficit eos. Ex eius folijs emplaſtrũ fit ſuper apoſtemata fluxa, eiuſque fumus *variolas* exiccat, & *vlcera* humida. Quod ex eo tritũ eſt, & eius cinis ſpargitur ſuper aduſtionem ignis, fructus eius & cinis vlcera difficilia exiccãt, & carnem additam corrodunt. Decoctio foliorum eius cum vino confert *dolori dentium*, ore ex eo colluto, prohibentque corroſionem eorum proprijs fructibus. Iterum eius fructus ſtat loco gallæ, & licij in ægritudinibus oculi, confert iterum antiquo ſputo tamariſcus, & propriè fructus eius. Rami eius in aceto diſſoluti conferunt *ſpleni*, emplaſtro ex eis facto. Ad ſplenen quoque bibitum vinum, in quo decocta ſunt folia eius ac virgulta. Ex ex eius ligno faciunt ſibi ſplenetici vaſa. Denique confert *ſolutioni antiquæ*, & ad *fluxum matricis*, ſedeturque in eius decoctione, bibiturque fructus eius, qui etiam confert morſui rutelæ.

Vſus Tamaricis.

Platearius. Tamariſcus calida eſt & ſicca. Vinum decoctionis eius valet ad opilationem ſplenis, *& hepatis, ſtrangurian & dyſſenteriam*. Eſt enim diureticum. Puluis eius in cibis poſitus ad eandem valet. Frequens eius bibito in vaſe tali valet ad idem. Cortex maioris eſt efficaciæ.

De Taxo.

CAPVT CVII.

Taxus toxicum.

ISidorus. Taxus eſt arbor venenata, vnde & toxica venena exprimunt. Ex hac etiam arcus Parthi & aliæ gentes faciunt.

Plinius libro 16. Arboribus picem ferentibus aſpectu ſimilis eſt taxus, minimè virens, graciliſque ac triſtis, & dira, nullo ſucco, ex omnibus ſola baccifera noxio fructu mas, lætale quippe baccis in Hiſpania præcipuè venenum ineſt. Vaſa etiam viatoria ex ea vinis in Gallica facta compertum eſt fuiſſe mortifera. Hanc Feſtius ſimilacem à Græcis vocari dixit. Et in Archadia eſſe tam præſentis veneni, vt ſi qui obdormiant ſub ea, cibumve capiant, moriuntur. Sunt & qui taxica hinc appellata venena dicant, quæ nunc toxica dicuntur, quibus ſagittæ tinguntur. Repertum eſt autem innoxia fieri, ſi in arbore ipſa clauus æreus addicatur. Syluestrium folia non decidunt taxo, ſicut nec abieti vel cedro. Denique cariem vetuſtatemque non ſentit taxus, ſicut nec cypreſſus aut cedrus.

Taxica.

Idem in libro 24. Taxi arboris fumus mures necat. *Dioſcorides*. Taxus eſt arbor palmæ ſimilis & folijs altitudine. Naſcitur in Hiſpania, In Italia quidem eius ſemine impinguantur gallinæ. Verum ſi homo inde guſtauerit, ſolutionem ventris patitur. *Taxus autem naſcens in Calabria tantam vim habet, vt quiſquis ſub ea dormierit aut ſederit, ſtatim periculum vitæ ſuſtineat, vnde illic ſibi negant tranſeuntes viam.*

Nota.

De Tæda.

CAPVT CVIII.

Tæda.

AVctor. Tæda eſt arbor picea flammis ac luminibus apta. Ob quam cauſam, vt æſtimo trãſsũpto nomine lampades ſiue faces dicuntur tædæ.

Plinius libro 16. Sextum genus arborum picem gignentium eſt teda propriè dicta, abundantior ſucco, quàm reliqua, parcior liquidiorque, quàm picea, flãmis ac luminibus etiam ſacrorum grata. Hanc mares dumtaxat ferunt, & eam quam ſtacten Græci vocant odoris grauiſſimi. Laricis morbus eſt vt tęda fiat. Hęc autem,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

autem, ſcilicet tæda, ſicut & alia genera, quæ picem ferunt accenſa fuligine in modica, repente carbonem cum eruptionis crepitu expuunt, iaculanturque longè, excepta larice, quæ nec ardet, nec facit carbones, nec alio modo vi ignis cõſumitur, quàm lapides. *Pix liquida* in Europa è tęda *coquitur muniẽdis naualibus*, multoſque alios ad vſus, lignum eius cõſciſum, furnis vndique igni extra circundato ferro, vt in primis ſudor canali fluat aquæ modo. Hoc in Syria cedrum vocatur, eaque in Ægypto corpora hominum defunctorum perfuſa ſeruantur. In tæda cum humor manare deſinit, ex alia parte cortex ſimiliter aperitur, ac deinde alia. Poſtea vero vt pix eliciatur, arbor tota ſuccidítur, & eius medulla vritur. Montes amat tæda & larix ſicut & cedrus.

Pix è tæda.

De Terebintho.

CAPVT CIX.

Sidorus. Terebinthus eſt arbor generans reſinam, omnium reſinarum præſtantiorem. *Ambroſius.* Si terebinthi fructus aqua miſceatur in olei morem facilè transfunditur. *Gloſſa ſuper* 1. *Reg.* 17. Terebinthus eſt arbor, de qua reſina lachrymæ præſtantiſſimæ manat, vnde medicinalis induſtria diſſoluta conglutinat. *Gloßa ſuper Eccl.* Terebinthus eſt arbor breuis & fruticoſa. Naſcitur in Syria & in Damaſco, floſ eſt racemoſus, ſicut oliuæ ſed rubens, habet folia denſa, & folliculos emittentes quædam animalia quaſi culices. Huius reſina craſſiſſima eſt, plenior quàm illa, quæ de cortice erumpit. Huius arboris maſculæ ſine fructu ſunt. Fœminarum duo ſunt genera. Alterius fructus rubet lentis magnitudine. Alterius pallet, nec faba grandior, odore iucundior, tactu reſinoſus. *Plinius libro* 12. In Choo inſula naſci traduntur terebinthi, flore imbribus decuſſum terræ halitum animante. *Idem libr.* 13. Syria terebinthum habet, & ex his maſcula ſine fructu eſt. Fœminarum vero duo ſunt genera, alteri rubet fructus lentis magnitudine. Alteri vero pallidus matureſcit cum vite, non faba grandior, odore iucundior, tactu reſinoſus circa Idam Troadis. Sed & in Macedonia breuis eſt arbor hæc atque fruticoſa. In Damaſco Syriæ magna eſt. Materies eius admodum lenta, & fidelis ad vetuſtatem magni ſplendoris. Flos racemoſus oliuæ modo, ſed rubens, folia denſa, fert & folliculos emittentes animalia quædam ceu culices, lentoremque reſinoſum, qui & corticem rumpit.

Terebinthi deſcriptio.

Duo genera fœminæ Terebinthi.

Idem in libro 14. Terebinthi baccæ aut lignum recens in muſto decoquuntur, ſicque vinum efficitur. In oriente terebinthi fundunt reſinam optimam ac tenuiſſimam. Iudaica quidem reſigna calloſior. Terebinthina quoque odoratior. *Idem libro* 17. Reſinam terebinthinam, vt fiat pix ſpiſſa, in feruenti ſartagine ponunt, & hanc cæteris præferunt: vt fiat pix; in Syria terebintho cortices detrahunt. Ibi equidem, & è ramis & radicibus cum reſina dãnetur ex his partibus. Montes amat terebinthus atque iuniperus. Nec folia decidunt terebintho, ſicut nec cedro. Terebinthus in vere concipit, ac ſemen in meſſibus reddit. Non deſunt, qui terebinthos Syriacas affirmant nigras. Viſcum & in terebintho dicunt adnaſci ſicut in quercu & robore & ilice ac pruno ſylueſtri. *Idem lib.* 24. Terebinthi folia & radix collectionibus imponuntur, decoctum eorum ſtomachum firmat. Semen in capitis dolore bibitur in vino, & contra *difficultatem vrinæ*, *ventrem* leniter emollit, *venerem exiccat*. *Dioſcorides.* Terebinthi folia ſemẽ & corium ſtiptica ſunt. Semen eius cacoſtomachum eſt. Eſt enim calidum & diureticum, ventrem leniter ſtimulat, vino mixtum morſibus phalangiorum occurrit. Huius reſina omnibus reſinis vtilior eſt.

Vinum ex Terebintho.

Effectus Terebinthi.

De Tilia & thyno.

CAPVT CX.

Sidorus. Tiliam vocatam dicunt, eo quòd vtilis eſt ad vſum telorum nitore & leuitate iaculandi. Eſt enim id genus materiæ leuiſſimę, ad ſculpturã vtilis. *Plinius lib.* 16. In arbore tilia differunt mas & fœmina. Nam & mari materies dura ruſſior atque nodoſa, ſed odoratior cortexque craſſior, ac detractus inflexibilis. Nec fert ſemen aut florem, vt fœmina, quæ craſſior arbor eſt materiæ candida præcellenſque. Eſt autem mirum in hac arbore *fructum à nullo attingi animalium, foliorum tamen corticiſque dulcem eſſe ſuccum*. Inter corticem & lignum tenues habet tunicas multiplici membrana, è quibus euocantur tilię vincula. Tenuiſſimum habet corium phylliræ coronarum Lemnitis celebre, antiquorumque honore. Materies teredines non ſentit, proceritate perquam modica, ſed vtilis. Cortex eſt tiliæ in vſu magno ſicut abieti & fago. Cãchris etiam gignitur in tilia, videlicet pillula vim vrẽdi habens in medicina, de qua dictum ſupra. Montes & valles diligit tilia, ſicut & abies & caſtanea. Mirũque quod euenit tilię vlmo quoque euenit. *Circumaguntur enim folia earum poſt ſolſtitium*, nec alio argumẽto certius intelligitur ſidus confectum. Tilia eſt arbor molliſſima, eademque videtur & calidiſſima, corticẽ tenuem habet. Et paulo ante æquinoctium vernale germinat, ſicut acer. Lentiſſimæ ſunt & ideo ſcutis faciendis aptiſſimę, quarum plaga ſe protinus contrahit vulnuſque ſuum claudit, & ob id contumacius ferrum tranſmittit. In quo genere ſunt tilia & ſambucus ficus & ſalix & populus.

Tilia etymõ.

Nota.

Index ſolſtitij tilia.

Idem libro 17. Tilia, ceraſus & vitis corticem mittunt, ſed non vitalem corpori proximum, verum eum qui alio ſubnaſcente expellitur. Et quibuſdam vt platanis eſt cortex rimoſus, tiliæ vero renaſcitur paulo minus, quàm totus.

Idem in libro 18. Solſtitium æſtiuale folia tiliæ vertit ad mille vſus petenda, & eſt confecti ſyderis ſignũ. *Idem in lib.* 24. Tilia *lepras* ſedat. Cortex potus in aqua frigida *aluum* purgat. Imponitur & collectionibus lachryma & *vulneribus ambuſtis*. Humor in folliculis huius arboris naſcens, *cuti nitorem* inducit, *faciemque gratiorem* præſtat. Cauliculi foliorum primo vino decocti *tumores* ſanant.

Effectus medicinalis tilia.

Ex libro de natura rerum. Thynum eſt arbor orientis nobiliſſima. Cuius generis ligna Salomoni attulit Regina Saba. Sunt autem imputribilia ſpinoſa & alba, fulgentia nimis, polita ſcilicet, & ad inſtar eboris relucentia. Arbor autem ipſa quaſi pinus rotunda.

Thynum.

De Turbith.

CAPVT CXL

Plateárius. Turbith eſt radix cuiuſdam arboris in India & in Arabia naſcentis, & eſt calida & ſicca in tertio gradu. Eligenda eſt illa, quæ in medio eſt concaua, ſecundum longitudinem, non habens interius fuſtem. Quem ſi habet cum in medicina ponitur, extrahi debet. Hoc etiam de ea perhibetur, quod non facilè puluerizetur: per biennium durat propter nimiam eius violentiam: per ſe non datur, ſed competenter inde medicinæ acuuntur. Virtutem habet diſſoluẽdi, & humores ab extremis partibus attrahendi, ac pręcipuè phlegma. Valet contra iliacam paſſionem & arthreticam & podagram, cum aliqua medicina competenti morbis huiuſcemodi confecta. Puluis eius cum oleo roſaceo ad reprimendũ eius malitiam confectus, addito modico gummi Arabico ac

Turbith.

melle

melle deſpumato, carnem mortuam corrodit atque conſumit.

Auicenna. Turbith melius eſt album viſibiliter, quàm citrinum. Et habet foramina ſicut cannæ ſubtilis, planum, velociter frangibile, non craſſum, perforatum eſt debile, ſed eius rectificatio, vt fricetur cortex ceruiceus donec remaneat albus & quod contritum eſt de ipſo commiſcetur cum oleo amygdalino. *Vſus in medicina.* Confert ægritudinibus *neruorum*, ſolũtione *phlegma* educit plurimum. Et ſoluit aliquid ex humoribus parumper aduſtis, & hoc cum aſſumitur crudum. Ecõuerſo autem decoctum ſecundum quoſdam educit *humorem crudum* ex anchis. Et quod verius eſt, educit ſubtile phlegmatis, & ſi cum gingibere confortetur, vel aliquo, quod habeat virtutem acuitatis, educit craſſum & crudum humorem. *Conſtantinus vbi ſupra*, Turbith eſt radix intus & extra æqualis, quæ aliquando eſt albi atque citrini coloris. Inuenitur in Syria & in Arabia. Arbor eius eſt quaſi ferula, quæ in tertio gradu eſt calida & ſicca, phlegma frigidoſque chymos, aſcoſos humores purgat. Proinde vtilis eſt *podagræ frigidæ ac dolori* arthretico, nocet tamen & anguſtiam facit ſtomacho. Vnde poſt inungi oportet cum oleo violaceo vel amygdalino.

De Vimine & vlmo.

CAPVT CXII.

Viminis etymon. I *Sidorus.* Vimen vocari dicitur ideo, *quod vim multam* habeat viroris. Natura enim eius talis eſt vt etiam arefacta abluatur, & vireſcat Deinde exciſa atque in humo fixa, radicibus ſeſe ipſa dimergat. *Vlmus vnde dicitur.* *Vlmus* nomen accepit, eo quòd vliginoſis & humidis locis melius proficit. Nam in montanis & aſperis minus lęta eſt. *Plinius libro* 14. Montuoſa ſubeunt vlmus & malus, & inter frugiferas materia vitiumque amicitia recipitur vlmus. Græci duo nouerũt eius genera. Mõtuoſam quæ fit amplior. Et campeſtrem, quæ fruticoſa. Attineas Italia vocat excellentiſſimas, & ex his præfert Sicanas, quæ riguæ non ſunt. Alterum genus vocat gallicas. Tertium noſtras, folio denſiore, & ab eodem pediculo numeroſiore. Quartum vero ſylueſtre, inter quas non ferunt attineæ. Vlmus eſt à radice brachiata atque in longitudinem excreſcunt cypreſſus & vlmus, & ſi qua ſunt vniſtirpia. Vlmus inter primas germinat. Arborum quidem ſolæ, quæ nullos ferunt fructus hoc eſt ne ſemen quidem, & vlnus & alnus & populus. Humor qui quaſi ſanguis eſt in arboris corticibus, non eſt idem omnibus, ſed vlmis ſaliuoſus; Vlmeam materiem cum effodies, luna decreſcente eximito, poſt meridiem ſine vento auſtro, tunc tempeſtiua erit, cum eius ſemen maturum fuerit. Eſt platano lenticia, ſed humida, eademque vlmo ſiccior, ſed ponderoſior. Rigorem fortiſſimè ſeruat vlmus. Ob id vtiliſſima quaſſamentis portarum atque cardinibus, quoniam minimè torquetur. Permutanda tamen eſt, vt cacumen ſit ab inferiori cardine radixque ſuperior. Vlmis eſt firma materies, vnde Cato iubet fieri vlmeos & laureos vectes. Vlmus & fraxinus lente, ſcilicet panduntur, facile tamen flexibiles ſtantesque à circumciſura, ſiccitate tamen fideliores.

Morus inſeritur vlmo. *Idem libro* 17. Vlmorum vmbra lenis eſt, enutriens quæcunque occupat. In vlmo inſeri morum, iubet religio fulgurum. Nobilia vina in arbuſtis gignuntur. Primaque omnium vlmus propter nimiam frondem excipit. Vlmis detrahitur ſuccus inutilis ſupra terram vſque ad medullam foratis, in ſenecta, & cum alimẽto ſentiuntur abundare nimio.

Quo die vlmus ſeri debet. *Idem libro* 18. Vlmi & populi ſerantur à die quo fauonius ceperit flare ſiue *à die ſexto. Idus Februarij* ſi ante prima ſolſticij æſtiualis die alia parte folia vlmi cœlum reſpiciunt, quam ſpectauerint pridie & eſt confecti ſideris ſignum. *Idem libr.* 24. Vlmi folia & cortex & rami vim habent ſpiſſandi & vulnera contrahendi, cortex vtique interior.

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER DECIMVSTERTIVS.

De Arboribus frugiferis.

CAPVT I.

Vltor. Postquam diximus de arborum natura in cõmuni & etiam in speciali de arboribus communibus & incultis, vt de agrestibus atque syluaticis, restat dicendum de arboribus cultis ac frugiferis, & præcipuè de illis, quarum in humanos cibos sumuntur fructus, vt sunt amygdalus, pirus, esculus, cerasus, & huiusmodi; de quarum tamen fructificatione atque feracitate iam dictum est in superiori libro sub quadã generalitate. Harum etenim quædam, vt fruges in cacumine ferunt fructus. Quædam vt legumina, in lateribus. Quędã autem & lateribus ramorum, & cacuminibus, vt punica, pirus, & ficus. Palma solum fructum habet in spatis, propendentem racemus. Reliquis, vt protegantur, est sub folio pomũ, excepto fico, cui foliũ est maximũ, & vmbrosissimũ, ideoque supra illud est pomũ. Arbores quidem sylueſtres magis fructificant, quam hortenses, sed hortẽsium fructus sunt meliores. Quædam bis ferũt in anno, quædam ter, ita quod primo fætu sequens euocatur fructus, sequenti quoque tertius. Sunt autẽ & in malis & in piris biferæ, sicut & præcoquæ. Quædam autẽ summa sui parte sunt fertiliores. Quædã verò inferiori parte, vt fici & amygdalus. Quædam in senecta sunt fertilissimæ. Quędã autem in iuuenta, sed tardius maturãtes, quod notatur in vitibus maximè. *Nam vetustioribus vinum est melius, sed nouellis copiosius.* Celerrimè malus senescit, & in senecta deteriorem fructũ gignit. Nã & minora proueniũt poma, & vermiculis obnoxia. In plerisque arboribus non statim post defloratione sequitur fructus. Cornus circa Solsticiũ Autumni tẽpore, Quædam verò genera mali, pirique incipiente iã hyeme. *Ægrotant aliquando & fructus in arbore,* si necessarijs tẽporibus imbres, aut tepores, aut flatus defuerint, aut è cõtrario abundauerint, aut enim decidunt, aut deteriores fiunt. Est peculiare vitium oliuis, ac vitibus, quod *araneum* vocant, videlicet cum velut telæ fructum inuoluunt, vermiculationem verò mala & pira & similia quibusdam annis sentiunt.

Nota de vitibus.

Ægrotatio arborum.

De Amygdalo, & eius natura.

CAPVT II.

Isid. Amygdala Græcum nomen est, Latinè nux lõga dicitur. Cũctis arboribus prior se flore cõuestit, & ad ferẽda poma arbusta cætera prœuenit. Ex his aliæ sunt dulces, aliæ amaræ. Sed agricolæ huic generi sic mederi ferunt. *Terebrant eius radicem, & in mediũ inserunt surculum arboris, quæ picea dicitur,* quo facto succi amaritudo deponitur. *Plin. lib. 16.* Arbores quædã primæ germinãt, & inter nouissimas nudantur, vt amygdalæ & fraxini & sambuci. Ex his nempe, quæ Aquila hyeme Oriẽre cõcipiunt, Primo omniũ amygdalę florent mense Ianuario. Pomũ verò maturãt mense Martio. Perditque facillimè fructum ante maturitatem amygdala, sicut & ficus & palma. Amygdala siquidẽ & pirus, etiã si non pluat, sed cælum austrinum, aut nubilum fiat, amittunt florẽ, & primos fructus, si cũ deflouerint, tales dies fuerint. Denique pirus & amygdala fertilissimæ sunt in senecta. *Idem in l. 17.* Arbores quædã, si cũ deflouerint, protinus imbres sequantur, in totũ poma deperdunt, adeo, vt amygdalæ & pyri, etiã si omnino cælum nubilũ fuerit, vel austrinus flatus, amittut fœtus. *Arist. in lib. de Plantis.* Arbor amygdalus habet gũmi, cum cuius fructu statim fit semẽ, & operitur operculo, & à quibusdã seminibus malis arbores bonę prodeunt, vt ab amygdalis amaris. Amygdalæ nẽpe stercore porcino, & aqua supra rigata meliorantur, clauisque confixæ gummi per multũ tẽporis emittunt. *Meliusque fructificant in senectute, quàm in iuuentute. Ex libro de natura rerum.* Amygdalus in locis calidis fructu abundat, frigidioribus autem locis arbor vetusta flore fœcunditatem negat.

Araneum.

Vt amygdalæ sint dulces.

Nota.

De virtute ipsius in medicina.

CAPVT III.

Dioscor. Arbor amygdalæ quoddã genus gummi excludit, quod reijciẽtibus *sanguinem* saluberrimũ creditur. *Tussim* quoque mitigat, cum mero datũ. Ea etiam vis cæteris arboris partibus inesse traditur, vt

folia,

Res medicinalis.

folia,vel cortex ſumpta,aperiant,purgent, extenuent. Radix amigdalæ amaræ elixa & trita, *maculas* multas limpidat & purgat,ſuppoſita quoque menſtrua prouocat. Illita fronti *dolorem capitis* tollit. Vino quoque mixto maculas corporis limpidat. Melli verò mixta *putredines*,& paſcentia *vulnera* compeſcit.Item in *morſum* canis, cum melle manducata dolorem excludit, ventrem mollit,& ſomnum prouocat. Mixta cum amilo,& menta ſanguini medetur. Nephreticis etiã,ac *peripleumonicis*, *dyſſuricis*, & *calculoſis*, *hepaticis*, quoque tuſſientibus,& colli inflationibus opitulatur.Si autem à ieiuno amigdalæ ſumptæ fuerint, inebriari hominẽ non ſinere dicitur. Item eius gummi ſtipticum eſt,*hemoptoicis* bibitum prodeſt.Cum aceto mixtum,ac perunctum *zernas* limpidat, cum vino autem acceptum temporali tuſſi ſubuenit,cum dulcore vero calculoſis vtiliter datur.

Conſtantinus in lib. graduum. Radix amigdalæ amaræ pulũerizata, & cum aceto temperata, fit bonum vnguentum contra *lentigines*& impetiginem, omneſque ſordicies cutis,& maximè contra *morpheam*.Cum vino potui data,tuſſim curat,lapidem frangit.

Auicenna. Arbor amigdalarum amararum,cum optimè teritur, atque cum aceto & oleo roſaceo permiſcetur,& inde fit emplaſtrum fronti,cõfert ſoda. Radix etiam eius cocta,& ſuper pannum linita,fortis eſt medicina. Eiuſdem gumma, gummi Arabici diſpoſitionibus proxima,conſtringit & calefacit.

Plinius lib.24. Amigdalæ amaræ radix decocta,*cutem in facie corrigit*,& colorem hilariorem facit. Nuces ipſæ ſomnum faciunt,& auiditatem,vrinam, & menſes ciunt. Capitis dolori illinuntur, maximeque in febri,

Contra dolorem capitis ex ebrietate.

ſi ab ebrietate in aceto & roſaceo ex aquæ ſextario,& ſanguine ſiſtunt cum amilo, & menta lethargicis comicialibuſque proſunt.

De Auellana.

CAPVT IV.

Etymon auellana.

I*Sid.* Auuellana dicta eſt ab Auellano vbi abundat, videlicet opido Campaniæ, à Græcis autem appellatur pontica,eo quod abundet circa Ponticum mare.

Palladius de agricultura, lib.3. Auellanæ nucibus ſuis ſunt ponendæ,id eſt,ſetendæ,vel plantandæ, nec amplius ſuper terram ducenda eſt,quàm duorum digitorum craſſitudine. Plantis tamen, & ſobole expertus ſum melius prouenire. Siue autem planta,ſiue ſemine exeritur menſe Februario, gaudetque loco macro & humido, & frigido, & ſabuloſo. Porro nux auellana menſe Iulio circa nonas eſt matura. *Plinius lib. 16.* Ferunt auellanæ villos compactili callo ad nihil vtiles.

Solum quo gaudet.

Tempus ſerendi

Idem lib.17. Tempus autem ſtatutum ſerendi, vel inſerendi nucibus iuglandis & auellanis & pineis, atque caſtaneis eſt 7. Calend. Martij. *Auicenna.* De radice auellanæ frigidæ datur in potu ad *pleureſim* frigidam,& *tuſſim* antiquam,& *ſputum* ſanguinis,hæc in ſuppoſitorio menſtrua prouocat, fœtum extrahit, ſolutione

Remedia ex auellana.

choleram nigram,& *phlegma* educit. *Ictericiam*, & *pannum* ſanat, & cholicam ſoluit. Eſt etiam theriaca morſui rutulæ,vel ſcorpionis.

De Bati.

CAPVT V.

Vſus medicinalis Batis

D*Ioſcor.* Batis, id eſt,rubus omnibus nota eſt.Virtus ei ſtiptica eſt. Elixatura eius capillos inficit, ventrem abſtinet, fluxum matricis ſtringit, morſibus venenaticis occurrit. *Gingiuas* à putredine ſeruat, *tumores oris* compeſcit,*herpetas* mũdat,*acoras* capitis purgat, *tumores* oculorum & *condilomata* ſoluit, *emorroidibus* ſuppoſita ſubuenit, *ſtomaticis* impoſita medetur, *cardiacis* opitulatur, flos eius cum vino bibitus *celiacis* ac *dyſſentericis* prodeſt,flos eius albus, & caniculari ortu vigens. ipſe quoque potui datus cum vino fluorem humoris cohibet. Illitus cum melle medetur oculorum *lippitudini*,& *ſacro igni*. Huius ergo folia & flores, & mora leniter tingunt. Folia eius, & cime maſticata hæc herpetas, vel alia vlcera in ore curant, & *plagas* glutinant. Mora eius matura mediocriter habent in ſe calorem, immatura vero frigidam ac terreſtrem in ſe retinent ſubſtantiam. Puluis ex ea factus,ſicut de flore eius deſiccat,& facit ad dyſſentericos, & ad omne rheuma ventris,& ad defectionem ſtomachi, ſanguinem quoque expuentibus eſt vtiliſſimum. Radix eius ſtiptica eſt,& leptomeris. Ideoque nephreticis data, lapides rumpit. Eſt autem quædam ſpecies Batis,quę communis eſt,& omnibus nota. Alia vero, quæ dicitur idea,ſiue chimos mollis, ac lenis. Cuius ſuccus cũ vino,& melle ſumptus ad ſuperiora prodeſt.*Mora cum vino ſumpta ſapientiam*,vt antiquis dicitur,nutriunt. Ipſa vero cum melle & pane trita mirificè rumpunt apoſtema.

Mora Batis ſapientiam nutriunt.

De Caſtanea.

CAPVT VI.

Etymon Caſtanea.

I*Sid.* Caſtanea dicitur, eo quod fructus eius gemini in modum teſticulorum rotundi ſunt, qui dum eijciuntur quaſi caſtrantur. Hæc arbor ſimul vt exciſa fuerit,tanquam ſylua expullulare conſueuit. *Plin.libro* 16. Caſtanea diligit montes & valles, ſicut robur & abies. Nec amant aquoſa loca cypreſſi & caſtaneæ, ſed ſunt ſiccaneæ. Caſtanea eſt aceris modo criſpa, & eſt etiam eidem firmitas ſpiſſa. Itaque cariem, vetuſtatemque ſentit tardiſſimè. In vere autem concipiũt caſtanea, terebinthus, & aquifolium. *Idem lib.17.* Semen ipſa ſerere docuit natura, cũ decidens viuiſceret terra exceptum. Nec aliter proueniunt iuglandes, atque caſtaneæ,quibus eſt pro ſemine fructus ipſe. Caſtaneam inſeruit Corellius eques Romanus, ſuometipſo ſurculo in agro Neapolitano. Hæc inter laudatas ab eo nomen accepit. Poſtmodum hæres eiuſdem libertus Correlianam inſeruit. Hæc eſt inter eas differentia, quod illa copioſior, hæc Correliana melior.

Correliana.

Tempus ſerendi caſtaneam.

Tempus vero ſtatutum caſtaneę, ac pineæ ſerendi eſt 7.Calen. Martij. Caſtanea pedamentis omnibus præfertur facilitate tractatus perdurãdi peruicacia regerminatione cædua. Salice quoque lætior, quærit facile ſolum, nec tamen arenoſum, maximeque ſabulum humidum,aut carbunculum, vel tophum quamlibet opaco, Septemtrionalique,& præfrigido ſitu, vel etiam decliui. Recuſat eadem omnem terræ fœcunditatem, qua ſeri nuces diximus: ſed non prouenit, niſi è maximis,nec niſi quiuis aceruatim ſatis perfringi ſolũ debet ſupra ex menſe nouembri,in Februariũ,quo ſolutæ ſponte ex arbore cadunt,atque ſubnaſcuntur. Interualla pedalia ſint,vndique ſulco dodrantali. Ex hoc ſeminario transferuntur in aliud, bipedali interuallo plus biennio. Sunt & propagines nulli quidem faciliores. Nudata ſiquidem tota radice in ſulco proſternitur, & tunc ex cacumine ſupra terram relicto, alia quoque ab radice renaſcitur, ſed tranſlata neſcit hoſpitari, pauetque mutitatem, biennio fere poſtea proſilit.

Quantum interuallum in ſeminario auellanarũ eſſe debet.

De Ceraſo,& eius cultura.

CAPVT VII.

A*Vctor.* Ceraſus eſt arbor, vt legitur, haſtilibus apta,cuius gummi ore detentum & glutinoſum arterias lenit,huius fructus ceraſum dicitur. *Plin. libro* 15. Ceraſi in Ægypto nulla cura gigni potuere. Inter primas ſunt, quæ in pomis colono annuam gratiam referunt. Virgilius ceraſos vlmo inſitos dicit. Laurea vero ceraſa non ingratæ ſunt amaritudinis inſita lauro. *Idem in libro* 16. Ceraſus aquoſis gaudet montibus,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſicut acer, tilia, & fraxinus. Huic cortex ſimilis eſt libris. Poſt ſambucum floret ceraſus, ſicut & pinus & prunus. Ramoſarum arborũ ceraſus excreſcit in trabes 40 cubitorum, & æquali per totum reperitur craſſitudine duorum cubitorum. Iuxta Romam ægrè proueniunt caſtaneæ, ceraſi quoque. Humor & cortici earum eſt, qui ſanguis earum intelligi debet, ficis lacteus, ceraſis verò gummoſus. Lenticia eſt platano, ſed madida, ceraſo ficcior, ſed ponderoſior, ceraſus & fagus celeriter inareſcunt. Alternant verò fructus quibus eſt lignum ſiccius, vt oliuæ, magis quàm quibus eſt carnoſius, vt ceraſis. *Idem lib.* 17. Semen inſerere docuit natura raptum, auium fame deuoratum ſolitoque alui tempore madidum, fœcundo fimi medicamine in mollibus arborum lectis abiectum, vel ventis quoque in aliquas corticum rimas tranſlatum. Vnde vidimus in ſalice ceraſum, & in lauro platanum, & in ceraſo laurum, & baccas ſimul diſcolores. Ceraſi libro dempto, finduntur ſole, & poſt brumam inſeruntur. Ceraſi quidem & amigdalæ habent vbique ſtatutum tempus anni circa brumam ſerendivel inſerendi. Iterũ ceraſus, & talea, & vitis corticẽ mittunt non vitalẽ nec proximũ corpori, ſed eum qui alio ſubnaſcẽte expellitur. Vmbræ ſunt enormes ceraſis, ſicut & lauris. Ceraſos autem præcoces facit, & matureſcere cogit, ordeacea ſtipula radicibus admota. *Palladius libr. ſecundo.* Menſe Ianuario, ceraſus agreſtis optimè inſeritur.

Ratio cur ceraſi in ſalicibus cernũtur.

Stipula ordeacea cogit matureſcere ceraſos.

De Cidonio.

CAPVT VIII.

Dioſcorides. Cidonia, vel cidonius eſt arbor malorum cidoniorum. Huius folia virtutem habent medicinalem, collecta, & in lintheolo poſita mundiore, purgata in vaſe vitreo mittuntur. Dehinc oleo recentiſſimo vas vſque ad lances impletur, ac pelle coopertum in loco vmbroſo ficcatur. Flos eius viridis, & ſiccus in cataplaſmatibus eſt ſtipticus: *Tumores* oculorum, & ſanguinem tollit, *fluxui* matricis cum vino bibitus ſubuenit. *Palladius libro* 2. Menſe Ianuario tuberes inſeruntur cidonio. *Idem lib.* 3. Cidonijs ſerendis plerique tempora diuerſa dixerunt, tamen mihi vſu compertum eſt, in Italia circa vrbem menſe Februario, vel inchoante Martio, planus cidoniorum radicaras in paſtinato ſolo tenuiſſe, adeo velociter, vt ſæpe ſequentis anni fruge gauderent, ſi poſitæ maioris ſtatus fuiſſent locis ſiccis, & calidis. Extremo octobri, vel Nouembri, inchoante ponantur. Amant cidonia locum frigidum, humectum, ſed in tepido ſtatuantur, opus eſt illis rigatione ſuccurri. Serunt tamen ſtatim mediocres ſitus inter naturam frigoris, & caloris: & in planis, & decliuibus prouenire, magis tamen *inclinata & deuexa deſiderant.* Serunt aliqui cacuminibus, & talea, ſed tardius in vtroque prouẽtus. Ita ponendę ſunt largæ arbores cidonei, ne alteram quatientem vento, ſtillicidium tangat alterius. Dum minor eſt, vel ponitur, iuuetur ſtercore maiori, nec non cinere, vel cretæ puluere ſemel toto anno radicibus miſſo. Nam poma in his, & cito matura, & maioris incrementi aſſiduus humor efficit. Rigandæ ſunt quotiens cœleſtis negatur infuſio, & circumfodiendæ. Locis calidis Octobri menſe, & Nouembri; frigidis, Februario & Martio. Niſi circumfodiatur aſſiduè, aut ſterilis efficitur, aut poma eius degenerant: putanda eſt, ſicut probaui, & à vitijs omnibus liberanda. Si arbor ægra eſt, *amurca æqualiter aqua mixta radicibus debet affundi*, aut calx viua temperata cum terra vel reſina localis pici liquidæ mixta, trunco arboris allini, vel ablaqueatæ arbori circa radices imparis numeri poma cidoniæ pro magnitudine eius ponenda, & obruenda firmantur. Quod annis ſingulis factum, cuſtodiet à vitiis, ſed arboris longè derogabit ætati. Menſe Februario cidonia inſeruntur melius in trunco, quàm in cortice. Recipiunt in ſe ſurculos prope omnis generis, punici, ſorbi, omniumque malorum, quæ meliora producunt. Inſeruntur autem nouellæ arbores, quibus ſuccus in cortice eſt. Si maior eſt circa radicem melius inſeretur, vbi cortex & lignum beneficio ſoli adhęrentis humeſcit.

Vſus medicus cidonij.

Cidonij citò tenent.

Vbi ſeruntur

Amurca prodeſt cidonio agro.

De Citro & eius natura.

CAPVT IX.

Plinius lib. 13. Citrus eſt arbor apud Mauros Atlanti montis confines, quibus arbor, & cedri plurima, & menſarum inſania, quas fœminæ viris contra Margaritas ingerunt. Magnitudo enim ampliſſima vnius fuit, commiſſæ ex orbibus dimidiatis duobus à Rege Mauritaniæ Ptolemæo quatuor pedum, & ſemipedis per medium ambitum craſſitudine quadrantali. Maiuſque in ea miraculum eſt artis latente iunctura, quã potuiſſet eſſe natura ſolidę. Cuius materia erat tuber hoc eſt radicis vicium, maximeque quod ſub terra totum fuerit laudatum, & rarius quàm ſupernè quæque gignuntur etiam in ramis, proprieque quod tãti emitur arborum eſt vitium quarum amplitudo ac radices ex his omnibus æſtimari poſſunt. Sunt autem cypreſſo fœminæ etiamnum ſilueſtres ſimiles folio, odore, caudice. Menſis præcipua dos in vena criſpis, vel in vertice paruis. Illud oblongo euenit diſcurſu, ideoque *tigrinæ* appellantur, hoc intorto, & ideo tales *pantherinæ* vocantur. Sunt & vndatim criſpæ maiori gratia, ſi oculos imitentur pauonum caudæ. Naufragia docuere, nuper quoque materiam hanc ſiccatam mari duricie, & maturitate incorrupta ſpiſſari, nec vllo modo vehementius. Nutriuntur optimè ſplendeſcuntque, manuque ficcę fricantur ab alienis maximè ne ab accolis lędantur, vt in his genitę. Theophraſtus magnum honorem huic arbori tribuit, memoratas ex ea referens templorum veterum contignationes, & in tectis quondam immortalitatem materiæ contra omnia vitia incorruptæ. Radice nihil eſt criſpius, nec aliunde precioſiora opera. *Idem in libro* 16. Anniferæ habentur citrea & iuniperus, nouuſque in his cũ annotino pendet fructus. Citri radix maxima eſt ſpatic ac plenitudine. *Idem libro* 17. Arbores citreæ proueniunt ex grano, & propagine. *Dioſcorides.* Citrus eſt arbor cui non eſt in omnibus partibus ſuis eadem virtus, nam ſemini ineſt acida, & per hoc ſtiptica. Denique prægnantibus faſtidio laborantibus eſui datum, ſtomachum nauſea vendicat. Tritum & in potatione vini datum lieni medetur, querelis iecoris occurrit. Aqua tritum & inſperſum humectis vulneribus adhibetur. Inde pernionibus ex ea ſingulare præſidium eſt. Cortiti etiam auſterior natura, quæ quantum valeat ex ipſo odore teſtatur. Modicè ſumpta vel in potatione calida diutius immerſa *beneficium naturę* digeſtionis operatur, Medicationis *ventris* purgatiuus. Succus eius admixtus *turbationis* periculum demit. Ex citro fit antidotum nobile, quod eximiè pectus exonerat, & diapaſion vocatur.

Trigrinæ. Pantherinæ

Virtus citri in medicina.

Diapaſion.

De Corylo, & Corno.

CAPVT X.

Papias. Corylus eſt arbor nucis auellanę. *Author.* De hac in libris philoſophorum legiſſe me nihil memini. Fertur autem, quod ſi quis virgam coryli per medium findat, & ambas medietates lateribus ſuis, vel renibus ſuis applicando, diuiſim manibus ſuis aliquandiu teneat, ita quod vtriuſque longitudo ante faciem eius, cum æquali diſtantia protenſa mutuo ſeſe reſpiciat, quadam vi naturali ambæ ſciſſuræ paulatim ad ſe inuicem redibunt, & in vnam virgam iterum coibunt. Dicitur autem auellana ſecundum Iſidor. ab Auellano Campanię oppido, vbi hęc arbor abundare ſolet. De huius autem fructu qui eſt eiuſdem nominis dicetur inferius.

Corylus.

Nota.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cornus.

Iſid. lib. 17. Cornus eſt arbor apta haſtilibus. *Vnde Virgilius, bellis bona cornus.* Hæc autem & à Ceraſo Pōti ciuitate dicta eſt ceraſus. *Plin. lib.*15. Cura cornis atque lentiſco adhibetur, ne quid non hominis ventri natum eſſe videatur. *Idem lib.*16. Cornus & ilex montes diligunt, & valles, & primo quidem fauonio germinat cornus proximè laurus. Ex his quę hieme aquila exoriente concipiunt, ordine naturę florent primæ ſylueſtrium, cui medulla eſt plurima ſambucus,& cui nulla cornus. Circa ſolſticium reddit primo fructum cornus candidum, poſtea verò ſanguineum. Ex eo genere fœmina poſt autumnum fert baccas acerbas, & inguſtabiles animalibus cunctis, ligno quoque fungoſa eſt,& inutilis. Nec omnibus arboribus adipes ſunt, carneſve largæ, ſicut nec animalium acerrimis. Neutrum habent buxus,& cornus,& olea, nec medullam minimumque ſanguinis. Tota eſt oſſea cornus,& ilex, & quę ſine medulla ſunt. cæteris eſt color nigricans, fulua cornus in venabulis nitet, inciſuris nodata. Magna eſt etiam firmitas corno, quanquam videri non poſſit materies propter exilitatem, ſed lignum non alio penè quàm ad radios vtile rotarum, aut ſi quid in ligno ſit cuneandum, clauiſve ferreis figendum. Denique etiam infœcunda in arboribus, firmiora ſunt fertilibus, niſi quo in genere mares ferunt, vt cornus atque cypreſſus. Glutino verò non cohærent niſi natura ſimilia. Itaque cornum maximè audit ſorbus caprinus, & buxus. *Dioſco.* Cornea eſt arbor ſemen habens oliuę ſimile, ſed paulo oblongius atque viride. Quod cum maturum fuerit, obrufi coloris eſt, & ceræ ſimile, bonum in ſe ſaporem habens. Stipticum eſt,& ideo *diſſolutionem* ventris ac *dyſſentericos* ſanat. Huius arboris folia cum ligno in foco miſſa ſudationem redeunt, quæ illita *zernas* apertas curant. *Plin. lib.*24. Sudor virgæ arboris corni lamina candente ferrea exceptus non contingente ligno, illitaque inde ferrugo, incipientes licenas ſanat.

Vtilitas cornus ligni.

De Eſculo.

CAPVT XI.

Eſculi etimō

ISid. Eſculus arbor glandifera, inde vocata creditur, quod olim homines vixerunt eius fructibus. Eſculus enim ab eſca dicta eſt. *Plin. tit.* 12. Arborum genera numinibus ſuis dicata perpetuo ſeruantur, vt Ioui eſculus. *Idem in libr.* 16. Ex eſculo quoque Ioui ſacra quondam Romæ victores coronabantur. Glandem, quæ propriè intelligitur, ferunt eſculus, robur, ilex, ſuber, & quercus. Eſculus autem tantum autumno dat fructum. Nigidius tradit fungoſam fieri carnem eſculo,& robori,ac ſuberi. Et ſi Virgilio credimus, *eſculus quantum eminet corpore, tantum deſcendit radice:* Eſculus *humoris impatiens eſt.* Contra vero adacta in terra in paluſtribus alnus æterna eſt, oneriſque quantilibet patiens. *Idem lib.* 17. Eſculus ſimiliter prouenit ad palum ceſura, triennio ſenior, minus moroſa naſci. In quacunque terra feritur, naſcitur è Balano, ſed non niſi eſculi ſcrobe dodrantali, duorum pedum interuallis ſeritur leuiter quater anno. Hoc pedamentum minimè putreſcit, læſumque maximè fructificat.

Nota.

Ex libro de natura rerum. Eſculus eſt arbor ſpinoſa & aſpera cuius fructus eſt calculoſus, habens in ſe lapillos quinque. In arbore quidem eſt durus & acerbus, ſed collectus molleſcit & dulcis fit. *Auctor.* Nonnulli putant eſculum & meſpilam arborem eandem eſſe: ſed Iſidor.& Plinius videntur eas ponere pro duabus, ac ſeparatim de illis loquuntur. *Palladius libro* 12. Eſculus eſt ędificiis apta materies.

De ficu.

CAPVT XII.

Ficus etymō.

ISidorus. Ficus à fœcunditate vocatur, feracior eſt enim cæteris arboribus. Nam ter quaterque per ſingulos annos fructum generat, & altero matureſcente alter oboritur. Hinc & caricæ à copia nominatæ ſunt. Ficus Ægyptiaca fœcundior fertur, cuius lignum in aqua miſſum, ilico mergitur, & cum in limo aliquandiu iacuerit, in ſuperficiem extollitur, verſa vice naturæ, quoniam madefactum debuit humoris pondere *Ficus à ſenibus in cibo ſæpius ſumpta rugas eorum fertur diſtendere.* Tauros quoque ferociſſimos ad arborem colligatos, repente dicunt manſueſcere. *Plinius lib.* 14. Vinum fit è fico, quod dicitur ficites, quem alij palmi prunum, alij trocin vocant, aut ſi dulce eſſe non libeat, pro aqua tantundem vinaceorum adijciunt. Ex Cipria fico & acetū fit prędellens atque Alexandrino quoque melius vinum. *Idem lib.* 16. E reliquo genere pomorū ficus ampliſſima eſt. Quædamque & pyris in magnitudine æmula. Ficus Iudæa rubet oliuæ magnitudine, rotundior tamen, ſapore meſpilę. Alexandrina in hanc ibi vocant, craſſitudine cubitali ramoſam, materia validam, lentam ſine lacte, cortice viridi, folio tiliæ, ſed molli. Oneſicritus tradit in Hircania multum noſtris eſſe dulciores, fertilioreſque, vtique modios 270. ſingulæ ferant. Siquidem & Lydiæ quæ ſunt purpureæ & māmillanę ſimilitudinem mammarum habēt. Iterum Calliſtruciæ ſapore prędantiores, ficorum omnium frigidiſſimę. Colitur ficus arbor in foro ipſo ac comicio Romæ nata, ſacra fulguribus ibi conditis. Magiſque ob memoriam eius quę nutrix fuit Romuli ac Remi, conditoris appellata, quoniam ſub ea inuenta eſt lupa infantibus præbens rumen, ita enim vocabant mammam.

Caryca vnde.

Nota.

Ficites.

Idem in libro 18. Multis arboribus folia decidunt antequam matureſcant, vt ſerotino fico. Latiſſima quidem fico ſunt folia & viti & platano. Nec fici vero nec caprifici vllo flore exhilarātur, protinus enim fructus flores gignunt. In ficis & abortus mirabiles ſunt, qui nunquam matureſcunt. Facillimè quoque ficus & palma fructum ante maturitatem perdunt. Poſt laurum & cypreſſum incipiunt florere punica, ficus etiam & vitis & olea. Gigneutium autem fructus quædam ex lateribus ramorum & cacuminibus ferunt, vt ficus & pyrus. Et ficui quidem folium maximum eſt & vmbroſiſſimum, ideoque ſupra id pomum ei demum ſerius folium naſcitur quam pomum. Arborum quædam ſunt ſimplices, quibus eſt à radice caudex vnus & rami ſequentes, vt ficus, vitis, & oliua. Sunt autem radices copioſæ fico & platano & robori fluxuoſoque meatu deſcendunt. Quidam breuitate radicum celerius ſeneſcere arbores putant. Quod coarguunt fici quarum radices longiſſimę ac ſenectus ocyſſima. Non enim breuitate radicum arbores celerius ſeneſcunt. Humor cortici arborum eſt, qui ſanguis earum intelligi debet. Hic ficus lacteus eſt, & huic ad caſeos figurandos coaguli vis eſt. Inferiori parte ſunt fertiliores fici & iuglandes. Eſt autem quoddnm ficorum in fenecta fertiliſſimum. *Idem in eodem.* Lentiſſima ſunt & ideo ſcutis faciendis aptiſſima, quorum protinus ſe contrahit plaga, ſuumque vulnus claudit. Et ob id cōtumacius ferrum tranſmittit. In quo genere ſunt ficus & ſalix, tilia, ſambucus & populus. Franguntur citius, quàm findantur, quibus pulpa non eſt, vt oleæ ac vites. Econtrario totum è carne corpus eſt fico.

Ficui folium maximum & vmbroſiſſimum.

De ficu Ægyptiaca, & Indica, & Cypria.

CAPVT XIII.

SOlinus. Ficus prędipua eſt Ægyptia, folijs moro cōparanda poma non ramis tantū ſed & caudice geſtans. Vſque adeo ſuæ fœcunditatis anguſta eſt, vt vno anno ſepties fructificet, vnde cum vnum pomum decerpſeris, alterum ſine mora protuberat. Materia eius in aquam miſſa ſubſidit, & cum diu in aqua ſubſederit, leuior facta ſubtollitur & verſa vice quod in alio ligni genere natura non recipit, *humore ſicca fit.*

Ficus humore ſicca fit.

Plinius libro 12. Indiæ ficus poma ſemper exilia habet

bet,ipſa ſe ſemper ferẽs vaſtis diffunditur ramis,quorum adeo pondera curuantur in terrã,vt annuo ſpatio ibidem infigantur,nouamque ſibi propaginem faciãt, circa parietem in orbes quodam opere topiario. Intra ſepem eam æſtiuant paſtores, opacam pariter & munitam vallo arboris,decora ſpecie ſubter intuenti proculve fornicato ambitu. Superiores eiuſdem rami in excelſum emicant ſyluoſa multitudine, vaſto matris corpore, vt quadrageſimum paſſum pleræque orbe colligant. Vmbræ verò bina ſtadia operiant foliorum latitudo: peltæ amazonicæ,habent effigiem. Ea cauſa fructum integens, creſcere prohibet,raruſque eſt,nec fabæ magnitudinem excedens, ſed per folia ſolibus coctus,prędulci ſapore digno arboris miraculo gignitur circa Acefinem maximè amnem.

*Idem lib.*13. In Ægypto multa ſunt genera arborum quæ non alibi,ante omnia ficus Ægyptia ob id nominata,arbor moro ſimilis folio,magnitudine, aſpectu. *Nota.* *Pomum fert non ramis,ſed caudice.* Idque ipſum ficus eſt prædulcis,ſine granis interioribus,per quam fæcundo prouentu ſcalpendo tantum ferreis vnguibus aliter *Nota.* non matureſcit,ſed cum factum eſt, *quarto die demetitur,alio ſubnaſcente ſepteno ita numeroſa partu*, per ſingulas ætates multo lacte abundante. Subnaſcitur etiam ſi non ſcalpatur fœtus,quater æſtate,prioremque expellit immaturum. Materies proprij generis inter vtiliſſimas cæſa ſtatim ſtagnis mergitur, hoc eſt eius ſiccari,& primò ſedet, poſtea fluitare incipit, *certoque eam fugit alienus humor,qui aliam omnem rigat.* Cum maturare cœperit, tempeſtiuè habet vuæ ſignum. Huic ſimilis eſt quædam quæ vocatur Cypria ficus in Creta. Nã & illa caudice ipſo fert pomũ & ramis cum in craſſitudine adoleuere. Sed hęc germina emittit ſine vllis folijs radici ſimilia. Caudex arboris ſimilis populo, folium vlmo. Fructus quaternos fundit,totiens & germinat, ſed groſſus eius non matureſcit, niſi inſciſſura emiſſo lacte. Suauitas interior fici. Magnitudo ſorbo ſimilis. *Ceramia.* Siliqua quam Iones *ceraunian* vocant, trunco & ipſa fertilis, ſed pomo ſiliquæ. Ob id quidam Ægyptiam ficum dixere errore manifeſto. Non enim in Ægypto naſcitur,ſed in Syria, Ioniaque circa Gnidum,atque in Rhodo,ſupercomantibus folijs,flore candido cum vehementis odoris,plantigera imis partibus. Ideo ſuperficie flaueſcens, ſuccum auferente ſobole, pomo antecedentis anni circa canis ortum detracto, ſtatim alterum parit,poſtea florem per acturum hyeme fœtus eius nutriente.

De operatione fici arboris in medicina.

CAPVT XIV.

Vſus medicinalis ficus D *Ioſcorides.* Ficus alia eſt agreſtis, alia vſualis. Vtraque & omni parte recorporatiuæ virtutis eſt, magis autem agreſtis. Folia eius cataplaſmata cum ſalibus,& aceto mendentur *cantabrici*, ſiue ſcabro. Quidam etiam *aſperitates* oculorum ex eis fricandas probant. Lachrymus eius, ſiue ſuccus inſtillatus necationibus, vel percuſſuris *ſerpentum* aptiſſimus probatur. Præterea *impetigines*, *lepras*, *maculas*, & *podagras* admixtus cataplaſmatibus curat. Aliter autem ſuccus fit contuſis, & expreſſis mollioribus ramis tempore quo fœcunditate infuſa, grauidæ videntur, ſed necdum oculorum germina erumpũt. Hic ſuccus in vmbra ſiccatur ac reponitur,& ex ipſo lac limpidum coagulatur atque reſoluitur. Denique ramo ipſius cum lac commouetur ventrifluæ virtutis fit. Cinis autem exuſtorum ramorum eius admixtus aqua, & liquidus effectus, *dyſſentericis* inunctione medetur, & calloſos vlcerum ſinus curat. Spongijs etiã ex ipſo madefactis,& depoſitis *gangrenæ* curantur. Item *veneno tentatis* potui datur. Cũ oleo mixtus & inunctus *ſudores* mouet. Hoc & cæteri præſtant cineres,ſed magis quercinus. *Caditij* verò quos olympicos vocant crudi medẽtur myrteis. Cocti verò neruorũ inuerſiones & ſcrofas emolliunt, A venena quoque ad ſuperficiem corporis euocãt. *Idem* Cinis ficus ex haſtis tantum effectus creſcit quantum ei vetuſtas acceſſerit gãgrenas curat,putredines carnis depaſcit,purgare & repellere vulnera poteſt. Recenti vulneri appoſitus paracoleſim facit. *Sanguinis* inundationi vel coagulationi fert auxilium,de alto cadentibus ſubuenit. Apoſtematibus cum aqua cœleſti coctus fomento vtiliter adhibetur. *Cœliacis* ac dyſſentericis medetur. Neruorum contractionem ſoluit. Oleo admixto bibitus ſudorem prouocat, *phalangiorum* morſui bibitus opitulatur. Reliqui quoque cineres arborum ſimilem habent efficaciam, & maximè triũ, omnes autem ſtipticæ ſunt. *Auicenna.* In ramis fici tãtũ ineſt ſubtiliationis, quod quando caro coquitur cũ eis diſſoluitur. Succus earundem antequam frondeſcãt,valet in *dente corroſo*, & ſunt propinqua virtuti lactis eius. Aqua cineris ligni corroſiua eſt,& mundificatiua vlcerum putridorum antiquorum, adminiſtrata cum cortice granati ſanat panaricium & valet ad B *vlcera crurium* fraudulenta. Item ſuper neruos doloroſos effunditur. In potu datur ad coagulationem lactis in ventre. Datur & oleo mixto ei,qui habet ſolutionẽ & dyſſenteriam. Folia eius recentia ſuper morſum canis rabioſi poſita conferunt. Valent etiam ſcabiei & imponuntur ſuper vlcera craſſa humiditatum, & ſuper *verrucam*,& *morpheam*. Cum eiſdem fricatur aſperitas palpebrarum,& ſcabies earum. Succus foliorum eius exulcerat. Vehementis eſt calefactionis, & abſterſionis. Aperit *oriſicia* venarum ani.

De Lauro.

CAPVT XV.

C *Iſid.* Laurus à *laude* dicta eſt,vnde & olim *laudea* dicebatur. Hac enim cum laude victorum capita coronabantur, eo quod nunquam viriditatem deponat. Sola quoque arbor hæc vulgo fulminari minimè creditur. *Plin. lib.*12. Apollini dicata eſt laurus. *Idẽ in lib.*15. Laurus triũphis propriè dicata eſt,gratiſſima domibus ianitrix Cęſarũ,Pontificũque. Sola & domos exornat, & ante limina excubat. Huius genera tredecim,& hãc quidẽ baccaliam appellãt quæ vulgatiſſima eſt,baccarũque fertiliſſima. Sterilem verò,quod maximè miror triumphalem eaque dicuntur triumphantes vti. Ipſa pacifera, vt quam prætendi etiam inter hoſtes armatos quietis indicium ſit, Romauis eſt præcipuè lætitię,victoriarum que nuncia,litteris additur, & militum lanceis, piliſque, faſces Imperatorum decorat. Ex his in gremio Iouis optimi maximi deponebatur, quotiens lætitiam nouam attulit Victoria. Idque,non quia perpetuò viret, nec quia pacifera eſt præferenda vtique myrto & oleæ eſt,ſed quia ſpectatiſſima in parnaſſo monte,ideoque grata Apollini etiam putabatur. Aſſuetis eo dona mittere iam & regibus Romanis. Prętetea quia manu ſatarum ac receptarum in domos arborum hæc ſola fulmine non iacitur. Ob has cauſas equidem crediderim honorem huic habitum in triũphis, quam quia ſuffimentum ſit cædis hoſtium & purgatio vt tradit Maſſurius. *Denique in prophanis uſibus pollui laurum & oleam, fas non eſt. Laurus* quidem manifeſto abdicat ignes crepitu, & quadã deteſtatione, intranęorum etiam vitia & neruorum ligno torquente. Tiberium Principem tonante cœlo,ferunt ea coronari ſolitum contra metus fulminum. Cæſar quoque triumphans laurum in manu tenuit, & coronam in capite geſſit. Ac deinde Imperatores Cæſares cuncti,traditiſque mos eſt ramos quos tenuerunt ferendi. Et durant ſyluæ nominibus ſuis diſcretæ. Laurus etiam purificationibus adhibetur. *Laurus etymon.* *Apollini dicatur.* *Nota.*

E *Idem lib.*16. Primo etiam fauonio germinat cornus, proximè Laurus. Poſt Ceraſum autem & prunum florent cypreſſus & laurus, concipiunt enim hyeme aquila exoriente. Lauro eſt cortex tenuis,radices verò craſſiores & inęquales, & ſuperficie viuaciores, ac recto meatu non flexuoſo, vt fici,deſcendentes. *Reſci-*

ſa etiam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſa etiã latius fructificat. Huic arbori folia non decidunt, ſicut nec oleę vel palmæ ac ſimilibus: calidę ſunt laurus, & morus & hedera omneſque quibus ad ignem excludendum fiunt igniaria. Teritur ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu, ſed nihil hedera præſtantius, quæ lauro teratur, laurumque terat. Velociter quidem ſeneſcit laurus, ſed radicibus repullulat, ſicut & punica & malus. *Idem in libro* 17. Laurus baccis ſeritur. Baccæ ſiquidem eius menſe ianuario aquilonis afflatu ſiccante leguntur & expanduntur rarè, ne calefiãt aceruo. Poſtea quidem fumo paratas ad ſerendum vrina madefiunt. *Idem in libr.* 18. Rubigo maxima ſegetum peſtis lauris ramis medicatur in aruo defixis. Tranſit enim in earum folia ex aruis. *Palladius in libro* 3. Menſe Februario ex baccis myrti & lauri ſeminaria ſunt facienda, vel ſi facta fuerint excolenda.

Vrinã madefacienda bacca dum ſeruntur.

De medicinis ex lauro.

CAPVT XVI.

Dioſcorides. Laurus alia eſt latior, alia tenuior, ſed vtraque feruentis eſt virtutis, ac recorporatiuæ. Harum elixatura eſt calida. Quę ſi in vaſculo miſſa fuerit, ac deſuper ſedeatur, veſicæ, matriciſque dolorem compeſcit. Huius viridis folia ſunt ſtiptica, quæ & tuſa & cataplaſmatibus adhibita, veſparum & apũ percuſſuram prohibent, omneſque tumores ſpargũt. Viridia bibita *nauſeam* prouocant, ſtomachumque ſubuertunt. Huius bacca plus quàm folia calida eſt, virtutemque fortiorem habet, quæ tuſa & in morem electuarij melle collecta, tuſſientes pthiſicos, & thorachis *rheumatiſmum* ſanitati reſtituit, cum vino bibita ſcorpionum ictibus occurrit, maculaſque nigras corporis detergit. Succus eius *aurium ſurditatem* manere non ſinit, & ſonos incongruos adhibita cum vino & oleo roſaceo compeſcit. Corium eiuſdem arboris tritum & bibitum *calculos* frangit, abortum excludit. Hepaticis præſtat effectum cum vino bibitum. Succus radicis eius minus acer exiſtit, & tamen amarus minuſque ſtipticus, propter quod *veſicæ* lapides rumpit. Tota denique arbor vires habet acriter calefacientes, ac relaxantes, & euaporantes.

Virtus medicinalis lauri.

Plinius lib. 23. Laurus excalefactoriam habet naturam in folijs, & cortice & baccis. Itaque decoctum ex his maximè è folijs prodeſſe vuluis, & veſicis conuenit. Illita verò veſparum, crabronum, & apum. Item ſerpentum venenis reſiſtunt, maximè dipſadis, & viperę. Proſunt & *menſibus* fœminarum cum olea cocta. Cum polenta autem quæ tenera ſunt trita, *inflationes* oculorum cum ruta, *teſtium* cum roſaceo, capitis *dolores* cum irino. Manducata poſt triduum terna, liberant à *tuſſi*. Eadem proſunt *ſuſpiriis*, trita cum melle. Cortex radicis cauendus eſt grauidis. Ipſa radix calculos rumpit. *Iocinori* prodeſt. Folia pota *fomitiones* mouent, Baccæ menſes trahunt. Tuſſim veterem & orthopnoeã ſanant binæ detracto cortice in vino potæ. Si & febris ſit ex aqua, aut eligmate, ex aqua mulſa aut ex paſſo decoctæ proſunt, & pthiſicis eodem modo & omnibus thoracis rheumatiſmis, pituitã extrahunt. Aduerſus ſcorpiones quaternæ ex vino bibuntur. Epinyctidas ex oleo illitæ & lentigines, & vlcera manantia, oris & furfures. Cutis pruriginem ſuccus baccarum emendat, & theriaſim. Aurium dolori inſtillatur cum vino vetere & roſaceo, perunctos eo fugiunt venenata omnia. Prodeſt & contra *venenatorum ictus* potus. Vide ibi plura alia.

Tẽperamentum eius & virtus ſecũdum Auicennam.

Auicenna. Laurus eſt arbor calida & ſicca in 2. Cuius odor redolens. Oritur in locis montuoſis, habens folia ſicut folia myrti, niſi quod maiora ſunt. Et eius fructus eſt rubeus, virtuſque illius eſt in foliis, & fructu ipſius. Grana eius ſunt ad modum auellanæ paruæ. In ipſa tota eſt calefactio. Sed grana eius calidiora ſunt foliis. Cortex verò debilior eſt & minoris caliditatis. Et eius oleum calidius eſt oleo nucis. Confert autem laurus doloribus neruorum omnibus. Linitur ſuper *morpheam* cum vino. Cum pane verò & ſauith confert apoſtematibus calidis. Reſoluit etiam *ſoda*. Et facit ad dolores auris frigidos. Tinnitui quoque confert & catarrho. Confert iterum ſtricturę anhelitus, & difficultati dilationis deglutita cum melle ſimiliter, & curſui ſuperfluitatum ad pulmonem. Vrinam & menſtrua prouocat. Confert etiam mordicationi ſcorpionis cum vino & arob. Et eſt bona punctioni *veſpę* & apis & omninò venenis omnibus bibitis. Cortex eius bibitus frangit lapidem. Et interficit *fœtum* propter ſuam amaritudinem. Cum vino autem odorifero bibitus confert dolori hepatis. Decoctio foliorum eius confert ægritudinibus veſicæ & matricis. Grana eius propriè valent cum melle ad *vlcera pulmonis*, & anhelitum dilationis. Item mollificant *ſtomachum*, & commouent vomitum. *Lapidem* quoque frangunt. *Platearius*. Laurus calida eſt & ſicca. Cuius folia virtutem habent confortandi. Fructus ex aromaticitate diſſoluendi & conſumendi. Folia exiccata in loco vmbroſo & non fumoſo per annũ in multa efficacia ſeruantur, fructus per duos annos. Fomentum ex aqua decoctionis foliorum factum, matricem mũdificat & confortat, conceptumque præpeditum à frigiditate adiuuat. Iterum valent folia contra dolorem cholicum. Et contra dolorem ſtomachi ex frigiditate. Et cõtra frigidũ rheuma capitis. Ex baccis eius fit oleũ quod dicitur laurinũ, valens cõtra dolorẽ ex frigiditate & arthreticos dolores. *Razi*. Iar. i. laurus apoſtemati matricis, & punctura ſcorpionis, ac dolori neruorum auxiliatur. Quod totum ſemen & oleum auxiliantur, faſtidium tamen & vomitum faciunt.

Oleum laurinum.

De malo.

CAPVT XVII.

Iſidorus. Malus dicta eſt, eo quod fructus eius ſit omnium pomorũ rotũdiſſimus. Ex his quædam ex locis de quibus ablatæ ſunt, nomina acceperunt, vt malum maceanum, malum punicum, &c. Ac illa vera ſunt mala quæ vehementer ſunt rotunda. *Ambroſius vbi ſupra*. Vbi validior eſt fructus, & validiora ſunt folia, ſicut docet nos arbor malus. Nam craſſioris proiectionis vmbrę, pomo plus poſſunt nocere. *Ariſtoteles in libro de vegetabili*. Naſcuntur quædam primitus in figuram granorum, & poſtea fiunt arbores, vt malus, pyrus. Horum autem multi ſunt ſuperflui ſtipites, de radicibus eorum procedentes. Melior eſt autẽ inſitio ſimilium in ſimilia proportionalia, ſicut mali in pyrum quoniam optimè prouenium talia. *Plinius lib.* 16. Naſcuntur biferæ in malis, & pyris, & eſt malus ſylueſtris bifera, ſequens eius fructus poſt arcturum maximè in Apricis. Germinat verò malus germine ſerotino, ſuber tardiſſimo. Ordine quidem naturæ ſylueſtrium florent primæ ſambucus, & cornus. Vrbanarum verò malus, & pyrus, ac ceraſus, & prunus. Malo ſunt radices anguſtę & breues. Breuiſſima eſt vita malis, & fico, punicis. ſeneſcunt quidẽ velocius, ſed è radicibus repullulant malus, & punica, & laurus. Celerrimè malus ſeneſcit, & in ſenecta deteriorem fructum gignit, nam & minora prouenium poma, & vermiculis obnoxia. Quin & in arbore naſcuntur. Ante maturitatem quoque facillimè perdunt fructus, amygdala, malus, & pyrus. Cortici *arborũ humor eſt, qui ſanguis earũ intelligi debet*. Malis quidẽ pinguis, & lentus, vitibus & pyris aquoſus. Illaque viuacior cui lentior. *Idẽ in li.* 17. Semine quanquã diſſimili prouenium ea quę modis aliis ſeruntur, vt vites, mala, & pyra. His. n. eſt pro ſemine nucleus, non ipſe fructus, & hæc omnia tarda prouentu. Velociter quidem creſcunt malus, & ficus, & punica, & tamen antecedunt diuitiis tardè creſcentia. Nam in trimatu ferre incipiunt. Cato inſeri præcepit mala & pyra in vere, & poſt ſolſtitium diebus quinquaginta. Tempus autem malis æſtiuis, & cotoneis eſt

Etymõ mali.

Sanguis arborum.

ſerendi

Vſus medicinalis.

ſerendi poſt mediam hyemem in idibus Februariis. *Gloſſa ſuper Cantica.* Malus ligna ſylueſtria antecedit viſu, guſtu, odore. Vnde ſcriptum eſt. *Sicut malus inter ligna ſyluarum*, &c. *Dioſcorides.* Arboris mali foliorum ſuccus cum vino bibitus, & cataplaſmata adhibitus venenatis occurrit morſibus. Corium eius combuſtum & aquæ mixtum *lepras* ex corpore mundat.

De malo granato & punico.

CAPVT XVIII.

Nota.

I *Sidorus. Malus granata feminei generis arbor eſt. Pomum verò neutri, ſcilicet malo granatum*, flores malorum à Græcis quintines dicuntur. Latini verò caducum vocant. Agreſtium verò malorum flores Græci balauſtion dixerunt: quorum alij albi, alij purpurei, alij roſei reperiuntur, ſimiles mali punici floribus. *Ambroſ. vbi ſupra.* Malo granatæ plerumque cito florent, & niſi congruis peritorum remedijs excolantur, ferre fructũ nõ valent. Plerumque vaneſcit interior ſuccus, & foris eius ſpecies pulchra prætenditur. *Glo. ſuper Ioel. 1.*

Deſcriptio mali granata.

Malus granata eſt arbor medicinalis, cuius poma rubea ſunt, & ad edendum amara. Sic dictum, quia fructus eius multitudinem granorum habeat. Eius cortici comparantur eccleſię genæ quæ ſunt ſancti patres in Cantico Canticorum, vbi dicit ſponſa ad ſponſum, ſicut cortex mali punici genæ tuæ abſque occultis tuis. *Plin. lib. 16.* Arborum gignentium fructus, quædam ex lateribus ramorum & cacuminibus ſerunt, vt punica, & pyrus. Punica quidem facillimè fructum ante maturitatem perdit, quæ roribus etiam nimijs & pruinis florem amittit. Qua de cauſa ramos eius inflectunt, ne ſubrecti humorem infeſtum excipiant atque cõtineant. Punica & laurus & malus velociter ſeneſcunt, ſed è radicibus repullulant. *Idem lib. 17.* Arbores quæ fructus ſuos diutius continent, longioreſque cibos deſiderãt, his & ſerotinæ vtiles ſunt aquæ, vt punicis ac viti, & oleæ. Punica ſeruntur ramo palis meatu prius laxato. Quę cito occidunt velocia ſunt, vt punica & ficus, & tamen diutius antecedunt. In trimatu enim ferre incipiunt, oſtendẽtes & ante. Cato propagari tradit punicam, ſicut & ficum & oleam. Vites & punicæ præcipuè riguis aluntur. *Et vitis quidem tantummodo tonſuram quæris annuam.* Punica vero & olea & myrtus alternã: quia celeriter fruticeſcunt. Inuenimus vitem & malum punicum ſtirpe fructum tuliſſe: nõ ramis aut palmite. Eſt igitur & in arboribus prodigij locus. Si mala punica naſcantur, acida ablaqueatis radicibus fimum ſuillum adhibent, eoque anno fiunt vinolenta, proxima vero dulcia futura. Alij vero vrina hominis aqua mixta rigandum cenſent quaternis annis ſingulis amphoris, aut aſpergi cacumina vino Lazere diluto.

Tonſura vitium annua.

Modus rigãdi mala punica.

De flore punici, id eſt balauſtia.

CAPVT XIX.

D *Ioſcorides.* Mali punici flores conſtrictiuæ virtutis ſunt, & exiccant, vt hipoquiſtidos, ac ſimilia poſſunt. Agreſtium autem flores Græci balauſtion dicũt, quorum alij albi, alij purpurei, alij roſei ſunt & exiccati vehementer cõſtringunt. Eſt etiam cuius flos cithima dicitur. Et eſt vehementiſſimè ſtipticus, vnde & *dyſſentericos* ſanat, & vulnera recentia glutinat. Eadẽ & cortex illius facit. *Conſtantius vbi ſupra.* Balauſtia eſt in ſecundo gradu frigida & ſicca, fluxum ſanguinis arcet. Inteſtina vulnerata curat, *ventrem confortat*, humoribus ad eum fluentibus repugnat. Egeſtionem conſtipat, humoribus egrediẽtibus cum ſanguine reſiſtit. Puluerizata & ſuper loca cutis vulneratę poſita, celeriter curat ea. Ore ipſius apoſtemate loto *humores* à gigiuis fluentes exiccantur. *Denteſque* mobiles confirmantur. Eadem cataplaſmata omnem crepituram ſolidat. *Platearius.* Balauſtia, id eſt, Flos mali punici frigida eſt in ſecundo gradu. Valet contra dyſſenteriam, & fluxum ventris, & ſanguinis è naribus, & ad vomitum cholericum. Flores & cortices maligranati, per duos annos ſeruari poſſunt, & habent virtutem conſtringendi. Puluis eorum valet contra prædicta. *Auicenna.* Balauſtia flos eſt granati, ſylueſtris Perſici, vel Ægyptij. Hæc quandoque rubea eſt, quandoque alba, quandoque roſea. Eſt autem glutinatiua, & omnem fluxum retinet, & generat melancholiam. Vtilis eſt gingiuæ ſanguineæ. Fortes efficit dentes, motos conſolidat, plagas, & vlcera, & percuſſionem puluerizata ſanat. Item prohibet fluxum ſanguinis. Stringit & confert vlceribus inteſtinorum, & fluxui matricis, & ſanguinis eius.

Medicina ex flore puniceo.

Tẽperamentum.

Virtus eius.

De operatione eius in medicina.

CAPVT XX.

D *Ioſcorides.* Malus punica eſt arbor vim habens ſtipticam. Elixatura radicis eius bibita lumbricos latos excludit. In ipſo autem genere pomorum medici diſſentiunt, quorũ virtus quadrifariam diuiditur, ſicut inferius videbis. *Plin. lib. 23.* In manibus rami punicorum ſerpentes fugant. Radix decocta ſuccum emittit, qui tineas pellit. Eſt & ſylueſtre punicum, cuius radices rubro cortice denarij pondere ex vino potæ ſomnum faciunt. Mali punici corticis fumo culices fugantur. *Iſaac in dietis particularibus.* Cortex mali granati cum radice in vino coctus & potatus, lumbricos, & aſcarides, & cucurbitios de ventre mortuos eiicit.

Vis mali punica.

De medica, vel malo Aſſyria & Meloflore.

CAPVT XXI.

I *Sidorus.* Medica eſt arbor à Medis primo aſportata & inde dicta. Hanc Græci cedromelam, Latini citream vocant eo quod eius pomum & folia cedri odorem habeant. Malum eius inimicum eſt venenis. Ipſaque arbor omni penè tempore plena eſt pomis, quæ in ea partim matura, partim acerba, partim adhuc in flore ſunt poſita, quod in cæteris rarum eſt. *Plinius libro duodecimo.* Malus Aſſyria, quam alij medicam vocant, venenis medetur, folium eſt vnedonis incurrentibus ſpinis. Pomum ipſum aliàs non manditur. Odore præcellit etiam foliorum qui tranſit in veſtes vna conditus. Arcetque noxia animalium. *Arbor ipſa omnibus horis eſt pomifera*, alijs cadentibus, alijs matureſcentibus, alijs ſubnaſcentibus. Tentauere gẽtes illam ad ſe trãsferre, propter remedij præſtantiam, fictilibus in vaſis, dato per cauernas radicibus ſpiramento. Qualiter omnia tranſitura longius ſeri arctiſſimè, transfertique quæ meminiſſe conueniet, (vt ſemel quæque dicantur) ſed non niſi apud Medos, & in Perſide naſci volunt. Hęc eſt cuius grana parthorum proceres incoquere diximus eſculentis, commendandi halitus gratia. Nec arbor alia laudatur in Medis. *Iſidorus* Meloflos eſt arbor Aphrica punica lingua vocata, ex qua profluit lentus ſuccus, qui à loco amoniacus dicitur.

Medica. Cedromela. Citrea.

Malus Aſſyria.

Nota.

De mella vel mela.

CAPVT XXII.

I *Sidorus.* Mella, quam Græci lothon appellant, vulgo propter formam & colorem faba Syriaca dicitur, arbor eſt enim magna, fructum ferens comeſtibilem, pipere maiorem, guſtu ſuauem. De qua in laude ſapientię dicitur: *Et ſuper mella dulcis eſt. Plinius libro 13.* Aphrica quæ vergit ad nos, inſignem arborem gignit lothon, quam celtim vocant ipſam Italiæ familiarem, ſed terra mutatam. Præcipua eſt circa ſyrtes atque naſamonas. Magnitudo ei quæ pyro, quanquam Cornelius nepos breuem tradat. Inſciſuræ in folio

Mella. Lothos. Faba ſyriaca

Celtis.

crebriores

crebriores, alioquin ilices viderentur; differẽtiæ plures ſunt hæ quæ maxime fructibus fiunt. Magnitudo huic fabæ, *color croci*, ſed ante maturitatem alius atque alius. Naſcitur denſus in ramis ad modum myrti, non vt in Italia Ceraſi. Tam *dulcis eſt in cibo*, vt nomen etiam genti terræque dederit, nimis hoſpitali aduenarum patriæ obliuione. Ferunt ventris non ſentire morbum, qui mandunt eum. Melior eſt ſine interiore nucleo, qui etiam offeus videtur in genere altero. Vinum quoque exprimitur illi ſimile mulſo quod vltro denos dies negat durare idem nepos. Baccaſque *contuſa cum filiqua doliis condi ad cibos.* Ligno color niger ad *tibiarum cantus* expetitur. E radice cultellis capulos breueſque alios vſus excogitauit. *Radicem* lothos habet mali cotonei magnitudine, opertum nigro cortice, qualis & caſtaneas tegit. Interius candidum corpus, gratum cibis, ſed crudum, gratius decoctum ſine aqua; ſiue pruna, nec aliunde magis quam purgamentis eius ſues craſſeſcunt. *Idem lib. 16.* In plures ramos ſunt diſperſa, buxi & lotos tranſmarina. *Idem in eodem.* Lotos ſiue faba græca, quã Romæ à ſuauitate fructus ſylueſtris quidẽ, ſed ceraſorũ pene natura lothon appellant, præcipuè domibus expetitur, ramorum petulantia, breui caudice, latiſſima expaciantium vmbra, & in vicinas domos ſæpe tranſilientium. Nulli opacitas breuior. Nec aufert ſolem hyeme decidentibus foliis. Nulli cortex iucundior, aut oculos blandius excipiens. Nulli rami longiores, validioreſque aut plures, vt dixiſſe totidem arbores liceat. Cortice pelles tingunt, radice lanas. Hæc arbor eſt tota oſſea ſicut ilex & morus, & ebenus. Cariem quoque vetuſtatemque non ſentit, ſicut nec buxus nec ebenus, & ſimilia.

Dulcedo.

Bacca.

Tibia ex ligno.

Radix.

Latitudo.

De Meſpila.

CAP. XXIII.

Etymõ meſpili.

ISido. Meſpila eſt arbor ſpinoſa fructus ſimilis malorum, ſed paulo breuiori. Vnde appellata ab eo, quod pillulę formam habeant eius poma. *Plin. li. 15.* Arbor meſpilorum eſt de ampliſſimis. Folia eius antequam decidãt rubeſcunt radices multæ & altæ, ideoque inextirpabiles ſunt. Non fuit huius arboris genus, in Italia Catonis æuo. *Idem in lib. 27.* Meſpilæ ſemine naſci poſſunt ſed tardo prouentu ac degenerantia & in ſito reſtituenda. Auulſi vero quibuſdam arboribus ſtolones vixere. Quo in genere & cũ paruæ ſunt auelluntur, partemque aliquam è matrisq; corpore auferunt ſecum fimbriato corpore. Hoc modo plantantur punici, coryli, meſpilæ & mali ac fici, & quædam aliæ.

Tria genera meſpilorum.

Meſpila in ſenectute morbo eſt obnoxia & aliquãdo vermiculationem per ſe ſentiunt Meſpila. *Idem in lib. 15.* Malorum pirorumque generi iure annumerentur meſpila atque ſorba. Meſpilis vero tria ſunt genera. Primum eſt anthedon. Secundum vero ſetania. Tertiũ degenerat anthedoni tametſi ſimilius eſt, quod gallicum vocãt. Setaniæ maius eſt pomum, atq; candidius acini, molliore ligno. Cęteris pomum minus, ſed odore præſtantius, & quod ſeruetur diutius.

Tempus ſerendi meſpilum.

Palladius li. 4. Meſpila locis calidis maxime gaudent, ſed irriguis, & frigidis proueniunt, magis tamen ſabulo pingui aut glareoſa terra, cui permixta eſt arena vel argilla cum ſaxis. Serenda eſt talis menſe *Martio vel Nouembri*, ſolo ſtercorato & ſubacto, ita vt vtrumque caput tale ſtercus obducat. Sunt eius incrementa tardiſſima, amat putari atque circumfodi, & parco humore ſiccitates ſæpe foueri. Seritur & ſemine, ſed in longiorem ſpargitur ætatem. Si vermibus occupatur, ſtilo æreo purgandi ſunt & amurca, *vel humana vetere vrina, vel viua calce perfundendi*, ſed parcius propter arboris noxam, vel aqua decocta lupini, ſed putatur hinc arbor ſterilis fieri. Fimus, & cinis vitium ſimul, ſi radicibus infundantur, ſterilem reddunt. Si formicæ moleſtæ ſunt, rubrica cum aceto & cinere temperata

Purgatio vermium à meſpilo.

A nec abuntur. *Si poma labuntur, frutex de eius radice præſciſus in media trunci parte figatur.* Inſeritur menſe Februario in ſe & in pyro & in melo, ſurculus tamen eius ex arbore media debet aſſumi. Nam de ſummitatibus vitioſus eſt. In trunco fiſſa inſerenda eſt. Nam corticis macies ieiuna nil nutriet. *Dioſcorides*, Meſpilæ folia & cortex. Idemque radicis cortex tuſæ & impoſitæ, cuicumque tumori feruorique ſubueniunt. Trita & ſicca cum melle *cicatricem* vulneri adducunt. Hauſta cum vino dulci, *ſanguinem reiicientibus* opem ferunt. Itemque cum vino propinata, *veneficii potionibus* repugnant. *Veſicam vrina largiori lauant.*

Nota.

Vſus medicinalis.

De moro & eius cultura.

CAP. XXIV.

B ISidorus. Morus à græcis vocatur quam latini rubum appellant, eo quod fructus, vel virgulta ipſius rubeant. Eſt morus ſylueſtris afferens fructus, quibus in deſerto paſtorum fames ac penuria cõfouetur. Huius folia ſi ſuperiaceantur ſerpenti, fertur interimi. *Pli. lib. 16.* Et quandoque fit inſitio moti in diſſimilibus generibus. Nam in multas arbores inſeritur morus. Non temere viſæ ſunt in montibus iuglans, & morus? inter arbores quidem nouiſſima germinat morus, cũ in primis folia dimittat. *Tardiſſime quoque ſeneſcit morus minime laborans fructu.* Totaque eſt oſſea morus, ſicut ilex & cornus, & ebenus. Cedrus quidem ac cypreſſus diu durant in opere poſitæ, proxime laudatur morus, quę nigreſcit etiam vetuſtate. Lentiſſima ſunt quorum protinus ſe contrahit plaga, clauditque ſuum vulnus. Et ideo ſcutis faciendis aptiſſima, quia

Morus.

Rubus.

Folia mori necant ſerpentes.

C cõtumacius tranſmittunt ferrum, quo in genere ſunt fici, ſalix, tilia, & morus. Et platano quidẽ eſt lenticia ſed madida. Eadem vero ceraſo & vlmo & fraxino, & moro ficcior, ſed põderoſior. Mirum in moro ſuccum quęrunt medici vere hora ſecunda diei lapide inſciſus manat, altius fractus videtur ſuccus. Serotino quidem germinatu florent celeriterque maturant, ſicuti morus, quæ nouiſſima germinat vrbanarum nec niſi exacto frigore. Ob id dicta ſapientiſſima arborum, ſed cum cęperit vniuerſa germinatio ſubito erumpit.

Nota.

Succus mori quo tempore quærendus.

Idem in li. 17. Morus talea ſeritur tantum, quoniam in vlmo ea inſeri prohibet religio fulgurum, & mora quidem ſeri oportet vel inſeri ab idibus Februarijs in æquinoctium. *Idem lib. 18.* Cumque morum germinare videris, poſtea timere nolito iniuriam frigoris. *Palladius libro. 3.* Amica eſt morus & vitis. Mori naſcuntur ex ſemine, ſed & poma & virgulta degenerant. Serenda eſt taleis vel cacuminibus, melius autem taleis ſeſquipedalibus, ex vtraque parte leuigatis, & fimo oblitis, cum locũ paulo ante fecerimus, immergimus, & tegimus cinere terris admixto, nõ amplius quã quatuor digitis operimus. Seremus à menſe Februario & toto Martio, Locis vero calidioribus Octobri poſtremo vel Nouembris initio, ſed verno, maxime die 9. Kalendas Aprilis: amat loca calida, *ſabuloſa & plerunque maritima.* In tophoo vel argilla vix comprehendunt. Humor aſſiduus moris prodeſſe non creditur, foſſionibus lætatur & ſtercore. Putrida in his, & arida poſt triennium ſunt putãda. Plantam ſi robuſta tranſferes menſe Octobri vel Nouembri, ſi tenera Februario & Martio. *Scrobes deſiderat altiores. Interualla maiora*, ne vmbris premantur alternis: feracem lętioremque mori arborem ficu aliqui tradiderunt, ſi perforato hinc inde trunco ſingulos ramos inſeramus terebinthi hinc, inde lẽtiſci. Circa Octobris Kalendas morus ablaqueanda eſt, & radicibus eius vini veteris recentiſſimæ fæces infundendæ. Inſeritur in fico & in ſe tantum ſub cortice. Vlmo inſita comprehendit, ſed parturit magnæ infelicitatis augmenta.

Tempus ſationis.

Loca quæ amat.

Scrobes interualla.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De operatione ipſius in medicina.

CAP. XXV.

PLinius lib. 23. Mori in Ægypto & Cypro ſui generis abundant, Succus aduerſatur venenis ſerpentum, Dyſſentericis prodeſt. Pannos & omnes collectiones diſcutit, vulnera glutinat. Capitis, & aurium *dolores ſanat. Spleneticis* bibitur. Illinitur contra perfrictiones. Celerrimè teredinem ſentit. Nec apud nos ſucci vſus minor eſt. Aduerſatur *aconito* & araneis in vino potum. *Aluum* ſiſtit. *Pituitaſque* & tineas, & ſimilia ventris animalia extrahit. Hoc idem præſtat & cortex tritus. *Folia capillum tingunt cum fici nigræ & vitis cortice ſimul coctis in aqua cœleſti.* Poma vero ſtomachum refrigerant. *Iſaac libro 2.* Mori radix cum aqua cocta & potata *ventrem* humectat, *lumbricos &* cucurbitos extinguit. Eadem valet ad *dolorem dentium.* Si in aceto ponatur, & ad ſolem ſiccata in puluerem redigatur, dentes perforatos, & *putridos* euellit appoſita. *Dioſcori.* Celſa quam multi ſiccamnium dicunt, latini vero morum, eſt arbor omnibus nota. Cuius ſemen cacoſtomachum eſt & vētrifluum, ideſt ſolutorium: Succus eius in vaſe æneo coquitur in ſole vel igne poſitus, & fit ſtipticus. Huic ſi miſceatur mel, medetur oris vulneribus paſcentibus, & faucium tumorem tollit. Corium eius aqua coctum & bibitum ventrem ſoluit. Et lumbricos latos excludit. Eoſque qui aconitum bibunt adiuuat. Folia eius tuſa & impoſita cum oleo *combuſtioni* medentur. Succus foliorum eius morſus *phalangiorum* curat. Corij quoque & foliorum eius coctura *dentium dolorem* tollit. *Auicen.* Cortex arboris mori theriaca eſt iuſquiami. Lachryma eius ſoluit. Et in cortice eius eſt mundificatio & ſolutio, & eius ſolutio plurima eſt. Decoctio radicis eius valet mollificationi dentium & denti doloroſo. Folia eius vtilia ſunt ad ſquinātiam & præfocationem. Succus eorum bibitus confert morſui rutelæ. Item folia eius & folia vitis, & fici nigræ cum aqua pluuię *denigrant capillos.*

Tinctura capillorum.

Putridos dēntes euellit.

Virtus.

Denigratio capillorum.

De Nuce iuglande.

CAP. XXVI.

ISidorus. Nux appellata eſt, eo quod vmbra vel ſtillicidium foliorum eius proximis arboribus *noceat.* Hanc alio nomine latini iuglandem vocant, quaſi *Iouis glandem.* Fuit enim hæc arbor conſecrata Ioui. Cuius fructus tantam habet vim: vt miſſus inter ſuſpectos herbarum vel fungorum cibos, quicquid in eis virulentum eſt excludat, rapiat, & extinguat. *Plin. lib. 15.* In nucibus inſeruntur pruna, quæ dicta ſunt nucipruna quæ faciem parentis ſuccumque adoptionis exhibent ab vtroque appellata. *Idem in li. 16.* Canchrin pilula vocatur, vrendi vim habens in medicina, quæ gignitur in nuce, & etiam in abiete, larice, picea, platano, tilia. Poſtquam folia ceciderint hyeme durans, continet nucleum pineis ſimilem; Is hyeme creſcit, Aperitur vero pillula tota, & cadit cum folia creſcere cœperint. *Siccaneā* ſunt & ſine aqua volunt eſſe iuglandes cypreſſi, caſtaneæ. Inter primas vero feſtinat germinare nux & vlmus, alnus, & platanus. In inferiori parte ſunt fertiliores fici, & iuglandes: arbores proſtratas reſtitui plerumque & quadam terræ cicatrice reuiuiſcere eſt vulgare. Factumque hoc eſt, & in iuglantibus oleisq;. Cariem vetuſtatemq; iuglans, & caſtanea ſentiunt tardiſſimè, facilè panditur iuglās & *fiunt ex ea trabes:* frangi ſe prænunciat crepitu, quod in Andro accidit cum è balneis ſono territi profugerūt. *Idem lib. 17.* Semen ſerēre ipſa natura docuit, cum decidens exceptum terra viuiſceret. Non aliter proueniunt caſtaneæ, & iuglandes. Tempus ſerendi ſtatutum nucibus iuglandis ac pineæ atque caſtaneæ eſt à Kal. Martij. Seruntur autem nuces iuglandes porrectæ commiſſuris iacentibus, pineæ nucleis ferè ſeptenis in ollas abditis perforatas. Sunt culicum genera moleſta iuglandibus, qui naſci videntur ex humore dulci ſubdito corticibus. Vmbra iuglandium eſt grauis, & noxia etiam capiti humano, omnibusque ſatis. Vmbra quippe iuglandium pomorum, & abietis quacunque attigerit, non dubiè venenum eſt.

Nucis etymon.

Iuglans vnde.

Iuglans eſt Siccanea.

Trabes ex iuglande.

Tempus ſerendi.

Vmbra.

De cultura eiuſdem & medicinali virtute.

CAP. XXVII.

PAlladius lib. 2. Nucem ſeri oportet extremo Ianuario. Amat loca montana, humida & frigida, plerumque lapidoſa. Poteſt tamen & locis temperatis iuuante humore nutriri. Serenda eſt nucibus ſuis, eoque more quo, & amygdalæ ſeruntur & hiſdem menſibus. Sed quas Nouembri deponis aliquatenus in ſole ſiccabis, vt exiccetur noxium virus humoris. Qua vero menſe Ianuario vel Februario poſiturus es, aqua ſimplici pridie macerabis. Ponendæ ſunt autem tranuerſæ vt latus ideſt canna figatur in terra. Cacumen ipſum cum pones in aquilonis partē diriges. Lapis ſubtus, vel teſta ponenda eſt, vt radicē non ſimpliciter ſed repercuſſa diſpergat. Lętior fiet ſi ſæpius transferatur. *In frigidis locis bima. In calidis locis debet trima. transferri.* Radices plantarum, ſicuti in aliis generibus ſolemus, in hoc genere reſecare non debes, ſimo bubulo ima planta cingenda. Sed melius cinis ſpargetur in ſcrobibus, ne calore ſtercoris aduratur. Et cinis creditur, vel corticis teneritudinem procurare vel fructuū denſitatem. Altis ſcrobibus pro arboris magnitudine defodi quærit, interualla maioraque deſiderat, ſtillicidijs foliorum ſuorum proximis, vel ſui generis nocebit arboribus. Debet aliquando circumfodi, ne cana fiat vitio ſenectutis. Canalis longus à ſummo trunco ad imum debet excudi, ſic beneficio ſolis & venti dureſcunt, quæ in putredinem tranſibant. Si dura nux erit vel nodoſa, cortex circumſcidendus eſt, vt vitium mali decutiat humoris. Alij radicum ſumma præſcidunt, Alii terebratæ radici palum de buxo imprimūt, vel æreum clauum vel ferreum. Si tarentinam facere volueris ſolam nucis carnem laua: propter formicas obuolutam in ſeminario debebis obruere. Si ferētem iam hoc genus velis mutare, lixiuio per annum continuum ter rigabis in menſe. *Cortex in nuce dimiſſus. maturitatis indicium eſt*, qualis debet & poni. *Idem in lib. 3.* In Februario quoque nuces iuglandes conuenit ſeminariis recondi, & ipſum genus inſeri.

Tēpus transferendi.

Maturitatis indicium.

Auicenna. Nucis folia conſtringentia ſunt fluxum ſanguinis, horum ſuccus tepidus in aurem diſtillatur & confert ſaniei eius. Gumma quoque nucis confert apoſtematibus calidis. *Plin. lib. 16.* Canchris vt dictum eſt, vocatur pilula vim vrēdi habens in medicina, quæ gignitur & in nuce. *Idem in li. 24.* Nuces iuglandes à capitis grauedine Græci vocauere. Etenim arborum ipſarum foliorumque vires in cerebrum penetrant, hocq; minore momento. Sed in cibis nuclei faciunt. Sunt autem recentes iucundiores. Siccæ vinoſiores & ſtomacho inutiles difficiles cōcoctu in dolorē capitis inferentes tuſſientibus inimicæ & vomituris ieiunis. Aptæ *tenaſmo* ſoli, trahunt enim pituitam. Eædem præſumptæ venena hebetant. Item *anginam* cum ruta & olea. Item aduerſantur cæpis, Leniuntque earum ſaporem. Aurium *inflationi* imponuntur cum mellis exiguo. Item cum ruta mammis & *luxatis.* Cum cepa autem & ſale & melle canis hominisque morſui. Cortex iuglandium dyſſentericis prodeſt. Folia cum aceto trita aurium dolori. *Iſaac.* Corticis vel frondium arboris nucum vnum exagium eſui datum cum vino *ſtrunguriæ* optime ſubuenit, & ſi cum aceto potetur repugnat febribus rigorem habentibus.

Canchris.

Incommoda veterum iuglandium.

Virtus.

De olea.

Cap. XXVIII.

Ceruus oliua ſanatur.

Catonis placita de oliuis.

Flos olea noxius prægnãtibus.

Olea dicata Minerua.

Virtus medicinalis olearum.

ISidorus. Olea eſt arbor pacis inſignis, cuius fructus oliua, ſuccus oleum dicitur. *Ambroſius in Exaemeron li 3.* Semper indumentum ſuum ſeruat olea & pinus, ſed tamen ſæpe folia ſua commutãt, & quaſi ſuccedaneam prętendunt ſui pulchritudinem veſtitus integritate vice muneris obũbrantes. *Idem in li. 16.* Ceruus eger ramuſculos oliuæ mandit & ſanus fit. *Gloſſa ſuper Iob.15.* Oliua cum eſt in flore, ſi nebula immoderata tangitur, à fructu vacuatur. Vnde & de reprobo dicitur. *Ladetur quaſi in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proiiciens florem ſuum. Ex lib. de naturaverum.* Olea eſt arbor cuius ſuccus eſt oleum viride & ſuaue, lumen oculis præbens, & amicum infirmis. Prima eius gutta dulciſſima, ſecunda minus, tertia vero amara ſatis, & aſpera guſtu. In frigidioribus floret, ſed non fructificat. Cuius flos odore mirabilis eſt, ſed *valde noxius* prægnantibus *Ariſtoteles in libro de vegetabilibus.* Oliuæ vno anno fructificant, altero reſiciunt. Oliuæ priuantur ſæpe fructu, quia quando natura digeſſerit, aſcendet primo de ſubtili quod non maturauerit. Eritque ille humor foliã, & illa digeſtio flores, cumque maturauerit digeſtio, naſcetur fructus exibitque ad finem materiæ, ſecundum locum qui in eo eſt. *Plinius libro.8.* Capræ oliuam lambendo ſterilem faciunt, eaque ex cauſa. Mineruæ non immolabatur. *Idem in lib.11.* Oliuæ prouentu plurima examina gigni certum eſt. *Idem in libro 12.* Olea Mineruę perpetuo dicata ſeruatur. Oliua Indiæ ſterilis eſt, prætерquam oleaſtri fructu. In Arabia vero olea vocatur lachryma qua medicamentum conficitur à græcis euhemon dictum, ſingulari effectu contrahendis vulnerum cicatricibus. *Idem in li.15.* Oleam Theophraſtus negauit niſi intra. 40. milia paſſus à mari naſci. Fabianus negat eam prouenire in frigidiſſimis neq; in callidiſſimis. Harum genera tria dixit eſſe Virgilius, orchites, & radios, & poſias, nec deſiderare raſtros, aut falcem, vllamve curam, & in huiuſmodi ſine dubio ſolum maxime cœlumque referre, veruntamen attondentur, ſicut etiam & vites, atque etiam interradi gaudent. Oleæ honorem maieſtas Romana magnum exhibuit, idibus Iulij Turmas militum ex ea coronando. Minoribus quoque triumphis ouantes Athenæ victores oliuo coronant. Catonis placita de oliuis ſunt hæc. In calido & pingui ſolo radium maiorem ſeri iubet. In frigido autẽ & macro liciniam. Pingui quoque aut feruenti eius oleum vitiari. Arboremque ipſam fertilitate conſumi, muſco præterea & robore infeſtari. Spectari oliueta in fauoniũ loca expoſita ſolibus cenſet. Nec alio modo laudat oliuas optime condi, quam vel virides in muria vel fractas in lentiſco. Laurus quidẽ perpetuo viret & pacifera eſt, ſed ei vtraque olea præferenda eſt. Quanto autem bacca maturior eſt, tanto pinguior ſuccus minusque gratus.

De Medicinali olearum virtute.

Cap. XXIX.

Virtus medicinalis olearum.

PLinius *libro vigeſimotertio.* Olearum folia commanducata, vehementiſſimè aſtringunt, purgant, ſiſtunt. Impoſita vlceribus medentur, & capitis doloribus illita cum oleo. Cum melle autem ſanguinis profluuium è neruoſis partibus cohibent. Succus eorum carbunculantibus circa oculos vlceribus procidẽtique pupillę efficax, quapropter in collyriis additur. Nam & veteres lachrymationes ſanat, & *genarum eroſiones.* Eoſdem & flos earum habet effectus. Succus fruticis recentis accenſi diſtillans ſanat *lichenas, furfures, manantia* vlcera. Ipſius oleæ cinis cum axungia humores ſanat, extrahitque fiſtulis vitia & ipſas ſanat. *Auicenna.* Humiditas currens à lignis oliuarum cum inflammatur conuenit *ſcabiei* & impetigini. Et fœx olei earum medicamen *eſt apoſtematum* calidorum in glandulis, & proprie cum folijs ſuis. Item folia oliuæ decoquuntur in aqua agreſti donec fiet ſicut mel, & linitur *ſuper dentes corroſos*, & euellit eos. Folia oliuarum ſylueſtrium conferunt vlceribus ambulatiuis & fraudulentis, ſordidis, & formicæ. Sunt etiam *bona panariciis*, & prohibent ſudorem inuncta. Succus itidem foliorum confert *egreſſionis oculorum* & vlceribus corneæ ac fluxibus. Sed domeſtica conuenientiora ſunt oculo quàm ſylueſtria. Cum autem vult aliquid adurere ramos oliuarum & folia earum, oportet vt melle liniantur. *Dioſcorides.* Cinis ex oliuæ ſarmentis acerrimus eſt, ex nucleo quoque puro acrior eſt. Ex hoc lixiuium factum vulnerum aufert carcinomata, & ex hac etiam ſordida vulnera ſunt alluenda.

Lixiuium olearum.

De oleaſtro & ollomella.

Cap. XXX.

Oleaſter.

Remedium contra oleaſtrum luxuriantem.

Vis medica oleaſtri.

Virtus eius.

Lachryma duplex.

ISidorus. Oleaſter dictus eſt, eo quod foliis ſit oliuæ ſimilibus, ſed latioribus. Arbor eſt inculta ac ſylueſtris amara & infructuoſa, cui inſertus oliuæ ramus vim mutat radicis, & vertit eam in propriam qualitatem. Lachryma oleaſtri duplex eſt. Alia enim gummi ſimilat alii ammoniaci guttam ex diſtillatione collectam ac remordentem. *Palladius libro 13.* Si ſine fruge luxuriant oleaſtri, palum, vt dictum eſt, radicibus infiges. *Plinius lib.8.* Elephas chamæleone concolori fronde deuorato, huic venetio ſuo occurrit oleaſtro. *Idem libro 15.* Athenæ victores olea coronantur, græci oleaſtro olimpiæ. Oleum ficticium ex oleaſtro, & illud tenue multoque amarius, quam oleæ, & tantum ad medicamen vtile. *Idem in lib.16.* In maritimis nauibus omnia teredini obnoxia eſſe tradunt, prætерquam oleaſtrum, oleam. *Idem in lib. 23.* Oleaſtri foliorum eadem eſt natura quę & oleæ. Spodiumque è cauliculis vehementius inhibet, rheumatiſmos ſedat & inflationes oculorum. Purgat vlcera, alienata explet, excreſcentia leniter erodit, ſiccat, & ad cicatricem perducit. In oleis autem peculiare eſt, quod folia decoquuntur ex melle, danturq; cochlearibus contra ſanguinis *excreationes*. Oleũ tamẽ acrius, & efficacius. Et os quoq; illo colluitur. Ad dentium infirmitatem imponuntur folia & paronychijs, & *carbunculis*, & contra omnem collectionẽ cum vino. Oleaſtri ſuccus vtiliter auribus inſtillatur cum melle vel etiam ſi prius effluat flore eius *condilomata* illiniuntur, & epinyctides. Ex oleaſtro cauliculi decocti & cum melle impoſiti *cutem* in capite ab oſſibus recedentem comprimunt. Maturi in cibo ſumpti *aluum* ſiſtunt. Toſti autem & cum melle triti carbunculos rumpunt.

Dioſcorides. Oleaſter quam plerique oliuam ęthiopicam vocant, habet folia ſtiptica, cataplaſmis appoſita vulneribus paſcentibus medentur, & *carbunculos* ſanant vnguibus panaricia tollunt. ſordes vulnerum addito melle conſumendo detergunt. *Cutem capitis*, & interrupta oſſa reparant, dolorem oris maſticata compeſcunt, *profluuium* mulieris, & omnem incongruum occurſum ſanguinis ſiſtunt. Succus eius appoſitus oculorum ſcaphilomata prohibent, & vulnera vultibus tollit. & *rheuma* ſuſpendit. Item *collyriis* miſcetur nobilibus ob iuges lachrymarum fluores. Idem ex vino confectus, ad *ſaniem aurium* facit. Lignum huius oliuæ viride foco impoſitum & ardens humorem acrem atque recorporatiuum emittit, quod illinitum *pthiriaſim* curat, & impetigines agreſtes, ideſt zernas, & ſcabiem. Semen eius cataplaſmati adhibitũ paſcentia *vulnera* ſanat, & *furfures* capitis, & pthiriaſim atque putredines. Huius arboris lachryma duplex eſt. Alia enim gummi ſimilatur ſine vllo qualitatis ſuæ morſu, alia vero guttam ammoniaci ex diſtillatione collectam, medens obtuſioni oculorum &

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cicatrici & *albedini oculorum*, impetigini quoq; & lepræ. Vrinam etiam prouocat, & materiam seminis interius educit. Item huius arboris folia *igni sacro* medentur. Et cum melle putredines cohibent, eorumq; decoctio dyssenteriæ apta probatur, ac vehemẽti fluori ventris. Item succus eius *fluori sanguinis*, & aurium humoribus, vel oris conuenit. *Isidorus.* Oleomella in Syria nascitur, sic dicta, eo quod ex trunco oleum defluat in crassitudinem mellis odore suaui.

Oleomella.

De palma.

CAP. XXXI.

Palma etymon.

Isidorus. Palma dicta est, quia manus victricis ornatus est, vel quia expansis est ramis in modũ palmæ hominis. Est autem arbor insigne victoriæ procero ac decoro virgulto, diuturnisq; vestita frondibus, & folia sua siue vlla successione conseruans. Hanc græci phœnicem dicunt, eo quod diu duret, ex nomine scilicet illius auis Arabiæ, quæ multis annis viuere dicitur. Hęc cum in multis locis nascatur, non in omnibus tamen fructus proficit ad maturitatẽ, frequenter autem in Ægypto & Syria, fructus eius sunt dactyli, à digitorum similitudine nuncupati. *Auctor.* Palma in inferioribus est gracilis, & aspera, in superioribus crassior lata & pulchra. Multo tempore peruenit ad incrementum, tardè enim proficit, vt crescat in altum. Centenarium facit fructum. *Idem in lib.* 23. Palmæ copia inclyta est iudæa. Sunt quidem in Europa. vulgoq; in Italia, sed steriles. Ferunt in maritimis Hispaniæ fructum, sed immitẽ. In Aphrica fert dulcem, sed statim enascentem. Contra in Oriente *ex his vina*, gentiumque aliquibus panis, plurimis vero etiam quadrupedum cibus. Quam obrem nulla est in Italia sponte genita, nec in alia parte terrarum nisi in calida, fructifera vero non nisi in feruida. Gignitur autem palma leui sabulosaq; terra, maiore in parte & nitrosa. Gaudet & riguis totoque anno, cum bibere amet anno sitienti. A fimo quidam etiam lædi putant, & Assyriorum pars aliqua si non riuis misceatur. Genera earum plura. Tectoris vicem hæc parietibus in plerisque locis præstat contra aspergines. Coma omnis in cacumine est, pomumque non inter folia, sicut in cæteris, sed suos inter ramos palmitibus racemosum, vtraque natura scilicet vuæ, atque pomi. Quædam in Syria & in Ægypto in binos se diuidunt truncos In Creta vero in ternos. Quædamque in quinos Earum genera sunt multa. Sterilibus ad macerias operaque lautiora vtitur Assyria, totaque Persis. Sunt & cæduæ palmarum syluæ, rursus germinantes à radice succisæ. Dulcis est earum medulla in cacumine quod cerebrum appellant. Exemptaque illa viuunt, quod non aliæ. Vocantur autem camætopes, folio latiori ac molli, ad vtilia vtilissimo: è palmis prunæ vinaces, igniſque lentus.

Phœnix arbor.

Dactyli vnde.

Vina & panis ex palma

Terra in qua gignitur.

Funes è palma folijs.

Idem in libro decimo sexto. Palmæ folia non deciduntur, & in Oriente funes validos è palmę foliis fieri, eosque in humore vtiliores esse, tradunt. Apud nos autẽ palmæ à matre integræ decerpuntur. Meliores enim sunt quæ non diuisæ fuerunt, & sub tecto diebus quaternis siccantur, mox in sole expanduntur & noctibus relictæ donec candore marcescant. Postmodum in opera diuiduntur. Palma & ficus facillimè perdunt fructus ante maturitatem. Solaque palma in spatis habet fructum racemis propendentem. Tarde senescunt illa quarũ est crispa materies vt palma, populus, & acer. In longitudine ramorum excrescit palma sicut abies, larix, cypressus, & vlmus, & siqua sunt vnistirpia. Cortex scaber robori & palmæ. Palma est arbor valida. In diuersum enim curuatur, & populus quidem contra inferiora omnia panditur. Palma econtrario formicatur. Palma Deli ab eiusdem Dei ætate conspicitur. *Ambrosius in Exaemeron libro* 3. Palma manus victoris ornatur. Ideoque dicit ecclesia. *Ascendam in palmam*, vt omnia inferiora relinquat, & ad superiora ideſt ad brauium Christi conscendat, & suaues fructus virtutis carpat: palma quoque semper viret non mutatione foliorum sed cõseruatione. *Glossa super Iob.* 29. Palma quidem tardè proficit, sed in viriditate diu subsistit, vnde scriptum est. *Sicut palma multiplicabo dies*: contraque naturam aliarum arborum in imo gracilior existit, superius iuxta fructus crassescit, & inferius quidem est aspera, superius vero tactu, & visu pulchra.

De palma Deli.

De Sexus in ea discretione.

CAP. XXXII.

Quæ palma fœmina.

Ambro. in exaemeron. In palmis discernitur à fœmina masculus, & est quod mireris in arboribus discretio sexus. Nam vides palmam, quæ dactylos generat, plerumque inclinantem ramos suos, & subiicientem, atque amplexus speciem prætendentem ei arbori, quam marem palmam pueri rusticorũ appellãt. Illa ergo *palma est fœmina, & sexum subiectionis specie confitetur.* Vnde cultores præiaciunt ramis eius dactylorum, vel palmitum semina masculorum, quibus illi fœmineæ arbori, velut quidam sensus perfunctionis infunditur & expetiti concubitus gratia præsentatur. Quo munere donato, rursus erigitur, & in veterem statum ramos suos, & comam atollit. *Plin. lib.* 13. Itaque (sicut dictum est superius) arboribus immo potius omnibus quæ terra gignit, *herbisque etiam vtrumque ineſſe ſexum diligentiſſimi* naturæ tradunt.

In omnibus plantis est mas & fœmina.

Nullis tamen arboribus quam palmis manifestius. Mas in palmite floret, fœmina circa florem germinat tantum spinæ modo. Vtrisque autem prima nascitur pomi caro, postea lignum intus, hoc est semen eius. In Arabia languidę dulces traduntur esse palmę. Quamquam Iuba apud scenitas Arabas præfert omnibus saporibus, quam vocant dabulan. Cæteri non sine maribus gignere fœminas, sponte edito nemore confitmant. Circa singulos nutare pluries in eum pronas blandioribusque comis. Illum erectis hispidum, afflatu visuque ipso, & puluere etiam reliquis maritare Huiusmodi arbore excisa fœminas viduas post sterilescere. Adeo veneris est intellectus, vti coitus etiam excogitatus sit ab homine. Ex maribus flore atq; lanugine. Interim vero inspersо fœminis tantum puluere. *Ex lib. de na. re.* Palmæ videlicet mas, & fœmina nunquam fructificant nisi pares ita vicinæ sint, quod ramis superioribus se inuicem inclinatis amplectantur, & hoc fit tantummodo tempore verno.

De Medicinalis eius operatione.

CAP. XXXIII.

Palma efficacia medicinalis.

Avicenna. Palma est arbor dactylorum: cuius omnes partes sunt stipticæ. *Plinius lib.* 23 Est autem vitibus oleisque proxima nobilitas palmæ. Inebriant recentes, capitis dolorem auferunt siccæ vtiles stomacho: tussim exasperant. Succum decoctarum antiqui pro hydromelite dabant ægris ad vires recreandas, ad sitim sedandam. In quem vsum præferebant thebaicas. *Sanguinem* quoque excreantibus vtiles in cibo maximè. Nuclei palmarum cremati in fictili nouo cinere loto, spodij vicem efficiunt: miscenturque collyrijs. Et caliblephera faciunt addito nardo. Palma quæ fert myrabolanum probatissima in Ægypto. Ossa non habet reliquarum modo in balanis. *Aluum & menses cit* in vino austero: & vulnera conglutinat. Palma elata medicinæ confert gramina, folia corticem. Folia imponũtur *præcordiis, stomacho, iocineri, vlceribusque* quæ serpunt; cicatrici repugnantia. *Psoras* cortex eius tener cum resina & cera sanat diebus viginti decoquitur & ad testium vitia. Capillum denigrat, suffitu partum extrahit,

datur

datur bibendus renum vitijs, & veſicę & præcordiorum. Capiti & neruis inimicus. Decoctum eius *ventris fluxionem* ac vuluæ ſiſtit. Cinis ad *tormina* efficax potus in albo vino. *Solinus.* Palma Ægyptia dicenda res eſt. Odor ei idem qui & malis cidoniis. *Sitim ſedat*, ſi prius quam maturauerit decerpatur. Nam ſi matura ſumatur, ſenſum intercipit, *greſſum* præpedit, linguam retardat, *obeſiſque* officiis mentis & corporis ebrietatis vitium facit. *Dioſcori.* Palma quę in Ægypto naſcitur, ſemen habet myrabolano ſimile: coloris viridis, & odoris cidonio ſimilis. Hoc in vino auſtero bibitum corruptelam & fluxum ſanguinis mulierum compeſcit. Cataplaſmate quoque adhibita recentia vulnera paracoleſim facit.

Vis eius.

De Perſico.

CAP. XXXIV.

Perſicum cur ita dictum.

Iſido. Perſicum dicitur: eo quod eius arborem primus in Ægypto ſeruit Perſeus, à quo ſe oriundos ferebant Ptolomęi. Hęc in Perſida fructum generat interfectorium, Apud nos autem ſuauem & iucundũ. Eſt autem arbor fęminini generis Perſicus. Perſicum autẽ neutri generis fructus. Itaque Perſicus arbor eſt cui breuis admodum vita conceſſa eſt. Trium generum eſſe fertur: duracenus, & armeniacus, ac Perſicus.

Duracenus Armeniacus.

'*Duracenus*, eſt nuncupatus: eo quod in guſtu *acorem referat* pomum eius. *Armeniacus* eo quod primum aduectum ſit ab Armenia genus eius. *Perſicus* quod ſit: iam dictum eſt ſupra. *Plinius li.* 13. Ægyptus Perſicam arborem ſui generis habet pyro ſimilem, folia retinentem. Huius fertilitas eſt aſſidua ſubnaſcente craſtino fructu maturitas etheſiarum afflatu. Pomum longius pyro incluſum Amygdalæ putamine, & corio, colore herbido. Sed vbi nux illi, huic * pomum differens breuitate ac mollitie. Et quamuis blandiatur prædulcis ſuauitas, non tamen innocuum. Materies vero bonitate, firmitudine, nigritia quoque nihil differens à lotho. *Idem in libr.* 15. Perſicæ arbores ſero & cum difficultate tranſierunt ad loca remota à Perſide, vt quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuit hoſpitium. *Idem in li.* 16. Quædam loci vitio infructuoſa fiunt. Perſicæ quoque arbores in Rhodo florent tantum. Item in Tuſculano Perſica necnon & nuces græcæ cum tedio inſeruntur. Tetracina ſyluis earum ſcatet.

** Alias prunum.*

Quadã ratione loci infructuoſa.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. XXXV.

Dioſcori. Perſici folia conſtrictiuæ virtutis ſunt. Quæ ſiccata, & locis patentibus aſperſa *fluorem ſanguinis* cohibent. Item trita & impoſita ventris *animalia* perimunt & expellunt. Eadẽ quoque ſicca & in puluerem tuſa *recentes plagas*, & cruenta vulnera claudunt. Gummi etiam gutta quam perſici truncus lachrymat, aluo fluenti medetur. Eadem cum vino mixta *lapillos in veſica* frangit. Trita ex aceto & cocta *impetigines* reprimit. Decocta cum croco *tumores faucium* mitigat, aſperam arteriam lenificat. Toracis obſtrictos ſinus reſerat, excreantibus ſanguinem ſubuenit mirè, & vitia pulmonis expurgat. *Iſaac.* Succus frondium perſici potatus *lumbricos & cucurbitinos* eijcit. Si vermioſæ etiam apponatur *auricula vermes* occidit. *Auicenna.* Foliorum perſici ſuccus in aurem inſtilatus interficit vermes, & oleum eorum *emigranea* ac *doloribus auris* calidis, & frigidis confert. Iterumque ex ipſis perſicis, eorumque foliis fit emplaſtrum, quod vermes interficit ventris. Similiter ſi bibatur ſuccus & quę ſunt ſuperiora eorum & foliorum ipſorum.

Virtus therapẽtica Perſici.

De Pyro & cultura eiuſdem & medicina.

CAP. XXXVI.

Pyrus cur ita vocata?

Iſido Pyrus vocata videtur, eo quod pomum eius in ſpeciem ignis formatur, ab amplo enim incipit, & in anguſtum finit. *Ariſtoteles in lib. de vegetabilibus.* Quædam in primis naſcuntur plantæ in figuram granorum & poſtea fiunt arbores: vt malus, & pyrus. Multique ſunt & ſuperflui ſtipites, de radicibus eorum. Melior quoque eſt inſitio ſimilium in ſimilia proportionalia, vt mali in pyrum, talia enim optime proueniunt. Melius etiam fructificat in ſenectute quam in iuuentute pyrus, ſicut & amygdalus. *Plinius vbi ſupra.* Criſpiora quæ naſcuntur in montibus, exceptis malis & pyris. Tardius vero germinant pyri ſylueſtres, quàm cætera. Humor eſt etiam cortici arborum, qui debet intelligi ſanguis earũ, & hic eſt aquoſus pyris ac vitibus. Arborum gignentium fructus: quædam ex lateribus ramorum ſerunt & cacuminibus, vt pyrus, & ſimiliter punica, & ficus, & myrtus. Et quibuſdam vt abieti & piceæ ramorum eſt ordo compoſitus: aliis autem inconditus, vt robori & malo ac pyro. Fertiliſſimæ ſunt in ſenecta pyrus, & amygdala. At vero fructum ante maturitatem facillimè perdunt malus, & pyrus atque ſimilia.

Idem li. 17. Nucleo ſeruntur mala & pyra, ſed tardo prouentu ac degenerãtia & inſito reſtituenda. Cato & furcis crates altitudine hominis ad ſolem recipiendum iubet imponi. Et ad arcenda frigora culmo integi, ſicque malorum ſemina atque pyrorum nutriri. Quidam paulo amplius, quam in pedibus nouenis ſeri iuſſerunt malos, vel etiam magis pyros. Breues autem ſunt vmbræ quamuis magnarum arborũ: quod ramos in orbem circinent vt in malis ac pyris. Pyrum florentem licèt inſerere, & in Maium quoque mẽſem inſitionem protendere. Mago pyra non eodem tempore omnia ſeri, quoniam neq; floreant. Eodem oblõga rotundaq; ſeri iubet ab occaſu vergiliarum ad brumam. Reliqua vero genera hyeme media ab occaſu ſagittæ ſubſolanum aut ſeptentriones expectãtia. Velocia ſunt pyrus, ac ficus, & malus, & punica, & prunus, ac myrtus, & tamen antecedunt diutius. In trimatu enim ferre incipiunt. Ex his tamen eſt lentiſſima pyrus. *Arbores ſi cum defloruerint, protinus ſequentur imbres, in totum poma depereunt*, adeo vt amigdalæ & pyri, etiam ſi omnino nubilum fuerit, auſtrinuſve flatus, amittunt fœtus. Vermiculationem per ſe quibuſdam annis ſentiunt mala & pyra, ſicut meſpila & punica. *Auicenna.* Pyrorum folia fluxui ventris cholerico conferunt. *Dioſcorides.* Pyri folia vulneribus admota feruorem mitigant. Radix eius alligata diu conceptum impedire creditur. Aiunt *& ipſa poma removenda, quando partus incumbit.* Si enim in eo loco fuerint difficulter vteri clauſtra reſerari.

Tempus ſerendi Pyra.

Nota.

Fluxui ventris conferũt.

Nota.

De pruno & eius medicina.

CAP. XXXVII.

Iſid. prunus à latinis ob colorem appellatur quę alio nomine *coquimella* dicitur, alii à multitudine fructus enixi *nixam* appellant. Cuius generis Damaſcena melior eſt, à damaſco oppido dicta, vnde prius eſt aſportata, cuius ſolum pomum ſtomacho mederi probatur, Nam cætera noxia perhibentur. Hæc ſola arbor gummi glutinoſum & compactiuum diſtillat; quo & medici & ſcriptores vtuntur. *Plin. lib. decimo tertio.* Eſt prunus Ægyptia non diſſimilis ſpinæ Ægyptiæ, pomo meſpili. Bruma quidem matureſcens, nec folia dimittens, lignum in pruno grande, ſed corpus ipſum natura copiaque, meſſium inſtar, incolis purgatum enim tundunt, & offas eius ſeruant. *Dioſcorides.* Cocimella eſt arbor quam latini prunum vocant, omnibus nota.

Prunus. Coquimella. Nixa.

Huius fructus iucundus eſt & molliens ventrem, ſed cacoſtomachus, verum ille qui in Syria Damaſco naſcitur, ſi ſuccus fuerit euſtomachus eſt, ventrem abſtinet. In vino elixatus, & gargarizatus, *vuam ac gingiuas curat*, & fauces rheumatizantes. Hæc etiam omnia facere poteſt agreſtis cocimella. Nam ſicca in dulcore cocta euſtomacha eſt, & ventrem abſtinet. Gummi quod in ea arbore naſcitur paraplaſmaticũ & pingue, cum vino *bibitum lapides veſicæ* frangit. Cum aceto ſolutum *zernas* infantibus tollit, quia glutinoſæ & cõpactiuę virtutis eſt. Arefacta etiam eius folia conſtrictiuæ virtutis ſunt, & fluoribus oris adhibita, cæteriſque quæ opus habent, conſtringunt. Radix etiam & folia ſtipticam habent virtutem.

Virtus medica.

De Rubo.

CAP. XXXVIII.

Etymon rubi

ISidorus. Rubus à latinis dicitur, eo quod fructus eius, vel virgultum rubet. Eſt enim morus ſylueſtris fructum afferens, quibus in deſerto paſtorum fames confouetur. *Ambro. in hexa.* Rubi folia *ſerpenti ſuperiecta eum interimunt. Ariſtot. in li. de plantis.* Planta quæ inter arbores, & minutas plantas eſt, multos in radicibus ramos habet vt rubus. *Plinius lib.* 16. Mora ferunt rubi & alio genere ſimilitudinem roſæ, qui vocatur cinosbatos. Tertium genus idæum à loco græci vocant, tenuior eſt cęteris, minoribusq; ſpinis, & minus aduncis. Flos eius contra *lippitudines* illinitur, ex melle ad ignem ſacrum datur. Contra ſtomachi vitia bibitur ex aqua. *Idem in li.* 27. Inuẽtum eſt ſurculos abſciſos ſerere, quod primo factum ſepis cauſa eſt, ſambucis rubiſque depactis.

Nota.

Vis.

De virtute ipſius in medicina.

CAP. XXXIX.

IDem in li. 24. Rubos nequaquam ad maleficia natura tantum genuit, ſed ex eius mora hominibus, aut beſtiis cibos dedit, vim habet ſiccandi & aſtringendi, gingiuis, tonſillis, genitalibus accommodatiſſime. Auerſatur *hemorrhoidi* ac pręſteri ſceleratiſſimis ſerpentibus, flos aut mora ſcorpionum vulnera ſiue collectionem periculo iungunt, & vrinas ciunt. Caules eorum teneri tunduntur, indeque ſuccus exprimitur, & mox in craſſitudinem mellis ſole cogitur ſingulari remedio *contra oris, & oculorum mala, ſanguinem excreantes, angines, vuluas, ſedes*, cęliacos, potus, aut illitus. Oris quidẽ vitijs folia commãducata, & vlceribus manantibus in capite illinuntur. *Cardiacis* etiam imponuntur per ſe in mamma ſiniſtra. Itemque *ſtomachi* doloribus, & oculis procidentibus. Inſtillatur eorum ſuccus. & auribus. Sanat condilomata cum roſaceo cerato. Calculorumve ex vino decoctum præſentaneum remedium eſt. Item per ſe in cibo ſumpti cymæ modo, vel decocti in vino auſtero, labentes dentes firmant, *Alnum* ſiſtunt, & ſanguinis profluuio, *dyſſentericis* proſunt. Siccantur & in vmbra, vt crematorum cinis vuam reprimat. Folia etiam arefacta & contuſa iumentorũ vlceribus tradũtur vtilia.

Virtus rubi.

Temperamentum & virtus.

Avicen. Rubus eſt frigidus, & ſiccus, ſtipticus deſiccatiuus, cum omnibus partibus ſuis. Sed folia eius nihil minora ſunt propter aqueitatem ſuam. Decoctio ſtipitum & foliorum eius *tingit capillos.* Emplaſtrum de foliis eius prohibet ambulationem fraudulentam *formica.* Et valet ſuper *Eriſipilam*, & confortat *ſtomachum* debilem. Quod ex eo exiccatum eſt ſtringit, & flos eius ſimiliter. Radix quidem rubi ſubtilitatem habet cum ſtipticitate, & ideo *frangit lapidem.* Item rubus confert vlceribus, quæ ſunt ſuper caput, & *conſolidat vulnera.* Confert etiam *exiturę oculi*, & *ſputo ſanguinis.* Et morſui animalis venenoſi, quod dicitur Karites. Folia eius ſtringunt *gingiuam*, & ſanant vlcera capitis, & alcola. Succus eorum *ſanat os calidum.* Fructus etiam maturus, & ſuccus fructus. ac foliorum eius ſanant *dolores gingiuæ. Platearius.* Rubi ſummitates dicit Conſtan. eſſe ſtipticas. Et valent contra *vſturas*, & calida *apoſtemata.* Vade videtur eſſe frigidus, & ſiccus, licèt à quibuſdam dicatur calidus, & ſiccus. Valet & contra ruborem oculorum & contra *dyſſenteriam.*

De Rubi ſpeciebus.

CAP. XL.

Dioſcorides. Rubi ſiue batis, de quo videlicet ſub hoc nomine dictum eſt ſupra, quædam eſt ſpecies communis, & omnibus nota. Alia vero quæ dicitur idæa, ſiue chymos, mollis, ac lenis, cuius ſuccus cum vino ac melle ſumptus ad ſuperiora prodeſt. Mora vero cum melle ac vino ſumpta ſapientiam (vt ab antiquis dicitur) nutriunt. Ipſa cum pane & melle trita mirificè rumpunt apoſtema. *Plinius, vbi ſupra.* Inter medicamenta quæ ſtiptica vocantur, nihil efficacius rubi moro fertur, Radice in vino decocta ad tertias partes, vt eo oris vlcera colluantur, ſedeſque foueantur. Tantaque vis eius eſt, vt ipſæ ſpongiæ lapideſcant. Alterum eſt rubi genus in quo roſa naſcitur. Pillulam caſtaneæ ſimilem gignit præcipuo remedio calculoſis. Alia vero eſt cynorhoda, quam volumine proximo dicemus infra: Cinabaton quam alij cinasbaton, alii neuraſpaſton vocant, habet folium hominis veſtigio ſimile, de qua ſcilicet iam dictum eſt ſupra ſub hoc nomine. Roſa ruborum *allopicias emendat cum axungia.* Mora vero capillum tingunt cum oleo omphacino. Flos autem mori per meſſes colligitur, candidus, pleureticis præcipuus ex vino potus, Item cæliacis. Radix decocta ad tertias aluum & ſanguinem ſiſtit. Itemque dentes collutos ex eius decocto. Eodem quoque ſucco fouentur ſedis, ac genitalium vlcera. Cinis è radice, deprimit *vuam*, Idæus rubus eſt appellatus, quoniam in ida & non aliàs naſcitur. Eſt autem tenerior ac minor rarioribus calamis, & innocentioribus, ſub arborum vmbra naſcens. Huius flos cum melle illinitur *epiphoris*, & ignibus ſacris, daturque ex aqua bibendus ſtomaticis. Porro cætera eadem pręſtat quę ſupradicta. Denique & rhamnus computatur inter ruborum genera, frutex candidior & fructicoſior, de quo ſcilicet in ſuperiori libro dictum eſt. *Aui.* Species eius, quę dicitur rubus canis, habet fructum quaſi oliuam, habentem interius lanam, quæ cocta ſtringit ventrem, & abſcindit curſum humiditatis antiquæ ex matrice, & confert hemorrhoidibus natis in ano ex quibus currit ſanguis, facto ex eo emplaſtro. Ipſe quoque & flos confert vlceribus inteſtinorum & ſolutioni, & frangunt lapidem ſubtilem in eis.

Mora rubi.

Cynorhoda.

Roſa rubo-rum.

Flos mori.

Flos idæi rubi quid præſtat.

Rubus canis.

De Sorbo.

CAP. XLI.

Sorbum.

PLinius lib. 15. Sorbis quadruplex differentia, aliis enim eorum rotunditas mali, aliis turbinatio pyri, aliis ouata ſpecies ceu malorum aliquibus. Hęc obnoxia acri odore & ſuauitate iucunda cæteris vni ſapor. Generoſiſſima quibus circa pediculos folia. Quarum genus torminale appellant, remedio tantum probabile, aſſiduum prouentu, minimumque pomo, arbore diſſimili, foliis penè platani. Non ferunt ante trimatum, ex vllo genere. *Idem in li.* 17. Sorbus eſt arbor, quę non habet oſſa, ſicut nec carnẽ ſambucus, & plurimam ambæ medullam. Sorbus arbor infeſtatur *vermiculis ruſis piloſis*, atque ita emoritur. Sorba ſemine & radice, planta & auulſione proueniunt, & in locis frigidis, & humidis. Item ſorbis, & prunis ſtatutum tẽpus inſerendi eſt poſt mediam hyemem in idus Februarias. *Palladius. Menſe Ianuario Februario, &*

Infeſtatur vermiculis.

Tempus ſerendi.

Martio

Martio, locis frigidis, calidis vero Octobri & Nouembri, ſorba ſeruntur egregiè, ita vt matura ſeminario ipſa poma pãgantur. Ego expertus ſum multas arbores ex pomis ſponte progenitas, & in creſcendo & in ferendo extitiſſe fælices. Plantas etiã ſi quis ponere voluerit, habebit arbitrium dummodo calidis locis menſe Nouembri, temperatis Ianuario, vel Februario, frigidis Martio, inclinante diſponat. Amat ſorbus loca humida: montana, frigidis proxima, ſolum pinguiſſimum cuius indicium certiſſimum ſi frequens vbicunque naſcatur. Planta eſt transferenda robuſtior, ſcrobem deſiderat altiorem, & ſpacia longiora, vt quod illi maximè prodeſt à ventis frequentibus agitata grandeſcat. Si vermes patietur infeſtos, qui in ea rufi ac piloſi ſolent medullæ interna inſectari, Aliquos ex his ſine arboris iniuria detractos, *vicino crememus incendio*, creduntur hoc genere, vel fugere, vel perire. Si minus ferre cæperit, tædæ cuneus eius radicibus inſeratur, vel circa vltimam partem foſſa facta, cumulo ingeſti cineris adæquetur. Menſe Aprili ſorba inſeruntur in ſe, in cidonio, in ſpina alba, vel trunco, vel cortice.

Qua loca amat.

Remedium contra vermiculos ſorbo noxios.

De vite & eius natura.

Cap. XLII.

Vitis etymon.

Iſidorus. Vitis dicta eſt eo quòd habeat vim citius radicandi, Alij vites, eo quòd inuicem ſe vitis innectat, viciniſque arboribus reptando religentur. Eſt enim earum natura flexibilis, & caduca. vt quaſi brachiis quibuſdam quicquid comprehenderint, ſtringant, hiſque ſe erigant, & attollant. Vitis florentis odore nihil gratius. *Si quidem de flore earum ſuccus expreſſus, poculi genus conficit, vt voluptatiſic & ſaluti. Ambroſius in hexaemeron libr. 3.* Quis non mireturex acini vinaci vitem vſque in arboris ſummum cacumen prorumpere, quam velut quodam amplexu fouet, quibuſdam brachiis ligat & circundat, lacertis veſtit, pampinis, ſertis coronat vuarum. Quæ ad imitationem vitæ noſtræ, primum vnam radicem defigit, deinde quia natura flexibilis eſt ac caduca quaſi brachiis quibuſdam, ita & clauiculis quicquid comprehenderit ſtringit, hiſque ſe erigit, & attollit. *Ex libr. de natur. rerum.* Vitis eſt frutex inter omnia ligna fructu abundantior: cuius botros præ vbertate ne cadant oportet ſuſtentari. Itaque ligamen ex ipſa naſcitur quo videlicet in ſtipite alligatur. *Ariſt. in libr. de animalib.* Sanguis eſt materia totius corporis, & ob hoc in corporibus valde macilentis nõ apparet aliquid præter venas, ſicut accidit foliis vitis, & ficuum: quia quãdo deſiccantur nihil apparet in eis niſi venæ. Accidit- *Multitudo cibi corrumpit vites.* que vitibus multum fertilibus propter multitudinem cibi, quòd corrumpuntur & diminuuntur fructus ſui, ſicut homines multæ carnis ac pinguedinis, non niſi modicum ſpermatizant, nec coitum niſi raro deſiderant. *Auctor.* Vitis eſt arbor humilis flexibilis & caduca. Quando floret odore ſuo venenata animalia fugat laboriosè colitur, foditur, propagatur, paxillatur ablaqueatur, & etiam vt magis fructificet purgatur. De hac quoque ſunt vmbracula, vite infructuoſa inter cetera ligna nihil inutilius, ſicut ſcriptum eſt. *Fili hominis quid fiet de ligno vitis*, & cætera.

De vinearum cultura.

Cap. XLIII.

Auctor. Vinea (ſicut iam dictum eſt) multipliciter atque laboriosè colitur, videlicet plantatur vel ſeritur, foditur, ſtercoratur, propagatur, & etiam (vt magis fructificet) purgatur. *Plinius libr. 17.* Cato de omni cultura vitium ita præcepit, altiſſimam vineam facito, rectèque alligato, ne tamen nimium conſtringas, & eam hoc modo curato. Capita vitium putato, circumfodito, arare incipito, vltra citraque ſulcos perpetuos ducito. Teneras vites quam primum propagato, veteres quam minimum caſtrato, potiuſque ſi opus erit deiicito, biennio vero poſt præſcidito. *Palladius libro primo.* Vineis vtile ſolum per hęc ſigna cognoſces. *Si* coloris, & corporis rari aliquatenus atque reſoluti eſt, *Si* virgulta quæ protulit lenia ſunt, nitida, procera, & fœcunda, vt pyros ſilueſtres, prunos, rubos, & cætera, neque torta habeat, neque ſterilia neque macra ſterilitate languentia. *Idem in libro 2.* Vineis ponendis, vt dictum eſt ſuperius, videlicet in tractatu de natura terræ, ſolum nec ſpiſſum nimis debet eſſe, nec reſolutum, propius tamen reſoluto, nec exile nec lentiſſimum, tamen proximum lento, nec campeſtre, nec præceps, ſed potius edito campo, nec ſiccum, nec vliginoſum, modicè tamen roſcidum, nec ſalſum nec amarum, quod vitium vina contriſtat ſapore corrupto. Cœlum quoque mediocris qualitatis conuenit eſſe, tepidum tamen magis, quam frigidum, ſiccum potius, quàm nimis imbridum. Sed ante omnia vitis procellas ventoſque formidat.

Situs vineæ qualis eſſe debet.

Denique plagam ſpectare vinea debet locis frigidis Meridianam, calidis ſeptentrionalem, tepidis Orientem. Si tamen auſtros, vel euros regio non habeat inimicos. Quod ſi hoc eſt ibi vitium, melius in aquillonem vineta dirigentur, vel in fauonium. Sed locus qui paſtinandus eſt, prius impedimentis, & omnibus eliſis arboribus liberetur, ne poſt aſſiduo calcatu terra foſſa ſolidetur. Si campus paſtinetur, duobus & ſemis pedibus, ſi cliuus, tribus, collis præruptis quatuor, ne terra decurrat citius, vallis etiam duobus pedibus. Sed ager vliginoſus, qui humores altius foſſos eructat, non amplius, quàm in pedem & ſemis effoditur. *Idem in libr. 3.* Vineæ quidem in prouinciis fiunt generibus multis, Sed optimum genus eſt, vbi ſtat vitis velut arbuſtula, breui crũre fundata. Hi primo quidem calamo iuuatur, donec ſolidetur, ſed altior ſexquipede eſſe non debet, vt vbi robuſta fuerit, ſola conſiſtet. Aliud vero genus eſt, in quo cannis pluribus circa diſpoſitis, ipſa vitis per cannas ſarmentis ligatis, norbiculos flectitur ſe ſequentes. Vltimæ poſitionis eſt vitis per terram proiecta, ſi ſe diffundit. Hæ autem omnes in ſcrobibus ponuntur & ſulcis.

Præcepta Catonis de cultura vitium.

De vineis veteribus ac nouellis.

Cap. XLIV.

Plinius libr. 17. Vites in iuuenta fertiliſſimæ ſunt, tardiuſque matureſcunt. Et hoc maxime notatur in vitibus, quod & vetuſtioribus eſt vinum melius, nouellis autem copioſius. *Idem in lib. 17.* Vineam veterem ſi transferre volueris, duntaxat brachium craſſum licebit. Vitem nouellam reſecari tutum erit, tempus vbi valebit. Vbi vero frondere ceperit vinea, pampinato. Vineas nouellas alligato crebro ne caules præfingantur. Et quæ iam in perticam iuit, eius pampinos teneros leuiter alligato, atque vt rectè ſtent porrigito. Non eſt autem feſtinandum ad putationem nouellæ, ſed primo quidem in circulos materia colligan- *De vinea nouella.* da eſt, nec niſi validæ putatio admonenda. *Palla. li. 3.* Nouellã vitẽ Columella dicit à primo anno ad vnã materiam eſſe formandam, nec reſcindendam totam, ſicut Italię mos eſt. Anno ſecundo expleto, vel quia intereant vites in totum reſciſæ, vel infœcunda ſarmenta producant, quæ tamen amputato capite, pampinaria de duro cogunt exire. Quare iuxta ipſam cõmiſſuram veteris ſarmenti vnam vel duas gemmas relinquendas eſſe, quod eſt merito in vincula fortiora ſeruandum. Et ſane excipiendam calamis nouellam, vel exiguis palis, vt tertio anno robuſtiores poſſit accipere. Nam quadrima nouella, vbi lætum ſolum eſt, tres materias merito nutrire cogetur. Statim poſt putationem ſarmenta deſciſa vineis, & rubi & impedimentum foſſuris omne tollatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Idem in libro 4. In menſe Ianuario vinea nouella primo pulueriza̅ri debet, quod tunc ac deinceps per omnes Kalendas vſque ad Octobrem faciendum eſt, & hoc non ſolum propter herbas, ſed he tenera adhuc ſemina ſolidata terra conſtringat. Graminum quoque radices, quæ plurimum vitibus obſunt, extirpandæ ſunt. Tunc quoque locis frigidis foſſio vinearum celebranda eſt, & palandæ atque ligandę ſunt vites. Sed nouellę mollibus vinculis alligandæ ſunt, quia teneram ipſam vincula duriora præſcidunt. Palus maioribus ſolidus, minoribus exilis ponatur propter vmbræ moleſtiam. Statuatur ab aquilone & plaga frigida ſpacio quatuor digitorum vel ſemipedis remotus à vite, vt circumfodi poſſit ex omni parte. Vineas veteres hoc menſe aliqui altius à terra truncant reparationi ſtudentes, ſed vitioſum eſt. Nam plerumque vaſtior plaga ſole putreſcit & roribus. Quare hoc reparanda eſt genere. Prius ablaqueabitur altius, donec nodus eius appareat. Deinde infra terram ſupra nodum reſcidetur, vt operta de frigore & de ſole nihil timeat. Hoc faciendum eſt, ſi optimi generis eſt vitis, & altè poſita. Alioquin melius erit ſarmentis inſerenda. Omnia ſupradicta extorquenda ſunt primo menſe locis calidis. Poſt idus autem ipſius locis frigidis.

Vinea vetus. *Idem in libro duodecimo.* Menſe Nouembri ac deinceps vinea vetus, quæ in iugo eſt aut pertula ſi robuſto & integro trunco ſit ablaqueata, ſimo ſatietur, & anguſtius putata inter quartum & tertium pedem à terra viridiſſima parte corticis acuto ferramenti mucrone feriatur, ac foſſa frequentius inſcidetur. Nam (vt aſſerit Columella) ex eo loco germen plerumque producitur ac veniente vere fundit materiam qua vitis reparetur.

De vitium putatione.

CAP. XLV.

Qua pars primo putãda. VItium in menſe Februario locis frigidis aliquatenus, & temperatis eſt multa putatio. Sed vbi mult ę ſunt diuidantur. Et pars quæ in ſeptentrionem reſpiciet verno putetur. Alia pars aduerſa clementioribus plagis reſcidatur autumno. Sed in putatione ſemper nitamur vt vitis fiat in cruce robuſtior, ne debili viticulæ duo duramenta ſeruemus. Auferẽda ſunt lenta intorta, debilia, malis locis nata, ſarmenta vocata. Etiam qui inter duo brachia medius naſcitur debet abradi. Quod ſi pinguedine ſua brachium quodcumque proximum debilitat, illi deſciſo ipſo alter ſuccedat. Erit tamen *optimum putatori inferius ſarmentum, quod bono loco natum fuerit, reparanda vitis cauſa ſemper tueri,* & ad vnam vel duas gemmas relinquere. In locis clementioribus altius vitem licebit expandere. In exilibus, aut æſtuoſis, aut decliuibus, aut procelloſis humidiorum cultura eſt habenda, locis pinguibus ſingulis brachiis vitium bina flagella dimitte, ſed erit ſapientis æſtimare vim vitis. Nam quæ altius colitur, & fœcunda eſt, pluſquam octo palmites habere non debet, ita vt deſeremus ſemper in inferiori parte cuſtodem.

Nota.

De crure vitis. *Circa crus quicquid naſcitur amputandum eſt*, ſi non deſideretur vinea renouari. Quod ſi truncus vitis ſole aut pluuiis, aut noxiis animalibus, eſt cauatus, purgamus quicquid eſt mortuum. Plagaſque eius amurca alumine & terra replemus, quod proderit aduerſus prædicta. Cortex etiam reſciſus, & pendens à vite tollatur, quæ res minorem fæcem reddit in vino. *Muſcus radatur vbicumque repertus*, ſed plagæ quas in durovitis accipiet, obliquæ & rotundæ eſſe debebunt. Deſciſus (vt ſupra dixi) male natis omnibus, & veteribus, nouellos, & fructuarios ſerua. *Vngues* etiam cuſtodi ſiccos, & annotinos reſcinde, & omnia quæ ſcabra vel vetera reperies. Hæc quæ altius coluntur, vt in iugo & pertula. Vbi quatuor pedibus ſuper terram leuatæ ſteterint, quaterna brachia habeant. Si macra vitis erit, in ſingulis brachiis ſingula flagella dimittimus, ſi pinguis bina. Sed prouidendum eſt ne in vna parte ſint ſarmenta quæ ſeruas, quod cum ſit vitis tanquam ſi fulgure tangatur, areſcit. Relinquenda ſunt ſarmenta, neque circa durum, neque in ſummo, quia hæc velut pampinaria minus afferunt. Illa autem nimietate fœtus, onerant & longius ducunt. Quare in medio loco ſeruanda ſunt quæ tuemur.

Muſcus.

Vngues.

De vitium propagatione.

CAP. XLVI.

PAlladius *vbi ſupra.* Vites in Februario menſe ſunt propagandæ, ſed vetus & exeſa vinea, cuius duramenta longe proceſſerunt (vt Columella dicit) mergis melius reparabitur, quam ſi infoſſione totius corporis obruatur, quod agricolis certum eſt diſplicere. *Mergum* dicimus, quotiens ſuper terram ſicut arcus relinquitur, alia parte vitis infoſſa. Nam (vt ait Columella) cum totę ſtratæ ſunt plurimis radicibus totius corporis fatigantur. Mergi vero poſt biennium reſcinduntur, in ea parte qua ſupra eſt, & in loco iuſtas vites relinquent. Sed (vt agricolæ aſſerunt) poſt biennium ſi reſcindas, plerumque infirmas habent radices, & ſimiles veteribus repente pereunt. *Idem in libro vndecimo.* Menſe Octobri locis quibuſdam iccirco propagatio melior eſt, quia firmandis radicibus vitis incumbit, cum proferendi palmitis eam cura nõ permouet. *Idem in libro* 12. In Nouembri quoque menſe toto, locis calidis, & ſiccis, vel apricis, erit celebranda vitium poſitio, tunc & propago. Iure locisque frigidis nouellas vites circumfodere & operire conueniet, & ante idus. Mergus hic eſt propaginis curuatura poſt triennium quam preſſa fuerit à vite reſcidetur. *Plin. lib. 16.* Propagines (vt dictum eſt) docuit natura. Rubi namque curuati gracilitate ſimul & proceritate nimia, rurſus in terra defigunt capita, iterumque naſcuntur ex ſeſe repleturi omnia, niſi reſiſtat cultura. Præter vitem Cato propagari tradit, ficum, oleam, punicam, malorum omnia genera, lauros prunum, platanum, nuces, auellanas, & præneſtinas. Propaginum vero duo ſunt genera. *Vnum ſit ramo ab arbore depreſſo*, in ſcrobem quatuor quoque pedum, & poſt biennium amputato flexu. Plantaque tranſlata poſt trimatum, quas ſi longius ferre libeat, in vaſis fictilibus defodere propagines aptiſſimum eſt. vt in his transferantur. *Alterum vero genus ſit luxurioſius in ipſa arbore*, radices ſolicitando, traiectis per vaſa fictilia ramis terraque circumpactis, atque hoc blandimento impetratis radicibus, inter ipſa poma & cacuminum ſumma.

Mergus.

Propagines.

Duo genera propaginum.

De vitium inſitione.

CAP. XLVII.

PLinius *vbi ſupra.* Vitem Cato tribus modis inſerit. *Vno modo* præſectam iubet per medullam findi, & in ea ſurculos exacutos addi, medullaſque vniri. *Altero modo* ſi ſe vites contingant, vtriuſque in obliquũ latere contrario adraſo, medullis adiunctis colligari. *Tertium genus eſt* terebrare vitem in obliquum ad medullam, calamoſque addere longos pedes binos, & ita ligatum inſitum intritaque illitum operire terra calamis ſubrectis. Item vitibus inſerẽdis dedere tempus ab *æquinoctio autumno* ad germinationis initia. Duo quidem internodia medullam vitis includunt, quæ medulla ſiue vitalis anima ante ſe tendit longitudinem impellens, quamdiu nodi pertia patet fiſtula. Cum vero cõcreti tranſitum ademerint, repercuſſa erumpit ab ima ſui parte iuxta priorem nodum, alternis laterum ſemper inguinibus, quorum dextrum ab imo intelligitur articulo, lęuum in proximo, atque ita per vices & hęc vocatur in vite gemma, cum

Tres modi inſitionis vitium.

Tempus inſitionis.

ibi

ibi ceſpitem facit, & antequam faciat oculos in concauo, & in ipſo cacumine germen. Sicque palmites nepotes, vuæ, folia, pampini gignuntur. *Mirumque firmiora eſſe in dextera parte genita.* Hos ergo in ſurculis nodos quando ſeruntur ſiue inſeruntur, *medios oportet ſecari, ne profluat medulla.* Oculi autem in arborum ſurculis proprie vocantur, vnde germinant, vnde *vitis inſitio cum vina florent optima eſt.*

Mirum.

Nota de ſectione nodorum.

Palladius lib. 4. Menſe Februario calidis, & apricis locis celebratur inſitio, quæ tribus fit generibus, ſicut videlicet iam dictum eſt ſuperius lib. 13. cap 17 de diuerſis ſpeciebus inſitionis. Menſe Martio vineas oportet inſerere, cum vites non aquato, ſed ſpiſſo humore lachrymabunt. Seruabimus ergo vt truncus, qui inſeritur, ſolidus ſit, & alimento humoris exuberet, neque vlla veruſtate vel iniuria laceratus. Tunc deſciſæ viti ſurculi qui inſerendi ſunt, ſint ſolidi, rotundi, gemmis ſpiſſis, & pluribus oculati. Tres tamen oculi inſitione ſufficiant. Radendum eſt ergo ſarmentum ad menſuram digitorum duorum, vt ab vna parte ſit cortex. Aliqui non patiuntur nudam medullam, ſed vites radunt, vt inſciſura ſenſim poſſit in acumen exire, & corticata pars cortici nouæ matris aptetur. Infimus oculus, ita infigendus eſt, vt trunco iunctus adhæreat. Qui oculus exteriorem partem debet aſpicere, vinculo ſalicis infuſo, & paleato luto deſuper alligari, tegumẽtoque aliquo à ventis, & à ſole defendi, ne hi quatiant, hic adurat: vbi calor temporis cæperit, ligaturæ ipſi penicullo circa veſperam tenuis debet frequenter humor affundi, vt hoc alimento contra vim cœli torrentis animetur. Cum vero germen eruperit. & aliquod cæperit incrementum, calami adiutorio debet annecti, ne motus aliquis fragilem procedentis ſarmenti quaſſet ætatem: vbi ſolidius quantulumcũque proceſſerit, vincula oportet abſcindi, ne adoleſcentia molliſſimi germinis nodo duræ conſtrictionis angatur. Aliqui infra terram ſemis ſpacio effoſſæ viti ſurculos inſerunt, & beneficio ingeſtionis accumularit, vt hæc quoque nouis ſarmentis præter nutricis alimenta conueniant. Nonnulli circa terram melius aſſerunt inſerendum, quia in altiore difficilius comprehendunt. *Idem in libr.* 11. Menſe quoque Octobri vites, & arbores locis calidiſſimis inſerere conſueuerunt aliqui.

Tres oculi ſufficiunt.

Nota.

De vinearum foſſione.

CAP. XLVIII.

Tempus foſſionis.

Idem in lib. 3. Vites in menſe Februario locis maritimis, & calidis ſunt fodiendę, vel ſi prouinciæ conſuetudo eſt, exarandæ, & in eis locis palandæ aut ligãdæ ſunt vineæ, prius quam gemma procedat, cuius cõtuſione vel attritu grande periculum proueniat. *Idem in libr.* 5. In menſe Aprili locis frigidiſſimis, ante idus peragenda eſt vinearum foſſio, & ſiqua reſtabunt de menſe Martio. *Idem in lib.* 8. Menſe Iulio vites nouellæ mane & veſpere iam calore depoſito debent effodi, & auerſo gramine pulueriżari. *Plinius lib.* 16. Sulco vinearum palo ſatis, eſt longitudo latitudoque ſcrobibus ternorum in quamcumque partem. Altitudo in quocumque genere tripedalis ſulciſque ſimum miſcere neceſſarium. Cliuoſa ſcrobes poſcunt altiores. In media ſcrobe oportet eſſe vitis radicem, ſed ipſam ſolido innixam in Orientem æquinoctialem ſpectare. Plerique tota æſtate poſt ſingulos rores vineam confodi iubent. Alij germinantem vetant. Dicunt enim oculos decuti tactuque intrantium deteri. Ob id etiamprocul *omne pecus arcendum, ſed maxime lanatum, eo quod facillime gemmas auferat.* Inimicos & vua pubeſcente raſtros. Satiſque eſſe vineam confodi ter in anno ab æquinoctio verno ad Virgiliarum exortum, & canis ortu, & nigreſcente acino. Quidam ita determinant. Veterem ſemel fodiendam à vindemia ante brumam: Cum alij quidem ablaqueare & ſtercorare ſatis putent. Iterum ab idibus Aprilis antequam concipiant, hoc eſt in ſexto idus Maij. Deinde prius quam florere incipiat, & cum defloruerit, & varianteſe vua. Peritiores affirmant, *ſi iuſto ſæpius fodiantur, intantum tenereſcere acinos, vt rumpantur.* Et quæ fodiuntur, ante feruẽtes horas conuenit fodere, ſicuti lutum nec arare congruum eſt nec fodere. Nec puluerem exiccatum foſſione contra ſoles nebulaſque prodeſſe.

Vites nouellæ fodiendæ Iulij menſe.

Vites quando palandæ ac ligandæ.

Nota.

De ablaqueatione vitium ac ligatione.

CAP. XLIX.

Ablaqueare & excodicare vites quid

Palladius lib. 3. Vites in menſe Ianuario temperatis locis oportet ablaqueare, quod Itali appellant excodicare hoc eſt circa *vitis codicem de labro terram diligenter aperire*, ac purgatis omnibus velut latus efficere, vt ſolis teporibus vel imbribus prouocentur. *Idem in libr.* 11. Poſt idus Octobris ablaqueanda eſt omnis nouella, ſeu in paſtino, ſeu in ſcrobibus aut ſulcis, aut amputentur radices ſuperuacuę quas produxit æſtate, quæ ſi valuerint interiores radices faciunt interire, & ita remanebit vitis in ſummitate ſuſpenſa, quæ res eam facit frigori obnoxiam & calori, Sed hæ radiculæ non ad ſurcum debent reſcindi, ne aut plures naſcantur inde, aut noua plaga cor vitis impreſſa in ſecura vi algoris vratur. Reſcindemus autem relicto digito pro ſpacio. Et ſi placida ibi hyems eſt, apertas relinquimus vites. Si violenta, ante Decẽbris idus operimus. Si perfrigida aliquantulum colũbini ſtercoris ſub ipſa hyeme circa viticularum veſtigia largiemur. Quod contra frigus nimium Columella dicit toto eſſe quinquennio faciendum.

Idem in libro 3. Vites (vt dictum eſt) in Februario menſe locis maritimis, & calidis palandæ ſunt aut ligandæ, priuſquam gemma procedat, cuius cõtuſione vel attritu grande periculum proueniat. *Idem in lib.* 4. Menſe Martio locis frigidis vinearum foſſio celebranda eſt. Et palandæ ac ligandæ ſunt vites, ſed nouellæ mollibus vinculis alligandæ ſunt, quia teneras ea vincula duriora præſcindunt. *Palus maioribus ſolidus, minoribus exilis* eſt ponendus propter vmbræ violentiã. Denique ſtatuatur ab aquilone, & plaga frigida, ſpacio quatuor digitorum, vel ſemipedis remotis à vite, vt circumfodi poſſit ex omni parte. *Plinius vbi ſupra.* Si per ſe vitis ordinabitur ſine pedamento, qualecumque deſiderabit amminiculum in initio, vt condiſcat ſtare, ac recta ſurgere. *Pedamentum quidam inter duas vites vtilius ſtatu putant*, & ablaqueantur ita facilius. Meliuſque eſt iugo vineæ, ſi tamen & ipſi iugo ſint vites, nec flatui regio infeſta. In quadripartita quam proximum oneri adminiculum eſſe debet, ne tamen impedimentum ſentiat ablaqueatio, non amplius abeſſe cubito, iubentur autem ablaqueari, priuſquam putari. Optima viti pedamenta *ſunt è robore & olea*, aut ſi non ſint pali iunipero cypreſſo ſambuco. In iugo ſaluberrima eſt arũdo connexa faſciculis, durat quinis annis. Iuga quidem oportet ad pedamentum quam arctiſſimo nodo vinciri, vitem autem leui contineri.

Palus quis eſſe debet.

Pedamentũ.

Materia optima pedamenti.

De pampinatione atque rigatione.

CAP. L.

Tempus pãpinationis.

Idem in eodem. Vitis pampinatio verna in confeſſo eſt, ab idibus Maij, inter dies decem vtique, antequam incipiat florere, & eam infra iugum fieri debere, de ſequenti variantur ſententiæ. Cum defloruerit aliqui pampinandum putant ſub ipſa maturitate, nec hos detrahere conuenit pampinos, qui ſunt cum vua, id enim vuas ſupplantat, præterquam in vinea nouella. Inutiles iudicantur in latere nati, nec ab oculo. *Palladius in libro 6. Menſe Maio conueniens eſt pãpinatio. Sed* tunc oportuna cum teneri rami

ſtringen-

ſtringentibus digitis crepant, ſine difficultate carpentis. Hæc autem vuas pinguiores efficit, & ſolis admiſſu maturitati conſulit. *Idem in libro 9.* Menſe quoque Auguſto frigidis locis fit pampinatio, locis autem ardentibus, & ſiccis obumbratur potius vua, ne vi ſolis areſcat, ſi aut vineæ breuitas, aut operarum facultas permittat. *Plinius, vbi ſup.* Vites punicæ rigationibus aluntur præcipue. *Vitis autem emplaſtra non recipit*, nec arbores cæteræ quibus tenuis, & caducus eſt cortex atque rimoſus.

Emplaſtratio non conuenit vitibus.

De his quæ vitibus contraria ſunt vel nociua.

CAP. LI.

IDem in eodem. Vites algores intereunt, & hoc eſt vitium ſoli, quia non euenit niſi in frigido. Vrit quoq; vineas *ſuillum ſtercus*, niſi quinquennio interpoſito, præterquam ſi riguis diluatur: *ſyderatione* quoque vexantur vineæ. Syderationis genus eſt in vitibus defloreſcẽtibus roratio, aut cum acini priuſquam creſcant, decoquentur in callum. Ægrotant & cum alſere, vredine læſis attonſarum oculis, & hoc euenit *calore intempeſtiuo*. Fit etiam vitium culpa colentium cum præſtringuntur, aut cum foſſor *iniurioſo ictu* verberabit, vel etiam ſubarator imprudens radices laxauit, corpuſve deſquamauit. Eſt & contuſio quædam falcis hebetioris, quibus omnibus cauſis difficilius tolerant frigora vel æſtus, quia in vlcus omnis iniuria penetrat à foris. Peſſimum autem eſt inter omnia cum floreſcẽtem vitem & oliuam *imber* percuſſerit, quia fructus ſimul defluunt. Quorundam quidem natura vitem non necat, ſed lædit odore, vel ſucci mixtura, ſicut *raphanus, & laurus.* Odit & *caulem & omne olus, odit & corylum* niſi procul abſint hæc, triſtis ægraque remanet. Proprium ſyderationis eſt ſub ortu canis ſiccatus vapor, cum inſitę ac nouellæ arbore moriuntur, præcipueque vitis, & ficus, vitibus præter ſyderationem ac vermiculationem morbus peculiaris eſt *articulatio*, quæ *tribus accidit de cauſis.* Vna vi tempeſtatum germinibus ablatis, altera in ſupinum excliſis, tertia vero culturæ imperitia læſis. Omnes enim earum iniurię ſentiuntur in articulis. Nocet etiam plerumque nimia fertilitas vitibus, & oleis. Circa vergilias inimiciſſimus dicitur eſſe puluis oleæ viti, quia tunc eſt coitus earum. Per ſolſtitia quoque vitibus imbres non conducunt. Arbores, quæ fructus ſuos diutius continent, longioreſque cibos deſiderant, his & aquę ſerotinæ ſunt vtiles, vt oleæ, viti, puniciſque.

Noxia vitibus.

Quæ Antipathiam habent cũ vite.

Articulationis tres cauſa.

De remediis morborum ipſarum.

CAP. LII.

PAlla. lib. 3. Vites quę lachrymarum nimietate tabeſcunt ac deplorando vim ſui roboris quærunt à fructu, trunco earum lacerato, ſinum græci iubent fieri, & ſi minus proderit, reſcindi iubent robur pingue radicum, vt afferat medicinam vulnus impreſſum. Tunc *amurca inſulſa ad medietatem decocta & refrigerata plagæ exſciſæ perlinatur, & ſub hac acetum acre* fundatur. *Idem in libr. 4.* Vites ægras, vel quibus areſcit fructus circumfode, & vrinam veterem ſuperfunde. Item cinerem ſarmenti vel querci aceto mixtum ſubijce, vel inſciſas circa terram refoueto lætamine, & illis quæ germinant fortiora dimitte. Cum autem bidente vitis lædetur aut ferro, plagam ſi terra iuncta eſt alline ouino ſtercore vel caprino. Tuncque terra mixta & circumfoſſa ligare curato. Si vero læſa eſt in radice, aperiens liquidum lętamen admiſce. *Idem in libro. 10.* Vitis cuius fructus humore putreſcit, per latera pampinanda eſt ante triceſimum diem vindemię ſolaque frons illa ſeruanda eſt, quæ in ſummitate poſita ſolem nimium defendit à vertice.

Acetum & amurca remedium vitiũ lachrymantium.

De præparatione quarundam vitium ſpecialium.

CAP. LIII.

IDem in lib. 3. Vites theriacæ profectus eſt vt vinum eius vel acetum vel vua, vel ſarmẽtorum cinis proficiat contra morſus omnium beſtiarum. Fit autem ſic. Sarmentum quod pangendum eſt, trium digitorũ ſpacio in vna parte findatur, & ſublata medulla ad eius vitem theriacæ medicamen addatur. Tunc terrę mandetur vinculo diligenter aſtrictum. Aliqui eadem ſarmenta iam medicamine ſatiata intra ſquillæ bulbum recondunt, & terris hac ratione committunt. Aliqui antidoti eius affuſione radices vitis effundunt. Sane ſarmentum ſi de hac vite ſumatur ad transferendum potentiam materni medicaminis, non tenebit. Oportebit autem theriacæ infuſione aſſidua, vim ſucci ſeneſcentis interire. Eſt & pulchra ſpecies vuæ, quæ granis interioribus caret, hinc efficitur, vt ſumma iucunditate ſine impedimento ſorberi poſſit. Fit autem gręcis auctoribus hac ratione per artem natura ſuccedente. Sarmentum quod obruendum eſt quantum latebit in terra tantum debes findere, ac medulla omni ſublata, & diligenter exculpta, interim membra diuiſæ partis adunare, vinculoque conſtricta deponere. Vinculum tamen è papyro aſſerunt eſſe faciendum, & ſic in humida terra eſſe ponendum. Diligentius quidem ſarmentum reuinctum, quantum exciſum eſt, inter ſquillæ bulbum demergunt cuius beneficio aſſerunt facta omnia comprehendere poſſe faciliùs. Alii tempore quo vites putant, ſarmentum frugiferum putatæ vitis in ipſa vite quam ponunt, de alto ſublata medulla excauant, non diuiſim, & calamo affixo liganr, ne poſſit inuerti. Tunc opiũ quirinaicum, quod græci ſic appellant, in excauata parte ſuffundũt, ex aqua prius ad ſapæ ſimilitudinem reſolutũ, & hoc transactis octonis diebus ſemper renouant, donec vitis germina nouella procedant. Et in granatis malis fieri hoc poſſe firmatur à græcis, & in ceraſiis opus eſt experiri. Vt autem *vitis botros* albos afferre poſſit & nigros, græci ſic fieri debere iuſſerunt. Si vicinæ ſint vites nigra & alba, cum putantur, ſarmenta vtriuſque inter ſe diuiſa ſic iunge, vt medios vtriuſq; generis oculos æquando poſſis reddere vnitati. Tunc papyro ligabis ſtricto & molli atque humida terra curabis alliuire, & interiectis ternis diebus adaquare, donec germen nonę frondis erumpat. Hinc ex erupto tempore ſi libuerit, genus efficiet perplura ſarmenta.

Vuæ ſine granis quomodo fiant à natura & arte.

Quomodo botri albi generentur.

De diuerſis generibus vitium.

CAP. LIV.

PLin lib. 14. Vitium genera innumera prodiderunt eſſe & infinitatem. Principatus amineis datur propter firmitatem. Quinque ſunt earum genera, ex quibus Germana minor acino melius defloreſcit, imbres tempeſtateſque tollerant. Non item maior ſed in arbore quam in iugo minus obnoxia. Gemellarum quibus hoc nomen vuæ ſemper germinæ dedere aſperrimus ſapor, ſed vires pręcipuæ. Ex his minor auſtro læditur. Alia ventis alitur, vt in Veſuuio monte Surrentiniſq; collibus in reliquis Italiæ partibus, non niſi arbori accommodata. Quintum genus lanatæ, ne ſeres miremur aut Indos, adeo lanugo eam veſtit. Prima ex amineis ocyſſime matureſcit atque putreſcit. *Apianis* apes cognomen dedere, præcipuè illarum auidę. Ex his duo genera ſunt, lanugine & ipſæ pubeſcunt. Diſtant quod altera celerius matureſcit, quamquam & altera properante. Situs non reſpuunt frigidos, & tamen nullę reliquarum celerius imbre putreſcunt. Vina quidem primo dulcia auſteritatem annis accipiũt, & rubra fiunt. Nulla magis vite gaudet. Græcula non inferior amineis bonitate prætenera acino, & vua tam

Amineæ vites.

Apiana.

parua,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

parua,vt conualere & coli non poſſit, niſi in pinguiſſimo ſolo.Eſt aliquibus tantus locorum amor,vt omnem in his gloriam ſuam relinquant,nec vſquam totę tranſeant. Quod in Rhetica Allobrogicaque, quam & picatam appellauimus euenit, domi nobilibus,nec agnoſcendis alibi, fæcundæ tamen bonitatis vitæ copiam præſtant. Eugenia feruentibus locis, rhetica temperatis. Alobrogica frigidis, gelu matureſcens, colore nigra. Sed etiam è nigris vina vetuſtate in album colorem tranſeunt.

Palladius lib. 3. Vitium genera plura ſunt, locaque naturam pleriſque vitibus mutant. Solæ amineæ vndecumque ſint vinum pulcherrimum reddunt, calidumque ſtatum potius, quam frigidum ſuſtinebunt, & de pingui ad macrum,niſi ſtercus adiuuerit,trãsferri non poſſunt. Harum genera ſunt duo,maior & minor. Sed minor citius defloreſcit,ac melior internodiis minoribus,& grano breuiore. Si applicetur arbori,terram deſiderat pinguẽ, ſi colatur in ordines mediocrem. Imbres contemnit & ventos. Maior ſæpe viciatur in flore. Sunt & Apianæ præcipuæ. Vitium genera non attinet mirari, ſatis eſt iſta genera dixiſſe. Induſtrius vir probata deligat, terriſque talibus, quæ imitari poſſunt illam, vnde ſumuntur mandet. Theriacæ vitis profectus eſt,vt vinum eius,vel acetum,vel vua, vel ſarmentorum cinis, proficiat contra morſus omniũ beſtiarum. *Iſidorus. Labruſta* dicta eſt à labris, id eſt extremitate terræ. Eſt enim vitis ſylueſtris quæ in terræ marginibus naſcitur. *Ampeloſleuce ſiue brionia* eſt quam latini vitem albam dicũt,ſiue à coloris qualitate,ſiue quia eius radix contrita,& corpori inſticata teneriorem cutem & candidiorem reddit. Nam & ſuccus baccarum eius lac vberibus reddit ſiccis. *Ampeloſmelana*,id eſt vitis nigra,eademque labruſta,folia habet hæderæ ſimilia in omnibus maior quam vitis alba. Baccas ſimiliter habẽs, quę in maturitate nigreſcunt, vnde & nomen habet. *Argitis* eſt græcula vitis generis albi fertilis, vaſtam materiam & breuem latũque folium mittens. Cuius fructus niſi primo tempore colligas, aut in terram decidet, aut humore putreſcit. Viticionia vuas grandes magiſquam multas habet, nomen inde ſumens quod multum vini fluat.

Theriaca vitis.

Labruſta.

Ampeloſleuce.

Ampeloſmelana.

Argitis.

Viticionia.

De magnitudine quarundam & fœcunditate.

CAP. LV.

PLinius,*vbi ſupra*. Vites apud antiquos magnitudine quoque inter arbores numerabantur. Nam inde ſimulachra & tecta etiam faciebant. In vrbe Populonio ex vna conſpicimus vite Iouis ſimulachrum tot annis incorruptum. Metaponti templum Iunonis vitigeneis ſtetit columnis. Num etiam ſcalis tectum Epheſiæ Dianæ ſcanditur vite vna Cypria, vt ferunt, quoniam illic ad præcipuam altitudinem exeunt,nec eſt vlli ligno æternior natura. Verum ex ſylueſtribus hæc facta crediderim,qua videlicet non quolibet anno tondebantur,vt modernæ. Hæ ſiquidem annua tonſura coercentur, & omnis earũ vis(vt dictũ eſt) euocatur in palmites, aut deprimitur in propagines. In agro Campano vites populis nubunt, maritataſque complexæ, & per ramos earum procacibus brachiis geniculato curſu ſcandentes cacumina æquant. intantum ſublimes, vt vindemiator auctoratus rogũ ac tumulum excipiat. Nullo fine creſcunt, diuidique vel auelli potius nequeunt. Villas, & domos ambiri ſingularum palmitibus, ac ſequacibus loris memoria dignum. Inter prima Valerianus quoque Cornelius exiſtimauit. Vna vitis Romæ in Liuiæ porticibus ſubdiuiales deambulationes vmbroſis operculis opacat. Eademque duodenis amphoris muſti fœcunda. Stat prouinciarum aliquarum per ſe *vitis ſine vllo pedamẽto*, artus ſuos in ſe colligens, ac breuitate craſſitudinem paſcens.

Campaniæ vites altiſſima.

Vitis ſine pedamento.

*Idem lib.*16. Vites quædam triferæ ſunt.i. *ter in anno fructificant, quas ob id inſanas vocant.* Quoniam in his quædam matureſcũt, quædam turgeſcunt, aliæ vero florent. Hoc euenit perpetuo in Frauenneſi Aphricæ agro,ſed hęc eſt fertilitas ſoli. *Vitis ſola bis parturit* ſiue floret, ſcilicet cum primum vuam emittit & cum digerit. Breuis autem vita eſt vitibus,pręcipueq; fertilibus. *Idem in libr.* 17. Ante craſſitudinem polliceris imperare viti temerarium eſt. Et(vt dictum eſt ſupra) nocet plerumque vitibus, & oleæ fœcunditas nimia. Itaque fœcunditas eſt inhibenda. Ea namque natura eius eſt, vt parere malit,quam viuere. Quicquid materiæ adimitur accedit fructui, ſed illa ſemina mauult quam fructum gigni, quum fructus caduca res eſt. Sic pernicioſe luxuriet, nec ampliat ſe,ſed egerit. Sic ergo temperetur modus vt creſcere etiã malit quã parere.

Vites triferæ, inſanæ vocatæ.

Vitis ſola bis parturit.

De vitis geniminibus & emiſſionibus.

CAP. LVI.

ISidorus. Vitis ſarmentum à ſeredo dictum eſt,quaſi ſerimentũ. Palmes eſt vitis materia mollis, qui per nouella brachia emiſſus fructum affert,& dicitur palmes à palma. *Malleolus* autem eſt nouellus palmes innatus prioris anni flagello. Sic dictus,eo quod in parte qua deſciditur,ex veteri ſarmento prominẽs,vtrinque mallei ſpeciem præbet. Flagella vero dicuntur ſummitates vitium & fruticum, eo quod flatu agitẽtur. Pampinus eſt folium cuius ſubſidio fructus vitis à frigore vel ardore defenditur,& contra omnem iniuriam munitur,qui ideo alicubi interſciſus eſt,vt & ſolẽ ad maturitatem fructus admittat, & vmbram faciat. Dicitur autem pampinus, eo quod palmite pendeat.

Sarmenti Etymon. Palmes. Malleolus.

Flagella.

Pampinus.

PLinius *vbi ſup.* Vitis ſibi ſufficit, mobili folio, iactatu crebro,ſolem vmbra temperans, eodemque ab imbre graui protegens. Inuenimus autem in arbotum prodigiis *vitem vuas protuliſſe ſine foliis*. Itemque vitẽ & malum punicum ſtirpe fructum protuliſſe non palmite,ſed ramis. *Iſidorus. Caprioli* dicti ſunt, eo quod arbores capiunt. Sunt enim cincinni ſiue vinculi quibus ſe innectere vites,& ſuſpendere ſolent arboribus, quo amminiculo freti palmites ventos ac turbines continere queant, ac ſine lapſu periculorum fructus ſuos ſuſtineant,& ſeſe vaga proceritate diffundãt. *Corymbi* ſunt annuli qui proxima quæque ligãt & comprehendunt,ne longius laxati palmites ventorum flatibus diſſipentur. *Auctor*. Inter genimina quoque vitis præcipuum ac nobiliſſimum eſt vua. De qua videlicet inter arborum fructus dicetur infra. Emittit & vitis tempore ſuo reſciſa lachrymam ad vſus medicinales proficuam.

Vites habentes vuas ſine foliis.

Caprioli.

Corymbi.

De virtutibus earum in medicina.

CAP. LVII.

PLin.li 23. Vitis folio vel pampino capitis dolores, & inflationes corporum mitigantur cum polenta. Folia per ſe ardores ſtomachi ex frigida aqua. Cũ farina vero ordei articularios morbos. Pãpini triti & impoſiti tumorem omnem ſiccãt. Succus eorum *dyſſentericis* infuſus medetur. Ipſi quoque pampini ſanguinem excreantibus proſunt in potu, & mulierũ à conceptu defectioni diluti. Cortex vitium & arida folia vulnerum *ſanguinem* ſiſtunt, ipſaque vulnera conglutinant. Cinis ſarmentorum & vinaceorum *condilomatis*, ac ſedis vitiis medetur ex aceto, & *igni ſacro* ex vino. Itemque luxatis,& ambuſtis,ac *lienis tumori* cum roſaceo & ruta & aceto. Dant & bibendum cinerem ſarmentorum ad lienis remedia acero conſperſum in aqua tepida. Clauiculæ ipſæ quibus vites repunt tritę *vomitionum* conſuetudinem ſiſtunt ex aqua potæ. Vitium cinis cum axungia veteri contra tumores proficit,*fiſtulas* quoque purgat. Mox etiam *nervorum* dolores ex frigore ortos contractioneſq; perſanat, con-

Vſus medicinalis vitis.

tuſas

tulas vero partes ſanat cum oleo: Carnes excreſcentes in oſſibus cum aceto & nitro. *Scorpionum & canum plagas* cum oleo. Corticis per ſe combuſtis cinis pilos reddit. Lachryma vitiũ quæ veluti gumma eſt, *lepras, & lichenas* nitro ante præparata ſanat. Eadem cũ oleo ſæpius illitis pilis, effectum habet pſilotri, maximeq; aqua quam vites exudant virides accenſæ, qua & tolluntur verrucæ.

Razi in Almanſore. Vitis folia vel caprioli trita, & emplaſtri more ſuper calidos flegmones poſitæ, dolẽtique capiti confert. Succus eorum debibitus *ventrem* & vomitum conſtringit. Gũmi vero eius *lapidem* frangit, ſcabiemque eius remouet. *Auicen.* Cinis ramorum vitis ponitur in medicinis cauterizantibus. Lachryma eius valet ſuper *verrucas* formicales, & eſt vtilis *ſcabiei & impetigini.* Cinis vinacij eius, quod ſcilicet poſt expreſſionem remanet, cum aceto valet *torſioni neruorũ.* Idẽ ponitur ſuper hæmorrhoidas, & eſt theriaca morſui viperę. Cinis ramorũ eius cum oleo ponitur ſuper *contuſionem lacertorum.* & mollificationem iuncturarum. Et quandoque bibitur cinis eius propter caſum. Folia eius ponuntur in emplaſtro ad *ſoda* calida, ideſt dolorem capitis. *Sauith quid.* Folia eius in emplaſtro cum ſauith ordei ideſt *ordeo fracto*, cum aqua multa cocto, prohibent fluxum ad oculum ſuper ipſam poſita. Valent & ad *apoſtemata* ſtomachi & inflammationem eius. Succus etiam foliorum eius confert ſputo ſanguinis, & dolori ſtomachi ex caliditate & *dyſſenteria.* Lachryma eius quæ eſt quaſi gumma bibitur cum vino, & frãgit lapidem. Fructus eius ano conueniens eſt, prouocat enim & ſtringit.

De medicinis ex vitibus ſylueſtribus.

CAP. LVIII.

VItis ſylueſtris, & montana ramos habet lõgos ad modum domeſticæ. Folia vero ſicut vuæ lupinæ domeſticæ, ideſt ſolatri, ſed latiora. Flos eius piloſus eſt, fructus eius ſicut vuæ quæ rubent ante maturationem, granum eius rotũdum eſt. *Deſcriptio vitis ſylueſtris.* Eius folia ſtatim tum naſcuntur comeduntur. Vitis ſylueſtris abſtergit pannum & lentigines, ad quod domeſtica debilis eſt. Radix eius cum aqua aut vino bibita confert hydropiſi, & ſolutione educit aquam. Item radix vitis nigræ & albæ, & ſylueſtris, eſt ex ſumma medicinarum abſtergentium ſordes auris. Et eſt ex medicinis conficientibus ſurditati. Cortex eius, quę ſylueſtris eſt cum melle ſanat gingiuam ſanguineam. Lachryma eius forſan eradicat pilos cum oleo, & proprie quæ aſſumitur ex ramis eius recentibus cum inflammantur. Oleum autem eius fortius eſt omnibus oleis. Flos vitis ſylueſtris vehemẽtis eſt ſtipticitatis. Fructus eius prohibet apoſtemari vulnera. Bibitus autem confert *ſputo ſanguinis.* Vtilis etiam eſt *ſtomacho & nauſeæ*, & conturbationi, & acetoſitati cibi. *Plinius vbi ſupra.* Labruſta quæ à Græcis ampeloſagria dicitur, ſpiſſis & candicantibus foliis, geniculata, cortice rimoſo, fert vuas rubentes cocci modo, quæ cutem in facie mulierum purgant. Et variis coxendicum ac *lumborum vitijs* tuſa cum foliis, & ſucco proſunt. Radix decocta in aqua & in vino choi, humorem ciet alui. Ideoq; datur *hydropicis.* Hanc potius crediderim eſſe, quam vulgus vuam tamineam vocat. Et ad expeditionem ſanguinis quoq; adhibent. Eſt huic ſimilis, ſed in ſalictis naſcens, ideoque nomine diſtinguitur, cum eoſdem vſus habeat, quæ *ſalicaſtrum* vocatur. *Salicaſtrum.* Hæc aceto mulſo trita efficacius tollit ſcabiem & pruriginem hominum & quadrupedum.

Vitis alba eſt, quam Græci ampeloleucen vocant. Alij ſtaphylen. Alij melothron. Alij pſilotrum appellant. Huius ſarmenta longis, & exilibus internodiis geniculata ſcandunt. Folia vero pampinoſa ad magnitudinem hæderæ diuiduntur, vt vinum. Radix alba grandis Raphano initio ſimilis. Ex ea caules aſpa-

A ragi ſimilitudine exeunt, qui decocti in vino aluum & vrinam ciunt. Folia & caules exulcerant corpus. Semen in vua raris acinis dependet ſucco rubente, poſtea croci. Nouerunt id, qui coria perficiunt, illo enim vtuntur. P*ſoris* illinitur & *lepris*: abundantiam facit lactis cum tritico coctum & potum. Radix numeroſis eſt vtilitatibus nobilis. Contra ſerpentium ictus duabus bibitur drachmis, trita vitia cutis in facie, *varoſque*, & *lentigines*, & ſuggillata emendat & cicatrices. Eademque præſtat decocta in oleo decocto, datur & in comicialibus potus. Item *mente commotis*, & vertigine laborantibus drachmæ pondere quotidie anno toto. Et ipſa largior ſenſus purgat; oſſa fracta extrahit in aqua impoſita. *Vſus medicinalis.*

B *De vindemiis.*

CXP. LIX.

P*Alladius in libr.* 10. Vindemia menſe Octobri locis tepidis atque maritimis eſt celebranda, frigidis autem apparanda in doliis picandis. Hic erit modus vt dolium ducentorum congiorum duodecim libris picetur, ac deinde pro minoris æſtimatione ſubducatur. Sed *maturitatem vindemiæ cognoſcimus hoc genere.* *Iudicium maturitatis vindemiæ.* Si videlicet expreſſa vua, *vinacia* quę in acinis celantur, hoc eſt *grana*, *fuſca ſint*, & nonnulla propemodum nigra, quam rem naturalis maturitas facit: diligentiores in viginti libris picis vnam libram miſcent optimæ cerę, quæ & odori proficit, & ſapori, picemque lenitate permulcens, frigoribus eam non patitur
C diſſilire. Picis tamen dulcedo guſtu exploretur, quia ſæpe vina eius amaritudine vitiantur. I*dem in libro.* 11. *Menſe Octobri* optima eſt vindemia. Cuius tempore notanda eſt fœcunditas vitium, & notis quibuſdam notanda, vt ex his ad ponendum ſarmenta poſſimus eligere. Aſſerit autem Columella vno anno explorari ſterilitatem non poſſe, ſed quatuor, quo nomine cognoſcitur vera generoſitas ſurculorum. *Menſis pro vindemia.*

P*lin. in lib.* 18. Vindemiam antiqui nunquam æſtimauere maturam ante æquinoctium. Iam paſſim rapi cerno. Quamobrem huius tempora notis argumentiſque ſignentur, leges ita ſe habent, vuam calidam ne legito, hoc eſt in eius ficcitate, ac niſi imber interuenerit. Quam nec legito rorulentam, hoc eſt, ſi ros nocturnus fuerit, Nec prius quam ſole diſcutiatur ros. Vindemiare incipito, cum ad palmitem pampinus procumbere cæperit vel cum exempto acino ex denſitate interuallum apparuerit, non compleri acinum, non augeri, acino, plurimum refert, ſi contingat creſcente luna vindemiare. Iugeribus viginti, vnum ſufficit torcular. Spacioſa melius premunt. Antiqui funibus vitiſque loris ea detrahebant & vectibus. Iuſtum vindemiæ tempus eſt ab æquinoctio ad vergiliarum occaſum dies. 44. Sed iam & in Kal. Ianuarij, defectu vaſorum vindemiantes, vidi, piſaniſque muſta condi vel vina effundi priora, vt reciperentur noua, alias dubia.

De hippomelide ac ziziſa.

CAP. LX.

P*Alla. lib.* 13. Hippomelides arbor eſt mediocris, flore candidulo. Seritur menſe Decembri, nucleis in vaſis poſitis. menſe autem Februario hippomelidis planta, ſed pollicis magnitudine robuſta transfertur breuiſſima ſcrobe ſoluta terra. Plurimo ſtercore muniẽda eſt, quia cito areſcit, ſi radices illius vẽtus afflauerit. Terrã qualem cumq; nõ reſpuit, amat loca tepida, aprica, maritima, & ſæpe ſaxoſa, ſtatum frigidũ reformidat. Inſeri non poteſt exigua, dura æſtate. *Hippomelides.* *Auctor.* Hippomelides (vt ex prædictis manifeſtũ eſt) ipſa eſt quæ iuxta Iſidorum ſuperius pomelides dicta eſt. Idem P*alladius lib.* 5. Ziziſa locis calidis menſe Aprili *Ziziſa.*

conſerenda

conſerenda eſt. Frigidis autem Maio vel Iunio: amat loca calida, Aprica. Seritur oſſibus, & ſtipite, & planta, creſcit tardiſſimè. Sed ſi plãtam ponas Martio magis terrâ molli. Si oſſibus ſeras in ſcrobe palmari, ita vt terna grana per ſcrobẽ cacuminibus ponãtur inuerſis, quibus in imo & in ſummo affundatur lætamen & cinis, & herbis adnaſcentibus manu planta liberetur erumpẽs. Cum pollicis ſoliditati ſimilis fuerit, transferatur in locum paſtinatum vel in ſcrobem. Terram diligit non nimis lętam, ſed proximam tenui atque ieiunæ. Per hyemem prodeſt illi, vt circa codicem lapidum cumulus aggregetur, qui æſtate debet auferri. Si arbor hæc triſtis eſt, ferrea ſtrigili ſubraſa, hilarior fiet, vel ſi fimum bubulum radicibus modicè & frequenter affundas. *Auctor.* Hæc de arboribus frugiferis ad præſens ſufficiant.

De arboribus aromaticis.

CAPVT LXI.

Aromatum etymon.

Ioſcorides. Aromata ſunt, quæ ſui odorem diffundunt. Nomen autem traxiſſe videntur ſiue ex eo quod aris impoſita, diuinis inuocationibus apta putentur. Vel quod aeri inſeri atque miſceri probantur. Quid enim eſt odor, niſi aer contractus. *Ariſtoteles in lib. de vegetabilibus.* Arborum autem aromaticarum quarundam radix amara aut aromatica eſt, quarundã cortex, quarundam flores, quarundam lignum: Aliquarum verò partes omnes aromaticæ ſunt. *Plinius libro* 12. Arabia quorundam generum diſtinctionem flagitat in arboribus, quoniam his radice, frutice, cortice, ſucco, lachryma, ligno, ſurculo, flore, folio, pomo, conſtat fructus. Ex Syria ſtoracem reuehunt acri eius odore in focis abigentes ſuorum faſtidium. Cæterum non alia genera ligni ſunt in vſu quàm odorata.

Nota de Sabæis.

Ciboſque Sabæi coquunt ligno thuris, alij verò myrrhæ, Oppidorum vicorumque non alio exiſtente quàm ex aris fumo atque nidore. Ad hunc ergo ſanandum ſtoracem in pellibus hircinis vrunt, tectaque ſuffiunt, adeo nullâ eſt voluptas, quæ non aſſiduitate ſui faſtidium pariat. Eundem vrunt, & ad ſerpentes fugandos in ſyluis odoriferis frequentiſſimos.

Ingens vectigal thuris

Tradit Herodotus Arabes ſingula millia talentûm annua thuris penſitaſſe Perſarum Regibus. Non ſunt eorum cinnamomum aut caſſia, & tamen fœlix appellatur in Arabia falſi cognominis, & ingrati, quæ hoc acceptum ſuperis ferat, cum plus ex eo inferis debeat, beatum illa fecit hominem: etiam in morte luxuria, quæ dijs intellexerat genita, adhibens vrendis defunctis. Periti rerum aſtruxerunt

Pompa Neronis.

non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps nouiſſimo pompæ ſuæ die concremauit. Æſtimentur poſtea toto orbe, ſingulis annis tot funera, aceruatimque congeſta, honor cadauerum; quę dijs per ſingulas micas dantur.

Auctor. Poſtquam ergo arborum communium atque frugiferarum naturas deſcripſimus, ſupereſt vt etiam arborum aromaticarum, quas odoris præcipui ſuauitate nobili natura dotauit more ſolito, videlicet ſecundum alphabeti noſtri ordinem proprietates atque virtutes proſequamur.

Arbores Edẽ

Ex libro de natura rerum. Arbores quidem eden pretioſiſſimas: medicinales & aromaticas, in extremis ac excelſis ac temperatiſſimis partibus Orientis ab initio mundi plantauit in horto voluptatis Deus, quas ob magnum chaos inter noſtrum exilium, & ipſum Paradiſum interpoſitum tanquam ignotas deſcribere non valemus.

De Aloe.

CAPVT LXII.

ALoe eſt arbor aromatica, quam naſci dicit Iſidorus in India, & in Arabia. Dicunt tamen magiſter Iacobus de Vitriaco, & Platearius, quod huius ligni arborem nemo comprehendere potuit, ſed expulſione ventorum rami de montibus ex temporis vetuſtate cadentes, in flumine Babylonico retibus capiuntur. Vnde à quibuſdã dicitur, quod de terreſtri Paradiſo per Mediterraneos fluuios lignum aloes deferatur. *Iſidorus.* Aloes eſt arbor odoris ſuauiſſimi ac ſummi, quæ in India, & Arabia naſcitur. Denique lignum eius vice thymiamatis altaribus adoletur, vnde

Nota.

Xyloaloes & eius generatio.

& nomen traxiſſe creditur. *Auicenna.* Xyloaloes eſt vena arboris quæ eradicatur, & ſepeliuntur in terra, donec earum lignum, & cortex putrefiant, & remaneat xyloaloes purum. Vniuerſaliter melius eſt, quod magis in aqua ſubmergitur, natans verò malum eſt, priuatum vita & ſpiritu. Eſt autem (vt æſtimo) calidum, & ſiccum in ſecundo, ſubtile, aperitiuum opilationum, frangitiuum ventoſitatum. Remouet ſuperfluitates humiditatum, viſcera confortat, & prohibet iram. Confert valde cerebro. Confortat ſenſus, & etiam neruos, & acquirit eis vnctuoſitatem & viſcoſitatem ſubtilem. Cor quoque confortat, & lętificat. Maſticatio eius facit odorẽ oris bonum. Bibitum autem remouet humiditatem ſtomachi putrefactam, & confortat ipſum, & etiã hepar. In ipſo eſt virtus conſtringens naturam, & confert dyſſenteriæ, & melancholiæ.

Conſtan in Pante. Lignum aloes diuerſæ naturæ eſt, ſed tamen vniuerſaliter eſt calidum & ſiccum, adiuuans cerebri, ſtomachique humectationes, & defectiones eorum. Animam etiam & cor, & omnia interiora membra confortat. *Platearius.* Aloes lignum calidum eſt, & ſiccum in ſecundo gradu. Quod optimum eſt, cognoſcitur ex eo, quod valde ponderoſum eſt, & nodoſum, valdeque aromaticum, ſaporis ſubamari, coloris ſubnigri, vel ſubrubei, contrioni dẽtium non omninò reſiſtens. Dum etiam commaſticatur, ſtatim odor aromaticus videtur cerebrum attingere, & quodammodo implere. Stomachum confortat, digeſtionem procurat. Valet contra debilitatem cordis & cerebri, contra Cardiacam paſſionem, & contra ſyncopen. *Fructus eius per nares receptus cerebrum infrigidatum confortat*, & calefacit, & vt breuiter laudes eius concludam, omnia membra totius corporis debilitata valde confortat.

Optima aloes indicium.

Confortatio cerebri per fructus aloes

De Amomo, & Aſpalatro.

CAPVT LXIII.

ISidorus. Amomum dictum eſt, eo quod velut Cinnamomi odorem referat. Naſcitur in Syria, & Armenia. Frutex botruoſum ſemen reddens ſibi connexum, flore albo veluti violæ, folijs ſimilibus brioniæ, odore etiam bono ſomnos ſuauificat. *Auicenna.* Amomum eſt arbor, ſicut botrus ligni, ſicut rete inuoluti. Florem habet in colore ſimilem æmathiti, folia ſicut vitis albę, coloris aurei. Color ligni eius, ſicut hyacinthi boni odoris. Et eſt eius ſpecies viridis, & craſſa, naſcens in locis humidis, & eius odor, ſicut odor rutæ. Et eſt ſpecies Ægyptiaca, quæ non eſt longa, neque lata, neque debilis, neque grauis ad frangendum, imo vuealis, & eius vber exuberat ſuper tranſitũ vuæ. Eſt autem calidum & ſiccum in ſecundo. Iuxta Dioſcoridem ex eo melius eſt album, aut ad rubedinẽ declinans, plenum ſemine, ſicut botrus, grauis odoris abſque fœtore, coloris vnius, non diuerſum, mordicans linguam, in quo non eſt contractio, ſubtiliat, & maturat, & in ipſo eſt ſtipticitas. Maturat quidem apoſtemata calida. Confert pleureſi frigidæ aperit opilationes hepatis, & eſt plurimæ digeſtionis. Mẽbra

Deſcriptio amomi.

Melius amomum quod

Vtilitas eius

expulſionis prouocat, & doloribus matricis confert. Grauat autem caput, facitque ſoda, & eſt de inebrian tibus ac dormire facientibus. Eius decoctio vtilis eſt podagræ, & optalmiæ calidæ, & bibitur ad ægritudines hepaticas. In decoctione eius ſedetur ad dolorem renum. Emplaſtrum ex eo factum cum bethorog, valet contra puncturam ſcorpionis.

Triplex ſpecies eius.

Dioſcorides. Amomum eſt genus arborum, vel herbæ odoratiſſimæ, cuius frutex botro ſimilis, in circuitu eiuſdem arboris naſcens, ramulos habens ſiccos, & duros, virgulis ſimiles, coloris ſubrufi. Huius autē triplex eſt ſpecies. Vnum appellatur armenum, cæteris melius, auroſi coloris, vel fului, odoris boni. Aliud quod dicitur melicon, viride & tactu lene, ſaporem habens origani. Tertium vero ponticum rufum, & non longum, neque difficile, botroſum, ſemen habens plenum, & odore ſtipticum. Eligendum eſt autē recens, & album ponderoſum. Quod maſticatū quodam acumine mordet linguam, ſomnum præſtat. Tumores etiam cataplaſmis adhibitum ſedat. Cum ocimo quoque tritum ſcorpionum ictibus occurrit. Item fœminarum fluxus fomento compeſcit. Idem cum vua paſſa mixtum, & cataplaſmatum tumores viſcerum ſedat, & eius aqua tumentes oculos fomento releuat. Adulteratur autem herba ammonæ, quæ ſimilis eſt ei, ſed caret odore. *Razi.* Hymene, ideſt amomum calidū eſt, & ſiccum. Opilationi hepatis ex frigiditate proficit, dolorem matricis aufert. In capite tamen dolorem atque grauedinem, & ſchothomiam generat. *Conſtantinus in libro graduum.* Amomum calidum & ſiccum eſt in tertio gradu, prouocat mēſtrua, poſema eius potatum, optimum eſt epilepticis, vel phreneticis, podagricis, & inflationem diſſoluit.

Aſpalathros

Plinius lib. 12. Aſpalathros in Ægypto naſcitur, ſpina candida magnitudine arboris modicæ, flore roſæ. Radix eius vnguentis expetitur. Tradunt in quacunque frutice curuetur arcus cæleſtis, eandem quæcunque ſit aſpalathro exiſtere ſuauitatem odoris, ſed in aſpalathro quandam inenarrabilem. Quidam vocant ſceptrum eriſij, alij ſceptrum eliſci. Cuius probatio eſt. in colore rufo, vel igneo, tactuque ſpiſſo, & odore caſtoreo.

De Balſamo.

CAPVT LXIV.

Balſamum in Iudea tātum in initio

Sidorus. Balſami arbor in Iudæa tātum intra terminos viginti iugerum erat. Poſtquam autem ea regione Romani potiti ſunt. Etiam latiſſimis collibus propagata eſt, ſtirpe ſimilis viti, folijs ſimilis rutæ, ſed albidioribus, ſemperque manentibus. Arbor quidem balſamum dicitur, lignum eius xylobalſamum, fructus vel ſemen capobalſamū, ſuccus autem opobalſamum. *Gloſ. ſuper Cant.* Engaddi locus eſt, vbi creſcit balſamū cuius arbores, quia in modum vinearum excoluntur, vineæ engaddi dicuntur. *Plinius vbi ſupra.* Omnibus odoribus præfertur balſamum. Vni terrarum olim Iudeæ conceſſum in duobus tantum hortis regijs, altero iugerum viginti non amplius, altero paucioribus. Nūc autem implet colles vinearum modo, quæ ſine adminiculis ſeipſas ſuſtinent, properatque naſci intra tertium annum fructifera, folium proximè tuberi, perpetua coma procerior, proceritas intra bina cubita ſubſiſtit. Huius arboris tria ſunt genera. Primum aſpectu incuruum, fruticoſum, odoratius. Tenui, & capillacea coma, quod vocant anthericeum. Alterum ſcabro. Tertium eumetes: quia reliquis procerius leni cortice. Huic ſecunda bonitas. Nouiſſima autem anthericeo. Ferro lædi vitalia odit, protinuſque moritur. Eadem amputari ſuperuacua patiens. Quapropter incidentis manus artifici temperamento libratur, ne quid vltra corticem violet. Lignum huius xylobalſamum vocatur, quod in vnguenti ſucco coquitur: ex hoc buxoſum eſt optimum, quod eſt odoratiſſimum, & ſemine maximum, & ponderoſiſſimū, mordens guſtu, feruenſque in ore. Adulteratur petreo hipenico, quod arguitur ſua magnitudine, inanitate, longitudine, odoris ignauia, ſapore piperis.

Tria genera balſami.

Dioſcorides. Balſamus eſt arbor nimis calida & ſicca, malogranato ſimilis, ramoſa, ramis tenuibus, & exalbidis. Inſciduntur autem eius truncus, & ramuli etiam per loca, & ſic ſupponuntur vaſa quæ lachrymum fluentem excipiant, cuius optimum eſt recens, ſincerum, & exalbidum, auſterum, & odore acutum, & pernitidum.

Gloſſa ſuper eccleſiaſticum. Arbores balſami more vinearum excoluntur, & adminiculis ſuſtinentur. Viti enim ſimiliores ſunt, quàm myrto, perpetua coma inſignes, duobus cubitis eminentes. Semen habet vini guſtum, colorem rufum. Ramis craſſior quā myrti, quæ & certo anni tempore fundant balſamū. Agricolæ quoque acutis lapidibus, vel oſſeis cultellis ſolent inſcidere. Nam ferri tactus noxius eſt, & per inſciſiones manat ſuccus odoris eximij, & lachrymis pulchre rorantibus. Lanis exceptus parua in cornua colligitur. Gratia autem præcipua eſt lachrymę, ſecunda ſemini, tertia cortici debetur, minima verò ligno. *Solinus.* Balſama ſimilia vitibus ſtirpes habēt, malleolis inſeruntur, raſtris niteſcunt, aqua gaudent, amant amputari, tenacibus foliis ſempiterno inumbrantur,

De medicinali virtute balſami.

CAPVT LXV.

Vis medicinalis.

Conſtantinus vbi ſupra. Balſamus eſt arbor naſcens in Iudæa, ſuper terram vnius brachij vel paulo plus menſura. Cuius rami ſunt rubeo viridique colore perfuſi, quaſi rami Tithymali, eiuſque frondes ſunt tenues, viridemque colorem habentes. In capite faciunt quaſi gingiuas, parua præcedentes in modum piperis grana. Et ramorum eius fiſſuris quolibet anno in diebus canicularibus ſuccus egreditur quaſi lac tithymalli. Rami autem & carpo & liquor medicinæ conuenientia ſunt, liquor tamen eſt laudabilior, Carpo laudabilis. Rami verò minus cæteris. Omnes tamen calidi ſunt & ſicci in ſecundo gradu. Oleum autē cęteris eſt calidius. *Auicenna.* Balſamus eſt arbor Ægyptia naſcens tantum in loco qui dicitur oculus ſolis. Huius folia & odor rutę ſimilantur, ſed ipſa declinat ad albedinem. Statura eius vt arboris eruſci. Et eius quidem oleum melius eſt ſemine eius. Semen verò fortius ligno ipſius in omnibus modis eius. Lignum enim calidum eſt & ſiccum in ſecundo, & ſemen parū calidius. Oleum autem calidius eſt vtriſque. Aperit autem opilationes, & confert viſceribus craſſis, & vlceribus capitis, & epilepſiæ ac vertigini, debilitati quoque digeſtionis, & iſchiaticæ. Mundificat caput & vlcera, & extrahit fracturas oſſium, bibitur eius decoctio propter ſpaſmum. Item abſtergit pannum oculi, & confert aſmati craſſo, ſtricturę anhelitus ac dolori pulmonis. Mundificat ſtomachum, & confortat hepar. Confert etiam dolori pungitiuo, & doloribus matricis. Reſiſtit venenis, & confer morſui viperę. Semen eius confert peripleumoniæ & frigidæ tuſſi.

Locus naſcētia.

Curationes quas facit.

De Calamo aromatico.

CAPVT LXVI.

Calamus aromaticus optimus quis

Sidorus. Calamus aromaticus à ſimilitudine calami vſualis vocatur. Gignitur in India multis nodis geniculatus, fuluus, fragans ſpiritus ſuauitate. Qui cum frangitur in multas partes fit ſciſſilis, ſimulans guſtu caſſiam cum leui acrimonia remordente virtutis vnctualis, & feruentis. *Dioſcorides.* Calamus aromaticus in India naſcitur, & eſt optimus colore rufus, cum nodis ſpiſſis, & cum frangitur ſciſſilis, & arenoſus appareat ac fuluus, odore ſuaui, guſtu & viribus ſtiptico atque glutinoſo. *Plinius vbi ſupra.* Iuncus odoratus nihil differt à cæteris ſui generis aſpectu. Sed calamus

odoratus

odoratus præſtantior eſt. Odore ſtatim è longinquo inuitat, mollior tactu, meliorque qui minus fragilis. Et qui à ſolo ſe potius, quam qui raphani modo frangitur. Ineſt autem fiſtulæ araneum, quod vocant florem, præſtantior eſt cui numeroſius. Reliqua probatio eſt, vt niger ſit, damnantur albi. Melior quo breuior & craſſior & lentus in frangendo. Calamo precium eſt in libram vnam, iunco in quinque. Traduntque iuncum odoratum in Campania inueniri.

Arancum.

De medicinis ex eo.

CAPVT LXVII.

Culamus aromaticus.

Auicenna. Calamus aromaticus calidus eſt, ſiccus vſque ad ſecundum. Melior eſt ille qui eſt hiacynctini coloris, propinquos habens nodos, qui in plurima fruſta frangitur, & cuius canna plena, re ſimili telæ araneæ, & in maſticatione eius eſt acuitas. Et cõtritus eſt boni odoris, & eſt declinans ad citrinitatem & albedinem. Eſt autem ſubtiliatiuus, in ipſo enim eſt ſubſtantia ſubtilis, ſicut in pipere & cinnamomo, ac reliquis ſpeciebus huiuſmodi. In ipſo eſt ſtipticitas pauca cum acredine. Et in eius ſubſtantia ſunt tereitas & aëreitas. Et eſt bonæ commixtionis ad æqualitatem pertinẽs, ſed eius exiccatio maior eſt. Cõfert occultationi ſanguinis mortui, & contritioni lacertorum. Et apoſtemati hepatis, & ſtomacho ac tuſſi. Valet etiam ad tumorem, abſtergit viſum, apoſtemata reſoluit. Membra expulſionis prouocat. Et cum ſemine apij confert renibus, ac diſtillationi vrinæ.

Conſtantinus vbi ſupra. Calamus eſt ſubtilis citrini coloris, ſuauis odoris, concauus deſiccatiuus, & facilimè rumpitur, digitis conſtrictus. In India & Perſia naſcitur, ſed laudabilior eſt Indicus. Eſt autẽ calidus, & ſiccus in ſecundo gradu. Valetque ad dolorem ſtomachi & hepatis potui datus. Menſtrua prouocat, & veteri tuſſi prodeſt, ſi ſuffumigium inde fiat. Ad ſtringendum quoque ſanguinis fluxum valet.

Temperamentum.

Platearius Calamus aromaticus calidus eſt & ſiccus. Quidã reperitur in Perſia qui citrinus eſt. Et eo phtiſici non vtuntur. Alius in India, qui ſubalbidus eſt, & eo vtuntur. Eſt autem radix cuiuſdam fruticis valde aromatica, calamo ſimilis, quia concaua eſt. Cũ enim colligitur, quoddam lignum quod interius eſt extrahitur. Eligendus eſt autem calamus ſubalbidi coloris, qui cum frangitur, nõ facile pũluerizatur. Per tres annos ſeruatur. Habet virtutem confortandi. Puluis eius valet contra dolorem ſtomachi ex frigiditate vel ventoſitate. Ad digeſtionem ſtomachi confortandum datur puluis eius cum puluere cinnamomi, hoc etiam valet contra cardiacam.

Melior calamus.

De Caſſia lignea.

CAPVT LXVIII.

Caſſia.

Iſidorus. Caſſia naſcitur in Arabia, Virga robuſti corticis & purpurei, eſt virtutis cinnamomo ſimilis, ſed inferior potentia, vnde pro cinnamomi vice duplex eius pondus in medicinis admiſcetur. *Plin. lib.* 12. Eſt caſſiæ frutex iuxta cinnamomi campos naſcens, ſed in montibus craſſiori ſarmento, tenui cute verius quam cortice, quem conteri & exinanire, & in cinnamomo leuare precium eſt. Amplitudo frutici trium cubitorum eſt. Color eius triplex cum primum emicat candidus pedali menſura, deinde rubeſcit, addito ſemipede, vltra vero nigricans, hæc pars maxime laudatur, deinde proxima, damnatur vero candida. Tum ſecant ſurculos longitudine binũm cubitorum, mox præſunt recentibus corijs quadrupedum ob id interemptorum, vt illis putreſcentibus vermiculi erodant lignum & excauẽt corticem tutum amaritudine: probatur recens maximè, & quæ ſit odoris molliſſimi, guſtuve quam maxime feruens, potiuſque lento tepore leniter mordens. Colore purpureo, quæque plurima minimum ponderis faciat, breui tunicarum fiſtula atque non fragili.

Auicenna. Caſia calida eſt & ſicca in ſecundo. Dicitur autem quod eſt cortex radicis mori aſcemij, & eſt plurium ſpecierum. Melior eſt illa quæ eſt rubei coloris, pura, plana, longi ligni, craſſæ cannę, ſubtilis foraminis, ſolida, craſſa, boni odoris, quæ mordicat linguam & conſtringit. Nigra vero mala eſt. Quod de ipſa adminiſtratur eſt cortex. In ligno enim eius non eſt bonitas. In ipſa quidem eſt ſtipticitas, & reſolutio cum acredine, plurima ſubtiliatio, multaque inciſio propter acredinem ſuam adiuuat ſtiptica. Suaque reſolutione & ſolutiua iuuat, confortat membra. Reſoluit apoſtemata calida & frigida in viſceribus, cõfert pectori, & ponitur in medicinis oculi. Vinum in quo infunditur confert ſtomacho. Syrupus eius cõfert hepati. Item prouocat membra expulſionis. Vtraque cõfert doloribus renũ ac veſicæ. Craſſas ventoſitates reſoluit. Et ad potum datur ad venenum tyriæ.

Melior caſſia.

Vis medicinalis.

Conſtantinus in libro graduum. Caſia calida eſt & ſicca in ſecundo gradu. Stomachum, hepar, & omnia principalia membra confortat. Opilationem aperit. Craſſos humores & ventoſitatem diſſoluit. Vrinã & menſtrua prouocat. Si vero medicinæ laxatiuæ miſceatur, ad eijciendũ craſſos humores iuuat, cũ melle temperata & ſuper dura apoſtemata impoſita, ea ſoluit & curat. *Platearius.* Caſia lignea calida eſt & ſicca in tertio gradu. Eligenda eſt quę nõ facile frangitur, ſed plicatur. Et cũ frangitur colores habet intus ſubalbidos, diſtinctos, & plures ſubrufos. Saporem habent acutum dulcedini mixtum cũ aromaticitate & poteſt per decẽ annos ſeruari. Sophiſticatur autem quandoque ex admixtione corticis capparis, ſed diſcernitur, quia cortex capparis eſt ſubamari ſaporis. Virtutem habet diureticam ex ſubtili ſubſtantia conſumendi ex qualitatibus, confortandi ex aromaticitate. Valet cõtra frigidũ rheuma, vel aliàs paſſiones capitis, & epilepſiam, contra ſtranguriam & dyſſenteriam & paſſionem renũ, ac veſicæ, cõtra opilationes ſplenis & hepatis, cõtra frigiditatem ſtomachi, cõtra fętorem oris, vel ſubaſcellarum, & corruptionem gingiuarum contra cardiacã paſſionẽ & ſyncopen. *Razi.* Salegeha ideſt Caſſia lignea calida eſt & ſicca. Visũ acuit, & vrinã prouocat.

Sophiſticatio eius.

De cinnamomo.

CAPVT LXIX.

Cinnamomum.

Iſidorus. Cinnamomum dictum eſt, eo quod cortex eius in modum cannæ fit rotundus & gracilis. Gignitur autem in India & Æthiopia frutice breui, duorum tantum cubitorum, colore ſubnigro vel cinereo, tenuiſſimarum virgarum. Nam quod in craſſitudine diſtenditur, deſpectui eſt, quod autem gracilius prouenit eximium. Quod cum frangitur viſibile ſpiramentum emittit ad imaginem nebulæ ſeu puluueris.

Plinius in libr. 12. Cinnamomum frutex eſt duorum altitudine cubitorum ampliſſimus, palmique minimus quatuor digitorũ craſſitudinis, ſtatim à terra ſex digitis ſurculoſus arido ſimilis, cum viret non odoratus, origani folio, ſiccitate gaudẽs, imbre ſterilior, ceu diræ naturæ. Gignitur quidẽ in planis, ſed denſiſſimis in vepribus, rubiſque, difficilis collectu. *Non metitur niſi permiſerit Deus, Nec ante ſolis ortum vel poſt occaſum metere licet.* Sarmenta quondam ſacerdos haſta diuidebat, deoque Ioui partẽ reponebat. Reliquã vero partẽ mercator in maſſas condit. Eſt & alia fama, cum ſole diuidi, ternaſque partes fieri, deinde ſorte germina diſcerni. Quodque ſoli ceſſerit relinqui, ac ſpõte conflagrare. Prȩcipua bonitas virgultorum eſt tenuiſſimis partibus ad lõgitudinẽ palmi. Secunda vero proximis, breuiore tamẽ menſura atque ordine. Viliſſimũ quod caudicibus vel radicibus eſt proximum, quoniam ibi minimũ corticis, in quo ſumma gratiæ, Qua de cauſa

Nota.

Duo genera Cinnamomi

præferuntur cacumina. Quidam cinnamomi duo tradiderunt genera ſcilicet candidus, atque nigricãs. Olim candidum præferebatur, nunc econtra nigrũ laudatur. Varium quoque candido præfertur. Certiſſima vero æſtimatione ſi ſcabrum ſit atque vt inter ſeſe tritum tarde fricetur. In primis aut molle damnatur, aut cui cortex albet. *Auicenna libro 4.* Cinnamomi ſpecies nigra eſt bona, & eſt plana neque nodoſa. Montana eſt craſſa & breuis, quod ex eo album eſt latum eſt inflatum, frangibilem habens radicem, declinantem ad molliciem. Et quòd declinat ad viriditatem habet caſiæ ligneæ odorem. Eius virtus durat tempore longo, ſi teratur & ex eo fiant toriſci cum vino. Cinnamomi ſpecies ammomum eſt.

Nota.

Ex libro de natura rerum. Cinnamomum arbor aridæ ſimilis eſt cum viret & floret, ſiccitate gaudet. Itaque ſterilis imbre fit, *fœcundior autem in denſiſſimis vepribus ſit ac prouenit.*

De Medicinis ex eo.

CAPVT LXX.

Cinnamomum melius

Auicenna. Cinnamomum calidum eſt & ſiccum in tertio. Meliuſque eſt illud, quod eſt boni odoris, & acuti ſaporis, ſine mordicatione, coloris puri non commixti. Et vt ait. *Dioſcorides.* Melius eſt nigrũ ad igneitatem & rubedinem declinans. Planum ramos habens propinquos ſubtiles, in quo ſunt dulcedo & ſalſedo & mordicatio parua, nec eſt valde frãgibile. Et ex eius quidem bonitate eſt vt vincat omnem odorem præter ſuum, & non ſentiatur cum eo. Eſt autem vltimum in ſubtiliatione, attractiuum, aperitiuum, rectificans omnem putrefactionem & virtutem corruptam Oleum eius calidum eſt valde, reſolutiuum, liquefactiuum. *Platear.* Cinnamomum calidum eſt in tertio gradu, ſiccum in ſecundo. Eligendum eſt illud quod ſubtile eſt, acutum, habens odorem dulcedini mixtum, cum multa aromaticitate & ſubrufũ. Quod autem ſubalbidum eſt aut nigrum, abiiciendum. Per decem annos poteſt ſeruari. Ex aromaticitate virtutẽ habet confortandi cerebrum. Ex glutinoſitate conſolidandi. Contra debilitatem ſtomachi & digeſtionem debilem ex frigiditate valet puluis eius. Qui etiam cõpetenter in ſalſamentis ponitur ad appetitum prouocandum ex ſuperfluitatibus. Ad oris aromaticitatem commaſticatur. Non enim adeo calidus eſt vt diſſoluat, & os putrefaciẽdo corrumpat, ſicut gariophilum, & ſimilia, quæ multum calida ſunt. Ex horum enim vſu licet os ad tempus aromaticum reddatur, in poſterum tamen corrumpitur, quia ex caliditate diſſoluunt, vnde fit putrefactio. Cinnamomum autem autem nõ eſt ita calidum. Eſt tamen etiam conglutinatiuum. Item puluis eius valet ad nouas ſciſſuras labiorum, vel aliorum vlcerum contra ſyncopen & cardiacam.

Abijciendũ Cinnamomum.

Razi. Cinnamomum calidum eſt & ſiccum. Stomachum & hepar corroborando, digeſtiuam virtutẽ adiuuat & ventoſitatem expellit. *Iſaac in 3. libr.* Cinnamomum calidum eſt & ſiccum in 3. gradu, ſtomachum confortat, opilationes aperit, vrinam & menſtrua prouocat. *Auicenna.* Cinnamomi operationes & proprietates. Vltimum eſt in ſubtiliatione, attractiuum, aperitiuum, rectificans omnem putrefactionem, & omnem virtutem corruptorum. Oleum autem eius calidum eſt valde, reſolutiuum, calefactiuũ.

Virtus medicinalis Cinnamomi.

Cinnamomum ponitur ſuper pannum, & maculas lẽtiginoſas. Et eſt conueniens cum aceto bothor leni, & impetigini & vlceribus. Confert & cotizæ, panno, & tenebroſitati oculorum. Et tuſſi, hydropiſi, & dolori matricis ac renum & apoſtematibus eorum, rigori quoque febrium & morſui vermium venenoſorum. Eius etiam oleum mirabile eſt in tremore. Caput autem grauat. Et ipſum mundat attrahendo humiditates ex eo. Et aurium dolorem ſedat. Lenificatiuum eſt & mundificat quod eſt in pectore. Aperit opilationes hepatis, & confortat ipſum & ſtomachum & deſiccat humiditatem eius. *Dioſcorides.* Virtus eſt omni cinnamomo calida & diuretica, malactica & leptomerica & digeſtibilis. Potatum cum aqua ſecundinas mulierũ excludit, & menſtrua prouocat, meliuſque ſi myrrhæ fuerit admixtum, veneno potato vel morſibus venenatis occurrit. Caligines oculorum detergit. Cũ melle tritũ maculas vel lentigines è facie purgat. Tuſſim ſedat. Catarrhos mitigat, hydropicis medetur. Nephreticis ac diureticis vtiliter datur. Cinnamomi vero genera multa ſunt. Sed omnibus melius eſt ſimile caſſiæ maſſelaticæ recens & nigrum, quod in vino miſſum ſoluit ſe, virgas habens teneras ac leues nodis plenas cum odore, pleno quaſi rutæ, acri, mordax guſtu quaſi naſturtij ſemẽ, cum quadam ſalſitate & parua viſcitudine, huius haſtas cum fregeris, puluerem emittunt odore omnia vincentem. Quas cum à terra euulſeris, radices eas ſequuntur. Hæc eſt probatio cinnamomi. Eſt autem alterum genus montanum aſperius ſtatuque breuius & craſſius, colore ſubrufum Pariter ſimile eſt caſſiæ maſſelaticæ ſubnigrum colore, tactu lene, non multos habens nodos. Quartũ genus eſt album, fragile, in robore craſſius, & eſt radicibus maius. Quintum genus eſt corio ſimile caſſiæ, odore ſimiliter, colore ſubrufum, haſtas multas retinens, ſed non odore plenum. Sextum genus, quod appellatur lothos & mathos, ſed nec virtutem, nec odorem habet. Septimum eſt, quod à Græcis xylocinamomum, ideſt lignum cinnamomi dicitur, radicem habens maiorem cum haſtis nodoſis, odore non ſuaue. Eſt etiam alterum genus quod aliqui pſeudocinnamomum vocant, viſu bonum, haſtas habens craſſas, odore & virtute inferius. *Conſtantinus in libro graduum.* Cinnamomum diuerſum eſt. Eſt enim craſſum quod de arboribus abſcinditur, & gariophylatũ, quod ramorum arboris ſuę cortex eſſe dicitur. Omnia tamẽ calida ſunt in tertio gradu ſicca in ſecũdo. Laudabilius eſt anthimum, quia ſtomachum cõfortat, & eum aromatizat, humiditatem eius deſiccat, opilationem eius aperit, cibum digerit, phlegma diſſoluit, vrinam & menſtrua prouocat. Et tuſſim de craſſa humiditate & catarrhum, ſicut hydropiſim, renum dolorem placat, & morſum reptilium. Et collyrio mixtum ſuperfluam humiditatem oculorum deſiccat. Tritum & aceto tẽperatum impetigines & lentigines extirpat.

Probatio optima Cinnamomi.

Macer.

Carmina de Cinnamomo & eius virtute.

Cinnama tres ſpecies dicuntur habere, ſed harum
Eſt precioſa magis, quæ plus ſubtilis habetur,
Et quæ plus mordet mixta dulcedine linguam,
Humores ſtomachi ſiccat, corroborat ipſum,
Et facit acceptas vt digerat ocyus eſcas,
Sumptum curat hepar, lotum quoque menſtrua purgat,
Humida tuſſis eo ſedabitur atque catarrhus,
Hydropicis ſpeciem, cui præbent tympana nomen,
Sumpta non modicum reprimit renumque dolorem,
Reptilium morſus curat, ſed iungitur illis,
Quæ curat oculos, humores curat aqueoſos,
Si bene contritum, forti miſcetur aceto,
Liberat appoſitum, terra lentigine vultum,
Sicque iuuat morbum qui ducit ab impete nomen,
Craſſa magis ſpecies fluxus hæmorrhoidarum
Stringit, aqua gelida bene ſi contrita bibatur,
Tempore quo mundum patiens ieiunia fregit,
De ſpecie geminas hæc quęrit portio dragmas.

De Cypero.

CAPVT LXXI.

Deſcriptio Cyperi.

Dioſcorides. Cyperus eſt arbor habens folia oliuæ ſimilia: ſed viridiora & paulo croſſiora. Semen nigrum, & florem album, cum germine & odore bono. Huius folia maſticata tumorem oris compeſcunt, quia virtutis cohærentis ſunt, ſed cætera eiuſdem arboris cataplaſmata humores & tumores calidos tollunt: Horum etiam elixatura fomento combuſtis medetur. Eadem quoque ſucco ſtruccij mixta, ſi caput aſſiduè

aſſiduè fomentes, capillos inficiet. Flos eius cum aceto cataplaſmatibus adhibitus, dolorem capitis ſoluit. *Gloſ. ſuper Cantica.* Cyprus eſt arbor aromatica in Ægypto ſemine candido & odorifero. Quæ coquitur in oleo & exprimitur, vnde paratur vnguentum regale, quod Cyperus dicitur. *Plinius in libro* 12. Cyprus eſt arbor in Ægypto zizifi folijs, ſemine coriandri cãdido & odorato, hæc in oleo coquitur & poſtea premitur, idque Cyperus dicitur. Optimum eſt in Canopica in ripis Nili nata. Secundum Aſcalone Iudææ. Tertium Cypro Inſula, odoris ſuauitate. Quidã hanc dicunt eſſe arborem, quæ in Italia *liguſtrum* vocetur.

Liguſtrum.

Idem in libro 23. Ex Cypro fit oleum, cuius natura excalefacit *neruos* & emollit. Folia ſtomacho illiniũtur. Et vuluæ concitatę ſuccus eorum apponitur. Folia quoque commanducata recentia medentur *vlceribus* in capite manantibus & oris collectionibus. Decoctum earum ambuſtis & luxatis prodeſt. *Rufant capillum* tuſa adiecto ſtruccij mali ſucco, flos capitis dolores ſedat cum aceto illitus. Vlcera putreſcentia per ſe vel cum melle ſanat. Odor autem floris olet, qui ſomnum facit.

Virtus eius.

De Fiſtula.

CAPVT LXXII.

Caſſia eſt Fiſtula.

Gloſſa ſuper Cantica. Fiſtula, quæ & calida arbor eſt aromatica, ſed pauca, robuſti corticis purpureique valet ad curandum viſcerum moleſtias. *Gloſ. ſuper Pſalterium.* Caſſia, quæ & fiſtula dicitur, in aquoſis dicitur naſci. Creſcit in immenſum. *Auicenna.* Fiſtula, quid eſt? Stipites albi piloſi ſimiles polio, ſed plus piloſi, immo quaſi toti ſunt pili. Et odor eius ſicut myrrhæ. Eſt autem calida declinans aliquantulum ad aromaticitatem. *Dioſcorides.* Caſſia fiſtula plures habet ſpecies, ſed optima eſt Arabica, quæ eſt aſpectu gratiſſima, colore ſubrubeo corallo ſimilis, tenuis, tactu leniſſima, longa fiſtula, guſtu ſubmordax, neſcio qua calefactione, odore aromatico plena & in ore miſſa, vini ſaporem ſubtrahens. Hæc habet haſtã longam cum corio ſuo. Foliaque ſimilia piperis arboris. eſt & altera ſubnigella, colore purpureo, odore plena, ſed minimè ſuaui. Eſt iterum *pſeudocaſſia* lappacio ſimilis, nec in guſtu ſuauis. Alia quoque platea, ideſt lata, quæ ſyringos dicitur. Eſt enim lata, lenis, & mollis colore ſubalbida & ſcabroſa. Virtus caſſiæ fiſtulæ calida eſt diuretica ſiccatoria, guſtu ſubmordax. Eſt etiam leptomeris, ideſt extenuatoria ſatis acris aliud habens ſtipticum, extenuat ſimul ac digerit, quæ in corpore ſuperflua inuenerit, ruborem imponit. Viſceribus vtiliſſima eſt, vitijſque *thoracis* omnibus, ad caligines oculorum *malagmatibus* neceſſaria eſt. Cum melle trita *maculas* vultus emendat. *Menſtrua* prouocat, tumores intraneorum bibita ſedat. Cum aqua bibita morſibus venenatis occurrit, fomento *renum* dolorem compeſcit. Eius ſuffumigatio *matricem* ad ſeceſſum deponit. Duplici pondere pro cinnamomo miſcetur in antidotis, & eſt in omnibus vtilis.

Pſeudocaſſia.

Virtus medicinalis.

Auicenna. Caſſia fiſtula, Alia & Chebulia, alia Ægyptia. Melior eſt illa quæ ſumitur à canna, & quę eſt ſplendidior & pinguior. Et melior canna ipſius eſt illa, quæ ſplendida eſt & plana. Æqualis eſt in caliditate & ſiccitate. Et eſt humida, reſolutiua, lenitiua. Cõfert *apoſtematibus* calidis in viſceribus, & propriè in gutture, quando ex ea fit gargariſmus cum aqua ſolatri, & linitur ſuper *apoſtemata* dura & confert eis. Liniuntur & ex ea podagra & iuncturæ doloroſæ. Quãdo diſſoluitur manibus in aqua coriãdri humidi cum ſpuma pſillij, & deinde fit ex ea gargariſmus. Confert præfocationi, mundificat hepar, & cõfert ictericiæ & dolori hepatis. Eſt lenificatiua ventris, & educit choleram aduſtam & phlegma, & ſoluit ſine nocumento, & abſque mordicatione. Adeo quòd ipſa eſt conueniens prægnantibus, & ſoluit eas.

De Libano.

CAPVT LXXII.

Thus ſuccus Libani.

Gloſſa ſuper Eccleſiaſticum. Libanus, vt aiunt, eſt in Arabia cortice & folio lauro ſimilis, ſuccum amygdali modo emittẽs, qui thus dicitur, & bis in anno colligitur, autumno, & vere. Regio autem thurifera ſaba appellatur, vndique rupibus inuia, & à dextera ſcopulis maris inacceſſa. Arbores ſponte naſcuntur, quibus inſciſis lachryma fluit. *Helinandus libro* 10. In Libano monte naſcitur arbor thurifera, Huius virgulta, vt ait Solinus, non ſunt publica, ſed quod eſt apud Barbaros, notum eius per ſucceſſiones tranſit familiarum. Qui autem dominium huius arboris tenent, ſacri Arabicè vocantur. Hi cum lucos iſtos metunt, vel inſcidunt, non funeribus interſunt, nec congreſſibus fœminarum polluuntur. Iuba Rex ſcripſit intorto ea eſſe vimine, & perplexo ad aceris qualitatem. Amygdalæ vero ſuccum fundere, inſcidique ortu canis flagrantibus ſolibus.

Sacri apud Arabas qui?

Auctor. Itaque arbor ipſa dicitur, & libanus, & thus. Gutta verò dicitur, & thus, & olibanum, de qua ſcilicet ſub vtroque nomine dicetur inferius.

Auicenna libro ſecundo. Ex olibano adminiſtratur in medicinis minutum & cortices, & fumus, & partes arboris eius omnes, & propriè folia.

De Matir.

CAPVT LXXIV.

Machir vel Matir.

Plinius libro 12. Matir adnehitur ex India, cortex rubens radicis magnæ, nomine arboris ſuæ. Qualis ea ſit, videlicet arbor incompertum habeo. Corticis melle decocti vſus ad dyſſentericos habetur in medicina præcipuus. *Dioſcorides.* Matir, vel machir eſt corium ligni venientis de barbarico, coloris rufi cum calore, ſolidoque robore. Cuius virtus eſt ſtiptica & remordens, quàm maximè in guſtu. Tuſa & bibita hæmoptoicis & dyſſentericis & cæliacis ſingularem præſtat effectum.

Ex libro de natura rerum. Matir, vel machir eſt arbor in India, cortice prope rubeo radice magna. Ex hac fluit gutta, quæ maſtix dicitur, odorifera multum, coloris punicei. Hæc *granomaſtix* dicitur, eo quòd in modum granorum alijs guttis eſt admixta. Splendorem faciei confert, & eam pulchrificat. Adulteratur tamen thure, vel reſina. Cortex arboris machir cum melle decoctus ad dyſſenteriam præcipuus eſt. Vim habet conſtringendi, confortandi, conſumendi, conglutinandi, & conſolidandi. Contra humores fluentes à capite, ad oculos, vel ad dentes. In alia vero ſignificatione ſecundum alios dicitur macis, flos muſcatæ, vel cortex ipſam nucem continens. *Auctor.* Hic videtur accipi macis pro lentiſco, fortaſſe vitio ſcriptoris. Nam ſecundum Iſidorum, & alios auctores, Maſtix eſt gutta lentiſci arboris, quæ dicta eſt granomaſtix. Hæc ſolum reperitur in India, ſed melior eſt in Choo inſula.

Maſtix. Granomaſtix.

Macis, flos muſcatæ.

De Myrrha.

CAPVT LXXV.

Myrrha acanthum.

Iſidorus. Myrrha eſt arbor Arabiæ, altitudinis quinque cubitorum, ſimilis ſpinæ, quam *acanthum* vocant. Cuius gutta viridis eſt & amara, vnde nomen accepit. Gutta eius ſponte manans precioſior eſt. Elicita corticis vulnere vilior. Sarmenta eius Arabes ignibus fouent. Quorum fumo ſatis noxio, niſi ad odorẽ ſtoracis occurrant, plerũque morbos inſanabiles cõtrahũt. *Gloſ. ſuper Exod.* Myrrhæ arboris virgulas Arabes exurũt, vt melius pullulent, & fructificent. Huius arboris gummi propriè vocatur *ſtacte*, myrrha

vero abuſiuè. *Plinius vbi ſupra.* Myrrha multis locis Arabiæ naſcitur, & eſt diuerſi generis, conuehitur, & ex ſyluis laudata. Petuntque eam etiam à Troglodytis Sabæi tranſitu maris. Satiua quoque prouenit multum ſylueſtri prælata. Gaudet raſtris & ablaqueationibus melior radice refrigerata, arbori altitudo ad quinque cubita, nec ſine ſpina, caudice duro & torto, craſſiore, quàm thuris. *Solinus.* In ſaltibus Arabiæ myrrha prouenit, cuius radices vt vitium raſtris proficiunt. Ablaqueationibus gaudent. Nudatæ pinguiori lachryma fluunt. Sponte manans ex ea ſudor precioſior eſt. Elicitus corticis vulnere vilior iudicatur. Cortex in vertiginem flexus, & ſpinis hiſpidus, foliũ licet criſpius, oliuæ tamen ſimile.

Ex libro de natura rerum. Myrrha eſt arbor ſpinoſa & aculeata, durior à radice, quàm reliqua ſui parte. Corticem habet lenem, folium oliuæ, ſed criſpius atque rotundius. Huius frondes & flores collecti, & ad Solem deſiccati, habent efficaciam confortandi, & conſtringendi. Multum quoque valent contra *vomitum, ac fluxum ventris, & profluuium ſanguinis.* Huius gutta ſcilicet myrrha viridis eſt & amara.

Virtus medicinalis.

De Nardo.

CAPVT LXXVI.

PLinius *libro* 12. Nardus eſt frutex grani, & craſſa radice, ſed breui ac nigra, fragiliq́ue, quamuis pingui, ſitum redolente, vt cypreſſi, aſpero ſapore, folio paruo, denſoq́ue. Cacumina in ariſtas ſe ſpargunt. Ideo gemina dote nardi ſpicas, & folia celebrant.

Auctor. De hac, quia frutex eſt inter herbas & arbores media, iam inter herbas communes dictum eſt ſupra, & alio nomine dicitur ſpica.

Carmina de Nardo.

Macer.

Eſſe gradu primo calidam, ſiccamque periti
Teſtantur ſpicam, quæ dicitur Indica nardus,
Confortat potata iecur, ſtomachiq́ue dolores
Mitigat, & renes: illius apoſema purgat
Veſicam, iuuat vrinas, & menſtrua pellit,
Ictericis prodeſt, nocuis humoribus obſtat,
Quos caput emittit, & fundit ſæpe per anum,
Puncturas aufert, & morſus interiorum,
In ſtomacho clauſum, ſolet hauſta repellere ventum,
Matricis nimium reſtringit ſubdita fluxum,
Cum gelida, ſi detur aqua ſedare tumorem
Dicitur & cordis, & nauſea ſiſtitur inde,
Excitat hæc venerem cum vini ſumpta liquore,
Duritias ſtericas elixatura reſoluit,
Eius fomento per partes inferiores,
Lumina ſi tepida foueantur ſæpius illa,
Affirmant acri pruvigine libera reddi,
Palpebraq́, pili bene confortantur eadem,
Eſt nardi ſpecies, quæ cælica ſpica vocatur,
Celtarum tantum quæ naſcitur in regione,
Omnia quæ nardus valet indica, dicitur iſta
Poſſe, licet vires videatur habere minores.

De Piperis arbore.

CAPVT LXXVII.

Piper. ISidorus. Piperis arbor naſcitur in India, in latere montis Caucaſi, quod Soli obuerſum eſt. Folia habet ad iuniperi ſimilitudinem. Cuius ſyluas ſerpentes cuſtodiunt. Sed incolæ regionis illius, cum maturæ fuerint, eadem loca incendunt, & ſerpentes igne fugantur, ſicq́ue piper calidum colligitur, & inde ex flamma nigrum efficitur. *Plinius vbi ſupra.* Arbores, quæ piper gignunt, iuniperis noſtris ſimiles ſunt. Semina à iunipero diſtant paruulis ſiliquis. Hæ priuſquam dehiſcant decerptæ, ſoleq́ue toſtæ faciũt, quod vocatur *piper longum.* Paulatim vero dehiſcentes per maturitatem *candidum piper* oſtendunt, quod deinde toſtum ſolibus colore rugiſque mutatur. Verum & his ſua iniuria eſt, atque cœli, intemperieque carbunculantur, fiuntque ſemina caſſa & inania, quod *brechmaſin* ſic ſignificante abortum vocant Indorum lingua. Hoc ex omni genere aſperrimum eſt, leuiſſimũque & palidum, gratius nigrum, leniuſque vero candidum. Non eſt huius arboris radix, vt quidam exiſtimauere, quam vocant Gingiberim, quamquam ſapore ſimili. Id enim in Arabia & Troglodytica in villis naſcitur, paruæ herbæ, radice candida. Piper longum facilè adulteratur Alexandrino ſinapi. Arborem piperis iam habet Italia maiorem, Myrto non abſimilem. Amaritudo grano eadem, quæ piperi myrteo creditur eſſe. Deeſt toſta illa maturitas. Ideoque & rugarum, coloriſque ſimilitudo. Adulteratur iuniperi baccis mirè vim trahentibus. Mirum piperis vſum adeo placuiſſe, nam in alijs ſuauitas cœpit, in alijs ſpecies inuitauit, huic quidem nec pomi, nec baccæ commẽdatio eſt aliqua. Sola in eo placet amaritudo, & hæc in India paritur. Quis eſt ille, qui primo cibis experiri voluit, aut cui in appetenda auiditate eſurire non fuit ſatius. Vtrumque ſylueſtre gentibus ſuis eſt, & tamen pondere emitur, vt aurum, vel argentum.

Brechmaſis. *Gingiber.*

Auicenna. Radicis piperis eſt proprietas, vt dicitur, conferre doloribus frigidis, & *ſpaſmo.* Valde confert etiam *podagræ.* Eiuſque proprietas eſt iuuamentum conferre *ventoſitatibus* frigidis, & cholericæ.

Vſus medicinalis piperis.

Ex lib. de natura rerum. Piperis arbor in folijs & lignis habet iuniperi ſimilitudinem. Huius ſyluas ſerpentes cuſtodientes, igne fugantur, & ex flamma nigrum piper efficitur. Iacobus tamẽ aliam cauſam nigredinis reddit, quod ſcilicet piper collectum ſine aduſtione *in clibanum mittatur, vt diutius conſeruetur*, vel ne alijs partibus ſemina proueniant. Piperis arborem Italia habuit quondam, vt ait Plinius: ſed magnam, vt eſt myrtus, Indica vero parua eſt. Porro Italiæ piper amarum eſt, toſta quoque maturitas illi deeſt. Eſt & in Hiſpania piperis arbor, cuius fructus eſt amariſſimus, & Indiæ piperi valde diſſimilis. Nec *vnquam verum piper naſci credimus, niſi in India*, quæ mater verarum ſpecierum eſt.

Piperis. *Cauſa nigredinis Piperis.* *Nota.*

De Storace.

CAPVT LXXVIII.

Storax. ISidorus. Storax eſt arbor Arabiæ, ſimilis malo cidonio, cuius virgulæ inter caniculæ ortum cauernatim lachrymam fluunt. *Plinius vbi ſupra.* Storacem Arabes ex Syria reuehunt, acri eius odore focis abigentes ſuorum faſtidium. Cæterum non alia ligni genera in vſu, quàm odorata, ciboſque coquunt Sabęi thuris ligno. Alij vero myrrhæ; oppidorum vicorumque nõ alio, quã ex aris fumo, atque nidore. Ad hunc ergo ſanandum ſtoracem in pellibus hircinis vrunt, tectaque ſufficiunt. Eundem ad ſerpentes vrunt fugandos in odoriferis ſyluis frequentiſſimos, proxima Iudeæ Syria ſupra phænicem gignit ſtoracem circa gabala, & marathunta, Caſſiumque Seleuciæ montem. Arbor eſt eodem nomine, malo cotoneo ſimilis, lachrymæ ex auſtero iucundiores, intus ſimilitudo arũdinis prægnanſque ſucco. In hanc circa canis ortum aduolant pennati vermiculi erodentes, & ob id ſcobo ſordeſcit.

Lubue. *Auicenna. Lubue* eſt arbor magna, cuius lignum & folia ſimilia ſunt arbori cidoniorum, & habet fructum album ſimilem gallę, in quo eſt granũ pingue, & illud, quod eſt in ipſa melius eſt, ex quo oleum exprimitur.

Storax liquida mel lubue. Huius arboris ſtorax ſicca eſt cortex, cũ autẽ inciditur arbor, exit lachryma, quę dicitur *ſtorax liquida, vel mel lubue.* Specierũ ſtoracis melior eſt illa, quę per ſeipſam currit, mellina, gũmoſa boni odoris. Adulteratur quãdoque cum oliuis & melle, perueniens ad citrinitatẽ, & non eſt nigra ſulphurea. Calida eſt in primo, ſicca in ſecũdo. Ineſt ei virtus maturatiua, lenitiua, calefactiua, reſolutiua. Fumus eius eſt ſicut olibani, & oleũ, quod

Piper longum. Candidum.

ex ea

Vſus medicinalis. ex ea fit, lenificat fortiter. Confert duritijs in carne. Linitur ſuper *ſcabiem* ſiccam & humidam,& etiam ſuper *bothor* humidum & ſiccum cum oleis. Membra confortat,& prohibet ſpaſmum,& contractionem iũcturarum bibita,& linita,& ponitur in oleis laſſitudinis. Retinet quod ex ea humidum eſt. Et quod ex ea ſiccum eſt catarrhum. Ad corizam autem eſt vltima. Confert etiam tuſſi antiquæ, & phlegmati ac dolori gutturis. Et clarificat vocem arteriaci cum lenitate vehementi. Digerit autem & ſubtiliter lenit, vrinam & menſtrua prouocat. Lenit duritiem matricis. Quod ex ea ſiccum eſt, ventrem ſtringit. Liquida verò cum amigdalæ gumma ſoluit educendo phlegma viſcoſum abſque impedimento. Illud autem, quod ex

Sciregi. granis eius egreditur, dicitur *ſciregi* ſtoracis ſiccæ, & huius gumma alba, & eſt gumma heremitarum.

De Thure.

CAPVT LXXIX.

Thus. I *Sidorus.* Thus eſt arbor Arabiæ immenſa, atque ramoſa, leniſſimi corticis ramis ad aceris qualitatem, amigdalæ modo aromaticum ſuccum fundens & album. Dicitur autem *thus à tundendo.* Idem & libanum

Thuris etymon. à monte Arabiæ vbi ſunt Sabæi. Nam mons eorum libanus dicitur: vbi thura colliguntur. *Plin. vbi ſupra.* Attolluntur in Arabia colles alti, in planaque decurrunt arbores thuris natę ſponte terram Argilloſam eſſe conuenit: raris fontibus ac nitroſis. Attingunt & Minei, per quos euehitur vno tramite anguſto. Hi primi commercium thuris fecere maximeque exercent: à quibus & minæum dictum eſt. Nec præterea

Thus Minæum. Arabum alij thuris arborem vidēt. Ac ne horum quidem omnes, ferunt 300. nō amplius eſſe familiarum:

Arabes ſacri quæ id ius ſibi vendicent, ideoque ſacros eos vocari ferunt: thura prętер Arabiam non inſunt alicui terræ, ac nec illi quidem vniuerſæ. In medio eius ſunt ferè attramite pago Sabæorum capite regni. Sabota in excelſo monte, à quo octo manſionibus diſtat regio eorum thurifera, Saba appellatur, *quod ſignificare Græci myſterium dicunt* ſpectans ortus ſolis æſtiui, vndique rupis

Saba myſterium ſignificat. inuia, & à dextra maris ſcopulis inacceſſa. In æſtu flagrantiſſimo circa canis ortum vindemia prior & naturalis eſſe dicitur, quia tunc maximè prægnans eſſe tenuiſſimuſque tendi cortex arboris videatur, laxatur hic plaga, non adimitur. Indeque proſilit ſpuma pinguis, quæ concreta denſatur. Adulteratur apud nos reſinę candidæ gemma perquam ſimili. probatur au-

Probatio thuris. tem candore, amplitudine, frangibilitate, carbone vt ſtatim ardeat. *Ex libro de natura rerum.* Thus eſt arbor nobilis, immenſa, atque ramoſa, leniſſimi corticis, folio pyri minore, atque ſubrutilo. Naturalis eius vindemia eſt circa canis ortum, æſtu ſcilicet flagrantiſſimo, quando maximè videtur prægnans, tenuiſſimuſque cortex eius. Tunc itaque cortex minuto vulnere laxatur, exinde proſilit ſpuma pinguis, quæ concreta denſatur, & obduratur. Secunda vindemia eſt in initio hyemis, ſed quod tunc exit, rufum eſt, nec priori comparandum.

De Gummis & ſuccis arborum.

CAPVT LXXX.

Gummi. A *Victor.* Hæc de arborum natura diximus. Nunc reſtat de gummis, vel de guttis, ſiue ſuccis ex eis profluentibus. *Iſidorus.* Gumma vel gummum Græcum nomen eſt, hoc enim illi dicunt gummi. *Ariſtoteles in libro de vegetabilibus.* Arbores quædam habent gummi, vt amigdali: planta ſiquidem, quæ lac emittit, lac in medio habebit, eritque calor ſubterius fortis, & vnctuoſitas fit. Cumque calor digerere cœperit, vnctuoſitas in humorē iſtum vertetur, & ipſum coagulatione parua coagulabit. Sicque locus calefiet, & aqua vnctuoſa ſimilis lacti fiet. Tunc eleuabitur ab humore vapor, qui lac illud attrahet ad extremitates, & calorem apparentem retinebit humor. Cumque frigus apparēs in arbore fuerit, coagulabitur lac, poſtquam à loco exierit, & inde gummi fit. Gũmæ ſiquidē calidæ diſtillando egrediuntur, & cum aerē tetigerint coagulabũtur. Quædam verò manent in loco temperato, & ſimiles ſunt aquis. Quædam manant & congelantur, ſimiles lapidibus, vel conchis. Sed quod guttatim manat, remanens in forma ſua, erit arbor, quæ dicitur alcafur. Quod autem alteratur, vt lapis erit in apparentia frigidum valde, & ipſum calor faciet apparere, cumque emanauerit, lapideſcet, quod in terra calida fit.

Coagulationi gummi ratio phyſica

Plinius vbi ſupra. Gummi ex Ægyptia ſpina conuenit eſſe optimum, vermiculatum, colore glauco, purum, ſine cortice, dentibus adhærens. Precium eius in libras 13. Deterius autem eſt ex amigdalis amaris & ceraſis, peſſimum verò ex prunis. Fluit & ex vitibus aptiſſimum infantium vlceribus, & aliquando in olea dentium doloribus. Vlmi etiam in Corico monte Cæciliæ ac iunipero ad nihil vtiles, & ex vlmi gumma naſcuntur ibidem culices. Fit etiam ex ſarcocolla, ſic enim vocatur arbor, gũmi ſimile pollini thuris, pictoribus ac medicis vtiliſſimum. Ideoque melior eſt alba, quam rufa, & eius precium quod ſupra. *Idem lib.* 14. Arbortum ſuccum manātium, reſinamque, alię in Europa ſeruntur, aliæ in oriente. Aſia quę intereſt, vtrinque quaſdam habet. *Idem lib.* 16. Arbores quæ gummi gignunt, poſt germinationem aperiuntur, & gummi non niſi fructu detracto ſpiſſatur. *Auicenna libro* 2. Gummi ſpecies calidę ſunt omnes. Eſt autem gummi ſtipticum, & glutinatiuum cum exiccatione. Tuſſim calidam lenit, & nocumentum vlcerum pulmonis expellit, vocem clarificat, ſtomachumque confortat: & gummi eligendum eſt, quod melius eſt Arabicum, eſt enim purum habens ligni modicum.

Gummi Ægyptium optimum.

Tẽperamentum Gũmi.

Qualiter in eis variatur aqua nutrix omnium.

CAPVT LXXXI.

Aqua nutrix omnium. A *Mbroſius in Hexaemeron lib.* 3. Vna quidem, & eadem eſt aqua, quæ eſt nutrix omnium, & in diuerſas plerumque ſe mutat ſpecies, aut inter florulenta diſcolor, aut inter lilia fulgentior, aut inter roſas rutilantior, aut inter gramina liquidior, aut in palude turbidior, aut in fonte perſpicacior, aut in mari obſcurior. Aſſumpto enim locorum, quibus influit, colore decurrit. Rigorem quoque pari ratione commutat, vt inter vaporantia ferueat, inter vmbroſa frigeſcat. Sole repercuſſa ęſtuet, niuibus rigata glaciali humore caneſcat. Sed & ſapor eius tempore conuertitur, vt nunc aſperior, nunc amarior, nunc vehementior, nũc auſterior, nunc dulcior, pro ſpecie rerum, quibus infuſa fuerit, qualitate varietur. Aſperatur in maturioribus ſuccis fuſa corticis, nucis, foliiſque contritis. Abſinthio fit amarior, vino vehementior, allijs auſterior. Veneno graueſcit, melle dulceſcit. Si autem lẽtiſcus terebinthi quoque fructus, vel nucis interior miſceatur in olei mollem naturam facilè transfunditur. Cum ſit autem alitrix omnium virgultorum, diuerſos ſingulis vſus miniſtrat. Si radices alat, vel nubibus fuſa deſcendat, diſcretas omnibus vires dat, radicem impinguat, radicem prouehit, ramos diffundit, folia vireſcere facit, fructum alit, ſemina pomorum augere conſueuit. Ergo cum eadem omnium nutrix ſit, quædam arborum genera ſuccos ferunt triſtiores, alia diſcolores, alia tardos, alia pręmaturos. Ipſæ quoque inter ſe diſcrepant ſuauitates, alia ſuauitas in vinea, alia in olea, alia in ceraſo, alia in ficu, diſcreta in malo, diſpar in dactylo. Tactus ipſe aquę, alibi lenis eſt, alibi aſperior, plerumque pinguior. Pondere quoque frequenter diſtat & ſpecie. *Nam alibi leuior eſt, alibi grauior.* Non eſt ergo mirum, ſi cum ipſa in ſe diſcrepet,

Pondus aquę diuerſum & ſpecies di-

uersa causat diuersitatem lachrymarũ

diſcrepẽt etiam inter ſe arborum lachrymæ, quæ eiuſdem aquæ alimonia generantur, & cum vna omnium ſit cauſa, diuerſus ſingulorum ſit vſus, diuerſa natura. Aliam vim habet lachryma cerasi, aliam lentiſci; diſparem quoque balſami guttam, odorata orientis ligna ſudare produntur. Diuerſum quoque lachrymarum genus virgulta ferularũ in Ægypto, ac lilia quadam vi naturæ ſecretioris illachrymant. Quid autem referam, quod electrum lachryma virgulti ſit, & in tantam materiæ ſoliditatem lachryma dureſcit.

De Ammoniaca gutta.

CAPVT LXXXII.

Ammoniacus. Meloſtos.

Iſidorus. Ammoniacus dicitur lentus ſuccus, qui profluit ex arbore in Aphrica, quę meloſtos punica lingua dicitur. *Plinius lib. 12.* Æthiopię Aphrica ſubiecta lachrymam ammoniaci ſtillat in arenis ſuis. Dicta *ab Ammonis oraculo*, iuxta quod arbor gignitur. Huius genera duo ſunt. Straton, quod maſculi thuris habet ſimilitudinẽ, & hoc maximè probatur. Alterum pingue & arenoſum, quod *pyrama* dicitur. Adulteratur enim arenis velut naſcendo apprehenſis. Igitur, quàm minimis & puriſſimis glebis probatur. *Idem in lib. 23.* Ammoniaci lachryma mollit, calefacit, diſcutit, diſſoluit. Claritati viſus in collyriis conuenit, pruritum, cicatrices, albugines oculorum tollit, dẽtiumque dolores ſedat. Prodeſt dyſpnoicis & pleureticis pulmonibus, veſicis, vrinæ cruentæ, lieni, iſchiaticis potum. Articulis podagræ, cum pari pondere picis, aut cerę, aut roſaceo coctum, aluum ſiſtit, ſed & duritias emollit.

Curatio Ammoniaci.

Temperamentum & vis Ammoniaci.

Platearius. Ammoniacum calidum eſt in ſecundo gradu, ſiccum in tertio. Hoc gummi valet contra tuſſim antiquam, humectam, & contra vitium ſplenis.

Auicenna. Ammoniacũ calidum eſt in fine tertij, ſiccum in primo. Aliquando nominatur id, per quod aurum adhæret, quia pergamena & libri eo deaurantur. In ipſo ſunt reſolutio, & exiccatio fortes, mordicatio non fortis, apertio verò tanta vt currere faciat ſanguinem ex orificijs venarum. Et ingreditur in rectificatione ſolutiuorum. In ipſo eſt lenificatio, lenit aſperitatem palpebrarum, & abſtergit albuginem. Confert humiditatibus oculi. Confert etiam vulneribus malis, & corrodit carnem malam, & facit naſci bonã. Idem confert aſmati & difficultati anhelitus, & eius dilationi, quando tranſglutitur cum melle, vel aquis ordei, mundatque vlcera velaminis. Et confert præfocationi, quæ eſt ex phlegmate, & cholera nigra. Bibitum quoque confert duritiei ſplenis & hepatis. Et ſimiliter cum aceto linitum, & confert hydropiſi. Linitum etiam & cataplaſmatum confert ſcrophulis, & nodis, & apoſtematibus. Cum melle, vel aqua ordei bibitum confert dolori iſchiaticæ & iliorum iunctu-

Vſus eius.

rarum. Item prouocat vrinam, ita vt ſanguinem mingere faciat. Interficit aſcarides, & ſolutione educit, exire facit embryonem, ſiue viuum, ſiue mortuum, & menſtrua prouocat. *Conſtantinus in libro graduum.* Ammoniacum calidum eſt in tertio gradu, ſiccum in ſecũdo. Mollitiuæ & diſſolutiuę virtutis eſt. Valet iſchiaticis, podagricis, & arthreticis, purgat de viſcoſo phlegmate potatum. Spleneticos curat cum oxymelle. Emplaſtrum ex eo factum cum aceto compoſitum, & ſuper ſplenem poſitnm & hepar durum, mox duritiam curat. Lumbricos & aſcharides occidit. Vrinam & menſtrua prouocat. Apoſtemata in articulis & in neruis naſcentia, & craſſas ventoſitates, & ſcrophas diſſoluit. Si cataplaſmatum cum melle & vino fuerit, albedinem oculorum detergit, & aſperitates palpebrarum lenit.

De Aſa fœtida.

CAPVT LXXXIII.

Platearius. Aſa fœtida eſt gummi arboris in tranſmarinis partibus naſcentis. Et eſt in quarto gradu calida & ſicca. Æſtiuo tempore colligitur, & quia maximè fœtet aſa fœtida, fœtida dicitur, *quãtoque fœtidior, tanto melior*: diu abſque corruptione ſeruari valet, & in loco mediocriter ſicco ſeruari debet, virtutem habet attrahendi, diſſoluendi, conſumendi. Pillulæque ex ea formatæ, ſimpliciter autem cum ouo ſorbili, in ſero exhibitæ, proſunt aſmaticis ex humida cauſa laborantibus maximè, vel cum ſyrupo violaceo dentur purgatione præcedente. Nec aliquid vehementer diuiſiuum, aut valde ſiccum, vel frigidum, dari debet in pectore patientibus, niſi prius dialtea, vel butyro vngatur locus. Contra quartanam, vel quotidianam purgatione præcedente, aſa fœtida in vino, & malo terræ cauato decoquitur, & colatiuo melle addito, vel ſuccharo ante horam acceſſionis patienti datur.

Aſa fœtida melior.

Pillulæ ex ea.

Suppoſitoriũ ex ea.

Suppoſitorium ex aſa fœtida, & galbano factum, vel ex aſa ſola prius oleo, vel melle, vel butyro inunctum, ne lædat interiora, miro modo ſecundinam educit, & menſtrua. Vnguentum ex aſa & ammoniaco ac cera & oleo factum ſplenem mollificat & mundificat, lacque coagulatum in mammillis ſoluit. Iterum aſa foramini dentis immiſſa, dolorem eius placat. Gargariſmum factum ex aceto, & aqua decoctionis aſę, atque roſarum matricem tumefactam deſiccat, præcedente tamen purgatione contra paralyſim, & podagram & arthreticam & apoplexiam & contra omne vitium ex frigida cauſa. Aſa fœtida & petrolium ſimul ad ignem reſoluuntur, & in tali liquore puluis caſtorei & euforbij, ac ſulfuris viui apponuntur, additaque cera cerotum efficitur, & in loco patienti ſupponitur, vel vnguento patiens inungitur. Si vitio cerebri fiat epilepſia, tunc inungatur patiens circa ſpatulas & ſpinam & collum & etiam caput. Si vitio ſtomachi, tunc pars illa inungatur, contra alias etiam paſſiones inungantur loca ſimpliciter patientia. Vnguentum etiam ad podagram, chiragram, arthreticam, iſchiaticã, & contractionem, vel indignationem neruorum ab Æſculapio eſt inuentum.

Ceratum.

Vnctiones pro cerebro & ſtomacho

De Balſamo.

CAPVT LXXXIV.

Iſidorus. Balſami ſuccus opobalſamum dicitur, de quo ſcilicet ſub hoc nomine plenius dicetur. *Dioſcorides.* Balſami ſuccus optimus eſt recens, & odore vehemens, ſincerus, ſerenus, lenis, remordens, linguãque mediocriter redarguens. Adulteratur autem oleo cyprino, vel lentiſcino, vel balanino, ſiue myrtino, vel melle mixto. Sed optimum eſt, quod in aqua munda ſtillatum non protinus diffunditur, immo potius deſidet, & poſtmodum totam aquam albidam facit, & lacti admixtum illud in caſeum ſtringit. Habet autem vires acres, calefacit & relexat, ſiccat & extenuat. Hic ſuccus opobalſamum dicitur. *Plin. libro* 12. Balſami lachrymæ probatio eſt, vt *ſit pinguis, tenuis, ac modicè ruſa, & infricando odorata.* Secundus candido colore eſt peior viridi, craſſuſque peſſimus. Niger quoque vt oleũ ſeneſcit. Maximè probatur, quod ante ſemen fluxit. Adulteratur ſeminis ſucco, vitiatur & oleo roſæ cypri, lentiſci, balani, terebinthi, myrti, reſina, galbano, cera. Cypria circulo cãdido cingitur. Summa autem eius probatio eſt, vt lac coagulet, & in veſte maculas non faciat. Vt autem è ramo arboris fluat, vitro lapide, vel oſſeis cultellis inſciditur. Nam ſi ferro lædatur protinus moritur. *Razi* Balſamum lapidem frangit, & peſſarizatum ad impręgnandum valet. *Ex libro de naturarerũ.* Liquor balſami ſuper omnes liquores vim

Balſami ſuccus optimus

Probatio.

Effectus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

penetratiuam habet intantum, vt cum ſol incanduerit eius gutta in manu infuſa ſuſtineri non poſſit, ſed ſtatim penetrat.

De Bernice.

CAPVT LXXXV.

Bernicis tẽperamentum

Latearius. Bernix eſt frigidæ ac ſiccæ complexionis in ſeũcdo gradu. Et eſt gummi cuiuſdam arboris, quæ naſcitur in partibus tranſmarinis. Tempore ſiquidem æſtiuo ex arbore illa quædam gummoſitas effluit, quę actione caloris exiccatur & induratur, ac bernix appellatur. Huius tres ſunt ſpecies. Quædam coloris eſt ſubcitrini, quædam ſubrufi, quædam ſubalbidi, & quęcũque ſit eius ſpecies eligenda eſt vt bona, dummodo lucida ſit, & clara. Habetque virtutem ex gũmoſitate ſua conglutinãdi, clarificandi, & conſeruãdi. Quod ex hoc ſatis patet, quia pictores ſupra colores alios eã ponunt, vt luceſcat, alioſque colores conſeruet. Diu ſeruari poteſt, & vſus eius talis eſt. Contra fluxum ſanguinis è naribus puluis eius cum albumine oui confectus, temporibus & fronti ſuperponitur, & hoc ſympaſma dicitur, quia fit ex conglutinantibus. Puluis etiam eius injcitur naribus. Contra vomitum cholericum ex puluere ipſius emplaſtrum ex olibano & oui albumine conficitur, ac pectoris furculæ ſuperponitur. Idemque fit contra dyſſenteriam addito aceto, & pectini ſupponitur. Puluis etiam eius in ouo ſorbili datur. Deniqüe valet puluis eius contra ſolutionem interiorem, & exteriorem. Sed & Salernitanę mulieres apponunt eundem ad clarificandum faciem.

Tres ſpecies eius.

Vſus eius.

De Bidella.

CAPVT LXXXVI.

Bidella aliàs Bdellium.

Iſidorus. Bidellę arbores Indiæ, ac Arabiæ lachryma, melior eſt Arabica. Eſt enim lucida, ſubalbida, lenis, pinguis æqualiter cerea, & quę facilè molliatur, nec ligno, vel terræ commixta, amara, boni odoris. Nam ex India ſordida eſt & nigra & maiori gleba. Adulteratur autem addito gummi, qui nõ ita guſtum amarificat. *Dioſcorides.* Bidella lachryma eſt arboris, quæ in Armenia naſcitur, & in modum reſinæ manat. Probabilior eſt *Arabica, quàm Indica.* Poteſt autem calefacere, relaxare, & vt traditur, neruorum connodationes ſoluere, duritias mollire, ſudorem mouere. Vrinam & menſtrua prouocare, ſingultus, atque ventoſitatem ſoluere, lapides in veſica frangere. Miſcetur etiam theriacis medicaminibus, tumores ſoluit, duritias ſpargit, diureſim prohibet, tuſſim mitigat, morſibus venenatis occurrit, doloribus lateris ſubuenit, *neruorum* indignationem mixto vino, vel aqua depellit. Hæc omnia operatur, quia malacticæ & operatiuæ virtutis eſt, & ideo poteſt calefacere, ſtricturam relaxare, & ea quę ſinus & collectiones habent euaporare.

Probabilior.

Vſus.

Arabicum mechum.

Auicenna. Bdellium, aliud Iudaicum, aliud mechũ. Iudaicum aliud eſt Siculum, aliud Arabicum, quod eſt aliud à bdellio palmarum ſylueſtrium, & ambo ſunt ex palmis ſylueſtribus. *Mechum* autem eſt ex fructu palmarum ſylueſtrium. Melior duarum gummarum eſt illa, quæ eſt varia amara & clari ſaporis, & eſt munda à lignis, & eſt facilis reſolutionis, boni odoris, cuius fumus habet odorem picis. Et cum antiquatur bdellium Iudaicum, egreditur à lenificatione ad exiccationem. Mechum eſt frigidum & ſiccum, & aliud calidum in fine primi. Lenitiuum & propriè Siculum. Et Arabicum exiccat tempus. Reſoluit itaque ſanguinem congelatum, & eſt lenificatiuum, maturatiuum, diſrumpit ventoſitates. Et Siculum eſt vehementis lenificationis. Et Arabicum eſt ſiccius eo niſi recens. Reſoluit apoſtemata dura, & propriè diſſolutum cũ ſaliua ieiuni, & ſimiliter reſoluit reliqua frigida, & valet ad plura alia. *Auctor.* Bidella, vt æſtimo, nihil aliud eſt, quàm bdellium, de quo ſuperius inter arbores habitum eſt. Nam Iſidorus non loquitur de bidello ſub hoc nomine, ſed tantummodo de bidella iungens lachrymam cum arbore.

Arabici effectus.

De Borace.

CAPVT LXXXVII.

Boracis temperamentum

Latearius. Borax eſt gũma cuiuſdam arboris trans mare naſcentis. Et eſt calida & ſicca in medio quarti gradus. In æſtate ſiquidem effluit quædam pura viſcoſitas ex arbore illa, quæ caloris actione condẽſatur, & induratur. Effluit etiam quoddam impurum, & aliquantulum molle, ac fœculentum & terrenum. Eſt autem borax eligenda, quæ alba eſt, & dura, & lucida. Si verò ſuperfluitates habeat abijcienda. Ad faciem clarificandum, & pannum remouendum, valet maximè, qui poſt partum ſit. vel ſi fiat ex calore ſolis. Puluis eius cum aqua roſacea conficitur, & facies illinitur. Ad mundificandum faciem ac depurandum cõficiunt eam mulieres cum albo melle mixto & deſpumato, conficiunt etiam cum vnguento citrino. Sed & cum axungia gallinacia reſoluta, & puluere boracis vnguentum conficiunt, & facies illinunt. Ad menſtrua prouocanda, & ad fœtum mortuum educendum, ac ſecundinam, ſit ex borace, & ſucco contriti galli coctis ſimul in vino ſuppoſitorium.

Vſus.

Suppoſitoriũ

De Camphora.

CAPVT LXXXVIII.

Camphora temperamẽtum & vſus

Conſtantinus vbi ſupra. Camphora eſt gumma cuiuſdam arboris in India, quę in tertio gradu eſt frigida, & ſicca. calorem, cephalicam, cholericam vel ſanguinolentam paſſionem naribus applicata, vel cum ſandalis & aqua temperata mitigat. Huius enim confectio principalia membra, ſenſuſque propter calorem defectum confortat. Odor eius aſſuefactus extinguit libidinem, potata verò melius operatur. Porro aſſuefactio citius venire facit caniciem. Cum medicina ſtiptica aliquantulum ex ea cholericam ſolutionem purgat. Sternutatio vero ex eo & ſucco palmæ prouocata, ſanguinem de naribus fluentem conſtipat.

Auicenna. Camphora plures habet ſpecies, inter quas eſt illa, quæ permixta eſt ex ligno ſuo, & ex eo, quod ex eodem ligno ſublimatum eſt. Dixerunt autem quidam, quòd eſt arbor magna non faciens hominibus vmbram, cui leopardi adhærent. Non ergo niſi in noto anni tempore peruenitur ad eam, & eſt ſpongioſa marina. hoc eſt, ſecundum quod æſtimauerunt quidam. Lignum eius multotiens vidimus, & eſt lignum album, frangibile leue, in cuius rimis quandoque continetur aliquid de veſtigiis camphorę. Eſt autem frigida, & ſicca in tertio gradu. Caniciem accelerare facit, & apoſtemata calida prohibet. Cum aceto fluxum ſanguinis ex naribus prohibet, & ſoda calidæ confert. In febribus facit vigilias, & calefactorum ſenſus confortat, & confert alcolę vehementi. In medicinis etiam optalmiæ calidæ confert, abſcindit coitum, generatque lapidem veſicæ, ac renum. Et conſtringit fluxum ventris cholericum.

Plures ſpecies eius.

Vis.

De Cedria & Coloſonia.

CAPVT LXXXIX.

Cedria.

Iſidorus. Cedria eſt cedri reſina, quæ in conſeruandis libris adeo vtilis eſt, vt ex ea perliniti, nec tineas patiantur, nec tempore conſeneſcant. *Plin libr.* 14. Cedros magna, quam Latini cedrelaten vocat, dat picem, quæ cedria dicitur, dentium doloribus vtiliſſimam, frangit enim eos, & extrahit ac dolores ſedat. *Dioſcorides. Cedria pix cedri eſt.* Eſt autem illa probabilis, &

Cedria quid.

lis, & vtilis, quæ eſt ſpiſſa & ſapida, & in odore fortiſſima. In qua cum digitum tinxeris, pinguedine ſua rarius defluit. Virtus eſt ei ficcatiua & recorporatiua. *Virtus.* Quapropter nimietate ſui caloris inuncta pellibus vrit, & ſiccat. Caligines oculorum detergit, glaucomata cicatriceſque limpidat. In foramine dentium miſſa, vbi dolor fuerit, eos crepare facit, & ore diu retenta dolorem dentium excludit. Item ſynanticorum cauſas curat, fauceſque ſi deintus vnxeris, tumores earum tollit. Pediculos & lẽdes inuncta pernecat. Cum ſale & dulcore bibita morſibus ſerpentum occurrit, percuſſum leporis marini ſanat. Strumaticis etiam inuncta medetur, vulnera pulmonis optimè purgat. Multi oleum ex cedria, dum coquitur, deſuper cum penna colligunt, & ſcabiei, ac pediculis animalium prodeſt, vulneribus etiam adhibetur. *Platearius.* Colophonia eſt gumma cuiuſdam arboris, quæ multa quãtitate in Græcia reperitur. Vnde & pix Græca dicitur. Eſt autem calida in ſecundo gradu, ſicca in primo. Eligitur illa quæ nigra eſt, & interius lucida. Virtutem habet calefaciendi, & ex gummoſitate conglutinandi. Vſus eius ad pilos de facie tollendos, & faciem dealbandam. Et contra aſma ex frigida cauſa. *Colophonia vis.*

De Dragaganto.

CAPVT XC.

Idem. Dragagantum eſt gummi cuiuſdam arboris vltra mare naſcentis. Humiditas enim effluens exactione caloris denſatur, & in gummi ſubſtantia mutatur. Eſt autem frigidum in ſecundo gradu, humidum in primo. Huius triplex eſt modus. Eſt enim album quod melius eſt, ſi ſit clarum & purum. Eſt & ſubrufum & citrinum, quod non eſt adeo bonum. In medicinis frigidis album ponitur. Subrufum autem, vel citrinum in calidis. Per annos quadraginta ſeruatur. Virtutem habet infrigidandi, mundificandi, humectãdi, conglutinandi. Vſus eius contra ſiccitatem pectoris. Contra calidam tuſſim, & ſiccam, contra ſitim, contra fiſſuras oris & labiorum, & palati exulcerationem, vel excoriationem. Ad faciem dealbandam, & pannum ſuperfluum remouendum, contra calida apoſtemata, contra combuſtiones, contra dyſenteriam. *Auicenna.* Dragagantum eſt natura frigidum, ad ſiccitatem declinans. Virtus eſt ei ſicut gummi, & in ipſo ſimiliter eſt pauca exiccatio, & ponitur in alcofol eo modo quo ponitur gummi. *Conſtantinus vbi ſupra.* Dragagantum frigidum eſt in ſecundo gradu, humidum in primo. In collyrio mittitur, eoque tuſſis placatur, & aſperitas canalium pulmonis, & linguę mitigatur, & vox clarificatur, & confortatur. Hoc etiam contra punctionem renum, & veſicæ vulneribus factam, vel ad ſcabiem valet, & aſperitatem linguæ lenit. Repugnat & obſtat acumini potionis, ne inteſtina vlcerentur. *Dragaganti temperamẽtum.* *Virtus eius.*

De Euphorbio.

CAPVT XCI.

Platearius. Euphorbium eſt gummi cuiuſdam arboris creſcentis in India. Eſt autem calida & ſicca in quarto gradu, ſubrufi vel citrini coloris. Habet virtutem laxandi, & contrahendi, attrahendi, & phlegma purgandi. Valet contra arthreticam, podagram, & chiragram, & contra fiſtulas. Valet & epilepticis, & obliuioſis, & eis qui ſubitò amittunt loquelam in febribus materia circa poſteriorem partem capitis exiſtente. Eſt etiam inde ſternutatorium optimum, quo euacuatur à capite materia. Et præcipuè valet in lethargia. Eius puluis naribus inſufflatur. Vel puluis eius cũ aqua roſacea reſoluitur, & penna intincta naribus apponitur. *Auicenna.* Euphorbium gummi calidum. Cuius virtus poſt tres annos, vel quatuor alteratur, & quod antiquatur, tendit ad palliditatem & citrinitatem, nec diſſoluitur in oleo, niſi cum difficultate, recens autem ecõtrariò. Sed dixerunt quidã, quod cum fabis excorticatis in vaſe poſitum, ſeruat virtutẽ ſuam. Quod de illo bonum eſt, recens eſt & clarum, citrinum ad pallorem declinans, acuti odoris, & vehementis acredinis. Aliud autem ab hoc adulteratum eſt cum ſarcocolla & gummi. Huius virtus eſt ſubtilis, aduſtiua, & abſterſiua, & recens vehementioris eſt calefactionis, quàm aſa. Cum pipere & cinnamomo ac ſimilibus mixtum confert iſchiaticæ, eiicitque cortices oſſium in vna die. Inungitur eo paralyſis, & tremor, ac ſtupor, & confert valde. Collyrium ex eo factum eſt abſterſiuum. Sed perdurat eius mordicatio tota die, ideoque miſcetur cum reliquis collyriis, aut cum melle. Confert aquæ citrinæ, & renum frigoribus, & cholicam habentibus. Os matricis vehementer coarctat, ita vt medicinæ aborſum facientes fœtum eijcere prohibeat. Soluendo, vt dixerunt, educit phlegma viſcoſum in vtriſque anchis, ac dorſo, ac inteſtinis retẽtum. Interficiunt autem dragmę tres eius in tribus diebus exulcerando ſtomachum & inteſtina. Et dixit filius Meſangæ, quod eius rectificatio eſt, vt nõ multum teratur, & vt cũ ſucco liquiriciæ miſceatur, & cum oleo amygdalino liniatur. Dixerunt etiam quidam, quod ſi cutis capitis à venenoſo verme puncti, findatur & quod eam ſequitur, vſquequo cranium appareat, & in ea ponatur hoc gummi tritum, non ei adueniet huius rei nocumentum. *Euphorbij temperamẽtum.* *Virtus medicinalis eius.* *Nota.*

De Gummi Arabico, & gutta.

CAPVT XCII.

Platearius. Gummi Arabicum dicitur, eo quod in Arabia reperitur, ſimile eſt dragaganto, & eſt calidum & humidum in gradu primo, exceſſus eius non determinatur ab auctoribus. Huius triplex eſt differentia. Vnum videlicet *album*, quod melius eſt, & tale eſt eligendum, quod clarum eſt. In frigidis ponẽdum eſt medicinis, & præcipuè in dragaganto. Eſt etiam *citrinum & ſubruſum*, quæ ſimiliter clara ſunt eligenda, & in calidis medicinis ponenda. Cum autem ſimpliciter inueniatur gummi Arabicum album eſt ponendum. Habetque virtutem relaxandi, humectandi, leniendi. Contra linguæ aſperitatem in aqua, donec conglutinetur, & inde lingua humectatur atque fricatur. Contra vomitum ex defectu contentiuę virtutis datur puluis eius cum puluere cinnamomi. Contra fluxum mulieris datur puluis eius cum puluere ſanguinis draconis in aqua calida. Fit etiam ſuppoſitorium aut peſſarium, idem & eodem modo naribus iniectũ ſiſtit ſanguinis fluxum, vel inde fit ſynapiſma circa tempora. Contra ſiccam tuſſim & ſiccitatẽ pectoris datur aqua decoctionis ordei cum puluere gummi Arabici. *Auicenna.* Gummi ſpecies omnes calidæ ſunt. Inter quas melius eſt gummi Arabicum, eſt enim vt dictum eſt, purum habens ligni parum. Et eſt ſtipticum & glunatiuum cum exiccatione. *Conſtantinus vbi ſupra.* Gummi Arabicum ſimiliter operatur, vt dragagantum gummi, tamen ſiccius, ac ſtipticũ magis, proinde confortat ſtomachum, & arcet ſanguinis fluxum, mixtum cum oui albumine, contra ignis vſtionem eſt optimum. *Gloſſa ſuper Eccle.* Gutta quæ & ammoniaca dicitur quaſlibet durities curat, lachrymas ſtillat in arenis. *Auctor.* Require de eo ſupra, vt dictum eſt de ammoniaco. *Gummi Arabicum triplex.* *Suppoſitoriũ* *Gutta.*

De Charabe.

CAPVT XCIII.

Ex ſynonimis. Charabe vulgo labra vocatur, & dicitur gumma, licet lapis eſſe videatur. *Auicenna.* Charabe gumma eſt tendens ad citrinitatem, & albedinem, & quandoque declinat ad rubedinem, attrahit *Charabe vnde.*

paleas

paleas & fracturas plantarum ad ſe,& ideo nominatur *charabe,ſcilicet rapiens paleas per ſe.* Eſt autem arboris gũma,quæ dicitur nux Romana, quæ compoſita eſt terreitate ſubtili; & aqueitate ſicca,& ipſa ergo eſt compoſita ex aqueitate tepida,& terreitate iam ſubtiliata. *Vſus.* Natura eſt parumper calida in ſecundo gradu ſicca. Eſt autem reſtrictiua quippe ſanguinis cuiuſcunque loci fuerit. Eiuſque virtus ſimilis eſt virtuti floris ſuæ arboris,ſed eo frigidior exiſtit. Confert tremori cordis cum aqua frigida bibitum,prohibetque valde ſanguinis ſputum. Retinet vomitum, & ventris fluxum, materiaſque malas à ſtomacho prohibet, & cum maſtice confortat ſtomachum. Confert etiam tenaſmo, & vt dicunt quidam ſuper apoſtemata calida ſuſpenſum confert eiſdem.

De Lacta & Licio.

CAPVT XCIV.

Lacta tẽperamentum

Exſynonimis. Lacta quæ & alio nomine orobo dicitur,eſt gumma , de qua cum hominis vrina fit carminium. *Conſtantinus vbi ſupra.* Lacta eſt in ſecundo gradu calida & ſicca, aperit opilationem hepatis, ipſumque confortat,& prodeſt ictericis. Quæ ſi fuerit lota melius operatur, quàm non lota. *Dioſcor.* Licium vnde fit arbor , eſt licios appellata, ſicut videlicet dictum eſt ſupra. Eligendum eſt autem licium intus colore rufo,deforis nigro,guſtu amaro. Tale Indicum eſt,quod & melius eſt. *Licij vſus.* Caligines oculis detergit,ſcabiem ac pruriginem oculorum , & rheuma cõpeſcit. Antiquas ſanies aurium purgat , faucium tumorem ſedat.Stipticum ſcilicet etiam gingiuis vulneratis prodeſt. Ragadies ex itineris attritione mirificè curat. Dyſſentericis ac cæliacis potus clyſterizatus medetur,tuſſimque ſanat. Æmoptoicis cum aqua acceptum eſt ſingulare præſidium. Morſibus rabioſi canis in modum catapuciæ datum ſubuenit,capillos inficit,Panaricio vnctum ſanat , Paſcentium vulnerum putredines ſoluit,Mulieris profluuium ſtringit.Adulteratur autem amurca cocta & admixta, vel ſucco abſinthij,vel etiam felle bubulli. *Conſtantinus vbi ſupra.* *Licij tẽperamentum & vis.* Licium eſt calidum in primo gradu, ſiccum in ſecundo. Lentigines faciei mundat,puſtulas oris , & gingiuarum putrefactas curat, oculoſque clarificat. Valet contra ſcabiem , & pruritum oculorum. Humiditatem ab auribus extrahit. Humores à matrice fluentes conſumit. Potum autem ſuppoſitum diuturnam ſolutionem arcet,& inteſtina vulnera ſanat. *Auctor.* Licium eſt ſuccus herbæ,ſecundum Platearium,ideo de ipſo dictum eſt ſupra vbi de ſuccis herbarum.

De Maſtice.

CAPVT XCV.

Maſtix.

Iſidorus. Maſtix eſt gutta arboris lẽtiſci,quæ & granomaſtix dicta eſt , quia in modum granorum eſt. Melior autem in Chyo inſula reperitur , odoris boni candoris ceræ punicæ,vnde & ſplendorem guttis pulchrificat. Adulteratur autem interdum reſina , vel thure. *Plinius lib. 12.* Myrrha tranſit in maſticem,quæ & ex alia ſpina fit in India. Item quæ in Arabia vocãt lamam. *Maſtix triplex.* Sed maſtice quoque gemina eſt , quoniam & in Aſia,Græciaque herba reperitur , è radice folia emittens & cardũum ſimilem alo , ſeminis plenum,lachrymaque,quæ erumpit inſciſa parte ſumma , vt vix dignoſci poſſit à maſtice vera. Nec non & tertia in Ponto eſt bituminis ſimilior.Laudatiſſima verò Chya candida. Cuius pretium in libras 20. Nigræ verò 12. Chya è lentiſco traditur gigni gummi modo. Adulteratur autem vt thura,reſina.

Auicen. Maſtix alius eſt Rõmanus albus.Et alius eſt nabatius ad nigredinẽ declinans. Melior eſt albus & magnus, mũdus. Eius rectificatio ipſius eſt reſolutio, & in aceto per dies aliquos dimiſſio,deinde verò exiccatio.Calidus & ſiccus eſt in ſecundo,minoris tamen calefactionis & exiccationis olibano. *Tẽperamentum.* Stipticus eſt ac reſolutiuus,omneſque partes eius,& arboris ſuæ ſunt ſtipticæ,& in ipſo eſt maior calefactio,quàm in arbore. Totumque de ſtipticitate ac lenificatione, & exiccatione eſt in ipſo , & ſine impedimento eſt ſubtile valde,& liquefacit phlegma.

De virtute ipſius in medicina.

CAPVT XCVI.

Maſticis adulteratio deprehenditur odore.

Dioſcorides. Maſtix eſt reſina, quę ex arbore cino manat. Naſcitur in aſperis & pertoſis locis,cuius alia eſt ſubuiridis, alia eſt ſubalbida, ſed optima eſt candidiſſima & perlucida,quæ diu maturatur , aliquatenus mollis. Adulteratur autem reſina cypreſſi, vel nucleis pini, ſed odore deprehenditur. Virtus ei ſtiptica,& malactica. Stomacho,ventrique,& inteſtinis,& hepatis inflationibus vtilis eſt, copiosè calefaciendo. Rupturas tibiarum cum axunguia ſanat , ſed etiam circatrizantibus quoque miſcetur medicaminibus. *Iſaac lib.3.* Maſtix calidus eſt,& ſiccus in ſecundo gradu. Stomachum confortat , vrinam prouocat, digeſtionem adiuuat , ſtomachum de craſſis humoribus mundat. *Platearius.* Maſtix eligitur,quę clara eſt & alba,non obſcura,vel terræ admixta. *Virtutes.* Virtutem habet conſtringendi,confortandi,conglutinandi,& conſolidandi. Vſus eius ad dentes relaxatos confirmandos,& contra humores defluentes à capite,ad oculos , & ad dentes. Contra vomitum cholericum,& fluxum ventris cholericum , vel ex cacumine medicinę factum. Aqua decoctionis eius tepida data, digeſtionem confortat,ſtomachum relaxat, & corroborat. Maſtix etiam maſticata dentes dealbat,& confirmat ſuperfluitatem vuę conſumit.Cerebrum depurat,quia excreare facit in multa quantitate. *Auicenna.* Maſtix eſt minoris acuitatis ac ſpiſſitudinis,quàm reliquæ gummę. Confert apoſtematibus viſcerum,& ponitur in dentifriciis , & facit pulchritudinem. *Curationes Maſticis.* Nigrum autem nabati duritiis eſt conuenientius. Ipſumque confert apoſtematibus formicalibus. Eius maſticatio extrahit à capite phlegma , ipſumque mundificat, & ſimiliter oris collutio ex eo facta , conſtringit gingiuas,confert tuſſi , & ſputo ſanguinis. Confortat hepar & ſtomachum,& aperit appetitum.Confertque ſtatim apoſtematibus ſtomachi , & hepatis. Confortat & inteſtina. Cõfertque fluxui ſanguinis per inferiora dyſſenteriæ, atque raſuræ. *Conſtantinus vbi ſupra.* Maſtix calidus eſt, & ſiccus in ſecundo gradu. Proinde ſtomachum calefacit, phlegma diſſoluit , appetitum excitat, ventoſitatem,apoſtemata ſtomachi , & tumores hepatis , & inteſtinorum curat.

De Myrrha.

CAPVT XCVII.

Myrrha.

Iſidorus. Myrrha eſt gutta arboris myrrhæ viridis & amara, vnde & nomen accepit. Sponte manãs precioſior eſt. Elicita corticis vulnere vilior iudicatur. Myrrha autem Trogoditę ab inſula Arabiæ dicta eſt, vbi melior & purior colligitur. *Plin. vbi ſupra.* Myrrhæ in plenum probatio eſt minutis glebis,nec rotundis in concretu albicantis ſucci & tabeſcentis, vt quæ confracta candidos vngues habeat,guſtu leniter amara. *Probatio eius.* Secunda bonitas eſt intus variæ , peſſimaque intus nigra. Peior ſi ſit etiam foris. Adulteratur autem lentiſci glebis,& gũmi. Itemque cucumeris ſucco amaritudinis cauſa,ſicut ponderis argenti ſpuma. Reliqua vitia deprehenduntur ſapore gummi dente lenteſcentis. Facillimè verò adulteratur Indica myrrha, quæ ibi colligitur de quadam ſpina. Myrrha tranſit in maſticem,quę & ex alia ſpina fit in India,itemque in Arabia,quam vocant lamam. *Auicenna.* Myrrha eſt gũma

ſuper

ſuper arborem creſcens, quę dimittitur, donec congeletur, deinde colligitur. Melior eſt iſta quæ non eſt admixta ligno, & cuius arbor boni odoris eſt. Adulteratur quandoque cum lacticinio pernicioſo, & fit ipſa pernitioſa, quod lacticinium alferiſius dicitur, & eſt pernicioſa arbor. Eſt autem calida & ſicca, aperitiua, reſolutiua ventoſitatum. In ipſa ſunt ſtipticitas, & adhærentia, & lenificatio. Fumus eius vehementioris eſt ſubtilitatis abſque mordicatione. Et eſt vt fumus olibani. *Platearius.* Myrrha eſt calida, & ſicca in ſecundo gradu. Eligitur quæ citrina eſt, vel ſubrufa, interius aliquantulum lucida. Habet autem virtutem confortandi ex glutinoſitate, conducendo partes in vnum. Diſſoluit & conſumit mediocriter ex qualitatibus. Vnde & conſeruat, quia quantum diſſoluit, tantum & conſumit: Vnde & *corpora antiquorum myrrha condiebantur*, vt conſeruarentur; Myrrha conſeruatur per centum annos.

Adulteratio eius.

Conſeruat corpora.

De virtute ipſius in medicina.

CAPVT XCVIII.

Vicenna. Myrrha prohibet putrefactionem, & fętorem, & extrahit ſuperfluitates crudas. Iuuat ad confortandum, & inſpiſſandum capillos, abſtergitque veſtigia vlcerum, & oris fætorem & aſcellarum remouet. Confert apoſtematibus phlegmaticis, cõſolidat & cooperit oſſa nuda, adminiſtratur cum aceto ſuper impetiginem, & ſanat vulnera putrefacta. Abſtergit albuginem, & veſtigia vlcerũ in oculo, & replet ea. Confert aſperitati palpebrarum, & etiam tuſſi antiquæ, humidæ, & aſmati, & anhelitus dilationi, ac doloribus lateris, & clarificat vocem propter ſuã abſterſionẽ ſubtilem abſque aſperitate. Sub lingua quoque ponitur, & eius aqua glutitur, ad aſperitatem gutturis. Menſtrua prouocat, & extrahit fœtus ac vermes & aſcarides propter ſuam amaritudinẽ. Vnius fabæ quantitas ex eo datur in potu ad vlcera inteſtinorum, & raſuram atque ſolutionem. Datur etiã potui cum vino ad puncturas ſcorpiorum. Item faba ex ea accepta cũ pipere & aqua ad initium rigoris febrium prohibet ipſum. Dicit Galenus, quod odor myrrhæ ſanis efficit ſoda nedum patientibus ſoda. Cõfert ipſa concuſſioni auris, & facit ſcotomiam, & ſomnum. Sparſa ſuper vlcera capitis ſanat ea. Nares ex ea liniuntur ad fluxus antiquos, & conſtringit eos. Caputpurgium ex ea fit, & mundificat cerebrum. Os ex ea cum vino & oleo colluitur. Et confirmat dentes valde. Prohibet corroſionem eorum, & ſtringit eos, ac remouet humiditatẽ eorum. *Platearius.* Pillulæ ex myrrha & ſtorace calida dantur contra catarrhum, id eſt, fluxum humorum à capite, eadem valet ad digeſtionẽ confortandam. Cõtra viſcoſum phlegma adhęrens ſpiritalibus, vt in tuſſientibus, & contra aſma. Vinum decoctionis eius valet contra fœtorem oris prouenientem ex fumoſitate ſtomachi. Et contra ſaniem ſtomachi, & inteſtinorũ. Puluis eius vulneribus impoſitus putredinem conſumit, & ea conglutinat. Contra vitium gingiuarum ex puluere eius fricantur gingiuæ, putredinem conſumit, & conſolidat. Fumigium myrrhę per os receptum cerebrum confortat. Optima eſt myrrha illa, quæ eſt mundiſſima, *& tactu quaſi aſpera, arida, fragilis, lenis, & globillis puſillis, & extrinſecus vnius coloris, intrinſecus autẽ ſubrubea veluti nebulas habens albicantes, odore ſuauis, guſtu amara.* Hæc quidem in montibus colligitur, ſed altera melior, ac pinguior in planis inuenitur. Poteſt autem eius acrimonia vexabilis commouere corpus. Eſt etiã granalis & glutinatiuæ virtutis ac ſiccatiuę. *Dioſcorides.* Myrrha dyſſẽtericos, & cæliacos, & humecta tuſſicula vexatos, & auriũ fluores medicinalitercurat, oris fœtorẽ maſticata pellit, cũ alumine quoque pędorẽ alarũ tollit, facit & ad lumbricos. Oris collutioni cum vino adhibita dentes & gingiuas confirmat. *Conſtantinus in libro graduum.* Myrrha ſub lingua miſſa diſſoluta, & inglutita aſperitatem canalium pulmonis lenit, & vocẽ clarificat. Andromachus dixit, myrrham mundificare vulnera, pectus, guttur, & omnia ſpiritalia in fabæ modum data. Item & viſum clarificat, aſperitatem palpebrarum lenit. *Razi.* Myrrha calida eſt, & antiquæ tuſſi congruit, vocem clarificat, Scothomiam tamen inducit, propterea dormire facit, menſtrua prouocat, ſcorpionum puncturis bibita confert.

Doſis ad ſolutionem inteſtinorum.

Pillulæ cõtra catharrhum

Optima myrrha.

De Opobalſamo.

CAPVT XCIX.

Etymon opobalſami.

Iſidorus. Opobalſamum eſt ſuccus arboris balſami, & ideo cum adiectione ſignificatur, quia cortex ligni percuſſus ferreis virgulis per cauernas eximij odoris guttam diſtillat. Cauerna enim Græcè dicitur ope. Huius guttam adulterant admixto oleo cyprino cum melle. Sed ſincera probatur à melle, ſi cum lacte coagulauerit, ab oleo autem, ſi inſtillatur aquæ, vel admixta facilè fuerit reſoluta. Præterea etiam ſi laneæ veſtes ex ipſa pollutæ fuerint non maculantur. Adulterata quidem neque cum lacte coagulatur, & vt oleum in aqua ſupernatat, & veſtem maculat. Balſama autem, ſi pura fuerint, tantam vim habent, vt ſi ſol excanduerit, ſuſtineri in manu non poſſint.

Probatio an adulteretur necne

Platearius Opobalſamum calidum eſt & ſiccum in ſecundo gradu. Tempore æſtiuo inſcinduntur rami balſami aliquantulum cum cutello, non penitus poſtea gutta inde emanans colligitur in vaſe vitreo ſciſſuræ ſuſpenſo. Poſtea rami inſciſi aliquantulum deſiccantur & colliguntur, & dicuntur xylobalſamum. Virtutem habet calefaciendi, & confortandi. Opobalſamum autem potiſſimam habet virtutem, ſed quia cariſſimum eſt, multis modis ſophiſticatur, quidam vendunt pro eo terebinthinam: Quidam autem admiſcent: Alij verò oleum nardinum admiſcent terebinthinæ: Sed Dioſcorides dicit, quod ſi gutta opobalſami ponitur in lacte caprino, lac coagulatur, & gutta deſcendit ad fundum. Sed multa ſunt coagulantia. Sic ergo à ſophiſtico dignoſcitur. Opobalſamum citrinum eſt, & multum clarum. Si cum ſtilo ponatur ſuauiter in ſuperiori parte aquæ, ibi remanet. Eſt & alia probatio. Si panno imponatur ſubtiliſſimo & mundiſſimo, & poſt hoc abluatur aqua in vaſe mundiſſimo, quod purum eſt, ad vnam partem aggregabitur, velut viuum argentum. Si aliud gummi ibi fuerit in alia parte remanebit. Præterea ſi purum fuerit, pannus non inficietur. Eritque eiuſdem ponderis, cuis fuit prius. Item ſi parum opobalſami ponatur in palato, cerebrum ita calefacit, quod videtur ſuccendi. Virtutem habet diſſoluendi, conſumendi, attrahendi. Opobalſamum cum vino matricis ſuperfluitates mundificat, fœtum mortuum & ſecundinam educit. Datur & contra dyſſuriam, vel ſtranguriam, vel lapidem veſicæ. Si etiam opilatio fuerit ex frigido humore contra dolorem iliacum, vel dolorem ſtomachi factum ex frigida cauſa. Contra quartanam & quotidianam facta prius purgatione, in his omnibus datur cum vino. Contra omnes paſſiones capitis datur cum opiaca aliqua illi paſſioni congruenti. Contra omnes cicatrices remouendas madefactum cera opobalſamum ſuper cicatrices ponitur, & cum cera per decem dies ſeruatur. Contra vitium aurium parum inſtillatur. Contra vitium dentium ex parte dolente aliquid in aure mittitur. Corpora mortuorũ incorrupta conſeruat, quia quantum diſſoluit, tantum conſumit.

Nota.

Virtus medicinalis.

Auctor. Ex prædictis patet, quod arboris balſami ſuccus non ſolum dicitur opobalſamum, ſed etiam balſamum, propter quod & de ipſo iam aliàs ſub nomine balſami ſuperius eſt prælibatum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Pinea,

CAPVT C.

Pinea.

ISidorus. Pineæ lachryma in germaniæ Inſulis electrum gignit. Gutta enim defluens rigore, vel tepore in ſoliditatem dureſcit,& gemmam facit, quæ de qualitate & nomen accepit, id eſt *ſuccinum*, *eo quod ſuccus arboris ſit.* Pinalium autem reſinarum, alia liquida, alia arida, & afferuntur ex tyrrhena colophonia, vnde & nomen colophonia reſina ſumpſerit, *Auctor.* De colophonia dictum eſt ſupra,quæ dicitur & pix Græca. Nam pinus dicitur arbor picea; ſecundum Iſidorum,eo quod picem deſudet. *Plinius lib.* 24. Pinea reſina capitis vulneribus optimè medetur. *Dioſ.* Reſinæ pineæ differunt non ſolum in ariditate & liquiditate, verum etiam in colore. Nam alia eſt alba, alia olea, alia melina. Sed ex aridis meliores ſunt pitimiæ, quæ de Inſulis Hiſpaniæ afferuntur. Et probabiles ſunt, quæ melioris odoris fuerint,aureã referentes qualitatem,atq; perſpicuam. Ex eorum pinguioribus lignis colligitur pix,quæ à Græcis cinamomos dicitur. Probabilis autem eſt ſplendens,lenis munda. Medetur autem cum melle, vt electuarium datum pthiſicis,anheloſis,ſanguinem expuentibus, & ex thorace, difficilibus excreationibus, venena curat,inflationeſque turgentes, ac matricis duritias. Ad ſcrophas etiam purulentas facit concocta farinæ vrina puerilis putredines quoque circumſcribit. *Vis medicinalis.* Item admixta vua paſſa, & melle hiatoues excalcat, quas Græci ragadias vocant in pede,ſiue pollice. Impetigines etiam,ac leproſos vngues deſpumat. Valet etiam ſecundum quoſdam ſynanticis & ad glutinandos receſſus,& ad ſerpentes,& aurium fluorem.

Succini etymon.

De Pice.

CAPVT CI.

Pix probabilis quæ

ISidorus. Pix,vt quidam volunt, à pino dicitur. Pinus enim picem deſudat. Cuius probabilis eſt *ſplendens, lenis ac munda. Platearius.* Pix alia liquida eſt, quæ picia, ſiue picula dicitur. Et eſt calida & ſicca in ſecundo gradu. Alia naualis, quæ eſt minus calida & ſicca. Dicunt tamen quidam,quod liquida ſit fæx naualis, quæ dum excoquitur pix liquida quaſi fæx reſidet,ſed hoc falſum. Fiunt enim ex diuerſis arboribus,quarum fruſta in quibuſdam vaſis excoquuntur, à quibus in alia vaſa, quæ ſub terra poſita ſunt, defluit liquoſitas à lignis reſoluta. *Plinius lib.*16. Pix liquida in Europa è tæda coquitur naualibus muniendis,multoſque ad alios vſus. Lignum eius conſciſum furnis imponitur vndique igni extra circundato, vt primus ſudor aquæ modo fluat in canalibus,hoc in Syria cedrum dicitur. Cui tanta vis eſt,vt in Ægypto corpora defunctorum hominum eo perfuſa ſeruentur. Sequens liquor craſſior in picem funditur. Hæc rurſum in cortinas æreas conjecta, aceto ſpiſſatur, & coagulata brucia vocatur,dolijs ac cæteris vaſis vtilis,ab alia pice differens colore rutilante,& quod pinguior eſt. Zoſippa reſina de nauibus maritimis coagulatur in picem. Pix optima vbicumque ex apricis Aquilonis ſitu. Ex opacis horridior viruſque præferens,frigida hyeme deterior,ac minus copioſa & decolor. Quidam arbitrantur in montuoſis copia præſtantiorem ac coloratiorem, & dulciorem ſeri odore quoque gratiorem,dum reſina ſit,decoctam vero minus picis reddere.

Pix horridior.

De Medicinali eius operatione.

CAPVT CII.

Effectus picis.

PLinius lib.24. Picis natura excalefacit, explet, adueſatur priuatim ceraſtæ morſibus cum polenta, ſanat lichenas,aluum ſoluit, excreationes pectoris adiuuat,carbunculos purgat,& vlcera putreſcentia. *Dioſc.* Pix liquida colligitur ex lignis pinguibus,ſed illa melior eſt,quę eſt lucida,lenis,& munda,bibita venenis occurrit, tuſſientibus ac pthiſicis opitulatur. *Æmoptoicis* ac ſpaſmaticis ſubuenit. Thoracis pinguedinem electuarij more accepta diſſoluit. Tumorem faucium ſedat, Vuæ ac ſquinantiæ penna intincta medetur cum ſale trita,ac cera impoſita. Morſibus venenatis opitulatur. *Zernas & vngues* vlcerantes emendat. Sordida quoque vulnera mundat. Item cum *myrrha*, thure, ac cera vulnera ſine oſſe replet. *Ragadias* pedum iniuncta curat. Melli & vuæ paſſæ mixta carbunculis occurrit. *Putredines* vulnerum tollit. Medicationibus ſtipticis neceſſariè miſcetur. Pix dura melior eſt, ſi limpida & pinguior, & odoris boni fuerit,ac ſubrufi coloris,& reſinæ ſimilis,in vulneribus ſaniem remouet, alta vulnera replet. Papulis quoque medetur,& medicaminibus adhibetur.

Auicenna. Pix duarum ſpecierum eſt, vna eſt marina liquida nigra,quæ ponitur in emplaſtris, Alia montana ſylueſtris: & huius alia eſt liquida ſcilicet ex arbore aliembuth, alia pini. Eſt autem maturatiua craſſorum humorum, abſterſiua, calefactiua, & humida quidem vehementius maturatiua eſt, ſicca vero fortius deſiccatiua. Pix extirpat albedinem vnguis. Attrahit ſanguinem ad mẽbra, & impinguat ea propriè,cũ iteratur eius adherentia, & euulſio ſubito cum violentia, linitur ſuper fiſſuras pedum ac reliquorum membrorum, vt claudat eas. *Emplaſtrum* ex ea facit naſci pilos in alopicia. Item lenit apoſtemata dura,propriè pix humida. Cum farina ordei valet ſuper *ſcrofulas*. Item delet impetiginem, & generat carnem in vlceribus profundis, & mundificat ea. Confert apoſtematibus in lacertis, & tuſſi frigidæ, ac ſiccæ. Et vlceribus capitis,in pleureſi & peripleumonia ſputum facilè facit,& maturat cum oleo amygdalino. Prohibet ſputum ſanguinis,& vomitum ſaniei, humida palato illinita valet præfocationi. Item lenificatiua eſt. Et plurimus eius vſus ſoluit. Valet ad apoſtemata calida & dura in inteſtinis, & matrice, & teſticulis. Et ponitur in medicinis vulnerum orificij veſicę, Reſiſtit venenis Et confert,cum linitur ſuper morſum viperæ. *Conſtantinus vbi ſupra.* Pix liquida calida eſt, & ſicca in tertio gradu, contra venenum eſt cum melle accepta. Valet vulneribus pectoris & pulmonis, & tuſſim diuturnam habentibus. Gargariſmus eius apoſtemata gulæ diſſoluit. Pix quoque ſicca omnia ſupradicta operatur,& ſæpe in vnguentis ad vulnera recipitur. *Platearius.* Pix liquida virtutem habet diſſoluendi, conſumendi, laxandi. Et picula fit vnguentum contra ſcabiem. Vſus eius etiam eius contra impetiginem & ſerpiginem & contra tineam. Contra ſplenem & frigida apoſtemata fit emplaſtrum ex picula cera & oleo reſoluta. Pix eam naualis ponitur in emplaſtris.

Emplaſtrũ.

De reſina.

CAPVT CIII.

Reſina etymon.

ISidorus. Reſina Græci retinam vocant. Nam reſis Græci dicitur quicquid manat. Eſt enim lachryma ſudore exhalata lignorum,vt ceraſi,lentiſci,balſami,vel reliquarum arborum,ſiue virgultorum,quę ſudare produntur,ſicut & odorata orientis ligna, vt gutta balſami ac ferularum vel ſuccinorum, cuius lachryma dureſcit in gemmam. Prima eſt reſina terebintina omnium præſtantior,hæc ex Arabia,& India,& Syria,Cypro, & Aphrica,ex inſulis quoque Cicladibus affertur, Secunda eſt lentiſcina,quæ maſtix vocatur, & hæc de Chyo inſula deportatur, Tertia pinalis,quæ ex Tirrhena Calophonia,*Plinius lib.*14. In Oriente optimam & tenuiſſimam reſinam fundunt terebinthi. Deinde lentiſci, quæ maſtix dicitur: poſtea cypreſſi acerrimam ſapore: liquidæ omnes extant. Craſſior vero eſt, & ad pices faciendas cedrus. Arabica reſina alba eſt acri odore, difficilis coquenti. India calloſior,& terebinthina quoque odoratior. Syria attriti mellis habet ſimilitudinem. Cypria antecedit melleo colore carnoſa. *Idem in li.* 24.

Reſinæ ſpecies duæ ſunt, ſicca & liquida, ſicca è pinu & picea fit. Liquida è terebintho, larice, lentiſco, cypreſſo. Nam & hæ ferunt in Aſia & Syria. Falluntur qui eam putant eſſe è picea, atque larice, Picea enim pinguem & ſuccoſam fundit. Larix gracilem ac mellei liquoris virus redolentem. Medici liquida raro vtuntur & in ouo fere. *Dioſcor.* Reſina lachrymarum eſt arboris. Omnis autem reſina deſiccat, & calefacit, & diuretica eſt. Alia quidem plus, alia vero minus. Meritoque præcedit omnis reſina de Cyno. Quæ ideo maſtix nominatur; quia modicum ſtiptica eſt, vnde ſtomachum & ventrem & hepar defectum corroborat, & inflationes eorum iuuat abſque moleſtia. Aliquãtulum autem habet acredinis, & ideo leptomeris eſt. Præterea terebinthina præcellit. Nam & ideo diaphoretica eſt, pluſquam maſtix, ita vt ſcabies ſanet, & profundas plagas ad vulnera magis repleat & purget.

De Sagapino, & ſerapino.

CAPVT CIV.

Sagapinum. P *Latearius.* Sagapinum, vel ſerapinum eſt in tertio gradu calidum & ſiccum. Eſt autem gummi cuiuſdam arboris in tranſmarinis partibus, & in Græcia naſcentis. Humiditas enim quædam fluens circa arborem induratur, ita quod euelli quandoque ſine cortice non poſſit. Et in loco ſicco diu ſeruatur. Virtutem habet diſſoluendi, conſumendi, attrahendi, relaxandi. Contra Lethargiam fumigium factum ex ipſo & cornu caprino ſuper carbones poſitis ſternutationem prouocat, & cerebrum à phlegmatica ſuperfluitate mundificat. Idem quoque mundificatum, vt debet datum aſmaticis laborantibus ex humiditate valet, præcedentibus tamen mollificatiuis, & materiæ digeſtiuis. Aliter Gentiana in aqua decoquitur ordei, in qua colatura & ſerapinum ſoluitur, & patienti datur. Suppoſitorium, vel fumigium ex eo factum contra præcipitationem matricis valet multum. Itemque fumus eius per os, & nares receptus multum valet ad ſuffocationem ipſius. Denique contra ſplenis duriciem ex eo fit vnctum, vel cerotum optimum. Siquidem in aceto per noctem ponitur, eoque mane decocto & colato, addita cera & oleo, vnguentum efficitur.

Suppoſitorium.

Auicenna. Serapinum eſt arboris gummæ, in qua non eſt iuuamentum, ſed in eius gumma, & dicitur, quod eſt quædam ſpecies galbani, quæ reſoluitur & ſerapinum fit. Melior eſt duarum eius ſpecierum illa, quæ eſt ſpiſſior & clara, cuius pars interior ad rubedinem declinat, & velociter reſoluitur in aqua. Non ſicut id, quod adulteratum eſt cum galbano, quamuis galbano albo ſit ſimile, & quod melius eſt de eo eſt illud de Saphan. Eſt autem calidum in tertio, ſiccum in ſecundo, & eſt reſolutiuum, carminatiuum, calefactiuum, abſterſiuum. Confert paralyſi, ac rupturæ lacertorum & chordarum eorum, ſoluitque materias eorumquæ ſunt in vtriſque anchis. Clyſterizatum & bibitum, ſimiliter valet doloribus iuncturarum. Reſoluit ſodam frigidam, atque ventoſam. Epilepſiæ confert, & obſcuritati oculi in alcofol, & craſſitudini palpebrarum, ac veſtigijs in oculo, & eſt de medicinis, quæ ſunt ad aquã deſcendentem ad oculum. Tritaque cum aceto & poſita ſuper ordeolum delet ipſum. Confert pectori, lateriſque dolori, & antiquę tuſſi. Cum aqua rutæ valet ad malitiam anhelitus, fortiterque mundificat pectus, & extrahit humores crudos. Confert iterum hydropiſi, & aquam citrinam extrahit. Confert & cholicæ clyſterizatum & bibitum, & dolori ventris pungitiuo. Extrahitque lapidem ex ambobus, & augmentum efficit in coitu. Confert quoque matricis doloribus. Prouocat menſtrua cum hydromele bibitum. Sed interficit fœtum. Lenit cum facilitate ventrem, & extrahit viſcoſum humorem. Confert etiam febribus periodicis. In vino datur ad puncturam vermium venenoſorum, & ad omnia venena mortifera. Eius operatio fortior eſt operatione galbani. Et quandoque confert delinitum in omnibus locis.

Temperamentum.

Vſus medicus.

De Sanguine draconis.

CAPVT CV.

Sanguis draconis. P *Latearius.* Sanguis draconis eſt gumma cuiuſdam arboris in India & Perſia naſcentis. Sic dictus, quia ſanguini ſimilis eſt. Eligitur autem ſubrubicundus & interius clarus, ſicut minium, & ſophiſticatur quandoque ex puluere minij cum alio ſucco indurato. Eſt autem frigidus & ſiccus in tertio gradu. Per annos 30. ſeruatur, virtutem habet conſtringendi. Contra fluxum ſanguinis è naribus puluis eius imponitur, & nares conſtringuntur, vt puluis adhæreat rupturæ venarum. Vſus quoque eius contra hæmoptoicam paſſionem, & contra dyſſenteriam. *Conſtantinus vbi ſupra.* Sanguis draconis eſt de arboribus in Perſide & Armenia naſcentibus, qui frigidus eſt, & ſiccus in initio tertij gradus. Loca de gladio, alijſque rebus inſciſa ſolidat, & vulnera inteſtinorum curat, ſi ex eò clyſterizetur. Ventrem conſtipat. Radices huius arboris de craſſis viſcerum humoribus & viſcoſis mundificatiuas eſſe Galenus affirmat. Aceto temperata morpheam & impetiginem inuncta ſanat. Succus ex eo collyrijs mixtus viſum clarificat. *Auicenna.* Sanguis draconis eſt ſuccus rubeus notus, non multum calidus. Dicunt etiam quidam, quod eſt frigidus. Eiuſque ſiccitas eſt in ſecundo gradu. Conſtrictiuus eſt, fluxumque ſanguinis prohibet. Vlcera & plagas recentes conglutinat, ſtomachumque confortat. Denique conſtringit, & dyſſenteriæ confert, anique fiſſuris.

Virtus in medicina.

De Sarcocolla.

CAPVT CVI.

Sarcocolla vſus medicinalis. A *Vicenna.* Sarcocolla eſt arboris ſpinoſæ gumma, in qua eſt amaritudo. Et bona eſt illa, quæ ad citrinitatem declinat, ſimilis ololibano. Et dicunt quidam, quod eſt calida in ſecundo, ſicca in primo. Eſt autem glutinatiua, & ideo conſolidat, & carnem creat. In emplaſtris adminiſtratur, & in ipſa eſt virtus adhærere faciens, opilatiua & amara, propter hoc in ipſa eſt reſolutio, & digeſtio. Caluiciem facit frequens potus ipſius, & propriè ſenibus. Omnia ſedat apoſtemata emplaſtri more ſuperpoſita. Corrodit mortuam carnem, recenteſque plagas conſolidat, & reſtaurat corroſionem. Valet etiam ad aurem ſanioſam. Confert obtalmiæ, ac propriè lippitudini & fluxui oculi, propriè cum lacte aſinę, humorem crudum, ac phlegma craſſum ſoluit, proprieque ex ancha, & iuncturis. *Platearius.* Sarcocolla eſt in ſecundo gradu calida & ſicca, & eſt gumma cuiuſdam arboris ex partibus tranſmarinis. Huius generis alia eſt in puluerem redacta, quæ facilè ex alterius puluris admixtione ſophiſticatur. Alia vero craſſa reperitur, diu ſeruatur, ex glutinoſitate quam habet. Ineſt ei virtus conſtringendi, & conſolidandi. Eligenda eſt illa, quæ alba eſt, aut ſubalbida & gummoſa, quæ in maiori quantitate reperitur. Reducta in puluerem non valet, Ex illa emplaſtrum & albumine oui confectum, valet ſuper tempora contra ſanguinis è naribus fluxum. Contra maculam oculorum, puluis eius cum aqua roſacea conficitur & ſoli exponitur, donec aqua conſumatur. Ex aqua roſarum, iterum appoſita, ſi fit tertio, vel quarto. Poſtea cum aqua roſacea, vel per ſe imponitur oculorum doloribus. Item puluis eius vulnera conſolidat ſuperpoſita. Denique contra *tenaſmon* ex frigida cauſa valet fumus ex puluere ipſius poſito ſuper carbones à patiente per embotum receptus, *Dioſcorides.* Sarcocolla eſt velut lachrymum arboris, & quaſi reſina, naſcens in Perſia, rufa & guſtu amara. Virtus eſt ei vulnerum peracoletica. Poteſt etiam lachrymas ſtringere, & quodammodo vultum hilarem facere, & oculorum

Virtus eius.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rheuma prohibere. Emplaſtris miſcetur. Adulteratur autem gummi ac reſina. Sed tactu facili deprehenditur.

De Stacte, & ſtorace.

CAPVT CVII.

Stacte. *Victor. Stacte* dicitur gummi, quod defluit ex arbore myrrhæ, quod etiam appellatur eodem nomine, videlicet myrrha, de qua dictum eſt ſupra.

Storax. *Iſidorus.* Storax dicitur & dicta eſt, eo quod ſit arboris gutta profluens & congelata. Nam Græci ſtiriam guttam dicunt. Græcè autem ſtirax, Latinè ſtorax dicitur. Arboris ſtoracis virgulæ intra caniculæ ortum, cauernatim lachrymam fluunt. Diſtillatio enim in terra cadens immunda, ſed cum proprij corticis ſcrobe ſeruatur. Illa autem, quæ virgis & calamis inhæſerit, munda eſt, & albida. Dehinc fulua fit ſolis cauſa: eſt ipſa ſtorax calamitis pinguis, reſinoſa, iucundi odoris, humecta, & velut melloſum liquorem emittens. *Plinius libro 12.* *Storax ex Syria venit.* Storacem Arabes ex Syria reuehunt acri eius odore focis abigentes fumorum faſtidium. Cæterum non alia ligni genera ſunt in vſu, quam odorata, ciboſque coquunt ſabæi thuris ligno, alij vero myrrhæ. Ad hunc & ſanandi cauſa, oppidorum vicorumque non alio, quam ex aris fumo, atque nidore ſtoracem in pellibus hyrcinis vrunt, tectaque ſuffiunt. Eundem & ad ſerpentes vrunt fugandos in odoriferis ſyluis frequentiſſimos, proxima Iudeæ Syria ſupra phænicem gignit ſtoracem circa gabala & marathunta & Caſſium Seleuciæ montem. Arbor eſt eodem nomine malo cidonio ſimilis. Lachrymæ ex auſtero iucundioris, intus ſimilitudo arundinis prægnans ſucco. In hanc circa canis ortum aduolant pennati vermiculi corrodentes, & ob id ſcrobe ſordeſcit. *Auicenna in lib. 2.* Storax gummą per ſe extracta eſt citrina, & cum antiquatur, ad colorem aureũ declinat. Quæ autem extrahitur à decoctione corticis ipſius arboris eſt nigra. *Dioſc.* Storax eſt lachrymum arboris eiuſdem nominis, cuius virgæ intra ortum caniculæ ſcrobem ex ſe ſerræ ſimilem emittunt, & cauernatim lachrymum fluunt. *Melior ſtorax quis?* Eligenda eſt autem ſtorax rufa, & pinguis, ac reſinæ ſimilis, frũſtatim ſubalbida, & odore plena, quæ cum malaxatione humiditatem emittit ex ſe melli ſimilem. Eſt enim viſcida naturaliter & odorata, calefaciens & molliens.

De virtute ſtoracis in medicina.

CAPVT CVIII.

Virtus ſtoracis. *Idem.* Storax ad tuſſim facit, & catarrhum compeſcit, raucedinem faucibus detergit, aurium tinnitus prohibet. Stericis effocationibus, ac duritijs eius effectum præbet. Menſtruis imperat, ventrem mollit, terebinthinæ mixta & glutita, malagmatibus quoque diaphoreticis, & acopis neceſſarię miſcetur, fumigationem habet thuri ſimilem. Et tantum vbique prodeſt, quantum maſculum thus. Eſt & alba ſtorax, quæ calamitis appellatur, & Indica. Reprobatur autem nigra, fragilis, cantabroſa. Adulteratur autem arboris ſectione, quam ſerraginem dicimus aut mixto melle, & iris illyricæ puluere, cera, & adipe. Sed agnoſcitur, quod non ſit acrimoniæ maioris. Et quia mollitiuæ virtutis eſt, duras matrices, neruorumque duritias relaxat. Scrophas & vocis amputationes digerit, & brancos iuuat. *Auicenna.* Storax alia eſt humida, quæ extrahitur per ſe: alia, quę cum decoctione: per ſe extracta eſt citrina, & cum antiquatur ad aureum colorem declinat, & abundat. Quæ autem extrahitur è cortice eſt nigra, quoniam extrahitur cum corticis decoctione, & ipſa quæ extrahitur, eſt humida, & quæ remanet, eſt ſicut fæx & vinacia ſicca. Suffumigatio ſtoracis ponitur in omni re loco ſuffumigationis thuris. Melior eſt autem huius generis illa, quæ eſt acutioris odoris. Calida in tertio, ſicca in primo, lenificatiua eſt valde. Permiſcetur cum medicinis laxitudinis, & catarrho confert, ac corizę. Confert etiam tuſſi & raucedini, caput autem grauat, & facit ſoda. Oleum eius confert duriciei matricis & menſtrua prouocat. Storax ſicca ſtomachi humoroſitati confert, ac ventrem retinet. *Platearius.* Storax eſt calida in gradu primo, ſicca in ſecundo, Et alia quidem eſt calamita, alia rubea, alia liquida, Quælibet illarum eſt gummi arboris in India naſcentis. Storax liquida reperitur in Calabria. Storax vero calamita dicitur non à calamo, *ſed à Calon quod eſt bonum*, & mita quod eſt gutta, quaſi bona gutta. Per decem annos durat. Eligenda eſt illa, quæ ſubrufa eſt, vniuſque caloris per totum, & ſapore pontica & ſubamara, quæ malaxari poteſt in cera. Quæ autem dulcem ſaporem habet, ſophiſticata eſt. Nam irimillyricam cum melle conficiunt, & ſtoracem calamitam, vt ſophiſticetur, addunt. Sed diſcernitur, quia talis habet dulcedinem nimiam, & ſi manibus tractetur ſtatim fit humida, & parum viſcoſa. Si vetus, cum malaxatur, puluerizatur. Sed ſtorax rubea plus accedit ad ruborem effectus ſimiles habens. Storax vero calamita maior eſt efficaciæ. Virtutem habet ex ponticitate confortandi, & ex qualitatibus ſuis conſumendi. Contra debilitatem ac frigiditatem cerebri & catarrhum ex ea mellum informatur & naribus imponitur. Caphala ex eadem facta ſuper dentes laxatos & gingiuas confortat & confirmat. Emplaſtrum ex eadem oleo factum contra frigiditatem ſtomachi valet ſtomacho ſuperpoſitũ. Item contra frigiditatem ſtomachi, & contra frigidum rheuma capitis dantur pillulæ ſtoracis. Suffumigatio ex eadem facta per inferiora prouocat menſtrua. Valet etiam ſuffumigatio ex eadem facta per inferiora, ſi fiat puta inferius contra matricis ſuffocationem. Si ſuperius contra ſui præcipitationem. Liquida ſtorax in emplaſtris & vnguentis maximè contra tineam ponitur, & diutiſſimè ſeruatur. Contra *tenaſmon* valet ſuffumigium ex ea factum. Seruatur autem diutius ſtorax rubea, quam calamita.

Eadem virtus ſecundũ Auicennã.

Etymon calamitæ.

Sophiſticata.

Probatio.

Vetus.

Effectus.

De Terebinthina.

CAPVT CIX.

Terebinthina effectus. *Iſidorus.* Terebinthina eſt reſina, quam generat terebinthus, omnium reſinarum præſtantior. *Dioſcorides.* Therebinthina reſinis omnibus præcellit. Nam & diaphoretica eſt pluſquam maſtix, ita vt ſcabies ſanet, & *profundas plagas, & vulnera* magis repleat & purget. Eligenda eſt alba & limpida, vitreum colorem habens, & odorem terebinthi retinens. *Plinius libro 24.* Placet terebinthina odoratiſſima atque leniſſima nationum Cypria & Syriaca, vtraque mellis attici coloris. Sed Cypria carnoſior ſicciorque. In ſicca quæruntur vt ſit candida, pura, perlucida. *In omni autem vt montana potius, quam campeſtris.* Item ab Aquilonio, quam ab alio vento. Reſoluitur autem reſina ad vulnerum vſus & malagmata oleo. In potiones amygdalis amaris. Natura in medendo contrahere, vulnera purgare, diſcutere collectiones. Item pectoris vitia, terebinthina, illinitur & eadem calida membrorum doloribus. Spaticis quoque illinitur in ſole totiſque corporibus. *Platearius.* Terebinthina eſt calida, & ſicca. Eligenda eſt alba, vel citrina in ſubſtantia valde clara, & non fœculenta. Per annos decem durat. Virtutem habet diſſoluendi, laxandi, & maturandi. *Ad apoſtemata frigida* maturanda ſuper carbones ponitur, & emboto impoſito fumus interius à patiente accipitur. Contra ſuffocationem matricis mulier fumum ſubterius accipit, ad præcipitationem eiuſdem fumus per os accipitur. Suppoſitorium ex bombace factum, & ea intinctam matricem mundificat.

Qua eligenda.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Thure.

CAPVT CX.

Thuris etymon. *Iſidorus.* Thus à tumendo dictum eſt. Eſt autem ſuccus aromaticus, quem arbor Arabiæ in modum amygdalæ fundit album, & maſticatione reſolutum velut in puluerem, & cum frangitur intus pingue eſt, igniq́ue appoſitum facilè ardeſcit, & appellatur apud nos maſculus, eo quòd ſit *natura rotundum in modum teſticulorum.* Reliquum vero planum & penè ſcabroſum minus optimum. Adulteratur autem admixta reſina, ſiue gummi, ſed proprietate ſua dignoſcitur. Nam thus igni impoſitum ardeſcit, reſina fumeſcit, gummi vero calefactum liqueſcit. *Plinius lib. 7.* Thus expectatur (vt dictum eſt ſupra) in Sabotha Arabiæ monte excelſo, à quo octo manſionibus diſtat regio eorum thurifera Saba appellata, quod ſignificare Græci myſterium dicunt, ſpectant ortus ſolis æſtiui, vndique rupis inuia, & à dextra maris ſcopulis inacceſſa. *In æſtu flagrantiſsimo circa canis ortum vindemia prior* & naturalis eſſe dicitur, quia tunc maximè prægnans eſſe tenuiſſimusque tendi cortex arboris videatur. *Secunda vindemia eſt verè*, ad eam hyeme corticibus inſciſis. Rufum hoc exit, nec comparandum priori. Adulteratur apud nos reſinæ candidæ gemma perquam ſimili. Probatur autem *candore, fragilitate, amplitudine, carbone.* vt ſtatim ardeat. Idem ne dentem recipiat potius, quàm in micas frangatur.

Thus maſculum. *Prima vindemia Thuris.* *Secunda.* *Probatio thuris.*

Libanus. *Dioſcorides.* Thus lachrymum eſt arboris, quæ Græcè Libanus dicitur, quod quidem de Arabia affertur candidum, quod autem de Iudia ſubruſum, ſed vtrumque maſculum eſt. Et tertium valde minutum, quod manus dicitur, vel manna thuris. Adulteratur autem thus maſculum picinia, id eſt pinali reſina & gummi commixto. Sed in hoc deprehenditur, quòd non talem odorem emittit. *Gloſſa ſuper Eccleſiaſticum.* Thus bis in anno colligitur, in Autumno ſcilicet, & in verè. Sed autumnali collectioni præparatur inciſo cortice in æſtatis feruore. Inde proſilit ſpuma pinguis, quæ concreta denſatur, niſi loci natura poſcat tergere palma excipiente. Quod in arbore hæſit, ferro depectitur, ideo corticoſum videtur. Puriſſimum, hoc eſt thus candidum. Secunda vindemia præparatur in hyeme inciſis corticibus. Rubrum hoc erit, nec comparandum priori. Nouellæ arboris veteris eſt odoratius, quod ex eo pependit rotunditate guttæ maſculum vocatur.

Thus candidum.

De operatione thuris in medicina.

CAPVT CXI.

Razi. Thus calidum eſt & ſiccum, carnem in vulneribus creat, ventrem ac vomitum arcet. Intellectum acuit. De qua tamen ſi multa ſumatur quantitas ſanguinem adurit, & amentes & vigilantes efficit, tremori cordis auxiliatur. *Dioſcorides.* Thus valet ad zernas & araneas & combuſturas & quaſſationes, & aurium mammarumque dolores, & intraneorum tumores. Verum ſi à ſano bibitum fuerit maniam, vel etiam mortem incurrit. Porro manna thuris eligenda eſt alba, munda, fruſta habens minuta. Cuius virtus olibano ſimilis eſt, ſed paulo fortior. Denique tumores oculorum & rheuma ſuſpendit, oculorumque vulnera medendo limpidat. Simili modo facit fumus ſtoracis ac myrrhæ, quia ſimiles ſunt, & virtus vna eſt. *Conſtantinus vbi ſupra.* Thus eſt calidum & ſiccum in ſecundo gradu. Calefacit & conſtipat, viſum clarificat, recentia vulnera ſolidat. Fluxum ſanguinis vbicumque ſit conſtringit. Peſſima vlcera in ano, vel in alio loco naſcentia, ſi ſuperponatur cum lacte temperatum, dilatari non permittit, & craſſum phlegma diſſoluit. Memoriam quoque corroborat. Item maſticatum cum origano ſtaphyſagria, diſſoluit phlegma à capite extrahendo, & linguæ grauedinem alleuiat. Cum ſebo anatis temperatum ad vulnera deſiccanda ſit optimum. Valet etiam ad vulnera propter aduſtionem ignis facta. Cum ſapa diſſolutum, & auribus inſtillatum mitigat dolorem earum.

Thuris temperamentum & virtus.

Macer.

Thus calidum, ſiccumq́ue gradu dixere ſecundo,
Lumina clarificat lachrymo ſi ſoluitur oui,
Contritum, vel fœminco cum lacte tepenti,
Acri cum vino tritum pice lacteq́ue mixtis,
Vulnera præcipuè curare recentia dicunt
Pingui porcino mixtum medicabitur vſus,
Admixtum melli panaricia decutit vnguis
Thus bene contritum vinoq́ue tepente ſolutum,
Affirmant auri multum prodeſſe dolenti
Tritum tum creta chimolea ſicq́, roſato,
Permixtum mammas dicunt curare tumentes,
Nil credunt hæmoptoicis magis auxiliari
Admixto vino ſi ſumatur, vel aceto,
Thus cum lacte recens muliebri ſi ſuperaddas,
Vlceribus fieri qui ſæpe videntur in ano
Aut alio quocunque loco, medicabitur illis,
Huic aloe iunges, lachrymumq́ue albuginis oui.
Sic vt ſit ſpiſſum. ſectæ ſuperadditio venæ,
Aut his vulneribus nimio quæ ſanguine manant,
Nec ſoluas, niſi cum credas diuiſa coiſſe,
Si ſit opus medicamen idem ſuperadde priori
Donec firmari valeat ſolidata cicatrix
Aſſirmat melius nil ſiſtere poſſe cruorem,
Vim memorem cerebri proprio confortat odore,
Origano iunctum ſiquis commaſticet ipſum,
Humores nocuos capitis per ſputa repellit
Alleuat iſta grauem capitis purgatio linguam
Anſeris aut anatis mixta pinguedine thuri,
Fit cataplaſma valens membris, quæ læſeris ignis.

Carmina de Thure.

De Viſco.

CAPVT CXII.

Dioſcorides. Viſcus eſt lachrymum arboris lene & viride, deintus ſubrufum, & nihil habẽs aſperum. Colligitur & de ſemine obrotundo arboris, quæ Drios appellatur, habens folia buxo ſimilia. Semen quidem primo lauatur, poſtea decoquitur. Multi vero maſticando illud conquaſſant; fit etiam ex arbore mali maciani, & ex pyro, & diuerſis arboribus. Aliquando in radice arborum & in frutice inuenitur. Virtus eſt ei diaphoretica, & malactica, & epimaſtica, & pectice, puſtulas corporis mũdat, parotidis neceſſario miſcetur. Omnibus etiam apoſtematibus reſina & cera mixtis æquali pondere, auxiliatur. Thuri maſculo mixtus vulneribus malis medetur. Splenem ſiccat, maximè cum calce & lapide gagatæ mixtus coctus & impoſitus. Auripigmento vero aut ſandarace mixtus ſcabioſos excludit. Calce autem aut fæcibus vini mixtus virtutem acuit. Viſculus in ramulis arborum naſcens, à quodam volatili, id eſt turdela viſcatur. Illud enim, quod in ramis ipſis formatur, conglutinatur, & inde naſcuntur virgulæ plurimæ ſitque viſcus, qui in ſe viridis inuenitur. Eſt autem optimum quod in arbore quercu naſcitur & eſt mundum, ſubuiride, putridum, & ſi extenditur non rumpitur, ſed vt membrana extenuatur. Vires habet acres, & quæ duritias mollire poſſunt. Nam de profundo extrahit humores, non tamen ſubtiles, ſed pingues. Non autem calefacit mox, ſed diuturno tempore impoſitum vt taxia.

Viſcus. *Virtus.* *Cauſa viſci in arboribus.* *Optimum viſcus.*

De Saccharo & candia.

CAPVT CXIII.

Auctor. Sacchàrum & candia (vt fertur) vltra mare vel in Hiſpania ortum habet cannis, quæ Saccharinæ cognominantur. Oritur enim Saccharum intra cannam, ſicut medulla intra ſambucum vel arundinem. *Iſaac lib. 2.* Zucchara calida eſt & humida in primo gradu: colat, diſſoluit, & extenuat, ventrem humectat, abſ-

Barbarè Zuccharam vocant.

que

que vlla morſura ſtomachum mundificat. Nonnunquam tamen in choleram rubeam mutatur, ſi cholericis detur propter eius dulcedinem. Sicut enim acetoſitatis acumen choleram rubeam extinguit, ſic dulcedo rei acetoſæ contraria, choleram rubeam augmentat & nigram. *Platearius.* Zuccharum eſt calidum, & humidum temperatè in gradu primo. Virtutem habet infrigidandi, & humectandi, relaxandi, & nutriendi. Fit autem zuccharum canna mellis in partibus tranſmarinis, & in Sicilia, & in Hiſpania. Nam verſus feſtum Ioannis Baptiſtæ cannam mellis accipiunt incolæ, quæ ferè ſimilis eſt alijs cannis, niſi quòd iſtæ ſunt dulces & interius ſolidæ. Illæ vero ſcilicet paluſtres concauæ ſunt & inſipidæ. Inſcidunt enim has per minima fruſtula, & piſtant, poſtmodum in lebete ponunt, & ad lentum ignem vſque ad ſpiſſitudinem bullire faciunt, & ſpumant. *De qua videlicet ſpuma fit zuccharum* ſophiſticatum, quod eſt alio leuius intus cauernoſius, ac per hoc ab illo diſcernitur. Cum ergo zuccharum emitur tortella frangatur & guſtetur. Nam ſiquidem intus ſit foraminoſum valde, vel guſtu non ſentiatur valde dulce, ſed quaſi euaneſcit in ore, ac non crepet in commaſticatione, id vanum atque ſpumoſum noſcitur eſſe. Bonum vero zuccharum faciunt reſidente ſpiſſo liquore præfato, qui ferè infrigidatus ponitur in vaſe rotundo. Sicque ponitur ad ſolem in eo, & tam per ſolis calorem, quàm per decoctionem longam durum fit & album zuccharum, quòd ſeruari poteſt per quinquennium, & hoc in loco non nimis frigido, nec multum calido. Cuius vſus in multis eſt neceſſarius, & in confectione medicinarum dandarum acutè febricitãtibus. In ſyrupis ſi duæ ſint libræ, vna ſit aquæ. Si etiam multum ſit de aqua, non nocet, propter diuturnam decoctionem. Et notandum, quòd zuccarum valet *tuſſientibus & ſitientibus, ac laborantibus*, cum aquam in calida regione non habeant. Prodeſt etiã pthiſicis conſumptis & aſmaticis poſitum in potibus eorum & in cibis. Reficit enim eorum extenuationem, reprimitque ſiccitatem.

Temperamentum ſacchari.

Modus faciendi ſaccharum.

Vſus.

De eodem.

CAPVT CXIV.

Conſtantinus in Pante. Zuccarum temperatum, ſed tamen aliqualiter calidum. Huius actio melli vicinatur, Cum farina coctum indigeſtiuum eſt, cum oleo amygdalino nutritiuum, Sed hepatis conſtipationem facit, & in renibus lapides. *Auicenna,* Zuccarum eſt vniuerſaliter in fine primi calidum, & in ipſo humidum. Antiquum vero declinat ad ſiccitatem in primo, & eſt humidum in ipſo, & quanto magis antiquatur, tanto plus exiccatur. Eſt autem abſterſiuum, lenificatiuum, ſed & ſulimenum magis eſt lenitiuum, & propriè alfenid, immo mel arundinis ac zuccarum non ſunt inferiores melle in abſtergendo vel mundificando. Ipſum zuccarum quanto plus antiquatur, tanto ſubtilius efficitur. Ab arundine ſicut gumma aſſumptum abſtergit oculum, & eſt bonum ſtomacho, in quo cholera non generatur, ipſum enim lædit, eo quòd ad choleram cõuertitur. Lænit pectus, ac remouet aſperitatem eius, & aperitiuum eſt opilationum. Sitim facit minorẽ, quam facit mel propriè antiquum, & generat ſanguinem fœculentum. Phlegma ſtomachi abſtergit & ſoluit, propriè illud, quod ſuper arundinem ſicut ſal inuenitur. Et ſulimenum & rubeum vehementioris ſunt lenificationis. Denique zuccarum quandoque inflat, & quandoque inflationem ſedat. Zuccarum alhuſar eſt manna cadens ſuper alhuſar, & eſt vt ſalis fruſta, in ipſo eſt cum abſterſione & reſoiutione ponticitas, & amaritudo, & ex ipſo quidem aliud eſt iamenum, aliud eſt agizium ad nigredinem declinans. Acuit viſum, & eſt cum ponticitate abſterſiuum. Confert pulmoni, & cum lacte camelæ nouiter fœtę confert hydropiſi. Nec ſitim facit vt reliquæ ſpecies zuccari, quia dulcedo eius eſt parua, & eſt bonum ſtomacho & hepati. Confert quoque renibus ac veſicæ. Arundo zuccari in natura zuccari exiſtit, & vehementioris eſt exiccationis. In ipſo eſt iuuamentum ad vomitum. *Ex libro de natura rerum.* Zuccara calida eſt & humida. Sunt autem cãnæ in partibus Hiſpaniæ, quæ cum maturæ fuerint radicibus euelluntur, earumq; ſummitates ad menſurãm duarum palmarum abſciſæ, ad ſpeciem germinis terrę infiguntur. Reliquum vero cannarum per fruſtra ſciſſum terunt, & liquorem in vaſis recipiunt ac bulliunt. Cum totus in ſpumam tranſire videtur, exhauritur, & in vaſis reponitur, paleaque cooperitur & ſuperſpergitur. Citrinum autem remanet, & multo calidius eſt, & ob hoc in acutis poni non debet. Album vero frigidius eſt ac laudabilius & contra dolores pectoris valet. Siccum quoque pectus humectat. Valet etiam contra dolores capitis ex calida cauſa, & ad ſolutionem ventris.

Varia genera ſacchari.

Effectus.

Antiquius ſaccharum ſubtilius eſt.

De Penidijs.

CAPVT CXV.

Ioſcorides. Ex zuccaro conficiuntur penidiæ. Quarum virtus frigida eſt & humida. Arteriarum aſperitatem comeſtæ leniunt, oris & gutturis amaritudinem, & fellis temperant. Siccè tuſſientes humectant, conſumptis, pthiſicis, & ardorem in ſtomacho patientibus, vt rodoſtomachæ ſolutæ & potatæ refrigerium præſtant. Acutè quoque febriẽtibus & ſynthectis cum micis panis confractæ, ac ſolutæ calores, & ſiccitates intollerabiles reprimunt. Vocem etiam ex calore debilitatam cũ dragaganto & alijs quibuſdam ſæpius aſſumptæ reformant. *Platearius.* Penidiæ ſunt calidæ & humidæ. Fiunt autem ſic. A qua zuccaro admiſcetur, & fit decoctio quouſque gutta lapidi ſuperpoſita adeo induratur, vt ſtatim inter digitos frangatur. Poſtea ſuper lapidem politum ponitur vſque infrigidetur, & clauo aſſeri in pariete infixo ſuperponitur, ibique manibus tractatur quouſque dealbetur. Poſtea cum forficibus in fruſtella quædam inſciduntur ac deſiccantur, aſpergendo deſuper amidi puluerem, vt albeſiant penidiæ. Optimus eſt autem cibus iſte laborantibus ex ſpiritalium apoſtemate, & contra tuſſim ſiccam. Valet etiam contra ſiccitatem pectoris in aqua ordei, & contra conſumptionem per ſe datur, vel in cibarijs: contra ſciſſuram labiorum, in aqua dragaganti penidiæ ponuntur, pennaque labia illinuntur. Diapenidion, id eſt electuarium ex eis factum in acutis febribus maximè, vt pleureſi, ac peripleumoniæ congruus eſt cibus. *Auicenna.* Penidij calidi ſunt & humidi in primo, proprie albi, & ſunt humidiores alijs, zuccaro craſſiores. Lenitiui ſunt ventris & vtiles tuſſi. *Auctor.* Hæc de arboribus earumque gummis & lachrymis collegimus: nunc reſtat, vt de fructibus earum ac ſuccis fructuum dicamus, ſed hęc libro ſequenti reſeruamus.

Penidia quod temperamentum & virtutem habeant.

Modus quo penidia conficiuntur.

Diapenidium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER DECIMVSQVARTVS.

De Fructibus arborum.

CAPVT I.

Fructus etymon.

Sidorus. Fructus dicitur à frumine, ideſt eminente gutturis parte qua veſcimur. Dicũtur autem propriè fructus arborum & agrorum, quibus vtique vtimur in animalibus vero B abuſiuè & translatiuè fructus vocatur. Poma dicta ſunt ab opimo, ideſt à copiæ vbertate. Omnia autẽ

Poma vnde.

poma mollia dicuntur mala. Nuces quoque generaliter dicuntur omnia poma corio duro tecta, vt pineę, nuces, auellanæ, glandes, caſtaneæ, amygdalæ. *Ambroſius in Hexaemeron libro tertio.* Quanta vero Domini prouidentia, vt vbi *mollior fructus, ibi ſoly craſſitudo validius* tegumentum tuendo deferat pomo, quod videmus in ficulnea. Econtra autem vbi fructus validior eſt, ibi te- C neriora folia, vt arbor malus docet. Nam & ipſa protectionis craſſioris vmbra pomo plus nocere poſſet. Denique docet pampinus naturę gloriam & diuinam ſapientiam. Videmus enim ita ſciſſum ac diuiſum, vt trium foliorum ſpeciem videatur oſtendere, media parte à cæteris diſtincta, vt & ſolem facilius admittat, & vmbram obtexat. Sicque vuæ præbetur munimen contra iniurias, vel aeris imbriumque violentiam, impedimentum non aufertur ad recipiendum ſolis calorem quo tepefacta alitur, coloratur, augetur, folium quoque ficulneæ equè prope, vt pampinus quadrifida diuiſione interſcinditur, quod eo quo maius eſt folium clarius videtur. Craſſitudo ergo folij proficit ad tempeſtatis iniuriam repellendam, interſciſio autem ad fructus gratiam vaporandam. Denique hoc genus pomi non cito grandinem, ſed cito maturitatem ſentit, quia & latere videtur aduerſum iniurias & patere ad gratiam. *Ariſtoteles in libro de vegetabilibus.* Omnibus autem arboribus, cum primo plantatæ fuerint, dominabitur amaritudo, vel ponticitas, quia fructus in principio non bene digeſtus eſt, digeſtio ſiquidem eſt cum calore, & humore, ideo fructus in principio amari ſunt, quia calor & humor in digeſtione completa non ſunt. Huius ſignum eſt, quia amarum in ignem miſſum dulceſcit. Myrabolanorum tamen arboris fructus in principio dulces ſunt, conſequenter pontici, & in completione amari. Cuius videlicet rei cauſa iam dicta eſt ſupra. Meliores autem ſunt fructus arborum hortenſium, quam ſylueſtrium. *Plinius lib.* 12. Arabia quandam diſtinctionem generum in fructibus flagitat, quia fructus his radice, frutice, cortice, ſucco, lachryma, ligno, ſurculo, flore, folio, pomo conſtat.

Cur amaritudo dominetur fructibus in Principio.

De Varietate fructuum.

CAPVT II.

Ambroſius vbi ſupra. Quis autem comprehendere poſſit varietatem ſpecierum, generumque pomorum, ſingulorumque vtilitatem fructuum, quemadmodum ægris hominum viſceribus amariora poma medicentur, inflationem aſperitatemque interiorem temperent, & quemadmodum humorum aſpera pomorum cultibus temperentur: alia ſunt poma quæ coquuntur, alia quæ teſtis & corticibus clauſa complentur. Mala pyra vuarumque genera omnia nuda ſoli obiecta ſunt. Nucis autem & nucleæ nucleique fructus & teſta opertus & cortice. Alitur tamen & ipſe calore ſolis ac nutritur, & quantum pineæ denſitate nucleus abſconditur, tantum calore ſolis nutritur. Alia quoque ſpecies eſt maſculorum fructuum, alia fœminarum ſicut in dactylis.

Fructus ex carne, oſſe granoque.

Ariſtoteles vbi ſupra. Fructuum quidam compoſiti ſunt ex carne & oſſe & grano vt pruna, quidam ex carne & grano vt cucumeres. Quidam ex humore & grano, vt malagranata. Quidam corticem habet exterius & carnem interius. Quidam vero carnem exterius & granum interius. Et quidam corticem exterius & granum interius. Item quidam ſunt in ſiliquis vt grana. Quidam in coopertura quadam & tela vt triticum. Quidam in carne vt dactyli. Quidam in caſa vt glandes. Quidam in caſis multis & teſtis, vt nuces. In quibuſdam quoque fit ſtatim ſemen cum cooperculo quo operiuntur, vt dactyli & amygdalæ, Quidam non ſic. Quidam etiam comeſtibiles ſunt, quidam non.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Et quoſdam animalia quædam comedunt, quoſdam non. Item quidam cito maturant, vt mora & ceraſa. Quidam vero tarde, vt omnes fructus ſylueſtres, aut plures eorum à natura plantæ. Quidam quoque durabiles ſunt, quidam non, Quidam citius putreſcunt, quidam tardius. Quidam mollefiunt, quidam non. Quidam etiam venerem prouocant, quidam ſomnum. Quidam autem interficiunt: & quidam lac faciunt, quidam non.

Adhuc de eodem.

CAPVT III.

Plinius libro 15. Arborum quarundam fructus pediculis dependent, vt pyri, Alij vero racemis, vt vuæ palmæ, Alij pediculis & racemis, vt hederæ atque ſambuci, Magna eſt in baccis differentia. Ceraſis pomum primo candidum, & ferè omnibus baccis, Mox alijs vireſcit, Rubet vero moris ceraſis cornis. Deinde nigreſcit moris, ceraſis, oliuis. Alia ſiliquis gignuntur, ipſis dulcibus, ſemenque complexis amarum cum in pluribus ſemina placeant, in ſiliqua damnentur. Alia gignuntur baccis, quarum intus lignum, & extra caro, vt oliuis, ceraſis. Aliquarum intus baccæ, foris lignum, vt in his, quæ in Ægypto dicimus gigni, quæ autem baccis natura, eadem & pomis. Aliorum intus corpus & foris lignum; vt nucum, Alijs foris corpus, intus lignum, vt perſicis & prunis. Putamine clauduntur nuces. Corio caſtaneæ, detrahitur hoc his, in meſphilis manditur. Cruſta teguntur glandes, cute vuę, corio & membrana punica. Carne & ſucco mora conſtat, cute & ſucco ceraſi. Quædam ſtatim à ligno recedunt, vt nuces & palmæ. Quædam adhærent, vt oliuæ laurique. Quarundam vero generi vtraque natura eſt, vt perſicis. Etenim duracinis adhæret corpus, vt à ligno auelli nequit, cum in cæteris facile ſeparetur. Quibuſdam nec extra, nec intus eſt lignum vt in genere palmarum. Aliquorum vero lignum ipſum in vſum & pomi vicem, vt genera nucis, quæ in Ægypto gigni dicimus. Quorundam extra gemina vitia geminantur, vt in caſtaneis & amygdalis, nucibuſque iuglandibus. Quorundam vero natura eſt trigemina, corpus primum, deinde lignum, rurſuſque ſemen in ligno, vt in perſicis. Quædam inter ſe ſunt denſæ, vt vuæ ac ſorba, quæ racemis vel ramis circundata ex omni parte vuarum modo degranant. Alia vero ſunt rara, vt perſicis. Quædam alio ligno continentur, vt granata. Quædam pediculis dependent, vt pyra. Quędam vero racemis, vt vuæ & palmæ. Quædam & pediculis & racemis, vt ſambuci & hæderæ. Alia ramo adhærent, vt in lauro. Quædam vtroque modo, vt oliuæ, quibus & breues pediculi ſunt & longi. Quædam vaſculis conſtant, vt meſphila, & punica, lotoſque in Ægypto & Euphrate. Iam vero diuerſa eſt gratia fructuum & commendatio. Carne placent palmæ, cruſta thebaicæ ſucco vuæ & caricæ, callo pyra ac mala, cartilagine mora, nuclei grana, cute caricæ quædam in Ægypto. Detrahitur hæc ficis vrentibus, vt putamen. Eademque in ſiccis maximè placet. In papyris & ferulis & alba ſpina pomum caulis ipſe eſt. Quod in ſiliquis manditur, lignum eſt. Semen vero ſiliquæ nec lignum, nec corpus nec cartilago dici poteſt.

Diuiſio Arborum ratione partiũ integralium & accidentium.

De Amygdala.

CAPVT IIII.

Amygdala. Nux longa.

Iſidorus. Amygdala (vt dictum eſt ſupra) Græcum nomen eſt Latinè nux longa dicitur. Cunctis arboribus prior ſe flore conueſtit, & ad ferenda poma cætera arbuſta prędenit. Ex his aliæ ſunt dulces, alię amarę, Sed agricolæ huic generi ſic mederi feruntur. Terebrant eius radicem, & in medio inſerunt ſurculum arboris, quę picea dicitur, quo facto ſucci amaritudo deponitur. *Palladius de agricultura libro ſecundo. Teneras nuces amygdalus creabit*, ſi ante florem radicibus ablaqueatis *per dies aliquot calida aqua irrigatur.* Ex amaris dulces fiunt, ſi circumfoſſo ſtipite tribus digitis à radice fiat cauerna per quam noxium deſudet humorem, vel medius truncus terebretur, & cuneus ligni melle oblitus imprimatur, vel circa radices ſuilluin ſtercus affundas. Amygdala ad legendum maturitatem fatentur, cum fuerint ſpoliata corticibus. Hæc ſine cura hominis ſeruantur in longum. *Si difficulter corium dimittent, paleis obruta continuo relaxabunt.* Item ſi decoriata aqua marina lauemus aut falſa, & candida fiunt, & plurimum durant. Græci aſſerunt naſci amygdala ſcripta, ſi aperta teſta *nucleum ſanum tollas, & in eo quodlibet ſcribas*, & iterum *luto & porcino ſtercore inuolutum reponas. Idem libro octauo.* In menſe Iulio temperatis locis amygdala matura ſunt ad legendum.

Rigatio eius aqua calida.

Maturitatis iudicium.

Nota.

Amygdala vt naſcantur ſcripta.

De virtute ipſius in medicina.

CAPVT V.

Auicenna. Amygdala plurimum vnctuoſa ſunt, minus tamen, quam nuces, cum tamen in eis ſit vnctuoſitas plurima, cuius cauſa raucidantur. Nux autem velocioris digeſtionis eſt, & velocioris conuerſionis ad choleram. In omnibus ſpeciebus amigdalę eſt mandificatio & abſterſio & apertio. Sed dulcis debilior eſt in apertione, quam amara, quoniam eſt ſubtiliatiua, abſterſiua, & per accidens eſt inflatiua: proprietates amaræ ſunt, quod ipſa omnino non conſtringit, & quod vulpem interficit, & eſt medicina ſine nutrimento. Dulcis vero bonum prębet nutrimentum, licet paruum & impinguant amygdalę. Cum melle liniuntur ſuper ambulatiua & formicam, cum aceto & vino ſuper impetiginem, vtiles valde ſunt dolori auris, & ſonitui, cum caput abluitur cum eis. Et cum acri vino purgant humiditatem, & furfures, & ſomnum faciunt. Item confortant viſum, aperiunt opilationes hepatis, & ſplenis, & renum, conferunt morſui canis rabioſi. Dulces quoque conferunt cholicæ propter ſuam abſterſionem. Amaræ vero conferunt pano ſuperpoſitæ, & ſuper lentigines & cicatrices & percuſſiones, ante vinum bibitæ prohibent ebrietatem. Eædem cum amilo tritici conferunt ſputo ſanguinis, & tuſſi antiquæ, & aſmati, & pleureſi. Aperiunt opilationes renum, & earum oleum mundificat renes ac veſicam. Et frangit lapidem proprieque cum ireos bibitum. *Dioſcorides.* Amigdala vtraque ſtipticæ virtutis eſt, vſui tamen medicinæ aptior eſt amara, quia ſtringit quamdiu viridis eſt. Dulcis autem minorem habet virtutem, quam amara. Quæ ſi manducata fuerit, diuretica eſt & leptomerica. Viridis cum corio edita faſtidium tollit. Amygdala amara extenuatoriæ virtutis eſt, fel purgat, & de thorace atque pulmone per tuſſim iactare facit, quæ en eis pinguia ſunt & glutinoſa conſtipata. Etiam aperit & purgat hepar, & ſplen, ac renes & colum. Ius radici eius cataplaſmatum & coctum fel purgat. Ipſa etiam arbor tota ſimilem habet virtutem.

Medicinalia ex Amygdalis.

Adhuc de eodem.

CAPVT VI.

Iſaac in dietis libro 2. Amigdalæ dulces calidæ ſunt, & humidæ in medio primi gradus. Habent autem (vt ait Galenus) amaritudinem propter ſui ſaporitatem, quę tamen in eis palam oſtenditur accedentibus ad vetuſtatem, & fit earum actio velut nucum modicum ſapore nutritiua. Duræ tamen fiunt, & craſſæ ſubſtantiæ, digeſtioni inobedientes pro ſuæ vnctuoſitatis egeſtate. Non autem ſtomacho, velut nuces, ſunt

nociuę, pectoris & pulmonis, renumque ſordes mundificant, hepatis conſtipationes reſerant. Ideoque amaræ dantur pro medicina, dulces vero pro cibo. Oleum quoque melius eſt, quod ex eis conficitur, quia corpus earum durum eſt. *Amigdalæ autem virides laudabiliores ſunt;* propter earum aquoſitatem. Ideoque ſiccæ, ſi in aqua calida vna nocte fuerint excorticatæ, in actionibus viridibus erunt vicinæ. Porro ſi virides priuſquam cortices habeant, edantur, gingiuas confortant, ſtomachum in eius calore refrigerant. Amigdalæ autem amaræ, calidæ, & ſiccæ ſunt in medio ſecundi gradus, extenuant, perforant, ſuntque diureticæ, & craſſorum humorum, ac viſcoſorum diſſolutiuæ. Vnde pectus mundificant, & pulmonem ex humoribus craſſis phlegmaticis. Hepatis opilationem, & ſplenis aperiunt, ventoſitatem diſſoluunt, vrinam prouocant, renum ſordes mundificant, eorumque etiam conſtipationes aperiunt, putridos humores à corporibus expellunt, ventris dolorem mitigant, lapidem frangunt cum aceto temperatæ, facici lentigines abſtergunt. Potui etiam datæ cum vino diuturnis febribus mitigationem præſtant.

Virides amygdalæ meliores.

Vſus.

Conſtantinus in Pantegni. Amigdalæ inter calidum, humidum, & frigidum temperatæ ſunt, pectus adiuuant. Et pulmonem, cum ſint colatiuæ, mundificant, mediocriter nutriunt. Cum ficubus ſiccis comeſtæ ſolubiles ſunt, amaræ magis colatiuæ ſunt. Pectoris mundificatiuæ, conſtipationem hepatis ac ſplenis aperiunt, & vrinam prouocant. *Idem in libro graduum.* Amygdalæ amaræ calidę & ſiccæ ſunt in ſecundo gradu. Opilationem hepatis ac ſplenis aperiunt, pectus & pulmonem de viſcoſo humore & craſſo phlegmate mundificant, veſicam & renes purgant, vrinam prouocant, craſſam ventoſitatem cholicæ inflationis diſſoluunt, peſſarizatæ menſtrua prouocant, potatæ cum amilo & menta fluxum ſanguinis arcent. *Platearius.* Amigdalæ amare contra aſma & tuſſim ex frigiditate teruntur, & addito ſacchăro ad reprimendum malum ſaporem. Contra ſurditatem ex humore, vel ſanie, oleum ex eis auribus inſtillatur.

Virtus amplius declaratur.

De Anacardo.

CAPVT VII.

Platearius. Anacardi ſunt in tertio gradu calidi & ſicci. Sunt autem fructus cuiuſdam arboris in India naſcentis, ponderoſi meliores ſunt, diuque ſeruari poſſunt, per triginta ſcilicet annos, niſi ponantur etiam in nimis humido loco. Per ſe ſumpti mortem vel lepram inducunt. *Contra obliuionem in aceto forti caſtoreum decoquitur, poſtmodum anacardi humoroſitas abiectis interioribus additur, & inde poſterior pars capitis præcedente ſcarificatione inungitur.* Contra morpheam vero ſaluia, & abſinthium & coloquintida puluerizantur, & cum anacardi ſucco conficitur, ac ſuperponitur. Vel iſta cum aceto conficiuntur, & decoctione facta, ex illis inde coctis emplaſtrum efficitur. Denique anacardi contra obliuionem valent & lepram curant. Sed & contra ſerpiginem & impetiginem cum anacardi ſucco conficitur auripigmentum, & abluto loco patienti ſuperponitur alternatim vnguẽtum. Cauendum eſt autem, ne dimittatur ibi per longam moram, quia nimiam faceret diſſolutionem & inciſionem.

Contra obliuionem.

Auicenna. Anacardus eſt fructus ſimilis oſſi dactyli, & medulla eius ſimilis medullæ nucis dulcis. Cortex eius rarus, frangibilis. Calidus eſt ac ſiccus in tertio gradu, habet intus mel viſcoſum odoriferum, quod eſt vlceratiuum apoſtematum. Aduſtiuum ſanguinis & humorum. Decoctio eius eradicat verrucas & allopiciam phlegmaticam ſanat. Apoſtemata calida in interioribus commouet, frigori neruorum & mollificationi atque paralyſi atque torturæ confert. Corruptioni quoque memoriæ valet, ſed tamen alienationem & melancholiam commouet. Hæmorroides cum eo ſuffumigantur, & venena exiccantur. *Conſtantinus vbi ſupra.* Anacardi ſunt in quarto gradu calidi & ſicci, lethargiæ valent, & omnibus capitis doloribus de humoribus frigidis venientibus. Memoriam cuſtodiunt, neruos molles confortant. Soli vero accepti mortem aut lepram influunt. Oportet ergo vt eos tribuamus cum alijs odoriferis ſpeciebus.

Virtus Anacardi.

De Auellana.

CAPVT VIII.

Iſidorus. Auellanæ cognominatæ ſunt ab Abellano Campaniæ oppido, vbi abundant. Et hæ quidem à Græcis appellantur ponticæ, eo quod abundent circa Ponticum mare. *Plinius vbi ſupra.* Nucleis quidem iuglandis eſt diſtinctio quadripartita lignea intercuſſante membrana. Cæteris vero quicquid eſt nucleis ſolidum eſt, vt auellanis. Hæ etiam in Aſiam & Græciam è Ponto venere. Ideoque vocantur nuces ponticæ. Has quoque mollis protegit barba, ſed putamini nucleiſque rotunditas ineſt ſolida. Hæ quoque torrentur, vmbilicus illis eſt intus in ventre medio. Cato maximè laudat abellanas, *traditque virides ſeruari terræ ollis conditas. Palladius lib.* 3. Auellanæ (vt dictum eſt ſupra) ponendæ ſunt nucibus ſuis. Non amplius ſuper terram ducenda eſt, quam craſſitudine digitorum duorum. Plantis tamen & ſobole expertus ſum melius prouenire. *Menſe Februario* ſeu planta ſeu ſemen exponitur. *Gaudent loco macro* humido frigido & ſabuloſo. Menſe Iulio circa nonas auellana matura eſt.

Auellanarũ etymon.

Nuces ponticæ.

Nota.

De virtute ipſius in medicina.

CAPVT IX.

Auicenna. Auellana declinat ad caliditatem quandã & ſiccitatem paruam. Huius terreitas & ſtipticitas maiores ſunt quam nucis, & eſt nutribilior nuceque ſolidior. Eſt & minus vnctuoſa, tardioriſque digeſtionis. Generatur ex ea cholera, & inflat, facitque ſoda, & in cerebro facit augmentum. Tarde digeſtionis eſt, & excitat vomitum. Confert morſibus venenoſis, proprieque cum ficubus & ruta puncturæ ſcorpionis. Comeſta vero cum aqua mellis confert tuſſi antiquæ, & adiuuat ad ſpuendum. Quod ex ea aduſtum eſt, tingit capillos. Cortex eius ſtipticus eſt, & ſtringit ventrem. *Idem.* Auellana linita ſuper frontem puerorum delet variationem oculorum. Auellana Indica calida eſt & ſicca, ſuper ſcrophulas cum aceto conueniens eſt epithema. Confert etiam ſcabiei atque pruritui ſit etiam caput purgium, ad torturam, & facit humiditatem è naribus currere, ac phlegma fluere. Confert etiam emigraneę & ſoda & epilepſiæ atque maniæ ac melancholiæ. Confert iterum aquæ in oculo & panno. *Iſaac in dietis lib.* 2. Auellanę nucibus frigidiores ſunt & potentiores. Earum enim corpora ſolidiora ſunt & ſpiſſiora vnctuoſitate carentia hac de cauſa plus nucibus nutritiuæ ſunt, tardiores tamen ad digerendum. Inflationem in ventre generant, maximè ſi cum interiore cortice comedantur. Sed eo ablato fiunt digeſtibiliores, & vtiles, antiquam tuſſim habentibus. Valet & contra rheuma. Contra venenum, contraque allopiciam. Lociſque denudatis capillos reuocant.

Vſus medicinalis.

Plinius lib. 22. Nuces auellanæ capitis dolorem faciunt, & inflationem ſtomachi, & pinguedinem corpori conferunt. Papias. Nuces auellanæ virides ſtringunt, coctæ autem minus. In cibo ſumptę capitis dolorem diſcutiunt, ſtomachique inflationem diſtendunt, corpori ſano pinguedinem conferunt. *Dioſcorides.* Auellanę in cibo ſumptæ dolorem capiti incutiunt, ſtomachum inflatione diſtendunt. Siccę in vaſe fictili toſtatę, alias cõtritæ diſtillationibus vtiliſſimè offeruntur. Alij tritas cum paſſo bibendas dederunt ad pulmonis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Temperamentum auellanarũ.

& iecoris vitia ſananda. Item allopicijs illitæ, capillorum damna reſtituunt. *Conſtantinus in Pante.* Auellanæ calidæ ſunt & ſiccæ, ad dirigendum duræ, ſtomacho frigido grauiſſimæ, multum nutritiuæ. Quidam medici dicunt comedentes eos cum ruta ante cibos contra venenum, & contra reptilium morſus eſſe ſecuros. Item manducatæ cum ficubus adiuuant contra reptilium morſus.

De Bacca.

CAPVT X.

Oleum ex baccis lauri.

Plinius lib. 15. Bacca, fructus lauri videlicet, non pediculis, vt pyra dependet, ſed ramo adhæret, & primo quidem candeſcit, mox vireſcit, ſicut & oliua. *Palladius lib.* 2. Ex baccis lauri oleum conficitur, ſicut videlicet inferius inter olei ſpecies dicetur. *Idem in libro* 11. In Octobri menſe poſtremo ſiccis & calidis locis ad oleum faciendum leguntur baccæ lauri. *Razi in Almanſore.* Baccæ lauri calidæ ſunt, ſcorpionum ictibus conferunt. *Dioſcorides.* Bacca lauri calidior eſt, quam folia, fortioriſque virtutis, quæ tuſa, & electuarij more melle confecta, tuſſim & pthiſim ac thoracis rheumatiſmum ſanitati reſtituit. Cum vino bibita ſcorpionum ictibus occurrit, maculas nigras corporis detergit.

Vſus.

De Belericis.

CAPVT XI.

Confectio ex Belericis pro claritate faciei.

Platearius. Belirici marini ſunt frigidi & ſicci. Sed eorum exceſſus non determinatur ab auctoribus. Sunt autem quaſi embilici, & inueniuntur circa littus maris, ad faciem declarandum ponunt in vnguentis, vt in vnguento citrino, & vſus eorum ad faciem eſt talis. Puluis eorum ſubtiliſſimus cum axungia gallinacea prius reſoluta reſoluitur, & hinc vnguentum efficitur, poteſt autem diu ſeruari. *Auicenna.* Belirici ſunt embilicorum naturæ propinqui, eorumque medulla fortis eſt ac dulcis. Natura frigidi ſunt in primo, ſicci in ſecundo. In ipſis eſt virtus ſubtiliatiua & virtus contractiua. Confortant ſtomachum cum aptatione & aggregatione, prohibentque mollificationem eius & humiditatem. Nihil eſt, quod ita præparet ſtomachum, vt belliricí faciunt, & fortaſſe ventrem ſtringunt. Apud quoſdam etiam ventrem tantum leniunt. Ipſique conferunt ano & inteſtino recto.

De Berberis.

CAPVT XII.

Berberorum vſus medicinalis.

Platearius. Berberi ſunt in ſecundo gradu frigidi & ſicci, & ſunt fructus arboris cuiuſdam rotundi, aliquantulum ſublongi & aliquantulum ſubnigri. Eligẽdi autem ſunt continui non perforati. Valet contra febrilem dyſcraſiam, vt in ſyrupis. Fit enim eorum decoctio in aqua, & addito ſaccharo colaturæ, fit ſyrupus. Contra calefactionem hepatis eorum ſuccus cum ſolatri ſucco cõficitur & hepati ſuperponitur. Contra dolorẽ capitis ex calore tota nocte in aqua macerari dimittitur, & mane in potu datur: per annos ſex ſeruari poteſt. *Conſtantinus in lib. graduum.* Berberus eſt calidus & ſiccus in ſecundo gradu. Sitim de calore extinguit, hepar ſtomachumque confortat, & cataplaſmatus apoſtomata calida refrigerat.

De Capparo.

CAPVT XIII.

Avicenna. Capparus eſt fructus habens radicem, quæ eſt inſciſiua, ſubtiliatiua, mundificatiua, aperitiua, & in eius cortice ſunt amaritudo, atque ſtipticitas, & acrimonia. Radix eius reſoluit ſcrophulas & duricias, ſimiliter & eius folia. Cortices eius ponuntur ſuper vlcera fraudulenta & ſordida, & confert iſchiaticæ atque doloribus anchæ. Iidem quoque cortices maſticati humiditatem è capite extrahunt, & dolorem in eo factum ſedant. Et eius ſucco quandoque clyſter fit, & confert paralyſi ac ſtupori, membraque propter ſtipticitatem, quæ eſt in ipſa conſtringit. Idem quoque ſuccus diſtillatur *in aurem, propter vermes ipſius.* Cortex radicis eius bibitus confert ſpleni ac duriciei illius. Et cum farina ordei more emplaſtri ſuperpoſitus, educit ex ſplene materiam craſſam melancholicam. Solutione quoque humorem craſſum & crudum educit, menſtrua prouocat, & lumbricos ac vermes interficit in inteſtinis. Confert iterum hæmorrhoidibus, & quod ex eo ſalitum eſt, ſumptum ante cibum ſoluit. Eſt autem theriaca contra venena. *Conſtantinus in Pantegni.* Cappari calidi ſunt in tertio gradu ac ſicci. Cum aceto comeſti, conſtipationem hepatis ac ſplenis aperiunt, ſtomachum mundificant, & deflegmant, ſolutionem ventris faciunt.

Succus capparorum.

Temperamẽtum capparorum.

De Cardamomo ac carpobalſamo.

CAPVT XIIII.

Cardamomum.

Plinius libro 12. Cardamomum ſimile eſt amomo & amomis nomine & frutice, ſemine oblongo. Metitur eodem modo & in Arabia. Quatuor genera eſſe ferunt. Viridiſſimum ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti, hoc maximè laudatur, proximum eius rufo candicans, tertium breuius & nigrius, peius tamen varium & facilè tritum, odoriſque parui. Quod autem verius coſto vicinius eſſe debet, hoc & apud Medos naſcitur. *Platearius.* Cardamomum eſt fructus, vel potius ſemen cuiuſdam arboris, & eſt calidum & ſiccum in ſecundo gradu. Maius melius eſt, & habet aliquantulum acuminis & dulcedinem etiam mixtam, per annos 20. poteſt ſeruari. Virtutem habet confortandi ex aromaticitate, diſſoluendi, & conſumendi ex qualitatibus. Valet contra ſyncopen, & cardiacam paſſionem ex frigida cauſa & ad debilitatem ſtomachi, id eſt digeſtionem confortandam. Ad appetitum prouocandum, & contra vomitum ex frigida cauſa, contraque debilitatem cerebri. *Hipocrates.* Cardamomum habet calidam virtutem, & habet aliquid amaritudinis, quia lumbricos occidit, & ſcabies fortiter ſanat. *Iſidorus.* Carpobalſamum eſt fructus arboris balſami. *Conſtantinus vbi ſupra.* Carpobalſamum bibitum pleureſi proficit, phlegmaticis, tuſſientibus iſchiaticis, epilepticis: vertiginem, ſcothomiam, & ſtranguriam patientibus ſubuenit, morſus quoque reptilium curat.

Temperamentum.

Vſus.

Carpobalſamum.

De Caſſia fiſtula.

CAPVT XV.

Caſſia fiſtula.

Platearius. Caſſia fiſtula calida eſt & humida ante omnem gradum, quia paruus eſt exceſſus eius ab optima temperantia. Eſt autem fructus cuiuſdam arboris ſemina longa producentis. Tempore poſtea ſuccedente elongatur & incraſſatur. Exteriora in corticem caloris actione condenſantur, medulla interius exiſtente. In vna copula inueniuntur, 30. vel 40. Deligenda eſt, quæ *craſſa eſt, quia multum humida eſt, & nigra, quia matura.* Huius medullã eiectis ſeminibus ponitur in medicina purgatiua cum rheubarbaro, vel myrabalanis, vel huiuſmodi. Habetque virtutem leniendi, mundificandi, feruorem ſanguinis mirabiliter mitigat, colore ſanguinem depurat, vnde valet in acutis febribus. Caſſia frigida cum aqua vel per ſe ante purgationem in febribus ventrem mollit, & aptum purgationi reddit. *Auicenna.* Caſſia fiſtula alia eſt Kebulia, alia Ægyptia. Melior eſt illa, quæ aſſu-

Caſſia fiſtula.

Melior qua.

mitur

mitur ex canna, & quæ eſt ſplendidior & pinguior. Eſt autem æqualis in caliditate & frigiditate, humida, reſolutiua, lenitiua. Confert apoſtematibus calidis in viſceribus, proprieque in gutture, ſi gargarizetur cum aqua ſolatri. Linita quoque ſuper apoſtemata dura confert eis. Liniuntur etiam ex ea podagra & iuncturæ doloroſæ, mundificat hepar, & confert ictericiæ ac dolori hepatis. Lenificat ventrem, & educit choleram aduſtam & phlegma, ſoluitque ſine nocumento & mordicatione, vnde conueniens eſt prægnantibus, & ſoluit eas. In gargariſmo quoque confert præfocationi.

Vſus medicinalis.

Conſtantinus in libro graduum. Caſſia mediocris eſt virtutis inter ſiccum & humidum, choleram rubeam purgat. Acumen ſanguinis extinguit, & apoſtema ex eo generatum diſſoluit. *Dioſcorides.* Caſſia fiſtula plures habet ſpecies, ſed optima eſt Arabica, quæ eſt aſpectu gratiſſima, colore ſubrubeo, corallo ſimilis tenuis, tactu leniſſima, longa fiſtula, guſtu ſubmordax, neſcio tamen qua calefactione, odore aromatico plena. Et in ore miſſa vini ſaporem ſubtrahens. Hæc habet haſtam longam cum corio ſuo, foliaque ſimilia piperis arboris. Eſt & altera ſubnigella, colore purpureo, odore plena, ſed minimè ſuaui, maximè vero arti medicinæ neceſſaria. Eſt & tertia, quæ vocatur plerones, ſuaui odore. Et iterum pſeudocaſſia lapacio ſimilis, nec in guſtu ſuauis. Alia quoque platea, ideſt lata, quæ ſyringos dicitur. Eſt enim lata & mollis ac lenis, colore ſubalbida, & ſcabioſa. Virtus caſſiæ fiſtulæ calida eſt, diuretica, ſiccatoria, guſtu ſubmordax. Eſt etiam leptomeris, ideſt extenuatoria, ſatis acris aliquid habens ſtipticum. Extenuat ſimul ac digerit, quæ in corpore ſuperflua inuenit. Ruborem imponit. Viſceribus vtiliſſima eſt, vitijſque thoracis omnibus, ad caligines oculorum, malagmatibus neceſſaria eſt. Cum melle trita maculas vultus emendat. Menſtrua prouocat. Tumores intraneorum ſedat bibita. Cum aqua potata morſibus venenaticis occurrit, fomento renum dolorem compeſcit. Eius ſuffumigatio matricem ad ſeceſſum deponit. Duplici pondere pro cinnamomo miſcetur in antidotis, & eſt in omnibus vtilis.

Caſſia Arabica.

Virtus caſſia fiſtula.

De Caſtanea.

CAPVT XVI.

Caſtanea etymon.

Iſidorus. Caſtanea dicitur, eo quod fructus eius gemini in modum teſticulorum intra folliculum reconditi ſunt, qui dum eijciuntur quaſi caſtrantur. Hæc poma ex omnibus nucibus fortiſſima fiunt. Nam in cibo ſumpta difficilè digeruntur. Viridia ſtringunt, cocta autem minus. *Plinius libro 15.* Oleum fit ex caſtaneis ſicut ex amygdalis. Ipſaſque caſtaneas vocamus & nuces, quamquam generi glandium accommodatiores. His eſt armatum ſpinato, vel echinato calice vallum, quia glandibus inchoatum. Mirumque eſt vtiliſſima eſſe, quæ tanta occultauerit cura naturæ. Trini quibuſdam ex vno calice partus, cortexque lentus. Proxima vero corpori membrana, & in his & in nucibus ſaporem, ni detrahatur infeſtat, has torrere gratius eſt in cibis modulantium. Laturas præſtanti ieiunio fœminarum quandam imaginem panis. Sardibus hæ primum prouenere. Ideoque apud Græcos Sardianos appellant balanos. Nunc autem plura ſunt earum genera, faciles Tarentinæ, nec cibo ſunt operoſæ, planæ figura, rotundiorque vocatur balanitis, maximè purgabilis, & ſponte proſiliens. Minus tractabilis eſt Tarentina, laudatior corelliana & ex ea facta, meterana quam rubeus cortex præfert, triangulis & popularibus nigris, quæ coctiuæ vocantur. Itaque corio clauduntur caſtaneæ, ſed hoc illis detrahitur, ac in meſphilis manditur. Iterum in caſtaneis nucibus iuglandibus interiora geminantur. *Palladius libro 12.* Caſtaneæ ſeruantur vel in tractibus diſpoſitæ, vel intra ſabulonem, ne inuicem tangantur immerſæ, & in vaſculis fictilibus conditæ, & loco ſicciore defoſſæ, vel in cluſæ virgeis ex fago receptaculis, & lutatę, vt ſpiracula non relinquas, vel ordei paleis minutiſſimis obrutæ, vel paluſtri vlna figuratis denſioribus ſportis recluſę.

Oleum ex caſtaneis.

Balani ſardiani.

Caſtanea quo modo ſeruantur.

De virtute caſtaneæ in medicina.

CAPVT XVII.

Iſidorus. Caſtaneæ calidę ſunt in medio primi gradus, ſiccæ in ſecundo. Si ſæpè comedantur, inflationem & capitis dolorem faciunt, propter digeſtionis duritiam. Sed vt eis auferatur nocumentum, & ſtipticiores fiant aſſari eas oportet, vt earum corpus rarificetur. Quæ etiam pectoris & corporis ſiccitatem temperant, & vrinæ difficultatem diſſoluunt, ſi in aqua tepida infundantur, ſed cum modico ſale terantur, & cum melle diſtemperentur. Proſunt ad rabidi canis morſum, ſiue anguium, ſiue hominis. *Plinius libro 23.* Caſtaneę ventris fluxiones vehementer ſiſtunt, ſanguinem excreantibus proſunt. *Dioſcorides.* Caſtaneæ ex omnibus fortiſſimum cibum corpori præſtant, ſed qui difficilè digeritur. In carbonibus coctæ, & in vaſe fictili ſicco aſſatę tuſſientibus proſunt. A qua in qua cum cortice ſua coquuntur, cęliacis, dyſſentericis, & ſanguinem excreantibus bibenda vtiliter datur. Interior membrana, quę fructum inter corticem diſcernit, ad tertiam partem in aqua decocta & potui data, fluxum alui mirè refrenat. *Conſtantinus in Pantegni.* Caſtaneæ minus ſiccæ ſunt, quam glandes, & inter calidum & frigidum temperatę, inflatiuæ, coitum mouent, multum nutriunt, digeſtionis durę ſunt.

Temperamentum.

Vſus medicinalis.

De Ceraſo.

CAPVT XVIII.

Iſidorus. Ceraſum dictum eſt, eo quod Lucullus cum Ceraſum ciuitatem Ponti deleſſet, hoc inde genus pomi aduexit, & ab ipſa ciuitate ceraſum appellauit. Hoc etiam ante Lucullum erat in Italia, ſed durum, vnde & cornum eſt appellatum. *Ariſtoteles in lib. de plantis.* Ceraſa & mora magis cito maturantur *Plinius libro 15.* Quibuſdam fructibus eſt lignum intus & caro extra, ſicut ceraſis & oliuis, & eſt ſuccus ſanguineus ceraſis. Ceraſorum aproniana maximè rubent. Acria vero nigerrima, Cæciliana vero & rotunda. Iulianis eſt gratus ſapor, ſed penè tantum ſub arbore ſua, adeo tenera, vt guſtatum non tolerent. Principatus eſt duracinis, quæ Campania Pliniana appellat, in Belgica vero Luſitanis. Tertius his color è nigro ac rubenti, viridiſque ſimilis matureſcentibus ſemper, laurea ſunt non ingratę amplitudinis inſita lauro. *Idem in eodem.* Ceraſis pomum eſt primo candidum, mox rubet, deinde nigreſcit. Siccatur autem ſole, conditurque cadis, vt oliuæ. *Palladius libro 11.* Ceraſia vt ſine oſſe naſcantur, fieri docet Martialis. Hic dicit arborem teneram ad duos pedes reſcindes, & eam vſque ad radicem findes, medullam partis vtriuſque ferro curabis abradere, & ſtatim vtraſque partes in ſe vinculo ſtringes, & oblines fimo, & ſummam partem & laterum diuiſuras. Poſt annum cicatrix ducta ſolidatur, hanc arborem ſurculis, qui adhuc fructum non attulerint, inſeris, & (vt aſſerit) ex his ſine oſſibus poma naſcentur. Ceraſia non aliter quam in ſole vſque ad rugas ſiccata ſeruantur.

Ceraſi etymon.

Cornum.

Laurea ceraſa.

De Medicinis ex eo.

CAPVT XIX.

Auctor. Ceraſia (vt legi) triplicis virtutis ſunt: quibuſdam auſterus eſt ſapor, quibuſdam acidus, alijs dulcis. Auſtera ventrem reſtringunt, ſtomachum confortant, Acida inſcidunt phlegma abundantius

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſtomacho oportuna,nam magis ſiccant. Dulcia vero ſtomacho contraria:citius tamen per inteſtina fluunt. *Nota.* *Dioſcorides.* Ceraſi pomum *viride ventrem humectat,* & prouocat:*aridum vero ſiccat,& detinet: ſtomacho contrarium eſt viride*, ſiccum per quam vero vtile. Hoc quidam æſtimant vrinam mouere. *Nota pro fluxu ventris cauſando.* A paucis autem auctoribus traditur, ſi mane *recentia cum nucleis ſuis deuorata ſint aluum copioſè fluere* & vt eadem cauſa etiam morbo pedes in triplici liberentur. Ex his etiam fit diacæraſion quod omnibus notum eſt. Galeno placet non vnam in omnibus ceraſis eſſe virtutem. Nam in quibuſdam ſapor auſterus eſt,in quibuſdam acidus & in quibuſdam dulcis apparet & auſtera quidem ad hoc valere vult vt ventrem conſtringant, ſtomachum vero confirment. Porro acida iudicat ſtomachis phlegmate abundantibus oportuna. Magis enim ſiccant & denſioris humoris craſſitudinem inſcidunt; dulcia vero ſtomacho pronunciat aduerſa: citius tamen defluere per inteſtina. *Temperamentum.* *Iſaac.* Ceraſa(ſicut & matura pruna) frigida ſunt & humida in ſecundo gradu,conuertibilia,craſſum phlegma generant,& viſcoſum,in concauitate hepatis & ſplenis. Idcirco diuturnæ cauſæ ſunt febris, omnibus modis ſunt peſſima. Ideo ſemper ante *cibum accipi debent ſtomacho inanito.* *Nota.* Nam poſt cibum ſtomacho pleno in ſuperioribus natant, & in putredinem vertuntur. Oleum ex nucleis eorum expreſſum valet hæmorroidibus.

De Cidonio.

CAPVT XX.

Cidonij etymon. I *Sidorus.* Cidonium malum nomen ſumpſit à quodam oppido,quod eſt in Inſula Creta,ex quo cidonium conficitur. Fit etiam ex eo vinum quo languentum deſideria falluntur. Nam ſpecie & odore & guſtu cuuſlibet vini veteris imaginem repræſentat. *Plinius libro* 15. Mala quæ vocamus *cotonea. Græci vero cidonia* incuruatos(vt dictum eſt ſuperius) trahunt ramos arboris ſuæ,prohibentque patentem creſcere,plura ſunt eorum genera. *Mala cotonea.* *Chryſomela* ſiquidem inſciſuris diſtincta, *Chryſomela.* colore ad aurum inclinato. Et quæ candidiora noſtratia cognominata, odoris præſtantiſſimi. Eſt & Neapolitanis honor ſuus, mirrora ex eodem genere ſcrutea vibrant odoratius ſerotino prouentu. Præcocia vero muſtea. Scruteis autem cotonea inſita, ſuum genus fecere muluianum,quæ ſola ex his manduntur,vel cruda. Sunt præterea parua ſyluestria,ſcruteis odoratiſſima, in ſepibus naſcentia. Eſt autem cotoneis ſapor aſperrimus. *Modus conſeruandi.* His vt ſeruentur incluſis *omne ſpiramentum adimendum eſt; aut ea incoqui melle* oportet. Sunt qui ea cæra pontica illita melle demergant.

Palladius lib. 3. Legenda ſunt matura cidonia, quæ hoc more ſeruantur,vel inter binas tegulas poſita,ſi luto ex omni parte claudantur, vel ſi defruto incoquantur aut paſſo. Alij, quæ maiora ſunt fici folijs inuoluta cuſtodiunt. *Varij modi conſeruandi cidonia.* Alij tantum locis exponunt, à quibus ventus excluditur. Alij camna vel eboré in quatuor partes diuiſa,ſublatis omnibus,quæ in medio ſunt; in vaſe fictili melle obruunt. Alij in melle ſic integra dimittunt,in quo genere condiendi ſatis matura deliguntur. Alij milio obruunt,vel paleis ſeparata demergunt. Alij plenis vino vaſculis immittunt, vel vini & defruti ad ſeruanda cidonia æquum corpus efficiunt. Alij in folijs muſti mergunt,atque ita claudunt, vt quod odoratum eſt,vitium vim in ſe contrahant. Alij in patina noua ſicco gypſo obruunt ſeparata cidonia. *Cidonici confectio.* *Idem in libro* 11. Ad cidonicum conficiendum;in menſe Octobri abiecto corio, mala cidonia matura in breuiſſimas & tenuiſſimas particulas reſcindes;& proijcies durum quod interius habetur. Dehinc in melle decoques, donec ad mediam menſuram reuertatur, & coquendo pipere ſubtili conſperges. Vel aliter ſucci cidoniorum ſextarios duos,aceti ſextarium vnum & ſemis,& mellis duos ſeptarios miſce & decoques donec tota permixtio pinguedinem puri mellis imitetur. Tunc triti piperis atque zinziberis binas vncias miſcere curabis.

De Proprietatibus eius in medicina & cibo.

CAPVT XXI.

Temperamentum. *Virtus.* *Oleum.* *Vſus medicinalis.* *Propthyſicis.* A *Vicenna.* Cidonium aſſatum melius eſt,magiſque confert. Natura frigidum eſt in fine primi, ſiccum in principio ſecundi. Eſt autem ſtipticum fortiter confortatiuum. Flos etiam eius eſt ſtipticus,& ſimiliter oleum ipſius. Dulce minus eſt ſtipticum, & ſemen eius eſt ſine ſtipticitate lenitiuum ipſumque prohibet ſuperfluitatum ad viſcera curſum. Sudorem retinet, & B eius oleum fiſſuræ frigoris,& formicæ confert. Vlceribus quoque ſcabioſis idem oleum vtile eſt. Multa comeſtio cidoniorum generat dolorem neruorum. Aſſatum ponitur ſuper apoſtemata calida oculi, eius ſuccus confert dilatationi anhelitus,& oculis,& aſmati, prohibetque ſputum ſanguinis. Semen eius confert aſperitati gutturis,& lenit cannam pulmonis,confert vomitui & ebrietati,ac ſitim ſedat,ſtomachumque ſuperfluitatem recipientem confortat. Syrupus eius & ipſius infuſio prohibet ebrietatem. Idem ſyrupus appetitum deiectum confortat & mortuum. Confortat etiam ſtomachum,& prohibet vomitum phlegmaticum. Eſt autem prouocatiuum per accidens. Hoc enim ad eius conſtrictionem eſt conſequens,& illud quod melle eſt elixatum vehementius eſt prouocatiuum. Verumtamen ventrem quandoque ſoluit, & non ſtringit, generatque cholicam, & ventris doloris pungitiuum. Diſſenteriæ quoque confert,& fluxum menſtruorum retinet, Confert iterum eius oleum renibus, veſicæ, & arſuræ vrinæ,poſt cibum ſoluit. Et cum ex eo plurimum ſumitur ante digeſtionem cibum extrahit.

Iſaac. Cidonia diuiduntur in duo. Crudum ac ligneum peſſimum eſt ac terreſtre durum ad dirigendum: Craſſos humores generat & crudos,ſed nihil nutrit. Idcirco abijciendum eſt. Maturatum autem vniuerſaliter frigidum eſt in medio primi gradus, ſiccum in medio ſecundi. Præterea ponticitas & ſtipticitas in eo maior eſt, quam in cæteris malis. Ideo valet ad ſanguinis fluxum,& egeſtionem ac vomitum, confortatiuum eſt ſtomachi, ſi moratur in eo multum acceptum tamen facit faſtidium, præſertim poſt cibum. D *Platearius.* Mala cidonia ideſt coccina frigida ſunt & ſicca,virtutem habent conſtringendi & confortandi. Semina quoque virtutem leniendi & humectandi, vnde ipſa mala dantur cocta vel cruda ad comedendum. Contra vomitum poſt prandium,contra fluxum ſanguinis ex caliditate vel debilitate virtutis retentiuæ ante prandium. Aqua verò decoctionis ſemnum valet pthiſicis & conſumptis, vel ponitur in ſyrupis eorum. Valent & contra aſperitatem linguæ.

De Citreo id eſt pomo citrino.

CAPVT XXII.

Citreum. E *Palladius libro* 4. Citreum & in arbore poteſt per totum annum propemodum cuſtodiri melius ſi vaſculis quibuſcumque claudatur:ſi velis legere, atque ſeruare nocte luna tacente debebis cum ramis foliatis capere, & diſcreta diſponere. *Nota.* *Alij ſingula vaſis ſingulis claudunt*, vel gypſo allinunt,& opaco loco ordinata cuſtodiunt. Plerique in cedri ſcrobe,vel ſtraminibus minutis, vel paleis tecta ſeruarunt. *Temperamentum. Nota.* *Auicenna.* Citrum quid eſt, notum eſt. Cortex eius eſt calidus in primo gradu, ſiccus in finè ſecundi. Caro autem eius eſt calida in primo, & humida in ipſo. Quidam tamen dixerunt,quod eſt frigida & humida in ipſo primo gradu. *Caro eius inflat, & folia eius inflationem ſedant.* Eius flos ſubtilior,& eius acetoſitas eſt ſtiptica,

frangens

frangens choleram rubeam. Semen eius & cortex resolutiua sunt,& ipse cortex in panniculis positus prohibet tineas. Et eius odor *acris corruptionem* ac pestilentiam rectificat. Acetositas eius abstergit colores, vel colorem,& aufert *pannum*, quod ex eius cortice est aduſtum bonum est, ad albaras linitum eius decoctio bonum efficit odorem oris,& est impinguatiua corporis. Cortex etiam ipsius bonum efficit odorem in ore retentus. Eius acetositas valet impetigini illita, confert etiam oris torturæ. Et oculi remouetur *ictericia*, collyrio facto ex eius acetositate. Item eius acetositas sedat tremorem calidum cordis, & nutrimentum bonum est gutturi ac pulmoni, sed mala est pectori. Medulla citri cocta cum aceto & potata sanguisugas deglutitas interficit,& eas educit. Caro eius est stomacho mala,inflatiua,digestione tarda.

Vsus medicinalis.

Platearius. Pomum citrinum diuersæ naturæ iudicatur propter diuersas sui substantias. Cortex enim eius est calidus & siccus,interior autem substantia est frigida. Media vero calida & humida. Cortex habet virtutem mundificandi, & ex aromaticitate sua confortandi, vnde & in ptyris ponitur eius puluis. Cortex hic crudus comestus *digestionem* ex frigiditate præpeditam *confortat*, & appetitum prouocat. Valet etiam contra *cardiacam*. Mediam substantiam quidam comedunt cum melle,sed digeritur male. Interior autem, scilicet acetosa cum carnibus, vel piscibus comesta, confortat appetitum ex humiditate circa stomachi os existente præpeditum. Ponitur etiam in epithematibus vt facilius penetrent, & in vnguento citrino vt magis extergat. Semina autem calida & sicca & diuretica, sed mihi videntur frigida & sicca, ex frigido & sicco nutrimẽto. Nutriuntur enim ex aceto in quo sunt, vnde virtutẽ diureticã habent ex subtilitate substantiæ. Contra opilationem *splenis & hepatis* ex frigiditate detur aqua decoctionis seminum eorum.

Cortex crudus appetitum prouocat.

De Cocco & coctano & cono.

CAPVT XXIII.

Linius lib. 24. Coccum ilicis vulneribus ex aceto recentibus imponitur. *Epiphoris* ex aqua oculis sanguine suffusis instillatur. Est autem genus eius in Attica fere & Asia nascens, celerrimè in vermiculum se mutans, quod ideo scoletilon vocant, improbantque *Auctor*. Coctana ipsa sunt & cidonia, de quibus videlicet dictum est supra. *Constantinus in Pantegni. Coctana* frigida sunt & sicca, dolorem stomachi confortantia. Matura quidem stiptica,& ad digerendum dura. Acida quidem frigidiora, dulcia & odorifera, inter calidum & humidum mediocria, stomatichos & cardiacos confortant, sed tantum neruis inutilia sunt. *Isidorus. Conus* cypressi fructus dicitur, qua rotunditas eius conum imitatur. *Constantinus in libro graduum.* Poma cypressi recentia nouam insisionem solidant, crepaturæ valent, mollia membra desiccant, humiditatem non naturalem attrahunt, virtutem & duritiam eis præstant. *Platearius.* Poma cypressi stiptica sunt & consolidatiua. Itaque contra fluxũ ventris ex debilitate virtutis contentiuæ recentia comeduntur.

Cocci virtus.

Coctana.

Conus.

De Cubebis.

CAPVT XXIIII.

Platearius. Cubebe est fructus cuiusdam arboris in India nascentis, & est calida & sicca, sed tamen temperate, per 10. annos potest seruari. Eligenda est, quæ mediocriter habet saporem acutum cum multa aromaticitate, vnde valet *Contra syncopin.* Puluis eius datur cum succo borraginis, *contra frigidum rheuma* capitis, & ad *cerebrum confortandum* odoratur, & frequenter naribus apponitur. Contra *frigiditatem stomachi* & discolorationem ex frigiditate puluis eius in cibis datur. *Razi.* Cubebæ calidæ sunt, opilationem aperiunt, virides, *poros mundant*, guttur quoque mundificant, & ventrem stringunt. *Auicenna.* Cubebe virtutis similis est rubeæ, sed subtilior. Et est fere calida & sicca perueniens vsque ad secundum. Est autem aperitiua,subtilis,ad acuitatem decliuis,nec ad hoc peruenit,vt ponatur loco cinnamomi. Bona est *vlceribus putridis* ac membris & *gingiuis*, bona est etiam *alcola in* ore putridis, *clarificat vocem* quando tenetur in ore. Et fortis est ad aperiendas opilationes in hepate. Vias vrinæ mundificat,arenosam prouocat, renumque lapidem extrahit ac vesicæ.

Cubebe.

Virtus.

De Dactylo.

CAPVT XXV.

Isidorus. Dactyli sunt palmæ fructus,à digitorum similitudine nuncupati. Quorum & nomina variantur. Nam alij appellantur palmulæ similes myrabalanis, alij thebaici, alij mucales, quos Græci & cariathos vocant. *Aristoteles in libro de vegetabilibus.* Succorum qui fructibus insunt, quidam dulces sunt ac meliores, vt dactyli, ficus. Item fructus quidam cum quibus statim semen fit aliquo operculo cooperiuntur vt dactyli. *Plinius lib.* 13. Palmarum semen,id est lignum, quod intra dactylos est oblongum, non vt oliuis orbiculatum, & in aluo media fissura plerisque vmbilicatum,vnde radix primum spargitur. Seritur autem paruum, & bina iuxta se cõposita semina, superque totidem,quoniam infirma singulis est planta, quaternæ vero coalescunt. *Idem in lib.* 15. Carne placent palmæ, Crusta Thebaicæ,succo vuæ, & caricæ. Dulcis nempe succus est palmis & vuis ac ficis. Palmæ fructus statim à ligno recedit,sicut & nux. Ægyptiæ palmæ & dactylis idem est odor qui & cidonijs. *Sitim sedat*, si prius quam maturauerit, decerpatur. *Num si matura sumatur, sensum intercipit, grossum præpedit, linguam vetardat, obsessis officijs mentis & corporis ebrietatis vitium facit.*

Dactyli cur ita dicti?

Nota.

De Proprietatibus eius in medicina vel cibo.

CAPVT XXVI.

Razi. Dactyli calidi sunt & crassi,multumque nutrimentũ præstant. Qui si sæpe comedantur,sanguinem crassum in interioribus generant, dentesque lædunt, & sanguinem ac sperma accrescere faciunt. *Dioscorides.* Dactylus viridis stipticus est. Qui si multum comestus fuerit, dolorem capitis & ebrietatem facit. Sicci vero dactyli hæmoptoicis & stomaticis ac dysentericis medentur. Cum cidonio cæterisque cataplasmati vesicæ dolorem compescunt. Item dactyli cariothæ commixti asperitatem arteriarum deliniunt. Ossa dactylorum thebaicorum in cacabo cocta & in vino retenta, & lota, virtutem habent stipticam & periplasticam, *Scaphilomata* oculorum & vstionem tollunt. Crescentia vulnera in cicatricem ducunt. Omnesque dactyli virtutem stipticam habent Articulos laxatos constringunt. Cathaplasmis adhibita *hypocondrijs* & stomaticis medentur. Eorum elixatura *capillos inficit.* Aqua vero eorum frequenter bibita nephreticorum ac vesicæ curando dolorem compescit. Rheumatismum quoque stericum ventris abstinet. Cum resina vero & dactylis mixta scabiem curat.

Vsus medicinalis dactylorum.

Isaac. Dactyli sunt calidi,& humidi in secundo gradu, crassi sanguinis generatiui, & digeri difficiles, vrinam prouocantes: Sed his assuescentes hepatis ac splenis patiuntur constipationem & tumorem: gingiuis & dentibus nociui sunt, dolorem in ore stomachi faciunt. Diuersas tamen actiones habent secundum regionum varietates. Qui in calida regione nascuntur, dulcissimi sunt & viscosi, proinde parum nu-

Temperamentum.

triunt,

triunt, cito tamen digeruntur & ventrem humectant. Plus cæteris conſtipationem *hepatis & ſplenis*, & nocumentum capiti orique faciunt. Qui autem in frigida, ſicciores ſunt, & minus omnibus nutritiui, ad dirigendum duri, à ſtomacho tarde deſcendunt, cæteris tamen amplius ſtomachum confortant. Qui verò in *mediocri immaturitate* ſeruari nequeunt; quia ineſt eis quædam liquoris ſuperfluitas, vnde corpus replent copia crudorum humorum, quæ ſunt materiæ diuturnæ, & periodicę febris ad diſſoluendum inobedientes. *Conſtantinus in Pantegni.* Dactyli bene maturati & non paſſi, calidi ſunt & humidi, ſatis nutritiui, libidinem incitant. Paſſi vero ſolubiliores ſunt, & magis coitum mouent, dolorem in capite generant. Non maturi vero, ſed pontici, ſtomachi confortatiui ſunt. Hos ſæpe comedentes mali ſunt ſanguinis, & cito putreſcentis. *Idem in libro graduum.* Oxyphœnicia ſunt dactyli Indię, qui frigidi & ſicci ſunt in tertio gradu, purgant *choleram* rubeam & aduſtam. Bullientem ſanguinem & incēdentem *refrigerant.* Acutam febrem & *cholericum vomitum* arcent.

Immaturi ſeruari nequeunt.

Oxyphanicia.

De Emblico.

CAPVT XXVII.

Emblici.

IDem *in libro graduum.* Emblici ſunt poma, quæ deſiccantur in arbore ſua, vt in alio loco tripliciter diuidantur & ab oſſibus ſeparentur. Horum ſapor amarus & ponticus eſt. Eorumque natura in primo gradu frigida eſt & ſicca. *Stomachum & anum* confortant. *Hemorrhoides* habentibus ſubueniunt, & capillos ne cadant confirmant. Bellirici ſunt eiuſdem naturæ ac iuuamenti. Ideoque poſſunt ad inuicem commutari. *Auicenna in ſecundo canone.* Emblicus notus eſt, & eſt debilior myrabalanis nutritis, ſed in eorum ſemita eſt. Cúmque lacte infunditur, ſiremblem nominatur. Apud Iudæam eſt natura calidus. Et apud plures aliorum eſt in tertio frigidus. Apud Syreck Indum in ipſo eſt calefactio, & forſitan veritas eſt, quòd ipſe ſiccus eſt, parum habens frigiditatis. Caliditatem ſanguinis extinguit. *Radices capillorum fortes efficit*, ipſóſque denigrat capillos. *Neruis* valde confert, *oculoſque* confortat, ipſumque *cor* confortat & ſubtiliat, & augmentum *intellectui* præbet. *Stomachum* etiam confortat, & præparat ipſum. *Sitim* ſedat, & cibi facit appetitum. Anum quoque confortat, & coitum excitat. Et apud quoſdam ſtringit *ventrem*, verum quod ex ipſo nutritum eſt, ventrem abſque labore lenit. Hæmorroidibus confert, phlegma ac melancholiam ſoluit. *Platearius.* Emblici fructus ſunt, qui vltra mare creſcunt. Melancholiam ac phlegma purgant. Ideoque contra talium humorum ægritudines valent. Item contra hæmorrhoides, ſi puluis cum capſi barbaſti ſucco diſtemperetur atque ſuperponantur. Item contra *caſum capillorum* puluis emblici cum aloes puluere in oleo diſtemperatur, & caput inungitur. Et ſiquidem ex aperitione pororum ex caliditate cadunt capilli, multum valet, quoniam eo coarctantur pori.

Virtutes eorum.

De Fagina.

CAPVT XXVIII.

Fagina glans

PLinius *lib.* 16. Fagina glans omnium dulciſſima eſt, qua homines obſeſſos oppido Chio duraſſe tradit Cornelius Alexander, nucleis ſimilis, triangula cute includitur. Fagina glans *muribus gratiſſima* eſt, & ideo animalis eius vna prouentus. Glyres quoque faginat, expetitur & turdis. Arborum fertilitas omnium fere alternat, ſed maximè fagi. Huius folium tenue ac leniſſimum, populo ſimile, celerrimè flaueſcens, & media parte plerumque gignens, ſuperne, paruulam baccam viridem cacumine aculeatam.

De Fico.

CAPVT XXIX.

Fici etymon

ISidorus. Ficus (vt dictum eſt ſuperius) a fœcunditate vocatur quia ter quatérque per annos ſingulos fructus ipſa generat, & altero matureſcente alter oboritur. *Plinius lib.* 15. De genere pomorum ficus ampliſſima eſt, quædámque & pyris magnitudine æmula. Ficus Iudęa rubet, oliuæ magnitudine rotundior tantum, ſapore meſphili. Alexandrinam hanc ibi vocant craſſitudine cubitali, ramoſam, materie validam, lentam ſine lacte, cortice viridi folio tiliæ, ſed molli, Oneſicritus tradit in Hircania multum noſtris eſſe dulciores, fertilioréſque. Sunt & lydiæ, quæ ſunt purpureæ. *Et mammillanæ*, quę ſimilitudinem mammarum habent. Item calliſtruciæ ſapore præſtantiores ficorum omnium frigidiſſimæ, ficis eſt ſuccus dulcis, ſicut & palmis & vuis, ſed ficis lacteus in capite, non item in corpore. Quædam in Ægypto cute caricæ, detrahitur hæc vt putamen virentibus ficis, què maximè placet in eiſdem ſiccis. *Ariſtoteles in libro de vegetabilibus.* In quibuſdam fructibus eſt humor, vt lac, ſicut in ficubus, quibus eſt dulcis fructus atque mellaris, ſicut & palmis. *Idem in libro de animalibus.* Lac ex coagulo & lacte ficuum coagulatur, quoniam lac ficuum in lana aggregatur, deinde lana illa cum modico lactis abulitur, ac poſtmodū illud idem in reſiduo ejcitur, & cum admiſcetur, lacti coagulatur. Ficubus ac cæteris *dulcibus apes cibantur* quando mel in alueari remanens modicum inuenitur. *Palladius libr.* 4. Ficus quæ in montanis & frigidis locis naſcuntur, quia minus lactis habent, ad ſiccitatem durare non poſſunt. Vſus illi in viridi eſt melioris magnitudinis & ſaporis acuti. Quæ naſcuntur in campis & locis calidis pinguiores ſunt, & in ſiccitate durabiles ſunt.

Mammillana ficus.

Cibus apum

De Ficorum cuſtodia.

CAPVT XXX.

Modus cuſtodiendi ficus virides.

IDem *in eodem.* Ficus virides ſeruari poſſunt, *vel melle* ordinatæ, ne ſe inuicem tangant, vel ſingulæ inter viridem cucurbitam clauſæ, locis vnicuique cauatis, & *item teſſera*, quæ ſecatur incluſis, ſuſpenſa eis cucurbita, vbi ignis non ſit aut fumus. Alij miſſas ficos recentes minus maturas *in nouo vaſe fictili* lectas cum pediculis, & à ſe ſeparatas recludunt, & in dolio vini pleno vas natare permittunt. Martialis dicit carycas per genera multa ſeruari, cum ratio vna ſufficiat. Ergo hoc genere quo Campania tota cuſtodit, ſeruare debemus. In cratibus ficus vſque ad meridiem expanditur, & ad hunc mollis in qualum retunditur. Tunc calefactis furnis ad panis coquendi modum, ſuperpoſitis tribus lapidibus ne ardeat qualus includitur etiam clauſo furno, vbi decocta ficus fuerit ſicut eſt calida, folijs ſuis inter vas fictile cōditur denſius preſſa, & operculo diligentius obducitur. Sed pluuijs abundantibus crates ſoli ſi nō poſſis expandere, ſub tecto eas ita pones vt ſemipede erigantur à terra, & eas ad inuicem ſolus cinis ſubiectus vaporet, & ſubinde ficus ſicut eſt diuiſa tergatur, vt & ficorum folia ſiccentur & pulpæ, deinde ſublata in ciſtellis ſeruetur, aut loculis. Alij maturas mediocriter ficus & diuiſas in cratibus expandunt toto ſole ſiccandas, ſed recipiunt nocte ſub tecta.

De operatione ipſorum in cibe & medicina.

CAPVT XXXI.

Contra rugas ſenum.

ISidorus. Ficus à ſenibus in cibo ſumpta ſæpius, rugas eorum diſtendere fertur. *Iſaac.* Ficus cæteris fructibus eſt laudabilior ac nutribilior, humiditatis tamen ſuæ cauſa craſſos creat humores. Ficus domeſtica viridis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& cruda, ideſt non perfecte matura minus calida eſt, magis autem craſſa, propter dominationem terreſtris partis in ea, habet tamen humores lactantes, qui acuitatem ei præſtant & ſiccitatem in ſecundo gradu. Ideoque laudabilis eſt huiuſmodi cocta, & cataplaſmate ex ea facto ſcrophulas & glandes diſſoluit. Nitro & aceto commixta *puſtulis in* capite valet, mixta cum melle ad morſionem canis. Cera adhibita *apoſtema* diſſoluit. Ficus autem viridis perfectè matura minus ſicca eſt, & magis calida. Calor eius eſt in primo gradu, humiditas & ſiccitas in ipſa temperie ex trium rerum compoſitione cõſiſtit. Semen eius nullius eſt nutrimenti. Cortex ſiccus eſt & duriſſimus ad digerendum. Caro autem nutribilior & ſolubilior. Hęc (vt ait Dioſcorides) calorem extinguit, ſitim aufert, *ſudoremq; prouocat*. Sicca ficus calida eſt in principio ſecũdi gradus, & ſicca in medio primi, quamobrem calefacit & ſitim creat, & in cholericos mutatur humores. Cæteris tamen fructibus nutribilior eſt, minuſque inflationis habet. Sed ſi ſuperfluos humores inueniat in ſtomacho, dura fit ad digerendum. In corruptionem mutatur, inflationem ventoſitatémque generat, & peſſimum ſanguinem. In ſuperficie corporis *pediculos* creat. Si autem humoribus corpus mundificatum inueniat, bene digerit, ac ſanguinem laudabilem generat. Vrinam prouocat, *pectuſque* mundificat, *& pulmonem*. Renéſque & veſicam craſſis humoribus, non tamen inflationis & ventoſitatiſque eſt libera. Valet ad *apoſtemata*, & ad *tinnitus* aurium.

Vſus medicinalis.

Succus ficí.

Plinius lib. 23. Fici ſuccus lacteus aceti naturam habet. Itaque coaguli modo contrahit. *Podagris* illinitur. Aluum ſoluit, Palpebrarum *ſcabies* emendat, & cum axungia verrucas tollit. Siccæ ficus *ſtomachum* lædunt, gutturi & faucibus vtiles ſitim afferunt. Aluum molliũt, veſicæ vtiles ſunt. *Dioſcor.* Ficus nimium comeſtæ conturbant *ſtomachum*, *ventrem* deponunt, feruorem nutriunt, ſitim prohibent. *Platear.* Ficus mollis cacoſtomacha eſt, quæ ſi ventrem ſoluerit: difficile abſtineri poteſt, *ſudorem* quoque prouocat. *Siccæ vero, quæ caryceæ vocantur*, ſtomacho ſunt vtiles ac thermanticæ, ſitim incitant, rheumatiſmo ſtomachi ventriſque contrariæ ſunt, arthreticis *& gulæ ac veſicæ* & renibus proſunt, & aſmaticis. *Auicenna.* Ficus melior eſt alba, deinde rubea, deinde nigra. Et quando vehementer maturata eſt, omnibus fructibus nutribilior, ſed non eſt in robore, ſicut carnes & grana. Et ſicca quidem in operationibus ſuis laudabilis eſt, ſed ſanguis ex ea generatus non eſt bonus, & ob hoc pediculos facit. Verum ſi ſit cum nuce eius chymus fit bonus. Humida vero parum medicinalis eſt. Quæ ſicca eſt, & propriè acris, fortis eſt abſterſionis, maturatiua, reſolutiua. Carnoſa plurimæ maturationis eſt. Et in ipſa ſunt glutinatio, & inſitio, & ſubtiliatio. Et ſylueſtris acutior eſt & fortior in hoc. In ficu eſt lenificatio vltima, & expellit ſuperfluitates ad cutem, facitque ſudare, & caliditatem ſedat. *Immatura* linitur ſuper verrucas & morpheam. *Et acceptio eius rectificat colorem corruptum cauſa ægritudinum* & apoſtematum calidorum mollium, & maturat carbunculos. Emplaſtrum ex ea fit apoſtematibus duris, & eriſipilæ. Sicca quidem nocet apoſtematibus hepatis & ſplenis propter ſuam dulcedinem. Sed quãdo apoſtema eſt durum non nocet neque confert. Verum ſi coniungatur cum ſubtiliatiuis ac reſoluentibus valde confert. Item ficus quæ eſt humida & ſicca confert epilepſiæ & aſperitati gutturis. Apperit opilationes ſplenis & hepatis, & eſt conueniens pectori & cannę pulmonis. Velocis deſcenſionis eſt, & velocis penetrationis propter ſuam dulcedinem. *Eius adminiſtratio in vino multum iuuat in aperiendo vias cibi*. Confert renibus & veſicæ. Et iuuat ad tollerandum retentionem vrinæ. Immatura poſita ſuper morſum canis rabioſi confert. Humida velocis eſt nutrimenti, & penetrationis in ſtomacho & in corpore. Sed iuxta Galenum mala eſt ſtomacho, ſicca vero non, Decoctio ficus confert apoſtematibus gutturis, & ad radicum aurium, gargarizata cum cortice granati, ſed & cum ſpuma ſinapis diſtillatur in aurem, in qua eſt tinnitus. Lac ficus coagulat liquefactionem ſanguinis us lactis, & liquefacit coagulatum. Confert apoſtematib & difficillimæ ſolutionis, & ſcrophulis, & lacertis, & denti corroſo. Idem cum melle confert panno humido, & craſſitudini palpebrarum. Cum vitello oui mundificat matricem, & prouocat menſtrua. Idem adminiſtratum extrahit à renibus arenam. Inunctum autẽ confert puncturæ ſcorpionis, & rutelæ ſimiliter. Vinum ficus ſubtile eſt mali humoris. Prouocat autem vrinam & menſtrua, & confert tuſſi antiquæ, ac doloribus pectoris, & apoſtematibus cannæ pulmonis. Potum eius confert ſtomacho, & inſcidit appetitum cibi. Prouocat autem & lenit, & propter abſterſionẽ ſuam velocis eſt deſcenſionis & penetrationis. *Conſtantinus in Pantegni.* Ficus in primo gradu ſunt calidæ, virides in ſecundo humidæ. Siccæ vero inter ſiccitatem & humiditatem temperatę, mediocriter nutriunt, & ſanguinem alijs fructibus ęſtiuis meliorem gignunt. Cito digeruntur, colatiuæ namque ſunt, & ſolubiles ſunt maximè ſi maturæ ſint, tuſſientes adiuuant. Pectus & pulmonem, veſicam ac renes mundant. Non maturæ ventoſitatem faciunt, maximéque ad digerendum duræ ſunt, ſiccæ vero meliores ſunt

Temperamentum.

Ficus mollis.

Caryca.

Coloris rectificatio.

Adminiſtratio ficus in vino.

De Fiſtico.

CAPVT XXXII.

Auicenna. Fiſticus eſt quidam fructus teſtam habens & nucleum. Fiſticum (vt dicitur) eſt vehementioris caliditatis natura, quàm nux & amygdala, & eſt in fine ſecundi calidum, licèt quidam æſtimauerint eſſe frigidum. In ipſo eſt humiditas, & ponticitas, & nutrimentum eius valde paruum. Aperit opilationes hepatis propter ſuam amaritudinem & aromaticam ſui virtutem. Bonum eſt *ſtomacho*, propriè aſemium, grano pini ſimile, propter id quod eſt in ipſo de amaritudine cum ponticitate. Hepar mundificat, & aperit meatus nutrimenti. Eiuſque oleum confert dolori *hepatis* ex craſſa hũmiditate prouenientis. *Nauſeam* prohibet, *ſtomachúque* ſubuerſionem, & os eius confortat. Ventrem non lenit neque conſtringit. Confert morſui vermium venenoſorum, propriè cum vino forti decoctum.

Fiſtici virtus & vſus.

De Galla.

CAPVT XXXIII.

Iſidor. Galla eſt fructus quercus. Ex hac vna eſt agreſtis omphatites dicta, parua forma, ſed firmo corpore atque nodoſo, quæ medicaminibus & incauſtis adhibetur. Altera balanis lenis ac leuis & nimiũ perforata, lucernarum tamen vſibus neceſſaria. *Plinius libr.* 16. Arbores, quæ glandem ferunt, omnes & gallam, hemeris optimam & corijs perficiendis aptiſſimam alterniſque annis glandem, ſed gallam huic ſimilem latifoliam, ſed leniorem multóque minus probatam, fert & nigram tingendis vtiliorem. Naſcitur autem galla *ſole de geminis exeunte noctu* ſemper erumpens vniuerſa. Creſcit vno die candidior, ſi æſtu excepta eſt, protinus areſcit, nec ad iuſtum incrementum peruenit, hoc eſt, vt fabæ magnitudine nucleum habeat. Nigra diutius viret atque creſcit, vt interdum mali magnitudinem compleat, optima eſt commagena. Ex robore verò deterrima. Signum eius eſt, quòd cauernæ tranſlucent. Robur præter fructum plurima alia gignit. Námque fert vtrumque genus gallæ, & quædem veluti mora ni diſtarent arida duricia, plerumque caput tauri imitantia quibus ineſt fructus ſimilis oliuę nucleis. Naſcuntur & in eo pillulæ nucibus non abſimiles, Intus habentes flocculos molles lucernarum luminibus aptos. Nam & ſicut Galla nigra ſine oleo flagrant. *Dioſcorides.* Galla eſt ſemen dendrios, id eſt quercus, huius vna ſpecies eſt, quæ omphatites dicitur, & hæc minor eſt, ſed melior, & virtute fortior, rotunda, grauis, nodoſa, & ſine

Galla.

Tempus naſcentia gallarum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pertuſura. Alia vero leuis & pertuſa. Ambæ ſtipticæ ſunt abundanter & cataſcalticæ.

De Operatione gallæ in medicina.

CAPVT XXXIV.

Vſus medicinalis galla.

IDem. Gallæ paſcentia *vulnera purgant*, gingiuarum rheuma ſuſpendunt, & faucibus medentur. In foraminibus dentium miſſæ *dolorem tollunt*. Combuſtæ & aceto extinctæ & ſale aut vino *profluuium ſanguinis* mulierum deſiccant. Earum elixatura procidentiano adhibetur fomento, rheumatiſmum ſtringit, capillos inficit. Item aceto vel aqua infuſæ & in puluerem redactæ, & in vino datæ dyſſentericis proſunt. Vtimur etiam eis vbi nimis infrigidare neceſſe eſt. *Platearius.* Galla frigida eſt & ſicca in quarto gradu. In Aſia reperitur parua & non perforata. Inter has craſſiores plus valent, habéntque virtutem conſtringendi. Valet contra *fluxum ventris & dyſſenteriam.* Contra *fluxum* ſanguinis è naribus. Ad capillos albos *vel canos denigrandos.* Puluis quoque eius vulneribus ſuperpoſitus ea conſolidat &c.

Temperamentum & victus.

Probatio gallarum.

Auicenna. Gallæ ſunt *meliores* immaturæ *& ponderoſæ ac duræ.* Glaucę vero *molles virtutis ſunt paruæ.* Natura frigidæ ſunt in primo, humidæ in ſecũdo. Subſtantia earum eſt frigida, terrea vehementer conſtringunt, & humiditates à curſu prohibent. Aqua earum capillos denigrat. Linita cum aceto ſuper impetiginem auferunt eam, & puluis earum ſtratus ſuper carnem additam remouet illam. Prohibent quoque curſum humiditatum corruptarum ad linguam & gingiuam. Cum aceto potę conferunt in corroſione dentium, & puluis earum ſparſus ſuper aquam & bibitus ad vulnera inteſtinorum & fluxum antiquum. *Conſtantinus in libro graduum.* Galla frigida eſt in ſecundo, ſicca in tertio. Huius quædam eſt nondum matura, quæ bullata eſt, nec perforata. Altera vero matura tumori ac rubori pertinens. Ideóque minus frigiditatis & ſtipticitatis habens. Hæc vſta ſanguinolentæ valet egeſtioni, & de quocunque loco manauerit, ſanguinis fluxui. *Sciſſuras quoque calcaneorum ſanat, & labiorum fiſſuras curat.* Denique valet galla locis quibus repugnatio & conſtipatio ac deſiccatio ſunt oportuna.

Nota.

De Gariophyllo.

CAPVT XXXV.

Gariophyllum.

PLinius *lib.* 12. Gariophyllum tradunt in India gigni, piperis granis ſimile, grandius, fragiliúſque. Aduehitur autem odoris gratia. Fert & in ſpinis piperis ſimilitudinẽ, præcipua amaritudine, foliis paruis, denſiſq; Cypri modo, ramis trium cubitorum, cortice pallido, radice lata lignoſáque buxei coloris, hac in aqua cum ſemine excepta in æreo vaſe medicamentum, fit *quod licium* appellatur. *Platearius.* Gariophylli quidem ex origine perfecti acuti ſaporis ſunt, & hi ſunt calidi & ſicci in tertio gradu. Quidam remiſſiores habent qualitates, & hi in ſecundo gradu iudicantur. Sunt autem fructus cuiuſdam arboris in India, qui maturi collecti per annos quinque ſeruantur. Per 10. vero ſine corruptione, & hoc in loco ſicco temperatè, quia in multum humido putreſcunt, in multum ſicco areſcunt & corrugantur. Eligendi ſunt autem qui in ſuperficie habent aliquantulam planitiem, & qui ex impreſſione vnguis aliquid humiditatis emittunt. Habent virtutem confortandi ex aromaticitate, diſſoluendi & conſumendi ex qualitatibus,

Licium.

Virtus.

ad dolorem ſtomachi ex frigiditate, vel ventoſitate. Conferunt *& ad cerebrum* confortandum. Contra *fluxum ventris* ex acumine medicinæ. Contra *cardiacam* & ſyncopen. *Dioſcor.* Gariophyllum calidum eſt, & ſiccum in ſecundo gradu ponitur in collyrijs, quia viſum acuit. Potatum vero nauſeam prohibet, Pthiſicos iuuat. Huius arboris gumma vires habet, vt terebintina. *Auicenna.* Gariophyllus calidus eſt & ſiccus in tertio, corporis odorem bonum efficit, Viſum acuit, & confert panno. Confortat *ſtomachum & hepar*, & confert *vomitui* ac nauſeæ. *Conſtantinus vbi ſupra.* Gariophylli calidi ſunt & ſicci in ſecundo gradu. Stomachum & hepar & interiora confortant cum ſua aromaticitate, ventrem conſtipant, cibum digerunt.

De gariophylla.

Macer.

Gariophyllum dicunt calidum ſiccumq; ſecundo
Eſſe gradu, iecur & ſtomachum corroborat hauſtum,
Et fermè cunctis valet interioribus, ipſum
Vim digeſtiuam mirè iuuat, abſtinet aluum,
Accendit venerem ſi dragmæ pondere tritum,
Potatum fuerit cum vaccæ lacte recenti,
Vim memorem cerebri confortat ſæpius hauſtum.

Pro memoria confortatione.

De Glande.

CAPVT XXXVI.

Glans cibus antiquorum.

ISidorus. Glande vixerunt antiqui homines, antequam frumenti vſus eſſet. Vnde Poeta. *Mortales primi ructabant gutture glandem. Plinius lib.* 13. *& quindecimo.* Ex glande autem Ægyptia fit oleum odoris cauſa. *Idem in lib.* 16. Glandes multarum gentium etiam pace gaudentium eſſe conſtat opes. Nec non inopia frugum arefactis farina mollitur, atque in panis vſum ſpiſſatur. Quin & hodie quoque per Hiſpanias ſecundis menſis glans inſeritur. Eadem quoque dulcior in cinere toſta. Cautum eſt præterea duodecima tabularum lege, vt glandem in alienum procidentem fundum liceret colligere. Glandium genera ſunt multa, diſtantque fructu, ſapore, & ſitu, & ſexu. Alia namque figura eſt glandi fageæ, alia quernæ, alia iliginæ, atque inter ſe quoque generum ſingulorum differentiæ. Præterea ſunt aliquæ ſylueſtres, aliæ placidiores, quæ culta iam obtinent. Iam etiam in montoſis planiſque diſtant. Sicut & ſexu mares & fœminæ, itémque ſapore dulciſſima omnium fagi, vt qua obſeſſi etiam homines duraſſe in oppido Chio tradit Cornelius Alexander. Non datur diſtinguere nominibus genera, quæ alibi ſunt alia. Quippe cum vulgo naſci videamus robur quercumque, *eſculum* vero non vbique. Glandem, quæ propriè intelligitur, ferunt *eſculus & robur ac quercus & ilex & ſuber, ac cerrus.* Continentur autem glandes hiſpido calice per genera plus minusve. Item complectente folia præter ilicem grauia, carnoſa, procera, lateribus ſinuoſa, nec cum cadunt vt fagi, flaueſcentia, pro differentia generum breuiora, vel longiora. Glans optima quercui atque grandiſſima, mox eſculo, nam robori parua. Cerro triſtis, & horrida, echinato calice, ſicut & caſtaneæ. Sed en querna fœminæ dulcior atque mollior, maris vero ſpiſſior. Maximè autem probantur latifoliæ, ex argumento dictę. Diſtant inter ſe magnitudine, & cutis tenuitate. Itémque quòd alijs ſubeſt tunica rubigine ſcabra. Alijs protinus candidum corpus, alijs ouata figura, alijs rotunda, alijs acutior, ſicut equidem & colos vel nigrior, candidiorve qui præfertur. Amaritudo in extremitatibus, & mediæ dulces. Quin & pediculi breuitas proceritaſq; differentiam habet. In ipſis vero arboribus, quæ maximam fert glandem hemeris eſt vocata, breuior, & in orbem comoſa. Glans fagea *ſuem facit hilarem*, carnem coctibilem, ac leuem & ſtomacho vtilem. Iligna vero ſuem anguſtam, nitidam, ſtrigoſam, ponderoſam. Porrò diffuſam atque grauiſſimam facit querna. Et ipſa glandium æquè dulciſſima; proximam tradit Nigidius cerream, nec ex alia ſolidiorem carnem, ſed duram. Iligna dicit tentari ſues, niſi paulatim detur, & hanc nouiſſimam cadere, fungoſam vero fieri carnẽ eſculo, ſubere, ac robore. *Pallad. lib.* 12. Menſe Nouembri glandes legendæ atque ſeruandæ ſunt, quod opus fœminæ ac pueri facilè exercere poſſunt.

Arbores glandiferæ.

Glans fagea.

Menſis quo legenda glandes.

De Medicinali operatione glandis.

CAPVT XXXVII.

Auicenna. Glans eſt ſicca in ſecundo, & frigida in primo. Stiptica eſt, eiuſque cortex interior ſtipticus eſt. Folia verò glandis vehementioris ſunt ſtipticitatis & minoris exiccationis. In omnibus his eſt ſtipticitas. Et *fluxus ſanguinis* prohibent, propriéque cortex eius interior, & omnia membra confortant. Secundum Galenum melior eſt glans & nutribilior omnibus granis, ita quod propinquior eſt grano panis, glãs cum hædi & porci adipe ſalita confert *duritijs*, Eiúſque fructus in principio confert *apoſtomatibus calidis*. Iterum aduſta, & adminiſtrata vlcera prohibet ambulatiua. Plagas quoque cohærere faciunt eius folia trita, & deſuper puluerizata. Confert etiam ſputo ſanguinis, & *humiditati ſtomachi*. Conſtringit & confert dyſſenteriæ, & vlceribus inteſtinorum, & contra venena venenoſorum. Vrinámque multiplicat. Decoctio corticis eis cum lacte vaccino confert ſagittarum armenarum veneno. Facit autem glans in capite ſoda, quia naturam conſtringendo vaporem coartat. *Iſaac.* Glandes frigidæ ſunt in primo gradu, ſiccæ in ſecundo. Ideo difficiles ſunt digeſtioni inobedientes. Ventrem conſtipant, ſed tamen vrinam prouocant. Corporis nutritiuæ ſunt quaſi quædam grana. Tardè quoque de ſtomacho deſcendunt, & capitis dolorem faciunt, propter earum fumum in ſtomacho. Valent & ad ſanguinis fluxum, & contra venenum. *Conſtantinus in Pantegni.* Glandes, quæ & celſi, frigidæ ſunt in primo gradu, ſiccæ in ſecundo. Stipticæ, ad digerendum duræ, multum nutritiuæ, menſtruorum opilatiuæ.

Virtus glandis.

Temperamentum.

De Iniuba.

CAPVT XXXVIII.

Iſaac. Iniubæ calidæ ſunt & humidæ in primo gradu. Parum nutriunt, & ad digerendum difficiles ſunt. Stomacho nociuæ, & ſanguinis *phlegmatici* generatiuæ. Quæ tamen cum ſint ponticę & immaturæ ſanguinis acumen extinguunt. Et ſi ad maturitatis tempus peruenerint, *pectoris & pulmonis* aſperitatem humectant. *Conſtantinus vbi ſupra.* Iniubæ frigidæ ſunt & humidę, digeſtioni duræ, parum nutritiuæ. Aqua in qua coctæ ſunt calorem & dolorem viſcerum mitigant. Galenus tamen eas vituperat dicens. Sanitati cuſtodiendæ, & infirmitati medicinandæ, neſcio quomodo ſubuenire poſſint, hoc tamen ſcio, quia duræ ſunt in digerendo. *Auicenna.* Iniubæ meliores ſunt earum maiores. Natura frigidæ ſunt in primo, in ſiccitate & humiditate æquales, & quaſi parum ad humiditatem declinantes, acuitati ſanguinis calidi conferunt, & hoc, vt æſtimo, quia ſanguinem incraſſant, eumque viſcoſum faciunt. Illi autem erant, qui eas *clarificare ſanguinem putant*. De his autem Galenus ait. Non reperi iniubas in conſeruanda ſanitate, ac remouenda ægritudine aliquid operantes, ſed reperi digeſtioni difficiles.

Iniuba.

Temperamentum

Error.

De Malo.

CAPVT XXXIX.

Iſidorus. Mala ſic à Græcis ſunt dicta, eo quod ſint pomorum omnium rotundiſſima. Vnde & hæc ſunt vera mala, quæ vehementer ſunt rotunda. Ex his autem quædam nomina acceperunt ex locis, de quibus ablata ſunt vt malummacianum, malumcidonium, malumpunicum. *Plinius libr. 15.* In vniuerſum vero de pomis ſeruandis præcipitur. Pomaria in loco frigido ac ſicco contabulari, feneſtris Septentrionalibus ſereno die patere, auſtros peculiarius arcere, Aquilonis quoque afflatus pomo rugis deturpantes. Colligi oportet mala poſt æquinoctium autumnale, nec ante lunam ſedecimam, nec ante horam primam. Cadiua ſeparari ſtramentis floreis paleisve ſubſterni, raraque componi vt limites peruij ſpiritum ęqualem accipiant. Iterum mala quidam folijs ficulneis præterquam cadiuis iubent ſingula conuolui, ciſtiſque vitilibus condi vel creta figulinarum illini. Aliqui mala in patinis fictilibus fluitantia, quo genere & vino odorem acquiri putant. Aliqui omnia hæc in milio ſeruare malunt, plerique vero in ſcrobe duorum pedum altitudinis, arena ſubſtrata & fictili operculo deinde terra operto. Creta quidem figulina etiam vuas illinunt, ſiccataſque ſole ſuſpendunt. Mala vero generoſiſſima eadem ratione gypſo vel cera cruſtant, quę niſi maturauerint, incremento calcem rumpunt. Semper autem in pediculos ea collocant. Alij cum ſurculis ea decerpunt, quos in ſambuci medullam additos ſubruunt. Alij ſingulis malis piriſque ſingula vaſa fictilia aſſignant & opercula eorum picata dolio iterum includunt, necnon aliqui & in floccis capſiſque, quas luto paleato illinunt. Alii hoc idem in patinis fictilibus. Aliqui & in ſcrobe ſubiecta arena, & ita ſicca mox operiunt terra. Malis ſuccus eſt ſpumeus & odor acutus.

Mala cõſeruandi modi diuerſi.

De Proprietatibus malorum in medicina vel cibo.

CAPVT XL.

Iſaac. Mala, quæ pontica ſunt, & quæ ſtiptica, frigidiora ſunt & ſicciora & ad digerendum tardiora. Magis autem confortatiua ſunt ſtomachi, & conſtrictiua egeſtionis. Porro acetoſa, quę cæteris minus ſicca ſunt, ſubtiliora ſunt, neceſſe eſt penetrabiliora eſſe. Quare acumen choleræ extinguit, defectum cordis & calorem confortant, ſitim mitigant. Item *ſtomachum* confortant, appetitum excitant, egeſtionem, *vomitumq;* cholericum inhibent, maximè ſi ieiuni accipiant, quia cibi ante comeſti ad locum decoctionis ea deſcendere prohibent, ideóque in ſuperioribus natant, os etiam ſtomachi ſuperius comprimendo, inferius relaxando ſolutionem faciunt. Dulcia vero, quia temperata ſunt inter quatuor qualitates media, frigido ſtomacho minimè nocent. Ad conſtrictionem, vel laxationem in manifeſto non mutantur. Sunt & alia inter acidum, & dulce media, quæ muza dicuntur. Horum actio media eſt ad *ſitim*, tamen mitigandum choléræque *acumẽ* extinguendum acido vicina ſunt. Cardiacæ vero quæ ex calore contingit, palam proſunt, pro ſapore quem habent. Sunt & quædam in ſapore aquoſa, & abominabilia ſunt, & faſtidium faciunt, nec ſtomachum confortant, nec ventrem ſoluunt, nec ſapiunt, nec iuuant. *Dioſcorides.* Mala æſtiua ſenſit Dioſcorides phlegma nutrire, fellis ardorem excitare, inflammationem mouere, neruoſis partibus minimè conuenire. Galenus autem non omnia reijcienda pronunciat, ſed ea quæ ſunt aquatici ſaporis, aut aſperi, aut acidi, aut propter ſuauitatem dulcia occurrunt. Auſtera autem & ſtiptica quę ſola in hyme ſeruantur, & matura lecta ſalubriterque cuſtodita proueniunt, etiam prodeſſe languentibus aſſerit. Denique in farina inuoluta vel in calido cinere diſcocta in querelis ſtomachi nauſeantis vtiliter putant offerri. Prodeſt & malum maximè macianum ſanguinem reijcientibus, pulmonis, & iecoris iniurię obnoxie ſubuenire. *Melius tamen ſi nunquam ieiunis, ſed poſt cibum detur.* Vis ergo malis frigida eſt & humida. Quod eo maxime comprehenditur, quia ſuccus eorum expreſſus facile tranſit in acorem, auſtera *mala & acida trita & impoſita recentia vulnera ſtatim claudunt*, tumores atque liuores ex aqua cocta, & cum axungia trita compeſcunt.

Virtus.

Malum macianum quibus prodeſt.

Nota.

De malogranato.

CAPVT XLI.

Iſidorus. Malogranatum eo dicitur, quod intra corticis rotunditatem granorũ contineat multitudinem.

Malogranatum.

Item

Malum punicum.

Item & malum punicum à regione vnde fuit tranſlatum. *Plinius vbi ſupra.* Malis, quæ granata vocamus, ſub cortice latet acinus. *Ariſtoteles in libro de Plantis.* Succorum quidam potabiles ſunt, vt eſt ſuccus malorum granatorum. Nam malagranata ſunt ex humore & grano. A quibuſdam autem ſeminibus malis arbores bonæ proueniunt, vt à granatis acidis. *Iſaac.* Malagranata vtiliora ſunt medicinę quàm eſui. Nutrimentum quippe eorum & ſi laudabile eſt, tamẽ paruum eſt, propter ſubtilem digeſtionem. Quatuor partibus compoſita ſunt, quæ omnes ſtipticæ ſunt, ſcilicet cortice, carne, liquore, nucleo. Flos vero omnibus ſtipticior eſt & ſiccior, Frigidus eſt, ſed diuerſis modis ſecundum ſuos ſapores, & liquiditates. Sunt namque pontica acida Muza dulcia & in ſapore. Similiter & liquor eius tenuiſſimus, & aquoſus, & craſſus, & paruus, & mediocris.

Platearius. Malorum granatorum quædam dulcia ſunt, & hęc temperatè calida & humida: quædam acetoſa & hæc frigida & ſicca. Poſſunt autem ſuſpenſa ſeruari per annum. Dulcia plus competunt eſui, quam medicinæ, dantúrque cholericis, & febrientibus ex cholera. Plus enim poteſt humiditas calorem reprimere quam caliditas intendere. Acetoſa vero plus competũt medicinæ quam eſui. Datúrque ſuccus eorum febricitantibus ex cholera. Fit autem ex eodem ſucco & ſaccharo ſyrupus ad modum acetoſi, quem quidam oxyſaccharũ dicunt. Flores & cortices maligranati per duos annos ſeruari poſſunt. Virtutem habent conſtringendi. Puluis eorum valet contra vomitum cholericum vel dyſſentericum. Idem quoque contra fluxum ſanguinis è naribus imponit. *Razi.* Malagranata dulcia non infrigidant, inflationem ac ſitim faciunt, & gulam leniunt. Acetoſa vero pectoris aſperitatem faciunt, ſtomachum & hepar infrigidant. Choleram quoque rubeam ac ſanguinis calorem extinguentia, febrem & vomitum extinguunt. *Conſtantin. in Pantegni.* Malagranata frigida ſunt humiditate & ſiccitate mediocria, ſtomachum & hepar confortant, & abominationem remouent. Dulcia vero inter calidum & humidum temperata ſunt, grana eorum tuſſientes ex calore adiuuant.

Oxyſaccharum.

De meſpilo.

CAPVT XLII.

Meſpilorum etymon.

Tria genera.

Isidorus. Meſpila dicuntur, eo quòd pilulæ formam habeant. *Plinius lib. 15.* Malorum pirorumque generi iure annumerantur meſpila atque ſorba. Meſpilis vero tria ſunt genera. Primum eſt anthedon. Secundum vero ſetania. Tertium degenerat, anthedoni tamen ſimilius, quòd gallicum vocant. Setaniæ maius eſt pomum atque candidius acini molliore ligno, cæteris pomum minus, ſed odore præſtantius, & quod ſeruetur diutius. *Pallad. lib. 4.* Meſpila ad ſeruandum leguntur necdum mitia, quæ & in arbore diu durabunt, vel in vrceolis picatis, vel in ordinem ſuſpenſa, vel (vt quidam volunt) poſca condita. Die ſerena legantur ac media, & paleis obruantur diſcreta, nec viciſſim tactus afficiat. Vel cum pediculis lecta ſeminatura & ſalſa aqua per dies quinque macerata poſteà ſæpè infundantur, vt enatent, ſero & melle ſi nimis matura collegeris.

Tercoctum.

De operatione ipſius in cibo & medicina.

CAPVT XLIII.

Diocorides. Meſpila ſemen habet rotundum & minutum maciano ſimile, quod habet oſſa tria, propter quod & tercoctum dicitur. Stipticum & euſtomachum eſt, ac ventrem abſtinet. Eſt & alia quæ naſcitur in Hiſpania, quàm multi epimelidem vocant, ſemen rotundum habens, hoc aptum eſt ad edendum, & ſtipticũ, tardéq; matureſcit. *Idem.* Meſpilis fructus auſteriſſimus eſt, & ante virtutem guſtui oſtendit. Fluxus ventris immodicos potiſſime detinet, & ſtomachum diſſolutum vehementer aſtringit. Sunt etiam qui putant eum dentibus non leuiter ſubuenire, ſi in dolore mandatur. *Iſaac.* Meſpila frigida ſunt & ſicca in primo gradu. Stomachum confortant, cholericam egeſtionem & vomitum auferunt, vrinam prouocant, ad medicinam magis quàm ad cibum pertinent. Parum enim nutriunt, & craſſum chymum generant, quæ ante cibum meliora ſunt, quam poſt cibum, quia ſtomachi confortatiua ſunt, eiuſque neruoſitati non nociua.

Virtus & temperamentum meſpilorum.

De myrobalano.

CAPVT XLIV.

Quinque ſpecies myrobalani.

Platearius. Myrobalani fructus ſunt arborum, & in India reperiuntur, eiuſdem modi ſunt, ſed diuerſorum effectuum, & diuerſarum formarum. Horum ſpecies quinque ſunt. Citrinus, chebulus, bellirícus, emblicus, Indus. Omnes frigidi ſunt & ſicci generaliter. Sed citrini frigidi & ſicci in 2. gradu. Eligitur citrinus, qui craſſus eſt & ponderoſus, cum vero frangitur, gummioſus, huius cortices abiectis nucleis in decoctionibus, vel in medicinis compoſitis ponuntur, Similiter chebuli, Sed alij cum nucleis ponuntur, vel quia non poſſunt ſeparari à nucleis, vel quia & parui ſunt nuclei. Citrini per decem annos ſeruantur, ſimiliter & cæteri per multa tempora. Dicunt auctores quod omnes purgant choleram, quidam plus, quidam minus. Citrini principaliter purgant choleram, ſecundario phlegma, chebuli ecõuerſo. Emblici autem & bellirici phlegma & choleram. *Ariſtoteles in lib. de plantis.* Myrobalanorum fructus in principio cum apparent dulces ſunt, conſequenter pontici, & in completione amari, ſicut videlicet ſuperius dictum eſt, vbi de arbore ipſa actum eſt. *Conſtantinus in lib. graduum.* Myrobalani citrini ſunt in primo gradu frigidi, choleram purgant, ſtomachumque confortant, in aqua calida infuſi fortius ſunt laxatiuis. Dicunt quidam quod vnius arboris ſunt Indi & citrini, citrini quidẽ immaturi, Indi vero maturi, qui & ipſi ſunt in primo gradu frigidi & ſicci: vtérque choleram aduſtã æquè purgant, & ſtomachum confortant. Chebuli naſcuntur in Inſula Indiæ, quæ bolus nucupatur. Cæteris myrobalanis meliores ſunt, & in primo gradu frigidi ac ſicci ſunt. Choleram & alios humores purgant, ſtomachumque confortant & ſuperfluitatem humiditatum eius deſiccant. Ideóque viſus obſcuritatem propter fumum à ſtomacho venientem clarificant. Sunt & melancholicis vtiles, & patientibus Æmorroides.

Virtus medicinalis.

De myrtilis.

CAPVT XLV.

Myrtili.

Platearius. Myrtili ſunt fructus myrti, qui propriè competunt vſui medicinæ, folia autem & flores ſecundario: fructus hi quanto recentiores tanto meliores. Virtutem habent conſtringendi ex ponticitate, confortandi ex aromaticitate. Vàlent conta fluxum ventris, & contra vomitũ. *Iſaac.* Myrtili frigidi ſunt & ſicci, habent modicum amaritudinis, & tenuem dulcedinem. Ideoque valent contra *tuſsim* de calore ortam, & contra fluxum ſanguinis, & cholericam egeſtionem. Et ſtomachi ac veſicæ confortatiui ſunt, Vrinam prouocant, & dolorem ventris mitigant. Nigri autem myrtili cæteris meliores ſunt. *Palladius lib. 2.* Menſe Ianuario ex baccis myrti oleum & etiam vinum myrtinum conficitur, ſicut videlicet inferius dicetur, vbi de oleo & de vino inter ſuccos fructuum agetur.

Temperamentum.

De Moro.

CAPVT XLVI.

Morus rubus.

Isidorus. Morus Græcè latinè vocatur rubus, ſicut dictum eſt ſupra, eo quòd rubeant fructus eius vel virgulta. Sylueſtris mori fructibus in deſerto paſtorum fames ac penuria confouetur. *Ariſtoteles in libro de plantis.* Fructus quidam cito maturantur, vt mora ac

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Trinicoloris mora.

ceraſa, & ſuccorum qui ſunt in fructibus quidam ſunt A potabiles, vt eſt ſuccus mororum. *Plinius vbi ſupra.* Moris eſt ſuccus in carne vinoſus. Trinicolores, primo ſcilicet *candidus*, *mox rubeus*, *maturis vero niger.* In nouiſſimis florent, inter prima matureſcunt, manúſque ſucco tingunt. Matura ruunt, acerba minimum. Carne, & ſucco conſtant. Moro quidem & pyro ac myrto ſuccus eſt vinoſus, colórque ſucci moris ac ceraſis eſt ſanguineus. *Palladius lib.* 10. Ad diamorum conficiendum agreſtis mori ſuccum facies paululum deferuere: Túncque duas eius ſucci partes, & vnam mellis admiſcebis, ac mixta curabis ad pinguedinem mellis decoquere.

Confectio diamori.

De Mori proprietatibus in medicina vel cibo.

CAPVT XLVII.

Electuarium diamoron ad quid valet.

PLatearius. Mora domeſtica quæ ſunt ſycomororum fructus, calida & ſicca. Silueſtria quæ ſunt fructus rubi, frigida ſunt & ſicca. Virtutem habent diſſoluendi, conſumendi, mundificandi. Contra ſquinantiam, & vuam relexatam, brancos, & vitia faucium, valet electuarium quòd diamoron dicitur. Succus aliquantulum calefactus datus ventrem ſoluit, ſi conſtipatio ſit ex frigida cauſa. Succus corticis, vel puluis eius cum melle datus lumbricos necat. Vinum decoctionis eius corticis inteſtina mundificat. Caſula *facta ex gummis eius circa dentem putrefactum ſine dolore extrahit.* Mora ſylueſtria virtutem habent aliquantulum conſtringendi ex qualitatibus, & diuidendi ex aliquantula acetoſitate. *Iſaac.* Mora celſi duobus modis ſunt. Acria & matura frigida ſunt & ſicca, vim habent ſtipticam, ſtomachi & inteſtinorum confortatiuam. Ventrem conſtipant. Vnde multum valent ad Diarrhiam & Dyſſenteriam, maximè ſi cholericæ ſint. Succus eorum ad gutturis dolorem, vel faucium vel vuæ multum valet. Matura verò & dulcia calida & humida ſunt, plus autem ad humiditatem pertinent, vnde cito è ſtomacho eijciuntur. Ventrem humectant. Vrinam prouocant. Si tamen in ſtomacho cibum ante ſe inuenerint, & eis obſiſtentibus commorentur, in corruptionem conuertuntur, & ſtomacho nocent, & capiti. Si autem ſtomachum vacuum inuenerint, bene digerentur, ſed parum nutriunt.

Ad extrahendum dentem ſine dolore.

Razi. Mora dulcia in caliditate temperata ſunt, faſtidium in ſtomacho faciunt. Acetoſa vero frigida ſunt, & quæ ventrem commouent, & ſanguinem fortiter reprimunt. *Auicenna.* Mori duo ſunt genera. Vnum dulce, alterum amarum. Dulce quidem calidum eſt & humidum. Acetoſum ad frigiditatem & humiditatem decliue. In dulci vero velocitas deſcenſionis, aut propter humiditatem ſuam, aut propter acredinem ei admixtam, ſtomacho nocet, quia cito in eo corrumpitur. Acetoſum retinet oris & gutturis apoſtemata. Confert vulneribus fraudulentis. Nec nocet ſtomacho ſicut dulce, quamuis in eo ſit malitia, nec eſt in ipſo nauſea. Nutrimentum eius paruum eſt, & facit appetitum cibi, ipſúmque facit lubricum, & extrahit. Et omnino deſcenſus eius è ſtomacho velox eſt, ex inteſtinis autem tardus. *Omnes ſpecies mori commedendæ ſunt ante cibum.* Eſt in ſtomacho in quo non ſit corruptio recipienda, & in omnibus eſt prouocatio vrinæ. Morum ſallitum & exiccatum retinet ventrem vehementer. Et confert dyſſenteriæ. Succus mori ſtipticus eſt, & propriè quando decoquitur in vaſe æreo, prohibétque fluxum materierum ad membra. *Conſtantinus in Pantegni.* Mora frigida ſunt in primo gradu, humida in ſecundo. Benè matura ſolubilia ſunt, immatura vero ſtiptica: à ieiuno comeſta, digeſtibilia ſunt & bonos humores generant. Econtra vero contraria maxime cum in ſtomacho malos humores inueniunt, quia conuertibilia ſunt.

Medicina ex moris.

Nota.

Temperamentum.

B

C

D

E

De Muza.

CAPVT XLVIII.

Muza.

EX *ſynonimis.* Muza eſt fructus paradiſi, vt dicunt quidam, in quo comedendo peccauit Adam. Sed alij verius dicunt quod peccauit in ficu. Fertur autem muza creſcere in Babylonia, alio quoque nomine Muza eſt opiaca. *Iſaac in dietis.* Muza eſt calida in medio primi gradus, & humida in fine ipſius. Cerebrum humectat & ventrem. Pectoris & pulmonis lenit aſperitatem. Eſt autem nutrimenti multi & craſſi. Quæ aſſueta generat ſtomachi grauitatem, ac ſplenis & hepatis opilationem. Vnde qui eam manducāt, poſt eius comeſtionem gingiber conditum, vel oxymel accipiant, ſi tamen frigidæ naturæ ſunt. *Auicenna.* Muza nota eſt. Nutrit velociter, ac lenificatiua eſt, multitudo eius generat opilationes, & addit in cholera ac phlegmate, ſecundū complexiones. Confert aduſtioni *iguis gutturis, ac pectoris. Stomacho* quidē conueniēs, ſed multitudo eius valde grauis eſt. Augmentū in ſpermate facit, & vrinā prouocat.

Medicinalis eius vſus

De nuce iuglande.

CAPVT XLIX.

Etymon iuglandis.

ISidorus. Nucem alio nomine Latini vocant iuglandē, quaſi iouis glandem. Tantámque vim habet, vt inter ſuſpectos herbarū vel fungorum cibos quicquid in eis eſt virulentum excludat, rapiat & extinguat. *Plinius vbi ſupra.* Nuces iuglandes quamquam & ipſæ fœdere nuptialium feſcēninorum comites, multum quidem pineis vniuerſitate minores, eadémq; portione nucleo ampliores, nec non & honor his naturæ peculiaris gemino protectis operimento puluinati primum calicis, móxque lignei, putaminis. Quæ cauſa fecit eas nuptijs religioſas, *tot modis fœtu munito*, quod eſt veriſimilius, quā quia *cadendo tripudium faciant ſommumve.* Ex has quidē è Perſide regibus trāſlatas indicio ſunt græca nomina. Optimum quippe genus earum Perſicum atque baſilicon vocāt. Et hæc fuere prima nomina. Cariō à capitis grauedine, propter odoris grauitatē conuenit dictū. Tinguntur cortice earum lanæ. Rufatúrque capillus primum nucleis prodeuntibus. Idque compertum infectis tractatu manibus: pingueſcunt vetuſtæ. Sola differētia generum eſt in putamine dūro, fragilive, tenui, aut craſſo ſimplici, aut loculoſi. Solum id natura compactili operimento clauſit. Sunt enim putaminum carinę bifidę. Nucleorúmq; illis quadripartita diſtinctio lignea interſecante membrana, cæteris quicquid eſt, ſolidum eſt, vt in auellanis, & in ipſo nucum genere, quas ante abellanas appellabant patrio nomine. In Aſiam Greciámque venerunt è Ponto, & ideo ponticæ nuces vocantur: has quóq; mollis protegit barba, ſed putamini nucleiſque rotūditas ineſt ſoda hæ & torrētur. Vmbilicus eſt illis, intus in ventre medio. Tertia ab his natura amygdalis, tenuiore, ſed ſimili iuglādium operimento ſummo. Item ſecundo putaminis nucleus diſſimilis latitudine & acriore callo. Clauduntur itaque nuces putamine, ſtatimque recedunt à ligno ſicut & palmæ. Sunt qui honori nomen interpretantur, & Iouis glandem eſſe dicunt. Nuper audiui, conſularem virum *biferas etiā & iuglandes habere ſe nuces* profitentem. Ex iuglandis nucibus fit oleum quod vocatur carinon. *Ambr.* Nucis fructus teſta operitur, & cortice alitur vel occulitur, tamen & ipſo calore ſolis nutritur. *Pallad. l.* 2. Nuces ſeruantur, vel paleis obrutæ, vel arena, vel folijs ſuis aridis, vel arca ex ligno ſuo facta incluſæ, vel cœpis mixtæ. Quibus hāc viciſſitudinem reddunt, vt eis acredinem tollant. *Martialis* expertum ſe ait, virides nuces tantum liberatas putaminibus ſuis melle demergi, & poſt annum virides eſſe, & ipſum mel ita medicabile fieri, vt ex eo facta potio arterias curet & fauces.

Cur nuces iuglandes religioſæ nuptijs habentur.

Iuglandes biferæ.

Modus conſeruandi nuces.

De medicinali eiuſdem operatione.

CAPVT L.

PLinius lib. 14. Nuces iuglandes Græci à capitis grauedine appellauerunt. Etenim arborum ipſarum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

foliorúmque vires in cerebrum penetrant. Hócque minore momento, ſed in cibis nuclei faciunt. Sunt autem recentes iucundiores, ſiccæ vinoſiores, & ſtomacho inutiles, concoctui difficiles, dolorem capitis inferentes tuſſientibus inimicæ & vomituris ieiunis. Venena hebetant præſumptæ. Aduerſantur etiam cœpis, leniúntq; earũ ſaporem, auriũ inflationi imponuntur cum mellis exiguo, putamine nucis iuglandis dens cauus inuritur. Putamen combuſtum, & in oleo tritum aut vino, *infantiũ capite perunctо, capillum nutrit.* Ad alopiciam etiam eo ſic vtuntur. Quo plures quis nuces ederit, carbunculis medetur. Cortex iuglandium dyſſentericis prodeſt, contra rabioſi canis morſum, nuclei à ieiuno homine commanducati illitíque præſenti remedio eſſe dicuntur.

Nota.

Nutrit capillum.

Iſaac. Nuces virides minus ſiccis calidæ, aliquantulum humoris habent, propter imperfectam maturitatem, ſtomacho tamen nociuæ ſunt, quæ ſi à ieiuno comedãtur cum obſomogaro & aceto ventrẽ humectant. Cum ruta manducatæ contra venenum fiunt. Siccæ vero nuces quanto à tempore eas producente elongantur, tanto earum humiditas conſumitur, eiſque vnctuoſitas dominatur. Quæ tunc manducatæ cito in cholericos humores conuertuntur. Nuces auellanæ minus nutribiles ſunt, propter corporum ſuorum raritatem & vnctuoſitatem & viſcoſitatis ſuæ copiam, & ſtomacho ſemper contrariæ ſunt niſi inueniant eum frigidum vel temperatum. Tunc enim boni nutrimenti ſunt ſtomacho, bonæqúe digeſtionis. Calidum vero ſtomachum habentibus, præſtant vſtionem & in cholericos humores, ac fumoſos mutantur, dolorem capitis faciunt, ac vertiginem oculorum. Vt autem ab eis omne nocumẽtum auferatur, mundantur, & per vnam noctem in aqua calida ponuntur, vt partem humiditatis ab aqua ſibi nanciuent, fiántque quaſi virides. Si autem in cibo cum ficubus edantur, contra rem venenoſam corpus defendunt. Cataplaſma ex eis factum cum cœpis, & ſale & melle morſui canis rabidi proficit. Valent & contra apoſtema. *Dioſcorides.* Nuces ſiccæ duæ cum duabus carycis, & viginti rutæ folijs, addito grano ſalis pariter conteruntur, nulliſqúe venenis opprimi poterit ea die qua quiſque ieiunus acceperit. Circa Kal. & idus Iulij nuces fractæ vt arbori fuerint ademptæ cortice adhærẽte quaſſantur & his aluminis ſciſſę libræ 3. admiſcẽtur, atque in nouo fictili vaſe imponuntur. Super hoc & olei boni libræ tres infunduntur, & in loco nec humido nec ſicco diligenter obruuntur. Poſt xc. dies dabitur oleum quod fluentium damna reſtituet capillorum.

Nuces auellanæ proſunt ſtomacho frigido.

Vis auellanarum.

De nuce Alexandrina & Indica.

CAPVT LI.

Virtus nucis Perſica.

Ioſcorides. Nux Alexandrina, quam multi Perſicam dicunt, cacoſtomacha eſt & indigeſtibilis, choleram nutrit, dolorem capitis commouet. Tuſſientibus contraria eſt, & à ieiunis comeſta, neuſeam prouocat. Item comeſta venenis eſt cõtraria. Cum carycis ſumpta lumbricos latos excludit. Cataplaſmatibus adhibita, tumorem mammarum compeſcit. Cum melle & ruta laxationibus vtiliter adhibetur. Cum cœpula & melle ac ſale morſum canis ſanat. Tuſa cum corio & in vmbilico poſita torminibus medetur. Corium eius combuſtum & tritum cum oleo & vino capillos infantibus inunctũ bonos reddit. Alopicias limpidat, & emendat. Menſtrua ſuſpendit ſi caro eius combuſta, cum aqua bibita fuerit. Nux Indica calida eſt & ſicca, reperitur in India, Sanguinem bonum generat. Ex ſiccitate enim ſanguis acuitur & ſubtiliatur, ex calore caleſcit. Eſt autem nux magna cuius interiora in medicinis ponuntur. Cortices per decem annos ſeruantur, hęc ventrem nutrit. Puluis eius cum ſucco ficuum ſiccarum in vino decoctarum, datur contra aſma frigidum. *Auicenna.* Nux Indica bona eſt recens vehementis albedinis. Calida eſt in principio ſecundi, ſicca in primo. In ipſa eſt humiditas ſuperflua, & aqua quæ in ipſa eſt ſuauis eſt. Cúmque non inuenitur aqua in ea, ſignum eſt quod ſit antiqua. Oleum quidem veteris confert doloribus dorſi & geniculorum & hæmorrhoidi. Grauis eſt autem huiuſmodi nux ſtomacho, ſed cum pauco nocumento ſuo boni nutrimenti eſt. Cortex medullæ eius non digeritur, & ideo auferenda eſt. Cum antiquatur interficit vermes & aſcarides, & ſolutione educit eos comeſta.

Tempera-mentum.

De nuce muſcata.

CAPVT LII.

Nux muſcata venit ex India.

Platearius. Nux muſcata calida eſt & ſicca in ſecundo gradu, & eſt fructus cuiuſdam arboris in India naſcentis. Qui tempore maturitatis colligitur, & per ſeptem annos ſeruatur. Eligenda eſt illa quæ plana eſt, & in ſuo genere grauis. Quæ cum frangitur non puluerizatur interius, & acuti ſaporis inuenitur. Si iſta defuerint in medicinis non ponitur. Habet autem virtutem confortandi ex aromaticitate & ex qualitatibus ſuis. Contra frigiditatem ſtomachi & indigeſtionem, & diſcolorationem ex frigiditate, data in mane multum confert. Vinum decoctionis eius datur contra indigeſtionem ſtomachi, & hepatis. Valet & contra dolorem ſtomachi & inteſtinorum ex ventoſitate. Item naribus applicata cerebrum confortat & ſpiritalia.

Virtus.

Auicen. Nux muſcata eſt qualitatis gallæ, facillè frangibilis, ſubtilis corticis, bonum habens odorem & acutũ. Calida & ſicca in fine ſecundi, & in ipſa eſt ſtipticitas. Confert lentiginibus, & odorem oris efficit bonum, confortat viſum hepar & ſplen, & ſtomachum, propriéque os eius. Conſtringit autem & prouocat & confert difficultati vrinæ, & cum in oleis ponitur confert doloribus & ſimiliter in peſſarijs, & prohibet vomitum. *Conſtant. in libro graduum.* Nux muſcata calida eſt & ſicca in ſecundo gratu, fœtidum os curat. Digeſtiuam vim confortat. Ventoſitatem expellit. Hepatis & ſtomachi confortatiua eſt, & ventris conſtipatiua eſt. Vnde. *Dioſcorides.* Nux muſcata cutem ab impetigine, lentigine, ſcabie, mundificat. Splenis & hepatis tumorem dyſſoluit.

De Macis.

CAPVT LIII.

Macis.

Idem in eodem. Nucis muſcatæ arboris ramorum cortex eſt macis quæ ab India venit. Cuius natura calida eſt & ſicca in ſecundo gradu. Confortat hepar & ſplen, ſtomachum pariter, & eorum putredinem mundificat. Sternutatio ex eo facta cum oleo violaceo curat emigraneam, quæ fit de phlegmate. *Platearius.* Macis calida eſt & ſicca in 2. gradu, & ſecundũ quoſdã flos eſt muſcatæ. Quod videtur falſum eſſe, quia flores aut decidũt aut in fructus mutantur. Sunt autẽ cortices quidã qui reperiuntur circa nuces muſcatas ſicut circa auellanas, per annos 10. ſeruantur. Habentque virtutẽ confortãdi ex aromaticitate, diſſoluendi & conſumendi ex qualitatibus. Eligendus eſt autem macis *rufus vel ſubrufus*, acutum habens ſaporem cũ, aliquantula amaritudine. Qui vero nigricat terreus eſt, & qui ſaporem acutum non habet, abijciendus eſt. Contra cardiacam paſſionẽ datur puluis eius in cibo & potu. Ad cerebrum purgandum maſticatur & in ore tenetur, & fumoſitas inde reſoluta, cerebrum penetret, ac ſuperflua purget. Contra ſtomachi debilitatem & hepatis ex frigiditate, & iliacam & contra vitium ſpiritalium & aſmę ex phlegmate viſcoſo remedium optimum eſt, vt decoctio fiat ex macis & fœniculi ſucco, & in fine decoctionis modicum vinum addatur, ſicque coletur, & colatura patienti detur. *Razi.* Macis calida eſt & ſicca: fluxum ſanguinis inteſtinorum, vlcera & hemorroides remouet. *Auicenna.* Macis, vt ait filius Meſangæ cortex eſt nucis muſcatæ. Eſt autem ſimilis folijs venoſis compoſitis ſiccis declinans ad rubedinem & ſiccitatem & citrinitatem, & linguam ſicut cubebe mordicans.

Sternutatio curans emigraneam.

Macis melior.

Curatio ſtomachi.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De cæteris nucum generibus.

CAPVT LIIII.

Nux Romana. IDem. Nux Romana vehementer calefacit in tertio, & deficcat in primo. Gumma eius est vltima calefaciendo. Et confert epilepsiæ fructus eius cum aceto.

Nux thamarisci. *Nux thamarisci calida* est in principio primi, sicca in fine eiusdem. Abscindit sanguinis fluxum, & ex illa cum aceto colluitur os ad dolorem dentium. Eius quoque decoctio valet duritiei splenis, si fiat cum aqua & aceto.

Nux cypressi. *Nux cypressi* emplastrum est rupturę.

Nux metel. *Nux metel* venenum est, & stupefactiua est, similis est nuci vomicæ, eiúsque semen est semini citri simile. Cerebro est mala, cordi inimica. Pondus dauich vnius ex illa inebriat, & dragma vna ex illa sumpta venenum est diei suæ. *Plateat.* Nux Romana est calida & sicca. Interioribus vtuntur medici, non cortice. Virtutem habet prouocandi vomitum, & purgandi phlegma & choleram. Sed, quia cum angustia prouocat, talis est vsus. Si phlegma, vel cholera sit in ore stomachi, fit decoctio pulueris eius in aqua cum semine fæniculi. Et contra phlegma datur aqua illa cum oxymele: contra choleram verò cum syrupo acetoso. *Auctor.* Amygdala quoque quę latinè nux longa dicitur, & auellana & pinea, glandes & castaneæ quia corio duro sunt tectæ, inter nuces iuxta Isidorum cõputantur.

De Nucleo.

CAPVT LV.

Nucleorum vis. EX *synonimis.* Nucleus quãdo simpliciter ponitur, de nucleo pineæ intelligitur. *Isido.* Nuclei pinorum (vt ait Hippocras) minus calidi sunt. *Ventrem* commouent, *stomachum & renes* calefaciunt, *vrinam* purgant. Ex dulci vino potati ventrem mouent. *Auicen.* Nucleus habet in se stipticitatẽ & glutinationem. Quod de ipso adustũ est, fraudulentis vlceribus confert, & abluitur, & extinguitur & in alcofol tuchiæ loco ponitur, retinétque pilos palpebrarum, & facit eos nasci, & bonum est vlceribus. *Idem* Geloum granum est pini maioris quam nux. Et est melioris nutrimenti, sed tardioris digestionis est. Et ex aquea terreáque substantia compositum est, natura est temperatum, & in ipso est caliditas pauca. Eius digestio rectificatur cum melle in frigidatis, & cum saccharo in calefactis, & per hoc augetur bonitas nutrimenti eius.

Effectus. Sanat *isciaticæ* dolores, ac *neruorum & dorsi*, & valet mollificationi. Mundificat *pulmonẽ* valde, & extrahit quod est in ipso de crassis humoribus & sanis, excitat *coitum*, propriè quod est ex eo nutritum. Confert saniei & *lapidi vesicæ*. Confert etiam *scorpionis punctura*. *Constant. vbi supr.* Nucleus est calidus in secundo, siccus in tertio. *Lapides renum* ac vesicæ frangit. *Vrinam prouocat*, & corpora de putridis humoribus purgat. Et secundum Galenum curam omni leproso certissimè præstat. *Auctor.* De nuce quoque pinea adhuc sub eo nomine diceretur infra.

De Oliua & eius speciebus.

CAPVT LVI.

Orcades. ISidorus. Oliua est fructus oleæ. Oliuæ autem diuersis nominibus appellantur. Quædam enim orcades dicuntur, & à similitudine testiculorum, quos Græci vocant orci. Radiolę autem dicuntur, eo quòd oblongæ sunt in modum radiorum liciniæ, eo quòd optimum dent lumen.

Ligni etymõ. Nam lychinis lumen est, vnde & lignum nomen accepit, quia aptum est flammis & lumini. Syria dicitur eo quòd de Syria allata, vel quia nigra.

Volemus. *Volemus* eo quòd volam idest mediam manum magnitudine cõpleat. *Plin. li.* 15. Oliuæ cõstant nucleo, oleo, carne, amurca. Porro ex eadem oliua succi differunt. Primum omnium est cruda & nondum inchoatæ maturitatis, hoc enim sapore præstantissimo. Quin & ex ea prima vnda præli est laudatissima, ac deinde per diminutiones, siue, vt nuper inuentum est, exilibus tegulis pede incluso. Quantóque maturior est bacca, tanto pinguior succus, minúsque gratus.

Optima ætas bacca ad decerpendum. Optima vero eius ætas est ad decerpendum *inter copiam bonitatemq́, incipiente bacca nigrescere.* Cæterùm distat an maturitas in torcularibus, an ramis fiat. Vtrum etiam arbor rigua fuerit, an suo tantum bacca succo, nihilque aliud, quàm cæli rores biberit: baccas oleæ liciniæ nulla auis appetit. Quædam sunt purpureæ in nigrum colorem transeuntes posiæ; Sunt & prædulces per se tantum siccatæ vuisque passis dulciores in Aphrica, sed raræ, & circa Emeritam Lusitaniæ. *Pallad. lib.* 3. Oleæ baccarum genus neruosum est & plurium vocabulorum sicut *Pasia, Orcas, Radius, Sergia, Licinia, Commenia*, & cæteræ quas nominare non attinet. Pausia tamen oleum quod reddit dum viride est optimũ: sed cito vetustate corrumpitur. Optimũ Licinia dat, plurimum Sergia: de his generaliter hoc præcepisse sufficiat, maiores baccas cibo, minores oleo profuturas.

Olea baccarum plura nomina.

De collectione oliuarum & expressione.

CAPVT LVII.

PLinius *vbi supra.* Oliuis, vt dictum est, optima est ætas ad decerpendum inter copiã bonitatemq́; incipiente bacca nigrescere. Malum est autem expectare vt decidant oliuæ. Quidam perticis eas decutiunt, sed cũ arboris iniuria, sequentísque anni damno, quia secundũ antiquos *olea non est stringenda vel verberanda.* Itáque qui cautissimè agunt arundine ictu leui deijciũt, nec aduersos percutiũt ramos. Sic enim alternare cogitur fructus decussis germinibus.

Nota. Si *verò expectetur vt cadant, hærendo vltra tempus suum absumunt alimentum venientibus, & detinent locum.* Argumentum est, quod nisi ante fauonium colligantur, nouas vires non resumunt, & difficilius cadunt. Primum ergo ab initio autumni colligitur opere non natura, posia cui plurimum carnis. Mox orchites, quæ abundãt oleo post radios. Nam quia sunt tenerrimæ, has cito quidem occupat æstas & amurca cogit decidere. Quædam autẽ colliguntur mense Martio callosæ. Contra humorem pugnaces, & propter hoc sunt minimę, vt Licinia, Commenia, Sergia quæ dicitur Regia secũdum Sabinosos, non ante fauonij flatum nigrescit, hoc est ad 6. Idus Februarij. Tunc arbitrantur eas maturescere, & ex his fieri oleũ probatissimum. Dicunt etiam frigore sterilitatem fieri, sicut copiam maturitatem, cum illa sit bonitas non tẽporis, sed generis tardè putrescentis in amurcam. Similiter error est oliuam collectam seruare in tabulatis, nec priusquã sudet præmendi cum omni ora oleum decrescat, amurca augeatur. Item error est publicus tumore oliuæ crescere oleũ æstimare, præsertim magnitudine copiam olei constare, demonstrent, quę Regiæ vocãtur ab alijs Bambiæ grãdissimæ. In Ægypto minimus succus carnosissimis & olei exiguú. Decapoli verò Syriæ valde paruæ, nec cappari maiores, carne tamen commendantur. Quamobrẽ transmarinæ Italicis præferuntur in cibis, sed oleo vincuntur. Columbares franguntur, herbarúmque viridiũ sapore cõdiuntur, fiunt etiam præcoces siue præcoques feruenti aqua perfusæ quamlibet immaturæ. Mirúmque *est dulcem succum oliuas bibere, alio quoque sapore inficì. Idem in li.* 18. Vindemia facta oliua est rapienda, & quæ ad oleum pertinent, quæque ad vergiliarum occasum debẽt. Austrum vero flantem oliueti metator vergiliarum occasu quatriduo caueat. *Palladius lib.* 11. Mense Octobri faciendum est oleum viride de oliuis, sicut videlicet dicetur inferius in tractatu de fructuum succis. *Plinius lib.* 15. Cato laudat condi oliuas optimè orchites & posias, quàm vel virides in amurca vel fractas in lentisco.

Posia orchites.

Nota.

Mirum de oliui s secundum Plinii.

De operatione oliuarum in medicinis.

CAPVT LVIII.

OLiuæ columbares in combusturis cataplasmatæ, pustulas ebulire non permittunt, sordida

vulnera

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vulnera purgant. Aqua in qua coquuntur gingiuis prodeſt, & dentes motos confirmat. Oliua rufa ventrem abſtinet, cacoſtomacha eſt. Nigra vero ſtomachum verſat, & bonam diaphoreſim facit. Ocuhs contraria eſt, & capitis dolori. Aſſa & cataplaſmata paſcentia vulnera curat, carbunculis quoque medetur. *Auicenn.* Vniuerſaliter oliuæ calidæ ſunt, & earum oleum ad humiditatem declinat temperatum. Immaturæ vero frigidæ ſunt: & ligna eorum & folia frigida. Oliuæ parũper nutriunt, & cum ex eis de aqua conditis cum aqua & ſale fit emplaſtrum ad aduſtionem ignis, non veſicatur, & purgat vlcera ſordida. Aqua oliuarum ſallittarum cliſtærizatur ad iſciaticam. Gumma oliuarum abſtergit oculum, & ſordes vlcerũ eius & albuginem. Oliuæ cum diſpoſitionibus ſuis difficilis digeſtionis ſunt, & craſſæ earum ſubleuant appetitum, confortant ſtomachum, & generant humorem ſtipticum. Cum aqua calida, vel aqua ordei ſoluunt. Cum ruta coquuntur *ad doloré ventris* pungitiuum & vermes, & conferunt cholicæ apoſtemoſæ. Oliuæ ſylueſtres eriſipilam, & formicam & apoſtemata calida ſoluunt. Gumma earum confert ſcabiei, & vlceribus & impetigini, & ponitur in emplaſtris vulnerum. Confert etiam dolori dentium corroſorum quando ea implentur. Oliuæ nigræ cum flore ſuo ſunt ex ſumma vaporum qui fiunt aſmati, & ægritudinibus pulmonis. Acetoſæ magis receptibilis ſunt digeſtionis, quàm omnes, & velocioris. *Conſtantinus in Pantegni.* Olearum quædam emittit oleum, & hæc eſt magis nutritiua, quædam vero aquam & hæc ſtomachum confortant, præcipuè cum aceto comeſta.

Oliuarum temperatura

Vis medicinalis oliuarũ

Adhuc de eodem.

CAPVT LIX.

Iſaac. Oliuæ domeſticæ ſunt & ſylueſtres. Domeſticę primo virides ſunt & ponticæ. Deinde cum matureſcere cœperint rubeæ, tandem cum perfectam maturitatem habuerint nigræ. Virides & immaturæ, alię ſunt aquaticæ, quæ cæteris oliuis ſtomachi plus confortatiuæ ſunt, ſed tamen ventris conſtipatiuæ, corpoporum minus omnibus nutritiuæ, & ad digerendum tardiores. Aliæ quę abuſiuè vocantur aquaticæ, prioribus nutribiliores, minuſque ſtomachum confortantes, propter earum vnctuoſitates. Vnde facilè à ſtomacho deſcendunt. Rubeæ autem ſtomachum confortant, & ventrem conſtipant. Nigræ autem ideſt perfectè matures, calidæ ſunt & humidæ, cito in humorum corruptionem inducuntur, ſtomachumque molliunt, & ventrem humectant. Tritę autem & ſuper loca ignie vel aqua calida peruſta poſitę, *veſicam vbi naſcitur reprimunt. Plinius lib.* 23. Oliuæ albæ ſtomacho vtiliores ſunt, Ventri minus: pręclarum habent antequam condiantur vſum, recentes per ſe, cibi modo, deuoratæ: medentur enim arenoſæ vrinæ. Item dentibus aut attritis aut conuulſis. Nigra oliua ſtomacho inutilior eſt, ventri facilior, capiti & oculis non conuenit. Vtraque ambuſtis prodeſt trita & illita.

Aquatica.

Rubea nigra

Reprimentia veſicam loci peruſti.

Medicamen arenoſa vrina.

De Oxyphœnicia.

CAPVT LX.

Platearius. Oxyphęnicia fructus eſt cuiuſdam arboris in India naſcentis, & aſſimilatur dactylis. Alio quoque nomine dicitur fœnicon & Indie dactyli & tamarindi. Eſt autem frigidus & ſiccus in ſecundo gradu. Eligendus eſt, qui nec multum humidus, quia talis aut corruptus iudicatur, aut infectus. Eligendus eſt, qui nigri coloris eſt, & aliquantulum acetoſum ſaporem habet. In tempore maturitatis colligitur, ac cum ſeminibus conquaſſatur, & ad nos traducitur. Corticem habet tenerrimum, & ſemina interius, quæ non ſunt in medicinis ponenda, ſed in aqua reſoluta colantur, per annos decem poteſt ſeruari. Habętque virtutem purgandi choleram, & ſanguinem mundificandi, eiuſque feruorem reprimendi, ac membra infrigidandi. In coctione ponitur, ſed nunquam decoquitur, quoniam potius in decoctionibus aliorum cum manibus comprimendo & malaxando reſoluitur, & in colatura ipſius & caſſiæ fiſtulæ puluis myrobalanorum citrinorum ponitur, taliſque colatura in mane datur. Aqua etiam ipſius in qua reſoluitur, multum in febribus proficit, quia corpus infrigidat, & materiam digerit. *Conſtant. in lib. graduum.* Oxyphænicia ſunt Indiæ dactyli, qui ſunt in tertio gradu frigidi & ſicci. Choleram rubeam vſtam purgant, bullientémque ſanguinem & incendentem refrigerant, acutam febrem & cholericum vomitum arcent.

Virtus eius.

De Perſico.

CAPVT LXI.

Iſidorus. Perſicum malum in Perſide generatur interfectorium, apud nos autem ſuaue & iucundum. Horum aliud præcox, aliud ęſtiuum. *Plinius lib.* 15. Perſica nationum habent cognomina, Gallica & Aſiatica poſt autumnum matureſcunt, æſtate præcocia. Intra annos 30. reperta & primo denarijs ſingula venundata. Supernata è Sabinis veniunt, popularia: Vndique Pomum innocuum ægris expetitur, preciúmque ſingulis iam triceni nummi fuere, nullius maius. Fructuum quidam ſtatim à ligno recedunt vt nuces & palmæ, quidã adhęrent vt oliuæ lauróque, & quorundam generi vtraque natura eſt, vt perſicis, duracinis etenim adhęret corpus, è lignóque auelli nequit, cum in cæteris facile ſeparetur. Itaque quarundam natura eſt trigemina. Corpus eſt primum, deinde lignum, ruſúſque ſemen in ligno. Odor ſucci malis eſt acutus, perſicis dilutus. Perſicis tamen ideſt tertio generi, quod à perſico dicitur, vel quod in perſide naſcitur, nullus eſt ſuccus, cum præſertim duracina ſucco abundent. *Pallad. vbi ſupra.* Perſica duracina condita in vrna, & melle, vel detractis, oſſibus, ficorum more in ſole ſiccantur ac pendent. Item ſæpè vidi detractis oſſibus duracina melle condita & ſaporis eſt iucundi. Item bene ſeruantur ſi vmbilicum pomi gutta picis cadentis oppuleris, vt ſic ſæpè innatare cogantur vaſe concluſo.

Perſicum malum.

Perſica Duracina.

De Proprietatibus perſicorum in medicina vel cibo.

CAPVT LXII.

Iſaac. Perſica frigida ſunt & humida in 2. gradu, phlegma generant. Ieiunis cibus eorum ſtomacho inutilis eſt, & negantur à medicis membra nutrire. Verùm minimè grauis eſt, dum in inteſtinis non diu moratur, ſed ad ima ſemper exitu celeriore feſtinat. Gallenus *ſuadet nunquam poſt cibum ea ſumere, corrumpi affirmans ſi cæteris cibis innatauerint.* Nucleus perſicorum capitis dolori cum aceto & oleo tritus illinitur. Deinde perſica maiora ventrem molliunt, maximè ſi matura fuerint. Immatura verò ventrem abſtinent. Eorum elixatura rheuma ſtomachi ventríſque compeſcit. Minora vero quæ latini præcocia dicunt, euſtomacha ſunt & faſtidium tollunt. *Auicen.* Perſica frigida ſunt in fine ſecundi, & humida infra finem primi. Et humida quidem velocis ſunt putrefactionis, lenificatiua & parum ſtiptica, inſciſa vero & ſiccata magis ſunt ſtiptica. Immatura quoque ſunt ſtiptica: matura vero ſtomacho ſunt bona, & faciunt appetitum cibi, *ſed poſt cibum debent ſumi, quia ſi præcedunt cibum comprimunt ipſum.* Item matura ventrem leniunt. Immatura ſtringunt, & quæ ſicca ſunt tardæ digeſtionis ſunt. Quæ licèt plurimi ſint nutrimenti non tamen boni.

Nota.

Auicenna contrarius Galeno.

De Pinea.

CAPVT LXIII.

Dioſcorid. Pinea fortiſſimus ex cibis nucleus eſt humores optimos gignit, ſitim ſedat, acrimoniam ſtomachi tẽperat, vrinã purgat, venerisvſus (vt creditur) excitat. Cum reſina quam gerit tuſa & in vino decocta

Pinea.

ſanguinem

ſanguinem excreantes ſanat. Cortices arboris eius in vino decocti, potionem efficaciſſimam contra ventris tormina ſumminiſtrant. Idem in arboris pini ramis fructus reperiuntur, qui *coli* dicuntur. Virtus eſt eis ſtiptica, & leniter calida. Tuſſim mitigant, & thoracis cauſas addito melle ſanant. Item cum dulcore & ſemine cucumeris diuréticis proſunt, renum ac veſicæ cauſas compeſcunt. Ardores vel dolores ſtomachi cum andgranæ ſucco bibiti ſupprimunt, laſſitudiñ corporis ſubueniunt, & rheuma compeſcunt. *Platearius.* Pinea calida eſt & humida. Quando in medicinis ponitur, ſuper carbones aliquantulum comburitur. Poſt abietis duplicibus corticibus, & etiam quadam interiori pellicula nucleus exponitur. Virtutem habet leniendi, humectãdi, aperiendi. Optimus cibus eſt laborantibus in ſpiritalibus, etiam *apoſtemate*, vel frigido humore, aſmaticiſq; ſicce tuſſientibus hecticis & conſumptis. Sanguinem augmentat, *libidinem excitat*. Cortex exterior valet contra *dyſſenteriam*. *Plinius libro.* 23. Nux pinea, quæ reſinam habet, ſanguinis excreationi medetur. Nuclei eius *ſitim ſedant*, & acrimoniam ſtomachi, *tenibus & veſicæ* vtiles. *Bilem* etiam pelluntur. *Palladius vbi ſupra.* Nuces pineæ vſque in Nouembrem menſem in arbore eſſe poſſunt, & maturiores legentur, prius tamen legendæ ſunt, quàm pateſcant. Nuclei niſi purgati durare non poſſunt, tamen aliqui in vaſis fictilibus nouis & terra repletis cum teſtis ſuis miſſos, aſſerunt cuſtodiri. *Auctor.* De hac quoque ſub nuclei nomine dictum eſt paulo ante.

Coli.

Temperamentum & vis.

De Pipere.

CAPVT LXIV.

Piperis nigredo aduentitia.

Iſidorus. Piper in India naſcitur, *cuius natura alba eſt, ſed ex flamma & calore ignis nigrum &* rugoſum efficitur, ſicut videlicet ſuperius habitum eſt. Vnde de arbore piperis inter aromaticas dictum eſt. Piperis itaque diuerſus eſt fructus. Nam quod immaturum, eſt piper longum vocatur: quod incorruptum ab igne piper album: quod autem cutem habet rugoſam & nigram, exiguo calore trahit & colorem & nomen. Piper ſi *leue eſt vetuſtum eſt, ſi graue nouellum.* Vitanda eſt ergo mercatorum fraus. Solent enim *vetuſtiſſimo piperi* humecto argenti *ſpumam aut plumbum aſpergere*, vt fiat ponderoſum. *Plinius lib.* 12. Arbores vt dictum eſt ſuperius, quæ piper gignunt, iuniperis noſtris ſimiles ſunt. Semina à iunipero diſtant paruulis ſiliquis. Hæ priuſquam dehiſcant decerptæ, toſtæque ſole, faciunt quod vocatur piper longum, paulatim vero dehiſcentes per maturitatem, candidum piper oſtendunt, quod deinde toſtum ſolibus colore rugiſque mutatur. Verum & his ſua iniuria eſt atque cæli temperie carbunculantur, fiũtque ſemina caſſa, & inania, quod brechmaſin vocant Indorum lingua ſic ſignificante abortum, hoc ex omni genere aſperrimum eſt, læuiſſimumque & pallidum. Grauius nigrum, leuiuſque vtroque candidum. Piper longum facillimè adulteratur Alexandrino ſinapi. Arborem piperis iam habet Italia maiorem myrto, nec abſimilem amaritudine. Granorum deeſt toſta illa maturitas, Ideóque & rugarum coloriſque ſimilitudo. Adulteratur iuniperi baccis mirè vim trahentibus. Mirum piperis vſum adeo placuiſſe. Nam in alijs ſuauitas cepit, in alijs ſpecies inuitauit. Huic autem nec pomi, nec baccæ commendatio eſt aliqua. Sola in eo placet amaritudo. Quis ille, cui non fuerit ſatius eſurire, quàm illud in cibo ſumere. Vtrumque ſylueſtre gentibus ſuis eſt, & tamen pondere emitur, vt aurum, & argentum.

Fraus mercatorum.

Adulteratio piperis.

Piper longũ.

Auicenna. Piper in primis, cum eleuatur eius fructus; eſt longũ piper. Deinde ſeparatur in grano piperis. Ideóque piper longum eſt humidius, & corrodit ac mordicat parum poſt initium ſui guſtus. Radix eius eſt coſto nigro ſimilis, ſed vehementius acris, & album eſt caliditatis, & humiditatis debilioris: dixerunt quidam, quòd nigrum iam exiccatum eſt, ceciditque virtus eius acutas, ac remanſit in albo, quod non peruenit ad vehementiam exiccationis.

De Medicinali eiuſdem proprietate.

CAPVT LXV.

Temperamentum Piperis.

Macropiper. Leucopiper.

Iſaac. Piper calidum eſt, & ſiccum in quarto gradu. Valet humidis, & frigidis ſtomachis, ſi miſceatur cum electuarijs, optimum fit contra diuturnam tuſim, quæ de craſsis humoribus eſt, *ſtomachum & pectus* ac *pulmonem* de viſcoſo phlegmate mundat. *Ventoſitatem* ventris & inflationem aufert, *vrinam* prouocat. *Platearius.* Piper calidum eſt in quarto gradu, ſiccum in medio. Eſt autem fructus arboris in India. Quæ cum primo flores producit, flores in vnum reducuntur, & conſtringuntur in longum, fitque piper longũ, quod *macropiper* dicitur. Poſtea producunt interius paruos fructus, qui *leucopiper*, ideſt piper album dicuntur, quia albi ſunt, ſed hi apud nos non habentur. Piper autem in tempore maturitatis collectum Saraceni ponunt in clibano, & vt diu ſeruetur & vt in aliis partibus fructificare nõ poſſit. Efficacius eſt piper nigrum, quàm album, vel longum, ſeruaturque per annos 40. Virtutem habet diſſoluendi, conſumendi. Puluis eius naribus impoſitus ſternurationem prouocat, & cerebrum à phlegmatica ſuperfluitate mundificat. Idem puluis in cibis datus digeſtionem confortat. Vinum decoctionis eius, & ficuum ſiccarum à glutinoſo humore ſpiritalia mundat. Et miro modo valet contra aſma frigidum. Piper album poſſet poni pro nigro, ſi haberetur, quod diu ſeruatur. Piper longum per viginti annos ſeruatur, & amplius alijs confortat. *Sanguineis & cholericis* non eſt vtilis vſus piperis, diſſoluit enim & quandoque lepram inducit. Puluis eius ſuperfluam carnem corrodit.

Dioſcorides. Omne piper virtutem habet calidam, diureticam, leptomericam. Caligines oculorum limpidat. Frigoribus periodicis medetur, *morſibus venenatis* occurrit. Aſsiduè comeſtum *iter genitale* præſtruitur, maximè ſi poſt coitum comeſtum fuerit. *Tuſſim* & omnes cauſas thoracis celerrimè curat. Melle mixto *ſquinanticis* prodeſt, *torſiones* bibitum compeſcit. Piper *faſtidium* tollit, digeſtionem celebrat, pice dura admixtum *ſcrofas* faucium ſpargit. Addito vero nitro *maculas* limpidat. Eligendum eſt autem piper *integrum, graue,* *Melius piper* *plenum, & non marcidum.*

Auicenna. Piper candidum eſt, & ſiccum, tendens ad quartum. In ipſo eſt attractio, & reſolutio, & abſterſio. Et maſticatur cum vua paſſa, & eradicat phlegma viſcoſum. Et eſt ex ſedatiuis dolorum, & calefacit *neruos*, & eſt conueniens ſanis. Ipſum cum nitro abſtergit *morpheam*, & extenuat. Ipſum cum piſce reſoluit *ſcrofulas*. Calefacit *neruos & lacertos*, adeo quod in hoc non eſt ei aliquid par. Cum aceto confert *dentibus*. Confert *albugini* poſitum in alcofol, & abſtergit. Quando adminiſtratur in electuarijs, eſt conueniens *tuſſi*, & doloribus pectoris. Et eſt conueniens poſitum cum melle in palato ad *ſquinantium*, & mundificat pulmonem. Eſt digeſtiuum faciens appetitum. Et bibitum cum foliis lauri recentibus. Et confert dolori ventris pungitiuo, & inflationi, & eſt cum aceto bibitum, & linitum bonum *apoſtematibus* ſplenis. Et album magis conueniens *eſt ſtomacho*, & vehementius confortat ipſum. Et longum piper facit cibum deſcendere facilè, prouocat *vrinam*, & ejicit fœtum. Et poſt coitum corrumpit ſemen cum fortitudine, & paucum eius prouocat vrinam, & multum eius ſoluit ventrem, ſecundum contrarium ſcamoneæ, & eſt exiccatum, & conſumit ſperma. Longum verò piper & albũ *augmentum efficit in coitu*, propter humiditatem ſuam ſuperfluam. Et quando bibitur cum melle, & foliis lauri recentibus, confert *dolori ventris* puntigiuo. Fricãdo fit inunctio ex ipſo cum vnguento, & confert *rigori*. Ponitur illud, quod eſt album in theriacis, & ſimiliter longum piper, & confert morſui venenoſorum vermium linitum cum oleo.

Macer. *Virtutis ſiccæ piper aſſeritur calidæque,*

Tertius eſſe gradus conceditur huic in vtroque
Tres ſunt huic ſpecies album, longumque nigrumq;
Sed quia ſunt geminæ medicis tantummodo notæ,
De ſpecie nigrum dicam quædam mihi nota,
Crudum, vel coctum ſumptum, vel melle liquatum,
Vim digeſtiuam ſtomachi, iecoriſq; iuuabit
Morſus peſtiferos curat, faſtidia tollit,
Occurrit variis thoracis ſæpe querelis
Quodque monere ſolet frigus periodica febris,
Compeſcit febres, ſi ſumitur ante tremorem,
Cum lauri baccis, vel cum foliis bene tritis,
Cum mero tepido potatum tormina ſedat,
Et ſcroffas reprimit ad mixtum cum pice dura,
Et ſuperappoſitum rectè quoque iungitur illis,
Et purgare ſolet oculos caligine dura,
Admixtum nitro maculas cataplaſmate delet,
Vſti ſtercoris humani cum puluere tritum,
Experti nihil vtilius hoc puluere dicunt:
Nemo poteſt omnes piperis deſcribere vires,
Namque piper fermè medicamina cuncta requirit,
Antidotiſq; ſolet precioſis pluribus addi,
Huic puto tam paucas laudes de ſimplice dictas,
Cum ſit innumeris hoc dignum laude medelis.

De Pyro.

CAPVT LXVI.

Pyri etymon.

Iſidorus. Pyra videntur dicta, eo quod in ſpeciem ignis ſint formata. Nam ab amplo incipiunt, & in angustum deſinunt, hæc iumentis impoſita, etiam ſi pauca, vehementer oneroſa eſſe dicuntur. *Plinius libr. 15.* *Pyra Cruſtuminiana* præ cunctis cæteris ſunt gratiſſima, proxima his *Falerna* à potu, quoniam tanta vis ſucci abundat. Colorantur pyra magis Sole grandeſcuntque. Turbinatior his eſt figura. Serotina in his ad hyemem vſque ad matrem pendent, gelu matureſcentia. Condiuntur autem pyra vt vuæ, & totidem modis vino & aqua coquuntur, & pulmentarij vicem implent. Quod non alia præter crotonea, & ſtrutea; ſeruantq; ſunt autem pyra in vaſis fictilibus picatis, quibus inuerſis debent obrui inter ſcrobes. Tarentina ſeriſſimè legi. Aniciana in paſſo ſeruat. Pyra dependent pediculis. Quibus eſt ſuccus vinoſus ſicut moris.

Modus condiendi pyra

Palladius libr. 3. Condienda ſunt pyra ita. Die placito deſcendente Luna à 22. vſque in octauam, eadem poma ſicca, & manu lecta hora ſecunda in quintam, vel à ſeptima in decimam, à caducis diligenter electa, integra, & prope dura, & aliquanto viridia in picato, vaſe clauduntur, quod operculo tegitur, & deorſum os eius ei inclinatur, atque obruitur eo loco, circa quem perennis aqua decurrit. Item quæ dura ſunt in carne, & cute prius in aceto poſita, vbi ſe mollire cœperint, in fictile vas bene coctum, picatumque ponuntur, & operculo ſuperueniente gypſantur, & vas breui ſcrobe demergitur in eo loco, qui quotidie Sole tangatur. Plurimi pyra obruta inter paleas, aut frumenta ſeruarunt. Alij ſtatim lecta cum tenacibus ſuis picatis vrceis condiderunt, & oribus vaſculorum gypſo, vel pice clauſis, ipſa ſub diuo bruta, ſabulone texerunt. Alij pyra, quæ ſe non contingerent in melle ſeruarunt. Item pyra diuiſa, & purgata granis in Sole ſiccantur. Aliqui aquam ſalſam, cum cœperit vndare calefacta, deſpumant, & ei poſtea frigidæ pyra ſeruanda demergunt, tunc exempta poſt tempus exiguum eonduńt vrceo, & eius oblito ore conſeruant, vel nocte, & die in frigida ſalſa manere patiuntur. Poſt in aqua pura biduo macerant, deinde in ſapa, vel paſſo, vel dulci vino merſa cuſtodiunt.

De Operatione pyrorum in medicina, vel cibo,

CAPVT LXVII.

Fungi venenum amittẽt cum pyris cocti.

Dioſcor. Pyrorum ſpecies multæ ſunt, & omnes ſtipticæ, vnde & cataplaſmata rheuma compeſcunt, & à ieiunis comeſta ventrem abſtinent. Syluatica quidem *acida* ſunt, & tardè matureſcunt, pluſquam cæteris ſtiptica ſunt. Perhibent aliqui *fungos venenum amittere, ſi cum pyris cocti fuerint.* Pyra trita recentibus admota vulneribus quidam ſanguinem profluentem ſiſtere credunt, & vulnus ad cicatricem perducere. Galenus vnam ex pluribus mixtam putat eſſe virtutẽ. Quædam enim ex his auſtera ſunt, quædam dulcia, quędam acida eſſe deprehendit. Auſtera concedit ſtiptica, & cõſtrictiua eſſe. Acidis autem aliquid, & caloris ineſſe, vnde plerumque diſſoluunt inhærentem ſtomacho phlegmati denſitatem. Dulcia vero, cum ſint aquati, ſolutique ſaporis, nihil in ſe calidi, vel frigidi cõtinere. Ex quibus ſingulis pro ſimilitudine generum, & neceſſitate cauſarum ordinanda ſunt, & ſubſidia medelarum. Auſtera quidem & acida in cibo ſumpta, ſtomacho conuenire exiſtimant, ſed ſiti minimè congruere. In dulcibus autem vniuerſa contraria. In pyris quidem id notatur, quod pluſquam cætera corpus nutrire credantur. Aqua decoctionis earum mirificè fluxum ventris inhibet. Galenus affirmat pyra ieiunis oblata ventrem conſtringere, *poſt cibum verò diſſoluere.*

Pyra poſt cibum ventrẽ diſſoluunt.

Auicenna. In pyris eſt terreſtreitas, & aqueitas. Illa quæ nominantur ſcenia, frigida ſunt in primo, ſicca in ſecundo. Scenebrud temperatè humida, genitiuæque naturæ, ac boni chymi valde. Omnes autem pyrorum ſpecies ſtipticę ſunt, & intrant in emplaſtris retentionis materierum, & quandoque parumper abſtergunt. Plurimus eſt humor eorum, & melior humore pomorum, conſolidãt vulnera, propriéque ſyluestria exiccata. Sunt etiam ſtomachum præparantia, propriéque ſcenia ſtomachum confortant, & abſcindunt tuſſim & choleram ſedant. Præterea ventrem conſtringunt, propriéque illa, quæ exiccata ſunt. At verò cholicam eucnire faciunt pyra, ideóque poſt ipſa *bibendum eſt hydromel* cũ ſpeciebus, qualia ſunt piper & cinnamonum, & ſimilia. Cinis ſpeciei eorum vehementis ſtipticitatis, & tardæ maturationis, eſt cura fungorum mortificantium, & minoratur nocumentum fungorum cum pyris decoctorum. Pyra quidem humorem generant viſcoſum, non craſſum laudabilem, paucarum ſuperfluitatum. Tuſſi calidæ cum pultibus ordei conferunt, & ſunt digeſtionis bonæ, quia cito inflant, & cito diſſoluuntur in decoctione, Nutrimentum eorum non eſt multum, & cum viſcoſitate, quæ in eis eſt, ſoluunt. *Iſaac.* Pyra ſola ante cibum nociua ſunt, hæc præſertim, quæ ſtiptica ſunt cum aquoſa dulcedine. Diuiduntur autem. Nam quoddam domeſticum, quoddam ſyluestre, & iterum domeſticorum, quoddam crudum, quoddam maturum. Domeſticum crudum, ponticum craſſum & durum eſt, nec nutrimento prodeſt, nec boni ſaporis eſt. Maturum autem eſt in primo gradu frigidum, in ſecundo ſiccum, generat humorem in ſtomacho diuerſum, ſecundum ſapores & complexiones ſuas, quæ diuerſę ſunt. Quoddam enim ponticum eſt, quoddam ſtipticum, quoddam dulce, quoddam aquoſum, quoddam inſaporum. Ponticum minus nutrit cæteris, ſed plus egeſtionis facit. Vomitum cholericum ſtringit, magiſque ſtomachum & inteſtina confortat, per ſuam tamen aſperitatem, craſſitudinem & duritiam, neruis ſtomachi nocet.

Ne Pyra nocent bibendum hydromel poſt ea.

Dioſcor. Vituperant, vt diximus, pyra ieiunis accepta: ſed hoc intelligimus, ſi non ſecundum neceſſitatem & medicinam, ſed ſecundum gulæ appetitum vſque ad ſaturitatem aſſumantur, præcipuè ſi pontica fuerint: hæc enim crebro à ieiunis accepta, cholericam generant paſſionem duram, & incurabilem. Secundum medicinam autem *à ieiunis melius, quàm ſaturis comeduntur.* Saturis enim ſolubiliora ſunt, & ſtomachum debilitant. *Plin. li. 23.* Pirorum omnium cibus etiam valentibus oneroſus. Ægris quoque miro modo negatur. Decocta eadẽ mirè ſalubria, & grata præcipuè cruſtumina. Quæcunque verò cum melle decocta, ſtomachum adiuuant: fiunt cataplaſmata è pyris ad diſcutienda corporum vitia, & decocto ad duritias vtuntur. Ipſa aduerſantur boletis atque fungis, pellúntq; pondere & pugnãte ſucco. Pyrum ſyluestre tardiſſimè matureſcit. Cõſciditur, ſuſpenſumq; ſiccatur ad ſiſtendam aluũ. Quod & decoctũ eius potum præſtat, decoquuntur & folia cũ pomo ad eoſdem vſus. *Platearius.* Pyra frigida ſunt & ſicca. Domeſtica

Pyrorũ eſus plus nocet ſaturis quã ieiunis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

meſtica minus frigida ſunt, quàm ſylueſtria. Matura autem minus, quàm immatura. Pyra cocta vel cruda comeſta poſt cibum comprimunt, alia cibaria, & ita competenter euacuant ſuperfluum, ante cibum ſumpta ventrem ſiſtunt, Cocta cum aqua pluuiali, & poſita ſuper os ſtomachi, vomitum ex cholera debili coercent, poſita ſuper pectinem fluxum ventris ſtringunt.

De Piſtacio.

CAPVT LXVIII.

Piſtacij etymon.

Iſidorus. Piſtacij fructus in cortice odorem habet nardi piſtici. Ideóque ſic eſt appellatus, huius virtus eſt auſtera & ſtiptica, & in cibo ſumpta ſtomacho fit accommoda. *Plinius libr.* 12. In nucum genere piſtacia nota prodeſſe aduerſus ſerpentum traduntur morſus & potu & cibo. *Idem lib.* 16. Piſtacia in Italiam Vitellius primus intulit, ſimulque in Hiſpaniam Flaccus Pompeius eques Romanus, qui cum eo militabat. *Idem lib.* 23 Piſtacia eoſdem vſus & effectus habent, quos pinei nuclei, præterquam ad ſerpentum ictus, ſiue edantur, ſiue bibantur. *Platearius.* Piſtacia ſunt fructus vltra mare naſcentes ſimiles pineis, & ſunt calidi, & humidi. Horum interior ſubſtantia ponitur in medicina, virtutem habet calefaciendi, humectandi, & leniendi. Contra frigiditatem pectoris valent comeſtæ vt amigdalæ, *venerem* nutriunt, & *ſperma* augmentant. *Dioſcor.* Piſtacia quæ naſcuntur in Syria, ſcrobilibus ſunt ſimilia. Sumpta quidē euſtomacha ſunt, & cum vino bibita *morſibus venenatis* occurrunt. Virtus eorum auſtera eſt, & ſtiptica, & propterea aromatis gratia creduntur inuenta, propter hoc etiam *thoraci* commoda eſſe dicuntur. Item pulmonis, *ac iecoris vitia* purgare. *Palladius lib* 11. Piſtacia ſeruntur Autumno menſe Octobri, & ſobole, & nucibus ſuis. Sed melius ipſa piſtacia iuncta ponuntur mas & fœmina. Marem dicunt, cui ſub corio velut oſſei longi videtur latere teſticuli. Qui diligētius facere voluerit, pertuſos calculos & ſtercorata terra repletos parabit, & in his piſtacia terna conſtituet, vt ex omnibus germen quodcumque procedat.

Effectus.

De Pomo.

CAPVT LXIX.

Pomorum etymon.

Vetor. Poma, ſicut iuxta Iſidorum dictum eſt ſupra, *ab opimo*, ideſt à copiæ vbertate ſunt appellata, & generaliter in fructibus omnia mollia dicuntur poma, ſiue mala, ſicut generaliter nuces dicuntur omnia corio duro tecta. *Palladius lib.* 12. Græcis docentibus vuas, vel poma in vite, aut arbore, ſi diu ſeruare volueris vaſculis clauſa fictilibus ab vna parte pertuſis diligenter à ſummo tecto ſuſpende, quamuis poma & gypſo cooperta in longam ſeruantur ætatem. *Plin. lib.* 15 In vniuerſo, ſicut iam dictū eſt de pomis ſeruandis præcipitur pomaria in loco frigido ac ſicco contabulari, feneſtris Septentrionalibus ſereno die patere. Auſtros peculiarius arcere, Aquilonis quoq; afflatu poma rugis deturpāte. *Idem in l.* 17. Ægrotant & aliquādo poma per ſe ſine arbore, ſi neceſſarij temporibus imbres, aut tepores, aut afflatus defuere, aut ecōtra abūdauere, aut enim decidunt, aut deteriora fiunt. *Auicenna.* Poma quæ contracta ſunt, frigidiora & humidiora ſunt propter illud, quod habent de aqueitate. Pontica & ſtiptica & acetoſa frigida ſunt & craſſa. Dulcia verò ſunt quidem aquea, & quamuis in eis magis dominetur frigus, decliuiora tamen ſunt ad caliditatem, quàm alia; & omnino illud, quod in ſubſtantia dominatur, eſt humiditas ſuperflua, frigida, & fortaſſe illa, quæ ſunt vehementioris dulcedinis in calditate temperata ſunt, aut declinant ad eam.

Temperamentum pomorū.

De Operatione pomorum in medicina.

CAPVT LXX.

Ambroſius. Poma ægris hominum vlceribus amariora medicantur, & inflationem, aſperitatemque interiorem temperāt, quemadmodum rurſus humorum aſpera pomis dulcibus temperantur. *Iſaac libr.* 2. Poma cruda ideſt immatura, dura, & lignea male nutriunt, ſtomacho nocent, & ibi dolorem generant, ex quo eiectum venas vt oportet, non penetrat. *Aſſuefactio eorum cauſa ſit febris* diuturnę, & duræ diſſolui. Quod de cæteris fructibus intelligendum eſt, qui in arbore ſua non perfectè maturati ſunt. Perctè autem maturatum in arbore ſua diuerſum eſt pro diuerſitate ſaporum ſuorum. Eſt enim ſtipticum, eſt & ponticum, eſt acetoſum, eſt dulce, eſt inſaporum. Pontici ſubſtantia frigida, eſt & ſicca, terreſtris, conueniens eis, quorum ſtomacho, calor, & humiditas dominatur. Stomachum & inteſtina confortat, in ſe tamen craſſum eſt, digeri durum. Tardè penetrat venas, inflationem facit, neruis nocet. Hæc eſt ei natura in ſuo corpore. Liquor autem eius laudabilior eſt, vel leuior. Iccirco ſtomachum & inteſtina confortat. Valet ad ſanguinis fluxum, *dyſſenteriam, cholericam* egeſtionem & *vomitum.*

Aſſuefactio pomorum.

Auicenna. In pomis eſt inflatio, propriè in eis, quæ dulcia non ſunt. Poma inſipida mala ſunt, & parui iuuamenti, ſimiliter & immatura. Generant phlegma, ac putredines, & febres proprietate ſui humoris, & ſuæ cruditatis. Humor acetoſorum ſubtilior eſt humore ſtipticorum, & vinum quidem pomorum, & reliquorum antiquum melius eſt, quàm recens, propter reſolutionem malorum vaporum ab eo. Folia eorum, & ſuccus eorum conferunt inceptioni calidorum apoſtematum. Folia eorum conſolidant, & ſuccus eorum, quæ ſtiptica ſunt, poma ipſa confortant cor, propriè odorifera. Confortant etiam *debilitatem ſtomachi, aſſata in paſta conferunt paucitati appetitus.* Sauich eorum confortat ſtomachum, & prohibet vomitum. Quæ in maſſa aſſata ſunt, conferunt ad vermes & dyſſenteriam, & quæ ex eis dyſſenteriæ conuenientiora ſunt, pōtica ſunt. Conferunt autem poma venis, ſimiliter & ſuccus & folia eorum. Aſſiduatio comeſtionis pomorum facit euenire dolorem neruorum, & propriè vernalia.

Poma aſſata

De Pruno.

CAPVT LXXI.

Prunorum etymon.

Iſidorus. Pruna (ſicut dictum eſt ſupra) à Latinis ob colorem ſic ſunt appellata. Cuius generis meliora ſunt Damaſcena, ab oppido Damaſco ſic dicta, vnde prius arbor ipſa eſt aſportata. *Ariſtoteles in lib. de Plantis.* Fructuum quidam ex carne & oſſe, & grano compoſiti ſunt, vt pruna. *Plinius lib.* 13. Habet Syria pruna in Damaſco monte nata, & mixta iam familiari Italiæ. Ex mixtis in Ægypto, & vina fiunt. *Idem in lib.* 15. Ingens eſt turba prunorum verſicolor, nigra candicans, ordearia appellata à comitatu frugis eius. Alia eodem colore ſeriora, maioraq; aſinina *cognominata ſunt à vilitate.* Laudatiora ſunt nigra, cerina, atque purpurea, nec non ab externa gente Armeniaca, quæ ſola & odore commendantur. Peculiaris impudentia nucibus eſt inſitorum, quæ faciem parentis, ſuccumque adoptionis exhibent, ab vtroque appellata *nucipruna.* Hæc autem & perſica & cerina, ac ſylueſtria, vt vuæ Autumno cadis condita, ætatem ſibi prorogant vſque ad alia naſcentia. Reliquorum velocitas cito, putreſcentiam tranſuolat. Nuper in Betica cœperunt appellari *malina inſita malis.* Aliaque amigdalina, amigdalis. His intus in ligno amigdalæ nucleus eſt, nec aliud pomum ingenioſius geminatum eſt. Damaſcena, quę à Damaſco Syrię cognominata, iampridem in Italia ſunt naſcentia, quamquam ligno grandiore, & carne exiliore. Nec vnquam in ruga ſiccata ſunt, quia Soles ſui deſunt. Simul autem dici poſſunt populares eorum mixtæ, quę & ipſe nunc cœperunt naſci Romæ ſorbis inſitæ. *Palladius lib.* 12. Pruna ſiccantur in Sole per ctates loco ſicciore depoſita, hæc ſunt, quæ *Damaſcena* dicuntur. Alij in aqua marina, vel muria ferue nte recentia lecta pruna demergunt, & inde ſublata, aut in furno tepido faciunt, aut in Sole ſiccari.

Aſinina pruna.

Nucipruna.

Malina.

Damaſcena.

De proprietate prunorum in medicina, & cibo.

CAP. LXXII.

Alba pruna.

Nigra.

Optima.

Virtus.

Isidorus. Prunorum (vt dictum est) meliorà sunt Damascena, quæ videlicet sola stomacho mederi probantur, nam cætera noxia prohibentur. *Isaac.* Pruna parum nutriunt. Horum duplex est modus. Sunt enim alba & nigra. Alba sunt stomacho nociua. Digeti dura, exiguum solutiua, & quia crassa sunt comedi non debent, nisi gradia, & perfectè matura. Nigra diuiduntur, quia sunt domestica & agrestia, domestica vero trifariam. Est enim nigrum perfectè maturatum dulce. Est & crudum, durum viride ponticum: Est & rufum medium maturitati, & cruditati, habens in sapore quoddam acuminis. Primum est frigidum, & humidum in primo gradu. Stomachum humectat, & mollit. Ventrem soluit, choleram rubeam proiicit. Si tamen vtatur eo quis, stomacho nocet. Secundum genus pessimum est in cibo, & medicina. Durum est enim, ac stomacho noxium, minimè nutrit, atque fatigat. Tertium nigro frigidum est magis, humidum minus. Optima sunt carnosa, cortice subtili, & in sapore acredinem cum ponticitate habentia. Ante cibum sumpta non nocent. Agrestia stiptica minus sunt. Valent ad diarrhiam, & dyssenteriam. Gummi eius valere quidam dicunt ad lapidem in vesica, si cum vino accipiatur. Si autem cum aceto temperetur, ad impetiginem valet.

Platearius. Pruna frigida sunt, & humida. Sunt autem alba, nigra, & rubea. Quæ nigra sunt, & aliquantulum dura, plus valent, præcipuè Damascena. Cum colliguntur matura finduntur & asperguntur aceto, soliq́ue exposita desiccantur, & sic in vase ligneo per annum conseruantur. Virtutem habent infrigidandi & leniendi intestina, vnde valent in acutis febribus ad constipationem ventris ex siccitate. *Constantinus in Pantegni.* Pruna & cerasa frigida sunt in primo gradu, humida in secundo. Acida frigidiora sunt & solubilia, sed dulcia magis. Sicca vero minus soluunt, quàm recentia. Sed tamen aqua coctarum, si cum sacchato bibatur, satis est solubilis.

Dioscorides. Pruni pomum ventrem soluit, stomacho contrarium iudicatur. Sed omne hoc incommodum celerius digestione finitur. Galenus putat, Syriaca tantum pruna minus aluum mouere, quia strictiora sunt, Hispana verò plus, quia dulciora. Item ex omnibus prunis, quæ maiora & lata sunt & tenera, digestione faciliora, ventriq́ue molliendo accommoda præsumit, minora vero omnino esse contraria.

De punico.

CAP. LXXIII.

Punici mali nomẽ. vnde.

Apyrinon.

Quinq; species nucleos habentium.

Isidorus. Punicum malum à punica regione, vnde translatum est, dicitur. Idem & malum granatum, eo quod inter corticis rotunditatem granorum contineat multitudinem. Negant medici mali punici cibo corpora nostra nutriri, sed sic eo vtendum opinantur, vt medicari potius, non alere videantur. *Plin. lib. 3.* Circa Carthaginem est malum cognomine punicum, siue malum granatum, hoc in genera diuiditur; apyrinon vocãt cui lignosus nucleus ãbest, sed candidior ei natura, & blandior est acini minusq́ue amari, membranis distincti. Nucleos habentium quinque sunt species, dulcia, videlicet, acria, mitia, acida, vinosa. Corticis maior est vsus ex acerbis ad coria perficienda. *Idem in libro* 14. Vinum fit ex punicis, quod rhoiton vocatur. *Palladius libro.* 4. Punica mala seruantur, si picatis pediculis ordinata suspendas, aliter lecta integra in aqua marina, vel muria feruente mergantur, vt combibant. Post triduum vero siccentur, vt sub diuo nocte non maneant, post in loco frigido suspendantur. Cum volueris vti aqua dulci pridie macerabis. Fertur hoc vtile pomis recentibus æmulari: Item si à tactu inuicem separata paleis obruantur. Item fossa fit longa & cortex eiusdem latitudinis paratur, cui mala acutis furculis suis affiguntur. Tunc inuersus cortex supra fossam ponitur, vt mala sine terrę tactu subtus pendentia, ab humore defendat. Item si inducantur argilla, & ea siccata loco frigido pẽdeant. Item si seriola sub diuo obruatur, ita quod habeat arenas vsque ad medium, & mala cum tenacibus lecta imprimantur cannis singulis, vel sambuci virgulis, & ita separata in arenis figantur, vt ipsa quatuor digitis emineat ab arena, hoc & sub tecto in scrobe fieri potest, & vtilius est ad seruandum, si non ramo longiore tollantur. Aliter si in seriola, cui ad medium aqua immittatur, suspendantur mala, ne humorem tangant, & seria claudatur, ne ventus irrumpat. Item in loco intra dolium sic ordinantur, ne se inuicem tangant, & dolium desuper operitur.

Modi quibus seruantur mala Punica.

De Medicinis ex eo.

CAP. LXXIV.

Dulcia.

Acida.

Vinolenta.

Acerba.

Nota.

Vsus medicinalis.

Dioscorides. Punicorum malorum virtus quadrifariam diuiditur. Nam dulcia caloris aliquid cõtinent, & ex hoc stomacho inflationem mouent, nec tutè febricitãtibus dari valent. Acida stomacho commoda sunt. Vrinam mouent, pulmonem refrigerant, iecori blandiuntur. Vinolenta porro de superioribus singulis æqua parte composita, mediam sibi vendicant potestatem. Acerba vero sunt illa, quorum coria curata facilè siccantis constringentisq́; virtutis sunt, efferuentemq́ue pellunt trita tabem, & aspera consumunt. Cibus quidẽ ex punico nullus est. Nam si dentibus mandatur, succus ad stomachum solus hauritur. Rectè ergo tradiderunt, qui negant punico corpora nostra nutriri. Mala punicea, si in duas partes diuisa per triduum in aqua cœlesti madentur, hæc potui data cœliacis sanguinẽ reiicientibus salutaris est, aluumq́ue miro modo sistit. Item punicum in olla noua, operculo illito, in furno vstum, & in puluerem redactum, atque in vini potatione perductum, celiacis ac dyssentericis, & hemoptoicis, & omnibus rheumaticis causis succurrit. *Plinius libro* 22. Malum punicum in olla noua operculo illito in fumo tostum, & contritum, atque in vino potum aluum sistit, tormina discutit. Cortices eorum aduersantur scorpionibus. Nuclei tosti tusiq́; stomachum iuuant. *Auctor.* De hoc quoque dictum est supra diffusius sub maligranati nomine.

De Roba.

CAP. LXXV.

Roba.

Vsus medicinalis.

Avicenna. Roba est auellana Indica calida, & sicca, & est fructus arboris auellanæ magnitudinis, papaueri similis, qui separatur à grano sicut nerigil. Epithema est conueniens super scrophulas cum aceto. Confert etiam scabiei ac pruritui, disrumpitq; ventositates impedientes, in dorso, ad torturam quoque fit ex eo caput purgium, & confert ei plurimum. Similiter etiam confert soda & emigraneæ. Et est caput purgium conferens epilensiæ, ac scoromiæ & maniæ, ac melancholiæ. In tortura expertum est caput purgium, quod currere facit humiditatem è naribus, ac fluere phlegma plurimum, & remouet ægritudinem infra triduum. Oportet autem, vt patiens torturam moretur intra domum tenebrosam. Confert quoq; ventositatibus crudis, & confert aquæ in oculo alcofol ex eo facto. Et propriè succus minoris eius, & ventositati assabel & panno, & caput purgio facto ex

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ea cum aqua amarici. Fit etiam alcofol ex ea cum anthimonio tortos habentibus oculos. Datur & in potu de radice ipsius cum vino ad pluresim frigidam, & asma, & tussim antiquam, & ad sputum sanguinis ex pectore, propter id quod est in ipsa de stipticitate. Confert iterum passioni cholicæ. Præterea datur ex illa in potu ad stomachum & dolorem matricis. Succus eius menstrua prouocat, & fœtum extrahit, ac solutione choleram nigram, & phlegma, & aquositatem. Educit choleram ex corpore toto absque difficultate, ita quod sanat albaras, & pannum & ictericiam, & resoluit cholicam. Denique confert febribus quartanis, & est theriaca morsui rutelæ, ac scorpionis. Quidam de ipsius cortice superiore, sicut lens accipiunt, & in punctura fissuram proiiciunt.

De Siliqua.

Cap. LXXVI.

Siliqua. *Achacia.* *Vsus medicinalis.* *Galeni opinio.*

Isidorus. Siliqua est fructus arboris, quæ Græcè xylon dicitur, eo quod eiusdem ligni dulcis sit fructus. Eiusque pomo succus expressus à Græcis Achacia nuncupatur. Comestor. Siliqua fructus arboris à quibusdam esse dicitur, sonum faciens cum comeditur. *Plinius libro* 14. Ex siliqua Syriaca fit vinum. *Idem in libro* 15. Haud procul à castaneis siliquæ prædulces abesse videntur, nisi quod in his cortex ipse manditur, longitudo digitorum hominis est illis, & interim falcata latitudine pollicari. In siliquis autem, quod manditur quid nisi lignum est. Semen earum neque corpus, neque lignum, neque cartilago dici potest. *Idem libro* 23. Siliquæ recentes stomacho inutiles, aluum sistunt. Eædem siccatæ pariter sistunt, stomachoque vtiliores fiunt, vrinam ciunt, Syriacas in dolore stomachi ternis in aqua sextariis decoquunt. Quidam ad dimidium, eumque succum bibunt. *Dioscorides.* Siliquæ recentes stomachum auertunt, siccæ vero in contrario possunt. Cibus earum ad vrinam proficit commouendam, Traditur ad stomachi dolorem non leue esse præsidium, si ternæ in aquæ sextario coquantur ad dimidium, isque succus per dies quinque continuos hauriatur. Galenus de siliquis pessimè sentit, quod vix digerantur, & ventrem constringant, & humores noxios nutriant.

De Sorbo.

Cap. LXXVII.

Sorborum quadruplex differentia. *Modus seruandi sorba.* *Vinum ex sorbis.*

Plinius, vbi supra. Sorbis quadruplex est differentia. Aliis enim est rotunditas mali, alijs turbinatio pyri, alijs ouata species, velut malorum aliquibus, hæc obnoxia sunt acri odore, ac suauitate iucunda præcellunt. Cæteris vini sapor & sunt generosissima, quibus circa pediculos tenera folia. Quartum genus appellant torminale, remedio tantum probabile, prouentu assiduum, pomoque minimum, arbore dissimili foliis penè platani, nec ante trimatum ferunt ex vllo genere. Cato & sorba condi tradit sapa. *Palladius libr.* 2. Sorba seruantur hoc genere, lecta duriora & posita, vbi mitescere cæperint, fictilibus vsque ad plenum clauduntur, vrceolis gypso desuper tectis, & bipedanea scrobe loco sicco sub Sole merguntur ore peruerso, & desuper spissius terra calcatur. Item secta per partes siccantur in Sole, & seruantur in vasculis in Hibernum. Cum volueris vti, aqua feruenti macerata reuirescunt sapore iucundo, aliqui cum pediculis suis viridia lecta suspendunt locis opacis & siccis. Item ex sorbis maturis, sicut ex pyro vinum traditur fieri, & acetum, alii sorba in sapa asserunt diu posse seruari. *Dioscorides.* Sorba pro medicamento magis, quàm pro cibo placet medicis pluribus esse sumenda, & quidem alba, & semicrùda accepta vehementer solutioni ventris obsistunt, stomachum præg:auant. Verumtamen matura siccata subleuant stomachum, ac depellunt fastidium. Vulnera in craneis innata deliniunt. Quidam ex sorbo sicco subtiliter trito in pollinem vrinam soluerunt, & propolenta cum vino splene ac iecore laborantibus, maximeq; pulmonis molestiam sentientibus obtulerunt. Aqua in qua decocta sunt, non minus prędictis causis succurrit potui oblata, & dysenthericis medetur iniecta. Secundum alios melius proficit sorbi polenta si offeratur, & cum ouorum albuminis æquali pondere cocta. *Vsus medicinalis.*

De Sumach.

Cap. LXXVIII.

Sumach. *Virtus eius.* *Suppositorium.*

Sumach est cuiusdam arboris fructus similis granis, ex quibus tingitur pannus rubeus. Admixtione quoque sumach sophisticatur illa grana. Est autem sumach frigidum in gradu secundo, siccum in tertio. Per annos quatuor seruatur. Virtutem habet constringendi, & incitat appetitum. Contra vomitum ex calore spongia intincta in aceto decoctionis eius ori stomachi superponitur. Contra dysenteriam inferiorum intestinorum vitio factam, puluis eius cum aqua decoctionis ordei conficitur, ac per clysterem injicitur. Fit etiam emplastrum circa pectinem, ac renes ex eiusdem puluere, & oui albumine, & aceto. Si verò superiorum vitio fiat, aqua decoctionis eius, vel saltem puluis datur, & carnes in aqua decoctionis eusdem decoquentur. Contra fluxum sanguinis è naribus medulla sambuci in succo sanguinariæ intingitur, & puluere sumach aspersa naribus immittitur. Contra hemoptoicam passionem è vitio spiritalium dragagantum, & gummi Arabicum per noctem cum prædicto puluere dimittantur, & mastix cum aqua rosarum conficiatur, indeque pillulæ formentur, quas patiens sub lingua teneat, & paulatim transglutiat. Contra dysenteriam iterum ex vitio superiorum intestinorum puluis sumach in olla cum anathasia datur. Suppositorium quoque factum ex illa, vel tali puluere & anathasia contra fluxum valet menstruorum. Contra pruritum oculorum ex calore & humore lauantur oculi ex aqua decoctionis eius.

De Tamarindo & tubere.

Cap. LXXIX.

Tamarindi. *Virtus.* *Modus seruandi tubera.* *Tempus serendi tubera.*

Victor. Tamarindi (vt dictum est supra) sunt idem, quod Indici dactyli, siue oxyphænicia. Vnde de his quoque dictum est superius sub illo nomine. *Auicenna.* Tamarindi meliores sunt teneri, recentes nondum senescentes, nec exiccati, & quorum acetositas vera. In secundo gradu frigidi sunt, & sicci. Sunt quoque solutiui. Conferunt multitudini vomitus, sitique in febribus. Stringunt stomachum ex multitudine vomitus mollificatum. Solutione choleram educunt, & febribus habentium syncopen, & conturbationem conferunt, proprieque quando necesse est naturam lenire. *Palladius lib.* 10. Tuberes seruntur in Septembri mense circa Calendas Octobris. Vel in Februario mense nucleo, vel sobole. Prosunt autem tuberibus ea, quæ mellis memorantur superius prodesse. Tuberes quidem seruabuntur, si nucleo, vel vrceolis picatis, & oblitis obruantur.

De vua.

Cap. LXXX.

Vuarũ etymon.

Isido. Vuæ dictæ sunt, eo quod humore plenæ sunt. Nam humidum est, quod humores habet exterius, vuidum autem quod interius. Acina botrus est, racemus autem est botri pars. *Palladius li.* 3. Vitium genera

numerare non attinet. Sed notum eſt maiores vuas pulchræ ſpeciei, grani calloſi, & ſiccioris ad menſam feraciſſimas. Minores vero & cutis tenerioris, & ſapore nobiliores, & maxime quæ citius defloreſcunt, vindemiis eſſe ſeruandas. *Idem in eodem.* Eſt & pulchra vuæ ſpecies, quæ granis interioribus caret. Hinc efficitur theriaca, vt ſumma iucunditate ſine impedimẽto ſorberi poſſit. Fit autem Græcis auctoribus per artem ſuccedentem naturę, ea videlicet ratione, qua in tractatu de vite dictum eſt ſupra. *Idem in li. 7.* Menſe Iunio ſylueſtres vuas, cum florent ſine rore colligimus, & pendemus in Sole, ne quid reſtet humoris, & flos ad excutiendum ſiccior apparebit. Tunc cribrello ſpiſſo cribremus, vt grana non tranſeant, ſed flos ſolus decidat. Nunc in melle ſeruamus infuſo, & cum diebus 30, fuerit conditum, temperemus eo genere & more, quo roſatum moris eſt temperare.

Sylueſtres vuæ.

Idem in lib. 11. Græci dicunt ſi vuam nimius imber infuderit, poſtea quàm muſtum eius primo ardore feruebit, vt ad alia vaſcula tranferatur. Ita propter naturę grauitatem remanens aqua ſubſidet, & translatum vinũ purè ſeruabitur relicto quicquid ſe illi ex imbre miſcuerat. *Idem in lib. 12.* Græcis aſſerentibus, vt vuam ſerues in vite vſque ad veris initia, circa ipſam vitem, quæ fructu plena eſt, loco vmbroſo ſcrobem fodies altitudine pedum trium, latitudine duorum, & intus ſabulónem, & ibi calamos figes in quibus retorques aſſidue ſarmenta fructibus plena, & illęſis botrionibus alligabis, vt ſolem non contingant, & cooperies, vt imber eo penetrare non poſſit. Item Græcis docentibus, vuas vel poma in vite aut arbore, ſi diu ſeruare volueris, vaſculis clauſa fictilibus ab vna parte pertuſis diligenter à ſummo tecta ſuſpende, quamuis vt poma, & gypſo cooperta in longam ſeruantur ætatem. *Plin. lib. 18.* Aridam colligi non oportet vindemiam, quam ante æquinoctium antiqui nunquam æſtimauerunt maturam. Itaque iuſtum vindemiæ tempus ab æquinoctio ad vergiliarum occaſum dies 44. & ſi ros fuerit nocturnus, niſi prius Sole diſcutiatur, non eſt inchoanda vindemia. Cumque pampinus ad palmitem procumbere cœperit, aut cum exempto acino, ex denſitate interuallum non compleri apparuerit, acinum verum etiam non augeri.

Vt vua ſeruetur in vite.

Tẽpus vindemiæ.

De multiplici vuarum differentia.

CAP. LXXXI.

Sidorus. Vuæ quædam ſuburbanæ dicuntur, quia fructus earum ad eſcam, velut pomum in vrbibus venditur. Commendat enim eas & ſpecie & ſaporis iucũditas, ex quibus ſunt præcoquæ, duracinæ, purpureæ, vnciariæ, dactyli, cerauniæ, ſtephanitæ. Durabiles autem per totam hyemem fæniculæ, & numeſianæ. Præcoquę dicuntur, eo quod ante omnes Sole coquantur, & cito matureſcant. Purpureæ à colore, vnciariæ à magnitudine. Cerauniæ ab igneo rubore, ſtephanitæ à rotunditate. Quędam autem vino deſeruiunt, ex quibus eſt aminea, dicta quaſi ſine mineo, ideſt rubore, album enim vinum reddit, Amineæ duę gemmæ dictæ ſunt eo quod duplices vuas emittunt, Aminea lagena, quia plus omnibus laneſcit lanugine. Rubiliana, quia eius materia rubet. Fæcinea minuti acini eſt, & duræ cutis vuas habet. Nobilitate amineam ſequitur, fœcunditate præcedit. Dicitur autem fæcinea, eo quod pluſquam cæterę fæcis afferat. Apianæ vinum dulce faciunt, quæ niſi cito colligantur pluuijs & ventis, & maxime apibus infeſtantur, quarum depredatione apianæ dicuntur. Balanitæ à magnitudine. Balanin enim Grecè grande vocatur. Biturica à regione dicta, turbines & pluuias & calores fortiſſimè ſuſtinens, nec in macra terra deficiens. Huius meriti eſt & baſiliſca, Elbolæ appellantur, & variæ ab elbo colore, qui eſt ex nigro & candido, ſubalbi autem muſti ſunt.

Vuæ ſuburbanæ.

Præcoquæ.
Purpureæ.
Vnciariæ.
Cerauniæ.
Stephanitæ.

Aminea.
Fæcinea.

Apianæ.

Balanitæ.

Plinius libro 14. Vuarum genera differunt magnitudine, colore, ſaporibus, acinis. Innumera quoque multiplicantur vino hic lucent colore purpureo, illic fulgent roſeo, nitentque viridi. Candicans enim color nigerque vulgares ſunt. Durant aliæ per hyemes, penſili nodo concameratæ, alię in ſua tantum anima continentur ollis fictilibus, & inſuper incluſæ doliis, ſtipatę vinaceis circumſudantibus. Alijs gratiã, qui & vinisl famus affert, fabrilis præcipuè fornacis, vt in Aphrica, Acinisque paſſis datur nomen à patientia, conduntur & vuæ muſto, ipſæque vino inebriantur ſuo. Aliæ in muſto decoctæ dulceſcunt. Aliæ verò ſobolem nouam in matre expectant trãſlucidæ ac vitrum. Affertque acinis tandem duratricem illam firmitatem auſteritas picis infuſæ è pediculo. Apud thaſos vitis theriace vocatur, cuius & vinum & vua contra ſerpentum ictus medetur. Thaſiam vuam Ægyptus vocat apud ſe prædulcem, quæ ſoluit aluum. Et eſt contraria in Lycia, quæ firmat ſolutum. Ægyptus etiam & echbolinam habet vuam abortiuos facientem. *Idem in lib. 15.* Dulcis eſt ſuccus vuis, ſicut & ficis & palmis.

Vuarum genera qui differant.

Vitis theriace.

De vuæ proprietatibus in medicina, & cibo.

CAP. LXXXII.

Conſtantinus in Panteg. Vuæ laudibus ficuum vicinæ ſunt, multoque meliores, pellem habentes tenuem, & multum interius humorem. Sunt enim ſolubiles, contrariæ vero contrarium. In dulcedine perfecte calidę ſunt & humidæ, Acidæ & ponticæ. frigidæ, & humidæ. Acerbæ verò frigidiores & ſicciores: in hyeme durantes nutribiliores ſunt. Item vuæ cum cortice, & acinis comeſtæ ad digerendum duræ ſunt. Sine his autem digeſtibiles, atque ſolubiles. *Razi.* Vuę multum dulces calidæ ſunt, minus tamen quàm dactyli, nec opilationem faciunt vt ipſi. Inflatiuæ verò & ventrem mouent, ac cito corpus impinguant, virgæque erectionem augmentant. Quæ quidem ex eis corium habent ſubtile citius deſcendunt & minus inflant. Acetoſæ vero non calefaciunt. *Auicenna.* Omnis autem vua nocet veſicæ. Nutrimentum vuæ cum ſua diſpoſitione plus eſt nutrimento ſucci eius, ſed ſuccus eius vehementioris penetrationis eſt & deſcenſionis. *Iſaac.* Vuæ vineæ tempore, quo à vite carpuntur acceptæ, ſi ſtomachum inueniant malis humoribus & cibis vacuum, & fortem digerere, bene digeruntur, & in bonum ſanguinem conuertuntur. Ventris ſolutionem adiuuant, corpusque malis humoribus purgant. Econtra ſi ſtomachum malis humoribus plenum inuenerint, & imbecillem digerere, in eo morantur, inflationem generant, & in humores noxios conuertuntur, & fumum noxium plurimum creant. Appenſę autem & in aere ab humoris ſuperfluitate deſiccatæ, cæteris vuis fiunt laudabiliores, & ſubtilibus dictis conuenientes, ab inflatione longe ſunt & fumoſitate, nec ſtipticæ tamen, nec ſolubiles.

Acidæ. Acerbæ.

Dulces.

Nota.

Vuarũ operatio pro diuerſitate ſtomachorum.

De vua matura, & acerba.

CAP. LXXXIII.

Ioſco. Vua matura viridis comeſta ventris ſolutionẽ facit & inflationẽ. Suſpenſa vero ponticitatem ſuam minuit. Porro immatura vẽtrem ſtringit. daturq; dyſſẽtericis. *Iſaac.* Vua acerba, ideſt immatura, frigida eſt in tertio gradu, ſicca in ſecundo. Tres habet in ſe ſubſtantias diuerſas, granorum, corticis, humoris. Granorum ſubſtantia ſicca eſt, & dura, nullius conuerſionis in egeſtione. Farina tamen ex eis facta ſi bibatur, ſtomachum confortat, cholericam conſtringit egeſtionem, maximè ſi aſſentur. Cortex craſſus & neruoſus, nec conuertitur, nec nutrit. Humor autem propter ſtipticitatem ſuam, & ponticitatem durus eſt digeri, confortatiuus eſt ſtomachi, & hepatis

Matura. Suſpenſa. Immatura.

Humor vuarum quid præſtet.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

calorem extinguit, ſitim aufert, acumen coleræ rubeę mitigat. Vomitum, egeſtionemque cholericam ſtomachi, vel hepatis propter virtutis contentiuæ defectionem conſtringit. Oculis appoſitus palpebrarum humores craſſos defectat. Valet etiam ad pruriginem oculorum & aſperitatem. *Dioſcorides* præcepit extrahere ſuccum, & ante dies caniculares ad Solem poni, donec ſpiſſetur vt mel. Hoc valet humoribus in gulam deſcendentibus, & ad gingiuas, & auriculas. Vua matura ſanguinem laudabilem facit, & cæteris fructibus, ſicut ficus melior eſt cibus, ficus tamen plus nutrit. Habet autem adhuc in ſe quatuor ſubſtantias. Oſſa frigida ſunt & ſicca & ſtiptica & dura, habent tamen acumen, ob quod cito exeunt de ſtomacho ante conuerſionem. Cortex frigidus eſt, & ſiccus, & ad digerendum durus. Vnde ſi vua ſimul cum cortice & oſſibus comedatur, indurat egeſtionem, & inflationem, ac ventoſitatem generat, humoresque longinquos à ſanguine laudabili. Caro etiam vuæ inflatiua eſt in ſui ſubſtantia, quarta ſubſtantia eſt humor. *Razi.* Vuæ acerbæ frigidæ ſunt, ventrem ſtringunt, & choleram ac ſanguinem reprimunt. *Auicenna.* Vua matura minoris eſt nocumenti, quàm non matura. Quando etiam non digeritur vua, nutrimentum eius crudum eſt.

Quatuor ſubſtantiæ vuæ maturæ.

De cæteris vuarum varietatibus, & proprietatibus.

CAP. LXXXIV.

IDem. Vua alba laudabilor eſt, quàm nigra, cum æquentur in reliquis proprietatibus ſcilicet ſpiſſitudinis, ſubtilitatis, dulcedinis, & reliquorum. Dimiſſa quoque poſt collectionem duobus diebus aut tribus, melior eſt, quam ſtatim collecta. Eadem enim hora collecta & inflatiua eſt, & mouet ventrem. Suſpenſa vero donec cortex eius detumeſcat, boni nutrimenti eſt ſicut ficus, minoris tamen, ſed ei ſimilis in paucitate malitiæ, & vuam quidem ſtipticam ſperatur, quod reſoluat appenſio, acetoſa vero non eſt ita. *Iſaac.* Vuæ diuerſę ſunt aut ſapore, aut colore, aut ſubtilitate, vel craſſitudine. Sapor alius eſt ſubtilis & aquoſus, vicinus acerbitati. Alius craſſus & dulcis, mellique vicinus, Alius medius, Craſſus & dulcis calidior eſt, & generat ſitim fortiorem, Craſſioris eſt nutrimenti, ad digerendum durus, inflationem faciens, & rugitum, opilationem hepatis & ſplenis. Subtilis & aquoſus frigidior eſt, & digeri leuior, confortatiuus ſtomachi, & mundificatiuus à cholericis humoribus, ſitis mitigatiuus, & conueniens temperatis complexionibus. Melior autem ſapor qui inter craſſum & ſubtilem eſt medius Sicut enim medium eſt ſaporum, ita & poteſtatum. Diuerſitates in colore quatuor ſunt, album, nigrum, citrinum, rufum. Alba vua, ſubtilis eſt, minus nutrit, facile digeritur, venas cito perforat, vrinam prouocat: vini eius ebrietas cito venit, velociter tranſit. Nigra craſſioris nutrimenti eſt & pluris, tardæ autem digeſtionis, tamen ſi bene digeratur, nutrimentum multum præſtat, ſtomachum confortat. Rufæ autem vel citrinæ ſuperiorum ſunt medię. *Cuiuſcunque autem vini ebrietas velociter venit, velociter & tranſit, & cuiuſcunque tardè prouenit, & tardè tranſit.*

Vua melior.

Sapor vuarũ diuerſus.

Diuerſitas colorum in vuis.

Nota.

De Vuapaſſa facienda.

CAP. LXXXV.

EX libro de natura rerum. Vua in clibanum calidum ponitur, & ibidem deſiccata vuapaſſa dicitur. Vuam paſſam Greçam ſi facies, Meliores acini & dulcis & lucidi botriones, in ipſa vite torquebis, & facies ſponte macreſcere. Deinde ſublatos in vmbra ſuſpendes, & vuam diſtrictam in vaſculis cum ponis ſubſternis. Pampinos ſicco algore frigentes, & manu comprimis, ita & vuæ vas impleueris. Item pampinos addes nihilominus non calentes, & operculabis vas, ac ſtatues in loco frigido ſicco, quem nullus fumus infeſtet. *Platearius.* Ad vuampaſſam faciendam quidam dimittunt vuam deſiccari in arbore, & poſtea deſiccant in ſole. Salernitati autem eligunt meliora grana vuarum, & prius deſiccant ad ſolem, poſtea in furno calido. Deinde abluunt cum vino dulci, & ſuperaſpergunt puluerem cymini & aliarum ſpecierum aromaticarum, & ligant in folijs ficus, & ſic ſeruant per tres annos. Dicuntur autem paſſuli, & habent virtutem leniendi.

Modus conficiendi vuã paſſam.

De proprietatibus ipſius in medicina & cibo.

CAP. LXXXVI.

AVicenna. Vua paſſa eſt amica hepati, & ſtomacho. Confert etiam renibus ac veſicæ. Vua quoque & vuapaſſa cum interioribus ſuis vtiles ſunt doloribus inteſtinorum. *Razi.* Vuæ paſſæ, quæ in calore temperatæ ſunt, bene nutrientes opilationem, vt dactyli faciunt, licet ipſi plus, & fortius nutriant. *Dioſcorides.* Vuæ paſſæ virtus euſtomacha eſt & ſtiptica, faſtidium tollit, ægrotantibus vtilis eſt, ad aſpredinem arteriarum diſlenit, tuſſientibus & nephreticis ſubuenit. Veſicæ dyſſuriam ſpargit. Item cataplaſmata cum polline fabæ tumorem teſtium ſpargit, vino addito maculas nigras emendat, clauos corporis tollit, humoroſa vulnera ſiccat, cancris quoque fert auxilium. Sine nucleo vero trita & impoſita, podagricis medetur. *Platearius.* Vua paſſa calida & humida huius grana (ſicut dictum eſt) dicuntur paſſuli, & habent virtutem leniendi. Valentque comeſti vel vinum decoctionis eorum contra tuſſim. Item in vino cocti & cataplaſmati valent contra frigida apoſtemata, & dolorem ſtomachi ex frigiditate. *Iſaac.* Vua paſſa eſt quaſi ficus ſicca, ad comparationem viridis. Eſt autem triplex. Quædam enim perfectè dulcis, quædam acerbitatem habens, quędam ponticitatem continens & aſperitatem. Dulcis calidior eſt & humidior, maximè ſi nigra ſit. Ideoque media eſt inter mollitiuum & conſtipatiuum. Si malos humores in ſtomacho inueniant, temperat. Et morſionem mitigat, præſertim ſi carnoſa ſit & pinguis, corticis tenuis, nerui autem oſſium exigui. Huiuſmodi valet ad dolorem pectoris & pulmonis, & tuſſim mitigat, & renes mundificat & veſicam. Incommodum tamen eſt hepati & ſpleni. Illa quę acerbitatem habet minus nutrit, & dulcis frigidior eſt, ſed minus humida, maximè ſi alba ſit. Ideoque ſtomachum confortat, calorem extinguit, ventrem conſtipat. Vua paſſa ſine oſſibus ſuis accepta commodior eſt tuſſientibus, & ad pectoris dolorem, pulmonis, & renum, ac veſicæ, ventrem ſoluit, ſed hepati nocet, ac ſpleni, pręſertim ſi duriciem habeat. Accepta autem cum oſſibus, ſtomachumque confortat, & ſplen & hepar.

Virtus vuæ paſſæ.

Temperamentum.

Vuapaſſa ſine oſſibus quid facit.

De Xylocaracta.

CAP. LXXXVII.

AVctor. Xylocaracta quidam fructus dicitur, qui alio nomine lignum ſcriptum appellatur, & alio lignum vaginatum, quia ſcilicet in vaginæ modum extenditur. *Iſaac.* Xylocaracta modicum habent dulcedinis multumque ſtipticitatis. Horum ſubſtantia eſt craſſa & lignea, digeſtioniq; inobediens. Sed cum viridia ſunt, ſolubiliora, ſtomachoque nociua. Sicca vero ſunt ſtiptica, minusque noxietatis inferentia, hac videlicet de cauſa, quia liquores eorum parum habent acuminis. Vnde viridia ſunt ſolubilia ventris. Cum autem deſiccantur, liquorẽ amittunt in acumine, & fit eorum ſubſtantia terreſtris, lignea. Proinde fit ventri cauſa conſtipationis, & vrinæ prouocationis. Eſt autem earum peſſimitas, quòd è ſtomacho tardè deſcendunt. Propterea ſi aſſiduè comedantur,

Xylocaracta

Effectus.

cauſa

cauſa cholericæ vel cæliacæ paſſionis ſunt. Vnde Galenus. Xylocaracta inquit vtinam non inueniſſent in noſtris partibus Aſſyriæ regionibus. Ibi namque ſolutiua ſunt,& vt ad nos veniunt ſtiptica,corporiq́ue nociua fiunt.

De hippomelide & zizifo.

CAP. LXXXVIII.

Hippomelides. PAlladius li.13.Hippomelides (vt aſſerit Martialis) ſunt pomà ſorbo ſimilia. Mediocri naſcuntur arbore & candidulo flore. Huic fructui eſt dulcedo commixta cum ſapore acredo.Seritur menſe Decembri nucleis in vaſculis poſitis. Terram qualemcunque non reſpuit, loca tepida, aprica, maritima, & ſæpe ſaxoſa amat, ſtatum frigidum reformidat. Poma eius aut in picatis & minutis vrceolis, aut ſcrobe pomi, aut molles inter vuas vinaceis obruta ſeruabuntur. *Idem in li.5.* Zizifum amat loca calida aprica, ſeriturq́ue oſſibus & ſtipite atque planta. zizifa collecta matura, in longo fictili vaſe ſeruantur oblito, & loco ſicciore compoſito, vel recentia lecta poma ſi guttis vini veteris perfundas, efficitur ne ea rugarum deformet attractio. Seruantur etiam deſciſa cum ramis ſuis, aut ſua fronde inuoluta atque ſuſpenſa. *Auctor.* Hęc de fructibus arborum iuxta ordinem alphabeti collegimus,nunc reſtat etiam de ſuccis fructuum, qui propriis appellantur nominibus: & eorum proprietates, qui à philoſophis ac medicis deſcribuntur, ſimiliter diſſeramus.

Tempus ſerendi.

Zizifum.

De Succis fructuum.

CAP. LXXXIX.

Succi. Potabiles. ARiſtoteles in libro de Plantis.Succorum, qui fructibus inſunt. Quidam potabiles ſunt, vt ſuccus vuarum & malorum granatorum, ac mororum & myrtorum. Quidam vnctuoſi, vt fructus oliuæ, nucis & pineæ. Quidam etiam dulces, vt ficus, & dactyli.Quidam vero calidi & acuti,vt ſynapis & origani.Quidam autem amari,vt centaureæ & abſinthij. *Plinius lib.* 15.Communia pomis, & omnibus ſuccis ſaporum genera tredecim reperiuntur, dulcis, ſuauis, pinguis, amarus, auſterus, acer, acutus, acerbus, falſus,acidus, præter hoc tria ſunt genera mirabili maximè natura. Vnum in quo plures pariter ſentiuntur ſapores,vt vinis,In his etiam & auſterus, & acutus, & dulcis,& ſuauis, ſentiuntur omnes alieni.Alterum eſt genus in quo ſit, & alienus quidem, ſed tamen & ſuus quidem, ac peculiaris,vt in lacte.Siquidem ineſt ei, quod tamen iure dici non poteſt dulce, ac pingue, & ſuaue, obtinente lenitate, quę ipſa ſuccedit in ſaporis vicem. Nullus hic eſt aquis,nec ſuccus quidem, vt tamen ipſo fiat aliquis, ac ſuum genus faciat. Sentire quidem aquæ ſaporem vllum, ſuccumve vitium eſt. Nam & ipſæ quidem aquis (vt dictum eſt) nullus eſt aut ſi ſentitur omnino vitium eſt. Mirumq́ue ſine ſapore eſſe, ſine odore, ſine ſucco, tria præcipuæ naturæ elemẽta,videlicet aquam, ignẽ,& aera. Ergo ſuccorum vinoſus, pyro,moro, myrto. Pinguis oliuæ, lauro, nuci, iuglandi, Amarus amygdalis, Dulcis vuis,ficis, palmis, Aquoſis prunis, Magna differentia eſt in colore ſucci,Sanguineus moris, ceraſis. cornis, vuis etiam nigris,Item albis candidus, lacteus, in capite ficis, & in corpore non item, Item ſpumeus malis,nullus perſicis, ideſt nullius coloris; cum præſertim duracina ſucco abundent, ſed quis vllum colorem eius dixerit. Sua ſunt & in odore miracula. Malis eſt acutus,perſicis dilutus,dulcibus nullus.Nam & vinum tale ſine odore.Tenue odoratius,multoq́ue celerius ad vſum veniunt talia, quàm pinguia. Quæ odorata, in guſtu non eadem ſunt tenera, quia non ſunt pariter odor & ſapor. Quamobrem citreis eſt odor acerrimus, ſapor aſperrimus, quadam tenus & cotoneis, nullusque odor ficis.

Elemẽta ſine ſapore,odore, ſucco.

Color ſuccorum diuerſus.

De Achacia.

CAP. XC.

Achacia. ISidorus. Achacia Græcè dicitur ſuccus pomorum arboris xylicon, quæ à Latinis corruptè ſiliqua dicitur. *Platearius.* Achacia eſt frigida, & ſicca in tertio gradu, & eſt ſuccus prunellorum immaturorum ab eis extractus, & ad Solem deſiccatus. Virtutem habet conſtringendi, & confortandi. Vſus eius eſt contra vomitum cholericum. Contra fluxum ventris. Contra fluxum è naribus. Contra calida apoſtemata. *Dioſcorides.* Achacia eſt fructus arboris ſpinoſæ, quæ naſcitur in Ægypto maxime. Hic fructus velut oliua premitur, & ſuccus in Sole ſiccatur. Eſt ergo Achacia optima, quæ leuis eſt ac ſubrufa, ſuauitate odoris ſubacida, & guſtu valde ſtiptica. Hæc enim maximè de immaturo fructu premitur, nigra vero de maturo fructu efficitur.Omnis Achacia viſcidè ſtringit, ac nimis deſiccat, abundanter etiam infrigidat. De tertio gradu eſt ſicca, in ſecundo friga. Idem ſuccus collyriis vtiliter miſcetur. Ignem ſacrum extinguit, perniones ſanat, pterigia oculis tollit, vulneribus ac tumoribus oculorum mirè proficit. Profluuium mulieris extinguit. Cadentibus, ſtetricis ſubuenit. Fluxum ventris prohibet bibita, vel ſuppoſita, capillos inficit. *Conſtan. in libro graduum.* Achacia frigida eſt in primo gradu, ſicca in ſecundo, habentibus eriſipilam conuenit. *Puſtulas oris* purificat. Anum exuntem intus conuertit. Potui data, vel per clyſterem iniecta ventrem conſtipat, fluxum ſanguinis arcet. Collyriis multum vtilis eſt, & calida habentibus apoſtemata prodeſt.

Virtus.

Optima quæ

Temperatura & curationes achaciæ.

De Oleo in generali & eius natura.

CAP. XCI.

Olei etymon. AVctor. Oleum iuxta Iſido.ab olea dicitur, quia videlicet ab oleę fructu præcipuum, hoc eſt ab oliuis exprimitur. Oleum cæteris liquoribus ſuperenatat, lucernis pabulum ignis miniſtrat. Pulmentis condimentum præſtat, vulnerum dolorem mitigat, cutem nitere facit. *Ambroſius in Hexaemeron.* Quid autem miramur,ſi Deo loquente caliganti mundo lux emicuit, quandoquidem ſi quis inter aquas merſus oleum ore emiſerit, clariora faciat ea, quæ profundi tegebantur occultis.*Plinius libro* 13.Optima vuguenta ſeruantur in alabaſtris, odores in oleo, quod eorum diuturnitati tanto eſt vtilius, quanto pinguius vt amigdalis.*Idem in libro* 15. Vetuſtas oleo tædium affert. Eſt autem optimum in Italia oleum, maximè agro venefrano, eiusq́ue parte, quæ Licinianum fundit oleum. Augetur oleum ab Arcturi exortu ad 16. Kalendas Octobris, poſtea increſcunt nuclei & caro. Cumque ſitienti imbres copioſè acceſſerint, vitiatur oleum in amurcam. Omnino quidem ſecundum Theophraſtum olei cauſa calor eſt, quare & in torcularibus, & in macellis multo igne quęritur. Oleum ipſum à pinguedinis vitio ſale vindicatur. Exiſtimatur & ebori oleum vtile eſſe vindicando à carie.Certè Saturni ſimulacrum Romæ intus oleo fuit repletum. *Idem in lib.* 16. Oleo cedri perunctum, nec rimam,nec cariem ſentit.*Gloſ.ſuper Pſalmum* 108. Agoniſtæ quoque oleo vnguntur, vt ſint fortiores. *Ariſt. in lib. de animalibus.* Si vaccæ inungantur cum oleo & pice, valet contra dolorem pedum, & nocumentum niuis.

Experientia.

Nota.

Vnctio olei.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Cella olearia:

CAP. XCII.

Receptacula olei.

PAlladius lib. 1. Olearis cella meridianis ſit obiecta partibus, & cõtra frigus munita, vt illi per ſpecularia lumen debeat admitti. Ita & operias, quæ hyeme futura ſunt, vt nullus algor impediat, & oleum cum premetur adiutum temporibus frigore non valebit aſtringi. Tapetis & rotulis & prælo nata eſt forma, quam conſuetudo dictabit. *Receptacula* olei ſemper munda ſint, ne nouos ſapores infecta veteri rancore corrumpant, ac ſi quis maiori diligentiæ ſtudet ſubiectis bincinde cuniculis pauimenta ſuſpendat, & ignem ſuggerat fornace ſuccenſa. Ita purus calor olei cellam ſine fumi nidore vaporabit, quod ſæpe calore infectum corrumpitur & ſapore.

De virtute olei in medicina.

CAP. XCIII.

Olei potus.

PLinius lib. 8 *Olei potu*, quæ corpori elephantis inhæreſcunt, decidere inuenio. *Idem in lib.* 12. Olei liquor membra recreat. Qdorata vero & pinguis lachryma abietis ad domandum oleum additur in vnguentis. *Idem in lib.* 15. Olei natura eſt corpus tepefacere, & contra algores munire, ac feruores capitis refrigerare. Veteri quoque oleo vſus eſt ad quædam genera morborum. Oleo vetuſtas tædium affert non vt vino. Vſum eius ad luxuriam Græci vertere vitiorum omnium genitores in gymnaſijs publicando, hoc autem de oliuis exprimitur. *Idem in lib.* 23. Oleo omnium mollitur corpus, vigorem & robur accipit, omnia venena cohibet, tormenta pellit, & ventris animalia. Aluum ſoluit, vulneratijs emplaſtris, vtile faciem purgat, inflationem ſedat, vetus magis excalefacit corpora, magisque diſcutit ſudores, Duritias magis diffundit, lethargiacis auxiliatur, oculorum claritati confert. Capitis doloribus remedium eſt, & ardoribus in febri. *Auicenna lib.* 2. Omnes olei ſpecies corpora confortant, motum alleuiant, & extinctiuę ſunt. *Gloſſa ſuper Exodum.* Olei pinguedine laſſi recreantur, & infirmi, & lumen præſtatur, ideſt nutritur.

Graci vitiorum omnium genitores abuſi ſũt oleo.

De Diuerſis olei ſpeciebus.

CAP. XCIV.

Oleũ ex arboribus.

AVctor. Oleum itaque non ſolum ex herbis, herbarumque floribus conficitur, vt ſuperius diximus, verum etiam ex arborum fructibus, verbi gratia, Oleum amygdalinum, balſaminum, cyprinum, & ſimilia. *Plinius lib.* 15. Oleum factitium ex oleaſtro fit, id eſt tenue multoque amarius, quam oleæ, & tantum ad medicamentum vtile: fit & è cyci arbore in Ægypto copiose id in aqua coquitur, innatansque oleum tollitur, ac in Ægypto vbi abundat ſine igne & aqua ſale aſperſum exprimitur, cibis fædum, lucernis vero exile. Fit & oleum è citro, cypreſſo, nucibusque iuglandibus, quod carmon vocant, & è malis cedri quod cedreleon. Item ex lentiſco, ex caſtaneis & ſiſama, atque oriza, ictiophagi quoque faciunt è piſcibus oleum. Inopia cogit aliquando cauſa luminum & platani baccis aqua, & ſalo maceratis. Fit etiam oleum ex calamo, balſamo, cardamomo, nardo, gallico, ſanſuco, parnace, melilote, cinnamomi, radice omnium ſuccis in oleo maceratis expreſſisque. Fit & oleum è pice, quod picinum appellant. Cum coquitur enim pix velleribus ſupra eius halitum expãſis atq; ita expreſſis, Probatur maximè oleum è pice bruca, quia pinguiſſima eſt ac reſinoſiſſima. Color eſt oleo fuluus, ſponte naſcitur in Syriæ maritimis, quod eleomeli vocant. Manat ex arboribus pingue, craſſius melle, reſina tenuius, ſapore dulci, & hoc medicis vtile.

Oleũ ex piſcibus.

Eleomeli.

De Oleo amigdalino.

CAP. XCV.

Oli amygdalini confectio.

PLinius vbi ſupra Oleum amygdalinum (quòd aliqui neopum vocant) fit ex amaris nucibus arefactis & in offam contuſis, aſperſum aqua, & iterum tuſis exprimitur. *Idem in li.* 12. Vnguẽta quidem optima ſeruantur in alabaſtris, odores in oleo, quod eorum diuturnitati tanto eſt vtilius, quanto pinguius, vt amygdalis. *Idem in li.* 23 Oleum amygdalinum purgat, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat. Varos cum melle tollit è facie. Prodeſt & auribus cum roſaceo & melle & mali punici germine decoctum. Vermiculoſq; in his necat, & grauitatem auidus diſcutit, ſonos incertos & tinnitus, obiter capitis dolores ſedat. Medetur & oculorum furunculis, & à ſole vſtis cum cera. Vlcera manantia & furfures cum vino expurgat. Per ſe vero illinitum, capiti ſomnum allicit. *Razi.* Oleum amygdalarum temperatum eſt: pectori, pulmoni, ac veſicæ, & renibus auxilium confert, faſtidium facit, tardeq; deſcendit. *Dioſcor.* Oleum amygdalarum ad dolorem matricis valet, & ad doloré capitis. Aurium quoque dolorem mitigat & tinnitum compeſcit Nephreticis ac diureticis bibitum prodeſt. Calculoſis & aſmaticis medetur. Maculas è facie tollit. Admixtum melli cicatrices vulnerum purgat. Cui etiã ſi lilij radices admiſcueris, & cerotũ ex oleo roſeo ceris, rugas extẽdit. Caligines oculorum detergit, furfures emendat. *Dioſco.* Oleum amygdalarum amararũ calidum eſt, & humidũ in ſecundo. Oleum amygdalinum & propriè amarum aperitiuum eſt. Confert apoſtemati mammillæ, & ſoda. & pulſationi auris, & tinnitui, & ſibilationi in aure, & vermibus in ea factis. Vtile eſt ſpleni, ſed grauat ſtomachum. Valet doloribus renum, & difficultati vrinę ac lapidi, & doloribus veſicæ ac matricis. Item cum melle ptoprieque amarum & radix lilij & cera liquefacta conferunt rugis in facie, & panno, & huiuſmodi, ac veſtigiis & ſimilibus. Valet etiam linitum cum decocto ſuper ſquamas & furfures.

Vſus medicinalis.

Temperatura.

De Oleo balanino & balſamino.

CAP. XCVI.

Olei balanini confectio.

DIoſcori. Oleum balaninum conficitur vt amygdalinum. Virtus eſt ei caractica, Lentigines vultibus tollit. Nigras maculas emendat, Ore acceptum euertit ſtomachum. Tinnitum aurium compeſcit, & dolores ſedat, adipe anſerino admixto. *Plinius vbi ſupra.* Balaninum oleum repurgat varos, furunculos, lentigines, gingiuas. *Idem in eodem.* Oleum balſaminum longè precioſiſſimum omnium. Contra omnes ſerpentes efficax, oculorum claritati plurimum confert, caliginem diſcutit. Item dipnoeas collectionesque & omnes duricias lenit. Sanguinem denſari prohibet. Vlcera purgat. Capitis doloribus tremuliſque vtile Febres cum horrore venientes peruncti is leuiores facit. Vtendum eſt tamen modice; quoniam aduritur augetque vitio non ſeruato temperamento. *Conſt. vbi ſupra.* Oleum balſami calidius eſt, quàm carpo vel ramis licet omnes calidi & ſicci in ſecundo gradu. Valet obſcuritati oculorum, & epithematum tollit horrorem febrium. Vrinam prouocat. diuturnam tuſſim mitigat, & duritiam anhelitus peragorizat, materiam digerit eamque per canales expellit.

Balſamini virtus.

De Oleo cypreſſino ac cyprino & citreo.

Cap. XCVII.

Oleum cypreſſinum. PLinius vbi ſupra. Oleum cypreſſinum eoſdem habet effectus, quos & myrteum. Oleum etiam ex Cypro fit, cuius natura excalefacit, ac neruos tollit.

Cyprinum. *Dioſcorides.* Olei cyprini amurca vſque ad ſpiſſitudinem mellis cocta dolorem dentium tollit, & ad alia multa medicinaliter proficit, ſicut videlicet videbitur infra vbi agetur de amurca. *Plinius in eodem vbi ſupra.* Cypros qualis eſſet, & quemadmodum ex ea fieret oleum docuimus. Natura eius excalefacit, emollit neruos.

Citreum. *Plinius vbi ſupra.* Oleum citreum ad illa proficit, ad quæ myrteum. Et nuce iuglandum, quod carinum appellamus, allopiciis vtile eſt & ſurditati aurium infuſum. Item capitis doloribus illinitum, cæterum iners, & grauis ſaporis corpori.

Myrteum. *Auicenna in ſecundo canone.* Oleum citri fit ex ipſo & eius cortice fortius. Et factum ex flore ipſius eſt in omni capitulo debilius.

Carinum. Oleum ex cortice citri, neruorum valet mollificationi, & confert paralyſi.

De Oleo laurino.

Cap. XCVIII.

Oleum laurinum. PAlladius lib. 2. Oleum laurinum menſe Ianuario ex baccis lauri conficitur hoc modo. Lauri baccas quam plurimas, & maturitate turgentes in aqua calida bullire facies, & vbi diu feruerunt, olei quod ex ſe dimiſerunt ſupernatantis vndam prunis leuiter cogentibus in vaſa transfundes. Plinius libro 15. Oleum laurinum quidam baccis exprimunt tantum, Alii foliis modo, & alii cortice & folio baccarum, Necnon & ſtoracem addunt aliosque odores. Optima laurus ad id eſt latifolia, ſylueſtris, nigris baccis.

Vtilius. *Idem in libr.* 23. Oleum laurinum eo vtilius, quo recentius quoq; viridius. Vis eius excalefactoria, & ideo ſpaticis, ſuggillatis, paralyticis, capitis doloribus inueteratis, diſtillationibus auribus in calice punici, calefactum illinitur. Platearius. Oleum fit ex baccis lauri valens cõtra dolorẽ ex frigiditate, & arthreticos dolores.

Virtus. *Dioſcorides.* Oleum laurinum vtiliſſimum eſt, quod fuerit viride & ſubamarum ac viſcidum. Virtus eſt ei calida malactica, & anaſtomacha. Laborem itinerum corporibus ſoluit. Neruorum indignationem cõpeſcit. In frigore neceſſarium eſt. Aurium dolorem mitigat. Catarrhum ſedat, dolorem quoq; capitis tollit quod graui odore plenum eſt. *Auicenna.* Oleum laurinum vtile eſt allopiciæ, & doloribus capitis antiquis, ventoſitates reſoluit. *Idem.* Oleum laurinum reſoluit laſſitudinem & ſoda. Cum vino odorifero bibitum confert dolori hepatis. Facit autem nauſeam & vomitum, & horripilationi confert inunctum.

De Oleo lentiſcino.

Cap. XCIX.

Olei lentiſcini confectio. PAlladius vbi ſupra. Olei lentiſcini Ianuario menſe matura confectio eſt, quæ fit taliter. Grana matura lentiſci quàm plurima colliges, & vna die ac nocte ſupra ſe aceruata eſſe patieris, Deinde ſportam granis plenã circũquaq; vaſculo ſuperponas, & aqua calida adiecta calcabis & exprimes. Tunc ex eo humore, qui defluxerit ſupernatans oleum lentiſcinum, ſicut laurinum colligetur. Memento autem, ne rigore poſſit aſtringi, aquam calidam ſæpe ſuffundere.

Vis. *Dioſcorides.* De ſemine lentiſci arboris fit oleum ſimilibus *cauſis vt arboris ipſius ſemen, folia, & corium, & ramuli neceſſarium. Capillis cadentibus* inunctum prodeſt, eo quòd calidam & ſtipticam vim habet. Huius arboris reſina maſtix vocatur, de qua videlicet dictum eſt ſupra.

De Oleo maſticino & mellino.

Cap. C.

Oleum maſticinum. AVctor. Oleum maſticinum nihil aliud æſtimo, quàm lentiſcinum. Nam & arbor videlicet lentiſcus, de cuius grano vel ſomine fit oleum, à maſtice videlicet eius reſina denominatur ab Auicenna. Sicut habitum eſt ſupra. *Dioſcorides.* Oleum maſticinum conficitur ſicut tamariſcinum & crocinum, & aliæ multæ confectiones. Virtutem habet maſtici ſimilem. Facit autem ad cauſas ſtericas leuiter calefaciens ac ſubmordens Stomachi duritiam ſoluit, cerotis miſcetur. Dyſſentericis ac ſolutioni ventris vtile eſt. Maculas tollit, faciem limpidat, odoratis confectionibus & corporatiuæ virtuti miſcetur.

Confectio maſticini olei. *Plinius libr.* 13. *Oleum melinum ex malis cotoneis fit*, quod in vnguenta transit.

Oleum melinum. *Dioſcorides.* Quidam ex cidonijs oleum, quod aplatut melinum faciunt, vehementer accommodatum ad ea corporis vitia, quæ ſtiptica virtute pellenda ſunt. Maxime autem ex oleo ſudores moleſti ſolent detineri, & ſtomachi operta componi, vulneraque nata liniri.

De Oleo myrtino.

Cap. CI.

Myrtini cõfectio. PAlladius libr. 2. Oleum quoque myrtinum in menſe Ianuario ex baccis myrti conficiunt hoc modo: vnciam foliorum per olei libram vnam mittes, & per vncias decem vini veteris heminam, & cum eo bullire facies. Iccirco & vino reſperguntur folia, ne frangantur antequam coquantur. Plinius libro 15. Oleum myrtinum diuerſimodè fit. Tunduntur baccæ aſperſa calida aqua mox decoquuntur, alij foliorum molliſſima decoquunt in oleo & exprimunt. Et alij deiecta ea in oleum prius ſole maturant. Fit & hoc ex myrto nigra, Et hæc melior latifolia. Eadem eſt ratio & in ſatiua, ſed præfertur ſylueſtris minore ſemine, quam quidem oxymyrſinem vocant, Alij chamęmyrſinem, quia coronæ habet ſimilitudinem. Hæc enim eſt breuis fruticoſa. Oleo autem myrtino, mirum dictu, ineſt quidam vini ſapor, ſimulque pinguis liquor præcipua vi ad vina corrigẽda ſaccis ante perfuſis. Retinet quippe fœcem, nec præter purum liquorem tranſire patitur. Datque ſe comitem præcipua commendatione liquato.

Virtus myrtei. *Idem in li.* 23. Olei myrtei ratio ſimilis eſt laurino, aſtringit, indurat, medetur gingiuis, dentium dolori, dyſſenterię, vuluæ exulceratæ, veſicis, vlceribus vetuſtis, vel manantibus cum ſquama æris & cera. Idem eruptionibus, ambuſtionibus; attritas ſanat & furfures, ragadias, condilomata, articulos luxatos, odorem grauem corporis: aduerſatur cantaridi, bupreſti, alijſque malis medicamentis, quę exulcerando nocent chamæmyrſine ſiue oxymirſine.

Eligibilius myrtinum. *Dioſcorides.* Oleum myrtinum eligendum eſt colore viride, odore plenum, guſtu amarum, ac limpidum.

Virtus. Virtus eſt ei ſtiptica & ſicca, facit autem ad ſcabiem. Medicationibus miſcetur vtiliter, attritionibus vtile eſt. Condilomata ſoluit incongruos humores vt ſudores ægri compeſcit. *Auicenna.* Oleum myrtinum conſtringit origines capillorum, & confortat eos ac denigrat, vlceribus autem confert.

De Oleo nucum.

Cap. CII.

Olei nucum vis & temperatura. AVicenna. Oleum nucum confert herpetæ, & erifipilæ, ac fiſtulis in partibus oculi. Oleum antiquarum nucum dolorem gutturis facit. *Razi. in Almanſore.* Oleum nucum vehementer eſt calidum ac diſſolutiuum. *Plinius vbi ſupra.* Oleum fit è nuce iuglandium quod carinum appellauimus, alopicijs vtile eſt & tarditati aurium infuſum. Item capitis dolori illitum, cæterũ iners, & graue ſapore corpori. *Auctor.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De hoc oleo ſcilicet nucum iuglandium, quod maxime apud nos ſumitur in vſum ciborum, mirum videtur quod tam parum loquuntur antiqui libri medicorum, niſi quia tempore illo vel in partibus illis non erat in vſu communi, ſicut in locis & temporibus noſtris. Eſt autem talis eius natura qualis & nucum ipſarum, de quibus videlicet dictum eſt ſupra. Non tamen omnino propter pinguedinem vnctuoſam quæ abundat in oleo.

De oleo oliuarum.

CAP. CIII.

Omphacion. *Sidorus.* Oleum ab olea dictum eſt: quod ex albis oliuis fuerit expreſſum, vocatur ſpanum, à Græcis autem omphacion. Quod ex fuluis & nondum maturis viride. Quod autem ex nimium maturis commune. Oleum ſi quis inter aquas merſus ex ore milerit, clariora facit ea quæ profundi teguntur occulto. *Gloſſa ſuper Exodum* 27. Oleum fieri ſolet de myrto, de Raphano, de nuce, ac de ſpeciebus diuerſis, ſed nullum offerri licuit in tabernaculo niſi de oliuis. P*linius libr.* 15. Oleum oleæ quidem cortice interſciſo odorem accipit. Odor autem in olea tenui eſt argutior, & is tamen in optima breuis. Cum ſiccitas & imbres copioſè acceſſere, vitiatur oleum in amurcam, cuius color oliuam cogit nigreſcere. Ideoq; nigricia incipiente minimum eſt amurcæ, ante illam vero nihil. Nec eſt hoc maturitatis initium, ſed vitio proximum. Oleum creſcere oliuę carne falſo arbitramur, cum ſuccus omnis tunc in corpus eat, lignumque intus grandeſcat. Tunc ergo maxime rigantur & vbi cura ſui ſine multis imbribus accidit, oleum abſumitur, niſi ſerenitas quæ corpus exrenuet conſequatur: omnino quidem olei cauſa calor eſt, vt ſuperius dictum eſt.

Quod oleũ offerebatur in tabernaculo.

Nigricies in oleis vitioſa.

De olei oliuarum expreſſione.

CAP. CIV.

Nota. *Idem in eodem.* Oleum quam acerbiſſimum diu tradunt fieri optimum, oliuamq; è terra colligendam, ſi inquinata ſit lauandam. Siccari vero triduo ſatis eſſe tradunt ſi gelent frigora, quarto die premi & ſale aſpergi, oleum autem in tabulato minui, deteriuſque fieri. In amurcam fragiles ſunt carnes, & inde fæces, Ideoque ſępe in die decrapulandum, omnia hęc facienda ſunt feruentibus clauſiſque torcularibus, & quam minime ventilatis. Ideo nec ligna ibi cædi oportere, ipſarumque è nucleis eſt ignis aptiſſimus, & è cortinis in labra fundendum, vt fæces & amurca liquentur, fiſcinas ſpongiæ tergendas. Vaſa crebrius mundanda ſunt, vt conſtet ſinceritas pura, poſtea inuentum eſt, vt aqua feruenti lauentur, protinus prælo ſolidę ſubiicerentur, ſic enim amurca exprimitur, vt mox trapetis fractę premerentur. *Olei viridis confectio.* *Palladius libr.* 12. Menſe Octobri oleum viride faciendum eſt hoc modo Oliuam quam recentiſſimam cum varia eſt colligis, & ſi diebus aliquot collegeris, expandes ne calefiat. Siqua ibi putris aut ſicca eſt remoues, vbi vero compleueris modum factorij, ſales tritos, vel non tritos, quod eſt melius in oliuam mittes, & per decem modios tres ſalis, & molis primo, & ſic ſalitam in nouis caniſtris eſſe patieris, vt pernoctet cum ſalibus, & ducat in ſe eoſdem ſapores, cum mane premi incipiat, olei meliorem fluxum redditura, ſalis ſapore concepto. Canales ſanè & omnia receptacula olei calida aqua prius lauabis, vt nihil de anni prætériti rancore cuſtodiant. *Olei oliuarũ cõfectio qua græci vtuntur.* Focos etiam non propius admouebis, ne olei ſaporem fumus inficiat. *Idem in libr.* 12. Oleum primum Liburnico ſimile fieri aſſerunt Græci. Si in pomo viridi violam ficcam, & lauri folia, & Cypreum omnia ſimul tuſa & ſubtiliter trita permiſceas cum ſalibus torrefactis ac tritis, & diu in oleo iniecta perturbes, Dehinc tribus aut aliquanto amplius diebus cum quieſcet vtaris. Græci conficiendi olei præceptis iſta inſerunt, tantum legendum eſſe oliuæ quantum nocte ſequenti poſſumus exprimere. Molam primo oleo debere leniter eſſe ſuſpenſam. Oſſa enim confracta ſordeſcunt, quare de ſolis carnibus fit prima decoctio. Salinis caniſtros fieri debere virgultis: quia genus hoc oleum dicitur adiuuare. Nobilius erit quod ſponte defluxerit. Sal deinde ac vitrum rubeum oleo nouo miſceri, vt hæc res ſpiſſitudinem eius abſoluat. Deinde cum amurca ſubſederit, oleum purum 30. diebus exactis in vaſa vitrea transferri, ſecundum diſciplinam fieri, ſed mola fortiore quaſſari.

De ipſius olei purgatione.

CAP. CV.

Idem in eodem. Oleum ſi ſordet, frictos & adhuc calentes ſales iniici iubent, & diligenter operiri, ita mundum reddi poſt tempus exiguum. Si fuerit odoris horrendi, virides oliuas ſine oſſibus tundi, & in olei metreta heminas duas myrti. Si baccæ defuerint, caules teneriimos oleæ ſimiliter eſſe tundendos. Nonnulli itaque permiſcent adiecto etiam ſale, ſed omnia inter lintheum clauſa ſuſpendunt, atque ita in vas olei dimittunt, poſtea tribus diebus exemptis auferunt, & oleum in vaſa alia transfundunt. Quidam mittunt veteſtum laterem torrefactum, plerique ordeaceos panes breuiter figuratos, & raro lintheo inuolutos mergunt, & nouos ſubinde permutant, vbi hoc bis aut tertio fecerint, ſales iniiciunt, & in alia vaſa tranſlatum per paucos dies ſubſidere patiuntur. *Curatio odoris olei.*

Quod ſi aliquod animal fortè inciderit, & oleum putredine ac nidore vitiauerit, iubent Græci coriandri manipulum in olei metreta ſuſpendi, atque ita paucis diebus manere, ſi nihil de horrore decuſſerit, mutandum coriandrum donec ſuperetur hoc vitium. Sed maximè proderit poſt ſenos dies in vaſa munda transferre, melius ſi acetum antenexerunt. Quidam fænigræci ſemen ſiccum tritumque permiſcent, vel incenſas oleagrinas arbores in ipſo oleo frequenter extinguunt, ſi acerbus odor fuerit vuam excremandã quam Græci gigariam vocant, præcipiunt tuſam & in maſſam redactam merſari. Oleum rancidũm Græci aſſerunt ſic poſſe curari. Albam ceram mundo & optimo oleo reſolutam, & adhuc liquentem in eo mitti iubent, tunc ſales frictos calentes addi, operiri atque gypſari. Sic fieri vt oleum purgetur ſapore, & odore mutato, oleum tamen omne in terrenis locis eſſe ſeruandum, & eius eſſe naturam, vt ſale nitrove purgetur, vel aqua feruenti, ſi ſimul miſceantur in vaſculo. *Contra putredinẽ olei.* *Rancidi olei curatio.*

De medicinali eiuſdem operatione.

CAP. CVI.

Probatio boni olei. *Iſaac.* Oleum vero recens nouiter expreſſum ab oliuis nigris & maturis calidum & humidum mediocriter, ſtomachi molitiuum, ventrem humectans, & cito in choleram rubeam traducitur. Oleum vero quod longè & diu ab oliuis exiuit, ſi ex oliuis fuerit immaturis, omni carebit malitia. Quod autem aliquid ponticitatis retinuerit, quoniam ea penitus ablata ſit nocibile, citoque in malos humores conuertibile, mollem quoque ſtomachum faciens, digeſtiuam tamen vim impedit. Quod ſi multo magis inueterauerit, vt ſaporis fiat aſperioris & horribilioris, inconueniens ſit vſui, medicinæ tamen vtile. Vniuerſaliter autem oleum laudabilius cognoſcitur, ſi ſit odoriferum, & ſaporis optimi. Cuius ſcilicet ponticitas ſentitur in lingua acuminis indigens, qualitate ſtomachum confortat, & illud antiquo roſaceo aſſimilauerunt,

runt, atque in multis paſſionibus vice oleæ dederunt.

Dioſcorides. Oleum oliuæ ſufficienter ſtringit, & inunctum capiti per ſingulos dies fluorem tenet capillorum, & ſudores plurimos, caniciemque retardat. *Contra canitiem.* Cantabrionem & acoras & lepras detergit, ac gingiuarum humores varios cohibet, ac motos reformat dentes. Oportet autem lanam melondam inuolutam oleo non feruente tingere, & tunc gingiuis apponere donec videantur albæ. *Idem.* Oleum quod de ſemicrudis oliuis fit, omphacion dicitur, condenſat cutem. *Plinius lib.* 15. Oleo vetuſtas tædium affert, non vt vino. Eſt autem olei natura corpus tepefacere, & contra algores munire, feruores capitis refrigerare. *Caput refrigerat.* Vſus eius Græci ad luxuriam vertere, vitiorum omnium genitores in gymnaſiis publicando: hoc autem de oliuis exprimitur. *Auicenna.* Oleum quandoque exprimitur ex oliuis immaturis, & dicitur omphacinum, quandoque ex maturis, & quandoque ex rubeis inter illas mediis. Et huius operatio eſt inter illas duas res. Item quandoque exprimitur ex oliuis domeſticis, quandoque ex ſylueſtribus. Et his autem melius eſt ſanis omphacinum, & melior eorum gumma, eſt gumma ſylueſtris, quæ mordicat linguam. Omphacinum frigidum eſt & ſiccum in primo. oleum autem de oliuis vltimo maturis calidum eſt commenſuratè, & declinat ad humiditatem, omnes autem olei ſpecies corpora confortant, motum alleuiant, extinctiuæque ſunt: oleum oliuarum ſylueſtrium eſt ſicut oleum roſatum in plurimis intentionibus, conſeruat capillos, & prohibet velocitatem caniciei cum adminiſtratur omni die. Confert gingiuæ ſanguineæ, colluendo eos ex eo. Confirmatque dentes motos. Item expreſſum de oliuis ſylueſtribus immaturis confert vlceribus humidis & ſiccis, & ſcabiei.

De amurca, id eſt olei face.

CAP. CVII.

Amurcæ etymon. I *Sidorus.* Amurca eſt olei pars aquoſa à mergendo dicta, eo quòd oleo ſe mergat & fœx eius ſit. *Plin. vbi ſupra.* Super omnia Cato laudibus celebrat amurcam, olearia dolia cadoſque illa imbui ne bibant oleum. Amurca ſubigi areas retendis meſſibus, vt formicæ deſint. Quin & lutum parietum ac tectoria & pauimenta & horreorum frumenti. Veſtiarium etiam *Vt veſtiaria ſeruentur à teredinibus.* contra teredines & noxia animalia aſpergi, ſemina frugum perfundi, morbis quadrupedum & arborum illa efficaci ad medendum, ad vlcera interiora humani quoque oris, lora etiam, & coria, omnia & calciamina, axeſque ea decocta vngi, atque æramenta contra æruginem, coloris gratiaque elegantioris & totam ſuppellectilem ligneam & vaſa fictilia. Item in amurca (ſicut dictum eſt ſupra) fragiles ſunt carnes, & inde fœces, Ideoque ſæpius decrapulandum eſt. Vt autem fœces amurcæ liquentur, vaſa crebrius mundanda ſunt, ac detergenda, vt conſtet ſinceritas pura. Poſtea inuentum eſt vt aqua feruenti lauarentur, protinus prælo ſolidæ ſubiicerentur. Sic enim oleum exprimitur, & mox trapetis fractæ premantur.

De Medicinali eiuſdem virtute.

CAP. CVIII.

Effectus amurcæ. P *Linius libr.* 23. Amurca gingiuis & oris vlceribus, dentium ſtabilitati efficaciſſimè ſubuenit. *Item.* ignibus ſacris iuſuſa. Nigrę oliuæ amurca vtilior; Item infantibus fouendis. Albæ vero mulierum vuluæ in lana admouetur, multoque omnis amurca decocta efficacior; Coquitur autem in cupreo vaſe ad craſſitudinem mellis: vſus eius cum aceto, aut vino vetere, aut mulſo, vt quæque cauſa exigat, in curatione oris, dentium, aurium, vlcerum manantium, genitalium, rhagadum, vulneribus in lintheolis imponitur, luxatis in lana. Ingens hic vſus, vtique inueterato medicamento, Tale enim fiſtulas ſanat. Illinitur podagris incipientibus, Item articularibus morbis. *Auicenna libr.* 2. Fœx olei ponitur in medicinis oculi, & vtilis eſt ſuper ventrem hydropicis. *Fœx olei oliuarum.* Fœx olei oliuarum eſt medicamen apoſtematum calidorum in glandulis, & propriè cum foliis ſuis. Item vtilis eſt ſuper ventrem hydropicis & conſolidat vlcera accidentia in corporibus ſiccis. Quandoque tamen permiſcetur olei fœx cum chameleonta & ſcabiem ſanat. Itaque conuenit etiam ſcabiei beſtiarum, propriè in infuſione lupinorum. *Idem.* Fœx expreſſionis olei eſt in primo caliditatis, & eſt conſolidatiuus vlcerum accidentium in corporibus ſiccis.

De vino.

CAP. CIX.

Vini etymō. I *Sidorus libr.* 20. Vinum inde dictum eſt, quòd eius potus venas ſanguine cito replet, hoc alij lyæum appellant, eo quòd bibentem à cura ſoluit. *Ariſtot. in libro topicorum* 4. Vinum ait Empedocles aquam putrefactam in lignis. *Ambroſius libr.* 3. Noe poſt diluuium vitem plantauit, quæ prius domini præcepto pullulauit, ac bibit de vino eius & obdormiuit. Deus autem præſciuit, quod vinum ſobrie potatum ſanitatem daret, prudentiam augeret, immodicè vero ſumptum ad vitia cauſas daret: creaturam dedit, *Nota.* ſed abundantiam humano reſeruauit arbitrio. *Ariſt. in libr. de animalibus.* Vinum ſerpentes valde diligunt, & ideo per ipſum venantur, cum imbibuntur. *Plinius libr.* 8. Mulæ calcitratus crebriore vini potu inhibetur. Duo ſunt itaque liquores humanis corporibus gratiſſimi, intus vini, foris olei, è genere arborum ambo ſumpti. *Idem in libr.* 11. Vires dat vini potus, tantumque honoris increuit platanis, vt mero infuſo nutriantur. *Idem in libr.* 14. Io medicami- *Vina ſunt* nibus adeo magnum locum obtinent vina, vt per ſeſe *medicamina* ſint remedia. Vino hauſto natura eſt calore viſcera *per ſe.* intus accendi, foris autem infuſo refrigerandi. *Idem in libr.* 15. In vino pariter ſentiuntur plures ſapores, videlicet auſterus, & acutus, & ſuauis & dulcis. Sanguineus eſt ſuccus vuis nigris. Albis vero candidus. Odor nullus eſt ſuccis dulcibus, nam & vinum tale eſt ſine odore, tenue vero odoratus. *Idem in libr.* 18. Semina vino perfuſa ante, minus æſtimant ægrotare.

De vini ſpeciebus variis.

CAP. CX.

I *Sidorus.* Vinum dicitur roſeum, ideſt cum rubore, roſa enim rubet. Amineum vero quaſi ſine minio, ideſt ſine rubore. Nam album eſt. Succinacium ſuccini gemmæ ſimile, ideſt fului coloris. Lympidum vinum, ideſt perſpicuum ab aquæ ſpecie dictum, quaſi lymphidum. Lympha enim eſt aqua. Turbidum quaſi terbidum, ideſt terra commixtum, quod eſt ex fœce. Falernũ vinum vocatum eſt à Falerna regione Campaniæ, vbi optima vina naſcuntur. Honorarium vinum, quod regibus & potentibus honoris gratia offertur. Crudum vinum eſt inſuaue, quod ſetui potant. Conditum vocatur, quod non ſit ſimplex, ſed commixtione pigmentorum compoſitum. Gazetum vero à regione vnde defertur. Gaza enim oppidum eſt Paleſtinæ. Infertum vinum dicitur, quod altario offertur atque libatur. Spurcum quod offerre non licet, aut cui aqua admixta eſt, quaſi ſpurium, hoc eſt immundum. Acidum, vel quia acutum, vel quia aqua mixtum. Vinum enim aqua mixtum cito in hunc ſaporem conuertitur. *Plinius libro* 13. Apamenum vinum mulſo præcipuè conuenit. Eſt enim hæc proprietas generum, vt dulcia inter ſe non congruant. In Ponto vinum quoddam prælatum cunctis, ante ſextum non placet annum. Vinum Græcè bion

Roſeum. Amineum. Succinacium. Lympidum. Turbidum. Honorarium. Crudum. Conditum. Gazetum. Infertum. Spurcum. Acidum.

dictum

dictum ad plurimos valetudinum vſus excogitatum, fit hoc modo. Vuę paululum ante maturitatem decerptę acri ſole ſiccátur, ter die verſatæ per triduum, quarto exprimuntur. Deinde cadis ſole inueterantur, cui aqua marina largior miſcetur: In Theſſalia vaſis muſti in mare deiectis, præcox fit vetuſtius. Omne vinum dulce eſt minus odoratum, & quo tenuius, eo eſt odoratius. *Palladius libr.* 11. Vini naturam tali ratione diſcernunt: & hanc in eo volunt eſſe diſtantiam: vt quod dulce eſt grauius dicunt, Quod album aliquatenus ſalſum conuenire veſicæ: & croceo colori blanditur: digeſtioni accommodum. Quod album & ſtipticum prodeſſe ſtomacho laxiori: tranſmarinum pallorem facere: & tantum ſanguinem non creare. Vuis nigris vinum fieri forte, rubeis ſuaue. Albis vero plerumque mediocre.

Nota.

Iudicium de vinorũ differentijs.

De cella vinaria & vaſis.

CAP. CXI.

Situs cellæ vinariæ.

Idem in libro primo. Vinariam cellam Septentrioni habere oppoſitam, frigidam, vel obſcuro proximam, longè ab alueis, ſtabulis, furno, ſterquiliniis, ciſternis, aquis, & cæteris odoris horrendi, ita inſtructam neceſſariis, vt non vitietur à fructu, ſic autem diſpoſitam, vt baſilice ipſius forma calcatorium habeat loco altiore conſtructum, ad quod inter duos lacus, qui ad excipienda vina hinc inde depreſſi ſunt, gradibus tribus ferè aſcendatur aut quatuor. Ex his lacubus canales ſtructi vel tubi fictiles circa extremos parietes currant, & ſubiectis lateri ſuo doliis per vicinos meatus manantia vina defundant, ſi copia maior eſt, medium ſpacium cupis deputabitur, quas ne ambulatra prohibeant, à ſellis altioribus impoſitas, vel ſupra dolia poſſumus collocare, ſpacio inter ſe largiore diſtantes, vt ſi res exigat, currentis tranſitus poſſit admitti. Quod ſi cupis locum ſuum deputabimus, is locus calcatorij ſimilitudinem podiis breuibus & pauimento teſtaceo ſolidetur, & vt etiam ſi ignorata ſe cupa diffuderit, lacu ſubdito excipiantur non peritura vina, quæ fluxerint.

Quæ abeſſe debent à cella.

Plinius libro 14. Cellæ vinarię latus aut certè feneſtras obuerti oportet in Aquilonem, vel vſque in exortum æquinoctialem, ſterquilinia & arborum radices procul abeſſe conuenit, omniaque odoris euitandi, quoniam odor facillimè tranſit in vina, vicos etiam & caprificos abeſſe procul oportet. Ac doliis etiam interualla dari, ne inter ſe ſerpant vitia, contagione vini ſemper ocyſſima. Ventroſa doliis & patula minus ſunt vtilia. Picari oportere protinus à canis ortu, poſtea ſæpius cellas oportet aqua marina, vel ſalſa perfundi, ac cinere de ſarmentis aſpergi, vel argilla aſperſa myrrha ſuffiri. Imbecilliſſima vina demiſſis in terra doliis ſunt ſeruanda, valida expoſitis nunquam implenda, & quod ſuperſit paſſo aut defruto perungendum admixto croco, pice veteri cum ſapa ſic coopercula doliorum medicanda, addito maſtice & pice. Bruma vetant aperire, ac niſi ſereno die, vetant & auſtro flante, lunave plena. Flos vini candidus approbatur, rubeus triſte ſignum eſt, ſi non ſit is vini color. Vaſa incaleſcentia operculave ſudantia oſtendunt. Quod celeriter florere cæperit, odoremque trahere non diutinum fore. Circa alpes ligneis vaſis vina condunt, circuliſque cingunt, & hyeme gelida ignibus rigorem arcent, mirum dictu, ſed aliquando viſum: Ibi ruptis quidem vaſis ſtetere glaciatę moles vini, modo prodigij, quia vini natura non gelaſcit, ſed aliàs ad frigus tantum ſtupet. Mitiores autem plagæ doliis condunt, eaque toti terræ infodiũt, aut ad portionem ſitus, Itemque cœlum præbent, Alibi vero tactis impoſitis arcent.

Modus conſeruandi vina.

Nota.

De Vini mutatione & emendatione.

CAP. CXII.

Idem in libr. 14. Vina in apothecis canis ortu quædam mutantur, poſtea ſibi reſtituuntur, Aphrica gypſo muſti aſperitatem mitigat, & aliquibus ſui partibus calce. Græcia vero argilla, vel marmore, vel ſale, vel mari leuitatem excitat, Italiæ pars aliqua pice ac reſina condit muſta. Non nuſquam vero prioris anni vina fœce acetove condiunt. Necnon ex iſto muſto medicamina fiunt. Quod quidem vt dulceſcat portione virium decoquitur, nec tale vltra annum durare proditur. Vinorum denique medicaminis tanta eſt cura, vt apud quoſdam cinere cruſtarentur, ſed cinerem è ſarmentis vitis præferunt aut quercu. Quin & aquam marinam eiuſdem rei gratia ex alto iubent peti, ab Equinoctioque verno ſeruari, aut certè nocte ſolſtitio & Aquilone flante hauriri, vel ſi certa circa vindemiam hauriatur iubent decoqui, proprium eſt autem inter liquores vino mulceſcere, aut in acetum verti. *Auctor.* Pluribus etiam modis vina vitiata emendantur, ſicut notum eſt plurimis, vt verbi gratia, ſi fortè molleſcens incraſſetur. Idem vinum per media lignorum fragmenta transfunditur, vt oleagina mollicies confringatur: vel labruſtę, vel lignorum fragmenta, vel ſimilia iniiciantur.

Medicamina ex muſto.

Curatio vinorum.

De vini proprietate in potu.

CAP. CXIII.

Iſaac in dictis libro 3. Vinum bonum dat nutrimentum corpori: ſanitatem reddit & cuſtodit, ſi accipiatur vt oportet, & quantum natura ſuſtinere valet, digeſtionem confortat ſtomachi, & etiam ſecundam quæ eſt in hepate. Nec vllus inuenitur cibus vel potus adeo naturalis caloris confortatiuus & augmentatiuus ſicut vinum, propter familiaritatis conſortium quod habet cum natura: & quia calor eius ſimilis eſt naturali calori: citoque conuertitur in naturalem & mundiſſimum ſanguinem. Turbidum quoque ſanguinem clarificat, & aditus totius corporis maximèque venarum aperit, & mundificat. Hepatis opilationem aperit, tenebroſitatem aufert, fumoſitatem triſtitiæ generatiuam à corde expellit, totiuſque corporis membra corroborat, ſed animam ipſam facit obliuiſci triſtitiam, & anguſtiam, laborem, & dolorem, datque ei lætitiam, & audaciam, ingeniumque ſubtiliat. Igitur conueniens eſt omnibus ætatibus, & omnibus regionibus, ſi tamen ſumatur ſecundum ſui quantitatem & bibentis conſuetudinem, ac naturæ poſſibilitatem. Iuuenes enim & viri maiorem vini quantitatem ſuſtinent, quàm mulieres & adoleſcentuli: vt decrepitis autem licèt optimum videatur ad confortandum corpora eorum, & augmentandum calorem naturalem, & excludendum humorum ſuperfluitatem, tamen multo minus, quàm iuuenes eius tolerant quantitatem, propter defectum capitis, & corporis ac neruorum ſuorum molliciem. Vinum mundum & purum ſi fuerit conuenit, vt hyemali tempore & frigida regione bibatur. In æſtate vero calida regione vini paucitas aqua multum commixtum neceſſario congruet. Corpora enim refrigerat & humectat propter aquam commixtam. Vnde antiqui aſſimilauerunt vinum theriacæ naturę, quia virtutem habet conſeruatiuam naturę proficuã. Calefacit enim corpora frigida, & infrigidat calide. Sicca humectat, & humida extenuat, eius tamen calefactio & deſiccatio eſt naturaliter humectatio & accidentaliter infrigidatio, quia cum ſui ſubtilitate & perforatione portat aquam ad membra, qua neceſſe eſt infrigidari & humectari. Plus etiam ſitis ab eo, quàm ab aqua extinguitur. Præſertim ſi cauſa ſitis eſt

Virtus vini potati ſobrie.

Commixtio aquæ vbi expedit, vbi nõ.

Vinum quomodo infrigidat.

calor

calor & ſiccitas immembris à ſtomacho remotis, quia ſui tenuitate ducit aquam ad eadem membra, vnde humectantur & refrigerantur, ſitiſque extinguitur. *Dioſcorides.* Omnis autem vini natura calida eſt, vires ac motum corpori parat, eo quòd calefacit & reſumit ac reficit.

Iterum de eodem.

CAP. CXIV.

Hali in libro regalis diſpoſitionis. Vinum calorem naturalem confortat, humores cholericos temperat purgans per ſudorem & vrinam. Membra dura humectat, appetitum iuuat & digeſtionem. Ventoſitatem quoque ſoluit, opilationem aperit, melancholiam mitigat, & hęc maximè facit his, qui temperatæ complexionis ſunt, & inclinantur ad frigidum, ſi mediocriter ſumatur. Nocet autem illi cuius complexio ſuperabundat in calore, vel qui febrem patitur hepatis, aut cephaleam, & cuius nerui debiles ſunt. Quod ſi quis omnino nolit abſtinere, bibat album ſubtile cum aqua multa permixtum. Si enim ad dolorem capitis accelerat, ſtatim poſt eius potum modicum cibi, truſtaque coctanorum comedat, vt aſcenſum vaporis ad caput arceat. Similiter & ſi ſtomachi debilitas per eius potationem accidat, ad coctana cum pauco muſto tranſeat, aut frutum myrti recentem vel huiuſmodi. *Razi vbi ſupra.* Vinum quidem ſtomachum & hepar calefacit, inflationem diſſoluit, & cibum digerit. Vrinam prouocat, & ventrem ſoluit, præter hoc & lætari, & gaudere animam facit, & hunc vltimum bonitatis eius modum nondum inuenimus, quod ſuppleat vicem eius. Sed in aliis operationibus eiuſdem reperiuntur quædam, quæ ſuppleant vicem, licèt in eis debiliora ſint.

Quibus nocet vinum.

Nota pro vini potoribus.

Pis vini.

De vino bibendo moderatè.

CAP. CXV.

Conſtantinus in Practica libro primo. Vinum magni iuuaminis eſt cuſtodiendæ ſanitati, ſi oportunè accipiatur. Calorem enim naturalem confortat, & per totum corpus extendit. Cholericos humores temperat, eoſque cum ſudore & egeſtione expellit: duritiam membrorum præ nimio dolore laboreque extenuatorum humectat, cibos & appetere facit & digerere, humiditatem aquæ per membra totius corporis deriuat, & inflationem ac ventoſitatem diſſoluit. Opilationem aperit, melancholicos humores temperat, animum confortat & lætificat. Hæc omnia facit ſi conuenienter potetur, prout neceſſe eſt qualitati & quantitati complexionis eorum. Nocet tamen calidiſſimis natura, & aſſuetè calorem in hepate, & dolorem in capite patientibus, & neruos debiles habentibus. Quod ſi bibendi neceſſitate cogantur, album & ſubtile, vel roſeum multum, mixtum eligatur.

Virtus vini.

Nimia vini potationis effectus.

Hali. vbi ſupra. Dicit autem, quòd ex multi vini potatione paſſiones accidunt graues frigidæ, ſicut apoplexia, ſpaſmus, epilepſia, emigraneum, obſtupefactio, & his ſimilia. Replentur enim ventriculi cerebri vaporibus vini, & quod ad illud de venis aſcendit, vnde calor naturalis refrigeratur, & huiuſmodi paſſiones generantur.

Razi in quarta parte. Vinum temperatè bibitum nutrimentum penetrare facit, digeſtionem adiuuat, multæque bonitatis cauſa exiſtit in corpore, & in ſenibus quàm maxime. Superflue vero bibitum hepati ac cerebro & neruis nocet, tremoremque & ſpaſmum & paralyſim & apoplexiam ac mortem ſubitam generat.

De vitanda ebrietate.

CAP. CXVI.

Iſidorus Vinum antiqui vocabant venenum. Sed poſtquam inuentum eſt virtus lætiferi ſucci, hoc vinum vocarum eſt, illud venenum. Vnde & *Hieronymus in libr. de virginitate* dicit, adoleſcentulas ita debere fugere vinum vt venenum, ne pro ætatis calore feruenti bibant & pereant. Inde eſt, quod apud veteres Romanos fœminæ non vtebantur vino, niſi ſacrorum cauſa certis diebus.

Vinum venenum.

Romanorum mos.

Plinius libr. 14. Androchides ſapientia clarus ad Alexandrum Magnum ſcripſit, cohibens intemperantiam eius. Vinum potaturus Rex memento te bibere ſanguinem terræ. Sicuti cicuta homini eſt venenum, ita & vinum. Quibus præceptis ille ſi obtemperaſſet, profecto amicos in temulentia non interemiſſet. Prorſus vt iure dici poſſit, nequè viribus corporis aliud vtilius, neque aliud voluptatibus pernicioſius, ſi modus abſit. Romulus non vino, ſed lacte libabat, & hoc propter inopiam rei. Nec vinum fœminis Romæ bibere licebat. Itaque cum vxor Egnati Merentini vinum è dolio bibiſſet, à marito fuſte interfecta fuit, ipſumque Romulus cædis abſoluit. Cato etiam propinquos fœminis dare iuſſit oſculum, vt ſcirent, an olerent temeto, id eſt vino. *Idem in libro eodem.* Ebrij ſecreta quidem proferunt, alij mortifera loquuntur, & Solem Orientem non vident. hinc pallor, & pendulæ genæ, oculorum vlcera, manus tremulæ, ſomni furiales, & inquies nocturna. Præmium ſummum ebrietatis libido portentuoſa, & iucundum nephas. Poſtero die halitus fœtidi ex ore, acrerum omnium obliuio, morſque memoriæ. Bibendi autem conſuetudo auget auiditatem. *Conſtantinus vbi ſupra.* Cauenda eſt ebrietas, quæ mentis percuſſiua eſt, & qui morbo phtiſico parati ſunt, niſi caueant, proculdubio ad eum perueniunt. Aliorum etiam morborum cauſa eſt, arthreticæ, ſcilicet paſſionis, & tremoris, apoplexiæ, ſuffocationis, & ſubitaneæ mortis, quia ventriculos cerebri, & omnes venas replet. Vnde nullus locus, vel ſpacium reſtat, per quod calor naturalis dilatetur, ſicut videmus in lucerna, quod funditus oleo plèna, lumen & ſuffocat & extinguit. Qui autem multum vinum bibere cupiunt, & tardè inebriari, parum manducant, & vtuntur cibis pinguiſſimis, & caulibus pinguibus. Caules enim ebrietati repugnant, quia humiditatem vini deſiccant. Amygdalę quoque amaræ (vt dicit Galenus) ante vinum comeſtæ ebrietati repugnant. Sed ſyrupus abſinthij valet ebrietati.

Famina fuſte interępta ob vini potationem.

Præmium ebrietatis libido.

Nota.

De diuerſitate vini pro ætatis tempore.

CAP. CXVII.

Iſaac. Vinum diuerſum eſt pluribus modis. Dicit Galenus, quod vinum recens & torculari vicinum, calidum eſt in primo gradu. Vetus autem ſeptem annos tranſiens calidum eſt in tertio. Mediocre vero, quod eſt à duobus vſque in quartum, calidum eſt in ſecundo. Quanto autem minus calidum eſt vinum, tanto humidius comprobatur, & quanto calidius, tanto ſiccius.

Temperamentum vini.

Dioſcorides. Vina recentia vetuſtis calidiora ſunt, & venerem procurant. Vina vetera, ſi multum bibita fuerint, pro nimietate virtutis neruis, ac ſenſibus cõtraria ſunt, pro ſuauitate vero modicum bibitum, bonum eſt, hoc ægrotis tamen dandum nondum eſt. Muſtum autem recens bibitum ventrem inflat, & indigeſtibile eſt, ſomniaque nugacia inducit. Porro vinum medium noui veteriſque virtutem præcedit, vnde cauſis & vſui humano neceſſarium eſt. *Palladius li.* 11. Vinum vero velut vetus effici dicunt de nouo. Si amygdala amara, abſynthium, pini frugiferę gummi,

Adfficiendum de vino in vetus.

fœnum

fænum græcum ſimul fricas quantum ſufficere æſtimaris, ideſt pariter tundas, & ex his vnum cyathum per amphoram mittas, & antiqua vina conficies. S vero ſenſeris, peccatura, huic confectioni aioen, myrrham, crocum, manna, ſingula modis æqualibus tuſa, & in puluerem redacta cum melle miſcebis, & vno cyatho vnam amphoram curabis. Anniculum quoque vinum, vt longam videatur ſimulare ætatem, meliloti vnciam vnam, glyciſidę vncias tres, nardi celtici tantundem, aloes hepaticis vncias duas tundes & cernes, ac in ſextariis quinquaginta coclearia ſex recondes, & vas pones in fumo. In album colorem vina fuſca mutari aſſerunt, ſi ex faba lomentum factum vino quis adiiciat, vel ouorum trium lagenæ infundat alborem, diuque commoueat, ſequenti die candidum reperite. Quod ſi ex afra piſa lomentum adiiciatur eadem die poſſe mutari.

De diuerſitate ipſius in colore.

CAP. CXVIII.

Vini diuerſitas quinquiplex.

ISaac. Vini iterum alia diuerſitas eſt quintupla; vna color; ſecunda ſapor; tertia odor; quarta liquor; quinta debilitas, & fortitudo. Color vini generaliter diuiditur quadrifariam. Sunt enim duo colores ſimplices, ſcilicet albus & niger, & duo ex his compoſiti, ſcilicet aureus, & rubeus. Palam autem intelligimus album & nigrum cæteris eſſe minus calida, ſed album magis humiditati pertinet, quàm nigrum, pro ſui ſubtilitate & aquoſitate ſibi dominante, & craſſitate, ac terreſtreitate nigro dominantibus, hoc teſtari videtur nigri ponticitas, albi quoque inſipiditas, & aquę videtur in ſapore vicinari. Vina vero mediocres colores habentia quanto ſunt ab vtraque extremitate remota, ſc. albo & nigro, tanto ſunt calidiora, & quanto illis ſunt propinquiora, tanto frigidiora, præter rufum, quod eſt de nigris vuis, & aureum, quod eſt de albedine, calidiora ſunt, ſcil. in tertio gradu. Rubeum quoque nigro in craſſitudine & duritia vicinum, Iccirco omnibus nutribilius eſt præter nigrum: parum tamen vrinam prouocat, & tardè caput aſcendit. *Vinum rubeum.* *Album.* Quod ſi aſcenderit duram facit ebrietatem, diſſolui difficillimam. Album ſubtile eſt, minuſque commixtionem ſuſcipit. Eſt & ſenſui facile, cito digeſtiuum, velociter venarum perforatiuum, & vrinę prouocatiuum, parum etiam nutrit propter ſui leuitatem. Vnde caput aſcendit, & ideo debilem facit ebrietatem, & cito diſſoluendam. *Nigrum vinum.* Nigrum vero huic contrarium eſt, quia craſſius & durius ad digerendum, difficile ad penetrandum viam venarum, & vrinæ prouocatiuum, craſſumque dat nutrimentum. Proinde tardè caput aſcendit, fortem ebrietatem facit, & ad diſſoluendum tardam.

Dioſcorides. Album ac leue vinum euſtomachum eſt, & digeſtibile, ad ſanguinem citius digeritur. Nigrum autem ac ſpiſſum indigeſtibile eſt & citius inebriat, carnem addit, & ardorem facit. Rufum vero medium eſt, cuius virtus media ſanitati & ægritudini vtilis eſt. *Nota.* *Palladius vbi ſupra.* Vitibus hanc eſſe naturam dicunt, vt alba vel nigra ſi redigantur in cinerem, vinoque adiiciantur, ei vnamquamque formam ſui coloris imponere. vt ex nigra fuſcum, candidum vero reddatur ex alba.

De diuerſitate ipſius in ſapore.

CAP. CXIX.

Vini ſaporis diuerſitas quadruplex.

ISaac. Vini diuerſitas propter ſaporem quatuor modis eſt. Eſt enim dulce, & eſt acerbum, eſt & inſipidum, eſt & in ſapore & odore fortiſſimum. Dulce calidum eſt in primo gradu, ſiccum in ſecundo. Aliquantulum tamen humiditati pertinet. Iccirco laudabile eſt in omni actione, niſi quia ventrem ſoluit, pulmonem quoque adiuuat ad mundificandum, & expellendum ab eo fœcem hepatis diſſoluit opilationem. Cauendum eſt tamen illis quibus generat ſitim, eorum calorem augmentat, & humiditatem ſaliuæ deſiccat & incraſſat. Corpora etiam hydropiſi apparata ab omni genere vini dulcis ſunt cohibenda. *Ponticus ſapor.* Ponticum vero quod acerbum dicitur, durius eſt & grauius, tardiuſque digeritur. Venas difficile perforat, neque vrinam neque egeſtionem neque ſudorem prouocat. Non ergo bonum ſanguinem generat, ventrem tamen & inteſtina confortat, ſtringit egeſtionem de ſtomachi defectione. *inſipidus ſapor.* Inſipidum autem melius eſt pontico, quia eius comparatione temperatum eſt. Vnde congruit calidas cõplexiones habentibus, maximè ſtomacho, parum tamen nutrit, citoq; per vrinam eijcitur. *Fortiſſimus ſapor.* Fortiſſimum vero cæteris eſt calidius & fortioris actionis, citoq; ad caput aſcendit, humoresque corporis ferueſcere facit, vnde fumus ad caput aſcendens, nocet cerebro, mentem percutit. Cauendũ eſt ergo his quibus calida dominatur complexio, niſi multum fuerit commixtum. Tunc enim ſi vt decet accipiatur, ideſt ſecundum quod conuenit ætatibus, tempori, regionibus, & conſuetudini, laudabitur. quia craſſos humores diſſoluit, & vias venarum de putredine mũdificat, & ſanguinem clarificat. Senibus autẽ conuenit, maxime ſi puritati ſit vicinũ, quia calorem eorum confortat, crudorumque humorum abundantiam diſſoluit. Proinde conuenit eis quibus collecti crudi & craſſi humores fiunt. *Vinũ dulce.* *Dioſcorides.* Vinum dulce citius aceſcit, ſtomachum inflat, ad vtilitatem vero renum ac veſicæ facit. Vinum ſalſum cacoſtomachum eſt. Caput ſcotomat, ſitim incitat, ventrem mollit, neruis contrarium eſt, humorem deſiccat. *Pallad. vbi ſupra.* Suaue vinum de duro facere docent, ſi ordeacei pollinis cyathos duos ſimul cum vino ſubactos mittas in vini vaſculo, & hora vna eſſe patiaris. Aliqui vini dulcis fęces admiſcent, aliqui addunt ficcæ aliquantum, & vtuntur cum diu vaſorum commotione miſcuerint. Vinum etiam fieri ad potandum ſuaue ita dicunt. Fæniculi, vel ſatureiæ ſingulorum congruum modum vino immergi, atque turbari, vel fructum quem duæ nuces pineæ produxerint torrefactum & lintheo ligatum, mitti in vaſculo, ac ſuperlini, vſui eſſe quinque diebus exactis.

De diuerſitate in odore.

CAP. CXX.

Aromaticũ vinum.

ISaac. Vini diuerſitas propter odorem quadruplex eſt. Eſt enim aromaticum cito perforans ſenſum odorabilem, in pelliculis cerebri ſtantem, hoc ſignat ſui liquorem ſubtilem eſſe & temperatum, ab omnique ſorditie mundificatum, penituſque digeſtum. vnde ſanguinem clarum generat & mundum. Cor confortat, animum lætificat, triſtitiam & anguſtiam expellit. Eſt & vinum nullius odoris pro ſui craſſitie & grauitate, hoc illaudabilis eſt nutrimenti. *Vinum nullius odoris.* Craſſos humores augmentat, chymum turbidum & obſcurum generat, vnde & triſtitiam creat. Sed propter ſuam grauitatem non cito caput aſcendit, & ebrietatem generat, quod ſi fecerit, durè tardèque diſſoluitur. *Mediocre.* Eſt & vinum inter craſſum & ſubtile mediocre, cuius odoris mediocris fit actio & paſſio bona vel mala, ſecundum quod propinquum eſt vel remotum ab extremitatibus. *Vinum horribile.* Si enim remotum fuerit à bonitate, malum erit. Si à malignitate, bonum. Quod ſi ſteterit in medio, mediocre. Eſt & vinum horribile & graue, quod odorem habet peſſimum, cerebro nocet, mentem percutit, peſſimum ſanguinem generat. *Auctor.* Hæc dicta ſunt de odore quem habet vinum ex ſe, ideſt naturali vel innata proprietate, ſine alterius rei admixtione. Cæterum odorem occidentalem contrahunt vina pigmentorum puluеribus aut rebus aliis conſperſa, vt gariophrelatum, roſatum, & cętera, de quibus videlicet nonnulla dicentur infra.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De diuerſitate in liquore.

CAPVT CXXI.

Vinum aquoſum. ISaac. Vini diuerſitas propter liquorem triplex eſt. Aut enim ſubtile aquoſum, aut terreſtre & craſſum, aut mediocre. Primum ſemper inuenitur cum albedine & claritate, vnde faciliter digeritur, & venas perforat, & vrinam prouocat. Ideo febricitantibus vtile eſt, quia non fortiter calefacit, nec mentem percutit, nec cerebro vel neruis infert nocumentum. *Terreſtre.* Secundum huic oppoſitum eſt, vnde & craſſius eſt, & plus cæteris ſtomachum grauat, durum eſt digeſtioni, & difficile ad venas perforandas. Vrinam nō prouocat, tardeque ad caput aſcēdit propter ſui fumi grauitatem & craſſitiem. Ideo non facit ebrietatem, vel ſi facit, cito diſſoluitur. *Mediocre.* Tertium quod mediocre eſt, & mediam obtinet virtutem. *Dioſcorides.* Vinum albū ac leue (ſicut iam dictum eſt) euſtomachum ac digeſtibile. Nigrum autem ac ſpiſſum indigeſtibile. Vinū ſtipticum eſt indigeſtibile, ventrem ſtringit, & omne rheuma inteſtinorum. Molle vero neruis valde contrarium eſt, veneremque prouocat mediocriter. *Auctor.* Vt autem dictum eſt ſuperius iuxta Iſidorū, lympidum dicitur vinum id eſt perſpicuum ſiue clarum, quaſi lymphidum. Lympha enim eſt aqua. Turbidum autem quaſi terra id eſt fœce commixtum. *Palladius vbi ſupra.* Græci iubent aquam marinam mundam de puro aut quieto mari, quam anno ante compleuerint, reſeruari. Cuius talem dicunt eſſe naturam, vt & ſalſedine & amaritudine per hoc tempus careat, & odore *Pharmacum vt ætas & color vino afferatur.* dulcis fiat ex ætate. Ergo eius octogeſimam partem muſto admiſcent, & gypſi quadrageſimam, poſt tertium deinde diem fortiter commouent, & pollicentur nō ætatem ſolū vino, ſed ſplendorē quoque coloris offerre. Oportet autem & omni die vinū moueri, & ſi tardius vindemia, frequens enim reſpectus faciet iudicare vtrum vendenda ſit ſpecies, aut non.

De diuerſitate in fortitudine.

CAPVT CXXII.

Fortiſſimum vinum. ISaac. Vinum autem ſecundum fortitudinem & debilitatem diuiſum eſt tripliciter. Nam fortiſſimum cunctis eſt calidius citoque caput aſcendit, & mētem percutit, quia caput multis calidis replet fumis. *Debiliſſimū.* Debiliſſimum autem actionem habet ſuperiori contrariam, quod Hippocrates dicit & dixit vinum aquoſū. *Mediocre.* Mediocre autem habet actionem, ſecundum quod eſt vicinum vel remotum à bonitate vel malignitate extremitatum illarum. *Dioſcorides.* Vinum auſterum id eſt forte ventrem prouocat, & citius inebriat. Molle vero neruis valde contrarium eſt, ac venerem prouocat mediocriter.

Palladius vbi ſupra. Vinum quidam aſſerunt ex molli forte ſic fieri. Alteæ hoc eſt euiſci folia vel radices, aut eius caulem tenerem decoctum immitti, aut gypſum, aut cineres ad conchulas duas, aut cypreſſi pillulas tres, aut buxi folia quantum manus ceperit, aut oppij ſemen, & cinerem ſarmentorum, cuius commixtio corpus relinquit exile, omni ſoliditate detracta. *Pharmacum ad lympidū faciendum vinum.* Vinum vero ea die ex turbido & auſtero lympidum atque optimum fieri, ſi grana piperis decem, piſtacia viginti, adiecto modico vini ſimul conteras, & in vini ſextarios mittas, diu omnibus ante commotis, tunc requieſcere patieris, & colore vſui mox futurum. Item fæculentum ſtatim lympidum reddi, ſi ſeptem pini nucleos in vnum vini ſextarium mittas, diuque commoueas, & paululum ceſſare patiaris. Mox ſumere puritatem colarique debere, & in vſum referri.

De Vino multiplici.

CAPVT CXXIII.

COnſtantinus in Pantegni. Vinum quoddam eſt merum, quoddam de paſſis factum, quoddam mellitum, quoddam dactylicum, quoddam ordeaceum vel frumentinum, ideſt cereuiſea. Merum vniuerſaliter calidum eſt & ſiccum. Nouiter quidem è torcularī tractum in primum tranſit gradum. Vetus autem augmentatur vel minuitur natura ſua ex longitudine, vel propinquitate prælorum. Ex his quædā ſunt ſubrufa, quędam cittrina, quædā alba, quædam nigra, &c. Vina de paſſis facta ſuperioribus vicina ſunt. Mellita vero calidiora ſunt & ſicciora choleram generatiua, frigidis & phlegmaticis iuuatiua, maximèque ſi ſint aromatica. Porro dactylica cæteris vinis craſſiora ſunt & nutribiliora, melancholiam pariunt, minuſque calefaciunt. Omnis autem cereuiſia de vino, vel quolibet grano facta, craſſior etiam eſt, quàm vina dactylica, & ad digerendum duriſſima, & inflatiua, ſed digerentes multum nutrit. *Dioſcorides.* Vinum Italū quod Falernum dicitur maximè vetus digeſtibile eſt pulſum incitans, ventrem abſtinet. Euſtomachum eſt, veſicæ contrarium. Caliginem oculis inducit, multumque bibitum totum corpus lædere poteſt. Vinum albanū fortius eſt falerno, guſtu ſubdulce, ventrem mollit & digeſtibile eſt, neruis omnibus contrarium maximèque capiti. *Razi. vbi ſupra.* Vinum & omne quod inebriat corpus calefacit. Vinum album & clarum, quod non multæ patitur aquæ commixtionem, minus eſt calidum, ſed magis vrinæ prouocatiuum. Ignei vero coloris & amarum, quod magis poteſt aquam recipere, calidius eſt. Vinum itidem pingue ac dulce in quo eſt ponticitas, craſſioris eſt naturę, vinum nouū ignificationem magis generat, & venas citius implet.

Merum. *Vina vuæ paſſæ.* *Mellita.* *Dactylica.* *Cereuiſia.* *Falernum.* *Albanum.*

De Agreſta & omphacio.

CAPVT CXXIV.

AVicen. Vuæ acerbæ ſuccus agreſta dicitur, ab agreſto vel acerbo ſapore, quem nos generaliter viride ius appellamus. Eſt autem frigidum & ſiccum, pectori nociuum, ſed minus quàm acetū. *Dioſco.* Vinū omphacinum ſic conficitur in Leſbo ciuitate. Vuas in media maturitate colligūt, & in ſemetipſis matureſcere poſt vindemias dimittūt, ſicque calcāt & exprimūt. Inde vinū collectum in vaſe nouo fictili reponunt, & in ſole diebus aliquot ſuſpēdunt, huic eſt virtus ſtiptica & euſtomacha. Indigeſtionibus ſubuenit, ventris ſolutionē ſtringit, prægnantibus deſideriū tollit. Tortionibus medetur, omnibuſque morbis bibitū occurrit. Idem Omphacinū eſt ſuccus albarū vuarū immaturarū, quę ante dies caniculares ſunt colligēdæ, ſecādæ, ac reponendæ. Maximèque addita diligētia ſiccantur in æramine. Nā cum ſiccari cæperint, colligendum eſt illud quod deſuper fuerit, curæ ſit ne nocte ibi remaneant, nox enim ſiccis eſt contraria. Eligendum eſt autem rufum & fragile ac ſtipticum & linguam ſubmordens. Multi vero ſuccum acinorum expreſſum colligunt, & ſiccantes reponunt. Omphacinum faucibus & gingiuis opitulatur, & ſi habent rheuma deſiccat, impoſitum vero cū melle & paſſo dolorem aurium mitigat, fiſtulas & vulnera paſcentia mordicat, dyſsēntericis & fluxui matricis vtiliter admouetur. Inūctum caligines oculis detergit, pruriginem palpebris tollit, empicis pręſtolatur, ac venę ruptę ſuccurrit, hoc medicamen vtendū eſt liquidum, non amplius, ſed parum. Secundum alios eſt omphacinum moræ ſiluaticę & immaturæ ſuccus, qui ſole ſiccatus quouſq; frāgi poſſit, in paſtileos redigitur, & ſic reponitur. Optimum eſt autem colore rubeaſtrū & fragile paſtillū, in guſtu ſtipticum, linguā valde ſubmordens, vnde ſtringit potenter & omne profluuium confeſtim retinet.

Agreſta. *Confectio omphacini vini.* *Virtus omphacini.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Careno & ſapa & paſſo.

CAPVT CXXV.

Careni vnde dictum?

I*Sidorus*. Vinum carenum dictum eſt, eo quod feruendo parte muſti amiſſa, quod remanſit carenum eſt, cui contraria eſt ſapa, quæ feruendo ad tertiam eſt redacta.

Paſſum.

Paſſum vero dicitur quicquid ex vua paſſa cõpreſſum effluxerit, nam percutitur vua ficcior ac decoquitur & inde paſſum efficitur. *Palladius vbi ſupra.* In menſe Octobri defrutum carenum & ſapa cõgruè confici poſſunt. Cumque omnia vno genere conficiãtur ex muſto, mundus his & virtutem mutauit, & nomina.

Defruti etymon.

Nam defrutum à deferuẽdo dictum, vbi ſpiſſitudinem fortiter deſpumauerit, effectum eſt: carenum, cum tertia perdita, duæ partes remãſerint. Sapa, vbi ad tertias redacta deſcenderit. Quam tamen meliorem facient ſi cidonea ſimul cocta fuerint, & igni ſuppoſita ligna ficulnea. Paſſum vero nunc faciũt ante vindemiam. Quod Aphrica conſueuit vniuerſa cõficere leue atque iucundum, & quo ad condimentum ſi vtaris mellis vice, ab inflatione te vendices. Legãtur ergo vuæ paſſæ quàm plurimum, & in fiſcellis clauſæ iunco factis aliquatenus rariore contextu, virgis primo fortiter verberentur. Deinde vbi vuarum corpus ius contuſionis exoluerit cochleæ ſuppoſita ſporta comprimuntur, hinc paſſum eſt quicquid effluxerit, & cõditum vaſculo mellis more ſeruatur.

Confectionis paſſi modus.

De Muſto.

CAPVT CXXVI.

Muſti etymon.

I*Sidorus*. Vinum ſtatim è lacu ſublatum dicitur muſtum, dictumque creditur muſtum, eo quod in ſe terram limumque habeat mixtum. Nam mus terra, vnde & humus: cuius tanta vis feruoris eſt, vt vaſa quamuis grandia eo plena abſque ſpiramine repleta, illico diſrumpat. *Auctor*. Muſtum validiſſimum eſt adeo, vt ſi aerem non habeat, vas etiam ſolidiſſimum penetret. Nempe feruet, ac ſe ſe tumultuosè commouet, & niſi reſpirationem habeat, in vaſe ſe continere non valet, dum autem ſic paratur, purificatur, & ad bibendum aptum efficitur.

Palladius vbi ſupra. Muſtum quod per pluuias frequentes leue eſt, ſic curari iuſſerunt, quod probari guſtu ipſius poterit. Omne muſtum decoqui iubent donec pars eius viceſima poſſit abſumi, meliuſque fieri ſi centeſimam partem gypſi adijcias. Lacedæmones vero ferunt eo vſque decoquere, donec vini quinta pars pereat, & quarto anno vſibus miniſtrare. Vt autem fermentum muſtorum ſerues, ex nouo trunco purgato farriculum facies, & muſto ſub pedibus rapto curabis infundere, ita vt modico farris lagenam muſti adijcias, deinde ſole ſiccabis & iterum ſimiliter infundis & ſiccas, hoc cum tertio feceris, panes ex eo breuiſſimos admodum facies muſtorum, & in ſole ſiccatos vaſculis nouis fictilibus recondis & gypſas, ſicque pro fermento quo tempore anni muſteos facere volueris, hoc vteris. *Iſaac*. Recens vinum pro humiditatis ſuæ abundantia, & caloris paruitate & propter ebullitionẽ, ſuiq; turbiditatẽ malos generat chymos, terribilia inducit sõnia. Ventoſitatem & inflationem ſtomacho nociuam, & opilationem in vrinæ vijs creat.

Cõfectio fermenti ad faciẽdum muſteos.

Recentis vini effectus.

De Mero.

CAPVT CXXVII.

Merum.

I*Sidor*. Vinum autem purum ſignificamus cum merum dicimus, ſicut & aquam meram nulli vtique rei admixtam. *Conſtantinus vbi ſupra.* Merum vniuerſaliter calidum eſt & ſiccum. Quod multum calidum eſt in cuſtodienda ſanitate, ſi in aqua ſit mediocre. Calorem naturalem confortat & augmentat ac per omnia corporis membra diſpergit. Animam quoque refocillat, gaudium & audaciam præſtat, virtutem etiam corporis augmentat. Choleram rubeam cum ſudore expellit vel vrina, choleramque nigrã temperat, quia calefacit & humectat. Solida ergo ac dura membra & ſicca ex labore & fatigatione nimia humectat, defectionem ægrotis tollit. Vires reducit. Corpora impinguat, quia virtutem appetitiuam confortat, digeſtiuam adiuuat, membra nimium ſicca ex ægritudine diuturna humectatione aquæ ac cibi recreat. Vẽtoſitatem & inflationem diſſoluit, ſi quis temperatè non ad ebrietatem biberit. Frequenter enim inde inebriati varias infirmitates patiuntur, turbationem mentis, ſtultitiam virtutis, & animi defectionem, quia venis cerebriq́ue ventriculis repletis, calor naturalis extinguitur & infrigidatur, vnde apoplexia generatur, epilepſia comitatur, paralyſis ſequitur, tremor ſuccedit, & ſpaſmus. Actiones autem fieri diuerſitates generant complexionum corporis & organi, cuius ſcilicet meri natura quinque modis diuerſa eſt, in colore, liquore, odore, in ſapore, in tempore.

Virtus & operatio meri.

De Aceto & eius natura ac mira virtute.

CAPVT CXXVIII.

I*Sidorus*. Vinum aqua mixtũ cito redigitur in ſaporẽ acidũ, vnde dicitur acetum quaſi acidũ, vel quaſi aqueum, & acidum quaſi aquidum. *Iſaac*. Acetum omne ex dulci vino fit. Nam cum coquitur calore ſolis & aeris vt bulliens non habeat vim qua cuſtodiatur liquor eius & putreſcit & in acetoſitatem vertitur.

Aceti etymõ.

Platearius. Acetum frigidum eſt & ſiccum in ſecundo gradu, penetratiuam habet virtutem & diuiſiuam ex ſubſtantia, & conſtrictiuam ex qualitatibus. Si ponatur vinum bonum in vaſe, ita quod ſit ſemiplenum tantum & diſcoopertum, ſic poteſt fieri acetum vel etiam citius, ſi calefacias chalybem vel lapides & pones in vino ore vaſis remanente diſcooperto, vel ſi vas ponatur ad ſolem per duos dies vel tres. Vt autem probetur acetum ponitur ſuper terram, vel ſuper ferrum, ſi bullierit bonum eſt, ſin autem non.

Confectionis aceti modus.

Palladius lib. 8. Fit & acetum ſcyllinum hoc modo. Squillæ albæ crudæ proiectis duris & quæ extrinſecus ſunt poſitis omnibus, teneram medietatem ad libram, & ſex vncias per minutas partes reſcindes, & in aceti acerrimi xij. ſextarijs merges, vas ſignatum xl. diebus patieris eſſe ſub ſole, poſt abiecta ſquilla acetum digeſtioni & ſaluti erit accommodum. Squillæ dragmas 8. aceti ſextario 20. mittis in vaſculo, & piperis vnciam vnam mente & caſſiæ aliquantum & poſt tempus vteris.

Probatio aceti.

Plinius lib. 9. Guſtu aceti ferunt murænas in rabiem agi: Aceti quoque vis & aſperitas in tabem reſoluit margaritas. *Idem in libro 10.* Quæ aceto macerata in tãtum emoliuntur vt per anulos trãſeant. Fœminæ porcorum tempore coitus intantum efferantur, vt hominem lacerent, candida maximè veſte indutum, eaque rabies mitigatur aceto, naturæ aſperſo.

Idem in libro 13. E Cypria ficu fit acetum præcellens. Acetis autem ineſt nequitiæ virtus magnos ad vſus. Ceram accipientibus vaſis compertum eſt aceſcere vina. Sed transferre in ea vaſa in quibus fuerit acetum, vtilius eſt, quàm in ea in quibus fuerit dulce vel mulſum. Vitruuius de architectura libro 8. Ouum ſi in aceto diutius poſitum fuerit, cortex eius molleſcit, & diſſoluitur. Item plũbum, quod eſt lentiſſimum & grauiſſimum ſi in vaſe collocatum fuerit, & in eo acetum ſuffuſum, diſſoluetur plũbum, & fiet ceruſſa. Æs etiam ſolidius natura ſi ſimiliter curatum fuerit, diſſoluetur, & fiet ærugo. Item margarita non minus ſaxo ſilicea, quã nec ferrum nec ignis diſſoluere poteſt cum ab igne percalefacta fuerit aceto ſparſa diſſilit & diſſoluitur. *Auctor*. De aceti quoque proprietate dictum eſt ſuperius, vbi videlicet inter

Rabies porcina aceto mitigatur.

Acetum diſſoluit plumbũ, æs, margaritas duras.

aeris

aeris impreſſiones dictum eſt de vaporibus & exhalationibus.

De medicinali eiuſdem operatione.

Caput CXXIX.

Temperamentũ aceti.

Iſaac vbi ſupra. Vinum acidum vel acetum infrigidat in primo gradu, & deſiccat in tertio. Vnde propter ſuę frigiditatis debilitatem perforat velociter corpus vſque ad loca remota, & facit ibi quod in vino fecit. Eſt itaque conueniens ad membra refrigerãda à ſtomacho remota, diſſolutiuum eſt & attenuatiuum. Diuturnæ tuſſi ex phlegmate occurrit. Nocet tamen nouæ tuſſi maximè ex ſicco exagitatæ. Coctũ cum cibis vel cum aliqua re ſi manducetur ſtomachũ confortat, appetitum excitat & augmentat, ac malis humoribus ad ſtomachum fluentibus repugnat.

Virtus.

Platearius. Vſus aceti contra vomitum eſt, & fluxũ ventris. Syrupus acetoſus valet ad tertianam, & duplicem tertianam, ac quotidianam de ſalſo phlegmate, diuidit enim materiã, fit autem ex aceto & ſaccharo, daturque contra calidam materiam. Acetoſum confortat appetitum. Si inuenit ſtomachum plenum, tunc laxat. Si vacuum, ſtringit, valet contra debilitates ex ægritudine. Valet & contra lethargiam & phreneſim ſi fricatio fiat circa volas manuum & pedum cum ſale & aceto.

Contra lethargiam.

Plinius libr. 23. Aceto ſumma vis in refrigerando, non tamen minor in diſcutiendo. Infuſum terræ ſpumat per ſe hauſtum faſtidia diſcutit, ſingultus cohibet, ſternutamenta olfactu. In balneis æſtus vini arcẽt, ſi ore contineatur, quin & ſi cum aqua bibatur, lepris, furfuribus vlceribuſque manantibus, canis morſibus, ſcorpionum ictibus & ſcolopendrarũ muriſaraneique medetur, & valet contra venena omniũ aculeorum atque pruritus. Item contra multipedum morſus. Sedis quoque vitijs in ſanguinis fluxione poſt exciſos calculos medetur, ad cõglobatum ſanguinem bibitur & imponitur. Siſtit aluum & rheumatiſmos cum infunditur. Tuſſim quoque veterem & gutturis rheumatiſmos inhibet, orthopnoeam ac dentium labefactionem. Itemque potum contra aſpides valet. Veſicæ autem ac neruorum infirmitatibus nocet.

Curationes ex eo.

Adhuc de eodem.

Caput CXXX.

Idem repetitur ex alijs.

Auicenna. Vinum acidum vel acetum ex caliditate & frigiditate compoſitum eſt, & ambæ eius ſubſtantiæ ſubtiles ſunt. Frigida vero magis dominatur. Eſt autem fortis exiccationis, prohibetque effuſionem materierum ad interiora, & ſubtiliat, & incidit, prohibet etiam fluxum ſanguinis, ſi eſt exterius, & ſuper eum effunditur. Item prohibet apoſtema vbi eſt præparatio vt fiat, & adiuuat digeſtionem, aduerſatur phlegmati. Cõfert cholericis, nocet melãcholicis, prohibet ambulationẽ omnis apoſtematis, & cõfert panaritio & formicæ, & eriſipilæ, & vlceribus ambulatiuis, & ſcabiei & impetigini, & aduſtioni ignis omni re velocius. Nocet autem neruis. Valet cum ſuiphure ſuper podagram. Confert ſoda calidæ quando lana eo infuſa ſuper caput ponitur calida. Oris ex eo collutio confert morſui vel ſanguinationi dẽtium. Vaporatio aceti confert difficultati auditus, & acuit ipſum, & reſoluit ſonitum. Linitur autem cum melle ſuper occultationem ſanguinis, quę eſt ſub oculo, ſed eius aſſiduatio debilitat viſum. Minorat autem vuam, & abſcindit gargariſmus ex eo fluxum humoris ad guttur. Sorbetur & ad ſanguiſufas & ad tuſſim antiquam, & ad difficultatem dilatationis calefactum, conuenit autem ſtomacho calido & humido, diſrumpens appetitum, & adiuuans ad digerendum: eius quoque euaporatio reſoluit hydropiſim, eius autem aſſiduatio quandoque hydropiſim adducit. Effunditur autem ſuper morſus venenoſorum. Et confert ei qui in potu ſumpſit opium vel iuſquiamum. Bibitur etiam quandoque calefactum poſt medicinas mortales & confert.

Nota.

Razius. Acetum frigidum eſt & ſiccum. Quod & maximè efficit, & vires deſtruit, ſperma quoque minuit, & choleram nigram corroborat, rubeam vero choleram ſanguinemque debilitat, & cibos quibus admiſcetur ſubtiliat.

Podagra opitulatio.

Dioſcorides. Acetum virtutem habet ſtipticam eu ſtomacham, faſtidium tollit. Omnem fluxum ſanguinis bibitum, & rheuma ventris impoſitum abſtinet, pulmentarijs coctum accipi debet. Recentibus vulneribus, gingiuis ſanguinolentis opitulatur. Paſcentia vulnera ſanat. Fomento ſacrum ignem & lepras compeſcit, araneas ac zernas & pterigia detergit. Cum melle ſuperunctum liuores emendat. Æſtuationes cum oleo & cum ſpongijs impoſitum iuuat. Podagricis cum hircina axungia impoſitum opitulatur.

De fœce vini & aceti.

Caput CXXXI.

Fœcis etymõ.

Iſidorus. Vini fœx dicta eſt eo quod ſeſe vaſis immergendo affigat. *Plinius libro* 14. Fœx vini ſiccata recipit ignes, ac ſine alimento per ſe flagrat. Cinis autem vitri naturam habet, eaſdemque vires, ſed amplius eſt eo quod pinguior ſentitur. *Idem in libro* 20. Fœci vini tanta vis eſt deſcendentes in cupas enecet. Experimentum dimiſſa præbet lucerna, quàm diu extinguatur deſcenſionis periculum denunciãs. Illa miſcetur medicamentis. Cum iridis pari pondere eruptionibus pituitæ illinitur. Et ſicca vel madida contra phalangia, & teſtium mammarumque inflammationes vel in quacunque parte corporis. Item cum ordeacea farina & thuris polline in vino decocta crematur & ſiccatur. Indeque experimentum eſt legitimæ coctæ vt refrigerata linguam tactu videatur vrere. Celerrimè exanimatur non incluſo condita. Crematio multum ei virium adijcit. Vtiliſſima eſt ad cõpeſcendas lichenas furfureſque cum fico decocta, ſic & lepris & vlceribus manantibus imponitur, fungorum naturæ contraria eſt pota, & magis cruda. Oculorum medicamentis cocta & lota miſcetur, in vino contra ſtrangurias bibitur. Cum expiauerit quoque lauandis corporibus & veſtibus vtilis. Fæx aceti pro materia acrior ſit neceſſe eſt, multoque magis exulceret. Reſiſtit ſuppurationum incrementis, ſtomachum, intranea, ventrem adiuuat. Siſtit earum partium rheumatiſmos, & mulierum menſes, pannos diſcutit nondum exulceratos & anginas. Cum cera ſacros ignes, vngues ſcabros aufert. E ſerpentibus contra ceraſtas validiſſima eſt cum polenta, cum melanthio autem contra crocodili morſus & canis.

Nota experientiam.

Virtus medicinalis.

Razius. Fœx vini calida & phlegmones diſſoluit. Fœx autem aceti non calefacit, ſed phlegmonum calorem ſuper ipſos epithemata reprimit.

Fœx melior qua?

Auicenna. Fœx melior & ſanior eſt vini veteris, deinde quæ ſimilis eſt ei. Fœx autem aceti fortior eſt omnibus alijs. Virtus eius abſterſionis eſt ſtiptica, & aduſta eſt aduſtiua, & putrefactiua virtute alia. Aduritur autem ſicut ſpuma maris in vitreata luto linita, aut in olla, donec albeſcat, & puluerizetur. Omnis autem fæx adminiſtranda eſt, dum recens eſt. Vetus enim eſt debilis virtutis, & oportet vt in vaſe cooperiatur, & non appareat aeri. Aduſta quidẽ adminiſtratur in vngue albificato cũ gumma pini, & rectificat ipſũ. Nõ aduſta vero confert inflationi, & exiccat bothor, in quo ſunt vlcera: prohibet fluxum materierum ad ſtomachum, & emplaſtrũ ex ea confert fluxui ſanguinis menſtrui. *Dioſcor.* Vini fœx eligenda eſt vini ſtiptici, veteriſque. Fœx autem aceti fortior eſt, comburendæ verò ſunt, ſicut alidenum. Nam ante ſiccatæ ponuntur ſuper carbones in teſta, quandiu igneſcunt. Signum combuſtionis earum bonum eſt, quando albę, ac

Fœx vetus debilior.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

velut exanimæ exeunt, linguæque applicatæ exulcerant: virtus est ei caustica, & stiptica valde. Recentes vsui aptæ sunt. Nam vetustate virtutem perdunt, & etiam si à vento munitæ non fuerint, lauantur autem sicut *ponsilix*: fœx non combusta pustulis prodest cum myrrha adhibita. Rheuma ventris, & stomachi abstinet, matrices similiter stringit, super pectinem imposita, lactis humorem mammarum compescit. Combusta verò, & cum resina imposita leprosos vngues excludit. Oleo citonio mixta capillos rufos vnctione facit. Lauata verò collyrijs nobilibus pro modio miscetur. Cicatrices lympidat, & caligines oculis detergit.

Ponsilix.

De Tartaro, siue granella.

CAPVT CXXXII.

Latearius. Vinum quidem in dolio positum per ebullitionis motum terrestres partes in essentiam crassam mutat, quæ dolio adhærent: id tartarum appellatur, ac per annos 30. seruatur, Virtutem habet dissoluendi, extergendi, atque attrahendi. Sciendumque, quod ex vino meliori est melius, ac purius est: ad scabiem, ac serpiginem lethargici puluis in aceto ponitur, & mane super ignem resoluitur: de hinc oleum nucum, & tartari puluis in duplo prædictorum imponitur, & ab igne statim deponitur, indeque patiens inungitur. Porro staphysagriæ semen in aqua diu bulliat, & ex aqua illa & tartaro commixtio fiat, hoc capitis furfuriscas remouet, ipso capite inde loto, vel inuncto. Item puluis eius pinguedinem consumit in cibis exhibitus. Datur autem hic puluis addito puluere masticis propter violentiam ipsius cum aliquo electuario delicato, vt diapenidio, & similibus. Siquidem etiam hoc puluere cum aliquo electuario vtuntur Saraceni, sicut & nos laxatiuis. *Auctor.* Id quod Platearius appellat Tartarum nos granellam dolij, vel alumen vocamus, de quo nihil aliud inuenisse me memini ab authoribus.

Tartarum quid.

Virtus.

Granella. Alumen.

De vinis factitijs, vel conditis.

CAPVT CXXXIII.

Linius lib. 14. Quia laudatissima apud antiquos erant odore myrta condita, innumerabilia quoque genera vini factitij sunt reperta. Omnia quidem ad vsum medicinę pertinentia. In Archadia dicitur vinum fieri, quod fœminis importat fœcunditatem, viris rabiem, ac in Achaia partum abigi vino ferunt, atque etiam si vuam edant grauidæ, cum differentia in gustatu non sit. Troecenium vinum, qui bibunt, generare negantur. Tasij vnum vinum faciunt quo somnus concilietur, alterum quo fugetur: apud eosdem Thasos vitis theriace vocatur, cuius & vinum & vua contra serpentium ictus medetur. *Palladius libr. 11.* In condiendo vino aliqui Græcorum mustum ad medietatem, vel tertiam partem vino adijciunt. Quidam resinę siccæ tritæ vncias tres dolio immergunt, & promouent, & vina diuretica sic posse fieri, persuadent. Item vinum, quod salutare contra pestilentiam sit, & stomacho prosit fieri fertur hoc genere. In optimi musti metreta vna, antequam ferueat tusi absinthij 8. vncias lintheo inuolutas dimittas; Id vinum refundas lagenis minoribus, & vtaris. *Auctor.* Sunt autem & multa vinorum genera condita ex rebus, quibus conficiuntur vocabula sortita, verbi gratia, *absinthiacum, arsarinum, camedricum, chameleacum, daucinum, dictamnicum, euphaagicum, gypsatum, mandragoreticum, nardinum, squilliticum, ysopicum.*

Vinum archadicum.

Vitis theriace.

Vinũ contra pestilentiam.

De quarundam proprietatibus per nomina singulorum.

CAPVT CXXXIV.

Dioscorides. Vinum absinthiacum, videlicet ex absinthio, ac resina, & vino confectum, aliquantulum virtutem habet eustomachã, *hepaticis & nephreticis & ictericis* medetur, digestionem temperat, fastidium tollit, dolorem stomachi cõpescit, tensurã hypocondriorum soluit, inflationibus stomachi subuenit, lũbricos rotundos occidit & excludit, venenis opitulatur. Vinum asarinum, idest asaro mixtum, hydropicos & ictericos medicatur, dysuriæ quoque & hepaticis, asciaticis præstat effectum. Vinum chamedricum cõficitur, sicut hyssopicum. Virtus est ei thermãtica & solutoria, dolori lateris, & ictericis medicatur, & inflationibus opẽ prẹstat, digestionẽ parat, hydropicos etiã in initio iuuat, & maximè vetus factum. Vinum chameleacum conficitur ex chamelea frutice, cum cæperit florere. Flores enim & folia collecta & tusa cribellantur, & in vrceolo cum vino missa, post duos mẽses funduntur, atque liquantur, hoc hydropicis & hepaticis medetur, lassa corpora reficit, & causis quibus stiptica medicamina necessaria sunt, vtiliter adhibetur. Vinum daucinum idest ex dauci radicibus confectum sanguinem reijcientibus subuenit, tussim & lateris dolorem compescit. Renum quoque dolores iuuat, quassationibus, & de alio cadentibus medetur, & menstruis imperat. Vinum dictamnicum idest ex dictamno confectum oris fætorem & stomachi cõpescit, menstruis imperat, secundinas excludit. Vinum euphaginum, idest saluiacum sanguinem reijciẽtibus proficit, tussim lateriſque dolores compescit. Vinum gypsatum venenis omnibus est cõtrarium. Est autem calidum, neruisque contrariũ acceptum. Caput etiam grauat, & totum corpus similiter, vesicę quoque inutile. Vinum mandragoreticum idest ex corio radicis mandragoræ lino inserto confectum, addito dulcore dari debet, facitque scaroticum idest grauẽ somnum. Vinum nardi agrestis, idest ex ea confectum dyssurijs & hepaticis præstolatur, stomachi etiam inflationibus opitulatur. Vinum nectareum, videlicet ex herba, quam alij menalion, alij medicam, alij simphicon, alij deamorestin, alij nectaream vocant confectum, dolorem stomachi compescit, vrinam prouocat, & causas thoracis medicando componit.

Vinum absinthiacum.

Asarinum

Chamedricũ

Chameleacũ

Daucinum.

Dictamnicũ.

Euphaginũ.

Gypsatum.

Mandragoreticum.

Vinũ nardi agrestis.

Nectareum.

Adhuc de reliquis eorum.

CAPVT CXXXV.

VInũ picinum idest ex pice liquida confectũ. Virtutẽ habet thermanticã & pecticam, vtile est intraneorũ vulneribus. Tussim sedat, digestionẽ tẽperat, inflationibus medetur, asmaticis prodest, atque laxationibus. vinũ pituinũ, videlicet, quod resinã pituinam habet calidũ, ac digestibile, hęmoptoicis, & vomitibus cõtrarium. Vinũ prassiten idest ex folijs prassij recentis confectũ omnes causas thoracis soluit, & prassio simile est in virtute sua. Vinum rosaceum, videlicet rosis siccis, ac tusis in lintheolo ligatis, & in musto missis datur vtiliter febrientibus. Stomachi dolorẽ lenit, digestionẽ prẹstat, rheuma quoque vẽtris, ac dysſenteriã cõpescit. *Palladius lib. 6.* Ad faciendũ rosatum 5. libras rosę pridie purgatæ in 10. sextarijs vini veteris merge, & post 30. dies 10. libras despumati mellis adijce.

Idem in libro 8. Vinum scillite sic faciendũ. In Iulio mense Scyllã de montanis, aut maritimis locis sub ortu canicularum procul à Sole siccamus, ex hac in vini amphora vnius libræ mensurã mittimus, resciſis tantis superfluis, & abiectis folijs, quibus pars extrema vallatur. Quidã velamina ipsa filo inserta suspendunt, vt vino infusa mergantur, & non admixta fęcibus post 40. dierum spacium inserta, quę appensa sunt, auferãtur, hoc vini genus tussi resistit, ventrẽ purgabit, phlegma dissoluit. Spleneticis proderit, acumen præstabit oculorum, concitabit digestionis auxilia.

Picinum.

Vinum pituinum.

Prassiten.

Rosaceum.

Confectio rosati.

Vini scyllitis confectio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Dioſcorides. Vinum ſcylleticum eſt vtile digeſtioni, eſcarumque corruptioni. Vomitum & ſpiſſos humores ſtomachi compeſcit. Spleneticis & ictericis prodeſt, ventremque ſoluit, hydropicis & dyſſurijs opitulatur. Inflationibus paralyticis, & ſtomaticis præſtolatur. Venenatis etiam vtiliter datur, etiam frigora, doloremque lateris iuuat, menſtrua prouocat. Hoc tamen vinum ſi dulce bibatur, neruis contrarium inuenitur. Hoc etiam caueatur, ne febrientibus, aut intraneis vulneratis detur. Vinum byſſopicum ad thoracis, & lateris dolores facit, tuſſim antiquam compeſcit, aſmaticis & dyſſurijs opitulatur, frigora periodica prohibet, menſtruis imperat. *Auctor.* Multa quoque temporibus noſtris increſcente luxuria conficiũtur alia vinorum genera, vt gariophyllatum, ſpicatũ, floratum, & ſimilia.

Virtus medicinalis vini ſcylletici.

Vinum byſſopicum.

Palladius lib. 3. Porro conditum, vel abſinthiacum, vel roſatum, vel violaceum procedere ſponte fertur ex vitibus, vt natura ſuſcipiat, quod procurare ſuenit induſtria. Si ſarmenta in vas aliquod ſemiplenum ſupradictis potionibus merſa ſeruentur, vt in vnam terram viuam ſimul reſoluas ad lixiuij modum, donec oculi ſarmentorum nitantur exire. Tunc eadem ſarmẽta germinantia in quo volueris loco vitium cæterarum more deponas.

De vinis pomorum, & primo malorum granatorum.

CAPVT CXXXVI.

Vini ex malogranatis virtus.

Idem in libro 11. Vina ex pomis in Octobri menſe rectè conficiuntur omnia, quę in locis ſuis leguntur. Vina pomorum omniũ vtilia ſunt neceſſiratibus medicinæ, vt vinum, quod ex malis granatis, tuſis, & expreſſis cõficitur, donec ad tertiam redeat, decoquitur: hoc intraneorum rheuma prohibet febrientibus, ac dyſſentericis vtiliter adhibetur, euſtomachum eſt, & ventrem ſtringit. *Idem.* Maligranati (vt ſupra dictum eſt) omnis ſuccus euſtomachus eſt. Duo ſunt eius genera, dulce, & acre. Dulcis ſuccus eſt ſtomacho cõtrarius, ex parte calefaciens, ſed inflationem faciens. Vnde contrarius eſt febricitantibus, eſt etiam virtutis diureticæ, & ſtipticæ, & anaſtomachæ. In vino etiam virtutem habet mediam. Idem ſuccus expreſſus, & coctus admixtus melle vulnera percurat oris, & naturæ pterigia, & paſcentia vulnera, recentiaque abducit, dolores dentium tollit. *Palladius libro* 4. Vinum de malis granatis conficies hoc modo. Grana matura purgata diligenter in palmea fiſcella mittis, in cochlea exprimis, & leniter coques vſque ad medietatem. Cum refrixerint, picatis & gipſatis vaſculis claudis. Alij ſuccum non excoquunt, ſed ſingulis ſextarijs ſingulas libras mellis miſcent, & in prædicta vaſa condiunt, & cuſtodiunt.

Modus conficiendi dictum vinũ.

De vino cidoniorum, & pyrorum, atque malorum.

CAPVT CXXXVII.

Virtus Cydonici vini.

Dioſcorides. Vinum cidonium, quod ſcilicet ex malis cidonijs abintus purgatis & inſciſis muſto commixtis conficitur. Virtutem habet ſtipticam, euſtomacham ventrem ſtringit, dyſſentericis opitulatur, hepaticis ac phreneticis, & dyſſurijs medetur. *Idem.* Fit ex cydonijs vinum, cuius colore deſideria fallũtur lãguentium. Nam ſæpe guſtu & odore cuiuſlibet vini veteris imaginem repræſentat. Ideoque Græci hoc hydromel appellant. Ex multis autem compoſitionibus melior eſt hęc, & vtilior traditur. Poſt æſtus caniculares aqua, quæ per ſe ex imbribus Nouembris infuderit, mundo vaſe ſuſcipitur, & in vmbra poſita transfuſa colatur. Tunc cidonia iuſtæ maturitatis ex ligno interiore purgata, & in fruſta conſciſa eidem aquæ immerguntur, & tamdiu cum ea relinquuntur, donec in ſuccum tranſiſſe malorum vini colore probatur: hanc diligenter liquatam in vaſe ſeruari ſolenne eſt in loco abſque fumo maximè, & Soli negetur acceſſus, ſi fieri poteſt. Itaque menſe ſeptimo licebit vti pro vino.

Hydromel.

Compoſitio hydromelis.

Vinum quoque pyratum fit de pyris nõ valde maturis, ſicut de cidonijs tritis. *Palladius libr.* 3. Vinum de pyris fit. ſi contuſa & ſacco rariſſimo condita ponderibus comprimantur, aut prælo, hyeme durat, ſed prima aceſcit æſtate. Acetum ſic fit de pyris. Pyra ſilueſtria, vel aſperi generis matura in cumulo reſeruantur per triduum, deinde mittuntur in vaſcula, cui montana aqua, vel fontana, vel pluuialis aqua miſcetur, & opertum vas per 30. dies relinquitur, ac ſubinde quãtum ſublatum fuerit ad vſum aceti, tantum redditur aquæ ad reparationem. *Liquamen de pyris caſtimoniale ſic fiet.* Pyra maturiſſima cum ſale calcantur integro, vbi carnes eorum fuerint reſolutæ, vel in cupellis, vel in vaſculis fictilibus picatis conduntur, poſt menſem tertium ſuſpenſæ hæ carnes liquorem demittunt ſaporis iucundi, ſed coloris albiduli: contra hoc illud proderit, vt tempore quo ſaliunt vina nigella, pro aliqua parte permiſceas. *Auctor.* Vinum quoque fit ex diuerſis ſpeciebus malorum in locis, vbi hi fructus abundant, & eſt plurimum inflatiuum, appellaturque ſicera vulgariter, ſed ſicera teſte Iſidoro communiter dicitur omne quod inebriare poteſt.

Vinum pyratum.

Compoſitio liquaminis caſtimonialis de pyris.

ſicera.

De vino meſpilato, & dactylico, ac virtute fructuum cæterorum.

CAPVT CXXXVIII.

Vini meſpilati virtus.

Dioſcorides. Vinum meſpilatum, & ſiliquatum ſimiles habent ſupradictis cõfectiones. Virtutem habent ſtipticam, & euſtomacham. Itaque rheuma intraneorum compeſcũt. *Plinius libro* 14. Vinum quoque fit è palmis quo Parthi & Indi vtuntur, & orien's modio in tribus aquæ congijs macerato, & expreſſo.

Dioſcorides. Vinum dactylicum, ſiue palmaticum conficitur è dactylis maturis non primis miſſis in dolium muſti in fundo perforatum, linoque operculatum, poſt dies 21. lintheolus de cauerna tollitur, & vt liquet vinum ſpiſſum dimittitur, & in vaſe reponitur. Eſt autem dulce, virtuſque illi eſt ſuauis, & rheumatiſmis eſt vtile, dolorem tamen commouet capitis, & eſt ſtipticum. Ideoque ſtomachis medetur, ac cæliacis & hæmoptoicis. *Conſtantinus in Pantegni.* Vinum dactylicum (vt ſupra dictum eſt) vinis cæteris craſſius, & nutribilius eſt. Melancholicam parit, minuſque calefacit.

Cõfectio dactylici.

Dioſcorides. Vinum cedrinum conficitur ex cedria dulci aqua lota & muſto immixta. Virtus eſt illi thermantica & leptomerica, non febrientibus detur. Tuſſim veterem tollit. Dolorem lateris & thoracis compeſcit. Tortionibus & vulneribus inteſtinorum medetur, vulnera ventris curat, empicis & hydropicis præſtolatur, lumbricos occidit, morſibus venenatis occurrit, dolores etiam aurium mitigat infuſum.

Cedrinum.

Vinum myrtinum conficitur ex myrto matura, tuſa, & expreſſa. Multi verò myrtum in Sole ſiccatam tundunt, cui admiſcent aquam, & vinum auſterum & diutius infundere dimittunt, poſtea exprimunt ac reponunt. Virtus eius eſt ſtiptica, & euſtomacha. Rheuma ventris, & ſtomachi abſtinet, intraneorum vulnera curat, & capillos inficit. *Palladius lib.* 2. In menſe Ianuario vinum myrti fit hoc modo. In vini veteris vrbicis ſextarijs decem mittis grana myrti confracta ſextarios vrbicos tres, quæ ſint 19. diebus infuſa, poſtea expreſſis myrti granis colabis & in eo vino mediũ croci ſcrupulum, & folij vnum ſcrupulum mittis, & ex mellis optimi decem libris omnia temperabis. *Idem in libro* 3. In Februarij vero mẽſis initio myrti vinũ aliter facies hoc modo. Mitte vini veteris decẽ ſextarios in lagenam & baccarum myrti libras quinque miſcebis. Cum 22. dierum ſpacio confuſa tranſegerint, per

Vini myrtini confectio & operatio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quos vas quotidie conuenit agitari, tunc palmea ſporta colabis, & prædictis decem ſextarijs mellis optimi fortiter triti pondo quinque miſcebis.

Ficites. *Plinius vbi ſupra.* Vinum etiam fit è fico, quod *ficites* dicitur, aut ſi dulce eſſe non libeat pro aqua tantundam vinacearum adijcitur. E cypria ficu fit & acetum præcellens, Alexandrino quoque melius.

De Viſco.

CAPVT CXXXIX.

Viſci confectio. PLinius libro 16. Viſcum fit ex acinis, qui colliguntur tempore meſſium immaturi. Nam ſi aceſcerint imbres amplitudine quidem augentur, viſca vero marceſcunt, vel marceſcunt. Siccantur poſtmodum aridiq́ue condiuntur, & in aqua conditi putreſcunt duodenis ferè diebus, vinumque hoc putreſcẽdo gratiam inuenit. Inde vero in profluente rurſus malleo tuſi, amiſſis corticibus, interiore carne lenteſcunt, & hoc eſt viſcum pennis auium tactu ligandis, iuglandis oleo ſubactum, cum libet inſidias moliri.

Viſci triplex acceptio. *Auctor.* In ſumma notãdum, quod viſcus, ſiue viſcum multipliciter accipitur. Siquidem & viſcus naſcitur, & viſcus multifariè conficitur. Ideoque de viſco pluribus in locis in hoc opere tangitur. *Vnum eſt,* quod videlicet de plantis, ſiue de terræ naſcentibus colligitur. Nam viſcus, ſicut in tractatu de herbis cõmunibus dictum eſt ſuperius, eſt ſpecies plantæ, quæ naſcitur in arboribus, verbi gratia, in robore, pruno ſilueſtri, terebintho, quercu, & ilice. Sic etiam in arboribus creſcit, ac viuit polypodium, & agaricum, ac ſerpillum. Propterea ſecũdo, ſicut in tractatu de gummis, acſuccis arborum dictũ eſt ſupra iuxta Dioſc. eſt lachryma arboris lenis ac viridis, intus obrufa, & nihil aſperum habens. Colligitur & de ſemine obrotundo, quod in arbore dryos naſcitur, habente folia ſimilia buxo. Tertium eſt genus viſci, quod non naſcitur, ſed ad corpora conglutinanda ex diuerſis rebus conficitur, verbi gratia. Ex grano frumenti, vel ex natatorio, quod inuenitur in quibuſdam piſcibus marinis, vel alijs etiam quibuſdam rebus glutinoſis. Fit etiam ex corticibus quarundam arborum ad capturam auium, vel muſcarum. Denique (ſicut dictum eſt ſuperius) ex omni genere viſci creſcentis in arboribus ad aues capiendas per decoctionem fieri poteſt viſcus. Hoc autem diximus occaſione illius viſci, qui ex acinis (vt dictum eſt) ſolet confici. Hæc itaque nunc de fructibus arborum, ac ſuccis eorum collecta ſufficiant.

Quod nihil inutile terra germinat, vel producit.

CAPVT CXL.

Nihil inane producꝛum. AMbroſius in Hexaemeron lib. 3. Singula ergo eorũ, quæ generantur in terris, ſpecialem quandam rationem habent, quæ pro vili portione complent vniuerſam creaturæ plenitudinem. Alia ergo eſui. Alia naſcuntur vſui. Nihil vacat, nihil inane terra germinat, quod tibi putas inutile, alijs immo tibiipſi frequenter alio vſu eſt vtile. *Quod eſcam non adiuuat, ſuggerit medicinam,* & ſæpe, quæ tibi noxia ſunt, auibus aut feris innoxium pabulum miniſtrant. Sturni veſcuntur & conio, nec fraudi eſt eis, quia pro qualitate ſui corporis venenum pabulis lætale euadunt, dum vim eius frigidam præcoqua digeſtione præueniunt, priuſquam vitalia ipſa prætentet: helleborum periti loquuntur eſcam eſſe coturnicum, eo quod naturali quodam temperamento ſui corporis, vim pabuli nocentis euitent. Nec illud præterit, quod conio plerũque furores libidinum marcuerunt, & elleboro vetuſtæ paſſiones ægri corporis ſolutæ. Non ſolum ergo nulla in his reprehenſio creatoris, ſed etiam incrementũ eſt gratiarum. Siquidem, quod ad periculum putabas eſſe generatum, remedia tibi ſalutis operatur. Nam & id quod periculi eſt, per prouidentiã declinatur, & id quod ſalutis per induſtriam non amittitur.

Cibus ſturnorum & coturnicum.

Auctor. Hucuſque à principio ſexti lib. proſecuti ſumus opera tertiæ diei, quæ omnia cum cæteris, quæ præcedunt ad diſpoſitionem vtranque pertinent mũdi. Nam & ſi plantæ mutantur per augmentum terræ, tamen fixæ adhęrentes nequaquam mouentur de loco ad locum, ideoque cum ipſæ ſint certę, dicuntur ad diſpoſitionem terrę pertinere potius, quàm ad ornatum. Porro in libro ſequenti proſequendum eſt opus quartæ diei.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS
Tomus Primus.

LIBER DECIMVSQVINTVS.

De formatione cœleſtium luminarium.

CAPVT I.



VGO de ſex diebus. Poſtquã in firmamento inter aquas poſito ex ipſis aquis circũpoſitis tantus calor innatus eſt, vt per eum aquam ſtabilem in ſe contraheret, ac ſic arida appareret, contigit naturaliter, vt ex illa multitudine aquarum ad firmamentum per tertiæ diei calorem contracta ſtellarum corpora crearentur. *Comeſtor.* Sic ergo quarto die, quę diſpoſuerat, Deus cœpit ornare rebus illis, quæ intra mundum congruis motibus agerentur. Plantæ ergo, quia terræ hærent, ad diſpoſitionem eius magis quaſi ſpectant, & ſicut diſpoſitionem, ſic & ornatum à ſuperioribus inchoauit. Fecit enim eadem die luminaria Solem, & Lunam, & ſtellas, vt Sol illuminaret diem. Luna verò & ſtellæ noctem, ne nox ſine lumine indecora nimis eſſet, & vt operantes nocte ſicut & nautæ, & viatores ſolatium luminis haberent. Sunt & quædam auiculę, quæ lucem ſolis ferre non poſſunt, & ferè nocte paſcuntur. Nec ſuperfluit ſol, *licet nubes lucida prius eius vicem ageret*, quia illa tenuem, & inſufficientem habebat lucem, & fortè non niſi ſuperiora illuminabatur, ſicut nec modo ſtellæ: de illa nube traditur, vel quod redierit in materiam, vnde facta fuerat, ſicut ſtella, quæ apparuit Magis, & columba, in qua viſus eſt Spiritus ſanctus, vel quod ſolem ſemper comitetur, vel quod de ea factum eſt corpus ſolare.

Opus quarta diei.

Nubes lucida prius egit vicem ſolis.

Auctor. Hæc autem tria luminarium genera ad ornatum firmamenti ſpectare dicuntur, ſecundum quod firmamentum largè pro tota natura, quæ eſt inter ſpheram ignis, & cælum aqueum ſumitur. Sic autem diſtinguuntur, quia ſtellæ ſunt altiores, Sol medius, Luna inferior eſſe oſtenditur. Iterum Sol de luce plus habet, ſtellæ minus. Luna verò mediocriter. Non dico ſimpliciter, ſed nobis, quantum ex vicinitate ſui ad nos maior eſt eius effectus, quam ſtellarum, & maior apparitio ſui luminis. Sed nihilominus, vt teſtantur aſtrologi, Luna multum minor eſt, quàm terra, minima verò ſtellarum fixarum notabilium maior eſt, quàm tota terra, & per conſequens quàm Luna.

Luna eſt terrã minor, omnes ſtellæ fixæ eã maiores.

De natura Solis, & eius magnitudine

CAPVT II.

Sidorus lib. 3. Sol dicitur, quia ſolus apparet obſcuratis fulgore ſuo cunctis ſyderibus. Huius ignem Philoſophi dicunt aqua nutriri, & ex contrario elemento virtutem luminis, & caloris accipere, vnde accidit, vt ſæpe videatur madidus & rorans. Cumque igneus ſit præ nimio motu ſuę conuerſionis amplius incaleſcit. Solis autem magnitudo maior eſt terra, & ideo eodem momento quo oritur in oriente, ſimul & in occidente æqualiter apparet. Sed ideo nobis quaſi cubitalis videtur, quia valde longè à nobis remotus eſt. *Ariſtoteles in libr. Meteor.* 1. Corpus Solis maius eſt corporibus reliquarum ſtellarum, & eſt velocis motus nobis propinquus, pluſque habet potentiæ quàm omnes alię ſtellę ad caliditatem generandam, eamque multum excitandam. Eſt autem Sol maior tota terra, & quædam etiam ſtellæ maiores ſunt terra poſt Solem. Sol quando terram inflammat motu ſuo ſuper eam vapores ex vi caloris eleuat.

Solis etymon

Macrobius de ſomno Scipionis libro 3. Philoſophi hoc maximè in omni circa magnitudinem Solis inquiſitione conſequi voluerunt, quantò maior poſſit eſſe quàm terra. Heraſtotenes in libr. diuiſionis ſic ait. Menſura terræ ſepties & vicies multiplicata menſuram ſolis efficiet. Poſſidonius multò, multoque ſæpius. Sed vera ratione probatur, *Solem octies maiorem eſſe terra. Secundus Philoſophus.* Quid ergo eſt Sol? oculus cęli, caloris circũitus, ſplendor ſine occaſu, diei ornatus, horarũ diſtributor. *Ariſt. li. Meteo.* 2. Dixerunt quidam, quod Sol cibatur, id eſt, nutritur humiditatibus aſcẽdẽtibus ex diuerſis locis in terra, vnde diuerſificantur tempora ſecundum modum diuerſitatis illarum humiditatum. Verum ſi cibaretur, Sol corrumperetur, & mutaretur, ſicut mutatur ignis cibatus per augmentũ & diminutionem, per debilitatem & fortitudinem. Nunc autem ſempiterno more eſt Sol ſecundum diſpoſitionem ſuam. Præterea ſi cibaretur, omni die augmentatus inueniretur. Nec hoc ei eſſet proprium,

Sol octies maior terra.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſed communitati ſtellarum. Inuenitur autem huic contrarium.

De motu, vel curſu eiuſdem.

CAPVT III.

Finalis cauſa motus ſolis.

Ambroſius vbi ſupra. Soli autem diuerſa conſtituit Deus curſus ſui tempora, ne ſi ſemper in eiſdem moraretur locis, quotidiano vapore exureret. *Iſidorus.* Sol cum igneus ſit, præ nimio motu ſuæ conuerſionis amplius incaleſcit. Mouetur autem per ſeipſum, non cum mundo vertitur. Nam ſi fixus cælo maneret, omnes dies & noctes æquales eſſent. Sed hinc apparet eum per ſeipſum moueri, & non cum mundo verti, quia loco alio cras occaſurum, alio heri occidiſſe videmus eum. Spatiis etiam inæqualibus orbes annuos conficit propter temporum mutationes. Ex ipſo enim B viciſſitudines temporum diſtinguuntur, & dies, & menſes, & anni numerantur. Nam Oriens diem facit, Occidens noctem. Oriens enim per meridiem iter habet ad Occidentem, vbi poſtquam venerit, & Oceano ſe immerſerit, per incognitas ſub terra vias vadit, & rurſus ad Occidentem recurrit. Quando autem per meridiem currit, vicinior terræ eſt; quando per Septentrionem, vel iuxta Septentrionem ſublimius attollitur. Cui ideo Deus diuerſos curſus inſtituit, ne eo ſemper in eiſdem locis morante, quotidianus nos eius vapor conſumeret.

Ordo viciſſitudinis anni pendet à ſole.

Nunc autem aeris temperies pro ratione temporum diſpenſatur, & ordo viciſſitudinum, permutationumque ſeruatur. Nam dum ſol ad ſuperiora conſcenderit, ver temperat, vbi autem ad ſummum æſtiuos calores accendit, vt fruges maturitate durentur, & quæ humore veris incocta ſunt, feruefacta matureſcant. Rurſum verò decidens, vel deſcendens autumno temperiem reddit, vbi verò ad inferiorem circulum redierit, ex glaciali compage cœli nobis rigorem hiberni frigoris derelinquit, vt iterum hibernis humoribus & pruinis terra pingueſcat. Circulum autem ab vno puncto in eundem peragit *19.* annis. Ab hoc tam Luna, quàm cætera ſydera illuminari dicuntur. Ecclypſim verò patitur cum Luna trigeſima ad eandem lineam qua ſol vehitur peruenit, eique ſe obijciens lumen eius nobis abſcondit. *Ex lib. de natura rerum.* Solis motus circularis eſt, perpetuus & continuus, plus moratur in ſignis æſtiualibus, quàm in hyemalibus, quia circulus eſt eccentricus: huius corpus, cum poſitum eſt ſuper ſphæram ſuam, cuius cuſpis egreſſa eſt à cuſpide ſignorum duobus gradibus, & dimidio, voluiturque in eo volutione æquali. Huic duplex eſt motus, ſcilicet, vnus *ab oriente in occidentem, & hic eſt accidentalis*: Alius, *ab occidente in orientem, & hic eſt naturalis.* Naturali quippe motu contra firmamentum nititur, quotidie tamen cum firmamento ab ortu ad occaſum refertur. Præterea motus eius ab occidente in orientem duo ſunt, quorum vnus eſt ei *proprius* in ſuo circulo egreſſæ cuſpidis, quo mouetur in omni die & nocte ferè per vnum gradum. Alius eſt motus *tardus*, qui eſt ſpheræ Solis ſuper axes circuli ſignorũ, qui eſt æqualis motui ſpheræ ſtellarum fixarum in annis centum gradu vno. Ex his duobus motibus colligitur curſus eius, qui videtur in circulo ſignorum ab occidente in orientem, per quem abſcidit circulum ſignorum in 365. diebus, & ferè quartam vnius diei.

Duplex motus ſolis.

Motus naturalis ſolis eſt duplex.

De multiplici eius effectu in rebus inferioribus.

CAPVT IIII.

Dionyſius de diuinis nominib. Diuinæ bonitatis imago ſignificatiua eſt magnus iſte Sol viſibilis, qui omnia, quæ eum participare poſſunt, illuminat. Ad generationem ſenſibilium corporum committitur, & ad vitam ea mouet, nutrit, & auget, & perficit, & purgat, ac renouat. Menſura eſt, & numerus horarum, & totius temporis lux. Congregat diſperſa, & conuertit ad ſe omnia viſibilia mota, & omnia ſenſibilia eum deſiderant, aut ſcilicet mouendi, & illuminandi, & calefaciendi, & ideo comprehendi à lumine appetentia. *Origen. ſuper principium Ioannis.* Si quæris quomodo in verbo Dei vitaliter, & vniformiter, & cauſaliter omnia ſubſiſtant, conſpicare quomodo omnium rerum, quas huius mundi ſenſibilis globoſitas comprehendit, cauſæ ſimul & vniformiter in iſto ſole viſibili ſubſiſtunt, indenamque formæ omnium corporum procedunt, inde diſtantium colorum pulchritudo, & cætera, quæ de ſenſibili natura prædicari poſſunt: Cõſidera multiplicem & infinitam ſeminum virtutem, quomodo numeroſitas herbarum, frutiçum, animalium, in ſingulis ſeminibus ſimul continetur, quomodo ex eis ſurgit formarum pulchra varietas, & huiuſmodi naturalia exempla perſpice. *Palladius lib. 12.* Medius planetarum fertur ampliſſima magnitudine, ac poteſtate Sol, nec modo temporum, terrarumque, ſed ſyderum etiam ipſorum cœlique rector hic lucem rebus miniſtrat, aufertque tenebras, hic reliqua ſydera occultat, & illuſtrat, hic temporum vices, annũque ſemper renaſcentem naturæ temperat, hic triſtitiam diſcutit cœli, atque humani nubila ſerenat animi, hic ſuum lumen cæteris quoque ſerenat ſyderibus, præclarus, eximius, omnia intuens.

Quomodo omnia facta in Deo ſubſiſtant.

Ambroſius in Hexaemeron lib. 1. Mare ipſum ideo ferunt ſalſam & amaram habere aquam, quod ea, quæ fluminis in freta influant, calore abſumatur, tantumque vapore diuino conſumi, quantum quotidie ex diuerſis fluuiorum curſibus inueniatur. Quod ex Solis quadam dijudicatione fieri perhibetur, qui quod purum ac leue eſt ſibi rapit, & quod graue, atque terreũ C relinquit, ex quo remanet ſalſum illud & aridũ, quod ſine vſu, & ſuauitate potandi ſit. *Ariſtot. in lib. Meteor. 2.* Cauſa etiam prima mouens terræ & aquæ vapores, vt ex eis eleuatis fiant impreſſiones aeris, eſt motus orbium ſtellarum, ſcilicet, Solis & aliarum. Sol enim dum appropinquat his rebus, & elongatur ab his, cauſa eſt generationis, & corruptionis accidentium in illis, id eſt, rerum huiuſmodi, quæ in eis generantur, & dum calor eius ignit terram, eleuatur ex ea vapor ſiccus, atque in diuerſas ſpecies ſeparatur.

Inflammatio ſolis duplex.

Priſcianus ad Coſdroe. Duplicem autem inflammationem faciens eſt Sol, *humidam*, ſcilicet, *& fumeam*, D loca quibus appropinquat ſupergrediens vaporem facit, longius autem abſiſtens frigiditatis cauſa fit, & aqua in aere conſiſtens iterum in terram defertur. Per hoc ergo aquę magis hyeme fiunt, & noctu, quàm per diem, quia gelidiores diebus ſunt noctes. *Plinius lib. 2.* Celebrant Græci Anaxagoram Clazomenium Olimpiadis 78 1. anno prædixiſſe literarum cœleſtium ſciẽtia, quibus diebus ſaxum caſurum eſſet à Sole. Idque factum interdiu in Thracię parte ad argos flumẽ. Qui lapis nunc etiam oſtenditur magnitudine vehiculi, colore aduſto, cometa quoque illis noctibus flagrante. Quod ſi quis prædictum credat, ſimul fateatur neceſſe eſt maioris miraculi diuinitatem fuiſſe Anaxagoræ, ſoluique verum naturæ intellectum, & confundi omnia, ſi aut ipſe Sol lapis eſſet, aut vnquam lapidem in eo fuiſſe credatur, decidere tamen crebro non erit E dubium.

Prædicatio Anaxagoræ.

De Calefactione aeris in ſole.

CAPVT V.

Seneca de naturalibus quæſtionibus. Aiunt autem niuem in ea parte aeris fieri, quæ prope terram eſt: hanc ergo plus habere caloris ex quatuor cauſis; vna, quod cum omnis terrarum euaporatio multum in ſe feruidi, aridique habeat, eoque calidior eſt, quo recentior. Altera verò, quod radij ſolis à terra reſiliunt, & in eum recurrunt. Horum ergo duplicatione proxima quæque terris calefiunt, quæ ideo plus habent teporis, quia ſolem bis ſentiunt. Tertia eſt, quod magis ſuperiora perflantur, quę autem depreſſa ſunt, minus ventis

Quadruplex ratio calefactionis aeris prope terram.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nus ventis verberantur. Accedit his ratio Democriti. Omne nempe corpus, quo ſolidius eſt, *eo calorem citius concipit, & diutius ſeruat*. Itaque ſi in Sole poſueris æneum vas & vitreum & argenteum, æneo citius calor accedit, diutiuſque habebit. His enim inquit corporibus, quæ duriora ſunt, & preſſiora, neceſſe eſt minora eſſe foramina, ac tenuiorem in ſingulis ſpiritum. *Cur corpora ſolidiora citius concipiũt calorem?* Sequitur ergo, vt quemadmodum minora balnearia citius calefiunt, ſic & hic foramina occulta, atque oculos effugientia, & calorem citius ſentiunt, & propter eaſdem anguſtias quicquid receperint, tardius reddunt. Omnis autem aer, quo terris propior eſt, eo craſſior. Nam ſicut in aqua, & omni humore ima fæx eſt, ſic etiam in aere iſto ſpiſſiſſima quæque deſidũt. Ideoque fidelius calorem receptum cuſtodiũt. Editior autem aer, quo longius à terrarum colluuie receſſerit, eo ſincerior, ac purior eſt. Itaque Solem non retinet, ſed velut per inane tranſmittit, ideo minus calefit. His ergo cauſis pleriſque placuit in illa aeris parte niuẽ concipi, quę terris vicina eſt, & ideo minus alligari, quia minore rigore coit. Nam vicinus aer plus habet frigoris, quàm vt in aquam vel imbrem tranſeat, & minus, quàm vt duretur in grandinẽ. Hoc itaque frigore non nimis intenſo coactis aquis niues fiunt. Econtra vero quidam aiunt cacumina montiũ eo calidiora eſſe debere, quo Soli propinquiora ſunt. Sed hi mihi vidẽtur errare, quod alpes, & altiſſimos montes intantũ creſcere putant, vt illorum magnitudo ſentire poſſit Solis viciniam, excelſa ſunt enim iſta nobis cõparata. At vbi ad vniuerſum orbem reſpexeris, omnium humilitas eſt manifeſta, atque in tantum uihil attollitur, vt in collatione totius, nec vlla ſit in maximis portio. *Nota.* *Itaque qui dicit altiorem montem magis calere debere, quia Solem propius excipit, ille dicere poteſt hominem longiorem, citius quam puſillum debere calefieri.*

De ſignis diſpoſitionum aeris in Sole.

CAPVT VI.

Sol purus oriens quid præſagit? EX *libro de præſagijs tempeſtatum ſexto*. Sol purus oriens ac non feruens ſerenum annunciat diem, pallidus autem grandinem. Si autem & occidit pridie ſerenus & oritur, tãto certior fides ſerenitatis habetur. *Quid croceus?* *Croceus autem oriens, pluuias prædicit*, idemque ventos, cum ante ipſum exorientem nubes rubeſcunt. Quod ſi rubentibus interuenerit, & pluuias. Cum eius Oriẽtis, aut Occidentis radij coire videntur, pluuias deſignat. Circa Occidentem, cum rubeſcunt nubes, ſerenitatem futuræ diei ſpondent. Si autem in eius exortu ſpargantur partim ad Auſtrum, partim ad Aquilonem, puta licet circa eum ſerenitas ſit, pluuias tamen cum vento ſignificant. Et ſiquidẽ in eius occaſu pluat, aut radij nubes in ſe trahant, aſperam in proxima die tempeſtatem ſignificat. *Quid radij ſparſi?* Si autem in Oriente radij illuſtres eminent, quamuis circundati nube non fuerint, pluuiam portendunt. *Quid radij illuſtres.* Si nubes ante Solis ortum globentur, aſperum denunciant imbrem. Si ab exortu repellantur, & ad occaſum abeant, ſerenitatem. Si nubes Solem circuncludant, qui nihilominus in ſe purus vnius orbis, & ſerenus relinquatur, tanto tempeſtas erit turbidior. Si verò duplex etiam orbis fuerit, tanto atrocior. Quod ſi ex ortu, vel occaſu fiat, ita vt rubeſcant nubes, maxima oſtendetur tempeſtas. Si nõ ambiunt, ſed incumbant, à quocunque vento fuerit, eũ portendunt, ſi à meridie & imbrem. Si oriens orbe cingatur, ex qua parte is eruperit, expectetur ventus. Si totus æqualiter effluxerit, ſerenitatem dabit. Si ante ortum radij ſe oſtendunt, pluuiam & ventum portendunt. Si circa Occidentem candidus circulus erit, noctis leuem tempeſtatem, ſi nebula vehementiorem, ſi candente Sole ventum.

De Luna.

CAPVT VII.

Lunæ etymõ I *Sidorus*. Luna dicta eſt quaſi lucina, & habet nomen deriuatum à Solis luce, eo quod ab eo lumen accipiat, acceptumque reddat. Huius magnitudo minor eſſe fertur, quam Solis, nam cum Sol Luna ſuperior ſit, & tamen à nobis maior videatur quàm Luna, iam ſi prope nos acceſſiſſet, multo maior, quàm Luna conſpiceretur. Sicut autem ſol fortior, id eſt, maior eſt quàm terra, ita terra fortior Luna per aliquam quantitatem. *Quid Luna?* *Secũdus Philoſophus*. Quid eſt ergo Luna? *Cœli purpura, Solis æmula, malefactorum inimica, ſolamen iter agentium, directio nauigantium, ſignum ſolennitatum, largaroris, præſagium tempeſtatum*. *Ariſtot. in libr. de animalibus.* *Luna facit æſtatem quotus menſe.* Sol quidem facit æſtatem omni anno, Luna vero facit hoc omni tempore. *Noctes plenilunio calidiores ſunt, in diminutione lunæ dies frigidiores. Comeſtor.* Quod autẽ Luna in plenilunio facta ſit, ex alia perpẽditur trãſlatione, quæ ſic habet, & luminare minus in inchoatione noctis. In principio enim noctis nõ oritur Luna, niſi panſelenos, id eſt rotunda.

De lumine Lunæ.

CAPVT VIII.

I *Sidorus*. Lunam quidam philoſophi dicunt proprium lumen habere, globique eius vnam partem eſſe lucifluam, aliam verò obſcuram, & ita paulatim ſe vertendo diuerſas formas efficere. Alij econtra aiunt Lunam non ſuum lumen habere, ſed ſolis radius illuminari, vnde & eclipſim patitur, ſi inter ipſam & ſolem vmbra terræ interueniat. Sol enim illa ſuperior eſt: hinc euenit, vt quando ſub illo eſt, parte ſuperiore luceat, inferiore verò quam habet ad terram obſcura ſit, huius interlunium eſt tempus illud inter deficientem, & naſcentem Lunam. Eſt autem triceſimus dies quâ luna non lucet, & ideo videri tunc non poteſt, quia ſoli coniuncta obſcuratur. Sed eodem momẽto renaſcẽs, paulatim ab eo recedendo videtur, Luna amiſſi ac recepti luminis gratia menſtrui ſpatia moderatur. Quę ideo obliquo incedit curſu & non recto vt ſol, ne incidat in centrum terræ, frequenter patiatur eclypſim, vicinus eſt circulus terræ. Creſcens autẽ Oriẽtẽ cornibus ſpectat, decreſcẽs Occidẽtem meritoque, quia occaſura eſt, & amiſſura lumen. *Cur luna obliquè incedat?*

Alexander. Fallitur quoque quorundam literatorum opinio, dum putant Lunam tantò magis accenſam eſſe, quantò magis diſtat à ſole, cum enim per ſex ſigna diſtat à ſole, dicitur amphiriticos, ſiue panſelenos, cum autem eſt monoides, aut diatomos, aut triatomos, minus accenſa videtur, & quanto magis ſoli vicinatur, tanto magis illuminatur, ſimiliter econtrariò. *Error.* Sed vulgus ſuperiorem eius partem non attendit, nec illuſtratione eius ſolicitatur. *Idem*. Radius Lunæ per anguſtum foramen parietis intrans, ſi ad vlcus caballi inoſſatum peruenerit, mortem ei inducit, quod non faceret, ſi ſub diuo ſtantem lux eum Lunæ paſſim occuparet. *Nota.* *Albumaſar*. Præterea ſi ſerò, vel nocte quis diu ſederit, aut dormierit in lumine Lunæ, generantur in eius corpore pigritia & laxatio, & excitatur in eo catharrus dolor capitis. *Dormitio in lumine lunæ.* Carnes etiam animalium de nocte ſibi expoſitas Luna corrumpit, & mutat odorem, earumque ſaporem.

De his, quæ Luna recipit à Sole.

CAPVT IX.

A *Riſtot. vbiſupra*. Luna itaque non habet omnino principium ſcilicet agendi in inferiora, niſi propter communicationem & receptionem luminis Solis, & ſic efficitur quaſi alius Sol. *Alfraganus*. Sol rationes omnium colorum habet in ſe, cumque Luna fuerit cum Sole, tota eius medietas nobis expoſita

erit

erit tenebrosa, quia terra est inter ipsam & Solem. Cumque ambulans præcesserit solem versus Orientem, obscurabitur versus Orientem, & augebitur lux eius versus Occidentem, tumque reflectetur lumen eius ad nos: Itaque quanto plus elongatur à Sole, tanto plus apparet nobis ex lumine in eius corpore secũdum motum suum, donec sit in Solis oppositione, & tunc tota eius medietas lucida erit nobis opposita, quia terra tunc erit inter Solem & Lunam posita. *Helinandus in Chronicis.* Hęc facit ratio Lunam non habere suum proprium lumen, cæteras omnes stellas lucere suo lumine, quia illæ supra solem locatæ omnes in æthere purissimo sunt, in quo omne quidquid est, lux naturalis & sua est. Quę tota cum igne suo, sphęræ Solis incumbit, vt cæli zonæ, quæ procul à Sole sunt, perpetuo frigore oppressę sint, Luna verò, quæ sub Sole est, & caducorum regioni luce sua carenti proxima, lucem non de suprapositio Sole, cui resplendet, habere non potuit. Terra quidem accepto solis lumine claresćit tantummodo, & non relucet. Luna verò ad instar speculi lumen quo illustratur, emittit. Quamuis enim densius corpus sit, quàm cætera cœlestia, multum tamen terreno purius sit acceptæ luci penetrabile, adeo vt eam rursus de se emittat, nullum tamen ad nos perferens sensum caloris. Nam lucis radius, cum ad nos, de origine sua, id est, de sole peruenit, secum naturam ignis, de quo nascitur, deuehit. Cum verò Luna corpori infunditur, & inde resplendet, solam refundit claritatem, non calorem, vt appareat in speculo igni opposito.

Stellæ lucent suo lumine.

Luna tãquã speculum.

De his, quę accidunt secundum augmentum, vel diminutionem Lunæ.

CAPVT X.

Creścẽte Luna animalia sunt fortiora.

Albumasar. Creścente Luna creścit omne humidum, siue animatum, siue inanimatum, vt elementum. Ea quoque creścente sunt animalium corpora fortiora, sicut patet in lupis, vnde tunc magis intendũt venationi. Sunt etiam tunc reptilia venenosa magis nociua, & infirmi melius habentes. Præterea dum Luna est in augmento pili augmentantur, & creścunt in corpore. Omnino autem econuerso his omnibus cõtingit in Lunæ decremento, & in die, vel nocte, dum durauerit Luna, veniendo ad medium cœlum ab Oriente egrediuntur tam marina, quàm reptibilia à suis receptaculis, & iterum inclinante Luna recondunt se.

Isidor. lib. 23. Omnium autem clausorum in mari animalium, atque concharum in incremento Lunæ, & in die, vel nocte membra turgescunt, defectu euacuãtur. Luna enim, cum in augmento fuerit, auget humorem, cum in defectu venerit, humores minuuntur. Muribus quoque in plenilunio iecur creścit.

Aristot. vbi supra. Spatia quoque imprægnationis animalium omnium, & eorum vitæ sunt secundum reuolutiones Lunæ. *Plinius lib. 2.* Æstus maris accedere, & reciprocare maximè mirum est, verum causa est in Sole, Lunaque. Biśque inter duos exortus Lunę affluunt, biśque remeant vicenis, quaternisque semper horis. Omnia plenilunio maria purgantur, quædam & statuto tempore. Circa Messanam & Milias simo similia expiantur in littus purgamenta. Cum incremento eius augentur conchilia, & maximè spiritũ sentiunt, quibus sanguis nõ est. Sed & sanguinem hominum etiam cum lumine eius augeri, vel minui. Frõdes quoque, & pabula sentire in omnia eadem penetrante vi. Siccatur solis ardore liquor, & hoc esse masculinum sydus accipimus, torrens cuncta sorbensque Sic mari latè patenti saporem incoqui salis. Econtrario ferunt Lunæ fæmineum ac molle sydus, atque nocturnum soluere humorem, & tradere non auferre. Id manifestum est, quod ferax occisa corpora in tabem visu suo resoluat, somnoque sopitis torporem contractum in caput reuocet, glaciem refundat, cunctaque humifico spiritu laxet. *Aristot. in lib. Meteor. 3.* Iterum terræ motus prouenit apud eclipsim per Lunam, quia calor Solis tunc non peruenit ad terram, & ideo coarctatur vapor, nec ascendit, sed agitatur, & mouetur terra.

De reciprocatione maris.

Terremotus eclypsi contingens.

De motu vel cursu Lunæ.

CAPVT XI.

Luna decimaquinta eclipsatur.

Isidorus. Est autem Luna vicinior terræ, inde & breuiore orbe celerius peragit cursum suum. Nam iter quod Sol in diebus 365. peragit, ista diebus 30. percurrit. Vnde & antiqui menses Lunę, annos autem in Solis cursu posuerunt. Patitur autem eclypsim Luna 15. vsque quãdiu centrũ, atque vmbrã obstantis terræ exeat, videatque Solẽ, vel à Sole videatur. *Ex li. de nat. rer.* Luna est cursu Solis velocior, & non est ei retrogradatio. Ideoque Solẽ attingit, & occidit in Oriente mane, transitque eum, & occidit in Occidẽte vespere. Mansio autem Lunæ appellatur arcus circuli signorum, siue spatium illud, quod ipsa motu proprio ad ortum suũ in crastinum describit. *Hilbertus in computu.* In quo autem signo Luna moretur quotidie, vel quot partibus à sole per singulos dies elongetur, hoc ordine inuestigabis. Sume semper ætatem Lunæ quotacunque fuerit, & multiplica quater, ipsumque rursus numerũ ter ducito, & quot in summa repereris, tot partibus Lunam à sole noueris separari i. in eo loco esse, ad quẽ venturus est Sol per totidem dies. Item luna, ex quo prima dicitur, & à Sole recedit vsque ad 15. quo lõgius ab eo recedere non potest, singulis noctibus quaternos punctos lucis suæ cremento addit totidemque punctos deinceps reproximando Soli ex altera parte circuli vsque ad 30. minuit.

Inuestigatio signi in quo Luna moratur quotidie.

De signis dispositionum aeris in Luna.

CAPVT XII.

Præsagia quarta Lunæ dici.

Ex lib. de præsagijs, & temporibus. Mira sunt præsagia Lunæ, quam obseruat Æyptus, quartam maximè si resplendens, exorta puro fulserit nitore, serenitatem creditur portendere: Rubicunda ventos, nigra vero pluuiam. In 15. cornua eius obtusa pluuiam, erecta, & insecta ventos signat, quarta tamen maximè Cornu nempe Septentrionale acutum, rigidum, illum præsagit ventum, inferius Austrum. Vtraque vero recta noctem ventosam. Si quarta die Luna recta fuerit, tempestatem magnam in mari præsagit, nisi habeat circa se coronam, eamque sinceram, quoniam illo modo non ante Lunam plenam hyematuram ostendit. Si plenilunio per dimidium pura fuerit, dies significat serenos, si rutila, ventos. Nigrescens etiam imbres. Et si orbe aliquo nubem incluserit, ventos designat, quã si ruperit, & surrexerint orbes gemini, maiorem tempestatem & minorem, secundum quod, aut albi, aut nigri quidã interrupti, aut distracti orbes fuerint. Nascens Luna, si cornu superiori ab attracto surgit, pluuias decrescens dabit. Si plena circa se orbem habuerit, ex ea parte ventũ ostendit, ex qua is maximè splendebit: si Lunæ in ortu cornua fuerint crassa, designatur tempestas horrida. Si autem quarta habuerit vento Fauonio flante hyemalis erit tota mense. Si quindecima vehementius flammę apparuerint, asperas tempestates prętendit. Sunt & ipsius Lunę 7. articuli quotiens in angulo Solis incidit plerisque intra illos tantum obseruantibus præsagia hæc. 3.8.11.15.19.23.25.

Præsagia pleniluuij.

Septẽ articuli Lunæ.

De eclypsi Solis & Lunæ.

CAPVT XIII.

Ex sphæra. Luna nihil habet luciditatis in se, sed corpus rotundum est ac politum, vnde radij solares eam illuminant, & secũdum appropinquationem, & remotionem eius à Sole fit eius augmentum, & decrementum. Nam quando infra 15. gradus est vicina Soli, & ei suppośita, quia Sol multo altior est illa, tunc superior eius medietas tota illuminatur, & de inferioti nihil, vnde tunc nihil de illa videmus. Quando autem incipit

tem incipit elongari ab eo vltra 15. gradus, tunc inferior eius medietas incipit illuminari, & hæc illuminatio nobis apparet, ſed minima, vnde tunc eam dicimus eſſe in nouilunio. *Quanto magis autem elongatur à Sole, tanto plus illuminatur de inferiori parte, & minus de ſuperiori.* Denique quando Soli oppoſita eſt, tota inferior medietas illuminatur, de ſuperiori verò nihil, & tunc dicimus Lunam eſſe in plenilunio. Iterum autem appropinquans Soli paulatim illuminatur ſuperius, donec Soli vicina 15. gradibus tota ex illa parte illuminatur, & tunc apud nos dicitur eſſe in defectu.

Nota.

De eclypſi Solis & Lunæ.

Eclipſis Solis ſemper habet fieri, quando Luna in directo eſt oppoſita Soli in ecliptica. Sed quia citius mouetur quàm Sol, citò tranſit eclipticam, vnde parum durat eclipſis Solis. Rarò etiam contingit, quia Luna mouetur per epicyclos motu amfractuoſo. Eclipſis autem Lunæ ſemper habet fieri oppoſitione Lunæ ad Solem. Quando enim Luna plena eſt, & Soli oppoſita, tunc vmbra terræ opponitur in oppoſitam partem Soli. Sed quãdo directè opponitur Soli in ipſa ecliptica vmbra terræ, quæ à lato incipit, & protenditur in acutum, peruenit vſque ad eam, & radios Solis impedit, ne eam illuminent, ſed cito tranſit vmbram terræ, ideo parum durat eius eclipſis. Raro etiam fit, quia raro contingit, quod opponatur Soli in ipſa ecliptica propter motum eius amfractuoſum.

De linea ecliptica.

CAPVT XIV.

Ecliptica linea.

EX *lib. de natura rerum. Ecliptica linea eſt, quę diuidit Zodiacum in circuitu, ita quod ex vna parte relinquantur ſex gradus, & ex alia ſex.* Et dicitur ecliptica, quia quando Sol & Luna ſunt lineariter ſub ea, ſiue in ſuperficie illius contingit eclipſis. Tunc vero contingit eclipſis Solis cum fuerit nouilunium, & Luna interponitur rectè inter aſpectum noſtrum, & corpus ſolare. Eclipſis vero Lunæ contingit in plenilunio, quando Sol opponitur Lunæ diametraliter, & extra incidit media in eius diametro. Nihil enim aliud eſt eclypſis Lunæ, niſi interpoſitio terręinter corpus Solis & Lunæ. Eſt autem eclipſis Lunæ generalis, ſi fuerit in capite, vel in cauda draconis. Particularis ſi prope caput, vel caudam. Et quia oppoſitio non in quolibet plenilunio eſt in capite, vel in cauda draconis. Ideo non eſt in quolibet plenilunio eclipſis. Item quando eſt in capite, vel in cauda, vel prope, & fit in coniunctione cum Sole, vel in nouilunio, tunc fieri poteſt eclipſis Solis. Vnde patet quod in paſſione Domini nõ erat naturalis Solis eclipſis, ſed miraculoſa, cum eſſet Luna quindecima. Solis autem, quàm Lunæ minus moratur eclipſis, quia ſol à Luna admodum cito præteritur, Lunæ vero magis, quia vmbra magna eſt, cuius in tranſitione cunctatur. Et dicunt quidam Chaldæorum Aſtrologi, quod caput & cauda draconis eſt *quædam nubes ſolida, quæ non diſſoluitur, quod apparet, quando Luna obſcuratur*, hæc impedit radium ſolis, ne Lunã illuminando attingat. Dicitur autem cauda draconis, quia venenoſa eſt, & nociua. *Iſaac.* Quando eclipſis Lunæ eſt, nõ in omni terra eſt, ſed ſicut quãdo ſolis eſt, ſcilicet, in vno climate. Eſt autẽ eclipſis ſolis, quando Luna ad eandem lineam, qua ſol inuehitur ibidem ſe ſoli obiicit. *Alexander.* Luna in veritate patitur eclipſim, ſol autem non, ſed potius nos ſolis propter Lunæ interpoſitionem. *Plinius.* Defectus ſolis, & lunæ veſpertinos Orientis incolæ non ſentiunt, nec matutinos ad occaſum habitantes.

Eclipſis ſolis in nouilunio.

Eclipſis Lunæ quid? & quando ſit?

Eclipſis miraculoſa in paſſione Chriſti.

Caput & cauda draconis.

Nota.

Morale Senecæ de Spectaculo eclipſis.

CAPVT XV.

SEneca *de naturalibus quæſtionibus* 60. Quamdiu ſolita decurrunt magnitudine rerum, conſuetudo ſubducit. Ita enim ſumus compoſiti, vt nos quotidiana, etiam ſi admiratione digna ſint, tranſeant. Econtra vero minimarum quoque rerum, ſi inſolitè prodierint, ſpectaculum dulce fiant: hic itaque cœtus aſtrorum, quibus vniuerſi corporis pulchritudo diſtinguitur, populum non conuocat, at cum ex more mutatum eſt, omnium vultus in cælo eſt. Sol ſpectatorem niſi defecerit, non habet, nemo Lunam obſeruat, niſi laborantem. Tunc vrbes cõclamant, tunc pro ſe quiſque vana ſuperſtitione trepidat. Quanto illa maiora ſunt, quod ſol totidem (vt ita dicam) gradus, quot dies habet, & annum circuitu ſuo claudit, quod à Solſtitio ſtatum inclinat, quod ſydera abſcondit, quod terras, cum tanto maior ſit, illas non vrit, ſed calorem ſuum intenſionibus, ac remiſſionibus temperando fouet, quod Lunam nunquam implet, niſi aduerſam ſibi, nec obſcuratur. Hoc tamen non annotatur, quandiu ordo ſeruatur, ſed ſi quid turbatum, aut prẽter conſuetudinem emicuit, ſpectamus, interrogamus, oſtendimus: adeo naturale eſt, magis noua, quàm magna mirari. γνώμη.

Idem in lib. 15. Quotiens autem defectionem ſolis deprehendere volumus, pelues ponimus, quas aut oleo aut pice implemus, quia pinguis humor minus facilè turbatur, & ideo quas recipit imagines ſeruat, apparere autem imagines non poſſunt, niſi in liquido, & immoto. Tunc ergo notare ſolemus, quomodo luna ſe Soli opponat, & illũ tanto maiorẽ ſubiecto corpore abſcondit, modo ex parte, ſi ita competit, vt in latus eius incurrat, modo totum. Hæc autem dicitur perfecta defectio, quæ ſtellas quoque oſtendit, & lucem intercipit, tunc ſcilicet cum orbis vterque ſub eodem libramento ſteterit.

Modus deprehendendi ſolis defectionem.

Perfecta defectio qua.

De ſtellis & earum varietate.

CAPVT XVI.

ISidorus. Stellæ & ſydera inter ſe differunt. Nam *ſtella* eſt quælibet ſingularis: *ſydera* verò ſunt ſtellis plurimis facta, vt hyades, pleyades. *Aſtra* autem ſunt ſtellæ grandes, vt Orion, Lucifer, Bootes. Sed hæc nomina ſcriptores confundunt, & aſtra pro ſtellis, & ſtellas pro ſyderibus ponentes. Stellæ non habere proprium lumen, ſed à ſole illuminari dicuntur ſicut Luna. Sunt autem immobiles, & cum cælo fixæ perpetuo motu feruntur. Neque cadunt per diem, ſed ſplendore ſolis obſcurantur. Feruntur quidem ſydera, quæ in cœlo fixa ſunt, & cum cœlo voluuntur. Mouentur verò quędam vt planetæ, id eſt, erraticæ, quæ curſus ſuos vagos, certa tamen diffinitione conficiunt. Stellę pro eo, quod per diuerſos orbes cœleſtium planetarum feruntur, quædam celerius exortæ ſerius occidunt, quædam tardius exortæ celerius ad occaſum perueniunt. Aliæ pariter oriuntur, & non ſimul occidunt. Omnes autem ſuo tempore ad curſum proprium reuertuntur. Stellæ quoque diuerſis interuallis diſtant à terra, propterea diſpari claritate magis minusve noſtris oculis apparent. Nam multò maiores ſunt his, quas conſpicuas videmus, ſed longius poſitæ paruæ à nobis videntur. Dictę ſunt autem *ſtellæ à ſtando*, quia fixæ ſunt ſemper in cœlo ne cadant. Nam quod videmus ſtellas à cœlo quaſi labi, non ſunt ſtellæ, ſed igniculi ab æthere lapſi, qui fiunt, dum ventus altiora petens, ęthereum ignẽ ſecum trahit, qui tractu ſuo ſtellas cadentes imitatur, nam ſtellæ cadere non poſſunt. Sydera vero dicta ſunt, eo quod *nauigantes ea conſiderando iter dirigunt* ad curſus ſui conſilium, ne fallacibus vndis, aut ventis alibi deducantur.

Stella.
Sydera.
Aſtra.

Planetæ.

Stellarum etymon.

Syderum etymon.

Ex imagine mundi. Sunt autem omnes ſtellæ rotundæ, & igneę, quarum diſpoſitiones & curſus & loca & tempora ſolus Deus nouit, qui numerat multitudinẽ ſtellarum, omnibus eius nomina vocans. Sapientes vero mundi nomina eis animalium, vel hominum impoſuerunt, vt ab omnibus dignoſci poſſunt. *Alexãder.* Stellæ diſpares ſunt in proprietatibus, quæ remotæ ſunt à terra ſcintillant, & quædam eorum videntur habere colorem argenteum, quædam aureum. De die

Stellæ remotæ ſcintillant.

non

non videntur, quia maius lumen confundit minus. Quædam earum quaſi multitudine aliarum coronatę ſunt, quędam verò ſingulariter & ſolitarię ſunt. *Ex lib. de natura rerum.* Omnis ſtella in vertice capitis aſpicientis exiſtens minor videtur, quàm alio cœli loco, & quanto magis à vertice capitis mouetur, tanto magis apparet maior, ita quod in Oriente maior apparet, quàm in alio loco: eſt commune omnibus ſtellis remotis, & non remotis, quod eſt propter craſſos vapores, qui magis ſunt in Oriente.

De ſtellarum origine.

CAPVT XVII.

Stellas ex aquis factas eſſe probatur.

HElinandus. Quod autem ſtellaria corpora ex aquis materialiter facta ſint, certo argumento comprobari poteſt. Nam duo ſuperiora elementa, ſc. ignem, & aerem ex natura ſua ita abſque ſpiſſitudine eſſe, manifeſtum eſt, vt nihil horum ex ſe, & ex natura ſua, niſi ex accidente ſui viſu perceptibile ſit, ſed omne corpus viſibile alicuius denſationis eſt, quæ ex aqua, vel terra contingit. Sed terrea non poſſunt, vel per calorem, vel aliquo alio modo vſque ad firmamentum eleuari, hoc enim aquæ naturæ proprium eſt. Omnia ergo illa, quę in cęlo viſibilia apparent, ex aquis materiale principium ſortiuntur, cuiuſmodi ſunt & fulgura. Similiter ergo ſtellaria corpora. Item omne nutribile ex eodem nutriri, ex quo materialiter conſtat philoſophia, vel phyſica teſtatur, ſed corpora ſtellaria ex humore nutriri philoſophi dicunt, ergo ex humore conſtant materialiter. *Guil. de Conchis.* Corpora ſtellarum ex quatuor elementis facta eſſe poteſt probari ratione. Quod enim inuiſibilia ſunt ex viſibili contrahunt. Nulla quippe qualitas ſuum contrarium operatur, ex viſibili ergo habent, quod videntur, ſola verò terra, & aqua ſunt viſibiles, ignis & aer inuiſibiles. Eſt ergo aliquid in eis ex terra & aqua, iterum cũ tres habeãt dimẽſiones & visũ repercutiant, ſolida ſunt, ſed ſecundum Platonem nulla ſine terra eſt ſoliditas: amplius, quidquid nutritur ex eodem nutritur, ex quo materialiter conſtituitur, &c. Corpora ſtellarum ex humore Oceani nutriuntur. Quibus omnibus liquet aliquid de terra, & aliquid de aqua in corporibus ſtellarum contineri. Quod autem ſunt ſplendida & mobilia, ex ſplendidis & mobilibus habent, igitur ex igne & aere. Conſtant igitur ex quatuor elementis. Sed tamen de ſuperioribus ignis, de inferioribus aqua in eis dominantur.

Factas ex 4. elementis probatur.

Fortaſſe dicat aliquis, cum in aere ſit humor ſpiſſior, quàm in igne, & etiam calor licet non tantus, cur in aere ſimilia corpora non ſunt facta. Cui ego reſpondeo, quamuis aer ſit calidus, tamen cum hoc eſt humidus, vnde non potuit, quod in ſe erat, deſiccando ſpiſſare, & ſic lucidum, & viſibile creare. Quod ex vulgari exemplo potes perpendere. Aqua enim ſuperpoſita igni ſpiſſatur, & in lapideam ſubſtantiam mutatur. Si autem calido, & humido, veluti alicui aquæ bullienti ſuperponatur, calefit, & non ſpiſſatur. Vel iuxta Conſtantinum cum iſta quatuor elementa binas habeant qualitates, vnam ex ſe, alterã ex altero. Ignis ex ſe calidus eſt, à terra ſiccus. Aer humidus ex ſe, calidus ab igne. Aqua humida ex aere, ſed frigida ex ſe: Terra verò ſicca eſt ex ſe, ſed frigida ex aqua. Quod verò alicui ineſt ex ſe, prędualet illi, quod ex alio ineſt. Cum ergo in aere, ſicut ex ſe inſit humiditas, calor ex alio, prędualuit in eo humiditas, vnde non potuit deſiccando corpora ſtellarum creare. Cum enim vicinus ſit terræ, ſi in eo ſtellæ eſſent, ex vicinitate terram accenderent, nec aliquid in ea viuere poſſet.

Opinio Albumaſar & Ariſtotelis de hac materia.

CAPVT XVIII.

Probatur cælum nec eſſe elementum nec elementatum.

ALbumaſar. Auctoritate & ratione conſtat ſtellarum corporum ſubſtantiam, nec ex aliquo elementorum huius mundi effectam, nec ex pluribus omnino congeſtam. Si enim ex his eſſent ac elementaria, proculdubio neceſſariò conſequeretur generatio, & corruptio, augmenta, decrementa, reſolutio, cæteræque huiuſmodi alterationes. Quæ cum illis aliena ſint, tam circulorum cæleſtium, quàm ſtellarum corporum ſubſtantias ex quinta, & quadam alia natura conſiſtere ratio concludit. Qualitas autem eorum in forma.o. eſt. Sũt enim corpora ſphęrica perlucida naturali motu degentia. *Ariſt. de cælo, & mundo, libr. 2.* Stellæ ſunt ex natura corporis quinti, quia poſitæ ſunt in eo fixæ. Neceſſarium enim eſt, vt vnumquodque corporum, ſit ex natura corporis in quo eſt, ſicut fixũ. Ideo etiam dicimus, quod orbiculatæ ſunt, & rotundæ, quia ſunt ex corpore quinto orbiculato. Caliditas autem, quæ venit ex ſtellis, & lumẽ eſt propter repercuſſionem, & fricationem aeris factam ex motu earum. De aptitudine namque motus eſt, vt calefaciat & igniat etiam ligna, lapides, & ferrum. Et huius verificatio eſt, quod in haſtula ſagittæ, quando egreditur ex arcu, plumbum ex motu calefit, & ignitur, & cadit ex haſtula. Si autem aer igni propinquior eſt, prior vtique & dignior eſt, vt calefiat, & igniatur quam res cæterę, hunc ergo proculdubio calefacit motus. Quoniam ergo exacuuntur, & igniũtur ſtellæ ex motu, ignitur ergo & aer, qui eſt in circuitu earum neceſſario, & quando mouentur ex motu ſtellarum fit ignis quo calefiunt, & igniũtur. Præcipuè autem calefit, & ignitur aer, qui eſt prope nos. Ideoque caliditas Solis eſt ſecũdum modum propinquitatis, & elongationis eius à nobis.

Plumbum haſta volantis ignitur.

Refragatio eiuſdem opinionis.

CAPVT XIX.

Diſcrepatia opinionum Platonis & Ariſtotelis de materiali.

GVil. de Conchis. Platonis opinio eſt omne corpus, vel vnum eſſe de quatuor elementis, vel quod eſt compoſitum ex eis, ignemque eſſe à Iunari circulo ſurſum. Alia vero tria elementa infra ipſum. Ariſt. autem præter quatuor elementa vnam voluit eſſe quintã eſſentiam, quatuor verò elemẽta eſſe à Luna deorſum, quintam eſſentiã ab eadem ſurſum. In omnibus, quæ ſunt infra Lunam has quatuor qualitates eſſe, calorẽ, frigus, humiditatem, ſiccitatem. In eis quæ ſunt ſupra Lunam, nullam de his, eadem nec grauia, nec leuia eſſe, nec à centro, nec ad centrum mobilia, ſed circa cẽtrum, vt ſi Sol in medio aeris eſſet, nec aſcenderet, ſed circumuolueretur. Inde eſt, quod ſemper à terra æquali diſtantia corpora ſtellarum circumuoluuntur. Secundũ hanc opinionem ſupra Lunam, nec calor, nec frigus, nec humiditas, nec ſiccitas, harum igitur locus eſt ſub Luna. Inde nulla ibi eſt diuerſitas, nulla mutatio, hanc quintam eſſentiam in æthera, & firmamentum diuidit. Ex eadem in æthere ſex corpora ſplẽdida, quæ planetæ dicuntur, conſtituit, in firmamento infinita, quæ ſunt ſtellæ infixæ. Stellæ ergo tam erraticæ, quàm fixæ ex quinta eſſentia, non ex quattuor cõſtant elementis. Sed quomodo Sol, cũ non ſit calidus, fons ſit caloris. Saturnus quoque, cum non ſit frigidus, frigus generet in aere. Mercurius, cum non ſit humidus, Deus tamen humoris dicatur. Mars calidus eſt & ſiccus, Luna frigida & humida. Qui hanc ſententiã immo dementiam tenere voluerit, ſi poteſt, fingat. Hoc ergo prætermittentes, aliud dicamus.

De ſitu, & magnitudine ſtellarum.

CAPVT XX.

Diſtantia ſyderum à terra.

IDem. In firmamento ſtellæ ſunt, ideſt ſub æthere, vel in æthere continentur, in quo infixæ dicuntur, non vt gemmæ in auro, ſed quia in eo exiſtentes ſemper in eadẽ eius parte videntur. Quarum motus, quia tardiſſimus eſt, à nobis diſcerni non poteſt. *Plinius lib. 2.* Interualla quoque ſyderum à terra multi indagare tentarunt, Solem abeſſe à Luna, vnde 20. partes, quantum ipſam Lunam à terra prodiderũt. Pythagoras autem vir ſagacis animi à terra ad Lunam 125. ſtadiorum

eſſe

eſſe collegit. Ab ea vſque ad ſolem duplum. Inde ad 12. ſigna triplum, vel triplicatum, in qua ſententia & Gallus Sulpicius noſter fuit. *Thebit.* Orbis in quo graditur Luna, eſt orbi terræ propinquior, ſed habet altitudinem, Luna enim, quoniam inter illos habet orbem ab ea parte, qua eſt altior, & à terra remotior, ſequitur orbis Mercurij, cuius proprietas eſt, ſicut proprietas orbis Lunæ ſecundum progreſſionem Mercurii in eo. Inferior autem locus orbis Mercurii contingit altiorem locum orbis Lunæ. Secundum hunc quoque modum ſequuntur hos cęteri orbes ab ea parte, qua eſt altior locus eorum, orbis Veneris prius, poſt orbem Solis, deinde orbis Martis, poſt orbem Iouis, deinde orbis Saturni, poſt orbem ſtellarum fixarum, in quo ſunt ſigna, & in quo eſt orbis ſignorum. Omnium autem orbium quiſque cõtingit alterum, qui eum ſequitur. Nulla enim ratione aliqua vacuitas eſt inter circulos. *Plin. vbi ſupra.* Nec verò hæc tanta debent exiſtimari quanta cernuntur, cum nullum eorum eſſe minus Luna tam immẽſæ altitudinis ratio declaret. *Helinandus.* Non ſolum autem de Sole, & Luna, ſed etiam de omnibus ſtellis volunt probare, quod omnes ſint maiores terra. *Gundiſolinus.* Omnibus mundi corporibus maior eſt Sol, & poſt illũ 15. ſtellę fixæ. Tertius in magnitudine Iuppiter. Quartus verò Saturnus. Quintum locũ obtinent ſtellæ in ordinibus ſuis poſitæ. Sextó eſt Mars. Septimo terra. Octauo Venus. Nono Luna. Decimo Mercurius. Cum ergo minor ex ſtellis fixis maior ſit terra, & tamen illa reſpectu terræ punctualis appareat, multo fortius terra reſpectu cœli punctualis apparebit

Ordo planetarum.

Magnitudo ſtellarum.

De motu ſtellarum in generali.

CAPVT XXI.

Plin. vbi ſupra. Quis autem ęſtates, aut hyemes quæque in temporibus annua vice intelligenda ſyderũ motu fieri dubitet. Ergo vt ſolis natura temperando intelligitur anno, Sic reliquorum ſyderum propria eſt quibuſque vis, & ad ſuam cuique natura fertilis. Alia ſunt in liquorem ſoluti humoris fœcunda, alia concreti in pruinas, aut coacti in niues, aut glaciati in grandines, alia flatus teporis, alia vaporis, alia roris, alia frigoris. *Iſidorus vbi ſupra.* Numerus autem circularis ſtellarum eſt, per quem cognoſcitur in quanto tempore circulum ſuum vnaquæque ſtella percurrat, ſiue per longitudinem, ſiue per latitudinem. Nam Luna 7. annis fertur explere circulum ſuum. Mercurius annis 20. Lucifer annis 19. Sol annis 9. Veſper 15. Phetontes 12. Saturnus 30. Quibus peractis ad reuerſionem circuli ſui eiſdem ſignis, & partibus reuertuntur. Quædam ſydera radijs Solis præpedita anomala fiunt, aut retrograda, aut ſtationaria. *Ex ſphæra.* Cœli formam ſphæricam eſſe per hoc compertum eſt, quod ſtellæ, quæ ſunt in eius medio maiores deſcribunt circulos, aliæ vero quanto remotiores ſunt à mundi medio, tanto minores deſcribunt, & talis eſt natura cõrporis ſphærici. Prętерea ſtellæ, quæ ſunt in mundi medio velociſſimo curſu mouentur, quæ autem in extremitatibus firmamenti tardiſſimo, cum non lineares ſint ad inuicem, quod non fieret, ſi firmamentum quadratum, vel longum eſſet. Oportet enim, quod quæcumque ſibi inuicem linearia ſunt, in alio latere quadrati, dum ipſum quadratum mouetur, æquè citò moueantur.

Cuiuis ſydori ſuauis.

Curſus ſtellarum.

Cœli forma ſpharica.

De motu ſtellarum fixarum.

CAPVT XXII.

Vilielm. de Conchis. Omnium ergo ſtellarum ſeptem de loco ad locum mouentur, quæ à Græcis planetæ, à Latinis erraticæ dicuntur. Reliquæ omnes ſemper in eodem loco exiſtentes impetu firmamenti circa terram cum firmamento mouentur, vnde & in firmamento infixæ dicuntur, firmamentum hoc ſuperiorem ætheris partem voco, in quo ſtellæ (vt ſupra dictum eſt) infixæ dictæ ſunt; non vt gemma in auro, vel vt radius in rota, Sed quia ſemper in eadem illius parte conſiſtunt. Nec moueat, quod ſuperius dixi, æthera ignem eſſe, & eundem à centro moueri. Nunc autem æthera moueri circa centrum, ſecumque ſtellas infixas circumferre. Alius eſt enim motus naturalis, alius accidentalis. Naturalis motus ignis eſt à centro, ſed quia ſupra illum nullus motus eſt, à centro moueri non poteſt. Porro, quia ſtare contra naturam eſt, vel deſcendere. Moueri ergo à centro eſt motus eius naturalis, *circa centrum accidentalis.* Sed cum in ſuperioribus videatur nil corporeum ſine ſuo motu proprio ſuſtineri poſſe, niſi alicui ſolido ſit infixum, quæri poteſt, vtrum illæ ſtellæ, quæ nullo ſolido dicuntur infixæ, motum habeant proprium quo ſuſtineantur: & ſunt quidam, qui dicunt eas motu proprio moueri: ad hoc tantum, vt ſuſtineant ſe ſcilicet in eodem loco. Alij dicunt de loco ad locum eas moueri more planetarum, nullum tamen motum earum oculis noſtris ſentiri, quia tantum ſpacij in peragratione ſuorum circulorũ conſumunt, quod vita hominis, quæ breuis eſt, etiam ad breue punctum tam tardæ aſcenſionis comprehendendum non ſufficit. Et ego quoque dico eas de loco ad locũ moueri, aliam tamen eſſe cauſam, quare motus, etiam ſi immortalis eſſet, homo ſentiri non poſſit, quæ talis eſt. Omnis motus, vel per immobile, vel per minus mobile diſcernitur. Cum enim aliquid mouetur, ſi iuxta illud immobile, vel minus mobile videatur, cum illud præteriri, vel elongari, aut propinquius ferri videtur, motus ſentitur. Sin autem extra illud, vel immobile, vel minus mobile videatur, non ſentitur, quod per nauem currentem in mari probari poteſt. Motus verò ſtellarum per immobile, vel minus mobile ſibi ſuperpoſitum ſentitur, per ſuppoſitum verò nunquam: vt ſigna per motum planetarum diſcernimus, modo enim ſub hoc ſigno, modo ſub alio videntur. Super prędictas verò ſtellas nil eſt viſibile, ideo non eſt, quo motus earum diſcerni poſſit. Mouentur ergo, ſed infixæ dicuntur, quia motus earum non ſentitur. *Ariſtot.* Stellæ non mouentur per ſe, ſed ſunt quiete fixæ, in circulis ſuis compoſitæ, cum quibus incedunt, tantum enim circuli mouentur. *Alfraganus.* Stellæ fixæ tardiores ſunt, quàm Sol, vnum gradum in centum annis in firmamento perficiunt, & ita in tribus milibus annorum vnum ſignum. Cumque quodlibet ſignum habeat 30. gradus, & quilibet gradus 60. minuta, & duodecim ſint ſigna, patebit *in triginta ſex milibus annorum ſtellas fixas curſum ſuum perficere,* & hic eſt magnus annus, de quo dixerunt Philoſophi.

Accidentalis motus ignis eſt moueri circa centrum.

Mouentur fixa imperceptibiliter.

Magnus annus.

De Planetis.

CAPVT XXIII.

Iſidorus vbi ſupra. Quędam itaque ſtellæ, ideo planetæ id eſt, errantes dicuntur, quia per totum mũdum vario motu diſcurrunt. Vnde pro eo, quod errant, retrogradæ dicuntur, vel anomalæ efficiuntur, id eſt, quando particulas addunt & detrahunt, cæterum quando tantum detrahunt, retrogradæ dicuntur. Stationem autem faciunt quando ſtant. Planetæ ergo ſunt ſtellæ, quæ non in cœlo fixæ ſunt, vt reliquæ, ſed in aëre feruntur. Nam in Septentrionem interdum, interdum in Auſtrum, contra mundum, nonnunquam cum mũdo feruntur. Quarum nomina Greca ſunt, *pheton, phetõta, pyriona, hefperus, ſtelbo*: has Romani nominibus *deorum ſuorum ſacrauerunt id eſt, Iouis, Saturni, Martis, Veneris, & Mercurij.* Decepti enim, & decipere volentes in eorum adulatione, qui ſibi aliquid ſecundum amorem præſtitiſſent, ſydera in cœlo oſtendebant dicentes, quod Iouis illud eſſet ſydus, & illud Mercurij, & concepta eſt opinio vanitatis, hanc opinionem diabolus confirmauit, Chriſtus euertit. *Ex imagine mundi.* In ęthere, quod purus aër dicitur, & perpetuo ſplendore lætatur. Septem ſtellæ ſingulis circulis contra mundum feruntur, & ob vagum curſum planetæ, id eſt erraticæ dicuntur, hæ immenſa

Nomina 7. planetarum à Romanis impoſita.

Planetæ.

celeritate firmamenti ab Oriente in Occidentem rapiuntur, tamen naturali cursu mundum contraire probantur, sicut musca, si in rota circumferetur, ipsa tamen proprio motu contra reuolutionem eius ire videretur, hi planetæ nunc superius, nunc inferius propter obliquitatem signiferi vagantes, radijs Solis prepediti anomali, vel retrogradi, vel stationarij fiunt.

De nominibus & proprietatibus singulorum.

CAPVT XXIV.

Luna. PRimus itaque planetarum est Luna stellarum minima: sed ideo maior cęteris videtur, quia terrę proxima in primo circulo fertur. Huius corpus est globosum natura igneum, sed aqua permixtum, vnde & lumen proprium non habet, sed in modum speculi à Sole illuminatur, & ideo Luna quasi lucina, id est, à luce nata nominatur. Quod autem quasi nubecula in ea videtur, *ex aquæ natura esse dicitur.* Dicitur enim, quod si aqua permixta non esset, terram vt Sol illuminaret, & ima ob vicinitatē maximo ardore vastaret. Globus eius multo amplior est terra. Hæc licèt quotidie violentia firmamenti ab Oriente in Occidentem feratur, tamen contra mundum nitens omnia Zodiaci signa 27. diebus peruagatur, vel peragratur. Circulum autem suum 19. annis perambulare affirmatur. Luna 4. si rubeat vt aurum, ventos ostendit. Si in summo corniculo maculis nigrescit, pluuidum mensis exordium. Si in medio plenilunium serenum. *Nubecula in Luna quid?*

Mercurius. *Secundus est Mercurius*, qui & stellbon forma globosus, natura igneus, Lunam magnitudine vincens, lumen à Sole accipiens, signiferum 339. diebus percurrens. *Venus.* *Tertius est Venus*, qui & hesperus Lucifer & vesper, rotundus, igneus, contra mundum nitens vt Mercurius. Zodiacum percurrens 347. diebus. *Sol.* *Quartus est Sol*, forma sphæricus natura igneus, magnitudine terram octies vincens, omnibus stellis lucem præbens, hic ab Oriente in Occidentem impetu firmamenti fertur. Sed contra mundum nitens totum zodiacum 365. diebus graditur. Circulum autem suum 28. annis percurrere creditur. *Mars.* *Quintus est Mars*, qui & pyrois, alias pyriona, globosus igneus, percurritque zodiacum duobus annis. *Iuppiter.* *Sextus Iupiter*, qui & phetonta, rotundus, temperatus, zodiacum peragrans 12. annis. *Saturnus.* *Septimus Saturnus*, qui & pheton sphæricus, Zodiacum 30. annis percurrens. *Colores 7. planetarum.* Suus autem cuique color est, Saturno candidus, Ioui clarus, Marti igneus, Lucifero candens, Vespero refulgens, Mercurio radians, Lunæ blandus, Soli ardens. Mutant autem colores à circulis propinquis. Nam frigidior in pallorem. Ardentior in ruborem. Ventosus in horrorem. Ater in obscuritatem.

De motu eorum per proprios circulos.

CAPVT XXV.

EX *sphæra.* Planetæ ergo septem sunt, quorum altior & firmamento vicinior est Saturnus, postea Iuppiter, postea Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, de quibus supra. Hi mouentur contra firmamentum, ad hoc vt dici solet, vt retardent eius impetum. Alioquin ex velocissimo motu illius posset destrui machina mundialis. Itaque in planetis duplex est motus. *Motus violētus & naturalis planetarum.* Motu enim violento rapiuntur à firmamento ab Oriente in Occidentem. Naturali vero contra firmamentum ab Occidente in Orientem. Omnes autem planetæ eccentricos habent, id est, circulos quosdam qui habent centrum suum extra centrum terræ. Sol quidem motu corporis sui in medietate describit eccentricum. Reliqui verò epicyclos id est, paruos circulos, vel potius sphæras, qui terram non circumeunt, sed tantum vnum circulum, qui eccentricus dicitur, & eum centro suo describunt. Sol quidem directè mouetur contra firmamentum, iuxta illud Ouidij: *Nitor in aduersum*, &c. Omnes ergo planetæ præter solem, qui progressiuus tantum dicitur, Dicuntur progressiui, retrogradi, stationarij. *Progressiuus dicitur planeta, quando mouetur ab initio sui epicycli versus finem.* Retrogradus vero quando mouetur à fine versus principium. Stationarius quando incipit esse progressiuus, & desinit esse retrogradus, vel econuerso. Directus etiam dicitur, quando mouetur in superiori parte epicycli. Indirectus verò, quando in inferiori. Inter planetas autem duo luminaria principatum habent. *Ex lib. de natura rerum. Retrogradatio quinque stellarum est*, cum vnicuique earum est circulus reuolutus. Cum ergo fuerit stella in altitudine illius circuli, erit cursus eius in eo per partem Orientis, qui suo cursu erit addens in circulo signorum, & ex hoc contingit, quod cum fuerit in inferiore parte circuli reuoluti currit ad partem Occidentalem, & cū fuerit cursus hic, qui est ad partē Occidentalem, videtur planeta retrogradus. *Sol & Luna non sunt retrogradi.* *Sols ergo & Lunæ nihil horum accidit.* Horum ergo vniuersi planetæ præter Lunam, cum fuerint in superiore parte circuli breuis, mouentur contra cœlum. Cum autem in inferiori, cum cœlo. Gressus omnium planetarum secundum seipsos æquales sunt gradibus, qui fiunt in temporibus æqualibus, non tamen sic apparet in circulo signorum. Saturnus & Iuppiter & Mars tardiores sunt cursu Sole. Venus & Mercurius sunt cursus velocioris sole; Luna est cursu sole velocior, & non est ei retrogradatio, sicut iam dictum est superius. *Ex imagine mundi.* Omnes autem planetæ 532. annis circulos suos peragunt, & eosdem vt prius repetunt.

De distantia eorum ad inuicem.

CAPVT XXVI.

Planeta progressiuus. Retrogradus Stationarius Directus. *Indirectus.*

POrro à centro terræ absides, id est circuli planetarum altissimæ sunt, Saturno autem in Scorpione, Ioui in Virgine, Marti in Leone, sole in Geminis, Veneri in Sagittario, Mercurio in Capricorno, Lunæ in Ariete. Medijs omnium partibus & econtrario ad terræ centrum humillimæ atque proximæ. *Absides planetarum.* A terra itaque vsque ad firmamentum cœlestis musica mensuratur, ad cuius exemplar etiam nostra fuisse affirmatur. In terra namque fit tonus. Gama in Luna. a. In Mercurio. b. In Venere. c. In Sole. d. In Marte. e. In Ioue. f. In Saturno. g. Profecto mensura musicæ inuenitur, dum à terra vsque ad firmamentum 7. toni reperiuntur. A terra namque vsque ad Lunam est tonus. A Luna vsque ad Mercurium semitonium. Inde vsque ad Venerem semis. Et inde vsque ad solem tria semitonia. Inde vsque ad Martem tonus. Inde ad Iouem semis. Et inde ad Saturnum semitonium. Inde vero ad signiferum tria semitonia, quæ scilicet iuncta septem tonos efficiunt. Tonus autem habet 15. dc. 25. miliaria. Semitonium vero septies, cccxij. miliaria & semissem. Vnde & philosophi septem musas finxerunt, quoniam à terra vsque ad cœlum septem consonantias deprehendunt, quas homini naturaliter insitas inuenerunt. *Mēsura musica à terræ ad firmamēntum.* Sicut enim hic mundus septem tonis, & nostra musica septem vocibus distinguitur, sic corporis nostri compago septem nodis coniungitur, dum quatuor elementis corpus, in tribus viribus anima copulatur. Vnde & homo microcosmus id est minor mundus dicitur, dum sic cum sono numeroque cœlesti musicæ par cognoscitur. *Homo Microcosmus.* A terra itaque ad Lunam sunt 15. dc. 25. miliaria. A Luna vero vsque ad Mercurium, 7. dccc. 12. miliaria, &c. Sunt ergo à terra vsque ad cœlum miliaria. c. & 9.

De qualitatibus Saturni & Iouis & Martis.

CAPVT XXVII.

Saturnus, cur senex fingitur?

GVilielmus de Conchis. Summus itaque planetarum dicitur Saturnus, in peragratione zodiaci fere 30. annos consumens, vnde in fabulis senex fingitur. Hæc stella frigida & nociua esse dicitur. Hanc esse frigidam sic probauerunt astrologi, *cum scirent Solem existentem in Cancro terras calore adurere, sentiebant in aliquo anno minus solito id contingere.* Scientes autem ex natura Solis hoc non esse, quæsiuerunt quis planeta in eodem signo esset cum illo, reperientes quòd Saturnus,

dixerunt

Vnde deprehenſum Saturnum cauſare frigus.

dixerunt ipſum cauſam frigiditatis eſſe. Ac inquis, cum omne corpus ſtellæ ſit igneæ naturæ, quod probat motus & ſplendor, quomodo poteſt eſſe ſtella frigida. N5 enim illud probo, quòd quidam dicunt ſtellam Saturni inde frigidam eſſe, quod aquis congelatis eſt vicina, ſicut eſt Luna, ex vicinitate terræ & aquæ. Probatum eſt enim ſuperius, aquas congelatas ibi non eſſe. Verum inquam plures ſunt ignis qualitates, quæ in quibuſdam corporibus ſunt diuiſæ, in quibuſdam coniunctæ. Vt ergo eſt quoddam igneum calidum & non ſplendidum, ſic eſt & *quoddam ſplendidum & non calidum.* Illa enim ſola ſunt calida, quæ alicui ſpiſſæ & humidæ materiæ in qua accendantur ſunt vicina, hoc per ſolem poteſt probari, qui in conuallibus vbi aër eſt ſpiſſior, magnum exercet feruorem. In altiſſimis montibus propter aeris ſubtilitatem feruorem minimè operatur, cuius rei ſunt indicium niues perpetuæ ibi exiſtentes. hac eadem ratione ſuper Lunam feruor non poteſt eſſe præ nimia Ætheris ſubtilitate.

Saturnus eſt ſplendidus non calidus.

Obijcitur.

Sed dicis, ergo ſuper Lunam non eſt ignis. Dicit enim Ariſtoteles non poſſe non calere. Aliud eſt calere, aliud feruere. Superior *ignis calet, non feruet.* vel cum Ariſtoteles hoc dixit de inferiore noſtro igne iuxta vulgarem ſermonem locutus fuit. Nomina porrò ſumpta à qualitatibus, tribus modis rebus attribuuntur, vel propter ſenſum, vel propter effectum, vel ſignum. Cum ergo Saturnus dicitur frigidus, effectui deputatur. Quid autem miraris, ſi quod non eſt frigidum frigus facit. Cum etiam hoc quod eſt calidum frequenter hoc agit. Allia, Serpillum, quæ nemo dubitat eſſe calida, meſſores frigefaciunt. Calor ignis cum ſit ſiccus, nonne ferrum liquidum facit. Saturnus igitur ſi non eſt frigidus frigus generat. vel ſi Saturnum nec frigidum eſſe, nec frigus facere contendis dic quod frigus non facit, ſed ſignificat. Vnde propter illud, quod frigus ſignificat, frigidus dicitur. hæc eadem ſtella dicitur maleuola, vel quia facit, vel quia ſignificat aliquid *mali hominibus euenire, & maximè, quando eſt retrograda, vnde & in fabulis falcem deferre dicitur.* Qui enim falcem geſtat, ſi retrocedit, lædit, ſi antecedit non ita. Poſt Saturnum eſt Iupiter, in peragratione zodiaci 12. annos conſumens: hæc ſtella eſt beneuola, quippe in qualitatibus eſt temperata, quod ex coniunctione eius cum ſole eſt probatum. Sed quoniam inter Saturnum, & Martem quæ ſtellæ ſunt maleuolæ, eſt media. Cum in ſuperiori, vel inferiori abſide ſui circuli exiſtit, temperatur illorum nociuitas, & minuitur eius beneuolentia, vnde in fabulis dicitur. Iupiter Saturnum patrem mundo expuliſſe, quia vicinior factus Saturno, naturalem ei aufert nociuitatem. Dictur etiam adulterando diuerſos filios genuiſſe. Collocatus enim inter planetas beneuolos & maleuolos, ſicut Iouis cum Saturno, vel Marte in terrenis diuerſa efficit. Tertius eſt Mars, Stella calida & ſicca, idemque nociua, in biennio zodiacum peragrans. Sed inter duas beneuolas ſtellas, videlicet, Iouem & Venerem poſitus, eleuatus vel depreſſus in ſuo circulo ex eorum vicinitate minus eſt nociuus. In prælijs dicitur dominari, quia calorem & ſiccitatem, ex quibus eſt impetus & animoſitas, confert. Calidi namque, & ſicci ſunt animoſi.

Reſp.

Nota de ſaturno retrogrado.

Mars.

De cauſis retrogradationis.

CAPVT XXVIII.

CVm autem naturalis motus planetarum ſit ab oriente in occidentem, quomodo retrogradari vel ſtare iſti tres dicuntur, quæ inde audiui expediam, nullum tamen de his affirmans. Dicunt ergo quidam, ſolem eſſe attractiuæ naturæ, cum iſti planetæ præcedunt ſolem ſi propinqui ſunt, *attrahit eos ad ſe, vt adamas ferrum vel magnes.* Sin autem remotæ cogit illos ſtare, donec tranſierit illos. Alij dicunt *eos nunquam ſtare, videri tamen quod ſtent.* Cum enim igneæ ſint naturæ neceſſe eſt quod moueantur. Videntur aliquãdo ex arce & theſi ſtare vel retrogradari. Conſtat autem inter aſtrologos

Prima ſententia.

2. Sententia de retrogratione.

A vnumquodque de planetis prædictis quandoque plus ſolito remoueri à terra, tuncque eleuantur quandoque plus ſolito verſus terras deſcendere, quod deprimi dicimus. Cum enim Sol ſit fons caloris, caſu aliquo ſuperiora & inferiora deſiccat. Vnde corpora iſtorum plus ſolito leuia aſcendunt. Si iterum ad nutrimentum ſui plus ſolito humorem attrahat, reddit illa plus ſolito grauia, vnde plus ſolito deſcendunt. Sunt qui dicunt *hoc ex qualitate circulorum* contingere, quia in quibuſdam locis deprimuntur, in quibuſdam exaltantur, & deprimuntur circuli aliquando rectè, aliquando obliquè. Dum ergo recto modo exaltantur vel deprimuntur, quia ſemper ſub eadem parte ſigni eſſe dicuntur, ſtare creduntur, ſi obliquè retrogradi. Chaldæi aliam retrogradationis iſtorum rationem reddiderunt, quæ talis eſt. Eſt vnus B circulus qui æqualiter diſtat à terra, ſub quo planetæ diſcurrunt, hic eſt zodiacus. Præter hunc communem circulum habet vnuſquiſque trium ſuperiorum planetarum duos circulos. Vnum eccentricum, qui in vna ſui parte eſt remotior à terra, in alia propinquior, qui circulus contra firmamẽtum nititur, Alterum epicyclum qui totus ſupra pendet, hic poſitus in ipſo eccentrico, quemadmodum & ipſe contra firmamentum nititur, in quo ipſe planeta fixus motu ipſius contra firmamentum rapitur, quia ſecundũ ipſos planeta non mouetur, ſed motu epicycli quo ſitus eſt voluitur. Scimus autem quod ſi maxima rota in qua eſſet cereus inextinguibilis accenſus, ſuper caput noſtrum ab oriente in occidentem moueretur, dum illa pars rotæ in aqua eſſet cereus accenſus eſſet ſuperior, videretur cereus ad orientem moueri cũ C eadem pars rotæ deſcenderet, videretur ille cereus nec ad orientem nec ad occidentem moueri, ſed ſtare. Cum autem eadem pars eſſet infima ab occidente ad orientem videretur retrogradari prædictus cereus. Cum vero eadem pars rotæ aſcenderet, videretur ſtare. Simile contingit in quolibet iſtorum planetarum, vnde & geminus eſt locus ſtationis, vnus progreſſionis, & vnus retrogradationis.

3. Sententia.

4. Sententia.

De Qualitatibus Veneris, ac Mercurij, & eorum diſpoſitione.

CAPVT XXIX.

QVartus planetarum iuxta Platonem eſt Venus, ſtella videlicet temperata in qualitatibus, vnde & beneuola dicitur, modo in 13. menſibus, modo in 12. zodiacum percurrens. Dicitur autem cum Marte adulterata, quia in ſuperiori parte ſui circuli exiſtens, facta Marti vicina, minus eſt beneuola. Quintus eſt Mercurius, fere in anno curſum ſuum perficiens, cum quo Venus adulterata dicitur, cum ſcilicet in inferiori parte ſui circuli ſe illius commiſcet qualitatibus. Ideo autem dixi iuxta Platonem, quia Ægyptij (quos ſecutus eſt Plato) dixerunt ſolem eſſe ſtatim poſt Lunam, ſupra ipſum vero Mercurium, ſupra Mercurium Venerem. Chaldæi autem (quos ſecutus eſt Tullius) volunt poſt Lunam eſſe Mercurium, ſupra quem Venus, ſupra quem Sol. Quodque de ordine iſtorum trium diuerſa ſenſerunt, ex circulis eorum contingit. Circuli namque Veneris ac Mercurij ſunt epicycli, id eſt, ſupra terram exiſtẽtes, nil de illa concludentes. Horum circulorum cẽtrum eſt in ſole, ſed mercurialis in medio ſolis, venereus ſupra medium. Dum ergo Venus, & etiam Mercurius in ſuperioribus circulorum ſuorum exiſtunt, verè ſupra ſolẽ ſunt. Cum verò in inferioribus circulorum ſuorũ ſunt, verè infra ſolem ſunt, ſemperque Mercurius propinquior eſt Soli. Ad hoc itaque reſpicientes Chaldæi, quod quãdoque inferiores ſunt ſole, tuncque liberius appareant, ſol enim non tantum apparentiæ illorum oculis ſuprapoſitus, quantum ſubiectus ſubducit. Ideoque dixerunt ſolẽ illis ſuperiorẽ. Plato verò & Ægyptij cõſiderantes quãtum poſſint plus eleuari, viderunt, quod Sol non eleuatur tantum quantum Mercurius, nec Mercurius quantum Venus, & ideo ſolem inferiorẽ Mercurio, & Mercurium Venere iudicauerunt. *Cui ſententiæ, videlicet,*

Venus.

Mercurius.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hic author ponit ſolem ſub Venere & Mercurio.

quod Sol ſit ſub Venere, & Mercurio nos potius accedimus. Cum enim Luna ſit frigida, & inde neceſſe eſt, vt Sol, qui calidus eſt, & ſiccus, ſit ei coniunctus, quatenus ex calore ſolis temperetur Lunæ frigiditas, ex ſiccitateque humiditas, ne cum Luna terræ vicina ſit, & in ea magis dominans, ſi diſtemperati radij eius ad terram venirent, illam diſtemperarent. Pręterea cum Luna proprio careat ſplẽdore, illuminatur à ſole. Oportet ergo, quod fonti luminis ſubiecta ſit ſine medio.

De Iſtorum retrogradatione.

CAPVT XXX.

ISti quemadmodum cæteri planetæ ab occidente in orientem, impetu tamen firmamenti ad occaſum & ortum quotidie referuntur. Sic enim ſoli concurrunt, vt Mercurius plus duobus & triginta gradibus ab eo non elongetur, Venus plus 45. Sed cum in id ſpacium veniunt, ad Solem recurrunt. Mercurius fere in anno zodiacum circuit. Venus autem in illo anno in quo frequentius ſtat & retrograditur *plus 12. menſibus in circulo non conſumit.* Alio quoque anno quando *rectior incedit.* 11. Habent etiam matutinos & veſpertinos ortus, quia quando iuncti ſoli ſplendore illius occuluntur retrogradientes apparere incipiunt mane ante ſolem, quæ dicitur matutina effulſio. Aliquando ſolem prȩcedunt, tũcque ſole merſo apparere incipiunt, tuncque dicitur veſpertina effulſio. Si ante ſolem in ortum diu viſæ applicant ſe ad ſolem, & incipiunt non videri, dicitur matutinus occaſus. Achronico ortu nunquam oriuntur, quia nunquam integro diametro à ſole diſtãt. Venus autem vna & eadem die ante ſolem videtur, tunc lucifer vocatur. In fine autem eiuſdem poſt Solem videtur, & tunc heſperus vocatur. Sed dicis Cum planetæ ſecundum aſtrologos ſint eiuſdem velocitatis, circulique iſtorum fere ſint ęquales, vnde poterit eſſe, quod Venus in principio noctis videatur poſt Solem, & in fine eiuſdem ante Solem. At vt ſuperius demonſtratum eſt, venus quãdoque Sole ſuperior eſt, quandoque inferior. Vnde & poſt Solem videtur in veſpere, & ante Solem in mane, non ergo localiter in fine & in principio eiuſdem noctis, Solem prȩcedit & ſequitur, ſed altitudine ſua poſt ipſum & ante ipſum videtur. Quod nunquam contingit, niſi quando Sole ſuperior exiſtit.

Venus retrograda quot menſes conſumit.

Dubium.

De Retrogradatione Solis & Lunæ.

CAPVT XXXI.

Reſpondetur.

SOlem ergo ſicut & alios planetas ab occidente in orientem naturali motu moueri generalis ferè ſententia omnium philoſophorum fuit. Cum enim Aries ſit poſitus ſic, quòd quandoque ſit in medio cœli, inter illum & orientem eſt Taurus, deinde Gemini, poſt Cãcer in oriente. Inter eundem & occidẽtem ſunt Piſces, poſt Aquarius, inoccidente Capricornus. Si ergo Sol ab oriente in occidentem tenderet, in ſignum verſus occidentem poſitum id eſt in Piſces ab Ariete tranſiret, inde in cætera. Cum autem ab Ariete in ſigna verſus orientem, prius in Taurum, deinde in Geminos tranſeat, ſine cunctatione iudicij ab occidente in orientem credatur moueri. Fuit etiam neceſſe quòd ſic moueretur. Cum enim firmamentum ab oriente in occidentem tendat, ſi planetæ illi non contracurrerent, tantus eſſet in terris impetus, quòd nihil ſtare, vel viuere poſſet in eis. Vt ergo rapido motui firmamenti obuiarent, impetumque illius temperarent in contrarietatem motus retorti ſunt. Sed quamuis contra firmamẽtum moueantur, quotidie tamen ad occaſum & ortũ ſecum illos refert. Cum enim ſol ab occidente in orientem motu proprio mouetur, niſi à firmamento rapto motu ècontrario referretur, 6. menſibus continuè eſſet ſuper terram, beneficijs noctis careremus, Alijſque ſex menſibus inferius currens hemiſpherium, ad nos non aſcenderet, ſicque ſex menſibus die careremus. Sed fortaſſe dicis, cum planetæ ſint extra firmamentum, quo modo poſſunt à firmamento referri, & maximè Luna, quæ eſt ab illo remotiſſima. Reſpondeo. Nonne ſuperius probauimus ignem, vel æthera eſſe firmamentum. Illud quod homines in aquæ colore modo pellis extenſum ſibi confingunt nihil eſſe. Vnde etiam ſi extra firmamentum eſſet, impetu illius moueri poſſet. Impetu enim alicuius maximi, videmus minima quæ extra ipſum exiſtunt frequenter moueri.

Reſp.

Falſa opinio de concentu cœli.

CAPVT XXXII.

EX *imagine mundi.* Denique ſignifer primus circulus. 12. ſignorum diuiditur in duodecim partes per latum, ſub his feruntur, 7. planetæ, & hi ſeptem orbes (vt dicitur) cum dulciſſima harmonia mouentur, ac ſuauiſſimi concentus eorum circumitione efficiuntur. Qui ſonus ad aures noſtras ideo non peruenit, quia vltra aerem fit, & eius magnitudo noſtrum auditum anguſtum excedit. Nullus enim ſonus à nobis percipitur, niſi qui in hoc aere efficitur. Rabi Moyſes. Dixerunt quidam plures cœlos facere ſonum magnum & horribilem, & hoc per ſimilitudinem, quia etiam corpora parua, quæ inferius ſunt, in feſtinatione ſua ſonum magnum faciunt. Quanto magis corpora Solis & Lunę atque ſtellarum, quæ plus habent & magnitudinis & feſtinationis, vnde & Pythagorici voces ſuaues & concordes hoc habere crediderunt, & antiqui omnes Hebræi cum Pythagoricis conuenerunt. *Auctor.* Hoc ideo forſitan Iudæi dixerunt cortici litteræ ſemper carnaliter & inaniter adhærentes. Quia ſcriptum eſt in libro Iob. *Quis enarrabit cælorum rationem & concentum cæli quis dormire faciet.* Verum hæc opinio à prudentibus viris nequaquam recipitur, quia cum ſonus materialis abſque reſiſtentia rei ſolidæ nunquam fiat, in illo cæleſti ſpacio quo ſydera voluuntur, vbi puriſſimus ac ſubtiliſſimus ignis, vt pote purum elementum totum occupat, ſonus vel cantus fieri naturaliter poſſe negatur. Sed hinc oritur quæſtio difficilis, qualiter in cœlo empyreo vbi proculdubio puriſſimæ & quietiſſimæ ſunt animæ omnium ſanctorum iuxta Beati Gregorij ſententiam futura ſit laus vocalis. Ob hoc autem præcipuè prædicta ſententia de cœlorum concentu reſpuitur, ne antiquus ille ſuperſtitionis error de cultu cœleſtium ſyderum, id eſt Solis ac Lunæ & vniuerſæ militiæ cœli, tanquam non ſolum vitam & ſenſum ac motum, ſed etiam numinis aliquid in ſe habentium, apud nos etiam locum habere videatur.

Harmonia cæli.

Pythagoricorum ſententia reijcitur.

Dubium, cui non ſatis fit.

De Quatuor cælis vel ſphæris habentibus ſtellas.

CAPVT XXXIII.

RAbbi *Moyſes.* Cælum quidem Mercurij & Veneris olim inter aſtrologos in ambiguitate fuerunt, vtrum ſub ſole ſit an ſupra Solem. Antiqui quidem opinantes eos eſſe ſupra Solem. Sed poſtea Ptolomeus ordinauit eos ſub Sole. Qui autem ſupra Solem eos eſſe dixerunt, quinque ſphæras eſſe putauerunt, ſcilicet Lunæ ſphæram, quæ propinquior eſt nobis omni alia. Et ſphæram Solis, quę ſupra illam eſt, & ſphæram quinque ſtellarum erraticarum, & ſphæram ſtellarum fixarum, & vltimum cœlum omnes circumuolans in quo non eſt ſtella. Sicque numerus cælorum ſiue ſphærarum habentium ſtellas eſt quaternarius & ſuper hos vltima ſphæra. Dixerunt autem Philoſophi quod cælum Lunæ virtutem habet crementalem in elemento aquæ, & ad hoc dant pro ſigno crementum maris cum Lunæ incremento, & diminutionem ſimiliter. In Sole vero manifeſtum eſt quomodo radius eius incrementum ignis mouet, ſicut crementum frigoris in elongatione eiuſdem apparet. Similiter & ſphæra ſtellarum erraticarum comparationem habet ad aerem in exiſtendo principium qualitatum eius, & in mouendo ipſum, & propter multitudinem mutationum

Ordinatio Mercurij & Veneris ſub ſole paſſim recepta.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

istius sphęrę,& ipsum motum scilicet retrogradationis & stationis ac progressionis. Est in aere facilior transmutatio secundum multos modos quam in alio elemento. Sphæra vero stellarum fixarum est principium motus in terra,& ideo potest esse , quod *tardetur motus terræ,propter tardationem stellarum fixarum in suo motu.*

Tardatur motus terra vnde.

De Duodecim signis zodiaci.

CAPVT XXXIV.

EX imagine mundi. In medio autem firmamenti sunt 12.signa per transuersum dispositа, æqualiter per circuitum distincta. Horum dispositio Græcè dicitur zodiacus,Latinè signifer,eo quod in eo sunt signa quæ animalium habent nomina. Zodion enim animal dicitur.*Ex computo.* Sciendum est autem,quod sol quolibet mense intrat signum aliquod, quod secundū ecclesiam debet fieri 15.Kal.in quolibet mense.Ad sciendum autem ordinem & nomina signorum dantur hi versus. *Est Aries,Taurus,Gemini,Cancer,Leo,Virgo.Libraq; Scorpius, Arcitenęs,Caper,Amphora,Pisces.* Igitur15.Kal.Aprilis,qui dies est in Martio,Sol intrat Arietem, in quo signo mundus factus esse dicitur, & creditur, scilicet circa principium veris 15.Kal. Maij intrat Taurum, & sic per ordinem signorum & mensium. Licet ergo signa sint æqualia, sicut dicunt astronomici, non tamen ecclesia ponit ea æqualia.Plures enim dies quandoq. sunt in vno signo,quam in alio, cū vnus mēsis plures habeat dies quam alius , vnde plures erunt gradus vnius signi quam alterius.*Gradus autem dicitur spacium, quo Sol motu suo transit in zodiaco in die naturali Et signum dicitur duodecima pars zodiaci.* Ex iā dictis potest sciri,quoto gradu alicuius signi sit Sol in quocunque die. Videndum est enim vtrū sit in mēse ante 15.Ka.vel post.Si dies de quo quæris in quo gradu sui signi sit Sol illo die,sit ante 15. Kal.computa quot dies transierunt à 15.Kalendas præcedentis mensis,& toto gradu illius signi quod sol tunc intrauit erit Sol.Si autem dies illa est post 15. Kal. vide quot diebus post , & toto gradu illius signi quod Sol tunc intrauit,erit Sol.

Zodiaci nomen vnde?

Gradus. Signum.

Ad sciendū que gradu sit.

Sol.

De Significationibus nominum eorum.

CAPVT XXXV.

EX imagine mundi. Primum ergo signum est Aries, constans ex pluribus stellis, quia sicut Aries tota æstate in dextro,& tota hyeme in sinistro latere cubat, sic Sol sub illo signo gradiens , dextram partem cœli perambulat.Secundum dicitur Taurus ob significationem,quod Sol sub illo positus radiorum suorum cornua fortius erexit, & terram arabilem reddit. Tertium Gemini , quia Sol sub illo duobus amplius diebus, quam sub alijs moretur.Quartum Cancer,& significat quod sicut Cancer retrocedit , sic Sol ad illud signum veniens cursum suum retroflectit. Quintum Leo,designans sicut in anteriore parte calidæ naturæ est,& posteriore parte frigidæ, ita Sol in illo signo mensem Augustum prius facit calidum,ad extremum tepidum.Sextum est Virgo ob significationem, quia sicut Virgo non parit, sic & Septembris mensis illius signi nihil gignit.Septimum Libra, signans quod Sol æquinoctium faciat,cum sub illo signo ambulat.Octauum Scorpius, pro signo grandinum positus, quæ illo mense scilicet Nouembri in quibusdam terris crebrius facit.Nonum Sagittarius, designans crebros fulminum ictus, qui in Decembri contingunt in aliquibus locis. Decimum Capricornus,quia sicut capra alta petit, ita tunc Sol ad astra conscendit, extrema pars eius definit in Piscem, quod significat finem illius esse pluuialem.Vndecimum Aquarius , signans quod solutis nubibus vndosum est illud tempus.Duodecimum Pisces, quod tempus pluuiale designat.

Aries.

Taurus.

Gemini.

Cancer.

Leo.

Virgo.

Libra.

Scorpius.

Sagittarius.

Capricornus

Aquarius.

Pisces.

De Ratione numeri signorum.

CAPVT XXXVI.

Albumasar. Quicquid in hoc mūdo nascitur & occidit,ex quatuor elementis est compositum,tribus interstitijs educatū, scilicet principio medio & fine, quæ scilicet tria in illa quatuor ducta duodecim producunt.Cum ergo huic numero signorum numerum respondere conuenerit , duodecim signa in zodiaco esse oportuit.Præsunt siquidem hæc signa quatuor elementis,eorumque tribus interstitijs.Sunt quippe stellarum loca non sua , seorsum substantia generationes eorum & corruptiones mouentia. Sed super inferiorem mundum oriendo & occidendo stellasque discurrentes recipiendo.Sic etiam elementa non per seipsa resoluuntur,rerū nec generationes aut corruptiones producūt. Sed & temporum alterationes,elementorum resolutiones,generationum quoque causæ eadem consequūtur. Sic itaque circuli signa,mundi præsunt quatuor elemētis, eorumque tribus interstitijs , vt re & numero necesse erat,quod expositione plenius vel planius constabit.Præest enim *Aries igni,Taurus terræ,gemini aeri,Cancer aquæ,Deinde initio repetito Leo* item igni, Virgo terræ, Libra aeri, Scorpio aquæ. Deinde repetito ordine Sagittarius igni,Capricornus terræ,Aquarius aeri, Pisces aquæ.Primus itaque signorum ordo elementorum primum sortitur interstitiū id est geniturę initiū.Secundus ordo secūdum, quod vita medium est.Tertius tertium.

Tria interstitia corruptibilium.

Quo ordine 12. signa 4. elementa præsint.

Sunt ergo de signis tria quidē ignea, tria terrea, tria aerea , tria aquatica. Præest enim Aries calido siccove generationi geniturę , vel vegetationi ad vitam, ad incrementum atque nutrimentum animantium atque graminum apto. Leo minus temperato maturantique rerum statui.Sagittarius nociuo corrumpenti dissoluētique animantium ac graminum compagem. Taurus frigido sicco geniturę amico,vt agro fertili graminumque & animantiū nutrimentis. Virgo inutili & inepto, vt sint agri steriles,& id genus.Capricornus nociuo & dissolutiuo:quale est cænum & terra grauis. Gemini calido humido temperato,suaui rerum geniturę fomētisque apto,quales sunt odores suaues confortatiui.Libra crasso & turbulento , vt sunt venti & vapores pingues.Aquarius graui & corrupto, vt vaporibus fœtidis, grauique aeri. Cancer humido temperato dulci nihilhominus rerum naturis & nutrimentis idoneo, quales sunt humores sustentatiui.Scorpius minus habili, quales sunt humores salsi animantium graminumque naturæ inutiles. Pisces corrupto distemperato & dissolutiuo, vt sunt lacunæ & paludes obscænæ. Quatuor ergo rerum generationibus præsunt & quatuor corruptionibus. Habentque ista signacula duodecim suas quoque vires & proprietates in diuersis accidentibus ex quatuor elementorum tribus interstitijs.

Generationes & corruptiones quibus 12. signa præsunt.

De Dispositione eorum.

CAPVT XXXVII.

Vilelmus de Conchis. Signorum itaque talis est dispositio , quod Cancer nobis est propinquius in confinio nostræ habitabilis & torridæ zonæ. Deinde Leo aliquanto descendit versus orientem, post Virgo, deinde Libra in medio torridæ zonæ existens , vltra quam est Scorpius, deinde Sagittarius , post quem est Capricornus à nobis remotissimus,deinde obliquè ascendendo est Aquarius,post illum Pisces, deinde Aries in medio torridæ Libræ oppositus , supra quem est Taurus. Deinde Gemini, post Cancer, & illud *signum in quo quilibet planeta est creatus , eius domicilium vocatur.* Est ergo secundum Ægyptios *Cancer domicilium Lunæ , Leo Solis, Virgo Mercurij, Libra Veneris, Scorpius Martis , Sagittarius Iouis, Capricornus Saturni , Libra Veneris.* Sed quoniam adhuc restabant quinque signa, minoribus planetis attribuerunt ea,

Domicilium planeta quid

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

concedentes *Saturno Aquarium, Ioui Pisces, Martí Arietem, Veneri Taurum, Mercurio Geminos. Sol ergo & Luna singula habent domicilia, reliqui bina. Sed primum & proprium domicilium dicitur in quo est planeta creatus, reliquum dicitur secundum.* Omnis planeta maiorem habet potestatem in proprio domicilio, quam in alieno. Maiorem in proprio & primo, quam in secundario. Hæc quoque duodecim signa iuxta qualitates elementorum astrologi in quatuor diuiserunt, asserentes Arietem, Leonem & Sagittarium esse calidos & siccos. Taurum, Virginem & Capricornum frigidos & siccos. Geminos, libram & Aquarium, calidos & humidos. Cãcrum, Scorpionem Pisces, frigidos & humidos. Quædam etiam masculini sexus, quædam fœminini esse dixerunt, quæ omnia quasi falsa & nugatoria prætierire duximus.

Domicilium primum & secundum.

De Ratione ordinis eorum.

CAPVT XXXVIII.

Albumasar. Mirantur autem nonnulli cur inter signa naturali ordine intermisso, post igneum non statim aereum, sed terreum succedit. Quibus huiusmodi ratio non ineptè respondet, quod elementa simpla calor, frigus, siccitas, humiditas, ipsa quidem corpora non sunt. Sed omnium corporum origo etiam eorum quæ vulgo elementa dicuntur, quodque licet ex pluribus illorum congestum sit, singula tamen ex singulis superant, vt in igne licet calida & sicca, calor tantum superat, sic in terra licet frigida & sicca, siccitas tamen exuperat, sic in aqua frigus. Demum quoque humor in aere præponderat. Sunt enim elementorum calor & frigus actiua, siccitas & humiditas passiua. Et calor quidem rerum generationem agit, frigus autem corruptionem. Ideoque in signorum compositione ab igne sumitur initium, quia calor in igne superat, qui est principium generationis & motus animantium. Aqua vero vltimum locum tenet, in qua frigus præest, quod genituram corrumpens, vitæ internicies est, primaque est in rebus generatio, postrema corruptio. Iccirco merito primam extremitatem ignis, secundam aqua sortitur. Item quoniam omnes animalis vitæ passiones inter principium & finem sunt. Actiua quidem principij & finis extremitates, passiua vero medium locum obtinere debuerunt. Item cum omnis in mundo generationis cælestia corpora causa existant, his autem in ordine elementorum ignis proximus sit. Primum enim esse debuit elementum caloris, frigoris autem quod contrarium erat vltimum. Quoniam autem vt in igne calor, sic in terra siccitas abundat, post igneum signum, statim terrenum succedere debet, primo quidem propter cognationem. Est enim siccitas caloris cognatione quadam consequens. Deinde vero ex vtriusque principalitate, vt enim inter actiua calor, sic inter passiua siccitas virtute quadam præcedit. Cum ergo in ordine signorum primum locum ignis, quartum aquam possideat. Post ignem autem secundo loco terra succedat, aeri tertium relinqui necesse est. Præterea cum signorum virtus omnium generationum causa existat. Generatio vero maris & fœminæ coitu fiat, & actio quidem masculi, passio vero fœminæ. Sic ignea & aerea signa mascula, terrea vero & aquatica fœminea fore conueniebat, eo quod inter elementa duo superiora scilicet ignis & aer actiua sunt, duo vero inferiora passiua. Hac itaque ratione *Aries masculinum signum est: Taurus fœmineum.* Sicque Gemini masculinum: Cãcer fœmininum, & ita per ordinem. Item cum signorum ordo quotidiana conuersione mundum ambiens, diei noctisque vicissitudines alternet, dies vero calidæ sunt naturæ, noctes vero frigidæ, noxque diem immediatæ sequatur: Arietem diuturnum, Taurum nocturnum, Itemque geminos diurnum, & Cancrum nocturnum esse ratio postulauit.

Signa masculina & feminina.

De Multiplici diuisione signorum.

CAPVT XXXIX.

Alcabitius. Zodiacus ergo id est circulus signorum diuiditur in duodecim partes æquales, & hæ partes vocantur signa, & referuntur ad imagines quæ sub eodem circulo sunt. Vnumquodque istorum signorum *diuiditur in triginta partes æquales, quæ dicuntur gradus.* Et gradus diuiditur in sexaginta minuta, & minutum in sexaginta secunda, & secundum in sexaginta tertia. Similiter quæ subcadunt minuendo vsque ad infinita. Et sex ex his signis sunt Septemtrionalia *id est ab initio Arietis vsque in finem Virginis.* Et sex meridiana, id est *ab initio Libræ vsque in finem Piscium.* Item sex ex illis dicuntur directè ascendentia, id est ab initio Cancri vsque in finem Sagittarij. Ex sex dicuntur tortuosè ascendentia id est ab initio Capricorni vsque in finem Geminorum. Et tortuosè ascendentia obediunt directè ascendentibus, hoc est duo signa quæ fuerint vnius longitudinis à capite. Cancri obediunt, sibi vt Gemini Cãcro, Taurus Leoni, aries Virgini, Pisces libræ, Aquarius Scorpioni, & Capricornus Sagittario. Et duo signa quæ fuerint vnius longitudinis à capite Arietis dicuntur concordantia in itinere, vt Aries & Pisces, Taurus & Aquarius, Gemini & Capricornus, Cancer & Sagittarius, Leo & Scorpio, Virgo & Libra. Et vocatur medietas circuli, quæ est ab initio Leonis vsque in finem Capricorni *medietas Solis, quia Sol in omni hac medietate habet principatum*, sicut habent alij planetæ in suis terminis. Et alia medietas, quæ est ab initio Aquarij vsque in finem Cancri vocatur *medietas minima, & est medietas Lunæ*, quia Luna similiter habet in hac medietate principatum, sicut Sol in maxima. Et vocatur illa medietas, quæ est ab initio Arietis vsque in finem Virginis medietas calida. Et alia quæ est ab initio Libræ vsque in finem Piscium, medietas frigida. Et vocatur illa pars quarta circuli quę est ab initio Arietis vsque in finem Geminorum, quarta calida & humida, vernalis, puerilis, sanguinea. Et illa quæ est ab initio Cancri vsque in finem Virginis dicitur quarta calida & sicca, autumnalis, melancholica, & signat initium mediocris ætatis. Et illa quæ est ab initio Capricorni vsque in finem Piscis dicitur quarta frigida & humida, simul hyemalis phlegmatica. Omnibus autem planetis qui feruntur in his signis, non quod sint in eis, sed quia feruntur sub eis, hoc est in directo cornu altior & promptior circulo signorum, & cursu tardior est Saturnus, deinde Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, quæ est terrę propior, & cursu omnibus velocior.

Signa. Gradus.

Sex septentrionalia, sex meridiana.

Medietas solis. Medietas Lunæ.

De Domibus planetarum in duodecim signis, & earum exaltationibus.

CAPVT XL.

HAbent quoque planetæ in his signis potestates quasdam per naturam, quasdam per accidens. Per naturam sunt hæ, domus, exaltatio, terminus, triplicitas, & facies. Domus hę sunt. Aries & Scorpius domus Martis. Taurus & Libra domus Veneris. Geminus & Virgo domus Mercurij. Cancer domus Lunæ. Leo domus Solis. Sagittarius & Pisces domus Iouis. Capicornus & Aquarius domus Saturni. Signa autem, in quibus dum fuerint planetę, dicuntur gratulari, Et domini eorum esse secundum Dorotheum sunt hi. Saturnus, dum intrat Aquarium, gaudere dicitur. *Et Iuppiter in Sagittario. Mars in Scorpione. Venus in Tauro. Mercurius in Virgine. Sol exaltatur* in Ariete, hoc est in 19. gradu eius. Luna autem in tertio gradu Tauri. Saturnus in 21. gradu Libræ. Iuppiter in 15. gradu Cancri. Mars in 28. gradu Capricorni. Venus in 27. gradu Piscis. Mercurius in 15. gradu Virginis. Caput draconis in tertio Geminorum, & cauda in quarto gradu Sagittarij. In septimo autem signo ab exaltatione vniuscuiusque planetæ

Domus planetarum.

Planeta gaudentes.

Exaltatio planetarum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

netæ in ſimili gradu erit eius diſtantia, verbi gratia. Sicut Sol exaltatur in 19. gradu Arietis, ità in 19. gradu Libræ cadit, & ſic de cęteris. Ptolomæus autem ponit Arietem totum exaltationem Solis, & Taurum totum Lunæ, & ſic de cæteris ſimiliter.

De triplicitatibus eorum, ac terminis & facicbus.

CAPVT XLI.

Triplicitatem quid facit.

TRiplicitates vero ſic diſtinguimus. Omnia quidem *tria ſigna, quæ in vna natura videntur concordare*, faciunt triplicitatem. Aries ergo & Sagittarius & Leo faciunt triplicitatem primam, quia vnumquodque iſtorum ſignorum eſt igneum, maſculinum, diurnum, calidum ſcilicet ac ſiccum, colericum, ſapore amarum. Eſt ergo hæc triplicitas Orientalis, cuius domini ſunt in die Sol, poſt Iuppiter, deinde Saturnus. Et in nocte Iuppiter, poſt Sol, deinde Saturnus. Triplicitas ſecunda eſt ex Tauro & Virgine & Capricorno; quia hęc ſigna ſunt fœminea, nocturna, terrea, frigida ſcilicet & ſicca, melancholica, ſapore acida, meridiana. Huius autem triplicitatis domus eſt in die Venus, poſtea Luna, deinde Mars. *Tertia triplicitas eſt ex Geminis & Libra & Aquario, quia* hæc ſigna ſunt maſculina, diurna, ſanguinea, calida ſcilicet & humida, & acria, accidentali autem ſapore dulcia. Cuius triplicitatis eſt in die dominus Saturnus, poſt Mercurius, deinde Iuppiter. Et in nocte Mercurius, poſt Saturnus deinde Iuppiter. In mane eſt Saturnus, & in meridie Mercurius, in veſpere Iuppiter. *Quartă vero triplicitatẽ faciunt Cancer, Scorpio, Piſces: hæc* enim ſigna ſunt fœminea, nocturna, ſeptẽtrionalia, aquatica, flegmatica, frigida & humida, ſapore ſalſâ. Cuius triplicitatis domina eſt in parte prima diei Venus, in ſecunda Mars, in tertia Luna, In nocte Mars, poſt Venus, deinde Luna. Quatuor ergo ex his ſignis dicuntur mobilia id eſt Aries, Cancer, Libra, & Capricornus. Et quatuor fixa ſcilicet Taurus, Leo, Scorpio, & Aquarius. Reliqua vero quatuor id eſt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Piſces, ſunt communia. *Dicuntur mobilia*, quia quando Sol intrat aliquod iſtorum ſignorum mouetur id eſt mutatur tempus. Fixa vero dicuntur, quia quando Sol in eis eſt, tẽpus figitur id eſt in eodem ſtatu perſeuerat. Alia communin id eſt medietas eorũ erit vnius temporis, & medietas alterius, verbi gratia. Quando Sol ſignum Arietis ingreditur, mutatur tempus id eſt mutatur hyems in ver. Et quando intrat Taurum figitur ſcilicet tempus vernale Quando vero Sol ingreditur Geminos, fit tempus commune id eſt dimidium erit veris, & dimidium æſtatis, & ſic de cæteris. Habet quoque in vnoquoque ſigno 5. terminos per diuerſos gradus diſpoſitos. Nam ab initio Arietis vſque ad ſextum gradum eiuſdem Arietis eſt terminus Iouis. Et à 6. vſque ad 12. terminus Veneris. Et à 12. vſque ad 20. terminus Mercurij. Et à 20. vſque ad 25. terminus Martis. Et à 25. vſque ad 30. Saturni. Facies autem ſunt hæ. Vnumquodque ſignum diuiditur in tres partes ęquales, & *vnaquæque pars ex 10. gradibus conſtat, & vocatur facies*. Quarum initium à primo gradu ſigni Arietis. Prima ergo eſt à primo gradu Arietis vſque in 10. & datur Marti. Secunda vſque ad 20. gradum, & datur Soli, qui ſuccedit ei in ordine circulorum. Tertia vſque in finem prędicti ſigni, & eſt Veneris. Similiter prima facies Tauri & Mercurij, & ſic per ordinem notantur & domini iſtarum facierum.

Triplicitas Orientalis.

3.

4.

Signa mobilia.

Fixa.

In quouis ſigno 5. termini.

Facies.

De virtutibus planetarum in eiſdem ſignis.

CAPVT XLII.

Poteſtates. Fortitudines.

IAm tractauimus de poteſtatibus planetarum in ſignis, quę ſunt domus, exaltatio, triplicitas, terminus, & facies. Nunc ergo tractemus de virtutibus, ſeu fortitudinibus eorum in ipſis. Nam dominus domus habet quinque fortitudines, & dominus exaltationis quatuor, & dominus triplicitatis 3. & dominus termini 2. & dominus faciei 1. Intellige ergo ex hoc numero fortitudines planetarum. Qui enim magis abundant in numero, magis abundant in fortitudine. Quidam autem pręponunt terminum triplicitati id eſt volunt vt dominus termini ſit fortior domino triplicitatis. Sed iam ſuperius expoſuimus, in quo valet vnuſquiſque. Et in vnoquoque ſignorum ſunt gradus, qui dicuntur lucidi tenebroſi, & vacui. Ab initio Arietis vſque in tertium gradum ſunt tenebroſi, & à 3. & in 8. & ab 8. in 17. tenebroſi, & à 17. in 20. lucidi & à 20. in 24. vacui, & à 24. vſque in 29. lucidi, & à 29. vſque in finem Arietis vacui. Et in ſignis ſunt quidam gradus, qui dicuntur putei, cum fuerit planeta in aliquo iſtorum dicitur eſſe in puteo, vt 6. gradus arietis, & 11. &c. Item quidam gradus dicitur azamena, id eſt gradus debilitationis corporis. Eſt autem azamena quædam debilitas temporalis, vt eſt cæcitas, ſurditas, amiſſio membrorum. Cum ergo fuerit Luna in his gradibus in natiuitate alicuius pueri, accidet ei prædicta azamena ſecundum ſignum loci, & aſpectus, ſeu loca planetarum. Item quidam gradus dicitur augmentans fortunam.

Gradus lucidi. Tenebroſi. Vacui.

Putei. Gradus debilitationis.

De Qualitatibus, quæ planetis effectiuè non propriè attribuuntur.

CAPVT XLIII.

Effectus planetarum.

Aſtrologus. Si ergo aliquis à me quærat quis ſit effectus vniuſcuiuſque planetæ. Reſpondeo, quam breui potero narratione comprehendens vniuſcuiuſque planetę effectus quoſdam proprios, ſecundum quod philoſophi inuenerunt eos certis experimentis & rationibus neceſſarijs. Dico ergo, quod Sol eſt calidus, ſiccus, igneus, cholericus, maſculinus, aureus, regnandi cupidus, auri ambitioſus, amans munditiam, grauis in eloquio, magnificus, carnoſus, pulcher facie. Has proprietates attribuunt philoſophi ſoli, & ſimiliter cæteris planetis vnicuique ſuas, non quia tales proprietates inſint, vel ineſſe poſſint cœleſtibus ſubſtantijs, cum non participent contrarietatem, nec ſexum in diuerſitate, nec effectum in animi mutabilitate. Sed quia cœleſtia corpora ſunt efficientia, & ſignantia tales proprietates & earum renouationes, & defectiones in rebus mutabilibus mundi inferioris alterabilis, & ſecundum omnes partes ſui corruptibilis. Omnia enim, quæ renouantur in mundo inferiori, præter ea, quæ cauſantur à ſuperiori facie rationis noſtræ, habent ſuas cauſas efficientes in mundo ſuperiori inalterabili, & incorruptibili. Cuius demonſtratio eſt, quia omne quod eſt prius in potentia, & deinde exit in actum ab aliquo actuali, vel per aliquid actualiter exit de potentia ad effectum, quapropter omnia renouata in mundo inferiori, cum fuerint potentia prius, quam actu, per actuale aliquod, quod eſt ſemper in vno modo in ſe, ſed comparatione ad effectum aliter & aliter ſe habens neceſſe eſt prodire in effectum. Omnia autem corpora cæleſtia ſunt ſemper vno modo in ſeipſis ſe habentia, renouantia ſolum corporationes ſituales, vt in ea videlicet, quæ ſunt in mundo inferiori. Nec reperitur in vniuerſitate mundi ſenſibilis aliud à corporibus cæleſtibus ſic ſe habens. Manifeſtum eſt ergo, quod omnia in his renouantur.

Mundus ſuperior cauſa omnium quæ ſunt in inferiori.

De Proprijs effectibus Solis.

CAPVT XLIV.

Probatur ſolem vitam generare in vegetabilibus.

SOl autem virtute ſua calefacit, & deſiccat mundum inferiorem, & generat vitam in naſcentibus vegetabilibus & animalibus, & augmentat in natis calorem, & ſpiritum vitalem. Cuius ſignificatio eſt, quod cum incipit aſcendere à tropico hyemali per punctum vernalem ad tropicum æſtiuum, renouatur generatio in terræ naſcentibus, & animalibus pleriſque vigoratur vis augmentatiua. Vnde ipſe eſt ſignator vitæ animalis,

Sol.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quæ viget per calorem temperatum. Cum verò recedit à nobis, corrumpuntur pluraque terrę naſcentia & animalia, & debilitatur vis augmentatiua, & nutritiua propter defectum caloris vitalis, & ſuperabundantiam frigiditatis deſtruentis. Experimentis ergo ſenſibilibus ſcitur, quoniã Sol eſt effectiuè calidus, & ſiccus. Ex hoc ſequitur, quod ipſe ſit igneus, & etiã quod cholericus. Idẽ eſt cholera in homine, quod ignis in mundo. Et idẽ effector & ſignator vtriuſque. Cumque caliditas etiam ſit actiua, & maritas ſit per actiuitatem, & fœmininitas per paſſibilitatem, Patet quomodo Sol eſt actiuè maſculinus. Sol quoque virtute ſua mouet fumum ſulphureum mundum, & commiſcet cum argento viuo mundo, & decoquit ea calore temperato, & ſic efficitur aurum. Nihil enim eſt aurum, niſi fumus ſulphureus mundus commixtus argento viuo, decoctis calore temperato. Quod autem hæc operatio ſit à virtute Solis, ſcitur per hoc, quod in locis quibus præfuerit Sol, & in annis quibus dominatur Sol, magis abundant monetæ aureę. Quod autem effectus animi attribuũtur planetis, intelligendum eſt de affectibus, quos habet homo per naturam, & non ex conuictu, aut ex conſuetudine, aut philoſophia. Nam affectus cauſantur ex planetis, quia planetæ ſunt effectores, & motores ſpirituum mouentium affectus. Secundum namque affectus animi *mouentur ſpiritus, & ſecundum motus ſpirituum mouentur affectus*, verbi gratia. Cum iraſcitur homo, accenditur ſanguis & ſpiritus, qui ſunt in corde, & feruntur ſpiritus ſeſe impellentes, & ſupra ſeipſos impetuosè inundantes, & cũ talis fuerit motus in ſpiritualibus à cauſa aliqua extrinſeca, erit ira in affectu, niſi refrænetur per bonos mores. Similiter in omni affectu animi eſt motus ſpirituum appropriatus illi affectui, quem efficit naturaliter, & ſignificat planeta aliquis, & ſcitur de vnoquoque planetarum, quorum affectuum, & cuius figuræ corporalis ſit ſignator, per hoc, quod conſiderauerunt philoſophi dominium planetarum in horis natiuitatum, & inuenerũt ſemper in nato ſub dominio Solis effectus vniuerſales, & figuram corporalem, quos ſupra diximus. Et ſimiliter in natis ſub reliquis planetis inuenerunt effectus & figuras, quas reliquis planeris ſuo modo illos deſcribẽtes ſecundum proprietates vnicuique aſſignauerunt.

Sol igneus.

Sol maſculinus.

Affectus cauſantur ex planetis ſcilicet indirectè.

De Proprijs effectibus cæterorum planetarum.

CAPVT XLV.

RElIquorum planetarum proprietates (vt vitem prolixitatem abſque expoſitione) narrabo, quia petito in naturis & aſtronomicis ſufficiunt, quæ dixi in exponendis proprietatibus Solis. Ad exponendum ergo proprietates aliorum. Eſt ergo Saturnus frigidus & ſiccus, accidentaliter tamen humidus & terreus, melancholicus, plumbeus, obſcurus, amans veſtes nigras, tenax, religioſus, agricolator. *Iuppiter eſt calidus & humidus temperatus, aereus, dulcis*, ſanguineus, ſtagneus, ſperans, gaudens, liberalis eloquens, amans veſtes pulchras, rubeus, & pulcher, facie terram proſpiciens. Mars eſt calidus & ſiccus, vehementer igneus, ferreus, inuidus, amãs militiam & caſtra, pugnas & cædes, turpis, malignus, incompoſitus. Venus eſt frigida, humida, & temperata, habens de metallis latonem, fæminea, amans veſtimenta ornata & redimicula aurea & argentea, & cantilenas, gaudia & iocos, & ipſa eſt laſciua, dulcis loquelæ, pulchra oculis & ſupercilijs, ſtudens compoſitionem formæ, corpus habens lene, plenum carne, mediocris ſtaturæ. Mercurius eſt calidus & ſiccus. Sed quia ſiccitas eius eſt multum paſſiua, ideo ipſe eſt frigidus cum frigidis, humidus cum humidis, & cum omni planeta cõuertibilis in ſuas qualitates, habens in metallis argẽtum vinum, eloquens, ingenioſus, ſtudens, amans ſcientias mathematicas, & diuinationes, corpus habens gracile, labia ſubtilia, completam ſtaturam. Luna eſt frigida & humida, phlegmatica, fœminea, argentea, mediatrix mundi ſuperioris & inferioris, amans geometriam, &

Saturni proprietas.

Iouis proprietas.

Martis.

Veneris.

Luna.

A quicquid ei attinet, rotunda facie, mediocris ſtaturæ.

De ordinatione motuum eorum.

CAPVT XLVI.

CVm autem quæritur vtrum in motibus planetarum ſit ordinatio. Hanc quæſtionem quoniã eſt ambigua diuido. Poteſt enim hæc quæſtio quærere, an in motibus ipſorum acciderit prius & poſterius in tempore ſcilicet quod vnus planeta prius tempore motus fuerit, quã reliquus. Vel poteſt quærere, an motus eorũ ſunt ordinati ad inuicem ſecundũ proportiones muſicę commenſuratas. Si quæritur primum, dico quod omnes ſimul incæperunt moueri. Omnes enim ſphæræ ſimul tempore creatæ creant, & in creatione moueri cæperunt. Si quæratur ſecundũ. Dico quod omnis ſphæra & omnis planeta, ſicut eſt ſuperior in ordine ſituali, ſic eſt prior natura motu ſuperioris, natura prior motu inferioris. Non enim mouetur inferior, niſi participans virtutem ſuperioris. Si vero quæratur tertium. Dico quod in illorum motibus eſt ordinata proportio muſicæ, aliter enim non eſſet mundus aptiſſimè & pulcherrimè compoſitus. Porro ſi quæratur, vtrũ motus vnius planetę poſſit impediri per motum alterius. Reſpõdeo quod in corporibus cœleſtibus non eſt contrarietas vel inobedientia, vel violentia, nec obuiant ſibi ad inuicem cæleſtia corpora, quare nullo modo poſſunt ad inuicem præpedire ſe in mouendo. Si autem intendat hoc quæſtio quęrere, *an effectus vnius planetæ impediatur per alterum, manifeſtum eſt quoniam hoc eſt verum*, quiã cum alicui planetæ opponitur planeta ſibi contrarius, aut ei coniungitur à terno vel quarto, vel quaternò, vel ſextili aſpectu, impedit opus alterius. Sicut verbi gratia cum Saturnus opponitur Marti in renouatione anni, aut coniungitur ei ſecundum aſpectum aliquem, & præfuerit Mars anno, diminuit calorẽ qui ex virtute Martis deberet prouenire in eodem anno. Vtrum autẽ motus planetarum ſit circularis, hanc quæſtionem determinat Ariſtot. in lib. de cælo & mundo, & hæc quæſtio nõ eſt quęſtio, ſed ſuppoſitio in aſtronomia, huius autem demonſtratio apud Ariſtot hæc eſt. Simplicis corporis ſimplex eſt motus. Omnis autem motus ſimplex, aut eſt circularis, aut rectus. Igitur planetæ cum ſint *corpora ſimplicia, aut circulariter, aut rectè mouentur*, ſed non mouẽtur ſecundum rectum, quia omne quod mouetur ſecundum rectum participat contrarietatem & eſt corruptibile. Planeta vero non participat contrarietatem, nec corruptibilis eſt, quare, &c.

Prioritas natura reperitur in motibus Planetarum.

Effectus vnius planetæ impeditur per alterum.

Demonſtratur motum planetarum eſſe circularem.

De perpetuitate ipſorum.

CAPVT XLVII.

EX *lib. de nat. re.* Sicut ſuperius dictum eſt. Cœlum & omnia corpora ſupercæleſtia ſunt, quorum formæ contrarijs carent. Ideoque ingenerabiles & incorruptibiles ſunt, & ſubiectum eorum commune non eſt, quia ſi hoc eſſet propriam formam non haberet. Nunc autem propriam formam habet, quam & non ſeparabit. Formæ ergo ſupercæleſtium corporum exiſtunt in ſuis ſubiectis tali exiſtentia, quod non diuiduntur per diuiſionem ſubiecti, & hoc ideo, quia iſtæ formæ non conſtituuntur per ſubiectum, & abſtractæ quidem adhuc ſunt in eſſe. Ideóque neceſſe eſt vt forma, qua mouentur, ſit illa ad quam mouentur. In formis enim conſtitutis per ſua ſubiecta differt, quod ſcilicet forma qua ſubiecta mouentur, non eſt illa ad quam mouentur. Et omnis huiuſmodi forma qua mouẽtur ad ſe ipſam perficiendam, per aliam formam neceſſe eſt moueri, vt mouere ſuum ſit finium, cum non moueat niſi cum mouetur. Et hoc eſt vnum eorum quæ mouerunt Ariſtote. ad ponendum, quod ſupercœleſtium corporum formæ non ſint per ſubiecta ſua conſtitutæ, quia tunc motus eorum eſſent finiti. Cæterum quodcumque ſit, finem accipere neceſſe eſt, & finalitas omnis

Forma cœli qualis.

corru-

corruptionis eſt. Omne autem quod corrumpitur ſoluitur in hoc ex quo eſt.

Planetæ ſunt Dei voluntate diſſolubiles idque ex natura ſua.

Aſtrologus. Si ergo quæratur à me, quomodo planetæ ſint natura diſſolubiles, & voluntate conditoris indiſſolubiles. Reſpondeo cum Augu. quod non ſolum planetæ, ſed omnis creatura ex ſe ipſa diſſolubilis eſt atq; corruptibilis. Cuius ratio eſt, quia omne quod eſt de natura ſua facit periodum in originem ſuã. Omnis autẽ creatura eſt ex nihilo, ideoque periodus eius eſt in nihilũ. Veruntamen diuidendus eſt iſte terminus diſſolubile ſiue corruptibile. Dicitur enim corruptibile, quod ex ſe ipſo poſſibilitatem ad corruptionem habet, & ſic omnis creatura corruptibilis eſt. Nulla enim creatura ex ſe ipſa eſſe poteſt, quia ſola prima cauſa ex ſe ac per ſe eſt. Quapropter ex ſe ipſa omnis creatura eſt corruptibilis, ideſt ad corruptionem poſſibilis Dicitur etiam corruptibile, quod ex *ſeipſo neceſsitatem habet ad corruptionem.* Et ſic omne & ſolum illud dicitur corruptibile, quod participat naturali contrarietate. Bonitas autem conditoris eiuſque ſapientia & potentia tam immenſæ ſunt, quod vnumquodque in optimo, quod ei poſſibile eſt, ſeruant, niſi ipſum à conditoris bonitate ſe voluntariè ſubtrahat: eſſe autem melius eſt, quam non eſſe, perpetuum quam eſſe temporale, propter hoc vnumquodque non habet in ſe neceſſitatem ad corruptionem, & quod non voluntariè à conditoris bonitate ſe ſubtrahit, ab ipſa ſeruatur in perpetuo eſſe.

Planeta non neceſſitantur ad corruptionem, natura ſua.

De Cooperatione omnium planetarum.

CAPVT XLVIII.

Calum eſt vna cauſa totalis inferiorum effectuum.

QVæri autem poteſt, vtrum omnes planetæ ſint ſicut vnum efficiens ad generationem vniuſcuiuſque vel poſſit vnus illorum per ſe aliquid efficere. Ad hoc reſpondeo quod omne quod efficitur in mundo inferiori ab omnibus planetis efficitur, & omnes participant in efficientia vniuſcuiuſque effectus, & etiam comparticipat eis in efficiendo ſingulare alicuius ſpeciei imago aliqua cæleſtis. Planetæ namque ſunt effectores & ſignificatores vniuerſales, *nec efficiunt aliquod particulare, niſi cum eis in efficiendo comparticipet aliqua de cæleſtibus imaginibus*, quæ ſcilicet imagines ſunt effectrices ſpecierum ſpecialiſſimarum mundi terreſtris. Demonſtratio autem quod omnes planetæ ſint ſicut vnum efficiens, & non poſſit aliquis eorum per ſe agere in hæc inferiora, hæc eſt. Virtus inferius nõ agit niſi per virtutem ſuperiorem. Sed & duo quæ diſtant aliquibus medijs naturaliter interpoſitis, non agunt vel patiuntur ab inuicem abſque medio. Propter hoc nullus planeta inferior agere poteſt in hæc terrena, niſi per virtutem ſui ſuperioris, nec ſuperior agere poteſt in hæc terrena, niſi mediante ſuo inferiori. Vnumquodque *igitur in mundo inferiori effectum ab omnibus planetis efficitur.* Dicitur tamen *effici proprio planeta illo qui maioris eſt ſuper illo virtutis in efficiendo.*

Nota.

De Operatione eorum in diſpoſitione embrionis.

CAPVT XLIX.

Declaratur quomodo quilibet planeta conferat aliquid embryoni efficiendo.

Conſtant. in lib de cerebro. Habent igitur & ſeptem planetæ aliquid in compoſitione embrij in ſpecie. Saturnus quidem frigidus eſt & ſiccus. Sua frigiditate primo menſe ſpermati grauitatem, & ſui ſiccitate compaginationem facit. Secundo Iuppiter calidus & humidus calefaciens confortando & humectando replens in longi & rotundi figurã ſperma producit. Tertio Mars calidus & ſiccus, calore corroborans, & ſiccitate inſcidens, crura diuidit, & à lateribus brachia. Collum autem caputq; informat. Quarto vero Sol minus Marte calidus, cor & hepar creat, & creator animam ingerens naturaliter embryoni motum præſtat. Quinto Venus frigida & humida omnia interiora informat. Aures, os, virgam, & pudicum circulum, manuum & pedum digitos diuidit. Sexto. Mercurius ſecundum calidum & humidum frigidum & ſiccum æquus, componit ſupercilia, oculos ſcindit, pupillam creſcere facit, capillos & vngulas producit. Septimo Luna frigida & humida, replens axungias, Carnes etiam & ſuperficiem replet, veniſque arterijs humiditatem attribuens, toti corpori nutrimentum præſtat, & quia omnia perficit, ſi prægnans parturiat, ſalubre perdurat. Sed quia adhuc membra, quę in eo ſunt, nec bene formata ſunt, indiget alio tempore ad id operis implẽdum. Ideo octauo Saturnus redit, & certa vice ſimul infrigidando embryoni & matrici grauitatem infert, ſua ſiccitate humores extenuans; quibus embryoni nutrimentum partus attribuitur, & propter hoc nati in hoc tempore ægrè perdurant, Nono autem Iuppiter calefaciendo infrigidata, & ita replendo tenuia, embryum corroborat, & maternos aperit aditus, & ſic omnibus perfectis exitus conceditur.

Reprobatio fatalis conſtellationis.

CAPVT L.

Contra genethliacos.

Actor. Hucuſque de poteſtatibus & virtutibus planetarũ dixiſſe ſufficiat. Prorſus enim genethliacorum, ſiue mathematicorum errorem cauere debemus, ne videlicet ea quæ in libero hominis arbitrio conſtituta ſunt, neceſſitati fatalium conſtellationum inaniter immo pertinaciter aſcribamus. Fieri ſane poteſt, vt quoniam inferiorum corporum diſpoſitio naturali lege creatoris voluntati ſubiecta ex ſuperiorum ſitu ac diſpoſitione quodammodo dependeat, puer quilibet naſcens ſecundum complexionem ſigni vel ſyderis, in cuius diſpoſitione naſcitur, ad illos vel illos mores magis vel minus diſponatur, & hoc dumtaxat ſecundum corporis qualitatem. Si quidem corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & econtrario corpus diſpoſitũ ſubleuat, & iuuat eã. Quod autem fatali neceſſitate cogatur bene vel male agere, procul à ſana fide, qua credimus & hominem voluntate propria male agere, vel libertate arbitrij gratia Dei adiuta bene viuere, & Dei ſapientiam omnia ſuauiter recteque diſponentem inferiores cauſas pro voluntate ſua, & pro meritis hominum commutare.

Contra Priſcilianiſtas.

Gregor. in Homilia de Epiphania. Verum hæretici Priſcilianiſtæ, qui vnumquemque hominem naſci ſub ſtellarum conſtitutionibus æſtimant, hoc in adiutorium ſui erroris aſſumunt quod noua ſtella exijt, cum in carne dominus apparuit, cuius ſtellam eius fatum fuiſſe putant. Sed ſi Euangelij verba penſemus, hoc vtique inducet, quod non puer ad ſtellam, ſed ad puerum ſtella concurrit. Si dici liceat, non ſtella fatum pueri, ſed ſtellę fatum is, qui apparuit puer fuit. *Sed abſit à fidelium cordibus, vt eſſe aliquid fatum dicant.* Vitam quippe hominum ſolus conditor qui creauit adminiſtrat. Neque enim propter ſtellas homo, ſed propter hominem ſtellæ factæ ſunt. Et ſi ſtella fatum hominis dicitur, ipſis ſuis miniſterijs ſubeſſe homo perhibetur. Certè cum Iacob egrederetur de vtero, & prioris fratris plantam teneret, prior nequaquam perfectè egredi potuit, niſi ſubſequens inchoaſſet, & cum vno tempore eodemque momento vtrumque mater fuderit, non tamen vna vtriuſque æqualitas vitæ fuit. Sed ad hæc ſolent reſpondere mathematici, quia virtus conſtellationis eſt in ictu puncti. Quibus nos dicimus econtra, quia magna eſt mora natiuitatis. Si ergo in ictu puncti conſtellatio permutatur, neceſſe iam erit, vt tot dicantur fata, quot ſunt naſcentium membra. In Francorum terra reges ex genere prodeunt, quibus profecto naſcentibus quis æſtimet quanti eiſdem momentis ex ſeruili conditione naſcantur. Item ſolent fateri mathematici, quod quiſquis ſigno Aquarij naſcitur, piſcator futurus ſit, qui in Libra trapezita. Sed piſcatores (vt fertur) Gethulia non habet, trapezitas multę prouincię ignorãt. Quis ergo dicat, quod in his ſignis nullus ibi naſcatur, vbi huiuſmodi artes non exercentur. Hęc de ſtella illa breuiter dixi-

Contra fatum.

Confutatio reſponſionis Genethliacorum.

diximus, ne mathematicorum ſtultitiam indiſcuſſam præteriſſe videamur.

Cur Magos per Stellam ad ſe dominus adduxit.

CAPVT LI.

De ſtella Magorum.

Ioannes Chryſoſtomus ſuper Matthæum Homil. 6. Porro ſi fatalem conſtellationem Deus reprobauit, cur Magos per ſtellam in Natali Chriſti apparentem, & non potius per Prophetas, vel per Angelum vocauit. Sed mira diſpoſitione eorum ſaluti condeſcendens, per hæc eos vocabat, quæ eis familiaris conſuetudo patefaciebat, hoc & Paulus imitando de inſpecta ara gentibus diſſerebat proferens teſtimonia Poëtarum. Iudæis etiam aliquamdiu ſine interdicto circumciſionis, Chriſtum annunciauit. Si ergo indignum æſtimas, quod Magi per Stellam vocantur, hoc modo quoque omnes cæremonias, omnesque ritus & ſacrificia, baptiſmata, templumque reprobabis, ſiquidem hæc omnia ſui originē de gentium occaſione traxerunt. Sed tamen Deus ob deceptorum ſalutem per ea ipſa coli ſe paſſus eſt, per quę illi dæmones ante coluerunt, & aliquamdiu illa in melius inflectens donec à conſuetudine ſui cuius amicitia ligati erant, paulatim eos reuocaret, & ad philoſophiam altiorem perduceret, ſic fecit & Magis. Denique quos ad præſepe Stella præeunte perduxerat, non iam per Stellam, ſed per Angelum alloquitur gradatim eos ad meliora perducens: hoc etiam legitur Philiſtæis feciſſe. Nam diuinis eorum conſilium dantibus de dimiſſione Arcæ Domini in plauſtro iunctis ad illud iumentis indomitis, eorum præceptum populi regionum impleuerunt. *Dominus quoque condeſcenſione ſolita, diuinorum ſententiam comprobauit*, nec maieſtati ſuæ putauit indignum ad effectum verba prophanorum perducere, idque agere, vt illi viderentur fideliter illa perſuaſiſſe. Nam ad maiorem Dei gloriam pertinebat, ſi virtus eius etiam teſtimonio inimicorum panderetur, & ipſi quoque gentilitatis magiſtri conſonam ferrent de Dei veri poteſtate ſententiam. In Pythoniſſa quoque illud idem habet locum, tenuit namque diſpenſationis tenorem cum ad eius votum ſuſcitauit Samuelem, multaque his ſimilia videri diſpenſationibus Dei inuenimus.

Dominus cō. probare dignatus eſt ſententiam ariolorum Philiſthæorum.

Nunc ergo ipſum diſpenſationis ſuæ morem & in Magis ſeruauit, quibus ingens & clarum oſtendit aſtrum, vt eos de magnitudine & pulchritudine nec non & de ipſa curſus nouitate admiratio moueret ad cultum. Cuius nimirum nouitas tribus ſignis indicabatur. Primo quia ad meridiem ab oriente venit. Sic enim iuxta locorum ſitum paleſtina ſpectat ad Perſidem, cum Solem & Lunam & aſtra cætera ab oriente in occidentem ferri videamus. Deinde quia non in nocte lucebat, vt cęteræ, ſed clara luce ipſos quoque. Solis radios proprio ſuo fulgore ſuperans. Tertio ex ipſa interpolatione lucendi, Nam vſque ad Paleſtinam venientibus Magis quaſi dux itineris ſemper apparuit. Cum autem Hieroſolymam veniſſent, ſe abſcondit, & iterum exeuntibus apparuit, vſque dum veniens ſtaret ſupra locum vbi erat puer. *Gregorius vbi ſupra.* Itaque nato eodem Redemptore Angelus in Iudæa paſtoribus apparuit. Magos ad hunc adorandū, nō Angelus, ſed Stella perduxit, quia Iudæis tamquam ratione vtentibus rationale aliquid, id eſt Angelus prędicare debuit. Gentiles vero quoniam vti ratione neſciebant, ad cognoſcendum Dominum non per vocem, ſed per ſigna perducti ſunt, quia & illis prophetiæ tanquam fidelibus, & iſtis ſigna tamquam infidelibus data ſunt.

Stella Magis oſtenſa tria noua habebat.

De Numero ſtellarum.

CAPVT LII.

Albumaſar. Inter ſupremum autem orbem terræque globum medij circuli ſtelliferi continentur. Quæ ſcilicet Stellæ cum innumeræ ſunt, electæ ſunt ex omni numero notabiliores 1029. è quibus ſunt ſeptem velociores curſuſque diſſimilis, ſcilicet Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius. Luna, ſuiſque circulis feruntur, quapropter & erraticæ dicuntur. At vero 1022. ſtabiles quia omnes vnius motus eiuſdem circuli ſingulos gradus centenis fere peragunt annis. Depoſitæ ſunt autem per ſex ordines. Nam quæ reliquis omnibus lucis ſuæ quantitate nobiliores ſunt, in primo ordine reſident, *Suntque numero* 15. his aut minus lucidę, *in ſecundo ordine* 45. *Infra has in tertio ordine*, 208. *In quarto* 444. *In quinto* 217 *in ſexto*, 49. *& præter has* 5. nebulæ ſimiles. Vnde & nubeculæ dicuntur 20. Nouem vero tenebroſæ ſunt, quarum vna oblonga tamquam caudata. In hunc modum ſunt ordinatæ omnes eæ 1029. Deinde in 48. Imagines omne cœlum permeantes compoſitæ ſunt, quas Græcæ Latineque fabulæ diuerſis nominibus appellauerunt. *Auctor.* Dixerunt autem quidam herbam non eſſe in terra, quæ non habeat in cælo Stellam, quæ ipſam reſpiciat & creſcere faciat. Cæterum vniuerſitates Stellarum, quæ in cœlo ſunt neminem æſtimo ſcire mortalium, ſcriptura teſtante, quia numerari non poſſunt præ multitudine, apud illum ergo ſolummodo numerus earum notus eſt, de quo ſcriptum eſt. *Qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocans*: Et quippe non eſt magnum illi noſſe numerum ſtellarum à quo creatæ ſunt, apud quem nimirum ipſo teſtante, omnes etiam capilli capitis noſtri numerati ſunt.

Numerus notabiliumſtellarum.

Sex ordines ſtellarum.

Imagines ſeu Aſteriſmi 48.

Stellæ innumerabiles.

De his, quæ ex ſitu vel motu Stellarum creantur in rebus inferioribus.

CAPVT LIII.

Conſtant. in Pantegni. Aeris quidem mutatio propter Stellas eſt ex earum vicinitate ad Solem & longitudine. Si enim Stella Soli vicina fuerit, aer calefit, quia calori Solis iungitur Stellæ calor naturalis, & augmentatur, maximè ſi Stellæ maiores ſunt ſiue inſtabiles, vt Iupiter, Mars, Venus, ſiue ſtabiles, vt prochyon, canicula, cor Leonis, oculi Tauri, & ſimiles. Si vero Sole longè remoto, in ſimul eæ Stellę multæ conueniunt, ſimiliter mutatur aer, & calefit: & ſi quidem æſtas fuerit, ardor erit multus, ſi hyems, paruus ęſtus. Cum autem hæ ſtellę longè ſunt remotæ à ſole, nec ſuper nos poſitę, omnia contingunt contrariè, vt ſcilicet paruus calor in æſtate, multum frigus ſit in hyeme. *Rabbi Moyſes*, Dixerunt quoque ſapientes de gubernatione generationis & corruptionis, quod fit per virtutes venientes à cœlis. Ab antiquis etiam dictum eſt non eſſe herbam in terra, quæ non habeat Stellam in cœlo, quæ eam reſpiciat & creſcera faciat. Vnde dicitur in Iob. *Nunquid noſti ordinem cœli, & pones rationes eius in terra.*

Fit calor ex ſtellarum calidarum vicinitate ad ſolem.

Gubernatio inferiorum per virtutē cali.

Albumaſar. Stellarum motuum eam neceſſariam cauſam intelligimus: vt ſuperioris eſſentiæ motus inferiores naturas ad agenda miſceret: quę ſcilicet commixtio ad omnem generationē neceſſaria erat. Superior enim mundus inferiorem perpetuo ambiens, cum ſibi alligatum trahat motu ſuo mundi materias agitans actus in paſſiones miſcet, generationum omnium cauſas, & cæleſtibus quidem non niſi circularis aptus erat motus, quia non niſi circularis eſt perfectus, qui cum tam principio quam fine careat, neſcio qua parte quietem admittat. Mundi vero inferioris corporum duplex eſt motus. Alter ſcilicet rectus finem habens, quo cum perducantur ſiſtunt, vt ignis & aeris ſurſum, aquæ, & terræ deorſum. Alter vero circularis, qui reſolutiones & alterationes ex alteris in altera, rurſus ex illis in iſta circumagitat. Hunc itaque motum ambientis mundi motus trahens in rerum generationes, & corruptiones agit. Sunt enim generationes in elementis potentia. Reſolutio vero ex alteris in altera genituram actu inſtaurat. v. g. In iſto ligno eſt fumus in potentia quaſi motus, quem etiam ignis in lignum agens actu

Duplex motus inferiorum corporum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ipso generat. Haud secus generatio quidem & corruptio est in elementi: potentias quas motus syderum elementa alterando in inuicem resoluens, & in rem ipsam perducit.

De stellarum significationibus.

CAPVT LIV.

Petrus Comestor. Denique prædicta cœli luminaria, id est solem ac lunam, & sydera creator omnium Deus non solum fieri voluit ad decorem & vsum luminis, sed etiam *vt essent in signa, videlicet serenitatis & tempestatis*, vel etiam, vt ex illis fierent signa maiora 12. secundum cursum eorum, & pollet quis metiri spacium 12. signorum & quędam signa minora plura his. Et dicuntur signa vel sydera, tum quia magis diligentia signauit, & considerauit eā antiquitas, tū quia adhuc designant & considerant homines ad temporum designationem. Nec dicendum est (vt genethliaci, somniant) quod posita sint in signa euentuum & operum nostrorum. Aut quod status vitæ nostræ significent, aut moderentur, quod etiam docent experimentis, quæ apoteleśmata vocant. Non enim de cælo credendum est, his qui alieni sunt à patre, qui in cœlis est. *Isidorus.* Quædam namque stellæ ideo signa dicuntur: quia ortu, vel occasu suo certis stationibus temporum qualitates signant. Has nautæ obseruant in gubernandis remigijs contemplantes earum aciem, atque fulgorem, quibus rebus status cœli futurus ostenditur. Sed & omnes homines eas intendunt ad præuidendas aeris qualitates per æstates & hyemes vernalemque temperiem. *Ex libro de Præsagijs tempestatum.* Cum repente stellarum fulgor obscuratur, vt id neque nubilo, neque caligine accidat, graues tempestates denunciat. Si voluntariè plures videbuntur quo ferantur albescentes, ventos ex his partibus nunciabunt. Si cursitabunt, certos & constantes. Si idem in pluribus partibus fiat inconstantes signant ventos. Si stellarum errantium aliquam orbis incluserit, imbrem protendit. Sunt autem in signo Cancri duæ paruæ stellę azelli, appellatæ, exiguum inter se spacium obtinentes, Nubecula quoque quam appellant præsepe, hæc cum in cœlo serena apparere desierit, atrox hyems sequitur. Si altera earum aquilonem scilicet caligo abstulerit, auster sæuit. Si austrinam aquilo.

Stellæ sunt signa.

Indicium tempestatū.

Ventorum.

De Stellis signiferis.

CAPVT LV.

Sidorus. Arctos signorum primus, qui in Ariete fixus 7. stellis in se reuolutis rotatur. Nomen est Grecum, quod Latinè vrsa dicitur. Quæ quia in modum plaustri vertitur, nostri eam Septentrionem dixerunt. Triones enim sunt propriè boues aratorij dicti, eo quod terram terant, quasi teriores. Septemtriones non occidere axis vicinitas facit, quia in eo fixæ sunt. Arctophylax dicitur, quod arcton, id est elicen, ideſt vrsam sequitur, eandem & bootem dixerunt, eo quod plaustro hęret, signum multis spectabile stellis, inter quas & arcturus est. Arcturus est stella post caudam maioris vrsæ posita in signo bootis, vnde & arcturus dicta est, quasi arctuzona, quia bootis præcordijs collocata est. Oritur autem autumnali tempore. Orion astrum ante Tauri vestigia fulget, & dictus est Orion ab vrna id est ab inundatione pluuiali aut pluuiarum. Tempore enim hyemis obortus, mare & terras aquis & tempestatibus turbat, hunc Latini iugulam vocāt, eo quod sit armatus vt gladius, & stellarum luce terribilis, atque clarissimus, in quo si hæc fulgent omnia, serenitas portenditur. Si obscuratur huius acies, tempestas imminere cernitur. Hyades dictę sunt ab ὑσὸ τῦ ὗαν ideſt à vēto & pluuijs. Nam pluuia Græcè ὑετὸς dicitur. Ortu quippe suo efficiunt pluuias. Vnde & Latini eas succulas appellauerunt. Sunt autem septem in fronte Tauri & oriuntur tempore vernali. Pleiades à pluralitate dictæ sunt. Sunt enim stellę 7. ante genua Tauri, ex quibus 6. videntur, nam latet vna: has Latini vergilias dicunt à temporis significatione, quod est ver quando oriuntur; nam occasu suo hyemem, ortu æstatem primęque natigationis tempus ostendunt,

Arctos. *Versa.* *Septemtrio. Triones.* *Arctophylax Bootes.* *Arcturus.* *Orion.* *Iugula.* *Hyades.* *Succula.* *Pleiades.* *Vergilię.*

Constantinus vbi supra. Stellæ quæ ortu vel occasu suo mutant aera temporum anni sunt pleiades, canicula, cynosura, elice. Vt autem Hyppocras & Galenus testantur, pleiades æstatis ac medendi temporibus oriuntur, hoc est in principio Maij. Earum quidem ortus est cum à sole separantur. Occasus autem earum est hyemis seminandique principium. Cum autem Sol ascendere incipit, & ipse quasi ad occasum tendere, canicula *oritur 20. die Iuly.* Cinosuræ autem ortus est inceptio autumni. *Gregorius in moralibus.* Pleiades stellę vicinitate quidem sibi coniunctæ sunt, sed tactu disiunctæ. Vnde scriptum est: *Nunquid coniungere valebis micantes pleiades, aut gyrum arcturi poteris dissipare.* Arcturus septem stellarum radiis fulgens, nocturna tempora sic illustrat, vt in arce cœli constitutus per diuersa se vertat, nec tamen occidat. Semper quidem versatur & nunquam mergitur, sed dum versatur, erigitur.

Canicula ortus.

De Canicula.

CAPVT LVI.

Isidorus. Canicula stella, quę & Syrius dicitur, æstiuis mensibus in medio centro cęli est, & dum sol ad eam ascenderit, coniuncta cum sole duplicatur calor eius, & dissoluuntur corpora, & vaporantur. Vnde & ex ipsa stella dies caniculares dicunt, quando & molestæ sunt purgationes. Canis autem vocatur, eo quod corpora morbo afficiat, vel propter flammę candorem quem emittit, eo quod huiusmodi sit, vt præ cæteris lucere videatur. *Plinius libro 2.* Caniculæ exortu solis vapores accendi quis ignorat. Cuius syderis effectus in terra amplissimi sentiuntur, feruent maria exoriēte ea fluctuant in cellis vina, mouentur stagna originem appellat Ægyptus feram, quam in exortu eius contra stare & contueri tradit, ac velut adorare cum sternuerit. Canes quidem eo toto spacio maximè in rabiem agi, nulli dubiū est. *Constantinus vbi supra.* Canicula (sicut dictum est supra) est ex stellis, quæ ortu vel occasu suo mutant aera temporum anni, hæc oritur vicesimo die Iulij cum ęstas mediatur, & ęstus maximus est. Ex cōputo. Ab hac ergo stella dicuntur dies caniculares, quæ sita est in fronte Leonis, prope quam est Sol in diebus illis; sunt autem in vniuerso 52. in quibus propter temporis crudelitatem, id est caloris intemperiem malum est minuere, vel potionari. Qui quando incipiunt, & quando finiantur, his versibus insinuatur:

Incipiunt Iuli pridie Idus caniculares,
Septembris pridie nonarum fine resultant,
Vel sic, & pridie nonas Septembris fine resultant.

Syrius. *Dies Caniculares.* *Nota de verb. Origene.* *Situs canicula in fronte Leonis.* *Carmina de Canicula.*

De Lucifero.

CAPVT LVII.

Isidorus. Lucifer dictus est, eo quod inter omnia sydera plus lucem ferat, vel habeat. Est autem vnus ex planetis, qui & propriè iubar dicitur, eo quod iubas lucis effundat. Vesperus est stella occidentalis quam à Vespero Rege Hispaniæ cognominatam perhibent. Est autem & ipsa ex 5. stellis planetis noctem ducens, & solem sequens. Fertur autem, quod hæc stella oriens luciferum, occidens vesperum facit. *De qua Statius. Et alterno deprehenditur vnus in ortu. Ex lib. de nat. rerum.* Eadem stella lucifer & hesperus dicitur. Sed lucifer cum ante Solem videtur in mane. Hesperus autem quando post eundem videtur in vespere. Vnde quæstio est an in eodem anni tempore possit vna & eadem stella, & lucifer, & hesperus esse, & dicunt quidam hoc esse non posse, cum enim paris velocitatis sit cum Sole & ferè in eodem spacio cursum suum perficiens, quomodo ergo in vna & eadem nocte vesper sequeretur Solem & in mane præcederet. *In vno ergo tempore præcedit Solem,*

Luciferi etymon. *Vesperus.* *Hesperus.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nota varias opiniones de Vespero.

& tunc est lucifer, in alio sequitur, & tunc est hesperus. Alij dicunt eam in vno, & eodem anni tempore & ante Solis ortum, & post eiusdem occasum videri, non tamen eum præcedere vel subsequi, quia dicunt stellam illam altiorem Sole, vnde diutius in vespere videtur & si Solem non sequitur citius in mane, & si illum non antecedat. Tertij dicunt Venerem & Mercurium eiusdem fere coloris & quantitatis esse, semperque Solem concomitari, ita vt vna præcedat reliqua subsequatur, præcedens in vespere propter Solis splendorem non videtur, sed subsequens post eius occasum apparet, econtra altera in mane videtur præcedens, subsequens vero eius splendore occultatur.

De Cometa.

CAPVT LVIII.

Cometa etymon.

Isidorus. Cometes est stella sic dicta, eo quod comas luminis ex se fundat, quod genus syderis quando apparuerit, aut pestilentiam, aut famem, aut bella significat: ex Latinè appellantur crinitæ, quas Stoici dicunt esse vltra 30. Et earum nomina, & effectus quidam astrologi scripserunt. *Seneca de naturalibus quæstionibus lib.* 4. Quamdiu solita decurrunt, consuetudo magnitudinem rerum subducit. Ita enim compositi sumus, vt nos quotidiana etiam si admiratione digna sunt, transeant, ecõtra minimarum quoque rerum si insolitè prodierint, spectaculum dulce fiant. Is itaque cætus astrorum, quibus vniuersi corporis pulchritudo distinguitur, populum non conuocat. Ac cum aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in cælo est. Sol spectatorem nisi defecerit non habet. Nemo Lunam obseruat nisi laborantem. Adeo naturale est magis noua, quam magna mirari. Idem & in cometis fit. Si rarus & insolitæ figuræ ignis apparuerit, nemo non cupit scire quid sit, & oblitus aliorum de aduentitio quærit, ignarus verum mirari debeat, an timere. Non enim desunt qui terreant qui significationes eius graues prædicent. Itaque scisciantur, & cognoscere volunt, an sit sydus. Arist. ait cometas, significare tempestatem, ventorumque & imbrium intemperãtia. Quid ergo, non iudicas sydus esse, quod futura denunciat. Non enim sic tempestatis signum hoc est, quo futurę pluuiæ putres fungos concrescere, vel sæuituri maris cum in sicco ludunt fulices. Sed quomodo æquinoctium indicat calorem, frigusque flectentis anni demonstrat. Vt ita scias esse non statim vt cometes oritur, ventos & pluuias minantur, vt Aristot. ait, sed ad annum totum aspectum facit, vnde apparet illum non ex proximo quę in proximum daret signa traxisse, sed habere reposita mundi legibus & compressa. Fecit hoc ille qui Patroculo & Euopisco consulibus apparuit, dumque ab Aristot. & Theophrasto prædictæ fuerunt maximæ & continuæ tempestates, vbique extiterunt. Ac vero in Achaia, & Macedonia vrbes terrarum motu perruptæ sunt.

Cometarũ significatio.

Aristotelis sententia de cometis.

CAPVT LIX.

Sententia varia de cometis.

Aristoteles in libro Metheor. 1. *Dixerunt quidam,* quod cometæ sunt stellæ multę in orbem congregatæ, mobiles, non fixæ. Cum enim sibi inuicem propinquant, videtur apparere lumen oblongum continuum sicut coma. Alij dicunt, quod non sunt nisi stella vna ex mobilibus, quæ apparet in quibusdam horis. Quando enim oritur, quasi sit parua, postea mutatur per colores. Vnde quibusdam horis videtur sicut lumen quod diximus. Alii quoque quod coma non est ex ea, sed quoniam mouetur in diuersitate loci sui videtur ei esse quasi coma lucida, quia lucet in humiditate aeris, & inde redit ipsum lumen ad aerem, & videtur oblongum. Quod accidit ei ex eo, quod Sol attrahit scilicet vaporem. Hæc autem stella moratur longiori tempore, quam reliquæ, & videtur, quod sit ei coma ex parte

A Septemtrionis & meridie propter humiditatem, quæ est in illis duabus partibus aeris, & illi quidem sic opinati sunt. Nos autem videmus cometas extra orbem stellarum fixarum id est citra. Quod si essent ex stellis mobilibus, essent in orbe stellarum mobilium, non extra. Si autem comæ earum essent ab aere, sicut dixerunt alii, oporteret quod viderentur absque coma, vel vt coma videretur in omni stella, quę fieret in hoc loco, & essent comæ infinitæ, sicut stellæ. Nos autem inuenimus cometas, quinque tantum. Nec videntur tantum ex parte Septentrionis, sed etiam in parte alia, & videntur iterum cum Sole in ortu suo æstiuo. Dico ergo, quod stellæ comatæ sunt propter aerem continentem stellas, & inflammatum secundum propinquum continentem calorem ignis. Quando enim inflammatur, fit ignis, & continuatur cum lumine eius, & fit oblongum.

Sententia Aristotelis.

B

Opiniones Apollonij, & Ephigenis de eisdem.

CAPVT LX.

Seneca vbi supra. Apollonius ait cometas in numero stellarum errantium poni, cursusque earum tenere. Ephigenes autem ait eas videri potius accendi turbine quodam aeris concitati & intorti, multa secum arida humidaque terris exhalatis versantis. Potest enim spiritus prę angustia elisus accendere aerem supra se positum alimentis ignis idoneis plenum. Et (vt breuiter dicam) eadem ratione has cometas existimo fieri, qua fiũt ignes turbine eiecti. Hoc vnum interest, quod illi turbines ex superiori parte in terras deprimuntur, hi de terra in superiora eluctantur. Aduersus hoc multa dicuntur. Primum si ventus in causa esset, nunquam cometes sine vento appareret. Nunc autem quietissimo aere apparet. Deinde si vento fieret, vento cederet, & si vento inciperet, vento cresceret, eo quod esset ardentior, quo ille concitatior. Præterea ventus multas aeris partes impellit, cometes in vno loco apparet: & ventus in sublime non peruenit, cometæ autem videntur supraire vẽtis. Ac inquit. Quicquid aridi, humidique terra efflauerit, cum in vnum coit ipsa discordia corporum spirituũ versat in turbine. Tunc illa vis venti circumeuntis quicquid intra se comprehenditur cursu accendit in modum, ac tamdiu manet splendor ignis expressi quamdiu sufficiunt alimenta, quibus desinentibus, & ipse sublidit: qui hoc dicit, non notat qualis sit cursus syderum, & qualis cometarum. Illorum raptus & violentus, ipsisque ventis citatior est, *cometarum autem lenis, & qui per diem noctemque quantum transierit abscondat.* Præterea turbinum motus vagus est & disiectus, atque verticosus. Cometarum autem destinatum, iter compositum carpens. Non enim confusè nec tumultuosè incedunt, vt aliquis eos causis turbulentis & inconstantibus pelli credat. Deinde etiam si vertices isti comprehendere terrena humidaque & ex humili in altum exprimere possent, non tamen supra Lunam efferrent. Omnis enim illis in nubilo vis est. *Cometas autem immixtas stellis videmus per superiora labentes. Itaque verissimè non est in tantum spacium durare turbinem, qui quo maior est, maturius corrumpitur.* Nemo quoque toto die turbinem vidit, sed ne hora quidem. Iterum etiam si in summum procederet vbi syderibus interest, vtique ab illo motu qui vniuersum trahit, moueretur. Quid enim est illa conuersione mundi citatius, hac enim omnium ventorum in vnum congesta vis dissiparetur, & etiam terrę solida fortisque compages, ne dum aeris torti particula. Item manere non potest in alto ignis turbine illatus, cum ipse turbo non maneat. Quid autem de his *cometis dicetur, qui senis mensibus apparuerunt.* Præterea turbinis rotunda facies est, in eodem enim vestigio versatur, & columnæ modo circumagentis se voluitur, ergo ignem qui incluſus est, similem quoque illi esse oportet, hic autem longus est & disiectus, nec simul in orbem coactus.

Sententia Ephigenis.

Multa obijciuntur sententiæ Ephigenis.

Motus cometarum.

Nota.

Turbo non durat cometa vero sic.

C

D

E

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Item aliorum positiones de cometis.

CAP. LXI.

EPhigenem ergo relinquamus, & aliorum opiniones prosequamur. Illud tamen sciendum est in primis, cometas non in vna cęli parte aspici, nec in signifero tantum orbe, sed tam in ortu quam in occasu, frequentissime tamen circa Septentrionem: Forma eius non est vna. Sed quamuis Gręci discrimina fecerint, eorum quibus in morem barbæ flamma dependet, & eorum qui vndique circa se velut comam spargunt, & eorum quidem quibus fusus est ignis, sed in verticem tendens, isti tamen omnes eiusdem naturæ cometęque rectè dicuntur, quorum cum post longum tempus appareant formæ, inter se eos comparare difficile est. Nam & illo ipso tempore quo apparent inter se spectantes de illorum habitu non conueniunt, sed prout cuique acutior acies aut hebetior est, ita dicit aut lucidiorem aut rubicundiorem esse. Crinesque aut in interiora deductos, aut in latera demissos. Sed sint eorum aliquæ deferentia, siue non, eadem ratione stent cometæ necesse est. Illudque vnum constare debet præter solidum, aspici nouam syderis faciem circa se dissipatum trahentis ignem.

Cometa barbati.

Comati.

Alia sententia de cometis

Quibusdam autem antiquorum hæc ratio placuit. Cum ex stellis errantibus altera se alteri applicauerit, confuso in vnum duorum lumine, longioris syderis facies redditur. Interuallum enim quod inter duas est, illustratur ab vtraque & inflammatur. Sicque longus ignis efficitur. His respondemus, certum esse numerum stellarum mobilium, ex quo patet, non illarum coitu cometem fieri, sed proprium ac sui iuris esse. Item si cometem stella stellæ superueniens faceret, momento esse desineret, Summa enim velocitas transeuntium est, ideo omnis syderis defectio breuis est, quia cito illas idem cursus qui admouerat, abstrahit. Videmus etiam Solem & Lunam cum obscurari cœperint, in breui liberari, quanto celerior esse disgressio debet in stellis tanto minoribus, At vero cometæ aliquando senis mensibus manent. Præterea stellis intra signiferum cursus est, cometæ autem vbique cernuntur. Nec magis certum est tempus illis quo appareant, quàm locus vltra quem non exeant.

Confutatio.

Sententia aliorum communisque.

Placet itaque nostris, cometas sicut faces, trabesque & alia ostenta cæli denso aere creari. Ideo circa Septentrionem frequentissimè apparent, quia illis plurimum est aeris pinguis. Ideo vero non stat cometes, sed procedit, quia ignium modo alimentum suum sequitur, & quamuis ad superiora visus sit, tamen deficiente materia retroiens ipse descendit. In aere quoque non dexteram læuamque premit, nec illa est ei via. Sed qua eum vena pabuli ducit, ille repit. Quare ergo per longum tempus apparet, & non cito extinguitur. Sex ergo mensibus hic quem Neronis principatu vidimus, spectandum se præbuit. In diuersum illi Claudiano circumactus. Ille etenim à Septentrione in verticem surgens, orientem semper obscurior petiit, hic ab eadē parte cæpit. Sed in occidentem tendens, ad meridiem flexit, ibique oculis se subduxit. Hinc ergo descendit imitante materia non itinere, cum hic in dextrum motus sit ille in sinistrum. Omnibus autem stellis in eandem partem cursus est scilicet mundo contrarius. Hic enim ab ortu voluitur in occasum, illæ autem currunt ab occasu in ortum. Vnde duplex est illis motus, vnus quo eunt, alter quo se auferunt.

Sententia Senecæ de eisdem.

CAP. LXII.

EGo enim nostris non assentior. Non enim existimo cometę subitaneum ignem esse, sed inter omnia corpora perpetuæ naturæ. Primum quidem, quia quæcunque creat aer breuia sunt. Nascuntur enim in re fugaci & mutabili. Fluit enim semper, & breuis illi quies est, nunc pluuius, nunc serenus, nunc inter vtrumque medius. Nec fieri potest vt ignis certus in corpore vago sedeat, & tam pertinaciter hæreat. Deinde si alimento suo hæreret semper descenderet, eo enim aer crassior est, quo tertis propior. Nunquam enim cometes in imum vsque demittitur nec appropinquat solo. Cæterum ignis pergit, quo illum natura sua ducit, idest sursum, aut quò trahit materia, cui adhæsit. Syderis autem proprium est orbem ducere, quod an cometæ fecerint alij, nescio duo nostra ætate fecere. Demum vero omne quod causa temporalis accendit, cito interscidit. Nam & fax & fulmen, & stella transcurrens, & quisquis est alius ignis aere expressus, in fuga est, nec apparet, nisi dum cadit. Cometes autem sedem suam habet, & ideo non cito expellitur, sed spacium suum emetitur, nec extinguitur, sed excedit.

Sententia Plinij & cōfutatio communis.

Optima ratio, pro sententia Plinij & Apollonij.

Cometa orbem ducunt.

At inquis. Si erratica stella esset, in signifero esset. Sed quis vnum limitem stellis ponit? Quis in angustum diuina compellit. Nempe hæc ipsa sydera, quæ sola mouere creditis, alios & alios circulos habent. Cur ergo non etiam aliqua sint, qui in proprium iter & ab istis remotum secesserint. Cæterum cometes etiam sic potest alium circulum habere, vt in signiferum tum incidat aliqua sui parte. Sed cur inquis splendor eius longior, quam cæterorum syderum apparet? Non enim ad vnam inquam naturā formam effectus & opus suum præstat, sed ipsa varietate se iactat. Eiusque potentiam ignorat, qui non ei aliquando licere, nisi quod sæpius fecerit, putat. Cometas non frequenter ostendit, locum alium illis attribuit, alia tempora, dissimilesque cæteris motus, voluit & his magnitudinem operis sui colere, siue amplitudinem eorum consideres, siue fulgorem, qui maior est cæteris atque ardentior. Facies etiam insigne quoddam habet & singulare. Non in angustum comæ iactata & arctata, se dimissa liberius ac multarum stellarum regionem amplexa. Denique Aristotel. ait, cometas significare tempestatem ventorum, & imbrium intemperantiam. Quid ergo non iudicas sydus esse, quod futura denunciat.

Obiectio 1.

Responsio.

Obiectio 2.

Resp.

Faciei cometæ consideratio.

Cometæ definitio.

Qualiter per cæli luminaria distinguuntur tempora

CAP. LXIII.

PEtrus Comestor. Præter causas superius expositas, ad hoc quoque Deus luminaria fecit, vt essent in tempora & dies & annos, idest in distinctio temporum dierumque & annorum. Non est enim putandum, quod tunc per ea inciperent esse tempora, quæ cæperunt cum mundo, sed quia per ea fit quatuor temporum anni distinctio. Sol quoque descendens ad Capricornum facit solstitium hyemale, ascendens ad Cancrum æstiuale, inter vtrumque pari distantia ab vtroque æquinoctia facit. *Ex Computo.* Est autem tempus mora motus rerum mutabilium idest mora in qua mouentur res mutabiles. *Aristoteles in libro Phyficorum.* Tempus quidam totius motum esse dicunt. Alij vero ipsam sphæram, quia in tempore sunt omnia & in totius sphera, verum tempus est numerus motus secundum prius & posterius. Tempus ergo non est in motu, sed id secundum quod habet numerari motus: simul autem & motus

Tempus incæpit cum mundo.

Tēpus quid.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

sentitur est tempus. Quod enim mouetur ex quodam in quoddam mouetur, & cum sit magnitudo continua, & motus erit continuus, quantusque est motus, & tempus. Præterea vniuscuiusque mutatio & motus in ipso mutante est solum, tempus autem similiter & vbique & apud omnia est. Amplius autem mutatio omnis aut tardior aut velocior est, tempus autem non, tardum enim & velox tempore determinantur. Velox enim est quod in pauco tempore multum mouetur. Tardum, quod in multo parum. Tempus autem non determinatur tempore, non est ergo motus. At vero non est tempus sine motu, nec econuerso. Nec solum motum tempore metimur, sed & motu tempus, imitatur enim magnitudinem motus, hunc autem tempus, mensuratur etiam magnitudine motus, & econuerso. Multum enim dicimus viam, si processus est multus, & econuerso. Tempus inquam determinat motum, cum sit ipsius numerus vt dictum est. Ipsum autem nunc est continuatio temporis, continuat enim præteritum & futurum, & omnino terminus temporis est. Est enim huius quidem principium, illius autem finis. *Augustin. super Genes. libr.* 5. Factæ igitur creaturæ motibus ab initio cœperunt currere tempora. Motus igitur si nullus esset, vel spiritualis, vel corporalis creaturæ, quo per præsens pręteritis futura succederent nullum esset tempus omnino, potius ergo tempus à creatura, quàm creatura cœpit à tempore. Nec hoc dico quòd tempus creatura non sit, cum sit motus creaturæ ex alio in aliud consequentibus rebus secundum ordinationem administrantis Dei omnia, quæ creauit. Itaque operum Dei quę vsque nunc operatur per volumina temporum explicandorum velut exordium narrandi sumens, ait scriptura, fons autem ascendebat, &c.

Velox. Tardum.

Nunc.

Tempus à creatura incapit.

Idem in musica, lib. 6. Ab æternitate nullum est tempus. Fabricantur tempora & modificantur & ordinantur ipsam æternitatem imitantia, dum cæli conuersio ad eadem redit, & cælestia corpora ad idem reuocat, diebusque & mensibus & annis ac lustris, cæterisque syderum orbibus, legibusque æqualitatis & vnitatis & ordinationis obtemperat. *Idem contra epist. fundamenti.* Species itaque nostris vocibus emissa pręterit, & tamen sermo ex prætereuntium verborum discessione ac successione peragitur, & moderatis silentiorum interuallis decenter, suauiterque distinguitur. Ita etiam se habet temporalium naturarum infima pulchritudo, vt rerum transitu peragatur, & morte nascentium distinguatur. Cuius pulchritudinis ordinem & modos si posset capere sensus noster, atque memoria, ita nobis placeret, vt defectus quibus distinguitur, nec corruptiones vocare auderemus. Quid autem in eius pulchritudinis parte laboramus, dum nos fluentia deserunt temporalia, quæ diligimus, & peccatorum pœnas luimus, & æterna diligere commonemur. *Alfraganus.* Tempus est numerus non quo numeramus, sed quod numeratur. Nec solummodo motum tempore metimur, sed & motu tempus. Quæ semper sunt, non sunt in tempore, non enim continentur sub tempore, nec eorum esse mensuratur tempore, eorum enim esse in tempore quorum esse mensuratur sub tempore, ita quod tempus superfluit ab eis. In tempore omnia fiunt & corrumpuntur, & est tempus corruptionis causa per se, generationis autem & ipsius esse secundum accidens. *Ex libr. de natura rerum.* Magni vero precij videtur esse tempus apud Deum, qui non per partes maiores vt terras per regiones, sed per instantia distribuit ipsum.

Tępus imitatio æternitatis.

Tempus est numerus numeratus.

Nota.

De quatuor anni temporibus.

CAP. LXIV.

TEMPORA anni quatuor, ver, æstas, autumnus, & hyems. *Isid. libr.* 5. Dicta sunt tempora à commutationis temperamento, eo quod inuicem se humore, siccitate, calore, & frigore temperent. Constat autem post factum mundum ex qualitate cursus Solis tempora inter nos mensibus fuisse diuisa. Quorum etiam temporum talem veteres discretionē faciunt, vt primo mense ver nouum dicatur, secundo adultum, tertio præceps, sic de æstate & cæteris. Dictum est autem ver à virore quia viret. Tunc enim post hyemem tellus vestitur herbis, & in florem cuncta prorumpunt. Æstas dicitur ab æstu, idest à calore, & æstas quasi vsta, idest exusta & arida. Autumnus autem à tempestate vocatur, quando & folia arborum cadunt & omnia matureſcunt. Hyemem ratio hemisphærij nũcupauit, quia tunc Sol breuiori voluitur circulo. Vnde & hoc tempus bruma dicitur quasi brachy, idest breue, vel à cibo, eo quod tunc maior sit vescendi appetitus, edacitas enim Grecè bruma appellatur. Vnde & imbrumati dicuntur quibus fastidium est ciborum. Hæc tempora singulis etiam cæli partibus ascribuntur. Ver quippe orienti datur, quia tunc ex terris omnia oriuntur. Æstas vero meridiano, eo quod ea pars calore flagrantior sit. Hyems Septentrioni, eo quod frigoribus & perpetuo gelu torpet. Autũnus occiduo, quia graues morbos habet, & tunc omnia folia arborum defluunt. Vt autem Autumnus abundet morbis, facit hoc confinium frigoris & caloris, & repugnantia inter se contrariorum aërum. Et computo. Horum quatuor temporum fines & initia secundum ecclesiam his versibus habentur.

Festum Clementis caput hyemis est venientis,
Cedit hyems retro, cathedrato Simone Petro,
Ver figit Vrbanus æstatem Symphorianus.

Veris etymō.

Æstatis.

Autumni.

Hyemis.

Bruma.

Assimilãtur 4 tempora 4 partibus cæli.

De Hyeme.

CAP. LXV.

Villelmus de Conchis. Mouetur ergo Sol & alij planetæ ab oriente ad occidentem non recto modo, sed obliquando, scilicet modo descendendo ad australia, modo ad nostram habitabilem ascendendo, vt quatuor anni diuersitates nobis operetur. Quod vt melius approbes, has diuersitates intimabo. Cum ergo Sol subintrat Capricornum, quod 15. Kalend. Ianuarij contingit. Sol enim quodlibet signum 15. Kalend. intrat, eique mensi signum tale attribuitur, ex quo Sol illud intrat, quia tunc remotissimus est à nobis, nostra habitabilis frigore riget. Terra namque, & aqua naturaliter sunt frigidæ, & si quando calefiant, fit hoc à propinquo Sole. Item cum non sit quo rarescat aer, frigiditate in nubes spissatur, quæ in pluuias dissoluuntur, fit anni pars, quæ hyems vocatur, estque frigida, & humida. Incipit vero hyems secundum Græcos, & Romanos 7. Idus Nouembris, & extenditur vsque ad Idus Februarij. *Isid.* tamen dicit illam 9. Kalend. Decembris incipere, & in 9. Kalendas Martij terminari. In hoc tempore pori superficiei terræ constringuntur frigore, & non potest calor euaporare, hic intus remanens radices herbarum & arborum nutrit, vicemque matris prægnantis obit. Crementum non confert, quia nec calor nec humor, ex quibus est augmentum, propter frigoris constrictionem potest per medullas arboris vel herbæ ascendere. Huic tempori assimilantur aqua, phlegma, ætas decrepita. Sunt etenim frigida & humida. In eodem melius se habent cholerici, melius iuuenes, peius decrepiti. Pessimæ sunt infirmitates quæ nascuntur ex phlegmate, vt est febris quotidiana, minus malæ, quæ ex cholera, vt tertiana, vtile est in eodem augmentare cibum, sed minuere potum. Pori namque humani corporis ex frigiditate constringuntur, nec potest calor euaporare, qui intus remanens plus consumit. Contra ergo interiorem defectum, necesse est infundere exteriorem refectionem. Ideo apud antiquos, Deus hyemis pinguis ventre pingebatur, & ab immun-

Incæptio quatuor anni temporum.

Notã.

Deus hyemis ventripotens pingebatur.

immunditia paludis spurius vocabatur. In eodem calidis vti & siccis vtile est. Sed fortasse dicis de potu qui fit ex aqua, constans est, quòd in hoc tempore debet minui, Sed potus vini est calidus, & siccus, vnde frigiditati & humiditati hyemis repugnat, quare minuitur. Respondeo, & si vinum naturaliter est siccum, tamen actualiter est humidum. Actualis vero humiditas etiam naturaliter siccis ignem extinguit, quod in oleo lampadis probari potest. Igitur in hyeme mediocriter est potandum vinum forte & rubeum.

De vere.

CAP. LXVI.

CVM autem Sol ascendendo vsque ad Arietem peruenerit, quem intrat 15 Kalend. Aprilis nec nimis est nobis remotus nec nimis propinquus, vtpote in medio torridæ zonæ positus. Vnde aer nostræ habitabilis, nec nimis est calidus, nec nimis frigidus, nec nimis est humidus, nec nimis siccus. Sed inter quatuor qualitates temperatus, fitque tempus anni quod ver vocatur. Veris vero initium secundum Græcos & Romanos est 7. Idus Februarij. Sed secundum Isidorum. 8. kalend. Martij in hoc tempore anni pori superficiei terræ frigore hyemis prius clausi calore Solis aperiuntur. Sol vero ad radices herbarum & arborum penetrans, humorem quem ibi coadunatum hyeme reperit, attrahit, herba vero, vel arbor suam inanitionem sentiens à terra attrahit humorem quem ibi sui similitudine adiuuante calore Solis transmutat, sicque reuiuiscit, inde est quod quidam mensis huius temporis Aprilis dicitur, quia tunc terra prædicto modo aperitur. Est autem huius temporis proprium, quod sit quantum ad effectum primarum qualitatum variabile & inconstans, pluuiosum ex vicinitate hyemis, siccum vero ex vicinitate æstatis. Eadem ratione modo calidum, modo frigidum, inde est quod in Martio semper infirmantur homines. Quando enim corpora humana aperta sunt calore, frigus subito ortum ad interiora penetrat, & infirmitatem iuxta materiam præparatam generat. Sed si aliquis sibi in hoc tempore prouideret, tardius in illo, quam alio vel aliis infirmaretur. Sed fortasse dicis. Cum tempus hoc sit temperatum: vnde est, quòd si aliquis intret hyemem cum aliqua infirmitate, non tam sæpe moritur, quàm in vere. Respondeo, infirmitates ex malis humoribus generantur & frequentissimè frigiditate hyemis astringuntur, ne possint defluere. Ex calore autem veris dissoluuntur, quibus per membra discurrentibus, succumbit homo & moritur. Huic tempori assimilantur, aer, sanguis, pueritia. Sunt enim calida & humida, in illo melius se habent melancholici, peius sanguinei, melius senes, peius pueri. Pessima est infirmitas, quæ venit ex sanguine, vt synochaminus mala, quæ est ex melancholica, vt quartana. In eodem est conueniens vti frigidis & siccis.

Ver.

Aprilis etymon.

Ob.

Resp.

De Æstate.

CAP. LXVII.

CVm autem Sol vsque ad Cancrum ascenderit, quem intrat 15. kalend. Iulij, ex propinquitate sui terram incendit & desiccat: Estque æstas, quæ est calida & sicca, Cuius initium secundum Græcos & Romanos est 7. Idus Maii, sed secundum Isidorum 9. kalendas Iunij. Huius temporis est herbarum & arborum radices desiccare: consimile est igni, choleræ, iuuenturi. Hæc enim calida & sicca: in eo melius se habent phlegmatici, peius cholerici, melius decrepiti, peius iuuenes. Pessima est infirmitas, quæ venit ex cholera, vt causon, tertiana: minus mala, quæ ex phlegmate, vt quotidiana. In eodem vtile est vti frigidis & humidis, augmentandus est potus, cibus est minuendus. Cum enim pori corporis ex calore sunt aperti, euaporat calor naturalis, Vnde non ita bene cibus digeritur. Sed quia potus cito transit in sanguinem, augmentandus est. Sed fortasse dicis: istæ diuersitates ex propinquitate Solis contingunt, Sol vero existens in Leone tantum distat à nostra habitabili, quantum in Geminis, & in Virgine quantum in Tauro, in Libra quantum in Ariete. Cur ergo in tribus his, Ariete, Tauro, Geminis Sole existente est tempus calidum & siccum, cum existit in Libra frigidum & siccum. Respondeo Sol existens in tribus vernalibus signis ex propinquitate sui operatur calorem. Sed ex vicinitate hyemis præcedentis est humiditas. Cum est in Leone & Virgine, ex propinquitate operatur calorem. Sed quia ex calore veris & partis æstatis iam est humor deficcatus, ideo non est quo temperetur calor, nec est vnde fit humiditas, Inde fit tempus calidum & siccum.

Nota. Ob.

Resp.

De Autumno.

CAP. LXVIII.

CVm vero ad Libram Sol descenderit, quia iam deficcatus est humor, & extinctus calor. (Calor enim non nisi humore nutritur, quo deficiente extinguitur) operatur tempus autumni frigidum, & siccum. Cuius initium est secundum Græcos, & Latinos 7. Idus Augusti, sed secundum Isidor. 10. Kalend. Septembr. huic assimilantur terra, melancholia, senectus, quia sunt frigida & sicca. In eo melius se habent sanguinei, peius melancholici, melius pueri, peius senes. Pessima est infirmitas, quæ nascitur ex melancholia: minus mala, quæ ex sanguine. Vt ergo generaliter dicamus, *in omni tempore pessima est infirmitas, quæ fit ex humore simile tempori.* Qualitate enim temporis augmentatur morbi materia. Minus est mala, quæ venit ab humore contrario tempori. Minuitur namque qualitate temporis materia morbi. In illo est vtile, vti calidis & humidis. Inæquale est hoc tempus ex vicinitate æstatis, & hyemis ex quo tempore ex succis fructuum tunc abundantium peticlitantur homines indiscreti.

Antumnus quibus assimilatur.

Nota.

Sed fortasse dicis. Sol existens in scorpione tantum distat à nobis quantum in Piscibus: in Sagittario quantum in Aquario. Quare ergo alias operatur qualitates in istis, alias in illis: Respondeo: huius facilis est solutio. In præcedentibus nempe, ideſt in Sagittario, & Scorpione, quia calore æstatis deficcatus est humor: iamque sol medium torridæ zonæ transiuit, est frigiditas & siccitas, in Aquario, & Piscibus, quia similiter est remotus à nobis: est frigiditas, sed quia iam dudum defecit calor, qui aera desiccat: pauliſper spissatur aer in nubes, fitque tempus humidum. Non solum autem si sol nobis semper esset propinquus, vt est in æstate, & semper à nobis remotus, vt est in hyeme, sequerentur inconuenientia, Sed etiam semper si æquinoctialem lineam curreret, licet in ea existens operaretur temperiem, qua congaudent omnia, maxima tamen sequerentur incommoda. Cõtinuè namque humiditas sub luna dominaretur, vnde aqua intantum crescceret, quod frequenter cataclysmum generaret. Non enim esset quod eam deficcaret, fructus etiam sine quibus homo viuere non potest, ad maturitatem non peruenirent. Omnibusque bonis estatis, autumni, hyemis, careremus. *Ex libr. de præsagijs tempestatum.* Autumnum serenum præsagit ver frigidum. Si ver, & æstas non sine aliquo refrigerio transierint. autumnum serenum, ac densum minusque ventosum facient. Autumni serenitas ventosam hyemem facit.

Obiectio.

Solutio.

Nota.

De qualitatibus aeris ſecundum quatuor tempora.

CAP. LXIX.

Conſtantinus in Pantegni, libro 5. Tempora anni ſunt quatuor, quorum, vnicuiq; eſt aer proprius, ver inter calidum & frigidum, humidum & ſiccum, mediè temperatus eſt Quod maximè contingit ex ſole per rectam lineam exeunte, quæ ſcilicet ab vtroque polo æqualiter diſtat. *Ver.* Dicunt tamen quidam veris naturam eſſe calidam, & humidam, quod ſi eſſet, quælibet res facilius in eo putrefieret, & morbos peſſimos in eo generaret, ſicut ſæpe videre eſt in ventis meridianis, & pluuialibus æſtiuis: caloris enim & humoris complexio magnam in corporibus putredinem generat. Quomodo ergo vernum tempus calidum eſt & humidum, cum in eo omne corpus ſit ſanum, & omnia initientur tempora, & ipſum ſit tempus augmẽtandi, ſicut in hominibus pueritia, & adoleſcentia? *Æſtas.* Eſt autem æſtas calida & ſicca: hoc enim tẽpore ſol graditur ſumma aſcenſione, noſtriſq; capitibus oppoſitus calefacit quodlibet corpus. *Autumnus.* Autumnus vero eſt frigidus & ſiccus, ſed magis in eo dominatur ſiccitas, quia ibi victoria eſt æſtiui ſolis caliditas. *Hyems.* Hyems autem frigida, & humida eſt, ſed magis in ea poteſt frigiditas, quia iam elongauit ſe ſol à capitibus noſtris. Si ergo complexiones aeris in vnoquoq; ſunt tempore, ſecundum quod natura ſua expetit, & dictant homines ſecundum quod oportet, quantum ad morbos accidentes ex tempore, ſalubres eſſe neceſſe eſt Sin autem morbus, qui inde naſcitur, non caret peſſimis accidentibus & moleſtationibus. Aer quidẽ naturalem ſuam complexionem exit, vel quantitate, vt ſi æſtas calidior ſit, vel hyems frigidior, quam eſſe debeat. Vel in qualitatum ſuarum mutatione: vt ſi æſtas cum debeat eſſe calida ſit frigida. Aut hyems naturaliter frigida, incipiat eſſe calida. Deniq; anni tempora naturas ſuas cuſtodiunt, cum ver inter calidum & frigidum ſit temperatum, & tempus pluuioſum. Aeſtas vero nõ calidiſſima paucas, & raras habet pluuias. Autumnus quoque non ſicciſſimus, & ipſe aliquantulum pluuioſus. Hyems autem frigida & pluuioſa, menſurã tamen non excedat. *Nota.* Præterea ver aſſimilatur horę tertię diei, æſtas meridiei, autumnus veſperi, hyems vero nocti. Et quicunque morbus in aliquotempore naſcitur hora diei ſibi competenti magis nocet, & augmentatur.

De qualitatum prædictarum variatione.

CAP. LXX.

Hyems in principio frigidior. *Vilhelmus de Conchis.* Quamuis hyems, vt prædictum eſt, ſit naturaliter frigida, & humida: in principio tamen eſt magis frigida, minus humida: in fine magis humida, minus frigida, in medio æqualiter. Ver autem cum ſit calidum, & humidum: in principio tamen magis humidum, minus calidum: in fine magis calidum, minus humidum: in medio æqualiter. Æſtas in principio magis calida, minus ſicca, econtrario in fine, in medio æqualiter. Autumnus in principio magis ſiccus, minus humidus & frigidus, in fine econtrario, in medio æqualiter. Sed fortaſſe dicis, cum iſtæ ſint naturales qualitates temporum, vnde eſt quod quædam æſtas ſit frigidior altera calidior, vel ſiccior, & ſic de aliis. Reſpondeo, vt aſſerunt quidam philoſophi. Alij planetæ alias ſuas æſtates faciunt, & ſuas hyemes. Vnde ſi in æſtate ſolis contingat hyems alterius planetę, fit æſtas minus calida, & ſicca. Sin autem æſtates concurrant, fit æſtus ſolis calidus & ſiccus. Similiter ſi in hyeme ſolis contingat æſtas alterius planetæ, fit hyems minus frigida, & minus humida. Sed ſi hyemes concurrant, intenduntur qualitates hyemis. Eadem ratione de cæteris temporibus iudicant, vt dictum eſt. Illorum planetarum quidam eſt calidus, quidam frigidus, quidam humidus, quidam ſiccus. *Ex planetæ coniunctione cum ſole fit æſtas minus calida.* Si ergo in hieme ſit cum ſole planeta calidus & ſiccus, fit hyemis minus frigida & humida. Si vero in æſtate fuerit cum ſole planeta frigidus & humidus, fit æſtas minus calida & ſicca. Iccirco prudenti phyſico ſemper eſt obſeruandum, quæ ſigna ſol obtineat, & quis planeta ſit cum eo in eodem ſigno, vt in eo perpendat qualis futura ſit æſtas, vel alia tempora, vt contra futuram temporis qualitatem præſto ſit medicamen.

De diſpoſitione humanorum corporum ſecundum qualitates temporum.

CAP. LXXI.

Hippocras. Ver tempus eſt ſuauiſſimum, minimeque mortiferum ſecundum tempora veris, quæ extremitates ſunt, pueri & eorum affines ætatibus bene degunt, & maxime ſunt ſani, cum autem æſtas fuerit ſimilis veri, ſudores in febribus multis expectare oportet. Æſtiuæ quartanæ, vt multum breues fiunt, autumnales vero longæ, & maximæ, quæ ad hyemem coniunguntur. *Quartanæ autumnales longiores.* Autumnus phiſicis malus eſt. In autumno ſunt ægritudine acutiſſime maximeque mortiferę. Hyems ſi fuerit auſtrina, & pluuioſa, & tranquilla, Ver autem ſiccum, & boreale: mulieres quibus partus ad ver ineſt, ex omni occaſione abortiuntur. Si vero genuerint: morbidos & imbecilles fœtus pariunt, aut vt ſtatim diſſoluantur, aut tenues, ac morbidi viuant: ſi autem æſtas ſicca, & borealis fiat, autumnus vero pluuioſus, & auſtrinus, *Morbi qui dominantur ſecundum qualitates temporum.* capitis dolores in hyeme fiunt & tuſſes, & branchi, & corizæ quibuſdam etiam phiſis. Si vero borealis fuerit & aquoſa: humidis quidem natura, vt mulieribus confert. Reliquis autem fiunt opthalmiæ ſiccæ & febres acutę, & corizæ diuturnæ. Mutationes temporum maxime generant morbos. Ægritudines quidem omnes in omnibus temporibus fiunt, maxime vero quædam ſecundum aliqua eorũ & fiunt & acuuntur. Conſtrictiones anni ſiccæ pluuioſis ſaniores ſunt & minus mortiferæ. In ſiccis temporibus febres acutæ fiunt. In pluuialibus autem, vt multum ægritudines fiunt & febres longæ ac ventris fluxus & putredines, & epilepſiæ: & apoplexiæ, atque ſquinantiæ.

De his quæ obſeruat eccleſia ſecundum quatuor Tempora.

CAP. LXXII.

Ieiunia quatuor temporum. *Ex computo* In his ergo quatuor temporibus celebrat eccleſia etiam quatuor ieiunia, quæ etiam vocat ieiunia quatuor Temporum, quæ quando celebranda ſunt: ſcitur his verſibus.

Dat crux tucia cineres chariſmata dia,
Vt ſit in angaria quarta ſequens feria,

ideſt quarta feria ſequens feſtum exaltationis Sanctæ Crucis habet ieiunium autumni. Sequens autem diem Luciæ ieiunium hyemis. Sequens autem diem cinerum ieiunium veris. Sequens diem Penthecoſtes, ieiunium æſtatis. In his quatuor temporibus fiunt ſolſtitia, & æquinoctia Solſtitium ęſtiualè fit in Cancro, hyemale in Capricorno. *Solſtitia & Æquinoctia tepore Chriſtinati.* Æquinoctium vernale in Ariete, autumnale in Libra. Sicut enim teſtatur Beda, anno in quo natus eſt Dominus, & Ioannes Baptiſta ſolſtitium æſtiuale fuit in die Ioannis Baptiſtæ, & octauo gradu Capricorni. Vnde me, inquit Ioannes, oportet minui: illum autem creſcere. Æquinoctia vero fuerunt in eorum annunciationibus octo gradibus Libræ, & Arietis Nunc autem decem diebus ante præcicta feſta ſunt ſolſtitia. Et decem diebus ante Annunciationes ſunt æquinoctia.

Quod

Quod docetur his verſibus.

Solſtitium decimo Chriſtum præit, atque Ioannem,
Et totidem ſequitur parinoctia nuncius horum,

id eſt annunciatio eorum. Cuius cauſa hæc eſt: Iulius & nos ſequẽtes eum minus damus anno ſolari quinta parte vnius horæ. Nam ſol zodiacum circuit in trecentis quinquagintaquinque diebus, & ſex horis. Quinta parte vnius minus, quæ quinta pars in quinque annis vnam horam conſtituit: & in ſex annis vnum diem. Et in mille & ducentis annis decem dies. Vnde cum tot anni tranſierint ab incarnatione Domini, & etiam iam plures, decem diebus. & quatuor horis & tribus quintis, ſolſtitia iam dicta feſta prꝫceſſerunt.

Hoc intelligitur locum habuiſſe ante reformationem Gregorianam Kalendarij.

De partibus temporis, & primo de momentis, & horis.

CAP. LXXIII.

Momentum. ISidor. Tempora autem momentis, horis, diebus, menſibus, annis, luſtris, ſeculis, ætatibus diuiduntur. Momentum minimum, atque anguſtiſſimum tempus, à motu ſyderum dictum eſt. Eſt enim extremitas horꝫ in breuibus interuallis cum aliud ſibi cedit atque ſuccedit. *Hora.* Hora Græcum nomen eſt & tamen Latinum ſonat, Eſt enim finis temporis, ſicut & ora fines ſunt maris, fluuiorum, veſtimentorum, *Guilhelmus de Conchis.* *Nota.* Hora eſt ſpacium in quo dimidium ſignum oritur. Horæ æquinoctialis diei ſunt æquales, horæ vero aliorum inæquales. Omnis dies habet 12. horas, & omnis nox. 12. Omni vero die ſex ſigna oriuntur, & omni nocte ſex alia. Nec obſtat quod dictum eſt zodiacum diuiſum eſſe in 12. æquales partes, quæ ſigna dicuntur, & quoſdam dies eſſe prolixos, quoſdam vero breues, ſimiliter & noctes. Quamuis enim ſigna quantitate ſint æqualia, quædam plus tamen aliis morantur motu eorum, quædã oriuntur recta, & occidunt obliqua: quædam oriuntur obliqua, ſed occidunt recta. Quæ vero recta oriũtur, plus in naſcendo morantur. quam quæ obliqua. Quod vulgari ſimilitudine potes perpendere. Ex monte ergo oppoſito tres lanceæ ardentes incipiant aſcendere. prima recta, ſecunda tranſuerſa, tertia obliqua, id eſt nec penitus recta, nec pænitus tranſuerſa. *Ortus ſignorum declaratur ſimilitudine.* Quæ tranſuerſa aſcendet, ſtatim tota apparebit. Quæ recta prius oſtendet Mucronem, deinde Haſtile ad vltimum extremum finem. Sed quꝫ obliqua plus morabitur, quam tranſuerſa minus, quam recta, Simile eſt in ſignis. Signa vero æſtiualium dierum oriuntur recta, ſigna vero noctium æſtiualium obliqua. Vnde & quamuis tot ſigna illis noctibus oriantur, quot illis diebus, breuiores tamen ſunt noctes diebus. Econtrario eſt in ſignis hyemalium dierum, & noctium. In ꝫquinoctialibus vero æqualia oriuntur, & occidunt, vnde dies & noctes adꝫquantur.

De diſtinctione horarum æquinoctialium in ortu, & occaſu ſignorum.

CAP. LXXIV.

Signa quæ recta oriuntur quot horas conſumũt in ortu. QVod vt melius intelligas, dicam quot horas vnũquodque ſignorum moretur in ortu & occaſu. Cancer ergo, ſecundum Martianum, oritur duabus horis æquinoctialibus: & duodecima parte vnius horæ; occidit hora & deunce. Leo oritur duabus horis, & tertia par. occidit hora ſemis, & ſexta parte horæ. Virgo oritur duabus horis, & dimidia & ſexta parte horæ. Similiter libra, occidit hora & tertia parte. Ac ſcorpius diminuit ortum, & auget occaſum. Oritur enim duabus horis, & tertia parte, occidit hora ſemis, & ſexta par. horæ. Sagittarius oritur duabus horis duodecima parte horæ, occidit hora & deunce. Hæc autem ſunt ſigna ſex quæ recta oriuntur, obliqua occidunt. Alia ſex obliqua oriuntur, recta occidunt, vnde minus in ortu morantur. Capricornus namque oritur hora deunce, occidit duabus horis, & duodecima parte horæ. Aquarius oritur hora, & dimidia & ſexta parte, occidit duabus horis, & quarta par. horæ. Piſces oriuntur hora, & tertia parte horæ, occidunt duabus horis & dimidia, & ſexta parte horæ. Similiter & aries. Taurus oritur hora & dimidia, & ſexta parte horæ, & occidit duabus horis, & tertia parte horæ. Gemini oriuntur hora deunce, occidunt duabus horis, & duodecima parte. Secundum eiuſdem Martiani computationem, prolixior dies habet 14. æquinoctiales horas & ſex minuta. Nox vero ꝫquinoctialis habet horas 9. & dimidiam & tertiam partem vnius horæ. *Quot illa quæ obliqua oriuntur.*

De diebus in generali.

CAP. LXXV.

ITaque ſicut iam ſuperius habitum eſt, naturali motu ab occidente in orientem obliquæ aſcendendo contra firmamentum ſol nititur, quotidie tamen occidentali motu ab ortu cum firmamento ad occaſum refertur. Exiſtenſque ſuper terram agit ſplendorem qui dicitur dies. Et eodem modo exiſtente illo ſub terra in ſuperiori parte eſt obſcuritas, quæ dicitur nox. Dierum tamen alius eſt naturalis, alius vſualis. *Iſidor.* Itaque dies ſecundum Ægyptios *Inchoatio diei varia.* inchoat ab occaſu ſolis, Sed ſecundum Perſas, ab ortu ſolis, Secundum Athenienſes à ſeptima hora diei. Secundum Romanos à media nocte, tunc quando gallicinium eſt, quorum vox oſtendit prꝫconium. Dicti ſunt autem dies à diis, quorum nomina Romani quibuſdam ſyderibus ſacraverunt. *Dies etymon* Primum enim diem à ſole appellauerunt, qui eſt princeps omnium ſiderum, ſicut idem dies caput eſt cunctorum dierum totius ſeptimanæ. Secundum à luna, quæ ſoli & ſplẽdore, & magnitudine proxima eſt. Tertium à ſtella Martis, quæ veſper vocatur. Quartum à ſtella Mercurij, quem quidam candidum circulum appellant. Quintum à ſtella Iouis quam Phætontem aiunt. Sextum à Venere ſtella, quam Luciferum afferunt, quæ inter omnia ſydera plus lucis habet. Septimum à ſtella Saturni, quæ ſexto cœlo locata 30. ann. fertur explere circulum ſuum. Proinde autem ex his ſeptem ſtellis nomina gentiles diebus dederunt, eo quod per eoſdem aliquid ſibi effici exiſtimarent, dicentes ſe à Sole habere ſpiritum: à Luna corpus, à Marte ſanguinem, à Mercurio ingenium & linguam, à Ioue temperantiam, à Venere voluptatem, à Saturno humorem. Apud Hebræos autem prima dies dicitur vna ſabbati, quæ apud nos dies dominica, quem Gentiles ſoli dedicauerunt. Secunda ſabbati, ſecunda feria, & ſic vſque ad ſabbatum, quæ eſt ſeptima à die dominico, quam Gentiles Saturno dedicauerunt. A fando autem feriæ nuncupatæ ſunt, eo quod ſit nobis tempus dictionis, id eſt in diuino, vel humano officio fandi. Sed ex his feſti dies hominum cauſa. Feriati vero diuinorum ſacrarum cauſa inſtituti ſunt. *Ex libr. de nat. rer.* Dicitur autem in anno tres eſſe dies, in quibus nunquam mulier naſcitur, & virorum qui nati fuerint in eis corpora nunquam vſque in diem iudicij putredine ſoluentur, ij ſunt nouiſſimus dies Ianuarij, & duo primi, ſcilicet dies menſis Februarij. Alij ſunt dies in quibus arboris inſciſæ lignum à vermibus erit ſecurum, & ſi vas aliquod inde fuerit factum, quicquid in eo reponetur, abſque vlla corruptione ſeruabitur, ij ſunt vltimi dies veneris Septembris, ſcilicet poſt 15. diem eiuſdem lunationis. Similiter intelligendum eſt de duobus vltimis diebus veneris Lunꝫ. *Vna ſabbathi apud Hebraos eſt Dominica apud nos.* *Feriarum etymon.* *Superſtitioſa*

De die naturali.

CAP. LXXVI.

Dies naturalis.

EX *computo*. Dierum ergo, vt ſupra dictum eſt, alius eſt naturalis, alius vſualis, ſiue artificialis. Dies naturalis eſt ſpacium quo ſol ducitur circa totam terram ab oriente ad occidentem. Et dicitur dies à diis, ideſt planetis quos Deos putabant. Vel à dyo, quod eſt duo, quia continet duo tempora, ſcilicet noctem & diem vſualem. *Ex libro de natura rerum.* Dies vna, & nox vna, fiunt à tempore quo oritur ſol ſuper nos ex noſtro hemiſphærio orientis eumque vertit circulus ſuperior donec iterum eum ducat ad eundem locum. Vnde dicit philoſophus, quod dies eſt ſpacium vnius reuolutionis ſolis. & hic eſt dies naturalis. Dies ergo legitimus 24. eſt horarum, ſpacia duo concludens, ſcilicet meridianum, atque nocturnum. Sed vocatur dies à parte meliori. Abuſiuè autem dies vnus ſpacium ab oriente Sole, vſque ad occidentem. *Ex computo.* Dies naturalis cõtinet quatuor quadrantes, & quilibet quadrans ſex horas, & hora 5. pũcta, & punctum 8. momenta, & momentum duodecim vncias, & vncia 47. athamos, hunc eccleſia inchoat à media nocte, quia tunc ortus eſt verus ſol Chriſtus. Arabes & Aſtronomi à meridie, ſecundum quem procedunt tabulæ aſtronomicę. *Iudai à principio noctis*, Secundum illud, factum eſt veſpere, & mane dies vnus. Communis autem plebs ab ortu Solis. *Guilhelmus de Conchis.* Philoſophi naturalem diem in quatuor diuiſerunt. Et à nona parte noctis, vſque ad tertiam diei vſualis illum eſſe calidum & humidum dicebant, à tertia parte diei vſualis, vſque ad nonum eiuſdem calidum, & ſiccum. Ab illa vſque ad tertiam partem noctis frigidum & ſiccum, & ab illa vſque ad nonam partem noctis frigidum & humidum. Inde contingit, quod quædam infirmitates in diuerſis partibus eiuſdem melius & peius ſe habent ſecũdum prędictam rationem de temporibus.

Quatuor quadrantes diei.

Iudai quomodo diem incipiunt.

De die vſuali, ſiue artificiali.

CAP. LXXXVII.

Dies artificialis.

EX *computo*. Dies artificialis eſt ſpacium quo moratur Sol in noſtro hemiſphærio. Et dicitur à Dyan, quod eſt claritas. Vſualis autem vel artificialis, quia aſpectus eſt artificibus & huiuſmodi. *Iſidor.* Dies ergo eſt præſentia ſolis, ſiue ſol ſupra terram. Partes diei tres ſunt. Mane, ideſt lux matutina & plena dictum à manu, quia manum antiqui dicebant bonum. Quid eſt enim melius luce? Meridies dicitur quaſi medidies, ideſt medius dies, vel quia tunc putior eſt dies. Merum enim purum dicitur. Sero vocatum eſt à ſeris clauſis, quando iam nox venit, vt vnuſquiſque ſomno tutior ſit. *Guilhelmus de Conchis.* Vſualis dies eſt ſpacium quo ſol ab ortu vſque ad occaſum refertur. Quem vt naturalem philoſophi in quatuor diuiſerunt. Prima enim illius parte rubet ſol. Secunda ſplendet. Tertia lucet, Quarta deſcendit & torpet. Inde eſt quod in fabulis poetarum quatuor equi Phæbo attribuuntur, nomma prædictis proprietatibus conuenientia habentes. Primus nempe eous, ideſt rubeus dicitur. Secundus lacteus, ideſt ſplendens. Tertius lampas, ideſt ardens. Quartus philogeos, ideſt amans terram. In his vſualibus diebus tres in anno contingunt diuerſitates. Aliquando namque ſunt ęquales noctibus, aliquando proliziores, aliquando breuiores. Cuius ratio eſt aperta. Cum enim ſol eſt in hyemalibus ſignis, tumor terræ, qui eſt in medio torridæ zonæ inter nos & ipſum poſitus, cauſa eſt quare tardè illum videamus, & quare cito poſtquam viderimus oculis noſtris auferatur. Inde breuis eſt ſplendor ſuper terram & prolixa vmbra. Sed quando eſt in Cancro, & in aliis æſtiualibus ſignis, quia citra tumorem terræ naſcitur, mane cito videtur, & tardè oculis noſtris aufertur. Inde prolixior ſplendor, vmbra breuis. Eodem verò in Ariete, vel in Libra exiſtẽte, quia æqualiter diſtat à nobis, æqualiter eſt ſuper terram, & ſub terra, vnde æqualis eſt ſplendor & vmbra. Duo ergo æquinoctia ſunt in anno, alterum quorum in Martio 12. Kalend. Aprilis: Alterum eſt in Septembri 12 Kalend. Octobris. Similiter duo ſunt in anno ſolſtitia, alterum quorum eſt in Decembri 12. Kalend. Ianuarij. Alterum in Iunio 12. Kalend. Iulij. Primum dicitur hyemale, cuius dies eſt breuiſſimus octo horarum æquinoctialium & dimidiæ, nox prolixa, ab hoc vſque ad ſolſtitium æſtiuale creſcunt dies à quo iterum tunc decreſcere incipiunt. Et tunc eſt prolixa dies 15. horarum æquinoctialium & dimidiæ. *Ex libro de natura rerum.* Quibuſcunque ſol propior eſt, eis dies longior & calidior eſt, quibus autem remotior eis breuior & frigidior. Dies apparet longior eunti verſus occidentem, quàm eunti verſus orientem. Et, vt ait Hippocras, quoniam eadem die aliquando quidem æſtus, aliquando frigus fit, autumnales ęgritudines expectare oportet. In febribus autem eadem dies cretica quibuſdam eſt ad vitam, quibuſdam ad mortem.

Duo æquinoctia & 2 ſolſtitia.

De noctibus.

CAP. LXXVIII.

Cur 4. equi Phaboden. tur.

PLinius *lib.* 2. Noctem nihil aliud eſſe patet quam vmbram terræ, cuius figura non excedit latitudinem lunæ ſuperque in mucronem deficit. Spatio quidem vmbras conſumi volucrum indicant volatus prælti, ergo confinium illis eſt terminus aeris, & initium ætheris. Supra Lunam omnia pura ſunt, & diuturnæ lucis plena. A nobis autem per noctem cernuntur ſydera, ſicut in tenebris reliqua lumina propter has cauſas nocturno tempore deficit Luna. *Non poſſet quippe totus ſol adimi terris interiacente Luna, ſi terra maior eſſet quam Luna. Iſidor.* Nox à nocendo dicta eſt, eo quod oculis noceat. Noctis autem & diei alternatio propter viciſſitudinem dormiendi, & vigilandi effecta eſt. Et vt operis diurni laborem noctis requies temperet. Noctis partes 7. ſunt ſcilicet crepuſculum, veſpere, conticinium, intempeſtum, gallicinium, matutinum, diluculum. Crepuſculum eſt dubia lux. Nam creperon dubium dicimus, hoc eſt inter lucem, & tenebras. *Veſper* à ſtella occidentali vocatum eſt, quæ ſolem ſequitur occiduum, & tenebras ſequẽtes præcedit. *Conticinium* eſt quando omnia ſilent, cõticeſcere enim ſilere eſt. *Intempeſtum* dicitur quaſi ſine tempore, ideſt ſine actu humano per quem dignoſcitur tempus, eſt enim medium noctis quando nihil agi poteſt, & omnia ſopore quieta ſunt, vnde eſt intempeſtiuè veniſti; ergo intempeſta dicitur, quia caret tempore, id eſt actu. *Gallicinium* dictum eſt propter gallos lucis prænuncios. *Matutinum* eſt inter abſceſſum tenebrarum, & auroræ aduentum, ſic dictum eo quod inchoante mane fit. *Diluculum* dicitur quaſi iã incipiens, parua diei lux. Quæ *aurora* dicitur quaſi corora. Eſt enim primus ſplendor aeris, qui Græce dicitur eoos, diei ſcilicet clareſcentis exordium.

Nox quid?

Probatur terram minorem luna.

Noctis etymon.

Crepuſculũ.

Veſper.

Conticiniũ. Intempeſtum

Gallicinium Matutinum

Diluculum. Aurora.

De ſeptimanis.

CAP. LXXIX.

EX *computo*. Septimana eſt ſpatium dierum ſeptẽ naturalium dicta à ſeptem, & mane, vt ſumatur pars pro toto. Idem ſpatium vocatur ebdomada ab ebda quod eſt ſeptẽ, & dias quod eſt dies, quaſi ſeptẽ habẽs dies. Vel ab ebda quod eſt ſeptẽ, & modo quod eſt menſura, & ſecundum hoc ebdomada cõmunius eſt quã ſeptimana. Poteſt enim dici de quolibet menſurato per ſeptenarium, ſiue ſint dies, ſiue menſes, ſiue anni. Vnde in Daniele vbi dicitur, poſt 62. hebdomadas occidetur Chriſtus, ſumuntur ebdomadæ anno-

Septimana.

annorum ideſt 62. anni. Sciendum vero quod ſeptimanæ non poſſunt habere certa nomina, quia nec habent certa initia. Singulis enim annis variantur propter vnum diem, vel duos qui ſuperſunt integris ſeptimanis. Iudæi principalẽ ſeptimanæ diem vocant Sabbatum quaſi requiem, quia in eo Dominus requieuit ab omni opere quod patrarat. Eccleſia vero principalem diem reputat primam feriam, quam vocat diem Dominicum, quia Dominus multis eam dotauit priuilegiis, vtpote quia in illo natus, circumciſus, reſurrexit, & Spiritum ſanctum miſit. Ferias autẽ dicimus, quia sẽper feriandũ eſt ideſt ceſſandum à vitiis. Veruntamẽ Sabbatum non vocamus ſeptimã feriam, ſed Sabbatum, ſicut & Iudæi. Credimus enim & nos cũ eis Dominum tunc requieuiſſe; inſuper & in ſepulchro. Sexta vero feria vocatur paraſceue, à para quod eſt præ, & ſceue quod eſt paratio, quia tunc Iudæi præparant cibaria Sabbato, & tunc ſimiliter præparatus eſt cibus Eccleſiæ, quo & militans modo, & triumphans tunc in futura requie perfruetur.

Sabbathum

Dominica.

Feria.

De Menſibus

CAP. LXXX.

MEnſis triplex eſt, vſualis, ſolaris, & lunaris. Vſualis eſt duodecimum ſpatium Kalendarii. Solaris eſt ſpatium quo ſol moratur in aliquo ſigno. Lunaris idem eſt quod lunatio. Dicitur autem menſis à mene quod eſt defectus, quia in ſingulis mẽſibus. Luna deficit, vel à metiendo, quia his annum menſuramus. Vel etiam à menſa, quia ſingulis menſibus cibaria menſis apponenda, vt docent philoſophi mutãda ſunt. *Iſid.* Menſis nomen Græcum eſt de Lunę nomine dictum, Luna enim Græce mene vocatur. Vnde apud Hebræos menſes lunares non ex ſolis circulo, ſed ex Lunæ curſu enumerantur, quod eſt de noua ad nouã. Ægyptii autem primi propter Lunæ velociorem curſum, & ne error computationis, eius velocitate accideret ex ſolis curſu, diẽ menſis adinuenerunt quo tardior ſolis motus facilius poterat comprehendi. Ianuarius menſis à iano dictus eſt, cui fuit à Gentilibus conſecratus, vel quia limes, & ianua ſit anni. Vnde & bifrons idem ſanus pingitur, vt introitus anni, & exitus demonſtretur. Februarius dicitur à februo, ideſt Plutone cui eo menſe ſacrificabatur. *Ex computo.* Februarius dicitur à februis, quæ ſunt oblationes factæ pro mortuis. Antiqui enim illo menſe faciebant memoriam animarum. Vel à februo, ideſt Plutone quem tunc hoſtiis placabant vt parceret animabus. Vel vt quidam volunt à febribus, quia hoc menſe de facili febricitant homines. Martius dicitur à Marte Deo belli, quem Romulus præſentem ſuum eſſe putabat. Vnde ab eo primum menſem anni ſui nominauit. *Iſid.* Vel dicitur Martius, quia eo tempore cuncta animantia aguntur ad Martem, & ad concumbendi voluptatem. Item appellatur & menſis nouorum, quia anni initium eſt. Idem & nouum ver ab initio, ſcilicet germinum. Aprilis dicitur quia hoc menſe omnia in florẽ aperiuntur, quaſi aperilis. *Ex computo.* Vel Aprilis dicitur quaſi aphrodilis ab aphrodos quod eſt ſpuma à qua dicitur Venus aphrodiſſa, quia de ſpuma maris fingitur nata, Ab hac Romulus ſecundũ anni ſui mẽſem nominauit, quia Venus mater fuit omnium Romanorum per Æneam. *Iſid.* Maius dictus eſt à Maia matre Mercurii, vel à maioribus natu, qui principes erant Reipublicæ. Nam hunc menſem maioribus, ſequentẽ vero minoribus Romani conſecrauerunt. Vnde & Iunius dicitur: antea enim populus in centurias ſeniorũ & iuniorum diuiſus erat. Iulius autem, & Auguſtus de honoribus Iulii & Auguſti Cæſarũ nuncupati ſunt, nam prius quintilis, & ſextilis vocabantur. Quintilis quia quintus erat à Martio, quem principẽ anni teſtantur etiam Romani. Sextilis quia ſimiliter ſextus. September nomen habet à ſeptem, & hymbre quia ſeptimus eſt à Martio & hymbres habet. Sic October, Nouember, atque December ex numero, & hymbribus acceperunt vocabula.

Menſis triplex.

Menſis etymon.

Ianuarius.

Februarius.

Martius.

Aprilis.

Maius.

Iunius.

Iulius, Auguſtus.

September.

De numero dierum in ſingulis menſibus.

CAP. LXXXI.

QVot dies quilibet menſis habeat notatur his verſibus.

Sep. no. iun. au. triginta dato reliquis magis vno.
Sed tenet in numero viginti februus octo,
Cui ſi biſſextus fuerit ſupperaditur vnus.

Carmina de diebus menſium.

Cur autem aliqui plures, & aliqui pauciores habeant, hæc eſt cauſa. Iulius qui duodecim menſes in anno inſtituit, perficiens annum ex 365. diebus, & 6. horis, Hoc modo dies diſtribuit. Nam cum duodecim menſes inſtituiſſet ex trecentis ſexaginta, cuilibet dedit triginta, reliquos quinq; ita diſtribuit. Ianuario vnũ dedit qui ſecundum eos erat ſuperuis conſecratus, vt haberet in diebus numerum fauſtum, ideſt imparẽ, quia binarius primo ab vnitate recedit quaſi ſectionem faciens, & ideo infamem eum dicebant, & etiam quemlibet numerum ex puris binariis cõpoſitum, omnem autem numerum imparem fauſtum. Ideo Februario nihil dedit, vt ſicut inferis conſecratus fuerat, ita etiã numerum parem haberet. Martio dedit vnum & alternatim Maio vnum, Iulio vnum, & tunc ſuperfuit vnus dies, & quinq; menſes. Hunc ergo diem medio illorũ, ſcilicet Octobri dedit. Poſt hoc Auguſtus ſextilem ſuo nomine appellans, noluit illum habere infamem numerum dierum, & ideo Februario vnum abſtulit, & dedit Auguſto, & tunc ne numerus fauſtus remaneret Februario, alium diem illi auferens Decembri dedit, & ſic ei remanſerunt 28. In biſſexto autem vt patebit poſt vnus dies ei additur, vt aliquo modo damnum eius compenſetur. Omnes autẽ dies menſium 7. primis alphabeti litteris inſcribuntur, à qua ergo quis menſis incipiat habetur his verſibus.

Cur Ianuario vnus dies datus.

Ratio diſtributionis Iuliana.

Altitonans Dominus diuina gerens bonus extat,
Gratuito califer, aurea dona fidei,

Harum duodecim dictionum prima ſeruit Ianuario, & ſic de aliis per ordinem. Quæ ergo eſt prima littera in dictione eadem eſt prima in menſe cui deſeruit dictio.

De kalendis nonis, & idibus.

CAP. LXXXII.

Iſid. Kalendas, nonas, & idus propter dies feſtos Romani inſtituerũt, vel propter officia magiſtratuum: in his enim diebus conueniebatur in vrbibus. *Ex cõputo.* In quolibet ergo menſe primus dies dicitur Kalendæ, quintus vel ſeptimus dicitur nonæ, tredecimus vel quindecimus dicitur idus. Ab his etiam alii nominantur. Dicuntur autem kalẽdæ quaſi colendæ, quia tunc ſemper erat feſtum Iunonis. *Vnde Ouidius.* Vendicat auſonias Saturnia Iuno kalendas. Vel à Kalo quod eſt voco, quia tunc vocabat præco populos ad nundinas, & totiens dicebat kalo, quot erant dies vſque ad nonas. Vnde pluraliter dicitur kalendæ à pluribus vocationibus. Vel Kalendæ à Kalo quod eſt bonum, quia ad bonum omen per totum menſem habendum, mittebant ſibi tunc Romanæ encenia. Quintus vel ſeptimus dies dicitur nonæ, quaſi nundinæ, quia tunc inchoabant publicæ conuentiones vel mercimonia. Vel à nouem, quia dies illæ nonus eſt ante idus in quolibet menſe. Vel à non, quia nullius diei feſtum tunc erat. *Vnde Ouidius.* Nonarum tutela Deo caret. Ideo autem in aliquo menſe quintus, & in aliquo ſeptimus inchoat nundinas. Vel quia in Kal. quorundam menſium duplex erat feſtum. Vnde Romani per duos, vel per tres dies ſolemnizantes non poterant ſtatim ire ad nundinas. Et ideo in his oportet remotiores eſſe nonas à kalend. quam in aliis menſibus. Vel ne prædones haberent certum tẽpus quo poſſent mercatoribus inſidiari. Quartuſdecimus,

Kalẽdæ vnde dicuntur.

Nonæ.

Idus.

cimus, vel quindecimus dicitur idus, quaſi diuiſio, iduo enim eſt idē quod diuido. Inde vidua quaſi viro iduata. Omnes autem dies qui ſunt inter Kalendas, & nonas vocantur nominibus ordinalibus ſiue numeralibus cū hac adiectione nonas verbi gratia. Secundus dies Ianuarij dicitur 4. nonas Ianuarij. Intelligitur cū ſuppletione 4. ſcilicet die ante nonas Ianuarij. Sequēs illum dicitur 3. nonas. Poſtea pridie nonas. Non enim dicendum eſt ſecundo nonas, quia ſecundus dicitur à ſequendo. Dies autē ille non ſequitur nonas, ſed præcedit, & eſt idem pridie nonas, quod priori die ante nonas. Omnes vero qui ſunt inter nonas & idus nominantur ab idibus ſimili modo. Et quæ ab idibus vſque ad finem menſis nominantur à kal. ſequentis mēſis. Quot autem dies nominatos à nonis, quot ab idibus, & kal. quilibet menſis habeat ſcitur his verſibus.

Cur non dicitur ſecundo nonas.

Carmina pro Nonis & idibus.

Sex nonas Maius, October, Iulius, & Mars,
Quatuor ac reliqui, tenet idus qualibet octo,
Ianus, & Auguſtus necnon menſis duodenus,
Denas, & nonas dicuntur habere Kalendas.
Iulius, October, Maius, Mars epta decemq;
Iunius, Aprilis, September nec ne Nouember,
Ter denas retinent Februusque bis octo kalendas,
Cui ſi biſextus fuerit ſuperaddſitur vnus.

De Diebus Ægyptiacis, & canicularibus.

CAP. LXXXIII.

Dies Ægyptiaci continentur his verſibus.

IN quolibet menſe ſunt duo dies, qui dicuntur Ægyptiaci, quorum vnus eſt à principio menſis, alter à fine. Quotus autem ſit à principio, & quotus à fine ſcitur his verſibus.

Argue diſcerneus ad lucem coge loquelas,
Ollas Abbatum cole callibus excute galtum,

Horū doctrina talis eſt: duodecim dictiones ſunt hic duodecim menſibus ſeruientes. Prima Ianuario, & ſic per ordinem. Quota eſt ergo littera dictionis in alphabeto, totus dies à principio menſis cui deſeruit illa dictio, eſt Ægyptiacus. Verbi gratia. Argue deſeruit Ianuario. Vnde cum a ſit prima littera in alphabeto, primus dies illius eſt Ægyptiacus. Item quota fuerit prima littera ſecundæ ſyllabæ in alphabeto totus dies à fine illius menſis eſt Ægyptiacus, G, autē prima littera ſecundæ ſyllabæ eſt ſeptima in alphabeto, vnde ſeptimus dies à fine Ianuarij eſt Ægyptiacus, & ſic de alijs. Sed notandum quod hæc dictio ad, quæ eſt monoſyllaba, primam litteram primo diei Ægyptiaco Martij attribuit, ſecundam ſecundo. Dicuntur autem dies Ægyptiaci, vt quidam volunt, quia in his flagellauit Dominus Ægyptum. Quamuis enim tantū decem plagæ principales legantur, multæ tamen ſecundariæ feruntur. Secundum autem alios dicuntur Ægyptiaci, quia Ægyptij aſtrorum periti inuenerūt dies malæ conſtellationis, quibus periculoſum dicebant eſſe minuere, vel potionem ſumere. Alij ecōtra, quod inuenerunt eos bene conſtellatos. Et ideo notauerūt, vt opera talia potius fierent his diebus quāaliis. Alii dicūt qnod Ægyptii ſanguinem ſuum his diebus fundebant dæmonibus, quorum errorem ne ſequatur Eccleſia, cauet ab omnibus talibus. Hos tamen dies in Kalendariis denotat, non quia credat in his potius aliquid incipiendum eſſe vel deſinendum quàm in aliis, ſed propter commemorationem diei. Item ſunt quidam dies caniculares in quibuſdam menſibus, de quibus ſupra iam dictum eſt, qui quando incipiant, & quando finiantur ſcitur his verſibus.

Cur ita vocentur? ſub iudice lis eſt.

Verſus pro diebus caniculatibus.

Incipiunt Iulii pridie idus caniculares.
Septembris pridie nonarum fine reſultant,

Dicuntur autem caniculares à canicula quadam ſtella ſita in fronte leonis, prope quam eſt ſol in illis diebus. Sunt autem in vniuerſo 52. in quibus propter tempotis crudelitatem, ideſt caloris intemperiem malum eſt minuere vel potionari.

De annis, & primo de ſolari.

CAP. LXXXIV.

Annus quid?

ISidorus. *Annus eſt ſolis amfractus*, cum peractis 365. diebus ad eadem loca ſyderū redit. Sic dictus quia menſibus in ſe recurrentibus voluitur; Vnde apud Ægyptios ante inuentas litteras indicabatur picto dracone caudam ſuam mordente, quia in ſe currit. Alii annum dicunt ab ἀεὶ καινίζειν ideſt ab innouatione, quia ſemper renouatur. *Ex lib. de nat. re.* Annus eſt initium motus ſolis ex quibuſdam locis circuli dum abſcindit duodecim ſigna, & reuertitur ad locum in quo erat. Eſtq; quadripartitus ſecundū naturam quatuor elementorum. Eſt enim ver calidū, & humidum ſecundum naturam aeris. Æſtas calida, & ſicca ſecundum naturam ignis. Autumnus frigidus, & ſiccus ſecundum naturam terræ. Hyems frigida, & humida ſecundum naturam aquæ. *Ex computo.* Eſt autem annus ſolaris, & lunaris. *Annus ſolaris* eſt ſpatiū quo circuit ſol totum zodiacum minus ſex horarum itinere. Vel plus 18, ſi ſit biſſextus, & dicitur ab am quod eſt circū, & eo, is. Habet autem diuerſa initia ſecundum diuerſos. Arabes, & Ægyptii à Septembre incipiunt, quia in creatione mundi leguntur arbores fructum habuiſſe. Numa vero & Romani à Ianuario, quia tunc incipit ſol nobis appropiare vel paulo ante. Iudæi à Martio, quia mundus in eo factus eſt. Hos omnes in aliquo imitantur computiſtæ, quia à Septembre incipiunt regulares lunares, & epactas, & omnes annos lunares, A Ianuario vero aureum numerum, & quaſdam litteras Dominicales, A Martio quoq; regulares ſolares, & concurrentes & quaſdam litteras Dominicales. In anno ſolari ſunt 52. ſeptimanæ & vnus dies, vel duo, ſi ſit biſſextus: propter illum diem variantur ſingulis annis initia menſium, & littera Dominicalis, & ſi biſſextus ſit, duplex erit variatio, ſecunda in feſto Sancti Mathiæ. *Vt ergo ſcire poſſent computiſtæ qua feria quolibet anno quilibet menſis inciperet, inuenerunt duos numeros. Vnum innariabilem, qui vocatur regularis ferialis. Alium variabilem, qui dicitur concurrens.* Primo de regulari dicendum.

Annus quadripartitus.

Annus ſolaris.

Initia anni.

Septimanæ.

Nota.

De regulari ſolari.

CAP. LXXXV.

EST autem regularis ſolaris numerus quidam oſtendens qua feria quilibet menſis incæperit primo anno ſeculi, vel incipere debuerit. Quod dicitur pro Martio, quia in primo anno non habuit initium, niſi poſt alios menſes omnes. Legitur, enim mundus factus fuiſſe in Martio die qui dicitur. 15. Kalen. Aprilis, vel octauo Kalēdas, vt alii volunt. Si ergo computes retrogradè per dies ſeptimanæ vſq; ad Kalendas Martii, inuenies quod 5. feria incæpiſſet Martius, ſi mundus ante fuiſſet factus. Et hæc eſt cauſa quare Martius 5. habet pro regulari: dicitur autem regularis, quia inuariabilis & immutabilis eſt ſicut regula. Nam quolibet anno idem ſunt regulares menſium. Dicitur autem ſolaris ferialis, quia iunctus concurrenti facit inueniri qua feria quilibet menſis incipiat quolibet anno ſolari. Oritur ergo regularis in Martio, & oritur ex quinario, in quo Martius incæpiſſet primo anno ſeculi, ſi mūdus ante fuiſſet. Incępiſſet enim quinta feria. Habito autem regulari Martii, qui primus eſt, de facili habentur regulares aliorum menſium hoc modo, vide quot dies habet Martius ſupra 28, inuenies tres, quos iunge quinario, qui eſt eius regularis, & ſi creſcit numerus vltra 7. reſiduum eſt regularis menſis ſequentis. Cum enim in prædicta coniunctione creſcant octo, abiectis ſeptem, reſiduum, vnitas, erit regularis Aprilis. Item Aprilis habet duos dies ſupra 28. Adde ergo binarium regulari ſuo, qui eſt vnitas, & creſcit ternarius, qui eſt regularis

Mundus quo die factus.

Ex regulari Martij pendent aliorum menſium regulares.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Maij. Et ſic ſemper per coniunctionem regularis & dierum quos habet menſis pręcedens ſuper 28 excreſcet regularis ſequentis menſis, & ſemper abijcientur ſeptem quando numerus excreſcit vltra ſeptem, & reſiduum erit regularis ſequentis menſis. Quem autem numerum quilibet menſis pro regulari habeat ſcitur his verſibus.

Carmina pro regularibus ſcienáis.

Eſt aſtris clara fulgentibus ara Deorum,
Grata bonis extat gratiſſima cuiq; fideli,

Hæ ſunt duodecim dictiones. Prima deſeruit Martio, & ſic per ordiné Vide ergo quota ſit littera prima dictionis in alphabeto, & totum numerum habebit pro regulari méſis, cui deſeruit dictio; & quotum numerũ pro regulari, tota feria incæpit in primo anno ſeculi.

De concurrente.

CAP. LXXXVI.

Concurrens. COncurrens eſt quidam numerus oſtendens quot ferijs diſtent initia menſium ab initiis quæ habuerunt in primo anno ſæculi. Quotus enim aliquo anno fuerit concurrens, tot annis diſtant menſes ab initiis, verbi gratia hoc anno ſex eſt concurrens. Monſtrat ergo quod menſis qui in primo anno ſæculi incepit à prima feria, hoc anno incipit à ſabbato, Sabbatum enim per ſex diſtat à prima feria, & qui tunc incepit à prima feria, modo incipit à die dominica, & ſic de aliis. *Ratio nominis.* Dicitur autẽ concurrens, quia ſibi inuicem cõcurrit, ſicut videbitur in formatione. Vel etiã ideo, quia cum regularibus currit, vt monſtret initialem feriam menſium ſingulis annis. Oritur autem concurrens ab exceſſu illo qui eſt in anno ſolari ſupra integras ſeptimanas, qui quandoque eſt vnus dies, quandoque duo. Primo ergo anno cycli ſolaris qui eſt, biſſextilis eſt vnitas concurrens, quæ ſcilicet vnitas coniungitur diei, quæ eſt in anno ſecundo vltra integras ſeptimanas, & fit binarius, qui eſt concurrens tertii anni, & quaternarius quarti. In quinto qui eſt biſſextilis, additur binarius, quia tunc duo dies ſuperſunt ſeptimanis integris, & ſic excreſcet ſenarius, qui eſt concurrens anni quinti, & ſic procede ad 28. annos, addendo ſemper vnum. In biſſexto vero duas concurrenti præcedentis anni, & quod excreſcit erit concurrens ſequentis anni, niſi ſumma tranſeat ſeptenarium. Quod ſi acciderit eo relicto reſiduum eſt concurrens, & inuenies quod in 29. anno erit iterum vnitas concurrens cum biſſexto, vnde iterum redit ad principium. In 28. enim annis circularis fit hæc formatio, quia nunquam citra tot annos cadit biſſextus ſupra quemlibet ſeptem concurrentium. Concurrens autem ideo nõ excreſcit ſupra quia non ſunt niſi ſeptẽ feriæ. *Nota.* Nota quod quando ſeptem eſt concurrens, illo anno habent menſes eadem principia quæ in primo anno ſęculi habuerunt. Quælibet autem feria diſtat à ſemetipſa per ſeptem. Poſſunt autem ſciri formationes concurrentium per 28. iuncturas in quatuor digitis manus ſiniſtrę excluſo pollice, quia 28 loca notantur in eis iuncturis extrinſecus & intrinſecus & in ſummitatibus. *Motus ſciendi concurrentes.* Pone ergo vnitatem concurrentem cum biſſexto in radice indicis interius. In radice medii binarium, medici ternarium, auricularis quaternarium, & tunc rediens ad mediam iunctura indicis dices ſextus cum biſſexto. ſemper enim rediens ad indicem addes binarium. Nam illi ſeptem biſſexti qui ſunt in cyclo concurrentium cadunt in indice, & ſic procede vſque ad radicem auricularis exterius abiiciendo ſemper ſeptem dum numerus tranſcenderit, & inuenies, quod ſex eſt concurrens vltimo anno in radice auricularis exterius, & tunc rediens ad radicem indicis interius duo addes. Cumque ſic excreſcat octauus, relicto ſeptenario, vnitas, quæ remanet eſt concurrens cum biſſexto, vnde iterum ille eſt annus primus.

De Littera dominicali.

CAP. LXXXVII.

Ordo litterarum Dominicalium. SIcut autẽ in his 28 annis variantur cõcurrentes, & ſic & litteræ dominicales. Primo enim anno f. eſt littera dominicalis, ſecũdo e. tertio d. quarto c. quinto propter biſſextum trãſlitur b. & a. eſt littera dominicalis. Sicque ſemper retrogradando in locis indicis tranſilies vnam litteram tenendo ſequentem, & inuenies in radice auricularis exterius a. & tunc rediens ad radicẽ indicis tranſiliens g. & tenebis f. ſicut in primo anno, & inuenies in his 28. annis biſſextum cecidiſſe ſupra quamlibet litteram dominicalem. Iſti 28. anni dicuntur cyclus ſolaris. *Cyclus ſolaris.* Poſſunt autem concurrentes & litteræ dominicales, quæ per cyclum iſtum ordinantur ſciri his verſibus.

B *Fert ea dux cor amat gens factor eum coluit bis.*
Ars gens eſt de corde bono gignit ferus enſis.
Dicta beant aqua gens fors dat cunctis bonus actor.

Hic ſunt 28. dictiones 28. annis ſeruientes. Prima primo & ſic per ordinem. Semper enim prima littera dictionis eſt dominicalis illius anni cui deſeruit dictio, & ſic dictio deſinat in t, biſſextilis. Scita littera dominicali de facili potuerint haberi concurrentes. Semper enim dum f eſt littera dominicalis, vnitas eſt concurrens, dum e binarius, & ſic ordine retrogrado vſque ad g cum qua eſt ſeptenarius. Vnde verſus.

A ſex b. quinque c quatuor e. duo d. tres.

Primus concurrens f. littera 7. eſt g. Item concurrens ſciri poteſt his verſibus.

In quocunque die celebrantur feſta Mathiæ.
In tali numero concurrens ſeruiet anno.

C Vel aliter. Concurrens totus eſt f. quota Martis erit i. quotam feriam f. repreſẽtat in Martio totus numerus eſt concurrens. Quia vero multa eſt vtilitas in tribus verſibus dominicalibus pręcedentibus ſi ſciatur inueniri dictio. Ad hanc inueniendũ oportet ſcire quotus ſit annus in cyclo ſolari. Ad quod ſciendũ addendus eſt nouenarius numero annorum Domini, quia natus eſt Dominus in anno 10. cycli ſolaris. Ideo nouenarius qui prætierit eſt addendus, & ſumma tota eſt diuidenda, per 28. & quod reſiduum fuerit, demonſtrabit quotus ſit annus cycli ſolaris. Si enim vnitas remanſerit primus eſt, ſi binarius ſecundus, & ita de aliis. Si autem ſuper 28. nil remanſerit, vltimus eſt annus. Sed quoniam hoc ſine algoriſmo difficilè eſt inueniri abiiciendi ſunt de annis Domini 1204. Illi enim diſſimiles ſunt in 8 40. ter. Reſiduo addatur 9. & ſi ſumma vltra 28. creuerit, abiiciantur illi quotiens potuerint, & reſiduum monſtrabit annum. Si nihil remanet vltimus eſt annus. Vnde verſus. *Nota pro praxi pradicti carminis.*

D *Defere Chriſti mille ducentos quatuor annos,*
Adde nouem reliquis aufer tunc octo viginti,
Quot poteris vicibus, remanens tibi ſit quotus annus
Solaris monſtrat, Si nil remanet vltimus extat.

Denique ſi vis ſcire de aliquo menſe à qua feria incipiat, ſume regulare eius & iunge concurrenti anni, & ſi ſumma fuerit citra 7 quotus erit numerus, tota feria ille menſis inciptet, ſi ſupra 7. abiiciantur 7. & reſiduum idem oſtender.

De Biſſexto.

CAP. LXXXVIII.

E *Biſſextus* eſt dies quidam collectus in quatuor annis & ſex horis ſingulorum quatuor quibus Sol moratur in zodiaco ſuper integros dies. Dicitur autem biſſextus, quaſi à biſſe momentorum collectus. Nam Sol moratur in quolibet ſignorum zodiaci 30. diebus & 30. trientibus horæ & 30. biſſe momenti. Ex duodecies 30. diebus colliguntur tricenti & 60. dies ex 30. trientibus horæ colliguntur 10 horæ in quolibet menſe. Duodecies autem decem horæ faciunt 100. & 20. horas, quæ conſtituunt quin- *Biſſextus quidit*

que

que dies ex 30. biſſe momenti fiunt viginti momenta ideſt dimidia hora, duodecim autem dimidiæ horæ ſunt ſex integræ, ex his quarto anno conſtituitur vnus dies qui dicitur biſſextos, à quo & annus dicitur biſſextilis. Collocatur autem in Februario dies ille, quia menſis ille vltimus eſt in anno ſolari, qui dicitur incipere à Martio, & ponitur 7. Kalendas Martii. Vnde verſus.

Cur in Februario collocatur biſſextus.

Biſſextum Martis ſeptenis pone Kalendis.
Poſteriore die celebrantur feſta Mathiæ.

Scilicet 7. Kalend. Martij. Cur autem non ponitur potius vltimo die Februarij cum in fine anni colligatur, cauſam require in computo. Si autem biſſextus omitteretur, tantum accideret inconueniens, quod initium anni vſualis, quod eſſe ſemper debet in Ianuario, circumiret omnes menſes anni iam in quarto anno inciperet annus, vltimo die Decembris. In 7. penultimo. Et ita in 134. annus inciperet annus in Kalend. Decembris, & eodem modo retrocedendo tranſit & omnes menſes anni in 1460. annis. Si autem vis inuenire vtrum annus ſit biſſextilis, diuide annos domini in quatuor partes æquales, quod ſi potes, annus præſens eſt biſſextilis, ſin autem, non. Vnde verſus.

Neceſſitas biſſexti.

Ad ſciẽdum biſſextum.

In quatuor partes Domini ſi diuidis annos.
Nilq; ſuperfuerit, crede biſſextus erit.

De Anno lunari.

CAP. LXXXIX.

Annus lunaris quadrupliciter ſumitur.

ANnus lunaris quadruplex dicitur. Primo modo ſpacium quo Luna circumit zodiacum, continens viginti ſeptem dies & octo horas, Secũdo modo ſpacium quod eſt de vno nouilunio ad aliud, & eſt idẽ quod lunatio continens vigintinouem dies & dimidium. Cum enim Luna poſt coitũ cum Sole receſſit, & circumit ſuum circulum, cum ad primum punctum redierit, non iuuenit ſolem vbi reliquerat. Sol enim illis 27. diebus iam fere vnum ſignum tranſierat, vnde cum non poſſit eſſe nouilunium niſi poſt Solis & Lunæ coitum, Luna ad hæc ſequitur Solem & conſequitur eum duobus diebus & quatuor horis, ita vt iterum ſit in coitu, tunc ſtatim præcedens incipit illuminari in parte inferiori, & fit nouilunium. Ad quod intelligendum ſciendum, quod ſemper medietas Lunæ illuminatur à Sole, niſi ſit eclipſis Lunę, quæ medietas quandoque ſuperior eſt, quandoque inferior, quandoq; partim ſic, partim aliter. Nouilunium igitur eſt quando poſt coitum Solis & Lunæ in quo tota ſuperior medietas illuminatur à Sole, Luna præcedens Solem incipit illuminari ab eo in inferiori parte, & poſt apparere in occidente poſt occaſum Solis, & ita magis ac magis recedens a Sole, ſuſcipit magis ac magis lumen in inferiori parte decreſcente ſecundum eandẽ proportionem Lunæ partis ſuperioris. Et cum Luna magis non poſſit elongari à Sole, quod eſt in directa oppoſitione, & tunc tota medietas inferior illuminatur, & eſt plenilunium. Statimque incipit iterum appropinquare Soli, & quanto magis appropiauerit, tanto magis illuminatur ſuperius decreſcẽte inferiori lumine, donec iterum cũ Sole coeat. Ex his patet quod quælibet lunatio habet 29. dies & dimidium. Sed cõputiſtæ volentes lunationes per dimidios dies diſtinguere, dederunt alii triginta dies, alii 29. & ſic ſemper alternatim. *Omnes ergo mẽſes impares, vt ſunt primus & tertius ſumpto initio à Ianuario habent in lunatione* 30. *dies.* Pares vero vt ſecundus & quartus, & alii habent in lunatione 29. dies. Vnde verſus.

Nota.

Impar Luna pari, par ſit & impare menſe.

Et nota quod lunatio ſemper eſt illius menſis in quo finitur. Vnde verſus.

In quo completur menſi lunatio detur.

Hunc tamen verſum quinque falſificant emboliſmi. Ad ſciendum iſta nouilunia ſingulis menſibus per 19. annos cycli decemnouennalis inuentus eſt quidam numerus à Iulio, vt dicitur, qui propter ſui valorem dicitur aureus, vel quia aureis litteris olim ſcribebatur.

De Aureo numero & anno lunari communi.

CAP. XC.

Aureus numerus.

ESt autem hic numerus ab vnitate ad decemnouẽ aſcendens, cyclo decemnouennali deſeruiens, qui oſtendit Lunam primam ſupra illam litteram cui inſcribitur in Kalendario toto anno cycli decemnouennalis quot vnitates continet ipſe aureus numerus: verbi gratia, primo anno cycli decemnouennalis, vbicunque in kalendar reperitur vnitas in aureo numero, ibi eſt Luna prima ſecundum eccleſiam. In ſecundo anno vbi inuenitur binarius, & ſic vſque ad 19. à quo numero reditur ad vnitatẽ. Formatur autem hoc modo habito vno aureo numero, ſuperadde 8. & coniunctum erit ſequens aureus numerus, niſi ſumma excedat decemnouem. *Tunc enim 19. relictis, reſiduum erit aureus numerus.* Aliter vide ſi *aureus numerus ſit minor* 12. *Si ſic, adde* 8. & coniunctum eſt aureus numerus ſequens. Si vero fuerit 12. vel maior aufer 11. & reſiduum erit ſequens aureus numerus. Ponendus eſt autem duplex aureus numerus in Februario, alioquin accideret duplex inconueniẽs, quia in anno biſſextili lunatio Februarii tantum habebit 29. dies cum in illo anno ſemper debeat habere 30. Et etiam quod lunatio Martii habebit 31. quantum nulla lunatio debeat habere.

Modus inueniendi eum.

Alius.

Nouilunia eccleſiæ diſcrepant à veris.

Quæritur ergo quare nouilunia eccleſiæ diſcordẽt à veris nouiluniis, dicit enim eccleſia ſępe Lunam eſſe primam, cum ſit tertia. Ad rudes ſit hęc ſolutio, quod Adam tertio die poſt Lunam factus, dum primo vidit eam dixit eam eſſe primam, cuius & nos eius filii ſequimur auctoritatem. Ad prædicta vtile eſt ſcire inuenire ſingulis annis quotus ſit annus in cyclo decemnouennali, quia hoc ſcito ſcitur aureus numerus. Vt ergo hoc ſcias adde annis domini vnitatem, & totam ſummam diuide per 19. & quod reſiduum fuerit mõſtrabit quotus ſit annus. Si vero nihil ſit reſiduũ, vltimus eſt. Quod quia ſine algoriſmo difficile eſt inueniri fiat aliter, ita quod relinquantur de annis domini 1216. Iſti enim ſunt diuiſibiles in 19. 60. quater & reſiduo adde vnũ, quia 2. anno huius cycli natus eſt dominus, & quantum excreuerit monſtrabit quotus ſit annus, donec tranſcendat 19. tunc enim illis abiectis reſiduum oſtendet annum. Vnde verſus.

Deſere Chriſti mille ducentos octo bis annos,
Adde monos reliquis tunc denos atque nouenos.
Abſtrahe ſi poteris, reliquum tibi nunciat annum,
Si nihil eſt reliquum, tunc vltimus annus habetur,

Tertio modo dicitur annus lunaris communis. Et eſt annus lunaris communis ſpacium continens 12. lunationũ. Vnde dicitur communis, quia cõmunicat duodenariũ cum anno ſolari. Sicut enim ille cõſtat ex 12. menſibus, ſic & iſte ex 12. lunationibus, & continet dies. 354. vnde minor eſt anno ſolari 11. diebus, vel 12 ſi ſit annus epactalis, ſiue lunaris. Vltimus enim annus lunaris propter ſaltum Lunę tantum habet 353. dies niſi ſit biſſextus. Et propter exceſſum anni ſolaris ſuper annum lunarem contingit variari ætatem Lunæ ſingulis annis. Ita quod vbi hoc anno eſt prima, futuro anno vt ſæpius erit ibidem 12. Quandoque vero 11. vel tredecima, ſed quia pluries duodecima datur iſte verſus.

Tertia acceptio anni lunaris.

Quarta acceptio.

Quinque dies & ſex adiungit Luna futura.

Et eſt huius verſus talis regula. Quota eſt hodie Luna addas vndecim, & tota erit anno ſequenti, niſi ſumma tranſeat triginta. Quod ſi acciderit, illis relictis reſiduum erit ætas. Habet autem iſte verſus quinque vel ſex inſtantias per duodecim menſes anni. Alicubi enim non adduntur vndecim ad Lunam futuram, ſed tantum 10. & quandoque 12.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Regulari communi.

CAP. XCI.

PRæterea etiam inuenti ſunt duo numeri per quos ætas Lunæ in Kalend. & per conſequens in alijs diebus innoteſcat, quorum vnus eſt inuariabilis, & dicitur regularis. Alter variabilis, & dicitur epacta. Regularis lunaris eſt numerus oſtendens quota ſit Luna in Kalend. menſium, in 1. anno cycli epactalis. Et inchoatur regularis à Septembre, qui habet quinque pro regulari lunari, quia Luna inuenitur quinta in kalend. eius in primo anno cycli epactalis. Ad quod probandum ſciendum eſt, quod cyclus epactalis & cyclus decemnouēnalis eodem annorum numero complentur, vterque enim 19. annos continet, ſed epactalis præcedit decemnouennalem quatuor menſibus. Incipit enim in Septembre, & decemnouennalis in Ianuario. Dum ergo in Septemb. eſt primus annus cycli epactalis, adhuc vſque ad Ianuarium durabit vltimus cycli decemnouennalis. Vnde adhuc 19. currit pro aureo numero vſque ad Ianuarium. Sumatur ergo ille aureus numerus, qui eſt 19. ante Septembrem vbi primo repertus fuerit, & inuenitur ſuper quartam litteram à fine Auguſti, & ita patebit Lunam eſſe quintam illo anno in Kal. Septemb. Et ideo Septemb. 5. habet pro regulari. Ex hoc formantur alij hoc modo. Vide ſi menſis ille cuius regularem habes, habeat plures dies quam ſua lunatio, vel pauciores, vel tot: ſi plures adde hoc quod plus eſt regulari, & coniunctum erit regularis ſequentis menſis. Si pauciores, deme hoc quo lunatio menſem excedit à regulari, & reſiduum, erit regularis menſis ſequentis. Illud autem ſcilicet quod dematur ſolum accidit in Februario, quia ille ſolus pauciores habet dies quam ſua lunatio. Si vero tot habeat menſis quot lunatio, nihil mutabis, ſed idē regularis erit ſequentis menſis verbi gratia. Quinarius eſt regularis Septembris. September vero habet tot dies in menſe, quot in lunatione vtrobique 30. Vnde idem quinarius eſt regularis Octobris, qui ſequitur. October autem habet duos dies ſuper ſuam lunationem, adde ergo binarium, ad regularem ſuum, qui eſt quinarius, & ſeptenarius, excreſcens erit regularis Nouembris, & ſic de alijs menſibus, niſi quod in Februario vnitas qua lunatio excedit menſem ſubtrahitur à ſuo regulari, & reſiduum eſt regularis Martii. Quem vero numerum pro regulari lunari quiuis menſis habeat ſcitur his verſibus.

Aeſtuat, exurit gramen, grauat igne Kalendas,
Igne Kalendarum lucet mihi nominis ordo:

Harū duodecim dictionum prima deſeruit Septembri, & ſic per ordinem. Quota ergo fuerit prima littera dictionis in alphabeto totum numerum habet pro regulari lunari menſis cui deſeruit dictio. Idem ſcitur hoc verſu.

Poſt e, bis g, bis & i, k bis.

Poſt manet ordo alphabeti, ſcilicet l, m, n, o.

Regularis. *Lunaris.* *Alius modus* *Verſus pro regulari lunari cuiuſuis menſis.* *Alius.*

De Epacta, & emboliſmo.

CAP. XCII.

EPacta eſt quidam numerus collectus ex illis 11. diebus quibus annus ſolaris lunarem excedit. Sic dicta ab epi, quod eſt ſupra, & acta, quaſi Epacta ideſt ex illo ſuperfluo anni ſolaris acta. Formantur autem Sic: Primo anno cycli epactalis nulla eſt epacta, quia nullus eum in cyclo præceſſit. Epacta enim cuiuſlibet anni colligitur ex anno vel annis, præcedentibus. In fine ergo primi anni ſuperſunt 11. dies in anno ſolari ſuper lunarem, & illi ſunt epacta ſecundi anni. Iterum in fine ſecundi anni ſuperſunt 11. quibus iunctis ad eiuſdem anni epactam fiunt 22. qui ſunt epacta tertii anni. In cuius fine iterum ſuperſunt 11. quibus coniunctis ad epactam fiunt 33. Triginta ergo faciunt vnum emboliſmum ſiue lunationem emboliſmalem, quæ tertio anno colligitur. Ideoque annus ille dicitur emboliſmalis, & habet 13. lunationes, ſcilicet ſuas 12. ſicut & alii, & iſtam ſuperadditam. Ternarius autem qui remanet eſt epacta quarti anni, in cuius fine iterum addūtur 11. & fiunt 14. qui ſunt epacta quinti anni, in quo iterū adde 11. & hunt 25. quæ ſunt epacta ſexti anni. In quo iterum 11. & fiunt 36. 30 ergo faciunt *emboliſmum qui datur ſexto anno.* Sex autem quæ remanent ſunt epacta ſeptimi anni, in quo iterum adduntur 11. & fiunt 17. quæ ſunt epacta octaui anni. In quo iterum 11. fiunt 28. quę ſunt epacta noni anni. Tunc quia parum deeſt emboliſmo, ſcilicet binarius qui mutatur ab 11. noni anni, & fit emboliſmus qui datur 8. anno. Nouenarius autem remanes in fine noni anni eſt epacta decimi anni, & ſic ſemper addendo 11. inuenies emboliſmum in anno vndecimo, & in 14. & in 17. & in 18. eſſe epactam vltimi anni ſcilicet decemnouem. In cuius fine adduntur 12. propter ſaltum Lunæ, tunc enim annus ſolaris excedit lunarem 12. diebus Additis ergo 12. ad 18. fiunt præciſè 30. quæ remanentes anno 19. faciunt emboliſmalem. Vnde cum nihil remaneat nulla eſt epacta primi anni ſequentis. Poteſt autem de facili inueniri epacta ſingulis annis ſic. Vide quotta ſit luna 11. Kal. Aprilis, & totus numerus erit epacta. Vnde verſus.

Quæ tenet vndenas Aprilis Luna Kalendas.
Epacta numerum monſtrat per quemlibet annum.

Dicitur autem emboliſmus ab embolon Græcè, quod eſt tranſcendens Latinè, quia ex præfato tranſcenſu colligitur. *Iſid. lib. 6.* Emboliſmi autem & communes anni ſic inueniuntur. Si enim à 14. Luna Paſchæ præcedentis vſque ad 14. ſequentis 384. dies fuerint eſt emboliſmalis annus, ſi 354. communis.

Epacta. *Emboliſmus tertij anni.* *Emboliſmus ſexto anno.* *Emboliſmus 8. anno & 11 14. 17. 19.* *Modus inueniēdi epactam.*

De Saltu Lunæ.

CAP. XCIII.

EX computo. Saltus Lunę eſt quidam dies collectus in 19. annis, & ex eo quod de ſuperfluo datur lunationibus ſubtractus à lunatione Iulii vltimi anno cycli. Tunc vnum diem ſuper quem aliis annis lunatio Iulii dicitur 30. ſubtrahimus, non computantes eam niſi vigeſimam nonam. Vnde ſaltus Lunę facit duas lunationes ſimul eſſe 29. dierum. Ideo autem ſubtrahitur dies iſte à lunatione Iulii, quia Iulius vltimus eſt in anno epactali inter menſes habēres 30. dies in lunatione, & annus quidem epactalis ſecundum menſes ſemper incipit ante Septembrem 4. diebus. Oportet enim omnes alios ibi incipere vbi incipit primus ſecundum menſes, & ſi non ſecundum lunationes: dicitur tamen incipere à Septembre licet incipiat 4. diebus ante. Sicut annus ſolaris dicitur incipere in Martio, & tamen incipit 5. diebus ante à feſto ſcilicet Sancti Mathię. Vide autem quæ ſit epacta anni, & iunge regulari lunari menſis in cuius Kalendis ætatem lunæ quæris, & quantum inde creuerit tota in Kalendis erit Luna, niſi ſumma tranſeat triginta. Quod ſi acciderit, illis relictis reſiduum idem oſtendit. Verum tamen in cyclo epactali in 5. locis fallit hæc coniunctio in tribus annis. Vnde verſus.

Octauo vndecimo poſtremo fallit epacta.

Saltus lunæ.

De Feſtis mobilibus.

CAP. XCIV.

SEquitur de feſtis mobilibus, qui quinque ſunt ſcilicet Septuageſima, Quadrageſima Paſcha, Rogationes, Penthecoſte. Quodlibet iſtorum 35. dies habet in quibus ſemper celebratur. Quod autem illorū celebrandum ſit indicant claues terminorum. Eſt enim clauis terminorum quidam numerus qui debite inchoatus, & finitus indicat feſtū eſſe in proxima Dominica ſequente. Et dicitur clauis per ſimilitudinem quia aperit introitum ad feſtum. Formantur autē cla'-

Feſta mobilia. *Clauis terminorum.*

ues hoc

ues hoc modo. Prima clauis est 26, aqua formantur aliæ sic, Adde 19. & coniunctum erit clauis sequens, nisi excrescant 40. Quod si acciderit 30. residuum erit clauis, & sic formes alias vsque ad vltimum annum scilicet 19. Sunt enim 19. claues 19. annis cycli deseruientes. Cum enim veneris ad vltimum annum, inuenies clauem eius 38. quibus adde 18. & abiectis 30. remanent 26. quæ sunt clauis prima. Sicut enim ad epactam singulis annis adduntur: 11. vltimo autem 12. sic ad clauem singulis annis adduntur 19. vltimo autem 18. De formatione aliarum clauium à prima habentur versus hi.

De formatione clauiũ.

Tu viginsex pro prima colligeclaues,
Vt reliquas formes ter quinque & quatuor addes,
Si quadraginta superat triginta rescindes,
Qui sequitur numerum pones pro claue sequenti.

Alius modus.

Possunt etiam formari in summitatibus quinque digitorũ hoc modo, vide quotus sit annus decemnouennalis, & consume numerum in summitatibus quinque digitorum incipiens à pollice, & si terminatur in pollice adde 25. Si in indice 13. Si in medio. 31. Si in medico. 19. si in articulari 7. & si summa tranfierit ad 40. reiectis 30. residuum est clauis. Vnde versus.

Vigintiquinque, tredecim, triginta, monosque.
Vnde vigin, epta digitis pro clauibus apta.

Vbi autem incipiant claues scitur his versibus.

In Iano prima postremaque Marte secunda
Aprilis prima G, format ternaque clauem.

Omnium enim festorum claues super G, incipiunt. Nam clauis Septuagesimæ sedet super primam G. Ianuarij, Quadragesimæ super vltimam, Paschæ super secũdam G. Martij. Rogationum super primã Aprilis. Penthecostes super tertiam Aprilis. Vna autem clauis anni seruit omnibus festis. Incipe ergo clauem loco suo & computa tot dies quot vnitates habet clauis, & vbi terminatur super illum diem dicitur esse terminus festi, & proxima die Dominica sequenti erit festum.

Fallunt claues.

Fallunt autem claues Septuagesimæ si sit bissextus & claues terminentur in Sabbato, tunc enim vnitas addetur clauí, & Dominica proxima sequẽs erit Septuagesima. Idem accidit de Quadragesima si clauis terminetur ante bissextum vel ipsa die bissexti scilicet super primum F, quod est vigilia Mathiæ habens circa se 7. Kal. Ad Paschа autem & sequentia festa inuenienda nunquam fallunt claues.

De quibusdã versibus ad prædictorum scientiam vtilibus.

Cap. XCV.

Versus de septuagesima.

ITem Septuagesima potest his versibus inueniri.

A festo stella nnmerando perfice lunæ
Quadraginta dies post Septuagesima fiet

scilicet Dominica proxima.

Si cadit in lucem septenam sitque bisextus,
Linque diem primum Domini retinendo secundum.

Quotacunq; enim Luna fuerit in die Epiphaniæ, illi ætati adde tot dies numerando quoad compleas 40. & proxima Dominica sequens erit septuagesima, nisi quadragenarius terminetur in Sabbato, & sit bissextus, tunc enim omissa proxima Dominica sequẽs erit, & est septuagesima. Itẽ de Paschа habentur hi versus.

Versus de Paschа.

Post Martis nonas vbi sit nona Luna requiras,
Quæ postquam fuerit his 7. paschа patebit.

Erit enim proxima sequente Dominica. Item nota alios versus ad multa vtiles.

Versus pro annis emboliſmalibus & cõmunibus & aliis.

Esse grauem nobis bello carnem caueamus,
Bellum sæpe gerens etenim puto deiicit hostem,
Mox anima lucrum inuentes cum religiosis.

His versibus primo possunt sciri anni emboliſmales & communes. Si enim dictio desinit in M, sequens dictio est anni emboliſmalis. Item per eosdem possunt sciri epactæ. Si enim dictio desinat in M, adde 4. ad numerum illum quem prima littera habet in alphabeto & coniunctum erit epacta. Si autem non desinat in M, computa à prima litterra dictionis per alphabetum vsque ad 2. & illi numero adde 14. & coniunctum erit epacta, nisi excrescant 30. illa enim semper abijcienda sunt. Item per eos possunt sciri claues sic. Si dictio desinat in M, computa prima littera dictionis per alphabetum vsque ad 10. & ille numerus erit clauis. Si enim desinit in M, adde 21. ad numerum quem habet prima littera dictionis in alphabeto, & coniunctum erit clauis. Item termini Paschales possunt haberi per eosdem sic. Si dictio desinit in M, terminus Paschæ erit in Martio toto die à fine Martij quota est prima littera dictionis in alphabeto. Si vero non desinit in M, terminus Paschalis est in Aprili toto die à principio Aprilis, quota est prima littera dictionis in alphabeto. Aduentus Domini ante 5. Kalen. Decembris esse non potest, nec post ternas nonas Decembris. Sed quæcunque illarum 7. litterarum quæ ibi includuntur ptæsentabit. Dominica ibi erit Aduentus. Vnde versus.

Aduentum Domini non est celebrare Decembris,
Post ternas nonas nec quinas ante Kalendas.

Item aliter, de eodem.

Andreæ festo vicinior ordine quouis.
Aduentum Domini prima colit feria:

hoc est dominica vicinior festo B. Andreęæ, siue ante, siue retro, siue ipsa die festi erit Aduentus Domini.

Cur in celebratione paschæ obseruamus numerum lunarẽ.

Cap. XCVI.

Cur paschа non redit in eundẽ diem.

Augustinus ad Ioui. 2. Potest autem quæri cur anniuersarius dies passionis Domini celebrandæ non ad eandem diem redeat, sicut & dies natiuitatis. Quia nimirum dies Natalis non in sacramento, sed tantum in memoriam, reuocare quod natus sit, celebratur. ideo tantum diem anni reuolutũ quo ipsa res acta fuit, festa deuotione significari oportet. Sic autẽ agimus Paschа, vt non solum, quod gestum est, videlicet quod mortuus est Christus & resurrexit, in memoriam reuocemus, sed etiam cætera quæ circa ea testantur ad sacramenti significationem conuertere non ommittamus. *Transitus quidem de morte ad vitam in Domini passione, & resurrectione significatus est.* Nam etiam Paschа non à pathein, quod Græcè pati dicitur sumptum est, sed Hebraicum est, & interpretatur transitus: hic transitus nunc à nobis agitur in fide & spe. Vnde, si conresurrexistis cum Christo, &c. tandem peragetur in nostra resurrectione. Vnde sequitur. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Et iterum. Cum Christus apparuerit, tunc & vos apparebitis* cum illo in gloria. Propter hoc ergo initium nouæ vitæ, quod in fide agimus induentes nouum hominem, quem iubemur induere, & exuere veterem. Cum dicitur. *Expurgantes vetus fermentum, vt sitis noua conspersio: quoniam paschа nostrum immolatus est Christus.* Primus mensis celebrationi Paschæ attribuitur, qui etiam dicitur mensis nouorum, & quia vero nunc in toto tempore seculi tempus tertium apparuerat. Primum enim fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. In quo iam manifestatio sacramẽti prius occulti apparuit. Septenarius etiam numerus qui solet in scripturis ad perfectionem mysticus apparere. Tertia hebdomada Lunæ Paschа celebratur, ideſt die occurrit à xiiij. vsque ad xxj. Est etiam ibi aliud sacramentum. Natalium rerum studiosi ex ipsis cornibus Lunæ, quæ à Sole auersa sunt, siue crescentis, siue decrescentis coniecerunt eam à Sole illustrari, & quanto magis ab eo recedit, tanto magis ab ea parte, quæ terris apparet radios eius excipere. Et quanto magis ad eum post dimidium mensem ex alio semicirculo propinquat, tanto magis à parte superiori quam terris auertit non posse radios excipere, & ideo videri decrescere. Vel si habet lumen suum: illud habet ex vna parte in hemisphærio: quam partem recedens à Sole paulatim terris

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

oſtendit, donec totã oſtendens quaſi augmenta monſtret, dum nõ addatur quod deerat, ſed perdatur quod inerat. Ac rurſum paulatim abſcõdere quod patebat, & ideo videri decreſcere. Sed quodhbet horum duorum ſit, illud manifeſtum eſt, quia Luna non augetur ad oculos noſtros niſi à Sole recedendo, neque minuitur niſi ad Solem ex alia parte propinquando. Attende ergo quod in prouerbijs legitur: *Sapiens vt ſol permanet, ſtultus autem vt Luna mutatur.* Et quis eſt ſapiens niſi ille Sol iuſtitiæ, de quo dicitur. *Ortus eſt mihi Sol iuſtitiæ*, & quis ſtultus niſi Adam in quo omnes peccauerunt. Anima itaque humana recedẽs à Sole iuſtitiæ, ſcilicet interna contemplatione incõmutabilis veritatis, omnes vires ſuas in terrena cõuertit, & eo magis & magis obſcuratur in interioribus & ſuperioribus ſuis. Sed cum redire cæperit ad illam incommutabilem ſapientiam, quãto magis ei appropinquat affectu pietatis, tanto magis renouatur de die in diem. Omniſque illa lux ingenij quæ ad inferiora vrgebat, ad ſuperiora conuertitur, & terrenis quodammodo aufertur, vt magis magiſque huic ſeculo moriatur, & vita eius abſcondatur cum Chriſto in Deo. Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens, in vita ſua, proijciens intima ſua. Et hoc certè in eis qui terrena ſapiunt, melius videtur, cum laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ. Mutatur autem in melius cum intentionem & gloriam ſuam à terrenis, quæ in hoc ſeculo apparent paulatim auertit, & ad ſuperiora & interiora cõuertit, & hoc certè in eis qui terrena ſapiunt deterius videtur. Vnde dicturi ſunt: *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum*, &c. Non ſolum ergo propter tempus tertium quod ſupra commemoraui, quia inde incipit hebdomada tertia, ſed etiam propter ipſam tertiam conuerſionem ab exterioribus ad interiora à xiiij. Luna tranſitus huius de Luna ſimilitudo aſſumitur ab alia vita in aliam, qui Paſcha nominatur, voluit Spiritus ſanctus obſeruari vſque ad xxj. verum propter numerum ſeptenarium, quo perfectio vniuerſitatis ſæpe figuratur, qui etiam ipſi Eccleſię attribuitur propter inſtar vniuerſitatis. Vnde Ioan. in Apocal. ſcribit 7. Eccleſijs. Eccleſia vero dũ adhuc in iſta mortalitate conſtituta eſt, propter ipſam mutabilitatẽ Luna in ſcripturis appellatur. Vnde: *Parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcura Luna rectos corde.* Et orietur in diebus eius iuſtitia, & abundãtia pacis, &c. Sed & Iudęi in Paſchæ celebratione hęc eadẽ obſeruãt, ſcilicet menſem nouorum & Lunam à xiiij. vſque ad xxj.

Luna Symbolum ſtulti.

Eccleſia in ſtatu mutabili Luna appellatur.

De Sabbati circa idem obſeruatione.

CAPVT XCVII.

CVr ergo præter Iudæos hoc etiam obſeruamus vt Sabbatum occurrat. Quia illud eorum Paſcha quo paſſus eſt Dominus occurrit, vt inter mortem eius & reſurrectionem medius eſſet dies Sabbati. Ideo eundem diem addendũ patres noſtri cenſuerunt, vt & noſtra feſtiuitas diſtingueretur, & quod non fruſtra factum eſt ab illo, qui opportunam ſacramento, quod commẽdare inſtituerat horam expectabat, cum diceret, nondum venit hora mea, ſed vt in anniuerſaria paſſionis eius celebratione à poſteris ſeruaretur. Attende ergo ſacratiſſimum triduum crucifixi ſepulti ſuſcitati. Horum trium quod ſignat crux in præſenti agimus vita. Quod autem ſepultura & reſurrectio, fide & ſpe gerimus. Nũc ergo dicitur homini. *Tolle crucem tuam & ſequere me.* Cruciatur autem caro, quando mortificantur membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicatio, immũditia, luxuria, auaritia, &c. Vnde & in alio loco. *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt cruci*, &c. Nunc ergo eſt tempus crucis cũ facimus opera bona, ſed adhuc laborioſa, quorum merces eſt requies.

Sepultura & reſurrectio fide & ſpe geritur.

Mẽſura myſtica crucis.

Crucis latitudo eſt hylaritas vel tolerantia, de qua dicitur. Spe gaudentes: in qua figuntur manus, id eſt opera. Longitudo qua totum corpus extenditur, longanimitas. Altitudo, ſpes retributionis. Profunditas ſecretum ſacramentum. Vnde Apoſtolus. Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, &c. Ea vero quæ nondum videmus & tenemus, ſed fide & ſpe gerimus, in alio biduo figurata ſunt. Hæc enim quæ nunc agimus ſunt tanquam claui præceptorum in Dei timore crucifixi. Sũt enim claui præcepta, quibus in Dei timore configimur. Vnde, confige inquit, timore tuo carnes meas. Poſt hanc vitam erit requies, quæ ſignificatur per ſepulturam Domini in Sabbato, nec intertumpetur in reſurrectione, ſed clarificabitur.

Claui ſunt præcepta.

Quadrageſima ſanè ieiuniorum habet auctoritatem, & in veteribus ex ieiunio Moyſi, & Heliæ, & in Euangelio ex ieiunio Domini. Vnde in perſona Moyſi lex apparuit, in perſona Heliæ Prophetiæ accipiuntur, inter quos in mõte Dominus etiam glorioſus apparuit, vt euidentius appareret, quod de illo dicit Apoſtolus, Teſtimonium habens à lege & prophetis. In qua ergo parte congruentius obſeruatio Quadrageſimæ conſtituetur, niſi cum finis atque contigua dominicæ paſſioni ſit, quia in eo ſignificatur hæc vita laborioſa, cui opus eſt continentia ſiue ieiunio à mundi amicitia, quæ vtique fallaciter blandiri, & illecebrarum ſucos circumſpergere atque iactare non ceſſat. Numero autem quadragenario vitam iſtam propterea figurari arbitror, quia denarius in quo eſt perfectio beatitudinis noſtræ, ſicut in octonario, quia redit ad primum: ita in hoc, quia creatura quæ ſeptenario figuratur, adhæret creatori, in quo declaratur vnitas Trinitatis per vniuerſum mundum temporaliter annuncianda, qui mundus quatuor ventis delimatur, & quatuor elementis erigitur, & quatuor anni temporibus variatur, decem autẽ quater in quadraginta conſumitur. Quadragenarius autem partibus ſuis cõputatis, addit ipſum denarium, & fiunt quinquaginta, tanquam merces laboris & continentiæ.

Authoritas ieiunij quadrageſimalis.

Nec fruſtra Dominus poſt reſurrectionem quadraginta dies cum diſcipulis in hac terra, & in hac vita cõuerſatus eſt, & poſtquam aſcendit in cœlum, decẽ diebus interpoſitis promiſſum miſit Spiritum ſanctum, completo die Pentecoſtes, qui dies quinquagenarius habet alterum ſacramentum, quia ſepties ſeptem quadraginta nouem fiunt. Et cum reditur ad initiũ, quod eſt octauus, qui & primus dies quinquaginta cõplentur, qui celebrantur poſt Domini reſurrectionem, tamen in ſignum, vel figuram non laboris, ſed quietis & lætitiæ, propter hoc ieiunia relaxantur, & ſtantes adoramus, quod eſt ſignum reſurrectionis. Vnde in omnibus diebus dominicis id ad altare obſeruatur, & *alleluia canitur*, quod ſignat actionem noſtram futuram non eſſe, niſi laudare Dominum. Sicut ſcriptum eſt. *Beati qui habitant in Domo tua Domine: in ſæcula ſæculorũ laudabunt te.* Qui etiam dies quinquageſimus non tantum Euangelio cõmendatur, quia tunc temporis Spirituſſanctus aduenit, ſed etiam in Exodo. Nam ab immolatione agni quinquaginta dies numerantur vſque ad diem quo lex data eſt ſcripta digito Dei, qui ſignat Spiritum ſanctum. Vnde vbi vnus Euangeliſta dicit. *Si in digito Dei eijcio dæmonia*, alius dicit. *In Spiritu Dei.* Et Magi in tertio ſigno deficientes, & ſcientes ſibi aduerſum eſſe Spiritum ſanctum, dicunt: *Digitus Dei eſt hic.* Sicut enim conciliatus & placatus Spirituſſanctus requiem præſtat mitibus & humilibus, ita contrarius & aduerſus immites & ſuperbos inquietudine exagitat, quam inquietudinem muſcę illę breuiſſimæ ſignauerunt, ſub quibus magi Pharaonis defecerunt dicẽtes. *Digitus Dei*, &c. Contrarius eſt autem Spirituſſanctus omnibus ſua quærentibus, & per hoc iugum aſperum & ſarcinam grauem portantibus, nec inuenientibus requiem animabus ſuis, quia charitas non quærit quę ſunt ſua. Vocantur autem omnes ad illam requiem alterius vitæ, quo ab iſta trãſitur. Quod paſcha ſignat, in nomine Patris, & Filij, & Spirituſſancti. Ideo quinquagenarius numerus ter multiplicatus addito ad

My ſterium Pentecoſtes.

Cantus alleluia.

Paſcha ſignificatio.

eminentiam sacramenti ipso ternario, in illis magnis piscibus inuenitur, quos Dominus iam post resurrectionem nouam vitam demonstrans, à dextera parte leuare imperauit.

De cyclis annalibus.

CAPVT XCVIII.

Cyclus. EX *computo*. Sequitur de cyclis. Cyclus est spatium aliquod annorum in se rediens secundum aliquos numeros. Et dicitur cyclus per duplicem syncopam quasi circulus. Sunt autem cycli sex. Vnus *solaris* continens 18. annos incipiens à Martio, ideſt 8. Kalendas Martij in festo Matthiæ, continens concurrentes, & regulares solares, & litteras dominicales, & annos bissextiles, & communes. Secundus est *cyclus decemnouennalis*, constans ex 19. annis, qui inchoatur à Ianuario, continens in se aureum numerum & claues terminorum. Tertius est cyclus lunaris, similiter incipiens à Ianuario & habens annos 19 Incipit autem in tertio anno cycli decēnouennalis. Hūc Romani inuenerunt, vt scirent, qua hora luna à sole accenderetur. Sed quia hæc inuentio processu temporis falsificata est, nihil operamur secundum istum cyclum. Quartus *est cyclus epactalis*, incipiens à Septembre, ideſt 5. Kalendas Septembris, habens similiter 19. annos continens in se regulares lunares, & epactas, & annos communes, & emboliſmales. Quintus est *cyclus magnus* constans ex quingentis 32. annis, secundum quem formatur tabula Dionysij. Sextus est *cyclus indictionalis* constans ex 15. annis, & cōtinens Indictiones. Vnde videndum est, quid sit Indictio.

Cycli seu.

De indictionibus, & lustris, & Olympiadibus, & Iubilæis.

CAPVT XCIX.

Quinquennium indictum à Romanis pro tributo pendendo. OLim Romani toti ferè mundo imperantes instituerunt tributa sibi dari ab vniuersis prouincijs. Sed quia difficile erat singulis annis Romam venire à remotis partibus, statuerunt, quod saltem singulis quinquennijs venirent indicentes, vt in primo quinquennio afferrent ferrum pro tributo ad arma fabricanda. Secundo quinquennio argentum ad militū stipendia. Tertio vero aurum ad honorem Romanorum exprimendum, & ita semper post aurum quod quindecimo anno ferebatur, circulus fiebat ad primum illorum annorum quinque, quibus completis ferrum ferebatur, & quia Romani sic indixerant, illi anni indictio appellantur, & est indictio æquiuocum ad illos 15. annos, & ad quemlibet illorum. Potest autem sciri quotus sit annus in cyclo indictionis additis

Indictio cur ita vocetur.

A 3. ad annos Domini, & sic diuisa summa per 16. quotus remanet totus est annus. Si nihil, vltimus est. Idem scitur his versibus.

Defere Christi 1205. ter annos.
Tres reliquis iungas, quin de nos inde rescindas,
Quot possis vicibus indictio semper habetur.
Per remanens si nil manet vltimus annus habetur.

Versus ad sciendū annum indictionis.

Lustrum dicebatur quinquennale spatium, quia cēsu in republica peracto venientibus nuncijs prouinciarum cum tributo, cum cereis & alijs pomposis expensis lustrabant ciuitatem. *Isidorus lib.* 5. Olympias apud Græcos constituta est apud Æolidem Græciæ ciuitatem, Æolijs agentibus quinquennale certamen, quatuor medijs annis vacantibus. Ob hoc Æolidum B certaminis tempus Olympiadē vocauerunt quadriennio in vna Olympiade supputato. Iubilęus, Hebraicè dicitur remissionis annus, qui scilicet septenis annorum hebdomadibus, ideſt 49. annis texitur, in quo tubæ clangebantur, & ad omnes reuertebatur antiqua possessio: absoluebantur debita, confirmabantur libertates. Hunc numerum etiam in diebus Pentecostes, & ipsi celebramus post resurrectionem Domini remissa culpa, & totius debiti euacuato chirographo, ab omni nexu liberi aduenientes in nos gratia Spiritus sancti.

Lustrum.

Olympias.

Iubilæus.

C *De sæculis, & ætatibus.*

CAPVT C.

SÆcula vero nationibus, siue generationibus constant, & inde sæcula dicuntur, quia sese sequūtur. Abeuntibus enim alijs, alia succedunt, hoc quidam Iubilæum dicunt, eo quod Hebræus ille qui propter vxorem, & liberos suos amans Dominum suum aure pertusa, seruitio subiugatus seruire iubeatur in sæculum, hoc est vsque ad 50. annum. Aetas dicitur plerūque & pro vno anno, vt in animalibus. Et pro 7. vt in D hominibus. Et etiam pro centum, & pro quouis tempore. Vnde & ætas dicitur tempus quod de multis seculis instruitur. Dicta est autem ætas quasi æuitas, ideſt æui similitudo. Nam æuum est ętas perpetua, cuius nec initium nec extremum scitur, quod Gręci vocant æonas. Et aliquando quidem apud nos pro sæculo. Aliquando autem ponitur pro æterno, vnde & apud Latinos est deriuatum. Ætas autem propriè duobus modis dicitur: aut enim dicitur ætas hominis, sicut infantia, iuuentus, senectus, aut mundi sicut ille sex, quarū discursus per generationes, & regna inspicitur. *Auctor.* De his sex mundi ætatibus in fine huius operis Deo iuuante breuiter totius mundi temporalem cursum perstringendo, dicere intendimus. Hoc ergo de temporibus ad præsens dictum sufficiat, propter cœli luminaria quæ in signa, & tempora, & dies, & menses, & annos creata fuisse leguntur die quarto. Nunc ad sequentium dierum opera transeamus.

Sæculorum etymon.

Ætas quasi æuitas. Æuum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER DECIMVSSEXTVS.

De opera quintæ dici, id eſt de formatione volatilium, & natatilium.

CAPVT I.



Vinta die ornauit Deus aerem volatilibus, & aquã natatilibus. Horum vtraque ex aquis orta ſunt: facilis enim eſt tranſitus aquę in aera tenuando, & aeris in aquam ſpiſſando. Piſces vocat Moyſes reptilia, quia impetu quodã totos ſe rapiunt vt ſerpẽtes. Nõ ferunturp edibus, vt ferę: his benedixit Deus ſic. *Creſcite & multiplicamini*, &c. Patet ratio cur ſub eadem die factus eſt ornatus aeris & aquę, quia ſcilicet hæc duo elementa tenent naturã mediã luminoſi corporis, ideſt cæli vel ignis, & opaci, ſcilicet terræ. Vnde & in hæc conueniunt, quòd vtrunque eſt receptibile luminis, & obſcuritatis, vtrumque rarefactibile & dẽſabile, vtrumque etiam de facili in alterum conuertitur, vt dictum eſt. Ideo autem vtriuſque ornatus ex vno productus eſt, ſcilicet ex aqua volatilia, ſimul & natatilia, & non ex aere volatilia, cum ſint ornatus aeris, quia in ſuperiori parte iuxta regionem igneam eſt aer liquidus ac purus, ac tam tenuis ſiue ſubtilis, quòd nihil viuens poſſit ibi ſpirare nec reſpirare, ac per hoc neque viuere, ſicut patet in monte Olympo: idcirco aer quantum ad illam ſui partem non eſt ornatus animalibus, quia non poſſent ibi viuere, nec poſſet etiam auium corpora ſuſtinere, ſicut aer iſte inferior craſſus & humidus, qui ſuſcipiens exhalationes humidas, & ventis concitatus condenſatur in nubes, & effundit imbres.

Gen. 1.

Aer is regio ſuprema pura.

Hic ergo ornatus eſt ſuis animalibus, ideſt volatilibus, quæ poſſunt ex eo reſpirare propter craſſitudinẽ humoris, & quorum corpora poteſt ſuſtinere, ſicut aqua piſcium, dum ei pennis ſuis innituntur volando, ſic piſces pinnulis ſuis aquæ natando. Et quia aer iſte ratione humoris tenuis, quo contextus eſt, naturę humidæ deputatur, ideſt aquæ, & ideo dicitur aqua commune productiuum vtrorumque, cum dicitur. Producant aquæ reptile, &c. Cæterum ad fieri vtrorumque A conueniunt, aer & aqua, cęteris elementis adiunctis, quæ ſunt extrema, ſcilicet ignis & terra. Et quoniam aqua cedit in materialem naturam, aer in actiuam, in volatilibus autem dominatur actiua ſuper materiale, & in piſcibus econuerſo. Ideo congrue volatilia locũ habitationis ſuę tenent aerẽ, piſces vero aquã. Vnde & piſciũ carnes ſunt aggeneratiuę humoris frigidi, volatiliũ autem calidi ſecundum genus ſuum. Rectè ergo aqua commune productiuum vtrorumque dicitur, quia ex aquis eleuatis in vapores nubium exiſtit materia volatilium, ex aquis vero pingueſcentibus inferius materia piſcium.

Congruitas cur piſces aquam, aues aerem occupent.

De natura auium in generali.

CAPVT II.

Iſidor. lib. etymolog. 12. Aues dictæ ſunt, eo quòd certas vias non habeãt, ſed per auia quæque diſcurrãt. Alites autem eo quod alis alta intendant, & ad ſublimia remigio alarũ conſcendant. Volucres autem dicũtur à volando. Nã vnde volare, inde dicimus & ambulare. Dicitur autem vola pedis, vel manus pars media. In auibus itaque media pars alarum vola dicitur, quarũ motu pennæ agitantur, inde & voluces appellãtur *Ariſt. in lib. de animalibus.* Aues autem diuerſificantur ſecundũ magis & minus in ſuis mẽbris. Omnes habẽt plumas, vel ſquamas, vel cortices, & alas, & roſtrũ, & in maiori parte collũ ſequitur crura, ſcilicet longũ lõga, & curtũ curta. Præterquã in auibus habẽtibus corium inter digitos. Et collum earum ſicut harundo piſcatorum, roſtrum vero ſicut hamus ad capiendum cibum. Habent autem vias naſi non diuiſas manifeſtè prope os propter anhelitum. Et quoniam incuruatæ ſunt & alatæ, pondus capitis habent paucum, & corpus anguſtum. Habent duos tantum pedes, quia in loco pedum anteriorum habent alas. Habent autem omnes aues pectus acutum & carnoſum. Acutum quidem, quia ſi eſſet latum, multum aeris moueret, & eſſet grauis volatus, quanto ergo acutius eſt, tanto melius volant. Carnoſum autem quoniam acutum eſt debile, niſi habeat operimentum ex multa carne, & impulſione aeris læditur in volando. Aues non habent dentes, ſed loco dentium roſtra. Palpebras habent membranales, non carneas, ſcilicet vt quadrupedia. Habent acutum viſum neceſſario, quia

Auium etymon.

Vola auium

Nota.

vident à remotis. *Claudunt oculum non niſi per palpebram inferiorem*, cum ambulantia claudant per ſuperiorem. Lacertarum vero genus omnino non claudit. Aues habent pulmonem concauum ſpũmę ſimilem, & modicum. Habent & vmbilicum tempore partus, ſicut & cætera animalia, ſed creſcentibus illis latet. Non autem mingunt aues, *quia parum bibunt*, & quod ſupereſt *humidi tranſit in plumam*. Auium generibus appropriatur carentia labiorum & dentium. Nec habent aures vel naſum, ſed habent alia membra ſenſuum. Via naſi eſt in roſtro, via auditus eſt in capite. Et nullum horum habet pilos, vel ſquamas, ſed tantũmodo plumas. In anteriori quarundam auium eſt pappa, vt in gallo ac perdice & columba. Nam quia non habet auis opus conueniens ad molendum cibum dentibus, habet huiuſmodi membrum, vt faciat hoc opus. Huius creatio eſt ex corio magno profundo, & eſt in eo cibus indigeſtus, & in quibus inuenitur ęſophagus. *Ex libro de naturarerum.* Aues indigẽt multo viſu propter regimen vitæ ſuæ. Et quæ claudunt oculos ſuos, non claudũt eos niſi per palpebram inferiorem propter duritiam corij caput continentis. In locis ſpinoſis nidificant, nidoſque rotundos & exterius aſperos, interius molles faciunt. Amiſſis pullis dolent, & tamen eiſdem locis reedificant percuſſæ in altum ſe eleuant. *Et quando de terra ſurgunt verſus ventum ſe erigunt*, & caudis ſuis ſe regunt, aeremque pennis volando perrumpunt.

Cur aues nõ mingant.

Pappa auiũ

Nota.

De differentia auium multiplici.

CAPVT III.

Ambroſ. in hexaeme. Vnum autem eſt nomen auũ, ſed genera diuerſa. Sũt enim quæ carnibus veſcuntur, ſunt quæ paſcuntur in ſemine reperto, aliæ diuerſo, & fortuito cibo. Eſt etiam diuerſitas copularum, quarum gratia carent quæ rapinis intendunt, vt accipitres & aquilæ. Econtra vero grues & columbæ gaudent plurimorum connexione. Aliæ quoque ſunt incuriæ, Aliæ aduentitiæ, Aliæ ad manum ſe ſubijciunt, & herili menſæ aſſueſcunt, tactuque mulcentur, Aliæ reformidant, Aliæ quoque eiſdem domicilijs quibus homines delectantur, Aliæ deſerta frequẽtant, & quærendi ſibi victus difficultatem libertatis amore compenſant, Aliæ ſtrepunt, Aliæ canunt, Columbæ ſimplices, aſtutę perdices, gallus iactantior, pauo ſpecioſior. Iterum aliæ diligunt in commune conſulere, collatiſque viribus quandam rempublicam curare, & tanquã ſub rege viuere. Aliæ ſibi amant proſpicere, Imperium recuſare, & ſi capiantur indigno ſeruitio volunt exire. Aues vncos vngues habentes omnino non congregantur, & ſibi quæque prædantur. Quædam autem agregatim volant, quaſdam etiã quibuſdam locis negat natura, tãquam frugum fruticũve genera. *Iſid. vbi ſup.* Aues ſicut differunt ſpecie, ſic & naturæ diuerſitatem. Nam aliæ ſimplices, vt colũbæ, alię vt perdix aſtutæ, aliæ ad manum ſe ſubijciunt vt accipitres. Aliæ reformidant, vt garamantes. Alię conuerſatione hominum, vt hirundo delectantur, alię vitam in deſertis ſecretam diligunt, vt turtur. aliæ ſolo ſemine reperto, vt anſer, veſcuntur, aliæ carnes edunt, & rapinis viuunt, vt miluus, aliæ ſunt incuriæ, quæ manent in locis ſuis ſemper, vt ſtruthiones, alię aduẽtitiæ quæ proprijs temporibus reuertuntur, vt ciconię & hirundines, aliæ gregatim volantes, vt ſturni & cornices, aliæ ſoliuagæ propter inſidias deprædandi, vt aquilæ & accipitres, aliæ vocibus ſtrepunt vt hirundo, aliæ dulciſſimos cantus edunt vt cignus, & merula, alię verba & voces hominum imitantur, vt pſittacus, & pica. *Ariſt.* Animalium quędam habent reges, eiſque obediunt, vt grues & apes. Auium quoque modus ſecundum operationes earum & regimen vitæ ſuæ diuerſificatur. Quædam carnibus veſcuntur, quædam grano, quędam vtroque. Quædam ſe confricant ſuper terram in cinere, quędam frequentant natare, quędam vero neutrium faciunt, & quædam in cinere confricantur, ac ſe abluunt. *Ex lib. de natura rer.* In auibus ergo multiplex eſt differentia. Nam quædam earum ſylueſtres ſunt, quædam domeſticæ, quædam ſemetipſas regunt, quędam ſub moderamine degunt, vt grues. Magna quoque differẽtia vocum, & etiã morum. Laſciuus eſt gallus, diligens pauo, libidinoſa columba, doloſa perdix, atque zelotypa gallina domeſtica.

Diſcrimen auium.

Aues facientes inter ſe rempublicã.

Grues & apes habent reges.

De eodem.

CAPVT IIII.

Plinius libro 14. Volucrum diſtinctio prima pedibus maxime conſtat. Aut enim habent vngues aduncos, aut digitos, aut ſunt palmipedes, vt anſeres, & aquaticæ fere omnes. Et earum quæ ſunt aduncorum vnguium, quædam ſunt diurnæ vt accipitres, & aquilæ, quædam nocturnę, vt noctua, bubo, & vlulæ. Earum quoque quædam carne tantummodo veſcuntur, vt accipiter ac niſus. Quædam non tantum carne ſed alio, vt cornix & coruus. De his autem videlicet vncorum vnguium auibus, plenius dicetur inferius. Secundum genus, ſcilicet digitos habentium, diuiditur in duas ſpecies, videlicet in oſcines ideſt cantantes, & alites. Illarum generi cantus oris, his magnitudo differentiam dedit. In his ſcilicet oſcinibus eſt pauonum genus. Cantant enim pauo, & gallus, anſeres, & grues, ciconiæ, & olores, coturnices, & hirundines, glutis, & citramus, merula, & ochus, turtur, ac turdus, ac ſturnus, & huiuſmodi. Harum quædam perennes ſunt, vt columbæ, quædam trimeſtres ſunt, vt hirundines. Quædam trimeſtres, vt turdi, & turtures, Quædam in locis manentes ſunt, Quædam vt merulæ, & turdi, & ſturni in vicina abeunt, vbi pabulum hibernum petunt, alię quoque vt turtures, & palumbes abeunt, & in his quo incertum eſt. Magna quoqũe admiratio eſt circa alites, quædam mutant colorem vocemque in anni tempore, ac repente fiunt alię, quod in grandiore alitum genere grues tamtummodo faciunt, nam in ſenectute nigreſcunt. Merula & luſcinia colorem mutant & vocem. Turdus colorẽ. Meanthe ſtatutos habet dies latebræ exoriente ſyrio, prodit ab occaſu eius, quod miremur in ipſis diebus. Clarion quoque qui totus eſt lucens circa ſolſtitia procedit, hyeme non viſus. Porro de palmipedibus, quod eſt tertium volucrum genus, dicetur inferius, vbi ſcilicet agetur de auium pedibus.

Diurna.

Nocturna.

Aues digitos habentes.

Meanthe.

De Mutatione in colore, & plumis, & voce, & loco, & tempore.

CAPVT V.

Ariſtoteles vbi ſupra. Quarundum etiam auium colores, & voces diuerſificantur hyeme, & æſtate. Baharon dulci ſono ſibilat in æſtate, & vox eius mala eſt in hyeme. In gruibus color plumæ in iuuentute cinerius eſt, in ſenectute nigreſcit. kyke vero auis eſt, quæ diuerſis vocibus clamat, & fere quolibet die vocem mutat. Turtures non apparent niſi in æſtate, quoniam in nido latent in hyeme. Similiter Miluus, & Hirundo, vel latent in cauernis arborum, vel transferunt ſe ad loca calida. Lehe auis in æſtate manet in loco oppoſitionis auſtro & in vmbra, in hyeme vero manet vbi ſol abundat. Prȩterea quod venantur aues in æſtate, diuerſum eſt ab eo quod venantur in hyeme.

Ex libro de natu. rer. Aues multæ ad volatum multum debiles, horrentes hyemem, ad conualles in locis calidis fugiunt, ſed ante receſſum ſuum ſe præmuniunt, vt multum comedant & impinguentur, ac per hoc hyeme melius pati famis inopiam poſſint. Iacent enim pleræque per totam hyemem in ſpeluncis, & cauernis vallium calidis, quaſi ſemineces inuicem conglobatæ, viuuntque ſine cibo multo tempore conferente ad calorem multitudine. Poſt hyemem autem veniunt ſucceſſiue ſecundum debilitatem ſuam

Aues latitãtes certis anni tẽporibus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Plinius libro 10. Hæc quoque mira naturæ differentia, alia volatilia alijs locis negat, tanquam frugum fruticumve genera. Nam in ſeceſſu quidem auiũ, & noctuæ paucis diebus latere traduntur, quarum genus in Creta inſula non eſt, & etiam ſiqua inuecta ſit emoritur. Bodos aquilam non habet. Perdices non tranſuolant Boetiæ fines in Attica. In Fidennate agro iuxta vrbem ciconiæ, nec pullos, nec nidum faciunt. Oſcines vero mutant colorem vocemque. Merula quoque ex nigro rubeſcit. Luſcinia æſtate ſuaui modulamine canit, mox æſtu aucto in totum alia vox fit, nec modulata aut varia, mutatur & color. Poſtremo hyeme ipſa non cernitur. Ficedulæ quoque, & vpupę formam ſimul & colorem mutant. *Philoſophus.* Auis habens plumam albam non mutatur ad nigredinem, licèt econuerſo contingat. Aues generoſæ (vt notum eſt) in caſis ex virgis factis mutantur. Quædam vero vix operoſa diligentia veteres plumas deponunt. Quibus ſic ſubuenitur. Serpens in frumẽto diu coquatur, quo videlicet frumento gallina nutrita, auis illa reficiatur, ſicque decenter mutatur.

Creta non patitur noctuas.

Nota.

De auibus rapacibus.

CAPVT VI.

Aues rapaces fugiunt conſortium.

Ambroſ. vbi ſupra. Aues quę rapinis intendunt copulæ gratia carent. Nam propter auiditatem prædandi, vel propter inſidias explorandi, nec ipſis inter ſe conuenit, & ideo copulam ſuam declinant. Refugit enim auaritia conſortia plurimorum. His ergo nihil eſt copulatorium præter iugale conſortium, & columbæ gaudent plurimorum connexione.

Aquilæ proijciunt pullos ſi multi ſint.

Ariſt. vbi ſupra. Auis rapax eſt acuti viſus, quoniam indiget vt cibum ſuum videat à remotis. Auis autem in terra manens, vt gallina non indiget acuto viſu. Auibus autem rapacibus maximè fluunt pennæ, & redeunt ad vigorem. Aquila cęteręque rapaces aues non niſi duos pullos, vel ſemel in anno faciunt, & ſi plures pullificant, eos proijciunt. Item quod venantur aues in æſtate diuerſum eſt (vt iam dictum eſt ſuperius) ab eo quod venantur in hyeme. Non eſt autem auium vnius ſpeciei, vt ſe comedant. Paſſer & auiculæ multæ ſimiles paſcuntur vermibus. Aues carnem comedentes, & vncorum vnguium boni volatus ſunt, habent ſiquidem plumas multas, & alas magnas ac fortes. *Ex lib. de nat. rer.* Omnes aues prædatrices venantur prædam alterius generis, quam de ſua ſpecie, & in hoc à piſcibus differũt. Solus niſus expers eſt pietatis huius. Huiuſmodi aues videlicet carnibus veſcuntur ac prædatrices, quando fugam ineunt, cum loris reuocantur.

De roſtris auium.

CAPVT VII.

Roſtra auiũ ſunt ob cibũ & vigorem.

Ariſtoteles vbi ſupra. Aues naſum non habẽt, quia roſtra earum duos terminos non habent, & ideo quoniam indigent cibo & vigore, habent roſtra quaſi de natura oſſium. Nec vias olfactus niſi in roſtris habent. Loco ergo naſi, & labiorum, & dentium habent roſtra, & propter cibum, & propter vigorem. Diuerſantur autem ſecundum modum indigentiæ, & iuuamenti. Auium enim comedentium carnes roſtra ſunt incuruata, vt poſſent retinere quod tenent. Roſtra vero paruarum auium ſubtilia ſunt, conuenientia ad accipiendum grana. Earum quoque quæ comedunt vermes, & quæ corium habent inter digitos, etiam multum in aqua morantur. Quædam etiam habent roſtra lata ad cauandum apta, ſicut porci inter animalia additamentum habent ad cauandum terram. Comedunt enim radices, & habent vitam porcorum ſimilem. Figura ergo roſtri eſt ſecundum quòd competit acquiſitioni cibi, vt curuum in rapacibus ad diſcerpendum, longum in paludoſis, ad extrahendum de profundo. Breue & rectum, ad accipiendum grana. Latum ad accipiendum herbas, & radices, & ſimilia. In auibus non habentibus corium inter digitos menſura roſtri proportionalis eſt menſuræ crurium. Nam ſi crura longa, longum eſt roſtrum, ſi curta curtum. In auibus autem piſcantibus collum eſt ſicut arundo, id eſt linea piſcatoris. Roſtrum vero ſicut hamus. Vultur quando ſeneſcit, elongatur eius roſtrum ſuperius, & arcuatur.

Nota.

De Alis, & plumis.

CAPVT VIII.

Penna etymon.

Pluma.

Iſidorus lib. 12. Penna dicta eſt à pendendo, id eſt volando. Volucres enim pennarum auxilio mouentur, quando aeri ſe mandant. Pluma quaſi piluma, eo quod ſicut pili in quadrupedibus, ita pluma in auibus. Aliæ ſunt in quibus pennæ per ordinem fixæ velandi exhibent vſum ſic dictæ, eo quod his aues complexos alant ac foueant. *Ariſto. vbi ſupra.* Aues ideo non mingunt, quia parum bibunt, & quod ſupereſt humidi trãſit in plumam. Omnes autem plumæ radices habent concauas vt cannæ. Color autem plumæ quarundam auium mutatur ſecundum mutationem temporum, vt in gruibus color plumæ cinereus eſt iuuentute, nigreſcit in ſenectute. Auibus autem maximè rapacibus fluunt pennæ, & redeunt ad vigorem. Bubonem vero cæteræ aues deplumant. Aues præterea carnem comedentes, & vncorum vnguium plumas habent multas, & alas magnas ac fortes. Quædam etiam aues aquaticæ plumam habent corpora ſua tegẽtem, & peruenit vſque ad pedes. Eſtque conueniens ad natandum, quoniam eſt ſicut remi, & alæ piſcium. Struthio quoque multam habet plumam in inferiori parte corporis, ſicut auis. Auis non volans propter grauitatem corporis, tranſit in ea pluma in craſſitudinem corij, & ob hoc claudit oculos per palpebram inferiorem. Hirundo & ei ſimiles aues ſunt bonarum alarum, & minorum vel debilium pedum.

Eſt autem & genus auium habens quoddam præeminens in medio capitis ex pluma, & eſt ſicut galea. Aues nidificantes eijciunt plumã. Et huius eſt cauſa diminutio humoris calidi & pinguis. Ob hoc etiam econuerſo non fluunt arborum folia, in quibus eſt humor pinguis. In ſenectute quoque pluma auium dureſcit, ſicut & cortices vel cutes animalium, propter diminutionem caloris, & tranſitum humoris cum calore, frigus enim indurat & inſpiſſat corpus, calor autem rarificat. Alæ duæ ſunt in auibus loco duarũ manuum in homine, & duorum pedum anteriorum in quadrupedibus. Aues boni volatus habent corpora parua, & alas magnas. Aues autem mali volatus econtrario, vel ſi magnas habẽt alas, debiles ſunt. Ægritudines auium cognoſcuntur ex alis, quando turbatur ſitus earum. Perdix ad modum gallinæ ſuper pullos incubat, & colligit eos ſub alis. Grus dormiens caput ſub alis reclinat, & aliæ quædam aues ſimiliter; vultur ea quæ venatur, vel cum quibus pugnat ſtupefacit alis percutiendo. Struthio non habet alas, ſed figuras alarum, & ſunt tenues ſicut pili. *Plinius lib.* 10. Aquilarum pennæ mixtas reliquarum alitum pennas deuorant. *Auicenna.* In eſca vero alarum meliores ſunt alæ gallinarum.

Ala auium loco manuũ.

Nota.

De pedibus auium, & cruribus.

CAPVT IX.

Iſidorus vbi ſupra. Inuenimus autem pedes auium quæ carne paſcuntur, quaſi incuruos ac ſinuatos, veluti in prędam paratos. Ea vero quę natandi conſuetudinem habent & vſum, latos pedes habent, & membrana quadam illos digitos pedum ſibi copulatos

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

atque coniunctos. In quo admirabilis patet ratio naturæ, vt & illæ ad volandum vel ad rapiendum cibum vſum accommoda fulciantur, & iſtæ ad natandum habeant adiumenta competentia, quo melius aquis ſupernatare valeant, & quaſi remis quibuſdam ita pedibus ſuis membranæ illius extenſione latioribus aquarum fluenta propulſent. *Plinius libro.* 11. Auium quoque aliæ ſunt digitatæ, aliæ palmipedes, aliæ inter vtrumque diuiſis abiecta latitudine. Sed omnibus quaterni digiti, tres in ſuperiori parte, & vnus in calce, hic deeſt quibuſdam longa crura habentibus. *Ariſtot. vt ſupra.* Rectè autem (vt dictum eſt) auis non habet niſi duos pedes, quoniam habet duas alas loco pedum anteriorum. Pauca vero auium genera duos habent tantummodo digitos, in anteriore parte pedum, & duos in poſteriori vt bubo. Quædã vero habent calcar in inferiori parte pedum, & tales ſunt grauis volatus, nec aliqua curuorum vnguium cum hoc communicat. Quędam autem vt hirundo & eis ſimiles bonas habent alas & malos pedes. Quædam aues habent longa crura, & huiuſmodi cauſa eſt debilitas vitæ ſuę. Natura namque dat inſtrumentum ſecundum operationem ſuam qua indigetur, & non operationem præparat, ſed inſtrumentum. Itaque auium generi quæ nec ſtant, nec natant in aqua, non poſuit natura corium inter digitos pedum earum. Et quia manſio earum in terra eſt, longorum digitorum ſunt. Quoniam ergo mali volatus ſunt, cibus qui tranſibat in poſterius pectoris, tranſit in crura, & ob id crementum eſt, & fiunt magna. Itaque quando volat huiuſmodi genus, vtitur pedibus loco poſterioris pectoris & caudæ, volatque pedibus ad poſterius extenſis, & ſecũdum hunc modum fuit creatio crurum conueniens ſibi.

Pedes quaſi remi.

Nota.

Quædam autem aues habent pedes & crura curta, & quando volant ad ventrem ea ſtringunt, ne per eos prohibeantur à volatu. Pedes autem auium vncorum vnguium conuenientes ſunt venationi & prædationi. Et omnes aues longorum pedum habent collum ſpiſſum & craſſum, & volant extenſo collo. Si vero collum habent longum ac debile, declinant ipſum in volando. Omnes aues habent anchas, licèt quidam aliter opinentur. Et ſunt anchæ in parte ani, vt poſſint eleuare corpus. In cruribus auium non eſt carõ propter eandem cauſam, qua nec in quadrupedum pedibus. Etiam in quolibet pede auium quatuor digiti ſunt, præterquam in ſtruthione, quem opinantur non eſſe de genere auium, propter diuerſitatem ſuæ creationis. Et auis iſta tres habet digitos in vtroque pede propter alas, & propter pondus, & propter hoc quod accidit auibus longorum crurium. Habet quidem ſtrutrio duos pedes vt auis, ſed vngulam fiſſam vt quadrupes. *Ex lib. de na. rer.* Omnia volatilia digitos quidem habẽt, quædam continuos vt anſer, quædam diſiunctos, vt bubo vel pica. Omnes aues in aquis natantes pellem in digitis pedum habentes gregatim ambulant. Omnis auis habens crura longa, longum etiam habet collum. Quæ autem crura breuia, breue collum, exceptis his quæ corium habent inter digitos, vt auca.

Nota.

Fugaces fœcundiores fortibus.

De vnguibus.

CAPVT X.

Plinius libro 10. Aues vncos vngues habentes omnino non congregantur: & ſibi quæque prædantur. Sunt autem ferè omnes altiuolæ, præter nocturnas & magis maiores. Omnibus quibus alæ grandes, corpus exiguum, ambulant difficulter. In petris raro conſiſtunt, curuatura vnguium prohibente: ex parte magna veſcuntur carne tantummodo. Cornix & coruus non ſolum carne, ſed alio. Sunt & vncorum vnguium aues quædam nocturnæ, vt noctua, bubo, vlulæ. Omniũ harum hebetes ſunt interdiu oculi. Picus & Martius eſt vncorum vnguium. Eædem quoque aues infęcundę ſunt. Tribuit hoc auium generaliter natura: vt fęcundiores eſſẽt fugaces earum quàm fortes.

Ex lib. de nat. re. Aues vncorum vnguium boni volatus ſunt. quæ habent autem vngulam in crure, ſicut gallus, praui debilisque volatus. Item aues vncorum vnguium breuioris colli ſunt, & curtioris linguæ. Denique aues huiuſmodi, vt in pluribus paucorum ſunt ouorum. *Ariſt. vbi ſup.* Auis vncorum vnguium eſt acuti viſus, quia videt cibum ſuum a loco remoto. Auium autem huiuſmodi pedes venationi, ac prædationi conuenientes ſunt. Aues ponderoſi corporis non habent vngues curuos, quia nocerent eis. Inuoluerentur enim ſuper omnia ſuper quæ ambularent. Propter hoc ſiquidem non incedit auis vncorum vnguium, vel male incedit, nec ſedet ſuper lapides: quia natura vnguium eius eſt contra duras res. Denique auium vncorum vnguium corpora parua ſunt & ſubtilia propter alas, quia cibus tranſit in alas, quæ ſunt vigor, & arma earum. Aues autem quæ mali ſunt volatus propter pondus corporis, & manent in terra, habent vnguem rectum. Nam curuus vncus impedit inceſſum. Quędam loco alarum habẽt alarum iuuamen vngues in cruribus conuenientes ad pugnãdum, in eundo fixę ſuper terram. Nulla vero auis habet vngues in pedibus, & cruribus quia natura nihil facit ſuperflue. Struthio ſciſſam habet vngulam, ſicut quadrupedes. Item aues vncorum vnguium ſociales eſſe non poſſunt, nec multum coeunt, nec potant aquam ommino: præter paucas, & parum bibunt. Super lapides quoque diu non manet: quia durities lapidum nocet vnguium incuruationi. Item aquila, & omnes vncorũ vnguium, ſtatim vt pullos ſuos poſſe volare vident, percutiunt eos alis: & nido eijciũt, præter harum, id eſt cornicem, quæ cogitat de pullis etiam poſtquam volant. Aues vncorum vnguium breuioris colli ſunt, & craſſæ linguæ. Aues autem quædam rapacis vnguis transferuntur modicis diebus, vt miluus & glutis. Aues vncorum vnguium habent pedes fixos & fortes, & crura craſſa, & acutum viſum propter regimen vitæ ſuę.

Nota.

De Carnibus earum.

CAPVT XI.

AVes plus habent carnis anterius, quam poſterius, omnes enim habent pectus carnoſum, quia cum ſit acutum, ratione ſupradicta debile eſſet, & impulſione aeris in volando lęderetur, niſi niſi ex multa carne operimentum haberet. *Auic.* Caro auis omnino ſiccior eſt carne quadrupedis. Carnes pullorũ exiccant præfocatione, niſi acetoſæ. Caro magnarum auium, & anſerum, & miluorum craſſa eſt. Anatis aquaticarum caro vehementis eſt humiditatis, in hoc propinqua carni ouinæ. Omnes volucres magnæ aquaticæ habentes colla longa, vt pauo & miluus, & quorum generatio eſt plurima horum caro melancholica eſt. Alæ vero craſſarum exercitantium ſunt boni chymi. Item caro auium magnarum facit euenire febres. Auium carnes aſſatæ, vel non aſſatæ, conſtringunt ventrem. *Auic.* Pellis, quæ intrinſeca eſt in ſtomachis auium, & in gutture earum, præcipuè gallorũ, ſiccata & trita, & bibita confert dolori ſtomachi. *Iſaac in dietis lib.* 1. Volatilia ſubtiliora, & leuiora ſunt omnibus carnẽ habentibus vniuerſaliter & digeſtibiliora omnibus ambulãtibus, minus tamen nutribilia. Sed ſylueſtia minus domeſticis ſunt humida, & teneriorem carnem habent. ſunt etiam faciliora digeſtioni. Cauſa raritas eſt carnium pro laboris ſui nimietate & aeris ſiccitatate. Domeſtica tamen plus nutriunt, ac temperatiora ſunt propter ſui humiditatem laborisque temperiem, & laudabilem ſanguinem generant.

Caro auis ſiccior carne quadrupedũ

Pro dolore ſtomachi.

Porro domeſtica campos inhabitantia ſunt meliora comedentibus in caſula pro ſui motu, & quia eſcas recipiunt, quæ ſuis naturis ſufficiunt. Rurſus volantibus cæteris ſturna ſubtilior eſt, & pulli perdicum, & pulli gallinacij, poſt hos perdix, faſianus, & gallina. Reliquis vero auibus duriores ſunt & craſſiores grues, pauones. Verum non oportet eas manducare, niſi

mortui

mortui prius mãſerint vna die in æſtate, vel tribus diebus in hyeme, vt caro earum tenera fiat. Humidior autem cæteris anſer, anas, & ſturnus, & pulli columbini præcipuè ſi ſint in caſula nutriti. Idcirco craſſi ſunt, & ad digerendum duri, maximè ſi paludes & lacus inhabitauerint. Pulli autem columbini meliores ſunt. Anſer ergo, ſturnus, & ſimilia ſtomacho nociuiora ſunt, grauant enim & putrefaciunt eum propter humorem nimium. Nihilque ex eis commodum eſt, præter alas & collum. Aliæ namque diſſimiles ſunt eis, quia faciles ad digerendum, & à corruptione longè remotę, pro ſui laboris motuſque nimietate. Collum nihilominus eſt in labore. Quinetiam volatilia non habent membra adeo depurata, vt collum & alas. Aues terreſtres meliores ſunt aquaticis, & inter aquaticas anates omnibus deteriores. Omnibus autẽ auibus ſicciores ſunt turtures, & omnibus calidiores sũt paſſeres, aliæque paruæ aues. Stiptici ergo ſunt, & ſanguinis incenſiui. Teſtatur Gal. extremitates volatiliũ hoc eſſe ad comparationem totius corporis, quod ſunt viſcera animalium ad eorum corporis operationem. Venter omnium volatilium lacertoſus eſt, durus ad digerendum, ſed ſi digeratur multum dat nutrimẽtum. Omnibus ventribus anſeris venter laudabilior eſt, propter copiam humiditatis ſui animalis, poſt hũc gallinaceus. Similiter iecur & hepar anſeris cæteris nutribiliores ſunt, & conuenientiores. De alis & collo ſupra dictum eſt. Colla anſeris & gallinæ meliora ſunt omnium auium. Similiter volatilia caſtrata omnibus ambulantibus meliora ſunt, vt galli caſtrati. Nam & laudabilius nutrimentum, & ſanguinem generant perfectum.

Nota.

Sicciores & calidiores aues.

Nota.

De inceſſu & volatu auium.

CAPVT XII.

Plinius vbi ſupra. Omnibus animalibus certus & vnius modi ſuo cuique in genere eſt inceſſus. Aues autem ſolæ vario meatu feruntur in terra & in aere. Aliquæ ambulant vt cornices; aliquæ ſaliunt vt merulæ, paſſeres, aliæ currunt vt ruſticulæ ac perdices, aliæ pedes ante ſe iaciunt, vt ciconię, & grues, aliæ alas expandunt, pendenteſque rarò interualla quatiunt, alię crebrius: ſed & primas duntaxat pennas, aliæ & tota latera pandunt. Quædam vero maiori ex parte compreſſis alis volant ſemelque percuſſis. Aliæ quoque gemino ictu aere feruntur, vel incluſum aerem iaculantur ſeſe prementes in ſublime, in rectum, in pronum, impingi aliquas putes, aut rurſus ab alto cadere has, illas ſalire. Quædã in ſublime protinus ſeſe tolluat, & veſtigio cælũ appetunt vt anates, & quæ huius generis ſunt. Grauiores autẽ non niſi ex pręcurſu vel altiori tumulo immiſſæ nõ euolant, vt vultur, alię cauda reguntur, aliæ circũſpectant, aliæ colla flectũt. Nõnullæ veſcũtur ea, quæ rapuere pedibus. Sine voce nõ volãt muliæ, aliæ in volatu ſilent. Quædam ſubrectæ, pronæ in latera obliquæ: quædã & in ora feruntur reſupinæ. *Ambr.* Omnibus autẽ auibus, & piſcibus eſt quædam cognatio, eo quod vſus volãdi ſpecies ſit natantis aquã natando, & aerem celeri volatu ſecando, & vtrique generi caudę, alarumque ſuppetit remigium procedendo, & iter ſuum dirigendo. Cauda ſiquidem aues ſe vel ad ſuperiora adducunt, vel ad ima demergunt. *Ariſt. vbi ſup.* Auis habens vncos vngues nõ incedit, ſed ſedet ſuper arbores. Auium autẽ quædam in volando pedes ad ventrem conſtringunt, quædam expandunt. Aues quædam ſunt boni volatus, vt quæ comedunt carnes, & quæ ſunt vncorum vnguium, & ob hoc habent plumas, & alas magnas, & etiam fortes. Alijs etiam dedit natura bonitatem volatus propter ſaltum. Et quia transferuntur de vna regione in aliam. Quædam vero mali volatus ſunt propter pondus corporis. Et quia vita earum eſt ex terra. Volatile quoque quod habẽt calcar in pede grauis volatus eſt. Aues vt (dictum eſt ſupra) boni volatus habent corpora parua, & alas magnas. Aues autem mali volatus econtrario, vel ſi magnas habent, tamen debiles ſunt

Modus diuerſus inceſſus auium.

Cognatio inter volatum & natationem.

De peregrinatione ac manſione illarum.

CAPVT XIII.

Ambroſius. Sunt autem genera quædam auiumque emporia, quæ ſemper in locis ſuis manent. Alia verò aduentitia, quæ in alias regiones abeunt, ac peracta hyeme reuertuntur. Sunt autem & alia quæ peregrinantur à nobis æſtate, ac redeunt hyeme, ſiue quia hyemis tempore ad calidiora loca ſe conferunt. Siue quia pleraque rurſus æſtatem in his locis exigunt quæ amæniora nouerunt. Conſideremus quoque diuerſas maris volucres, quemadmodum imminente motu ventorum ad tutiora, & tunc temporis dulciora ſe conferunt ſtagna, & in abſcondito terrarum ſinu incognita ſibi rimantur alimenta. *Ariſt.* Aues inter digitos habentes corium in aqua manent. Habentes autem digitos diuerſos, manent prope aquam & cibum ex terra capiunt, aues debiles in hyeme frigida fugiunt ad valles quærendo calorem. Et in æſtate redeunt ad capita montium propter calorem. Omnes quæ ſunt pingues ante mutationem à locis frigidis ad calida, & in vere quidẽ magis feſtinant coitũ, & inde cõmouentur à locis calidis ad frigida. Item aues agreſtes mutãt loca manſionum ſecundum conuenientiam vitæ, & euaſionis pullorum, & quædã manent in lacubus, quædam in lapidibus, & ſciſſuris. Et quędam in montanis, quædam apparent de nocte, & fugiunt de die. Quædam etiam manent in vmbra & in locis oppoſitis vento. Hyeme verò in locis in quibus abundat Sol. Dedit natura quibuſdam (vt dictum eſt) bonitatem volatus propter ſalutem, quia tranferuntur de vna regione ad aliam. Quædam vero ſunt mali volatus propter corporum pondus, quia manſio earum eſt ſuper terram. Earum cibus eſt grana, & quod eſt in terra. *Gloſſa ſuper Hieremiam.* Aues itaque ſua tempora norunt, vt ſciant quando ad calida loca feſtinantes debeant rigorem hyemis declinare, ac principio veris ad regiones ſolitas redire. Vnde ſcriptum eſt: *Miluus in cęlo cognouit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia cognouerunt tempus aduentus ſui, &c. Auctor.* De ſingulis autem huiuſmodi generibus dicetur ſigillatim inferius.

Aues quæ in aquis manent, & quæ non.

Aues aliqua mutant regiones.

De cibo & potu auium,

CAPVT XIV.

Ambroſius vbi ſupra. Quædam volucres (vt dictũ eſt) carne veſcuntur, quædam ſemine reperto, aliæ diuerſo & fortuito cibo. *Ariſtot.* Auium quædam comedunt carnem, quædam grana, quædam vtrumque; quædam vero proprium guſtabile, ſicut apes cibantur melle. quædam in nocte, vt bubo, ſibi quęrũt victum, quædãin die. Omnes habentes vncos vngues cibantur carne, quędam etiam carnes comedunt, & tamen vncorum vnguium non ſunt. Quædam vero comedunt vermes, vt paſſer. Quędã animatis nõ veſcuntur, ſed cadunt ſuper ſpinas, & ex eis cibantur. Viuunt & ex fructu quædam aues, vt palumbi, & turtures. Quædam viuunt in ripis aquarum lacuum, vel maris, & cibantur ex eis. Quarum autem digiti inter ſe quaſi coriũ habent in aquis manant, & inde viuunt, Aues curuorum vnguium animalia omnia comedunt, quæ venari poſſunt, & ſanguine viuunt. At vero ſe inuicem non comedunt, ſicut piſces faciunt. Aues vncorum vnguium omnino non potant, præter paucas. Tempora pluuioſa nocent auibus, quia non vtuntur multo potu.

De varijs cibis auium.

Plin. lib. 10. Bibunt quidem aues ſicut cæteræ. Sed ex his quibus longa colla ſunt intus intermittentes & capite reſupinato veluti ſibi infundentes. Porphirio ſolus morſu bibit, omnemque cibum aqua ſubinde tãgens, deinde pede ad roſtrũ velut manu afferẽs. Gra-

uiores omnes vescuntur fruge, altiuolę tantum carne, Inter aquaticas mergi soliti sunt deuorare ea quæ reddunt cæteræ. *Ambrosius.* Auibus autem quæ carne vescuntur vngues asperi curuatum os & acutum velocisque volatus sunt, quoniam rapto viuunt, vt facile possint prædam quam sequuntur corripere, propeque valore, vel vnguibus euiscerare. *Ioratb libro de animalibus.* Nulli vero auium magis accidit caducus morbus quam passeri & cotturnici, & his qui iusquiamum comedunt.

Caducus morbus passeri & coturnici accidit.

Ex lib. de nat. rer Quædam aues gustabile comedunt proprium, vt apes comedunt mel, & pauca de numero dulcium. Aues quæ comedunt carnes, non ouant, nisi semel in anno, præter hirundines, quę ouant bis. Aues carnibus vescentes masculi comparibus pullos in nido refouentibus certis horis cibos ministrant. Sed quoniam illæ compares suos vtpote maioris virtutis reformidant ad illos pipiando, quasi aduentum suum protestantes cum carnibus veniunt ciboque à matre susceptо fugiunt. Aues (vt dictum est) vrinam non faciunt, quia multum siccæ sunt, multumque de humorositate transit in plumas, & consumitur per volatum, vnde nec vesicam habẽt. *Philosophus.* Omnes aues collum habentes longum bibunt, & eleuãt caput quousque in ventrem aqua descendat. Omnes autem aues longum tractum faciunt in bibendo, præter gallum & hirundinem, & aues quæ in aqua manent. Aues vncos habentes vngues ideo non bibunt aquam, quia carnes comedunt, quæ sunt humidæ magis quam aliarum auium cibi. Aues aquas claras & currentes diligunt, super cadauer fætidum non cadunt, nisi saporem habeat bonum, tunc enim fœtorem non euitant. Aues vncos habentes vngues carne viuũt. Cœteræ vero cibantur fructibus, & vermibus atque reptilibus.

De modo bibendi.

De vocibus auium.

CAPVT XV.

Ambros vbi supra. Volucrum autem aliæ vocibus tantum strepunt, alię canorę sunt, suauique modulamine delectantur. Quædam ex natura, quædam ex instructione diuersorum ob loquuntur discrimina vocum, vt cum auis locuta sit, hominem putes esse locutum. Quam expressa vox psitaci, quàm dulcis merularum, magnum nobis est excitandæ deuotionis incentiuum cantus ipse volatilium. Quis enim sensum hominis gerens non erubescat sine psalmorum celebritate diem claudere, cum etiam aues minutissimæ dierum ac noctium ortus prosequantur solenni deuotione & dulci carmine. Reperunt aues diuersæ auiariam suam in vespere, & in latibulis suis adducunt secum occasum diei canoro prosequentes carmine, ne immunes habeantur gratiarũ, quibus omnis creatura collaudat creatorem suum. Habet etiam nox carmina sua, quibus hominũ vigilias mulcere consueuit, decurso denique vel adorto tempore nocturno atque diurno laudes referunt creatori suo. *Plinius libr.* 10. Minimæ auium cardueles imperata faciunt, nec voce tantum, sed pedibus, & ore pro manibus. Est quæ boum mugitus imitetur, vt auis taurus appellata in Arelatensi agro, alioquin parua. Est quæ equorum hinnitus, vt anthus nomine, herbæ pabulo aduentu eorum pulsa imitatur ad hunc modum vlciscẽs. Super omnia autem humanas voces reddit psittacus. Imperatores salutat, & quæ accipit verba pronunciat, in vino præcipue lasciua. Humanas quoque voces reddit sturnus, luscinia, coruus, Quædam autem, vt hirundines nihil addiscunt, sed indociles sunt, quædam sine voce non volant, aliæ in volatu semper silent.

Aues inuitãt homines ad psalmodiam

Noctis carmina.

Auis Taurus.

Anthus.

Psittacus.

Idem in lib. 11. Auium loquaciores sunt quæ minores, & maximè circa coitus. Alijs in pugna vox est, vt coturnicibus, alijs ante pugnam vt perdicibus, alijs cum deuicerunt, vt gallinacijs: hisdem sua, id est propria maribus, alijs eadem vt fœminis, sicut & luscinia-rum generi, quædam toto anno canunt, quædam certis temporibus. *Aristo. vbi sup.* Aues paruę multę sunt vociferationis, ita quod inuicem quasdam suas intentiones cognoscunt, & hoc omnes aues secudũ magis & minus agnoscunt. Quędam etiã aues ab aliis quasdam voces addiscunt. Auium autem vociferatio magis est tempore coitus. Gallus vociferatur post prælium & victoriam. Vultur quoque clamosus. Kyke auis est quę vociferat diuersis vocibus, & ferè quolibet die mutat vocem. Quarundam etiam auium voces, & colores mutantur in æstate, & hyeme diuersantur. Ioabam auis est quæ imitando vocem equi stupefacit eum, ac fugere cogit. Kolkis auis est in cuius morte vociferãtur aues vociferatione dolorosa suaui. Strepitus apum & cicadarum non est vox, quia non anhelant, sed fit propter aliquarum partium confricationem. Fœmina cubeth audiens vocem masculi, & olfaciens ipsum ouis impletur. Quod ex auibus est latæ linguæ latitudine parua, loquitur. Et similiter quod ex eis est linguę subtilis. Et in quibusdam generibus mas & fœmina vociferantur vno modo, quædam diuerso. Quorundam masculi dant voces, fœminæ non, vt gallus, & mas coturnicum. Quædam vociferantur dulce mas & fœmina, vt hardon, & fœmina quiescit à voce cum incubat oua. Aues paruæ plus vociferantur & loquuntur quàm magnę & maximè (vt dictum est) coitus tempore. *Isidor.* Auium autem nomina à sono vocis constat esse composita, vt grues, coruus, cygnus, pauo, miluus, vlula, cuculus, graculus.

Vociferatio auium quãdo viget.

Apes & cicada non edunt voces.

De sagacitate quarundam auium.

CAPVT XVI.

Aelor. Patet autem mira quadam naturali solertia callere volucres in nidis construendis, in pullis educandis, in insidiis pręcauendis, in mutationibus aeris ac temporis explorandis, & cognoscendis. In morborum quoque remediis adhibendis, & huiusmodi, v.g. quædam (vt superius dictum est) pugnantes ad inuicem origanum syluestre super plagas in remediũ apponunt. Hirũdo (vt legitur) in nidis cõstruẽdis solertissima quoddam etiam præscium habens lapsura deserit culmina, per flexuosos circumitus volans, nunquam cæteris auibus efficitur præda, pullis suis cæcitate perfusis quodam medicamine reformat lumina. Hyeme trans mare commorata, nouit aduentu suo nunciare veris initium. *Plinius lib.* 8. Chelidoniam visui saluberrimã hirundines monstrauere vexatis pullorum oculis illa medentes. Ciconia origano in morbis sibi medetur. *Idem in lib.* 10. Reddatur & coruis sua gratia indignationi quoque populi Romani attestata non solum conscia. Tyberio Principe ex fœtu supra Castrorum ædem genitus pullus in oppositã sutrinam deuolauit, etiam religione commendatus officinæ Domino. Is maturè sermonibus assuefactus omnibus matutinis euolans in castra, in forum versus Tyberium, deinde Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntẽ populum Rom. salutabat. Postea ad tabernã remeans plurium annorum assiduo officio meritus. Tradendum putauere memoriæ quidem visum per sitim lapides congerentem in situlam monumenti in qua plurima aqua durabat, sed quę attingi non posset, ita descendere pauentẽ expressisse tali congerie quæ potaturo sufficeret. Non est autem omittendum cum de ingeniis differimus, è volucribus hirundines indociles esse, sicut è terrestribus mures. *Idem in eod.* Auibus ingenia varia sunt maximeque ad pastum. Nam caprimulgus de nocte aduolat vberibus caprarum propter lactis succum. Quædam autem (vt dictum est) imperata facinut nec tantum voce, sed pedibus & ore pro manibus, vt cardueles auiũ minimæ. Quædam etiam imitantur voces hominum, quædam animalium, vt equorum & boum. *Alexander.* Auis euitat laqueos, si ad superiora se conferat, & terrena superuolet. In superioribus enim nemo retia tendit, nemo laqueos abscondit.

Aues medicamentis vtuntur.

Pullus officiosam salutationem callens.

Aues indociles,

De

De quarundam pugnacitate.

CAPVT XVII.

Arma auiũ

Riſt. vbi ſupra. Aues etiam quædam contra ſe inuicem pugnant, quarum vigor & arma ſunt alæ & vngues. Itaque quædam earum, vt dictũ eſt, habent vngues curuos in pedibus venationi ac prædationi aptos, quædam vero in cruribus aptos ad pugnandum in eundo fixe ſuper terram, ſcilicet vt gallus. Non eſt autem auium vnius ſpeciei vt ſe comedant. Coruus & bubo ſibi inuicem aduerſantur in nidis. Bubonẽ quoque multa pars auium odit, quę & ipſum deplumant.

Sympathia & antypathia in auibus.

Coruus amicus eſt vulpis, & iuuat eum contra inimicum ſuum, ſcilicet, aſcelon. Aſcelon enim eſt auis quæ cum vulpe pugnat, ipſamque deplumat & nocet, ac pullos eius interficit. Item coruus niger pugnat cum aſino, & tauro, volanſque ſuper illos pungit eorum oculos roſtro. Palumbes quidem naturaliter diligunt ſe, pugnant tamen inuicem pro nidis. Aues autem cũ pugnant inter ſe ponunt ſuper plagas origanum ſylueſtre. *Plinius* lib. 10. Diſſident olores & aquilę, coruus & cloreus noctu oua inuicem exquirentes. Simili modo coruus & miluus illo præripiente huic cibos, cornices & noctuę, aquilę & trochillus ſi credimus, quoniam rex auium appellatur. Noctuę & cæteræ minores aues, rurſus cum terreſtribus muſtela, & cornix, & turtur, & pyralis, ichneumones, & veſpæ, phalanges, & aranei. Aquaticæ anates, & gauiæ, harpæ, & triorches, accipiter. Sorices & ardeolæ inuicem fætibus inſidiantes. Egythus auis minima cum aſino pugnat, ſpinetis enim ſe ſcabendi cauſa atterens, nidos

Nota.

eius diſſipat, quod illa adeo pauet, vt voce omnino rudentis audita, oua ejiciat, pulli ipſi metu cadunt. Ergo aduolans vlcera eius roſtro excauat: vulpes & milui. Eſcelon auis parua eſt, oua corui frangens, cuius pulli infeſtantur à vulpibus. Inuicem hæc catulos eius ipſãque vellit, quod vbi viderint corui contra auxiliantur, velut aduerſus communem hoſtem. Et achantis in ſpinis viuit. Iccirco aſinos & ipſa odit, flores ſpinæ deuorantes.

De pugnis auium.

Idem in lib. 11. Auibus autem (vt dictum eſt) alijs in pugna vox eſt, vt coturnicibus, alijs ante pugnam, vt perdicibus, alijs cum vicerint, vt gallis.

De Nominibus, & naturis auium ſecundum alphabetum, & primo de accipitre.

CAPVT XVIII.

Accipitris etymon.

Iſidorus vbi ſupra. Accipiter eſt auis animo plus armata quam vnguibus, virtutem maiorem in minori corpore geſtans. Hæc ab accipiendo dicta, quia rapiẽdis alijs auibus auida. *Ambr. vbi ſup.* Accipitribus nihil eſt copulatorium propter coniugale conſortium, propter auiditatẽ prædandi, & propter inſidias explorandi. Refugit enim auaritia plurimorum conſortia.

Inclementia accipitrum

Accipitres duram aduerſus filios proprios ferunt inclementiam habere in hoc, quod vbi eos tentare principia volatus aduertunt, à nidis ſuis eos ejciunt, continuoque eliminant. At ſi morantur, pennis eos propulſant atque præcipitant, alis verberant coguntque audere quod trepidant, nec vllum poſtea munus eis alimonię deferũt. Sed in hoc magis teneros pullos ſuos inſtituere videntur ad prædam, quàm partus abdicare. compendijs. Cauent enim ne in tenera ætate pigreſcant, ne ſoluantur delitiis, ne ocio marceſcant, ne diſcant cibum magis expectare, quàm quærere. *Ex lib. de natura rer.* Accipiter ſylueſtris multum ieiunare permittitur, & ſic manſueſcit. Qui vult accipitrem habere pinguem, det ei de carne bouis, vel porci, & hoc maſculi. Qui macilentum, det ei gallinas iuuenes aqua madefactas. Qui temperatum, gallinas veteres.

Vt accipiter expedite aucupetur.

Qui expeditum in aucupando, faciat ei bonam veſicam gutturis, & includat eum in tenebris, cum lumine tamen modico, & aucupet diebus alternis.

A De ſanguine quoque volucrum tenerarum multas vires & audaciã ſumit auis in aucupando affectum. Super lignum ſalicis aut abietis ſedeat, eique balneum aquę frigidæ dẽtur. Nec multum alas eius contingas, niſi pendeant è diuerſo. Si vis vt accipiter leporem vel cuniculum capiat, hoc eum in iuuentute doce, & liga gyzos in cruribus prope pedes, interiecto ſpatio vnius palmæ, ſicque capiet ſine læſione.

De eodem.

CAPVT XIX.

Riſtoteles. Accipiter in altiſſimis montanis nidificat, & comedit auium corda quas capit. Congrediens cum aue, quæ dicitur kokiæ conuincitur. Ipſa B tamen pugnam non incipit. Fel habet in hepate, & inteſtino tantum, ſicut & miluus, vterque cubat 20. diebus. Pulli accipitris pingues ſunt, & bonæ carnis valde, Vultur admiſcetur in coitu cum accipitre maſculo. Splen paruus eſt in auibus calidi ventris, ſicut in accipitre & columba, & miluo. *Plinius libro* 10. Quando per mare veniunt coturnices, primam terrę appropinquantem rapit accipiter. Auis autem tinnugulus defendit columbas ab accipitre. Terret enim accipitres naturali potentia intantum, vt eius vocem viſumque fugiant. Accipitris audita eius voce vitiantur oua, quę cubantur. Alibi vero accipitrum genus in honore menſarum eſt. *Idem lib.* 11. In accipitre fel iungitur inteſtino, ſicut in columbis & murenis. *Idem lib.* 20. Accipitres lactucam ſcalpendo, ſuccoque oculos tingendo, cum ſenſerint obſcuritatem, diſcutiunt. *Idem in lib.* C 25. Centauream herbam triorchis nomine Theophraſtus tradit à triorche accipitrum genere defendi, eamque colligentes ab ipſo impugnari. *Idem in lib.* 28. Chameleon accipitrum genus detrahere ſuperuolantem ad ſe traditur, ac voluntarium præbere lacerandum cæteris animalibus. *Gloſſa ſuper Leuiticum.* Accipitri aſſimilantur, qui manſueti videntur, ſed cum potentibus & rapacibus rapere nituntur. Ob hoc accipiter in lege comedi prohibetur. *Gloſa ſup. Ioa.* Struthioni quidem eſt immane corpus, & raræ pennæ. Econtra rio autẽ herodio & accipitri, qui & aues reliquas trãſcendunt velocitate. Accipiter ſingulis annis auſtro flante pennam veterem deponit, noua naſcente. Vnde ſcriptum eſt: Nunquid ad ſapientiam tuam plumeſcit accipiter &c. Philoſophus. Accipiter auem quam ei ſors D contra noctem offert, tota nocte ſub pedib. tenet. Sed illam veniente ſole, & famelicus auolare permittit. Et etiam ſi eandem aliàs obuiam venãs habuerit, non perſequitur. Accipiter colorem oculorum mutat & roſtrum. Panis eum necat ſecundum Auguſtinum.

Cui aui accipiter ãſtipulatur.

Annatim accipiter pẽnam deponit

De diuerſis ſpeciebus accipitris.

CAPVT XX.

Plin. lib. 10. accipitrum genera ex auiditate diſtinguuntur. Alij non niſi è terra rapiunt auem, alij E non, niſi circa arbores, alij in ſublimi ſedentem, alij in aperto volantem. Denique accipitrum generà 16. inuenimus. Ex his circon altero pede claudum triorche quoque dictum à numero teſtium, hunc Romani buteonem appellant, epyleon Græci vocant, qui ſolus omni tempore apparet. Cętereę ſiquidẽ hyeme abeunt. Nocturnus accipiter cymindis vocatur, rarus etiam in ſuis ſyluis interdiu minus cernens. Bellum internecium cum aquila gerit, cohærentesque ſæpe prendũtur. Coccyx etiã ex accipitre fieri videtur. *Ex auiario.* Duæ ſunt ſpecies accipitris, domeſticus & ſylueſtris. Idem tamen diuerſis temporibus poteſt eſſe ſylueſtris & domeſticus. Sylueſtris accipere conſueuit domeſticas aues, & domeſticus ſylueſtres. Sylueſtris quas rapit, continuo deuorat. Domeſticus captas

Triorche.

Buteo.

domino ſuo reſeruat,qui earum ventres aperit, cordaque accipitri in cibum tribuit, & interiora ventris cum fimo eijcit,qui intus remanens putredinem carnium cum fœtore gignit. Accipiter corrigia ligatur in pertica,quam quaſi compedes in pedibus habere conſueuit,ne cum voluerit euolare poſſit. In ſiniſtra manu geſtari ſolet, vt in dextram ad aliquid capiendum volet. Vt autem dicit B. Greg. Agreſtibus accipitribus moris eſt vt auſtro flante alas expandant, quatenus eorum membra ad laxandum pennam veterem venti tempore concaleſcant. Cum verò ventus deeſt, alis contra radium ſolis expanſis,atque percuſſis tepẽtem ſibi auram faciunt. Sicque poris apertis,vel veteres exiliunt,vel nouæ ſuccreſcunt. Domeſticis autem quo melius plumeſcere debeant, munita,ac tepentia loca requirunt.

Ex Auiario. Agreſtis moris accipiter aues domeſticas rapere conſueuit,& captas occidit, cordaque illarum extrahit & comedit. *Ariſt. vbi ſupra.* Accipitrum modi ſunt tres. Quidam qui columbas non percutiunt,niſi ſuper terram. Quidam non niſi ſuper arbores. Quidam verò non niſi volantes in aere, quæ omnia columbę agnoſcentes,cum horum aliquem viderint ad locum ſe transferunt in quo genus illud non percutit. *Ex libr. de natur. rerum.* Accipitrum quatuor ſunt genera. Primum eſt corpore magnum domabile multum:oculis varijs, perlucidis, hilari vultu, craſſo pede,longis vnguibus,delitioſè comedẽs, omnes aues inuadit,nullam timet. Secundum genus eſt priore minus,quod aliætum dicere poſſumus, alas habẽs craſſas, ſecundum quantitatem ſui corporis breues & vngues craſſos & oculos magnos & obſcuros, non cito manſueſcit,& ideo pluribus odioſum. Anno primo donationis parum valet,ſecundo plus: tertio imitatione aucupat ſatis bene. Tertium genus eſt niſus, paruus quidem aliorum reſpectu, ſed tamen velox, citò manſueſcit,& delicatè nutriri vult, & leuiter aucupat. Quartum genus eſt frogellus, quem manſuetum dicimus,multo quidem minor, ſed colore ſimilis, ſicut niſus accipitri conſimilis eſt in diſpoſitione habitus,& colore. Hæc auis citò manſueſcit, & delicatè nutriri vult, ac leuiter aucupat, velox ad volatum.

Genera accipitrum ſunt quatuor.

Niſus.

Frogellus.

De medicinis ex accipitre.

CAPVT XXI.

Vſus medicinalis.

PLin. *lib.*29. Accipiter in roſaceo decoctus ad omnium vitiorum in oculis accidentium inunctiones putatur efficaciſſimus, ſimiliter & fimi eius cinis cũ attico melle. *Idem in eod.* Fimus cenchridis accipitrum generis,ex melle oculorum albugines extenuat, & oculis claritatem facit, hanc Græci argema faciũt. *Ex libro empyrices, Æſculapij magiſtri Hippocratis.* Adeps accipitris ſi teratur in oleo, vnctio quoque inde facta caliginem oculorum tollit.

De Acanthe & Acredula.

CAPVT XXII.

Acanthis

EX *libro de nat. rer.* Acanthis eſt auis parua, ſed fœcunda,nam duodenos ſimul facit pullos, herbarum pabulo reficitur,& ob hoc odioſos habet equos, quos vbi paſcenti ſibi ſuperuenire viderit, & herbas diripere, fugit & vindicat ſe vltione qua poteſt. Eorum hinnitus proprijs vocibus imitans, ac deridens. *Plinius lib.*10. Acanthis intantum odit auem egithum, vt non coire credant ſanguinem corum. *Auctor.* Acanthis iuxta Iſidorum ipſe eſt, qui apud nos vocatur

Carduelis

carduelis,de quo etiam dicetur inferius. *Iſidorus.* Acredula ipſa eſt luſcinia,de qua, ſcilicet, dicetur infra.

De Aeriophilone.

CAPVT XXIII.

Aeriophilon, Aelion.

EX *lib.de nat.rer.* Aeriophilon, quaſi amatrix aeris dicta,vulgariter aelion appellata eſt, auis nobiliſſima,paulò maior aquila volatu potens, & alis velociſſima, pennas habet ſubrufas caudamque longam: vngues ac roſtrũ, & crura maxima:aeris ſerena inhabitat,intantum vt vix vnquam vel parum in terra reſideat, aut quieſcat. Super nubes quoque frequentius eleuatur,ita quod videri non poteſt ab homine,cibũque capit in aere,& hoc quoque prædantium auium more. Cui ſi ſe auis obuiam in aere tulerit mox ab eo corripitur,& de ſummo aere in terram deijcitur. Nec ab homine videri poteſt,vt quis eam ab aere occiſam deiecerit. Hæc auis dum adhuc pullus eſt,& necdum cognoſcit ſe,ab hominibus capitur, & domeſticatur, & ad capturam inſtruitur. Sicque natura eius ab alienatione ſyluatica mutatur,vt aliam conditionem non putet,niſi cum hominibus,& in domibus habitare,vbi nutrita eſt, vnde fit vt contra conſuetudinem aliarum auium nobilium abſque ligamentis in porticis,& in domibus maneat. Hæc auis capreolos, & hinnulos capit,vnguium laniatione oculis in beſtia primum excuſſis: ſicque terebrato cerebro vſque ad vitæ extinctionem: ſocialiter autem duo volant, captamque prædam diuidunt.

Socialis auis & iuſta.

De Agochile,& Alauda.

CAPVT XXIV.

Caprimulgus.

AGochiles Arabicè dicitur,Latinè caprimulgus. Eſt enim auis orientis magna, quæ duo vel tria facit oua. Capras lacte irriguas petit,earum mammillis ſe ſupponens,roſtro lato,quod ad hoc creatum habet. Lac ex eis velut capreolus ſugit, ſed ex tunc in eis lac annihilatur,earumque mammillę deſiccantur. Dicit etiam Plin. quod eadem ſuctione capræ viſum perdunt. *Auctor.* Alauda eſt auis parua omnibus nota ſuo modulamine cantus. In æſtate incipit in aurora,quaſi nuntians ortum diei. In hyeme verò capitur, præcipuè tempore niuis. *Ex lib. de nat. rer.* Alauda eſt auis à laude dicta,quia mira iucunditate pennis exertis in aere vocis modulamine lætioris temporis aura congaudet. Nam obnubilato, vel pluuioſo cœlo vix aut nunquam canit. Diem in aurora venientem vocis iubilo prodit. Sedens in terra vix aut nunquam cantat. Sed in aſcendendo canit, paulatim quidem aſcendit, ſed inſtar lapidis ſubitò deſcendit: In aſcendendo autem las corpori coniungit, & leui motu cum cauda ſe regit. Accipitrem adeo timet, vt cum ab illo impetitur, in terra depreſſa ſinus hominum inuolet, vel eius manu capiendam ſe præbet, conſcia ſatis miſereri ſibi potius hominem quàm accipitrem. Nunquam impuris veſcitur. Nunquam auroręortus etiam accelerantis eam fallit. Alauda galeata, quæ & cyrrita dicitur,cæteris alaudis(vt ait Alexander) præferenda eſt in argutis ſyſtematum diſtinctionibus, eſt autem ſecundum muſicos ſyſtema vocis particula. *Razi. in Alman.* Caro alaudæ quæ pileata dicitur,ventrem conſtringit,eiuſque ius ventrem fluere facit.

Alauda.

Alauda confidit homini

Vſus medicus.

De Aliæto.

CAPVT XXV.

Aliætus.

AVctor. Aliætus iuxta Plin. eſt ſextum genus aquilæ, ſicut plenius dicetur inferius. Secundum alios vero ſecundum accipitris genus,ſicut dictum eſt paulo ſuperius. Et eſt auis immũda ſecundum legem, vt in Leuit. legitur. *Plin.lib.*10. Ex generibus aquilarũ aliætus tãtum implumes etiam percutiẽs pullos ſubinde cogit auerſos intueri ſolis radios, & ſi quenquam ex eis conniuentem,humectantemque,ideſt lachrymantem animaduerterit ipſum è nido velut adulterinum, atque degenerem præcipitat. Illum vero

cuius

cuius acies firma contra ſteterit educat. Eſt autem aliçetus volucris oculorum acie clariſſima ſeſe ex alto librans, viſoque in mari piſce, præceps in eum ruens, ac diſcuſſis pectore aquis rapiens. Aliæeti ſuum non habent genus, ſed ex diuerſo aquilarum coitu naſcuntur. Id quidem quod ex his eſt natum in oſſifragis genus habet, è quibus minores progenerantur vultures, & ex his magni, qui omnino non generant. *Radulphus ſuper Leuit.* Aliætus rapina paſcitur, ſed quia viribus deſtituitur, minoribus tantum auibus quibus præualet, infeſtus eſt.

Aliæti generantur ex aquilis.

De Alcione.

CAPVT XXVI.

Alcyon.

Ambroſius. Alcion eſt auis maritima, quæ in littoribus fœtus ſuos edere ſolet. Nam in arenis oua ſua deponit, medio ferè hyemis quando maximè mare inſurgit, & littoribus vehementior fluctus illiditur; qua excubante mare ſubito miteſcit, & omnes ventorum procellæ cadunt. Fouet autẽ oua ſeptem diebus, tunc pullos educit, quos aliis ſeptem diebus enutrit. Vnde hos 14. dies nautæ præſumptæ ſerenitatis obſeruant, quos Alcyonios vocant: eo quod alcione fouente, vel enutriente fœtus nullos procellæ motus horreſcat.

Dies Alcyonis.

Nidus Alcyonis.

Ariſtot. Nidus alcyonis aſſimilatur pineæ, niſi tantum in colore, quoniam eius color declinat ad rubotem. Figura eius aſſimilatur ventoſæ habenti collum longum. In medio loci dura eſt concauitas, ita etiam cum ferro acuto de facili non poteſt ſcindi. Introitus eius valde paruus, ideoque non intrat ipſum aqua maris. Profunditas eius aſſimilatur profundo ſpongię, & dubium eſt, ex quo componatur nidus ille. Eſt autem opinio, quod compoſitus ſit ex ſpinis belonit aculeatis. Hæc auis poſt 4. menſes coire incipit, & tota vita coit. *Plin. lib.* 10. Alcyon eſt auis paulo amplior paſſere, colore cyaneo, ex parte maiori tamen purpureis & candidis admixta pennis, collo gracili, & procero. Hanc videre rariſſimum eſt, nec niſi virgiliarum occaſu & circa ſolſtitia ſeptem diebus ante brumam nidos faciunt & totidem ſequentibus pariunt. Dies fœtificationis earum alcyonides dicũtur, placito mari per eos & nauigabili, maximè ſiculo. In reliquis ſiquidẽ partibus eſt mitius. Alterum genus earum magnitudine diſtinguitur & cantu minores in arundinetis canunt, piſcibus viuunt, oua quina pariunt. Nidi earum admirationem habent pilæ figura paulò eminente, aure perquam anguſta, grandium ſpongiarum ſimilitudine ferroque interſcidi non queunt, frangũtur autem ictu valido, vt ſpuma arida maris, nec vnde configantur inuenitur. *Ex lib. de nat. rer.* Alcyon eſt auis minutiſſima in mari habitans, & fœtus faciens. Aues quædam domeſticæ, vt gallina, & columba, indiſcretis tẽporibus fœtus faciunt, quoniam ab hyemis intemperie tutæ ſunt. Hæc autem ſola inter aues ſylueſtres hyemali tempore fœtificat. Huius nidus ferro nequit inſcidi, ſed ictu valido frangi, nec vnde configatur poteſt inueniri. Diciturque alcyon, quaſi ales oceani, eo quod in hyeme in ſtagnis oceani nidos facit, & pullos educat.

Figura nidi.

Alcyonis etymon.

De Anate.

CAPVT XXVII.

Anatis etymon.

Iſidorus. Anas ab aſſiduitate natandi aptum nomen accepit. Ex quo genere quędam germanę dicuntur, quod præ cæteris nutriant. *Plinius vbi ſupra.* Aues volando iaculantur ſeſe in ſublime, in rectum, in pronũ. Impingi putes aliquas, aut rurſus ab alto cadere has, illas ſalire. Anates ſolæ quæque ſunt eiuſdem generis in ſublime ſeſe protinus tollunt, & è veſtigio cælum petunt. Itaque in foueas quibus feras venantur delapſæ ſolæ euadunt. *Idem in lib.* 18. Anates ac mergi cæteræque aquaticæ aues, pennas roſtro purgantes, ventum præſagiunt.

Præſagium venti.

Ex libro de natura rerum. Anas eſt auis aliquantulum maior gallo. Mas caput & collum viridis coloris habet, roſtrum verò latum, & alas albo viridi nigroque diſtinctas. Torquem habet album circa collum, pedes rufos & latos, quibus in aquis ſubremigat. Nam aquis fluminum gaudet, difficileque ſine his viuere valet, maximè cum eam cibi ſicci citius ingurgitant. Mares aliquando cum plures fuerint ſimul, tanta libidinis inſania feruntur, vt fœminam ſolam coeundo viciſſim ac certatim occidant. Horum pulli mox vt ouum exeunt tanta agilitate vigent, vt etiamſi matrem mori, vel alienari contigerit ſine nutrice viuant.

Libido anatum.

De cibo, & medicina ex anate.

CAPVT XXVIII.

Anas cocta pectore melior eſt quàm ceruice, de qua Martialis ita dicit:

Tota quidem ponatur anas, ſed pectore tantum,
Ac cernice placet, cætera redde coquo.

Pars melior anatis.

Razi vbi ſupra. Caro anatis plures habet ſuperfluitates, & plus faſtidire facit, & maioris eſt caliditatis nõ tamen plus nutrit quàm caro gallinacea. *Plin. libr.* 29. Sanguis anatum ſpiſſatur ac ſeruatur, vinoque diluitur contra mala medicamenta. *Auicenna.* Anas calidior eſt omnibus domeſticis auibus, & dicunt quidã quod infrigidatum calefacit. Calefactum verò febricitare facit. Clarificat autem vocem. Augmentum facit in coitu, & ſperma multiplicat. Eius pinguedo maxima eſt in ſedando dolorem, pariterque mordicationem in profundo corporis. Et eſt melior cæteris auium pinguedinibus. Colorẽ quoque clarificat. Caro eius imguat, ventoſitates frangit. Tardatur autem in ſtomacho, & eſt grauis, proprieque anſeris, ſed quod in ipſa leuius eſt, & melius ſunt alæ. Cum autem digeritur caro anatis & anſeris, nutribilior eſt omnibus carnibus auium. *Idem.* Caro anatis eſt vehementis humiditatis, & plurimi nutrimenti, ſed non adeo boni, vt gallinæ & ſimiles. Veneres earum ſuaues ſunt, & hepata bona, ac ſuauia in cibo, bonique humoris. *Idem.* Alæ letati, id eſt caro anatum emplaſtri more ſuperpoſita, bona eſt neruis inflatis. Adeps anatis impinguatę, pãno linita confert. *Idem.* Hepar anatis pinguis, ſicut & gallinæ ſanius eſt cæteris: cerebrum eius eſt ex medicinis apoſtematum ani.

Ala anatis meliores ſecundum Auicennam.

Plinius libro 29. Quidam fœminam anatis efficaciorem putant. Item ſanguis infuſus cerebro profluenti valet, ſimiliter & adeps eius cum roſaceo coctus. *Idem in libro* 30. Anatum quoque maſculorum ſanguis aluum ſiſtit. Mirum verò traditur in torminibus anate appoſita morbum tranſire ventris, ipſamque anatem emori.

De Anſere.

CAPVT XXIX.

Iſidorus. Anſeri nomen anas dedit per deriuationem, vel à ſimilitudine, vel quòd ipſa natandi frequentiam habeat, hæc vigilias noctis aſſiduitate clangoris teſtatur: nullum autem animal eſt quod ita odorem hominis ſentit ſicut anſer, vnde & eius clangore Gallorum aſcenſus in Capitolio deprehenſus eſt. *Ambro.* Meritò anſeribus debes Roma quod regnas, dij tui dormiebant, & anſeres vigilabant, illis potius deberes ſacrificare quàm Ioui. Cedunt enim dij veſtri anſeribus à quibus ſe ſentiunt eſſe defenſos, ne & ipſi ab hoſte caperentur. *Plinius libro* 10. Anſeres in aqua coeunt, vere pariunt, aut ſi bruma poſt ſolſtitium. Plurima oua 16. pauciſſima 7. Incubant fœminæ tantum tricenis diebus. Si vero tepidiores ſint 25. pullis eorũ vrtica contactu mortifera, nec minus auiditas: nunc quidem ſatietate nimia, nunc vero ſuamet vi apprehenſa radice morſu, ſæpe conantes auellere, ante colla ſua abrumpunt. Contra vrticam autem

Anſeris etymon.

Sentit odorem hominis

Ouorum anſerum numerus.

eſt re-

Quot oua incubanda.

eſt remedium ſtramento ab incubitu, ſubdita radix earum. Anſeres aliena oua non excludunt. Incubanda ſubiici vtiliſſimum nouem, vel vndecim.

Plume anſerum deliciæ pro ſtramentis.

Iu Germania auſeres candidi, ſed minores ganzæ vocantur, pretium plumæ in libras denarij quini, eoque delicię proceſſere vt ſine hoc in ſtramento durare iam ne virorum quidem ceruices poſſint. Anſerum fœminæ mutua inter ſe libidinis imaginatione concipiunt aut puluere: mirum in hac alite amor, noſtrique ſapientores eos iecoris bonitate nouerunt, quod in magnam amplitudinem creſcit. *Idem in lib.* 28. Anſeres continuo clangore intempeſtiuo diras tempeſtates præſagiunt. *Ariſt.* Anſeres ſunt animalia verecunda ſeque obſeruantia. Magni & parui anſeres, qui ambulant more gregis, ſunt prope flumina, & lacus. Anſeres autem parui volant congregatim, in anſeribus quoque ſunt oua venti. *Ex lib. de nat. rerum.* Anſer vel auca eſt auis aquilæ magnitudinis. Huius generis illæ quæ indomitæ ſunt, & propriæ libertatis glauci coloris ſunt, & aeris alta petunt. Volant vt grues ordine literato, & ſecundum flatus ventorum volatus ſuos dirigunt. Aquilone flante petunt auſtrum, ſatis conſciæ frigidiora tempora imminere, vix à volatu ceſſant niſi commanducantes interim depaſcant. Adeo namque delectabilis eſt eis volatus, vt raro dormiant. Ac cõtra domeſticis aucis volatus eſt grauis, paſcere officioſiſſimum, quieſcere ac dormire præcipuum, horas noctis & fures clangore produnt. Eſt in Alpium montibus anſerum genus inter aues maximum, præter ſtruthionem, ſed adeo ponderoſum, vt manu capiatur immobile ſuper terram. Anates & anſeres cæteræque aues herba ſe purgant ſyderite.

Anſeres ſylueſtres multum volant.

De generatione anſerum & impinguatione.

CAPVT XXX.

ANſeres verò coeunt vere, aut ſi bruma poſt ſolſtitium. Si quis ſubripiat eis oua, pariunt donec rumpantur, aliena vero non excludunt. In cubando vtiliſſimum eſt nouem, aut vndecim ſubijcere. Aliquãdo etiam ſine coitu ouant, ſed oua ſine pullis ſunt; pro pullis defendendis ſibilant. Contra pluuiam frequentius ſe balneant. Carnes ad digerendum duras habent. Quando impinguationis cauſa recluſæ ſunt, ſi vna ſola fruſtrata ſocietate relinquatur, præ triſtitia ſolitudinis vix vlterius impinguatur. Auca vt etiam impinguetur incluſa, infra nouem dies terminum impinguationis conſequetur, vltra quem non progreditur, etiam ſi pluribus diebus includatur. *Ariſt.* Anſeres ouant, & ſine coitu. In aqua natant, vt in eis fiant oua venti. *Palladius lib.* 1. Anſer ſanè, nec ſine aqua, nec herba facile ſuſtinetur. Locis conſitis inimicus eſt, quia ſata & morſu lædit & ſtercore, pullos præſtat & plumas, quas & autumno vellere licet & vere. Vni maſculo ſufficiunt tres fęminę. Albi fœcũdiores ſunt, varij vel fuſci minus, quia de agreſti genere ad domeſticum tranſierunt. Incubant à kalendis Martij vſque ad æſtiuum ſolſtitium. Plus parient, ſi gallinis oua ſupponas, extremum partum iam vacaturæ matres educare permittũtur. Gallinis ſicut pauonina, ſic & anſeris oua ſupponenda ſunt, ſed anſerina ne noceantur, ſuppoſitis vrtica ſubijciatur. Pulli decẽ primis diebus intus paſcendi ſunt, poſtea ſereno educi poterunt, vbi non fuerit vrtica, cuius aculeos formidant. Quatuor menſium bene ſaginantur, nam melius in tenera ætate pingueſcũt. Ter in die eis polẽta datur, & largè natãdi licentia prohibetur. Loco claudi debent obſcuro & cálido. Sic maiores ſecundo etiam menſe pingueſcunt. Nam paruuli ſæpe 30. die ſaginantur, ſi ad ſatietatem milium infuſum præbeatur. Inter anſerum cibaria legumen omne porrigi poteſt, excepto heruo. Cauendum eſt autem ne pulli eorum ſetas glutiant.

Ouant ſine coitu oua venti.

Impinguatur 9 diebus

Nota.

Nota.

De cibo, & medicina ex anſere.

CAPVT XXXI.

Vtilitas carnis anſerinæ.

AVicenna. Anſerum caro craſſa eſt. Adeps eorum allopiciæ confert, & ad fiſſuras faciei atque labiorum valet. Sedat quoque dolorem auris, & confert matrici. Alæ earũ bonæ digeſtionis ac nutrimẽti ſunt, nec sũt niſi leues propter multitudinem motus, & exercitij ſui. Nec earum nutrimentum multiplicatur, niſi propter multitudinem carnium quæ in eis eſt. *Plinius. lib.* 29. Adeps anſeris cum melle impoſitus valet contra morſum rabidi canis. Sanguis eius contra leporis marini venenum, contraque omnia mala medicamenta eſt vtilis. Adeps anſerum in vaſe æneo cum cinnamomo, & caſſia, & pipere albo, & herba quæ commagene vocatur, & calamo, niue multa obrutis, ac gelido rigore maceratis, ad vſum pręclari medicaminis ſumitur, quod commagenũ dicitur. Eſt & odore iucundum, medela vtiliſſimum, & ad confricationes, conuulſiones, cæteroſve ſubitos dolores, vnguentum pariter eſt ac medicamentum. Idem adeps cum butyro ſiſtit ſanguinem. Igni quoque ſacro medetur anſeris adeps, eoque carbunculus curatur. Item adeps vlcera linguæ labiorumque ſanat, & cutem in facie ſerenat; dolorem & grauitatem aurium ſedat. Cerebro profluenti valet anſeris adeps cum roſaceo coctus, & ſimiliter ſanguis infuſus. Fel anſeris confert oculis contuſis, vt poſtmodum hyſſopo ac melle inungantur. Cæliacis verò prodeſt, anſerum trium linguas in cibo ſumere. *Æſculapius vbi ſupra.* Adeps anſeris omnes duritias ſoluit. Idem cum ſucco cæpæ inſtillatus auri aquam illapſam eijcit. *Dioſcorides.* Anſerinus adeps ſummè mirificus eſt ob dulcedinem pinguedinis. Rimas labiorum curat, totiuſque vultus factas ex frigore rimas optimè ſanat, & aurium dolores.

Commagenum.

Adeps anſeris.

De Aquila

CAPVT XXXII.

Aquila etymon.

ISidorus. Aquila ab acumine oculorum vocata eſt. Tanti enim contuitus eſſe dicitur, vt cum ſuper maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta ſublimitate piſculos natare videat, & inſtar tormenti deſcendens raptam prædam pennis ad littus pertrahat. Nam & contra radium Solis fertur obtutum non flectere. Vnde & pullos ſuos vngue ſuſpenſos radiis ſolis obijcit, & quos immobilem aciem tenere viderit, vt dignos genere conſeruat, ſi quos verò obtutum inflectere viderit quaſi degeneres abijcit.

Probatio pullorum aquilæ.

Ambroſius. Aquilæ autem pullum abiectum fulica ſuſcipit, quæ Græcè κεσσφῶ dicitur, & eum cum prole ſua connectit, eodemque quo fœtus proprios maternæ ſedulitatis officio paſcit & nutrit. Idem Aquila cum ſit acuti viſus valde, cogit pullos ſuos antequam alas completas habeant ſolem aſpicere. Et ſiquidem oculi alicuius lachrymantur, aliquando interficit ipſum. Aquila quoque non redit ad ſuperfluitatem ſiue reliquias venationis ſuæ, vt aliqui pullorum comedant ex illa.

Interficit ſerpentes.

Iorath. Aquila eſt auis magna regalis, de qua dicitur quod vbicunque viderit ex alto ſerpentem, magno ſtridore oppreſſum vnguibus laniat, & poſtquam extracta de viſceribus venena mortifera decerpſerit, adhuc ſaucium deuorat, & virus quod inerat extinguit, veneno calore decocto, hoc quoque experimento aut contriſtatur aut gloriatur: vnam ſedem & vnum nidum ſemper habent. *Ariſto.* Aquilarum fœminæ maioris corporis ſunt quàm mares. *Plin. lib.* 10. Aquilæ rapta non protinus ferunt, ſed primo deponunt expertęque pondus, & tunc demũ abeunt, oppetunt autẽ non ſenio, nec ægritudine, ſed fame, intantũ ſuperiore ro-

ſtro ac-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſtro accreſcente vt aduncitas aperiri non queat. A meridiano tempore operantur, & volant prioribus horis diei donec impleantur hominum conuentu fora, ignauæ ſedent. *Penna denotatrices.* *Aquilarum pennæ mixtas reliquarum altum pennas deuorant.* Negant vnquam ſolam hanc alitem fulmine exanimatam, & ideo Iouis armigeram conſuetudo iudicauit.

De Eadem.

CAPVT XXXIII.

Nota. *EX lib. de nat. rer.* Aquila habet alas rectas & extentas, ſed in ſummitate recuruas, *dextrum pedem ſiniſtro maiorem*, libenter ad ſolem conuerſa ſedet. Sedens ſuos vngues ſemper reſpicit, ne recurui facti ſint. Super lapidem quoque non diu ſedet, ne acies eorum retundatur, *hæc auium ſola non fulminatur.* *Priuilegium aquila.* Omnes aues nobiles ea viſa pertimeſcunt. Illaque die audaciam perdunt, nec ad prædam de facili volare poſſunt. De ſolo gyrfalcone dicitur quod aquilam capit, & in hoc eius audacia culpatur tanquam maieſtatis rea, quod reginam auium lædit. Aquila rapinam captam non protinus fert. Sed primo deponit, expertáque pondus ſecundum vires ſuas abit. *Benignitas auis & crudelitas.* *Prædam quidem cæteris auibus partitur, eaſque ſecum comedere patitur. Sed ſi cibus in medio poſitus ei non ſufficit, vnam ex conueſcentibus auibus rapit & comedit.* Cornix aquilam inſequitur, ſed cum aquila diu diſſimulauerit eam tandem vnguibus apprehendit. Aquila etiam ſuo quaſi imperioſo clamore dicitur aliarum auium motum retardare. Ieiunium diuturnum multa cibi quantitate ſumpta recompenſat. Quod aquilarum pennæ aliarum auium pennis adiunctę corrodant illas, ſæpe expertum eſt in ſagittis pennatis, his & aliarum pennis in pharetra coniunctis. *Auctor.* Aquila ergo arduos volatus habet, & in petris manet. Roſtrum, vt dicunt ad petram terit. *Rex auium* *Eſt rex auium*, ſicut leo ferarum, & bos iumentorum. Venatur columbas, & cœteras aues minores, vel mediocres. Ieiunat vſque ad meridiem, & tunc ad prædam volat. In nido gemmam ponit, vt pullos à ſerpentibus defendat. Sola auium ſolem intuetur in rota. Pullos quoque ad ſolis radium: probat ſanguinem lambit, alas innouat, piſcatur piſces, & quando ſtat reſpicit vngues, eſt autem fulua exterius, ſicut miluus. Clamoſa eſt, & de raptu viuit.

Carmina de aquila. Vnde verſus.

Alta volat, manet in petris, roſtrum terit, eſt rex,
Venatur, ieiunat, habet gemmam rota ſolis,
Sole probat pullos, lambit, fons innouat alas,
Fulua videns vngues piſces prædat, reboat vox.

De ſpeciebus aquilæ.

CAPVT XXXIV.

Sex genera aquilarum. *PLinius.* Aquilæ ex his quas nouimus aues, maximus honos, maxima & vis eſt. Harum *ſex ſunt genera.* *Melenetos* alias melenotes à Græcis dicta. Eadémque in valeria minima magnitudine viribus præcipua, colore nigricans. Sola aquilarum fœtus ſuos alit. Nam cæteræ, vt dicemus fugant. Sola ſine clangore, ſine murmuratione. Conuerſatur autem in montibus. Secúndi generis eſt *Pigargus* in oppidis; & in campis albicante cauda. Tertij *Morphos* quam Homerus, *& parenon* vocat, aliqui & plancum, & anatariam, cui vita circa lacus ſecunda magnitudine & vi: phemonoe Appollinis dicta filia dentes ei eſſe prodidit, mutæ alias Carentiáque lingua: eadémque aquilarum nigerrima, prominentiore cauda. Conſentit & Boetius. Ingenium eſt ei teſtudines raptas frangere è ſublimi iaciendo, quæ ſors interemit Poeram, Æſchylum: prædictam fatis, vt ferunt, eius diei ruinam ſecura cœli fide cauente. Item quarti generis eſt *Percipiturus*, eadem moratur per lacus vulturina ſpecie alis minimis, reliqua magnitudine antecellens, ſed imbellis & degener, vtpote *quam verberat coruus.* Eadem ieiunæ ſemper auiditatis, & querulæ murmurationis, ſola aquilarum exanima ferit corpora. Nam cæterę cum occidêre conſidunt. Nec facit vt quintum quod genus *geneſion* vocatur, verum ſolíſmque incorruptæ originis, mędia magnitudine, colore ſubrutilo, rarum conſpectu. Supereſt aliætus clariſſima oculorum acie ſeſe ex alto librans, viſóque in mari piſce, præceps in eum ruens, & diffuſis pectore aquis rapiens. Illam quam tertiam fecimus, aquaticas aues circa ſtagna appetit, mergentes ſe ſubinde, donec ſopitas laſſatáſque rapiat. Spectanda dimicatio aue ad perfugia littorum tendente, maximè ſi condenſa harundo ſit. Et aquila in deiectu alia abigente, & cum appetat in lacus cadente, vmbrámque ſuam nanti ſub aqua à littore oſtendente, rurſus aue, in diuerſa, & vbi minimè expectari ſe credat emergente.

Cur aues gregatim natent. Hæc cauſa eſt gregatim auibus natandi, quia plures ſimul non infeſtantur reſperſo pennarum hoſtem obcęcantes. Sępè & aquilæ ipſæ non tolerantes pondus appræhenſum vna merguntur. Aliætus tantum implumes etiam pullos ſuos percutiens ſubinde cogit aduerſus ſolis radios intueri. Et ſi conniuentē flētémq; animaduerterit, velut adulterinum & degenerē è nido præcipitat. Illum vero cuius acies firma contra ſteterit, educat. Aliæti ſuum genus non habent, ſed ex diuerſo aquilarum coitu naſcuntur. Id quidem quod his natum eſt, in offifragis genus habet, è quibus vultures progenerantur minores. Et ex his magni qui omnino non generant. Quidam adjciunt genus aquilæ, *barbatam* vocant, thuſci vero *oſſifragam.* *Aquila barbata ſeu oſſifraga.* Tribus primis, & quinto aquilarum generi mediſicatur nido lapis æthites, quem aliqui dixere gagaten ad multa remedia vtilis, nihil igne diſperdēs. Eſt autem lapis illa prægnans, intus cum quatias alio in vtero ſonantē. Sed vis illa medica, non niſi in nido direptis. Primo ac 2. generi nō minorum tantum quadrupedum eſt rapina, ſed etiam cum ceruis prælia. Multūque puluerem volutatu collectum inſidens cerui cornibus excutit in oculos, eius pēnis ora verberans donec in rupes præcipitet. Acrior eſt cū dracone pugna, multóq; magis anceps ſi in aere: hic aquilæ conſectatur oua auiditate malefica. At illa ob hoc rapit vbicunque viſum. Illeque multiplici nexu alas ligat, ita ſe implicans vt ſimul decidant. *Pugna aquilarum cum ceruis & draconibus.*

De nidis aquilæ, & pulliſicatione.

CAPVT XXXV.

Cur aquila excludunt pullorum numerum. *IDem in eodem.* Aquilę nidificant in petris, & arboribus, pariunt oua terna, excludūt *pullos binos*, Viſi ſunt aliquando & tres, alterum expellunt tædio nutriendi. Quippe eo tempore ipſis cibum negauit natura proſpiciens, *ne omnium ferarū fœtus raperentur.* Vngues quoque earum inuertuntur diebus his; Albeſcunt inedia pennæ, vt merito partus ſuos oderint; Sed eiectos ab his cognatum genus oſſifragi excipiunt, & educāt cum ſuis. Verū adultos quoq; perſequitur parens, & longè fugat, æmulos ſcilicet rapinæ. Alioquin & vnum par aquilarū magno ad populandum tractu, vt ſatietur indiget: *determinant ergo ſpatia, nec in proximo prædantur.* *Ariſt.* Aquila ſuper oua ſua cubat 30. diebus, multumque grauatur in nido, ſic vt venari non poſſit. Ideóque plus quam duos pullos paſcere non ſufficit. Vnde tertiū ouum tertium pullum proijcit, ſtatim autem vt pullos ſuos poſſe volare videt, alis ſuis eos percutit, & à nido eijcit. *Iorath.* Aquila de pullorum ſuorum cibo ſolicita ponit amethyſtum in nido ſuo, & ab eis venenum fugat. *Aquila determinant ſpacia ad populandū.*

Ex libro de naturis rerum. Aquila altiſſimis arboribus nidificat, vbi mala beſtia non accedat, pullóſque cautè cuſtodiens non relinquit donec ſeipſos protegere ſciant ac valeant. Itaque contra draconem, vel hominem, vel aliud animal, ſi eos turbare, vel rapere voluerit, mira animoſitate pugnat, ſęque mortis periculo pro eis exponit, quos etiam in humeris ſuſtollit, vt eos protuocet ad volatum. Fertur etiam quiddam *habere præſcium, vt quantumcumque longè ſit à pullis aduenire ſentiat aduerſarios eorum.* Docet etiam eos lambere ſanguinem. Lapidem æthitem habet in nido, qui velut prægnans fœtum habet intus lapidem minutum *Aquila Præſcientia.*

ſonantem, & hunc contra calorem nimium, quem habet aquila naturaliter in nido habet, ne depereant oua dococta calore nimio, huic enim lapidi calor ignis nocere nequit. Dicunt & alij philoſophi, quod duos lapides pretioſos nomine indes in ſuo nido collocat, ſine quibus parere non poteſt. Aquila multis diebus ieiunat, adultos pullos perſequitur, longe fugans, æmulos, ſcilicet rapinæ. Eſt etiam aquilæ peſſimum genus, quod pullos ſuos ante tempus expellit tædio nutriendi. Ratio autem hæc eſt ſecundum Ariſtotelem, quia poſt incubationem adeo debilitatur, vt venari non poſſit, etiam vngues eius incuruantur, vt prædam tenere non valeat, albeſcunt alæ, & aggrauantur, vt vix poſſit volare. Aquilæ pulli ſine clangore ſunt, & ſine murmuratione. Eſt aquila grandis in ſeptentrione habitans, duo faciens oua ſemper, vt dicit Plinius, in cacuminibus ramorum ſuſpenſa captóque lepore, vel vulpe minutatim ei corium detrahit, & oua ſua in villo inuoluit, ac ſub calore ſolis ponit, itaque relinquens ea non cubat, ſed quouſque naturali maturitate frangantur expectat. In egreſſu vero pullorum redit, & tunc eos vſque ad robur perfectum nutrit. *Ariſtoteles.* Aquila propter ſui calorem ouis ſuis lapides interponit frigidiſſimos, ne oua ſuo calore diſſipentur. Pullos ſuos radijs ſolaribus in alto oblatos, qui eos ferre nequeunt tanquam degeneres eijcit, natura tamen illis neceſſaria miniſtrat: diligenter pullos ſuos aſportat tergo inſidentes, & *corpus proprium inter eos & ſagittarium quaſi ſcutum interponit*, vt ſi neceſſe eſt, ictum ſuſcipiat.

Amor aquilæ erga pullos

De Aquilæ ſeneſcentis renouatione.

CAPVT XXXVI.

Aquila iuuenescit.

Auguſtinus ſuper Pſalm. 102. Aquila fertur dum ſenio grauatur, roſtri immodicè creſcentis vnco, non poſſe os aperire, & cibum capere, & inde langueſcit, ſed quodam naturali modo roſtrum ad petram collidit, & roſtri onus excutit, ſicque ad cibum redit, & omnia reparantur ei, vt iuuenis fiat, vnde renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. *Gloſ. ſuper Mich.* Aquila ſiquidem auium regina, certo tempore amiſſis plumis remanet implumis. Vnde Propheta. *Dilata inquit caluicium tuum ſicut aquila. Gloſſa ſuper Ezech.* Cum enim ſenio afficitur aquila, plumas & pennas quibus ad prædam ſolebat ire amittit. *Ex Papia.* Phyſiologus dicit aquilam hanc habere naturam, cum ſenuerit grauantur alæ eius, & obducuntur caligine oculi eius, tunc quærit fontem aquæ viuæ, & contra eum euolat in altum vſque ad æthera ſolis. Ibique alas ſuas incendit, ſimul & caliginem oculorum exurit dè radijs eius. Tunc demum deſcendens in fontem ſe mergit, & ſtatim tota renouatur, ita vt alarũ vigore, & oculorum ſplẽdore, renouetur in melius *Iorath vbi ſup.* Aquila ſeneſcẽtibus pennis, & hebetato viſu ter ſurſum aſcendens, viſum ſuum, & alas contra Solem acuit, totiénſq; deſcendens in fonte † *Semoth* ſe mergit, ac roſtrum ſuum ad petram acuit. Sícque tribus vicibus redit viſus eius, & plumæ ac roſtrum. Cum adhuc quarto attentauerit, tunc moritur. *Ex libr. de natur. rer.* Aquila eſt auis magna, & nobiliſſima, vtpote auium regina, quę cum ſenecta grauatur, ſuper omnes nubes in ſublime volat, & ex calore ſolis oculorum eius caligo conſumitur, & mox impetu cum ipſo caloris æſtu deſcendens aquis frigidiſſimis tertio immergitur. Indéque reſurgens ſtatim nidum petit, & inter pullos iam robuſtos ad prædam in qualitate frigoris, & caloris quaſi quadam febre correpta, quodam ſudore plumas exuit, fouetúrque à pullis ſuis, & paſcitur, donec pennas plumáſque recuperans innouetur.

Renouatio aquilæ.

† *Forſan legendum (ſibi noto)*

De medicinis ex aquila.

CAPVT XXXVII.

Æsculapius. Aquilæ fel cum melle ſuffuſos ſanat oculos. *Plinius lib.* 29. Oculis inunctis aquilæ cerebro aut felle cum attico melle claritatem viſus dicunt reſtitui. *Idem in eodem.* Aquilæ felle, quam diximus pullos ad contuendum ſolem experiri, mixto cum attico melle inunguntur nubeculæ, & caligationes atque ſuffuſiones oculorum. *Idem in lib.* 30. Lumborum quoque dolori pedes aquilæ in auerſum à ſuffragine ſuulſi alligantur, dexter quidem doloribus partis dextræ, ſiniſter quoque leuæ: præterea morbo regio reſiſtit cerebrum aquilæ in cyathis vini tribus. *Auctor.* Cæterum, vt dictum eſt ſuperius, iuxta Plinium quibuſdam aquilarum generibus inædificatur nido lapis æthites, ad multa remedia medicinalia vtilis, nihil igne deperdens. Veruntamen illa medica vis non ineſt, niſi nido direptis. De hoc autem lapide lęctor requirat ſuperius in tractatu de lapidibus inſignioribus. Nunc de cæteris auibus iuxta ordinem alphabeti, vt cœpimus ſeriatim proſequamur.

Medicina ex aquilarum felle, cerebro.

De ardea, & ardeola, & aſalon, & aſida.

CAPVT XXXVIII.

Isidor. Ardea dicitur quaſi ardua propter arduos volatus. Vnde *Lucanus. Quodq; auſa volare ardea.* Cũ altius volauerit tempeſtatem ſignificat, hanc multi Tantalum vocant. *Ambroſ.* Ardea, quæ paludibus inhærere conſueuit, notas ſedes deſerit, imbreſque formidans ſupra nubes volat, vt procellas imbrium non ſentiat. *Plinius lib.* 18. Ardea dum in medijs arenis triſtis extat, diras tempeſtates prænunciat. *Ex lib. de nat. rer.* Ardea licèt in aquis cibum ſuum quærat, in ſyluis tamen & altis arboribus nidum ſuum collocat. Fertur autem quod pullos ſuos miro rigore nititur defendere. Accipiter eis infeſtus eſt. Sed ardea huic *anum opponit, & ſtercus eijcit, Ad cuius tactum accipitris pennæ computreſcunt.* Vnicũ habent ſicut ciconia inteſtinum, plurimæque earum colorem habent cinereum, quædam vero album. Eſt quoddam earum genus, quarum mares anguntur in coitu cum magna vociferatione, fundúntque ſanguinem ex oculis præ dolore, nec minus ægrè pariunt grauidæ. Eſt & quoddam ardeæ genus diſtans à cæteris tantùm roſtri magnitudine, quod quidem ſemiſſem cubitum habet in anteriori parte, & plus quam tres digitos in latitudine, & ad hoc ſolum creatum videtur, vt ex eo ſibi victum commodius quærat, hæc auis piſcibus viuit, quos omnium fruſtrato conamine roſtro corripit, ac deglutit. Eſt & earum genus vt dicit Plinius, quod non niſi vnum oculum habet, vnde videre poſſit. Inde fit vt ab aucupe citius capi poſſit.

Ardea etymon.

Tantalum.

Ardea ſe a nu defendit

Plin. lib. 10. Ardeolarum tria ſunt genera, ſcilicet leucon, aſterias, pellos: hi anguntur in coitu. Mares ſiquidem coeundo cum vociferatu ſanguinem etiam ex oculis profundunt, nec minus ægrè grauidæ pariunt. Sorices, & ardeolæ diſſident inuicem fœtibus inſidiantes. *Idem in lib.* 16: Inter ardeolarum autem genera, quas leucos vocant, altero oculo tradunt carere. *Ex lil. de nat. rer.* † *Aſalon* eſt auis parua, quæ corui frangit oua, huius pulli à vulpibus infeſtantur. Ipſa vero vulpis catulos vellit, ipſámque vulpem, quod vbi coruus viderit auxiliatur vulpi, quaſi contra communem hoſtem. Hæc auis in ſpinis viuit, & ob hoc aſinos odit, flores ac folia ſpinarum deuorantes. Reperitur in diuerſis codicibus variatum hoc nomen. Nam aliquando aſalon, vt hic, aliquando aſſalon, aliquando aſchelon, aliquando eſolon, & fortaſſe errore, & vitio ſcriptorum varietas talis exorta eſt. Auctor. aſida iuxta Phyſiologum ipſa eſt ſtruthio de qua dicetur infra.

Ardeola tripliciu generis

† *Æſalon ſeu Eſalon ſcribitur à Plinio l.* 10., *c.* 74.

Aſida.

De athaco, & auibus paradiſi, & aurifrigio.

CAPVT XXXIX.

Athacus aues paradiſi cur?

Athacus, de quo legitur in Leuitico, eſt auis ignota etiam peritis Iudæorum. *Ex lib. de nat. rer.* aues paradiſi vulgariter ſic appellantur, non quia de paradiſo ſint, ſed ob inſignem pulchritudinem: tanti namque ſunt decoris, & gloriæ, vt nullus eis

color

color credatur deeſſe. Magnitudo earum eſt vt anſerum. Vox ita dulcis, & pia, vt excitare poſſit in homine deuotionem & gaudium. Siquando vero capta fuerit & illaqueata, gemit, nec ceſſat plangere donec reddita fuerit libertati. Super flumin Nili libenter habitat, & raro alias reperitur. Sunt & aliæ aues in eiſdem partibus eodem modo appellatæ, fuſci coloris, & ſubrutili, minores quam monedulæ. Aues autem paradiſi vocantur, quia *neſcitur vnde veniant, aut quo vadant.* Non enim coitus earum videtur, ſed certis temporibus aggregatæ, terras quas inhabitabant trãſituræ relinquunt, & ſic recedunt. Auriphrygius eſt auis ſic dicta, quaſi aurã phrygiam ſequens. Habent vnum pedem cum vncis vnguibus ad prædandum, alterum vero latum ad natandum. Gyro multiplici vtitur in aere, nunc more ludentis, nũc more inſidiantis vſque dum prædam in aquis cernens impetuosè deſcendit, altero pede prędam rapiens, altero natante rapientem adiuuans.

Auriphrygius.

De Bartlathe, ſiue bernaca.

CAPVT XL.

BArtlathes ſunt aues de ligno creſcentes, quas vulgus bernacas appellat. Fertur enim quod lignum de abiete marinis aquis incidens, quando ſucceſſu temporis putreſcere cœperit humorem ex ſe craſſum emittit, ex quo denſato formantur paruæ ſpecies auium ad magnitudinem alaudarum. Primumque ſunt nudæ, deinde maturantes plumeſcunt ac roſtris ad lignum pendentes per mare fluitant vſque ad maturitatem, donec ſe commouentes abrumpant, ſicque creſcant, & roborentur vſque ad debitam formam. † Harum multas & ipſi vidimus, viróſque fide dignos, qui eas adhuc pendẽtes ſe vidiſſe teſtati ſunt. Anſeribus minores ſunt, colorem habent cinereum ac nigrum. Pedes vt anates, ſed nigros. De his autem Iacobus Achonenſis Epiſcopus in Orientali hiſtoria loquens dicit, quod arbores ſunt ſuper ripas maris, de quibus hæ procreantur roſtris infixis arboribus dependentes. Tempore vero maturitatis ex arboribus decidunt, ac per incrementa proficientes, ſicut aues cæteræ volare incipiunt. Veruntamen niſi decidentes cito aquas inuenerint viuere, nõ poſſunt, quoniam in aquis eſt nutrimentum earum, & vita. Notandum autem quod non in ramorum ſummitatibus, ſed in arborum corticibus ac ſtipitibus pendent. Creſcunt autem arboris humore, & roris infuſione, donec habentes plumas, ac robur vitæ, corticibus abrumpantur. De his itaque certum eſt quod in orbe noſtro circa Germaniã, nec per coitum generant, nec generantur. Sed nec earum coitum apud nos vllus hominũ vidit. Vnde & carnibus † earum in quadrageſima nõnulli etiam Chriſtiani in noſtra ætate in locis, vbi auium huiuſmodi copia eſt, vti ſolebant. Sed Innoc. Papa III. in Lateranenſi Concilio generali hoc vltra fieri vetuit. Hæ volucres herbis, & graminibus, vt anſeres viuunt. Potum vero differre ſicca comedentes nullatenus poſſunt. *Phil.* Bernaca quę ex arbore naſcitur, in quibuſdã quoque Flandriæ partibus inuenitur. Hæc auis non habet ſuperfluitatem, ſicut nec arbores.

Bernacæ.

† *Multa generantur in Britannia maiori de quibus conſule Gyraldũ*

† *In Hibernia hoc factum.*

De biſtarda, & bonoſa.

CAPVT XLI.

EX *li. de nat. rer.* Biſtarda eſt auis aquilinæ magnitudinis, qui volatu tarda, bis aut ter ſaltum in terra facit antequam ad æthera ſubleuetur. Vnde & nomẽ habere dicitur. Vngues habet vt aquila, & roſtrum aduncum, carnibus veſcitur, non tamẽ in volando prædam diripit, ſed ſicubi ouem aut aliud animal inoffenſum inuenerit, plures earum aggregatæ inuẽtum deijciunt, & occidũt, ſicque carnibus eius ſatiantur, cadaueribus etiam libentiſſimè veſcitur. Sola verò penè inter aues, quæ carne veſcuntur, herbã depaſcit. In alis, & cauda albedinẽ habet, reliquo colore aquilam imitatur: Oua ſua non in arboribus ponit, quoniam altè volare non poteſt, ſed in terra deponit, & illic ea fouet dum ſeges in fructu eſt.

Biſtarda etymon.

Bonoſa eſt auis in Germaniç partibus, habens carnem exterius nigram, interius albam, delicatam prope ad perdicis ſaporem. Habet autẽ phaſiani magnitudinem. Cúmque tempus venerem excitauerit, maſculus hianti ore currit, donec ore ſpumet, tunc fœmina veniens *ore ſpumam recipit, indeque & concipit & oua parit.*

Bonoſa.

Concipit fœtum per os

De Bubone.

CAPVT XLII.

ISidor. Bubo à ſono vocis compoſitum nomen habet auis feralis, onuſta quidem plumis. Sed graui ſemper detenta pigritie, in ſepulchris nocte diéque verſatur, ſemper commorans in cauernis. *De qua Ouid.*

Fœdaq; ſit volucris ventura nuncia luctus,
Ignauus bubo dirum mortalibus omen.

Denique apud augures malum portendere fertur. Nam cum in vrbe viſa fuerit, ſolitudinem ſignificari dicũt. *Plin. li.* 10. Bubo funebris & abhominatus publicis præcipuè auſpicijs, deſerta incolit, nec tantum deſolata, ſed dira quoque & inacceſſa, noctis monſtrum, nec cantu aliquo vocali, ſed gemitu. Itaque in vrbibus, aut omnino in luce viſus dirum oſtentum eſt, priuatorum domibus inſidiantem plurimum ſcio non fuiſſe feralem. Volat nunquam quolibet, ſed tranſuerſus aufertur. Habet autem & bubo vngues vncos, vt noctua & vlula. Omniúmq; oculi eorum interdiu hebetes ſunt. *Illaphus* tradit bubonem & noctuam & picum arbores cauare. *Idem in li.* 11. Pennatorum animalium buboni tantum & otto plumæ velut aures, cæteris vero cauernæ ad auditum. *Radulphus ſuper Leuit.* Bubo die deliteſcit, & noctu egreditur, eo quod aues reliquas vereatur. Nam omnibus odioſus eſt, vt viſus mox ab omnibus conclametur vel etiam diſcerpatur. *Ex li. de nat. ver.* Bubo nomen habet à vocis ſono, fugit lucem, in eccleſijs habitat, & oleum de lampadibus bibit, ſtercoribus tamen eas defœdat, oua quoque columbæ bibit, mures venatur, hac quoque volucres cæterę capiuntur. Quãdo vero ab illis auibus, quæ in luce habitant impugnatur, reſupina pedum vnguibus ſe defendit. Dicit enim Plinius, quod à cauda de ouo exit, quia pondere capitis poſteriorem partem corporis fouendam matri applicat.

Bubonis etymon.

Bubo ſolitudinis augurium.

Ariſt. Bubo ſicut & veſpertilio victum ſibi nocte acquirit, & cum paucis auium generibus, habet duos tantum digitos in parte pedum anteriori, & duos in poſteriori. Gyrátq; digitum vnum ad poſt, & habet linguam magnam vnguéſque magnos aquilæ ſimiles, & vociferatur fortiter. Monedula pugnat cum bubone, quia bubo debilis eſt viſus apud meridiem. Ideóque coruus rapit oua bubonis & comedit, coruus quippe fortior eſt de die, & bubo de nocte. Itaque bubo & coruus *inuicem ſibi aduerſantur* in nidis. Coruus meridie comedit oua bubonis, & bubo nocte comedit oua corui. Cæteræque aues circa bubonem volant, ipſúmq; deplumãt. Multa namque pars auium eum odit. *Auicen.* Sanguis bubonis valde confert aſmati, ſimiliter etiam ius & caro ipſius. *Phyſiologus.* Cor bubonis ſi appoſitum fuerit mulieri dormienti in parte ſiniſtra, omnia quæ geſſit, vt dicitur, narrabit. *Plin. lib.* 29. Bubonis pedes vſti cum herba pulinagine contra ſerpentes auxiliantur. Oculorum cinis eius collyrio mixtus claritatem oculis facere promittitur. *Idem in libr.* 30. Phreneticis quoque bubonis oculorum cinerem imponunt.

Antipanthia bubonis & corui.

De Buteo & botauro.

CAPVT XLIII.

EX *libro de natura rer.* Buteus eſt de genere accipitrum, ſed paulo nigrior, & tarda nimium pigráque ad volandum, præda tamen viuit quam cum dolo vel languore aliquo aut pigritia detentam aſſequi poſſit. Hæc auis ſapore dulciſſima eſt. Botaurus eſt auis ſic dicta à ſono vocis, habet crura longa, collum extenſum, roſtrúmque longum & acutum, ſicut ardea,

Buteus

Botaurus, a ij Butoriũ vocant,

colore tamen distans ab illa, est enim terræ simillima, habitat circa stagna piscium, cibi cupida, ranas etiam comedit & venenata, hæc sola veris tempore pro cantu vocem horrificam edit. Nec hoc posse dicitur nisi caput suum aquis immergat, vt intra se densitas elemẽti conceptam vocem instar cuiusdam tonitruationis sonoram reddat. In littore sub ardore Solis in loco vbi pisces frequentare nouit, adeo quieta stat, vt quasi mortua appareat, vnde fit vt cautis piscibus minus suspecta sit. *Decipit pisces & aucupes.* Sed cum collum longum habeat, breue recuruitate facit, vt cum pisces incautius ei quasi nihil præmeditanti proximauerint illos, ad se colli extensione trahat. Cumque laqueo se nouerit irretitam, quietem simulat, quam cum adueniens auceps manu se capere putat, illa inopinanter correptum rostri iaculo quo potenter valeat lanceando vulnerat. Idem quoque dormiendo, & vigilando rostrum longum acutissimum ad defendendum se semper erigit, & cum accipiter eum apprehendere vult, in eius rostrum ad mortem ruit. Carnes eius cum ad ignem torrentur mirum odorem reddunt, & ob hoc in cibos diuitum sæpius cedunt. Huius ergo sagina medicaminibus vtilis esse dicitur. *Botauri etymon. Physiologus.* Botaurus quasi bootaurus dicitur eo quod tauri boatũ ideſt mugitum imitari videtur. Rostrum enim in terra paludosa defigit, & ad modum tauri clamores edit. Excluſos pullos statim mater sub ascellis collocat. Vnum scilicet sub vna, & alterum sub altera. Pulli vero materno corpori adhærentes, iuxta extremitates alarum rostra producunt prominentia. Inceditque mater pullos sub alis fouens, natorúmque rostris prominentibus cibos dulciter commendans. *Onocrotalus. Auctor.* Hæc auis mihi esse videtur onocrotalus, de quo dicetur inferius.

De Caladrio, & Calendre.

CAPVT XLIV.

Caladrius. CAladrius vt dicitur, est immundus secundum legem, dicit Physiologus, quòd auis est tota alba, nullam partem habens nigram, cuius interior fimus curat caliginem oculorum. In atrijs regum inuenitur, per hanc cognoscitur de homine infirmo vtrum viuat an moriatur. *Iudicium an agrotus viuat necne.* Si enim *ægrotat ad mortem, mox hæc vt viderit eum, auertit ab eo faciem suam.* Si autem non ad mortem, intendit illa faciem suam, & assumit omnes infirmitates eius, & dispergit eas, & sanatur infirmus. *Aristoteles.* Caladrius infirmum si mori debeat, non respicit, sed si conualescere possit, & ipsum videre velit, ab illo omnem infirmitatem ad se trahit. Itaque ille sanus efficitur, & auis ęgra, ita quòd sæpius pro eo moritur: hæc auis habet vnum os crassum in crure, cuius medulla oculos caliginantes si quis linierit, eos clarificatos boni visus efficitur. *Ex libro de naturis rerum.* Caladrius est auis alba, quæ si ad infirmum sanandum ducitur, omnes infirmitates eius intra se colligit, & in aere volans ibi eas comburit atque dispergit. Pars interior fœmoris caliginem aufert ab oculis: has aues Alexander inuenisse fertur in Persida.

Calendris. *Calendra* est auis parua, prope consimilis alaudæ, colore fusca, plumis despecta, sed mira modulatione vocis audientes lætificat. Omniúmque voces auium expressè imitatur. Itaque quando capta ergastulo includitur, ibi quoque captiuitatis & calamitatis suę oblita, vix vnam diei horam sine cantu præterit, adeóque spaciari diuersis auium cantibus gaudet, vt nec cibi solicita sit.

De Capone & caprimulgo.

CAPVT XLV.

Capo. AVctor. Capo dicitur *gallus castratus*, siue gallinaceus de quo scilicet plenius dicetur inferius, hi ideo castrantur, vt facilius impinguentur, ac teneriores comedantur. *Dioscorides.* Capones viui aperti & impositi morsibus venenatis occurrunt, si mutentur assiduè. *Cerebrum caponis melius est cæteris.* Acceptum in vino fluxum sanguinis abstinet. Pellis ventriculi eius sicca tusa & bibita eustomacha est cum vino. Iuscellum maximè minoris æstuationes stomachi miteſcit simpliciter compositum. Iuscellum vero maioris artificialiter compositum, Ventrem mollit, crudos humores, ideſt choleram nigram deponit. Vtile est temporalibus febribus, & typicis ægritudinibus, tremoribus, & inflationibus stomaticis, & arthreticis, singulare præsidium est. Fel caponis albi magnæ virtutis est, facit ad effusionem oculorum, & ad caliginem & aspredinem palpebrarum. *Pars melior caponis. Ius.* *Plinius libro decimo.* Caprimulgi appellantur merulæ grandioris aspectu, nocturni rares sunt, interdiu enim visu carent: pastorum stabula intrant, caprarum vberibus propter suctum lactis aduolant, qua videlicet iniuria vber emoritur, capriſque cæcitas quas ita mulsere, oritur. *Caprimulgi. Auctor.* Caprimulgus ipse est quem *Arist.* agochilem vocat, de quo superius dictum est. *Aristoteles.* Est auis montana modicum maior merula, astuti moris, raro videtur de die, nec bene tunc videt, sed acuitur visus eius de nocte, lac ex mammillis caprarum sugit. Ideóque dicitur Agochiles, scilicet caprarum lac sugens. Viuit autem nocte, manet in lapidibus de die.

De Charadrio & cardule & carisſa.

CAPVT XLVI.

R*Adulphus super Leuiticum.* Charadrius est auis garrula, de qua legitur in Leuitico, quod secundum legem sit immunda. *Charadrius. Auctor.* hæc auis ipsa est, quæ superius dicta calendris est, falluntur autem qui hunc esse caladrium putant, vt super Deuteronomium, dicit Glossa interlinearis. *Carduelis. Isidorus.* Carduelis dicitur, eo quòd spinis & carduis pascitur. Vnde & apud Græcos acanthis dicitur ab acanthis, ideſt spinis quibus alitur. Augures autem dicunt, & in gestu & in motu & in volatu auium esse signa constituta. *Plinius libro decimo.* Carduelis minimæ auium imperata faciunt, nec voce tantum, sed pedibus & ore pro manibus. Est quæ boum mugitus imitetur in Arelatensi agro *Taurus* appellata. *Taurus.* Est quæ equorum hinnitus anthus nomine, herbæ pabulo aduentu eorum pulsa imitatur, ad hunc modum vlciscens. *Ex libro de natura rerum.* Carduelis est auis parua, nigra, croceóque in corpore, rubeo vero in capite colore venustata. Mirum autem videtur quod hæc auicula carduorum acutis aculeis pascitur. In hac ergo naturæ miraculum apparet, quæ talem astutiam ei dedit, quam nec boui nec asino magnis animalibus impertiri voluit, vt videlicet ergastulo clausa suppositam aquam ab imo per filium vasculi suspenso, ad se cum rostro trahat, pediqúe filo interdum suppositio cum attigerit vasculum, sitim potu sedat. *Carisſæ*, vt dicit Solinus, aues sunt quæ impunè flammas inuolant, ita vt nec plumæ, nec carnes earum flammis ignium aliquatenus cedant. *Carisſa.*

De Ciconia.

CAPVT XLVII.

I*Sidor.* Ciconiæ quasi cicanię à sono quo crepitant dictæ sunt, quem sonũ oris potius esse constat, quàm vocis, quia eum rostro quatiente faciunt, hæ veris nunciæ, societatis comites, serpentium hostes maria transuolant, in Asiam collecto agmine pergunt. *Ciconia prænuncia veris.* Cornices eas duces præcedunt, & ipsæ quasi exercitus prosequuntur. *Ambros.* Ciconias volantes exercitum credas cum signis suis pergere, sic omnes viandi comitandiqúe ordinem seruant. Cornices autem deducunt eas, & dirigunt, ac stipant adeo, vt aduersus inimicas aues bellantibus axillari credantur, & proprio periculo aliena bella susscipere. Nam & cum vulneribus reuertentes manifesta quadam sanguinis sui voce, cæteriſqúe loquuntur indiciis, grauium se certaminum subisse conflictum. *Ciconia volatus ad instar exercitus.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ciconia elinguis ſunt.

Solinus. Ciconias ferunt linguas non habere, & ſonum quo crepitant oris potius quam vocis eſſe conſtat, nocere eis, omnibus quidē locis nephas ducunt. Sed in Theſſalia vel maximè, vbi ſerpentium immanis eſt copia, quos dum eſcandi gratia inſectantur regionibus Theſſalicis plurimum mali detrahunt. *Ex libr. de nat. rer.* Ciconiæ ſerpentium exitio tātus eſt honor in Theſſalia, *vt capitale fuerat occidiſſe* ciconiā, ſicut & hominem, multipharie namque ſerpentibus inſidiatur, eóſque comedit, & alia venenata, nec tamen moritur. Buffonem autem non niſi in magna fame comedit, in quo naturale buffonis malum notatur. Videtur autem ciconia caput habere valde rheumaticum, quia roſtro eius contra venenata remedium eſt, hæ nidos ſuos annue repetunt, & vnum è fœtibus ſuis domino loci ſub quo fœtificant, plumatum quaſi tributum, vt fertur, deijciunt. Sed fortè cauſa magis eſt tædium nutriendi. Abiturę autem, vt dicit Solinus, in certo loco congregantur, ita vt nulla ſui generis, niſi captiua relinquatur. In Aſia campus eſt, vbi congregatæ commurmurant, & eam quæ nouiſſimè venit, dilacerant, ſicque recedunt. Ciconia horas diei crepitatione ſua diuidit, roſtro aluum purgare nouit, vnde ad eius imitationem clyſterem Galenus adinuenit. In hyeme latet in aquis: verè in ſiccum aſcendit. *Plin. vbi ſupra.* Ciconiæ quonam è loco veniant, aut quo ſe referant adhuc incompertum eſt. Elonginquo venire non dubium, eodem modo quo grues, illæ hyemis, hæ ęſtatis aduenæ. Nemo, diſcedētium, aut venientium agmen vidit vtrúmque nocturnis temporibus fit. Ciconie nidos eoſdem repetunt & genitorum ſenectam in vicem educant. *Idem in lib.* 8. Ciconia quoque origano ſibi medetur. *Idem lib.* 29. Ciconiæ pullum, qui ederit, negatur anni ſcontinuis lippire oculis. Ciconię quoque ventriculus valet cōtra omnia venena. *Idem in li.* 30. furunculis etiam dicitur mederi ciconiæ vētriculus ex vino decoctus. *Dioſ.* Fimus ciconiæ cum aqua potui datus epilepticos curat.

Soluunt tributum.

Clyſteres habent inuentionem à ciconijs.

Vſus medicinalis ciconię.

De pietate Ciconiarum, & caſtimonia.

CAPVT XLVIII.

Pietas ciconia.

Ambroſ. Ciconiarum quoque pietas & clementia conſideranda eſt. Nam depoſiti patris artus per longæuum ſenectutis plumis nudatos circunſtans *ſolo'es pennis propriis fouet.* Et quid dicam? collatitio cibo paſcit, quando etiam ipſa naturæ reparat diſpendia, vt hincinde ſenem ſubleuantes, fulcro alarum ſuarum ad volandum exerceant, vt in priſtinos vſus diſſueta membra reducāt. Quis noſtrum patrem ægrum non leuare faſtidiat? Quis fratrem ſenem humeris ſuis imponat? At vero auibus graue non eſt, quod pietate plenum eſt. Vnde & auis hæc Romanorum vſu auis pia vocatur. *Iſid.* Eximia etiā illis eſt circa filios pietas. Nam adeo nidos impenſius fouent, vt aſſiduo incubitu plumas exuant, quantum autem tempus impenderunt in fœtibus educandis, tantum & ipſæ in vicem aluntur à pullis. *Ex li. de nat. rer.* Ciconia dicitur auis pia, cum enim antiquiores ciconiæ pennis amiſſis proprium ſibi victum acquirere nequeant, iuniores frigida genitorum membra refouentes, eos in paſtu procurant, donec ala fortis redierit. Nec dubium eas caſtitatis ſectatrices eſſe, fœdúſque coniugij aduinuicem ſeruare. Vnde fertur, quod in eminentiori loco domus cuiuſdam par vnum ciconiarum habitabat, vnde mare ad paſtum recedente, frequenter alius mas aduenies fœminā adulterino coitu polluebat. At illa ſtatim eminus in fonte ſe mergebat, ſicque ſcellus adulterij per aquæ lauamentum delens: marem proprium deludebat, huiuſmodi factum Dominus habitationis frequenter aduertit: & quadam die poſt adulterium eam à fonte ne laueretur prohibuit, nec mora maſculus à paſtu rediens in fœmina ſua ſcelus adulterij deprehendit, & ad horam diſſimulans abijt. Reuerſúſque ſecunda die maximam ciconiarum multitudinem ſecum adduxit, quæ ſingulæ adulteram aggreſſæ, miſeram crudeli laniauerunt morte.

Auis pia.

Seruant fœdus coniugij.

Pœnas dant adultero.

De Cygno.

CAPVT XLIX.

Cygni & oloris etymon

Iſidor. Cygnus Græcè, Latinè olor dicitur, eo quod totus albus ſit plumis, olon enim Græcè totum dicitur. Cygnus autem dicitur à canendo, eo quod carminis dulcedinem modulatis vocibus fundit. Ideoque ſuauiter eū canere dicunt, quod collum longū & inflexum habent, & neceſſe eſt eluctantem vocem per longum & flexuoſum iter, varias reddere modulationes. Ferunt in hyperboreis partibus præcinentibus citharædis olores plurimos aduolare, aptéque admodum concinere: Nautæ vero ſibi hanc auem bonam prognoſim facere dicunt, ſicut *Æmilius* ait.

Bona prognoſis ex cygno.

Cygnus in auſpicijs ſemper lætiſſimus ales,
Hunc optant nautæ, quia non ſe mergit in vndis.

Ariſtot. Cygnus eſt de genere auium corium inter digitos habentium. Manétque in ripis lacuum, & in locis multarū arborum. Bonæ vitę eſt, atque naturæ, & ſenectutis bonæ, huiuſmodi aues cōtra accipitrem pugnare non incipiunt. Sed ſi cū eis ille pugnare cœperit, pugnāt cum ipſo eúmque vincunt. *Plin. lib.* 10. Oſorum morte narratur cantus flebilis falſis, vt arbitror, experimentis, ijdem mutua carne veſcuntur inter ſe. *Ioarh.* Auis olor in dulci modulatione minimè delectatur, ſed cum ſuauiſſimè modulatur tunc ſignat, quod morti ſuæ magis vicinatur. *Ambroſ.* Cygnæa carmina ſub graui terrore mortis imminentis delectant. Naturales edunt modulos cātilenæ quibus paludes reſonāt dulciſſima ſuauitate. Cygnus proceriore collo vtitur, vt quia paulo corpore pigrior eſt, nec facilè aquarū interiora penetrare poteſt, ceruicē ad prędā extēdat, eámq; de profundo rapiat.

Cygneius cantus.

Idem de eodem.

CAPVT L.

Pluma alba carnes nigra cygnorum.

Ex lib. de nat. ver. Cygnus habet *plumbas albas, ſed carnes* nigras, fortitudinem ſuam in alis: cholericæ complexionis eſt, & ob hoc iracundus. Dentes habet in roſtro minutiſſimos: vnde cibos incidit: Oneris impatiens eſt, nec libenter volat, ſed in ſtagnis requieſcere delectatur, cum vno pede natat, & cum alio ſe regit veli modo: cum piſcibus nutritus, eis eſt innoxius. Super aquas nidificat: in pullis educandis ſolicitus, tempore coitus blandiūtur ſibi inuicem mas & fœmina, & alternatim capita cum ſuis, ſcilicet collis inflectunt, velut amplexandi gratia. Nec mora, vbi coierint, *mas conſcius læſionis in fœmina, fugit ab ea. At illa impatiens fugientem inſequitur*, nequaquam tamen rancor ille perſeuerat in longum: imò læſione ceſſante pacificatur in animo, ac à maſculi perſecutione ceſſans poſt coitum frequenti caudæ motu & roſtri ſe aquis immergens purificat. Olores, ſiue cygni, quando ad alia loca pabuli gratia migraturi ſunt, congregati commeant tali ordine natandi, vt impetu roſtrato ferantur quo facilius æra findant, quā ſi fronte impellerent. A tergo quidem ſenſim ſe dilatant, & cuneo porrigitur agmen, colla præcędentibus imponunt, feſſóque duce tergo illum recipiunt; cygnus in capite percuſſus facilè moritur, quæ tamen alias multas ſuſtinere poteſt læſiones. Inſtante morte pennam in cerebro figit, & ſic dulciter canit, naturaliter enim mortem ſuam in cantu lætitiæ iubilationíſque præit. *Fulgentius in libro Mythologiarum.* 2. Phyſiologi ferunt huiuſmodi auem ita conuitijs eſſe plenam, vt ea clamante taceant cæteræ aues quæ præſto fuerint. Vnde & olor dictus quaſi ab ὑπερβολία, quod Latinè dicitur iniuria.

Nota.

Diſciplina militaris in cygnis.

De Cynomulgo, & cypſelo, & citramo.

CAPVT LI.

Cinomulgus.

Iſidorus. Cinomulgus eſt auis Arabiæ, ſic dicta, eo quod in excelſis nemoribus texit nidos ex fruticibus cinnami. Et quia non poſſunt ibi homines conſcendere propter ramorum altitudinem & fragilitatem, eoſdem

nidos plumbatis iaculis appetunt, ac cinnama illa deponunt & pręcijs amplioribus vendunt, eo quòd illud cinnamum magis, quàm aliud mercatores probent. *Plinius lib.* 10. In Arabia cinomulgus auis appellatur, cinnami ſurculis nidificat, plumbatis igitur eos ſagittis decutiunt indignè mercis gratia. *Ariſtotel.* Cinomulgus paſſere modicum maior eſt, eiúſque color cæleſtis eſt cum citrinitate, & colores iſti ſunt in eo diſtincti. Roſtrum eius longũ ad citrinitatem declinans, ſuper arbores magnas ex cinnamomis, vt dicitur, ſphęricè componit nidum ſuum habens introitum paruum.

Cypſeli dicti ἀπὸ τῆς κυψέλης quod nidificant in ſpeciem alucarij.

Plinius. Cypſeli plurimum volant, qui & apodes dicuntur, eo quòd vſu pedum careant, hyrundinum ſpecie, nidificant in ſcopulis, hæ ſunt, quæ toto mari cernuntur. Nec vnquam tam longo naues támque continuo curſu recedunt à terra, vt non circumuolitent eas apodes. Cætera genera reſident & ſiſtunt, his quies niſi in nido nulla, aut pendent, aut iacent, & ingenia æque varia ad paſtum. *Ariſt.* Auium genus, quod pedes non habet, omni tempore apparet hæc auis longa gracilis, & paucæ latitudinis, hirundini aſſimilatur. Nec inter illas leuiter diſtinguitur: iſta nidificat in æſtate, & hoc poſt lapides, vt animalia fugiat & homines. *Plinius lib.* 10. Citramus, aues remeantes comitata ſolicitat, ac perſeueranter ad expectatas ſibi terras peruenire feſtinat, eáſque noctu etiam itineris admonens excitat. *Ariſt.* Eokeramamor auis, de nocte cæteras aues clamat, eáque audita ſciunt venatores, quod in locis ſuis non remanebunt aues. *Ex libro de naturis rerum.* Citramus auis Aſiæ recedentibus hyrundinibus, ac ciconijs inſtante hyeme comitans eas feſtinantior perſeuerat, & pręcedens ſolicitat.

De Coccyge.

CAPVT LII.

Coccyx.

Plinius vbi ſupra. Coccyx videtur ex accipitre fieri, tempore anni figuram mutans. Tunc enim non apparent reliqui accipitres, niſi diebus paucis. Ipſe quoque modico æſtatis tempore viſus, poſtea non cernitur. Eſt autem neque aduncis vnguibus accipitrum ſolus, nec capite ſimilis illis, neque alio, quàm colore ac viſu: Columbæ potius ſimilis eſt capite, & vnguibus. Quin abſumitur ab accipitre: ſi quando ſimul apparauerint; ſola omnium auis à ſuo genere interempta. Mutat autẽ & vocem, procedit verè, occultatur ortu caniculæ; Sempérque ponit in alienis nidis, maximè palumborum, maiori ex parte ſingula oua, (quod nulla quidem auis alia) Raro autem bina. Cauſa vero pullos ſubijciendi putatur, quod inuiſam ſe ſciat cunctis auibus. Nam minutæ quoque illam infeſtant, itaque non fore tutam generi ſuo ſtirpem opinatur, niſi fefellerit, Quare nullum facit nidum, alioquin trepidum animal, educat ergo ſubditum adulterando fœtu nidum. Ille vero auidus ex natura reliquis pullis cibos præripit. Itáque pingueſcit, & nitidus in ſe nutricem conuertit. Illa vero gaudet eius ſpecie, miratúrque ſe ipſam, quod talem peperit, ac ſuos eius comparatione damnat, vt alienos. Abſumi quoq; ſuos etiam ſe ſpectante patitur, donec corripiat ipſam quoque iam volandi potens. Nulla tamen auium carnis ſuauitate comparatur illi. *Ariſtoteles.* Auis coccyx paucorum ouorum eſt, vnius ſcilicet aut duorum, quia natura eius valde frigida eſt.

Frans coccygis.

Impietas coccygis.

De Columba.

CAPVT LIII.

Columba etymon.

Iſidorus. Columbæ dictæ ſunt, eo quod eorum colla ad ſingulas conuerſiones mutent colores. Aues manſuetę & hominum multitudine cõuerſantes, ac ſine felle, quas antiqui venereas nuncupabant, eo quod nidos ſuos frequentent, & oſculo amorem concipiant. *Gloſſa ſuper Cantica primo cap.* Columba felle caret: roſtro non lædit, in cauernis petrarum nidificat, alienos pullos nutrit, iuxta fluenta manet. Meliora grana eligit, pro cantu gemitum reddit, gregatim volat, alis ſe defendit, viſum recuperat. *Auctor.* Columba vt legitur, ſuper aquas ſedet, vt accipitrem, (præuiſa in aquis vmbra) declinet. *Phyſiologus.* dicit eas eſſe diuerſorũ colorum, albi, nigri, rubei, aerei, cineritij, auroſi, rufi. Eſt autem arbor in India nomine peridexion Græcè, Latinè circa dextrã, cuius fructus dulcis nimis & ſuauis. Qua ſcilicet arbore columbæ delectantur, quia & eius fructu reficiuntur, & eius vmbra quieſcunt, ac ramis proteguntur. Eſt autem draco crudelis columbarum inimicus. Sed adeo illam arborem euitat & timet, vt nec vmbræ appropinquare audeat. Sed ſi vmbra eius ſit in parte dextra, ille ſtat in ſiniſtra, & èconuerſo, vt ſiquam viderit ex columba modicum vel leuiter ex arbore ſegregatam, rapiat eam & deuoret. Sed columbæ ſcientes odium eius in arborem ſe ibi concitant. *Plin.* Proprium eſt generi columbarum & turturum cum bibunt colla non reſupinare, largéque iumentorum modo bibere. Viuunt autem columbæ & turtures octonis annis, viſõque accipitre conſidunt, vel ſubuolant contra naturam eius auxiliantes ſibi. Quidam enim accipitres rapiunt è terra tantum auem. Alij tantum circa arbores volitantem. Alij autem in ſublimi ſedentem Alij vero in aperto volantem. *Ariſtotel.* In auibus calidi ventris eſt ſplen paruiſſimum latens viſum, vt in columba & accipitre. Item aues quædam confricantur in cinere, & abluunt ſe, vt paſſer & columbæ. Columba, ſicut coturnix & hyrundo, fel habet adiacens inteſtino. Columbæ ſicut turtures quando potant caput non erigunt, donec ſufficiat. Ante coitum oſculantur. Diuerſitatem accipitrum cognoſcunt, & ab eis diuerſimodè cauent, vt ſupra dictum eſt.

Peridexion.

Viuunt octo annis.

De Eadem.

CAPVT LIV.

Cur columba ad aquas ſedens.

Ex libro de naturis rer. Columba, vt dicit Beda, felle caret. Dicit tamen *Ariſtot.* quod fel habet. Non eo loco quo cætera animalia, ſed in inteſtino. Morticino non viuit, ſed puro grano, viſum recuperat nouem vicibus. In alta nidificat, vbi mala beſtia attingere non valeat, ſuper aquas libenter requieſcit, vt ſitim ſedet, & vmbram accipitris venientis in aquis proſpiciat. Aliquando vero ſola ſedet, colores ſuos varios circa collum admirans, alarum plauſu roſtróque plumeculas fulcit, & in regimen volatus comptioriſque cultus pennas diſponit. Tunc niſus ſpeculator occultus congaudentem in huiuſmodi gloria, rapit. Columbæ calidiſſimæ ſunt, & lapillos propter ſtomachi temperantiam comedunt, ſimum etiam ardentem nimis habent, quem & ipſæ nido eijciunt, & pullos eijcere docent. Pennis eleuatis pugnant, & columbam errantem cum viderint, ſibi aggregant. Dicit Iacobus, quod trans mare verſus orientem columbæ ſunt, quę nunciorum fungentes officio litteras Dominorum ſuorum ſub alis breui ſpatio perlongè deportant. Ideóque valde neceſſariæ ſunt, maximè quando per terras inimicorum alij nuncij tranſire non audent. Columbæ proprium eſt inter aues non eleuare caput, quando potat donec ei ſufficiat.

Sunt Nuncij

De Columbario.

CAPVT LV.

Palladius, vbi ſupra. Columbarium accipere poteſt ſublimis vna turricula in prætorio conſtituta, leuigatis & dealbatis parietibus, in qua columbæ recipiantur, ac nutriantur, cuius cellæ duo ſubiecta cubicula fiant, vnum breue ac propè obſcurũ, quo turtures claudi poſſunt, quos nutrire facillimum eſt. Aliud vero turdos nutriat. De quibus ſcilicet duobus plenius locis congruis dicetur inferius. In colũbarijs à quatuor partibus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Feneſtella in columbariis ponenda.

feneſtellæ breuiſſimæ fieri debent, vt columbas ſolas ad introitum exitúmque permittant, nidi quoque interius figurentur, à muſtellis tutæ fiant, ſi inter eas vetus ſparcia proijciatur. Inducunt alas ſi cymino aſſiduo paſcantur, vel hirti alarum balſami liquore tangantur. Rutæ ramulos plurimis locis oportet contra animalia inimica ſuſpendere. *Pythagoras in libr. Romanorum.* Zab, ideſt, cranium hominis antiquum, ſi ponatur in turre columbarum habitant in ea columbæ, atque quieſcunt. Sed & ſi ponatur lac mulieris lactantis virginem ſuam à bimatu in cararatu ac ſuſpendatur in turri apud introitum & exitum columbarum, habitant ibi & multiplicantur. *Plinius li.*10. Columbis ineſt quidam gloriæ intellectus, vt noſſe credas colores ſuos, varietatémque diſpoſitam, quæ etiam ex volatu creduntur in cœlo plaudere variéque ſulcare. Qua in oſtentatione, vt victæ præbentur accipitri, implicatis ſtrepitu pennis, qui non niſi ipſis alarum eliditur humeris. Alioquin ſolito volatu multo velociorem ſpeculatur occultus fronde latro, & gaudentem in ipſa gloria rapit. Ob id cum eis habenda eſt auis tinnungulus dicta, quæ illas defendet terendo accipitres naturali potentia, ita vt viſum eius vocémque fugiant. Hac de cauſa præcipuus eſt columbis amor eorunt, ferúntque ſi in quatuor angulis defodiantur in ollis nouis oblitis, non mutare ſedem columbas multiuagas alioquin aues. Eſt enim ars illis inter ſe blandiri, & corrumpere alias, furtóque comitatiores reuerti. Quin & internunciæ in rebus magnis fuere, epiſtolas annexas earum pedibus obſidione Mutinenſi in caſtra cõſulum mittente Decio Bruto. Quid vallum & vigilum obſidia, atque etiam retia amne prætenta profuere Antonio per cœlum eunte nuncio.

Vt columba habitent in columbario.

Amant Tinnungulos.

De Columbarum pudicitia.

CAPVT LVI.

Vita coniugalis columbarum.

IDem. Columbis pudicitia prima eſt, vt cõiugij fidem non violent, communem quoque domum ſeruant. Niſi celebs, aut vidua domum non relinquit. Amor vtrique ſobolis æqualis. Sæpè & ex hac cauſa caſtigatio pigrius intrante fœmina ad pullos. Parturienti ſolatia & miniſteria ex mare, pullis primo ſalſiorem terram collectam gutture in ora inſpuunt, præparantes tempeſtiuitatem cibo. Columbæ proprio rictu oſculantur ante coitum, pariunt ferè bina oua, natura moderante, vt alijs fœtus ſit crebrior, alijs numeroſior. *Ex lib. de nat. rer.* Columba, vt fertur amiſſo corporali conſortio ſolitaria incedit, nec carnalem copulam vltra requirit. Certum eſt autem, quod aliquæ ſunt columbæ, quæ mares non nouerunt, aliæ vero quæ poſt habitos, atque perditos remanſerunt viduæ. Palumbes eſt ſpecies columbæ, quę amiſſa corporali conſorte ſolitaria incedit, nec coniugalem copulam vltra requirit, ſed nec viride quicquam ad requieſcendum petit. Et illę quidem quæ cælibes aut viduæ manent cæterarum conſortium, vel domum vitant, ne vexentur à maſculis earum inquietationibus, fugiúntque; & in parietinis habitant. *Plin. vbi ſupra. Et etiam ex naturis rer.* Imperioſos fœminę mares etiam iniquos ferunt. Quippe ſuſpicio eſt adulterij quamuis natura non ſit, tunc plenum querela guttur, ſæúique roſtro ictus, mox in ſatisfactione exoſculatio, & circa veneris preces crebris pedum orbibus adulatio.

Columba vidua & virgines.

De Generatione columbina.

CAPVT LVII.

Prius ſemper marem pariunt.

EX *lib. de nat. rer.* Columbæ pullos binos educant, ſempérque prius marem, & poſt triduum fœminam pariunt. Incubant mas &. fœmina viciſſim, quoniam amor ſobolis vtrique frequenter æqualis. Incubat fœmina poſt meridiem, vſque ad matutinum ac cætero tempore mas, & 18. die excludunt, inter pullos plerúnque inueniuntur, & oua. Dúmque alij euolant, alij erumpunt, ipſi demum pulli trimeſtres fœtificant. Columba valde grauatur in ouorum partu, quod ſi parere tardauerit à mare percutitur. Mas adultos pullos à nido deijcit, ſed primo cum eis coit. *Palladius vbi ſupra.* Columbæ fœtus frequentant ſi ordeum torrefactum, vel fabam, aut eruum ſæpè conſumant. *Ariſtot.* Columbæ toto anno ouant & pullificant ſi fuerit locus manſionis calidus, & cibus paratus. Alioquin non niſi in æſtate. Earúmque pulli ſunt meliores in vere, & in autumno, peiores autem in hyeme, & æſtate. Maſculus cum fœmina coit poſt vnum annum. Oua columbæ ſunt albi coloris, ſicut & perdicis. Ouáque venti ſunt in columbis, ſicut & in gallinis, ac perdicibus, & pauonibus & anſeribus aues denique ponderoſæ boni volatus ſunt generationis multæ ſicut columbæ. Palumbes quidem & turtures ouant bis in anno, columbæ vero decies. Colũba ſenex coire non poteſt, ſed tantum oſculatur, columba quoque fœmina ſaltat ſuper fœminam, ſi non fuerit mas, & inuicem oſculantur, & ex illo quidem coitu oua faciunt, ſed non pullificant, columbæ cæteræ quoque aues multi coitus plus cæteris oua faciunt, in quibus ſunt duo citrina propter congregationem duorum ſpermatum ex duobus coitibus columbæ, mas per diẽ, fœmina per noctem oua cubant, circa pullos tamen fœmina magis ſolicita eſt. Item columba quando vult pullos ſuos à nido eijcere coit cum ipſis. Denique columba & perdix viuunt & cubant ann. 15.

Toto anno ouant.

Fœmina facit fœminam ouare.

Vita columbarum.

De carnibus columbinis.

CAPVT LVIII.

DIoſcorides. Columbæ volantes quidem leuioris ſunt digeſtionis ac melioris ſaporis quam pulli columbini. In pullis autem qui volare non poſſunt, eſt caliditas & etiam craſſitudo propter humiditatẽ ſuperfluam. Oua vero columbæ, mali ſaporis ſunt, & calida valde. *Ex li. de nat. rer.* Pulli columbarum in autumno & vere ſaniores ſunt, quoniam his temporibus grano maximè viuunt. *Razi. vbi ſupra.* Columbæ ſicut paſſeres vehementis caliditatis ſunt, ſanguinem inflammamatum faciunt, & febrem. *Auicenn.* In pullis columbæ quę volare non poſſunt, eſt caliditas & humiditas ſuperflua, & illæ, quæ volare poſſunt, leuiores ſunt. *Iſaac vbi ſupra.* Pulli columbini calidi ſunt & humidi copioſè. Quamobrem craſſum nutrimẽtum dant. Quod eorum grauitas ad volandum teſtatur, ſed volare inchoantes illam amittunt grauitatem. Sicque caro eorum leuior, & ad digerendum acceptabilior. Eſt autem conueniens phlegmaticis, inconueniens cholericis, & calidis natura. Iuuenes autem columbæ, & ſeniores durę ſunt digeſtionis. Illaudabile faciunt nutrimentum in parte nocumenti generatiuum.

Temperamentum columbarum.

De Operatione columbæ in medicina.

CAPVT LIX.

ÆSculapius. Columba occiſa, & calida ſuperpoſita, omni morſui ſubuenit. Sanguis eius valet oculis confertis infuſus, præcipuéque de ſubaſcellis tractus. Stercus eius omnes dolores ſoluit, & humores deſiccat. *Dioſcorides.* Columbæ ſanguis abſcindit fluxum ſanguinis narium, qui eſt ex velamine cerebri. Idem calidus diſtillatur ſuper excoriationem contritam, & doloroſam. *Plinius lib.* 29. Caro recens columbæ contra ſerpentes auxiliatur. Columbæ ſylueſtris fimus valet contra potum argenti viui. Maſculæ ſanguis à vena ſub ala inſciſa, eximiè prodeſt oculis cruore ſuffuſis. *Idem in libr.* 30. Fimus columbinus liuentia ſanat, & ſugillata. Eodémque fimo ex aceto delentur ſtigmata. Cæliacorúmque dolores mulcet toſtus, & potus, & aluum ſiſtit cum melle illitus. Idem iterum cum melle verrucas tollit. Vim habet diſcuſſoriam per ſe, vel cum farina ordeacea, ſiue auenacea illitus. Hoc fimo carbunculus

Vſus medicus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

aboletur per se illito, vel cum semine lini ex aceto mulso. Sanguinem quoque fluentem è naribus sistit sanguis columbinus, ob id seruatur concretus fronti illitus.

Pro podagra *Auicenn.* Sanguis columbæ confert podagræ, stercus columbarum calidissimum stercorum est, quæ administrantur in medicina,& earum quæ nutriuntur in domibus. Minoratur ab illarum stercore quæ pascuntur. Est autem rubefaciens,& cum farina ordei resolutiuum est. Conueniens est super dolores iuncturarum,& valet impetigini. Cum melle vero, & semine lini vtilé escare ignis perfici, & ignis adustioni. Item cum semine erucæ valet ad soda quæ galea nominatur,& est ex medicinis bonum colorem efficientibus. Confert etiam dolori cholicæ cum administratur in clystere. *Halis in secunda parte regalis dispositionis sermone secundo.* Sanguis columbæ prodest oculorum maculæ fluxuique sanguinis B è naribus si instilletur fimus eius omni frigidæ medetur hydropisi, si cum aceto cataplasmetur. *Ex lib. de nat. rer.* Carnes columbæ recentes, & hyrundinum simul & tritæ, vel concerptæ contra serpentes valent. Sanguis eius ala dextra acceptus oculo medetur impositus, est enim acutus, & habet potentiam dissoluendi.

De coredulo, & cornice.

CAPVT LX.

Coredulietymon. EX *libr. de natur.rer.* Coredulus dicitur quasi cor edens, carne námque, & præda viúens corde maximè inhiat saturari. *Isidor.* Cornix auis annosa apud Latinos Græco nomine appellatur. Quam aiunt augures hominum curas significationibus agere,insidiarum vias monstrare, futura prædicere, magnum nephas hoc credere, vt Deus consilia sua cornicibus mandet: his inter multa auspicia tribuunt,& pluuias vocibus portendere. Vnde est illud.

Tunc cornix plena pluuiam vocat improba voce.

Ambrosius. Gaudent cornices plurimorum connexione. Ciconias per loca sua transeuntes deducunt ac dirigunt, & contra inimicas aues adiuuant. Cuius rei indicium est, quod nullæ per aliquantulum temporis in locis illis residere reperiuntur. Et quia cum vulneribus reuertentes quadam aperta sanguinis sui voce graues se conflictus subisse testantur. Discant homines amare filios ex vsu, & pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu se duplo prosequuntur, & solicitæ ne teneri forte deficiant, cibum suggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia non relinquunt: discant etiam homines ex auibus hospitalia iura seruare, cum ciconijs cornices etiam pericula sua negare non soleãt.

Hospitalia iura seruantur à cornicibus. *Plinius libr.* 10. Cornices carne, & alio pabulo vescuntur, atque duritiam nucis rostro repugnantem volantes in altum in saxa tegulasve iaciunt iterum ac sæpius, donec cassam perfringere queant. Ipsa ales inauspicatæ garrulitatis. Sola hæc volantes etiam pullos aliquandiu pascit. Cætéræ omnes ex eodem genere pellunt nidis pullos, ac volare cogunt, sicut & corui. Cornicem incubantem mas pascit. Hoc quoque auis genus à cauda de ouo exire tradunt, quia pondere capitũ perueršа oua posteriorem partem corporum fouẽdam matri applicant. Fuit in vrbe Roma cornix colore miro admodum nigro,plura contextu verba exprimens,aliáque, *Cornix verba exprimẽs.* E & alia crebro addiscens. *Idem in libro* 9. Cum autem terrestres volucres, & maximè cornix contra aquam clangorem dant, sese quia perfundunt imbrem præsagiunt. *Ex libro de naturis rerum.* Cornix in solstitio morbo corripitur,hæc nucibus libenter vescitur, hæ nobiles aues quasi hostes suos impugnant, sed illæ frequenter cum impugnantibus multum detulerint tandem impatientia victæ lacerant importunas. Cornix pluuiam multo clamore prenuntiat. Ouis columbę insidiatur, vt ea dissipet, & exugat. *Plinius libro* 29. *Cerebrum cornicis.* Cerebrum cornicis coctum in cibo sumptum, capitis doloribus est remedium. *Idem in libro* 30. Cornicis carnes esse, ac nidum illinire morbis longis putant vtilissimum.

De coruo.

CAPVT LXI.

Cornicetymõ. ISidorus. Coruus siue corax à sono gutturis nomen habet, eo quod voce coracinet:fertur hæc auis quod editis pullis escam plene non præbeat, priusquam in eis per pennarum nigredinem similitudinem proprij coloris agnoscat. Postquam autem eos atros plumis aspexerit, in toto agnitos abundantius pascit, hic prior in cadaueribus oculum petit. *Plinius libro* 10. Corui pullos è nido pellunt, & volare cogunt, pariunt cum plurimos quinos. Ore parere aut coire vulgus arbitratur. *Aristot.* negat: ante solstitium generant. Ægrescunt autem sexagenis diebus siti maximè. *Iorath vbi supra.* Coruus per os concipit. Et quia pulli eius ante nigredinem completam non agnoscuntur à parentibus suis, clamant continuè post parentes, quod in ore ipsorum generatur humiditas & spuma. Cui cum superfederint muscæ atque cynifes vt se reficiant capiunt illas, & cibantur ab eis. Corui venantes cum comederint oculos animalium, postea cum pullis extrahunt cerebrum, & comedunt ipsum. *Gloss. super Psalm.* 146. Pulli coruorum dicuntur rore cœli vesci, & beneficio ætatis ignorant paternas escas, idest fœtores cadauerum. *Cregorius in moralibus.* Pulli coruorum,vt fertur,antequam nigrescant à parentibus vtcúmque neglecti inedia affecti, huc illúcque vagantur in nido, ac ciborum expetunt aperto ore subsidium. Vnde scriptum est. Quis præparat coruo escam, &c. Sed cum nigrescere illi cœperint tanto eis alimenta præbenda coruus ardentius requirit, quanto illos alere diutius distulit.

Quaritur an ore pariant & coeant.

De Eodem.

CAPVT LXII.

ARistot. Corui semper apparent, & loca sua non mutant. Coruus, sicut & aquila, ouum vel pullum si plus quam duo euenerint, eijcit. Et est similiter auis,quæ pullum eius proiectum nutrit. Coruorum genus est pauci coitus, & paucæ generationis. Mutant autem plumæ illius colores propter mutationem temporis in frigiditatem, sicut accidit & passeribus & hyrundinibus, qui mutantur à nigredine tendentes ali- D quantulum ad albedinem. Iam enim apparuit nisus & passer & coruus albus, quod non accidit à tempore generationis. *Ambros.* Corui quoque gaudent plurimorũ connexione. *Ex libr. de nat.rer.* Coruus auis clamosa nihil aliud sonare nouit quam cras cras, diuersas tamen voces format, sc. 604. vt dicit Fulgentius, volando coit aliquãdo, plures semper quam duos pullificat. Grauidus fieri dicitur, si eum ouum coruinum edere contigerit. Ore parere dicuntur,& concipere. Fœminæ coruorum oua solæ cubant & mares eis ascas dant. *Pulli coruorum septem diebus absque vlla cibi* alimonia manere feruntur. *Pulli coruorum iemmãs 7. diebus.* Septima vero die nigrescunt, quorum nonnullos eijciunt tædio nutriendi. Fortior est coruus de die, bubo de nocte, & vicissim oua sua comedunt. Corui parum coeunt, sed multum osculantur ad inuicem, & putant quidam, quod alio modo non coeant, sed hoc falsum est. Cadauere coruus vescitur, & vt dicitur à potu se abstinet: quamdiu ficus sui fructus dulcedine gloriatur. Vnde Ouid.

Ac tibi dum lactens pendebit in arbore ficus,
A nullo gelidæ fonte bibentur aquæ.

Morbus coruorum. *Plin.li.* 29. Anser & coruus ab æstate in autumnũ morbo cõflictari dicũtur. Ouum corui in æreo vase permixtum & illitũ derasо capite nigritiã affert capilli, sed donec marcescat oleum in ore habendum est,ne & dentes simul nigrescant. Atque id in vmbra faciendum est,neque ante triduum abluendum. Alij quoque sanguine illius, ac cerebro cum vino nigro contra alopicias vtuntur. *Idem in libr.* 30. Fimus quoque corui lana adalligatus infantium tussi medetur, tradúntque porcos illum sequi, à quo acceperunt cerebrum corui. Ouum corui

grauidis

grauidis cauendum conſtat: quoniam tranſgreſſus abortus facere dicitur. *Æſculapius.* Corui cerebrum concauo denti infuſum rumpit, ac tollit mirabiliter dolorem.

Contra dolorem dentiū.

De Sagacitate corui.

CAPVT LXIII.

Plin. libro 8. Coruus occiſo chamæleone, qui etiam victori nocet, lauro infeſtum virus extinguit. *Idem in libro* 12. Tradendum autem memoriæ quidam putauere, viſum coruum per ſitim lapides congerentem in ſitulam monumenti in qua pluuiæ aqua durabat, ſed quæ attingi non poſſet, ita deſcendere pauentem expreſſiſſe tali cõgerie quo poturo ſufficeret. *Idem in li.* 18. Corui ſingultu quodam latrantes, ſeque concutientes tempeſtatem præſagiunt, ſi tamen continuabunt. Si vero carptim vocem reſorbeãt ventoſum himbrẽ ſignant. *Auctor.* Reuera mira ſagacitate coruus callere videtur. Nam etiam pecuniam ſicubi reperit, eam roſtro latẽter, & quaſi furtiuè accipere, & diligenter abſcondere fertur, & cui voluerit dare. *Ariſtot.* corui cum aſino, & tauro pugnant, ac ſuper eos volantes eorum oculos roſtro pungunt. Coruus niger amicus eſt vulpis, & contra inimicum ſuum aſchelon eum defendit. Aduerſatur autem buboni. Vnde quædam ſpecies corui meridie comedit oua bubonis, & bubo nocte comedit oua corui. *Ex lib. de nat. rer.* Eſt coruorum genus in Oriente quod cum aſino, & tauro pugnat eiſque fugientibus ſuper eos volat, ac ſic cum impetu eorum oculos impungit, & cum potuerit eos excæcans roſtro Dominis ſuis inutiles reddit. Itáque per conſequens occiſi decoriantur, & eorum cadauera volatilibus efferuntur, ſicque ab aue improba animalia fortia ſuperantur. Coruus turres inhabitat, & ibidem nidificat, citiſſimus eſt, mutationis aeris nuncius, & alia crocitationis voce prophetat auram tranquillam, alia tempeſtatem. Coruus longæuus citiſſimè fit domeſticus, coruóſque ſylueſtres inuitos retinet ac ſeducit.

Sagacitas corui.

Dat pecuniã

De Coturnice.

CAPVT LXIV.

Isidorus. Coturnices à ſono vocis dictæ ſunt, quas Græci ortygias vocant, eo quod viſæ primum fuerunt in ortygia inſula: hæc ad veniendum tempora habent. Nam æſtate depulſa maria tranſmeant. Ortigometra autem auis dicitur quæ gregem ducit, eámque terræ propinquantem accipiter videns rapit, & propterea cura eſt vniuerſis ducem ſolicitare generis externi per quem prima diſcrimina caueant, cibos gratiſſimos habent ſemina venenorum. Quam ob cauſam veteres eis veſci interdixerunt, ſolum enim hoc animal ſicut & homo, *caducum morbum patitur. Ambroſ. li.* 3. Elleborum periti loquuntur eſcam eſſe coturnicum, eo quod naturali quodam temperamẽto ſui corporis vim pabuli nocẽtis euitẽt. *Solinus.* Coturnices æſtate depulſa cum maria tranſmeant impetus differunt, & metu ſpatij longioris vires ſuas tarditate nutriunt. Vbi autem terram perſentiſcunt cateruatim coeunt, deinde conglobatę vehementius properant. Quæ feſtinatio plerúmque exitium portat nauigantibus. Accidit enim *noctibus, vt vela incidant*, & præponderatis funibus alueos mergant, auſtro nunquam exeunt. Nam vim flatus tumidioris metuunt, plerúmque ſe Aquilonibus credunt, vt corpora pinguiuſcula, & ideo tarda facilius prouehat ſiccior ac vehementior ſpiritus.

Coturnices.

Ortigometra

Caducus morbus eis ineſt.

Mira feſtinatio coturnicum.

Plinius lib. 10. Coturnix eſt auis parua, & cum ad nos venit terreſtris potius quam ſublimis. Semper autem etiam antequam graues aduenium, nec ſine periculo nauigantium, cum terris appropinquauerint. Quippe noctu ſæpè vela inſcidunt, & nauigia mergunt. Iter eſt his per hoſpitia certa. Coturnices auſtro non volant humido ſcilicet grauiore vento. Aura tamen vehi volunt propter pondus corporum, viréſque paruas. Aquilone ergo maximè volant orthigometra duce. Mares inter ſe dimicant deſiderio fœminarum. *Comeſtor.* Corturnix in ſinu Arabię præcipuè nutritur, & eſt auis regia, quam nos vulgo curelium dicimus à curendo. *Ex lib. de natur. rer.* Coturnix eſt auis quam vulgariter quiſtulam dicimus, hæ ducem habent ortigometram, quam in maris tranſitu iam terræ, ideſt portui maris appropinquantes accipitres ſpeculati rapiunt, & iccirco cura eſt vniuerſis, vt externi generis ducem ſolicitent, ſcilicet cornicem per quam prima diſcrimina caueant, rariſſimas habent fœminas in genere auium, ſicut & pectines in genere piſcium. In hominum vero genere pauciores naſcuntur maſculi quam fœminæ. *Philoſophus.* Coturnices habent fel adiacens inteſtino ſicut hyrundines & columbæ: his in pugna vox eſt. *Auicenna.* Ex comeſtione carnis conturnicum timetur ſpaſmus, & tetanus.

Curelium.

Quiſtula.

De Trochilo.

CAPVT LXV.

Ex libro. de naturis rerum. Crochilos in Italia rex auium appellatur, omnium quidem eſt minima, ſed quanto minor tanto velocior, adeo animoſa, vt etiam contra aquilam audeat conatus acceptare. Homines quoque deludit, quia cum ſe propinquam quaſi manu capiendam obtulerit, caſſo hominis conatu, & labore impigra profugit. Araneis veſcitur, pullis fœcunda eſt. Nam plurimos vno fetu producit, vno ſpecu vel antro in hyeme multi conduntur vt ad calorem turba cõferente, calor qui paruus eſt in tam minimis corporibus augmentetur.

Corruptè legit pro Trochilus.

De cubeth.

CAPVT LXVI.

Aristoteles. Cubeth eſt auis luxurioſa, cuius mas ſi inuenerit oua fœminę ſuæ frangit ea, ne fœmina ſit ſolicita circa ea, fœmina vero abſcondit ea. Quæ, *ſine coeat, ſiue non, olfaciendo, vel audiendo ſubito ouat.* Item ſi præſenſerint maſculum venientem, occurit ei & coeunt. Mas quidem pedetentim ad fœminam accedit ſine ſtrepitu, ne alij maſculi ſentiant, & pugnent cum eo, nec coire permittant. Item maſculi pugnant inuicem, & victor cum victo coit, ac verſa vice ſi victor victus fuerit. Solitariè tamen, & occultè coeunt eligente victore locum ad hoc, & victo ſequente. Mas autem, & fœmina in voluptate ſua frequenter deprehenduntur, & cadunt in manus venatorum. Cumque luxurioſa ſit auis iſta, ſinguli tamen mares ſingulas fœminas accipiunt. Cubeth ex ouis duas acies facit, & fœmina cubat vnam, & mas aliam. Sed & quando teſtæ fiſſæ fuerint, vterque circa pullos ſuos ſolicitus erit. Cumque maioris ſit coitus ſicut & gallina, maiores habet teſticulos, nec habet nidum ſicut cœteræ aues, ſed in locis planis vbi non nidificant aues manſionem facit ex ſpinis aliaque materia propter accipitrem, & vulturem, & propter calorem. Exciſos autem pullos eijcit ſubito, quia non bene volare poteſt ad adducendum eius cibum. Nec ouat minus 10. & fortè 12. Eſt autem mali moris & aſtuti. Aues quæ non poſſunt bene volare, ſed manent ſuper terram vt gallina, & cubeth confricantur in cinere. Item aues ponderoſi corporis quæ non ſunt boni volatus, multam habent ſuperfluitatem, multúmque coeunt & multorum ouorum huiuſmodi ſunt vt cubeth, & ſtruthio, & gallina. *Auctor.* Cubeth idem videtur eſſe quod perdix, quæ enim hic de illa dicuntur, eadem penè de perdice dicentur inferius. Quod fortè latuit tranſlatorem.

Cubeth ouat olfaciendo & audiendo

Exciſos pullos eijcit.

Cubeth perdix.

De cuculo.

CAPVT LXVII.

Cuculi etymon. ISidor. Cuculi à voce propria nominati, tempus habẽt & ipſi veniendi miluorum ſcapulis ſuſcepti, propter breues, & paruos volatus, ne per longa aeris ſpatia fatigati deficiant: horum ſaliuæ cicadas gignunt. Oua paſſeris nido reperta comedunt, & ſua obijciunt. Poſt hæc illa ſuſcepta, & fouent, & nutriunt, hi alio nomine tuci dicuntur. *Ex lib. de nat. rer.* Cuculus eſt auis improba, quę vocem ſuam in cantando non mutat, ſed ſuper eandem replicat. Auis pigerrima eſt, & loco non ſtabilis. Turturis ferè colorem habet, hyeme plumis ſpoliari dicitur, intrátque terræ latibulum vel cõcauitates arborum, illic æſtate congerit, quo hyeme viuit. Oua ſua in nido minoris auiculæ ponit, & de ouis illius totidem demit, ne dum illa numero ſuperflua inuenerit, quaſi aliena repudiet. Itaque cuculus ab aliena matre cum pullis eius fotus & eductus, dum adhuc in nido inualidus ſedet, quadam tamen auiditate naturali cæteris pullis cibos rapit, & hac ſagacitate præ cæteris pingueſcit, atq; nitidior fit. In cuius elegantiam nutrix conuerſa, gaudet eius forma, miratúrque ſeipſam, quod talem peperit adeo deſipiẽs, vt magnitudine fœtum à pullis minoribus non diſcernat, ſed omnes pullos ſuos in eius comparatione damnat. At vbi eum eduxerit, & ad robur volandi nutrierit, ipſe viceuerſa, & in nutricem inſurgit, & inſequentem perimit. *Plin. lib.* 18. Mutatur & cantus alitis temperie quam cuculum vocant. *Idem lib.* 13. Mirabile quoddam eſt de cuculo quo quis loco primum audiat alitem illam, ſi pes dexter circumſcribatur, ac veſtigium id effodiatur non gigni pulices vbicunque aſpergatur. *Idem in lib.* 28. Culculi fimus in vino decoctus, & potus morſui caniꝭ rabioſi confert. *Ariſt.* Cuculus ouis proprijs incubat, ſed vnum ouum in nido fulicæ ponens eiuſdem oua fugit. Illa vero futuri euentus ignara, ouum ſedula nutrix fouet. Sed cuculo excluſo, & poſtmodum adulto nutrix à nõnullis quandoque necari perhibetur. In eſtate volat & laſciuit. Idem ſemper in cantu repetens, in hyeme iacet languens, & deplumatus ac buboni ſimilis.

Auis improba.

Mirabile ſi verum, & non ſuperſtitioſum eſſet.

De Diomedæis auibus.

CAPVT LXVIII.

Iudicij mirum Diomedearum auium. ISidor. Diomedææ aues à ſocijs Diomedis appellatæ ſunt, quos fabulæ ferunt in eaſdem volucres fuiſſe conuerſos: forma fulicæ ſimiles, magnitudine cygnorum, colore candido, duris & grandibus roſtris. Sunt autem circa Apuliam in inſula Diomedæa inter ſcopulos littorum, & ſaxa volitantes. *Iudicant autem inter ſuos & aduenas. Nam ſi Græcus eſt propius accedunt & blandiũtur.* Si alienigena morſu impinguant, & vulnerant, lacrymoſis quaſi vocibus dolentes, vel ſuam mutationem, vel regis interitum. Nam Diomedes ab illyricis interemptus eſt, hæ autem aues Latine Diomedææ vocantur. Græci vero eos Herodios vocant. *Plin. lib.* 10. Nec Diomedæas præteribo aues. Iuba cataractas vocat, & eis eſſe dentes oculóſque igneo colore, Cętero candidas tradens. Duos ſemper his duces, alterum ducere agmen: alterum cogere. Scrobes excauare roſtro, inde crate conſternere & operire terra, quæ ante fuerit egeſta, in his fætificare, fores binas omnium ſcrobibus. Orientem ſpectare quibus exeat in Paſcua: occaſum quibus redeant. Aluum exoneraturas ſubuolare ſuper & contrario flatu. Hæ in ſolo loco totius orbis viſuntur in inſula quam diximus nobilem Diomedis tumulo, atque delubro contra Apuliæ omnia fulicarum ſimiles. Aduenas barbaros clangore infeſtant. Græcis tantum adulantur, miro diſcrimine, velut generi Diomedis hoc tribuentes. Ædémque eius quotidie pleno gutture madentibus pẽnis perluunt, atque purificant. Vnde origo fabulæ Diomedis ſocios in earum effigies mutatos.

Herodij. Cataractæ.

Solinus. Diomedæas aues inſula quæ oram Apuliæ videt, & tumulo ac delubro Diomedis inſignis eſt, ſola gignit, qui eſt color candidus, ignei oculi, ora dentata, congregatæ volitant, dúæque duces ſunt. Quarum altera agmen præit, vt ductu certum iter dirigat, altera inſequitur, vt inſtantia tarditatem vrgeat. Cum fœtificum tempus adeſt, roſtro ſcrobes excauat, & ſurculis inuerſum poſitis ſubtercauata contegunt, & ne operimenta deſint, ſi fortè lignorum caſſa venti auferant, hãc ſtruem premunt terra quam egeſſerant, ſic nidos moliuntur bifori acceſſu, aditus qui mittit ad paſtus in ortum deſtinatur, qui excipit reuertentes, verſus occaſum eſt, vt lux & morãtes excitet, & receptui nõ denegetur. Ædem ſacram huiuſmodi ſtudio omni die celebrant, aquis plumas imbuunt & alis impendio madefactis rorulentę confluunt, & ſic ædem humore excuſſo purificãt. Tunc pennis ſupplaudunt, & inde quaſi peracta religione diſcedunt. Ob hoc aues factos, Diomedis ſocios, ferunt. Aluum autem exoneraturę aduerſis flatibus ſubuolant, quibus proluuies longius auferatur.

Modus nidificandi.

Origo fabulæ de ſocijs Diomedis conuerſis in aues.

De Egytho, & emeria, & ercinia.

CAPVT LXIX.

Antipathia Egythi & acanthis. PLin. lib. 10. Egythus auis minima cum aſino pugnat. Aſinus quippe ſpinetis ſe cauſa ſcalpendi atterens, nidos eius diſſipat. Quem adeo pauet auicula, vt omnino voce rudentis audita oua eijciat, pullíque ipſi metu cadant. Itaque aduolans vlcera eius roſtro excauat. Porro acanthis egythum odit intantum: vt eorum ſanguinem credant non coire. *Iorath. Emeriæ* ſunt aues, quæ de nocte volantes illuminant aerem propter pennarum ſuarum naturam quæ magis in tenebris, quam in lumine lucent: ſicque produntur, & capiuntur. *Iſidor. Erciniæ* aues dictæ ſunt ab Hercinio ſaltu Germaniæ vbi naſcũtur, quarum pennæ adeo per obſcurum emicant, vt quamuis nox denſis tenebris obtenta ſit, ad præſidium itineris dirigendi iactæ interluceant, curſúſque viæ pateat indicio plumarum fulgentium.

Emeria.

Ercinia.

De Falcone.

CAPVT LXX.

Falco. IDem. Falco dicitur, eo quod incuruis digitis ſit, hic Italica lingua capus dicitur à capiendo. *Radulphus vbi ſupra.* Herodius eſt quem vulgo falconem dicimus velox rapidúſque ad prædam. *Herodius.* *Ex lib. de nat. rer.* Falco eſt auis nobiliſſima, volatu impetuoſiſſima, & in cuſtodia ſui minus cauta. Ideóque cum ad prædam dirigendus eſt, à Domino ſuo retardatur, nec auis ei capienda oſtenditur niſi prius aliquantulum elongetur, vt prædam cum impetu moderato ſubſequatur. In ardeæ captura duo falcones pariter relaxantur, quorũ vnus ſumma petit, alius iuxta terram inuolat, vt videlicet ille volantẽ ardeam impulſu præcipitet: iſte vero præcipitatam accipiat. *Ariſtot.* Falco renes habet debiles, pectúſque robuſtum delitioſis vtitur cibis. Vnica verſatione collum gyrat circulariter, pectore exiſtente immoto adeo, vt óculi eius duo, centum argi luminibus ratione huius viſus cuiuſdam naturalis diſcretionis videantur ex æquo reſpondere. Prædæ quoque, quæ poſt tergum eſt, prouidus inuigilat.

Captura ardeæ quomodo fit.

De Diuerſis generibus falconum.

CAPVT LXXI.

EX libro de nat. rer. Falconum genera duo ſunt. Vnum nobile, quod auem vſu paruo naturaliter capit. Aliud ignobile, ac vile, quod niſi multo labore, & maceratione aſſuefactum hoc facit. Hoc vltimum genus cum ardeam ad terram impulerit, iámque in promptu eſt, vt eam capiat. Ardea anguillam, vel alium piſcem quem recentius vorauerat, euomit, & tunc falco vilior libere eam volare permittens, ac munus

fœtidum

fœtidum ſibi oblatum præferens & gaudens ocius apprehendit. Non ſic autem falco nobilis, ſed eiectũ munus vilipendens, auem doloſam ſeuerius punit. Habet autem falco os acutum, ac durum in pectore, quod ei natura prouidens indidit ad impulſionem prædæ. Scripſerunt Aquila, Symachus & Theodotion epiſtolam Ptolemęo regi Ægypti: in qua tractauerunt de auibus nobilibus, & earum medicinis: de qua tantum hic pauca commemorare ſufficiat. Falconum genera ſunt octo. Primum eſt quod lanarium dicitur, & in duo genera ſubdiuiditur: quorum vnum habet caput, & roſtrũ craſſa, pedes vt aquila, quod cum graui labore habilitatur ad aucupandum: habilitatum tamen in ſecundo & tertio anno egregium eſt in volatu. Alterum vero ſtaturæ minoris eſt, & vile putatur. Secundum genus falconum peregrinum dicitur: & hoc duabus de cauſis. Quarum vna eſt, quia ſemper de terra in terram peregrinatur. Secunda ſecundum opinionem falconiorum, quod videlicet neſcitur nidus eius, quia in altiſſimis prę-ruptis montium nidos conſtruunt, nec aditus ad nidum patet, niſi deſuper à cacumine montium: homine per funem ſubmiſſo. Tertium genus montanum dicitur breue & ſpiſſum valde in corpore, & præcipuè eſt breuis caudæ, & ſpiſſæ, pectoris valde rotundi, & magni, & fortium crũrum & breuium reſpectu quantitatis corporis ſui: nodoſorum pedum & fortium vnguium, & hoc in conſuetudine habet quod frequenter reſpicit pedes. Et eſt in dorſo & exterius in alis coloris cinerei. Hoc genus ferum eſt, malorum morum & iracundum, inconſtantis iræ. Quartum genus pedibus, & cruribus cæruleum, vnde & nomen accepit, hoc primo & ſecundo anno nobile, quinto anno viliſſimum eſt. Quintum genus gracile & longum eſt in diſpoſitione exertiſſimũ in volatu. Sextum genus ſuperanicum dicitur, quod ferè habet ſimilitudinem aquilæ, excepto eo, quod in pedibus, & alis & oculis gutteo aſſimilatur falconi. Septimum genus Britannicum eſt, quod omnium auium aucupantium obtinet principatum: vt nec vlla auis coram eo aucupari, vel etiam volitare audeat ipſa deſuper volitante, hoc genus crura nodoſa, pedes craſſos, vngues crudeles, aſpectum terribilem: flammeos oculos, caput & pedes craſſa, iuga, ideſt complicationes alarum magna, facillimè habilitatur ad vôlatum, multúmque ac diu volare poteſt, delicatiſſimè paſci vult, & tantum ferè quantum aquila comedit, hoc genus eſſe credimus, quod ſuperius aeriophilon diximus. Octauum genus eſt, quod *Herodius*, aut vulgariter gyrfalco appellatur, de quo inferius dicetur, hoc genus præcedenti communius eſt, & carius habere propter temperantiam cibi, ac vitæ. Porro triciolus aucupantium volucrum minima, ſed pro ſexu, & natura ſua ad aucupandum promptiſſima, falconum generibus adiungitur.

Albertus in libr. de animalibus. Genus falconum quatuor habet propria. Primum figura corporis. Secundum color. Tertium proprius actus. Quartus ſonus vocis. Figura omnibus conueniens eſt craſſius habere caput & rotundum, colum breuius, breuius roſtrum, pectus maius cum oſſe in pectore acuto. Alas longiores, caudam contractiorem, crura breuiora, & fortiora reſpectu ſui corporis. Color conueniens eſt in facie habere maculas nigras in maxillis, albas circa foueas oculorum vtrinque & ex vtraque parte roſtri, & cilia habere nigra, & cinereum, ſiue ſubnigrum in cranio, in dorſo, in ſuperiori parte colli, & exteriori alarum, ſimiliter in exteriori caudæ, vt in alis plenum eſſe varietate, quaſi virgulatim deſcendentibus interruptis quandoque virgulis. Et iſta varietas ſemper quidem habet nigredinem pro colore vno. Secundus color eſt rufus remiſſæ rubedinis, & ſecundũ quod ſæpius mutatur magis, ac magis albeſcit. Color autem oculorum eſt croccitas, ita quod rufedini appropinquet, & acies, ſiue pupillæ nigræ. Et color pedum optimus croceus multum vergens ad albedinem, & quo minus albeſcunt pedes, eo ignobilior eſt falco, & ſi vergit in colorem hiacintinum, ſiue ſaphyrium, eſt color ignobilis. Proprius actus eius eſt, impetu ferri in prædam. Et ideo cauendum eſt falconario, ne ſtatim prędam falconio oſtendat, ſed potius aue aliquantum remota dimittat falconem. *Sonus autem vocis* generaliter craſſior, & prolixior eſt ab acuto in grauius procedens. Genera ſecundum eum x. quo ad nobiliores diſtinguuntur. Primum ſacrum, quod Symachus Britannicum vocat, aliàs aelium, vel aeriophilum. Secundum girfalco. Tertium montanum, ſiue montanarium. Quartum peregrinum. Quintũ gybboſum paruũ corporis quantitate, ſed audacia & virtute mirabile. Gibboſum dictum eo quod propter breuitatẽ colli ante iuga alarum ſuarum caput vix apparet. Sextum gradum nobilitatis poſſidet falco niger: aliquanto breuior falcone peregrino, ſed in figura ſimilis per omnia. Septimum locum ſibi vendicat falco albus, qui venit à Septẽtrione, & mari Oceano, à regionibus Noruegiæ, & Sueciæ, & Oſtomaniæ, & finitimis ſyluis & mõtibus. Octauum gradum falco rubeus obtinet, nõ quod in toto rubeus ſit, ſed quia guttæ, quæ in aliis albæ ſunt, in hoc genere ſunt rubeæ & nigrę. Nonum genus eſt illud, quod eſt hiacynthini pedis, & azurini. Decimum, quod minimum eſt quantitate, vulgariter ſmirlium vocatum.

Regimen autem falconum in tria diuiditur. Primum eſt regimen domeſticationis, quod duos in fines ordinatur, quorum vnus eſt, vt aſſueſcat manum hominis. Alter autem vt audax, & præceps in captura auium efficiatur. Secundum eſt regimen ſanitatis, & maximè in hoc conſiſtit vt cibetur cibo hora & quantitate, quo, qua, & quando ſylueſter cibari conſueuit, & pręcipuè carne leui auium, & adhuc calore vitæ ſpirante, & vt teneatur inter maciẽ, & pinguedinem mediocris. Tertium autem eſt regimen infirmitatis, de quo ex prædicta epiſtola Aquilæ, Symachi, & Theodotionis. Albertus & liber de naturis, hæc quæ ſequuntur. Si infirmitas auibus creſcit in oculis vnge illis oculos oleo oliuæ, ſi albugo in oculo creſcit: puluerem ſeminis fœniculi, & lac calidum mulieris immitte. Si præ ſenectute obſcuratus fuerit, accipe habile ferrum, & coque, & pone ſuper nares vbi vertex coniungitur oculo ad nares, ſi clauſas nares habuerit, accipe puluerem piperis, & ſtaphyſagriæ, & inſuffla eis in nares per paruam fiſtulam pennæ, & fricabis poſtea ſolo puluere ſtaphyſagrię palatum eius ſi rheuma in capite habuerit: pone rutam iuxta nares eius, & carnem quâ comedit intinge in ſucco rutæ. Item allium tuſum cum vino per nares eius immitte, & in loco obſcuro reſideat tota die, & eum per vnam diem ieiunare permitte; ſi pabulam habuerit, accipe linguam eius, & cum puluere ſtaphyſagriæ condito melle frica eam, dabis ei butyrum comedere, ſi dicta non valent, puluis caulis deſiccati ad idem valet. Si vltra modum clamoſus fuerit, accipe veſpertilionem, & piper tritum intus pone, & da ei comedere, ſi etiam aliam auem acceperis ad idem oberit. Qui nimium clamat oneratus interius eſt ſępe, ſi faſtidium habuerit ſorices viuas ei dari facias, ſimiliter & catellum in proximo natum, antequam videat: ſi cibum euomit frequenter accipe ſcamoneam in pondere quartæ par. oboli, tantumque cymini & tritis iſtis aſperge eorum puluere carnes porcinas pingues, & da aui in cibum, ſi *vero comedere non poteſt*, accipe albumen oui, & in eo pone dictum puluerẽ, & ori eius injice. Item ad idem ſi cibũ eijcit: accipe oua cruda & frange in lac caprinum, poſtea facias hoc totum decoqui, & da ter ad comedendum accipitri, & ſaluabitur, ſi pennas mutare incœperit exime eum ab omni labore & cibum ei in abundantiam tribue. Quoties enim eſurierit, tot fracturas in pennis habebit, & in ſecreto naturæ notatur. Valent illæ glebæ virides ſubſtratæ ſub pedibus & ſolis calor, niſi ingruerit magnus æſtus. *Si febres* habuerit da ei ſuccum artemiſiæ ter vel quater, & carnes gallinæ in cibum. Vel iſtud, ligá ei tibiam dexteram fortiter, & in medio cruris apparebit vena, & illam diligentiſſimè minue. In eius crure quatuor venæ ſunt, vna in anteriori, altera inferius, altera exterius, altera poſterius ſuper vnguem maiorem. Poteris autem ſcire ſi auis febricitat, *ſi alæ dependent, & caput*

Dolus ardea. — Octo Falconum genera. — Lanarium genus falconũ — Peregrinum. — Montanum. — Caruleum. — Gracile. — Superanicum. — Britãnicum. — Herodius. Gyrofalco. — Triciolus. — Figura falconum. — Color. — Sonus. — Regimẽ falconum. — Infirmitas eiuſque regimen. — Rheuma. — Si comedere nequit. — Febres. — Indicium febris.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

put demiſſum teneat, & tremit, & quaſi frigus oſtendit in plumis, aut cibum cum faſtidio ſumit, aut auidè ſumit & malè tamen inducit. Si valde ſitit, accipe puluerem caulis leuiſtici, & cannæ de aneto, & fœniculi, & coquæ cum vino, & cõmiſceas cochleare mellis, & colaturam da ei bibere. Vel injce ori eius. Vel vna die da ei carnem linitam oleo roſarum frigidam. Si felle laborat, puluerem florum ſalicis ſparge ſuper cibum eius. Si alæ pependerint, accipe de ſanguine, & adipe anſeris. De ſanguine frica eius alas ad Solem, de carne anſeris pingui da ei comedere. Item melius, fel porci accipe, & inde ei alas perunge. Vel ſucco verbenæ cibum eius intinge. Ad idem ſuccus ſaluiæ. Si alas guttoſas habuerit, hederam terreſtrem in aqua quoque, & folia eius cocta, & bene contuſa alis eius circumliga, iuxta latera, & cibum eius in eadem aqua tinge. Idem ſi pedes guttoſos habet. Si tineæ comedant pennas eius carnes hircinas comedat in aceto tinctas, & alas eius aceto calido, & oleo laurino ſæpius perfrica. *Si pennam fractam extrahere volueris* ſine dolore, accipe ſanguinẽ parui animalis galy ſcilicet vel ſanguinem muris rati, & vnge locum pennæ, & cadet. Et poſtea ex melle ad ſpiſſitudinem decocto fac virgulã ad modum foraminis, vbi penna ſtetit, & injce foramini, & exibit noua pẽna. Item ſucco papaueris calido perunge pennas eius, & intinge cibum eius eidem ſucco. *Si os fractum* habuerit in crure, vel in ala. Aloe calidum ſuperliga, & dimitte vna die, & vna nocte. Item ſimum galli in aceto coctum ſuperliga. Si inquieta ſit auis, & in pertica vel in manu geſtantis, myrrham in aqua coque, & ex ipſa aqua aſperge corpus eius, & intinge cibũ eius vſque nouies. Si infirmitate, quæ ranna dicitur, infirmatur, ſucco arthemeſiæ cibus eiuſdem auis intingatur. Item ſanguine agni calido pedes eius perfrica. Vel vino tepido, in quo decoctæ ſint vrticæ, in ipſo vino cibum eius intinge. *Si non poteſt ſimare*, fel galli da ei comedere, vel teſtudines albas decoctas. Si nimium laxat, ſuccum iuſquiami modicum da ei bibere, & intinge eodem cibum eius. Si pediculos habet, accipe ſuccum abſinthij, vel aquam decoctam cum abſinthio. Et ad Solem eo ſẽdente infunde plumas eius, & corpus per totum. Si lapidem in ventre nutrierit, da ei vnguentum comedere, & butyrum. Ad idem aloen herbam cum puluere apij, & inuolue cordibus paruarum auium, & da ei comedere. Sic poteris de omni medicina, quæ datur auibus cõmodius facere. Sed multo ampliora de hac materia reperies, per Albertũ tradita in libro ſuo de animalibus. Hæc in epiſtola prædicta de nobilibus auibus, & aliamulta de medicinis earum leguntur.

Extractio penna fracta.

Si ſit os fractum.

Si non ſimet

† Alias phaſiano.

† De Faſiano.

CAPVT LXXII.

Faſiani etymon.

ISidor. Faſianus à Faſide inſula dictus eſt, vnde primum aſportatus eſt. *Palladius vbi ſupra.* Faſiani nouelli ad creandos fœtus parandi ſunt, qui anno ſuperiori editi ſunt. Veteres tamen fœcundi eſſe non poſſunt, fœminas ineunt Martio, vel Aprili, vel ſemel in anno fœtus creant. Viginti ferè ouis pariendi ordo concluditur, gallinæ his melius incubant. Ab aquæ prohibendi ſunt acceſſu, ne pituita concludant. *Farina triticea ſaginantur*, vel ordeacea, huius farina in breuiſſimas offulas redacta, oleo aſperſa leuigetur, & ita offulæ faucibus inſerantur, ne ſub infima linguæ parte mergantur, quod ſi euenerit, ſtatim peribunt: duabus fœminis vnus maſculus ſufficit, quia cæteras aues ſalacitate non æquat. *Ex li. de nat. rer.* Faſianus eſt gallus ſyluaticus, auis pulchra, valde pẽnis coruſcis, inſtar ignis, cæruleus interdum, ac viridis, rubeisque pennis interſcribitur nitor. Aures geminas videtur habere in capite, pluuiis extantibus, quas ſubrigit, quando vult, atque ſubmittit.

Saginatio.

Modus capiendi phaſianos.

Chriſtis autem in capite caret, & ſpiculis in cruribus, his tamen armis fruſtratus, animoſus, & audax eſt. Quod ſciens auceps ſcutum ex panno lineo facit, in cuius medio panniculum rubeum ponit, quem ſcilicet ruborem in albo gallus attentius contemplatur, inſolitúmque miratur. Tunc auceps hærentem viſu cernens, in dorſum retrocedere cogit ſcuti conamine, donec in retia eminus parata captiuum deijciat. Hæc auis in aura pluuioſa triſtatur, & tunc rubetis, ac ſyluis latet. Circa veſperam, vel auroram de ſylua egreditur & tunc de facilè venatur. Roſtrum in terra figens abſcondit, & ſic abſconditum ſe totum credit, pennas præ pinguedine mutat, iterúmque ſeſe renouat. Carnes habet ſubtiliores, ac leuiores cæteris auibus ſyluaticis, exceptis perdicum pullis. *Plin. lib.* 10. Faſianis in Colchis geminas aures ex pluma ſubmittunt, atque ſubrigunt. *Idem in lib.* 11. Renibus autem ex parte tantum altera inteſtino iungitur fel faſianis. *Ariſtot.* Faſiani tantum coitus tempore ſimul habitant, cæteris verò temporibus ſeparatim, nec cito rubricatas habent barbas, vel in pedibus calcaria, ſicut galli domeſtici, ſed tractu temporis. Faſianus ſic capitur, aliquando auceps panno, in quo hæc auis depingitur, coopertus, faſiano ſe oſtendit, qui ſequẽs coopertum, nec fugientem, nec retrocedentem, tandem à ſocio aucupis in inſidijs latitante reti inuoluitur.

Alius modus capiendi eos.

De Fatatore.

CAPVT LXXIII.

Fatator.

EX *libro de natura rerum.* Fatator eſt auis in Oriente, quæ fœtuum procreandorum naturaliter cupida, tempus veris anticipat, quo ſcilicet aues cæteras ſolent initiare conceptus. Vnde fit, vt oua, quæ tunc facit, frigore corrumpantur, ne fœtuum habeant effectũ; ſed iterũ ſequenti tempore calido ponunt: & tunc pullos faciunt, quod eſt contra omnes ferè agreſtes aues, quæ ſemel in anno ouant, atque pullificant.

† De Fœnice.

† Aliter & melius, Phœnix.

CAPVT LXXIV.

Phœnix ex verme fit immediate

ISidorus. Fœnix eſt auis Arabiæ ſic dicta, eo quod colorem fœniceum habeat, vel quod ſit in toto orbe ſingularis, & vnica. Nam Arabes ſingularem, & vnicam fœnicem volant: hęc quingentis, & vltra viuens annis, dum ſenuiſſe ſe viderit, collectis aromatum virgultis, rogum ſibi inſtruit. & conuerſa ad radium Solis alarum plauſu voluntarium ſibi incendium nutrit, ſicque iterum de cineribus reſurgit, *Ambroſius libr.* 5. Fœnix, cum finem vitæ ſibi adeſſe animaduertit, facit ſibi thecam de thure & myrrha, & cæteris odoribus, in quã impleto vitæ ſuæ tempore intrat, & moritur: de cuius humore carnis vermis exurgit, paulatimque adoleſcit, ac proceſſu ſtaturi temporis alarum remigia induit, ſicque in ſuperioris auis ſpeciem, & formam reparatur. Doceat ergo nos hæc auis exemplo reſurrectionẽ credere, quæ ſine exemplo, & ſine rationis præceptione ſibi inſignia reſurrectionis inſtaurat. *Solinus.* Apud Arabes fœnix naſcitur, auis Aquilæ magnitudine, capite onerato in comã plumis extantibus, criſtatis faucibus circa colla fulgore aureo, poſtera parte purpureus, extra caudam, in qua roſeis pennis interſcribitur nitor cæruleus. Quinto Plancio, Sex. Papinio Conſulibus, Ægyptum fœnix inuolauit, *captuſque* anno 800. Vrbis Conditæ iuſſu Claudij Principis in Comicio publicatus, quod geſtum actis etiam vrbis continetur. *Plinius li.* 10. Senator Manilius maximis nobilis doctrinis doctore nullo auctor eſt neminem extitiſſe, qui viderit veſcentem; ſacrum in Arabia Soli eſſe fœnicem auem annis 660. viuere, ſeneſcentem caſſia, thuriſque ſurculis nidũ conſtruere, odoribus replere, ac ſuperemori. Ex oſſibus deinde ac medullis eius naſci primo ſicut vermiculum, inde fieri pullum, principióque iuſta funeri priora reddi, & in totum deferre nidum prope Pacaiam in Solis vrbem, & in ara ibi deponere. Cuius ſcilicet alitis vita magni conuerſionem anni prodit idem Manilius fieri, iterúmque ſignificationes tempeſtatum ac ſyderum eodem reuerti, hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum arietis Sol intrauerit. Et fuiſſe

Phœnix capitus.

eius

eius contrauerſionis annum prodente ſe, Publio Lucinio, Marco Cornelio Conſulibus 215. Cornelius Valerianus fœnicem deuolauiſſe in Ægyptum tradit. Q. Plautio. Sex Papinio Conſul. Allatumque eſſe in vrbem Claudij principis cenſura anno 800. Et in Comicio propoſitum, quod actis teſtatum eſt, quæ falſa eſſe nemo dubitarit.

Ex libro de naturis rerum. Fœnix eſt auis in orbe ſine patre per annos 340. ſola degens, caput habens oneratum, vt pauo, caudamque cærulei coloris, in qua roſeæ pennæ interſcribuntur varietate mirifica. Cumque ętatis prouida graueſcere cœperit, in altiſſimis Orientis partibus in arbore pulcherrima ſuper amœniſſimum fontẽ poſita, altare quaſi nidum inſtruit ex thure, myrrha, & cinna momo, ac cæteris aromatibus. Tunc feruidos Solis orbes alarum agitatione in ſe concitans ſuper ſtruem ruit, ipſaque pariter accenſa vermis ex eius cinere procreatur, qui in auem priſtinam reformatur. Hanc autem dicit Iſid. Heliopolim vrbẽ Ægypti menſe Aprilis ingreſſam fuiſſe oneratis alis diuerſis aromatibus, & ſtruem ſarmentorum accendiſſe, qui coniectus fuerat in ſacrificium à ſacerdote, ibique ſeipſam inter illa aromata combuſſiſſe prima die ſequenti veniens ſacerdos, ligna, quæ poſuerat ſuper aram combuſta reperit, & ſcrutans cinerem, vermiculum odore ſuauiſſimo fragrantem inuenit, qui ſecunda die in auem formatus apparuit, quę tertia in ſtatu ſuo perfectiſſima, ſacerdoti valefaciens euolauit.

Cito renaſcitur.

De Ficedula, & filomena.

CAPVT CXXVI.

Rectius. Philomena. Ficedula etymon.

Isidorus. Ficedulæ dictæ ſunt, eo quod ficos magis edant. Panditur illo verſiculo veteri.

Cum me ficus amat, cum paſcar dulcibus vuis.
Cur potius nomen non dedit vua mihi.

Philomena. Luſcinia.

Plinius li. 10. Ficedulæ formam ſimul, coloremque mutant, hoc tamen nomen habent autumno, poſtea vero melancoryphi vocantur. *Auctor.* philomena eſt auis parua, canora, omnibus nota, quę luſcinia dicitur, de qua plenius inferius dicetur. *Ex lib. de natu rer.* philomena dicitur à philos, quod eſt, amor, & mene, quod eſt dulcis. hæc enim auis mira modulatione lætificat audientem, gaudet ad ortum Solis. Præitque lętitia venientem, verno tamen tempore cantat, hiberno nunquam. In initio quoque veris adeo ſuæ vocis amœnitate delectatur, vt rariſſimè comedat, & hoc cum ſumma feſtinatione. Itaque certant inter ſe tam pertinaciter, vt victa ſæpe vitam finiat, prius deficiente ſpiritu, quam cantu, vnde & dicitur à filos, quod eſt amor, & mene, quod eſt defectus, quaſi amore deficiens. Miramur igitur in tam paruo corpuſculo, tam pertinacem ſpiritum, miramur in illo perfectam muſicæ ſcientiam. Modulatus enim editur ſonus, & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur in flexum, nunc diſtinguitur & conſciſo copulatur in torto, grauis, acutus, creber, extenſus, vibrans, & aliquando quidem medius, ſummus, imus. Meditantur interim aliæ minores, verſuſque quos miremur, addiſcunt; audit attenta diſcipula, redditque vicibus cantum. Intelligitur, emendatur, & à docente quodammodo reprehenditur. Statim autem, vt coire cæperit, vocis amænitatem perdit. Et (vt dicit Plinius) alia vox fit, mutatur & color. Ab exitu namque verni temporis aucto æſtu in totum alia vox fit, mutatur & color. Linguis earum tenuitas illa non eſt, quæ cæteris auibus.

Certamen philomenarum.

Perdit amaritatem vocis.

De Fulica.

CAPVT LXXVI.

Fulica etymon.

Isidorus. Fulica dicta eſt, eo quod caro eius leporinam ſapiat, lagos enim lepus dicitur. Eſt auis ſtagnenſis, habens nidos in medio aquæ, vel in petris, quas circundant, maximèque profundo ſemper delectatur. quę dum tempeſtatem præſenſerit fugiens in vado ludit. *Auctor.* Fulica (vt legitur) eſt auis magnitudine, & colore cygno ſimilis, & grandi roſtro. In ſcopulis littorum commoratur, has Latini diomedæas, Græci herodios vocant. *Phyſiologus.* Fulica auis ſuper omnes prudentiſſima, cadaueribus non veſcitur, nec oberrat de loco ad locum, ſed in vno loco permanet vſque in finem, ibique eſcam ſuam circa ſe colligit, & quieſcit. *Plinius li.* 11. Fulicarum generi dedit natura placabilem criſtam, per medium caput à roſtro reſidentem. *Idem in libro* 18. Fulicę matutino clangore tempeſtatem præſagiunt. *Gloſſ. ſuper pſal.* 103. Fulicæ domus eſt fortis, ſed non in excelſis. Vnde fulicæ, inquit, vel herodij domus, &c. Fulica enim eſt auis marina, vel ſtagnenſis, cuius domus id eſt nidus eſt petra in aqua, quæ tuſa fluctibus frangit, eos, ſed non frangitur. *Ex libro de natura rerum.* Fulica (vt dicit Ambroſius) pullos Aquilæ nido deiectos reuerenda clementia cum pullis ſuis paſcit, ac nutrit, hominibus rationalibus exemplum præbens, quanta debeant erga peregrinos & pauperes, ac tribulatos pietate moueri. *Philoſophus.* Fulica eſt auis boni moris, nigra, anati ſimilis, niſi quia minor eſt anate. In ſtagnis delectabiliter commoratur, eſca & pace contenta. Vnde ſi locum inueniat, vbi pacem & eſcam habeat. Non inde recedit.

Herodius.

Auis boni moris.

De Gallo.

CAPVT LXXVII.

Ex libro de natura rerum. Gallus eſt auis faucibus, & capite criſtata ſpiculis aduerſis in cruribus armata, habet & quandoque ſpicula gallinæ. Sed hoc errore potius, quam opere naturæ: gallus nocte profunda cantat validius, & matutino leuius. Cantus enim cum vento fertur, & pluſquam ęſtimari poſſit, longius auditur. *Itaque cantu ſuo equos mitigat, camelos inſtigat, fantaſtica quoque propellere dicitur.* Caudam ſuſtollit, & ad modum ſemicirculi reflectit. Cum pennas circa collum erigit excutiens ſe audaciorem reddit, dormiturus in altum ſcandit, ac ſuper vnum pedem requieſcit, forma eius eccleſiarum turribus inſidet, & roſtrum contra ventum conuertit: herbæ, quæ gallum reficiunt, animalia cætera occidunt: ſi in vno præcinctu atrij plures galli fuerint vnus deuictis cęteris dominatur, & ſuperbus graditur, finiſque duello ſępe commorientibus eſt. Gallus iccirco leonibus *eſt terrori, quia baſiliſco aſſimilatur*, vt quidam volunt; Vel potius, vt credimus, naturaliter ei inſitus timor galli. Gallinis mortuis gallus mœrore confectus, abſtinet de cantu præ dolore. Gallus in ætate decrepita facit ouum ex ſe, *vnde baſiliſcus procreatur.* Sed in generatione hac oportet, vt multa concurrant. In fimo namque calido, & multo ponit ouum, ibique fouetur vice patris, & poſt multum temporis exit pullus, & inualeſcit, ſicut ſolent anatum pulli. Habet autem caudam, vt coluber, reſiduum vero corporis, vt gallus. Dicunt autem hi, qui creationem eius ſe vidiſſe teſtantur, quod nulla eſt oui teſta, ſed validiſſima pellis in tantum, vt reſiſtere poſſit ictibus validiſſimis. Opinio quoque quorundam eſt, quod ouum illud galli coluber aut bufo fouet: ſed hoc incertum eſt, hoc tamen in antiquorum ſcriptis habemus, quod baſiliſci quoddam genus, ex ouo galli decrepiti generantur. Gallus cantu ſuo diem prędnunciat, & ſomnolentos excitat. Et dicitur, quod ita cantu ſuo horas diſtinguit, quia ex multo calore certis horis humores in ipſo recipiunt ebullitionem, indeque ſalſedinem, & ſic pruritum, ex qua naſcitur delectatio, per quam excitatur ad cantum. In matori nocte maiores, ac fortiores cantus edit, & ſui ipſius, imaginem in ſpeculo intuens, vires conſumit, leui ſuſurro gallinas ſuas vocat ad eſum grani. Denique inter aues mas, & non fœmina dant voces, vt gallus, & coturnix. Gallus gallinam aduocatam paſcit, & tunc eam ad labores imprægnationis, & partus cogit:

Cur Gallus leoni terrori eſt.

Galli ouum, baſiliſcum procreat.

Cauſa cur certis horis cantet.

De eodem.

CAPVT LXXVIII.

Solatia ex cantu galli.

Greg in moralibus. Gallus diei nuncius, horas noctis discutit, & demum vocem exhortationis emittit. Cumque cantus edere parat, prius alas excutit, ac seipsum feriens vigilantiorem reddit. *Ambr.* Est galli cantus suauis in noctibus, & vtilis, quasi bonus cohabitator dormientem excitat, & solicitum admonet. Viantem solatur, processum noctis signans: hoc canente latro suas insidias relinquit, hoc ipse Lucifer excitatus oritur, cælumque illuminat, hoc canente mœstitiam trepidus nauta deponit, omnisque crebro vespertinis flatibus excitata tempestas, & procella mitescit, hoc deuotus affectus exilit ad precandum, legendique munus instaurat: hoc postremo ipse ecclesiæ pastor Petrus diluit culpam ante cantum galli tractam. Istius cantu spes omnibus redit. Ægris leuatur incommodum, minuitur dolor vulnerum, febrium flagrantia mitigatur, reuertitur fides lapsis. Iesus titubantes respicit, errantes corrigit. Idem. Leo timet gallum, maximeque album. *Arist.* Visi sunt autem galli, qui fœminas suas interficiebant. Deinde solliciti circa pullos suos regebant illos, & assimilabantur fœminis in nutriendo illos, ita quod etiam in voce. Et nolebant coire, sed etiam patiebantur. *Plinius lib.* 10. Galli vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somnia, natura genuit, Sydera norunt, & ternas horas interdiu cantu distinguunt. Cum Sole eunt cubitum. Quartaque castrensi vigilia ad curas, laboremque reuocant. Nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem cantu nunciant, ipsum vero cantū plausu laterum. Mortuis *gallinis earum mariti visi sunt in vicem succedentes*, ac reliqua fœminæ more facientes, seque cantu abstinentes, proximè gloriā sentiunt galli post fasianos. Imperitant suo generi, & regnū in quacūque sunt domo, exercent, dimicat pariter hoc inter illos velut tela agnata cruribus suis intelligant. Nec finis sæpe nisi commorientibus. Quod si palma contigerit, statim in victoria canunt, seque ipsi principes testantur. Victus vero silens occultatur, ægreque seruitium patitur. Et plebs tamen æquè superbè graditur, ardua ceruice, cristis celsa, cœlumque sola volucrum aspicit crebro: in sublime quoque caudam falcatam erigens. Itaque terrori sunt etiam leonibus ferarum generosissimis. Desinunt etiam castrati canere.

Galli vites gallinarum supplere visi.

De Gallinaceo.

CAPVT LXXIX.

Galli etymō.

Isidorus. Gallus autē à castratione vocatus est. Nam inter aues cæteras huic soli testiculi adimuntur. Veteres autem abscisos vocabant gallos. In ventriculis gallinaceis gemma, quæ dicitur electorius, reperitur crystallina specie, magnitudine fabæ. *Plinius vbi supra.* Galli (vt dictum est) desinunt canere castrati. Quod duobus modis fit, lumbis adustis candente ferro, aut imis cruribus mox vlcere oblito figulina creta, facilius itaque pinguescunt. Mares auium inter se dimicant desiderio fœminarum, victum autem Venerem pati. Id quidem & gallinaceus aliquando. *Idem in libro* 11. Gallinaceis quoque natura debit plicabilem cristam per medium à rostro residentem, sed spectatissimum corpore consertum, nec carnem esse, nec cartilaginem. *Idem in libro* 22. Vuę florem si edant gallinacei, vuas non attingunt. Pituita generis gallinacei, herba sabinæ traditur sanari. *Idem in libro* 28. Gallinaceos tradunt à vulpibus non attingi, si vulpis iecur aridum ederint, vel si pellicula ex eo collo induta galli intererit. *Idem in libro* 29. Gallinarum membra venenum auri sunt, ipsique gallinaceo circulo æramenti in collum addito non canit.

Remedium contra vulpes.

Idem in libro 30. Mustelæ cinis, si detur gallinaceis, tuti sunt à mustelis. *Ex libro de natura rerum.* Gallinaceus gallus testiculis viduatus dicitur, qui capo vulgariter appellatur. Fertur autem citius impinguari, qui à libidine arcetur. Cum gallinis quidem impinguatur. Sed nequaquam eas impinguando fœcundat, cum eis pascitur, sed non eas defendit. Non cantat, nec horas diei, vel noctis discernit. *Igitur ad nihil vtilius est, nisi ad coquinam.* Vnde satis eleganter quidam nuper ad clerum in synodo loquens ait. Transferetur, inquit, sobria scriba, sicut gallus gallinaceus, sed nusquam vtique, nisi ad coquinam diaboli. Et quare, quia non generat, neque cantat. Aliquando gallus post triennium castratur, postea quinque, vel septem annis viuere sinitur, & sic *in eius secore lapis inuenitur electorius*, quem, vt ibi conceperit, non postea bibit. Vnde & si quis hunc lapidem in ore suo habuerit, sitim extinguit. Huic aui quandoque plumę in pectore suo extrahuntur, & vrticis ad nudum vritur, vt pullos vice matris foueat, & ob calorem quem & eis nudato corpore præstat. Itaque postquam frigoris præsidium, & vitionis medelam in pullorum suppositione se adeptum esse cognouerit, maternum affectum concipiens, eos fouet, & pascit, formatque secundum morem gallinarum voces, vt confracta voce aduocet elongantes. *Alexander.* Gallinaccus si bene vrticetur, [illegible]cet pullos suos ad modum gallinæ, quod (vt dicitur) non facit propter commodum pullorum, sed propter commodum proprium, vt ex pullorum calore faciat venenum vrticæ euaporare.

Capo.

Electorius lapis.

Gallinaceus ducit pullos si vrticetur.

De cibo, & medicina ex gallo.

CAPVT LXXX.

Ius ex veteri gallo ad quid conducit.

Ex libro de natura rerum. Galli carnes crassiores sunt ad digerendum, & minoris humiditatis, quam gallinæ, vel gallinacei. Decrepiti tamen galli carnes teneriores sunt, quam iunioris. Gallinaceus autem habet carnes validiores omnibus volatilibus, bonum sanguinem generant, & optimum nutrimentum. Habet quidem eius caro quiddam viscositatis, sed in coquendo dissoluitur. *Plinius libro* 19. Ius ex veteri gallo aluum dissoluit, validius prodest, & circa longas febres, & torpentibus membris, ac tremulis, & articularijs morbis, capitisque doloribus, & epiphoris, inflammationi vesicæ, & circa cruditates, atque suspiria. Præterea cerebrum galli potum valet contra rabidi canis morsum, valet etiam crista eius trita, & imposita, & fimus eius rufus cum aceto. Ius eius valet contra veneficia mustelæ, & contra omnia aconita, modico addito sale.

Fatigentur nutriti vt valeant.

Coctio galli cum quibus fit.

Avicenna. Gallorum (vt ait Ruffus) melior est ille, qui nondum cantat, antiqui vero mali sunt. Testiculi autem gallorum multum laudabiles sunt, velocis digestionis, ius gallorum confert dolori stomachi ex ventositate, ius galli veteris cum polypodio & aneto confert cholicę valde. Docet autem Galenus in decoctione gallorum veterum vt postquam nutriti sunt, fatigentur faciendo eos currere vt cadant, & decolentur. Deinde ventres eorum euacuati ac sale impleti suantur, & coquantur cum 20. kist aquæ donec veniant ad tres totillas, & bibatur, hoc ius confert asmati. Confert etiam tremori ac dolori iuncturarum, sed oportet vt coquatur *cum polypodio, & aneto, & sale.* Item ius prædictum cum polypodio soluit melancholiam, & cum cardamomo soluit phlegma. Quandoque vero coquitur cū medicinis stipticis ad dyssenteriam, & cum lacte ad vlcera vesicæ. Adeps galli, sicut & cerui vehemētioris est calefactionis, gallinę vero minus. Gallinæ fissę super cor suū, aut gallus ponūtur super locum læsum à vermibus venenosis, & quaque hora permutātur, *prohibent nocumentū venenorum.* In venenis etiā bibitis *sorbetur eorum decoctio* cum aneto & sale, & euomitur. Pellis intrinseca, quæ est in stomacho, & in gutture galli, siccata, trita, & bibita, cōfert *dolori stomachi. Æscul.* Cerebrum galli cum vino bibitum, omnes morsus destruit, & alia multa mirabilia facit. Sanguis eius leucomata oculorum & cicatrices cum aqua mixtus sanat. Eius testiculi cum aqua libiti caducos liberant, si tamen à vino

Decoctio bibita contra venenum. Remedium contra dolorem stomachi.

per

per decem dies abſtineant. Pellis interioris eius ventriculi cum vino trita prodeſt auribus, & bibita ventrem ſtringit, ſputum mouet, calculos frangit, ac per vrinam eijcit. Stercus eius cum aceto mixtum furunculos & canis morſus curat.

De Medicinis ex gallinaceo.

CAPVT LXXXI.

Vſus medicinalis.

Contra verrucas.

Generoſitas gallinarum vnde dignoſcitur.

Remedium pro pituita gallinarum.

Alba gallina vitanda.

Pinius libro 29. Gallinacei carnes tepidæ appoſitæ, venena ſerpentium domant. Cerebrum quoque ipſius in vino potum. Parthi malunt gallinæ cerebrum plagis imponere. Ius quoque ex his potum medetur præclarè, & in multis alijs vſibus eſt mirabile. Nam & pantheræ etiam Leones peruncto eo non attingunt, præcipuè ſi & allium fuerit incoctum: aluum ſoluit, validius è veteri gallinaceo. Prodeſt & contra longinquas febres & torpentibus membris tremuliſque & articularijs morbis & capitis doloribus. Epiphoris inflammationibus, faſtidijs, incipienti tenaſmo, iocineri, renibus, veſicæ. Contra cruditates, ſuſpiria. Itaque etiam faciendi eius extãt præcepta. Efficacius enim *cocti cũ oleremarino aut cibo aut cappari, aut appio, aut herba mercuriali, aut polydonio, aut aneto.* Vtiliſſimmè autem in congijs tribus aquæ ad tres heminas cum ſupradictis herbis, & refrigeratum ſub diuo dari tempeſtiuis antecedente vomitione. Gallinaceorum fimus recens illitus alopicias replet. Fel candidi gallinacei ad ſuffuſiones oculorum valet. Fimus quoque gallinaceorum rubeus luſcioſis illinitur. Laudatur & gallinacei fel, ſed præcipuè adeps contra puſtulas in pupillis, fimus etiam candidus in oleo veteri corneis pixidibus ſeruatur ad pupillarum albugines. Ventris gallinaciorum membrana, quæ abiici ſolet, inueterata, & in vino trita purulentis auribus valet. *Idem in libro* 30. Ius ex gallinaceis dyſſenteriæ medetur ac tenaſmis. Sed veteris gallinacii ius vehementius ſalſum mouet aluum. Porro iecur gallinacei aſſum aluum ſiſtit. Omnium verrucas generum ſanat *fimus gallinaceus cum oleo & nitro.* Sanguinem autem è naribus fluentem ſiſtit cerebellum gallinaceum fronti illitum.

De Gallina & eius educatione.

CAPVT LXXXII.

Coctio cum quibus ſit.

Ouum venti.

Ouum quæ fœminam proferunt.

Duobus mẽſibus gallinæ non ouant

Ouum apala.

Iſidorus. Gallina dicitur à gallo, ſicut à leone leæna. Huius membra (ferunt quidam) ſi auro liqueſcenti miſceantur conſumi. *Plinius libro* 10 Gallinarum generoſitas ſpectatur criſta erecta interdum & gemina, pennis nigris, ore rubicundo, digitis imparibus aliquando & ſuper quatuor digitos tranſuerſo vno. Ad rem diuinam luteo roſtro, pedibuſque purę non videntur. Ad opertanea ſacra nigræ. Eſt & pumilionum genus in his non ſterile, quod non in alio genere alitum, ſed quibus certa fœcunditas rara & incubatio ouis noxia. *Idem in libro* 29. Si auro liqueſcenti gallinarum membra miſceantur conſumunt illud in ſe, ita vt dici poſſit auri venenum gallinas eſſe. *Ex libro de natura rerum.* Gallina domeſticis partibus ſuis corporis, ideſt à medio dorſi, ſuperius verſus imum & à pectore ſubtus verſus imum ſimiliter duplicem habet pennam ex vna canna naſcentem. Inimiciſſima gallinis eſt pituita, quæ maximè eſt inter meſſis & vindemiæ tempus. *Medicina vero eſt penna* per tranſuerſas nares inſerta, & per omnes dies commota, vel cibus allium.

Ariſtoteles. Aues in terra manentes & non volantes vt gallina, eique ſimiles, non vident acuto viſu, & confricantur in cinere. Item, quæ ſunt maioris coitus habent maiores teſticulos, vt gallina & cubeth. Item gallinæ quandoque pugnant cum gallis & vincunt eos, tunc eleuant colla & pectora ad ſuperius, & vociferant, ac ſuper mares ſaltant, & quandoque criſtas habent paruas. *Palladius vbi ſupra.* In gallinarum educatione fimo & puluere vtendum eſt ac cinere, præcipuè quæ nigri ac flaui coloris ſunt. *Albæ virandæ ſunt.* Ordeo ſemicocto parere ſæpe cogũntur; & ouа reddunt maiora. Pituita his naſci ſolet, *quæ alba pellicula linguam veſtit ex tremam.* Hæc leniter vnguibus vellitur, & locus cinere tangitur, Allioque trito plaga mundata conſpergitur. Si amarum lupinum comedant, ſub oculis grana procedunt, quę niſi acu leniter apertis pelliculis auferantur extinguunt. Tunc ergo oculus earum portulacæ ſucco forinſecus, & mulieris lacte curari oportet, vel ammoniaco ſale, cui mel, & cyminum æquale miſceantur. Pediculos earum perimunt ſtaphyſagria, & torrefactum cyminum, paria & pariter tuſa cum vino & amari lupini aqua; ſi penetret ſecreta pennarum. *Plinius vbi ſupra.* Inimiciſſima omni generi pituita, maximeq inter meſſis & vindemiæ tempus. Medicina in fame, & cubatus in fumo, ſi vtique ex lauro aut herba ſalina fiat. Penna per tranſuerſas inſerta nares, & per omnes dies mota. Cibus allium cum farre, aut aqua perfuſus, in qua lauerit noctua auis cum ſemine vitis albæ coctus.

Pituita gallinarum.

De Imprægnatione.

CAPVT LXXXIII.

Ariſtot. Gallina cum appetit coitum, ſedet ante gallum, Coit aut ſicut columba toto anno, præterquam in menſibus tropicorum. Poſt coitum habet horripilationes. Eę & cęteræ aues multi coitus plus omnibus faciunt ouа habentia duo citrina, propter congregationem duorum ſpermatum. Harum quædamouant ouа multa, & fortè duo in die, & illæ cito moriuntur. Ouа quandoque *venti ideſt nondum coeuntium*, non ſunt niſi auibus ouãtibus ouа multa, ſicut in gallinis. Ouum gallinæ completur poſt coitum 11. die pro maiori parte. Gallinæ veteres ouant in principio veris, & ouа inuenis gallinæ ſunt maioris corporis. Cum autem coeunt cum horripilatione ſe excutiunt. Multotiens quoque paleam cum ſpica roſtro ſcilicet deferunt, & aliquando etiam cum ouant hoc faciunt. Item aues ponderoſi corporis & nondum boni volatus, vt gallinę, multam habent ſuperfluitatem. Ideoque mares earum multum coeunt, & fœminæ multam habent materiam.

Pilinius li 10. Villares gallinæ ouo ædito inhorreſcũt, ſeſe excutiunt, & circumactæ purificant, aut aliqua feſtuca ſeſe & ouа luſtrant. *Ex libro de natura rerum.* Quotidie rapiuntur ouа gallinis nec propter hoc ouа proferre deſiſtunt, quinetiam poſtquam in abſcondito poſuerunt, clamando raptoribus produnt. Modum autem in ouando excedentes moriuntur cito. Ouа de quibus exituri ſunt maſculi, gallina gerit in parte ventris dextra. Ex quibus autem fœminæ, in ſiniſtra. Fœminam proferunt illa *quæ in acuminis loco rotundiora ſunt.* Oblonga vero & in fine acuta mares pariunt, & hęc ipſa gratioris ſaporis ſunt. Gallus gallinam aduocans paſcit, & tunc eam ad laborẽ imprægnationis & partus cogit. In ouãdo namque multum laborat, & tamen poſt partũ cantat quærendo cibum, puluerem cum pedibus vertit, & ſic victum acquirit. Multæ gallinæ & pauones & anſeres ouа venti faciunt, ideſt ouа ſine coitu, quæ parua ſunt & inſipida, ac cæteris humidiora. Et ſi quis aliquod eorum poſuerit ad fouendum, non mutabitur modus eius, ſed manebit album atque citrinum. A parte latiori primo exit ouum, & poſt ab acuto. Plinius auctor eſt, quod eo die quo gallina ouum ederit, aſpidis ictu non moritur, imo percuſſis eſt medicina. Quædam gallinæ gemina ouа pariunt, & geminos interdum excludunt. *Philoſophus.* Gallina ouat in omni tempore, præterquam *in duobus menſibus tropicorum.* Dum autem gallinæ puleueris fomento & crebra reſperſione fungentes vice balneĩ ſine coitu delectantur, ouа apala ponunt, ſic dicta quaſi ſine pelle, ſed prolis gratiam non conſequuntur.

De Ipſius incubatione.

CAPVT LXXXIV.

Pinius vbi ſupra, & ex lib. de natura rerum. Gallinis ſupponenda ſunt ouа ſemper *impari numero Luna*

Numerus ouorũ ſupponendus gallinis.

Experimentũ an oua ſint inania.

Oua ſupponenda gallinis.

Situs pulli in ouo.

creſcente à 10. vſque ad 15. Qua incubari intra decem dies edita vtiliſſimum eſt. Nam vetera aut retentiora infœcunda ſunt, ſubijci autem debent impari numẽro. Quarto vero die poſtquam cœperint incubari, ſi eorum cacuminibus contra lumen in manibus apprehenſis, purus & vniuſmodi color perluceat, æſtimantur ſterilia, & pro illis ſupponenda ſunt alia. In aqua quoque experimentum eſt. Nam ouum inane fluctuat iniectũ aqua, ſubſidens vero plenum eſt. Subijcienda concuti experimento vetant, quia non gignunt confuſis vitalibus venis. Incubationi poſt 11. Lunam datur initium, quia prius inchoata ſæpe fallunt, & non proueniunt. Optima futura ante vernum æquinoctium. Poſt Solſtitium vero nata non implent iuſtam magnitudinem, tantoque minus, quanto prouenerint ſerius. Vniuerſaliter ſi gallinę oua ſua non incubauerint, infirmantur. Et quędam gallinæ ſemper faciunt gemellos, ſemperque eſt vnus maior, alius minor. Gallina quando cubat in æſtate, citius excludit pullos, quam in hyeme. Nam in æſtate finduntur oua in 12. diebus, hyeme in 30. Vniuerſaliter autem ſi gallinæ non cubauerint ſuper oua ſua, infirmantur & corrumpuntur. Poſtquam cubauerint oua ſua, per tres dies apparent ſigna pullorum. Porro gallina pullos ſuos ſequitur, ſicut & perdix.

Palladius vbi ſupra. Gallinis (vt dictum eſt ſupra) & pauonis ſic & anſeris oua conuenienter ſupponunt, ſed anſerina ne noceantur, ſuppoſitis vrtica ſubijcitur. Electæ pauonum nutrices ſunt, quæ à primo Lunæ incremento 9. diebus habeant 9. oua ſuppoſita 5. ſcilicet pauonina, & cætera ſui generis, decima die oua gallinacea ſubtrahenda ſunt, & iterum alia totidem gallinacea recentia ſupponenda, quot ablata ſunt vt 30. Luna hoc eſt expletis diebus 30. poſſunt cum ouis pauonis aperiri. Oua vero pauonum, quæ gallinæ ſubiecta ſunt, ſæpe manu conuertenda ſunt, quia vix hæc ipſa facẽre valebit. Maiores tamen gallinas oportet eligere. Nam minoribus pauciora ſunt ſupponenda. Faſianis quoque gallinæ melius incubabunt, ita vt 15. oua faſianina nutrix vna cooperiat. Cætera vero ſui generis ſupponenda ſunt.

De Generatione pullorum & educatione.

CAPVT LXXXV.

Sanguinea gutta in ouis eſt cor.

Auctor. Gallina ſecundum Auguſt. ac cæterę volucrum fœminæ ouis ſuis incubando fouent ea, ibique calor ipſe materni corporis in ſuo genere naturaliter cooperatur ad formanda pullorum corpora. *Plinius vbi ſupra, Et ex libro de natura rerum.* Omnibus quidem ouis ineſt in medio vitelli parua *velut ſanguinea gutta*, quod eſſe auium cor exiſtimant, primum in omni corpore id gigni sẽper opinantes, hęc gutta in ouis ſalit, ipſumque palpitat animal, & ex omni alio liquore oui, non incorporatur aliquid pullo. Cibus autem eius eſt in vitello vel luteo; Omnibus intus caput, totoque corpore maius eſt. Oculi compreſſi capite maiores, increſcente vero pullo, candor in medium vertitur, luteum circumfunditur 20. die. Si moueatur ouum iam viuentis intra putamen vox auditur. Ab eodem itaque tempore plumeſcit ita poſitus, vt *caput ſupra dextrum pedem habeat*, & alam dextram ſuper caput, vitellus interim paulatim deficit. Quæ pars acuta caput continet, pars autem rotundior poſteriores pulli partes. In Ægypto homines oua ſtercore inuoluunt, & ſabulo cooperiunt. Sicque debito tempore ſine fotura gallinę complentur, & eis extractis teſtæ finduntur, & pulli prodeunt. Item gallina, quando cubat in calida æſtate finduntur ouorum teſtæ per ſe, vt exeant pulli, citius quam in frigido tempore, quædam ſemper gemellos faciunt. Sed vnus eorum paruus eſt, & alter magnus, quandoque vero paruus à maiore compreſſus efficitur monſtruoſus. In Gallia viſus eſt pullus gallinæ, cum duobus capitibus, & vno corpore, ambo cibum capiebãt, & in vnum corpus traijciebant, quatuor pedes habebant, ſed duo pendebant inutiles, cæteris currebat. Pulli celerius caA lidis diebus excluduntur, & contra animalia cętera ſicut aues omnes in pedes naſcuntur. Si ſubito tonat, ſæpe fallunt, & accipitris audita voce vitiantur, remedium eſt contra tonitru, clauus ferreus ſub ſtramine ouorum poſitus, aut terra ex aratro. gallina circa pullos eſt ſolertiſſima, frangit eis panis aut farris minutias, eoſque confracta voce aduocat, qui quandoque ſuperbi blandas eius alas refugiunt, & ſic alitibus præda fiunt. *Auguſtinus de quæſtionibus euangeliorum.* Recte ergo mater noſtra Dei ſapientia gallinæ ſe comparat, quæ magnum affectũ habet in filios ſuos, ita vt eorũ infirmitate affecta, & ipſa infirmetur, & quod difficilius in cæteris animantibus inuenies, alis ſuis filios protegẽs contra miluũ pugnat. *Auctor.* Notandæ ſunt ergo proprietates gallinæ, quæ Chriſto conueniunt, & his verſibus comprehenduntur.

B *Simplex eſt volucris gallina, domeſtica, mitis,*
Hiſpida, rauceſcit, affectu plena macreſcit,
Protegit, ægrotat, dux, paſcit, pugnat, adunat,
Pullis intendit, poſt omnia liberè ſcandit.

De Cibo & medicina ex gallina.

CAPVT LXXXVI.

C Gallinarum in cibo melior eſt illa, quæ nondum parit oua, antiqua vero praua. Adeps pullorum calidior eſt, quam gallinarum magnarum. Caro etiam gallinarum clarificat vocem & hiſſidegeb pullorum ſtomachi ſedat inflammationẽ. Cerebrũ gallinarũ prohibet fluxum ſanguinis narium ex cerebri velaminibus accidentem. Caro gallinarum pullarum in intellectu efficit augmentum. Alarum quoque auium meliores ſunt in cibo alæ gallinarum. *Idem.* Hepar gallinarum pinguium ſicut & anatum ſanius eſt cæteris: gallinę ſanguis (vt dicitur) ſuper excoriationem contritam ac doloroſam calidus diſtillatur, & prohibet apoſtema generari. *Idem.* Adeps quidem galli, ſicut & cerui vehementioris eſt calefactionis. Adeps autem gallinæ minus calidus eſt, & aſperitati linguæ confert. Omnes autem adipes leues, vt gallinæ & ſimilium conferunt doloribus matricis. Antiqui vero mali ſunt eis. Fimus gallinarum confert cholicæ. Ipſum theriacam eſſe fungis ſtrangulantibus expertum eſt, & ſpuere facit humorem craſſum. Oua gallinæ recentia cæteris ouis meliora ſunt, & D quod in eis melius eſt, eſt vitellus, qui etiam confert apoſtematibus calidis in aure.

Plin. lib. 29. Cerebrum gallinæ Parthi plagis imponunt. Ius eius multis vſibus eſt mirabile. Fimus recens illitus alopicias replet. Adeps illius purulentis infunditur auribus. Cæterum quo aliqui gallinas ederint die, non interficiuntur ab aſpide. Carnes quoque percuſſis ab aſpide cum ſanguine teſtudinis illinire prodeſt valde. *Idem in libro trigeſimo.* Membra gallinarum cocta & in oleo & ſale data cæliacorum dolores mulcent. Abſtinere autem frugibus ante oportet, & gallinam & hominem. Adeps gallinæ cuſtodit cutem in facie. Sanat etiam vlcera labiorum & linguæ. Omnia quoque vlcera pedum *ſanat fimus gallinarum. Dioſcorides.* Adeps gallinaceus ſicut & anſerinus ſummè mirificus eſt ob dulcedinem pinguedinis. Mulierum cauſis vtiliter adhibetur. Rimas labiorum curat, & totius vultus frigore factas rimas optimè ſanat, auriumque dolores. *Æſculapius.* Ouum gallinæ valet ad omnem dolorem oculorum, etiam albumen infuſum oculis ſedat punctiones. Totum ouum combuſtum & cum vino vel aceto bibitum omnes fluxus ſtringit. Ouorum quinque vitella bibita cum tribus vini cyathis *hæmoptoicus* valent. Adeps gallinarum puſtulas oculorum reprimit. Tibiæ quoque cum pedibus coctæ & cum ſale & oleo & aceto colli dolorem ſedant, Stercus eius flegmones qui naſcuntur in naribus impoſitum ſanat.

Tonitru vitiat pullos. Remedium contra tonitru.

Proprietates Gallinæ co-prehenſæ carmine.

Gallina in cibo melior.

Ala gallinæ in cibo melior.

Contra vlcera pedum.

Vſus medicinalis.

De

De Gyroſalcone & goſturdo.

CAPVT LXXXVII.

Gyroſalco. ALexander. Gyrofalco venit à partibus tranſmarinis in cohorte multarum aucarum ſylueſtrium, quarum vnam de nocte propter frigus pellens ſub pedibus ſuis, aliam de die capit in cibis. *Auctor.* Gyrofalco idem dicitur eſſe quod Herodius, de quo plenius dicetur inferius. *Herodius.* *Ex lib. de natura rerum.* *Goſturdi.* Goſturdi ſunt aues admodum paruæ, coloris terrei, criſtam paruam ex plumis habentes in capite, nec aliarum auium more volantes, ſed vndoſos fluctus imitantes, qui vento cogente, nunc alta, nunc ima petunt. De his fertur vulgo, quod earum oua in terra poſita à bufone foueantur, è quibus cum exierint pulli, tunc primum eos parentes curant, eisque cibos ferunt, quoadusque volatus tentare poſſint.

De Glottide.

CAPVT LXXXVIII.

Glottidis etymon. ISidorus. Glottis eſt auis Græcè ſic nominata, quia longam exerit linguam, hæc inſtante hyeme recedentibus hyrundinibus atque ciconijs blandiente ſibi ſocietate auidè cum eis iter aggreditur. Sed poſtmodũ in volatu labõre comperto pœnitentia ducitur, & quoniam incomitatam reuerti piget, ſequitur aues aliquas, tanto tamen tedio tam paruisque diætis, vt eam incompleto itinere hyems anticipet. Econtra vero citramus *Citramus.* auis Aſiæ feſtinantior perſeuerat, & alias aues ſocias præit, redditque ſollicitas, & excitat de nocte ſomnolentas. *Ariſtot.* *Galator.* Auis galator id eſt, magnæ linguæ, linguã habet prominentem valde, & hęc adiungitur in redeundo cum gruibus & alijs auibus. *Plinius lib.* 10. † *Aliàs Cenchramus.* Glottis quidẽ & † cithramus ſemper hinc remeantes, comitatũ ſollicitant, abeuntque ſimul per ſua ſigna. Glottis vero perlongam exerit linguam, vnde ei nomen, hanc initio auide blandita peregrinatione pœnitentia ſubit in volatu cum labore. Incomitatam reuerti piget & ſequi. Nec vnquam plus vno die peragit. Sed hoſpitium in proximo deſerit. Verum inuenitur & alia præcedente relicta. Cenchramus perſeuerantior feſtinat etiam peruenire ad expetitas ſibi terras. Itaque noctibus is eas excitat, admonetque itineris.

De Gracchulo.

CAPVT LXXXIX.

Gracchulorum etymon. ISidorus. Gracchuli à garrulitate dicti ſunt, non (vt quidam volunt) pro eo, quod gregatim volant, cum ſit manifeſtum eos ex voce nuncupari. Eſt enim loquaciſſimum genus, & vocibus importunum. *Plinius lib.* 8. Gracchula quoque, ſicut & aliæ quædam aues lauri folio annuum faſtidium purgant. *Idem in lib.* 18. Gracchuli ſero, à pabulo recedentes hyemem præſagiunt. *Ex lib. de natura rerum.* Gracchulus eſt auis nigra per totum corpus. Eſt enim de genere cornicis, licèt corpore minor, libenter in altiſſimis nidificat, & hoc in tanta multitudine, vt in vna ſæpius arbore octo paria gracchulorum nidos conſtruant. Optime namque aues iſtæ ſibi inuicem compatiuntur. Eſt autem auis clamoſa nimium, maximè à coitus tempore, quem ſcilicet coitum tempus excitat vernum. Amoris gratia maſculus fœminã cibat. Carnes pullorum eius edibiles ſunt, & maximè ſi excorientur. *Garrulus.* Hanc auem nonnulli falſo opinantur eandem eſſe quam garrulum, ſed multa inter eas eſt differentia. Nam gracchulus (vt dictum eſt) vnius eſt coloris, garrulus autem colore diſtinctus ex diuerſis plumis. Dictus autem eſt à garriendo, de vna namque arbore in aliam garriendo tranſit, nec eam quiſquam tranſire poteſt, contra quem non garriat. Cæterarum etiam auium voces vel modulos non ad delectamenta lætitiæ, ſed tantum ad garriendum dicitur imitari. Tanta plumarum varietate diſtinguitur, vt nullus ei cęterarum auium color deeſſe dicatur. Captus in iuuentute claudítur, vt articulata verba loqui doceatur, quæ etiam vbi euaſerit magis garrire geſtit. Et quandoque dum garrulitate intendens ſibi non proſpicit, niſus eam inopinatè rapit. Frequenter inſanire dicitur, ita quod plerumque inter furcatos arborum ramos ſe ſuſpendit.

De Gryphe.

CAPVT XC.

Gryps. ISidorus. Gryps vocatur eo quod ſit animal pennatum & quadrupes, hoc genus ferarum in hyperboreis naſcitur montibus. Omni corporis parte leones ſunt, alis & facie aquilis ſimiles, equis vehementer infeſti, & homines viſos decerpunt. *Solinus.* In Aſiatica Scythia terræ ſunt locupletes, inhabitabiles tamen. Nam cum auro & gemmis affluant, gryphes vniuerſa *Gryphes tenentes aurum.* tenent alites ferociſſimi, & vltra omnem rabiem deſæuientes, quorum immanitate obſiſtente, aduenis acceſſus rarus eſt. Viſos quippe decerpunt velut geniti ad plectendam auaritiæ temeritatem. Arimaſpi cum his pugnant, vt lapides qui ibi ſunt intercipiant. Ex quibus ſunt ſmaragdus, ſyaniacus, & chryſtallus. *Ex lib. de naturis rerum.* Gryps eſt auis quadrupes, capite & alis aquilæ ſimilis, ſed multo maior, tamen in nido ſuo lapidem agatem ponit, nec dubium quin ad aliquod remedium, hi equis & hominibus maximè infeſti ſunt, & homines armatos præliando ſuperant, & occidunt. Gryphes dicuntur aurum effodere, & in effoſſi inſpectione gaudere.

De Grue.

CAPVT XCI.

Gruum etymon. ISidorus. Grues nomen de propria voce ſumpſerunt tali enim ſono ſuſurrant. Hæ dum pergunt, vna ſequitur aliam ordine litterato, de quibus *Lucanus. Et turba parit diſperſis littera pennis.* Ætatem in illis color prodit, etenim ſenectute nigreſcunt. *Ariſtot.* Gruibus quoque natura dedit placabilem criſtam per medium caput à roſtro reſidentem. Regem habent grues, eique *Rex Gruum.* ſunt obedientes. Grus dormiens caput ſub alis declinat, & ſuper vnum pedem ſtat. Habent autem rectorem grues, qui cæteris dormientibus & capita ſub alis reclinantibus excubat eleuato capite. Grues ad inuicem pugnant, ita quod in hora pugnæ accipi poſſent. In gruibus color plumæ in iuuentute cinereus eſt, & nigreſcit in ſenectute. *Plinius lib.* 8. Grues ac ſimiles aues, iunco paluſtri medentur ſibi. *Idem in lib.* 18. Grues in mediterranea feſtinantes tempeſtatem præſagiũt, Grues autem *Præſagium tempeſtatis.* ſilentio per ſublime volantes ſerenitatem. *Idem in libr.* 30. Gruum adeps incipientibus carbunculis tubera & quæcumque opus eſt emolliri efficaciter curat. *Auctor.* Alibi quoque legitur, quod grus cum veſpertilionem viderit, fugit. *Ex lib. de nat. rerum.* Per grues domeſticas aliæ capiuntur grues, habent carnes reliquis auibus grauiores. Vnde occiſa grus vna die in eſtate, duobus in hyeme ſeruari debet antequam comedatur, vt caro digeſtibilior fiat atq; tenerior. *Razi.* Caro gruis craſſa eſt, quæ & tardè digeritur, & ſanguinem melancholicum generat. *Hali.* Fel gruis calidum ſubtile ſi cum ſanſuci naribus inſtilletur, paralyſi prodeſt, & facit titillationem.

De Gruum volatu & peregrinatione.

CAPVT XCII.

Diſciplina gruum. ISidorus. Grues excelſa petunt, quo facilius videant, quas petunt terras. Caſtigat autem voce, quæ cogit agmen, at vbi rauceſcit ſuccedit alia. Nocte autem excubias diuidunt, & ordinem vigiliarum per vices faciunt, tenentes lapillos ſuſpenſis digitis, quibus ſomnos arguant, quod cauendum eſt clamor indicat. *Ariſtot.* Grues præcipuè loca ſua poſt æquinoctium autumnale fugiendo hyemem dimittũt, & poſt vernale redeunt:

redeunt: vna eſt quæ clamat inter illas de nocte, cuius vocē cum audiunt venatores ſciunt, quòd non remanebunt in locis ſuis aues iſtæ. Grues autē in mediterranea fugientes tempeſtatem præſagiunt. Cum autem ad alia loca ſe transferunt, prius aſcenſione multa volando aſcendunt, vt conſiderent ęqualitatem aeris ad quem transferre ſe volunt. *Ambroſ. lib.5.* Amant grues peregrinari frequenter. In his etiam reſidentibus diſpoſitos vigiles cernas, alijs enim quieſcentibus aliæ circumeunt & explorant ne ex aliqua parte tententur inſidiæ. Impleto autem tempore, vigiliarum illa quæ hoc officium compleuit, in ſomnum ſe præmiſſo clamore componit, vt excitet dormientem, cui vicem officij traditura eſt, at illa non inuite ſed ſponte & impigrè ſomno excuſſo, vicem conſequitur. Et ſi quid cauendum fuerit vel viderit clamore hoc alijs indicat. Hunc etiam ordinem volantes ſeruant, & hac moderatione omnem laborem alleuiant vt per vices ductus ſui munere fungantur, præcedit enim vna præſtituto ſibi tempore, deinde conuertitur ſequentique ſortem ducendi agminis relinquit.

Migratio gruum. *Solinus.* Manifeſtum eſt in Septentrionalem plagam hyeme grues frequentiſſimas conuolare, euntque ſub quodam ſigno militiæ. Ne autem pergentibus ad deſtinata vis flatuū renitatur, arenas deuorant, ſublatiſque lapillulis ad moderatam grauitatem ſubarrantur, pontum tranſituræ, anguſtias captant. Cumque contra medium alueum aduentaſſe ſe ſciunt, ſcrupulorum ſarcina pedes liberant: Et ita nautæ prodidérunt, Compluti ſæpè ex illo caſu imbre ſaxatili, arenas non prius reuomunt, quàm ſecuræ ſuæ ſedis fuerint. Concors omnium cura præfatigatis, adeo, vt ſi qua defecerit concurrant vniuerſæ, laſſataſque ſuſtollunt, vſque dum vires ocio reparentur. Nec in terris cura ſegnior, excubias nocte diuidunt, vt ſit exſomnis decima, quæque vigiles ponduſcula digitis amplectuntur, quæ ſi fortè exciderint ſomnum coarguant.

De Eodem.

CAPVT XCIII.

EX libro de natura rerum. Grues volando ſe opponūt, fidensque volatu præit cateruas, quæ nunc volatu eſt prima, aliàs ſine liuore fit poſtrema. Simulque volant omnes ſub quodam militiæ ſigno, & quia circa medium ponti alueum cum aduentaſſe ſe ſentiunt ſcrupulorum ſarcina pedes liberant, inde eſt quod aliquando crediderint nautæ ſaxatiles imbres deſcendere. Grues aliquando vſque ad extrema terræ volant, vt terram cōplexionibus ſuis aptam inueniant, ſemperque volando ſe vento opponunt. Dicit Ariſtot. quod ad plagam Septentrionalem vltra Ægyptum in hyeme veniunt, quibus Pigmæi homines ſcilicet cubitales occurrunt, *& cū eis pugnant.* Pugna gruum adeo fortis eſt & pertinax, vt manu capi poſſint. Quando nubes pluuioſas proſpiciūt, clamant & vociferantur dum ducem ſuum celeriores captare volatus ſollicitant. Cum autem ſuper terram deſcenderint vt comedant, dux earum caput in altum erigit, in cuſtodiam omnium, cæteræ vero ſecuræ depaſcunt. Cum vero grues illæ dormiunt, alternis pedibus inſiſtunt. Fertur autem, quod poſt hyemem volantes à montibus orientis arenas aureas & aurichalcum lapidem tranſglutiunt, & poſt in partibus tranſmarinis reuomunt. Vnde dixerunt qui experti ſunt, quod lapis quem grues euomunt, igne mediante tranſit in aurum.

Pugna gruū cū Pygmæis.

De Harpya.

CAPVT XCIV.

Harpyæ. *AVctor.* Harpyæ dicuntur quędam aues maximæ, quæ nunquam ſatiantur, manducando. *Plautus in aululatia.* Harpyæ digitos ad prædam exacuunt, curuis timendos vnguibus ſuper menſas aduolant, & quod contingunt auferunt, quod relinquunt polluunt. *Ex libro de natura rerum.* Harpya eſt auis in ſolitudine iuxta mare Ionicum, fame rabida, fere ſemper inſatiabilis. Vngues habet aduncos, & ad rapiendum ac diſcerpendum ſemper paratos, *faciem tamen habet hominis*, ſed in ſe nihil humanæ virtutis. Nam ſupra modum humanum ferocitate craſſatur. Primum hominem quem in deſerto viderit, occidere fertur, etiam inde cum fortuito aquas inuenerit, faciemque ſuam in eis contēplata fuerit, mox ſui ſimilem hominem occidiſſe ſe perſpiciens, immodicè triſtatur, & hoc aliquando vſque ad mortem, plangitque occiſum omni tempore vitæ ſuæ. Hæc auis licèt careat ratione, aliquando tamen domeſtica & docta loquitur humana voce.

Facies humana eis.

De Herodio.

CAPVT XCV.

Herodius. *Iſidor.* Herodios Greci vocant, quos Latini Diomedeas aues, de quibus videlicet ſupra dictum eſt. *Gloſ. ſuper Pſal.103.* Herodius eſt auis rapaciſſima, omnium volatilium maior, & aquilam vincit. *Gloſ. ſuper Deuter.* Herodius vulgo gyrofalco dicitur, & rapit aquilam. *Auctor.* Quod ergo ſupra poſitum eſt de falcone, quod ipſe ſit Herodius, iuxta Radulphum videtur fuiſſe vitium ſcriptoris, vt vbi debuit poni gyrofalco ſubtracta prima ſyllaba poneretur falco. *Ex lib. de natura rer.* Herodius qui & gyrofalco (vt Gloſ. ſuper Leuit. dicit) appellatur, eſt auis inter omnes nobiliſſima, colore cærulco, in maxima tamen parte corporis ad albedinem declinās, præterquam in pectore, & alis, vbi cæleſtem colorem euidentius imitatur, adeo fortis eſt vt aquilam capiat, adeo quoque animoſus, vt cum poſt quinque grues vel alias quaſque aues in aere volantes fuerit dimiſſus, ab earum perſecutione non deſiſtit, donec omnes ad terram ſucceſſiuè deijciat. Eſt autem canis ad hæc educatus & doctus, qui Herodio deſuper volante ipſas aues deiectas capiat & occidat. Herodius cum videt prædam, excutiēs ſe animat, & diſcernit an ad capiendum apta ſit. In altum quidem aſcendit, & cum impetu deſcendendo prędam deijcit, ad prædam etiam volando pedes pectori coniungit, & ſic prædam ferit: quam ſi primo impetu non capit, in altum conſcendit, & præ indignatione vix ad reclamatorem redit. Carnes crudas & ſeruatas non comedit, ſed recentes. Eſt genus gyrofalconum, quod cognominatur ſacrum, & hoc validius eſt, & habet colorem fuſcum. Herodius parui corporis eſt reſpectu alarum ſuarum.

Deſcriptio Herodij.

De Ibide.

CAPVT XCVI.

Iſidorus. Ibis eſt auis Nili fluminis, quæ ſemetipſam roſtro purgat, in anum aquam fundens, hæc ſerpentium ouis veſcitur, gratiſſimam ex eis eſcam nidis ſuis deportans. *Solinus.* Cum Arabicæ paludes pinnatorum anguium mittunt examina, quorum tam citum virus eſt, vt morſum ante mors quam dolor inſequatur, ſagacitate qua ad hæc valent aues ibides exercitatæ, in procinctum eunt vniuerſæ, prius quam patrios terminos externum malum vaſtet, in aere occurſant cateruis peſtilentibus, ibique agmen deuorant vniuerſum. Quo merito ſacræ ſunt, & illæſæ pariunt. Sicque non tantum intra fines Ægyptios proſunt, dum oua ſerpentium comedunt, vnde fœtus noxiorum rareſcunt, Sed etiam externum malum aduenieus (vt dictum eſt) deſtruunt, nigras ſolum peluſium mittit, reliquæ partes candidas. *Phyſiologus.* Ibis ſemper de nocte & die iuxta littora ambulat, quærens cadauer aliquod, quod ab aqua iam putridum eiectum ſit, refugiens altiores & puriores vndas, vbi mundi piſces habitant, quia natare neſcit, nec dat operam vt addiſcat, dum cadaueribus delectatur. *Plin. lib.10.* Inuocant ibides ſuas Ægyptij contra ſerpentium aduentum. *Gloſ. ſuper Iſa.34.* Ibis enim eſt auis aquatica, ſerpentibus inimica. Huiuſmodi aues Ioſephus à Moyſe delatas in bellum contra Æthyopes narrat, . quia ſerpentes abundant in terra illa,

Sagacitas ibidum.

Ibis ſerpentibus inimica.

per

per quam aditus erat. *Ex libro de natura rerum.* Ibis eſt auis ſuper nilum requieſcens, aquam tamen nunquam ingrediens, ſed eiecta cadauera comedens. Quæ cum cibis nimis conſtipata fuerit, roſtro de naturæ ſecretis indigeſtibiles cibos detrahit. Mentiuntur planè qui dicũt ibides eſſe ciconias, niſi fortè dicant genus eſſe ciconiarum in orbe noſtro ignotum. Nam ibides dicit Plin. habere roſtrum aduncum, quod vtique de ciconijs noſtris falſum eſt, quę roſtrum habent longum, directum, in ſummitate acutum. Hęc auis ore parit, & eius oua ſiquis comederit moritur. *Ore pariũt.*

De Hyrundine.

CAPVT XCVII.

I *Sidorus.* Hyrundo eſt auis garrula, per tortuoſos orbes ac flexuoſos circumitus peruolans, & in nidis conſtruendis educandiſque pullis ſolertiſſima, habens etiam quoddam præſcium, quod lapſura deſerat culmina nec appetat. Dicitur autem hyrundo, eo quod cibos non ſumat reſidens, ſed in aere edat. Alijs autem auibus non impetitur, nec vnquam præda eſt. Maria transuolat, ibique hyeme commoratur. Nouit autem pia auis annunciare aduentus ſui teſtimonio veris initium. *Plin. lib.* 10. Abeunt hyrundines hibernis menſibus, ſola eſt auis carne veſcens ex his quę aduncos vngues non habent. *Thebarum tecta ſubire negantur,* quoniam vrbs illa ſæpius capta ſit. *Nec Bizecis in Thracia* propter ſcelera. Volucrum ſoli hyrundini flexuoſi volatus & velox celeritas. Ideoque necà cæteris alitibus rapitur, nec niſi in volatu paſcitur. E volucribus autem hyrundines ſunt indociles, ſicut è terreſtribus mures. *Idem in lib.* 18. Hyrundo iuxta aquam volitans, vt penna ſæpè percutiat, tempeſtatem ſignat. *Ariſtoteles* Hyrundo ſicut & turtur & miluus non niſi in æſtate apparet, hyeme enim ſe transfert ad loca calidiora, vel latet in nido, vel in cauernis. Nocet autem apibus ſola inter animalia carnem habentia & carnem comedẽtia, pullificant bis in anno & binos. Cæteræ namque aues carnem comedentes non niſi ſemel in anno ouant & pullificant. Hyrundo ſicut coturnix & columba fel habet adiacens inteſtino. Habet etiam pedes debiles. Quædam enim aues ſunt pedum debilium vel malorum pedum. Ideoque dicuntur habere non pedes vt hyrundo. Item aues paruę non habent os ſtomachi latum neque papum, ſed habent ventrem longum vt hyrundo & paſſer. Accidit autem coruis & paſſeribus & hyrundinibus quod mutantur à nigredine tendentes aliquantulum ad albedinem. Facit autem hyrundo nidum ex luto. *Lapſura deſerit culmina.* *Nota.* *Sunt indociles.*

Deſcriptio. *Ex libro de natura rerum.* Hyrundo eſt auis leuiſſima, roſtro paruo, cauda furcata, forma grata, nigredine decentiſſima, in ventre candida, ſub gutture rufa, modicam habet carnem & nigram, plumas multas, & alas magnas, ideoque citum habet volatum, diem præiunciando nunciat, dormientes excitat, & ad laudem creatoris inuitat. Apricos montium receſſus hyeme petit, ibique nuda & implumis reperitur, aduentus ſui tempora cuſtodit, & aduentu ſuo veris initium prodit. Quædam in iecore lapidem chelidonium portant, harum pulli in hoc cognoſcuntur, ſi pro ſigno pacis ore ad os in nido conuerſi ſedent. Nam cæteri qui non habent, aduerſis poſterioribus ſedent. Hyrundo volando paſcitur culicibus ac muſcis & apiculis. Hyrundinis autem fimus ſi oculis inciderit vim habet efficaciſſimum ad obcęcandum.

De Hyrundinum pullificatione.

CAPVT XCVIII.

A *Mbroſius.* Hyrundinem accipiamus maternæ ſedulitatis in filios grande documentum. Hyrundo minuſcula corpore, ſed egregio præſublimis affectu. In nido conſtituendo tam ſapiens eſt vt hominum domicilijs paruulos ſuos commendet, vbi nullus eos incurſet, ore feſtucas legit, & luto illinit, vt conglutinari poſſint, ſed quæ lutum pedibus deferre nequit, aqua pennas infundit, vt eis puluis hæreat, & limus fiat, quo feſtucas ſibi colligat & hærere faciat. Si qua vero eius pulli fuerint cęcitate perfuſi, oculos vel compuncti, habet quoddam genus medendi, quo eorum lumina intercęcto viſui reformat. *Plinius libro* 10 Hyrundines nidos luto conſtruunt, ſtramento roborant. Si quando luti eſt inopia, madefactum multa aqua pennis pluuerem ſpargunt. Ipſum quoque nidum plumis mollibus floccisque conſternunt tepefaciendis ouis, ſimulque ne durus ſit tenerioribus pullis. In fœtu ſumma ęquitate cibos alternant. Notabili mundicia pullorum egerunt excrementa. Adultos etiam circumagi docent & fores ſaturitatem id eſt ſtercus emittere. Alterum eſt hirundinum genus agreſtium, quæ raro in domibus diuerſum figura, ſed eadem materia confingunt nidos totos ſupinos faucibus in anguſtum porrectis, vtero capaci, mirum qua peritia occultandis pullis habiles & ſubſternendis molles. Tertium eſt earum genus quæ ripas excauant, ſicque in terra nidificant, harum pulli ad cinerem combuſti mortifero faucium malo multiſque alijs morbis humani corporis medentur. Non faciunt hę nidos, migrantque multis diebus ante ſi futurum eſt, vt auctus amnis attingat. Hyrundini primo cæci pulli ſunt & omnibus quibus eſt numeroſior fœtus. In ventre pullorum eius reperiuntur Chelidonij colore candido atque rubenti. *Curatio pullorum cęcorum.* *Pulli ad cinerem combuſti ſunt ſanatiui.*

Philoſophus. Hirundines (vt dictum eſt) ouant bis in anno, ſed oua prima quandoque propter hyemem corrumpuntur. Poſteriora vero complentur, & faciunt pullos. Hyrundines & Paſſeres pullos incompletos faciunt & pullificant pullos multos, propter hoc ſi extrahatur oculus hyrundinis pulli dum paruus eſt, iterum creſcit. *Ex libro de natura rerum.* Hyrundinis fœmina libidinis imagine concipit, aut puluere. Chelidoniam (vt dicit Plinius) herbam ſcilicet viſui ſaluberrimam monſtrauerunt hyrundines, vexatis oculorum pullis illa medentes. Hyrundinum quædam nidificant in domibus, quædam in feneſtris vitreis, quænam in abruptis montium. Et hæ qualitate & quantitate differunt. Pullus hirundinis auide clamat, & ieiunus, & de nocte. Si pullo hirundinis extrahantur oculi, alios natura reſtaurante recuperat. In eius vẽtre lapis inuenitur multis deſeruiens vtilitatibus, vnus ſcilicet rufus, & alius albus. *Chelidonia.*

De Medicinis ex hirundine.

CAPVT XCIX.

D *Ioſcorides.* Hyrundinis pullum primo defectu primæ Lunæ aperiens inuenies in eo lapides duos. Vnum beneficum, & alterum maleficum. Sed cum aperis eum, caue ne terram tangat, hic in pelle vituli vel cerui poſitus, & in collo vel brachio ſiniſtro patientis ligatus epilepſiam curat, ſi hoc aſſiduè fiat. Hi comeſti quaſi ficedulę guſtum habent. Maiores autem hyrundines ſi combuſtæ fuerint, puluis earu melle mixtus & inunctus, caligines oculorum detergit. Hęc etiam ſynanticis prodeſt, & vuæ, fauciumque tumorem compeſcit. *Æſculapius.* Hyrundinis combuſtio vel puluis pullorum eius combuſtorum, morbos faucium curat. Vulneraque linguę & labiorum ſanat. Hyrundo in mulſo cocta pectus optimè purgat. Cor eius ſi bibatur, idem operatur. *Auicenna.* Hyrundinis cinis, & maximè aduſti, acuit viſum. Et dicitur quod eius cerebrum cum melle confert principio aquę. Palatum ex eius cinere tangitur ad ſynantiam, & confert. Similiter quando ſalitur, & exiccata bibitur. Ait autem *Dioſc.* quod quando venter pullis hirundinis finditur: in ipſo duo lapides inueniuntur, quorum vnus habet colorem vnum, Alter vero plurimos, qui poſiti in pelle vituli nondum ad coitum incitati, & epileptici collo ſuſpenſi conferunt. *Medicina ex hyrundinibus.*

Auicenna. Hyrundinum ſtercus valet albugini, & hoc ipſum eſſe mirabile ſum expertus. *Hali. vbi ſupra.* Hi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Contra ſanguinem corruptum.

rundo ſi ſupponatur locis in quibus eſt ſanguis corruptus, aut ſerpedo, ſanguinem illum malum fugit, hiſque manifeſtè proficit. Hirundinum quoque combuſtarum cinis ſi cum melle miſceatur, & cataplaſmetur inde collo ſquinantiam patientis, cæteraque apoſtemata gutturis proderit. Præterea ſi cum melle collyriſentur, viſum acuunt. Si vero filiæ deſiccentur, tritæque bibantur ſuffocationem curant. *Plin. lib.* 28. Fimus hyrundinis decoctus & potus confert morſui canis rabioſi. *Idem in libro* 29. Hyrundinum caro recens concerpta contra ſerpentes auxiliatur. Pulli earum combuſti conferunt morſui canis rabioſi. Similiter & glebula ex hyrundinis nido illita ex aceto. Palpebras quoque dicitur gignere pullorum cinis cum lacte tithymali. Pulli hirundinum plena Luna excæcantur, Reſtitutaque acie illorum capita comburuntur, & cineribus cum melle ad oculorum claritatem, ac dolores, ac lippitudines, & ictus vtuntur. *Idem in libro* 30. Vlcera linguæ labiorumque ſanant hirundines in mulſo decoctæ. Vua & faucium dolor mitigatur hirundinum cinere cum melle. Hyrundines in Sole ſeruatæ ad anginam bibuntur, cui malo etiam nidi poti mederi dicuntur. Comiciali morbo medetur cum thure ſanguis hyrundinum, vel cor recens deuoratum. Quinetiam è nido earum lapillus impoſitus ſtatim retrahere dicitur, & alligatus in perpetuum tueri. Item hyrundinis ſanguine vel felle pili euelluntur.

De Kiki & Kokis.

CAPVT C.

Hæc auis videtur eſſe cuccos qui idem eſt quod cuculus licet non omnia quadrent.

Ex li. de natur. re. Kikes eſt auis, quę vocibus diuerſis vociferat, & quolibet ferè die vocem ſuam mutat, ſuper arbores nidificat, & glandibus quando maturæ ſunt cibum congregat ſufficientem ſibi. Educati vero pulli eius, & ad volatum roborati cibant parentes ſuos in ſenectute, faciuntque eos manere in nidis abſque vllo labore. Kokis eſt auis in cuius morte (vt ſuperius dictum eſt) vociferantur aues vociferatione dolorоſa & ſuaui. Omnes quoque aues vncorum vnguium cum viderint pullos ſuos volare poſſe, illos percutiunt, & anidis eijciunt, nec poſtquam completi fuerint de illis ſolliciti ſunt, præter kokis, quæ longo tempore de pullis ſuis cogitat, & cum eis volantibus volat, eiſque ad comedendum dat. *Auctor.* Idem alibi de cornice dicitur, vnde hanc auem æſtimo cornicem eſſe.

De Lago, & laro, & lucidio.

CAPVT CI.

Lagus.

Orath vbi ſupra. Lagus eſt auis aquatica, mergo vtcumque moribus contraria. Nam ſicut mergus, tempeſtatē maris fugit, ſic lagus in tempeſtate lætatur, & ludit. *Heſychius ſupra Leuit.* Lagus eſt animal tā in terra quā in aqua habitans, volat enim & natat. *Auctor.*

Lucidini.

Hęc eſt auis (vt fertur) quæ vulgo vocatur raſſæ. *Ex lib. de natur. rer* Lucidij dicti ſunt quaſi lucem dantes. Harum enim auium pennæ per obſcurum in nocte lucent. Vnde qui eas habent quando volunt præiactis luciferis pennis, harum gratia vas dirigunt. In hercinio Germaniæ ſaltu hæc auis habitat.

De Luſcinia.

CAPVT CII.

Luſcinia Philomena.

Auctor. Luſcinia ipſa eſt philomena, vt in Papia legitur. *Iſidorus.* Luſcinia dicitur quaſi lucinia, quæ cantu ſuo ſolet ſignare diei ſurgentis exortum, eadem & acredula à Cicerone vocatur. *Ambroſius.* Luſcinia peruigil cuſtos cum oua quodam ſinu corporis & gremio fouet inſomnem longè noctis laborem cantilenæ ſuauitate ſolatur, quo poſſit non minus dulcibus modulis, vt mihi videtur, quam fotu corporis oua animare quæ fouet. *Plinius libro* 10. Luſcinijs diebus ac noctibus continuis 15. garrulis ſine intermiſſu cantus eſt, denſante ſe frondium germine digna miratu auis. Primum

Acredula.

A tanta vox in tam paruo corpuſculo, tamque pertinax ſpiritus. Deinde in vna *muſicæ perfectæ ſcientia*, modulatus editur ſonus, & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conſciſo, copulatur in torto, promitur, reuocatur, ex inopinato infuſcatur, interdum & ſecum ipſa murmurat, plenus, grauis, acutus, creber, extentus: Vbi viſum eſt vibrans, ſummus, medius, imus, breuiterque omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis, ars hominum excogitauit. Nec idem omnibus, ſed ſuus cuique cantus. Certant inter ſe palamque *animoſa contentio* eſt, victa morte ſæpe finit vitam, ſpiritu prius deficiente, quam cantu. Meditantur aliæ minores, verſuſque quos imitentur accipiunt. Audit diſcipula intentione magna ac reddit, vicibuſque reticent. Intelligitur enim data correptio, & in docente quædam reprehenſio. Itaque Cæſaris iuuenes habebant Luſcinias Græco & Latino ſermone dociles. Præterea meditantes in diem aſſiduèque noua loquentes. Viſum eſt ſæpe iuſſas canere cæpiſſe, & cum Symphonia alternaſſe. Sed hę tantę tamque artifices argutię à 15. diebus paulatim deſinunt, vt nec fatigatas dicere poſſis, aut ſatiatas. Mox æſtu aucto in totum alia vox fit, nec modulata aut varia, mutatur & color. Poſtremo hyeme ipſa non cernitur: linguis earum tenuitas illa prima non eſt, quę cęteris auibus: pariūt vere primo plurimū ſena oua.

Miranda in Luſcinia.

Contentio.

De Linacho.

CAPVT CIII.

Linachus.

Ex libro de natura rerum. Linachos eſt auis acuti viſus valde, quæ & pullos ſuos antequam habeant alas completas percutit, & ad ſolem aſpicere cogit, & ſi cuius oculus lachrymetur, ipſum interficit, alios vero nutrit, hęc etiam marinis auibus cibatur, eaſque quandoque deſuper in aere leuata natantes contemplatur, quā illæ videntes ſe ſubmergunt. At illa prope aquas deſcendit, eas vſque ad ſuffocationē in ſubmerſione manere cogit, & tunc plumis ad ſuperficiem aquæ deductas rapit.

De Meanta & mennonide.

CAPVT CIIII.

Meanta.

Meanta eſt auis marina maior anate, cinerei coloris, habens collum & crura breuia, glaucos oculos, roſtrum ex parte croceum, & ex parte rubeum, à ſono vocis dicta eſt, ſemper enim clamat. Cadauerum cupidiſſima eſt, & hoc humanorum: Itaque eminente tempeſtate maximè clamat, quaſi iam exultans præda cadauerum inuenta, oculum autem primo petit in cadauere. *Iſidorus.* Mennonides ſunt aues Ægyptiæ, à loco vbi mennon perijt appellatæ. Nam cateruatim aduolare dicuntur ex Ægypto ad Ilium iuxta Mennonis ſepulchrum. Quinto enim anno illuc veniunt, & cum biduo circumuolauerint, tertio die pugnam ineuntes, viciſſim ſe vnguibus roſtriſque dilacerant. *Plinius libro* 10. Auctores ſunt annis omnibus ex Æthiopia mennonides aues Ilium aduolare, & ad Mennonis tumulum confligere. Hoc idem anno quoque quinto facere illas in Æthiopia circa Regiam Mennonis exploratum ſibi Cremucius tradit.

Mennonides.

De Mergo.

CAPVT CV.

Mergi etymon.

Iſidorus. Mergus ab aſſiduitate natandi nominatur. Hi ſæpe demiſſo in profundum capite, aurarum ſigna ſub fluctibus colligunt, & præuidentes æquoris tempeſtatem ad littora cum clamore tendunt. Vnde in pelago iam *grauiſſimam eſſe tempeſtatem aiunt cum ad littora mergi confugiunt. Plinius libro* 10. Mergi in arboribus

pluri-

Signum tẽpeſtatis.

plurimum terna pariunt, & vere nidificare incipiunt. *Idem in libro* 11. Inſatiabilia vero animalia ſunt, quibus ventre protinus recto inteſtino, cibi tranſeunt, vt mergis. *Idem in libro* 18 Mergi ſicut cęteræ aues aquaticæ pennas roſtro purgantes, aut maria & ſtagno fugientes præſagiunt ventum. *Ex libro de natura rerum.* Mergus flumina ſtagnaque innatat, & piſces perſequitur, ſic dictus, eo quod in aquis ſe mergat, diutius tamen ſub aquis morari non valet, quoniam in aere ſpiritum recuperat, quando percuti debet in aqua mergitur. Seuerus Sulpitius tradit, quod quædam earum ſpecies eſt, quam à re cornutam vocant, eo quod rubeas plumas in capite inſtar cornuum habet. Contra omne genus auium *pedes habent in cauda*, ita vt cum in terra ſtant ſicut homo geſtu pectoris eriguntur. Has aues B. Martinus diuina virtute coegit aquam contra naturam ſuam deſerere, & arida loca deſertaque petere. Harum pulli ſtatim vt oua exeunt, tanto vigore pollent, vt ſi matrem eos perdere contigerit, virtute propria viuant.

Pedes in cauda.

De Merillone at merope.

CAPVT CVI.

Merillo.

Merillo auis eſt non multo maior merula, colore quoque prope ſimilis, ſed roſtro pedibus, vnguibuſque diſſimilis, prædę cupidus eſt. Sed quia paruus & parui roboris, paruarum auium eſt perſecutor: hi ſicut accipitres & Herodi ſocialiter volant, imbuique quatuor ex illis poſſunt, vt cygnum hoc modo capiant, primus ex eis cygni caput inuadit, ſecundus & tertius ex vtroque latere binas alas, quartus vero collum & pectus, & ſic auis grauida cygnus anguſtijs circumſepta mouere ſe non valens, ab aucupe præuenta capitur & occiditur. Merops eſt auis habens in dorſo colorem cyaneum, pectore ſubrutilum, in ventre pallidum, hæc naturali calore abundans antra ſeptem pedibus altitudinis in terra fodit, ibique nidificat, ac fœtus facit, & eos vſque ad robur debitum illic abſconditos paſcit & nutrit. *Iſidorus.* Meropes ſiue gaulos dicimus, qui parentes ſuos recondere atque alere dicuntur. *Iorath vbi ſupra.* Meropes ſolliciti ſunt de pullis ſuis, & quando iam ſeneſcunt, & volare nequeunt, pulli fouent eos & alunt quouſque viuunt.

Merops.

Pietas meropum.

De Merula.

CAPVT CVII.

Merula.

Iſidorus. Merula antiquitus medula vocabatur, eo quod moduletur. Alii autem merulam aiunt vocitatam, quia ſola volat, quaſi mera volans. Hæc cum in omnibus locis nigra ſit, in Achaia tamen candida eſt. *Plinius libro* 8. Merula folio lauri faſtidium annuũ purgat. *Idem in libro* 10. Abeunt & merulæ in vicinia, ſed plumam non amittunt, nec occultantur niſi ſpe cibi, quo hibernum pabulum petunt. Merula ex nigra rufeſcit. Æſtate canit, hyeme balbutit, circa ſolſtitium mutat roſtrum, quod anni circulis in ebur transfiguratur, dumtaxat maribus. Merulæ circa Cyllenem Archadiæ, nec vſquam alibi candidæ naſcuntur. Item incedentes ſaliunt aliquæ merulæ. *Ex libro de natura rerum.* Merula dicebatur olim medula, quia mirabiles vocis modulos reddit, maximè cum vernum tempus imminere proſpexerit. Nam hyeme tacet, aut tantum balbutit. Olim merula fuit ſpectandum in clero miraculum, quę arte humana edocta nouem notulas in ordine ſecundum muſicam cantabat ita perfectè, vt nullus muſicorum eam aliquatenus imitari poſſet parilitate concordantiæ. Hæc auis croceum quantulumcumque colorem habet in pectore, reliquum vero corporis occupat nigredo. Merula domeſticata contra naturam carnes comedit, & hæc dulcius canit, libenter ſe balneat, & plumas roſtro purgat. Cumque nigra ſit & turpis, in delectationem mouet ſeipſam propter amænitatem vocis, Merula plumas non exuit ſicut aues cæteræ, ſed roſtrum ſuum ſingulis annis mutat in candorem, & in hyeme vix poteſt volare propter pinguedinem. Eſt quoddam merularum genus cæteris multo maius, quæ agochile ideſt caprimulgi vocantur, vt dictum eſt ſuperius. *Plinius libro* 10. Caprimulgi appellantur grandiores merulæ aſpectu, fures nocturni, interdiu viſu carent, intrant paſtorum ſtabula, caprarumque vberibus aduolant propter ſuctum lactis, qua iniuria vber emoritur, capriſque cæcitas quas ita mulſere oboritur. *Halis vbi ſupra.* Merularum fimus qui orizam comedunt, ſi tritus ſit & cum aceto diſtemperatus, morpheæque nigræ ſuperponatur, eam extirpat ſic quoque lentiginem elimat.

Plumas non exuit.

De Miluo.

CAPVT CVIII.

Miluus.

Iſidorus. Miluus dicitur quaſi mollis auis ſcilicet viribus & volatu, rapaciſſimus tamen eſt, & ſemper domeſticis auibus inſidiatur. *Plinius libro* 10. Miluus rapaciſſima & famelica ſemper ales. Nihil eſculenti rapit vnquam ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex ara. Ac ne ferentium quidem manibus niſi lugubri municipiorum immolantium oſtento, videtur autem gubernandi docuiſſe caudæ flexibus, in cœlo monſtrante natura, quod opus eſſet in profundo. Milui ex genere accipitrum ſunt, ſed magnitudine differunt. Milui & ipſi hibernis menſibus latent, non tamen ante hyrundinem abeuntes. Traduntur autem à ſolſtitijs affici podagra. *Ex libro de natura rerum.* Miluus vngues pedum & roſtrum aduncum habet inſtar accipitris, ſed alas curuas & non rectas, in quo eſt ei diſſimilis, audax eſt in paruis, tumidus in magnis. Fugatur à niſo, quamuis in triplo ſit maior illo. Circa macella excubat, & circa cadauera. Iecur eius medicinale, Plinius laudat. *Gloſſa ſuper Hierem.* 8. Aues ſua tempora norunt, quando ſcilicet ad calida loca feſtinantes rigorem hyemis debeant declinare, & à principio veris ad regiones ſolitas redire. Vnde ſcriptum eſt. *Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum,* &c. Miluus non apparet niſi in æſtate, ſicut nec turtur & hyrundo. In hyeme namque manent in nido, vel latent in cauernis arborum, vel ad loca calidiora ſe transferunt. *Iorath.* Miluus cubitus cum à nido egreditur in complemento alarum ſuarum aues magnas venatur. Cumque fortior ſit, magis debiles capit. *In complemento autem virium ſuarum muſcas & culices ac lumbricos terreſtres venatur, & tũc fame moritur. Ex auidrio.* Miluus inſidiatur auibus domeſticis, maximeque pullis, & quos incautos viderit, ſtatim rapit. Circa coquinas etiam & macella volitat, vt ſi quid carnis crudæ proijciatur foras velocius rapiat. *Plinius libro* 29. Milui iecur ad inunctiones oculorum vitiorum laudatur. *Idem in libro* 30. E nido quoque milui, ſurculus vitis, alligatis ceruicibus neruis & epiſtotano auxiliari dicitur. Comicialibus etiam iecur milui deuoratum medetur.

Res mira de venatione milui.

Vſus medicus.

De Monedula & muſcicapa.

CAPVT CIX.

Monedula.

Iſidorus. Monedula dicitur quaſi monetula, quæ cum aurum inuenit aufert & occultat. *Vnde Cicero pro Valerio Flacco,* Non plus aurum tibi quam monedulæ committendum eſt. *Ariſtoteles.* Monedula pugnat cum Bubone, quia bubo debilis eſt viſus de die, propter hoc rapit coruus bubonis oua & comedit ea, ſicut dictum eſt ſupra. *Plinius.* In Arbuſto agro monedulæ non ſunt, nec octauum circa lapidem viuunt, ſed exanimantur. Tranſpadana Italia iuxta alpes larium lacum appellat amœnum arbuſto agrum, ad quem ciconię non tranſmeant. Sicuti nec octauum citra lapidem ab eo. Immenſa alioquin finitimo Inſubrum tractu examina monedularum. Cui ſoli ſcilicet aui *mira eſt ſu-*

Non viuunt in Arbuſti agro.

uacitas,

Euocatius cuiu. *racitas*, præcipuè argenti & auri. *Ex libro de natura rerum.* Monedula quaſi monetam tollens, aut diligens dicitur, auis eſt nigra, ſed formoſa, & grata, hominum voces in pullo edocta imitatur. In matutino cum ortu Solis ſolicitius, diſcretius & tenacius retinere dicitur. Huius carnes pruritum capitis excitant. Nam & ipſa appetit in capite fricari. *Muſcicapa.* *Muſcicapa* eſt auis maior columba, plumas habens, vt lanarius, pedes & roſtrum vt hyrundo, quæ licet oris rictum habeat ampliſſimum propter muſcas & cyniphes, quibus ſolummodo veſcitur, Roſtrum tamen inter aues comparatione ſui corporis habet paruiſſimum, & pedes ſimiliter.

De Nicedula.

CAPVT CX.

Nicedula. NIcedula eſt genus corui, quæ pugnat cum bubone. Coruus enim oua bubonis rapit, quia parum videt in meridie. & ea comedit, ſed bubo comedit oua corui ſimiliter de nocte. *Auctor.* Item dictum eſt antea de monedula, vnde videtur idem eſſe. Sed fortè diuerſitas illa nominis prouenit, ex vitio ſcriptoris.

De Nycticorace vel noctua.

CAPVT CXI.

Nycticorax. I *Sidorus.* Nycticorax ipſa eſt noctua, quia noctem amat Eſt enim auis lucifuga, ideſt lucem fugiens, & ſolem videre non patitur. Noctua dicitur, eo quod nocte circumuolet: hanc inſula Cretenſis non habet, *& ſi veniat aliunde, ſtatim moritur. Ambroſius.* Noctua, quæ & nycticorax magnis & glaucis oculorum pupillis nocturnarum tenebrarum non ſentit horrorem, & quo fuerit obſcurior nox, eo crebrior volatus exercet inoffenſos. Die autem videre non poteſt, quia exorto ſplendore viſus eius hebetatur. Habet autem & noctua cantus ſuos. *Gloſſa ſuper Pſalt.* Nycticorax eſt auis vigil, teter, coruus noctis, habitans in parietinis, quæ vulgo ruinæ dicuntur, vbi parietes ſtant ſine fundamento, vnde ſcriptum eſt. *Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Gloſſa ſuper Leuitici.* Noctua eſt auis rapax de nocte.

Plintus libro 10. Vncos vngues habet noctua, ſicut & cęteræ nocturnæ aues, vt bubo & vlula. Tradit autem Illaphus quod noctua ſicut & picus & bubo arbores cauat. Noctuarum contra aues *ſolers eſt dimicatio* *Pugna cum auibus.* Maiore circundatæ multitudine reſupinæ pedibus repugnant, collectæque in arcum roſtro & vnguibus totæ teguntur, auxiliatur accipiter collegio quodam naturæ bellumque partitur. Noctuas ſexagenis diebus hyemis cubare, & nouem voces habere, tradit Nigidius. *Idem in libro* 18. Noctua quoque in imbre garrula vel ſereno tempeſtatem ſignat. *Ex libro de natura rerum.* Nycticorax dicitur noctis coruus, lucifuga enim eſt, & nocte cibos ſuos quærit. Nam ſi de die volaret, à cæteris auibus impeteretur. Nocte (vt vulgus opinatur) mortem hominum prænunciare videtur vocibus importunis, caput habet ingens, nec vt aues cæteræ formatum, roſtrum habet aduncum, vt niſus, vngues humatos & aſperos. In domicilijs & parietibus præcipuèque ruinoſis, quæ ſine tecto ſunt libenter habitat, & pullos ſuos fouet, humanis vocibus delectatur, mares & omne genus earum perſequitur, huius carnes paralyticos curant. *Antipathia cum apibus.* *Plinus libro* 29. Noctua eſt *contraria apibus atque veſpis crabronibus & ſanguiſugis.* Huius cerebrum coctum in vino vel cibo ſumptum remedium eſt capitis doloribus. *Idem in libro* 30. Oua quoque noctuæ per triduum in vino data, tædium eius adducunt ebrioſis.

De Niſo.

CAPVT CXII.

Niſus. EX *libro de natura rerum.* Niſus eſt auis nobilis forma, & robora, minor quam Herodius, ſed vnus eſt color plumarum ambobus, & tamen ſocialiter volare recuſant. Nam inuidia fertur & faſtu, & cum impetit auem, ſolus ambit honore victoriæ potiri, hoc quidem æſtimari poteſt, & fortè meritò, ſed reuera magis credibile eſt, eum ſolum prædæ inhiare, ne dum in volatu ſocium habuerit, paſtu quoque ſodalem accipiat. *Perſequitur patrem.* Non tantum dubia fides eſt, niſum *parem ſui generis deſignari*, & velut alieni generis auem perſequi, & hoc contra omnium auium genus. Nam, vt dicit Ariſt. Omnis auis in volatu prædam capiens, parcit ſui generis auibus. Solus ergo niſus expers eſt generoſitatis huius, & *Homo niſo æqua paratur.* in hoc cum ipſo homine conuenit qui inter animalia terreſtria animali ſui generis inſidiari non ceſſat. Alexander. Niſus ac tricellus ſiue terciolus, locum eligunt in quo aues captas deplumant ſingulis diebus, multaque diligentia mundant, quamdiu compares ouis incubant, quibus & eas miniſtrant. *Auctor.* Eſt autem tertiolus aucupantium volucrum minima ſed pro ſexu & natura ſua ad aucupandum promptiſſima. Falconum generibus adiungitur.

De Onocrotalo.

CAPVT CXIII.

Onocrotalus. EX *libro de natura rerum* Onocrotalus eſt auis, quæ ſimul multas in ventre recondit eſcas, & poſtmodum extrahit & manducat eas. *Plinius.* Onocrotalus ſimilitudinem oloris habet, nec diſtare exiſtimaretur omnino, niſi faucibus eius ineſſet alterius vteri genus, huc omnia inexplebile animal congerit, mira vt ſit capacitas, mox perfecta rapina ſenſim inde os reddita in veram defert aluum ruminantis more. Hos Gallia ſeptentrionalis proxima oceano mittit. *Iſidorus.* Onocrotalon vocant aues roſtro longo, quorum duo ſunt genera. *Vlula.* *Auctor.* Onocrotalus (vt legitur) auis eſt roſtro longo, *Botaurus.* ſimilis cygno, ſed maior. Porro iuxta Hieron. niſi fallor eſt auis illa, quę fixo in palude roſtro horrendè clamat, *Oriolus.* quæ etiam in Iſaia vocatur vlula, quaſi ab vlulatu. Et dicitur in vulgari botaurus, de quo dictum eſt ſupra, quæ etiam de profunditate terræ vel aquę cibum trahere putatur. Alij putant eſſe oriolum. Andreas autem dicit, quod Iudæi dicunt eſſe noctuam. *Ex libro de natura rerum.* Onocrotalus eſt auis in partibus orientis, quæ cum vocem edere voluerit, caput in aquis ponit, & illic inſtar rugitus clamorem emittit. In faucibus quoſdam habet folliculos, in quo primo cibum concipit, & poſt horam in ventrem ſuum mittit, ibique eum digerit. Huius duo genera ſunt. Vnum ſcilicet aquatile, & aliud ſolitudinis. Sola hæc auium (vt dicit Ariſtot.) ſplene caret. Et vt dicit Iſidorus multas ſimul eſcas recondit.

De Ophimacho.

CAPVT CXIV.

Ophimachus. EX *libro de natura rerum.* Ophimachus eſt contrarius ſerpentibus, & pugnat cum eis. Ophis enim ſerpens, machus pugnans. *Auctor.* Ophimachus (vt in Leuitico legitur) eſt ex volucribus immundis ſecundum legem, ex his videlicet, quę gradiuntur quidem ſuper quatuor pedes, ſed habent longiora retro crura per quæ ſaliunt ſuper terram Æſtimo autem hunc inter volatilia minuta debere numerari, ſicut bruchum & locuſtam, quæ ſunt eiuſdem generis, ſicut ibidem legitur. *Attacus.* De attaco vero qui ibidem in eodem genere reputatur, nihil penitus alibi legiſſe me memini.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Oriolo & ortygometra.

CAPVT CXV.

Oriolus. EX *libro de natura rerum.* Oriolus eſt auis ſic dicta vulgariter à ſono vocis, coloris aurei per totum, excepto quod malas habet pennas, quadam cærulei varietate diſtinctas. Nidum in ramis arborum minutiſſimis mira ſubtilitate dependit, ita vt in aere ſolo pendere videatur de terra cernentibus. Ipſum quoque nidum ab imbre camerat, ac denſa fronde protegit. *Iſidorus.*

Ortygometra. *Ortygometra* dicitur, quę gregem coturnicum ducit. Vnde de hac dictum eſt ſuperius in capitulo de coturnice. *Plinius libro* 10. Coturnices aquilone volant maximè ortygometra duce, primam earum propinquantem terræ rapit accipiter, ac ſæpe hinc comitatum ſollicitant abeuntque.

De Oſina & oſſifrago.

CAPVT CXVI.

Oſina. EX *libro de natura rerum.* Oſina eſt auis magna vt cygnus, fluuios, ac piſcinas inhabitans, roſtrum habet magnum, & à gutture vſque ad pectus inſtar ſaccelli receptaculum longum & amplum, in quo magnam ſimul reponit copiam piſcium, vt ſcilicet in tanta mole diffuſa natura non egeat, paulatimque digeſtis in ventre cibis inueniat paratum, quod præbeat. Nunquam aues huiuſmodi niſi in aqua diffuſiori & piſcibus abundanti, habitant, quia citiſſimè paruam aquam etſi piſcibus copioſam ingluuie ſua vacuant. *Iſidorus.*

Oſſifragus. *Oſſifragus* vulgo appellatur auis, quę oſſa ab alto dimittit & frangit, vnde & hoc nomen accepit. *Plinius libro* 10. Aliæti quidem ſuum genus non habent, ſed ex diuerſo aquilarum coitu naſcuntur. Id autem quod ex aliætis natum eſt, oſſifragi genus habet. E quibus minores vultures progenerãtur, pullos autẽ ab aquila deiectos oſſifragi genus excipiunt, & cum ſuis educant. *Idem in lib.* 30. Oſſifragi venter arefactus & potus confert his qui cibos non digerunt, vel ſi tantum manu teneant capientes cibum confert adalligatus, ſed non continuè. Vnum autem eſt oſſifrago inteſtinum omnia deuorata conficiens, cuius extrema pars adalligata prodeſt contra colum.

De Otho.

CAPVT CXVII.

Othus. PLinius *libro.* 10. Othus eſt auis bubone minor, noctuis maior, auribus plumeis eminentibus, vnde & nomen illi; Quidam Latinè aſionem vocant, imitatrix aliarum auium ac paraſita, & quodam genere ſaltatrix, capitur haud difficulter vt noctua intenta in alio circumeunte alio, quod ſi ventus agmen aduerſo flatu cæperit inhibere, ponduſculis lapidum apprehenſis, aut gutture arena repleto ſtabilitate volant. *Idem in libro* 11.

Aſiusia auis. Itaque buboni & otho plumæ ſunt velut auris. *Ariſtot.* Denique quidam othum vocant bubonem. Deprehenditur autem quando venator incipit ſe mouere ad oppoſitam partem. *Ex libro de natura rerum:* Othus eſt auis quæ vulgariter huans dicitur à ſono vocis. Nocte namque huhu horrificè clamat, impropriè vocem humanam ſimilans, ita vt hominem contractum frigore clamare credas. Sed terra ſpeciales habet in quibus huiuſmodi voces profert. In cęteris autem vt in plurimum muta eſt. Hæc auis bubone minor eſt noctua maior, aduncum habet roſtrum ac pedes & eminentibus plumis habere videtur aures. Prędа viuit, carnibus veſcitur mures perſequitur, & ab auibus cæteris odio habetur.

Huans.

De Palumbe.

CAPVT CXVIII.

Palumbes. ARiſtot. Palumbes ſunt aues, quæ naturaliter ſeſe diligunt, pugnant tamen contra ſe pro nidis, eoſque ſibi inuicem auferunt. Hi ſicut & turtures in anno bis ouant, binoſque pullificant. Hanc quoque continentiam ſeruant, quod ſi quis parem ſuum amiſerit, vlterius non coit, extrà nidum ſtercus eijciunt, & cum eorum pulli creuerint ad hoc ipſum eos erudiunt, vt videlicet & ipſi eijciant. Eſt autem palumbes minor columba, nec domeſticatur vt columba. Color eius ad nigredinem declinat. Pedes eius rubei ſunt & aſperi. Viuunt autem ex fructu ſicut & turtur. Et palumbes ſemper apparet, turtur autem non. Huius generis fœminæ non diligunt coitum. *Plinius libro* 10. Coccyx de genere accipitris parit in alienis nidis, maximeque palumbinis. *Coccyx:*

Viuere palumbas ad triceſimum, reliquas & ad quadrageſimum Ariſto. auctor eſt, vno tamen incommodo vnguium, eodẽ & argumento ſenectæ qui citra perniciem reciduntur. Cantus omnibus ſimilis, idemque *terno perficitur verſu*, præterquam in clauſulæ gemitu, hyeme mutis, vere vocalibus. Pariunt autem cum ſolſtitio, plurimumque terna oua, nec plus quam bis fere, & quamuis tria pepererint nunquam plus duobus educant, tertium irritum eſt, Vrinum vocant, palumbes incubat fœmina poſt meridiana in matutinum, cętero mas. *Iſidorus.* *Cantus.*

Vrinum.

Palumbes eſt columba ſyluana videlicet auis caſta ex moribus appellata, eſt enim comes caſtitatis, cum amiſſo corporali conſortio, ſolitaria incedat, nec carnalem vltra copulam requirat. *Auicenna.* Sunt autem palumbes durę carnis. *Ex libro de natura rerum.* Palumbis fœmina incipit oua cubare à medio die vſque ad mane, mas vero reſiduo tempore. Mas palumbium fugit terram ſalſam & humidam, ac ponit in os pulli vt aſſuęſcat cibo. Palumbes amiſſo corporali conſortio, nec viride quicquam in quo requieſcat petit, nec carnalem copulã vltra requirit. *Auctor.* Palũbes eſt ipſa ſpecies columbæ, quæ vulgo ramaria dicitur, quia videlicet ramis arborum inſidere conſueuit, ibique nidificare.

De Medicinis ex palumbo.

CAPVT CXIX.

Vſus medicinę Palumbium. PLinius *libro* 29. Palumbinus ſanguis eximiè prodeſt oculis cruore ſuffuſis. *Idem in libro* 30. Palumbæ caro decocta in aceto dyſſenthericis ac cæliacis medetur. Palumbi fœtus ex poſca decoctus aluum ſiſtit. Fimus palumbinus in faba ſumitur contra calculos, & alias veſicæ difficultates. Similiter & cinis plumarum palumbium ferarum ex aceto mulſo. *Dioſcorides.* Fimus palumbinus calidus & cauſticus cum aceto tritus & impoſitus ſcrophas curat, & carbunculos rumpit. Mixto vero melle ac ſemine lini & oleo vt cataplaſma adhibibitus, combuſtionibus medetur, maximè vero fungos venenatos bibentibus præſidium eſt, id melius faciet ſi cum vino & aceto bibatur.

De Paſſere.

CAPVT CXX.

Paſſeres. ISidorus. Paſſeres ſunt minuta volatilia à paruitate vocata. Oua paſſeris in nido reperta cuculi comedunt, & ſua obijciunt, & poſt illa ſuſcepta fouent, & nutriunt. *Plinius li.* 10. Paſſeri ineſt minimum vitæ cui ſalacitas par. Mares negantur anno diutius durare, argumento quia nullo veris initio appareat nigritudo in roſtro quę ab ętate incipit, fœminis vero longiuſculum ſpacium eſt. *Idem in lib.* 18. Peſtemà milio & panico ſturnorum paſſerumve agmina ſcito abigi quadã herba cuius nomen eſt ignotũ, in quatuor angulis ſegetis defoſſa, mirum dictu vt auis omnino nulla intret. *Ex li: de natura rer.* Paſſer in tectis habitat, gregatim ad paſtum volat, omnibus auibus calidior eſt, cito digerit quicquit glutit. Vnde corpus eius nequaquam cibo ſumpto impinguat, ſed tantum ſuſtentat. Stercus etiam eius calidiſſimum eſt quando emittitur. Supra modum quoque luxurioſus eſt, & in furorem citius concitatus, ſed nulla mora diſcordiæ. Dicit Ariſtoteles quod *mas tan-*

Vt paſſeres abigantur ab aruis.

tum

Vita brevis. *tum vno anno viuit*, fœmina vero diutius, quod de passeribus orientis credimus, nam & illa nigredo de qua dicit quod est in collo masculi, non est in eis qui sunt apud nos scilicet in Europa, sed alba quædam in genis macula nigredine notata, & hi in vita perseuerant hyeme & æstate, sicut & eorum fœminæ. Etas passeris apparet in rostro, quia iuuenis habet illud tenerum, & circa fauces croceum. Senex vero durum & nigrum. In quibusdam orbis partibus *morbum caducum hæc auis patitur.* Et hoc vt Aristoteles credit, quia semen iusquiami comedit, Huius pulli cum euolare debent, vicini passeres cum eorum parentibus conatus ipsorum euolatium comitantur, vt imbecilles si necesse sit plurium constipatione confortentur.

Morbus caducus Passeris.

Mutant colorem. *Aristoteles.* Passer habet vocem sibi appropriatam, sicut & turtur. Pascitur autem & vermibus, sicut & aliæ multæ consimiles auiculæ. Accidit passeribus sicut & coruis & hyrundinibus quod mutantur à nigredine aliquantulum tendentes ad albedinem: Visus est aliquando passer albus, & similiter coruus. Passeres tinere confricantur & abluunt se sicut & columbæ. Præterea passeres quidam sicut & hyrundines pullificant incompletos pullos: faciuntque pullos multos. *Glossa super Psa.* 123. passer aliquo strepitum magnum faciente volat, ne laqueo venãtium capiatur. *Vnde anima inquit nostra sicut passer*, &c. *Physiologus*, passer est auis libidinosa, ideoque & à patiendo nomen sortita, leuis, vaga, & astuta, fructibus humani laboris nociua, laqueos deprehendit gnara, fertur autem nidum de facili mutare & columbæ nidum auferre. *Auctor.* Passer est auicula valde circumspecta in tectis habitat, & in altis locis in petræ foramine nidificat. Mas nigredinem habet circa os, fœmina vero albedinem. Fertur autem hec auis muscas venari, & morbum caducum pati.

Astutia auis.

De Cibo & medicina ex passere.

CAPVT CXXI.

Medicina ex passeribus. *Auicenna.* Passeres omnes malę carnis sunt, & omnia quidem oua, sed præcipuè oua passerum in coitu faciunt augmentum. *Razi.* Caro passeris calidissima est, & luxuriam commouet. *Plinius libro* 30. Cinis passerum sarmentis crematorum duobus cochlearibus in aqua mulsa, regio morbo resistit: *Ex libro de naturis rerum.* Passer vt dictum est, omnibus auibus calidior. Vnde caro eius stiptica est & sanguinis incentiua. Stercus eius, vt dictum est, calidissimum est quando emittitur, sed citissimè infrigidatur. *Hals.* Oua passerum augent venerem. Fimus eius à lentigine purgat faciem, quod si cum hominis sputo distemperetur, eoque varices cataplasmentur extirpantur.

De Pauone.

CAPVT CXXII.

Pauo. *Isidorus.* Pauo sicut & grus & aliæ quædam volucres, à sono vocis nomen habet. *Aristoteles.* Item pauo viuit annis 25. pullificat post triennium semel in anno tantum 12. oua vel minus, post triennium quoque pennæ eius colorantur, & producit eas cum prima arbore folia eijciente. Deinde nascitur ei pluma cum primo incipiunt follificare. *Plinius.* Pauo laudatus expandit colores aduerso maximè Sole, quia sic fulgentius radiant, omnesque in aceruum contrahit pennas quas spectari gaudet oculis. Item cauda annuis vicibus amissa cum folijs arborum, donec nascatur alia, cum flore pudibundus ac mærens quærit latebram. Ab autoribus autem non glorioſum tantum hoc animal traditur, sed & maleuolum. Viuit annis 25. Colores incipit fundere in trimatu. *Auctor.* Pauo serpentinum caput habet, infirmum & crystatum, vocem terribilem, carnes duras, pectus saphyreum, caudam oculatam & longam, alas subrufas, pedes deformes, incessum simplicem, laudatus quidem caudam erigit, sed visis pedibus dimittit, qui cum caudam erigit, & posteriora nudat. *Physiologus.* Pauo suspenso gressu nititur, & quasi furtiuè pennas eijcit cum prima arbore, & postea renascitur ei pluma cum arbores incipiunt fructificare. *Ex libro de naturis rerum.* Pauo est auis pulcherrima, & pulchritudinis amica, Collum habet longum & extentum, colore saphyreum, & pectus similiter. In capite vero plumas desuper instar coronæ, vel potius cristæ, caudam quoque longam & oculatam, qua cum laudatur extenta, si pedum deformitatem viderit, mox deponit. Sed & si à tacito spectetur, pennas omnes quas spectari gaudet contractis oculis abscondit, à trimatu fundere colores gemmantes incipit, & tunc parit. Item nocte cum euigilauerit, seque in tenebris constitutum intueri non potest, clamans pauide, *suam pulchritudinem amisisse se credit.* Idem clamore suo serpentes deterret, & omnia animalia venenata depellit, nec de facili prope habitare audent vbi vox illius frequenter auditur. Pauo quando altè ascendit pluuiæ signum est. Huius oua si gallinis subijciantur pulli exeunt. Nonnulli pauones album colorem per totum habent, & tamen gemmantes oculi qui in cæteris auro vel saphyro diuersis coloribus nitent, in his etiam albo splendore discernuntur ac resplendent. Pauones etiam habent deserta syluestres, sed nequaquam in nitore colore vel cauda domesticis similes. Nec mirum si caudarum eius pondus natura creasset, potius videretur oneralle volantes, quam inexpertos honorasse gloria volucres.

Descriptio pauonis.

Cur clamat pauide.

De Pauonum generatione.

CAPVT CXXIII.

Isidorus. Pauo, sicut iam dictum est, pullificat post triennium, semel in anno ponens & cubans oua 12. tantum vel minus. Mas coit cum fœmina sua etiam super oua cubante, & plerumque franguntur. Ideoque ponuntur aliquando sub gallina ad cubandum. Ponuntur autem oua duo ibi, quia non possunt ab illis plus extrahere. Pauonis fœmina prima vice qua pullificat, *facit oua octo*, & quandoque facit oua venti, & postquam posuerit vnum ouum, stat duobus diebus aut tribus, & deinde ponit secundum.

Oua octo facit.

Palladius vbi supra. Pauones ab idibus Februarijs calere incipiunt, faba leuiter torrefacta in libidinem prouocantur, si eis quolibet quinto die tepida præbeatur. Cupidinem quoque coeundi masculus confitetur, quotiens circa *se amictum caudæ gemmantis incuruat*, & singularum capita occultata pennarum locis suis exerit cum stridore procurrens. *Plinius.* Pauo à trimatu parit primo anno vnum, aut alterum ouum, sequenti quaterna, quinave, cæteris duodena non amplius, intermittens binos dies ternosve, parit & ter in anno si gallinis subijciantur incubanda, mares ea frangunt desiderio incubãtium. Qua propter noctu & in latebris pariunt, aut in excelso cubantes. Et nisi molli strato excepta frangũtur. Mares singuli quinis sufficiunt coniugibus. Cum singulæ aut binæ fuere corrumpitur salacitate fæcunditas, partus excluditur diebus ter nouenis, aut tardius triginta. *Physiologus.* Pauo suæ comparis oua dissipat & cõsumit, si ad illa accedere possit. Est enim inuidus teste Aristotele, prolem quoque propriam non dignatur agnoscere, antequam in cristam sibi similem ipsam venisse prospexerit.

Signum cupiditatis coeundi.

Triginta diebus partus excluditur.

De ipsius educatione.

CAPVT CXXIV.

Palladius li. 1. Pauones nutrire facillimum est, nisi fures illis aut animalia inimica formides, qui plerumque vagati per agros sponte se pascunt, & pullos educunt, altissimasque arbores in vespere petunt. Vna his cura debetur, vt incubantes per agros fœminæ quæ hoc passim faciunt, à vulpe custodiantur. Ideoque in breuibus insulis meliori sorte nutriuntur. Masculi oua pulloſque suos velut alienigenas persequuntur,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

antequam illis chriſtarum inſigne naſcatur. Sed ſi oua pauonum gallinis ſupponãtur, excuſatę matres ab incubatione tribus vicibus per annum fœtus edunt, primus partus quinque ouorum, ſecundus quatuor, tertius trium vel duorum eſſe conſueuit. Sed electæ nutrices gallinæ debent eſſe, maioresq; gallinas oportet eligere, cauſa ſuperius dicta. Oua quoque pauonum gallinę ſubiecta ſæpe manu oportet conuertere, quia vix hæc ipſa valebit facere. Natos autem ſi à pluribus ad vnam velis transferre, dicit Columella, vni nutrici 25. ſufficere, mihi vero videntur 15. ſatis eſſe, primis diebus far ordei conſperſum pullis datur, poſtea caſeus recens adijcitur, ſed expreſſus, nãſerum pullis nocet, locuſtæ quoque ablatis pedibus præbeantur, ita paſcendi ſunt vſque ad ſextum menſem. Deinde ordeum poterit præberi, triceſimo quinto tamen die poſtquam nati ſunt, etiam in agrum tuto deiici poſſunt, comitante nutrice paſcendi, cuius ſingultu reuocantur ad villam, pituitæ vero cruditates his remedijs ſubmouendæ ſunt, quibus gallina curatur: maximum illis periculum eſt cum incipit criſta produci. Nam patiuntur languores infantium ſimilitudine, cum illis tumentes gingiuas denticuli aperiri nituntur.

Oua gallinæ ſubiecta manu ſæpe conuertenda.

Quo cibo nutriantur pulli.

De Virtute carnis eius.

CAP. CXXV.

Caro pauonis non putreſcit etiam mortui.

Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 21. Pauonis autem carni quis niſi Deus creator omnium dedit, vt non putreſceret, etiam mortui. Hoc vtique cum auditum incredibile videretur, euenit vt apud Carthaginem hæc auis cocta nobis apponeretur. De cuius pectore pulparum quantum viſum eſt ſeruari iuſſimus, quod poſt tantum dierum ſpacium quantum alia quæcunque cato putreſceret prolatum atq; oblatum, nihil noſtrum offendit olfactum. Item repoſitum poſt dies pluſquam 30. idem quod erat inuentum eſt. Itemque poſt annum, niſi quod aliquantum corpulentiæ: ſiccioris & contractioris fuit. *Idem in eodem.* Cum ergo dicimus corpora damnatorum in gehenna ſic eſſe punienda, vt & ſine detrimento ardeant, & ſine interitu doleant, homines infideles qui rationem à nobis de talibus flagitant, ipſi de multis rebus mirabilibus, quæ nobis in promptu ſunt, rationem reddãt, vt de carne non putreſcente pauonis, cum putruerit & Platonis. *Iſidorus*, pauonis ita caro tam dura vt putredinem vix ſentiat, nec facile coquatur, de quo quidam ſic ait.

Miraris quotiens gemmantes explicat alas,
Si potes hunc ſauo tradere iure coquo.

Phyſicus. Caro pauonis diu reluctatur putrefactioni, & inobedientiſſima eſt digeſtioni. *Dioſco.* pauonis autem fel magnæ virtutis eſt, eiuſdem ſcilicet cuius & perdicis, vel albi caponis, & ſcopii marini, ad effuſiones oculorum valet & ad caliginem aſpredinemq; palpebrarum. *Hierony. contra Iouini.* Fimus quoq; pauonis feruorem podagræ dicitur mitigare. *Plin. lib. 29.* Itaque fimum ſuum reſorbent pauones vtilitatibus hominum inuidentes.

Fimus podagram curat.

De Pegaſo & pelargo.

CAP. CXXVI.

Pegaſus.

Idem in libro 8. Pegaſos vocant pennatos equos & cornibus armatos, quos Æthiopia inter alia multa monſtra generat. *Ex libro de natura eorum.* Pegaſus eſt animal magnum & horrendum in Æthiopia formam equi habens, & alas vt aquila. Sed multo maiores, caput cornibus armatum. Adeoque monſtruoſum, vt ipſo cuncta ferè animantia terreat. Cumque ſit grauis corpore, alarum adiutus remedio, fuga mirabili potius currit, quam peruolet, & aere colliſo virtute pennarum ad inſtar turbinis ventos impellit. Eſcas multas deuorat, & inquiete mouetur. Infeſtus eſt animalibus, & homini maximè. *Papias.* Pegaſus eſt auis quæ auriculas equi habet, pegaſus quoq; dicitur bellorophontis equus, cuius velocitate Chymæra dicitur interempta. Hinc pegaſeus fons muſis dicatus quem pede fecit Pegaſus. Pegaſum etiam fingunt pagani equum fuiſſe, qui de Bellorophonte pennis volauit, hic de ſanguine Gorgonis natus fuiſſe fertur. *Plin. libro 10.* Pegaſos equino capite volucres, & gryphes auritos roſtri aduncitate fabuloſos reor, illos in Scythia, hos in Æthiopia. *Ambroſius. Pelargos ciconia dicitur*, cuius vocabulo gratiarum relatio quam parenti reddit, nominatur. *Auctor.* Ciconiæ ſiquidem, vt ſuperius dictum eſt, quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipſæ inuicem aluuntur à pullis ſuis.

Pegaſeus foris.

Pelargus.

Ciconia.

De Pellicano.

CAP. CXXVII.

Pellicanus.

Iſidorus. Pellicanus eſt auis Ægyptia, habitans in ſolitudine Nili fluminis, vnde & nomen ſumpſit. Nã Canapos Ægyptus dicitur. Fertur eam occidere natos ſuos, eosque per triduum lugere, deinde ſeipſam vulnerare, & aſperſione ſanguinis ſui filios viuificare. *Phyſiologus.* Pellicanus amator eſt filiorum nimis, qui cum cæperint creſcere percutiunt parentes in faciem. At illi irati repercutiunt eos & occidunt, & per triduum lugent. Tertia die mater eorum percutiens coſtam ſuam, & aperiens latus ſuum, incumbit ſuper pullos & effundens ſanguinem ſuum ſuper corpora eorum ſuſcitat eos à morte. Huius duo ſunt genera. Vnum in aqua habitans & eſca eius piſces ſunt. Aliud in ſolitudine, & eſca eius animalia venenata, ideſt lacertæ ſerpentes, crocodili. Et vocantur onocrotali, ideſt roſtra longa habentes. *Auctor.* De onocrotalo iam dictum eſt ſuperius, de quo tamen varia eſt opinio. *Ex libro de naturis rerum.* Pellicanus dicitur quaſi pellem habens canam, ideſt, plumas albas. In Ægypto circa Nilum habitat, & lacte crocodili viuit, quod vtique beſtia præ nimia mammillarum abundantia in aliquo paluſtri loco in magna quantitate eijcit. Vnde & crocodilum libenter pellicanus ſequitur: hæc auis macie ſemper afficitur, & quicquid glutit cito digerit, quia venter eius nullum habet diuerticulum quo teneat cibum, ſolum enim viſceris habet ductum, qui ab introitu oris vſque ad ſecreta naturæ pertingit, pullos ſuos ſanguine lateris ſui viuificat, cum eos propter importunitatem ſuam occiderit, vel à ſerpente qui eis inſidiatur, interemptos inuenerit. Poſt ſanguinis autem effuſionem adeo debilitatur, vt exire de nido non valeat, ſed eius pulli pro cibatione eius & ſua exire compelluntur. Quidam tamen eorum ſegnes exire nolunt, & pereunt. quidam autem ſeipſos quidẽ paſcunt, ſed matrem penitus negligunt. Quod cum illa poſt conualeſcentiã viderit, pios filios nutrit, impios autem abijcit & contemnit. *Ariſtot.* Pellicanus eſt auis ſic dicta, eo quod pellis eius tractata canere videatur, hic dum pullis applaudit, illi oculos ei eruere moliuntur, ideo ipſos occidit. At illa non modico dolore affecta, ſeipſam poſtea veſte plumarum exuit, & roſtro latus aperit, ſeque ſanguinis ſui prodiga cruentat, quo pulli eius perfuſi reuiuiſcunt. Hæc auis macilenta eſt, quoniam vt dicitur tenſo per viſcera inteſtino, quicquid eſcarum accipit, ſine aliqua decoctione tranſmittit. Indeque fit vt adipe propior minimè farciatur, quę paruiſſimo ſucco reficitur: non congregatim, ſed ſolitariè volat.

Pellicani etymon.

Pulli pij & impij ſunt pellicanis.

Cur macilenta ſit auis hæc.

De Perdice.

CAP. CXXVIII.

Perdicis libido præpoſtera.

Iſidorus. Perdix de voce habet nomen, auis doloſa & immunda. Nam maſculus in maſculum inſurgit, & obliuiſcitur ſextum libido præceps. Solinus, perdices ſanè cum vbique ſint liberæ vt aues vniuerſæ,

in Boetia non ſunt. Non enim cum volant, ſui iuris ſunt, ſed in ipſo aere metas habent, quas tranſiere non audeant, nec in atticum ſolum tranſmeant. *Plinius lib.* 8. perdices ſicut & palumbes & gracchuli ac merulæ lauri folio annuum faſtidium purgant. *Idem in lib.* 11. In Paphlagonia bina perdicibus ſunt corda: perdices non pingueſcunt ſicut nec lepores, his ante pugnam vox eſt. *Author*, perdix prope terram volat, quæ cum in multis ſit aſtuta, in hoc dicitur eſſe fatua, quod ſicubi poſſit caput abſcondere, credat ſe totam latere, & cum ipſa neminē videat, putat quoq; neminē ſe videre, in hoc quoq; quod alienos pullos fouet & nutrit, cum eos citius amiſſura ſit. Vnde Propheta Hiere. de illa in parabola dicit. *Perdix fouit, quæ non peperit, fecit diuitias & non in iudicio. In dimidio dierum ſuorum derelinquet eas & in nouiſſimo erit inſipiens.* Phyſiologus, perdix oua perdit, ſed eius mos eſt ouorum perditorum damna reſarcire alterius matris oua ſurripiendo. *Ex libro de naturis rerum.* Perdix eſt auis doloſa & luxurioſa, maſculis pro fœminis dimicantibus, victi calcantur à victoribus coitu. De nocte conuerſis poſterioribus perdices ſedent, & libidinis tempore linguis ad inuicem extenſis præ deſiderio coitus æſtuant. Cum autem in gurguſtio retiali ab aucupe capiuntur, vna aliam ſequitur, nec diſcernit miſera ſequens vel retractat periculum iam captiuæ, ſociarum deluſa conſortio.

Perdicis fatuitas.

Hierem. 17.

De Perdicum incubatione.

CAP. CXXIX.

Nidi perdicum.

Olinus. Perdices nidos continuant munitione ſolerti, ſpineis enim fructibus receptus ſuos veſtiunt, vt animalia quæ infeſtant arceantur aſperis ſurculorum aculeis, ouis ſtragulum puluis eſt, atque clanculo reuertuntur, ne indicium loci conuerſatio frequens faciat, plerumq; fœminæ transferunt partus, vt mares fallant, qui eos ſæpiſſime affligunt impatientius adulantes, dimicatur circa connubium, victosq; credunt fœminarum vice ſuſtinere venerem. Ipſas libido ſic agitat, vt ſi ventus à maſculis flauerit fiant prægnātes odore. Tunc ſi quis hominum vbi incubant propinquauerit, egreſſæ matres venientibus ſe ſe ſponte offerunt, & ſimulata debilitate pedum, vel alarum, quaſi ſtatim capi poſſint, greſſus fingunt tardiores, hoc mēdacio ſolicitant obuios, & eludunt, quoad profecti longius à nidis reuocentur, nec in pullis ſtudium ſegnius ad cauendum. Cum enim viſos ſe præſentiunt reſupinati glebulas pedibus attollunt, quarum obtentu tam callidè proteguntur, vt lateant deprehenſi. *Plin. lib.* 10. Perdices ſpinæ frutice ſic muniunt receptaculum, vt cōtra feras abundè valeant, perdices ouis ſtragulum molli puluere contumulant, nec in quo loco pepererint incubant, ſed alio trāsferunt. neve cui frequentior conuerſatio ſuſpecta ſit. Illæ quidem & maritos ſuos fallunt, quia libidinis intemperantia frangunt earum oua, ne cubando detineantur: tunc inter ſe pugnant mares deſiderio fœminarum, victum aiunt pati venerem. Trogus inquit. Capiuntur quoq; pugnacitate eiuſdem libidinis contra aucupis indicem exeunte in prælium duce totius gregis, capto eo procedit alter, ac ſubinde ſinguli. Rurſus circa conceptum fœminæ capiuntur, contra aucupem exunte fœmina, vt rixando abigat eum: nec in animali alio par opus libidinis. Si contra mares fœminæ ſteterint, aura ab his flante prægnantes fiunt, hiantes autem exerta lingua per id tempus æſtuant, concipiuntq; ſuperuolantium afflatu, ſæpe voce tantum audita maſculi. Adeoque vincit libido etiam fœtus charitatem, vt illa furtim, & in occulto incubans cum ſit fœmina, aucupe accedente ad marem recauat, reuocetq; & vltro præbeat ſe libidini. Perdix in coitu rabie tanta fertur, vt in capite aucupantium frequenter cæcæ metu ſedeant. Si ad nidum is cæperit accedere, procurrit ad pedes eius fœta prægrauem aut delumbem ſeſe ſimulans, ſubitoque in procurſu, aut breui aliquo volatu cadit fracta, aut ala, aut pedibus, aut procurrit iterum iam prenſurum effugiens ſpe fruſtrans, donec in diuerſum abducat à nidis, eadem iam pauore libera, maternaque vacans cura, in ſulco reſupina gleba terræ ſe operit pedibus apprehenſa: perdicum vita durare exiſtimatur ad annos 16. Perdices non tranſuolant Boetiæ fines in attica.

Fiunt prægnantes odore

Mendaces.

Tempora quibus capi queant.

Ambroſius. Perdix eſt auis aſtuta, quæ alterius perdicis oua diripit, corpore ſuo fouet, ſed fraudis ſuæ fructum habere non poteſt, quia cum pullos ſuos eduxerit, eos amittit, vbi enim vocem illius audierint quę oua generauit, relicta ea ad illam ſe naturali quodam munere, & amore conferunt, quam veram ſibi matrem cognoſcunt. *Ariſt.* perdix ſi fuerit prope matrem, & flauerit ventus impręgnatur. In coitu facit odorem fœtidum. Ad modum vero gallinæ ſuper oua cubat, & ſuper pullos, & colligit eos ſub alis. *Ex lib. de na. re.* Perdicum mater volat in circumitu venatorum quouſq; pulli ſui fugiant, & poſt fugam eorum fugit ipſa, tuncque vocat eos ſecura.

Aſtuta auis.

De cibo ac medicina ex perdice.

CAP. CXXX.

PErdicum carnes præ cæteris auibus ſylueſtribus ſaniſſimæ ſunt. Huius auis pectus cum ſuperioribus ſunt valde ſapida, inferiora vero non ita. Perdix teſtante Plinio non pingueſcit. Fel eius cum melle æquo pondere prodeſt ad oculorum claritatem. *Dioſcorides.* Fel perdicis eiuſdem virtutis eſt cuius, & pauonis, vnde valent ad effuſionem oculorum, & ad caliginem aſpredinemq; palpebrarum. *Hali.* Hepar quoque perdicis ſiccatum diligenter tritum ac bibitum epilepſiæ prodeſt. *Plinius lib.* 29. Oculis contuſis valet perdicis fel cum æquo pondere mellis. Perſe quoque valet ad oculorum claritatem, quod in argentea pyxide ſeruari iubent. Oua etiam perdicum in æreo vaſe decocta cum melle vlceribus oculorum, & glaucomatibus medentur. Sanguis perdicis eximiè prodeſt oculis cruore ſuffuſis. *Idem in lib.* 30. Ius perdicum recreat ſtomachum. Morbo etiam regio reſiſtit cerebrum perdicis in tribus vini cyathis.

Carnes ſaniſſimæ ſunt præcipuæ partes ſuperiores.

Curatio morbi regij.

De pica.

CAP. CXXXI.

Iſidorus. Pica dicitur quaſi poetica, eo quod verba in diſcrimine vocis, vt homo exprimat, per ramos enim arborum pendula importuna garrulitate ſonat, & ſonum humanę vocis imitatur. De qua congrue quidam ait.

Pica loquax circa Dominum te voce ſaluto,
Si me non videas, eſſe negabis auem.

Phyſiologus. Pica garrula breuitatē alarum cauda longiore recompenſat, nidum ſuum cum duobus foraminibus conſtruit, per quorum vnum intrat, per alterum caudam emittit. In hoc autem commendabilis, quod curiæ vel horto in quo nidificat, proſpicit indemnitati, & inſidias latitantium multo clamore prodit, ita vt à propoſito reuocentur infælici. *Plinius lib.* 10. Picarum genera quæ longa cauda inſignes appellantur variæ, proprium eſt his omnibus annis calueſcere, cum ſeruntur rapæ, expreſſior autem eſt loquacitas certo generi picarum. Adamant verba quæ loquuntur. Nec diſcunt tantum ſed diligunt, meditantesque intra ſemet cura atq; cogitatione intentionem non occultent. Conſtant emori victas difficultate verbi. Ac niſi ſubinde eadem audiant, memoria falli, quærentesque mirum in modum hilarari, ſi interim audierint id verbum. Nec vulgaris his forma, quamuis non ſpectanda. Satis illis decoris in ſpecie ſermonis humani eſt. Verum addiſcere alias negant poſſe quàm quę ex genere earum ſunt, quę veſcuntur glande. Et inter eas facilius quibus quini digiti ſunt in pedibus

Pica.

Laus Pica.

Calueſcunt annuatim.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dibus, latiores his ſunt linguæ omnibus, quæ in ſuo genere ſermonem humanum imitantur, quamquam id in omnibus penè contingat auibus loquentibus: pica nouenos parit. Cumque diligentius nidum ab homine viſum ſenſerit, alibi oua tranſgerit.

Nouenos parit.

Ex lib. de nat. re. Pica eſt auis calidiſſima alba & nigra varietate diſtincta, linguam habens latiorem, qua ſermonem imitatur humanum. Nidum ſuum inter loca ſpinoſa conſtituit, eumque terra interius, & ſpinis exterius in circumitu ſubtus ac deſuper diligentiſſimè ſepit, & munit. Arctiſſimum vero tantum foramen per quod ingrediatur in latere relinquit, & hoc eo loco quo nidus inacceſſibilior eſt, quem cũ ab homine viſum ſenſerit, oua transfert aliò commoditate digitorum iuuante. Cumq; laqueo ſe nouerit deprehẽſam, toto corpore quieta eſt, ſolo roſtri niſu laqueũ aperire laborans, nec vſq; ad extremam deſperationẽ reliqua parte corporis mouetur. Carnes pullorũ eius ad acumen oculorum mandi dicuntur, qui tamen niſi prius excoriati fuerint, facilè coctioni non cedunt.

Laqueo deprahenſa conatus.

Carnes dura.

De pico, & pigargo.

CAP. CXXXII.

Picus.

Iſid. Picus à pico Saturni filio nomen ſumpſit, qui eo in auſpicijs vtebatur: ferunt enim hanc auem quiddam habere diuinum illo indicio, quod in quacumq; arbore nidificauerit clauus vel quicquid aliud fixum eſt hærere diu non poteſt, quoniam ſtatim excidat, vbi illa inſederit. *Plin. vbi ſup.* Picus martius eſt auis parua vncorum vnguium in auſpiciis magna, pullos educat in cauis auium ſola. Adactis cauernis eorum à paſtore cuneis, admota quadam ab his herba elabi creditur vulgo: veſcuntur in hoc genere glande pomisque multi. Hæc auis in agro Tarentino negatur eſſe picorum aliquis ſuſpenditur in ſurculo primis in ramis cyathi modo, vt nulla quadrupes poſſit accedere. *Idem in lib.* 11. Dedit & pico naturã criſtam plicabilem per medium caput à roſtro reſidentem. *Ex lib. de nat. re.* Picus martius eſt auis parua, aduncos vngues habens, & arbores roſtro penetrans. Cumq; ſupinus corticem arboris percutit ſubeſſe pabulum intelligit, pullos in arboribus cauis educat. In quas cum ſagittam, vel aliud tale quis miſerit, picus admota quadam herba ſtatim eijcit quantalibet vi ingeſtum ſit. Ex eorum genere plures nigri ſunt, vt merula, crocei, vt orioli. Sed illi ſpecioſiores ac maiores, qui ſunt in vertice rufi, in pectore crocei, circa collum virides. in alis cærulei, in cauda choruſci. Picus in agro Tarentino negatur viuere. Huic proprium eſt ſemel in anno caluеſcere, eo ſcilicet tempore quo rapa ſeminatur. De hac aue quidam videtur verſum dixiſſe.

Picus Martius.

Extrahit ſagittas ex arboribus.

Parua loquax volucris, Dominum te voce ſaluto,
Si me non videas, eſſe negabis auem.

Pygargus.

Pygargus eſt ſecundum genus aquilæ ſecundum Plinium, de quo dictum eſt ſuperius.

De platea, & pluuiali.

CAP. CXXXIII.

Platea.

Plinius lib. 10. Platea eſt auis quæ ad aues in mari pro præda ſe mergentes aduolat, eorumque capita morſu corripit, donec capturam extorqueat, eadem cum deuoratis ſe conchis impleuit, calore ventris coctas euomit, atque ita ex his eſculenta excreans teſtas legit. *Ex lib. de nat. re.* Pluuialis eſt auis prope ad magnitudinem perdicis, varijs pennis ornata croceo, & albo nigroque diſtincta, aere ſolo viuere dicitur, huius argumentum eſt quod licet pingueſcat, nihil tamen vnquam in eius viſceribus inueniri poteſt. Baculos plumbatos habent aucupes, quos altius in aere iactantes deterrent aues, easq; in imo volare cogentes, retia ſuper terram tendunt, ac fugitantes capiunt.

Pluuialis.

Aere ſolo viuit.

De porphyrione.

CAP. CXXXIV.

Porphyrio.

PORphyrio eſt auis contra modum aliarum vnum pedem habens latum ad natandum, alium vero fiſſum ad ambulandum. In quo notatur quod vtroq, elemẽto gaudet, & in aqua natans vt anates, & in terra ambulans vt perdices. Hic ſolus prẽter pſittacum pede ſuo inſtar manus aquam ſuſcipiens ad roſtrum defert & potat, ſeque humano modo cibat, quia cum omni cibo, & cum ſolo morſu oportet vt bibat. Virtutem enim appetitus habet debilẽ naturaliter in attrahendo cibum, & ſibi incorporando: huius generis laudatiſſimi ſunt, qui roſtrum habent magnum, & crura prælonga. *Auctor.* Porphyrio vt fertur idem eſt quod pellicanus. Vnde in Deut. vbi ſecundũ Hyeronymi tranſlationem inter aues immundas Porphyrio comedi prohibetur, iuxta 70. interpretes pellicanus ponitur. *Plin.* Bibunt aues ſuctu cæteræ, ſed ex his quibus longa ſunt colla intromittentes capite reſupinato quaſi infundentes ſibi, ſolus Porphyrio morſu bibit. Idem ex proprio genere omnem cibum aqua ſubinde tingens. Deinde pede ad roſtrũ veluti manu afferens: laudatiſſimi ſunt in Comagene. Roſtra his & prælonga crura rubent. Baleares etiam inſulæ nobiliorem ſupra dicto Porphyrionem mittunt.

Pellicanus.

De pſittaco.

CAP. CXXXV.

Pſittacus.

Iſido. Pſittacus in Indiæ littoribus gignitur colore viridi, torque pumiceo, grandi lingua, & cæteris auibus latiore, vnde & articulata verba exprimit, ita vt ſi eam non videris, hominem locutum putes. Ex natura autem ſalutat dicens aue, vel kayre, cætera nomina inſtitutione diſcit, hinc eſt illud,

Pſittacus à vobis aliorum nomina diſcam,
Hoc didici per me dicere, Cæſar aue.

Solinus. Sola India pſittacum auem mittit, cui roſtri tãta duritia eſt, vt cum è ſublimi præcipitatur in ſaxum, niſu ſe oris excipiat. Caput vero valens, vt ſi quando ad diſcendum plagis admonendus ſit (nam pſittacus ſtudet quod vt homines loquatur) claua ſaltem ferrea verberandus ſit. Inter nobiles vero & plebeios diſcretionem digitorum facit numerus, nam qui præſtant quinos in pedibus habent digitos, cæteri ternos. Hæc auis cum in pullo eſt, atq; inter alterũ ætatis ſuæ annũ, quę mõſtrantur & diſcit velocius, & retinet tenacius, paulo ſenior & obliuioſus eſt & indocilis. *Plin. lib.* 10. Super omnia humanas voces reddunt pſittaci, & quidem ſermocinãtes. India autem hanc mittit. Pſittacus eſt toto corpore viridis, torque tamen miniato in ceruice diſtincta. Imperatores ſalutat. & quæ accipit verba pronuntiat, in vino prẽcipue laſciua. Capiti eius duritia eadem, quæ roſtro cum loqui diſcit verberatur ferreo radio, aliter ictus non ſentit. Cum deuolat, roſtro ſe excipit, illi nititur, ac leuiorem ſe ita pedum infirmitati facit. *Idem in lib.* 11. Itaque capitis oſſa pſittacis ſunt duriſſima. *Ex lib. de nat. re.* Pſittacus aquas alias quocunque modo patitur, ſed pluuia moritur. Iccirco in montibus Gelboe nidificare fertur, quia raro, vel nunquam ibi pluit. Caudam ſuam ſummo ſtudio cuſtodit, pennasque roſtro ſuo frequentius extergit. Auis eſt luxurioſa nimium, bibitq; vinum, ſemetipſam pede cibat, & illo ori ſuo defert eſcas, ſicut homo manu. Phyſiologus. Pſittacus qui vulgo papagabio, ideſt principalis ſeu nobilis gambio dicitur, eoas ſiue indicas habitat oras. Monte quoq; Gelboe libenter inhabitat propter eius ſiccitatem, quia multa humiditate ſuperabundante in cute moritur, aliquantulũ ſimilis eſt obelo, & falconi. Virides habens plumas, pectus rotundum, roſtrum aduncum, tantæ fortitudinis, vt caueam ſuam niſi ex virgis ferreis frangat, hominis vocem imitatur. Miræ quoque calliditatis eſt in excitan-

Præſtantiores pſittaci.

Ferrea virgula verberatur.

Humilitas necat pſittacum.

Delectatur aspectu speculi & virginis.

excitando risum. Homines etiam osculari domesticos consueuit, admoto speculo proptia forma deluditur, & nunc gaudenti, nunc dolenti similis efficitur. In aspectu quoq; virgineo multum delectatur, & cum vino inebriatur.

De regulo.

CAP. CXXXVI.

Regulus.

EX *lib. de nat. re.* Regulus qui, & parra quasi auis parua dicitur, multa est in prole, & garritu. Condixerant aliquando aues inter se, sicut fabula refert, vt illa pro rege haberetur, quæ sublimi volatu omnes alias vinceret. Cumque parra sub aquilæ ascella latitante, aquila omnes aues cæteras transcenderet, exiliens parra, insedit aquilæ capiti & inde se esse victricem asseruit. Fertur autem quod eius corpus veru infixum, & seipsum in veru gyrat, etiam post fata quasi regię non immemor nobilitatis.

Nota.

De seleutide ac Stryge, & Strophylo.

CAP. CXXXVII.

Seleutides.

PLin. *lib.* 10. Seleutides aues vocantur, quarum aduentum precibus impetrant incolæ Cassini montis, fruges eorum locustis vastantibus, nec vnde veniant, quove abeant, compertum est, illis nunquam conspectis, nisi cum earum præsidio indigetur. *Auctor.* Idem inferius de seleutide iuxta librum de natura rerum dicetur, ex quo vitium scriptoris ex altera parte esse videtur. *Isidorus.* Stryx est nocturna auis, habens nomen de sono vocis, quando enim clamat stridet. De qua *Lucanus.*

Stryx.

Quid trepidus bubo, quid stryx nocturna quæruntur.

Ama.

Hæc auis vulgo dicitur ama, vel amatrix, ab amando paruulos, vnde & lac fertur præbere nascentibus. *Auctor.* Nota hoc nomen strix æquiuocum esse ad auem illam, de qua dictum est, & ad bestiam herinario similem, de qua dicetur inferius loco suo. *Solinus.* Strophilos est auis paruula, quæ dum escas affectat os crocodili paulatim scalpit, ac sensum scalpurigine blandiente, aditum sibi vsque in fauces eius facit. Quod conspicatus Ichneumon, belluam penetrat, populatisque viscera ex aluo exit.

Strophilos.

De Struthione.

CAP. CXXXVIII.

Struthio.

ISidorus. Struthio Græco nomine dicitur, eo quod animal in similitudinem auis pennas habere videatur. De terra tamen altius non eleuatur. Oua sua fouere negligit, sed proiecta tantummodo fotu puluueris animantur. Vnde Dominus ad *Iob.* Tu forsitan in puluere calefacies ea? hæc à quibusdam asida vocatur. *Physiologus.* Struthio siue asida pennas habet, sed non volat, sicut aues cæteræ, pedes habet similes camelo, & ideo Græcè cameleon dicitur, hæc non ponit oua, donec oriatur stella vergilia nomine, quæ oritur circa mensem Iunium, quando æstas est, tunc eleuans oculos in cælum, & videns eam ascendisse, fodit in terram, & ponit oua sua, & operit ea sabulo, statimq; ascendens obliuiscitur ea. Est enim animal obliuiosum, nec vltra redit ad ea, sed quod eis fotura erat, calore corporis sedens super ea, hoc eis aeris temperies præstare videtur. Nam æstate calefacta arena excoquit oua, vt educat pullos. *Auctor.* Struthio aliquando quidem alas erigit, sed volare nequit, est enim ingens corpore, rara in plumis. Habet autem alas similes herodij & accipitris, ferrum vero comedit. *Aristoteles.* De struthione est opinio, quod non est de genere auium propter diuersitatem suæ creationis, partim enim quadrupedibus assimilatur, partim auibus. Non habet alas, sed figuras alarum, quæ volatui non conueniunt, quia non sunt tenues vt pili, sed sicut quadrupedes: habet palpebras sup eriores, & in eis pilos,

Asida.

Cameleon.

Partim quadrupes partim auis.

habet iterum plumam multam in inferiori parte corporis, & duos pedes vt auis, sed vngulam fissam vt quadrupes. Est enim magni corporis, cum auium corpora necesse sit esse parua, alioquin volare non possunt. Tres habet digitos in vtroque pede propter alas, & propter pondus. Cumq; sit ponderosi corporis, & non boni volatus, multam habet superfluitatem, multumque coit, sicut & gallina, & perdix.

De eodem.

CAP. CXXXIX.

EX *lib. de nat. re.* Struthio est auis penè bestialis generis. Habet enim pennas, sed nunquam eis vtitur in volatu, alas habet tenues, & plumas velut pilos. In eundo alas erigit, adeoque in terra currit, vt equos celeritate præcedat. Habet autem vngulas bisulcas ad comprehendendos lapides, quos emittit in fuga contra insequentes: ferrum comedit, & digerit, quia calidissimæ naturę est, & equum naturaliter odit, & miro modo persequitur. Equus etiam illam in tantum odit ac timet, quod eam videre non audet. Osticulum paruum sub alis habet, quo se in latere pungit, & agitat, quando prouocatur ad iram. In pectore vero magnum os & latum, ad protectionem magni corporis sibi creatum. Porro stoliditas ei tanta est, vt cum frutice collum occultauerit, reliqui corporis latitudinem latere credat. Naturaliter autem calueścit, & ita plumas exuit, vt & nudus ferè remaneat. Sed corium habet fortissimum, quo implumis protegitur ab importunitate frigoris. Corpus habet ferè ad magnitudinem asini, statura mediocris. Oua quoque eius adeo magna sunt, vt ex transuerso secta vasa fiant ad bibendum pro amplitudine sua. *Physiologus.* Struthio solo visu ita fouet oua sua in arena recondita, vt ex eis pulli egrediantur in lucem. Hæc inter aues cæteras duos tantum digitos continet, ad modum vngularum arietis, ita quod de concauitate pedis sui subtus quasi defunda proiicit lapides super hominem. Ferunt etiam oculo vno intueri cælum, & altero terram. *Razi.* Caro struthionis omnibus crassior iudicatur.

Currit velociter.

Stoliditas.

Situs oculorum mirus.

De struthiocamelo, & sturno.

CAP. CXL.

PLin. Struthiocameli Aphrici, vel Æthiopici aues sunt grandissimæ, & penè bestiarum generis, altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritate vincunt, ad hoc demum datis pennis, vt currentem adiuuent, cætero non sunt volucres, nec à terra tolluntur. Vngulæ his ceruinis similes, quibus dimicant bisulcæ, & comprehendendis lapidibus vtiles. Quos in fuga contra insequentes ingerunt pedibus. Coquendi fine delectu deuorata mira natura. Sed non minus stoliditas, in tanta reliqui corporis altitudine cum colla frutice occultauerint latere, se se existimantium: præmia ex his oua propter amplitudinem pro quibusdam habita vasis, conosque bellicos, & galeas ornantes pennæ. *Auctor.* Videtur esse struthiocamelus species struthionis, vel ipsum etiam genus, sic appellari, quia sicut dictum est supra pedes habet similes pedibus cameli. Caluent autem vt dicit Plin. *lib.* 10. struthiocameli. *Ex libr. de nat. rer.* Sturni sunt aues paruæ ad volandum extentæ fusco nitentes colore. Cateruatim volant, & quodam orbe circumaguntur omnibus in medium tendentibus, & hoc propter accipitres qui eis insidiantur. Vespere quidem aggregantur, etiam immensis turbis commurmurant, nocte silent, aurora rubente murmur excitant. Demum vero diuisæ per turmas ad cibum volant. Plin. Est autem, & sturnus ex auibus loquentibus, vnde & cæsares iuuenes habebant sturnum loquentem. *Razi.* Sturnæ, vel sturni caro crassior est quam pulli vel coturnicis. Ventrem stringit, & multum nutrit.

Struthio cameli.

Sturni

Sturnus loquens.

De

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Tarda & tragopa.

CAP. CXLI.

Tarda. I *Sidorus.* Tarda apud nos dicitur, eo quod tardo, & graui volatu detenta, nequaquam vt cęterę volucres, velocitate pennarum attollitur. Gręcè autē grandipes vocatur. *Aui.* Oua auis tardæ, ſecundum quod dicetur, ſunt tinctura bona. Experitur hora quæ præparata ſunt ad illud cum filo lanæ in eis penetrante. *Idem* ſtercus auis tardæ confert impetigini. *Ex lib. de nat. rer.* Tragopa eſt auis in Æthiopia ferruginei coloris, maior quam Aquila. Caput habet vt fœnix, excepto quod in eo cornua habet vt aries. Vnde illud armatum profert aduerſus omnes aues ſibi contrariantes. *Solinus.* Tragopa eſt auis maior Aquilis, cornibus arietinis præferens caput armatum.

Grandipes.

Tragopa.

De Turdela & turdo.

CAP. CXLII.

Turdela. I *Sido.* Turdela quaſi minor turdus dicitur, cuius ſtercore viſcum generari putatur. Turdi autem à tarditate vocati ſunt, hyemis enim confinio ſe referūt.

Turdi. *Ex lib. de nat. re.* Turdi ſunt aues paruæ quidem corpore, ſed prouidentia magnæ. In cacuminibus arborum luto nidos ædificant, & penè contextim, ideſt continuè poſt coitum generant, & mirum quia 10. diebus oua in vtero matureſcunt, & poſt ea pariunt. *Plin. lib.* 10. At abeunt & turdi in vicina. Sed hi plumā non amittunt, nec occultantur niſi ſpe cibi quo hibernum pabulum petunt. Itaq; in Germania hyeme turdi maximè cernuntur. Et ſunt aues trimeſtres ſicut & turtures, his color æſtate circa collum varius, hyeme concolor. In cacuminibus arborum luto nidificantes penè contextim in ſeceſſu generant. Agripina coniunx Claudii Cęſaris turdum habuit (quod nunquam ante) ſermonem hominum imitantem. *Palla.* Turdi nutriendi ſunt in cubiculo, ita quod includantur illæſi ac recenter capti, mixtis aliquibus ante nutritis, quorum ſocietate ad cibos ipſos capiendos pauidam nouæ captiuitatis mæſtitudinem conſolentur. Sit autem locus mundus ac lucidus, & vndiq; læuigatus, in quo tranſuerſæ figantur perticæ, quibus poſſunt poſt incluſum volatum ſedere. Rami quoque virides ſæpe mutentur. Carycæ runſæ mixtis pollinibus præbeantur, myrti etiam, ſi facultas eſt, lentiſci oleaſtri edere ſemina interdum ad excludenda faſtidia, maximeque aqua tribuatur munda. Turdi namque ſi alendo ſaginentur, & voluptatem cibi & reditum maximum præſtant, parcitate beneficium miniſtrante luxuria. *Auicenna.* Turdorum ſtercus comedentium orizam confert panno & morphææ & etiam impetigini.

Turdus loquens.

Locus in quo nutriuntur, qualis eſſe debet.

De Turture.

CAP. CXLIII.

Turtur. I *Sid.* Turtur à voce nominatur, auis pudica, ſemperque in montium iugis & in deſertis commorans, Tecta enim hominum & conuerſationem fugit, & commoratur in ſyluis. Quæ etiam hyeme deplumata in truncis arborum concauis habitare perhibetur, cuius econtrario columba, humana hoſpitia diligit, domorum ſemper blanda habitatrix, *Ambro.* Turtur eſt auis pudica, quæ vbi coniugalis proprij fuerit amiſſione viduata, coniunctionem iterare recuſat, ne iura pudoris, aut complaciti viri fœdera reſoluat, & primus amor eam decipiens plus doloris ex motte, quàm ſuauitatis ex charitate dilecti generat. Diſcite ergo mulieres quanta ſit viduitatis gratia, quæ etiam in auibus prædicatur. Turtur enim neſcit primam fidem irritam facere, quia prima connubii ſorte amiſſa nouit caſtimoniam ſeruare. Hęc auis in nido ſuo folia ſquillę ſuperiacit, ne pullos ſuos lupus incurſet. Nouit enim quod huiuſmodi folia lupi fugere conſueuerūt.

Auis pudica.

Turtur viduitatis præco.

A *Ex lib. de nat. rer.* Turtur ſocium diligit eoque mortuo vel capto, incedens ſolitariè, ſiccis arborum ramis inſidens, gemens ac triſtis, nulli auium eſt infeſta, ſed ad omnium infeſtationes patientiſſima. In locis tutiſſimis & delectabiliſſimis habitat, per totam hyemem in concauis arboribus implumis iacet, verè autem producitur: multæ quidem earum terras calidas hyeme petunt, & multæ remanent, ſi locum habeant ſoli oppoſitum ad quieſcendum aptum. Aliquando ita debiles ſunt naturaliter, vt manu capi poſſint. Oua ſæpe terna pariunt, ſed nūquam pluſquam duos educant, ſimiliter & palumbes. Turtur ouat in vere bis & ſæpe ter. Sed hoc quando vnum par ouorum corruptum fuerit, aut caſu perierit. Solaque auium pullos ſuos de nocte paſcit, huius alæ dextræ ſanguis medicinalis eſt immiſſus oculis.

Ouat in vere bis terve.

B

De Eodem.

CAP. CXLIV.

P *Hiſiologus.* Turtur ſola æſtate pingueſcit, auſtro flante non bene volare poteſt propter ponderoſitatem corporis, quia ventus ille humidus eſt & ponderoſus. Ideoque volando fatigantur ab illo vento, & propter fatigationem nō vociferant, atq; tunc à venatoribus de facili capiuntur. Cumq; mouentur ab auſtro ad Aquilonem non habent rectorem, cum econuerſo habeant. Turtur & columba ſecundum Ariſt. & Plinium hoc habent proprium, quod non erigunt caput quādo potant quouſq; illis ſufficiat. *Ariſt.* Turtur ex fructu viuit ſicut & palumbus, palumbus autem

C ſemper apparet, turtur autē non. Maſculi quidē auiū vniuerſaliter viuunt plus, quàm fœminæ. Maſculi tamen turturum, vt dicitur priusquam fœminę moriuntur, quod ex illis cognitum eſt, qui in domibus creantur. Teſticuli auium tempore coitus magnificantur, & hoc præcipuè apparet in perdicibus & turturibus. Turtur habet vocem ſibi appropriatam, non apparet niſi in æſtate, hyeme namq, manet in nido, vel latet in cauernis arborum, vel ad loca calida ſe transfert. Æſtate vero ad loca frigida. Sæpe quoq; remanent hyeme in locis ſuis, cum habuerint loca in quibus opponantur ſoli: vnico mari in tota vita ſua aſſociatur, eoq; mortuo nullo modo ſecundum admittit. Turtur ſicut palumbus & hirundo bis in anno pullificant, & bina mas & fœmina cubant oua. Coit quidem turtur poſt

D tres menſes, prægnans eſt diebus quatuordecim, & totidem cubat. Viuit autem & cubat, ſicut & columba quindecim annis. *Palla.* Turtures vt alantur breui & prope obſcuro cubiculo claudendi ſunt, quos nutrire facillimum eſt, quia nihil expetunt, niſi vt æſtate qua ſola maximè pingueſcunt, triticum aut milium mulſa maceratum ſemper accipiant, aqua ſanè frequenter eis mundior debet offerri. *Auicenna.* Sanguis turturis calidus diſtillatur ſuper aurem contritam & doloroſam. *Plinius lib.* 19. Turturum ſanguis eximiè prodeſt oculis cruore ſuffuſis, fimus earum albugines extenuat oculorum.

Maſculi turturum prius moriuntur.

Non admittit ſecundū maritum.

De Vanello.

CAP. CXLV.

E *Ex libro de natura rerum.* Vanelli ſunt aues quas Plinius ſymphalides vocat, ſatis pulchræ columbina magnitudine, criſtato capite vt pauo, collo quidem colore viridi ac lucenti, reliqua vero parte corporis varietate diſtincta. Hæc auis cum hominem etiam à longè nido ſuo appropinquare ſenſerit egreſſa, ſtatim cum clamore occurrit. Sicque ſtulta dum hominem à nido ſuo amouere ſe credit, ipſo clamoris indicio nidum prodit, quem progreſſus homo ſpoliare contendit.

Vanelli Symphalides.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Vespertilione.

Cap. CXLVI.

Vespertilio. *Aristot.* Vespertiliones habent pedes sicut aues, & carent cauda, quoniam sunt agrestes. Ipsorũque alæ sunt membranales ideſt corio indistincte, & si caudam habuissent, morum alarum prohiberet, quia non sunt diuisa. Instar murium habent in vtraque parte mandibulæ dentes, & victum sibi de nocte acquirunt, vt bubones. *Ambro.* Vespertilio est animal volatile simul & quadrupes, dentibus etiam vtitur, qui in aliis auibus reperiti non solent. Parit autem vt quadrupedia non oua sed pullos viuentes, crepusculo volare consueuit, volatque in aere non aliquo pennarum, sed membranæ suæ sulta remigio. *Isidorus.* Vespertilio dicitur, eo quod lucem fugiens vespertino crepusculo circumuolet, præcipiti motu acta, animal murium simile non tam voce resonans quam stridore. *Plinius.* Volucrum animal parit vespertilio tantum, cui membrana ceu pennæ. Eadem sola volucrum lacte nutrit. vbera admouens geminos volitat amplexa infantes, secumque portat. Eidem coxendix vna traditur, huic in cibatu culices gratissimi. *Idem in lib.* 11. Volucrum dentes nulli nisi vespertilioni, similiter lac & mammæ. Huius alæ articulos habent. *Idem in libro* 29. Sanguis vespertilionis cum carduo contra serpentum ictus inter præcipua laudatur. Fel eius cum aceto contra murisaranei morsum est remedio. Cor eius contra salpingas valet, quod est genus formicarum venenatarum. *Idem in lib.* 30. Vespertilionis caput aridum adalligatum arcet somnum. Huius quoq; sanguis illitus facit pilos non nasci. Denique iumentorum vrinæ tormina vespertilione adalligato finiuntur. *Ex lib. de nat. rer.* Vespertilio quadrupedia cætera volatu excellit. In partibus Indiæ sunt vespertiliones columbis maiores, habentes quasi hominum dentes, hæ in faciem percutiunt homines, nares eis & aures aliaque membra amputantes. Fertur quod hæc auis strepitum quærit, & sanguis eius depilat. *Gloss. super Deutero.* Vespertilio circa terram volat, & pennis ambulat, immunda est secundum legem *Auicenna.* Vespertilionis lac, vt dicitur est vrina ipsius. In ipso autem est absterſio & vehemens calefactio. Vnguentum vespertilionis prohibet mammillas puellarum à magnitudine. Cerebrum eius cum melle confert principio aquæ descendentis in oculum. Eius cinis acuit visum. Et scarazartait confert vngulæ & albugini.

Vespertilionis etymon.

Vespertilio solus lacte nutrit inter volucres.

Vsus medicinalis.

Vespertiliones Columbis maiores.

De Vlula.

Cap. CXLVII.

Vlula. *Isidorus.* Vlula est auis à planctu & luctu nominata, Cum enim clamat, aut fletum imitatur aut gemitum. Vnde apud augures si lamentetur tristitiam, tacens ostendere fertur prosperitatem. *Auctor.* Vlulæ, vt dicit Glossa super Isaiam, sunt aues magnitudinis coruinæ, maculis respersæ, quæ rostro in palude fixo horrendè stridunt, habentes vocem similem vlulatui luporum, vnde & nomen acceperunt, & vocantur Gallicè buhort. De hac iam superius dictum est, vbi de botaurio & de onocrotalo, quæ nomina sunt eiusdem.

Botaurus. Onocrotalus

De Vpupa.

Cap. CXLVIII.

Vpupa. *Isidorus.* Vpupa est auis spurcissima, cristis extantibus galeata, semper in sepulchris & humano stercore commorans. Vpupa Græcè dicta, eo quod stercora humana consideret, & fœrenti pascatur fimo. Cuius sanguine qui se inunxerit dormitum pergens dæmones suffocantes se videbit. *Plinius lib.* 10. Vpupa vt tradit Æsculus Poeta, formam simulque colorem mutat, aliàs obscœna pastu auis, crista visenda plicatili, contrahens illam subrigensq; per longitudinem capitis. *Glossa super Leuiticum.* Vpupa lugubris est & luctum amans. Vnde & in lege comedi prohibetur, quia sæculi tristitia mortem operatur. *Physiologus.* Vpupæ pulli cum parentes suos senuisse viderint, ita vt neque volare, neque videre possint, vetustissimas parentum plumas euellunt, & oculos eorum liniunt fouentque eos sub alis suis, donec crescant eorum pennæ, & reilluminentur oculi eorum, sicque mutuam vicem parentibus reddunt. *Iorath in lib. de animalibus.* Vpupæ pulli parentes suos fouentes anhelant super oculos ipsorum, vt visum recuperent. *Pythagoras in lib. Romanorum.* Sanguis vpupæ illitus homini dormienti, dæmoniaca gignit fantasmata. Pennæ vero vpupæ positæ super caput hominis sedant soda ideſt dolorem capitis. Huius etiam lingua super illum suspensa, qui multum obliuionem patitur, ei confert. *Ex lib. de nat. re.* Vpupa est auis admodum pulchra, sed immunda, vna tamen voce sicut & cuculus importuna est, hyeme latet, & nuda est, vere producitur, huius parentes senescentes inter pullos iam adultos in nido plumas exuunt, & interim à pullis pascuntur, donec vires plumasque recuperent. Alia quoque videtur eis ineſſe pietas erga parentes suos. Cum enim senio visum perdiderint, pulli notam naturaliter herbam colligunt, & eorum cæcatos oculos inde liniunt, vt visum recuperent. Huius auis cor malefactoribus & incantatoribus valere dicitur. *Plin. lib.* 30. Vpupæ cor lateris doloribus prodest.

Vt videantur dæmones

Penne vpupæ sedant soda.

Pietas vpuparum erga parentes.

De Vulture.

Cap. CXLIX.

Vultur. *Isid.* Vultur à volatu tardo nominatus putatur, magnitudine quippe corporis præpetes volatus non habet, fertur pene vsq; ad centum annos procedere. Vultures autem sicut & Aquilæ etiam vltra maria cadauera sentiunt. Altius quippe volantes, quæ multa montium obscuritate celantur, ex alto illi conspiciũt. *Plin.* Vulturum præualent nigri, nidos nemo attingit, ideo etiam fuere, qui putarẽt illos ex aduerso orbe volare falso. Nidificant enim in excelsissimis rupibus. Vultur acferè omnes grauiores, nisi ex procursu vel altiori tumulo emissæ non euolant. Aquilæ quidem clarius cernunt, sed vultures sagacius odorant. *Ambr.* Vultures dicuntur sine concubitu generare & concipere. Solent etiam mortem hominis quibusdã signis annunciare. Cũ enim lachyrimabile bellũ acies inter se instruunt, multo vultures sequuntur agmine, & eo significant, quod multa hominũ multitudo bello casura sit futura præda vulturibus. *Arist.* Sycati cũ vulture pugnat, & eius ossa frangit. Auis vero, quæ dicitur obrix non apparens de die, quia nõ est acuti visus, venatur de nocte sicut vultur, & pugnat cũ eo fortiter, ita quod pastores multotiens ipsos deprehendunt.

Glo. super Leuiticum. Lex vulturem comedi prohibet, qui bellis & mortibus gaudet. *Ex li. de naturis rer.* Vultur est auis ponderosa, sed ad volandum admodum exerta, quamuis antequam in aerem eleuetur tres saltus faciat. Vnde quandoque agilitate canis intercipitur priusquam ad volandum saltibus consuetis in alta aeris erigatur. Itaque si hominem viderit, libenter in terra graditur ob pondus corporis, vnde & gradipes appellatur, volando cadauer olens respicit, & ad esum illius se deponit, in quo prius oculum petit. Et quoniam indifferenter ad omne cadauer se inclinat, pericula & laqueos venatorum non euitat, ideo facilius capitur. Exercitus autem sequitur vt mortuorum cadaueribus satietur. Vultur cum herodio pugnat, & in ipsum ruit. Sed cum herodius agilis sit, cum impetu ruenti cedit, auisque grauida se retinere non valens semetipsam occidit. *Physiologus.* Sedet autem vultur in altissimo loco, quia retardatur in

Odor vulturum.

Sycati.

Obrix.

Gradipes.

ascensu

aſcenſu à terra aſcendit intantum altiſſimum, vt videat loca remota, Ideoque dicitur, quod ſolus vultur eſt auis Dei, hic etiam maiores aues rapaces vt accipitrem inſequitur, tanquam prædationi ſuæ debitas, minoribus parcens alitibus.

Auis Dei.

De Eodem.

CAP. CL.

Ariſtot. Vultur grauis eſt & mali moris, fameli cus, & clamoſus, venatur in locis à nido remotis valde, & vt videat loca remota valde, aſcendit ad locum altiſſimum, ibiq́ue ſedet, quia difficilis eſt ei eleuatio à terra. Ideoq; dicitur quod ſolus vultur eſt auis Dei. Deprehendit autem lepores, & paruos ceruos, & captas ac vulpes & animalia cætera quæ retinere poteſt. Ea vero quæ venatur, vel cum quibus pugnat, alis percutit atque ſtupefacit, & vnguibus vulnerat. Eſt autem quædam auis, quæ cum videt eum timens deſcendit in aquam, ſeque ſubmergẽs expectat, vt vultur à loco tranſeat. Sed vultur quoniam acuti viſus eſt, videns eam in profundo nec recedit à loco ſuperuolans, donec illa fatigata vel ſuffocata ſuper aquam redeat, & tunc accipit eam viuam ſeu mortuã. Veruntamen quando venatur aliquid & apprehẽdit, non ſubito fert ad nidũ, donec pondus eius tentauerit. Venatur autem vultur à meridie vſque ad noctem & ab ortu ſolis vſque ad tempus illud quieſcit. Eſt autem fortis famis. Cumque fameſcit multum deprehendit.

Tempus venationis vulturis.

De multiplici vulturum genere.

CAP. CLI.

Idem. Vulturum genera ſunt plura, quorum vnus hargor, à quibuſdam dicitur abiachon, & eſt in locis multarum arborum, & quandoque etiam circa ciuitates. Volatque etiam circa montana, & in locis multæ materię cibi propter confidentiam in ea. Aliud eſt genus, quod planoior dicitur Greçè, & eſt minus primo genere. Eiuſq; manſio eſt in mõtanis, & in deſertis. Porro ſecundum Homerum aliud eſt genus quod dicitur Græcè ianachor, nigri coloris quantitate minus aliis, ſed maioris eſt vigoris. Et eſt vultur niger, qui proprie interficit lepores. Iſte ſolus bono nutrimento pullos ſuos nutrit, deinde illos extrahit ipſe quoq; cito venatur. Item aliud genus vulturum, quod eſt malarum alarum, inuenitur, quod à quibuſdam Pigardus dicitur, habet caudam albam, & caput album. Eiusque quantitas quaſi vulturum aliorum medietas. Alas habet valde paruas, mediumque ſui corporis eſt longum, & manet in locis multarum arborum, hic percipiturus dicitur. Habetque ex malitia ſicut cæteræ aues rapere cadauera mortua, ſed nullum habet iuuamentum, coruique nigri & aliæ ſimiliter aues deprehendunt, & eiiciunt ipſum. Eſt autem grauis & mali moris, ſemperque famelicatur, & vociferat. Aliud quoque genus, quod asbaton dicitur, & eſt craſſi colli, ampli pectoris, ac retortuoſum alis. Manetque in maris littoribus, & cum aliquid rapit ſecum fert ad pelagus. Eſt iterum, & aliud genus vulturum, quod Græcè dicitur craſſion, id eſt verum, hoc enim genus tantum eſt verum genus vulturum. Alia vero genera ſunt admixta, vel à coitu vulturum & accipittrum, auiumque maioris corporis generata, & iſte vultur eſt valde magnus ſeſquarto maior omnibus vulturibus. Habet fortem vocem, & citrinum colorem, non autem videtur niſi raro.

Pigardus. *Percipiturus* *Asbaton.*

De Generatione vulturum & educatione.

CAP. CLII.

Plin. Vultures, vt ſupra dictum eſt, nidificant in excelſiſſimis rupibus, fętus quidem ſæpe cernuntur fere bini. Ombricius tamen aurulpicus in noſtro æuo peritiſſimus parere tradit oua 13. vno ex his reliqua oua nidumque luſtrare, mox abiicere. Ex genere oſſifragi vultures minores progenerantur, ex iis vero magni qui omnino non generant. *Phyſiologus.* Vultures quoſdam dicunt concubitu non miſceri, ac ſine copula concipere & generare, natoſque illorum penè vſq; ad centum annos vitam producere. Ambro. autẽ hoc videtur ad omnes extendere. *Ariſt.* Vultur autem, vt dictum eſt, nidificat in locis altiſſimis & multotiens ſuper arbores. Inuidet pullis ſuis cum impinguantur, nec paſcit eos niſi de cibi ſui reliquiis, & illos antequã volare poſſit eiicit. Eſt autem auis alia, quæ proiectos illos cum pullis ſuis nutrit. Vnum par vulturum occupat vnum magnum locum, & ideo ſecum alios nidificare non permittit, eſt autem longæ vitæ, quod ex eo cognoſcitur, quod nidus eius ſemper idem manet. Cũ vero ſeneſcit elõgatur roſtrum eius ſuperius & arcuatur, & in fine fame moritur. *Iorath.* Vulturis pulli dum impinguãtur, pater eorum pinguedinem remouet ab eis percuſſione alarum atque puncturis, ſicque macerantur, ne volatu deficiãt. *Ex li. de nat. rer.* Vultur pullos ſuos quouſque poſſint volare nutrit, ſeque pro eis periculo exponit, etiam fortiorem ſe volentem eos diripere ſuis vnguibus vulnerat, & alis percutit. Poſt hoc eiiciens eos à nido locis in quibus nati ſunt approximare vetat, cibi ſc. æmula, quoniam vnum par vulturũ magnum locum occupat. Nec venatur nido proximis locis, ſed remotiſſimis docente natura pacis amica, ne vicinarum gentium odium contra ſe excitet. Quod ei de cibo ſuperfluit, in nido reponit, vt inde ſe cibet & pullos, quia cibum de facili nõ acquirit. Quod ſi pullos ſuos ocyus impinguari viderit, dolet. Ideoque roſtro eos in pedibus vulnerat, vt macilentos efficiat. Vultur cum adultus fuerit, matremque ſenem & ad volatum debilem viderit eam occidit.

Vultures generantes ſine copula. *Nota.* *Impietas vulturis.*

De medicinis ex vulture.

CAP. CLIII.

Æſculapius. Vulturis pẽnæ combuſtæ fugant ſerpentes à domo. Iecur eius tritum cum ſanguine per 10. dies bibitum, caducos liberat. Sanguis eius cum ſucco marrubij caliginem oculorũ ſanat. Adeps eius dolorem oculorum ſanat, & dolores neruorum euacuat. *Dioſcorides.* Fimus vulturis medicinalis eſt, nam fumigium eius ſecundinas expellit. *Plinius libr.* 20. Penna vulturis ſi ſcalpantur dentes acidum faciũt halitum. Sanguis eius cum herbæ cameleonis albæ radice accedria tritus, herbaque braſica contextus, lepras ſanat: vulturis quoque pulmo combuſtus confert ſanguinem reiicientibus. Iecur vulturis tritum cum ſanguine ſuo ter potum ſeptenis diebus medetur comicialibus. Similiter & cor pulli vulturini adalligatum. Adeps quoque vulturinus cum ventre arefactus & cum adipe ſuillo inueterato tritus, neruorum dolores mitigat. *Idem in libr.* 29. Vulturis etiam fel ex aqua dilutum, albugines ſanat oculorum.

Medicina ex vulture.

De iboz, & ydrio, & iſida, & ixione, & Seleutide.

CAP. CLIV.

EX libro de naturis rerum. Iboz eſt auis viſu debilis, quæ imitatur vocem equi, & quandoque ſuper eum volans, eundem ſtupefacit, ipſumque fugere cogit. *Ariſtotèles.* Iboz, ideo cum equo pugnat, quoniam ipſum à paſcuis eiicit, & herbas comedit. Ideoque ſtupefaciens eum fugere cogit, & fortè interficit. Eſt autem auis pulchri coloris, & vita eius bona, manetque apud fluuios & margines eorum. Ydros eſt animal volatile in Nilo flumine, ſatis inimicum crocodilo. Nam de natura & conſuetudine cũ viderit crocodilum in littore fluminis ore aperto dormiẽtẽ, inuoluit ſe limo quo facilius

Iboz. *Ydros.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſida.

poſſit eius faucibus illabi. Sicque faucibus ſuis irrepens eroſis crocodili viſceribus, tandem inde viuus exilit. *Ex lib. de naturis rerum.* Iſida à ſono vocis dicta eſt. Auis quidem parua, ſed pennarum venuſtate clariſſima, in dorſo colorem habet inter viridem & cæruleum. In pectore vero præfert imaginem carbonum ardentium. Duos tantum habet in pede digitos, vngues aduncos, ſed roſtrum paruum ac directum. Circa aquas aſſidua eſt, piſciculis viuit, terram roſtro cauat, ibiq; nidum congerit, ac fœtus facit. De hac opinatur vulgus, quia ſi pellem cum plumis aui mortuæ detrahas, & parieti infigas omni anno plumas ac ſi eſſet in

Ixion.

corpore commutabit. *Auctor.* Ixion eſt auis immunda ſecundum legem, cuius natura non ſatis eſt nobis nota. Eſt autem, vt legitur, de genere vulturum, ſed mi-

Seleutides.

nor, quàm vultur. *Ex libro de natura rerum.* Seleutidæ ſunt aues, vt dicit Plinius, quarum ſuffragium à Ioue Deo petũt incolæ montis Caſſini, cum à locuſtis fruges illius vaſtantur. Itaque à Deo miſſæ locuſtas depopulantur, & vnde veniant quove abeant ignoratur.

De generatione auium.

CAP. CLV.

Gen. 1.

EX *ſacra Hiſtoria.* Creatis autem ex aqua volatilibus, dixit eis Deus: *Creſcite & multiplicamini ſuper terram.* Quod vtique dicere nihil aliud fuit, quàm virtutem generatiuam ad ſui generis multiplicationem inſerere. *Plinius lib.* 10. Generatio quidem auium ſimplex eſſe videtur, cum & ipſa ſua habeat miracula. Pennatorum infœcunda ſunt genera quæ aduncos vngues habent. Nulla ex his ſuper quaterna parit oua. Tribuit hic auium generi natura, vt fœcundiores eſſent fugaces earum, quam fortes. Plurima pariunt ſtruthio, cameli, gallinæ, perdices ſoli. Quædam omni tempore coeunt, vt gallinæ & pariunt, præterquam duobus menſibus hyemis brumalibus. Ex his iuuencæ plura, quam veteres, ſed minora. Eſt autem tanta fœcunditas, vt aliquæ & ſexagena pariant, aliquæ quotidie, aliquæ bis in die, aliquæ intantum vt effætæ moriantur. Volucrum animal parit veſpertilio tantum, & lacte nutrit vbera admouens. Columbæ pariunt oua bina, palumbus & turtur plurimum terna. Pauo à trimatu parit anno primo vnum vel alterum ouum, ſequenti quaterna vel quina, cæteris duodena. Accipiter parit ferè ſingulos, nunquam plus ternos. Is qui vocatur ægolios quaternos. Coruus aliquando parit & quinos. Melancoryphus ſupra viginti parit, ſemper impari numero inæqualia, nec aliàs in pluribus tanta fœcunditas, maior tamen paruis eſt.

Ariſtot. Auium coitus eſt modis duobus, aut fœmina humi conſidente, vt in gallinis, aut ſtante vt in gruibus. Auium genera coeunt in fine veris ac principio æſtatis, & tunc ponunt oua, & pullos extrahunt. Sed alcyon ſua ponit in principio hyemis, & cubat 14. diebus antequam compleantur, vt dictum eſt ſuperius. Sunt autem quædam aues caſtæ, ſicut illa, quæ non coit, niſi ſemel in tempore. Oſcines præter exceptas faciunt fœtus ante vernum aquinoctium aut poſt autumnale. Ante ſolſtitium quidem dubios, poſtea vitales. Generatio multa non eſt in auibus boni volatus, neque curuorum vnguium, quoniam aues multorum ouorum, multæ ſuperfluitatis ſunt. In auibus autem vncorum vnguium tranſit ſuperfluitas in alas & plumas & vngues, corpuſque earum eſt paruum, ſiccum, acutum, ſed aues ponderoſi & non boni volatus, vt gallina & cubeth, id eſt perdix, & alia ſimilia genera, multam habent ſuperfluitatem, & ob hoc mares multum coeunt, fœminæque multam habent materiam. Columbę vero quaſi mediæ ſunt inter vtrumque genus. Sunt enim boni volatus ſicut vncorum vnguium, & habent corpora velut ponderoſa. Quoniam ergo boni volatus ſunt, de

Oſcines.

A neceſſitate tranſit earum ſuperfluitas in plumas & alas. Quaque earum pauca ſunt, id eſt bina, propter corpulentiam vero ſuam & calorem ventris ouãt multotiens, ſcilicet decies in anno, maximè, quia cibus earum de facili inuenitur. Aues autem vncorum vnguium non niſi difficile cibum acquirunt.

Iterum de fœcundstate earum.

CAP. CLVI.

ITerum aues modicæ quanto magis paueſcunt, tanto plurium ouorum ſunt, quia corpora ſua maioris ſunt humiditatis, & eorum crementum tranſit in ſperma. Alia vero genera magis ſicca ſunt, ideo magis iracunda, quoniam ira fortis non eſt niſi in corporibus multæ ſiccitatis. Gracilitas quoque crurium

Ira fortis in ſiccis.

B in paruis auibus & debilitas conuenit huiuſmodi coitui & ouorum multitudini, ſicut accidit hominibus, quia cibus ad crura tranſiens tranſit eis in ſuperfluitatem ſpermatum. Aues autem vncorum vnguium habent pedes fortes, & crura craſſa propter vitæ ſuę regimen, & non potant. Itaque cum humor naturalis & accidentalis conueniens ſit generationi ſpermatis, Aues huiuſmodi non ouant ad plus, niſi ad quatuor oua. Denique ſicut accidit arboribus, quod quæ multum fructificant cito deſiccantur, quia cibus tranſit in ſemen, ſic & gallinæ quædam quæ multum ouantes, & fortè duo in die, cito moriuntur, quia cibus tranſit in ſperma. Item auium fœminæ non deſiderant coitum, ſicut maſculi, quia matrices earum ſunt ſub pariete prope renes, maſculi vero contracti ſunt interius, & indigent multo coitu

C propter ſpermatis multitudinem. Item aues paruæ, quæ faciunt pullos multos, pullificant incompletos, non enim generant cibum eorum generationi ſufficientem. Ideo ſi oculus pulli hyrundinis, dum paruus eſt extrahatur, iterum creſcet. Gallina & columba coeunt & pullificant toto anno, præterquam in tropicorum menſibus. Turtur poſt tres menſes coit, prægnans eſt diebus 14. & totidem cubat. Pauo pullificat poſt triennium. Sola hyrundo inter volatilia carnes comedentia bis in anno pullificat. Itaque turtur & palumbus & hyrundo bis in anno pullificant & binos. Columba ſæpe, pauo vero ſemel, gallina, & anſer, & anas, & perdix, & faſianus ſimul multos. Aquila vero cæteræque rapaces aues, non niſi duos vel in anno ſemel, aut ſi plures eos proiiciunt. Eſt autem auium vociferatio magis in tempore coitus. Perdix in coitu facit odorem fœtidum. Gallina poſt coitum horripilationes habet. *Auctor.* De luxuria quoque & coitu columbæ & cubeth, id eſt perdicis multa ſuperius dicta ſunt.

Nota.

Aues vociferantur tẽpore coitus.

D

De nidificatione auium.

CAP. CLVII.

ARiſtot. Hyrundo quando vult præparare nidum, miſcet cum palea lutum. Quod ſi lutum non inuenerit intrat aquam & poſtea cinerem, ſuæque domui parietes vt homo facit. Partes duras in fundamento ponit, & domum adeo magnam, vt ſibi ſufficere poſſit, extruit. Aues autem graues non habent nidum, vt aliæ, ſed vadunt ad loca plana, ibique manſionem faciunt ex ſpinis & alia materia, hoc propter accipitrem & vulturem & propter calorem. Quædam autem ex auibus nidificant in cauernis & lapidibus, & kiche auis nidificat ſuper arbo-

Hyrundo.

Kiche.

res ex lana & pilis. Cinnomulgus nidum ſuum facit ex

Cynomulgus

cinnamomo ſphæricè ſuper arbores altas, ad quas nemo poteſt aſcendere. Hachakox, .i. vpupa ſuum nidũ

Vpupa.

facit ex hominis ſtercore. *Plinius vbi ſupra.* Alcyonum

Alcyones.

nidi figura, reliquarum quoque ſolertię nos admonet. Neque enim auium ingenia magis aliqua parte ſunt

admiran-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

admiranda. Hirundines vt ſupra dictum eſt, luto conſtruunt, ſtramento roborãt. Si quando inopia eſt luti, madefactum multa aqua pennis pulueren ſpargunt, Ipſum quoque nidum mollibus plumis floccisque conſtruunt repefaciendis ouis, ſimul ne durus ſit infãtibus pullis. Algonum quoq; nidi admirationem habent. Pilæ figura paululũ eminenti ore per quàm anguſto, grandium ſpongiarum ſimilitudine. In genere vitæ ripariũ eſt, cui nidus ex arido muſco ſic abſoluta

Pici. pila perficitur, vt inueniri non poſſit aditus. Picorum ars ſurculo primis in ramis ſuſpenditur cyathi modo,

Galguli. vt nulla quadrupes poſſit accedere. Galgulos quidem ipſos pedibus dependentes ſomnũ capere confirmãt, quia tutiores ita ſe eſſe ſperant. Iam publicum quidẽ omnium eſt, tabulata ramorum ſuſtinendo nido proinde eligere cameraq; ab imbri aut fronde protegere denſa. In Arabia cinnamolgus cinnami ſurculis nidificat. Plumbatis igitur eos & ſagittis decutiũt indigenę mercis gratia. In ſcythiis auis quædam magnitudine otidis binos parit in pelle leporina ſemper in ramorũ cacuminibus ſuſpenſa. Picæ cum nidum ſuum ab homine videri ſentiunt, alibi oua transferunt. In auibus autem quarum digiti non ſunt accommodati complectendis ac transferendis ouis hæc traditur ſolertia mirabilis. Surculo quippe ſuper oua ſua bina impoſito, ac ferruminato alui glutino, ſubdita ceruice medio æqua vtrimq; libra deportant aliò. Nec his minor ſolertia quæ cunabula in terris faciunt, prohibente cor-

Merops. poris grauitate ſublimia petere. Merops nidificat in ſpecu defoſſa ſex pedum altitudine. Perdices ſic muniunt receptaculum ſpina & frutice, vt contra feras vallantur abundè. Ouis quoque ſtragulum molli puluere contumulant, nec in quo loco peperierint, incubant.

De Generatione ouorum.

CAP. CLVIII.

Volucrum genera bis naſcuntur.

I *Sidorus.* Omnium autem volucrum genera bis naſcuntur. Primum enim oua gignuntur, inde calore materni corporis formantur & animantur. *Plin. li.* 10. Volucrum animal parit veſpertilio tantum, ſolaque pullos lacte nutrit admouens vbera. In terreſtribus autem oua pariunt ſerpentes. *Ariſtoteles.* Quædam animalia generant animalia non diſtincta neque formata, & quod ex his habet ſanguinem facit oua. Cũque generatur animal ex aliqua parte oui, reſiduum erit cibus nati. Oua duos colores habentia, non ſunt penitus rotunda, ſed ex vna parte acuta propter diuerſitatem, quæ ſemper in eis eſt, ex albo in quo eſt principium. Eſtque pars oui acuta inferiori parte durior, quia debet cuſtodire principium, quod eſt in ouo & exit vltimo pars acuta, quia cum matrice eſt continuata. Ex animalibus ouantibus auium genera faciunt oua completa, duræ teſtæ, niſi accidat occaſio propter infirmitatem. Et oua quidem ex ſpermate fiunt, & habent duos colores album & citrinum. Et animalibus quidem quorum natura calidior eſt, diſtincta ſunt iſta duo, & citrinum maius eſt albo & terreſtre. In animalibus autem humidioribus & minoris caloris, album maius eſt & humidius, ſicut accidit habitantibus in locis aquoſis, & quæ abundant arboribus. Tale eſt & genus piſcium, vnde non eſt in eis album ſeparatum propter paruitatem caloris, & multitudinem partis frigidæ terreſtris, ſed eſt quaſi mixtio

Oua venti duos habent colores. ex albo & citrino, & ideo colorem vnum habet. Oua quoque venti duos habent colores. Non eſt cauſa diuerſitatis colorum mas & fœmina, tanquam album ſit ex mare, citrinum ex fœmina. Sed ambo ſunt ex ſuperfluitate fœminæ, & eſt pars calida, pars vero frigida. Cumque fuerit in eis calor multus, ſeparabuntur ibi duo colores. Cum autem modicus non poterit ibi diuidere. Sperma vero maris ſuſtentat tantum. Ideoque prius apparent oua parua alba, poſtea fiunt citrina propter multitudinem mixtionis ſanguinis.

De complemento eorum.

CAP. CLIX.

APud complementum autem exit color, & fit album in circumitu citrini, ſicut humor ebulliens circumquaq;, quoniam album naturaliter calidũ eſt, & in eo calor animæ. Citrinum autem intra, quia terreſtre. Deniq; ſi quis oua multa miſcuerit, & in veſica ponens decoxerit, inueniet citrinum in medio, & albũ continens ipſum. Creſcit autem ouum, ſicut creſcit embryo per receptionem cibi, qui vadit in matricem per vmbilicum. Teſta vero, quæ eſt in circumitu oui, quidem mollis eſt, & poſtea dureſcit, non tamẽ multum, quia ponenti dolorem induceret. Cum vero exit coagulatur. & efficitur dura ſubito, quoniã infrigidatur. Exit autem acuta pars vltimo, quia continuata eſt cum matrice. Et ſecundum hunc modum accidit etiã ſeminibus arborũ, & granis quæ comedũtur: vbi enim eſt aggregatio duarum partium vt fabæ & ſimiliũ, ibi eſt principium in complemento. & ibi principium ſeminis. Igitur exitus ouorũ contrarius eſt exitui animalis, quoniam exitus animalis eſt ſuper caput & principium, ouum autem exit quaſi ſuper pedes. Et cauſa eſt huius continuatio cum principio .i. matrice. Gallinæ quidem & columba cęteræque multi coitus aues plus omnibus faciunt oua, in quibus ſunt duo citrina propter congregationem duorum ſpermatum ex duplici coitu, & in talibus ouis inueniũtur gemelli. Oua quoque quadrupedum ſunt duræ teſtæ, & habent duos colores, & calida ſunt & complentur ex calore terræ & temporis.

Teſta oui fit dura cum exit.

De natura ouorum.

CAP. CLX.

Ouorũ etymon.

I *Sid.* Oua dicta ſunt ab eo, quod ſint vuida, vnde & vua dicitur eo quod intrinſecus humore ſit plena. Nam humidũ eſt, quod exterius humorẽ habet, vuidũ quod interius. Oua autem quædam inani vento concipiuntur, ſed non ſunt generabilia, niſi quæ fuerint maſculino concubitu concepta, & ſeminali ſpiritu penetrata. Ouorum vim tantam eſſe dicunt, vt lignum eo perfuſum non ardeat, ac nec veſtis quidem cõtacta aduratur. Admixta quoq; calce glutinare fertur vitri fragmenta. *Plin. vbi ſup.* Oua quidem aceto macerata in tantum emolliuntur, vt per annulos tranſeant. Seruari ea in lomento, aut hyeme in paleis, æſtate in furfuribus vtiliſſimũ eſt. Sale autem exinaniri creduntur. *Idem in li.* 29. Firmitas putaminis tatna eſt, vt recta, nec vi nec pondere frangatur. Nec niſi parum inflexa rotunditate tota. Et ne quid ouorum gratiæ deſit candidum ex his admixtum viuæ calci glutinat vitri fragmenta, tantaque eſt vis vt lignum ouo perfuſum non ardeat, & ne veſtis quidem aduratur. *Ariſt. in li. de vegetabilibus.* Ouum in aqua dulci mergitur, in ſalſa vero natat. *Idem in li. de animalibus.* Diſpoſitio citrini in ouo eſt, ſicut diſpoſitio matricis aqua exit cibus embryonis, quæ eſt in matrice. Tela extrinſeca eſt ſanguinea. Teſta vero dura non eſt niſi ouorum cuſtodia, propter occaſiones, quæ poſſent eis accidere cum exeũt extra. Citrinum tempore frigoris congelatur, & poſtquam calefactum fuerit humidum efficitur. Album vero nõ congelantur ex frigore, ſed fit magis humidum, & cum aſſatur fit durũ. Porro apud generationem pulli inſpiſſabitur, quia ſuſtentatio pulli eſt ex ipſo. Citrinum autem eſt cibus pulli. Ideoque citrinum & albũ diſtincta ſunt telis propter diuerſitatem naturę. Pulli autem in ouis exeunt ex parte acuta, per quam ſunt oua cum matrice continuata. Vt autem dictum eſt oua auium completa ſunt duræ teſtæ, omniaque habent duos colores, album ſcilicet & citrinum. Oua vero piſcium vnius coloris ſunt, & non ſunt completa, quia recipiunt crementum extra.

Experientia.

Nota.

Citrinum oui.

De

De varietate ouorum.

Cap. CLXI.

Oua cõpleta & incompleta.

Dem. Oua volucrum quædam ſunt dura, quædam mollia ſicut gallinarum. Oua quoque diuerſificantur in colore ſecundum diuerſitatem auiũ, quia quædam ſunt albi coloris, vt columbarum ac perdicum. Quædam citrini, vt prope paludes manentium. Quædam vero ſunt quaſi picta & quædam rubea. Auium etiã exiſtentium circa fluuios oua diuerſantur ab ouis in ſicco manentium, quia citrinum in iſtis eſt magis, quàm duplum ad citrinum auium prope ripas conuerſantium. Item oua diuerſantur in figura, quia quędam ſunt acuta, quædam lata, & prius quidem exit latum, poſt acutum. Diuerſantur quoq; ſecũdum animalium genera, quia quædam faciunt oua completa, ſicut aues & quadrupedia, pluraque ſerpentium genera, quædam vero non completa, ſicut piſces & mollis teſtæ, & malachiæ. Omnia enim oua iſtorum generũ poſtquam ouãtur creſcunt. Siquidem & quadrupedia quædam ouant, vt lacertulus & cenchra, ideſt crocodilus & tortuca. *Plin. vbi ſup.* Itaque non ſolum aues gignunt oua ſed etiam quadrupedes, vt cameleon & lacerta, vipera terreſtrium ſola intra ſe parit oua, vt piſces, vnius coloris & mollia. Ouorum autem alia ſunt candida, vt columbis & perdicibus. Alia pallida vt aquaticis, alia punctis diſtincta, vt meliagridum, alia rubri coloris, vt faſianis cenchridis. Intus autem omne ouum volucrum bicolor. Piſcium vero vnius coloris, in quo nihil candidi. Auium oua ex calore fragilia ſunt. Serpentium ex frigore leuia, piſcium ex liquore mollia. Quæ oblonga ſunt oua gratioris ſaporis eſſe putas. *Horatius Flaccus*, ferminam edunt, quæ rotundiora gignuntur, cætera vero marem.

De operatione ouorum in cibo.

Cap. CLXII.

Gallinæ oua meliora.

Vicenna. Gallinæ recentia, cæteris ouis meliora ſunt, & quod in eis eſt melius eſt vitellus. Meliusque earum artificium eſt, vt non cum aliquo coagulentur. Poſt oua gallinarum ſunt oua auium, quæ curſu eius procedunt. Oua vero anatis & ſimilium, mali humoris ſunt. *Razi. vbi ſup.* Oua elixata & indurata plus nutriunt. Ad digerendum autem duriora *Mollia oua.* ſunt, tardiusque de ſtomacho deſcendunt. Mollia vero velocius, quæ his à quibus ſanguis multus effluxit, ac vires imminutæ ſunt conferunt. *Iſaac in dietis.* Oua hoc ſunt in animalibus volatilibus, quod ſanguis & ſperma ſunt in animalibus ambulantibus: ſicut enim ſanguis & ſperma ſunt materia omnium ambulantium, & nutrimenta, ita oua ſunt materia & nutrimẽta volatilium. Oua enim volatilium maſculis ſuccumbentium hæc duo dicuntur in ſe retinere, ſperma videlicet & nutrimentum. Proinde velociter & multum ſunt nutrientia & confortantia, velociter nutriunt propter ſubſtantię ſubtilitatem ſuique liquoris temperamentum. Corporis ſunt confortatiua, quia quanto plus calor naturalis in eis operatur, tanto magis induratur, ſicut fieri videmus in exterioribus. Quanto enim calor ignis in eis operatur, tanto indurari incipiunt. Nutrimentum multum dant, quia tota ſubſtantia eorum nutrit, membris aſſimilatur pro ſui natura, humanæ naturæ. Maximeque eorum vitella, quia in calore & humiditate ſunt temperata, *Vitella ouorum magis nutriunt.* magis videntur eſſe humanæ ſimilia complexioni. Sed tamen ſi aſſentur ab igne calorem ſuſcipiunt & ſiccitatem, vnde fiunt deſiccatiua, minuſque caloris refrigeratiua. Si vero fuerint cum aqua elixa humiditatem ſumunt. Proinde fiunt minus deſiccatiua, ma- *Albumen.* gisque caloris mitigatiua. Albumen autem eorum aliquantulum frigidum & craſſum, vnde eſt durum ad digerendum. Præterea oua inter ſe quatuor modis diſcrepant. Primus pro animaliũ eſt naturis & eorum ætatibus. Secundus propter longinquitatem tẽporis ouorum in aere manentium. Tertium eſt artificium coctionis eorum. Quartus ſi pluſquam oportet vel minus coquantur.

De operatione ipſorum in medicina.

Cap. CLXIII.

Vicenna. Oua quidem ad æqualitatem tendũt, ſed ipſorum albumẽ ad infrigiditatem, & vitellus ad caliditatem, & ambo humida ſunt, præcipuèq; albumen. Ex his autem fortiora ſunt oua anſeris & ſtruthij. In ipſis eſt ſtipticitas, proprieque in vitello eorum aſſato. Albumen autem ſedat dolores mordificatiuos, propter ſui glutinationem. Coagulata quidem tardioris ſunt digeſtionis & plurimi nutrimenti. Ex his autem meliora ſunt ſorbilia in aqua cocta, Suntque velocioris penetrationis. Ex albumine oui factum epithema prohibet ac remouet corruptionem coloris à Sole: vitellus aſſatus ac tritus eſt epithema vtile panno ac nigredini. Oua autem auis tardæ, ſecundum quod dicitur, bona ſunt tincturæ nigræ, & experitur hora qua præparata ſunt ad illud cum filo lanæ penetrante in eis, & dimittitur donec conſideretur an nigreſcat. Itẽ oua ponuntur in emplaſtris apoſtematum & in clyſteribus, propter vlcera apoſtemata. Liniuntur quoque cum oleo ſuper eriſipilam. Cõferunt etiam aduſtioni ignis & aquę. Leniunt neruos, & conferunt omnibus doloribus iuncturarum & corizæ, aſperitati quoque pectoris & gutturis. Oua ſorbilia tuſſi conferunt & pleureſi, & hecticæ, raucedini vocis ex caliditate, & ſtricturæ anhelitus, ac ſputo ſanguinis, propriè cum ſorbetur vitellus tepidus. Oua cocta in aceto prohibent fluxum ventris, ac dyſſenteriam. Aſperitatem quoque meri ac ſtomachi, & effuſionem materierum ad ſtomachum & inteſtina. Et eorum vitellus confert vlceribus renum ac veſicæ præcipueque ſi ſorbeatur crudus. Oua aſſata ſuper cinerem ſine fumo conferunt ſolutioni ventris ac dyſſenteriæ, ſi comedantur cum aliquibus ſtipticis & aqua agreſti. Conferunt etiam aſperitati inteſtinorum ac veſicæ. Albumen oui ſedat dolorem oculi. Vitellus autem cum croco & oleo roſato valde confert eius percuſſioni. Et cum thure linitur ſuper frontem propter oculi fluxus. Albumen iterum ſi ſorbetur crudum confert fluxui ſanguinis & mictui ſanguinis. Oua omnia præſertim paſſerum augmentum faciunt in coitu. *Hali.* ouum album frigidum humidum prodeſt opthalmię calidæ ſi oculo inſtilletur, & etiam tuſſi, quæ eſt ex humorum acumine, aſperitati quoque gutturis ſi ſorbeatur totum ſorbile, & ignis aduſtioni, ſi ſuper locum frangatur. Cortices ouorum ſi abluti diligenter terantur, & eis oculus fricetur, in quo ſunt puſtulæ vel vlcera, elimant albedinem ex eo.

Medicinalia ouorum.

De Eodem.

Cap. CLXIV.

Plinius lib. 29. Oua cum lanis imponuntur fronti cõtra epiphoras. Nec opus eſt aliud, quàm ex ouo candidum infundi ac pollinem thuris. Oua quoque per ſe infuſo candido oculis epiphoras cohibent, vrentesque refrigerant. Infantibus autem contra lippitudines admixto recenti butyro, vix aliud remedium eſt. Eadem cum oleo trita ignes ſacros leniunt folijs betæ ſuperligatis. Ouorum candido in oculis etiam pili reclinantur hamoniaco trito, & mixto. Et vari in facie cum pineis nucleis ac melle modico admixto. Ipſæque facies illitæ non vruntur. Ambuſta aquis ſi ouo ſtatim occupentur, puſtulas non ſentiunt. At quidam admiſcent farinam ordea ceam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Contra vlcera ex ambuſto.

& parum ſalis. Vlceribus autē ex ambuſto cum ouorum cādido toſtum ordeum & ſuillo adipe mirè prodeſt. Eadem curatione ad ſedis vitia vtuntur. Infantibus etiam ſi quid ibi procidat. Ad pedum rimas ouorum candido decocto cum ceruſæ duorum denariorum pondere, pari ſpumæ argēti, exiguo deinde vino, Ad ignem ſacrum candido ouorum trito cum amilo. Aiunt & vulnera candido glutinari. Calculoſq; pelli lutea ouorum cocta vt indureſcāt admixto croco modice. Item melle ex lacte mulieris illita dolores oculorum mitigant. Vel cum roſaceo & mulſo lana oculis impoſita, vel cum trito apij ſemine ac polenta in mulſo illita luteum oui deuoratum liquidum, ita vt non attingatur dentibus, prodeſt tuſſientibus. Thoracis diſtillationibus, & faucium ſcabritiæ, Priuatim contra hæmorrhoidum morſum illinitur, crudum quoque ſorbetur oui luteum, & prodeſt renibus, veſicæ, roſionibus, exulcerationibus, cruentaque excreantibus. Quinque ouorum lutea in vini hemina ſorbentur. Dyſſentericis cum iure ſui putaminis & ſucco papaueris, aut vino dantur. Cęliacis vero cum vuæpaſſæ pinguis pari pondere & malicorio per triduum æquis portionibus. Et alio modo lutea ouorum trita lardi veteris & melle quadrantibus. Vini veteris cyathis tribus trita ad craſſitudinem mellis, & cum opus ſit auellanæ nucis magnitudine ex aqua pota. Item ex oleo fricta terna toris ouis pridie maceratis in aceto. Sic & illinita lienicis. Sanguinem autem reiicientibus cùm tribus cyathis mixti vruntur eiuſdem ad liuentia ſi veruſtiora ſint cum bulbis ac melle. Siſtunt & menſes mulierum oua cocta, & è vino pota, Inflationes quoque vuluæ cruda cum oleo, vel vino illita. Vtilia ſunt etiam ceruicis doloribus cum anſerino adipe & roſaceo. Sedis etiam vitiis durata igni, vt calore quoque prōſint, & condilomatis cum roſaceo. Item ambuſtis durata in aqua mox in pruna putaminibus exuſtis cum luteo ex roſaceo illiniuntur.

Luteum oui crudum quibus prodeſt.

Fiunt & tota lutea, quæ vocant ſitiſta cum triduo incubata tolluntur. Stomachum diſſolutum confirmant pulli ouorum cum gallæ dimidio, ita vt ne ante duas horas alius cibus ſumatur. Dant & dyſſentericis pullos in ipſo ouo decoctos admixta vini auſteri hemina, & pari modo olei polentæque. Membrana putamini detracta, ſiue crudo, ſiue cocto, labiorum fiſſuris medetur. Putaminis quoque cinis in vino potus ſanguinis eruptionibus. Ac comburi ſine membrana oportet, ſic fit & dentifricium. Idem cinis & mulierum mēſes ſiſtit cum myrra illitus. Oua quoque tota adiuuant partum cum ruta, & aneto & cymino pota è vino. Scabiem corporum, & pruritum, oleo ac cedria mixtis tollunt. Vlcera quoque humida in capite ciclamino admixta. Ad putis & ſanguinis excreationes ouum crudum cum porri ſectiui ſucco parique mēſura mellis Græci calefactum hauritur. Dantur & tuſſientibus cocta, & trita cum melle, & cruda cum paſſo eleiſque pari modo. Infunduntur & virilitatis vitiis ſingula cum ternis paſſi amilique ſemiuncia à balneis. Aduerſus actus ſerpentium cocta tritaque adiecto naſturtio illiniuntur, faucium tumorem cum tranſmeant calefactu fouent, ſolaque in cibo alunt, nec onerant, & ſimul vini vſum ac cibi habent. Maceratorum in aceto molliri putamen diximus, talibus cum farina in panem ſubactis, cæliaci recreantur. Quidam ita reſoluta in patinis torrerevtilius putant, quo genere non aluos tantum, ſed & menſes fœminarum ſiſtunt. Aut ſi maior ſit impetus cruda cum farina ex aqua hauriuntur, & per ſe lutea ex his decocta rurſum in aceto donec indureſcant, iterumque contrito pipere torreantur ad cohibendas aluos. Fit & dyſſentericis remedium ſingulare ouo effuſo in fictili vaſe nouo, eiuſdemque oui menſura, vt paria ſint omnia melle mixto mox aceto. Item oleo confuſis crebroque permixtis quo fuerint ea excellentiora, hoc præſentaneum remedium erit. Alij eadem menſura pro oleo, & aceto, reſinam adiiciunt rubentem, vinumque & alio modo temperant, olei tantum menſura pari pineique corticis duabus ſexageſimis denariorum, Vua eius quod rhum diximus mellis obolis quinque ſimul decoctis, ita vt cibus alius poſt quatuor horas ſumatur. Torminibus quoque multis medentur oua bina cum alis piſcis quatuor ſimul terendo, & hemina vini calefaciendo, ſicque potando.

Contra ſcabiem.

Contra torminа.

De Ouis venti.

CAP. CLXV.

Ariſtot. vbi ſupr. Fit autem in auibus quandoque conceptio per ſe, & faciunt oua venti. Sed hoc non accidit, niſi in auibus multæ generationis, vt in gallinis, & perdicibus. Non autem in auibus boni volatus, neque in auibus curuorum vnguium. Aues quę ouant ex vento, recipiunt ventum in vere. Nec ſunt oua venti, niſi propter materiam ſpermentalem, quæ eſt in fœminis, & ſunt imperfecta, quoniam indigent ſemine maris. Oua quoque venti, ſicut & cætera duos habent colores, & plura ſunt ouis conueniētibus generationi, ſed minora, quia non ſunt completa. Minoris etiam delectationis ſunt, quando comeduntur propter multitudinem ſuam, quia quod digeſtum eſt in omnibus rebus dulcius eſt, & delectabilius, ſic etiā oua piſcium non complentur ſine maribus. Dicūt autem aues non ouare priuſquam ſemel coeant. Si vero ſemel coierint, ſemper erunt in eis oua, ſed parua valde. Propter hoc dixerūt quidam, quod oua venti ſint ex reſiduo coitus. Sed hoc falſum eſt. Vidimus enim pullos gallinæ, & aucas paruas, quibus erant oua ſine coitu. Fœminæ quoque cubeth, ideſt perdicum ſiue coeant, ſiue non olfaciendo mares, vel audiendo voces eorum implentur ouis. Columba quoq; fœmina ſaltat ſuper fęminam, & ſi non fuerit mas, inuicem oſculantur, atque ex illo coitu faciunt oua, ſed non pullificant. Sine ſemine namque maris oua conceptui non conueniunt. Oua itaque venti ſunt in gallinis, columbis, perdicibus, pauonibus, & etiam anſeribus. Nec alterantur ſub eis, ſed qualia ſunt talia manent. *Plinius lib.* 10. Irrita oua, quæ hypenemia diximus, aut quæ mutua fœminæ inter ſe libidinis imaginatione concipiunt, aut puluere, non columbæ tantum, ſed & gallinæ, perdices, pauones, anſeres, chenalopeces. Sunt autem ſterilia, & minora, & minus iucundi ſaporis, & magis humida. Quidam etiam vento putant ea generari, vnde etiam zephyri appellantur. Hæc autem fiunt tantummodo vere. Vrina fiunt in cubatione derelicta, quæ alij cynoſura dixere.

Oua ex vēto quando fiunt.

Digeſtum dulcius.

Oua parua non ſunt ex reſiduo coitus.

De incubatione ouorum.

CAP. CLXVI.

Idem in eodem. Oua incubari intra decem dies edita vtiliſſimum eſt. Vetera, aut recentiora infęcunda ſunt. Subiici impari numero debent. Quarto die poſtquam cœpere incubari, ſi contra lumen cacumine ouorum apprehenſo, ſcilicet manu, purus, & vniuſmodi perluceat color, ſterilia exiſtimantur eſſe, proque eis alia ſubſtituenda fore. Sed in aqua experimentum eſt. Inane enim fluitat. Itaque ſilentia, ideſt plena ſubiici volunt. Concuti vero experimento vetant, quoniam nō gignant confuſis vitalibus venis. In cubationi datur initium poſt nouam Lunam, quia prius inchoata non proueniant. In palumbis incubat fœmina poſt meridiem in matutinum, reliquo vero tempore maſculus. Anſeres in aqua coeūt & incubant fœminæ, tantum tricenis diebus, 25. ſi tepidiores ſint. Aliena oua non excludunt. Coruus incubat aliquando diebus quinis & totidem parit. Serpentes etiam excepta vipera oua contexta

Oua quæ incubare decet.

Initium incubationis poſt nouam Lunam.

in

in terra cubant, & anno ſequenti fœtum excludunt. Crocodili vicibus incubant mas & fœmina. Cornicem incubantem mas paſcit. *Ariſtoteles.* Auium quædam fœminæ ſolæ cubant, & mas prouidet eis cibum. Aliæ partiuntur tempus cubandi, Aliæ quoque ipſa ðua, & alia quidem cubat mas, alia vero fęmina. Turtures vero mas, & fœmina cubant oua. Columbę quoquo cubant ea, mas per diem fœminæ per noctem. Pauo cum fœmina coit, etiam ſuper oua cubãte. Cubeth autem auis luxurioſa, ſi inuenerit oua fœminæ ſuæ frangit ea, ne fœmina ſolicita ſit circa illa. Ipſa tamen cubeth, ideſt perdix duas acies aliquando facit ex ouis & fœmina cubat vnam, mas aliam. Cumque teſtæ fiſſæ fuerint, vterque circa pullos ſuos ſollicitus erit. Gallina ſi non incubauerit ſuper oua ſua, infirmantur, & corrumpuntur. Quandoque vero in ſterquilinio, vel in terra calida, vel etiam ſub puluinari, vel in ſinu complentur ad pullificandum, quaſi gallina incubante. Eſt auis, quæ non cubat oua ſua, ſed inuoluit ea cotio vulpis, vel leporis donec frangantur. Oua, quæ gallina cubat in æſtate finduntur in 18. diebus, hyeme vero in 25. Aquila, & anſer, & cæteræ aues magnæ cubant. 30. diebus. Mediocres 20. vt miluus, & accipiter. Oua quadrupedum calida ſunt, & complentur ex calore terræ, quia ſuper terram ouant, & ex calore temporis propter fortitudinem ſuam. Ideoque ſedens ſuper ea facit hoc, non propter incubationem, vt aues, ſed propter cuſtodiam. Oua autem auium propter debilitatem ſuam indigent calefactione.

Perdix oua frangit fœmina.

Die 18 finduntur oua gallina in æſtate.

De corruptione eorum.

CAP. CLXVII.

AVes vncorum vnguium, paucorum (vt dictum eſt) ſunt ouorum, & multotiens inuenitur vnũ corruptum, quia modus iſte eſt auium calidæ naturæ. Denique oua prima quarundam auium bisoutamiũ corrumpuntur propter hyemem, & oua poſteriora complentur, pullosque faciunt, vt hyrundinum. Gallina quoque (ſicut iam dictum eſt) ſi non incubauerit ſuper oua, infirmantur & corrumpuntur. Tonitrus autem in hora cubationis ſuperueniens oua corrumpit, in tempore quoque calido corrumpuntur, ſicut & vinum turbatur. Quod accidit in ambobus propter partes ſuas terreſtres. In ouis ſc. propter citrinum, in vino propter fæcem, quæ cum eo miſcetur. Rectè autem accidit hoc auibus ouantibus oua multa, quia non eſt facile in omnibus calor ſufficiens. Accidit autem auibus vncorum vnguium, quoniam ouãt ouum vnum aut duo, & multotiens vnum corruptum. Natura namque citrini multum calida eſt in iſtis, & quaſi contraria naturæ albuminis, & vadit ad humiditatem, quæ eſt in ipſo albumine quaſi ebulliret. *Plinius libr.* 10. Si incubatu tonuerit, oua pereunt, & accipitris audita voce vitiantur. Remedium vero contra tonitruũ eſt, clauus ferreus ſub ſtramine ouorum poſitus, aut terra ex aratro. Præterea concuti ea experimento vetant, quia non gignant, confuſis intra vitalibus venis.

Tonitru oua corrumpit aliquando.

Remedium contra tonitru.

De complemento pullorum in ouis.

CAP. CLXVIII.

Auguſt. ſuper Gene. Sicut autem ſuperius iam dictum eſt, cum oua fouentur ab alitibus ſuper ea incubantibus, calor ille materni corporis etiam in formandis pullis adminiculatur, per quendam in ſuo genere dilectionis affectum. *Ariſtot.* Oua quando ponuntur in terra, calefiunt & complentur per ſe, ſicut in Ægypto, quia ibi terram aperiunt, & ea ponunt in ſtercora. Sæpe quoque ponuntur oua in valis calidis, & ſic extrahuntur pulli ab eis. Ex ouis quidem generatio pullorum diuerſatur ſecundum tempus generaque auium, in gallinis enim poſtquam cubauerint, per tres dies apparent ſigna pulli, & in maioribus quidem hoc fit poſt multos dies in minoribus poſt pauciores. In hoc tempore citrinum aſcendit verſus acutum, ad locum illum à quo incipit fiſſura, apparetque in albo ſimile guttæ ſanguinis, quod eſt cor, & mouetur ſecundum motum animati. Cum autẽ tranſierunt 10. dies generationis pulli, complebitur pullus, & erunt manifeſtæ omnes partes eius. Habetque caput maius toto corpore, oculi tamen non vident illo tempore, in die 20. quaſi fiſtulat pullus, & ſi moueretur ouum, ille moueretur. Cumque ante decem dies frãgitur ouum, inuenitur caput eius ſupra crus dextrum, ante hoc tempus eſt quaſi dormiens, & eius oculi tremulant nec vociferatur, & in eius oculis & corde inuenitur ampulla, & quaſi anhelans. Multaque gallinarum, & columbarum aliarumque auium oua etiam coitus pullos non faciunt. *Plin. lib.* 10. omnibus ouis medio vitelli ineſt parua velut ſanguinea gutta, quod cor auium exiſtimant. Primum in omni corpore id gigni opinantes. Omnibus autem intus caput eſt maius toto corpore, oculi compreſſi capite maiores, in creſcente pullo, candor in medium vertitur luteum circumfunditur, viceſimo die ſi moueatur ouũ. Iamque viuentis intra putamen vox auditur. Ab eodem tempore plumeſcit, ita poſitus, vt caput ſupra dextrũ pedem habeat. Dextram vero alam ſupra caput, vitellus paulatim deficit. Aues omnes in pedes naſcuntur, contra quam reliqua animalia.

Pullus completur poſt 16. dies.

Cor primo generatur.

De nutrimento pullorum.

CAP. CLXIX.

Ariſtoteles. Sic ergo ex ouis auium generatio fit, cum fœmina ſuper ea ſederit, eaque calefecerit, quoniam ex vna parte oui animal exit, & reſidua crementum recipit: quoniam ſiquidem auium creatio non poteſt interius compleri, poſuit natura cibum pulli in ouo citrinum, ſcilicet quemadmodum in animali lac in mammilla. Principium enim generationis pulli eſt ex albo oui, quia principium animæ eſt ex calido, cibus autem eſt ex citrino, ideſt vitello. Album enim naturaliter eſt humidum, & in eo eſt calor animæ. Et citrinum quidem congelatur, album vero nõ. Et primum quidem quod generatur ex membris eſt cor, & vena magna, ex qua fit ramificatio in duos vmbilicos, quorum alter procedit ad telam continentem citrinum, alter ad telam continentem alas, & eſt ſub tela teſtæ. Per vnum ergo accipit pullus cibum, ex citrino, ſcilicet alter autem extenditur & peruenit vſque ad telam continentem pullum, & aſſimilatur ſecundinæ. Tela quidem extrinſeca ſanguinea, quoniã eius diſpoſitio eſt, ſicut diſpoſitio matricis, & in circumitu citrini eſt ſecundina teſta oui, & aſſimilatur telæ continenti matricem, quaſi coopertorium, quia cooperit embryonem & matricem.

De Exclúſione pullorum.

CAP. CLXX.

CVm autem creuerit pullus, diminuetur vmbilicus, quia debet animal illinc exire. Reſiduum vero citrini, & vmbilici quod peruenit ad citrinum, exit vltimo, quia natus ſtatim debet habere cibum. Eritq; citrinum adhuc intra cum vmbilico, ideo quia non poteſt habere cibum ex matre, nec poteſt cibum ſtatim acquirere. Complentur autem cito pulli in diebus calidis, quia tunc tempus calidum adiuuat digeſtionem creationis. Cum autem (vt dictum eſt) ante dies decem frangitur ouum, inuenitur eius caput ſupra crus dextrum. Oua longa acuti capitis producunt mares, rotunda, & obtuſa fœminas, & ex ouis quidem duorum citrinorum, quæ ex duobus ſpermatibus proueniunt, ſi fuerit tela diuidens inter ſperma

Calor formatiuus eſt cum affectu dilectionis.

primi

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

primi coitus, & ſperma ſecundi pulli gemelli procreantur. Si vero continua fuerit, erit pullus monſtruoſus. *Pulli cur ita dicuntur?* *Iſidor.* Pulli dicuntur omnes auium fœtus recèntèr nati, *eo quòd polluti ſint*, vnde etiam veſtis nigra pulla dicitur. *Plinius libr.* 10. Aues autem omnes in pedes naſcuntur contra, quàm reliqua animalia. Traditur tamen noctuã, bubonem, picum, arbores cauantem, trogonem, cornicem à cauda de ouo exire, quia pondere capitum perueršа oua poſteriorem partem corporum fouenda matri applicent. *Idem.* Pulli celerius excluduntur calidis diebus. Ideóque æſtate fœtus educitur vndeuiceſimo, hyeme vero 25. Hyrundini cæci primo pulli, & omnibus ferè quibus numeroſior eſt fœtus.

De Educatione pullorum, & carnibus eorum.

CAPVT CLXXI.

QVod autem ex animalibus eſt intelligentius, magis habet ſolicitudinem circa filios. Itaque poſt complementum remanet inter parentes & filios amicitia, ſicut accidit in hominibus, & quadrupedibus. Non eſt conſuetudo, vt mares ſoliciti ſint circa filios, ſed *fœminæ magis*. Columba tamen cum pullificauerit, ſtatim mas regit pullos. Et ſi fœmina tardet ad illos redire, percutit eam mas, & ad nidum redire cogit. Aquila vero proijcit ouum, vel pullum, ſi plus quàm duo euenerint, ſimiliter & coruus, ſed eſt auis quę pullum Aquilę proiectum nutrit, & eſt, quæ pullum coruorum. Item Aquila, & omnes aues vncorum vnguium ſtatim, vt vident pullos ſuos poſſe volare, percutiunt eos alis, & eijciunt à nido, præter haum ideſt cornicem, quæ cogitat de pullis, etiam poſtquam volant. Aues quoque grauis volatus eijciunt pullos ſuos, quoniam graue eſt eis adducere cibum. Eſt auis, quæ cogit pullos ſuos, Solem aſpicere, & cuius oculus primum lachrymatur, interficit ipſum, & inde cibat cæteros. Vultur quoniam auis famelica eſt, inuidet pullis ſuis cum impinguantur, nec paſcit eos, niſi de cibi ſui reliquijs, ipſos quoque eijcit antequam volare poſſint. Sed eſt auis, quæ proiectos illos nutrit cum pullis ſuis. *Iſaac in dietis lib.* 1. Pulli ſunt leuioris digeſtionis cæteris volatilibus domeſticis, & laudabilem ſanguinem generant, appetitus confortatiui, & omnibus naturis conuenientes. *Auctor.* Columbini pulli cuius naturæ ſint dictum eſt ſupra vbi de columba. Hæc de auibus dicta ſufficiant. *Fœmina magis ſolli-cita erga filios.*

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

De Generatione piſcium.

CAPVT I.

EADEM die creati ſunt piſces, qua & volucres, videlicet die quinto, & ex eadem materia, quoniam ex aqua. Ideo enim ſub eadem die factus eſt ornatus aeris, & aquæ, quoniam hęc duo elementa tenent naturam mediam luminoſi corporis, ideſt cœli, vel ignis, & opaci, ſcilicet terræ. Vndè & in hoc conueniunt, quod vtrumque luminis & obſcuritatis eſt receptibile, vtrumq; rarefactibile, & condenſibile, vtrumque in alterum de facili conuertibile. Sicut ergo aer ornatus eſt ſuis animalibus, ideſt volatilibus, quę poſſunt ex eo reſpirare propter craſſitudinem humoris, & quorum corpora poſſit ſuſtinere, ſic & aqua ſuis, ideſt natatilibus, quæ pinnulis ſuis nituntur aquæ natando, ſicut aues pennis ſuis aeri volando. Et quoniam aer iſte inferior ratione humoris tenuis quo contextus eſt, humidæ naturæ deputatur, ideſt aquæ: ideo dicitur aqua *commune productiuum* vtrorúmque, vbi legitur. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, Iſidor.* Ideo autem, quæ in aquis natant reptilia dicuntur, quód reptandi ſpeciem habent, vel naturam. Quædam verò genera piſcium, ideo amphibia dicuntur, quia ambulandi in terris vſum, & natandi in aquis officium habent. Amphibon enim Græcè vtrumque dicitur. Nam in aquis, & in terris viuunt, vt potè crocodili, hippotami, id eſt equi fluuiales. Cætera verò piſcium genera viuere ſine aqua nõ queunt, quia emergendi ſpiritus & reſpirandi naturalis eis non ſuppetit, ſicut hominibus qui huiuſmodi aeris ſpiramine vtuntur. Quod enim nobis eſt ſpiritus, illis eſt aqua, quæ viuendi miniſtrat ſubſtantiam. *Cur aqua cõmune productiuum volucrum & natatilium.*

De corporibus, & membris eorum.

CAPVT II.

Ariſtoteles in libro de animalibus. Piſcium genus imperfectum eſt in membris exterioribus, quia non habet alas, nec pedes, nec manus, & corpus eius continuum eſt cum capite & cauda. Omnes quidem modi piſcium habent caput anterius, & poſterius caudas non ſeparatas. *Nullum vero genus piſcium habet collum, aut virgam, ſiue teſticulos, aut mammillas, præter delphinum.* *Nota de Delphino.* Nec vias coitus habent manifeſtas, nec inſtrumentum manifeſtum ſenſus, præter oculos. Carent enim auribus, & naribus, ſed habent vias tantum auditus & odoratus. Nec habent palpebras piloſas, quia palpebræ ipſorum duri corij ſunt. Oculi piſcium duri ſunt propter craſſitudinem aquæ. Non habent palpebras, quia nec habēt aliud prohibens, ſicut animalia quæ habitant in aere, habent quaſi prohibentia infinita. Habent autem linguam, ſed non diuiſam, quæ ſenſus humiditatum eſt in animalia aquoſo paruo tempore. Cibúſque feſtinè tranſit in ventrem, quia non poteſt in ore diu manere, extraheretur enim humiditate per aquam. Et ſi quis non declinauerit os ad vnam partem, non apparebit lingua. Eadem etiam cauſa dentes omnium piſcium acuti ſunt, præter eſcarum, quia ſcilicet propter humiditatem cibum in ore diu tenere non poſſunt. Omne quoque os quo indigetur ad vigorem, eſt multæ fiſſuræ, ſicut animalium acutorum dentium, & piſcium. In qtibuſdam animalibus inuenitur *fel ſuper hepar*, & quibuſdam ab inteſtino pendet, quia natura fellis eſt ex natura ventris inferioris, & manifeſtatur prope in piſcibus, quia piſces omnes habent fel. *Fel.* Et omne animal oculos habet, præter marina, corium durum in modum teſtæ habentia. Omniaque animalia marina pedes habentia, multos habent pedes, quædam animalia marina non habent auriculas, vt delphin & calane. Quædam habent aures diſcoopertas, vt cheleti, & halan. Ea quippe, quæ magni corporis ſunt, habent aures manifeſtas, & ſunt boni auditus. Item animalia magna, quæ ſunt in mari, vt delphinus & balæna, habent mammillas, & lac. *Diuerſitas inter piſces.* Animalia vero ouantia, vt piſces, non habent illa. Item quidam habent orificium in oppoſito, quidam in anteriori, quidam in dorſo, ſicut delphini. Et illi quidem qui comedunt carnem, habēt orificia bonæ operationis. Qui vero non comedunt, habent orificium paruum paucæ operationis. Omnia quidem aquoſa, quæ habent os & caput inferius, & paſtum ex parte inferiori, habent exitum ſuperfluitatis ſuperius in dorſo, vt ericius marinus. In piſcibus ouantibus natura creauit ſpinam. Quædam etiam genera hoc proprium habent, quod ſpinæ graciles ſunt in carnibus oſſium eorum. Item genera piſcium carent voce, quia carent pulmone. Præterea quidam habent corium corticibus plenum, & quidam aſperū. Nullum autem iſtorum generum habet teſticulos, nec extra, nec intra, ſicut nec animal carens pedibus, Delphini quidem & ſimilia, quæ magni corporis ſunt, non habent branchias, ſed cannam, quia pulmonem habent, & canalem, vt dicetur infra.

De dentibus, & linguis piſcium.

CAPVT III.

DEntes (vt dictum eſt) omnium piſcium acuti ſunt, vt ſerra, prēter vnum genus, ſcilicet eſcarum, & in pluribus quidem linguis, & palatis piſcium dentes ſunt, quia piſces aquam cum cibo recipiunt. Quapropter ſubito cibus vadit ad ventrem, nec diu manere poteſt in orificijs eorum. *Cur piſcium dentes acuti?* Ideóque, *ne intret aqua ventres eorum*, & impleat illos, propter hoc omnium eorum *acuti ſunt dentes, vt cito cibum* abſcindant, & in locis diuerſis ferāt, quia cum multitudine dentium fit abſciſio cibi citius in partes paruas, & hoc erit loco mollificationis.

A Dentes quoque piſcium incuruati ſunt, quia vigor illorum eſt in eis. Itaque piſcium genus habent dentes, præter quoſdam paruos, vt quod Græcè dicitur eſcaram. Ideóque dicitur, quod iſte ſolus ruminat, hac videlicet cauſa, quoniam animal dentes habens in vtraque mandibula, non ruminat. Et omnes quidem piſciū dentes acuti, vt poſſint abſcindere cibum ac diuidere, quamuis abſciſio illa ſit mala, & incompleta, quia non poteſt cibus in ore ſuo manere longo tēpore. Ideóque piſces molares non habent, & ſi haberent ociоſi eſſent. Quædā genera duos habentia culmos aperiunt, & claudunt eos, vt pecten, & mooz. Piſces (vt dictum eſt) habent linguam, ſed non diuiſam, & habent in parte membrū ſimile linguæ ad vſum ſenſus cibi. At in piſce non apparet lingua, niſi multa inſpectione, quia guloſi B ſunt valde. In pluribus autem eſt palatum carnoſum, & quidam ſtomacho carent omnino. Quidam vero ſtomachum habent paruum propter decoctionis cibi iuuamentum. Quidam etiam piſces non habent ventres carnoſos ſicut ventres auium. Et quidami in ventribus habent partes prominentes, in quibus deponunt cibū. Et iſta quidem membra in piſcibus inueniuntur ſuperius, in auibus autem inferius, apud inteſtini complementum. Quidam itáque dentes habēt acutos ſubtiles. Et quidam habent additamenta ſicut muſcæ, per quę cibum accipiunt. Et hæc ita fortia ſunt, vt his quandoque teſtam aliorum animalium perforent. Marina quædam duræ teſtæ fortem habent linguam. Marinum animal quod dicitur koki omnes dentes habet acutos, C & etiam ponit vnum ſuper alium, ſicut genus ſuum diuerſatur à generibus piſcium, quia piſces (vt dictum eſt) habent dentes acutos. Et non eſt in iſtis animal habens duas acies dentium. *Piſces non habent propriè linguas*, ſed membrum ſimile ſpinæ non abſolutum extentum, in quibuſdam etiam non apparet omnino lingua, ſed inuenitur linguæ locus, lenis, continuus, non apparens, niſi per magnam oris apertionem. *Piſces non habent linguas.*

De branchijs piſcium.

CAPVT IIII.

HAbent piſces quiddam in animalibus proprium, naturam, ſcilicet branchiarum. Et horum quidam habent branchias paucas, quædam multas ſecundum quod calor cordis eſt paucus, vel multus, quia ſemper calor ponit motum velociorem ac fortiorem. Et ob D hoc habentes branchias multas viuere poſſunt in terra multo tempore. Omne animal recipiens humidum habet branchias, & ſæpe vadit ad terram. Quidam vero piſcis aqua ſordida ſtrangulatur, quia branchiæ eius ſunt paruæ, & ideo piſcatores turbant aquam quando volunt ipſum venari: quorundam piſcium branchiæ ſunt ſpinoſæ quorundam cartilaginoſæ quæ conuenientes ſunt motui. Sunt autem paruæ, tenues, & extentæ. Piſces (vt dictum eſt) multas habentes branchias viuere poſſunt in terra longo tempore. Omnéſque modi quorum creatio ſimilis eſt creationi ſerpentium, quia non indigent multa infrigidatione. Igitur habent piſces proprium, auriculas, ſcilicet in capite, ideſt branchias, E per quas attrahunt aquam, & reijciunt. Et quidam eorum *habent duas, quidam quatuor* in vtraque parte flexas. *De numero branchiarū.* Delphin (vt dictum eſt) & ſimilia magni corporis non habent branchias, ſed cannam, quia pulmonem habent, & canalem. *Delphin caret branchijs* Nullum autem ex piſcibus poteſt habere branchias, & anhelare ſimul. Sub branchijs in kabari pediculi multi inueniuntur, à quibus interficiuntur. *Plinius libr. 9.* Piſces branchias habentes non exiſtimant quidam anhelitum reddere, ac per vices recipere, vt Ariſtot. *Idem in libro eodem.* Piſcium alij branchias habent multiplices, alij vero ſimplices. Per has quidem emittunt aquam in ore acceptam. *Ambroſ. in exaemeron.* *Branchia loco pulmonis.* Piſces branchias habent ſicut nos pulmonem, quas nunc quidem explicant, & aperiunt, nunc implicant, & operiunt, ſicque aqua ſuſcipitur, & tranſmitti-

tur

tur ac penetrat, & munus reſpirationis per eas implere videtur.

De pinnulis, & caudis eorum.

CAPVT V.

NAtatilia quædam habent alas ſiue pinnulas,&quędā habent alas quatuor,duas,ſcilicet in facie,ideſt in latere,& duas in dorſo,vt piſcis cartheca dictus. Quędam vero duas habent alas, vt omnes piſces longi ac lenes, ſicut anguilla, & muræna. Porro quædam non habent alas, vt cheleti. Nullúmque quod ex eo eſt amplum habet caudam, vt baſchea maris, & illud genus non natat, niſi per amplitudinem corporis eius. *Rana vero marina* habet alas, & omnia quorum finis amplitudinis ad ſtricturam decliriat. Omnes autem piſces marini habentes pedes natant cum eis, & cum alis,vt totum genus malachiæ,ideſt mollis carnis,& ex carne tantum. Et hoc genus velociter mouetur in natando, ita quod à ripa procedit ad pelagus, vt archoſis, ac genus multorum pedum: karabo ex piſcibus duræ carnis mouetur cum ſua cauda motu veloci,ſicut motu alarum ſuarum. Theuchea vero,ideſt crocodilus mouetur,& natat cum ſuo pede, & cauda, & quicquid de minori confertur ad maius. Alæ piſcium ad natandum conuenientes ſunt, quia remis ſimilia ſunt. Ideo autem alas habent, quia non ambulant, cum pedes non habeant. Nec eſt poſſibile piſcibus habere quatuor alas, & duos pedes. Piſces autem quidam habent branchias & pedes, & non habent alas omnino, ſed caudam latam non ſpiſſam. Quidam verò piſces lati corporis habent quatuor alas, duas in ventre, & duas in dorſo. Porro quidam piſces longi non habent alas in dorſo, neque pedes. Quidam vero piſcis longi corporis non habet alas, nec natat, niſi perflexionem corporis, quia mouetur in aqua,ſicut ſerpens repit in terra. Piſces qui habent alas tantum, quia eorum creatio eſt longa, ſimilis creationi ſerpentium,quæ vtuntur flexibilitate ſui corporis loco duarum alarum. Quidam habent duas alas, tantum in dorſo, qui non prohibentur à natatione propter corporis longitudinē. Quidam habent alas prope caput, quia ſcilicet non habent longum corpus. Qui vero ſerpentibus aſſimilantur, non habent alas, vt muræna. Et eadem eſt cauſa, quare ſerpentes non habent pedes. Vtuntur enim huiuſmodi flexibilitate corporis loco duarum alarum, & ob hoc in terra repunt, & longo tempore viuunt. Habent autem omnes modi piſcium caudas non ſeparatas.

Plin. vbi ſupra. Pinnarum vero piſcium diſcrimina fiunt, quæ pedum vice piſcibus datæ ſunt. Nullis quidem ſupra quinas, quibuſdam binæ, quibuſdam trinæ, aliquibus nullæ. In fucino tantum lacu piſcis eſt, qui pinnis octonis natat. Binæ quidem omnino longis ſunt, vt lumbricis, & anguillis, & congris. Nullæ vero murenis, quibus nec branchiæ ſunt. Hæc omnia flexuoſo corporum impulſu ita vtuntur mari, vt ſerpentes terra. In ſicco quoque repunt, ideoque talia etiam viuaciora ſunt. Et è planis quoque aliqua, vt paſtinacę, pinnas non habent. Ipſa quippe latitudine natant. Sed & quæ appellantur mollia, vt polypi, non habent, quia pedes illi pinnarum vicem præſtant. *Ambroſ. vbi ſupra.* Sicut enim auis aerem volatu celeri ſecat, ita piſcis aquam natando incedit,& vtríque generi caudæ alarúmque remigium ſuppetit. Itaque piſces ad priora ſe alis ſubrigunt, & vlterius procedunt. Caudæ quoque gubernaculo, vel quo velint facilè ſe conuertunt, vel impetu quodam è regione iter ſuum dirigunt.

Rana marina.

Crocodilus.

Ala piſcium loco remorū.

Diuerſitas ſitus alarū in piſcibus

Piſcis pinnarum octo.

De vita, & memoria piſcium.

CAPVT VI.

Comeſtor. Motabiles autem dicuntur animæ piſciū, & auium, reſpectu animæ hominis, illæ namque mouentur de eſſe ad non eſſe,illa vero non,quia perpetua eſt. *Iſidorus.* Plerique putauere, ideo animam non viuam,ſed animarum viuarum reptilia piſces appellatos eſſe, quod eis nulla memoria ſit, nec aliqua vita velut rationi vicinior, ſed fallit eos experientia minor, nam *piſces habere memoriam certiſſimum eſt*, quod ipſe ſum expertus, & experiantur, qui poſſunt, & volunt. Nam quidam fons magnus in Bellenſium regione refertus eſt piſcibus, vbi ſolent homines deſuper intuentes eis aliquid iacere, quod ſibi, vel præripiant confluentes, vel inter ſe diripiant concertantes. Quo paſtu aſſuefacti, deambulantibus ſuper oram fontis hominibus, Ipſi quoque cum eis gregatim natando eunt, & redeunt expectantes, vnde aliquid iactent, quorū præſentiam ſentiunt. *Plin. libr. 11.* Aquatilia in ipſo ſpiritu viuentia ſenſum habent victus ac generationis, & operationis, atque etiam de futuro curam, auditum, olfactum, & guſtum, eximia præterea naturæ dona ſolertiam, animum, & artem. *Ambroſ. vbi ſupra.* Itaque vnuſquiſque piſcis vſu naturæ impreſſo, tanquam in patriæ finibus ſe retinet, & vltra incolas prodire ſuſpectum habet. Aliqua tamen piſcium genera non ingenij facilitate loca mutant, ſed fouendi partus neceſſitate. Opportuno tempore ex diuerſis locis ad plurimos ſinus maris, quaſi communi conſilio conuenientes, coniuncto agmine aquilonis flatus captant, & mare ſeptentrionale petunt, & Propontidem ſinum violento impetu intrant. Quis piſcibus hæc annunciauit loca, præcepta, tempora? Quis tribuit diſpoſitionem viandi, comeandi ordinem, metas, & tempora reuertendi? Agnoſce quis ille ſit Imperator, qui ſenſibus vniuerſorum ſuum effundit Imperium, qui non ſolum magna penetrat, ſed per minima quoque ſe diffundit. Diuinæ legi piſcis obſequitur, & homines contradicunt. *Piſces ſolemniter obaudit mandata cœleſtia*, & homines irrita faciunt Dei præcepta. Ad ponti fretum in æſtate tranſeunt, eo quod ſinus ſit dulcior, quia Sol non tandiu in hoc freto immoratur, vt omnem aquam dulcem exhauriat, atque potabilem, qua maritima delectantur. Itaque nouit piſcis tempus pariendo, nouit tempus eundi ac redeundi naturæ inſpiratione, quæ vera eſt magiſtra pietatis.

Auctor. Habent ergo piſces animam ſenſibilem, ſicut & aues, cæteráque animalia, quia non tantummodo viuunt, ſicut arbores, ſed habent memoriam, ſenſum, appetitum. *Ariſtoteles.* Eſt autem marinum animal, quod commune eſt inter naturam arborum, & animalium. Nam, quia quandoque abſolutum eſt, ac cibatur, & ſentit conuenientia ſibi, vtitúrque aſperitate corporis ſui propter ſaluationem, communicat cum animalibus. Quia vero non dormit, & eſt applicatum lapidibus, communicat cum arboribus, nec habet ſuperfluitatem manifeſtam. *Idem in libro de morte, & vita.* Animalia quidem aquatica breuioris ſunt vitæ, quam pedibus gradientia, quia humida ſunt, & aquoſa, & tale velociter corrumpitur, quia frigidum eſt ac denſabile. Animal etiam, quod eſt ſine ſanguine propter eandem cauſam cito corrumpitur. *Idem in libro de animalibus.* Illa tamen piſcium genera quorum generatio eſt, vt ſerpentum, longo tempore viuunt in terra, quia non multum indigent refrigeratione, ſcilicet, vt muræna, & anguilla.

Piſces vigent memoria.

Piſces habēt ſuos patrios fines.

Piſces obaudiunt mandata cœleſtia.

Animalia aquatica breuioris vitæ.

De ſenſibus eorum.

CAPVT VII.

Idem in eodem. Viſus paucus eſt in animalibus palpebra carentibus, quorum oculi non clauduntur, vt ſpiritus viſibilis adunatus confortetur, & quieſcens recreetur, vnde paucus eſt eorum viſus,quia oculi eorum ſæpiſſime aperiuntur, & foras viſus emittitur, hoc in marinis beſtiis inuenitur. *Piſces extremos diſcernunt colores.* Vnde piſcatores non vtuntur colobijs albis, neque nigris, neque rubeis. Eſt autem piſcis cuius aſpectus in dextra parte acutior eſt, quamuis non ſit naturaliter acuti aſpectus. Piſces etiam audiunt, vnde & videmus ipſos à ſono fugere, Item,& odorant, Ideóque rem habent quælibet genera piſciū venationi ſuæ appropriatā,

Extremi colores diſcernuntur citius à piſcibus.

quoniam diſconuenientem ipſi olfaciunt, & fugiunt. Et quidam per fœtida deprehenduntur. Cúmque piſcatores volunt, vt exeant piſces in lapidibus manentes, confricant *ora cauernarum lapidum ſalſis*, quæ cum illi olfaciunt cito exeunt ac deprehenduntur. Quidam etiam piſces diligũt odorem rerum combuſtarum in fumum. Ideo cremantur ſepię carnes comprehenduntúrqué per odores earum. Piſces quoque guſtabilia ſentiunt. Ideoque plures eorum venantur aliquid quod in cibo diligunt. Habent, & tactus ſenſum, ideóque plures eorum non tangunt vas quo venantur, niſi ſit nouum. In omnibus quoq; animalibus ſenſus viſus eſt ſupra ſenſum auditus, & ſub viſu olfactus, maximéque in modis piſciũ, quoniam audiunt, & olfaciunt, & non habent in capite aliud inſtrumentum. Animalia magni corporis in mari, habent aures manifeſtas, & ſunt boni auditus.

Vt piſces exeant à cauernis.

Piſces audiũt

Ex lib. de natur. rer. Piſces in noctibus æquè ſicut in die cernunt. *Plinius lib.* 10. Piſces quidem auditus nec membra habent, nec foramina. Audire tamen eos palam eſt, vt patet, cum eos plauſu congregari feros ad cibum conſuetudine in quibuſdam viuarijs ſpectetur, & in piſcinis cæſaris genera *piſcium ad nomen venire* quoſdam ſingulos. Itaque produntur etiam clariſſimè audire mugil lupus ſalpa chromis, & ideo in vado viuere. Olfactum his eſſe manifeſtè patet, quippe non omnes eadem eſca capiuntur, & priuſquam appetant odorantur. Quoſdam & ſpeluncis latentes ſalſamento illitis faucibus ſcopuli ſpicator expellit, velut ſui cadaueris agnitionem fugiẽtes. Sentinæ quidam nauium odorem fugiunt procul, maximè tamen piſcium ſanguinem. Cõueniunt quoque ex alto etiam ad quoſdam odores, vt ad ſepiam vſtam, & polypum, quæ ob id coguntur in vaſis.

Hyemẽ ſentiunt.

Idem in lib. 9. Prægelidam hyemem omnes ſentiunt, ſed maximè qui lapidem in capite habere exiſtimantur, vt lupi, coracini, ſciena, pagri. Cum hyemes aſperæ fuerint multi cœci capiuntur, his itaque menſibus iacent ſpeluncis conditi. *Ariſt.* Piſces licèt non habeant certa inſtrumenta olfactus, olfaciunt tamen. Quidam enim fugiunt cum olfecerint maximè ſanguinem piſcium, vel quando vas venantium fuerit vetus, vel ſordidum. Quidam etiam habent auditum, vnde in quiete oportet eos venari. Venantur autem piſces ante aſcenſionem ſolis, quia tunc non vident. Quidam etiam in hyeme vadunt à profundo maris ad ſuperficiem prope terram quærendo calorem, & in verè reuertuntur ad profundum.

De anhelitu, & ſomno piſcium.

CAPVT VIII.

Omnes piſces ſpirant probatur contra Aristotelem.

Plinius lib. 9. Piſces branchias habentes non exiſtimant quidam anhelitum reddere, ac per vices recipere, vt Ariſtoteles. Accedunt apud me certæ efficaciæ, vt credam, etiã omnia in aquis ſpirare ſuæ naturę ſorte. Sæpè annotata eſt æſtiuo tempore piſcium quędam anhelatio, & alta tranquillo velut oſcitatio. Ipſorum quoque qui ſunt in aduerſa opinione de ſomno piſciũ confeſſio. Quis enim ſine reſpiratione locus ſomno. Præterea bullantium aquarum ſufflatio; lunæque effectu. Concharum quoq; corporum augeſcentia. Super omnia eſt, quod eſſe piſcibus auditum, & odoratum ex aeris vtrinque materia dubium non eſt. Odorem quippe non aliud, quam infectum aerem intelligi poſſe. Quamobrem opinetur quiſque de his, vt ei libitum fuerit, Miratur Archadia, ſuum exocetum appellatum ab eo, quod exit in ſiccum cauſa ſomni. Circa clitorium vocalis hic traditur eſſe ſine branchis. *Idem in lib.* 10. Aquatilium quoque exiguum quiddã, etiam qui de cæteris dubitant, dormire tamen exiſtimant, non oculorum argumento, quia non habent genas, verum ipſa quiete cernuntur placida, ſeu ſoporata, nec alia, quam caudas mouentia, & ad tumultum aliquem pauentia, plani vero piſcium in vado ita dormiunt, vt manu ſæpè tollantur. *Ariſt. vbi ſupra.* Somnus piſcium plus eſt de nocte, quã de die, ideóque inſtrumento tres dentes habente figuntur, & non mouentur. In ſomno quieſcit piſcis, & non mouetur ex eo, niſi cauda ſolummodo motu modico. Si verò aliquid prope ipſum motum fuerit, cito euigilat, & fugit. Plures autem piſces, & animalia marina dormiunt ſuper terram, arenam, & lapidem, in maris profundo. *Ex lib. de natur. rer.* Omnes piſces, & animalia mollis teſtæ (vt dicit Ariſtot.) modici ſomni ſunt. Quod tamen dormiant, per clauſionem palpebrarum non perpenditur, quia palpebras non habent, ſed quia manu capiuntur, & in ſomno ferro tridente percutiuntur.

Pices dormiunt.

Experientia de ſomno piſcium.

De alimento piſcium.

CAPVT IX.

Piſcium etymon.

Iſidorus. Piſces *dicti ſunt à paſcendo.* Nam plerique herbis paſcuntur, ac minutis vermibus. Alij ſe inuicem deuorant, & minor apud illos eſca maiorum eſt. Non autem vt bos, & ouis ex vna tantum parte dentes habent, ſed vtræque partes armatæ ſunt dentibus, quos ideo depreſſos, & acutos habent, vt edant cito, & ſine aliqua mora tranſmittant, ne ſi diutius cibum verſarent, aquarum illuuione dentibus eorum eſca poſſit auferri ac dilui. Denique non ruminant, excepto eſcaro, *qui ſolus in his ruminare* perhibetur. *Ambroſ.* Piſces non vt animalia terrena nutriuntur, nec manus humanæ tactu, & alimento, vllove delinimento dẽlectantur, & tamen in viuarijs ſuis ſeruantur. Herbis plerique vermibúſque veſcuntur, & quidam ſe inuicẽ deuorant, ſuáque carne paſcuntur. Minor apud illos eſca maioris eſt, ac rurſus ipſe maior à validiore deuoratur, fitque ſimul in vno ventre prædæ vindictæque conſortium. *Ariſt. vbi ſupra.* Piſces in maiori parte carnem comedunt, omnéſque cibantur pullis ſuis tempore pullificationis. Piſcium quidam habent orificium in oppoſito, quidam in dorſo, ſicut delphini, & omnes modi qui dicuntur cheleti, *nec recipiunt cibum, niſi quando reuertũtur ſuper dorſum.* Quod non fecit natura propter ſalutem tantum, ſed vt retardent ſe in accipiendo cibum, quoniam hoc genus animalia comedit & habet additamentum tenue, propter hoc non poteſt eſſe bonæ abſciſionis. Si enim eſſet leuis comeſtionis, cito moreretur, propter nimiam repletionem. Animalia teſtea immobilia cibant ſe ab aqua dulci. Et animalia mollis teſtæ comedunt herbas, & quodlibet, vt cancri lapidoſi. Omne vero malakie, ideſt molle creatum ex carne tantum, comedit carnem. Et animalia quædam, ſcilicet marina, vt cheleti, & onagri, atque cætera veſcuntur carne tantummodo, quædam herbis, quædam ſtercore ac luto. Omnéſque piſces ſeſe comedunt, præter faſtaleon. Quidam enim non comedit carnem omnino, & quidam cibatur aceno, ideóque ponderoſus eſt, ac ſæpè natàt, vt carnis ſuæ lutum abluat. Nullum marinum animal comedit pullos ſuos, & ideó multiplicantur. Cum autem complentur, ab illis comeduntur. Quidam piſcis cum habet timorem, abſcondit caput ſuum in corpore ſuo, & occultans caput comedit carnem. Quidam vero ruminat, vt quadrupes, & alios venatur piſces cum natant ſuper aquam. Quidam ex aqua ſordida ſtrangulatur, quia branchiæ eius ſunt paruæ & ideo turbant aquam, quando volunt eam venari. Motus piſcium fit ad koykoz propter cibum & paſtum, qui bonus eſt ibi, & vtilis propter aquæ dulcedinem. *Ex lib. de natur. rer.* Omnes piſces maris inuicem ſe comedunt, excepto quodam animali, quod Ariſtot. faſtaleon vocat, & hoc ideo, quia carnem non comedit omnino. Quidam vero applicantur ad petram, & abſoluuntur quando quærunt nutrimentum, & hoc nocte, poſt redeunt ad petram. Quidam carnernas in arena parant, quidam in luto, & tantum os emittunt. Omnes piſces cibantur à pullis ſuis tempore pullificationis. Parui quoque comeduntur à magnis. Quidam piſcis ex aqua clara cibatur, & aqua turbida ſtrangulatur.

Eſcarus ſolus piſcium ruminat.

Nota.

Faſtaleon.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A

De Piſcium impinguatione.

CAPVT X.

Pluuia conuenit piſcibus.

Ariſtoteles. Pluuiæ conferunt piſcibus, præterquam paruis, tempora vero ſicca nocent piſcibus, ſicut & humida volatilibus. Maior itaque pars generum piſcium impinguatur in annis pluuioſis, quia tunc inueniũt cibum multum, & aqua pluuiæ valet omnibus illis, ſicut conuenit terræ plantis. Quoniam ergo maior pars piſcium ad pluuias mutatur, ob hoc in fluminibus, & lacubus impinguantur. Et ex aquis pluuiarum eis maximè conuenit aqua pluuiæ æſtiualis, præcipuè vero ſi Ver, & Æſtas, & Autumnus pluuioſa fuerint. Et veriſimiliter cũ annus hominibus bonus fuerit, tũc impinguãtur piſces, ſed non in locis frigidis. Multa quoque pluuia quoſdã piſces excæcat, nõ ex multitudine pluuiæ ipſius, ſed ex frigore. Multa pluuia conuenit omnibus feſtei corij, quia inde mare dulcius efficitur. Omnibus inquã teſtei corij conuenit aqua pluuialis, præterquam vni, ſcilicet torcholich, quia ſi guſtauerit, morietur illa die. *Loca conducunt piſcibus* Conueniunt etiam ad impinguationem propria *loca piſcibus*, quoniam aliqui prope terram, & quidam in profundo maris impinguantur, & quidam in ambobus. Quidam autem impinguantur in locis in quibus eſt viridis aquæ nubes, & cum ibi deprehenduntur ſunt meliores. Piſces qui carnes comedunt, cibum in aqua viridi multum inueniunt. Non autem impinguantur piſces in locis frigidis. Omnes piſces lapidoſi pingues ſunt, piſces qui latent in profundo maris in hyeme, poſt eius latentiam impinguantur valde. Quidam impinguantur vento ſeptentrionali, vt piſces longi, & ob hoc deprehenduntur in æſtate multi. Quidam autem impinguantur vento meridionali, vt piſces ampli.

B

C

Qualiter elementum aquæ ſit in eis connaturale.

CAPVT XI.

Quod aer hominibus aqua eſt piſcibus.

Iſidorus. Quædam genera piſcium (ſicut iam ſupra dictum eſt) ideo viuere ſine aqua non poſſunt, quia emergendi ſpiritus, & reſpirandi naturalis non ſuppetit, ſicut hominibus, qui huius aeris ſpiramine vtũtur, quod enim nobis *eſt ſpiritus*, *illis eſt aqua*, quæ viuendi miniſtrat ſubſtantiam; delphini quidem & ſimilia magni corporis non habent branchias, ſed cannam, quia pulmonem habent, & canalem propter exitum aquæ, quãdo accipiunt cibum in aqua, nullúſque ex eis poteſt habere branchias & anhelare ſimul. Locus autem canalis eſt in anteriori cerebri. Et hoc quidem genus anhelat, quoniam ex animalibus magnis eſt, & indiget multo calore ad iuuamentum motus. Ideóque pulmonem habet ſanguine plenum, & naturali calore. Et ſecundum vnum modum eſt illud animal agreſte carétque pedibus, & accipit cibum ex humido, ſicut aquoſum. Mouentur piſces (vt dictum eſt) ad koykoz propter paſtũ qui eſt ibi bonus, & vtilis, propter aquę dulcedinem. *Plin. lib. 9.* Piſcium omne genus præcipua celeritate adoleſcit, maximè in Ponto. Cauſa eſt, amnium multitudo dulces aquas inferentium. Piſces modicis himbribus gaudent alunturque. Quippe & arundines quamuis in palude natæ non tamen ſine imbre adoleſcunt. Et vbicunque piſces in eadem aqua fuerint aſſidui, ſi non affluat, exanimantur. *Ambroſ.* Bona mater eſt aqua piſcibus, ſine qua non eſt viuere. Nec à ſuæ parentis conſortio ſeparàri, nec à ſuę alitricis munere diſcerni. Quod enim nobis eſt ſpiritus aeris, hoc aquæ eſt illis. *Ouapiſcium* *Piſces oua gignunt, & aquis fouenda committunt.* Non nidos, vt aues texunt, non diuturni fotus laborem induunt, nec cum ſui moleſtia nutriunt, quin potius ouum cadit, quod aqua ſuæ quodam naturæ gremio, quaſi nutrix blanda ſuſcipit, & animal celeri fotu reddit.

D

E

De manſione piſcium in aqua, vel terra.

CAPVT XII.

Ariſtoteles. Aquoſa vero dicuntur animalia duobus modis. Vno modo, quia manſio eorum, & nutimentum eſt in aqua, & aquam interius recipiunt ac reuomunt, nec ſine ipſa viuere queunt, ſicut pluribus accidit piſcibus. Alio modo, quia licèt manſio eorum ac nutrimentum ſit in aqua, non tamen recipiũt aquam intus, ſed aera, & quæ interius recipiunt aquam maris, non guſtant aliud de agreſti. Quædam autem viuunt in aqua, deinde mutantur in aliam formam, & viuunt extra. Quædam vero in aqua viuunt, quia ad petram applicata ſunt. Et horum quædam à petra cui applicantur non deſcedunt, nec ſeparantur, niſi ab aliquo per attractionem ex inſpirato ad motum cogantur. Quædam vero ſic ſunt applicata, quod quando quærunt nutrimẽtum ſuum ſunt abſoluta. Multa quóque abſoluta ſunt, at non mouentur à locis ſuis. Item quędam manent in ripa, quædam in luto, quædam in arena. Item quædam animalia (vt dictum eſt) manent in aqua, nec viuere poſſunt extra, vt tortucæ aquoſæ, crocodilus, hippotam, & ranarum genus. Quædam vero manent in aqua, & pariunt, vel creant in terra, & quædam in terra manent, & cibantur aqua. *Delphinus, & balæna*, & omnia cannas habentia quibus anhelant, manent in aqua. *Media ſunt inter ambulantia & marina*, & in vtroque communicant, quia recipiunt aquam per cannam, & aerem per pulmonem. Hæc animalia propter cibum, & cum cibo aquam recipiunt, & habent inſtrumentũ, ſcilicet branchias loco anhelitus, quo aquam eijciunt humiditatem cibi recipientia cannas habent. Malakie ac mollis teſtæ recipiunt cibi humiditatem, & ſunt marina ſecundum alium modum, ſcilicet propter complexionem corporis, & vitam. Piſces lapidoſi manent pares mas cum fœmina. Quidam etiam piſcium manent in cauernis. *Plin. vbi ſupra.* Theophraſtus tradit circa Babylonis rigua fluuijs deſcendentibus in cauernas aquas habentes quoſdam remanere piſces. Inde ad pabula exire pinnulis gradientes crebro motu caudæ, contraque venantes in cauernas ſuas refugere, & in his obuerſos ſtare. Capita eorum eſſe ranæ marinæ ſimilia, reliquas partes gobionum, branchias, vt cæteris piſcibus. Tradit etiam in Ponto vnum genus eſſe quod extremas ſectetur fluminum aquas, ſibique cauernas in terra faciat, & in his viuat etiam reciprocis amnibus ſiccato littore. Effodi ergo, motu demum corporum viuere eos approbant. In Paphlagonia quoque piſces gratiſſimos cibis, terrenos altis ſcrobibus, effodi, in his locis in quibus nullę reſtagnant aquæ.

Delphin & balæna media ſunt inter ambulãtia & marina.

Piſces gradientes pinnulis.

De conuerſatione piſcium per aquæ loca diuerſa.

CAPVT XIII.

Ariſtoteles. Aquatillum animalium, quædam manent in aqua marina, quædam ſunt fluminea, quædam ſtagnea, & quædam vt ranæ paludoſa Marinorum vero quædam ſunt pelagalia, quædam littoralia, quædã petroſa. Quædam etiam marina in hyeme prope ripas ſunt, æſtate vero in pelago, quoniam aliquando calorem, & aliquando frigus quærunt. Vnde quidam in hyeme vadunt à profundo maris prope terram quærendo calorem, & quidam fugientes à locis, quæ propè terrã ſunt intrant profundum maris fugiendo calorem. Iterum prope terram eſt profundo melius, quia ibi eſt bonus paſtus. Propter aſcenſionem enim Solis oriuntur ibi molles arbores. Loca quoque prope terram magis tẽperata ſunt. Et ideo *carnes piſcium ibi conuerſantium fortiores ſunt.* Multi vero piſces latitant in cauernis, nec deprehenduntur omnino, niſi in temporibus determinatis. Quidam (vt dictum eſt) in profundo maris latẽt in hyeme, & poſt latentiã impinguantur valde, & quidã

Carnes piſcium conuerſantium prope terram ſunt fortiores & curt

ſibi cauernam parant in arena, quidam in luto, nec emittunt, niſi os tantummodo. Non autem latent in maiori parte, niſi in hyeme. Piſces itaque mollis teſtæ, & qui manent in lapidibus, latent in cauernis diebus frigoris fortis. Quidam vero manent æſtate in cauernis, vt glaucus quaſi per ſexaginta dies, ac deprehenditur poſt aſcenſionem canis. Conueniunt itaque loca propria piſcibus, quoniam aliqui prope terram, & aliqui in profundum maris, & quidam in ambobus impinguantur. Diuerſitas vero regionum diuerſat piſces, non tantum in cibi abundantia, ſed in multitudine coitus, & imprægnatione, & in partu, ſicut plantas, & arbores, & animalia. Ideóque plures frequenter piſces ouant in quibuſdam locis, & in quibuſdam non.

Plin. vbi ſupra. Itaque hibernis menſibus iacent in ſpeluncis conditi, maximè hippurus, & coracinus. Hyeme non capi, prꝛterquam æſtatis diebus paucis, & eiſdem ſemper. Item muræna, & orphus, conger, percæ, & ſaxatiles omnes terra quidem, hoc eſt vado maris excauato condi per hyemes, torpedinem piſtam ſoleamque tradunt. Quidam rurſus æſtus impatientia medijs feruoribus ſexagenis diebus latent, vt glaucus, aſelli, auratæ. Fluuiatilium ſylurus caniculæ exortu ſyderatur, & alias fulgore ſopitur. Hoc etiam accidere in mari Cyprio putant, & *alioquin totum mare ſentit exortum eius ſyderis*, quod maximè in boſphoro apparet. Algæ enim, & piſces ſuperferuntur ab imo verſa omnia. Multi quidem in Propontide piſces æſtiuant, & Pontum non intrant, rhombi ſolummodo intrant. Item ſoleæ cum rhombis intrant, nec ſepia eſt cum reperiatur loligo. Saxatilium deſunt turdus, & merulæ, ſicut conchilia cũ abundant oſtreæ. Omnia vero hibernant in mari Ægæo, Pontum intrantium ſolæ non remeant trachiæ. Sed hæ ſolæ in hiſtrum amnem ſubeunt, & ex eo ſubterraneis eius venis in Adriaticum mare defluunt. Itaque, & illic deſcendentes, nec vnquam ſubeuntes è mari viſuntur.

Mare & piſces ſentiunt caniculam.

Trachiæ.

Isidorus. Illud ſanè non ſine quadam dotæ naturę manere piſcibus putant, quod vnumquodque genus *præſcripta ſibi domicilia* habet, quæ ſui generis nullus excedat, nec alienus incurrat. Hoc quoque genus piſcium in illo ſinu maris alitur, & gignitur, illud in alio. Denique non reperies confuſa piſcium genera, ſed quod hic abũdat, alibi deeſt. Nec tamen aut intercluſa montibus copia, aut fluuijs interlabentibus tranſitus impeditur. Sed vſus naturæ impreſſus eſt, tamquã patriæ finibus vnumquemq; ſe retinere, & vltra incolas prodire ſuſpectum. Sunt tamen aliqua piſcium genera, quæ non ingenij facilitate loca mutant, ſed fouendi partus neceſſitate. Pergunt enim æſtatis tempore ad fretum Ponti, eo quod reliquo maris ſinu hic ſinus dulcior ſit. Non enim tandiu Sol ipſi freto, quamdiu cęteris immoratur, eaque cauſa fit, vt non omnem aquam exhauriat, quę dulcis, & potabilis ſit. Hæc ergo cauſa Pontum illis facit gratiorem, in quo, & generare, & partus emittere poſſint, quia teneri fœtus laborem alienæ regionis ferre vix poſſent, quos illic fouet aeris magna clementia. Itaque peracto munere, omnes ſimul eo quo venerant agmine reuertuntur. Quis piſcibus hæc loca annunciauit, aut percepta tempora, vel diſpoſitionem viandi quis tribuit? Nimirum ille qui ſenſibus vniuerſorum imperium infundit, qui mutis animantibus diſciplinæ naturalis ordinem tribuit.

Domicilia piſcibus præſcripta.

Peregrinantur piſces quandoque & domum reuertuntur.

De variatione piſcium ſecundum anni tempora.

CAPVT XIIII.

† *Sũt Mena.*

PLinius *vbi ſup.* Mutant colorem candidum † in hyeme piſces quidam, & fiunt æſtate nigriores. Mutat & phycis reliquo tempore candida, vere varia. Eademque piſcium ſola ex alga nidum facit, & in nido parit. Omnes hyemem prægelidam ſentiunt, ſed maximè qui lapidem habere in capite exiſtimantur, vt lupi, ſcięna, & pagri. Cúmque hyemes aſperæ fuerint, multi capiuntur cœci, quidam hyeme iacent ſpeluncis conditi,

Qui piſces ſentiunt maximè hyemè

A maximeque hyppurus, & coracinus. Hyeme non capi, vado maris excauato per hyemes condi torpedinem, & ſoleam traduntur. Quidam vero æſtus impatientia medijs latent feruoribus, vt glaucus & aſellus. Caniculæ exortu piſces ſuperferuntur, & cætera, vt ſupra. *Ariſtoteles.* Garum piſcis eſt valde mollis, ſed ventus, & frigus indurat ipſum, ſicut & arborem, ſed & ipſe putreſcit in locis valde calidis. Marina quædam in hyeme ac vere prope ripas ſunt, æſtate in pelago, quoniam aliquando calorem, aliquando frigus quærunt. Genus quoddam ex quo karabo generatur antequàm oua ponat, eſt carnis bonę, & malæ poſt. Hoc quoque genus ad modum ſerpentis exuit ſpolium in verè. Animalia quædã viuunt in aqua, deinde mutantur in aliam formam, & viuunt extra. Tempora ſicca (vt dictum eſt) piſcibus nocent, B pluuialia iuuant eos, & impinguant. Piſcibus in capite lapidem habentibus hyems nocet, quia lapis infrigidatur in capite, & coagulatur. Piſces cum accidit glacies moriuntur, & ob hoc in fluuijs, & lacubus deprehenduntur. Æſtate quoque deprehenduntur, maximè piſces longi, quia impinguantur vento ſeptentrionali. Piſcis rodez de die natat, & de nocte quieſcit, niſi nox lunaris fuerit, tunc enim natat, & non quieſcit.

Garum piſcis.

De vario motu piſcium.

CAPVT XV.

AQuatilia quædam natant per capita ſua, vt karabo quædam vero cauda, & quædam ſunt inambulantia, vt genus cancrorum cuius natura eſt aquoſa. Quædam etiam natant ſocialiter, quædam ſolitarie. Omnes marini piſces, qui habent pedes natant cum eis, & cum alis, ſicut totum genus malacię, id eſt mollis carnis, quod ſcilicet genus velociter in natando mouetur: karabo ex piſcibus duræ carnis mouetur cum ſua cauda motu veloci, ſicut motu alarum ſuarum. Crocodilus autem mouetur cum cauda ſua, & pede. Eſt etiam piſcis de genere oſtreę, ideſt teſtę duræ, qui cauda natat, & repit. Quoddam animal marinum habet dextrum pedem paruum, & ſiniſtrum magnum. Ideóque cum ambulat fert totum corpus ſuper ſiniſtrum. Alæ piſcium conuenientes ſunt ad natandum, quia ſunt in modum remorum. Quidam vero piſcis D longi corporis non habet alas, nec natat, niſi per flexionem corporis. Mouetur ſiquidem in aqua, ſicut repunt ſerpentes in terra. Quædam autem aquatilia petræ applicata ſunt, nec ab ea ſeparantur, niſi ab aliquo per attractionem ad motum cogantur, Quædam vero ſunt ad petram applicata, ſed quando quærunt nutrimentum ſuum ſunt abſoluta. Multa quoque ſunt abſoluta, & à locis ſuis non mouentur. Eſt quoddam applicatum teſtæ forti applicatione, & cum aer clarus fuerit, hoc animal erit abſolutum, & ambulabit. Cúmque venti mouebuntur, applicabitur petris, & quieſcet nec mouebitur. Quidam vero piſcis qui non mouetur, vt eſcheleti, habet ſimile radicibus in terra creſcentibus. Quidam etiam ſine radicibus oriuntur, & ſi moueantur à locis ſuis moriuntur. Quidam piſcis à mari aſcendit ad flumen, & paludes, vt caſtonoz. Alij autem E conuerſo, vt haloz. Rodez (vt dictum eſt) natat de die, & quieſcit de nocte, niſi nox fuerit lunaris. Piſces ſicut & aues mouent mandibulam ſuperius, & inferius tantum, quia motus ille conueniens eſt ad mordendum, & ad ſcindendum. Motus autem in latus eſt conueniens generi piſcium. *Eſt piſcis qui cœno cibatur*, ideoque ponderoſus exiſtens ſæpè natat, vt carnis ſuæ lutum abluat. Animalia marina durę teſtæ ambulant, & paſcuntur, & à teſta capita extrahunt, & quando timuerint ipſum reponunt. Piſcium greges habent rectorem, & mouentur ad locum vbi bonus eſt cibus, & paſtus propter aquæ dulcedinem,

Quidã piſces non natãt ſed repũt.

Piſcis cano cibatus.

Ambr. Quædam piſciumgenera fouendi partus neceſſitate mutant loca. Oportuno tẽpore ex diuerſis locis ad plurimos ſinus maris, quaſi communi conſilio

conue-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Pisces mutant sua loca & ad ea post reuertuntur.

conueniunt agmine coniuncto. Flatus aquilonis captant, mare septentrionale petunt, & Propontidem sinum violento impetu intrant, multáque maria transeunt, vt aliquam vtilitatem generi suo quærant ad Ponti fœtum (vt supra dictum est) in æstate transeunt, eo quod sit dulcior sinus, quia Sol non tandiu in hoc freto moratur, vt aquam dulcem exhauriat omnem, atque potabilem, qua maritima delectantur. Vnde & flumina sequuntur, & ad superiora ascendunt, sicque pisces alieni generis frequenter in fluuijs capiuntur. Illic pro congruentia loci temporisque fœtificant, ac teneros fœtus nutriunt, quo peracto simul omnes eo quo venerant agmine reuertuntur.

De morbis ac senectute illorum.

CAPVT XVI.

Argumentũ ægritudinis piscium.

PLinius. Ægrotare singulos pisces manifestum facit aliquorum macies, cum eodem genere capiantur, alij præpingues. Senectutis autem eorum indicium est duritia squamarum, quæ non sunt omnibus similes. Scribit Seneca, piscem in Cæsaris piscinis coniectum expirasse post 40. annum. *Aristot.* Siccitas (vt dictum est superius) nocet piscibus, quibusdam etiam nocet pluuia, quia cœcat eos quando fuerit multa. Non autem apparet infirmitas pestilentialis in piscibus, sicut in hominibus, ac cæteris animalibus, quibusdam tamen piscibus accidunt infirmitates propriæ. Sunt & pisces qui moriuntur cum à dracone mordentur. Draco quippe *marinus est venenosus*. Sunt etiam pisces qui apud canis ascensionem moriuntur calore. Sub kabari branchijs (vt supra dictum est) multi pediculi inueniuntur, à quibus interficitur. Iterum pisces cum accidit glacies moriuntur, & propter hoc in fluuijs, & lacubus apprehenduntur. Est etiam piscis habens in capite lapidem cui nocet hyems, quoniam infrigidatur in capite lapis, & coagulatur, sicque piscis ille cadit, ideſt moritur. Piscis qui dicitur gladius & est scorpioni similis pungendo, magnum dolorem inducit piscibus alijs, ideóque multotiens saliunt, sicut delphinus salit suo aculeo punctus. Præterea quidam pisces (vt dictum est supra) qui & sine radicibus oriuntur, si moueantur à locis suis moriuntur. Garum autem piscis valde mollis putrescit in locis valde calidis. Animalia quædam marina exuunt senectutem. Nam astocoz, & karabo coria sua exuunt aliquando in Vere, aliquando in Autumno. Omnes quoque concedunt, quod ea, quæ sunt mollis testæ senectutem exuunt. Dicitur etiam hoc illis, quæ sunt testei corij accidere, quia cũ exuerint, efficitur testa sua mollis valde. Pisces senes mali sunt ad saliendum, quia maior pars eius, quod continebatur in ventre, iam est dissolutum. Cognoscitur autem senectus piscium ex magnitudine, & ex duritia testarum. *Ex libr. de natur. rer.* Pisces in glacie moriuntur, olei quoque gustu extinguuntur.

Draco marinus venenosus.

Piscis gladius.

Pisces senectutem exuentes.

De inimicitia quorundam ad inuicem.

CAPVT XVII.

PLinius vbi supra. Sunt autem in piscibus inimicitiarum, atque concordiæ miracula. Mugil & lupus mutuo flagrant odio. Conger & muræna caudas inter se prærodũt. Polypum intantum locusta pauet, vt si iuxta viderit, omnino moriatur. Locustam conger, rursus polypum congri lacerant. Nigidius auctor est, prærodere caudam mugili lupum, eósque statis mensibus esse concordes. Omnes autem viuere, quibus sic caudæ amputentur. Amicitiæ vero exempla sunt ad inuicem habere societatem. Balænæ masculus quandoque prægraui superciliorum pondere obrutis eius oculis infestantia magnitudine vada prænatans demonstrat, oculorúmque vice fungitur. *Aristot.* Multis generibus piscium conuenit semper cum multis sociorum esse. Quidam separantur, & solitantur per se. Multis enim non est possibile cum aliquibus sociorum esse. Quidam enim diligũt se ad inuicem, & quidam non. Omnes autem piscium greges habent rectorem. Piscis (vt dictum est) qui dicitur gladius, scorpioni similis, pungendo magnum dolorem alijs piscibus inducit, ita quod eos salire facit. Delphinus de hac causa salit.

Antipathia.

Sympathia.

Rector gregis piscium.

Seneca de naturalibus quæstionibus lib. 8. Babillus auctor est cum ipse præfectus obtineret Ægyptum, eradicato hostio Nili, quod est maximum, sibi spectaculo fuisse, Delphinorum à mari concurrentium, & crocodilorum à flumine aduersum agmen, agentium velut pro partibus prelium. Fugax animal audaci, & audacissimum timido, ac crocodili ab animalibus placidis morsúque innoxijs inscinduntur. Cum enim his superior corporis pars dura sit, & impenetrabilis, etiam maiorum animalium dentibus, interior tamen est mollis, & tenera. Hanc delphini spinis, quas dorso eminentes gerunt submersi, aut in aduersum emissi diuidebant. Rescissis ergo hoc modo pluribus, cæteri velut acie versa refugerunt. *Ex lib. de nat. rer.* Frequenter quoque visi sunt Carabi ambulare, sicut greges, & ad inuicem bella partiri. Huius enim generis monstra fortissimè pugnant inter se, sicut arietes, muniúntque se multitudine sociorum aduersæ partes. Fiunt autem in huiusmodi animalibus bella, sicut & in cæteris, quatuor de causis, scilicet propter naturalem superbiam, propter cibum, propter coitum, propter fœtum. Et omnes quidem piscium greges habent rectorem. Nullus autem piscis ex præda viuens socialiter natat, vt lucius, & sui similes. Omnes autem pisces mares inuicem se comedunt, excepto vno, vt supra dictum est.

Pralium Delphinorum & crocodilorum.

Caraborum pralium.

De diuersis generibus piscium.

CAPVT XVIII.

ARistoteles. Malaciæ dicitur genus piscium, quod est mollis carnis, creatum ex carne tantum. Habent ex membris extrinsecis pedes, & caput quod est inter ventrẽ, & pedes. Omniáq; huiusmodi quatuor pedes habent diuisos inter duo, præter vnum genus quod dicitur multorũ pedum. Malaciæ natant per capita sua, & omnia testem mollem habentia, sicut karabos. Et animalia quędam ambulantia, sicut genus cancrorum, quia natura eius est aquosa. Malaciæ genus augmentatur in locis calidis, & magis est in pelago, quam prope ripas, præcipuéque in locis vbi multiplicantur aquæ insipidæ. In corpore malaciæ non est os, nec vlla pars terrestris distincta per se. Animalia marina duræ testæ ambulant, & pascuntur, & à testa capita extrahunt, & quando timuerint, ipsum reponunt. Sunt & in mari quędam in quibus dubium est, vtrum animalia sint, vel plantæ, sunt enim continua cum locis in quibus inueniuntur, & corrumpuntur si ab illis mutentur. Omne quoque corii testei simile est plantæ, cum animali tamẽ confertur ambulanti. Et ex eis est, quod omnino sensu caret, & quod debilem sensum habet. Animalia testea immobilia se cibant à dulci aqua. Et est piscis (vt dictum est) habens in capite lapidem, eique nocet hyems, quia lapis in capite infrigidatur, & coagulatur, sicq; piscis cadit, ideſt moritur. Piscium (vt dictum est) quidam sunt marini, quidam fluuiales, quidam lacuales, & quidam habẽt os in opposito, quidam in anteriori, *quædã in dorso.* Quidam à loco suo mouentur, quidam non. Piscis (vt dictum est) qui dicitur garum, est mollis valde, sed ventus, & frigus indurat ipsum, sicut arboribus accidit, & ipse in locis valde calidis putrescit. In quibusdam marinis non est sanguis, vt est sæpia, & karabos, & omnia, quæ plures habent quatuor pedibus. *Plinius vbi supra.* Tria genera sunt aquatilium sanguine carentium. Primum, scilicet quæ appellantur mollia. Deinde crustis tenuibus contecta, postremo testis duris cõclusa. Mollia sunt lolligo, sæpia, polypi, & cætera huius generis, de quibus, sc. dicetur infra. Silicea testa inclusis fatendum est nullum esse sensum, vt ostreis. Eadẽ quoque natura,

Malacia pisces.

Os piscium in dorso.

Tria genera piscium sanguine carentium.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quæ frutici, eſt multis, & olothyris, pulmonibus, & A ſtellis. Denique ſpicium ſpecies ſunt 74. præter cruſtis intecta, quæ ſunt 30. *Iſidor.* Inter hoc autem amphibia ſunt quędam genera piſciũ, ſic dicta (vt iam dictum eſt ſupra) quia & in terris ambulandi habent vſum, & in aquis natandi habent officium.

De diuerſis figuris piſcium.

CAPVT XIX.

Pinna vice pedum.

Piſces aliqui non oua pariunt ſed animal.

PLinius vbi ſupra. Marinorum piſcium alij ſunt, vt rhombi, ſoleæ, paſſeres, qui à rhombis ſitu tantum corporum differunt. Alij longi, vt muræna, conger. Ideóque pinnarum quoque fiunt diſcrimina, quæ pedũ vice datę ſunt piſcibus. Nullis ſupra quinas, quibuſdã trinæ, quibuſdã binæ, aliquibus nullæ. In Fucino tantũ lacu piſcis eſt, qui octonis pinnis natat. Binæ omnino longis, vt lumbricis, & anguillis, & congris. Nullæ vero vt murænis, quibus nec branchiæ. Hæc omnia flexuoſo corporum impulſu, ita mari vtuntur, vt ſerpentes terræ in ſicco, ideo etiam viuaciora talia. E planis etiam aliqua non habent pinnas, vt paſtinacæ. Ipſa enim latitudine natant, & quæ mollia appellantur, vt polypi, quia pedes illis pinnarum vicem præſtant. Planorum piſciũ quidam pro ſpina cartilaginem habent, vt rapæ, paſtinacæ, ſquatina, & quos bouis, lamiæ, aquilæ, & ranæ, nominibus appellat Græcia, quo in numero ſunt ſquali quamuis non plani. Omnia talia carnoſiora ſunt, & ſupina veſcuntur. Cúmq; cæteri piſces oua pariãt, hoc ſolũ genus, vt ea quæ cete appellant, animal parit, excepto quam ranam appellant. Certiſſima ſecuritas eſt planos piſces vidiſſe, quia nunquam ſunt vbi maleficæ beſtiæ, qua de cauſa vrinantes ſacros appellant eos. *Ariſt.* Piſces longi non natant, ſed ſerpunt in aqua, ſicut ſerpentes in terra, longóque tempore viuunt. Piſces longi (vt ſupra dictum eſt) impinguantur vento ſeptentrionali, & ideo in æſtate deprehenduntur eorum multi, Piſces autem ampli impinguantur vento meridionali.

De multiformi ſpecie ipſorum.

CAPVT XX.

Omnes ſpecies terreſtres expreſſa ſunt in marinis animalibus.

Nota diſcurſum pro virtute aquæ Baptiſmalis.

ARiſtoteles. Animalia in aqua manentia multiplicioris formæ ſunt, quam in terra, quia natura humidi conuenientior eſt creationi quam terra, maximéque animalia marina. Nam & in mari ſunt animalia corpulenta, pluſquam in aqua dulci, quia natura maris eſt calida, & habet communicationem in omnibus partibus, ſcilicet terra, humido, & vento. *Ambr.* Aduerte homo quanto plura in mari, quam in terra ſunt, numera ſi potes omnium piſcium genera, vel minutorum, vel maximorum. Quid attexam etiam merulas, & turdos, & pauos. Quorum colores in auibus videmus expreſſos, vt nigri meruli, paui diuerſo dorſa, & colla picta ſunt, turdi albo varij, *& cætera quorum terræ ſibi ſpecies, &* nomina vendicauerunt. Nam prius in mari diuerſiſq; fluminibus iſta cœperunt. Siquidem aqua prior animarum viuentium reptilia diuino nutu imperata produxit. Adde & hanc gratiam, quod ea quæ timemus in terris, in aqua innoxia ſunt, leo terribilis in terris, ſed dulcis in fluctibus. Muræna quam ferunt aliud habere noxium, eſca precioſior eſt. Rana horrens in paludibus, decora in aquis, omnibus ferè præſtat alimentum. Muſtelæ grauis in terris odor, in aquis ſuauis. Quid loquor coruorũ, quid etiam luporum teneritudines. Neſcit hos lupos agnus timere. Tanta eſt aquarum gratia? quarum vitulos fugiant, & leones. Quid etiam purpuras memorem, quæ regum conuiuia, cœnam, amictus induunt? Aquarum ergo eſt, quod in regibus adoratur. Adde; porcos maris etiam vides gratos, quia nihil eſt commune, quod non aqua abluat, vnde communes eos, ſicut in terra editos æſtimare non poſſunt.

Plin. libr. 9. Quòd autem in aquis complura ſunt, maiora etiam terreſtribus animalia. Cauſa euidens eſt humoris luxuria. Alia ſors alitum quibus vita pendentibus. In mari autem tam latè ſupino mollíque ac fertili accremento accipiente cauſas genitales ſublimi, ſempérque pariente natura, pleráque etiam monſtrifica reperiuntur, perplexis, & in ſemet aliter, atque aliter, nunc flatu, nunc fluctu conuolutos ſeminibus, atque principijs, vt vera fiat vulgi opinio, quicquid naſcitur in parte naturæ vlla, & in mari eſſe: præterquam multa quæ nuſquam alibi, rerum quidem non ſolũ animalium ſimulachra ineſſe, licèt intelligere intuentibus, vuam, gladium, ſerras, Cucumim vero, & in colore, & in odore ſimilẽ, quo minus miremur equorum capita in tam paruis eminere cochleis. Piſcium ſpecies ſunt 74. præter cruſtis intecta, quæ ſunt 30. piſcium ſanguine carentium tria ſunt genera (vt dictum eſt ſupra) horum mollibus caput eſt inter pedes, & in ventre, pediculi octoni. Sepiæ autem, & loligini duos pedes ex his longiſſimi, & aſperi, quibus ad ora admouẽt cibos, & in fluctibus ſe velut anchoris ſtabiliunt. *Ex li. de na. rer.* Piſcium alij branchias habent multiplices, alij ſimplices. Et alij quidem per capita ſua natant, alij per caudas. Quidam vero piſces (vt ait Plinius) naturaliter tantæ leuitatis ſunt, vt niſi capita maxima portione corporum haberent, in aquis mergi non poſſent. In profundo maris multa piſcium genera ſunt, quæ nunquam, aut vix ad viſus hominum exeunt. Eſt piſcis armatus, ad modum militis, & eſt piſcis monachum repræſentans.

Rerum omnium ſimulachra in mari.

Species piſciũ quot?

Piſcis armatus piſcis monachus.

De diuerſis tegumentis piſcium.

CAPVT XXI.

Tegumenta varia piſciũ.

Nota.

Complexio animalium duræ teſtæ.

PLinius lib. 9. Aquatilium quoque tegumenta plura ſunt. Alia corio, & pilis teguntur, vt vituli, & hippotami. Alia corio tantum, vt delphini. Cortice, vt teſtudines. Silicum duritia, vt conchæ, & oſtreæ Cruſtis, vt locuſtę. Cruſtis, & ſpinis, vt echini. Squamis, vt piſces. Aſpera cute, vt ſquatina, qua lignum, & ebora polliuntur. Molli, vt murenæ. Alia nulla, vt polypus. *Quæ pilo veſtiuntur, animal pariunt, vt piſtis, balæna, vitulus. Item pilo carentium duo omnino ſunt, quæ animal pariunt, delphinus ac vipera.* Piſcium (vt prædictum eſt) genera cruſtis intecta ſunt 30. ſenectutis inditium eſt ſquamarum duritia. Ariſt. Piſcium ac ſerpentium quidam habent corium lene, quidam aſperum, quidã ſquamoſum, quidam vero ſpinoſum. Quidam etiam piſcium corium habent corticibus plenum. Habentes autem coriũ lene pauci ſunt. Cheleti vero corticem habent, ſed aſperum, quia creatio eius eſt cartilaginoſa, atque ſpinoſa. Pars enim terreſtris tranſit in corium naturaliter. Animalium quidem ſanguinem non habentium, quoddam eſt malacum, ideſt molle, carens teſta, & eius caro eſt extra. Quod autem durũ eſt exterius in modum ſepię, quoddam eſt mollis teſtæ, vt cancer, quoddam vero eſt duræ teſtæ, vt oſtrea, & annuloſum. Eſt autem piſcis de genere oſtreæ, ideſt duræ teſtæ, qui cauda natat, & repit. Animal autem quod dicitur thico, multæ ſuperfluitatis eſt magis quam animalia cætera, quia totũ corpus eius eſt abſconſum in teſta. Creatio vero teſtæ, eius eſt inter creationem teſtæ, & corij. Teſta eius eſt applicata lapidibus, & in eius corpore ſunt duæ viç paruæ, quæ difficile videntur, & per eas recipit humiditatem. Cumque finditur corpus eius, inuenitur vna tela, cuius creatio numeroſa eſt in circuitu teſtæ, & in illa tela eſt caro. Eius autem caro non aſſimilatur carni alicuius animalis marini. Tela vero extenſa eſt ex vtraque parte vſque ad vias extrinſecas, ſcilicet viam per quam recipit humiditatem, & viam per quam eijcit, & per vnam earum recipit cibum ſuum. Diuerſitas inter animalia duræ teſtæ & arbores hæc eſt, quod humidũ eſt propinquius vitæ ſuæ, & aqua propinquior eſt eis, ideſt conchylibus, quam terra. Et ob hoc natura animalium duræ teſtæ propinquior eſt vitæ, quam arbores. Et ſicut eſt comparatio arborum ad terram, ſic eſt animalium duræ teſtæ ad humidum. *Animalia quoque duræ teſtæ, ac mollis frigidæ naturæ ſunt, & non habent ſanguinem.*

Omnia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Omnia genera duræ teſtæ partem habent carnoſam intra teſtam, præter ericium marinum. Et quædam ſunt aſperæ teſtæ. Quædam habent teſtas laneatas, & diuerſificantur in ſpiſſitudine, & gracilitate. Marina duæ teſtæ ambulant, & paſcuntur. Quidam piſces habentes oua gracilia & rara ſunt debilis corticis. Quod autem ex eis eſt longi corporis caret cortice, nec ouat. Cortices piſcium incraſſantur, & dureſcunt propter eorum ſalutem. Et quod in eis magis macilentum, ac ſenex fuerit, durioris eſt corticis. *Ex libr. de nat. rer.* Quidam piſces in cauernis latentes eijciunt ſenectutem, ideſt corium. Qui autem teſtei corij ſunt non ex vitio ſenectutis in vere, & autumno. In mari occidentali *piſces ſunt, ex quorum pellibus homines ampla, & pulchra ſibi veſtimenta* faciunt.

Veſtimenta ex pellibus piſcium.

De carnibus piſcium, & adipibus eorum.

CAPVT XXII.

Auicenna. Omnis piſcis natura frigidus eſt, & humidus. Quidam tamen calidi ſunt ad comparationem aliorum. Saliti quidem calidi ſunt, & ficci, & quanto plus antiquantur, tanto plus in ambobus augmentantur. Piſces recentes generant phlegma aquoſum, & mollificant neruos, *nec conueniunt, niſi ſtomacho valde calido.* Et ſanguis eorum ad ſubtilitatem declinat. Species piſcium ſalitorum extrahunt ea, quæ carni infixa ſunt. Aqua piſcium ſalitorum confert vlceribus, & abluit ea à ſanie. Capita piſcium ſalitorum exiccatorũ conferunt vuæ apoſtemoſę. *Comeſtio* turefulæ cum eſt recens acquirit cæcitatem oculo, imo & omnes piſces. Gluten vero piſcium apponitur ſorbitionibus, & prohibet ſputum ſanguinis. Omnis piſcis recens comeſtus dum calidus eſt, augmentat in coitu. Quando clyſterizatur cum ſuccis ſalitorum multotiens, confert valde dolori ancliæ. Omnia iura piſcium leniunt ventrem. Capita ſumeros ſalitorum aduſta ponuntur ſuper morſum canis rabioſi, & punctura ſcorpionis, & confert. Similiter & omnes piſces, & iura eorum. Ius omnis piſcis confert venenis bibitis, & puncturis.

Piſces recentes nocẽt ſtomacho frigido.

Glutem piſciũ

Iura piſcium

Ariſt. Piſces autem ſenes mali ſunt ad ſaliendum. *Plin. lib.* 32. Omnium autem piſcium fluuiatilium marinorúmque adipes liquefacti oleo admixto melle, oculorum claritati plurimum conferunt. *Auicenna.* Adeps piſcis confert aquæ oculi, & acuit viſum cum melle. *Dioſcorides.* Adeps piſcium fluuiatilium melle mixto ſolutus in ſole caligines oculorum detergit. *Auicenna* Cola de piſcibus calida eſt, & ſicca glutinatiua, & exiccatiua. Ponitur in ſymplaſmatibus, & in medicinis albaram. Linitur quoque ſuper ſahaphat, & confert veſicæ aduſtioni. Ponitur etiam in emplaſtris vlcerum capitis, & ſcabiei vlceroſa. Item in potu cum aceto datur ad ſputum ſanguinis. *Hali.* Piſces dormitantes ſi ponantur ſuper illum, qui cæphaleam patitur, proderit illi. Adeps quoque piſcis liquefactus, ſi melli miſceatur, & collyriſetur, elimat viſum, & confortat. Prodeſtque aquæ incipienti in oculo. *Ex libr. de nat. rerum.* Carnes piſcium in dorſo, & anterius duriores ſunt cæteris partibus corporis. Omnes piſces lapidoſi pingues ſunt. Et omnes quidem piſces, qui per amplitudinem natant, vt bothe, & pectines, vento meridionali flante impinguantur. Qui vero in longum extenduntur, vt lucij, flante ſeptẽtrionali. Pulmone marini piſcis ſi fricetur lignum, arderе videbitur ſicut & oleum. Vnde & ex quorundam pulmonibus oleum fieri conſuetum eſt.

Adeps.

Carnes piſciũ

De multiplici carnium eorum diuerſitate.

CAPVT XXIII.

Iſaac. Omnis autem piſcium natura naturaliter eſt frigida, & humida, phlegmatis generatiua, conueniẽs *calidam, & ſiccam complexionem habentibus, & macidis,* maximè in æſtiuo tempore, & calidam inhabitantibus regionem. Inconueniens eſt frigidis, & humidis complexionibus, & carnoſis, maximè ſi molles fuerint. Naturaliter enim corpus eorum infrigidant, & humectant; variantur autem piſces ſecundum diuerſitatem aquarũ in quibus habitãt. Et ſecundum diuerſitatem ventorum in quorum plaga ſunt. *Ariſtot.* Loca prope terram magis temperata ſunt. Et ideo carnes piſcium ibi conuerſantium fortiores ſunt. Prope quoque terram eſt profundo melius, quia bonus eſt in eo paſtus, propter aſcẽſionem enim Solis oriuntur ibi molles arbores, maximè in hortis. Carnes vero piſcium qui in profundo maris ſunt magis humidæ ſunt. Omnéſque lapidoſi piſces ſunt pingues. Siccitas temporis nocet piſcibus. Maior vero pars eorum impinguatur pluuioſis tẽporibus. Tunc enim multum inueniunt cibum. Ipſa etiam aqua pluuiæ valet eis omnibus, & ob hoc impinguantur in fluminibus, & lacubus, maximè autem conuenit eis aqua pluuiæ æſtiualis. Quidam autem impinguantur in locis, in quibus eſt nubes aquæ viridis. Piſcis enim qui carnes comedunt, multũ in aqua viridi cibum inueniunt, vnde & ibi deprehenſi meliores ſunt. Quidam etiam impinguantur vento ſeptentrionali, vt piſces longi. Quidam vero meridionali, vt piſces ampli. Non autem impinguantur in locis frigidis. Piſces teſtei corij, ac mollis, teſtæ cum impinguantur boni ſunt, quidam vero piſces ècontrario ſunt. Omnes autem piſces habentes cortices, cum pullificant, in maiori parte mali ſunt. Piſces quoque veteres mali ſunt. Piſces fluuiales, & lacuales boni ſunt poſt pullificationẽ, & coitum, maximéque ſi multum habuerint cibũ. In omnibus autem generibus piſcium mares ſunt meliores fœminis eorum. *Iſaac.* Diuerſitas quoque piſcium per artificium coctionis multifariam diuiditur. Aut enim aſſi comeduntur, aut cum oleo frixi, aut cocti in aqua, & oleo, & condimentis, aut ſola aqua elixi. Aſſi quidem, & frixi minoris ſunt viſcoſitatis, & humiditatis. Vnde ſi neutrum ſunt, humefactiui ſunt, duriores ad digerendum, vtpote ſtomachum grauantes. *Aſſi tamen frixis laudabiliores,* quia frixi quiddam habent viſcoſitatis propter oleum. Piſces autem cum oleo, & aqua, & ſimilibus pręparati, ſunt cæteris digeſtibiliores, & ventris ſolutiui. Cum aceto cocti, erunt refrigeratiui, minus tamen humefactiui, qui vero cum aqua ſola elixantur, ſunt omnibus laudabiliores, quoniam eorum viſcoſitatem aqua coctionis in qua cocti fuerant abſtulit, præcipuè ſi manducentur cum oleo obſomagaro, menta, apio, ruta, carui, pipere, zinzibere, & conſimilibus.

Venti impinguant piſces.

Aſſi & frixi piſces.

De electione piſcium meliorum ad eſum.

CAPVT XXIV.

Auicenna. Piſces *meliores ſunt illi, qui non ſunt magni* valde, nec habent carnem duram, nec ſiccam, & in quibus non eſt pinguedo ſuperflua, nec craſſa, nec acris, nec muſtilago, nec malus ſapor, vel odor, & quibus non cito fœtor aduenit cum ab aqua ſeparantur. Ex piſcibus duram carnem habentibus eligitur minor. Ex mollibus autem ille, qui maior eſt ad terminum aliquem. Et ille quidem, qui carnem habet duram ſallitus, recens melior eſt. Item ſecundum locum meliores ſunt illi, qui morantur in locis petroſis. Deinde qui in arenoſis, & aquis dulcibus, in quibus non ſunt ſordes, nec ſunt limoſi, nec lacuales, nec campeſtres. Item illi qui morantur in aquis diſcoopertis flatui ventorum ſuper ſe, meliores ſunt eis, qui ſunt ècontrario, & qui morantur in locis multarum agitationum, & vndarum, meliores ſunt illis, qui habitant in aquis ſtantibus. Marini piſces optimi ſunt, & ſubtilis carnis, præcipuè cum eorum habitatio eſt in littoribus petroſis, vel etiam arenoſis, & illi quidem, qui de mari vadunt ad flumina dulcia, quorum curſui contraria eſt aqua, natura ſubtiles ſunt, & plurimi exercitij. Porro ſecundum cibum meliores ſunt illi, qui cibantur herbis bonis, & radicibus, quam illi qui comedunt ſordes proiectas è ciuitatibus, & radices plantarum malarum, quamuis ſint in

Parui meliores eſu.

Meliores petroſi & arenoſi.

Piſces quibus conueniunt.

vltimo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vltimo boni saporis. Modus autem melior comedendi pisces est alffidabeg, idest condimento, sicut cum aceto, & huiusmodi. Deinde illorum, qui assati sunt super testam. Frixi vero conuenientes sunt habentibus fortem stomachum. Et assati quidem nutribiliores sunt, & tardioris descensionis, elixati autem è contrario. Quorum decoctio illa melior est, *vt coquatur aqua, donec ferueat, deinde proijciãtur in eam.* Ex sallitis meliores sunt recẽtes. Deinde propinqui termino quo salliti sunt. Aqua in qua elixantur pisces salliti vehementis est mundificationis, & ponitur in clysteribus exiccationis.

Decoctio piscium.

De venatione, siue piscatione piscium.

CAPVT XXV.

Tempus venationis.

ARistot. Pisces (vt dictum est) quoniam auditum habent, oportet eos in quiete venari. Venantur autem melius ante Solis ascensionem, quia tunc non bene vident. Quodlibet autem genus piscium habet rem venationi suæ appropriatam. Plures enim aliquid diligunt, quod eis in cibo est cognitum, & venantur per ipsum. Fugiunt autem ad quorundam olfactum. Plures illorum non tangunt vas quo venantur, nisi sit nouum. Quidam vero per fœtida deprehenduntur. Multi vero pisces latent in cauernis, & non deprehenduntur omnino, nisi temporibus determinatis. Quando glacies accidit, pisces moriuntur, & propter hoc fluuijs, & lacubus deprehenduntur. Cum autem venatores volunt, vt pisces in lapidibus manentes exeant, ora cauernarum lapidum cum salsis confricant, & tunc cito pisces egrediuntur, sicque deprehenduntur. Quidam vero diligunt odorem rerum combustarum, & fumum, & ideo cremantur sepiæ carnes, ac comprehenduntur pisces per odores earum. Quidam autem cum senserint vocem ac strepitum fugiunt ad profundum. Quidam piscis ex aqua sordida strangulatur, quia branchiæ eius sunt paruæ & ideo turbant aquam quando volunt eum venari. Quidam vero quando timet, abscondit in corpore suo caput suum. Et quidam, vt pecten, si quid appropinquauerit pedibus eius, subito claudit oculum. Pisces longi, maximè deprehenduntur in æstate multi, quoniam impinguantur vento septentrionali. *Plin. lib. 9.* Omnes fœminæ piscium ouis grauidæ facilè comprehendũtur, gregatim ferè vagantur squamosi, cuiuscunque generis, capiuntur ante ortum Solis. Tunc enim fallitur piscium visus, noctibus quidem illustribus cernunt æque sicut in die. Aiunt & si gurges iteretur interesse capturæ, itaque *plures secundo tractu capi, quam primo.* Gustu olei maximè vberrima est captura piscium Sole transeunte piscium signum. Cúmque asperæ fuerint hyemes, multi capiuntur cœci.

Vt egrediantur è cauernis.

Nota pro captura piscium.

Adhuc de eodem.

CAPVT XXVI.

EX *libr. de natur. rer.* Quidam autem pisces venantur in cauernis, maximéque vbi locus calidus fuerit. Sed & quando desiderant cibum, exeunt modicum ad pascendum, maximéque apud Lunæ complementum, & tunc venantur eos. Quidam vero manentes in lapidibus exire coguntur per hoc, quod eorum cauernæ cum salsis confricantur. Est autem piscis, quem cum aliquis extrahere vult à loco suo, constringit se, ac difficile extrahitur. Quod etiam facit quãdo percutit ipsum vnda, vel ventus fortis, & si pars illius ceciderit, de residuo crescet, quale est ipsum. Quando mare inspissatur, sæpè plures pisces vno reti deprehenduntur. Quidam vero pisces *non intrant in vas vetus ac sordidum, sed in nouum* veniunt, & à remotis. Quidam etiam capiuntur per odorem rerum combustarum, & facientium fumum. Piscatores venantur pisces à mari in hyeme ad flumen fugientes, fouea facta prope ripam, ita quod riuus à ripa decurrat ad foueam. Superponunt enim ligna, & herbam, sicque per viam riui pisces intrantes deprehenduntur. Porro in æstate venantur eos, ponentes in medio flumine ligna multa, & lapides, ita quod aqua transire potest, faciúntque in eo vnum orificium, in quo ponunt instrumentum concauum, sicque prendunt eos per ipsum. In reti vero sunt quędam, quæ naturaliter ad ima tendunt, vt plumbum, quædam vero leuia, quæ rete ab imis eleuãt, & natare faciunt. Item pisces dormientes manu capiuntur, & in somnis ferro tridente (vt dictum est) percutiuntur, meliúsque capiuntur ante Solis ortum, quia tunc maximè fallitur visus eorum. Quidam etiam quando fœtificant infirmantur, & ob hoc eo tempore facilius plerumque capiuntur. Quidam non tangunt vas quo venantur, nisi recens sit, habent enim sensum tactus. Alij vero, qui non habent, citius capiuntur. Est autem & modus venationis piscium, vt fiat fossa iuxta fluuium, ita quod aqua ingrediatur, ibique ligna ponantur, tunc enim pisces à fluuio veniũt, & ibi propter quietem delitescunt, maximéque in hyeme. Omnis piscis (vt dictum est) naturaliter habens in capite lapidem, hyeme magis læditur, quam qui non habet, quia lapis ille cerebrum infrigidat. Ob hoc ingruente frigore pisces huiusmodi profunda petunt. *Auctor.* In summa nota, quod pisces aliquando capiuntur reti, vel sagena, aliquando hamo, aliquando polydente, aliquando lutra, aliquando gurgustio, siue nassa, aliquando calatho, aliquando viuarij siccatione.

Venatio in æstate.

Modus piscialis venãdi pisces.

De Luxuria hominum in captura, & esu piscium.

CAPVT XXVII.

SEneca *vbi supra libr.* 1. Incredibilia sunt opera luxuriæ. In cubili natant pisces, & sub ipsa mensa capitur, qui statim in mensam transferatur. Parum recens videtur mulus, nisi qui in conuiuæ manu moritur, obseruatur morientium color, quem in multas mutationes mors ipsa luctante spiritu vertit. Rubor primum, deinde pallor suffunditur, longa sumniculosæ inertisque luxuriæ expectatio. Nolunt attingere, nisi eodem die captum, qui ipsum (vt aiunt) mare sapiat. Ideo cursu aduehitur, ideo gerulis cum anhelitu, & clamore properantibus via datur, & ad mortem muli concurritur: quo peruenere delitię? ad hunc fastum peruenit delicatorum venter, vt gustare non possint, nisi quem in ipso conuiuio natantem palpitantémque viderunt, & oculos antequam gulam pascunt. Quotidie subtilius & elegãtius aliquid excogitat luxuriæ furor, vsitata contemnẽs. Audiebamus nihil esse mulo saxatili melius, ac nunc audimus nihil esse moriente formosius. Da mihi, inquit, vitreum in manus, in quo exultet, ac trepidet mulus. Vide quomodo rubor omni minio acrior exardescat? Vide quas per latera venas agat? Hi itaque non sunt ad popinam dentibus, ore, ventre contenti, sed oculis quoque gulosi. *Plin. vbi supr.* Iam quidem ex tota rerum natura damnosissimum ventri mare est, tot modis, tot mensis, tot saporibus piscium, quorum pretia capientium periculo fiunt.

Luxuria Romanorũ vsq; ad nostra sæcula deducta.

De Nominibus piscium.

CAPVT XXVIII.

ISidor. Pecoribus quidem ac bestijs, & volatilibus antea homines imposuerunt nomina, quam piscibus, quia prius visa & cognita sunt. Piscíũ vero postea paulatim cognitis generibus nomina instituta sunt, aut ex similitudine terrestrium animalium, aut ex specie propria, seu moribus, seu colore, vel figura, aut sexu. Ex similitudine terrestrium animalium, vt ranæ, vituli, leones: ex moribus terrestrium, vt canes in mari à terrenis canibus, eo quod mordeant, & lupi, eo quod improba voracitate alios persequantur. A colore, vt vmbræ, quia ex colore vmbræ sunt. Et auratæ, quia in capite suo auri colorẽ habẽt. Et varij, à varietate quos vulgo trutas vocant. A figura, vt orbio, quia rotundus est, totusq; in

Nota de vase.

Nomina piscibus seriùs indita.

capite

capite conſtat. A ſexu, vt maſculus eo quod ſit ipſius balæne maſculus. Eius enim coitu concipere hæc bellua perhibetur. Hinc & maſculi cochlearum dicuntur, quarum lacte concipiunt oſtreę. Itaque animalium in aquis viuentium nomina 144. Plin. ait: diuiſa in generibus beluarum ſerpentium terræ, & aquæ communium cancrorum, concharum, locuſtarum, peloridum, polyporum, ſolearum, atque locuſtarum, vt eſt loligo, & ſibi ſimilia. Ex quibus & multa quodam intellectu naturæ temporum ſuorum ordinem agnoſcunt. *Auctor.* multa quidem genera piſcium, præcipuéque fluuialium, atque ſtagnantium apud nos in vſu ſatis habentur, de quibus nihil in philoſophorum libris ſcriptum reperitur, vel forſitan aliis nominibus nobisque ignotis apud eos appellantur, vt Salmo, Lucius, Tenchia, Pertica, Vendeſia, Gardo, Gobio, & cætera.

De naturis piſcium in ſpeciali ſecundum ordinem alphabeti, & primo de abrenone, & achande & accipendro. albirez alphoraz.

CAPVT XXIX.

Abrenon. EX *libr. de natur. rer.* Abrenon, aliàs abarenon eſt piſcis, vt dicit Ariſt. multum fœcundus ouis, nec aliorum ea more contactu maris parit, ſed naturali quodam inſtinctu ventrem ſuum ad arænam fricat, quæ cõtactu aſpera eſt, & guſtu ſalſa. Sícque oua concepta parit, & poſt tempus debitum fœtus educit. *Iorath in libro de animalibus.* Piſcis abren hora tempeſtatis maris, natos ſuos in ventre ſaluat, & poſt tempeſtatem euomit eos. *Idem Achandes* piſcis ſollicitus de pullis ſuis nauibus maris adhæret, ſicque propter ipſum omnino fiũt immobiles naues. *Ex lib. de naturis rerum.* Accipendet eſt, vt dicit Plinius, piſcis apud antiquos nobiliſſimus, qui ſolus contra morem omnium piſcium habet ſquamas toto corpore ad os verſas. *Plin. li.9.* Apud antiquos piſcis nobiliſſimus habitus *accipender*, vnus omnium ſquamis ad os verſis, contra aquam nando meat, nullo nunc in honore eſt, quod quidem miror cum ſit rarus inuentu, quidam eum elopẽ vocant. *Albirez* eſt piſcis marinus habens cutem adeo ſpiſſam, & duram ac firmam, vt ea milites vtantur pro galeis. *Alphoraz* eſt piſcis, qui non gignitur, ſed in loco lutoſo, vbi non eſt aqua, ex ipſius luti putredine in modum vermiculi creatur. Poſtea cum aſcenderit aquam, creſcit in piſcem, durat autem modico tempore, citóque diſſoluitur.

Achandes. *Accipender.* *Albirez.* *Alphoraz.*

De Halece.

CAPVT XXX.

Halec. ISidorus. Halec piſcis eſt ad liquorem ſalſamentorum idoneus, vnde & nuncupatus. *Auctor.* Fertur autem halec ex puro aquæ elemento viuere, ſicut ſalamandra ex igne *Plin. li.39.* Halece ſcabies pectoris ſanatur infuſa per cutem inſciſam, & cõtra canis morſus, draconisve marini prodeſt. *Ex li. de nat. rer.* Halec eſt piſcis marinus admodum paruus in occiduo mari, quod Mediterraneum eſt inter maiorem Britanniam, & Germaniam. Hoc vt vnumquodque ferè genus piſcium marinorum habet tempus ſuum, in quo ſolo ſit bonum, ſcilicet ab Auguſto vſque ad Decembrem; qui cum recens captus fuerit delicatiorem cibum præbet. Salſus autẽ in vſum hominum vltra, quam alij piſces ſanus durare poteſt. Omnium quoq; fẽrè piſcium ſolus aqua viuit tantum. Nec niſi in aqua viuere poteſt. Nam ſtatim, vt aeris ſerena contigerit, expirat. Nec *vlla mora eſt inter contactũ aeris, & expirationem.* Oculi eius inſtar luminis de nocte lucent in mari, ſed horum virtus cum ipſo piſce moritur. Vbicunque ſuper aquas in mari lumen vident, gregatim adnatant. Et hoc aſtu dum ad retia dictis temporibus alliciuntur quaſi parati ad capiendum diuino munere inuſus hominum deducuntur. Hibernis autẽ temporibus ſecreto maris vſque ad tempus debitum abſcõduntur, & hoc circa Germaniam.

Nota. *Modus capiendi halecet.*

De Anguilla.

CAPVT XXXI.

Anguilla etymon. ISidorus. Anguilla dicitur ab anguis ſimilitudine, huius origo ex limo eſt. Vnde & quando capitur adeo lenis eſt, vt quanto fortius preſſeris, tanto citius labatur. Ferunt autem orientis fluuium Gangen anguillas tricenis pedibus gignere. Item anguillę vino necatæ, *qui ex eo biberint, tædium vini habent. Plin. lib.9.* Anguillæ octonis viuunt annis: Durant & ſine aquis diebus ſenis aquilone ſpirante, auſtro paucioribus. At hyemem in exigua aqua non tolerant, neque in turbida. Ideo circa Vergilias maximè capiuntur, fluminibus tamen præcipue turbidis, paſcuntur noctibus, exanimes piſcium ſolæ nõ fluitant. Porro vice pedum pinnæ datæ ſunt binę piſcibus omnino longis, vt anguillis, & congris. Item anguillæ ſcopulis ſe atterunt, eaque ſtrigmenta viueſcunt, nec alia eſt earum procreatio. Diutius autem cæteris viuunt anguillæ aquis exemptæ. *Idem in li.10.* In anguillis omnibus, nec eſt maſculinum, neque fœmininum genus, quæ nec animal, nec ouum ex ſe generant, ſicut neutrum eſt, & oſtreis genus, cæteriſque vado, vel ſaxo adhęrentibus. *Ex lib. de naturis rer.* Anguilla ex aliorum piſcium limo naſci dicitur. Difficulter excoriatur, duriſſimam habet mortem, quæ *etiam excoriata viuit*, ad vocem tonitrui commouetur. Aquis claris fluuialibus gaudet, & in abſconſione pleiadarum maximè capitur, quia tunc ex ventis oppoſitis aqua turbatur, ad piſciculos inferioris poteſtatis rapax eſt, maximè tamen cum in ſemine reperiuntur. Exanimis *ſola piſcium non fluitat*, niſi cum aquis putrefacta diſſoluitur, plus alio cibo decoquitur, aliter nociuus eſt cibus eius: ad ignem aſſata plus competit, quia malitia eius illic euaporatur, pinguedo eius auribus medetur.

Nota pro ebrijs. *Excoriata viuit.* *Nota.*

De Aranea, & ariete, & arimi.

CAPVT XXXII.

Aranea etymon. ISidorus. Aranea genus eſt piſcis, dictum, eo quod aure feriat. Habet enim in ea ſtimulos quibus percutit proximantes. *Auic.* Aranea marina, videtur quod diſpoſitiones eius propinquæ ſint diſpoſitionibus ſcorpionis. Huius itaque morſus, cæterorúmque reptilium marinorum venenoſorum, dixerunt curandos eſſe cum theriacis, quibus curatur venenum frigidum, & cum medicinis rutelarum, & theriaca earum. *Plin. lib.9.* Araneus aculeo ſpinæ in dorſo obnoxius eſt, ac venenoſus. *Arses* eſt ſpicis, qui craſſatur, vt latro, nunc grandiorum nauiũ in ſalo ſtantium occultatus vmbra, ſi quem nãdi voluptas inuitet, expectat, nunc elato extra aquam capite piſcantium cymbas ſpeculatur, occultúſque adnatãs mergit *Æſculapius, in lib. de animalibus.* Arimi piſcis, cum homo viderit eum inebriat, & mouet eum ad rixas, & contentiones poſtquã vero comederit placatur ira eius.

Aries. *Arimi.*

De Aſpidochelone, & aurata.

CAPVT XXXIII.

Aſpidochelone. PHyſiologus. *Aſpidochelone* Græcè dicitur bellua quædam in mari, quæ Latinè dicitur aſpidoteſtudo. Eſt autem cætus magnus habens ſuper corium ſuum tanquam ſabulum, quod eſt iuxta littus maris. Vnde plerumque eleuato dorſo ſuo ſuper vndas à nauigantibus nihil aliud creditur eſſe quam inſula. Itaque applitantes, & deſcendentes ſuper eam, figunt palos, alligant naues, accendunt focos ad coquendos cibos. Iſte vero vbi ſentit odorem ignis mergit naues in profundum. Alia quoque huius beluæ natura hæc eſt quando eſurit, aperit os ſuum, & quaſi quendam *odorem bene olentem exhalat de ore ſuo*, quem ſentientes minores piſces, *confluunt in os* eius, Quod vt impletum fuerit, claudit, & eos tranſglutit. Aurata dicitur, ex eo quòd in capite ſuo auri colorem habet.

Mira fraus. *Aurata.*

De

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A

De Balæna.

CAPVT XXXIV.

Balæna.

Isidorus. Balæna est immensæ magnitudinis bestia, ab emittendo,& fundendo aquas vocata. Cæteris enim bestijs maris altius iacit vndas. Balin autem Græcè dicitur emittere. *Plin. libr. 9.* Balænas in Gaditano Oceano non ante brumam conspici tradunt. Condi autem æstatis temporibus in quodam sinu placido, & capaci, mirè gaudentes ibi parere, hoc scire orchas infestam his belluam & cuius imago nulla repræsentatione alia possit exprimi, quam carnis immensæ dentibus truculentæ. Irrumpunt ergo in secreta vitulósque illarum, aut *Pugna orcharum cũ balænis.* B fœtus, vel etiam nondum grauidas morsu lacerant, incursúque ceu liburnicarum rostris fodiunt. Illæ verò ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes, ac ponderе suo oneratæ, tunc quidem in vtero graues, pariendive pœnis inualidæ, solum auxilium nouerunt in altum profugere, séque toto Oceano defendere. Econtra orchæ laborant occurrere, séque opponere, & cauatis angustijs trucidare, in vada vrgere, saxis illidere. Spectantur huiusmodi prælia, ceu ipso mari sibi irato, nullis in sinu ventis. Fluctibus vero ad anhelitus, ictúsque, quantos nulli turbines voluant. Ora balænæ habent in frontibus. Ideóque summa aqua annatantes, in summa nymbos efflant. Balænis branchiæ non sunt, sicut nec delphinis. C Hæc duo genera fistulis spirant, quæ ad pulmonem pertinent Balænis à fronte, delphinis à dorso. Item quæ pilo vestiuntur animalia pariunt, vt pristis, balæna, vitulus. *Dormiendo fieriunt.* *Idem in libr.* 10. Balænæ, ac delphini dormiunt. Nam etiam stertentes audiũtur. *Solinus.* Indica maria balænas vltra spacia quatuor iugerum habent. Sed quos fascituras nuncupant. Qui enormes supra molem ingentium columnarum vltra nauium antennas se extollunt, haustósque fistulis fluctus, ita eructant, vt nymbosa alluuie plerunque nauigantium alueos deprimant, *Ex libro de natur. rerum.* Balænæ branchias non habentes fistula spirant, quod raro in marinis animalibus inuenitur, fœtus, suos gestant cum infirmantur, & inualidi sunt, & si parui sunt, eos in ore suscipiunt. Hoc idem imminente tempestate faciunt, & post tempestatem illos euomunt. *Nota.* *Quando propter defectum aquæ fœtus impediuntur, ne matrem sequantur, mater aquam in ore receptam instar fluuij ad eos ejcit*, vt sic inhærentes terræ liberet, adultos etiam diu comitatur. Adolescunt autem celeriter, & decem annis crescunt. D

De Borbotha, & botha, & brena.

CAPVT XXXV.

Borbotha. *Borbothæ* sunt pisces quidam fluuiales, aliquatenus anguillis similes, lubricæ namque sunt, & excoriantur, sicut anguillæ. Corium habent nigrum esu dulcem, & hepar præ omnibus piscibus melius, & efficacius. Caput magnum respectu corporis, os amplum, & latum valde. Cum autem ætate duodecim annos excesserit, in corpus magnum crescit. Et tunc nomen eius mutatur, & solaris vocatur, de quo infe- E *Botha.* rius dicetur. *Bothæ* sunt pisces fluuiales, qui non natant, nisi per amplitudinem corporis. Tenuissimi namque sunt, & lati valde. Pinnas habent in circumitu lati corporis, impinguantur vento Meridionali flante. Cumque venatur hic piscis à piscatoribus, fundum aquæ petens aquam supra se turbat, vt videri nequeat. Maximéque corpore strato cum terræ adhæret, supra dorsum terræ simillimus est. Maculas autem in dorso rubeas habet. *Alexander.* Brena est piscis fluuialis, qui *Brena æstuatia.* cum videt sibi lucium imminere declinat ad cœnosa, aquarum limpiditatem quas habet à tergo perturbans.

De cancro.

CAPVT XXXVI.

Cancri. *Isidorus.* Cancri vocati sunt, quia conchæ sunt, crura habentes, inimica ostreis animalia. Eorum enim carnibus viuunt miro ingenio. Tradunt autem quidam decem cancris cum ocymi manipulo alligatis, omnes qui ibi sunt scorpiones ad eum locũ coituros. Duo sunt tamen genera cancrorum, fluuiales, & marini. *Ambros.* Cancer ostreis vescitur, sed quia ostreum clausum nulla vi aperire potest. Periculosumq; est si chely eius includat, ad argumenta confugit, & insidias noua fraude molitur. Explorat enim si quando ostreum remotis in locis *Æstutia cancri.* ab omni vento contra solis radios dyptichũ illud suum aperiat, vt aere libero viscerum suorum voluptatẽ quandam capiat, & tunc clanculo calculum immittens ostreę conclusionẽ impedit; sicq; aperta claustra reperiens, tuto chelas inserit, visceráq; interna depascit. *Plin. lib. 9.* Cancri è mollibus hyeme aprica littora sectantur. Æstate in opaca gurgitum recedunt, hyeme lęduntur, autumno & verè pingueſcunt, & plenilunio magis, quia nocte sydus tepido fulgore mitificat. Cancris vita longa, pedes octoni. Omnes in obliquum flexi. *Fœminæ primus pes duplex, mari simplex.* *Discrimen inter marẽ & fœminã.* Præterea bina brachia denticulatis forcipibus. Superior pars in primoribus his mouetur inferiore immobili, dextrum brachium in omnibus maius: dimicant inter se, vt arietes, aduersis cornibus incurrantes. Contra serpentium ictus medentur. Cancri sicut & locustæ marini, mensibus quinis latent, & occultantur eodem tempore. Ambo veris principio senectutem exuũt, more anguium, renouatione tergorum. Locustæ quidem viuũt petrosis locis, cancri vero mollibus: Aliquãdo congregantur vniuersi, & euincere non valent os *Senectutem exuunt.* Ponti. Quamobrem egressi circumeunt, apparétq; tritum iter. Porrò in pauore retrorsum pari redeunt velocitate, sole cancri trãseunte signum, & ipsorum cancrorum cum exanimatum sit corpus, in scorpiones transfigurari narrãtur in sicco. Cancri, & locustæ coeunt ore. *Idem in lib. 11.* Cancrorum odore si iuxta apes coquantur, exanimantur. Cancri in obliquum aspiciunt, fragili *Coeunt ore.* crusta oculis rigentes inclusis. Octoni sunt pedes polypis ac sepijs, & loligini, & cancris, qui brachia mouent in contrarium, pedes in orbem, aut in obliquum. *Idem* rotundi soli animalium, cætera binos pedes duces habent: cancri tamen quaternos.

De eodem.

CAPVT XXXVII.

Aristoteles. Cancer habet octo pedes, per quos mouetur æquali motu, caret sanguine, durum habet extra, & intus molle. Nec est illud durum conteribile, imò recipit ignem. In ripa maris, quod est intra Iudæam inueniuntur cancri parui, qui dicuntur milites propter velocitatem cursus, tantum enim currunt, quod deprehendi non possunt. Et cum aliquis finditur non inuenitur in eius corpore caro, vel superfluitas omnino, *Cancri 10. pedum.* quia pascua non habent. Genus cancri, quod dicitur cantel, habet decem pedes cum aculeis. Et pedes omnium generum, siue octo, siue decem, siue duodecim flectuntur ad latera, sicut pedes animalis annulosi. Aculei vero cuiuslibet habentis ipsos flectuntur ad interius. Genera cãcrorum habent duos aculeos, & duos pedes, & aculeus dexter est acutior synistro ac fortior, vt in pluribus. Cancer minor, idest mas fœminam ascendit retro, & tunc ad ipsum declinat fœmina super latus, tũcque completur coitus. Fœminæ maiorum membrorum sunt, quam masculi, & distantia coopertorij maior est, quam in masculis. Et ouat per locum superfluitatis: nullum illorum habet membrum intrans corpus alterius. Cancer paruus generatur ex terra & limo intra loca vacua testarum aliorum animalium. Cúmque creuerit aliquantulum, mutat se ab illo loco ad testam maiorem.

Cancer,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cancer,& karabos in senectute exuunt spolium. Vterque accipit pisces in profundo maris cum duobus suis labijs,& diuidit eos in duas partes,& ducit ad os suum. Cancri duos habent dentes ex primis anterioribus, inter quos est membrum, quod assimilatur linguæ, deinde orificium, deinde stomachus paruus respectu magnitudinis corporis,& post stomachum venter & intestina. Sunt & alij dentes in quibusdam cancris. Habent cancri duo labia, id est, additamenta non ad ambulandum, sed loco manuum ad accipiēdum ac retinendum, & ori adducendum. Non *manent in loco prope terram*, sed in fissuris & foraminibus lapidum. Quod eis est pelagosum. Habent pedes multum debiles propter paucitatem ambulationis. Cancri tempore in quo non bene possunt ambulare, non expoliātur semel, sed multotiēs. *Ex lib. de nat. rer.* Cancer pedes habet,& brachia forcipesque pro manibus, retrogradus est, nec vnquam ante faciem suam ambulare nouit. *Mares duas habent spinas inter ventrem, & caudam*, quibus fœminæ carent. Quæ oua in ventre habent, ictibus serpentium medentur. Coitus tempore mas ascendit in dorso super fœminam. At illa motum eius sentiens à tergo coire volentis, inclinata super latus ad ipsum se conuertit. Sicque coitus completur, latent in hyeme mensibus quinis. Veris tēpore senectutem exuunt velut anguis. Cancer lacte potatus, sine aqua viuit multis diebus. Cum autem senuerit, duos lapides albi coloris intermixto rubore inueniuntur in eius capite, quos tantæ virtutis esse dicunt, vt in potum dati, cordis punctiones sanant. Cancri corniculis suis pugnant inter se, sole cancri signum transeunte. In occidentis mari, vt dicit Solinus, cancri sunt, qui homines apprehensos submergunt. Habent autem terga dura velut crocodili. Cancer mutat colorem cum coctus fuerit, quia qui viridis, aut niger erat, rubeus fit.

Loca cancrorum.

Discrimen marium & fœminarum aliud.

Coctus colorem mutat.

De operatione cancrorum in cibo, vel medicina.

CAPVT XXXVIII.

Auicenna lib. 2. Cancer marinus propriè dicitur illa species cancri maris, quæ habet omnia membra dura, vt lapis. Quod ex eo adustum est subtilius est reliquis adustis,& abstergit dentes,& delet pannum ac lentigines. Vlcera quoque desiccat,& confert scabiei. Item prohibet lachrymas, & resoluit cum sale vngulam. Fit quoque ex eo collyrium,& fricatur cum eo scabies palpebrarum. Prohibet etiam quartanam. Cancer fluuiatilis confert exterminatis valde. Testa cancri marini subtilior est, quam testa clibani. Exiccariua est,& abstergit pannum, ac lentigines, & scabiem. Cancer fluuialis est difficilis digestionis, ac plurimi nutrimenti, & ipsum quidem rectificat. Decoctioque cum melle extrahit spinas,& acutas res infixas carni, sed marinus est subtilior. Præterea cinis eius fissuris ex frigore bonus est,& quod ex eo adustum est ponitur in medicinis morpheæ, ac panni,& confert. Item cancer fluuialis resoluit apostemata magna, cum ponitur super ea. Caro eius confert phtisi, propriè cum lacte asinæ,& ius etiam ipsius. Cinis eius ani fissuris est bonus. Et confert morsui scorpionum ac rutelæ, emplastri more superpositus, aut comestus. Idem quoque cinis cum melle confert ad morsum canis rabiosi bibitus. Ex testa cancri marini fit cerotum super scropulas. Emplastrum ex ea factum est fortis consolidationis, & confert vlceribus. Ipsaque scabiem abstergit. *Idem in lib. 4.* Cancer fluuialis cum lacte, vel eius decoctio bibitur super morsione venenata. Sanantur etiam strumæ cancro fluuiali cocto, vel combusto ex melle. Cancri huiusmodi triti ex aqua potiuum sistunt. Vrinam cient in albo vino ademptis brāchijs. Calculos etiam pellunt cum myrtha triti. Porro de asinino maximè lacte triti rupta conuulsaque sanant. Ijdem in aqua, & oleo triti perunctis ante accessiones in febribus prosunt. Marinorum, & fluuialium cineres, aqua feruenti combusta cum cera sanant. Et pilos hæc curatio restituit: fluuiales triti extrahunt tela inhærentia corpori. Succus eorum cum ordeacea farina sanat in auribus, vel in alia parte corporis vlcera.

Vsus medicinalis Cancrorum.

Curationes.

De eodem.

CAPVT XXXIX.

Plin. lib. 32. Cancrorum cinis cum oleo ad lepras valet. Ius eorum contra doricnium habetur efficacissimum. Cinis eorum potus, prodest ex morsu canis rabiosi pauore periclitantibus. Cancri fluuiales triti potique ex aqua recentes, contra venena omnia prosunt, priuatim contra scorpionum ictus cum lacte asinino, vel etiam caprino. Sed & cinis eorum seruatus, prodest contra venena,& contra canis rabidi morsus. Minus in his omnibus marini prosunt, vt Traxilius auctor est. Nihil autem æquè aduersari serpentibus quam cancros, suesque percussas hoc pabulo sibi mederi. Cum Sol sit in cancro, torqueri serpentes ictibus scorpionum, carnes fluuiatiliuni cochlearum resistunt crudæ, vel coctæ. Quidam ob id salsas quoque asseruant, imponunt in ipsis plagis. Cancri oculos alligatos collo mederi lippitudini dicunt. Item cancrorum fluuiatilium succus cum farina ordeacea, vulneribus aurium efficacissimè prodest. Rupta quoque & conuulsa fluuiatiles triti in asinino lacte maxime sanant. *Isaac lib. 3.* Cancros,& omnes pisces conchas habentes testatur Galenus esse solubiles propter salsitatem eorum,& acumen. Proinde stomacho nociua sunt, maximè neruositate sua.

Cancri aduersus serpentibus.

De caucio, & capitato, & carpera.

CAPVT XL.

Ex lib. de natura rerum. Caucius qui,& glanis auersus mordet hamos inescatos, nec eos deuorat, sed spoliat. *Auctor.* Secūdum Plinii per g,& l, in prima syllaba scribitur, idq; melius, vt glaucius. Capitatus est piscis admodū paruus, habens caput prope ad reliqui corporis magnitudinem, os quoque rotundum & ampium, hic in fluuijs habitans libenter sub lapidibus, & inter saxa delitescit. Carpera piscis est quasi squamis aureis in lacis, vel fluuijs, sic dicta, quasi quæ carpens parit, cum enim oua in ventre ad pariendum apta dictante natura præsenserit, marem suum adit, & ore innuit pulsu leui, vt adiuuet parituram, tunc ille loco seminis lac emittit, quod illa suscipiens ore; statim oua parit in sobolem profutura. Nam oua parere nequit, nisi prius ore semen receperit. Semen autem cum receptum fuerit, non solum ad partum iuuare videtur, sed etiam ad oua concipienda, & formanda, vnde soboles in anno futuro speratur. Semini carperę nonnunquam in anno primo natiuitatis niger vermiculus quidam, post autem suam tabificus innascitur, & hoc sæpius post Augustum, eaque tabe moritur. Remedium est aqua dulcis, & fluuialis, cuius soboles paucis aquis prouenit, si in singulis fossis decem cubitorum recenter factis ponantur singulæ carperæ cum paribus suis ante partum proximè. Opinio vulgi est earum sic sobolem prouenire. Sed postquam pepererint eximuntur. Soboles quoque trium, vel quatuor mensiūm tempore roborata, fossis reiecta reponitur, vbi habet crescere cum perfectis. Habet hic piscis astutias multas, vt reti capiendus euadat, cum enim rete intrauerit, circumiens foramen quærit, quod si non inuenerit, saltare nititur in auras liberas super rete, vt extra cadat. Aliquando sub reti refugium quærit. Aliquando herbam ore tenet in fundo aquæ, vt rete superueniens elidatur. Aliquando etiam à superis veniens cum impetu caput in limo fortius figit, vt scilicet rete per caudam transiens captione frustretur. Huius cerebrum secundum augmentum,& decrementum Lunæ crescere, vel decrescere dicitur. Et licèt hoc sit in omni pisce, in hoc tamen magis, sicut inter quadrupedia, in lupo, & cane.

Caucius.

Capitatus.

Carpera.

Astutia.

Cerebrum crescit & decrescit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ceto.

CAPVT XLI.

Cœtus.

Ambroſius. Cetus eſt piſcis infinitæ magnitudinis, vt ſi quando ſupernatent fluctibus, ambulare inſulas putes. Vnde nec in littoribus, ſed Athlantici maris profundo videri feruntur, vt in eorum conſpectu nautæ in locis illis nauigandi præſumptione reuocentur. *Idem.* Cete grandia, videlicet æqualia montibus corpora, vltra terminos orbis terrarum norunt mare, quod nullæ interpolant Inſulæ, vbi nauigandi vtilitatis gratia mare intercludit audaciam, continere ſe feruntur, & tanquam ſolum patrium diligunt. *Idem.* Cete quoque ſicut delphines ac focæ, muſtelæ ac canicula, viuos ædũt fœtus de ſuo corpore. Et ſi quemquam inſidias erga illos moliti præſumpſerint, eos tuentur. Ætatis teneræ pauorem affectu materno comprimunt. Oraque aperiunt, & innoxio illos dente ſuſpendunt. Interno quoque corpore recipere ac genitali aluo feruntur abſcondere, donec illos ad ſecuritatem deferant, aut ſic corporis obiectu cuſtodiant. *Auctor.* Cetus, vt fertur, quando ludit in mari, ſignum eſt tempeſtatis. Idem & Balæna dicitur. Huius generis eſt aſpidochelone, de quo dictum eſt ſupra. *Iorath, vbi ſup.* In ceto magis terreſtris, quàm aquea dominatur natura. *Quando enim ſeneſcit, radices, frutices, & arbuſta ſuper ſe colligit*, quæ creſcunt ſuper ipſum, & multiplicantur.

Modus prolem conſeruandi à noxijs.

Tempeſtatis ſignum. Balæna.

Terreſtris natura ceti.

De eodem.

CAPVT XLII.

Ex lib. de natura rerum. Cetus eſt piſcium maximus, habens os in fronte magnum, & patulum, & oris meatus ſtrictos. In iuuentute dentes habet nigros, in ſenectute albos. Hi piſces aliquando fluctus hauſtos, ita eructuant, vt alluuie nymboſa, plerumque claſſem nauigantium deprimant. Sed & cum in mari tempeſtas oritur, ſe ſuper fluctus attollunt, vt commotionibus ac turbinibus naues mergant, arenas aliquando dorſis ſuſtollunt, in quibus ingruente tempeſtate nautæ terram ſe inueniſſe gaudentes, anchoris iactis falſa firmitate quieſcunt, ac ignes accenſos bellua ſentiens, ſubito commota ſe mergit, & homines cum nauibus in profundum trahit. Cetus poſtquam ætatem annorum triũ excedit, cum balæna coit, & in ipſo mox coitu virtute virgæ genitalis emutilatur, ita quod vltra coire nequit. Sed intrans alti maris pelagus intantum excreſcit, vt nulla hominum arte capi poſſit, infra tres igitur annos ætatis ſuæ capi poteſt. Capiuntur autem ſic. Piſcatores locum vbi cetus eſt notantes, illic congregantur cum nauibus multis, factoque circa eum fiſtularum ac tubarum concentu, alliciunt inſequentem, quia gaudet huiuſmodi ſonis, cumque iuxta naues hęrentem ſono modulationis attonitum cernunt, inſtrumentum quoddam ad inſtar raſtri dentibus ferreis acuminatum, in eius dorſum clam proijciunt, clamque diffugiunt. Nec mora ſi certum vulneris locum dederit fundum maris cetus petit, ſeque ad terram dorſo fricans vulneribus ferrum violenter impellit, quouſque perfoſſa pinguedine viuam carnem interius penetrauerit. Sicque ferrum ſubſecuta ſalſa maris aqua vulnus intrat, ac vulneratum perimit. Mortuum ergo ſuper mare refluitantem piſcatores cum funibus adeunt, & ad littus cum magno tripudio trahunt.

Tempus coitus. Nota.

Modus capiendi balænas.

De cibo ac ſpermate ceti.

CAPVT XLIII.

CEtus autem, vt legitur, non comedit, vt alij piſces maſticando, cibumque dentibus comminuendo, ſed tantummodo glutiendo, & intra corpus retinendo. *Ex lib. de natura rerum.* Habet enim oris meatus; vt dictum eſt, ſtrictos, vnde non niſi paruos piſciculos deglutit, quos odorifero anhelitu ſuo attrahens ac deuorans in ventrem ſuum mittit. Habet enim in gutture quandam pellem membranæ ſimilem, quæ multis meatibus perforata, non ſinit quicquam magni ingredi ventrem. *Iorath.* Cum autem cetus ſperma proijcit in coitu ſuo cum fœmina, quod ſuperfluit ex ipſo ſpermate, ſupernatat aquæ, *& colligitur ambra. Platearius.* Ambra dicitur eſſe ſperma ceti, ideſt balenæ. Et eſt calida, & ſicca in ſecundo gradu. Eſt autem alba, & ſi inueniatur coloris gypſei melior eſt. Sophiſticatur autem cum puluere ligni aloes, & ſtorace, & muſco, & quibuſdam alijs. Sed hoc agnoſcitur, quia ſophiſticata poteſt malaxari, vt cæra. Ambra vero non poteſt. Habet autem virtutem confortandi, & valet contra ſyncopen, & epilepſiam. *Auicenna.* Ambra, vt æſtimo, eſt manatio fortis in mari, melior eſt griſea fortis, deinde varia, poſt citrina. Et adulteratur cum gypſo, & cæra, & laudano. Nigra ſpecie mala eſt. Multotiens autem aſſumitur ex ventre piſcis, qui eam comedit moritur. Eſt autem calida, & ſicca, & videtur eſſe calida in ſecundo gradu, ſicca in primo. Confert autem decrepitis, propter ſubtilitatem ſuæ calefactionis. Confert autem cerebro, & ſenſibus, & cordi. *Conſtantinus in lib. graduum.* Ambra de ventre cuiuſdam maximæ beſtiæ egreditur. Quidam tamen *dicunt, quod in fundo maris naſcitur*: calida, & ſicca, in ſecundo gradu exiſtens, frigidas naturas confortat.

Ambra ex ſpermate ceti.

Melior Ambra.

Alia opinio de naſcitura ambræ, & melior.

De conchis.

CAPVT XLIV.

Plinius lib. 9. Concharum generis firmioris ſunt teſtæ, in quibus magna varietas apparet ludentis naturæ. Tot colorum differentiæ, tot figuræ, inter quas principatum tenent margaritæ. *Iſidorus.* Conchæ, & cochleæ inde vocatæ ſunt, quia deficiente Luna cauantur, id eſt euacuantur. Omnium enim clauſorum maris animalium, atque concharum incremento Lunæ membra turgeſcunt, defectu euacuantur. Nam Luna cum in augmento fuerit, auget humorem, & cum in defectum venerit, humores minuuntur. Conchæ autem primæ poſitionis nomen eſt. Cochleæ vero per diminutionem quaſi conchulæ. Concharum multa genera ſunt, inter quas & margaritifera, quæ eceloa dicitur, de qua videlicet inferius dicetur. *Fulgentius, in lib. Mytologiarum.* Concha marina toto corpore ſitiũl aperto miſcetur in coitum, ſicut Iuba refert in Phyſiologis. *Hali, vbi ſupra.* Sadephum, ideſt concha marina melius eſt album. *Razi in Almanſore.* Conchæ marinæ aduſtæ abradendo purgant dentes. Ex non aduſtis, aut attritis emplaſtrum factum, aduſtionem ignis ſanat.

Luſus naturæ in conchis.

Cochlea quaſi conchula.

De Cochleis.

CAPVT XLV.

Plinius lib. 9. Cochleæ aquatiles terreſtreſque ſunt exerentes ſe domicilio, binaque ceu cornua protendentes contrahentesque, oculis carent. Ideoque corniculis earum prętentant iter. *Idem in lib. 30.* Cochlearum cibus ſtomacho eſt vtilis. Sed in aqua oportet eas intacto earum corpore ſubferuefieri, mox in pruna torreri, & è vino garoque ſumi: laudatiſſimæ ſunt Aphricanæ, & ex Inſulis caprearum. Nuper hoc compertum plurimis prodeſſe. Id quoque *obſeruant, vt numero impari ſumant.* Virtus tamen earum grauitatem halitus facit. Proſunt & ſanguinem excreantibus dempta teſta tritæ in aqua potæ. Laudatiſſimæ autẽ ſunt Aphricanæ. Siculæ modicè, quoniam magnitudo duras facit, & ſine ſucco Balearicæ quas canaricas vocant, quoniam in ſpeluncis naſcuntur laudatę, & ex Inſulis caprearum. Nullæ vero earum cibis gratæ, neque veteres, neque recentes, fluuiatiles, & albę virus habent, nec non ſyluęſtres ſtomacho vtiles, aluumque ſoluunt. Econtra vero ſunt ſtomacho vtiliores marinæ. Efficaciſſimæ tamen in dolore ſtomachi, laudatiores tamen traduntur

Cochleæ numero impares ſumendæ.

quæ-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Contra inquietationẽ animi.

quæcunque viuæ cum aceto deuorare. Cochleæ in cibo his quos animus inquietat, aut quorum alienatur mens, aut quibus vertigines ex cyathis passi tribus conferunt. Singulæ quoque cochleæ contritæ, & cùm sua testa calefactæ in potu datæ. Item cibi ipsarum cochlearum in typsana decoctarum laudantur doloribus laterum. Eædem quoque sistunt aluum. Inflammationem discutit cibus earum. Et eædem in cibo sumptæ accelerant partum. Quartanis dicuntur mederi cochleæ fluuiales in cibo recentes. Eædem autem venerem concitant sale asseruatæ, & in potu ex vino datæ. Omnium cochlearum cinis spissat, & calefacit. Item cinis cochlearum cum melle, quæ passim inueniuntur latæ, & minutæ vitia tollit è facie. Prosunt & cochleæ sanguinem excreantibus, dempta testa tritæ in potu aquæ. Efficacissimæ vero sunt quędam in stomachi dolore cum aceto deuoratæ. Cochleæ crudæ deuoratæ, vel tritæ cum aqua tepida cyathis tribus, si sorbeantur tussim sedant. Lumborum quoque medentur dolori cum suis testis contritæ, & in vino cum pipere coctæ. Cinis earum cum vino sumptus dyssentericis est vtilis, & ex vino austero potus aluum sistit. Idem quoque cinis, scilicet cochlearum, quæ viuæ combustæ sunt, omnia sanat vlcera pedum. Addito semine lini, & vrticæ cum melle linitum, comiciales sanat. Cochleæ latæ potæ pedum, & articulorum dolores dicuntur tollere. Quędam etiam contusæ, & impositæ vtiles sunt ad arundines, & alia tela quęcunque corpori extrahenda sunt. *Idem in lib.* 32. Ictibus scorpionum carnes fluuialium cochlearum resistunt crudæ, vel coctæ. Quidam ob id salsas quoque obseruant, & imponunt ipsis plagis. Prędicipiunt & cochleæ crudæ carnem tritam bibere ex aqua calida in tussi cruenta.

Varij vsus medicinæ ex cochleis.

A B C

De congro, & corem, & coruo.

CAPVT XLVI.

Congr.

EX *lib. de natura rerum.* Conger est piscis marinus, vt murena longus, sed corpore multo maior, hic vento flante vehementi, impinguatur, & eius carnes dulcissimæ sunt ad edendum. Cum murena cęterisque piscibus inimicitias habet, & intantum robustus est, vt polypum fortitudine dentium laceret. *Plin. lib.* 9. Conger est piscis longus, vt anguilla, vel murena, flexuoso impulsu corporis, ita mari vtens natando, vt serpens terra rependo. Conger, & murena mutuo odio flagrant, caudam inter se prærodentes. Congri mensibus Hibernis iacent in speluncis conditi, nec capiuntur nisi diebus ęstatis. Pinnæ, quæ vice pedum datæ sunt piscibus, binæ sunt omnino longis, vt anguillis, & congris. Polypum sua rodere brachia falsa opinio est, id enim à congris euenit ei. Nam polypum lacerant congri. Polypum vero locusta pauet, locustam conger: in siccum repunt etiam congri. *Æsculapius vbi supra.*

Tempus quo capiuntur.

Corez.

Corez.

Coruus.

Coruus.

Isidor. Coruus à cordis voce dictus est, quia pectore grunnit, suaque voce proditus capitur. *Iorath, vbi sup.* Pisces, qui dicuntur corui, quando pullificant, voce sua produntur, quia semper gemitus, vel grunnitus proferunt, & sic capiuntur.

D

De dentrice, & die.

CAPVT XLVII.

Dentrix.

EX *libro de natura rerum.* Dentix (alias dentrix) vel pagrus à re nomen habet, quia dentes habet magnos, multos ac duros, quibus crassatur in ostreas, & pisces innocuos. *Auctor* Nota ergo, quod dentix idem est, quod pagrus, de quo etiam loco suo dicetur inferius.

Dies.

Dies est piscis marinus, vt dicit Aristoteles, sic dictus, quia post perfectionem suam non viuit, nisi per vnam diem: habet tamen alas duas, & duos pedes, & sanguine caret.

De eceloa.

CAPVT XLVIII.

Eceloa.

ISidor. Eceloa dicitur concha margaritifera, in cuius carne, scilicet precioſus calculus solidatur. De his enim tradunt hi, qui de animantium naturis scripserũt, quod nocturno tempore littora appetunt, & ex cœlesti rore margaritam concipiunt, vnde, & eceloæ nominantur. *Solinus.* Conchæ certo anni tempore luxuriante conceptu faciunt rorem velut maritum, cuius desiderio hiant, & cum maximè linquitur imber lunaris, oscitatione quadam hauriunt humorem cupitum. Sic ergo concipiunt grauidæque fiunt, & de saginæ qualitate redit habitus vnionis. Nam si clarum fuerit quod acceperunt, candicant orbiculi. Si vero turbidum, aut pallore languent, aut rufo innubilantur, ita de cœlo magis quam de mari partus habent. Denique quotiens aëris matutini semen excipiunt, fit margarita clarior magis, quotiens vespere, fit obscurior. Si repente micauerit chorusca tio, motu corrumpuntur intempestiuo, clausæque formidine, subito vitia contrahunt abortiua. Aut enim paruuli fient scrupuli, aut inanes, hic lapis in aqua mollis est, duratur exemptus. *Nunquam vero simul inueniũtur duo, vnde & vniones dicuntur.* Huiusmodi conchis talis est sensus, vt partus suos maculari timeant. Itaque cum Sol ferueſcens emiserit orbes, ne calore nimio fuscentur lapides, conchæ in profundum subsidunt, huic tamen prouidentiæ opitulatur ętas. Candor enim senecta deperit, & grandescentibus conchis margarita flaueſcit. Piscantium quoque timent insidias, & ob hoc inter scopulos frequentius delitescunt. Gregatim natant, & quæ magis inter illas experta est gregem ducit, quæ si capta fuerit, cœteræ diffugiunt.

Choruſcationem formidant.

Vniones cur ita dicuntur?

E

De echenei, vel echino.

CAPVT XLIX.

Echeneis.

ISidorus. Echeneis paruus & semipedalis piscículus, nomen sumpsit ex eo quod nauem adhęrendo retineat. Ruant licèt venti, sęuiant procellæ. Nauis tamen radicata in mari stare videtur, nec moueri, non retinendo, sed tantummodo adhęrendo: hunc latini remoram appellauerunt, eo quod cogat stare nauigia ipsa. *Plinius lib.* 9. Echenei carinis adhærente naues tardius ire creduntur, inde nomine impoſito. Quam ob causam amatorijs quoque veneficijs infamis est, & iudiciorum ac litium mora, quæ crimina vna laude pensat fluxus grauidarum vtero sistens, partusque continens ad puerperium, tamen in cibos non admittitur. Mucianus dicit hunc esse muricem purpura latiorem, nec aspersoore, nec rotundo, nec in angulis prodeunte rostro, sed concha simplice in vtroque latere sese colligente. Trebius niger dicit eum pedalem esse, & crassitudine quinque cubitorum, naues morari. Hanc quoque vim esse illius in sale seruati, vt aurum quod in altissimos puteos deciderit, admotus extrahat, documentum immensum, & occultum potentia semetipsam vincente natura.

Amatoria veneficia.

Idem in lib. 32. Heu vanitas humana cum illa rostra nauium ære ferroque ad ictus armata, semipedalis piscículus inhibere possit, ac tenere deuincta: fertur tenuisse prætoriam nauem Antonij properantis circumire suos, & exhortari, donec transiret in aliam. Itaque Cæsariana classis impetu maiore protinus eum pertransijt. Tenuit etiam nauem Gaij principis. Quidamque exilientes de naui inuenerunt gubernaculo adhærentem piscículum, ostenderunt Gaio indignanti hoc fuisse, quod retineret ipsum, cum quadringentorum incederet obsequio remigum. Qui tunc eum postea viderunt, *limaci magnæ similem dixerunt.* *Idem in lib.* 9. Hunc arbitratur Arist. pedes habere, ita posita pinnarum similitudine. *Aristot.* Piscis paruus in mari, prohibet nauem

Simillis limaci magnæ.

recedere potentia naturali, pluresq; homines ipso vtuntur in multos ad odium, & amorem. Alæ illius assimilantur pedibus, nam reuera pedes non habet.

De eodem.

CAPVT L.

Vtitur saburra echinus.

Ambrosius. Echinus est animal in mari exiguum vile, & despicabile, hic tamen cum ventorum procellam præsenserit, calculum validum arripit, eumque velut saburram vehit, & tanquam anchoram trahit, ne excutiatur à fluctibus, sicque, qui non potest se suis viribus liberare, alieno regitur pondere. Quo iudicio etiam nautæ velut signum futuræ perturbationis capescunt, & sibi præcauent, ne hos imperitos turbo inueniat. Maximas quoque *nauium plenis currentes velis* in medijs fluctibus quasi radicatas sistit, nec sine munere creatoris, tantum ei potest suppetere virtutis. *Plinius vbi supra.* Echini sunt ex genere cancrorum, in quibus spinæ pro pedibus. Ingredi est his in orbem volui. Itaque detritis sæpe aculeis inueniuntur. Oua omnium amara, quina numero. *Ora in medio corpore in terram versa.* Tradunt sæuitiam maris eos præsagire, correptisque lapillis operiri. Mobilitatemque pondere stabilientes nolunt volutatione spinas atterere. Quod vbi vident nautici, statim nauigia pluribus anchoris infrænant. *Alex.* Echinus ergo in medio maris stabilimentum dat alij, quod non potest dare sibimetipsi. Sibi enim à lapillis mendicat, quod nauibus abundanter tribuere potest. *Ex lib. de natu. rer.* Echinus est pisciculus spinas habens pro pedibus, sicut cancer, alas autem sub ventre, quæ pedibus assimilantur. In ore vero dentium loco graues aculeos. Hoc autem supra modum mirabile est, quod cum sit semipedalis non vlla violentia, sed adhæsione tantum nauem 200. pedum cum suis intus ponderibus retinet, ita quod nec ad punctum moueri valet. Nec est alia ratio in tam stupendo prodigio, nisi quod Deus in creaturis prædicetur mirabilis. Piscis iste comedi non potest, quia hominem à statu dispositionis suæ dissoluendo mortem infert.

Sistit naues currentes.

Os in medio corpore.

De medicinis ex eodem.

CAPVT LI.

Ioscorides. Echini marini sapor eustomachus est, ventrem mollit, & diaphoreticus est. Huiusmodi corium crudum miscetur vtiliter medicaminibus, aut scabiei. Combustum vero sordida vulnera purgat, crescentia quoque vulnera residere facit. *Pli. li. 22.* Echineis vel echinus grauidis adalligatus vsque ad maturitatem continet lubricos partus, ideoque asseruatur sale. Idem quoque piscis venerem inhibet. Præterea contra doricnium echini maximè prosũt, & his qui carfati succum biberunt præcipuè eius iure sumpto. Idem etiã ex aceto epinyctidas tollunt. Echini cum spinis suis cõtusi, & è vino poti calculos tollunt, & alias in cibo ad hoc proficiunt. Echinorum testæ contusæ ex aqua illitæ incipientibus pannis resistunt. Echini quoque viuentes vsti, & in vino dulci potati profluuia sistũt. Echini cinis cum carnibus suis cremati cum oleo alopicias replet.

Medicina ex echino.

De Ephemero & scaro.

CAPVT LII.

Ephemeron.

Scarus, corr. Puptè legitur esicarus.

Orath vbi supra. Ephemeron piscis est, qui sine coitu nascitur, & cum per tres horas diei vixerit, moritur. *Isidorus.* Scarus dictus est, eo quod solus escam ruminare perhibetur, alij enim pisces non ruminant. Traduntautem hunc ingeniosum esse, inclusum quippe nassis, non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inferere, sed auersum caudæ ictibus crebris laxare fores, & ita retrorsum redire. Quem luctatum eius si forte alius escarus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda, nisus erumpentis adiuuare dicitur. *Plinius libr. 9.* Scaro principatus nunc datur, qui solus piscium ruminare dicitur, herbisque vesci non alijs piscibus. Carpathio mari, maximè frequens. Promontorium Troadis lectum nunquam sponte transit. Inde autem aduectos à Tiberio Claudio Principe; Optatus elipartius prefectus classis inter ostiensem, & campaniæ oram sparsos disseminauit, quinquẽnio ferè cura est adhibita, vt capti redderentur mari. Postea frequentes inueniuntur in littoribus Italiæ non ante ibi capti. *Idem in lib. 11.* Omnibus piscibus sunt dentes serrati præter scarum, cui scilicet vni aquatilium pleni: hic vtitur prioribus pedibus, vt manibus cibum ori admouentibus.

Dentes scarorum plevi.

De exoceto.

CAPVT LIII.

Exocetus.

Exox.

Idem in lib. 9. Exocetum suum Archadia miratur, appellatum ab eo, quod in siccum somni causa exeat. *Ex lib. de nat. rer.* Exox est piscis Danubij maximus, ita vt vix in biga trahi possit ab equis quatuor, aut tribus, vnum habet intestinum, ossa pauca, & parua in corpore cartilaginosa potius, quam solida, sed in capite multa fertur habere ossa. Carnes vero fertur habere dulcissimas gustu, vel specie carnibus porci simillimas. Per omne corpus lenis est, nec aliquid asperitatis in corpore, vel in moribus habet, sed est mitissimus ac timorosus. Quippe qui nec à minimo pisciculo se defendere potest, sed statim agitatur ad fugam. Huic sturio libentissimè, iocandi gratia se affricat. Quem exox statim, vt sentit, à latibula fugit, quæ sibi solet ad tutamen in littoribus effodere, sed quandoque sturio importunus eiicit latitantem, sequiturque fugientem, & quia magni sunt ambo, nec etiam in validissimis aquis latere possunt, discurrendo, & ante se aquas agitando, sæpe simul à piscantibus capiuntur. Piscis iste captus vino fortissimo, vel lacte potatur, quia vino inebriatus viuere potest plurimis diebus, & hoc, vt ad remotas terras cibi gratia deferatur. Bibit autem vini sextaria quatuor antequam inebrietur.

Sturio.

Potatur vino.

De Fastaleo, & fasten, & fice.

CAPVT LIV.

Fastaleon.

Aristot. Fastaleon est genus piscis, quod solum inter cætera genera genus suum non comedit. Nã omnes pisces sese comedunt, præter fastaleon. *Iorath in lib. de animalibus.* Fasten piscis est, qui cum in ore suo coarctat aquam, fit ex eo dulcis. Vnde pisces minores sequuntur illam in os ipsius, ille vero sic eos capit, atque deglutit. *Plinius lib. 9.* Ficis est piscis, qui colorem suum mutat, reliquo tempore candida, vere autem varia. Eadem sola piscium ex alga nidum facit, atque in ipso nido parit.

Faſten.

Ficis.

De gardone, & gladio, & glauco.

CAPVT LV.

Garda.

Aelor. Gardo piscis est fluuialis, gratissimi saporis dendetiæ similis, sed per ruborem oculorum ab ea discernitur. Vterque autem mediocris quantitatis est. *Isidorus.* Gladius dictus est, eo quod rostro mucronato sit, & ob hoc naues perfossas mergit. *Aristotel.* hastaros, id est, gladius marinus est similis scorpioni, & æqualis aranex, & inducit magnum dolorem piscibus. Ideoque saliunt multotiens. Nam & Delphinus propter dolorem salit, quia sub pinna pungitur eius aculeo, qui gladius vocatur. *Plin. lib. 9.* Est paruum animal scorpionis effigie, aranei magnitudine, hic se, & thunnæ & ei, qui vocatur gladius, crebro delphini magnitudinem excedenti sub pinna aculeo affigit; tantoq; dolore infestat, vt naues sæpenumero exiliant. *Isidorus.* Glaucus à colore dictus est, eo, quod sit albus. Græci enim album glaucon dicunt, hic ęstate raro apparet, nisi tantum in nubilo. *Plinius vbi supra.* Quidam enim pisces æstate impatientes, sexagenis diebus mediis latent feruoribus, vt glaucus, & ascellus. *Arist.* Quidã etenim

Gladius.

Haſtaros.

Glaucus.

pisces

pisces in cauernis manent in æstate, sicut glaucus per 40.dies,ac deprehenditur post ascensionem canis.

De gobione, & grano.

CAPVT LVI.

Gobio. *Author.* Gobio est pisciculus fluuialis albus,sed nigris maculis respersus. Quem quidam dixerunt vesci cadaueribus,sed à piscatoribus deprehenditur hoc esse fabulosum, quin potius dicuntur in aqua liquidissima conuersari,& pabulo nutriri, in cibo tamen viles ac despicabiles reputantur, quia aquosi,& minimè solidi. *Ex lib. de natura rer.* Gobio pisciculus est forma rotunda, squamis paruis argento similibus, hic vbi aquas arenosas lapillulis in nutrimentum habet,accommodatiorem *Granus.* vtique cibum præbet. Granus est piscis marinus, qui contra naturam omnium animalium vnum oculum in summo capitis habet, quo superintendens semper insidias cauet.

De Hamio, & hirundine.

CAPVT LVII.

Hamio. *Isidorus.* Hamio piscis est saxatilis,dextra sinistraque lateribus,virgis puniceis perpetuis alijsque discoloribus designatur,& dictus est hamio, quia non capitur, nisi hamo. *Plin. vbi supra.* Hamiam vocant piscem,cuius incrementum diebus singulis intelligitur cum thynnis, hæc & palamides in Pontum intrant gregatim ad dulciora pabula cum suis quæque ducibus. *Ex lib. de nat. rer.* Hamius est piscis saxatilis,vt ait Isidorus,id est lapidem gerit interius, hic admodum speciosus est, habens in vtroque latere quasi virgulas perpetuo colore puniceas, reliquo vero corpore diuersis quidem; & gratis *Hyrundo.* coloribus, totus in modum panni serici variatus. Hyrundo maris similis est aui huius nominis, hæc ad modum loliginis in aqua manat,vt piscis, & alas habens ad amena eleuatur ætheris.

De icino marino.

CAPVT LVIII.

Icinus. *Isidorus.* Icinus marinus ab icino terrestri nomen traxit,quem vulgus ericium vocat, cuius testula dicitur spinis aculeata in modum castaneorum, quando adhuc opertæ de arboribus cadunt. Caro eius mollis,& minio *Echinus.* similis. *Auctor.* Icinus ipse est echinus, de quo dictum est supra. Idem etiã videtur esse echeneis,licet Isidorus, de his agat separatim, tanquam de duobus, idem etiam *Ericius.* dicitur ericius,siue iricius. *Ex lib. de nat. re.* Ericius est piscis marinus,habens caput, & os inferius, vt ait Arist. & exitum superfluitatum superius, quod est cõtra morem animalium cæterorum. Vtitur autẽ spinis loco pedum. Eius anteriora separata sunt, & inferiora continua,horrori est cęteris piscibus, quia spinis hispidus, vnde non defacili fit vlli piscium pręda. Carnes eius vehementer rubeæ sunt,colore minio similes,vt dicit Plinius.

De eodem secundum Aristotelem.

CAPVT LIX.

Ericius marinus. Ericius marinus non habet carnem. Nam omnia quidem animalia duræ testę partem habent carnosam intra testam in ventre,præter ericium marinum,hic enim caret omnino carne,& hoc est ei propriũ. Habet autem in ventre partes nigras. Et huius genera multa sunt,ex quibus est genus, quod comeditur, in qua oua multa inueniuntur. Alia autem sunt duo genera,quę inueniuntur in pelago, & sunt pauca, & ex his est aliud genus corporis magni,aliud parui, multarumque spinarum,& durarum. In quadam regione Græciæ est ericij genus albæ testæ ac spinæ, & ouorum quod est maius cæteris generibus. Ericius qui comeditur,multum mouetur,& habet signum in spina manifestum. Omniaque ericij genera habent oua, sed in quibusdam sunt parua,& non comeduntur. Ericius debiliter audit, minusque animalia ex testa corium habẽti, ac super pedes ambulanti. Omnia animalia duræ testæ apparent plena *Tempus in quo apparet.* ouis in vere,& similiter in autumno,præter ericiũ comestibilem, ille siquidem apparet in quolibet tempore, maximèque in complemento Lunæ, & diebus caloris, & hoc præter quosdam loci cuiusdam, qui non generant,nisi hyeme,suntque parui corporis plena ouis. Sunt autem in ventribus ericij oua multa distincta, & quodlibet per se ponitur in vna tela, suntque nigri coloris,& in omnibus generibus parua.

Ericius propriè calidus est,quia testa circundat eum. *Temperamentum ericij.* Sed quoniam est animal sanguinem habens, ideo sentit frigus multum, & indiget calore. In omni genere sunt oua æqualia numero impari, scilicet quinque. Similiter,& numerus dentium, similiter & ventrium. Et oua quorundam sunt maiora, quorundam minora. Est autem circumquaque rotundi corporis ericius, & vtitur spinis,sicut animalia cętera pedibus,& manibus ericij caput, & os sunt inferius, & exitus superfluitatis superius,scilicet in dorso. Habet autem quinque dentes, & inter illos partes carnosas loco linguæ, post illam orificium stomachi habet. Deinde ventrem diuisum in quinque plenos superfluitate. Ericij genus est ex inferiori parte continuum. In parte vero superiori, vbi spinetum est,separatum,& vtitur spinis loco pedum, & magnitudo spinarum ex hoc est, quia crementum corporis transit in eas, propter paucitatem caloris naturalis. Nam,quia cibus non digeritur,generatur in corporibus eorum multa superfluitas. Pili autem, & similia non nisi ex superfluitate generantur. Duricies spinarum,& ossa earum est,sicut lapis propter multitudinem frigiditatis congelatam. Ob hanc enim accidit, vt crescentes ericij terrestres fiant, valde duri similes lapidi, maximè in parte septentrionali, quoniam ibi sunt huiusmodi ericij plusquam in meridionali,& in parte multorum ventorum plusquam in plano, quia plus infrigidantur in huiusmodi locis, & exit ab eis humor, qui cum calore dissoluitur, quia non potest esse ericius sine calore, frigus autem non indurat tantum, sed inspissat corpus.

De Calao, & carcora, & kilok.

CAPVT LX.

Calaos. Calaos est piscis maris,specie multiformis. Pluuia, quæ cæteris piscibus ad vitæ remedium, & impinguationis iuuamen esse solet, huic pro exitio datur. Nam si multa pluuia fuerit oculis cæcatur, ac per consequens cum cibum quærere non possit, fame moritur. Carcora vero piscis est, qui postquam deprehenditur multo viuit tempore, & cibat se ex se, quia super *Carcora.* eius intestina est nidor aquæ. Ciloc est piscis marinus, *Ciloc.* in testa multum aspera latens,cuius orificium est in medio corporis. Sentit autem quicquid ei appropinquat, & applicatur lapidibus cum suis pedibus posterioribus. Anterioribus autem quibus pro manibus vtitur, quicquid per eum transit ex piscibus, deprædatur. Si quid vero transit, quod nequaquam vincere se posse credit, tumescit, seque contrahit, & adhęret fortius lapidi cui applicatur.

De leone, & lepore.

CAPVT LXI.

Leo marinus. *Isidorus.* Leo marinus dictus est à similitudine terrestris. *Ambrosius.* Leo terribilis est in terris, sed dulcis in fluctibus. Lepus est animal timidum in terris, in mari formidabile, nam citam, & quæ non facile possit auferri, corruptelam inuehit. *Isidorus.* Lepus *Lepus.* à similitudine leporini capitis nuncupatus est. *Plinius.* Venena dira non cessant in lepore, qui in Indico mari etiam tactu pestilens vomitum dissolutionemque stomachi protinus creat. *Idem in lib.* 32. Lepus marinus venenum est in cibo vel potu datus. Nullum est animal

quin eius tactu intereat. Homo tactus ab eo, piſcem olet, & moritur, & lepus ſimiliter ex eo tactus moritur. Sic vterque alteri venenum eſt. In India non capi viuentem affirmant. *Auicenna in 4. canone.* Lepus marinus eſt venenoſus, ſi de ipſo in potu datur, accidunt conſtrictio anhelitus, & rubedo oculorum, tuſſis ſicca, ſputum ſanguinis, difficultas vrinæ, mictus ſanguinis, vrina violacea, & egeſtio ſimiliter, vel dolor in ſtomacho, vomitus ſuperfluus choleræ, & ſanguinis, ictericia, & anguſtia, ac dolor renum, ſudor fœtidus horror cibi. Et cum videt æger piſces terretur ab eis, & inuenit ſaporem fœtidi piſcis in ore ſuo, & in eructuatione cum ſalſedine. Plures autem, qui ex eo euadunt, in phtyſim cadunt. Confert autem eius curationi lac caprinum, quod eſt iuuamẽtum vltimum. Lac quoque aſininum, & lac mulieris ex mammilla, & ius cancri fluuialis, & ericius aſſatus aut ſanguis eius, fortes autem medicinæ ſunt calamentum fluuiale calidum recens, & ſanguis anſeris, & vrina hominis antiqua, &c. Signum vero ſanitatis eſt, quando videns piſces non terretur ab eis, & comedit. Cumque cadit in phtiſim, curetur phtiſis.

Lepus marinus venenoſus.

De medicinis ex lepore marino.

CAPVT LXII.

Auicenna in ſecundo canone. Lepus marinus eſt animal oſtreatum, lutoſum, declinans ad rubedinem aliquantulum. Sanguis eius calidus eſt mundificans pannum. Caput eius aduſtum generat pilos in alopicia propriè cum adipe vrſi, & in Tyria valde. Cum autem ex eo fit emplaſtrum, ſicut eſt abradit crines, & pilos. Item abſtergit viſum emplaſtri more ſuperpoſitum, & ſicut collyrium. Numeratur autem inter medicinas venenoſas, & interficit cum vlceratione pulmonis. *Plinius libro* 32. leporis marini fœminam ſi mulieres grauidæ aſpexerint, ſtomacho naũſeante ſtatim abortum faciunt. Remedio eſt mas, ob id induratus ſale, vt in brachialibus habeatur. Lepus marinus venenatus quidem eſt. Sed eius cinis in palpebris pilos inutiles euulſos cohibet. Idem lepus ſtrumas ſanat, ita vt celeriter remoueantur. E lepore quoque marino recenti, iubent quidam podagram fricari. Sanguis eius, & fel ſi necetur in oleo, valet contra carbunculos, & carcomata.

Medicina ex lepore marino.

De locuſta.

CAPVT LXIII.

Hyſiologus. Locuſta marina iuxta Plinium quatuor habet cubitos in longitudine, hyeme læditur, autumno, & vere pingueſcit, & plenilunio magis. *Plinius libr.* 9. Locuſtæ piſces cruſta fragili muniuntur. In eo genere, quod caret ſanguine, latent menſibus quinis. Similiter, & cancri, qui eodem tempore occultantur. Et ambo veris principio ſenectutem more anguium exuunt, renouatione tergorum. Cæterum in vndis, natant, locuſtæ reptantium more fluitant. Si nullus ingruat metus, recto meatu cornibus, quæ ſunt rotunditate præpilata ad latera porrectis, & eiſdem erectis, pauore obliquæ in latera procedunt. Cornibus inter ſe dimicant. Vnum hæc animalium, niſi viuum aqua feruenti incoquatur, fluida carne non habet callum. Viuunt autem huiuſmodi locuſtæ in petroſis locis. In Indico mari locuſtæ quaterna cubita implent. *Polypum intantum locuſta pauet*, vt ſi iuxta viderit, omnino moriatur. Locuſtam quoque conger inimicus lacerat. *Ex libro de natura rerum.* Locuſta fluuialis econtrario, quam locuſta campeſtris pedes anteriores habet longiores, nec ruminat, in anteriori parte, ſicut animalia cætera, ſed ad poſterius, ſcilicet in extremo ſtomachi ſui, cum dentibus in ventre ſibi hærentibus.

Locuſta.

Pauet Polypum.

De lucio.

CAPVT LXIIII.

Victor. Lucius eſt piſcis fluuialis ore lato, & dentibus acutiſſimis, minorum piſcium deuorator. Cui tamen parca ſquamis, & branchijs aſperrimis armata reſiſtit, vt non ei præualeat, nec dentibus eius præda fiat. Veſcitur autem lucius venenoſis, vt buffonibus, & huiuſmodi, & tamen infirmis dicitur eſſe in cibo ſanus. Si quando naſſa, in qua incluſus fuerit, ex aqua leuatur, & lucem diei viderit, raro vel nunquam accidit, vt poſtea diutius remaneat, ſed quæſita ſibi via euadit. *Ex lib. de natu. rer.* Lucius eſt piſcis, vt dicit liber rerum, qui & lupus aquatilis appellatur: hic ſi fluuiales aquas cibũque pro vita ſufficientem habuerit, per ſucceſſus temporum in longitudinem maximam eualeſcit. *Cibus eius ſunt piſces*, & quicquid ranarum more repit. Piſcem ad magnitudinem prope ſui comedit. Nam vbi victũ ſubegerit, caput primum ore deuorat, quo digeſto paulatim adit ſequentia donec totum conſumat. Pari quoque generis ſui parcere recuſat, vel ob naturalem crudelitatem, vel quia auidus eſt cibi, rapinæque impatiens. Nam & propria ſemina perſequitur, vbi piſcis formam ſuſceperint. Eſt autem piſcis quidam habens acres ſquamas, & pinnulas acutas, quem ſi lupus aquaticus per caput apprehenderit, cito tranſglutit, Si vero à parte caudæ non poteſt, quoniam in contrarium aſpera rigeſcunt. *Lucius in cerebro lapidem cryſtallo ſimilem gerit*, ſed hoc cũ ævum inlongum duxerit. Imprægnatur hic piſcis, (vt dicit Ariſt.) flante vento ſeptentrionali, ſimiliter & piſces, qui in longitudinem eualeſcunt, fœmina prægnãs aquas aſcendit quanto poteſt remotius à loco ſuo in quo habitare conſueuit, ibique oua parit, vt filij ſui non ſint ei impedimentum prædæ. Et hoc propter crudelitatẽ naturalem, vel propter cibi rapinæque inuidiam, Alij dixerunt, quod aſcenderet propter dulciorem aquam, quoniam aqua tanto ſemper eſt dulcior, quanto fonti proximior. Lucius tantæ auiditatis eſt, vt piſcem, quem totum quantitas eius deglutire non ſuſtinet, dimidium incorporet.

Lucius.

Cibus.

Lapis in cerebro lucij.

De lupo.

CAPVT LXV.

Iſidorus. Lupus à voracitate appellatur, in quo lupo terreſtri aſſimilatur, quia ſcilicet improba voracitate alios perſequitur. Eſt autem piſcis captura ingenioſus. Nam, & reti circumdatus fertur arenas arare cauda, & ita conditus tranſire rete. *Plin. lib.* 32. Lupus marinus in prouidẽdo minus habet ſolertiæ, ſed magnum robur in pœnitendo. Nam, vt hęſerit in hamo, tumultuoſo diſcurſu laxat vulnera, donec excidãt inſidiæ. *Idem in lib.* 9. Prægelidam hyemem omnes ſentiunt piſces, ſed maxime, qui lapidem in capite exiſtimantur habere, vt lupi, & pagri. Cumque aſperæ fuerint hyemes, multi capiuntur cæci. Luporum vero ſunt laudatiſſimi, qui appellantur lanati candore mollitiaque carnis. Meliores ſunt lupi in amne vberi inter duos pontes, quam alibi. Piſcium lupus bis in anno parit. Nigidius eſt auctor lupum mugili caudam prærodere, eoſdemque menſibus ęſtatis concordes eſſe. *Idem in lib.* 10. Produntur, vt dictum eſt, mugilis, & lupus clariſſimè audire. Et ideo in vado viuere. *Idem in lib.* 32. Tradit etiam Ouidius lupum reti circundatum, cauda arenas arare, atque ita conditum tranſire rete. *Ariſtot.* Lupi marini cum intrant pelagus, poſtea redeunt, & aſcendunt ſuperius magna velocitate, ſicut delphinus. Omnes autem lupi magnorum corporum anhelant, aerem attrahentes. *Ambroſius.* Lupi denique in mari ſunt teneri quos neſcit agnus timere. Et ſecundum Iſaiam ſimul paſcuntur lupi, & agni.

Lupus.

Lupi lanati.

Lupi & agni qui non ſe timent?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Megare, & milagine, & miluo.

CAPVT LXVI.

Megaris. EX *lib. de nat. rer.* Megaris est piscis marinus duarum palmarum longitudinis. Vilis habetur in partibus in quibus capitur, sed cum ad remotiora salsus reducitur raritas eius pretium facit. Recenter tamen captus, & sine sale delicatiorem cibum edentibus facit. Est autem, vt fertur, nociuus præcipuè febricitantibus. Vnde *Milago.* Poëta dicit. *Et megaris noxius omnis erit. Iorath, vbi supra.* Milago cum eius pulli volant, significatio est super tempestatem maris. *Isidor.* Milago piscis est sic nominatus, quia super aquam euolat. Quotiens autem cernitur extra aquam volitans tempestates mutari designat. *Ex lib. de nat. rer.* Milago volitat super vndas, in signum lætitiæ, quod cessauit tempestas: hoc cõtra morem aliorum piscium, & monstrorum marinorum, quæ oriente tempestate videntur quasi super aquas ludere. *Plin. lib. 9.* *Miluus.* Miluus subit in summa maria, piscis ex argumẽto appellatus lucerna, linguaque ignea per os exerta tranquillis noctibus relucet. Attollit è mari sesquipedalia ferè cornua, ab hisque nomen traxit. *Iorath.* Miluus piscis quando grauidus est, visus hominis stupefacit, & obfuscat, atque in eo, qui videt ipsum, luxuriam prouocat.

De Mugile.

CAPVT LXVII.

Mugilis. I *Sidorus.* Mugilis ex eo nomen habet, quod sit multum agilis. Nam vbi dispositas senserit piscatorum insidias confestim retrorsum rediens, ita rete transilit, vt volare piscem videas. *Plinius lib. 9.* Mugilum natura ridetur in metu, capite abscondito, totos se occultare credentium. Ijsdem tamen tanta facilitas, vt in Phœnice, & Narbonensi prouincia coitus tempore è viuarijs marem linea longinqua per os ad branchias religata emissum in mare, eademque linea retractum fœminæ sequantur ad littus, rursusque fœminam mares partus tempore. In Narbonensi prouincia, & in Nemusiensi agro, stagno, scilicet laterna appellato, vbi homines delphini societate, & mugilum piscantur. Populus enim è littore quanto potest clamore se inuicem conciet ad spectaculi euentum cuius desideria delphini celeriter exaudiunt, aquilonis flatu vocem prosequente, austro vero tardius ex aduerso referente. Et tum quoque ex improuiso in auxilium aduolant acies, quæ propere apparet, protinus disponitur in loco, vbi in mugilem conjecta est pugna, opponunt sese ab alto trepidosq; in vada vrgent. Tunc piscatores retia circundant furcisque subleuant. Mugilum tamẽ nihilominus velocitas transilit. At illos delphini excipiunt, & occidisse ad præsens contenti, cibos in victoriam differunt. *Delphini adiuuant piscatores mugilum.*

Odium lupi & mugilis. Mugilis, & lupus odio flagrant mutuo. Iuxta Nigidium lupus caudam mugilis prærodit, eosdemque concordes esse mensibus ẽstatis. Mugiles aliorum piscium vim timentes super naues exiliunt, & tam præcipuæ velocitatis sunt, vt transuersa nauigia interim superiacient. *Idem in lib. 10.* Produntur autem mugil & lupus clarissimè audire: ideoque in vado viuere. *Idem in lib. 32.* Mugil scit in esca hamum esse, atque insidias non ignorat, tanta tamen est ei auiditas, vt cauda verberando cibos excutiat. *Iorath.* Mugilis est piscis velocissimus in aquis fluuialibus, sed naturaliter incautus. Nam deridetur eius stultitia, cum in metu capite absconso, totum corpus absconsum, ac securum credit, hic cum lucio inimicitias habet hyeme tantum, & huiusmodi causa creditur, quia tunc rarus est cibus pro quo dimicant. Æstate verò abundant, & ideo tunc ad concordiam rediguntur. *Plin. in lib. 32.* Cinis è capite mugilum, & mulorum ischiaticos liberat.

De Multipede.

CAPVT LXVIII.

Multipes. EX *lib. de nat. rer.* Multipes piscis marinus est, à re nomen habet, huic pedes à latere procedũt, in hyeme coit, & inter cæteros pisces sibi nidum ex furculis construit, per duos menses ouat, & hoc vnum ouum tantum ad instar nucis paruum, fœmina per 40. noctes sedet, & ouum à se editum fouet, ex quo fiunt pisces innumerabiles. Quod si non esset, multum eorum genus decresceret, quia seipsos inuicem consumunt, & multæ comestionis sunt. Multipes astutia magisque fortitudine vincit charabon monstrum marinum, quod validum est, ac robustum. Cuius victoriæ signum est. Nam dum simul capti in reti reperiuntur, charabos frequenter mortuus inuenitur, aut lætaliter vulneratus. Est etiam quoddam genus multipedis naturaliter astutum, quod in aquæ superficie natat & dorsi testam ad solem ponit, vt deficcetur ac durior fiat, sic vt salsas maris aquas, & aduersa scopulorum pati valeat. *Auctor.* Multipes ipse *Polypus.* est polypus iuxta Plinium, de quo plenius dicetur inferius, vbi de monstris marinis agetur.

De Mullo.

CAPVT LXIX.

EX *li. de natu. rer.* Mullus est piscis marinus, vt ait Plin. Modicę quantitatis, magnæ nobilitatis, in *Mullus.* esum tantum datus nobilibus. Rarissimus tamen est, quem septentrionalis tantum gignit oceauus. Horum tamen genera plura sunt. Quidam alga & ostreis, ac limo, cęterorumque pisciũ carne vescuntur. Nobiliores autem in inferioti labro gemina barba insigniuntur. Victusque eorum est, quod iuxta ripas aeris serenitate concreuerit. Mullum nobilem expirantem numerosa colorum varietate spectari proceres gulæ narrant. *Seneca, de naturalibus quæstionibus. lib. 7.* Incredibilia, sicut iam superius dictum est, sunt opera luxuriæ, in cubili pisces natant, & sub ipsa mensa capitur, qui statim in mensam transferatur. Parum recens videtur mullus, nisi qui in conuiuæ manu moritur. Obseruatur morien- *Procerum luxuria voluptas.* tium color, quæque in multas mutationes mors ipsa luctante spiritu vertit. Rubor primum, deinde pallor suffunditur, longa somniculosæ inertisque luxurię expectatio. Nolunt attingere, nisi eodem die captum, qui ipsum, vt aiunt, mare sapiat: ideo cursu aduehitur. Ideo gerulis cum anhelitu, & clamore properantibus via datur, & ad mortem muli concurritur. Quo peruenere delitiæ? Audiebamus, nihil esse mullo saxatili melius. Ac nunc audiuimus, nihil esse moriente formosius. Da mihi, inquit, vitreum in manus, in quo exultet, ac trepidet mulus. Vide quomodo rubor omni minio acrior exardescat, vide quas per latera venas agat. Hi, itaque non sunt ad popinam dentibus, ore, & ventre contenti, sed oculis gulosi. Oculos enim antequam gulam pascunt.

Plinius li. 9. Ex reliqua nobilitate, & gratia maxima est, & copia mulli sicut magnitudo modica, binasque libras ponderis raro admodum exuperant, nec in viuarijs piscinisque crescunt. Septentrionalis tantum hos, & proxima occidentis parte gignit oceanus. Cętera eorum genera plura. Nam & alga vescuntur, & ostreis, & limo, & aliorum piscium carne, & barba gemina insigniuntur inferiori labro. Lutarium ex his vilissimum generis appellant, hunc semper comitatur sargus nomine alius piscis, & cænum fodiente eo excitatum deuorat pabulum. Nomen his Fenestella à colore mollium *Fenestella.* calciamentorum datum putat. Pariunt ter in anno. His certè totiens fætura apparet. Mullum expirantem versicolori quadam & numerosa varietate spectari, proceres gulæ narrant, rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem, vtique si vitro spectetur incluſus. Mullum 80. librarum in mari rubro captum, *Mullus 80. librarum.* Lucinius Mucianus prodidit, quãta mercatura cũ luxuria suburbanis littoribus inuentũ est, & hæc natura, vt alibi alij pisces principatũ obtineãt. *Idẽ in li. 32.* Mulus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Mulli etymon.

tactu leporis marini tenerescit, & gratior vtiliorque fit. *Isid.* Mullus vocatus est, eo quod mollis fit, atq; tenerrimus, cuius cibo tradunt libidinem inhiberi, & oculorum aciem hebetari, homines vero, qui his sæpe pasti sunt, piscem olent. Mullo in vino necato, qui inde biberint tędium vini habēt. *Alex.* Mullus hominis fimo delectatur, adeo, vt in ipso iaceat, & tincturam caro piscis ex fimo mutuetur.

De Medicinis ex mullo.

CAPVT LXXI.

Medicina ex mullo.

PLinius *li.* 32. Mullus contra pastinacas, & scorpiones terrestres, siue marinos, & dracones, atque phalangia prodest illitus, aut in cibo sumptus. Eiusdemque recentis è capite cinis contra omnia venena valet, & priuatim contra fungos. Iterum cinis è capite mullorū attritus ischiaticos liberat. Comburuntur autē in vase fictili, & cum melle dicunt illini. Mullos autem in cibo inutiles neruis inuerio. Eorum quoque cibo tradunt oculorum aciem hebetari. In menstruis vero mulierum auxiliatur mullus. Inueterati mulli, & in potione triti, vomitationes concitant. Mullorum salsamenti cinis carbunculos discutit. Mullus autem in vino necatus, vt dictum est, his qui biberint inde, vini tædium affert.

Vini tadiū vt fiat.

De Muræna.

CAPVT LXXI.

Murana.

ISidorus Murænam, Græci myrenā vocant, eo quod plicet se in circulos, hanc fœminini tantum sexus tradunt, & à serpente concipere. Ob id à piscatoribus tanquam à serpente sibilo euocatur, & capitur. Ictu fustis difficulter interimitur, ferula vero protinus, *animam eam habere in cauda* certum est. Nam capite percusso vix interimitur, cauda statim exanimatur. *Plinius li.* 9. Muræna est piscis longus, molli cute intectus, hyeme latet, nec capitur, nisi diebus æstatis, sicut conger, & omnes saxatiles. Exit in terram, sicut & polypus, huic æmula est mustela. Quibusdam piscibus datæ sunt pinnæ vice pedum, quibusdā vero nullæ sunt, vt murænis, quibus nec branchiæ. Hæc fluuioso impulsu corporū, ita mari vtūtur, vt serpentes terra. In sicco quoque repunt. Muræna *quocumque mense parit*, cum cæteri pisces statuto pariant. Oua eius citissimè crescunt. In sicco littore elapsas, vulgus coitu serpentium impleri putat. *Arist.* Zimirum vocat marem, qui generat. Discrimen autem esse, quod muræna varia & infirma sit, Zimirus vnicolor & robustus, dentesque extra os habeat, ferunt aceti gustu præcipuè eas in rabiem agi. Inuenit in hoc animali documēta sæuitiæ. Vedius pollio eques Romanus ex amicis D. Augustini, viuarijs earum immergens damnata mancipia, non tanquam ad hoc feris terrarum nō sufficientibus sed quia in alio genere totum hominem distrahi spectare non poterat.

Anima in cauda murana.

Quocumque mense parit.

Plin. li. 32. Pithiatius tradit murenam cū hamo capta sit, se inuertere, & spina quam in dorso scutellatā habet lineam præsecare. Licinius macer tradit murænas sexu esse tantū fœminini, & concipere à serpentibus, & ob id sibilo à piscatoribus, tanquā serpētibus euocari, & capi. *Idem li.* 9. Viuarium autem murenarum primus excogitauit Tyrus, qui mille murenas in vna triumphali cæna appendit. Nam permutare quidem pretio noluit aliave merce. In Gallia septētrionali murænis omnibus in dextera maxilla septenæ maculæ sunt ad formam septentrionis aureo fulgentes colore, dumtaxat viuētibus, pariter cum anima extinguitur. Tenuissimū est his tergus econtra vero anguillis crassius. Polyporum generis onigena dicta graui capitis odore, ob hoc murenis eam maxime confectantibus. Item muræna melior est in Sicilia, quam alibi. Huius oua in mari crescunt celeritate summa. Odio mutuo flagrant conger, & muræna, caudā inter se prærodentes. *Idem in li.* 32. Muræna irretita maculas appetit ac lubrici tergi multiplici flexu rete laxat donec euadat, vt tradit Ouidius.

Muræna tantum fœmina sunt.

De eodem.

CAPVT LXXII.

EX *lib. de natur. rer.* Murenæ, sicut dicit Plin. libenter se tenent inter arundines, & ligna, vt si forte reti concludantur flexu multiplici euadant, hæ morsum venenosum habent, sed capitis eorundem cinere morsus sanatur. Periculosum est eas in cibum sumere, nisi prius in vino optimè ac diutissimè decoquantur, & speciebus aromaticis, maximeque pipere condiantur, venenoso namque abundat humore, vnde nec de facili cedunt coctioni. Item murenam iuxta Basilium, vipera ex aquis in siccum euocat ad coitum. *Iorath, vbi supr.* Muræna non à suo srpi simili, sed à serpente sibilo ad siccum euocata concipit, nec aliquid tamen serpenti, sed sibi simile gignit. *Ambr.* Vipera quidem ad littus maris sibilo murænam euocat. Venenumque suum vouit, illa statim venit, & cum eo coit. Et post vipera venenum suum resumit. Cæterum muræna quam aliquid habere noxium ferunt esca precioſior est. *Plinius vbi supra.* Murenæ morsus, capitis ipsius cinere sanatur, Lichenas etiam, & lepras soluit murænarum cinis cum ternis obulis mellis.

Murana cōcipit à serpente.

Vsus medicus.

De Murice.

CAPVT LXXIII.

Murex.

ISidorus. *Murex* est cochlea maris, ab acumine, & asperitate dicta, quæ aliō nomine conchylium dicitur, eo quod circumscisa ferro, lachrymas purpurei coloris emittat, ex quibus purpura tingitur, & inde ostrum appellatum est, quod hæc tinctura ex humore testæ elicitur. Mucianus autem tradit muricem echineum, de quo scilicet dictum est supra. *Plin. li.* 9. Murices conchæ marinæ sunt, quæ latent circa canis ortum tricenis diebus, & statuto tempore exeunt, pretiosum liquorem tingendis vestibus in medijs faucibus habēt vtilē. Sed is color in sola vena candida reperitur. Reliquum vero corpus sterile est. Viuis quoque tantum hic color exprimitur, quia morientes cū vita succum euomunt, non habent sphæricum os, neque rotundū, nec in angulos prodeunte rostro, sed ad conchę modū vtroque latere clauditur. *Idem, in eodem.* Animalia marina, quæ sunt duræ testæ, vt murices, aut purpuræ saliuario lentiore proueniunt, sicut acescente humore culices, atque spuma maris incalescente cum admissus est imber, & hæ pariunt in vere. *Idem, in libro* 32. Muricum testæ cinis vtiliter cum melle illinitur vlceribus capitis. Idem quoque cinis bonum est dentrificium, & maculas purgat in facie mulierum cum melle illitus, & cutem quæ erugat, extendit septenis diebus illitus, ita vt octauo candida ouorum foueat. Idem ex oleo valet ad parotydas, & strumas. Pannisque resistit vtroque modo, siue opus sit incipiētes discutere, siue coctos emittere. Item muri cum cinis cum oleo tumores tollit. Cinisque testarum earum cum melle mammas mulierum efficaciter sanat.

In medijs faucibus liquor tinctorius.

Vsus medicus.

De Mure ac musculo, & mustela.

CAPVT LXXIV.

PLinius *li.* 9. Mus marinus ad terram exit, ibique fossam faciens oua parit, ac rursus terra obruit. Post 30. vero diem rediens, iterum fossam aperit, & fœtus in aquam ducit. Horum fœtus inter initia visu carent, sicut fœtus omnium ferè aquatilium. *Isid.* Musculus dictus est, eo quod sit balænæ masculus. Eius enim coitu hæc belua concipere perhibetur. Sunt autem musculi cochleę quorum lacte concipiunt ostreæ. *Plin. li.* 9. Amicitiæ sunt exempla musculus & balæna. Quandoque prægraui superciliorum pondere, obrutis eius oculis, infestantia magnitudinem in vada prænatans demonstrat, oculorumque vice fungitur. *Idem in lib.* 11. musculus marinus, quæ balenam antecedit, nullos habet dentes, sed

Mus marinus.

Musculus.

Balanam antecedit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Mustela.

pro his setas intus, ob id etiam hirsutam dicunt appellatam. *Idem in li. 9.* mustelæ pisces mense deputantur, quas inter alpes lacus R hethæ bigrantinus æmulas murænis generat. *Aristot.* mustela, sicut delphinus, & foca viuos fœtus de corpore suo edunt, & cum partus ediderint, si erga suos catulos insidias quemquã moliri præsenserint, ipsos tuentur, ætatis teneræ pauorem affectu materno comprimunt, oraque aperiunt, & innoxio dente partus suos suspendunt. Interno quoque corpore recipere, ac genitali aluo feruntur abscondere, donec illos ad securitatem deferant, aut sui corporis obiectu defendant.

De Narco, & nautilo, & nube.

CAPVT LXXV.

Narcos.

NArcos teste Aristot. tantæ virtutis est piscis, vt mediante lino, & calamo ad manum piscatoris hamum tenentis accedat stupor, & insensibilitas. Immo & totum corpus obstupescit, nisi citius hamum deijciat. Inde est quod etiam stuporifera, vt papauer, & huiusmodi cætera dicuntur narcotica. *Plin. li. 9.* Nautilos, quæ ab alijs vocatur pompilos, inter præcipua miracula maris computatur. Nam supinus in summa equorum peruenit, ita se paulatim subrigens, vt emissa omni per fistulam aqua velut exoneratus sentina facilè nauiget. Postea prima duo brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit, qua velificante in auras cæteris brachijs subremigans, media cauda, vt gubernaculo se dirigit, ita vadit alto liburnicarum gaudens imagine, si quid pauoris interueniat hausta se mergens aqua. *Ex lib. de nat. rer.* Nubes secundum Aristotelem, est piscis, in aqua viuens applicatus ad petram, à qua non discedit, nec separatur, nisi per attractionem inspirationis coactus.

Stuporifera vocantur narcotica.

Nautilos.

Nubes.

De Orbe, & ostrea.

CAPVT LXXVI.

Orbis.

ISidorus. Orbis dictus est à figura, scilicet quia rotundus est, & totus in capite constat. *Plin. lib. 32.* Durissimum esse piscium constat eum, qui orbis vocatur, rotundus est sine squamis. *Isidor.* Ostrea dicta est à testis, quibus mollicies interior carnis munitur. Græci enim testam ostream vocant, ostrea vero neutro, carnes fœminino dicũtur. Est autem in ostrea pretiosissima margarita naturaliter infixa, quæ maris aqua in ea solidatur. Quæ etiã difficile apud reges inuenitur, & in littoribus quasi vilis iacens, à vulgo saxis asperis, & cautibus colligitur. *Ex li. de nat. rer.* Ostreum, vt dicunt *Amb. & Isid.* quandoque testam aperit, vt clementioris auræ delitijs glorietur. Sed cancer insidias ei repentinas prætendit, & lapidem in eius testam proiicit, ne illas coniungere possit, & sic ostreæ carnes corrodit. Ostreum siquidem in siccum, vel in sicco iacens, iam vt in domo conchas in tempore successionis maris aperit. *Plin. li. 9.* Silicea testa inclusis fatendum est nullum inesse sensum, vt ostreis, putrescente limo proueniunt, ac spuma, circa nauigia diutius stante defixosque palos, & ligna. Nuper compertum in ostrearijs humorem his fœtificum effluere in modum lactis. *Idem in lib. 10.* In marinis ostreis auditum esse, non est verisimile, sed ad sonum dicuntur se mergere. Tactus quidem sensus inest omnibus etiam quibus alius nullus. Nam & ostreis, & terrestribus vermibus, quo existimauerim omnibus sensum inesse gustus. *Idem in libro 11.* Oculi quidem ostreis nulli, quibusdam concharum dubij. *Idem in lib. 32.* Ostreæ dulcibus aquis gaudent, & vbi plurimi amnes influunt. Gignuntur tamen & in petrosis, carentibusque dulcium aquarum aduentu. Grandescunt syderis ratione circa æstatis initium multo lacte prægnantia & latentia, & vbi sol penetrat in vada. Hæc videtur ratio quare minora in alijs locis reperiuntur, opacitas enim prohibet incrementũ, tristitiaque minus appetunt cibos, variantur corporibus in Hispania rufa, in illyrico fusca: nigra & carne, & testa circeis præcipua; in quacunque gente, vbicumque habentur spissa, nec saliua sua lubrica, crassitudine potius, quam latitudine spectanda; nec in luto, nec in arenosis, sed solido vado capta. Gaudẽt, & peregrinatione transferrique in ignotas aquas, in indico mari reperiuntur pedalia.

Orbis.

Ostrea.

Insidiæ cancrorũ ostreis paratæ.

Ad sonum se mergunt ostrea.

Ostrea dulcibus aquis gaudent.

De Medicinis, ex ostrea.

CAPVT LXXVII.

OStreæ, specialiter contra venena leporis marini aduersantur, eisque mensarum diuitum palma tribuitur, *stomachũ vnicè reficiunt*, fastidijs medentur. Additque luxuriam frigus obrutis niue, summa montium, & maris ima miscens. Aluum læniter emolliunt, coctaq; mulso, tenasmo, qui sine exulceratione sit, liberant. Vesicarum etiam vlcera repurgant. Cocta vero in conchis suis sicuti venerint clausa mirè distillationibus prosunt. Harum testæ cinis vuã sedat, & tonsillas admixto melle. Eodem modo parotydas, pannos, mammarũque duritias, vlcera capitum ex aqua. Cutem autem mulierum extendit. Inspergitur & ambustis, ac dentifricio placet. Pruritibus, & eruptionibus pituitæ ex aceto medetur. Ostreæ crudæ si tundantur strumas sanãt, & perniones pedũ. *Arist.* Est autẽ piscis de genere ostreæ, idest testæ duræ, qui cauda natat, & repit. *Dios.* Ostreæ porphyræ, vnde purpura tingitur, cochleæ sunt, quæ vstæ deficcatiuæ virtutis sunt, quibus & cæterarum cochlearum virtute sunt similes. Nam & ego eis vsus sum in rheumatica, & diuturna, & quæ difficile concarnantur vulnera, & caua, & nimia profunda, quas vstas apposui cum adipe veteri.

Ostrea stomachum reficiunt.

Vsus medicinæ.

De Pagro, pauo, pectine, & perca.

CAPVT LXXVIII.

ISidorus. Pagrus piscis est, quẽ Græci fagrũ, ideo nuncupant, quod duros dentes habeat, ita vt ostreis in mari alatur. *Auctor.* Pagrus, & ipse est dentix, de quo dictũ est superius. *Plin. li. 9.* Omnes quidẽ pisces pręgelidã hyemem sentiunt, sed maximè, qui lapidẽ habere in capite existimantur, vt lupi, & pagri. Cũque asperæ fuerint hiemes, multi ex eis cæci capiuntur, sicut de lupo iã dictum est superius. *Ex li. de nat. rer.* Pauus maris dictus est à pauone volucre, quoniam ei similis est in coloribus. Dorso enim & collo pictus est colore diuerso. Pectines maris armantur vnguibus, lucent in tenebris ignium more. In magnis frigoribus, & magnis æstibus reconduntur, quia temperatum aerem oportet eos habere, vt viuant, cum excessum passionum in elementis vngues eorum non pati valeant. *Aristoteles.* Animalis marini, quod dicitur pecten, pedibus si quid appropinquauerit oculum subito claudit. *Plinius vbi supra.* Pectines sponte naturę arenosis proueniunt. *Auctor.* Perca est piscis fluuialis varii coloris, cursu velocissimus, squamis, & pinnulis acutis, & asperrimis armatus, quibus etiam se defendit contra pisces maiores, ne prædantes eam inuadant: præ cæteris piscibus fluuialibus, & stagnensibus infirmis in cibo præcipuè conuenit. *Alexander.* Perca videns sibi lucium imminere, horret pinnis, & sic euadit.

Pagrus.

Dentix.

Pauus.

Pecten.

Perca.

De Pinna, & plaice.

CAPVT XXIX.

PLinius li. 9. Pinna est piscis concharũ generis, nascitur in limosis subrecta semper, nec vnquã sine comite, quẽ pinnotherem vocant. Alii pinnophylacem, id est, suilla parua, alicubi cancer, dapis assectator. Pandit autem se luminibus, orbum corpus, intus minutis piscibus præbens. Assultant alii protinus, & vbi licentia audacia creuit, implent eam. At illa ore cõpresso quicquid concluserit examinat, partemque socio tribuit. Quo magis miror existimasse quosdam, aquatilibus nullum inesse sensum. *Ex libro de natura rerum.* Pinna de genere concharum est, corpusque rotundum habet. Mas & fœmina socialiter ambulant, aperit pinna conchas suas ad lunam, seque paruis piscibus offert quasi mortuam.

Pinna.

Qui

Qui protinus exultantes: vbi licentia, ſicut dictum eſt, audacia creuit, implet eius conchas. Mox vero pinna ſe plenam ſentiens, apprehenſum quicquid incluſerit exanimat. *Auctor.* Plais eſt piſcis notus, & vſitatus apud nos planus, ſcilicet & bicolor. Nam ex vna parte albus, ex altera niger, de quo ſicut & de pluribus alijs, nihil in prænominatis authoribus reperi, niſi forte alijs nominibus vocentur ab eis, quam à nobis.

Plais.

De Porco marino.

CAPVT LXXX.

Porcus.

Iſidor. Porcus marinus eſt, qui vocatur ſuillus, quia dũ eſcam quærit, more ſuis terram ſub aquis fodit. Circa guttur enim habet oris orificium, & niſi roſtrum arenis immergat paſtum non colligit. *Ex lib. de natura rer.* Porcus maris eſt piſcis eſibilis, porco terreſtri ex magna parte ſimilis. Nam & caput habet ſimillimum, & membra in corpore, coſtaſque ſimili modo diſpoſitas. Tota ferè caro eius in pinguedinem tranſit. Lingua eius abſoluta eſt, vt porci, ſed voce differunt circa guttur orificium habet, & eſcam in fundo maris fodiens quærit. In eius dorſo quædam *ſpinæ ſunt, venenum* efficaciſſimum habentes, & punctionibus ſuis valde cruciantes. Sed fel eorum puncturis remedio eſt. *Plin. in li.* 32. Inter venena piſcium, ſunt porci marini, ſpinæ in dorſo cruciatu magno læſorum. Remedio autem eſt limus ex reliquo corporis piſcium eorum.

Spina venenum.

De Pungitiuo.

CAPVT LXXXI.

Pungitiuus, minimus piſcium.

Ex li. de nat. re. Pungitiuus vero eſt omnium ferè *piſcium minimus*, quibuſdam ſpinis ſecundum nomen ſuum pungens. Mas in eis circa fauces rubeus eſt, fœmina vero illa rubedine caret. Ambo vero maculis nudati ſunt, hos vulgus opinatur ſine ſemine in aquis creſcere. Et quod mirabilius eſt, alios etiam horum ſemine propagari, vnde & hunc piſcem matrem piſcium vocant. Dicunt enim ſi ſtagnum nouum fiat, nulluſque piſcis immittatur. Hos piſciculos anno primo in eo inueniri, & anno ſecundo diuerſi generis *piſces ex eiſdem propagari.*

Mater piſcium. Nota.

De Purpura.

CAPVT LXXXII.

Purpura.

Plin. lib. 9. Purpura florem illum tingendis veſtibus expetitum in mediis habet faucibus, liquoris hoc minimi eſt in candida vena, vnde pretioſus ille bibitur nigrantis roſæ colore ſublucens. Reliquum corpus ſterile. Viuunt autem purpuræ plurimum annis ſeptenis. Latent, ſicut murices circa canis ortum tricenis diebus. Mutuoque attritu lentorem cuiuſdam ceræ ſaliuant, ſimiliter & murices. Purpuras autem viuas capere contendunt, quia cum vita ſua ſuccum illum euomunt, & maioribus quidem conchis detracta concha auferunt. Minores vero cum teſtis frangunt, ita demum rorem eum excipientes Tyrii. Lingua purpurę longitudine digitali, qua paſcitur perforando reliqua conchylia, tanta eſt aculeo duritia. Aqua dulci enecantur, & ſicubi flumini immerguntur, alioquin captæ etiam diebus quinquagenis viuunt ſaliua ſua. Conchæ omnes celerrime creſcunt, præcipuèque purpuræ, anno magnitudinem implent. Capiuntur autem purpuræ paruulis rariſque conchis textu veluti naſſis in alto iactis. Ineſt autem his eſca; cluſiles mordaceſque conchæ quales videmus has ſemineces, ſed mari redditas auido hiatu reuiuiſcentes. Appetunt eas purpuræ, porrectiſque linguis infeſtant, at illæ aculeo extimulato claudunt ſeſe, comprimuntque mordentia. Ita pendentes auiditate ſua purpuræ tolluntur, & vena præfata eximitur, laus ſumma in colorem ſanguinis concreti aſpectu nigricans. Idemque ſuſpectu refulgens.

Vita tempus.

Ros tinctorius purpura quo modo excipitur.

Concharum ad purpuras, & conchylia eadem eſt materia, ſed temperamento diſtant, duo ſunt genera, Buccinum minor concha dicitur, ad ſimilitudinem eius buccinæ qua ſonus editur, alterum purpura vocatur, caniculatim procurrẽte roſtro, & caniculi latere introrſus tabulato quo lingua proferatur, propterea eleuatum eſt ad turbinem vſque aculeis in orbem ſeptenis ferè, qui non ſunt in buccino. Sed vtriſque ſunt orbes totidẽ, quot habent annos. Buccinum non niſi petris adhęret, circaque ſcopulos legitur, purpuræ alio nomine vocantur pelagiæ. Plura ſunt earum genera, pabulo & ſolo diſcreta, lucenſe putri lino & Algenſe, Vtriſque melius Tenienſe in Tenei maris ora collectum. Hoc quoque tamen etiam leuius, atque dilucidius. Calculoſæ appellantur à calculo maris mirè aptæ conchyliis, & longè optimè purpuris. Dilutenſe, id eſt vario ſoli genere paſtum. Alga enutritũ viliſſimũ. Purpuras autẽ capi poſt canis ortum eſt vtiliſſimum, aut ante vernũ tẽpus, quia cum fœtificauere ſuos habent fluxus. Tantoque vis ſuci maior, quanto recentior. Quæ durioris teſtæ ſunt, vt murices, ac purpuræ lentore præueniunt ſpuma maris incaleſcente cum admiſſus eſt imber. Item purpuræ *conuiuia regum adornant, amictus imbuunt.* Aquarum ergo eſt, quod adoratur in regibus, & aquarum eſt illa ſpecies quæ fulget in veſtibus. *Ex lib. de nat. re.* Purpuræ ſunt conchæ marinæ, quæ verno tempore congregantur, & attritæ liquorem ore ſaliuant, quem in mediis faucibus habent. Horum piſcium conchæ, infra annum magnitudinem implent, quod ſi ante in creſcendo tranſcurrant vim libidinis auferunt, nec vltra coire poſſunt, vt in tempore pretioſum liquorem pariant. Vnde ſumma diligentia primo anno detrahuntur eis conchæ, vel confringuntur ne creſcant, hoc liquore veſtis purpurea tingi ſolet, qui color nigrantis roſæ more ſublucet. Purpuræ ſecundum Plinium fœtidis odoribus capiuntur, & cum ſemineces fuerint mari redditæ reuiuiſcunt.

Duo genera Cõcharum. Buccinum. Purpura.

Pelagia.

Calculoſa.

Captura purpurarum quando?

Nota.

De Medicinis ex purpura.

CAPVT LXXXIII.

Plin. lib. 33. Purpuræ contra venena proſunt; harum teſtæ cinis vtiliter cum melle illinitur vlceribus capitis. Idem quoque cinis cum melle efficaciter ſanat mulierum mammas: pannis etiam reſiſtit vtroque modo, idem cinis, ſiue opus ſit incipientes diſcutere, ſiue coctos emittere. Purpurarum, ſiue muricum minora genera ſunt efficaciora, & oris halitum cuſtodientia. *Dioſc.* Purpura maritima & blata appellatur, quia quaſi blitula ſanguinis apparet: huius virtus ſicca eſt, vnde vulnera putrida gingiuarum in puluerem redacta & impoſita, purgat & cicatrizat. Et ſi in eis mala caro ſupercreuerit, puluerizata adhibita depaſcit eam & extirpat, hoc & eius vngulæ combuſtæ faciunt. Eædem vngulæ & coopertorium conchylii album fumigata, caſtorei odorem habent, ac fumigatione ſua ſtericis effocationibus laborantes liberant, epilepticos curant: bibita ventrem mouent. Conchylium ipſum combuſtum omnia ſupradicta facere nouit.

Blata eius virtus.

De Raithe, & raha.

CAPVT LXXXIV.

Ex li. de nat. re. Raithe quę rais gallicè dicitur, eſt piſcis maris inter piſces nobiles reputatus, admodum vilis, & hoc vbi eſt piſcium copia: propemodum rotundus eſt, & in lõgitudine, & latitudine ferè æqualis. Oculos habet horribiles. Os quoque deformitate liuidum, & hoc non eo loco quo piſces cæteri, ſed loco ventris: vbi vero caput & oculi ſunt os non habet. Caudam habet prę longam, vt coluber: & in ea ſpinulas quaſdam acutas valde. Habet & quandoque in capite lapidem, nec credimus quod natura creauerit eum inutilem. Huius carnes indigeſtibiles ſunt, vt carnes bouinæ. Impinguatur (*vt dicit Ariſtoteles.*) vento meridionali flante. *Iorath.* Eſt autem piſcis nomine *raha* ſtupefaciens, ita quod

Raithe, Rais.

Raha.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quod cum reti portatur, peruenit, stupor eius ad manum qua portatur. Hic occultatur in arena & luto. Venaturque totum quod ex piscibus appropinquat ei, & quia stupefacit eos, ita quod non possunt moueri, ipseque consequitur illos, & comedit eos.

De Rana marina.

CAPVT LXXXV.

Rana.

Ambrosius. Rana horrens in paludibus, decora in aquis, in quibus omnibus ferè præstat elementis. *Arist.* Rana marina habet alas, sicut & omnia cętera, quorum finis tendit ad strictũram. Habet etiam branchias ad vnam partem declinantes, aspe ros, spinis similes, & coopertorium habet. In ranis maior est fœmina, sicut & in cæteris ouantibus, vt in lacertis, ac serpentibus. Habet rana marina supra oculos partes pendentes quasi pilos, habentes capita rotunda, quas ei prępa-
B rat natura cibi causa. Cum enim rana mouet aliquid aquosum cum luto, & arena, tunc partes illas quæ sunt quasi pili erigit: easque cum piscibus paruis inuoluit, & ad orificium suum cum eis adducit, sicque comedit. Et si per partes illas, quæ sunt super oculos, non venatur, quando deprehenditur debilis & ęgra inuenitur. Ex his etiam, quæ latent est rana: cumque latuerit, vadit ad viride super aquam, & cibatur piscibus paruis, qui sunt in ea: Rana continuæ generationis est, & ouat extra vnũ ouum completum tantum. Et est duræ testæ, propter salutem qua exterius indiget: huius causa est natura sui corporis, quia caput eius est in quantitate multiplex ad suum corpus, & est spinosũm. Ideoque non recipit pul-
C *Rana non nutrit filios.* los suos in vltimo. *Omnes autem pisces nutriunt filios suos, præter ranam.*

Plin. li. 9. Rana sicut & quædam cætera marina cartilaginem habet pro spina. In coitu superuenit prioribus pedibus alas fœminæ mare apprehendente posterioribus clunes, sicut & testudo. Piscium vero diuersa genenera non coeunt insimul, præter squatinam & ranam: ex quibus nascitur piscis parte priori ranæ similis. Nec *Piscatrix.* parua est solertia ranæ, quæ in mari piscatrix appellatur. Eminentia quippe sub oculis cornicula turbato limo exerit, assultantes pisciculos pertrahens, donec tam prope accedant, vt in eos assiliat. *Idem in li.* 32. Ranarum marinarum ex vino & aceto decoctarum succus contra venena bibitur, & contra ranæ rubetæ venenum. Ra-
Adeps ranarum. narum adeps instillatus auribus statim dolores tollit. D Ranæ quoque singulæ in aceto decoquuntur, vt dentes inde colluantur, & succus in ore contineatur. Quædam etiam ranarum binarum corpora præscisis pedibus in vino macerãt, & inde collui dentes labentes iubẽt. Hęc autem omnia efficaciora sunt ex rana marina. Osseiculus è cauda ranæ marinæ ad strumas valet, ita vt non vulneret. Idque quotidie faciendum est, donec percurentur. *Auic. in* 3. *can.* Rana marina rubea (sicut narrauerunt sapientes) maligna est, inuadens animalia. Nam ex longinquo ad ea salit, vt mordeat, & si mordere non potest, *Rana rubea.* exufflationem nociuam ad ea sufflat. Ex eius morsu ac-
Morsus eius. cidit apostema magnum, & perditio velox. Cura eius est cum theriaca magna, & quod est eius generis. *Auctor.* Rana marina rubea venenosa est, & eius potu accidit obfuscatio coloris, & apostematio corporis, & alia E multa incommoda. *Idem.* De hac & alijs ranarum speciebus dicetur infra plenius in tractatu de vermibus.

De Rhombo.

CAPVT LXXXVI.

Rhombus.

Plinius li. 9. Rhombus est piscis planus, sicut passer, & solea: hi à passeribus tantum situ corporum differunt. Dexter hic resupinatus est illis, passeri lævus. *Idem in li.* 32. Rhombi carnes tritæ, & ex aqua mulsa datæ febricitantibus proficiunt. *Ex li. de nat. re.* Rhombus est piscis magnus, & fortis, & astutus, sed tardus. Hic quoque piscis, vt rana marina simili modo deprædatur.

A Nam in limo turbato absconditus, pennas exertas mouet, & vbi pisces approximare viderit, mox eos corripit & deuorat. Argumentum est eius solertiæ, quia cum sit tardissimus omnium piscium, mugilum tamen velocissimum in ventre sępissimè reperitur habere. *Solerter capit & deuorat pisces.*

De Salmone.

CAPVT LXXXVII.

Physiologus. Salmo dicitur à saltu: caudam enim ore replicat, & reflectit, firmiter eam ore tenens, donec saltus agilitate locum etiam abruptum conscendit. Sed nec colore multum valet, aut sapore, antequam gustauerit mare. Ad quod tendens contra fluminis impetum, à proposito nõ desistit, quousque reficiatur, deinde ad nota domicilia reuertitur. *Ex li. de nat. re.* Salmo pis-
B cis est in longitudinẽ, & latitudinem magnam excrescens. Robore quoque fortis est, sed ponderosus & grauis, omnisque quam habet agilitas à potentia virtutis eius est, potiusquam à leuitate corporis: hic, vt dicit Pli. olim præferebatur omnibus piscibus fluuialibus, & maximè in Aquitania. Carnes eius rubeæ sunt, quæ licet *Carnes rubea.* dulces & gratę sint valde: tamen satietatem cito manducantibus ingerunt. Piscis istæ fœtus facit, nec diu viuere potest in aquis dulcibus stagnorum, nisi liberum habeat transitũ ad dulces vndas fluuiorum. Quinetiam vbi in transitu sepem, vel aliquid huiusmodi obstaculũ inuenerit, caput caudæ coniungit, flexoque corpore peruolat ad optata. Hoc ipsum etiam facit cum irretitum se senserit. Salpa piscis est obscenus & vilis. Hic mira-
Salpa miraculum. culum sui præbet, *vt nunquam decoqui possit, nisi prius fortiter fuste, vel ferula verberetur.*

De Scolopendra, & scorpione.

CAPVT LXXXVIII.

Scolopendra. Centipedes. Scorpio.

Plinius li. 9. Scolopendrę marinæ terrestribus similes, quas centipedes vocant, hamo deuorato omnia interanea euomunt, donec hamum egerant: deinde resorbent. *Isid.* Scorpio dictus est, quia lædit dum manu tollitur. Tradunt autem decem cancris cum manipulo ocymi alligatis, omnes qui ibi sunt scorpiones, ad eum locum congregari. *Arist.* Scorpio marinus ouat in vere satis, & iterum autumno. *Pli. li.* 9. Cancri mortui in Scorpiones figurantur in sicco. *Idem in libro* 20. Mentæ succus contra scorpiones marinos sumitur. *Idem in li.* 32. mullus etiam illitus, vel in cibo consumptus contra scorpiones marinos sumitur, & auxiliatur. Scorpionis autem marini fel alopicias replet. Fel marini scorpionis *Vsus medicinalis.* rufi cum oleo veteri, aut melle attico incipientes suffusiones discutit. Iterumque fel scorpionis marini cicatrices tollit. Scorpius marinus necatus in vino, & oboli põdere potus vesicæ vitia & calculos sanat. Lapis quoque qui inuenitur in scorpionis marini cauda. Cum sol est in Cancro torquentur serpentes ictibus scorpionũ. Ictibus scorpionum carnes fluuiatilium cochlearum resistunt crudæ, vel coctæ. Quidam ob id salsas quoque obseruant, & ipsis plagis imponunt. *Dios.* Scorpiones maritimi choleram deponunt, suffusiones oculorum detergunt, caligines & glaucomata tollunt. *Idem.* Marini scorpij fel magnam habet virtutem, & ante fella quadrupedum primum, facit autem ad effusionem oculorum, & ad caliginem, & ad aspredinem palpebrarum. *Auic. in* 2. *can.* Cerusa stagni confricata super marini scorpionis pũcturam, confert. *Idem in* 4. Ex morsu scorpionis marini accidit inflatio ventris & forma hydropica, & quandoque ventositatis exitus absque voluntate. Cura eius est cura draconis marini, & rutelæ.

De Sepia.

CAPVT LXXXIX.

Sepia.

Isid. Sepia dicitur, quia sepibus intercluſa, facilius capitur: in coeundo obscænũ genus. Nam ore cõcipit,

sicut

Atramenti sepis vis.

sicut vipera: huius atramenti tanta vis est, vt lucernæ additum, Æthiopes videri, ablato priori lumine quidam tradunt. *Plinius li. 9.* Sepia piscis est ex genere mollium sanguine carentium, quibus caput est inter pedem, & ventrem omnibus pediculi octoni. Sepiæ, & loligini pedes duo ex his longissimi & asperi, quibus ad ora admouent cibos, & in fluctibus se velut anchoris stabiliunt.

Coeunt linguis.

Cæteri curti, quibus venantur. Sepiæ coeunt linguis inter se brachia componentes, & in contrarium natantes, & ore pariunt. Sepia omnibus mensibus parit ouæ. Oua eius glutino atramenti ad speciem vuæ cohærentia. Masculus ea prosequitur afflatu, alias sterilescunt. In terreno inter arundines, aut sicubi enata alga parit, & 15. die excludit. Sepiæ, nec ossa sunt, nec spinæ. Ad odorem vstæ sæpius pisces conueniunt, & ob hoc in nassis ponitur, vt inde capiantur. Trebius dicit in littore Carteie sepias esse duorum cubitorum. Nec viuunt vltra biniatum. Sepiarum generis mares varij sunt, & nigriores constantiæque maioris, hi, percussæ tridente fœminæ auxiliantur. At fœmina icto mare fugit. Ambo autem vbi se senserint apprehendi, *effuso attramento quod pro sanguine his est, infuscata aqua abscondunt. Ex lib. de natura rer.* Sepia concipit ore, sicut & vipera. Oua eius dura sunt, hæ non natant in mari, nisi par & par, masculus & fœmina. Omni tempore ouant, & in 40. noctibus oua sua complent, Fœmina cum ouat, mas ea sequitur, & super oua semen insufflat, vt viuificentur. *Aristoteles.* Sepia membrum habet sub ore positum, quod dicitur mastim, in quo est sperma magnum, & quando accidit timor, eijcit illud in aquam, & turbat eam. Habet etiam in interiori suo vasa duo plena ouis in albedine similia grandini. Corpora vero marium magis aspera sunt quã fœminarum. Pullus sepię continuus est cum ouo in anteriori corporis parte. Nec potest aliter esse, anterior enim pars, & posterior in eodem loco conueniunt.

Vita duratio.

Astutia sepia.

De medicinis ex sepia.

CAPVT XC.

Ioscorides. Sepia cum atramento suo cocta cacostomacha est, ventrem mollit. Quod molle est ossis eius collyrijs cacromaticis necessariè miscetur. Itẽ ossa tusa onim guinem dentibus tollunt, maculas carnis integro colori restituunt. Glaucomata hominum, vel an imalium in oculis sufflando maximè cum sale ad sanitatem perducunt. Item os eius tritum, & cum aqua bibitum, thoracis vitijs, & asmaticis, omnino prodest.

Virtus medicinalis sepia.

Plin. li. 32. Oculorum tumorem ruboremque sepiæ cortex cum lacte mulieris illitus sanat, & per se scabritias emendat. Cinis eiusdem corticis cicatrices oculorum sanat, & albugines iumentorum emendat. Sepiæ in cibo soluunt, earumque testæ ex aqua salsamentorum inhærentia corpori tela extrahunt. Medentur & lentigini cæterisque vitijs ex ossibus sepiarum vstis. Ideo cinis & carnes excrescentes tollit, & humida vlcera. *Platearius.* Os sepiæ, quod in eius ventre inuenitur, ad albandos dentes valet si puluere eius subtili in panno lineo posito fricentur. Ad faciem quoque dealbandam puluis eius cum vnguento citrino conficitur.

De spongia.

CAPVT XCI.

Spongia.

Isidorus. Spongia dicta est à fingere, id est, nitidare, vel extergere: vnde Cicero. Et fingebatur Spongijs sanguis, id est extergebatur. Animal autem esse docetur cruore petris inhærente. Vnde & dum abscinditur: sanguinem remittit. Nam alia sunt viuentia in aquis, quæ discurrunt, vt pisces, Alia quæ stant fixa, vt ostreę, icinus, spongiæ. Ex his aliæ mares dicuntur, eo quod tenues sint fistulæ, spissioresque. Aliæ fœminæ, quæ maioribus fistulis, ac perpetuis sunt. Alię duriores sunt, quas

Tragi.

Græci appellant tragos, & nos hircosas dicere possumus ob asperitatem sui. Nouissimum genus earum penicilli vocatur, eo quod aptæ sunt ad oculorum tumores, & ad tergendas lippitudines vtiles, Candidę spongiæ cura fiunt. Per æstatem enim ad solem sternuntur, & sicut cera punica candorem bibunt.

Penicilli.

Plinius libro 9. Spongiorum tria sunt genera, vt accepimus spissum ac prædurũ & asperum tragos id vocatur spissum & mollius, magis tenue densumque ex quo penicilli, Achilleum, nascuntur omnes in petris. Aluntur conchis, pisce, limo. Intellectum his inesse apparet, quia vbi auulsorem senserint, contractæ multo difficilius abstrahuntur, hoc idem fluctu pulsante faciunt. Esca eas viuere manifestè conchæ minutę in his repertę ostendunt. Circa Turonem vesci illis auulsas etiam aiunt, & ex relictis radicibus recrescere in petris, intersunt autem fistulæ quædam inanes quaternæ ferè, aut quinæ, per quas pasci existimantur. Subesse autem membrana quædam radicibus earum intelligitur: viuunt longo tempore. *Idem in libro 31.* In spongijs sunt mas & fœmina. Salis spuma tinctè per æstatem ad Lunam & pruinas sternuntur inuersæ, id est, qua parte adhæsere vt bibant candorem. Animal esse docuimus cruore petris inhærente, auditu eas regi narrant aliqui, & ad sonum contrahi exprimentes abundantiam humoris, nec auelli petris posse, ideoque abscindi, & saniem remittere. Aquilonares cæteris præferunt. Spongiæ contra solem aptè capita protegunt. *Idem in libro 32.* In mari Campaniæ vicino panem abiectum rapiunt, & ibidem ad nullum cibum in quo hamus sit, accedunt.

Tria genera.

Intellectus in spongijs.

De medicinis ex ea.

CAPVT XCII.

Isidorus. Spongiarum genus mollissimum penicilli vocantur, eo quod aptę sint ad oculorum tumores, & ad extergendas lippitudines vtiles. *Plinius vbi supra.* Aquilonares (vt dictum est) spongias cæteris præferunt nec vsquam diutius durare spiritum medici asserunt. Harum genus nobilissimum penicilli, tumores oculorum sedant ex mulso impositi; Abstergendæ quoque lippitudini vtilissimi. Imponuntur & ipsæ spongiæ epiphoris ex posca, & ad dolores capitis ex aceto calido. Recentes discutiunt, molliũt, mitigant. Veteres autem vulnera glutinant. Vlceta quoque humida, & similia impositæ siccant. Fracturæ & vulnera stangijs vtilissimè fouentur, quia sanguis rapitur in secundo, vt perspici possit curatio imponuntur vulneribus nunc siccæ, nunc ex aceto asperſæ, nũc vino, nũc ex aqua frigida. Ex aqua vero cœlesti impositæ, vulnera recentia siccant, nec patiuntur intumescere. Imponuntur etiam ad apostemata discutienda, decocto melle perunctæ, & articularijs iterum ex aceto salso madidæ, vel ex posca, si ferueat impetus ex aqua eadem è callo salso madidæ. Imponuntur quoque contra scorpionum ictus ex aceto. In vulnerum autem curatione vicem implent succidæ lanæ, nisi quod lanæ molliunt, spongiæ vero coarctant, & vitia vulnerum rapiunt, præterea spongiæ, circumligantur hydropicis siccæ, & stomacho prosunt impositæ. Item ex aceto vel aqua frigida impositæ sanguinis profluuium sistunt, & liuorem ab ictu recentem ex aqua salsa calida sæpius immutata tollũt. Testium quoque tumorem, ac dolorem ex posca auferunt. Ad canum morsus vtiliter imponuntur ex aceto conscisæ, aut aqua frigida, vel melle humectatæ. Cinis Aphricanæ cum porri succo sanguinem reijcientibus, hausta salis ex aqua frigida prodest. Idem quoque cinis Aphricanæ ex posca tumorem discutit. Omnium autem cinis cum pice crematarum sanguinem vulnerum sistit. Item spongiæ cinis cum oleo, vel aceto illitus, fronti tertianas tollit. *Idem in libro 33,* Infantium quoque syriasim, id est capitis vlcera spongia frigida cerebro humefacto sanat.

Vsus medicinalis spongiæ.

De Solari, & solea.

CAPVT XCIII.

Solaris. EX *libro de natura rerum.* Solaris dictus est, eo quod in sole libenter in ripis fluminum iacet: caput habet magnum, orificium latum, cutem nigram ac lubricam, qualis est anguillarum. Hepar habet dulcissimum, & esibilitate præcipuum, in vastitatem, ac longitudinem maximam crescit, *Plin. lib. 9.* *Solea.* Solea est piscis planus, sicut & rombus. *Isid.* Solea à figura denominata est eo scilicet quod calciamentorum soleis assimiletur. *Auctor.* Solea piscis est marinorum piscium iuxta medicos infirmis in cibo suauissimus, quia minus cæteris flegmaticus. Est etiam sapore gratus.

De Spinachia, & squatina.

CAPVT XCIIII.

Spinachia. EX *lib. de nat. re.* Spinachia corpore quidem est pusilla, sed vtilissimè vndique spinis extantibus minuta, à morsu cuiuslibet alterius piscis est tutissima. *Squatus.* *Isido. Squatus* dictus, eo quod squamis sit acutus: vnde & eius cute lignum politur. Pli. li. 11. Squatina est ex piscium genere, qui pro spina cartilaginem habent. Omniaque talia carnosiora sunt, & supina vescuntur. *Coit cũ diuerso genere.* Diuersa piscium genera, non coeunt insimul, præter squatinam & ranam, ex quibus nascitur piscis, parte priori ranæ similis. Et nomen ex vtroque compositum apud Græcos trahit. Piscium quidam ter in anno pariunt, quidam bis, vere & autumno. Ex planis sola squatina bis, autumno, occasuque Vergiliarum. Squatina vero intra se parit oua præmollia, in aliũ locum vteri transferens, ibique excludens. Simili modo & omnia quæ appellauimus cartilaginea, ita fit vt sola piscium & animal pariant & oua concipiant. *Ex lib. de nat. rer.* *Nota. Squatina.* Squatina piscis est in mari, quinque cubitos habẽs longitudinis, & caudam pedalem: hic absconditus in limo pisces corripit subito. Cutem tam asperam habet, vt ex ea lignum, & ebora poliantur: pilus ipsius cutis breuis & niger est. Hunc adeo durum natura creauit, vt ferri, vel chalybis acumine vix inscidi possit.

De Stella, & sturione.

CAPVT XCV.

Stella. PLin. *lib. 9.* Stellam in mari sapientia claros auctores video mirari: cuius figura hæc est, parua ad modum caro intus: extra duriore callo, huic tam igneum feruorem esse tradunt, vt omnia in mari contacta adurat omnem cibum statim peragat. *Idem in li. 31.* Carnes autem marinæ stellæ contra marini draconis ictus valent appositæ. *Ex lib. de nat. rer.* Stella piscis est in mari occidentali, cuius figura est ad modum stellæ: hæc *Figura.* cum aliquod animal comederit, mox inuenitur in eius *Sturio.* ventre durum, quasi bis coctus panis. *Sturio* est piscis magnus habitans in aquis fluuialibus, quæ magnæ sũt & diffusæ. Viuere diutius non potest in stagnis, nisi ad dulces fluuiorum aquas transitum habuerit. Cibi parum, aut nihil admittit in corpore. Cui quippe cibus in nutrimentum, sufficiens est ipsa sola aeris serena tranquilitas. Quapropter & modicum habet vẽtrem, ac propemodum solidus in loco ventris, sicut in reliqua corporis parte. Habent intestina, licèt parua respectu suæ magnitudins. *Hepar dulce* Hepar vero satis magnum, & adeo dulce, quod vix comedi sine stomachi abominatione possit. Vnde eius felle, quod contiguum est hepar fricari solet, vt excessus dulcoris in hepate temperetur excessu amaritudinis in felle. Ore caret, & illa pars integra est, quę in cæteris animalibus os occupare solet, nec nisi modicum sub gutture foramen habet clausum, cum voluerit apertum aeris serenitati. Austro citius impingue scit, aquilone vero flante subsidet in profundis. Idem in lacte positus diu, sicut in aqua viuis.

De Teucha, & tithimallo, & torpedine.

CAPVT XCVI.

Teucha. AVctor. Teucha piscis est fluuialis, vel stagnensis, omnibus notus: in limo, sicut anguilla nutritus, vnde & eius coloris est, scilicet lutei, siue nigri. Vterque piscis dulcis saporis est, sed malæ digestionis. *Isid.* *Tithymalus* *Tithymalus* nomen ex flore accepit. Thymum quippe flos appellatur. Nam cum sit specie gratus & sapore iucundus, tamen sicut flos fragrat, & corpore odores aspirat. *Torpedo* *Torpedo.* dicta est, eo quod corpus torpescere faciat, si eum quisque viuentem tangit. Narrat Plin. quod ex Indico mari torpedo etiam è longinquo si hasta virgaque attingatur, quatenus prævalidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum veloces pedes alligari. Tanta enim vis est eius, vt etiam aura corporis sui afficiat membra. *Pli. lib. 9.* Torpedo sicut & squatina est ex genere piscium, quæ cartilaginẽ habent pro spina. Omnia talia carnosa sunt, & supina vescuntur. Tradunt torpedinem excauato maris vado condi per hyemem, circa æquinoctium parit. Octogenos habet fœ- *Fœtus.* tus, oua intra se parit præmollia in alium vteri locum transferens, ibique excludens. Simili modo & omnia, quæ appellamus cartilaginea, vt rapa, pastinaca, squatina, & similia. Ita fit vt sola piscium, & animal pariãt, & oua concipiant. Nouit torpedo vim suam, ipsa non torpens, mersaque in limo se occultat. Pisces, qui securi natantes obtorpuere corripiens: huius iecori teneritas nulla præfertur. *Idem in lib. 32.* Torpedo emol- *Vtilitas medicinalis.* lit aluum in cibo sumpta, & lieni medetur imposita, procidentis quoque morbum interanei prohibet apposita. Denique si torpedo dum sol est in Libra capiatur, triduoque sub diuo asseruetur, faciles efficit partus. Postea quotiens infertur, felle viuæ torpedinis illito genitalia concitantur. Huiusmodi quoque cerebrum cum à lumine luna sexta illitum medetur genitali mulierum.

De Trebio, & truta.

CAPVT XCVII.

Trebius. EX *lib. de nat. re.* Trebius est piscis niger, pedalis tantum in longitudine, habens tamen quinque digitos in crassitudine. Hanc ei vim inesse Plin. recitat, vt pars eius in sale seruata, aurum quod in altissimos puteos deciderit admota extrahat, ac fluctuare faciat: hic colorẽ cãdidum in hyeme mutat, & æstate nigrior *Mutat colorem.* fit. Solus inter omnes pisces ex alga nidificat, & oua in nido parit. Trebius est in oceano, qui duro naues perforat rostro. *Auctor.* Truta exterius quidem varia *Truta.* est, sicut & pertica, sed interius rubea. Quæ quidem (vt fertur) quãdiu minoris ætatis, & corporis existit, in aquis tãtum dulcibus nutritur, & truta vocatur. Cum autem excreuerit, & descendens vsque ad confinia maris de salsedine illius biberit, salmo efficitur, quod *Salmo.* tamen verum esse nequaquam ob omnibus asseritur. Est autem vterque piscis delitiosus & sapidus. *Ex lib. de nat. rer.* Truta piscis est habitans in fluuiis dulcibus, qui magno impetu currunt de montibus. Squamas habet vt salmo, carnesque simillimas, sed multo esibiliores & hoc in æstate tantum à mense Iulio, vsque ad Nouembrem, hyeme verò carnes habet albas, vt *Mutat carnes & saporẽ* cæteri pisces, minorisque saporis, maculas habet in dorso croceas, atque sanguineas.

De Venth, & vipera, & vmbra.

CAPVT XCVIII.

Venth. VEnth piscis est vulgariter sic dictus: Latinè vero aristosus, quia aristis innumeris armatur caro eius, ita vt incommodè edi possit, & non sine fastidio: vnde pauperum cibus est, tanquam omnium *Pauperum cibus.*

piſcium eſibilium viliſſimus. In aquoſis dulcibus frequenter habitat, in his tamen quæ fluxu maris amaricantur. Capitur autẽ ſic: Retia tenduntur in longum aquæ, vel in tranſuerſum: & ante retia ſuper aquas inſtrumentum inſtar arcus, ita vt fluitet ſuper vndas: In ſuperiori autem eius parte nola ſuſpenditur, cuius ſonum piſcis audiens gregatim aduentat, tinnitum nolę ſtultus ſequens. Et hoc indicio patet, quia ſenſum habent auditus: incidentes ergo in retia, capiuntur multitudine magna. Vipera marina piſcis eſt paruus: paulo plusquam cubiti vnius. In capite ſuper oculos vnum cornu fert paruum, acutum & mortiferum. Eo namque quæcunque vulnerat, veneno inficit: quod cauentes piſcatores, capto piſce caput ei amputant: Reliquum verò corpus in vſus hominum cedit. *Iſido.* Vmbra dicitur à calore, eo quod ſit color vmbræ.

Captura modus.

Vipera.

Vmbra.

De Vranoſcopo, & vrtica, & vulpe.

CAPVT XCIX.

Vranoſcopus

Gallio.

Vrtica.

PLin. lib. 32. Vranoſcopus vocatur ab oculo quem habet in capite, à quo ſubter & ſupra intendit. Alio nomine gallio nuncupatur. Huius ſel cicatrices ſanat, & carnes oculorum ſuperua cuas conſumit, vt dicit Menander in comediis. *Idem in lib. 9.* Vrtica noctu vagatur, noctuque mutatur. Carnoſæ frontis eſt: carne veſcitur. Vis eius pruritu mordax, eademque quæ terreſtris vrticæ. Cõtrahit ergo ſe quam maximè rigens, ac prænatante piſciculo frontem ſuam ſpargit, complectens quem deuoret. Aliàs marcenti ſimilis: & iactari ſe paſſa fluctu algæ vice, contractos piſces contrituque petræ ſcalpentes pruritum inuadit. Eademque noctu pectines & echinos perquirit. Cum autem admoueri ſibi manum ſentit, colorem mutat, & contrahitur. Tacta vredinem mittit: paululumque ſi fuerit interualli abſconditur. Ora ei radices eſſe traduntur, & excrementa per ſumma tenui fiſtula reddi. Et his ergo ineſſe ſenſum arbitror, qui nec animalium, neque fruticum, ſed tertiam quandam ex vtroque naturam habent, vrticis dico & ſpongiis. *Ariſtot.* Animal genus, quod Græcè dicitur akalabia, & creditur eſſe vrtica maris, eſt iungens alias inurens per ſe. Nec habent teſtam, ſed eius curatio eſt ſicut carnis. Et hoc genus ſentit & rapit quicquid appropinquat manibus, & applicatur lapidibus cum ſuis pedibus, ſicut animal multorum pedum. Et fortè tumeſcit corpus eius quando applicatur alicui rei. Habet autem orificium in medio corporis eius, & venatur quicquid trãſit per ipſum ex piſcibus paruis, & comedit tricium & pecten, id eſt plais. Nec in eius corpore ſuperfluitas inuenitur omnino, & in hoc aſſimilatur arboribus. *Pli. lib. 9.* Vulpes marinæ in periculo capturæ glutiunt non tantum hamum, ſed amplius vſque ad infirma lineæ, quæ facilè prærodant. *Auctor.* Hæc de piſcibus dicta ſunt, qui pure naturam ac ſpeciem piſcis habent.

Acalabia.

Pecten id eſt Plais gallicè

Vulpes.

De monſtris marinis.

CAPVT C.

Cauſa tot monſtrorum in mari.

PLin. vbi ſup. In mari autem tam latè ſupino molliſque ac fertili accremento accipiente cauſas genitales ſublimi, ſemperque pariente natura: pleraque eſſe monſtrifica reperiuntur, perplexis & in ſemet aliter, atque aliter, nunc flatu, nunc fluctu conuolutis ſeminibus, atque principiis, vt vera fiat vulgi opinio, quicquid naſcatur in parte naturę vlla in mari eſſe, præterquam multa, quæ nuſquam alibi. Rerum quidem non ſolum animaliũ ſimulachra ineſſe licet intelligere intuentibus, vuam, gladium, ſerras. Quo minus miremur equorum capita in tam paruis eminere cochleis. Plurima autem & maxima animalia in Indico mari eſſe, ex quibus balænæ quaternum iugerum: priſtes ducenum cubitorum. Quippe ibi locuſtæ quaterna cubita implent. Anguillæ quoque in Gange amne tricenos pedes. Cedroſij amnem Arabin accolunt: Alexandri Magni Claſſium Præfecto prodiderunt. In domibus fores maxillis belluarum facere, oſſibus tecta contignare, ex quibus multa quadragena cubitorum reperta ſunt longitudinis. Exeunt & pecori ſimiles belluę, ibi in terram: paſtæque radices fruticum remeant. Maximum autem animal in Indico mari priſtis, & balęna eſt. Nereidarum falſa opinio non eſt, ſquamis modo hiſpido corpore etiam, in qua humanam effigiem habent. Nam & hæc in littore ſpectata eſt, cuius morientis etiam gannitum triſtem accolę audiuere longè. Et diuo Auguſto legatus Galliæ complures in littore apparere Nereidas exarmes ſcripſit. Auctores habeo in equeſtri ordine ſplendentes, viſum ab his in Gaditano oceano mariuum hominem toto corpore abſoluta ſimilitudine aſcendere nauigia nocturnis temporibus, ſtatimque degrauari quas inſederit partes, & ſi diutius permaneat etiam mergi. Tiberio Principe contra littus inſularum Lugdunenſis prouinciæ trecentas amplius belluas reciprocans oceanus deſtituit miræ varietatis & magnitudinis: nec pauciores in Santonum littore. Interque reliquos elephantes marinos, & arietes candore tantum cornibus aſſimilatis: Nereidas verò multas. Tauranius prodidit in Gaditana littora belluam expulſam, cuius inter duas pennas vltimæ caudę cubita. 16. fuiſſe. Dentes eiuſdem. 120. maximi dodrãtium menſura, minimi ſemipedum. Beſtiæ cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda, oſſa Romæ aſportata ex oppido Iudææ Ioppe oſtendit inter reliqua miracula in ædilitate ſua M. Scaurus, longitudine pedum 40 altitudine coſtarum Indicos elephantes excedente, ſpinę craſſitudine ſexquipedali. *Ex li. de nat. re.* Omne autem marinum animal, & omne genus piſcium, quod ambulat per conſequens anhelat.

Humana forma monſtra marina.

Marinus homo.

Elephantes

Ambulans anhelat.

De Ahune.

CAPVT CI.

Ahune.

AHune monſtrum eſt maris, guloſius cunctis marinis beluis: præda viuit, & in craſſitudine corporis ſui vertitur ei quicquid comedit: vnde quia ſtomacho caret, venter eius, quando comedit multum extenditur, & inflatur ſupra modum, & cum amplius extendi nequit, piſces per os eiicit, & hoc de facili, quia cum collo careat, ſicut & cęteri piſces, os eius cõtiguum eſt ventri. Eſt autem adeo craſſum animal, quod quando periculum timet, pellem, & carnes ſuas contrahens replicat, & extremitates ſui corporis intra ſe, ſicut ericius abſcondit, ita vt non appareant. Quod tamen aliquando ſine ſui detrimento non facit. Mortem enim adeo timet, quod cum periculum ſenſerit non laxari, nec abſcedere beſtiam, quę in inſidiis latet, nequaquam caput foras extrahit, quod intra corpus ſuum abſcondit, ſed cum affligitur fame, carnes ſuas deuorat, magis eligens in parte abſumi, quàm præda facta belluis in toto conſumi.

De Barchora.

CAPVT CII.

Barchora.

BArchora eſt animal marinum, habẽs orificium prę omnibus animalibus fortiſſimum. Nam & lapidem ſi in ore ſuo acceperit, eum frangit: hæc quandoque ad ripas exit, & herbas depaſcit: & quando oportet in aquam reuertitur, ibique ſubmergitur, ne cutis dorſi eius à ſole exiccetur: & ad nutum debitum deflectere ſe non poſſit. Piſciculos quoque comedit, & per illos deprehenditur. Piſcatores namque piſciculos paruos viuos filo conſutos in mare proiiciũt, qui dum effugere non valent, ſed inſimul fluitant, animalis prędicti morſibus patent. At ipſum animal dum vnum poſt alium tranſglutire laborat, interim occupatum deprehenditur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Caab, & cane marino.

CAPVT CIII.

Caab. *Caab* est animal marinum, habens pedes paruos respectu sui corporis, quod vtique magnum est. Sunt autem pedibus vaccæ similes, horum vnus longus est, cartilaginosus, osse carens, quo vtitur loco manus in omnibus. Per ipsum enim eradicat, quod vult, & cibaria per eum accipit, eaque ori suo reddit. Et cum natat in aqua spirat in ea. Sed spirando anhelitu suo aquam in corpus suum trahit, qua cum repletus fuerit, ad aerem recurrens eam reiicit, & sic respirat. *Canis.* Canis est marina bellua, terribilis & hostilis omni animanti, quod eius verberibus cædit; robustissimas habet branchias, clauorum modo formatas. Hi venantur per mare greges piscium, instar canum in terra feras venantium, excepto quod latrare nequeunt, sed pro latratu afflatum horribilem habent. Insequentes ergo piscium greges ad loca angusta coarctant, & sic in coarctatos crudeli morte grassantur. Piscatores vero loca notantes in quibus absconditi pisces à fuga latebant, retibus capiunt circumclusos. Hæ vero belluę difficulter multis tridentibus confici possunt. *Isido.* Canis marinus à similitudine morum canis terrestris dicitur, eo scilicet quod mordeat. *Auic.* Fel canis aquæ *Fel venenũ* dixerunt esse venenum, de quo si quis comederit quãtitatem lentis vnius interficit post hebdomadam. Sed cura eius est, vt bibatur butyrum coctum vaccinum cum gentiana Romana, & cinnamomo & iterum coagulum leporis.

De Celethi, ac ceruleo.

CAPVT CIIII.

Celethi. EX *lib. de nat. re.* Celethi secundum Arist. est animal marinum, quod præter morem aliorum oua in matrice sua generat. Quibus illic debito tempore fotis, exeunt vermes ex illis. Quos cum pepererint incredibili celeritate fiunt animalia perfecta parentibus similia. Cor habet magnũ, & tamen est valde timorosum. Grauiter dormit, ita vt manu capi possit. *Aristo.* Celethi est ex animalibus carnem comedentibus. Celethi quidem habet oua, vnum completũ intra, quod & parit extra. Cæteri vero pisces ouant extra oua incompleta, excepta rana marina. Oua hæc post paruitatem cito crescunt, sicut vermes, qui generantur ex animali paruo valde, deinde crescunt per se. Celethi non habet alas, sed habet simile radicibus in terra crescentibus. Generat autem multotiens, scilicet sex mensibus. Exit à profundo maris, & pullificat prope terram, quod facit propter colorem, & vt à pullis suis *Caruleum* auferat timorem. *Ex lib. de nat. re.* Cæruleum est monstrum in flumine Gange instar cancri habens brachia longitudine septem cubitorum, quibus elephantem corripit, & vndis submergit. *Pli. lib. 9.* In Gange Indiæ Statius saboſus haud modico miraculo affert: vermes branchiis binis sexaginta cubitorum cęruleos, qui nomen à facie traxerunt: his tantas esse vires, vt elephantos ad potum venientes mordicus comprehensa manu abstrahant in profundum.

De Chilone, & cricho.

CAPVT CV.

Chilon. EX *lib. de nat. re.* Chilon inter omnium animalium genera non pascitur, sed tantum humiditate viscosa, quę exit ab eo, cibatur & nutritur. vnde fit, vt hoc animal semper sit ieiunum, & in corpore validũ. Nam & in fœminis videmus plus posse differri ieiunium per multos dies quam in viris, propter superfluitates humidas & viscosas, quæ magis abundant in eis, id est fœminis. *Crichos.* Crichos habęt cutem testeam, lenem, nigram, & in aliqua parte rubeam: fissuras duas in pede, quæ tres digitos faciunt, pedem dextrum habet paruum, sinistrum verò magnum. Et ideo cum ambulat totum corpus fert super sinistrum, aere claro absolutus incedit. Commotus autem ventis, applicatur lapidibus, & immotus quiescit: Cuicunque vero rei adhæret, forti applicatione adhæret. Et hoc mirum est, quod claro quidem tempore potestatem suam habet, tempestuoso autem debilitatur & infirmatur.

De Crocodilo.

CAPVT CVI.

Crocodilus ISidor. Crocodilus à croceo colore dictus est. Gignitur in Nilo, & est animal quadrupes, in terra & in aqua valens: longitudine plerunque viginti cubitorum: dentium & vnguium immanitate armatum, tantaque cutis duritia, vt quamuis fortium ictibus lapidum tergo repercussus sit, non sentiat. Nocte in aquis, die humi quiescit. Oua in terra fouet. Masculus & fœmina vices seruant. Hunc quidam pisces serratam habentes cristam, tenera ventrium desecantes interimunt. Solus ex animalibus superiorem maxillam mouere dicitur. *Auic.* Morsus autem crocodili regitur, sicut morsus canis rabiosi cum attractione veneni, à quo morsus ipse vacuus non est, quamuis crocodilus saluus sit à veneno, vel rabie. *Plin. in lib. 23.* Contra morsum cro- *Contra morsus crocodilorum.* codili valet cum melantio fex aceti. *Idem in lib. 26.* Potamogicon herba crocodilis aduersatur: ideoque secum habent illam, qui eos venantur. *Pli. lib. 32.* Adipem etiam & fel columbæ aquaticæ habentes, qui crocodilos venantur, mirabiliter adiuuari dicuntur. Contra crocodilorum verò morsus seruatis piscibus salsamẽta comedere prodest. *Solinus.* Crocodilus malum quadrupes linguam non habet: maxillam superiorem mouet. Morsus eius horribili tenacitate conueniunt stipante se pectinatim serie dentium. Qualia anseres edit oua. Metatur locum nido naturali prouidentia. Nec alibi fętus ponit, quam quo Nili crescentes aquæ non possint peruenire. In partu fouendo mas, & fœmina vices seruãt. His ichneumon & delphines aduersantur. Habitant in insula Nili homines forma perexigui, sed audacia eousque pertingunt, vt crocodilis obuios se offerant. Nam hæc monstra fugientes sequuntur, formidant resistentes. Capiuntur ergo, & metu perdomiti victores suos inequitantes dorso vehunt. Hanc ergo insulam & hanc gentem vbicunque odoris iudicio persenserint, procul fugiunt. In aqua obtusius vident, in terra acutissimè. Hyeme cibum nullum capiunt. *Physiologus.* Crocodilus siquando inuenerit hominem, & potest eum vincere comedit eum, & postea *Plorat super hominem comestum.* super eum plorat. Solus in animalibus oris superiora mouet, & inferiora manent immota. De stercore eius fit vnguẽtum vnum, quo vetulæ, & rugosę mulieres facies suas perungunt, fiuntque pulchræ donec sudor defluens faciem lauet.

Item de eodem.

CAPVT CVII.

EX *libro de nat. re.* Crocodilus lingua caret: os patulum & apertum habet, & hiatum, vsque ad aures. Per diẽ in terra quiescit, adeo immobiliter, vt nisi consuetudinem eius præcognoscas, mortuum illum credas. Oculis clausis dormire se similat & aues hiatu *Perimit aues* suo pabuli gratia inuitat, quas ad escam descendentes perimit, & transglutit. Quidam hoc animal, sicut vtsam semper crescere crediderunt. Circa Nili ripas habitat, in insula gẽs hominũ parua quidem, sed animosa, his beluis inimica: soli enim innatare flumen audent, in quo crocodili habitant, saliuntque supra dorsa eorum, & illos inequitant: hiantibus ergo beluis resupinato capite sessores dextra leuaque clauam in ore hiantium quasi profrænotenent, & in terram captiuos agunt, solaque esse voce territos euomere recenter absumpta corpora cogunt. Hoc animal auulso corde *Auulso corde viuit.* postea viuit aliquantulum, quod est vtique contra naturam omnium animalium, quæ vitam habent à cor-

de: huius carnes Sarraceni manducant. *Ariſtot.* Crocodilus in aqua conuerſatur, non tamen recipit aquam intra ſe, ſed aerem, & parit extra. Habet ſanguinem, duosque pedes maiores, & caudam. Omniaque talia ſunt fiſſi pedis, multorumque digitorum, & participant inſtrumentum ſenſus in lingua, præter crocodilum, cuius lingua ſimilis eſt linguæ quorundam piſcium. Hoc etiam animal non habet aures, ſed foramina tantum, quæ ſunt viæ auditus. Nec habent mammillas, nec teſticulos, nec virgam apparentem extra, ſed intra, nec habet pilos, ſed per totum corpus eſt corij ſquamoſi. Habetque dentes magnos & acutos & diſtinctos, habet etiam oculos ſimiles porcorum, & habet culmos. In aqua quidem debiliter videt, quia ſpiſſior eſt aere. Sed eius viſus extra aquam eſt acutus *Viſus acutus* valde. Maior eſt eius manſio in die ſuper terram, & nocte in aqua, quoniam aqua calidior eſt de nocte, quam aer extra. Vnicum habet ventrem, ſicut & cætera quadrupedia ouantia, vt hardon & lacertulus. Trochilos auis os eius apertũ intrat, & eius dẽtes mũdificat, illorũque ſordibus ſe cibat. Crocodilus autẽ in hoc ſentiens iuuamentum, non nocet eis, ſed cum vult eas extrahere, mouet collum, nec eas comedit. Solus ex animalibus ſanguinem habentibus lingua caret. Nam *Lingua caret.* quia eſt animal agreſte, locum quidem linguæ habet, & quoniam aquoſum lingua caret. Huius ſquamæ ſunt ſicut natura oſſium, & multis oſſibus fortiores. Ideo autem commouet ſuperiorem mandibulam tantum, quia pedes eius cum ſint parui valde, non ſunt cõuenientes ad accipendum & retinendum. Ideoque natura parauit ei loco pedum, duabus operationibus conueniens orificium. Item propter indigentiam pulmonis habet collum, recipitque cum canna ſpiritum.

Plinius li. 8. Crocodilus plerumque duodeviginti cubita excedit magnitudine. Vngulis hic quidem armatus contra omnes ictus cute inuicta. Parit oua, quę transferens extra locum illum incubat ſemper præ diuinatione quadam, quod ad illum ſummo auctu eo *Ouum, origo minima crocodili.* anno Nilus aggreſſurus eſt. Nec aliud animal ex minore origine in maiorem creſcit magnitudinem. In vẽtre quidẽ eſt ei mollis tenuisque cutis, ideoq; aluũque illius pinna cultellata, quã in dorſo tanquam ad vſum huiuſmodi habent delphini ſecant. Sicque illum prædam tanquam in ſuo tantum amne regnantem abigũt, & quanquam impares viribus aſtu tali perimunt. Crocodilum ſaturum cibo piſcium, & ſemper eſculento ore in littore ſomno datum parua auis, quæ trochilos ibi vocatur, rex auium in Italia inuitat adhiandum pabuli ſui gratia, mox dentes eius & intus fauces, ad hanc ſcabendi dulcedinem hiant. In qua voluptate ſomno preſſum conſpicatus ichneumon per eaſdem fauces, vt telum aliud immiſſum erodit aluum.

De Medicinis ex crocodilo.

CAPVT CVIII.

Idem in lib. 8. Crocodilorum genus cui vita eſt in aqua & in terra communis, dentes è maxilla dextra dextro lacerto adalligati, coitus ſtimulare dicuntur. Canini quoque dentis arcent febres. Lapillos etiam in ventre illius exemptos aduerſus horrores febrium venientes pollere tradunt, & ob hoc Aegyptij ſuos ęgros ipſius adipe perungunt. Alter vero minor illi valde ſimilis in tetra tantummodo conſiſtit, odoratiſſimis floribus viuit. Ob id eius diligenter exquirunt inteſtina odore iucundo referta, *Crocodilæa* Crocodilæam vocant oculorum vitiis cum pori ſucco inũctis & contra ſuffuſiones vel caligines vtiliſſimam. Illita quoque ex aqua tollit à facie lentigines maculasque omnes. Contraque comiciales morbos bibitur ex aceto mulſo binis obolis. Appoſita quoque menſtrua mouet. Optima vero friabilis candidiſſima & leuis cum teratur inter digitos fermenteſcens. Cæterum eius felle inunguntur oculi ex melle contra ſuffuſiones. Inteſtinis ac reliquo eius corpore ſuffiri vulua laborantes tradunt ſalutare, velleribusque circundari eiuſdem infectos vapore. Corii vtriusque cinis ex aceto illitus his partibus quas ſecari opus ſit, aut nidor cremati ſẽſum omnem ſcalpelli aufert. Sanguis vtriusque claritatem viſus dat, & inunctis oculorũ cicatrices emẽdat. Corpus ipſum exempto capite ac pedibus elixum manditur iſchiaticis. Et tuſſim veterem ſanat præcipuè in pueris. Item lumborum dolores. Adipem habent quo tactus pilus defluit, hic perunctos à crocodilis tuetur. Cor eius valet ad quartanas. *Dioſco.* Fimus crocodili terreni collectus, & ſuccus adhibitus gratum vultum ac niueum facit, maximè ſi albus ac lenis fuerit, & in aqua miſſus cito ſe ſoluerit. *Auicenna in ſecundo lib.* Stercus crocodili valet albugini, oculi. *Vſus medicinalis crocodili.*

De Delphino.

CAPVT CIX.

Iſido. Delphini certum habẽt vocabulũ, quod voces hominũ ſequantur. Vel quod ad Symphoniam gregatim conueniunt: Nihil in mari velocius iſtis. Nam plerumque ſalientes naues tranſuolant. Quando autem præludunt in fluctibus, & vndarum ſe molibus præcipites ferunt, tempeſtates ſignificare videtur. Hi propriè ſimones nominantur. *Plin. li.* 9. Velociſſimum omnium animalium, non ſolum marinorum, eſt delphinus, ocyor volucre, acrior telo, ac niſi multum infra roſtrum os illi medio, pænè in ventre foret, nullus piſcium celeritatem eius euaderet. Sed affert moram prouidentia naturę, quia niſi reſupini atque conuerſi non rapiunt, quæ cauſa præcipuè velocitatem illorum offendit. Nam cum fame concitati in ima vada fugientem perſecuti piſcem diutius continuerint ſpiritum, vt arcu emiſſi emigrant ad reſpirandum. Tantaque vi exiliunt, plerumque nauium vela vento tranſuolent. Abduntur tricenis diebus circa canis ortum, occultanturque incognito modo. Quod eo magis mirum eſt, ſi ſpirare in aqua nequeunt. Solent in terram erumpere incerta de cauſa, nec ſtatim tellure tacta moriuntur, multoque ocyus fiſtula obturata. Lingua eſt his contra naturam aquatilium, mobilis, breuis, & lata, haud differens ſuillę. Pro voce gemitus humano ſimilis, dorſum repandum, roſtrum ſimum, quam de cauſa ſimonis nomen omnes agnoſcunt. His branchiæ non ſunt, ſicunt nec balenis, vt ſupra dictum eſt. *Delphini.* *Signum tẽ peſtatum ex delphinis.* *Vis delphini.* *Linguã habent ſimilẽ ſuillæ.* *Simon.*

Idem in eodem. Quæ pro ſpina cartilaginem habent, carnoſiora ſunt, ac reſupina veſcuntur, vt delphinus. Et hoc genus ſolum vt cete animal parit, excepta rana, nam cæteri oua pariunt. *Ariſto.* Delphinus non habet fel, viuit *annis* 120. vel plus. Probatur autem hoc cum captus eſt, & amputata cauda dimittitur. Sicque poſt multa tempora iuuenitur, prægnans eſt 10. menſibus, & creſcit 10. annis. Item delphinus ſpirat, quod alij piſces non faciunt, non autem in aqua, ſed in ſuperficie aquæ. Item velocior eſt, & leuior omnibus animalibus. Non habet ſpinas, ſed oſſa. Nec virgam habet prominentem extra, ſicut homo, & equus, ſed intra. Et quamuis habeat auditum, non tamen inſtrumentum auditus omnino manifeſtum, mammillas habet non ſupra ſed propè iuncturas. Nec conos manifeſtos ſed duo profunda canalibus aſſimilata, quibus lactat fætus. Parit ęſtate tantummodo, & ambulat ſub pelago pullis ſuis ſequentibus eum longo tempore. Recipit aquam per cannam, ſicut marina, & aerem per pulmonem, ſicut ambulantia. Ideo autem non habet ſpinas, ſed oſſa, quia generat animalia. Quędã autẽ orificium oris habent in oppoſito, quædam in anteriori, & quędã in dorſo, vel in vẽtre, ſicut delphinus, & omne genus animalis quod dicitur celethi, huiuſmodi non accipiunt cibum, niſi quando reuerſantur ſuper dorſum. Et hoc fecit natura non propter ſalutem, ſed *Diuturna vita delphini argumentum.*

vt re-

Retardatio delphini.

vt retardetur in accipiendo cibum quoniam hoc genus animalia comedit. Et habet additamentum tenue rotundum, nec est bonæ abscisionis, quia cito moritur per nimiam repletionem. Testiculi eius, & omniũ marinorum magni corporis sunt intra corpus, quia natura corij eorum non est conueniens propter duritiam ad cooperiendum eos, si essent exterius.

Idem de eodem.

CAPVT CX.

Physiologus. Delphini oculos habent in dorso, & ora in parte opposita, vnde non bene prædam suam capiunt propter distortionem oris à parte oculorum. Hinc est, quod ora sua conuertunt ad cœlum, & dorsum oculosque ad terram, vt prædam suam consequantur. Imminente tempestate ludunt apparentes in vndarum superficie. Subsidium vero naufragantibus exhibuisse docentur. Feruntur etiam plorare quando capiuntur. *Plin. lib.* 10. Delphini dormiunt, ita quod etiam stertentes audiuntur. *Idem in lib.* 11. Delphinus aures non habet, quem tamẽ audire manifestum est, nam & catu mulcetur. *Idem in lib.* 18. Delphini flatum ex qua parte veniat præsagiunt, mari lasciuientes, & iterum aquam spargentes, itemque tranquillitatem turbantes. *Idem in lib.* 8. Delphini quorum dorso tanquam ad hunc vsum cultellata inest penna, crocodilos quãquam impares viribus, astutia tamen interimunt. *Ex lib. de nat. re.* Pro voce gemitus est illis humano similis, & hoc quia pulmonem habent, & venam asperam, & eorum lingua nõ est absoluta, nec eorum labia proueniunt, vel prominent ad distinguendam vocem. Aures non habent, sed aurium loco foramen. Horum autem olfactus, nec vestigia quidem habet, cum tamen sagacissimè olfaciunt. Dormiunt super aquas, vt possint audiri stertere. Viuunt vsque ad annos 140. Mulcentur musica, vnde Arionem cytharistam in mari nautis interficere parantibus, obtinuit ab illis, vt prius cythara caneret. Ad cuius cantum delphinorum gregibus congregatis, cum in mari se proiecisset, ab vno exceptus est & ad littus prouectus. Solus delphinus (vt dicit Aristoteles) inter pisces felle caret. *Solinus.* Delphines plerumque salientes vela nauium transuolant, & quoquo eant coniuges enagantur. Catulos edunt. Decimus mensis facit partum maturum. Contra naturam aquatilium soli linguas suas mouent. Aculeatæ sunt pinnæ dorsuales. Cum ira subiacet, inhorrescunt, cum animo conquieuerint quibusdam receptaculis operiuntur. Spirare eos in aquis negant, & vitales auras non nisi in aere supero respirare. Certum habent vocabulum, quo accepto vocantes sequuntur, Nam propriè Simones nominantur, voces hominis aquilonis flatu celerius hauriunt. Contra spirante austro auditus obstruuntur. Mulcentur à musica: Gaudent cantibus tybiarum: & vbicunque symphonia est gregibus aduentant. Est autem delphini genus in Nilo, quorum dorsa serratas habent cristas. Hi crocodilos studio eliciunt ad natandum, demersique astu fraudulento ventrium subternantes secant tenera & interimunt.

Plorant

Stertunt.

Interimunt crocodilos

De amore delphinorum ad prolem, & adinuicem.

CAPVT CXI.

Aristotel. Delphinus valde diligit filios suos, & ideo longo tempore pascit eos. Solus inter pisces animal completum generat, & habet mammillas, lactatque fœtus. *Plin. lib.* 9. Delphini coniugia vere agunt, decimo mense pariunt, æstiuo tempore tantum, catulos interdum binos vberibus nutriunt. Atque etiã gestant fœtus in infantia infirmos, quin & adultos diu comitantur, magna erga partum charitate, adolescunt celeriter, decem annis ad summam peruenire magnitudinem creduntur, viuunt & tricenis, quod cognitũ præscissa cauda experimentum. *Solinus.* Delphini vbe-

Sagax olfactus.

Ariõ saluatus à delphino.

Felle caret.

Coniugia.

ribus fœtus alunt: teneros in faucibus receptant, inualidos aliquantisper prosequuntur. *Ex libro de nat. rer.* Delphini solo æstatis tempore pariunt. Hiberno nunquam. Mares fœminis parientibus catulos deuorant, sed matres cum fœtibus se occultant. Diligunt enim eos tenerrime, longoque tempore ducunt post se, & illi sub aqua matres sequuntur. At vbi ad robur ętatis perueniunt, nisi sint validæ, eas etiã matres persequuntur. Fœtus eorum (vt dicit Arist.) cito crescunt, & semper crescunt vsque ad ann. 10. sed 10. mensibus completis coeunt, & impręgnantur. Delphini parui semper simul sunt tanquam greges, & habent duos magnos delphinos custodes, quod si quis eorũ mortuus fuerit, alij super scapulas eum efferunt, ipsumque custodiũt, ne ab aliis piscibus comedatur, donec tempestate maris ad littus eiciatur. Inuicem enim se mito modo diligunt. Vnde Pli. testante narratur, quod delphino capto à rege Chariæ, conuenit ingens multitudo reliquorum ad portum vbi delphinus ligatus tenebatur, quib. plangentibus, & quasi miserationem poscentibus, rex eum dimitti præcepit. Delphinos sequitur aliorum piscium multitudo, quod scientes piscatores venãtur pisces vbi illi transierunt. Si quis carnes delphini comederit, & in mari lapsus fuerit, si à delphinis inueniatur statim ab eis deuoratur. Si vero non comederit, super rostra eum eleuantes ad terram trahunt, & ab aliis piscibus defendunt. *Arist.* mortuo denique delphino, cæteri delphini concurrunt, ipsum circundantes in profunda deferunt, atque sepeliunt, ne à piscibus comedatur.

Deuorant catulos.

Efferũt mortuos.

De Familiaritate delphini ad hominem.

CAPVT CXII.

Victor. Delphinus frater hominis dicitur, quia moribus humanis quodammodo assimilatur. Hinc enim exempla multa in diuersis auctorib. leguntur. Pli. vbi sup. Delphinus non tantum hominis amicum animal, verum & musica arte mulcetur symphoniæ cãtu, & præcipuè hidraulico sono. Delphinus hominẽ nequaquam vt alienũ expauescit, sed obuiam nauigijs venit, exultans alludit, certat etiã, & quãuis plena præterit vela. In Narbonensi prouincia, & in Nemusiẽsi agro stagnum est laterna appellatum, vbi cum homines delphini societate piscantur, innumera vis mugilum statuto tempore angustis faucibus stagni in mare erumpit, obseruata æstus reciprocatione, qua de causa prætendi non queunt retia, quæ molem ponderis nullo modo tolerent, etiam si non solertia insidietur tempori. Simili ratione in altum protinus tendunt, quod vicino gurgite efficere: locumque solum pandendis retibus habilem effugere festinant: quod vbi anima aduertere piscantes: concurrit autem multitudo temporis gnara & magis etiam voluptatis huius auida. Populus enim è littore Simonem clamat, cuius desideria delphini exaudiunt aquilonis flatu vocem prosequente, austro vero tardius ex aduerso referente. Et tunc ex improuiso in auxilium aduolant. Acies propere apparet, ac protinus disponitur in loco vbi coniecta est pugna opponunt sese ab alto, trepidosque in vada vrgent. Tunc piscatores retia circundant, furcisque subleuant. At mugilũ nihilominus velocitas transilit. At illos delphini excipiunt, & occidisse ad præsens contenti, cibos in victoriam differunt, opere præliũ feruet: includitq; retibus se fortiter vrgentes gaudent: & ne id ipsum fugam hostium stimulet, inter nauigia & retia, hominesve natantes sensim elabuntur, vt exitus non appareat.

Moribus est humanis.

Modus piscandi mugiles per delphinos.

Solinus. D. Augusto principe in Campania, Delphinum puer fragmentis panis primo allexit, & intantum consuetudo valuit: vt alẽdum etiam se manu illius crederet. Mox cum puerilis audacia perstitisset, eum inter spacia Lucrini lacus euectauit. Vnde factum est, vt à Baiano littore puerum æquitantem, vsque Puteolos vehe ret. Hoc præ annos plurimos tandiu gestum est,

Delphinus vectat puerũ

donec aſſiduo ſpectaculo deſineret eſſe miraculum Sed vbi puer obiit, ſub oculis publicis deſiderij mærore delphinus interiit. In Aphrico quoque littore delphinus ab Hipponenſibus paſtus eſt, tractandumque ſe prębuit, impoſitos quoq; frequenter geſtitauit, Proconſul etiam Aphricæ Flauianus, ipſe eum contigit, & vnguentis delibuit. Qui odoris nouitate abſopitus, aliquantiſper pro exanimi iactus eſt, multisque menſibus deſtituit à ſolita conuerſatione. Apud Ialiſum vrbem Babyloniæ puerum delphinus adamauit, quem cum poſt aſſueta colludia impatientius ſequeretur recedentem, arenis inuentus hæſit. Alexand. autem Magnus illum amorem numinis fuiſſe interpretatus, prębecit puerum Neptuni ſacerdotio. Iuxta eandem vrbem alium puerum per marina ſimiliter inſidentem cum vndoſior fluctus necauiſſet, delphinus ad terram reuexit, & velut reatum ſuum fateretur, pœnitentiam ſuam morte mulctauit, nec amplius in profunda reuerti voluit.

De Medicinis ex delphino.

CAPVT CXIII.

Vſus medicus. PLin. li. 32. Delphini cinis ex aqua illitus lichenas, & leptas ſanat. Porro exulcerationem ſequi debet curatio, quę perducit ad cicatricem. Quidam vero delphinũ in fictili donec pinguedo ſimilis oleo fluat, ponunt, vel coquunt ac perungunt. Circuitus autem febrium tollit delphini iecur ante acceſſionem guſtatum. Adeps delphini liquatus, & cum vino potus hydropicis medetur. Gingiuis autem atque dentionibus plurimum confert dentium delphini cinis cum melle, & ſi dente ipſo tangantur gingiuæ. Idem adalligatus pauores tollit repentinos.

De Dracone marino.

CAPVT CXIIII.

Draco. ISidorus. Draco marinus in branchiis aculeos habet ad caudam ſpectantes. Qui dum precuſſerit, quaqua ferit, venenum fundit: vnde & vocatus eſt. *Ex lib. de nat. rer.* Draco marinus eſt mõſtrum crudelitate horridum inſtar draconis terreſtris in longitudine extenditur, alis caret, caudam habet tortuoſam, caput ſecundum magnitudinem corporis paruum, ſed hiatum oris horridum, ſquamas & cutem duram. Pinnas autem habet pro alis, quibus vtitur in natando, vno impetu magna maris ſpacia tranſcurrit, & hoc potius robore virium quam remigiis pinnarũ. *Peſtifer eſt.* Peſtifer eſt omnibus, & etiam piſcibus morſus eius. Mortem enim infert. Cinis autem oſſium eius dolores dentium ſanat. *Antidotum.* *Plin. lib. 9.* Draco marinus captus, & immiſſus in arenam cauernam ſibi roſtro mira celeritate excauat. *Idem in lib. 27.* Abſinthium aduerſatur draconi marino. *Idem in lib. 32.* Carnes etiam ſtellę marinę valent contra marini draconis ictus impoſitæ. Imponuntur quoque cõtra eum ſalſamenta ex aceto. *Idem.* draco marinus ad ſpinæ ſuæ qua ferit venenum, ipſe prodeſt impoſitus. *Auic. in 4. can.* Morſus draconis marini ſimiliumque magni corporis ſerpentium curatur, inquantum eſt vlcus tantum, non inquantum eſt venenum, de quo ſit curandum. Draconis quidem marini morſus (vt dixerunt) liniatur cum ſulphure & aceto. Conferunt ei adeps crocodili emplaſtratus, & plumbum fricatum ſuper ipſum. *Idem in lib. 2.* Draco marinus, vt ait Gal. finditur, & ponitur ſuper morſum ſuum, & confert. Succus etiam abſinthij confert eius morſui. Stagni quoque ceruſa cõfert ſuper punctură eius confricata.

De Equo marino, & equonilo, & equo fluminis.

CAPVT CXV.

Equus. ISidor. Equi marini vocati ſunt, eo quod prima parte equi ſunt. poſtrema verò ſoluuntur in piſcem. *Ex lib. de nat. re.* Equus marinus eſt mõſtrum fortiſſimum, nihil extra aquam poteſt, vt dicit Ariſtotel. ſed ſtatim vt aquarum carucrit natura, carebit & vita. Aliorum piſcium carnibus viuit. In pugna crudele eſt, ſed hominem timet, & contra eum patiti bello formidat, *Equonilus* Equonilus (vt dicit Michael) monſtrum eſt ingens ac ferociſſimum, in Nilo habitans. Crura pedes & vngues habet, vt crocodilus, ſed multo maiora. Humanarum mortium cupidiſſimum eſt: nam cum ei nauis in portu occurrerit, vnum pedem in terra figens, altero nauem in anteriori arripiens facillimè ſcindit, vel inclinatam aliquãdo mergit. Vnde in locis in quibus habitat immanis multitudo hominum perditur per eum, ſed hoc malum rariſſimè inuenitur. Nullis capi poſſet inſtrumẽtis niſi reti ferreo ex catenis apud Damaſcenos in hoc opus fabricato. Captũ quoq; melleis tantum ferreis occiditur, Pellis eius vnius cubiti ſpiſſitudinem habere dicitur, *Spiſſitudo pellis.* tãtæque eſſe duritiæ, vt nullo iaculo & armatura penetrari poſſit. *Equus fluminis.* Equus fluminis (vt dicit. Ariſtot.) eſt monſtrum in oriente, forma mirabili, ſublimis facie. Crines habet vt equus, pedes fiſſos & ſotulares, vt vacca, caudam vt porcus. Corium eius valde craſſum eſt: interiora eius, vt equi: magnitudo autem vt aſini: hinnit vt equus, in terra, & in aquis æqualiter manere dicitur.

De Felco, & foca, & galata.

CAPVT CXVI.

Felcus vitulus marinus. FElcus, qui & vitulus marinus appellatur, cutem habet piloſam, albis nigrisque maculis diſtinctam. In terra pecudum more parit, & nunquam geminis plures educat. Fœtus etiam lactat mammis, nec ante. 12. diem in mare deducit; his in ſono mugitus eſt. Nullum animal grauiori ſomno premitur: vnde dextris pinnis quibus vtuntur in mari, vim ſomniferam ineſſe dicunt, ſi cuiusquam capiti ſubdantur. Difficulter autem (niſi capite eliſo) interficiuntur. De hoc etiam animali illud mirabile fertur, quod eo mortuo & excoriato pilus in pelle vbicunque fuerit, naturali quodam inſtinctu prout mare ſe gerit. Nam ſi mare turbatũ in fluctus ſurrexit, & pilus ſilimiter erectus exurgit. Si vero mare pacificatum fuerit: pilus in planum ſternitur: ſicque, maris ſtatus in re inſenſata & morticina deprehenditur. *Iſid.* Focas, dicunt eſſe boues marinos, quaſi boacas. *Ex lib. de nat. re.* Foca bos eſt marinus, animal, ſcilicet in ſuo genere fortiſſimum, animoſũ & iracundũ, non tantum ad alia animantia, ſed etiam ad ſua domeſtica. Semper enim cũ fœmina ſua pugnat, donec eam interficiat. Interfectam autẽ à loco eiicit, & ſic aliam ſuperducit, nec ſic ceſſat eas fœminas ſuperducere, donec eum contingat propria morte defũgi, vel à fœmina ſua ſuperatum interimi. Nec mutat locum ſuum de facili, ſed illic ſemper manet, vbi eum natura condiderit, huius pernicie æmuli filij rapina viuunt. *Dioſc.* Coagulũ focæ marinæ virtutem habet caſtoreo ſimilẽ. Epilepticis prodeſt. Mulierum quoque ſtericis, id eſt præfocationibus matricis bibitũ valet. Probatur autem ſic vtrum de foca ſit coagulũ, ſi coagulum agni ſolutũ in aquã vna hora dimittatur, nec ſe digerat, & poſt hæc aqua ipſa coagulũ focæ perfundatur. Nã ſi ea accepta ſoluatur verũ non eſt. Verũ enim accepta aqua non ſe ſoluit. *Ex lib. de nat. rer.* Galata extra morem omnium animalium, cum fœtus in aluo ſuo viuere ſenſerit, illos extrahit. Et ſiquidam eos ad vitam maturos inuenerit, foris relinquit. Sin autem, eos in matricem, vt ſoueantur reponit.

Pilus indicium maris diſpoſitionis. *Foca.* *Probatio & vſus coagulj Focæ.* *Galata.*

De Karabo, & Kilone.

CAPVT CXVII.

Carabos. KArabos ſtercore viuit & luto: fœdaturque cibo, propter hoc animal ponderoſum eſt: caudam habet latã. Et ideo quando pugnat leuiter ſe vertit. Huius ęnim generis monſtra fortiſſimè pugnant inter ſe, velut arietes, muniuntq; ſe multitudine ſociorũ aduerſę partes: vnde frequẽter viſi ſunt ambulare ſicut greges

ges adinuicemque bella partiri. Fiunt autẽ in animalibus bella quatuor de cauſis, ſc. propter naturalem ſuperbiam, propter cibum, propter coitum, propter fœtum: ſicut gallina propter fœtum cum coruo pugnat, & anſer cum cornice. *Ariſto.* Karabos ſicut & cancer ſanguinem non habet: durum habet extra, & molle intra, nec eſt nutribile illud durum, imo recipit ignẽ. Accipit autem piſces, ſicut cancer in profundo maris cum duobus labiis ſuis, eoſque in duas partes diuidit, & ad os ſuum ducit. Item karabos & omnia quæ teſtim mollem habent, per capita ſua natant. Karabos ex piſcibus duræ carnis mouetur cum cauda ſua motu veloci, ſicut motu alarum ſuarum. Eſt autem genus quoddã ex quo generatur Karabos quod eſt bonæ carnis antequam oua ponat, poſtea verò malæ. Hoc genus exuit ſpolium in vere, ſicut ſerpens. Ita cancer, & karabos ſenectutem exuunt, & quæ mollis teſtæ ſunt. Marinum animal mollis teſtę karabo coit, & imprægnatur, & malachiæ ſimiliter accidit. Karabos & ſibi ſimile in genere, ſc. animal mollis teſtæ, ouant coitu. Similiter eſt generatio malachię, vt ſepia, & ſibi ſimile. Mareſque karabo tantũ cuſtodiunt oua. Malachia autem ouat extra, & mas eijcit ſuper fœminas ſperma, ſicut mares piſciũ ſuper oua. *Ex lib. de nat. re.* Karabo ſecundum Ariſt. eſt piſcis, qui quando timet retrocedit, quando vero non timet ambulat ad anterius naturaliter. Chylon eſt animal marinum, quod contra naturæ communis ordinem habet hepar in ſiniſtro, ſplen in dextro. Nam in omnibus animantibus terræ magnis & paruis eſt econuerſo.

Chylon.

De Kolki.

CAPVT CXVIII.

Coloi.

Ariſtot. Kolki eſt marinum animal habens dentes acutos, & etiã ponit vnum ſuper aliũ. Sic enim genus ſuũ diuerſatur à generibus piſcium, quia piſces habent quidã dentes acutos, & non eſt in eis animal duas habẽs acies dentiũ. *Auctor.* Kolki ipſe eſt felcus, de quo dictum eſt paulo ſupra, idemque vitulus marinus, de quo dicetur infra. *Ex lib. de nat. rer.* Kolki eſt animal in terra, ſicut in mari manens: cartilaginoſum habet corpus, vt ſepia. Oſſaque minus debito robuſta: vnde fit vt præ infirmitate crurium aliquando vix ambulare poſſit, ſeque in pedibus ſuſtentare. Ambulatio ergo ipſius eſt potius ex vigore ſpiritus & leuitate corporis quã ex virtute. Dentes habet acutos valde, caudam paruam, vt ceruus, renes vt vacca. Venter eius ſanguine caret, quia duæ venæ, quæ ramificantur ſuper renes, vſque ad ventrem in eis non perueniũt. Cętera vero corporis membra ſanguinẽ habent, qui nunquam ingelatur: hoc animal habet quatuor pedes, & habent inflexiones digiti quinque in vtroque pede: figuraque pedis eſt, vt cauda piſcis. In aquis ſpirare non valet, dormit autem prope mare ſuper terram, ibique fœtus ſuos parit duos, aut tres. Trãſacto vero die 12. poſt partum ſequitur fœtus matrem ſuam ad mare, & hoc multotiens in die, vt aquis marinis aſſueſcat. Hoc animal mammillas habet, vnde fœtus lactet. Vox eius eſt ſicut tauri, maximeque cum interficitur, difficulter autem interimi poteſt, niſi cum malleis.

Mammillas habet

De Leuiathan, & ludolachra, & loligine.

CAPVT CXIX.

Leuiathan Ludolachra.

LEuiathan eſt piſcis ſerpentinus, de quo ſc. inferius dicetur in tractatu de ſerpentibus. Ludolachra eſt animal natura & forma mirabile, duas habens alas in facie, duas in dorſo, quibus mira velocitate nititur, quocunque voluntas eam impulerit. Loligo eſt monſtrum in quo natura luſiſſe videtur. Nam cute ſquamoſum: cum gregibus piſcium maris profunda ſcrutatur. Cum autem aquas faſtidierit, leuat ſe cum alis pennigeris quas in hoc illi natura dedit, & cũ volucribus æthera ſcandit. Sed quia flatus ventorum ſuſtinere non poteſt: poſt modicum vbi ventis concutitur, ad aquas redire cogitur, & in profũdum relabitur. *Plí. lib. 9.* Loligo eſt piſcis mollis ſanguine carens, ſicut & ſepia, pediculis octonis. Caput habet ſicut & ſepia inter ventrẽ & pedes. Sepiæ & loligini pedes duo ex his longiſſimi ſunt & aſperi, quibus ad ora cibos admouent, & in fluctibus ſe velut anchoris ſtabiliunt. Loligo etiã volitat extra aquam ſe efferens. Sepia quidem in terreno parit inter arundines: ac in alto cõſeruata edunt loligines. Item loligines ſicut & ſepiæ coeunt linguis, brachia inter ſe componentes, & in contrarium natantes, ore quoque pariunt. Loligines etiã in littore Carteiæ mirę magnitudinis ſunt, ſed in mari noſtro quinque cubitorũ, nec oſſã, nec ſpinas habent. *Idem in lib. 28.* Loligo volans ſignum eſt tempeſtatis. *Iſid.* Tradunt in oceano Mauritaniæ tantam multitudinem loliginũ ex aqua euolare, vt etiã naues demergere poſſint. *Phyſiologus.* Loligo capitur aliquando 5. cubitorum. Caput habet inter pedes & ventrem. Vltra duos annos rara eſt earum vita. Aliquod earum genus aſperrimum eſt, quæ pugnaturæ turmis ſe munientes ſtabiliunt.

Coeunt linguis.

De Monacho marino, & monocerote.

CAPVT CXX.

Monachus marinus.

EX lib. de nat. re. Monachi maris dicti ſunt, quia caput habent in modum monachi recenter raſi, coronam deſuper raſam & candidã, & circulum in modum criniũ ſuper loca aurium: faciem tamen non habet in toto ſimilem homini, quia naſum habet piſci ſimilem, & os naſo continuum. Cæterũ in inferioribus habet formam piſcis. Hoc monſtrũ hominis ſuper ripas maris ambulantes libenter allicit, & coram eis ſuper aquas ludit. Quod ſi hominem admirantem propinquare viderit, appropinquat & ipſe, & ſi datur facultas, hominẽ rapit, & traijcit in profundum, ſicque carnibus eius ſatiatur. Monoceros eſt monſtrũ marinum habens in frõte cornu maximum, quo naues obuias penetrare poſſit ac deſtruere, & hominum multitudinem perdere. Sed in hoc pietas creatoris humano generi prouidit, quia cum tardum animal creatum ſit, naues eo viſo poſſunt effugere.

Monoceros.

De Nereide, & orcha.

CAPVT CXXI.

Nereides.

NEreides ſunt belluæ marinæ toto corpore hirſutiis hiſpidæ. Habentque ſpeciem aliquã formatam cum homine. Horum aliqua cum mortalis conditionis imitatrix emori debet, auditur procul gemitus eius ac planctus. *Auctor.* De his autẽ ſuperius dictum eſt plenius in cap. de monſtris marinis, & etiã de orchis, in ca. de balænis. *Ex lib. de nat. rer.* Orcha monſtrum marinum eſt, vt ait Plin. cuius imago nulla poteſt exprimi repræſentatione, niſi quod ſit moles carnis immẽſæ: hæc balænas graui odio perſequitur, dentibus truculentis ſecreta fœminarũ irrumpit, ac morſu lacerat. Illæ vero ad flexũ immobiles, ad repugnandum inertes, pondere ſuo oneratæ, ac pinnis inualidæ, ſolum nouerunt auxilium in altum mare refugere: ſeque toto oceano defendere. Econtra vero orchæ in malitia pertinaces laborant fugientibus occurrere, & incautas anguſtijs trucidare, in vada vrgere: ſaxis illidere.

Planctus.

Orcha.

De Perna, & piſtre, & platamiſta.

CAPVT CXXII.

Perna.

PErna monſtrum eſt magnum, quod oſtrearũ more naſcitur inter conchas colorem cæruleum habentes, & inter illas veſtitur nobiliſſimo vellere, fuluo nimis, ac rutilo: vnde veſtes precioſæ conficiuntur in decorem & ornatum virorum, ac mulierum, pepla quoque capitibus fœminarum. Piſter eſt in illa parte oceani, quæ Galliam reſpicit, bellua tantæ altitutudinis, vt attollens ſe ſuper fluctus ingentis columnæ ſimilitudinẽ præferat, altiorque nauium velis, diluuium

Piſter.

Plataniſta. uium quoddam eructans pauefaciat fluctuantes. Plataniſta bellua in Gange fluuio Indię naſcitur, roſtrum habens delphini, caudam 16. cubitorum longitudinem habentem. Quibus ſociæ ſunt belluæ, quas *Statios* vocant, branchiis binis. His tantas vires ineſſe dicunt, vt elephantes ad potum venientes morſibus ſuis infeſtent, & eorum promuſcides abſtrahant.

Statij.

De Polypo.

CAPVT CXXIII.

Polypus. *Ariſtot.* Polypus, ſiue multipes habet iuuamentum ſquamoſitatem pedum: per illam enim inuoluit omne, quod ſibi appropinquat. Animal tantum habens ſanguinem, habet cerebrum, niſi habeat aliud membrum cerebro conueniens, ſicut animal multipes ac ſibi ſimile. Membra ventris in ſepia, & multipede conſimilia ſunt in figura & tactu. Multipes habet ſperma in ſuperiori parte, & accidit ei ſpermatis exitus ex timore, ſicut etiam accidit ei propter timorem, quod mutatur in colore. Quidquid comedit aggregat in cauernis vbi manet. Et poſtquam omne idoneum ſibi comederit, tunc teſtas reſiduas & cortices etiam cancrorum eijcit. Mutatur color eius, & colore lapidum, qui ſunt prope illum fit coloratus, quod ei accidit cum timuerit. Multipedes in maiori parte non viuunt per duos annos, quia cum ex illis aliqua humiditas exierit: moriuntur naturaliter. Et ſimiliter accidit fœminis poſt partum, quod ſtupefactæ fiunt: & ideo moriuntur. Marium verò carnes dureſcunt & viſcoſantur. Multipes habet quatuor medios pedes magnos, & in totum habet octo. Paruum quidem habet corpus, & quod in corpore natura diminuit, augmentat in pedibus: habet additamenta per quæ anchorat, & per ipſa mouetur, ſicut nauis, ac per eadem apprehendit, quidquid à ſe remotum fuerit. Membrum quoque quod habet vt ſuſtentetur, ſtrictum eſt propter paruitatem corporis, nec viſui manifeſtatur. Eſt autem frigidum naturaliter propter corporis ſui longitudinem. Multipes vincit & comedit carbon.

Sumit colorem lapidū ſibi propinquorum.

Solinus. Polypi quidem in mari ſunt, ſicut cameleontes in terra, cuicunque rei proximauerint, lenitate cutis aſſimilantur, licet in natura ſua ſint glabra. *Plin. lib. 9.* Polyporum multa ſunt genera, terreni maiores, quàm pelagici. Omnia branchijs vt pedibus ac manibus vtuntur. Cauda verò quæ biſulca eſt, & acuta in coitu. Eſt autem polypis in dorſo fiſtula qua tranſmittunt mare, eamque modo in dextram partem, modo in ſiniſtram transferunt: natant obliqui in caput, quod prædurum eſt ſufflatione viuentibus. Cæterum per brachia velut acceptabulis diſperſis, eo hauſto quodammodo cui adhæſerunt tenent ſupini, vt auelli non queant, vada vbi apprehendunt. Et grandibus minor eſt tenacitas. Soli mollium in ſiccum exeunt duntaxat aſperum, nam lenitatem odere. Veſcuntur conchyliorum carne, quorum cōchas complexu crurium frangunt. Itaque præiacentibus teſtis eorum cubile deprehenditur. Polypi binis menſibus conduntur. Vltra bimatum non viuunt: Pereunt autem tabe ſemper fœminæ celerius, & ferè à partu. Mutat polypus colorem ad loci ſimilitudinē, maximeque in metu ipſum brachia ſua rodere falſa opinio eſt. Id enim à congris euenit ei, ſed renaſcuntur eis ſicut caudæ lacertis: molli teguntur cute, ſicut & murænæ. Pinnas non habent, ſed pedes earum loco. Polyporum generis onigena dicta graui capitis odore, ob hoc maximè murænis eam conſectantibus. Piſcium ſanguine carentium, vt dictum eſt ſupra: Primum genus eſt eorum quæ appellantur mollia, vt polypus, & loligo ac ſepia, his caput eſt inter pedes, & in ventre pediculi omnibus octoni. *Idem in lib.* 10. Non poteſt à petris auelli polypus. *Idem.* Cunicula admota protinus ab odore reſilit.

Bimatum tantum viuunt.

A

De Polypi ſagacitate.

CAPVT CXXIV.

Ingenium Polypi. *Iſidorus.* Polypus, id eſt, multipes plurimos nexus habet, ingenioſus eſt, hamum appetens brachiis cōplectitur, non morſu, nec prius dimittit, quàm eſcam circumroſerit. *Ambroſ.* Polypus vadoſo in littore petram nactus ei affigitur, atque eius nebuloſo colore terga obductus plurimos piſcium ſine vlla ſuſpicione fraudis adlapſos, dum natando non pręcauent, & ſaxum opinantur, caſſibus furtiuæ artis includit, & ſinu quodam ſuæ carnis intercipit. Habet enim nexus plures quibus irretit, quicquid in ſcopulos ſuę fraudis inciderit. *Ex lib. de nat. rer.* Polypus eſt piſcis tantam habens virtutem in brachiis, vt nautam aliquando de naui incautè ſtantem vi rapiat, & in mare trahat, eiuſque carnibus ſatietur. Carnibus enim libenter veſcitur. Supinus adhæret ſcopulis, & auelli nequit: cui ſi fœtida res admota fuerit, ab eius odore protinus reſilit. Hi in mari iuxta Venetiam frequentiſſimi ſunt. *Ariſtot.* Multipes vt (dictum eſt) karabon vincit, ipſumque comedit. Vnde & ſi ambo ſimul in vnū rete capiātur karabos propter comitatum eius mortuus inuenitur.

B

Vis Polypi deijcit hominem.

Plinius lib. 9. Polypus cum aliàs brutum animal habeatur, vt quod ad manum hominis adnatet, in re quodammodo familiari callet. Omnia ſiquidē in domum comportat. Deinde roſa carne putamina egerit, adnatanteſque piſciculos ad ea venatur. Denique polypum locuſta intantum pauet, vt ſi iuxta eum viderit moriatur. At polypum congri lacerant. Magna eſt ſolertia polypis animalibus, videlicet hebetiſſimis.

Locuſta eū pauet.

C Trebius niger prodidit polypos eſſe concharum auidiſſimos. Illas ad tactum comprimi præſcidentes brachia eorum, vltroque eſcam ex prædante capere, carēt conchæ viſu omnique ſenſu alio quàm cibi, & periculi. Inſidiantur ergo polypi apertis, impoſitoque lapillo extra corpus ne palpitatu eijciatur, ita ſecuri craſſantur, extrahuntque carnes. Illæ verò ſe contrahunt, ſed fruſtra diſcuneatæ, tanta eſt polypi ſolertia: præterea negat vllum atrocius eſſe animal ad conficiendum hominem in aqua, luctatur enim complexu, & ſorbet acceptabilis, ac numeroſo ſuctu detrahit eū. In naufragos vrinanteſve impetum capit, ſed ſi inuertatur elangueſcit vis, exporrigunt enim ſe reſupinati.

Vt vis polyporum elangueſcat.

De Polyporum generatione.

CAPVT CXXV.

D *Idem in libro 9.* Polypi crine vno fœminæ naribus annexo coeunt, & in terram verſo capite & in hyeme, vere autem pariunt, fœminæ aliquando oua incubant, aliquando cauernam cancellato brachiorum implexu claudunt. Pereunt autem (vt dictum eſt) polypi ſemper tabe, & fœminæ celerius à partu ferè, ita quod vltra bimatum non viuunt. *Ariſtote.* Multipes caput ſuper terram ponit, pedeſque cū fœminæ pedibus extendit, ita quod coniunguntur orificia venarum ſuarum, ſicque complent coitum ſuum, & hoc faciunt in hyeme, ouant autem ſiue pariunt in vere. Caput maris lōgius eſt capite fœminæ, per duos menſes nidificat, & vnum ouulum tantummodo ſimile fructui nucis ouat, atque ex ouo illo multi oriuntur piſces ſine numero. Cumque ouauerit fœmina, ſedet ſuperoua. Ideoque malæ carnis eſt in illo tempore, quia non paſcitur, neque ſaturatur. Omnes tamen piſces apud principium imprægnationis boni ſunt, etiam multipes. Oua verò ponit in aliqua re teſtea vel profunda, illa quoque oua pendent à nidi capite, & ſunt tot quot vas maius capitis fœminæ ab eis impręgnatæ poſſunt implere. Findūtur autē poſt dies 50. & exit ab eis paruū animal multipes, quod ambulat ſicut aranea nec apparet membrorum eius figura, ſed tota eius apparet forma. Propter debilitatem verò & paruitatem talia cito corrumpuntur. Fœminis (vt dictū eſt) accidit

E

Omnes piſces quando boni ſunt

poſt

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

post partum quod stupefactę fiunt, & vndas non sentiunt, nec de facili rem pedibus accipiunt. Earumque caro viscosa efficitur, nec aliquid venantur, & ideo moriuntur. Marium verò carnes durescunt, & viscosantur. Itaque non viuit hoc animal duobus annis, huius rei argumentum est, quod quando pariuntur parui multipedes in vere, & autumno, non inuenitur ferè aliquid de magnis, cum parum ante illud inueniretur multum ex eis. Et dicitur, quod cum ouant, natant, & mares ac fœminæ debilitantur intantum, vt à piscibus paruis comedantur, & in cauernis facilè deprehendũtur, quod tamen non accidit eis ante pullificationem. Hoc autem non accidit iuuenibus, & paruis, immo fortiores sunt magnis. *Ex lib. de nat. rer.* Polypi verso in terram capite coeunt, oua tam multa fœcunditate faciunt, quod hominis occisi testa capi non possunt, superque sedentes, & incubantes quasi cancellatis brachijs cameram faciunt.

Debilitas post ouationẽ

De captura ipsorum vel venatione.

Caput CXXVI.

Polypus vel multipes cornu cerui vel storacis sicci fumo deluditur, & deprehenditur, quia diligit ipsum, & ob hoc intrat vasa venantium. Ex ipso etiam assato in hamo posito venatores multos capiũt pisces. Multipes, & karabos si simul irreti fuerint, karabos mortuus inuenitur. *Plin. lib. 9.* Mirè siquidem omnia marina odorem polyporum expetunt, qua de causa piscatores eos nassis illinunt. Lucullus narrat, quod Carteię in cetarijs polypus quidam assuetus erat exire in lacus eorum apertos è mari, ibique pisces, & salsamenta populari. Custodes autem æstimantes quod alij fures caperent pisces, fecerunt ibi magnas sepes. Polypus verò per vnam magnam arborem transcendebat, nec nisi canum sagacitate percipi poterat, tandem custodes indignati redeuntem polypum noctu circumuaserunt, concitatique nouitatem expauerunt, prius etenim inauditum erat, qualiter odore diro afflatuque terribili, qualiter etiam extremis crinibus, & branchijs clauarum modo canes flagellans cum ipsis pugnabat. Ægrè itaque multis tridentibus confici potuit. Ostenderunt Lucullo caput eius dolij magnitudine capax amphorarum 15. barbasque vix vtroque brachio posse complecti clauarum modo torosas, longasque pedum 30. Acceptabulis siue caliculis vrinalibus peluũ modo, dentes vero magnitudini respondentes. Reliquiæ vero asseruatæ pondo 700. perpendere. *Idem in lib. 32.* Polypo tuso, & illito sanguinem sisti putant.

Deprehensio Polyporum.

Polypi fures piscium.

De Scylla, & serra.

Caput CXXVII.

Ex lib. de nat. rer. Scylla monstrum est habitans in eo mari quod Italum vocant, & Siciliam intercludit. Nautis quidem, & omnibus hominibus inimicum est, & eorum sanguine carnibusque delectatur. Caput & pedes habet ad modum virginis formata, sicut syrenes, & tictus, & oris hiatum ac dentes horridos, vterum bestialem, & delphini caudam. Miræ fortitudinis est, nec in aqua facilè vincitur, in terra vero prope imbellis est. Habet & vocem aliquantulum musicam, ipsaque bellua carmine mirificè delectatur. *Isidorus.* Serra dicta est, quia serratam habet cristam, & subtus natans nauem secat. *Physiologus.* Serra est marina bellua pennas habens immanes, quę cum viderit in mari nauem velificantem, eleuat pennas suas, & cõtendit velificare cum naue. Vbi autem cucurrerit stadijs 30. vel 40. laborem sustinens deficit, & pennas deponens ad se trahit. Vndæ vero maris eam iam lassam reportant ad pristinum suum locum in profundum. *Ex lib. de natu. rer.* Serra cristam habet serratam, quasi nauibus occultè supernatans eas in fundo secat, vt intrante aqua homines astutia dolosa mergat, eorumque carnibus satietur. Alia quoque est eiusdem nominis marina bellua ingens, pinnasque latissimas habens, quibus contra naues velificare contendit.

Scylla.

Serra.

De Stinco.

Caput CXXVIII.

Stincus est bellua circa Nilum frequẽtissima, crocodilo similis, sed forma multo minori, & angusta: tempestates præuidet, obturatisque qua spiraturus est ventus cauernis, ex alia parte fores aperit, huic quoque villosior cauda pro tegumento est, & eius carnibus infecta pocula vini, veneno extinguunt. *Auicenna.* Stincus est guaril de Nilo, qui capitur in Ægypto. Et æstimauerunt quidam quod sit de partu crocodili. Melius autem de ipso est illud quod est in parte renum, auget quandoque coitum, ita vt non sedetur, nisi sorbitione iuris lactucarum, & lentium. *Dioscorides.* Stincus est animal quod inuenitur in India, quadrupes, & simile lacertæ, sed longius atque vẽtrosius, hoc autem fallitur, & ad venenos vsus facit, si caro eius ex vini cyatho potetur, nam si plus sumatur, neruos lædit.

Stincus.

Est de partu crocodili.

De Syrene.

Caput CXXIX.

Physiologus. Syrenes sunt animalia mortifera, vsque ad vmbilicum figuram hominis habentia, extrema vero pars, vsque ad pedes volatilis & piscis habet figuram. Musicum quoddam ac dulcisonum melodiæ carmen canunt, ita vt auditus hominum longè naulgãtium ad se trahant, nimiaque suauitate prolixæ modulationis aures eorum ac sensus delinientes in somnum vertant. Tunc demum cum vident eos grauissimo somno sopitos, ignaros ac per insipientiam suam deceptos inuadunt, & carnes eorum dilaniant. *Ex lib. de nat. rer.* Syrenes sunt animalia mortifera, quæ à capite vsque ad vmbilicum habet figuram mulieris improcerę magnitudinis horrenda facie, crinibus capitis longissimis atque squalentibus. Apparent autem cum fœtibus quos in brachijs portant, mammis etenim fœtus lactant, quas in pectore magnas habent. Has quando vident nautæ multum timẽt, eisque lagenam vacuã proijciunt, & ipsa cũ lagena ludit, donec naues pertranseant: reliquam verò partem corporis habent vt aquila, & in pedibus vngues ad laniandum habiles. Porro in fine corporis habent squamosas piscium caudas, quibus vt remigijs in gurgitibus natãt. Quoddam etiam musicum ac dulcissimum melos habent in voce, quo delectati nauigantes & attracti resoluuntur in somnum, sopitique syrenarum vnguibus dilacerantur. Sed nonnulli nauigantium sapienti vsi consilio, fortiter aures suas obturant, & sic immunes trãseunt, ne mortifero syrenatũ cantu illiciantur ad somnum. Hæ quidem belluæ in quibusdam profundi gurgitis insulis, & aliquando in fluctibus commorantur. Et quod de lagena dictum est, illi testati sunt, qui eas se vidisse dixerunt. Syrenas tamen has non in veritate belluas, sed meretrices quasdam Isido. fuisse descripsit, quæ transeuntes ad egestatem deducebant. Sed & philosophi & sanctorum expositorum nonnulli contrarium sentiunt, vera monstra marina esse dicentes. Sunt & syrenæ serpentes in Arabię partibus habitantes, equi cursu validiores, quarum etiam quidam alas habentes volare possunt: harum tantum virus est, & sic efficacissimum ad nocendum morsum, vt ante mors, quàm dolor sequatur.

Syrenes.

Canunt.

Figura mulebris.

Remedium contra syrenas.

Meretrices.

Serpentes.

De Testeo.

Caput CXXX.

Testeum est monstrũ marinũ, sic dictũ, quia testeã habet cutẽ. In Arabico mari nascitur, & aliquãdo infirmatur, ex eo quod calor interius in corpore propter cutis spissitudinẽ, atq; duritiẽ respiraculũ habere nõ potest. Cũ autẽ infirmatur, aquas dulces petit,

Testeum.

& ex eis per aliquod tempus bibit, earumque mutatione cutis efficitur subtilis, & resudat à poris angustis & conualescit. Sanatum ergo reuertitur ad aquas salsas, & ad primam suam dispositionem redit. Quod aqua dulcis in mari sit, sic probari potest. Accipiatur vas cereum, & ex omni parte claudatur, vacuumque proijciatur in mare, per spatium diei & noctis, postea plenum aqua dulci reperietur. Hoc animal maximum est in mari rubro.

Aquæ dulcis in mari.

De Testudine marina.

CAPVT CXXXI.

Testudo.

TEstudines marinæ pecudum more coeunt, & in terram egressæ, oua vsque ad centum, ouis anserum similia pariunt, quæ & quidam ab illis tantum oculis spectando foueri dicunt. *Isid.* Testudo autem dicta est, eo quod tegmine testæ in modum cameræ adoperta est. Horum quatuor sunt genera, quorum vnum est de quo hic agitur, testudo marina. Aliud vero testudo est lutaria, de qua in tractatu de vermibus agetur infra. Quin etiam ibidem dicetur plenius de omnibus testudinum speciebus. *Solinus.* Thraciæ populi marinas testudines capere gaudent, quarum tanta est magnitudo, vt superficies earum domum faciat, & numerosam familiam non arctè receptat. *Plin. lib. 9.* Testudines tantæ magnitudinis indicum mare emittit, vt superficie singularum habitabiles casas integãt, & inter insulas rubri præcipuè maris his nauigent cymbis. Capiuntur autem multis quidem modis, maximè euectæ in summa pelagi eminente toto dorso per tranquilla fluitantes, quæ voluptas liberè spirandi intantum fallit oblitas sui, vt solis vapore siccato cortice non queant mergi, inuita fluitent opportunè venantium prædæ. Testudines spirant & dormiunt. Ferunt autem & pastu egressas noctu, auideque saturatas lassari, & vt remeauerint matutino tempore summa in aqua obdormiscere. Id prodit stertentium sonitus, leuiterque singulæ capiuntur à ternis hominibus. A duobus siquidem in dorsum vertitur. Tertius laqueum injcit, sicque à pluribus ad terram trahitur. In Phœniceo mari capiuntur sine vlla difficultate, vltroque veniunt statuto anni tempore in amnem eleutherum, fusa multitudine: quidam oculis spectando quoque oua ab his foueri putant, fœminasque coitum fugere, donec mas festucam imponat ori auersæ. Troglodytæ cornigeras habent, vt in lyra annexis cornibus latis mobilibus, quorum remigio in natando se adiuuant. Sunt etiam terrestres in desertis Aphricæ roscido viuentes humore.

Quatuor genera.

Domus & cymba ex testudinibus

Cortice testudines integuntur, in coitu superueniũt, ouaque illarum in sicco maturantur. Dentes non sunt testudini, sed rostri margines acuti, superiori parte inferiorem claudente pixidum modo. In mari conchylijs viuunt, tanta ori duritia vt lapides comminuant. In terram egressæ in herbis pariunt, oua ouis auium similia ad centena numero, eaque defossa extra aquas, & cooperta terra incubant noctibus, educunt autem fœtus annuo spatio. *Idem in lib.* 11. Testudini marinæ lingua nulla, nec dentes, sed rostri acie comminuunt omnia, & quamuis prægrandem habeant pulmonem sub tuto tegmine, habent tamen sine sanguine. Oua parientium renes habet testudo sola, quæ & omnia quoque habet alia viscera. Item oua parientibus est sibilus obruptus testudini, serpentibus autem longus.

Duritia oris

De Thynno.

CAPVT CXXXII.

Thynnus

EX *lib. de nat. rerum.* Thynnus est monstrum marinum, caudam habens duorum latitudinis cubitorum. In mari fœtificat tantum, sed in terram exit ad pastum. Est autem thynnus secundum Isidor. nomen Græcum. Hic iuxta Plin. naues ob curiositatem vidẽdi vela vento agitari persequitur, & eo stupore intantum afficitur, vt etiam tridente in eum iacto, terrore non moueatur: hyberno tempore latet gurgitibus, pingueſcit intantum, vt vita longissima per triennium sit. *Plin. lib. 9.* In indico mari magna est thynnorum multitudo. Inuenimus in præcipua magnitudine thynnũ talenta 15. pependisse, eiusque caudæ longitudinem duo cubita & palmum. Mares sub ventre non habent pinnam. Intrant è magno mari pontum verno tempore gregatim, nec alibi fœtificant. Cordyla partus appellatur, qui fœtas redeuntes in mare autumno comitatur, limosæ vero aut è luto palamides incipiũt vocari, & cum annuum tempus excessere, thynni oculos habent hebetes, aspectuque saxi cuiusdam miri candoris à vado ad summa perlucentis repente territi, aduersus Bizantij promontorium præcipiti agmine petunt. Bizantij vero magna est captura. Opperiuntur autem aquilonis flatum, vt secundo fluctu è Ponto egrediantur, nec nisi Pontum Bizantium intrantes capiuntur. Bruma non vagantur, vbicunque deprehensi, vsque ad æquinoctium hibernant ibi. Pinguescunt autem intantum vt dehiscant. Thynnorum captura est à vergiliarum exortu, ad arcturi occasum. Reliquo tempore hyberno latent in gurgitibus imis, nisi tempore aliquo euocati, aut plenilunijs. Dextera ripam intrant, leua exeunt. Id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernant, vtroque natura hebete, vita longissima his biennio. *Idem in lib.* 10. Thynni iuxta ripas, aut petras dormiunt. *Solinus.* Plurimus thynnus est in Ponto, nec alibi fœtificant. Nusquam enim citius adolescunt, scilicet ob aquas dulciores ingrediuntur veris tempore dextro latere, læuo exeunt.

Cordyla.

Palamides

Tempus captura.

De medicinis ex thynno.

CAPVT CXXXIII.

Vsus thynnorum.

Dioscor. Thynnus salsus si plurimum fuerit comestus mitigat viperæ morsus. Cataplasmatibus adhibitus medetur caninis morsibus. *Pli. lib.* 32. Thynni adipe recenti Attalus ad oris vlcera est vsus. *Psilotrum*

Psilotrum est thynni sanguis & fel ac iecur siue recentia siue seruata. Iecur etiã tritum atque mixtum cedro plũbea pixide asseruatũ. Emendatque palpebras psilotrũ inutilibus pilis exemptis in vestigia euulsorũ instillatũ

De Tortuca.

CAPVT CXXXIV.

Tortuca.

EX *lib. de nat. rerum.* Tortuca maris est monstrum ingens, formatum ad instar tortucæ terrestris, sed eius magnitudinem in immensum excedens. Nam octo cubitorum est eius longitudo, quatuor latitudo. Clypeum habet quo contra iacula tegitur. Ad instar vsualis scuti triangularem, sed multo maiore, vtpote quinque cubitorum. Crura etiam habet magna, vngues magnos, & digitos in pede maiores quàm sint in leonibus. Fortitudine quoque & audacia mirabiliter viget, quippe quæ tres homines inuadere non timet. Fortitudine quoque frustratur, si dorsum ad terram vertatur. Difficulter enim surgit in dorsum conuersa propter latitudinem clypei, quo à dorso tanta bellua includitur. *Aristoteles.* Tortuca postquam comederit viperam, comedit origanum agreste ne moriatur.

Fortitudo & eius frustratio.

De Vacca & vitulo marino.

CAPVT CXXXV.

Vacca.

EX *libr. de natura rerum.* Vacca marina monstrum est magnum ac validum, & ad iniurias iracundum, non habet oua, sed facit fœtum, vnum quidem sæpius, vel duos ad plus, fœtum tenere diligit, & secum ducit vbicunque vadit. Viuit hoc animal 30. annis, quod probatum est amputatis eorum caudis. *Isidorus.* Vitulus marinus à similitudine terrestris dicitur. *Aristoteles.* Vitulus marinus habet corpus durum & carnosum, ideoq; grauiter interficitur,

Perſequitur naues

Vitulus.

nisi

nisi cum vulnere in maxillis,vox eius est vt tauri.Quatuor habet pedes,non autem auriculas, quia regimen vitæ illius & mansio est in aqua. Nam si essent ei auriculę super vias positæ,multum humorem reciperẽt, ac motum & natationẽ in aqua prohiberent. Animal generant completum. Eiusque partus est omni tempore sicut hominis, & præcipuè tempore partus caprarum. *Plinius libro 9.* Vitulus marinus pilo vestitus est. Parit animal in terra more pecudum. Nunquam parit plures geminis,fœtum non ante 12. diem in mare deducit, ex eo subinde assuefaciens. Interficiuntur difficulter nisi capite elisso. Ipsis in sono mugitus, vnde & nomen vituli accipiunt. Tamen disciplina & voce populum salutant, & nomine vocati respondent. Nullum animal grauiore somno premitur : pennis quibus in mari vtuntur, humi quoque pedũ vice serpunt. Pelles eorum etiam detractas corpori, sensum equorum retinere tradunt, semperque æstu maris recedente inhorrescere. Præterea dexteræ pinnæ vim soporiferam inesse, subditamque capiti somnum allicere. *Idem in lib. 2.* Pauidi fulminum tutissima putant tabernacula de pellibus belluarum, quas vitulos marinos appellant, eo quod hoc solum animal è marinis fulmen non percutiat, sicut nec è volucribus aquilam. *Suetonius in lib. 2. de 12. Cæsaribus.* Octauianus Augustus, licet non minus seuerus, quàm facilis & clemens patronus ac dominus esset,tonitrua, fugura que paulo infirmus expauescebat,ita vt semper & vbique pellem vituli marini pro remedio circumferret. *Plin.lib. 32.* Expauescẽtibus morsũ canis rabidi faciem perungunt adipe vituli marini. Idem quoque adeps lichenas & lepras soluit. Coagulum eiusdem vituli comiciales bibunt cum equino lacte vel asinino. Eodem coagulo in lithargiam vergentibus ad olfactum vtũtur. Teutonicos adiuuat, idem coagulũ ex vino sumptum. Item adeps vituli marini instillatur inguinaribus inter mortuarum vuluæ vitio, & cum coagulo eiusdem in vellere impositio. *Auctor.* Vitulus marinus, vt supra dictum est,ipse est felcus, de quo plenius actum est,ipse est quem vocat Aristoteles cocy,de quo etiam superius dictum est.

Parit animal vt homo.

Nomine vocati respondent.

Contra pauorem fulminum.

De Hippotamo.

CAPVT CXXXVI.

Hippotamus

EX *libro de natura rerum.* Hippotamus est bellua in terra nascens, sed in aqua & terra æqualiter potens. Elephantibus plerumque maior. Rostrum habet resupinum,dentes aduncos, noctibus segetes depascit, ad aquas quasi retro gradus pergit, libentius autem præ cęteris partibus corporis in pedibus vulnera recipit. In Nilo habitat,& in partibus Indię præcipuè reperitur, ex eius cute tornantur hastæ. *Isidorus.* Hippotamus vocatus est, eo quod sit equo similis dorso,iuba,& hinnitu,rostro resupinato à primis dentibus,cauda tortuosa. Die in aquis commoratur, nocte segetes depascit,hunc Nilus gignit. *Solinus.* Hippotamus vngulas habet bifidas, noctibus ad depascẽdas segetes pergit auersus astu doloso, vt fallente vestigio reuertenti ei nullæ insidiæ præparentur. Idem cum nimia satietate distenditur arundines recenter cæsas petit,per quas tamdiu obuersatur, quoad stipitum pedes acuta vulnerent,vt profluuio sanguinis leuiet saginam,plagam deinde cæno oblinit,vsque dum vulnus conducatur in cicatricem.

De eodem.

CAPVT CXXXVII.

ARistot. Hippotamus,id est,equus fluuialis habet equinos crines,fissos pedes, sotulares vt vacca, & est sine facie,habens in pedibus cahab. Cauda eius vt porci,hinnitus vt equi,magnitudo vt asini.Corium eius crassum valde, ideoque parantur ex eo sotulares & corrigiæ. Interiora eius assimilantur interioribus equi, & asini. Et licet in terra maneat, sine aqua tamẽ viuere non potest,sicut tortuca & rana marina & crocodilus. *Plinius libro 8.* Hippotamus est in Nilo bellua altior crocodilo, vngulis binis in modum bouis, dorso equi,& iuba,& hinnitu,rostro resupino, cauda torta,& dentibus aprorum aduncis,sed minus noxiis, tergoris ad scuta, galeasque impenetrabilis, præterquam si humore madeat,hic in quadam parte medendi magister extitit, assidua namque satietate obesus exit in littus, recentem arundinum cæsuram speculatur,& vbi acutissimum videt stipitem imprimens corpus,venam quandam in crure vulnerat,sicque profluuio sanguinis aliàs morbidum corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit. *Idem in lib.nono.* Non solum autem corio, sed & pilis integuntur hippotami, sicut & vituli marini. *Idem in lib.11.* Corij verò crassitudo talis est hippotamis, vt inde tornentur hastæ cũ ingenio quadam medica diligentia. *Idem in lib.28.* Cinis corij hippotami cum aqua illitus,pannos sanat,adeps eius febres frigidas. Pellis eius è sinistra parte frontis adalligata ventrem inhibet, & eiusdem cinis alopicias explet. Testiculi dragma ex aqua bibitur contra serpentes,fimus suffitans dentes è parte læua, dolorem dentium scarificatis gingiuis sanat.

Medendi magister aperit sibi venam.

De Cedroso,& zidrach, & zephio

CAPVT CXXXVIII.

EX *libro de natura rerum.* Cedrosi belluæ marinæ sunt Arabiam incolentes. Quarum ossa adeo magna sunt, vt fores in domibus & palatijs tigna & alia structuræ necessaria de illis commodè secentur, 40. namque cubitorum magnitudinis reperiuntur. Zidraach est monstrum forma mirabile,quod prætendit malitiam in sua figuratione, sed innocuum reperitur. Caput habet vt equus,sed forma minori, corpus autem ex omni parte draconi simillimum est, totumque diuersimode coloratum. Caudam habet longam secundum quantitatem corporis sui, gracilem & tortuosã,vt anguis, pinnas quoque habet sicut piscis aliquis. Zephius est marina bellua valde formidabilis,& omnium animalium generi valde dissimilis,forma singularis,huius namque caput si videris monstruosum est omnino. Si oris abyssum, fugies volut imaginem mortis:si oculos,horrebis:si reliquum corpus,nihil in rebus simile te vidisse fateberis.

Cedrosi licet auctor legat cum (Z)

Zidraach

Zephius.

De Zitiron.

CAPVT CXXXIX.

ZItiron monstrum est, quod vulgus militem vocat & est ingens atque fortissimum. In anteriori parte quasi formam armati militis præfert,& caput quasi casside galeatum, & cute rugosa & dura ac firma nimis. Ab eius collo dependet scutum longum,& latum ac magnum, & interius cauum vt in eo possit contra ictus pugnantium more defendi. Est enim forma triãgulare, firmiter duritiaque tam validum, vt vix vnquã possit iaculo penetrari. De collo eius & de spondilibus venæ quædam ac nerui fortissimi protenduntur in humerum, quibus prædictum scutum pendet in scapula. Brachia quoque fortissima nimis habet, & quasi manum bisulcam, cum qua validissimè percutit,vnde fit vt difficulter nimis ab homine capi possit,& si captus fuerit difficulter etiam necari,nisi cum maleis poterit.

Zitiron.

Piscis armatus.

De Sexu piscium.

CAPVT CXL.

AVctor. Hæc de nominibus piscium ac monstruorum aquatilium & naturis breuiando transcurrimus, nũc etiam de sexu ac generatione illorum pauca subijciamus. *Ex lib. de nat.rerum.* Piscium fœminæ maiores sunt maribus ac longiores, & carnes duriores

habent

habent. Ante tempus partus & coitus mares ac fœminæ vagantur, natantque per greges ſimul. Tempore vero coitus & partus ambulat par cum pari. Omnes autem ordinem ſeruant naturæ in ſexu & in genere. Nunquam enim videbitur piſcis cum alterius generis piſce coire. Nullus piſcis habet collum, aut virgam, aut teſticulos, aut mammillas, vt dicit Ariſtoteles. De his tamen excipimus delphinum, & cetum, & cætera monſtra maris, & hoc eſt, quia ſibi ſimile generant, vnde & mammillas habent, quibus fœtus lactant, non tamen ſupra, ſed iuxta iuncturas. Itaque nō eminent, ſed habent duos canales, quibus egreditur lac, & filij matres ſequuntur. Maſculi piſcium habent vias ſemine plenas, ita quod videtur ſæpius extra decurrere, licet autem fœminæ ſint maſculis longiores, *Maſculi duriores.* & carne duriores, maſculi tamen fœminis ſunt meliores, pręter hahahot, & non dico fœminas niſi ſecūdum nomen, qtoniam in veritate non ſunt ita, ſed diuerſi ſunt in aſpectu. In quibuſdam ſiquidem piſcibus non ſunt mares ac fœminę, ſed quędam genera ſunt tantummodo fœminæ. *Phyſiologus.* Fœminarum aquatilium, aliæ commixtione maſculi tantummodo concipiunt & pariunt catulos, aliæ ponunt oua ſine maſculi ſuſceptione concepta. Nunquam verò reperitur in piſcibus innaturalis coitus, nec vna ſpecies vnquam accedit ad ſpeciem alterius generis, niſi mu- *Murana.* ræna. Veruntamen & murænam non excipit Philoſophus. Vnde ſecundum ipſum videtur quod muræna non ſit piſcis. *Ariſt.* Piſcium in quibus mares ac fœminæ ſunt, mares habent vas in quo eſt ſemen, fœmina vero matricem, nec complentur eorum oua donec exeant extra, & tunc ſequuntur ea mares, & eijciunt ſperma ſuper illa, vt virtutem ſuam recipiant & creſcant. Marinum verò animal durę teſtæ, non habet marem aut fœminam. Quædam etiam duri corij ſunt, vt arbores, quoniam eis eſt quod generat ſine coitu maris & fœminæ. *Plinius libro 9.* Piſcium fœminæ ma- *Fœminæ maiores maribus.* iores ſunt quàm mares. In quorundam vero genere non ſunt mares omninò, ſicut in erichinis & cromibus. Omnes enim ouis grauidæ capiuntur. *Idem in lib.* 10. In anguillis etiam omnibus, nec eſt maſculinum, nec fœmininum genus, quæ nec animal, nec ouum ex ſe generant, ſicut neutrum eſt & oſtreis genus, cæteriſque vado, vel ſaxo adhærentibus.

De multiplici generatione piſcium.

CAPVT CXLI.

AVctor. Piſcibus itaque ſicut & auibus ab initio creationis ſuæ benedictionem propagationis ſui generis dedit etiam Deus, dicens: *Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris. Ambroſius.* Piſcium alij oua generant, vt varij maiores, quos trutas vocant, alij viuos fœtus de corpore ſuo emittunt, vt muſtelæ, caniculæ, ceti, delphines, focæ, & huiuſmodi. Et qui oua generant, non nidos texunt, vt aues. Nec ſic cum moleſtia nutriunt, ſed aquis oua fouenda committūt. Ipſaque aqua fœtus animat & creat tanquam blanda quædam mater animantium. Vt ergo ouum cadit, aqua quodam naturæ ſuæ gremio, quaſi blanda nutrix illud ſuſcipit, & animal celeri fotu reddit, continuo enim iactu parentis animatum cecidit, & piſcis exiuit. Qui autem viuos fœtus emittunt, cum partus ediderint, ſi quid fortè terroris pręſenſerint, inſidiarumque circa catulos quenquam moliri, quo tueantur eos, vel teneræ ætatis pauore, vel materno amore comprimāt, aperire ora & fœtus ſuos innoxio dente ſuſpēdere, in- *Affectus piſcium erga prolem.* terno quoque corpore recipere ac genitali aluo ferunt abſcondere, atque iterum fotu quodam eos ſui caloris animare, & ſpiritu alère, tutoſque in vno corpore viuere donec aut ſecuritatem deferant, aut obiecto ſuo corpore natos ſuis periculis defendant. Quis humanus affectus hanc piſcium pietatem imitari poſſit? Ecce natura ſeruat in piſcibus, quod non ſeruat in hominibus.

Ariſtot. Animalia magna ex marinis generant animal, vt delphinus, & ex his etiam quæ gignunt animalia prius in matrice ſua generant oua. Quæ quando perficiuntur quiddam ex eis ſimile vermi efficitur, & quādo vermis ille paritur, recipit formam perfectam, fitque ex huiuſmodi marinum animal, quod Græcē chelys dicitur. Marinum animal durę teſtæ non coit omnino, ſed creſcit ex limo & putredine. Vniuerſaliter enim omne, quod eſt duræ teſtę, generatur in limo per ſe. Quidā autem ex piſcibus generantur in arena, quidam in lapidibus, quidā natādo ſuper aquā. Et quidam qui non mouētur, ſicut cheleti, habent ſimile radicibus in terra creſcentibus. In quodā loco ab aquis deſiccato, cū incipit canis apparere, aufertur inde limus & putredo. Et cū ibi reuertitur aqua, piſces parui qui nō habent ouū, aut ſperma generantur, ſicque per ſe ſine coitu & ouis oriuntur, & quidā à limo, quidam ab arena, quidam per putrefactionem, quæ eſt ſuper aquas, vt aphron, qui eſt ex aqua, quādo moritur alius ab eo generatur, quidam etiam piſcis à terra generatur, cuius ſignum eſt, quia quando tempus frigidum eſt venari non poteſt. Cum autem dies clarus fuerit, aſcendit de terra & calorem petit, & tunc venari poteſt. Quidam verò piſces ſunt ex ſpuma quę venit ex *Spumoſi.* aqua pluuiæ, & dicuntur ſpumoſi, viſique ſunt in illa ſpuma ebullire, ſicut ebulliunt vermes in ſtercore. Cumque fuerit annus pluuioſus & calidus, erit abundantia generis iſtius. *Plinius lib. 9.* Pectines ac vituli ſpōte naturę in arenoſis proueniūt. Quę autē durioris ſunt teſtæ, vt murices, purpureę ſaliuario lentore, ſicut accreſcente humore culices atque ſumma maris incaleſcente cum admiſſus eſt imber. Quæ vero ſiliceo tegmine operiuntur, vt oſtrea putreſcente limo, aut ſpuma circa nauigia diutius ſtante, defixoſque palos & lignum maximè. Nuper compertum in oſtreis humorem his fætificum lactis modo effluere. *Anguillæ.* Anguillæ ſe ſcopulis atterunt, eaque ſtrigmenta viueſcunt, nec alia eſt illorum procreatio, ex ſquatina & rana ſimul coeuntibus naſcitur piſcis parte priori ranæ ſimilis. Cętera vero genera non commiſcentur. Tradit Theophraſtus circa Heracleam Lyco amne recedente, ouis relictis in limo generari piſces, qui ad pabula *Pabula petunt.* petenda palpitent exiguis branchijs.

De coitu piſcium.

CAPVT CXLII.

IDem in eodem. Piſces attritu ventrum coeunt tanta celeritate, vt viſum fallant. Delphini & reliqua cete ſimili modo & paulo diutius, fœmina piſcis coitus tempore marem ſequitur, ventrem eius roſtro pulſans. ſub partu vero mares ſequuntur fœminas, ſimiliter earum oua veſcentes, nec ſatis eſt generationi per ſe coitus, niſi editis ouis inter ſe verſando mares & fœminæ vitale aſperſerint virus. Non omnibus id contingit ouis in tanta multitudine, alioquin maria & ſtagna replerentur, cum ſinguli vteri innumerabilia concipiant. Plani piſcium quibus cauda non obeſt, aculeatique vt teſtudines, & raye in coitu ſuperueniunt, polypicrine vno fœminæ naribus annexo. Sepiæ ac loligines linguis inter ſe brachia componentes, & in contrarium natantes ore & pariunt, ſed polypi verſo in terram capite coeunt. Reliqua molliū tergis, vt canes & ſquillæ, locuſtæ. Cancri ore, ranæ vero ſuperueniunt ſuperioribus pedibus alas fœminæ mare apprehendente poſterioribus clunes, pariunt minimas carnes nigras quas gyrinos vocant, oculis tamen & cauda inſignes, mox pedes figurantur cauda findēte ſe in poſteriores. Mirumque ſemeſtri vita reſoluuntur in limum nullo cernente, & rurſus vernis aquis renaſcuntur quæ fuere natæ, perinde occulta ratione cum omnibus annis id eueniat. Diuerſa vero piſcium genera non coeunt inſimul, præter ſquatinam & ranam, ex quibus naſcitur priori parte ſimilis ranæ. Et nomen ex vtroque compoſitum apud Græcos trahit. *Celeritas coitus piſcium.*

Ariſto.

Ariſt. Omnes maſculi piſcium habent ſemen, præter quendam qui dicitur habalosi, nec habet ſperma vel oua. Piſces velocis ſunt coitus, coeunt enim cum vnus alterum tangit & ſperma velociter eiiciunt, & ſicut animalia cætera retinent anhelitum ante ſpermatis emiſſionem, ita & piſces tunc aquam maris non recipiunt, & quando faciunt hoc citius corrumpuntur. *Sperma piſcium.* Habent autem vias ſicut homines, ſperma eſt in vltima partium ſemine. Itaque piſces magni aliquando coeunt, & appropinquant in locum qui dicitur vmbilicus, & ex illa via extrahit mas ſperma, fœmina oua. *Nota.* Malaciæ & vacca & aquila, & laminæ marinæ coeunt dorſo ad dorſum. Fœminæ ſequuntur mares tempore luxuriæ, & coitus ſemenque per os, vt dicitur, accipiunt, ipſumque ſub ventre ponunt. Genus quidem Malaciæ, vt ſepia; & mollis teſtæ, vt charabos & ſimilia ſunt ex coitu. Eorumque coitus ſicut annuloſorum tardior eſt, quia ſanguine carent, ideo naturam frigidam habent. Nec faciunt niſi duo oua in æſtate, quia matrix in eis in duo diuiſa eſt. Quidam piſcis generat ſine coitu, Piſcis autem dictus renobares ex coitu duarum ſpecierum generatur. *Ambr.* Nullus piſcium comiſcetur alteri, ſed quilibet ſuo generi, tithymallus tithymallo, lupus lupo, ſcorpena quoque ſuo generi ſeruat immaculati caſtitatem connubii.

De piſcium imprægnatione.

CAP. CXLIII.

Iſido. Fœminarum in piſcibus aliæ, ſicut prædictum eſt, commixtione maſculi concipiunt, & catulos pariunt. Aliæ oua ſine maſculi ſuſceptione concepta ponunt, quæ iidem maſculi in ſequenti ſeminis ſui iactu perfundunt, & ſic generabilia fiunt. Quæ autem ſemine maris perfuſa non fuerint, ſterilia perſeuerant, aut putreſcunt. *Ariſt.* Sicut ergo in quibuſdam fœminis auium, ſunt oua venti. Sic & in generibus piſcium ſunt oua per ſe, nec conueniunt generationi præter illa ſuper quæ mas eiicit ſperma, non omnes autē piſces fœtum faciunt vno tempore, nec eſt tempus imprægnationis eorum æquale. Quidam enim per xxx. dies imprægnantur, & quidam xx. diebus omneſque pullificant ad certum tempus. Quidam vero habent paruos vermes alatos in matricibus, quæ deſtruunt imprægnationem ante pullificationis tempus. Errant autem qui fingunt fœminas concipere piſcium, tranſglutiendo ſperma marium. Quorum errorem adiuuat velocitas coitus piſcium, nec cogitant, quia quod intrat in os tranſit in ſtomachum, non in matricem, & neceſſario digeritur, ac cibus efficitur. Marinum animal mollis teſtæ, vt karabos coit & imprægnatur. Similiter accidit, & Malaciæ. Piſces teſtei corii ac mollis teſtæ cum imprægnantur boni ſunt. Cum autem elōgātur impręgnationis tempus quidam boni ſunt quidam mali. Omnes autem piſces ouāt præter cheleon, quod generat animal. *Ex lib. de nat. re.* Non autem inueniuntur oua niſi in illis qui coeunt. Quidam piſces impręgnantur in vento auſtrali, quidam aquilonari. Piſces paludum imprægnantur ex maiori parte poſt quinque menſes. Omnes autem piſces generaliter poſt vnum annum fætificant.

In piſcibus ſunt oua non conuenientia generationi.

Tempus imprægnationis piſcium.

De ipſorum ouatione.

CAP. CXLIV.

Ariſtoteles. Oua non inueniuntur in piſcibus niſi in his qui coeunt, & quandoque ſine coitu inueniuntur, vt in fluuialibus. Maiorque pars ouorum, vt dicitur à fœmina tranſglutitur. Oua multa in humido damnātur, nec ſaluantur ex eis niſi quę ouantur in locis vbi fœtus eiicitur. Sed nec ex ouis fętus fit, niſi ex eis ſuper quæ mas ſperma ſuum eiicit. Cum autem ouauerit fœmina, ſequitur eam mas, & ſuper oua eiicit ſperma, quodque ab ipſo ſpermate tangitur, piſcis paruus efficitur. Mas piſcis manet in loco, vbi ouat fœmina, oua multa cuſtodiens dum vagatur fœmina, maſculus leginoc manet xl. vel. l. diebus ſuper oua ſua, quia non cito complentur, nec piſces qui ex eis fiunt. Oua omnia quæ tanguntur ex ſpermate cito apparent magis alba poſt diem vnum, & poſt tempus modicum apparent in eis oculi piſcium. Maior pars ouorum damnatur cum fœmina ouat vagando. Illa quoque oua quæ exeunt in curſu aquæ damnātur, niſi cadant in aliquam materiam. Omnes piſces corticales ideſt ſquamoſi ouant. Vulpes marinæ ac tortucæ, quæ dicuntur leues, habent oua in medio matricis, ſicut canes marini. Oua piſcium non ſunt duorum colorum ſeparatorum, albi ſcilicet & cirrini, ſed vnius coloris quaſi ex vtroque mixti. Nec ſunt completa ſicut auium, ſed incompleta, quia recipiunt crementum. Itaque piſces eiiciunt oua incompleta, præter vnum qui dicitur rana. Complentur autem extra, & huius cauſa eſt, quia piſces multorum ſunt ouorum. Ideoque natura propter multitudinem eorum contradicit extrinſecæ corruptioni. Et quædam genera piſcium creſcunt antequam ouent, vt genus quod dicitur aculeus, ouaq; huiuſmodi generis magna ſunt, quia natura quanto diminuit in multitudine, tanto augmentat in magnitudine. Piſces enim animalia generantes, prius ouant interius. Omneſque piſces ouāt *Error.* præter cheleon qui generat animal, qui etiam primo ouat in ſe. Errant vero qui fingunt quod fœminæ piſcium tranſglutiunt oua marium, quia in eodem tempore inuenitur ſperma in maribus, & oua in fœminis. Crementum quoq; ſpermatis maris & fœminæ eſt in eodem tempore, nec ouant fœminę ſubito, ſed ſucceſſiue, nec mares eiicium ſperma ſubito, ſed ſucceſſiue: Conſumitur autem ſperma marium cum ouis fœminarum.

Post modicū tempus in ouis apparēt oculi piſciū.

Generatio Malaciæ vt ſepiæ, ac ſimilis, & animalis teſtæ mollis, vt karabi, cuſtodiunt oua tantummodo. Malacia ouat extra, & mas eiicit ſuper fœminas ſperma, ſicut mares piſcium ſuper oua. Oua piſcium in mari creſcunt, quædam ſummā celeritate, vt murenarum, quędam vero paulo tardius Fœmina, vt dictum eſt, ouante, ſubito mas ſequitur oua & eiicit ſperma ſuper illa, vt fiant animalia. Ex maſculo enim eſt primus motus. Itaque complementum ouorum auium & piſcium non erit niſi ex maribus, ſed auium intra, piſcium extra, ratione prædicta. Malaciæ ac mollis teſtæ non faciunt, niſi duo oua in æſtate, quia matrix in eis in duo diuiſa eſt. Pullus ſepiæ continuus eſt cum ouo in anterioris corporis parte. Nec poteſt aliter eſſe, anterior enim pars & poſterior in eodem loco conueniunt. Cheleti quidem ouat intra ouum vnum cōpletum & parit extra. Alii vero piſces ouant extra oua incompleta, præter ranam marinam, quæ ouat extra vnum ouum completum tantum, & eſt duræ teſtæ propter ſalutem, qua exterius indiget. Huius cauſa eſt natura corporis, quia caput eius eſt in quantitate multiplex ad ſuum corpus, & eſt ſpinoſum, ideoque non recipit pullos ſuos in vltimo. Oua hæc poſt paruitatem cito creſcunt, ſicut vermes qui generantur ab animali paruo valde: Deinde creſcunt per ſe. Creſcunt autem propter calorem ſpermaticum, quia ſuperfluitas hæc ſimilis eſt fermento.

Diſcrimen inter complementū ouorum auium, & piſcium.

De pullificatione.

CAP. CXLV.

Idem. Tempore partus piſcium, vt iam dictum eſt ſupra, mas ſequitur fœminam & tranſglutit, vt dicitur pro maiori parte oua. Et ex ouis remanentibus fit generatio piſcium. Cum autem efficiuntur in piſcibus animalia intra, ponuntur in tela ſubtili, eruntque in principio, oculi eorum magni. Piſcium vero qui generantur ex vermibus, ſunt partes inferiores primo maiores, & in fine generāntur oculi & caput. Et

Pullificatio piſcium.

quando priuatur humiditas, quæ eſt in ouo, tunc nõ cibatur pullus. Cumque modicum creuerit, cibatur ab aqua riui. Piſces paludum ac fluuiorum pullificant in ripis fluuiorum ac lacuum, ac præcipue vbi materiam inueniunt arborum & cannarum. Quidam vero pullificant in loco cuius profunditas eſt vnius ſtadij. Parui pullificant in locis vbi eſt aqua pauca, & præcipue vbi ſunt radices ſalicum, aut aliarum arborum vel cannarum. Item quidam piſces marini pullificant in ripa fluuij, quia locus ille calidus eſt, nec eſt ibi vẽtus, & recipiunt in ſe dulces aquas. Eſt quidam piſcis cuius oua, quando venit hora partus, funduntur in ſuo interiori, ac deinde exeunt pulli. Piſces ex ouis paruorum piſcium generati, creſcunt in tribus diebus: & oua quæ tanguntur à multo ſpermate, creſcunt in vna die. Piſcis qui Græcè dicitur hallas: omnes ſuos in loco aquæ multæ pullificat, & trahit eos poſt ſe ſicut gregem. Quidam vero, qui dicitur thylon pullificat prope ripam maris in locis in quibus ſemper ventus percutit, & hoc genus in modum gregis diſcurrit. Quidam autem partus tempore vadunt ad loca paucæ aquæ. Vnam fœminam aliquando ſequuntur mares. 12. vel 13. Diuerſitas autem regionum diuerſat piſces etiam in multitudine coitus & impræg natione & partu: ſicut plantas & arbores & alia. Ideoque plures ſæpe piſces ouant vel pariunt in quibuſdam locis: & in quibuſdam non.

Regula pro prole aquoſorum animalium.

Ex animalibus aquoſis illud, quod eſt magni corporis, eſt paucorum filiorum, & quod parui corporis econtra multorum. Pullificatio quidem piſcium eſt magis in mari quieto à ventis, & calido, & vbi multas recipit aquas dulces: omnesque piſces nutriunt pullos ſuos præter ranam. Quidam vero cibantur pullis ſuis tempore pullificationis. Delphinus ſolus inter piſces generat animal habẽs mammillas, & lactat catulos ſuos, *Plin. vbi ſup.* Piſces ſtagna & amnes tranſeunt vt tutos fœtus edant, vbi non ſunt, qui partus deuorent: fluctuſque minus ſæuiant. Piſcium ſola phycis ex alga nidificat, & in nido parit. Torpedo fœtus octogenos habens inuenitur. Ea quæ intra ſe parit oua præmollia in alium vteri locum transferens, ibique excludẽs. Simili modo cætera quæ ſunt cartilaginea. Ita fit vt ſola piſcium & animal pariant, & oua concipiant. Silurus mas ſolus omnium edita oua quinquagenis ſæpe diebus cuſtodit, ne abſumãtur ab alijs. Cæteræ vero fœminæ in triduo excludunt, ſi mas attigit. Acus, ſiue belone vnus piſcium, dehiſcente propter multitudinem vtero, parit, & à partu ſanatur vulnus. Omnium autem aquatilium fœtus inter initia viſu carent. *Ambro.* Igitur alii piſces oua generant, & aquis fouenda committunt, vt varii & huiuſmodi. Alij fœtus viuos de corpore ſuo edunt vt muſtelæ, caniculæ, ceti, delphinus, ac focæ, & huiuſcemodi, ſicut iam ſuperius dictum eſt. *Ex lib. de nat. re.* Maior piſcium pars in ripis fluminum fętificat ſi aſſit eis quãdo in eo loco non eſt ventus, & eſt in ſe calidus. Piſces parui fętificant vbi pauca eſt aqua, & præcipue circa radices ſalicum, vel aliarum arborum. Plurima vero pars ouorum occaſione multimoda perit, quia ſi omnia prouenirẽt, multiplicarentur nimis. Itaque præcipue quando fœmina ouat vagando, maior pars ouorum perit. Quidam autem piſces vt pullificant infirmantur. Et quidã habent vermes in matricibus, qui deſtruunt pullos.

Silurus.

De Temporibus ouandi, & pullificandi.

CAP. CXLVI.

Ariſtoteles. Non autem vno tempore omnes piſces ouant, vel fætificant. Scorpio marinus ouat ſemel in vere, & iterum in autumno: quidam ouat ſemel tantummodo, ſed quia ponit oua ſucceſſiue, putant homines eum bis ouare, & primo quidem ouat in vltimo hyemis, & finit in principio. Marina quædam ouant omni tempore, & oua parua faciunt huiuſmodi fœminæ. Poſtea finduntur ac creſcunt citovalde. Inde omnium ouorum marinorum piſcium feſtinum ac velox eſt crementum. Quidam ouant ſuper terram inter graciles herbas & virides, quæ in aqua ſunt. Quidam apud curſus fluuiorum. Et quidam in pelago maris; & hoc tantum in tempore veris. In tempore vero autumnali non ouant, niſi parum, ſed quidam ouant in hyeme, quidam in æſtate, & quorundam vt faſcaros pars quædam ouat in hyeme, quædã in æſtate. Et quidam generant multotiens: ſicut cheleti multotiens in ſex menſibus. Quidam vero piſces bis in anno, vt galeon. Denique piſces ouantes non faciunt fætus, niſi ſemel in anno præter ſachadon paruum, qui pullificat bis in anno: malaciæ ouant ſuper terram. Et quidam alii piſces ſuper lapidem. Quidam piſces cum pullificant infirmantur. Quidam ante pullificationem multum in motu vagantur: & poſtquam pullificauerint, quieſcunt. Quidam in matricibus habent vermes paruos alatos: qui deſtruunt impræg nationem ac pullos. Piſces in profundo maris exiſtentes pullificant in æſtate, quia tunc non deprehenduntur.

Locus ouationis.

Plin. lib. 9. Quædam anni tempore gignuntur, & in humore ſicut in terra, verè pectines, limaces, hyrundines eodem tempore euaneſcunt. Piſcium lupus & trichias bis in anno parit, & ſaxatiles omnes. Quidam ter pariunt, vt mulli, calchis, cyprinus. Quidam bis, vt ſargi ſcilicet vere, & autumno. Ex planis ſquatina ſola autumno occaſu Vergiliarum. Plurimi piſcium tribus menſibus Aprili, Maio, Iunio. Salpæ autumno. Scari, & torpedo circa equinoctium: molles vero, ſæpia, omnibus menſibus. Item polypi hyeme coeunt. Locuſtæ ac reliqua tenuioris cruſtæ oua ſuper oua ponunt vel pariunt, & ita incubant. Sæpia in terreno parit inter arundines, & in alto conſeruata oua edunt loligines. Item purpura & murices pariunt verè. Echini æquidem oua pleniluniis habent in hyeme, & cochleæ naſcuntur hiberno tempore. *Ambr.* Nouit itaque piſcis pariendi tempora, nouit tempus eundi, ac redeundi, naturæ inſpiratione, quæ vera eſt pietas magiſtra. Oportuno tempore ex diuerſis locis ad plurimos ſinus maris agmine coniuncto, quaſi communi conſilio conueniunt: & mare Septentrionale petunt. Ad Pontum fretum in æſtate tranſeunt, eo quod dulcior ſinus exiſtat, quia ſol tandiu in hoc freto immoratur, vt omnem aquam dulcem, atq; potabilem qua maritima delectantur exhauriat. Illic pro temporis & loci congruentia fætificant, & teneros fætus nutriunt, quo peracto ſimul omnes eo, quo venerant agmine redeunt.

Piſces habẽt & norunt tempora pariendi. Naturapietatis magiſtra.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER DECIMVSOCTAVVS.

De Opere ſextæ diei: & primo de animalibus.

CAP. I.

Vilhelmus de Cõchis. Piſcibus itaq; & auibus effectu ſuperiorũ ex aqua creatis, vbi fuit tenuior aqua ex iſtorum creatione,& ſuperiorum calore eſt deſiccata. Sed ſuperficies terrę,quę ex ſuperpoſita aqua erat lutoſa ex calore bulliens diuerſa animalium genera ex ſe creauit.Et ſi aliqua ex parte dominabatur caliditas ignis: inde cholerica nata ſunt animalia, vt leo. Si frigiditas terræ, melancholica, vt bos.Si aquæ phlegmatica, vt porci.In oriẽtali quippe regione eſt factum. Eſt enim cæteris regionibus temperatior.*Comeſtor.* Ornatis ergo cunctis ſuperioribus mundi partibus, ideſt cælo, & aere, & aqua: tandem ſexta die ornauit Deus infimam partem,ideſt terram, producẽs ex ea tria genera animalium,ſcilicet beſtias, reptilia, iumenta. Sciens Deus hominem per peccatum caſurum: in pœnam laboris dedit ei iumenta ad opus, vel eſum. Reptilia verò & beſtiæ ſunt ei in exercitium. Sed quæritur de his & alijs nociuis animantibus,vtrum creata ſint nociua:an primo mitia: poſtea facta ſint nociua. Reſpondetur, quod primo creata ſunt mitia:ſed poſt peccatum facta ſunt nociua homini: tribus de cauſis, ſcilicet propter hominis punitionem, correctionem,inſtructionem.Punitur enim homo cum læditur ab his,vel cum timet lædi,quia timor maxima pœna eſt. Corrigitur his,cum ſcit iſta ſibi accidiſſe pro peccato ſuo. Inſtruitur etiam admirando opera Dei: magis ſcilicet admirans opera formicarum quam onera camelorum, vt cum videret homo hæc minima ſibi poſſe nocere, recordaretur ſuæ fragilitatis, & humiliaretur. Fortè diceret aliquis, quod quædam animalia lædunt alia, qui nec inde puniuntur, nec corriguntur vel inſtruuntur. Sed etiam in his inſtruitur homo per exemplum,quia ad hęc creata ſunt, vt alijs ſint in eſum. Sed fortè obiiciet, quod etiam in mortuos homines ſęuiũt. Ac per hoc inſtruitur homo,

Terra ornata 6. die.

Quæſtio an animalia facta ſint nociua. Reſp. non.

A ne aliquod genus mortis horreſcat, quia per quoſcunque tranſeat meatus, nec capillus de capite eius peribit.

De Pecoribus in generali.

CAP. II.

Victor. Priusquam aſſignemus animalium terreſtrium naturam: ſingulorumque membrorum anatomiam in generali, conuenit, vt de ſingulis per ſe generibus:ac ſingulorum generum ſpeciebus, diſſeramus in ſpeciali more noſtro, ſecundum ordinem alphabeti. Illud enim ad præſens propter faſtidium longitudinis euitandũ, vtique prætermimus,& ſequenti operi diligentius, atque diffuſius proſequendum reſeruamus. Nunc ergo de illis generibus, quæ præcipue in adiutorium homims facta ſunt, ideſt de pecoribus & armentis, quos etiã ob hanc cauſam iumẽtorum nomine ſcriptura appellat, exordium capiamus. *Iſidor. lib.* 12. Pecorum nomen accommodari propriè his animalibus ſolet:quæ ſunt aut ad veſcendum apta, vt oues & ſues, aut in vſus hominum commoda,vt equi & boues.Generaliter tamen omne animal pecus à paſcẽdo, vocatur. Iumenta autem dicta ſunt, eo quod labores hominum,vel onera iuuent:vel ſubuectando vel arando. Item & armenta, vel quod ſint armis apta,ideſt bello,vel quod his homines vtuntur. Alii armenta tantum boues intelligunt ab arando dicta, quaſi aramenta, vel quod ſint cornibus armata: diſcretio autem eſt inter armenta & greges. Nam armenta equorum & boum ſunt.Greges vero ouium & caprarum.*Plin. lib.* 9. Pecus potu pingueſcit:& ideo ſal eſt illis aptiſſimum. *Idem in lib.* 24. Onera pomorum à iumentis ſtatim ſentiuntur, ac niſi prius oſtendantur eis, quamuis pauca, ilico ſudant. *Solinus.* Armenta gentis garamantum obliquis ceruicibus pabulantur. Nam ſi recta ad paſtus ora dirigant: officiunt prona ad humum cornua obnixa.*Valer. Max. de geſtis & dictis memorialibus lib.* 1. In Cephalonia inſula, cum omnia vbique pecora vſu aquæ quotidie recreentur: in ea pecudes maiore ex parte anni ore aperto ex alto ventos recipientes, ſitim ſuam extinguunt.

Pecora quæ?

Iumenta.

Armenta.

Onus pomorum.

De eiſdem in ſpeciali ſecundum ordinem alphabeti & primo de agno.

CAP. III.

Agnus. I *Iſidorus.* Agnum Græci vocant à voce agnos quaſi pium. Latini autem hoc omnino nomen eum habere putant, quod præ cæteris animantibus matrem agnoſcat, adeo vt etiam ſi in magno grege errauerit, ſtatim balatu vocem parentis recognoſcat. *Ambr.* Agnus ſimpliciſſimus cum à matre quandoque aberrat, frequenter eam balatu abſentem excitat, multisq; licet verſetur in millibus ouium, recognoſcit vocem parẽtis & feſtinat ad eam. Nam quamuis cibi & potus deſiderio teneatur, tranſcurrit tamen aliena vbera, licet humore lactis grauida exundent: ſoliusq; materni lactis fontes requirit. *Plin. lib.* 8. Multi hibernos agnos præferunt vernis, quoniam magis interſit ante ſolſtitium, quàm ante brumam firmos eſſe ſolumque hoc animal vtiliter bruma naſci. Caſtrari vero agnos niſi trimeſtres, præmaturũ eſt. *Idem in li.* 18. Porro decreſcente luna caſtrandi ſunt agni, vel arietes, ſicut iuuenci & hædi, ac verres. *Ariſt.* Agnus ſi renes eius ſebo circunquaq; cooperiantur morietur. *Palla. vbi ſup. lib.* 15. Agnorum prima generatio eſt in menſe Nouembri, ſed agnus natus, maternis vberibus ſtatim admouendus eſt manu, prius tamen exiguum lactis in quo ſpiſſior eſt natura mulgendum, quod paſtores coloſtram vocant, hoc enim agnis, niſi auferatur, nocebit, ac per biduum natus cum matre claudatur, & tunc ſeptis obſcuris calidisq; ſeruetur. Item ſecluſo paruulorum grege, matres in paſcua mittantur. Sufficit autẽ priusquam in mane procedant, & cum ſaturæ reuertuntur ad veſperam, agnis vbera haurienda permittere. Qui donec firmentur: intra ſtabulum furfuribus, vel medica herba, vel ſi eſt copia farina ordei paſcantur, ingeſtum donec conſeptis pabulum per ætatis robur matribus habere poſſint commune.

Agnus agnoſcit matrem.

Hiberni agni præferuntur.

Coloſtra.

De Multiplici agni vtilitate.

CAP. IV.

A *Vctor.* Agnus eſt animal omniũ ſimpliciſſimum & manſuetiſſimum, quia nec vlla fraude, nec aſtutia callet, nec vlli dentibus, vel vnguibus nocet. Item patientiſſimum, quia & immolandus non clamat, & tondendus ſilet. Item ad plures vſus vtiliſſimum. Nam & lac præbet ad nutrimentum, & lanam ad veſtimentum, & carnes ad eſum, corium quoque ad calciandum, vel ad ſcribendum, & ſimum ad agrum impinguandum, & fęcundandum. Eſt autem & animal mundum ſecundum legem, quia & ruminat, & findit vngulam, lupum vero naturaliter timet, & horret & fugit. Merito ergo, & propter prædictas tot bonas proprietates, voluit Chriſtus præ omnibus bonus in agno præcipuè figurari, ſicut ſpiritus ſanctus in columba. *Iſaac in dictis.* Agnus quidem lactans in viſcoſitate vicinus eſt porcis ſylueſtribus propter vicinitatem vuluę, & humiditatem lactis, quo nutritur. Proinde caro eius non eſt laudabilis, quia indigeſtibilis & lubricitate ſua de ſtomacho deſcendit. Indigeſtibilis autem præcipue, ſi comedentes ſtomachum humidum ex defectu habeant. Ideoque Galenus vituperauit lactantes agnos, annuales vero mediocrem habent complexionem inter lactantium humiditatem & iuuenum ſiccitatem. Ideo cæteris ſunt meliores & ad digerendum faciliores. Sanguinem enim meliorem generant: maximeque iuuenes iuuant calidam & ſiccam complexionem habentes, & calidam & ſiccam regionem inhabitantes *Ex libr. de nat. rer.* Caro agnina robuſtis & ſanis eſt valde bona, ſed infirmis infirma, quia licet à ſtomacho facilè deſcendit, difficillimè tamen à membris ſoluitur, ideoque viſcoſum humorem generat. *Plin. lib.* 29. Coagulum agni contra omnia mala medicamenta pollet, & contra marinorum morſus, vel ictus valet. *Auicenna* Sanguis agni ſanat epilepſiam cum vino. Coagulum enim eius à venenis & morſuris omnibus ſanat.

Agnus figura Chriſti.

Caro agnina.

De Apro.

CAP. V.

I *Sidorus.* Aper à ferocitate vocatus eſt, Ablata, f, littera & p, ſubrogata, vnde & apud Græcos, ſyagros, ideſt ferus dicitur. Omne enim quod ferum eſt & immite, abuſiuè agreſte vocamus. Porci agreſtes valde bellicoſi ſunt tempore coitus, & ingeniantur, vt cotia ſua ſint eo tempore dura, quia ſe cum arboribus confricant, & poſtea lutum intrant, illudq; deſiccant. Ij inde præliantur, intantum vt vnus, aut ambo moriantur, vrſus quoq; pugnat cum porcis agreſtibus. Eſt autem periracundus & inſipiens, nec bonorum doctrinam morum recipiens, nullaq; mutatio accidit in eo etiam ſi caſtretur. Apri quoque fœmina caſtratur: ita quod non indigeat coitu, vt cito impinguetur, ſed prius biduo cibus prohibetur. *Plin. lib.* 8. Apris in coitu eſt aſperitas plurima. Tunc inter ſe dimicant arborum attritu coſtas indurantes ſeque luto tergorantes. Fœminæ quoq; in partu aſperiores ſunt ferè ſimiliter in omni genere beſtiarum. Apris maribus non niſi anniculis eſt generatio. Apri non ſunt in Creta inſula niſi in Aphrica, Apris in India cubitales dentium flexus gemini in roſtro, totidem in fronte, ſicut vituli cornua exeunt. *Idem in* 11. Apro dentes exerti ſunt, Rarò fœminæ, & tamen ſine vſu. Itaque cum apri percutiunt, fœminæ ſues mordent. Maribus plures quam fœminæ dentes, caudæ vt hircis. Aprorum ſanguis non ſpiſſatur. *In lib.* 8. Hedera ſibi apri in morbis medentur, & cancros veſcendo maximè mari eiectos. *Idem in lib.* 11. Apros tardè, ac ceruos, nec niſi ab infantia educatos mitigati mirum eſt. In Macedonia multi traduntur apri. In Pamphylia vero & Sicilia montuoſis ſalamandra ab ijs deuorata, qui ederint moriuntur.

Aper.

Ingenium apri.

Hedera medicamen aprorum.

Phyſiologus. Aper agitatus cum fugere cogitur, ictũ non repetit: dens apri ab eo ſeparatus eo viuente acumen ſuum retinet, quod cum mortuus eſt amittit. *Ex lib. de nat. re.* Aper beſtia fortis nigri coloris, quæ nullam bonorum morum doctrinam recipit vnquam, ſed ſemper fera ac ferox eſt dentes habet magnos & recuruos inſciſionibus aptos: in quibus hoc mirabile eſt, quod viua quidem beſtia poſſunt idem, quod ferrum: Mortuę vero detracti vim inſciſionis amiſiſſe probantur. Hoc animal ſi mane antequam mingat à venatoribus impetatur de facili laſſatur. Si vero ante, vel interim dum venatur vrinam fecerit, difficulter capturæ cedit. Verũtamen etiam laſſatum non cedit, ſed in poſterioribus ſubſiſtit & atrocitate rigida laſſitudinem diſſimulat, duellum offerens venatori: ferire tamen in hominem, vel inuadere nõ præſumit niſi prius ab illo ictum acceperit. Caueat autem homo ſibi, quia niſi primo ictu pungentis cuſpidis lætale vulnus inter armum & laterales coſtas dederit: periclitari de vita poterit, niſi forte iuxta ad refugium arborem inueniat quam aſcendat, aut in humiliori loco reliqua terræ planicie totis membris ſe premat. auerſi enim ac recurui dentes eius, quibus quaſi quibuſdam atrociſſimis armis valent ad inferendam mortem, non poſſunt quenquam niſi elatum & rectum attingere. Suſtinebit tamen pedum illius conculcationem, quouſque ſic iacenti à proximo ſuccurratur. Aper cunctas beſtias præcedit auditu, à dextris habet os ad modum ſcuti, quod venabulis & machætæ opponit.

Dentes vt ferrum.

Non facile inuadit hominem.

Nota occaſionem ab ictu apri.

De Medicinis ex apro.

CAP. VI.

P *Liu. lib.* 8. Apri cerebrum contra ſerpentes laudatur cum ſanguine. Iecur etiam inueteratum cum

ruta

ruta potum,& vino: adeps quoq; cum melle reſinaq; Simili modo & iecur verrinum exemptis duntaxat fibris quatuor obolorum pondere, & cerebrum ex vino potum. Item cerebrum apri vel ſanguis verendorum medetur carbunculis. Iecur eius lethargicos excitat In iecore fœminę apri inueniuntur lapilli, qui contriti & in vino poti calculos pellunt. Apri pulmo ebrietatem arcet, aſſus eo die à ieiuno ſumptus. Fel aprinum ſtrumas diſcutit, lienem quoque ſedat potum. Idem cum adipe pulmo impoſitus perniones ſanat. Vlcera quoque ſerpentia ſanat fel aprinum cum reſina & ceruſa. Cinis maxillarum apri ſanat vlcera, quæ ſerpunt, Idem quoque confert fractis. Lardum eius elixum, atque circumligatum mira quoque celeritate ſolidat ea. Apri vrina & ipſa veſica pro cibo ſumpta veſicæ calculorumq; cruciatibus medetur, ſi prius vtrunque fumo maceratur. Item apri veſica ſi aſſa mandetur vrinæ cohibet incontinentiam: hydropicis auxiliatur apri vrina, vel etiam veſica paulatim in potu data. Efficacius quæ inatuerit in veſica ſua. Item apri vrina ex aceto prodeſt comiciali morbo. Prodeſt etiam teſtes aprinos bibiſſe ex equino lacte, vel ex aqua. Vrina quoque apri in vitro ſeruata aurium dolori vitiisque medetur, denique tam grauis eſt apro vrina, vt effugere non ſufficiat: niſi egeſta, ac ea velut deuictus opprimatur, Vnde illa exuri eos traditur. Aprini fimi cinis inſperſus potioni tepidi vini, dyſſentericis medetur, laxatis quoque valet idem fimus, verriſque ſpuma recens ex aceto: in fimo quidem ſuis eſt vſus efficacior, quæ non peperit, in apris quoque multo præſtantior. Vſus axungiæ valet ad emolliendas, excalefaciendas, diſcutiendas, purgandasque confricatis membris, itinerum laſſitudines. *Ex lib. de naturis rer.* Fimus apri recens & calidus præcipuum eſt remedium contra fluxum ſanguinis è naribus.

Contra lethargiam & calculum.

Pro vrinæ incontinentia.

Contra laſſitudinem.

De Ariete.

CAP. VII.

Iſido. Aries ἀπὸ τοῦ ἀρρην@. i. à mare vocatus eſt. Vnde apud nos gregibus maſculi mares dicuntur, ſiue quod hoc pecus à gentilibus primum aris immolatum eſt. Vnde eſt illud. *Aries mactatur ad aras. Ariſtot.* in libra cito apparent cornua in capitibus arietum, & vt ait Homerus cornua ſunt etiam in capitibus fœminarum arietum. Apud ſeptentrionem vero non habent arietes cornua in quodam loco. Animalia, quæ habent cornua fiſſuras habent in vngulis naturaliter, vt taurus, ceruus, & aries. Et vt in pluribus aries dux gregis eſt. Paſtores enim in grege ponunt arietem vnum rectorem: ſicque docent eum à pueritia, quod cum clamauerit eum paſtor proprio nomine, anteriorat ſe. *Æſculapius in lib. de mitil.* Elephas cum arietē viderit timet eum & fugit. *Plinius lib. octauo. Arieti* naturale eſt agnos faſtidire ſenectam ouium conſectari. Et ipſe melior ſenecta & vtilior. Eius ferocia cohibetur cornu iuxta aurem terebrato. Dextro teſt præligato fœminas generat, læuo mares: hunc autem caſtrari niſi quinquimeſtrem præmaturum eſt. *Idem in eodem.* Aries cuius coloris ſub lingua venas habuerit, eius & lanitium in fœtu eſt, variumque ſi plures fuerint. *Idem in li.* 11. Arietum generi cornua data ſunt in anfractum conuoluta. *Idem in* 18. arietes decreſcente luna caſtrandi ſunt. *Auctor.* Aries dux gregis cornu ſocium impetit & primo retrocedit vt melius cornibus feriat.

Regula pro fiſſis animalibus.

Elephas timet arietem

De Arietibus ad coitum admittendis.

CAP. VIII.

Palladius lib. 8. Arietes menſe Iulio eligendi, & admittendi ſunt candidiſſimi mollibus lanis, in quibus non ſolum corporis candor conſiderandus eſt, ſed etiam lingua, quæ ſi maculis fuſcata ſit, varietatem in ſobole reddit. De albo plerumque naſcitur fętus coloris alterius. De fuſcis vero (ſicut aſſerit Columella) nunquam creari poteſt albus. Eligendus eſt autem aries altus, procerus, ventre promiſſo, & lanis candidiſſimis recto, cauda longiſſima, velleris depreſſi, fronte lata, teſtibus magnis ætatis primæ qui tamen vſque in annos 8. poteſt vtiliter coire: admittendi ſunt autem vt dictum eſt menſe Iulio, vt nati fœtus ante hyemem conualeſcant. *Ariſtot.* aſſerit ſi plures maſculos creari velis, admiſſutæ tempore halitum ſeptentrionis eligendum, & contra eundem ventum greges eſſe paſcendos. Si fœminas auſtri flatus captandos, & in eum paſcua dirigenda, ſicque matres incautas dirigas vt mortuarum vel vitioſarum numerus nouella ſobole reparetur. Nonnulli vero duobus ante menſibus arietes à coitu reuocant, vt facile libidines augeat dilatio voluptatis. Quidam autem eos ſine diſcretione coire permittunt, vt hoc eis genere per annum totum fœtura non deſit. *Ariſtot.* Aries vnius anni coit, ſed debile quid generat: arietes ante tempus coitus ſimul ambulant, tempore vero coitus ſe diuidunt, & pugnant, propriamque vocem habent, qua ſeſe tempore coitus clamant.

Modus creãdi maſculos vel famellas.

De Vſu eius in cibo & medicinis.

CAP. IX.

Iſaac. Arietes habẽt carnes calidiores, ac minus humidas, quam ſunt carnes ouium, ac duriores ad digerendum. Arietes in iuuentute manentes minoris ſunt humiditatis, & viſcoſitatis propter ętatis ſiccitatem eorum complexioni dominantem. Iccirco eorum caro melior eſt agnis & ouibus, quia ſi bene digerunt, bonum & multum ſanguinem generant, maximè ſi caſtrati ſunt, quia caliditas & humiditas eorum temperatæ ſunt, vnde boni ſaporis ſunt, niſi quando ſunt decrepiti, qui proculdubio peſſimi ſunt, & non caſtrati ſunt eis meliores. Omnes enim decrepiti in calore naturaliter defecti ſunt. Qui defectus prouenit ex ætate & teſticulorum indigentia, annuales mediocrem habent complexionem, inter lactantium humiditatem, & iuuenum ſiccitatem. Iccirco cæteris arietibus meliores ſunt, & ad digerendum faciliores. Sanguinẽ enim meliorem generant, & maximè iuuant iuuenes calidã & ſiccam complexionem habentes, & calidam & ſiccam regionẽ inhabitantes. Decrepiti vero vt dictum eſt, cæteris deteriores ſunt. Omnia enim decrepita ſecundum generationẽ ſiccam frigidiora ſunt, & ſicciora Sunt ergo lignea & inſipida. Sed licet propter ſenectutem ſint illaudabilia, tamen quia calida & humida naturaliter cæteris decrepitis meliora ſunt. *Auic.* Caro arietis aduſta linitur vtiliter ſuper morpheam & ſuper impetiginem. Confert etiam morſibus ſerpentium ac ſcorpionum, etiam cum fimo canis rabioſi. Cinis eiuſdem confert albugini oculi. Arietis pulmo calidus ſuperpoſitus ſanat excoriationem calcanei ex calciamento. *Æſculapius.* Arietis liquor qui à pulmone decocto diſtillat, tertianas & renum morbum in eis natum ſanat. *Plin. lib.* 29. Ius ex carne arietum valet contra cantharidas. *Hali.* Arietis fel aurium dolori, qui eſt ex frigiditate medetur.

Decrepiti arietes.

Vſus medicus arietum.

De Aſino.

CAP. X.

Iſidorus. Aſinus à ſedendo dictus eſt, quaſi aſedus, quia priusquam equos caperent, homines huic præſidere ceperunt. Animal quippe tardum, & nulla ratione renitens, ſtatim vt voluit homo ſibi ſubſtrauit. *Plinius libro* 8 Aſinus opera gerit munifica arando quoque, ſed mularum maximè pro generatione, patria ſpectatur in his, Arcadibus in Achaia, in Italia Reatinis, animal frigoris maximè impatiens. Mares in remiſſione operis deteriores ſunt. Partus eis charitas ſumma, ſed aquarum tædiũ maius. Per ignes ad fœtus tendunt. Itẽq; ſi riuus minimus interſit, horrent,

Aſinus.

Patria conducit aſinis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rent, ita vt pedes omnino tingere caueant. Nec nisi assuetos fontes potant, qui sunt in pecuarijs, atque ita vt sicco tramite ad potum eant, nec pontes transeunt, per raritatem plantarum transluentibus fluuijs. Mirumque dictu, sitiunt, & si mutentur aquæ, vt bibant cogendi exonerandive sunt. *Idem in lib.* 11. Ex corpore asini mortui nascuntur scarabæi: asino sanguis est pinguissimus sicut homini tenuissimus. Pilus longior est asinorum quam equorum caudis. Sed setosus veterinis. Crassissimum est lac asinæ, vt coaguli vice vtantur. Cõferre aliquid & candori in mulierum cute existimatur. De numero solipedum, animal vnicorne est asinus indicus tantum.

Scaracai.

Idem in lib. 24. asinis ferulæ gratissimæ sunt in cibo, cæteris autem iumentis præsenti veneno. Qua de causa id animal libero patri assignatum est, cui & ferula victima. *Arist.* Asinus habet soleas sicut & equus, nec habet fel omnino, sed habet sanguinem spissum ac nigrum valde sicut taurus. Asinus & animalia cætera magni cordis timida sunt plus omnibus animalibus, timet frigus, felle caret, spinas comedit quando molles sunt, multum coit, minus tamen, quàm equus. Et si non inceperit generare post eiectionem posteriorum dentium, non generabit omnino. Comedit fructus, herbis pascitur. & aqua impinguatur. Quantoq; plus ex aqua bibit, tanto plus eius cibus proficit, vnicum habet ventrem sicut & cætera soleas habentia. Infirmatur sæpe infirmitate quæ dicitur milide, & est prius in capite. Currit q; phlegma multum è naribus, & si descenderit ad pulmonem moritur. Asina sicut & vacca multum euacuatur menstruis, propter magnitudinem corporis. Vrsus cum asino pugnat, quia carnem crudam comedit. Coruus quoq; cum eo pugnat, & super ipsum volat, ei nocet, ac pungit oculos eius rostro. Asinus indicus simul habet cornu & soleas, contra morem animalium cęterorum. *Auctor.* Asinus est animal stolidum, tardum, & luxuriosum. Crucem habet in anteriore dorsi parte super humeros, & ibi debilior est. In posteriori autem super renes, ibi fortior est: horribiliter clamat, lappas comedit, sonum citharæ, vt fertur, diligit, triticum fert, & non comedit.

Non habet fel.

Phlegma è naribus asini.

Asinus cornutus.

De eodem.

CAP. XI.

EX *lib. de nat. re.* Asinus est animal deforme vile ac despectum, grandi capite, longis & latis auribus, corpore macilento, nescium impinguari. In humeris stigmata Christi portat crucis. Est ergo asinus animal mansuetum, & discordię nescium, onoriferum, & non rebellans sarcinis etiam vltra quam ferre possit sibi impositis, brutum & irrationale super omnia animalia. Incessu quoq; pigrum & tardum, patiens & inter verbera durissimum, per viam incedens obuiantibus cedere nescit, post menses 30. coit, sed nisi post annos tres gignit, spinas libenter comedit, frigidus est naturaliter, & frigoris impatiens, maxime tempore concepius. Ideoque non generatur in locis frigidis & in Scotia & in regionibus propinquis, nec in æquinoctio sicut coeunt equi, sed in æstate. In terra quoque septentrionis, quæ est frigidissima, non inuenitur, quoniam illic viuere non potest. Gestat autem in vtero per annum integrum. Asini pullus aliquantulum decoris habet in iuuentute, sed quanto plus senescit tanto turpior fit. Asinam si iuxta pullum suum positam amoueas, pullumque sequi cohibeas, in eodem loco remanebit, nec ad quinque passus alias gressum mouebit, sed mater vbi eum dimiserat expectabit. Asinorum ossa præ cæteris canora sunt, vt dicit Plin. Asinæ lac candidissimum est, & candori in cute conferre aliquid existimatur. Vnde inuenitur, quod Poppea Neronis coniux in lacte asinæ se balneabat. Idem quoq; calidum dentes confirmat, & eorum dolores

Coit post menses 30.

Balneum in lacte asinæ.

sedat. Asini ex maiori parte infirmantur in vno latere, theuma habentes, si fluat è naribus interius super pulmonem moriuntur. *Ambr.* Asinus piger, & ad prędam expositus, sensuque tardior, docet nos viuaciores esse debere, nec desidia corporis animique pigrescere, sed ad fidem confugere, quæ onera grauia solet alleuiare. *Physiologus.* Asinus est animal oneriferum, mancipium seruituti addictum, respectu multitudinis laborum, quos sustinet, parum gratiæ consequitur, vocem hominis consuetam intelligit, & nouit iter quod sæpe ambulauit, interdum quod fit dux agitatori suo cum errauerit. Cum autem videt lupum venientem respicit in lumbum, & sic improuisus à lupo comprehenditur. *Isaac.* Asinina caro si comedatur difficile digeritur, stomacho nocet, vomitumque facit. Subtilioris tamen est nutrimenti, quam equus. Equus autem subtilioris camelo, mulus cæteris deterior.

Nouit iter.

De Asinorum generatione.

CAP. XII.

ARistot Asinus coit post triginta menses, sed non generat antequam compleantur anni tres, aut duo aut dimidius. In coitu autem eijcit sperma velocius, quam equus. Asinæ vero maris sperma non recipiunt, sed ipsum ilicet mingunt. Et ęquæ similiter. Ideoque postquam coierit asinus asina corrigijs percutitur, ac ne mingat prohibetur, habet autem mammillarum distinctiones sub ascellaria sicut camela & equa. In regionibus frigidis non generatur asinus, quia naturaliter sentit multum frigus. Ideoque non coit in æquinoctio, sicut equus, sed introitu æstatis, vt in tempore calido fit aselli generatio & partus quia pariunt in tempore simili tempori conceptus. Impręgnantur enim per vnum annum. Natura vero asini est frigida, & frigidum est eius sperma. Vnde si coierit equus cum asina ex asino impręgnata, non corrumpitur conceptum. Si autem coeat asinus cum equa ex equo impręgnata, corrumpetur conceptum, propter frigus spermatis asini. Itaque si coierit equus cum asina saluabitur mixtio propter calorem vnius scilicet spermatis equi, sperma siquidem asini vt dictum est frigidum est, materia vero equæ calida est. Cumque miscetur calidum cum frigido fit temperatum, & erit ex eis conceptum. Cum autem asini sperma fuerit magis frigidum, non generabitur ex eo nisi difficile, vel generabitur sterile. *Plin. lib.* 8. Asinus est animal maximè frigoris impatiens. Ideo non generatur in Ponto, nec æquinoctio verno admittitur, sed solstitio. Asinæ partus à tricesimo mense ocyssimus à trimatu legitimus. Totidem quot equæ & ijsdem mensibus, & simili modo. Raro geminos parit. Paritura lucem fugit, tenebras quærit, ne conspiciatur ab homine. Gignit tota vita quę est ei ad tricesimum annum. Partus est illis vt dictum est charitas summa, per ignes ad fœtus tendunt. Asina, quæ non priusquam dentes pullinos iaceat conceperit sterilis intelligitur, & quæ non primo initu generare ceperit. *Idem in lib.* 11. Asinæ vero prægnantes continuo lactescunt, à fetu mammas dolent. Ideoque 6. mense partum arcent, cum equæ toto anno ferè præbeant. Pullos earum biduo à partu maternum lac gustasse lætale est.

Tempus coitus & generationis asini.

Coitus equi cum asina.

Partus charitas.

De Medicinalibus ex asino sumptis.

CAP. XIII.

AVicenna *vbi supra.* Asinus sanat lepram, contracti ex siccitate sedent in iure carnis eius, & caro etiam eius iuuat. Hepar eius assatum, & à ieiuno comestum, confert epilepsiæ, similiter & eius vngula adusta. Cinis carnis & hepatis eius cum oleo valet superpositus fissuris frigoris. Item cinis hepatis eius cum oleo, valet super scrophulas. Dicitur autē quod

eius

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Vsus medicinalis.

eius vrina confert dolori renum. Vrina vero sylvestris asini, sicut Galenus ait, lapidem in vesica frangit. Sāguis asini prohibet fluxum sanguinis narium ex velamine. Adeps eius valet ad vestigia cutis. Vrina asini confert vlceribus ambulatiuis, & humidis, & dolori renum. Stercus eius in omni cursu sanguinis administratur. Odoratur quidem ad fluxum sanguinis narium fortem, & exprimitur humiditas eius in narem ac retinetur. Item stercus asini pascentis siccum cum vino, valde bonum est punctura scorpionis: lac etiam asinarum minus butyrosum existens subtile est, & aquosum, valet tussi, extenuationi, ac sputo sanguinis. & hydropisi, ac duriciei splenis, ventrem lenit, & heticæ bonum est. Fertur etiam quod cum os ex eo colluitur confirmat dentes, & gingiuam. Non est autem conueniens habentibus soda, & vertiginem, & tinnitum, propriéque dormire supra ipsum, & vniuersaliter nocet habentibus capita debilia.

Æsculapius. Sanguis asini cum vino potatus, febres quotidianas sanat, tribus vel quatuor guttis illius datis, lac eius valet lassescentibus, suspiriosis, tremulosis, dyssentericis tenebrosorum oculorum vlceribus. Adeps eius coitum commouet. Splen eius cum aqua tritus, & mammillæ appositus attrahit lac. *Dioscorides.* Adeps asininus dicitur cicatrices concolorare, lac eius ventrem mollit, & ore receptum dentes gingiuasque confirmat. Vulnerationes quoque ventris ac rheumatismum optimè curat. Lotium eius bibitum phreneticos sanat. *Hali.* Asini pulmo, & pulli eius si desiccatus teratur ac bibitur attractioni spiritus ac tussi prodest. Hepar asini domestici si comederit eum epilepticus, prodest ei. Asini fimus si opprimatur eo sanguinis fluxus de venarum, vel arteriarum inscisione amputat eum vel stringit. Pari modo si de aqua eius instilletur naribus sanguinis fluxum patientibus stringit omnino: lac asinæ medicaminibus lętalibus obest, & intestinorum vlceribus prodest ac tenasmo, sic quoque prodest lac ouium, sed minus.

Curatio rheumatis.

De eodem.

Cap. XIV.

Pythagoras in libr. Romanorum, Et Plinius libr. 28. Annulum ex vngula & cruribus asini nigredinem non habentis, si induat epilepticus prohibet ipsum ne cadat. Præterea si domum suffumiges asini pulmone mundas eam ab omni reptili ac serpente. Asini Accenso pulmone omnia venenata dicuntur fugere. Asinino quoque lacte poto venena restinguuntur, peculiariter si hyoscyamum potum sit, aut viscum, aut cicuta, aut lepus marinus, sed recenti vtendum est, nullum enim celerius euanescit. Onagris vero omnia sūt efficaciora asini ossa confracta, & decocta contra leporis marini dantur venena, aqua quæ relicta est ex potu asini pota, dolorem capitis sedat. Vngulæ asini cinis strumas discutit ex oleo vel aqua illitus. Fimus quoque feruens ex aceto. Item vngulæ asininæ cinis ex lacte suo iniunctus cicatrices oculorum, & albugines tollit. Asini iecur rheumatismos sanat cum petroselino partibus duabus, & nucibus tribus ac melle tritum, & in cibo sumptum. Item iecur admixta modicæ panaceæ instillatum in os infantes tuetur à comicialibus, & aliis morbis. Pellis etiam asini iniecta, impauidos infantes facit: huius cerebrum ex aqua multa infumatum comiciali morbo prodest, vel vngularum eius cinis cochlearibus binis toto mense potus. Item vngulæ asininæ abortum partus euocant, viuentem enim necant, asininę carnes pthysicis medentur è iure sumptæ, asininæ medullæ scabiem hominis maximè abolent, & eius vrina cum luto suo illita. Sebum asini cicatrices nigras ad colorem reducit. Asini renes in mero triti ac poti incontinentiam prohibent. Item inueterati ac triti, & in vino inebriati vesicæ medentur, & calculos expellunt. Asini vrina circa canis ortum maculas in facie tollit, lactis eius potus cum melle dyssentericis prodest valde. Tenasmos, id est, crebra, & inanis egerendi voluntas tollitur poto lacte asinino. Fimus eius lethargicos excitat naribus illitus ex aceto. Idem recens impositus profluuia sanguinis mirè sedare dicitur. Einsdem quoque fimi cinis illitus sanguinem sistit. Efficacior autem est vis è maribus aceto admixto, & in lana ad omne profluuium impositio. Medetur quoque morbo regio fimus asinini pulli quem primum edidit à partu fabę magnitudine datus è vino, & hoc intra diem tertium.

Amplius declaratur vsus medicinalis partiū asini.

De boue.

Cap. XV.

Bos. Trio. Palearia.

Isidorus. Bouem Græci βοῦν dicūt, Latini trionem vocant quasi terionem, eo quod terram terat, cuius latitudo pellium à mento ad crura, palearia dicuntur, à pelle quasi pellearia, quod est signum generositatis in boue. Boum in socios eximia pietas est. Nam alter alterum inquirit, cum quo ducere collo arara consueuit, & frequenti mugiru pium testatur affectum si forte defecerit. *Ambr.* Bos comparem suum diligens requirit, & si mutetur alius trahere iugum nescit. Porro impendente pluuia boues se tenere nouerunt ad præsepia. At vbi naturali sensu mutationem cæli collegerint, foras spectant, & vltra præsepia ceruices suas extendunt omnes vna spe, vt prodire se velle testentur. *Helmandus.* Est in sylua hircinia bos cerui figura, cuius à media fronte inter aures vnum cornu existit excelsius, magisque directum, iisque nobis nota sunt cornibus ab eius summo sicuti palmæ ramique diffúduntur. Eadem est fœminę marisque natura, eadem forma magnitudoque cornium. *Plin. li.* 8. Bobus Indicis camelorum altitudo inesse traditur, cornua latitudine quaternorum pedum. Sunt autem Indici boues vnicornes, atque tricornes. In ipsa quoque sunt boues solidis vngulis vnicornes. Tauris minora quam boum sunt cornua atque tenuiora. Boues animalium soli, & retro ambulantes pascuntur, apud garamantes quidem haud aliter, vita fœminis 15. annis longissima maribus viginti, Robur in quimatu: lauatione calidæ aquæ leguntur pingueścere, & siquis incisa cute, spiritum arundine in viscera adigat.

Camelorum altitudo bobus Indicis est.

De eodem.

Cap. XVI.

Idem in lib. 5. Boues, & animalia quibus continui sunt dentes bibendo sorbent vt equi. *Idem in lib.* 11. Superiores priores dentes non sunt bobus, sicut nec ouibus, & omnibus ruminantibus, boues autem mutant dentes. Horum cautis est longissimus caulis atque in vna parte hirtus. In genere boum fœminis tantum vox grauior, cum in omni alio genere sit exilior quam maribus. Theophrastus probat boues pice vesci, sed non nisi viuente: boum attritis vngulis aruina vngendo cornua medentur agricolæ. Adeoq; sequax earum natura est, vt in ipsis viuentium corporibus feruenti cera flectantur incisaque nascentium in diuersas partes torqueantur, vt singulis capitibus quaterna fiant. *Idem in lib.* 18. Est in Narbonensi prouincia nobilis fons orge nomine, in quo nascuntur herbæ intantum bobus expetitę, vt eas mersis capitibus totis quærant. At illas in aquis nascentes certum est non nisi imbribus ali: *Idem in lib.* 23. Oleum bobus per nares infusum donec rictet inflationem sedat. *Idem in li.* 15 Elleboro autem nigro boues necantur, ideoque id cauent cum candido vescantur. *Idem in lib.* 28. Boum vero morbis medetur, sebum, fulfur, vinum, allium silvestre, ouum coctum. Boues in cyprino contra tormina sibi medentur excrementis hominum. Pedibus quoque bonm medetur si cornua prius iam pice liquida perungantur. *Idem in libr.* 30. Bupreſtis animal simile scarabęo fallit bouem inter herbas, deuoratumque tacto felle ita inflammat vt rumpat. *Idem in*

Vox grauior fœminis bobus.

Boues medici.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Indicium tempestatis.

li. 31. Sal tollit boum scabiem illitus datusq; lingẽdus. *Idem in lib.* 23. Rana parua muta, & sine voce viridis si hauriatur, ventrem boum distendit. Boues cęlum olfacientes seq; lãbentes contra pilum tempestatẽ signant. *Aristot.* Bos coit post annum, & forte post octo mẽses. Post biennium autem prægnans est nouem mensibus: viuit annis quindecim, castratus autem viginti. *Auctor.* Bos est animal mundum secundum legem ad immolandum, & ad comedendum, quia ruminat, & findit vngulam Paleas comedit, iugo premitur, stimulo cogitur, terram arat.

De bobus comparandis, & eligendis.

CAP. XVII.

Comparãdi in martio.

PAlladius *de agricultura lib.* 4. Boues in Martio cõparandi sunt, quia necdum sagina corporis plena, vt celare possint fallaciam venditoris, aut vitia sua, aut ad repugnandum domiturę, contumacem pleni roboris exercere fiduciam. Hæc autem in bobus spe-

Conditiones boni bouis.

„ctanda sunt, vt sint *nouelli, quadratis, & grandibus „membris, ac solidi corporis, musculis vbique surgenti-„bus, magnis auribus, latæ frontis, & crispæ, labris ocu-„lisque nigrantibus, cornibus robustis, ac sine curuaturæ „prauitate, lunatis patulisque naribus*, & rẽsiccis, cer-„uice thorosa atque compacta, palearibus largis, & „circa genua fluentibus, pectore grandi, armis vastis, „ventre non paruo porrectis lateribus, latis lumbis, „dorso recto, & plano, cruribus solidis neruosis, & „breuibus, vngulis magnis, caudis longis ac setosis, „pilo totius corporis depresso ac breui, rubei maxi-„mè coloris aut fusci. Melius autem boues de vicinis locis comparabimus quæ nulla soli aut aeris varietate tententur. Aut si hoc deest, de locis similibus ad simi-

Mores boum

lia transferamus. Illud autem in vniuerso curandum est, vt viribus ad trahendum comparentur ęquales, ne valentioris robur alteri procuret exitium. In mori-„bus hæc consideranda vt sint arguti, mansueti, ti-„mentes hortamen clamoris, & verberis, cibi appe-tentiores, si regionis ratio patitur nullus melior cibus est, quam viride pabulum: vbi vero deest, eo ordine ministretur, quo pabuli copia, & laborum coget acc-essio. *Plinius lib.* 8. Non autem degeneres ęstimandi sunt boues etiam minus laudato aspectu, plurimum lactis alpinis, quibus minimum corporis, plurimum laboris, capite non ceruice iunctis. Syriacis non sunt palearia, sed gibbus in dorso. Carici quoque in parte Asiæ fædi sunt visu, tubere super armos à ceruicibus eminente, laxatis cornibus, excellentes in opere narrantur. Cæteri nigri coloris candidiue ad laborem damnantur.

De bobus edomandis, & iugo præparandis.

CAP. XVIII.

Trimi domandi.

PAlladius *vbi supra.* Boues eodem quoque mense domandi sunt trimi, quia post quinquennium bene domari non possunt, ætatis repugnante duritia. Capti ergo statim domentur, qui quidem prius cum teneri fuerint, assiduè frequenti manus attrectatione mansuescant. Sed stabulum noui boues largioribus spaciis habere debent sic, & ante stabulum loca nullis concludantur angustiis, & producti non aliqua vi-tientur offensa. In ipso vero stabulo asseres transuersi à terra septenis pedibus alti configantur. Ad quos boues ligentur indomiti. Tunc eliges absolutam tempe-

Ratio domãdæ asperitatis boum.

statibus, & impedimentis omnibus diem qua capti perducantur ad stabulum, quorum si nimia fuerit asperitas, vno die ac nocte inter vincula mitigentur atque ieiunia. Tunc appellationibus blandis, & illecebris oblatorum ciborum non à latere neque à tergo, sed à fronte accedens bubulcus commulceat, nares-que & terga pertractet, mero subinde conspergat. Hac tamen cautione, ne aliquem calce contingat aut cornu, quod vitium si in primordiis effectum sibi ces-sisse senserit, obtinebit. Tunc mitigans os, & palatum salibus frica, & in gulam dimitte præsulsi adipis offas, & inde sextarios singulos cornu infundente per fauces, quæ res intra triduum totius sæuitiæ iram resoluet. Aliqui eos inter se iungunt, ac docent onera tentare leuiora. Et quod vtile est, si arationi parantur, subacto prius loco exercendi sunt, vt nouus labor tenera adhuc colla non quasset.

Alia ratio domandi.

Expeditior autem domandi ratio est, vt asperum bouem mansueto & valido boui coniungas, quo ostendente, facile ad omnia cogentur officia: si post domituram decumbit in sulco, non afficiatur igne nec verbere, sed potius cum decumbit, pedes eius ita ligentur vinculis, vt non progredi possit aut stare vel pasci. Quo facto siti ac fame lassatus, carebit hoc vitio. *Plinius vbi supra.* Domitura boum est in trimatu, postea sera, ante præmatura. Optimè vero cum domito iuuencus imbuitur, socium enim laboris, & agriculturæ hoc animal habemus. Apud priores traditur quidam fuisse damnatus, quia bouem occiderat suum, actusque fuit in exilium tanquam colono suo interempto.

De carnibus boninis.

CAP. XIX.

Caro bouina nocet melancholicis.

ISaac *in dietis.* Bouina caro ad comparationem car-„nis pecudum sicciissima est, ideoque sanguinem „generat crassum, & turbidum, & melancholicum, „multumque dat nutrimentum. Inobediens est di-gestioni, *tardaque de stomacho eiicitur, & ventrem constipat.* Quòd si eo assueti melancholicæ complexionis fuerint, fiunt splenetici, vel quartanarij, vel hydropi-ci, vel scabiosi, vel leprosi, secundum complexionem quam præparatam iis morbis inuenit. Vituli tamen

Vitulina.

lactentis caro laudabile generat nutrimentum, facilis est digestionis, quia calor eius, & humiditas in quantitate multa est, pro vuluæ vicinitate, & lactis bibitione. Iccirco bonum facit sanguinem. Choleram rubeã expellit de stomacho, maximè si comedentibus calor naturalis dominetur. Ægritudinem autem exeũtibus, licèt non noceat, grauis est tamen digestioni propter defectionem virtutis eorum.

De operatione bouis in medicina.

CAP. XX.

AVicenna Bouinum fel cum nitro, & thimolea valet ad furfures, cum caput eo lauatur. Idem quoque fel aperit orificia hæmorrhoidarum, ex eodem cum melle linitur palatum ad præfocationem. *Dioscorides.* Lac bubulum oris vulnera recentia ducit ad sanitatem. Fimus boum iuuat ad apum, & vesparum ictus. Hydropicus etiam illitus ex eo iuuatur, si ad solem multum iaceat desiccatur. Maximum vero beneficium præstat fimus masculi bouis stericis mulierum, fumigatus propendentibus. *Plin. lib.* 28. Bouis sebum cum adipe anserino, & ocymi succo vlcera oris acrimas sanat. Item contra ea quæ ex vlceratione venena enecant sebum bubulum auxiliatur. Medulla quoque bubula ex crure dextro priore trita cum sanguine, pilis palpebrarumque vitijs, & angulorum occurrit. Si vero grauitas sit audiendi fel bubulum prodest cum vrina capræ vel hirci. Talus bouis accensus dentes cum dolore labentes cõfirmat admotus. Eius-

Vsus partiũ bouis in medicinis.

dem quoque cinis cum myrrha boum est dentifricium. Lien bubulus in melle datur, & illinitur ad lienis dolores. Lac bubulum cæteris medicacius est. Bubulo siquidem lacte cuncta venena expugnari tradunt vomitione. Præterea tenasmus poto lacte bubulo tollitur. Stomachum exulceratum lactis bubuli potus reficit, eiusque rosiones caro bubula mixta aceto, & vino cocta, ad hominis etiam morsum bubula caro cocta, & imposita efficax est. Canum scabies sanatur sanguine recenti bubulo. Ieiunique cum inarescat

illito

illito, & postero die abluto cinere lixiuio. *Hali.* Fel bouis tinnitibus, & auris sonitui medetur, si cum bō bace supponatur. Si cum oleo mixtus instillatur auri, mitigat dolorem ex frigido. In lotio quoque boum si infundat se homo, optimum est stomacho dolenti ex frigido. Prodest etiam hæmorrhoidis. Fimus boum cataplasmatus super apostemata crassa dissoluit ea, si vero comburatur, & naribus insufflетur sanguinis fluxum ab eis sedat. Præterea si cataplasmetur eo modico cum butyro ventri hydropici manifestissimè medetur. Sed si punctura vespium cataplasmetur, prodest. Iecur bouis si comburatur, & bibatur, ventris solutioni prodest, & fluxui sanguinis. Os quoque bouile si comburatur, dentes commotos ex se fricatos solidat. Et si cum squingibin bibatur splenem liquefacit, appetitum coitus excitat, ac lepræ prodest,

De bubalo, & bisonte.

CAP. XXI.

Bubali. I *Sidorus.* Bubali per deriuationem vocati sunt, eo quod sunt similes boum, adeo indomiti, vt præ feritate iugum ceruicibus non recipiant, hos Aphrica procreat. *Ex lib de nat. rer.* Bubalus est animal boue maius, & altius corpore, nigrum colore, habet cornua longa, tortuosa, collum longum, caput ingens, membra macilenta, caudam paruam, aspectum beniuolum ac simplicem. Sed summæ pernicitatis atque crudelitatis est, cum ad iram fuerit prouocatum. Vsibus humanis accommodatissimum est, fortitudine maxima pollet. Bubalus patiens est laboris, pilos habet paucos, vocem terribilem, frontem aspertimam, cutem durissimam, pede spargit terram. In eius nare anulus æreus cum funiculo ponitur, vt facilius homini cedat in opus quod ei fuerit impositum. Quod si onus est graue, & vltra voluntatem suam imponatur, statim commotus in terra sternitur. Nec facile ictibus ad surgendum cogitur, nisi alleuiato onere quo grauatur: hic alio nomine bison dicitur, de quo dicit Solinus, quod bestia est boui similis. Lac bubalinum facile ventrem emollit, vulnera recentia sanat, & iis qui venenum hauserint prodest. Fel etiam eius medicinale est, quia vulnerum cicatrices sanat, mixtumque lacti dolores aurium sedat. *Solinus.* Bisontes in septētrionali plaga sunt boues veris similes, ferosi colla, iubas horridi, vltra tauros pernicitate, capti assuescere nesciunt, hos imperitum vulgus bubalos vocat. *Plin. lib.* 8. Germania Scithiæ contermina gignit insignia boum ferorum genera iubatos bisontes, & velocitate excellentes vros, quibus omnibus imperitum vulgus nomen bubalorum imponit, cum id Aphrica gignat vituli potius ceruice quadam similitudine. *Idem in lib.* 11. Bubalorum sanguis non spissatur. *Hali.* Coagulum pulli bubali contra potum cicutæ prodest, eique qui comedit fungos: vrina bubali si contrita misceatur myrrha aut oleo, & in aure ponatur dolorem eius ex frigido mitigat. *Dioscorides.* Fimus bubali pascentis impositus tumores vulnerum tollit, & ischiaticæ passioni conuenit. In cataplasmatibus positus duritias ac scrophas purgat, & pustulas soluit.

Contra potum cicutæ.

De camelo.

CAP. XXII.

Camelus. I *Sidor.* Camelis nomen dedit, siue quod quando onerantur vt breuiores, & humiles fiant, quia Græci chami humile, & breue dicunt, siue quia curuus est dorso, κάμος enim Græcè curuum signat: hos licèt & aliæ regiones mittant, sed Arabia plurimos. Differunt autem sibi, Nam arabici bina tubera in dorso, habent, reliquarum regionum singula. Mittit & Bactria regio fortissimos camelos nunquam atterentes pedem. *Solinus.* Cameli bactrines nunquam pedes atterunt, quia sunt illis reciprocis quibusdam pulmunculis, & carnium pulpis vestigia carnulenta. Alij quidem sunt oneri ferendo accommodati. Alij vero perniciores. Sed illi non vltra iustum pondera recipiunt, nec isti amplius quam solita spacia egredi volunt. Oderunt equinum genus. Sitim etiam in quatriduum tolerant. Verum cum occasio bibendi tanta est, tantum implentur quantum satiet desideria præterita, & in futurum diu prosit, lutulentas aquas captant, puras refugiunt. Denique vbi cænosior liquor fuerit, ipsi assidua conculcatione lutum excitant vt turbidetur. Durant autem in annos centum, nisi forte in peregrina translati, insolentia mutati aeris morbos trahant.

Tolerant sitim.

Plinius lib. 8. Camelos inter armenta pascit oriens, quorum duo genera bactriæ, & Arabiæ differunt, quod illi bina habent tubera in dorso, ij vero singula, & sub pectore alterum cui incumbant, dentium superiore ordine vt boues carent, in vtroque genere. *Idem in lib.* 11. Cameli soli ex iis quæ non sunt cornigera, dentes priores non habent in superiori maxilla, Leo tantum, & camelus pedatim gradiuntur, hoc est vt pes sinister non transeat dextrum, sed subsequatur, camelo tali sunt similes bubali, sed paulo minores. Est enim animal bisulcum, discrimine exiguo, pes simus vestigio carnoso vt vrsi. Qua de causa in longiore itinere sine calciatu fatiscunt. *Ex lib de nat. rer.* Cameli quatuor ventres habent. Primus recipit cibum crudum. Secundus aliquantulum digestum. Tertius magis digestum. Quartus completè digestum. *Ambr.* Camelus cum altior sit, vt herbis pascetur minutissimis, longiora vsque ad terram colla sortitus est ad vsum pastionis. *Basil. libr.* 8. Camelus habet tenacem malorum memoriam, denique si percussus fuerit, diu dissimulato dolore, cum opportunum tempus reperit, illatam protinus iniuriam reponit. Audite ergo homines iracundi, cui bestiæ similes habeamini.

Quatuor vētres habent.

Vindictam reseruat.

De eodem.

CAP. XXIII.

ARistoteles. Cameli sunt, sicut animalia cornuta, quia ventres eius sunt, sicut habentium cornua. Et quia cibus illius spinosus est, necessario fuit eius lingua carnosa propter duriciem palati. Natura ergo vtitur palato, sicut parte dentium terrestri. Ideoque ruminat camelus, sicut animalia habentia cornua, quia ventres habet sicut illa. Creatio vero dentium eius est, sicut animalis habentis cornua. Cameli est propria dorsi gybbositas, & aliquando duas habet. Camelus non habet fel distinctum, sed venas paruas, in quibus est fel. Sub pede eius est multa carnositas, & in eius fissura coriū simile ei, quod est in pedibus anserum: ideoque quando multum habet ire, fiunt ei sorulares. Cum autem ambulat prius mouet pedem dextrum, viuit triginta annis & plus, quidam etiam viuunt centum annis, his etiam rabies accidit sicut & quibusdam aliis animalibus. Mingunt ad posterius, sicut & leones. Nam cameli virgas habent ad posterius, & caudas ad modum asinorum. In quolibet pedum est genu, super quod flectunt pedem. In vtroque pede est caba simile cabæ vaccini pedis, quia paruum est respectu corporis. Cameli patiuntur sitim per quatriduum, & postea bibunt multum, huic animali natura dedit magnitudinem corporis in modum iumenti, sicut & elephanti. Animal quoque cuius cibus est ex materia lignea, & spinosa: multos habet ventres & in hoc genere est camelus.

Gibbositas dorsi.

Vita.

Rabies.

Ex lib. de nat. rer. Camelus est animal deforme, gibbosum, habens collum longum, crura poplexa, lentum incessum, & dum graditur, nunquam pedes atterit: immundum animal secundum legem, quoniam vngulam quidem habet, sed non diuidit eam. Cum autem onerandi sunt paululum super genua percutiuntur, & statim ad onera flexis ceruicibus inclinantur, aquas duras refugiunt, lutulentas bibunt, & hoc

gratia

Indicium tempeſtatis.

li. 31. Sal tollit boum ſcabiem illitus datuſq; lingẽdus. *Idem in lib.* 23. Rana parua muta, & ſine voce viridis ſi hauriatur, ventrem boum diſtendit. Boues cęlum olfacientes ſeq; lãbentes contra pilum tempeſtatẽ ſignant. *Ariſtot.* Bos coit poſt annum, & forte poſt octo mẽſes. Poſt biennium autem prægnans eſt nouem menſibus: viuit annis quindecim, caſtratus autem viginti. *Auctor.* Bos eſt animal mundum ſecundum legem ad immolandum, & ad comedendum, quia ruminat, & findit vngulam Paleas comedit, iugo premitur, ſtimulo cogitur, terram arat.

De bobus comparandis, & eligendis.

CAP. XVII.

Comparãdi in martio.

PAlladius *de agricultura lib.* 4. Boues in Martio cõparandi ſunt, quia necdum ſagina corporis plena, vt celare poſſint fallaciam venditoris, aut vitia ſua, aut ad repugnandum domiturę, contumacem pleni roboris exercere fiduciam. Hæc autem in bobus ſpe-

Conditiones boni bouis.

„ctanda ſunt, vt ſint *nouelli, quadratis, & grandibus*
„*membris, ac ſolidi corporis, muſculis vbique ſurgentis-*
„*bus, magnis auribus, latæ frontis, & criſpæ, labris ocu-*
„*liſque nigrantibus, cornibus robuſtis, ac ſine curuaturæ*
„*prauitate, lunatis patuliſque naribus*, & rẽſiccis, cer-
„uice thoroſa atque compacta, palearibus largis, &
„circa genua fluentibus, pectore grandi, armis vaſtis,
„ventre non paruo porrectis lateribus, latis lumbis,
„dorſo recto, & plano, cruribus ſolidis neruoſis, &
„breuibus, vngulis magnis, caudis longis ac ſetoſis,
„pilo totius corporis depreſſo ac breui, rubei maxi-
„mè coloris aut fuſci. Melius autem boues de vicinis locis comparabimus quæ nulla ſoli aut aeris varietate tententur. Aut ſi hoc deeſt, de locis ſimilibus ad ſimilia transferamus. Illud autem in vniuerſo curandum

Mores boum

eſt, vt viribus ad trahendum comparentur ęquales, ne valentioris robur alteri procuret exitium. In mori-
„bus hæc conſideranda vt ſint arguti, manſueti, ti-
„mentes hortamen clamoris, & verberis, cibi appe-
tentiores, ſi regionis ratio patitur nullus melior cibus eſt, quam viride pabulum: vbi vero deeſt, eo ordine miniſtretur, quo pabuli copia, & laborum coget acceſſio. *Plinius lib.* 8. Non autem degeneres ęſtimandi ſunt boues etiam minus laudato aſpectu, plurimum lactis alpinis, quibus minimum corporis, plurimum laboris, capite non ceruice iunctis. Syriacis non ſunt palearia, ſed gibbus in dorſo. Carici quoque in parte Aſiæ fædi ſunt viſu, tubere ſuper armos à ceruicibus eminente, laxatis cornibus, excellentes in opere narrantur. Cæteri nigri coloris candidive ad laborem damnantur.

De bobus edomandis, & iugo præparandis.

CAP. XVIII.

Trimi domandi.

PAlladius *vbi ſupra.* Boues eodem quoque menſe domandi ſunt trimi, quia poſt quinquennium bene domari non poſſunt, ætatis repugnante duritia. Capti ergo ſtatim domentur, qui quidem prius cum teneri fuerint, aſſiduè frequenti manus attrectatione manſueſcant. Sed ſtabulum noui boues largioribus ſpaciis habere debent ſic, & ante ſtabulum loca nullis concludantur anguſtiis, & producti non aliqua vitientur offenſa. In ipſo vero ſtabulo aſſeres tranſuerſi à terra ſeptenis pedibus alti configantur. Ad quos boues ligentur indomiti. Tunc eliges abſolutam tempeſtatibus, & impedimentis omnibus diem qua capti perducantur ad ſtabulum, quorum ſi nimia fuerit aſperitas, vno die ac nocte inter vincula mitigentur atque ieiunia. Tunc appellationibus blandis, & illecebris oblatorum ciborum non à latere neque à tergo, ſed à fronte accedens bubulcus commulceat, nareſque & terga pertractet, mero ſubinde conſpergat. Hac tamen cautione, ne aliquem calce contingat aut cornu, quod vitium ſi in primordiis effectum ſibi ceſ-

Ratio domãde aſperitatis boum.

B

C

D

E

ſiſſe ſenſerit, obtinebit. Tunc mitigans os, & palatum ſalibus frica, & in gulam dimitte præſulſi adipis offas, & inde ſextarios ſingulos cornu infundente per fauces, quæ res intra triduum totius ſæuitiæ iram reſoluet. Aliqui eos inter ſe iungunt, ac docent onera tentare leuiora. Et quod vtile eſt, ſi arationi parantur, ſubacto prius loco exercendi ſunt, vt nouus labor tenera adhuc colla non quaſſet.

Alia ratio domandi.

Expeditior autem domandi ratio eſt, vt aſperum bouem manſueto & valido boui coniungas, quo oſtendente, facile ad omnia cogentur officia: ſi poſt domituram decumbit in ſulco, non afficiatur igne nec verbere, ſed potius cum decumbit, pedes eius ita ligentur vinculis, vt non progredi poſſit aut ſtare vel paſci. Quo facto ſiti ac fame laſſatus, carebit hoc vitio. *Plinius vbi ſupra.* Domitura boum eſt in trimatu, poſtea ſera, ante præmatura. Optimè vero cum domito iuuencus imbuitur, ſocium enim laboris, & agriculturæ hoc animal habemus. Apud priores traditur quidam fuiſſe damnatus, quia bouem occiderat ſuum, actuſque fuit in exilium tanquam colono ſuo interempto.

De carnibus boninis.

CAP. XIX.

Caro bouina nocet melancholicis.

ISaac *in dietis.* Bouina caro ad comparationem car-
„nis pecudum ſicciſſima eſt, ideoque ſanguinem
„generat craſſum, & turbidum, & melancholicum,
„multumque dat nutrimentum. Inobediens eſt digeſtioni, *tardaque de ſtomacho eiicitur, & ventrem conſtipat.* Quòd ſi eo aſſueti melancholicæ complexionis fuerint, fiunt ſplenetici, vel quartanarij, vel hydropici, vel ſcabioſi, vel leproſi, ſecundum complexionem quam præparatam iis morbis inuenit. Vituli tamen

Vitulina.

lactentis caro laudabile generat nutrimentum, facilis eſt digeſtionis, quia calor eius, & humiditas in quantitate multa eſt, pro vuluæ vicinitate, & lactis bibitione. Iccirco bonum facit ſanguinem. Choleram rubeã expellit de ſtomacho, maximè ſi comedentibus calor naturalis dominetur. Ægritudinem autem exeũtibus, licèt non noceat, grauis eſt tamen digeſtioni propter defectionem virtutis eorum.

De operatione bouis in medicina.

CAP. XX.

AVicenna Bouinum fel cum nitro, & thimolea valet ad furfures, cum caput eo lauatur. Idem quoque fel aperit orificia hæmorrhoidarum, ex eodem cum melle linitur palatum ad præfocationem. *Dioſcorides.* Lac bubulum oris vulnera recentia ducit ad ſanitatem. Fimus boum iuuat ad apum, & veſparum ictus. Hydropicus etiam illitus ex eo iuuatur, ſi ad ſolem multum iaceat deſiccatur. Maximum vero beneficium præſtat fimus maſculi bouis ſtericis mulierum, fumigatus propendentibus. *Plin. lib.* 28. Bouis ſebum cum adipe anſerino, & ocymi ſucco vlcera oris acrimas ſanat. Item contra ea quæ ex vlceratione venena enecant ſebum bubulum auxiliatur. Medulla quoque bubula ex crure dextro priore trita cum ſanguine, pilis palpebrarumque vitijs, & angulorum occurrit. Si vero grauitas ſit audiendi fel bubulum prodeſt cum vrina capræ vel hirci. Talus bouis accenſus dentes cum dolore labentes cõfirmat admotus. Eiuſ-

Vſus partiũ bouis in medicinis.

dem quoque cinis cum myrrha boum eſt dentifricium. Lien bubulus in melle datur, & illinitur ad lienis dolores. Lac bubulum cæteris medicacius eſt. Bubulo ſiquidem lacte cuncta venena expugnari tradunt vomitione. Præterea tenaſmus poto lacte bubulo tollitur. Stomachum exulceratum lactis bubuli potus reficit, eiuſque roſiones caro bubula mixta aceto, & vino cocta, ad hominis etiam morſum bubula caro cocta, & impoſita efficax eſt. Canum ſcabies ſanatur ſanguine recenti bubulo. Ieiunique cum inareſcat

illito

illito, & poſtero die abluto cinere lixiuio. *Hali.* Fel bouis tinnitibus, & auris ſonitui medetur, ſi cum bō bace ſupponatur. Si cum oleo mixtus inſtillatur auri, mitigat dolorem ex frigido. In lotio quoque boum ſi infundat ſe homo, optimum eſt ſtomacho dolenti ex frigido. Prodeſt etiam hæmorrhoidis. Fimus boum cataplaſmatus ſuper apoſtemata craſſa diſſoluit ea, ſi vero comburatur, & natibus inſuffletur ſanguinis fluxum ab eis ſedat. Præterea ſi cataplaſmetur eo modico cum butyro ventri hydropici manifeſtiſſimè medetur. Sed ſi puncturæ veſpium cataplaſmetur, prodeſt. Iecur bouis ſi comburatur, & bibatur, ventris ſolutioni prodeſt, & fluxui ſanguinis. Os quoque bouile ſi comburatur, dentes commotos ex ſe fricatos ſolidat. Et ſi cum ſquingibin bibatur ſplenem liquefacit, appetitum coitus excitat, ac lepræ prodeſt,

De bubalo, & biſonte.

CAP. XXI.

Bubali. I *Sidorus.* Bubali per deriuationem vocati ſunt, eo quod ſunt ſimiles boum, adeo indomiti, vt præferitate iugum ceruicibus non recipiant, hos Aphrica procreat. *Ex lib de nat. rer.* Bubalus eſt animal boue maius, & altius corpore, nigrum colore, habet cornua longa, tortuoſa, collum longum, caput ingens, membra macilenta, caudam paruam, aſpectum beniuolum ac ſimplicem. *Crudiles.* Sed ſummæ pernicitatis atque crudelitatis eſt, cum ad iram fuerit prouocatum. Vſibus humanis accommodatiſſimum eſt, fortitudine maxima pollet. Bubalus patiens eſt laboris, pilos habet paucos, vocem terribilem, frontem aſperrimam, cutem duriſſimam, pede ſpargit terram. In eius nare anulus æreus cum funiculo ponitur, vt facilius homini cedat in opus quod ei fuerit impoſitum. Quod ſi onus eſt graue, & vltra voluntatem ſuam imponatur, ſtatim *Biſontes.* commotus in terra ſternitur. Nec facile ictibus ad ſurgendum cogitur, niſi alleuiato onere quo grauatur: hic alio nomine biſon dicitur, de quo dicit Solinus, quod beſtia eſt boui ſimilis. Lac bubalinum facile ventrem emollit, vulnera recentia ſanat, & iis qui venenum hauſerint prodeſt. Fel etiam eius medicinale eſt, quia vulnerum cicatrices ſanat, mixtumque lacti dolores aurium ſedat. *Solinus.* Biſontes in ſeptẽtrionali plaga ſunt boues veris ſimiles. ferоſi colla, iubas horridi, vltra tauros pernicitate, capti aſſueſcere neſciunt, hos imperitum vulgus bubalos vocat *Plin. lib.* 8. Germania Scithiæ contermina gignit inſignia boum ſerorum genera iubatos biſontes, & velocitate excellentes vros, quibus omnibus imperitum vulgus nomen bubalorum imponit, cum id Aphrica gignat vituli potius ceruice quadam ſimilitudine. *Idem in lib.* 11. *Contra potum cicutæ.* Bubalorum ſanguis non ſpiſſatur. *Hali.* Coagulum pulli bubali contra potum cicutæ prodeſt, eique qui comedit fungos: vrina bubali ſi contrita miſceatur myrrha aut oleo, & in aure ponatur dolorem eius ex frigido mitigat. *Dioſcorides.* Fimus bubali paſcentis impoſitus tumores vulnerum tollit, & iſchiaticæ paſſioni conuenit. In cataplaſmatibus poſitus duritias ac ſcrophas purgat, & puſtulas ſoluit.

De camelo.

CAP. XXII.

Camelus. I *Sidor.* Camelis nomen dedit, ſiue quod quando onerantur vt breuiores, & humiles fiant, quia Græci chami humile, & breue dicunt, ſiue quia curuus eſt dorſo, κάμος enim Græcè curuum ſignat: hos licèt & aliæ regiones mittant, ſed Arabia plurimos. Differunt autem ſibi, Nam arabici bina tubera in dorſo, habent, reliquarum regionum ſingula. Mittit & Bactria regio fortiſſimos camelos nunquam atterentes pedem. *Solinus.* Cameli bactrines nunquam pedes atterunt, quia ſunt illis reciprocis quibuſdam pulmunculis, & carnium pulpis veſtigia carnulenta. Alij quidem ſunt oneri ferendo accommodati. Alij vero perniciores. Sed illi non vltra iuſtum pondera recipiunt, nec iſti amplius quam ſolita ſpacia egredi volunt. *Tolerant ſitim.* Oderunt equinum genus. Sitim etiam in quatriduum tolerant. Verum cum occaſio bibendi tanta eſt, tantum implentur quantum ſatiet deſideria præterita, & in futurum diu proſit, lutulentas aquas captant, puras refugiunt. Denique vbi cænoſior liquor fuerit, ipſi aſſidua conculcatione lutum excitant vt turbidetur. Durant autem in annos centum, niſi forte in peregrina tranſlati, inſolentia mutati aeris morbos trahant.

Plinius lib. 8. Camelos inter armenta paſcit oriens, quorum duo genera bactriæ, & Arabiæ differunt, quod illi bina habent tubera in dorſo, ij vero ſingula, & ſub pectore alterum cui incumbant, dentium ſuperiore ordine vt boues carent, in vtroque genere. *Idem in lib.* 11. Cameli ſoli ex iis quæ non ſunt cornigera, dentes priores non habent in ſuperiori maxilla, Leo tantum, & camelus pedatim gradiuntur, hoc eſt vt pes ſiniſter non tranſeat dextrum, ſed ſubſequatur, camelo tali ſunt ſimiles bubali, ſed paulo minores. Eſt enim animal biſulcum, diſcrimine exiguo, pes ſimus veſtigio carnoſo vt vrſi. Qua de cauſa in longiore itinere ſine calciatu fatiſcunt. *Quatuor vẽtres habent.* *Ex lib de nat. rer.* Cameli quatuor ventres habent. Primus recipit cibum crudum. Secundus aliquantulum digeſtum. Tertius magis digeſtum. Quartus completè digeſtum. *Ambr.* Camelus cum altior ſit, vt herbis paſcetur minutiſſimis, longiora vſque ad terram colla ſortitus eſt ad vſum paſtionis. *Vindictam reſeruat.* *Baſil. libr.* 8. Camelus habet tenacem malorum memoriam, denique ſi percuſſus fuerit, diu diſſimulato dolore, cum opportunum tempus reperit, illatam protinus iniuriam reponit. Audite ergo homines iracundi, cui beſtiæ ſimiles habeamini.

De eodem.

CAP. XXIII.

ARiſtoteles. Cameli ſunt, ſicut animalia cornuta, quia ventres eius ſunt, ſicut habentium cornua. Et quia cibus illius ſpinoſus eſt, neceſſario fuit eius lingua carnoſa propter duriciem palati. Natura ergo vtitur palato, ſicut parte dentium terreſtri. Ideoque ruminat camelus, ſicut animalia habentia cornua, *Gibboſitas dorſi.* quia ventres habet ſicut illa. Creatio vero dentium eius eſt, ſicut animalis habentis cornua. Cameli eſt propria dorſi gybboſitas, & aliquando duas habet. Camelus non habet fel diſtinctum, ſed venas paruas, in quibus eſt fel. Sub pede eius eſt multa carnoſitas, & in eius fiſſura coriũ ſimile ei, quod eſt in pedibus anſerum: ideoque quando multum habet ire, fiunt ei ſorulares. Cum autem ambulat prius mouet pedem *Vita.* dextrum, viuit triginta annis & plus, quidam etiam viuunt centum annis, his etiam rabies accidit ſicut & *Rabies.* quibuſdam aliis animalibus. Mingunt ad poſterius, ſicũt & leones. Nam cameli virgas habent ad poſterius, & caudas ad modum aſinorum. In quolibet pedum eſt genu, ſuper quod flectunt pedem. In vtroque pede eſt caba ſimile cabæ vaccini pedis, quia paruum eſt reſpectu corporis. Cameli patiuntur ſitim per quatriduum, & poſtea bibunt multum, huic animali natura dedit magnitudinem corporis in modum iumenti, ſicut & elephanti. Animal quoque cuius cibus eſt ex materia lignea, & ſpinoſa: multos habet ventres & in hoc genere eſt camelus.

Ex lib. de nat. rer. Camelus eſt animal deforme, gibboſum, habens collum longum, crura poplexa, lentum inceſſum, & dum graditur, nunquam pedes atterit: immundum animal ſecundum legem, quoniam vngulam quidem habet, ſed non diuidit eam. Cum autem onerandi ſunt paululum ſuper genua percutiuntur, & ſtatim ad onera flexis ceruicibus inclinantur, aquas duras refugiunt, lutulentas bibunt, & hoc

gratia

gratia nutrimenti, omne enim elementum quantum plus commixtum eſt alijs, tanto plus nutrit, & econtrario: irati cameli ſtridēt horribiliter. His etiam rabies accidit, & podagra, de quibus facillimè moriuntur. Non autem vngulas eiiciunt, ſed vehementiſſimo dolore grauantur, quando duras, & laborioſas vias incedunt. Ideo enim in pedibus habent de forti corio ſotulares. Ordeum cito tranſglutientes reſeruant, vt rurſum ruminando tota nocte manducent. Camelis hæc pietas ineſſe dicitur, vt ſi in grege, vel ſtabulo aliquis ægritudine detentus non manducet, illi compatientes abſtineant. Illi qui recti cameli dicuntur, vnum tantum habent in dorſo gibbum. Eſt autem & aliud genus eorum, quos Dromedarios vocant, curſu mirabili vigentes, & bina tubera in dorſo habentes.

Pietas camelorum.

Dromedarij.

De Vſu camelorum in præliis.

Cap. XXIV.

Solinus. Camelorum fœminæ ad bella præparantur, putantque validiores, eas fieri, ſi caſtratione à coitibus arceantur. Cameli cum homines eis vtuntur ad præliandum caſtrantur, quia tunc non impinguantur. In locis quidam altiſſimis habitantes, tria millia camelorum habēt currentium velocius quam equus, & hoc non accidit eis, niſi propter amplitudinem paſſus. *Plinius lib.* 8. Camelos (vt dictum eſt) habent Bactria, & Arabia differentes. Omnes autem in his terris iumentorum dorſo funguntur, & equitatu in præliis, velocitas his, vt equus, ſed ſua cuique menſura, aut vires. Nec vltra ſpacium aſſuetum procedūt, nec plus onere inſtituto recipiunt. *Vegetius, de re militari, lib.* 3. Camelos apud veteres aliquantulæ nationes in aciem produxerunt. Sed hoc genus animalium arenis quidem tolerabile, ſic aptum, nam confuſas etiam in puluere vento vias, abſque errore dirigere memorantur. Cęterum præter nouitatem hoc ſi vti videatur, ineficax bello eſt.

Velocitas quorundam.

De Generatione camelorum.

Cap. XXV.

Camelorum mares habent virgas ad poſteriorem partem: vnde auerſi coeunt. Sunt autem virgæ neruoſæ, ac duræ: vnde ex eis arcuum chordæ fiunt. Coitus tempore ſolitudines, aut ſecreta petunt. *Idem.* Camelus eſt valde malus tempore coitus. Et ſi quod animal, vel homo tempore hoc appropinquauerit ad eum, lædit ipſum. Coit autem poſt triennium, tempore luxuriæ ſolitarius eſt cum fœmina ferus, ac ſylueſtris, & coeundo per totam diem equitat. Sed cum aliàs luxurioſus ſit, erga matrem continens eſt, vnde in quadam ciuitate cooperiebatur camelæ caput, vt eius pullus ſuper eam ſaltaret. Qui cooperto matris capite, ſuper eam ſaltauit, & cooperimento ſublato, matrem agnoſcens, turpitudinis opere quod cæperat intercepto, deſcendit, ipſumque ingeniatorem mordens interfecit. Camela prægnans eſt per annum, poſt partum quoq; quieſcit à coitu per annum, vnum tantum filium facit, ſicut elephas, equus & omne animal habens ſoleas. *Solinus.* Cameli genituræ cupidine efferantur, adeo vt fœuiant, cum venerem requirunt. *Plin. libro* 10. Camelus coit auerſus, ſicut & cætera quibus auerſa ſunt genitalia. Solitudines, aut ſecreta petunt, hoc tempore nulli interuentio datur ſine penitie. His coitus tota die, vt illis tantum quibus eſt ſolida vngula. ſingulos gignunt. Fœminę quatuor habent mammillas, vt vaccæ. Duodecim menſibus ferunt, & in vere pariunt, iterumque poſt annum impletæ à partu.

Solitarij tẽpore coitus.

Continens in matrem.

De medicinalibus ex camelo.

Cap. XXVI.

Auicenna. Caro cameli prouocat vrinam. Adeps, qui eſt in gybbo cameli ſuffumigatus confert hæmorrhoidibus. Cameli cerebrum exiccatum, & cum aceto bibitum confert epilepſiæ. Ad idem valet eius ſanguis. Qui etiam ſiccatus, & frixus retinet fluxum, cum vino quoque bibitus ſagittæ Armenæ nocumento confert. Poſt purgationem vero menſtruorum potatum iuuat ad impręgnationem, & confert præfocationi matricis. *Idem Auicenn.* Lac camelarum fœtarum eſt ſubtile, & valde aquoſum, nec facit opilationes, ſicut cætera, propter paucitatem caſeitatis, & abſterſionem aqueitatis illius. In ipſo eſt ſalſedo, quia cameli diligunt aceroſum, & hoc eſt melius lac. Dicitur autem, quod eſt vehementis tarditatis in ſtomacho, & in ſuperioribus ventris. Ex ipſo non timetur ſordities, ſicut ex cæteris, niſi raro. Confert autem aſmati, & frequentiæ ſpiritus, hydropiſi quoque valde nocet, cętotum ſplenetico, & hepatico, confert. Excitat deſiderium cibi, & facit tuſſim, menſtrua prouocat, ventrem lenit, & confert hęmorrhoidibus. Vrina cameli confert hydropiſi, confert etiam vehementer fœtori natium, & aperit opilationes colatorij cum virtute vehementi, ablutione ex ea facta confert furfuribus. Stercus cameli mundificat, & deſtruit verrucas, abſcindit fluxum ſanguinis ex naribus. Et quando bibitur cum medicinis epilepſiæ confert. Item reſoluit bothor & vlcera, ſcrophulas quoque fortiter. Sedat etiam dolores iuncturarum, & apoſtemata eorū. *Plinius libr.* 24. Cameli cerebrum arefactum, & potum cum aceto, caducis medetur. Fel quoque melle potum hoc idem facit. Vrina eius vtiliſſima fullonibus: vlceribuſque manantibus. Seta eiuſdem cōtorta quartanis prodeſt. Fimi eius criſpant capillum cum oleo. Dyſſentericis quoque prodeſt illitus potuſque, quantum tribus capiatur digitis, & caducis morbis. Cauda eius arefacta ſoluit aluum. *Dioſcor.* Fimus camelinus albus cum melle tritus, & impoſitus tumores reprimit, & vulnera delicata permundat. *Hali.* Sāguis cameli fricatus dyſſenteriæ, & ſolutioni chronicæ: potuique veneni lac cameli prodeſt corruptioni complexionis, augetque venerem.

Vſus medicinalis cameli.

De capra.

Cap. XXVII.

Iſidorus. Capram à carpendis virgultis quidam dixerunt, alij quod captet aſpera. Nonnulli à crepitu crurium, vnde eas creas appellatas, quæ ſunt agreſtes capræ. *Ariſtot. vbiſupra.* Capra eſt animal ruminans, quod tamen habet dentes in vtraque mandibula. Capræ in paſtu cito mouentur à locis ſuis, quod non oues faciunt, & accipiunt ſummitates herbarum tantum. Quando mouentur poſt meridiem plus aquæ potabunt, & quando ſalem ante partum comederint, multum fluxum à mammillis habebunt. In Teutonia caprarum auriculæ ſunt quantitatis vnius palmæ, maioriſque fellis in quantitate mirabili. Caprę naturaliter veloces ſunt, ideo paſtores non ponunt eis rectorem. Capra non bene videt in die, ſed acuitur eius viſus de nocte. Habet autem aliquando oculos diſſimiles in colore: quando ſagittata fuerit, pulegium ceruinum quęrit & comedit, vt extrahatur ſagitta. Si quis cæperit capram, aliæ ſubito eriguntur, & id aſpiciunt vultu ſtolido. Eſt autem capra præda vulturis. *Plinius libr.* 8. Capræ traduntur de nocte non minus cernere, quam interdiu. Ideoque caprinum iecur ſi veſcatur, reſtitui veſpertinam aciem his quos nyctilopas vocant. Capras in occaſum decliui ſole in paſcuis negant contueri inter ſeſe, ſed auerſas iacere, reliquis autem horis aduerus, & inter ſe cognitiores. Dependet

Capra.

Capra ſine rectore.

Nyctilopes.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Villus aruncus.

det omnium mento villus, quem aruncum vocant, quo ſi quis apprehenſum ex grege vnam trahat cæteræ ſtupentes ſpectant. Morſus earũ arbori exitialis eſt.

Cur minerue immolabantur.

Oliuam quoque lambendo ſterilem faciunt, eaque ex cauſa Mineruæ immolabantur; Huiuſmodi animalis. id eſt capræ ſolertiam, Mucianus ſibi viſam prodidit, in ponte prætenui duę ſibi è diuerſo obuiauerunt, quæ cum non poſſent præ Pontis anguſtia ſe in partem vertere, nec retrocedere præ longitudine in exilitate cæca, torrente rapido minaciter ſubterfluente, vna decubuit, & altera per eam tranſiuit. Capræ in Sicilia, ſicut oues villo tonſili veſtiuntur. Capris in Æthiopia vita eſt vſque ad annos vndecim, in orbe reliquo plurimum octo. Oculos ſuffuſos capra iunci puncto ſanguine exonerat, caper vero rubi.

Idem in libr. 11. Oculi capręde nocte ſplendent lucemque iaculantur. Pili acute craſſi exeunt hyrcis, fœminis autem tenuiores. Item mares caprarum plures habent dentes, quam fœminæ. Nec habent capræ dentes præter priores, geminos habent. Et binas in fœminibus mammas, nec alibi ſicut & oues. *Idem in libr.* 16 Rhododendros herba capris venenum eſt.

Herba capris venenoſa.

Idem in lib. 25. Elleborum autem nigrum capras purgat comeſtum. *Idem in libr.* 25. Picus & capra ſi folia rhododendri in aqua manducant, vel aquam biberint, mori dicuntur. *Ex libro de natura rerum.* Capra eſt animal barbarum longis, & acutis cornibus, paſcitur in conuallibus, & in montibus, & in ramis arborum quod ore poteſt attingere, ſed morſus earum (vt dictum eſt) exitialis eſt arbori. Mel vero lambentes capræ moriuntur, herbis venenatis viuunt.

Mel lambentes moriuntur.

Conſtantinus vbi ſupra. Si capræ ex vaſis tamariſci biberint, aut comederint, non habebunt ſplenem. *Serapion in libro de ſimplici medicina.* Vidi, inquit, Gal. capras lingentes tamariſci frondes, & inueni eas ſine ſplene, quaſdam vero vidi lingentes ſerpentes pelle depoſita, & poſt albeſcentes minus ſeneſcere.

De generatione caprarum.

CAP. XXVIII.

Plinius libr. 8. Capræ pariunt & quaternos, ſed raro admodum, ferunt quinque menſibus vt oues, veneno pingueſcunt, pingue dine ſterileſcunt. Mutilum in vtroque ſexu vtilis eſt, primus in die coitus non implet, ſequens efficacior, deinde concipiunt in Nouembri, vt Martio parian turgentibus virgultis. Aliquando anniculæ, ſemper bimæ in trimatu inutiles pariunt. Cum autem impręgnantur ſunt pinguiores, ſicut & oues. Mares quam maximè ſimos, longis auribus infractiſq; armis, quam villoſiſſimos probant. Fœminarum generoſitatis inſigne laciniæ corporibus è ceruice binæ pendentes. Non omnibus cornua, ſed quibus ſunt, in his & indicia annorum per incrementa nodorum. Multis maior eſt vbertas lactis. Auribus eas ſpirare non naribus, nec vnquam febre carere, Archelaus auctor eſt.

Nunquam febre caret.

Ideo fortaſſis anima his, quam ouibus ardentior, calidioreſque earum concubitus tradunt. *Ariſt.* Caper vnius anni coit, ſed debile quid generat: in Æthiopia propriè capra viuit ann. 13. tota vita coit, & gemellos parit, & ſi cibus conueniens eſt, caper virtuoſus erit.

Nota.

Capra ſicut & ouis ſi impręgnatur contra impetum venit. Septentrionalis parit marem, ſi contra Meridionalem parit fœminã: cum autem non ſoleat eſſe lac in animalibus ante impręgnationem, in quibuſdam regionibus non expectatur impręgnatio capræ, ſed eius mammilla cum vrina fricatur, & ex primo, quidem ſanguis, deinde quaſi ſanies, poſtea vero lac bonum, non peius lacte impręgnatarum. Eſt autem auis, quę ſugit vbera caprarum, & adnihilatur lac & exiccatur. *Ex lib. de nat. rer.* Capra lacte abundat, & lac eius ſuauiſſimum eſt, ſed vt coagulatum fuerit vitiatur, nam caſeus ex eo factus ad nihilum penè vtilis eſt. Capra geminos aliquando parit, ſed ad modum rarò, fert quinque menſibus, vt ouis, vtilius in Nouembri concipit, vt in Martio pariat. Octonis annis patiunt, & noxio frigore abortiunt. *Palladius lib.* 12. Capra trima optimè poteſt educari, ſed eligenda eſt capella magni corporis, craſſis cruribus, breui collo, plenaque ceruice, auribus flexis, & grauibus, paruo capite, nitido, ac ſpiſſo, longoque capillo. magnis vberibus. Nec multæ capræ, ſicut oues claudendæ ſunt vna ſtatione, quam & luto carere conuenit, & ſtercore. Quod teneriores mares generant, haud trauſeundum eſt. Sed vltra octo annos non ſunt matres ſeruandæ, quia genus hoc languore ſterileſcit, & ætate.

Nota.

De carnibus caprinis in medicinis ex earum corporibus.

CAP. XXIX.

Isaac. Capræ & boues cum carnes habeant craſſas digeſtioni inobedientes, & calor quiete viuentibus ſit imbecillis, neceſſario ab eis non digeruntur, niſi cum lactantes ſunt. Tunc enim digeſtioni obediunt, propter carnium ſuarum teneritatem, & ætatis paruitatem. Hyrci quoq; peioris ſanguinis generatiui ſunt, quàm capræ. *Ariſt.* Capra malam habet carnem propter pinguedinis paucitatẽ. Ideoque Græci vocãt capras; vitibus ſterilibus ſimiles. *Auicen.* Caprina caro eſt ſicca, & difficilioris digeſtionis, quã ouina, nec eſt multum bona, ſed eius humor fortaſſe malus eſt valde. Porrò hyrcina caro mala eſt abſolutè, facitque febres quartanas euenire. *Plinius lib.* 28. Caprinæ carnes in rogo toſtæ, comicialibus dantur ad remediũ ægritudinis ſuæ. *Auctor.* De carnibus autem hędinis, quę bonæ ſunt etiam in cibo, dicetur inferius, vbi agetur, de hędis.

Caro capræ mala.

De medicinis caprarum.

CAP. XXX.

Æsculapius. Caprę cerebrum cum melle carbunculos in vẽtre ſanat. Sebum eius omni morſui, & læſuræ ſubuenit. Axungia quoque eiuſdem cum roſis mixta puſtulas, quæ in nocte graueſcunt tollit, hoc etiã auribus inſtillatum ſurdos ſanat. Caſeus eius impoſitus omnes punctiones, atque dolores reprimit. Pili eius vſti fluxus omnes ſedant. Vngulæ eiuſdem toſtæ, & cum pice liquida tritæ, & illitæ, allopiciã curant: lac eius bibitum arteriacum liberat, vermes occidit, pruriginem, & morſus ſanat. Sanguis eius eadem facit, & venenum bibitum extinguit, lotia eius bibita, hydropicos ſanant. Stercus eius omni dolori interius, & exterius valet. *Ex li. de nat. re.* Cornu capræ aduſtũ ſi ante nares vere caduci teneatur, ſtatim cadit. *Auic.* Cornu caprę aduſtum, & albificatum dentes fortiter abſtergit, ſtringitque gingiuam, & ſedat inflatæ gingiuę dolorem. Cum ex cinere vngulæ caprinæ cũ aceto linitur, allopiciæ confert valde. Pellis caprinę raſura ſuper curſum ſanguinis poſita retinet eum. Dicitur etiam quod recens pellis capræ candida poſita ſuper viperæ morſum attrahit venenũ. Adeps caprinus ſtipticior eſt omnibus adipibus. Confert mordicationi inteſtinorum, & vlceribus eorum, & eſt fortior in cura vlcerum inteſtinorum, quam porcinus, propter congelationis eius velocitatem. Porcinus tamen mordicationẽ ſedat vehementius. Item adeps caprinus confert cantharidibus. Hepar caprarum, & propriè hyrcorum detegit eſſe epilepticis Et quando epilepticus iptum comedit, epilepſiam incurrit. Aqua hepatis caprini confert panno comeſta, & in alcofol poſita, & inclinatio ſuper vaporem eius. Sanguis capræ bibitus cũ melle confert dyſſenteriæ. Item exiccatus & fixus retinet fluxum.

Vngule & cornu vſus.

Probatio an quis caducus ſit

Adeps.

Plin. lib. 28. Caprę cornu, vel pilis accenſis fugari ſerpentes dicunt. Cineremque ex carne potum, & illitum valere contra morſus eorum. Idem quoque cinis ſudores inhibet. Sanguis capræ cum medulla de-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sanguis. coctus contra venena toxica ſumitur. Idem etiam ſic datur dyſſentericis,& auxiliatur hydropicis. Iecur capræ contra papilionem, qui luminibus aduolat proficit, aſſum quoque cæliacis ſubuenit. Corium eius cũ pilo ſuo decoctum. vel ſucco epoto lieni medetur. Fel
Fel. caprinũ cum creta cymolea & aceto allopicias emendat. Idem quoque fel cum melle ſumitur contra caligines, vngularum eius cinere cum pice, fluẽs capillus continetur. Ictibus vero ſerpẽtum, qui efficacius mederi deſiderant, occiſæ capræ deſectam aluum cum fimo intus reperto ſtatim illigant. Laudabiles quoque
Medulla. ſunt medullæ hircinæ,& caprinæ. *Dioſcorides.* Adeps caprinus cæteris magis eſt ſtipticus paſcuarum cauſa, vnde dyſſentericis clyſteribus miſcetur. Ius fellis eius etiam phthiſicis auxiliantur. Bibentibus quoque cantharides ſubuenit. Fel caprinum adhibetur fiſtulis cũ ſucco portꝛ, adhibetur etiam medicaminibus vulnerum,& ea ſine tumore ſanat. Theriacis etiam admiſcetur antidotis iuncto melle, dolorem teſtium veretrique ſuſpendit. Leproſis & his qui furfures habent in capite admixto nitro conuenit.

De cæteris medicinalibus ex capra procedentibus.

CAP. XXXI.

Lac. *AVctor.* Caprinum lac(vt legitur)poſt fęmineum eſt temperatiſſimum, quod etiam patet ex ſequentibus. *Auic.* Lac caprinum temperatum eſt, ſcili. in ſubtilitate,& craſſitie. Ideo minus nocet viſceribus, quam aliud, quia plurimum eius quo paſcitur conſtrictiuum eſt. Confert catharris,ac retinet eos,& ipſorum acredinem meliorat,vlceribus quoque palati cõfert,& tuſſi extenuationi ac ſputo ſanguinis,& vlceribus veſicæ. vtile eſt etiam hecticæ,& hydropiſi ac duritiei ſplenis *Vrina.* Vrina caprarum domeſticarum,& montanarum confert neruoſis,& propriè ſpaſmo & extenſioni. Eadem ſola & cum myrtha ſedat dolores auris, valet etiam hippoſarchæ vrina præcipuè montana-
Stercus. rum. Stercus caprarum habet inde virtutem attractiuam,attrahit enim venenum veſpæ. Stercus caprarum ſiccum cum lana probibet fluxũ matricis. Ex eo quoque tectificatio per decoctionem in vino nigro, fit emplaſtrum morſui viperæ facientis ſitim. Reſoluit etiam ſcrophulas fortiter. Item in omni fluxu ſanguinis adminiſtratur, aduſtum autem ſubtilius fit,& non calidus, & hoc conuenit allopiciæ. Item ſtercus valet excoriationi, & cum aceto ſuper aduſtionem ignis, cum cera & oleo roſeo. Idem cum adipe porci conuenit podagræ ſuperpoſitum, & ſuperiſchiaticam. Valet etiam duritiis iuncturarum,& etiam apoſtematibus earum, proprie cum aceto mixtum.

Caſeus. *Plin. lib.* 28. contra ſerpentum ictus valet lactis caprini hauſtus cum vua aminea, vel vrina, vel aceto. Itẽ caſeus eius cum origano impoſitus, vel ſæpum cum cera, Mileque præterea ex hoc animali remedia demonſtrantur, quod equidem miror, cum febribus carere negetur, amplior quoque potentia feris eiuſdem generis *Idem in eodem.* Lac caprinum ſtomacho eſt accommodatiſſimũ: quia fronte magis, quam herba veſcuntur, eo lienes ſanantur, eiuſdem potu cum ſale ac melle aluus ſoluitur, pinguiſſimum fit butyrum ex ouibus & capris. Ius caprinum contra cantaridas valet, & lac ſimiliter, hoc quoque lacte tradunt lendes tolli, fimo cum melle allopicias expleri. Caſeus caprinus recens valet his, qui viſcum biberint, ſiccus autem
Sebum. ex aceto ac melle purgat vlcera: ſebum caprinum cum calce ſtrumas, vel fimus caprarum ex aceto bono decoctus, hunc etiam fimum ex vino illitum laudant contra rabioſi canis morſum. Capræ ſebo in pulte alicacia phtiſim,& tuſſim ſanari tradunt. Coſtis vero fra-
Fimus. ctis laudatur vnice. Caprinus fimus ex vino veteri aperit, extrahit, perſanat. Item capræ fimus illitus epiphoris valet, & cõtra dolores oculorum medulla. Idẽ etiam in aceto cum melle decoctum neruorum doloribus putant vtiliſſimum. *Dioſ.* Lotium caprinum bibitum calculos frangit & excludit. Idem in vaſe coctũ. & cum lanis peſſarijs adhibitum dolores ſtericos curat. Oculorum quoq; vulnera tollit. Fimus caprinus acris eſt,& diaphoreticus in virtute. *Auic.* Laudanũ (vt *Laudanum.* alibi iam dictum eſt) humiditas eſt pendens in pilis caprarum paſcẽtium, & barbis earum. Eſt autem ſubtile valde matutinũ humiditatum craſſarũ viſcoſarũ, reſolutiuum,attractiuum,calefactiuum,aperitiuũ orificiorum venarum,& cætera,quæ ſuperius dicta ſunt.

De Caprea.

CAP. XXXII.

Caprea. *PLin. lib.* 8. Capreæ tranſigurantur in plurimas ſimilitudines. Sunt enim capreæ, ſunt rubicapræ, ſunt ibices, ſunt & origes ſoli à quibuſdam dicti contrario veſtiti pilo, & ad caput verſo. Sunt & damæ & pygargi, & ſtrepſicerotes, multaque alia & diſſimilia. Sed illa alpes, hęc tranſmarini ſitus mittunt. Capreæ, vel ibices pernicitatis mirãdæ ſunt,quãquam onerato capite,vaſtis cornibus gladiorumq; vaginis, in hæc ſe librant,vt tormento aliquo rotati,in petris potiſſimũ, & monte aliquo in alium tranſilire cupientes, atque recurſu pernici quo libuerit exultant. *Idem lib.* 11. Natura cornua dedit ramoſa capreis,ſed parua,nec decidua fecit. Huius animalis ſanguis non ſpiſſatur. Natura rubris capreis cornua dedit in dorſum aduncа. *Iſidorus.* Capreas agreſtes creas dicunt, quas Græci, eo *Pandorces.* quod acutiſſimè videant rectè pandorces appellauerunt. Morantur enim in excelſis montibus & quamuis de longinquo ſint, vident tamen omnes qui veniunt. Eædem & capræ,eędem,& ibices quaſi auices, *Ibices quaſi auices.* eo quod ad inſtar auium ardua, & excelſa teneant,& inhabitent: ita vt de ſublimi vix humanis obtutibus pateãt, vnde & meridiana pars ibices aues vocat, qui Nili fluentis inhabitant. Hæc itaque animalia (vt diximus) in petris altiſſimis commorantur, vt ſi quando ferarum,vel hominum aduerſitatem perſenſerint, de altiſſimis ſaxorum cacuminibus ſe præcipitant, & in ſuis ſe cornibus illæſa ſuſcipiunt. *Ambr.* Capra, vel caprea ſolo odore noxia declinat, vulnerata dictamnum petit, & de vulnere ſagittas excludit, huius ſanguine hauſto leopardus ſanatur. *Ariſt.* Agreſtes ca- *Pulegiũ cer-* præ ſagittis percuſſæ quærunt pulegium ceruinum, vt *uinum.* illas extrahant à corpore. Eſt autẽ capra vulturis præda. *Ex lib. de nat. rer.* Capra ſylueſtris, quæ & capreola, vel rupicapra dicitur, beſtia ſæua eſt in comparem ſui generis. In alias autem beſtias timida,ac manſueta nimis Hæc in inſula Creta,quando vulnerata eſt,pulegium quærit, quo comeſto ſagitta de corpore exilit: vix autem capi poteſt, quia celerrima eſt,& cum à canibus premitur,ad montes altiſſimos confugit. Plurima inter mares eſt diſcordia propter fœminas, & hoc tempore coitus. *Dioſ.* Fimus caprarum ſylueſtrium cũ vino bibitus icthericos ſanat, cum folio ſpicanardi bibitus menſtruis imperat. Reliquos ſanguinis fluxus cum aceto impoſitus abſtinet, combuſtus, & tritus cum aceto,vel oxymele allopicias ſanat. Axungię mixtus podagris medetur. *Auctor.* Item de caprea ſub ibicis nomine dicetur inferius, vbi de ibice.

De Capro.

CAP. XXXIII.

Caper. CAper eſt duplicis generis, domeſticus ac ſylueſtris de quibus loquuntur auctores cõfuſè, ſicut de capra & caprea, propter ipſius generis ſimilitudinẽ ac nominis vnitatem. *Ariſt.* Finduntur capri pedibus in duo & in extremo illarum partium ſunt ſotulares vngularum loco. Somniat caper, ſicut & homo. Caper vnius anni coit, filius autem quem primo genuerit melior eſt & craſſior poſt generatis, quod non eſt in animalibus cæteris. Capri multum impinguati non multum coeunt,niſi raro propter hoc macrificãteos paſtores ante coitũ. Capri vocem habent propriã qua

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

se clamant, quia tempore coitus se diuidunt, & pugnãt. Caper multos habet ventres, sicut & vaccæ, & oues, malam habet carnem propter pinguedinis paucitatem. *Capri tondentur.* In Teutonia quidam capri detrahunt caudam, vsque ad terram: in quadam etiam regione *tondentur capri*, sicut oues in alijs locis. *Plin. lib.* 8. Caper oculos suffosos exonerat sanguine, puncto rubi, capra vero iunci. *Palladius vbi supra.* Admittendus autem caper eligendus est, cui sub maxillis duæ videntur pendere verruculæ, magni corporis, crassis cruribus, breui plenaque ceruice, auribus flexis, & grauibus, paruo capite, nitido spisso lõgoque capillo, ad necundas fœminas, & ante anniculum congruus, nondum durat vltra sexennium. Capella quoque similis eligenda est corporis, sed vberibus magnis. *Ex lib. de nat. rer.* Inuentus est aliquãdo caper vtramque naturam habens, sicut in Hermophraditis hominibus accidit. Caper syluestris est animal sagacissimum, altos montes amat, & homines de longè ambulantes, si venatores sint, an viatores spectat. *Auicenna.* Fel capri confert cæcitati proprièque montani.

De Ceruo.

CAPVT XXXIV.

Ceruus. I *Sidor.* Ceruus dictus est ἀπὸ τῶν κεράτων, id est cornibus: cerata enim Græcè cornua dicuntur. *Plin. li.* 8. cerui mulcẽtur fistula pastorali & cantu, fugiunt audito canum latratu, ceruus ad omnia stupet. Ideoque facilius obuium se præbet sagittantibus. *Dentibus in his senecta declaratur*, senex enim paucos habet, aut nullos, nec in cornibus imis alioquin ante frontem prominent senibus, sicut iunioribus. *Idem in lib.* 10. Aquila cum ceruis præliatur, multumque puluerem collectum insidens cornibus excutit in oculo, pennis ora verberans, donec in rupes præcipitat. Ne vnus hostis acrior est illis: hocũ fœminæ vim non tolerant, & ea de causa ingrediuntur in conceptum. Cerui vicissim ad alias transeunt, & ad priores redeunt. *Idem in libro* 11. Nec alibi maior lasciuia natura lusit animalium armis, ceruisque cornua sparsit in ramis. His tantum cornua sunt solida, & omnibus annis decidua. Nec supernè primores dentes cerui habent. Qui vero putant eos in cornua absumi facile coarguntur ceruarum natura, quæ dentes superiores non habent, vt mares, nec tamen habent cornua: cæterorum ossibus adhærent cornua, Ceruorum tantummodo cutibus enascuntur: ceruis in capite sunt vermiculi, sub inanitate linguæ, & circa articulum quo caput humero iungitur numero 20. produntur. Ceruis aures *Vermiculi in ceruis.* sunt scissæ, ac velut diuisæ, ceruis sunt renes quaterni, ceruorum anima, id est flatus serpentes vrit, eorumque sanguis non spissatur.

Cerui caligantes curant se. *Glossa super Cantica canticorum. Cerui caligaturi oculos serpentes comedunt*, & fonte hausto visum recuperant, ac superflua deponunt. *Aristoteles. Ceruus est animal timidum*, cornua quidem habens, & fissuram in vngulis. Dẽtes eius declinant ad inferius, habet quatuor dentes in vna parte oris, & in alia quatuor per quos molit, habet etiam duos magnos alios, qui sunt in masculo maiores, & in fœmina minores. Vox masculi crassior est, & altior, quam fœminæ. Masculus vociferatur multum *Magni cordis animalia timida.* tempore coitus, & fœmina quando timet. Ceruus itaq; sicut & cætera magni cordis animalia timidus est, vocem vulpium timet. In sibilo autem, & cantu delectatur, itaque sibilantem, & cantantem sequitur, & alius eũ occidit, vnde cum aures erectas habet, insidias subsequentis aduertit, postquam vero demiserit non aduertit. Item cerui pugnant, & victus obedit victori obedientia forti, cum autem impræg̃natur ceruus, latet propter venatores. *Intestina.* Intestina cerni valde fœtida sunt, vnde non comeduntur à canibus, nisi sint valde famelici. *Sanguis.* Sanguis cerui non coagulatur fortiter, sed leniter, sicut lac, in quo coagulum non miscetur. Solus animalium mutat cornua, quorum eiectio fit semel in anno cum fuerit ceruus biennis, deinde oriuntur alia. Si castretur ante crementum cornuum, non ei oriuntur, & si post, nunquam amplius crescunt, nec illa ejciunt, pro alleuimẽto ejciũt cornua, quia dura sunt, solida & ponderosa. Nullum animal agreste videtur ruminare, præter ceruum, hic non habet fel hepati applicatum. Habet autem pedes duos fissos, & in extremo vngularum loco sotulares, sicut & capri, & oues. Vrsus pugnat cum ceruis, cerui quoque ad inuicem pugna forti percutientes sese cum cornibus, & deuictus obedit victori. *Pugna ceruorum.* *Ex lib. de nat. rer.* Ceruus est animal velocitate mirabili, frontem habens ramosis cornibus asperatam. Quorum creatio fit, si biennis fuerit, tunc vsque ad sex annos pro ætate ramos augent. Deinde numerosiora fieri non possunt, sed maiora. Solum hoc animal cornua mutat, & supra modum gloriatur. Habet vnum vermem in capite, qui eum ferè vexat assiduè. *Vermis in capite. Nota.* *Sed & omne animal, & ipse homo vermem habet sub lingua.*

De Inimicitia cerui cum serpente.

CAPVT XXXV.

P *Linius libro* 8. *Ceruis cum serpente pugna est, inuestigant cauernas*, nariumque spiritu attrahunt renitentes. Ideo singularis odor abigendis serpentibus est, adusto ceruino cornu. Contra morsus vero præcipuum remedium ex coagulo hinnuli matris in vtero occisi. *Isidorus.* *Ad abigendum serpentes.* Cerui serpentium inimici, spiritu narium ipsos de cauernis extrahunt, & superata veneni pernicie ipsorum pabulo reparantur. *Ambros.* Coluber itaque fugit ceruum, ceruoque cibus est venenum. *Physiologus.* Ceruus vbi serpentem agnouerit esse, implet os suum aqua, effunditque in foramine, deinde cum quodam oris sui spiramine serpentes foras attrahit, & pedibus suis conculcans ipsum interficit. Ceruorum autem duo sunt genera, vnum quod vt inuenerit serpentem in cauerna, *Duo genera ceruorum.* vbi latitat, flatum immittit, vt exeat & egredientis collum percutiens hinc, & inde occidit eum & deuorat. *Postea vero propter tumorem* ad aquas purissimas currit, ac venenum euomit, sed inter hunc tumorem pilos mutat, & cornua abijcit. *Aliud est genus*, quod si serpentem inuenerit, occidit, & post victoriam ad montem, vbi pabulum inueniat, tendit. *Plin. li.* 18. Ceruos exitio serpentibus esse nemo ignorat, extractos mandentes. Nec ipsi quidem spirantes tantum aduersantur, sed mẽbratim quoque. Nam eorum cornu si vratur, serpentes nidore dicũtur fugari, ac è summo gutture vstis ossibus *Remedia ex ceruo.* congregari. Pelles eius subtractę securos præstant ab illo metu somnos. Sanguis etiam cerui valet contra serpentes. Fugiunt omnino cerui quoque dentem habentes, aut perunctos medulla, sebo, vel illius tactu. Coagulum eius exaceto potum ab ictu serpentis reddit securum. Et si tractatum sit, eo die serpens non ferit.

De ceruorum sagacitate.

CAPVT XXXVI.

A *Ristoteles. Ceruus est animal sapiens, de quo etiam opinantur, quod inter animalia quadrupedia discretius sit*, *Quadrupedium discretior ceruus.* quia super viam vbi se non applicant animalia, prope homines parit. *Plin. lib.* 8. Ceruis quoque sua malignitas est, quamuis placidissimo animalium, vrgente vi canum, vltro confugiunt ad hominem, & in pariendo semitas minus cauent humanis vestigijs tritas, quam quæ secretæ sunt ac feris oportunæ. Maria tranant gregatim natantes, ordine porrecto capita sua præcedentium clunibus imponentes, vicibusque ad terga redeuntes, hoc maximè notatur à Cilicia Cyprum traijcientibus. *Nec terras vident, sed in earum odore natant*: his *Odorantur terras vltra marinas.* cum serpente pugna est, vt supra dictum est. Bene quoque bono suo inuidentes, dextrum cornu negant inueniri, tanquã præditũ aliquo medicamento. Idque mirabilius est, quod cũ omnibus annis & in viuarijs mutẽt, defodi ab his putant, fœminæ quoque purgant se ante partũ herba, quæ Syle dicitur, & sic facilius pariunt. Febrem hoc animal nen sentit, quin potius huic medetur tumori. *Ambrosius.* Ceruus cum nondum habet cornua, tamen

Ceruus seſe curat.

tamen fronte præludit, & ea quæ nondum expertus est, tela imitatur. *Ceruus quando ægrotat ramuſculos oleæ comedit, & ſanus fit. Iſidorus.* Cerui (vt dictum est) serpentium inimici, cum infirmitate grauari perſenſerint, ſpiritu narium eos extrahunt de cauernis, & ſuperata veneni pernicie, eorum pabulo reparãtur. Dictamnum herbam ipſi prodiderunt. Na n eo paſti ſagittas acceptas excutiunt. Mirantur autem ſibilum fiſtularum, arrectis auribus acute audiunt, ſub miſſis nihil: ſed quando immenſa flumina, vel maria tranſnatant, capita clunibus præcedentium ſupponunt, ſibique inuicem ſuccedentes, nullum laborem ponderis ſentiunt. *Solinus.* Cerui acceptis canum latratibus, ſecundum ventum vias dirigunt, vt odor cum ipſis recedat. Si maria tranant, non aſpectu petunt littora, ſed olfactu. Infirmos ponunt in vltimo & laſſorum capita clunibus per vices ſuſtinent. *Ex li. de na. re.* Cerui cornua in aquis mutant, quia dextrum cornu medicaminibus vtile nolunt reperiri ab homine, cum autem ſerpentem vorauerit, veneno æſtuante permotus ad fontem aquarum feſtinat: amat enim aqua dulci puriſſima aſſociari.

Mutant cornua in aquis.

De ipſorum venatione.

CAPVT XXXVII.

Modus venandi ceruos.

ARiſtoteles. Ceruus mas cum impinguatur latet, vt non ipſe propter pinguedinem venetur. Cerua quoque cum filijs ſuis vadit ad loca latentia, ſicut fiſſuras lapidum, quę non habent, niſi vnum introitum. Venatura autem ceruorum eſt ſecundum hunc modum, homines duo vadunt ſimul ad venandum, quorum vnus ſibilat, & canit ceruuſque ſequitur cantum, quia delectatur in ipſo, & tunc alius traijcit ipſum venabulo. Et ſiquidem auriculæ cerui fuerint eleuatæ audiet fortiter, ſtatimque cognoſcet illum, qui traijcere volet, ſi vero fuerint demiſſæ non cognoſcet. *Plin. li.* 8. Cerui mares ſoluti deſiderio libidinis, auidè pabula petunt, at vbi præpingues ſe ſenſerint, latebras quærunt, fatentes incommodum pondus. Alias vero ſemper in fuga quieſcunt, ſtantes quoque reſpiciunt, & cum prope ventum eſt, rurſum fugæ præſidia repetunt, fugiunt autem latratu canum audito ſecunda ſemper aura, vt habeant cum ipſis veſtigia. Fiſtula vero paſtorali mulcentur, & cantu, cæterum animal ſimplex eſt omnium rerũ miraculo ſtupens, in tantum, vt equo, vel buccula propius accedente, hominem iuxta venantem non cernat, aut ſi cernat arcum ipſum ſagittaſque miratur. Porro dictamnũ herbam extrahendis ſagittis potentem cerui monſtrauere, eo percuſſi telo paſtu herbæ illius electo. Vrgente quoque vi canum vltro ad hominem confugiunt. *Gloſſa ſuper cantica.* Cerui canibus inſequentibus per dumeta cornibus dorſo impoſitis illæſi euadunt. *Ex lib. de natu. rer.* Dicunt venatores, quia ſi ceruus à canibus inſecutus, aquas bibens intrauerit, à laſſitudine refocillatur, & ad curſum reparatur.

Dictamno extrahunt ſagittas.

Parit in vijs tutis.

De Ceruorum generatione.

CAPVT XXXVIII.

GLoſſa ſuper Cantica. Cerui tempore amoris, à patria diſcedunt, & tunc alter clunibus alterius capite impoſito ſe ſuſtentant, ordinatè incedentes, primoque fatigato vltimus ſuccedit. *Plin. vbi ſupra.* Cerua in pariendo ſemitas minus cauet, vt dictum eſt, humanis veſtigijs tritas, quam quę ſecretæ ſunt, ac feris oportunæ. Conceptus earum poſt arcturi ſydus, octonis menſibus ferunt partus interdum & geminos, à conceptu ſeparat ſe, at mares relicti, rabie libidinis ſæuiunt, & fodiunt ſcrobes. Tunc roſtra eorum nigreſcunt, donec aliqui abluant imbres. Iam vero ſoluti deſiderio libidinis, auidè pabula petunt. Ceruæ (vt dictum eſt) purgantur ante partum herba, quę dicitur ſyle, & ſic vtero faciliore vtuntur. *Idem in libro* 28. Tradunt quoque ceruas cum ſe grauidas ſenſerint deuorare lapillum, in excrementis repertum, qui adalligatus cuſtodit partũ. *Ariſt.* Ceruus (vt dictum eſt) maſculus vociferatur multum tempore coitus. Cerua non poteſt coitum pati propter duritiem virgæ maris, recipit autem fugiendo. Cerua paritura prius dracontæam comedit, cum vero parit, ſubito comedit ſecundinam fętuum antequam cadat ad terram, & eſt eius ſecundina venenum. Parit autem ſuper viã, quoniam ad locum illum animalia ſe non applicãt propter homines. Poſt partum vero filios ad loca latentia vnum introitum habentia ducit. Vnde cum alijs animalibus pugnare poſſunt. *Ex li. de nat. re.* Ceruorum mares ſtatuto veneris tempore ſæuiunt libidinis rabie. Fœminę vero concipiunt ante arcturi ſydus, id eſt Auguſto exeunte, ac Septembri intrante. Separant autem ſe conceptus tempore. Parit autem cerua in via calcata, & cum fœtu ſuo currit ſequendo ventum, ne ſi curreret obuiam vento, ventus vaporem eius deferens nunciaret iter ſuum inſequentibus eam, vt moreretur. *Porro iuxta Solinum* cerui teneros fœtus ſtudioſè occulunt, & abſconditos inter profunda frondium, vel herbarum, pedum verbere caſtigant ad latendum. Cumque maturuerit ad fugam robur, exercitio curſus docent, ac perabrupta ſalire aſſueſcunt.

Dracontea

Conſeruatio partus.

De Morbis. ac ſenectute eorum.

CAPVT XXXIX.

PLinius lib. 7. Ceruus quandoque fit inteſtino dolore ita infirmus, vt rumpatur interius. Febrium morbos (vt dictum eſt) hoc animal non ſentit, quinetiam huic medetur timori. Cerui quoque à phalangio percuſſi, quod eſt aranęæ genus, aut aliquo ſimili, cancros edendo ſibi medentur. *Iſidor.* Cerui cum infirmitate grauari perſenſerint, ſpiritu narium ſerpentes de cauernis extrahunt, ac ſuperata veneni pernicie, illorum pabulo reparantur. Herba quoque dictamno paſti ſagittas acceptas excutiunt. *Ambroſius.* Cerui quoque (vt dictum eſt) quando ægrotant ramuſculos oleæ comedũt, & ſani fiunt. *Solinus.* Cerui pro ætate ramos augent. Item incrementum in ſexennes perſeuerat. Denique numeroſiora fieri vltra non poſſunt, ſed craſſiora, quæ quidem caſtratis, nunquam creſcunt, nec tamen decidunt, patuit eos, nunquam febreſcere. Dentes vero monſtrant in eis ſenectutem, cum aut pauci inueniuntur, aut nulli. Ad dignoſcendam vero eorum viuacitatẽ Alexander Magnus torques plurimos ceruis innexuit, qui poſt annum centeſimum capti, necdum ſenij indicium præferebant. *Gloſ. ſuper pſalmum* 40. Ceruus ſenio grauatus excreſcentibus pilis, & cornibus, ſerpentem naribus haurit, quo hauſto æſtuat veneno, vnde fontem ad bibendum ardentiſſimè deſiderat, quo hauſto pilos deponit & cornua. *Ex libro de natura rerum.* Ceruus ſenex (vt ait Ariſtoteles) dentes non habet, vel paucos habet. Venatores autem pro experimento certiſſimo prodiderunt, quod ceruo ad ætatem grauidam veniente, oſſe capitis ſub oculo terebrato, naturaliter veſpæ concretæ ac formatæ interius ex humore ſuperfluo, vel (vt alij autumant) ex medulla prodeunt euolantes. Et tunc dicunt eum non poſſe diutius viuere, niſi ſecundum quod ſupra dictum eſt innouetur. Aliquando etiam eodem modo veſpas dicunt prodire concretas è naribus cerui.

Non ſentit febres.

Creſcunt vſque ad ſexennium. Centenarij.

Veſpa in capite cerui.

De Carnibus ceruinis, & adipe, & ſanguine.

CAPVT XL.

ISaac. Ceruina caro dura eſt ad digerendum, & melancholica, ſed tamẽ diuerſa ſecundum cõplexiones & ætates, ſicut de boue diximus. Nam lactantes cæteris decentiores, iuuenes autem duriores, decrepiti vero peſſimi. Sed iuuenes ſi caſtrati fuerint, meliores ſunt, quia calore temperantur & ſiccitate. *Auic.* Carnes ceruorũ cũ craſſitudine ſua velocis ſunt deſcenſionis, & faciunt euenire febres quartanas. *Idem*, caro cerui confert ſpaſmo, & adeps ſimiliter, qui ſcilicet adeps vehemẽtis calefactionis eſt. Et linimẽtũ ex eo factũ venenoſa fugat.

Caro ceruí.

Adeps.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hepar. *Aristoteles.* Hepar vero cerui valde malum est, quia corpus eius valde malæ complexionis est. *Solinus.* Patuit ceruos, nunquam febrescere, quam ob causam confecta ex medulla ipsorum, & vngula, sedant calores hominum languentium. Legimus plurimos *matutinis diebus ceruinam carnem degustare solitos sine febribus longæuos fuisse*, quod demum proderit, si vno vulnere fuerint interempti. *Plin. lib.* 25. Omnes animalium medullæ molliũt, complent, siccant, excalefaciunt, laudatissima vero ceruina. *Idem in eodem.* Cerui medulla liniendo sanantur vlcera, sanguis eius aluum sistit. *Dioscorides.* Sanguis cerui perunctus araneas, & vulnera mala compescit. *Hali vbi supra.* Sanguis cerui fricatus, valet contra venenum, quod sagittis supponitur.

Medulla vngula. Contra febres.

De Ceruorum cornibus.

CAPVT XLI.

Quouis anno mutat cornua. *Aristoteles.* Ceruus solus habet cornua solida radicitus, & dura, *soluſque mutat ea quolibet anno*, scilicet postquam fuerint completa. Deijcit enim propter necessitatem, & propter pondus, habetque iuuamentũ ad velocitatẽ corporis, nam multa ramificatio cornuum magis ei nocet quã iuuat. Eijcit autem ea, vbi graue est inuenire. *Vnde prouerbium: Vade vbi ceruus eiecit cornua.* *Prouerbiũ.* Præcipuè vero cornu cerui dextrum, sinistrum enim aliquando inuenitur, absondit enim ipsum, vnde putatur, quod in eo sit aliquod magnũ iuuamentũ. Eiectis autẽ cornibus non apparet, quoniam armis caret. Itaque timens lupos latet, nocte vero exit ad pascua, cumque redeunt cornua, sub sole stat quasi maturans, & desiccans ea, cum autem creuerint, experitur ea confricando ad arbores, & tunc exeunt securè, quoniam habent arma. Olim deprehensus est ceruus, super cuius cornua *creuerant hederæ*, scilicet ex arborum fricatione iuxta Plinium, & hoc accidit, quia cornua tunc erant mollia, profunditates in se concauas habentia. Solus ceruus (vt dictum est) habet cornua dura, non concaua, cæterorum namque sunt vacua. Cornua eius vsque ad sex annos augmentantur, & extunc ætas illius cognoscitur. Senex autem cognoscitur, quia dentes non habet. Quidam tamen dentes habent, sed paucos. *Plinius libro* 8. In ceruis cornua mares habent, solique animalium annis omnibus statuto veris tempore amittunt. Latentque amissis velut inermes. Indicia quoque ætatis in illis gerunt, singulis annis adijcientibus ramos, vsque ad sexennes. Ab eo tempore similia reuiuiscunt, nec potest ætas discerni, sed dentibus senecta declaratur. *Hederæ crescentes super cornua cerui.* *Castrati.* *Non decidunt castratis cornua*, nec nascuntur: quamdiu carent his, noctibus procedunt ad pabula. Erumpunt autem renascentibus tuberibus, primo aridæ cuti similia. In crescentia solis vapore durant.

De Medicinis ex cerui cornibus.

CAPVT XLII.

Vsus medicinalis ex cornu ceruino. Ceruis (vt supra dictum est) cum serpentibus pugna est. Ideoque singularis serpentibus abigendis odor est adustum cerui cornu. *Plinius.* Cornu ceruini vsti nidor comicialem morbum, siue caducum deprehendit. Eiusdem cornu cinis illitus ex aceto, vel rosaceo dolorem capitis sedat. Idem cinis dentes mobiles fricando, vel colluendo confirmat, eorumque dolores mitigat. Idem quoque valet crudi cornu farina. Item cinis prædictus rheumatismos sanat, & sanguinis excreationes curat. Cæliacis ac dysenthericis medetur tribus digitis in potione aquæ acceptus. Tynearum quoque genera, id est vermes, pellit potatus. Regio morbo prodest ex vino. Vlcera quoque sanantur eo, vel medulla cerui (vt dictum est) liniendo. *Solinus.* Ex cornibus autem cerui, dextrum efficacius est ad medelam. Si vero angues fugare gestias vtrumve vras. Quodque vstum præterea nidore suo vitium aperit ac detegit, si cui morbus ineſt comicialis. *Auctor.* Quia vero cornu dextrum (vt dictum est) ad medelam, efficacius est. Ideo dicit Plinius, quod ceruus hoc inuidens, homini, cornu dextrũ abscondit ne queat inueniri. Idem quoque dicit liber de nat.re. Aristoteles, vero dicit eum abscondere cornu sinistrum, tanquam in eo sit aliquod iuuamentum. *Aui. in 2. can.* Cornu cerui adustum donec albescat, abstergit dentes fortiter, stringitque gingiuam, & sedat inflatæ gingiuæ dolorẽ. Item cornu cerui, & capræ adustum, & albificatum, sicut sal ablutum prohibet materiam ab oculo. Cernu cerui adustum ablutum confert sputo sanguinis, & dysenteriæ. Item detumescere facit latus, nec stomacho nocet, & confert ictericiæ. *Æsculapius.* Cerui cornu omnes humores exiccat, & in collyrijs ponitur. Combustum dentes ex eo fricatos confirmat. Puluerizatum, & cum vino bibitum caducos sanat, & fluxus ventris restringit ac lumbricos occidit, quod si aduratur in domo, serpentes odorem illum fugiunt.

De cæteris ex ceruo medicinalibus.

CAPVT XLIII.

Lachryma ossis. *Physiologus.* Ceruorum lachrimæ collectæ, & ossa inuenta in corda ipsorum apta sunt potui cordis pulsu laborantibus. *Platearius.* In corde cerui reperitur quoddam os in sinistra parte, in qua est quædam concauitas, ad quam splen habet respiraculum, & emittit superfluitatem, quæ ibi propria siccitate in substantiam mutatur ossuosam. Illud est de sanguine cordis subrusum, habet virtutem depurandi fumum melancholicum. Datur & contra cardiacas, & syncopem, & contra hæmorrhoides. *Æsculapius.* Præterea si quis in corio cerui voluitur, serpentes non timet: medulla quoque cerui dolores sedat. *Hali.* Coagulum cerui contra potum cicutæ, & fungorum esum prodest. Vrina cerui splenis dolorem adiuuat. Ventositati stomachi, & intestinorum prodest. Auribus instillata medetur earum vlceribus instillata quoque naribus illius, qui odoratu priuatus est, manifestius prodest, ac etiam si caput lauetur furfures extirpat. Testes cerui siccati, & in vino sumpti tyriæ morsum iuuant. Extremitas vero caudæ cerui si bibatur interficit. *Auicenna in 4. canone* Extremitas vero caudæ cerui venenum est, & ipsam bibenti accidit angustia vehemens, & syncopis, & mors. Sed cura eius est, vt euomat cum butyro, & aneto, deinde in potu dentur auellanæ, & fistici, & forlusaharagi confecta simul. *Plinius libro* 28. Pulmo ceruinus cum gula subarefactus in fumo, deinde tusus ex melle tussim sanat. Coagulum cerui ex aceto sanguinem sistit, hinnuli vero coagulum matris vtero execti summis præfertur remedijs.

Sanguis. *Medulla.* *Coagulum vrina.* *Testes.* *Cauda.* *Pulmo.*

De cuniculo.

CAPVT XLIIII.

Cuniculi. *Isidorus.* Cuniculi sunt genus agrestium animaliũ, sic dicti quasi caniculi, eo quod canũ indagatione capiantur, vel à speluncis excludantur. *Plin. li.* 8. Leporum genera sunt, quos Hispani cuniculos appellant. Varro auctor est à cuniculis suffossum in Hispania oppidum. Cuniculi fœcunditatis innumeræ sunt, famemque Balearum insulis populatis messibus afferunt, certumque est Balearicos aduersus eorum prouentum auxilium militare à diuo Augusto petijsse. Fœtus ventre exectos, vel vberibus ablatos non repurgatis intraneis in cibatu gratissimos habet, laurices vocant. Magnaque propter eorum venatum in terris est gratia. Injciunt eas in specus, qui sunt multifores in terris, vnde & nomen animali, atque ita eiectos supernè capiunt. *Auctor* est Archelaus quot sint corporis cauernæ ad excrementa lepori totidem annos esse ætatis. Varius certè numerus reperitur. *Idem* vtramque vim singulis ineſſe. At eos *sine mare æquè gignere* benignaque circa hoc natura, Innocua, & esculenta generauit animalia fecunda. *Ex libro de natura rerum.* Cuniculus est bestia lepore minor, colore, & forma prope ei similis.

Auxilium militare cõtra cuniculos à Cæsare petitum. *Sine mare gignunt.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Hæc in antroſa habitacula terrã fodiens nocte vineta frugeſque depaſcit. Mane vero antrum ingrediens os eius æquat terræ puluere, per intrinſecus, ne ſuperuenientes homines per diem eius habitaculum deprehendant. Vbicumque habitant cuniculi multiplicantur nimis, quia ſæpius in anno pariunt, cumque aliqui ex eis aliquid illic aduerſi ſenſerint, alias fugiunt. Nec mora cæteri ſociorum iniuria dedignati, locum cum illis dimittunt. Hi auerſis poſterioribus coeunt, quoniam illis auerſum eſt membrum genitale. *Iſaac.* Cunniculus vim habet diſſoluentem, propriè etiam ſtomachum confortat, ventrem diſſoluit, vrinam prouocat, vtilius quoque eis, qui elephantico morbo apparati ſint.

Vſus medicus.

De damula, & dromeda.

CAPVT XLV.

Damula. I *Sidorus.* Damula vocata eſt, eo quod de manu effugiat, tumidum animal, & imbelle. *Vnde Martialis.* *Martialis.* *Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum, Imbelles dammæ, quid niſi præda ſumus? Gloſſa ſuper Parabol.* Damula eſt animal mundum, velox, perſpicax, vnde ſcriptum eſt. *Eruere quaſi damula de manu*, &c. *Plinius vbi ſupra.* Damę raro manſueſcunt, cum feræ iure dici non poſſint. Complura namque ſunt nec placida, nec fera, nec mediæ inter vtrumque naturæ vt in volucribus hyrundines, apes in campo, in mari delphini. *Idem in lib.* 11. Natura dedit cornua damis in aduerſum, erecta autem rugarumque ambitu contorta, & in leue veſtigium exacuta, vt lyras decerent. *Auicenna in* 2. *cano.* Damulæ caro more emplaſtri ponitur ſuper dolores iuncturarum. *Emplaſtrũ ex carne damula.* Eadem cum vino miſcetur, & bibitur propter epilepſiam, vel ſoda. Item exſiccata cum vino in potu accepta confert venenis. *Hali.* Virga damulæ ſiccata trita, & bibita morſui ſerpentium prodeſt. Idem facit, & virga cerui. *Virga.* *Iſidorus.* Dromeda genus eſt camelorum, minoris quidem ſtaturæ, ſed velocioris, vnde & nomen habet. Nã dromos Græcè curſus, & velocitas appellatur. Centũ enim, & amplus miliaria vno die peragere ſolet. Quod ſcilicet animal ſicut bos, & ouis, & camelus ruminat. *Dromeda.*

De hædo.

CAPVT XLVI.

Hædus. Hædus ab edendo dictus eſt. Parui enim pinguiſſimi ſunt, & ſaporis iocundi. Inde, & edulium vocatur. *Palladius vbi ſupra.* Hædis autem nutriendis ſupra lactis abundantiam edera, vel lentiſci cacumina ſæpe præbenda ſunt. *Plinius lib.* 8. Hædi Luna decreſcente caſtrandi ſunt, ſicut & vituli. *Idem in libro* 18. Sanguis hædi recens cum aceto acri feruens potus ſanguinis excreationes iuuat. Eius pulmo ebrietatem arcet, & vrinæ incontinentiam cohibet. Quidam etiam carnem hædorum recentem cum pilo ſuffumigant, eodemque nidore ſerpentes fugant. Vtuntur & ipſorum pelle recente ad plagas. In profluuio mulierum vtile putant eorum pilos ſuffumigari, & in profluuio ſanguinis hædi coagulum bibi. Hędi coagulum prodeſt contra viſcum, & contra cameleonem, album ſanguinem, & taurinum. Idem ex aceto ſanguinem ſiſtit. Capræ quidem ſanguis (vt dictum eſt ſupra) decoctis cũ medulla ſumitur contra venena toxica. Hædinus autem ſanguis contra reliqua. *Fœminum* hædi cinis inteſtina rupta mirè ſanare traditur, hædi quanto fuerint à natiuitate remotiores tanto erunt deteriores, Econtra autem eſt de fœtu porcę. Nam fœtus ſiccæ quanto fuerit natiuitati propinquior, tanto erit melior, humidæ vero deterior, hædi, ſiue capri dum lactantes ſunt, digeſtioni obediunt, propter carnium ſuarum teneritudinem, & ætatis paruitatem. Econtrario eſt de carnibus caprinis, vt ſuperius dictum eſt. *Auicenna.* Caro quippe caprarum veterum craſſi nutrimenti eſt, ac vehementis calefactionis, & difficilis digeſtionis. Caro vero parui melior eſt, ſicut hædi, hæc enim ſubtilioris nutrimenti eſt, magiſque ſuſceptibilis digeſtionis. *Idem.* Caro hædina minorum eſt ſuperfluitatum arietina. Et etiam omnis animalis ſiccæ complexionis caro melior eſt parui, quam magni, vt caro hędi. Coagulum hædi ſanat à veneni omnibus morſuris. Sanguiſque edi recens, antequam coaguletur acceptus, & cum aceto tribus diebus bibitis calefactus valet, vt quidam teſtificati ſunt, & ad conſeruandam mamillam, ita vt remaneat ſtans. Renes hædi lactantis laudabiliores ſunt renibus cæteris. *Hali.* Coagulum hæduli contra potum cicutæ prodeſt, eique qui fungos comedit. *Veteres tapra craſſi nutrimenti.* *Sanguis hadi medicatiuus.* *Pulmo.* *Caro.* *Famina.* *Congulum hadi.* *Renes.*

De equo.

CAPVT XLVII.

Equus. I *Sidorus.* Equi dicti ſunt, eo quod quando quadrigis iungebantur, æquabantur, pareſque forma, & ſimiles curſu copulabantur. *Caballus.* Caballus autem antea dictus eſt à cauo, eo quod gradiens vngula impreſſa terram concauet, quod reliqua animalia non habent. Inde & ſonipes, quia pedibus ſonat. *Plinius libro* 8. Schythę per bella fœminis equorum vti malunt, quoniam vrinam curſu non impedito reddunt. Viuunt mares annis aliquando quinquagenis, fœminæ minore ſpacio. Eædem finem creſcendi capiunt quinquennio, mares anno addito. *Idem in libro* 10. *Quæ ſorbeant in potu?* *Animalia quibus continui dentes ſunt in potu ſorbent, vt equi, & boues. Idem in libro* 28. *Vt equi ſemper curant.* *Equis adalligati dentes luporum inſatigabilem præſtare dicuntur curſum. Ariſtoteles.* Equus oculos habet diuerſi coloris vnius ab altero. Nec eſt oculorum varietas niſi in hominibus, & equis. Contra naturam etiam omnium animalium eſt, quod cum ſeneſcit equus dentes eius albeſcunt. Item equus felle caret. *In corde equi, & vaccæ ſunt oſſa.* *Nota.* Ibis auis eſt, quæ odit equum, & vocem eius imitando ſtupefacit ipſum, ac fugere cogit, & forte interficit. Equus diligit aquam turbidam ad bibendum, ſicut vacca claram. *Gloſſa.* Ideo Ægyptus fortè abundat equis, quia Nilus turbidus eſt. *Idem Ariſtoteles.* Denique ſi fuerit aqua clara plerumque turbat equus illam pede. Multum quoque diligit per aquam natare. Habet fel hepati applicatum, ſicut ceruus, & mulus. Voces equorum diuerſificãtur ſecundum ætates. Nam in primo ſunt debiles. Sed vox maſculi maior eſt, in ſenectute firmantur voces, & fiunt maiores. Et quando coire incipiunt erit vtriuſque vox maior, fœminæ tamen clarior. Item animalia dentes æquales habentes, quę non ex eis faciunt ſerram, ſugunt aquam vt equus, & taurus. Animalia quoque ſoleas habẽtia, ſicut equus, & mulus, & aſinus vnicum habent vterum: animal fiſſuris pedum carens, & paucos filios habens, diſtinctionem habet mammillarum ſub aſcellaria, ſicut equa, & camela. *Maior vox equina in ſenectute.*

Lac equæ, & aſinæ non eſt conueniens, vt ſit caſei materia. Natura ordinauit caudas equorum longas cum pilis, & iubas in collo, deditque pro iuuamento velocitatem equis. Somniat etiam equus, ſicut homo, & taurus, & caper, & canis: pugnat autem, & tempore dentes mutat, non tamen omnes ſimul. *Ex li. de nat. rerum.* Sola quidem animalium equus ac ceruus, & vacca habent in corde oſſa cartilaginoſa, & hoc propter ſui magnitudinem, vt ſcilicet cor ſuis oſſibus ſuſtentetur. *Æſculapius in lib. de mitil.* Si calcauerit zoſach, id eſt equus vbi veſtigium fuerit dorim, id eſt vrſi, accidit ſtupor eius pedi. *Renatus Vegetius de re militari.* Equorum ſetæ de caudis ac iubis ad baliſtas vtiles aſſeruntur, licet arcus vel baliſtæ cæteraque ornamenta, niſi funibus neruilibus intenta, nihil prodeſſe dicantur. *Cauda equorum cur longa.*

De ingenio, & affectu equorum.

CAPVT XLVIII.

Iudicio polleat equus. S *Olinus.* Equis ineſſe iudicium, documentis plurimis eſt patefactum. Nam equus Alexandri Bucephalus cum ab equario ſuo alias molliter ſederetur, accepto Regio ſtratu neminem vnquã alium preter dominum

vehere

vehere eſt diguatus. Documenta eius in prælijs plura ſunt, quibus Alexandrum crudeliſſimis certaminibus ope ſua extulit. Equus Caij Cæſaris nullum præter Cæſarem dorſo recepit, cuius priores pedes, facie veſtigij humani tradunt fuiſſe. Regem Scytharum, cum ſingulari certamine interemptum, aduerſarius victor ſpoliare vellet, ab eius equo calcibus morſuque laceratus eſt. *Affectus equinus. Lachrymatur.* Affectum etiam equinum lachrymæ probant. Denique interfecto Nicomede Rege, equus eius inedia vitã expulit. Inimicos etiam partis ſuæ norunt, ita quod hoſtes inter prælia morſu petunt. Verũ hi mores in equorũ genere præſtantiſſimo reperiuntur. Nam qui infra nobilitatem ſati ſunt, nulla documenta ſua præbuerunt. Voluptatem in his ineſſe, circi ſpectacula prodiderũt. Quidam enim equorum, cantibus tybiarum, quidam ſaltationibus, quidam colorum varietate, nonnulli etiam accenſis facibus ad curſus prouocantur.

Iſidorus. Equorum quidam hoſtes in bello ſentiunt, adeo vt aduerſarios morſu petant. Aliqui etiam proprios dominos recognoſcunt, obliti manſuetudinis niſi vincentur. Aliqui præter dominum dorſo nullum recipiunt. Interfectis, vel moriẽtibus dominis, multi lachrymas fundunt. Solum enim equum fertur propter hominem lachrymari, & doloris affectum ſentire, vnde in Centauris equorum & hominum natura permixta eſt. Solent etiam ex equorum, vel mæſtitia, vel alacritate; futurũ euentũ dimicaturi colligere. *Alexander.* Certiſſimum autẽ eſt, quod equi generoſi ſuos dominos affectuosè diligũt, quod patuit in equo Rodati, qui mortuo *Equus Rodati monachi.* Carolo Magno monachus apud Melden effectus, poſt multa tempora irruentibus Paganis, equum quem ibidem depoſuerat inſilijt, Quem gaudenter equus, licet iam grandęuus ſuſcepit, portauitque gratanter, quouſq; de hoſtibus ſuis triumphauit. Et hic erat de illis, qui nullum ſeſſorem præter dominum proprium admittere voluit. *Plin. li. 8.* Equis eſt cognationum intellectus, & in *Non coit cũ matre.* grege prioris anni ſororem libentius, quã matrem comitatur. Inuenimus equum, detracto operimento oculorum, cognito cum matre coitu, prærupta petiſſe, atque exanimatum fuiſſe. Et eadem cauſa æquam in agro Reatino, laceratumque aurigam pariter inuenimus. Equus ergo eſt animal fideliſſimum erga homines ſicut & canis. Pugnam præſagit, & amiſſum dominum luget, Tãtaque illi docilitas, vt vniuerſus Sybaritani exercitus equitatus, ad Symphoniæ cantum ſaltatione quadam inueniatur moueri ſolitus.

De generatione ipſorum.

CAPVT XLIX.

Ariſtoteles. Equus, & equa plus diligunt coitum quam animalia cætera, præter hominem. Equa quoque furit concupiſcentia coitus, olfaciendo ſe inuicem ore ad os concupiſcentiam prouocant. Maſculus ſupra matrem ſuam non ſalit. Vnde equus aliquando, ſicut ſupra dictum eſt, matrem ſuppoſitam agnoſcens, ſubito fugit, ſeque præcipitauit. Coit autem equus duũ, vel trium annorum, ſed debile generat. Fortis autem eſt *Ætas apta generationi.* à quatuor annis vſque ad viceſimũ, & fortis eſt quouſque generat. Tota vita ſua coit. Et vſque ad annos 30. vel vſque ad 35. viuit. Equa vero vſque 40. Equus cum equa coit etiam imprægnata. Nullaq; fœmina poſt imprægnationem recipit coitũ, niſi mulier, & equa. Equus implet matricem fœminæ non determinatis diebus, ſed aliquando vno, vel duobus, aut tribus, vel amplius. Et eſt equorum coitus iuuenum ante tempus determinatum, ſi bonum habuerint cibum. Non eſt lædens coitus equorum, ſicut coitus taurorum. Partus equarum melior eſt, quam omniu n aliorum quadrupedum. Appareteq; præcipuè in equabus, & vaccis menſtruum. *Plinius vbi ſupra.* Ad generandum quidem paucis animalium minor fertilitas eſt, quam equis. In hoc genere grauida ſtans parit: præter cæteras fætum diligit, amiſſa parente in armenti grege, reliquæ fætæ cibum educant. Coitus equinoctio verno, partum in eo genere *vnde-*

A *cim menſibus ferunt*, duodecimo gignunt. Conſtat in Luſitania circa Vlixipponem oppidum, & Tagum amnem equas flante Fauonio obuerſas, animalem concipere ſpiritum, eumque fieri partum, & ita gigni perniciſſimum, ſed triennium vitæ non excedere. *Partum ferunt vndecim menſibus.*

Idem in libro 10. Equi ſingulos gignunt, ſicut cameli, & elephanti. Equarum iubas tonderi præcipiunt, vt aſinorum coitum patiantur humiliatæ, comantes enim gloria ſuperbire, à coitu ſolæ animalium equæ, currunt ex aduerſo ad aquilonem auſtrumve, prout marem, aut fœminam concepere. Colorem illico mutant rubiore pilo, vel quicumque ſit pleniore. Equos, & canes ac ſues hinnitum matutinum appetere. Fœminas autem poſt meridiem blandiri diligentiores tradunt. Item equas poſt vnum aut tertium diem ab enixu admitti vtiliter B putant, coguntque inuitas. *Solinus. Equarum libido extinguitur rubis tonſis.* In quarum partu amoris naſcitur veneficium, quod in frontibus præferunt recentes editi, fuluo colore, caricis magnitudine ſimile, hippomanes nominatum. Quod ſi perceptum ſtatim fuerit, nequaquam mater pullo præbet vbera vellicanda. Quo quis acrior fuerit, ſpeique maioris, eo profundius nares merſitat in bibendo. Mas (vt dictum eſt) ad bella nunquam producitur apud Schytas, eo quod fœminæ exonerare veſicas, & in fuga poſſunt. In proximis Vlixipponis oppidi equæ laſciuiunt mira fæcũditate. Nam aſpirante Fauonij vento concipiunt, & ſitientes viros, aurarum ſpiritu maritantur. Edunt ergo equæ, & ventis conceptus, Sed hi nunquam vltra triennium æuum trahunt. *Ex libro de natura rerum.* Equa ſterilis intelligitur eſſe, ſi non primo coitu cæperit generare. Imprægnata vero quandoque facit abortum, ſi ante nares eius candela cerea extinguatur. *Modus extinguendi equarum libidinem.*

De emiſſarijs ad equas admittendis.

CAPVT L.

Palladius lib. 4. Equi vero emiſſarij ſaginati ante vel paſti menſe Martio, generoſis equabus admittendi ſunt, & repletis fœminis, iterum ad ſtabula colligendi. Neque tamen æqualem numerum omnibus debemus exhibere, ſed æſtimatis viribus vniuſcuiuſque emiſſarij ſubmittenda ſunt pauca, vel numeroſa coniugia. Quæ res efficiet, emiſſarios non parua ætate durare. Iuueni cum equo, & viribus formaque conſtanti, non ampliuſque duodecim, vel quindecim debemus admittere pro qualitate virium ſuarum. Eadem in equabus conſideranda ſunt. maximè vt ſint longi, & magni ventris, & corporis, ſed hoc in generoſis ſeruetur armentis. Cæteræ paſſim toto anno inter paſcua dimiſſis ſecum maribus impleantur. Equarum natura eſt partum ſpacio duodecimi menſis abſoluere. Illud in emiſſarijs eſt ſeruandum, vt membris aliquibus ſpacijs ſeparentur, propter noxam furoris alteram. Sed his armentis paſcua legantur pinguiſſima hyeme. Aphrica frigida, & opaca prouideantur æſtate, nec adeo mollibus locis nata, vt vngularum firmitas de aſperitate nil ſentiat. Si equa marem pati noluerit, trita ſquilla naturalia eius infecta libidinem concitabunt. Deinde grauidæ non vrgeantur, nec famem friguſque tollerent, nec inter ſe locis comprimantur anguſtis. *Plinius li-* E *bro* 8. In equorum genere partum vndenis menſibus ferunt, duodecimo gignunt. Coitus verno æquinoctio bimo vtrimque vulgaris, ſed à trimatu firmior partus. Generat mas ad annos 33. vtpote cum à circo poſt 20. annum mittantur ad ſobolem. *Zeno in libro de animalibus.* Equa fæta cum odorat quod eſt in ſebo renum vaccæ, egreditur partus eius. *Equi equabus admittendi menſe martio.* *Vt partus equa fiat.*

De pullis equorum nutriendis, atque domandis.

CAPVT LI.

Plinius. Equinum autem fætum mater præter animalia cætera diligit, quem ore terram attingere poſſe

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

negant triduo proximo, quam genitus ſit. *Ariſtoteles.* Genus equorum naturaliter ſpeciem ſuam diligit, ita quod equa mortua, pullum eius relictum aliqua nutriendum ſuſcipit. Aliquando quidem accipit eum equa ſterilis, ſed quia non habet lac, periclitatur pullus. *Pullus equi poſteriori parte pedis caput ſuum tangit, equus autẽ non poteſt. Palladius vbi ſup.* Generoſas equas, & quæ maſculos nutriũt, alternis annis ſubmittere debebimus, vt pulli puri ſint, & copioſi lactis robur infundant. Cęteræ paſſim replendæ. Ætas incipientis admiſſarij quinti anni initio eſſe debebit. Fęmina rectè, & bima concipiet, quia & poſt decennium, quod ex ea naſcetur erit tardum. Pulli equarum nati manu tangendi non ſunt, quia eos tactus lædit aſſiduus. Quantum ratio patitur, defendatur à frigore. In pullis pro ætatis merito, ea ſunt conſideranda, quæ ſignum bonæ indolis monſtrant, quæ in matribus, vel patribus ſpectanda præcepi. Dabit, & hilaritas, alacritas, agilitaſque documentum. *In Martio domandi* ſunt pulli, niſi tempus bimę ætatis exceſſerint. Conſideranda ſunt autem magna, lõga, nigra, muſculoſa, & arguta corpora, teſticuli pares, exigui, & cætera, quæ in patribus dicta ſunt. Mores, vt vel ſumma quiete facile concitentur, vel excitata feſtinatione non difficile teneantur: ætatis conſideratio talis, Bimo, & ſexto menſium, dentes medij ſuperiores cadunt, Quadrimo canini mutantur, infra ſextum annum molares ſuperiores cadunt, Sexto anno quos primo mutauit exæquat, ſeptimo anno omnes dentes eius explentur. Latent hinc ætatis notæ, ſed prouectioribus tempora cauari incipiunt, ſupercilia caneſcere, dentes plerumque prominere.

Nota.

Tactus nocet pullis.

Domandi in Martio.

De caſu dentium.

Prouectioris ætatis ſignũ.

De Melioribus equis eligendis.

CAPVT LII.

EX *lib. de natu. rer.* Equi vniuerſis ferè partibus orbis generantur, ſed illi præcipui qui in Scythia & Cappadocia, hi ad ſonitum buccinæ gaudent, & congreſſionibus gloriantur. Horum libido iubis tonſis extinguitur. Harum enim gloria ad coitum agitantur. In equis præcipuè, & omni genere iumentorum aures indicia animi præferunt. Marcidę feſſis, nutantes pauidis, ægris reſolutę, furentibus ſubrectæ. In coloribus equorum niger eſt optimus, Rufuſque vel glaucus, Albus etiam plerumque bonus. Cæteri vero deteriores iudicantur. *Iſidorus.* In generoſis equis (vt aiunt veteres) quatuor expetuntur. Forma, pulchritudo, meritum, & color. Forma, vt ſit validum corpus, & ſolidum robore, conueniens altitudo, latus longum, maximi, & rotundi clunes, pectus latè patens, corpus omne muſculorum denſitate nodoſum. Pes ſiccus etiam cornu concauo ſolidatus. Pulchritudo, vt ſit exiguum caput, & ſiccum, pelle prope oſſibus adhærente, aures breues, & argutæ, oculi magni, nares patulæ, erecta ceruix, comę denſæ, & cauda, vngularum ſoliditas, fixa rotunditas. Meritum, vt ſit animo audax, pedibus alacer, trementibus membris, quod eſt indicium fortitudinis, quiquę ex ſumma quiete facile concitetur, vel excitata feſtinatione non difficile teneatur. Motus equi intelligitur in auribus, virtus in membris trementibus. Color hic præcipuè expetendus, badius, aureus, roſeus, myrteus, glaucus, ſcutulatus, canus, candidus, guttatus, niger. Sequenti autem ordine varius ex nigro badioque diſtinctus. Reliquis varius color & cinereus deterrimus. Badium autem antiqui vadium dicebant, quia inter cætera animalia fortius vadat. Ipſe eſt, & ſpadix quem fœnicatum vocant, & dictus ſpadix à colore palmæ, quam ſiculi ſpadicam vocant. Glaucus eſt velut oculos pictos habens, & quodam colore perfuſos. Canus, qui ex colore candido, & nigro eſt. Scutulatus dictus eſt, propter orbes quos habet candidos inter purpuras, myrteus autem eſt preſſus in purpura.

Aures indicium animi.

Quatuor in generoſo equo.

2.

3.

4.

Colores equorum.

De vſu equorum in prælijs.

CAPVT LIII.

AVctor. Equus autem (vt ait Salomon) ad diem belli paratur, cuius videlicet nobilitatem, & audaciam deſcribit Dominus ad Iob, ita loquens. *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius binnitũ.* Gloria narium eius terror, terram vngula fodit. Exultat audacter, in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cædit gladio feruens, & fremens, ſorbet terram nec reputat rubæ ſonare clangorem, vbi audierit buccinam, dicuntur quoque procul, odorare bellum exhortationem ducum, & vlulatũ exercitus. Tales (vt dictum eſt) præcipuè in Scythia, & Capadocia ſolent eſſe alia quoque documenta in pręlis ſuperius dicta ſunt in capitulo de ingenio, & affectu equorum, & ſimiliter de electione meliorum. Dicit autem Ariſtoteles, quod cum equus audit illius cum quo præliatur hinnitum, cognoſcit ipſum. Solinus. In bellis equi ſuæ partis inimicos norunt, adeo vt inter prælia hoſtes morſu petant. Ad bella nunquam Scythæ mares producunt, eo quod fœminæ exonerare veſicas etiam in fuga poſſunt. *Renatus Vegetius in libro de re militari primo.* Equorum ſalitio non ſolum à Tyronibus, ſed etiam à ſtipendiarijs militibus diſtrictè ſuperexacta eſt. Tantaque cura huius rei ſolet eſſe, vt non ſolum à dextris, ſed etiam à ſiniſtris partibus, & inſilire condiſcerent de ſilice, hoc enim aſſidua meditatione faciebant, vt ſcilicet ſine mora in tumultu prælij aſcenderent, qui tam ſtudioſè in pace ſe exercebant. *Idem in libro* 3. Equa cataſtratiati propter munimenta, & arma; quę gerunt à vulneribus quidem ſunt tuti, ſed propter impedimentum, & pondus armorum facilè eſt ipſos capi, quia frequenter contra diſperſos pedites, quam contra equites in certamine ſunt obnoxij. Melius tamen ante legiones poſiti, vel cũ legionariis mixti ſunt, quando cõminus hoc eſt manu ad manum pugnatur, quia acies hoſtium ſępe rumpunt.

Prou. 21.

Iob. ta. 22.

Equi in bellis quid præſtant.

De vinacitate equorum, & morbis.

CAPVT LIV.

ISidorus. Equorũ vinacitas multa eſt. Exultant enim in campis, odorant bellum, excitantur ſono tubæ ad præliandum, voce accenſi ad curſum prouocantur. Dolent cum victi fuerint, & exultant cum vicerint, & cætera, quæ ſuperius dicta ſunt. Eſt ergo ætas longæua equis Perſicis, & Epyroticis, ac Siculis in annos quinquaginta. Breuior autem Hiſpanis, & Numidis, & Gallicis. *Solinus.* Ætas longior eſt maribus, Legimus equum *in annos* 70. vixiſſe. *Ariſt.* Equus ſolus animalium in ſenectute caneſcit pręter hominem. Eſt enim canities quidam modus debilitatis humoris in cerebro, pauciaſque digeſtionis, & tamẽ apparet in equis propter tenuitatẽ oſſium capitis. Fortis (vt dictũ eſt) equus à quatuor annis vſque ad 20. & forte eſt quod generat, viuit vſque ad annos 30. vel 35. Equa vero vſque ad 40. Contra naturam vero omnium animalium eſt, quod cum ſeneſcit equus albeſcunt dẽtes eius. *Ex li. de na. re.* Equus habet dentes 40. quorum primos amittit à natiuitate menſe 30. vtrinque binos, & anno ſequenti totidem illis proximos. Quidam tamen dicunt, quod in noſtro orbe (vt dicit Plinius) à quinto anno incipiente binos amittit, qui anno ſexto renaſcuntur. Septimo vero habet renatos omnes dentes, & immutabiles. Porro in ſenectute albeſcuut, vt dictum eſt. *Plinius libro* 8. equum annis 75. proditur vixiſſe, huic autem fere *qui, & homini morbi sũt.* *Idem in libro* 11. De carnibus autem equorum veſpæ ſcrabroneſquo naſcuntur. *Idem in libro* 28. Traduntequas menſtruo tactas dum grauidæ ſint abortum pati, quin & aſpectu omnino quamuis procul viſas. Dãnatur autem inter venena tantũ fel equinum, ideoque faminil ſacrorum tangere non licet equum, quamuis Romę publicis ſacris immoletur. *Idẽ in li.* 32. Equorũ ſcabiem extenuant ranæ in aqua decoctæ, donec poſſint illini,

Equus ſeptuagenarius

Dentes equi 40.

Morbi.

Abortus equarum.

Scabies

aiuntque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iuntque, ita curatos postea non repeti. *Arist.* Equis pascentibus *accidit podagra*, & eijciunt sotulares, nouique nascuntur eisdem. Item cum pascuntur in domibus, accidit eis ilios. Et huiusmodi signum est, quod adunantur membra posteriora propter constrictionem. Item equus abscinditur, quandoque a comestione, & cum minuatur ei iuuabitur. Item equis accidit humorum contractio, cuius signum est, quod omnes extenduntur venæ, similiter caput, & collum, & grauat eos ambulare. Accidit in eis congregatio veneni. Et accidit eis etiam infirmitas alia in ore, quæ dicitur formi, cuius signum est, quod palatum cadit, & eius anhelitus calidus fit, hæc infirmitas caret remedio, nisi curetur per se. Accidit equis rabies. Cuius signum est, quod tunc declinant eorum aures ad colli partes. Est & infirmitas vesicæ, Cuius signum est, quod non possunt mingere, trahuntque coxas suas,& sotulares. Equa imprægnata cum *olfecerit candelam extinctam, abortiet.*

Podagra.

Infirmitates alia equorũ.

Nota.

De diuersis equorum generibus, & equifero, & equiceruo.

CAPVT LV.

Trina genera equorum.

Isidorus. Equorum tria sunt genera. Vnum generosum, prælijs, & honoribus aptum, Alterum vulgare, atque gregarium, ad vehendum, vel equitandum aptum. Hos antiqui veredos dixerunt, quasi vehentes redas, idest ducentes. Tertium ex permixtione diuersi generis ortum, quod etiam dicitur bigenerum, quia ex diuersis nascitur, vt mulus. *Plinius.* Ex *Asina enim & equa mula* gignitur mense tredecimo, alias in labore viribus eximium, ad tales partus equas, nec quadrimis minores, nec decennibus maiores legunt, arcerique vtrumque genus ab altero narrant, nisi in infantia eius generis, quod ineant lacte hausto. Qua propter subreptos pullos in tenebris equarum vberi, asinarumve equuleos admouent. Itaque quod obseruatum est ex duobus diuersis generibus, nata tertij generis fieri, & neutri parentum esse similia, *ipsaque, quæ ita nata sunt, non gignere in omni animalium genere, Iccirco mulas non parere.* Theophrastus tamen *in Cappadocia parere tradit*, & esse id animal ibi sui generis. *Isidor.* Centauris autem species vocabulum indidit, idest hominibus equo mixtis. Quos quidam equites Thessalorum fuisse dicunt. Sed pro eo quod discutientes in bello velut vnum corpus equorum, & hominum viderentur, inde Centauros fictos asseruerunt. Dicunt itaque quædam fabulosa portenta hominum, quæ non sunt, sed ficta in causis rerum. *Idem.* Equiferos autem illos dicimus equos, qui de agresti genere octi sunt, & proinde ad vrbanam dignitatem transire non possunt. *Ex lib. de na. re.* Equiceruus est animal Orientis ad magnitudinem cerui, sed habens in pedibus soleas, & in collo pilos, vt equus per scapulas descendentes. Cornua mas habet, his fœmina caret. *Arist.* Equiceruus inuenitur in regione Græciæ secundum quosdam circa Phasidem. Pilos habet sub colli domestico, qui barbæ assimilantur, & cornua hinnuli cornibus similia.

Mula.

Nota.

Mula parientes.

Centauri.

Equiceruus.

De medicinis ex equo.

CAPVT LVI.

Sanguis. Lac. Fimus.

Dioscorides. Equorum emissariorũ *sanguis* medicaminibus cauſticis admiscetur. Lac equinum ventrem mollit, & hominem turbat. Fimus caballinus, & crudus, & combustus sanguinem abstinet profluẽtem.

Coagulum.

Halì. vbi supra. Coagulum equi solutioni Chronicæ prodest, & intestinorum vlceribus. Fimo equorum si vaporetur mulier, secundam fœtumque mortuum educit. *Æsculapius.* Equæ lac bibitum matricis laborem sedat, & caducos eijcit.

Caseus.

Caseus eius ventrem reprimit, & torsiones tollit, coagulum eius cum vino propinatum omnes dolores sedat. Stercus equi siccum aspersum sanguinem sistit, auribus instillatum dolorem tollit. *Auicenna in 2. can.* Sanguis equi adustus est putrefactiuus totusque debilis digestionis, præcipuè qui crassus est. Lac equarum sicut & lac camelarum partui vicinarum subtile est, aquosum, & ventrem lenit: coagulum equi conueniens est fluxui antiquo, & vlceribus viscerum ac fluxui. Corium pulli equi si aduratur, & liniatur ex eo cum aqua super bothor, infrigidat eas. Dicitur quoque quod additiones illæ, quæ sunt in genu equi tritæ, & bibitæ cum aceto sanant soda, & epilepsiam. Stercus etiam equi facit operationes stercoris asini. *Plinius lib. 28.* Sanguis equorum & equarum præterquam virginum vim habet stipticam. Erodit, marginat, vlcerat: carne ac simo equi in agro pasti vtuntur ad plagas. Equino lacte leporis marini venena expugnantur, & toxica, cæterum si magna sit aurium grauitas, equi spuma, vel eius fimi recentis cinis, cum rosaceo instillatur. In equi corde inuenitur os maximis dentibus caninis simile, quo dentes dolentes fricantur. Hippomanes quoque dẽtibus medetur cinis equinæ vngulæ ex oleo, vel aqua illitus strumas discutit fimusque feruens ex aceto. Lienem vero sedat lingua equi inueterata ex vino. Coagulum eius aluum soluit, & lactis equi potus. Item equi coagulum cœliacis, ac dyssentericis prodest, etiam si sanguinem detrahant, vel fimi eius cinis, ac dentium eusdem tunsorum farina: vesicæ autem medentur, & calculos expellunt lienes equini ex mulso, vel vino poti quadraginta diebus. Prodest, & equinæ vngulæ cinis in vino, vel aqua. Item lactis equini potus datur morbis comicialibus, Vlceribus, quæ serpunt, insperſus sanguis equi carnes arrodit stiptica vi, & itetum fauilla fimi equini inueterati. Partum mortuum eijcit lien equi ex aqua dulci potus, aut vngularum suffumigatio, vel fimus aridus.

Corium.

Cor.

Hippomanes.

Lingua.

De hyrco.

CAPVT LVII.

Hyrcus.

Isidorus. Hyrcus est lasciuum animal, & petulcum, & semper feruens ad coitum. Cuius oculi ob libidinem in transuersum aspiciunt, vnde & nomen traxit. Nam hyrci secundum Suetonium sunt oculorum anguli. Huius natura adeo calidissima est, vt adamantem lapidem, quem nec ignis, nec ferri materia domare valet, solus huius cruor dissoluat. Maiores hyrci cunsij dicuntur, à fluuio cunse in Lybia, vbi grandes nascuntur. *Auctor.* Est etiã hyrcus animal fœtidum, vt dicit Isaac, si sumatur in cibum peiorem sanguinem generat, quàm capra. *Plinius lib. 8.* Mares caprarum, idest hyrcos quàm maxime simos, ac longis auribus, infractisque armis, quàm villosissimos probant. *Idem in libro 11.* Pili acute crassi exeunt hyrcis, tenuiores autem fœminis. Item caprarum mares plures habent, quàm fœminæ dentes. *Idem in lib. 28.* Hyrcis rabiem, si mulceatur barba, mitigare dicunt. Eademque præscisa non abire illos in gregem alienum. Hyrcino sanguini tanta vis est, vt ferramentorum subtilitas non aliter acuatur, aut induretur, aut scabricia poliatur, vehementiusque quàm lima. *Palladius, lib. 12.* Hyrci mense Nouembri admittendi sunt, vt fœtum primum fouere possit veris exortus. Sed caper (vt superius dictum est) eligendus est, cui à maxillis duæ videntur pendere verruculæ, magni corporis, crassis cruribus, breui plenaque ceruice, auribus flexis, & grauidis, paruo capite, nitido spisso, & longo capillo, ad ineundas fœminas, & ante anniculum congruus, non autem durat vltra sexennium. Capella similis corporis, sed magnis vberibus est eligenda. *Ex libro de naturis rerum.* Capræ mas, idest hyrcus est animal animosum, ac bellicosum, & robustum. In fronte autem, & carnibus est illi maxima fortitudo.

Sanguis hyrci cur adamantem soluat?

Vt mitigetur rabies hyrcorum.

De operatione hyrci in ciborum remedio.

CAPVT LVIII.

Auicenna. Hyrcina caro mala est absolutè, & facit euenire febres quartanas. Sanguis apostemata calida cito maturat, & administratur post congelationem. Idem potatus frangit lapidem renum. Frixus au-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tem, & cum vino bibitus armenæ ſagittæ nocumento confert. Hepar hyrcorum detegit eſſe epileptici, nam quando epilepticus ipſum comedit, epilepſiam incurrit. Aqua hepatis caprini confert comeſta, & in alcofol poſita, & inclinatio ſuper vaporẽ eius. Hyrcinus adeps vehementioris eſt reſolutionis, quàm cæteri. Fel hyrcinum carnem malam eradicat, confert vlceribus in aure creſcentibus. Confert etiam ſuper elefantiam, & varices poſitus. Fel hyrci ſylueſtris eſt theriaca morſibus venenoſis. Calcaneum hyrcinum, ideſt os calcanei eius (vt dicitur) cum oxymele aufert ſplenẽ, & excitat coitum. *Iſaac in dietis.* Hyrcina caro peioris etiam ſanguinis eſt generatiua, quàm caprina. Sanguis calidus hyrci peruncțus (vt dicit Dioſcorides) araneas, & mala vulnera compeſcit. Hyrcinum ſebum ſolutorium ſi cum ſanguineo villo ſolutum fuerit, & lanis ſuccidis impoſitis podagricis opitulatur. Maximè ſi crocum acceperit. Fel hyrcinum inunctum craſſitudinem palpebrarum tollit. Et ſtrumaticis conuenit. Lanis autem adhibitum, & in vmbilico poſitum infantium ventrem ſoluit. *Plinius vbi ſupra.* Hyrci ſanguis in carbone decoctus lieni medetur, eo quòd luſcioſos quidam ſanari putant, vel capræ iecore decocto in vino auſtero. Iecur hyrci calidum illitum lepras tollit, ſicut elephantiaſin fel caprinum. Item iecur hyrci calidum illitum lentigines tollit, admixto cum ſpongiæ cinere, & viuo ſulphure, vt mellis ſit craſſitudo. Morſus canis rabioſi hyrci iecore impoſito medetur. Sebum hyrcinum cum helſines parte æqua, ſinapis tertia, podagris medetur. Mulieri tædium fit amoris vrina hyrci pota admixto propter faſtidium nardo, vt Æſchines tradit, ſanguis caprinus (vt ſupra dictum eſt) cum medulla hydropicis auxiliatur. Efficacius autem ſi hyrcus lentiſco paſcatur.

Hepar. *Adeps. Fel.* *Calcaneum.* *Sebum.* *Iecur.*

De Ibice.

CAPVT LIX.

Ibices. IDem *in libro* 8. Ibices, ſiue capreæ ſunt animalia de caprarum genere pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite cornibus vaſtis, gladiorumque vaginis. In hoc ita ſe librant, vt tormento aliquo rotati in petris potiſſimum, & monte aliquo in alium tranſilire cupientes, atque recurſu pernici, quo libuerit exultant. *Ex libro de naturis rerum.* Ibex eſt animal paruum, velociſſimum, in capite vaſtis cornibus oneratum: in petris commoratur, ibiq; fœtus facit, de quo videlicet plenius dictum eſt iam ſuperius. Eſt etiam ibis genus volucris, de quo nihilominus dictum eſt ſuperius in tractatu de auibus: vnde eſt ille verſus: Ibex eſt animal, auis ibis, & inuidus ibis. Itaque de ibice animali dictum eſt ſuperius ſub capreæ vocabulo in hoc eodem libro, vbi ſcilicet agitur de pecoribus.

Ibex. *Ibis.*

De Hinnulo.

CAPVT LX.

Hinnuli. *Iſidorus.* Hinnuli ſunt ceruorum filij, ſic ab innuendo dicti; quia ſcilicet ad nutum matris abſconduntur. *Solinus.* Cerui namque (ſicut dictum eſt ſupra) teneros fœtus ſtudio occulunt, id eſt abſcondunt, inter profunda fruteta arborum, vel herbarum, vel eos pedum verbere caſtigant ad latendum. Cumque maturauerit ad fugam robur exercitio docent curſus, aſſueſcunt ſalire per abrupta. Hinnuli vero in vtero ſuæ matris occiſi coagulum aduerſus venena eſt munificum. *Auicenna.* Coagulum hinnuli ceruorum ſanat à venenis, & morſuris omnibus. *Auctor.* Hinnulus quoque (vt legitur) agilis eſt, curſu veiox, viſu perſpicuus, vngulam findit, in excelſis moratur, & in ſummis paſcitur. Vnde ſcriptum eſt. *Cant. 8.* *Simılis eſto dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum ſuper mõtes Bethel.* *Ambroſ. in Hexaemeron.* Hinnulus cornua nondum habet, & tamen fronte præludit, & ea, quæ nondum expertus eſt tela minatur. *Ariſtoteles.* Ceruorum hinnuli ſi caſtrentur ante crementum cornuum, non oriuntur eis cornua, ſi vero poſt ortum cornuum, non creſcunt, nec amplius eijciunt ea. *Ex libro de naturis rerum.* Hinnulus cerui ab homine captus, & ad modicum in vinculo ductus ſequitur illum etiam non ligatus.

Cant. 8.

De Lepore.

CAPVT LXI.

Lepus. *Iſidorus.* Lepus, quaſi leuipes, quia velociter currit, velox enim eſt animal, & ſatis timidum. *Ambroſius.* Lepus hyeme albeſcit, æſtate in colorem ſuum redit. *Plinius libro 7* Leporum plura ſunt genera. In alpibus candidi ſunt, quibus hibernis menſibus pro cibatu niuem eſſe credunt. Certè liqueſcente ea rubeſcunt annis omnibus, Leporum generis ſunt, & quos Hiſpania cuniculos appellat, fœcunditatis innumeræ, famemque baleatibus inſulis populatis meſſibus inferẽtium. Inijciunt eas in ſpecus, qui ſunt multifores in terra. Vnde & nomen animali, atque ita eiectos ſuperne capiunt.

Plura genera.

Idem in libro 10. Vnum animal digitos habentium herba alitur lepus, ſed & fruge. *Idem in lib.* 11. *Patentibus oculis dormiunt lepores*, & non pingueſcunt, ſicut nec perdices. Animalium viliſſimus eſt lepus, traditque Trogus ei pilos eſſe in buccis intus, & in pedibus. *Ariſtoteles.* Lepus vtique multorum pilorum eſt, & intra mandibulas pilos habet, & in pedibus ſimiliter. Solus in his, qui dentes habent in vtraque mandibula, coagulum habet. Lepus fœmina quandoque marem equitat coitus tempore. Eſt autem pili mollis, ſed valde tenuis. Cor habet magnum, ſicut & animalia cętera, quæ timida ſunt. Vultur leporem deprehendit, & interficit. Lepores etiam ſi ad terram Ithacam inferantur, non viuent, ſed aliquando reuerti ad mare videntur. *Ambroſius.* Lepores cognouimus hyeme albeſcere, æſtate autem in colorem ſuum redire. Quod ideo dicimus, vt in reſurrectione futura bonorum immutationem credamus. *Auctor.* Lepus eſt animal molliſſimum, debile, timidum, ac fugitiuum, auriculatum, habet crura retro longiora, vnde & facilius aſcendit, quam deſcendit. Immundus eſt ſecundum legem, quia non ruminat, ſed quidem vngulam diuidit. In petra cubile ſuum collocat, apertis oculis dormit. Habet autem ſimul vtrumque ſexum, Vnde Terentius Comicus. *Tu te, inquit, es lepus, & palpamentum quæris*, quaſi dicat: Ex quo nunc fœminæ, nunc maris vſurpas officium, quidnam, quod palpes quæris mulierem. Habet autem lepus labia ſemper in motu.

Patentibus oculis dormiunt. *Fœminam marem equitat.* *Lepus habet vtrumque ſexum. Terent.*

De eodem.

CAPVT LXII.

EX *libro de naturis rerum.* Lepus celeritate vigens, inter beſtias timidiſſimus eſt, vnde & raro, niſi in nocte exit ad paſtum, tempore meſſis exultat, & mouetur ad ludum. Teſtante Plinio, nunquam pingueſcit. Si autem intra tecta domus nutriatur cum hominibus, & motu velocitatis careat, innaturalis craſſitudo ſuperren eius creſcit, & moritur. Multus itaque motus in animali pinguedinem minuit, quam vtique ex multo cibo poſſet contrahere. Lepus cum omnium prẽda naſcatur, oportuit, vt ſupra modum multiplicaretur. Vnde, ſolus ferè animalium fœtum pariens, alium interim in vtero pilis veſtit, alium ſine pilis, & alium in ſemine repoſitum ſimul gerit. Itaque dicit Baſilius, quod vbicumque cæperint habitare, non facile deletur eorum genus. In aliquibus autem regionibus iuxta Ambroſium, hyeme albeſcunt & æſtate in colorem priſtinum redeunt. Fertur, quod muſtela cum lepore ludit, & tandem laſſati guttur dentibus apprehendens acerrimè ſtringit. Qui morſum ſentiens, euadere fugiendo conatur, ſed doloſo pondere aggrauatur. Tandemque corruentem improba beſtiola necat, & manducat. Lepus autem *ſexum ſuum per annos ſingulos mutat.* Phyſiologus. Fœmina leporis equitat marem in coitu. Pedibus leporis granula auri colliguntur, ne pereant.

Lepores cur non pinguescant? *Singulis annis mutat ſexum.*

Non

Non autèm ſit os tuum plenum pilis, ſicut os leporis interius,ſed ſint pedes tui piloſi ſubtus ſine pondere, ſicut pedes leporis,ne lædantur in ſaltu. *Alexander*. Ferunt leporem chàracterem ſexus nobilioris habentem, lepuſculos in vtero geſtare. Nunquid Hermaphroditus eſt? Addunt etiam quod poſtquam ſemel conceperit, & lepuſculis etiam grandeſcere incipientibus iterum concipit.

De medicinali leporis operatione.

CAPVT LXIII.

Sanguis. Cerebrum.

Coagulum.

Caro.

Pulmo.

Lotium.

Cerebellum.

Caput.

Lac.

Isaac. Lepus licèt ſiccus ſit,& craſſum ſanguinem generet,melior tamen eſt hyrcis, & capris iuuenibus. Proinde conuenit ſiccas habere volentibus complexiones. Contrarius vero eſt tenuem dietam ſeruãtibus. *Auicenna.* Lepus ſylueſtris frigidus eſt,& ſiccus,ſtomachum mundificat. Sanguis eius mundificat pannum,& cinis capitis eius medetur alopiciæ.Cerebrum eius allatum confert tremori accidenti in ſucceſſione ęgritudinis.Item cum eodem cerebro gingiuæ puerorum inunguntur. Proprietas, quæ in ipſo eſt, velociter oriuntur dentes,& facilè exeunt ſine dolore.Coagulum eius melius eſt omnibus coagulis in ſpecie, hoc cum aceto bibitum confert epilepſiæ. Idem cum aceto Theriaca eſt venenis. Item ſanguis leporis frixus confert dyſſentericæ,& apoſtemati inteſtinorum, & reſolutioni antiquæ, veneno quoque ſagittæ armenæ. Caro leporis calida eſt,& ſicca, aſſàta bona eſt vlceribus inteſtinorum. In iure carnis eius ſedent podagrici, & habentes dolorem iuncturarum. Et eius operatio proxima eſt operationi iuris vulpis. Sanguis leporis calidus,morpheæ pannoq; ſuppoſitus,confert eis. Idem cibo maturat apoſtemata calida & apoſtemata leuia. *Dioſcorides.* Sanguis leporis peruńctus araneas, & vulnera mala compeſcit. Pulmo leporis oculorum dolores mirificè tollit, ſuperpoſitus, & ligatus.Item cõtritus,& illinitus perniones, & pedes à calciamentis leſos ſanat. Lotium leporinum cum ſpica nardi,& aqua bibitum hydropicos curat. Infantibus vrinam prouocat,ventrem mollit,dolores aurium compeſcit.*Idem.* Cerebellum leporis comeſtum,tremorem corporis tollit. Tritum comeſtum dentes infantium confirmat. Caput eius combuſtum cum ſebo vrſino,& vt cataplaſma adhibitum alopicias emendat. Coagulum eius bibitum abſtinent menſtrua,fluxum ſanguinis ſtringit. Epilepticis medetur, venenis ſubuenit. Cum aceto lac in mulierum mammis coagulatum diſſoluit. Bibitum quoque moſum viperæ nocere non ſinit.Succus eius calidus peruńctus,maculas emendat. Item cerebrum leporis tritum, & potatum ſubmelioſos emendat,& vrinam emittere non patitur.

De eodem.

CAPVT LXIIII.

Generat melancholiam vſus leporinæ carnis.

Leporis vſus medicinalis iterum docetur.

Razi phyſicus. Leporina caro plus alijs melancholiæ generatiua eſt.*Phyſicus.* Coagulum leporis fridum eſt & ſiccum, virtutem habet conſtrictiuam ex frigiditate.Abſtergendi & mundificandi ex proprietate lactis.Conſtringit quemlibet fluxum.Et confortat mẽbra: maximam habet vim contra epilepſiam. *Æſculapius.* Leporis pulmo ſuper oculos poſitus dolorem tollit. Cor eius recens collo ſuſpenſum, quartanarios iuuat. Siccatum contritum & bibitum caducis conuenit. Fel eius oculos claros facit.Renes exiccati & bibiti calculos pellunt.Sanguis cum aqua calida idem facit. *Zeno vbi ſupra.* Ei cui aduenit rigor ex febre, ſi ſuſpendatur cor leporis,aut pes ſoricis confert. In ægritudinibus quoque cholicis orcob, id eſt coagulum leporis ſuper parientem ſuſpenſum iuuat eum. *Ariſtoteles.* In animalibus, vt dictum eſt, in vtraque mandibula dentes habentibus non inuenitur coagulum, niſi in lepore tantum:valet coagulum contra fluxum ventris, & maxime leporis. *Plinius libro* 28. Coagulo leporis ex aceto quidam vtuntur cõtra ſcorpionem & murem & araneam, eoque peruńctos aiunt non feriri. Valet idem contra marinorum morſus,vel ictus.Et contra ſanguinem tauri hauſtum. Et contra venena antidotis additur,per aurem infuſum,valet contra dolorem dentium. Confert etiam grauitati auditus: eoque vbere illito ſiſtitur infantium aluus. Cerebrum leporis in vino continentiam vrinæ cohibet. Eiusq; teſticuli toſti,vel coagulum cum anſerino adipe in polenta : Renes quoque illius inueterati calculos pellunt, & pedes eius adalligati podagris conferunt. Cinis pili leporis confert pedibus frigore aduſtis.Eiuſque pulmo contuſis diſſectus,aut pulmonis cinis. Sanguinem quoque ſiſtit coagulum leporis & pilorum eius cinis. Leporinus cinis cum oleo myrteo ſedat dolorem capitis. Somnos fieri lepore in cibis ſumpto arbitratur Cato.Fimi quoque leporini cinis in vino tepido confert dyſſentericis.

De Mulo.

CAPVT LXV.

Mulus.

Asu inuentor mulorũ.

Contra mulorum calcitratus.

Stimulatio muli.

Cur mulæ nõ concipiant.

Prodigium mulas peperiſſe.

Iſidorus. Mulus ex Græco tractum habet vocabulum,eo,ſcilicet quod iugo piſtorum ſubactus,tardas molendo ducit in gyrum molas. Iudæi aſſerunt, quod Anas abnepos Eſau greges equarum ab aſinis in deſerto fecerit primos aſcendi, vt mulorum inde noua contra naturam animalia naſcerentur.*Plin. lib.* 8. Ex aſino ſiquidem & equa, ſicut dictum eſt ſupra, gignitur mula menſe 13. videlicet animal ad labores viribus eximium. Ad tales partus equas,neque quadrimis minores,neque decennibus maiores,legunt. Arcerique vtrumque genus ab altero narrant : niſi in infantia eius generis,quod ineant lacte hauſto. Quapropter ſurreptis pullis in tenebris equarum vberis, aſinarumve equuleos admouent.Itaque obſeruatum eſt ex duobus diuerſis generibus nata tertij generis fieri : & neutri parentum eſſe ſimilia. Eaque ipſa,quæ ita nata ſunt non gignere in omni animalium genere. Iccirco mulas non parere : mulæ calcitratus *inhibetur vini crebriore potu*: Mulum annis octuaginta vixiſſe Athenienſium monumentis apparet, hoc animal maxime frigoris impatiens eſt,Ideoque non generatur in Ponto,nec æquinoctio verno,ſicut pecora cætera,ſed ſolſtitio.

Idem in lib. 30. Vngulæ mularum tantum à venenis, vel veneno ſtygis aquæ quo perijt Alexander Magnus, non produntur,ſed omnis alia materia.*Idem.* Mulas non calcitrare cum vinum biberint. *Alexander.* Mulus eſt animal verſutum,retrocalcitrando quippe mulioni inſidias prætendit,ac pede magiſtrum ſuum eum ſtimulantem percutit. Stimulis etiam inobediens eſt, cumque villam cernit in qua ſe pernoctaturum putat, repente claudicans impotentem ſe eſſe vlterius progredi mentitur. Sed aſcenſor cui notæ ſunt fraudes ipſius crebra iteratione calcarium potentiam priſtinam ei reſtituit. *Phyſiologus.* Mulus eſt quaſi mediũ inter equum & aſinum, cui qui inſidet quaſi temperantia vehitur. Nam qui ſuperbia vehitur, quaſi vehitur equo : qui pigritia, quaſi aſino:hoc animal omni tempore domeſticatur,ſicut & homo. *Ex lib. de nat. rer.* Mulus ex aſino & equa genitus:habet quædam aſini propria, ſcilicet aures longas,hinnitum horridum,crucem in humeris, pedes exiguos,& corpus macilentum. Reliqua vero,vt habet equus.Mulæ nunquam concipiunt,quia menſtrui ſuperfluitas in eis cum cibo tranſit in nutrimentum corporis, Item ſanguis quo natura non indiget, exit cum ſuperfluitate veſicæ.Eſt & alia ratio,quoniam hoc animal extra naturam generatum eſt & eius natura diuerſificata eſt,in equo, qui calidæ naturæ eſt, & aſino qui ſummæ frigiditatis. Itaque in fœtu diuerſificè generato & male complexionato, non poteſt eſſe concordantia partium & ordinata natura,vt quaſi ex propria, ſibi ſimilem generet qui mulam propriam generis ſui ſubſtantiam habet. Itaque in annalibus Romanorum mulas peperiſſe, prodigij loco habitum eſt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De eodem.

CAPVT LXVI.

Aristoteles. Mulus est animal pilosum: in eo vicinantur anteriora colli vsque ad partem capitis & spatularum extremitatem, habetque iubas, sicut & equus. Nec habet fissum pedem, sed in extremo pedis soleam. Eijcit dentes, sicut equus & asinus: habetque fel hepati applicatum. Comedit & ipse fructus, herbisque pascitur, & ab eo equa impregnatur. Quantoque potat ex aqua plus tanto magis proficit ei cibus. Pilos habet molles, splenem strictum, sicut homo & asinus: vētrem vnum, sicut & cætera soleas habentia. Mularum genus eijcit humiditatem menstrualem, quod nón faciunt cætera quadrupedia, pedes ad posterius flectentia. Corporaque mularum magna sunt, quia superfluitas menstrui transit in creationem & cibum corporum. Sāguis, quo non indiget, cum vesicæ superfluitate egreditur. Ideoque muli non olfaciunt mularum vrinas, sicut aliæ bestiæ habentes soleas: denique mulorum genus coitu æstuat, quamuis muli & mulæ non possunt generare, *Possibile tamen est, quod imprægnetur mula,* sed raro, quod accidit in tempore prēterito, sed nutrire non potest ac cibare, quousque compleatur eius creatio: mas vero generare potest in quibusdam temporibus, quia calidior est quam fœmina. Et quod generatur ex eis extraneum, occasionatum erit. Mulus cum sit magni cordis, est timidus, nec habet fel omnimodè, sicut equus & asinus.

Cur corpora mularum magna.

Nota.

De mulorum generatione.

CAPVT LXVII.

Plin. vbi supra. Muli vt dictum est, in solstitio generantur. Partus à tricesimo mense ocyssimus, sed à trimatu legitimus. Mulas tradūt non parere. Theophrastus autem eas in Cappadocia parere tradit, sed esse id animal ibi sui generis. Generantur ex equa & onagris mansuefactis mulæ veloces in cursum: duritia eximia pedum, verum rugoso corpore, indomito animo, sed generoso. Onagro autem & asina genitus omnes antecellit. *Ex lib. de nat. rer.* Ex asino quidem & equa, vt dictum est generantur muli. *Ex asina vero & equo burdones siue burduli. Pall. lib. 4.* Si quem ergo mulorum genus creare delectat, equam magni corporis, solidis ossibus & forma egregia debet eligere, in qua non velocitatem, sed robur exquirat. Ætas à quadrima vsque in decennē huic admissura iusta conueniet. Si asinus equam fastidiat admissus ostensam prius asinam, donec coeundi voluptas solicitetur, adhibemus, qua subducta, equa libido incitata non spernet, & raptus illecebris generis sui in permixtionem consentiet alienam. Si morsu furens lædit obiectas, aliquatenus labore miteſcat. Creantur ex equo & asina, vel onagro & equa, sed generosius nullum est huiusmodi animal, quam quod asino creante nascetur. Vtiles autem admissarij nascentur ex onagro & asina, quæ post in sobole secutura agilitatem fortitudinemq; restituant. Emissarius tamen asinus sit huiusmodi, corpore amplo, solido, musculoso, strictis & fortibus membris, nigri, vel murini coloris ac rubei. Qui tamen si diuersi coloris pilos in palpebris aut auribus geret variabit. Minor trimo, maior decenni non debet admitti. Annicula mula debet à matre depelli, & per montes asperos pasci, vt inueniens laborem in tenera ętate assuescat, & solidata non contemnat. Minor vero asellus maximè agro necessarius est, qui & laborem tolerat, & negligentiam propemodum non recusat.

Veloces muli.

Burdones.

Emissarius asinus qualis debet esse.

De medicinis ex mulo.

CAPVT LXVIII.

Avicenna. Mulorum pellis ac similium cinis ponitur super adustionem ignis. Et vlcera calida quando non sunt cum apostemate. Est etiam medicamen excoriationi pedum à calciamentis, atque coxarum & fistulis. *Belbetus in lib. de sensibus.* Si domum fumigaueris cum vngula muli sinistra, non remanebit in ea forex. Plinius *lib. 28.* Cinis vngularum muli vel mulæ ex oleo myrteo alopicias replet. *Æsculapius.* Auriculæ mulæ, & burdonis testiculi, si ferantur à muliere, non concipiet.

Pellis.

Contra sorices.

Nota.

De Oue.

CAPVT LXIX.

Isidorus. Ouis molle pecus lanis, & corpore inerme, caro placida, ab oblatione dicta, scilicet eo quod apud veteres in initio non tauri sed oues in sacrificio mactarentur. Ex his quasdam bidentes vocant, eo quod inter octo dentes duos altiores habent, quos gentiles maxime in sacrificium offerebant. *Auctor.* Ouis odore narium solo sibi noxia declinat, sub aduentu hyemis insatiabiliter herbam rapit. *Aristoteles.* Oues cæteris animalibus magis quietæ sunt, & propinquiores hominibus. In eis abundat priuatio intellectus plusquam in cæteris animalibus quadrupedibus, habent pedes fissos in duo, & in extremo sotulares vngularum loco, sicut caper ac ceruus, habent lac plusquam indigeant fœtus, sicut & vaccæ conuenit, vt sit materia casei, præcipuè lac vtrumque. Renes ouium impinguantur cito. *Impinguantur autem potu, ideoque pastores sæpe dant eis sal.* Sed cum eis pinguedo multiplicatur in renibus, moriuntur. Oues in Teutonia caudam habent magnam, ita quod vnius cubiti est eius longitudo. Inter animalia vero cætera dant oues lac multo tempore scilicet per septem menses. Pastores docent oues ambulare festinas ad auditum alicuius vocis. Idem etiām cognoscunt quæ possint hyemem pati, quoniam illa debilis est, quæ glaciem à se non excutit. In lybia cito apparent cornua in capitibus arietum. Et secundum quod dicit Homerus cornua sunt & in capitibus fœminarum. Ouium oculi sunt nigri, & magis quam aliorum animalium. Pinguedo illarum maior est pinguedine aliorum, vaccæ & capræ & oues habent multos ventres.

Ouis.

Bidentes.

Impinguatio renum ex potu.

Ex lib. de naturis rerum. Oues impinguantur multum bibētes, hoc & magis post meridiem, si biberint aquam turbidam, pinguedine vero sterilescunt. Item oues ad pastum in locis aridis ductæ, viuunt diutius. In locis autem palustribus si frequenter pascua sumpserint, morbidæ fiunt, nec diu viuere possunt. In Maio vero, vel post Maium, si ros melleus super gramina nocte ceciderit, eas cito mori dicunt. Sed in augusto si spicas siccas vsque ad satietatem comederint, & postea biberint, illico disruptis visceribus moriuntur. Ouis de domo incensa, vix eijci potest, & si eiecta fuerit nisi vi retineatur in ignem recurrit. Boni generis oues sunt, quæ pastorē proprium ab alijs recognoscunt, & fures fugiunt. Pastores solent ouibus dare sal in cibum, vt plus bibant ac per hoc lacte magis abundent. Signum quoque fumunt earum, quæ durare possunt, in hyeme glacialem aquam earum caudæ proijciunt. Nam illa quæ excutit fortis, quæ vero non excutit in omnibus debilis.

Pascua quæ ouibus morbos faciunt?

Adhuc de eodem.

CAPVT LXX.

Physiologus. Oues plerumque fortes exeunt ad loca deserta, & manent sub pluuia. Nec mouent, donec pastor ad eas venerit cum arietibus, & tunc sequuntur arietes ipsos. Lauantur autem oues ex aqua clara, pastores cognoscunt oues, quæ possunt hyemem tolerare, quia quæ ex illis debilis est, non excutit glaciem à se, ouis morbida gregem maculat. *Ex pelle quoque ouis occisæ nunquam fit bonum pergamenum, nec vnquam ex pelle crassa.* Ouis non sentit nec dolet tonsuram velleris pascitque tondentem se lacte & carne. *Pythagoras in libro Romanorum,* oues & animalia quadrupedia domestica, cum viderint oculum adip id est lupi eradicatū, timent & fugiunt. *Belbetus vbi sup.* Oues si comedāt ex herba vbi coeūt sanguisugæ in eis generātur, & hepar illarū comedunt: pestilētia quoq; in omnibus pecoribus

Pergameni bonum.

acci-

accidit, *cum in vere ac poſtremo æſtatis aranea per herbas agrorum pulliſicant in telis ſuis.* Quæ enim ex eo guſtauerit moritur. *Palladius lib.* 8. Magna eſt pecoris gratia vel in placamento deorum vel in vſu vellerum, vtque boues hominum ſumptus excolunt, ita corporum tutela pecori debetur. In oue ſatis generoſitatis oſtenditur, breuitate crurum, ventris veſtitu. Quibus enim nudos eſſe videris vehtres tapitas vocabant, damnabanturque. Infirmiſſimum pecori caput, quamobrem à ſole auerſum paſci cogendum eſt. *Stultiſſima quippe animalium lanata. Quo timuerunt ingredi, vno cornu rapto ſequentur*, vita his longiſſima decem annis. In Æthiopia tredecim. *Auctor.* Manifeſtum eſt, quod ouis ſimplex eſt, quieta, manſueta multum, nullum lædens, timida, ruminat, & vngulam findit, aridis veſcitur, lac & carnes præbet ad eſum, lanam ad indumentum, pellem ad ſcribendum, & ad alios plures vſus. Fimum quoque ad ſolum impinguandum & fæcundandum, hæc quippe in phyſica vocantur pecora, ſiue pecudes, & carnes earum carnes pecorum ſiue pecorinæ, ſicut patebit inferius.

Signum peſtilentiæ pecorum.

Nota.

De diuerſis generibus ouium.

CAPVT LXXI.

Quatuor genera ouium.

EX *libro de nat. rer. Omnium quatuor ſunt genera.* Quædam enim ad paſtum longius ire non valent & hęc hortis ac riuis indigent. Quædam etiam fœtæ ſunt & graues, quæ indigent, vt paſtorem ſolicitum habeant, qui fœtas portet ne grauentur in tranſitu. Quædam etiam pingues & validæ ſunt pariter paſtore indigent, qui eas procuret, vt nunquam ſalubri careant paſtu ne deficiant & moriantur. Quædam autem excurrentes & vagæ ſunt & hęc quoque paſtore indigent, qui eas virga vel manu corripiat & reducat ad gregem. In multis autem orbis partibus, vt dictum eſt, oues faciunt duos fœtus, & maxime in Æthiopia. *Comeſtor.* Natura ouium Meſopotamiæ & Italiæ eadem eſſe dicitur, ita vt bis in anno pariant. *Vnde poëta. Bis grauidæ fœtus*, id eſt, verni meliores ſunt. Vltimi vero, id eſt autumno concepti deteriores. Similiter etiam illi qui in extremitate veris, *quia in tarde appetentibus coitum, minus viget natura.* Vnde in ſerotina admiſſura, non ponebat Iacob virgas in canalibus, ſed tantum in prima, vt in eorum aſpectu oues tales fœtus conciperent. *Valerius maximus libro* 1. Porro ſicut iam dictum eſt ſup. in Cephalia inſula cum omnia vbique pecora vſu aquæ quotidie recreentur, in ea pecora maiore ex parte anni, ore aperto, ex alto ventos recipientes, ſitim ſuam extinguunt. *Plinius vbi ſupra.* Eſt in Hiſpania & maxime Corſica non multum abſimile pecori genus muſmonium, caprino villo quam pecoris velleri propius, quorum è genete, ouibuſque natos priſci vocauerunt vmbros. Syriæ cubitales ouium caudæ, plurimumque in ea parte lanificæ. Ouiumque deinde ſumma genera duo ſunt, ſcilicet tectum, & colonicum. Illud mollius hoc in paſcua delicatius cum rubis tectum veſcatur.

In Coitum tarde appetentibus minus viget natura.

De paſtu ouium.

CAPVT LXXII.

EX *libro de naturis rerum.* Ouis, vt ſuperius dictum eſt, iuxta Ambroſium in aduentu hyemis ad eſcam inexplebilis, & inſatiabiliter herbam rapit, eo quod aſperitatem hyemis præſentit, vt ſe prius herbæ pabulo farciat, quam gelu adurere deficiat, herbam quidem depaſcunt ſæpe oues radicitus. Arbores autem ſi depauerint vix vnquam proficient. Morſus etiam illarum arboribus multis eſt exitialis. In locis aridis paſtæ diutius viuunt. *Ariſtoteles.* Quibus in autumno cucurbitæ paratæ cum ſale dantur ad multiplicationem lactis. Impinguantur autem lenticula & palea cum ſale. Impinguantur etiam aquam bibendo. Et in eſtate quidem valet eis aqua ſeptentrionalis frigida. In autumno vero aqua meridionalis tepida. Iuuat eas paſtus in fine diei, motuſque per itinera, labore vero macreſcunt, ouis vel agnus ſi renes eius impinguantur, vt ſebo circumquaque cooperiantur, moritur, vnde quia propter bona paſcua ſebum in renibus multiplicatur, Ideo plerumque oues à ſuis paſcuis mutantur, vt non accipiant plus neceſſario. In Ægypto ſunt oues magnæ valde, quia ibi multum habent cibum.

Qua aqua valet cuibus.

Modus paſcendi oues.

Palladius libro 12. Paſcua ouillo generi vtilia ſunt, quę vel in noualibus, vel in pratis ſiccioribus excitantur, paluſtria vero noxia ſunt, ſylueſtria damnoſa lanatis, ſalis tamen crebra conſperſio vel paſcuis mixta, vel canalibus frequenter oblata, dicunt leuare faſtidium. Nam per hyemem ſi penuria eſt, fœnum, vel paleæ, vel vitia, vel facilior victus vlmi ſeruatis frondibus præbeat, aut fraxini. Æſtiuis menſibus paſcantur ſub lucis initio, cum graminis teneri ſuauitatem roris mixtura commendat. Quarta hora caleſcente potus luti fluminis, aut putei præbeatur, aut fontis. Medios Solis calores Vallis, aut arbor vmbroſa declinet. Deinde vbi flexo iam die arbor infringitur, & ſolum primo himbre veſpertini roris humeſcit, gregem reuocemus ad paſcua. Sed canicularibus, & æſtiuis diebus, ita paſcendæ ſunt oues, vt capita gregis ſemper auertătur à Solis obiectu. Hyeme autem vel vere, niſi reſolutis gelicidijs ad paſcua prodire non debent. Nam pruinoſa herba huic generi morbos creabit, ac tunc ſemel adaquare ſufficiet. Græcas oues, ſicut Aſcanas, vel Tarentinas moris eſt ſtabulo potius nutrire, quàm campo, & præcluſis tabulis ſolum, in quo claudentur inſternere, vt ſint tuta cubilia propter iniuriam precioſi velleris, ne humor reddat eis labem. Sed tribus per annum totum diebus: aprico die, lotas oues vngere oleo oportebit, & vino, propter ſerpentes, qui plerumque ſub præſepibus latent, cedrum vel galbanum, vel mulieris capillos, aut ceruina cornua, frequenter vri oportet.

De generatione ouium.

CAPVT LXXIII.

ARiſtot. Ouis poſt annum coit, & vſque ad 9. annos parit, vel vſque ad 11. ſiue tota vita ſua ſi bene cuſtodiatur, oues aquam ſalſam potantes, anteriorant coitum. In coitu facies ad ſeptentrionem vertere debent, vt mares concipiant. Et ſi quidem albæ venæ fuerint ſub lingua eius faciet fœtum album, ſi nigræ nigrum, ſi duos ſimiliter duorum colorum, & ſi rubei rubent. Verſus Thraciam ſunt duo flumina, quorum vnum potatum ante coitum, facit colores agnorum nigros, & aliud albos, aliud quoque rubeos. Cum autem impinguantur capræ, & oues ſunt pigriores. Viuit autem ouis propriè in Æthiopia 14. annis, & capra 11. pariuntque gemellos. Et ſi cibus conueniens eſt, aries, vel caper erit virtuoſus: ouis & capra ſi impregnantur in loco contra impetum venti ſeptentrionalis, pariunt mares. Si vero contra meridiem, pariunt fœminas: ouis quidem ſi acciderit tonitruus, & ſola remanſerit imprægnata abortiet. *Plinius vbi ſupra.* Ouinus coitus eſt ab occaſu arcturi, id eſt à tertio idus Maias, ad aquilæ occaſum, id eſt, vſque in 13. Kalend. Auguſti. Generant partum diebus centum quinquaginta, poſtea verò concepti ſunt inualidi, & poſt id tempus natos cordos vocabant antiqui. Tonitrua ſolitarijs ouibus abortus inferunt. Remedium eſt eas congregare, vt cætu iuuentur. Aquilonis flatu mares concipi debent, Auſtri fœminas, atque in eo genere arietum maxime ſpectantur ora, quia cuius coloris ſub linguis habuere venas, eius lanificium in fœtu eſt, variumque ſi fuerint plures: immutatio aquarum potusque variat. *Ambroſius.* Ouis autem inter multa millia agniculorum ſolum agnoſcit ſuum filium, vnus eſt balatus, eademque ſpecies plurimorum, illa tamen ſuum à cæteris diſcernit fœtum paſtor errat in ouium diſcretione, falliturque ſpecie, ſed ouis non fallitur pietate. Vnus odor eſt omnibus. Sed tamen habet natura domeſticum odorem ſuum quem ſoboles ſpeciali quadam proprietate redolere videtur.

Flumina qua faciunt agnos coloratos.

Cordi. Oues catu iuuantur contra tonitru.

Ouis agnoſcit filium inter mille.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ex lib. de nat. rer. Quod si iuniores oues festinant ad coitum: pessimum est signum, scilicet quod pestis sit inter illas. Similiter ouis antiqua, si post tempus debitum, quærit coitum, malum est signum. In multis orbis partibus oues faciunt duos fœtus & maxime in Æthiopia: sicut autem agnus matrem propriam inter alias oues balatu cognoscit, sic mater agnum cum eum odoratur in cauda vberibusque admittit.

De carnibus ouinis.

CAPVT LXXIV.

Caro ouina

Isaac. Ouina caro siue pecorina calidior est ac siccior porcina. Bobus etiam & capris calidior est & humidior, vnde tenerior est, & ad digerendum facilior, & à stomacho facillimè descendit, ventrem magis caprina, & ouina humefacit, minus tamen quam porcina humida est, non enim habet humiditatem digestioni repugnantem sicut porcina, nec humiditatem lubricantem, vt ante excoctionem egrediatur. Sed tamen eius nutrimentum diuersum est, secundum ætatis & complexionis diuersitatem. Diuersitas nutrimenti ex ætate quadruplex est. Est enim lactans, & annualis, vel iuuencula. Adulta siue iam completa & decrepita. Lactans viscosa est & indigestibilis. Iuuencula minoris est humiditatis, atque viscositatis. Adulta vero mediocris cõplexionis. Decrepita vero deterior cæteris, quia frigidior, atque siccior: ideoque lignea & insipida. Oues comestæ viscosum phlegma generant; nisi manducantes siccæ complexionis existant. *Auic.* Ouina caro bona est, quæ cum caliditate est subtilis, & siccior est omnino carne quadrupedis. *Auctor.* De carnibus arietinis & agninis iam dictum est superius, quæ videlicet animalia cum oue sunt eiusdem generis, carnes tamen in cibo diuersificantur pro differentia sexus vel ætatis.

Lactans.

Adulta.

Decrepita.

De Torsione ouium, & lana.

CAPVT LXXV.

Tonsura ouium.

Palladius libr. 5. Oues in locis calidis *mense Aprili oportet tonderi*, ac serotinos fœtus eodem mense signari. *Idem.* Porro in locis tẽperatis mense Maio ouium tonsio est celebranda. Sed tonsas oues hoc vnguine medicari oportet. Succum decocti lupini, fæces vini veteris, & amurcam, pari mensura miscebis; & in vnum corpus omnia redacta curabis allinere. Post triduum deinde si mare vicinum est, littori mergantur extremo, si in medijs terris pascimus, aqua cœlesti cum sale paululum decocta sub diuo debebit pecorum tonsa & vncta membra diluere, hoc enim modo curatum pecus toto anno, nec scabrum fieri dicitur, & prolixas lanas creare fertur ac molles. *Plin. vbi sup.* Oues non vbique tõdentur, sed durat quibusdam locis mos vellendi lanam, & per se coactæ vestem faciunt, & si addatur acetum ferro resistunt, imo vero etiam ignibus. Syriæ vt dictum est supra. Cubitales sunt ouium caudæ, plurimumque lanificij ex ea parte, lanarum nigrę nullum colorem bibunt. *Aristot.* Lana ouium quas comedit lupus, post tonsionẽ illius panni plus recipit pediculos. *Ex lib. de natu. rerum.* Oues quæ plurimum in caudis lanatæ sunt, *bonitate spectabiles sunt*, harum lanæ probantur eximiæ subtilitate velleris, & recuruata crispitudine, atque condensitate. *Isidor.* Lana à laniando, id est, vellendo dicta est. Hinc & vellus dictum, quia prius lanæ vellerentur, non tonderentur. Mineruam aiũt Gentiles primam lanificij vsum monstrasse. Hanc etiam telam ordinasse & lanas colorasse perhibent. Quam etiam multis ingenijs præditam fuisse dicunt.

Lana copiosa in cauda quid arguat?

De vsu lanæ in medicina.

CAPVT LXXVI.

Plinius lib. 29. Ouium lanæ præter cultum & tutelam contra frigora, Succidę plurima pręstant remedia. Ex oleo vinoque aut aceto: prout quæque mulceri, morderique opus sit, & adstringi laxarive, luxatis membris dolentibusque neruis impositæ, & crebro suffusæ, halitus quoque oris gratiores facere traditur confricatis dentibus, ac gingiuis admixo melle; prodest & phreneticis suffitu. Sanguinem in naribus sistit cum oleo rosaceo & allio indito modico, auribus obturatis spissius. Vulnera ex vino, vel aceto, vel aqua frigida & oleo aspera sanat. Succida lana imposita subditaque mulieribus mortuos partus euocat. Sistit etiam profluuia earum, ac canis rabiosi morsibus inculcata post diem septimum soluitur. Eadem nitro, sulphure, oleo, aceto, pice liquida: feruentibus tincta, quam calidissima bis in die imposita, lumborum dolores sedat. Laudatissima omnis è collo. Cinis eius illinitur attritus, vulneratis, ambustis, & in oculorum medicamentis additur. Item in fistulas auresque suppuratas, vis eius stiptica est efficacissimèque genas purgat. Genitalium quoque vitijs confert. *Dioscor.* Lanæ succidæ bonæ sunt de çollo quidem molles sunt & vtiles: fæmorumque vulneribus & fracturis, vel liuoribus vtiliter adhibentur. Infusæ aceto, & oleo, aut vino plus malacticæ sunt, dolores capitis tollunt. Cicatrices indurant, lana combusta in concha lauatur, & si quid resederit, collyrijs admiscetur. Succi lanæ virtus est calida plerotica vulnerum malactica. Suppositus cum lanis & melle, ac butyro menstruis imperat, secundinas excludit, anserino sebo addito dolorem aurium curat, prurigines cilijs tollit, aspredinem & scabiem palpebris limpidat. Capillis fluentibus occurrit. Succus ipse si in testa noua igne lento comburatur, donec igne pinguedo finiatur. Huius combustionis puluis collyrijs miscetur. Triobolo vno cum vino accepto morsibus venenatis occurrit. Cæliacis, ac dysentericis medetur. Fluxum sanguinis mulieris stringit. Sanguinem coagulatum soluit. Thoracis vulnera purgat, mulieremque post partum bibitus fœcundam facit. Hyssopos autem appellatur illa pinguedo, quæ ex succidis lanis colligitur & malagmatibus pessarijsque miscetur. *Auicenna.* Hyssopus est humida sordicies aggregata super lanam illorum ouium in Armenia pascentium, & sternitur super herbas titimallorum & accipit virtutes & lac earum. Calida est in quarto, humida in primo: maturatiua est & resolutiua. Resoluit apostemata dura cum ex ea fit emplastrum. Linita verò & bibita confert frigiditati hepatis & apostematibus oculorum. Resoluit duritias, quæ sunt in partibus vesicæ & matricis, & confert frigiditati earum & renum.

Vsus medicinales lanæ succidæ.

Hyssopus.

De cæteris vtilitatibus ouis.

CAPVT LXXVII.

Ex libro de natur. rerum. Omnia quæ in oue sunt, vtilia sunt, scilicet lana, pellis, caro, sed & fimus ouium omnium animalium fimo melior iudicatur. *Hali.* Ouis caput si coquatur, & clistere cum eius iure fiat, intestina inferiora & renes humectat, corpus impinguat, venerem auget si ex calido & sicco ablata est. Hepar ouis assatum & comestum ventrem stringit. Fimus ouium si tritus cum aceto distemperetur, varicibus formicalibus medetur, prodestque carnibus superfluis. *Plinius libr. 29.* Coagulum pecoris & similiter ius ex carne arietis valet contra cantaridas. Prurigines quoque tolluntur à capite felle ouilo cum creta cimolia capiti illito donec inarescat: lac ouis etiam valet multis cum calidum fuerit, valet contra omnia venena exceptis his qui bupreste, vel aconitum biberint. Fel quoque pecudis cum melle aures purgat. Iecur oculis cruore suffusis prodest. Fimi pecudum cinis cum oleo cyprio, ac melle allopicias replet. *Auicenna.* Pellis ouis recens ponitur super percussionem in hora, idest statim, & prohibet ex ea nocumentum. Est etiam conueniens vlceribus fraudulentis, & scabiei ac pruritui. Fimus pecudis, id est ouis confert erisipilæ. Adustum vero precipuè confectum cum aceto linitur super morsum canis rabiosi. Item cum aceto confert verrucis formicalibus. Et super

Nota.

Caput.

Hepar.

Fimus.

Coagulum.

Lac.

Fel.

Iecur.

Pellis.

adustio-

aduſtionem ignis cum cera, & oleo roſaceo. Lac ouium craſſum eſt & pingue, caſeitatis & butyroſitatis plurimæ. Iuuat ſputum ſanguinis plus etiam quàm caprinum. *Iſaac.* Lac pecorinum grauius eſt in odore quam vaccinum, & ideo magis phlegmaticum. *Dioſc.*

Caſeus. Caſeus ouinus plus cæteris nutrit, & minus ventrem ſtringit, quia pungitiuus eſt.

De Porco.

CAP. LXXVIII.

Porcus. I*Sidorus.* Porcus dicitur, quaſi ſpurcus. Ingurgitat enim ſe cæno, luto immergit, limoque illinit, hinc & ſpurcitiam, vel ſpurios dicimus: horum pilos ſetas vocamus à ſue dictas, vnde & ſutores vocantur, eo quod ex ſetis ſuant. *Ariſtot.* Porcus habet pilos craſſos, propter craſſitudinem cutis, & ſplenem ſimilem ſpleni hominis, & ventrem ſimiliter, ideſt inteſtina. Fluxus autem ventris in eo caret remedio, habet autem vnicum ventrem, ſicut animalia cætera, dentes in vtraq; mandibula & vngulas fiſſas habentia. Culmos habent mares, fœminæ culmos prominentes non habent, nec niſi propter acuitatem mordent. Porcus dentes in vtraque mandibula habet, nec eiicit omnino dentes, habet & in pedibus ſotulares. Cor eius eſt pauci ſanguinis, habens diuiſionem iuncturæ, pugnat vero cum lupo, & ſi vnus ei oculus extrahatur, in maiori parte morietur, ſcorpiones mordent porcos nigros, & interficiunt eos. In quibuſdam regionibus venter porci magnus eſt, & pedem fiſſum non habent: porcus iracundus, valde quoniam in eius ſanguine multi ſunt pili, ideſt tres ſubtiles ad modum pilorum: porcus plus omnibus animalibus radices comedit, & eis cito impinguatur, ſerpentes etiam comedit.

Sutores vnde.

Non eijcit omninò dentes.

Ex lib. de nat. rer. Porcus, ideſt aper domeſticus eſt beſtia ſæua & immunda, & obſcænis locis gratiſſimè commoratur. Inter hos vnus ſemper fortior dominatur cæteris, & ſi fortior illo ſuperuenerit, fortitudine victoriam obtinere nititur, moxque victo cedente, victor reliquis dominatur. Cuius ſtercore totus grex accurrens, vſq; ad rabiem animatur, & in eorum ira periculoſum eſt incedere. In vltimo lunæ defectu cerebrum in porco pluſquam in alio animali fertur decreſcere. *Auctor.* Porcus non ruminat, & ideo inter immunda ſecundum legem reputatur. Mundis & immundis indifferenter veſcitur in luto delectatur. Roſtro lutum ſuffodit, horrendè grunnit, præcipuè autem vno percuſſo cæteri grunniunt, & quaſi compatientes illuc conueniunt. Sed ſtatim obliti ſui planctus, ad lutum vel ad cibum redeunt. Fertur autem nullum corpus animalis interius & diſpoſitione & numero partium ſic aſſimilari humano corpori, ſicut corpus porci: vnde phyſici, vel alij interiora humani corporis inueſtigantes porcorum interiora quaſi quoddam exemplar inſpiciunt. *Phyſiologus.* Oculi porci naturale figmentum habent ita, vt in terram neceſſitate ſemper intendat. Porcus, vt fertur plerunque moritur, ſi vnus ei oculus extrahatur. In partibus Hieroſolymæ ſunt porci miræ magnitudinis, habentes dentes vnius cubiti.

Cerebrum decreſcit pluriſimum.

Nota.

De Porcorum cibo.

CAP. LXXIX.

EX *lib. de natura rerum.* Porci proprium eſt terra ſubacta eſcam quærere, & oretenus ſutoſis, ac vilibus inſudare. Mundis enim & immundis, vt dictum eſt, indifferenter veſcitur & luto delectatur. *Ariſt.* Porcus inter animalia quadrupedia eſt, habens additamentum roſtri latum ad cauandum terram, & comedendum radices: plus enim omnibus animalibus radices comedit, & eis cito impinguatur, ſerpentes etiam comedit. Ventrem habet maiorem canis ventre, habentem in ſe inuolutionem, vt ſit decoctio cibi longo tempore, Impinguatur autem cum ordeo, ac milio & palea, præcipuè vero quiete impinguatur, & deliciatur, & impinguat illum cibus diuerſus, adiuuatque cibus compoſitus. Et quidam cibi eum inflant, quidam carnem, quidam pinguedinem generant. Delectatur autem in comedendo glandes, quæ reddunt humidas eius carnes, culmos duos habet. Fœmina vèro eius imprægnata ſi multum de glandibus comederit, abortiet: porco etiam valent ciceres. Ordeum bonus eſt cibus ſalientibus maſculis. Ordeum quoq; coctum fœminis imprægnatis, Cibi porci ſexta pars tranſit in pilos & ſanguinem, & ſimilia. *Palla. lib.* 3. In porcis autem præter alia illud etiam commodum reperitur, quod immiſſi vineis, nec dum turgentibus vel poſt vindemiam gramine præſecto diligentiam foſſoris imitatur.

Impinguatio porcorum.

Fodiunt vineas.

De generatione porcorum.

CAP. LXXX.

A*Riſt.* Porcus octo menſium coit, ſed tunc debile quid generat. Multos filios facit, propter multitudinem ſpermatis: cætera biſulca paucos faciunt, viuit autem vſque ad annos 15. Cum impinguatur coire poteſt omni tempore, æſtate & hyeme nocte & die, porca prægnans eſt quatuor menſibus, fertilis eſt in fœtu, parit enim 20. filios, & lactare non ſufficit: per totum ventrem habet mammillas, & non omnes æquales. Quarum primam, ideſt ſubaſcellarem dat primo filio: porco ſolicitante fœminam illa aures erigit, & antequam demiſerit, non conſentit. porcus multos filios facit propter multitudinem ſpermatis. Multotiens etiam in anno parit: propter caliditatem & abundantiam cibi: poſt octo menſes ſaltat porcus: & porca vnius anni parit. In quibuſdam verò regionibus, porcus poſt quatuor menſes coit, & porca poſt ſex parit. Cum autem parit macreſcit. Item porca ſi prius fuerit virgo pariet filios pauci corporis. Et cum ad 15. annos peruenerit non pariet. Ei ſi multum pinguis & in deliciis fuerit, tunc lac eius poſt partum erit paucum. Item meliores ſunt porcæ filij, qui naſcuntur in eius iuuentute, meliores quoque qui naſcuntur in hyeme: deteriores autem qui in æſtate, parui, & macri, & humidi. *Ex libro de nat. rer.* Porcus habet poteſtatem coeundi multum præ alijs animalibus: ſi tamen pinguis ſit, porcæ autem intantũ efferari dicuntur in coitu, vt hominem lanient: maxime candida veſte indutum. Caſtrantur autem reſciſa iuba, ſicq; celerius pingueſcunt, à coitu abſtinentes. Si multas glandes comederit, quando imprægnatum eſt, aborſum faciet. Quando multas habet fœtus lac pauciſſimum: peſſimæ vero ſues ſunt qui natos filios laniant. In calidis regionibus melior eſt fœtus porcæ in hyeme quam in æſtate. In frigidis autem contrarium, & hoc propter intemperiem regionum. *Phyſiologus.* Agreſtes porci tempore coitus bellicoſi ſunt, & vt habeant durum corium confricant ſe arboribus, & poſtmodum intrant lutum. Deinde lutum deſiccant, poſtea præliantur in tantum, vt ambo aut vnus eorum moriatur. Coit autem porcus mane, ſed quod agreſtis generat poſtquam intrat ætatem malum eſt.

Mammillæ ſubaſcellaris.

Tempore coitus feri ſunt porci.

Fœtus porcæ quis melior.

De Morbis eorum.

CAP. LXXXI.

A*Riſtot.* Porcis accidunt tria genera ægritudinum, vna videlicet, quæ dicitur brancos, & eſt apoſtema in auricula & mandibula, in alio quolibet membro, accidit tamen ſæpe in pedibus ita caro illius loci corrumpitur, & tranſit corruptio paulatim, donec

Brancos.

donec perueniat ad pulmonem, & poſtea moritur: hæc infirmitas cito augmentatur, & ſtatim in principio quando cognoſcitur, abſcidatur membrum in quo eſt, aliter ſanari non poteſt. Secunda eſt ponderoſitas & dolor in capite & ex ipſa moritur maior pars porcorum. Tertia eſt fluxus ventris, & hanc opinantur non habere remedium. Infirmitas auricularum accidit quando dolor eſt grandis. Cum autem porcus eſt craſſus, iuuat eum comedere mora. Iuuat etiam eum balneum & aqua calida. Minuatur quoq; vena, quæ eſt ſub lingua. Porcis mollis carnis contingunt puſtulæ in crure, & collo, & ſpatulis, ſæpe quoque in lingua, & ſub aſcellaribus. Et ſi eradicentur pili ſui capitis, exibit è radicibus pilorum quaſi venenum: valent ei ciceres & ficus in cibo, delectatque comedere glandes, redduntque carnes ſuas temperatas & humidas. Quod ſi imprægnatæ porcæ comederint multum de glandibus abortient, ſicut oues. Porcus cum mordetur à ſcorpione, parum ſentit, & ſi poſt morſum intret aquam, cito morietur. *Auctor.* Ad ęgritudines quoque porci pertinere videtur, quod vt ſuperius dictum eſt, vno oculo perdito citius moritur, & quod porca quando parit macreſcit.

Dolor in capite.

Fluxus ventris.

De Carnibus porcinis.

Cap. LXXXII.

Iſaac. porcina caro multum nutribilis eſt. Bonum generat chymum, ventrem humefacit propter humiditatis ſuæ copiamq; viſcoſitatis, vrinam tamẽ prouocat, & tenui dieta vtentibus eſt inconueniens: diuerſæ tamen qualitatis eſt, propter ætatum ſuæ complexionis varietatem. Lactantes enim cæteris humidiores ſunt, & ideo conuertibiles in malos humores, & in putredinem; præcipuè tamen ſi ſtomachum malis humoribus inuenerint præoccupatum. Sed ſtomachum forte habẽtibus vtiles ſunt, quia bene digeruntur, & perfectum dant nutrimentum: humidis verò natura ſunt peſſimi; maxime ſi ſtomachus eorum malis humoribus plenus ſit. Phlegma enim viſcoſum generant, & inde podagram, ilij dolorem, lapides in renibus, paralyſim, & ſimilia ſecundum complexiones & naturas quas inueniunt. Adoleſcetes autem meliores quidem ſunt, & bene nutribiles: laudabilem enim ſanguinem generant. Iuuenes autem cæteris meliores maximè ſi caſtrati ſunt: decrepiti vero peſſimi. Sunt enim frigidi & duram carnem habent, ligneam & inſipidam, quibus aſſueti incidunt melancholiam, & diuturnas febres, vt quartanam. Caro porcina cæteris animalibus eſt frigidior & humidior, maxime domeſtica, quia ſylueſtris ad comparationem domeſticę calida eſt & ſicca, vnde minoris eſt nutrimenti. Domeſticam ergo non oportet accipi niſi raro. Et ſolum extremitates eius comedantur, vt pedes & nates, quæ ſemper in motu ſunt, ſed & comedentes debent poſt cibum exercitari. Quiete autem viuentibus cauenda ſunt ſylueſtria, multo magis & domeſtica.

Auicen. Caro porci ſylueſtris & domeſtici ſecundum quod dicitur, eſt velocis digeſtionis ac deſcenſionis: & fortis nutrimenti, viſcoſi & craſſi. Dicunt autem Chriſtiani & eorum imitatores, quod melior caro ſylueſtris eſt caro porci ſylueſtris, quia cum hoc, quod leuior eſt carnibus domeſticis, fortis ac plurimi nutrimenti eſt, & velocis digeſtionis, & eſt melior quã poteſt eſſe in hyeme. Porcellarum vero caro parui nutrimenti eſt, propter fortitudinem ſuæ reſolutionis & vehementiam humiditatis. *Ex lib. de na. re.* Porcinæ carnes in æſtate nociuæ ſunt, ad comedendum vſque ad æquinoctium autumnale, quia dormit porcus calido tempore pluſquam competit naturæ. Adeo aut inhiat ſomno maxime porcus debilis, quod niſi interim excitetur, quaſi ſomno lethargico morietur.

Quibus vtilis ſunt porcina carnes.

Cur porcinæ carnes aſtiuæ malæ.

De diuerſis porcorum medicinis.

Cap. LXXXIII.

Auicenna. Porci ſanguis & hominis ſimiles ſunt in omni re: ſimiliter & carnes amborum, ita vt quidam vendiderunt carnem hominis pro carne porci, & latuit, donec in ea inuenti ſunt digiti hominis. Sanguis tamẽ porci debilioris eſt virtutis ſanguine hominis. Fel porcinũ cęteris fellibus debilius eſt: ſolutiuum tamen eſt mali chimi. In ipſo eſt quædam ſtipticitas, & generat ſanguinem melancholicum tardæque digeſtionis eſſe dicitur propter ſtipticitatem ſuam. Adeps porcinus valet ad apoſtemata, & ad ignis aduſtionem. Confert & puncturæ vermium venenoſorum, ſedatque mordicationem inteſtinorum vehementius etiam quam caprinus. Stercus porcinum cum aqua & vino confert ſputo ſanguinis, & dolori lateris. Item ſtercus ſiccum cum aceto bibitur ad infirmitatem lacertorum. Cum ceroto quoque ponitur ſuper contorſionem in neruis & ſuper duricias omnes. *Dioſcorides.* Adeps porcinus ſallitus vetus & calidus malactior eſt. Qui cum vino lotus fuerit, pleureticis eſt vtilis ac matrici, & ignis aduſtionibus, cum cinere mixtus aut cum calore tumores tollit, & vulnera ad ſanitatem perducit. Fel porcinum lanis adhibitum & in vmbilico poſitum ventrem ſoluit infantium. *Hali.* Fel porcinum prodeſt vlceribus aurium. Adeps porci minus calidus eſt, quam leonis, ſed declinans ad humidum, maturans & humectans. Prodeſtque venenoſorum morſui. Pulmo quoque porci & agni combuſtus & puluerizatus prodeſt ocrearum excoriationi. Hepar ſylueſtris porci cum aceto comeſtum prodeſt morſui reptilium. Os cauillæ porci ſi comburatur, & fricentur eo dentes, ſolidantur, prodeſt etiam propriè torſioni & inflationi ventris: locium porcorum prodeſt albedini oculorum, Sed eius proprietas eſt vt lapides frangat & cętera.

Nota.

Sanguis.

Adeps.

Stercus.

Fel.

Pulmo.

Hepar.

De Sue.

Cap. LXXXIV.

Iſidorus. Sus dicta eſt, eo quod paſcua ſubigat ideſt terra ſubacta eſcas inquirat. *De qua Horatius. Eſt amica luto ſus.* à ſue autem dictæ ſetæ, vnde & ſutores vocantur, eo quod ex ſetis ſuant ideſt conſuant pelles. *Solinus.* Scenitæ in Arabia, qui in tentoriis cilinicis habitant, ſuillis carnibus prorſus abſtinent. Sanè huius animalis genus ſi illic inuentum fuerit ilico moritur. *Plinius lib. 8* Sues pingueſcunt ſexaginta diebus, ſed magis inedia tridui ante ſaginationem orſa. Animalium hoc maxime brutum. Caſtrantur fœminæ poſt inediam bidui prioribus alias pernis ſuſpenſæ, reſciſa vulua, celeriusque pingueſcunt ita. Semel in anno gignunt. Suem oculo amiſſo, putant cito extingui. Aliquibus vita eſt ad quindecim annos: aliquibus ad vicenos, verum efferantur, alias obnoxium genus morbis anginæ maxime & ſtrumæ. Index ſuis inualidæ cruor in radice ſetæ dorſo euulſæ, caput obliquum in inceſſu. Penuriam lactis præpingues ſentiunt, & primo fœtu minus numeroſæ ſunt. In luto volutatio huic generi grata: intorta cauda. Id etiam notatum facilius iacere in dextrum, quam in læuum detortam. *Idem in lib. 10.* Equos & canes ac ſues hinitum matutinum appetere. Fœminasq; poſt meridiem blandiri diligentiores tradidere. Sues quoque tantum in coitu ore ſpumam fundere. Verremque ſubantis audita voce, niſi admittatur, cibum vſque in maciem non capere. Fœminas in tantum efferari ob coitum, vt hominem lacerent, maxime candida veſte indutum. Rabies iſta mitigatur aceto naturæ aſperſo. Auiditas coitus putatur ex cibis fieri, ſicut viro eruca, pecori cepa. Quadrupedum prægnantes

Sus. Horatius.

Ætas.

Rabies quomodo mitigetur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gnantes arcent venerem præter equam, & ſuem. Solidipedes & biſculci ſues omni cibatu & radicibus aluntur. *Idem in libro* 11. Apro quidem exerti ſunt dentes, raro autem fœminæ, & tamen ſine vſu. Itaque cum apri percutiant fœminæ ſues mordent. Maribus quoque plures ſunt dentes quam fœminæ, ſicut in capra, & homine. Suibus dentes nunquam decidunt. Guttur homini tantum & ſuibus intumeſcit, aquarum quæ potantur plerunque vitio. Animalium plerisque pinguedo ſine ſenſu eſt: quam ob cauſam ſues ſpirantes à muribus tradunt roſas. Sues habent plures mammas toto ventre, duplici ordine. Generoſæ quidem duodena, vulgares autem minus bimis. Primogeniti in quaque parte ſuis, primas premunt. Et ſi eſcę ſunt fauci proximæ, tamen ſuam quiſq; nouit in fœtu, quo genitus eſt ordine, eaq; alitur nec alia. Detracto alumno ſuo illa ſterileſcit ilico, ac reſilit. Tunc ex omni turba relicto vno, ſola munifex, quæ genito fuerat attributa deſcendit. Caudam ſues intorquent. In illyrico quibuſdam locis vngulas ſolidas habent. *Idem lib.* 25. Elleborum nigrum ſues necat: itaque id cauent, cum candido veſcantur. *Idem lib.* 29. Salamandra à ſue manditur dominante eadem, illa rerum diſſidentia venenum eius extingui primum omnium ab his, quę veſcatur illa veriſimile eſt. *Idem li.* 31. Sues à ſerpentibus percuſſæ, cancros edendo ſibi medentur. *Ex lib. de nat. rer.* Sus apro ſęuior venatori occurrit cum morſu, ictus, acerrimè iterante, cum vt ſuperius dictum eſt, porcus agreſtis ictum non iteret.

Generoſæ ſues.

De Verribus ad ſues admittendis.

CAP. LXXXV.

PLinius *vbi ſupra.* Suillo pecori partus bis in anno. Tempus vtero quatuor menſium. numerus fœcunditatis ad vicenos, ſed educare nequeunt tam multos, Mares non vltra trimatum generant. Fœminę ſenectute feſſæ cubantes coeunt. *Palla.* Menſe Februario verres maxime fœminas inire debebunt; legendi ſunt vaſti & ampli corporis, ſed rotundi potius quam longi, ventre & clunibus magnis, roſtro breui, ceruicis glandulis ſpiſſis, libidinoſi, anniculi, qui vſq; ad quadrimos inire fœminas poſſunt. Scrophas longi lateris debemus eligere, & quibus ad ſuſtinendum fœturæ onus magnus ſe venter effundat, cætero verribus ſimiles. Sed in regionibus frigidis denſi, & nigri pili, in tepidis qualeſcunque proueniunt. Fœmina tandem vſque in annis ſeptem partus onera geſtare ſufficiet. Ad concipiendum annicula debet incipere. Quarto exempto menſe pariunt vbi quintus incipiet. Incipiunt autem vt dixi, menſe Februario & ſolidioribus herbis nati, & ſtipula ſuccedente paſcantur, vbi facilitas eſt tranſigendi, venditis qui ſubinde nati ſunt, celeriot matribus fœtura reparatur. Genus hoc omnibus locis haberi poteſt, melius tamen agris paluſtribus quam ſiccis: præcipuè vbi arborum fructuoſarum ſylua ſuppetit, quæ ſubinde maturis fructibus alterna per annum mutatione ſuccurrat. Maxime locis graminoſis, & cannarum iuncis radiceq́; nutriuntur. Sed deficientibus alimentis: per hyemem nonnunquam præbenda ſunt pabula glandis, caſtaneę, vel frugum vilia excrementa cæterarum. Verno magis cum lactanti nouella virentia plerunque ſolent porcis nocere. Neque gregatim claudendæ ſunt porcæ more aliarum pecudum, ſed haras interſtitio ſub partibus faciemus, quibus mater cum porculis claudatur, vt alumnum gregem tutiorem ipſa defendat à frigore. Quare à ſuperiori parte detectæ ſint, vt liberè numerum paſtor exploret & oppreſſis à matre fœtibus ſæpe ſubueniat ſubtrahendo. Curabit autem vt fœtus proprios cum vnaquaque recludat, plus vero quam octo, ſicut Columella dicit, nutrire non debet. Mihi vero vtilius probatur experto, porcam cui pabula ſuppetunt, vt plurimum ſex nutrire debere, quia licet plures poſſint educare, tamen numero frequenter ſicca deficiet.

Quibus paſcantur.

Scrophæ eligenda.

Quot matrivo poteſt porca.

De Medicinis ſuillis ac verrinis.

CAP. LXXXVI.

PLinius *lib.* 28. Suis cerebrum, atque ſanguis, medetur carbunculis verendorum. Medulla eius oculos fricari contra lippitudines recipiunt. Fel quoq; ſuis aurium dolori medetur à vitijs. Item etiam potum lienem ſedat. Cum adipe vero pollini impoſitum perniones curat. Maxillarum eius cinis vlcera, quæ ſerpunt ſanat. Vngularum quoq; ipſius cinis potione inſperſus vrinæ incontinentiam cohibet, & veſica eius combuſta & pota. Lardum elixum, atque circumligatum oſſa fracta mira celeritate ſolidat. Lac ſuillum dyſſentericis necnon pthiſicis eſt vtiliſſimum. Eodem lacte poto cum mulſo adiuuantur partus mulierum, per ſe vero potum deficientia replet vbera puerperarum. Eiuſdem animalis lien, ſcilicet inueteratus ex qua illitus mammis abundantiam facit. Medela ſuis hauſta coitum ſtimulat. Pulmo eiuſdem aſſus eo die à ieiuno ſumptus ebrietatem arcet. In iecore ſuis inueniuntur lapilli, qui contriti & in vino poti, calculos pellunt. Adipi ſuillo magna fuit laus apud antiquos. Inueteratur duobus modis, aut cum ſale, aut ſincerus; tanto vtilior quanto vetuſtior, Græcique axungiam vocant, vſus eſt ad emollienda, & calefacienda, diſcutiẽda purgandaq, ambuſtis & confricatis membris: iterum laſſitudines & fatigationes leuat. In ſimo ſuis innumeri vſus. Quamobrem ne de alia loquemur ſue, multo efficacior fœmina, & quæ non peperit, multo vero præſtantior in apris eſt. Fimus ſuis ſub tecto calefactus & tritus cum oleo valet ad tumores. Item ſuccus illitus ſanat vlcera, quæ ſerpunt. Idem quoque fimus recens vel inueteratus cum farina illinitur ferro factis vlceribus. Fimi ſuilli cinis inſperſus potioni vini tepidi medetur dyſſentericis: Sanguis ſi profluat iumentis, ſuillus fimus ex vino infundendus eſt. Luxatis quoque valet fimus ſuillus, ac verris ſpuma recens ex aceto, puſtulis quoq; confert fimi ſuilli cinis ex aqua illitus. Contra ſerpentes valet iecur verrinum & cerebrum ex vino potum.

Cerebrũ ſuis Medulla. Fel.

Adeps. Maxillæ.

Vngulæ.

Lardum. Lac.

Pulmo. Iecur.

Fimus.

Iecur verrinum.

De Tauro.

CAP. LXXXVII.

ISidorus. Taurus Græcum nomen eſt, ſicut & bos. Fertur autem quod taurini hauſtus ſanguinis eſt homini lęthalis. *Amb.* Hauſtus quidem ſanguinis taurini læthalis eſt homini, nec adeo putandum eſt laborioſum animal debuiſſe non naſci, aut ſine ſanguine generari, cum eius virtus ſit ad cultum agrorum vtilis, ad vſum plauſtrorum habilis, ad alimoniam ſuauis. *Plinius libro* 8. *cap.* 53. Tauris minora bobus cornua ſunt, atque tenuiora. Tauris in aſpectu generoſitas torua fronte, auribus ſetoſis. Cornibus in procinctu dimicationem poſcentibus, ſed tota comminatio prioribus in pedibus ſtat: ita gliſcentes alternos replicans pedes ac ſpargens in altum arenam, ſolumque animalium eo ſtimulo ardeſcens. Vidimus ex imperio dimicantes rotari cornibus, cadentes excipi, iterumq; reſurgere, modo iacentes in humo tolli, atque etiam curru citato velut bigis aurigas inſiſtere. *Auctor.* Taurus eſt animal luxurioſum, petulans, ferox, & cornu petens, armentum tuetur, & fœcundat. *Ariſt.* Taurus ſicut & porcus tẽpore iracundiæ, & coitus valde indiſcretè iracundus eſt, quoniã in eius ſanguine multi ſunt pili. Ob hoc etiã audax eſt propter iracundiã, quę mouet calorem Sãguis quoq; tauri citius omnibus ſanguinibus cõgelatur ſiue coagulatur. Eſt enim ſpiſſus ac niger valde. Corui pugnãt cũ tauris,

Taurus.

Hauſtus ſãguinis tauri. ni homini lethalis.

Ira tauroꝝ vnde.

& volant ſuper eos, ac pungunt oculos eorum roſtro. Taurus mutat dentes poſt duos annos, & non omnes ſimul, ſicut equus. Vrſus aliquando ſe ſuper taurum proijcit, & ſuper dorſum illius cadit. Cumque taurus vult eum ferire cornibus, tenet cornua manibus, & ſpatulis, & tunc ipſum in terra proſternit. *A quibus impinguatur.* Taurus comedit fluctus, & impinguatur à fructibus ventoſitatem generantibus vt ordeo, & faba, Et etiam pinguatur cibis dulcibus, vt ficubus, & vuiſpaſſis, Vel ſi quis corium eius fiderit, & inſufflauerit eum, poſtea det ei ad comedendum, Impinguatur etiam multum ſi remanſerit ſine coitu. Multis annis viuunt tauri, in maiori parte 15. annis. Et ſi caſtrentur 20. Animalia dentes æquales habentia, quæ non ex illis ferram faciunt, aquam fugunt, ſicut taurus, & equus, verum tauri faciunt contrarium equis, quia nolunt aquam bibere, niſi claram, & frigidam. Equi vero diligunt turbidam. In Ægypto ſunt animalia quędam valde magna, vt tauri, & oues, quia ſcilicet ibi sũt bona cibaria. tauri etiam aliqui pilos habent ſuper ſpatulas, ſicut cameli. Somniat & taurus, ſicut caper, & canis: tauri ſicut, & capri, & ante tempus coitus ſimul ambulant, & tempore coitus ſe diuidunt, & pugnant. Cornua taurorum ſylueſtrium propinquiora ſunt nocumento ſuo quã iuuamento. Pugnat enim cornibus cum eo quod eſt debilius, quandoque fugit lupos ac debiliores ſe.

De Eodem.

CAP. LXXXVIII.

Plin. vbi ſup. Tauri ſi coitum in dexteram partem habeant, mares, vt tradunt, generantur, ſi vero in lævam fœminas, conceptio peragitur initu vno. Quę ſi forte peterrauerit, poſt viginti dies marem fœmina repetit. *Idem in lib.* 11. Cornua vero dedit natura tauris infeſta. Et in hoc quidem genere tribuit etiam fœminis, maribus tamen in aliis multis. *Idem in li.* 2. Laſere herba tauros inflammat naribus illitis. *Idem in lib.* 23. Caprificus, & collo ferocium taurorum circundata, intantum eos compeſcit vt immobiles præſtet. *Idem in li.* 28. Taurinus ſanguis recens venenum eſt, ac contra hoc venenum auxiliatur edi coagulum. *Idem in lib.* 39. Nitrum quoque cum laſſere datur his qui ſanguinem tauri biberint. *Ex li. de nat. re.* Taurus eſt animal robuſtum, & inter omnes beſtias ſociales ſatis manſuetum, præterquam ad eas quæ rapacitate cæteris aduerſantur, hi ſimul adunati creberrime pugnant, & in præliando linguas exertas habent, dentibus nil agunt, ſed tantum cornibus, frontem habent validam ad omne prælium Membraque in eis fortiora ſunt caput, & collum, propter hæc inga ligantur eis in capite, & in humeris ſicut equis. Et carne quoque cartilaginoſa, & forti eſt eorum collum, & ob hoc inflexibile quodammodo ad pondus debitum aquam claram libenter bibunt, & cum herbas depaſcunt radices non lædunt, ſed hoc tantum quod in ſuperficie apparet ſumunt. Qui ſi caſtrati libidine arceantur, meliores ſunt, aptique ad omne opus, & maximè ad iuga fiunt. Tauri cornua ſi calefiant, ad libitum flecti poſſunt. Solus animalium taurus eſt, qui ſtimulo ardeſcit. Quanto ſenior eſt tanto teneriores habet carnes, ſi fuerit impinguatus: bos habet neruos cordis fortiores ac duriores animalibus cæteris, taurus tamen fortiores habet. Taurus ſi manſerit multis annis ſine coitu multum impinguatur, & cum venerit exceſſus ſubito morietur. *Ariſt.* In amphiro cuſtodiunt tauros annis 9. ne coeant, & hoc non faciunt, niſi in principio choruſcationis creſcant. *Phyſiologus.* Taurus vero timens tonitrua, in principio choruſcationis remanet in prato paſcens, vacca vero fugit. Taurus ſylueſtris ligatus ad arborem fici manſueſcit, & cætera.

Caprincus compeſcit taurum.

Aquam claram bibunt.

Nota.

De tauris Indicis.

CAP. LXXXIX.

Iſidorus. Taurus Indicus eſt fului coloris, pernicitatis volucris, pilorum in contrarium verſorum. Caput quando vult circumflecti, tergi duricia cœlum omne reſpuens immitis feritate. *Rabanus.* Indicus taurus immitis feritate, grandi capite, & oris rictu ab aure vſque ad aurem pateſcente. *Solinus.* Indici tauri cornua circumflectunt, flexibilitate qua volunt, tam immiti feritate ſunt, vt capti omnes furore proiiciant. *Plin. &c.* Apud Indos ſunt atrociſſimi tauri ſylueſtres, maiores agreſtibus, oculis ceruleis, & pilo in contrarium verſo, rictu ad aures dehiſcente. Feras omnes venantur, & ipſi non aliter quam foueis capti, feritate ſemper intereunt. *Ex lib. de nat. re.* Tauri indici grande caput, & ſetas condenſas, & horridas habent Conferunt cornua ſua flexibilitate qua volunt, vel ad libitũm, vel ad pugnam, & ea deponunt vel producunt: habent & aliud iuuamentum, ſcilicet eiectionem ſtercoris in longinqua, cuius calore, & fœtore canes, & venatores retardantur. Sunt & in oriente boues qui vnum tantum cornu habent. Alij vero qui tria, hi non habent vngulas fiſſas, ſed equorum more ſolidas.

Flexibilitas cornuũ taurorum Indicorum.

De tauris ad vaccas admittendis.

CAP. XC.

Ariſtoteles. Taurus paſcitur ſolus, niſi cum appropinquauerit tempus coitus, tunc enim cum vaccis paſcitur, & contra maſculos omnes prælia-tur. Pugnant quidem tauri poſt vaccam, & victor ſalit ſuper fœminam, vacca vero fugit coitum, propter virgæ maris duriciem. *Plinius.* Tauri generationem quadrimi implent. Pariunt autem menſe decimo. Quicquid ante genitum eſt inutile eſt. *Palla. lib.* 4. Itaque menſe Martio qui vult armenta conſtruere, tauros tenera ætate his ſignis debet ſubmittere, vt ſint alti, & ingentibus membris, ętatis medię. Et magis qui in iuuentute eſt minor, quam qui declinat in ſenium, torua facie, paruis cornibus, thoroſa vaſtaque ceruice, ventre ſubſtricto: vaccas etiam tunc maximè parabimus, ſed eligemus forma altiſſima, corporis longi, vteri capacis, & magni, alta fronte, oculis nigris, & grandibus, pulchris cornibus, & præcipuè nigris, aure feroſa, palearibus, & caudis maximis, vnguibus breuibus, & cruribus nigris, & paruis, ætatis maximè trimæ, quia vſque ad decennium fœtura ex his procedit vtilior, nec ante ætatem trimam tauros his oportet admitti. Sed erit ſtudium diligentis, amotis ſenioribus nouellas ſubinde conducere, & ſteriles aratro, ac laboribus deputare. Græci aſſerunt, ſi mares creare velis, ſiniſtrum tauri in coitu ligandum eſſe teſticulum. Si fœminas dextrum. Tauros tamen diu abſtinendos, vt cum tempus eſt, acrius in cauſas dilati feruoris incumbant. Sed his armentis hyeme maritima, & aprica loca, æſtate opaca paremus, ac frigida, montana maximè, quia melius frutetis, & his herba internaſcente ſaturantur, quia quamuis circa fluuios rectè propter loca amæna paſcantur, Fœtura tamen aquis tepidioribus adiuuatur, vnde magis vtiliusque paſcentur vbí pluuialis aqua tepentes format lacunas. Tolerat tamen frigus hoc armenti genus, & poteſt facilè hibernare ſub diuo. Quibus tamen ſepta fieri propter iniuriam grauidarum conuenit laxiora. Stabula vero vtilia ſunt ſtrata ſaxo, aut glareis, aut arenis, deuexa aliquatenus, vt humor poſſit elabi, parti meridianæ obuerſa, propter flatus glaciales, quibus aliquis reſiſtere debet obiectus. *Idem in libro* 8. Menſe quoque Iulio maximè tauri ſubmittendæ ſunt vaccæ, quia decem menſium partus ſic poterit maturo vere cõcludi, & certum eſt eas poſt vernam pinguedinem geſtientes Vene-

Pugna taurorum.

Vacca eligẽda.

Vt creentur mares.

Tolerant frigus.

ris

15. vacca vni tauro.

tris amare laſciuiam, vni tauro quindecim vaccas Columella aſſerit ſufficere poſſe. Curandumque ne concipere nequeant nimietate pinguedinis. Si abundantia pabuli eſt in regione qua paſcimus, poteſt annis omnibus in fœturam vacca ſubmitti. Si vero indigetur hoc genere, alternis temporibus onerandæ ſunt, maximeque ſi eædem alicui operi ſeruire conſueuerunt.

De diuerſis ex tauro medicinis.

CAP. XCI.

Cornu.

ÆSculapius. Tauri cornu ſerpentem fugat, & ſanguis eius eos interficit, maculas quoq; faciei delet. Fel eius cum melle, & balſamo, oculorum vitia curat. Sebum eius cum reſina, & cera duritias omnes mollit. Medulla eius cum vino temperata tremuloſos curat. Fimus eius tumores atque duritias ſoluit. *Plinius libr.* 28. Tauri felle cum Ægyptio alumine tepefactis alopicias illinunt. Ad vlcera quoque capitis ex eodem felle cum oui albo collyria fiunt aqua quæ diſſoluta per quatriduum inunguntur Idem addito nitro lepras, & furfures tollit, pterigiaque digitorum, idem fel aridum aqua calida diſſolutum aufert, eodem felle collui dentes confert. Felle taurino vlcera ſanantur. Idem quoque cum ſucco porri fiſtulis immittitur. Recentes etiam plagas ferro factas curat illinitum glutinum taurinum liquefactum tertio die ſolutum. Item glutinum aqua calida reſolutum inflationes ſedat, mulierum quoque purgationes adiuuat fel taurinum lana ſuccida appoſitum. Taurinus ſanguis aridus tritus parotidas comprimit, ſedis vitijs medetur. Taurinum fel in lintheolis concerptis rimasque ad cicatricē perducit. Inflationibus quidem in parte illa medetur ſebum ſanguisque taurinus aridus tritus. Podagris etiam valet vrſinus adeps taurinumque ſebum, hydropicis auxiliatur fimi taurini liquor. Eodemque fimo malas rubeſcere aiunt. Vlcera vero capitis manantia efficaciter ſanat tauri vrina.

Fel. Sebum. Medulla. Fimus.

Sanguis.

Vrina.

Auicenna in ſecundo canone. Fel taurinum confert vlceribus in aure recentibus. Etiam vlceribus ani. Fitque ex eo linimentum ad dolorem matricis ac teſticulorum, & ponitur ſuper apoſtemata oſei. Eſt autem theriaca morſibus venenoſis vrina tauri cum nitro diſſoluta, & in aurem, ſubtiliter diſtillata, ſedat dolorem eius, ablutioneque ex ea facta confert furfuribus. Stercus tauri propere vermes effugat venenoſos ac cimices, quando fit cum eo ſuffumigatio. Ex eodem quoque ſuffumigatio fit eminentiæ matricis. Sanguis tauri calidus ſuper apoſtemata dura linit. *Idem in libro* 3. Sanguis tauri recens venenum eſt, ipſumque qui biberit accidit ei difficultas anhelitus, & dolor branchos & meri & rubedo linguæ, & fruſta ſanguinis congelati in dentibus ac gingiuis, & nauſea vehemens, & anguſtia, deinde in lingua apparet corroſio, deinde perducit ad præfocationem, & ſpaſmum, oportet itaque properare ad clyſterem, & ſolutionem ventris, vomitus enim periculoſus eſt: quoniam enim quandoque expellitur, cuius expulſio quandoque non toleratur, & ideo præfocat. Dandæ ſunt autem medicinę conferentes in congelatione ſanguinis, vt ficus immature plene crude, ſemen caulis &c. *Dioſcorides.* Fel taurinum mixto felle hyrcino ſynanticos curat, vulnera & cicatrices ſanat, mixtum lacti dolores aurium mitigat, pluſque mixto lacte mulierum. Sanguis taurinus diaphoreticus eſt, & malacticus, duritias ſoluit, & cataplaſmate adhibitus medetur.

Stercus.

Pro congelatione ſanguinis.

De vacca.

CAP. XCII.

Vacca.

[Iſidorus. Vacca dicitur quaſi boacca. Eſt enim ex qualitate mobilium nominum, ſicut leo leæna, draco draçena. *Ariſtoteles in libro de animalibus.* Vacca eſt animal manſuetum, & iracundiæ paucæ, multæ vero inſipientiæ. Huius renes in aſpectu quaſi compoſiti ſunt ex pluribus paruis renibus, ventres habet multos, vt cibi compleantur vſus, & quod diminuitur ex eo propter digeſtionem habet ventrem poſt alium. Primus ergo venter cibum recipit crudum, ſecundus digeſtum, tertius iam digeſtione melioratum. Quartus vero bene digeſtum. Cornua vaccæ ſi calefiant, in omnem partem declinant. Cornua fœminarum ſunt fortiora cornibus maſculorum. Deſiderium coitus vaccarum manifeſtatur per tumorem inguinum, & continuos mugitus earum, vaccis quæ ſunt in armentis accidunt infirmitates duæ. Podagra ſcilicet quia pedes earum aſtringuntur, ſed ex hac non moriuntur, & ſi vngantur earum cornua vtique ſanabuntur. Alia vero crocaror, quæ cum accidit velociter anhelitus ſuus reuertitur, & hæc febribus in hominibus aſſimilatur, huius infirmitatis ſignum eſt quando demittunt auriculas, & non comedunt, citoque ex illa moriuntur. Cum autem impinguantur vaccæ pigriores ſunt, hæ paſcuntur ad poſterius. Vacca in corde habet os, ſicut equus, propter cordis magnitudinem. Et mammillas quatuor vt camela. Vox eius, & maximè vacculæ craſſior eſt quam bouis maſculi, cum in cæteris animalibus ſit econtrario: ad potandum diligit aquam claram, equus turbidam. Pugnant tauri poſt vaccam, & victor ſalit ſuper eam. Cum autem debilitatur propter multitudinem coitus, iterum victus pugnat contra illum, & qui vincit, fœminam ſalit. Ipſa vero fugiendo non ſuſtinet coitum, vt ſupra dictum eſt, & tempore coitus domari non poteſt. Vaccæ & rectorem habent, & viuunt diutius propter bonum paſtum. Quod ſi vaccę ſeparetur à grege perditur, quoniā à beſtiis comeditur. Vacca ſylueſtris habet cornua declinantia adinuicem, & ob hoc dedit ei natura iuuamentum aliud, ſcilicet eiectionem ſtercoris in remotum, vt ab ipſo detineatur venator.

Ventres vaccæ quatuor.

Podagra.

Crocaror.

Rector vaccarum.

In regione Græciæ circa phaſidem abundant agreſtes vaccæ. Sunt autem nigræ, fortes valde, pedes in duas vngulas fiſſas habentes, & crines longos faciesque declinantes. Lac vaccæ inter alia ſpiſſum eſt valde, habet autem lac, ſicut & ouis, pluſquam fœtus indigeat. Ideoque conueniens eſt, vt ex illo caſeus fiat. In regione quæ Grecè dicitur Epheſis ſunt vaccæ paruæ, à quibus ſubtrahitur lac in multitudine. Sunt vero paſcua quædam inflantia, quæ multiplicant lac, vt fabæ, quæ conueniunt vaccas, & capræ. Vacca circa coitum ſequitur taurum, & ſalit ſuper ipſum. Ipſiusque tauri ſaltus ſuper illam grauis eſt, ita quod ipſam incuruari oportet. Tempus autem coitui conueniens, & partui eſt poſt duos annos. Tempusque imprægnationis vaccæ ſunt nouem menſes, & partus erit in decimo. Cumque vaccæ multotiens fœtificant, multam hyeme futuram eſſe pluuiam ſignificari putant. Viuit autem vacca pro maiori parte 15. annis. Vaccæ, & aſinæ menſtruant, & euacuantur multum, propter magnitudinem corporum. *Ex lib. de nat. re.* Vaccas grauidas Plinius ferre negat præterquam in dextro vuluæ ſinu. & cum geminos ferunt menſtrua apparent, & in vaccis, & in equabus, præcipuè in calidis regionibus, vbi magis abundant humores ac ſuperfluitates in animalibus. Sed ipſa menſtrua egeruntur, quandoque per veſicam in vrina. Vrina vaccæ acuta eſt valde. Vacca in prato paſcens tempore tonitrui fugit à facie choruſcationis, tauro remanente, & non timente.

Paſcua lac multiplicātia.

Vacca timet choruſcationem nō taurus.

A

De carne vaccina, & lacte.

Cap. XCIII.

Razi. Vaccina caro craſſa eſt, multumq; nutrit, ſanguinem fœtidum, & craſſum generat, non congruit niſi ijs qui multo vtuntur exercitio: ab hac oportet illos abſtinere quibus accidunt ægritudines melancholicæ. *Auicenna in 2. can.* Vaccina caro plurimi nutrimenti eſt, craſſa, melancholica, generans egritudines melancholicas. Quod melius eius eſt, eſt caro vitulorum. Caro vaccina generat morpheam, cancrum, ſcabiem, impetigines malas, lepram, elephantiam & varices, ac febres quartanas. Item caro vaccina, & reliquæ carnes malæ faciunt euenire alienationem propter exiccationem, & incraſſant ſplenem. Ius vaccinæ carnis acetoſæ ſolutioni cholericæ bonum eſt, abſcindit enim ipſam. Carnem vaccinam diſſoluunt cortices melonum, quando ſcilicet cum eis decoquitur. Melius autem tempus in qua comedatur eſt ver, & principium æſtatis. *Ex lib. de nat. re.* Caro bouina ſicca eſt, turbidumque ſanguinem, & craſſum generat, multum tamen nutrit, ſed tardè digeritur, niſi cum vino, & allio ſumatur. Vaccarum lac valde ſpiſſum nec de facile per frigus ingelatur, ſed aquoſitas ab eo ſegregatur, reſiduumque craſſum efficitur. Per ignem autem incraſſatur. In regione Ambedor magni corporis ſunt vaccæ ita, quod oportet mulgentem in pedes ſtarè, hæc ſupra modum lactis abundantiam præbent, ſed & canes in illa regione magni ſunt, & animalia omnia præter aſinos. *Auicenna.* Lac vaccinum plurimi butyri eſt, craſſum, & pingue pluſquam ouinum. *Iſaac.* Lac vaccinum minus cæteris eſt aquoſum, & acutum, ac magis nutritiuum. Stomacho conuenit, membra confortat, calorem hepatis, & ſtomachi refrigerat. Eſt etiam bonum ad alia butyroſitate remota. Nam ad bibendum datum calidiorum humorum morſuras mitigat, calorem naturalem confortat, & temperat, carnem augmentat, diarriam cholericam aufert tenaſmon cholericum, vulnera inteſtinorum, & veſicæ, & matricis adiuuat. Sic autem dandum eſt, & erit optimum, vt tantum aquæ frigidæ apponatur quantum lactis erit, & tam diu coquatur, donec aqua tota auferatur. Et quotiens hoc feceris tanto melius his actionibus erit.

Caro vaccina nocet melancholicis.

Magni corporis vaccæ.

Lac vaccinum.

B

C

De Medicinis ex vacca.

Cap. XCIV.

Auicenna in 2. can. Vaccinum fel fortius eſt cæteris fellibus quadrupedum. Ponitur in emplaſtris ad vulnera quæ ſunt eriſipila, doloriſque vehementis. Crura vaccina, ideſt oſſa crurum aduſta fluxum ſanguinis abſcindunt, & ſolutiones ventris. Stercus vaccinum eſt ex his, quæ dantur pulmoni, & pthiſi, & ſimilibus. Ex eo fit emplaſtrum ſuper iſciaticam. Item cum aceto ſuper exituras calidas poſitum ſedat eas. Conuenit etiam apoſtematibus, quæ poſt aures ſunt. Colla de corio vaccino linita cum aceto ſuper impetiginem, & ſcabiem excoriabilem cum non eſt vehementis profunditatis confert. Similiter, & linita cum melle, & aceto ſuper vulnera, aduſta quoq; & lota valent ad curationem lendium. *Bals.* Sanguis vaccæ ſi ſuper vulnus infundatur ſanguinem ſtringit. *Ariſtot.* Vaccæ cornua ſi calefiant in omnem (vt dictum eſt) partem declinant, & ſiquidem vngantur cum oleo ac pice valent contra dolorem pedum, & contra niuis nocumentum. *Plin. lib. 28.* Vaccinum etiam iecur cæliacis atque dyſſentericis medetur.

Fel.

Crura.

Stercus.

Corium.

Sanguis.

Cornua.

Iecur.

D

E

De veruece.

Cap. XCV.

Iſidorus. Veruex à viribus dictus eſt, quod cæteris ouibus ſit fortior, vel eo quod ſit vir, ideſt maſculus, vel quod vermes in capite habeat, quorum excitati pruritu ſeinuicem concutiunt, & pugnantes cum magno impetu feriunt. *Ex libro de natura rerum.* Veruex ſiue aries habet cornua in modum circuli replicata, quibus gregem defendere nititur. Ex naturali feritate dextro pede terram percutit, quando iraſcitur, aut ſtupet, vel timet, & hoc maximè amoris tempore: per dimidium annum iacet ſuper vnum latus, & per dimidium ſuper aliud. Carnes eius calidiores ſunt & minus humidæ, quam ouium ac duriores ad digerendum. Agnus vero naturaliter lupum abhorrens, licet nunquam eum viderit, ſtatim fugit, qui tamen equo vel alio animali viſo, nec fugeret, nec timeret. Carnes eius non facilè egeſtioni cedunt, facilè tamen à ſtomacho deſcendunt, ſed à membris difficillimè ſoluuntur. Nam viſcoſum humorem generant. Agnus autem anniculus laudabilior eſt propter humiditatis, & ſiccitatis temperiem. Omnia quæ in oue ſunt vtilia ſunt, ſcilicet lana, pellis, caro, lac. *Dioſcorides.* Adeps veruecinus ſimilem habet virtutem porcino. Stericas aut ani cauſas vtiliter curat, & combuſtis opitulatur. Fel veruecinum lanis adhibitum, & in vmbilico poſitum ventrem ſoluit infantium. Fimus veruecinus cum aceto cataplaſmata impoſitus, maculas nigras emendat: naſcentes clauos corporibus tollit. Ignem ſacrum impoſitum curat. Cum cera, & oleo mixtus combuſtionibus medetur.

Veruex.

Adeps.

Fel.

Fimus.

De vitulo.

Cap. XCVI.

Iſidor. Vitulus, & vitula à viriditate dicti ſunt, ideſt à viridi ætate, ſicut virgo. Vitula, ergo parua eſt, & nondum enixa. Nam enixa iuuenca eſt aut vacca. Iuuencus autem dictus eo quod iuuare incipiat hominum vſus in excolenda terra, vel quia apud Gentiles Ioui ſemper niſi iuuencus immolabatur, nunquam taurus. Nam in victimis etiam ætas conſideratur. *Palladius lib. 5.* Menſe Aprili naſci ſolent vituli, quorum matres abundantia pabuli iuuentur, vt ſufficere poſſint tributo laboris, & lactis. Ipſis autem vitulis toſtum molitumque milium cum lacte miſceatur farraci more præbendum. *Ariſtot.* Partus vitulorum dicunt eſſe decem menſium, & ſi ante hoc tempus pariatur non viuet, quoniam eius vngulæ non complebuntur. Si caſtretur vitulus, viuere poteſt viginti annis, & amplius: ſi ſaltem forte fuerit eius corpus. Solus vitulus inter omne genus animalium grauiorem habet vocem vocibus ſeniorum boum. Nam cætera quidem omnia vocem habent acutiorem in iuuentute, craſſiorem in ſenectute. Cum autem inierint vituli mares ætatem ſolitantur, ac ſine fœminis vſque ad tempus coitus paſcuntur. Cum autem appropinquat tempus coitus, iam non ſolus, ſed cum vaccis paſcitur. Incipit coire poſt duos annos, ſed tunc eius filij ſunt pauci, debiles, & parui. *Plin. lib. 8.* huic ſoli omnium animalium quibus procerior eſt cauda, non ſtatim nato, vt cæteris, eſt conſumatæ menſurę, creſcit enim donec ad ima perueniat veſtigia. Quamobrem in vitulo victimarum probatio conſiſtit vt articulorum ſuffragines contingat.

Vitulus.

Milium vitulis dandum.

Vox vituli grauior voce bouis.

De vitulis caſtrandis.

Cap. XCVII.

Palladius lib. 6. Vituli autem Maio caſtrandi ſunt, ſicut Mago dicit, tenera ætate, vt fiſſa ferula teſti-

Tempus caſtrationis.

culi

culi comprimantur, & paulatim confracti reſoluuntur. Sed hoc luna decreſcente, verno vel autumno fieri debere præcipit. Alij ligato ad machinam vitulo, duabus anguſtis regulis ſtanneis, ſicut forcipibus, ipſos neruos apprehendunt, Qui Græcè cremaſteres dicuntur. His compreſienſis tentos teſticulos ferro reſecant, & ita reſcidunt, vt aliquid de his capitibus neruorum ſuorum dimittatur hærere. Quæres, & ſanguinis nimietatem prohibet, & non omnino iuuencos ſubducto robore virilitatis effæminat. Nec dimittendum eſt, quod plerique faciunt, vt ſtatim caſtratos coire compellant. Nam certum quidem eſt ab eis generari, ſed ipſos fluxu ſanguinis interire, vulnera vero caſtratorum cinere ſarmentorum, & ſpuma linentur argenti. Caſtratus abſtineatur à potu, & cibis paſcatur exiguis. Ac ſequente triduo præbeantur ei teneræ arborum ſummitates, & fruteta mollia, & herbæ virides, comæ dulciores ſaginatotiæ, aut fluuiales. Picè etiam liquida, mixto cinere, & modico oleo poſt triduum vulnera diligenter vngenda ſunt. Sed melius genus caſtrationis ſequens vſus inuenit. Alligato enim iuuenco atque deiecto, teſticuli ſtricta pelle claudantur atque ibi regula lignea premente, deſcidantur ignitis ſecuribus vel dolabris. Vel quod eſt melius, formato ad hoc ferramento, vt gladii ſimilitudinem teneat. Ita enim circa pſam regulam acies ferri cadentis imprimatur vnoquoque ictu ſic moram doloris, beneficio celeritatis abſumit, & vſtis venis ac pellibus fluxu ſanguinis ſtrictis, plagam cicatrix quodammodo cum ipſo vulnere nata, defendit. *Ariſtoteles.* Vituli poſt vnum annum caſtrandi ſunt. Alioquin parui erunt. Caſtrati vero diutius viuunt. *Plinius libro* 18. Porro decreſcente luna caſtrandi ſunt iuuenci.

Modus caſtrandi.

Cremaſteres.

Curatio vulnerum caſtratorum.

Aliud genus caſtrationis.

De medicinis ex vitulo.

CAP. XCVIII.

IDem in libro 28. Vituli carnem ad hominis morſum imponunt, nec ante quintum diem ſoluunt. Omnes quidem medullæ molliunt, explent, ſiccant, excalefaciunt. Inter cæteras autem laudabilis eſt vitulina. Sebum quoque vitulinum capitis vlceribus cum ſale tritum laudatur vtiliſſimum. Sed & ad oris vlcera, & rimas ſebum vituli vel bouis cum adipe aſinino vel ocymi ſucco ſanat. Præterea teſtium tumor cohibetur ſebo vituli, addito nitro, vel etiam fimo eiuſdem ex aceto decocto. Inflationibus quoque quæ fiunt in parte ſedis, medetur ſebum vituli cum ruta. Item contra venena quæ exulceratione enecant auxiliatur ſebum vituli, contraque aconita, & cicutas. Fel vituli calefactum cicatrices nigras extenuat. Vlcera quoque capitis manantia fel vituli efficaciter ſanat. Quo etiam cum aceto calefacto lendines tolluntur. Lien vituli cum melle in vino decoctus ac tritus, & illitus, vlcera manantia ſanat. Vituli quoque fimus in vino decoctus inteſtinorum vitijs prodeſt. Eodem fimo ſuffumigare percuſſos à ſcorpione eſt eis vtile. Vituli fimus, qui non de herba guſtauerit, medetur podagris. Et hydropicis auxiliatur, fimus vituli maſculi illitus. Igni quoque ſacro illinitur fimus vituli recens. Eiuſdem fimi cinis illitus ex aceto, ſanguinem ſiſtit. Varricum quoque dolores ſedat cinis eiuſdem fimi cum lilij bulbis decoctis addito melle modico. Et omnia inflammata, & ſuppurationes minantia. Podagris quoque prodeſt, & articularijs morbis è maribus præcipuè vitulis.

Caro.

Medulla.

Sebum.

Fel.

Lien.

Fimus.



SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER DECIMVSNONVS.

De Bestijs.

CAP. I.



Sidor. Bestiarum vocabulum propriè conuenit leonibus, pardis, tigribus, *lupis*, ac vulpibus, canibus ac similis, ac cęteris quæ vel ore vel vnguibus sęuiũt exceptis serpẽtibus. Bestiæ autem dictæ sunt à vi qua sæuiunt. Feræ vero sunt appellatæ, eo quod desiderio suo ferantur naturali vtentes libertate. Liberè enim huc illuc vagantur, & quo animus duxerit, eo feruntur. *Aristot.* Pugna bestiarum non est nisi propter cibum, & propter mansionem, & propter fœminam. *Ex lib. de nat. rer.* Fiunt in animalibus bella quatuor de causis, videlicet propter naturalem superbiam, propter cibum, propter fœtum, scilicet defendendum. *Aui. in 4. can.* Bestiarum quædam morsu grauant etiam sine rabie, quia venenum in dentibus habent, vt cattus, & crocodilus, & huiusmodi. Quædam etiam in rabiem incidunt vt canis, dicitur etiam quod vulpes rabiosa fit, & mustela similiter. Muli quoque secundum quosdam rabiosi facti sunt, & dominos suos momorderunt, & insaniam quę ex reliquis rabiebus accidit, incurrerunt. Leopardus autem, & leo isti rapaces, & eis similes, non sunt sicut canes salui & homines. Imo dentes eorum, & vngues vacui non sunt, sunt autem venenosi. Quapropter oportet vt currentur morsus eorum, & vulnus vnguium eorum in primis cum attractione, deinde consolidatione, sed in eorum quidem attractione sufficit res parua. Sudor bestiarum venenosus est, & ex eius potu fit facies viridis, & apostematur, & currit ex corpore sudor fœtidus vt ascellarum. Cura eius est vomitus cum aqua tepida, & theriaca de terra sigillata. *Hali.* Vrina vero bestiarum arthreticis est remedium. *Auctor.* Quædam autem sunt animalia, quæ medium locũ inter bestias, & pecora tenere, vel ad vtrumque genus communiter pertinere videntur. Nam verbi gratia constat aprum maximè dentibus sæuire, quem tamen iuxta Isidorũ inter pecora computauimus, quia hominibus aptus est ad vescendum. Origen quoque Plinius feram vocat, & Hieronymus, quem tamẽ Deuteronomij liber inter animalia mundà, & ad vescendum apta computat. Plura quoque talia reperiuntur animalia. Vnde Plinius (vt dictum est supra) damæ inquit raro mansuescunt, & tamen feræ de iure dici non possunt. Cõplura namque sunt nec placida nec fera, sed mediæ inter vtrumque naturæ, vt in campo apri, In mari delphini, Dicto enim de pecoribus iuxta ordinẽ litterarũ alphabeti, consequenter de bestiis secundum eundem ordinem prosequi Deo iuuante intendimus.

Bestia. *Fera.* *Dama non dici possunt fera.*

De abane, & alce.

CAP. II.

EX *li de nat. rer.* Ahane secundum Arist. est animal magnitudine cerui, contra consuetudinem omnium animalium habens fel in auribus simile felli hominis in colore, & est amarum valde, causatiuum vehementis iræ, ferocitatisque. *Helinandus.* Alces est animal in sylua Hercinia, consimilis est capris figura, est varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt. Mutila sunt cornibus, & crura sine nodis, articulosq; non habent. Nec quietis causa procumbunt, neque quo afflictę casu ceciderint erigere sese aut subleuare possunt. His sunt arbores pro cubilibus, ad eas se applicant, atque ita paululum reclinantes quietem capiunt. Quarum ex vestigiis cum animaduersum à venatoribus fuerit quo se recipere loco consueuerunt, ea loca, à radicibus subruunt, aut abscindunt arbores, tantum vt summa species, vel stirps earum stantium relinquatur, huc cum se consuetudine declinauerint, infirmas arbores pondere affligunt. atque vnà ipsæ concidunt. Est alce mulis comparanda, adeo propẽso labro superiore, vt nisi recedens in posteriora vestigia pasci non queat. Gangania Insula è regione Germaniæ mittit animal quale alces, & cuius sicut nec elephantis flecti nequeunt suffragines. Ideoque non cubat, cum dormiendum est, sed somnolentam arbor tantummodo sustinet, quæ prope casum minatur, vt fera ruinam faciat, dum assuetis fulcimentis innititur, ita capitur. Alioquin eam mancipare difficile est, quoniam nullo rigore poplicum incomprehensibili fuga pollet.

Ahane. *Alces.* *Modus capiendi Alcen*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pollet. *Auctor.* Hæc beſtia eadem quæ & maclin eſſe videtur, de qua ſcilicet inferius dicetur.

De anabulla, aptalo, & aucatinore.

CAP. III.

Anabulla. ANnabulla beſtia eſt Æthiopiæ, collum habens vt equus, pedes & crura velut bos, caput vt camelus albas habet maculas, colorem rutilum valde, membra ſingula diſtinguentem, cumque tanto decore ſit animal reſperſum, pellis multum ſpectabilis, *Aptalon.* carius venditur ad luxum oculorũ. Aptalõ animal ſimile capriolæ, fœtidum nimis, cui non poteſt homo approximare. Et habet duo cornua acuta valde, quaſi duas falces, & recuruata ſunt: hoc animal cum ſitit, accedit ad Euphratem, vt bibat, & cum biberit, *Aptalon capiendi modus.* adit dumetum quoddam vitium minutis virgulis, & ſubtilibus conſitum, vt ibi quaſi ludendo ſe in illis viminibus confricet. Quo fit vt in illis illaqueetur, ita quod ſe inde non poſſit auellere. Et tunc vocem magnam emittit, quam cum audit venator irruens in ipſum occidit illud. *Ex lib. de nat. rer.* Aptalon eſt animal acerrimum, ita vt venator ei non poſſit appropinquare, habet autem longa cornua ſerræ figuram habentia, ita vt poſſit etiam arbores magnas, & altas ſecare, & ad terram deponere. Cumque ſitit venit ad flumẽ Euphratem, & bibit. Eſt autem frutex qui Græcè dicitur herecin habens virgulta ſubtilia, & prolixa ad quæ ludens cornibus ſuis obligat ea virgultis *Aucatinor.* eius, ſicque diu clamans auditur, & à venatore occiditur. *Ariſtoteles.* Aucatinor eſt animal æquale catulo leuerario, huius intelligẽtia maior eſt cum eſt paruus, quàm cum eſt magnus.

De bonaſo.

CAP. IV.

Bonaſus. SOlinus. Bonaſos eſt animal quod in locis Phrygiæ naſcitur. huic taurinum eſt caput, ac deinceps omne corpus, iuba tantum equina. Cornua vero tam multiplici flexu in ſe recurrentia, vt ſiquis in ea offendat non vulneretur, ſed quicquid præſidij monſtro illi frons negat, aluus ſufficit. Nam cum in fugam ſe vertit proluuie citati ventris fimum egerit per longitudinem trium iugerum. Cuius ardor quicquid attigerit, adurit. Ita egerie noxia ſubmouet inſequentes. *Auctor.* Forſitan hoc animal idem eſt quod vacca ſylueſtris, de qua dictum eſt ſupra ſecundum Ariſt. quæ habet cornua declinantia adinuicem. Nam & boues ſylueſtres ſiue bubali alio nomine dicuntur biſontes, vt ſuperius dictum eſt. *Ariſt.* Bonaſus eſt animal in pęonia monte Meſſapo tauro ſimile, ſed & in eo crinis deſcendens ad duas partes ſpatularum, huius pili molliores ſunt quam equi, & breuiores, crines eius omnes continui ſunt, & vſque ad oculos perueniunt. Et qui ex pilis eius ſunt inferius lanæ aſſimilantur. Pili vero qui ſunt ſuper eius frontem conueniunt, vſque dum ſeparentur ſecundum diſcrimen. Color eius eſt rubeus, & forte erit ad nigredinem declinans. Huius vox aſſimilatur voci tauri, nec habet dentes ſuperiores, ſicut nec taurus. Habet duos ſotulares, & caudam breuem reſpectu corporis, & cauat terram. Habet & corium multos ictus patiens, huius caro dulcis eſt, & ideo deprehenditur. Cumque percutitur fugit, & quieſcit. Cum autem debilitatur pugnat, & ſtercus per quatuor paſſus eiicit. Cum vero tempus partus eius appropinquat, adunantur ex eo genere multi, priuſque circa ipſum ſtercus congregant, & ipſum quaſi murum ponunt. Eſt autem animal multi ſtercoris.

Vide Ariſt. l. 9. hiſt. anima. c. 45. quem author corrupte legerat in MSS. qua habuimus.

De Caco.

CAP. V.

Cacus. EX *lib. de nat. rer.* Cacus eſt monſtrum in Archadia totum ſetoſum vt porcus. Et vt ſcribit Adelinus philoſophus, anhelitu ſuo pectore flammas eructat, *Flammiuomus.* ideſt ſpiritum flammeum, maximè cum ira fuerit permotum. Hic in antris ſuper tyberim commoratur, & inuadit ſubito taurorum & vaccarum greges per caudas tres vel quatuor apprehendens, & vi ſuæ fortitudinis in antrum occulte trahens greſſu retrogrado, ne ſcilicet de facili poſſit inueſtigari. Nec ſolum animalibus eſt infeſtus, ſed buboni grauiſſimè inſidiatur, cum tamen ipſum hominem plurimum timeat. Si quæritur quomodo de animalis ore flamma poſſit euomi, tam efficax, vt proximè contacta comburat, & non ipſum corpus animalis flamma tali abſumatur. Reſponderi poteſt, quia cum anhelitus adhuc in viſceribus animalis per membra varia latè diffuſus eſt, eſt tepidus, vſquequaque non exuberatur in flammas. Sed eructatus continuatur ac multiplicatur in obiectum aliquod corpus, virtutemque recipit comburendi, ſicut videmus per medium berylli lumen ſolis multiplicare radios, & in ſummo mucronis acumine radiorum ignis virtutem in ſubiectam materiã ſuſcipere, ignemque effici violentum, huic animali ſimilia fuerunt illa, de quibus in lib. Sapientiæ legitur, quod ignes ex ore ſuo ſpirabant.

De chamæleonte.

CAP. VI.

Chamæleon. ISid. Chamæleon non habet vnum colorem, ſed diuerſa varietate conſperſus eſt, vt pardus. Huius chamæleontis corpuſculum ad colores quos videt, facillima conuerſione variatur, cum aliorum animalium non ſit ad conuerſionem facilis corpulentia. *Rudolphus ſuper Leuiticum.* Chamæleon in infirmitate mãſuetum eſſe ſe fingit, cum aliàs ſit immanſuetum animal. *Gloſſa ſuper Leuiticum.* Chamæleon animal eſt natum ad deridendum, doloſum, rapax, ingluuioſum, & ideo ſecundum legem immundum. *Amb.* Chamæleõ diuerſas ſpecies, colore vario fertur mẽtiri. *Timor eſt cauſa variationis eius.* *Ariſt.* Chamæleon eſt animal valde timoroſum, propter quod in multos colores mutatur. Cauſa vero timoris eius paucitas eſt ſanguinis, & caloris. Vnde etiam valde macer eſt, & vocatur leo terræ. Huius facies eſt ſicut animalis ex porco, & ſimia compoſiti. Vngulas habet ſimiles vncis auium vngulis. Alteratio coloris eius fit, quando corium eius inſufflatur. Manet in cauernis ſicut lacertulus.

Solinus. Per omnem Aſiam chamęleon plurimus eſt, animal, ſcilic. quadrupedes, facie qua lacertæ, niſi crura recta, & longiora ventri iungerentur, prolixa cauda, eademq; in vertiginem torta. Hamati vngues ſubtilique aduncitate. Inceſſus vero piger, & idem fere qui teſtudinum motus. Corpus aſperum cute, qualem ex crocodilis deprehendimus. Subducti oculi, & receſſu concauo introrſum recepti, quos nunquam nictatione obnubit. Viſum non circularis pupillis, ſed obtutu rigidi orbis intentat. Hiatus eius æternus, ac ſine vſus illius miniſterio. Quippe cum neque cibum *Nec cibo, nec potu vtitur.* capiat, neque potu alatur, nec alimento alio quam hauſto aere viuat. Color varius, & in momento mutabilis, ita vt cuicunque rei ſe coniunxerit concolor ei fiat. Colores duo ſunt, quos fingere non valet. Rubeus & candidus, Cæteros facilè mentitur, Corpus penè ſine carne. Vitalia ſine liene, nec niſi in corculo pauxillum ſanguinis deprehẽditur: latet hyeme, producitur vere. Impetibilis eſt coruo, à quo cum interfectus eſt, victorem ſuum perimit interemptus. Nam ſi vel modicum ales ex eo ederit, illico moritur. Sed corax habet præſidium ad medelam natura manum porrigente. Nam cum afflictum ſe ſentit, ſumpta fron-

de

Chamæleon & polypus similes.

de lautea recuperat ſanitatem. *Idem.* Interra ergo chamæleontes in mari polypi, cuicunque rei approximauerint ſimiles fiunt. Cutis enim eorum lenitas æmulatur proximantia.

De eodem.

CAP. VII.

PLinius *lib.* 8. Chamæleontem quamqua m frequẽtiorem Iudia gignit, figura, & magnitudo ei lacerti, niſi crura eſſent recta, & excelſiora. Huius latera ventri iunguntur vt piſcibus, & ſpina ſimili modo. Eminet roſtrum, vt in paruo ſit haud abſimile ſuillo. Cauda eius prælonga in tenuitatem deſinens, ſeque viperinis orbibus implicans. Vngues adunci, motus tardior, vt teſtudini. Corpus aſperum vt crocodilo. Oculi eius in receſſu cauo, tenui diſcrimine, prægrandes, & corpori concolores. Nunquam eos operit, nec pupillę motu, ſed totius oculi verſatione circumaſpicit. Ipſe celſus, hiante ſemper ore. Solus animalium, nec cibo, nec potu alitur, ſed aere tantum. Circa caprificos ferus innoxius alioquin; Et coloris natura mirabilior. Mutat eum namque ſubinde oculis, & cauda, & toto corpore. Redditque ſemper quæcunque proximè attingit, præter rubrum candidumque, defuncto pallor eſt. Caro in eius capite, & maxillis, & ad commiſſuram caudæ admodum exigua, nec alicubi toto corpore. Sanguis in corde, & circa oculos tantum. Viſcera ſine ſplene; Hibernis menſibus latet, vt lacerta. *Idem in lib.* 11. Chamæleonis oculos tradunt circumagi totos. Eſt autem pulmo chamęleoni portione maximus, & nihil intus aliud. *Idem in lib.* 28. Chamæleon ſimilis eſt magnitudine crocodilo, ſpinæ tantum vitio ac recuruatura, & caudæ amplitudine diſtans. Nullum animal pauidius exiſtimatur, & ideo verſicoloris eſſe demutationis. Vis eius maxima eſt contra accipitrum genus. Detrahere namque ſuperuolantem ad ſe traditur, & voluntarium præbere lacerandum cæteris animalibus.

Mutat colorem; aſſumit quemcunque præter duos.

Vis ei contra accipitres.

De medicinis ex chamæleonte.

CAP. VIII.

CHamæleon quoque multa in ſe fertur habere vtilia medicinę. Caput eius, & guttur ſi roboreis lignis accendantur imbrium ac tonitruum concurſus facere Democritus narrat. Idem iecur in tegulis vſtum. Reliqua ad veneficia pertinentia quæ dicit, tanquam falſa exiſtimantes omittemus. Oculo eius dextro ſi viuenti eruatur, albugines cum lacte caprino tolluntur, lingua quoque adalligata pericula puerperij. Linguam ſi viuenti exempta ſit, ad iudiciorum euentus pollere. Cor eius aduerſus quartanas eſt proficuum, lana nigra primę tonſuræ illigatum. Pes prior dexter in pelle hyenæ adalligatus brachio ſiniſtro, dicitur prodeſſe contra latrocinia terroresque nocturnos. Item dextram mãmillam contra formidines pauoresque. Sed & pede eius ſiniſtrum in furno torreri cum herba eiuſdem nominis, addito vnguento paſtillis factis ipde (ſi credimus) fertur hominem inuiſibilem facere. Dextra quoque maxilla ſicut & pes valet contra formidines ac terrores. Eius felle glaucomata, & ſuffuſiones corrigi creditur, propriè tridui vnctione, creditur etiam eo lienibus inſtillato ſerpentes ſoporari.

Caput.
Iecur.
Oculus.
Lingua.
Cor.
Pes.
Superſtitioſum.
Maxilla.
Fel.

De camelopardo.

CAP. IX.

ISidorus. Camelopardus eſt dictus, eo quod cum ſit vt pardus albis maculis ſuper aſperſus, collo equo ſimilis pedibus bubulis, capite tamen camelo ſimilis eſt. Hunc Æthiopia gignit. *Plinius libr. 8.* Camelorum aliqua ſimilitudo in duo transfertur animalia. Nabuna ſiquidem Æthiopes vocant beſtiam collo ſimilem equo, pedibus & cruribus boui, capite camelo, albis maculis, colorem rutilum diſtinguentibus, vnde & camelopardulus appellata eſt. Hæc primum quidem dictatoris Cęſaris circenſibus ludis Romæ viſa eſt. Ex eo ſubinde cernitur aſpectu magis quam feritate conſpicua. Quapropter, & ouis ferè nomen inuenit.

Camelopardus.

De cane.

CAP. X.

ISidorus. Canis ex Græco nomen habere videtur. Græcè enim cynos dicitur, licet eum à canore latratus quidam appellatum exiſtiment, horum natura eſt extra homines eſſe non poſſe. In canibus duo ſunt fortitudo, & velocitas. *Ariſtot.* Canis eſt animal iracundum, & applaudens hominibus, piloſum ſecundum vniuerſum, ſicut porcus, & vrſus, habet dentes ſuperius, & inferius, & ventrem vnum ac poſt ventrem, inteſtinum. Multos habet fœtus, multaſque ſiſuras in pedibus, & multas mammillas, ſicut & porcus. Quinque digitos habet in pedibus anterioribus, & quatuor in poſterioribus, ſicut leo, & lupus. Fimum etiam habet ſiccum, ſicut & lupus, ſplenem longum, ſicut homo & porcus, præterea ſomnus, & vigilia, crementum, & corruptio, & vita, & mors, cæteraque accidentia ex ſenſibus ſunt in canibus, ſicut in equis, & hominibus: dentes non eijciunt canes, niſi culmos, ideſt anteriores, & hoc vno modo eijciunt illos mas, & fœmina poſt quatuor menſes. Ideoque dicunt quidam quod ipſi non eiiciunt dentes, alij vero quod mutant omnes. Fugit autem canis demiſſis auriculis. Canis habet ventrem, ideſt ſtomachum ventri hominis ſimilem, quamuis amplior homini ſit. Canis non eiicit dentem aliquem donec egrediatur in loco ſuo ſimilis. Nec ſunt cogniti canes iuuenes à ſenioribus niſi per dentes, quia dentes iuuenum albi ſunt, & acuti, ſenum vero nigri, & obtuſi.

Canis.

Diſcrimen canum ſenũ & iuuenum.

Alex. Canis animal eſt immumdum, rediens ad vomitum, iracundus, latratu horrẽdus, Canem extraneum lacerans, oſſa corrodens. Quæ cum habuerit, conſortium alterius canis refugit. Solus autem nomen ſuum cognoſcit. *Phyſiologus.* Canis viuere non poſſe fertur ſine homine, Cum autem fluuium tranſnatauerit, carnem in ore vel tale quid tenens, & viderit vmbram canis os aperit, & dum aliam habere ſperat, ipſam quam tenet perdit. Idem applicatus inteſtinis hominum, vel hominis vulnerati vulneribus alligatus ea curat. Lingua etiam eius, vlcera ſanat. Vox eius ętate intrante altior eſt, & craſſior quam in principio. *Pythagoras in lib. Romanorum.* Si portauerit ſecum homo lignum, quo fuerit hominis vſtulatum os, non latrabunt, nec reſurgent canes aduerſus eum. Cęterum ſi poſueris in vino alicuius hominis lapidem, quem canis rabidus momordit, iracundus, & contentioſus erit qui biberit.

Lingua ſanat vlcera lambendo.

Superſtitioſa.

De eodem.

CAP. XI.

EX *lib. de nat. re.* Canes maſculi non lædunt canes fœminas de facili. Conſuetudo canum indigna eſt, quod pulcherrima quæque ac virentia loca fœde deturpant. In mingendo autem crus eleuant, & vrinas ſuas odorant. Nam quædam ex eis aliquando ſuauis ſunt odoris, & hoc animal multum afficitur odore ſuaui, maximeque in huiuſmodi canum vrinis, & ob hoc etiam inuicem poſteriora ſua odorant. Dixerunt plurimi canem ſi extra hominum habitationem ſit, furia agitari. Canis lingua medicinalis eſt, lambendoque ſua vulnera, vel aliena ſanat. Qui ſi vulnus proprium attingere lingua non poſſit, pedem lambit, & ſaliuæ medicamine delinitum ad vulnus apponit,

Conſuetudo canum.

certus

certus de medicamine, quod linguæ ſuæ natura indidit. *Plinius libr.* 11. Canes habent plutes mammillas toto ventre duplici ordine . Medulla non eſt in cruribus canum ſicut iumentorum . Mutantur dentes leoni, & cani , ſed non niſi canini appellati . Impetus eorum læuitia mitigatur ab homine humi conſidente. *Plinius lib.* 29. Antiqui catulos lactantes adeo puros exiſtimabant ad cibum , vt etiam numinibus placandis vterentur eis vice hoſtiarum . Porro ſicut anſeres honorem meruere capitolium defendentes ſilentibus canibus , ita canes ſupplicia annua furca ſambucea alno fixi pendunt : qui vrinam ſuam in vrinam canis egeſſerit , torporem lumborum ſentit. *Auicenna in 2. cano.* Aqua caſei canes impinguat valde , & nutrit eos bene. *Auctor.* Canis ergo, vt legitur, cæcus naſcitur, lunaticus eſt, odoratu multum viget. Dentes habet acutos, & os fiſſum valde , mordet , & lingit , non ruminat , ſed rodit . Ad vomitum redit, priuſquam recubet lectum circuit, boulimon patitur, id eſt rapidiſſimam famem.

Nota.

Nota.

De canis ſagacitate.

Cap. XII.

EX *lib. de nat. rer.* Canis eſt beſtia docibilis ad omnem ludum, dominum ſuum diligit, & eius hoſpicium vigilando cuſtodit , nocteque latratu nocentes prodit . Eſt etiam quoddam genus canum , quod odoratu fures intelligit, & à cæteris hominibus implacabili odio diſcernit. *Iſid.* Nihil autem ſagacius canibus. Plus enim ſenſus cæteris animalibus habent. Nam ſoli nomina ſua cognoſcunt, recognoſcunt dominos ſuos, & diligunt, & eorum tecta defendunt . Pro dominis ſuis ſe morti obiiciunt ſolitariè , & voluntariè cum eis ad prædam currunt. Corpus domini ſui etiam mortuum non relinquunt. *Amb.* Canis eſt animal ſagax, quod vbi veſtigium lupi, vel leporis inuenerit, argumenta quædam ad eum directa ſemita inſequendũ colligit, ad diuerticulum ſemitæ venit, ſingularumq; ſemitarum exordia tacitus percunctatur , vt per odorem agnoſcat, in quam partem diuerterit. Huic etiam animali inſitum eſt naturaliter , impartitæ alimoniæ memoriam ſeruare, gratiamq; referre, ac ſolicitas excubias pro dominorum ſalute protendere. *Solinus.* Canes ſoli nomina ſua recognoſcunt, itinerum meminerunt. Ægyptij canes nunquam è Nilo niſi currentes lambunt , dum à crocodilis inſidias cauent.

Redarguit fures.

Plinius lib. 8. Canes ſoli dominum ſuum nouerunt, ignotumque ſi repente veniat , intelligunt . Itinera quamuis longa meminerunt. Soli domeſticam agnoſcunt vocem, nec vlli memoria eſt maior præter hominem. In venatu eſt illis ſolertia , & ſagacitas plurima , veſtigia feræ ſcrutatur canis , atque perſequitur. Comitantem ad feram inquiſitorem trahens loro , & quamuis aquam tranſiliens, ventum, & odorem captat; & roſtrum ad cubilia protendit. *Idem in libr.* 25. Inueniunt canes canariam herbam, qua faſtidium deducũt, eamque in noſtro conſpectu mandunt, ſed ita vt nunquam , quæ ſit intelligatur , quia iam depaſta cernitur , mederi quoque ſibi quadam herba dicitur percuſſus à ſerpente, ſed illum homine ſpectante non decerpit ex ſua malignitate. Vomitiones quoque hoc animal videtur homini monſtraſſe. *Ariſt.* Cum enim infirmatur canis, radicem alicuius herbæ comedit ad vomendum. *Phyſiologus.* Canis cætera bruta in tribus excellit. In diſcernendo, amando, ſeruiendo. Diſcernunt enim dominum ab extraneis, nec eos quos inſectatur odit, ſed pro eo quem amat zelat, & ex cõſcientia ſolliciti amoris inuigilat. Mos eius eſt cum paſtore alludere , gregem noſſe , inſidiantes feras perſequi Huic ſoli à natura inſitum eſt, voluntariè ad quod præparatur ingeri, & per quandam obedientiæ formulam ſola diſciplinati timoris expectatione ſuſpendi, donec ad peragendi licentiam nutu vel ſigno mittatur.

Memoria & ſolertia canis.

Canaria herba.

Excellentiæ tres canis.

De affectu canum ad dominos ſuos.

Cap. XIII.

SOlinus. Canes dominos ſuos æqualiter omnes diligunt, ſicut exemplis patet . In Epyro namque domini percuſſorem in cætu agnitum latratum canis prodidit. Iaſone Lycio interfecto canis eius aſpernatus cibum inedia obiit . Lyſimachi regis canis flamma ſe iniecit , accenſo rogo domini, & pariter igni abſumptus eſt. Garamantum regem ducenti canes ab exilio reduxerunt, præliantes aduerſus reſiſtentes. Colophonij , & Caſtabalenſes in bella canibus ductis primas acies inſtruebant. Appio Iunio , Publio Silio, conſulibus damnatum dominum canis dum abigi non poſſet comitatus in carcerem , mox percuſſum vlulatu proſecutus eſt. Cumque propter hoc ex miſeratione ei poteſtas cibi fieret ad os defuncti eſcam tulit , vltimo vero abiectum in tyberim cadauer adnatans ſuſtentare eſt conatus. *Plin. lib.* 8. Ex animalibus, quę nobiſcum degunt fideliſſimos accepimus ante omnes homines, & equos, & canes. Aduerſus latrones quoq; pugnaſſe pro domino ſuo canem, confectumque plagis à corpore non receſſiſſe volucres ac feras abigentem. De alio quoque in epyro habemus, & agnitum in conuentu percuſſorem domini , laniatu atque latratu adactum vt cogeretur fateri ſcelus. *Ambr.* Nullum animal tam tenax eſſe beneficij poteſt , vt canis, & memor gratiæ . Quandoquidem pro domino ſuo, & latrones inſilire , & extraneis nocturnos acceſſus nouerit prohibere, mori pro dominis, & commori dominis ſunt parati . Sæpe etiam illatæ necis euidentia canes ad redarguendum reos indicia prodiderunt. Nam Antiochiæ in remotiore orbis parte ferunt virum necatum , qui canem ſibi haberet adiunctum. Hunc enim quidam miles prędandi ſtudio interfecerat, & in alias partes ceſſerat, iacente autem cadauere inhumato frequens ſpectantium vulgus aſtabat, canis autem vultu lachrymabili ærumnas domini ſui deflebat. Is vero qui necem intulerat humani ingenij verſutia quo præſumptam fidem aſciret innocentiæ, ad illam circumſpectantis populi coronam , quaſi miſerans acceſſit. Tunc canis ſequeſtrato paululum doloris quæſtu, audaciam vltionis aſſumpſit, & apprehenſum tenuit , ac velut epilogo quodam miſerabile carmen immurmuans vniuerſos in lachrymas conuertit, fidemque probationi attulit, quia ſolum eum ex plurimis tenuit, nec dimiſit.

Mirus amor canis erga hominem.

Prodit homicidã domini.

De diuerſis generibus canum.

Cap. XIV.

PHyſiologus. Canum autem genera ſunt plura. Alij enim ad capiendum feras ſyluarum inueſtigant, alij volucres, alij vero greges, alij domos cuſtodiunt. *Ex libr. de nat. rer.* Tria ſunt genera canum, horum nobiliſſimi ſunt leporarij, aliàs leuerarij , quibus forma elegantior, & ad curſum celerior, aptiorque venatui, hi pectore valentes ſunt, latratus edere neſciunt, & niſi producantur ad curſum , infra domum ſe continent. Alij ſunt apti venatui, longis auribus ac dependentibus, hi odore, & importunis latratibus beſtiam inſequuntur, coguntque ad laſſitudinem, donec eam in manus venatorum vel leporariorum dejiciant. Et quam iuſſu venatorum inſequi cœperint , non relinquunt, etiam ſi multas alias inueniunt. Tertium genus eſt quod omnibus communiter in cuſtodiam datum eſt. Et hi licet cæteris ruſticiores , tamen in miniſteriis hominum ſunt aptiores . Ex his autem, quidam ſunt magni , quidam medij, quidam vero parui. Sunt & minutiſſimi caniculi , quos matronæ nobiles in ſinibus ſuis portant. Omnes hi domos latratu defendunt, & alienis importuni ſunt. Cum ante menſas iacent , ita ſe diſponunt , vt vno oculo largam do-

Leporarii canes.

minorum

minorum ſuorum manum obſeruent, altero vero vt oſtium domus videre queant.

Ariſt. Canibus leporariis accidit proprium, quod magis poſſunt ſaltare cum labore quàm in quiete. Coit autem leuerarius 8. menſium, viuuntque leuerarij mares fere annis decem, & leuerarij fœminæ duodecim. Maior autem pars cæterorum canum 14. In leuerariis fœminæ magis conuenientes ſunt inſtructioni quam maſculi. Leuerarij magni naſi ſunt olfactus boni. In Ægypto ſunt canes valde parui, quia cibus eorum paucus eſt ibi. Item canes qui oues ſequuntur in quantitate diuerſantur. *Plinius lib.* 10. Laconici, id eſt leuerarij canes viuunt annis denis, fœminę duodenis. Cætera vero genera quindecim annis aliquando, & viginti. *Idem in libr.* 11. Degeneres autem canum reflectunt caudam ſub aluum. *Solinus.* Apud Albanos nati canes feris anteponuntur, tauros frangunt, leones premunt, detinent quicquid obiectum eſt. Ex quibus cauſis meruerunt annalibus tradi. Legimus petenti Indiam Alexandro à Rege Albaniæ canes duos miſſos, quorum alter ſues ſibi, & vrſos oblatos eo vſque ſpreuit, vt offenſus degeneri præda ignauo ſimilis diu accubaret, quem per ignorantiam velut inertem Alexander imperauit extingui. Alter vero monitu eorum qui donum proſecuti fuerant, leonem miſſum necauit. Et mox viſo elephante notabiliter exultans beluam primo aſtu fatigauit. Deinde cum ſummo ſpectantium horrore terræ affixit. Huius generis canes creſcunt ad formam ampliſſimã terrificis latratibus, vt rugitu inſonantes. Hęc canibus albanis ſunt propria, reliqua vniuerſis communia, dominos enim omnes æqualiter diligunt, & cætera quæ ſuperius dicta ſunt.

Laconici canes.

Mira vis canum.

De ſexu canum.

Cap. XV.

Hyſiologus. Canes (vt dictum eſt) maſculi non defacili lædunt canes fœminas, & ita fit in pluribus generibus beſtiarum. In omni autem genere animaliũ maſculi plus fœminis viuunt, exceptis leuetariis, in quibus accidit contrariũ. *Ariſt.* Leuerarii quippe viuunt annis ferè decem, leueratiæ duodecim. In leuerariorum quidem genere plus viuunt fœminæ maribus, propter laborem ipſorum maſculorum. In aliis autem plus viuunt mares fœminis. Item in leuerariis fœminæ leuiores ſunt ad inſtruendum. Canes fœminæ cum applicantur ad ætatem coitus habent ſigna, ſicut homo, quoniam earum mammillæ intumeſcunt, & inuenitur in eorum pectore cartilago, ſed hoc difficile eſt cognoſcere, niſi exercitato: maribus autem non accidit hoc, ſed in maiori parte crus eleuant in mingendo, & hoc non niſi poſt ſex vel octo menſes faciunt, & vniuerſaliter poſtquam rigeſcunt. Omnes autem fœminę ſedent, quando mingunt Quędam tamen fœminæ videbantur aliquando crus eleuare in mingendo. In canibus fœminis lac inuenitur ad 5. dies ante partum, & in quibuſdam per ſeptem, earumque lac poſt partum eſt conueniens. Leueraria lac habet poſt coitum per 30. dies, & primo quidem eſt ſpiſſum, poſtea ſubtiliatur. Eſtque lac caninum ſpiſſius omni lacte, præterquam porcorum & leporum.

Regula.

Lac caninũ.

De Generatione ipſorum.

Cap. XVI.

Idem. Canis eſt multorum filiorum, multarumque mammillarum. Canis ſicut & porcus octo mẽſiuũ coit, ſed debile quid generat. Toto ferè vitæ ſuæ tempore coit, & vſque ad annos 14. viuit, prægnans eſt 40 diebus, vel 70. vel 90. Parit autẽ catulos quinque vel ſex, poteſt & duodecim. Leuerariæ vero octo pariunt. Et mares ac fœminæ ſemper vtuntur coitu, dum viuunt. Accidit́que leuerariis, quod magis poſſunt ſaltare cum labore, quàm in quiete. Monſtruoſitas accidit animalibus multas fiſſuras pedum habentibus, pluſquam aliis propter multitudinem filiorum, & quia filios pariunt incompletos, vt eſt canis, quia parit in maiori parte cæcos. Ex tygride (ſicut dicitur) canes indici generantur, nec veniunt à coitu primo, ſed tertio, & dicitur quod ille qui eſt primi ventris ſylueſter erit. Accidit etiam alicui quod canes cum lupis coeunt ac leuerarios gignunt. Item animalia quorum natura appropinqua eſt adinuicem ſicut canes & vulpes ac lupi, coeunt adinuicem, vnde putant de canibus Indiæ, quod ex cane lupoque gignantur.

Nota.

Plin. lib. 8. Ex tygribus etiam canes Indi concipi volunt, & ob hoc in ſyluis coitus tempore fœminas alligant, ac primo ſecundoque fœtu nimis ferоces gigni putant. Tertio demum educant, hoc idem ex lupis galli, quorum greges ſuum quiſque ductorem è canibus habent, & illum in venatu comitantur, eique parent, nam inter ſe quoque magiſteria exercent. *Idem in lib.* 10. Leuerariæ vel laconicæ octo menſium vtrinque generant 60. diebus, & plurimũ tribus menſibus portant. Cæteræ autem canes coitu mpatiuntur & ſemeſtres. Implentur omnes vno coitu, & quæ ante iuſtum tempus conceperint, diutius cæcos habent catulos, partus duodeni ſunt quibus numeroſiſſimi, cæteris autem quini vel ſeni, aliquando autem & ſinguli, ſed id prodigioſum putant, ſicut omnes mares & omnes fœminas gigni primos autem mares pariunt, in cæteris alternant. Ineuntur & à partu ſexto menſe, octonos pariunt leuerariæ, propriaque laboris eſt alacritas in eo genere. Cætera canum genera viuũt annis 15. aliquando & viginti. Nec tota ætate ſua generant, ſed ferè à duodecimo deſinunt. *Ex libr. de nat. ver.* Octauo menſe generare incipiunt canes, & anno 12. deſinunt. In medio coitus vtrinque cohærent ex nimio libidinis ardore. Feruntautem diebus 60. prodigioſum putatur, ſi catulum vnicum canis ediderit.

Tribus mẽſibus portãt.

Prodigioſum.

De catulis ac cacitate ipſorum.

Cap. XVII.

Canes omnes cæci naſcuntur, & manent cæci duodecim diebus. Quidam autem per menſes tres. *Plin. libr.* 8. Quidam tradunt ſi gignatur vnus ſolus, nono die cernere, ſi gemini 10. Idemque in ſingulos adici totidemque tarditatis eſſe ad lucem dies, optimus in fœtu eſt, qui cernere nouiſſimus incipit, aut quem primum fert in cubile fœta: canes itaque catulos cæcos gignunt, & quo largiori lacte aluntur, eo tardiorem viſum accipiunt, nunquam tamen vltra diem 21. nec ante 57. *Idem libr.* 10. Canes (vt dictum eſt) fœminæ, quæ ante iuſtum tempus conceperit filios diutius habent cæcos. Catulique omnes totidem diebus exiſtimantur in vrina crus attollere ferè ſemeſtres. Id autem eſt ſignum conſummati roboris ſcilic. in maſculis, fœminæ vero hoc idem faciunt ſedentes. *Phyſiologus.* Canis natus quandoque videt ante ſextũ diem, quandoque & vt in plurimum non ante nonũ. Quandoque etiam non ante ſedecimum, quod totum ideo eſt, quia viſcoſa humiditas cum caliditate remiſſa, quæ ineſt ei in palpebris, debili calore naturali, qui eſt ætatis primæ conſumi non poteſt. Poteſt autem conſumi calore, qui vigoratur ætate maiori. Iuuenes canes dentes habent acutos & albos, ſenes autem nigros & obtuſos. *Iſi.* Canum autem ſunt propriè catuli per diminutionem dicti. Abuſiuè tamen dicũtur catuli quarumlibet beſtiarum filii: Lyciſci autem dicuntur canes nati ex lupis & canibus, cum inter ſe fortè miſcentur. Solent (vt dictum eſt) indi fœminas canes in noctu in ſyluis alligatas admittere ad tygridesbeſtias, à quibus inſiliri & naſci ex eodem fœtu canes adeo acerrimos & fortes, vt cõplexu leones proſternant. *Ariſtot.* Denique quodlibet animal quadrupes multas in pedibus habens fiſſuras, vt canis ac leo

Tempus quo catuli videt.

Lyciſci.

& lupus

& lupus & vulpis filios cæcos generant, & vtrinque separantur oculi eorum, & vident. Leuerarij fœmina imprægnatur sexaginta circiter dies, quod est sexta pars anni, & tunc eius filii duodecim diebus stant cæci. Itémque saltat eam masculus post partum sexto mense, vel fortassis ante. Et quædam imprægnantur septuaginta diebus, quod est quinta pars anni. Earúmque filij ad quatuordecim dies sunt cœci. Quædam vero per tres menses, quod est quarta pars anni, & illorum filij per 17. dies erunt cœci. *Contra dolorem intestinorum.* *Æsculapius.* Catulus canis ante nonum diem occisus & mundatus coctus & comestus, intestinorum dolorem in æternum curat. *Plinius libro* 30. Præcordia siue exta hominis dolentia sanantur, si catulus lactans partibus dolentibus apprimatur, & morbus in eum transire dicitur. Comicialibus quoque morbis confert ex myrrha & vino catulus lactens sumptus abscisso capite & pedibus. *Platear. in libr. de simplici medicina.* Contra phrenesim valet catulus per dorsum inscisus, vt porcus, abiectis interioribus & capiti impositus ita quòd in eo remaneat cor, hepar, & pulmo.

De Ætatibus & morbis canum.

CAPVT XVIII.

Ætas canũ. EX *libr. de natur. rerum.* Canum genera (vt dictum est supra) viuunt annis quindecim. Aliquando & viginti. Nec tota sua ætate gignunt, sed anno primo incipiunt, & circa duodecimum desinunt. Porro in omni animalium genere mares (vt dictum est) plus fœminis viuunt, excepto genere canum leuerariorum, in quibus mas decem annis viuere potest, fœmina duodecim, & hoc propter laborem, & in hoc genere semper vtuntur coitu dum viuunt mares ac fœminæ. *Aristotel.* Canes cogniti non sunt à senibus iuuenes, nisi per dentes, quia dentes iuuenum albi sunt & acuti, dentes autem senum nigri & obtusi. *Menstrua.* *Canes menstruant* per quinque dies, & in hoc tempore apostemantur ora matricum earum, nec appetunt coitum, post partum ergo crassam humiditatem multam phlegmaticam eijciunt, & propter hoc eorum corpora macrescunt. *Morbi.* Præterea canibus accidunt infirmitates, canities, & squinantia canina, & podagra. Squinantia canes interficit, & pauci eorum euadunt à podagra. Monstruositas etiam (vt dictum est) accidit canibus, & huiusmodi animalibus multas habentibus fissuras in pedibus propter multitudinem filiorum, & quia pariunt filium incompletum, nam & canis parit filios in maiori parte cœcos. Cum autem infirmantur canes, comedunt alicuius herbæ radices ad euomendum. *Lunaticus morbus. Rabies.* *Auctor.* Est autem etiam inter canum ægritudines lunaticus morbus & rabies, de qua dicetur postea. *Plinius in libr.* 36. Odor autem ex argentifodinis inimicus est omnibus animalibus, sed maximè canibus. *Idem in libr.* 34. Halitus quoque fornacum plumbi noxius ac pestilens sentitur, sed ocyssimè canibus. *Auicenn. 4. canone.* Elleborus etiam interficit canes, & muscus similiter.

De Latratu canum.

CAPVT XIX.

AVctor. Canum vox dicitur latratus, sicut vulpium gannitus, boum mugitus, equorum hinnitus. *Ad impediẽdum latratum canum.* *Plinius in libr.* 25. Peristros herbam qui habent à canibus eos latrari negant. *Idem in libr.* 28. Eos quoque qui linguam hyænæ in calciamento habent sub pede tradunt magi à canibus non latrari. *Idem in libr.* 29. Cor caninum habentes fugiunt, & non latrant canes. Lingua quoque canina in calciamento pollici subdita, vel cauda mustelæ viuenti abscissa non latrant canes eum qui hoc habet. *Pithagoras in libr. Romanorum.* Si portauerit secum homo lignum quo fuerit hominis os vstulatum, nec latrabunt, nec consurgent canes aduersus eum. *Auctor.* Est etiam ranunculus viridis modicus, qui calamites dicitur, de quo dici solet, quod si proiiciatur in os canis, reddit eum mutum vnde ab effectu mutus dicitur. Vnde in Ecclesiastico dicitur. *Exænia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore canis aduertit corruptiones eorum.* Huiusmodi ranunculus super arbores corilos frequenter reperitur, ibique assiduè caradrion voces emittit, sed & tortellide posca proiecti in ore canum impediunt eorum latratum. Cuius rei satis apparet causa, scilicet humiditas poscæ viscosa.

De morsu eorum ac remedijs contra eum.

CAPVT XX.

AVicenn. *in* 2. *canone.* Canis non rabiosus si momorderit aliquem locus aceto statim aspergatur, manúque multotiens quassetur. *Remedium contra morsum canis.* Deinde super ipsum nitrum cum aceto ponatur, omnibúsque tribus diebus remoueatur: vel curari potest cum cœpa ac sale, & ruta, & fabis, & amygdalis amaris, cum melle vel arnoglossa. *Plinius libr.* 20. Folijs cuiuscunque peponis satiui cum vino, canis morsus sanatur. Cœpæ quoque syluestres ex aceto illitæ vel siccæ cum melle ac vino, ita vt post tertium diem soluantur, eosdem curant. Allium quoque ad morsus canum & vulnera imponitur cum melle. Præterea fœniculi syluestris radicem in succo vel cum melle multi contra morsus canis solent illinire. *Idem in lib.* 22. Vrtica morsibus addito sale medetur. Boleti etiam eisdem ex aqua illinuntur. *Idem in lib* 22. Acetum canis morsibus medicinale est. Aceti quoque fœx cum melotio contra eosdem prodest. Item fici ramorum teneri cauliculi imponuntur cuti. Surculo quoque caprifici coagulatur in caseo lac qui morsus canis sanat. Præterea folia caprifici mollissima canis morsus recentes cum vino sanant. Amygdalæ quoque cum melle. Nuces etiam iuglandes cum cœpa & melle & sale canis hominisque morsus curant. *Idem in libr.* 28. Aggrauant quorundam vulnera introitu eorum qui vnquam læsi fuerunt dente canis aut serpentium. Virorum autem capillus medetur ex aceto canis morsibus. Vrina quoque propria cuíque maximè prodest, confestim perfuso canis morsu. *Idem in libr.* 29. Lapis etiam morsus à cane vsque in prouerbium venit discordiæ. *Idem in libr.* 31. Nitrum valet contra morsus canis addita resina cum aceto illitis. *Varia alia remedia pro eodem.*

De medicinis ex cane.

CAPVT XXI.

ÆSculapius. Canis sanguis potatus tremulosos liberat. *Sanguis. Caput.* Caput eius vstum tritum & puluerizatum, vel eius caro neruosa & ficus, morsus canis si bibatur sanat. Puluis dentium eius dolores dentium ac gingiuas curat. *Dentes. Cor. Fel. Lac.* Cor eius potatum canes à latratu detinet. Fel eius cum melle curat oculos. Lac eius bibitum pilos & capillos crescere non sinit, cum melle vel vino datum mox fœtum mortuum eijcit. Dens ex eo tactus cito emittitur, & cicatrices oculorum extenuat. *Adeps.* Adeps eius podagram & aurium dolorem sanat. *Auicenn.* Sanguis canis prohibet ortum pilorum euulsorum, vt scripsit. Gal. *Vrina testiculi.* Vrina quoque canis administratur super verrucas. Testiculus canis est sicut testiculus vulpis, resoluit apostemata phlegmatica, mundificat vlcera, prohibétque formicam dilatari, & aperit fistulas, & incarnat vlcera fraudulenta corrosiua. Confert etiam alcola, & quando vir maiorem amborum sumit fit fortior masculus. Mulier vero si sumat debiliorem fit magis fœmina. Dicitur etiam, quod ille qui est humidus facit agmentum in coitu. Siccus autem ipsum abscindit, & vnusquisque amborum destruit

Stercus. alterius operationem. Stercus canis ex ossibus nutriti confert cum melle vlceribus antiquis. Item in palato cum digito ponitur ad squinantiam. Confert autem solutioni & vlceribus intestinorum clysterizatum aut bibitum in lacte decocto cum ferro aut lapidibus. *Dioscorides.* Lac primi partus canis capillorum ortus amputat, & in vtero infantes excludit, Lotium caninum addito nitro aut medicamine facto lepras, & prurigines tollit. Fimus caninus in canicularibus diebus collectus, & siccus bibitus, ventrem abstinet cum vino. Albus verò fimus eiusdem arcuato morbo medetur. *Plinius libr.* 29. Sanguine canino nihil præstantius contra toxica putant. Canino felle cum melle curabat Apollonius oculorum suffusiones, item albugines. Canini lactis instillatio dolorem & grauitatem aurium sedat. Adipe *Cutis.* canino lendes à capillis tolluntur. *Idem in lib.* 30. Canina cutis cuilibet digito circundata distillationes sedat. *Contra podagram.* Fel caninum podagris confert penna illitum, verrucas omnium generum sanat vrina canis recens illita. Fimique cinis cum cera. *Ambros.* Omnis quoque fera ægra hausto canis sanguine curatur.

De cane rabioso.

CAPVT XXII.

PHysiologus. Canis quandoque postquam comedit de cadauere mortuorum insanit, & tunc lymphas reformidat, vnde morbus hominis à cane rabido vulnerati lymphaticus dicitur: prætera canis, sicut aliæ quædam bestiæ, linguam attenuat lambendo, cuius saliua si linguæ sanguinem attigerit in rabiem agit. *Isaac in viat.* Canis (vt dictum est) naturaliter frigidus & siccus est, cui nigra dominatur cholera, vnde ex sui abundantia immutata & putrefacta & toto corpore dominans ita corrupta, necesse est quod rabidos faciat, & maximè in autumno & vere. *Plinius libr.* 2. Caniculæ exortu vapores solis accendi quis ignorat, canes quidem toto eo spacio maximè in rabiem agi nulli dubium est. *Idem in libr.* 8. Canum rabies ardente Syrio pestifera est hominibus, lætalisque ita morsis est aquæ meatus. Quapropter obuiam itur per 30. dies gallinaceo maximè fimo canum cibis immixto, vel si præuenerit morbus veratro. Auctor est Columella, si quadragesimo die, quam natus sit canis castretur morsu cauda, summus eius articulus auferatur sequenti neruo exempto, nec caudam crescere, nec canes rabidos fieri. *Idem in libr.* 29. Est & *Contra rabiem canis.* vermiculus in lingua canum, qui vocatur à Græcis lytta, quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt. Mali vero huius tanta vis est, vt vrina quoque canis rabiosi calcata maximè noceat vlcus habentibus. Remedium est equi fimus aspersus aceto calefactus, & in fico impositus. Est iterum limus saliuæ sub canis rabiosi lingua, qui in potu datur, & lymphaticos aliàs hydrophobos fieri non patitur. *Contra hydrophobiam.* Saliuntur & carnes eorum qui rabidi fuerint ad eadem remedia in cibo dandæ.

Idem in libr. 30. Canum qui rabiem præferunt cinis capitum crematorum sine carnibus dentium doloribus medetur ex oleo Cyprio, per aurem cuius è parte dolent instillatus: lateris quoque doloribus per se illinitur canis rabiosi caluariæ cinis potioni inspersus. *Auicenna vbi supra.* Sanguis autem canis rabiosi conuenit eiusdem morsui, & veneno sagittę Armenæ: Hepar canis rabiosi datur in potu morsui eius, & confert, prohibet etiam meatum aquæ. *Idem in 4. cano.* Canis rabies accidit, quæ est conuersio complexionis ad melancholiam malignam venenosam, & accidit ei conuersio hęc, aut ex aere, aut ex cibo & potu, ex aere quidem, quia calor vehemens adurit humores *Vnde accidit canis rabies.* eius. Vnde fit rabiosus in autumno, vel frigus vehemens congelat sanguinem eius faciens decliuem ad nigredinem, & inde fit rabiosus in vere. Ex cibo autem & potu, quia sanguinem interfectorum lambit, & ex cadaueribus comedit, & ex aquis putredinis bibit. Quamobrem melancholia putrida impletur, & eius complexio alteratur, sicut accidit leprosis.

De signis rabiei in cane.

CAPVT XXIII.

ISaac *in viatico.* Canis vero rabidus signis huiusmodi potest cognosci, quoniam alij canes eum fugiunt, & profugus & soliuagus nutat quasi ebriosus, oris aperti, linguæ dependentis. Saliua nimia semper de ore currit. Oculi eius sunt inuersi & rubicundi, auriculæ inuersæ: cauda inter coxas, oculi aperti, & cum de lapide siue de aliquo alio obiecto offenditur, dentes concutiens frendet & stridet, & cuilibet rei visæ repugnans, etiam vmbræ suæ latrat. Quem cum canes vident fugiunt, & eum timentes super ipsum latrant. *Auicenna vbi supra.* Canis (vt dictum est) quandoque rabiosus fit, quoniam ex cibo vel potu putrido melancholia impletur, eiusque complexio alteratur, sicut leprosis accidit. Et quandoque corpus eius apostematur, & color eius ad cineritatem conuertitur. Ipse quoque famem patitur, & non comedit nec bibit. Sed quando obuiet aquæ timet, & abhorret eam, & tremit, & multiplicatur eius horripilatio, & est in cute faciei suæ immo quandoque moritur ex ea timendo. Accidit etiam ei multa tenebrositas oculorum, & est semper solitarius, ignauus, non agnoscens dominum suum. Oculos habet vehementis aspectus & horribilis, & extrahit linguam, & currit de ore eius saliua spumosa. Fluit etiam nasus, capite iam demisso, & auribus mollificatis, quare mouet eas ambas. Iámque curuatum est dorsum eius, & inclinatum ad latus. Vnde videtur iam tortus & ad superiora & ad latus. Et si firmatur cauda eius, ambulat timidus, decliuis, quasi sit ebrius, tristis, angustiosus, præceps cum passu, & cum apparet ei forma aliqua, vt parietis, vel arboris, vel animalis, currit contra eam inuadendo ipsam, nec pacificatur eius inuasio cum latratu ad id quod inuadit, secundum consuetudinem canum, sed tacitus est & squallidus. Et quando latrat, videbis canes ab eius via fugere. Quod si præsens fuerit alicui eorum, repente hic blanditur ei, & obediens fit inter manus eius, & conatur ab eo fugere.

Signa rabiei

De morsu canis rabiosi.

CAPVT XXIV.

EX *libro de natur. rer.* Canis rabidi morsus lymphaticus dicitur, & sic cognoscitur. Emplastrum de nuce bene pistata factum, & super locum vulnerum per vnam diem, & noctem positum, postea esurienti gallo, vel gallinæ detur, si post esum biberit, non est morbus rabidi canis, si vero moritur, licèt non statim, salubre consilium est, vt vulnus patulum seruetur, & cicatricibus nihil superinduatur. Mirum autem, quòd aliquis à cane rabido morsus, quandoque catulos lingit, & latrat. *Auicenna vbi supra.* Cum autem canis rabiosus mordet hominem, primo quidem non apparet nisi vulnus dolens, sicut cætera vulnera, sed post dies aliquot apparent in eo corruptæ cogitationes, & somnia, cæteráque signa, de quibus scilicet dicetur infra. De mirabilibus autem dispositionibus est, quod promptus est ad mordendum hominem, quem si momorderit post commotionem suam accidit illi huiusmodi illud idem quod accidit ei, ideſt eadem rabies. Et quandoque quidem huiusmodi canis morsus interficit inter hebdomadam, si multum vsque ad sex menses. Spacium vero temperatum est quadraginta dies. *Aristotel.* Animalia omnia à cane rabido morsa, furiunt præter hominem. *Plinius libr.* 8. Canum rabies (vt dictum est superius) est homini pestifera, lætalis quoque morsus eius. *Pythagoras vbi supra.* Si quis autem

Vt cognoscatur an morsus sit canis rabiosi.

Morsus lathalis.

posue-

poſuerit in vino alicuius hominis lapidem, quem canis rabidus momorderit, iracundus & contentioſus erit qui biberit.

De ſignis eiuſdem morſuræ.

CAPVT XXV.

Signa morſus canis rabidi.

Avicenna vbi ſupra. Canis (vt dictum eſt) rabioſus cum hominem mordet, primo quidem non niſi vulnus dolens ſimpliciter apparet. Poſt dies aliquot apparent in eo corruptæ cogitationes, & ſomnia, & diſpoſitio quaſi ira, & murmuratio, & commixtio rationis, & reſponſio abſque quæſtione, & vides in eo ſpaſmari extrema eius contrahendo ea ad ſe. Ineſt ei ſingultus, & ſitis, & ſiccitas oris, & fugit ex præſſura, & amat accenſionem luminis. Quandoque lumen abhorret, & eius membra rubent propriéque facies, & rauceſcit vox eius, & plorat in timore aquæ, & quotiens ei approximatur aqua, imaginatur canem & timet ex eo. Quandoque vero non terretur, ſed nauſeat eam, & quandoque diligit volutari in terra. Quæ ideo dixit Ruffus ei accidere, quia complexio eius iam diligit ſiccitatem. Ideóque abhorret contrarium, prꝛterea accidit ei proiectio ſpermatis abſque deſiderio, & quandoque perducitur ad ſudorem frigidum, & ſyncopen, & mortem. Quandoque vero moritur ante has diſpoſitiones ſitiendo, & quandoque deſiderat aquam, deinde proclamat ex ea cum ei obuiat, & quandoque ſorbens ex ea, ſtrangulatur per eam & moritur. Item quandoque latrat ſicut canis, & eſt quaſi raucus, quandoque autem vox eius abſcinditur, & fit ſicut apoplecticus, quandoque vero mingit pinguedinem in qua ſunt res carnoſæ mirabiles, quaſi parui canes, quandoque mingit nigrum, & quandoque retinetur eius vrina nec mingere poteſt. De mirabilibus autem diſpoſitionibus eius eſt, quod promptus eſt ad mordendum hominem, & eum aliquando rabidum facit, aliquando interficit, vt prædictum eſt. *Idem in eodem.* Sumatur autem nux regalis aut alia, & ponatur ſuper vulnus morſuræ canis, & vna hora dimittatur, deinde gallinæ proijciatur, ſi eam renuit, patet quod canis rabioſus ſit qui momordit, & ſi commedit eam & moritur, tunc canis iterum eſt rabioſus. Eodem etiam modo potes idem probare ſi fruſtum pannis cum eo, quod currit, ex illo vulnere linias, & canibus proijcias, nam ſi renuerint eum, patet canis rabidi fore morſum. *Iſaac vbi ſupra.* Certum vtique ſignum morſuræ huius eſt, vt buccella panis linita (vt dictum eſt) canibus proijciatur, talibus ſomnia ſunt terribilia. In ſomni expergefactione ſunt timoroſi, ſine cauſa iraſcuntur, ſtupidi, & continue circumſpicientes, inſpici ab aliquo non patientes. Qui cum incidunt in paſſionem timent aquam, & quaſi canes latrant, & rauci fiunt timentes cum in aquam inſpiciunt, aut etiam trementes cadunt, quibus niſi medicina ſuccurratur moriuntur.

Experientia ad ſciendum an morſus ſit canis rabioſi.

De remedijs contra eum in vſu medicinæ.

CAPVT XXVI.

Avicenna in 2. can. Canis rabioſi morſui confert hominis vrina ſuper illum effuſa. Confert etiam aqua cœpæ ſi liniatur ſuper ipſum, vel emplaſtratur ex eo cum ruta & ſale, ex nuce quoque ac cœpa fit emplaſtrum ſuper eundem morſum. Item linitur ſuper eum ſtercus pecudis aduſtum, præcipuè cum aceto confectum. Sanguis etiam canis rabioſi iuxta Dioſcorides valet eiuſdem morſui. Triticum quoque tritum & puluerizatum, eidem eſt iuuamentum. Item hepar rabioſi canis morſui datur, & confert, ipſúmque meatum aquæ prohibet. Amygdalæ quoque conferunt eidem, & folia cucumeris, & ſimiliter fœniculi radix trita & ſuperpoſita. Ficus etiam immatura, vel folia eius recentia. Deglutitio etiam mellis eſt cum cura rabioſi canis.

Remedia cõtra morſum canis rabioſi

Ex praſſio cum ſale fit emplaſtrum ad eius morſum Confert etiam caro oſtreæ eius morſui. Similiter gentiana cum vino, vel caro arietum aduſta ſimiliter cum vino, vel capilli hominis in emplaſtris modum ſuperpoſiti cum aceto. Prꝛter ea mel calefactum cum oleo roſato deglutitum. *Idem in 4. cano.* Vulnus hominis à rabioſo cane morſi non permittas vſque ad dies. 40. conſolidari, ſed dilata & aperi & in primis occupare in trahendo ad exteriora, quia quando trahit humores ad interiora, cum eis venenum trahit. Cœpæ autem & allia venenis reſiſtunt, eáque abſcindunt & à corpore repellunt.

De eodem.

CAPVT XXVII.

Aliaremedia.

Plinius libr. 20. Canis rabioſi morſui braſſica ſylueſtris imponitur quæ erratica dicitur, melius ſi cum laſere & aceto acri. Oluſacrum quod hippoſelinum vocant, eidem morſui potum & illitum medetur, vel etiam rutæ ſuccus ex vino bibitur. Foliáque trita vel commanducata cum melle vel ſale vel cum aceto ac pice decocta imponuntur. Item eundem morſum folia fici ex aceto reſtinguunt. *Idem in lib. 28.* Vulnera canis rabioſi morſu facta circumſcidunt vſque ad carnes viuas, admouéntque vituli carnem, & ius eius carne decoctum potui dant, vel ipſam cum calce tuſam. Hyrci iecore impoſito nec tentari affirmant metu aliquo, laudant & capræ ſimum ex vino illitum cuculique & hyrundinis decoctum ac potum. *Idem in libr. 29.* In canis rabioſi morſu tuetur à pauore aquæ cinis canini capitis vulneri illitus, idem etiam in potione proficit, & quidam ob id edendum illud dederunt. Eſt etiam limus ſaliuæ ſub lingua canis rabioſi, qui ſi in potu datur, lymphaticos fieri non patitur. Item ex cerebro galli ſuccurritur, ſed eo tantum anno prodeſt deuoratum. Criſta etiam galli contrita efficaciter imponitur & anſeris adeps cum melle, valet quoque cum aceto impoſitus. Fimus galli pullique hyrundinum combuſti membrana etiam anguium vere exuta cum cancro maſculo trita. Prꝛterea ſuccida lana morſibus canis rabioſi inculcata imponitur, & poſt ſeptimum diem ſoluitur. Item contra lymphaticum morbum vtiliſſimè tecur eius qui in rabie momorderit datur crudum, ſi fieri poteſt mandendum, ſin autem coctum, vel coctis carnibus ius ipſum. *Idem in libr. 32.* Imponuntur & ſalſamenta piſcibus ſeruata contra canis rabioſi morſus. Item huiuſmodi morſu potum expaueſcentibus adipe vituli marini faciem perungunt. *Idem in libr. 34.* Vſtione ferri morſus canis rabidi ſanantur, expaueſcentéſque potum prꝛualente morbo, vſta plaga illico liberantur. *Idem. Plinius libr. 8.* Ad morſum rabidi canis remedium nuper repertum eſt radix roſæ ſylueſtris, quæ cynorhoda appellatur. *Hali.* Hepar etiam canis rabioſi ſi aſſetur & comedatur, manifeſtè prodeſt morſui canis.

De caſtore.

CAPVT XXVIII.

Caſtor.

Ex libr. de natur. rerum. Caſtor eſt animal ad modum canis pontici, longum ſcilicet & gracile. Dentes habet acutiſſimos, pellem delicatam ac nobilem, quæ quanto nigrior eſt tanto precioſior. Colores in pilis habet velut taxus, ſed pili ſubtiles ſunt & pulchri. Non poteſt diu ſubſiſtere niſi caudam in aqua teneat, quam habet vtique piſcium caudæ ſimilem, ſaporémque eius & ſpeciem. Vnde & à Chriſtianis in ieiunio comeditur. Pars enim caudæ ipſius edibilis eſt; pars vſibus interdicta, reſiduum autem eius eſt caro, ipſáque cauda longitudinis cubitalis eſt pinguedinem multam habens, pedes autem poſteriores habet vt anſer, & ſi maiores & cum vnguibus, anteriores autem vt canis. Hæc enim illi natura parauit, vt & poſterio-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Teſticuli sũt medicinales.

ribus velut auis in aqua nataret, & anterioribus in terra A ſicut quadrupes ambularet. *Iſidor.* Caſtores à caſtrando dicti ſunt, nam teſticuli eorum apti ſunt medicaminibus, propter quod cum venatorem perſenſerint ipſi ſe caſtrant, & virilia ſua morſibus amputant. De quibus Cicero in Scauriana. Redimunt ſe à parte corporis, propter quod maximè expetuntur. *Iuuenalis.* *Qui ſe eunuchum ipſe facit cupiens euadere damna Teſticuli.* Ipſi ſunt & fibri, qui etiam pontici canes vocantur. *Solinus.* Caſtor lutris ſimilis eſt animal morſu potentiſſimum, adeo vt cum hominem inuaſerit conuentum dentium non prius laxet, quàm oſſa fracta concrepuiſſe perſenſerit. *Plinius libr.* 8. Caſtor eſt animal horrendi morſus. Arbores enim iuxta flumina vt ferro cœdit, hominis parte comprehenſa non antequam fracta concrepuerint oſſa, morſu reſoluit. Cauda piſcium B

Iuuenalis, Caſtores sũt lutris ſimiles

his, cætera ſpecies lutræ vtrumque aquaticum, vtrique mollior pluma pilus. *Iorath in libr. de animalibus.* Caſtor animal aquaticum ac terreſtre, quod ex hoc genere fortius eſt, debiliorem ſibi in ſeruitutem redigit, morſúque teſticulos & eius folles præſcidit, vt leuior in fugam conuertatur.

Iterum de eodem.

CAPVT XXIX.

EX *libr. de natura rerum.* Caſtores (vt dicit experimentator) in grege viuunt, & ſimul ad ſyluas per- C gunt lignáque dentibus abſcindentes ad cauernas ſuas ea miro modo referunt. Vnum enim ex caſtoribus pro vehiculo reſupinatum pedibus eleuatis interram proijciunt, & inter crura eius abſciſa artificioſæ componunt, & ſic eum trahentes cauda ad propria tecta deducunt. Verùm iniuriam talem non faciunt his qui inter illos educati ſunt, ſed illis qui de alienis partibus ad ſe venerunt, hos enim in ſeruitutem ſub certa cuſtodia redigunt. Aliorum tamen opinio eſt, quod hoc illis faciant, qui ſenectute laboribúſque confecti dentes obtuſos habent, & qui ligna ſecare non valent. Tales ergo in ſeruitutem redactos per abſumptionem pilorum in dorſo venatores agnoſcunt, eóſque pietate commoti illæſos abire permittunt. In duplices autem vſus ligna ſecata habent. Nam & corticem comedunt, & ex lignis habitacula valde artificioſa faciunt. Amaris quidem arborum folijs & corticibus caſtor pro ſummis delicijs veſcitur, vnde & tota eius caro, & ſi bono, tamen amaro odore perfunditur. Comeſturus autem corticem in poſterioribus pedibus reſidet eleuatus, & anterioribus pedibus ligna tenens, eam tantum partem comedendo decorticat, quam inter pedes tenebat, quod autem extra pedes eſt abijcit, & non curat. Domum vero ſuam ædificat ſuper aquas, faciens in ea manſiones diuerſas, vt cum aquis excreſcentibus, vel decreſcentibus aſcendat & deſcendat. Cum autem caſtor arborem ſecat, dentibus ictu dato eminus ab arbore currit, vt vitet caſum eius, & hoc tamdiu, vel tam ſæpe facit, donec crebris ictibus percuſſa ceciderit,

Mirus modus quo caſtores vehũt ligna è ſyluis.

Artificioſa domus ædificatio.

De venatione caſtoris.

CAPVT XXX.

PHyſiologus. Caſtor cum eum venator perſequitur abſciſos teſticulos ante faciem eius proijcit, & venator habens, quod ab eo cupiebat, vltra non ſequitur. Si autem alius venator eum ſequatur, erigit ſe, & oſtendit virilia ſe non habere, & ſic euadit. Eſt autem animal manſuetum nimis. *Ex libr. de natura rerum.* Huius animalis venatio fit hoc modo. Canis ad hoc inſtructus in aquam proijcitur, qui ad foramen manſionis illius perueniens ingreditur, nec cedit caſtor morſibus donec à venatoribus artificioſa illa manſio confringatur. Quod autem dicitur caſtorem iam caſtratum erigere ſe, iámque teſticulos amputatos eſſe venatori oſtendere, plurimi eſſe falſum dicunt, in illis caſtoribus qui apud nos ſunt, quia teſticuli caſtoris non exterius eminent, ſed intus in ventre iacent, ſicut renunculi. Egerit autem ſicut auca. Fel etiam euomit, vt Plinius dicit, ad multa vtile medicamenta. Præterea, quòd dicitur ſe ipſum caſtrare, quando venatores inſequentes præſentit, ſibique præſcidere teſticulos vt euadat, Platearius negat, præſertim cum eum magis venentur homines propter pellem, quam propter teſtes, etiam cum ipſum animal non ſit tantæ diſcretionis. Fel eius (vt dictum eſt) ad multa vtile eſt. Eius quoque coagulum ſedat morbum caducum.

Pellis caſtorea.

De caſtoreo.

CAPVT XXXI.

PLatearius. Caſtoris teſticuli abſciſi in vmbroſo loco ſuſpenſi deſiccantur, vt in vſum medicinæ reſeruentur, & dicuntur caſtoreum. Bonum autem caſtoreum, ideſt non ſophiſticatum, habet ſaporem mediocriter acutum, Glutinoſum eſt, & ſaporem habet multum horribilem, neruos intricatos, & pelliculis adhærentes. Per annos ſex in magna efficacia ſeruari poteſt, melius tamen eſt quanto recentius. In medicinis ponitur abiecta pellicula exteriori, virtutem habet diſſoluendi, attrahendi, & maximè nerioſa loca confortandi. Contra epylepſiam & alias frigidas paſſiones capitis, datur caſtoreum cum ſucco, rutæ in potu, vel decoctionis eius vinum. Contra paralyſim linguæ puluis eius ſub lingua ponitur donec per ſe reſoluatur & conſumatur. Contra paralyſim totius corporis datur vinum decoctionis eius & rutæ & ſaluiæ. Contra lethargiam prouocatur ſternutatio ex caſtoreo, cerebrum commouet, & confortat. *Dioſcorides.* Caſtoreum teſticuli ſunt animalis, quod caſtor dicitur, & ſæpe aquaticam, ſæpe verò terrenam ſuſtinet vitam. Optimum eſt ponticum, quod ſit interius cereum, & obſtruſum membranulis naturalibus: quidam autem teſticulos adulterantes immittunt veſicis, cum ammoniaci gutta ſanguine caſtoris conſperſa. Eligendi ſunt ergo qui inuncti ſunt ex vna radice ſibi cohærentes, pleni, viſcidi, fragiles, ipſis folliculis ſe citiùs ſeparantes. D Purgari enim debent, & medium ipſum medicaminibus miſceri. Calefacit autem caſtoreum & deſiccat & attenuat: illis ergo qui ex plenitudine ſpaſmum patiuntur, aut tremorem neruorum vtiliſſimum eſt. Quibus autem hoc contingit ex inanitate vel ſiccitate contrarium. Vitia quoque pulmonis emendat, & humidum frigidumqúe cerebri humorem cum pulegio. Cum vino bibitum inflationes tollit, torſionibus medetur, potiones venenatas nocere non ſinit. Lethargicis ſingulare præſidium eſt. Tremori & contractionibus & omnibus neruorum cauſis delinitum & vnctum medetur, virtus enim ei thermantica eſt & recorporatiua, mixtum malagmatibus & acopis paralyticis ſeuiſchiaticis & his ſimilibus ſubuenit.

Caſtoreum quid?

Caſtorei vis & vſus medicinalis.

De eodem.

CAPVT XXXII.

AVicenna. Caſtoreum habet corticem ſubtilem, qui quolibet tactu frangitur. Eſt autem ſubtilius & fortius omni quod calefacit & deſiccat. Inflationem reſoluit & illinitum corpus calefacit, confert vlceribus pernicioſis, ac neruis, ac tremori, & humido ſpaſmo, ac ſtupori, & paralyſi. Confert etiam obliuioni & letargię cum aceto & oleo roſaceo, ſurditatíque frigidæ ac ventoſitati in aure diſſolutum in oleo nardino. Attractio per nares ex fumigatione ipſius confert apoſtematibus pulmonis & infirmitatibus eius. Bibitur cum aceto propter ſingultum, & facit ſitim. Delet dolorem ventris pungitiuum cum aceto bibitum, ventoſitatem reſoluit, menſtrua prouocat, ſecundinã, & fœtum extrahit.

Venatio caſtorum.

Alia medicinalia ex caſtoreo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Confert morſui paruorum venenatorum, & quod ex eo declinat ad nigredinem eſt venenum, ita quod interficit quandoque in vna die. *Plin. lib.* 32. Caſtoreum, id eſt caſtoris teſtes dicit Seſtius eſſe paruos, ſubſtrictos, ſpinæ adhærentes, nec ſine animalis vita poſſe adimi. Adulterari vero renibus eiuſmodi qui ſunt grandes, cum veri teſtes parui admodum reperiuntur: hi per ſe poti ex aqua phreneticis ſunt vtiles, lethargicos etiam odoris ſuffitu excitant, & cum pulegio ſecundinas eijciunt, ac menſes ciunt. Medentur quoque vertigini, tremulis, ſpaſticis, neruorum vitijs, iſchiaticis, ſtomaticis, paralyticis. Omnibus perunctis vel triti ad craſſitudinem mellis cum ſemine vrtice & aceto roſaceo. Sic & contra comiciales valent ſumpti. Poti vero contra inflationes, tormina, venena. Aduerſus quippe ſcorpiones bibuntur ex vino. Aduerſus phalangia & araneos ex mulſo, ita vt vomitione reddantur, aut vt retineantur cum ruta. Aduerſus chalcidas cum myrrite, aduerſus ceraſten & præſteras cũ panace aut ruta ex vino. Aduerſus cæcos ſerpentes cum vino. Priuatimq; contra viſcum ex aceto auxiliatur. Aduerſus aconitum ex lacte aut aqua. Aduerſus elleborum album ex aqua mulſa nitróque, medentur & dentibus cum oleo triti, & in aurem ad cuius partem dolor eſt infuſi. Claritatem viſus faciunt inuncti cum melle attico. Cohibent etiam ſingultus ex aceto. *Idem in eodem.* Capitis vlceribus confert caſtoreum cum peucedano & roſaceo. Oculorum quoque claritati cum melle, auribus etiam vtiliſſimum eſt cum ſucco papaueris, rigorémque ceruicis mollit, cum pipere ex mulſo mixto ranis decoctis ex oleo & ſale vt ſorbeatur ſuccus, in aceti mulſi tribus cyathis comicialibus datur ieiunis. Iuuat etiam caſtoreum tremulos, ſi perungantur oleo. Idem ex mulſo potum prodeſt purgationibus fœminarum, ſi tamen ſupergrediatur grauida, faciet abortum, valet etiam ad alia plura in medicina. *Auctor.* Cætera itaque de caſtore & caſtoreo require inferius vbi agitur de fibro.

De catoblepa & cato.

CAPVT XXXIII.

Catoblepa. PLinius *libr.* 8. Catoblepa appellatur fera modica & iners iuxta fontem Nigrin, qui eſt apud heſperios Æthiopes, vt pleriqúe eſtimauere, Nili caput. Fera hæc cæteris quoque membris iners caput tantum prægraue ægrè fert, id deiectum ſemper in terram, aliàs internecio eſt humani generis, omnibus qui oculos eius viderint confeſtim expirantibus, eadem & baſilici ſerpentis eſt vis. *Solinus.* Iuxta fluuium Tygrim naſcitur catoblepa, modica & iners beſtia, peſtilenti aſpectu. *Iſidor.* Catus ideſt ingenioſus, à Græco venit. Muſio eſt appellatus, eo quod muribus infeſtus ſit. Hunc vulgus catum à captura vocat. Dicunt alij quòd captat ideſt videt. Tam enim acutè cernit, vt fulgore luminis noctis tenebras ſuperet. *Auicenna.* Ex cati morſu quandoque accidit dolor vehemens, & viriditas in corpore, & curatio eius eſt curatio communis. Iuuatur autem emplaſtro cepæ, vel calamenti ſylueſtris. *Razi.* Cati ſylueſtres ex fumo rutæ & amygdalarum amararum fugiunt. *Hali.* Carnes cati calidę ſunt & ſiccę, medentur hæmorrhoidarum doloribus, renes calefaciunt, dorſi doloribus proſunt. *Æſculapius.* Stercus cati vel catæ cum ſinapi & aceto allopiciam curat. *Auct.* Idem & muſio ſiue murilegus appellatur, de quo etiam plenius infra dicetur.

Catus. Muſio.

Curatio morſus cati.

De cepho & leucocrata.

CAPVT XXXIV.

Cephus. PLinius *libr.* 8. Cephos Æthiopia mittit. Quorum pedes poſteriores humanis pedibus & cruribus: priores manibus ſunt ſimiles. Hoc animal Roma poſtea non vidit, niſi in ludis Pompeij. *Solinus.* Tempore dictatoris Cæſaris monſtra Romæ viſa ſunt, quæ cephi dicuntur, horum poſteriores pedes crure ac veſtigio humanos mentiuntur artus, priores hominum manus. *Phyſiologus.* Leucrocrata eſt, quæ beſtias vniuerſas præcedit, huius corpus aſini, clunes cerui, pectus & crura leonis ſimilitudinem habent, oris hyatum vſque ad aures vaſtum, imitatur autem hominis vocem. *Plinius vbi ſupra.* Crocrutas Æthiopia inter alia monſtra generat velut ex cane lupóque conceptos, omnia dentibus frangentes, protinúſque deuorata ventre conficientes. *Idem in eodem.* Hyænæ coitu leæna Æthiopica parit crocutam, hominum pecorúmque voces imitantem. Acies ei perpetua in vtraque oris parte nullis gingiuis continuo dente, quæ ne occurſu contrario hebetetur, capſarum modo includitur. *Solinus.* Crocuta nunquam aciem orbium commouet, ſed in obtutum ſine nictatione intendit, in ore gingiua nulla, dens ſimus atque perpetuus.

Leucrocrata

Crocuta.

De chærogrillo.

CAPVT XXXV.

Chærogrillus. ROdolphus. ſuper Leuit. Chærogryllus eſt animal ſpinoſum, & ericio ſimile. *Auctor.* Alibi legitur, quod maius ſit ericio, ſpinoſum tamen, vnde patet, quòd quidam falſo dixerunt hunc eſſe cuniculum. Alibi quoq; legitur, quòd chærogryllus ipſe ſit ericius vel erinacius, animal videlicet procelli formam habens, ſed ſpinoſum de quo plenius dicetur inferius. Vnde in *Pſal.* 103. vbi legitur in noſtra tranſlatione, petra refugium erinacijs. Alia tranſlatio habet chærogryllis. *Gloſſa ſuper prouerbia Salomonis.* In prouerbijs quoque vbi iuxta tranſlationem noſtram legitur. *Lepuſculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum.* Alij pro lepuſculo habent chærogryllum. Et eſt animal non minus ericio, ſimile muri & vrſo, cuius in paleſtina magna eſt copia in foueis & in petrarum cauernis. Hinc in Pſaltério vbi dicimus. Petra refugium erinacijs, alij ponunt leporibus, alij chærogryllis. Sed quidam hic pro lepuſculo ericium habent. Hiero. enim verbum Hebræum ſaphan interpretatur, & chærogryllũ, & ericium, & leporem. Heſychius *ſuper Leuit.* Chærogryllum animal debile quidem, ſed rapax, & mortiferum eſſe dicunt.

Chærogryllus.

De duran.

CAPVT XXXVI.

EX *libr. de natur. rerum.* Duran (vt dicit Ariſto.) eſt animal velox atque fortiſſimum, quod à venatoribus inſecutum, cum euadendi deſperatione frangi cœperit, aſtutia naturali ſtercus intorquet valde contra canes inſequentes ſe, eoſque retardat putridæ egeſtionis odore. *Auctor.* Fortaſſis etiam hoc nomine videlicet duran vocatur beſtia, quæ ſuperius iuxta eundem Ariſt. bonaſſus eſt appellata, & ipſa eſt (vt videtur) ſylueſtris vacca, de qua dicit Ariſto. quod habet cornua contra ſeinuicem inclinantia. Et ideo natura dedit ei aliud iuuamentum, videlicet eiectionem ſtercoris in remotum, vt ab ipſo venatorẽ detineat, ne ad eam prope accedat.

Duran.

Bonaſſus.

De eale.

CAPVT XXXVII.

SOlinus. Eale eſt animal apud Indos, alias vt equus, cauda elephanti, nigro colore, maxillis aprinis, cornua præferens vltra cubitalem modum longa, ad obſequium cuiuſlibet motus accommodata. Neque enim rigent ſi vſus exit præliandi. Quorum alterum cum pugnat, prætendit, alterum replicat, vt ſi ictu aliquo alterius acumen offenderit, acies ſuccedat alterius, hippotamis comparatur, & ipſa ſane aquis fluminum gaudet. *Plin. lib.* 8. Eale magnitudinem habet equi fluuiatilis, cornua mobilia, quæ alterna ſiſtit in pugna, variáque & obliqua. *Ex lib. de nat. rer.* Eale eſt beſtia cuius corpus eſt quaſi equi, maxilla vero ſicut apri, nigro colorẽ horrens,

Eale.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rens, in aqua & in terra æqualiter potens, habet cornua maxima, quorum pugnans aliud reflectit post terga. Quo quidem obtuso, illo videlicet vnde pugnauit, reliquum ad pugnam dirigit.

De elephante.

CAPVT XXXVIII.

Elephas. Barro.

Isidor. Elephantem Græci à magnitudine corporis vocatum putant, eo quod formam montis præferat. Græcè enim mons elephon dicitur, apud Indos autem à voce barro vocatur, vnde & vox eius barritus, & dentes eius ebur. *Solinus.* Horum duo genera sunt, nobiliores indicat magnitudo, minores nothos dicũt. Truncos edunt, lapides vorant, gratissimas habent palmas in cibatu. Indicos elephantes timent Mauri, & quasi paruitatis suæ conscij, aspernantur ab his videri. Impatientissimi sunt frigoris. Siquis tamen chamæleontem vermem deuorauerit, oleastro sumpto pesti medetur. Durissimum dorso tergus est, venter mollis, setarum hirsutiæ nullæ. *Aristot.* Elephantorum aliqui potant oleum, & aliqui non. Et qui potant oleum, si in eorum ventre fuerit ferrum extrahitur per olei potum. Elephas quoque bibit vinum, & quando bibere non potest, medicinas cum oleo decoquunt, & ei bibendum tribuunt. Hoc animal est valde fluuiale, manétque prope fluuios, ac mergit se in aqua, ita quod eius additamentum est super faciem aquæ ac per ipsum spirat. Nec potest multum durare natando, propter ponderositatem corporis. Natura quippe dedit in iuuamenti modum elephanto magnitudinem corporis, sicut & camelo. Magnitudo etenim corporis prohibet occasiones ab animalibus. Elephas ergo omnibus maior est, quia nascitur magnus sicut canis, & crescit annis sexaginta. Viuit autem annis 200. quandoque 300. Huius habitatio in desertis est arbores magnas fortitudine sua prosternit, culmisq; suis parietes deijcit magnos.

Vini potor elephas.

Vitæ longitudo.

Plin. lib. 8. Elephanti gaudent amnibus, & circa fluuios vagantur, cum alioquin nare non possint, propter corporum magnitudinem. Palmas excelsiores fronte prosternunt, & ita iacentium assumunt fructum. Ore mandunt, spirant, & bibunt, & odorant, haud impropriè appellata manu. Traditur elephas vestigio hominis animaduerso, priusquam hominem, intremiscere insidiarum metu, subsistere olfactu, circumspectare, iras proflare, nec calcare, sed iudicium certum proximo tradere. Illum sequenti nuncio simili vsque ad extremũ; tunc agmen circumagi, ac reuerti, aciemque dirigi. Elephanti gregatim semper incedunt, ex omnibus minimè soliuagi, ducit agmen natu maximus, cogit ætate proximus. *Ex li. de nat. rer.* Elephas non nisi lacessitus nocet, muscas eius dorso insidentes cute in rugas contracta necat, & hoc illis pro villo caudæ est. Hoc animal (vt dictum est) valde fluuiale est, quoniam in India vbi generantur semper habitant super fluuios. Et quando purgari vult in aquis vsque ad promuscidem se immergit, per hanc enim spirat.

Prouidentia elephantina.

De humanitate & obedientia elephantorum.

CAPVT XXXIX.

Aristot. Elephas est animal mansuetum quod cito domesticatur, & obedientior atque disciplinatior est omnibus animalibus, vnde instruitur etiam adorare regem, & in hoc omnibus melior est animalibus. *Plinius vbi supra.* Magna quoque narratur eorum clementia, nec nisi lacessiti nocent. Equitatu vero circumuenti infirmos aut fessos siue vulneratos in medium agmen recipiunt, ac velut imperio; vel ratione per vices subeunt, capti celerrimè mitificantur ordei succo. Domantur rabidi fame verberibusque, alijs elephantis admotis, qui tumultuantem cathenis coerceant. *Ambr.* Ita videbatur natura nihil robustius elephantis habere genitum, nihil tam terribile, tam procerum, & hi tamen hominum ad nutum seruiunt, naturamque suam humana institutione deponunt. Docentur vt paruuli, seruiũt vt infirmi, verberantur vt timidi, corriguntur vt subditi. Obliuiscuntur quod nati sunt, & quod iubentur induũt. Dúmque in mores nostros transeunt, proprios motus perdunt. *Physiologus.* Elephas dum arte hominum succisis arboris, ingentia membra committit, tanto pondere supinatus proprijs viribus surgere nequit, quia pedes eius nullis instituuntur articulis, sed humano solatio surgit, cuius arte iacuit. Itaque bellua suis gressibus restituta, memor esse beneficij nouit in magistrum, quẽ sibi subuenisse agnoscit. Ad ipsius arbitrium gressus mouet, eiusdem voluntate cibos capit. Denique vice manus promuscidem tẽdit magistro, profutura gratanter accipit, quia se illius cura viuere posse intelligit. Flatum suum dolori capitis humani mederi dicitur, quem rogatus exhalat. Dum autem ad aquas venerit per cauũ promuscidis in pluuię modum imbrẽ postulatus effundit. Denique motu corporis à diuersis postulat, quod magistro porrigat, & compedia nutritoris alimenta sua putat. Quod si aliquis postulata præbere contempserit, collectaculo vesicę patefacto tantam dicitur aluuionem egerere, vt in eius penates fluuius quidam videatur intrasse, contemptum vindicans in fœtore. Scurriliter ludentes despicit, honestum aliquid gratanter attendit. *Solinus.* Inest autem illis clementiæ bonum. Nam si per desertum hominem fortè vagabundum viderint, vsque ad notas vias ductum prębent, vel si in constrictis pecoribus occursitent, itinera sibi blanda & placida manu faciunt, ne quod animal obuium interimat. Conflictu fortuito si fortè pugnatur, nec mediocrem habent curam sauciorum.

Gratus magistro.

Despicit scurriles.

De Sagacitate ipsorum.

CAPVT XL.

Isidor. Elephanti siquidem intellectu & memoria multa vigent, gregatim incedunt, motu quo valent homines salutant. *Solinus.* Elephanti iuxta sensum humanum intellectus habent, memoria pollent, syderum seruant disciplinam, luna nitescente gregatim amnes petunt, mox quoque liquore aspersi solis exortum motibus quibus possunt salutant, deinde in saltus reuertuntur. Gregatim oberrant, & natu maximus agmen ducit, ætate vèro proximus sequentem cogit: flumen transituri minimos antemittunt, ne maiores ingressu alueũ atterant, & profundos gurgites depressis vadis faciant. Cum venatu premuntur, vtrosque dentes pariter effringunt, vt ebore damnato, non requirantur, hanc enim sibi causam inesse periculi sentiunt.

Ductor agminis.

Plinius lib. 8. Elephantis est intellectus patrij sermonis. Et imprimis obedientia officiorúmque quæ didicere memoria. Amoris & gloriæ voluptas, immo quæ etiam in homine rara est probitas, prudentia, æquitas. Et quod ad docilitatem attinet, regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt. Indicis Arabici minores, quos nothos appellant. Germanici Cæsaris munere gladiatorio quosdam etiam motus inconditos edidere saltantium modo. Item narrant in maritimis Æthiopię quinos elephantos inter se cratium modo implexos erectis promuscidis velificantes, ad meliora Arabiæ pabula fluctibus vehi. *Plin.* Elephas camæleone concolore fronde deuorato, occurit oleastro huic veneno suo. *Ex libr. de natura Elephanti* teste Cassiodoro, omnium quadrupedum superant intellectum, vnde non dubitat elephas primo aspectu adorare, quem cunctorum intelligit rectorem esse. Cui si tyrannus appareat, inflexus permanet: farinam simile minutissimo pulueri permixtam separat optimè, ita quod farinam in pastum colligens nihil admittit de puluere: læsi vero dicuntur offensam seruare, longóque tempore post iniuriæ vindictam reddere.

Virtutes elephantorum.

Oleastro sibi medentur.

Domandi modus.

Vindictam reddunt.

De pugna elephantorum cum draconibus.

CAPVT XLI.

Cur dracones molestãt elephantes?

Solinus. Elephantorum cum draconibus iugis est discordia. Denique insidiæ hoc æstu præparantur. Serpentes prope semitas delitescunt, per quas elephanti assuetis callibus euagantur, sicque prioribus prætermissis postremos adoriuntur, ne qui antecesserint opitulari queant, primúmque pedes nodis alligant, vt laqueatis cruribus impediant gradiendi facultatem. Nam elephanti nisi præuenti hac spirarum mora, vel arboribus se, vel saxis applicant, vt pondere nutabundo attritos necent angues. Dimicationis verò præcipua causa est, quod *elephantis (vt aiunt) frigidus sanguis* ineſt, & ob id à draconibus auidissimè torrẽte captantur æstu, quamobrem nunquam inuadunt eos, nisi potu grauatos, vt venis propensius irrigatis, maiorem sumant de oppressis satietatem. Nec aliud magis quã oculos petunt, quos solos expugnabiles sciunt, vel interiora aurium, eo quod is tantum locus promuscide defendi non potest, itaque cum biberint sanguinem, dum ruunt beluę, dracones obruuntur. Sic vtrimque fusus cruor terram imbuit, fitqúe pigmentum quicquid soli tinxerint, quod cynnabarim vocant. *Plinius vbi supra.* India cum elephantis perpetua discordia bellantes tam magnos habet dracones, vt eos circumflexu facili ambiant, nexúque nodi perstringant. Itáque commoritura dimicatio, dum victus corruens, complexum elidit pondere. *Idem in eodem.* Dracones primum cauda gressus elephantium alligant, & illi nodos manu resoluunt. At hi caput in nare condunt, paritérque spiritum percludunt, & mollissimas partes lancinant, quia sanguis elephantis frigidissimus, ob id æstu torrente præcipuè à draconibus expetuntur. Dracones autem tanti sunt, vt totum sanguinem capiant. Nam elephantos ab illis ebibi siccatósque concidere, & dracones inebriatos opprimi commoriqúe certum est. Rhinoceros etiam impugnant elephantem cornu petens aluum, quem scit esse molliorem.

Modus debellandi serpentes, quo elephas vtitur.

Rhinoceros.

Qualiter homines vtuntur elephantibus in prælijs.

CAPVT XLII.

Turres elephantinæ.

Isidor. Elephantorum genus in rebus bellicis aptum est. In his enim Persæ & Indi ligneis turribus collocatis, tanquam de muro iaculis dimicant. *Vegetius renatus de re militari lib. 3.* Elephanti in prælij magnitudine corporum, barritus horrore formæ nouitate, homines quoque conturbant, aduersus quos diuersa resistendi excogitauerunt genera armatorum. Curio in Lucania gladio manum, quam promuscidem vocant, vni abscidit. Et bini cataphracti equi iungebantur ad currum, quibus insidentes longissimos contos in elephantes dirigebant. Præcipuè velites antiqui aduersum elephantos ordinauerunt, scilicet iuuenes leui armatura, corpore alacri, qui ex equis optimè missilia dirigebant. Latius tamen contra eos inferius præfigitur ferrum, vt in magnis corporibus maiora sint vulnera. Illud additum est, vt funditores cum fundibulis & fundis rotundis lapidibus destinatis, hos per quos regebantur elephanti cum ipsis curribus affligerent, atque mactarent quo nihil tutius inuenitur. Præterea venientibus belluis, quasi irrupissent aciem, spacium milites dabant. Quæ cũ in agmen medium peruenissent circunfusis vndiqúe armatorum globis, cum magistris absque vulneribus capiebantur illæsæ. *Solinus.* Magnum in rebus bellicis vsum elephanti ministrant. Indi gensque Persarum ferox bellis, validáque sagittis elephantis quasi grandibus turribus septi, procedunt in medijs campis, de his tanquam de muro dimicantes, & velut in specula positi magis spectant bella, quàm subeant. Elephanti siquidem intollerabili impetu in hostes ruunt, nec repelli, vel retardari possiunt, velut montes quidam immobiles in prælijs versantur, mugitus fragore confidentiam omnium perturbant. Et nec nudi quidem facile ferro penetrabiles sunt, muniti vero lorica sine sui periculo secant acies, turmásque conterunt, dentibus quoque suis tanquam naturalibus spiculis semper armati sunt, & promuscide sua quicquid inuoluerint frangũt. Quicquid etiam pede presserit, velut quodam lapsu ruinæ ingentis exanimant.

De eodem.

CAPVT XLIII.

Turres ligneæ elephãtorum.

Stratagema Alexandri.

Ex libr. de natura rerum. Elephanti ergo in bello quoque promuscide vtuntur, & in ea capiunt homines, partibus suis aduersantes. Sunt enim bellicosi & audaces nimis, maximè cum eis in prælio sanguis vuæ vel mori ostenditur, intollerabili (vt dictum est) impetu ruunt in hostes, vt nullo bellorum agmine, nulla militum constipatione, nullo clypeorum obiectu retardẽtur. Cúmque vociferantur, per os vociferatio est horribilis, quia cum multo spiritu. Perſę & Indi cum his pugnare solent, turres ligneas cum armatis, 40. vel 50. super eorum dorsa portantes. Itaque legitur, quod Alexander Magnus contra Indos pugnaturus, æreas statuas impleri iussit prunis ardentibus, quas elephanti putantes homines esse labia protendentes comburebant. Statímque cœperunt fugere, de cætero neminem audentes contingere. Alia vice grinnitu ac stridore porcorum, cum sonitu buccinarum multos elephantes superauit, eo quod talibus assueti non fuerant. Elephanti confligentes vna non mediocrem sauciorum curam habent. Nam fessos & sauciatos in medium ipsorum recipiunt.

Sues terrent elephantes.

Auicenn. Iuuantur homines in pugna & elephantum fœminis sicut masculis, sed corpora fœminarum minora sunt, quam marium & cum hoc etiam audaciæ sunt minoris. Elephas autem (vt dictum est) tantæ fortitudinis est, vt cum suis culmis prosternat magnos parietes, & cum sua fronte magnas arbores. *Plin. lib. 7.* Elephantes phaleris argenteis maximè gaudent & gloriam appetunt, domiti militant. Ac turres armatorum in hostes ferunt, magnáque ex parte conterunt, ijdem tamen suis etiam minimo terrentur stridore, vulnerati ac territi semper retrocedunt, haud minore partium suarum pernicie. Indicium elephantem pauent africi, nec audent contueri. Nam & maior magnitudo est Indicis. Elephanti alterius dentis mucroni ne sit hebes in prœlijs parcunt. Alterius operatio vsu radices fodiunt, ac molles impellunt. Tempore Hannibalis vnus homo contra elephantem in arena pugnauit, & magno dolore Pœnorum interfecit. Elephantorum promuscidem facillimè amputari patuit experimentis prœliorum Pyrrhi. Circa hos itaque cura belli summa est, mirúmque pudore victus vocem victoris fugit. *Physiologus.* Vt autem animentur ad prælium ostenditur eis vuæ sanguis. Sed si veniat porcus coram eo grunniens, totam animositatem amittit.

De Coitu elephantorum & generatione.

CAPVT XLIV.

Parit in aqua.

Elephanti concupiscentiam fœtus in se non habent, sed tempore quo volunt filios procreare, vadunt ad orientem vsque in proximum paradisi, vbi inueniant mandragoram, de cuius fructu prior gustat fœmina, deinde masculus eius suasione, & tunc conueniunt, & concipit fœmina. Tẽpore vero partus ingreditur aquã vsq; ad vbera, & ibi parit super aquam, propter draconem qui insidiatur ei. Et si extra aquam pareret, fœtũ eius deuoraret. Masculus quoq; nõ recedit ab ea dũ parit, propter serpentẽ qui inimicus est eius sicut draco. Nã huius animalis ossa & pellis in quocunque loco incensa fuerint, statim odor eorũ serpentes fugat, & quodlibet venenosum non accedit. *Solinus.* Venerem ante ann. 10. fœminæ, ante quinq; mares nesciũt. Biennio coeunt quinis

nec amplius in anno diebus, non prius ad gregarium numerum reuerſuri, quàm viuis aquis abluantur, propter fœminas nunquam dimicant, nulla enim adulteria nouerunt. *Iſidor.* Elephanti auerſi coeunt, cum autem parturiunt, in aquis & inſulis fœtus dimittunt propter dracones, qui eis inimici ſunt, & ab eis implicati necantur. *Biennio autem fœtus portant, nec amplius quàm ſemel gignunt, nec plures, ſed vnum tantum.* Viuunt autem annis trecentis. Apud ſolam Aphricam & Indiam elephanti prius naſcebantur, nunc hos ſola India gignit.

Non norunt adulteria.

Nota.

Ariſtot. Elephas coit in agreſti loco maximè prope fluuios fœmina ſedet, mas equitat ſuper illam. Fœmina poſt annum 10. vſque ad quindecimum coit, mas autem poſt quinquennium, & hoc in vere. Vnicum filium gignit, ſicut equus & camelus. Fœmina per duos annos imprægnatur ideſt, in vtero trahit propter extremitatē magnitudinis concepti. Imprægnata quoque à maſculo non tangitur omnino, & poſt partum ceſſat triennio. Parit autem fœtum ſimilem vitulo duorum vel trium menſiū. Elephanti tempore coitus efficiūtur ſyluestres, domóſque dirimunt, & alia miranda multa faciunt. *Iorath.* Elephantes partum ſuum in deſertis locis conſeruant propter draconem, qui dum ipſum inuenit, ſubito interficit. *Plinius.* Elephanti *præ pudore nunquam niſi in abdito coeunt.* Huius generis fœminæ multo pauidiores ſunt. Annis decem vulgus exiſtimat geſtare in vtero. Ariſtot. autem biennio, nec amplius, quàm ſingulos ſemel gignere. Cæteris animalibus inter ſe propter fœminas pernicioſa ſunt prælia, his nulla, non quia deſit eis vis amoris, nec mirum his amorem ineſſe, quibus eſt memoria. In India maximè circa tempus coitus elephanti efferantur, & Indorum ſtabula dentibus ſternunt. Quapropter illos arcent coitu, fœminarúmque pęcuaria ſeparant, quæ haud alio modo, quàm armentorum habent. *Ex lib. de nat. rer.* Solinus ait elephantem ſemel parere, ſed reuera ter vel quiquies parit in ętate.

Pudor elephantinus.

Pluries parit

De membrorum elephanticorum creatione.

CAPVT XLV.

ELephas ſtatim vt naſcitur apparent dentes ſubito cum eo generati, ſed non apparent dentes magni, donec iuueneſcat. Huius lingua valde parua eſt, & interius valde, naſus eius longus ac fortis, felle caret, nec multos in pedibus anterioribus digitos habet. Nec habet pedes fiſſos vel ſoleas habentes, ſed propter grauedinem corporis poſuit natura pedes eius fortes ad portandum corpus tantum. Ideóque non vtitur anterioribus pedibus loco manuum, ſicut animalia cætera. Pedes eius anteriores multo ſunt poſterioribus maiores. Flectens duos pedes ſedet, ac fulciens latus alterum dormit. Circa coxas, habet iuncturas alias, quatuor enim iuncturas flectit. Pes ſiniſter in animalibus non eſt leuis motu, præterquam elephanti. Digiti pedum eius non ſunt diuiſi diuiſione manifeſta, ſicut in alijs animalibus, & habet quinque digitos in pedibus poſterioribus. Fœmina duas habet mammillas, non in pectore, ſed prope ſcilicet ſub aſcellaria. Et eſt mammilla elephántis valde parua, non conueniens magnitudini ſui corporis. Ideóque non apparent in vtroque latere. Mares quandoque duas mammillas habent. Fœmina duas habet tantum, quia non parit niſi vnicum filium. Nec ſunt prope coxas, quia fiſſi pedis eſt animal, *ſed in parte ſubaſcellari ſunt, qui proprius eſt locus mammillarum.* Elephas inteſtinum habet inuolutum, villoſum. Ideóque putatur, quòd habeat quatuor ventres, nec habet alium ſtomachum. Totúmque ſuum interius ſimile eſt interiori porci. Hepar eius eſt quadruplo maius hepate bouis, & ſimiliter eſt reſiduum ſui interioris. Splen eius reſpectu ſui corporis eſt modicus. Omne animal habens pedes fiſſos, habet digitos, præter elephantem, qui habet quidem digitos iunctura latenti coniunctos. Non enim fiſſi ſunt, & ideo non habent vngues omnino. Itaque natura dedit eis fortes multum, ad portandum corpus tam ponderoſum. Situs virgæ elephanti ſimilis eſt ſitui virgæ equi, ſed patua eſt, non conueniens corpori ſuo. Eius teſticuli non apparent extra, ſed ſunt prope renes intra. Ideoque velocis ſaltus eſt in coitu. Huius inquam teſticuli ſicut & tortucæ & ericij, ſunt enim intra corpus, quia cutis animalium illorum non eſt conueniens ad cooperiendum. Fel non habet elephas diſtinctum, ſed venas patuas, in quibus eſt fel. *Ex libr. de naturis rerum.* Elephanti cadentes ſurgere non poſſunt, quoniam oſſa ſolida ſine iuncturis habent. Vnde & crura tybiáſque flectere non valent niſi in iuuentute. Crura vero æqualia habent in craſſitudine. Inſtar ſtipitum ab imo pedis vſque ad ventrem. Pedes vero rotundos ad inſtar pomi. Quoniam dum gradiuntur, & pondere ſui corporis, & virtute ſuæ fortitudinis, altiſſimè pedes ſuos imprimunt terræ, ita vt periculoſum ſit aliis animalibus, vt equis & tauris, poſt eos ambulare.

Virga. Teſticuli.

Figura pedum.

De eodem.

CAPVT XLVI.

PLin. vbi ſupra. Elephanto duriſſimum tergus eſt dorſi, ventres molli. Setarum vero nullum tegumentum, nec in cauda quidem, præſidium abigendo tædio redditur muſcarum. *Idem in lib. 11.* Elephanto dentes ad manducandum quatuor ſunt, præter illos qui prominent, maſculis quidem reflexi, fœminis autem recti ac proni. Ventres elephanto ſunt 4. cætera vero ſuibus ſimilia. Elephantorum tergora impenetrabiles habent pelles. Cum tamen inter omnia quadrupedia ſubtilitas animi perhibeatur illis præcipua. Teſticuli ſunt eis occulti parentium lumbis adhærentes intus, ob hoc in venere ideſt coitu ocyſſimi *Ambroſ.* Elephanto parua ceruix eſt reſpectu corporis. Genua non flectit, vt rigidioribus cruribus quaſi columnis tanta membrorum machina ſuſtineri poſſit. Calcaneum leuiter incuruat. Rigent cætera pedum à ſumno vſque ad imum. Fulcitur autem hincinde maximis trabibus, vt in ſomno aliquantulum reflectatur, quia pes eius nulla coniunctione artuum diſtinguitur. At hæc fulcra fiunt manſuetis tantum. Feris autem & agreſtibus imminet periculum. arbori ſiquidem innixi aut coſtas fricant, aut in ſomno ſeſe relaxant. Quæ aliquando vincta atque inflexa tanto corpore frangitur & elephas corruit, nec ſe poteſt eleuare, ſed ibi iacens interit, aut gemitu ſuo proditus ſternitur, dum ventrem cæteráque exteriora non facilè ſolent aliqua penetrare tela. Denique artus elephantis ſunt compacti non vt nobis diſtincti, quo ſint robuſtiores quam hominis.

Fulciuntur vt dormiant

Phyſiologus. Elephas nec ſe, vt nos in anchas aliquãdo deponit, nec genua flectit, ſed ſolummodo calcaneum leuiter incuruat. Reſiduum vero corporis nequaquam. Oculi eius parui, ſed grauiter ſe mouentes. Scurriliter quidem ludentes deſpiciunt, honeſtum aliquid gratanter attendunt. Cutis vlceroſis vallibus exaratur, à qua leproſorum paſſio, ſcilicet elephantia nomen accepit. Cutis hæc in tantam duriciem ſolidatur, vt illam oſſeam eſſe putes. Nulla denique vi tranſmittitur, nullo fere acumine penetratur. Ideóque Perſārum Reges illam ad bella traxerunt, quia nullis ictibus pulſata cedit. Venter autem elephāti, & quæ iuxta ſunt, mollia ſunt. Interius ſimile eſt interiori porci, ac per conſequens interiori hominis.

Elephantia cur ita dicatur?

De promuſcide.

CAPVT XLVII.

ISidor. Elephanti roſtrum promuſcida dicitur, quoniam illo pabulum ori admouent, & eſt angui ſimilis, vallo munita eburneo. *Ariſt.* Elephanti naſus longus & fortis, & vtitur eo loco manuum in accipiēdo cibum & potum, & in omnibus quibus indiget, in eradicatione quoq; arborū. Itaq; mēbri huius creatio fuit in eo mollis atque flexibilis, vt poſſit retinere cibum quē

accipit

accipit extra, & adducit ad os. Item propter anhelitum, & propter traditionem eius in exitu, & propter manſionem eius in aqua poſuit natura additamẽtum illud longum, potens inuolui & duplicari. Itaque priuauit ipſum natura vſu pedum, vtitur autem illo additamento, ſicut vtuntur animalia pedibus anterioribus. Huic naſus eſt quaſi calcaneus ex cartilagine creatus, quo vtitur loco manus. Per hunc cibos & potus accipit & ori ſuo reddit, ac per ipſum Domino ſuo, quod voluerit. Solúſque animalium hoc facit. In aqua quoque cum natat eo inſpirat, & aquam eijcit, huius ſiquidem animalis naturæ conueniens ad habitandum in deſertis & prope aquas, vt ſit cibus eius in humido. Et quoniam eſt animal habens ſanguinem & difficile ambulat à loco ſicco ad humidum, propter hoc indiget anhelitu multo, ſecundum corporis eius magnitudinem. Denique ſicut homines in aqua ſubmergentes ſe, præparant inſtrumentum ſibi, quo anhelant in aqua longo tempore, vt perueniat illis aer in humido mediante iſto inſtrumento, ſic etiam ingeniata fuit natura dando elephantis additamenta longa, quæ illi ſuper aquam eleuant, quando natant, ad aerem attrahendum, vtuntur etiam his vociferando. Sed elephas quandoque vociferatur per os ſine naſo, & tunc eius vociferatio eſt cum multo ſpiritu, ſicut quando magnus inanhelat homo. Cum autem ex parte naſi vociferauerit, tunc ſicut fiſtula dultiſſona erit.

Vociferatio elephanti.

Plin. lib. 11. Elephas circa nares ore ipſo ſternutamento ſimilem elidit ſomnum, per nares autem raucitati tubarum. Anima ſiue anhelitus elephantis ſerpentes extrahit. *Ambr.* Equus quidem & bos prolixiora colla ſortiti ſunt, quoniam herbas paſcunt. Elephas vero quia cunctis eminentior inclinare ſe nõ poteſt ad paſcendũ, habet promuſcidem ideſt roſtrum in anguis ſimilitudinem, ad colligendum cibum, & largo potui humorem infundendum, quæ videlicet promuſcidis eſt concaua, vt ad reſtinguendam tantæ beſtiæ ſitim in plenos lacus hauriat. *Ex li. de nat. rer.* Elephas ergo animal videlicet magnum & robuſtum habet roſtrũ decem cubitorum prominens quaſi amplum inteſtinum, ex carne cartilaginoſa, & dura, quod promuſcidem vocant, & vtitur eo loco manus ad omnem actum habituato. Vnde & per hunc, cibum & potum capit & ori ſuo reddit. Nam & vinum, quod natura libenter bibit ſibi datum, promuſcide ſorbet, oriſque infundit, & tunc palato iucunditatem ſentiens, ore mulcebri congratulatur danti.

Longitudo promuſcidis.

De ætatibus & morbis & nocumentis elephantorum.

CAPVT XLVIII.

Iuuentus quando incipit?

Plinius lib. 8. Elephantorum iuuentus ab anno 60. incipit, viuúntque plures annis ducentis, & quidam etiam trecentis. Frigoris impatientes ſunt, inflationem & profluuium alui ſentiunt. Olei potu tela, quæ corpori eorum inhæſerant, inuenio decidere, à ſudore vero facilius adhæreſcere. Animalium maximè murem oderunt, & cruciatum in potu maximum ab hyrudine ſiue ſanguiſſuga, cum in ipſo amne canalive ſe fixerit, ſentiunt. Draco, vt dictum eſt ſupra, contra elephantem pugnat, oculóſque maximè petit, ita fit vt plerunque cęci & fame ac mæroris tabe confecti reperiantur elephanti. Rhinoceros quoque impugnat cornu aluum petens quem ſcit eſſe molliorem. Elephantis terram edilſe tabificum eſt, niſi ſæpius mandant. Elephas chamæleonte verme caſu deuorato, occurrit oleaſtro huic ſuo veneno. Setarum nullum habent tegumentum, nec in cauda quidem præſidium abigendo tędio muſcarum. *Solinus.* In elephantis candore dentium iuuentus intelligitur, quorum alter ſemper in miniſterio eſt. Alteri parcitur, ne hebetatus aſſiduo repercuſſu minus vigeat, ſi fuerit dimicandum. Cum autem venatu præmuntur, vtróſque pariter affringunt, vt ebore damnato non requirantur. Hanc enim ſibi cauſam ineſſe periculi ſentiunt, viuunt annis tricentis impatientiſſimi frigoris. Odorem muris maximè fugiunt. *Ambro.* Elephas itaque tauros formidat, murem timet. Nec amplius miror elephantem, quia procerus eſt quam murem, quia elephanti trecentis & amplius annis feruntur vitam producere, quia cum artus habeant compactos, non diſtinctos, ſi diu ſteterint aut velocius cucurrerint, aut iugiter ambulauerint eorum genua vexantur & plantæ.

Mus & draco, antipathetici, item. Rhinoceros.

Taurus.

Æſculapius ex lib. de ſenſibus. Elephas cum Arietem viderit, timet illum & fugit. *Ariſtote.* Elephantis nocet ventus, & ſi comederit elephas terram, morietur, niſi fuerit ad hoc aſſuetus, & fortè lapides tranſglutiet. Accidit autem eis & infirmitas inflatiua, propter quam non poſſunt vrinam aut ſtercus eijcere, cum autẽ vexatur elephas ex eo quod non dormierit, eius ſpatulæ cum oleo & aqua vngantur & curabitur. Si vero doluerint eius ſpatulæ, caro porcina aſſata ſuper ſcapulas illius ponatur, & ſanabitur. Accidit eis quandoque dolor iuncturarum, & contra hoc iuuat eos potus aquæ calidæ, & gramina ſubmerſa in melle. Iſtæ namque duæ res prohibent fluxum ventris. Si quis eorum habuerit in ventre ferrum, extrahitur per olei potum. Cúmque biberat elephas vinum, quando bibere non poteſt, accipiũt medicinas, & cum oleo decoquunt, eíque dant illud ad potandum. Per annos ſexaginta creſcunt, & tunc frigus & hyemem ventúmque frigidum ſentiunt. *Ex libr. de natura rerum.* Elephantis vt dictum eſt, multum nocet ventus, ac per hunc infirmitates contrahunt. Elephas ſi terram comederit, moritur. Aliqui tamen aſſueti ſunt comedere, nec inde moriuntur, quia prævalet in eis ipſa conſuetudo, quæ eſt altera natura. Vinum quòd libenter potant, quando bibere non poſſunt, ſignum eſt, quòd infirmantur, & ideo medicina purgandi ſunt.

Aries.

Potus olei eis conducit.

Signum infirmitatis.

De venatione ipſorum.

CAPVT XLIX.

Quo arte capiuntur?

Victor. Elephas in tibijs iuncturas non habet, & vt legitur in beſtiario, dormientes elephanti nunquam recumbunt, ſed cum labore defatigati ſunt, arboribus magnis applicati ſe recreant, & in ipſis ſuffulti dormiunt. Quod eorum venatores attendentes locum & arbores notant, eáſque penè ſuccidunt. Quibus cum elephantes inuiti ſecundum conſuetudinem ſuam putant, ruunt arbores, & elephanti cum eis ad terram proſtęrnuntur. ſicque capiuntur, cum enim elephas ceciderit, ſurgere non valet. Sed ad eius barritum elephãtes plerumque cæteri currunt, & cum ſe incuruare ac ſocium erigere non poſſunt, gemunt pariter & barriũt. Paruuli vero elephantes prout valent ſe ſe cum ſua promuſcide ſupponentes, aliquando erigunt, ſicque illum de manu venatorum liberant. Ideo autem maior elephas cadens ſurgere non valet, quia oſſa ſolida ſine iuncturis habet. Vnde tibias & crura flectere non poteſt, iuuenis tamen poteſt. *Plin. lib.* 8. Elephantos capit Aphrica, vel India foueis, in quas aliquo deerante, cæteri protinus congregantur, molles ramos deuoluunt, aggeres conſtruunt, omnique vi extrahere conantur. Dentium cauſa, pedes eorum iaculantur. *Ambroſ.* Elephanti, vt ſupra diximus, ſylueſtres arbori innixi aut coſtas fricant aut in ſomno ſe relaxant. Quæ aliquando victa, tantóque corpore inflexa frangitur, & elephas corruens ibique iacens interit, aut gemitu ſuo proditus ſternitur. Quidam etiam propter ebur inſidias eis parant. Arbores reſcindendo aliquantulum ex illa parte, qua ſe frequentius applicare conſueuerunt, vt illis ſe reflectentibus facilius ruant. *Ex libro de naturis rerum.* Elephantes audito hominis veſtigio poſt ſe, nec prius viſo, intremiſcunt, & inſidiarum metu ſubſiſtunt. Sic autem capiuntur, duæ puellæ virgines in deſertum vbi habitant, nudæ pergunt vna ferens vrnam altera gladium. Quibus vlta voce cantantibus cum audierit elephas prope accurrit, móxque naturali inſtinctu virgineæ carnis innocentiam recognoſcit, & amoris dulcedine caſtimoniam in eis veneratur, earumque pectus & vbera lambens, mirificè

Alius modus capiendi.

Alius modus

delecta-

Tingitur purpura sãguine elephantis.

delectatur & in ſoporem reſoluitur. Nec mora puella cum gladio tenerum eius ventrem perfodiens ruentis ſanguinem fundit, altera vero fuſum in vrna ſuſcipit, hoc ſanguine regalis purpura tingitur. Eſt & alia eorum venatio teſte philoſopho.

De ipſorum domeſticatione.

CAPVT L.

Alius captura eorũ modus.

Aristoteles. Elephantem enim domeſticum equitat homo venator elephantes alios quærendo. Quos vt comprehenderit, elephantibus domeſticis aliquos ex ſyluestribus percutere quouſqúe obediant, præcipit. Cúmque comprehenditur elephas rector ſuper eum ſaltat. Ipſúmque inſtrumento quod peltæ aſſimilatur, percutit, & tunc ſubito quieſcit, & quãdiu rector ſuper eum eſt obedit. Cum autem deſcendunt rectores, quidam eorum domeſticantur, quidam non, & ideo quouſque quieſcant ligantur pedes illorum anteriores. Omnibus tamen animalibus agreſtibus elephas domeſtitior & obedientior eſt, ac bene recipit inſtructionem, intelligitque vt iam ſuperius dictum eſt. *Plinius vbi ſupra.* Elephanti domantur rabida fame ac verberibus, alijs elephantis admonitis, alijs admotis, qui tumultuantes coerceant cathenis, aliáſque circa coitus maximè efferantur, & Indorum ſtabula ſternunt dentibus quapropter illos coitu arcent. Fœminarúmque pecuaria ſeparant, quæ haud alio modo, quàm armentorũ habent. Domiti vero vt ſupra dictum eſt, militant, & turres armatorum in hoſtes færunt, magnáque ex parte orientis bella conficiunt. *Solinus.* Elephanti vt dictũ eſt, quando capti venerint in manus hominum, ordei ſucco hauſto manſueſcunt. *Ex lib. de nat. rer.* Itaque venatores, vt ſupra dixit Ariſt. in deſerto quęrentes elephantos ſyluestres, cum eos inueniunt, domeſticis præcipiunt illos perſequi, ac percutere quouſque obediant, & defatigati ſtando quieſcant. Tunc venatores illos aſcendunt & percutiunt, ac pungunt, & mouent eos ad hoc, vt homines timeant, ligántque pedes eorum anteriores, quouſque manſueſcant. Manſueſcunt autem & domeſticantur citius agreſtibus animalibus. Eſt & alius elephantum domeſticandi modus. In primis captus à venatore percutitur, multiſqúe verberibus tribulatur. Alius qui vult eum habere ſibi obedientem accedit, eumque de manu verberantis eruit. Quod aduertens elephas in manibus eius manſueſcit, eúmque liberatorem ſui recognoſcens, ſemper ac diligens ei obedit.

Ordei ſucco manſueſcũt.

Alius modus curandi elephantes.

De ebore.

CAPVT LI.

Ebur.

Auctor. Elephanti parum habent de carnibus, multúmque de oſſibus. Ipſum autem os, quod dicitur ebur, candidum eſt, planum, lucidum, frigidum, quantóque vetuſtius, tanto rubicundius, & hoc in dentibus conſiſtit. *Solinus.* Candore dentium intelligitur, ſicut dictum eſt, iuuentus elephantorum. Quorum alter in miniſterio eſt ſemper, alteri vero elephas parcit, ne aſſiduo repercuſſu hebetatus minus vigeat, ſi dimicandum fuerit. Cúmque venatu premuntur, vtroſque pariter dentes affringunt, vt ebore damnato non requirantur, hanc etiam, vt iam dictum eſt ante, ſibi cauſam periculi ſentiunt ineſſe. *Plinius vbi ſupra.* Elephanti ſiquidem, vt dictum eſt, à venatoribus circumuenti, ſciunt prius prædam expetendam in ſe, ſolam in armis ſuis eſſe, quæ Iuba cornua vocat, cúmque feſſi fuerint, impactos arbori dentes frangunt, prædaque ſe redimunt, dentes autem deciduos aliquo caſu vel ſenecta diffodiunt, hoc ſolum ebur eſt. Amplitudo vero dentium iam raro præterquam ex India reperitur. *Ex libro de natura rerum.* Elephas, vt dicit Plinius, quatuor habet dentes intus ad mandendum, præter illos qui prominent, maſculis reflexi, fœminis autem recti aut proni. In his eſt præcipua nobilitas eboris, quæ non in

Ebur habetur in quatuor dẽtibus.

in cæteris oſſibus corporis habetur. Cui ſcilicet eburi *ſi pannus ſuperponatur, igne ſuperpoſito pannus non exuritur,* ſed naturali frigiditate eboris extinguitur.

De diuerſis medicaminibus ex elephante.

CAPVT LII.

Nota.

Elephanti ſanguis & maximè maſculi, fluxus rheũmathis ſiſtit. Fumo quoque qui fit ex vngula & pilis elephantis, animalia quælibet venenata fugantur. *Platearius.* Elephas habet oſſa quædam ſolida vt dentes, & hæc non comburuntur, ſed ad diuerſa officia reſeruantur. Quædam vero ſunt medullam habentia, & hæc combuſta dicuntur ſpodium frigidum in tertio gradu, ſiccum in ſecundo. Sophiſticatur autem quandoque ex oſſibus canis combuſtis, quandóque ex marmore combuſto, ſed id eſt minus ponderoſum. Vnde illud eligendum eſt, quod eſt ſubalbidum, & valde leue, & continuum. In ſyrupis ponitur ad infrigidandum. Puluis eius cum ſucco plantaginis datus valet ad dyſenteriam & hęmoptoicam paſſionem. Contra profluuium quoque puluis eius naribus impoſitus ſanguinem ſiſtit. Dicit tamen Auicenna, quòd ſpodium eſt radices cannarum aduſtæ, vt autem dicit Hieronymus. Segmenta eboris in varias medelas aſſumuntur. *Plinius libro vigeſimooctauo.* Sanguis elephantis præcipuè maris rheumatiſmos omnes ſiſtit, dyſentericis quoque prodeſt. Raſura ſiue ramentis eboris cum melle attico, vt aiunt, nubeculæ in facie tolluntur. Promuſcidis tactu, capitis dolor euacuatur, efficacius ſi & ſternutet. Dextera pars promuſcidis cum lemma rubrica alligata impetus libidinum ſtimulat. Sanguis etiam iſchiaticis prodeſt. Iecur autem comicialibus morbis. *Auicenna in ſecundo canone.* Adeps elephantis cum ex eo fit linimentum, fugat venenoſa. Fimus eius ſuppoſitus vt fertur, prohibet imprægnationem. *Hali.* Fimus elephantis ſi vaporetur eo venter febrem patienti prodeſt, ſed ſi cum lana ſubmittatur mulieri, non concipit.

Spodium.

Vſus medicinalis elephanti.

De enchire.

CAPVT LIII.

Enchires.

Ex libro de natura rerum. Enchires eſt animal in oriente tauro ſimile, ſed habens longos crines ad ſcapulas deſcendentes ſicut equus, cornua vero multum recuruata, & ad pugnandum habilia, caudámque breuem reſpectu corporis. Corium valde durum & ictuum patiens, huius etiam caro dulciſſima eſt. Cum venatores fugiens debilitatum fuerit pugnat, & in pugna ſtercus eijcit per quatuor paſſus cauſa timoris, eſt enim animal multi ſtercoris. Deinde cum appropinquat ei tempus partus, multa eiuſdem generis animalia circa ipſum adunantur, & egerentes aggregant ſtercora ad inſtar muri in circuitu eius. *Auctor.* Videtur autem enchires eadem eſſe beſtia, quæ ſuperius duran, vel bonaſſos iuxta Ariſtotelem eſt appellata.

De enydro & enitra.

CAPVT LIV.

Enydros.

Iſidorus. Enydros eſt beſtiola ex eo nuncupata, quòd in aquis verſatur & maximè in Nilo. Quæ ſi crocodilum dormientem inuenerit, volutat ſe primo in lutum & intrat etiam per os eius in ventrem, & carpens omnia intranea eius ſic vt moritur, hæc ichneumon Græcè vocatur, ſicut inferius ſub hoc nomine ichneumon dicetur. *Ex libro de natura rerum.* Enitra eſt animal modicum in Germania, mas & fœmina, cumulos in terra facientes, congerunt cibos in æſtate, quibus viuãt in hyeme. Fœmina naturaliter ciborum eſt auida, ac prodiga. Mas ècontra ſuper modũ parcus, & auarus, vnde & aditũ obſtruit, ne fœmina cibos attingere poſſit.

Ichneumon.

Enitra.

At

At illa naturaliter callida foramen occultum ex alia parte facit per quod furetur, quod auiditati suæ sufficiat. Sicque fit vt masculus parcus macie tabescat, fœmina vero pinguedine rutilescat.

De Erinacio, & ermineo.

CAPVT LV.

Erinacius. Charogryllus. ERinacius qui & chęrogryllus, est animal, procelli formam habens, sed spinosum vbique præterquam in ventre. Vndique vero spinis suis clauditur propter insidias, difficulter se videndum præbet atque palpandum, sed quando in aquam calidam mittitur, statim ea delectatus in planam membrorum deiectionē ostensionémque resolvitur, & sic inoffensè videtur, atque palpatur. Hic, vt dicit Aristot. obtusius audit omni animali habente testam in capite. Nam ex resultantia, quæ fit in testa sonus auditur. Ericius habet quinque dentes & inter eos, membrum carnosum, spinis vtitur loco armorum, sicut bos cornibus. Nutrimentum enim corporis eius in spinas transit propter paucitatem caloris, qui digerere cibum non sufficit. Ob hoc eum multa superfluitas in eius corpore generatur, & ex qua propter frigiditatem multam spinæ duræ generantur sicut lapides. Ericius pinguis est & medicinalis. *Nota.* *Solus habent duos annos*, per quos fœces emittit. Solus autem inter animalia generantia quadrupedia testiculos habet prope renes, sicut aues. Nam cætera in anteriori parte habent: huius speciei mas & fœmina stando coeunt applicati, & adinuicem coniuncti, & hoc propter spinarum aculeos qui in eius dorso sunt. Si enim à dorso coirent aculeis seinuicem pungerent. *Plin.* Præparant hyeni & erinacii cibos. Nam supra iacentia poma spinis affixa volutati, vnum non amplius tenentes ore portant in cauas arbores: ijdem mutationem aquilonis in austrum condentes se in cubile præsagiunt, vbi vero senserint venantem, ore contracto, pedibúsque, & omni inferiori parte qua raram & innocuam habent lanuginem conuoluuntur in formam pilæ, ne quid comprehendi possit præter aculeos. *Præsagium mutationis venti.* In desperatione vero vrinam ex se reddunt tabificam, tergori suo spinisque noxiam, gnari propter id se capi. Quamobrem eximanita prius vrina venatoribus ars est, tunc enim præcipua dos tergoris corrupta fragilis est putribus spinis atque deciduis. *Ex li. de nat. ver.* *Erminius.* Erminus est bestiola de genere mustelarum, sed forma minor, & color dissimilis, in hyeme candet instar niuis propter extremitatem caudæ. Æstate vero tantum in ventre candet, & dorso fuscus apparet. Mures persequitur, carnibus vescitur. Harum bestiolarum pellibus hominum curiositas vti solet ambitu supremo in vestibus.

De falena & fibro.

CAPVT LVI.

Falena. FAlena est animal, quod naturali quadam indignatione superbiam in homine detestatur. Itaque si congrediendi occasionem acceperit, pugnæ constanter insistit, victórque superbiæ inclementer nititur hominem decerpere. Contra vero si in homine obuio ex fuga & timore signum humiliationis deprehenderit, interdum subsistit, & illum euadere permittit. *Solinus.* *Fiber.* Fiber per vniuersum pōtum plurimus est, quem castorem dicunt, luttræ similis est, animal morsu potentissimum, adeo vt cum hominem inuaserit, conuentum dentium non prius laxet, quam ossa fracta concrepuisse persenserit, vt videlicet iam superius dictum est. *Plin. lib.* 8. Fibri pontici periculo vrgente testiculos ipsi amputant sibi, gnari ob hoc ipsum, se peti, medicamentum. *Castorea.* Ad comiciales quoque morbos valet eius coagulum. *Idem in li.* 31. Fibris victus est in terris. Castorea testes eorum dicuntur, quos ab ipsis amputari fertur, cum capiuntur. Sestius medicinæ diligentissimus illos esse paruos, substrictos, & adhærentes spinæ dicit, nec adimi sine animalis vita posse, asserit. Adulterari vero renibus eius qui grandes sunt. Valent autem ad multā medicinam, sicut iam dictum est supra. Vrina quoque fibri resistit venenis, ob id additur in antidota, optiméque seruatur, vt aliqui æstimant, in vesica sua. *Idem in li.* 22. Podagricis confert fibrinis pellibus calceari, maximéque fibri pontici. *Contra podagram.* Aqua vero feruenti combustis prodest fibrinarum pellium cinis. Idem quoque cinis cum pice liquida narium sistit profluuia, succo porri mollitus extrahit inhærentia corpori tela. *Auctor.* Cætera vero de fibro & eius medicinis iam superius dicta sunt sub nomine castoris.

De furone & furunculo.

CAPVT LVII.

Furo. *Isidor.* Furo à furno dictus est, vnde & fur. Tenebrosos enim & occultos cuniculos effodit, & eijcit prædam quam inuenerit. *Arist.* Furonum fœminæ sunt obedientes ad coitum valde, clamantque mares ad coitum tempore luxuriæ. Nec coeunt mares cum fœmina retro, sed mas eleuatur & fœmina æquatur subiacendo. *Furunculus.* *Ex li. de nat. rer.* Furunculus putorio valde consimilis est, paulo amplior quàm mustela. Inter album & buxeum colorem habet, & est animal animosum ac ferox nimis vltra quam in viribus ei natura conceditur. Ad hoc edocetur vt antris quibus cuniculi delitescunt, à venatoribus imponatur, qui foueam audacter penetrat impetitque morsibus bestiolam, donec anguitiatam in retia expulsam deijciat. Nec hanc tantummodo bestiam oderunt, sed quicquid animalium spirare videtur, quātumcumq; magnum sit pro viribus impetunt, non pro desiderio carnium, quibus vtique non vescuntur, sed voluntatem malignandi, vel pro sanguine bestiarum, vt aliqui dicunt, quem vtique in potu libenter accipiunt. *Fœmina moritur sine mare.* Coire dicuntur prostrati. Fœmina si mare non habet, quando luxuria stimulatur tumescit & moritur. Partu quidem fœcunda est, vtpote septem vel octo fœtus simul edens, portat in vtero quadraginta diebus. Et cum nati fuerint catuli cæci sunt diebus triginta, à tempore verò quo videre incipiunt vsque ad 40. dies venari incipiunt.

De galy & genetha.

CAPVT LVIII.

Galy GAly est animal multæ audaciæ, cum serpentibus pugnans. Mures enim libenter comedit, & ipsum genus serpentium carnibus murium viuit. Ideo quasi cibi sui æmulos serpentes persequitur, & cum eos deiectos comederit, mox rutam quæ serpentibus aduersa est comedit, hoc animal ad septentrionalem partem, ingressus fouearum suarum facit, vt vento sibi contrario non fatigetur. *Genetha.* *Genetha* est bestia paulo maior vulpecula, colorem habens inter croceum, & nigrum. Maculas interdum nigras ordinatè in pelle dispositas habet. Mansueta satis est bestia, nisi fuerit iniuriis lacessita. Nec ad ardua conscendit, sed in humilibus locis & super riuos aquarum deambulat, ibique cibum cum esurit, quærit.

De hericio.

CAPVT LIX.

Hericius. ARistoteles. Hericius est animal spinosum, cuius sensus apparet multotiens contra ventos septentrionales, & meridionales. Foramina namque facit in terra ècontra in oppositio ventorum. *Plinius libr.* 8. Huius cute vestes expoliuntur. *Isidorus.* Hericius est animal spinis coopertum, quod inde nominatur, quia subrigit se, quando spinis suis clauditur, quibus vndique protectus est contra insidias. Nam statim vt aliquid persenserint primum se subrigit, & in globum conuersus, in sua se arma recolligit, & ita spinoso defenditur tegmine, vt nec contingi quidem possit.

Huius

Huius prudentia quædam est, dum vuam de vite abscide- A
rit, supinus sese super eam volutat,& sic eam exhibet natis suis. *Iorath.* Hericius cum spinis dorsi colligit fructus. Si quid autem ex huius cibo ceciderit, resi-
Lupus eum timet. duum à se totum reijcit ac reuertitur, vt spinas suas repleat,sicut prius,hûc autem lupus timet ac fugit. *Ambr.* Hericius futuri prouidens, geminas sibi respirandi vias munit, vt scilicet quando boream flaturum collegerit, septentrionalem obstruat. Quando notho cognouerit aeris nubila detergi, in septentrionalem conferat se, vt flatus obuios declinet. *Gregor. in moralibus.* Hericius cû capitur, caput & pedes & omne corpus vt est videtur. Sed mox vt apprehensus fuerit, in sphæram seipsum, colligit pedes introrsus trahit,caput abscondit, & intra tenentis manus totum simul absconditur, quod totum simul videbatur. B

De medicinis ex hericio.

CAPVT LX.

Terrenus. Marinus. A *Vicenna.* Hericius alius est terrenus habens spinas sagittales. Alius marinus & est species piscium habentium ostrata. Vtriusque cineres sunt absterſio, & resolutio, & acuitas, & exiccatio. Adeps hericij prohibet effusiones ad viscera, similiter & eius epar. Caro eius confert scropulis, & prauis & duris nodis, & morsui vermium venenosorum. Item confert hericius maliciei complexionis, & quod ex eo salitum est cum oxymele, bonum est hydropisi. Quod adustum est de cute hericij,confert alopicię mixtum cum pice. Cinis cutis eius confert vlceribus sordidis. Et mundificat carnem
Vsus medicinalis hericij. additam. Terrenus hericius bonus est stomacho, ventrem lenit & prouocat. Quod de eo salitum est confert alopiciæ, caro eius confert lepræ propter vehementiam resolutionis eius. Eadem confert extenuationi, & febribus antiquis. Confert etiam puero qui in lecto mingit, ita quod assiduatio comestionis eius fortasse faciet, vt vrina cum difficultate egrediatur. Eadem verò salita confert paralysi & spasmo,& omnibus neruorum ægridinibus & elephantiæ. Cum oxymele quoque confert dolori renum. Cutis hericij marini ponitur in medicinis scabiei, & eius caro valde confert scrophulis. *Hali.* Hericij carnes si cum hausali, idest squiliæ aceto comprimantur, elephanticis prodest, & exilibus corpore,& spasmum habentibus, & repletionem. Sed arthreticis valet, & dolores in renibus patientibus, & hydropicis. Congregat enim virtute dissolutionis ac spissationis. Hericij fel vlcerum quę sunt in oculis maculas extirpat. Elephanticis quoque si biberint prodest: huius corium siccatum, & cum melle distemperatum, si cataplasmetur alopiciæ prodest. *Ex li. de nat. rer.* Carnes hericij vim habent desiccatiuam & dissolutiuam, propriéque stomachum confortant, ventrem soluunt, vrinam prouocant, vtiles sunt his qui ad lepram & elephantiam dispositi sunt.

De Hyæna.

CAPVT LXI.

Hyæna. S *Olinus.* Hyænam nutrit Aphrica: huic cum spina riget collum continua vnitate flecti nequit nisi toto corpore circumacto. Multa de ea mira sunt. Primum quod sequitur stabula pastorum, & auditu assiduo addiscit nomen quod exprimere possit ad humanæ vocis imitationem,vt in hominem astu accitum nocte sæuiat, vomitusque humanos mentitur falsis singultibus, solicitatosque canes sic deuorat,idest. Qui fortè si venantes
Astutia hyæna. vmbram eius dum sequuntur, si attigerint, latrare nequeunt voce perdita. Eadem hyæna inquisitione corporum sepultorum busta eruit. Præterea pronius est marem capere. Fœminis enim est ingenita callidior astutia, varietas multiplex inest oculis colorumque mutatio.
Magicus vsus hyæna. In quorum pupillis lapis inuenitur,quem dicũt tali potestate præditum,vt cuius hominis linguæ fuerit subditus, prædicat futura: præterea hyæna quodcunque animal ter lustrauerit, mouere se non potest, vnde & magicam ei scientiam inesse dixerunt. In Æthiopiæ parte coit cum leęna,vnde nascitur monstrum cui leucocrata vel crocuta nomen est. *Arist.* Hyæna animal est magnitudine lupi, in cuius collo sunt pili, sicut in collo equorum; Pilos habet duros vel fortes super omnia spõdilia. Pastores & canes singultando, quasi esset canis deludit, & sic pecora comedit. Ipsos enim homines & canes deludens deprædatur,& sepulturas cauat,quando talem carnẽ comedere desiderat. *Ex li. de nat. rer.* Hyæna duas habet naturas, maris scilicet & fœminæ, colorem cum voluerit variat, & in sepulchris mortuorum semper habitat, gemmam portat in oculis, vel, vt aliqui dicunt, in fronte. *Pli. li. 8.* Hyænis vtranque naturam esse alternis annis mares, alternis fœminas fieri, & parere sine mare, vulgus credit. Aristoteles negat. Collum & iuba continuitate spinæ porcigitur, nec nisi circumactu totius corporis flectitur. *Idem li. 11.* Hyænæ oculi transeunt in mille colores,eiusque ceruix rectis ossibus riget. *Idẽ in li. 28.* Hyænam magi ex omnibus animalibus in admiratione maxima posuerunt,cui & magicas artes dederunt,vimque vt ad se homines mente alienatos alliciat. Præcipuè vero pantheris esse in metu hyænæ dicuntur, vt ne resistere quidem conentur,& aliquid de corio eorum habentem non appeti. Mirumque dictu,si pelles vtriusque *Antipathia panthera & hyæna.* suspendantur contrariè, pantheræ pilos decidere. Cum autem venantem fugiunt, ad dexterã declinant,vt prægressi hominis vestigia occupent. Quòd si successerit C
alienare mentem, vel ex equo decidere hominem. Et si detorserit, in læuã, deficientis argumentum esse,capturamq; facilem. *Glossa super Hieremiam.* Hyæna nocturna bestia mortuorum deuorat cadauera, de sepulchris etiã effodit corpora, cunctisque sordibus vescitur,cuius immundiciæ populus Israel comparatur. Vnde & per prophetam à Domino dicitur. *Nunquid spelunca hyænæ hæreditas mea mihi.*

De medicinis ex hyæna.

CAPVT LXII.

H *ieronymus contra Iouinianum.* Hyænæ fel oculorum claritatem restituit,stercus eius putrida curat vulnera. *Pli. li. 28.* Cutem quoque capitis hyænę,dicunt capitis dolori alligatam prodesse, lippitudini vero fel eius frontibus illitum aut ne omnino lippiatur coctum cum attici mellis cyathis tribus, & croci vncia illitum. Sic & caligines discuti, & in claritatẽ suffusiones excitari. Melius autem inueterato medicamento, & in Cypria pyxide asseruato. Eodẽ quoq; argenia sanari & scabricias in oculis excrescentia. Item cicatrices,glaucomata vero iocineris recentis in assati sanie cũ despumato melle iunctis dentes eius dentiũ doloribus ex tactu prodesse, vel alligatos ordine humeros, humerorum, & lacertorum doloribus. Eiusdẽ quoq; dentes si de sinistra parte eruti *Vsus medicinalis partiũ hyæna.* sint illigatos pecoris aut capri pelle stomachi cruciatibus, pulmones in cibos sumptos cæliacis,ventriculis cinerem cum oleo illitum. Neruus medullas è dorso cum oleo veteri ac felle. Febribus quartanis iecur degustatũ ante accessiones. Tremulis ischiaticis, exilientibus, & quibus cor palpitet, aliquid mandendum ex eius corde, ita vt partis reliquæ cinis, cum cerebro hyęnæ illinatur, E
venerem stimulari eius genitali ad sexus suos in melle sumpto. Etiam si viri mulierum coitus oderint,Spinæ illius articulum primũ in remedijs habent comicialium. Adipe illius accenso,serpentes fugari dicũt. Palato eius arefacto, & cum Ægyptio alumine calefacto, aut ter in ore permutato,fœtores, & vlcera emendari, eos autem qui linguam in calciamento sub pede habeãt, à canibus non latrari. Sinistra quoque parte cerebrinaribus illata, morbos pernicioſos mitigari, siue hominum siue quadrupedum. Frontis quoque corium fascinationibus resistere. Iecur potum torminibus,& calculis mederi. Cor in cibo potu ve sumptũ omnibus doloribus corporum auxiliari. Medullas quoq; spinæ doloribus ac neruorum lassitudini renum; multaque alia huiusmodi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Hiſtrice.

CAPVT LXIII.

Hiſtrix. H *Ieronymus contra Iouinianum.* Hiſtrix in Æthiopia frequentiſſimè herinatio ſimilis eſt, ſpinis tergum hiſpida. Quas plerumque laxatas emittit iaculatione voluntaria, vt aſſiduis aculeorum nimbis canes vulnetet ingruentes. *Plinius lib.* 8. Hiſtrices generat India & Aphrica ſpina contectas ac herinatiorum genere, ſed hiſtrici longiores aculei, & cum intendit cutem miſſiles, hibernis autem menſibus ſe condit. Quæ natura eſt multis, & præcipuè vrſis. *Ex lib. de natura rerum.* *Porcus ſpinoſus.* Hiſtrix eſt beſtia quæ vulgo porcus ſpinoſus dicitur, circa marina habitat, & in cauernis montium non nunquam, quando ſcilicet iuxta marina refugium non habet, in terra & aqua potenter valet. Ira eius ad vindictam citiſſima eſt, vnde plerumque iaculis è tergo ſponte laxatis, canes vel homines vulnerat proximantes. *Ariſtoteles.* Animali quod dicitur porcus ſpinoſus, loco pilorum ſunt ſpinæ ſui corij, & cooperiunt ipſum vt pili. Sunt etiam illi ſicut arma, quibus ipſum quærentem deprehendere, torquet.

De Icino & Inaclí.

CAPVT LXIV.

Icinus. I *Sidorus.* Icinus eſt animal terreſtre, quod vulgus ericiũ vocat, à quo & icinus marinus nomen traxit. *Echinus.* *Auctor.* De icino marino qui & echinus appellatus eſt, ſuperius in tractatu de piſcibus ſufficienter dictum eſt. Icinus autem terrenus ſimiliter pl...bus appellatur nominibus, ſcilicet, echinus, & ericius, & herinacius. Quæ, ſcilicet, nomina quandoque ſcribuntur cum aſpiratione, quandoqʒe ſine illa, & ideo de hoc animali in pluribus locis dictum eſt. *Vſus medicus.* *Dioſcorides.* Echini terræ corium combuſtum & pice liquida commixtũ, alopitiis medetur. Carnes eius cum oxymele bibitæ nephreticis ſingulare eſt preſidium, ippoſarcidis, & hydropicis contractis, & ſtrumaticis, & cholericis ſiccat intraneorum rheuma. Iecur eius in teſta ſiccatum in feruenti ſole atque repoſitũ & inunctum omnia ſupradicta mirifice ſanat. *Inaclin.* *Plinius lib.* 8. Inaclin in Scadmauia ferunt nullo ſuffraginum flexu, ideo non cubantem, ſed arbori in ſomno acliuem, eaque inſciſa ad inſidias capi, alias eſt velocitatis memoratæ, labrum eius ſuperius eſt prægrande, & ob id retrograditur in paſcendo ne in priora tendens inuoluatur. *Auctor.* Inaclin alio nomine videtur cale dicta, de qua dictum eſt ſupra.

De Lamia & lauzani.

CAPVT LXV.

Lamia. E *X lib. de nat. rer.* Lamia, ſicut dicit liber rerum, eſt animal magnum & crudeliſſimum. Nocte ſyluas exit, & hortos intrat, arbores frangit, earumque ramos diſſipat & hoc per brachia fortia nimis ad omnẽ actum habilia. Cũque ſuperuerneint homines ad prohibẽdũ, pugnat cum eis, & mordet eos, hoc autẽ in eius morſu mirabile eſt, vt Ariſtote. refert, quod homo ſauciatus lamiæ dentibus, non ſanatur à morſu, donec rugientis beſtiæ vocem audierit; forſitan iſtę ſunt lamiæ de quibus Hiere. dicit: Lamiæ nudauerunt mammas, &c. Ibrnamque dicit Glo. quod lamia eſt beſtia ferociſſima quæ tamen fætibus teneris petentibus lac præbet. *Iudæorum crudelitas.* In quo Iudęos crudeliores oſtendit eſſe lamijs, quia paruuli petierunt panẽ, & non erat qui frangeret eis. Hoc animal Hebraicè vocatur ledith. Et Iudęi quidã ſuſpicantur vnã eſſe de furijs, quæ parcæ dicuntur, eo quod nulli parcunt. Audiui quòd lamiæ beſtiæ ſint in oriente circa partes illas, quæ continent turrim Babel, in campo Senaar, & eæ maiores ſunt capris, irriguæ lactis ſupra modum, domeſticantur ab hominibus, vt ducantur ad paſcua, vtiles enim ſunt in abundantia lactis. *Etymon lamiæ.* *Gloſſa ſuper Iſaiam.* Lamia pedes pedes habet equinos, cætera vero capris conformia, de qua dicit Propheta: *Ibi cubauit lamia & inuenit ſibi requiem. Gloſ. ſuper Threnos.* Lamia dicitur quaſi lania, quia durior & crudelior eſt ſuis fœtibus, quàm cæterę beſtiæ, fertur enim eos laniare, & tamen eos lactare, ſicut ſcriptum eſt, lamię nudauerunt mammas, &c.

Lauzani. *Ex libro de natura rerum.* Lauzani eſt animal à cuius crudelitate nulla beſtia eſſe tuta poteſt, nam & ipſum leonem omnibus formidabilem deterit, ſuo tamen generi parcit, in cætera graſſatur, quæ reliquas beſtias deprædatur. Et cum hoc ſcelus in aliis perſequatur, propriæ tamen iniquitatis non meminit.

De Leone.

CAPVT LXVI.

Leo. I *Sidorus.* Leo vocabulum habet inflexum ex Græco, leo ſiquidem Græcè, rex interpretatur Latinè, eo quod ſit princeps omnium beſtiarum. *Ariſto. vbi ſupra.* Leo eſt animal audax, fortè, largum, nobile, magnanimum: huius generis mas habet comas. Leo eſt ex animalibus quadrupedibus, quæ fiſſa ſunt in extremitatibus, vncos habet vngues & incuruatos. Mingit ad poſterius, & in modum canis eleuat crus. Cumque os ſuum aperit, odor ab illo exit, animal eſt multorum digitorum, habet quinque digitos in pedibus anterioribus, & quatuor in poſterioribus vt lynx, & canis, & lupus. Item omne animal dentes habens ſuperius & inferius, habet ventrem vnum vt leo, & poſt ventrem inteſtinum. Animal iterum habens ſanguinem, & generans animal vnum, habet ventrem vnum tantummodo, vt leo, & canis, & homo. Leæna duas tantum habet mammillas paruas in medio ventris non conuenientes magnitudini ſui corporis, & huius cauſa eſt, non quia paucorum filiorum eſt, ſed quia modici lactis: Cibus enim in corpus tranſit, qui nonniſi raro comedit; & carnem edit. In oſſibus leonis non eſt medulla niſi parua, propter hoc fingitur, quod non eſt eis omnino medulla. Dentes habet acutos diuiſi ſitus, & ponit vnum in alio. Omniaque huiuſmodi animalia fiſſioris ſunt oris. Totum autem interius leonis aſſimilatur interiori canis. *Interius leonis aſſimilatur interiori canis.* Itaque leo comatus eſt, ferram dentium habet, & fiſſuram oris terribilem. Oſſa habet valde dura, ita quod ſi confricentur ad inuicem exibit ex eis ignis, ſicut ex lapidibus. Nec eſt in eis medulla, niſi in oſſe coxę & ſotilis, ſcilicet, ab armo vſque ad cubitum. Os colli leonum continuum eſt, & in eo non eſt annuloſitas, leo & camelus cum ambulant prius dexterum pedem mouent.

Plin. lib. 8. Leonum mares vrinam crure ſublato reddunt, grauem odorem, nec minus halitum. Rari ſunt in potu, veſcuntur alternis diebus. Triduo cibis carent, vt poſſint in mandendo ſolida deuorare, nec capiente auiditatem aluo, coniectis in fauces vnguibus extrahunt, vt ſi fugiendum ſit non in ſatietatem habeat. Color autem leonum niger eſt in Syria tantum. Mirum vero pantheras & pardos ac leones, & ſimilia condito in corporis vaginas vnguium mucrone ne refringantur, aut hebetentur incedere, auerſiſque falculis currere, nec niſi in appetendo protendere.

Mutat dẽtes *Idem in lib.* 2. Mutantur dentes leoni, ſed non niſi canini appellati, leonibus eſt lingua felibus lumbricatæ aſperitatis, ac limæ ſimilis attenuanſque lambendo cutem hominis. Leo tortuoſos habet talos. Leo tantum, & camelus pedatim incedunt. Hoc eſt vt pẽs ſiniſter non tranſeat dextrum, ſed ſubſequatur; pilus caudę leonis eſt in infima parte vt bobus.

Nota. *Æſculapius.* Sarim, id eſt leo, cum dormit, ſi qua nauis eum geſtauerit, mergitur plus ſolito. At vero dum euigilat leo, tunc eius redit portus.

Ex lib. de naturis rerum. Leo fœtidus eſt maximeque

in ore, dormiens apertos habet oculos. Cum autem dormit in naui periclitatur nauis.

De virtute leonis siue fortitudine.

CAPVT LXVII.

Exit ignis ex ossibus.

Virtus leonis vbi residet.

Veretur gallum.

Methodus iram sedandi capti leonis.

I *Sidorus.* Leonum virtus est in pectore, firmitas in capite, animos eorum indicat frons & cauda. *Aristoteles.* Leo ergo est animal forte, vt diximus, dentes habens acutos, vt serram, & fissuram oris terribilem, ossaque durissima, ac penè omnino non medullata. Nec in omnibus ossibus est medulla, sed in his tantummodo quæ sunt concaua, & fortasse non est in quibusdam concauitas sicut in ossibus leonis, habet ergo ossa spissa, & fortia, quia non est in eis medulla, nisi parua, & ideo fingitur quod omnino nulla. Itaque si confricentur ad inuicem ossa leonis, exibit ab eis, vt dictum est ignis. *Plinius lib.* 8. Vrso quidem est caput inualidissimum, quod è contra leoni est fortissimum. *Idem in libro* 11. Ceruix riget leonibus rectis ossibus, his medulla in fæmorum & brachiorum ossibus paucis admodum est exigua, cæterum ossibus tanta duritia, vt ignis elidatur inde velut à silice.

Ambrosius. Ideo autem natura leonibus sicut & vrsis & tygribus angustiora formauit colla, quia in terra ceruicem & ora non deijciunt pascendi gratia, sed aut ceruum inuadunt, aut bouem, ouemque discerpunt. *Ex lib. de natu. rer.* Virtus leonis est in pectore, & in pedibus, & in cauda. Ossa eius maiora sunt aliorum ossibus animalium, tantæque duritiæ, vt ex eorum mutua collisione ignis emicet, sicut è silice. In his tamen est concauitas parua, nullaque medulla nisi rarissima. Os colli eius, & caro colli cartilaginosa, vnde potest ad tergum vel in partem collum flectere. Aliqui putauerunt, quod hoc esset indignationis causa, vel soliditatis, ignorantes causam ossis in collo coutinui, fortitudine celeberrimus est, natura vero grauis, & propter hoc difficilem habet digestionem. Cumque valide currit, propositi cursus metas transit, quoniam in vehementia spiritus se retinere nequit. Leo nunquam crassus vel sagina inuenitur ornatus. Interiora eius assimilantur commodè canis interioribus. Ossa eius duriora sunt ossibus aliorum animalium præterquam delphini. In anteriori parte est calidæ naturæ, in posteriori frigidæ. Sic & Sol cum est in Leone.

De Leonis ferocitate.

CAPVT LXVIII.

A *Mbrosius.* Leo naturæ suę ferocia superbus aliarum ferarum quasi rex consortia dedignatur. Sed nec vlla ei fera sociare se audet, cum eius voci tantus insit terror naturaliter, vt etiam animantia quę per celeritatem impetum eius euadere possunt, rugienti eius sonitu velut quadam vi attonita, atque icta deficiant. Qui etiam cibum fastidit hesternum, & ipsas escæ suæ reliquias auersatur. Gallum verò & maximè album veretur. Cum autem ægrotat simiam quærit & deuorat, qua sanari valeat. *Ex libr. de natura rerum.* Denique ad leonis rugitum animalia omnia figunt gradum etiam quæ eum nunquam viderunt, vel experta sunt. Et hoc iubente natura, quæ timorem eis indidit leonis. Huius crebrior est ira, nam & aliquando cum immoderatus est furor interius, igneo cruore, & iracundiæ calore consumi dicitur & interimi. Proinde in principio quidem irę terram cauda verberat, & in cremento terga cum quodam incitamento flagellat. Ira leonis capti arte tali sedatur. Verberatur catulus coram eo, creditque illius exemplo se debere timere hominem, quem in canis coertione videt potentem, hinc in prouerbio dicitur quod pulchrè castigatur, qui per alium se castigat. Non solum autem rugitu suo cæteras terret feras, sed & prædæ semper inhians, caudæ suæ descriptione super faciem pulueris aut niuis protractę circulũ describit, cuius circumferentiam transire non prę sumunt bestiæ includę. *Plin. lib.* 8. Leo saltu insilit dum insequitur, quo in fuga non vtitur. Leæna cum pro catulis dimicat fœta, oculorum aciem in terra defigere traditur, ne expauescat venabula. *Glos super Amos. Nunquid ait rugiet leo in saltu nisi habuerit prædam.* Leo cum famem patitur si videt prædam, dat rugitum, qua voce audita ferę stant fixo gradu stupefactæ.

De ipsius audacia & nobilitate.

CAPVT LXIX.

Generositas leonis.

P *Linius vbi supra.* Leonum animi index est cauda, sicut & equorum aures. Nam & has notas generosissimo cuique natura tribuit. Immota ergo est cauda leoni placido, clemens blandienti, quod rarum est, crebrior enim iracundia eius, cuius cauda in principio terra verberatur & incremento terga ceu quodam incitamento flagellantur, vis summa in pectore. Ex omni vulnere siue vngue impresso, siue dente, ater profluit sanguis, ijdem satiati innoxij sunt. Generositas in periculo maximè deprehenditur. Non in illo tantummodo, quod spernens tela diu se solo terrore tuetur ac velut contestatur, cogiturque non tanquam periculo coactus sed tanquam iratus. Illa nobilior animi significatio, quod qualibet magna canum vel venãtium vrgente vi, vel contemptim resistens dedit se in campis, & vbi spectari potest. Idem vero vbi virgulta sylvasque penetrauerit, acerrimo cursu fertur velut turpitudinem deputans absconsionem. Dum sequitur, vt dictum est, insilit saltu, quo in fuga non vtitur, vulneratus obseruatione mira percussorem nouit, & in quantalibet multitudine appetit. Eum vero, qui telum quidem miserit, sed non vulnerauerit, correptum raptatumque sternit, nec eum vulnerat. Cæterum dolis carent ac suspicione, nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt.

De eius humilitate & docilitate

CAPVT LXX.

Misericordia leonis.

I *Sidorus.* Leonum circa hominem est natura, vt nisi læsi nequeant irasci. Patet eorum misericordia exemplis assiduis. Prostratis enim parcunt, captiuos obuios repatriare permittunt, hominem non nisi in magna fame interimunt. *Plinius vbi supra.* Leonum clementiæ indicia multa sunt. In viros potius quàm in fœminas sęuiunt, infantes non nisi in magna fame perimunt. Leoni tantum ex feris clementia in supplices, prostratis parcit vbi sæuit. Credit lybia intellectum ad eum precum peruenire. Captiuam certè reducem audiui referre multorum in syluis impetum à se mitigatum alloquio, ausæ se dicere, fœminam profugam, infirmam, supplicem, animalis omnium generosissimi cæterisque imperantis indignam eius gloria prædam.

Docilitas.

Ambrosius. Leones quoque iugum subeunt, & dociles sunt, & ij homini seruiunt, naturamque suam humana institutione deponunt. Obliuiscuntur quod nata sunt, & quod iubentur induunt. Denique docentur vt paruuli, seruiunt vt infirmi, verberantur vt timidi, corriguntur vt subditi. Dumque in mores nostros transeunt, motus proprios deperdunt.

Exemplacle. mentia leonum.

Ex lib. de nat. rer. Leo nisi læsus facilè non irascitur, sed cum vltro concitatur, confringit totaliter aduersantem. Refert Plinius, quod Syracusanus in Syria leoni obuio suppliciter volutatus pauore attonitus cum vndique refugienti se leo opponeret eiusque vestigia quasi adulando prolamberet, in ipsius pede vulnus animaduertit, extractoque furculo eum cruciatu liberauit. Similiter & Elpis cum obuio leone ad arborem confugisset, hianti ore leo ante eum vlulans indicabat, quod os auidiori morsu dentibus inhæserat. Quod ille cernens approximauit, & impedimentum ab hiantis ore medio tulit. Cuius manu se curatum cernens leo gratias referebat quodam-

modo

modo blandiendo. Cauda quidem blandienti & placito est immota, sed hoc rarum, crebrior enim iracundia, homini vel etiam humilianti coram ipso parcere dicitur, etiam cum acerrima fame agitatur, vnde parcere subiectis sciunt nobilissimi leones.

De diuersis generibus leonum.

CAPVT LXXI.

Imbelles leones. *Isidorus.* Leonum, breues & iuba crispi, sunt imbelles. Longi vero & coma simplici, acres, animos eorum indicat frons & cauda. Virtus eorum in pectore, firmitas in capite. *Solinus.* In terra Aphricæ plurimæ quidem bestiæ, sed principaliter leones tenent, qui, vt Aristoteles perhibet, soli ex eo genere, quod dentatum vocant, vident protinus cum nascuntur. *Diuersitas Leonum.* Quorum trifariam genus scinditur. Nam breuiores & iuba crispi, plerumque ignaui sunt & imbelles, longiores & coma simplici, magis acres. At hi quos creant pardi in plebe remanent iubarum inopes. Pariter omnes à sagina pereunt. Primum, quod alternis diebus potum alternis cibum capiunt, ac frequenter si digestio non est insecuta, diem solitæ cibationis superponunt. Tunc & carnes iusto amplius deuoratas cum grauantur insertis in ora vnguibus sponte protrahunt, sane & cum fugiendum est in satietate idem faciunt. *Plinius libro octauo.* Leoni tunc est præcipua generositas cum armos & colla vestiunt iubæ. Id enim ætate contingit è leone conceptis. Quos vero generauerunt pardi semper hoc carent insigni, similiter & fœmina. Europa longè viribus præstantiores habet leones his quos Aphrica, & Syria gignunt. Leonum duo sunt genera compactiles ac breues crispioribus iubæ, pauidiores sunt, quam longo simplicique villo, suntque vulnerum contemptores. Generositas autem in periculis maximè deprehenditur, vt iam dictum est superius: vitam his longam esse docet, quod plerique dentibus inueniantur deficere. *Appetit hominem in senecta.* *Polybius.* Æmiliani comes hominem ab his appeti refert in senecta, quoniam ad persequendas feras vires non suppetunt, & tunc Aphricæ vrbes obsidere, eaque de causa crucifixos vidisse se cum Scipione, quo cæteri metu pœnę similis absterrerentur eadem noxa.

De venatione ipsorum.

CAPVT LXXII.

Physiologus. Leo cacumina montium amat ire. Et cum à venatoribus quæritur, ordinem eorum sentit suaque vestigia caudâ tegit, vt per ea venatores eum inuestigare nequeant. *Plinius vbi supra.* Ardui quondam operis erat leones capere, foueisque maximè, principatu Claudij casus rationem dedit pudendam penè, talis feræ nomine, pastoris getuli cuiusdam sago, contra ingruentis impetum obiecto. *Leones torpescunt operto capite, & cur?* Quod spectaculum in arenam protinus translatum est. Vix quoque credibili modo, tanta illa feritate torpescent, quamuis iniectu leui operto capite, ita vt deuinciatur non repugnans, quoniam omnis vis constat in oculis, quo minus mirum sit, à Lysimacho Alexandri iussu simul incluso leonem strangulatum fuisse.

Isidorus. Leones sepți à venatoribus terram contuẽtur, quo minus conspectis venabulis terreantur. Rotarum timent strepitus, sed ignes magis. Cum dormierint vigilant oculi. Cum ambulant cauda sua cooperiunt vestigia sua, ne venator eos inueniat. *Solinus.* Leones cum à canibus premuntur, contemptim retrocedunt, ac subsistentes interdum, ancipiti recessu timorem vel fugam dissimulant. Id autem in campis etiam nudis & patentibus agunt. Nam in locis syluestribus quasi testem ignauiæ absconsionem reformidant, quantum etiam possunt, fuga se subtrahunt. Et quidem cũ insequuntur, saltu visum adeunt. Cum fugiunt salire non valent. Gradientes vero mucrones vnguium vaginis corporum claudunt, ne attritu acumina retundant. Et hoc adeo custodiunt, vt non nisi auersis falculis currant.

De generatione leonum.

CAPVT LXXIII.

Ex lic. de natur. rerum. Leones adeo sunt calidę naturæ, vt omni tempore desiderent coire. Fœminis magna libido coitus. Et ob hoc maribus ira, hæc habet in pectore duas mammillas in medio, scilicet ventris, & has paruas respectu sui corporis. Et hoc ideo quia modici lactis est, cibus enim in corpus trãsit, & quia non nisi raro comedit, nec nisi carnem crudam & prædalem quæ non facile in carnis suæ materiam transit. *Solinus.* Leones autem auersi coeunt. *Res mira in partu leonũ.* Leænę primo fœtu quinque catulos pariunt & educant. Deinde per singulos numero detrahunt annis insequentibus & postremo cum ad vnum materna fæcunditas redit, sterilescunt in æternum. *Plinius.* Magna leonibus fœminis libido coitus, & ob hoc maribus ira. Odore coitum pardi leo in adultera sentit, totaque vi in penam insurgit. Iccirco aut culpa leęnę flumine abluitur, aut longius comitatur. Semel autem edi partum, vtero vnguium acie lacerato in enixu, video vulgum credidisse. Aristoteles autem tradit leænam primo fœtu quinque catulos parere, ac per annos singulos vno minus ab vno sterilescere. Cum autem, leæna pro catulis, vt dictum est, dimicat fęta, oculorum aciem in terram defigere traditur, ne expauescat venabula. Traditur informes leonum fœtus, minimasque carnes magnitudine mustelarum esse initio. Semestres vix ingredi posse, nec nisi bimestres moueri.

Aristo. Animalia fissorum pedum generãt filios non completos, & fortè patenter indistinctos, occasionatos, vt vulpis & lupus ac leo. Denique quodlibet animal quadrupes habens multas fissuras in pedibus, vt leo, & canis, ac lupus, & vulpes generant filios cæcos, & extra separantur oculi, & vident. Causa vero paucitatis generationis leonis hæc est, quia cibus in sperma non transit. Cumque iuuentus transierit & diminuetur sperma, generatio penitus cessabit. Itaque leæna primo parit sex vel quinque, deinde quatuor, deinde tres, deinde duos, & post hoc vnum, postea vero nullum. *Leo parit catulos mortuos.* *Physiologus.* Porro leæna catulos suos mortuos parit, sicque tribus diebus custodit donec veniens pater eorum in faciem eorum exhalet, vt viuificentur. *Isidorus.* Leo & leæna cum genuerint catulum, tribus diebus & noctibus dormire fertur. Tunc deinde patris fremitu vel rugitu velut tremefactus cubilis locus, suscitare dicitur catulum dormientem. *Iorath.* Leo nimium sollicitus de se & catulis suis dormit apertis oculis quasi vigilantibus, vestigiaque sua terram cauda spargens operit vsque ad antrum suum.

De ætatibus & morbis ac nocumentis eorum.

CAPVT LXXIV.

Physiologus. Leonum itaque fœtus producti vsque in diem tertiam sunt mortui. *Temperamẽtum leonum.* Nam leones quidẽ calidissimi ac siccissimi sunt natura, quod probat eorum nobilitas & fortitudo cum audacia & iracundia. Fœtus autem humiditatem habent ex generis temperie, quæ siccitate complexionis & caliditate viscosior redditur, & maximè circa cerebrum dominante siccitate, & sibi animali spiritu cooperante. Vnde cum opilantur nerui, spiritus non possunt ingredi, nec virtutes ad actiones suas mouere. Parentibus ergo rugientibus circa fœtum spiritus per os & aures, & poros capitis ingredientes, præbent fœtui motum. *Argumentũ senectæ.* Porro senectam in leonibus defectio probat dẽtium, vt ait Solin. Cum autem leo sit omni bestiæ formidabilis, exiguo tamen aculeo scorpionis agitatur, & eum vbicumq; viderit velut hostẽ vitæ suæ fugit. Onagrũ

venatur,eumque naturaliter adit, fugit etiam ignem vel eum qui portat illum,fugit & à ſtrepitu rotarum. Timet gallum & eius cantum,maximeque gallum album. Leo ex hominis viſu febricitat. Et ſanus eſſe videtur in hyeme,ſed in qualibet febricitat æſtate. Denique febre ſemper quartana febricitat,& tunc maximè carnes ſimiæ appetit,vt ſanetur. Idem etiam hauſto ſanguine canis ægritudini ſuæ medetur. *Razi. in Almanſore.* Leo & pro mure fugit, pro ligno quoque, quod dicitur ſethim timet. Elleborus etiam & ſquilla canes & leones plurimaſque belluas interficiunt.

Medetur ſibi ſimia & cane.

Æſculapius in lib. de membris. Cæterum ſi ſuper cortices quercus calcauerit zarim, id eſt, leo formidabit continuò. *Ambro.* Leo rex ferarum exiguo ſcorpionis aculeo exagitatur, & veneno ſerpentis occiditur. Eximia leonis pulchritudo per comantes ceruicis thoros excutitur, cum ſubito à ſerpẽte os pectore attollitur. Itaque coluber ceruum fugit, ſed leonem interficit. Leo veretur gallum,maximeque album. Cum autem ægrotat ſimiam quærit & deuorat, qua ſanari valeat. *Ex lib.de nat. re.* Leonis vt ſupra dictum eſt, crebrior eſt ira. Et aliquando cum ſit immoderatus furor interius,igneo cruore, & iracundię calore conſumi dicitur & interimi. *Plinius lib.* 8. Creditum eſt à morientе leone humum morderi, lachrymamque leto dari, atque hoc tale tanquam ſæuum animal rotarum orbes circumacti,curruſque inanes, & gallinaciorũ criſtæ cantuſque magis terrent,ſed maximè ignes. Vita leonibus argumento longa eſſe docetur,quia plerique dentibus deficere reperiuntur. Polybius Æmiliani comes in ſenecta hominem ab his appeti refert, eo quod ad feras perſequendas non ſuppetant vires, & tunc Aphricæ vrbes obſidere, eaque de cauſa crucifixos ſe cum Scipione vidiſſe, vt cęteri abſterrerentur eadem noxa metu ſimilis pœnæ. Ægritudinem faſtidij tantum ſentit,in qua medetur ei contumelia in rabiem agente annexarum laſciuia ſimiarum. Guſtatus deinde ſanguis in remedio eſt.

Quæ terrent leonem.

De medicinis ex leone.

CAPVT LXXV.

ISaac. Leonina caro cęteris eſt calidior,craſſa,grauis & difficilis. Si comedatur, dolorem & torſionem in ventre generat. *Æſculapius.* Leonis caro phantaſticos ſanat,aurium dolori & omni alij valet. Si quis ſederit ſuper pellem leonis,recedent ab illo hemorrhoides. Qui vero linit corpus ſuum febo renum leonis, terrentur ab eo lupi. *Hali.* Adeps leonis calidior eſt cęteris & fortioris diſſolutionis in apoſtemata dura. *Dioſcor.* Adeps leoninus omnibus quadrupedibus calidior eſt, & minus extenuatorius. Verus autem factus à ſeipſo calidior fit. Dicitur autem venenis eſſe contrarius,cum vino adhibitus beſtias omnes expellit. Et eſt repercuſſibilis odoris, quo ſerpentes perſequitur *Auicenna.* Adeps leonis reſoluit duritias apoſtematum *Pli. lib.* 28. Leonis adeps cum roſaceo cutem in facie cuſtodit à vitiis. Candoremque ſeruat,& ſanat aduſta niuibus, articulorum quoque tumores, & magorum vanitates perunctis eo adipe faciliorem gratiam apud reges populoſve promittunt, præcipuè tamen eo pingui quod ſit inter ſupercilia,vbi eſſe nullum poteſt. Idem etiam adeps cum roſaceo quotidianis febribus prodeſt,eo quod perunctos eo beſtię fugiunt. Fel eius aqua addita claritatem oculis inunctis facit, & cum eiuſdem adipe comiciales morbos leui guſtu diſcutit,& vt protinus qui ſumpſere curſu id digerant. Cor in cibo ſumptum quartanis medetur.

Vſus medicinalis partium leonis.

De Leopardo.

CAPVT LXXVI.

ISidorus. Leopardus ex aldulterio leęnæ & pardi,ſiue leonis & pardę naſcitur,& tertiam originem efficit. Sicut & Plinius dicit, ex huiuſmodi coitu degeA neres partus creari, vt mulus ex equa & aſino. *Ambro.* Hic cum æger fuerit,agreſtis capreæ ſanguinem bibit, & vim languoris euitat. Allium vero fugit. Denique ſic vbi aliquis allium confricauerit, ille exinde exilit, nec reſiſtit,quia odorem eius ſuſtinere non poteſt. *Ex lib.de natura rer.* Leopardus eſt animal quod ex leęna & pardo generatum eſt,colore ſubrufum,maculas habens nigras per totum. Fœmina mare fortior eſt. Cũ pardus beſtia crudeliſſima ſit, aliquando quidem domeſticatur,ſed nunquam ſic, vt ſuæ crudelitatis obliuiſcatur. Domeſticatur autem ad venandum. Itaque cum ad prædam in venatione ducitur, relaxatur, quã ſi quarto vel quinto ſaltu capere nequiuerit,ferociter iratus ſubſiſtit. Et niſi ſtatim venator furenti beſtiam aliquam obtulerit cuius ſanguine placetur, in ipſum venatorem vel in quoſlibet obuios irruit. Impoſſibile eſt enim eum placari, niſi in ſanguine. Sed in hoc prouidi ſunt venatores,vt agnos penes ſe vel alia animalia ſemper habeant,quibus iratos placant,huic autem furenti qui reſiſtere vult, inter manus allia fricet, & ſtatim ille reſiliet, quia odorem allij ſuſtinere non valet: hic cum venenoſum aliquid comederit,ſtercus hominis quærit,eoque comeſto ſanatur.

Leopardi crudelitas.

Phyſiologus. Leopardus eſt animal leoni ſimile in capite ac membrorum diſpoſitione, licet non ſit tã magnus nec tã robuſtus,hic ab homine ita domeſticatur vt eo ſicut cane ad venãdum vtatur. Qui nequaquam prædam capit currendo, ſed ſaltum faciendo. Et ſi quidem in ſecundo,vel in tertio ſaltu prædam non ceperit,indignando ſibi prorſus eam dimittit. Hic interna ægritudine detentus agreſtis capreæ ſanguinem bibit,& vim languoris euitat. *Ariſt.* In animalibus maſculi fœminis fortiores ſunt exceptis vrſo & leopardo,in quibus opinantur, quod fœminæ fortiores ſint & audaciores. *Ambroſ.* Pardus coloris varietate motus varios prodit animæ ſuæ. Vnde Hieremias: *Si poteſt,* inquit,*pardus varietates ſuas mutare,&c. Auicenna in 2.cano.* Fel Leopardi venenum eſt ex eo bibenti. Cui vomitus & theriaca propria ſubuenit. *Idem in 4. canone.* Leopardus etiam & leo iſti rapaces & ei ſimiles non ſunt ſicut canes ſalui, & homines, immo dentes eorum & vngues vacui non ſunt à natura venenoſa, quapropter oportet vt curentur morſus & vulnus vnguium eorum in primis cum attractione, deinde cum conſolidatione, ſed in eorum quidem attractione ſufficit res parua. *Æſculapius.* Leopardus cum hominis cranium viderit,fugit. *Razi.* Herba quoque quę leopardi herba dicitur, leopardus terretur. Et herba, quæ leopardum ſtrangulans dicitur,interficitur.

Leopardi fœmina fortiores viris.

De Leontophono,& leucrota.

CAPVT LXXVII.

ISidorus. Leontophonos eſt beſtia modica, ex eo vocata,quia capta exuritur,eius cinere aſperſæ carnes & poſitæ per compita ſemitarum, leones necant, ſi quantulumcunque ex illis ſumpſerint. *Solinus.* Propterea leones eas naturali odio premunt,& vbi facultas datur morſu quidem abſtinent, ſed dilaniatas pedum niſibus examinant. *Plinius libro octauo.* Leontophonon accepimus paruum animal vocari, nec alibi, quàm vbi leo gignitur naſci. Quo guſtato à leone,tãta ei vis ineſt, vt cæteris quadrupedum imperitans illico expiret. Huius itaque corpus exuſtum aſpergunt alijs carnibus polentæ modo inſidiantes feræ, necantque illam tam contrario feris cinere. Igitur haud immerito hunc odit leo,viſumque frangit,& citra morſum exanimat. Ille vero econtra vrinam ſpargit, prudens hanc quoque leoni exitialem. *Solinus,& Pli.lib.*8. Leucrocata velocitate præcedit feras vniuerſas. Ipſa eſt aſini ferè magnitudine,ceruinis clunibus, collo,cauda,pectore,& cruribus. Leonis caput meliũ biſulca vngula,ore vſq; ad aures dehiſcẽte aliàs reciſſo,

Leontophonos.

Leucrocata.

deutium

dentium locis eſſe perpetuo, hanc quoque feram humanas voces tradunt imitari. Nam voce loquentium hominum ſonos æmulatur, apud Indos inuenitur.

Auctor. Videtur leucrocata eadem eſſe beſtia, quæ ſuperius vocata eſt crocuta.

De Lichaone & Lyciſco.

CAPVT LXXVIII.

Lychaon. *Solinus.* Lychaonem mittit Æthiopia, lupus eſt ceruice iubatus, & tot modis varius vt nullum colorem illi dicant abeſſe. *Ex lib. de natura rerum.* Lychaon in orientis partibus eſt beſtia, quam in genere luporum nonnulli ponunt, ſed lupo longior eſt, & habet crura breuiora ac diſſimilia, ceruicem quoque iubatam & multifariam coloris varietatẽ. Saltu velox, & innocua homini. Venatu viuit, habitum mutat ſecundum tempora. Nam hyeme hirſuta eſt & pilis horrida, æſtate vero nuda. *Auctor.* Sed à Plinio hoc genus thoes dicitur. Nam de lychaone ſic inquit. *Plin. libr.* 8. In Indis ex his, quæ pilo veſtiuntur, nec aliud mutat colores, niſi lychaon cui iubata traditur ceruix.

Thoes. *Auctor.* Et de thoe iam dictum. *Ex lib. de nat. rer.* De lychaone continuat. *Plinius in eodem.* Nam thoes luporum id genus eſt, procerius longitudine, breuitate crurum diſſimile, velox ſaltu, venatu viuens, innocuum homini, habitum non colorem mutat, per hyemes hirti, æſtate nudi.

Lyciſcus. *Ex lib. de natu. rer.* Lyciſcus animal quadrupes eſt, vt dicit experimentator in libro ſuo, quod ex cane & lupa naſcitur. Eſt enim vterque parens adeo luxurioſus, vt odio naturali ſibi contradicente, quod eſt inter canem & lupum, in copulam tamen conueniant, propter luxuriæ delectamentum. Sicque fit vt fœtus attrahat ſibi colorem & mores vtriuſque.

Plinius vbi ſupra. E lupis Galli canes concipi volunt, quorum greges ſuum quiſque ductorem è canibus & ducem habent. Illum in venatu comitantur, illi parent. *Iſidorus.* Lyciſci dicuntur, vt ait Plinius, canes nati ex lupis & canibus, cum inter ſe forte miſcentur.

De Lynce.

CAPVT LXXIX.

Lynx. *Isidorus lib.* 12. Lynx dictus eſt, quia in luporum genere numeratur beſtia maculis in tergo diſtincta, vt pardus, ſed ſimilis lupo, vnde & ille lycos, iſte lynx. Lynces ait ſecundum Plinium extra fœtum vnum nõ admittere. *Algazel ſuper de ſenſu & ſenſato.* Maximè verò lynx animal mouetur ſecundum ſenſum viſus. Nam viſo ſuo res ſolidas penetrat, & ſi aduenit ei res tranſparens, cito excæcatur ab ea. *Ex lib. de nat. rer.* Lynx adeo perſpicaces oculos habet, vt ſubtilitate viſus etiam ſolida corpora penetret. Cõſtat enim quod oculos habet, vt ſubtilitate viſus etiam ſolida corpora penetret. Conſtat enim quod oculus in humido ſitus eſt iuxta Philoſophum. Tria vero ſunt in aqua, ſcilicet aquea humiditas, diaphaneitas, & lucis perſpicuitas, & hanc vltimam communicat cum natura cœleſti. Et hæc vltima depuratio à materia eſt in natura lucis. Quoniam ergo lux eſt vltima perſpicacitas in corpore terminato ſi ponitur aquę ſubſtantia in vltima ſui depuratione, quantum ad perſpicuitatem in oculo lyncis poterit penetrare corpus ſolidum & obſcurum. Lynx habet linguam ſerpentis ſimilem, ſed maiorem, quam in longitudine magnam porrigit, & collum circumagit. Vngues habet grandes, vnicum fœtum facit, & vrina eius in gemmam dureſcit.

Viſu penetrat 9. parietes. *Alexander.* Lynx acumine viſus perſpicui nouem fertur parietes penetrare, adeo vt ſi quis nouem interpoſitis parietibus carnem crudam deferat, incedens iuxta parietem. Linx ſequitur incedentem. Statque illa, illo ſtante qui carnem defert. Nonnulli tamen in rerum naturis inſtructi potius hoc aſcribunt olfactus, quàm viſus virtuti. *Plin. lib.* 28. Peregrinæ ſunt lynces, quæ clariſſimè omnium animalium cernunt, vngues lyncum omnes cum corio tradunt in carpatho efficaciſſimè exuri, eoque cinere poto præputia virorum, eiuſdem aſperſu fœminarum libidines inhiberi.

De vrina lyncis.

CAPVT LXXX.

Lygurius. *Isidorus.* Lyncis vrinam precioſi lapidis in duritiam conuerti dicunt, qui lygurius appellatur, quod & lynces ipſas ſentire hoc argumento comprobatur. Nam egeſtum liquorẽ arenis contegunt, inuidia quadam naturæ, ne talis egeſtio tranſeat in vſum humanum. *Plin. lib.* 8. Lyncum humor redditus vbi gignũtur glaciatur, areſcitve in gemmas carbunculis ſimiles, igneoque colore fulgentes lygurium vocatas, atque ob id ſuccino etiã à plurimiſque ita generari prodito, nouere hoc, faciuntque lynces etiam inuidentes, vrinam terra operiunt, eoque celerius ſolidatur. *Idem in lib.* 28. Pruritus corporum vrinæ lyncis ſtillicidio traditur inhiberi. Eademque prodeſſe monſtratur & vngularum dolori. *Solinus.* Vrinam lyncis in duritiam precioſi calculi coire fatentur, qui lygurium dicitur. Huic lapidi ad ſuccinũ color eſt pari ſpiritu attrahens appropinquantia. Dolores renum placat, regio medetur morbo. *Iorath.* Lynx habet formam, vt lupus. Lapiſque lygurius ab eius vrina diſtillata ſeptem dierum ſpatio generatur. *Dioſcorides.* Locium lyncis quẽ lygurium vocant, mox vbi minxerit lapis fit, dolores ſtomachi tollit, & ventris abſtinet rheumatiſmũ. *Auctor.* De hoc lapide videlicet lygurio, qui ex lyncis vrina congelata creatur, & eius virtute, vel efficacia, dictum eſt plenius ſupra in tractatu de lapidibus precioſis.

Contra pruritus corporis.

De Locuſta.

CAPVT LXXXI.

Locuſta. *Ex lib. de natur. rer.* Locuſta eſt animal quadrupes, paruum ad cuniculi ferè modũ, caput habet carnoſum & magnum & comeſtibile, habitatque circa partes Hieroſolymæ. Vnde Ioãnes Baptiſta huiuſmodi carnibus animaliũ veſcebatur. Quidã tamen dicunt quod circa Iordanis ſolitudines eſt herba dulcis ad edendum, quæ locuſta vocatur, & huiuſmodi cibo non locuſtis animalibus Ioannes vtebatur: hoc animal gregatim incedit. Vnde Salomon ait: *Regem locuſta non habet*, &c. Quod vtique de locuſtis vermibus intelligi non poteſt, quę in multo timore ſunt, & non per turmas, ſed ſolitariè incedunt. Dicit Ariſto. quod fœmina quædam locuſtam nutriuit ab eo tempore quo iuuenis & parua fuit, quam cum creuiſſet per ſe & ſine maſculo imprægnatam inuenit.

De Lupo.

CAPVT LXXXII.

Lupus. *Isidorus.* Lupus Græcè lycos à morſibus appellatur, eo quod rapacitatis rabie quidquid inuenit trucidet. Quidam lupos vocatos dicunt quaſi leopos, eo quod quaſi leoni in pedibus ſit illis virtus, vnde & quicquid pede preſſerint, non viuit. Eſt autem beſtia rapax, & cruoris appetens. De qua ruſtici aiunt hominẽ vocem perdere, ſi lupus eũ prior viderit. Vnde ſubito tacenti dicitur: *Lupus in fabula eſt.* Certè ſi ſe prius viſum ſenſerit, ferocitatis audaciã deponit.

Prouerb. *Iſido. lib.* 9. Habet autẽ lupus dentes inæquales, vnde & eorum morſus vehementer obeſt. *Gloſſa ſuper lucam.* Lupus natura corporis rigidus, de facili ſe inflectere non poteſt. Impetu ſuo fertur, & ideo frequẽter illuditur. Æſculapius. Cępas agreſtes ſi calcauerit zebet, id eſt, lupus, grauatur crus eius, fugit autem lupus cricium. Quod ſi quis corpus ſuum linierit cum ſebo renum leonis, vel cum eius ſimo inunxerit, terrentur ab ipſo lupi. *Pythagoras.* Oculum vero lupi eradicatum cum

viderint quadrupedia domeſtica, timent & fugiunt. Et ſi quod animal minxerit ſupra vrinam lupi calidam non concipiet vnquam.

Nota.

Auctor. Lupus fœtidiſſimus eſt & rapidus, horrendum habet vlulatum. In veſpere autem maximè eſurit. Vnde ſcriptum eſt. *Iudices eius lupi veſpere non relinquebant in mane*: proptiè verò timet ignem, ſecundum Ariſto. Lupus omni tempore agreſtis eſt, ſicut & leo, & vrſus: eſt etiam fortis & aſtutus. Vnde cerui amiſſis cornibus latent, & paſcuntur de nocte, quia lupos fugiunt. Et ipſi tamen lupi aliquando fugiunt demiſſis auriculis, ſicut & canes. Et ſecundum Homerum, lupus quamuis vigil ſit, timet ignem & fugit. Virga eius eſt ex oſſe, ſicut & vulpis, & huiuſmodi. Animal eſt multorum digitorum, habet enim quinque digitos in pedibus anterioribus, & quatuor in poſterioribus, vt leo, & canis, & lynx, & lupus. Item animal piloſum habet caudam breuem paucorum pilorum, ſicut accidit lupis. Animalia quoque dentium acutorum carnes comedentium, os multum aperiunt, vt fortius mordere valeant. Ob hoc oris luporum apertio maxima eſt. Lupi membra interiora debilia ſunt, & de facili corruptionem in ſuis vulneribus recipiunt. Reſiduũ autem corpus eius multas percuſſiones patitur. Caput etiam eius forte. Oſſa maſculorum fortia ſunt dẽtibus fœminarum. Dentes luporum fortes, ac culmi eorum ſunt vnci ad ſcindendum atque molendum & etiam ad vigorandum: habet autem lupus dentes ſuperius & inferius, facitque ſerram in dentibus, vnum habet ventrem ſicut homo, & leo, & canis, & vrſus, & poſt ventrem inteſtinum. Porro venenum aconitum interficit pantheram & etiam lupum. *Plin. lib.* 9. Lupo ſicut & capræ ſplendent oculi. lucemque iaculantur. Dexter lupi dens caninus in magnis habetur operibus: lupo ac leoni & hyænæ tantummodo ceruix eſt ſingulis rectiſque oſſibus rigens. In veſica lupi naſcitur lapillus qui ſyrtites vocatur. *Ex lib. de naturis rerum.* Lupus eſt animal rapaciſſimum & fraudulẽtum, hunc nonnulli canem ſylueſtrem eſſe dixerunt, quia forma eius canis, vlulatuſque conſimilis, ſed latratu caret. Audax eſt magis eorum genus, quod breue, quàm quod longum eſt. Cerebrum eius creſcit & decreſcit ſecundum ſtatum Lunæ. Quod licet in omnibus quadrupedibus, in lupo tamen & in cane plus, villus autem lupi in carne vermioſus eſt.

Cerui lupos fugiunt.

Syrtites.

De Aſtutia luporum.

CAPVT LXXXIII.

Ambroſius. Lupus ſi primò hominem viderit, vocem ei eripit & eum tanquam victor vocis ablatæ deſpicit. Si autem ſe præuiſum ſenſerit ferociam deponit & currere nequit, folia ſquillæ odit & fugit, quæ turtur in nido ſuo ne lupus pullos ſuos incurſet, ponit. *Gloſſ. ſuper Lucam.* Lupus etiam ouibus inſidiatur, ouile circuit, canis ſomnum, & paſtoris deſidiam vel abſentiam explorans. Si quam vero apprehenderit, guttur inuadit, & vitalibus vulnus infligit. *Solinus.* Cauda lupi villus ineſt amatorius perquam exiguus, quem ſpontaneo damno abijcit, quam capi metuit, nec habet potentiam niſi viuenti detrahatur. *Ariſtoteles.* Lupi cum è cauernis exeunt, prius draconteam comedunt, linguaque maſticant, quaſi ad acuendum dentes. Cum autem fugiunt, filios ſecum deferunt. Et ſi venatores ipſos deprehenderit, ſuper arbores ſaltant, ibique iacent. Porro ſi lupus fugiens viderit multos venatores ipſum anguſtiantes, ambulabit paulatim ac retro aſpiciet. Et ſi quidem fugere neceſſarium fuerit, curret & non ſaltabit. Eiuſque curſus eſt continuus, ſicut canis curſus. Si autem aliquod animal fugiendo inuenerit ſuper ipſum cadit.

Guttur inuadit.

Aſtutia.

Ex libro de naturis rerum. Lupus aliquando folia ſalicis in ore colligit, & ſub illis ſe abſcondit, vt capras ad folia venientes latenter capiat. Item cum inter folia incedit, ne percipiatur ex ſonitu lingua pedes ſuos lambit & ſic eos lubricos & humidos facit. Fertur etiam, quod cum ouem rapuerit inſequente paſtore, dentibus eam non lædit, ſed ſuper dorſum ſuum eam ſuauiter iacere facit, ne forte ſi læſionem illam ſentiret ouis dum ſeipſam moueret, lupi fugam retardaret: lupi dicuntur inter ſe rapinam æqua diuiſione diuidere. Lupus per ſepem tranſiens occultè inſidiaturus ouibus, ſi fortè pede ſtrepitum fecerit, mox pedem quaſi reum mordet. Intrans ouile omnes occidit oues, antequam aliquam ad comedendum attingat. Eſcas ſuperſtites in terra fodit. Aliquando vero domeſticatur, & cum hominibus ludit, vt catulus. Venatores tamen naturaliter fugit, nec odij perpetui obliuiſcitur & priſtinæ doloſitatis in agnis & huiuſmodi animalibus comedendis. Quoddam etiam genus lupi profert humanas voces, & ſic deludit paſtores. Canes quoque decipit ſingultiendo, quaſi eſſet canis, nonnunquam vero canis & lupus aliqua ſocietate amica confœderantur, adeo vt & ipſi fures nocte pariter caulas ingrediuntur.

Nota.

Nota.

De malitia & noxietate ipſorum.

CAPVT LXXXIV.

Hyſiologus. Lupus vt dictum eſt, hominem quem prius viderit, conticeſcere facit, quia radios oculorum ſuorum in eum mittit, & deſiccat ſpiritum eius viſibilem. Qui deſiccatus deſiccat alios hominis ſpiritus, & illi tandem deſiccant arterias, & ſic homo raucus efficitur. Lupus obtuſum de die viſum habet, nocte clarius videt. Qui ſi te prior videns tibi vocem abſtulerit, ſolue amictum tuum, vt ſermonem reſoluas. Si verò te inſequitur, paulatim vt tibi inſidietur, ipſo vidente ſignum aliud medium inter te & illum pone, & illaqueationis metu ſubſiſtet. Cum autem ouile lupus ingreditur, non eſt contentus vna oue ſtrãgulata famẽ ſedare, ſed omnes ſtrangulat pro poſſe. *Plin. lib.* 8. In Italia creditur luporum viſus noxius eſſe, vocemque homini quem priores contemplantur ad præſens adimere, hos autem inertes paruoſque Aphrica & Ægyptus gignunt. Aſperos truceſque frigidior plaga.

Raucedo ex lupino aſpectu, vnde?

Remedia cõtra ueniẽtẽ lupum.

Ariſt. Lupus eſt fortis & audax & ſęuus non timoroſus. Si tamen inueniatur quando comedit famelicus ferociſſimus eſt, & ſi ſaturatus quodammodo ſine fame quieſcit. Et aliquando ſine ira domeſticatur, immo cum amore valque diligit ludere: prope mare quod dicitur palus Meotis, veniunt lupi ad loca piſcatorum propinqua, & ſi dederint eis piſces non eis nocebunt. Sin autẽ non, corrumpunt retia, cum ea ſuper terram ad exiccandum extendunt. Lupi quando ſenuerint frequenter accedunt verſus ciuitates, & nocent hominibus, quia iam venari non poſſunt: lædit autem lupus dentibus & vnguibus.

Conſortium luporum & paſtorũ vbi?

Pythagoras. Si quis induat pellem ouis quam lupus comedit, non ceſſat in eo ſcabies, vehemenſque pruritus. Si vero ponatnr pellis ouis cum pelle lupi abraditur lana de pelle ouis. Denique ſi tendatur chorda lupi vel inteſtini eius cum ouium chordis, rumpit eas, & aufert omne temperamentum ab eis, vulnera eius quæ ex morſu eius & vnguibus accidũt, valde mala ſunt, quia virus ab eis exit, ac per ligamenta in ſpongiã quę ſuper ipſa ponitur, tranſit. Medicina vero contra hæc vulnera eadem eſt, quæ & contra morſum rabidi canis. Si quando vero lapidatur, primum iactantem lapidem conſiderabit, & ſi quidem lapis ei nocuerit intendet in illum vt interficiat ipſum. Si vero ei non nocuerit, tunc etiam intendit in eum, non tamen nocebit ei cum vnguibus, niſi modicum velut irritando ipſum. *Gloſſa ſuper Actus Apoſtolorum.* Lupi ſæuiores ſunt vicina nocte citati ad rabiem diurna fame. Vnde ſcriptum eſt. *Velociores erunt lupis veſpertinis.* Lupi rectè intelliguntur hæretici, callidi videlicet in fraude, fortes in diſputatione, crudeles in occiſione.

Antipathia.

Nota.

Lupi hæretici.

Vnde

Act. 20. Vnde Apostolus ad Ephes. *Intrabunt inquit lupi rapaces in vos.*

De Cibis eorum.

CAPVT LXXXV.

ARistot. Lupi famem quidem diu portant & post longa ieiunia multum deuorant. Lupus gulosè comedit sine masticatione,& vna die quod ad tres dies sufficiet. Non autem comedunt nisi carnes, post medicinam aliquam accipiunt contra infirmitates & vomitant,& sanantur. Lupus famelicus audax est,& quãdo comedit, ferocissimus est,vulnera quę infligit,sicut canes rabiosi sunt, & eadem illis est medicina. Itaque comedunt etiam homines quandoque lupi, maximè illi qui sunt solitarii. Cumque multas carnes comederint ac sine absci sione & masticatione trasglutierint, manent sine cibo duobus, quia multum saturantur in vna commestione, viuitque aqua modica,& egerit similiter diebus tribus. Eiusque fimus est siccus, sine aquæ humiditate,sicut canis stercus. Et exit cum eo fortis ventositas ab inferiori parte, & vrina eius olefacit, propter hoc vt canes, olefaciunt arbores. Oris lupi apertio maxima, vt fortior sit morsus eius, quia comedit carnes. Comedit etiam pisces, vt superius dictum est, immo & dicitur quod lupi comedunt aliquando terram,non autem comedunt aliquid de herbis,nisi vt prædictum est, causa medicinæ. Lana ouium quas lupi comedunt, eius panni pediculos plus recipiunt.

Lupi solitarij comedũt homines.

Plinius lib. 8. Lupum aiunt in fame terra vesci:huic etiam quamuis in fame mandenti, aiunt, si respexerit obliuionem cibi surripere, digressumque aliud quęrere. *Idem in lib.* 11. Insatiabilia sunt animalium quibus à ventre protinus intestino recto cibi transeunt,vt lupis ceruarijs. *Ex lib. de naturis rer.* Lupus nequaquam pingescit,quia cibos vorat, quos sine masticatione trãsglutit, & ideo non transeunt, in corporis nutrimentum. Ob hoc etiam frequenter accidit ei infirmari, manetque sine cibo per biduum propter digestionem cibi, viuit autem aqua modica, quia non iuuat potus cibum indigestum. Stercus etiam omnino siccum & difficulter egeritur. Vrina eius olefacit, leuat autẽ pes vt canis quando mingit. Cumque infirmatur,terrã & herbas pro medicina comedit, statimque vomit, & sanatur, hoc idẽ facit canis cũ infirmatur. Nullũ enim animal quod carne vescitur herbas impunè comedit, pręter hominem & vrsum. Pręterea lupus in fame terram comedit. Tunc quoque cibo terræ se onerat, cum bouem aut equum aut animal huius modi robustum inuadere quærit. Id nempe per nares inuadit,& cum animal excutere illum à se voluerit, doloso pondere defatigatur, & in terram victum cadit. Tunc comesta terra se exonerat, & ad prædam redit: dicitur autem lupus hominem non comedere nisi prius aliquo casu de cadauere hominis occisi comederit,quod per arma fortassis exanimatum inuenerit,tunc enim illectus humanę carnis dulcedine,non formidat hominem impetendo periculum incidere.

Curat se herbis.

Astutia.

De Generatione & ætate luporum.

CAPVT LXXXVI.

ISido. Lupi toto anno non amplius quam duodecim dies coeunt. *Ex lib. de nat. re.* Lupi virgas osseas habent, anno per duodecim dies coeunt, & solum eo tempore gregatim incedunt Vlulant quoque pariter vno præcinente,& ceteris conclamantibus,magisque tũc formidabiles & infesti sunt. Luporum vero catuli aliquando quidẽ arte magistra mansuescunt,sed interdũ artẽ vincit natura. Vnde relicto magistro genus suũ repetunt. *Arist.* Lupus coit sicut canis,tempore coitus quando filios habet, valde malus est. Quodlibet autem animal quadrupes habẽs multas in pedibus fissuras vt canis & leo & vulpis & lupus filios generat cæcos. Extra vero separantur oculi & vident. Itaque vulpis & leo ac lupus filios pariunt non distinctos, occasionatos. Animalium quorum natura est ad inuicem propinqua simul coeunt,maxime si non diuersantur in aspectu & magnitudine, suntque secundum impręgationis spacium conuenientia. Et huiusmodi omnia sũt in canibus & lupis & vulpibus. Vnde quidam putant de canibus Indiæ quod generãtur ex cane & lupo. Canes autem & lupi & animalia quæ fissos habent pedes multa fissura, ponunt filios multos. Interdum canes cum lupis coeunt, & leuerarios generant. Quando senescunt ad lora ciuitatibus proxima vadũt, vt facilius prædam inueniant, quam iam difficillimè venari possunt. Vita namque lupi est longissima, & in senectute dentes perdit. Vnde deprehensus est aliquando lupus claudus cui plures erant dentes confracti, quod erat signum senectutis.

Per duodecim dies in anno coeunt.

Leoporarij ex lupis geniti.

De Diuersis generibus luporum.

CAPVT LXXXVII.

ISid. Lupos Æthiopia nutrit ceruice iubatos & tanto varios,vt nullum colorem illis abesse dicant. *Solinus.* Aethiopicis lupis proprium est,quod insiliendo ita nisus alitis habẽt,vt non magis proficiant cursu,quàm in saltu,homines tamen nunquam impetunt. Bruma comati sunt,ęstate nudi,hos autem thoes vocant. *Plinius libro* 8. Inertes lupos paruosque Aphrica & Aegyptus gignunt,asperos trucesque frigidior plaga. Euantes inter autores Græciæ non spretus tradit, Archadas scribere ex gente Antæi cuiusdam sorte è familia electum ad stagnum quoddam regionis eius duci,vestituque in quercu suspenso tranare,& abire in deserta transfigurarique in lupum,& cum ęqęteris eiusdem generis congregari per annos nouem. Quo in tempore si homine se abstinuerit, reuerti ad idem stagnum, & cum tranauerit effigiem recipere pristinum habitum, addito nouem annorum senio. Mirum est quo procedat Gręca credulitas. Nullum tam impudens mendacium est, vt teste careat. Homines siquidem in lupos verti, rursusque sibi restitui falsum esse confidenter æstimare debemus. Sunt lupi qui ceruarii vocãtur,qualis è Gallia in Pompei Magni arena spectatus est, huic quamuis in fame mandẽti si respexerit obliuionem cibi surripere aiunt,digressumque aliud quærere,scilicet præsentis copiæ oblitum. Thoes luporum genus est procerius longitudine,breuitate crurium dissimile,velox saltu, viuens venatu, homini innocuum. *Idem in lib.* 11. Lupi vero ceruarii, vt supra dictũ est,insatiabiles sunt, quibus nimirum à ventre protinus intestino recto cibi transeunt. *Aristoteles.* Cabonecia lupus est comatus vt leo. In Græcia lupus est, qui dicitur manticorion, id est manticora,tres acies dentium habens superius & inferius. Item iuxta aliquod mare genus luporũ quoddam ad piscatores accedit,& si dederint eis de piscibus non eis nocent. Sin autem non, eorum retia quando exponuntur ad exiccandum obseruant,ipsisque absentibus ea dilacerant. Alicubi vero canes cum lupis coeunt. Luporum quidam est rotundus, quidam vero longus & asperi eius pili. Eorumque genus audacius quod breue est, quam quod longum est. *Auctor.* Degenere quoque luporum sunt lychaon & lynx & lyciscus & hyæna, vt superius dictum est.

Censura Græcorum.

Thoes.

Cabonecia.

Manticora.

De Medicinis ex lupo.

CAPVT LXXXVIII.

PLinius lib. 8. Lupi caudæ vulgo creditur inesse amatorium virus exiguo in villo, eumque qui capiatur abiicere, nec idem valere nisi direptum viuenti. *Idem in libro vigesimoquinto.* Lardum lupi medicinale est. Fel eius prodest capitis vlceribus cum sinapi pari modo illitum. Iecur lupinum ex vino tepido tussim sanat. Apide lupino contra lippitudines fricari præcipiunt oculos

Tranfiguratio in lupũ

Cauda.

Lardum. Fel. Iecur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

culos. Idem adeps illitus vuluas mollit, earum dolores iecur: iocinoris quoque dolores lupi iecur aridum ex mulso ſedat. *Teſtes* lupini ſtrumas diſcutiunt. Lupi quoque carnes ediſſe perituris prodeſt. *Teſtes.*

Oſſa. *Oſſa* in extremitatibus lupi reperta collo medentur brachio adalligata. Lupi quoque excrementis circumliniri prodeſt oculorum ſuffuſiones. Et eorum cinere cum attico mẽlle inungi obſcuritates. Eadem alligata dentes mobiles confirmant, eorumque dolores mitigant. Itẽ illitus adeps è lupis optimè mollit omnes duritias corporis. *Adeps.* *Dens.* Lupi dens adalligatus pauores infantium prohibet, dentientique morbos. Equis etiam alligatus infatigabilem curſum (vt dicitur) præbet. Equos autem rumpi tradunt, qui ſub equite ſequuntur veſtigia luporum. Lupos etiam in agrum non accedere traditur, ſi vnius capiti pedibus infractis cultroque adacto paulatim ſanguis circa fines agri ſpargatur, ipſeque in eo loco ex quo ceperit tradi defodiatur, aut ſi vomerem quo primus ſulcus eo anno in agro ductus ſit excuſſũ aratro focus larium quo familia conuenit abſumat, ac lupum nulli animalium nociturum in eo agro quamdiu id fiat. *Roſtrum lupi* Roſtrum lupi inneteratum veneficijs reſiſtere aiunt, ob idque villarum portis præfigunt. *Ex lib. de nat. re.* *Cor.* Lupi cor, ſi deſiccetur ac ſeruetur, multum fieri dicitur aromaticum. Idem combuſtum cõtritum & potatum iuuat epylepticum, ſi nulla patiens poſtmodum luxuria maculetur. *Phyſiologus.* Epar lupi ſiccatum & tritum & cum dulci vino ſumptum, facit ad omnes diſtemperantias. Et hepatis propriã iuuat ſubſtantiam. *Æſculapius.* *Caro.* Lupi caro cocta & eſa phantaſticos ſanat. Adeps eius & fel quantum canis. *Hali.* Hepar lupi ſiccatum diligenter tritum ac medicaminibus hepatis doloris admixtum, manifeſtè confert. Pellis lupiculi ſi ſuſpendatur ei, qui à rabido cane percuſſus eſt, nõ timebit aquam, *Fimus.* fimus albi lupi colicæ prodeſt. *Aniccn. in 2. cano.* Caro lupi mala eſt. Caro tamen luporum habentium roſtra & vngues oculo confert & confortat ipſum. Valet etiam hæmorrhoidis, ſed abhorret eam ſtomachus. *Phyſicus.* Nec ſolum lupi ſanguis, ſed etiam fimus confert in cholica paſſione. *Pythagoras.* Homo in paſſione ſua qua Lunam ſenſerit canini dentes adib, id eſt lupi, curant eum.

De Lutra.

CAPVT LXXXIX.

Lutra. EX *lib. de nat. rer.* Luthra eſt animal aſtutum & malicioſum, magnitudine murilegi, forma prope cõſimili, præterquam in capite colore fuſcum, & nigrũ, pelle nitens, cui mollior pluma pilus eſt, cuius nitor non de facili cedit vetuſtati, vnde de pelle ipſius fiunt ornatus circa circa collum in veſtibus virorum ac mulierum. Hæc beſtia circa ſtagna & fluuios habitat, ibiq; foueas habet, & fœtus facit. Piſcibus viuit quos mirabili frequentia venatur. Qui licèt ſub aquis diu viuere poſſit, reſpiraculum tamen ab aere trahit. Vnde quandoque aũiditate prædæ gurguſtium id eſt naſſam ingreditur. Et quia tunc nec per introitus locum redire, nec naſſam tam cito diſcerpere poſſit ſpiritum in *Suffocatur in aquis.* aere recuperare non valens, in aquis ſuffocatur. Adeo vero ciborum cupida eſt & auara, quòd piſces captos in ſpecu ſuo tanto cumulo congregat, vt ex putredinis eorum fœtore non ſolum foueam, ſed etiam aerem inficiat. Quod non ſine periculo ſui quidam experti ſunt, qui hanc beſtiam capere voluerunt. A piſcatoribus aliquando domeſticatur & arte inducitur, vt piſces ſuo circumitu cogat pericula retium ingredi, ſuoque iuuamine capi. Vnde magnum emolumentum dominis ſuis præſtare videtur.

A

De Mammoneto & manticora.

CAPVT XC.

Mãmonetus id eſt, Cercopithecus. MAmmoneius eſt animal ſimia minus, in dorſo fuſcum, in ventre candidum, caudam habens villoſam, & collum ita craſſum, vt caput. Vnde captum non ligatur per illud ſicut cæteræ beſtiæ, cum laqueus id tenere non poſſit, ſed per ventrem. Habet autem propriiſſimè faciem humanæ ſimilem, nigram duntaxat & ſine pilis, à collo deſuper frontem. Nec eſt naſus ore continuus, ſicut in ſimia, ſed certum ſpacium inter vtrumque ſicut in homine. Inter has beſtias & ſimias odium eſt implacabile, bellumque frequens & B licet viribus non præualeant, aſtutia tamen & animoſitate bellandi ſimijs præferuntur. Tenaci quoque & ingenti memoria pollere dicuntur. *Solinus.* Manticora *Manticora.* inter beſtias Indię naſcitur triplici dentium ordine coeunte vicibus alternis. Facie hominis, glaucis oculis, colore ſanguineo, corpore leonino, cauda velut ſcorpionis aculeo ſpiculata. Voce tam ſibila, vt imitetur modulos fiſtularum, tubamque concinentem. Humanas carnes auidiſſimè affectat. Pedibus ſic viget, ſaltu ſic poteſt, vt eam remorari, nec ſpacia extentiſſima poſſint nec obſtacula latiſſima. *Plinius lib.* 8. Apud Indos Creſias ſcribit naſci mãticoram ſcilicet beſtiam triplici dentium ordine pectinatim coeuntium, facie & auriculis hominis, oculis glaucis, colore ſanguineo, corpore leonis, cauda ſcorpionis modo ſpicula infigente, & voce fiſtularum ac tubarum mixtos concentus imitante. Eſt autem velocitatis magnæ, humanum C corpus appetens præcipuè. *Auicenna.* In partibus Indiæ lupus quidam eſt, qui Græcè dicitur maricorion, Latinè ſcilicet manticora. Tres habens dentium acies inferius & ſuperius. Eſt autem magnus & piloſus, eiusque pedes vt leonis, facies & oculi & aures vt hominis. Fuſci ſunt eius oculi, & color eius eſt rubicundus, vt minii. Cauda eius eſt vt Scorpionis agreſtis. Et in ea eſt rubedo. Ipſeque pilos eiicit, & loquitur, & hinnit. Vox eius eſt vt vox tubæ, & velociter currit ſicut cer- *Vox vt vox tubæ.* uus, eſtque agreſtis hominem comedens.

De Melone & meloſo ac monocerote.

CAPVT XCI.

Melo. ISidorus. Melo dictus eſt, vel quod ſit rotundiſſimo membro, vel quòd fauos petat, & aſſiduè mella D captet. Eſt autem animal quadrupes armatum vngulis. *Melota.* *Gloßa ſuper Epiſtolam ad Hebræos.* Melo vel melotus eſt animal, quod & taxus dicitur, cuius pellis hiſpida valde melota vocatur. Vnde de quibuſdam ſãctis antiquioribus legitur. Circuierunt in melotis. De hoc ergo inferius plenius dicetur. *Hebr. 11.* *Plinius libro octauo.* Melonibus autem in metu ſolertia hæc eſt, quod cute ſufflata deſiſtente ictus hominum & morſus canum arcent. *Ex libro de natura rerum.* *Meloſus.* Meloſus eſt beſtia valde magna, quę truculentos hoſtes perſequitur, tanquam ad hæc creata. Rictus habet ingentes, dentes quoquę fortes & prominentes, cum quibus audacter bella cum aduerſariis partitur, hæc cum hominibus fortibus terri- *Terribilis viris, terretur à pueris.* bilis ſit, puerorum tamen innocentiam & eorum paruitatem mirabiliter perhorreſcit, eorum verbera fu- E git. In quo dignè magnificentia innocentiæ comprobatur. Monoceros eſt monſtrum, equino corpore, ceruino capite, cauda ſuilla, pedibus elephantis, mugitu horrido, cornu tamen vno ſcilicet acutiſſimo in medio frontis armatum. Captum quidem perimi poteſt, ſed nunquam domari. Immo vt dicit Iacobus, quòd nunquam viuum in hominis poteſtatem venit, quia vinci ſe cernens, furore vitam exuit. *Monoceros.*

Phyſiologus. Monoceros eſt animal puſillum, hædo ſimile, acerrimum, habẽs vnum cornu in capite. *Plinius libro octauo.* Aſperrimam feram monocorotem reliquo corpore equo ſimilem, capite ceruo, pedibus elephan-

to, cau-

to, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro media fronte duorum cubitorum eminente, viuam capi negant.

De Muſione.

CAPVT XCII.

Muſio. ISidorus. Muſio (vt ſupra dictum eſt) catus eſt appellatus,eo quod mutibus ſit infeſtus. *Ex libro de natu.rer.* Muſio ſiue murilegus aut catus Græcè dicitur, quaſi aſtutus, animal eſt immundum ac venenoſum, & omne murium genus perſequitur, cum bufonibus quoq; pugnare dicitur. Quorum licet venenatis aculeis repugnetur, non tamen necatur. Mures captos primo lutibus afficit, poſt hoc illuſos comedit. Oculis carbunculoſis tam acutè cernit, quod etiam in antris tenebroſiſſimis velut in luce mures conſpicit. Dentes habet ad modum ſerræ. Pilos autem circa os habet, quibus ablatis audaciam perdit. Blanditiis gaudet,loca calida diligit, vnde præ nimia pigritia pellem ſuam cõburit, hominis manu contrectari gaudet, & ad ludũ facillimè prouocatur. Loturã faciei lambendo prioribus pedibus imitatur. Libidine impatiẽtiſſimè accenditur, & libenter coitus tẽpore ſylueſter afficitur. Sed cum ſylueſcere domeſticus ceperit, aures illi amputantur , vt ſcilicet aurium locis infuſioni patentibus, guttas noctis ac pluuiæ non poſſit ſuſtinere, ſicque domus tecta cogatur repetere. Nõ ſolum autem cum prædictis animalibus, verum inter ſe muſiones crudeliſſimè pugnant, & hoc frequentius vt terminos conſuetos ſuę venationis obtineant.

Catus murilegus.

Nota.

Libido.

Vt ſylueſcens domeſticetur

De Muſquelibo & muſco.

CAPVT XCIII.

Muſquelibus. MVſquelibus eſt beſtia orientis , capreolæ magnitudinem habens. In cuius vnguine creſcit apoſtema de collectis humoribus. Quod cum maturatum fuerit, collidit illud & fricat ad arborem, ſicque ſoluitur, & diſcurrit ſanies, ibique condenſatur & induratur, & huiuſmodi ſubſtantia muſcus vocatur. Omnis etiam caro eius & ſtercus dicitur muſcus, ſed ille multo melior eſt , qui ex apoſtemate currit. Muſcus odore perdito virtutem ſuam in fætoribus & latrinis recuperat, contra fœtorem eluctatur, & ſic quaſi luctamine reuiuiſcit. Valet contra ſyncopen & cordis debilitatem, cerebriq́ue , & hepatis, & ſtomachi. *Conſtantinus in libro graduum.* Muſcus puſtula eſt in vẽtre cuiuſdam animalis naſcens,capreoli ſimilis, quod eſt in India,quæ coagulata & plena, animali quempiam ad palum vel arborem ſcalpente ſe neceſſario cadit. Huius natura calida eſt & ſicca in ſecundo gradu. Ideoque congruit ſenioribus in hyeme, membra quidem defecta aromatizando cõfortat, timorem melancholicum amputat, & audaciam præſtat. Quidam autem dicunt muſco non inuento caſtoreum æquipollere.

Muſquelibus.

Muſcus.

Nota pro muſci virtute.

Muſci virtus.

Idem in Pantegni. Muſcus maior eſt in aromatibus, calidus & ſiccus in tertio gradu. Membra deficientia confortat, ſternutationes de muſco etiam contra paralyſim adiuuant. *Auicenna.* Muſcus eſt folliculus animalis ſicut gazel,niſi quia habet duos dentes albos ad interiora flexos ſicut duo cornua. Calidus eſt & ſiccus in ſecundo gradu, ſubtilis & confortatiuus. Confert fodæ frigidæ , & confortat cerebrum temperatum,& cor,& ſanat tremorem eius,& melancholiam ex ſollicitudine. Confortat etiam oculum, & exiccat humorem eius, & abſtergit albuginem ſubtilem, & etiam theriaca venenorum, propriẽque napelli.

Confortat cerebrum.

Dioſc. Muſcus calidus eſt in ſecundo gradu , ſiccus in tertio. Mittitur etiam in collyriis & pillulis ſeu pulueribus oculorũ, cuius vires albugines oculorum extenuant, noxium humorem deſiccant. Inunctum capitis grauedinem depellit , eique vires præſtat , quia confortatiuum eſt. Dat ſolatium membris omnibus, & fortitudinem auget oſſibus. Scotomiam ex abundanti humore natam emendat, ſomnum inuitat, venerem ſtimulat, cor & omnia viſcera confortat , in modum cataplaſmæ impoſitum.

De Onagris.

CAPVT XCIIII.

Onager. ISidorus. Onager interpretatur aſinus ferus , onos quippe Græci aſinum vocant agrion ferum. Onager 25. die Martij 12. vicibus in nocte rugit , ſimiliter in die,& in hoc cognoſcitur æquinoctium eſſe. Eius quoque rugitibus per ſingulas horas rugiẽtis numerus horarum cognoſcitur. *Auctor.* Onager (vt legitur) in ſolitudinibus & in altis habitat, vbi propter beneficium ventorum diuiſus à potu viuit. Vnde Hieremias. Onagri inquit ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones. *Plinius libro octauo.* Aphrica multitudinem aſinorum ſylueſtrium fundit. Onagri mares ſinguli fœminarum gregibus imperitant, & libidinis æmulos timent. Ideoque grauidas cuſtodiunt & natos mares morſu caſtrant. Econtra grauidæ latebras petunt, & parere furtim cupiunt, gaudentque libidinis copia. Ex onagro manſuefacto & equa generãtur mulæ veloces in curſu, eximia duritia pedum (vt dictum eſt ſupra) corpore rugoſo & indomito animo, ſed generoſo. Ex onagro autem & aſina genitus mulus omnes antecellit. *Iorath.* Onager equinoctiali tempore per horas diei 12. & ſimiliter noctis vociferatur, terram pedibus terit, & fodit, & tunc ad ſitim & fugam prouocatur.

Onager. Nota.

Mulæ velociſſimæ.

Ex lib. de naturis rer. Onager inter omnia animalia odit hominum frequentiam & habitationem, nec domari poteſt. Sitis impatiens eſt , aquam lympidiſſimam bibit, nec de facili aliam. Hic induſtria naturali quando canes eum inſequuntur, emittit ſtercus ſuum canibus odoriferum,circa quod illos detentos illudit, & euadens ad tutiora fugit. Fœmina gaudet libidinis copia, modumque non ſeruans, per hoc ſæpe maſculo fit odioſa. Maſculi fœminas non habentes tempore coitus, in montes aſcendunt, & deſiderio libidinis æſtuantes ventum naribus attrahunt, ac vehemẽter rugiunt , ita quod animalia cætera horrore concutiunt. Onager inter animalia cætera fertur cor habere pinguiſſimum. Et quantum patiens eſt domitum tantum cum ſyluis retinentibus efferatur ſæuum. Dolet cum dies æquatur nocti, vellet enim noctem die longiorem eſſe. *Gloſſ ſuper Oſee.* Aſinus ſilueſtris domeſtica non tenet paſcua , ſed ſponte vagatur per deſerta & ſolitariam diligit habitationem Cui ſimiles ſunt qui recedentes à Deo diuerſa idola fabricant, & ob hoc à Deo deſerti ſunt. Vnde ſcriptum eſt. *Onager ſibi ſolitarius Ephraim.*

Cor onagri pinguiſſimũ eſt.

Apoſtata onagri.

De Diuerſis generibus onagrorum.

CAPVT XCV.

EX *libro de natura rerum.* Onager Indiæ magnum eſt animal ac crudele, formam aſini habens, & vnum ſolum cornu in fronte,durum nimis & acutum ac lõgum ad beſtias contrarias debellandas,& hoc habet in medio capitis. Soleas etiam fortes & acutas habet,vt iuuamen naturale,quod in alterius cornu defectu perdidit, in eis recuperet. Hi tantæ fortitudinis ſunt, vt ingentia ſaxa de rupibus euellant,& hoc ad nihil aliud niſi vt fortitudinem ſuam ad ſaxorum molem attentent. *Plinius libro octauo.* Onagri in phrygia & Lycaonia præcipui ſunt. Pullis eorum ceu præſtantibus ſapore, Aphrica gloriatur , quos laliſiones appellant. *Iſidorus.* Onagros etiam habet Aphrica magnos & indomitos & in deſerto vagãtes. Singuli etiam fœminarum gregibus præſunt. Naſcentibus maſculis zelant. Teſticulos eorum morſibus detruncant, quod cauentes matres eos in ſecretis locis occultant.

Fortitudo.

De Medicinis ex onagro.

CAPVT XCVI.

Medicinæ ex onagro.

Auicenna. Onagri fel id eſt aſini ſylueſtris eradicat morum, & confert ſuper apoſtemarum veſtigia linitum. In emplaſtris etiam eriſipilæ ponitur, ac prohibet ipſam. Idem propriè ſuper elephantiam & varices confert. Caro dorſi aſini ſylueſtris cum oleo emplaſtratur ſuper dolores iuncturarum. Adeps eiuſdem panno linita confert. Eadem adeps cum oleo coſtino bona eſt dolori renum & dorſi ex ventoſitatibus craſſis, Vrina quoque aſini ſylueſtris (vt Galenus ait) lapidem in veſica frangit. *Auctor.* Vngula ſylueſtris aſini ſi comburatur & bibatur opilepſiæ prodeſt. Cinis eius ſi miſceatur oleo oliuæ, ſcrophulas diſſoluit. Et ſi cataplaſmetur ſuper alopiciam prodeſt. Idem facit & virga cerui.

De Onocentauro & oraſio.

CAPVT XCVII.

Onocentaurus.

EX libro de naturis rerum. Onocentaurus eſt animal monſtruoſum & natura biforme, capite ſcilicet aſinino, & corpore velut humano. Faciem habet ſetis horridam. Manusque formatas habiles ad omnem actum. Dum vocem promit quaſi loqui incipit. Sed inſueta labra vocem humanam formare non poſſunt. Hic etiam poſt inſequentes ſe ligna vel lapides mittit, vt Experimentator dicit. Hoc monſtrum (dicit Adelinus Philoſophus) inter cæteras beſtias ab initio non fuiſſe tale creatum, ſed aliquando & alicubi caſualiter ex adulterina commixtione generari. At huic opinioni contradicunt plurimi. *Oraſius.* Oraſius animal in anteriori parte altum & eminens valde, ita vt extenſo capite viginti cubitorum altitudinem poſſit attingere. In poſteriori vero parte demiſſum eſt inſtar cerui. Collum habet extenſum, caput equinum, licèt minus, pedes autem & caudam vt ceruus. Pellem vero ſic omni colorum genere diuerſimodè variatam, vt homo fruſtra tentet artificio naturalem eius pulchritudinem imitari. Nec ignara videtur proprię venuſtatis, nam cum homines viderit circumſtare, vertit & inuertit ſe ex omni parte, vt omnium obtutus in admirationem ſui conuertat, huic enim natura dedit decorem ſuper omnes beſtias in colore: hoc animal noſtris tēporibus à Soldano Babyloniorum tranſmiſſum eſt Imperatori Friderico.

De Oryge.

CAPVT XCVIII.

Oryx.

AVctor. Oryx eſt animal immundum ſecundum legem, iuxta librum Deuteronomij. De quo etiam dicit Iſaias. Dormierunt ſicut oryx illaqueatus, &c. Hunc quidam putauerūt eſſe glyrē, ſed glis videtur potius inter mures deputari, & ideo eius eſus in lege prohibetur. Hiero. ſuper Iſaiam dicit origem eſſe genus beſtiæ naſcentis in eremo, quæ laqueo venatoris capitur. Videtur autem eſſe de genere captarum, per ea quæ ſuperius ſunt dicta iuxta Plinium, nam capræ transfigurantur in multas ſimilitudines. Sunt enim capræ, ſunt rupicapræ, ſunt etiam ibices, ſunt & origes. *Contuetur caniculam.* *Plinius lib.* 2. Orygem appellat Aegyptus feram, quam in exitu caniculæ contra ſtare & contueri tradit, ac velut orare cum cernuerit. *Idem in lib.* 8. Sunt oryges ſoli à quibuſdam dicti contrario pilo veſtiti, & ad caput verſo. *Idem in lib.* 10. In Aphrica maior pars ferarum non bibunt æſtate præ inopia imbrium, quam ob cauſam capti mures lybici, ſi biberint moriuntur. *Remedium ſitientium.* Orygem perpetuo ſitientem Aphrica ex natura loci potu carentem præbet mirabili modo ad remedia ſitientium. Nam getuli latrones eo durant auxilio repertis in eorum corpore ſaluberrimi liquoris veſicis. *Ex libro de natura rerum.* Oryx eſt beſtia capreæ magnitudinis, A hirco ex parte ſimilis, villum habens ſub mento. Hæc in illa parte Aphricæ, quæ caret aqua generatur, & ideo perpetua ſiti ardet. Admirabile vero remedium ſitientium latrones Getuliæ, terræ aqua carentis certiſſimis experimentis prodiderunt, quo homo in ſiti eo duraret auxilio, qui illo ſaluberrimo liquore veſicis dictarū beſtiarū infuſo, pro parte modica vterentur. Hęc beſtia (ſicut Aegyptii tradūt) in exortu caniculæ naturaliter tripudiare videtur compage corporis eius viſibiliter ſentiente, quòd imber & frigus abijt, inſtentque vapores ignei ſolis, vt veſtiatur terra floribus, herbasque proferat & fructus. Eſt autem frigoris impatiens. Vnde, nec frigus, nec niues de facili ſuſtinere poteſt. *In exortu caniculæ tripudiat.*

De Panthera.

CAPVT XCIX.

Panther.

ISidorus. Panther dictus eſt, ſiue quod omnium animalium ſit amicus, excepto dracone, ſiue quia ex ſui generis ſocietate gaudet, & ad eandem ſimilitudinem quicquid accipit reddit. Pan enim Græcè omne dicitur. Eſt autem beſtia minutis orbiculis ſuperpicta, ita vt oculatis ex fuluo circulis nigra & alba varietate diſtinguatur. *Glo. ſuper Oſee.* Nihil leone fortius, nihilque panthera velocius. Ideo per Prophetam ait dominus. Ego quaſi panthera Effraim, & quaſi leo domui Iuda. *Phyſiologus.* Panthera eſt animal precioſum & manſuetum nimis, ſolum draconem non habet amicum. Hęc cum cibis variis ſatiata fuerit, ſpelunca ſua ſe recondit & dormit. poſt triduum exurgens mox rugitū magnum emittit cum odore ſuauiſſimo quaſi omnium aromatum, quem audientes beſtiæ omnes, quæ longè, & quæ prope ſunt, ad odorem illum confluunt, & ſequuntur pantheram quocunque ierit. Solus draco audiens, & vim odoris non ferens in ſeipſo timore contrahitur, & in cauernis terraneis fugiens obturpeſcit, & manet immobilis. *Fortis.*

Plinius lib. 8. Panthera & tygris prope beſtiarum ſolæ ſpeculantur maculārum varietę. Pantheris tradunt in armo maculam eſſe Lunæ ſimilem creſcentem in orbes, & cauantem pari modo cornua, nunc varios: & pardos qui mares ſunt appellāt in omni genere creberrimo in Aphrica Syriaque. Quidam ab his pantheras ſolo candore diſcernunt. Mirum vero pantheras & leones ac ſimilia (vt dictum eſt ſupra) condito in vaginas corporis vnguium mucrone, ne refringantur & hebetentur incedere, auerſisque falculis currere, nec niſi in appetendo protendere. *Idem in libro* 11. Habentque pantherę quatuor mammas in medio ventre. Mares autem in omni genere fortiores ſūt fœminis, præterquam in pantheris & vrſis. *Idem in libro* 28. Hyena (vt dictum eſt ſupra) terrorem infert pantheræ, vt nec ei conetur reſiſtere. Et ſi quis aliquid ex corio eius ſecum habeat non appetitur à panthera. Mirumque dictu, ſi pelles vtriusque contra ſeſe depēdeant pantheræ pili decident. *Solinus.* Pantherę numeroſæ ſunt in Hyrcania. Tradunt earum odore & contēplatione armenta mirè affici, & niſi eas præſentiſcant properato conuenire, nec terreri niſi ſola oris toruitate, quam ob cauſam pantheræ abſconditis capitibus, quæ corporis reliqua ſunt, ſpectanda præbent, vt greges ſtupidos in obtutum ſecura vaſtatione populentur. Sed Hircani. vt hominibus intentatum nihil eſt, frequentius eas veneno quam ferro necant. *Ex libro de natura rerum.* Panthera eſt animal varium ac ſpecioſum nimis. Sunt qui tradunt huic in armo maculam eſſe Lunę ſimilem, & interdum creſcere rotundam, & ad Lunæ mutationem variari. *Auicenna.* Panthera & pardus quando venenum comederunt, ſtercus hominis quęrunt & comedunt. *Remedium eis contra venenum*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Generatione ac venatione pantheræ.

CAPVT C.

Semel tantũ parturit.

Isidorus. Panthera semel omnino parturit, cuius causę ratio manifesta est. Nam cum in vtero matris coaluere catuli, maturisque ad nascendum viribus pollent, odiunt temporum moras. Itaque oneratam fœtibus vuluam tanquam obstantem partui vnguibus lacerat, & effundit illa partum seu potius dimittit dolore cogente. Ita postea corruptis & cicatricosis sedibus genitale semen infusum, non hæret acceptum, sed irritum resilit. Nam & Plinius dicit animalia cum acutis vnguibus frequenter parere non posse. Vitiantur enim intrinsecus se mouentibus catulis. *Physiologus.* Pãtheris venandis insistentes Hyrcani, veneno carnes illiniunt, easque per compita semitarum spargunt, vt illarum esu pantheræ seducantur. Sed illæ dum excrementa hominis deuorant euadunt. *Plinius lib.* 8. Pantheras per carnes aconito fricatas veneno barbari venantur, scilicet per compita semitarum eas spargentes. Quas vbi ederint pantheræ, fauces earum illico occupat angor. At fera contra hæc excrementis hominis sibi medetur, & aliàs tam auida eorum, vt à pastoribus ex industria in aliquo vase suspensa altius, quam vt queat saltu contingere: iaculando petendoque defigi: & postremo expirare. Alioquin viuacitatis est tam lentæ, vt eiectis intraneis diu pugnet. Tradit Demetrius physicus iacentem in media via pantheram, hominis desiderio, repẽte apparuisse patri cuiusdam philinis assectatoris sapientiæ. Illumque pauore cæpisse regredi: feram vero circumuolutari piè blandientem, seseque mærore conflictantem fœta siquidem erat: catulis procul in foueam delapsis. primum ergo mirationi fuit non expauescere, proximum ei curam intendere. Secutus itaque quæ trahebat vestem vnguium leni iniectu, vt causam doloris intellexit: simulque salutis suæ mercedem, catulos exemit, eaque cum his prosequente vsque extra solitudines deductus est læta, atque gestiente, vt facile appareret gratiam referre, vt nihil in vicem imputare, quod etiam in homine rarum est.

Panthera grata.

De Parandro, & pardo.

CAPVT CI.

Parander.

Solinus. Parandrum nutrit Aethiopia boum magnitudine: ibico vestigio, ramosis cornibus, capite ceruino, vrsi colore, pariter villo profundo. Hunc parandrum affimant habitum metu vertere, & cum delitescit, assimilem fieri cuicunque rei proximauerit, siue saxo alba fit, seu fruteto, virens, siue quem alium modum prę ferat. faciunt hoc idem in mari polypi, in terra chamæleontes. Sed & polypus & chamæleon glabra sunt, vt pronius sit cutis lenitatem proximantia æmulari. In hoc autem est nouum, ac singulare hirsutiam pili colorum vices facere. hinc euenit vt difficulter capi possint. *Isidorus.* Pardus secundus post Pantherem est, genus varium, ac velocissimum & præceps ad sanguinem. Saltu enim ad mortem ruit, ex adulterio pardi, & leænæ leopardus nascitur: & tertiam originem efficit. *Ex lib. de naturis rerum.* Vt dicit Magnus Basilius. Pardus est bestia torua, & acuta nimis in impetu corpusque motibus auium cõueniens habet, & varium in colore. Saltu potius quam cursu prædam insequitur. Vnde sæpius accidit, vt vehementi saltu ruat ad mortem. In Aphrica propter inopiam aquæ congregantur diuersæ ferę ad amnes: ibique Leænæ bestijs varijs, vel vi, vel voluntate miscentur, & inde pardi procreari dicuntur: *Solinus.* Pardorum adulterinis coitibus leænarum partus degenerantur, & ab eis equidem leones, sed ignobiles generantur.

Pardus.

Pardi coũt cum leonibus.

Plinius libro octauo. Odore pardi coitum sentit in adultera leo: totaque vi cõsurgit in pœnam: iccirco aut culpa flumine abluitur, aut longius comitatur. Nunc varios & pardos, qui mares sunt, appellãt in omni genere creberrimo, vt in Aphrica, & Syria: Quidam ab his pantheras solo candore discernunt. *Idem in lib.* 10. In Aphrica inscidunt arbore condensa pardi: earumque ramis occultati in prætereuntia desiliunt, atque è volucrum cæde grassantur. *Ambrosius.* Pardus coloris varietate prodit motus varios animæ suæ. Vnde Propheta Hieremias: *Si potest*, inquit, *pardus mutare varietates suas. Aristoteles.* Pardus (vt dictum est) sicut & panthera, quando venenum comedit, stercus hominis quęrit, & comedit.

De Pilosо, & pyrolo, & putorio.

CAPVT CII.

Pilosus.

Ex lib. de natur. rerum. Pilosus (sicut Glossa dicit super Isaiam) est animal quod in hominis figura superius incipit: sed inferius in pedes bestiæ desinit, qualem beatus Hiero. in vita Pauli eremitæ primi describit, quod superius sit homo frontem asperam habens cornibus, & in caprarum pedes desinens, Satyros, vel faunos, vel incubos vocari talia monstruosa. Asserit idem nulli esse dubium istud monstrum in oriente esse captum, & in Alexandriam missum: & inde mortuum saleque infusum, ne à calore dissolueretur, deportatum fuisse Constantinopolim, vt ab Imperatore videretur. Nostra ætate delata fuit Regi Franciæ bestia ad magnitudinem canis. Caput quidem non multum distabat à capite canis, cętera corporis membra, vt homo prorsus habebat. Crura quidem nuda vt homo, manusque, brachia, collum album ac nudũ habebat, carnibus coctis vescebatur. Ita decenter & modestè manibus capiebat cibum, & ori suo inferebat, vt nullus dubitaret in hoc, quin humanum modum in talibus haberet: Erectum vt homo stabat, sedebat vt homo, puellis & fœminis libentissimè iungebatur. Et in sexu viri & fœminæ discretionem habebat. Genitale membrum vltra quam corporis quantitas exigebat habebat magnum, furijs igitur agitatum hoc animal crudelissimè mouebatur, & in homines sæuiebat. Cæterum cum placatum esset, instar hominis mitissimè & decentissimè se gerebat, & mulcebatur alloquijs, & colludentibus applaudebat.

Monstrum oblatum regi Franciæ.

Pyrolus est sciurus.

Pyrolus est bestia parua, maior quidem, sed non longior quàm mustela, colore rubea, sed in ventre candida. Mira agilitate viget, in arboribus habitat & fœtus fouet. Inquietè se gerit, & de arbore in arborem saltu potius quàm volatu transit, quamuis aliquando cauda pro pennis vtatur. Caudam enim villosam prope ad sui magnitudinem habet, cuius ad vsum saltu mouetur. Et si quando gratia pastus aquam transire cupit, lignum admodum leue super aquam congerit. Cui supersidens quasi velum nauis caudam suam erigit, sicque vento flante velificans ligno transuehitur. Æstate cibum congerit: quo viuat in hyeme. Viuit autem nucibus, & cibo qui dulcis est libentius vescitur.

Putorius.

Putorius à putore dictus est: quia nimium fœtet, & hic maximè cum irascitur: hic sicut & taxus habet crura in sinistro latere breuia, in dextro longiora. Ardua domorum inhabitat & penetralia, gallinarum ac pullorum cupidissima est, talibus enim viuit; Cumque gallinam capit aut pullũ, caput in initio petit, vt hoc deuicto in cæteris eius membris laborare difficile non sit. Pathio animal est, quod natura ad videndum & mirandum in orbe creasse videtur. Corpus eius quasi rubro sanguine coloratum est. Relucetque visu mirabili, dum radijs solis obijcitur. Et mirũ in modũ cum viuente bestia hæc relucentia videatur, mortuæ mox bestiæ pulchritudo tanta subtrahitur, quasi indignum sit morticinium tanto virtutis decore pollere, non tamẽ penitus subtrahitur mortuę decor innnatus

Pathio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum rubor ſatis pulcher in pelle permaneat. Oſſa huius beſtiæ fortiſſima ſunt ac duriſſima. Nerui vero adeo validi ac fortes, vt niſi eis violentia magna fiat de facili non rumpantur. Credunt nonnulli hanc eſſe eandem beſtiam, cuius genus quidam occidentalium gẽtilium quaſi Deos adorant. Tales enim beſtias coloris rubei nutrire dicuntur illi gentiles, dantque eis in cibum delicatiſſima fercula, & adorant eas, tenentque captiuas in thalamis,& has ſummopere cuſtodiunt,ne extra terram ſuam aliquatenus efferantur. Et in hoc lexcapitalis ſancita eſt. Sunt autem ad magnitudinem canum. Pegaſus animal magnum eſt & horridum in Aethiopia,equi formam habet,alas vt aquila,ſed multo maiores. Caput armatum cornibus habet, adeo monſtruoſum, vt ipſo cuncta ferè animantia terreat. graui corpore fuga mirabili. Alarum remigio adiuti potius currunt quàm prouolant: & colliſo aere virtute pennarum ad inſtar turbinis impellunt ventos. multas eſcas deuorant: inquiete mouentur, infeſti ſunt animalibus & hoc maxime homini.

Pegaſus.

De Ramigere, & roſurella.

CAPVT CIII.

Ramiger

RAmiger eſt animal de genere ceruorum, vel damarum, habitans in Noruegia, magnum corpore, fortiſſimum robore, fuga præceleri. Ex re nomen habet,quia ramiger quaſi ramos gerẽs. In capite namque tres ordines gerit cornuum in modum virgultorum: quorum duo maiora cęteris habet eo loco quo ceruus,ſed maiora & lõgiora,vtpote cubitorum quinque ramos augens ad numerum quandoque quindecim. Alia vero duo rectè in medio capitis,& hæc ferè, vt cornua damæ lata,duntaxat,ramuſculis circunſtantibus:breuibus tamen. Porro alia duo contra frontem habet cornua non cornibus, ſed oſſibus,quę in ſcapulis eſſe ſolent prope conſimilia. His itaque cornuum ordinibus armatur contra aduerſarios, decus etiam admirationis auget in beſtiis monſtruoſis. Roſurella eſt animal circa aquas habitans vt frequenter, muſtela manus & pyrolo minus, in dorſo ſubrufum in ventre candidum. In terra facit habitacula,digerit ſtercus odoriferum valde,& muſco ſimile in odore,ſed impar virtute, & odoris violentia: viſus hominum fugit, vno tamẽ in loco ſtercus illud congerit. Et hoc mirum in beſtia,quia bonum ſuum pręſto omnibus accipiendum ponit, quo videatur bonum non inuidere.

Roſurella

De Rhinocephalo, & rhinocerote.

CAPVT CIIII.

Rhinocephalus.

PHyſiologus. Rhinocephalus ceruicem habet equinam cum vniuerſo corpore: flammis quas in ore aſpirat, homines pereunt. *Iſidorus.* Rhiuoceros Græcè, Latinè. Interpretatur in nare cornu. Idem & monoceros,id eſt vnicornis, eo quod vnum cornu in media fronte hebeat pedum quatuor,ita acutum & validum, vt quicquid impetierit,aut vẽtilet, aut perforet. Nam & cum elephantis ſæpe certamen habet, & in ventre vulneratum proſternit: tantæ autem dicitur eſſe fortitudinis, vt nulla venantium virtute capiatur. Sed ſicut aſſerũt,qui naturas animaliũ ſcripſerũt, virgo & puella proponitur, quæ venienti ſinum aperit, in quo ille omni ferocitate depoſita, caput ponit,ſicque ſoporatus velut inermis capitur. *Solinus.* Ante ludos Cneij Pompei rhinocerotẽ Romana ſpectacula neſciebant. Cui beſtiæ color buxeus: cornu in naribus vnicum & repandum, quod ſubinde attritum in mucronem exit, eoque aduerſus elephantes præliatur. Par ipſis longitudine, breuior cruribus, aluum naturaliter petens, quam ſolam intelligit ictibus ſuis peruiam. Idem. Atrociſſimus monoceros, monſtrum mugitu horrido equino corpore, elephantis pedibus, cauda ſuilla, capite ceruino. Cornu à media fronte eius protenditur ſplendore mirifico. *Ex lib. dena. re.* Rhinoceros, qui & monoceros: habere dicitur in media fronte cornu robuſtiſſimum in longitudine quatuor pedum. Eoque aduerſus elephantes præliatur, natuliter aluum petẽs, quam ſolam intelligit ictibus ſuis peruiam. Cum autem à venatoribus capitur,ex ſola indignatione ſuperbum animal moritur. *Plin. lib.* 8. Eiſdem ludis & rhinoceros vnius in nare cornu qualis ſæpe viſus. Alter hic genitus hoſtis elephanto, cornu ad ſaxa limato, præparat ſe pugnæ. In dimicatione aluum maxime petens, quam ſcit eſſe molliorem: lõgitudo ei par. Crura multo breuiora, color buxeus.

Rhinoceros Monoceros

Captura modus.

Interficit elephantem.

De Sciuro, & ſcurulo, & ſtryge

CAPVT CV.

PLinius. *li.* 8. Sciurus hac ſolertia viget, quod tempeſtatem præuidet. Obturatisque qua ſpiraturus eſt ventus cauernis, ex alia parte fores aperit decretas, villoſior ei cauda pro tegumento eſt. In hyeme pabulum alijs prouiſum, alijs vero pro cibo ſomnus eſt.

Sciurus, qui barbarè vocatur ſcurulus.

Scurulus à currendo dictus eſt. Hic fluuium tranſire conſueuit, vtens aſſere vel cortice pro naue,& cauda pro velo. Stryx eſt animal in Aphrica erinacio ſimile,vocatum à ſtridore ſpinarum: quas tergo laxatas emittit, vt canes vulneret inſequentes. *Solinus.* Stryx in Aphrica & India generatur,animal videlicet ſpinoſum,longiores habens aculeos,quam erinacius,hibernis autem ſe condit menſibus. *Auctor.* Hanc æſtimo eſſe eandem feram quam Solinus & Plin. addita in principio, i littera cum aſpiratione vocant hiſtricem vt ſuperius diximus. Ipſa eſt enim porcuś ſpinoſus,ſiue(vt vulgo dicitur)ſpicatus. Dicit enim Plin. lib. 8. Hyſtrices generat India & Aphrica ſpina contecta, ac erinaciorum genere, ſed hyſtrici longiores aculei: & cum intendit cutem miſſiles. Ora vrgentium figit canum, & paulo longius iaculatur. hibernis autem menſibus ſe condit, quæ natura multis & ante omnia vrſis.

Strix.

Hiſtrix.

De Simia.

CAPVT CVI.

Simia.

ISidorus. Simiæ nomen Græcum eſt,id eſt preſſis naribus. Vnde ſimias dicimus,eo quod ſuppreſſis naribus ſint,& facie fœda rugis turpiter follicantibus,licèt & capellarum ſit preſſum habere naſum. Alij ſimias Latinè vocatas arbitrantur,eo quod multa in eis ſimilitudo rationis humanæ ſentitur, ſed falſum eſt hoc: hæ enim elementorum ſagaces noua luna exultant, media & cauatriſtãtur. *Ariſt.* Simiã mixtę naturę eſſe quis dubitat:naturę enim hominũ & naturæ quadrupedũ conueniens eſt,& vtitur itidẽ pedibus ſicut & manibus,quia cõpoſitę ſunt ex manu & pede. Simia ergo eſt vnum ex animalibus, quæ cõmunicant in naturis,ſcilicet hominis & quadrupedis. Simiæ non ſunt piloſæ anterius, Earumque cilia ſunt curta & ſubtilia valde. Habent enim dentes anteriores etiam molares ſicut homo:& in palpebris cilia. Cætera vero quadrupedia non habent pilos, niſi in ſuperiori tantummodo In pectore ſimiæ ſunt mammillæ paruæ, & in eis coniduo. Eius quoque brachia ſunt vt hominis, ſed piloſa. Flectit manus & pedes, vt homo. Sed manus habet minores, & etiam digitos & vngues, vt homo. Ambulat ſuper pedes quatuor. Et quãdoque erigitur tempore modico. Non habet anchas,vt animal bipes, nec caudã vt quadrupes. Vmbilicum prominentẽ non habet, ſed ille locus in eo durus eſt. Fœminę vulua eſt vt mulieris. Maſculi virga vt canis. Illa tamẽ ſpecies ſimię,quę dicitur kiboz caudã habet. Interius vero eius

Noua luna exultant.

ſicut

ſicut & interius hominis omnino.

Plin. lib. 11. Simiarum genera perfectam hominis ſimulationem continent. Facie, naribus, auribus, palpebris, quæ ſolę quadrupedum & inferiorem habent genam. Nam mammas etiam in pectore & brachia, & in contrarium crura ſimiliter flexa, ſimiliter in manibus etiam vngues, digitos, longioremque medium pedibus paululum differunt. Sunt enim vt manus prælongi, ſed veſtigium palmæ ſimile faciunt: his quoque pollex & articuli vt hominũ, præter genitale tantum, & hoc in maribus. Viſcera quoque interiora omnia ad exemplar. *Idem.* Ea quæ animal generant, genua ante ſe flectunt, vrſis autem & ſimiarum generi cõtrarium ob id minime pernicibus; quia quadrupedem parientibus. *Idem in lib.* 23. Simias & quadrupedes quibus ſunt digiti, creſcere negant aſſuetas potu meri. *Ex lib. de nat. rer.* Simia eſt beſtia condenſa villo in exterioribus membris ſuper omnia animalia ſimilans humani corporis diſpoſitionem. Interius autem nullam cum homine diſpoſitionem habens communem, aut omnibus animalibus minorem: ergo omnes ferè beſtiæ mammillas habent in poſteriori contra renes, vt eas inferius poſitas fœtus attingere poſſint, & prõptas habere cum velint. Homo vero & ſimia habẽt eas in pectore, quia natura dedit eis manus habiles ad omnem actum, quibus eleuare poſſint fœtus à terra, & aptare illos ad vbera. Hoc autem illi deeſt humani corporis, quia caret vmbilico, virga quoque maſculi eſt, vt virga canis. Calcaneum habet in pedibus, & propter hoc erigitur, vt homo ſtat & currit quãdoque, ſed hoc non poteſt niſi modicè, quia natura beſtiam hanc condidit, in faciem eſſe proſtratam. Nam ſolus homo naturaliter erectam habet ſtaturã: hæc beſtia geſtu inquieta eſt, morſu ferox, cauda caret, & præ cæteris animalibus guſtu viget. Nuces & poma libenter comedit, ſed cum in eis corticem amarum reperit, totum proiicit, ficque propter amarum dulce reſpuit. In India dicit Plin. eſſe ſimias toto corpore candidas. *Alex.* Simia domeſtica dominum ſuum agnoſcit, poſt multa reuertentem annorum curricula.

Interiora ſimia ad exẽplar hominis

Guſtu viget.

Candidæ ſimia.

De Ridiculoſitate ſimiarum.

CAPVT CVII.

Plinius. Simias mira ſolertia viſa ſingula quoque facere, venãtium imitatione tradunt. Mucianus tradit eas & latrunculis luſiſſe fictis. *Ex lib. de naturis rerum.* Simia ad omnem ludum docibilis eſt, & ad ferocitatis obliuionem. Nunquam tamen ſic eſt manſueta, vt non ſit rabida. Libenter cum pueris ludit, & ſi copia data fuerit, eos aliquãdo ſtrangulat. Si quis eam læſerit, diu contra eum rancorem cuſtodit. Ingenio pollent, & æmulantur quicquid vident, Vnde facilius incidunt in manus venatorum, habitant autem in arboribus vel rupibus. At vbi eas venatores viderint, acceptis calciamentis hominum vadunt & ſedent in locis vbi ab illis videri poſſint. Induuntque calciamenta illa pedibus ſuis, ac diligentius ligant. & poſt hæc exponentes ea ſub arbore relinquunt, & procul abeunt: tunc ſimię deſcendentes, quod eos facere viderunt imitãtur, ficque calciatæ capiuntur. *Solinus.* Omne latifũdrum quod inter Ægyptum, Æthiopiã Lybiamque diffunditur, quantumcũque lucis opacum eſt, varium impleuit ſimiarum genus. Nec ſine ingenio æmulandi ſunt, quo facilius in manus hominum veniunt. Namdum auidè venantium geſtus affectant: relicta conſulto viſci vngũilla, quod mendacio factum vigẽt, oculos ſuos oblinunt, & ita obducto viſu pronum eſt eas corripi. Immoderatè fœtus ſuos amant.

Ludunt latrunculis.

Modus quo capiuntur.

Alius modus

De Fœtibus ſimiarum ac ſpeciebus earum.

CAPVT CVIII.

Hyſiologus. Simia cum geminos peperit, vnum diligit, & alterum odit. Si quando autem à venatoribus quęritur, ante ſe illum quem diligit amplectitur, & alterum quẽ odit collo portat. Sed cum bipes eundo laſſa fuerit, proiicit volens quem diligebat, ſeruatque nolens quem odio habebat. *Iſidorus.* Simiæ fœtus quos amant ante ſe geſtant, neglecti circa matrem hęrent. Horum genera quinque ſunt, ex quibus circopytheci caudas habent. Sphingiæ villoſæ ſunt conis, mammis prominentibus, dociles ad feritatis obliuionem. Gynocephali & ipſi ſimiles ſunt ſimiis, ſed facie ad modum canis: vnde & nuncupati ſunt. Satyri facie grata, & geſticulatis motibus inquieti ſunt. Callytrices toto penè aſpectu à cæteris diſtant. Sunt enim in facie producta barba, & lata cauda. *Solinus.* Cynocephali è numero ſimiarum: in Aethyopiæ partibus frequentiſſimi ſunt, violenti ad ſaltum, feri morſu. Nunquam ita manſueti, vt non ſint magis rabidi. Callitryces in toto diuerſæ ſunt à cæteris, has quidem capere non arduum, ſed proferre rarum. Non enim viuunt in altero quam in Aethyopia, hoc eſt ſuo cœlo. *Plinius lib.* 8. Simiarum quoq; genera figura homini proxima, caudis inter ſe diſtinguuntur. Cornelius diſtinguit luna caua triſtes eſſe, quibus in eo genere cauda ſit, noua vero exultationem adoriri. Namq; defectum ſyderum, & cæteræ pauent quadrupedes. Simiarum generi præcipua eſt erga fœtum affectio. Geſtat catulos, quos manſuefactæ intra domos peperere, omnibus demonſtrant, tractarique gaudent, gratulationem intelligentes, itaque magna ex parte complectendo necant. Efferacior cynocephalis eſt natura, ſicut mitiſſima ſatyris. Callitryces aſpectu differunt à cæteris, barba eſt in facie, cauda latè diffuſa priori parte. Hoc animal negatur eſſe niſi in eo quod gignitur cælo Aethiopiæ, Indi ſimias toto corpore candentes venantur.

Circopytheci
Sphingia.
Cynocephali.
Satyri.
Callitryces

Affectus nimius erga prolem.

De Tarandro.

CAPVT CIX.

Plinius vbi ſupra. Tarandrus eſt animal cui magnitudo quæ bouis eſt, caput magis ceruino nec abſimile. Cornua ramoſa, vngula bifida, villus magnitudinine vrſorum. Cumque libuerit ſui coloris eſſe, aſini ſimilis eſt. Tergori tãta duritia eſt vt thoraces ex eo faciant. Colorem omnium arborum, florum, fruticum, locorumque reddit, in quibus mętuẽs latet. Ideoque raro capitur. Hoc ergo animal ſętarum mutat colores, nec aliud ex his quę pilo veſtiuntur, niſi in Indis, & Lycaon, cui iubata traditur ceruix. Nam thoe quod eſt luporum genus longitudine procerius, breuitate crurum diſſimile, ſaltu velox, venatu viuens, innocuum homini, habitum, non colorem mutat, per hyemes hyrtus, æſtate nudus.

Tarandrus.

De Taxo.

CAPVT CX.

TAxus eſt animal agreſte, magnitudinem ferè vulpis habẽs in corpore, ſed humilioris ſtaturę, quia tibias habet curtas, pilum habet griſei coloris, cutem duram atque fortiſſimam, dentes acutos, & cũ à canibus, vel cæteris animalibus infeſtatur, ſe ipſam reſupinat, & dentibus pedibusque repugnat. Fertur autem huic vulpes quodammodo eſſe contraria, vulpes enim nunquam ſibi foueam parat, ſed foueam taxi per dolum occupat. Cum enim eum exiſſe inde ſcit ad introitum vadit, & ibi ſtercorat ſicque taxo propter

Taxus.

immunditiam locum deſerente, vulpes eum occupat. Idē dicitur, & melo ſiue melota de quo dictū eſt ſupra. *Ex lib. de nat. rer.* Taxus eſt animal magnitudine vulpis, habet crura breuia, nec in vtroque latere æqualia, ſed in ſiniſtro breuiora. Vnde fit vt in valliculas rotę, quas attritione currus faciunt, poſitis pedibus dextri lateris valenter currat ſicque ſuos perſecutores effugiat. Pellem habet villoſam, & ſetis rigidam, albis nigriſque pilis contextam. *Phyſiologus.* Taxi manſiones ſibi ſubterraneas labore parant, & vnum taxum eligunt, terræ pedibus ſuis effoſſæ vectorem, itaque ſupinatus quidem, extenſisque cruribus, & erectis ſupra ventrem ſuum terra effoſſa accumulatur, oneraturque, per pedes ab alijs exportatur. Totiensque hoc faciunt, quouſq; domus latitudo habitatoribus ſufficere poſſit.

De Medicinis ex taxo.

Caput CXI.

Sagina. EX *lib. de natur. rer.* Taxi ſagina Luna creſcente augetur, decreſcente minuitur, ita quod ſi occidatur in vltimo Lunæ defectu, non inuenitur: huiuſmodi ſagina conficiuntur vnguenta, quibus ſedantur renum dolores, membrorumque læſiones, & hoc mirum quod beſtia licet ex vna parte ſit medicinalis, morſus tamen eius plerumque grauiſſimus eſt, & exitialis. Sed huius ratio eſt, quia viuit crabronibus, & animalibus quæ in terra repunt, ac venenifera ſunt. Ideoque dentes eius inficiunt. Quāquam etiam ſine cibo venenoſo, luporum, ac vulpium, & multorum animalium dentes eſſe venenatos experientia comprobauit, vnde morſus luporum beſtijs inflicti, ferro calido aduruntur, ne morſus vtique nociuus, contrahat corruptionem. Cibus autem venenatus internorum mediante natura bene diſpoſita, in optimam materiam tranſit. Et quod eſt ex parte veneni, digeſtio propellit, reliquum vero purgat, & in nutrimentum carnis mundificatæ tranſmittit, hac itaque ratione fit vt ſagina ſit medicinalis, & morſus exitialis. Quod melius in tyro ſerpente qui veneniferis veſcitur, & tamē carnes eius in theriacam confectæ, venenis omnibus opponuntur. *Æſculapius.* Adipe taxi inuncti febrientes ſanantur. Cerebrum eius cum oleo coctum omnes dolores curat. Eiusque teſticuli cum melle cocti, libidinem accendunt.

Contra lupi morſum venenatum.

Adeps.

Cerebrum.

De Tygride.

Caput CXII.

Tigris. I *Sidorus.* Tygris vocata eſt propter volucrem fugam, ſic enim nominant Perſi, & Indi ſagittam. Eſt beſtia varijs diſtincta maculis, virtute & velocitate mirabilis, ex cuius nomine tygris fluuius appellatur, eo quod rapidiſſimus ſit omnium fluuiorum. Has autem magis hyrcania gignit. *Phyſio.* Eſt autem tygris animal ſæuiſſimum, & incōparabili rabie ſæuiens, præcipuè quando raptis catulis inſequitur venatores. *Ariſt.* Nam tygribus ſicut & vrſis, & leonibus anguſtiora formauit colla, quia viuunt carne, nec in terras ceruicem, & ora deijciunt paſcēdi gratia, ſed aut ceruum inuadunt, aut bouem ouemque diſcerpunt. Nihilque tam ferum quam leones vel tygrides ſunt, & tamen hæc homini plerumque ſeruiunt, ſuamque naturam humana deponunt inſtitutione, ſicut dictum eſt ſupra de leonis inſtitutione. Tygris vbi vacuum raptæ ſuæ ſobolis cubile inuenerit, illico raptoris veſtigijs inſiſtit. At ille quamuis equo vectus fugaci, videns tamen velocitatem feræ ſe non poſſe effugere, vbi ſe ei contiguum viderit, ſphæram de vitro proijcit. At illa imagine ſui illuditur, & ſobolem, putans impetum reuocat, colligere fætum deſiderans. Rurſus vana ſpe retenta totis ſe viribus ad compræhendendum equitem fundit, & ita iracundiæ ſtimulo velociter fugienti imminet. Ille iterum ſphæræ obiectu ſequentem retardat, nec tamen ſedulitatem matris memoria fraudis excludit. Caſſam verſat imaginem, & quaſi lactatura fætum reſidet. Sicque pietatis ſuæ ſtudio decepta, & vindictam amittit, & prolem.

Miteſcunt.

Deceptio tygridis per ſpecula.

Solinus. Tygres fuluo nitent, & hoc fuluum nigricantibus ſegmentis interundant. Auerſę coeunt, adeo veloces ſunt, quod nihil tam longum eſt, quid non in breui penetrent, nihil adeo antecedit, vt non illico aſſequantur. Maximè autem eorum potentia probatur, cum catulorū inſiſtunt raptoribus. Succedant ſibi equites licèt, & aſtu quantolibet emoliri prædam velint, niſi in præſidio maria fuerint, fruſtra eſt auſum omne. Notantur frequentiſſimè, ſiquando latrones ſuos renauigantes vident, in littore irrita rabie tenuari velut propriam tarditatem voluntaria ruina caſtigantes. *Plinius libro* 8. Tygris, & panthera prope beſtiarum ſolæ macularum ſpectantur varietate. Nam cæteris vnus ac ſuus vnicuique generi color eſt. Tygrem Hyrcani, & Indi ferunt animal velocitatis tremendæ, maximèque dum capitur cognitæ. Tygris totus fætus, qui ſemper numeroſus eſt ab inſidiatore rapitur. At vbi cubile vacuum fæta reperit, maribus enim ſobolis cura non eſt, fertur præceps odore veſtigans, raptor appropinquante fremitu abijcit vnum ex catulis. Tollit illa morſu, & pondere etiam ocyor acta remeat. Itemque conſequitur ea ſubinde, donec eo in nauim regreſſo irrita feritas ſæuit in litore,

Mare præſidium contra tygres.

De Tragelapho, & tragodita.

Caput CXIII.

Tragelaphus. I *Sid.* Tragelaphi à Græco nominati ſunt, qui cū eadē ſpecie ſint vt cerui, villoſos tamen habent armos vt hirci, & prolixis menta hyrſuta barbis, qui non alibi ſunt quam circa Phaſidem. *Plin.* Tragelaphus eſt eadem ſpecie barba tantum, & armorum villo diſtans, quem tragelaphon vocant, non alibi quam iuxta Phaſin amnem naſcens. *Helinandus* 11. *lib.* Dictus eſt autem tragelaphus quaſi hircoceruus. Nam tragos hircus, elaphos ceruus. Eſt autem quantitate, & forma ceruo ſimillimus, ſed villoſos habet armos vt hircus. *Auctor.* Idem, & platocerus dicitur, id eſt lata habens cornua. *Ex lib. de na. re.* Tragodita ſola inter beſtias deiectis cornibus obliqua ceruice paſcitur, vt magis videatur herbam ſic ore attractam ſecare, quam aliorum animalium more carpere, habet enim cornua longa per decliuum capitis, & maxillarum ad terram vſque dependentia, quæ prohibent eam in terra iuxta morem paſcere.

Hircoceruus.

Platocerus.

Tragodita.

De Vario, & vnicorne, & vncia.

Caput CXIIII.

Varius. VArius eſt beſtiola de genere pyroli, paulo amplior quam muſtela. In arboribus habitat, & fętus facit, à re nomen habet. In ventre namque candidus eſt. In dorſo colorem habet cinereum, elegantem atque ſpectabilem. Harum pellibus in ornatu veſtium gloriantur homines vtriuſque ſexus. Ipſa tamen beſtiola minime gloriatur in pelle propria, necdum in aliena. Vnicornis eſt animal paruum, ſed corporis fortitudinem habens crura breuia ad ſuam magnitudinem, ferrum non timet. In excelſis montibus vaſtiſſimisque ſolitudinibus commoratur. Vncia eſt animal ſæuiſſimum, non altius cane, ſed longius corpore, canibus inimicum valde. Prędam non comedit, niſi eam in altum portet, ſed quando ad arborem venit, ad ſupremum eam ramum defert, eamque pendendo comedit. Cum autem in calore coitus exiſtens aliquem vulnerauerit, mures ſuper ipſum conueniunt, ac ſuper eum

Vnicornis.

Vncia.

Nota de moribus fabuloſum.

eum mingunt,& moritur. Vnde quidam ab ea vulneratus ſe per cymbam in mare portari fecit,& mures ad mare venerunt,vt ad eum accederent,ſed propter mare non poterant huius animalis fel mortiferum eſt.

De Vro.

CAPVT CXV.

Vrus. VRi ſunt boues agreſtes, adeo fortes, vt arbores, & armatos milites in conibus eleuent. *Iſidorus.* Vri dicti ſunt ab orion, id eſt,à montibus. Sunt boues autem agreſtes in Germania, habentes cornua intantum protenſa,vt regijs menſis inſigni capacitate ex eis gerulæ fiant. *Solinus.* Vri ſunt in Germania, quos imperitum vulgus bubalos vocat, cum bubali penè ad ceruinam faciem in Aphrica procreentur. Iſtis autem quos vros dicimus, taurina cornua intantum protenduntur, vt dempta ob inſignem capacitatem inter regias menſas potuum gerula fiant. *Helinandus libro 26.* In hyrcinia ſylua Germaniæ ſunt vri,hi ſunt magnitudine paulo infra elephantos,ſpecie,& colore, & figura tauri. Magna vis eorum eſt, & magna velocitas. Neque homini, neque feræ quam perſpexerint parcunt. Hos ſtudiosè foueis captos interficiunt, & relatis in publicum cornibus quæ ſint teſtimonio magnam laudem ferunt. Sed aſſueſcere ad homines, & manſueti fieri, nec paruuli quidem excepti poſſunt: amplitudo cornuum, & figura, & ſpecies multum à noſtrorum boum cornibns differt. Hæc ſtudiosè conquiſita à labris argento circumcludunt, ſicque his in ampliſſimis epulis pro poculo vtuntur.

Bubali.

Non fiunt manſueti.

De Vrſo.

CAPVT CXVI.

Vrſus. EX *lib. de natu. rerum.* Vrſus dicitur quaſi orſus, ſcilicet in ventre,ſed extra completus, & hoc ideo, quia præmaturè parturitur, vnde lingendo informatur. Eſt autem vrſus animal ſæuum, nimis deforme membris. Indifferenter comedit carnes,& fructus terræ vel arborũ, propter humiditatem corporis. Formicas,cancros inſtinctu naturali propter medicinã infirmitatis naturalis. Arbores aſcendit,vel propter metũ, vel propter cibũ,aluearia frãgit,& earum fructus comedit,aquam vorat potius quam bibit, hyeme parum ambulat,vere autem procedit. Et tamen tunc præpingues ſunt maximè mares. Sed hyberno tempore parum valde dormiunt,huius anhelitus ita peſtilens eſt, vt eius anhelitu contactum nulla attingat fera, ociuſque putreſcunt afflata. Sanguis eius pauciſſimus eſt præterquam circa cor. Coctæ carnes eius increſcere videntur, vt dicit Plinius, quod eſt contra omnium carnium morem. Vrſus inter omnia ferè animantia ſemper quam diu vixerit creſcit. Vnde inueniuntur vrſi magni, atque fortiſſimi. Vrſos habet orbis communiter nigros, ſed nonnullæ partes habent albos, & hos ita magnos vt in quindecim cubitorum longitudinem eualeſcant. Vrſa fortior eſt quàm vrſus, & audacior, & aſtutior,citiuſque domeſticatur, habet quatuor mammillas.

Peſtilens anhelitus.

Carnes cocta creſcunt.

Albi.

Ariſtoteles. Vrſus eſt animal habens dentes ſuperius, & vnum ventrem inferius, ac poſt ventrem inteſtinũ ſicut & lupus. Eſt autem in aliquibus animalibus venter maior,vt in porco, & vrſo. Manifeſtum eſt autem quod vrſus agreſtis hyeme latet, ſed vtrum hoc faciat propter frigiditatem an propter aliud,quæſtio eſt. Mares enim, & fœmine in tempore illo pingues ſunt valde,ita quod de facili moueri non poſſunt, fœmina quidem eo tempore in cauernis parit quouſque filios extrahere voluerit, quod erit poſt initium tertij menſis ac veris. Suaque latentia eſt ad minus per dies quadraginta,& dicitur per quatuordecim dies non mouetur omnino, nec venantur ipſam niſi raro, his etiam

Per 14 dies non mouetur

A diebus non comedit aliquid. Vnde ſi qui venantur eos iſto tempore, inuenient inteſtina eorum vacua, & vt dicitur, propter priuationem cibi efficiuntur quaſi concreta. Animalium fœminæ vniuerſaliter maribus ſunt debiliores præter vrſum, & leopardum, in quibus opinantur, quod fœminæ fortiores, & audaciores ſunt, habet autem vrſus mammillas quatuor. *Iſidorus.* Vrſis caput eſt inualidum, ſed vis maxima in brachijs, & lumbis, vnde & interdum erecti ſiſtunt. *Ambro.* Vrſis anguſtiora colla data ſunt quia non paſcuntur herbis in terra, ſed carnes animalium comedunt. *Plinius lib.* 8. Inualidiſſimum eſt vrſo caput, quod leoni fortiſſimum. Ideo vrgente vi præcipitaturi ſe ex aliqua rupe,cooperto manibus capite iaciuntur,ac ſæpe in arena colapho infracto moriũtur. Cerebro veneficium eſſe Hiſpani credunt,occiſorumque in ſpectaculis capita cremant, teſtato, quoniam potum in vrſinam rabiem agat. In Aphrica non ſunt vrſi. In creta quoque inſula non ſunt vulpes nec vrſi. *Idem in lib.* 11. Vrſis medulla nulla eſt, pedes autem in veſtigio ſunt carnoſi. Caudæ vero paruæ ſunt animalibus villoſis, vt vrſis: mares in omni genere fortiores ſunt fœminis, præterquam in pantheris,& vrſis. Vrſę mammas gerunt quaternas. *Solinus.* Vrſi Numide cæteris præſtant. Meſſala lucius vrſos Numidicos centum, & totidem Aethiopicos venatores in circo Romano habuit. Idque ſpectaculum inter memorabiles titulos annotari fecit *Æſculapius.* Si calcauerit ſoſach, id eſt equus vbi veſtigium fuerit douin, id eſt Vrſi accidit ſtupor eius pedi. *Alexander.* Vrſus quodam murmure vtens, pedes ſugit tanquam alimenta quædam ſumat ex eis. Vrſus ex coriatus expreſſe videtur hominem nudum repræſentare.

Caput vrſi inualidum

Leoni caput fortiſſimum

Vrſus excoriatus hominem nudum repræſentat

De aſtutia vrſi, & ſauitia.

CAPVT CXVII.

Solinus. Vrſi inſidiantur alueribus apum. Cumque guſtauerit mandragoræ mala, formicas vorant ad recuperandam ſanitatem. Si quando tauros adoriuntur, ſciunt quibus potiſſimum partibus minorantur. Nec aliud quam cornua vel nares appetunt. Cornua quidem vt pondere defatigẽt. Nares vt arctior ſit dolor in loco teneriore. *Ariſt.* Itaque pręliatur vrſus(vt dictum eſt) non ſolummodo cum ceruis, ſed etiam cum agreſtibus porcis. Et quandoque ſuper tauros ſe proijcit, ac ſuper dorſa eorum cadit. Cumque taurus vult eum ferire cornibus, ipſe cornua ſpatulasque tenet manibus. Tunc proſternit ipſum in terram,& ambulat ſuper pedes poſteriores erectus,comeditq; carnes eius. *Plm. vbi ſupra.* Ingrediuntur vrſi bipedes. Auerſi arborem diripiunt, tauros adoriuntur, cornibus illorum pedibus omnibus ſuſpenſi eos pondere fatigant, nec in maleficia eſt alteri animalium ſolertior ſtultitia *Gloſſa ſuper threnos Hieremiæ.* Eſt ergo vrſus beſtia fera, & fraudulenta, capite quidem infirma, ſed in brachiis, & in membris fortiſſima. Vnde Propheta. *Vrſus*, ait, *inſidians factus eſt mihi. Gloſſa ſuper Daniel* Danieli quoque ſub regni Perſarum typo monſtrata eſt beſtia ſimilis vrſo, qui ſcilicet vrſus eſt victu parciſſimus, ſed fortis, & ſeuerus.

Solers ſtultitia vrſa.

Thren.3.

Gloſſa ſuper Oſee. Vrſa denique nihil eſſe dicitur ſęuius cum catulos perdiderit,vel cum cibo indiguerit. Vnde & Dominus per prophetam comminando peccantibus dicit. Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis. *Ambr.* Vrba Inſidians fera fraudis plena, fertur informes vtero partus edere,ſed eos lingua fingere,& in ſimilitudinem ſui formare:ſauciata quoque ſibi mederi nouit, & vlcera ſua herba quæ flomos dicitur Græcè ſolo attactu curare.

Oſee 13.

Flomo ſe curat.

Ex lib. de nat. re. Vrſus quidem hominem nunquam impetit, niſi ab ipſo prius ictum acceperit. Graui autem cæde affectus, & vulneratus herbam flomum vulneribus applicando mederi ſe nouit. Præter vul-

Prælia vrsorum.

nera vero, & letales ictus omnes læsiones lambendo pedes fertur educere. Præliantur autem non solum cum ceruis,& porcis agrestibus, sed etiam cum tauris. Taurum verò sine cornibus non facile vincit. Ambulat autem erectus quando vult, & cum brachijs luctatur. Pugnat etiam cum vulpe,& asino. Comedit enim carnem crudam. Et hanc fertur esse pugnæ causam. Formicas autem, & cancrum vorat propter medicinam. *Solinus.* Numidæ vrsi cæteris præstant rabie duntaxat, & villis profundioribus. Nam genitura par est quoque genitis.

De generatione vrsina.

CAPVT CXVIII.

Coeunt more humano

VRsi coeunt non sicut quadrupedes alij, sed apti amplexibus mutuis, velut humanis coniugationibus copulantur, desiderium veneris hyems suscitat. Secreto honore mares grauidas reuerentur, & in eisdem licet foueis,partitis tamen per scrobes secubationibus diuiduntur. Verum dies tricesimus liberat. Vnde euenit, vt precipitata fœcunditas informes creet partus. Carnes itaque pauxillulas educit,quibus color candidus, & oculi nulli,& de festina immaturitate tantum rudis sanies,exceptis vnguium liniamentis, has lambendo sensim figurant, & interdum appectoratas fouent, vt assiduo incubitu calefactæ animalem spiritum trahant,interea cibus nullus:Sane diebus primis quatuordecim matres in somnum ita concidunt, vt nec vulneribus excitari queant. Enixæ quaternis mensibus latent, mox egressæ in diem liberum, tantam patiuntur lucis insolentiam, vt putes obsitas cœcitate.

Isidorus. Rectè ergo vrsus dicitur quasi orsus, eo quod ore suo formet fœtus. Vnde & illud:

Carmen.

Sic format lingua fœtum cum protulit vrsa.

Sed hoc immaturitas partus facit. *Plinius lib.* 8. Vrsi hibernis se mensibus condunt. Horum coitus hyemis initio nec vulgari quadrupedum more, sed ambobus cubantibus complexisque, deinde secessus in specus separatim in quibus pariunt die tricesimo, plurimum quinos. Hi sunt candida informisque caro, paulo muribus maior, sine oculis,sine pilo,vngues tantum prominent,hanc lambendo paulatim figurant. Nec quicquam ratius homines quam parientem videre vrsam. Ideo mares quadragenis diebus latent, fœminæ quaternis mensibus. Specus si non habent, ramorum fruticumque congerie ædificant impenetrabiles imbribus, mollique fronde constratos. Primis diebus bisseptenis graui somno premuntur, vt ne vulneribus quidem excitari queant. Tunc mirum in modum veterno pinguescunt. Illi sunt adipes medicaminibus apti, contraque defluuium capilli tenaces, ab his diebus residents, ac priorum pedum suctu viuunt. Fœtus rigentes apprimendo pectori fouent, non alio iucubitu quã oua volucres. Mirũ dictu credit Theophrastus per id tempus coctas quoque vrsorum carnes si assarentur increscere. Cibi tunc nulla argumenta, tunc minimum humoris in aluo inuenitur. Sanguis exiguę circa cor guttæ tantummodo, nihilque sanguinis inest corpori reliquo, procedunt vere sed mares præpingues: cuius rei causa non prompta est. Quippe nec somno quidem saginati, præter quatuordecim dies vt diximus. Exeuntes autem herbam nomine aron laxandis intestinis alioquin concretis deuorant, circaque surculos dentium ora prædomant. Oculi eorum hebetantur crebro,qua maximè causa fauos expetunt, vt conuulneratum ab apibus os leuent sanguine, grauedinem illam,scilicet,oculorum. *Idem in lib.* 11. Animalia quorum in digitos pedum fissura est diuisa, eo sunt in fœtus numerosiora, hæc & partus inchoatos pariunt, in quo genere vrsæ, & vulpes, ac leænæ, sunt. Informia namque pariunt, rarumque est videre parientes. Postea lambendo fœtus calefaciunt,& sic ea figurant,plurimumque quaternos pariunt.

Aro herba laxant intestina.

Ex lib. de natur. rerum. Vrsa nimirum est calida valde,quod docet motus eius continuus, est itaque matrix eius calida multum, & sicca. Vnde desiccantur cotylidones quibus fœtus alligatur matrici, & ob hoc rumpitur; ideoque nascuntur fœtus informati. Aliis placet matricem humidam esse multum, vnde & cotylidones rumpi dicunt. Et hac etiam de causa non potest fœtui forma imprimi, eo quod humidum non bene retinet impressionem.

De venatione vrsi, & captura.

CAPVT CXIX.

Captura vrsorum.

VRsus hoc modo capitur: venatores arborem concauam notantes, in qua melleos fauos congesserint apes, malleum ingentis molis ibi quodam funè suspendunt, ita quod foramen per quod aditus est ad fauos, obstruunt. Indeque sub arbore palos ex acuto in terram figunt. Cum ergo vrsus mellis cupidissimus in aditu malleum appensum inuenerit irascitur,& pendentem eijcere nititur. Sed malleus ad locum rediens, eum reuerberat. Cumque sæpius hoc fit, vrsus tandem ictibus mallei fatigatus, & victus, vt & mellis (vt dictum est) auidus in palos acutos sub arbore defixos cadit, sicque venatores obseruantes deiectum capiunt, vel occidunt. Plerumque vero venatores facta fouea in qua volunt vrsum cadere,vt ibi capiatur, vel occidatur,viam, quæ versus foueam tendit spargunt melle, vt ille lingendo sequens viam mellicam, tandem incidat in foueam. Cum autem capitur,si non ad nutum hominis mansuescit, oculi eius ære candenti excœcanur. Dum enim æs candens respicit,quasi sensibiliter visum amittit.

De medicinis ex vrso.

CAPVT CXX.

Caro.

ISaac. Vrsina caro viscosissima, digestionique inobediens pessimum dat nutrimentum,vnde plus pertinet medicinę quàm cibo. *Physiologus.* Fel vrsi calidum est,& siccum, valet contra epilepsiam, & paralysim. Debet autem fel cum folliculo suo ab hepate separari, & ita suspendi, & desiccari, per duos annos seruatur. *Æsculapius.* Si oculos douin, id est vrsi eradicaueris,& supra sinistrum hominis adiutorium ligaueris,eius quartanam mitigabunt. *Plinius lib.* 28. Oculorum suffusiones circumlini prodest vrsino felle: pterigia quoque digitorum sedat admixto melle. Item in aqua sumptum laxat spirandi meatus. Vrsinus sanguis pannos, & apostema in quacunque parte discutit. Adeps vrsi medetur podagris, taurinumque sebum pari pondere, & ceræ. Idem adeps admixta rubrica sanat in tibiis,& cruribus vlcera,lumborum quoque dolores, & alia quæcunque opus est molliri, conuenit vrsino adipe fricari,denique testes vrsini comicialibus conferunt comesti. *Auicenna.* Adeps vrsi confert alopiciæ. *Dioscorides.* Dicitur adeps vrsi capillorum incrementis prestare, & alopicias emendare. Fel vrsinum vt electuarium datum epilepticis medetur. Item lanis adhibitum & in vmbilico positum infantium ventrem soluit. *Auctor.* Vt autem dictum est superius iuxta Plinium, Vrsi primis diebus quatuordecim graui somno premuntur. Tuncque mirum in modum veterno pinguescunt. Et illi sunt apti medicaminibus adipes, contraque pupillæ defluuium tenaces.

Eel. *Oculi.* *Sanguis.* *Adeps.*

De Vulpe.

CAPVT CXXI.

Vulpes.

VVlpes est animal dolosum, aues etiam domesticas, vt gallinas insidiosè rapit,& deuorat. Villos

habet

habet vberes,& altos,caudamque magnam,fertur autem quod vulpes nunquam facit sibi foueam, sed foueam taxi dolosè occupat. Cum enim scit taxum,exijsse de fouea,accedit ad introitum, & ibi stercorat,sicque propter immunditiam fugit taxus, & vulpes occupat locum eius, hanc insequuntur venatores propter pellem, non propter carnes, quæ sunt inutiles. *Plinius lib.* 8. In Thracia vulpes locis rigentibus animal alioquin solerti auditu, gelatos amnes lacusque non nisi ad pastus ituræ redituręque transeunt. Itaque obseruatum est vulpē,aure ad glaciem appositа, coniectare gelu crassitudinem. *Idem in lib.* 10. Vulpes sicut & vrsæ, ac leænæ fœtus inchoatos edunt, informia enim pariunt, rarumque est videre parientem. Postea vero lambendo fœtus calefaciunt, & figurant, plurimum autem quaternos pariunt. *Idem in lib.* 11. Vulpibus genitalia sunt ossea,sicut & lupis,& mustelis. *Idem in lib.* 24. Vulpes si ederint amygdalas, nec è vicino aquam lambere contingat, moriuntur. *Idem in libro* 28. Gallinacios autem tradunt à vulpibus non attingi, qui vulpis iecur aridum ederint, vel si pellicula ex eo collo induta galli interierit;similia quoque in felle mustelę. *Aristot.* Vulpis est animal ingeniosum, & malarum operationum, habet virgam ex osse, coit ad terram proiecta. Vrsus & cirocos auis, scilicet vncorum vnguium cum vulpe pugnant, quia carnem manducant. Tyrus autem, & vulpes, amicantur amboque in cauernis terræ manent. Vultur quoque vulpem deprehendit. Omne animal quadrupes habens multas fissuras in pedibus, vt canis, & vulpis ac leo,& lupus generat filios cœcos. Extra vero separantur oculi, & vident. Item animalia quorum natura propinqua est adinuicem, maximeque si non diuersantur in aspectu, & magnitudine,ac secūdum imprægnationis spacium conuenientia sunt, ad inuicem coeunt. Hæc autem sunt in canibus, & in lupis ac vulpibus. Vulpium vocem timent cerui. Ascelon auis est quæ cum vulpe pugnat,eam deplumat,& nocet, & pullos eius interficit. Coruus autem amicus est vulpis,& iuuat eam cōtra ascelon. Est & auis quæ non cubat ouа sua, sed inuoluit ea corio vulpis aut leporis donec frangantur.

Ambrosius in Hexameron. Vulpes est animal odio dignum, propter rapinam, despectum propter infirmitatem. Incautum suæ salutis dum insidiatur alienis: vulpes lachrymula pinus sibi medetur, & tali remedio mortis imminentis spatia profert. *Auicenna in 4. canone.* Vulpes quoque sicut & alia quædam animalia efficitur rabiosa.

Ex libro de natura rerum. Vulpes est animal fœtidum,maximeque in ore,& etiam posteriori parte imminente mortis periculo. Succum qui de pino fluit in cibum sumit, sicque salutem recuperat, & quum vitæ in longum protendit. Habet enim vulpes in terra foueas ad tutamen, sed plerumque capiuntur in eis. Nam venatores vbi eas deliteſcere nouerint in foueis paruos catulos arte doctos immittunt, qui foueæ summitatem penetrantes, eas latratu produnt. Ibique decontra venatores fodiunt, sicque iacentem vulpem attingunt, & capiunt. Vulpes si amygdalas comederit, mori dicitur. Calefactionem hepatis æstiuali tempore patitur, vnde sanguis ad exteriora fluens eum releuat,& cutis eius vlceratur, & per hoc pili de corpore ipsius cadunt, sicut ait Constantinus in viatico vulpes in fame præ angustia latratus canum imitari dicitur, hoc est cum esurit, nec inuenit quod manducet, fingit se mortuam, & resupina flatum attrahit lingua protracta, tunc aues incautè descendentes quasi ad cadauer,aperto suo ore rapit, & deuorat. Coeunt autem vulpes in latere proiectæ, maremque fœmina amplexante. Catuli vero vulpium in vtero materno gestati pelliculam vnguibus penetrant ventris materni.

Animalia parientia filios cœcos

Amygdala mortifera vulpibus

De Vulpis dolositate.

CAPVT CXXII.

Vulpes Volipes.

ISidorus. Vulpes rectè dicta est, quasi volipes. Est enim volubilis pedibus, & nūquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currit fraudulentum animal insidijsque decipiens. Nam dum non habuerit escam, singit mortē,sicque descendētes aues quasi ad cadauer rapit, & deuorat. *Physiologus.* Vulpes quando esurit, nec inuenit quod manducet, inuoluit se in rubra terra, vt appareat quasi cruenta, & proiicit se in terram retinetque flatum suum. Quam videntes aues non spirantem, & quasi cruentatam, linguamque eius ore iectam, putant esse mortuam, tunc descendentes ad sedendum super eam, illa rapit & deuorat eas. *Ex lib. de nat. rer.* Canes etiam quandoque vulpes euadit,dū se canem inter canes consimili latratu fingit, & dum se ramo suspendit, canes errare cogit, qui vestigia sequuntur incertos. Consueuit etiam canes ac venatorem deludere, dum gregem caprarum intrans, vnam ex eis occupat,eius dorso insiliens. Sic enim per cursum capræ fugientis propter insperati, & odiosi sessoris terrorem euadit. Nam, & aliæ capræ sequuntur, quas cum venator turbari timet, odorisequos canes odorem vulpis sequentes reuocat. Capta quoque in pedica quandoque morsu sibi pedem præscidit, vt vel sic euadat. Cū vero fuga nulla patet, se mortuā simulat, vt à pedica extracta fugam arripiat. Cum autem (vt dictum est) taxi habitacula sua præparauerint,absentibus illis accedit vulpes, & intrat eorum labores. Signumque turpe nouorum hospitum relinquit, vt egestionis putore fouea polluta vilescat. Et reuera taxus fœtorem detestans locum dimittit,sicque dolosa bestia illum occupat. Vulpes cum eam canis insequitur, & assecutam apprehendere nititur, villosam caudam suam per insequentis ora trahit, sicque canem deludit, donec ad condensa syluarum attingere possit: maximè vero domesticis animalibus insidiatur, leporem quoque venatur, & primo quidem cum ipso ludit, deinde dentibus eum attentat, & tandem capit nisi lepus effugiat. At nonnulli lepores eius malitiam experti effugiunt ludum eius tanquam inimici. Vulpes fugiens anfractuosis cursibus fertur, ne à venatoribus eius vestigia percipiantur. Dicunt etiam vulpem lacus gelatos transituram, aure appositа glacіei coniectare spissitudinem, nec audere transire,nisi sufficienter inuenerit fortem.

Nota.

Simulat se quandoque mortuam

Occupat foueam taxi.

De medicinis ex vulpe.

CAPVT CXXIII.

VVlpis carnes si comburantur, valent asmaticis cum vino sumptæ sanguis,& adeps eius multum confert aurium doloribus. *Hali.* Vulpes si cum oleo decoquatur oliuæ, oleum hoc nodis, & duritiæ quæ fiunt ex ea arthreticæ prodest. Adeps vulpis cum oleo fisani,id est,ireos liquefactus aurium dentiumque medetur doloribus. Pulmo eius cum aceto causali compressus attractioni spiritus,& asmati medetur. Fel vulpis acuit visum, & prodest in principio aquę,quæ descendit ad oculum. *Plinius libro* 28. Vulpes decocta donec ossa tantum restent, medetur podagris. Linguam vulpinam habentes in armilla lippituros negant, iecur vulpis aut pulmo in vino nigro meatus spirandi laxat. Idem quoque pulmo cinere siccatus, & in aqua potus prodest lieni vitiato. Adeps eius confert capitis vlceribus. Testes quoque vulpini parotydas comprimunt.

Contra podagram.

Auicenna. Vulpes in aqua cocta, & embrocata iuncturæ dolorosæ confert vehementer. Adeps eius in aurem distillatus sedat dolorem eius. Ad hoc enim euacuatiua est valde. Item eius pulmo siccus confert

aſmaticis valde. Pellis eius calidior eſt cæteris,& hac iuuantur humectati propter eius reſolutionẽ. Teſticulus vulpis calidus eſt in primo, & humidus in ipſo,& eſt in eo humiditas ſuperflua. Confert ſpaſmo,& thetano qui ſunt in poſterioribus ex paralyſi, facit appetitum coitus, & adiuuat ipſum proprièque cum vino, & ſtat loco ſtinci.

Dioſcorides. Pulmo vulpis ſiccus,& cum vino nigro potatus aſmaticis ſubuenit. Adipes eius collecti,& ſoluti dolores aurium mirificè curant. *Æſculapius.* Pulmo vulpis aſſatus in prunis ac bibitus ſplenem conſumit,ſuſpirioſo ſanat. Cor eius curſui ſanguinis, & recurſui valet. Fel eius aures,& oculos curat. Cum melle valet ad faciei maculas, & ad ſurditatem aurium cum lacte mulieris. Iecur eiuſdem eſum vel cum vino bibitum cæliacos ſanat, & oculos ex eo ſuffumigatos atque cum aqua calida ſalſa lotos clarificat. Splen eius bibitũ torminoſos mirabiliter curat. Adeps eiuſdem auribus, & membris podagricis prodeſt. Sebum eius tremuloſis, & omni dolori valet. Renes eius cum melle cocti faucium dolores pellunt. *Teſticuli* quoque eius podagrain ſæpe fricatam fugant, & gingiuarum panniculos diſſoluunt. Idem in oleo veteri cum bitumine cocti atque ſuppoſiti ſuffocatam matricem ſanant: auribus etiam ac ſpleni,& alopiciæ valent. Item pellis eius circumuoluta pedi podagrico ſanat eum. Cerebrum eius infanti ſi ſæpe datum fuerit nunquam caducus erit.

Teſticuli valent contra podagrã. item & pellis.

De Ichneumone,& hippotamo.

CAPVT CXXIIII.

Ichneumon

Iſidorus. Ichneumon Græcè vocatur,eo quod odore ſuo ſalubria ciborum , & venenoſa prodantur, de quo Draconcius ait: Præſcidit ſuillis vim cuiuſcunque veneni. Dictus eſt autem ſuillis à ſetis, hic etiam ſerpentes inſequitur. Qui cum aduerſus aſpidem pugnat, caudam erigit quam aſpis maximè incipit obſeruare quaſi minantem,ad quam cum vim ſuam transfert decepta corripitur. *Ariſt.* Ichneumon cum videt ſerpentem qui dicitur hoſcos, nõ pugnat cum eo quouſque clamet adiutores. Et quia timent à morſu ſerpentis, intrant aquam, & poſt arenam, deinde cum ſerpente pugnant. *Plinius lib.* 8. Habet aſpis interneciuum bellum cum ichneumone. Notum eſt autem animal hac gloria, maximè in Aegypto natum. Mergit ſe limo ſæpius, ſiccatque ſole. Mox vbi pluribus eodem modo ſe corijs loricauit,contra aſpidem in dimicationẽ pergit, caudaque ſe attollens ictus irritos auerſus excipit, donec obliquo capite ſpeculator inuadat in fauces Nec hoc contẽtus aliud haud mitius debellat animal, ſcilicet crocodilum. Hunc enim ſomno preſſum cõſpicatus, per fauces vt telũ aliquod immiſſum rodit aluum. *Auctor.* De hoc require ſupra vbi de crocodilo dictum eſt in fine. hanc beſtiam , ſcilicet ichneumonem eandem eſſe patet,quam vocat Iſidorus enydron de qua ſuperius diximus. *Ex lib. de na. rer.* Hippotamus in terra naſcitur, licèt in aquis ſicut in terra potens ſit, & habitet. Caudam habet tortuoſam, dentes prurigineos, dorſo & hinnitu ſimilis equo, de quo ſupra plenius dictum eſt in tractatu de monſtris marinis, & piſcibus. *Plin. lib.* 8. Hippotamus etiam in quadam medendi parte magiſter exiſtit, aſſidua namque ſatietate obeſus exit in litus, recentes arundinum cæſuras perſpeculatus,atque vbi acutiſſimam videt ſtirpem imprimens corpus venam quandam in cute ſua vulnerat. Sicque profluuio ſanguinis morbidum alias corpus exonerat, & plagam limo rurſus obducit.

Suillis.

Debellat aſpidem & crocodilum

Hippotamus

Medetur ſi. bi percuſſione venæ.

De Zubrone.

CAPVT CXXV.

Zubro.

Ex lib. dena. rer. Zubro eſt beſtia de genere taurorum ſylueſtrium, fortiſſima maximaque , vtpote quindecim cubitorum longitudinis. Tantæ quoque velocitatis eſt,vt ſtercus,quod cum impetu egerit, retroacta in cornibus recipiat,ac longius poſt terga proijciat. Hoc itaque ſtercore egeſto largiſſimè perſequẽtes canes excæcat atque debilitat, & penitus inutiles reddit. Pilos habet ſubnigros, cornua maxima trium cubitorum, ampla ſupra modum, ita vt ad menſas diuitum gerula fiant potuum. Cum ergo hominem aut canem obuium habuerit , in cornibus ſubtollit eum, & tam diu in altum proijcit,iterumque in cornibus recipit, donec penitus interimat conquaſſatum, hanc quidam propter eius velocitatẽ dicunt eſſe tygridem, ſed falſo,nã tygris eſt beſtia ſatis modica,& habitat in oriente, hæc tygris autem reperitur in Bohemia. Quæ à venatoribus hoc aſtu decipitur, nec eſt ars alia, venandi qua defacili poſſit capi , laſſato zubrone primitus à canibus,venator ei ſe circa arborem magnę molis opponit,quem zubro videns ad arborem accurrit, eamque cornibus , & fronte cingens putat ſtolidus, quod venatorem obruere poſſit, interim venator ſẽper arbore protectus luctantis latera cuſpide perfodit, & ſic humanis viribus inuincibilem ſapientia deijcit, aliud autem eſt ẓubronum genus quod Poloni Turones dicunt. Forma quidem minus,ſed velocitate prę-ſtantius.

Ratio non conclud it Quo aſtu capiantur.

De Minutis beſtiolis,& primo de mure.

CAPVT CXXVI.

Auctor. Hucuſque de iumentis ac beſtijs diximus. Præter has vero maiores beſtias ſunt & minutę quædam beſtiolæ, quæ partim reputari poſſunt in genere beſtiarum, partim in genere vermium , vt ſunt mures, glires, mygalæ, muſtela, rattus,ſorex, talpa,& ſiqua ſunt ſimilia. De his ergo reſtat dicendum , quæ omnia generaliter videntur eſſe de genere murium, & primo de mure in generali, cuius tamen vocabulum ſorici vulgariter eſt appropriatum.

Iſidorus. Mus eſt animal puſillum, cui Græcum nomen eſt. Quicquid autem ex eo trahitur latinum fit. Alij dicunt mures, eo quod ex humore terræ naſcantur. Nam mus terra dicitur,vnde & humus. His iecur plenilunio creſcit, ſicut quædam maritima augentur, quæ rurſum decreſcente Luna deficiunt. *Plinius lib.* 8. Mus eſt animal ſemiferum , id eſt nec placidum , nec ferum,ſed mediæ inter vtrumque naturæ. Incolas domorum mures poſuerunt,hi conduntur hyeme,genitoresque ſuos ſenecta feſſos alunt inſigni pietate. Senium hiberna quiete finitur. Conditi namque, & hi cubant, & rurſus ætate iuueneſcunt.

Mus

Animal ſemiferum.

Idem in libro eodem. Sicut è volucribus hirundines indocibiles ſunt, ſic è terreſtribus mures. Auctore Ariſtotele,& Alexandri Magni militibus generatio murium lambendo conſtare,non coitu dicitur. *Ex vnagenitas* 120. tradiderunt. Apud Perſas vero prægnantes, veneris patientes, & vtero parientes, & vtero parientes repertas, & ſalis guſtatu fieri prægnantes opinantur. Itaque deſinit eſſe mirum , vnde vis tanta meſſes populetur murium agreſtium. In quibus illud quoque adhuc latet , quonam modo illa multitudo repente occidat. Nam nec exanimes reperiuntur , nec extat qui murem hyeme in agro effoderit. Plurimi itaque ad Troadem proueniunt,& iam accolas inde fugauerunt prouentus eorum ſiccitatibus tradunt. *Idem in lib.* 11. Murium aliqui habẽt fel & pleriſque animalium pinguedo ſine ſenſu eſt, quam ob cauſam ſues ſpirantes à muribus tradunt adroſas. *Idem in lib.* 16. Muribus fagi glans dicitur eſſe gratiſſima , &

Generant lambendo Copia partus.

Glans fagi cibus muriũ

ideo

ideo animalis vna prouentus eſt. *Idem in lib.* 29. Nullum animal èſtimatur minus docile, vel minoris intellectus quam mus.

De Mure.

CAPVT CXXVII.

Ariſtoteles. Mus ſicut & animalia cætera magni cordis, timidus eſt. Mures etiam habent habitacula, ſicut & talpæ. Animalia in Lybia non aſſueuerunt potare aquam in æſtate, propter paucitatem aquarum. Et propter hoc ſi mus potauerit aquam morietur. Inueniuntur animalia quædam ruminantia, dẽtes in vtraque mandibula habentia ſicut mures. Item animalia quędam parua multos filios ponunt ſicut genus murium. Et in quibuſdam animalibus eiuſdem generis quandoque inuenitur fel, quandoque non, vt in mure, & in homine. Nam quidam homines habent fel manifeſtum ſuper hepar, & quidam nõ. Auis quædam galy pugnat cũ ſerpentibus mures comedẽtibus, quoniam & ipſa mures comedit. Itẽ aliquod animal quod facit ſerram dentibus, accipit aquam lingua ſicut mus. *Ambroſius.* Elephantus formidabilis tauro murem timet.

Non eſt aquæ potor.

Elephas timet murem

Ex lib. de nat. re. Mus eſt beſtiola panis cupida, & eorũ quę ex frugibus ad humanos vſus fiunt. In perquirendis cibis ſolertiſſima, pro quibus etiam nulla plerumque vitat pericula, eorumque cupidine duriores ſolidasque materias demolitur. Porro ſi aquam biberit moritur, quia valde humidæ naturæ eſt. Plinius dicit murem lybicum non bibere. Quia vero certum eſt murem mingere, probabile eſt eius cibum in vrinam verti, ſicut homines quidam fere nihil bibunt, & tamen mutatis in liquidam ſubſtantiam cibis vrinã plurimam faciunt. Mus plurimos caſeos in vno loco reperiens omnes attentat, & illum quem optimum inuenerit comedens, deteriores damnat. Odor murium elephantos vexat. Harum ſubito multitudinem oriri, ac repente occidere manifeſtum eſt, nec tamen exanimes reperiuntur. Lapillos etiam candidos cum earum fætibus inueniri frequenter certum eſt. Vnde vulgus edocuit eas non poſſe parere, niſi præſente lapillo. In Aegyptiacis Thebis ſi pluuias largiores æſtiuo tempore cęlum fuderit, mox infinitis muribus regio tota repletur. Muribus in plenilunio iecur creſcit, Luna quoque plena voces edunt, in nouilunio mutæ ſunt. Nec dubium eſt in quibuſdam partibus eſſe mures albos, rufos autem nonnullos. *Gloſſa ſuper Leuit.* 11. Mus in terra mouetur, & inter polluta reputatur. In quo ſcriptura ingluuiem prohibet, quia mus pro ventris ingluuie nulla pericula cauet.

Nota.

Nota.

Symbolum ingluuiei.

De diuerſis generibus murium.

CAPVT CXXVIII.

Plinius lib. 8. Murium plura genera ſunt in regione Cyrenaica. Alij lata fronte, alij acuta, alij erinaciorum genere pungentibus pilis cum candidi prouenere lætum faciunt oſtentum mures, & ipſos hyeme condi. Auctor eſt Nigidius, ſicut glires quos cenſorinæ legis principes Q. Scaurus, & M. in conſultu non alio modo cœnis admittere quàm conchylia, aut ex alio orbe conuectas aues. Idem Theophraſtus auctor eſt, in Gyaro inſula cum incolas fugaſſent, ferrum quoque roſiſſe, conſtat id quod iacturam quidem, & ad chalybes fecere in ferrarijs officinis. Aurarijs quidem in metallis, ob hoc aluos eorum excidi, ſemperque id furtum deprehendi.

Roſerunt ferrum.

Idem in libro 10. Tradunt autem muribus obituris vermiculum in capite gigni. Ægyptijs muribus durus eſt pilus ſicut erinacijs. Idem bipedes ambulant, ſicut alpini. *Idem in lib.* 8. Conduntur & alpinini mures, quorum magnitudo media eſt, pabulo autem ante in ſpecubus coniecto. Quidam autem narrant alternos marem & fœminam ſupra ſe complexo faſce barbæ ſupinos cauda mordicus apprehenſa inuicem ad ſpecum detrahi, & ob hoc illo tempore dentritos eſſe dorſo. Sunt & his pares in Aegypto. Similiterque reſident in clunes, & binis pedibus gradiuntur, prioribus autem vt manibus vtuntur.

Ex lib. de nat. re. In Oriente mures, vt dicit Iacobus, ad modum vulpium magni ſunt, qui animalia perimunt, & homines licèt non occidant, morſibus tamen moleſtant. In Arabia mus magnus inuenitur, cuius pedes anteriores ſunt magni, ſcilicet vnius palmæ, poſteriores autem vnius digiti.

Mures magnitudine vulpes.

De his cum quibus mures fugantur.

CAPVT CXXIX.

Plinius lib. 8. Mures abiguntur à frugibus cinere muſtelæ vel felis diluto, & ſemine ſparſo, vel in aqua decoctarum. Sed huius animalis virus redolet etiam in pane, ob id felle bubulo attingi ſemina vtilius putant. *Idem in lib.* 20. Cucumeres aguini dicti vel erratici decoquuntur, & ex hac decoctione ſparſa mures non attingunt. Allium valet cõtra venenatum murium morſum, maluę quoque contra omnes aculeatos ictus ſunt efficaces præcipuè muris. *Idem in lib.* 22. chamæleonis herbę ſuccus additis aqua & oleo mures in ſe contrahit ac necat, niſi protinus aquam ſorbeant.

Allium.

Idem in lib. 24. Taxi quoque arboris fumus, necat mures. Idem in lib. 25. Elleborum etiam polentæ admixtum mures necat. *Idem in lib.* 26. Porro ſi cerebrum muſtelæ coagulo addatur, dicunt caſeos à muribus nõ attingi. *Idem in lib.* 27. Item aconitum à longinquo mures odore necat. *Idem li.* 22. Aphodilũ eſt de clariſſimis herbarum, cuius radice mures fugantur, cauerna vero præcluſa moriuntur. *Razi in Almanſore.* Mures de domo calchantho fumigata fugiunt. Ex ſquama vero ferri vel gallia metallina vel ex elleboro moriuntur ſi ex aliquo, ſcilicet iſtorum cum farina conſperſo comederint. *Auicenna. in* 2. *cano.* Squilla eſt cepa muris ſic nominata, quia murem interficit. Item argentum viuum interficit murem. Oleum autem abſinthij cum infunditur in aqua encauſti mures librum non corrodunt.

Que vcidãt mures.

Fugantia mures.

Vt mures nõ rodãt libros.

Idem in 4. *cano.* Murem interficit lethargirum, & elleborus, & idem elleborus, ac ſemen iuſquiami albi, & radix caulis. Sunt ex his cepa muris, & ſcoria ferri. Ad effugandum autem mures mus maſculus excoriatur, & in domo dimittitur, aut caſtratur, aut cauda eius abſcinditur. Sed excoriatio fortior eſt. Et dicitur, quod vnus eorum ligato pede cum filo ligatur ad paxillum in domo, reliqui effugiunt. Item quando ponitur ſuper cauernam eorum chiran, id eſt pix fugiunt ab ea. Similiter ex felle tauri, & ex aſa fugiunt, & ex fumo formicarum.

Nota.

Palladius de agricultura. Mures ſi amurcam ſpiſſam patinæ effuderis, & in domo nocte poſueris adhærebunt. Necabuntur autem ſi elleboro nigro caſeum, vel panem, vel adipes, aut polentam permiſceas, & offeras. Agreſtis quoque cucumeris, & coloquintidæ ſuffuſco ſic nocebit. Aduerſus mures agreſtes Apuleius aſſerit ſemina bubalo felle maceranda antequã ſpargas, nonnulli folijs rododaphanes aditum eorum claudunt, qui corroſis his dum in exitum nituntur intereunt. Mures ruſticos ſi querno cinere aditus eorum obtures, à tactu frequenti ſcabies occupabit ac perimet.

De Medicinis ex mure

CAPVT CXXX.

Auicenna in 2. *ca.* Mus aſſatus, & ſiccatus, & infanti datus ad comedendum, abſcindit ſaliuæ fluxum

Aſſatus mus

ab ore eius. Conuenerunt etiam omnes in hoc quod mus ſi fundatur,& ponatur ſuper puncturam ſcorpionis ſanat eam. Sanguis muris eradicat verrucas. Stercus autem eius ſuper alopiciam confert, propriè que aduſtum, & cum cepe linitum. Cum thure vero;& aqua mellis bibitum frãgit lapidem. Item ſuppoſitum, ſoluit ventres puerorum. Et quando cum aqua coquitur,& ſedet in ea qui difficultatem vrinæ patitur,confert ei. *Plinius lib.* 26. Muris illito fimo cohibetur virorum venus. *Idem in lib.*29. Aduerſus ſerpentum ictus valent diſſecti mures impoſiti. Et ſi muſaraneus iumenta momorderit, mus recens cum ſale imponitur. Murium fimus alopicias relplet iuxta Varronem, ad vlcera quoque alta capita murium, fel murinum, & fimum cum elleboro, & pipere illini iubent. Capitis doloribus remedio eſt, murina pellis cremata ex aceto cinere illito, murino capiti caudæque cinere inunctis claritatem viſus dicunt reſtitui, multoque magis cinere muris ſylueſtris. Præterea murium cinis cũ melle inſtillatus, vel cum roſaceo coctus, aurium dolores ſedat. Et ſi aliquod animal intrauerit, præcipuum remedium eſt murium fel aceto dilutum. *Idem in libro* 30. Cinis ex murino fimo dolori dentium mederi traditur. Pulmonum vitijs medentur mures Aphricani maximè detracta pelle, in oleo, & ſale decocti, atque in cibo ſumpti. Oculi quoque pannos murium fimus aperit,admixto polline thuris:podagris iuuant mures impoſiti, cinisque muris ſyluatici cum melle ad cicatricem vulnera producit. Sanguis murinus recens illitus, vel mus ipſe diuulſus verrucas ſanat. Cerebrum muris ex aqua potui datum phreneticis prodeſt. Arundines ac tela,& alia quæque corpori infixa extrahit mus, dum ſectus impoſitus eſt: murinus fimus pluuia dilutus mammas mulierum à partu tumeſcentes reficit. Hali. Murium capita combuſta, & trita,ſi cineres eorum cum melle miſceantur, alopiciæ proſunt; capillosque producunt,horum quoque fimus cum oleo olinæ cataplaſmatus alopiciæ prodeſt, pueris autem quorum vẽtres conſtipati ſunt ſubimmiſſus eos mollit. Et ſi ex eo collyriſentur oculi album extirpat. *Æſculapius*. Mures patuuli cum vino pilos creſcere non ſinunt. *Ex lib. de nat. re.* Fimus muris vehementer laxat, vnde & trutamni medicinam ex eo acuunt.

Varia medicinalia ex partibus murium.

Contra verrucas.

De Glyre.

CAPVT CXXXI.

Glires,

Isidorus. Glyres dicti ſunt, quia pingues eos efficit ſomnus. Nam gliſci dicimus creſcere hyeme autem tota dormiunt, & immobiles quaſi mortui iacent, ſed æſtiuo tempore reuiuiſcunt. *Plinius. li.*8. Glyres conduntur hyeme, in meſſia ſilua Italiæ non reperiuntur niſi in parte. *Idem in lib.*16 Glyres fagus ſaginat;ſcilicet glande ſua. *Idem in lib.*29. Oculis cinere glyris inunctis claritatem viſus dicunt reſtitui. Præterea glis detracta pelle inteſtinisque exemptis in vaſe nouo diſcoquitur melle,medicique malunt è nardo vſque ad tertias partes decoqui, & ita ſeruari, atque cum opus ſit ſtrigili tepefacta infundere, conſtat enim aurium deplorata vitia eo remedio ſic ſanari. *Ex lib. de nat. re.* Glis eſt animal modicum coloribus albo nigro ſubrufo variatũ, per totam hyemem dormit,& quaſi pila contractus in vnum iacet, miroque modo iuxta Iſidorum ipſo ſomno pingueſcit. Interea ſopito vitali ſpiritu nulla eſt ei commotio. Sed hoc mirum eſt,quia ſi ſopitum animal ad aeris ſerena deferatur, paulatim inter manus tenentium conualeſcente ſpiritu reſoluitur. Itaque veris intrante tepore cum ſol radios emiſit, naturali more ad robur redit. In arboribus velut in terra currit, & pomorum ſucco cupidius delectatur:huius pinguedine decocta,ſi inungantur membra,paralyſim timentibus, vt dicit Plinius profuturum.

Mirum de glire.

De Mygale.

CAPVT CXXXII.

Auctor. Mygale beſtia quæ chameleonti ſimilis eſſe dicitur. *Rudolphus ſuper Leuit.* Mygale dicitur quaſi mus guloſus. Eſt autem, & fraudulentus. Nam cum dolo rapit quę poſtea ventri committit. *Auicenna vbi ſupra.* Mygalem eſſe dixerunt animal minus muſtela. Color eius ad cineritatem decliuus eſt cum ſubtilitate, & tenuitate, longitudo oris eius eſt ad vltimum, & labium eius in vltimo. Cumque videt animal,ſalit ad ipſum, & cum teſticulis eius ſuſpenditur. Dixerunt autem quidam, quod habet formam,& colorem muris. Verum muſcida eius eſt acuta, & oculi parui, dentes eius habent tres ordines,quorum alijs ſuper alios torti ſunt retorſione parua ad ſuperiora. Ex eius morſu dolores accidunt vehementes,punctura in corpore,& apparitio ruboris in locis ſecũdum dentes eius,& accidunt in circuitu morſus veſicæ plenæ humiditate ſanguinea ſuper baſes fuſcas. Quandoque autem peruenit res ad puncturam in inteſtinis,& difficultatem vrinæ, ſudoremque frigidum corruptum. Cum ergo cadit caro corrupta, curetur vulnus curatione ſua.

Mygale.

De Muſtela.

CAPVT CXXXIII.

Isidorus. Muſtela dicta eſt quaſi mus longus, nam & telum à longitudine dictum eſt,hæc ingenio ſubdola domibus vbi nutritur, catulos ſuos transfert, mutatque ſedem. Serpentes, & mures perſequitur, duo ſunt autem genera muſtelarum. Alterum enim ſylueſtre eſt diſtans magnitudine,quod Græci ictidis vocãt. Alterum in domibus oberrans. Falſo autem opinantur qui dicunt muſtelam ore cõcipere, & aure partum effundere. *Phyſiologus*. Dicuntur autem muſtelæ peritę eſſe medicinæ, ita vt ſi forte fætus earum occiſi fuerint, & eos inuenire potuerint,rediuiuos faciant. *Ambroſius in Hexaemeron*. Muſtelæ grauis eſt odor in terris, in mari ſuauis. Terrena ſe nouit fætore vlciſci,hęc nõ minorẽ gratiam habet capta quam libera. *Plin. lib.*8. Muſtela medetur ſibi ruta cum ſerpentibus dimicatione conſerta, muſtelæ virus exitio eſt baſiliſco, hunc enim interficit cauernis facilè cognitis ſola tabe, & illa inſimul odore moriunturque, & naturæ pugna conficiunt.

Muſtela.

Muſtela non ore concipit.

Ruta ſibi medetur.

Idem in libro 11. Muſtelis genitalia ſunt oſſea. *Idem in lib.*18. Mures(vt ſupra dictum eſt) abiguntur à frugibus cinere muſtelæ,vel felis diluto,& ſparſo ſemine, vel in aqua decoctarum, ſed redolet huius animalis virus etiam in pane,& ob id vtilius putant attingi ſemina bubalo felle. *Idem in lib.*20. Contra ſerpentium ictus efficax ruta probatur eſſe, cum muſtelę rutam prius edendo ſe muniant cum ſerpentibus dimicaturæ.

Idem in libro 28. Hyænæ tali ſiniſtri cinere decocto cum ſanguine muſtelæ peruncto omnibus odio venire tradunt. Felle vero chamæleonis in aquam coniecto muſtelas contrahi dicunt. Fel caprinum contrarium veneficijs ex muſtela ruſtica factis. *Idem in lib.* 29. Muſtela quæ domibus oberrat catulos ſuos, vt auctor eſt Cicero,quotidie trãsfert,ſedem mutat,ſerpentes perſequitur. Stellionum vero fel tritum in aqua, muſtelas congregare dicitur. Porro non latrant canes caudam muſtelæ quæ abſciſa ſit dimiſſo habentes. Item veneficijs ex muſtela ſylueſtri factis contrarium eſt ius gallinacei veteris largè hauſtum, oculis muſtelæ punctu erutis aiunt viſum reuerti.

*Idẽ in lib.*30. Cinis muſtelæ ſi detur gallinaceis,& colũbis tutos eſſe dicũt à muſtelis. Prętera ſi cerebrum

Vt gallinacei tuti ſint à muſtelis.

muſtelæ

muſtelę coagulo addatur,caſeos negant vetuſtate corrumpi aut muribus attingi. *Auicenna. in ſecundo canon.* Ex immatura ficu cum herba fit emplaſtrū ſuper muſtelæ morſum. *Idem in lib.4.* Eſt autem muſtelæ morſus velocis doloris. Contra quem fit emplaſtrum cum cępis, & alijs. *Amborumque* comeſtio cum vino puro, & cum farina herbi. Odor autem rutæ muſtelam effugat.

Adhuc de eodem.

CAPVT CXXXIIII.

Facit fœtus rediuiuos.

EX lib. dena.re. Muſtela eſt beſtiola ſubdola, catulos ſedulè nutrit, eosque de loco ad locum ſæpius trāsfert, ne forte inueniantur. Hæc rupes,& cauernas inhabitat,diutiſſimè dormit. Quando cū ſerpente pugnare vult, agreſti ruta ſe munit, proinde ſuper omnem medicorum artē perita eſſe dicitur, ita vt ſi mortuos fœtus ſuos inueniat, per herbam naturaliter notam rediuiuos faciat. De hac Clemen. Papa dicit quod ore concipit, & aure parit. In Proſelena inſula muſtelæ non tranſeunt,& ſi fuerint illatæ moriūtur. In Boetia quoque quæ Lebedia dicitur,illatæ ſtatim fugiunt, Harum genera duo ſunt, quorum maius ictides dicitur. In ventre candet. In dorſo rubet. Muſtela, vt dictum eſt, ſerpentes perſequitur,adeo vt ipſum baſiliſcum interimat, ſed eo interfecto commoritur, ipſum quidem intrantem baſiliſci cauernam fugit baſiliſcus, ſed muſtela inſequente occiditur. Sic ergo breuis corpore, ſed aſtutia magna & animoſitate, vincit etiam animalia magna agilitate corporis. Gnara quoque venatrix eſt murium,id eſt rattorum in quantitate ſuum corpus excedentium,& tam argutè quam nociuè promptiſſima eſt vltrix iniuriarum. *Alexander.* Muſtela vero animalium læſa quorundam veneno,herbarum ſalubrium virtute ſibimet feſtinanter ſuccurrit. Quinetiam tantum habet ſalubrium herbarum delectamentum,vt fœtus ſuos reanimare putetur,prętereа friuolum eſt quod dicitur, ab imperitis muſtelam ore concipere, & aure parere. *Conſtantinus vbi ſupra.* Muſtelæ morſus nimium dolorem infert patientibus, & color plagæ illius eſt liuidus.

Venatur mures.

De Medicinis ex muſtelis.

CAPVT CXXXV.

Medicinalia ex muſtela.

ÆSculapius. Muſtelę cinis,& ſanguis eius elephantitioſos ſanat. *Hali.* Carnes ebenars, id eſt muſtelæ, ſi comprimantur cum hauſali aceto epilepſiæ prodeſt, huius quoque venter ſi eductus ſale condiatur, & in vmbra ſiccetur, ac cum vino decocto bibatur epilepſiæ prodeſt,& morſui venenoſorum,reſiſtitque medicaminibus peſſimis,ſi autem in olla comburatur ænea, cinis eius podagricis medetur. Cerebrum eius ſiccum ſi bibatur, epilepſiam iuuat. Sanguis eius cathaplaſmatus ſuper ſcrofulas,diſſoluit eas,fertur & arthreticæ prodeſſe *Plinius lib.29.* Muſtelæ ſylueſtris fel contra aſpides dicitur efficax, cætero venenū. Hæc autem quæ in domibus obtrat ſale inueterata datur ex ea percuſſis denarij pondus in tribus cyathis. Contra toxica quoque valet muſtela vulgaris inueterata binis dragmis pota. Item muſtelę cinis ſuffuſionem oculorum ſanat. Cerebrum eius coctum tritum, frontique illitum, epiphoras ſedat,ſiue per ſe, ſiue cum polline, ſiue cum thure, ſic & ſolatis prodeſt, id eſt ſole corruptis. *Idem in lib.30.* Humeri doloribus cinis muſtelæ cum cera medetur. Iocinoris quoqne doloribus medetur, muſtela ſylueſtris in cibo ſumpta, vel eius iocinera. Sanguis muſtelę podagris confert,cum plantagine illitus. Viuæ quoque combuſtæ cinis ex aceto, & roſaceo ſi penna illiniatur, vel ſicera, & roſaceo admiſceatur fel caninum, ita ne manu attingatur, ſed penna illiniatur. Morbis comicialibus prodeſt muſtelæ cerebrum inueteratum ac potum,& iecur eius. Teſticuli quoque vel ventriculus inueteratus cum coriandro. Prætereа cinis muſtelę ex aqua potus phreneticis prodeſt. Elephantiam quoque ſanat, & muſtelæ cinis, & ſanguis.

De ratto, & ſorice.

CAPVT CXXXVI.

Sorex. Rattus.

AVctor. Rattus,& ſorex ſpecies ſunt. Et tamen ſorici nomen muris communis vulgariter appropriatur, & contrario rattus in medicorum libris quaſi proprio nomine mus vocatur. Vnde & medici ſimo ratti ad alopicias vtuntur, qui tamen videlicet rattus venenum in cauda geſtare dicitur. Eſt autem rattus duplicis generis, ſcilicet terreſtris, & fluuialis. *Ex lib. dena.rer.* Rattus eſt murīū genus,multo cęteris maius. Hi adeo pernicioſi ſunt cum libidine accenduntur, vt ſi eorum vrina partem aliquam hominis nudam attigerit, carnes eius vſque ad oſſa putreſcere faciat, nec vulnus in cicatricem vlterius inducitur.

Carnes putrefiunt aſperſa vrina murium.

Iſidorus. Sorex Latinum eſt vocabulum, ſicut dictū eſt,eo quod animal huiuſcemodi rodat, & in modum ſerræ præſcidat. *Belbetus vbi ſupra.* Si domum ſuffumigaueris cum vngula muli ſiniſtra,non remanebit in ea ſorex. *Plinius libro 11.* Anres ſoricis ſunt piloſæ. *Dioſcorides.* Fimus autem ſoricis cum aceto tritus alopicias emendat, cum rore marino tuſus ac bibitus calculos excludit.

Remedium contra ſorices

De talpa.

CAPVT CXXXVII.

Talpa.

ISidorus. Talpa dicta eſt eo, quod perpetua cæcitate tenebris damnata ſit: eſt enim abſque oculis, ſemper terram fodit, & humum egerit, & radices ſubter frugibus comedit, quam Græci affalata vocant. *Rudolphus.* Talpa eſt animal cæcum quod dicunt ex terra ſimul ac pluuia creari. *Ariſto.* Animalia quædam habent habitacula, ſicut talpa, & mures, formica, & aues. Omnia animalia quæ ſibi ſimilia gignunt, habent oculos præter talpam quæ priuata eſt oculis, ſecundum quod apparet, nam ipſa omnino non videt. Sed, & ſi quis ſciderit in ea corium quod eſt ſuper loca oculorum, & inueſtigauerit, inueniet oculorum loca, & nigredinem eorum ſecundum diſpoſitionem oculorum. Quare non accidiſſet ei priuatio luminis, niſi in principio partus propter fixionem cutis ſuper oculos. Itaque genus talpæ non habet viſum,quia non habet oculum manifeſtum. In Boetiæ loco qui dicitur orchomenia inueniuntur talpæ, & in leucadia non inueniuntur omnino,quamuis loca ſint propinqua inter ſe. Et ſi quis ad illam regionem ferat talpam,non cauabit terram, neque viuet.

Talpa liquidius audit quàm homo.

Plinius lib.8. Talpæ in Leucadia Boetię illatæ ſolum ipſum fugiūt, quæ iuxta in orchomeno arua tota ſubruunt. Quarum è pellibus cubicularia ſtragula vidimus, adeo ne religio quidem à portentis ſubmouet delitias.

Idem in libro 10. Talpa eſt animal quod obrutum terra tam denſo videlicet ac ſurdo naturæ elemento, liquidius tamen audit quam homo, cum omnis vox in ſublime tendat.

Idem in lib.11. Quadrupedum talpis viſus non eſt,oculorum tamen effigies ineſt ſi quis prætentam detrahat membranam. *Idem in lib.17.* Multi talpas amurca necant, quæ arboribus nocent. *Palladius vbi ſupra.* Talpas Græci hoc modo perſequuntur, nucem perforari iubent vel aliquod pomigenus ſoliditatis eiuſdem, ibiqne paleas, & cedria cum ſulphure ſufficienter includi. Tunc omnes paruulos aditus ac

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

reliqua talparum ſpiramina diligenter obrui, vnumque foramen quod amplius eſt reſeruari. In cuius aditu nuxe intus incẽſa ponitur vt ab vna parte flatus poſſit accipere, quod ab illa diffundat parte. Et ſic impletis fumo cuniculis, talpas vel fugere protinus vel necari.

Adhuc de eodem.

CAPVT CXXXVIII.

Moritur in luce.

Orath. Talpa radicibus herbarum nutritur,& ex illis per hyemem reficitur. Cumque peruenerit ad lucem ſolis, & aerem tunc moritur. Cum autem effoditur, ſi contra impetum venti effoditur, ſentit ipſum qui effodit, ac ſe occultat in terra. *Gloſſa ſuper Leuit.* De his quæ mouentur in terra inter immunda reputatur talpa, videlicet animal cæcum de terra genitum.

Eſca vermes & terra.

Ex lib. de natu. rer. Talpa eſt animal paruum, nigrum, & cæcum, de terra genitum, compluta, & lutulenta, ſed corrupta, huius pellis multorum pilorum eſt, & ſuauis valde, ſed teterrimum colorem habet. In terra habitat, vermium eſca viuit, in fame quoque terram comedit. Aliquando vero terra ſiti arente egreditur, ſed quia cæcum eſt ad locum vnde exijt, redire neſcit, vnde plerumque fit vt anticipatum occidatur, licet autem cæca ſit, habet tamen in ipſo oculorũ loco quandam nigredinem, & in medio eius pupillam oculorumque colorem ad diſpoſitionem, ſed corio tectam. In quo conſideranda eſt prouidentia creatoris, qui beſtiolæ in tenebris, & in terræ latibulis habitanti dedit oculos ad plenum formatos, & tamen lumine priuatos, vt & vtilitari, vel neceſſitati ſatisfaceret, & naturæ decus omnino non negaret: licet autem terra tam denſo videlicet ac ſurdo elemento obruta, omni tamen animali liquidius audit, quod in hoc vtique magis mirum eſt, quoniam omnis ſermo in ſublime contendit.

Sermo ſurſũ tendit.

De Medicinis ex talpa.

CAPVT CXXXIX.

Talpa vſus medicus.

TAlpa combuſta in puluerem, & ſparſa cum albugine oui ſuper faciem, remedium eſt contra lepram. Sanguis eius ſi ſuper caput pilis nudatum delinatur, pilos redire cogit, vt dicit Auicenna. Stercus quoque talpæ magni iuuamenti eſt ad curationem alopiciæ. *Hali.* Sorices magni, id eſt talpæ ſi findantur, & ſuper ſcorpij percuſſionem ponantur, ſanant.

Plinius lib. 30. Magi cunctorum animalium maximè mirantur talpas cęcitate perpetua damnatas, tenebrisque defoſſas, & ſepultis ſimiles. Iudicant tamen nullum animal religionis capacius, ſi & tamen quicquam probabile inuenitur, niſi quod muriſaranei morſibus aduerſantur, cum ſit vtrumque terra obrutum.

Auctor. Fertur etiam, quod cinis talpæ combuſtæ valet contra fiſtulam, videlicet ad eius putredinem conſumendam. Huc vſque de iumentis ac beſtijs diximus. Nunc reſtat de tertio genere terreſtrium animalium, ſcilicet de reptilibus.

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER VIGESIMVS.

De Reptilibus in generali.

CAPVT I.

Etrus Comestor. Reptilia cum bestijs, vt supra dictum est, homini sunt in exercitium sicut iumenta in adiutorium. Reptiliũ autẽ tria sunt genera, videlicet serpentia vt colubri, qui costarum vt serapiunt. Repentia vi lacertæ, vel botracæ, quæ pedibus repunt. Trahentia, vt vermes, qui ore se trahunt. *Arist. in lib. de animalibus.* In animalibus ouantibus ac generantibus vermes fœmina maior est vt in lacertis, & ranis serpentibus, & araneis. Vermes qui generantur ex animalibus cibantur prius, deinde non recipiunt cibum, sed remanent immobiles, sicut qui dicuntur apideni, & sunt coloris aurei. Animalia squamosa sicut lacertulæ ac serpentes comedunt indifferenter herbas, & carnes. Viuunt autem huiusmodi, & manent in lapidum parietumque rimis, & in locis angustis. Porro caudæ serpentium atque lacertorum crescunt postquam abscisæ sunt. *Andromachus in lib. de theriaca.* Natura ingeniauit vt magnificaret mandibulas, & dilataret os reptilium rapacium, & habentium venena, vt esset ei facilius, & conuenientius in rapina. Vnde magnificatio mandibularum, & dilatatio super vehementiam virtutis, & audaciam eorum. *Alcides in lib. de venenis.* Ex cõfectione arnoglossæ ac zedim reptilia congregantur, & ex eo reficiuntur. Porro si sputum hominis quando ieiunus est cum aristologiæ puluere misceatur, reptile quod ex eo gustauerit moritur.

Serpentia.

Repentia.

Trahentia.

Sputum ieiuni hominis interficit reptile.

De serpentibus in communi.

CAPVT II.

Isidorus, Serpens dicitur, quia occultis accessibus serpit, nec apertis passibus, sed squamarum minutissimis nisibus repit. Illa autem quæ quatuor pedibus vtuntur vt lacertę, & stelliones, non serpentes, sed reptilia nominantur. Serpentes autem etiam reptilia sunt, quia ventre, & pectore reptant. Quorum tot venena quot genera, tot pernicies, quot species, tot dolores, quot colores habentur. *Aristoteles in lib. de animalibus.* Serpentes abscondunt se, & latent in terra. Sunt autẽ medij inter animalia sanguinea agrestia, & aquosa, plus enim manent super terram, & pauci in aqua. Sunt quidem in mari varia serpentium genera, nec manent in profundo, sed prope ripam. Accidit serpentibus quod & pullis accidit hirundinum, quia videlicet si quis eis perforauerit oculum & excœcauerit, reuertetur visus iterum. Caudæ quoque serpentium, vt dictum est, crescunt postquam abscisę sunt. *Plinius lib. 8.* Animalibus in hyeme quibusdam prouisum est pabulum, & aliis pro cibo somnus. Sola serpentium vipera dicitur condi terra: Cæteræ autem arborum vel saxorum cauernis vel caueis & aliàs vel annua fame durant algore modo dempto. Omnia vero secessus tempore veneno orba dormiunt.

Serpentum etymon.

Idem in lib. 11. Sibilus serpentibus est longus, affectus autem indicia sunt etiam in serpentibus immitissimo animalium genere. *Ex lib. de natu. rer.* Serpentes hyeme latent saxis vel arboribus concauis ac sine cibo durant. Verno tempore prodeunt. Natura feruidi sunt. Vnde postquam infriguerint, parum aut nihil nocent. Itaque nocte minus, quàm die lędunt, quia nocturno rore frigescunt. Hyemali frigore in nodos torquentur, æstate verò resoluuntur. *Ambrosius.* Pulchritudo leonis eximia per comantes ceruicis choros excutitur, cum sublato pectore serpens attollit ora.

Affectus in serpentibus

De Anatomia serpentum.

CAPVT III.

Aristot. Serpentium intestina & interiora similia sunt animalium quadrupedum ouantium præcipueque lacertuli. Non tamen habent testiculos. Matrices autem habent duas in duo diuisas. Est autem partium vtraque procedẽs ad superius in vtraque parte spinę. Serpentes magni squamas habent duras & alijs fortiores, quia natura est, sicut natura ossium. Hoc genus non habet palpebram superiorem, nec claudit oculos, quia cutis eius durior est cute auium. Nec indiget visu acuto, quoniam in lapidibus & foraminibus ac fissuris est mansio eius. Huius animalis caput in duo diuisum est, sc. in partem capitis superiorem, & mandibulam inferiorem. Collum vero non habet serpens, sed aliud collo conueniens, quia non est id membrum extremitatibus notis distinctum. Dentes serpentium

acuti,

acuti, diuerſi, coniuncti ſecundum ſerram. Linguæ eorum ſubtiles ſunt, longæ, nigræ, bifurcæ, id eſt, duos habentes aculeos. Collum non habent diſtractum. Animalia quidem pedibus carẽtia, ſicut ſerpentes, aſſimilantur lacertis longi corporis. Sed quædam illarum habent pulmonem, quia anhelant, quædam verò non, ſed branchias loco pulmonis. Nullumque iſtorum generum etiam habet veſicam, præter tortucam, quoniam humiditas illorum parua eſt ſicut auium, & tranſit in ſquammas. Omniaque huiuſmodi habent vnũ ventrẽ, ſicut animalia dentes habentia in vtraque mandibula. *Interiora membra.* Habẽt etiam interiora membra parua ſicut carentia veſicà. Membra quidem interiora ſerpentium ſtricta ſunt & longa ſecundum creationem ſui corporis, nec aſſimilantur aliorum animalium interioribus membris. Nullum autem genus ſerpentium habet pedes ſicut nec vllum genus piſcium. Nullum genus ſerpentium habet teſticulos, ſed habet vias ſicut ſunt viæ piſcium. Canna pulmonis eorum eſt longiſſima, & ſimiliter ſtomachi eorum. Extremum cannæ eſt poſt os. Vẽter ſtrictus eſt ſimilis amplo inteſti- Poſt ventrem habent inteſtinum ſubtile perueniens ad exitum ſuperfluitatis, prope collum habẽt cor paruum, longum, reni ſimile in aſpectu. Poſt cor eſt pulmo in quo ſunt partes neruoſæ, ſubtiles inuolutę, longæ pendentes à corde. Poſt pulmonem eſt hepar longum, extenſum. Splen vero paruus eſt ac rotundus, ſicut ſplen lacertuli, habent fel autem ſimile felli piſcium, & eſt ſuper hepar in magnis ſuper inteſtinum in paruis. *Coſtæ æquales numero diebus mẽſis* Coſtas habent multas ęquales numero dierum menſis ſcilicet triginta. Membrũ habent conueniens pectori, ſed non habent mammillas, niſi vias habent prope os propter anhelitum, & illæ viæ non ſunt manifeſtè diuiſæ. Linguas habent valde longas, & extendunt eas valde, ita quod extrahũt ab ore. In quibus habent duos ramos ſubtiles in extremis ſuis ad modum pilorum, propter inſaturitaẽ naturæ ipſorum. Et eſt in eis ſapor humiditatum duplex, quia ſenſus guſtus in eis eſt duplex. Vias etiam habent à quibus exit ſuperfluitas ſicut animalia cætera, ſed non habent exitus vrinę viam, quia non habent veſicam. *Plinius lib.* 11. Serpentibus ſicut & canibus & piſcibus ſunt dentes ferrari pectinanter coeuntes, ne contrario atterantur occurſu, lingua vero tenuiſſima & triſulca ſerpenti, coloris atri, ideſt nigri.

De generatione ipſorum.

CAPVT IIII.

Ariſto. Serpentum omnium genera reliqua faciunt oua. Tyrus autem generat animalia. Et in matricibus ſerpẽtium diuerſitas eſt ad matrices cæterorum animaliũ, & ad ſeinuicẽ. Matrix nempe ſerpẽtiũ incipit ab inferiori parte & procedit ad ſuperius ex vtraque parte ſpinę, vtraque vero partiũ ſimilis eſt vię procedenti ad partem parientis. Et in ea ſunt oua ſecundum acies poſita. Cumque ſerpens ouat, non omnia continuè ſimul ouat. *Matrix ſerpentis.* Et matrices quidem ſerpentium ſuper ventrem ſunt intus & extra. Matrices verò generantium animalia ſunt prope ſpondylia. Porro animalia lęuitatis magnæ, quaſi applicantur adinuicem reuoluto coitus tempore. Serpentes itaque implicantur reuoluti, quod putabit aſpiciens vnum corpus capita duo habens eſſe. Carent vero teſticulis propter longitudinem corporis. Et animalia, quæ non habent teſticulos propter melius, ſed propter neceſſitatem ſolũ velocis ſunt coitus ſicut natura ſerpentium. Inuoluuntur autem in coitu ſerpentes adinuicem, nec habent virgam quia non habent crura, ſed habent vias ſicut ſunt viæ piſcium, propter lõgitudinem vero corporis non niſi difficile aptantur ad coitum, & ſeparatio ipſorum eſt tardior ſeparatione piſcium.

Plura quidem ſerpentium genera faciunt oua cõpleta. Ouant ſiquidem ſerpentes prius interius oua perfecta, & poſtmodum ex ouis extra generant animalia.

A Et illud animal ouat exterius non propter calorem, ſed ptopter frigus. Porro genus ſerpentium multorum eſt ouorum, nec inuenitur in eis monſtruoſitas niſi raro, propter matricis figuram, quoniam ipſorum oua ſunt diſpoſita ſecũdum aciem in matrice propter longitudiuem ſuam; iam tamen apparuit ſerpens capita duo habens. *Plinius lib.* 10. In terreſtribus oua ſerpentes pariunt, oua quoque contecta in terra incubant, & anno ſequenti fætum excludunt. Coeunt autem complexu adeo inuicem conuolutæ ſibi, vt vna biceps poſſit exiſtimari. *Ouorũ diſpoſitio in matrice ſerpentis.* Anguem gigni ex medulla ſpinæ hominis accipimus à multis. Porro fabuloſas reor quas nominãdo aues tradit Democritus, quarum ſanguine confuſo ſerpens gignatur, quem quis ederit alitum colloquia intellecturus ſit. *Iſid.* De mortui hominis medulla quæ in ſpina eſt, ſecundum. Pythagoram & Ouidium ſerpens creatur, vt ſicut per ſerpentem mors hominis, ita & hominis morte ſerpens gignatur. *Medulla mortui creat ſerpentem*

De Cibo eorum.

CAPVT V

Ariſtot. Serpens de terra viuit, & animalia ſquamoſa, ſicut lacertulæ ac ſerpentes, indifferenter comedunt herbas & carnes, ſerpentesque deſiderant indifferenter comedere & ſunt pauci potus aquę. Diligunt autem valde ſerpẽtes vinum, propterea venantur per ipſum, quando imbibuntur. Sugunt etiam animalis ad quod applicantur humiditatem, & exit reſiduum per eiectionem. *Diligunt vinum.* Et frequenter humiditatẽ ſugunt, reſiduumque dimittunt. Diu vero viuere poſſunt ſine cibo. Et hoc à ſerpentibus illis cognoſcitur, qui Apothecariis venduntur. *Plinius vbi ſupra.* Serpentes draconum comedunt oua quadam arte ſpectanda, aut enim ſolida hauriunt, ſi iam fauces capiunt, quæ deinde in ſemet conuoluti intus frangunt, ſicque putamina excutiunt: aut ſi tenerior eſt catuli adhuc ætas orbe apprehenſa ſpira ita ſenſim vehementerque prę- *Ars qua cõedunt & frãgunt oua* ſtringũt, vt amputata parte quaſi ferro, reliquam, quę amplexu tenetur ſorbeant. Simili modo etiam auibus deuoratis ſolidis contẽtione plumas & oſſa reuomũt. Cumque occaſio eſt vinum præcipuè appetunt & potant, cum alioquin exiguo potu indigeant. Eædem autem minimo nulloque cibo penè cum ſeruantur incluſæ. Denique nullum interit venenatum ſiti vel fame, quia neque caloris habent vim, neque ſanguinis, nec ſudoris, quæ auiditatem naturalem ſale augent. In quo genere magis exitialia extant, ſi genus ſuum ederint antequam nocent. *Ambro.* Serpens fæniculi paſtu cæcitatem repellit, moritur autem ſi ſputum hominis ieiuni guſtauerit. *Sputum ieiuni mors ſerpentis.* *Ex lib. denat. rer.* Omnis ſerpẽs indifferenter canes & herbas comedit, parum vero bibit, nec habent exitum vrinæ, ſed potus ſuperfluitas conſumitur naturali calore, qui maximus eſt in eis.

De motu & viuacitate ipſorum.

CAPVT VI.

Serpens linguam mouet tanta celeritate, quod triplicem cum vna ſit videtur habere. Serpentium corpora valde ſunt humida. Et quocunque vadunt, viam humore deſignant. Cumque pedibus careant, coſtis tamen & ſquamarum niſibus repunt, quas à ſummo gutture vſque ad ima alui parili modo diſpoſitas habent. Squamis enim innituntur quaſi vnguibus, & coſtis quaſi cruribus, vnde quacunque parte corporis ab aluo vſque ad caput ictu aliquo colliſa fuerit, debilis reddita curſum habere non poterit. Nam vbicunque ictus ille inciderit, ſpinam per quam coſtarum pedes ac motus corporis agebantur, ſoluit. *Diu viuunt* Serpentes autem diu viuunt, quia depoſita veteri tunica ſenectutem deponunt, & in iuuentutem redeunt. Eorumque tunicę dicũtur exuuiæ, quoniã his exuunt ſe. Ariſt. Serpens cum rambulat, flexione quam facit,

eleuat

eleuat à terra partem corporis vnam & aliam ponit ſuper illam ſcilicet terram. Eſt autem genus ſerpentium ſimplex in caueis habitans, ſanguinem naturaliter habens, & eſt ſquamoſi corporis, reptatione ſuper ventrem ſuum ambulans: ſerpentes mouere poſſunt caput ad poſterius quieſcente corpore, & quia ſpondylium eorum armillæ creatæ ſunt & cartilagine. Ideoque ſunt flexionis bonæ. Et hoc in ſerpentibus factum fuit propter melius, vt corpus ſuum longum & ſtrictum aſpicerent poſterius, quia non habent pedes nec inſtrumentum ad accipiendum cibum, & ad cuſtodiendum quod eſt poſterius, nec iuuarentur in capitis eleuatione, niſi poſterius valerent aſpicere: hoc itaque datum eſt eis ad cuſtodiam ſui corporis, quoniam eſt imbecille. *Oculi eruti renaſcuntur.* *Plinius libr.* 11. Porro ſi quis oculos eruat ſerpentium catulis renaſci eos tradunt, ſicut & hirundinum pullis. Serpentibus etiã & lacertis caudæ renaſcuntur amputatæ. *Ex libr. de natur. rerum.* *Terra Hibernica.* Serpens longo tempore viuit, quia in ſenectute carnes ſuas ieiunando conſumit. In Hibernia nullus ſerpens viuere poteſt, ſed nec aliud venenatum. Quin etiam vbicunque terra de Hibernia allata ſuper animal venenatũ proiecta fuerit, ilico moritur.

De Aſtutia eorum.

CAPVT VII.

I *Sidorus.* Serpens aſtutus eſt, nam in naturalibus bonis quæ nobis & irrationabilibus animantibus videmus eſſe communia, quadam viuacitate ſenſus excellit ſerpens. *Viuacitas ſerpentis.* Vnde & legitur, quòd ſerpens erat ſapientior cunctis animantibus terræ. Dicit Plinius, creditur, quòd ſi ſerpentis caput etiam cum duobus euaſerit digitis, nihilominus viuit, vnde & totum corpus obiicit pro capite. *Idem in libr.* 17. Serpentes etiam guſtu fœniculi deponunt annuam ſenectutem. *Fœniculum guſtant.* *Auicenna in ſecundo canone.* Serpentes de cauernis ſuis poſt hyemem egredientes, fricant oculos ſuos ſuper fœniculum, vt illuminentur. *Phyſiologus.* Serpens cum ſenuerit, caligant oculi eius. Et ſi voluerit nouus fieri abſtinet ſe à cibo. 40. diebus & noctibus, donec pellis eius relaxetur in eo. Tunc quærit in petra ſciſſuram anguſtam, & *Deponit venenum.* inde ſe vehementer anguſtat, ac corpore contribulat, ſicque deponit ſenectutem, & nouus efficitur. Cum autem ad fontem bibere venit non ſecum affert venenum ſuum, ſed in cubili ſuo illud deponit, & ſic aquam indeficienter bibit. Hominem ſi viderit nudum timet, *Caput abſcondit, corpus obijcit.* inueſtitum inſilit. *Ex libro de naturis rerum.* *Serpens caput abſcondens totum ferienti corpus obijcit.* Nam ſi caput euaſerit, amiſſo corpore nihilominus viuit. Viuit autẽ, vt dictum eſt, longo tempore, quia cum ſenuerit, carnes ſuas ieiunando conſumit. Donec cute laxata macie per foramen petræ tranſiens veterem pellem deponit, ac iuuentutem induit. Exuit autẽ pellem à capite prius. *Alexander.* Serpens vt dictum eſt, fœniculi paſtu cœcitatem exceptam expellit. Itaque vbi oculos ſibi obduci ſenſerit nota remedia petit, nec fraudatur affectu.

De venenis ſerpentium.

CAPVT VIII.

I *Sidorus.* Serpentium tot ſunt venena, quot ſunt genera. Tot pernicies quot ſpecies, tot dolores, quot colores habentur. Omnes autem ſerpentes natura ſua frigidæ ſunt, nec percutiunt niſi quando caleſcunt. Nam quando frigidæ ſunt nullum tangunt, vnde & venena earum plus de die quam nocte nocent. Torpent enim noctis algore, & merito, quia frigidæ ſunt nocturno rore. In ſe enim adducunt vaporem corporis gelidæ peſtes, & natura frigidæ. Vnde & hyeme in nodis torpent, æſtate ſoluuntur. Inde eſt, quòd quicumque ſerpentium veneno percutitur, primum obſtupeſcit, & poſtea vbi in illo calefactum ipſum virus exarſerit, ſtatim hominem extinguit. *Auctor.* Platearius tamen in tractatu de theriaca, dicit, quod venenum quoddam eſt *Percuſſus veneno ſerpentis obſtupeſcit.* frigidum, & quoddam calidum, omne tamen ſiccum Auicenna quoque ſentit contrarium.

Auicenna in quarto canone. Quidam æſtimauerunt, quod venenum ſerpentium etiam viperarum ſit frigidum, ſed error eſt. Nam illud quod accidit ex frigore morſo ab eis, eſt propter mortificationem caloris innati per contrarietatem veneni. Calor enim innatus eſt, qui calefacit corpus ſua ſparſione, & inflammatione. Cum autem non eſt calor innatus, & ſi inflammetur cor igne leui, non oportet tamen vt propter ipſam calefiant extremitates. *Ex libro de naturis rerum* Cum autem venenum ſit mors homini, eſt tamen vita ſerpenti. Vnde ingreſſurus quidem aquas ſerpens venena deponit, exiens autem reſumit. Quòd ſi fortè caſu quolibet amiſſa *venena non inuenerit, caput terræ frequenter allidens moritur* præ dolore. Dicit autem Plinius, quòd nihil aliud eſt venenum, quàm fel ſerpentium. Inde ad venas ſub ſpina, & poſtmodum ad os peruenit, vel ad caudam, vt ſcorpionibus. *Perdens venenum moritur.*

De nocumentis & remedijs.

CAPVT IX.

A *Vctor.* Serpentis venenum, vt dictum eſt, quod eſt vita ſerpenti, mors eſt homini. *Iſidorus.* Venenum autem dictum eſt, eo quòd per venas vadit. Infuſa enim peſtis eius per venas, vegetationẽ corporis aucta diſcurrit, & animam exigit. Vnde non poteſt venenum nocere, niſi ſanguinem hominis tetigerit. *Lucanus.* *Noxia ſerpentum eſt admixto ſanguine peſtis.* Omne autem venenum frigidum eſt, & ideo anima, quæ ignea eſt, venenum fugit. Fertur autem, quod ſerpens hominem nudum contingere auſus non ſit. *Ariſtot.* Morſus ſerpentium diuerſatur ſecundum loca. Eſt enim draco in Æthiopiæ terra ex quo generatur Tyrus, vnde accipitur entycon, & contra illud non eſt medicina, & in loco qui dicitur cilciar ſerpens eſt paruus, à cuius morſu lapide in ſepulchris regum antiquorum ſanãtur. Submergunt enim lapidem in vinum, & dant illud vinum ad potandum: denique omnium animalium venenum habentium morſus eſt valde malus, & maximè ſi comedant ſe inuicem, ſicut comedit draco ſcorpionem. *Plinius libr.* 8. Animalia quædam vt ſerpentes indigenis innoxia ſunt, aduenas interimunt. *Idem in libro* 13. Syria peculiares habet arbores in nucum genere piſtacia nota, coctanaque traduntur aduerſus ſerpentum morſus, & cibo, & potu prodeſſe. In Aſia & Græcia frutices epitactis quem alij embolinem vocant foliis paruis, quæ pota contra venena proſunt ſicut herices contra ſerpentes. *Idem in libro* 16. Fraxini quoque folia ſucco expreſſo ad potum, & impoſita contra ſerpentes ſunt opifera. Rhododendron iumentis, & capris, & ouibus eſt venenum, ſed idem homini remedio eſt contra venena ſerpentum. *Veneni etymon.* *Remedia contra ſerpentum morſus.* *Fraxini folia.* *Rhododendron.*

De eodem.

CAPVT X.

C *Onſtan. in pantegni libr.* 8. Serpentium venenum calidum eſt, & qui mordentur nimium dolorem in illo loco patiuntur. Poſtea verò dolor ſecedit ad totũ corpus. In loco morſus duo foramina ſeparata videntur, quæ ſunt dentium illorum locus, poſt ab ipſis humiditas quaſi olerum currit, deinde humiditas fumoſa. Et in circuitu loci eſt apoſtema calidum pati, quod habet ruborem, & liuorem ac veſicas, & quaſi ab igne combuſti ſint corporis color mutatur. Abominationem & vomitum cholerę patiuntur, & defectionem ac tremorem, & frigidum ſudorem. Caro comeditur, & de membro in membrum corroditur, de gingiuis quoque ſanguis effluit, & ſtringitur. *Ex lib. de nat. rer.* Qui veneno interficitur, primitus obrigeſcit, poſtquam autem venenum fuerit calefactum, hominem ariditate ſitis interficit. Terra ſerpentem homine percuſo, ſicut Plin. dicit, amplius non recipit, ſed poſt

paululum moriturus pœnas luit. Itaque serpens non plures interimere potest quàm solum vnum, nisi salamandra tantum.

Sues comedunt serpentes.

Priscianus ad Cosdroe. Non omnibus animalibus reptilia nociua sunt. Nam & *sues & cerui serpentes comedunt*, & alij ab alijs innocui deuorantur. Multaque alia inuenire est, quibusdam quidem salutaria, quibusdam autem nociua, talemque ad se inuicem habitudinem habentia connaturalitatis & fugæ. Scythicum venenum ex viperæ, & hominis sanie compositionem habet, quo tingunt sagittas ad velocitatem plagæ mortiferæ. Canum verò morsus, & luporum cum rabiant ex alio effectu nociui sunt.

Quæ conferunt morsui serpentium.

Auicenna in secundo canone. Serpentis punctura confert furfur superpositus emplastri more. Prodest etiam allium cum vino bibitum. Denique galbanum theriaca est venenis serpentium. Iterum planta, quæ dicitur agnus castus, semen eius bibitum confert serpentium morsibus. *Idem in quarto canone.* In morsuris venenatorum prohibetur consolidatio vulneris vsque ad horam sanationis ęgri à malitia veneni. Ex his autem, quæ super puncturas venenatorũ liniuntur, est petroleum cum butyro cocto, vel castoreum cum oleo. Succus etiam porri quem aqua non tetigit, & calamentum fluuiale optimè venenum attrahit, & sulfur cum vrina. Item gallus & gallina dum viui scinduntur, & cum eis punctura vel morsus emplastratur, assiduè quoque permutatur, & administratur.

De multiplici varietate serpentium ac nocumentis ipsorum.

CAPVT XI.

Modi venenum inferendi.

Aristoteles. Serpentium, sicut & piscium, quidam habent leue corium, quidam verò squamosum, quidam & asperum, & quidam spinosum. Plures manent super terram, & pauci in aqua. In mari quoque serpentes sunt similes serpentibus terræ, præterquam capita, quia caput in eis est durissimum, & asperum. *Priscianus vbi supra.* Serpentium quidam in morsu venenum inferunt, quidam punctione, aut etiam quadam occulta virtute siue spiritu, aut voce vel aspectu, sicut in quibusdam alijs animalibus, & fascinantibus hominibus accidit. Quædam etiam ex natura venenosa sunt, quædam ex translatione, & quędam quidem præcipitium inferunt, quædam passionem, quædam vero periculum.

Quadam flatu nocent.

Sciendum quoque quoniam & loca & tempora, & escę differentem faciunt morsuum varietatem, hyeme namque cum foueas intrant, aut continuo post foueam infirmantur, morsus ferè innocui sunt. In montanis autem & asperis locis velut aridis, & calidioribus, omnes mordaciores sunt, quia ibi fortiores. In altera vero parte humidi sunt & dissoluti. Per hoc etiam circa coitum plurimum sæui. Sed à qualicumque esca potest argumentari quis eorum impetum, & fortitudinem. Quædam autem reptilia non solum mordendo sed etiam flatu per media arua, & ligna aut lapides nocent, & interimunt. Talis & quorundam mordentium virtus est, vt si radicem arboris momorderint, omnis arbor folia proijciat. Dicunt serpentem paruum, qui vocatur ierono apparere raro circa thessaliam, & veluti sola voce vtens interimit. Dum autem apparet fugiunt viperæ, & serpentes, & alia omnia. *Plinius vbi supra.* Serpentium innumera sunt genera, alijs insunt squamæ, alijs vero picturæ, omnibusque virus exitiale. Nec est fateri, vtrum rerum natura largius mala genuerit, an remedia.

De Eodem.

CAPVT XII.

Auicenna vbi supra. Serpentium quidam vehemẽtis sunt acuitatis, non morantes scilicet interficere ex sua dispositione vltra tres horas. Nec morsus eorum curantur, ideſt prouidentur vel cauentur, quia muti sunt ideſt in silentio clam mordentes. Nec ad eorum morsus valet nisi inscisio membri statim, aut combustio membra vltima penetrans, & comburens venenum, & constringens meatus, & quandoque in eorum curatione confert postea vomitus super repletionem ex piscibus fallitis, & post hoc curationes aliæ succedunt. Ex horum genere sunt basiliscus, hyrudo, aspis sicca, serpens qui vocatur expuens, & cornuta.

Conferunt inscisio & vomitus ad morsus serpentium.

Morsus tamen basiliſci nulla curatio. Aliud autem est genus viperarum, quarum species iterum tamen diuersæ sunt. Ex his enim sunt viperæ alesilati, & de eis sunt viperæ quercinæ, & vipere facientes sitire, & reliquæ quas dicturi sumus. Accidit iterum serpentibus diuersitas non in specie sed secundum conuenientiam in specie vna, verbigratia, *propter sexum.* Nam masculi pauciores habent dentes, & plus veneni, & acutius: licet quidam dicant, quod fœminæ deteriores sunt *propter similitudinem dentium suorum. Item propter ætatem*, quia senes deteriores sunt iuuenibus. *Item propter corpus*, quia magni deteriores sunt paruis vel curtis, cum species eorum sit vna: vel propter locum, quia illi qui inhabitant montes, & loca inaquosa, deteriores sunt eis qui in littore vel plurium aquarum loca. *Item propter dispositionem* suam in repletione, & vacuitate. Nam illi qui sunt famelici deterioris sunt veneni. *Item propter passiones eorum animales*, quoniam irati, & audaces sunt eorum deteriores. *Item propter tempus*, quia venenum eorum in æstate est deterius.

Noto de Basiliſco.

De Monstruosis serpentibus.

CAPVT XIII.

Cur monſtruoſitas rara ſit in ſerpentibus.

Physiologus. Serpentes in Æthiopia esse dicuntur alas habentes. Sunt & quidam serpentes piper album comedentes, lapides precioſos in capitibus habentes, qui singulis annis inter se præliantes, sese mutuo ex parte magna interficiunt. Quidam etiam serpentes habent cornua in frontibus velut arietes, quibus ventilando percutiunt homines. *Aristoteles.* In Æthiopica terra sunt serpentes, vt dictum est, alas habentes. Iamque apparuit serpens capita duo habens. Nec tamen inuenitur monstruositas in serpentibus, nisi raro, *propter matricis figuram, quoniam ipsorum ova sunt dispoſita ſecundum aciem in matrice propter longitudinem ſuam. Ex libro de naturis rerum.* Aristoteles loquens de serpentibus orientis, quæ bina habent capita, dicit causam monstruositatis huius esse in spermate, vt si duo spermata continentur in vna matrice, nullusque paries inter ea distinguat, ambo vero serpentis capita cibum capiunt, & in vnum corpus transmittunt. Ambo etiam in aduersarios serpunt. *Solinus.* Indicis serpentibus enormitas tanta est, vt ceruos, & animantium alia ad parem molem tota hauriant, quin etiam oceanum Indicum quantus est penetrent, insulasque magno spatio à continenti separatas, populandi gratia petant.

Serpentium Indicorum vis & magnitudo.

Plinius vbi supra. Megasthenes quoque scribit in India serpentes in tanta magnitudine adolescere vt solidos hauriant ceruos tauroſque. Metrodorus vero circa Rhindacum amnem in ponto, vt superuolantes quamuis alte perniciterque haustu raptas absorbeant alites. Nota res est in Punicis bellis ad fluuium Bagradam à Regulo fuit serpens, 120. pedum longitudinis, vt oppidum aliquod expugnatus baliſtis atque tormentis. Obuiam serpentes cantu extrahuntur, atque in pœnam coguntur. *Oroſius libro 4.* Regulus bellum Carthaginense sortitus iter cũ exercitu faciens, haud procul à flumine Bagrada castra constituit. Vnde cũ plurimos militum aquandi necessitate descendentes ad flumen, serpens miræ magnitudinis deuoraret, Regulus ad expugnandam bestiam cum exercitu profectus est, Sed cum, nihil in eius tergo proficientibus iaculis, & omnium telorum irrito impetu, quæ per horrendã squamarum cratem quasi per obliquam scutorum testu-

Exercitus Regulis contra ſerpentẽ proficiſcitur.

dinem

dinem labebantur,mirumque in modum ne corpus læderent,ipſo corpore pellebantur,inſuper magnam multitudinem morſu communi, & impetu proteri, halitu etiam peſtifero exhalari videret, baliſtas deferri iuſſit per quas molare ſaxum ſpinæ eius incuſſum compagem totius corporis ſoluit. Nam ſerpens coſtis,& ſquamis inſtructus, & in qualibet parte corporis ictus inciderit, & ſpineam ſoluit per quam coſtarum pedes, & motus corporis agebantur. Vnde etiam hic ſerpens qui tamdiu iaculis tot inuulnerabilis obſtitit,ad vnius ictum ſaxi debilis ceſſit, ac mox circumuenta telis facile oppreſſa eſt. Corium autem eius Romam deductum, quod fuiſſe 120. pedum ſpacio ferunt, & aliquamdiu cunctis miraculo fuit.

Corium 120 pedum.

De his quæ contraria vel noxia ſunt ſerpentibus.

CAPVT XIIII.

Ariſtoteles. Serpentibus animalia quædam infeſta ſunt,vt porci,qui ſerpentes comedunt. Eſt etiam galy animal,quod cum ſerpente pugnat,& rutam comedit,quia ſerpenti contraria eſt,& etiam odor eius. Præterea galy auis quædam in maiori parte pugnat cum ſerpentibus comedentibus mures. Eſt etiam animal quoddam in Ægypto,quod cum videt ſerpẽtem quendam, non pugnat cum eo quouſque clamet adiutores. Et quia timet à morſu ſerpentis, aquam intrat, & poſtmodum arenam. Deinde cum ſerpente pugnat. *Cæterum hominis ſaliua contrariatur animalibus venenum habentibus. Plinius libro octauo.* Quorundam *hominum odore qui Pſylli vocantur* ſerpentes fugantur. *Idem in libro decimo. Cornu quoque cerui odore* fugantur ſerpentes. Cæterum ſe librat araneus filo ſuper caput ſerpentis,ſub vmbra porrectæ arboris tantaque vi cerebrum morſu apprehendit, vt ſerpens ſubinde ſtridens vertigine rotata ne filo quidem pendentem rumpere aut fugere poſſit, nec finis ante mortem eſt. *Idem in libro vndecimo.* Locuſtæ quoque ſerpentes necant, cum libuerit ſingulæ faucibus eorum mordicus apprehenſis. *Item elephanto rum anima*, id eſt flatus vel halitus ſerpentes extrahit, ceruorum autem vrit. Suibus ſerpentes in pabulo ſunt, quæ alijs venena ſunt. Veſpæ quoque veſcuntur auide ſerpentibus,quo alimento mortiferos faciunt ictus.

De ſaliua hominis.

Araneus.

Locuſta.

Elephantorum halitus.

Suet.

Veſpa.

Idem in libro 12. Apud gentes Cedroſas eſt herba præcipui odoris referta inimica ſerpentibus, quarum ictu moriendum eſt protinus. Galbanum de Syria ſincerum ſi vratur,eius nidore ſerpentes fugantur. *Item in libro* 18. Fraxini tanta vis contra ſerpentes extat,vt ne matutinas quidem vel occidentales vmbras quantus longiſſimæ ſint, ſerpens huius arboris attingat, ſed procul ipſam fugiat. Experti prodimus ſi fronde illius gyro circuncludat quis ſerpentem & ignem, in ignes potius,quàm in fraxinum fugere ſerpentem. Mira naturæ benignitas prius, quam eæ prodeant fraxinum florere,nec ante conditas folia dimittere. Denique contra ſerpentes opifera ſunt fraxini folia ſucco expreſſo ad potum,& vtero impoſita. *Iſidorus libro duodecimo.* Fertur etiam de ſerpente, quòd hominem nudum non audet contingere. *Idem in libro* 16. Lapis gagates incenſus fugat ſerpentes. *Idem in libro* 17. Raphani ſemine macerato quiſquis manus ſuas infecerit ſerpentes impune tractabit.

Reſerta.

Galbanum.

Fraxinus.

Homo nudus.

Gagates.

De eodem.

CAPVT XV.

Ambroſius. Serpentem interimunt rubi folia eidem ſuperiecta. *Sputum etiam hominis ieiuni* ſi ſerpens guſtauerit moritur, itaque ſi ſputo ſuo ieiunus homo terrenum interficit ſerpentem, merito & ieiunio interficit ſpiritualem. *Razi vbi ſupra.* Serpentes expelluntur, ſi domus cum cornibus cerui vel vngulis capræ, vel galbano, vel pice, vel bdellio, vel ignis malorum granatorum, vel capillis humanis ſuffumigetur, vel ſi ex aqua in qua ſal ammoniacum diſſolutum fuerit roretur. De hac etiam aqua ſi in eorum foraminibus immittatur fugiunt. *Auicenna ſecundo canone.* Ex planta quoque quæ dicitur agnuſcaſtus facta ſuffumigatio, & eius folia fugant venenoſa. *Item in 4. canone.* Ex illis etiam quæ fugant ſerpentes ex ſuffumigationibus *ſunt cornua cerui, & radix lilij, piretrum, ſulphur, Sinapis* quoque ſerpentes interficit,& quando ponitur ſuper ſemitas eius ab ipſo refugit. Iterum ſerpentem occidit ieiuni ſputum in os eius proiectum, proprieque quando ſumit in ore ſuo ſal ammoniacum. *Palladius de agricultura lib.* 1. Serpentes prope omni auſteritate fugantur,& nocentes ſpiritus innocentia fumi graue olentis exagitat,vramus galbanum,vel cerui cornua, radices lilij,capræ vngulas, hoc genere monſtra noxia prohibentur. *Ex lib. de natur. rerum.* Serpens hominem nudum fugit, etiam odorem bonum,quo plerumque necatur. In Hibernia nullus ſerpens viuere poteſt, ſed nec aliquid venenatum. Quin etiam vbicumque terra de Hibernia allata ſuper animal venenatum proiecta fuerit,ilico moritur. In Syria angues non lædũt. In lacedemonio monte hoſpites à ſcorpionibus non læduntur, indigenas autem interimunt.

Agnus caſtus.

Sinapis & alia fugant ſerpentes.

De medicinis ex ſerpentibus.

CAPVT XVI.

Auicenna in 2. can. Serpentis in carne eſt exiccatio fortis, & in cute etiam vehemens, ſed calefactio non eſt vehemens in carne eius. Caro fœminæ melior eſt,& melior cutis eius eſt cute maſculi: proprietas carnis eius eſt, quod ipſa facit penetrare ſuperfluitates ad cutem. Ideoque comeſtio eius *facit pediculos, & corrumpit.* Vnde cuidam accidit ex comeſtione eius, & exitura magna in collo. Quam cum apparuiſſet exiuit caro eius tota in pediculos conuerſa. Item eius caro cum in vſu habetur, prolongat vitam, confortat virtutem, & conſeruat ſenſus ac iuuentutem. Confert autem lepræ magnificè,& alopiciæ. Caro & ius eius poſt extremitatum ſuarum proiectionem *prohibent augmentationem ſcroſularum*,& ſimiliter eius cutis, hæc etiam conferunt doloribus neruorum. Item ius & caro eius confortant viſum. Cutis eius in vino cocta,& in aurem diſtillata, ſedat dolorem eius. Ex aceto quoque in quo cutis ipſa decoquitur,ad dolorem dentium os colluitur. *Dioſcorides.* Tunica colubri in vino cocta & in ore diſtillata, ſedat dolorem eius,& dolori dentium medetur. Eſt etiam adiutorium oculorum,maximè tunica de vipera. *Hali.* Corium ſerpentis ſi ficcetur, & teratur, collyrium ex eo factum acuit viſum. Item ſi cum aceto bulliatur, *doloribus ſuccurrit dentium.*

Vſus ſerpentium in medicinis.

De anguibus.

CAPVT XVII.

Iſidorus lib. 12. Anguis autem eſt vocabulum omni ſerpentium generi,quod plicari, & torqueri poteſt. Inde etenim anguis dictus eſt, *quòd anguloſus ſit, & nunquam rectus.* Anguibus vniuerſis hebes viſus eſt, raro in aduerſum contuentur, nec fruſtra cum oculos non in frontibus, ſed in temporibus habeant, adeo vt citius audiant quam aſpiciant. *Plinius libro octauo.* Angues exuunt ſenectutem. In Syria circa Euphratis ripas maximè dormientes angues ſyros non attingunt, aut etiam ſi calciatos momorderit, illi maleficia non ſentiunt. Alijs tamen cuiuſcunque gentis hominibus infeſti, auidè, & cum cruciatu eos exanimant. Quamobrem & ſyri nequaquam illos necant. Anguis hiberno ſitu membrana corporis obducta fœniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitidiusque vernat, exuit autem à capite primum, nec celerius quàm vno die & nocte replicans, vt extra fiat membranæ, quod fuerit intus. Item hiberna latebra viſu obſcurato maratro herbæ ſeſe affricans: oculos inungit ac refouet: ſi vero ſquamæ obtorpuerint, ſpinis iuniperi ſe ſcabit.

Anguis etymon.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Et medulla ſpinæ hominis anguis oritur. Salamandra & anguilla non generãt.

Idem lib. 10. Anguem ex medulla hominis ſpinæ à multis naſci accepimus. Pleraque enim occulta & cęca origine proueniunt etiam quadrupedum genera: ſicut ſalamandra nunquam niſi magnis imbribus proueniens & ſerenitate deficiens. *Hæc autem ex non genito genita nihil quoque gignit, nec eſt in ea maſculinum genus, vel fœmininum, ſicut nec in anguillis omnibus, quæ nec animal, nec ouum ex ſe generant.* Neutrum eſt & oſtreis genus, & cæteris adhęrentibus vado vel ſaxo. *Auctor.* Ecce poſtquam de ſerpentibus in generali dictum eſt: nunc de ſingulis ſerpentibus & ſerpentium generibus more noſtro ſecundum ordinem alphabeti dicendum eſt.

De Afferato, & affudio.

CAPVT XVIII.

** Alij legunt Cafezati.*

** Alij legunt Aſſudius.*

Auicenna vbi ſupra. * Afferati & altariati, id eſt Saliens & volans ſerpentes ſunt parui, breues, minuti, qui quandoque occultantur in arboribus inſidiantes, vt proijciant ſe ad tranſeuntes: horum genus vidi. Callidi valde ſunt, & ad rubedinem declinantes, ex eorum morſu accidit, vt dicitur, dolor vehemens, & totum corpus pertranſit: quo etiam mors accidit. Cura eorum cura communis eſt: vt cura viperarum. * Affudius & ſabrin, vt dixerunt ſapientes, ſunt duo ſerpentes arenoſa corpora habentes, & ſuper capita eorum puncta alba & nigra, & quandoque ſunt nigri & rubei & albi. Super eorum capita ſunt ſquamæ albæ inſciſæ, eorumque inceſſui ſtrepitus ineſt propter ſiccitatem corticum ventrium ipſorum. Et ſunt grauis motus, æqualium dentium; Horum morſus diſrumpit poros & meatus naturales, faciens ex eis fluere ſanguinem, ita quòd ex angulis etiam oculorum. Et comprimitur in ſanguine & ſputo ſanguinis & fluxu ſanguinis narium & vomitu & dolore in ſtomacho. Et dixerunt, quòd locus apoſtematur, ac denigratur, & currit ex eo res parua aquoſa: & ſoluitur venter & conſtringitur anhelitus, & difficultas vrinę fit & abſconditur vox & membra mollificantur, & vincit ſuper corpus diſpoſitio obliuionis. Et accidit ſpaſmus, & cadunt dentes, & moritur patiens. Cura autem eorum ex parte proxima eſt curæ viperarum.

De Anſibena, & Armena.

CAPVT XIX.

** Rectius legitur Amphiſbana vel Amphiſibena. M S Vedaſtinum & alia Originalia legunt corruptè Anſibena.*

Armena.

Si aliquid confert morſui Armenæ

Iſidorus. * Anfibena dicta eſt, eo quòd habeat duo capita, vnum in loco ſuo, alterum in cauda currens ex vtroque capite tractu corporis circulato. Hæc ſola ſerpentium frigori ſe committit: prima omnium procedens. De qua *Lucanus*, *Et grauis in geminum vergens caput anſibenæ:* huius oculi lucent veluti lucernæ. *Plin. lib.* 8. Anfibenæ caput eſt geminum, hoc eſt & ad caput, & ad caudam: tanquam parum eſſet ore vno fundi venenum. *Iorath vbi ſupra.* Anfibena ſerpens frigori committit ſe: vigil & ſolicitus de ouis ſuis valde cum ea cubat. Nam dum quędam pars eius dormit, altera tunc vigilat. Et cum per ſemitam incedit, duo capita regit, nunque caput anterius, nunc vero poſterius conſequitur. Eſt alius ſuper calcaneum ambulans in coitu ſuo, & ſuper caudam ſuam. *Auctor.* De huiuſmodi monſtris ſerpentium, videlicet capita duo habẽtibus, dictum eſt iam ſuperius ſecundum Ariſtotelẽ in capitulo de monſtruoſis ſerpentibes. *Auicenna.* Armena eſt ſerpens: proprietates habens reguli proprietatibus proximas, non enim interficit morſu tantum, ſed viſu & ſibili ſui auditu. Quodcunque animal mordet diſſoluitur: & quodcunque ei appropinquat ex animalibus moritur. At vero quantitate dixerunt eum à regulo differre. Æſtimauerunt enim quòd eſt ab vno cubito vſque ad cubitum & ſemis: & dixerunt quòd morſo ab eo non confert, aliquid; Si vero aliquid confert ei, tunc ideſt, *ſemen papaueris, & caſtoreum;* hoc enim iam quidam teſtificati ſunt.

A B C D E

De aſpide.

CAPVT XX.

Aſpis.

Gemma innaſcitur aſpidi.

Emplaſtrum

Iſidorus. Aſpis dicta eſt, eo quòd morſu venenato interimat: as enim Græci venenum dicunt: huius diuerſa ſunt genera, & diſpares effectus ad nocendum. Fertur, quòd aſpis cum incantatorem pati cœperit, qui eam quibuſdam carminibus euocat, vt eam de cauerna educat, Illa cum exire noluerit vnam aurem in terra premit, alteram cauda obturat & operit, ac voces illas magicas non audiens ad incantatorem non exit. Ex generibus aſpidum ſunt dipſas, hipnalis, hæmorrhois, pręſter, ſeps. *Phyſiologus.* Aſpis ſi momorderit hominem, ſtatim eum conſumit, ita vt liquefiat totus more ſerpentis. *Gloſ. ſuper Iob.* 22. Aſpis eſt paruus ſerpens: vipera prolixioris eſt corporis, & venenum aſpidis concitè, vipera tardius occidit: vnde ſcriptum eſt. *Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ. Andromachus vbi ſupra.* Aſpidis habitatio eſt in ſicco: & in locis in quibus non eſt aqua. Et hæc eſt quandoque cineritia: quandoque citrina: Aſpis eſt ſerpens cærulei coloris, cuius dentes ſuper modum longi ſunt: ita quòd extra os ſicut apro apparent. Morſu venenum immittit & ſpargit: vnde & nomen accepit. Virtute quorundam verborum incantatur, ne veneno interimat, vel vt quidam dicunt, vt quietè capi poſſit: *& gemma de fronte eius auferri, quæ naturaliter in eo naſcitur.* Aſpis non nocet afris, vel ſyris. Vnde pueros ex eo natos eis obijciunt. Quos ſi læſerint tãquam adulterinos proijciunt. Sin autem, eos tanquam ſuos nutriunt. *Auicenna.* Aſpis eſt ex ſerpentibus ſurdis: hæc ſicca dicitur propter vehementiam ſiccitatis ſuæ cutis, & eſt in quantitate ſua inter tres cubitos & quinque. Color illius cineritius, & ad citrinitatem decliuis: oculi eius ſunt vehementis luminis, & interficit à duabus horis vſque ad tres. Quem autem momorderit, alteratur color eius & ſtupefit: ac multiplicatur eius ſingultus: & infrigidantur membra eius. Palpebræ quoque eius clauduntur, & profundè dormit. Ad eius morſionem eſt iuuatiuum emplaſtrum *cum calce, ac melle & oleo.*

Adhuc de eodem.

CAPVT XXI.

Coniuga ſunt.

Aſpidis miraculum.

Auctor. Aſpis habet cum ichneumone internitium bellum, iuxta Plinium, ſicut iam ſuperius dictum eſt. *Plinius lib.* 8. Aſpidum colla intumeſcere nullo ictus remedio aſſeritur, præterquam ſi partes contactæ confeſtim amputentur. Vnus eſt huic animali tam peſtifero ſenſus, vel potius affectus. *Coniuga ſermè vagantur,* nec aſpidi, niſi cum compari vita eſt. Itaque alterutra interempta in interfectorem ſequitur altera incredibili vltionis cura, vnumque illum in quantolibet agmine populi, notitia quadam infeſtat. Omnes difficultates perrumpit, ſpatia permeat, nec niſi amnibus arcetur, aut præceleri fuga illius: Non eſt autem fateri vtrum rerum natura largius mala an remedia genuerit, ideo primum hebetatos oculos huic malo dedit, eoſque non in fronte, nec ex aduerſo cernere, ſed in temporibus fecit. Excitatur itaque ſæpius auditu quàm viſu. *Idem in libro* 10. Recitatur & de aſpide traditum à Philarcho miraculum. Is enim auctor eſt aſpidem, cum ad menſam cuiuſdam veniens in Ægypto aleretur, aſſiduè catulos enixam, quorum ab vno filium hoſpitis interemptum. Illam vero reuerſam ad conſuetudinem cibi culpam intellexiſſe & catulo necem intuliſſe, nec poſtea in tectum id reuerſam.

Idem in libr. 11. Aſpidum dentes in os vergentes ſunt: ne cibi excidant, nullum habentes adminiculum retinendi; ſed duo ſunt in ſuperiori parte dextra leuaque longiſſimi tenui fiſtula perforati, venenum infundente, vt ſcorpionum aculei. *Idem in libr.* 9. Aſpides à ſe perculſos torpore, & ſomno necant, omnium ſerpentium

minime

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

minime ſanabiles. Venenum eorum ſi ſanguinem, aut vulnus recens attingit, ſtatim interimit, ſi autem inueteratum vlcus tardius, de cætero quantalibet copia potum, non nocet, ei vero rabifica vis eſt. Itaque occiſa morſu eius altera animalia, cibis ſunt innoxia. Cunctarer ex his in proferendo remedia, niſi Varro prodidiſſet, aſpidũ ictus efficaciſſimè ſanari *hauſta à percuſſis ipſorum vrina:* muſtelæ quoque ſylueſtris fel contra aſpides efficax eſt. *Solinus.* Plures variæque ſunt aſpidum ſpecies, vt dypſas hipnalis hęmorrhois, præſter ſunt autem ammoda, eſt & cenchris, elephantiæ, chercitra, chamædracontes. Poſtremo quantus nominum, tantus eſt numerus mortium. Monſtra hæc ſibilant & vt ferunt affectus habent, nec temere niſi coniuges euagantur, altero capto vel occiſo vter ſuperfuerit efferatur, ſubtiliora ſunt capita fœminis, aluusque tumidior, peſtis nocentior, maſculus æqualiter teres ſublimior, atque mitior. *Phyſiologus.* Aſpidem Lucanus ſomniferam vocat, quia vulneratus ab ea ſomnum morti continuat. Fertur autem ſic incantari. Dæmones diſcurrunt cum verbis ad ſerpentes, & infectione interiori hoc faciunt vt ſerpentes ad nutum eorum moueantur, ac ſine læſione tractabiles exhibeantur.

Vrina percuſſorum.

De Baſiliſce.

CAPVT XXII.

Baſiliſcus.

Iſidorus. Baſiliſcus Græcè, Latinè regulus interpretatur, eo quod rex ſerpentium ſit, adeo vt videntes eum fugiant, qtia olfactu ſuo eos necat. Nam & hominem, vel ſi aſpiciat, interimit, ſiquidem & eius aſpectum nulla auis volans illæſa pertranſit, ſed quamuis procul ſit, eius ore combuſta deuoratur. *Solinus.* Prope Ægyptum eſt ſolitudo inacceſſa, quæ baſiliſcum creat, malum in terra ſingulare. Neque enim hominis tantum vel aliorum animantium exitijs datum eſt, ſed terræ aditum quoque ipſius quam polluit, exurit, vbicunque ferale ſortitur receptaculum. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras ſpiritu peſtilenti, mouetur media corporis parte, media vero arduus eſt, & excelſus, ſibilum eius etiam ſerpentes perhorreſcunt, & cum acceperint, qua poſſunt fugiunt. Quicquid morſu eius occiditur, non depaſcit fera, non attrectat ales. Muſtelis tamen vincitur, vis autem nec defuncto quidem deeſt. Denique baſiliſci reliquias Pergameni comparauerunt, vt ędem Apollinis manu inſignem, nec araneæ intexerent: nec alites inuolarent.

Muſtelis vincitur.

Phyſiologus. Ædes nimirum in quibus aliqua corporis baſiliſci particula reſeruatur, nec ſerpentes ingrediuntur, nec aues fædant, nec intexunt araneæ, media parte ſui corporis ſerpit, media vero arduus eſt, & excelſus. *Plinius lib. 8. Baſiliſci vis eſt, vt omnes qui oculos eius viderint, confeſtim expirent.* Hunc Cyrenaica generat prouincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine. Candida in capite macula, vt quodam diademate inſigni, ſerpentes omnes ſibilo fugat, nec flexu multiplici, nec vt reliquæ corpus impellit, ſed celſus, & erectus in medio incedit. Necat frutices non modo contactas, verum & afflatas. Exurit herbas, rumpit ſaxa, huic tali mõſtro muſtelarum virus exitio eſt, adeo naturæ nihil placuit eſſe ſine pari, interficiunt eos cauernis facilè cognitis ſola tabe. Necant & illi ſimul odore moriunturque, & naturæ pugnam conficiunt. *Idem in lib. 29.* baſiliſci ſanguinem qui etiam olfactu ſerpentes alios necat, & viſu hominem, magi miris laudibus celebrant coeuntem picis modo, & colore dilutum cinnabri clariorem fieri. Attribuunt ei ſucceſſus petitionum à poteſtatibus, & à dijs etiam precum, & in morbis remedia. Quidam id Saturni ſanguiné appellant. *Iorath vbi ſupra.* Baſiliſcus omne animal ſuper quod anhelat, ſtatim interficit. Et omne animal præter muſtelam naturaliter ipſum fugit. Nam illa eum conſequitur, & vincit, morſuque ſuo inficit, & ſic interficit.

Vis baſiliſci.

Magi vtebantur olim baſiliſco.

De baſiliſco.

CAPVT XXIII.

Auicen. in 4. can. Baſiliſcus eſt ſerpens qui ſolo viſu interficit, & auditu vocis ſuæ. Hunc ait quidam vocari regulum, quia caput habet coronatum. Cuius lõgitudo duorum palmorum eſt, & caput acutum valde, oculi rubei. Color eius ad nigredinem, & citrinitatem decliuus: hic adurit totum ſuper quod incedit, nec in circuitu cauernæ eius oritur aliquid, & cum habitationi eius opponitur auis, cadit, non ſentit ipſum aliquod animal quin terreatur, & ſi propinquus fuerit ſtupeſcit, ita quod non mouetur: ſibilo ſuo quando exhalat eum interficit, & ille quoque moritur ſuper quem viſus eius ex longinquo cadit. Corpus autem illius quem mordet liquefit, & inflatur, & currit virus, & ſtatim moritur. Omnis autem moritur, qui illo mortuo appropinquat, raroque euadit, qui eius vicinitati præſens ſit. At vero poſſibile eſt in quibuſdam horis, vt quis tangat eum virga ſecundum Plin. moriturque qui ſic eum tãgit, & hoc mediante virga. Vnde tetigit eũ miles quidã cum lancea ſua, & mortuus eſt ipſe, & equus illius, hic ſerpens multiplicatur in terra Arorch, & Nubia. *Signũ ergo eius morſus eſt ſi videris mortuum ſubito abſque cauſa primitus apparente*, propriè quando eſt in loco vbi ſcitur illud animal eſſe, nec eſt prorſus vlla curatio. *Ex lib. de nat. rer.* Baſiliſcus hominem ſi primo viderit, ſolo viſu eum interficit, quia radij oculorum eius ſpiritum hominis viſibilẽ corrumpũt. Quo corrupto cęteri quoque ſpiritus corrumpuntur, qui à cerebro, & vita cordis deſcendunt, & ſic homo moritur: ſerpentem vero ſi prius viderit, ſerpens extinguitur, vt dicit Iacobus Aconẽſis vbicunque cinis eius fuerit delinitus, nec araneæ poſſunt intexere, nec venenifera quælibet attrectare, dicitur argentum cinere eius delinitum mutari in colorem aureum. De hoc iterum aliquid dicetur inferius ſub reguli nomine.

Signũ morſus reguli.

De generibus baſiliſcorum, & remedijs contra illos.

CAPVT XXIV.

Baſiliſcus interdum ex gallo naſcitur, quia gallus in ætate decrepita, facit ouum ex ſe, vnde baſiliſcus procreatur. Sed in generatione hac oportet vt multa concurrant. In fimo namque calido, & multo ponit ouum, ibique fouetur vice patris, & poſt multum temporis exit pullus, & inualeſcit, ſicut ſolent anatum pulli. Habet autem caudam vt coluber, reſiduum vero corporis vt gallus. Dicunt autem hi qui creationem eius ſe vidiſſe teſtantur, quod nulla eſt oui teſta, ſed validiſſima pellis, intantum vt reſiſtere poſſit ictibus validiſſimis. Opinio quoque quorundam eſt, quod ouum illud galli coluber aut bufo foueat, ſed hoc incertum eſt, hoc tamẽ in antiquorum ſcriptis habemus, quod baſiliſci quoddam genus ex ouo galli decrepiti generetur.

Fit ex ouo galli.

Philoſophus. Tria ſunt genera baſiliſcorum *primus alochryſus* qui chryſeus dicitur, hic quod viderit inſufflat, & incendit. *Secundus ſtellatus*, qui & cryſocephalus, ideſt capitis aurei, hoc quod viderit paueſcit, & occiditur. *Tertius æmathitis*, ideſt ſanguineus vt minium, & ipſe capite aureo, hoc quod viderit vel percuſſerit defluescit, & oſſa per ſe remanent, hos omnes facile obtinet qui herbam baſilicam ſecum habuerit. *Iſidorus.* A muſtelis quoque baſiliſcus vincitur, quas illic homines inferunt cauernis in quibus deliteſcit, itaque eo viſo fugit, quem illa perſequitur, & occidit. Nihil enim parens ille rerum ſine remedio conſtituit.

Genera baſiliſcorum.

De behemoth, & bero, & boa.

CAPVT XXV.

Iorath. Behemoth ſerpens quodcunque animal cinxerit cauda, ligat ipſum quouſque morſibus interficit. *Ex libro de natur. rerum.* Berus inter omnes ſerpentes nequior eſt, & aſtutior, murænam ſibilo marinam

Berus.

ad littus euocat, eique blanditur, & eam ad copulam concitat. Quæ mollis animo coitum patitur, ſed ad exitium ſui, quandoque, nam aduerſarijs intercepta, priuſquam ad aquas reuertatur, occiditur. Boa eſt anguis in Calabria quæ ſugendo lac vaccarum in immenſam molem cõualeſcit, in tantum vt ceruos bouesque ſolidos tranſglutiat. Huius generis fuiſſe creditur ille quem Regulus Romanorum dux apud Aphricam centum & viginti pedum longitudinis interfecit, pellisque detracta Romam ad ſpectaculum eſt delata. De hoc ſcripſit Plinius, quod quando capiebatur oportuit adhiberi baliſtas, & tormenta varia ſicut in expugnatione caſtrorum.

Boa.

Iſidorus. Boa eſt anguis Italiæ immenſa mole, hæc perſequitur greges armentorum, & bubalos, & plurimo lacte irriguis vberibus ſe innectit ac ſugens interimit. Inde ergo à boum depopulatione boas nomen accepit. *Iorath.* Boas vt lac de vberibus ſugat pecora conſequitur, & quod ſuxerit, poſtea moritur. *Solinus.* Calabria boas gignit, hic anguis in immẽſum, vt ferunt creſcit. Captat primo gregem, vel greges bubalos, & vberibus lactè irriguis ſe innectit, ſuctuque continuo ſaginata, longo in ſeculo ita fellebri ſatietate vltimo exuberatur, vt obſtare magnitudini eius nulla vis queat. Poſtremo depopulatis animalibus regiones quas obſederit, ad vaſtitatem cogit. Diuo denique Claudio principe vbi vaticanus ager eſt, in aluo occiſæ boæ ſpectatus eſt ſolidus infans.

Innectit ſe vberibus bubalorum.

De cæcula, & chelidro ac cenchri.

CAPVT XXVI.

Cæcula. Chelydros. Cherſydros.

Iſidorus. Cæcula dicta eſt eo quod parua ſit, & non habeat oculos. Chelydros ſerpens eſt, qui & cherſydros, qui in terris, & in aquis moratur. Nam cherſon Græci dicũt terram, ydros aquam, hic terram per quam graditur fumare facit, quam Macer ſic deſcribit. *Seu terga expirant ſpumantia virus, ſeu terra fumat, qua teter labitur anguis. Et Lucanus. Tractíque via fumante chelydri,* ſemper autem directus ambulat, nam ſi torſerit ſe dum currit, ſtatim crepat. *Solinus.* Calabria chelydris frequentiſſima, boam quoque gignit. *Iſidorus.* Cenchris ſerpens inflexuoſus eſt, qui ſemper rectum efficit iter, *de quo Lucanus. Et ſemper recto lapſurus limite cenchrus.*

Cenchris.

De ceraſte.

CAPVT XXVII.

Ceraſtes.

Idẽ. Ceraſtes dictus eſt, eo quod habeat cornua arietũ ſimilia, cerata enim Græci cornua vocãt. Sunt autem huic quadrigemina cornicula, quorum oſtentatione velut eſca illiciens ſolicitata animalia perimit. Totum enim corpus arenis tegit, nec vllum indicium ſibi præbet niſi ex illa parte qua inuitatas aues, vel animalia capit. Eſt autem flexuoſus pluſquam alij ſerpentes, ita vt ſpinam non habere videatur. *Ex libro de natur. rerum.* Ceraſtes eſt ſerpens ócto cornua in capite habens, ex quibus fieri ſolent manubria cultellorum ad menſas Imperatorum, quia ſudore produnt venenum appoſitum. *Auicenna.* Cornuta eſt genus ſerpentium ſurdorum, cuius longitudo eſt ab vno cubito vſque ad duos, & ſuper caput eius ſunt duæ eminentiæ, quaſi duo cornua. Color corporis eius eſt cinereus, & venter eius ſicut ſquamæ ſiccæ duræ, quę ſtridẽt ſuper terram cum ſtrepitu. Dentes eius ſunt ęquales, non recurui, plurimum autem eius eſt in locis arenoſis. In locis quidem morſus eius ſentiuntur quaſi acus aut claui infixi in eis. Et dixerunt quod continuatur eius corpori grauitas maxima. Et eius labia inflantur, & accidunt ei vertigo, & tenebroſitas oculorum, & deſtruitur ratio. Curæ autem eius a ppropriatur, vt ſemen raphani cum vino in potu detur.

Octo cornua in capite.

Curatio.

De colubro.

CAPVT XXVIII.

Colubri etymon.

Iſidorus. Coluber ab eo dictus eſt quod colat vmbras, vel quod in lubricos tractus flexibus ſinuoſis labatur. Nam lubricum dicitur quicquid labitur, dum tenetur, vt piſcis ſerpens. *Ambroſ. Coluber autem, & cervum fugit, Iconem interficit. Phyſiologus.* Colubri pellis quæ exuitur, in oleo decocta mirè aurium dolorem mitigat. *Nota.*

Auctor. Patet de colubro verum eſſe in ſpeciali quod ſupra dictum eſt de ſerpente in generali, videlicet quod exuuijs ſuis depoſitis per foramen petræ tranſiens ſenectutem ſuam deponit, *ſed prius ieiunando carnes ſuas ſubtiliat, vt eidem tranſitui habilior fiat.* Eſt autem longus vt anguilla, tortuosè incedens, & ſibilans. Tranſeuntibus inſidiatur, & mordens lingua venenum infundit. Vnde ſcriptum eſt, *fiat Dan Coluber in via.* Et alibi. *Qui diſſipat ſepem mordebit eum coluber. Plin. lib. 33.* Contra rubetæ venena auxiliatur coluber viuens in aqua. Huius adipem aut fel ſecum habent, qui crocodilos venantur, eoſque mirè his adiuuari teſtantur, ydris à Græcis vocatur coluber viuens in aqua, de quo ſcilicet dicetur infra. *Dioſcorides.* Tunica colubri in vino cocta dolori medetur dentium. Eſt etiam oculorum adiutorium.

Coluber ieiunat vt iuuenęſcat.

Gen. 49. Eccleſ. 10.

De dracone.

CAPVT XXIX.

Draco.

Phyſiologus. Draco ſuper omnes ſerpentes maximus, & ſuper omnia terræ animantia. Qui quandoque ſuper aẽrem fertur ipſum concitando, ac vehementer impellendo. *Iſidorus.* Draco maior eſt cunctorum animantium ſuper terram, hunc Græci dracontam vocant, vnde & deriuatum eſt in Latinum, vt draco diceretur. Qui ſæpe à ſpeluncis abctractus in aerem fertur, & propter eum aer concitatur. Eſt autem criſtatus, ore paruo, & arctis fiſtulis, per quas ſpiritum trahit, & linguam exerit. Gignitur autem in Æthiopia, & in India in ipſo incendio iugis æſtus. *Auctor.* Draco iuxta Iſidorum *ἀπὸ τῆς δερκειν*, quod & videre dicitur, quia cęteris animantibus acutius videt, veris autem draconibus, vt ait Solinus, ora parua ſunt, & morſu non dehiſcentia, ſunt autem ſine pedibus, & in ſpeluncis requieſcunt. Leuiathan iuxta Gregorium fertur eſſe draco in terra ſerpens, in aquis natans, in aere volans.

Auicenna. Minor ſpecierum draconum eſt, vt dixerunt, quinque cubitorum, *magni vero* 30. Sunt autem draconi duo oculi magni, & ſub inferiore mandibula eſt eminentia, ſicut mentum, quare ſunt ei dentes plurimi, multiplicantur in partibus Nubiæ, & ſunt in regione Aſiæ. Indi vero ſunt magni valde, facies habent citrinas, & nigras, ora vehementis amplitudinis. Supercilia cooperiunt oculos eorum, & ſuper eorum colla ſunt ſquamæ, & in qualibet mandibula tres dentes. Vidi ego quendam huius generis, ſuper cuius collum in latitudine deſcendente erant pili craſſi.

Dracones 30. cubitorũ.

Plinius lib. 8. Dracones Æthiopia generat Indicis pares vicenum cubitorum. Id modo mirum vnde Iuba criſtatos crediderit. Aſadhei Æthiopes narrant in maritimis ſuis quaternos, & quinos inter ſe cratium modo implexos velificantes erectis capitibus ad meliora pabula Arabiæ vehi fluctibus. Draco verno tempore nauſeat, ſed hoc malum ſyluęſtris lactucæ ſucco reſtringit. *Ex lib. de nat. rerum.* Draconis manſio frequenter eſt in ſpeluncis propter æſtum naturalem ſui corporis, & propter accidentalem Solis, qui maximus eſt in partibus orientis. Raro enim inuenitur hoc animal niſi in calidioribus oris. Itaque libenter etiam in rupe lapidea ſpeluncam ſortitur. Circa turrim Babel, & in deſertis illius antiquæ Babylonis ac ruinis eius maximi dracones habitare dicuntur, quorum vox ac rugitus homines terret, ad 25. cubitos, & amplius creſcens ſępius eualeſcit,

Loca Petroſa & deſerta frequentant.

ad

ad senium autem, & debitam magnitudinem veniens, sine cibo tempore multo viuit. At vbi comederit non de facili satiatur. In abyssis terræ, sicut dicit Augustinus, aliquando draco moratur, & cum in aere sentit humiditatem, egreditur, & super aera fertur, magnis alarum remigijs aerem concitans, & impellens. Alis quidem pellicea volubilitate extantibus, & secundum corporis sui magnitudinem latè diffusis, vbicunque moratur, aerem inficit. Quoddam genus eorum pectore super terram repit, aliud vero pedes habet, sed hoc rarius inuenitur. *Aristoteles.* Draco cum infirmatur comedit fructum therasicon cum lacte.

De Pugna draconis cum elephante ac cæteris.

CAPVT XXX.

Pugna cum elephante.

Ambrosius. Draco elephantem ligat, cuius ruina mors victoris est, & ideo summè in vtrumque certatur, ille vt pedem alliget, in quo casus victi sibi nocere non possit, iste ne posteriori pede extremus vel calce capiatur angusto, vbi vel ipse se non queat explicare. Et draconem vestigio graui proterere, vel sequentis elephantis auxilium non habere. *Plinius vbi supra.* India dracones habet, & elephantes perpetua discordia bellantes, tantæ magnitudinis, vt facili circumplexu elephantes ambiant, noxioque nodo perstringant. Commoritura dimicatio victusque corruens complexum elidit pondere. Primo quidem draconis caudæ gressus elephantorum alligant, sed illi nodos manu resoluunt. At vero dracones in nares ipsos caput condunt, pariterque spiritum præcludunt, & mollissimas partes laniant. Idem obuij deprehensi in aduersos se erigunt, oculos maximè petunt. Ita fit, vt cæci, & fame ac mæroris tabe confecti reperiantur.

Causa cur Dracones inuolent elephantos.

Est & alia dimicationis huius fama, videlicet elephantis sanguinem frigidissimum esse, & ob id à draconibus expeti, præcipuè æstu torrente. Quamobrem in amnibus mersos insidiari bibentibus, arctatisque alligata manu, morsum in aurem defigere, quoniam his tantum locus defendi non possit manu, ipsosque dracones esse tantos, vt totum sanguinem capiant. Itaque elephantes ab his ebibi, siccatosque concidere, & dracones inebriatos opprimi commorique. *Idem in lib.* 10. Aquilæ quoque satis est pugna cum dracone, multoque magis anceps etiam si in aere. *Aristoteles.* Vultur etiam, & draco præliantur. Quia comedunt animalia. *Iorath.* Est arbor zilanim quam draco timere consueuit, & fugere, in cuius fructu delectantur columbę. Et siquidem arboris vmbra venit ad orientem, draco fugit ad occidentem. Si vero ad occidentem draco fugit ad orientem. Sic itaque columbis insidiatur, & ipsas interficit, & deuorat, cum ab arbore separantur.

Zylinum rectus legeretur.

De Documentis draconum.

CAPVT XXXI.

Isidorus. Draco vim in cauda non in dentibus habet, & verbere potius quam ictu nocet. Innoxius autem est à venenis, sed ideo huic ad mortem faciendam venena non sunt necessaria, quia si quem ligauerit occidit, à quo nec elephas tutus est sui corporis magnitudine. Nam circa semitas delitescens per quas elephanti solito gradiuntur, Crura eorum solidis nodis illigat, ac suffocatos perimit. *Aristoteles in li. de animalibus.* Est in terra Æthiopiæ draco ex quo tyrus generatur, & ex illo entychon accipitur, contra quod non est remedium. Omnium que animalium venenum habentium morsus est valde malus, maximeque si se comedant inuicem, sic comedit draco scorpionem. *Item de proprietatibus elementorum.* In diebus Philippi Regis via in monte Armeniæ fuit de qua rex interrogauit, cur super illam nullus transiret, quin mortuus caderet. Socrates ergo speculum de chalybe contra illum posuit, in quo duos dracones magnos vidit. Qui aperuerunt os suum, & egrediebatur corrumpens aerem fumus ex orificijs eorum. Rex vero præcepit ad montem illum exiri, & ipsos interfici, sicque saluatus est locus ille. *Auctor.* Dracones, vt dictum est cum in aera sustolluntur, aer propter eos concitatur, & lucet sicut ignis. *De his Lucanus.*

Hystoria de Philippo rege.

Vos quoque qui cunctis innoxia munera terris,
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones,
Pestiferos ardens facit Aphrica, ducitis altum
Aëra cum pennis armentaque tota sequuti,
Rumpuntque in gentes ampl exu verbere tauros
Nec tutus spacio est elephas datis omnia leto,
Nec nobis opus est ad noxia fata veneno.

Carmina Lucani.

Narrat Petrus Damianus de quodam agricola, qui quadam die valde mane surrexit, & videns draconem enormis magnitudinis, lignum putauit, fessusque super eum vt requiesceret sedit, quem mox indignata bestia deglutiuit. Draco iuxta Hyeronymum Hebraicè dicitur leuiathan, sicut inferius dicetur, vbi scilicet de leuiathan agetur. *Ex lib. de nat. rer.* Draco (vt dictum est) venenum non habet, ore quidem dehiscit, sed dentibus non nocet. Morsus tamen eius pessimus, & si paruus, quia venenifera comedit. Visus etiam draconis intolerabilis est hominibus, ita vt quandoque sola eius visione terreantur ad mortem. Cauda quoque si quid ligauerit occidit, auram etiam spirando inficiens flatu mortifero pestem ingerit.

Historia de agricola.

De vtilitatibus ipsorum.

CAPVT XXXII.

Solinus. Draconum ex cerebris exciditur dracontias lapis, sed lapis non est nisi detrahatur viuentibus. Nam si obeat prius cum anima simul euanescit duricies sola. *Physiologus.* Graminibus quidem medicatis dracones dormire coguntur, sicque lapis acquiritur, cuius vsu reges orientales præcipuè gloriantur. Draconum adipem fugiunt venenata, nec ipse draco habet venena, Draconis capite prosperam, & fortunatam domum promittunt facere. Oculis eius inueteratis, & cum melle tritis inunctos, non expauescere ad nocturnas imagines etiam pauidos. *Ex li. de natu. re.* Ex cerebro draconis inopinate percussi, & adhuc in pleno vigore palpitantis, extrahitur dracontias lapis; lingua eius, & fel in vino decocta *remedio sunt his, qui vexantur ab incubis*, eorum corporibus ex hoc inunctis, draconis caro vitrei coloris est, ac vescentes illa refrigerat. Hinc est quod Æthiopes in feruida plaga manentes, draconis carne libenter vescuntur, adeo quoque auaritiæ sitis in immensum creuit, vt institores quibusdam carminibus draconem ad tempus mansuetum reddant, eiusque tergo insidentes freno ipsum regant, vsque dum in Æthiopiam perueniant. *Isidorus libro* 19. Cinnabarum aiunt esse draconum sanguinem dum implicant elephantos. Ruunt enim belluæ, & dracones obruuntur. Quorum cruor fusus terram inficit, fitque pigmentum quicquid solum tinxerit. Est autem puluis coloris rubei, quo scilicet vtuntur pictores vt cęteris coloribus. Inde cinnabarum ex dracone, & barro, id est elephanto cognominatum dicunt. *Auctor.* Porro sanguinem draconis quo physici vtuntur in medicinis, aiunt gummi cuiusdam arboris, sic dictum propter sanguinis similitudinem, vt superius dictum est.

Dracontias.

Contra incubos.

Cinnabarum.

De draconcopede.

CAPVT XXXIII.

Ex lib. de nat. rer. Draconcopedes serpentes magni sunt, & potentes, facies virgineas habentes humanis similes, in draconum corpus desinentes. Credibile est huius generis illum fuisse, per quem diabolus Euam decepit, quia (sicut dicit Beda) virgineum vultum habuit. Huic etiam diabolus se coniungens vel applicans vt consimili forma mulierem alliceret, faciem ei tantum ostendit, & reliquam partem corporis arborum frondibus occultauit. *Augustinus super Genes.* Dicitur autem serpens ille callidissimus fuisse, vel secundum alios sapien-

Draconcopedes.

Serpens Eu. decipiens qualis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſapientiſſimus non propriè ſicut in bono ſolet accipi ſapientia Dei,vel angeli,vel animæ rationalis,ſed translatiuè ſicut apes, vel formicas dicitur ſapientes, propter opera ſapientiam imitantia, quamuis ſerpens non anima rationali, ſed ſpiritu diabolico,quo plenus erat poſſit ſapientiſſimus dici. Mali enim angeli quamuis ſuperbia deiecti, natura tamen excellentiores ſunt omnibus beſtijs,propter eminentiam rationis.Serpens enim non intelligebat verba, nec rationalis eſt facta. Quod enim verbis magorum, vel incantatorum ſerpentes trahuntur de latebris,diabolica eſt vis. Quod permittitur ad memoriam illius primi facti, vt ſciatur quia cum hoc genere familiariter ſit ei locutus.Eſt autem ille ſerpens ſicut aſina Balaam,ſed hoc fuit diabolicum, illud angelicum: boni enim,& mali angeli ſimiliter operantur,ſicut Moyſes,& Magi Pharaonis.

Incantatores permittuntur trahere ſerpentes de latebris,& cur?

De dipſade.

CAPVT XXXIV.

Dipſas. Situla.

Iſidorus. Dipſas eſt genus aſpidis, qui Latinè ſitula dicitur,quia quem momorderit ſiti perit. Tantæ autem exiguitatis eſſe fertur, vt dum calcatur non videatur. Cuius venenum extinguit antequam ſentiatur, vt facies præuenta morte, nec triſtitiam indicat morituri. De quo poeta.

Carmina Lucani.

Signiferum iuuenem tyrreni ſanguinis auſu,
Torta caput retro dipſas calcata momordit,
Vix color aut ſenſus dentiſque fuit.

Andromachus. Dipſas cum aliquem pungit, inflammatur in eo caliditas valde ſuperflua. Indeque accidit ei vehemens ſitis, & aduſtio inflammata, nec bibere ceſſat aquam,donec corpus eius ſcinditur, & ſic moritur. *Helinandus libro* 11. Dicitur dipſas ſitula per contrarium. Vas enim quod ſitula dicitur, ſitim aufert. Hoc infert, ſicut pharethra dicitur quæ mortem infert,& feretrum quod fert,vel aufert mortuum. De his ait *Lucanus dicens. Stabant in margine ſiccæ aſpides,& medijs ſitiebant dipſades vndis.* Et poſt pauca de illo quem torta caput retro dipſas calcata momordit. Lucanus refert. *Ferroque aperire tumentes ſuſtinuit venas,ac os implere cruore.* Legi in quibuſdam Gloſ.antiquis ſuper Deuteron.ſic:dipſas eſt genus ſerpentis pede, & ſemis longus, & duorum palmorum. *Phyſiologus.* Dipſas etiam torrida dicitur, quia vulneratus ab ea tanto feruoris æſtu ſuccenditur, vt nulla aquarum abundantia ſitis eius compeſcatur. Dicitur etiam eadem ex cauſa ſitula,de qua dicetur infra. *Auicenna.* Serpentis facientis ſitim ſecundum quoſdam longitudo eſt palmi vnius, & ſuper corpus eius ſunt veſtigia nigra plurima. Caput eis eſt paruum, & collum craſſum,à quo incipit creatura eius vſque ad caudam ſubtilem,inceditque quatiendo caudam ſuam. Eſt autem in littoribus,& accidit morſo ab eo, vt aduratur venter eius,& inflammetur adeo vt non ſatietur aqua,nec bibere ceſſet abſque exitu alicuius rei per vrinam aut ſudorem,ita quod inflatur venter eius totus,& aqua currit in venis eius. Huius autem regimen poſt communia regiminum eſt indeſinenter eum facere bibere oleum plurimum,& euomere, deinde clyſterizare cum his quæ educunt fęces,& humiditates.

Lucanus.

Curatio.

De Hæmorrhoide,& enhydro,& exhydra.

CAPVT XXXV.

Hæmorrhois.

Iſidorus. Hæmorrhois eſt aſpis ex eo nuncupatus, quod ſanguinem ſudet, qui ab eo morſus fuerit, ita vt diſſolutis venis quicquid vitæ eſt, per ſanguinem euocet. Græcè enim hęma ſanguis dicitur. *Alexander.* Hæmorrhois ergo rectè dictus eſt à ſanguine, eo quod ab eo punctus nimium emittit ſanguinem,vnde mulier menſtruata dicitur hæmorrhoiſſa. *Iſidor.* Enhydros eſt colùber in aqua viuens. Græci enim aqua hydor vocant. Exhydra dicitur hydra Græcè,ſcilicet draco multorum capitum, qualis fuit in Lerna palude, prouinciæ Archadiæ. Latinè vero dicitur ex hydra, eo quod vno cæſo tria excreſcebant(vt dicebatur) capita. *Auctor.* De hac ergo plenius dicetur in loco congruo ſecundum ordinem capitalium litterarum, vbi de hydra tractabitur. De hac enim Hiero.in proœmio Eſdræ contra detractores ſuos loquens verſum poeticum tractat dicēs. Licet ex hydra ſibilet,victorque.Si non incendia iactet, nunquam meum iuuante Chriſto ſilebit eloquium, & præſciſa lingua balbutiet.

Enhydros. Exhydra.

De Glandoſa,& natrice.

CAPVT XXXVI.

Glandoſa,

Conſtantinus vbi ſupra. Glandoſa ſerpens eſt,cuius morſus eſt putridus, & de qua peſſimus odor eminus egreditur. Dicunt autem quidam, quod pedes ſuper illam incedentis excoriantur.Et apoſtema in crure patitur, illius quoque qui ei medetur manus excoriantur.Qui vero hunc ſerpentem occiderit, odor eius putridus ſit,& omnem niſi ſolius huius fœtoris perdit. *Huius morſus ſignificatio eſt,quod in illo loco ſubſequitur apoſtema cum rubore,* veſica illa membra circundat,aliquando ſummatim currit ſanguis quaſi aqua dolorem quoque patitur in ore ſtomachi. *Iſidor.* natrix eſt ſerpens aquam veneno inficiens. In quocumque enim fonte fuerit,eum veneno immiſcet. De quo *Lucanus, Eſt natrix violator aquæ.*

Significatio morſus.

Natrix.

De Iaculo,& Hypnali.

CAPVT XXXVII.

Iaculus.

Idem.Iaculus eſt ſerpens volans,de quo *Lucanus.Iaculique volucres.* Exiliunt enim in arboribus, & dum aliquod animal obuium fuerit,iactant ſe ſuper illud, & perimunt,vnde & iaculi dicti ſunt. *Iorath.* Iaculus ſerpēs volatilis,animal quodcumque occurrit ei dum volat interficit.Et eſt alius quo ſine ſenſu doloris animal moritur. Alius qui ſi quem tetigerit dolore diurno fatigabitur,& poſtea moritur. *Ex libro de natura rerum.* Iaculus eſt ſerpens,qui volans alis arbores ſubit, & in eis deliteſcit. E quibus vi maxima turbinatus penetrat animal quodcumque obuium inuenerit. Hypnalis eſt ſerpens ab aſpide genus trahens,qui ſomno quos mordet interimit,veneno enim immittit ſomnum,quo nullo impulſū deſerit infectum. Hunc Cleopatra ſiniſtro brachio ſuo appoſuit, iuxta ſuum Antonium ſe collocans, vt eius attactu dormiret, & vitam quieta morte finiret.

Hypnalis.

Mors Cleopatra.

De Leuiathan.

CAPVT XXXVIII.

Leuiathan.

Auctor. Leuiathan iuxta Hieron.Hebraicè dicitur draco.Fertur autem quod draco, & in terra ſerpit, & in aquis natat,& in aere volat,vnde etiam in Iſaia tribus nominibus appellatur,ſcilicet ſerpens,& cetus,& leuiathā.Loquens enim in ſpiritu de diabolo ſub leuiathan typo, ita dicit idem Propheta. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro,& grandi, & forti ſuper leuiathan ſerpentem vectem,& ſuper leuiathan ſerpentem tortuoſum,& occidet cetum qui in mari eſt. Iorath.* Leuin vel leuiatan ceto frequenter inſidiatur, & pugnat cum eo, omneſque piſces maris qui pugnam vident inter illos ſubito ad caudam ceti confluunt, etſi quidem cetus ab illo deuictus fuerit,morientur & ipſi ſtatim.Quos enim cauda cinxerit,mox deglutit. Quod ſi cetus ſuperari nō potuerit,tunc leuin à faucibus ſuis fœtidiſſimum odorem cum aqua emittit.Cetus autem econtrario,& reſpuit,& odorem fœtidiſſimum repellit,& ſic ſe ſuoſque ſaluat,& defendit.

Iſaiæ 6.27.

De Nepa, & obite.

CAPVT XXXIX.

Nepa. PHyſiologus. Nepa quibuſdam placet ſerpentem eſſe fœmineam, quæ in hora libidinis æſtuantis mari ſuo compari caput præſcidens ipſum necat. Vnde & ipſa in partu necatur viceuerſa. Sic ergo eadem eſt nepa, *Vipera.* quæ & vipera, ſic dicta, quaſi vi pariens. Cum enim prope partum eſt, catuli matris viſceribus corroſis, erũpunt cum interitu ipſius matris. *Auctor.* De hac ergo ſpecie plenius dicetur infra, vbi agetur de vipera. *Iſidorus.* *Obites.* Obites dictus eſt, eo quod arenæ colorem habeat. *Lucanus.* *De quo poeta, Quam ſparſis pictus maculis thcophanus obites Cõcolor exuſtis atque indiſcretus arenis Admotus, &c.*

De Padera, & paria, & præſtere.

CAPVT XL.

Padera. EX lib. de nat. rer. Padera eſt ſerpens in Germania ad craſſitudinem humani brachij, colore in ventre aureo, & dorſo virenti. Huius flatus, adeo noxius eſſe dicitur, vt ſi virgam recenter cæſam ori eius adhibeas corticem eius flatu ſuo faciat in veſicas felleas ebullire. Sed & fulgentem gladium ſi ori eius adhibeas lingua veneno eum inficit, & vſque ad ſummum gladij percurrens tetro ceruleoque colore afficit, ac ſi flamma violenta corriperetur. Hic cum hominem in pede percuſſerit, venenum & ad cætera membra per momenta decurrit, & hoc præ nimio exceſſu caloris eiuſdem naturæ, cuius & ignis, qui ſemper aſcendit. Cum autem aſcendens cor tetigerit, tunc homo cadit, & moritur. *Remedium contra venenum.* *Contraque remedium eſt, vt homo percuſſus in pede, ſuſpendatur in altum per pedes demiſſo capite, ſicque venenum nequit aſcendere, ſed infectus locus exciditur, & per medicamenta ſanatur. Iſidor.* *Parias.* Parias eſt ſerpens quæ ſemper in cauda ambulat, & ſulcum facere videtur. De qua *Lucanus: Quo contentus iter cauda ſulcare parias.* *Præſter.* *Præſter eſt* aſpis qui ſemper ore patenti, & vaporanti currit. Vnde *Poeta. Oraque diſtendens auidus fumantia præſter*, hic quem percuſſerit, diſtenditur enormique corpulentia necatur, extuberatum enim putredo ſequitur. *Alexander.* Præſter eſt ſerpens fumum exhalans, & in morſu ſuo tumorem tantum homini læſo adducens, vt humana prorſus forma pereat.

De Regulo.

CAPVT XLI.

Regulus. ISidorus. Regulus ipſe eſt baſiliſcus, ſcilicet ſerpens longitudine ſemipedalis, albis maculis lineatus. Idẽ & ſibilus dicitur, quia ſibilo occidit, antequã mordeat vel exurat. Reguli, ſicut & ſcorpiones arentia quæque ſectãtur, & poſtquam ad aquas venerint Hydrophobos & limphaticos faciunt. *Gloſ ſuper Iſaiam 14.* Regulus ipſe rex ſerpentium, qui ſolo viſu vel flatu abſorbet volucres, occiditque homines. Vnde, & de Achab, & filio eius Ezechia ſic loquitur Propheta. *De radice colubri egredietur regulus, & ſemen eius abſorbens volucrem.* Eſt autem regulus ſerpens pennatus, vnde vbi iuxta translationem noſtram legitur volucrem abſorbens, in Hebræo iuxta Hieronymum legitur, ſerpens volans. *Auctor.* Hinc etiam alibi per eundem Prophetam dicitur. *Iſaia 30.* *In terra tribulationis, & angustiæ leæna, & leo, ex eis vipera, & regulus volans.* *Andromachus in libro de confectione tyriacæ.* Regulus qui & baſiliſcus, ſerpens eſt ſubalbidus, ſuper cuius caput ſunt tres pilei. Quem cum videt aliquis paulopoſt moritur, & quando ſibilat moritur, qui audit ſibilum eius. Omnis quoque beſtia de illo mortuo comedens, ſtatim moritur. Et eſt malignior ſerpentium, nec aptus tyriacæ. *Iorath.* Regulum ſi quod animal viderit, vel audierit, hydropicum efficitur, & moritur. *Auctor.* De hoc autem ſerpentes, id eſt regulo plenius dictum eſt ſuperius, vbi agitur de baſiliſco.

De † Salpinga, & ſcytali ac ſepe.

* *Corruptè legitur ſalpinga, rectius ſolpuga. Vel vt aly ſolifuga, ſaltyga, Salpyga. Scytalis.*

CAPVT XLII.

ISidorus. Salpiga, vel Salpinga, ſerpẽs eſt quæ nõ videtur. Scytalis dicta eſt, eo quod tanta tergi varietate præfulget, vt notarũ gratia retardet aſpicientes, & quæ reptãdo pigrior eſt, quos aſſequi nõ valet, miraculo ſui ſtupentes capit. Tanti autẽ feruoris eſt, vt etiã hyemis tempore exuuias corporis feruentes exponat. *Lucanus.* De quo *Lucanus, Et ſcytales Perſis etiam nũc ſola pruinis Exuuias poſitura ſuas. Solinus.* Scytalis hyemalis exuuias pruina ponit. *Iſido.* *Seps.* Seps eſt exigua ſerpens, quę non ſolum corpus, ſed & oſſa veneno conſumit. Cuius poeta ſic meminit. *Oſſaque diſſoluens cum corpore tabificus ſeps.* Idem ſeps eſt tabifica aſpis, qui dum momordent hominem ſtatim eum conſumit, ita vt liquefiat totus more ſerpentis. *Lucanus: Parua modo ſerpens ſed quæ nonnulla cruentæ Mortis habet tantum,* &c. & poſt, *Eripiunt omnes animam, tu ſola cadauer.*

De Situla, & ſpuente ac ſyrena.

CAPVT XLIII.

EX lib. de nat. rer. Situla ſerpens eſt paruus, & malicioſus, qui hominem ſiti interficit, hic tanta varietate refulget, vt intuentes pulchritudine retardet, & quẽ natura dedit reptando pigriorem, miraculo ſtupentes detinet, quos aſſequi non valet. Eſt autem tanti feruoris, vt & in hyeme pellem deponat, huius morſu qui tangitur, igneo correptus ardore, ſuccenditur. *Auctor* *Situla.* Situla genus eſt aſpidis, quod Græcè dicitur dipſas, de quo plenius dictum eſt ſupra. *Auicenna.* *Spuens* dicitur quidam ſerpens, quia ſputo ſuo interficit illud ſuper quod cadit, quod ſcilicet ſputum proijciunt dentes eius conſtricti ſuper alios. Odor etiam ſputi ipſius interficit: longitudo eius eſt vſque ad duos cubitos, & color eius cinericius ad citrinitatẽ declinans, & illum quem mordet interficit antequam redeat. Quem enim mordet ſine ſenſu remanet, & ſine motu quietus, & profundo dormiens poſt ſaltus continuos, & clauſionem oculorum, & torſionem colli, & ſpaſmum, & pulſum inordinatum, & non ſentit dolorem inteſtinorum, & intromittit digitos in guttur ſuum, vt euomat. *Iſidorus.* *Syrenæ* ſunt in Arabia ſerpentes cum alis, quæ plus currunt quam equi, ſed etiam volare dicuntur, Quarum tamen virtus eſt vt morſum ante mors inſequatur quam dolor.

De Taranta, & tortuca.

CAPVT XLIV.

PHyſiologus. Tarantæ ſerpentes ſunt modicæ quantitatis, à quibus puncti vehementer anguſtiantur. Et niſi theriaca eis ſubueniatur quandoque anxietate moriuntur. *Ex libro de natura rerum.* Tortucam de genere ſerpentium quidam eſſe volunt, veneno quidem in vita caret, ſed nequaquam poſt mortem. Nam renes eius (vt dicit Ambr.) ſi quis poſt mortem nudo pede calcauerit, veneno ſtatim inficitur. Eſt autem duorum pedu, caput habens vt bubo, caudam vt ſcorpio, duobus ſcutis duriſſimis quaſi teſtis tegitur, quibus adeo ſe induit, vt difficulter etiam validiſſimis ictibus perimi poſſit. Ouat vt gallina, ſed oua eius ad comedendum ſunt nociua. Tortuca fœmina (vt dicit Ariſt.) non habet niſi vnam viam exitus ſuperfluitatis, quamuis habeat veſicam contra omnium animalium naturam habentium plumas, aut ſquamas, aut corticem. Nam iſta omnia non habent veſicam. *Auctor.* Tortuca dicitur, & teſtudo, quia teſtę tegminibus adoperta eſt in cauernę modum. Harum plurimæ ſunt aquaticæ, de quibus iam dictum eſt ſuperius in tractatu de piſcibus. Quædam vero terreſtres, quæ & ſylueſtres dicuntur, nec ſunt venenoſæ, ſed ab hominibus comeduntur.

Taranta. *Tortuca.* *Teſtudo.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ariſtoteles. Tortuca eſt animal quadrupes, habens linguam,& pulmonem,ac debilem vocem, habet pulmonem paruũ,& ſiccum,nec ſitit,ſed abſtinet ſe à potu longo tempore,hepar habet malum valde, quia corpus eius eſt complexionis malæ,habet veſicam, & facit oua completa. Animal autem quadrupes ouans habet inſtrumentum ſenſus,vt os. & naſum, & auriculas, quæ non ſunt ei quaſi vię cannæ propter cutis duritiẽ.Quod manifeſtũ eſt in tortuca, & in ſerpentibus magnis,& in crocodilis. Item animalia in cauernis latentia non eijciunt ſenectutem,niſi ea quæ corium habent ſubtile,nõ teſteum, vt tortuca, Nam & ipſa manet in cauernis; *Animal plumas aut ſquamas, aut corticem habens non habet veſicam,propter paucitatem potus, & quia ſuperfluitas aquæ tranſit in plumas,& alia præter tortucam,quia pulmo tortucæ maximè carnoſus eſt, & ſanguineus, quia ſimilis pulmoni vaccæ.* Tortuca cum comederit viperam, *comedit origanum agreſte,* Cuius locum antea ſignat,eiuſque radicem eradicat.Cum autem venit,& radicem non inuenit moritur.*Auctor.* Nota quod tortuca ipſa eſt teſtudo terreſtris,de qua dicetur inferius inter ſpecies vermium,proter limacẽ,qui vermis eſt,& eſt genus teſtudinis.*Ambr.* Teſtudo viſceribus paſta ſerpentis, cum venenum aduerterit,origanum ſibi ſemper medicinam excercet ſalutis. *Auicenna in 2. canon.* Sanguis teſtudinis ſylueſtris ſanat epilepſiam cum vino. Fel eius diſtillatus in nares epilepticorum, & odoris eius cum naribus attractio confert epilepticó.Ad præfocationem quoque palatum eo linitur cum melle. Ouum eius valet ad tuſſim infantium,eius fel quoque ad ſcrophulas valet illinitum.

Comedit origanum vt ſanet ſe.

De Tyro.

CAPVT XLV.

Tyrus.

Phyſicus. Tyrus eſt ſerpens,qui vltra mare in Hiericho inuenitur, cuius carnes ſunt calidæ, & ſiccæ. Venenoſus quidem eſt, ſicut cæteræ ſerpentes, habet tamen virtutem expellendi venenum.horum venenum calidum eſt,& ſiccum.Inueniuntur quidem tyri in mano, propter aeris frigiditatem penè mortificati, vnde à quibuſdam iudicantur frigidi. Sed in antidotario Arabico inuenitur,quod ſunt calidi, & hanc mortificationem habent propter pororum apertionem aere intrante.*Ariſt.* Serpens qui dicitur tyrus, vbicumqumque nidum inuenit,pullos comedit,oua tranſglutit. Cumque aliquid in cibo acceperit erigitur,& transglutit. Deinde conſtringitur,donec perueniat illud quod transglutitur ad inferius,quia ſtomachus eius eſt ſubtilis, & paruus. Multa quidem animalia ſanguinem habentia ſe abſcõdunt,vt tyrus, & lacertula.Illorumque animalium quæ in cauernis latent, quædam eijciunt ſenectutem, quæ ſcilicet habent corium ſubtile non teſteum. Tyrus autem prius corium quod eſt inter oculos expoliat, ita quod ille qui non cognoſcit hoc accidens Tyrum cæcum eſſe putat. Deinde corium capitis aufert, totumque vſque ad caudam in vno die, & vna nocte, ſuaque expoliatio eſt ſicut exitus embryonis, quando finditur ab eo tela.Eſt in terra Æthyopiæ draco,ex quo generatur tyrus,vt dictum eſt,ſupra, & ex illo accipitur entychon,contra cuius venenum non eſt medicina. Inuenitur & tyrus quidam dictus à quibuſdam caciem, quem fugiunt ſerpentes magni. Quantitas eius eſt quaſi cubitus,& habet pilos ſuper totum corpus. Cumque mordet aliquid,omnia ſubito quæ ſunt in circuitu morſus putrefacit.Inuenitur etiam paruus tyrus in India, cuius morſus eſt ita fortis,vt non inueniatur cõtra ipſũ medicina.*Tyrus,& vulpes amicantur inter ſe,amboque manent in cauernis terræ.* Animalia quædam pedibus carent, & animal generant,vt tyrus, & cheleti.Tyrus ſiquidem animal generat, ſed prius in ſuo interiori ouat. Deinde ex illo efficitur animal interius antequam exeat.

Infeſtat pullos auiũ.

Sympathia Tyri.

Adhuc de eodem.

CAPVT XLVI.

Ex lib.de nat.rer. Tyrus eſt ſerpens in partibus Hiericho circa ſolitudines Iordanis infeſtus auibus, & animalibus,maximè ouis ouium,quæ cum ipſis auibus comedit. Huius carnes confectæ cum quibuſdam admixtis,omne toxicum venenum expellunt, quam confectionem tyriacam dicunt. Ferunt autem nonnulli hunc ante paſſionem Chriſti nullum habuiſſe remedium, maximeque fuiſſe hominibus infeſtum. Ipſa vero die paſſionis vnum ex eis infeſtiſſimum circa partes Hieruſalem caſu fuiſſe comprehenſum, & ad Chriſti latus fuiſſe cruce ſuſpenſum,atque ex illo die totum illud ſerpentis genus accepiſſe virtutem contra omne venenum. Tamen contra venenum ipſius tyri quod Tyricum dicitur, theriaca nihil valet. Et hoc veneni genus,id eſt Tyricum quod eſt irremediabile malum, accipit draco de ipſo tyro.

Fabula.

Tyrus ſenectute confectus hoc modo pellem ſuam deponit, excoriat prius corium quod inter oculos eſt, ita vt ſi neſcias beſtiam cæcam putas. Deinde corium cãpitis aufert,quo facto reliqua pars corporis facilius ſpoliatur, & cum ſpoliatus fuerit,habet modum, & formam embryonis.Tyrus ouat intus, & antequam egrediatur fit animal,& generat ſibi ſimile.*Achildes in libro de venenis.* Venenum tyri ſerpentis aliorum venena expellit. *Conſtantinus.* Tyrię venenum calidum eſt, qui ab ea mordetur,dolorem nimium in loco morſuræ patitur,& cætera quę de ſerpentium venenis in generali dicta ſunt ſupra.Eſt autem tyria quæ vocatur eſinus,cuius collum ſurſum erigitur,& extenditur, & de ore ſanguis ſputatur,plaga quam morſu facit,parua nimis eſt, quaſi acus perforatio,parumque ſanguinis ab ipſa effluit, nec apoſtema vel tumorem facit. Qui autem ab ea mordentur obſcuritatem viſus patiuntur,& dolor totius corporis, & ſenſus perditur,nec euadunt ab ea morſi.Eſt,& tyria quæ vocatur pychronis parua quidem, ſed colli latioris,quæ ſi quem momorderit molliciem in carne ſicut hydropis facit, & caro eius ex humiditate cadit.

Modus deponendi pellem.

Eſinus.

Pychronis.

De Tyri carnibus,& tyriaca.

CAPVT XLVII.

Hali. Tyriarum carnes quæ captæ ſunt in locis laudabilibus,ac veris temporibus, poſtquam abſcideris à parte capitis,& caudæ longitudinem quatuor digitorum,venena deſiccant,ab omnibus ſuperfluitatibus interiora membra purgant, & ad exteriora corporis educunt,ac per ſudorem acutè diſſoluunt. Proſunt etiam humoribus craſſis, ex quibus fiunt lepra,& morpheæ,& elephantia,morſuique venenorum,ac letabilibus medentur potionibus.*Phyſiol.* Tyri venenum propter leuitatem ſui facile petit extrema,ſcilicet caput, & caudam.Vnde capite, & cauda abſciſis quatuor digitis, conſiderata tamen longitudine, illud quod medium eſt optimè lauatur, & bene decoquitur quouſque ſpinę poſſint ſeparari, quibus abiectis teritur, & inde trochiſci formantur. *Auctor.* Tyrus idem eſſe fertur, quod vipera. Nam, & auctores in medicina loquentes de carne ſerpentina, vel tyriaca conficienda, raro vel nunquam de tyro ſub hoc nomine faciunt mentionem, ſed de vipera. A tyro vero denominatione dicitur † tyriaca. *Iſidorus libro 4.* Tyriaca eſt antidotum ſerpentium, quo venena pelluntur, vt peſtis peſte ſoluatur. *Auicenna in 4. canone.* Tyriaca afarath id eſt à morte liberans ſublimior eſt & melior medicinarum compoſitarum propter multitudinem ſui iuuamenti,proprieque in venenis quæ ſunt ex puncturis vel morſibus,vt ſerpentium, & ſcorpionis, & canis rabioſi,Venenis etiam bibitis interficientibus.Ad egritudines quoq;phlegmaticas,& melancholicas,& febres earum,atque ventoſitates malignas,& ad paralyſim, &

Diſſoluunt venena carnes Tyri.

Vipera.

† *Corruptè legit tyriacã, potius (thoriacam) debuit legiſſe.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ad appoplexiam,& epilepſiam,& torturam ac tremorem,& maniam, & propriè ad lepram. *Confortat etiam cor & ſtomachum*,& acuit ſenſus, & appetitus, alleuiat anhelitum,& delet pulſus cordis,& retinet ſputum ſanguinis.*Confert doloribus renum ac veſicæ* & vlceribus inteſtinorum, frangit lapidem in veſica,propriè valet etiam duricias intrinſecas in epate ſplene & in alijs. *Ex li. de na.re.* Tyriaca cum ex tyri carnibus admixtis quibuſdam ſit confecta,omne aliud venenum extinguit, ſed contra venenum ipſius tyri nihil prodeſt.

De vipera.

CAPVT XLVIII.

Vipera.

AMbro. Vipera ne quiſſimum beſtiæ genus eſt, & ſuper omne, quod ſerpentini generis eſt aſtutior. *Pli.li.*8.Serpentium vipera ſola terra dicitur condi, cæteri vero arborum vel ſaxorũ cauis.*Idem in li.*11. Viperæ cauernas tantũ habent loco aurium,quæ tamen audiũt, his dentes conduntur gingiuis.Scythę ſagittas tingunt viperino ſanguine & humano ſanè,irremediabile id ſcelus eſt,quia mortẽ illico leui tactu affert.*Ambroſius.* Siquis etiam os viperæ recens calcauerit, grauius quam venenũ prohibetur nocere,& immedicabile vulnus ſerpere.*Phyſiologus.* Vipera cum ſenuerit, impeditis oculis eius vt non videat,*ieiunat 40.diebus ac noctibus,donec laxetur pellis eius.* Tunc vadens exciſum petræ quærit, & per ipſum tranſitum facit,ſicque expoliatur,vt iuueneſcat.*Razi.* Fertur de vipera,quod ſi boum zamored oculi eius intueantur, illico eliquantur, & à capite fluunt. *Auicenna vbi ſupr.* Viperæ ſunt ſerpentes habentes capita plana & lata collum minutũ ac ſubtile valde, quorum caudæ curtæ ſunt ſtrepitum facientes ac ſonitum in inceſſu,Capiuntur autem à medicis in fine veris, & principio æſtus,vt inde trochiſci fiant, quibus non omnes conueniunt viperæ, ſed flauæ, & de flauis fœminæ. *Item in ſecundo can.* Viperæ poſt hyemem de cauernis egredientes *oculos ſuos ſuper fœniculum fricant, vt illuminentur.* Vrina hominis vtiliter effunditur ſuper morſum viperæ,proprieque viperæ petroſæ.

Ieiunat donec laxetur pellis.

Oculos fœniculo purgant.

Idem in quarto can. Viperarum deteriores ſunt maſculi,fœminæ ſunt incolumiores.Et morſus quidem fœminæ cognoſcitur per inuentionem fixionis plurium dentiũ quam duorũ in parte qua momordit.Egreditur autem à principio rei ex loco dentium ſanguis,deinde virus feruens,& fortaſſis incipit aquoſus, deinde ſpumoſus, deinde vt ærugo æris. Et tunc quidem conuertitur ad ſubſtantiam veneni,& colorem eius, & dolet locus. Deinde perambulat dolor eius, & apparet apoſtema calidum, rubeum habens bothor, & veſicas, ſicut ex aduſtione ignis.Et accidit in viſceribus inflammatio, in corpore rubedo cum rigore,deinde ſudor frigidus, & corruptio coloris ad viriditatem decliuis, & commotio vertiginis,& frequẽtia anhelitus,& nauſea, & ſingultus &c.Et plurimũ quidem moritur in tribus diebus, quãdoque autem vſque ad 7. Poſt radices autem communes in curatione. Fortior huius curatio eſt ad tyriacam de viperis properare.*Ariſtot.* Tortuca comedit viperã, & tunc radicem origani ſyluestris comedit, cuius locum antea ſignat. Alioquin moritur in tribus diebus, ſi radicem illam non inueniat.*Gloſſ. ſuper Iob.* 20. Vipera prolixioris eſt corporis quam aſpis, tardiuſque veneno ſuo occidit.*Ex lib.de nat.rer.* De vipera dicit Phyſiologus,quod habet faciem humanam vſque ad vmbilicum ab vmbilico vero vſque ad caudam crocodili figuram. Meatus digeſtibilis quaſi foramen acus eſt,& ideo more cæterarum concipere non poteſt, ſed tantum per os. Cauernas habet loco aurium, & tres dentes tantum. Morſus eius tumorem,& inflationem inducit, & irremediabilis eſſe perhibetur. Hic ſerpens in hyeme in terra conditur,Ambroſius, & Baſilius Sacri Doctores referunt,quod ſi quis viperæ mortuæ renes incaute calcauerit, grauius quam venenum perhibetur nocere, & irremediabile vulnus ſerpere.

Theriaca curat viperas.

De Generibus viperarum.

CAPVT XLIX.

Aſpis.

ANdromachus *in lib. de confectione tyriacæ.* Viperarum ac ſerpẽtium tria ſunt genera.Ex his enim eſt,quæ dicitur aſpis, cuius habitatio eſt in ſicco, & in locis aquoſis.Hæc quãdoque cinericea eſt, quandoque citrina. Aliud genus dicitur hirundineũ, quia ſimile eſt colori hirundinum.Ex his etiam eſt,quæ dicitur ſpuens, & ſic nominatur,quia venenum ſuum expuit ſuper hominem.Eſt iterum alia ſpecies aſpidi ſimilis,cuius habitatio quandoque eſt in aqua, & illa nominatur hydra, quandoque vero eſt in ſicco, & hic nominatur terreſtris,ſcilicet non aquoſa, & hæc ſpecies minor eſt aſpide,ſed capitis latioris. Item ex ſpeciebus viperarum eſt illa quæ aſtros dicitur, quæ cum videt aliquem,collum ſuum extollit, & menſurat an conſequatur hominem, deinde ſalit ſuper ipſum,& expuit venenum in ipſum & faciem eius,ſtatimque interficit eum. Huius autem viperæ ſpecies ſunt tres.Vna dicitur ſerſin, alia ſelidoſa, tertia vero baſilida.Et cum huiuſmodi vipera fertur ſemetipſam interfeciſſe Cleopatra Ægypti regina. Cum enim Auguſtus viciſſet Antonium eius amantem, voluit Cleopatram capere viuam,vt eam Romanis oſtenderet, ipſamquepropalaret,Quæ poſtquam id comperit, volens inimici manus euadere, ſerpentem prænominatum accepit,ipſumque mammillæ ſuæ ſiniſtræ adhibuit,quia cor in latere ſiniſtro eſſe cognouit, punxit ergo eam ſerpens,ſtatimque mortua eſt. Quidam vero dixerunt,quod illa ſe interficere volens brachium ſuum momordit,donec ſanguis exiuit, poſtea de veneno huius viperæ quod apud ſe habebat accepit, ipſumque ſuper vulnus proiecit,& ſtatim mortua eſt. Nos quoque viperam hanc in Alexandria vidimus,& velocitatem interfectionis eius.Cùm enim iudex aliquem nobilem iudicat ad mortem,volentes eum ſubito interficere adducunt huiuſmodi viperam,& faciunt,vt ipſa circa pectus pungat eum,ſtatimque moritur.

Hydra.

Aſtros.

Cleopatræ interfectio.

Experientia.

De Generatione ipſarum.

CAPVT L.

ISidorus. Vipera dicta eſt,eo quod vi pariat. Nam cũ venter eius ad partum intumuerit, catuli non expectantes maturam naturæ ſolutionẽ,corroſis eius lateribus inde erumpunt cum matris interitu.*Lucanus.Viperei coeunt abruto corpore nati :* Fertur autem quod maſculus ore inſerto viperæ ſemen expuat. Illa autem ex voluptate libidinis in rabiem verſa,caput maris ore receptum pręſcindit. Ita fit vt parens vterque pereat. Maſculus dum coit,fœmina dum parturit. Ex vipera autem fiunt paſtilli qui trochiſci dicuntur à græcis.*Ex lib.de nat. rer.* Viperæ mas cum inter omnia ferè ſerpentium genera crudelior ſit, ad fœminam tamen ſuam blandus eſt, vt dicunt Ambroſius, & Baſilius. Abſentem namque fœminam mas requirit, & blando ſibilo proclamat. Et vbi comparem aduentare ſenſerit,venenum euomit ob reuerentiam eius,honorans gratiam nuptialem. *Ambroſius.* Vipera vbi coeundi cupiditatem aſſumpſerit murænę maritimæ notam ſibi copulam requirit, vel nouam prępparat. Progreſſaque ad littus ſibilo teſtificante ſui pręſentiam ad coniugalem complexum illam euocat.Illa autem euocata non deeſt, & venenato ſerpenti vſus ſuæ coniunctionis expetitos impartitur. Cum autem ſibilo murænam euocat, venenum ſuum vomit,& poſt coitum illud reſumit. *Plinius libro* 10. Viperæ mas(vt prædictum eſt)coeundo fœminæ caput in os inſerit,quod illa dulcedine voluptatis abrodit. Terreſtrium vipera ſola intra ſe parit oua vnius coloris, & mollia,vt piſces, tertia die intra vterum catulos excludit,deinde ſingulos ſingulis diebus parit 20.ferè numero.Itaque cæteri tarditatis impatientes perrumpunt latera, matre occiſa. Cæterę ſerpentes contacta oua in

Vipera etymon.

Lucanus.

Coit cum murena.

terra

terra incubant, & fætum ſequenti excludunt anno. *Idem in lib.* 21. Porro vipera prægnans veneno impreſſo dentium repulſu virus fundit in morſus. Eſt autem vulua viperæ, & intra ſe parientibus duplex.

De quibus viperis conficienda ſit tyriaca.

CAPVT LI.

Vicenna in 5. can. Viperæ non omnes (vt dictum eſt) trochiſcis medicinalibus conficiendis conueniũt, ſed flauæ ac de flauis fæminę. Quarum ſignũ eſt, quod maſculini in omni latere dentẽ vnũ habẽt, fęminę vero plures. Oportet autẽ deuitari cornutas varias, & aſpides ad albedinẽ decliues. Nec capiãtur ex piſcinis, & littoribus fluuiorũ, & mariũ, neque petroſę, quoniam in eis ſunt quercinæ ſitim facientes, ſed capiantur in loco longinquo ab humoſitate, nec illę quæ ſunt debilis motus, ſed quæ velocis habentes caput eleuatum, & aſpectum audaciæ. *Andromachus vbi ſupra.* Ex omnibus ſerpentium generibus viperæ tantum eliguntur in tyriaca, quia genera ſerpentium in radice ſunt tria. Quidam enim habent venenum forte velociter interficiens, vt baſiliſcus, & aſpis ac quercinus ſerpens. Alij vero debiles ac pigri ſunt, nec multum lędunt, nec omnino interficiunt, ſed dolorem ac læſionem, & apoſtema in loco punctura faciunt. Inter hæc eſt medium genus viperæ, quia nec ſunt multi veneni, nec iterum debiles valde. Eliguntur & fæminæ, quia minoris veneni ſunt in ſua quantitate. In omnibus enim generibus animalium fœminæ frigidiores ſunt maſculis, eiſque natura ingeniauit, & multitudinem frigoris, vt multiplicetur humiditas in eis, & vt minoretur reſolutio ac diminutio ex earum corporibus, quia humiditate ſuperflua indigent, quæ cibus eſt ipſarum fetibus. Ideoque fiunt maſculi pluris caliditatis ac ſiccitatis, quam fęminæ, & maioris iræ, vindictæque velocioris, & pluris veneni ac fortioris. In fœminis autem eſt venenum debile & minimum, quia non eſt in eis caliditas vincens generans venenum, & iterum, quia humiditas vincens extinguit acuitatem veneni earum, atque alleuiat ipſum. Ideo autem fœminis plures fiunt dentes, quam maſculis, quia maſculi propter multitudinem aç virtutem veneni eorum non indigent, vt ſint eis dentes pluſquam duo: fœminæ autem e contrario vt radicatione dentium ęquiparentur ei quod eſt in maſculis ex veneno.

Tria genera ſerpentium.

Cur fœminis viperis plures dentes ſint.

Eliguntur autem flauæ propter bonitatem complexionis huius coloris, quia non eſt malę qualitatis ſicut niger, nec virtutis debilis ſicut albus, ſed ęqualis, niger enim ſignat vehementiam inflationis & combuſtionis. Albus vero debilitatem & paucitatem caliditatis & multitudinem humiditatis. Flauus autem inter hos medius eſt ęqualis. Oportet etiam vt ſint velocis motus, facilis inceſſus, ac feſtini ſaltus. Sintque capita earum alta, & ad ſuperiora ſubleuata. Hæc enim eſt ſignificatio virtutis caliditatis earum & magnæ virtutis in earum corporibus, & quod ipſæ mundæ ſint ex ſuperfluitatibus. Oportet etiam vt earum oculi trahant ad rubedinem, & ſit aſpectus earum vehemens & acutus, & irati ſimilis, hoc enim totum ſignat vehementiam naturalis caliditatis & ſanitatem corporis. Alioquin oculi earum eſſent citrini vel albi, propter paucitatem ſanguinis in corporibus ſuis. Item oportet vt habeant capita cum rotunditate plana, latorum ſincipitum, quod eſt ſignum vehementis fortitudinis. Item vt ſint rugati ventres earum, quod eſt ſignum vehementiæ virtutis, & paucitatis ſuperfluitatum. Mollicies enim eſt propter debilitatem, & ſuperfluitatem multimodam.

Colores quid denotent in viperis.

De Ipſarum præparatione.

CAPVT LII.

Vicenna vbi ſupra. Viperę cum ad hoc capiuntur, non morentur ſi poſſibile eſt, & abſcindãtur à partis capitis 4. digiti, & ſimiliter à caudę & ani. Quod ſi cucurrerit ex ea ſanguis plurimus, fueritque plurimus in illa diſpoſitione motus, & mors ipſius tarda, tunc eſt & electa, Si econtrario mala; Cumque mortua eſt extrahuntur viſcera eius, proprieque fel ipſius, & abluatur cum aqua & ſale, ablutione exquiſiſſimè facta, deinde decoquatur in aqua & ſale & ſi cum ea fuerit anetum, non erit malum in ea decoctione diſcoquẽte, cum qua leuis fiat collectio carnis eius ab oſſe ipſius. Deinde mundificetur ab oſſe caro, & teratur in mortario, & præcipiatur illi qui facit illud, & odoret oleum balſami, & inungat ipſum ſuper digitos. Cum ergo contrita eſt miſceatur cum tortellis ſecundum deſcriptiones diuiſas, & non eligatur ſupra deſcriptionem Andromachi, deinde fiant ex ea trochiſci minuti, & exiccentur in vmbra, & reponantur in repoſitorio, nec radius ſolis omnino ſuper eos cadat, vel ante exiccationem, vel poſt, quia ſol expoliat à virtute appropiata carnibus viperarum interficiente venena, quæ ſunt ex morſione & ebibita. *Andromachus.* In vere capiendæ ſunt viperæ, quia tunc fortes ſunt, per caliditatem aeris temperati, & nutriuntur cibis conuenientibus ſibi. Et hoc ex locis mari propinquis, quia vehementioris ſunt ſiccitatis, nec in eis ſuperfluitas & humiditas multa eſt, quæ virtutem carnium earum debilitet. In quibus ſcilicet locis ſint plantæ & arbores, vt ſint eis ex illis cibi conuenientes. Nec quando captæ ſunt dimittantur, ſed ſtatim abſcindantur & mundentur, quia quanto plus moraniur venenum earum acuitur, & in deterius alterantur. Nam & hominis ieiuni ſputum venenum eſt quo interficiantur etiam ſcorpiones, & ſi mordet aliquid ieiunus, non ſanatur morſus eius. Abſcinduntur autẽ capita earũ, quia plurimum in eis generatur & aggregatur venenum, proprieque in orificijs, earumque venenum non eſt aliud niſi ſputum ipſarum. In reliquo autem corpore non eſt penitus venenũ, aut ex illo parũ: abſcinduntur & caudæ, quia in eis eſt malæ qualitatis, & aggregantur in eis ſuperfluitates multæ.

Præparatio trochiſcorũ & carnis viperinæ.

Quibus locis quoue tempore capi debeat vipera.

Attrahunt enim caudæ ſordes ex toto corpore, per multitudinem motus ſui, multitudo namque motus cauſa eſt attractionis. Ideo piſcium partes, quæ caudas eorum ſequuntur, pluris ſunt nutrimenti. Refutantur ergo caudæ propter ſuperfluitatum aggregationem, & propter carnis paucitatem. Excoriantur etiam ex cauſa ſimili, quia de proprietate cutis eſt, vt recipiat omnes ſuperfluitates corporis, & ad hoc eam natura præparauit, vnde quia natura vult, vt interiora membra mundet ex nocumentis, fit ipſa cutis ſparſa ſuper totum corpus debilis, vt cum aggregantur ſuperfluitates corporis, quas natura expellit, ex interioribus membris, non repellat eas per fortitudinem ſuam ad membra, quæ ſunt in profundo corporis. Immo cum recipit totum quod ad ipſam expellitur, quod ex eo tenue ac ſubtile eſt, poſſit exire paulatim per reſolutionem corporis ſui, & quod craſſum eſt ex ipſo remaneat in ea neceſſario. Sic quod tantummodo corrumpantur ipſa, vt non corrumpat interiora membra. Nam vt ipſe ait Hipprocas, corruptio cutis exterioris, conueniens interioribus eſt membris. Cutis ergo tyriacæ non conuenit, tum propter eius debilitatem, tum quia ſuperfluitates craſſæ, quæ non poſſunt reſolui, adhærent ei & corrumpunt eam. *Zyrbus etiam & viſcera extrahuntur ab eis, propter aggregationem omnium ſuperfluitatum in inteſtinis*, & quia zyrbus eſt vehementioris caliditatis & aduſtionis. Nam in inteſtinis retentæ ſunt ſuperfluitates ſtercoris, & in fellibus eſt cholera rubea, & in ſplenibus nigra, & in hepatibus ſanguis immundus permixtus cum cholera. Sal vero cum ea permixtum decoquitur, vt intra carnem profundetur, & ſic ab ea cum aquæ humiditate venenum reſoluat. Super prunas decoquitur, vt eius decoctio ſpacioſa ſit cum æqualitate. Spacioſa quidem, vt non aduratur. Cum æqualitate, vt non ex parte, ſed ex toto coquatur. Prunarum enim calefactio eſt ęqualis cum temperamento. Signum autem in decoctione ſeparatio eſt oſſis à carne. Panis autem

De caudis viperarum.

De inteſtinis viperarũ.

cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum ea miſcetur, vt eius humiditas ne putrefiat tyriaca exiccetur, ac per ipſum panem venenum remanens reſoluatur.

De Diuerſis medicinis ex vipera & contra eius morſurã.

CAP. LIII.

A *Vic. in 2. can.* Viperæ adeps prohibet (vt quidam dixerunt) deſcenſum aquæ in oculum. Caro viperæ confert lepræ. Item funditur & ponitur ſuper morſum ipſius viperæ, ſedatq; dolorem. Viperæ pellis adusta & linita ſuper alopiciam confert. Item adeps viperæ recens confert panno, & aquæ, & vt non naſcantur pili euulſi ex palpebris. Porro ſuper morſuram viperæ proſunt dentes hominis triti vel adusti & puluerizati, iterumq; oleũ balſami, & ſimiliter coloquintidę radix, vel emplaſtrum ex heruo, coſtus quoq; bibitus cum vino vel abſinthio Item pix linita, & vrina hominis bibita. Fertur etiam quod pellis capreę recẽs calida cum ponitur ſuper viperæ morſum attrahit venenum. Præterea butyrum venenis reſiſtit, præcipuè cum ex eo linitur ſuper viperæ morſum. Fimus etiam caprarum montanarum cum aceto decoctus ac bibitus valet contra viperæ morſus. *Idem in lib. 4.* Vinum in quo cadit vipera, confert venenoſorum mordicationi. *Superſtitioſum.* *Plinius lib. 29.* Viperæ caput impoſitum ei quod percuſſit vel etiam alteri ſine fine prodeſt. Si quis etiam baculo ſuſtineat ipſum in vapore, aiunt eum futura præcinere. Si quis exuſtæ viperæ cinere illiniat ſe, Nigridius auctor eſt, ad percuſſum ſerpentem reuerti neceſſitate naturæ. Scythæ caput viperæ diſſecant inter aures ad eximendum lapillum, quem ab ea territa deuorari aiunt, alij toto capite vtuntur.

Modus conciendi paſtillos ex viperis. Fiunt autem ex vipera paſtilli qui à Græcis vocãtur tyriaci. Eximũtur intranea & liuor ſpinæ, reliquo corpore in patena cum aqua & aceto diſcocto, ac ſpinis exemptis additaque ſimilagine. Sicq; paſtillis ſiccatis in vmbra ad multa vtuntur medicamenta. Quidam etiam nõ tantum corpus, ſed etiam adipem cum oleo decoquunt ad medietatem redigentes, cum opus ſit trinis ſtillis eius additis in oleum perunguntur, vt omnes beſtiæ fugiant eos. Præterea conſtat contra omnium ſerpentium ictus quamuis inſanabiles ipſarum ſerpẽtium exta impoſita auxiliari. Eosq; qui aliquando viperæ iecur coctum hauſerint, nunquam poſtea feriri à ſerpente. Cinis pellis viperinæ alopicias explet celleberrimè, viperam quoque viuam in nouo fictili combure addito fæniculi ſucco, & oculos inunge vtiliſſimum eſt ad effuſiones & caligines, fit & collyrium è vipera in olla putrefacta vermiculisque enatis cum croco tritis. In olla etiam cum ſale exuritur quem lingendo claritatem oculorum conſequuntur, & ſtomachi totiusq; corporis tempeſtiuitates, hoc ſal & pecori datur cauta ſalutis in antidotum contra ſerpentes. Quidam viperis vtuntur in cibis. Primũ omnium occiſæ ſtatim ſalem in os addi iubent, donec liqueſcat humor quatuor digitorum menſura vtrinq; præſciſa, exemptisque exterraneis diſcoquunt in aqua aut oleo ſale & aceto, & omnibus aut ſtatim veſcuntur, aut à pane collinunt vt ſæpius vtantur. Ius præter ſupradicta pediculos ex corpore toto expellit atque pruritus ſummæ cutis. Effectum etiam oſtendit & per ſe capitis viperini cmis, valet quoq; oculis inunctis. Idemque adeps ſimiliter viperinus. Porro de felle non audacter ſuadeo, quæ præcipiunt, quia non eſt aliud venenum ſerpentium. *Dioſco.* Adeps viperinus ſuffuſiones oculorum & obtuſiones & caligines, mixta cedria tanti ponderis, & melle attico & oleo veteri curat. Alarumque pilos inunctis naſci non ſinit. *Ex lib. de nat. rer* Exta viperæ valent contra omnium ſerpentium ictus, vt dicit. Plin. Tunica eius quam proiicit cum innouatur, in vino cocta, dentibus & oculis medetur, adeps eius caliginem oculorum tollit.

De Hydra.

CAP. LIV.

Hydra. I *Sid.* Hydra dicitur draco multorum capitum, qualis fuit in Lerna palude prouinciæ Archadiæ, hæc Latinè excedra dicitur, eo quod vno cæſo tria capita excreſcebant, ſed hoc fabuloſum eſt. Nam conſtat hydram fuiſſe locum euomentem aquas vaſtantes vicinam ciuitatem, in quo vno meatu clauſo multi erumpebant. Quod Hercules videns loca ipſa exuſſit, & ſic aquæ meatus clauſit. Nam hydra ab aqua dicta eſt, hydros autem eſt aquatilis ſerpens, à quo icti obturgeſcunt. Cuius quidẽ morbum boam dicunt, eo quod fimo bouis remedietur. *Boa morbus.* *Plin. lib. 32.* Enhydros (vt dictũ eſt ſupra) vocatur à Græcis coluber viuens in aqua. Huius quatuor dẽtibus ſuperioribus, in dolore ſuperiorum, gingiuas ſcarificant, inferiorum in inferioribus. Aliqui vero canino eorum tantummodo contenti ſunt. *Phyſiologus.* Hydrus in Nilo habitat, & eſt ſtatu minutior crocodilo. Cumq; videt eum in littore dormientem aperto ore vadit & inuoluit ſe in luto, quo facilius poſſit illabi faucibus eius. Crocodilus ergo ſubito eum viuum tranſglutit, qui dilanians omnia viſcera eius, viuus & illæſus ab eo exit. *Ex lib. de nat. rer.* Eſt autem hydros (vt ſcribit Plin.) pulchertimus anguium in orbe terrarum. Huius ſerpentis iecur ad percuſſorum remedium ſeruatur. Fabuloſè vero dicta eſt hydra ſerpens, cuius cum vellet caput Hercules amputare, ſtatim duo ſubcreuerunt, & ſic ſemper amputatis quibuſdam alia ſtatim ſubcreuerunt. Hæc de ſerpentibus dicta ſunt, ſequitur de ſecundo genere reptilium, ideſt lacertis.

Hydrus.

De genere lacertorum.

CAP. LV.

Lacertus. I *Sidorus.* Lacertus eſt reptilis genus, ſic vocatus eo quod habet brachia & quatuor pedibus innititur. Genera vero lacertorum plura ſunt, vt batracha, ſalamandra, ſaura, ſtellio. *Auctor.* In eodem genere non immerito reputantur rana & bufo. Nam & Batracha videlicet ſimilis eſt ranæ, & rana dicitur Batracha Græcè. Aliquando vero ſumitur Lacertus ſiue lacerta pro Batracha, videlicet genus pro ſpecie. *Ariſt.* Lacertarum genus omnino non claudit oculum. Lacertulæ apes & omne animal annuloſum hyeme latent in caruernis, Lacertulæ vero manent in rimis lapidum & parietum in locis anguſtis. In his fæmina maior eſt, ſicut in Ranis ac ſerpentibus & araneis. Habent teſticulos ſpondili applicatos. In coitu ita reuolutæ, ſicut & ſerpentes implicantur, vt vnum corpus capita duo habens eſſe videantur, vnicum habent ventrem, & eorum caudæ creſcunt poſtquam abſciſę ſunt. Animalia ſquamoſa ſicut & lacertulæ ac ſerpentes indifferenter comedunt herbas & carnes. In Arabia inuenitur lacertula maior cubito. Aranea multotiens lacertam venatur, & prius incipit texere ſuper ipſum, donec orificium eius fortiter ligetur. Deinde vadit ad ipſum & mordet eum quouſque moriatur. Hoc animal oua completa facit, eiusque pulmo paruus & ſiccus cum inflatur tumeſcit. *Plinius lib. 8.* Lacertæ quotiens cum ſerpentibus conſeruerint pugnam, vulneratæ herba dictamno ad ſerpentium ictus præcipuè ſe refouent *Idem in libr. 10.* Quadrupedum oua gignentium lacertas ore parere, vt vulgo creditur, Ariſtoteles negat. Nec incubant eędem oblitæ quo in loco ſint enixæ, quoniam huic animali nulla eſt memoria, itaque per ſe catuli erumpunt. *Idem in lib. 11.* Lacertis eſt bifida lingua & piloſa. Palpebræ tamen in ſuperiori gena. His plerumque ſunt geminæ caudæ. *Nulla memoria lacertis.* *Idem in libro 17.* Contra erucas & mala ne putreſcant viridis lacertæ felle tangi cacumina iubent. *Idem in lib. 29.* Lacerta in vino pota, ipſa

morſus ſuos ſanat. *Ex lib. de na. re.* Lacertam potius vermem dicunt, quam ſerpentem, quia clementius ferit, ſibilat tamen vt ſerpens,& caudam habet conſimilem, linguamq; bifidam & piloſam. Pedibus vero graditur. Vno ex duobus capto reliquus efferatur. Huic animali nulla eſt memoria, & ideo non cubat, oblita quidem in quo loco ſit enixa, per ſe erumpunt catuli numero vndeni. Quidam dicunt fœtus à matribus deuotari, vno relicto, qui ſe matris clunibus imponit, & hic vltor fratrum parentes ſuos occidit. Lacertæ ſunt in India numero pedum, 24. colore fulgenti. Eſt & de genere lacertarum beſtiola quędam nõ forma ſed colore diſſimilis, quę caudam habet nigram, & araneis ſylueſtribus veſcitur. *Iorath vbi ſup.* Lacerta cum ſenuerit obſcurantur oculi eius & excęcantur. Tunc contra Solem ad eius radios intendit, & oculos ſuos aliquandiu tempore matutino per foramen dirigit, quousque redeat viſus eius, ac perfectè videat vt prius. *Glo. ſuper Leuitic.* Lacerta immundum animal ſecundum legem, in ſepulchris habitat, & inconſtantiam vitæ ſignat. *Auic. in 2. can.* Lacertæ natura ſtellioni vicina eſt, ſed melior. Sanguis eius confortat viſum. Stercus eius albugini confert oculi & pruritui,& viſum acuit, coloremq; bonum efficit. *Idem in 2. cano.* Lacertæ caro mortificans eſt, & ei qui bibit eam, accidit apoſtema linguæ, & pruritus, & dolor capitis,& aduſtio & tenebroſitas oculorum.

Deuorant ſe inuicem.

De Borace & batracha.

CAP. LVI.

Borax. EX *lib. de nat. rer.* Borax eſt genus bufonis quod in capite potat gemmam ſui nominis, hic vulgo crapondina vocatur, ſed quando bufoni viuo & palpitanti extrahitur, tunc ipſe lapis in medio ſui oculum habere dicitur. Cum autẽ aliquamdiu mortuo extrahitur, tunc malitia veneni oculus extinguitur, & lapis vitiatur. *Phyſiologus.* Borax de genere bufonis eſt, hic propter veneni quantitatem quando tangitur inflatur. Cum aranea pugnat,& ab ea vincitur. Nam cum illa frequenter pupũgerit, ille ſe vindicare non valens, in tantum inflando ſe extuberatur, quod medius crepat, & moritur. Huius morſus peſſimus eſt,& inſanabilis efficitur. Gemmam in fronte nutrit, pro qua occiditur, & quæ ab ipſo animali borax appellatur. Quando extinctum habet oculum, herba ſpeciali vtitur, in qua viſum recuperat, ruta vero interficitur, humida loca & marcida libenter inhabitat, odit claritatem ſolis, nec eum de facili videre patitur, nocte ambulat, & hoc magis per vias hominum tritas veſtigijs, per diem vero latet in abditis. Odorem florentis vineæ fugit,& prope cubitalem magnitudinem aliquando creſcit. In Hiſpaniæ partibus illud præcipuè boracis genus habitat, quod lapidem in fronte portat. *Iſidorus.* Batracha dicta eſt, eo quod habeat ranæ ſpeciem. Nam Græci ranam batracham vocant.

Bufo. *Gemma vocata Borax.* *Batracha.*

De Bufone.

CAP. LVII.

Bufo. *Cor ei in gutture.* *Cibus quotidianus.* AVctor. Bufo eſt animal venenoſum omnibus notũ, quod videtur ab auctoribus dici rubeta, vel craſſancium, de quo dicetur inferius. Eſt autem bufo frigidiſſima beſtiola,& aſpectu fœtidiſſima, quę fertur habere cor in gutture, vnde nec de facili interficitur, niſi per medium gutţur transfigatur. Ex putredine autem vel corruptione terræ naſci putatur. *Ex lib. de nat. re.* Bufo etiam reptile venenoſum habet viſum peſtilentem, attactum ſordidum. Terra veſcitur, & hoc pondere & menſura. Quantum enim in anteriori pede concludere poteſt, hoc illi pro cibo quotidiano eſt. Timet enim ne ſibi terra pro cibo deficiat. In Galliæ partibus eſt bufonis genus, quod cornutũ dicitur, quia cornisare videtur. Vnde à ſono vocis ſic appellatur. Colores habet duos, tetrum & croceum. Hi vero prodeunt, & tunc voces tubarum edunt, duoq; & duo voces tubarum reddunt inuicem. In ſola Gallia vociferi viuunt, elati vocem perdunt & muti ſunt. *Phyſiologus.* Bufo eſt animal horroris, quod nunc cum aranea, nunc cum lacerta, quandoque vero cum colubro, vel etiam cum ſerpente prælium ſubit. Læſus autem veneno alterius animalis venenoſi, à plantagine medelam accipit. Saluia libenter veſcitur, cuius radicem venenoſitate nonnunquam inficit. Hinc eſt, quod areola ſaluiæ, ruta cingi debet, cuius ros bufoni mortalis eſt. Lapis in capite bufonis inuentus, & ab homine geſtatus, veneni malitiam arcet. Ex bufone quoq; per combuſtionem in puluerem redacto cum ſibi relinquitur bufo viuus regeneratur, nec tantum vnus, ſed etiam plures.

Pralia bufonis. *Medela eius.*

De Gamaleone.

CAP. LVIII.

Chamæleon. GAmaleon ſiue chamæleõ eſt animal quadrupes, habens faciem quaſi lacertæ, caudam prolixam & tortuoſam, corpus aſperum, cutem qualis eſt in crocodillis, profert autem ex cute quaſi lanam quandam de qua zonæ contextæ comburi non poſſunt. Eſt autem animal pigrum inceſſu, ſed victorem ſuum interfectus perimit. Nam cum ales ex eo comederit, illico moritur. Hoc idem animal dicitur & ſalamãdra Græcè, & etiam (vt quidam volunt) ſtellio Latinè. Sed fortaſſe diuerſæ ſunt ſpecies, quamuis eiuſdem generis, ſicut capræ & capreæ & rupicapreæ. Vnde Iſido. camæleontem ponit in genere beſtiarum, ſalamandram ac ſtellionem tanquam diuerſas ſpecies in genere lacertorum. Plinius autem dicit ſtelliones habere quodammodo naturam chamæleonum. De his ergo plenius dicetur infra, vbi agetur de ſalamandra, quæ ſcilicet ſalamandra, quandoque vocatur & ſalamandra ſicut etiam chamæleon dici videtur,& gamaleon ſiue chamæleon.

Salamãdra, Stellio.

De Rana.

CAP. LIX.

Rana. ISid. Rana à garrulitate vocata eſt, eo quod circa genitales paludes ſtrepit, & ſonos vocis importunis clamoribus reddit. *Ex lib. de nat. re.* Ranarum coitus magis eſt de nocte, quam de die, & in eorum coitu magna eſt mora, multumq; ſeminis effundunt. Ranas habet mare, quæ alas habent, & omnis piſcis fœtus nutrit, præter ranam *Auicen. in 4. cano.* Venenum ranæ cognoſcitur per abominabilẽ ſaporem, ſicut leporis marini per odorem. Sunt ranæ fluuiales virides, & marinæ rubeæ, vtræque venenoſæ. Earum potu accidit obfuſcatio coloris & apoſtematio corporis ſecundum ſemitam molliciei & aduſtio in gutture & ore, difficultas anhelitus & tenebroſitas oculorum,& vertigo ac fœtor oris. Quandoque etiam accidit ſpaſmus, aut tetanus,& quandoq; ventris ſolutio, dyſſenteria & nauſea,& vomitus ac permixtio ranis, & ſyncope. Et quandoq; ſperma & vrinam & menſtrua ſine voluntate expellit: eius quoq; qui euadit ex eis non ſoluantur dentes, immo cadunt. Horum curationi conferunt vomitus, & exercitium plurimum, & balneum, & inunctio cum oleis calidis,& vinum plurimum, & radices arundinis, & ſimiliter cyperum, & calamus aromaticus cum vino, & omne quod confert hydropiſi. Sunt autem & ranæ citrinæ, ex quibus abſcinditur appetitus cibi, & acerat eructatio,& corrumpitur color. Fitque ſyncope & nauſea & vomitus ac dolor ſtomachi, & apoſtematur, venter & crura. Harum cura proxima eſt curæ prædictarum. *Plin. li. 32.* Eſt rana parua & viridis & muta, quæ fortè ſi hauriatur bouem diſtendit. Hęc in arundinetis & herbis maximè viuit. Carnes eius ſupponuntur oculorum doloribus,

Rana alata. *Potus ranarũ venenoſarũ quid præſtat.* *Curatio veneni dicti.*

huius

huius corporis humorem ſpiculis denſum claritatem oculis inunctis narrant afferre. Ranarum carnibus in hamum additis, purpuræ alliciuntur, canes vero quibus in offa rana viua data ſit, latrare negantur.

Capturapurpurarum.

De Diuerſis ranarum ſpeciebus.

CAP. LX.

Species ranarum.

Iſid. Ranarum quædam aquaticæ dicuntur, quædam paluſtres, quædam rubetæ. Ob id quę in vepribus ſunt, grādiores cunctarum. Alię calamitæ vocantur, eo quod inter arundines & frutices viuunt, minimæ omnium & viridiſſimæ mutæque & ſine voce ſunt. Agredulæ autem ſunt ranæ paruæ, in ſicco vel agris morantes, vnde & nuncupatæ. *Strabus ſuper Exod.* Tria ſunt genera ranarum. Vnum fluuiale & vocale. Alterum minutum quod calamitum dicitur, quod ſi in os latrantis canis proiiciatur, ſtatim obmuteſcit. Tertium maximum quod rubetum dicitur, peſſimum & venenoſum, quod vulgo craſſantium dicitur.

Ratio vocis rana.

Ex libro de nat. rer. Rana vermis eſt, quandoque colore viridis: ſed illa, quæ rubet, deterior eſt, loquax eſt, & vocibus importuna, vocem habet propriam coax, nec aliud quicquam dicere poteſt niſi cum premitur aut læditur, tunc enim mutat vocem, & inſtar muris emittit exilem. Huius vocis ratio ſecundū Ariſtote. ex hoc perpendi poteſt, quod ore clauſo & inflatis lateribus conſonat gutture, ad ſyllabam vero ax os aperit & inſtar follium latera reprimit, vt fortiori ſpiritu vox elata promatur, multiplicat vocem, quando poſuerit æqualiter in aqua mandibulam inferiorem & extenderit ſuperiorem. Cum autem ambas extenderit, eius oculi ſicut candelę lucent. Timet omne quod ſpirat. Et ab omnibus odiosè haberi ſuſpicatur. In Auguſto menſe nunquam poteſt os ſuum pro quolibet miniſterio cibi, vel potus, vel vocis aperire. Quod ſi etiam manu, vel baculo tentaueris, difficulter aperire poteris. Eſt & rana viridis ac paruula coriens cognominata, quę arbores aſcendit, ibique inter folia requieſcit, hęc naturali præſagio pluuias in nubibus ſentiens, fortiter clamat, futuræ ſcilicet inundationis nuncia; reliquo vero tempore vix vſquam cantat. In ora canum proiecta eis vocem demere putatur.

Nota de Auguſto menſe.

De medicinis ex ranis.

CAP. LXI.

Vſus ranarū in medicinis

Plinius lib. 22. Ranæ iecur geminum eſſe dicunt, abicique formicis eam partem quam appetant oportere & illam contra omnia venena quæ ex ipſis fiant, & ſi viuæ concrementur in olla, cinis earum cum melle allopicias replet, ac melius cum pice liquida, ſingulæ quoque ranæ in aceto decoquuntur, ita dentes dolentes colluantur, & in ore ſuccus contineatur. Ius ranæ in patinis decoctæ, tuſſim fertur ſanare. Cor earum cum melle tritum medetur dyſſentericis, morbo quoque regio ſalſamentum earum valet cum pipere, ita vt abſtineatur reliqua carne. Podagris & articulariis vtile eſt oleum in quo decocta ſunt inteſtina ranarum. Item ranæ myrrhino decoctæ oleo, carnibus abiectis, peruncto liberant quartanis. Cor earum adalligatum frigora minuit febrium. Si tumeant aures, ranarum adeps inſtillatus ſtatim dolores tollit. Vermes innati in homine ranarum tolluntur felle, prodeſt & febri ranarum fellium cinis. Ignes ſacros ranarum viuentium ventres impoſiti reſtinguunt, pedibus poſterioribus pronas adalligari iubent, vt crebriore anhelitu proſint, ad ſanguinem quoq; narium ſiſtendum ranarum cinerem illiniunt, vel ſanguinem arefactum. Syriaſim ſiue capitis infantium vlcera, rana inuerſa efficaciſſimè ſanat adalligata. Iecur ranæ calamitis in pellicula gruis adalligatum venerem excitat. Equorum ſcabiem ranę in aqua decoctæ donec illini poſſint extenuant. Ranis ex oleo & ſale decoctis vt ſuccus ſorbeatur, tetano medetur. Ex fluuialibus ranis ſi carnes edantur, vel ius decoctarum ſi ſorbeatur, proſunt contra leporem marinū, & contra ſerpentes, & contra ſcorpiones ex vino. *Auicen. in ſecundo canon.* Cinis ranæ poſitus ſuper ſanguinis locum, retinet eum. Idem confert apoſtematibus cordarum iuncturarum ſupereffuſus. Rana cum ſale & oleo decocta dicitur eſſe bezabar lepræ ac vermium venenoſorum comeſta. Ex decoctione ranæ fluuialis os ad dolorem dentium colluitur & ſedatur. Corpus ranæ petroſæ & propriè pinguedo eius facilem facit dentium radicationem, ipſaq; dentes eiicit animalium quando ſumunt eam.

De Rubeta.

CAP. LXII.

Rubeta.

Auicen. Rubeta ſiue rubetum (vt dictum eſt) peſſimum eſt ac venenoſum ranę genus, quod vulgo craſſantium dicitur. *Plin. lib.* 8. Ranæ rubetæ, quarum & in terra & in humore vita eſt plurimis referta medicaminibus deponere ea aſſiduè ac reſumere paſtu dicuntur, venena ſibi tantum reſeruantes. *Idem in lib.* 11. Rana inſidiarium eſt vitæ. *Idem in lib.* 25. Sunt venena ranis maximè rubetinis. Porro Arthemiſia prodeſſe traditur contra ranam potam. *Idem in lib.* 28. Marſion Smyrnæus tradit ſputo rumpi rubetas, aliasque ranas, & ſi ranam quidem ſaliua ſua aſperſerit oculum, præcipuum remedium eſt lac mulierum. Idem quo contra morſum eiuſdem bibitur & inſtillatur. Iecur chamæleonis cum rubetæ pulmone illitum pilos detrahit. *Idem in libro* 32. Succus ranarum marinarum ex vino & aceto decoctarum bibitur contra rubetæ venenum. Dictæ ſunt autem rubetæ, quia in vepribus viuunt tantum, grandiſſimè cunctarum geminis velut cornibus plenæ veneficiorum. Mira de his certatim tradunt auctores: officulo quod eſt in dextro latere in aquam feruentem iniecto refrigerari vas, nec poſtea feruere. Canum impetus eo cohiberi, amorem & iurgia in potione addito concitari. Venerem adalligato ſtimulari. Rurſus à dextro latere feruentia refrigerari, & hoc in agnina pellicula recenti adalligato quartanas & alias febres fanari, eoq; amorem inhiberi, podagris articularisq; morbis cum adipe veteri prodeſt rubetæ cinis. Porro nerui rubetæ lacerto dextro adalligati, venerem concitant, amorem vero finit rubeta in recenti corio pecoris adalligata, eadem aqua excocta potui data, ſuum medetur morbis, vel cuiuſq; ranæ cinis. *Ex lib. de nat. re.* Rubetæ diuerſis referta medicaminibus, quando vult deponit ac reſumit, & hoc aſſiduè in paſtu facere dicitur, venena vero nunquam deponit, ſed tanquam arma ſua penes ſe reſeruat, habent gemina cornua veneficiorum plena. Mira de his certatim narrant auctores. Carnibus earum in hamum poſitis, præcipuè purpuras allici certum eſt. Contra venena marini leporis & rubetæ cinis earum remedio eſt in aqua potatus.

Rubetarum etymon.

Mirum de eis.

De Salamandra.

CAP. LXIII.

Salamandra.

Iſidorus. Salamandra dicta eſt, eo quod contra incendia valeat. Cuius inter omnia venenata maxima vis eſt. Cætera enim ſingulos feriunt hæc plurimos pariter interimit. Nam ſi arbori irrepſerit, omnia poma veneno inficit, & eos qui ederint occidit. Quæ etiam ſi vel in puteum cadat, vis veneni potantes interficit. Iſta contra incendia repugnans, ignes ſola animalium extinguit. Viuit enim in mediis flammis ſine dolore & conſumptione. Nec ſolum non vritur, ſed extinguit incendium. *Plinius libro decimo.* Salamandra eſt animal lacertæ figura, ſtellatum occulta & cæca origine, nunquam niſi magnis imbri-

imbribus proueniens,& ſerenitate deſinens,huic tantus eſt rigor,vt ignem tactum extinguat, non alio modo,quàm glacies;Eiuſdem ſanie,quæ lactea ore vomitur,quacunque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili. Idque quod contactum eſt colorem in vitiliginem mutat. In his non eſt maſculinum genus aut fœmininum.*Item in lib. vndecimo.* Venenatis paſta noxia fiunt & ipſa. Apros in Pamphylia, & in montuoſis Cyliciæ ſalamandra ab his deuorata, qui ederint moriuntur, nec vllus eſt in odore vel ſapore intellectus.

*Idem in lib.*29. Panis coctus lignis à ſalamandra contactis interficit. *Ex libro de natu. rerum.* Salamandra quam nonnulli chamęleontem ideſt, leonem terræ vocant,Eſt animal quadrupes,faciem habens lacertæ, vel (vt dicit Ariſtot.) faciem habet inter faciem porci & ſimiæ. In igne viuit, & incendium extinguit: profert etiam quandam lanam pallidam, de qua contextæ zonæ comburi non poſſint. Eſt autem ſplene carens, & contra omnia animalia iecur habet in ſiniſtra parte, In extis quoque viſcerum magna eſt in eo varietas à cęteris animalibus,macra eſt valde,quia parum habet de ſanguine. Ideoque timoroſa eſt valde, quia diminuitur in ea calor, qui eſt incentiuus audaciæ. Timor etiam eius cauſa eſt, quòd color eius ſit varius ac per momenta mutabilis. Oua gallinarum more gignit, & ex eis fœtus producit. In hoc autem genere non eſt maſculus neque fœmina, ſed omnes gignunt. Alexander Papa (vt fertur) ex huius animalis lana veſtimentum habuit, quod cum ad munditiam aliquando lauari deberet, non aliis aquis abluebatur, niſi quod in ignem proijciebatur, & per ignem candeſcebat.

Lana Salamandræ.

De Salamandrę nocumento ac remedio.

CAP. LXIV.

Auicenna vbi ſupra. Salamandra ſpecies eſt mordicantium, accidunt ex eius potu dolores vehementes in ano, & apoſtema ſicut hydropiſis, & in ventre ſpaſmus, & vrinæ retentio. *Idem in eodem.* Salamandra ęſtimatur eſſe beſtia lacertæ ſimilis habens quatuor pedes, & caudam curtam, & quod ipſa non aduritur, ſed ſi proijciatur in larem extinguit ignem. Accidit autem ex eius morſu dolor vehemens & inflatio in corpore, & grauitas linguæ, & punctio eius, & tremor ac ſtupor. Multotiens etiam accidit nigredo membri ſecundum figuram rotundam & caſus eius. Cura eius (vt quidam dixerunt) eſt cura cantaridum. Et proprium quo curantur eſt, vt in potu detur reſina pini cum melle. Detur etiam decoctio lilij cum foliis vrticæ. Quidam vero dant ranas coctas, & de iure earum in potu. *Plinius libro trigeſimo ſecundo.* Teſtudinis marinę carnes admixtæ ranarum carnibus, præclarè contra ſalamandras auxiliantur. *Dioſco.* Salamandræ virtus ſtiptica eſt & calida,recteque miſcetur medicaminibus ſtipticis, & improbos capillos qui ſunt in palpebris amputat. Seruatur autem ſic, exenteratur, caput & pedes ei tolluntur, ſicq; quod remanet in melle mittitur, & cum opus fuerit in vſum aſſumitur.

Curatiola-ſionis Salamandræ.

De Saura & Stellione.

CAP. LXV.

Saura. *Sid.* Saura lacertus eſt,qui quando ſeneſcit excæcatur oculi eius,& intrat in foramen parietis aſpicientis contra orientem, & ortum ſolis intendens illuminatur.

Stellio. Stellio nomen inditum habet de colore, eſt enim tergo depictus lucentibus guttis in modum ſtellarum,de quo

Ouidius. Ouidius: aptumque colori,nomen habet variis ſtellatus corpore guttis. Hic ſcorpionibus adeo contrarius eſſe traditur, vt eo viſo, pauorem his afferat & torporem. *Plin. li.* 7. Theophraſtus auctor eſt ſtelliones quoque ſicut & angues ſenectutem exuere, protinusq; deuorare, præripientes comiciali morbo remedia. Eos peſtiferos ferunt in Græcia,innocuos eſſe in Sicilia. *Idem in lib. vndecimo.* Chamæleonum ſtelliones quodammodo naturam habent, rore enim viuentes. Stelliones putant innocuos eſſe duntaxat his qui, & ipſi carent ſanguine. Patiuntur autem vndeni. Quidam ab ipſis decem arbitrantur deuorari, vnum modo ſolertiſſimum relinqui, qui ſe ipſius matris clunibus imponendo tutus, & à cauda, & à morſu loco fiat, atque hunc eſſe reliquorum vltorem, qui poſtremo genitores ſupernè conficiat. *Idem in lib.*30. Stellione nullum animal fraudulentius, hunc inuidere homini tradunt,& inde ſtellionum nomen in malum eſſe tranſlatum dicunt:ſic eum capiunt,æſtatibus obſeruant cubile ipſius quod eſt in locis oſtiorum, vel cardinibus feneſtrarum, aut in cameris, vel ſepulchris. Ibi vere incipiente fiſſis arundinibus textas opponunt caſas,quarum anguſtiis etiam gauder,eo facilius exuens torporem circundatum, ſed eo relicto remeare non poteſt. *Gloſſ. ſuper parab.*30. Stellio non habet alas,& ideo manibus nititur, &c. *Rodulphus ſuper Leuitic.* Stellio, & lacerta ſunt animalia infirma, malitioſa tamen, & reptilia venenata. *Ex lib. de nat. rer.* Stellionis venenum mortiferum eſt, contra illud remedium fit ex tritis carnibus ſcorpionis. Fel eius in aqua tritum muſtelas occulto quodam inſtinctu congregare dicitur: ſcorpioni maxime contrariatur, ſeq; inuicem odio naturali inſequuntur. Sed quia ſtellio maior eſt atque validior, hunc miro modo ſcorpio timet, ita vt eo viſo ſudore frigido perfundatur.

Inuidet homini.

De medicinis ex ſtellione.

CAP. LXVI.

*Plin. lib.*29. Stellio viſus pauorem infert ſcorpioni, & torporem ſudoris frigidi, vnde & ipſum oleo putrefaciũt, vulneraq; à ſcorpionibus facta perungunt, ſed & tritus ſcorpio ſtellionum aduerſatur veneno. Fit & malum è ſtellionibus medicamentum, nam eo mortuo in vino, qui biberit, lentigine faciem eius obducit, ob hoc in vnguento necant illa pelices, formæ inſidiantes. Sed contra hoc eſt remedium oui luteum, & mel, & nitrum. Fel quoque ſtellionum in aqua tritum muſtelas congregare dicitur. *Idem in li.*30. Stellioni nihil in comicialibus morbis præfertur remedio. Cinis etiam ex ipſo factus in aceto potus, & tunica quam exuit pota confert. *Auicenna in* 2. *canon.* Guarii ideſt ſtellio longam habet caudam, & paruum caput,& non eſt lacertus. Nam lacertus aut raro, aut nunquam eſt niſi in ruribus. Caput etiam, & corpus eius ab illo ſunt diuerſa, ſed fortaſſe proximus ei eſt in natura. Caro eius multum calida eſt. In ipſo eſt virtus extrahens ſurculos,& ſpinas. Sanguis eius valet albugini oculorum. Adeps eius fortiter impinguat, caro quoque eius,& proprie quaſdam mulieres, Stercus eius ſicut, & lacerti valet ad albuginem oculi. Confert etiam panno, & lentiginibus, colorem efficit bonum. Idem quoque ſtercus tritum eradicat verrucas. Hepar ſtellionis ſuper molares corroſos poſitum ſedat dolorem eorum. *Idem in* 4. *cano.* Caro ſtellionis mortificans eſt quandoque cadit in vino, & moritur in eo ac diſſoluitur, ſitque vinum illud ſicut venenum, & ei qui bibit ipſum accidit vomitus, & dolor oris ſtomachi vehemens. Stellio quando mordet, dimittit in loco morſus ſui dentes paruos, ſubtiles nigros. Nec ceſſat dolere locus, & prurire, donec auferantur cum ſeca, vel cuculo tranſeunte ſuper eos, & eos aſſumente, & colligente. Quandoque autem eos extrahit oleum, & cinis. Deinde fugatur locus & ponatur in aqua calida, quod ſi magnificetur dolor in morſu,theriaca rutelæ detur in potu. *Hali.* Papion ideſt ſtellio gladius ſi cum aceto, & cicere coquatur, arthreticæ prodeſt manifeſte. Fimus ſtellionis à fa-

Pellicum inſidiæ.

Vſus medicus ſtellionis.

cie

cie lentigines extirpat,& ab oculis albuginem elimat. *Auctor.* Hęc de lacertorum generibus ſufficiant. Sequitur de tertio genere reptilium, ideſt de vermibus.

De Vermibus in generali.

CAP. LXVII.

Vermis.

Sid. Vermis eſt animal quod plerunq; de carne vel de ligno, vel de quacumq; re terrena, ſiue vllo terreno concubitu gignitur. licet nonnunquã, & de ouis naſcantur, ſicut ſcorpio. Vermis autem non vt ſerpens apertis paſſibus, vel ſquamarum niſibus repit, quia non eſt ei ſpinæ rigor vt colubri, ſed in directum corpuſculi ſui partes gradatim porrigendo contractas, & contrahendo porrectas, motum explicat, ſicque agitatus perlabitur. *Ariſtot.* Vermium reptatio ſuper ventrem eſt. Animalia quædam generant vermes, & horum quidam in hora ipſa generationis mouentur, Quidam non niſi poſt dies; Muſcę quidem generant vermes. Et ex coitu apicularum fiunt vermes ouis ſimiles. Porro quæ generantur ex vermibus, ab animalibus generatis non completa ſunt, deinde extra creſcunt. Et quod habet figuram ſicut vermis, magnum fit quando creſcit, ſitque figura eius ſicut ouum, quia cortex, ſcilicet cutis continens indureſcit. Illo quoq; in tempore mobilia ſunt, & manifeſtatur hoc in vermibus qui generantur ex veſpis, & apibus, & in eis qui generantur ex oleribus. Vermes qui generantur ex animalibus cibantur prius, deinde cibum non recipiunt, ſed remanent immobiles, ſicut apiculæ quæ coloris aurei ſunt.

Generatio vermium.

Quidam autem vermes habent in ſe quo cibantur, & eij ciunt ſuperfluitatem cibi, ſicut pulli veſparum, vel apium. Quidam ab extrinſeco, ſicut vermes olerum, & aliorum modorum. Principium crementi vermium eſt ex parte ſuperiori, & cibus ex inferiori. *Ambro.* Vermis Indicus niger fertur conuerti primum in ſpeciem caulis, poſt fieri bombycius, & poſt laxis, & latioribus folijs videtur pennas aſſumere. Ex his folijs illa mollia fiunt, quibus veſtiuntur qui in domibus regum ſunt. *Plinius lib.* 11. In Gange Statius ſebosus affirmat eſſe vermes brachijs binis ſexaginta cubitorum, cæruleos à facie nominatos, de quibus ſcilicet iam ſuperius dictum eſt inter monſtra marina, & adhuc dicetur infra. *Idem in lib.* 29. Terreni vermes triti plagæ, ſcorpionum proſunt impoſiti, multaque alia ex his remedia inueniuntur, propter quæ in melle ſeruantur.

Vermis Indicus ſeu Bombycius.

Item de eodem.

CAP. LXVIII.

Auctor. Vermes dicuntur propriè, qui naſcuntur ex putredine, itaq; de carne, vel de terra naſcuntur, ſine coitu, & concupiſcentia. Natura eorum eſt, ſingulis moueri momentis, ſilentio repunt, mordent, & penetrant: viles, & abiecti ſunt, frequenter pedibus conculcantur. Eorum origini ſal reſiſtit, Ideoq; carnes, & alii cibi ſaliuntur. *Achilles in lib. de venenis.* Si hortus ex elixatura vermium aſpergatur, tunc fructus eius, vermes, qui comederint, cito morientur. *Ex libro de nat. re.* Inſecta dicitur omnis vermium propagatio, nullus autẽ inſectorum, ideſt vermium, vt dicit Plinius, habet ſanguinem niſi in modica quantitate. Quidam vermes ſine pedibus ſunt, vt ſerpẽtes, & hi per terram repunt. Alii nec oſſa, nec pedes habent, & hi potius quaſi rugis quibuſdam ſubtiliſſimis in cute extenſis ſe trahunt. Alii duos habent pedes, alii quatuor, & hi currunt, & aliquantulum ſanguinis habent. Alii vero pluſquam quatuor pedes habent, & hi etiam currunt, ſed omnino ſanguine carent, quia ſanguis tranſit in nutrimentum multorum pedum, vel quia motus ipſorum pedum annihilat ſanguinem. Omne genus vermium habet humorem velut ſaniem pro ſanguine. Eſt autem aliud vermium genus, quod pedes habet, & graditur, & nihilominus pinnas habens, vel potius membrana volando ad æthera ſuſtollitur, & hi foliis arborum maximè viuunt, eaq; dentibus rodunt, nonnulli quoq; vermium ex genere volantium minimè rodunt, ſed potius ex humidis viuunt, vermes autem generaliter ſecundum nutrimentum elemẽtorum colores vel potentias ſortiuntur, vt qui multũ habent de elemẽto, ignis aera ſurſũ petunt. Qui multum de aqua vel terra, naturaliter tardiores ſunt. Secundum hoc enim creaturarum viſibilium ordo diſponitur. In Chelidoniæ regione, ſicut dicit Auguſtinus, in quibuſdam aquis naturaliter feruentibus ſunt vermes ſicut in aqua frigida ſunt piſces. Et extra feruentem aquam cum veniunt in frigido moriuntur. Licèt autem vermis nomen conueniat vermibus vniuerſis, ſpecialiter tamen vermis appellatur ille, qui de pura, & munda terra nulla ſeminis commixtione generatur, quo etiam in deceptione, vel captura piſcium hamus ineſcatur; Et huic ſe Dominus de virgine natus per Prophetam ſe comparat dicens. Ego autem ſum vermis, & non homo.

Vermis ſpecialiter dictus.

Pſalm. 21.

De Diuerſa vermium origine.

CAP. LXIX.

Sido. Vermes ſunt aut terrę, aut aquæ, aut aeris, aut carnium aut frondium, aut lignorum, aut veſtimẽtorum, proprie autem vermis in carne putrida naſcitur. Tinea in veſtimentis, eruca in olere. Teredo in ligno: tarmus in lardo. Vermes carnium ſunt emigraneus, lumbricus, aſcaridæ, coſti, pediculi, pulices, lendes, tarmus, ricinus, vſia, cimex ventris Emigraneus eſt vermis capitis: lumbricus ventris ſiue inteſtorum, dictus quaſi lumbicus, quia labitur, vel quod in lumbis ſit. Vſia vermis porci ſic dictus eo quod vrit. Nam vbi momorderit adeo locus ardet, vt veſicæ fiant. Ricinus vermis eſt canis vocatus, quia hęret in auribus canum, pediculus capitis, tarmus lardi. *Ex lib. de nat. rer.* Vermium multa genera, cum æſtate incipiunt, & cum æſtate definunt, quia potius in corruptione naſcuntur quam ex ſemine. Aliud autem eſt genus quod incipit cum æſtate, & cum poſuerit ſemen in arboribus, aut domiciliis cum æſtate vitam finit, manentque parentibus mortuis ſemina per hyemem, & verno tempore prodeunte aeris ſerenitate ſolisque calore animantur ad vitam. Aliud quoq; genus eſt, quod hyeme conditur lateręq; velut mortuum, & cum venerit ad ęſtatem renouatur ad vitam.

Tinea.
Teredo.
Tarmius.
Emigraneus.
Lumbricus.
Vſia.
Ricinus.

Petrus Comeſtor. Quęritur autem de quibuſdam huiuſmodi minutis animantibus, quæ vel ex cadaueribus, vel ex humoribus naſci ſolent, vtrum ſexta die creata ſint. Horum quidem ſex genera ſunt. Nam quędam ex exhalationibus eſſe habent, vt bibiones ex vino, papiliones ex aqua, Quædam ex corruptione humorum, vt vermes in ciſternis. Quædam ex cadaueribus, vt apes ex iumentis, ſcarabæi, & crabrones ex equis. Quædam ex corruptione lignorum, vt teredines. Quædam ex corruptione fructuum, vt gurgulliones ex fabis. De his ergo dicitur, quia quæ ſine corruptione naſcuntur, vt illa quæ ex exhalationibus tunc facta ſunt, quæ vero ex corruptionibus poſt peccatum ex rebus corruptis orta ſunt.

Quo die creata ſunt minuta animalia.

Sex genera eorum.

De Annuloſis.

CAP. LXX.

Auctor. Ex his autem quędam dicuntur annuloſa, quoniam eorum corpora quaſi per quoſdam annulos videntur eſſe formata & diſtincta, quorum etiam quædã ſunt volatilia vt apes: quædam gradientia vt formicæ, & illi qui propriè dicuntur vermes. Eadem quoq, genera ſecundum Ariſtot. dicuntur & rugoſa, ſecundum Pli. inſecta. *Ariſt.* Animal annuloſum dicitur & rugoſum, quia rugationes habet in corpore, anterius & poſterius: hoc genus ſanguinẽ nõ habet, &

Annuloſa.

Vermes ſunt viles & abiecti.

annulositas eius, aut est in ventre, aut in dorso, aut in vtroque. Nec est in huiusmodi corporibus os separatum per se, neque caro, sed aliud cuius creatio est inter carnem & ossa, quoniam huiusmodi corpora secundum eundem modum dura sunt intra & extra. In his autem quæ longi corporis sunt multorum pedum est æqualiter annulositas. Animalium annulosorum nouem modi sunt. quorum sex congregantur, vt greges, ex quibus sunt vespæ & apes, Genera vero solitaria sunt tria. Omnia quidem annulosa manent in cauernis suis in hyeme, nisi sint domestica, Et quædam ibi manent diu, quædam parum. Apes in cauernis manent in diebus magni frigoris, manentq; post occasum pleiadum vsque ad tempus veris. Annulosa quædam senectutem exuunt, & ex his quæ alas habent coopertas. Et quæ animalia pariunt, telam eiiciunt. Quæ autem vermes pariunt, id quod fallator dicitur eiiciunt; similiter accidit vespis & locustis. In corpore animalis annulosi non est pars vlla terrestris per se distincta, sed collatum ad os carnosum est, ad carnem vero terrestre. Omnia hæc habent tria membra, scilicet caput & ventrem, & tertium quod est inter illa, sicut in aliis est pectus & dorsum, & illud membrum in pluribus est vnum. Item animalia corporis annulosi multi laboris sunt, vt formicæ & apes & araneæ.

Nouem modi annulosorum.

Insecta vnde ita dicuntur.

Plin. lib. 11. Insecta sunt immensæ subtilitatis animalia, nec vsquam rerum natura magis quàm in minimis est tota. Et iure insecta sunt appellata ab insciſſuris, quæ nunc ceruicum loca, nunc pectorum, & alui pręcincta separant membra tenui nodo fistulæ cohærentia. Aliqua vero non tota insciſura rugas ambiente, sed in aluo, aut supernè tantum imbricatis flexilium vertebris, nusquam alibi spectatiore naturæ rerum artificio. *Ex libro de natu. rerum.* In annulosis minus est mas, maius fœmina. In apibus ac vespis vndique insciſiones apparent, quoniam in his non est respiratio, neque pulmo, sed tota per totum aerem nutriuntur. Ideoque & oleo infusa corrumpuntur poris obstructis, acetoque confestim immisso reuiuiſcunt exitibus apertis.

De Pedibus eorum.

CAP. LXXI.

Aristoteles. Pedes animalis annulosi corporis ad latera flectuntur, & aculei flectuntur interius. In eis autem, qui longi sunt corporis & multorum pedum, est æqualiter annulositas: & huiusmodi animalia viuere solent aliquantulum post abscisionem capitis, vt dicetur infra. Quædam ex annulosis faciunt coitum cum ambulant: & habent pedes posteriores anterioribus maiores. Et quædam faciunt coitum, ac flectunt pedes posterius, vt quadrupes, & horum corporum creatio non est sicut caro intra testam, sed inter illa. Ideoque non habent os, vel spinam, nec saluabuntur nisi per corporis duritiam, & hic modus habet corium, quod est subtile membranum. Item animalium annulosæ cutis quædam habẽt multos pedes, propter sui tarditatem & naturale frigus, vt lęuior sit eorum motus: Ideoq; fuit animal frigidum naturaliter multipes: propter longitudinem sui corporis, & propter multitudinem carnis corpus eius annulosum fuit, multosque pedes habuit. Quod autem ex eis est parui corporis & paucę carnis, pauciores habet pedes aliis, & maxime id, quod solitarium est volatile. In quorundam huiusmodi animalium corporibus duo pedes qui sunt in anteriori, maiores sunt, quia duri sunt oculi eorum, nec acuto visu cernunt: & non possunt accipere volatum, nisi per virtutem pedum anteriorum, sed hoc facit muscarum genus, & modi qui assimilãtur apibus. Pedes autem posteriores sunt maiores quàm medii propter ambulationem, & vt eleuentur à terra cito, cum volare voluerint, & quod ex his coit, hoc manifestius facit, vt locustæ ac pulices, Nam ista pedes constringendo flectunt, deinde illos extẽdunt, & sic à terra eleuantur, necessaria siquidem est flexio in pedibus declinans ad interius. Pedes autem anteriores talis dispositionis esse non possunt, omnesque illi modi sex pedes habent cum duobus pedibus per quos coeunt. *Plin. vbi sup.* Insectorum pedes quibus sunt in obliquum mouentur, & quorundam extremi longiores foris curuantur, vt locustis. Insectorum pedes primi longiores sunt, duros oculos habentibus, vt subinde tergant eos pedibus, sicut in muscis notamus. Quæ autem ex his nouissimos habent longos, saliunt, vt locustę. Omnibus autem his semipedes: araneis quibusdam prælongi accedunt bini, & internodia terna singulis.

Diuisio annulosorum.

De quarundam alis.

CAP. LXXII.

Aristoteles. In annulosis itaque quædam habent alas, vt apes & vespæ: quædam autem non, vt formicæ. Est etiam genus, quod volat nocte, & apparet igni simile. Item alas habentium quædam non habent nisi duas tantum, vt muscæ. Quædam vero quatuor, vt apes. Sunt & quæ habent cooperturam cortici similem. Nullaque istarum alarum habet cannam, sicut auium alæ. Et quædam illorum maculas habent supra oculos, vt apiculæ, Nullum habens alas membranatas habet aculeum. Illa vero quæ duas habent alas tantum, pungunt aculeo, qui est in interiori capitis sui, sicut muscæ, ac mustiliones, muscæque bestiarum. Volatilia solitaria parui corporis & paucæ carnis pauciores habent pedes cæteris. Quæ autem in comitatu volant, habent quatuor alas, & sunt leuis corporis, vt apes & similia: habentque duos pedes in dextra, & in sinistra, nec plusquam quatuor pedes habent, vt volatum suum non prohibeant. Quod autem ex animalibus huiusmodi paruum est alas duas habet tantum, vt genus muscarum. Quodque ex istis est paruum habens regimen vitæ suæ fixum, habet multas alas, sicut apum, alæque ipsius sunt membranales, sicut vespæ, vt saluentur alæ. Et quoniam animal illud est fixum pauci motus, accidit, ei citius occasio, quam boni motus animalibus. Alaque ipsius fissa est in duo, nec habet id quod assimiletur, cannæ, & sunt alæ membranales, non plumatę. Et necessario illa separatur à corpore tela, quoniam infrigidatur in eis pars carnosa. Ac per istam annulositatem congregatur corpus, efficiturq; curtum, postquam fuerit longum. Et quod eis non est inuolutum, efficitur valde durum, quando in se cõstringitur, & adunatur. Quod manifestũ est in vespa, quia quando timet non mouetur, & valde dura efficitur. Nõ autem potest animal esse duas tantum habens alas & aculeum potest habere, quia debile est & carens sanguine. Quodque multarum alarum est habet eas propter magnitudinẽ corporis & propter vigorem cum membris, quę sunt posterius, scilicet qui est loco armorum propter acumen eius. *Plin. vbi sup.* Insecta sunt multa & multigena terrestrium volucrumque vita. Alia quidem, vt apes sunt pennata. Alia vero gradientia, vt formicæ. Alia vero vtroque modo vt locustæ, aliqua pennis pedibusque carentia. Quędam itaque pennas gerunt binas, vt muscę: quædam quaternas vt apes: quędam & membranis volant, vt cicadæ. Quaternas habent quę aculeis in aluo armantur. Nullum qui telum est in ore pluribus quam binis aduolat pennis. Illis enim vltionis causa datum est, & his auiditatis, nullis eorum pennæ reuiuiscunt auulsæ, nullumque cui aculeus in aluo est bipennæ. Insectis omnibus pennæ sunt sine sciſſura, nullique nisi scorpioni cauda.

Annulosa alata.

Insectorum diuisio.

De quorundam aculeis.

CAP. LXXIII.

Annulosum caveni aculeo habet dentes.

ARistot. Animalia quædam annulosi corporis habent aculeum propter fortitudinẽ & iuuamentum. Quod autem ex huiusmodi non habet aculeum, in anteriori parte corporis habet dentes quosdam ad accipiendum, & quosdam ad sentiendum, vt formicæ & genus apum. Non autem potest animal esse duas tantum habens alas, & aculeum in posteriori corporis habere, quantum est debile, & carens sanguine. Nullumque alas habens membranales aculeum habet. Illa vero quæ duas habent alas tantum pungunt aculeo, qui est in anteriori capitis sui, vt mustiliones ac muscæ bestiarum. Itaque annulosa quædam habent lanceam interius, vt vespa, quædam exterius vt scorpio, qui longam habet caudam, & duos aculeos. Nullum animal in posteriori lãceam habens alas duas habet tantummodo, sed quatuor. Sicut autem dictũ est annulosorum pedes flectuntur ad latera. Aculei vero flectuntur ad interiora. Item annulosa quædam habent membrum per quod sentiunt cibum extra sicut aculeum, per ipsum enim attrahunt & gustant cibum, quod manifestum est in muscis & apibus sibique similibus, & huius membri natura mollis est & vacua. Per hoc enim, membrum muscæ bestiarum perforant corium bouis & animalium cæterorum, habet enim virtutem labiorum & linguę, & quibusdam intra dentes est aculeus iste.

Locus aculei.

Itaque in quibusdam est aculeus apud locum linguæ, & in quibusdam apud locum caudæ Et quædam intra corpus, quædam exterius. Nam si aculeus apum, ac vesparum esset exterius, de facili corrumperetur propter debilitatem & sui gracilitatem. Et si aculeus esset extra, sicut aculeus scorpionis, esset causa ponderositatis. Aculeus qui assimilatur linguæ, est ad attrahendum cibum, sic est nasus in elephante conueniens ad fortitudinem & cibi vsum. Quod autem in posteriori corporis habet aculeum, habet eum ibi, quia quasi arma mouet illum. Apis quando pungit eiiciens aculeum moritur: quia non potest aculeus exire, nisi exiret eius intestinum. *Plin. vbi supra.* Quibusdam insectorum aculei sunt hebetes, nec ad punctum, sed fuctum, vt generi muscarum, in quo euidens est linguæ fistula, nec sunt talibus dentes. Aliis autem cornicula ante oculos ignauia prætenduntur, vt papilionibus. Nullum vero cui telum in ore sit, pluribus quam binis aduolat pennis. Aculeum apibus dedit natura ventri consertum ad vnum ictum, asilo & culici & quibusdam muscis pro lingua sunt aculei. Omnibus his quibus aculeus in ore fistulosus ex his, nec lingua, nec dentes sunt.

Vsus aculei.

De vita insectorum, siue annulosorum.

CAP. LXXIV.

ARistot. Animalia corporis annulosi præcipuè multorum pedum, ac longi corporis, viuunt aliquantulum post abscisionem capitis, nisi naturæ frigidę sint, ac cito infrigidentur propter paruitatem corporis. Nam & nos videmus sæpe, quod scinduntur in duo, & viuunt aliquanto tempore. Quod quidem erit si caput amputetur cum pectore, aliter vero minime. Omnia vero annulosa cum inunguntur oleo moriũtur, & etiam cum eorum caput oleo inungitur, & contra solem imponuntur. *Plinius vbi supra.* Insecta nonnulli sanguine carere prodiderunt. Multique spirare negauerunt id quoque ratione persuadẽtes, eo quod per interiora viscera nexus spirabilis non inesset, itaque dixerunt ea viuere sicut arbores frugesque. Sed plurimũ interest viuat aliquid an spiret. Eadẽ ex causa, nec sanguinem dixerunt his esse, qui nullis sit corde carentibus ac iecore, itaque nec quibus desit pulmo spirare: itaque vocem etiam his negant esse in

Oleum occidit annulosa.

A tanto cicadarum sono, & apum murmure: item insecta non videntur neruos habere, nec ossa, nec spinas, nec cartilaginem, nec carnes, nec pinguia, nec crustam quidem fragilem, vt quædam marina: neque iure dicatur cutis: sed mediæ cuiusdam naturæ corpus inter hæc omnia. Nec aliud iterum intus, nisi admodum paucis intestinum implicatum. Itaque diuulsis sic est præcipua viuacitas: & partium singularum palpitatio. Nam quæcunque est vitalis ratio, illa non certis inest membris, sed toto in corpore: minime tamen in capite, solumque non mouetur nisi auulsum cum pectore. In nonnullo autem genere plures pedes sunt, & quibus plurimi ex his diutius viuunt diuulsa, sicut in scolopendris videmus. Oleo quidem non apes tantum, sed omnia insecta exanimantur, præcipuè si capite vncto in sole ponantur. Item ex insectis pennata quidem autumno motiuntur ferè: tabani etiam cæcitate. Muscis autem humore exanimatis si cinere condantur vita redit. *Auctor.* Dictum est iam superius, quod apes, ac vespæ oleo infusæ corrumpuntur poris obstructis, acetoque confestim immisso reuiuiscunt exitibus apertis.

Muscæ redeunt ad vitam.

De Sensibus ac vocibus eorum.

CAP. LXXV.

ARistoteles. Omnium huiusmodi animalium genera habent oculos, nec aliud instrumentum sensus manifestum omnino. Et quædam illorũ, vt dictum est, habent membrum linguæ simile. Quodlibet autem eorum habet membrum per quod recipit cibũ: & quandoque quidem molle, quandoque durum: hoc autem membrum est in modo carenti lancea, loco armorum, nec est in animali dentes habenti nisi in paucis modis, hoc membro muscæ, ac mustiliones pungunt, & sanguinem extrahunt: habent quædam annulosi corporis animalia omnes sensus, sentiunt enim remote subtili sensu, sicut apum genus. Quædã etiam olfactu sulphuris moriuntur; & si quis sulphur & origanum agreste puluerizauerit super domos formicarum, inde fugabuntur. Annulosa quædam habent sanguini conueniens, & maioris ac subtilioris intelligentiæ sunt animalibus habentibus sanguinem, vt apes, formicæ, & huiusmodi. Item animal annulosum anhelat per telam parietis, sentitque modos odoris. Horum autem quædam oculos habent, & palpebris carent. Ideoque natura creauit oculos eorum maxime mobiles; habetque animal huiusmodi membrum inter os, per quod sentit cibum, sicut genus formicarum: animal pulmone carens & modicum aquæ potans, vesica caret, nec recipit aquam in potum, sed propter cibum vt annulosa & pisces. Annulosa quoq; non habent venas, nec anhelant, nec nisi membrum quod cordi necessario conuenit habent. Membrum enim in quo est animæ sensus, & quod est causa vitæ, necessarium est, vt sit in principio membrorum corporis in omni animãte. Et omnia quidem huiusmodi habent membra cibi conuenientia, sed in locis diuersantur, quia loca, quę cibos recipiunt variantur. Denique in animali annulosо inuentum est membrum, in quo est sensitiua virtus inter caput & residuũ corporis, quod continet caput: huiusmodi animalis strepitus, est in corporis interiori, nec est per spiritum exeũtem: quia nõ anhelat, vt patet in apibus & huiusmodi.

Qui sensus viget in annulosis.

Ex his autem sunt dulcem habentes vocem, vt paruum animal, quod assimilatur locustæ, & quod sibilat nocte. Omnium autem istorum strepitus & sibilus fit per telam sub pariete in loco abscisionis: corporis in duobus, vt patet in apibus, & similibus. Ista quippe non faciunt strepitum nisi volando, in extendendo alas & contrahendo, & hoc per aerem intra corpus & alas cadentem. Similiter faciunt & locustæ, huiusmodi autem animalia dormiunt, quia quiescunt de nocte, & non vociferant, quia non vident, quamuis omnium animalium duros oculos habentium sit debi-

Strepitus annulosorum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

lis vilus. Itaque ſi quis applicauerit candelam de nocte videbit eas quieſcere. Eſt autem animal quoddam genus huiuſmodi, quod dat vocem de nocte, & non habet os, ſed membrum longum, quod ſupra caput naſcitur ſimile linguæ, & illud membrum fiſſum non eſt, nec aliqua ſuperfluitas in ventre animalis eſt. *Plin. vbi ſup.* Inſecta, vt dictum eſt, immenſæ ſubtilitatis ſunt animalia, neque vſquam rerum natura magis quam in minimis eſt tota: habent huiuſmodi ſenſus & oculos, tactum, atq, guſtatum, aliqua & odoratum, pauca & auditum.

De Generatione ipſorum.

CAP. LXXVI.

Ariſt. Ex annuloſis quędam generãtur ex coitu, quędam per ſe, & quędam faciunt vermes: & illud quidem generatum quod habet figuram ſicut vermis, quando creſcit fit magnum, & eius figura ſicut ouum, quia continens, ſcilicet cutis indureſcit, & tunc eſt immobile. Cuius cauſa eſt, quia natura quaſi præparat creationem ouorum ante tempus ſuum propter priuationẽ complementi. Vermes enim creſcunt poſt illud crementum, & generant ouum molle: & hoc accidit aliis generibus, quæ non ex coitu generãtur, ſed ex lana. Omnes iſti modi primo non mouentur. Et cũ deſiccatur cortex ea cõtinens ac finditur, tunc exeunt ſicut animalia completa exeunt ex animalibus, & exitus eorum eſt in tertia generatione. Volatilia quidem ex eis maiora ſunt, quam ambulantia: Et hoc apud multos homines mirabile eſt, quod ſcilicet vermes, qui generantur ex animalibus cibantur prius: deinde non recipiunt cibum, ſed manent immobiles, ſicut apiculæ quæ ſunt aurei coloris, & ex vermibus veſpæ. Natura quidem ouorum quando completur non creſcit, ſed in prima creatione creſcunt & recipiunt cibũ quouſq; diuiditur quod interius eſt: & tunc ſunt oua completa. *Diuerſitas vermium.* Quidam autem vermes in ſe habẽt id quo cibantur: & eijciunt à ſe ſuperfluitatem cibi, ſicut pulli veſparum & apum. Quidam vero cibum accipiunt ab extrinſeco, ſicut vermes omnium aliorum generũ. Annuloſa quæ faciunt coitum cum ambulant, poſteriores pedes anterioribus maiores habent. Quædam vero coitum faciunt, & pedes ad poſterius ſicut quadrupedes flectunt. Itẽ animal annuloſũ in hyeme coit, ſi conueniens ac meridionalis ventus fuerit. Maximèque illa quę nidificant, vt formica & muſca. Non autẽ ſeparantur annuloſa niſi grauiter, quia coitus multum durat in eis, vt patet in muſcis & araneis. Hoc genus à poſteriori coit, & minus ſuper maius, ideſt mas ſuper fœminam aſcendit. Pingueſcunt in tempore ſuę generationis, maxime ſi tempus veris calidum & humidum fuerit. Quædam ergo annuloſa ex coitu ſunt & animalia ſibi ſimilia gignunt, quædam vero coeunt & generant diſſimile in genere: quia vermes faciunt tantum, nec ſunt ex animalibus: ſed quædam ex humiditatibus, & quædam ex rebus ſiccis, vt apicula & muſca & cãtaris: quædam autem non ſunt ex animalibus, neq; coeunt, vt culices & muſtiliones & huiuſmodi: quorundam fœminæ maribus imponunt membrum recipiens ſperma, & hic modus inuoluitur adinuicem in coitu longa mora. Cumq; ſeparantur cito pariunt, & non niſi rem incompletã, quoniam omnes iſti modi vermes gignunt. Item modi, qui non ſemper ſpermatizant ligantur adinuicẽ diu, donec compleatur ſuſtentatio ſuſcepti, ſicut coeunt animalia corporis annuloſi. *Plin. vbi ſup.* Inſectorum plurima vermiculum procreant; nam & formicæ ſimilem ouis generant.

De Apibus.

CAP. LXXVII.

Apum etymon: *Iſido.* Apes dictæ ſunt, vel pro eo, quod ſe pedibus inuicem alligent, vel quia ſine pedibus naſcuntur, nam poſtmodum & pedes, & pennas accipiunt, &c.

Ariſt. Apis eſt animal annuloſi corporis, habens mẽbrum, vel additamẽtum ab ore exiens, per quod guſtat, & cibum cõtrahit, ac recipit, ſanguine caret, dentes aliorum animalium dentibus ſimiles habet. In comitatu volat, & eſt leuis corporis, habetq; quatuor alas: duosq; pedes habet in dextera & duos in ſiniſtra, nec plusquam quatuor habet, ne volatum ſuum prohibeant. hoc animal non recipit aerem, non anhelat: animalia multos cibos comedẽtia ſunt diuerſi coloris in parte maiori corporis. Ideoq; color apum eſt vnus, color autem veſparum diuerſus. Comedunt mel maxime in neceſſitatis tempore, Vnde quando incipiunt infirmari apparet mellis diminutio, quia videlicet comedunt ex eo, nec reparant ipſum: bonos odores diligunt, & aquis currentibus delectantur. *Plin. lib.* 11. Aculeum apibus natura dedit ventri conſertum. Ad vnum ictum hoc infixo quidam eas ſtatim emori putant. Aliqui non niſi intantum adacto vt inteſtinum quippe aſſequatur, ſed fucos poſtea eſſe, nec mella facere, ſed vt caſtratos viribus pariterque & nocere & prodeſſe. *Eſt in exemplis equos ab his occiſos.* Gaudent vero plauſu tinnituq; æris, eoq; conuocantur. *Idem in lib.* 25. Apes in melle mortuæ, vlcerum labra duriora emolliunt. *Auctor.* Apes munditiam diligunt, frigus & fœtorem ac fumum odiunt. Gregatim volant, circa opus ſuum ſollicitæ ſunt, & ocioſas abijciunt, exterius aſperæ, intus dulcedinem habent, cito lędunt & lædunt, amiſſo aculeo inutiles ſunt.

Apes quando comedunt mel.

Equi occiſi ab apibus.

De excellentia apum.

CAP. LXXVIII.

Plin. li. 11. Apibus inter omnia inſecta principatus exiſtit. Solis ex eo genere hominum cauſa genitis mella contrahunt, ſuccumq; dulciſſimum, ac ſubtiliſſimum & ſaluberrimum, fauos & ceram confingunt. Similem ad vſus vitæ laborem tolerant, opera conficiunt. Rempub. ſemperq; concilia priuatim ac duces gregatim habent. Quodq; mirum ſit maxime & mores habent, nihilq; nouerunt quod non ſit commune. *Ariſt.* Apis plusquã animalia cætera munda eſt. Ideoque ſtercus ſuum eijcit volando, quia multum fætet. Odor enim fætidus apes grauat, dulcis autẽ eas delectat. *Amb.* Apes quaſi quandam rempublicam curare videntur: hæ ſolæ in omni genere animantium communem omnibus ſobolem habent, vnam incolunt manſionem. Communis omnibus labor eſt, communis cibus, communis fructus, cõmunis volatus, communis generatio. *Ex li. de nat. re.* Apes cæteris animalibus præminent dignitate & vtilitate, præclaris dotibus & nobilitate, vigent agilitate, ſtrenuitate, animoſitate, ingenii ſubtilitate. Omnibus virginalis integritas corporis, quæ ſubito maximum examen filiorum emittit. *Virgilius 4. Georg.*

Respublica apum.

Præclare dotes apum.

Virgilius.

Sola communes natos conſortia tecta
Vrbis habent, magnisq; agitant ſub legibus æuum,
Et patriam ſolæ ac certos nouere penates,
Venturæq; hyemis memores æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt,
Namq; alia victu inuigilant, & fœdere pacto,
Exercentur agris, pars intra ſepta domorum,
Narcyſſi lachrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suſpendunt ceras, alię ſpe gentis adultos,
Educunt fœtus, alię puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas
Sunt quibus ad portam cecidit cuſtodia ſorti,
Inque vicem ſpeculantur aquas & nubila cæli,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto,
Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent,
Omnibus vna quies, operum labor omnibus vnus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Solertia earum.

CAP. LXXIX.

Vigor virtutis apum.

AMbro. Apis cum infirma ſit corpore, valida eſt vigore ſapientiæ & virtutis more: Quis enim architectus apes docuit, examina diſcreta laterũ qualitate componere, ac tenues inter domorum tecta ceras ſuſpẽdere, mella ſtipare, & intexta floribus horrea nectare quodam diſtendere. *Ariſtot.* Apes à remotis ſentiunt quod non niſi ex ſubtili ſenſu faciunt. Quædam ad operationem in principio diei exeunt, & quędam donec expergefiant, aliæ quieſcunt. Deinde volant & exeunt ſimul ad operandum, Cum autem reuertuntur vociferant prius, deinde paulatim quieſcit earum ſtrepitus, donec vna illarũ remaneat volans & circumiens, quaſi iam eſſe tempus dormiendi ſignificet. Deinde quieſcunt ſimul omnes. Maiorem quippe habent intelligentiæ ſubtilitatem multis animalibus habentibus ſanguinem. Hyemem cognoſcunt, quia tunc nõ exeunt, nec volant ab alueatibus, ſed interea vagantur, ſicq; pluuiam futuram cuſtodes cognoſcũt. Cumque autem intra alueatia pendent ex ſeſe ſignificatur, quod ab alueari volunt diſcedere. Omnes autem ſtercus eiiciunt in volando, vel in parua & propria ſibi domo.

Senſus ſubtilis apum.

Pluuiam indicant.

Exitus apum poſt hyemem

Plin. lib. 11. Itaque quantulum poteſt eſſe in tantulis æſtimemus poſtea ingenium in eis. Cõduntur hyeme, nam vnde vires ad pruinas & niues aquilonumque flatus perferendos? Conduntur autem tertio Idus Octobris veſperi ſcilicet occcaſu vergiliarum, & latent vltra exortum; ante fabas florentes nõ exeunt ad opera & labores, nullusque, cum per cælum licuerit, ocio perit dies. Primum fauos cõſtruunt, ceras fingunt hoc eſt domos cellasq; faciunt, deinde ſobolem, poſtea vero mella, ceram, ex floribus, melligenẽ è lachrymis arborum, quæ glutinum patiunt. Gerulæ ſecundos flatus captant: & ſi oriatur procella, apprehenſis lapillis peduſculo ſe librant, iuxta vero terram volant in aduerſo flatu vepribus hebetato. Miras in eis obſeruationes operis, ceſſantium inertiam notant, mox & morte punientes caſtigant, miraq; operis mundicia. Amoliuntur de medio omnia, nullæq; iacent ſpurcitiæ inter opera. Quin & operantium excrementa intus, ne longius recedant in vnum congeſta locum, turbidis diebus & operis ocio egerunt. Cumq; adueſperaſcit in alueo minus ac minus ſtrepunt, donec vna circumuolet eodem quo excitauit bombo vel murmure, quaſi quietem imperans capere caſtrorum more. Et tunc omnes repente conticeſcunt. Quodq; mirum ſit maximè mores habent, nihilque nouerunt niſi commune.

Aſtutia qua contra procellam nitũtur.

Caſtrorum morem obſeruant.

De generatione apum.

CAP. LXXX.

Apes virgines.

AMbro. Apes nullo concubitu miſcentur, nec libidine reſoluuntur, nec partus doloribus quatiuntur, ſed integritatẽ corporis virginalem ſeruantes, ſubito maximum filiorum examen emittunt. *Auctor.* His Ambroſij verbis contradicere videntur ſermones. *Ariſt. Plin. vbi ſup.* Apes quomodo fætus progenerent magna inter eruditos fuit diſceptatio, harũ enim coitus nunquam eſt viſus. Plures exiſtimauerunt oportere confici cõpoſitis floribus. Et aliqui coitu vnius qui rex in examine quolibet appellatur, ipſumque ſolum marem eſſe, præcipua ne fatiſcat magnitudine. Ideo fętum ſine eo non edi, apesq; reliquas tanquam marem fæminas comitari non tanquam ducem. Quam probabilem aliàs ſententiam fucorum euentus coarguit; Quæ enim ratio vt idem coitus alios perfectos, imperfectos generet alios, proprior, vel prior exiſtimatio fieret, ni rurſus alia difficultas occurreret? Quippe naſcuntur aliquando in extremis fauis apes grandiores quæ cæteras fugant. Quod certum eſt gallinarum

Rex apum maritus, reliquæ fœminæ.

A modo incubant, id quod excluſum eſt, primum vermiculus videtur candidus iacens tranſuerſus, adhærensque ita vt paſcere videatur. Rex ſtatim mellei coloris, vt electo flore ex omni copia factus, neq; vermiculus ſed ſtatim penniger, Cætera turba cum formam capere cæperit, nymphæ vocantur, vt fuci, ſyrenes, atque cephenes. Si quis alterutris capita demat priuſquàm pẽnas habeant, pro gratiſſimo ſunt pabulo matribus. Tempore procedente inſtillant cibos atq; incubant tum maximè murmurantes, caloris vt putant faciendi gratia neceſſarij excludendis pullis, donec ruptis membranis, quæ ſingulos cingunt ouorum modo vniuerſum agmen emergat.

Incubatio apum.

Nymphæ.

Spectatum hoc Romæ conſularis cuiuſdã ſuburbano alueis cornu laternæ tranſlucido factis: fætus infra 45. diem peragitur. Fit autem in fauis quibuſdam qui B vocatur cletus, amaræ duritia ceræ, cum fætum inde non eduxere morbo vel ignauia ſiue naturali infęcunditate, hic eſt abortus apum.

Formationis fœtus tempus.

Ariſt. Nos autem dicimus quod apes ex apibus generantur, quoniam coeunt adinuicem. Et reges generãtur ex regibus. Aliæ apes ex adulteriuſmodi apibus, aut omnes ex regibus aut ex cicice & his quæ dicuntur fœminæ apum. Apes aſſimulãtur regibus in aculeo & vigore, cicenes autem regibus in magnitudine, & ſi aculeum haberent reges eſſent. Neceſſario vero debent eſſe reges ex aliquo. Cumq; non ſint ex apibus, neque ex cicene, neceſſario debent eſſe apes ex regibus. Ex apicularum coitu vermis ouis ſimilis erit, & non generabitur ab eis aliud animal ſi ſic remanebit. Itaque fœtus apum nec ſuo generi aſſimilantur, nec ab eo diuerſantur, quia vermes ab eis egrediuntur. In prima creatione apum & ſimiliũ eſt pars inferior C parua, ſuperior magna. Nec accidit monſtruoſitas api ac veſpæ, quia cuilibet earum pullus eſt in foramine per ſe. Quoniam ergo reges creati ſunt propter cõuenientiam generationis, ſemper remanent intra domos & nihil operantur, & habent magnum corpus propter generationem, alioquin niſi generatio apum eſſet ex eis, non dimitterentur intra domos & nihil operãtes. Cicenes autẽ ſunt mares apum ocioſi, quia nõ habent membrum conueniens pugnæ propter grauitatẽ corporis. Apes vero magnitudinis mediæ ſunt inter iſtos duos modos, & ſecundum hunc modum conuenientes ſunt creationi pullorum, ſicut autem accidit leænæ, quod parit v. filios, deinde pauciores, quouſq; perueniatur ad vnum, ſic accidit regibus apum, quod primo generant multos, poſtea paucos, quia diminuũtur ſuperfluitates, quæ ſunt in corpore, quod antẽ D generatio apum fit ex coitu, ſc. inter reges & apes ſignũ eſt quia in foraminibus domorum inueniuntur. *Iſid.* Apes, vt ſupra dictum eſt, vno modo dicũtur, eo quod ſine pedibus naſcuntur, nam poſtea quàm natæ ſunt & pedes & pennas accipiunt. Has vero pleriq; experti ſunt de boum cadaueribus naſci, nam pro eis creãdis vitulorũ occiſorum carnes verberantur, & ex putrefacto cruore vermes creantur, qui poſtmodum apes efficiũtur. *Iſid.* Apes ex corio taurino recondito in terra naſcũtur, ex corio autem aſini veſpæ, ex ſtercore muſcarum eruca, ex attriplicibus ranæ, ex aere infecto anhelitu culices.

Cicenes.

Apes fiunt ex coitu.

De pullis earum.

CAP. LXXXI.

ARiſto. Apes è foliis atque herbis ore ſuo prolem legunt, ſubitoque maximum examen filiorum emittunt, & cum aues cęteræ vix in anno fœtus ſingulos edant, apes geminos creant, & duplici cæteris fœcunditate præponderant. *Ariſtot.* In annis pluuialibus multiplicantur valde pulli apum, quia propter humiditates multiplicãtur ſuperfluitates in corporibus regum. In annis autem temperatæ complexionis diminutio fit in pullis. Fertur autem quod cum amittitur in aliquo loco pullus, rector ſubito quęrit ipſũ quous-

que

*alias,corti. que inueniat, quia cognoſcit eũ ex odore ipſius cicin, Et coz * nihil faciũt, ſed aliorum operationes corrumpunt, Ideoque bonæ apes eos vincunt, & eorum rectores interficiunt,quoniam illi pullos apum extrahunt. Apes quidem poſtquam ceram faciunt, pullificare incipiunt,cumque pullificant non eſt prohibitũ, quin adunentur in eadem cera pulli & mel ac cicines .i. mares apum. Rex apum non exit aluearia niſi cum apum ſtipatu magno,& ipſe eſt in medio. Exit autem in tribus diebus antequam pulli exeant. Deinde paucæ apes exeunt,& circa aluearia volant. Cũq; adunabuntur pulli,volabunt & ſeparabuntur inter ſe, ibiq; caterua vna cum quolibet rege. *Plin.vbi ſup.* In extremis autem fauis aliquando naſcũtur apes grandiores, quæ cæteras fugant. Ruptis autem membranis, quæ ſingulos cingunt pullos apum ouorum modo emergit agmẽ vniuerſum.Porro fætus intra dies 45.peragitur. Protinus autem educti quadam diſciplina cum matribus operantur, regemque iuuenem æqualis turba comitatur. Reges inchoantur plures,nec deſunt poſtea ſoboles ex his cum adulta eſſe cepit concordi ſuffragio tetcrrimos necant ne agmina diſtrahant.

Poſt ceram pullificant.

De ſexu & ætatibus earum.

CAP. LXXXII.

Fœmina rectoris. ARiſtot.Apum in genere ſicut & in cæteris annuloſis minus eſt mas & maius eſt fœmina.Fœmina vero rectoris dupla eſt ad apem meliorem,mares aculeis carent, & quandoque quaſi cum aculeo pungere volunt,ſed non poſſunt,apes autem mares interficiũtur,cum anguſtatur locus in quo ſunt. Multitudo nãque maſculorum in alueari non facit eas magis negocioſas. Corpora iuuenum in apibus ſunt mollia,& veterum dura.Genus apum quod eſt forte,facit mel durum,& dicitur quod ſunt iuuenes apum,quia non exercentur in arte, præterea iuuenes nequaquã pungũt fortiter,ſicut veteres.*Plinius vbi ſupra.* Quidam apes exiſtimant progenerari coitu vnius qui rex in quolibet appellatur examine, & hunc ſolum eſſe marem, præcipua ne fatiſcat,ideſt deficiat magnitudine.Ideoque ſine illo fætum non edi, apeſque reliquas tanquã marem fœminas, non tanquam ducem,comitari. *Exli.de nat.rer.* Dicitur quod ſi rector apum viuus fuerit mares erunt ex vna parte.Si vero mortuus fuerit, mares erunt intus cum fœminis. Deniq; mares cum ſint ſolitarij occupant domos plures & mares faciunt ſibi multotiens domos. Meliuſque ſtat apibus, quando pauci ſecum maſculi ſunt,quoniam apes magis negocioſas non faciunt. Corpora iuuenum apum mollia ſunt, &veterum dura. Iuuenes etiam apes nequaquã fortiter pungunt ſicut & veteres. Apes autem ſenes dulcius mellificant quàm iuniores, quoniam experientiam habent.

Iuuenum apum nota.

De regibus apum.

CAP. LXXXIII.

APVM rectores duorum ſunt modorum, melior eſt rubeus,alius autem eſt niger. Fœmina rectoris dupla eſt, ad fœminas apum. *Ambroſius.* Apes regem ſibi ordinant non ſorte ſed iudicio, & quamuis ſub rege poſitæ tamen liberæ ſunt, quia prærogatiuam tenent indicij,& fide deuotionis affectum & regem ipſum tanquam à ſe conſtitutum diligunt, hic autem rex naturę claris formatur inſignibus,vt & magnitudine corporis præſtet & ſpecie, Et quod in rege præcipuum eſt morum manſuetudine, Nam & ſi habet aculeum, eo tamen non vtitur ad vindictam. Sunt enim leges naturæ non litteris ſcriptæ, ſed moribus impreſſæ, vt leuiores ſint ad puniendum, qui maxima poteſtate potiuntur. Sed apes quæ legibus regis non obtempe rant, pœnitentiæ condemnatione ſeipſas mulctant, vt aculei ſui vulnere moriantur. Denique ipſum regem ſuum ſumma protectione defendunt, & pro eo perire pulchrum putant. Incolume rege iudicium mutare,nec mentem flectere neſciunt. Eo autem amiſſo, fidem ſeruandi muneris derelinquunt, ipſæque ſua mella diripiunt, eo quod is interemptus ſit qui principatum muneris habuit. Non Indi,non Sarmatarum populi, tantam quantam apes deuotionis reuerentiam obſeruant; vt nullæ è domibus exire audeant, nec aliquos adire paſtus, niſi rex fuerit egreſſus, & volatus ſibi vendicauerit principatum. *Ariſtoteles.* Apes ſicut & grues habent ſolicitos circa ſe reges,quibus ſunt obedientes.Rectores apum duorum ſunt modorum,melior rubeus eſt, alius vero niger, fœmina rectoris dupla eſt ad apem quæ melior eſt. Si rex de aluearibus ceciderit, apes ſubito ipſum erigunt, ac ſub ipſo ſuſtentamentum ponunt.Domus in quibus manent reges, non ſunt niſi in fine.Eorumque numerus eſt multus, apes ſunt ex regibus, & reges per ſe generantur. Quoniam autem reges, vt dictum eſt ſupra, creati ſunt propter generationis conuenientiam, ſemper remanent intra domos, & nihil operantur, habentque magnum corpus propter generationem. Hi quaſi patres percutiunt,& extrahunt apum mares. Bonum eſt enim vt filios ocioſos caſtigent patres.Sunt autem reges pauci & apes quæ generantur ab eis, quoniam in prima vice generãt multos,& in ſecunda paucas, eo quod ſuperfluitates quæ ſunt in corpore minuuntur. Reges apum non exeunt aluearia,niſi cum omnibus apibus. Quia ſi amittatur apicula, quęrit eam rector apum volatu circa ipſam. Pręcipue quoque moriuntur apes, ſi fuerint rectores multi, aliquando regem ſuum dimittunt,& ad regem qui pluribus pręeſt transfugiunt, Et ſi inſequitur eas rex primus,ipſum interficiunt.

Reuerentia regis.

Domus regum.

Adhuc de eodem.

CAP. LXXXIV.

Rex ſine aculeo. *Seneca in libr.de clementia.* Apes iracundiſſimæ ac pro corporis captu pugnaciſſimæ ſunt, & aculeos in vulnere relinquunt.Rex ipſe ſine aculeo eſt,natura ei telum detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens, pudeat ab exiguis animalibus mores non trahere, cum tanto moderatior animus hominum eſſe debeat, quanto vehementius nocet. *Plinius libr.* 11. Rectore à peſte conſumpto, męret plebs ignauo dolore, non cibos conuehunt, non procedunt, triſti tamen murmure circa corpus eius glomerantur,& ni ſubueniatur,fame moriuntur. Apum fœtus educti, quadam diſciplina protinus cum matribus operantur. regemque iuuenem æqualis turba comitatur, reges plures inchoantur,nec poſtmodum ex his ſoboles deſinit, cum adulta eſſe ceperit. Duo ſunt genera eorum, niger, variuſque melior, forma ſemper egregia, & duplo quàm cęteræ maior, huic breuiores pennæ, crura recta, nigrior in fronte macula quædam, candidans diademate, multum quoque differunt à vulgo nitore.Nec conſtat inter autores an rex ſolum nullum habeat aculeum,maieſtate tantum armatus, an dederit quidem eum natura, ſed tantum illi negauerit vſum eius. Hoc autem conſtat Imperatorem aculeo non vti, miraque circa eum obedientia plebis. Cum procedit, vna eſt totum examen, & circa eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore quo cum in labore eſt populus,ipſe intus operam circuit,exhortanti ſimilis. Solus immunis. Circa eum quidam ſatellites, lictoreſque aſſidui cuſtodes, foras procedit auctoritate, non niſi migraturo examine. Idque aliquot diebus intelligitur ante murmure intus ſtrepente, tẽpeſtiuum diem eligentium apparatus indici: ſiquis alam ei detruncet,examen non fugiet.Cum proceſſere ſe quæque proximam illi cupit eſſe, & in officio conſpici gaudet; feſſum humeris ſubleuant, validius fatigatum ex toto portant: ſi qua laſſata defecerit vel

Duo genera regum.

Imperator.

Satellites.

Manſuetudo regis apum.

Pietas plebis erga regem.

aber-

aberrauerit, odore persequitur. Et ibi cunctarum castra sunt, vbicunque ille consederit, semper duce prehenso totum agmen tenetur, quo amisso agmen ad alios magistros dilabitur. Esse vtiq; sine rege non possunt. Inuitæ autem eos cum fuerint plures, interimunt, potiusque nascentium domos dirimunt.

De speciebus apum.

CAP. LXXXV.

APes autem sunt rusticæ, sylvestresque, horrido aspectu, multo iracundiores, sed opere ac labore præstantes, sunt & vrbanæ quarũ duo genera, optimæ sunt breues variæq;, & in rotunditatem compactibiles. Deteriores vero lõgæ, & quibus similitudo vesparum. Deterrimæ autem ex his pilosæ. In Ponto quædã *Apes albæ.* apes albæ sunt, quæ bis in mense mella faciunt. Circa Thermodoontem fluuium duo sunt genera earum. Aliarum quæ mellificant in arboribus, aliarum sub terra triplici cerarum ordine, quæ sunt vberrimi prouentus. *Arist.* Apum plura sunt genera, apis bona est parua & rotunda, in sese densa, constricta. Est apis cubi similis longa, & est caco lati ventris magna cicen omnibus sunt maiores, ponderosæ, aculeos non ha- *Apes bonæ.* bentes. Apes illæ sunt bonæ, quæ faciunt mel subtile. Forte genus apũ facit mel durum. Apes parui-corporis meliores sunt, & artificiosius ædificant, laborisq: patientiores, & plus mellificant ex floribus montanis, faciuntq; mel subtile, habent autem alas subtiles & color earum niger est, & sunt quasi combustæ. Sunt autẽ apes quædam solitariæ, ociosæ, quæ volando per aera, quasi exercentes se cum apibus operosis intrãt aluearia, & comedunt mel, sed apes quidem operosę pugnant cum ociosis, & interficiunt eas, maximeq; reges apum hoc faciunt, & extrahunt eas de aluearijs. Melius est enim vt patres castigent filios ociosos. Apes autem ornatæ de numero sunt illarum, quæ nihil faciũt ex mellibus. Apes prouenientes ex his quę pascunt flores montanos, minores sunt ac fortiores, plusq; laboris patientes. Apes vero nascentes ex his quæ flores hortulanos fugunt, contrario modo se habent.

De vita earum & voce vel sono,

CAP. LXXXVI.

Aristot. in lib. de morte & vita. Apes longioris vitæ sunt cæteris animalibus maioribus. *Ex lib. de animalibus.* Apum strepitus in interiori corporis nõ *Strepitus apũ nõ fit ex spiritu exeunte.* est per spiritum exeuntem, quia non anhelant, harum enim sibilus fit per telam sub pariete loco abscisionis corporis ideſt diuisionis in duo, nec faciunt strepitum nisi volando scilicet alas per aerem inter ipsas & corpus cadentem extendendo, & contrahendo. Non autem vociferant de nocte. *Ambro.* Habent etiam apes in rauco vocis suæ murmure suauitatem, cum pulmonẽ respirandiq; vsum nequaquam habere prodantur, sed aereo vesci spiramine. Deniq; si quis eas oleo casu perfundat prope necantur, eo quod obstructis poris aereum illud spiramen haurire non possunt. Con- *Superfuse aceto reuiuiscunt.* tinueq; si quis acetum his superfundat, illico reuiui scunt eo quod cito vis aceti poros illos qui continuiore alias magis continuo olei humore obstruuntur aperire dicitur. *Plin. vbi sup.* Insectis non vocem sed sonum putãt esse intus meante spiritu & incluso sonante. Aliqua vero murmur edere, vt apes. Receptum est enim muscas & apes duabus sub pectore eannis spiritum mobili occurſante membrana intus attritu eius sonare, itaque post laborem diurnum cum aduesperascit, vt dictum est, strepunt minus ac minus in alueo donec vna circumuolet quasi capere quietem imperans, codẽ quo excitauit bombo. Gaudent vero plausu ærisq; tinnitu, eoq; concouocantur, quo manifestum est his quoq, inesse sensum auditus. Effecto quidem opere, deducto fætu, functęq; omni munere, exercitationem tamen solennem habent, spaciatæq; in *Auditus inest apibus.*

aperto & in altum datę gyris volatu editis, tunc demum ad cibum redeunt. Vita his est longissima, vt prospere inimica & fortuita cedant, septenis annis vniuersa. Alueos nunquam duraſſe proditur vltra x. annos, sunt qui apes mortuas reuiuiscere putant, si intra tectum hyeme seruentur, Deinde sole verno torreantur, In totum vero amissa reparari putant ventribus *Vt apes reuiuiscant post mortem.* bubulis recentibus cum fimo obrutis. Virgilius autem, corpore iumentorum exanimato, natura mutante in alia quædam ex alijs

De cibo earum & potu ac somno.

CAP. LXXXVII.

Aristot. Apum vita & nutrimentum super terram est earumq; gustabile proprium est mel, diligunt dulcia, nec sedent super fœtida. vel mali saporis vel odoris. Odor fœtidus eas grauat, & odor dulcis delectat. Ideoque id quod olet, pungunt, stercusque *Rem fœtidã oderunt.* suum volando, quia multum fœtet, eiiciunt. Itaque solæ super rem fætidam non cadunt. Aquas etiam claras & currentes diligunt. Non autem omnino venantur, sed operantur, ac cibum depónunt; habent & alium cibum qui cocizon dicitur, & est ita dulce sicut ficus. Ipsum super crura adducunt, sicut & ceram ferunt. Cum autem extrahitur mel de alueari, dimittẽdum est quod in hyeme ad cibũ sufficiat apibus, alioquin aluear damnabitur. Apum enim cibis in hyeme ac vere est ex melle. Parant etiam sibi cibum alium, *Cibus apum in hyeme.* quandoque inducto marmore, quod assimilatur cerę. Præterea custodes aluearium propter paucitatẽ mellis remanentis, quandoq; cibant apes ex ficubus, alijsque dulcibus. Debẽt autem mel dimittere secundum multitudinem apum, quia si dimiserint multum, postea non multum operabuntur. Et si fuerit modicum, segnescent ad operandum. Bibunt autem ex proximo *Potus.* fluuioſi eum habuerint & non ex alio, alioquin potabunt in alio loco, nec bibũt quousq; pondus eiecerint, quod super se afferunt. *Plin. lib.* 11. Apes de cithisi flore nunquam pabula contingere prodit Aristomachus. *Idem in lib.* 14. Apianis vitibus apes cognomen dedere, præcipuè illarum auidæ. *Idem in lib.* 21. Apum causa oportet serere thymum, rosam, violas, lilium, fabam, papauer, & huiusmodi. Horum enim florum auidissimæ sunt, & etiam sinapis, quod miremur, quia *Amant sinapin.* floreũ oliuę non attingunt. Porro si cibus apibus deest, vuaspassas siccas vel ficus tusas ad fines earum ponere vtile est, vel lanas tinctas passo, vel aqua mulsa madentes, gallinarum etiam nudas carnes, ijdem cibi, *Defectus cibi supplẽdus quomodo?* æstate sicca flores tollente sunt præstandi. *Arist.* Animalia quidem annulosa dormire manifestum est, per hoc quod apes quiescunt, & non vociferant de nocte. Nam si quis applicauerit eis candelam de nocte videbit eas quiescere. Quædam ergo in principio diei ad operationem exeunt, quædam vero donec expergefiant aliæ, quiescunt, deinde volant, & ad operandum simul exeunt, ac reuertẽtes vociferantur. Deinde paulatim strepitus earum quiescit, donec vna illarum remanet volans & circumiens quasi iam tempus esse dormiendi significet, deinde quiescunt simul omnes. *Hyeme alliturſomno.* *Plin. lib.* 21. Apes abruma arcturi exortu aluntur somno diebus 60. sine vllo cibo. Et ab arcturo ad æquinoctium vernum tepidiore tractu iam vigilant, sed etiam tunc alueo se continent, seruatosque ad id tempus repetunt cibos.

De Mansionibus earum.

CAP. LXXXVIII.

Arist. Apes assignatas sedes incolunt, domicilia inenatrabili arte cõponunt: apis est ex animalibus habentibus habitacula, sicut formica & mus & talpa, apes manent in cauernis in diebus magni frigoris, nec de præparato cibo comedunt aliquid. Signum *Habitacula apum.*

huius,

huius, quia cum à foramine ſuo exiet aliqua illarum, videtur quaſi paruum,& nihil eſt in eius interioti. Manetq; poſt occaſum pleiadū, vſque ad tempus vernū Deferuntur autem domus marium,ſi mel fuerit modicum. Quodque inuenitur in domibus apum eſt aut pulli, aut mel, aut cicenes. Itaque prius incipiunt ex cera facere domos apum, deinde cum altemon multum fuerit, domos regum,deinde domos cicenō quā do mel fuerit multum, & incipiunt ædificare ſub parietibus aluearis ſupra, nec ceſſant deſcendere paulatim donec perueniant ad aluearis ima, & vna domus habet duas portas, quarum vna eſt exterius, alia interius, habentque locum introitus & exitus. Domus autem ceræ, quę ſunt cera coopertæ, cera plenæ ſunt maiori parte. Domus autem in quibus manent reges, non ſunt niſi in fine. *Plinius vbi ſupra.* Apes domos primum plebeis exædificant, deinde regibus. Sic autem prouentus largior ſperatur, contubernia & fucis adiiciūtur hæ cellarum minimæ, ſed ipſi maiores apibus.Regias domus Imperatoribus futuris in vna parte aluei extruunt, amplas, magnificas, ſeparatas, tuberculo eminentes.Quod ſi exprimātur,ſoboles non gignuntur. Sexangulæ omnes cellę, à ſingulorum pedum opere. Solſtitio cum thymus florere incipit & vua præcipua eſt cellarum materia.

Supellex domuum apū.

De apibus inueſtigandis.

CAP. LXXXIX.

Palladius libr. 5. Apes menſe Aprili locis aptis quęrendæ ſunt.Sed loca melliflua indicant apes,ſi circa fontes frequentiſſimæ paſcantur. Nam ſi rariores videbuntur in his locis, mellificari vtiliter non poteſt. Quod ſi frequentes aquantur, vbi ſunt examina earū hoc genere poſſumus inuenire. Ac primo quàm longè ſunt exploremus ac proximè.Rubricam liquidam breui vaſculo infuſam geramus, & obſeruemus fontes aut aquas vicinas. Tunc dorſa apum bibentium tangat illo liquore, tincta reſticula atque ibidē moremur. Si cito reuerſæ fuerint quas tinxerimus, hoſpitia earum proxima eſſe notemus, ſi tardè ſpatio longiore ſubmota pro mora temporis æſtimamus, ad proxima facile venis, ad longinqua hoc genere perduceris. Cannæ vnum internodium cum ſuis reſcides articulis, & in latere aperies, ibi mel exiguum, vel defrutum mittes, & iuxta fontem pones. Cum ad eum conuenerint apes atque ingreſſæ fuerint prius odorem, foramen pollice claudes oppoſito,& vnam tantum patieris exire,cuius fugam perſequere ea tibi partem demonſtrabit hoſpitij. Cum ipſam ceperis non videre,alteram continuo dimittes,& ſequeris.Ita ſubinde ſingulæ dimiſſæ te faciunt vſque ad locum examinis peruenire.

Modus perueniendi ad hoſpitia apum.

Aliqui mellis breuiſſimum circa aquas vaſculum ponunt,de quo cum apis aquanda guſtauerit,ad commune pabulum pergens alias exhibebit.Quarum frequentiam ſubinde creſcentem, notata reuolantium parte, vſque ad examina proſequaris.Quod ſi examē in ſpelunca reconditum,fumo eiicietur, & cum exierit æris ſonitu territum, in frutice, vel in aliqua ſyluæ ſe parte ſuſpendet, & ita admoto vaſculo recipietur. Si vero in cauæ arboris ramo fuerit, acutiſſima ſerra idem ramus ſupra infraque deſciſus, & nuda veſte coopertus, poterit afferri & inter aluearia collocari. Veſtigantur autem mane, vt tota die ſufficiat ad ſequendum. Nam veſpere peracto opere ad aquas plerumque non redeunt. Vaſa autem quibus recipiuntur perfricanda ſunt citreagine, vel herbis ſuauibus, & conſpergenda imbre mellis exigui. Quod ſi verno fiat & circa fontes, aluearia ſic tincta ponantur locis quibus apum frequentia eſt, multitudinem ſibi ſponte conducent, & ſi tamen ſeruari à furibus poſſunt.

Alius modus ad cundē effectū deſcr. uiens.

Vaſa pro apibus quomodo præparanda.

De apibus collocandis.

CAP. XC.

Ex libr. de natur. rer. Apes vt dictum eſt, meliores ſunt paruæ rotundæ in ſeſe denſæ atque conſtrictæ,facientes mel ſubtile.*Pallad lib.* 1. Apes ſi emendę ſunt, prouideamus vt plena comparentur aluearia. Quam tem, vel inſpectio, vel murmuris magnitudo, vel frequentia monſtrat commeantis examinis. Ex vicina potius quam longinqua regione,ne aeris nouitate tententur. Si vero longius aduehendæ ſunt, collo nocte portentur, nec collocare, nec aperire aluearia, niſi veſpere inſtāte debemus: ſpeculemur deinde poſt triduum ne omne ianuas ſuas egrediatur examen,hoc enim ſigno fugam meditātur aſſumere. Cæteræ enim ſuo vnaquæq; reddemus. Tamen creduntur non fugere ſi ſtercus primogeniti vituli alliniamus oribus vaſculorū.Apibus ſtationem non longè à domini edibus vel in horti parte ſecreta & aprica & à ventis remota & calidiore locare debemus,quæ in quadratam conſtituta menſuram fures & acceſſus hominum pecudumq; ſubmoueat,ſit abundans floribus, quos vel in herbis vel in fruticibus vel in arboribus procuret induſtria Herbas nutriat, origanum, thymum, violas agreſtes,affodilum, amaracū, hyacinthum qui iris vel gladiolus dicitur ſimilitudine foliorū,narciſſum, crocum, cæteraſque herbas ſuauiſſimi odoris & floris. In fructibus vero ſint roſæ,lilia, violę flauæ, roſmarinus, hederę In arboribus ziziſa,amygdalus,perſicus,pirus, pomiferęq; arbores, quibus nulla amaritudo reſpondet floridæ ſucco. Sylueſtria vero, glandifera, robora, terebinthus, lentiſcus,cedrus, tilia,ilex minor,& thymus,ſed taxi remoueantur inimici,ſint autem arbores à ſeptentrionali parte diſpoſitæ: frutices atq; virgulta ordine ſuo ſub materijs exæquantur, herbas deinde plano,poſt frutices conſeremus.Fons vel riuus huc cōueniat ocioſus, qui humiles tranſeundo formet lacunas, qua operiant rara & tranſuerſa virgulta ſedes tutas apibus præbituræcum ſitient. *Ariſtot.* Apibus in hyeme conuenit, locus calidus,in æſtate frigidus. Aluearium quoq; foramina clauduntur propter fortem ventum ne ingrediatur. Oportet etiam prope aluear plantare myrtum & pirum montanum, & piſa & fabas & papauer & amygdalas. *Plin. lib.* 21. Oliuæ florem non attingunt apes, & ideo ab eis procul eſſe debet. Aliqua vero ſeri conuenit proximè, quæ examina euolantium inuitent, nec longius patiantur abire. Arborem quoque cornum oportet cauere, quia moriuntur,deguſtato eius flore. Remedium his eſt ſorba contuſa è melle, & hominis aut bouis vrina vel malipunici grana vino amineo conſperſa. At vero geneſtas aluearijs conſeri grauiſſimum eſt.

Aluearia plena emenda.

Vt apes mutata non fugiant.

Herbæ & frutices pro apibus plantanda.

Riuus vel fons.

Cornum deteſtantur.

De Examinibus excipiendis & cuſtodiendis.

CAP. XCI.

Palla. lib. 2. Apum Iunio menſe vltimo noua egrediuntur examina.Ideo cuſtos eſſe debet attentus, quia nouellæ apes vagantibus animis facile niſi ſeruentur effugient. Exeuntia quidem in aditu ſuo morātur vno aut duobus diebus,quę ſtatim nouis aluearijs excipienda ſunt.Obſeruabit autem cuſtos aſſiduus vſq; ad octauam vel nonam horam, quia poſt hæc tēpora non facile fugere aut emigrare conſueuerunt, quamuis aliæ ſtatim & procedere & abire nō dubitēt: ſigna fugę hęc ſunt, ante biduum vel triduum acrius tumultuantur & murmurant. Quod vbi aure appoſita frequenter exploratoragnouerit,ſolicitior aduersū hæc eſſe debebit: ſolent hoc ſignum & cum pugnaturæ ſunt facere, quarum pugnas compeſcit puluis, aut muſæ aquæ imber aſpertus. Ineſt illis ad originis ſui reparandam concordiam dulcis auctoritas, ſed cum ſe agmina ſic pacata in ramo vel quocumque

Signa fugæ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

loco ſuſpenderint,ſi vnius vberis eductione pendebunt, noris,aut vnum regem eſſe vniuerſis, aut reconciliatis omnibus manere concordiam;*ſi vero duo, vel plura vbera ſuſpendens ſe populus imitatur,& diſcordes ſunt,& tot reges eſſe, quot velut vbera videris, confitentur,* vbi globos apum frequentiores videris, vncta manu ſucco mel ſophylli vel apij,reges requiras: ſunt autem paulo maiores,oblõgæ magis quam cæteræ apes,rectioribus cruribus neque grandibus pennis,pulchri coloris & nitidi, leues ſine pilo,niſi forte pleniores quaſi capillum gerunt in ventre,quo tamen non vtuntur ad vulnus. Sunt alij fuſci atque hyrſuti,*quos oportet extingui & pulcriorem relinqui.* Qui ſi frequenter vagatur cum examinibus, ereptis alis reſeruetur, hoc enim manente nulla diſcedit, ſed ſi nulla naſcantur examina duorum vel trium multitudinem vaſculorum in vnum cõferre poſſumus. Dulci tamen liquore cõſperſas apes atque incluſas per triduum tenebimus, appoſito cibo mellis, & exigua tantum ſpiracula relinquamus in cella. *Ariſt.* Apes ſtrepitu delectantur,& ab eo congregantur. Nec hoc faciunt niſi propter delectationem,aut propter timorem. Cum autem intra aluearia pendent ex ſe ſe, ſignat quod ab alueari volunt diſcedere,quod vbi ſentiunt cuſtodes irrorent intra aluear dulce. *Plinius li.* 11. Apes non effugiunt ſi aluei meliſſophyllo perungantur, nulloque in flore magis gaudent, & ſcopis eius examina facillimè continentur. Idem quoque præſtantiſſimum contra ictus earum.

Signum diſcordiæ.

Modus pacificandi eas.

Meliſſophilli vſus.

De eiſdem ſupplendis vel reparandis.

CAPVT XCII.

Palladius vbi ſupra. Apum denique ſi velis aluearium cui per aliquam peſtem multitudo ſubducta eſt, populi adiectionem reparare, conſiderabis in alijs, abundantibus ceras fauorum,& extremitates,quæ pullos habent,& vbi ſignum naſcituri regis inueneris cum ſobole ſua reſcides,& in id aluearium pones. *Eſt autem hoc futuri regis ſignum.* Inter cætera foramina, quæ pullos continent vnum magis ac longius velut vber apparet. Sed tunc transferendi ſunt, quando eroſis cooperculis ad naſcendum maturi capita nituntur exeri. Nam ſi immaturos tranſtuleris, interibunt, ſi autem ſe ſubitum leuabit examen,ſtrepitu æris terreatur,aut teſtulæ, tunc ad aluearium rediet,aut in proxima fronde pendebit, & inde in nouum vas herbis conſuetis & melle conſperſa manu contrahatur aut trulla, & cum eo loco requieuerit veſpere inter alia collocetur.

Regis futuri ſignum.

De Proceſſu apum ad operandum.

CAPVT XCIII.

Ariſtoteles. Apes congregantur, vt greges, Et quædam in principio diei ad operationem exeũt, Quædam donec expergefiunt, aliæ quieſcunt, Deinde volantes ſimul ad operandũ exeunt,ocioſas vero extrahunt,pluſque laborant, quando fames accidit eis & in principio veris,reges earũ creati sũt propter generationis conuenientiã,ſemper intra domos remanẽt, & nihil operantur, ſed & Cicenes qui ſunt mares apum, ocioſi ſunt ex cauſa ſuperius dicta. *Ambroſius.* Nullæ autem apes è domibus audent exire, nec in aliquos procedere paſtus, niſi rex primus egreſſus ſibi vendicauerit principatum volatus,proceſſus autem earum eſt per rura redolentia, vbi horti ſunt inhalantes floribus, fluenſque riuus per gramina, herbiſque dulcibus prima ponunt caſtrorum fundamenta. *Plinius libro* 11. *Apum ignauia fumo crebriore excitatur ad opera.* Nam vbi incubauere fauos faciunt liuidos, rurſuſque fumo inficiuntur nimio. Operis autem ratio interdiu ad portas:nocte caſtrorum ſtatio,quies vſque in matutinum,donec vna excitet omnes gemino,vel triplici bombo vt buccino aliquo,tunc ſi dies mitis futurus eſt,omnes prouolant, ventos enim & impres prædiuinant, ſeque tunc tectis continent. Apes ante fabas florentes non exeunt ad opera & labores, nulluſque cum per cælum licuerit ocio perit dies. Binis limitibus circa ſingulos actus incedunt,vt alijs intrent,alijs exeant. Cumque adueſperaſcit, ſtrepunt minus ac minus in alueo, donec vna circumuolet quaſi quietem capere imperans, eodem quo incitauit bombo,& hoc caſtrorum more,tuncque conticeſcunt omnes repẽte. Cęterum effecto penitus opere,educto fœtu functę omnium munere, exercitationem ſolemnem habent, ſpatiatæque in aperto, & in altum datæ gyris volatu editis, tunc demum ad cibum redeunt.

Contra ignauiam apũ.

De Diuerſis officijs earum.

CAPVT XCIIII.

Ariſtoteles. Apes ordinãtur ad opera diuerſa. Nam flores adducunt quædam,alię mollificant ceram, & aliæ adducunt aquam. Earumque operationes tempus determinatum non habent, ſed cum habuerint res conuenientes ſubitò pręparant, & in ſereno tempore operantur aſſiduè. *Ambroſius.* Cernas omnes certare de munere. *Alias victui quærendo inuigilare, alias ſolicitam caſtris cuſtodiam adhibere,alias quoque futuros imbres explorare,* & nubium concurſus ſpeculari arce, *alias decurſas ceras fingere,alias rorem infuſum floribus ore colligere,* nullam tamen alienis inſidiari laboribus, & raptu vitam quærere,atque vtinam raptorum inſidias non timerent, habent tamen ſpicula ſua,& inter mella fundunt venenum,ſi fuerint laceſſitæ animaſque ponunt in vulnere. *Plinius vbi ſupra.* Cumque ergo agmen ad opera proceſſerit,aliæ flores pedibus aggerunt,*aliæ aquam ora,guſtaſque* lanugine totius corporis. *Adoleſcentiores ad opera* egrediuntur,vt ſupra dictum conuehant,*ſeniores autem intus* operantur. Quæ flores comportant,prioribus pedibus onerantur, & propter ipſum natura ſunt ſcabra, pedes priores roſtro, totæque onuſtæ remeant ſarcina aggrauatæ. Excipiunt illas ternæ quaternæque exonerant,ſunt enim & intus officia diuiſa. *Nam aliæ ſtruunt, aliæ poliunt,aliæ ſuggerunt, aliæ cibum* ex eo quod allatum eſt parant,non enim veſcuntur ſeparatim, ne inæqualitas operis & cibi fiat & temporis.

Opera apũ.

Officia diuerſa.

De Pugnacitate ipſarum.

CAPVT XCV.

Ambroſius. Apes, vt dictum eſt, habent ſpicula ſua quibus venenum fundunt inter mella, ſi fuerint laceſſitæ,animaſque ponunt in vulnere ardore vindictæ. *Iſidorus.* Apes exercitum ac reges habent,& prælia mouent. *Ariſtoteles.* Apes non fugiunt aliquod animal, ſed quædam illarum fugiunt alias, quia pugnant adinuicẽ,& ſi quid appropinquauerit, interficiũt ipſum ſi potuerint. Moriuntur autẽ quando pungunt quia non poteſt exire aculeus niſi exierit inteſtinum. Et multotiens nocet eis quod ab apibus pungitur,niſi locum exprimat,& ab eo aculeum extrahat. Nam & ex apis punctura interficiuntur animalia magna, ſicut de quodam equo viſũ fuit aliquando. *Porro rectores apum nunquam pungunt,ſed illæ quandoque illo dimiſſo ſi eas inſequatur ipſũ interficiunt,& ab aluearibus extrahunt,* ſiquidem & ciken & corch inter apes nihil faciunt, ſed operationes aliarũ corrũpunt. Ita bonæ apes illos vincunt, multoſque rectores eorum interficiũt,quia pullos ipſarum extrahũt, & tunc omnes illi diſcedunt. Pugnant etiã apes cũ volentibus ab eis extrahere mel. Item apes breuiores pugna forti cum longis pugnant,& ab aluearibus ipſas eijciendo laborant. Denique ſi quod non eſt ex aluearibus ad eas intrauerit,interficietur ab eis.

Apũ pugna.

Interficiunt quandoque rectorem.

Quædam itaque ſigillatim ſedentes aſpiciunt ne quid extraneum intret, quod ſi per negligentiam earum intrauerit, vix euadet. Plinius vbi ſupra. Apes quoque ſi cibus defecerit in alueo,impetum quandoque faciũt in proximas rapinæ propoſito. At illæ dirigunt aciem econtrario.

Extraneos non admittunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Si cuſtos adſit alterutra pars quem ſuis fauere ſenſerit, A non eum appetit. Ex alijs etiam ſæpe cauſis dimicant. Eaſque acies contrarias Imperatores duo inſtruunt. Maxima eſt rixa in conuehendis floribus, & ſuos quibuſque euocantibus. *Quæ ſcilicet dimicatio iniectu puluеris aut fumo tota diſcutitur, lacte vero vel aqua reconciliatur. Idem in libro* 20. Aſparago trito ex oleo perunctum ab apibus pungi negant. Contra illarum aculeos rutæ ſuccus è vino bibitur, & folia trita imponuntur vel manducantur. Succo etiam eius peruncti ab eis feriri negantur. *Idem in libro* 21. Apibus cuſpides natura dedit venenatas, aduerſus quas ſucco maluæ vel foliorum hederæ perungi eſt ſalutare, vel percuſſos eas bibere. *Idem in libro* 23. Contra apes vinum remedio eſt. Sed & decoctum ex folijs lauri ſumptum reſiſtit venenis. *Idem in lib.* 24. Gutta quoque propolis ex aqua remedium, quam B efficax eſt, populi namque guttam in folijs ferũt, ex qua propolim apes faciũt. *Idem in lib.* 29. A ſcorpione percuſſi, nunquam ab apibus poſtea feriuntur. *Auicenna in ſecundo canone.* Decoctio alteæ cum aceto commixto, vel cum vino confert apis punctura liniendo. *Item oleum lauri* confert ei. *Idem in quarto canone.* Apis habet diſpoſitiones proximas veſpę, niſi quia dimittit aculeum in punctura, & cura eius eſt cura veſparum proxima.

Modus diſcutiendi apum dimicationem.

Aduerſus apum punctura.

De Operationibus apum.

CAPVT XCVI.

Iſidorus. Apes in officio mellis generandi ſolertes ſunt, & inenarrabili arte domicilia componunt. *Ariſtoteles.* Apes non venantur, ſed operantur, adducunt in aluearibus ſuis quo indigent ad præparationem ex modis florum ſcilicet glandis & ſalicis & aliorum, in quibus eſt glutinoſitas aliqua, & illiniunt ex eo ſuperficiem aluearis propter animalia nocentia. *Et ſtrictiſtcant introitus* aluearijs, ſi fuerint ampli. *Deinde congregant mel, & incipiunt ex cera facere domos apum. Deinde domos regum, deinde aliorum,* & incipiunt ædificare ſub parietibus aluearijs ſupra, nec ceſſant deſcendere paulatim donec perueniant ad eius ima, vnaquæque domus habet duas portas vnam interius, aliam exterius. Cumque volat apis non intendit ad flores diuerſos, ex vno id quod indiget colligit, & ad aluear redit. *Plinius libro* 11. Apes primum fauos conſtruunt & ceram fingunt, hoc eſt ex cera cellas faciunt. Deinde ſobolem, poſtea mella. Ceram floribus melligenem à lachrymis arborum, quæ glutinum pariunt, vt ſalicis, vlmi, atundinis ſucco, gummi reſina, & huiuſmodi; his primum aluear intus totum vt tectorio quodam illiniunt, & alijs amarioribus ſuccis contra beſtiarum auiditates id ſe facturas, conſciæ quod ab eis concupiſci poſſit. Deinde his quoque fores latiores circumſtruunt.

Æ dificandi modus inter apes.

De Fauo.

CAPVT XCVII.

Iſidorus. Apes itaque fanum ex varijs floribus condunt, textiſque ceris innumera prole caſtra replent. *Ambroſius.* Apes fauos ordinant in caſtrorum modum, in quibus minutæ ac rotundæ cellulæ ſui connexione inuicem fulciuntur. Opus ſuaue de floribus herbiſque dulcibus confectum. Quis architectus docuit eas hexagonia cellarum indiſcreta, laterum æqualitate componere, ac tenues inter domorum ſepta ceras ſuſpendere, mella ſtipare, & intexta floribus horrea nectare quodam diſtendere. *Plinius vbi ſupra.* Faui ſuperiori parte affixi paulatim etiam lateribus ſimul hęrent & vnà pẽdent. Alueum non contingunt, nunc obliqui, nunc rotundi, qualiter alueus popoſcerit, aliquando & duorum generum, cum examina duo concordibus populis diſſimiles ritus habuerint. Ruentes ceras pilarum inſtar interius à ſolo fornicatis fulciunt, vt ſit aditus ad ſarciendum. *Primi ferè tres verſus inanes ſtruuntur, ne promptum ſit quod furantem inuitet, Nouiſſimi vero maxime melle im-*

Structura verſuum.

plentur, ideoque auerſo alueo faui eximuntur. Sexangulæ omnes cellæ à ſingulorum hæ pedum opere. *Ex libro de naturis rerum.* Fauus autem iuxta Iſidorum dicitur, eo quod comeditur magis, quàm bibitur. Fagem enim Grecè comedere dicitur. Fauus autem dulcis & ſapidus quia mel intra ceram continet.

Faui etymõ.

De Cera.

CAPVT XCVIII.

Ariſtoteles. Apes à floribus accipiunt ceram, & cum pedibus anterioribus congregant eam, dehinc ad pedes medios illam mittunt, deinde ad coxas pedum poſteriorum, poſtea volant cum ipſa & tunc maſtatur ponderoſitas in ea. *Ex libro de nat. rer.* Cera itaque in fauo latet, quæ pura eſt, & odorifera, pabulum luminis, & materies litterarum, mollis eſt, & tenax, & fragilis. Indurata vero ad ignem molleſcit, & quamlibet formam impreſſam recipit. *Iſidorus libro* 6. Ceræ litterarum materies paruulorum nutrices, ipſę dant ingenium pueris, primordia ſenſus, quarum ſtudium primi Græci tradidiſſe probantur. *Plinius vbi ſupra. Apes ceras ex omnium arborum ſatorumque floribus confingunt, excepta rumice ac chenopode,* falſo excipitur ſpartum, quippe cum in Hiſpania multa in ſpartarijs mella herbam eam ſapiũt, oleas falſo arbitror excipi, quippe oliuæ prouẽtu certũ eſt plurima examina gigni. Nullis vero fructibus nocent. *Idem in libro* 21. Cera fit expreſſis fauis, ſed ante C aqua purificatis ac triduo in tenebris ſiccatis, Quarto die liquatis igne in nouo fictili aqua fauos tegente, Tunc ſporta colatis rurſus in eadem olla coquitur cera cum eadem aqua. Excipiturque alia frigida vaſis melle circumlitis.

Cera.

Ex quibus cera conficitur.

Optima eſt cera, quæ vocatur punica, proxima quæ maximè fulua odoriſque mellei pura, natione autẽ, pontica, quã conſtare equidem miror inter venenata mella, deinde vero Cretica eſt. Plurimum enim ex propoli habet, poſt has Corſica, quoniam ex buxo fit, habereque aliquantulam vim medicaminis putatur. *Punica fit hoc modo.* ventilatur ſub diuo ſæpius cera fulua, Deinde ferietur in aqua marina ex alto petita addito nitro. Inde lingulis eligunt florem, ideſt candidiſſima quæque, transfunduntque in vas, quod exiguum marinæ habeat frigidæ, & rurſus marina decoquunt ſeparatim, deinde vas ipſum refrigerant. Et cum hæc ter fecere, vinacea crate D ſub diuo ſiccant ſole Lunaque, hoc enim candorem facit, ſi ſic ſiccatur. Et ne liquefaciant protegunt tenui lintheo. Candiſſima vero fit poſt inſolationem etiam non recocta. Punica medicinis vtiliſſima. Cera nigreſcit addito cartarum cinere, ſicut anchuſa admixta rubet, varioſque in colores pigmentis trahitur ad reddendas ſimilitudines & innumeros mortalium vſus, parietumque etiam & armorum tutelam.

Optima cera.

Confectio cera punica.

De Operatione ceræ in medicina.

CAPVT XCIX.

Idem in libro 21. Apum omnis cera mollit, & calefacit, explet corpora. Recens melior eſt in ſorbitione, datur dyſſentericis, fauique ipſi. *Dioſcorides. Cera vtilis* E *eſt rufa, & pinguis, & odorata, mellis odorem habens, & munda,* vt eſt Pontica & Cretica. *Alba cera & pinguis ſecundam habet virtutem, virtus* eſt omnis ceræ thermantica & plerotica, miſcetur ſuccis & pultibus propter dyſſentericos confectis, adiuncto ad eam aliquo mellis quo decoctio fiat comeſtibilis. In modum piſi accepta coagulatum lac mammis ſoluit. *Vires habet omnis cera relaxandi duritiaſque mollit.* Eſt enim media inter calidum & frigidum, ſiccum & humidum, vnde materia eſt aliorum medicamentorum, quoniam ex ea conſtringuntur epithemata & alia. Cera propolis vtilis eſt rufa, & odorata, ſicut ſtorax, & mollis non valde, quam manibus, ſi volueris, duces, vt ſtoracem, virtus eſt ei calida & epiſpatica, id eſt adiutoria

Cera vtilis rufa. Alba.

Vis medica cera.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& recorporatiua & mollitiua. Infixas corpori ſtirpes A eijcit, fumigatio eius ori aperto veteribus tuſſibus medetur, zernas emendat. Hæc in vaſe apum inuenitur, vbi apes corpora fricant. Vires habet ceræ ſimiles, ſed efficaciores. Calefacit enim nimis. Et proiectoriam & extenuatoriam habet ſubſtantiam. *Auicen.* Cera addit in coitu & prouocat.

De Melle.

CAPVT C.

Mel. *Iſidorus li. vigeſimo.* Ab apibus mel Græcè nomẽ habere probatur, nã apis Græcè melliſſa dicitur. Prius autem mella de rore erant, & inueniebantur in arundinum folijs. Vnde *Virgilius. Hactenus aerei mellis cœleſtia dona:* Si quidem huc vſque in India & Arabia colligatum reperitur ramis inhærens in ſimilitudinem ſalis. *Omne autem mel dulce, ſæpe tamen amarum eſt abſinthij cauſa, cuius copia regionis eius apes nutriuntur. Plinius libro vndecimo.* Eſt autem initio mel vt aqua dilutum, & primis diebus feruet, vt muſta, ſeque purgat, viceſimo die craſſeſcit, mox obducitur membrana tenui, quæ feruoris ipſius ſpuma concreſcit, hoc apes rapiunt diebus ſerenis, venitque hoc ex aere & maximè ſyderum exortu, præcipuèque ipſo Syrio explendente fit, nec omnino prius vergiliarum exortu temporibus ſublucanis. Itaque cum aurora prima inueniuntur arborum folia melle roſcida. At ſiqui matutino Auguſto ſub diuo fuere vnctas liquore veſtes, capillumque concretum ſentiunt. Siue ille eſt cœli ſudor ſiue quædam ſyderum ſaliua, ſiue purgantis ſe aeris ſuccus, ſiue aquæ eſt, & purus ac liquidus ſuæque naturę. Nunc autem ex altitudine tanta cadens, multumque dum venit ſordeſcens, & obuio terræ halitu infectus. Præterea à fronde pabuliſque potus & in vterculos apum congeſtus, ore enim eum vomunt. Ad hæc etiam ſucco florum corruptus, & alueis maceratus, totienſque mutatus, magnam tamen affert cœleſtis naturæ voluptatem. Fumo enim inficiuntur apes nimio, quam iniuriam celerrime ſentiunt mella vel minimo contactu roris areſcentia.

Virgilius. *Mel amarum.*

Idem in li. 12. Fluit autem mel horis matutinis. *Idem in libro vigeſimoprimo.* Mellis prouentum ſperant apiarij largè floreſcente thymo, qui circa ſolſtitia floret eum decerpunt & apes. Attici mellis in orbe toto ſumma laus eſt, vnde & thymum tranſlatum eſt. *Aliud in Creta miraculum mellis. Mons eſt carina nomine millia paſſuum ambitu, intrà quod ſpacium muſcæ non reperiuntur, ibique natum mel nuſquam attingunt,* & hoc experimento ſingulare medicamentis expetitur. *Ambroſius.* Apes medijs caſtrorum vallibus humorem infundunt roris, qui paulatim in mella cogitur proceſſu temporis, & coalitu ceræ florumque odore ſuauitatem mellis incipit fragrare. Qui ſcilicet apum fructus non perſonarum diſcernitur diuerſitate, ſed regibus pariter ac mediocribus æquali dulceſcit ſuauitate. Nec ſolum eſt voluptati, ſed etiam ſaluti, fauces obdulcat, vulnera curat, internis quoque viſceribus medicamentum infundit. *Ariſtoteles.* Mel proprie apum eſt guſtabile, & eſt cibus earum in hyeme ac vere. Cumque mel cuſtodes ab alueis extrahunt, illæ mel ipſum propter pietatem quam ſuper illud habent vltra ſolitum comedunt, cumque flores apparent, tunc faciunt mel, & ideo tunc mel confectum cuſtos extrahere debet, quia loco illius ſubito facient aliud mel. Herbæ autem à quibus accipiunt illud ſunt corona regis, myrtus, Penthaphilon & alię multę. Apum genus quod dicitur forte, facit mel durum. Et dicunt hoc facere iuuenes apum, quia non exercentur in arte.

Mellis Miraculum cretenſe.

Vermis mel putrefaciẽs.

Eſt autem paruus vermis in alueario profundo inuentus, qui quando creſcit texturam in araneæ modum ſimilem facit, & dominatur ſuper totum aluear. Ideoque mel putrefacit.

De diuerſo mellis genere.

CAPVT CI.

Plinius lib. 11. Apum mellis tria ſunt genera in quocunque tractu ſiue prouincia. Vernum è floribus conſtructo fauo, quod ideo Anthinum vocatur, hoc quidam attingi vetant, vt largo alimento valida ſoboles exeat. Alia ex nullo minus apibus relinquunt. quia magna ſequitur vbertas magnorum exortu ſyderum. Qui vero diligentiores ſunt, ex hac vindemia duodecimam partem apibus relinquunt, dies ſtaturus inchoandi triceſimus ab educto examine, ferèque Maio menſe includitur hæc vindemia. *Alterum genus eſt mellis æſtiui, quod ideo vocatur orion à tempeſtiuitate* præcipua ipſo Syrio explendeſcente, poſt ſolſtitium diebus 30. ferè. Item ab exortu ſideris cuiuſcumque, aut cæleſtis arcus ſi nubilum maximè fuerit & ſi non imbres ſequantur, ſed tos tepeſcat ſolis radijs. Medicamenta gignuntur non mella oculis vlceribus interniſque viſceribus dona cæleſtia, æſtiuum mel omne rutilum, vt ſiccioribus confectum. Aptiſſimum in æſtimatione è thimo coloris aurei, ſaporis gratiſſimi, cum ſit palam doliolis pingue, çſtiua mellatione decimã partem Thaſio Dionyſio placet apibus relinqui, ſi pleni fuerint aluei, Si vero minus pro rata portione. At ſiquidem inanes ideo non attingi, huic vindemiæ Attici ſignum caprificialem dederunt diem Vulcano ſacrum. *Tertium eſt genus mellis minimè probatum, ſyluęſtre ſcilicet quod vocant hericeum,* conuehitur poſt primos imbres autũni, cum in Affrica ſola myrica floret in ſyluis, ob id arenoſo ſimile, hæc itaque mellatio fine vindemiæ vergiliarum occaſu, Idibus nouembris ferè includitur, relinqui apibus ex ea duas partes ratio perſuadet. *Idem in lib. 12.* Saccaron fert Arabia, ſed laudatius eſt in India. Eſt autem mel in harundinibus collectum. Sunt & arbores occhi dictæ ficis ſimiles in Hircaniæ conuallibus, ex quibus mel defluit matutinis horis duabus. *Gloſſa ſuper Matthæi 3.* Mel ſyluęſtre in deſerto erat eſca Iohannis, quod ſcilicet ille inueniebat, de truncis vel de herbis.

Anthinum.

Orion.

Hericium.

Saccaron.

De Mellis electione & probatione.

CAPVT CII.

Auicen in 2. can. Apũ mel melius eſt, quod eſt verę dulcedinis, boni odoris, declinans ad acredinem & ad rubedinem, non ſubtile & viſcoſum. Et melius eſt vernale, deinde çſtiuum, hyemale vero malum. Eſt etiam genus mellis acre venenoſum. *Plinius lib. 11.* Mel ibi optimum vbi optimorum doliolis conditur florum videlicet, Atticæ regionis. *Sorbetur autem optimum ac minime fronde infectum, è folijs quercus & harundinum.* Summa quidem bonitatis natione, pluribus modis conſtat, alibi namque faui ceræ ſpectabiles gignuntur, vt in pelignis Siciliæ, Alibi copia mellis, vt in Creta, & in Cypro, & Aphrica. Alibi vero magnitudine, vt ſeptentrionalibus, in Germania quippe viſus eſt 8. pedum longitudinis fauus in caua parte niger. *Mel plenilunio vbertius capitur, ſereno die pinguius.* In omni melle quod per ſe fluxit, vt oleum muſtumque appellaturque tacitum, maximè eſt laudabile. Æſtiuum omne rutilum, vt diebus confectum ſiccioribus. *Aptiſſimum in æſtimatione è thimo coloris aurei, ſaporis gratiſſimi, cum ſit palam doliolis pingue è rore ſpiſſum marino.* Quod autem concreſcit minimè laudatur, thymoſum non coit, & tactu prætenuia fila mittit, quod primum grauitatis argumentum eſt. Abrumpi vero ſtatim ac reſilire guttas vilitatis habetur indicium. *Sequens probatio eſt, vt ſit odoratum, & ex dulcis re glutinoſum, perlucidum. Ariſtoteles. Mel bonum ſimile eſt auro, album quoque melius nigro.* Valet ad ægritudines oculorum & exituras. In annis fertilibus multiplicatur mel, & eſt tempus mellificandi cum flores apparent, etiam extrahendi de alueribus, tunc enim fit ſubito nouum multum.

E quibus mel ſugitur optimum.

Probatio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vernale mundius eſt & dulcius, & omnino melius autumnali. Ex cera quoque noua melius, nam ex veteri rubeum eſt, & corrumpitur ſicut vinum ex vtribus. Item mel inferius mundius eſt.

De Operatione mellis in cibo & medicina.

CAPVT CIII.

Virtus medicinalis mellis.

Auicenna in 2. can. Apum mel calidum eſt & ſiccum in primo. Mel autem thabarzed & de cannis eſt calidum in primo, non autem ſiccum, ſed forte humidum in primo. Virtus mellis eſt abſterſiua, aperitiua orificiorum venarum, reſolutiua humiditatum. Expellit humiditates ex profundo corporis, prohibetque putrefactionem & corruptionem carnis, linimentum ex eo factum prohibet pediculos & lendes, & vtroſque interficit. Item mundat vlcera ſordida profunda, & abſtergit tenebroſitatem viſus & confortat auditum. *Coctum autem donec incraſſetur, facit adhærere vulnera recentia.* Coctum vero cum aneto ſanat impetiginem. Gargariſmus ex eo ſanat præfocationem: *aqua mellis confortat ſtomachum & facit appetere cibum. Mel cannarum lenit ventrem.* Mel autem thabarzed non lenit, & mel quidem cuius ſpuma non eſt eiecta, inflat & ſoluit ventrem, ſed quandoque ſtringit phlegmaticos & nutrit plurimum. Decoctum cum aqua prouocat vrinam plurimam. Mel calefactum cum oleo roſato bibitum cõfert morſui vermium venenatorum, & ei qui bibit opium. *Deglutio quoque illius eſt cura morſus canis rabioſi.*

Remedium contra mel venenatum.

Plinius lib. 22. Mellis quidem ipſius natura talis eſt, vt putreſcere corpora non ſinat iucundo ſapore atque non aſpero. Alia quam ſalis natura faucibus, tonſillis, anginæ omnibus oris deſiderijs vtiliſſimum, areſcentique in febribus linguæ, Iam vero peripneumonicis & pleureticis datur eius decoctura, & vulneribus à ſerpente percuſſis, & contra venena fungorum. Stomachum inflat, bilem auget, faſtidium creat, oculis per ſe inutile aliqui arbitrantur. *Idem in libro 22.* Mel in quo apes mortuæ ſtant, contra mel venenatum valet. Item oculis eſt vtiliſſimum. *In vino potum remedium eſt vitiorum, quæ gignuntur è cibo piſcium. Idem in libro 30.* Mel in quo mortuæ ſunt apes præcipuè ſanat vomitiones, dyſſentericis etiam medetur, eodemque tormina curantur. *Idem in libro 22.* Rurſus quidam angulos exulceratos melle tangi ſuadent, auribus inſtillatum cum roſaceo lendes & fœda capitis animalia necant, vſus deſpumati ſemper aptior eſt, ſtomachum tamen inflat, & bilem auget, faſtidium creat & oculis per ſe inutile aliqui arbitrantur. *Conſtantinus in Pantegni libro 5.* Mel calidum & ſiccum in ſecundo gradu, frigidæ complexioni congruum, phlegmaticis, & ſenibus bonum ſanguinem generat, calorem naturalem confortat, cholericis & iuuenibus nocet, quia choleram rubeam generat calidoſque morbos & acutos & maximè in æſtate. Colatiuum eſt, & inde laxatiuum. Acutum eſt etiam & inde ſitim facit. *Auctor.* De melle quoque ſuperius habes in tractatu de rore cœli.

De diuerſificatione mellis multimoda.

CAPVT CIV.

Diuerſificatio mellis.

Auicenna. Apes quidem colligunt mel, quod eſt ros occultus cadens ſuper flores, ac ſuper huiuſmodi cætera. Eleuatur enim vapor, & conuertitur & maturatur in aere, & incraſſatur in nocte, & mel factum cadit. *Diuerſificatur autem ſecundum ea ſuper quæ cadit, quæ ſunt arbor & lapis.* & manifeſtum ipſius colligunt homines, occultum autem apes, vt eo nutriantur & ipſum reponant. Æſtimo autem, quod apum labor in ipſo aliquam habeat impreſſionem. *Iſaac.* Mel calidum & ſiccum in ſecundo gradu aliquantum habet acuminis, quod ab apum natura acquiſiuit. *Ideo inſcidit & mundificat cacochymia* & de interioribus corporis malorum humorum copiam per poros cutis abijcit. *Venarum ſordes optimè detergit. Ideoque frigidis & humidis bene conuenit, & præcipuè ſenioribus.* Cito enim in eis ſanguinem generat, calidis vero inconueniens eſt, maximè ſi eorum complexio ſit ſicca, quia eorum corporibus acumen incendioſum donat, & in humores cholericos mutatur, ſi vero mutatur in humorem ſanguinem, non tamen eum laudabilem facit, ſed calidiorem. Nulliſque eorum corporis dat nutrimentum. Calefactum autem ſi cum Oleo roſeo miſceatur, tuſſim mitigat. *Vrinæ difficultatem ſoluit & ventrem humectat.* Decoctum impetiginoſa loca ſuppoſitum mundificat. *Cum farina fabæ temperatum lentigines abſtergit.* Mel autem apum calamentum, cæteraque edentium, calidum & ſiccum eſt. Ideo conuenit epilepticis, paralyticis, & putrefactos diſſoluit humores. Vulnera ſanioſa mundificat. Rurſus abſynthium & ſimilia paſcentes, faciũt mel præ cæteris mundificatiuum, aperitiuum, maximè conſtipationis ſtomachi & hepatis, & ſplenis. Iccirco hydropicis confert cum lacte camelę, vel ſeto caprino potatum. Quod ſi diſpumatum potetur, valet contra canis rabidi morſum. Præterea mellis actio variatur ſecundum diuerſos accipiendi modos. Quidam enim accipiunt crudum, quidam coctum, & diuerſimodè coquunt. *Mel crudum manducantibus inflationem & ventoſitatem generat, aſperitatem pectoris propter ſui acumen augmentat, vomitum, & egeſtionem producit: mel* cum aqua mulſa coctum tenuius eſt & humidius. Vnde nihil in eo reperitur acuminis, proinde à ſuauitate dulcedinis ſuę minuitur, & *ventrem humectum facit, non inflat, nec vomitum prouocat, ſed edentium corpora cito perforat, ac velociter nutrit, pectoris aſperitatem lenit, & vrinam abducit.* Coctum vero ſine aqua & diſpumatum minus cæteris habet acuminis. Eſt tamen eius actio vicina præcedenti, veruntamen vrinæ difficultatem non diſſoluit.

Mel crudum.

Aqua mulſa & mel.

De Aqua mulſa cæteriſque poculis melliciis.

CAPVT CV.

Mulſum ex aqua.

Plinius libro 22. Aquæ mulſæ duo ſunt genera, recentis & inueteratę, hæc in ęgrotantium cibis valet viribus recreandis ori ſtomachoque mulcendo, ardores refrigerando: *ventrem mollit; Anhelitus ſiue ſpiritus tranſitum lenit. Omneſque impetus animi cibo emollit. Vtilis eſt tuſſientibus. Calefacta vomitionem inuitat; contra venenum infunditur*, longa vetuſtate tranſit in vinum ſtomacho vtiliſſimum, neruiſque contrarium. Mulſum ex vino veteri eſt vtiliſſimum: *reuocat cibi appetitum, aluum mollit* potu frigido pluribus, calido ſiſtit. Corpora auget multiſque longam auget ſenectam, vigor enim animi corporiſque cuſtoditur intus mulſo, foris oleo. *Idem in libro eodem.* Aqua mulſa contra venenum pſimithij ſalutaris addito oleo, contra hyoſcyamum quoque cum lacte aſinino. *Iſidorus libro 20. Mulſum quaſi ex melle mixtum.* Eſt enim potio ex aqua & melle quam Græci vocant mellicratum, porro vinomellum eſt muſtum melli admixtum & vehementer agitatum atque commotum. Oxymellum vero appellatur, eo quod aceti & mellis admixta materia conficiatur. Vnde & dulcedinem retinet, & acorem Rhodomellus dicitur eo quod in roſæ ſucco mel admiſcetur, dicitur & medus, quia ex melle fit quaſi melius. *Razi in Almanſore.* Potus ex melle factus vehemẽter calidus & choleræ rubeę generatiuus eſt, frigidas tamẽ ęgritudines patientibus cõfert.

Mulſum ex vino.

Multi etymon.

De Melle venenoſo.

CAPVT CVI.

Ægonlothrũ.

Plinius li. 21. Apum quoque ſunt & mella quædam in Hiſpania & venenata, Heracliæ in Ponto quibuſdam annis pernicioſiſſima exiſtunt ab eiſdem apibus facta. Herba ſiquidem eſt alba, vexatio iumentorum eſt, ſed præcipuè caprarum ægonlothron appellata, huius flore concipiunt noxium virtus aquoſo vere marceſcens. Itaque fit vt in omnibus annis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Venenati mellis signa.

sentiatur hoc malum. *Venenati mellis signa sunt, quòd omnino non densatur, quod color magis rutilus est, odor alienus, sternutamenta protinus mouens. Quod ponderosius innoxio:* qui ederint, humi se proijciunt refrigerationem quærentes. Nam & sudore diffluunt. At contra huiusmodi remedia sunt mulsum vetus è melle optimo & ruta, salsamenta quoque si reijciantur crebro sumpta. Certum est autem id malum per excremẽta etiam ad canes peruenire, eósque similiter torqueri, mulsum tamen ex eo inueteratum constat innocuum esse, fœminarúmque cutem nullo melius emendari cum costo sugillata & aloe. Aliud etiam genus mellis in eodem Ponto viget ex annona mellis, quod ab insania quam gignit menomeinon vocant. Istud existimatur contrahi à flore rhododendri, quo scatent syluæ. Gensque illa cum ceram in tributum Romanis mittebat, nequaquam tamen mittebat, vel vendebat mel, quoniam exitiale erat. In Perside quoque & in Mauritania Cæsariensi, Getulia contermina Massilis venenati gignuntur faui. Ipsis etiam apibus, vt dictum est supra cuspides venenatas dedit natura aduersum quas remedium maluæ succo, aut foliorum hederæ perungi salutare est, vel percussos eas bibere. *Idem in libr. 29.* Contra venenatum mel valet mel in quo mortuæ sunt apes. *Auicenn. in 2. canone.* Odor mellis acris & venenosi sitire facit, aufert rationem. Sed & eius comestio facit ablationem rationis subito, & sudorem frigidum, *eius autem cura est comestio pisces salliti, & bibere aquam mellis & vomere cum eo. Idem in quarto.* Mel quod affertur plurimum de regione Heracliæ, malum est ac venenosum. Est acutum, sternutare faciens odorantem ipsum, & habere syncopen, sudorémque frigidum & accidentia mala. Cura vero eius est, sicut iusquiami nigri, scilicet vt comedat rutam & pisces sallitos, ac potet syrupum aumeli, nec cesset comedere aut vomere quantum possibile est ei.

Cuspides apum venenata.

Cura venenati mellis.

de Aluearibus apum fabricandis atque purgandis.

CAPVT CVII.

Plinius libro 21. Apum aluearia sunt optima cortice, Secunda vero ferula, Tertia vero vimine, Multi ea & è speculari lapide fecere, vt operantes intus spectarent: *aluearia si circulentur fimo bubalo vtilissimum est. Operculum à tergo esse. Etiam opus deambulatorio,* vt prospiciatur intus si magnus sit vterus aluearijs, prouentus autem sterilis, ne operandi desperatione curam abijciant, id paulatim reduci oportet fallente operis incremento. *Alueos iterum vtile est hyeme operire stramento, crebroque suffire maximè fimo bubalo.* Item aluearia conuenit orientem æquinoctialem spectare, aquilonem vero euitent, nec fauonium minus. *Palladius libro* 1. Aluearia meliora sunt quæ cortex formabit raptus ex subere, quia non transmittunt vim frigoris aut caloris. Possunt tamen ferulis fieri. Si hæc desint salignis viminibus fabricẽtur, vel ligno cauatæ arboris, aut tabulis more cuparum, fictilia deterrima sunt, & hyeme gelantur, & æstate feruescunt, sed podia ternis alta pedibus fabricentur, propter lacertas cæterorumque animalium noxam, quibus est moris irrepere, & supra hæc podia aluearia collocentur, ita vt non possint imbre penetrari, spaciolis inter se patentibus segregata, angustis tamen aditus admittat examina, propter frigoris & caloris iniuriam, sane ventis, frigoribusque altus paries resistat, qui locũ possit defensis sedibus apricare.

Operculum aluearium.

Materia aluearium.

Aditus quales sint

Aditus omnes soli opponantur hiberno qui in vno cortice duo vel tres esse debebunt, ea magnitudine, quæ apis formam non possit excedere, sic enim noxijs animalibus ingressu resistetur angusto, vel si apes obsidere voluerint, exeuntes alio, cum non defuerint, vtentur egressu. *Idem in libro* 4. Martio mense circa Kalendas Aprilis curandi sunt aluei, & omnia purgamenta tollantur, & sordes quas tempus contraxit hibernum, & vermiculi & tineæ & araneæ quibus corrũpuntur vsus fauorum, & papiliones qui vermiculos ster-

core suo faciunt nesci, tunc fimus incensi sicci bubali stercoris abhibeatur, qui est aptus apum saluti. *Quæ purgatio frequenter vsque in autumni tempora celebretur;* hęc omnia cæteraque efficies castus, & sobrius, & alienus ab aliis vel à cibis acribus & odoris immundi, atque omnibus salsamentis. *Idem in li.* 5. Mense quoque Aprili purganda sunt aluearia sordibus, & papiliones qui maximè tunc abundant florentibus maluis, sicut videlicet inferius dicetur, vbi de papilionibus agetur.

Purgatio aluearium

De Aluearibus apum castrandis.

CAPVT CVIII.

Idem in li. 8. Apum aluearia mense iunio castrantur, quæ matura esse ad mellis redactum signis præsentibus edocentur. *Primum quidem si plena sunt apum subtile murmur audimus.* Nam vacuæ sedes fauorum velut concaua ædificia voces quas ceperint, in maius extollunt. Quare cum murmuris sonus magnus & raucus est, agnoscimus non esse idoneas ad metendum crates fauorum. *Item cum fucos à sedibus fuse, qui sunt apes maiores grandi intentione detrahant, matura mella testantur.* Castrabuntur autem aluearia matutinis horis cum torpent apes, nec caloribus asperantur. Fumus admouetur ex galbano & arido fimo bubalo, quem in pultario factis carbonibus conuenit excitare, quod vas figuratum sit, vt velut inuersum in fibuli angusto ore fimum possit emittere atque ita cedentibus apibus mella rescinduntur, ad examinis pabulum hoc tempore pars fauorum debet quinta dimitti. Sanè putres ac vitiosi faui de aluearibus auferantur. Tunc mella conficimus congestis in mundissimum sabanum fauis, ac diligenter expressis. Sed antequam premamus, partes fauorum corruptas, vel pullos habentes rescidemus. Nam malo sapore mala corrumpunt. Mel recens paucis diebus apertis vasculis habendum est, ac in summitate purgandum, donec refrigeratio musti calore ferueat. *Nobilius mel erit quod ante expressionem secundam velut sponte profluxerit.* Hoc etiam mense ceram conficimus, quæ in vase æneo feruenti aqua pleno, minutè consciscis fauorum reliquijs mollietur, & deinde in alijs vasculis sine aqua resoluta digeretur in formas. *Idem in libro* 11. Mense quoque Octobri aluearia castrabuntur more quo dictum est. Quæ tamen oportet inspicere, & si abundantia est demere, si mediocritas partem mediam pro hyemis inopia relinquere, si vero sterilitas apparet in cellis, nihil prorsus auferre. *Aristoteles.* Cum apparent flores, tunc mel vt dictum est faciunt apes. Ideoque tũc debet custos mel extrahere de aluearibus, quia tunc subito mel faciẽt loco illius, at in extrahendo mel relinquendum est, quod apibus ad cibum in hyeme sufficiat, alioquin damnabitur aluear. Debet autem custos eis dimittere de melle secũdum multitudinem apum, quia si multum dimiserit eis mel, non operabuntur postea multum, & si fuerit modicum segnescent ad operandum. Cæterum quandoq; propter paucitatem mellis remanentes custodes, cibãt apes ex duloibus, vt ex ficubus & ex huiusmodi alijs. *Plin. li.* 11. In eximendis fauis est dispensatio necessaria, quia desperant apes aut moriuntur, aut effugiunt cibi inopia. Econtra vero ignauiam affert copia. Cumque mella eximuntur, Apes abigi fumo vtilissimum est, ne irascãtur, aut ipsæ mel auidè vorent. *Præcipitur autem vt lotis purique mella eximant. Furem quoque oderunt apes, ac mulserem menses, id est menstrua. Idem in libr.* 21. Cum eximitur mel, exitus oportet genesta aut alba vitæ præcingi, ne diffugiant apes, vasa vero mellaria & fauos aqua lauari præcipiunt, hac decocta saluberrimũ acetum fieri dicũt.

Plena.

Maturi mellis signum.

Modus castrandi aluearia.

Nobilius mel.

Nota.

De vtilitate ipsorum aluearium in medicinis.

CAPVT CIX.

Auicen. in 2. ca. Apum aluearia proficiunt & in medicina. Nam sordicies earũ calefactiua est in fine

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſecundi. Melior eſt ex eis viridis. Abſtergit autem cum æqualitate, & attrahit valde. Abſtergit quidem impetiginem, & extrahit ſurculos & ſpinas, hæc quoque ponitur loco ammoniaci. *Idem in eodem.* Mum purum eſt, paries domorum apum, in quibus oua faciunt & pullos, & aduenit in eis mel. Mum vero nigrum eſt ſordes feneſtrarum forinſecarum. Eſt autem mum natura æquali lenitiuum. *Replet vlcera ſordicie, & humectat per accidens*, quia conglutinat & opilat poros, & eſt materia emplaſtrorum infrigidantium & calefacientium omnium. In ipſo eſt maceratio parua, & aliquantulum reſolutionis ex multitudine reſolutionis mellis. Et in mum quidem nigro eſt attractio vehemens ex profundo. *Attrahit enim ſurculos & ſpinas carni affixas.* Et in ipſo ſunt ſubtilitas, & mundificatio pauca, & lenitas vltima, *Lenit autem nernos, & durtiam apoſtematum. Confert etiam aſperitati pectoris linitum & propriè deglutitum*, valet quoque ad vlcera inteſtinorum. Dicitur etiam quòd extrahit venena, & ponitur ſuper vulnera ſagittarum venenoſarum. Mum quidem nigrum odoris ſui fortitudine facit ſternutationem. *Ariſtoteles.* Apes in aluearium circumitu in extremitate introitus includunt illud quòd micoz dicitur, & eſt valde nigrum quaſi fex, quod de cera exit, eiuſque odor eſt valde acutus, & valet vſturis. *Plin. lib.* 11. Propolis quæ eſt tertia in aluearibus cruſta, magni vſus eſt ad medicamenta. Grauis eſt odore, vt qua pro galbano vtantur plerique. *Plin. lib.* 22. Propolis alueorum aculeos & omnia infixa corpori extrahit, tubera excutit, dura concoquit. Neruorum dolores mulcet. Vlceráque iam deſperantia in cicatricem claudit.

Vtilitas medica parietis domorum apum.

Propolis.

De his quæ contraria ſunt apibus vel nociua.

CAPVT CX.

Palladius libr. 4. Apibus nocet plerumque felicitas ſua, nam ſi nimijs floribus annus exuberat, dum ſolam curam generandi mellis exercent, de prole nil cogitant, cuius omiſſa reparatione populus idem labore confectus extinguitur, totius gentis exitio. Itaque cum mellis nimietatem videris ex florum grandi & continua meſſe defluere, interiectis trinis diebus clauſo foramine, non eas patiaris exire. Ita ad generandum ſobolem conferentur. *Iſidorus.* Apes fumo fugantur, tumultu exaſperantur. *Plinius libr.* 11. Oderunt apes fumum, mulierúmque menſes ideſt menſtrua, vnde cum mella eximuntur, fumo abiguntur. Oderunt etiam odores fœdos, ſed & infectos. Itaque vnguenta redolentes infeſtant. Ipſæ plurimorum animalium iniurijs obnoxiæ, impugnant eas eiuſdem naturæ degeneres veſpæ & crabrones, & è culicum genere qui vocantur muliones, populantur hyrundines, & quædam aliæ aues, inſidiantur ex aquantibus ranæ maximè cum ſobolem faciunt, rubetæ quoque vltro veniunt adrepentéſque floribus opertos ſuflant, ab hoc ſpacio prouolant, confeſtimque abripiuntur, nec ſentire ictus apum ranæ traduntur. Inimicæ & oues difficile è lanis earum ſe explicantibus. Caucrorum etiam odore ſi quis iuxta coquat exanimantur. Inimica & echo eſt reſultanti ſono, qui pauidas alterno pulſet ſitu. Inimica & nebula. Aranei quoque vel maximè hoſtiles cum prævaluerint vt intexant, alueos enecant, papilio etiam ignauus aduolitat peſtifer, accenſis luminibus. Nec vno modo, nam & ipſe ceras depaſcitur, & relinquit excrementa quibus teredines gignuntur. Filo etiam aranea quocunque inceſſerit alarum maximè lanugines obtexit. Naſcuntur & in ipſo ligno teredines, quę præcipuè ceras appetunt. Infeſtat etiam eas auiditas paſtus, nimia florum ſatietate verno maximè tempore aluo cita. *Idem in lib.* 28. Apes fugere certum eſt aluearijs menſtruo tactis. *Ambroſius.* Siquis apes oleo caſu perfundat, prope necantur, eo quòd obſtructis poris aereum illud ſpiramen haurire non poſſunt, vt videlicet ſuperius dictum eſt. *Ariſtot.* Apes in operatione debilitantur per hoc, quod à paruis beſtiolis patiuntur. Illæ ſiquidem apibus nocent, ſed apes illas interficiunt & extrahunt. Animal quod circa candelam volat, ejcit fauos in terram cum inſpirat. Et apes quidem non pungunt illud, ſed fugit cum apes ſuffumigauerit. *Veſpæ quoque & hirundines & ranæ apibus nocent, quæ deprehendunt eas quando potant.* Apes vero non fugiunt aliquod animal, ſed quædam illarum fugiunt alias, quia pugnant adinuicem. Cacoynos introitum apum obſeruat, & in eo fortiter oppugnat, vt exeant. Et ſi aliqua euolauerit, deprehendit eam & comedit. Nec ab apibus ei nocetur, ſed ab aluearij cuſtode fortaſſis interficitur. Præterea nocet apibus appropinquare veſpis & ouibus. Multitudo quoque maſculorum negocia impedit apum. Tempora etiam pluuioſa nocent apibus. In aluearijs inuenitur vermis, qui in modum araneæ telam facit, & dominatur ſuper totũ aluearium, & putrefacit mel. *Sunt & apes ſolitariæ quædam & ocioſæ*, quæ volando per aera quaſi exercentes ſe, cum apibus operoſis intrant aluearia, & comedunt mel, ſed apes operoſæ cum ocioſis pugnant, & eas interficiunt, ac de aluearijs extrahunt, maximéque reges earum hoc faciunt.

Animalia nociua apibus.

Antipathia.

De morbis apum.

CAPVT CXI.

Ex libr. de nat. rer. Apibus ægritudines accidunt pro maiori partę in aluearibus fertilibus, & accidit eis infirmitas ex quiete ipſarum, & ex ſtercore aluearium. Cúmque infirmantur, plus comedunt, quàm ante ſolebant, propter pietatem quam habent ſuper mel. Moriuntur autem ex multis caſibus, præcipuè ſi rectores multi fuerint, & vnuſquiſque rexerit turbam vnam. *Et ſi aliqua pars in alueari moriatur, extrahunt illam reſiduæ.* Habent quidem apes beſtiolas nocentes paruas, & ſi fuerint apes fortes interficiunt illas & extrahunt. Aliæ vero apes in operatione debilitantur, & per hoc quòd ab illis beſtiolis patiuntur. *Pallad. lib.* 4. Menſe Martio maximè apibus ſolet morbus incumbere. Nam poſt hyberna ieiunia tithymali & amaris vlmi floribus, qui prius naſcuntur, auidius appetitis, *ſolutionem ventris incurrunt & pereunt niſi affueris velocitate remedij.* Præbe bis etiam maligranati cum vino amineo grana contrita vel vuæ paſſæ cum rore Syriaco & auſtero vino, vel ſimul omnia leuigata & incocta vino aſpero, quæ deinde in ligneis canalibus refrigerata ponantur. Item roſmarinus aqua mulſa decoctus congelatur, & in imbrice ponitur ſuccus huiuſmodi. Quod ſi horridæ videntur, atque contractæ torpere ſilentio, & mortuorũ corpora frequenter efferre, canalibus ex canna factis, mel cum gallæ puluere vel ſiccæ roſæ coctum debebis infundere. Illud ante omnia expediet, vt putres partes fauorum, vel vacuas ceras quas aliquo caſu examen ad paucitatem redactum non valebit implere, ſemperque reſcidas acutiſſimis ſerramentis ſubtiliter, ne mota alia pars fauorum, cogat apes domicilia concuſſa deſerere.

Efferunt mortuos.

Solutio ventris.

Remedium.

Ariſtot. Infirmantur apes præcipuè cum arochezi intumeſcunt flores, quia tempus illud ſiccum. Moriuntur autem cum oleo caput earum inungitur, & cõtra ſolem ponuntur. Apis ala cum abſcinditur, non orietur iterum, & cum ejcit aculeum moritur. *Moriuntur etiam apes, ſi multi fuerint eorum* rectores. Ægritudines etiam accidunt ſæpè ex aluearium fertilitate. Aliquando autem ex quiete, vel ex aluearium fœtore. *Plinius libr.* 11. Apum ſanitas exiſtimatur hilaritate ac nitore. Nam & mortuos ſua ſentiunt natura, quorum index eſt torpens triſtitia, funerantiúmque more comitantur exequias. *Rege illarum peſte conſumpto plebs mœret dolore ignauo, non cibos conuehens, non procedens.* Triſti tantùm murmure circa corpus glomerantur, & niſi tunc eis ſubueniatur, fame moriuntur. Sunt & operis morbi cum fauos explent, cleron vocant, & blaſphigoniam ſi fœtum non peragant. Oleo autem exanimantur præcipuè, ſi vncto capite in ſole ponantur. Aliquando ſibi cauſas mortis contrahunt, & ipſæ cum mella ſenſerint eximi

Mors apum vnde?

Exequia regis.

voran-

vorantes illud auide. *Idem in eodem.* de vocabulis operis. Prima fundamenta operis metin vocant periti. Secunda piſſoceron. Tertia propolim inter coria ceráſque magni ad medicamina vſus. Metis cruſta eſt prima ſaporis amari. Piſſoceros ſuper eam venit picantium modo ceu dulcior ceræ initium populorúmque mitiori gummi. Propolis craſſioris iam materiæ additis floribus, nondum tamen cera, ſed fauorum ſtabilitamentum, qua omnes frigoris aut iniuriæ aditus obſtruuntur, odore etiam nunc graui, vt qua plerique pro galbano vtantur, præter hæc cõuehetur hithace, quam alij ſandaracam, alij cherinthum vocant, hic erit apum dum operantur cibus, qui ſæpe inuenitur in fauorum inanitatibus ſepoſitus, & ipſe amari ſaporis, ſed plenus humoris cibus. Gignitur autem rore verno & arborum ſucco gummi modo. Aphrici minor, auſtri flatu nigrior, aquiſonibus melior, & rubeus plurimũ in Græcis nucibus.

Metis. *Piſſoceros.* *Propolis.*

De Aranea.

CAPVT CXII.

Aranea.

Iſidorus. Aranea vermis eſt aeris, ab aeris nutrimento nominata. Quæ exiguo corpore longa fila deducit, & telæ ſemper intenta, nunquam laborare deſinit, perpetuum ſuſtinens in arce ſuſpendium. *Ariſt.* Aranea guſtabile habet propium, viuitque de venatione muſcarum. Cum enim patitur famem, muſcæ captæ fugit humiditatem, eiuſque vita non eſt niſi humiditate illa. Aranea, quæ Græcè dicitur felidron, generatur in domibus apum, & nocet eis, corrumpens mel, facitque texturam in circuitu domorum illarum. *Plin. li.* 11. Araneæ ſuctu viuunt diſſidentque veſpæ & phalangia & araneæ. *Idem in libro eodem. Araneæ maximè ſunt hoſtiles apibus,* & cum præualuerint, vt intexant, alueos enecant. In araneis prænoſtica ſunt, nam in cremento amnium futuro telas ſuas altius tollunt. *Præterea ſereno non texunt, ſed tamen nubilo frequenter texunt, Ideoque multitudo aranearum ſignum eſt imbrium.* Fæminam putant eſſe quæ texit, marem qui venatur, ſicque paria fieri merita. Coniugio araneæ cõueniunt clunibus: puluis creat tineas in lanis ac veſtibus, præcipuè ſi araneus vna includatur, ſitiens enim omnem abſorbet humorem, & ſic ampliat ariditatem. Araneis quidam prælongi pedes bini antecedunt, & internodia ſingulis trina ſunt. *Gloſſa ſuper Pſal.* 38. Aranea corpus habet tenue, nec ſtat in terra, ſed in alto telas inanes texens viſcerum egeſtione, Ipſa quoque aranea calidum quoddam & infirmum eſt, leui tactu deficiens. *Vnde ſcriptum eſt. Tabeſcere feciſti ſicut ara. a.e. Gloſ. ſuper Pſal.* 79. Aranea texit inanes telas, vt dolo capiat muſcas Sic nos in annis noſtris ſtudemus doloſis & inanibus occupationibus laborantes ſcilicet in rebus corruptibilibus, vnde anni noſtri ſicut aranea meditantur non operantur.

Antipathia cum apibus. *Pronoſtica.*

Ex lib. de nat. rer. Aranea ſucco viuit, & ideo nulla fame interit. In caput ſerpentis ſub arboris vmbra porrectæ, aranea filo ſe librat. tantaque *vis eſt morſus ipſius vt eius cerebrum vſque ad finem mortis apprehendit humiditatem craſſam & ſiccam,* fugit aranea, delectatur autem media & temperata. *Phyſiologus.* Aranea ſeipſam euiſcerat vt contexendis caſſibus non deſit materia. *Fœmina quidem texit & parit, mas venatur. Aranea dorſum ſuum ad terram in ſomno dormiens, & faciem verſus cælum conuertit.* Dormitque in aere dependens à filis quę texuit. Tumorem ex araneæ morſu prouenientem ſedat emplaſtrum de muſcis factum doloris loco ſuperpoſitum. *Auctor.* Aranea vt legitur, dicitur quia aeris infuſione in frondibus nutritur. Hæc ſex habet pedes, & ſeipſam euiſcerat, & de vjſceribus ſuis texit telas vnde capit muſcas, veneno tabet. In aere ſe ſuſpendit, muſcas quas capit irretit. Turgida eſt & quaſi tota in ventre. Multæque proprietates eius notantur his duobus verſibus.

Vis morſus aranea. *Nota.*

Carmina de aranea.

Craſſa retro, ſuccincta, breuis, virus, timet ignem,
Pro muſcis pendens viſcere texit opus.

De arancarum generatione.

CAPVT CXIII.

Ariſtot. Araneæ non niſi grauiter ſeparantur, quia coitus in eis multum durat. *Cumque coire voluerint, fœmina per filum telæ attrahit marem, & mas poſtea fœminam. Nec ceſſabit attractio, donec coniungantur, & mas ſuper ventrem fœminæ ponitur.* Modus ille coitus eſt in eis propter rotunditatem ventris, maximéque fit in fine veris, & æſtatis principio, quia coitum deſiderant in tempore illo. Cúmque paritur aranea, ſubito interponitur in textura. Et exitus eius ab interiori, non eſt ſicut exitus ſuperfluitatis, vt Democrites dixit, ſed ipsã velut à corpore corticem eijcit. *Plinius libr.* 11. Araneis eſt fœtus inæqualis vt barbarus, alius euolat, alius in infantia eſt, alius in vermiculo, & autumno non verno, hæc omnia maximè creſcunt plenilunio. Veſpę, quæ ichneumones vocantur, ſunt autem minores quam alię vnum genus ex araneis phalangium appellatum perimunt, & in nidos ſuos ferunt, deinde illiniunt, & ex his incubando genus ſuum procreant. Coniugio aranei conueniũt clunibus, pariunt vermiculos ouis ſimiles. Pariunt autem omnia in telas expanſa, quia ſaliunt atque ita emittunt. Phalangia tantum in ipſo ſpecu incubant magno numero. Quæ vt emerſerint matrem conſumunt quandoq; & patrem. Pariunt autem & tricenos, cætera pauciores, & incubant triduo. Conſumantur aranei diebus quater ſeptenis. *Philoſophus.* Aranea inuoluit oua ſua intrat telam valde ſpiſſam. Cúmque filij peruenerint ad completionem, aperiunt telam ſuam per mordicationem. Coeunt aranei in veris fine, quædam tamen in autumno & in hyeme, libidinis tempore mas & fœmina localiter diſtantes, ligant pedes ſuos cum filo, & alternatim alliciunt ſe inuicem per attractionem, quoúſque peruenium ad amplexum.

Coitus araneorum. *Fœtus araneorum.*

De venatione aranee.

CAPVT CXIV.

EX libro de naturis rerum. Aranea de viſceribus ſuis ſubtiliſſima retia texit, euiſcerátque ſe pro captura muſcarum adeo frequenter, vt prorſus vacuata, morte deficiat. Cum autem ſatiata fuerit, his quæ retia inciderint, quòd ſuperfluum eſt diligenter irretit, vt non euadat, ſed cum iterum eſurierit, cibum iam captum & paratum inueniat. *Ariſtoteles.* Aranea ſicut & formica cæteráque animalia annuloſa eſt multi laboris, & eſt etiam artificioſior cæteris annuloſis. Texit autem & in textura ſua ſtans expectat quouſque beſtiola aliqua cadat in telam, & tunc ſalit ſuper ipſam, & prehendit eam, fertq́ue ad locum in quo deponit. Si quid autem in telam ſic inciderit, vt rumpatur, non venatur aranea, donec illud quod ruptum eſt reparauerit, apud occaſum ſolis & aſcenſum venatur reparata texura, quoniam iſto tempore maximè in eius telam inuoluuntur beſtiolæ. Venatur ergo aranea, ſed non deponit cibum ſcilicet ad multum tempus, ſicut formica. *Magna quidem aranea ſub tela ſuſpendit ſe ne à beſtiolis videatur.* Minor autẽ extendit aliquã texturę ſuę partem, & latens in ea venatur beſtiolas, quę cadunt in eã. *Venatur etiã lacertulum paruulũ,* quia prius incipit texere ſuper ipſum donec forti ligatione liget eius orificium. Deinde vadit ad ipſum & mordet eũ donec moriatur. Sugit autẽ humiditatem beſtiolarum quas capit, & reliquum dimittit. *Phyſiologus.* Aranea cum venatur per figuram ad ſimilitudinem retis ordinatam, ponit ſedem ſuam in medio eiuſdem figuræ, velut in centro ſuperficiei circularis, vt inde muſcarum illaqueationes in omni retis ſui parte percipiat, ad quod videlicet centrũ colliguntur omnes lineæ circumferẽtiæ retis ſui per fila ligantia ipſas ex tranſuerſo, beſtiolam vero incidentem inuoluit in textura quouſque debilitetur. Deinde fert eã ad locum, in quo ponit ea quæ deprehẽdit, & quando pa-

Aranea laboriosa. *Venatur lacertulum.* *Modus quo aranea venatur beſtiolas.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

do patitur famem, humiditatem illius fugit, in qua vita A eius exiſtit. Cum autem eſurit reuertitur ad venandum, prius tamen reparans quod de textura fuerit ruptum.

De diuerſis araneæ generibus.

CAPVT CXV.

Phalangia. *Plinius libr.* 10. Aranearum plura ſunt genera, phalangia ex his appellantur, quorum noxij morſus corpus exiguum, varium acuminatum, ingredientium ad ſaltum. Altera eorum ſpecies, nigri, prioribus cruribus longiſſimis, omnibus internodia terna in cruribus, luporum modo. Minimi non texunt. Maiores in terra cauernarum exigua veſtibula præpandunt. Tertium eorum genus erudita operatione conſpicuum, Orditur telas, tantíque operis materiæ vterus ipſius ſufficit, ſiue B ita corrupti alui natura ſtatuto tempore, vt Democrito placet, ſiue eſt intus quædam lanigera fertilitas, tam moderato vngue, tam tereti filo, & tam æquali deducit ſtamina, ipſo ſe pondere vſus. *Texendi modus.* *Texere autem à medio incipit circinato orbe ſubtegmina adnectens, maculaſq; paribus ſemper interuallis, ſed ſubinde creſcentibus, ex anguſto dilatans indiſſolubili nodo implicat.* Cúmque captura inciderit, quàm vigilans & paratus ad curſum, licèt extrema hæreat plaga ſemper in medium currit. Ex quo ſic maximè totum concutiendo implicet. Sciſſa protinus reficit ad pollituram ſarciens.

Ariſtot. Araneæ multa ſunt genera. Vnum eſt ſimile, quod Græcè dicitur Locoz, & eſt genus quoddam C paruum, diuerſi coloris, acutum, ſaltans. Aliud autem maius, & nigri coloris, anteriora crura habens longiora, & eſt tardi motus, multiqúe ſaltus tempore coitus. *Genea araneorum.* Alia vero reſidua, quæ Apothecarij ferunt, aut omnino non mordent, aut debiliter. Genera vero locoz multa ſunt. Vnum eorum eſt paruum, aliud magnum. Paruum quidem non texit, magnum autem aſperum eſt & malum, texitqúe prope terram. Intra foramina ſtat, & manens in textura ſua ſpectat, donec aliqua beſtiola incidat. Deinde ſuper ipſam ſalit, eámque præſcidit. Inuenitur & aliud genus maculatum in vere ſub arboribus paruam texturam & malam texens. Eſt aliud genus iſto diſcretius, quod fila texturæ prius extendit, eámque in terminis ponit. Deinde inter extremitates iſtos in medio texit, texturámque ſufficientem imponit, & præparat locum venationi conuenientem. Ipſa autem in D medium quaſi ſpeculator venit, & ſiqua beſtiola inciderit, ſubito mouetur, & à loco ſuo exit, ligátque illam, & inuoluit textura donec perueniat ad debilitatem, poſtea fert illam ad locum in quo deponit, & humiditatem eius ſugit cum eſurit.

De morſu araneæ.

CAPVT CXVI.

Plinius libr. 10. Aranea (vt dictum eſt) filo librat ſe ſuper caput ſerpentis porrectæ ſub vmbra arboris ſuæ. Tantáque vi morſus cerebrum eius apprehendit, vt ſtridens ſubinde ac rotata vertigine, ne filum quidē deſuper pendens erumpere aut fugere queat. Nec finis ante mortem eſt. *Morſus araneæ venenoſus.* *Auicen. in 2. canone.* Ex morſu araneæ accidit plurima ventoſitas in ventre, cum horripilatione & frigore extremitatum, & erigitur virga. Ex huiuſmodi medicinis ſunt nigella & vinum & ruta ſicca. *Conſtant. in Pantegni.* Araneorum ſpecies multæ ſunt, quæ vbi mordent dolorem multum faciunt, ruborem, frigidum ſudorem, & citrinum colorem. Aliquando quaſi ſtranguriæ in vrina duritiem ac virgę extenſionem intra inguina & genua, reſinoſitatem in ſtomacho, linguæ extenſionem, vt eorum ſermo diſcerni non poſſit. Vomit humiditatem quaſi araneæ telam, & ventris emollitionem ſimiliter, ſi aqua calida infundatur, dolor dimittitur, ſi autem exeat reuertitur. Alia ſpecies in loco quem mordet dolorem facit & ruborem, ſub diaphragmate conſtipationem, in vrina frigiditatem, in virga, quoque extenſionem.

De tela araneæ.

CAPVT CXVII.

Tela aranea. *Auctor.* Araneæ tela (vt patet ex prædictis) de viſceribus eius procedit. Euiſcerat enim ſe texẽdo illam adeo frequenter, vt prorſus euacuata deficiat in mortem. Eſt autem tela eius inanis ac debilis, & modico vento diſſipatur ac diſſoluitur. Vnde de Hypocrita legitur, quod ſicut tela aranearum fiducia eius. *Hypocrita ſymbolum.* Multis tamen eadem tela proficit medicaminibus, ſicut habetur ex diuerſis auctoribus. *Auicen. in 2. canone.* Araneæ craſſæ alba tela cum oleo roſaceo in aurem diſtillata, dolorem eius ſedat. Item araneæ tela poſita ſuper vulnera ſtringit fluxum ſanguinis. Vlcera quoque & vulnera prohibet apoſtemari. *Sanationes tela araneæ.* Dixerunt etiam quidam, quod araneæ tela quibuſdam emplaſtris mixta, & ſuper frontem & tẽpora poſita ſanat febrem tertianam. Fracto capite aranei tela ex oleo & aceto impoſita non niſi ſanato vulnere abſcedit. Araneæ telam vires habet conſtringentes, admixta quibuſdam vnguentis temporibus impoſita febres curat. Sanguinem defluentem retinet. Suppoſita vulneri non cauo prohibet ſaniem fieri. Sine tumore vulnera ſeruat, cum oleo roſeo cocta dolorem aurium mitigat. Album opus araneæ, id eſt alba tela corio ligatum, & collo ſuſpenſum, quartanas (vt dicitur) tollit.

De bibione & blattis.

CAPVT CXVII.

Bibiones muſtiones. *Iſidor. Bibiones* ſunt qui in vino naſcuntur, quos vulgo muſtiones à muſto appellant, vnde Aphronius. Cum à me expectaſſet fabulare incipis, ex ore bibiones inuolant in oculis tuis. *Blatta.* Blattæ à colore dictæ ſunt, ſiquidem & comprehenſæ manum tingunt. Vnde & blatteum colorem dicunt, hoc animal lucem non patitur videre, contrarium muſcæ. *Muſca enim eſt lucipeta, blatta vero lucifuga. Ex libr. de natur. rerum.* Blatta vermis eſt qui lucem videre non patitur, vnde per noctem tantummodo ambulare conſueuit. *Pallad. de agricultura.* Blattæ ſunt apibus inimicę, ſicut & lacertæ. Vnde huiuſmodi animalia & his ſimilia oportet apum caſtris vel aluearibus longè fugare, qui vult apes bene conſeruare. *Plinius lib.* 11. Lucent ignium modo noctu laterum & clunium colore lampyrides, nec pennarum hiatu refulgentes. Nunc vero compreſſu eodem obumbratæ non ante matura pabula, vel poſt defecta conſpicuæ. Econtrario tenebrarum alumna eſt blattis natura, lucémque fugiút, & inualidiores & in balneis maximè humido vapore prognatæ vel progenitæ. *Idem in libr.* 20. Herbæ cunilaginis obiecto manipulo tradunt ad eam conuenire blattas omnes de tota domo. *Idem in libr.* 29. Blattam *Prodeſt auribus.* auulſo capite vna cum roſaceo tritam auribus mirè dicunt prodeſſe. Alij vero binas ternáſque in oleo decoctas auribus efficaciſſimè ſcribunt mederi, & in lintheo tritas imponi. Plura fecerunt earum genera, vnum ſcilicet molles, quas in oleo decoctas efficaciſſimè illini verrucis experti ſunt. Alterum genus Mylochon appellauere, circa molas naſcitur, & his detracto capite attritis ſanaſſe lepras, Muſa & picton in exemplis reliquerunt. Tertium genus ex odoris tædio inuiſum exacuata clume cum piſſeleo tradunt ſanare vlcera aliàs inſanabilia, & ſtrumas & pannos 21. diebus impoſitas, percuſſa contuſa cachoethis ſcabiem, furunculóſque detractis pedibus pinniſque curant. At Hercule Diadorus & morbo regio & orthopnoicis reſtitiſſe tradunt cum reſina & melle. Humaniſſimum eorum cinerem crematorum in cornea pixide ſeruant ad hos vſus, tradúntque tritas rheumaticis & orthophnoicis infundendas clyſteribus, corpori quoque infixa extrahere illita conſtat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Bombyce.

CAPVT CXIX.

Bombex.

Sidor. Bombex eſt frondium vermis, ex cuius textura bombycinum conficitur. Hoc autem nomine appellatur eo quod euacuetur dum fila generat, & aer ſolus in eo remaneat. *Plin. vbi ſupra.* Bombyces telas aranearum modo texunt, ad veſtem luxúmque fœminarum, quæ bombycina vocatur. Bombycum genus eſt in Aſſyria proueniens, nidos luto fingunt, ſalis ſpecie applicatos lapidi, tanta duritia, vt ſpiculis perforari vix poſſint, & ceras largius quàm apes faciunt. Deinde maiorem vermiculum, & in Choo inſula traduntur naſci cypreſſi, therebinthi, fraxini, quercus, florem imbribus decuſſum terræ halitu animante, fieri autem primo papiliones paruos nudóſque, mox frigoris impatientia villis inhorreſcere, & aduerſus hyemem tunicas ſibi dẽſas inſtaurare, pedum aſperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. *Phyſiologus.* Bombex vermis eſt faciens ſericum filoſum de ore ſuo in quo ſepeliat ſe, ad hoc vt renaſcatur completus. Et poſtquam reiecerit omne quod ſtercoratum eſt, ac fœculentum ac nigrum de corpore ſuo, tunc corpus eius tranſlucens eſt, cum aſpicitur ad Solem. Folijs quidem celſi veſcitur, quæ vulgo morus dicitur. Sed poſtquam operari ceperit, eſcam renuit, Delicioſo labori operam diligentem impendens. Calathi vero parietes induſtrius textor circuit, lanam educens crocei coloris, quæ niuei candoris per ablutionem efficitur antequam artificialis tinctura ſuperinduatur. Conſummato autem opere nobilis textoris, thecam in opere proprio inuolutam centonis ſubintrat ianuam ſimilis Papilioni. Semina poſtea minuta eijcit ex naturæ penatibus ſecretis, quæ per hyemem reſeruantur, vt aere clementiore redeunte, carni humanæ admota in ſinu fomenta ſuſcipiant, vſque dum natura motum ſeminibus animatis conferat animalem. Incrementa vero ſuſcipiunt poſtea, tam virtute naturæ, quàm beneficio ciborum. *Idem vermis etiam lanificus appellatur, ex lana ſerica, quam de propriis viſceribus operatur.* De quo etiam inferius dicetur. Sericum, porro putrida vulnera combuſtum mundat, & confortat. Et ſi cum ſale comburatur, rubiginem dentium curat.

Creatio & formatio Bombycis.

Lana ſerica.

De brucho.

CAPVT CXX.

Bruchus.

Rodulphus ſuper Leuit. Bruchus modicus eſt, & fului coloris. Bruchus vocatur fœtus locuſtæ antequam habeat alas. Deinde cum incipit volare parum, dicitur athelabus. Cum vero pleniter volat dicitur locuſta. Eſt autem bruchus multo grauior, quàm locuſta vel athelabus, quia iacens in vno loco radicitus rodit fructus. *Ex libro de naturis rerum.* Bruchus olera herbaſqúe ac frondes arborum amaro morſu depaſcit, nullumqúe in loco remedium eſt, vbi bruchorum multitudo concurrit. Plus ergo lædit, quàm locuſta, ſed minor eſt corpore, quàm adlacta, minúſque in ſaltu valet. Eſt autem adlacta colore quidem diſſimilis, ſalit tamen, & crura retro habet longiora vt locuſta. Oua vero edit, ex quibus fœtus verno tempore procedunt.

Adlacta.

De buſone ac bupreſte.

CAPVT CXXI.

Buſo.

Buſo inter alios vermes deputatur reptiles, venoſum ac viſu peſtilens; bufonem tamen & ranam ſuperius in genere lacertorum deputauimus, eo quod quatuor lacertis ſiue brachijs inniti rependo videantur, vnde & ibi de vtroque plenius diximus. *Iſid. & Plinius lib.* 30. Bupreſtis eſt animal paruum in Italia ſimillimum ſcarabæo, longipedum, ſallit inter herbas, bouem maximè, vnde & nomen habet. Deuoratúmque tacto felle ita inflammat, vt rumpat. *Plinius lib.* 23. Oleum venantinum contra bupreſtim valet, ex aqua per ſe lotum vomitionibúſque redditum. *Idem in libr.* 30. Bupreſtis cum hyrcino ſebo illita lychenas tollit ex facie ſeptica vi. *Idem in libro* 28. Lac reſiſtit veneno bupreſtis. *Idem in libr.* 31. Si bupreſtis paſta ſit nitrum, ex aqua vomitiones euocat. *Ex libro de naturis rerum.* Cum autem bos bupreſtim inter herbas iacentem deuorauerit, ac fel eius tetigerit, ita inflammatur atque tumeſcit, vt protinus rumpatur laceratis viſceribus.

Bupreſtis.

De cantharida.

CAPVT CXXII.

Cantharis.

Auctor. Cantharida vermis eſt terrenus, qui humano corpori ſtatim vt applicatus fuerit, aduſtione ſui veſicas efficit humore plenas. *Ex libro de natura rerum.* Cantharides ſunt vermes, qui in ſummitate ramorum fraxini vel alni ex humore in folijs generantur, colorem viridem habent, auro ſub ſolis radio micant, ſicut erucæ conualeſcunt, ſed & alas perfectè concipiunt. *Per diem volant, nocte vero pariter in vnum globum congregantur.* Circa menſem Auguſtum de nocte ad remedium colliguntur, & in aceto merſæ necãtur, mortuæ vino ſuperfuſo & ſuper membrum quodcunque ſub vaſculo cereo inſtar cyphi formato poſitæ aduſtionem ſuſcitant, & veſicam ſui applicatione, quæ ſcilicet veſica cum acu aurea, vel acumine feſtucæ in locis plurimis perforata, malum humorem eijcit. Tantúmque valet eius electio per annos quindecim, quantum aliquod cauterium infra annum. *Auicenna in ſecundo canone.* Cantharides ſunt acutè mordicatiuæ, facientes pũcturam ac dolorem in membris accidere, veſicam vlcerant vlceroſitate doloroſa & apoſtemate. Apoſtemant etiam virgam, & pectinem, & partem eius cum inflammatione vehementi. Cum hoc etiam accidunt quandoque ſolutio ventris cum adraſione, & ſyncope & permixtio rationis, & grauitas. Plurimum læſionis earum eſt in veſica.

Generatio.

Læſiones cantharidum.

De virtute cantharidum in medicina.

CAPVT CXXIII.

Idem in ſecundo canone. Cantharides calidæ ſunt & acutiſſimæ, quæ licèt ſcabiei conferant, veſicam tamen ſi multa ſumatur ex eis quantitas, vulnerant, aut ſanguinem mingere faciunt & interficiunt. Ex his autem accepta parua quantitas, *vrinam vehementer prouocat, & morphea alba adeo intenſe vt lepra putetur, cum aceto epithimatæ remedium afferunt. Dioſcorides.* Cantharides virtutem habent putrificam, ſunt autem ad repoſitionem bonæ, quæ in triticea ſegete colliguntur, & in vas fictile miſſæ, ligato deſuper panno ſuper cacabum imponuntur, vbi acetum bulliat, cuius vapore eædem incluſę necentur. Poſtea lino inſeruntur, & in vaſe non picato reponuntur. Meliores quidem ſunt variæ, craſſæ, longiores. *Quæ poſitæ ſuper teſtam & combuſtæ virtutem habent ſtipticam & calidam,* vnde medicaminibus miſcentur, quæ *valent cancroſis leproſis ſiue zernoſis, & menſtruis imperant.* Quæ vero circa roſas colliguntur, infirmiores ſunt, & vnius coloris, quas faciunt tamen in aliquibus antidotis. *Hali vbi ſupra.* Cantharides calidæ & acutæ proſunt prurigini, pediculos necant, lepræ medentur, ſi cum aceto ſuperponantur. *Plinius libr.* 29. Cantharides aduerſantur ac reſiſtunt omnibus formicis, & etiam ſalamandris. *Palladius vbi ſupra.* Denique contra animalia, quæ vitibus nocent, cantharides quas in roſis inuenire conſueuimus, oleo merſæ, in tabem reſolui patiendæ ſunt. Et cum putandæ ſunt vites, hoc oleo falces perungendæ ſunt. Porro ne cantharides vitibus noceant, in cote qua falces acuuntur ipſæ conterendæ ſunt.

Effectus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De cæruleo ac cerno volante.

CAPVT CXXIV.

Cæruleus.

Victor. Cæruleus (vt aiunt Solinus & Statius ſeboſus) vermis eſt mirabilis in Gange fluuio abundans. Habet enim brachia bina longitudinis ſex cubitorum, quibus etiam elephantem corripit, vndiſque ſubmergit. Sed quoniam hic vermis ingens ac monſtruoſus eſt & aquaticus, Ideóque ſuperius eum inter monſtra marina vel aquatica deputauimus, ibique de illo plenius diximus. *Ex libr. de natur. rerum.* Ceruus volans fertur eſſe genus cicadę, hunc tamen experimentator crabronem vocat, ſub alis (vt dicit) craſſioribus alas habet ſubtiles ac tenues ſicut bruchus. Circa veſperam potiſſimè volant, & volando ſtrepitum faciunt. Habent cornua medicinalia grandia, prælonga, biſulca, dentata & lucida quaſi forcipibus in cacumine cum libuerit ad morſum coeuntibus. Crura vero longa & reflexa, lucent ignium more noctu partes laterum & cluniu̇m, colores pinnarum refulgentes, aliquando compreſſæ obumbrantur, amputatum caput earum viuit diutius ſine corpore, ſed & ipſum corpus ſine capite, ſed non tandiu ſicut caput.

Ceruus volans.

De cicada.

CAPVT CXXV.

Cicada.

Cicadæ vermes ſunt, quorum genera duo ſunt, quædam paruis locuſtis ſimiles ſunt, & hæ domos inhabitant, eáque loca quæ magis calida ſunt, vbi ſcilicet ignium feruor eſt. Aliud vero genus atrum colore papilionibus ſimile: fertur etiam quod earum genus eſt, quod nos ceruos volantes dicimus, & hoc Experimentator ſupra crabrones vocat, ſicut iam dictum eſt. *Cicadæ habent in pectore quoddam aculeatum, linguis ſimile, quo rorem lambunt. Ipſum vero pectus fiſtuloſum habent, & hoc dulciter canunt.* Mares quidem canunt, fœminæ ſilent, ſupinæ coeunt. Oua candida ſed corrupta. In terra fœturæ locum excauant, ibique prolem faciunt. *Ambroſ.* In exiguo cicadarum gutture dulcis eſt cantilena, quarum cantibus æſtu medio rumpunt arbuſta, eo quòd magis canent meridianis caloribus; quo priorem aerē ſpiritu attrahunt, eo cantus clariores reddunt. *Iſidor. Cicadæ ex cuculorum ſpūto naſcuntur eæ in Italia apud Reginos mutæ ſunt,* nec vſquam alibi. Nam alibi dulciter canunt, quarum cantibus medio æſtu arbuſta rumpuntur.

Cantus cicada.

Natiuitas. Muta.

Plinius libr. 11. Cicadæ non naſcuntur in raritate arborum, nec in frigidis aut vmbroſis nemoribus, pennarum illis natura, quæ apibus, ſed pro corpore amplior. Cicadæ tantum viuunt rore, quarum duo ſunt genera, minores, quæ primæ proueniunt, quæve ſunt mutæ & nouiſſimæ pereunt. Sunt autem multæ quæ canunt, & vocantur achetæ, & quæ minores ex his ſunt tettigometræ, ſed illæ magis ſonoræ. *Mares canunt in vtroque genere, ſilent fœminæ.* Gentes his veſcuntur ad orientem, etiam Parthi opibus abundantes. Ante coitum mares præferunt à coitu fœminas, circa ſolſticium eſt coitus ipſarum. Ouis earum corruptis quæ ſunt candida, coitur ſupinus. Eſt illis aſperitas in dorſo præacuta qua fœturæ locum excauant in terra. Fitque primo vermiculus, deinde ex ea quæ vocatur tettigometra, cuius cortice rupto circa ſolſtitia euolant noctu ſemper, primum nigræ atque durę, vnum hoc ex his quæ viuunt, & eſt ſine ore, ſed pro eo quiddam eſt aculeatum linguis ſimile, & hoc in pectore quo rorem lambunt. Pectus ipſum eſt fiſtuloſum, hoc, vt diximus, canunt achetæ. De cætero nihil eſt in ventre. Excitatæ cum ſubuolant, reddunt humorem, quod ſolum rore ipſas ali eſt argumentum. Solis eiſdem nullum eſt ad excrementa foramen. Oculis tam hebetes, vt ſi quis digitum contrahēs ac remittens his appropinquet, tranſeunt velut folia; *quidam alia duo genera earum faciunt, ſcilicet ſulcullariam quę fit grandior, & frumentariam quam alij auenariam dicunt: apparet* enim ſimul cum frumentis areſcentibus:

Silent fœmina.

Sulcularia. Frumētaria.

A cicadis ſicut & apibus linguæ prolongæ, & contractu putantur ſtridorem edere. Quidam vero negant vocem inſectis eſſe in tanto cicadarum ſono, & apum murmure. *Solinus.* Nuſquam alibi cicadæ mutę ſunt quam Rhegio, quod eſt à loci tanto miraculo, cum vicinæ quæ ſunt Locrenſium, vltra cæteras ſonent.

De Cicendela & cimice ac coſtro.

CAPVT CXXVI.

Cicendela.

Iſidor. Cicendela genus ſcarabeorum eſt, ſic dictum, eo quod gradiens vel volans lucet. *Ex libro de natura rerum.* Cicendela eſt vermis in Italia noctę volans, & inter noctis tenebras fulgidus radians, ita vt ſi eum in tenebris videas exhalationem ſcintillarum putes. *Iſidor.* Cimex autem ex vermibus carnium eſt, vt ſuperius dictum eſt. Dictus autem eſt cimex ex ſimilitudine cuiuſdam herbę, cuius fœtorem habet. *Auicen. in 2. canone.* Ex fraxino capita inflata ſicut granata egrediuntur, in quibus eſt humiditas de qua cimices oriuntur. Cum enim capita huiuſmodi aperiuntur, cimices ex illis egrediuntur. *Cimices autem effugat propriè ſtercus tauri,* quando cum eo fit ſuffumigatio. *Idem in quarto.* Effugantur etiam cimices, ſi fiat linitio cum oleo de raphano, vel ſi fiat ex ſerraturis ligni pini aut cum nigella ſuffumigatio vel cætera, quæ de culice ſimul ac cimice dicentur infra. *Razi in Almanſore.* Cimices ex fumo paleæ & ex fumo vaccini ſtercoris & quam maximè ex fumo calami & nigellæ fugantur. *Palladius vbi ſupra.* Hortis quoque cimices nocent, extinguuntur autem amurca & felle bubalo lectis, aut locis earum perunctis, vel foliis hedera tritis ex oleo vel incenſis ſanguiſugis. *Iſidorus.* Coſdros Græci appellant eos, qui extremis ſauorum partibus maiores creantur. Quos aliqui reges putant dictos eo quod caſtra ducant.

Cimex.

Effugatio cimicum.

Cimicum extinctio.

De culice.

CAPVT CXXVII.

Culex.

Culex ab aculeo dictus eſt, eo quod ſanguinem ſugit, habet enim in ore fiſtulam in modum ſtimuli, quo carnem terebrat, vt ſanguinem bibat. De quo quidam ait. *Parue culex pecudum cuſtos tibi plura merenti. Ariſtot.* Animal corporis annuloſi membrum habet, *Aculeus.* per quod cibum ſentit, & quædam habent hoc membrum extra, ſicut aculeum, cuius natura eſt mollis & vacua, per ipſum guſtant, & ſentiunt, & cibum attrahunt Culices autem & muſcæ minimæ beſtiarum per hoc membrum perforant hominis corium & aliorum animalium. *Ex libro de natur. rer.* Culex acida petit, & dulcia fugit, lucem diligit, ita quod ad lumen aliquando ſe vrit. Nomen habet ab aculeo quo ſanguinem fugit. *Plinius libro* 10. Culices acida petunt, ad dulcia non aduolant. *Veſpertilioni culices ſunt in cibatu gratiſſimi.*

Idem in libr. 11. In tam paruis atque tantillis quæ ratio, quanta vis? tam inextricabilis perfectio? vbi tot ſenſus in culice collocauit, ſed ſunt alia dictu minora. Sed vbi viſum in eo prætendit, vbi guſtatum applicauit, odoratum inſeruit, vbi vero truculentam illam & portione maximam vocem ingenerauit. Qua ſubtilitate pennas adnexuit, pedum crura prælongauit. Ieiunam cauam ſicut aluum diſpoſuit, auidámque ſanguinis ac potiſſimum humani ſitim accendit. *Telum vero perfodiendo tergori quo ingenio ſpiculauit,* atque in capaci, cum cerni non poſſit, exilitas ita arte reciproca generauit, vt eſſet pariter fodiendo acuminatum, ſorbendóque fiſtuloſum. Itaque aculeus eſt in ore culici, ſicut & quibuſdam muſcis. *Impugnant autem apes è culicum genere, qui dicuntur muliones.* Caprificus generat ficarios culices. *Idem in libr.* 17. Sunt & culicum genera quibuſdam arboribus moleſta, vt glandibus & fico, qui naſci videntur ex humore cum dulci ſubito corticibus. *Caprificatio maturat ficum, in qua culices naſci grāßis eſt manifeſtum.*

Cibus veſpertilionum.

Telum culicis.

Muliones.

Cum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cum enim euolauere, non inueniuntur intus grana, quæ apparent in eos versa. Exeundi tanta est auiditas, vt erumpant plerique, aut relicto pede aut pennę parte. Centrina. Est & aliud genus culicum, quos centrinas vocant, similis fucis apum ignauia malitiáq; cum pernicie verorum & vtilium, ipsos enim interficiunt, atque ipsi moriuntur. *Idem in libr.* 19. Napis quoque culices innascuntur.

De his quibus effugantur culices & necantur.

CAPVT CXXVIII.

Idem in eodem. Culices infestant hortos riguos, & præcipuè si ibi aliquæ sint arbustulæ. Sed galbano fugantur accenso, lupinorum crematorum fumo culices necantur. *Idem in libr.* 32. Absinthio fugantur. *Absinthio quoque ex aceto peruncto culices abiguntur, eiusque fumo si vratur. Idem in libr.* 33. Fornacum etiam omnium metallorum fumus sentitur noxius ac pestilens muscis & culicibus. *Ambrosius.* Culices non tangunt hominem, si absinthium cum oleo coquat, & eo se perungat. *Palladius.* Amurca, Fuligo. Galbanum. Sulphur. Contra culices ac limaces in hortis, vel *satis amurca recens, vel ex cameris fuligo spargitur, galbano quoque infuso aut sulphure fugantur. Auicenna in quarto canone.* Ad effugandum culices & cimices fit suffumigium cum serraturis ligni pini, aut cum nigella, similiter cum myrto sicca, & cum sulphure, & bdellio, & spina fœtida, & stercore vaccino, & cum foliis cypressi, ac nuce eius. Item ad idem aspergitur domus ex decoctione radicis lupinorum, aut ex decoctione nigellæ, aut absinthij, aut rutæ.

De cynomyia.

CAPVT CXXIX.

Isidorus. Cynomyia Græcè dicitur musca canina. Cynomyia. Nam canis Græcè cynos dicitur. *Ex libro de natura rerum.* Cynomyia est musca canina, catulorum auribus importuna. Quam licet catulus frequenter excutiat, semper tamen importunè reuolat. Vbi autem eum pigrum ad excutiendum inuenerit, vsque ad sanguinem & vulnera procedit. *Auctor.* Cynomyia est illa musca grauissima, qua percussa est Ægyptiorum populus in quarta plaga. Exod. cap. 8. De hac enim in Exodo legitur, *Venit musca grauissima in domos Pharaonis aĕ seruorum eius, & in omnem terram Ægypti, corruptaq́ue est terra ab huiusmodi muscis.* Per hanc enim secundum Glossam canini mores significantur, in quibus humanæ mentis voluptas, idest libido arguitur. Sic enim & cinifes quibus in tertia plaga percussi sunt Ægyptij significant inquietudines mundanorum, qui prouocatores rixarum amatores calumniantium non admittunt quietem spiritualis Sabbati. Vnde Psalmista. Dixit & venit cynomyia.

De engula & eruca.

CAPVT CXXX.

Ex libro de natura rerum. Engula est vermis à re nomen habens. Engula. Habet enim semper in sanguine caput, continuéque fugens ita intumescit, vt medius crepet. Non enim exitum superfluitatis habet: hic à quibusdam pediculus syluestris dicitur. In iumentis nunquam sed in lupis & canibus frequenter gignitur. Eruca. *Eruca est vermis lõgus multis distans pedibus, colore varius.* Olera & arborũ folia depascitur. Circa tẽpus Septembris cælesti rore vel imbre perfusus mutare subito colorem & formam dicitur, vt qui pedibus repebat innumeris, volare possit conceptis alis. Vniuersa consumit, ipsa demum consumitur. Nocet arboribus. *Eruca postquam in sumitatibus arborum instar bombycis contexta reliquit, sequenti æstate vermibus coalescunt.* Quædam vero tecta domorum intrantes, mutata forma penitus & colore sub aura in parietibus pendent, ibíque in nihilum rediguntur. Carni. *Eruca per carnem hominis transiens, eam inficit, ac post se pustulas relinquit.* Et hoc est veneni signum, & si non est efficax ad magnum malum. *Isidorus.* Eruca est frondium vermis in olere, vel pampino inuoluta; ab erodendo dicta: de qua meminit Plautus. Imitatus nequam bestiam maleficam inuolutam in pampino. Implicat se item, nec auolat vt locusta, vt huc illúcque discurrens semipasta dimittat, sed permanet parituris frugibus, & tardo lapsu pigrisq́ue morsibus vniuersa consumit. *Plinius libr.* 17. Erucæ multo imbre animalia dira nascuntur, & aliæ frondem, aliæ florem erodunt, ac depastam arborem turpi facie relinquunt, hoc malum oritur tempore humido & lento. *Palladius libr.* 2. Contra erucas semina quæ spargenda sunt semperuiuæ succo, vel erucarum madefaciunt sanguine. Aliqui vero cinerem de fico super erucas spargunt, nonnulli squillam in horto serunt, vel aliqui etiam mulierem menstruatam nudis pedibus contra erucas & cætera noxia hortum circuire faciunt, aliqui fluuiales cancros intra hortum plurimos & pluribus locis affigunt.

De formica.

CAPVT CXXXI.

Auctor. Formica est animal paruum, sollicitum, prouidum, & sagax. Formica. Terram de cauernis egerit, arcto calle incedit, grano pascitur. *Isidor.* Formica dicta est ab eo quod forat micas farris. *Aristot.* Formica est animal annulosum sine alis, & sine sanguine, & est ex animalibus, quæ cum socijs suis manent, & ex his quæ habitacula habent, sicut mures & talpæ. Formica sicut & musca coit in hyeme si conueniens aer fuerit & ventus meridionalis flauerit, habet intra os membrum per quod sentit cibum, annulosa siquidem animalia quę non habent additamentum in anteriori corporis aculeo simile, habent aliud membrum in ore sicut formicæ. Quodq́ue non habet in anteriori corporis aculeum, habet dentes quosdam ad accipiendum, & quosdam ad retinendum, vt formica & genus apum. Generatio proprietatesque. *Formicæ generatio fit ex animalibus sibi similibus. Formicæ terram ad domificandum extrahunt. Regem non habent: multiq́ue laboris & industriæ sunt, laborant & in nocte cum plena est luna, cibumq́ue suum deponunt, & semper ambulant vna via.*

Plinius libro sexto. Silices formicarum itinere vidimus attritos, & in opere semitam factam, ne quis dubitet quid possit in qualibet re quantulacúmque assiduitas. Silices terunt. Sepeliunt inter se viuentium solæ præter hominem. Et in insectis habet intus linguam formica. *Idem in libr.* 17. Pillulæ è cypresso fœmina, (mas enim non gignit) collectæ siccantur sole, ruptæq́ue semen emittunt mirrhæ formicis expetitum, ampliatóque miraculo tantuli animalis cibo natalem absumi tantarum arborum. Prognostica. *Idem in libr.* 18. Segnitérque & contra industriam suam, *formicæ absconditæ concursantes, aut ouа progerentes, tempestates aeris significant. Ex libro de natura rer.* Formica est animal miræ prouidentię sibi, hæc sola inter animalia senio fortificatur & crescit. Formicæ labores communicant vt apes, sed apes cibos faciunt, eæ vero condunt. Efferũt mortuos. *Efferunt etiam mortuos suos atque sepeliunt, & hoc solæ inter omnia animalia præter hominem faciunt.* Formica in suo genere fortissima est, pondus enim fert æquale sibi in quantitate. Granum frumenti solum colligit, non ordei. *Plinius libro* 11. Formicæ vermiculum gignunt similem ouis, Et apes quidem vtiles faciunt cibos, eæ vero condunt, ac siquis comparet onera corporibus earum, fatetur in illis portione vires esse maiores. Gerunt ea morsu maiora auersæ postremis pedibus moliuntur humeris obnixæ.

De Formicæ solertia.

CAPVT CXXXII.

Isidorus. Formicæ solertia multa est, prouidet enim in futurum, & præparat in æstate, quod comedat in hyeme. In messe enim eligit triticum, ordeum non

tangit,

tangit, & dum pluit eis ſuper frumentum, totum eijcit. *Formica inſtar animæ.* *Dicuntur in Æthiopia eſſe formicæ ad formam canis, quæ arenas aureas pedibus eruunt, quas cuſtodiunt, etiam ne quis auferat, captanteſque ad necem perſequuntur. Ambroſ.* Formica cum ſit exigua, maiora ſuis viribus audet, nec ad operandum ſeruitio cogitur, ſed ſpontaneæ prouidentiæ propoſito, futura alimentorum ſubſidia ſibi præſtruit, de alienis laboribus ſibi meſſem recondit. Et cum agricola plerumque egeat, illa non indiget. Nulla ſunt ei clauſa horrea, nullæ impenetrabiles cuſtodiæ. Nouit etiam explorare ſerenitatis tempora. *Præſagit tempeſtates.* *Nam cum aduerterit madidatos imbre fructus ſuos humeſcere, explorato diligentius aere, quando iugem poſſit ſeruare temperiem, aceruos ſuos referat, & de cauernis foras humeris ſuis portat, vt iugi ſole propria frumenta ſiccentur.* Denique nunquam illis diebus imbres erumpere de nubibus videbis, niſi cum B fruges ſuas horreis proprijs formica reuocauerit. *Phyſiologus.* Formicæ exeuntes de ſpelunca ſua ambulant ordinatæ quærentes grana. Et cum aliqua illarum ſpicam inuenerit, ex odore intelligit, vtrum tritici ſit an ordei. Si ordei, tranſit donec inueniat ſpicam tritici, tunc accedens ſurſum in ſpicam granum deponit, ſicqúe ſingulæ ſingula grana in ore deferunt ad ſpeluncam. Aliæ autem vacuæ eis obuiantes non dicunt eis, Date nobis de annona veſtra, ſed vadunt quærentes per earum veſtigia donec inueniant, & ſimiliter deferant. *Nota.* *Recondentes autem grana in ſpelunca diuidunt illa media ne germinent. Ariſtot.* Formicarum manifeſta eſt operatio, laborant (vt dictum eſt) etiam nocte, apud complementum Lunæ, non venantur ſed cibum deponunt, & vna via ſemper ambulant. Multa namque animalia carentia ſanguine ſubtiliora ſunt quibuſdam habentibus ſanguinem, vt C apes & formicæ. *Reipublicæ ratio in formicis.* *Plinius libr.* 10. Cibum formicæ condunt in annum. *Idem in lib.* 11. *His reipublicæ ratio eſt, & memoria, & cura, ſemina condunt abroſa,* ne rurſum in frugem exeant à terra. Maiora ad introitum diuidunt, madefacta quoque imbre, proferunt & ſiccant. Operantur etiam noctu in pleniſunio, ceſſant autem interlunio. Et quoniam è diuerſo conueniunt, altera alterius ignara, certi dies, ad recognitionem mutuam nundinis dantur. Quæ tunc earum concurſatio, quàm diligens cum obuijs collocutio quædam ac percunctatio? *Gloſſ. ſuper Parabolas 6.* Tantillum animal, formica, videlicet, principe carens, rationis expers, natura duce, in poſterum ſibi prouidet. *Prouerb. 6.* Vnde ſcriptum eſt. *Vade ad formicam ô piger, &c. Ex libro de natura rerum.* Formica frumenti granum eligit, & ſi complutũ in foſſa ſua fuerit, illud exponit vt ſiccetur, ſicqúe iterum reponit ipſum vſque ad tempus. Vt autem granum conſeruet abſque germine fertur ipſum in tres partes diuidere. D

De his quæ contraria ſunt formicis.

CAPVT CXXXIII.

Quibus abigantur. *Pallad. vbi ſupra.* Formicæ autem quoniam hortis ſatiſque nociuæ ſunt, *abiguntur, ſi origano ac ſulphure tritis foramen earum aſpergatur.* Iterum *ſi cochlearum vacuas teſtas vſſeris, eoq; cinere foramen earum inculcaueris.* Præterea contra formicas, ſi foramen in horto habent, noctuæ cor admouetur, ſi autem foris veniunt, omne horti ſpacium cinere aut cretæ candore ſignetur. *Achilles in lib. de venenis.* Cum intromiſeris in antrum formicarum azath id eſt veſpertilionem cohærentem, illæ formicæ non exibunt antrum, nec per ipſum amplius colligent cibum. *Locus etiam cui ſanguis menſtruus fuerit aſperſus,* nunquam ad eum accedent formicæ & areſcunt ex eo plantæ. *Plinius lib.* 10. Storacis, origani, aut calcis aut ſulphuris odore necantur formicæ. *Idem in lib.* 11. Ranarum altera fibra rubetarum à formicis non attingitur propter venenum, vt arbitrantur. *Idem in libr.* 17. Arborum peſtes ſunt & formicæ, has abigunt rubrica & pice liquida perunctis caudicibus, necnon & piſce ſuſpenſo iuxta in vnum locum congregant, aut lupino trito cum oleo linitis radicibus. *Idem in lib.* 19. Si rigui non ſint horti, eorum peſtis ſunt formicæ, contra quas E remedium eſt, limo marino vel cinere foramina earum obturare, ſed heliotropio herba ſiue ſolſequio necantur efficaciſſimè. Quidam & aquam diluto latere crudo his putant inimicam. *Idem in lib.* 30. Eſt formicarum genus venenatum, non eas nouere in Italia, quas ſolifugas apellat Cicero, vel ſalphygas. His contrarium eſt cor veſpertilionis, ſed & cantharides, reſiſtit omnibus formicis. *Ariſtot.* Si quis acceperit ſulphur & origanum agreſte, & puluerizauerit ſuper manſiones formicarum, dimittent illas, & fugient. Similiter etiam fugiunt à fumo ſtoracis ſicci. *Razi in Almanſore.* Formicæ ex alkitram, & ex ſulphure, & ex aſſa fœtida fugantur, & ſi ex iſtis mittatur aliquid in earum foraminibus, morientur. Porro ſi ex eo circa foramen epithema fiat, non exibunt. *Ex libro de naturis rerum.* Domus formicarum ex ſulphure & origano agreſti fumigata formicas effugere cogit ab illa.

De maioribus formicis.

CAPVT CXXXIV.

Solinus. Formicæ (vt dictum eſt) dicuntur eſſe in Æthiopia ad formam maximi canis, quæ araneas aureas pedibus quos leoninos habent, eruunt, ac ne quis auferat, cuſtodiunt. *Plinius libro vndecimo.* Formicæ in regione ſeptentrionalium Indorum, qui dardæ vocantur, è terræ cauernis egerunt aurum, quibus color felium, magnitudo Ægypti luporum. Erutum ab eis hoc aurum tempore Hyberno, Indi furantur, feruore æſtiuo conditis propter vaporem in cuniculos formicis. Quæ tamen odore ſollicitatæ prouolant, crebróque quamuis camelis præuelocibus fugientes lacerant. Tanta pernicitas eſt his feritáſque cum auri amore. *Modus eripiendi auri ab Æthiopicis formicis* *Phyſiologus.* Qui volunt à formicis Æthiopicis aurum abripere, accipiunt equas cum pullis ſuis & fame affligunt tribus diebus, denique pullos earum ad littus aquæ religant, quæ currit inter eos & formicas. Et equas agunt trans aquam illam impoſitis clitellis ſuper dorſum earum, quæ vbi vident trans flumen herbas virentes, paſcuntur per campos vltra flumen. Formicæ autem videntes ſcrinia & clitellas ſuper dorſum earum, comportant in eas aureas arenas volentes eas ibi recondere, veſperaſcente autem die poſtquam ſatiatæ ſunt equæ & auro onuſtæ, pullos ſuos audientes præ fame hinnientes regrediuntur ad eos cum auro multo. *Ex libro de naturis rerum.* In India ſunt formicæ circa montes aureos vulpibus maiores fortes ac ſæuæ nimis, pedes quatuor habentes, & in pedibus hamatos vngues. *Fortitudo.* *Tantæ vero fortitudinis ſunt, vt viſos homines diſcerpant.* Beſtias autem de facili non lædunt ſatis conſciæ, quod aurum illud quod ipſæ cuſtodiunt inuitis non auferant. Ad plectendum ergo temeritatem auaritię illic à Deo collocatæ ſunt beſtiæ.

De Formicoleone.

CAPVT CXXXV.

Formicoleo. *Iſidorus.* Formicoleon ideo ſic vocatur, quia formicarum eſt leo, vel quia formica pariter & leo. Eſt enim animal paruum, formicis ſatis infeſtum, quod in puluere ſe abſcondit, & formicas frumenta geſtantes interficit. Proinde autem formica & leo vocatur, quia aliis animalibus eſt vt formica, formicis autem vt leo. *Myrmicoleon* *Gloſſ. ſuper Iob.* Myrmicoleon, ideſt formicarum leo, eſt paruum animal, quod clam inſidiatur formicis, eáſque comedit, volatilibus autem & alijs animalibus à quibus comeditur, formica exiſtit. Vnde myrmicoleon perijt, & cætera. *Ex libro de natur. rerum.* Formicarum leo qui myrmicoleon dicitur, vermis eſt de genere formicarũ, ſed multo maior. Qui dum adhuc paruus eſt & inualidus robore, pacem ac modeſtiam ſimulat, ſed cum vires acceperit, priſtina conſortia deſpicit, & vnam maiorum turbam comitatur. Itaque inualeſcens audacia, formicis ad vſus conuenientes laborantibus inſidias deliteſcit,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

liteſcit,& qui ſibi nihil in æſtate parauerat,in hyeme labores earum diripit ac deſtruit.

De Fuco.

CAPVT CXXXVI.

Fucus. *Ortus.* *Isidorus.* Fucus eſt maior ape, vel maior apis, minor crabrone. Et dictus eſt fucus, eo quod alienas labores edat,quaſi fagus,vel focus. Depaſcit enim quod non laborauit. *De hoc Virgilius ait. Ignauum fucos pecus à præſepibus arcet. Oriuntur autem fuci de mulis inortuis. Ariſt.* Cephenes(vt dictum eſt)ab apibus ſolitarium eſt, nec operatur,ſed viuit ex eo,quod operantur apes. Ipſeque & pulli apum cibantur à melle, & quaſi ſe exercentes volant in aere. Deinde ad aluearia reuertuntur,& cibantur. *Conturbernales apum* *Plinius libro* 10 Apes primum domos plebeis,ædificant,deinde regibus. *Si ſperatur largior prouentus, adiyciuntur contubernia & fuci.* Eæ quidem cellarum minimæ, ſed ipſæ maiores apibus. Sunt autem fuci ſine aculeo, velut apes imperfectæ, nouiſſimeque à feſſis, & iam emeritis inchoatę,ſerotinus fætus,& quaſi ſeruitia verarum apum, quamobrem imperant his, primoſque in opera expellunt,tardantes vero ſine clementia puniunt. Nec tantum in ore,ſed in fœtu quoque adiuuant eas, multum ad calorem turba conferente. Certè quo maior fuerit multitudo earum, eo maior fiet & prouentus examinum. *Nota.* *Cumque mella ceperint matureſcere, abigunt eos.* Et trucidant multæ ſingulos aggreſſę. Nec id genus niſi vere conſpicitur fucus ademptis alis in aluearium reiectus ipſe adimit cæteris. Porro ſi deſperatur prouentus, tunc fucos abigunt. Proprium his genus eſſe aliqui æſtimauere,ſicut furibus inter illas grandiſſimis, ſed nigris, lataque aluo,ſic appellatis, quia furtim mella deuorent. Certum eſt ab apibus fucos interfici, qui vtique regem non habent. Et quomodo ſine aculeo naſcantur, in quæſtione eſt.

De Grillo & gurgulione.

CAPVT CXXXVII.

Grillus. *Isidorus.* Grillus à ſono vocis nomen habet,hic retro ambulat,terram terebrat,ſtridet noctibus, venatur eum formica circumligata capillo in cauernam eius cõiecta,efflato prius puluere ne ſe abſcondat,& ita formicę complexibus trahitur. *Vtilitas.* *Halis in libro regalium diſpoſitio. Locuſtæ longæ, ideſt grilli, ſi collo ſuſpendantur quartanam patienti prodeſt. Plinius libro* 29. *Grillus prodeſt prurulentis* auribus cum terra ſua effoſſus, magnam huic animali perhibet Nigidius auctoritatem, magi quoque maiorem. Auriculæ parotydæ proſunt grilli ſiue illiti, ſiue adalligati. *Idem in libro* 30 Strumis quoque ſuadent illinire grillum cum terra ſua effoſſum. *Porro contra calculos* & alias difficultates veſicæ prodeſt grillum aqua calida dilutum ſumere:præterea grillorũ crematorum fauilla ex oleo *perducit ad cicatricẽ vlcera. Petrus Comeſtor.* *Gurgulio.* Gurgulio vermis eſt,qui naſcitur in corruptione fabarum, ſicut tinea ex corruptione olerum,teredones ex corruptione lignorum. *Iſidorus.* Gurgulio dicitur, quia penè nihil eſt aliud niſi guttur.

De Lanifico & limace.

CAPVT CXXXVIII.

Lanificus. *EX libro de natura rerum.* Lanificus vermis eſt longus, maculoſus, ex multis diſtans pedibus,ſparſim colore albus, hic lanam ſericam ex proprijs viſceribus operatur,& arboris mori folijs veſcitur. Qui ſcilicet cibus mediantibus ipſius viſceribus in lanam eam vertitur. *Itaque lanæ ſuæ fuſos in ramuſculis faciunt*,& in circuitu ſui operantur, ita vt perfectis fuſis vndique in opere ſuo includantur poſt hoc exitum ſibi faciunt in ſummitate fuſorum, egredienteſque natura mirabili mutati prorſus apparent à forma priori, adeo vt vermes qui repebant innumeris pedibus, habentes alas iam apti ſunt ad volandum. Demum venerem ineuntes diebus tribus coeunt,quo peracto maſculus moritur, fœminæ vero ordine iterato oua parit innumera, ſubſtrato ſibi panniculo vel albo vel rubro. Deinde emoritur, tunc panniculus cum ouis ſuſcipitur, & vbi non poſſit hyemis attingere frigus reponitur,poſtea calore veris inualeſcente oua ad ſolem exponuntur, & calore fouentur, donec animata in vermes formentur. *Duos tamen colores lana naturaliter in verme ſuſcipit, album ſcilicet & croceum.* Cæteri vero artificio fiunt. Dicitur quod oua de panno in exceptione ſuppoſito vel album colorem vel croceum trahunt. *Iſidorus.* Limax eſt vermis limi, dictus eo *Limax.* quod in limo naſcatur, vnde & ſordius ſemper & immundus habetur. *Auctor.* De hoc plenius infra dicetur, vbi de teſtudine agetur.

De Locuſta.

CAPVT CXXXIX.

Locuſta. *Isidorus.* Locuſta dicitur,eo quod longis pedibus ſit veluti haſta,vnde & tam maritimam, quam terreſtrem Græci ἀκρίδα vocant. *Ariſt.* Locuſtę nõfaciunt ſtrepitum, niſi volando in extendendo alas & contrahendo per aerem inter alas & corpus cadentem. Senectutem exuere accidit locuſtis ſicut & veſpis quorundam annuloſi corporis pedes poſteriores ſunt maiores, quam medij propter ambulationem,& vt eleuentur cito à terra cum volare voluerint. Quod autem ex eis coit, hoc manifeſtius facit, vt locuſtę ac pulices, iſta namque pedes conſtringendo flectunt, deinde illos extendunt, & ſic à terra eleuantur. Neceſſaria enim eſt flexio in pedibus declinans ad exterius. Pedes autem anteriores non poſſunt talis eſſe diſpoſitioms. Et omnes iſti ſex habent pedes cum duobus pedibus,per quos coeunt. *Plinius libro* 11. Inſectorum pedes quibus ſunt in obliquum mouentur,& quorundam extremi longiores foris curuantur, vt locuſtis. In India ternũ pedum longitudinis eſſe traduntur, cruribus & fęminibus ferrarum vſum præbentes cum inaruerint. *Eſt & alius eorum obitus.* Gregatim ſublatæ vento & in maria aut ſtagna *Obitus.* decidunt & moriuntur. Fortè hoc caſu euenit, non vt priſci exiſtimauere, madefactis nocturno humore alis. Iidem quippe nec volare eas noctibus, propter frigora tradiderunt, Parthis hæ in cibo gratæ. *Vox earum ab occipitio proficiſci videtur. Et loco in commiſſura ſcapularum quaſi dentes exiſtimantur habere*, ipſoſque inter ſe terendo ſtridorem edere, circa duo ęquinoctia maximè,ſicut cicadæ circa ſolſtitium. Locuſta ſanè minimè creditur ſonare,ſed pennarum ſonum eſſe. Inſectorum,quæ nouiſſimos pedes habent longos ſaliunt, vt locuſtæ.

Etymon locuſta. *Ambroſius.* Locuſtę foliis oliuæ abroſis ſe liberant ab ægritudine. *Ex li. de nat. rer. Locuſta dicitur quaſi loco ſtans*, colore viridis eſt,caput habens formatum vt æquus, os ad modum quadranguli, aculeum pro cauda, crura longiora,& ad ſeipſam reflexa,vnicum inteſtinum ſanie & immunditia repletum. *Locuſtæ à vento auſtrali generantur ſeptentrionali moriuntur & aquilonari.* Floribus arborum amygdalorum citius impinguantur. Infirmitatis ſuæ remèdium habent, nam folia lauri abroſa, eas ab ægritudine liberant,mutuo ſe comedunt, maioreſque minores deuorant,hoc animal eſt leue ac mobile, cuius alacer volatus,ſed cito deciduus. *Strabus.* Locuſta dicitur quaſi longa haſta, quia longiora retro habet crura. *Gregorius.* Locuſtæ pluſque animalia cętera minuta frugibus nocent,& ideo linguas adulantium figurant, quę mentes bene operantium corrumpunt,& ad appetitum laudis declinant. *Gloſſa ſuper Iob.* 39. Locuſtæ cum ſe in aerem attollere conantur, primum ſe cruribus impellentes ſubleuant,& poſtmodum alis vocant. Et matutinis quidem horis vix à terra ſe ſubleuant. Cum autem *Iob. 39.* æſtus exarſerit,altius volant. Vnde ſcriptum eſt. *Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas?*

De Generatione locuſtarum.

CAPVT CXL.

Per ſe impregnantur. ARiſtot. Locuſtam vociferantem habuit mulier quædam, eamque nutriuit paruam. *Cum autem creuit, ipſam per ſe impregnatam inuenit.* Et hoc argumentum eſt, quod fæmina quælibet ſperma naturaliter habeat. Animalia quædam annuloſi corporis cœunt. Eritque ex animalibus ſibi ſimilibus generatio eorum, ſicut accidit animalibus carentibus ſanguine, vt ſunt locuſtæ ac veſpæ & formicæ. *Plinius vbi ſupra.* Locuſtæ pariunt in terram demiſſo ſpinæ caule oua condenſa autumni tẽpore, ea durant hyeme ſub terra, anno ſequenti exitu veris emittunt paruas nigrantes, ſine cruribus penniſque reptantes. Itaque vernis aquis oua intereunt. ſicco vero maior eſt prouentus. Alii duplicem earum fætum geminumque tradunt exitum. vergiliarum. ſcilicet exortu parere. Deinde ad ortum canis obire, & alias renaſci. Quidam vero arcturi occaſu renaſci tradunt, matres cum peperierint eas mori certum eſt, vermiculo ſtatim circa fauces innaſcente, qui eas ſtrangulat. Eodem tempore mares obeunt, tam friuola ratione morientes, ſerpentem cum libuerit necant ſingulæ, faucibus eorum mordicus apprehenſis. Non autem naſcuntur niſi in locis planis & rimoſis. Circa duo maximè æquinoctia coitus eſt locuſtarum, ſicut cicadæ circá ſolſtitium. Coitus locuſtarum qui inſectorum omnium quæ coeunt fœmina portante marem vltimo caudæ reflexo tardoque digreſſu. In omni hoc genere mares fœminis ſunt minores. *Idem in lib.* 29. Locuſtæ autem minimæ, ideſt minores athelabi dictæ, aduerſantur apibus ac veſpis, & ſcrabronibus atque ſanguiſugis *Ex libro de natu. rer.* Locuſtæ (vt dictum eſt) a vento auſtrali generantur, ſeptentrionali & aquilonari moriuntur. Circa ſolſtitium eſt coitus earum. Oua condenſa in autumno pariunt, quæ tota hyeme durent, & exitu veris erumpunt. Fætus forma puſilli ſine cruribus penniſque reptantes mori eas cum peperierint certum eſt. *Glo. ſuper Iobel.* Bruchus vocatur fætus locuſtæ antequam alas habeat. Deinde cum incipit parum volare athelabus dicitur. Cum vero pleniter volat, locuſta vocatur. Multoque grauior eſt bruchus quam locuſta vel athelabus, quia iacens in vno loco radicitus comedit fructus. *Gloſſa ſuper Naum.* 3. Bruchus autem & athelabus & locuſta incaleſcente Sole auolant teſte Propheta.

Tempus ouandi.

De Nocumentis earum.

CAPVT CXLI.

PLinius *vbi ſupra Locuſtas certum eſt maria longinqua tranſire*, continuata plurimarum dierum fame, maximèque miramur. quod propter externa pabula nouerunt tam remota petere loca, mira peſtis, nam & grandiores cernuntur. *Tantoque pennarum ſtridore volant, vt aues eſſe credantur, ſolemque obumbrant*, populi autem vbi a longè venientes ſpectant, ſolliciti ſunt, ne ſuas terras aperiant. Nam vbique dira meſſibus nube terras contegunt, multa contactu adurentes, & omnia morſu corrodunt, vt fruges tectorumque fores. *Aliquando autem vento ſublato in maria vel ſtagna decidunt.* In Cyrenaica regione lex eſt has ter in anno debellandi, primo quidem oua obterendo, deinde fœtum, & tandem adultas. Deſertoriſque pœnis adiudicatur, qui ab hac lege ceſſauerit. Italiam ex Aphrica maxima ſæpe infeſtant cohorte, populo ſæpe ad ſibylina coacto remedia confugere metu inopiæ. In Lemno Inſula certa præfinita eſt menſura, quam ſinguli erecatarum ad magiſtratus referent. Gracculos etiam ob id colunt, aduerſo volatu earũ exitio ac neci occurrentes. Tot orbis partibus malum id vagatur. In Syria quoque militari Imperio necare coguntur accolæ, & eas debellare, Parthi vero eas in cibum ſumunt, *Ex libro de naturis rerum. Locuſta* eſt animal dente noxium, & cum regem *non habeat ordinatum ducit exercitum.* Hoc animal (vt dictum eſt) pluſquam cætera inimica frugibus nocet. *Ambroſius.* Locuſta collecto agmine occupans latitudinem regionis, non nocet habitando, nec fructus depaſcitur, niſi ſignum acceperit diuinæ præceptionis, & tunc exequitur vltionem cæleſtis offenſionis, hanc auis Græcè dicta ſeleuthis, ad remedium data inſanabili paſtu deuorat, & plagam extinguit. *Gloſſa ſuper Amos* 7. Locuſtæ cum in principio imbris ſerotini id eſt verno tẽpore quando cuncta virent, & omnis ager parturit, veniunt, cuncta fere conſumunt. *Gloſſa ſuper Naum.* 3. Locuſtæ in frigore torpent, in calore volitant. Porro athelabus modicis pennis reptans potius, quam volans, vbicumque oritur, vſque ad puluerem cuncta conſumit, quoniam abire non poteſt donec pennæ creſcant; Porro bruchus & athelabus & locuſtæ incaleſcente ſole ad alias regiones aduolant, nec meminerunt ſepis in quo tempore frigoris ſederant, vnde ſcriptum eſt. *Cuſtodes tui quaſi locuſtæ, & paruuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum, quæ conſident in ſepibus in die frigoris, Sol ortus eſt, & auolauerũt, & non eſt cognitus locus earum vbi fuerint.* *Nahum cap.* 3.

Creduntur aues eſſe ob ſtridorem.

Lex Cyrenenſium.

Bellum contra locuſtas.

De Remedijs contra eas.

CAPVT CXLII.

GLoſſa *ſuper Iſaiam* 33. Locuſtæ foſſis obruuntur ne à vento in mare rapiantur, & ad terram deiectæ ex ouis, quæ viuæ conceperant, etiam bruchos in morte gignant. Vnde dicitur per Prophetam. *Congregabuntur ſpolia veſtra ſicut colligitur bruchus, velut cum foſſæ ex eo fuerint plenæ. Plinius li.* 10. Seleutides aues vocantur, quarum aduentum ab Ioue precibus impetrant Caſſini montis incolæ, locuſtis fruges eorum vaſtantibus. *Idem in lib.* 11. Lemnij certa menſura ſibi præfixa ſinguli locuſtarum enecatorum ad magiſtratus referunt. Ob id quoque gracculos colunt, quoniam aduerſo volatu earum exitio necaturi occurrunt. *Palladius lib.* 1. Opinio Græcorum eſt, ſi nubes locuſtarum repente ſurrexerit, latentibus infra tecta cunctis hominibus, eam poſſe tranſire. Quod ſi obſeruantes homines ſub aere deprehendant, nullum fructum noceri ſi continuo omnes ad tecta confugiant. Pelli etiam dicunt amari lupini aut agreſtis cucumeris aqua decocta ſi muriæ mixta fundatur. At æſtimant aliqui locuſtas, vel ſcorpiones poſſe fugari, ſi aliquo ex his vtantur in remedio.

De Medicinis ex corporibus locuſtarum.

CAPVT CXLIII.

AVctor. Locuſtę ſicut & animalia cætera plura in ſe habent medicinalia, corporis humani morbis curandis vtilia. *Plinius libro* 30. *Locuſtarum pedes cum ſebo hyrcino triti lepras ſanant. Auicenna in* 2. *canone medicinæ.* Locuſtæ meliores ſunt craſſæ, quę alas non habent, & hæ aſſantur & comeduntur propter puncturam ſcorpionis. *Pedes locuſtarum eradicant verrucas*, vt dicitur. Ex rotundis autem earum 12. grana ſumentur, abiectiſque capitibus & extremitatibus earũ, poniturque cum eis parum myrti ſiccæ, *bibunturque propter hydropiſim ſicut ſunt. Item conferunt guttationi vrinæ & difficultati eius.* Fitque cum eis ſuffumigatio, & confert difficultati ipſius, ac præcipuè mulieribus. *Fitque cum eis vaporatio hæmorrhoidibus. Stercus locuſtarum panno confert, & morpheę*, &c. *Vtilitas medicæ locuſtarum.*

De Lumbrico.

CAPVT CXLIIII.

ISidorus. Lumbricus eſt vermis inteſtinorum, ſic dictus quaſi lubricus, quia labitur, vel eo quod in lumbis ſit. Horum tria ſunt genera. Rotundi longi & lati. *Plinius libro* 11. Intra hominem tineæ tricenum pẽdum, aliquando & plurium in longitudine, *Lumbricus.*

iam

iam in carne inueniuntur exanimi, viuentium quoque hominum capillo. Qua fæditate & & Sylla dictator & Aleman ex clariſſimis Græciæ Poetis obiere, hoc quidem & aues infeſtat. Aliquando interimit phaſianas, niſi pulueriżantes ſeſe. *Pilos habentium Aſinum immunem hoc malo credunt, & oues tantum. Hali in libro regalis diſpoſitionis.* Lumbrici naſcuntur ex humoribus phlegmaticis putreſcentibus in inteſtinis, vbi naſcitur calore extraneus, hos impoſſibile eſt naſci de ſanguine vel cholera rubea. Nam cholera rubea cum amaritudine & acuitate ac ſiccitate ſua huiuſmodi occidit animalia. Sanguis autem de venis vel arterijs non exit, & ſi exierit, apoſtema gignit cum paſſionibus alijs, vnde paſſionem hanc habent pueri phlegmaticam & craſſam humiditatem habentes cum diæta ſua craſſa & purgandi negligentia. *Cauſa.* *Maximè vero in autumno hæc paſſio naſcitur ex fructuum comeſtione.* Huius ſpecies ſunt tres. Vna lumbricorum, qui quaſi rami portulacæ ſunt, & in inteſtino ſubtili naſcuntur propter nimiam humiditatem cibi, quæ in eo adunatur, Sunt & alij lati, ſicut ſemina cucurbitæ, plurimum in inteſtino craſſo maximoque morbo. *Accidentia lumbricorũ* Sunt etiam alij minuti vermuli, ſicut qui fiunt in aceto, plurimum in erecto naſcentes inteſtino. *Lumbricorum accidentia ſunt* tortura, abominatio, punctura, maximè cum inteſtina propter humectationem ſubtiliata ſunt. Nam lumbrici de eorum humectatione trahunt, qui ſi creuerint in inteſtinis virtus deficit, quia Chylus ea nutriens ad lumbricos nutriendos vadit, vnde deficit humiditas corporis, ſtrident dẽtes, labia pruriunt, abominationem habent & vomitum. Aliquando autem vſque ad ſtomachum aſcendunt, & cum vomitu.

De Multipede.

CAPVT CXLV.

Multipes. I *Sidorus.* Multipes eſt vermis terrenus, ex multitudine pedum vocatus, qui contractus in globum complicatur. Naſcitur ſub petris ex humore & terra. *Ariſtoteles.* Animal annuloſum longi corporis & multorum pedum æqualem habet annuloſitatem, & viuit aliquantulum poſt capitis abſciſionem. Item per fumum ſtoracis ſicci, multipes deluditur ac deprehenditur. *Ex libro de natura rerum.* Multipes à re nomen habet, & ſanguine caret. Hoc animal dicit Auguſt. aliquando coram ipſo allatum, eoque ſpectante in multas partes conſciſum, & tamen vnaquæque pars vixit ab alijs partibus ſeparata. *Vſus medicinalis.* *Auicenna.* Vermis rubeus qui eſt ſub vrceis aquę, plurimos habet pedes, & cum tangitur rotundatur. Si palatum ex eo cum melle tangitur, *valet contra præfocationes,* & ſimiliter cum comeditur. *Confert etiam aſmati, & ad dilationem anhelitus,* ſecundum quod dicitur. *Item vermis multipedes cum vino bibitus confert ſciaticæ, & difficultati vrinæ.*

De Muſaraneo.

CAPVT CXLVI.

Muſaraneus. I *Sidorus.* Muſaraneus eſt animal perexiguum in Sardinia araneæ forma, quæ ſolifuga dicitur, eo quod diem fugiat, in metallis argentarijs plurima eſt occulto reptans, & per imprudentiam ſuperſedentibus peſtem facit. *Plinius libro 8.* In Italia muribuſaraneis venenatus eſt morſus. Eoſdem autem vlterior Apennina regio non habet. Iidem vbicunque ſunt orbitam ſi tranſiere moriuntur. *Idem in libro 20. Muriſaranei morſus ſoliorum aridorum braſicæ ſuina ſanatur.* Erucę quoque ſemen ſcorpionum & muriſaranei venenis medetur. *Idem in lib. 22. Cimis etiam ordei* morſibus aduerſatur muriſaranei. *Idem in libro 23.* Item acetum muriſaranei morſus ſanat hauſtum. *Idem in libro 27. Abſinthium* etiam aduerſatur muriſaranei morſibus. *Idem in libro 27. Leporis coagulum* ex aceto valet contra muremaraneum. *Idem in libro 29.* Muriſaranei morſus *ſanatur agnino coagulo* poto vngulæ arietinæ cinere cum melle. *Item muſtelæ catulo.* Item ſi iumenta momorderit *mus recens cum ſale imponitur, aut veſpertilionis fel ex aceto. Ipſe quoque muſaraneus* contra ſe remedium eſt diuulſus & impoſitus. Optimum quidem erit ſi imponatur ipſe, qui momorderit. Sed ad vſum hunc ſeruant alios, oleo vel luto circumlitos. Præterea contra morſum eius eſt remedium terra exurbita. *Orbitam nõ tranſit.* *Ferunt enim orbitam ab eo non tranſiri torpore quodam naturæ. Idem in libro 30.* Muriſaranei morſibus *aduerſantur talpæ* terraque orbitis depreſſa, vel ſemen erucæ. De ſolifuga quoque dicetur infra.

De Muſca.

CAPVT CXLVII.

Muſca. I *Sidorus.* Muſca ex Græco venit, ſicut & mus, eæ ſicut & apes necatæ in aqua aliquotiens poſt vnius horæ ſpacium reuiuiſcunt. *Ariſtoteles.* Animalia duas alas habentia tantum pungunt aculeo, qui eſt in interiori ſui capitis, vt muſcæ & muſteliones. Cumque quodlibet annuloſum habeat membrum, per quod ſeptit cibum, muſcæ ac muſtiliones hoc membro pungunt & ſanguinem extrahunt. Muſca ſicut & apis non facit ſtrepitum ac ſibilum, niſi volando ſcilicet alas per aerem inter ipſas, & corpus cadẽtem extendendo & contrahendo. Muſca & formica non ſunt nidificantes. In hyeme coeunt ſi aer conueniens fuerit, & ventus meridionalis flauerit. Non autem ſeparantur in coitu niſi grauiter quędam annuloſa, quia coitus in eis multum durat, vt patet in muſcis & araneis. *Muſca habet aculeum ſicut apis extra, cuius natura eſt mollis & vacua, per ipſum guſtat & ſentit ac cibum attrahit, habet itaque dentes muſcarum genus & apum qui non ſunt ſimiles dentibus aliorum.* *Guſtat per aculeum, habet dentes.* Animalia quædam naſcentia nec ſuo generi aſſimilantur, nec à ſuo genere diuerſantur, vt muſcæ & apiculæ. Nam & ex iſtis oriuntur animalia quorum natura non eſt ſimilis generi à quo sũt, immo vermes ab illis exeũt. *Auctor.* Muſcæ (vt fertur) ex immundicia naſcuntur, immundis adhærent, & loca immunda frequentant. Inquietæ ſunt & importunæ & infeſtæ, pungitiuæ ac tumultuoſæ. *Ex libro de naturis rerum.* Muſca proteruè volat, & circumuolando ſtrepitum facit ex aere circumagitato. Inter alas roſtrum habet quaſi cannam concauam, pedibus poſterioribus alas acuit, anterioribus autem roſtrum & caput, lucem diligit, nec in tenebris ambulare nouit. Ad calorem ſe libentius confert, humidis inſidet, cruorem appetit, ſalſa & aſpera fugit, albaque & mundiora libenter coinquinat. *Carnes recenter cæſas vbicumque tetigerit ſtatim vermes inſequuntur,* qui corrumpunt infectas, hoc maximè diebus canicularibus, infeſta eſt omni animali, & maximè homini: ex corruptione ſimi generantur muſcæ; *in aqua merſæ reuiuiſcunt expoſitæ, hyeme latent extinctis ſimillimæ.* Et in Auguſto prouolant importunæ. Vermiculos autem nigros ac duros edunt, è quibus muſcæ proueniunt.

De Eodem.

CAPVT CXLVIII.

Reuiuiſcentia muſcarum modus. P *Linius libro 10.* Muſca præcipuè pabulum eſt aui dictæ hæmatopodes. Quædam vero generant aliquid coitu, ſed imperfectum eſt ac diſſimile, & ex quo nihil amplius gignitur, vt vermiculus muſcæ. *Idem in libro 11.* Muſcæ binas gerunt pennas. Veſpes muſcas grãdiores venantur, & amputato his capite reliquum auferunt corpus, inſectis aliquibus ſunt in ore pro lingua aculei quibuſdam hebetes nec ad puuctum, ſed ad ſuctum vt muſcarum generi, in quibus lingua fiſtula euidens eſt, nec ſunt talibus dentes. *Muſcis humore exanimatis ſi cinere condantur, vita redit:* inſectorum pedes primi longiores ſunt oculos duos habentibus, vt ſubinde tergant eos pedibus, ſicut in muſcis notamus. *Idem in libro 21.* eſt mons in Creta Carina nouem milium paſſuum ambitu, intra quod ſpacium muſcæ non reperiuntur, ibique mel nuſquam attingunt. *Idem in libr. 24.*

Ad necandum muſcas. *Muſcæ quidem necantur, ſi locus foliorum ſambuci decoctione ſpargatur. Idem in lib. 25. Elleboro quoque muſcæ necantur albo, trito, & cum lacte ſparſo. Idem in libro 27.* Porro literas à muſcis tuetur, attramentum librorum ex diluto abſinthij temperatum. *Idem in libro 29.* Alopicias replent capita muſcarum recentia folio ficulneo prius aſperata, alij ſanguine vtuntur muſcarum, alij decem diebus cinerem illarum illiniunt cum cinere carthæ, vel etiam etiam nucum, ita quod tertia pars ſit è muſcis. *Idem in libro 34.* Halitus fornacis plumbi quando decoquitur muſcis & culicibus noxius peſtilens ſentitur. *Auicenna in 4. canone. Muſcas interficit arſenicum* quando de illo ponitur aliquid in lacte, & fugunt muſcæ. *Interficit etiam eas fumus eius,* & fumus thuris, atque decoctio ellebori nigri. *Hali. vbi ſupra.* Muſcę proſunt oculorum doloribus, & caſui palpebrarum, quæ ſi comburantur & cum melle ſuper alopiciæ loca ponantur capillos producunt.

Arſenicum. *Fumus.*

De Ophimacho.

CAPVT CXLIX.

Ophimachus. EX *lib. de natu. rer.* Ophimachus eſt vermis corpore admodum exiguus, ſed audacia animi & ingenio robuſtus nimis. Dicitur autem cum ſerpentibus habere certamen, & ingenio pręliandi vitam defendere. Cumque corpore ſit exiguus, ac viribus impar, exercitio tamen pugnę ſerpentem vincit fortiorem ſe, viuitque ſecurus audacia potius, quam naturali fortitudine. *Auctor.* Hunc tamen quia in Leuitico inter volatilia numeratur, ſuperius inter volucres deputauimus, ibique nonnulla de illo inſeruimus. Sed quia corpore (vt dictum eſt) admodum exiguus eſt, rectius arbitror eum ſicut apes & muſcas in numero vermium eſſe deputandum.

De Papilione.

CAPVT CL.

Papilio. I *Sidorus.* Papiliones auiculæ ſunt, quæ maximè florentibus maluis abundant, quęque ſtercore ſuo vermiculos naſci faciũt. *Plinius li. 11.* Papilio ignauus & inhonoratus luminibus accenſis aduolitans, peſtifer apibus infeſtus eſt non vno modo, nam & ipſe ceras depaſcitur, & relinquit excrementa, quibus teredines gignuntur, quæ ceras appetunt. Quibuſdam inſectis cornicula protenduntur ignaua vt papilionibus. *Idem in lib. 20.* Genus cognatum apibus beſtiolas necat innaſcentes, vt araneas & papiliones. Tolluntur autem papiliones cum matureſcit malua noctu interlunio, ſereno cælo, cum lucernis accenſis ante alueos, in eandem flammam ſeſe ingerunt. *Idem in li. 28.* Papilio lucernarum luminibus aduolans inter mala numeratur medicamẽta. *Huic eſt contrarium lectus caprinum. Ex libro de natura rerum.* Papiliones ſunt vermes volantes, qui maximè floribus innituntur, & ex eis cibos capiunt. Poſt Auguſtum coeunt, & maſculo moriente poſt coitum fœmina edit oua, quibus editis moritur. Quidam vero per hyemem durant, & in ęſtate vermes faciunt, qui calore ſolis ac nocturno rore inualeſcentes, alas cõcipiunt euolantes. *Palladius libro 5.* Papiliones quoniam apibus obſunt, menſe Aprili necandi ſunt. Tunc enim maximè abundant florentibus maluis: *quos hoc genere intercipiemus;* Vas æneum miliario ſimile, ideſt altum & anguſtũ veſpere inter aluearia collocemus, & in fundo eius ponamus lumen accenſum, illuc & papiliones conuenient, & circa lumen volitabunt, & anguſtia vaſculi ab igne proximo interire cogentur.

Antipathia. *Captura papilionum modus.*

De pediculo.

CAPVT CLI.

Pediculi. I *Sidorus.* Pediculi ſunt vermes cutis à pedibus dicti. Vnde pediculoſi dicti ſunt, quibus pediculi in corpore efferueſcunt. *Ex lib. de naturis rerum.* Pediculi dicuntur à numeroſitate pedum, hoc malum ex ipſa hominis carne creatur indubitanter; & tamen inuiſibiliter. Hos nonnulli de ſudore hominis, alij de poris & euaporationibus gigni dicunt. *Contra hos præcipuum remedium eſſe dicitur frequens ablutio corporis marinis aquis,* aut vehementius ſalſis, vel argentum viuum in oleo oliuę diutius bullitum, & zonam ex eo intinctam portare. *Hali.* Accidit autem peregrinanti copia pediculorum in corpore propter ſudorem & pulueren, ac balnei paucitatem. Quod cum euenerit, corpus eius cataplaſmetur cum argento viuo, occiſo cum oleo, adiuncta Ariſtologia longa, & defalo; mane quoque balneum ingrediatur, & corpus eius fricatione valida mundetur, caputque cum Carthama blito, & boraco lauetur. *Razi. vbi ſupra.* Pediculorum generationem prohibent vſus balnei & lauacri, pannorum frequens mutatio, proprieque vt pãnus qui carni adhæret lineus ſit, tardè namque pediculis repletur. Huiuſmodi pediculos generatos interficit argentum viuum extinctum, ſi oleo miſceatur, ex oleoq; fila lanea inungatur, quæ ſuper ſe aliquis appendat, aut ex eis ſe cingat. *Auicenna in 2. cano. Staphyſagria cum arſenico pediculos interficit, & ſimiliter argentum viuum extinctum. Idem in 4.* Pediculus vulturis (vt ait Galenus) paruus eſt, à quo non cauetur, & forte non videtur morſus eius. Facit autem erumpere ſanguinem per vrinam, & per nares, & in ano, & in ſtomacho per vomitum, & ex pectore, & pulmone, & radicibus dentium, & quandoque non recipit medicinã. Huiusmorſui confert lac dulce ſcilicet caprinum, & butyrum crudum, & terra ſigillata, & portulaca & reliqua extinguentia.

Remedium. *Alud remedium.*

De Pulice.

CAPVT CLII.

I *Sidorus.* Pulices vocati ſunt, eo quòd in puluere magis nutriuntur. Patet pulicem eſſe vermiculum nigrum & minutum quidem, ſed valde pungitiuum, maximè autem tempore æſtiuo & pluuiali. *Ex libro de naturis rerum.* Pulices atro colore de puluere calefacto, & poſtmodum humore corrupto procreari dicuntur. Saliunt potius, quam volant, nocte quam die magis hominem infeſtant, & niſi vehemens torpor aut ſomnus grauis in membris ſit, ſe tueri non poteſt. Cum quis manum adhibet, celerius fuga dilabuntur, nec inueniri queunt. Vbi vero quies eſſe creditur, celerius ad infeſtandum redeunt, hominem morſu pungunt, ac virtute faucium ſanguinem attrahunt, eoque tam ſubtiliter reficiunt, vt integra pelle, que media eſt, ſanguinem tantum per poros & euaporationes excipiant, In carne tamen cui inſident veſtigia relinquunt. Aere huiusmodi tectato terraque adlenta maiori virtute craſſantur. *Contra pulices optimum remedium eſt omni veſpere corpus abſinthio fricare,* vel herba eadem cum oleo cocta corpus perungere, præterea ſi frigus, ſcilicet circa Iunium menſem fuerit, cito pereunt, nec earum copia reliquo æſtatis tempore erit. Pulex in duas partes diuiſa reuiuiſcit. *Razi vbi ſupra. Pulices cum herba, quæ dicitur cantharis in lecto poſita fuerit,* nec ſalire nec mouere poſſunt ſe. *Si vero aqua in qua tribuli cocti* fuerint domus roretur, pulices omnino deſtruentur. *Aqua ſimiliter in qua ruta coquitur* aut oleander eos interficit. *Auicenna vbi ſupra.* Ad effugandum pulices *aſpergitur domus cum infuſione coloquintidæ,* tunc enim ſaliunt & fugiunt, & ſimiliter ex decoctione rubi. *Dixerunt autem quidam, quòd quando ſanguis hirci ponitur* in fouea in domo, apud eum congregantur, deinde moriuntur. Similiter aggregantur ſuper *lignum linitum ex adipe ericii,* & fugiunt ex odore caulis & foliorum oleandri. Eſt etiam herba nota Tecuntumen ſcilicet herba pulicum, quæ cum in lecto ponitur, inebriat eos & ſtupefacit. Ideoque non viuificantur. *Palladius vbi ſupra. Pulices fugantur amurca per pauimenta frequenter aſperſa,* vel cymino agreſti cum aqua trito, vel cucumeris agreſtis ſemine *aqua reſoluto ſæpe infuſo.*

Remedium contra pulices. *Aliud.* *Aliud.* *Aliud.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Pyrali & rana & ricino.

CAPVT CLIII.

Pyrauſta. *Plinius lib.*11. Pyralis ſiue pyrotes, vel pyrauſta eſt muſca maioris magnitudinis,& quæ in Cypri ærarijs fornacibus è medio igne volat pennatum quadrupes, quamdiu eſt in igne viuit. Cum euaſerit longiore paulo volatu tunc emoritur. *Ex lib. de naturis rer.* In Cypri partibus eſt muſcarum genus quadrupes,quæ pennatæ ſunt,& multo maiores,quam noſtræ. Et pyrale dicuntur,quoniam in fornacibus è medio ignium volant impunè. *Et quidem mirabile eſt, quod quamdiu in igne ſunt viuunt.* Cum autem extra volauerint paulo lõgius,moriuntur. *Auctor.* *Rana.* Rana quoque vermis eſt, vt ſuperius dictum eſt, quam tamen pari ratione qua buffonem ſuperius in genere lacertarum deputauimus,ibique de illa plenius diſſeruimus. *Iſidorus.* *Ricynus.* Ricynus eſt vermis canis,ſic dictus,eo quod hæret in faucibus canum, cynos enim Græcè canis eſt.

De Rutela.

CAPVT CLIV.

Rutela. *Auicenna vbi ſupra.* Rutela,vt ait quidam,eſt animal ſimile araneæ,quæ vocatur Alphched,& eſt venatrix muſcarum. *Species eius.* Species eius ſunt multę ſecundum Gallenum. *Eſt enim quędam rubea,rotunda,quædam autem alba,rotundum habens ventrem,paruum os,ſtellata,& ipſa eſt acuti dorſi cum lineis lucidis. Quædam vero citrina piloſa Et quædam vuea,* ſcilicet ad nigredinem declinans. *Quędam etiam cuius medium capitis & pedes ſunt breuia declina ad poſteriora,* Quando vult pungere ſuper pedes ſuos ſe proijcit,& quando bibere vult humiditatem paucam euomit. *Quędam vero formicales,* formicę ſcilicet ſimilis,habens collum rubeum, caput nigrum, dorſum album, punctata diuerſis coloribus eſt. *Quædam etiam veſpalis rubea ſcilicet veſpę ſimilis, Item quædam in eis dicitur alkerſenats* propter paruitatem ſuam, & eſt rotunda, parvum habens os,ſubalbidum ventrem,albos pedes multorum pilorum. *Cæteris autem deterior eſt Ægyptiaca maligna,* ventrem habens magnum,& eſt ei caput ſimile animali quod volat in circiutu candelæ, vnicuique autem eorum propria ſunt accidentia. *Accidentia.* *Ex morſu quidem rubeæ dolor paruus accidit velocis ſedationis. In nigræ autem aut variæ morſu,ſit fortis dolor cum horripilatione* & frigore & tremore & grauitate in coxis,& in pruritu aut putrefactione ventris ac fluxu eius. *In ſtellatæ quoque morſu ſit dolor fortis cum pruritu & horripilatione ac ſtupore & grauitate capitis, ac mollificatione corporis. Ex vuea vero dolor accidit vehemens in loco percuſſionis, & frigoris totius corporis, & horripilatio ac tremor & ſpaſmus,& ſudor currens frigidus, & abſciſio vocis ac ſtupor in toto corpore, & apoſtema in ventre,tenſio in virga & pectine, vomitus & vrina turbida. Ex morſu citrinæ ſit dolor fortis* valde,tremor ac ſudor frigidus cum inflatione ventris & multotiens interficit. *Formicalis autem morſus eſt vehemens, parum doloroſus,ſed eo accidunt veſicatio corporis,& grauitas linguæ. Ex veſpali vero ſomnus dominans profundus & ſpaſmus accidunt,* apoſtemaque in loco & debilitatio genuum. *Porro alkerſenats ideſt herbina maligna eſt.* Cuius accidentia ſunt de genere accidentium vueæ, ſed difficiliora. *Ægyptiaca quoque maligna eſt,& facit accidere dolorem capitis vehementem & profundiratem ſomni,* & ſuccedit ei mors. *Cura.* *In cura morſuum ipſorum adminiſtratur canon vniuerſalis de attractione & ſuctione,* & linitur cum aqua ſalſa,danturque tyriacæ dictæ in capitulo ſcorpionum. Balneum & tina velociores ſunt res in ſedando dolores eorum. Cum enim humectantur in tina, dolor ſedatur, & cum egrediuntur ab ea redit. Vnde oportet, vt iugiter & omni hora balneentur.

De Sanguiſuga.

CAPVT CLV.

Sanguiſuga. *Iſidorus.* Sanguiſuga eſt vermis aquatili,ſic dicta,eo quod ſanguinẽ ſugat. Cæno alitur, potantibus inſidiatur. Cumque illabitur faucibus, vlpiam adhæreſcit, ſanguinem haurit,& cum nimio cruore maduerit, euomit quod hauſit, vt recentiorem denuo ſugat. *Ex libro de naturis rerum.* Sanguiſuga eſt vermis aquatilis oſſibus carens,& pedibus, ac pennis,hominem impetit ac beſtias,vt ſanguinem eorum ſugat. Cuius ſatietate nimia mortem ſibi ſæpius accerſit. Os habet ad modum trianguli,vnde & vulnus relinquit. Cumque carni adhæſerit,quanto magis trahitur, tanto fortius inſidet, donec rumpatur. Itaque ſanguinem putridum extrahit & aliũ ſanando ſe ipſum occidit. Quidam autem his vermibus minus ſapienter ad ſuperfluum corporis ſanguinem hauriendum ſe præbent,niſi corruptionem nimiam inſentiant. *Nota.* *Nam & in homine ſano, nobiliorem ac bene digeſtum ſanguinem extrahunt.*

Meliores autem ac minus nociuæ dicuntur illæ,quæ rugatæ ac lineatæ in dorſis ſunt,deteriores vero,quæ nigræ: ſanguiſuga cum vrticis ac tribulis pungitur, vt venenum euomat ſcilicet quod in beſtiis aut bufonibus aut ſerpentibus aquaticis hauſerit. *Auicenna in 2. canone.* Aliquando quædam aquæ ſanguiſugas habent paruas,quarum occultatio difficile facit ab eis cauere. Ideo deglutiuntur & aliquando pendent in manifeſto gutturis, quandoque interiori parte meri, quandoque vero perueniunt in ſtomachum. Cumque diu moratur fugit ex ſanguine quantitatem magnam, ſicque creſcente illius corpore,quantitas eius apparet, ei ergo in quo ſuſpenditur accidit anguſtia & triſticia, ac ſputum ſanguinis. Et quandoque quidem curatur cum medicinis gargariſmorum,ſi fuerint prope guttur. Cum eis vero, quæ vomitu & ſolutione vermes educunt, ſi fuerit ſtans in profundo, & in ſtomacho.

Meliores.

De Operatione illius in medicina.

CAPVT CLVI.

Venenoſa. *Hieronymus.* Sanguiſuga ſi faucibus hæſerit, fumo eius excepto ſtatim euomitur, & vrinæ difficultas huius appoſitione laxatur. *Auicenna in 2. canone.* Dixerunt Indi quod in quarundam natura ſanguiſugarum exiſtit venenoſitas; *abillis ergo cauendum eſt, quæ magna capita habent,vel quę lanuginem & quæ colores antimonialis & nigros, vel quarum color viridis, aut ſimilis inactio, ideſt aui diuerſorum colorum.* In his etiam omnibus exiſtit venenoſitas,& ex eis proueniunt apoſtemata, & ſincopæ,& fluxus ſanguinis,& laxitas,& vlcera mala, ſed neque capiendæ ſunt ex aquis malis in quibus limus aluei niger eſt,ac cænoſus, ſtatimque motus turbat aquam, & fœtet; immo colligendæ ſunt ex aquis occalibus, in quibus morantur ranę quarum color viridis ſit, & tendantur ſuper eas duo fila colorem arſenici habentia, & rufę, rotunde, coloris hepatis,& quæ ſimilantur paruæ locuſtæ,& quæ muris ſimiles exiſtunt & minuta & parua habentes capita. *Eligenda.* *Iſtæ omnes eliguntur ad minuendum ſanguinem ſuperfluum de corpore,nullæ vero magis eligendæ, quam ventres rubeos habentes,& dorſum viride, præcipuè ſi fuerint ex aquis currentibus:* extractio quidem ſanguinis à ſanguiſugis facta, profundior eſt illa,quæ fit cum ventoſis, & earum appoſitio confert ęgritudinibus intercutaneis, ſed antequam apponantur, per vnum diem colligendæ ſunt, & ſi fieri poteſt conſtrictione faciendum eſt, vt quod in earum ventribus eſt, euomant, & interim donec ponantur, modico ſanguine agni vel alterius animalis nutriantur,poſt hoc viſcoſitas earum atque ſordicies cum aliquo ſpongioſo corpore mundentur,& ipſe locus vbi ſunt apponendæ lauetur cum bauracho,ideſt nitro, ac fricatione rubificetur. Deinde in aquam dulcem proiectæ mundentur,& ſic apponantur. *Præparatio ſanguiſugarum.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quod autem efficit eas voluntarias ad se suspendendum, est vt locus luto vel sanguine liniatur. *Cumque plenæ fuerint, & eas proijcere volueris, pulueriza super eas parum salis, aut cineris, aut baurath, aut setæ combustæ, aut limi, aut spongiæ combustæ, aut lanæ combustæ, & cadent.*

De scabrone.

CAPVT CLVII.

Scabrones. I *Sidorus.* Scabrones à cabo, ideſt caballo vocati sunt, eo quod ex eis creentur. Sicut autem scabrones nascuntur de carnibus equorum putridis, ita ex eis iterum sæpe nascuntur scarabei vnde cognominati sunt. *Plinius libro* 11. Apes impugnant scabrones eiusdem generis degeneres. Sunt qui putent in totum amissas reparari ventribus bubulis recentibus cum fimo obrutis. *Virgilius.* Iuuencorum corpore examinato sicut equorum, vespas & scabrones, sicut asinorum scarabeos, mutante natura, quædam ex alijs in alia. Scabrones cauernis ac sub terra nidos faciunt, & horum omnium cellæ sexangulæ. Scabronum syluestres in arborum cauernis degunt, hyeme, vt cætera insecta, conduntur. Vita bimatum non transit. Ictus eorum haud temere sine febri non est. Auctores sunt ter nouenis punctis interfici hominem, aliorum vero qui mitiores sunt duo sunt genera. Opifices quidem minores corpore, qui moriuntur, matresque biennio durant hi & clementes. *Opifices matres.* Nidos vere faciunt fere quadrifores, in quibus opifices generantur, his educatis, alios deinde maiores nidos fingunt, in quibus matres futuras producant. Itaque producti opifices munere funguntur & pascunt eas. Latior matrum species, dubiumque est an habeant aculeos, quia non egrediuntur, & his sunt sui fuci. Quidam opinantur his omnibus aculeos ad hyemem decidere. Porro, nec scabronum nec vesparum generi reges sunt aut examina, sed subinde renouatur sobole multitudo. *Idem in libro* 20. Sisimbrium syluestre nascitur in riguis, nasturcio simile. Et vtrumque aduersus aculeata animalia efficax est, vt scabrones.

Remedium contra scabrones. *Idem in lib.* 24. *Vinum quoque contra scabrones remedium*, lactisque siculnei natura venecis eorum aduersatur. *Idem in lib.* 28. A scorpione aliquando percussi nunquam postea feriuntur à scabronibus. *Idem in libro* 29. Noctua scabronibus est contraria. Pici quoque Martij rostrum secum habentes non feriuntur à scabronibus. *Aliud.* Aduersantur & locustarum minimæ sine pennis quas athelabos vocant. *Idem in libro* 31. Aduersus scabrones salis natura cum aceto valet. *Ex libro de natura rerum.* Et Plinio Vespæ in sublimi è luto nidos faciunt & in his ceras, scabrones cauernis ac sub terra. Et horum omnium sexangulæ cellæ Cætera autem cortice. Araneis fætus & ipse inæqualis est, & barbarus, alius euolat, alius in infantia est, alius in vermiculo. Et autumno non verno omnia hæc carne vescuntur, in plenilunio crescunt hyeme reconduntur. Auctores dicunt interfici puerum bimum ter nouenis puncturis scabronum. Scabrones ac vespæ nequaquam reges sicut apes habent, & ideo periculis plurimis subiacent, horridos sonos ac murmura depromunt, & hoc magis in cauis locis. Horum mella sunt humanis vsibus inutilia, quæ qui rapere voluerit, stulto periculo se subdit, nam eorum aculeis iaculatur. *Auctor.* In genere quoque scabronum ponit experimentator ilos quos ceruos volantes appellauimus, de quibus iam dictum est superius.

De Scarabeo.

CAPVT CLVIII.

Scarabei. Tauri. Cicendela. I *Sidorus.* Scarabei dicuntur, eo quod carnibus equorũ putridis sæpe nascuntur. *Tauri* vocantur scarabei terrestres ricyno similes. *Cicendela* quoque scarabeorum genus est, vt superius dictum est. *Plin. li.* 11. Quibusdam insectis pennarum tutelæ crusta superuenit, vt scarabeis, quorum penna tenuior atque fragilior existit, his negatus est aculeus, sed in quodam eorum genere grandi cornua prælonga, bisulcis dentata forficibus in acumine, cum libuerit ad morsum cocuntibus. Infantum remedijs ex ceruice suspenduntur, hos Nigidius vocat Lucanos. Aliud eorum rursus est genus, qui è fimo ingentes pilas auersis pedibus volutant, paruosque in his contra rigorem hyemis fœtus sui vermiculos nidulantur, alij magno cum murmure vel mugitu volitant, alij focos & prata crebris foraminibus excauant, nocturno stridore vocales. Ex eodem genere rutilant scarabei prægrandes, qui tellurem aridam fodiunt, fauosque paruæ ac fistulosæ spongiæ modo medicato melle fingunt, sunt qui putant scarabeos asinorum examinato reparari corpore, naturæ quædam ex aliis in alia mutante: *scarabei rosam appetunt. Idem in lib.* 18 Scarabeus paruus cantharidis frumenta rodit. *Idem in lib.* 28. Menstruosa mulier si segetem ambiat nudata, scarabei decidunt & animalia noxia. *Medicina ex scarabeo.* *Idem in lib.* 30. Viridis scarabei natura contuentium exacuit visum. Ideoque contuito eo sculptores gemmarum acquiescunt. Tauri, vt dictum est vocãtur scarabei terrestres ricyno similes, nomẽ eis dedere cornicula, alii pediculos terrę vocant, qui strumis impositi conferunt. *Auicenna vbi supra.* Oleum in quo fricatur scarabeus, valet ad dolorem auris in ea effusum, similiter & corpus eius optimè contritum.

De Cyniphe.

CAPVT CLIX.

Cyniphes. I *Sidorus.* Cyniphes sunt muscæ minutissimæ, aculeis permolestæ, quibus tertia plaga superbus Ægyptiorum populus est cæsus. *Origenes super Exodum.* Hoc animal pennis suspenditur per aera volitans, sed ita subtile & minutum, vt oculi visum nisi acutè cernentis effugiat. Corpus, cui insederat, acerbissimo stimulo terebrat, vt quam volantem videre quis non valet, sentiat stimulantem. *Glossa super eodem.* Cyniphes natæ sunt in terra Ægypti de limo, muscæ scilicet minutissimæ & inquietissimæ, inordinatè volantes, atque in oculos ruentes hominum, requiem auferunt, & dum abiguntur redeunt. *Belbetus in libro de sensibus.* Extende pilum azuchi equi supra portam domus non ingredientur domum illam Cyniphes dum stat in ea pilus. *Ex libro de natura rerum.* Cyniphes sunt vermes minuti volantes, qui pecudum anhelitum sequuntur, & homines maximè. Pungunt autem aculeis dormientes acri satis dolore propolle. Vnde in locis vbi abundat earum proteruitas, homines delicati circa lectos suos retia tam subtiliter laqueant, vt per hæc Cyniphes ad nocendum transire non valeant.

De Scorpione.

CAPVT CLX.

Scorpius. I *Sidorus libro* 12. Scorpio vermis est terrenus, qui potius vermibus ascribitur non serpentibus, animal armatum aculeo, & ex eo græce vocatum, quod caudam figat, & arcuato vulnere venena diffundat: *propriũ est autem scorpionibus, quod manus palmam non feriant. Idem in libro* 11. *Nota.* Pleraque per naturam recipiunt mutationem, & corrupta transformantur in diuersas species, sicut de equis scarabei, de mulis locustæ, de cancris scorpiones, vnde *Ouidius. Ouidius.* *Concaua lictorei, si demas brachia cancri, Scorpius exibit caudaque minabitur vnca. Aristotcles.* Scorpionum genus est longæ caudæ, & habet lanceam exterius habetque scorpio duos aculeos. In Persia non sunt scorpiones magni & mali, Sed tales sunt in multis locis alibi, ita quod si hominem vel aliud animal mordeant, ipsum interficiunt. Cumque mordent porcos nigros, interficiunt eos. Animal quod habet aculeum, in posteriori corporis habet illum, quia ipsum quasi arma mouet. Scorpiones, quia repunt & aculeum habent, necessario habent extra, & est vigori conueniens.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ex lib. de nat. rerum. Scorpio blandum & quasi virgineum dicitur vultum habere, sed habet in cauda nodosa venenatum aculeum, quo pungit & inficit proximantem. Ferit autem obliquo ictu & inflexo, nullóque momento meditari cessat & occasiones inuenire feriendi: *homini autem ab eo percusso putatur remedio esse cinis eius potatus cum vino.* Solus insectorum scorpio caudam habet, & brachia, & spiculum in cauda. Duos habet aculeos, vt dicit *Aristoteles.* Terra viuit, & in vere ouat, & in Autumno similiter. Pariunt vermiculos ouorũ specie, quos cum parens deuorare voluerit, illi immunes sunt, quia se clunibus matris imponunt. *Porcus niger si à scorpione percutitur, proculdubio moritur. Alterius vero coloris porcus euadit quandoque, etsi non semper. Plinius li.* 10. Scorpiones de terra viuunt. *Idem in li.* 11. Scorpiones terrestres vermiculos ouorum specie pariunt: pesti importuna veneno serpentium, nisi quod grauiore supplicio lenta per triduum morte conficiunt. Virginibus lethali semper ictu, & fœminis fere in totum, viris autem in matutino exeuntes cauernis priusquam aliquo ictu fortuito ieiunum egerant venenum, semper cauda est in ictu, nullóque momento meditari cessat, nequando desit occasio, ferit obliquo ictu, & inflexo. *Idem in libr.* 12. *Cum sol est in cancro torquentur serpentes ictibus scorpionum. Glossa super Ezec.* 2 Scorpiones arcuato vulnere ac fistulato aculeo percutiunt. Vt eadem plaga & cutem aperiant, & venena effundant. *Glossa super Lucam.* Ecce inquit Dominus, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones; sunt enim scorpiones, qui cauda insidiantur occulte, serpentes qui dente lædunt aperte ipsorum venenatus aculeus retro est timendus. *Glossa super Apocalypsim.* Scorpio blandus facie cauda pungit occulte, non sentitur quando pungit, sed postea venenum effundit.

Remedium contra scorpionis ictum

De diuersis speciebus scorpionũ & morsibus vel ictibus eorũ.

CAPVT CLXI.

Plinius lib. 11. Scorpionibus Apollodorus autor est geminos quibusdam aculeos esse, maréque sæuissimos. Nam coitum his tribuit; intelligi autem gracilitate & longitudine. *Venenum omnibus medio die cum incãdauere solis ardoribus.* Item cum sitiunt inexplebiles potu. Venenum ab his fundi candidum Apollodorus autor est in ix. generibus descriptis per colores maxime superuacuos: semper autem vt dictum est, cauda in ictu est, nullóque momento meditari cessat, nequando desit occasio ferit obliquo ictu & inflexo. Cõstat & septena caudæ internodia sæuiora esse, pluribus enim sena sunt. Hoc malum Aphricæ volucre etiam Austri faciunt, pandentibus brachia, vt remigia subleuantes Apollodorus idem plene quibusdam inesse pennas tradit, visuntur tamen aliquando in Italia, sed innocui multisque alijs locis, vt circa Pharum in Ægypto. In Scythia vero interimunt etiam sues alioquin viuaciores contra venena talia. *Auicenn. in* 4. *canon.* Scorpionum, vt dixerunt quidam, fœmina masculo maior. Masculus extenuatus est & minutus, fœmina vero pinguis & magna, sed aculeus fœminæ subtilis est, masculi vero crassus est. Quibusdam autem scorpionibus, vt æstimant quidam, aculei duo sunt, quia dimittunt duo foramina in punctura sua, & infrigidatur punctura & calefit reliquum corpus, & iterum sudor infrigidatur. Est enim scorpio cum alis magnis, quem volantem multotiens prohibet ventus, ita quod cadat. Quare vadit cum eo ad regionem. In spondilibus quidem caudæ scorpionum est diuersificatio. Quidam enim sex spondiles habent, quorum malitia fortis fit in tempore ortus alsiehara, & morsus eorum interficit. Quidam vero pauciores. Et æstimauerunt quidam quod *scorpiones ix. colorum sunt, albi, citrini, rubei, cinerisy ferrandi, virides, quidam autem aurei nigras caudas habẽtes & quidam vinosi coloris, de quorum* percussione sentiũt punctură acus, & dolorem nociuum. Quidam vero fumosi, de quorum morsuris proueniat permixtio rationis. *Constantinus vbi supra.* Scorpius qui vocatur Rastellatinus paruus est & non habet caudam retro rastellatam. Hic plurimum nutritur vbi sacchartim efficitur. Quem vero momorderit, dolorem non patitur in primis, sed in secunda & tertia pessima patitur accidentia, sicut in lingua tumorem, mingere sanguinem, tremorẽ, cordis defectionem, & angustiam, multique de morsibus huiusmodi moriuntur.

Venenum medio die abundat.

Nouem colores scorpionum.

De accidentibus punctura vel morsus scorpionis.

CAPVT CLXII.

Auicenna vbi supra. Scorpionis autem punctura accidit ab hora apostema rubeum, & dolor protensus. *Et quandoque inflammatur, quandoque infrigidatur, & imaginatur* apud eum quod corpus eius comprimatur cum pilis salis, & *accidit punctura sicut acus.* Sequuntur autem *sudor & tremor labij ac frigus eius,* & ex pusillo cũ vomitu rei viscosę, quæ congelatur super ipsum & horripilatio & ruptura pilorum, & tremor ac frigus extremitatum, mollificatio quoque totius corporis, & eminentia amborum inguinum, *ac tensio virgæ, & inflatio in ventre, Ascellarum apostemata,* & eructatio plurima. Quia si fuerit scorpio vehementis maliciæ, erunt accidentia mala valde. Fit enim punctura, sicut cauterium in adurendo, totúmque corpus rigorem patitur cum frigore. *Humiditas viscosa super labium elevatur,* & super ipsum congelatur, similiter humiditas currit ex oculis, deinde lippa coagulatur in angulis. Incrassatur lingua, stridentdentes, & quandoque quidem super alios componuntur nec aperiuntur. Egreditur etiam anus, & apostematur priapus. *Plin. lib.* 11. Scorpioni sunt aculei venenum infundẽtes, quibus vt dictũ est, nocet hominibus, quosdam occidit serpentes. *Ambr. Leo rex ferarum exigno scorpionis aculeo exagitatur, ac veneno eius occiditur. Constantin. vbi sup.* Scorpij venenum frigidum est. Vnde quæ mordentur, quasi niuem frigidã, percussionem patiũtur, locus cito tumet, & ruborem atque duriciem habet & extensionẽ, ardorem aliquando & frigiditatem, aliquãdo dolor augmentatur, aliquando mitigatur, & est quasi punctura acus, aliquando faciunt defectionem, si super arteriam ceciderit, aliquando epilepsiam si in neruũ inciderit. *Ex li. de nat. rer.* Sole, vt dictum est, existente in cancro, iuxta Plinium torquẽtur serpentes ictibus scorpionũ. Cum autem mordent porcos nigros, interficiunt eos, & eo citius, si cito aquam ingrediuntur

Accidentia morsus scorpij.

Leo exagitatur scorpione.

De remedijs contra scorpiones ac medicinis eorum.

CAPVT CLXIII.

Pallad. vbi sup. Scorpiones existimãt aliqui posse fugari, si aliqui ex eis vrãtur in medio domus. *Auicen. in* 2. *canone. Sputum hominis ieiuni scorpiones interficit. Item raphanum scorpioni aduersatur,* ita quod si frustum raphani ponatur super eum moritur. Eius etiam aqua in hoc experta est, & fortior est. Denique si scorpio momorderit aliquem qui raphanum comederit, nec ei nocebit. *Idem in l.* 4. Scorpiones quidem *expellunt suffumigationibus arsenicum & raphanus insciſus.* De quo si fiat apud foramen eorum suffumigatio nõ timetur, quod egrediantur cum eo. Scorpiones autem interficit sputum ieiuni hominis calidæ complexionis super eos proiectum, & raphanus masticatus, & succus eius cum tangit eos & folia ipsius. *Isidor. li.* 2. Genicularis herba substernitur ad vim scorpionum repellendam. *Rasi in Almansore. Scorpiones fugãtur si domus cũ asini vngula, & sulphure, galbanoq, suffumigetur. Oleum quoq,* si fusum fuerit in eorum foraminibus, inde non exibunt vlterius. *Item asa fœtida* si in aqua dissoluatur, & domus ex ea roretur, non ibi approximant, præterea si multi ex eis capiantur, & domus ex eis suffumigetur, omnes alij fugient. *Plin. li.* 28. A scorpione aliquando percussi nunquam postmodum à scabronibus aut vespis apibusve feriuntur. *Idem in li.* 29. *Stellio adeo scorpionibus contrarius est,* vt eo viso pauorem in his inferat

Sputum. Raphanus.

Fugandi scorpiones modus.

Antipathia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

inferat & torporem, proprium est scorpionum quod manus palmam non feriunt, nec nisi pilos attingunt.

De his quibus punctura morsus sanantur.

CAPVT CLXIIII.

Remedia contra morsus scorpionum.

IDem *in libr.xxviij.* Sorpionum ictus sanant sordes ex auribus. Viros etiam ab his percussos coitu produnt leuari, fœminas autem venere lædi, *Idem in li.xxix.* Lapillus qualiscunque ab ea parte qua in terra erat, plagæ appositus scorpionis dolorem leuat. *Cinis quoque fimi gallinarum* alleuiat, draconis etiam iecur vel lacerta diuulsa, vel mus diuulsus iuuat. *Item vermes terreni triti &* impositi. *Scorpio & ipse* suæ plagæ impositus aut assus in cibo sumptus aut potus in meri cyathis duobus. *Idem in lib.xxxij* Ictibus scorpionũ carnes fluuiatilium cochlearum resistunt crudæ vel coctæ. Quidã ob id salsas quoque asseruant, & ipsis plagis imponunt. *Auicennain ii. canone.* Scorpionis autem morsui confert succus absinthij, fructusque myrti cum vino potus confert punctur̨ illius. Idem radix albæ spinæ si masticetur & ponatur super morsum vel punctura scorpionis venenum atrahit. *Oleum quoque balsami* cum lacte bibitum confert. Et iterum auellana cum ficubus & ruta prodest, similiter granum pini cum ficubus & dactilis. *Item herba gentiana* huic punctur̄æ est vltima medicina. *Podium etiam confert. Et radix coloquintidæ* super omnia valet. *Item emplastrum ex amonio* cum herba rog factum, ad hoc etiam crassæ locustæ quæ alas non habent assantur & comeduntur, ob id ex herba maiorana cum aceto fit emplastrum vel myrrha cum vino datur ad bibendum: fit *etiam emplastrum ex sale cum lini semine, ad idem confert scamonea bibita vel linita. Confert etiam far eidem punctur̄æ. Itemque calamentum syluestre, mus quoque* si findatur, & ponatur super huiusmodi punctur̄am, sanat eam, *ad idem valet lac ficuum, Lac quoque lactucæ syluestris in potu datum,* oleumque lauri cum vino & arob, *Itemque lilium. Cancer fluuialis* confert scorpionum morsibus emplastri more superpositus, aut comestus. *Denique galbanum est theriaca* venenis scorpionum. *Idem in 4. canone.* Scorpionis punctura curatur per canones communes, & per vaporationem cum sale & milio & similibus.

De medicinis ex ipsis scorpionibus.

CAPVT CLXV.

Vsus medicus scorpionis.

PLinius *in libr.*11. Scorpio si momorderit hominem putatur esse remedio cinis ipse scorpionis potus in vino. *Idem in lib.* 29. Scorpio tritus veneno stellionum aduersatur. Siquidem & ipse stellio, vt supra dictum est, scorpionibus adeo contrarius est, vt eis pauorem visus eius inferat & torporem. Ipse quoque scorpio suæ plagę auxiliatur impositus, aut assus in cibo vel in potu sumptus. *Auicenna in 2. canone.* Oleum scorpionum valde confert dolori aurium. *Idem in* 4. Scorpio etiam ipse est emplastrum bonum ad scorpionem, & iterum cauda eius, & etiam planta quæ dicitur planta scorpionis, propter similitudinem quam habent cum eo. *Idem in 5.* Scorpiones etiam in naturis suis contrarii sunt lapidibus generatis in renibus & vesica, sicut carnes viperæ contrariæ sunt venenis serpentium atque cæterorum reptilium venenosorum. Itaque cinis scorpionum frangit lapides, & facit eos in vrina statim descendere. *Dioscorides.* Scorpius etiam crudus tritus & impositus percussuræ suę suorumque contrarius est.

De seta, & simultate ac solifuga.

CAPVT CLXVI.

Seta.

EX *lib. de natur. rerum.* Seta est vermis, vel vt quidam volunt, serpens à re nomen habens. Est enim tenuissimus instar setæ, feræ cubitalis longitudine, durus, & albus nihil differens vtraque extremitate, quippe cui caput non est, sed serpit vtrobique, hic in aquis corruptis nec tamen fœtidis nascitur, adeo durus est, quod vix pede conteri potest. *Huius veneni tanta vis est, vt ab homine potu haustus elanguere eum & tabescere faciat, donec eum diro cruciatu vita exuat. Ex papia.* Simultas est proprie vermis in capite arietis, qui dum mouetur facit eum repedare. *Ex eodem.* Simultas est vermis in capite animalis cornua habentis, commouens eum ad feriendum cornibus. *Isidorus.* Solifuga ipsa est musaranens de quo supra dictum est. *Solinus. Sardinia quidem absque serpentibus est.* Sed quod alijs locis serpens est, hoc est solifuga sardis agris, quæ occulte reptat, & per imprudentiam super se insidentibus pestem facit huic incommodo accidit herba sardonia, quæ in defluuijs fontanis prouenit largius iusto, hæc si edulio fuerit vescentibus neruos cõtrahit, deducit ora rictu, vt qui mortem oppetunt intereant facie velut ridentium. Econtra quicquid aquarum est, varie commodis seruit, sane calidi fontes & salubres aliquot locis efferuescunt, qui medelas afferunt, aut ossa fracta solidant, aut à solifugis insertum venenum abolent, aut etiam occultas ęgritudines dissipant. Et qui oculis medentur, etiam arguendis furibus valent.

Vis veneni Setini.

Simultas.

Solifuga.

De phalangio.

CAPVT CLXVII.

Phalangiũ.

AVctor. Phalangion iuxta plinium est quoddam aranei genus sicut dictum est superius. Cuius videlicet morsus noxius est, corpus exiguum, varium, acuminatum, hic ex araneorum generibus tantum in ipso specu incubat magno numero, qui vt emerserit, matrem consumit, quandóque etiam patrem. Contra phalangiorum morsus remedia sunt multa particularia, de quibus per diuersa loca dictum est superius. *Plin. libro* 10. Dissident vespæ & phalangia & araneæ. *Idem in li.* 18. Nascitur quasi morbus quidam in heruo phalangion aranei generis bestiola, si hyems sit aquosa. *Idem in lib.* 29. phalangium Italiæ ignotum plurium generum est, vnum est simile formicæ, sed multo maius est rufo capite, nigrum vero reliqua corporis parte, albis intercursantibus respersum guttis, & acerbior est huius quam vespæ ictus, maximéque circa furnos & molas viuit. Et in remedio est si alterum eiusdem generis percusso ostendatur & ad hoc ipsum seruantur cum mortui inueniuntur, sed & cortices eorum contriti ac poti medentur. Æque phalangion Græci vocant inter genera araneorum, sed distinguunt lupi nomine. Tertium genus est eodẽ phalangij nomine, araneus lanuginosus, capite grandissimo, quo dissecto inueniuntur intus vermiculi duo, qui adalligati mulieribus pelle ceruina ante solis ortum præstant eis ne concipiant; vt Cæcilius in commentarijs reliquit: *Omnibus autem peior est cæruleus, lanugine nigra, caliginem concitans, & araneosos vomitus.* Deterior etiam est à scabrone pennis tantummodo differens, hic & ad maciẽ perducit Myrmecion formicæ similis capite albo nigra guttis albis distinguentibus, Vesparum dolore torquet. Tetraganthij duo genera habent, peior medium caput distinguente linea alba & transuersum altera, hic oris tumorem facit. At cinereus posteriori parte candicans, lentior, minime autẽ noxius calore, qui telas muscis in parietibus latissimepandit. *Contra omnium vero morsus remedio est gallinaceorum cerebrum cum piperis exiguo potum. Item formicæ quinque potę; pecudum quoque fimi cinis illitus ex aceto, & ipsi aranei quicumque putrefacti in oleo. Ex lib. de nat. rerum.* phalangium est araneæ genus morsu venenosum, corpore exiguum & acuminatum. Nares hominum pecudumq; libẽter ingreditur. Cumque ceruos in syluis percusserit, nisi cancros in cibum sumant, de vita sua periclitantur, hæ specus incubant, & oua multa numero pariunt. Statimque vbi fœtus erumpunt, patrem & matrem consumunt, adiuuat enim pater fœtus incubare.

Genera phalangiorum.

Peior omnibus caruleus

Remedium contra morsus eorum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A

De Spoliatore colubri ac ſtella.

CAPVT CLXVIII.

Spoliator colubri. EX *libro de naturis rerum.* Spoliator colubri eſt vermis coloris aurei, qui etiam virorem ad vmbram habet, hic paruus & inualidus cum ſit, anguem aſtutia decipit, & inde nomen accepit. Nam vbi colubrum ad æſtum cubare viderit, per caudam eius aſcendens ad caput, tranſcurrit, Cumque prius quaſi fricando permulcet, & demum morſibus carnes eius aggreditur, anguis læſa fugit, perſecutor inſequitur, ac letali morſu inſiſtit, donec interiora cerebri penetret, ac perempti carnibus ſatietur: *hic à quibuſdam vermis aureus dicitur* Dicit autem Ariſtoteles de vermibus coloris aurei, quòd quando nati ſunt, primo quidem à parentibus cibantur, deinde ſine cibo permanent diebus multis, & ita iacent immobiles, vt mortui videantur. Poſt tempus autem à natura præfixum reuiuiſcunt, ſibique prouiſuri ad paſtum ſurgunt. Stellæ figura vermis eſt, vt dicit Plinius, qui nocte vt ſtella lucet, nũquam niſi magnis imbribus prouenit & ſerenitatem adeſſe ſignat, *hanus tantus rigor eſt, vt ignem tangens non alio modo quam glacies extinguat.* huius ſanie ſi caro hominis contacta fuerit, toti capilli defluunt. Idque quod contactum eſt colorem in virorem mutat, hi vermes nihil gignunt, nec eſt in eis mas vel fœmina.

Decipit anguem.

Vermis aureus.

Stellæ.

Extinguit ignem.

B

De tabano.

CAPVT CLXIX.

C

Tabanus. Aſylus. Oeſtrus. I *Sidorus.* Tabanus vulgo, qui & latinè dicitur aſylus, & Græcè œſtrus, eſt animal volatile armentis aculeis ſuis permoleſtum. *Plinius libro* 11. Aliquando naſcuntur in extremis fauis apes grãdiores, quæ cæteras fugant. Oeſtrus vocatur hoc malum, & incubant modo gallinarum. Id quod excluſum eſt primo vermiculus candidus videtur iacens tranſuerſus, & adhærens ita, vt paſcere videatur, multa ſiquidem inſecta naſcuntur aliter, quam locuſtæ; atque in primis aſylus inſidet ex ore: hic raphani folio, primo vere & ſole ſpiſſatus in magnitudinem milij cogitur, inde vermiculus paruus oritur, & tridua eruca mox vrica quę adiectis diebus creſcit immobilis cortice duro. Atque ad tactum aranei tantum mouetur, hæc eruca quam chryſalidem appellant, rupto deinde cortice, volat papilio. Ex ligno etiam tabani naſcuntur, cæcitate autem moriuntur. *Ex libr. de natur. rer.* Tabanus ipſe eſt aſſilus, de quo propheta Oſee iuxta 70 interpretes loquitur. Nam vbi legitur in editione noſtra: *quaſi vacca laſciuiens declinauit Iſrael*, reperitur in tranſlatione 70. *Sicut vacca aſylo percuſſa.*

D

De thamur & tabula.

CAPVT CLXX.

Thamur. EX *libr. de natur. rerum.* dicitur vermis Salomonis. Nam Salomon cum marmor parium ad edificationem templi de remotis partibus conuehi præcepiſſet, conſcius prohibitionis legis quæ vetuit altaris ædificãdi lapides ferro inſcidi, quæſiuit experimentum in vermibus quod ars humana neſciuit. Nam pullum ſtruthionis in vitreo vaſe recluſit, quem cum videret ſtruthio, & habere nequiret, naturaliter agnitam artem attentãs, ad deſertum cucurrit, redienſque vermiculum tulit, cuius ſanguine vitrum liniuit; & confractum eſt, ſicque fœtum eripuit, quod videns Salomon, hoc experimento eodem genere vermis inſciſſioni duriſſimi marmoris vſus eſt. Tabula vermis etiam quadrupes in terra & aqua æqualiter viuens. In terra quidem velociſſimè currit, ſed magis ſuper aquas ita vt longos aquarum tractus impetu tranſcurrat. Interdum tamen ſubſiſtit, & viribus laſſus reſpirat, hoc autem in eo mirabile eſt, quod currens ſuper aquas ſicco corpore, pedibuſque manet. Qui ſi etiam diu ſub vndis violenter teneatur, non tamen humectatur, aut morietur.

Tabula.

E

De teredine.

CAPVT CLXXI.

I *Sidorus.* Teredonas Græci vocant lignorum vermes, eo quod terendo lædant, hos autem Latini termites dicunt, quos in importuno tempore cæſæ arbores gignunt. *Ex lib. de nat. rer.* Teredo eſt vermis ligni caput habens rubeum, & corpus album. Succeſſione lignum perforat, & in puluerem illud redigendo domum ſibi edificat, lignum conſumendo ſe purificat, & in puluerem illud eijcit. In orientalibus partibus pauca ligna vermes generant. In partibus autem Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, *ferè omnes arbores excepta quercu & tilia, & paucis aliis.* Et hoc mirum eſt, quod buxus & alba ſpina, quæ ferè arborum duriſſimæ ſunt, vermes generant. Tilia vero cum ſit arborũ tenerrima, vbicunq; ſub ſicco ligna eius ſeruantur, nequaquã ex eis vermes creſcũt, ſed perpetua ſine vermibus manent. *Gloſs. ſuper regum* 2. Dauid tenerrimo ligni vermiculo cõparatur, quia vermiculus ligni tener quidem & fragilis ac modicus apparet, Fortiſſimus tamen lignum terit & conſumit. Ideóq; à terendo teredinis nomen accepit. *Plin. lib.* 11. Teredini ad perforanda robora cum ſono teſte natura dentes affixit etiam potiſſimum ligno cauatum facit. Papilio luminibus accenſis aduolutans, apum ceras depaſcitur, & excrementa relinquit, ex quibus teredines gignuntur. *Idem in li.* 17. Mollis ac peſſima ligni pars etiam in robore facilè putreſcens, teredini eſt obnoxia. Ideóque ſemper amputabitur. Laricem in maritimis nauibus teredini tradunt obnoxiam omniáque præterquam oleaſtrũ & oleam. Teredinum infeſtantium quatuor ſunt genera, quorum vnum genus capite ad portionem grauiſſimo dentibus rodunt, hæc tantummodo ſentiuntur in mari, nec aliam putant teredinem propriè dici. Terreſtres autem vocãt tineas, Culicibus vero ſimiles triphas. Quartum eſt & è vermiculorum genere. Quorum quidem alij putreſcente ſucco ipſo materiæ, alij pariuntur ſicut in arboribus. Ex eis qui ceraſtes vocatur cum eraſerit tantum vt ſe circunagat, alium generat, hunc naſci prohibent in alijs amaritudo, vt in cypreſſo, in alijs duricia, vt in buxo.

Teredo. Termes.

Ligna vermes non generantia.

Genera teredinum.

De teſtudine.

CAPVT CLXXII.

I *Sidorus.* Teſtudo vermis dictus eſt, eo quod tegmine teſtæ in camerę modum adopertus eſt, morphous quod eſt tertium genus aquilæ, teſtudines raptas frangit e ſublimi iaciendo. *Auctor.* Teſtudinis quidem plura genera ſunt, ſed illa quæ in luto naſcitur propriè teſtudo lutaria ſiue limax appellatur, & hoc in genere vermium deputatur. *Ex lib. de nat. rer.* Teſtudo vermis eſt de corruptione graminum per excedẽs humidum & calidum tempus. Animal tardum eſt & multo ſanguine craſſum, *harum aliquæ rubeæ ſunt, aliæ albæ, aliæ nigræ, aliæ croceæ, ſecũdum mutationes aeris & corruptionis*, hæc miro modo ex ſputo quod lubricum eſt & craſſum, format ſibi habitaculum oſſeæ vel potius marmoreæ ſubſtantiæ mirabiliter teſtudinatum, quia calore ſolis paulatim dureſcit in lapidem. Cumque volutabris paluſtribus merſa ſit, curare cum antidoto proprio ſe nouit, herbarúmque vires ſe ſcire oſtendit. Nam, vt refert Ambroſius, viſceribus paſta ſerpentis, cum ſerpere ſibi venenum aduerterit, origano ſibi medetur, ſi vero ſal ſuper eam aliquis proiecerit, ferè tota liqueſcit in nihilum, & vix de illa reperies aliud, quam ſagimen quod vtile eſt ad medellam. *Phyſiologus.* Limax eſt teſtudo in limo naſcens, terrámq; comedit. Quatuor habet cornua, ſed duo longiora. In rependo cornua extendit, ſed quam cito tangitur, cornua retrahit, & ſe ipſam in ſe flectit, hyeme latet, verè proditur. *Sanguis eius poros claudit*, & ne pili creſcant efficaciter impedit. *Confracta & contrita in quibuſdam vulneribus, ſanat apoſtemata.*

Teſtudo.

Coloresteſtudinum.

Limax.

Vſus medicus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De quadruplici testudinum genere.

CAPVT CLXXIII.

Quatuor genera testudinum.

ISidorus. *Testudinũ quatuor sunt genera, scilicet terrestres, maritimæ, lutariæ, id est in cæno & paludibus viuẽtes, & fluuiatiles, scilicet, qui in aqua dulci viuunt.* Tradunt aliqui quod incredibile est, tardius ire nauigia dextrum pedem testudinis vehentia. Testudo visceribus pasta serpentis, cum venenum aduertit sibi subrepere, origano medicinam suæ salutis exercet. *Plinius li.* 2. Sunt testudinum genera terrestres, marinæ, lutariæ, & quæ in aqua dulci viuunt. Terrestrium carnes suffitionibus propriè magicisque artibus refutandis contra venena salutares produntur. Plurimæ sunt in Aphrica: hæ ibi amputato capite pedibúsq; pro anthidoto dari dicuntur. *Et ex iure in cibo sumptæ strumas discutere,* & lienes tollere atque morbos comiciales. Sanguis earũ claritatem visus facit. Suffusionésque oculorum tollit, & contra serpentiũ omnium & araneorum ac similium & ranarum venena auxiliatur. Sanguine seruato in farina pilulis factis & cũ opus sit inungi datis. Felle testudinũ cũ attico melle glaucomata in vino prodest, & scorpionum plagæ instillari. Tegumenti cinis vino & oleo subactus, pedum rimas & vlcera sanat. Squamæ ex summa parte derasæ, & in potu datæ, venerem cohibent. Quod eo magis mirũ est, quia totius tegumenti farina traditur libidinem accẽdere. Marinarum carnes sorbentur in stomachi doloribus admixtæ ranarum carnibus contra salamandras præclare auxiliantur. Sanguine autem alopiciarum inanitas, & prurigo, omniáque capitis vlcera curantur. Instillatur & dolori aurium cũ lacte mulierum. Aduersus morbos commiciales manditur cum polline frumenti. Fel testudinum claritatem facit oculorum, cicatrices extenuat, tonsillas sedat, & agninas & omnia oris vitia. Valet & contra salamandras. Testudo lutaria lata & incurua est, ingrata visu. Ex hac quoque tamen aliqua contingunt auxilia. Carnes eius vsum habent cõtra paralysim & articularios morbos. Fel vero extrahit pituitas sanguinẽque vitiatum. Sistitur ab eo remedio aluus aquæ frigidæ de potu. Quarti generis testudinum, scilicet, quæ sunt in amnibus diuulsarum pinguia quartanis valere dicuntur. Sanguis instillatus cerebro capitis dolores sedat. Itémque strumas. *Pallad. vbi sup.* Vt olera quidem animalia infesta non generent, in corio testudinis omnia semina quæ sparsurus es, sicca, vel mentam locis pluribus maxime inter caules sere. Porro contra limaces vel amurcam recentem, vel ex caminis fuliginem sparge.

Vsus medicinalis testudinum.

De tinea.

CAPVT CLXXIV.

Tinea pertinax.

ISidorus. Tinea est vestimentorum vermis, sic dicta, eo quod teneat & eo vsque insidiat quo erodat. *Inde & pertinax* eo quod eandem rem identidem vrgeat. *Ex lib. de nat. rerum.* Tinea est vermis ex aere corrupto in vestibus ex humore marcido, qui in lana eorum est procreatus. Adeóque insidet vt eas erodat. *Plinius li.* 11. Puluis tineas creat in lanis & vestibus, præcipuè si vna includatur araneus. Sitit enim & omnem absorbens humorem, ampliat ariditatem, hæc & in cartis nascitur. Est autem genus earum tunicas suas trahentium quæ cochleæ modo, sed cum harum pedes cernuntur spoliati expirant. *Idem in li.* 17. Vexant ficorum semina tineæ, contra quas remedium est in eadem scrobe defodere lentisci taleam, inuersa parte quę fuit à cacumine. *Idẽ in lib.* 28. Tinearum genera pellit cornu ceruini cinis. *Glossa super Oseæ.* 5. Tinea vestimentum, & putredo ligna lente corrodit. Sed tinea citius quam putredo consumit, vnde de captiuatione decem & duarũ tribuum Dominus per prophetam dicit. *Ego quasi tinea Effraim, & quasi putredo domui Iuda. Greg. in moralibus, li.* 4. Tinea de veste nascitur, & eandem vestem nascendo corrumpit de qua oritur. Vnde dicit scriptura quod qui terrenũ habent fundamentum consumentur velut à tinea. Homo nanque velut tinea consumitur, cum de ipso ideſt de carne quæ est vestis animæ tentatio carnalis oritur, vnde conteratur. Tinea quoque damnum facit, & sonitum nõ facit, sic mentes iniquorum, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt, quasi ergo à tinea consumitur, quia non sonitu culpę morsum tolerant dum quanta vitæ innocentiæ detrimenta patiantur ignorant. Vnde & ibidem recte subiungitur; *De mane vsque ad vesperam succidentur,* de mane vsque ad vesperam peccator succiditur, dum à vitæ suæ exordio, vsque ad terminũ iniquitatis perpetratione vulneratur. *Auicenn. in* 4. *canon.* Pannos à tinea prohibet absinthium & similiter calamentum, & etiam cortices citri.

Iniqui velut tinea.

De vespa.

CAPVT CLXXV.

Vespa.

ISidorus. Vespa est animal exiguum volatile, aculeis venenosum, quæ dicitur de putridis asinorum carnibus nasci, sicut fuci de mulis, scabrones de equis, & apes de vitulis. *Aristoteles.* Vespa est animal annulosum volatile, quod aerem non recipit, id est non anhelat, suaque vita & nutrimentum est circa stercus & carnes. Et est de animalibus quæ manent cum socijs suis sicut formica & apis, habet autem lanceam interius, sicut scorpio exterius. Sanguine caret, aláſque mẽbranis coopertas habet. Accidit vespis senectutem exuere. Apesque nocentur à vespis propriè, ideóque nocet apibus illas appropinquare. Itaque custodes alueorũ deprehendunt vespas per hunc modum; *accipientes ollam, carnes in eam ponunt, & cum in eam multæ vespæ cecíderint, eam cooperiũt, ac super ignem ponunt*: habet autem aculeum intra corpus vespa, sicut apis, quia si esset extra de facili corrumperetur propter debilitatem sui. Siquis vespæ pedes acceperit, eámque dimiserit vagari cum alis, tunc volant circa ipsam vespę carentes aculeis, habentes autẽ aculeos non volant super ipsas, propter hoc multoties in hyeme deprehenduntur in sepulturis. *Ex libro de naturis rerum.* Vespæ ex equinis carnibus aliquando procreantur. In plenilunio magis crescere dicuntur, harum vita circa stercus est. Ceras quidem faciunt, sed non ex collectione florum, & ob hoc inutiles sunt.

Senectutem exuunt.

Deprehensio vesparum.

De diuersis generibus vesparum.

CAPVT CLXXVI.

ARistoteles. Vespæ duplicis sunt generis: vnum est agreste, quod non est in montanis, nec pullificat in terra, sed in arboribus, & est maius quam vespa domestica, longius, ac nigrius, & fottius, pungítque forti punctura, huius etiam aculeus maior est aculeo alterius generis respectu sui corporis, harum vitæ tempus est anni duo, & multoties cum abscinduntur arbores in hyeme exeunt ab eis vespæ volando, quia tunc latitant in arboribus, & ibi est semper eorum mansio: *Vespæ autem domesticæ duo sunt genera,* Vnum genus illarũ sunt rectores, & dicuntur mutira, aliud dicitur argilta quæ non viuit duobus annis, sed omnes moriũtur apud præsentiam hyemis, quod apparet ex hoc, quia cum hyems incipit, argiltæ accidit infirmitas, scilicet capitis euacuatio, & si fuerit hyems fortis non apparent omnino. Rectores autem qui mutira dicuntur apparent hyeme tota, & nidificant in terra, vnde multi viderunt eas terram cauantes, & nunquam videntur argiltæ hoc facientes. Genus vesparum quod dicitur mutira, lata sunt & ponderosa, crassioris corporis quam fuci, & propter earum ponderositatẽ non sunt virtutis bonę, nec possunt multum saltare. Apparet autem nobis quod rectores habent aculeum similem illi, qui est in rectoribus apum, sed non extrahunt eum, nec pungunt aliquid per ipsum. Item quædam vespæ non habent aculeum, aliæ vero habent: aculeis carentes minores ac debiliores sunt, nec pungunt, habentes autem aculeum magnæ

Vespa agrestis.

Domestica.

Remedium contra tineas.

Oseæ. 5.

sunt

ſunt & fortes,ideóque dicuntur à quibuſdam mares,fœminæ vero, aculeis carentes. Viſæ ſunt aliquando veſpæ coire cum alio veſparum genere, vt cum agreſtibus domeſticæ. Et videbatur, quod vna quidem aculeum habebat, ſed vtrum alia ſimiliter haberet incertum erat.

De cibis & manſionibus ipſarum.

CAPVT CLXXVII.

Cibus.

VEſparum *cibus eſt ex floribus & fructibus*. Sæpe quoque viuunt ex cibis animalium. Mutira venatur in fine hyemis,& plures earum venantur circa calez,venantúrque mutira prope aggeres magnos,& altiſſima loca, omnéſque videntur cum aculeis. Non autem congregant veſpæ flores, nec cibantur ex eis ſicut apes. Sed cibus earum in maiori parte eſt ex carne. Ideóque circa ſtercora manent, muſcáſque magnas deprehendunt & caput earum abſcindunt, corpuſqúe ferentes cum ipſo volant, fructus etiam dulces comedunt.

Nidi.

Nidos ſub terra faciunt, & vt formicæ terram extrahunt, aliæ quidem paruos faciunt nidos, aliæ magnos. Cumque aluearia fuerint fertilia,duos aut tres fauos extrahunt,& non deponunt,vt dictum eſt,ſicut apes faciunt,ſed hyeme manent in aluearibus. Ideóque plures earum moriuntur, nec in vno nido plus rectore vno, ſicut habent apes in alueari vno. Cumque aliquis ex iribeon à nido ſuo amittitur, omnes propè locum aliquem in quo ſunt paſcua congregantur, ibiqúe nidum ſibi faciunt, & apparet cera quæ in maiori parte eſt extrà, atque in vno nido rectorem vnum ponunt. Cum autem rector ille creuerit & exierit accipiet iribeom ſecum & ponet in quadam illius nidi domorum. *Plinius libr.* 11. Veſpæ in ſublimi è luto nidos faciunt, & in his ceras. Scabrones cauernis aut ſub terra, & horum ſexangulæ cellæ. Apes nullum corpus attingunt, nec carne veſcuntur.

Venantur.

Sed veſpæ muſcas grandiores venantur,& amputato capite reliquum corpus auferunt. Veſpæ quæ ichneumones vocantur, & ſunt minores quam aliæ,vnum genus ex araneis perimunt ſphalangium appellatum,& in nidos ſuos ferunt, deinde illinunt & ex his incubando genus ſuum procreant. Omnes autem carne veſcuntur, ſerpentem quoque auidè comedunt, quo ſcilicet alimento ictus mortiferos faciunt.

De generatione ipſarum.

CAPVT CLXXVIII.

VEſparum generatio fit hoc modo : rectores in æſtate conuenientem locum quærunt,& in eo paruas domos ex cera quatuor habentes portas vel ſimile faciunt, & in eis veſpæ gignuntur, non illæ quæ mutira dicuntur. Cum autem iſtæ creuerint, generantur, poſt aliæ maiores iſtis. Et cum creuerint illæ, generantur & aliæ, propter hoc ſunt kephenes in fine autumni multæ & magnæ, habéntque rectores ſcilicet, qui dicuntur mutira & illud non generat kephenes, ſed mutiras. Erúntque magni vermes in quatuor foraminibus continuis,& ſunt frequenter foramina pluſquam quatuor, in quibus ſunt rectorum pulli. Cúmque pulli creuerint, adducent, ſeruientes eis vnde cibentur, quod apparet nobis ex hoc, quia rectores ſeruientium non volant ſed in domibus manent.

Electio rectorus veſparum.

Cumq; moriuntur rectores earum qui anno præterito illos regebant, rectorem nouum ſuper eas ponunt. Veſpę multiplicantur in locis ſuis & in regionibus aſperis. Súntque ſub terra, & parant nidos ex terra & luto, atque omnes attingunt ab vno principio, ſicut generantur res ab aliqua radice. Vermes autem ex veſpis generantur, ſicut ex apibus, veſpæ rubeæ ac citrinæ non generantur niſi ex veſpis quę mares dicuntur. Et ipſę prius præparãt domos in quibus maneant,ipſãſque emendant. Cumque coirent adinuicem generantur pulli veſparum,multoties enim apparuit coitus earum. Nõ autem apibus ac veſpis monſtruoſitas accidit, quia quilibet pullus earum in foramine per ſe exiſtit. *Auctor.* Dicuntur etiam, vt habitum eſt ſupra iuxta Iſidorum, veſpæ de putridis aſinorum carnibus naſci, ſicut de mulis fuci. Præterea iuxta Plinium quædam veſpæ phalangiorum genus perimunt, & in nidos ſuos portant, deinde illinunt, & ex his incubando genus ſuum procreant.

De punctionibus earum.

CAPVT CLXXIX.

Conſtant. vbi ſupra. Veſpæ & apes eis quos pungunt tumorem calidum & ruborem faciunt, roſtrúmque earum remanet vbi tangunt, & aliquando morſi fœtorem patiuntur & abominationem,labro ictigationem, inguinum tumorem, virgæ erectionem. *Auicen. in 2. canone.* Veſparum punctura bonum eſt polium, emplaſtri more ſuperpoſitum. Similiter folia ſylueſtris maluæ ſedant illam emplaſtratæ. Item ſtercus caprarum attrahit veſpæ venenum. Ex ſale quoque cum aceto & melle fit emplaſtrum ad punctura veſpæ, ſed & oleum lauri confert eius mordicationi.

Remedia varia contra punctura veſparum.

Idem li. quarto. Effugiunt autem veſpæ ex ſuffumigatione ſulphuris & aliorum, nec propinquãt ei qui linitur ex altea vel ſucco maluæ & oleo.

Accidentia ex morſu veſparum.

Porro accidunt ex morſu veſpæ dolor & rubedo & apoſtema, ex veſpis magnis eſt genus capam nigram & aculeos plurimos habens,ac per hoc interficiens,magnę ſiquidem maioris ſunt prorſus cautelæ,magiſque pernicioſæ. Ideoque perducunt ad ſpaſmum, & ad debilitatem genuum, ſed & in paruarum quoque morſu quandóque tumor magnificatur. Nam plerunque faciunt accedere veſicas, & grauant linguam.

Cura.

Cura vero eius in ſuccis infrigidantibus ac refrigeratiuis potibus, porro de ipſius epithematibus eſt aqua maluæ, Althæa quoque confert, ac ficus, & acetum, & lutum. Stercus etiam vaccinum confert cum aceto propriè. Itemque folia ſimbrij, & folia lauri recentis, & viriditas quæ accidit ſuper curſum aquæ, *prætera ſi hora vna in aqua calida dimittatur, deinde ſubito ad aquam ſalſam cum aceto mixtam permutetur, ſtatim ſedabitur.* De fricationibus autem eius ſunt muſcæ, quia dolorem ſedant. *Ariſtot.* Agreſtis veſpa pungit forti punctura, aculeus ſiquidem illius maior eſt aculeo alterius generis reſpectu ſui corporis,quædam vero carentes aculeis minores ac debiliores ſunt, & illæ non pungunt. *Plin. libro* 11. Veſpæ ſerpentem auide comedunt, ex quo alimento mortiferos ictus faciunt. *Idem in libr.* 20. Folia vero rutæ trita ex vino ſumpta, valent contra veſparum aculeos. Maluæ quoque ſatiuæ ac ſylueſtres contra omnes aculeatos ictus præcipuè veſparum ſunt efficaces. Trita vero qualibet earum oleo peruncti ante, vel eas habentes non feriuntur à veſpis. *Idem in libr.* 21. Meliſſophyllum contra veſparum ictus eſt præſtantiſſimum.

Meliſſophyllum.

Idem in libr. 33. Vinum contra veſpas eſt remedium, lactis quoque ficulnei natura, & decoctum ex folijs lauri reſiſtit venenis earum. *Idem in lib.* 28. A ſcorpione percuſſi, nunquam poſtea feriuntur à veſpis. *Idem in lib.* 29. Noctuæ à veſpis non feriuntur, locuſtarum etiam minimæ quos vocant atelabos veſpis aduerſantur. Salis quoque natura valet ex aceto contra veſpas.

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER VICESIMVSPRIMVS.

De vniuerſali natura animalium.

CAPVT I.

POSTQVAM de animalium natura, ſigillatim proprietates eorum ſpeciales aſſignando breuiter diſſeruimus, ſupereſt, vt etiam eorum naturam in vniuerſali per ſingulas quoque partes, & membra totam eorum anatomiam deſcribendo, vt ſupra in principio ſuperioris libri promiſimus, impleamus. *Animal quid?* *Ariſtoteles. Diffinitur animal quod habet ſenſum, & prius primum ſenſum, ideſt tactum.* Animalia quidem generantur in terra & aqua, quoniam in terra eſt pars aquæ, & in aqua pars aeris, & in eis eſt calor animæ. Aliquo etenim modo dicimus, quod omnes iſtæ res plenæ ſunt virtute animæ. Itaque creatio corporis eſt propter animam, membra vero creata ſunt propter operationes. Quando igitur animal ſiue membrum caruerit anima, non remanebit animal, neque membrum vere, ſed tantum in figura & forma. *Perfectius animal.* *Perfectius quidem animalium naturaliter eſt, quod maioris caliditatis eſt & humiditatis;* & quia calor eſt cauſa cremēti, & rectificat animalium corpora, propter hoc homo eſt erectioris corporis, & animal generans animal plus cęteris quadrupedibus. Animalia vero naturaliter frigida, ſunt magni timoris, & accidit animalibus propter timorem, effuſio ventris vel vrinæ. Animalia ſanguinis calidi ſubtilis & mundi communicatiora ſunt in ſapientia, & audacia, & ſimilibus. *Ira fortis.* *Ira vero fortis non erit niſi in corpore multæ ſiccitatis.* In quibuſdam animalibus eſt ſanguis & in quibuſdam alia humiditas conueniens ſanguini, ſcilicet humiditas incompleta, ſicut venenum, & omne quidem habens ſanguinem & generans animal, habet omnia ſenſus inſtrumenta præter genus talpæ. Item omne animal anhelans habet pulmonem & cannam & ſtomachum. Denique accidit omnibus animalibus, quod emittunt vocem. Alia quoque res communis eſt, ſcilicet appetitus coitus, & delectatio, & etiam garrulitas, ſtrepituſque multus tempore coitus præter hominem. Item omnia animalia mouent mandibulam inferiorem præter conchylia; quæ mouent ſuperiorem. *Item omne animal generans ſibi ſimile animal dentes habet, & maſculina plurium dentium ſunt quàm fœminina.* Animalia cornuta ſuperius non habent dentes, nec aliquod animal habet ſimul dentes acutos vel dentium culmos & cornu. Omne animal habens ſerram dentium comedit carnes, & quæ comedunt carnem crudam, in omnibus animalibus pugnant.

De multimoda diuerſificatione animalium.

CAPVT II.

Diuerſitas animalium. ANimalium modi diuerſantur ſecundum vitæ ſuæ regimen & operationes & nutrimentum, horum *quædam vadunt, quædam repunt, quædam ſolitaria ſunt, quædam cum ſimilibus ſuis coniuncta, quædam ſemper in locis ſuis manent, quædam aliquando recedunt. Item quædam venatiua ſunt, & quædam ſuum cibum acumulantia. Item quædam habitant in rimis lapidum*, & parietum, quædam in foueis, quædam ſuper terrā. *Iterum quędam taciturna ſunt*, quædā ſtrepunt, quædam rugiunt, quædā etiam pulchrè canunt. *Item quædam bellicoſa ſunt*, quædam magnæ refræ-nationis, quædam audacia vigent, vt leo, *quædam aſtutia, vt ſerpens*, quædam manſueta ſunt vt vacca, quædā iracunda vt aper, *quædam cito domeſticantur*, vt elephans, & quędam etiā hominibus applaudūt, vt canis. *Commune omnibus animalibus.* *Omnibus autem animalibus eſt vnū genus commune ſcilicet ſenſus*, quædam habent omnia mēbra, quędam non. *Quædā pariunt animalia completa*, quædam vermes & quædam oua. *Idem in li. de vegetabilibus.* Sunt & animalia quę ſexu fœmineo carent. Et ſunt quæ non generant: Sunt & quæ motum non habent. Et ſunt quædam diuerſorum colorum. Et ſunt quæ creſcunt. Et ſunt quæ prolem ſibi diſſimilem faciunt. *Pli. l. 8. animalium.* Alia quidē in vtero matris geſtantur, alia vero ex non genitis generantur, vt mures agreſtes, & Salamandræ, & quæcunque æſtas aut ver, ſtatutúmque tempus anni generant. Ex his etiam quædam nihil gignunt, vt Salmandræ, nec eſt in his maſculinum genus, aut fœmininū, ſicut nec in anguillis omnibus, quę nec animal nec ouum gignunt.

De corporibus animalium.

CAPVT III.

Ariſtoteles. Corpus animalis diuiditur in duo, ſuperius & inferius, dextrum & ſiniſtrum, anterius

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& poſterius. Declinatio vero corporis brutorum neceſſario fuit, ad terram propter cuſtodiam. Et poſuit eis Natura loco manuum pedes anteriores. Fuerunt-que neceſſariò duo pedes antè, & duo poſt ſcilicet ſimul quatuor pedes in omnibus illis generibus, vt poſſint ferre pondus. In omnibus etiam his anterius corporis maius eſt poſteriore, præterquam in homine, quia pars ſuperior corporis eius eſt temperata reſpectu inferioris, & minor quidem eſt in ſenibus, qui incuruantur ex ætate, ecõtra vero in pueris ſcilicet quod pars ſuperior inferiori ponderoſior eſt, & ob hoc incedunt curui, nec poſſunt eleuare corpora ſua. Cum autem iuueneſcit homo, pars inferior augmentatur. Animalium vero quadrupedum diſpoſitio eſt econuerſo ſcilicet quod inferior pars eſt prius valde magna, cumq; autem iuueneſcunt creſcit pars ſuperior, propter hoc eleuatio corporis multorum equorum maior eſt in anteriori, quã in poſteriori, & pullus equi tangit caput ſuum poſteriori pede, cum autem intrat ætatem non poteſt hoc facere. Itaq; crementum partis ſuperioris ſecundum diminutionem eſt inferioris. Genus etiam auium ac piſciũ plus habet carnis in ſuperiori ideſt in anteriori corporis parte, propter hoc animalia omnia minoris intellectus, quam homo, & etiam pueri reſpectu ſeniorum, quia quando pondus eſt ex parte ſuperiori minuit intellectum. Item quãdo fuerit calor in animalibus minor, & pars terreſtris maior, neceſſe eſt, vt corpus illius animalis ſit minus ideſt maioris declinationis ad terram, habebitq; multos pedes, & quando complebitur hoc erit ſine pedibus, & repet ſuper terram, eritq; membrum in quo eſt prima virtus verſus terram ſcilicet caput, nec habebit ſenſũ, ſed virtus eius erit inferius, ſicut eſt in arboribus, quia pars eorum inferior ſuperiori maior eſt, & in extremitatibus pectus hominis latum eſt, & hoc facit rectum, quoniam humeri poſiti ſunt in lateribus. In quadrupedibus non poteſt hoc eſſe ſcilicet latitudo pectoris, propter extenſionem pedum anteriorum, & propter ambulationem. Ob hoc etiam non habet animal quadrupes duas mamillas in pectore, quia ſtrictum eſt. Item homo recti corporis eſt, ideo coxas & crura habet multum carnoſa. Abſtulit enim natura à ſuperiori parte corporis eius carnem, & addidit eam ſuper inferiorem, propter pondus corporis, & vt ſit corpus rectum. In alijs autem animalibus coxæ & crura carne priuantur, & ſunt ex oſſibus ac neruis ad portandum corpus, & quatuor eorum pedes ſunt quatuor ſuſtentamenta, propter hoc naſcitur animal quadrupes ſtãs ſine labore, homo vero non poteſt eſſe rectus longo tempore, ſed indiget corporis quiete. Animalia magni corporis vnum filium generant. Parui vero corporis multos. Magnis etenim cibus in crementum corporis tranſit, nec remanet ex eo niſi modicum.

Ratio cur 4. pedes ſint in quadrupedibus.

Cur crura hominis carnoſa.

De membris animalium.

CAP. IV.

In corpore animalis ſunt tres modi compoſitionis. Prima ſcilicet mixtio elementorum in membris conſimilibus. Secunda mixtio conſimilium in officialibus. Tertia organorum ex diſſimilibus, ſicut manus componitur ex neruis, & oſſibus, & huiuſmodi. Senſus quidem prius eſt in omnibus membris conſimilibus, operationes autem in membris organicis, ſunt per virtutem ſenſus & motus & appetitus animaliũ. Neceſſarium eſt ergo, vt ſit membrum in corpore recipiens illa principia, quoniam ergo recipiens eſt omnia ſenſata, ſcilicet cor, debet eſſe ex ſimplicibus, & quia motor eſt & principium appetitus, debet eſſe organicum, hoc membrum in animalibus ſanguine carentibus eſt illud quod aſſimilatur cordi. Cor autem diuiditur in partes conſimiles, ſicut vnumquodque aliorum membrorum interiorum, & illorum omnium natura ſanguinea eſt, quia ſitus eorum eſt ſuper vias venarum, & vacuitas eſt inter ea. Omnia ergo membra corporis compoſita ſunt ex venis in quibus currit ſanguis, in corde verò eſt principium venarum, & prima virtus creans ſanguinem, membra quidem creata ſunt propter operationes, ſicut corpus propter animam. Et dicitur membrum ſanum, cum ſine diminutione compleuerit opus ſuum, & cum propter opus ſuum nõ fuerit debilitatum. Sicut autem corpus animalis in duo diuiditur ſcilicet in dextrum & ſiniſtrũ &c. ſic & pleraq; membrorum dupla ſunt, vel numero, ſicut duo renes, & quorumlibet ſenſuum inſtrumenta, vel ſi non duo numero, tamen in duo diſtincta, vt cor vnum duos habet ventriculos, & pulmo duas pennas, & hepar ſimiliter, quamuis de ſplene ſit opinio dicentiũ, quod ſit hepar impurum, lingua quoque vna eſt, ſed diſtincta, & ſic vnum animal eſt quaſi duo. In quibuſdam animalibus ſunt omnia mẽbra interiora. In quibuſdam non. Et membra quæ conueniunt in numero, in quibuſdam animalibus diuerſantur in eſſe. Cor enim eſt vniuſmodi in omnibus animalibus Hepar in quibuſdã fiſſum eſt multis fiſſuris, & in quibuſdã non omnino, maximeq; hepar piſciũ, & quadrupedũ ouantium, & auium, quoniam iſtorũ corpora ſunt ratione reſpirationis ac diſſolutionis, & non eſt in eis malum ſuperfluum multũ. Ideoq; multa felle carent, omnia mẽbra interiora intromittuntur in telam ea continẽtem, quia coopertorio indigent & telę natura talis eſt, vt ſit lenis & ſpiſſa ad patiendum occaſionem. Et ſit carnoſa, ne attrahat ad ſe ſuperflua. Omnia animalia habent duo membra cõmunia ſcilicet mẽbrum per quod recipiunt nutrimentum, & mẽbrum per quod eiiciunt. Aliud quoq; membrum cõmunicãs ad quod vadit nutrimentum poſt ingreſſum eius in os, qui eſt venter. Omne ergo animal habens veſicam habet & ventrem non autem econuerſo. Hepar autem & ſplen poſſunt decoquere cibũ quoniam ex ſanguine ſunt, & habent calorem multum Hepatis quidem ſitus eſt in dextera, ſplenis in ſiniſtra. Renes vero ſunt, ad colandum ſuperfluitatem humidi quod currit ad veſicam, & quia calor naturalis regit corpus, ſicut Principes regionem, ideo omne animal habens ſanguinem habet cor & hepar. Cor ad ſeruandum calorem ſicut in fornace, & hepar ad digerendum, animal anhelans habet & tertium membrum ſcilicet pulmonem. Membra magni corporis ſunt caput, collum, clibanus, ideſt totum quod eſt inter collum & finem ventris, duo quoq; brachia, & pedes maiores ſcilicet ab ancha vſq; ad articulos. *Conſtantinus in pantegni. 2. parte.* Vnumquodque autem animal habet corporis inſtrumenta virtuti animæ competentia. Nam leo cum ſit animi audacis & iracundi, corpus habet forte & graue, in pedibus vngues, & acutiſſimos in ore dentes. Lepus autem cum ſit timidiſſimus habet membra leuitate nimia fugæ aptiſſima, homini quoq; fecit natura manus, vt in eis operaretur, in quibus digiti multi ſunt & diuiſi vt per eos magna & minima poſſent retineri. Hepar fecit rubeum prout competebat creando ſanguini. Mammillas & teſticulos ad creandum lac & ſperma fecit alba: hoc modo fecit omnia membra propriis actionibus conuenientia.

Triplex compoſitio in corpore.

Cor principium ſanguinis & venarum.

Hepar. Splen. Renes.

Pulmo.

De capite.

CAP. V.

Plinius lib. 11. Nunc per ſingulas partes corporum membratim animalium tractetur hiſtoria. Caput habent cuncta quæ ſanguinem, quædam autem & capita criſtata. *Ariſtoteles.* Pars capitis in qua eſt origo capillorum dicitur olla: pars eius anterior ſinciput, poſterior occiput, medium vero ſummitas. Sub ſincipite quidem eſt cerebrum in occipite vero eſt vacuum. Teſta capitis creata eſt ex oſſe duro, quod continet corium & caro, in hac eſt ſutura naturalis, quæ in mulieribus eſt vna circundans. Virorum autem capita multas continent ſuturas.

Caput, Olla. Sinciput. Occiput.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Solus homo caput habet rectum & eleuatum præ cæteris animalibus. Fuitq; caput creatum ſine carne, vt eſſet melioris ſenſus, & perfectioris ac velocioris. Nam ſi eſſet multæ carnis, eſſet operatio cerebri contraria operationi naturali propter quam creabatur, ſcilicet ad infrigidandum cor, nec in eo poſſent eſſe ſenſus, ſi eſſet cerebrum ſicut aliquod ſuperfluitatum. Principium vero ſenſus eſt in corde, & duo quidem ex ſenſibus ſunt continui cum corde, guſtus ſcilicet & tactus. Tres vero reſidui ſunt in capite, viſus ſcilicet in anteriori circa cerebrum, auditus in poſteriori quod eſt vacuum. Olfactus autem anterius in medio trium inſtrumentorum. Item ſi eſſet caput carnoſum, eſſet & ponderoſum, cum econuerſo in omnibus animalibus eſſe debeat eleuatum & rectum, propter hæc tria ergo non eſt caro in capite ſcilicet propter ſubtilitatem ſenſus, & operationem cerebri, & ipſius capitis leuitatem. Quod autem inferius eſt ſub ſutura capitis facies dicitur, non recte tamen niſi in homine, pars vero faciei ſuperior frons. Omne animal habet caudam piloſam, habet caput paruum, & mandibulas magnas, homo vero maius habet caput comparationi ſui corporis. Pueri minoris ſunt intellectus, quia caput craſſum habent & ponderoſum: Serpentis proprium eſt mouere caput ad poſterius, reliquo corpore quieſcente, & hoc ſibi datum eſt ad cuſtodiam ſui corporis, quoniam imbecille eſt.

Cor principium ſenſus.

Facies. Frons.

De Vertice & Cerebro.

CAP. VI.

PLin. *vbi ſup.* Vertices bini hominũ tantũ, aliquibus capitibus oſſa plana & tenuia ſine medullis. Serratis pectinatim ſtructa compaginibus, perfracta non queunt ſolidari. Sed exempta modicè non ſunt læta lia, in vicem eorum ſuccedente corporea cicatrice. Infirmiſſima ſunt vrſis, duriſſima pſitacis. Cerebrum habent omnia animalia, quæ ſanguinem, ſed homo portione maximum & humidiſſimum, omnium viſcerum frigidiſſimum, duabus ſupra ſubterq; membranis velatum, quarum alterutram rumpi mortiferum eſt, omnium autẽ cerebro medio inſunt oſſicula parua: vni homini ſcilicet in infantia palpitat, nec roboratur antequã primum ſit ſermonis exordium, hoc eſt viſcerum excellentiſſimum, proximumq; telo capitis ſine carne, ſine cruore, ſine ſordibus, hoc habet ſenſuum arcem, huc venarum à corde omnis vis tendit. hic deſinit, hic culmen altiſſimum, hic mentis eſt regimen, ab eo proficiſcitur ſomnus, hinc capitis mutatio. Quæ cerebrum non habent, non dormiunt. *Ariſtot* Omne animal habens cerebrum habet ipſum in anteriori parte capitis, quia ſenſus in anteriori ſunt, & etiam cor cui ex directo debet eſſe cerebrũ. Cerebrum autem & cor indigent multa cuſtodia, quia in eis eſt præcipua virtus vitæ. Cerebrum eſt valde frigidum plus cæteris membris, & eſt magis priuatum ſanguine quàm aliquo alio humore, quia nullus in eo ſanguis apparet, nec eſt in eo vena magna vel parua. Eſt autem membrum diuinum, cuius operatio eſt intellectus & ſenſus, nec poſſet ſupra ſe ferre pondus alterius membri, quia pondus gravat intellectus motum. Itaque cerebrum eſt inſtrumentum ſenſus, Eiuſque natura eſt æterna, & cum nullo membro continuatur. homo quidem reſpectu ſui corporis maius habet cerebrum cæteris animalibus. Cerebrum quoque viri maius eſt cerebro muliebri.

Palpitat cerebrum in infantibus.

De Cerebro.

CAP. VII.

IDem. Quia vero medulla eſt continua cum cerebro. Multi putant quod cerebrum ſit principium medullæ & ſpondilium, ſed veritas contradicit, quia natura cerebri diuiſa eſt à natura medullæ, quæ calida eſt. Et ob hoc medulla ſpondilum ideſt nucha continua eſt cum cerebro, quia natura ſemper laborat in dando virtutem adiuuantem, & eiicientem diſtemperantiam cuiuſlibet membri per ſuum contrarium, & ponit illam prope ipſum. Ideoque etiam ingeniata eſt natura ponere cerebrum in oppoſito cordis, quia non poteſt eſſe membrum in aliqua complexione per ſe ſine contrarietate alterius. Itaque cerebrum ex terra & aqua compoſitum eſt, & eius tactus eſt valde frigidus, propter hoc omne animal habens ſanguinem, habet cerebrum nec habetur ab alio. Animal itaque multipes & huiuſmodi genera, calida ſunt propter priuationem cerebri. Cerebrum ergo meliorat complexionẽ caloris & ebullitionis cordis, vt habeat cor temperatum, calorem in vena maiori, quarum peruentio eſt in tela continente cerebrum, id eſt pia matre. Et vt non accidat cerebro nocumentum ex calore, venæ continentes ipſum, ſpiſſæ ſunt graciles & ſanguis mundus ſubtilis. Itaque ſi cerebrum complexione temperata frigidius fuerit, accident catarrhi, quia vapor fumi ſurſum aſcendit & infrigidatur, ſicut accidit generatio pluuiarum ex vaporibus, quia vapor per calorem aſcendit, & cum ad aerem frigidum peruenerit ſuſtentatur & alteratur, & fit aqua propter frigiditatem, deinde cadit inferius. Quando vero cerebrum exiccatur, vel humeſcit pluſquam debet, non facit opus ſuum, ſed infrigidatur corpus, & accidit amiſſio intellectus & infirmitas, & mors, quia calor cordis & primi membri multus eſt & de facili lęditur ab aliis, & ſenſus eſt feſtinus valdè & immutatur, vel concurrit aliquid ex ſanguine cerebrum continenti. Somnus eſt etiam in animali cerebrum habente, quoniam infrigidat cibum venientem ad ipſum ex curſu ſanguinis. Calor vero cum ſanguine fugit & aggregatur ad inferius, & tunc efficitur ſomnus. *Iſaac in dictis lib. primo.* Cerebrum dicit Ariſtoteles in libro de animalibus calidum eſſe naturaliter, & frigidum accidentaliter, proinde humidum eſt & craſſum, viſcoſum, abominabile appetitum corrumpit in ſtomacho, citoque in putredinem vertitur. *Auicenna.* Cerebrum frigidum eſt & humidum, generat phlegma, & humores craſſos, lenitque ventrem, facit autem nauſeam apud digeſtionem ſuam ac deler appetitum, & oportet vt comedatur cum ſeminibus, qui vero poſt cibum vomere vult, ſumat ipſum ſuper cibum ſuum. Eſt autem tardæ digeſtionis inuolutum faciens ſtomachum. Meliora quidem ſunt cerebrum volatilium, & propriè montanorum. Ex cerebris autem quadrupedum, cerebrum arietis, deinde vituli.

Catharrorũ generatio.

Somni cauſa

De Cornibus.

CAP. VIII.

ARiſt. Cornua naturaliter ſunt in animalibus generãtibus animalia, in aliis trãſſumptiuè, creata autẽ ſunt propter vigorem & iuuamentum. Quædam autem habent cornua debilia, nec ad vigorem nec ad pugnã conueniẽtia. Itaq; omne animal ſiſſi pedis multę fiſſuræ non habet cornua, quoniam alium habet vigoris modũ, pluraq; fiſſas vngulas habẽtia habent cornua, etiam quędã habentia ſoleas. Animalia ſunt quibus natura non dedit alium modum iuuamenti, ſicut dedit velocitatem equis & ceruis. Elephanti & camelo magnitudinem corporis. Culmos prominentes porcis, recte autem animalia ſoleas habentia non habent cornua, quia natura poſuit vigorem in ſoleis, & priuauit caput à cornibus, niſi forte habent vnum cornu, ſicut aſinus Indicus. In capite debent eſſe cornua non in alio membro,, quia pondus magnum eſſet prohibens operationes, & non eſſet per ipſa iuuamen aliquod. Ceruis tamen cornua duriſſima ſunt & ſolida propter neceſſitatem, ea deiiciunt propter pondus. Eiiciunt autem vbi graue eſt inuenire, eiſque eiectis non apparent cerui, quoniam carent armis.

Iuuamina animalium.

Cur in capite cornua.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Aliorum autem animalium concaua ſunt prope radicem. Reſiduum veto durum eſt, quoniam illud conueniens eſt ad impellẽdum. Ramificatio vero cornuũ ſicut eſt in ceruo, propinquior eſt nocumento quam iuuamento. Itaque fœminæ ceruorum habent dentes maſculorum & tamen cornua non habent quia non ſunt ad iuuamen eis, ſicut nec in maſculis Item ſolus ceruus omni anno cornua mutat. Omne animal cornua habens, naturaliter vngulas diuidit. Animalium cornutorum lac coagulatur, aliorum vero non. Item animalia cornuta non habent dentes ſuperius, & ideo ruminant, & matticare non valent. Nec habet animal aliquod ſimul dentes acutos vel culmos dentium & cornu excepto lepore. Sola animalia cornuta coagulum habent. Colores quidem cornuum & vnguium & ſolearum ſunt ſecundum colores corii & pilorum. Colores autem dentium ſecundum colores oſſium, & ſic dentes Æthiopum, ſicut eorum oſſa. Item cornua magis applicantur corio & fixa ſunt ſuper ipſum, quam ſuper os, & ob hoc forte quędam animalia mouent cornua ſicut auriculas.

Cerui.

Colores dentium.

De eodem.

CAP. IX.

PLin. *vbi ſup.* Cornua quidem multis & aquatilium & marinorum & ſerpentium variis data ſunt modis, ſed quæ iure cornua intelligantur quadrupedi tantum generi, nec alibi maiori natura laſciuia luſit, animalium armis ſparſis; Hæc quorundam in ramos ſparſit vt ceruorum, Aliis vero ſimplicia tribuit. Aliorum finxit in palmas digitoſque emiſit, vnde platicerotas vocant. Dedit ramoſa capreis, ſed parua, nec decidua fecit. Conuoluta vero in anfractum arietum generi. Infeſta vero tauris. In hoc quidem genere & fœminis tribuit, in multis tantum maribus. Rupicapris in dorſum adunca, damnis in aduerſum. Erecta autem rugarumque ambitu contorta, & in leue faſtigium exacuta, vt glires decerent, ſtrepſiceroti, quem addace Aphrica appellat. Mobibilia autem vt aures phrygiæ armentis. Troglodytarum vero in terram directa, qua de cauſa obliqua ceruice paſcuntur. Aliis etiam ſingula, & hoc in medio capite velnaribus. Aliis ad incurſum robuſta, aliis ad ictum pluribus modis ſpina connexa, omnia in mucronẽ migrantia. In quodam genere pro manibus ad ſcabendum corpus. Cochleis ad prætendendum iter. In corpore cornua hęc ſicut ceraſtis aliquando & ſingula, cochleis ſemper bina, & vt prętendantur, ac reſiliant. Vrorum cornibus Barbari Septentrionales potant, vrnasq; binis capitis vnius cornua implent. Alii pręfixa his pila criſpirant.

Diuerſitas cornuum.

Cornuum vſus.

Apud nos in lamina ſecta tranſlucent, atq; etiam lumen incluſum latius fundunt, multasq; alias ad delitias conferuntur, nunc tincta, nunc ſublita, nunc quæ ceroſtrata picturę genere dicuntur. Omnibus autem caua & in mucrone demum concreta ſunt, ceruis tantum tota ſolida & omnibus annis decidua. Boum attritis vngulis cornua vngendo aruina medentur agricolę. Aſinus Indicus vnico armatus eſt cornu. Biſulcis bina inſunt, cæterorum oſſibus adhærent, Ceruorum tantum cutibus enaſcuntur. *Hali.* cornua omnia deſiccatiua ſunt; cornu caprę & cerui combuſtum firmat dentes commotos, gingiuas ſolidat. Si autem ex eis diligenter tritis collyrium fiat, elimant viſum, oculoque proſunt, ad quem materiæ fluxum faciunt, ſed poſt combuſtionem abluenda ſunt. Si vero cum vino terantur, ac ſuper dentes ponantur, confortant eos & producunt. Cinis eorum ſi lauetur diligenter, & bibatur, dyſſenteriæ prodeſt & excoriationi, porro ſi non combuſtum in aceto coquatur molarium doloribus prodeſt. Si vero tritum bibatur percuſſioni. Tyriæ prodeſt, & ſi cum dragagantho bibatur, dolorem veſicæ mitigat.

A

B

C

D

E

De Auribus.

CAP. X.

ARiſtoteles. Aurium compoſitio eſt ex cartilagine & carne. Pars auris interior dicitur ſeboſa, & exterior rotunda dicitur conchoſa. In interiori quidem eſt foramen tortuoſum ſimile armillę ſpiralis. Finis autem auris eſt in oſſe, & ſimilis in creatione formæ auris. Omnisq; ſonus & tinnitus deuenit ad ipſum, & ab ipſo reuertitur ad cerebrum. Exit enim à cerebro vena vna, & peruenit ad aurem dexteram atque alia ad ſiniſtram, & motus aurium eſt ſuper eas. Omne animal habens aures, habet eas mobiles, præter homines. Omne vero ſquamoſum & volatile nõ habet aures, ſed foramen tantum & viam auditus, animalia marina magni corporis habent aures manifeſtas, & ſunt boni auditus. Cum enim aurium creatio manifeſta fuerit, & tela continens, ideſt tympanum auditus tenue, erit acutus auditus. *Auriculæ mediocres bonitatem ſignificant. Auriculæ vero prominentes & magnæ ſtoliditatem ſignant & garrulitatem. Albertus.* Quadrupedia non habent aures in medio capitis, ſicut homo, ſed in ſuperficie ſuper caput retro, & hoc duplici ratione. *Vnam ponit Auicenna,* quia ſcilicet talia caput habent dependens, & ideo libere non peruenirent aer commotus ad aures, niſi eſſent in eminenti, nec bene poſſent audire. Iuxta terram enim turbationes multæ ſunt ſonos impedientes. Vnde campanæ altius ſuſpenſæ vbi aerem liberum attingunt, melius ſonant, & remotius audiuntur. Alia ratio eſt, quia in his mandibula inferior eſt valde longa & magna pertingens vltra medium capitis locum impediens congruam in medio poſitionem aurium. Ideoque natura optime ordinans omnia, inuenit eis altum locum. Cæterum aures animalium prominentes multum eriguntur ac reflectuntur à poſteriori capitis verſus anterius, quia nerui audibiles diriguntur ad capitis anterius. Ideoque natura, vt reflexio ſoni fiat ad eandem partem, erexit aures retro, vt percuſſus ſonus retro veniat ad ante. Cuius ſignum eſt quod animalia mox, vt audiunt ſonum, caput erigunt, & faciem verſus eum dirigunt, eo quod venientem ad ante melius audiunt, quam à retro. Nam ab ante planus eſt ſoni ingreſſus, ſed retro per carnis prominentiam impeditur. Porro aues propter duo non habent aures prominentes, vnum eſt quod aues impedirentur in volatu ſuo, eo quod multum caperent vẽtum. Aliud eſt quod in volatu fieret multa repercuſſio aeris ad aures, ac per hoc eſſet ſonus continuus, & ex hoc accideret inconuenientia duo, ſcilicet quod ex ſono continuo auditus confunderetur, & quod ex continua cerebri commotione, auis interficeretur. *Plin. vbi ſup.* Aures tantum hominum immobiles ſunt. Animalium alijs maiores, alijs minores. Ceruis tamen ſciſſæ ſunt, ac velut diuiſæ, ſoricibus piloſæ, vitulo marino ac viperis cauernæ tantum inſunt aurium loco. Pennatorum animalium buboni tantum & otto plumę velut aures. Cæteris autem cauernæ ad auditum, Simili modo ſquamigeris atque ſerpentibus. In equis & omnium iumentorum genere indicia animi præferunt, marcidæ feſſis, nutantes pauidis, ſubrectæ furentibus, reſolutæ ægris.

Aures. *Seboſa.* *Conchoſa.*

Prima ratio cur brutorũ aures ſint in ſummitate capitis.

Secunda ratio.

Aues nõ habent aures prominentes propter duo.

De Fronte & ſupercilijs.

CAP. XI.

IDem *in eodem.* Facies quidem homini tantum, cæteris os aut roſtra. Frons & alijs ineſt, ſed homini tantum triſtitię, hilaritatis, clementiæ, ſeueritatis index in aſſenſu eius. *Ariſtoteles.* Frons eſt ſuperior pars faciei, quæ ſinciput & oculos interiacet. Facies tamen

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Frons magna. Parua. Lata. Rotunda.

non recte nominatur niſi in homine ſolo. Frons magna ſignat ponderoſum declinantem ad ſtultitiam, parua vero ſignificat bonitatem motus operationum, ſcilicet animæ, & quando fuerit lata ſignat prauitatem diſcretionis. Quando vero rotunda iracundiam.

Supercilia quid ſignificent.

In fronte ſupercilia ſunt quæ demiſſa ſignificant inuidum, & cum fuerint recta ſicut linea, ſignificatur mollicies ac fœminea fluxibilitas. Quando vero fuerunt arcuata, quouſque coniungantur ad conum naſi, ſignificatur leuis ac ſubtilis & ſtudioſus in omnibus operibus ſuis. Quando vero arcuoſitas illa decliuis fuerit ad tempora vel gibboſitates genarum, ſignificatur negligens & male diſponens. Supercilia quidem creata ſunt, vt prohibeant humiditates, quæ ad frontem à capite deſcendunt. Paſpebræ vero, vt prohibeant quod cadit ſuper oculum ab extrinſeco, ſicut ſepes prohibet introitum in hortum. Supercilia ſuper oſſa poſita ſunt, & ob hoc augmentantur in eis pili apud ſenectutem. *Plinius vbi ſupra.* Supercilia homini & pariter & alterne mobilia ſunt, & in his pars animi. Negamus, annuimus: hæc maximè indicant

Faſtus.

Faſtus; ſuperbia alibi receptaculum, ſed hic ſedem habet. In corde iraſcitur, hic ſubit, hic pendet.

De oculis.

CAP. XII.

Oculi.

ARiſtoteles. Sub ſuperciliis vero ſunt oculi, parteſque eorum ſunt palpebræ ſuperior & inferior. Ad hoc quidem creatæ, vt prohibeant, quod cadit ſuper oculum ab extrinſeco. Intra oculum autem humiditas illius per quam videtur eſt pupilla, & quod ſequitur eam dicitur nigredo oculi, quod autem eſt extra illam nigredinem, albedo; locus autem oculorum conueniens eſt exitui ſpermatis. Item partium oculi ſunt & anguli, ſcilicet apud conum naſi, & gibboſitatem genarũ, & lachrymale ſuperius & inferius.

Lachrymale paruum.

Cumque lachrymale, & quod ſequitur angulum oculi fuerit paruum & ſubtile, ſignat malitiam diſpoſitionis & conſuetudinis & figuræ, ſcilicet oculi. Quando vero locus ille fuerit multæ carnis, ſicut accidit oculis milui, ſignificatur aſtutia & formidatio mala, id eſt appetitus decipiendi alium cum timore ne decipiatur ab alio. Item oculi mediocris quantitatis, ſignificant bonitatẽ diſcretionis intellectus, ſi fuerint

Profundi.

profundi ſignificatur acuitas in omnibus animalibus. Si autem prominentes ſignificatur perturbatio diſcretionis, & malitia diſpoſitionis, ſi vero mediocres ſignum eſt bonitatis. Item ſi multæ apertionis fuerint & paucę clauſuræ, ſignificatur ſtultitia & inuerecundia, ſi vero multæ clauſuræ, ſignificatur quod multum ſit mobilis, leuis diſcretionis, non fixus in operationibus. Quando vero mediocris inter duo, ſignificatur bonitas etiam diſpoſitionis & diſcretionis in omni opere vel tempore. Via quidem oculorum peruenit ad venas, quæ ſunt circa cerebrum, & etiam exeunt viæ ab auriculis, & continuantur cum poſteriori capitis. Oculus profundus benè videt etiam à remotis, quia motus eius non diuiditur neque conſumitur, ſed virtus viſibilis exiens ab eo rectè vadit ad rem viſam. Oculus verò prominens, non ſic. Cumque extra oculum non fuerit coopertorium neceſſariò debilitatur viſus. Creatio quidem oculorum eſt ex aqua, & ex multitudine humoris fit color niger. Cum autem fuerit humor modicus, fit color glaucus, ſicut patet in mari. Itaque oculi glauci non ſunt acuti viſus in die neq; in nocte, quia glaucitas propter paucitatem humorum magis diſgregatur ex luce ſolis. Oculi verò nigri

Glauci.

minus in nocte propter multitudinem humorum, quia lumen noctis debilius eſt, & etiam humor vniuerſaliter grauis motus de nocte, & motus oculi eſt ex claritate, non ex humiditate.

De Palpebris.

CAP. XIII.

Palpebra.

PAlpebræ, vt dictum eſt, ſunt partes oculorum ſuperior & inferior. omne animal ſibi ſimile gignens habet, oculos præter talpam, & habet palpebras ſimiliter & coopertorium ſenſus viſus. Nam quia natura oculi creata eſt ex humiditate, indiget iſta cuſtodia, & vt ſit viſus acutus valde homo claudit oculum plus omnibus animalibus, quia tenuis corij ſuper palpebrã enim eſt corium continens ipſam, & ob hoc non conſolidatur palpebra, neq; præpucium, quia ſunt corium ſine carne. auis non claudit oculum, niſi per palpebrã

Aues.

inferiorem, & eius clauſura debet eſſe valde feſtina, quoniam aues neceſſario indigent acuto viſu, quia vident à remotis, præcipueq; aues vncorum vnguium, ambulãtia vero claudunt oculum per ſuperiorem, lacertorum genus omninò non claudit. animal quadrupes ouans, eſt ſquamoſi corij, & quod vinciatur capiti eius eſt valde durum, propter hoc non habet palpebram in ſuperiori parte, ſed tantũ inferiorem habentẽ catnem & duriciem & extenſionem ad claudendum oculum conuenientem. Piſcis, & alia animalia annuloſi duriq; corij maximè carent palpebris, propter duriciem corij, quoniam opus palpebrarũ debet eſſe feſtinum, ſed loco huius opertorii, atq; cuſtodiæ habent duros oculos, & ob hanc duriciem vident debiliter. omnia deniq; animalia habentia pilos habent palpebras. Aues autem & ſquamoſi nequaquam, nec habẽt pilos in palpebris, niſi in ſuperiori tantum, præter hominem qui habet in vtraque, quia natura ſemper parat iuuamẽtum animali nobiliori. Omne animal claudit oculum ne cadat aliquid ſuper eum, & hoc non ex voluntate, ſed ex natura. *Ex lib. de naturis rer* Omne animal habens palpebras claudit eas in ſomno, præter leporem & leonem.

Claudantur in ſomno.

De diuerſitate oculorum in diuerſis generibus animalium.

CAP. XIV.

PLin. *vbi ſup.* Subiacent oculi ſupercilijs, pars corporis precioſiſſima, vt lucis viſu vitam à morte diſtinguant, non autem omnibus animalium, hi etenim oſtreis nulli: quibuſdam concharum dubij. pectines enim ſi quis digitos aduerſum hiantes eos moueat, cõtrahuntur vt videntes, & oientes fugiunt admota ferramenta. Quadrupedum, talpis viſus non eſt, oculorum effigies ineſt, ſiquis prætentam detrahit membranam, inter aues autem ardeolarum genera, quas leucos vocant, altero oculo carere tradunt. Cocleis oculorum vicem cornicula bina prætentatu adimplent, nec lumbricis ſunt vlli vermiumvè generi. Oculi homini tantum diuerſo colore ſunt. Cæteris in ſuo cuiq; genere ſimiles. Et equorum quibuſdam glauci. oculi, vnicolores nulli ſunt, ſed cum candore omnibus mediuſculo differentes. Nec vlla ex parte maiora animi indicia cunctis animalibus, ſed hominũ maximè ideſt moderationis, clementiæ, miſericordię, odij, amoris, triſtitiæ, lætitiæ. Contuitu quoque multiformes ſunt, truces, torui, flagrantes, graues, tranſuerſi, limi, ſubmiſſi, blandi, ardent, incenduntur, humectant, cohibent. Profecto in oculis animus inhabitat. Hinc illæ miſericordiæ lachrymæ. Hos cum oſculamur, animum ipſum videmur attingere. hinc fletus & rigantes ora riui. Quis ille humor eſt in dolore tam fæcundus & paratus, aut vbi reliquo tempore, animo autem videmus, animo cernimus? Oculi ceu vaſa quædam viſibilem eius partem accipiunt, atq; tranſmittunt. Sic magna cogitatio obcæcat abducto intus viſu. Sic in morbo comiciali animo caligante aperti nihil vident. Quin & patentibus dormiunt lepores.

Animus in oculis.

Tenui-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tenuibus multisque membranis eos natura composuit, callosis contra frigida caloresque in extremo tunicis, quas subinde purificãt lachrymationum saliuis. lubricos propter incursantia & mobiles, vni animaliũ homini deprauantur, vnde cognomina scabionum & pætorum ab eisdem; qui altero lumine orbi nascerentur, cochites vocantur. Quies parui, vtrinque ocelli, lucini cognomen habuere. Nocturnorum animalium velut felium in tenebris fulgent. Capræ lupoq; splendent & lucem iaculantur. Vitulo marino & hyenæ in mille colores transeunt subinde. Quin & in tenebris multorum piscium refulgent sicut aridi robustique caudices vetustate putres. Non cõniuere diximus quę non obliquis oculis, sed circumacto capite cernerent. Chamæleonis oculos ipsos circumagi totos tradunt. Cancri in obliquum aspiciunt. Crusta fragili inclusis rigentes. Locustis squillisque magna ex parte sub eodem muniměto præduri eminent, omnia talia quorum duri sunt oculi minus cernunt, quàm quorum humidi. Serpentium catulos & hyrundinum pullos siquis eruat, renasci tradunt. Insectorum omnium & quibus testacia & operimenta sunt, oculi mouentur sicut quadrupedum aures. Quibus operimenta sunt fragilia, his oculi duri. Omnia talia & pisces & insecta non habent genas, nec integent oculos. Omnibus autem membrana, vitri modo translucida, obtenditur. Mulieribus etiam tanta est decoris affectio, vt tingantur oculi quoque. Alia de causa hoc natura dederat ceu vallum quoddam visus & prominens munimentum circa occursantia animalia, aut alia fortuita incidentia. Defluere autem & merito venere abundantibus.

Pæti. Cochites. Lucini.

Oculi refulgentes.

Duri.

Vallum visus.

De oculis.

CAP. XV.

Aristoteles. Oculi puerorum apud generationem virides sunt, deinde mutantur ad naturam in eis vincentem. Oculi aliorum animalium non habent nisi vnum colorem, sicut oculi vaccarum, qui nigri sunt; & oculi ouium, qui sunt aquosi magis quàm aliorum animalium. Oculi vero equorum inter animalia sunt diuersi coloris, & fortè vnus oculus erit glaucus, alius ei contrarius, quod non accidit in aliis animalibus præter hominem. Causa glaucitatis oculorum in pueris est, quoniam ista membra sunt in eis debiliora quàm alia, & glaucitas oculorum in homine & equo, scilicet vt sit vnus oculus hominis vel equi glaucus & alius non, eadem est cum illa, qua homo tantum & equus in senectute canescunt. Nam canicies est quidam modus debilitatis humoris in cerebro, & paucitatis digestionis, & similiter glaucitas. Cum ergo natura fuerit debilis ad decoquendum quod est in vtroque, & decoxerit quiddam, & quiddam non, tunc accidit, vt quidam oculus glaucus sit, quidam non. capra quandoque sicut & equus habet oculos dissimiles in colore. *Ex libro de naturis rerum.* Oculi hominis apptopinquant sibi secundum magnitudinem ipsius, plusquam cæteris animalibus. Animalia omnia marina oculos habent osseos, & corium durum, quoniam aqua salsa subtilia & leuia penetraret, nec possent subsistere nisi natura pelles aliis fortiores haberent. Quædam animalia melius vident nocte quàm die, quoniam oculi eorum albissimo abundant humore. Vnde magis spiritus diffunditur, sicque discretio videndorum amittitur, nocte vero colligitur.

Oculi equorum & hominum.

Glaucitas vnde.

Capra.

De genis & naribus.

CAP. XVI.

Plinius libro 11. Genæ quadrupedibus in superioribus tantum. Volucribus in inferiore, & quibus molle tergus, & serpentibus, & quadrupedibus quæ oua pariunt vt lacertæ. Struthio camelus alitum sola vt homo, vtrinque palpebras habet. Nec genæ quidẽ omnibus, ideo neque nictationes his quæ animal generant. Grauiores alitum inferiore gena conniuẽt. Eędem nictantur ab angulis membrana obeunte. Columbæ & similia vtraque conniuent. At quadrupedes quæ oua pariunt, vt testudines, crocodili, inferiori tantum sine vlla nictatione propter præduros oculos. Extremum ambitum genæ superioris antiqui cilium vocauere, vnde & supercilia: hoc vulnere aliquo deductum non coalescit, In paucis humani corporis membris. Infra oculos malæ homini tantum, quas prisci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto, radi à fœminis eas vetantes, pudoris hæc sedes. Ibi maxime rubor ostenditur. Infra eas hylaritates, risumque indicantes buccæ, nasus altior est homini tantum, quem noui mores irrisione subdola dicauere. Non alij animalium nares eminent, Auibus, serpentibus, piscibus, foramina tantum ad olfactus sine naribus. *Aristot.* Nasus est instrumentum sensus odoratus & anhelitus, & via sternutationis, quando multiplicatur in cerebro ventus, & exit ex insperato, anhelitus vero qui ex ore præter necessitatem est, & est fœdus & inconueniens, quia per naturam exit nisi per nares. Nasus autem est boni sensus & motus, & paries qui est in medio eius est ex cartilagine. Transitus vero anhelitus & mustilaginis est vacuus, & hoc quidem instrumentum, scilicet olfactus, dicitur nasus in animalibus habentibus duas voces longas. In aliis autem diuisum est propè maxillas. Nasus elephantis est membrum longum & fortè, molle ac flexibile, per quod adducit cibum ad os, & vtitur eo loco manuum in omnibus quibus indiget, etiam in eradicatione arborum. Et quando natat, eleuat illud additamentum sursum ad attrahendum aerem. Leporarij longi nasi, sunt boni olfactus. Aues autem & serpentes & alia animalia ouantia sanguinem habentia, habent vias nasi non diuisas, manifeste propè os, propter anhelitũ. Et potest dici quod non habent nasum, sed tantum rostra, quasi de natura ossium in quibus sunt viæ olfactus, loco ergò nasi, oris, & dentium habent rostrum, & propter cibum, & propter olfactum vel anhelitum. Cætera vero animalia anhelantia anhelant per cannas, aut per branchas. Animal autem annulosi corporis anhelat per telam parietis, ac sentit odores. *Isaacc* Nares frigidæ sunt & siccæ, sunt enim cartilaginosæ, ideoque difficiles ad digerendum, & parum nutrimenti faciunt.

Gena.

Cilium.

Nasus.

Nasus Elephantis.

Leporarij.

De ore & labijs.

CAP. XVII.

Aristoteles. Os & partes quæ in eo sunt, & instrumenta sunt, & ad vsum cibi conuenientia; quoniã quidem animal quod cibatur, indiget inscisione cibi in partibus paruis, & hæc inscisio non est causa digestionis cibi omninò, sed velocioris digestionis. Operatio quidem oris est mittere cibum ventri, qui digerit eum calore naturali. Os quo indigetur ad vigorem, est multæ fissuræ, vt in lupis ac cæteris venantibus, & rapacibus piscibus; homo autem in comparatione sui corporis, parui oris est. Animalia vero dentium acutorum os habent multum fissum. Labia sub naribus creata sunt ex carne boni motus, propter salutem & custodiam dentium. Et vt conueniant ad exitum sermonis, & ad gustandum humiditates. *Plinius vbi supra.* Labia sunt à quibus brochilabrones dicti sunt. Et os probum durius, animal gignentibus, pro iis cornea & acuta volucribus rostra. Eadem rapto viuentibus adunca, collecto recta herbas rodentibus, limumque ruentibus reduncа, vt sunt generi, lata in vsum iumentis vice manus ad colligenda pabula. Ora apertiora laniatu viuentibus, mentum nulli præter hominem nec malæ.

Maxillas crocodilus tantum superiores mouet.

Operatio oris.

Labia.

Brochilabrones.

Crocodilus.

Terreſtres quadrupedes eodem quo cæteræ more, præterquam in obliquũ. *Iſaac.* Labia in cibis auribus laudabiliora ſunt, quia auriculæ de cute & cartilagine ſunt compoſitæ. Cartilago vero niſi de iuuenibus ſit animalibus & bene coquatur, erit indigeſtibilis. Si vero de lactante & bene cocta ſit, digeſtibilis erit.

De lingua.

CAP. XVIII.

Lingua. ARiſtoteles. Lingua creata eſt mollis carnis, & quandoque lata, quandoque ſtricta. Si verò mediocris, in hoc eſt laudabilis, quia conuenientior bonitati motus, & interpretationi vocabulorum. Quædam enim dicuntur per linguæ percuſſionem, quædam & labiorum coniunctionem. Lingua quidem hominis abſoluta eſt valde, mollis & lata, vt vtatur duabus operationibus, primo ſcilicet ſenſu & guſtu humiditatum. Omne namque corpus molle conueniens eſt ad bonitatem ſenſus tactus, nec erit guſtus, niſi per aliquem modum tactus. Lingua ergo, eſt inſtrumentum ſenſus guſtus, ſed ille ſenſus non eſt niſi in extremitate eius. Quod enim ex ea amplum eſt minoris eſt ſenſus, præterea quando lingua fuerit abſoluta lata, & mollis, poteſt ſermocinari bene, quoniam extenditur & extrahitur ac gyratur ore circunquaque modis diuerſis. Ideoque etiam auis late linguæ proferre poteſt aliquas litteras magis quàm aues ſtrictę linguę. *Auis lata lingua.* Linguæ vero animalium ambulantium & ouantium habentium ſanguinem non iuuant ad vociferationem, quia duræ ſunt & ligatæ non abſolutæ, ſed valent ad guſtum. Linguæ porrò ſerpentium & lacertorum longæ ſunt, & extenduntur extenſione magna, habent enim duos ramos in extremis ſuis, ſicut pili, propter inſaturitatem naturę ipſorum, & ideo ſapor humiditatum in eis eſt duplex.

Piſces. Piſces autem habent linguam, ſed non diuiſam, quia ſenſus humiditatum eſt in animali aquoſo paruo tempore. Cibus enim feſtinè tranſit ad ventrem, quia non poteſt in ore diu manere, quoniam extrahitur humiditas eius per aquam. ſiquis non declinauerit os ad vnam partem, non apparebit lingua. *Vermis ſub lingua.* Item in capitibus animalium omnium ſub lingua vermis eſt in profundo eius. Ideo membrum eſt inquietum, *Plinius vbi ſupra.* Linguæ non omnibus eodem modo. Tenuiſſima ſerpentibus & triſulca vibrans, atri coloris, ſi extrahas, prę lõga, lacertis bifida & piloſa. Vitulis quoque marinis duplex. Sed ſupradictis capillamenti tenuitate. Cæteris ad circumlambenda ora. Piſcibus paulominus quàm tota adhærens. Crocodilis tota. Sed in guſtatu linguæ vice carnoſum aquatilibus palatum. Apibus etiam prælonga eminens, & cicadis. *Carẽtia linguis.* Quibus aculeus in ore fiſtuloſus, iis nec lingua, nec dentes, quibuſdam inſectis intus lingua, vt formicis. Cæterum lata elephanto, Reliquis in ſuo genere ſemper abſoluta. Homini tantum ita ſæpe conſtricta venis vt intercidi eas neceſſe ſit. Intellectus ſapor eſt cæteris in lingua, homini & in palato. teſtudini marinæ lingua nulla, nec dentes, ſed roſtri acie comminuunt omnia. *Lingua aſpera.* Leonibus ac Pardis omnibuſque generis eius etiam felibus imbricatæ aſperitatis, & limæ ſimilis, attenuanſque lambendo cutem hominis. Quæ cauſa etiam cur manſuefactæ vbi ad vicinum ſanguinem peruenit, ſaliua inuitat ad rabiem. Ranis prima cohæret. Intima abſoluta à gutture qua vocem mittunt. Mares tum vocantur Ololygones, ſtato id tempore euenit, cientibus ad coitum fœminas. Tum ſiquidem inferiori labro demiſſo ad labramẽtum modicæ aquę receptæ in fauces palpitante ſibi lingua vlulatus elicitur. tunc extenti buccarum ſinus perlucent. oculi flagrant labore propulſi Quibus in poſteriori parte aculei, his & dentes & lingua. *Iſaac.* Lingua inter lacertos & teneram carnem mediocris eſt, iccirco ſola comeſta dat nutrimentum molle & mediocre. *Ariſtoteles.* Omnia quidem animalia habent appetitum cibi.

A Animal annuloſi corporis habet tale membrum per quod ſentit cibum intra os, ſicut genus formicarum, & alia multa teſtei corii. Quędam etiam eorum habent illud membrum extra ſicut aculeum, & eius natura mollis eſt & vacua, per ipſum guſtat & ſentit & attrahit cibum, ſicut patet in Muſcis, & Apibus, atque ſimilibus.

De maxillis & dentibus.

CAP. XIX.

Maxillæ. AVctor. Maxillę, vt ait Iſidorus, per diminutionem à malis dicuntur, ſicut Paxillus à Palo, Taxillus à Talo. *Mandibulæ.* Mandibulæ vero ſunt maxillarum partes, ſcilicet à mandendo dictę, continent enim dentes. *Ariſtot.* Omne animal habens caudam piloſam, habet caput paruum & mandibulas magnas. Homo quidem & Quadrupedes amouent mandibulas ſuperius & inferius & in latus, quia mordent, maſticãt, & ruminant. Aues autem & piſces mouent ſuperius atque inferius, ſed non in latus quia non maſticant, ſed ſolum mordent. Omne animal mouet inferiorem mandibulam præter Conchylia quæ mouent ſuperiorem. *Conchylia.* *Plinius libr.* 11. Maxillas Crocodilus tantum ſuperiores mouet. *Crocodilus.* *Ariſtot.* Dentes habet omne animal generans Animal ſibi ſimile. *Dentes.* Qualitas quidem & quantitas dentium hominis conuenientes ſunt ad loquendum, & maximè anteriores. In quibuſdam autem Animalibus natura dentium eſt ad vtendum cibo, •In quibuſdam ad vigorem contra nocumenta. Et quædam habent dentes acutos, fortes, intrantes ſeſe in modum ſerræ, vt non obtundantur. Quædam verò duos culmos prominentes, vt Porci; & horum C modorum vnus eſt ad vigorem, alius ad pugnandum. Nullum animal habet vtrunque ſimul, quia Natura nihil agit ſuperfluè, propter hoc non habent Porci culmos prominentes, nec mordent, niſi per acuitatem dentium. Natura ſiquidem non dat membra vigori conuenientia, niſi animalibus indigentibus illis, vt aculeum, vngues, cornua, culmos prominentes, & ſimilia. Itaque non eſt aliquod Animal quod habeat ſimul dentes acutos vel dentium culmos & cornu. Animalia quoque cornuta ſuperius dentes non habent. Animalia dentium acutorum habent os multæ fiſſuræ, quia indigent eo ad vigorem. Et omne Animal habens ſerram dentium comedit carnes. Et quoniam animalium maſculi fortiores ſunt quam fœminæ fortè prædicta membra vigori, ſcilicet conuenientia erunt in maſculis tantum, vel in maſculis fortiora, quam in fœminis. Ob hoc mares Ceruorum ha- D *Tauri.* bent cornua, fœminæ non. Inter cornua quoq; Taurorum, & Vaccarum diuerſitas eſt, & in cornibus Ouium, ſimiliter dentes Piſcium acuti ſunt præter *Piſces.* Scarum, quia propter humiditatem in ore cibum diu tenere non poſſunt Sunt etiam incuruati, quia vigor illorum in eis eſt. Aues autem non habent dentes, ſed *Aues.* roſtra loco labiorum & dentium. Serpentium dentes acuti ſunt, diuerſi coniuncti. Certus ſenex dentes nõ habet, vel paruos habet. In India legitur eſſe Lupi ge- *Lupi Indici.* nus habens tres acies dentium inferius & ſuperius. Eſt & Animal quoddam quod aperit os, & intrãtes Auiculæ mundant dentes eius, cibantes ſe ſordibus eorũ. Animalia maſculina plurium dentium ſunt, quam fę- E minea, ſicut patet in hominibus, porcis, & capris. In aliis autem non apparet, & illa quidem quæ multorũ ſunt, longæ vitæ ſunt vt in pluribus. Quæ vero paucorum ſeparatorum, breuis vitæ. In animalibus quæ carent dentibus ſuperius coagulatur lac, lac vero dẽtes habentis in vtraque mandibula, nequaquam.

De dentium varietate.

CAP. XX.

PLinius *vbi ſupra.* Dentium tria ſunt genera, ſerrati, *Dentes ſerrati.* aut cõtinui, aut exerti. Serrati pectinanter coeũtes

nc

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ne contrario occurſu atterantur, vt ſerpentibus, piſcibus, canibus. Continui, vt homini, equo. Exerti Apro, Hippotamo, elephanto. Continuorum qui digerunt cibum lati ſunt & acuti, qui conficiunt duplices. qui diſcriminant eos canini appellantur, hi ſunt è ſerratis longiſſimi. Continui, aut in vtraq; parte oris ſunt, vt equo, aut ſuperiores primiores non ſunt, vt bobus ouibusq; quæ ruminant. Capręſuperiores non ſunt præter primores geminos. Nulli exerti ſunt quibus ſerrati. Raro in ſunt fœminæ, & tamen ſine vſu. Itaque cum Apri percutiant, fœminæ ſues mordent. Nulli cui cornua, ſunt exerti, ſed omnes ſui concaui. Cęteris vero ſolidi. Piſcium omnibus ſerrati, prętер Scarum huic vni Aquatilium plani. Cæterũq; multis eorum in lingua & toto ore vt turba vulnerum molliant, quę attritu ſubigere non queunt. Multis & in palato, atq; etiã in cauda. Præterea in os vergentes ne excidant cibi nullum habentibus retinendi adminiculum. Similes aſpidi & ſerpentibus, ſed duo in ſuperna parte dextera læuaq; longiſſimi tenui fiſtula perforati, vt Scorpionum aculei venenum infundentes. Non aliud hoc eſſe quam ſerpentium & inde venis ſub ſpina ad os peruenire, & has per ventrem diligentiſſimi Auctores ſcribunt. Quidam vnum eſſe eum, & quia ſit aduncus reſupinari cum momorderit. Aliqui tunc decidere eum rurſusq; recreſcere facilem decuſſu, & pleriſque ternos. Viperę dentes gingiuis conduntur, hęc eadem prægnans veneno impreſſo, dentium repulſu, virus fundit in morſus. Volucrum nulli dentes, prætер Veſpertilionem. Camelus vna ex his quæ non ſunt cornigera, in ſuperiori maxilla priores non habet. Cornua habentium nulli ſerrati ſunt. Et Cochleæ dentes habent, indicio eſt à minimis earum deroſas vites. At in marinis cruſtata & cartilaginea priores habere, Item Echinis quinos eſſe, vnde intelligi potuerit miror. Dentium vice aculei inſectis. Simiæ dentes vt homini. Elephanto intus ad manendũ quattuor, prętерquã eos qui prominent Maſculis reflexi, Fœminis recti atque proni. Maſculus marinus qui balenam antecedit nullos habet, ſed pro his ſectis intus os hyrtum & linguam etiam ac palatũ. Terreſtrium minutis quadrupedibus primores bini, vtrinq; longiſſimi. Cęteris cum ipſis naſcuntur, homini poſtquam natus eſt 7. menſe. *Ex lib. de nat. re.* Omne animal dentes habens ſerrales haurit aquam lingua. Animalia dentes æquales habentia ſugendo trahunt aquam in ventrem. Animalia multorum dẽtium longæ vitæ ſunt in pluribus, paucorum autem breuis. Item animalia ruminantia non habent dentes niſi ex vna parte, quia non erat neceſſe. Cum enim ruminant cum deliberatione maſticant, & cibos tranſmittunt. Omnia vero animalia quæ in aqua manent & dentata ſunt, conſtipatos & acutos dentes habent, vt citius inſcidant & in ventrem tranſmittant, ne aquarum ablutione eſca eorum dentibus auferatur.

Continui. *Exerti.* *Veſpertilio.* *Maſculus marinus.* *Ruminantia*

De eorum mutatione.

CAP. XXI.

Mutatio dẽtium. *Renati poſt 104. annos.*

PLinius lib 11. Reliquis animalium dentes perpetui manent, mutantur homini, leoni, iumento, cani, & ruminantibus. ſed leoni, & cani, non niſi canini appellati, Lupi dexter caninus in magnis habetur opibus. Maxillares qui ſunt à caninis nullum animal mutat, homini nouiſſimi qui gemini vocantur, circiter viceſimum annum gignuntur, multis & octogeſimo. fœminis quoque ſed quibus in iuuenta non fuere nati decidere in ſenecta & mox renaſci certum eſt. Zanclen Samothracenum ciuem cui renati eſſent poſt cẽtum & quatuor annos, Mucianus viſum à ſe prodidit Maribus plures quam fœminis in homine, pecude, caprisve. Timarchus. Nicodis filius Papij duos habuit ordines maxillarum. Frater eius non mutauit primores, ideoq; prætериuit. eſt exemplum dentes homini in palato gigni: canini amiſſi caſu aliquo nunquam te-

A naſcuntur. Cæteris ſenecta rubeſcunt, equo tantum candidiores fiunt. Ætas veteranorum dentibus indicatur. Equo ſunt dentes numero xl. Amittit xxx. menſe primores vtrinq; binos. Sequenti anno totidem proximos cum ſubeunt dicti columellares Quinto anno incipiente binos amittit, qui ſexto anno renaſcuntur. Et ſeptimo omnes habet & renatos & immutabiles. Equo caſtrato prius non decidunt dentes, Aſinorum genus xxx. menſe ſimiliter amittit, deinde ſenis menſibus. Quod ſi non prius peperierint, quam decidant poſtremi, ſterilitas certa. Bobus his mutantur. Suibus decidunt nunquam. Aſſumpta hac reſeruatione ſenectus in equis & cæteris veteranis intelligitur dentium brochitate, ſuperciliorum canicie, & circa ea lacunis. cum ferè xvj. annorum exiſtimantur. Hominum dentibus quoddam ineſt vitus, nam & ſpeculi nitorem
B ex diuerſo nudati hebetant, & columbarum fœtus implumes necant. Reliqua animalia quæ ſerratos habent, fæuiſſima dẽtibus. *Ariſtoteles.* Homo eijcit dentes, ſed anteriores tantum, & non molares. Equus quoque & mulus & aſinus dentes eiiciunt. Porcus nõ eiicit omnino. Canis vero non eiicit aliquem, donec egrediatur in loco ſuo ſimilis. Animalia quoque agreſtia culmos eiiciunt. Nam de anterioribus dubitatur. Non autem cogniti ſunt canes iuuenes à ſenibus niſi per dentes, quia iuuenum albi ſunt & acuti, ſenum nigri non acuti. Omne animal cum procedit in ætate nigreſcunt dentes eius, prætер equum, cui econtrario albeſcunt. Elephas cum generatur apparent dentes ſubito generati cum eo, dentes vero magni non apparent, donec iuueneſcunt. Dentes qui naſcuntur intra gingiuam, non oriuntur in viris & mulieribus, niſi poſt xx. annos, & fortè in quibuſdam mulieribus poſt
C annos 70. & origo eorum eſt cum magno dolore, maximè quando intempeſtiuè oriuntur.

De dentibus equorum. *Ætas aquorum ex dentibus noſcitur.* *Notitia canum ex dentibus.*

De Collo & gutture.

CAP. XXII.

COlli creatio propter anhelitum eſt, & propter cibum. In collo nanq; ſunt Trachea propter anhelitum, & Iſophagus per quem intrat cibus ad ventrem. Animal ſi non habet collum, non habebit pulmonem. Poteſt quidem eſſe ſitus ventris poſt ſitum capitis. ſed non poteſt eſſe ſitus pulmonis poſt ſitum capitis, quia inter ea debet eſſe canna, per quam diuidatur aer, per concauitatem pulmonis, quoniam inſtrumentum anhelitus longum eſt. æſophagus autem carnoſum eſt, & habet extenſionem ad modum netui, & ampliatur, vt ſit obediens ad introitum cibi. Canna vero & vena aſpera corpus eſt cartilaginoſum, quia creatio eius non eſt propter anhelitum tantum, ſed etiam propter vocem. Et vox debet eſſe dura & lenis, vena autem magna quæ coram Iſophago eſt poſita, magno expoſita eſt nocumento, quia ſiquid in eam ex cibo ceciderit erit cauſa ſtrangulationis & multæ occaſionis. propter hoc natura poſuit ſuper orificium cannæ coopertorium, ſcilicet Epiglottida. Et eſt mẽbrum ſuper radicem linguæ, quod aperitur apud indigentiam anhelitus & clauditur, vt non cadat in eam cibus. Quod ſi neglexerit animal & anhelauerit comedendo & bibendo, cadatq; in cannam aliquid de cibo, accidit tuſſis & ſtrangulatio.

Fuit autem neceſſario locus cannæ coram Iſophago, quia membrum nobilius & melius dignius eſt, vt ſit in parte anteriori, & non in poſteriori, & ſimiliter in dextra non ſiniſtra, & in ſuperiori non inferiori, niſi ſit alia res nobilior prohibens ipſum ibi eſſe. Cor autem poſitum eſt in anteriori pectoris, & in anteriori cordis eſt omnis ſenſus & motus. Principium vero vitæ & anhelitus per cannam & pulmonem vadit ad anterius cordis, quod autem intrat æſophagum, vadit in ventrem. Os colli leonum eſt continuum, & non eſt in eo annuloſitas. Serpentes non habent collum diſtractum in maiori parte. Auium colli magnitudo

Collum. *Æſophagus.* *Epiglottis.* *Situs cordis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

equitur magnitudinem crurium. Excipiuntur autem natantes, habentes corium inter digitos. In auibus piſcantibus collum eſt ſicut arundo, roſtrum ſicut hamus. *Ex lib. de nat. re.* Quibuſdam animalibus longiora colla formauit Deus, vt equis, camelis, & elephantibus, & hoc ad vſum paſtionis extendant. Cum enim altiora ſunt animalia, non poſſent aliter herbis minutiſſimis paſci. Animalia quoq; ruminantia ferè omnia longum collum habent. Quibuſdam vero breuiora dedit & anguſtiora, vt Leoni ac Tygribus, quia non in terram paſcendi gratia ceruicem & ora deflectunt, ſed aut ceruum inuadunt, aut bouem, vel ouem decerpunt. *Plinius vbi ſupra* Tonſillæ in homine ſunt in ſue glandulæ. Quod inter eas vuæ nomine vltimo dependet palato hominum tantum eſt. Sub ea minor lingua. Nullæ oua generantium. Opera eius gemina duabus interpoſita fiſtulis. Interior earum Epiglottis appellatur arteria ad pulmonem atque cor pertinens. hanc operit in epulando ac voce illac meante, ne ſi potus cibusve in alienum deerrauerit tramitem, torqueat. altera exterior eſt, appellatur ſanè gula, qua cibus atque potus deuoratur. Tendit hæc ad ſtomachum, is ad ventrem. hanc per vices operit cum ſpiritus tantum aut vox commeat, ne reſtagnatio intempeſtiua alui obſtrepat. Ceruix nulli niſi quibus vtraque hæc. Cæteris collum quibus tantum gula. ſed quibus ceruix è multis vertebratisque orbiculatim oſſibus flexibilis ad circumſpectum articulorum nodis iungitur. Leoni tantum & Lupo, & Hiænæ, ſingulis rectisque oſſibus rigens. Cętero ſpinæ adnectitur. ſpina lumbis oſſea, ſed tereti ſtructura per media foramina à cerebro medulla deſcendente. Eandem ei eſſe naturam quam cerebro colligunt. quoniam prętenui eius membrana modo inſciſa ſtatim expiratur. Quibus longa crura, his longa colla. Item aquaticis quamuis breuia crura habentibus ſimili modo vncos vngues. Guttur homini tantum & ſuibus intumeſcit aquarum quæ potantur plerunque vitio. Summum gulæ fauces vocantur, poſtremum ſtomachus. Hoc nomine eſt ſub arteria iam çarnoſa inanitas adnexa ſpinæ ad latitudinem ac longitudinem lagenæ modo fuſa. quibus voces non ſunt, nec ſtomachus quidem eſt, nec colla, nec guttur, vt piſcibus, & ora ventribus iunguntur.

Ruminantia.

Gula.

Stomachus.

De Armis & Pectoribus & Coſtis.

CAP. XXIII.

Armus.

Dexter.

Pedum diuerſitas in animalibus.

Vctor. Armi iuxta Iſidorum proprie ſunt quadrupedum ſicut humeri hominum Sunt autem armi duo animali, quorum dexter dicebatur in lege armus ſeparationis, quia in ſeparatione membrorum hoſtiæ legalis primus ab ea ſeparabatur, & tanquam cæteris membris dignior in partem ſacerdotum deputabatur. Tradunt etiam quidam quod formatio corporis animalis in vtero matris ab humero dextro inchoatur. ijs anteriores pedes animalium cum cruribus ſuis, ſicut humeris hominum manus cum brachijs innectuntur. *Ariſtoteles.* Homo quia pluris eſt intellectus ſuper animalia cætera, natura dedit ei manus ſicut dantur fiſtulæ fiſtulatori, vt poſſit eis vti diuerſis modis, quia cum ſit valde intelligens, multis indiget inſtrumentis. Itaq; manus non eſt vnum inſtrumentum, ſed multa, cætera quidem animalia non habent, niſi vnum modum vigoris, nec poſſunt alium habere vel arma ſua mutare. homini vero manus eſt ſicut vnguis & vngula, & lancea, gladius, & alia inſtrumenta, quia facere poteſt omnia iſta. In animalibus autem natura poſuit loco manuum pedes anteriores. Itaque animal multos digitos habens in pedibus, vtitur anterioribus, ſicut homo manibus, quia pugnat cum eis, & eijcit à ſe nocumentum, Animal autem habens ſoleas facit hoc cum poſterioribus, quia anteriores non ſunt ad hoc conuenientes. Simia vtitur manibus ſicut pedibus & manibus quia compoſitæ ſunt ex manu & pede. Elephas naſo vtitur loco manus in accipiendo cibum & potum, & hoc in omnibus in quibus indiget, etiam in eradicando arbores. Manus ſiniſtra in hominibus non eſt leuis motus, nec pes ſiniſter in animalibus, præterquam in elephante. *Plin. vbi ſup.* Pectus præcordijs & vitalibus natura circumdedit: homini tantum latum, reliquis carinatum. *Ariſtoteles.* Pectus eſt homini latum, in quadrupedibus hoc autem eſſe non poteſt, propter extenſionem pedum anteriorum, & propter ambulationem. Ideoq, non habent mammillas in pectore, ſolus ergo homo pectus habebit latum. Cætera nanque animalia habent anguſtum: Pectus hominis paucæ carnis eſt. Aues autem pectus carnoſum & acutum habent, ratione ſupradicta. *Plin. vbi ſup.* Coſtæ homini tantum octonæ, Suibus denæ, cornigeris xiij. Serpentibus 30.

Pectus.

Coſtarum numerus.

De Mammillis.

CAP. XXIV.

Curbrutanõ habent mãmillas ante pectus.

Cur duæ tantum leænæ & Elephanti.

Porcæ proprium.

Situs.

Ariſtot. Mammillas habent animalia quædam in pectore, quædam in ventre, quædam prope coxas. Mulieres quidem in pectore vbi coſtę concurrunt propter amplitudinem loci, & à ſe inuicem diuiſas, quia carnoſæ ſunt, & locus ille carnoſus. Et in maribus quidem propter ambulationem, in mulieribus autem propter cibum fœtus. Et in annis nubilibus incipiunt incraſſari. Cætera vero animalia non poterant eas habere in pectore ante pedes anteriores, propter grauitatem, quia motum prohiberent. Animalia quidem paucorum filiorum habentia ſoleas & cornua duas tantum mammillas habent prope coxas. Animal vero multorum filiorum multæque fiſſuræ in pedibus, habet mammillas multas, ſicut canis & porca. Quoddam habet duas tantum in ventre, ſicut læna. Cuius cauſa eſt non, quia ſit porcorum filiorum, ſed quia modici lactis eſt. Cibus eius tranſit in corpus quia comedit niſi raro, & comedit carnem. Elephas vero fœmina duas tantum habet, quia tantum vnicum parit fœtum, & habet eas in ſubaſcellari, quod locus primus eſt mammillarum, Non autem prope coxas, quia fiſſi pedis eſt. Non enim animal fiſſi pedis poteſt eſſe, mammillas habens prope coxas. Item quædam animalia multas habent mammillas, & multum lac, vt Porca, quæ hoc habet proprium quod primam mammillam dat primo filio. Primæ vero mammillę ſunt prope ſubaſcellaria, & propter hoc habet illic elephas fœmina duas mammillas, vt dictum eſt. Mammillæ autem animalium multorum filiorum ſunt in ventre, quia multæ ſunt, multis enim indigent, & quoniam in latitudine non poſſunt eſſe pluſquam duæ ſcilicet in latere dextro & ſiniſtro. Situs earum eſt in longitudine ventris. Animal autem carens multis fiſſuris in pedibus & manibus, habens paucos filios, habet diſtinctionem in mammillis apud aſcellaria, vt camela & equa & aſina. Quoniam huiuſmodi animalia non pariunt niſi vnum. Similis eſt etiam diſpoſitio in habentibus ſotulares, vt in cerua, vacca, capra, & ſimilibus. Cauſa huius eſt quia corporis incrementum eſt in parte ſuperiori, & ob hoc indigent cibo pluri. Alia vero pars econtra, propter hoc poſuit natura mammillas in parte illa.

De eodem.

CAP. XXV.

MAmmillę ſunt in animali, quod generat animal, & in animali habente pilos, vt eſt homo vel equus, & in animalibus quadrupedibus. Et in marinis magnis, vt in Delphino. Et totum lac animalis eſt in mammillis. Animalia vero ouantia, non habẽt mammillas, vt piſces & aues. Item prædictorum animalium

lium fœminæ omnes habent mammillas, quorundam vero mares non habent. Equi quando matribus aſſimilantur, habent mammillas. Quando vero patribus non habent, & quorundam marium mammillæ magis apparentes ſunt, maximeque habentium corpora humida & leuia. In quorundam etiam marium mammillis eſt lac, ſed paucum: declinatio vberis ad inferius ante partum ſignum eſt multitudinis lactis. Lac animalium multas mammillas habentium, non conuenit ad caſeum. *Plinius vbi ſupra.* Mammas homo ſolus è maribus habet, cætera animalia mammillarum notas tantum, ſed nec fœminæ quidem in pectore niſi quæ poſſunt partus ſuos attollere. Oua gignentium nulli, nec lac niſi animal parienti, Volucrum veſpertilio tantum. Fabuloſum enim arbitror de ſtrigibus vbera eas infantium labris immulgere. Eſſe quidem in maledictis iam antiquis ſtrigem conuenit, ſed quæ ſit auium conſtare non arbitror. Quibus ſolida vngula, nec ſupra geminos fœtus, hæc omnia binas habent mammas, nec alibi quàm in fœmoribus, eodem loco biſulca & cornigera. Boues quaternas, & capræ binas. Quæ numeroſo fœcunda fœtu, & quibus digiti in pedibus hæc plures habent toto ventre duplici ordine, vt ſues generoſæ duodenas, vulgares binis minus, ſimiliter canes, Alia ventre medio quaternas, vt Pantheræ, alia binas vt Leænæ, Elephas tantum ſub armis duas, nec in pectore, ſed citra in aliis occultas. Nulla in fœminibus digitos habentium, primi geniti in quaque parte ſuis primas premunt, & ſi eſcæ ſunt faucibus proximæ, tamen ſuam nouit quiſque in fœtu quo genitus eſt ordine, eaque alitur nec alia. Vrſæ mammas quaternas gerunt. Delphini binas, in imo aluo, papillas tantum nec euidentes, ſed paulo in obliquum porrectas, nec aliud animal in curſu lambitur. Balænę quoque & vitulæ mammis nutriunt fœtus.

Mares habentes lac in mammillis.

Veſpertilioni mamma.

Sues norunt quo ordine fœtus quiſq; generatur.

De Corde.

CAP. XXVI.

Ariſtoteles. Cor eſt in omnibus habentibus ſanguinem. Vaſa nanque ſanguinis venæ ſunt, & harum principium eſt cor, vnde venæ videntur exire à corde, non tranſire per ipſum. Natura vero creationis cordis eſt ex venis, & eſt ex genere venarum Situsque eius eſt conueniens ad ſuum eſſe prius, quia poſitum eſt in loco ſuperiori & anteriori. quod nobilius eſt ordinatum in loco nobiliori naturaliter, ſcilicet in medio corporis, quo indigetur neceſſario, hoc enim eſt inter membrum recipiens cibum, & membrum per quod exit ſuperfluitas. quoniam his duobus membris & tertio in quo eſt vitæ principium indiget omne animal. Illi vero qui finxerunt, quod principium venarum in capite ſit, errauerunt, quia ponunt multa principia diſtincta eſſe in loco frigido. Vbi autem poſſibile eſt vnam radicem eſſe, melius eſt quam multa principia facere. Cor itaque, quia principium venarum eſt concauum ad recipiẽdum ſanguinem, & ſpiſſum ad cuſtodiendum principium motus Et in nullo membro eſt ſanguis ſine venis, niſi in corde tantum. Nec venit ad cor ex alio loco, quia fons eſt & principium ſanguinis, & membrum recipiens ſanguinem, venæ vero canales vel aluei: & hoc patet quia cauſatio cordis primo apparet ſanguinea, & eſt principium motus rerum delectabilium, ac ſenſibilium, & vniuerſaliter motus cuiuſlibet ſenſus ex ipſo incipiunt, & ad ipſum redeunt. Debet ergo eſſe vnum, & in medio tanquam principium, quia locus ille conuenientior eſt, & medium & vnum. Virtusque eius expanditur ad omnia membra ſecundum vnum modum, Et hoc apparet etiam per ſenſum, quia cor apparet in corpore embryonis in initio ſuæ cauſationis, & videtur moueri inter alia membra quaſi animal, quia principium eſt naturæ animalis habentis ſanguinem. Poſitum eſt autem cor in anteriori pectoris, vt non infrigetur cito, propter hoc fuit cauſatio pectoris paucæ carnis, poſterius vero maioris carnis, habet enim cooperimentum multum ex parte dorſi. Et in alijs quidem animalibus poſitum eſt cor in medio pectoris. In homine vero declinat ad ſiniſtram. vt ſit infrigidatio ſiniſtrę partis æqualis infrigidationi dextrę, quia ſiniſtra pars in homine frigidior eſt quàm in alijs animalibus. Iterum pars acuta cordis eſt in oppoſitione capitis, & eſt in ea motus. Cor diuiditur in partes conſimiles, ſicut vnumquodq; aliorum membrorum interiorum, quę omnia ſunt in habentibus ſanguinem & non in alijs. Omniumq; illorum natura ſanguinea eſt, quia ſitus eorum eſt ſuper vias venarum, & vacuitas eſt inter ea. Omnia itaque membra corporis compoſita ſunt ex venis, in quibus currit ſanguis. In corde eſt principium venarum, & prima virtus creans ſanguinem. In corde animalis magni ſunt tres ventres, & in parui corporis, duo, quia locus eſt receptionis ſanguinis puri. Principia namque venarum in corde ſunt duo, ſcilicet vena magna, & aorta quia natura ſanguinis diuiſa eſt in duo. Melius autem eſt vt ſint tres ventres quatenus ſit vnum principium commune, & eſt medium ſingulare. In ventribus quidem qui ſunt in parte dextra, ſanguis eſt multum calidus, ob hoc dextra pars calidior eſt quam ſiniſtra, & ſanguis in ſiniſtra minor eſt atque frigidior. Habent autem ventriculi ſanguinem temperatum in quantitate & qualitate, & eſt valde humidus, & ita debet eſſe in membro in quo eſt prima virtus. In cordibus autem debet eſſe diuiſio quæ aſſimilatur ſuturæ. In cordibns equi & vaccæ ſunt oſſa, eſt & in corde cerui.

Ventres cordis.

Cor.

Situs.

Error Medicorum Galenum ſequutorum.

Cor fons ſanguinis.

Ratio ſitus cordis.

Item de eodem.

CAP. XXVII.

Corda diuerſantur in magnitudine & paruitate. mollicie & duricie. Corda namq; animalium habentium ſenſum mollia ſunt, carentium vero ſenſu dura. Item animal magni cordis timidũ eſt, vt aſinus, ceruus, lepus, mulus, ſicut enim paruus ignis in domibus magnis minus calefacit quàm in paruis, ſic calor paruus in corde magno non poteſt ipſũ implere, quia dilatatur, & ob hoc efficitur ſanguis frigidior: propter hoc etiam non erit pingue animal magnorum ventriculorum, nec animal magnarum venarum, ſed e contrario potius. Animal autem habens cor mediocre, magis eſt audax. Item cor inter omnia membra interiora non poteſt dolorem pati, nec infirmitatem fortem. Quando nanq; corrumpitur principium, in nullo adiuuantur membra reſidua: & huius ſignum eſt, quia in corde mortui naturaliter nunquã apparet infirmitas, ſicut apparet in aliis membris interioribus, vt in renibus lapides, aut vulnera aut apoſtemata, ſimiliter in hepate vel pulmone. Omnes ergo occaſiones quæ accidunt animalibus, non apparent in eo. Cor & cerebrum indigent cuſtodia, quoniam in eis eſt præcipue virtus vitæ. Principium autem vitæ & omnis ſenſus à corde eſt. Accipiter corda comedit auium quas capit. *Plinius vbi ſup.* Cor animalibus aliis eſt in medio pectore, homini tantum infra leuam papillam turbinato mucrone in priora eminens. Piſcibus ſolum ad os ſpectat. hoc primum naſcentibus formari in vtero tradunt, deinde cerebrum, ſicut tardiſsime oculos, ſed hoc primum mori, cor nouiſſime, huic præcipuus calor. Palpitat certè & quaſi alterum mouetur. Inter animalia molli firmoque opertum membranæ inuolucro, munitum coſtarum & pectoris muro, vt pateat præcipuum vitæ cauſam eſſe & originem. Prima domicilia intra ſe animo & ſanguini præbet ſinuoſo ſpecu, & in magnis animalibus triplici. In nullo non gemino. Ibi mens habitat, Ex hoc fonte duæ grandes venæ in priora & terga diſcurrunt, ſparſasque ramorum ſerie per alias minores omnibus membris vitalem ſanguinem rigant. Solum hoc viſcerum vitijs non macératur, nec ſupplicia vitæ trahit. Læſumque

Dura. Mollia.

Audax animal.

Situs cordis in homine.

Cor primo formatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mortem ilicò affert, Cæteris corruptis vitalitas in corde durat. Bruta exiſtimantur animalium quibus durum riget. Audacia quibus paruum eſt, pauida quibus prægrande. Maximum autem eſt proportione muribus, & lepori, ac ceruo, pantheræ, muſtelis, hyænis, & omnibus timidis aut propter mætum maleficis. In Paphlagonia bina perdicibus corda; in equorum corde & boum, oſſa reperiuntur interdum non viuere hominem vltra centiſſimum annum defectu cordis Ægyptii exiſtimant, quibus mos eſt cadauera ſeruare medicata: hyrco corde gigni quoſdam homines produnt, nec alios eſſe fortiores induſtria, ſicut Ariſtomenem Meſſenium qui trecentos occidit Lacedemonios. Ipſe autem conuulneratus & captus ſemel per cauernam laminarum euaſit anguſtias, vulpium aditus ſequutus. Iterum captus ſopitis cuſtodibus ſomno ad ignem euolutus, lora cum corpore exuſſit. Tertiò capto Lacedemonii pectus diſſecuere cauſa videndi, Hirſutumque cor repertum eſt. negatur poſſe cremari cor in his qui cardiaco morbo obierunt, negatur & veneno interemptis. *Iſaac vbi ſup.* Cor duræ ſubſtantiæ eſt, tardeq; de ſtomacho eiicitur, ſed tamẽ cũ bene digeritur, multum & bonum dat corpori nutrimentũ.

Audaces.

Perdices Paphlagonici.

Geniti hyrco corde fortes.

Quibus cor cremari nequit.

De Pulmone.

CAP. XXVIII.

ARiſtoteles. Pulmo eſt inſtrumentum anhelitus, & principium motus eius eſt in corde. Ipſe eſt præparatus ad amplitudinem in introitu aeris propter molliciem & vacuitatem & concauitatem & magnitudinem ſui corporis. Cumque inflatur intrat aer, & cum conſtringitur exit aer. Quia vero pulmo conueniens eſt pulſui cordis, non inflatur, eleuatur multum. Pulſus autem cordis non accidit præcipuè niſi in homine, quoniam homo ſperat & timet. Animal ambulans habet pulmonem, quoniam indiget infrigidatione. Et animal habens ſanguinem, eò magis indiget, quia maiorem habet calorem. Animal vero carens ſanguine, ſufficit ei de infrigidatione ſpiritus naturalis, qui eſt in eo Sanguis qui eſt in pulmone non eſt fixus, ſed ille qui eſt in corde fixus eſt. Omnia animalia anhelantia pulmonem habent. Anhelant autem omnia ambulantia, & etiam quædam aquoſa, ſicut delphini & omnes lupi marini magnorum corporum, quoniam attrahunt aerem. Multa quoq; animalia communis naturæ ſunt aquoſa ſcilicet & ſylueſtria, & anhelitus eſt complementum vitæ illorum. Animal generans habet pulmonem magnum multiq́ue ſanguinis, propter calorẽ naturę. Pulmo vero animalis ouantis eſt paruus & ſiccus, aues habẽt pulmonem modicum concauum ſpumæ ſimilem. huiuſmodi ergo animalia non multum ſitiunt, & abſtinent à potu longo tempore propter paucitatem caloris. Infrigidantur enim ex motu pulmonis, quia motus eius adducit multum aeris. In animalibus generantibus animal pulmo diuiſus eſt in duo, propter hoc putant multi quod habeant duos pulmones. *Plin. vbi ſup.* Sub corde eſt pulmo ſpirandi officiũ attrahens, & reddens animam, Iccirco ſpongioſus ac fiſtulis inanibus cauus, pauca eum habent aquatilia ac cætera oua parientia exiguum, ſpumoſum, nec ſanguineum, ideo nõ ſitiunt. Eadem eſt cauſa eſt quare ſub aqua diuranæ & phocę vrinentur. Teſtudo quoq; quamuis prægrandem & ſub tegumento habeat, ſine ſanguine tamen habet. Quanto minor hic corporibus, tanto velocitas maior. Chamæleoni portione maximus, & nihil aliud intus. *Auic.* Pulmonis nutrimentum paruum eſt, declinans ad phlegmaticum. In ipſo eſt conſtrictio ventris, & eſt eius digeſtio facilis. ſunt autem pulmones medicinales, vt arietis, vulpis, & leporis. *Iſaac vbi ſup.* Pulmo facilis eſt digeſtionis, & velociter de ſtomacho eiicitur propter leuitatem & raritatem ſubſtantiæ, proinde cæteris membris minus generat nutrimentum, phlegmatico pertinet humori.

Animalia habẽtia pulmonem.

Velocitas ex pulmone colligitur.

De Hepate.

CAP. XXIX.

ARiſtoteles. Hepar eſt principale membrum in omnibus animalibus habentibus ſanguinem, & eſt ad decoquendum & digerendum. Hepar enim & ſplen poſſunt decoquere cibum, quia ſunt de ſanguine, & habent calorem multũ. Eſt autem opinio, quod ſplen ſit Hepar impurum. In animali vero, carente ſplene, vel habente ſplenem valde paruum quaſi pũctum, inuenitur hepar in duo diuiſum, & maior pars eſt in dextra, minor in ſiniſtra. Et quia ſitus hepatis eſt in dextra, Situs ſplenis erit in ſiniſtra. Quorum natura hepatis ſana, eius fel modicum eſt. Hepar hominis ſimile eſt hepati tauri. *Auicenna.* Hepar eſt tardi inceſſus in venis niſi hepar anatis pinguis; humor ab hepatibus generatus craſſus eſt, & ſanius ex eis eſt hepar anatis & gallinarum pinguium. *Idem.* Præter hoc autem ſunt & alia quædam hepata medicinalia, vt hepar capræ, & canis etiam rabioſi. *Iſaac vbi ſup.* Hepar omnibus membris craſſius eſt & durius ad digerendum, ſanguinem tamen generat laudabilem. Nutribilius eſt etiam carne pinguedinem habente, ſed lactantium hepar cæteris melius, Gallinæ vero melius lactantibus.

Hepar.

Splen.

Sanorum fel.

Hepata meliora.

De Splene.

CAP. XXX.

ARiſtot. Splen eſt in corporibus animalium accidentaliter & non neceſſario. quia ſcilicet non eſt vas nutrimenti, ſed ſuperfluꝰi, & aſſimilatur ſuperfluitati ſc. vẽtris & veſicæ. propter hoc etiã eſt paruus in quibuſdam animalibus, maximeque in auibus calidi ventris, vt in columba, accipitre, miluo, & animalibus ouantibus quadrupedibus, & in multis habentibus cortices ſcilicet carentibus pedibus, quia ſuperfluitas corporis declinat ad partem carnis, & de parte carnis procedit ad partem plumarum. Attrahit quidem ſplen ex ventre ſuperfluitatem humiditatis, & decoquit ipſam quia creatio eſt ſanguinea, & ſi quando multum attrahit hoc erit cauſa exiccationis ventris. Cauſaque duriciei ſplenis eſt propter aggregationem humidi in eo. Similiter etiam accidit eis qui mingunt multum, propter extractionem humidi extra locum ſuum. Splen hominis eſt ſimile ſpleni porci. Splen autem habentium cornu & vngulam fiſſam, rotundus eſt, habentium vero multas fiſſuras in pede longus, & habentium ſoleas medius. *Plinius vbi ſupra.* Ventri adnectitur ſplen in ſiniſtra parte aduerſus iecur cum quo locum aliquando permutat, ſed prodigioſe. Quidam putant eum ineſſe parientibus oua. Item ſerpentibus admodum exiguum. Ita certè apparet in teſtudine & crocodilo & lacertis & ranis. Cynocephalo aui non eſſe conſtat, neque his quę careant ſanguine peculiare curſus impedimentum aliquando in eo. Quamobrem inuritur curſorum laborantibus. Et per vulnus etiam exempto viuere animalia tradunt. Sunt qui putant adimi homini ſimul riſum, intemperantiamq́ue loci conſtare lienis magnitudine. *Auicenna.* Splenum melior eſt. Splen porci, & tamen eſt mali chymi. In ipſo eſt quædam ſtipticitas, & generat ſanguinem melancholicum, tardæque digeſtionis propter ſtipticitatem ſuam.

Vſus ſplenis.

Cauſa exiccationis vẽtris.

Cachinnoues.

De iecore & felle.

CAP. XXXI.

PLinius vbi ſupra. Iecur in dextera parte eſt, in eo quod caput extortum vocant magnæ varietatis. Et bina iocinera leporibus circa briletum & tharnen & in Cheroponeſo ad propontidem. Mirumque trãslatis alio interit alterum. In eodem eſt fel, non omnibus datum animalibus, in Euboææ chalcide nullum

pecori.

pecori. In naxo prægrande, geminumque, vt prodigij loco vtrinque aduenę. Equi, muli, asini, cerni, capræ, apri, cameli, delphini non habent, murium aliqui habent, hominum paucis non est, quorum valitudo firmior, & vita longior. Sunt qui equo non quidem in iecore, sed in aluo esse putent. Et ceruo in cauda, aut intestinis. Ideo tantum habent amaritudinem, vt à canibus non attingantur. Est autem nihil aliud quàm purgamentum pessimi sanguinis. Certè iecur nulli est nisi sanguinem habentibus. Accipit hoc à corde cui iungitur fundi que in venas, sed in felle nigro insanię causa est homini, morsque toto reddito, hinc in mores crimen bilis nomine. adeo magnum est in hac parte virus cum se fundit in animum. Quin & toto corpore vagum, colorem quoque oculis aufert. Illud quidem redditum etiam Athenis. Nigrescuntq; contacta eo. Ne quis miretur id venenum esse serpentiũ. Carent eo qui absinthio vescuntur in Ponto. sed renibus ex parte tantum altera intestino iungitur, vt cotuis, coturnicibus, fasianis. Quibusdam intestino tantum vt columbis, accipitri, murenis. Paucis auium in pectore. Serpentibus portione maxime copiosum, & piscibus. Est autem toto plerisque intestino, sicut accipitri, miluo, præterea in pectore est cæteris auibus. Vitulis quoque marinis ad multa nobile. Taurorum felli aureus dicitur color. Murium iecusculis & fibræ numerum lunæ dierum in mense congruere dicunt, totidemque inueniri, quorum eius lumen sit. Prętera bruma increscere. Cuniculorum exta in bętica gemina sæpe reperiuntur. Ranarũ rubetarum altera fibra à formicis non attingitur propter venenum vt arbitrantur. Iecur maxime vetustatis patiens, centenis durare annis obsidionum exempla prodidere. Omnia quidem principalia viscera membranis proprijs ac velut vaginis inclusit prouidens natura.

Fellis. Situs.

Bilis.

De iecore murium.

Iterum de Felle.

Cap. XXXII.

Aristot. Animalia quædam habentia sanguinem habent fel, in quibusdam inuenitur super hepar, in quibusdam ab intestino pendet. Quoniam natura fellis est ex natura ventris inferioris, quia videlicet superfluum est. Omnes vero pisces fere habent fel. Quædam autem animalia fel non habent omnino, sicut equus, mulus, & asinus. Camelus quoq, non habet fel distinctum. sed venas patuas in quibus est fel. Coccyx vero non habet fel neque delphinus. In eodem etiam genere in quibusdam inuenitur fel, & in quibusdam non, vt in homine & in mure, quædam enim habent fel manifestum super hepar, & quædam non, similiter accidit & in capris, & in ouibus. Videtur autem nobis quod sit fel sicut residuum corporis, & vt fæx quæ aggregatur in ventre & intestinis. & fortè vtitur natura superfluis aliquo modo causa iuuamenti. In illis itaque quorum hepatis sana natura est, & natura sanguinis est dulcis, aut non inuenitur fel, aut inuenitur in venis valde gracilibus, aut in ventre. In quibusdam propter hoc hepar eorum carens felle, boni coloris est & dulcius alijs. Quando vero habuerit aliquod animal fel super hepar, inuenitur pars hepatis quæ sub felle valde dulcis. si ergo fellis substantia fuerit ex superfluo, contrarium erit cibo, quia superfluitatis complexio debet esse cibo contraria. Itaque amarum dulci contrarium est, & sanguis est dulcis, Fel autem amarum, Fellis ergo causa non est propter aliquid, sed est superfluum, sicut phlegma crudum, & fæx ventris. Et impossibile est quod appropinquent corditales humiditates, quin scilicet statim occidant, quia non potest pati fortes infirmitates omnino. Hepar autem huiusmodi superfluitatem habet propter necessitatem. Omnia genera piscium & volatilium, & omne ouans, & quadrupes habet fel secundum maius & minus, & fortassis erit in vijs subtilibus extensis ab hepate ad intestinum, & tunc illę viæ fætidæ sunt, fortè vero erit in intestino superiori, & forte in medio, & forte in inferiori, sic accidit generi volatilium. Quædam enim ex eis habent fel in ventre, quædam in intestino, vt columbæ & coturnices, hyrundines & garriones, quædam autem in hepate, & intestino tantum, vt accipiter & miluus, Ceruus vero secundum opinionem multorum habet fel in auricula, Anaxagoras ait, quod fel est causa infirmitatum acutarum, carentia verò fellis boni coloris, & priuatio fellis putatur causa longæ vitæ.

Natura splenis.

Habentia fel.

Nota.

Situs fellis.

De Medicinis ex felle.

Cap. XXXIII.

Avicenna Fel omne calidum est & siccum in quarto, & fortiora quidem fella quadrupedum sunt fel vaccinum, deinde fel adhubna id est lupi, fel vrsi deinde caprinum post ouinum & magis incolume fellium auium est fel galli. Reliqua autem fella auium sunt fortiora fellibus quadrupedum, quandoq; comparantur rapaces eorum cum pascentibus & venantes cum feris syluestribus, & fel quidem forte valde viscosum est, fel rapacium proprièq; magnorum. Et ex eis electum est illud cuius color citrinus est naturaliter. quod autem pure rebeum est, malume st, debilius vero cæteris est porcinum. Portò fel piscis qui scorpio nominatur, & testudinis, fortius est fellibus quadrupedum. est autem omne fel abstersiuum, & diuersificatur secundum masculum & fœminam, & secundum dispositionem sitis ac famis, & dispositionem satietatis & dispositionem quietis & exercitij. Fel mixtum cum nitro & gumma pini & cimolea confert scabiei vlcerosæ. & fel vaccinum ponitur in emplastris conferentibus vulneribus, que sunt ab erisipila & doloribus vehementibus & fel hyrcinum eradicat carnem malam, & necessitas quidem vlcerum in hoc, vt eis adhibeatur, fel forte ac debile diuersificatur secundum horas suas, & secundum mundificationem ac sordidationem eorum. Omne fel confert obscuritati visus, & fel quidem rapacium proprie siccum confert in initio aquæ & dilatationi pupillæ. Nec conceditur vt administretur, nisi post mundificationem corporis ac capitis. Item omne fel confert stricturę narium, opilationes aperiendo valde, quæ sunt in colatorio. Omne quoq; fel solutorium, & quando linitur, & quando supponitur. specialiter autem quorundam fella medicinalia sunt, vt bouis, asini, tauri, vaccæ, hirci, capræ, testudinis, & marini scorpionis. *Dioscor.* Virtus omni felli thermantica est, & viscida, sed aliquibus plus, aliquibus minus. Magna quidẽ est virtus fellis maritimi scorpionis, perdicis, pauonis, caponis albi, capreoli. Omnium istorum fella virtutem vnam habent, faciuntq; ad oculorum effusionem, & ad caliginem, & aspredinem palpebrarum. Veruecinum autem, hyrcinum, porcinum, & vrsinum, secundam virtutem habent, post taurinum, & hęc omnia lanis adhibita atq; in vmbilico posita, infantium ventrem soluunt maximeque si in ano ponantur. Taurinum autem ad multa est vtile. Fella denique maioribus optanda sunt in passionibus, nam lepras & cantabricen cum cymolea medentur.

Temperamẽ fellis.

Fel rubeum.

Administratio & vsus fellis.

Fella specialiter medicinalia.

De Ventre.

Cap. XXXIV.

Plin. vbi sup. Subest venter stomachum habentibus, cæteris simplex, ruminantibus geminus, sanguine carentibus nullus. Intestinus enim quibusdam ab ore incipiens quadam via eadem reflectitur, vt sepię & polypo. In homine annexus est infimo stomacho similis canino, his solis animalium inferiori parte angustior. Itaq; & sola vomunt, quia repleto propter angustias supprimitur cibus, quod accidere nõ potest his quorum spaciosa laxitas, cum ad inferiora transmittit. Deniq; magis auidi sunt ciborum, quibus, ab alueo longius spacium. Iidem minusq; solertes, quibus obesissimus venter. Auibus vẽter carnosus est cal-

Venter hominis.

Auidi.

Solutque, ventriculi atq; inteſtina pingui omento integuntur præterquam oua gignẽtibus, Aues quoq; geminos ſinus habent. Quędam vnum quo merguntur recentia & guttur, Alterum in quem ex eo dimittunt cõcoctione maturata vt gallinę, palumbes, columbæ, perdices. Cętera ferè carẽt eo. ſed gula patentiore vtũtur, vt gracculi, corui, cornices. Quædam neutro modo, Sed ventrem proximum habent quibus prælonga colla & anguſta vt porphyrioni. Venter ſolipedum aſper & durus. Terreſtrium aliis denticulatæ aſperitatis, Aliis cãcellatim mordacis. Quibus neq; dentes vtrinque, nec ruminatio, hinc, conficiuntur cibi, hinc in aluum delabuntur. Medio hæc vmbilico adnexa omnibus. In homine illud infima parte ſimile ſuillo, à grẽcis appellatur colon, vbi dolorum magna cauſa eſt. Anguſtiſſima canibus. Qua de cauſa vehementi niſu, nec ſine cruciatu leuant eam. Inſatiabilia animalium quibus à ventre protinus recto inteſtino trãſeunt cibi, vt lupis, ceruariis, & inter aues mergis. Ventres & elephanto quatuor. Cætera ſuibus ſimilia. In ventre hyrundinum pulli, lapilli candido, aut rubẽti colore qui chelidonij vocantur magicis narrati artibus reperiuntur. Et in iuuencarum ventre pilæ rotunditate nigricans tophus, nullo pondere ſingulare vt putant remedium ęgrè patientibus ſi tellurem non attigerit. *Ariſt.* Sub pectore eſt venter, perueniens vſq; ad locum exitus ſuperfluitatum. Eſt enim medium communicans inter membrum per quod nutrimentum recipitur, & illud per quod egeritur. Et in quolibet animali sũt hęc tria. Non autem poſſibile fuit vt poneret natura ventrem ſupra cor in quo eſt virtus prima, neque ſupra ſecundum membrum idęſt cerebrum in quo eſt operatio intellectus. Præter parietem ergo eſt venter in animalibus habentibus œſophagum. In carentibus autẽ eſt poſt os applicatus cum eo, & poſt ventrem eſt inteſtinum. *Animal generans animal*, habens dentes in vtraq; mãdibula, ſiue habeat ſoleas, vt equus & mulus ſiue findat vngulas, vt porcus, ſiue multorũ digitorũ, vt homo, leo & canis, *habet vnũ ventrem. Animal autẽ in ſuperiori mãdibula dentibus carens, & habens cornua. & cuius cibus eſt ex materia lignea ſpinoſa multos habet ventres*, propter hoc, & cameli venter talis diſpoſitionis eſt, quamuis careat cornibus, habet enim dentes creatos ſicut animalia cornuta. & ob hoc ruminat ſicut illa, & ventres eius ſicut illorũ, & quia cibus eius ſpinoſus eſt, neceſſario fuit eius lingua carnoſa, propter duriciem palati, natura ſiquidem vtitur palato ſicut parte terreſtri dentiũ. *Venter autem primus in iſtis animalibus recipit cibũ crudum, ſecundus digeſtũ, tertius recipit eum in meliori digeſtione, quartus bene digeſtũ*, & hoc animal dicitur ruminans, quoniã os ſtomachi recipit à parte oris, & procedit ad partẽ pulmonis ac per parietẽ tranſit, quouſq; perueniat ad ventrem maiorẽ & quod eſt intra ventrem illum eſt aſperum. Deinde eſt alius eidem applicatus, & poſt tertium quartus longus, villoſus, lenis, & poſt inteſtinum.

Duo ſinus ouium.

Colon.

Animalia inſatiabilia

Ratio ſitus ventris.

Animal vnius ventri.

Officia ventrum animalium ruminantium.

De eodem.

CAP. XXXV.

Exli. de nat. re. Omne ergo animal habens ſanguinem & quatuor pedes habet quatuor vẽtres. Proprie tamen dicitur venter, illa corporis pars quæ cuncta vniuerſaliter interiora ſua diffuſione circũdat, hæc craſſitudine ſua quãdoq; tantam enormitatem excedit, vt mortẽ inferat nutrienti. Itaq; omnia quæ vicinantur vẽtri parua ſunt, vt non tumorem ventris impediant propter cibum animalis. Omnis quidẽ venter recipiens ſuperfluitates humidas, recipit & ſiccas, ſed non eonuerſo. Nam omne quod habet veſicã habet & ventrem, ſed non conuertitur, vt patet in auibus. In his autẽ venter recipit ſuperfluitatem humidi & ſicci tẽperati, & per vnũ exitum eiicit. Inſatiabilia ſunt animalia quibus à vẽtre protinus inteſtino recto cibi trãſeunt, vt mergi, lupi, pellicanus. Cauſa ergo ventris eſt propter cibum vt digeratur. Itaq; natura vẽtris in animalibus eſt, quod terra terrę naſcentibus: *& omne animal ruminans, habet quatuor ventres.* Aues etiã ad ventrem habẽt additamentũ quod dicitur papum ſcilicet veſicam gutturis. Nam quoniam aues dentibus carẽt, cibus in papo morando præparationem recipit, quam in aliis animalibus maſticãdo reciperet. Ob hanc cauſam aues etiam plures ſtomachos habent depreſſos & fortes, vt facilius poſſet digeri, quod non poteſt maſticari. Animalia quoq; quæ ruminant, carent dentibus in mandibula ſuperiori. Quoniam ergo maſticare non poſſunt, ruminãt, multos habent ventres. Piſces etiam quoniam non maſticant, habent additamenta ad ventres. Venter hominis ideſt ſtomachus aſſimilatur ventri canis quamuis amplior ſit. Itẽ venter hominis ideſt inteſtinum, aſſimilatur ventri porci. Fluxus autem vẽtris in porco caret remedio. *Auicen.* Venter animalis parui nutrimenti eſt, & mali chymi, & tardæ digeſtionis. Ventres autem auium quando digeruntur melioris & plurimi nutrimenti, præcipueque gallinarum & anſerum. Æſtimant autem quod tunica ventrium animalium interior exiccata, confert oti ſtomachi, ac dolori eius, proprieque ventris galli.

Ruminantia

Papus.

Venter hominis.

De Vmbilico.

CAP. XXXVI.

Vtilor. Vmbilicus eſt membrum quo mediante adhærent fœtus vtero materno, & accipit inde nutrimentum. *Ariſt.* Omne animal generans animal & ouans habet vmbilicum tempore partus, & cum creſcit animal latet vmbilicus. Vmbilici creatio non eſt niſi cortex continens venas. Nam natura binas magnas venas à corde extrahit, ex quibus exeunt venæ ubtiles ad matricem peruenientes, & in earum circuitu eſt coopertorium corii, quoniam indigent ſaluatione, propter earum debilitatem, quæ ſcilicet venę in animalibus magni corporis multæ ſunt, in mediocribus duæ, in paruis autem vna, ex hac recipit embryo cibũ ſanguineum. Dum autem embryo paruus eſt & impotens accipere cibum, multum, erũt venæ amplę. Cum vero creuerit, diminuentur & adunabuntur in ſe. Crementum itaq; mẽbri cuiuſlibet eſt ex parte vmbilici, quia in animalibus eſt virtus animæ paſcitiuæ, qua cibo emittit vmbilicus ad matricẽ corylidones, ſicut radices arborum, & quando iam nõ potuerit cibari ſufficienter, ſcilicet conceptus per vmbilicũ propter magnitudinem, tunc præparatur lac, vt ſupra dictum eſt.

Vmbilici officium.

Embryonis cibus.

De Coagulo.

CAP. XXXVII.

Phyſicus Coagulum eſt ſtomachus animalis, ſic dictum, quia lac coagulare facit. Extrahitur autem ab animali antequã incipiat herbas comedere, & ſalitur ac conſeruatur. *Ariſt.* Coagulum non inuenitur, niſi in ventre animalis ruminantis adhuc ſugentis & leporis. Omnia ergo animalia vnum ventrem habentia carent coagulo, quia lac habent renue, & ideo non coagulatur. Lac vero multos habentium ventres coagulatur, & inuenitur coagulum, non in duobus primis ventribus, ſed in tertio qui eſt ante vltimum. Animal vero piloſi pedis caret coagulo, quia paſcitur herbis multæ humiditatis. *Dioſcorides.* Coagulum omne acris virtutis eſt, & diaphoreticæ & extenuatoriæ & ſtipticæ. Vnde ad omne profluuium aptiſſimum eſt. Lac in ventre coagulatum vel veſica, potatum diſſoluit. Id tamen plus omnibus leporis coagulũ ſi fumigetur facit. Triobolo vno cum vino acceptum, morſibus venenatis occurrit, cœliacis ac dyſſentericis mire prodeſt. Coagulum agninus vitulinum & caprinum omnia vnam habent virtutem, cum vino bibiti ſtomacho venenum excludunt, Lac coagulatum ſoluunt. Coagulum focæ marinæ ſimilem caſtoreo virtutem habet. Epilepticis prodeſt & matricis præfocationibus, tunc autem ex his animalibus coagulum colligẽ, dũ adhuc breuitate naturę non poſſunt paſcere. Omne coagulum tantam habet virtutem, vt con-

Coagulum.

Carentia coagulo.

Medicinalia coaguli.

ſtricta

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Temperamentum. ſtricta relaxet, & laxa conſtringat. *Auicenna.* Coagulum omne calidum eſt & ſiccum & igneum & ſubtilitatiuum & deſiccatiuum. Reſoluit omne congelatum ſanguinis, & lactis caſea ti, & humoris craſſi. Et coagulat omne liquidum, & inſciſiuum, prohibetque curſum omnem ac fluxum ſãguinis mulierum. Dicit Gallenus, vt non adminiſtretur quod ex coagulis acutum eſt, in loco vbi neceſſaria eſt conſtrictio. Coagulum omne bibitum epilepſiæ confert, & proprie camelinum, reſoluit quidem ſanguinem congelatum in pulmone & in ſtomacho. Lac quoq; caſeatum in ſtomacho reſoluit bibitum cum vino, ſed ipſum eſt malum ſtomacho. Poſt purgationem autem mẽſtruorum ſi bibatur vel ſupponatur iuuat ad imprægnandum, & confert præfocationi matricis proprieque camelinum. Confert etiam vlceribus inteſtinorum, & proprie coagulum pulli equi. Omnia vero conferunt iuſquiamo nigro, maximeque coagulum hædi & hinnuli ceruorum, ac vituli & agni, & ſanant à venenis, morſurisque omnibus. Ex coagulis autem melius eſt in ſpecie coagulum leporis.

De Inteſtinis.

CAPVT XXXVIII.

Inteſtina. AVctor. Inteſtina iuxta Iſidorum ſic dicuntur, eo quod interiore corporis parte cohibentur, quæ iccirco longis nexibus in modum circulorum ordinata ſunt, vt eſcas ſuſceptas paulatim digerant, & ſuperadditis cibis non impediantur, hæc etiam viſcera dicuntur. *Ariſtoteles.* Inteſtina diuerſificantur ſecundum diuerſitatem ventris. In quibuſdam enim animalium inteſtinum eſt ſimplex id eſt vniforme, & cum diſſoluitur aſſimilatur in partibus. Et ſorte pars inteſtini quæ ventri vicinatur exit amplior, quæ vero termino id eſt ano ſtrictior, propter hoc exit ſuperfluitas canis cum dolore. In quibuſdam vero animalibus eſt econuerſo, & habent inuolutionem multam, ſicut in habentibus cornua: Et magnitudo ventrium illorum maior eſt, ſimiliter & inteſtini propter magnitudinem corporum.

Colon. Orbon. Omnia namque corpora habentium cornua magna, ſunt propter humiditatem vſus cibi, & habent colon & partem inteſtini, quod orbon dicitur. Deinde vero efficitur inteſtinum ſtrictius inuolutum, & deinde rectum, donec perueniat ad locum exitus ſuperfluitatis. Animal veto guloſum non habet in inteſtino multam amplitudinem in eo quod vicinatur inferiori ventri, quia ibi manet ſuperfluitas, vt non exeat ſubito. Omne vero animal cuius inteſtina vaſa ſunt ampla, & cuius inteſtinum eſt rectũ, valde guloſum eſt, quoniam exitus cibi cito fit, & ſic ipſum cito appetit.

De Renibus.

CAPVT XXXIX.

Renes. REnes creati ſunt, vt ſit operatio veſicæ melior & perfectior. Nec vtitur natura renibus, niſi ad ſuperfluí humidi exitum per venas. In omnibus itaque renibus eſt profunditas, & maximè in quibuſdam animalibus propter multitudinem cibi, & in eis eſt fæx propter colamentum humiditatum in ipſis. Ob hoc etiam plus fætentes ſunt aliis membris interioribus. Ex medio ſiquidem eorum exit quaſi ſuperfluum & vadit in duas vias fortes, quouſque perueniat ad veſicam. In renibus ſunt virtutes eſſentiæ conuenientes, & in eis multum ſebum, proprieque plus aliis membris interioribus propter calamentum ſuperfluitatis, quia ſanguis qui remanet ibi poſt colamentum eſt bonæ digeſtionis. Et complementum bonitatis digeſtionis ſanguinis, eſt pinguedo, quæ tamen non eſt in corpore renum, ſed extra circundans eos, propter ſalutem vero, fuit creatio renum calida, quia cum ſint ex vltimis interiorum membrorum, indigent calore magno, & etiam pinguedine multa propter digeſtionem humidi, quia pinguedo conuenientior eſt digeſtioni, & calor digerit. In omnibus autẽ animalibus, ren dexter minoris eſt pinguedinis, quam ſiniſter, & altior illo, ita quod attingit hepar, quia natura membrorum quæ ſunt in parte dextra leuior eſt, & maioris motus. Motus vero contradicit virtuti coagulatiuæ pinguedinis, quia diſſoluit pinguedinem. Oues quando multiplicatur in renibus earum pinguedo, cito moriuntur: harum enim pinguedo maior eſt quàm aliorum animalium, & renes earum cito impinguantur. Pinguedo enim in animalibus pinguibus humida eſt. Humiditas ergo quæ eſt in renibus comburitur, & mouet ventoſitatem, ex cuius dolore cito moriuntur, quia dolor tranſiens per viam maiorem & aortã cito peruenit ad cor Viç nanque procedentes ab iſtis ad renes ſibi continuantur ſucctedendo. Itaque cum augmentantur dolores renum, cito ducunt ad mortem. Renes hominis valde duri ſunt plus aliis membris, & aſſimilantur renibus vaccæ quaſi eſſent ex multis renibus paruis, non ex carne leui æquali ſicut renes ouium, & aliorum quadrupedum, propter hoc dolor renum hominis difficilis eſt curationis, quando infirmatur, quia infirmitas eſt quaſi in multis renibus. *Plinius vbi ſupra.* In bleto & tharne quaterni renes ceruis, econtra pẽnatis ſquamoſiſque nulli, de cætero ſummis adhærent lumbis. Dexter hominibus eſt latior, & minus pinguis, ſicciorque. Vtriuſque autem pinguedo è medio exit, præterquam in vitulo marino. Animalia in renibus pinguiſſima. Ouibus quidem lętale circum eos concreto pingui, aliquando in eis inueniuntur lapilli. Reneſque habent omnia quadrupedia quæ animal gignunt. Pectus hoc & oſſa præcordijs & vitalibus natura circũdedit, ac ventri quem neceſſe erat increſcere, ademit: nulli animalium circa ventrem oſſa. *Auicenna.* Renes natura ſunt ęquales ad ſiccitatem tendentes, parui nutrimenti, difficilis digeſtionis, & horridi ſaporis, humor eorum malus eſt, laudabiliores eorum ſunt renes hædi lactentis. *Iſaac vbi ſupra.* Renes duobus modis ſunt illaudabiles, vno propter ſubſtantiæ ſuæ corruptionem, duriciem & craſſiciem: Alio, quia eorum nutrimentum fuerat pinguedo vrinæ, vnde ſanguinem generant craſſum & peſſimum.

Mors cuium *Dolor renũ.* *Tẽperamentum renum*

CAPVT XL.

De Veſica.

Veſicæ officium. ARiſtoteles. Quoniam autem operatio renum & veſicæ vna eſt, de natura quoque illius ſciendum eſt, & videtur quidem naturã dediſſe veſicam animalibus habentibus pulmonem ſanguineum tantum. Quodlibet enim animal habẽs pulmonem multum ſitit, & ob hoc indiget cibo non ſicco tantum, ſed humido plus quàm ſicco: neceſſe eſt ergo, vt habeat membrum recipiens iſtam ſuperfluitatem, & hoc eſt veſica. Animal vero pulmone carens & potans modicum aquæ, caret veſica; non enim recipit aquam in potum, ſed in cibum, ſicut animal annuloſi corporis & piſces. Animal quoque plumam, aut ſquammam, aut corticem habens non habet veſicam propter paucitatem potus, & quia ſuperfluitas aquę tranſit in plumas, & alia præter tortucam, quia pulmo tortucæ maximè carnoſus eſt ſanguineus, ſimilis pulmoni vaccæ. In carentibus autem veſica caro ad renes extenſa ſeparatur in partes. Quarum creatio ſimilis eſt creationi renum in quibuſdam auibus. Serpentes ergo & lacerti non habent veſicam, quia humiditas eorum parua eſt, ſicut auium & tranſit in ſquammas. *Plinius vbi ſupra.* Infra aluum eſt à priori parte veſica, quę nulli oua gignentium ineſt præter teſtudinem. Nulli niſi ſanguineum pulmonẽ habenti. Nulli pedibus carentium. Inter eam & aluum arteriæ ad pubem tendentes, quæ ilia appellantur. In veſica lupi lapillus, qui ſyrtites appellatur. Sed hominum quibuſdam diro cruciatu ſubinde naſcentes calculi & ſetarum capillamenta. Veſica membrana conſtat quæ vulnerata cicatrice non ſolideſcit, neque qua cerebrum aut cor inuoluitur.

Situs. *Ilia.* *Syrtites.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Coxis & Pedibus

CAPVT XLI.

Coxæ. *Victor.* Coxę iuxta Isidorum dicuntur quasi coniunctiaxes,ipsis enim fœmora mouentur. Quorum concaua, vertebra vocantur, quia capita fœmorum in eis vertuntur. *Aristoteles.* Crurium gracilitas atque debilitas conuenit coitui, quia cibus illuc transiens, transit in spermaticam superfluitatem. *Luxuriosi.* Viri quoque multorum pilorum apud coxas, & in parte pedum inferiorum, multi sunt coitus. Coxę hominis & crura multum carnosa sunt, quoniam homo recti corporis est, vt ergo sit declinatio corporis, & via ad partem superiorem, abstulit natura ex illa parte carnẽ & addidit inferiori propter pondus corporis, & vt sit corpus rectum. Coxæ vero & crura animalium carne priuata sunt, & sunt ex ossibus & neruis ad portandum corpus. Quatuor autem pedes, quatuor sustentamenta sunt, propter hoc nascitur animal quadrupes stans sine labore. Homo vero non potest esse rectus longo tempore sed indiget corpus quiete. Animalia cætera mammillas habent apud coxas, homo vero in pectore. Pedes ergo animalium scilicet maiores ab ancha vsque ad articulos paucę carnis sunt,pręter hominem qui duos habet pedes. In cęteris vero loco manuum posuit natura pedes anteriores, his enim necessarij fuerunt quatuor pedes, vt possint ferre tanti corporis pondus. Et animal quoddam habens multos digitos in pedibus, vtitur anterioribus sicut homo manibus, quia pugnat cum eis, & eijcit à se nocumentum. Animal autem habens soleas facit hoc cum posterioribus, quia non sunt anteriores ad hoc conuenientes, propter hoc animalia multorum digitorum. sicut leo, linx, canis, lupus, habent quinque digitos in anterioribus, & quatuor in posterioribus. Quædam vero animalia habent quinque in posterioribus, quia quasi repunt incedendo, & ob hoc super multos vngues sustentantur, & fit motus eorum velocior ac leuior, & vt eleuentur eorum latera à terra, sicque etiam caput eleuetur. Pedes autem animalium pares *Diuersitas pedum in animalibus.* sunt. In omnibus animalibus carentibus pedibus, & habentibus duos pedes, aut quatuor est sanguis. Quæ autem plures habẽt, carent sanguine. In pedibus quidem quadrupedum est diuersitas, quia quædam habent soleas tantum. Et quædam sotulares. Quædam vero sunt fissi pedis. Soleæ sunt in animalibus magni corporis. Pars enim terrestris quæ in eis transit in soleas loco cornuum & dẽtium, & sunt soleæ sicut vnus vnguis loco multorum vnguium, propter hoc huiusmodi animalia non habent chaab in pedibus pro maiori parte, & ideo motus flexionis pedum eorum posteriorũ difficilis est. Habentia vero sotulares habent in pedibus chaab, & ideo pedes eorum leuioris sunt motus,nec habent soleas. Animal autem habens multos digitos non habet chaab. Si enim haberet,non esset multorum digitorum. Sunt ergo sotulares in pluribus pedibus habentium chaab.

Adhuc de pedibus.

CAPVT XLII.

Svb pede cameli est carnositas multa,& in fissura pedis est corium quale in pedibus anserum. Ideo quando multum habent ire fiunt eis sotulares. Leo & camelus cum ambulant prius mouent pedem dextrũ. Pes sinister in animalibus non est leuis motus,præterquam in elephante. *Elephantorum pedes.* Pedes elephantis anteriores multo maiores sunt posterioribus. Flectens enim duos pedes sedet & fulciens latus alterum dormit. Nequit enim flectere quatuor. Quadrupedia nata statim eleuant se super pedes, & incedunt. Pullus equi caput suum posteriore pede tangit,equus autem non potest. *Pedes auium* Recte vero non habet auis nisi duos pedes, quia duas habet alas loco pedum anteriorum. Struchio duos quidem habet pedes, vt auis, sed vngulam fissam: vt quadrupedes. Manus simiæ composita est ex manu & pede. Recte autem homo habet pedes magnos valde respectu corporis sui, quia debent pedes qui ferunt corpus habere magnitudinem & latitudinem,& digitos. Magnitudo quoque digitorum pedum econtra magnitudini digitorum manuum. Operatio nanque manuum est accipere & retinere,& ob hoc digiti manuum longiores sunt. Operatio vero pedum est ad fugiendum & ad portandum põdus,& ob hoc fortis fũt creationis. Porro fissura finis pedum melior est,nam si non esset fissura digitorum multotiens accideret occisio toti membro; propter hoc etiam sunt vngues in extremo digitorum manuum ac pedum ad custodiendum. *Vngues curt*

De pedibus & vnguibus.

CAPVT XLIII.

Aristoteles. Terestrium solus homo bipes. Huic manus sunt intus carnosæ, extra vero neruis & cutæ constant, digiti articulos habent ternos, pollex binos,& digitis aduersus vniuersos flectitur, per se vero in obliquũ porrigitur crassior cęteris,huic minimus mensura par est, duo reliqui sibi, inter quos medius longissime protenditur. *Quini digiti quibus?* Quibus ex rapina victus quadrupedum quini digiti in prioribus pedibus, reliquis quaterni. Leones, lupi, canes & pauca in posterioribus quoque quinos vngues habent, vno iuxta cruris articulum dependente. Reliqua quæ sunt minora digitos quinos. Brachia non omnibus paria esse. Animalia quædam vt manibus vtuntur priorum ministerio pedum, sedentque ad os illis admouentia cibos, vt sciuri. *Vngues.* Vngues sunt his omnibus, quibus & digiti. Sed simiæ imbricati. Hominibus autem lati sunt vngues, rapacibus vnci, cæteris recti. Omnia digitos habent quæ pedes, excepto Elephante, huic enim informes sunt, numero quidem quinque, sed indiuisi ac leuiter discreti. Vnguisque non vnguibus similes & pedes maiores priores. In posterioribus articuli breues. Idem poplites intus flectit, hominis modo,cætera animalia in diuersum,posterioribus articuli pedibus plures quã prioribus. Nã quæ generãt animal ante se genua flectunt & suffragium artus in diuersum, Hominum genua & cubiti cõtraria. Item vrsis & simiarum generi ob id minime pernicibus. Oua parientibus quadrupedum crocodilo. Laceris priora genua post curuantur,posteriora in priorem partem,sunt autem crura his obliqua humani pollicis modo, sic & multi pedibus pręterquam nouissima salientibus. *Aues.* Aues & quadrupedes alas in priora curuant, suffragines in posteriora. Hominis genibus quædam & religio inest obseruatione gentium, hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant, fortassis quia inest his vitalitas. *Cur genua adorantur.* Nanque in ipso genu vtriusque commissura dextra læuaque à priore parte, gemina quædam buccarum inanitas inest, qua perfossa ceu vinculis spiritus fugit. Varices in cruribus viro tantum, mulieri raro. Omnia animalia à dextris incedunt partibus, & sinistris incubant, reliqua vt libitum est gradiuntur. Leo tamen & camelus pedatim, hoc est, vt sinister pes non transeat dextrum, sed subsequatur, pedes homini maximi: fœminis tenuiores. In omni genere suræ homini tantum & crura carnosa. In quadrupedibus solidas habẽt vngulas, quæ non sunt cornigera. Pro his ergo telum vngula est illis. *Auicenna.* Pedes generant humorem viscosum non crassum, sed laudabilem, & paucarum superfluitatum. Significatio bonæ digestionis eorum est velocitas inflationis eorum ac dissolutionis in decoctione. Sed nutrimentum eorum non est multum. Conferunt autem tussi calidæ proprie cum pultibus ordei, soluunt cum sua viscositate. *Isaac in dietis libro primo.* Pedes secundum medicinam sunt vtiles, pectoris enim & pulmonis aspe-

ritatem

Vtilitas medica pedum.

ritatem leniunt & contra tuſſim ſiccam valent. Adiuuant etiam patientes diſcoloraiones in veſica, quos etiam ſi manducauerint qui dyſenteriam patiuntur, inteſtinorum vulnera ſolidantur, & ſolutionem accidentaliter ſtringunt. Natura enim eorum lubrificatiua eſt, propter viſcoſitatem quam habent. Pedes tamen anteriores poſterioribus meliores ſunt, propter fundamentum caloris naturalis eis vicinans. Sed omnibus extremitatibus animalium pedes meliores ſunt.

Pedes.

Ariſtoteles. Omne animal habens digitos, habet vngues. Sunt autem vngues vt dictum eſt in extremo digitorum manuum ac pedum ad cuſtodiendum ſcilicet ne toti membro accidat occiſio, vngues tamen hominum vnci non ſunt ſicut cæterorum ſed vt cooperiant extremitates. Omne animal habens vngues curuos cibatur carne, aues mali volatus habent vnguem rectum. Nam curui impedirent inceſſum. *Auctor.* De auibus autem vncorum vnguium iam ſuperius dictum eſt.

Vnguicurum animalia

De Membris genitalibus & primo de Teſticulis.

CAPVT XLIIII.

Teſticuli.

Ariſtoteles. Teſticulorum diſpoſitio diuerſatur in animalibus habentibus ſanguinem, quidam enim mares carent teſticulis omnino, ſicut genus piſcium atque ſerpentium. Nec habent niſi duas vias in quibus eſt ſemen tantum, quidam vero teſticulos habent intra corpus propè renes, & de illis exeunt duæ viæ ad exitum ſpermatis, quę in vno loco congregantur. Tales enim viæ reperiuntur in omnibus animalibus ouantibus recipientibus aërem, & habẽtibus pulmonem ſicut in tortuca & lacertulis & in omnibus generibus ſquamoſi corij, quædam autem animalia teſticulos habent pendentes vt homo, quædam prope anum vt porcus. Sicut autẽ quodlibet animal recti inteſtini guloſũ eſt in cibo; ſic quodlibet animal habẽs vias ſpermatis & carens teſticulis cito coit, & quod eſt huic diſpoſitioni contrarium, eſt magis caſtum, ſicut animal inuoluti inteſtini minus eſt guloſum. Natura teſticulorum eſt de natura oſſium, vt ſint vaſa iſtius ſuperfluitatis. Et cum abſcinduntur, viæ contrahũtur ad ſuperius. Ideoque non poteſt animal caſtratum facere filium, quia viæ non ſunt fixæ ſecundum propriam viam. Animalia vero quæ non habant teſticulos propter melius, ſed proptet neceſſitatem ſolũmodo, ſunt velocis coitus, ſicut genus piſcium ac ſerpentium. Piſces enim coeunt cum vnus tangit alium, & eiiciunt ſperma velociter, & ſicut accidit hominibus & in alijs generibus, quod retinent anhelitum ante emiſſionem ſpermatis, ſic & piſcibus accidit quod non recipiunt tunc aquam maris, & quando hoc faciunt citius corrumpuntur. Piſces autem vias habent ſicut homines, quia ſperma eſt in vltima partium fœminæ, ſerpentes inuoluuntur in coitu, quia carent teſticulis & etiam virga, quia non habent crura. Teſticulis autem carent propter longitudinem corporis, quoniam infrigidaretur ſperma propter tardationem exitus ſui.

Carentia teſticulis.

Coitus ſerpentium.

De virga & matrice.

CAPVT XLV.

Virga.

MEmbrum vero marium coitui conueniens id eſt virga, inter inter omnia alia membra creſcit & minuitur ſine aliqua ſubiecti læſione. Subſtantia enim eius talis eſt, vt poſſit ei augmentum & diminutio cõuenire. Ideo nanque creatio eius eſt ex neruo & cartilagine, & extenditur à vento illo adueniente, & augmentum quidem eius conueniens eſt coitui. Diminutio vero in alijs operationibus. Quædam fæminę quadrupedum mingunt retrò, vt eſt elephas, leo, camelus, & animal piloſum. Non eſſe poteſt autem ſoleas habens & mingẽs retrò. Matrices in omnibus animalibus habent duas partes, ſicut diuiduntur teſticuli marium in duo. Multum etiã diuerſantur matrices, quoniam animalia quæ generant animal, intra habent matrices ſuper ventrem, ſicut vacca, capra, canis, & ſimilia, quia non debet eſſe pondus ſuper matricem omnino propter ſalutem, & propter crementum. In animalibus autem facientibus oua imperfecta, ſicut in omnibus piſcibus ouantibus eſt matrix ſub ventre, & ſub loco renum, quia cremẽtum ouorum non probibet aliquã operationem naturæ, eo quod extra complentur. Piſces ſiquidem eijciunt extra oua imperfecta, & ibi creſcunt. Cuius cauſa eſt, quia multorum ouorum ſunt, nec poteſt ea natura in interiori complere propter multitudinem. In muliere matrix in inferiori eſt.

Matrix in piſcibus.

De cauda.

CAPVT XLVI.

CAuda animalis eſt ad cuſtodiam membri vnde exit ſuperfluitas. Ideo poſuit eam natura ſuper illud. Homo quidem non habet caudam ſed anchas, nec nullum animal quadrupes habet anchas, ſed caudam, quia coxæ & crura hominis multum carnoſa ſunt. In cæteris autem animalibus carne priuantur, & ſunt ex oſſibus & neruis, & horum omnium ferè vna eſt cauſa, quia ſcilicet homo recti corporis eſt, vt ſupra dictũ eſt in capitulo de coxis, propter hoc homo non habet caudam, quia cibus eius tranſit in carnem coxarum & crurum, habet ergo anchas & cauda caret. Animal vero quadrupes eſt econtrario, quia multitudo carnis eſt in ſuperiori parte, propter hoc non habet anchas & caudem habet. Animal vero quadrupes eſt econtrario, ideo etiam crura habet valde craſſa, ſicut homo. Cibus enim qui tranſibat in coxas, tranſit in caudam. Simia quoq; quiá forma eius communis eſt inter formam hominis & quadrupedis, non habet anchas. In caudis multæ ſunt differentiæ, nec vtitur eis natura ſolum ad cuſtodiendum anum, ſed ad iuuamẽtum. Omne animal habens caudam piloſam, habet caput paruum & mandibulas magnas: oues in Pæonia caudam habent magnam, ita quod latitudo eius eſt vnius cubiti. Scorpio duos habet aculeos in cauda. Eſt autem piſcis de genere oſtreæ, qui cauda natat & repit. *Plinius. lib.* 11. Caudę præter hominem ac ſimias omnibus ferè animalibus oua gignentibus pro deſiderio corporum. Nudæ hircis & apris, paruæ & villoſæ vt vrſis, ſetoſæ prælongę vt equis, amputatę lacertis & ſerpentibus renaſcuntur. Piſcium meatus gubernaculi modo regunt. Et in dextrum ac læuum motæ, vt remigio quodam expellunt.

Cur quadrupedia habent caudam homo nõ habet.

Ariſtoteles. Sunt qui ceruo fel eſſe putant in cauda vel inteſtinis. Ideo tantam habent amaritudinem, vt à canibus non attingantur. *Auicenna.* Extremitas caudę cerui venenum eſt, & ipſam bibenti accidit anguſtia vehemens, & ſyncope, & mors. *Iſidorus lib.* 12. Murenam habere animam in cauda certum eſt. Nam capite percuſſo vix interimitur, cauda ſtatim exanimatur.

Cauda cerui venenoſa.

De tegumentis animalium & primo de pilis.

CAPVT XLVII.

Locus pilorũ

PLinius vbi ſupra. Animalia quæ pariunt animal pilos habent. Quæ oua, pennas vel ſquamas, aut corticem, aut teſtam, vt teſtudines, aut cutem puram, vt ſerpentes, pennarum caules omnium auium præſciſæ non creſcunt, vulſæ renaſcuntur. Membranis volant fragilibus inſecta, Humectantibus hyrundines in mari. Siccis inter tecta veſpertilio, horum quoque alæ articulos habent. Pili à cute exeunt craſſa hyrti, fœminis tenuiores. Equis in iuba largi. In armis leoni. Daſypodis in buccis intus & in pedibus. Quæ vtraque Trogus & in lepore tradidit, villoſiſſi-

villoſiſſimus animalium lepus, pubeſcit homo ſolus, quod niſi contingat ſterilis eſt in gignendo, ſeu maſculus ſeu fœmina. Pili in homine partim ſimul, partim poſtea gignuntur. Congeniti autem non deſinunt, ſicut nec fœminis magnopere. Inuentæ tamẽ quędam defluuio capitis inualidę, velut languidiores cum menſtrui curſus ſtetere. Quibuſdam poſt genitæ. Viris ſponte non gignuntur. Quadrupedibus pilum cadere atque ſubnaſci annuum eſt, viris creſcunt maxime in capite, mox in barba. Reſciſi non vt herbæ ac cætera inſciſura augẽtur, ſed à radice exeunt, creſcunt & quibuſdam morbis maximè tuſſi, & in ſenecta, defunctorum quoque corporibus, libidinoſis congeniti maturius defluunt, at nati quidem celerius recreſcunt, quadrupedibus ſenectute craſſeſcunt lanæque rareſcunt. Quadrupedum dorſa piloſa ſunt, & ventres glabri. *Ariſtoteles*, Solus homo lenis corporis; veruntamen nullum animal eſt multorum pilorum in capite præterquam homo, quia cerebrum eius comparatione ſui corporis plus eſt humidum, quam cæterorum animalium. Caput etiam paucæ carnis eſt, & ex pluribus futuris, & ob hoc indiget cuſtodia capillorum. Item homo apud pubem pilos habẽt, cæterorum animalium partes illæ nudę ſunt. Viri multorũ pilorũ apud coxas & in parte pedum, multi ſunt coitus. Impubes caſtrati non barbeſcunt. Barbati vero ſi caſtrentur imberbes fiunt. In cæteris quoque locis pili rareſcunt, præterquam in pectine. Nam & mulieres habent pilos. Corpora tamen fœminarum molliora ſunt & leniora pauciorique pili corporibus marium. Pilorum nuditas & maxime in pectore, ſignum eſt naturalis frigiditatis. Pili decaluatis non redeunt. Cauſa vero priuationis caluitiei in cæteris animalibus minus quam in homine eſt, quia cerebrum eorum parum humidum, & ideo non debilitatur calor in eius decoctione. Nam in homine accidit caluicies propter diminutionem humoris calidi & pinguis. *Hali vbi ſupra.* Pili quidem medicinales ſunt, lana combuſta deſiccatiua eſt, acuta, ſubtilis, carnem liquefacit, quæ in vlceribus eſt. Sic quoque capilli ſi combuſti ſupponantur aduſtionis ignis loco proſunt. Cilicium etiam combuſtum, & ſuper anum puluerizatum, ad ſuum eum locum conuertit. Omnes capilli combuſti, & cum aceto triti, ſi ſupponantur morſui rabidi canis optime proſunt. Sic autem lana vel capilli comburendi ſunt, vt eis fictile vas impleatur, & operculo proforato cooperiatur, & ſic igni apponatur.

In quibus pili creſcunt amplius.

Cur multi pili in capite humano

Signum cõplexionis frigidæ.

Vſus medicus crinium.

De diuerſitate pilorum,

CAPVT XLVIII.

Ariſtoteles. Diuerſantur autem pili ſecundum duriciem & molliciem, longitudinem & breuitatem, lenitatẽ & aſperitatẽ, multitudinẽ & paucitatẽ & ſecundum colores & ætates maxime in hominibus. Cauſa vero differentiæ pilorum eſt ex parte cutis, non enim pili generantur ex corpore, ſed ex cute, quando diſſoluitur humor qui in ea eſt, & efficitur vapor. Ob hoc pili craſſi generantur ex cute craſſa, & tenues ex tenui. Cumque cutis poroſa fuerit & ſpiſſa, erunt etiam pili craſſi, propter multitudinem partis terreſtris, & amplitudinem viarum. Cum vero multum continua fuerit, tenues ac ſubtiles erunt, propter ſtructuram viarum. Item quando humor qui eſt in cute fuerit aquoſus ac velocis ſiccitatis, non erunt pili magni vel longi. Cum fuerit vero humor craſſus ac pinguis, erit econtrario. Nam pingue, non cito deſiccatur. Ob hoc ergo erit animal craſſæ cutis craſſorum pilorum, ſicut pilis porcorum craſſiores ſunt pili vaccarum. Itaque longitudo pilorũ capitis hominis eſt, quia cutis ipſa valde pinguis eſt, & eſt in ea multus humor. Criſpitudo autẽ & lenitas propter vaporẽ accidunt. Cum autem vapor fuerit fumoſus, calidus & ſiccus, cappilli fiunt criſpi, quia vadunt per duas vias contrarias.

Pili craſſi.

Criſpitudo vndet

A Pars enim terreſtris vadit ad inferiorem partem, calor autẽ ad ſuperius, ſic inuoluuntur pili & criſpi fiunt propter debilitatem ſuam, poſſumus etiam dicere, quod hoc accidit propter paucitatem humiditatis pilorum, & multitudinem partis terreſtris, quæ deſiccatur ex aere continenti, & corrugatur, ſicque criſpa efficitur, hoc enim accidit leni, quando humiditas quæ eſt in eo, diſſoluitur, ſicut accidit pilis ex igne, quando corrugantur & inuoluũtur. Et huius ſignum eſt, quod pili criſpi ſunt plus humidi, quam lenes. Quod enim ſiccum eſt, durum eſt. Pili vero lenes non ſunt in animalibus, niſi ex multitudine humorum. Humor namque lubricando decurrit donec ad pilos perueniat, propter hoc eorum pili qui morantur in Thracia, lenes ſunt, quia complexio eorum eſt humida. Et aer cõtinens eos eſt humidus. Æthiopes vero criſpi ſunt propter ſiccitatem cerebri, & aeris continentis.

B

De eodem.

CAPVT XLIX.

QVædam animalia ſunt craſſæ cutis, gracilis pili propter gracilitatem viarum. Talis diſpoſitionis ſunt pili ouium, & quædam animalia ſunt mollis pili non valde tenuis, ſicut ſunt pili leporum. Sunt enim in manifeſto cutis, & ideo non habent longitudinem. Et accidit illis ſicut ei quod componitur ex lino, quia molle eſt, & non habet longitudinem. Oues autem manentes in regione coeleuata duros habẽt pilos, quia frigiditas indurat per congelationem atque deſiccat, & quando calor exprimitur, humiditas cum eo diſſoluitur, & fiunt pili cutis terreſtres ac ſicci. Vnde & ericij quorum manſio eſt in mari phrygio, ſpinas habẽt multas ac duras cum ſint parui corporis. Et magnitudo ſpinarum ex hoc eſt, quia cremẽtum corporis tranſit in eas propter paucitatem caloris naturalis. Nam quia cibus non digeritur, generatur in corporibus eorum multa ſuperfluitas. Pili autem & ſimilia non niſi ex ſuperfluitate generantur. Duricies autem ſpinarum & eſſe earum eſt ſicut lapidis propter multitudinem frigiditatis congelati. Ob hanc cauſam accidit, vt creſcentes pili fiant terreſtres valde duri ſimiles lapidi, maxime in parte ſeptentrionali, quoniam ibi ſunt huiuſmodi ericij pluſquam in meridionali, & in parte multorum ventorum plusquam in plano, quia plus infrigidantur in huiuſmodi locis, & exit ab eis humor, qui cum calore diſſoluit, quia non poteſt humor eſſe nutritiuus ſine calore. Frigus autem non indurat tantum, ſed inſpiſſat corpus & condenſat; calor vero rarificat: propter hoc etiam animalia pilos habentia quando ſeneſcunt, eorum pilli pluſquam prius induteſcunt. Sed & pluma auium & cortex vel cutis animalium craſſiora ac duriora ſunt in ſenectute, propter diminutionem caloris, & trãſitum humoris cum calore animali. Viri propriè calui fiunt, non tamen omnes &c. vt dicetur inferius in tractatu de homine,

C

Ouium pili

Seneſcentiũ pili duriores.

De coloribus pilorum & mutatione eorum.

CAPVT L.

COlor capillorum ac pilorum in animalibus eſt ſecundum colorem cutis, in homine verò non. Nam quidam habent corium album valde, & pilos nigros valde: huius cauſa eſt, quia cutis hominis valde tenuis eſt pluſquam aliorum animalium reſpectu corporis, & ideo pilos mutare non poteſt, ſed color cutis alterari poteſt in nigredinem ex ſole & ventis. In cæteris autem animalibus cutis habet virtutem, quaſi terræ, propter ſpiſſitudinem ſuam, & ob hoc alterãtur pili cum alteratione cutis. Color tamen capillorũ non diuerſatur in homine, præterquam albedo quę accidit eis non ſolũ in ſenectute, quod fit naturaliter abſq; cutis albificatione, ſed aliquãdo ex infirmitate, & tũe al-

D

E

Pili alterantur cum cute, ſed non in homine.

beſcunt

beſcunt cum albedine corij, quoniam infirmitas illa in cute eſt,& ideo cum albeſcit cutis neceſſario albeſcunt & pili. Canities autem naturalis eſt propter debilitatem caloris,qui exit à corpore,& abundantia frigoris. Nam ſenectus infrigidat & deſiccat corpus, vapor autē vel cibus terreſtris eſt,qui in pilis, quādo non bēne digeritur putreſcit ex calore aeris continentis,& ex illo generantur cani. Omnis enim putrefactio eſt ex calore non naturali, ſed accidentali, & hoc accidit aquæ & terræ, omnibus corporibus & ſimilibus. Cauſa vero albedinis caluorum eſt, quia in omni vapore terreſtri,eſt virtus aeris craſſi, & ſi congelatur vapor,erit ex eo glacies vel canicies, ſi vero putrefiat erit corrugatio,propter hoc erunt illa duo accidentia in manifeſto corporis, corrugatio ſcilicet & canicies in infirmitatibus autem eſt canicies, quia color debilitatur in decoctione cibi. Cibus enim ad quodlibet membrum corporis peruenit,& digeritur ex calore naturali, qui eſt in eo. Cum ergo debilitatur ille calor corrumpitur cibus,& tunc membro accidit occiſio vel infirmitas,& inde caneſcunt pili. Cum ergo redit ſanitas reuertitur virtus, & pili nigreſcunt. Vnde recte poteſt appellari infirmitas talis ſenectus accidentalis,ſenectus verò infirmitas eſt naturalis. Pili temporum prius caneſcunt, poſterius enim capitis vacuum eſt ab humiditate,quia non eſt in eo cerebrū. In parte vero ſincipitis eſt multus humor, nec cito putreſcit. Tempora vero ſunt inter illa duo accidentia,quia non eſt in eis modicus humor ita quod digeratur, neque multus ita vt non putreſcat,propterea eorum pili ante alios albeſcūt. Cauſa vero priuationis caniciei in cæteris animalibus, eſt ſecundum cauſam caluiciei quam diximus,quia cerebrum eorum eſt modicum humidum, & ob hoc non debilitatur calor in eius decoctione. Equi inter alia animalia canēſcunt, propter tenuitatem oſſium capitis. Vnde percuſſio quæ cadit ſuper illa oſſa mortalis eſt,& maximè quæ cadit in temporis. Pili rufi citius albeſcunt quam nigri, quia rufitas & albedo ſunt quaſi infirmitates accidētes pilis, & omne quod debilitatur ex animalibus cito caneſcit. Fingunt autē quidā,quod grues quando ſeneſcunt nigreſcunt, huius mutationis cauſa eſt, quia natura plumæ earum alba quidem eſt & quando ſeneſcunt, in earum pluma multiplicatur humor, ac cito putreſcit. Signum vero quod canicies ſit quidam modus putrefactionis, & non ſiccitas, vt quidam dicunt, eſt, quia pili cooperti caneſcunt cito. Coopertorium nanque prohibet ventum vel expirationem, euentatio vero eijcit putrefactionem; & forte exibunt pili albi à radice, ac nigri in extrimitate. Forte vero albeſcunt extremitates illorum, quia paucus eſt ibi calor. Pili albi in corporibus cæterorum animalium ab homine naturaliter ſunt, & non ex infirmitate.

Canicies vnde?

Cauſa albedinis caluorum.

Pili temporū

Equi caneſcunt.

Rufi.

An pili incipiant albeſcere à radice an ab extremitate.

De cauſis diuerſitatis colorum in pilis.

CAPVT LI.

DIuerſitas colorum duplex eſt, aliquando ex toto genere, ſicut in pauone & in leone quia color omnium leonum vnus. Quandoque vero non ex toto genere, ſed quidam diuerſi coloris ſunt, ſicut accidit capris, vaccis, & columbis. Et animalia quidem multorum colorum mutantur ſecundum colores pluſquam vnum colorem habentia, quia color mixtus eſt ex vtroque, & hoc eſt ex toto genere, quia ſcilicet in natura eſt, vt non vnum tantum colorem recipiat, ſed diuerſos, quia natura velocis eſt motus in tranferendo ſcilicet eos in alios. Genus autem animalium vnius coloris eſt econtra, quia non mutant colorem niſi propter infirmitatē, & hoc raro. Iam enim apparuit cubeg id eſt perdix albus & niſus, & paſſeres albi, & coruus, ſed non accidit hoc à tempore generationis. Alteratio quidem animalium quæ ſūt naturaliter multorum colorum, multoties accidit propter diuerſitatem aquarum, nam aquæ calidæ faciunt pilos albos, & frigidæ nigros, ſicut accidit etiam arborum generibus. Et huius cauſa eſt quoniam in aquis calidis eſt ſpiritus pluſquam aqua, & cum aqua clarefit, efficitur albedo ex ea,ſicut accidit ſpumæ In Atandre ſunt duo flumina, quorum vnum facit colores agnorum nigros, aliud albos. Fluuius autem qui vocatur aſchamida eos facit rubeos. Colores itaque pilorum diuerſantur propter infirmitates, & ſecundum ætates & ſecundum naturam. Et albedo quidem quandoque accidit ex calore naturali, quandoque accidentali. Fit enim ex vaporali calore retento in omnibus membris. Ideoque calor eius quod eſt ſub ventre animalis nō attributi vni colori magis albus eſt quam alterius,propter multitudinem caloris in illo loco. Caro etiam eius ſaporoſior eſt, propter eandem cauſam. Digeſtio enim quæ non eſt niſi ex calore,carnem facit ſaporoſam. Et iſta etiam eſt cauſa animalis attributi vni colori ſcilicet albi vel nigri. Nam calor & frigus ſunt cauſa naturæ cutis & pilorum. In quolibet enim membro calor eſt proprius. Item quædam auium agreſtium quadrupedum genera mutant colores ſecundum temporum mutationes, ſicut hominibus accidit alteratio ſecundum ętates. Nam diuerſitas temporum fortior eſt diuerſitate ætatum. Item animalia comedentia multa genera ciborum, diuerſi coloris ſunt in maiori parte, propter hæc apum color vnus eſt. Color autem veſparum rubearum & citrinarum diuerſus. Recte namque diuerſa ſuperflua generantur ex diuerſo cibo, & ex illis ſuperfluis generantur cutis & pili cortex & pluma:

Aqua diuerſificat colores.

Infirmitas.

Calor proprius.

Ætas. Tempus.

Animalia vnius coloris

De cute.

CAPVT LII.

CVtis eſt in quibuſdam animalibus tenuis, & in quibuſdam craſſa, in quibuſdam dura, & in quibuſdam ſpiſſa. Cuius diuerſitatis cauſa, diuerſitas humorum eſt, humor enim aliquando aquoſus eſt aliquando craſſus. Et humor quidem qui eſt in manifeſto corporis quando diſſoluitur in vaporem reſiduum durum ac membranale efficitur. Ex cute vero pili generātur,quando diſſoluitur humor qui in ea eſt,& efficitur vapor, propter hoc ex cute craſſa,generantur craſſi pili, tenues ex tenui, ſicut iam ſupra dictum eſt. Quædam tamen animalia craſſæ cutis ſunt gracilis pili,propter ſtricturam viarum ſiue gracilitatem, quam neceſſario ſequitur gracilitas pilorum. Ideo pili ouium talis ſūt diſpoſitionis Frigus autem vt dictum eſt corpus non tantum indurat, ſed etiam inſpiſſat, calor vero ratificat. Ob hoc animalium cutis craſſior eſt & durior apud ſenectutem, propter diminutionem coloris & tranſitum humoris cum calore. Item in animalibus color pilorum eſt ſecundum colorem cutis. In homine vero non ratione ſupradicta, homo ſolus recipit, titilationem caloris, quia corium eius eſt valde tenue. In corporibus autē ſenum cutis rugoſa eſt. Apri coria ſua indurant aſſidua fricatione ad arbores, quādo pugnare volunt. Piſcium ac ſerpentium quidam habent corium lene, quidam ſquamoſum, quidam aſperum, quidam ſpinoſum. Serpens autem eijcit ſenectutem per excoriationem corij. Eſt auis quæ non cubat oua, ſed inuoluit ea corio leporis aut vulpis, donec frangantur. Auium palpebræ membranales ſunt, alę quoque veſpertilionum. Auibus natantibus poſuit natura corium inter digitos, cæteris autem non. Camelus etiam in fiſſura pedum habet ſimile corium. *Plinius lib.* 11. Boum corijs glutinum excoquitur, taurorumque pręputium. Sunt qui ſubtilitatē animi conſtare non tenuitate ſanguinis putent, ſed cute. Et operimentis corporum magis aut minus bruta eſſe, vt oſtreas, teſtudines, boum tergora, ſetas ſuum obſtare tenuitati innati ſpiritus, nec purum liquidumque tranſmitti. Sic & in homine cū craſſior, calloſiorve excludat cutis. Quę vero

Cutis.

Frigus.

Apri indurant corium

verò ratio crocodilis ſi non cruori, ſed duritiæ tergoris tribuatur & ſolertia. Hippotami corij craſſitudo talis eſt vt inde tornẽtur haſtæ. Elephantorũ quoque tergora impenetrabilia ſcapilia habent, cum tamen omnium quadrupedum ſubtilitas omnis præcipuè perhibeatur illis. Ergo cutis ipſa ſenſu caret maximè in capite, vbicunque per ſe ac ſine carne eſt vulnerata non coit, vt in bucca cilioque. *Auicenna.* Pelles vel cutes meliores ſunt animalium lactentium, propter humiditatem illorum. Nutrimentum earum purum eſt viſcoſum & propinquum nutrimento pedum. Sunt autem pelles animalium medicinales, ouina, caprina, ſerpentina, mulina quoque & ſimiles, & pellis auium: Intrinſeca colla de corijs calida eſt & ſicca in primo. Ineſt ei virtus glutinatiua & exiccatiua, linitur ſuper ſahaphat, & confert veſicæ aduſtioni. Aduſta vero & lota valet ad curationem ledinum. *Razi. in Almanzore.* Glutea de corijs antiquis confert faciei puſtullis, quæ cum duritie cutis ac rubore exiſtunt. Ramici quoque initianti & hemoptoicis auxiliatur. *Dioſcorides.* Corium vetus combuſtum, & tritum, & cataplaſmatibus adhibitum combuſtionibus & tortionibus valet. Item ſoleæ calciamenti veteris vſtæ, viridia vlcera ſanant. Deſiccatiuus enim eſt cinis earum.

Craſſitudo carnis.

Pelles medicinales.

De carne.

CAPVT LIII.

Caro.

ARiſtoteles. Caro eſt inſtrumentum tactus & primum iſtius ſenſus, ſicut pupilla oculi ſenſus viſus. Neceſſarium eſt autem hunc ſenſum eſſe in corpore & inſtrumento corporeo, magis quàm alia ſenſus inſtrumenta. Manifeſtum eſt enim quod animalia omnia non ſunt creata, niſi propter iſtum ſenſum. Itẽ caro eſt primum membrum, & eſt per ſe corpus animalis. Omniaque membra alia dico oſſa, nerui, coriũ, vngues, pili, & cætera, ſunt propter ſalutem corporis mollis, id eſt carnis. Caro hominis præ cæteris animalibus habet coxas carnoſas, quia recti corporis eſt, & ideo coxæ, quæ illud ferunt debent habere magnitudinem & latitudinem. In cæteris autem animalibus carne priuantur. *Iſidorus lib.* 20. Carnes dictæ ſunt, quia caræ, vel à creando. Vnde à græcis creas vocantur, hæ poſt diluuium hominibus in vſum conceſſæ ſunt, quibus antea lignum pomiferum & herba ſeminalis tantum in eſcam datæ fuerunt. *Auicenna.* Caro eſt cibus confortans corpus & magis propinquæ conuerſionis ad ſanguinem cibis cæteris. Aſſata vel in patella cocta ſiccioris eſt nutrimenti. Elixata vero humidioris. Pinguedo autem & adeps mali nutrimenti ſunt & pauci & ſubleuant cibum, nec eſt in eis conueniẽs, niſi parua quantitas ſecundum menſuram qua delectet. Caro quidem pinguis lenit ventrem, cum paucitate ſui nutrimenti, & velocitate ſuæ conuerſionis ad fumoſitatem & choleram, velociterque digeritur. Caro vero ſalita quamuis humida fuerit in principio, vehementiorem habet exiccationem quam omnis caro, & nutrimentum eius paruum eſt. Melior eſt autem & nutribilior caro quæ eſt circa os, & dextra melior ac leuior ſiniſtra, & quæ in medio lacertorũ mundior eſt carne neruorum Caro vero laxa ſuper quã nõ eſt neruus fortaſſe ſuauis eſt, & proprie quę eſt propter generationem lactis, vt caro mamillarum, aut ſaliuæ vt caro radicis linguæ. Minus vero bona eſt quæ ad hoc creata eſt, vt ſit ſuſtentaculum, ſicut quæ texitur intra venas hepatis, & caro cordis ac radicis eius. Mammilla quidem nutrimentum bonum eſt, ſed ſi ſit in ea lac craſſum eſt. Teſticulorum vero melior eſt alijs. Caro iliorum, natium, mala eſt in digeſtione & nutrimento calidior & craſſior quam pinguedo. Omnis autem animalis ſiccę complexionis caro parui id eſt iuuenis melior eſt, vt hædi, hęc enim bona eſt, Caprina vero non valde bona. Hircina vero mala eſt abſolutè. Caro lactentis à lacte laudabili bona eſt, à non laudabili mala. Debet etiam conſiderare diſpoſitiones animalium & in ætate, & in loco ſui paſtus, exercitij ſui, & reliquorum huiuſmodi.

Aſſata. Cocta. Elixata.

Melior caro

Minus bona

De differentia carnium in cibo & medicina.

CAPVT LIIII.

Carnium differentia.

ISaac *in dictis lib.* 1. Carnes animalium quædam humanam naturam nutriunt, quæ complexioni eius vicinæ ſunt, vt porcinæ agninæ, hædulinæ. Quædam vero mortiferę & repugnatiuæ, aut ex calore nimio, vt tyriæ & ſerpẽtes & ſimilia, vel frigore magno, vt ſcorpiones & araneæ. Quædam autem ſunt mediæ, id eſt nec ſimiles nec contrariæ, ſed tamen repugnatiuæ, & ideo nociuæ, vt ericius, vulpes, lepores, & ſimilia, quorum nutrimenta ſunt vel fætentes à complexionibus humanis ſunt peſſima, non tamen mortifera. Teſtatur hoc grauitas odoris ſuę carnis, & vicinitas fætoris. Inde Galenus. Quorum animalium carnes graues ſunt differentes, quorum vero non ſimiliter, humanis naturis ſunt viciniores. Nutrientes autem in duo diuiduntur, ſyluaticas ſcilicet & domeſticas. *Idem in* 3. Animalia ſylueſtria calidiora ſunt, & ſicciora ſunt vel indigeſtibiliora, illaudabile nutrimẽtũ generãt propter multitudinẽ motus & laboris eorum & propter calorẽ & ſiccitatem aeris inhabitati. Sunt ergo non boni nutrimenti, præter ſola ſyluestria caprina. Nam ſuperfluitate celeris motus & laboris quem aſſueſcunt, eorum naturalis temperatur frigitudo. Nimioque eorum exercitio, ſaporis carnium eorum & odoris grauitas amputatur. Adiutoriũ etiam virtutis digeſtiuæ datur, vt ſcil. caro facillimè digeratur & optimè. Cætera vero domeſtica animalia ad ſyluestriũ cõparationẽ calorẽ & ſiccitatẽ habent temperatiorẽ, propter ſuam quietudinẽ, & aeris tẽperiem, proinde nutribiliora ſunt, & laudabiliora, craſſiora ſunt tamen & duriora ad digerendum. Rurſus animalia diuiduntur in maſculina, & fœminina & caſtrata. Maſculina ſunt fœmininis calidiora, & minoris humiditatis, ſunt etiam laudabiliora, & digeſtioni faciliora. Fœminina autem minorem habent calorem, & maiorem humiditatem. Iccirco ad digerẽdum tardiora ſunt. Caſtrata vero quamuis propter humiditatem fœmininis vicina ſunt, in calore tamen diſcordant, quia calor eorum inter vtrumque ſexum eſt mediocris, ſcilicet maior quam fœminarum, & minor quam maſculorum. Iccirco digeſtibiliora ſunt fœmininis.

Maſculina

Fœminea

Caſtrata.

De eodem.

CAPVT LV.

RVrſus vnunquodque animalium maſculinorum & fœmininorum, aut eſt lactens, aut decrepitum, aut iuuentute perfectum. lactens naturaliter calidum eſt & humidum, cęteris omnibus teneriorem carnem habẽs propter ſanguinem naturaliter ſuæ complexioni dominantem. Verum animalium quædam in ſuo genere humida ſunt, vt porci & pecudes, horum itaque lactẽtes neceſſario ex duabus partibus habent humiditatem, ab ætate ſcilicet & complexione. Quare quod ex eis generatur viſcoſum eſt, digeſtioni difficile, tamen à ſtomacho deſcendit, ſed non facile à membris diſſoluitur, viſcoſum generans phlegma, maximè ſi non fuerint de maſculis animalibus. Quod ſi fuerint in ſuo genere animalia ſicca, vt bouina & caprina cõplexionum earum ſiccitas cum ætatis humiditate temperatur. Vnde ſunt leuiora & digeſtioni congrua, maximè ſi maſculina ſunt. Ideoque lactentium caprina & bouina laudabiliora ſunt porcinis & pecorinis, quę omnia quidem laude indigent. Animalia autem in iuuentute manentia calidiora ſunt lactentibus. Eſt etiam eorum caro ſiccior pro ſuæ natiuitatis remotione. Vnde ſi etiam naturaliter ſicca ſint, vt boues & capræ, ſiccitatem habent è duabus partibus, ætate ſicilicet

Lactens.

In iuuentute manentia.

licet & cõplexione. Sunt ergo dura & indigeſtibiliora, ad diſſoluendum tarda. illaudabile quoque nutritrimentum dantia: quod ſi in eo genere humida ſint, vt pecudes & porci, naturalis eorum humiditas cum ætatis ſuæ ſiccitate comparatur. Iccirco iuuenes porci, & pecudes meliores ſunt iuuenibus bobus & capris. Animalia vero annalia ſunt inter lactentium humiditatem & iuuenum ſiccitatem mediocria, & ideo laudabiliora quia temperata. Meliora tamẽ animalia quę ſunt naturaliter calida, quia calor eorum adiuuamentum dat ſuæ digeſtioni, vnde laudabilius dant nutrimentum, propter hoc animalia porcina & bouina cæteris meliora ſunt, quia naturalis calor eſt vehemẽtior, & dominantior. porrò decrepitá animalia ſicciora & duriora, quia naturalis eorũ calor defectiſſimus eſt, & eorum vicinitus humiditas finienda, & quia digeſtiua eorũ virtus eſt defecta, accidentaliter acquiſitã habent humiditatẽ, crudam & innaturalem. Ideoque ad digerendum difficilia ſunt & ad diſſoluendum tarda. Nam illaudabilem chymũ vtpote viſcoſum phlegma generant. Tamen ſi calida naturaliter fuerint minus nociua ſunt. Et econtrario ſi fuerint, peſſimam inferũt leſionem. pecudes ſunt calidiores bobus, capris, & porcis, humidiores etiam bobus & capris, minus tamen porcis humidæ, Porcina enim caro cæteris animalibus eſt frigidior, & humidior maxime domeſtica.

Iuuenes porci.

Decrepita

Porcina caro.

De carnibus extremitatum animalium.

CAPVT LVI.

EXtremitates animalium, quia carent omni pinguedine, tarde digeruntur, ſunt enim de ſubſtãtia cutis & neruorũ. Sed quia ſunt in motu & labore, digeſtibiliores ſunt neruoſis membris & immobilibus. Paruũ tamen eſt eorũ nutrimentũ: Pedes ſecundũ medicinã ſunt vtiles, pectoris enim & pulmonis aſperitatẽ leniunt. Et contra tuſſim ſiccã valent. Adiuuant etiã patiẽtes diſcoriationes in veſica. Quos enim ſi mãducauerint qui diſſenteriam patiuntur inteſtinorum vulnera ſolidantur, & ſolutionẽ accidentaliter ſtringunt. Natura enim eorum lubrificatiua eſt, propter viſcoſitatem quam habent. Pedes tamen anteriores poſterioribus meliores ſunt, propter fundamentum caloris naturalis eis vicinãs. Labra auribus laudabiliora ſunt, quia auriculæ de cute & cartilagine ſunt compoſitæ. Cartilago vero ſi de iuuenibus ſit animalibus, & bene coquatur, erit indigeſtibilis. Si vero de lactẽte & bene cocta ſit, digeſtibilis erit, ſed omnibus extremitatibus animalium pedes meliores ſunt. Nares frigidæ ſunt & ſiccæ. Sunt enim cartilaginoſæ. Ideoque difficiles ad digerendũ, & parũ nutrimenti faciunt. Lingua inter lacertos & teneram carnem mediocris eſt. Iccirco ſola comeſta dat nutrimentum molle & mediocre. Cerebrum dicit Ariſtoteles in libro de animalibus calidum eſſe naturaliter, & frigidum accidentaliter. Proinde humidum eſt & craſſum, & viſcoſum, abhominabile, appetitum corrumpit in ſtomacho, citoque in putredinem vertitur. Cor duræ ſubſtantiæ eſt, tarde de ſtomacho eijcitur. Sed tamen cum bene digeritur multum & bonum dat corpori nutrimẽtum. Pulmo facilis eſt digeſtionis & velociter de ſtomacho eijcitur, propter leuitatem & raritatem ſubſtantiæ. Proinde ceteris membris minus generat nutrimentum & phlegmatico pertinet humori. Hepar omnibus craſſius eſt, & durius ad digerendum, ſanguinem tamen generat laudabilem. Nutribiliuseſt etiam carne pinguedinem habente. Sed lactẽtium hepar cæteris eſt melius. Gallinæ vero melius lactentibus. Renes duobus modis ſunt illaudabiles. Vno modo propter ſubſtantiæ ſuæ corruptionem, duriciem, & craſſiciem. Alio modo quia eorum nutrimentum fuerat pinguedo vrinę. Vnde ſanguinem generant craſſum & peſſimum.

Medicina ex pedibus animalium.

De Neruis & cartilagine.

CAPVT LVII.

PLinius lib. vndecimo. Nerui orſi à corde, bubuloque circum voluti ſimilem naturam habent & cauſam in omnibus lubricis applicati oſſibus, nodiſque corporum qui vocantur articuli. Aliubi interuentu, aliubi ambitu, aliubi tranſitu ligantes, hic teretes, illic lati, vt in vnoquoque poſcit figuratio, nec hi ſolidãtur inſciſi, mirumque vulneratis ſummus dolor, præſectis nullus. Sine neruis quędam animalia ſunt vt piſces. Arterijs enim conſtant. Sed neque hæ molli piſcium generi: vbi ſunt nerui, interiores conducunt membra, ſuperiores reuocant.

Nerui.

Ariſtot. Virtus animalium omnium non eſt niſi in neruo, propter hoc iuuenes in animalibus pueris fortiores ſunt, quia nerui puerorum & iuncturæ fortes non ſunt, ſimiliter neque ſenum, propter debilitatem quoque neruorum voces animalium caſtratorum ſimiles ſunt vocibus fęminarum. Venę quidem poſt abſciſionem iunguntur, non autem nerui. Cartilaginis & carnis eadem eſt natura, nec diuerſatur niſi ſecundum magis aut minus, & quando abſcinditur os, vel cartilago non creſcit. In animali ambulante eſt cartilago ſine medulla, ſi enim eſſet medulla diſtincta efficeretur mollis, muſtilaginoſa. Nam vero ſpondilus celeti id eſt piſcis cuiuſdam, cartilaginoſus eſt & in ipſo eſt medulla, quia propter humiditatem oportet eſſe ſuſtentamentum molle, non ſiccum. Pars autem terreſtris illius animalis tranſiuit in corium. In animali generante animal ſunt oſſa multa ſimilia cartilagini quibuſdam locis, vt in auribus & naſo. *Iſaac vbi ſupra.* Cartilago ſi de iuuenibus animalibus ſit, & bene coquatur indigeſtibilis erit. Si vero de lactente & benè ſit cocta digeſtibilis erit. *Plinius vbi ſupra.* Vituli marini cartilaginem habent, non oſſa. Item omnium articuli ac nares quæ modicum eminent flexibili mollicia, naturæ prouidentia, ne frangerentur. Cartilago rupta non ſolideſcit nec pręſciſa oſſa recreſcunt pręterquam veterinis ab vngula ad ſuffragines.

Cartilago & caro non differunt ſpecie.

Vituli marini ſine oſſibus.

De oſſibus.

CAPVT LVIII.

ISidorus. libro vndecimo. Oſſa ſunt corporis ſolidamenta. In his omnibus poſitio roburque conſiſtit, & vbiq; cute viſceribuſque obtecta celantur. *Auctor.* Oſſa ſunt pars corporis duriſſima, & ſolidiſſima, & foris candida ſunt intus medullata, fracta vero reſolidari non valent. *Ariſt.* Oſſium creatio fuit propter carnem. Nam & qui fingere volunt animal ex luto, corpus aliud durum ſub illo ponunt, deinde lutum ſuper ipſum componunt, ſic fecit natura per oſſa. Poſita ergo ſũt oſſa ſub partibus carnoſis. In membris quidem motis propter conſtrictionem. In membris autem quæ non mouentur ad cuſtodiam, ſicut coſta continens pectus. Non enim fuit creata coſta, niſi ad ſalutem continentium cor. Oſſa vero quæ vicinantur ventri parua ſunt, vt non prohibeant tumorem ventris propter cibum animalis, & propter impręgnationem quæ accidit fæminis. Oſſa quidem animalis generantis animal intra & extra ſunt ſecundum eandem diſpoſitionẽ in duricie ac fortitudine. Et valde maiora ſunt oſſibus animalis quod non generat animal reſpectu ſui corporis. Animal magnum indiget magno ſuſtentamento, & fortiori ac duriori, maximeque ſi fuerit animal forte viuens ex venatione. Oſſa quoque maſculorum fortiora ſunt oſſibus fæminarum, & maximè quando fuerit animal ex comedentibus carnes, ſicut leo, cuius oſſa valde dura ſunt. Vnde ſi confricentur ad inuicem, exibit ex eis ignis, ſicut ex lapidibus, nec eſt in eis medulla, niſi in oſſe coxæ, & cotylis, ſcilicet ab armo vſque ad cubitum. In ani-

Oſſa.

Coſta.

malibus autem habentibus ſanguinem & non generantibus aliud animal, natura paulatim mutauit creationem oſſium. In auibus namque fecit oſſa debiliora cæteris. In piſcibus autem ouantibus creauit ſpinam. Oſſa quoque ſerpentium ſunt de natura ſpinæ piſcium, niſi ſint ſerpentes valde magni.

De Eodem.

CAPVT LIX.

IN animali ergo carente oſſibus eſt membrum aliquod conueniens naturæ oſſium, vt ſpina in piſcibus, & cartilago in quibuſdam animalibus. Hoc autem iuuamentum in quibuſdam ſanguine carentibus eſt intra corpus, & in quibuſdam extra, ſicut in animalibus mollis teſtæ, vt ſunt cancri, & duræ teſtæ, vt oſtreæ. Pars enim ea cuſtodiens eſt extra. In annuloſis autẽ & malicijs id eſt in animalibus cauſatis ex carne tantum, vt eſt ſepia, non eſt os, neque vlla pars terreſtris per ſe diſtincta. Sed vt non ſit corpus huius velocis corruptionis poſuit natura creationem eius inter carnem & neruum, vt ſit molle ſicut caro, & habeat extenſionem ſicut neruus. Natura oſſium aſſimilatur naturæ venarum, quoniam vtrunque continuum eſt exiẽs ab vno principio. Principium quidem venarum *Spondyli.* eſt cor, oſſium vero ſpondyli: Spondili namque cuſtodiunt rectitudinem corporum animalium. Et quia neceſſarium eſt, vt reflectantur corpora, ligata ſunt & alia oſſa continua cum ſpondylis. In animali quoque habente manus & pedes, in extremitatibus manuum & pedum ſunt loca conuenientia ad introitum quorundam in quædam. propter hoc extrema quorundam concaua ſunt, quorundam prominentia, & ligata ſunt cum neruo. Per ſenſum vero tactus oſſium eſt ſicut tactus rerum conſimilium, vt ſunt vngula, ſolea, cornu & roſtra auium. Os nec incuruatur, nec inflectitur, nec comeditur, nec recipit diuerſitatem colorum ſcilicet naturaliter. Poſt abſciſionem quoque nec creſcit, nec ſolidatur. Os colli leonum continuum eſt, & non eſt in eo annuloſitas. In cordibus equi & vaccæ *Oſſa in corde.* ſunt oſſa, non autem in cordibus aliorum animalium, niſi in corde cerui. *Auicenna.* Oſſa aduſta ſunt deſiccatiua & reſolutiua: horum quædam medicinalia eſſe dicuntur, vt calcaneus porci & hyrci ſimiliter & crura vaccæ, & oſſa hominis.

De Medullis.

CAPVT LX.

Medulla. ARiſtoteles. Medulla eſt naturæ ſanguineæ, eſt enim ſuperfluitas cibi ſanguinis ex quo cibantur oſſa recentia & ſpinæ animalium, propter hoc inter oſſa retenta eſt, nec generatur niſi à ſanguine bonę decoctionis, & multi quidem putant quod cerebrum eſt principium medullæ ac ſpondylorũ, quia medulla eſt continua cum cerebro, ſed contradicit veritas; quia natura cerebri diuerſa eſt à natura medullæ quæ calida eſt, vt ſuperius dictum eſt. Medulla quidem animalis, multæ pinguedinis eſt valde pinguis. Et medulla Animalis habentis dentes in inferiori mandibula tantum ſimilis eſt zirbo. Animalis autem habentis dentes *In oſſibus leonum non eſt medulla* in vtraque mandibula ſimilis eſt pinguedini. In oſſibus fortibus ac ſpiſſis ſicut ſunt oſſa leonis, non eſt medulla, & ſi eſt, parua eſt, quia cibus tranſit in oſſa. Nam medulla eſt ſuperfluitas cibi vt dictum eſt ex quo generantur oſſa. *I*n oſſibus itaque leonis & porci nulla vel modica eſt medulla. Gloſſa illius. In leone puto propter nimiam ſiccitatem, & calorem conſumentem. In porco vero propter nimiam humiditatem & frigus non coagulans. *Plinius. lib.* 11. Medulla videtur eſſe à iuuenta rubens, in ſenecta albeſcens: non niſi cauis hæc oſſibus, nec iumentorum cruribus aut canum. Quare fracta non ferruminantur. Eſt autem pinguis his quibus adeps, Seboſa cornigeris, Neruoſa & in ſpina tantum dorſi oſſa non habentibus: vt piſcium

A generi. Vrſo nulla. Leoni in fæmorum & brachiorum oſſibus paucis exigua admodum. Cæteris enim eſt tanta duritia vt ignis elidatur, velut ſilice his dura quę non pingueſcunt. Aſinorum ad tubas canora. Delphinis oſſa non ſpinæ: animal enim pariunt. Serpentibus ſpinæ. Aquatilium mollibus nulla, ſed corpus circulis carnis iunctum, vt Sepiæ, atque Loligini, *Iſaac vbi ſupra.* Medulla ſpondyli ad comparationem medullæ oſſium frigidiſſima eſt & humidiſſima, quæ ſi bene digeratus craſſius & plus cerebro dabit nutrimentum. Medulla tamen oſſium ſaporoſior eſt, ſed faſtidium facit. Bene tamen digeſta multum gunerat nutrimentum. *Auicẽna.* Medulla calefactiua eſt abſterſiua: multique nutrimenti ſi digeratur. Ex his conuenientior eſt *Tẽperamentum medullæ.* B medulla vituli & cerui deinde tauri, poſt caprarum, deinde ouium. Et medulla quidem hyrcorum & taurorum proprie non caſtratorum ſiccior eſt. Medulla vero extremitatum eſt pinguior. Medulla duriciebus ac lapidoſitati bona eſt illa quidem quę eſt vt vituli & Cerui, non ſic Hyrcorum ſylueſtrium: illorum enim ſicca eſt & non bona. Cõturbat autem medulla ſtomachum: ac delet appetitum. Suppoſitorium ex medulla laudabili confert duriciei matricis. Dicitur etiam quod linimentum ex ea, proprieque ex medulla oſſium Cerui, fugant vermes venenoſos. *Hali.* Omnis medulla oſſium emollit dura membra & aſperitatem, prodeſt fiſſuris manuum ac pedum, laudabilior autem eſt Ceruina, poſt quam Vitulina, dehinc vero Taurorum & Caprarum, ſunt enim hæ plurimum ſiccæ.

De Pinguedine.

CAPVT LXI.

C ARiſtoteles. Pinguedo & zirbus differunt ſecundum ſuperfluitatem ſanguinis: quoniam vtrunque eſt ſangnis coctus propter meliorationem cibi. Et huius ſignum eſt, quia non inueniuntur niſi in animali fertili bonæ diſpoſitionis. Pars namque pinguedinis communicat cum igne & aere: & hoc non inuenitur in animali carenti ſanguine. Quantum augmentatur pinguedo tantum diminuitur ſanguis, & quando eſt pauca in membris animalis iuuat, quia non prohibet bonitatem ſenſus, & adducit ſanitatem ac fortitudinem. Cum vero multiplicatur, nocet & corrumpi: animal, ita quod ſi totum corpus efficiatur pinguedo, *Multiplicatio pinguedinis nocet.* neceſſe eſt vt moriatur. Nam Pinguedo quidem & zirbus ſunt in membro in quo eſt ſenſus tactus, id eſt in carne. ſanguis vero non habet ſenſum, & ob hoc nec D Pinguedo nec zirbus, quia non ſunt niſi ſanguis bonæ decoctionis. Ergo ſi totum corpus efficitur tale, non habebit ſenſum: propter hoc ſeneſcit animal multæ pinguedinis, quia ſanguis eius eſt paucus: eo quod trãſit in pinguedinem. Corruptio namque in ſenectute non eſt niſi paucitas ſanguinis, & multarum occaſionum, quia recipit citius ex frigido & calido.

Adhuc de pinguedine ac ſebo & adipe.

CAPVT LXII.

ITerum animal multæ pinguedinis paucæ generationis eſt: aut nullius omnino: propter eandem cauſam, quia ſanguis quiefficeretur ſperma, tranſit in pinguedinem. Quod prope pupillam oculi eſt in omnibus animalibus eſt multi ſebi. In renibus etiam eſt E multum ſebi, & pinguedinis: pluſquam in alijs membris interioribus, propter colamentum ſuperfluitatis, quia ſanguis qui remanet ibi poſt colamentum, eſt bonæ digeſtionis & complementũ bonitatis digeſtionis eſt pinguedo & zirbus. Pinguedo tamen non eſt in *Pinguedo renum.* corpore renum, ſed extra, circundans eos in omnibus animalibus. Ren dexter eſt minoris pinguedinis quàm ſiniſter, ratione ſuperius dicta. Sed Oues quãdo multiplicatur eis pinguedo in renibus, moriuntur. Impinguantur autem Oues potu: & ideo Paſtores ſæpe dant eis ſal, & ſanę ſunt. Porcus vero radicibus impingna-

tur

tur cito, & cum impinguatur porcus coire poteſt omni tempore, hyeme & æſtate, nocte & die. Animal latæ venæ non impinguatur, ſed animal gracilis venæ. Piſces autem in pluuioſis temporibus impinguantur. Pingue non cito deſiccatur: motus autem diſſoluit pinguedinem. Omne animal multi ſebi, pauci ſeminis eſt. Homines etiam & mulieres valde pingues raro generant ex renibus magna pinguedine ligatis impedimentum trahentes. *Halivbi ſupra.* Omnis pinguedo calida eſt & humida. Sed variæ ſunt actiones earum ſecundum naturam animalium ex quibus ſunt, & ſecundum cibum & ætatem, & ſexum caſtratoſque & teſtes habentes. *Adeps.* *Dioſcorides.* Omnis Adeps virtutem habet calidam & humidam: & omnis adeps recens ſine ſale malaxat & indulcat pinguedinis cauſa. obtundit etiam venena, eiuſque viſcellum contra quodlibet venenum iuuat. Vetus autem vel ſalitus vel aromatibus conditus recorporatiuæ virtutis eſt, ſed ſpecialiter pro Animalibus vel Paſcuis. Alius magis vel minus laxatiuus ſiue mirificus inuenitur, omnis tamen duricies emollire poteſt. Porcinus quidem calidus eſt: Taurinus autem calidior & Dyaphoreticus & Malacticus. Eſt etiam Stipticus ſicut & Bubalinus magis autem Caprinus paſcuarum cauſa. *Auicenna.* Adeps Anatis valde ſubtilior eſt & calidior adipe gallinæ. Adeps autem Galli & Cerui vehementioris ſunt calefactionis. Adeps Vaccæ medius eſt inter Leoninum & Caprinum. In his autem omnibus adeps maſculi fortiorem. Hircinus autem vehementioris eſt reſolutionis.

De Differentia prædictorum inter ſe.

CAPVT LXIII.

Sebum. Axungia, Pinguedo

Adeps triplex.

Elinandus li. decimo. Adeps dicitur pinguedo animalis interior, vt ſebum in Bobus & Ouibus ac cæteris ruminantibus & axungia in Porcis. *Comeſtor.* Pinguedo enim exterior videlicet, quæ ſuper carnem eſt, dicitur proprie aruina vel lardum. Quæ autem carni admixta proprie pinguedo. Quæ vero in inteſtinis adeps. Eſt autem adeps triplex videlicet adeps vitalium id eſt cordis & ventris. Adeps iecoris id eſt hepatis quem reticulum dicimus, quia inuoluitur ad modum retis. Et adeps renum. hi tres adipes in ſacrificijs de pecoribus olim à ſacerdote legali adolebantur ſuper altare. *Plinius*, animalia cornigera vna parte dentata, & quæ in pedibus talos habent ſebo pingueſcunt. Biſulca vero ſciſſiſvè in digitos pedibus & non cornigera, adipe. Quædam non pingueſcunt vt lepus, perdix. Steriliora vero cuncta pinguia & in maribus & in fœminis: Seneſcunt celerius præpinguia. Omnibus animalibus quoddam in oculis pingue. Adeps cunctis ſine ſenſu, qui nec arterias nec venas habent, pleriſque animalium eſt pinguedo ſine ſenſu. Quam ob cauſam ſues ſpirãtes à muribus tradunt roſas. Qui & L. Apronij conſularis viri filio detraxerunt adipes leuaruntque corpus im mobili onere. *Iſaac vbi ſupra.* Pinguedo eſt mixta cum carne & oſſibus, ſicut quæ in coſtis & cauda & huiuſmodi locis inuenitur, adeps vero à carne & oſſibus, ſicut axungia, & quæ in renibus ſunt, adeps autem craſſior eſt pinguedine, & cum carne mixta faſtidioſior & ſolubilior, ambo etiam faſtidium inferentia, cibosque in ſtomacho mollientia, habentque proprietatem ſuper omnes cibos natandi & cibum viſcoſum, craſſum, digeſtionique inobedientem faciendi, atque falſam ſaturitatem generandi, præcipueque ſi cum dulcibus comedantur. *Vnde Rufus.* Quæcunque inquit membra pinguedinis habuerint abundantiam, parum nutrimenti ſuggerunt corpori. Pars enim pinguoſa pro ſui lubricitate ſtomachum & inteſtina egreditur decocta. *Auctor.* Item de ſebo dictum eſt ſuperius, in capitulo de animalibus ruminãtibus, de adipe quoque & pinguedine in capitulo de carnibus.

De Arterijs & venis.

CAPVT LXIIII.

Pulſus.

Plinius lib. vndecimo. Inter hos ſcilicet neruos latent arteriæ ſcil. ſpiritus ſemitę, ijs innatant venę id eſt ſanguinis riui. Arteriarum pulſus in cacumine maxime membrorum euidens iudex fere morborum in modulos certos, legeſq; metricas per ætates ſtabilis, aut citatus aut tardus deſcriptus ab Eriphilo medicinæ vate miranda arte. Etenim obſeruatione crebri aut languidi ictus gubernacula vitæ temperat medicus. Arterię carent ſenſu, nam & ſanguine. Nec omnes vitalé continent ſpiritum, præſciſiſque torpeſcit tantum pars ea corporis: aues nec venas nec arterias habent, Item *Aues.* ſerpentes, teſtudines, lacertæ: minimumque ſanguinis, venæ prætenues, poſtremo fibræ, ſuper totam cutem diſperſæ, adeo in anguſtam ſubtilitatem tenuantur vt penetrare ſanguis non poſſit.

Ariſtoteles, in li. de ſomno & vigilia, venæ ſunt locus ſanguinis, harum vero principium eſt cor. *Idem in libro* de animalibus. Quoniam anima vna eſt in actu, conueniẽs vt vnum membrum ſit, in quo eſt virtus id eſt calor vitalis Eſt ergo calor ſanguinis ex vno principio ſcilicet ex corde, quia in eo eſt principium ſenſus & primus calor. Itaque venæ ſunt ex vno principio. Et vena quædam magna nobilior aorta id eſt pulſatili, *Vena maior.* quia poſita eſt in anteriori. Aortę autẽ in poſteriori. Et rectum eſt vt eat curſus ſanguinis in venis & in toto corpore naturaliter, quia ſuſtentatio cuiuslibet membri ex ſanguine eſt, & hoc aſſimilatur canalibus aquæ præparatis in hortis, quæ exeũt ab vno fonte vel vno principio & diuidũtur prius per canales, & illæ iterum per alias, ita quod vna venit ad quemlibet locum. Ex ſuperfluitate vero paruarum venarum exit ſudor, quãdo calefit corpus, & aperiuntur orificia earum. Vena quædam maior procedit à ventriculo maiori ex parte ſuperiori dextra, in quo ſemper eſt ſanguis, & tranſit *Aorta.* per medium colli, profundum. Aortę autem exit à ventriculo medio, nec participat cordi ſicut prędicta, & eius interius ſtrictum eſt. Creatio venæ maioris eſt ex tela & corio. Alterius autem ex neruo. Cerebrum vero caret omnino ſanguine in omni animali: & ideo non eſt in eo vena magna vel parua. In nullo membro ſanguis eſt extra venam, præterquam in corde. Animal latæ venæ non impinguatur: ſed animal gracilis venæ. Venæ quidem poſt abſciſionem coniunguntur, non autem nerui. Natura venarum magnarum non apparet in corporibus mortuorum, quia ſubito contrahuntur in exitu ſanguinis.

De ſanguine.

CAPVT LXV.

Vena.

Sanguis terreſtris.

Item in eodem. Sanguis eſt in omnibus animalibus carentibus pedibus, aut in habẽtibus duos pedes, vel quatuor tantum. Quæ vero plures habent, ſanguine carent. Igitur in quibuſdam animalibus eſt ſanguis. In quibuſdam autem alia humiditas conueniens ſanguini ſcilicet humiditas incompleta, ſicut venenum. Et humiditas declinans ad pallorem, quæ aſſimilatur aquoſitati intus. In habentibus ſanguinem, omnia mẽbra corporis compoſita ſunt ex venis, in quibus currit ſanguis. In corde autem eſt principium venarum: & prima virtus creans ſanguinem. Et debet eſſe ex cibo quem recipit. Nec in alio membro ſanguis eſt extra venam, præterquam in corde. Sanguis terreſtris coagulatur, aquoſus autem non. In quodam itaque ſanguine eſt res ſubtilis, ſicut pilus, & eſt naturæ terreſtris. Tale animal iracundum eſt, & audax, propter iracundiam, quæ mouet calorem, & efficitur ſicut carbo ignitus tempore iracundiæ, propter hoc porcus & taurus ſunt iracundi valde, quoniã in eorum ſanguine multi ſunt huiuſmodi pili. Sanguis quoque tauri citius omnibus ſanguinibus cõgelatur, ſiue coagulatur.

In quo-

Timida animalia.

In quodam verò ſanguine non ſunt huiuſmodi pili, vt in ſanguine ceruorum, & ob hoc talis ſanguis nõ coagulatur. Animalia multæ aquæ, id eſt, ſanguinis aquoſi, quæ naturaliter infrigidantur, multi ſunt timoris, quia timor infrigidat animal. Animal quoque ſanguine carens maioris eſt timoris, & ob hoc non mouetur niſi modicũ. Aquoſitas verò ſanguinis eſt illud, quod eſt ex eo ſubtile, quia nondum digerebatur, vel quia corrumpebatur. Sanguis ſemper eſt in corpore, dum viuit animal. Et omne corpus ſanguineum citò putrefit, maximè circa oſſa. Omne animal multi ſanguinis eſt multi ſeminis. Menſtruum autem eſt fluxus ſanguinis animalis. Mulier ergo, quia maioris eſt ſanguinis in interiori, quam fœminæ aliorum animalium, propter hoc accidit ei menſtruũm. Ob hoc etiam minus infirmatur, quàm vir. Guſtus ſanguinis naturaliter dulcis eſt, cum fuerit ſanus, & color eius rubeus non multum ſpiſſus. Quantum autem pinguedo augmentatur, tantum ſanguis diminuitur. Dormiens ſi pungatur, non exibit tantum ſanguinis quantum ſi vigilaret, quia tunc in manifeſto modicus eſt, in occulto vero multus. Item omnia animalia ſanguine carentia minoris corporis ſunt habentibus ſanguinem. Et omne ſanguinem habens, & generans animal, habet omnia ſenſus inſtrumenta præter genus talpæ. *Ex lib. de nat. rer.* Quod ait Ariſto. Animalia pluſquam quatuor pedes habentia, ſanguinem non habere, intelligitur de ſanguine ordinato per venas, hinc vermes & pediculi vel pulices non habent, & venis carent. Anima brutorum ſanguis. Sanguis autem gelatus conuerti ſolet in carnem, & caro corrupta redit in terram. Meritò ergo tabida eſt anima iumentorum. Eſt ergo ſanguis humiditas naturalis ſemper remanens in habentibus ſanguinem. Et non eſt ſanguis vitalis, niſi in venis & in corde. Guſtus eius eſt dulcis, & color eius rubeus, niſi ſit corruptus. Omne animal habens ſanguinem, habet cerebrum, dormit, & vigilat, & ambulat. *Auicenna in 2. can.* Sanguis quorundam animalium medicinalis eſt, vt ſanguis equi, tauri, cameli, hyrci, capræ, agni, cerui, canis, leporis, lacerti, teſtudinis, ranæ. Auium quoque, vt colũbę, turturis, bubonis, veſpertilionis. Eſt etiam ſanguis menſtruus mulieris. Oportet autem ſanguis, qui adminiſtratur in medicinis, ex animalibus ſanis aſſumptus ſit, in cuius colore non dominetur humor, neque putredo.

Mulier minus infirmatur quã vir

Anima brutorum.

Sanguis medicinalis.

De diuerſitate ſanguinis in animalibus.

CAPVT LXVI.

Differentia ſanguinis.

ARiſtoteles vbi ſupra. In ſanguine nempe ſunt differentiæ. Quidam enim ſubtilior eſt, quidam ſpiſſior; quidam mundior; quidam turbidior; quidam frigidior; quidam calidior. Sanguis ſpiſſus pluris cibi eſt corpori & minoris ſenſus. Mundus vero maioris eſt ſenſus, & conuenientior intellectui ac frigidior. Similiter & ſanguis, qui eſt in membris ſuperioribus, diuerſatur ab eo, qui eſt in inferioribus ſecundum has differentias, propter hoc apes, & huiuſmodi animalia, maioris intelligentiæ ſunt habentibus ſanguinem. Meliora quoque ſunt animalia ſanguinem habentia ſubtilem, mundum, calidum, quia conuenientiora ſunt in ſapientia, & audacia, & ſimilibus: Mẽbra quoque ſuperiora diuerſantur ab inferioribus ſecundum iſtam differentiam. Et membra maris à membris fœminæ. Et membra dextræ partis à ſiniſtra. Neceſſarium autem eſt, vt cibetur omne quod creſcit. Itaque venæ accipiunt cibum à ventre, & ſunt quaſi vaſa ſanguinis. Et quando non cibatur animal ſanguine, vel eo quod conuenit ſanguini, macilentum erit, & malæ diſpoſitionis. Quando vero cibatur bene creſcit, & eſt bonę diſpoſitionis: & ſiquidem fuerit cibus ille clarus ac bonus, erit corpus ſanum: ſi verò malus infirmum. *Plinius libro* 11. Sanguis quibus multus & pinguis iracundia ineſt. Maribus, quàm fœminis nigrior eſt. Et in iuuenta magis, quàm ſenio, & inferiore parte pinguior, magna & in eo vtilitatis portio. Emiſſus ſpiritum trahit ſecum, tractum tamen non ſentit. Animalium fortiora quibus ſanguis craſſior. Sapientiora ſunt, quibus tenuior. Timidiora quibus minimus: at quibus nullus hebetia. Taurorum ſanguis celerrimè coit atque dureſcit, ideo peſtifer, potu maximè. Aprorum ac ceruorum, caprarumque, & bubalorum omnium non ſpiſſatur. Pinguiſſimus aſinis, homini tenuiſſimus, his quibus plus, quàm quaterni pedes nullus. Obeſis minus copioſus, quoniam abſumitur, pinguiprofluuium eius vni ſit, in naribus, homini. Alijs nare altera. Alijs vtraque. Quibuſdã per inferna. Multis per ora ſtatuto tempore. Hoſtiæ ſiquidem abundantiorem fundunt, ſi prius biberint. Quæ animalium cæteris temporibus latent, tunc ſanguinem non habent, præter exiguas admodum circa corda guttas miro opere naturæ, ſicut & in homine vis eius ad minima momenta mutatur, non modo tantum in ore materia ſuffuſa, verum ad ſingulos animi habitus, pudore, ira, metu, palloribus, plurimiſque modis ruboris, alius enim iræ, & alius verecundiæ. Nam in metu refugere, & nuſquam eſſe certum eſt. Multiſque non tranſluere transfoſſis, quod homini tantum euenit, morbi etiam omnes, morſque ſanguinem abſumunt. *Auctor.* Hæc de ſingulis partibus, vel membris animalium ſimilibus ac diſſimilibus breuiter diximus. Nunc de cæteris animalia conſequentibus, id eſt alimentis eorum ac ſenſibus, & motibus, ac generationibus, & ſuperfluitatibus ſubiungamus.

Mutatur sãguis in homine ex paſſionibus.



SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER VIGESIMVSSECVNDVS.

De potu & cibo animalium

CAPVT I.

Dulcius.

Venæ.

Animal guloſum.

Riſt. vbi ſupra. Igitur omne animal habet appetitum guſtus ſaporis cibi,& appetitus non eſt niſi ad dulce & delectabile, ac perdigeſtum valde. Quod enim digeſtum eſt in omnibus rebus dulcius eſt, & delectabilius. Quod autē modicum eſt,citò digeritur. Neceſſarium quidem eſt,vt cibetur omne quod creſcit,& hoc à ſicco & humido. Quorum digeſtio eſt per fortitudinem caloris. Venter itaque ſuperior & inferior digerunt cibum calore naturali. Animal vero ruminans habet quatuor ventres, vt ſupra dictum eſt. Operatio quidem oris eſt inſcidere cibum, & mittere ventri, vt melior ac velocior ſit eius digeſtio. Venæ autem accipiunt cibum à ventre, & ſunt quaſi vaſa ſanguinis. Animal annuloſi corporis habet tale membrum,per quod ſentit cibū intra os,ſicut genus formicarum,& alia multa teſtei corij. Horum quædam habent membrum illud extra ſicut aculeum eius,quia natura mollis eſt & vacua, & per ipſum guſtat ac ſentit, & attrahit cibum, vt patet in apibus & muſcis & ſimilibus. Elephas vtitur naſo loco manus in accipiendo cibum & potum. Omnem animal recti inteſtini valde guloſum eſt,quia cibus valde velociter egreditur, & ſic iterum cito appetitur. Similiter & animal habēs in inteſtino multam amplitudinem. Animal autem guloſum propter nimium appetitum, ante maſticationem traucit cibum. Omnes piſces propter diminutionem vſus cibi, eiiciunt ſuperfluitatē cibi crudam & indigeſtam, & ob hoc valde ſunt guloſi. Animalia multos cibos comedentia diuerſantur in coloribus. Modi namque ciborum cauſæ ſunt diuerſitatis colorum. Quoniam ex diuerſo cibo diuerſa ſuperflua fiunt:propter multitudinem autem cibi, fructus in arboribus, & fætus in animalibus corrumpitur. Quodlibet animalium genus rem ſibi appropriatam diligit, & aliam odit. Omne animal habens ſerram dentium comedit carnes. Aſi-

A nus comedit ſpinas, quando molles ſunt. Porcus vero comedit ſerpentes. Item porcus plus omnibus animalibus comedit radices. In his velociter impinguatur. Lupi non comedunt niſi carnes præter medicinam aliquam, quam accipiunt infirmantes, & vomitant,ac ſanantur. Comedit autem lupus ſine maſticatione, & vna die, quod ad tres ſufficit. Cabonetia lupus eſt comatus vt leo, cadauera vero de ſepulchris extrahit,& comedit. Paſſer & auiculæ multæ ſimiles paſcuntur vermibus. Formica cibum reponit. Apes quoque comedunt mel in tempore neceſſitatis, & delectantur aquis claris currentibus. Piſces pullis ſuis cibantur, tempore pullificationis. Vaccę diligunt bibere aquam claram, equi vero turbidam. Oues impinguantur potu. Aues vncorum vnguium non potant niſi paucę & parū. *Ex lib. de nat. re.* Omne animal dētes habens ſerrales haurit aquam lingua. Animalia dentes æquales habentia ſugendo trahunt aquam in ventrem. Cauſa vero cur aues vncorum vnguium non bibunt aquā, hæc eſt, quia carnes comedunt, quæ magis humidæ ſunt, quam cibi aliarum auium. Omne animal vorans cibos, vt leo,vel lupus macilenti corporis eſt, quoniam vbi non eſt ciborum maſticatio, male tranſeunt in naturam. Omnes beſtiæ grauiores fruge veſcuntur, agiliores autem carne. *Plinius lib.* 8. Inſatiabilia vero ſunt animalia,quibus à ventre protinus inteſtino cibi trāſeunt, vt lupi, cerui,& inter aues mergi.

Porcus.

Lupi.

De diuerſitate paſtus animalium.

CAPVT II.

P *Linius lib.* 10. Venenis capreæ, & coturnices pingueſcunt placidiſſima animalia, Serpentes autem ouis. Spectanda quidem draconum ars eſt, aut enim ſolida hauriunt,ſi iam fauces capiunt,quæ deinde in ſemet conuoluti frangunt intus, & putamina extuſſiunt aut ſi tenerior eſt & catuli adhuc ætas,orbe apprehēſa ſpira ita ſenſim vehementerque præſtringunt; vt amputata parte ceu ferro, reliquam quæ complexu tenetur,ſorbeant. Similimodo auibus deuotatis ſolidis cōtentione plurima & cætera oua reuomunt. Scorpiones terra vinunt. Serpentes cum occaſio eſt, vinum præcipuè appetunt,cū alioquin exiguo indigeant potu Eædem minimo & pæne nullo cibo vtuntur, ſicut aranei quoque,ſuctu viuētes. Nullum interit fame aut ſiti venenatum. Nā neque caloris vim habent,neque

Dracones

Scorpiones.

Venenata

ſanguinis,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſanguinis,nec ſudoris,quę auiditatem naturali ſale augent. In quo genere omnia magis exitialia,ſi ſuum genus ederint, antequam noceant. Condit in theſauros
Satyri. maxillarum cibum ſpongionum & ſatyrorum genus, mox inde ſenſim mandendum manibus exprimit. Et quod formicis in annũ ſolemne eſt, his in dies vel horas. Vnum animal digitos habentium herba alitur le-
Lepus. pus, ſed & fruge. Solidipedes & biſulci ſues omni cibatu & radicibus. Solidipedum volutatio propria. Serratorum dentium carniuora ſunt omnia , vrſi & fruge, fronde, vindemia, pomis viuunt & apibus, cã-
Lupi. cris etiam & formicis. Lupi etiam terra in fame; pecus potu pingueſcit. Ideo ſal ipſis aptiſſimum . Ruminãt præter iam dicta ſylueſtrium cerui, cùm à nobis aluntur. Omnia autem iacentia potius quam ſtãtia, & hyeme magis quam æſtate ſeptenis ferè mẽſibus. In potu autẽ quibus ſerrati dẽtes lãbunt. Et mures hi vulgares B
Affrica quamuis ex alio genere ſunt. Quibus continui dentes ſorbent, vt equi, boues. Neutrum vrſi ſed aquã quoque morſu vorant. In Africa maior pars ferarum ęſtate non bibunt inopia imbrium. Quam ob cauſam capti mures lybici, ſi biberint moriuntur. Animaliũ quoque alia, alios ſapores appetunt, alia dentibus prædantur, alia vnguibus, alia altitudine ruunt. alia acumine excauant, alia roſtri aduncitate capiunt: alia fugũt, alia lãbunt, ſorbent, mandun t, vorant, nec minor varietas in pedũ miniſterio, vt rapiant, detrahãt, teneãt, premãt prehendãt, tellurem ſcabere non ceſſent. *Idem in lib.* 11.
Apri. Apri ſunt in Pamphilia & Ciliciæ mõtuoſis. Salamandra ab his deuorata, qui ederint moriuntur, nec intellectus vllus in odore vel ſapore.
Veſpæ. Veſpæ ſerpentes auidè veſcuntur, quo alimẽto mortiferos ictus faciũt. Theophraſtus prodit boues quoque piſce veſci, ſed non niſi C
Hominis. viuente. Hominum cibus vtiliſſimus ſimplex. Aceruatio ſaporũ peſtifera, & condimenta pernicioſiora. Difficulter autem perficiuntur omnia in cibis acria nimis, & auidè hauſta, & æſtate quam hyeme difficilius: & in ſenecta quam in iuuẽta. Vomitiones homini ad hæc in
Concoctio remedium excogitatæ, frigidiora facinnt corpora. Inimicæ oculis maxime aut dentibus. Somno concoquere corpulentiæ quam firmitati vtilius. Ideo athletas ambulatione malunt cibos perficere. Peruigilio quidem præcipuè vincuntur cibi.

De animalibus ruminantibus.

CAPVT II.

Ruminantiũ dentes ARiſtoteles. Animalia quæ ruminant, carent dentiD
bus in mandibula ſuperiori; quoniam ergo maſticare non poſſunt, ruminant, quatuor ventres habẽt, vt ſuperius dictum eſt. Animalia cornuta ruminant. Camelus quoque ruminat, quamuis careat cornibus, quia dentes habet ſerratos, ſicut animalia comuta, & ideo ruminat ſicut illa, & vẽtres eius ſunt ſicut illorũ.
Ruminationis etymon *Iſidor.* Ruminatio dicta eſt à rumine eminẽte ſc. gutturis parte, per quam dimiſſus cibus reuocatur à certis animantibus. *Helinandus in Chron. lib.* 10. Adelardus Anglicus phyſicè quærit, vnde contingat, quod animaliũ quædam ruminant, quædam non. Quod ſic ſoluit. Animalium quædam calidæ naturæ ſunt, quædam frigidæ. Quæ calida ſunt perceptos cibos melius digerunt, E
& in ſanguinem facilius conuertunt. Quæ vero frigida ſũt peius. Omne enim quod mutatur calore leuius, quã frigore conuertitur. Habet enim ignis quaſi proprium, vt cuncta diſſoluat. Illa itaque animalia quę calidum habent ſtomachum, cibos ſuos facile coquunt. Quę vero frigidum dũ cibos vertere ex defectu caloris nequeunt eos ad dentes reuocant, vt ibi ſecundò triti, facilius emoli queant. vt boues, capræ, cerui, & ſimilia. Quorum naturam frigidam oſtendit & pinguedo
Sebum. durior & ſolidior, quam vulgus ſebum vocat. Animalia vero calidiora molliorem habent pinguedinem, vt
Vnctum. pote magis decoctam, quam vulgus in communi vſu vnctum vocat.

Ad hoc autem ſic obijcitur, ſi frigiditas cauſa rumi-

nationis eſt, ergo equus & aſinus qui ſecundum Phyſicos melancholici ſunt, ruminare debent. Ad quod ipſe reſpondet, quod non adeo frigida ſunt, & habent ſtomachum aliquantò calidiorem, & dentes ad molẽdum efficaciores. Sed contra dicitur, quod oues calidæ ſunt, quæ tamen ruminant & ſebum habent. Ad quod ille reſpondet, quod quamuis calidæ naturæ ſint, tamen laborem ruminandi facit eis dentium pænuria, quæ non niſi duos habent, vnde & bidentes appellantur, & tam modici caloris ſũt, vt etiam ſebum ad modum melancholicorum habeant. Quid ſi inquit quæratur, cur homines quidam frigidi non ruminent? Habent dentes efficaces ad molendum, & homines generaliter reſpectu animalium calidi dicuntur. Quorum tamen quidam adeo frigidos ſtomachos habent, vt cibos ſumptos non digerant, ſed male retineant, & non multo poſt prandium indigeſtos reijciãt. Sunt autem hæc tria pariter comitantia, ruminare, ſebum habere, à poſterioribus prius accumbere, ex eadem cauſa id eſt frigiditate orientia. Frigiditas autem non æqualis omnibus adeſt membris. Maior eſt enim in poſterioribus à corde remotis, Igitur & grauitatem maiorem eis ineſſe neceſſe eſt, & ideo ab eis prius accumbũt, & prius ſurgunt. Quicquid enim quieſcit , ideo id facit, *Finis quietis.* vt vires reſumat, quas ei labor minuerat; hæc enim animalia per quietem viribus reparatis, dum vires illę recentes efficaciores ſunt, illam partem ſuæ molis aggrediũtur prius leuare, quę ponderoſior eſt. Sicut quilibet operarius recẽs & viroſus primum grauia, ni fallor, ad diſponendum aggreditur. Deinde cum fatigatus fuerit leuiora. *Auctor.* Aliam rationem de bidentibus ſupra poſuit Iſidorus, vbi dictum eſt de ouibus.

De vocibus animalium.

CAPVT IIII.

ARiſtoteles. Vox eſt per pulmones & tracheam. Vocis autem diſtinctio per linguam. Animalia quædam ſunt grauis vocis, quædam mediæ, quædam etiam paruæ, & quædam pulchræ, & quædam econtra. Cauſa acuminis & grauitatis vocis eſt ſecundum alterationem ætatum, quia vox animalium iuuenum eſt acutior quam ſenum. Vituli tamen ecõtra eſt. Voces quoque fœminarum omnium aliorum animalium acutiores ſunt ſiue graciliores quam marium, ſed voces vaccarum econtra, vox grauis eſt ex motu tardo. Acuta vero ex veloci. Grauitas itaque vocis eſt ex magnitudine moti & ex fortiori virtute motiua, quia ſi virtus moti ſuperat virtutem motoris id eſt cannę, neceſſario motus moti grauis erit. Si autem econtra, tũc erit velox, fortis autem propter fortitudinem ſuam. Et forte voces infirmorum & fœminarum ac iuuenum acutæ ſunt, quia propter debilitatem mouent aerẽ paucum, & quod paucum eſt mouetur velociter. Vox autem velox eſt acuta. Vaccæ autem & vituli quæ mouent rem multam, faciunt grauem vocem, voces maſculorum & fęminarum apud principium exitus ſpermatis alterantur. Et quia virtus animalium non eſt non eſt niſi in neruis. Voces animalium caſtratorum propter debilitatem neruorum, ſimiles ſunt voci- *Vox euiratorum.*
bus fœminarum. Voces ergo maſculorum mutantur quando coeunt, vel cum euirantur vel eunuchantur. Itaque mutatio vocis ſignificatio eſt motus ad coitum. Res quoque communis eſt animalibus omnibus præter hominem, garrulitas, & ſtrepitus multus tempore coitus maximeque in auibus, vt ſupra dictum eſt. Omne animal tempore coitus vocat comparem ſuum per vocem propriam , & ſpecialiter rana. Aues paruæ ſunt multæ vociferationis, ita quod quędã agnoſcunt intentiones quorundam vociferãdo. Strepitus autem apum & cicadarum non eſt vox: quia non anhelat, ſed fit propter aliquarum partium confricationem, locutio vero ſoli homini appropriatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De eodem.

CAPVT V.

Plinius li. 11. Vocem non habere niſi quæ pulmonē & arterias habēt, hoc eſt niſi quæ ſpirant. Ariſt. putat. Iccirco & inſectis ſonum eſſe non vocē intus meante ſpiritu & incluſo ſonante. *Alia murmur edere, vt opes. Alia cum tractu ſtridorem*, vt cicadas, recepto enim intus vt duabus ſub pectore cauis ſpiritu mobili occurſante membrana, intus attritu eius ſonare viſcera ſat notum eſt. Cæteraque ſimul cum volatu & incipere audiri & deſinere vt muſcas apes, Sonum enim attritu, & interiore aura, non anima reddi. Aquatilium pectines ſtridere cum volant mollia & cruſta intecta vocē nec vllū B ſonum habere. Sed & cæteri piſces quāuis pulmone & arteria careant, non in totum ſine vllo ſono ſunt, Stridorem cum dentibus fieri cauillantur. Et is qui caper vocatur in acheloo amne grunnitum habet. Oua parientibus longus, Teſtudini abruptus, ranis ſonus ſui generis, niſi, & in his ferenda dubitatio eſt, qui mox in ore concipitur non in pectore, multū enim in his refert & locorū natum. Mutæ in Macedonia traduntur. Muti & apri. *Anium loquaciores ſunt quę minores & circa cottus maximè, Alijs in pugna vox, vt coturnicibus. Alijs ante pugnā, vt perdicibus. Alijs cum vicere, vt gallinaceis.* Eiſdem ſua maribus. Alijs eadem vt fœminis vt luſciniarum generi. Quędā toto anno canunt, quędā certis tēporibus. Elephas circa nares ore ipſo ſternutamento ſimilem elidit ſonum. Per nares autem tubarum raucitari. Bobus tantū fœminis vox grauior eſt. In alio omni genere exilior quam maribus in homine etiam caſtratis. *Infantis naſcētis nulla vox audiri antequam totus emergat vtero.* Primus ſermo anniculo eſt. Semeſtris locutus eſt. Cræſi filius in crepundijs, quo prodigio totum id concidit regnum. Qui celerius fari cæperint, tardius ingredi incipiunt. *Vox roboratur à tredecim annis. Eadem in ſenecta exilior.* Neque in alio animalium ſæpius mutatur. Mira de voce digna dictu. Eadem recto vel concauo parietum ſpacio quamuis leui ſono dicta verba ad alterum caput perfert ſi nulla inæqualitas impediat.

De varietate vocum in diuerſis generibus Animalium.

CAPVT VI.

Ex libro papiæ. Sciendum autem quod vox articulata hominum eſt tantum, quæ ſcribi poteſt. Confuſa eſt autem quæ ſcribi non poteſt, vt hominis gemitus, bouis mugitus, & huiuſmodi. Nam vocem tam mutorum animalium quam hominum eſſe declarantes, aiunt *aquilas clangere, accipitres pipiare, vultures pulpare, Coruos crocitare. Miluos lupire, Oleres drenſare, Grues gruere, Ciconias glocolare vel crocolare. Pauones paupulare, Anſeres glutire, Gallos cucurrire vel cantare, Anates reſtiſicare, Turtures & columbas gemere, Palumbos pancitare, Cuculos cuculare, Perdices cacabare, Graculos fringulire, Noctuas cacubire, Merulas fundere Turdos trutilare vel ſurcitare, Sturnos pallitare, Hyrūdines fritinire vel myrmirrire, Paſſeres cinisare, Apes bombire vel bombilare, Cycadas fricunire.*

Voces aniū.

Voces ferarum.

E *Feras etiam proprias voces habere vt Leones fremere, Tygrides rachanare alias racanare. Pardos felire, Pantheras caurire. Vrſos vrcare, vel ſeruire. Apros frendere, Lynces lincare, Lupos vlulare, Serpentes ſibilare, Elephantos barrire, Onagros mugilare, Ceruos rugire, Tauros mugire, Equos hinnire, Aſinos rudere, porcos grunnire. Verres quiritare vel curricare, Arietes lorcitare alias lorctare. Oues balare. Gyreos myctire, gedos bebare, Canes mutire vel latrare, vulpes gānire, Catulos glattire vel glatilare, Lepores vagire, Muſtelas trinulare, Mures mincare vel pipicare. Sorices dęſticare, Ranas rabire vel coaxare.*

A *De ſenſibus animalium.*

CAPVT VII.

Ariſtoteles. Principium ſenſus in corde eſt. Omniumque ſenſuum motus à corde incipit, & ad ipſum redit. Duo ſenſus continui ſunt cum corde ſcilicet guſtus & tactus. Tres vero reſidui ſunt in capite, ſenſus viſus in omnibus animalibus eſt ſupra ſenſum auditus, & ſub his olfactus. Maximè etiam in generibus Piſciū, qui audiunt, & olfaciunt. *Et recte ſenſus viſus eſt circa cerebrū,* quia natura huius ſenſus eſt frigida, & humida. Eſt enim aqua ex humiditatibus claris valde, & claritas eius, eſt fixa remanens. Nec debemus opinari, quod viſus ſit ex igne, & aqua, ſicut fingit Empedocles, ſcilicet ex aqua, & B non ex igne. Neceſſe eſt etiam, vt ſit ſubtilior ſenſuum prope membrū, cuius ſanguis melior eſt, & purior id eſt cor. Cerebrum ergo inſtrumentum ſenſus, per quod in anteriori ſentitur, & ob hoc eſt in anteriori capitis, & quia ſenſus iſte debet eſſe in corde, cor autē in anteriori corporis & ſenſus quidem eſt per membra ſanguinea. *Viſus.*

Inſtrumentum autem auditus eſt aereum, & poſuit illud natura in medio rotundi capitis in poſteriori, quod vacuum eſt, quia non audit recte tantum, ſed circumquaque. Viſus autem eſt in anteriori, quoniā animal debet videre ad anterius. *Olfactus vero non eſt niſi per attractionem aeris,* in animali naſum habente, & hoc inſtrumentū eſt in anteriori capitis, in medio trium inſtrumentorū, quaſi vna trutina poſita, propter motū anhelitus. Omnia quoque animalia guſtum habent ſaporis cibi, & huiuſmodi ſenſus, eſt apud tranſglutiente, id eſt yſophagi apertionem. Quod autem digeſtum eſt, dulcius eſt, & delectabilius. Animalium ſenſus habētium corda mollia ſunt, non habentium vero dura. *Auditus.* *Olfactus.*

C *Plinius libro decimo.* Ex ſenſibus quidem, eſt ante cætera *homini tactus, deinde guſtus.* Cæteris vero ſuperatur à multis, *Aquilæ clarius cernunt, vultures ſagacius odorant, Liquidius audiunt talpæ,* obrutę terra, tam denſo ac ſurdo naturæ elemento: præterea vocum omnium in ſublime tendentiū ſermonē exaudiunt, & ſi de his loqueris intelligere etiam dicuntur, & profugere. *Auditus cui hominum primo negatus eſt, huic & ſermonis vſus ablatus. Nec ſunt naturaliter ſurdi, vt non idem ſint & muti.* In marinis oſtreis auditum eſſe non eſt veriſimile, ſed ad ſonum mergere ſe ſolent. Ideo, eſt ſilentium in mare piſcantibus. *Piſces quidem auditus nec membra habent, nec foramina, Audire tamen eos palam eſt;* vt patet, cum plauſu congregari feros ad cibum conſuetum in quibuſdam viuarijs ſpectetur. Et in piſcinis Cæſaris genera piſcium ad nomen venire quoſdam ſingulos. *Itaque produntur etiam clariſſime audire mugil, lupus, ſalpha, chromis, & ideo in vado viuere.* Olfactum his eſſe manifeſtum patet. Quippe non omnes eadem eſca capiuntur, & priuſquam appetant odorantur. Quoſdam & ſpeluncis latentes ſalſamēto illitis faucibus copuli piſcator expellit, velut ſui cadaueris agnitionem fugientes. Conueniuntque ex alto etiam ad quoſdam odores vt ſepiam vſtam, & Pylopiū, quæ ob id coguntur in naſſas. Sentinæ quidem nauium odorem fugiunt procul. Maxime tamē piſcium ſanguinem. Non poteſt petris auelli polypus. Idem cunicula admota ab odore protinus reſilit. Purpuræ quoque fætidis capiūtur. Nam de reliquo Animalium genere quis dubitet? Cornu ceruini odore ſerpentes fugantur. Sed maxime ſtoracis, origani, aut calcis, aut ſulphuris fornice necantur. Culices acida petunt ad dulcia non aduolant. Tactus ſenſus omnibus eſt, etiam in quibus nullus alius. Nam & oſtreis, & terreſtribus vermibus, quo exiſtimarim omnibus ſenſum guſtus eſſe. Cur enim alios alia ſapores appetunt? *In quibus plus excellit vnusquiſque ſenſus.*

De proprietate tactus, & viſus.

CAPVT VIII.

A *Ariſtoteles vbi ſupra Tactus eſt primus ſenſus.* Animal ergo eſt, quod habet ſenſum, & prius primū ſenſum *Piſces audientes, & olfacientes.* *Tactus.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſenſum ſcilicet tactum. *Caro verò, eſt inſtrumentum tactus,* & primum iſtius ſenſus, ſicut pupilla viſus. Iſte ſenſus neceſſe eſt, vt ſit in corpore, quã alia ſenſus inſtrumẽta, quia manifeſtum eſt, omnia alia membra nõ eſſe creata niſi propter hunc ſenſum. Homo vero melioris eſt ſenſus id eſt tactus omnibus alijs animalibus, & ideo caro eius mollis eſt. Homo quoque, & quadrupedia coitum deſiderantia ſubito ſpermatizant, quędã per ſimplicẽ, & leuẽ tactum, quædam per ſolum viſum. Animalia multi motus neceſſario indigent multo viſu. Oculi glauci nõ ſunt acuti viſus in die, nec oculi nigri in nocte, ratione ſupradicta. Et generaliter quando fuerit viſus debilis, nõ poteſt videre lucida, quia patitur ex eis, & mouetur humor motu multo. Viſus autem acutus erit ex humore temperato in quantitate, ſic enim non prohibebit motum colorum propter paucitatem, nec grauabit propter multitudinem, nec ſolum autem humor cauſa eſt acuminis viſus, ſed & cutis, quæ ſuper pupillam eſt, quia debet eſſe clara valde. Iccirco debet eſſe tenuis propter leuitatem motus viſus, & etiã lenis, vt non ſit in ea ruga, & efficiatur ſupra oculũ quaſi vmbra, propter hoc enim viſus ſenum acutus non eſt, quia cutis eorum rugoſa eſt. Debet etiam eſſe alba, quia nigrum non poteſt eſſe clarum. Quędam animalia ſunt acuti viſus, quædam non.

Dupliciter aliquid dicitur acutũ.

Acutum autem in viſu, & auditu, & olfactu dupliciter dicitur, aut quia videt à remotis, aut quia differẽtias rerũ viſarũ bene diſcernit, quandoquidem fuerit humor qui eſt in pupilla mũdus, tẽperatus, & motus eius tẽperatus, eiuſdẽ tunica tenuis, & oculus profundus, bene videt à remotis, quia motus eius non diuiditur neq; cõſumitur, ſed exiens ab eo virtus viſibilis recte vadit ad rẽ viſam. *Oculus autẽ prominens non bene videt à remotis.* Cum enim extra oculũ non ſit coopertoriũ: neceſſario debilitatur. Viſus non poteſt à remotis videre, niſi debiliter; *Aues vncorum vnguiũ ſunt acuti viſus,* quia valde vident cibũ ſuum à remotis. Aues autẽ in terra manẽtes, vt gallina, nõ indigent acuto viſu. Homo quando fuerit multi coitus, debilitatur eius viſus. *Ex li. de na. rer.* Quædã animalia melius videt nocte quam die, quoniã in oculo plures ſunt humores, vnus ſcilicet albus & clarus, per quem viſibilis ſpiritus diffunditur, Alius vero niger per quẽ cauetur ne humor albus ac ſplendidus nimiũ diſgregetur. Illa ergo animalia quæ minus in die vident, in albiſſimo humore abũdãt. Vnde fit vt magis ſpiritus diffundatur, & ratione diffuſionis in die diſcretio videndorũ amittitur. Nocte vero propter tenebras ſpiritus colligitur, & ita diſcretio maior efficitur. Nam & nos cum aliquid diſcretè videre volumus, ſupercilia ſtringimus, vt collectus oculi ſpiritus non vagetur.

Humores oculi.

De tribus reliquis ſenſibus.

CAPVT IX.

Auditus.

Ariſtoteles vbi ſupra. Auriũ creatio ſi manifeſta ſit, & tela continens id eſt tympanũ auditus fuerit tenuis, acuti auditus erit. Et ſimiliter de olfactu. Viæ nãque omniu ſenſuum extenduntur ad cor, vel ad mẽbra cordi conuenientia. Et inſtrumentũ auditus plenum, eſt ſpiritu naturali, quia ſpiritus naturalis facit in venis motum pulſatilem, itaque facit in naſo motũ anhelitus, & in aure ſimiliter motum auditus, propter hoc addiſcuntur res per ſenſum auditus, & homo dicit quod audit, quia ſicut intrat ſermo per aurem, ita etiam exit motum vocis exerendo per linguam. Cum autem gemit & oſcitat homo, debilitatur eius auditus, quia principium inſtrumenti huius ſenſus id eſt mandibulæ poſitum eſt ſuper membrũ in quo eſt ſpiritus, & cum eo mouetur, id eſt cum motu mandibulæ, quando ſpiritus mouetur in inſtrumento in quo eſt. *Et hoc accidens id eſt grauitas auditus, accidit in temporibus humidæ complexionis.* Cauſa ergo bonitatis auditus, & olfactus erit propter mundi-tiam inſtrumentorum illorum & telarum continentiũ Si enim inſtrumẽta hæc habeãt coopertoriu extrinſecũ ſentient à remotis, quoniam iſte ſenſus, id eſt virtutes eorum exeunt ab inſtrumentis ſicut aqua à canalibus, propter hoc leuerarij longi naſi ſunt boni olfactus. Similiter, & auditus habentium auriculas bonæ creationis, & inuolutionis, erit acutus. Senſus autem hominis ex rebus, & vocibus, & odoribus remotis debilior eſt, quam in alijs animalibus reſpectu ſui corporis, De prope vero melius diſcernit differentias colorum, & odorũ, & vocum: quoniam inſtrumenta ſenſuũ iſtorum in homine valde munda ſunt nec eſt in eis ex parte terreſtri niſi modicum. Auditus etiam, & olfactus, ſicut & viſus ſi fuerint valde patuli, debilitantur. Fœmina perdicis audiens maſculi vocem, & ipſum olfaciens ouis impletur. mulieres autem, & equæ abortiunt ad olfactũ candelæ.

Symphonia grauis auditus vnde.

De vi Animalium motiua.

CAPVT X.

Duplex motus.

IN *libr. de anima.* De motu quoque poteſt aliquis dicere, quod cognatus eſt ſenſui in Animali: diuulgatũ eſt tamen, quod Animalium quoddam eſt habens ſenſum tangendi virtutem: & non mouendi ſicut ſpecies Conchylium. *Dicimus autem quod duplex eſt motus: volũtarius,* ſcilicet motus localis qui eſt de loco ad locum, *Et motus contrahendi, & retrahendi membra animalis:* ex quo non prouenit motus totius de loco ſuo. Itaque impoſſibile eſt animal habere ſenſum tangendi: quin habeat in ſe motũ aliquo modo. Quomodo enim ſciretur habere ſenſum tangẽdi, niſi videretur in eo motus aliquis refugiendi contactũ vnum, & appetendi aliud? Exemplũ ergo de Conchylibus in hoc valeat. Videmus enim motus conſtrictionis & dilatationis & reflexionis & extẽſionis in partibus: quamuis à loco ſuo non deſcedãt: & ex hoc cognoſcimus, quia tactu ſentiunt: videtur ergo quod quicquid habeat actum habet in ſe motum voluntariũ, aut in ſe aut in partibus ſuis. *Philoſophus.* Excepta quidem motiua rationali, quæ eſt in homine: videlicet in intellectu practico, qui non eſt ſitus in organo, Et in Animalibus motiua: quæ ſita eſt in organo: & hoc ſecundum duplicem modum. Quædam enim ſita eſt in organo interiori videlicet phantaſia, quædam vero in exteriori videlicet illa motiua quæ eſt in neruis ac muſculis membrorum mobilium. Sed hoc iterum duplicem habet modum: *quædam enim ſecundum obiectum ordinatur ad virtutes animales:* quæ ſunt intellectus & phantaſia & ſenſus: vt illa quæ eſt in pedibus & manibus muſculis oculorum atque palpebrarum, & huiuſmodi, & hæc per ſomnum immobilitatur: eo quod fundata ſit ſuper virtutem ſenſibilem quę eſt in membris illis, vnde & primo immobilitatur ſenſus, ac per conſequens motus. *Quædam autem ordinata eſt ad virtutes naturales:* vt eſt illa quæ eſt in membris genitalibus: & hæc non ſemper in ſomno ligatur. Somnus quoque non eſt phantaſiæ vinculum, quia non eſt niſi vinculum exteriorum. Sed & intellectus practicus quia non eſt in organo ſitus, nõ immobilitatur per ſomnum niſi per accidens: ſicut nec intellectus ſpeculatiuus. Eſt itaque ſomnus paſſio ſenſus primo, & virtutis motiuæ per conſequens. Eædem etenim ſunt viæ ſpiritus ſenſibilis & motiui, eademque organa vtriuſque virtutis: & virtus motiua fundatur in ſenſu.

Somnus.

De Somno & vigilia.

CAPVT XI.

Cauſa ſomni.

Ariſtoteles. Somnus eſt in animalibus habentibus cerebrum: quoniam infrigidat cibum venientem ad ipſum ex curſu ſanguinis. Calor autem cum ſanguine fugit ad inferius, qui cum in inferiori loco aggregatur fit ſomnus. Itaque quadrupedum etiam animalium capita grauantur ante ſomni tempus. *Somnus videtur eſſe mediũ inter viuere & non viuere.* Itaque ſi pungatur corpus dormientis non exibit indo tantum ſanguinis, quãtum ſi vigilaret, quia tunc in manifeſto eſt modicus, interius autem multus. Piſcis etiam in ſomno quieſcit: nec mouetur ex eo niſi cauda, & hoc modicum.

Idem

Idem in libro de Vegetabilibus. Vigilare eſt effectus ſenſus: dormire vero debilitas eiuſdem. Et quando cibatur animal vapor aſcendit ad caput, & dormit. Cum autem idem vapor conſumitur, vigilat. In quibuſdam Animalibus eſt hic vapor multus, quæ tamen parum dormiũt, & dormitio eſt compreſſio motus, & cõpreſſio motus eſt quies rei motæ. *Idem in li. de ſomno, & vig.* Vigilia & ſomnus animaliũ propria ſunt. Si autẽ vigilare in nullo alio eſt, quã in eo quod ſentire, manifeſtum eſt quod in quo ſentiunt, in hoc & vigilant. Somnũ itaque dicimus eſſe paſſionem quandam ſenſibilis particulæ, *velut vinculum ſenſus, & imbecillitatem quandam*, ſolutionem autem remiſſionemque vigiliam. Itaque ſomnus, eſt primi organi ſentiendi interceptio, vt agere non poſſit. Ideo autem plantis non ineſt, quia ſine ſenſu, nec ſomnus, nec vigilia eſt. Quibus vero ineſt ſenſus, & triſtari, & gaudere: quibus autem hæc, & concupiſcentia. Plantis vero nihil horum ineſt. Tactus autem paſſio ſomnus eſt, & vigilia, ideo, & omnibus ineſt animalibus. Nam, & tactus ſolus omnibus ineſt animalibus. Cumque organum tactus impotens fuerit: neceſſe eſt organum omnium ſenſuum habere defectum. Requies autem & ſomnus quaſi propter ſalutem animalium exiſtit Quietem enim omni quod natum eſt moueri, cum non poſſit ſemper, & continuè moueri cum voluntate neceſſarium eſt ineſſe, atque vtile. Nam, & opus ſuum facit nutritiua particula, magis in dormiendo, quam in vigilando, tanquam nihil egens ad hoc ſenſibus, moueri etiam quemquam, & aliquid facere ſine robore, poſſibile non eſt. Vigorem autem facit ſpiritus perſeuerantia in reſpirantibus.

Somnus quid.

Plinius libro 10. In terreſtribus omnia, quæ cor habent dormire manifeſtum eſt. Aquatilium quoque exiguum quiddam (etiam qui de cæteris dubitant) dormire tamen æſtimant non oculorum argumento, quia nõ habent genas, verum ipſa quiete placita cernuntur ceu ſoporata: nec alia quam caudas mouentia, & ad tumultum aliquem expauentia. De Thynnis confidentius affirmatur. Iuxta ripas ſiquidem, & petras dormiunt. Plani autem Piſcium in vado, vt ſæpe manu tollantur. Nam Delphini Balenæque ſtertentes etiam audiuntur. *Inſecta quoque dormire ſilentio apparet*: quia nec luminibus quidem admotis excitantur. Homo genitus premitur ſomno per aliquot menſes: deinde longior in dies vigilia: Somniat ſtatim infans, Nam, & pauore expergiſcitur, & ſuctum imitatur. Quidam vero nunquam, quibus mortiferum fuiſſe ſignum contra conſuetudinem ſomniorum inuenimus exempla. Magnus hic inuitat locus, & diuerſis refertus documentis. Vtrum ne ſint aliqua præſcita animi quieſcentis? Qua fiant ratione, an fortuita res ſit, vt pleraque? Et ſi exemplis agatur profecto paria fiant. A vino & cibis proxima atque in redormitione vana eſſe viſa prope conuenit. *Eſt autẽ ſomnus nihil aliud quam animi in medium ſeſe receſſus.* Præter hominem ſomniare equos, boues, pecora, capras, palam eſt. Ob hoc creditur, & in omnibus quæ animal pariunt. De his quę oua gignunt incertum eſt, ſed dormire ea certum eſt.

Piſces dormiunt.

Inſecta etiã.

Definitio ſomni.

De diuerſis cauſis ſomni.

CAPVT XII.

Ariſtoteles vbi ſupra. Non eſt autem ſomnus quælibet impotentia ſenſibilis particulæ: ſed ex vaporatione circa nutrimentum fit paſſio hæc. Neceſſe enim quod euaporatum eſt eouſque impelli. Deinde conuerti, & tranſmutari. Calor autem animalis ad ſuperiora natus eſt ferri, & cum in ſuperioribus locis fuerit: ſubito reuertitur, deorſumque refertur, deorſumque deſcendendo, calores propellit, grauat & dormire facit. Ideo maximè fiunt ſomnia poſt nutrimenta. Nam repente tunc multa humiditas & corpulenta ſurſum fertur. Cum ergo ſtet, grauat, & dormitare facit. *Cum ergo rependo deorſum & reuertendo pellat colores, tunc fit ſomnus, & animal dormit.* Horum ſignũ eſt, quod omnia ſomnifera grauedinem capitis faciunt, & potus, & cibus, opiũ, mandragora, vinum, lolium, & quæ deorſum feruntur, & qui dormitant hoc videntur pati quod nõ poſſunt leuare caput & palpebras. Et poſt cibaria maximè ſomnus fit, quia multa à cibis euaporatio eſt. Ex laboribus etiam accidit ſomnus, & à quibuſdam ægritudinibus, quæcunq; ſcilicet à ſuperfluitate calida, & humida ſunt, vt febris, & lithargia. Amplius autẽ & prima ætas ſomnium facit, pueri nãque vehementer dormiunt, eo quod nutrimentũ omne feratur ſurſũ. Vnde & in his fit, augmentũ cuius ſignũ, quia excedit magnitudo ſuperiorũ inferiora in prima ætate. Ob hanc enim cauſam, & epileptici fiunt. Similis enim eſt ſomnus Epilepſiæ, & accidit pluribus huius paſſionis principiũ dormientibus, quia cum multus feratur ſpiritus ſurſum, deſcendendo rurſus venas tumefacit, quibus coarctat porum, vbi reſpiratio fit. *Ideo pueris vina non conferunt, neque nutricibus, ſed Aquatiũ & modicum oportet bibere, Ventoſum enim eſt vinũ.* Omnino autẽ ſomni amatores ſunt, qui occultas venas habent, vt vani & magna capita habentes. Nam venæ eorũ anguſtæ, vt nõ facile defluat, quæ deſcendit humiditas. Manifeſtas autem venas habentes, non ſunt ſomnolenti, propter facilẽ fluxũ pororũ. Neque Melancholici, quia infrigidatus eſt intus locus, quare non fit multitudo eius euaporationis. Nigra enim cholera cum naturaliter frigida ſit, nutritiuum etiam locum frigidum facit. Patet ergo quod ſomnus eſt conuentus id eſt cõgregatio quædam caloris intrinſecus, & naturalis reciprocatio. Ideoque multus eſt motus dormientis. Poſt cibũ autem ſomnus fortiſſimus eſt, cum vinũ & alia huiuſmodi calida ſomnifera ſint. Cauſa vero dormiẽdi caliditas ſit. *Ex gloſſa ſuper eundem librũ.* Ecce hic tãgit Ariſtoteles quadruplicẽ cauſam ſomni, vnam, quæ eſt cauſa per ſe, ſcilicet euaporatio cibi, tres vero per accidẽs quæ ſunt labor, ægritudo quædam, & prima ętas. Deinde oſtendit quomodo infrigidatio, & aggrauatio ſenſuum ſit cauſa ſomni.

Vina cur pueris non conferant.

Sanguis purus & impurior vbi.

Adhuc de eodem.

CAPVT XIII.

Ariſtot. vbi ſup. Venter vero cũ ſit vacuus calidus eſt. Repletio vero infrigidat propter motũ id eſt cibus replẽs, infrigidat propter caſum eius in ventrẽ & ſic quidẽ in capite pori, & loca calida infrigidãtur ſublata id eſt ſurſũ lata euaporatione. Amplius multo ſcilicet incidente nutrimento. Id quo ſubleuat calor, ſicut ignis ſuppoſitis lignis refrigidatur & langueſcit, quouſque digeratur. Fit enim ſomnus vt dictũ eſt, dũ corpulentum ſurſum fertur à calore per venas ad caput. Cum vero amplius non poſſit, ſed multitudine excedit quod eleuatũ eſt, iterũ repellitur ac deorſum fluit. Eſt autẽ locus circa cerebrũ, omniũ quæ ſunt in corpore frigidiſſimus. Vnde in eleuatione calidi ad cereb: ũ ſuperflua quidem euaporatio in phlegma redigitur. Nutritiua vero deorſum congeſta fertur, & refrigeratur quod calidum eſt. Expergiſcũtur autem cũ digeſtio facta fuerit. Et diſcreti quoque ſunt corpulẽtior ſanguis, atque puriſſimus. Eſt autẽ tenuiſſimus quidem, & puriſſimus ſanguis in capite, denſiſſimus autem ac turbidiſſimus qui inferioribus partibus. *Gloſſa.* Sicut ergo ex infrigidatione & immobilitate ſenſuum creatur ſomnus, ſic ex diſſolutione infrigidationis poſt completionem nutrimenti, & poſt ſeparationem ſanguinis puri ab impuro fit vigilia. *Et quidem partes ſuperiores nutriũtur ex puriori ſanguine. Inferiores autem ex craſſiori & minus puro.* Vnde maximè poſt nutrimenti oblationem ſanguis fit indiſcretus, quare & ſomnus fit, & tunc coaceruatur ſanguis, hoc idem puriſſimũ ſurſum, illud autem turbidiſſimũ deorſum. Quod cum acciderit expergiſcuntur nutrimenti abſoluta grauitate. *Auctor.* Itaque præter quatuor ſupradictas ſomni cauſas adducuntur & aliæ ſcilicet caloris ſubtractio, vt in ſtudij circa aliquid attẽtione, de quibus plenius dicetur in tractatu de anima. Auicenna quoque dicit quod cura vel pauor, quandoque ſomnum inducit. Quidam etiam addunt languorem, ſed hæc cauſa reducitur ad ęgritudinem & laborem.

Tẽpus ſomni.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Vtrum in omnibus animalibus sit causa somni euaporatio nutrimenti.

CAPVT XIIII.

CVm autem prima somni causa secundum Aristotelem sit euaporatio alimenti,& omnibus animalibus communis sit somnus. Manifestum est eandem causam participari à cunctis animantibus. Nam & quędam aliæ somni causæ, sicut labor,& prima ætas,& infirmitas non causant somnum, nisi per actum nutrimenti. *Dicit enim philosophus, quod labor celerius est nutrimenti* ex multiplicatione caloris,quod videlicet nutrimentum eliquatum eleuatur ad cerebrum, & inducit somnum. *Prima etiam ætas* eo quod in ipsa nutrimentum eleuatur superiora,& caput grauat. *Similiter & langvor* ex lassitudine,ex hoc,quod calor subtractus à mēbris exterioribus,multiplicatur circa locum digestionis dissoluitque nutrimentum illic inuentum, & eleuatur ad caput,ac sic inducit somnum. Sic etiam est de alijs causis. Vnde patet, quod omnes agunt actione nutrimenti, & hoc vt dictum est in cunctis animalibus. *Sed forte obijcit aliquis*,quia somni principium est à corde, & hepate,ac cerebro,vel membris similibus à quibus procedit euaporatio nutrimenti. Nulla quoque euaporatio causa est somni, nisi illa, quæ primo calida est à calore digestiuo, & postea infrigidata cerebri frigiditate. Sed in quibusdam animalibus non est caput, neque cerebrum,sicut in illis, quæ tantum habent tactus sensum. vnde non est in eis euaporatio sursum in capite infrigidata,& ideo non omnibus dormientibus vniuersalis est prædicta causa. *Respondere possumus*,quod in omni animali est cerebrum,vel membrum cerebro simile, sicut expressè habetur in lib. de animalibus. Nec oportet, quod illud membrum habeat omnes operationes cerebri. Alioquin animalia huiusmodi haberent sensum cōmunem,& memoriam, & phantasiam,quod falsum est: vt enim legitur in principio Metaphysicæ, Natura sensum habentia sunt animalia, & ex sensu quibusdam eorum memoria,quibusdam non. Vnde patet,quod quædam animalia carent memoria. Cumque iuxta Philosophum memoria sit passio sensus communis, probatur etiam ex hoc,quod careant sensu communi. Et hoc cōcedunt quidam inducentes etiam rationem,quia scilicet *sensus communis est ad duo*, videlicet ad discernendum sensata cōmunia, quæ tactu minimè sentiuntur. Et ad conferendum sensata propria. Vnde cum in huiusmodi animalibus sit solus tactus, frustra inesset illis sensus communis,quantum ad vtrumque suum actum. Nos autem dicimus, quod sicut animalia huiusmodi deficiunt in numero sensuum exteriorum,sic etiam in numero interiorum. Vnde non habent, nisi sensum communem debilem, & exiguam phantasiam. Dicimus etiam,quod sensus communis non tantum confert sensata diuersorum sensuum, sed etiam sensata eiusdem sensus, vt calidum & frigidum, lene, & asperum. Nec enim verum quod sensus communis per tactum non accipiat magnitudinem. Alioquin nec acciperet etiam calidum in aliqua magnitudine existens. In talibus ergo animalibus accipit sensatum proprium, quod est magnitudo,licet indeterminata,& componit sensata tactus inter se,& cum magnitudine. Est etiam in eis phantasia discernens nociuum,& conueniens, licet debiliter. Vnde si dicat Philosophus, quod habentia solum tactum non habent phantasiam. Intelligendum est, quod non habent completam,eo quod non mouentur, nisi ad rei penitentiam. Ad quem tamen motum exiguntur tria, scilicet, phantasia,nociuum, vel conueniens determinans, & sensus communis sensatum cum magnitudine componens,& sensus proprius apprehendens. Si autē obijcitur,quod huiusmodi animalia sint immobilia secundū locū,Dicendū est,quod licet nō procedāt de loco ad locū,mouentur tamen motu dilatationis,& constrictionis. Nam constringuntur ad tactum nociui, & dilatantur ad tactum conuenientis. Sine enim hoc motu, vt dicit Auicenna, nullum est animal, nec potest dignosci, nisi per motum illum.

Labor. *Ætas.* *Langvor.* *Obiectio.* *Responsio.* *Sensus communis ad duo.*

Quod animalia quædam impinguantur somno, etiam cessante alimento.

CAPVT XV.

CVm autem secundum Aristotelem nullum sit animal, quod semper vigilet, vel quod semper dormiat. Nutritiua semper quidem agit in vigilantibus,& magis etiam in dormientibus. Sic enim ait idem *Aristoteles in libro de somno, & vigilia, quod opus suum facit nutritiua in dormiendo, magis quam in vigilando.* Nutritur enim magis tunc & augetur animal tanquam nihil agente sensu. Vnde & quædam animalia vt glires, per totam hyemem, vt supra dictum est, dormiunt, miroque modo iuxta Isidorum somno pinguescunt. Intrāte autem veris tempore,cū sol radios calidos emiserit naturali more ad robur redeunt. *Dicit Aristoteles in libro de animalibus*, quod quædam animalia & quidam serpentes possunt diu sine cibo viuere, & ideo latent in cauernis quandoque. *Auicenna quoque dicit in libro de animalibus*, quod sunt quædam squamosa sicut serpentes & conchea,quæ manent in locis suis quatuor mensibus in hyeme, & nihil comedunt. Similiter vrsus & ericius quandoque abscondunt se. *Vrsa quoque quandoque abscondit se per 40. dies,& aliquando per multos menses.* Vnde & tunc parit, cuius experimentum est,quod non benè dignoscitur de partu eius & quod filij eius sunt valde macilenti,quando sunt parui,huiusmodi vero animalia cum abscondunt se, vel dormiunt, vel non quiescit in eis nutritiua, nisi secundum acceptionem nutrimenti exterius. Sunt enim quædam frigida debilisque caloris, non habentia multā famem. Causa namq; famis,est dissolutio nutrimenti vehemens. Causa vero dissolutionis est paucitas materiæ, ac subtilitas eiusdem, & raritas pellis calorque naturalis fortis,calor quoque aeris adiuuans extrinsecus,& similiter motus. Iccirco cū aliquod istorum deest,aut plura,quædam animalia quæ sunt gulosa propter appetitū,contrahunt multas superfluitates quas naturalis calor debilis nō potest dissoluere,præcipuè quando non iuuantur calore exteriori,nec motu.

Huiusmodi ergo animalia propter multam superfluitatem frigidam contractam, & calorem naturalem debilem, tempore frigido efficiuntur pigra valde,ac desiderantia quietem & immobilitatem sui corporis, & ideo abscōdunt se, & siquidem in aliquibus eorū fuerit calor adeo fortis,vt illas superfluitates consumere possit, ac dissoluere toto tempore abscōsionis suæ,tunc animalia ipsa attenuabuntur ac debilitabuntur. Si vero adeo debilis,vt non possit natura decoquere, tunc indecocta superfluitas frigiditate intestinorum coagulatur in aruinā, & sic efficiuntur animalia pinguiora tempore abscōsionis. Porro secundū quod calor potest hoc facere,vel citius,vel tardius,secundū hoc,& tēpus abscōsionis eorū, vel breuius est,vel longius. Hoc accidit etiā plerumq; in aliquibus hominibus,ac præcipuè mulieribus,si fuerint immobiles secundum locum, sicut in ciuitate Paduana quædam abstinuit diebus 40. Sciendum quoque quod virtutes quædam animæ mouent organa sua proprio motu ipsius animæ,& non natura, vt virtus motiua secundum locum,& virtus sensitiua. Et quia talis motus non est de natura organorum secundum compositionē ex elementis ideo, pænam inducit,& laborem organis. Ex hoc ergo nascitur desiderium quietis & immobilitatis,sicut in vigilia desiderium somni. Quædam virtutes mouent organa secundum naturam ipsorum organorum,& ille motus semper organis est delectabilis,sic mouent omnes virtutes potentiæ vegetabilis, ac præcipuè nutritiua. Ideo dicit Philosophus quod motus generationis nutribilis est naturam assequens in mouendo,& si ergo quiescat in somno virtus sensitiua motiua propter desiderium quietis ratione prædicta,virtus nutritiua tamen sicut dictum est supra nunquam cessat ab actione sua. *Vnde dicit Philosophus de generatione & corruptione* quod nutritur quidem corpus,quousque soluitur & corrumpitur sed non semper augmentatur.

Glires somno pinguescunt. *Vrsa.* *Causa pigritiæ.*

De ſomnijs animalium.

CAPVT XVI.

Somniant canes.

ARiſtoteles *in lib. de animalibus.* Somniat quoque non homo ſolus, ſed equus & canis, & taurus, & caper, & omne animal generans ſimile ſibi, quod manifeſtum eſt ex latratu canis in ſomno. *Idem de ſomno & vigilia li.* 2. Senſibilia quidem ſecundum vnumquodque organum ſentiendi ſenſum in nobis afficiũt, & quæ ab eis paſſio fit, non ſolum ineſt organis ſentiẽdi, dum ſenſus agunt, Sed & dum abeunt manet in eo, quod Phantaſticum eſt. Phantaſia enim eſt a ſenſu ſecundum actum motus. In Phantaſtico autem ſomnium eſt. Eſt itaque ſomniũ Pbantaſma a ſenſu exteriore præceptum in Phantaſia repoſitum, ſenſui vero interiori & phantaſiæ in ſomno, non tam verum quam deceptoriũ obiectum. Recedente namque ſenſibili extrinſecus, cõmanent ſimulachra ſenſibilium intrinſecus. *Circa hoc autem facile decipimur cũ in paſſionibus exiſtimus vt trepidus in timore*, & qui amat in amore, ita vt videatur hic a modica ſimilitudine hoſtes videre, ille vero dilectum. Eodem modo & in ira & in omni concupiſcẽtia. Quantoque laborant vehementius in his paſſionibus, tanto magis decipiuntur. Magis autem apparent ſomnia in nocte quam die, quia ſub die operantur ſenſus & intelligentia ſomnia repelluntur & exterminantur ſicut iuxta multũ ignem minor, ſic & triſtitiæ & oblectationes paruæ ſecus magnas, Poſt acceptionem autẽ nutrimenti immediatè & omnino teneris exiſtẽtibus velut pueris, non fiunt ſomnia. Multus enim eſt motus propter eã quæ ex nutrimento eſt caliditatem, quibuſdam vero conturbatæ viſiones apparent vel monſtruoſæ, & deteriora sõnia velut melancholicis & febricitantibus & malè valẽtibus. Omnes enim huiuſmodi paſſiones multũ motum faciunt, & turbationem ſcil. circa cerebrũ. *Plinius lib.* 10. Somniat ſtatim infans, nã & pauore expergiſcitur, & ſuctum imitatur. Eſt autẽ ſomnus nihil aliud quam animi in mediũ ſeſe receſſus, poſt hominem ſomniaſſe equos, canes, boues, pecora, capras palam eſt. Ob hoc creditur & in omnibus quæ animal pariunt. De his autẽ quæ oua gignunt incertum eſt, ſed dormire ea certũ eſt.

Deceptio oritur ex paſſionibus.

De ingenijs & affectionibus animalium.

CAPVT XVII.

ARiſtote. *vbi ſupra.* Senſus animalium eſt ſecundum ingenium eorum. Quædam autem habent cogitationem fortioré & magnam partem memoriæ. Intelligere autem oportet mores magis in paruis animalibus quam in magnis, & plus in auibus. *Animalia quidem ſanguinis calidi ſubtilis ac mundi communicatiora ſunt in ſapientia, & audacia, & ſimilibus. Animalia vero naturaliter frigida ſunt magni timoris. Ira autem fortis non eſt niſi in corporibus magnæ ſiccitatis. Animalia magni cordis timida vt Ceruus, Aſinus, Mulus, & lepus. Quod ex animalibus magis intelligentius eſt, magis habet ſollicitudinem circa filios.* In medendis etiam proprijs morbis, vel leſionibus habent animalia multa quandam peritiam naturalem.

Animalia medicantur ſibi.

Lupi namque & Canes cum infirmantur, comedunt alicuius herbæ radicem vel aliam medicinam, vt euomant, & ſanantur. *Caprea ſagittata quærit pulegium ceruinum, vt extrahatur ſagitta. Pardus & Panthera cum venenum comederint ſtercus hominis quærunt & comedunt. Tortuca cum Viperam comederit, origanum agreſte comedit:* alioquin moritur. Aues ſimiliter cum ad inuicem pugnant origanum agreſte ſuper plagas ponunt. *Galy eſt animal quod cum Serpente pugnat, & comedit rutam,* quia Serpenti cõtraria eſt etiam odor eius. *Draco cum infirmatur, comedit fructum cheraſton cum lacte. Plinius vbi ſupra.* Reddatur & Corvo ſua gratia. Tradendum putauere memoriæ quidam viſum per ſitim lapides congerentem in ſitulam monumenti in qua pluuia aquam dabat, ſed quæ attingi non poſſet, ita deſcendere pauentem expreſſiſſe tali congerie, quantum potui ſufficeret. Non eſt autem omittendum dum de ingeniis diſſeruimus, *è volucribus Hyrundines indociles eſſe,* Et è terreſtribus Mures: cum Elephanti iuſſa faciant, Leones iugum ſubeãt. In mari etiã Vituli totque piſcium genera miteſcant. *Auctor.* Sunt etiam inter animalia quędam in prouidendis ſibi neceſſariis *ſolertia, vt Formica, Quędam doloſa, vt Vulpes, Quædam cibi appetentiora vt Canis, Quædam ad coitum feruentiora, vt equus, Quædã mitiora vt Ouis, Quędam iracundiora, vt Leo,* &c. de quibus dictum eſt ſupra.

Hyrundines.

De appetitu & motu animalium.

CAPVT XVIII.

AVguſtinus *ſuper Gen. li.* 9. Omnis anima ſiue rationalis, ſiue irrationalis viſis mouetur, ſed anima rationalis voluntatis arbitrio vel conſentit viſis, vel nõ conſentit. Irrationalis autem non habet hoc iudicium, pro eo tamẽ genere atque natura viſo aliquo tacta propellitur, nec in poteſtate vllius animæ eſt; quin illi viſa veniant, ſiue in ſenſus corporis, ſiue in ipſum ſpiritũ interius, quibus viſis appetitus moueatur cuiuſlibet animantis, ac ſic cum ea viſa per angelorum miniſterium deſuper miniſtrantur, peruenit iuſſio Dei, non ſolum ad homines, vel ad Aues & Pecora, ſed etiam ad ea quæ in aquis latent, ſicut ad Cetum qui deglutiuit Ionam. Nec ſolum ad illa maiora, ſed etiam ad Vermiculum. Nam & hunc legimus diuinitus iuſſum, vt radicem cucurbitæ roderet, ſub cuius vmbraculo Propheta requieuerat. *Ariſtoteles in 4. de anima.* De motu vero locali quo mouetur animal, manifeſtum eſt, quia non eſt à potentia vegetabili, ſiue à virtute nutritiua. Semper enim motus huius fit propter aliquid, & eſt aut cũ phantaſia, aut appetitu. *Nihil enim mouetur niſi, aut per deſiderium ad aliquid, aut per fugã ab ipſo, niſi motus eius ſit violentus.* Similiter autẽ neque quod ſentire poteſt, id eſt virtus ſenſitiua, eſt mouens animal de loco ad locũ. Multa namque animaliũ ſunt, quæ ſenſum habent, & tamen non mouentur omnino, ſed in eodẽ loco quieſcẽtia ſunt. At vero nec rationatiua ſiue cognitiua pars quæ vocatur intellectus ſpeculatiuus eſt mouens. Specularium enim nihil intelligit actuale, nec dicit de fugiendo & imitabili, id eſt quod fugiendũ ſit aut imitandum. Amplius extendente ſe intellectu practico & dicente, quod aliquid fugiendũ ſit, aut imitandũ, non mouetur, ſcilicet malus homo ſecũdum intellectũ, ſed facit illud, quod cõuenit delectationi, quia nõ poteſt ſe retinere. At vero nec appetitus eſt mouẽs, id eſt, nõ dominatur in eo motus omnino vel ſemper. Abſtinentes enim appetunt & cõcupiſcunt, nec tamẽ operantur ea, quorũ habent appetitũ, ſed ſequuntur intellectum. Sed ſciendũ, quod duo ſunt motiua ſecũdũ locũ, appetitus ſcilicet & intellectus. Intellectus dico qui ratiocinatur propter aliquid, ſcilicet actuale bonum, & practicus eſt. Et forte quis poſuerit phantaſiã, ſicut intelligentiã quandã. In aliis enim animalibus, id eſt brutis, nec intelligentia, nec ratio eſt, ſed phantaſia, ſcilicet loco cognitionis aut intelligentiæ. Intellectus omnis quidem rectus eſt, appetitus autem & phantaſia & recta ſunt, & nõ recta. Ideoque appetitiuũ ſemper mouet, intellectus autem non ſemper, quia non mouet niſi ad rectum. Et illud ad quod mouetur appetitiua pars, aut bonum eſt, aut videtur bonum. Porro phantaſia cum mouet, non mouet ſine appetitu, ſed & intellectus ſine appetitu nõ videtur mouens. Vnum ergo eſt mouens, quod eſt appetitiuum, vel appetitus.

Iuſſio Dei ad animalia peruenit.

Vis motiua.

De naturali pietate Animalium; & concordia ad inuicem.

CAPVT XIX.

Corui.

IDem *in li. de Animalibus.* Congregantur animalia ad inuicem non ſolum vnius generis, ſed etiã quæ conſimilem habẽt paſtum, Quando paſtus ille multũ abũdat. Coruus amicus eſt Vulpis, & iuuat eum contra inimicum ſuum. *Genus equorum* naturaliter ſpeciem ſuam diligit, ita quod equa mortua pullum eius relictum alia nutriendum ſuſcipit. Palumbi quoque naturaliter ſe dili-

Equorum pietas.

Palumbi. diligunt. Eſt aut animal cui ſi aliud appropinquauerit ad nocendum, multi de ſpecie ſua, & maximè magni conuenient ad defendendũ. *Mortuo delphino circundant alij delphini*, ne comedant piſces mortuum, & deferunt eum in profundum atque ſepeliunt. Cocas eſt auis, in cuius morte vociferantur aues eiuſdem ſpeciei vociferatione doloroſa atque ſuaui. *Turtur* mortuo compari ſuo, nullo modo ſecundum admittit, Pulli lacla in ſenectute parentes ſuos cibant. Macokam autem cibant parentes ſuos, non ſolum in ſenectute, ſed in omni tempore ex quo incipiunt poſſe. Quod ex animalibus intelligentius eſt, magis habet ſolicitudinem circa filios, fœminæ pluſquam maſculi. Columba tamen cum pullificauerit, ſtatim mas regit pullos, & ſi fœmina tardet ad eos redire, percutit eam ac redire cogit, *Piſces omnes nutriunt pullos ſuos præter ranam.* Specialiter autem delphinus pullos ſuos diligit, & ideo longo tempore eos nutrit. Aues econtra grauis volatus pullos ſuos deijciunt, quia graue eſt eis adducere cibum. Aues etiam vncorum vnguium ſtatim vt vident pullos ſuos poſt ſe volare, percutiunt & à nido eijciunt præter haum quæ cogitat de pullis, etiam poſtquam volant. Eſt autem auis quę pullum aquilæ proiectum nutrit, & etiam quæ pullum corui. *Plin. lib.* 10. Amici ſunt pauones & columbæ, turtures & pſitaci, merulæ & turdi, cornix & ardeolę, contra vulpium genus communibus inimicitijs harpæ, & miluus, contra triorchi. *Idem in lib.* 9. Amicitiæ quoque exempla ſunt, vt balæna, & muſculus, qui quandoque prægraui ſuperciliorum pondere obrutis eius oculis, infeſtantia magnitudinem vada prænatans demonſtrat, oculorumque vice fungitur.

Delphin.

Turtur.

Piſces.

Nota de pullis corui & aquila.

De naturali diſcordia quorundam animalium, & pugna ad inuicem.

CAPVT XX.

Bella animalium. IDem *in lib.* 10. Sunt in animalibus bella quædam & amicitiæ ad inuicem, diſſident olores & aquilæ, coruus & cloreus, noctu oua inuicem exquirentes. Simili modo coruus & miluus illo percipiẽte huic cibos. Cornices & noctuæ. Aquilæ & trochilus, ſi credimus, quoniam rex auium appellatur. Noctuæ & cæteræ minores aues. Rurſus cum terreſtribus; muſtela & cornix. Turtur & piralis, ichneumones & veſpæ, phalanges & araneæ. Ægyptus auis minima cum aſino, Spinis enim ſe ſcabendi cauſa atterens nidos eius diſſipat, quod adeo pauet. vt voce omnino rudentis audita, oua eijciat. Pulli ipſi metu cadunt, igitur aduolans vlcera eius roſtro excauat. Vulpes & milui. Angues & muſtelæ, & ſues. Eſalon auis parua eſt, oua corui frangens, cuius pulli infeſtantur à vulpibus. Inuicem hæc catulos eius, ipſamque euellit. Quod vbi viderint corui, contra auxiliantur, velut aduerſus communem hoſtem, & achantis in ſpinis viuit. Iccirco aſinos & ipſa odit, flores ſpinæ deuorantes: diſſident thæos, & leones, & minima æquè ac maxima. Formicoſam arborem ſorices cauent. Librat araneus ſe filo in caput ſerpentis porrectæ ſub vmbra arboris, tantaque vi morſu cerebrum apprehendit, vt ſtridens ſubinde & vertigine rotata, ne filum quidem pendentis rumpere, adeo non fugere queat, nec finis ante mortem eſt.

Plinius libro 11. Sunt & in aquatilibus inimicitiarum miracula. *Mugil & lupus* mutuo odio flagrant. *Conger & muræna* caudas inter ſe prærodentes. *Polypum intantum locuſta pauet*, vt ſi iuxta viderit omnino moriatur. *Locuſtam conger.* Rurſus congri polypum lacerant. Nigidius auctor eſt prærodere caudam mugili lupum, eoſdemque ſtatutis menſibus concordes eſſe. Omnes autem viuere quibus caudæ ſic amputẽtur. *Ariſt.* Amicitia quidẽ & inimicitia animalium ad anuicem accidunt cauſa cibi & vitę. *Nec eſt pugna beſtiarũ niſi propter cibũ & propter manſionẽ & propter fœminàm.* Omnia itaque animalia tẽpore coitus bellicoſa ſunt. Similiter ſi cibus paucus fuerit, pugnant & eijciunt ſe inuicem. Pugnant tauri poſt vaccam, & victor ſalit ſuper fœminam: Quæ comedunt carnem crudam in omnibus animalibus pugnant, & dicuntur diuinatores, quod animalia cum inter ſe diuidũtur, præliũ ſignificant. Cum vero ſe inuicem ſequuntur, pax erit. Coruus niger pugnat cum aſino & tauro, volanſque ſuper ipſos, pungit oculos eorum roſtro. Ibex eſt auis quæ odit equum, eiuſque vocem imitando ſtupefacit eum: ac fugere cogit & forte interficit. Aſchelon auis cum vulpe pugnat, eamque deplumat & nocet ac pullos eius interficit. Coruus autem amicus eſt vulpis, & inimicus buboni. Bubonem quoque magna pars auium odit.

Cauſa pugna beſtiarum.

De armis quibus vtuntur ad pugnandum, vel ad tuitionem.

CAPVT XXI.

IDem In quibuſdam animalibus, vt ſuperius dictum eſt, creata ſunt cornua propter vigorem & iuuamẽtum, quædam autem animalia habent cornua debilia, nec ad vigorem, nec ad pugnam conuenientia. Quędam vero omnino non habent, quia natura dedit eis alium modum vigoris, & iuuamenti, vt velocitatis equis, & ceruis, magnitudinem corporis elephantis, & camelis, culmos prominentes porcis. Quibuſdam etiam poſuit vigorem in ſoleis, & ideo eorum capita priuauit cornibus, niſi forte habeant vnum cornu ſicut aſinus indicus. Multitudo vero ramificationis cornuum in ceruis, nocumento ſuo propinquior eſt, quam iuuamento. Ideo datum eſt eis aliud iuuamentum ſcilicet velocitatis curſus, vt dictũ eſt. *Vacca quoque ſylueſtris* habet cornua declinantia ad inuicem. Et ob hoc ei natura dedit aliud iuuamentum ſcilicet eiectionem ſtercoris remotè, id eſt longè, vt ab ipſo detineatur venator. *Elephas etiam habet naſum longum* & fortem, quo vtitur loco manus in accipiendo cibum & potum, & in omnibus quibus indiget, etiam in eradicando arbores. *Animal quoque multos habens digitos in pedibus. vtitur anterioribus, ſicut homo manibus*, quia pugnat cum eis, & eijcit à ſe nocumentum. *Animal vero ſoleas habens, facit hoc cum poſterioribus*, quoniam anteriores non ſunt ad hoc conuenientes, animalia quidem cætera non habent niſi vnum modum vigoris, nec poſſunt alium habere, vel arma ſua mutare. *Homini vero manus non eſt vnum inſtrumentũ, ſed multa:* quia poteſt ea vti in multis, ſecũdum multos modos, vt in loco ſuo dicetur. Eſt itaque ſicut vnguis & vngula, gladius & lancea, & alia inſtrumenta, quia facere poteſt omnia iſta. Auium carnes comedentium, roſtra incuruata ſunt, vt poſſint retinere quod tenent. Vigor enim earũ in roſtro eſt, habẽt etiam aues vncorũ vnguiũ plumas multas, & alas magnas ac fortes: aliis autem dedit natura bonitatem volatus propter ſalutem. Quædam etiam alarum loco iuuamentum habent vngues in cruribus, conuenientes ad pugnam, eundo fixas ſuper terram ſcilicet vt Gallus. Nulla vero Auis habet vngues in pedibus, & in cruribus, quia Natura nihil facit ſuperflue.

Arma animantium.

De eodem.

CAPVT XXII.

GRegorius Niſſenus *in lib. de imagine.* Leo quidem, & aper & ſi quid ſimile ſufficienter pro ſalute ſua virtutem naturaliter poſſidet. Inſunt tauro cornua, pernicitas lepori, ceruoque ſaltus ac ceruus intuitus. Et aliis Animalibus magnitudo, cæteris vero prominens oris officium. Volatilibus quoque pennarum officium, & Apibus aculeum, cunctiſque prorſus, vnum naturale præſidium cõſtat eſſe collatum. Solus autem Homo naturalibus tegumentis nudus, inermis, etiam inops omniumque neceſſariarũ rerum egentiſſimus, in hanc vitam producitur. Ex iuxta id quod cernitur miſeratione potius quam fælicitate dignus eſſe videtur. Non enim productione cornuũ armatũ, nõ vnguium, vel dentium acuitate munitur, nec aliquo aculeo lætiferum vulnus infundit. Nec pilis corpus obtegitur. Sed, & his qui

Hominis conſideratio.

currendi

currendi velocitate præeminent, pinguior, & illis, qui A mole corporis eminent tenuior, his quoque qui naturalibus armis præcellunt, deſpectior eſſe cognoſcitur. Veruntamen per id quod eius naturæ deeſſe creditur, certa datur occaſio, qua ſubditorum omnium dominium conſequatur. Nam ſi huiuſmodi adminicula corpori ſuo naturaliter attributa haberet, Primum quidem beſtiis ſimilis exiſteret, deinde in alijs dominatum exercere negligeret, quorum nullis prorſus adiutorijs indigeret. Itaque corporis noſtri tarditas equorum nobis adhibere prouidentiam fecit, & ad cohibendas vltione beſtias, id quod nobis defuit, Canum natura ſuppleuit, pro cornibus autem vel vnguibus Natura fortius ac penetrabilius ferrum inuentum eſt.

De motibus membrorum & extremitatibus animalium.

CAPVT XXIII.

Ariſtoteles. Animalia multi motus neceſſe eſt vt indigeant multo viſu. Motus autem diſſoluit pinguedinem & virtuti coagulatiuæ pinguedinis contradicit. *Omne animal habens ſanguinem, ſi habeat extremitates ordinatas ad motum, non habet niſi quatuor, ſicut in homine ſunt duo pedes, & duæ manus. In Auibus duo pedes & alæ dua. In Quadrupedibus quatuor pedes. Piſcibus quatuor pinnulæ. In Serpentibus autem & quibuſdam Piſcibus quia longi corporis ſunt, quatuor non ſufficerent,* & ob hoc extremitatibus huiuſmodi carent. Vnde Serpentes per terram reptant. Piſces autem longi per aquam repunt, & non natant. Serpentis proprium eſt mouere caput ad poſterius, reliquo corpore quieſcente. Oculi multæ apertionis ſtultitiam ſignant, & inuerecundiam. Omne Animal fere claudit oculum, non voluntate, ſed natura, ne cadat aliquid ſuper ipſum. Sed Aues claudunt oculum per palpebram inferiorem, ambulantia per ſuperiorem. Lacertorum vero genus omnino non claudit. Homo claudit oculum plus omnibus animalibus, quia tenuis eſt corii. *Omne Animal habens aures, habet eas mobiles præter hominem.* Elephas naſum mouet vtens eo loco manus, vt ſupra dictum eſt. Omne animal mouet mandibulam inferiorē præter Focam & Crocodilum, qui mouet ſuperiorem. Homo quidem & Quadrupedia mouent mandibulas inferius & ſuperius, & in latus, quia mordent & maſticant vel ruminant. Aues autem & Piſces inferius & ſuperius ſed non in latus, quia non maſticant, ſed ſolum mordent, ſiniſtra manus in hominibus, & pes ſiniſter in animalibus, non eſt leuis motus, præterquam in Elephante. Elephans flectit duos pedes & ſedet, ac fulciens latus alterum dormit. Nequit enim flectere quatuor. Leo & Camelus cum ambulant, prius mouent pedem dextrum. Item quadrupedia nata, ſtatim ſe eleuant ſuper pedes & ambulant. Pullus equi caput ſuum poſteriori pede tangit, equus autem non poteſt. *Auguſtinus de ciuitate Dei libr.* 14. Omitto quod animalibus quibuſdam naturaliter inſitum eſt vt tegmen quo corpus omne veſtitur, ſi quid in quocumque loco eius ſenſerint abigendum, ibi tantum moueant, vbi ſentiunt, nec ſolum incidentes muſcas, ſed etiam hærentes haſtas cutis tremore diſcutiant. Nunquid quia id homo non poteſt, ideo creator omnium quibus voluit animantibus dare non potuit. Sed & hominum quorundam naturas nouimus ipſa raritate mirabiles, de corpore ſuo facientium, quæ alij nullatenus poſſunt, & audita vix credunt. Sunt enim qui & aures ſingulas mouēt, vel ambas ſimul. Sunt qui totam cęſariem immoto capite ad frontem deponunt, reuocántque cum volunt. Sunt qui eorum quæ incredibiliter varia & plurima vorauerunt, paululum præcordijs contrectatis tanquam ex ſacculo quod placuerit integerrimum proferunt. Quidā etiam vocem auium pecorumque & aliorum quorumlibet animalium ſic imitantur & exprimunt, quod niſi videantur, omnino diſcerni non poſſunt. Nonnulli etiā ab imo ſine vllo pudore ita numeroſos pro arbitrio ſonitus edunt, vt ex illa quoque parte cantare videantur. B C D E

Quatuor extremitates ordinatæ ad motum.

Raritates hominum quorundam.

Expertus ſum hominem ſolere cum vellet ſudare. Notum eſt quoſdā cum volunt vbertim lachrimas fundere.

De ſexu animalium.

CAPVT XXIIII.

Ariſtoteles. Mas & fœmina ſunt principia generationis animalium. Deffinitione quidem Mas eſt qui generare poteſt. *Fœmina vero quæ poteſt in ſe generare, vel potius quæ generat ex alio.* Non enim generat fœmina per ſe, quoniam ipſa indiget principio motus qui eſt ex maſculo. Fœmina vero eſt ſicut materia. Et in coitu quidem natura ex mare & fœmina facit vnum, ideo fit animal vnum. Dicit autem Empedocles, quod cauſa generationis maſculi eſt matrix calida, fœminę vero frigida &c. ſicut dicetur infra. Adoleſcentes quoque plus generant fœminas, & ſenes ſimiliter & qui corpora habent humida. *Gloſſa.* Quia omnes tales malè digerunt quæ ſcilicet indigeſtio cauſa immediata eſt & neceſſaria ſuperius autem aſſignatę, nec proximæ ſunt, nec neceſſarię. *Ariſtoteles.* Omnia membra interiora maribus & fœminis eadem ſunt, præter matricem. Omnium animalium fœminæ gracilioris vocis ſunt quam maſculi, præter vaccam. Voces autem maſculorum mutantur cum emutilantur. *Maſculi quoque fœminis fortiores ſunt niſi in vrſo & leopardo, in quibus eſt contrarium.* Itaque membra vigoris non ſunt, vel minus ſunt in fœminis. Quibus autē indigent neceſſario ſunt & in eis. Cerebrū viri maius eſt cerebro mulieris. Maſculina quoque plurium dentium ſunt quā fœminina, ſicut patet in hominibus & capris & porcis. *Mulier & equa ſuper omnes animalium fœminas diligunt coitum,* &c. ſicut dicetur infra. Vniuerſaliter autem dico mares ſylueſtres ante tempus coitus non paſci cum fœminis. In omnibus citius in ventre formantur mares quam fęminæ. Poſt partum vero citius creſcunt & ſeneſcunt fœminæ quā maſculi. Non eſt autem conſuetudo marium, vt ſint ſoliciti circa filios, ſed fœminarum. In interiori mulier maioris eſt ſanguinis, quam fœminæ aliorum animalium propter quod accidit ei menſtruū ob hoc etiam infirmatur minus quam vir. Omnis autem animalium fœmina mingit ad poſterius, & mari naturaliter fœmina contraria eſt. Fœminæ ceruorum nec habent cornua nec dentes. Cocy eſt animal cuius fœmina ſimul habet virgam & vuluam. Si homo habet membrum maris & fœminæ, erit vnum principale, aliud non. *Razis in Almanſore.* In omnibus animalium generibus fœminæ magis abiectum habent animum, & minus vim patientes ſunt, & timidiores, ac deterius morigerati, citiuſque conuerti poſſunt, & citius ſedantur, maioris quoque caliditatis ſunt, præcipites & inuerecundæ, caput habent paruum, faciem & collum ſubtilia, pectus & ſpatulas anguſta, carinaſque ſubtiles, coxas autem vterumque craſſas habent, & & nares ſimiliter. Crura vero gracilia, manus & pedes tenues. *Plinius libr.* 8. Ex animalibus autem, quædam ſunt, quæ nihil gignunt, vt ſalamandræ, nec eſt in his maſculinum genus aut fœmininum, ſicut nec in anguillis omnibus, quæ nec animal nec ouū gignunt. *Auctor. in Metaphyſica* quidem dicit Ariſtot. maſculinum ac fęmininum ſexum omnibus animalibus accidere, ſed in libr. de animalibus *excipit quoddam genus piſcis in quo nunquam viſus eſt maſculus.* Quod neceſſe eſt contingere propter ſimilitudinem partium ipſius piſcis. Cum enim corpus animatum omnino eſt ſimile in partibus, vel minimam habet diuerſitatem, tunc cibi ſuperfluum ab vltima digeſtione procedit ad proferendum tale corpus, nec eſt neceſſe, vt à virtute organi ſpecialis recipiat vltra hoc aliquem influxum. Ideóque cum organa generationis influentia ſpecialem virtutē ſuperfluo quartæ digeſtionis, faciant diſtinctionem maris ac fęminæ, non poteſt in huiuſmodi animali diſtinctio ſexus eſſe. Et dicunt quidā experimentatores ac phyſici, quod hoc genus piſcis eſt anguilla, in qua nunquam apparuit maſculus nec fœmina.

Mas. Fœmina.

Fœmina fortiores viris.

Piſces aliqui non habent maſculos.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De animalibus castratis.

CAPVT XXV.

Aristoteles. Animalia omnia castrata mutantur in naturam fœminarum. Nec solum corpus, sed & animus eorum effœminatur, vt parum distent à fœminis. Itaque propter debilitatem eorum voces castratorum similes sunt vocibus fœminarum, & siquidem castretur puer ideſt impubes, non orientur ei pili in loco vbi debent crescere. Si vero castretur post somnum pollutionis orientur pili pectinis tantum sed pauci subtiles & graciles. Denique cum homo castratur, aut non crescunt in eo pili qui crescunt vltimo, aut eijcit eos, si castratus fuerit post originem eorum, præter pilos pectinis, quia mulieres etiam habent pilos in pectine. Caluicies quoque nulli castrato accidit, propter alterationem complexionis sui corporis ad cõplexionem fœminæ. Quando castrantur animalia quadrupedia mutantur figuræ corporis eorum, præterquam in porcis agrestibus. Omnia namque animalia si castrentur in iuuentute, maiora efficientur. Si vero post perfectionem non augmẽtabuntur. *Cerui si castrentur ante crementum cornuũ non orientur eis cornua.* Si vero post, non crescunt amplius, nec eijciunt ea. Vituli castrantur post vnum annum. Quod si tempore illo non castrentur, parui erunt. Si autem in castratione vituli acciderit apostema in loco fissuræ, cremabunt testiculum, ponentque cinerem super illud, Multotiens etiam abscinditur in porcabus matrix, vt non indigeant coitu, sed cito impinguentur, prohibentur autẽ à cibis duobus diebus & tunc posterioribus pedibus suspenduntur, abscinditurq; ab eis id quod dicitur Antaron, & est locus vbi sunt testiculi marium. Cameli quoque quibus vtuntur homines ad præliandum, castrantur, quia tunc non impinguantur. Quoniam autem mas ac fœmina sunt principia generationis animalium, cum corrumpitur membrum coitui conueniens, altèrabitur cum eo residuum corporis. Necesse est enim illud alterari cum alteratione sui principij. Animal castratum non potest facere filium, quia quando testiculi abscinduntur, viæ spermatis ad superius contrahuntur. Accidit tamen, quòd quidam taurus coiuit subito postquam castratus erat, quia viæ nondum erant contractæ.

Vt sint cerui sine cornibus

De generationibus animalium.

CAPVT XXVI.

Petrus Comestor. Quod in Genesi præmisit scriptura dixisse dominum auibus, & piscibus, *Crescite & multaplicamini*, etiam de his animalibus quæ sexta die creata sunt intelligendum est, licet non sit scriptum: hæc est communis causa creationis omnium. *Aristot. in lib. de animalibus 2.* Actio quæ magis est conueniẽs naturæ omnis viuentis, est generare sibi simile in specie. Animal quoque facit animal, & planta plantam, quatenus ipso semper diuino participent ideſt ipsam diuinitatis perpetuitatem imitentur secundum quod possunt. Omnia enim appetunt illud scilicet diuinum, & ipsius causa agunt, quæcunque agunt secundum naturam, quoniam ergo communicare non possunt, ipso semper & diuina continuatione, quia nihil corruptibilium contingit vnum, & idem de numero permanere, secundum quod potest participare, vnumquodque sic communicat, hoc quidem magis, illud vero minus, & sic permanet non illud idem, sed suum simile, numero quidem non vnum, specie autem vnum. *Idem in libr. de animalibus.* Animalia quidem generantur in terra & aqua, quoniam in terra est pars aquæ & in aqua pars aeris, & in eis est calor animę. Generatio autem animalium ex suæ naturæ specie diuersatur. Quædam nanque generant & emittunt animal completum, scilicet non magnitudine sed forma sicut animalia soleas & sotulares habentia, Ex piscibus quoque delphinus, Et omne animal simile sibi generans habet dentes & sanguinem. Animalia namque sanguine carentia non generant simpliciter, Quædam vero generant animal incompletum, id est non distinctum neque formatum, vt animalia fissi pedis multa fissura. Et quod ex istis habet sanguinem, facit oua. Quod autem eò caret, facit vermes, qui paulatim in sua specie complentur, vt apes. Vermes quidem & oua diuersantur, quoniam in ouis animal ex vna parte generatur, & residuum erit nato cibus. Vermes autem totaliter transeunt in substantiam generati, & quædam oua completa faciunt vt aues, & quadrupedia, vt tortuca, lacertulus, & plura serpentium genera. Quædam autem incompleta sicut pisces mollis testæ, & malacia.

Terra & aqua locus generationis animalium.

Adhuc de eodem.

CAPVT XXVII.

Aristoteles. Sustentatio quidem ideſt generatio animalium duræ testę, quorundam fit per se, quorundam per aliam virtutem exeuntem ab eis, ideſt à generantibus, sicut in arboribus. quædam generantur ex seminibus, quædam ex arborum stipite, quædam ex ramis. Omne autem generatum per se, generatur ex putrefacto admixto cum suo aquoso, quia quod ex superfluitate primæ sustentationis remanet, congregatur, & formam suscipit. In his putrefactum est quasi mater, & calor cælestis quasi motor, vel pater. Est autem in mari multa pars terrestris, à qua durę testæ generãtur, quia pars continens conceptum, circunquaque congelatur & induratur, sicut cornua & ossa congelantur. Et istæ res non liquescunt in igne, sicut nec ossa. Nec vllum istorum generum visum fuit coire, nisi genus quod dicitur Caulion. Nec adhuc visum est, vtrum istiusmodi generata sint ex coitu, an non. Horum, ideſt animalium duræ testæ, quorũ, scilicet testa nec aqua, nec igne mollificatur, cibus erit ex membro, sicut eius quod generatur ex ouis, eorumque cremẽtum sicut vermium. Principium enim crementi vermium est ex superiori parte, cibus autem ex inferiori. Hoc manifestum est in prima creatione apum sibique similium, quia pars inferior parua est, superior autem magna. Sic & animal duræ testæ crescit prius in parte superiori, fitque anterius illius partis & membrũ quod caput dicitur, maius residuo corporis. *Plinius lib. 10.* Anguem ex medulla hominis spinæ gigni à multis accipimus. Pleraque enim occulta & cæca origine proueniunt, etiam quadrupedum genera sicut salamandra, animal lacerti figura stellatum, nunquam nisi magnis imbribus proueniens & serenitate deficiens, hæc autem ex non genito genita nihil quoque gignit, nec est in ea masculinum genus vel fœmininum, sicut nec in anguillis omnibus, quę nec animal, nec ouú ex se generant. Neutrum est & ostreis genus, & cæteris adhærentibus vado, vel saxo. Quæ autem per se generantur, sicuti mares, & fœminæ, descripta sunt, generant quidem aliquid coitu, sed imperfectum ac dissimile, ex quo nihil amplius gignatur, vt vermiculos muscę.

Dura testa in mari vnde generẽtur.

Porro generatio auium simplex videtur esse, cum & ipsa habeat sua miracula, sicut dictum est supra in tractatu de auibus. *Ex lib. de naturis rerum.* Porro vermium sunt multa genera sicut etiam dictum est superius. Nascuntur ex corruptione potius, quam ex semine. Vnde cum æstate incipiunt & cum æstate desinunt. Aliud autem est genus quod cum æstate quidem incipit, & cum posuerit semen in arboribus, aut domicilijs, cum æstate vitam finit. Manentque parentibus mortuis semina per hyemem & veris tempore prodeunte, aeris serenitate soliſque calore, animantur ad vitam. Aliud quoque genus est quod hyeme conditur, latetque velut mortuum, & cum venit ad æstatem renouatur ad vitam.

De coitu animalium.

CAPVT XXVIII.

Tria in coitu

Conſtantinus in lib. de coitu. Creator ergo volens genus animalium firmiter ac ſtabiliter permanere, & non perire, per coitum illud ac per generationem diſpoſuit renouari. Tria vero ſunt in coitu, appetitus ex cogitatione phantaſtica ortus, & ſpiritus, & humor. Appetitus ab hepate, Spiritus a corde, Humor a cerebro. Nam cum delectabilis motus ſit in coitu, dum omnia membra corporis per motum caleſcunt, per calorem eliquatur humor, qui eſt in cerebro, & eliquatus attrahitur per venas, quæ per aures ducuntur ad teſticulos, & inde per virgam in vuluam iacitur. Vnde Hippocrates dicit, Quibuſcunque venæ, quæ poſt aures ducuntur, exciſæ fuerint cum ſemine effuſo gignere non prævalent. Si vero aliquid emiſerint non eſt ſemen ſed aquoſus humor. Vnde nullus conceptus fieri poteſt. *Ariſtoteles vbi ſupra.* Gracilitas quidem & debilitas crurium conuenit coitui, quia cibus illic tranſiens, tranſit in ſpermaticam ſuperfluitatem, hinc & auis parui corporis multi coitus eſt, & multorum ouorum, quia crementum tranſit in ſperma. *Viri quoque multorum pilorum apud coxas & in parte pedum inferiorum, multi ſunt coitus.* Sed quando fuerit homo multi coitus, debilitantur eius oculi; eſt & animal quod grauiter coit, Vnde fœmina in coitu vociferatur, & exit ab eius oculis ſanguis, & grauiter parit. Omne animal coitus tempore comparem ſuum vocat per vocem propriam, & ſpecialiter rana. In coeuntibns autem voces mutantur, vnde vocis mutatio eſt motus ad coitum ſignificatio. Auctor Multa quoque animalia de diuerſis modis coeundi ſuperius dicta ſunt, per diuerſa capitula.

De diuerſis temporibus coeundi.

CAPVT XXIX.

Tempus quo animalia coeunt & impragnantur.

Ariſtoteles. Homo, & animalia viuentia cum homine coeunt omni tempore. Sed omne quadrupes magis deſiderat coitum in vere. Homo naturaliter incipit coire poſt duo ſeptennia, ſed nondum generat, niſi raro & debile. Ceſſat autem menſtruum in muliere poſt annos quadraginta, ſed in aliquibus manet ad quinquaginta. *Nec vſquam viſa eſt mulier, quæ poſt annos quinquaginta peperit. Viri quoque generant vſque ad annos* 60. & forte vſque ad 70. *Aries & caper vnius anni coeunt* & maxime aper, ſed debile quid generant. *Canis & porcus octo menſium coeunt*, ſed debile quid gignunt. *Ouis poſt annum coit*, & vſque ad annos 9. parit, vel vſque ad 11. ideſt tota vita ſua, ſi bene cuſtodiatur. In Aethiopia viuit ouis annis 14. Capra 11. totaque vita ſua coeunt ac gemellos pariunt, ſi cibus eſt conueniens, & aries vel caper virtuoſus. *Equus duorum annorum vel trium coit, ſed debile quid gignit.* Fortis eſt autem à quatuor annis vſque ad 20. & quod generat forte eſt. Coit autem & viuit vſque ad annos 30. vel 35. Equa vero vſque ad annos 40. viuit, & coit, & coitum deſiderat vſque ad furiam. *Aſinus poſt menſes* 20. *coit, poſt duos autem annos vel duos & dimidium gignit. Camelus coit poſt annum*, cuius fœmina prægnans eſt per annum. *Elephas maſculus poſt annos quinque coit, fœmina poſt* 20. quæ prægnans eſt per annos duos. Imprægnata vero non tangitur omnino à maſculo, poſt partum vero quieſcit triennio. *Porcus coit omni tempore*, ſcilicet & hyeme & æſtate, die ac nocte. *Porca vero prægnans eſt quatuor menſibus. Bos coit poſt annum*, & forte poſt octo menſes: poſt biennium autem imprægnatur.

De luxuria, & continentia animalium.

CAPVT XXX.

IN omnibus quidem animalibus eſt appetitus, & delectatio coitus. *Mulier autem & equa diligunt coitum ſuper omnes fœminas valde.* Nam equa coitum vſque ad furiam deſiderat. Vniuerſaliter autem dico mares ſyluestres ante tempus coitus cum fœminis non paſci. Accidit autem in hominibus & quadrupedibus coitum deſiderantibns ad tactum, vel ad viſum ſubito ſpermatizare. Animalia bellicoſa ſunt tempore coitus maſculi ad inuicem, cum ante hoc fuerunt pacifica. Pugnant tauri poſt vaccam, & victor ſalit ſuper fœminam. Apri quoque tempore coitus inuicem pugnant vſq; ad mortem. *Vacca autem tempore coitus domari non poteſt.* Fugit autem coitū propter duriciam virgæ maris. *Camelus tempore coitus ferus eſt ac ſyluestris*, & eſt ſolitarius cum fœmina, pluſquam coeundo tota die equitat. *At vero aues vnciorum vngium non multum coeunt. Turtur vnico mari tantum aſſociatur in vita*, & palumbus non coit, ſi parem ſuum amiſerit. *Cubech* quoque cum ſit auis luxurioſa, ſinguli tamen mares ſingulas fœminas accipiunt: *Elephas*, vt dictum eſt, prægnātem fœminam non tangit. Ipſa fœmina poſt partum triennio quieſcit. *Sed & camela poſt partum ipſo coitu quieſcit per annum. Camelus cum luxurioſus ſit, tamen matrem ſuam non cognoſcit*: aliquando vero cooperto capite matris eius, ſuper eam ſaltauit, & operimento ſublato matrem agnoſcens turpitudinis opere quod ceperat intercepto deſcendit, & ingeniatorem interfecit. Similiter cum equo fiebat qui matrem ſuppoſitam agnoſcens, fugit, & ſe præcipitauit.

Coitus ſerpētum.

Plinius lib. 10. Serpentes coeunt complexu, adeo circumuolute ſibi, vt vna biceps exiſtimari poſſit. Viperæ mas caput in os inſerit fœminę, quod illa dulcedine voluptatis abrodit. Crocodili vicibus incubant mas & fœmina: *hominum tantum primi coitus pœnitentia: augurium, ſcilicet vitæ à pœnitenda origine.* Cæteris animalibus ſtatuti ſunt per tempora anni concubitus. Homini, vt dictum eſt omnibus horis dierum noctiumque. Cæteris ſatietas in coitu, homini prope nulla. In hominum genere maribus diuerticula veneris excogitata ſunt, omnia ſcelera naturæ, fœminis vero abortus, quantum in hac parte multo nocentiores, quam feræ ſumus. *Viros auidiores veneris in hyeme, Fœminas æſtate*, Heſiodus prodidit. Tradunt ſues coitu ſpumam ore fundere verrem ſubantis audita voce, niſi admittatur cibum non ſumere vſque in maciem. Fœminas in tantum efferari, vt hominem lacerent candida maximè veſte indutum. Rabies autem hæc aceto mitigatur naturæ aſperſo. Auiditas coitus putatur ex cibis, ſicut viro eruca, pecori cepa. Quadrupedes prægnantes venerem arcent, præter equam & ſuem.

De fœcunditate, & ſterilitate animalium.

CAPVT XXXI.

Animalia multorum filiorum.

Ariſtoteles, vbi ſupra. Omnia quidem animalia in quibus eſt mas & fœmina, generantur ex coitu maris, & fœminæ. Et omne animal ſpecie differens a generantibus, natura ſterile eſt, vt multorum genus. Animalia quoque multæ pinguedinis cito ſeneſcunt, & parum generant, habentque multas occaſiones. *Animalia vero quædam ſunt multorum filiorum*, ſicut eſt omne animal fiſſi pedis multa fiſſura, vt canis & lupus. Animalia quoque parua ſicut mures. *Quædam autem vnius, vt elephas*, equus, camelus, & omne animal habens ſoleas. Animalia quoque habētia duas vngulas, excepto porco, qui multos facit filios. In animalibus ſiquidem magnis ſperma tranſit in cibum corporis, nec remanet ex eo, niſi modicum, ex quo generant vnicum filium. In paruis autem natura diminuit a cremento corporis, & ponit in ſperma. Poſſunt etiam animalia parua ſimul eſſe in eodem loco ſcilicet matrice, quod non poſſunt animalia magna. Magnitudo ergo eſt huius rei cauſa, non ſoleæ vel ſotulares, aut fiſſura pedum. Hoc etiam accidit in animalibus aquoſis, & auibus, quia quod eſt ex eis magni corporis eſt paucorum filiorum, & econtrario. Similiter, & in arboribus accidit.

Si mirari licet quomodo animalia parua ex vno coitu multos concipiunt, & non potius vnum magnum, huius cauſa eſt, quia ſpermatizant pluſquam vni creationi ſufficiat.

Terminus magnitudinis animãtium.

ficiat. *Quodlibet genus animalium habet determinatam magnitudinem ad quam peruenit, nec illam pertranſit.* Ob hoc etiam ex illa ſuperfluitate ſpermatis & materię creantur multi, non vnus. Poteſt enim maſculi virtus creare & ſuſtentare fœminæ ſuperfluitatem in multas partes, etiã ſi temperantia ſit in vtroque. Sed & in animalibus magnis vnum filium generantibus, ſicut ſi mas multum ſpermatizauerit fœminæque, ſuperfluitas multa fuerit, creabuntur ex eis etiam duo filij. Homo vero eſt inter illa genera duo. Naturaliter enim vnum generat, ſed propter calorem & humiditatem corporis forte multos generabit, quia natura ſpermatis eſt calida & humida. Ex vno itaque coitu ſi multum ſpermatizabit, & cum ſperma diuidetur multi filij generabuntur. Animal piloſum ex parte pedum & coxarum vt lepus ſecundo concipit, & parit filios completos propter multitudinem ſpermatis. Ob quam etiam cauſam viri multorum pilorum multi ſunt coitus.

Mulier & equa ſecundò coeuntia.

Muriũ prodigioſa generatio.

Adhuc de eodem.

CAPVT XXXII.

IDem. Quando vero natura diminuit in multitudine, addit in magnitudine, & econtrario, quia nihil agit ſuperflue. Porcus itaque 20. filios generat, & ſæpe in anno. Canis quoque ſimul 12. Et ſæpe leęna; primum enim generat ſex vel quinque, deinde quatuor, deinde tres, deinde duos & poſt hoc vnum, tandem vero nullũ. In Æthiopia pariũt oues & capræ gemellos. Similiter & in auibus generationis diuerſitas eſt, vt ſuperius dictum eſt. In ouis quoq; gemelli fiũt in quibus duo citrina sũt. *Animalia magna fere nulla imprægnãtur poſt primã imprægnationem*; huius cauſa eſt, quia ſuperfluitas tranſit in crementum primi excepti, quod oportet eſſe magnum, quia conceptus magnus eſt, vt filius elephantis eſt ſicut taurus. Animalia vero multorum filiorum poſt primam imprægnantur, cuius cauſa eſt paruitas corporis, ſcilicet fœtus, & amplitudo matricis & abundantia ſpermàtis ac menſtrui, & hoc etiam accidit mulieri quia conuenientiam habet cum animalibus multorum filiorum, propter multitudinem ſuperfluitatis.

Nec eſt inter animalia magna, quod poſt primum coitum recipiat ſecundum, niſi mulier & equa: & hoc propter magnitudinem matricis, & duritiem materiæ ipſius. Sed non complebitur ſecundus conceptus propter cibi paucitatem. Itaque hæc genera duo diligunt coitum propter ſenſibilitatem matricis, ac neruoſitatem. *Plinius libr.* 10. Omnia animalia quo maiore corpore, eo minus fœcunda, ſingulos gignunt elephanti, cameli, equi, acanthis duodenos auis minima. Super cuncta vero murium fœtus quamquam auctore Ariſtotele & Alexandri magni militibus, *generatio eorum lambendo conflare non coitu dicatur.* Ex vna genitas 120. tradiderunt, & ſalis guſtatu prægnantes fieri opinantur.

De temporibus imprægnationis animalium.

CAPVT XXXIII.

ARiſtoteles. In animalibus non eſt lac ante impræ- gnationem. Omnis autem modus habet tempus fertilitati ſuæ conueniens & bonitati ſuæ diſpoſitionis. *Itaque cum ventus ſeptentrionalis fuerit, generantur mares, Cum autem meridionalis fœminæ:* ſic accidit in ouibus & capris. Si enim imprægnantur contra impetum venti ſeptentrionalis pariunt mares, ſi contra meridionalem, fœminas. Nulla vero fœmina recipit coitum poſt imprægnationem niſi mulier & equa. Et tempora quidem imprægnationis aliorum animalium determinata ſunt, hominum vero multa ſunt & diuerſa. Spacia impręgnationis aliorum animalium determinata ſunt non ſecundum vitas eorum ſed ſecũdum magnitudinem animalis concepti, quia non poteſt animal corporis magni modico tempore creari, propter hoc elephantis impręgnatio per biennium prolongatur. Recte vero ſpacia imprægnationis & vitę omnium generum animaliũm diſtincta ſunt, ſecũdum ſtellarum reuolutiones & tempora ſecundum hoc numerata. Nam & venti non mouentur aut quieſcunt niſi ſecundum reuolutiones ſolis & lunæ. Videmus autem mare & omnia aquoſa ſtare & moueri ſecundum motum & quietem ventorum, & neceſſe eſt vt motus rerum viliorum ſequatur motus nobiliorum. Denique calores & frigiditates temperati conueniunt modis generationis, & poſt hoc conueniũt corruptioni. *Naturaliter ergo erit numerus temporum generationis & complementi eorum, ſecundum reuolutiones ſtellarum. Itaque camela prægnans eſt per annum, elephantis fœmina per annos duos, Vacca vero 9. menſibus. Porca quatuor menſibus. Canis autem fœmina 60. diebus aut 70. vel 110. Delphini fœmina decem menſibus. Mulier prægnans eſt menſibus 9. 7. vel 8.*

Reuolutiones ſtellarũ determinant tempora generationum.

De diſtantia mulieris prægnantis à fœminis cæterorum animalium.

CAPVT XXXIV.

IDem. In pluribus quidem mulierum diſpoſitio peioratur imprægnationis tempore, cæterarum vero fœminarum non. *Mulier & equa ad olfactum extinctæ candelæ abortiunt; propter cibi quoque multitudinem, & fructus in arboribus, & fœtus in animalibus corrumpitur.* Mulieres etiam prægnantes citius ob quietem aborſum patiũtur, quia propter hoc accidit eis mala diſpoſitio, dum in eis multa ſuperfluitas congregatur. In laborantibus autem non ſic, quia labor multum facit euaporare de ſuperfluo, ita quod mulier tempore partus anhelitum ſuum retinere, poterit. Quod cum fecerit, partus facilis erit, & quando non, econtrario erit. Fœminæ vero cæterorum animalium remanent multæ fertilitatis corporis longo tempore poſt imprægnationem. Ideoque non accidit eis aborſus. Præterea mulieres multum menſtruant. Animalia cætera non multum vel nihil. Quædam autem mulieres, in principio imprægnationis fatigantur multum & ægrotant propter retentionem menſtrui, quia propter paruitatem concepti non conſumitur in eis ſuperfluitas, quę magis in vltimo cõſumitur in cibo ſcilicet fœtus, & tunc eorum corpora meliorabuntur. In cæteris autem animalibus eſt ſuperfluitas paucа, temperata ſecundum indigentiam crementi concepti. Infirmitas quoque quæ mola dicitur accidit mulieribus imprægnatis, & non alijs animalibus, quia matrix mulieris eſt continua reſpectu aliorum animalium, & ſanguis qui in eo congregatur multus eſt, nec digeri poteſt. *Cum ergo ſuſtentatio concepti fuerit ex vapore & humore malæ digeſtionis, tunc fruſtum in matrice generatur, quod mola dicitur.* Mulier infirma & doloroſa nõ poteſt imprægnari, quod ſi imprægnatur, fœtum corrumpit. Non autem impręgnatur fœmina proprie niſi quando locus id eſt matrix ad motum aptus fuerit.

Abortus mulieris.

Mola.

De tranſfuſione ſeminis in pręparatione embryonis.

CAPVT XXXV.

ARiſtoteles. Sperma quidem exit ab animali ſpiſſum & album, & poſtquam infrigidatur efficitur humidum & aquoſum; *cauſa albedinis eius non eſt niſi ſpuma, Spuma enim eſt albi coloris*, quia ſuſtentatur ex partibus paruis & ampullis latentibus, & quando fuerint ampullę tenuiores atque latentiores fit ſpuma magis alba. Sic & oleum quando cum aere admiſcetur, inſpiſſatur, & ſcoria argenti cum oleo & aqua admixta propter aerem mixtum clareſcit & creſcit, ſicut accidit ſpumæ & niui, quia nix etiam ſpuma eſt. Aqua quoque quando cum oleo admiſcetur inſpiſſatur & albeſcit, quia aer intrat in ipſam ex motu, & ex ipſo etiam oleo multum aeris intrat. In pinguedine nanque olei nihil eſt ex aqua & terra, ſed ex aere, propter hoc natat ſuper aquam, quoniam aer qui in eo eſt. defert ipſum quaſi eſſet in vtre. In tẽpore vero frigiditatis inſpiſſatur quidem, ſed non coagulatur propter aerem.

Albedo ſpermatis vnde

Denique

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Venus ſpumoſa dea.

Denique ſcientes antiqui naturam ſpermatis eſſe ſpumoſam, nominauerunt etiam Deam ſpermatis ſpumoſam, ſcilicet venerem. Non autem exit ſperma ex toto corpore, nec ſic ſicut pars generati, ſed eſt ſicut motor & forma. Nec ſperma viri conuenit quantitati animalis, ſed qualitati. Cum ſpermate vero exit ſpiritus, qui eſt virtus principij animæ, habetque ſperma in conceptu animam potentia, ſed non actu. Matrix vero ſemen maris attrahit propter calorem, qui in ea eſt, ipſumque ſuſtentat. Cum autem ſuſtentatum fuerit exit à fœmina per virtutem maris; ſicut accidit in lacte per virtutem coaguli, quia natura lactis & coaguli eadem eſt, exibit humiditas in circuitu corporis, cuius partes terreſtres cum deſiccatæ fuerint efficientur continentes conceptum, vt non ſit animal in humiditate, ſed ab ea diſtinctum. Siccantur autem neceſſario quando calefiunt, & poſt infrigidantur. Harum quædam vocantur ſecundinæ, quæ ſcilicet fœtum retinent immediatè. Quædam vero telæ, quæ prohibent humiditatem, ne intret ſecundinam. Huiuſmodi eſt iſtud in animalibus generantibus animal & ouantibus. Cum autem conceptum hoc modo ſuſtentatum fuerit, accidit ei quod & ſeminibus accidit, ſcilicet herbarum & arborum. In his nanque prima virtus ideſt vegetatiua mouens cum in actu apparuerit, quæ prius in potentia fuit, tunc oriuntur rami, & radices exeunt, per quas cibum attrahit, quoniam & arbores indigent creatione & crementō. Secundum hunc ergo modum fiet & crementum omnium membrorum cōcepti. Poſt primam virtutem quę in ipſo eſt. Iam enim viuit, quaſi vita ſimili vitæ arboris.

Secundina.

De impreſſione formarum viſarum in conceptu.

CAPVT XXXVI.

Devirgis Iacob.

Hieronymus ſuper Geneſim. Iacob vt legitur, poſuit virgas varias ante oculos ouium, vt ex duplici deſiderio vel feruore, ſcilicet bibendi & coeundi, tales fœtus conciperent quales vmbras arietum & hyrcorum aſcendentium ſuper eas in aquarum ſpeculo contemplabantur. Nec mirum hanc in conceptu fœminarum eſſe naturam ſcilicet vt conſpectæ imagini ſimilem ſobolem concipiant in extremæ voluptatis æſtu, cum hoc etiam in equarū gregibus apud Hiſpanos fieri dicatur. Quintilianus quoque matronam accuſatam, quod Æthiopen peperiſſet, ex imagine conſpecta hoc ei accidiſſe argumentans defendit. In libris Hippocratis legitur, quod quædam ſuſpicione adulterij fuerat punienda, eo quod pulcherrimum peperiſſet vtrique parenti diſſimilem, niſi memoratus medicus ſoluiſſet quæſtionem, monens quærerè ne forte talis pictura eſſet in cubiculo. Qua inuenta mulier à ſuſpicione liberata eſt.

Auguſtinus libr. 11. de Trinitate. Si cum magna auiditate reſpiciatur res exterior, ſicut fit in libidinoſis aſpectibus fœminarum, non ſolum ipſum viſum, ſed etiam cæterum corpus animantis vehementius afficit, & vbi non reſiſtit durior pinguiorque materies, in ſimilem ſpeciem & colorem commutat. Vnde licet videre corpuſculum chamæleontis ad colores quos videt, facillima conuerſione variari. Aliorum autem animaliū quorum non eſt ad conuerſionem facilis corpulentia, fœtus plerumque produnt libidines matrum tale, quale eſt illud, quod cum magna delectatione conſpexerint, quanto enim teneriora & formabiliora, ſunt primordia ſeminum, tanto efficacius & capacius ſequuntur intentionē vel appetitum animæ maternæ, & phantaſiam quæ in ea facta eſt per corpus, quod cum auiditate conſpexit. *Ariſtoteles vbi ſupra.* In Thracia ſunt duo flumina quorum vno potato, oues pariunt nigros, alio vero potato, pariunt albos, eſt etiam aliud de quo rubeos.

Colores camaleontis vnde?

De diſtinctione ſexus in embryone.

CAPVT XXXVII.

ET quoniam embryo priuſquā in matrice cōpleatur eius creatio, diſtinguitur mas & fœmina. Dubiū eſt vtrum illa differentia ſit ex mare aut ex fęmina, an ex locis matricis? quia mas erit in parte dextra, fœmina vero in ſiniſtra? Dicit autem Empedocles quod ſperma cadens in matricem calidam fit mas, in frigidam vero fit fœmina. Democritus ponit, quod ſecundum maiorem & minorem abundātiam ſpermatis exeuntis à mare fit iſta differentia. Porro quidam homines fingunt, quod ſi pars dextra teſticulorum ligata fuerit generabitur fœmina, ſi ſiniſtra maſculus, quod etiam dicebat Lucanus, ſed hoc rectum non eſt, quoniam animalia multa ſine teſticulis generantur, vt carentes pedibus, ſicut genus piſcium & ſerpentes. Sermo autem illorum qui fingunt quod calor & frigus eſt cauſa generationis maris & fœminæ, & etiam illorum qui fingunt quod cauſa huius eſt exitus ſpermatis à parte dextra vel ſiniſtra, eſt aliquid differentiæ ſecundum aliquem modum. Dextra nanque pars eſt ſiniſtra calidior, & quod calidius eſt, magis eſt digeſtibile, ſed hoc eſt cauſam remotam aſſignare. *Secundum vero cauſam propinquam mas & fœmina diſtinguuntur per fortitudinem quādam & debilitatem, ſine per digeſtionem ſeminis & indigeſtionem.* Sperma nanque poteſt aliquid digerere, & ſi hoc eſt in eo principium mouens, neceſſario erit mas. Eſt enim ſperma quaſi operans, & materia fœminæ quaſi patiens. Et cum omne digeſtum non niſi per calorem diſtinguatur, neceſſario ſunt mares animalium fœminis calidiores. Cum ergo primum vincere non poteſt, ſed debile ad digerendum eſt propter caloris paucitatem, nec embryonem cauſare poteſt ad ſuæ formę ſimilitudinem, id eſt maſculini ſexus. Vnde neceſſario fit alteratio ad contrariū. Fœmina verò mari contraria eſt, & quoniam hi duo diuerſantur in virtute, neceſſe eſt vt diuerſentur etiam in inſtrumento, quia natura dat omni membro ſimul inſtrumentum & virtutem, habetque mas inſtrumentum ſuum ſcilicet membrum coitui cōueniens, fœmina ſuum ſcilicet matricem. Cum autem alteratur aliquod membrum principale, neceſſario etiam alteratur ſuſtentatio totius animalis, vt patet in caſtratis, & non dicitur mas niſi quia poteſt. Fœminæ vero debilitas attribuitur. *Fortitudo autem & debilitas attribuitur cibo, quoniam non ſunt niſi digeſtio & indigeſtio cibi vltimi.* Cauſa ergo illius ſcilicet maris & fœminæ eſt prima virtus exiſtens in membro, in quo eſt principium caloris naturalis propter hoc eſt ſuſtentatio cordis ante ſuſtentationem aliorum membrorum, ſiue ſit illud quod creatur mas ſiue fœmina.

Cauſa propinqua diſtinctionis maris & fœmina.

Fortitudo vnde?

Adhuc de eodem.

CAPVT XXXVIII.

Sperma autem eſt vltimi cibi ſuperfluitas; id eſt cibi pertranſeuntis in quodlibet membrum. Nec eſt differentia inter ſermonem dicentis, quod ſperma exit à quolibet membro, & dicentis quod ſperma tranſit in quodlibet membrum. *Cumque ſemen maris vincens fuerit, filius patri ſimilis erit, quoniam eum ad formam ſuam adducet.* Cum vero victum fuerit, ibi ad formam contrariam id eſt fœminam. Et hoc teſtantur accidentia. Nam adoleſcentes & ſenes plus generant fœminas quam cæteri, quia calor in illis ſcilicet adoleſcentibus, nondum completus eſt. In his autem ſcilicet ſenibus diminutus eſt. Corpora etiam humida id eſt phlegmatica, quorum creatio ſimilis eſt corporibus mulierum, generant fœminas. Item cum ventus ſeptentrionalis flauerit, generatur mas. Cum vero auſtralis ſiue meridionalis fœmina, quia tunc corpora ſunt humida, propter hoc ſperma multiplicatur & indigeſtum manet. *Dicunt autem paſtores, quod mares & fœminæ generantur non propter ventum ſeptentrionalem & auſtralem tantum, ſed etiam propter aſpectum ad partes illas*: Alteratio ergo forte parua erit cauſa frigoris & caloris, quæ ſunt cauſa diuerſitatis generationis. In hominibus autem occaſionantur plus mares concepti, quam fœminę, quia propter calorem naturæ maioris ſunt motus, & ob hoc eis accidunt læſiones, & fracturæ, in cæteris animalibus non eſt ſic.

Sperma quid?

Experientia paſtorum.

Propter

Propter hoc etiam, id eſt propter fortitudinem caloris eſt diuerſitas in complemento creationis maſculorum & fœminarum, in genere hominis, quod non apparet in cæteris animalibus, quia non eſt diminutio fœminis brutorum à maribus. Itaque mares in matricibus mulierum diſtinguuntur in minori tempore quam fœminæ, quia fœminę frigidiores ſunt, & ob hoc debiliores. Fœmineitas autem occaſio naturalis eſt, propter frigus ergo tarde diſtinguuntur, quia diſtinctio quidam modus eſt digeſtionis, calor autem digerit. *Poſt partum vero citius creſcunt fœminæ quam mares, citiuſque ſeneſcunt, ſimiliter propter naturæ ſuæ debilitatem.* Omnes enim res minores ac debiliores citius ad complementum perueniunt. Cum autem mulier impręgnatur gemellis, & fuerit mas vnus, alter fœmina, non erit æqualis eorum diſtinctio, ſed maris diſtinctio prius fiet. Ob hoc etiam minus ſaluabuntur, id eſt citius aborſum patientur. Non ſic autem accidit in animalibus cæteris: propter dictas autem cauſas, quidam filiorum aſſimilantur patri & matri ſecundum totum corpus, & quidam non; quidam etiam patribus & non auis, & forte econuerſo. Forſitan etiam erunt mares fœminis ſimiles, & fęminæ maribus. Quidam vero nulli parentum aſſimilantur, ſed naturam habent à genere ſuo extraneam. Sed quando vincit motus primi generantis, & bene operatur in ſuperfluitate menſtrui, ita quod completur forma embryonis ex motu maris, tunc erit natus mas patri ſimilis.

Fœmina citius ſeneſcũt quam mares

De formatione membrorum animalis.

CAPVT XXXIX.

OMnia vero animalia principium habent intra, propter hoc apparet cor prius diſtinctum in omnibus animalibus habentibus ſanguinem, quoniã ipſum eſt principium membrorum conſimilium ad inuicem, quod enim habet generationem augetur cibo, vt vltimus cibus non eſt niſi ſanguis, vel quod ei conuenit. Vaſa vero ſanguinis venæ ſunt, & harum principium eſt cor. Quoniam ergo animal inperfectum neceſſario cibum accipit ex alio loco ſcilicet à matrice, propter hoc natura duas venas extrahit à corde magnas, ex quibus exeunt venæ ſubtiles ad matricem peruenientes, & ex eis fit vmbilicus. *Eſt enim vmbilicus vena in quibuſdam vna, & in quibuſdam multæ.* In quarum circuitu eſt coopertorium corij, quoniam indiget ſaluatione propter earum debilitatem. Cor ergo eſt primum membrum in animalibus habentibus ſanguinem; in alijs autem eſt membrum ei conueniens. Hoc etiam patet per hoc, quia virtus ſpiritualis vltimo remanet in corde quaſi natura via circulari procedat, membráque interiora ſunt ante exteriora, & prius apparet eorum magnitudo. Pars quoque ſuperior diſtinguitur, quæ eſt à pariete ad ſuperius, & eſt maior reſpectu inferioris, quæ apparet non diſtincta. Inferior hanque non eſt niſi per ſuperiorem, & ob hoc in embryonis creatione prius apparent caput & oculi valde magni, quod autem eſt ſub vmbilico paruum valde. Cæterum animal quod anhelat, dum eſt in interiori matricis, recipit ibi diſtinctionem, nec anhelat ante pulmonis creationem. Generatio vero membrorum conſimilium in partibus ſuſtentatur ex calore & frigore. Quædam enim coagulantur ex calido, quædam ex frigido. Ex venis ergo & vijs quæ ſunt in quolibet membro, ſcilicet à corde procedentes, peruenit cibus ad ſua loca. Et primum quidem quod erit ex illo cibo, erit caro vel membrum ſibi conueniens. Suſtentatio vero carnis eſt ex frigore, propter hoc diſſoluitur ab igne.

Cor primo formatur.

Vmbilicus quid?

Mollificatio terreſtrium membrorum

Membra vero terreſtria in quibus eſt pauca humiditas, & calor, quando calefiunt, exit ab illis illa humiditas, atque diſſoluitur ex multitudine terreſtri, ſicut vngues, cornua, ſolutares & ſoleæ: propter hoc mollificantur in igne, & quædam ex humiditate. Ex calore vero interiori deſiccantur venæ & oſſa: & ob hoc oſſa non diſſoluuntur ab igne, ſicut nec vas fictile, quia ſunt quaſi res aſſatæ in fornace. Oſſa ergo concurrunt ex calore generationis. Frigus ergo eſt cibus caloris, quia natura ambobus vtitur. Sic natura itaque diuerſimode operatur ſingula membra, eritque caro mollis, neruus ſiccus attrahens, & oſſa ſicca velocis fracturæ. Corium autem fit à calore carnis facientis exhalare humidum frigido reſtringente, ſicut accidit in rebus decoctis, quando ſuper eis eleuatur aliquid declinans ad ſiccum. Nec eſt inter corium & teſtam differentia, niſi quòd in teſta plus eſt de terreſtri.

Adhuc de eodem.

CAPVT XL.

OMnia vero membra prius terminos & ſigna recipiunt, deinde vero colores, & duriciem, ac molliciem. Nam & ſignator id eſt pictor vel ſculptor imaginum prius ſignat, & poſtea colores ſupponit. Quoniam ergo in corde debet eſſe principium ſenſuum & omnes virtutes animales, ideo creatur prius; propter calorem verò cordis & exitum venarum ab eo, poſuit natura membrum frigidum in eius oppoſito, ſcilicet cerebrum ad illius calorem temperandum. Et ob hoc creatur caput poſt creationem cordis: Cuius ſcilicet capitis magnitudo maior eſt quàm aliorum membrorum, & oculi prius apparent magni valde, qui tamẽ vltimo creãtur, ſcilicet poſt alia membra. Horum cauſa eſt, quia cerebrum magnum eſt & humidum ex prima creatione, nec vllum membrum in capite frigidum eſt & humidum vt cerebrum & oculus, propter cerebrum ergo caput eſt valde magnum, & propter humiditatem apparent oculi prius magni; ſed complentur in vltimo, quia completio cerebri non niſi difficile fit. Frigiditas enim & humiditas quæ ſunt in eo, non deſiccantur niſi valde tarde, hoc accidit omnibus animalibus magnũm habentibus cerebrum maximéque hominibus. Ob hoc in eis locus ſincipitis eſt valde humidus, nec etiam duratur niſi vltimo. In infantibus quidem os ſincipitis eſt valde molle, quia cerebrum habent magnum & humidum, maiuſque cerebris aliorum animalium: vnde non poſſunt caput longo tempore ferre propter pondus cerebri.

Cor principiũ ſenſuum.

*Creatio oculorum & complementum fit poſt longum tempus propter retardationem digeſtionis humiditatis cerebrum continentis. Itaque quodlibet animal habens multas fiſſuras in pedibus, vt canis, leo, lupus, & vulpes, generant filios cæcos: extra vero ſeparantur oculi & vident. Oculorum autẽ creatio non erit niſi ex cibo. Membra quidẽ nobilia dominantia communicationem habentia ex primo motore, cibum habent mundum bonæ decoctionis ſcilicet primum cibum. Membra vero quibus neceſſario indigetur, & eorum creatio propter iſta, cibum habent peiorem. Porro natura tanquam reſtificator & rector eſt, quia cibum mundum, bonum valde dat membris nobilibus, & quod ex eis ſuperfluũ ac malum eſt, dat membris ſeruilibus.

Creatio oculorum.

Ex materia ergo valde munda, creantur inſtrumenta ſenſus corporea. Ex ſuperfluitatibus vero ſuſtentantur pili, cornua, ſoleæ, vngues, & ſimilia, propter hoc vltimo erit eorum creatio, quando ſcilicet in corpore fuerit ſuperfluitas ſuſtentans. Natura dentium vero eſt ſicut natura oſſium. Verumtamen inter oſſa cætera, dentes ſolummodo creſcunt, quandiu viuit animal, aliàs enim cito conſumerentur. Nam & dẽtes animalium multum comedentium, & magnis dentibus carentium, cito teruntur. Differunt etiam hi ab oſsibus; quoniam oſſa cętera creãtur ex prima ſuſtentatione corporis, id eſt ſpermate. Creatio vero dentium ex vltimo, id eſt ex cibo. Crementum autem cuiuſlibet membri ex parte vmbilici, vt ſupra dictum eſt. In hominibus citius formantur in ventre mares quam fœminæ. *Si maſculus eſt conceptus, figuratur in diebus 40. ſed fœmina quaſi in 70.*

Senſuum materia mũda.

Conceptionis tempus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De monstruosis fœtibus animalium.

CAPVT XLI.

ARistoteles. Quandoque vero cum motus virtutis agentis debiles fuerint, & non vicerint materiam, remanebit quidem vniuersalitas & erit animal, sed habebit forte caput arietis aut tauri, aut aliud huiusmodi, & forte generabitur vitulus habens caput hominis, vel agnus caput tauri. Huiusmodi monstruositas accidit quandoque secundum modum hunc, id est per coitum diuersorum in specie, vel etiam per modum imprægnationis, id est concubitus, scilicet innaturalis. Dicitur autem aliquid mõstrum propter membrorum suorum multitudinem, & formæ suæ diuersitatem, quia fortè multorũ pedum erit, vel multorũ capitum. *Democritus fingit*, quod mõstruosus est filius propter duo spermata in matrice continuata, & hoc verum est in auibus, maxime in gallinis, vnde in ouis inueniuntur, quandoq; duo vitelli, propter spermatum congregationẽ. Itaque cum nullus paries inter eos distinxerit, tunc generabitur ex eis pullus monstruosus habẽs vnũ caput & vnũ corpus, sed quatuor pedes & quatuor alas; quia pars superior prius ex albo creatur, & ex citrino cibatur, deinde pars inferior creatur posterius, & cibus est vnus non per parietes distinctus. Si vero fuerit tela diuidens inter sperma primi coitus & secundi, erũt duo pulli. Sic ergo ex coitu super coitũ generantur filij gemini, vel monstruosi. Iam enim apparuit serpens habens duo capita propter eandẽ causam, quia serpẽs etiã ouat, & est multorum ouorum, non autẽ inuenitur in eis mõstruositas, nisi raro propter figuram matricis, quoniam eorum oua dispositа sunt in matrice secundum aciem propter suã longitudinem. Porro apibus & vespis non accidit hoc, quia quilibet eorum pullus est in foramine per se.

Democriti sententia.

De eodem.

CAPVT XLII.

Monstruositas vnde?

ITaque debemus opinari, quod accidit monstruositas ex materia, & ob hoc inuenitur in generantibus multos filios & maximè in ouibus, & capris. In mulieribus autem & in cæteris non nisi raro. In animalibus quoque fissorũ pedũ multis fissuris, accidit magis quam in alijs, propter multitudinem filiorũ, & quia non pariunt filiũ completum vt canis quæ vt pluries parit cæcos. Multitudo namq; prohibet complementũ creationis, & illa diminutio procedit quandoq; ad creationem mõstruosam quæ accidit ex errore operationis naturæ. Et fortè parietur filius habẽs multos digitos, vel vnũ tãtũ & similiter in alijs membris. Forsitan autẽ habebit virgã & membrũ mulieris, quod accidit mulieribus & capris. Iam etiam apparuit caper habens in cruribus suis cornua. Huiusmodi alteratio & diminutio inuenitur etiã in mẽbris anterioribus quia quorundã creatio quãdoque diminuta est quandoque autem inuentũ est animal carens corde & hepate, scilicet forte carebit splene vel forte habebit vnicum renẽ, vel duo fella, forte vero habebit splen in dextro, & hepar in sinistro. Hoc totum sicut diximus, visum fuit in completis viuis animalibus.

Recedentia à natura nõ tam diu viuunt.

Sed quod exit à natura modico tẽpore viuit, & quod multũ à natura recedit, non viuit, maximè si in membris principalibus alteratio naturæ fuerit. Causa vero generationis geminorum eadem est cum causa membrorum superfluorum. In prima namque conceptione cum in aliquo membro sustentatur multa materia scilicet plusquam debet, accidet quod illud membrum erit maius alio: sicut digitus, manus, vel pes: & forte si diuidetur materia, fietque ex eis creatio geminorũ, sicut accidit radicibus arborum, quas tangit ictus fulminum, quoniã in duo diuiduntur, & ex vna radice sustentatio duarum arborum efficitur. Illud quoque quod accidit quibusdam, vt habeant naturam maris & fœminæ, fit etiã ex declinatione superflui seminis ad illam partem, cuius, scilicet materię pars vincitur, pars vero non, eritque membrum vnum principale, & aliud non. *Denique sciendum quod portẽtosa accidentia animalium signa sunt futurorum.*

Nota.

De animalibus bigeneribus.

CAPVT XLIII.

ISidorus. In animalibus autẽ bigenera dicuntur, quæ ex diuersis nascuntur; *vt mulus ex equa & asino, Burdo ex equo & asina. Ibride ex apris & porcis, Tigyrus ex oue & hyrco. Musino ex apra & ariete.* Est autem dux gregis. *Iudæi asserunt quod Ana nepos Esau æquarum greges ab asinis in deserto primus fecerat ascendi*, vt mulorum inde contra naturam animalia noua nascerentur. Ohagros quoque ad hoc admissos esse ad asinas, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascerẽtur. Sic & Iacob contra naturam colorum similitudines procurauit. Nam tales fœtus oues illius concipiebant, quales vmbras arietum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Denique & hoc ipsum in equarum gregibus fieri fertur, vt generosos obijciãt equos visibus concupiscentium, quo eorum consimiles concipere & creare possint. Nam & columbarum dilectores depictas ponũt pulcherrimas columbas in locis quibus illæ versantur, quo rapiente visu similes generent. *Inde est quod quidam grauidas mulieres iubent nullos intueri turpissimos animalium vultus*, vt cynocephalos & simias; ne visibus occurrentes similes fœtus pariant. Hanc enim fœminarum esse naturam, vt quales prospexerint siue mente conceperint in extremo æstu voluptatis dum concipiunt, talem & sobolem procreent. Etenim animal in vsu venereo formas extrinsecus transmittit intus, earumque satiata typis rapit earum species in propriam qualitatẽ. Itaque industria humana diuersum quoque animal in coitu coegit, sicque adulterina commixtione genus aliud reperit.

Ana mulorũ inuentor.

Cauenda grauidis.

Solent enim & Indi fœminas canes noctu in syluis alligatas admittere ad tygrides bestias, à quibus insiliri & nasci ex eodẽ fœtu canes adeo acerrimos & fortes dicunt, vt complexu leones prosternant. *Dicuntur & lyciscі*, vt ait Plinius, canes nati ex lupis & canibus, cum inter se forte miscentur. *Leopardus quoque ex adulterio leænæ, & pardi nascitur. Plinius libro 10. Equarum iubas tondere præcipiunt, vt asinorum coitum patiantur. Aristoteles vbi supra.* Omne autem animal specie differens generantibus, natura sterile est. *Glossa.* Sicut mulus, & burdo, non enim oportet vt generent simile, cum ad id sufficiat permixtio specierum. Natura namque nihil agit superflue, sed neque dissimilia generare potest, sic enim per dissimilia cursus esset in infinitum, quod respuit natura.

Canum generatio ex tygribus.

De Naturali partu animalium.

CAPVT XLIV.

ARistoteles. Omne animal paucos filios generans facile potest eos creare, sed huiusmodi pariunt animalia completa, vt habẽtia soleas vel sotulares. Animalia vero fissorum pedum generant filios non completos, & habent multos, eosque creare possunt in principio, cum autem creuerint non pascunt eos, sed pariunt, sicut animalia faciunt quæ pariunt vermes, fortassis ergo parient filios non distinctos, occasionatos, sicut vulpes, leo, & quidam istorum filiorum erunt cæci. Porca vero generat multos filios completos, quia natura eius est inter duos modos prædictos. Illud enim animal non est magnũ, sicut animal habens soleas. Sed cibus qui transire debet in corpus, transit in superfluitatem seminis, completque quod concipit propter bonitatem ac fertilitatem sui corporis. Est enim sicut arbor plantata in terra pingui multum cibum habenti. *Quædam ergo animalia generant incompletos propter diminutionem cibi, sicut patet in filijs, quos generant mulieres in mense septimo.* In hoc etiam imprægnationis tempore diuersificantur in

Incompleti filij vnde?

homine,& in alijs. Mulier namque ſeptimo menſe parit,& in nono, & fortè in octauo, ſed in maiori partu moritur. Mulieribus propriè in tempore partus accidit fortis dolor. Cæteris autem animalibus nō. Omnes autem animalium filij quando pariuntur dormiunt propter conſuetudinem dormiendi in matrice. *Et in ventre quidem vſque ad tempus partus caput habent conuerſum ſuperius, quando vero mouentur ad partum, vertunt caput inferius.* Igitur naturaliter exitus omnium animalium eſt ſuper caput, quia pars ſuperior maior inferiori, ſicut accidit trutinæ, quia ponderoſius ad terram declinat.

Situs partus in ventre.

De eodem.

CAPVT XLV.

Plinius vbi ſupra. Terreſtrium, vipera ſola intra ſe parit oua vnius coloris, & mollia vt piſces. Tertia die intra vterum catulos excludit, deinde ſingulos ſingulis diebus parit 20. fere numero. Itaque cæteri tarditatis impatientes latera perrumpunt occiſa parente. Cęterę ſerpentes contexta oua in terra incubant,& fætum ſequenti anno extludunt. Ocyſſime pariunt, quæ plurimos gignunt. Quo maius eſt animal, tanto diutius vtero formatur, diutius geſtantur quibus longiora vitę ſpacia. Neque creſcentium tempeſtiua ad generandū ætas. Quæ ſolidas habent vngulas, ſingulos, quæ biſulcas geminos pariunt, quorum in digitos pedum fiſſura diuiſa eſt, eo numeroſiora in fœtu. Sed ſuperiora omnia perfectos edunt partus, hæc inchoatos. *In quo genere ſunt & Leænę. vulpes. & viſæ;* Informia magis quidem quā ſupradicta; Poſtea lambendo calefaciunt fætus, & figurant, pariunt plurimum, qua ternos. *Cæcos autem gignunt canes, lupi, pantheræ, thoes.* Canes qui ante iuſtum tempus conceperint, diutius cæcos habent catulos. Daſipodes omni menſe pariunt,& ſuperfætant ſicut lepores. Nam daſypus & lepus tantum ſuperfętant, à partu ſtatim implentur, concipiuntque, quamuis vbera ſiccante fœtu pariunt non cæcos. Quæcumque animal pariunt, in capita gignunt, circumacto fœtu ſubnixum, Alia in vtero porrecta: quadrupedes geſtantur extenſis ad longitudinē cruribus,& ad aluum ſuam applicatis. *Homo vero in ſemet conglobatus inter duo genua naribus ſitis.* Quadrupedum oua gignentium, lacertas ore parere, vt vulgo creditur, Ariſtoteles negat. Neque incubant oblitæ quo ſint in loco enixæ. Quoniam huic animali nulla memoria. Itaque per ſe catuli erumpunt.

Inchoati partus.

Caci.

Situs hominis in vtero.

De cremento animalium,& ætate.

CAPVT XLVI.

Ariſtoteles. Crementum animalium non eſt, niſi ab eo in quo naturaliter delectantur, & illud à quo generantur, idem eſt cum eo à quo creſcit, ideſt cibus. *Piſces pluuialibus temporibus impinguantur, & vniuerſaliter nihil bene creſcit niſi pluuia imbibatur.* Fœminæ citius creſcunt, & ſeneſcunt quam maſculi. In hominibus tamen, vt dictum eſt, citius formantur mares, quam fœminæ. *Corpus viri creſcit quinque annis quaſi ſecundum medietatem ſui crementi Elephas creſcit annis quadraginta,* & magnus eſt præ omnibus animalibus. Poſterius minus eſt, quam anterius, præterquam in homine in quo pars ſuperior proportionalis eſt inferiori, minor etiam in decrepitis, ſed in pueris èconuerſo, propter hoc infantuli non poſſunt eleuare ſe, quia ſuperius maius eſt, & ponderoſius inferiori earum. Cum vero iuueneſcunt, pars inferior ſupercreſcit. In quadrupedibus è conuerſo. Dum enim naſcuntur, pars inferior maior eſt ſuperiore, deinde ſuperior pars ſupercreſcit. Ideo quadrupedia nata ſe erigunt ſtatim,& incedunt. Ob hoc etiam pullus equi poſteriori pede caput ſuum tangit, equus autem factus non poteſt. Similter, & aues,& piſces plus habent carnis anterius, quam poſterius; *propter hoc ergo omne animal minoris eſt intellectus, quam homo, quia pondus ſuperioris partis diminuit intellectum, propter eandē quoque cauſam pueri minoris intellectus ſunt, quia caput habent craſſum, & ponderoſum.* Animalia magni corporis vnum filium generant,& animalia parui corporis multos, quia multus cibus in crementum corporis tranſit, & ideo remanet ex eo niſi modicum ſcilicet vnde ſperma generatur. Quod vero natura diminuit in multitudine, addit in magnitudine,& ecōuerſo, nihil enim agit ſuperflue. Pueri non habent cauſam ſpermentalem. Vnde nec calueſcunt ſicut nec mulieres. Homo autem, & equus in ſenectute calueſcunt cauſa ſupra dicta. Cætera vero animalia nequaquam. Iuuenes in animalibus fortiores ſunt pueris, quia iuncturæ puerorum fortes non ſunt, nec eorū nerui, ſimiliter neq; ſenū, vox quoq; iuuenum animalium acutior eſt voce ſenum, excepto vitulo, in quo accidit contrariū. *Item in iuuene ſanguis eſt tenuis, & aquoſus, multus. In ſene vero, ſpiſſus, niger, paucus.* Animalia pilos habentia, quando ſeneſcūt, indureſcunt eorū pili. Similiter & in auibus plumæ. Cortices vero ſiue cutes animalium incraſſantur & indurantur tunc, propter diminutionē caloris & propter tranſitum humoris cum calore magis indurantur. Frigus enim non indurat tantum, ſed etiam inſpiſſat corpus atque condenſat. Animal multæ pinguedinis cito ſeneſcit,& parum generat, multaſque habet occaſiones, in prima ætate, & in ſenio, & infirmis non eſt ſperma. *Gloſſa.* In prima quidem ætate, quia cibus tranſit in crementum corporis. In ſenio vero,& infirmis, propter debilitatem vel paucitatem caloris.

Piſces pluuia creſcunt.

Cauſa minoris intellectus in bruto & pueris.

De ſuperfluis humiditatibus animalium.

CAPVT XLVII.

Ariſtoteles in lib. de vegetabilibus. In omni animali & planta,& minera finita humoris materia prouenit ſiccitas loco humoris propter victoriam indigeſtionis. *Digeſtio enim eſt vbi humor, & calor quandoque terminum conſequentur.* Eritque indigeſtio in lapidibus, & mineris, inanimali vero,& planta nō ſic, quia partes earum cōpactæ ſunt, vnde & ab eis fluxus venit, in mineris non eſt fluxus neque ſudor, quia partes earum raræ non ſunt, ideo nihil ab eis egreditur, ſicut ab animali, & planta ſuperflua quædam, quia calor humorem ad extremitates trahit, diſpergiturq; materia per omnes partes eius,& quod ſuperfluit, emanat ſicut enim in balneo calor humorem trahit, qui in vaporem conuerſus eleuatur,& quando ſuperfluit in guttas conuertitur, Sic in animali,& planta ſuperfluitates aſcendunt,& iterū deſcendūt in actionibus ſuis. *Idem in li. de animalibus.* In animalibus quidē magni corporis neceſſe eſt modicū eſſe ſuperfluum,& ideo paucę ſunt generationis quia ſuperfluū tranſit in magnitudinem corporis indigentis multo cibo. Omnia ſuperflua habent in corpore loca, nota vt ſuperflui tibi ſicci locus eſt inteſtinum inferius,& ſuperflui humidi veſica. Locus autem ſpermatis matrix,& loca coitui conueniētia teſticuli ſcilicet & virga. Locus vero lactis hubera. Eſt & aliud de corpore exiens non ſecundum viam ſuperflui quo indigetur, ſed ſecundum viam diſſolutionis, nec habet in corpore naturalēlocū, ſed vagatur caſualiter ſcilicet vt ſudor,& huiuſmodi.

De Sudore.

CAPVT XLVIII.

EX ſuperfluitate quidem humida paruarum venarum exit ſudor, nec fit niſi quando calefit corpus, & aperiuntur orificia venarum. *Iam vero quibuſdam hominibus accidit ſudor ſanguineus propter malitiam complexionis, quia corpus eorum valde rarum fuit, & paratum ad fluxum, ſanguiſque valde humidus, & aquoſus propter debilitatē caloris in venis parvis.* Sanguis enim quādo digeritur, inſpiſſatur. Color vero non poteſt digerere propter multitudinem ipſius cibi. *Auicenna in 2. canone. Sudor eſt aqueitas ſanguinis plus cholericū admixtā eſt & eſt digeſtius, quā vrina.* Eſt enim ſuperfluitas vnctuoſitatis, & humiditatis poſt digeſtionem vltimam. *Vrina eſt ſuperfluitas*

Sudor ſanguineus.

ſecun-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſecundæ digeſtionis. Diuerſificatur autem calor ſecundum animalia,& in ipſo eſt reſolutio non pauca. *Sudor athletarum confert apoſtematibus inguinis, & ea reſoluit.* Sudor ſiccus luctantium cum oleo de alchana reſoluit apoſteta mammillæ,cum oleo vero roſato ponitur ad congelationem lactis in mammilla. Præterea ſordicies luctantium, quæ congregatur in corporibus eorum quando inunguntur oleo,& permiſcentur pulueri,ſiue quæ cõgregatur ſuper parietes ex vaporibus, & ſudoribus earum reſolutiua eſt iſchiaticæ. Confert etiam duriciei matricis. *Idem in 4. canone.* Sudor beſtiarum venenoſus eſt,& ex eius potu fit facies viridis,& apoſtematur, & currit ex corpore ſudor fœtidus,& ex aſcellis. Cura eius eſt vomitus cũ aqua tepida,& tyriaca ex terra ſigillata.

Remedia ex ſudore.

De lachrima,& ſaliua.

CAPVT XLIX.

AVctor. Lachrymam,vt ait Iſidorus, quidam à laceratione mentis dictam putant, quia ſcilicet ex dolore mentis ſolet procedere, ipſamque quodammodo doloris affectu laceratam oſtẽdere. Sed hoc dumtaxat in homine rationali mente prædito,veruntamen cęterorum etiam animalium nonnulla ex affectu conſimili reperiuntur fleuiſſe. *Eſt autem lachryma ſtilla vel gutta liquida,lucida vel ſalſa, ex oculis profluens, aliquando quidem ex ira,& indignatione, aliquando ex cordis vel corporis anguſtia vel dolore,aliquando ex pietate vel compaßione,aliquando vero ex deſiderio, vel gaudio vel amore procedens. Iſidorus in li. etymologiarum.* Solum equum fertur præter hominem lachrymari, & doloris affectum ſentire. Interfectis itaque vel morientibus dominis ſuis multi lachrymas fundunt. *Gregorius in moralibus.* Saliua in os à capite labitur,ab ore vero ducitur ad ventrem dum glutitur. *Auicenna in 4. canone.* Saliua diuerſificatur ſecundum ſpecies,& complexiones ſingularium. Virtus eius omnino maturatiua eſt reſolutiua,abſtergit pannum,& lentigines,ac ſanguinem mortuum,venenis quoque reſiſtit, & ſputum hominis ieiuni ſcorpiones interficit. Item fricatur impetigo cum ſaliua hominis ieiuni, & camphota. Eadem quoque dum diſtillatur in aurem à vermibus læſam,eos interficit,& ſtatim educit.

Lachryma etymon.

Saliua.

De vrina.

CAPVT L.

ARiſtoteles vbi ſupra. Omnis animalium fœmina mingit ad poſterius. Ex maribus autem quadrupedum,quæ mingunt retro eſt elephas,leo,camelus, & animal piloſum. Non poteſt autem eſſe animal habens ſoleas, & mingens retro. *Aues non mingunt, quia parum bibunt,& quod ſupereſt humidi tranſit in plumam.* Similiter neque piſces,& generaliter,nec aliquod ouans. *Auicenna vbi ſupra.* Vrina calida eſt,& ſicca. Omnis autem abſterſiua eſt. *Itaque Morpheam abſtergit, confert doloribus neruoſis,& præcipuè vrina caprarum domeſticarum,& montanarum, propriè ſpaſmo, & extenſioni vel tetano.* Item in vaſe æreo coagulata confert albugini, & ſcabiei, proprieque vrina puerorum. Similiter,& cocta cum porris. Fex vrinę confert Eriſipilæ ſuppoſita. Confert etiam linita ſcabiei,& Sahapha,& vlceribus venenoſis, vlceribus pedum. Ex vrinis quidem magis iuuatiua eſt vrina Cameli Arabici. Vrina vero hominis debilior eſt cæteris,ea tamen debiliores ſunt vrinæ porcorum domeſticorum caſtratorum, & ex eis fortiores ſunt antiquæ. *Porro vrina hominis caſtrati omnis generis vrina debilior eſt.* Ex vrinis autem magis abſterſiua eſt vrina hominis. Sunt autem vrinæ medicinales humana,aſinina, camelina,caprina, taurina, porcina, canina, leporina,lyncea,de quibus inferius locisſuis dicetur.

Vrina.

Cõtra morpheam,& ſpaſmum.

Vrina caſtrati.

De Stercore,& ſterquilinio.

CAPVT LI.

IN *libro etymologiarum* 11. Stercora ſunt ſordes quę ex animalis purgatione diffluunt. *Haly.* Fimus omnis eſt calidus,& ſiccus,virtus eius variatur ſecundum animal de quo eſt,ciborumque eius naturam. *Auicenna.* Stercus omne calefactiuum eſt,reſolutiuum, & ſiccatiuum. Diuerſificantur autẽ ſtercora ſecundum diuerſitatem ſpecierum animalium, imo quandoque ſecundum diuerſitatem indiuiduorum ſpecie vnius & propriè hominum. Stercus quidem anatis non adminiſtratur propter ſuperfluitatem ſuæ caliditatis. Stercus etiam accipitris, & criſtarellę cæterarumque rapacium raro adminiſtratur,quia ſuperflua ſunt valde. Adminiſtratur autẽ in medicina ſtercus hominis, equi, muli, aſini,bouis,caprę,porci,canis, locuſtæ, talpæ, muris, lacerti, crocodili. Ex auibus vero gallinæ, columbæ, ciconiæ,turdi,palumbi,vulturis,& hirundinis. *Auguſtinus in li. de moribus Manichæorum* Quid ſtercore aſpernabilius? tantã tamen agris vtilitatem affert,vt eius inuentori ſtercurio,à quo etiam ſtercus nomen accepit,diuinos honores Romani deferendos putarent. *Palladius de agricultura li.* 1. Stercus auium maximè neceſſarium eſt agriculturæ,excepto anſerum lætamine,quod ſatis omnibus inimicum eſt. Stercorum congeſtio locum ſuum tenere debebit,qui abundet humore,& propter odoris horrenda conuertatur ab aſpectu,humor enim abundãs hoc præſtabit ſtercori, vt ſi qua inſunt ſpinarum ſemina,putrefiant. Stercus aſinorum primum eſt maximè hortis,deinde ouium,& caprinum,& iumẽtorum. Porcinum vero peſſimũ,columbinum feruidiſſimum. Cæterarumque auium ſatis vtile excepto paluſtrium. Stercus quod anno requieuerit ſegetibus vtile eſt, nec herbas creat ſi vetuſtius ſit,minus proderit. Pratis vere recentia ſtercora proficient. At vber herbarum, & maris purgamenta ſi aquis dulcibus lauentur, mixta reliquis vicem ſtercoris exhibebunt,& limus, quem ſcaturiens aqua vel fluuij incrementa reſpuerint.

Stercoris vtilitates.

De Spermate.

CAPVT LII.

ARiſtoteles. Sperma dicebãt antiqui illud eſſe,quod ex toto corpore exit, per hoc etiam id probantes quia maxima eſt in ea delectatio,& quia ex perfecto generatur perfectum, ſimiliter econtrario. Et quia geniti generantibus aſſimilantur,non in creatione naturali tãtum,ſed etiam in accidentibus, multique geniti maculas habent ſimiles generantibus,& in eiſdem locis. Nos autem dicimus eſſe ſperma,quod habet naturam eſſendi,conueniens toti, & non exiens à toto. Dicebant illi quod ſperma eſt diſſolutio corporis. Nos autem dicimus ipſum eſſe ſuperfluum quo indigetur, & melius eſt,quod & vltimum. Quod enim ſecundum viã ſuperflui ſit,& non ſecundum viam diſſolutionis,ſignum eſt, quoniam animalia magni corporis ſunt paucę generationis,quia neceſſe eſt,vt ſit in eis multum diſſolutũ, & paucũ ſuperfluum, ratione ſupra dicta. Omne quoque quod diſſoluitur à corpore,corrumpitur,naturam ſuam mutat,præterea diſſolutum non habet in corpore naturalẽ locũ,ſed vagatur caſualiter. Itẽ diſſolutio ſemper debilitat,exitus autẽ ſpermatis alleuiat. Et nõ exit à viro ſperma tantũ,ſed ſperma cũ ſuperfluitate,quæ mala eſt, & infirma propter hoc homines multi non generãt. *Nõ eſt autẽ ſperma in iuuenibus propter crementũ, ſperma nãque tranſit in crementũ corporis.* Nec eſt etiã in ſenibus propter indigeſtionẽ,quia natura non poteſt bene digerere, ſed nec in infirmis, propter debilitatẽ. Quidã autẽ ſunt multi ſpermatis,quidã pauci,quidã vero nullius,nõ propter infirmitatẽ ſed propter contrariũ,quando.n. ſani sũt, & multæ carnis nõ ſpermatizant niſi modicũ,nec coitũ deſiderãt niſi raro,ſimiliter & accidit mulieribus,ſuperfluũ nãque in corporibus pinguibus digeritur,& tranſit in pinguedinem. Huiuſmodi occaſio etiã accidit in vitibus fertilibus propter multitudinem cibi,quia fructus earum diminuuntur,& corrũpuntur. Itaque capri, quia quando multum impinguantur, non coeunt niſi raro,

Sperma à toto corpore.

Cur iuuenes ſpermate carent.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

paſtores ſapientes macrificant eos ante coitum, ſimiliter & cultores vitibus fertilibus faciunt. *Igitur manifeſtum eſt, quod ſperma eſt ſuperfluum cibi, quo indigetur, & cibi vltimi, cibi ſanguinei ſcilicet qui per membra ſpargitur, & magnum eis vigorem dat.* Ideoque ſperma corpus debilitat, cumque digeritur, & decoquitur, exit mutatum, & alteratum ſcilicet album, non in colore ſanguinis, niſi exierit indigeſtum. Quando autem vir multũ coire ſatagit, exit ſperma ſanguineum. Rectè vero filij patribus & parentibus ſimiles ſunt, quoniã id quod à membris exiuit, ſimile eſt ei, quod remanſit. Itaque ſperma, quãuis in eo nulla appareat membrorũ diſtinctio, potentia tamen ſimile eſt cuilibet membro. Sperma multiplicatur in corpore cuius complexio calida eſt, & humida. Omne animal multi ſebi pauci ſeminis eſt. Homo vero inter alia animalia comparatione ſui corporis eſt multi ſeminis, humor quidem naturalis, & accidentalis conueniens eſt generationi ſpermatis. Calor itaque ſolis, & calor animalis ſunt in ſpermate, &c.

De Menſtruo.

CAPVT LIII.

Menſtruum quid?

IDem. Menſtruum in fœminis ſimile eſt ſpermati in maribus. *Nec eſt aliud, quam ſperma indigeſtum:* ſed non eſt conueniens generationi, quia ſi fuerit ſperma non erit menſtruum, & èconuerſo. Huius ſignum eſt, quod natura fœminarum debilis eſt, & minoris caloris, earumque corpora molliora ſunt, & leuiora, pauciorisque pili corporibus marium. Minora quoque ſunt eis in omni genere animalium generantium animal. Nec eſt exitus menſtrui, niſi in iſtis generibus tantum. Sed generatio ſpermatis, & menſtrui non fit ſecundum eandem viam. Nec eſt fœtus ex commixtione duorũ ſpermatum, quia multotiens imprægnatur mulier ſine delectatione tẽpore coitus, & quandoque ſpermatizant vir, & mulier, nec tamẽ ab eis aliquid generatur, niſi in matrice fuerit humiditas temperata ex reſiduo menſtrui; *propter hoc omnino non parit mulier, quando menſtruat, neque quando multũ menſtruat.* Animalia ouantia nõ menſtruãt propter corporum ſiccittatẽ. Animalia vero quę generant animal, eijciũt humiditatẽ, præterquam in illis, quæ occaſionantur in generatione, ſicut eſt genus mularum. Fluxus autẽ ſanguinis non manifeſtatur in fœminis aliorum animaliũ, ſicut in mulieribus. In interiori namque mulier eſt maioris ſanguinis, quam fęminę cæterorum & ob hoc accidit ei menſtruum. Ob hoc etiam minus infirmatur quam vir. Lactantes omnino non mẽſtruant vel modicum. Quę vero menſtruo carent, vt plurimum ſteriles ſunt.

De Lacte.

CAPVT LIV.

Lac.

ISidorus li. 11. Lac à Græco deriuatum eſt pro candore. Græci enim album Leucon dicunt. Lac vero, & ſanguis ſunt, quod nutrit, & quod nutritur. *Nam lacte nutrimur, ſanguine viuimus.*

Caſeus.

Caſeum autem vocari quaſi careum, eo quod careat ſero. Nã omne ſerum ei deducitur, vt ponderibus arguatur. *Ex li. de nat. rer.* Lac eſt humiditas in animalibus ſeparata poſt imprægnationẽ. Quandoque tamen vt dicit Ariſt. erumpit etiam in maſculis, ſed non apparet propter creationis eius ſpiſſitudinem. Lac mulierũ nigrarum melius eſt, quam albarũ. In capris autem eſt contrarium. *Ariſt.* Oues præcipuè inter omnia animalia dant lac per multũ tẽpus ſcilicet per 8. mẽſes, quædã vero paſcua mínuũt lac, & quædam multiplicãt, vt ea quæ ſunt inflatiua, ſicut faba, quæ capræ conuenit & vaccæ. Signum vero multitudinis lactis ante partum eſt declinatio vberis ad inferius. Piſcium Delphinus habet lac in mammillis, & lactat fœtus. *Iſaac in dictis.* Lac temperatam habet complexionem in calore, & humiditate, quæ ſunt in primo gradu. Vnde minus quam piſces humidum eſt, phlegmatiſque generatiuum; vicinũque eſt ſanguini; *nec aliud eſt niſi ſanguis ſecundo coctus in vberibus.* Habet tamen à mammillis albedinem, ſaporitatem, & habilitatem.

Diuiſio lactis.

Idem lac tripliciter diuiditur, aut enim dulce eſt vicinitus mammillas exiens, aut acidum aut horum medium. Dulce minus calidum eſt, quam in medio primi gradus, & in initio ſecundi. Quod monſtrat eius ſaporitas, & ſanguinis ſaporis vicinitas, ac facilis in eum mutabilitas. Vnde & minus, quam piſces eſt humidum, & à phlegmate longè remotum. Itaque laudabilius eſt eius nutrimentum, & carni, cæteriſque membris facile aſſimilandum. Non autem eſt accipiendum lac, niſi corpus ſit temperatum, & ſtomachus exinanitus de cholericis, & phlegmaticis humoribus. Corpus enim ſi his ſit mũdatum, & lac benè digeſtum multum; *nutrimentum dat, laudabilem ſanguinem generat, carnem augmentat, & totum corpus laudabiliter humectat, exteriora tenerat, & pulchra facit.* Vnde Rufus. Lac bibentes ieiunos eſſe oportet, & bibatur calidum cum exit vbera: nec aliquid comedatur quouſque digeratur, & labor, & motus nimius caueatur. Si enim cum nimio motu ſtomachi inuenerit defectionẽ, eijcitur lac antequam digeratur, ſi vero fortitudinem inuenerit in corruptionem mutatur.

Lactis vtilitates.

De Lactis origine.

CAPVT LV.

ARiſtoteles. Lac animalis totum eſt in mammillis. Mammillæ vero ſunt in animali, quod generatur vel interius vel extra. *Mulieres lactantes, & impręgnatæ nõ menſtruãt, quia natura lactis, & ſanguinis menſtrui eadẽ eſt.*

Cur lactantes & impręgnatæ nõ menſtruant.

Nec poteſt ita materiare natura, quod duobus ſufficiat, ſcilicet exitui menſtrui, & lactis. Sed quando ſuperfluitas illa tranſit in aliam partem, abſcindetur ab alia: niſi accidat contrarium naturæ. Et quandoquidẽ iam non potuetit eſſe cibus egcepti per vmbilicũ propter magnitudinem, tunc præparatur lac, & iterum cum tranſitus cibi non fuerit per vmbilicum ſtatim conſtringuntur venæ ſuper quas poſita eſt tela, quæ dicitur vmbilicus, propter hoc exit natura extra. Iccirco nõ dicitur eſſe lac ante tempus partus, nec multo poſt, niſi cõtra naturam accidat. Quoniam ergo tempus partus aliorũ animaliũ non diuerſatur, erit digeſtio, & cõplementum lactis in illo tempore. Tempus autem partus mulierum diuerſatur, & ideo neceſſario debet eſſe lac bonũ poſt ſeptimũ menſem. Iam enim non auferetur ab ea pars bonæ digeſtionis, quæ accipiebatur antea, & nõ indigetur illa. Cibus enim omnium animaliũ non eſt niſi dulce, valdeque digeſtum, & quod ex eo remanet ſalſum eſt, & malæ digeſtionis. Iccirco lac ante tempus illud tale eſt, tunc vero congregatur lac bonum in mammillis fœminarum, & in locis ſuperioribus propter ordinem ſuſtentationis, quoniã in loco qui eſt ſupra parietem, eſt principale mẽbrũ in quo eſt vita, & locus ſuperior proprius eſt cibo, & ſuperfluo. Ex iſtis ergo locis, propter cauſas dictas, erit etiã ſuperfluitas ſpermatis; quæ eſt ex natura ſanguinea. In illo quidẽ genere animaliũ erit lac ante imprægnationẽ, nec eſt iuuatio in primo aut in vltimo. Fœminæ vero quæ non imprægnantur, quandoque lac habent in mãmillis ex herbis quas comedunt, & hoc raro accidit. In quibuſdam etiam regionibus nõ expectatur imprægnatio capræ, ſed fricatur eius mamilla cum vrtica, & exit primo ſanguis, deinde ſaniei ſimile. poſtea vero lac bonum non peius lacte imprægnatum. In mammillis quoque marium quandoque reperitur lac, ſed paucum cum exprimitur, & ſi fortè multum exprimatur, hoc accidit paucis, & raro.

De Multiplici lactis diuerſitate.

CAPVT LVI.

ISaac. Lac diuerſificatur quatuor modis, aut ſecundũ naturam animalis, aut paſcuæ ſuæ, aut temporibus, anni, aut nouitate, & vetuſtate. Ex natura animalis, quia aut eſt ex temperato animali bene carnoſo, & huius melius eſt, maximè ſi ab vberibus nouiter mulgeatur. Aut ex animali infirmo, & malæ complexionis

&c

& macro,& huiuſmodi peius eſt, & illaudabilem ſanguinem generat,maximè ſi diu mulſum fuerit. Ex paſcuis autem diuerſatur,quia alia ex teneris, & recentibus herbis paſcuntur, & hæc aquoſum, & ſubtile lac habent,& ſtomacho nociuum. Alia ex ſiccis, & ramorum extremitatibus,hæc habent lac minus aquoſum,non ſolutiuum,ſed ſtipticum, & ſtomachi confortatiuum vt capræ.

Diuerſitas effectuum lactis ſecundum anni tempora.

Ex temporibus anni diuerſatur lac, quia in veris initio ſubtilius eſt,& aquæ aſſimilatur,tunc enim animalia vicina ſunt partui & aquoſi humores adunantur in matrice,quibus neceſſe eſt admiſceatur. Ideoque hoc tẽpore aquoſum eſt nociuum ſtomacho,faſtidium mouens, & vomitum,ſtomachi aſperitaten emolliens,& lubricans, *Vnde & ventrem laxat.* Sed poſt 40. dies vſque in fine veris, & in initio ætatis illa humiditas craſſa conſumitur,& obediens actioni temperatur. Perfectè enim mãmillis iam digeritur,& laudabileac nutribile efficitur. In fine vero æſtatis,& initio autumni calor aeris augmentatur,ſicque minoratur humiditas, & fit lac craſſum, durum ad digerendum, ac ſtipticum. Vnde hęc lactis ſpecies in ſtomacho maximè coagulatur,& infirmitates peſſimæ generantur, quia fumo capiti aſcendente fiunt ſuffocationes,anhelitus,& dolet caput omne. Si autem ad finem autumni peruenerit, iam humiditas ſua ſubſtantialis propius conſumitur,& incraſſatur. Ex nouitate,& vetuſtate diuerſatur,quia aut nouiter mulſum eſt, aut iam diu,aut medium. Nouiter mulſum magis calidum eſt,& temperatum, tamen naturæ animalis ſit vicinum. Vnde laudabilior,& nutribilior erit cibus,maximè acceptum ſecundum quod oportet. Lac vero iã diu mulſum naturam dulcis lactis egreſſum ad frigidinem acceſſit iam & ſiccitatem naturalem, ſicut acetum ex vino ad quod cum lac deuenerit, ad digerendum temperato ſtomacho durum eſt. Quanto ergo durius frigido: Calido tamen ſtomacho ſecundũ medicinã prodeſt parum vel paucum,multum ſumptum,craſſum & malũ dat nutrimentũ. In renibus, & veſica lapidem generat, & arenam. Non tamẽ ſicut dulce coagulatur in ſtomacho,quia iam duæ qualitates ſibi ablatę ſunt humiditas, & calor. Vnde aufertur & coagulatio. Lac autem inter hæc medium tardius eſt,quã dulce ad digerendũ,& velocius quam acidum. Ablata ergo butyroſitate nutribilius erit alio lacte,& vaccinum maximè.

De lacte meliori eligendo.

CAPVT LVII.

Lac melius quod?

Vicenna. Lac melius eſt, quod ex vbere ſugendo bibitur,& illud ex eo melius,quod eſt vehementis albedinis, æqualis eſſentiæ, quod ſuper vnguem diſtillatum figitur,& non currit,& cum paſtus ipſius animalis bonus eſt,& in ipſo lacte non ſapor extraneus, vt amarus vel acris, nec odor horribilis. Et oportet vt adminiſtretur ſtatim vt mulgetur,antequam conuertatur. *Haly.in 2 parte regalis diſpoſitionis.* Lac melius quod eſt mundæ albedinis, temperati liquoris, de ſano corpore animalis,quod nec nimis eſt à partu longinquum. *Dioſcorides.* Lac ſimplex bonum eſt, ſolutorium ventris,& bonos nutriens humores, ſed inflationem ſtomachi facit,& interioribus molliciem. Eſt autem bonum lac niueum,& pingue. Et melius eſt vernale, quam æſtiuale. Omne lac coctum ventrem ſtringit, & maximè ſi lapides in illo cocti fuerint. Lac coctum vulneribus inteſtinorum confert. Lac vero cum melle temperatum, & parte aquę, valet cauſis inteſtinorum, renum, veſicæ, prurigini quoque & cacochymiæ, huic & ſal adhibendum eſt,quia ſal inflari ventrem non finit. Lac quidem magnificum eſt ad nutrimentum,& maximè cum calor naturalis in eo eſt,& primum quidem lac mulierum bene nutritarum.

Ouium lac.

Poſt hoc autem ouium lac contrarium eſt ſpleneticis hepaticis,neruis omnibus,& febrientibus & capitis doloribus,& ſcotomaticis, & epilepticis. Si tamen veluti purgatorium detur,non lædit,ſicut lac artificioſe deco-

A B C D E

ctum. Habet autem omne lac amurcam,quæ per decoctionẽ ſeparatur,hæc ſi accepta fuerit,vẽtrem plus mollit,maximeque melancholicis, & leproſis prodeſt. Lac recens contrariũ eſt venenis acceptis & calorem habẽtibus. Et bibentibus cãtarides aut iuſquiamum prodeſt. Omne autem lac melius iuuat ſi ſugatur, quia plus nutrit,& non facile corrumpitur. Lac mox mulſum omnes inflationes bibitum paragorizat. Item omne lac ad oculorum acre rheuma valet,& ſi deforis cum oui vitello, & oleo roſeo in inflammatione oculorum ponitur, ſomnum facit,& dolorem mitigat.

De lacte malo ac venenoſo.

CAPVT LVIII.

Curatio pro Symptomatibus ex lacte.

Auicenna vbi ſupra. Lac acetoſum frigidum eſt, & ſiccum crudi humoris,& tardè digeſtionis valde fluxum cholericum,& ſanguinem cõſtringit,& multotiens hecticas febres expellit cum aufertur eius butyrũ, & fit ita quod bene digeritur. *Idem in 3. can.* Lac corruptum, quod in via acetoſitatis conuertitur ad putrefactionem aliam,venenum eſt,& ab eo generatur vertigo & ſyncope, & punctura in ore ſtomachi, quandoque etiam accidit ex eo cholerica paſſio mortifera. *Cura autem eius vomere cum aqua mellis, deinde potare vinum putum cum diapiperon, & vaporare ſtomachum cum oleo nardino.* Præterea lac quandoque congelatur in ſtomacho propter aliquam cauſarum lædentium congelantium, aut propter præparationem fortẽ in ipſo lacte aut propter coagulum ebibitum. Et accidunt ex eo ſudor frigidus,& ſyncopes,& febres rigoris. Et eſt huiuſmodi cõgelatio venenum,ſicut congelatio ſanguinis, eſt enim ex genere illius. Ex ipſa iterum accidit frigus corporis,& paruitas pulſus, & præfocatio conſtringens anhelitum, quandoque vero inflammatio ventris. Ad huius curationem datur in potu calamentum ſiccum,& ſtatim reſoluit ipſum propter virtutem ſuam,quia prohibet etiã à coagulatione lac mulctum & conſeruat ipſum. Datur etiã in potu de coagulis aliquid. Ipſum nãque reſoluũt, aut per vomitum vel ſolutionem educunt.

De Coagulatione lactis.

CAPVT LIX.

Coloſtra.

Ariſtoteles. Quædam animalia multum habent lac pluſquam eo fœtus indigeat. Et eſt conueniens materia caſei,maximeque lac ouis & vaccæ. Aliud vero lac non eſt conueniens ad caſeum, & maximè animalis multas mamillas habentis. Coagulatur autem lac, & coagulo,& lacte ficuum. Lac namque ficuum aggregatur in lana,deinde abluitur illa lana cum modico lactis. Poſtea lac illud ibi reſiduum eijcitur, & cum admiſcetur ei coagulatur. *Lac vero multi caſei, plurimi cibi eſt, & quanto denſius eſt tanto caſeacius. Lac cornutorum animalium coagulatur, aliud autem non.* Lac per frigus nõ coagulatur, ſed aquoſitas ab eo ſeparatur. Reſiduum vero fit ſpiſſum atque craſſum, per ignem autem incraſſatur. *Item lac animalis carentis dentibus ſuperius coagulatur.* Lac vero dentes habentis in vtraque mandibula nequaquam, ſicut nec eius ſebum, & eius lac tenue eſt atque dulce. Lac cameli tenuiſſimum eſt reſpectu aliorum. Et ipſum ſequitur lac equæ & poſt aſinæ, lac vaccæ ſpiſſum eſt valde. Et eſt conueniens materia caſei,lac ouis,& vaccæ,lac quoque capræ bonum eſt. *Palladius vbi ſupra.* Coagulandum autem eſt lac coagulis agni vel hædi,vel etiam pellicula, quæ ſolet, pullorum ventriculis adhærere, vel agreſtis cardui floribus, vel lacte ficulneo. *Plinius libro 28.* vtiliſſimum cuique lac maternum concipere, nutricis exitioſum eſt. Hi ſunt enim infantes qui coloſtrati appellantur, denſato lacte in caſei ſpeciem. Eſt autem coloſtra prima à partu ſpongioſa dẽſitas lactis. Maximè autem alit quodcunque humanum,mox caprinũ. Vnde fortaſſis fabulæ Iouem ita nutritum dixere,dulciſſimum ab hominis camelinum,efficaciſſimũ ex aſinis. Magnorũ animaliũ &

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

corporum facilius redditur. Stomacho accommodatiſſimum caprinum, quoniam frõde magis quam herba veſcuntur, Bubulum medicacius, Ouillum dulcius & magis alit, Stomacho minus vtile, quoniã eſt pinguius. Omne autem vernum, aquatius æſtiuo: probatiſſimum vero quod in vngue hæret nec defluit, Innocentius decoctum, præcipue cum calculis marinis. Aluus maxime ſoluitur bubulo. Minus inflat quodcunique decoctum. Sanat vuas, lichenas. Ad omnia vtile contuſa aut luxata, maximè renes, veſicam, interanea, fauces, pulmones. Sũt inter exempla qui aſininum bibẽdo liberati ſunt podagra chiragrave. Medici ſpeciem vnam addidere lactis generibus, quod ſchiſton appellauere. Id fit hoc modo: fictili nouo feruet maxime caprinum, ramiſq; ficulneis recentibus miſcetur, additis totidem cyathis mulſi quot ſint heminæ lactis. Cum feruet, vt circumfundatur, præſtat cyathus argenteus cum frigida aqua demiſſus ita ne quid infundatur. Deinde igni demptum refrigeratione diuiditur, & diſcedit ſerum à lacte. Quidam & ipſum ſerum iam multo potentiſſimum decoquunt, ad tertias partes, & ſub diuo refrigerant. Bibitur autem efficaciſſimè heminis per interualla ſanis diebus quinque à potu illius ſolitis geſtari, datur comicialibus, melãcholicis paralyticis in lepris, elephãtijs, articularibus morbis. Infũditur quoq; lac contra roſiones à medicamẽtis factas. Et ſi vrat dyſſenteria decoctum cũ marinis lapillis aut cũ ptiſana ordeacea. Item contra roſiones inteſtinorum bubulum aut ouillum vtilius, recens quoque dyſſentericis infunditur. Ad collum autem crudum. Item vuluę, & contra ſerpentium ictus, phthiſicis, cantaridum, aut ſalamandræ, aut bupreſtis, aut phithocampes venenis. Priuatim bubulum his quis calaſtrum biberint aut cicutam, aut dorienium, aut leporem marinum; ſicut aſininum, contra gypſum & ceruſam & ſulphur & argentum viuum. Item duræ aluo in febri. Gargarizatur quoque faucibus exulceratis vtiliſſimè, & bibitur ab imbecillitate vires recolligentibus quos atrophos vocant. In febri etiam quæ careat dolorę capitis, pueris ante cibũ lactis aſinini hæminam dari conuenit, aut ſi in exitu cibi roſiones ſentiant. Antiqui in arcanis habuerunt, Sed hoc ſi non eſſet habuerunt è caprino. *Auctor.* Eſt autem coagulum, vt ſuperius dictum eſt, ſtomachus animalis, ſic dictum ex eo quod lac coagulari facit. Extrahitur autem ab animali antequam incipiat herbas comedere, & ſalitur, & conſeruatur ad vſum prædictum.

Medicinalia lactis.

De triplici ſubſtantia lactis.

CAPVT LX.

Triplex ſubſtantia lactis

Isaac. Lac itaque compoſitum eſt ex tribus ſubſtãtijs in virtute & actione diuerſis, vna ſubtiliatiua & mũdificatiua. Altera craſſa & opilatiua, tertia mollitiua & tenitiua. Quod aquoſum eſt acutum eſt & ſubtiliatiuũ. Caſeata ſubſtantia eſt frigida & craſſa & opilatiua, Butyroſa & mollificatiua & vnctuoſa. *Cuiuſcumque ergo lactis maior eſt aquoſitas, ſalubrius eſt alio,* minoris nocumẽti etiam ſi ſæpe accipiatur, quia à craſſo ſanguine generãdo remouetur. Inde Galenus Quodcumque lac ſubtile eſt & aquoſum, ſicut aſininum & caballinum non ſanguinem craſſum generat. Quod vero plus abundat ad caſeum ſicut vaccinum & pecorinum ſanguinem facit craſſum, tamen naturaliter plus vaccinum. Quodcumq; autem in tribus ſubſtantijs eſt temperatum, ſicut fœmininũ & caprinum, perfectũ generat nutrimentum & tẽperamentũ. Vnde antiqui elegerũt ſerũ caprinum. Lac cum ſua ſubſtantia butyroſa mutatur in fumoſitatẽ & genera cholerica, quia butyrum naturaliter eſt nutrimentum caloris. Craſſities vero caſei in acetoſitatem mutatur & putredinem. Vnde non eſt accipiendum niſi corpus ſit temperatũ, & ſtomachus exinanitus de cholericis & flegmaticis humoribus, ſicut iam dictum eſt ſuperius. *Auic. in 2. can.* Lac compoſitum eſt ex ſoluente quod eſt eius aqueitas, & cõſtringente, quod eius caſeitas. Et coloſtra quidem eſt tardæ digeſtionis, & craſſi humoris, tardæque deſcenſionis. Mel autem ipſum rectificat & acquirit ex ea corpus plurimũ nutrimentũ.

Compoſitio lactis.

De ſero.

CAPVT LXI.

Dioſcorides. Serum habet vim purgatoriam educẽs ventris humores. *Iſaac vbi ſupra.* Subſtantia lactis aquoſa & acuta, ſicut iã dictum eſt ſupra craſſos humores inſcidit atque ſubtiliat, lauat quoque viſcera, mordet inteſtina, & mouet adhibita velociter expellendo. Ideoque ventris ſolutiuum eſt, & eſt laudabilis aquoſitas lactis in his quæ ſuauiter mũdificare vis. Maxime ſi in corpore interiori, vel exteriori cute ſunt humores putridi & corrupti vel acuti melancholici de incẽſione choleræ rubeæ vel ſanguineæ. Cuiuſcunque ergo lactis maior eſt aquoſitas ſalubrius eſt alio & minoris nocumẽti, ſicut iã dictum eſt. *Auic. vbi ſup.* Aquoſitas lactis calida eſt, ſubtiliatiua, lauatiua, ſolutiua, & in ipſa non eſt mordicatio. Item aqua caſei impinguat habentes complexionem calidam & ſiccam, cũ eius potu ſoluuntur propter cauſam ſuam. Non autem eos impinguat, niſi quia humectat, & quia malum humorem extrahit, & ob hoc nutrimentum rectificat. Item delet pãnum & cicatrices linitum, & quandoque cõfert eis etiã bibitum. Soluendo autem educit choleram aduſtam & epithimo ſoluit melancholiam aduſtam. In corporibus quoq; calidæ cõplexionis excitat coitum. Item in aqua caſei eſt caliditas quædã, eo quod in ipſa ſunt vitroſitas acquiſita ex ſanguine primum, & pars cholerica, impinguat valde canes & nutrit eos. Potus eius cum medicinis mundificatiuis melancholiæ confert & panno. Eadem recens cocta cum tanto vino quãta ipſa eſt in cortice granati donec conſumatur, prohibet ſpaſmum faciei. Item ſoluendo educit choleram & adiuuat eius abſterſio propter nitroſitatem ſuam, mixta vero melle fit magis iuuatiua. Bibitur etiam propter ſcabiem.

De Caſeo.

CAPVT LXII.

Caſei etymõ.

Iſidorus. Caſeum vocant quaſi careum, ex eo quod careat ſero. Nam omne ſerum ei deducitur vt pondus arguatur. *Palladius vbi ſupra.* Caſeus menſe Maio coagulandus eſt lacte ſincero, qui ſerũ omne deduci debet, vt & ponderibus arguatur, vbi vero ſolidari cæperit, in opaco ponendus eſt loco aut frigido, & ſubinde preſſus adactis pro acquiſita ſoliditate ponderibus, trito ac torrefacto ſale debet aſpergi, & iam durior vehemẽtius premi. Poſt aliquot dies ſoliditate iam formulę per crates ita ſtatuãtur, ne inuicẽ ſe vnaquæq; contingat. Sit autẽ loco clauſo, & à ventis remoto, vt teneritudinẽ ſeruet atq; pinguinem. *Vitia caſei ſunt, ſi aut ſiccus ſit, aut fiſtuloſus, quod euenit ſi aut parum prematur, aut ſales nimios accipiet, aut calore ſalis vratur.* In recenti conficiendo aliqui nucleos virides pineos terunt, atque ita lacte mixto gelant. Aliqui thymum tritum & frequenter cholatum congelant. Qualemcumque etiam ſaporem velis, efficere poteris, adiecto quod elegeris condimento, ſeu piperis ſeu cuiuſcumque pigmenti.

Vitia caſei vnde.

Iſaac li. 1. Caſeus ex tribus ſubſtantijs componitur, vna ex lactea, alia ex coagulo, tertia ex ſale. Lac quoque ſicut diximus cõponitur ſcilicet caſeitate, butyroſitate, & aquoſitate, præter quam diuiſionem & caſeus incidit triplicitatẽ, aut enim recens eſt & aquoſus, aut vetus & parũ aquoſus, aut inter humiditatem recentis & ſiccitatem veteris medius. Coagulum enim virtute ſui acuminis & caloris ac ſiccitatis in eo dominatur, quibus ſua finitur humiditas. In recẽti vero nõ ſic finitur. Et ſi enim coagulum cuilibet caſeo inſit inſeparabiliter, recenti tamen inſenſibiliter propter humiditatis ſuę multitudinẽ. *Idem in lib. 3.* Caſeus vniuerſaliter peſſimus eſt ſtomachi grauatiuus, digeſtioni difficilis. Ideo ſæpiſſime illo vtentes cholicam incidunt paſſionem. Et lapides in eorum renibus generantur, ſed tamen diuerſo modo eſt. Caſeus recens minus calidus eſt cæteris, & acutus.

Diuiſio caſei.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Vnde vicinus eſt frigiditati & humiditati quaſi in primo gradu, quod eſt propter humectationem lactis aquoſitatem in ſe continentem, quare cæteris nutribilior eſt, & ventrem humefacit abſque vllo ſtomachi nocumento, præcipuè ſi ſale careat. Vetus autem & ſicciſſimus acumen & calorẽ habet palã propter ſal & coaguli ſiccitatem. Proinde cito in fumoſitatem & cholericos humores conuertitur, quod duobus modis contingit, vnus eſt, quia eius vnctuoſitas in propatulo eſt, ob eius aquoſitatis carentiam. Alius pro acumine, quod acquiſiuit coagulo & ſale. Ideoque ſtipticus eſt & vitandus, quia non eſt bonus ad nutrimentum, nec ad bonum ſanguinem generandum, nec ad ventrem humectandum. Caſeus ergo inter nouum & vetus mediocris, fit laudabilis ſecundum aliquarum extremitatum vicinitatem.

Adhuc de eodem.

CAPVT LXIII.

Auicenna, vbi ſupra. Caſeus melior eſt medius inter illum qui extenditur vt viſcus, & frangilem, ambo quidem mali ſunt, & qui ſapore priuatus eſt, & declinans ad dulcedinem. Factus autem ex acetoſo melior eſt eis. Caſei malitiam augmentant ſubtiliantia, quia faciunt ipſum penetrare, dum eum impellunt. Et caſeus caprarũ quę veſcuntur ſubciliatiuis eſt melior, quã earum quæ nil & robelijs. In ipſo eſt abſterſio, & ex eo fit emplaſtrum opthalmiæ, & extremitati palpebræ percuſſę. Generat autem lapidem in renibus & veſica, propriéque humidus. Sed confert vlceribus inteſtinorum, proprie aſſatus, & prohibet ſolutionem. Coctus autem in aqua & in potu datus ablactantibus, lac earum multiplicat. Dicitur etiã quod caſeus cum colamento montano ſuper venena epithimatur. Caſeus recens frigidus eſt & humidus in iij. nutritiuus & impinguatiuus, & comeditur poſt ipſum mel. Caſeus quidem recens non ſalitus prohibet plagas apoſtemari, lenit naturã, & eius aqua ſoluendo educit choleram. Salitus autem non vetus velocior eſt in digeſtione & deſcenſione. Verum ſalitus, & non ſalitus malus eſt ſtomacho. Dixit tamen Dioſcorides, quod recens ſtomacho bonus eſt, ſed illud eſt ex eis in quibus ambiguitas eſt. *Caſeus autẽ vetus caliduis eſt, abſterſiuus, mundificatiuus, & humorem cholericum efficit comeſtus.* Bonus eſt autem vlceribus malis, & vulneribus leuibus recentibus. Recens autem fortior eſt in hoc, & prohibet eorum apoſtemationem. Item vetus cum oleo valet in emplaſtro ſuper duriciem iuncturarum. Valet etiam ſecundum Galenum ad podagram, & contractionem membrorum, & alijs quoque doloribus valet. Caſeus antiquus ſallitus calidus eſt & ſiccus, extenuat apoſtema, & bothor. Salſus autem non vetus eſt inter vtrumque. *Dioſcorides.* Caſeus viridis ſine ſale euſtomachus eſt: Pingues facit humores, carnes replet, ventrem mollit. Elixus autem & aſſus ventrem ſtringit, tumoribus oculorum medetur, liuores tollit. Sallitus autem maciem pinguibus facit. Cacoſtomachus eſt, quia facit ardorem, & maximè bubalus, qui tamen coagulatus omnibus tumoribus medetur ſuperpoſitus, & oculis maximè. Caprinus quidem ſtringit, & etiam bubalus, ſed plus ardorem facit, quia ſiccior eſt. Ouinus quidem plus nutrit, & minus ventrem ſtringit, quia pinguis eſt. Item ſalitus ventrem mollit, vetus autem ſtringit, aqua vero caſei canes impinguat, *Plin. li.* 11. Caſeus non fit ex vtriną; dentatis, quoniam eorũ lac non coit. *Idem li.* 28. Seſtius eoſdem effectus equino caſeo quos bubulo tradit. Stomacho vtiles, qui non ſunt ſalſi. 1. recentes. Veteres aluum ſiſtunt corpúſque minuunt, ſtomacho vtiliores. In totum ſalſa minuunt corpus, alunt mollia. *Caſeus recens cum melle ſuggillata emendat. Mollis aluum ſiſtit.* Sedat tormina paſtillis in vino auſtero decoctis. Rurſuſque in patina toſtis cum melle, quod ſaprum vocant, qui cum ſale, & ſorbis ſiccis cum vino tritus potúſque medetur celiacis. Genitalium carbunculis caprinus tritus, & impoſitus. Item acidus cum oxymelle. *Ex lib. de natur. rer.* Quia ergo dicit Galenus, caſeum generaliter eſſe malum, de ſubſtantia caſeata pura eſt intelligẽdum. Nam ex triplici lactis ſubſtantia caſeus eſt, ſerum quidem bonum eſt, & butyrum melius. Caſeus autem perfectiſſimus. Itaque caſeus lacti vicinus, & craſſus ac butyroſus, bonus eſt, &. ſanis ſanus, vnde dicit Plinius Zoroaſtrem in deſerto ſolo caſeo vixiſſe annis viginti ita temperate, vt non ſentiret dolorem alicuius morbi.

Caſeus vetus,

Caſeus malus quis?

De butyro.

CAPVT LXIV.

Iſaac lib. 1. Butyrum, vt dictum eſt, naturaliter nutrimentũ eſt caloris, & eſt butyroſa ſubſtantia mollificatiua, & vnctuoſa. *Idem in libr.* 3. Eſt autem butyri natura quaſi pinguedinis, quæ eſt cum carne, & oſſibus commixta, proptera vulneribus pulmonis, pectoris, & diaphragmatis eſt conueniens. Mundificat enim & colat, & vulnera ad maturitatem perducit. Gingiuis etiam infantium dolentibus propter dentes naſcentes, dat mitigationem. Quod ſi cum melle mixtum potui detur, fit contra venenum. Et aſſiſefactum ſtomacho nocet, quia villos eius & aſperitatem mitigat vel mollificat. *Auicen. vbi ſupra.* Butyrum calidum eſt, & humidum in primo, maturatiuum, reſolutiuum, mollificatiuum, & eius reſolutio eſt in corporibus teneris vel medijs, non duris. Fumus eius exiccatiuus eſt, & facile conſtringit, & eſt ſedatiuus dolorum materiarum effuſarum ad mẽbra. Linitur ex eo corpus ac venter, & nutrit, & impinguat. Confert vlceribus neruorum, & implet ac purgat vlcera. Confert etiam tuſſi frigidæ & ſiccæ, propriéque cum amygdalis & ſaccharo. Similiter in pleureſi & peripleumenia. Sputúmque facile facit & maturat, prohibet autem ſputum ſanguinis. Et confert vomitui ſanguinis & ſaniei, quando cum melle lambitur. Item cum eo bibuntur medicinæ, quę ſunt ad exituras velaminum cerebri, & apoſtemata radioum aurium, & narium, & oris, & gingiuæ, & ad colla. Linitur etiam ex eo caro gingiuarum infantium, & facilis fit ortus dentium. Itẽ lenificatiuum eſt, plurimus eius vſus ſoluit. Ex eo quoque clyſtere fit ad apoſtemata calida & dura in inteſtinis & matrice, & ponitur in medicinis vulnerum orificij veſicæ. Reſiſtit autem venenis, præcipuéque cum eo linitur morſus viperæ.

Dioſcorides. Butyrum ouium melius eſt, quia colore ſubruffum & pinguius eſt. Omne tamen digeſtibilem habet virtutem. Et quia virtus eius malactica eſt, ventrem mollit, ad ſiccitatem pulmonum iuuat. Cataplaſmatibus miſcetur & tumẽtia vulnera reprimit. Prurigi-nem tollit capitis, neruorúmque dolorem. Vulnera ſordida purgat, & replet. Carnéſque ſuperfluas increſcere vulneribus non ſinit. Morſus ſerpentium longius arcet & dyſſentericis ac lientericis & ad colli vulnerationes ano ſuppoſitum valet. Butyrum quidem in lucerna pro oleo ponitur, & ſic fumus eius colligitur, huic virtus ſiccatoria eſt, oculorum rheuma ſiccat & cicatrices eorum ſanat. *Plin. lib.* 28. E lacte fit & butyrum barbatarum gentium laudatiſſimus cibus, & qui diuites à plebe diſcernat, plurimum è bubulo, & inde nomen. Pinguiſſimum ex ouibus fit, & ex caprino, ſed hyeme calefacto lacte æſtate expreſſo tantum, crebro iactatu in longis vaſis anguſto foramine, ſpiritum accipientibus ſub ipſo ore alias præligato. Additur paululum aquæ vt aceſcat. Quod & maximè coactum in ſummo fluit, at id exemptum addito ſale, oxygala appellant. Reliqua decoquunt in ollis. Ibi quod ſupernatat butyrum eſt oleoſum natura quod magis virus reſpuit, hoc præſtantius iudicatur: Pluribus compoſitionibus miſcetur inueteratum. Natura eius aſtringere, mollire, replere, purgare. Oxygala fit & alio modo acido lacte addito in recens, quod dum aceſcit, vtiliſſimum eſt ſtomacho.

Cõtra rheuma oculorũ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De vniuersali proprietate lactis secundum medicinam.

CAPVT LXV.

A *Vicenna vbi supra.* Lac quidem nutrimentum est & æquat chymos, confortat corpus & abluit. Item lac propinquæ digestionis est, cum sit generatum in sanguine, qui est in summo digestionis, cui superuenit digestio quædam alia, quamuis sit ex membro quod ad frigus declinat. Non enim nutritur ab eo scilicet mammilla nisi fiat in dispositione cibi, qui indiget digestione plurima. Sed quando dominatur ei caliditas bona, reducit ad naturã sanguinis æqualis velociter, propter declinationem autẽ suam frigus phlegmaticis nocet, quia caliditas eorum conuertit ipsum ad sanguinem sicut debet. Magis autem consistentibus conuenit, quam adolescentibus calidæ complexionis, quia conuertitur in ipsis ad choleram. Senibus vero confert, eo quod humectat, & remouet pruritũ qui est eis proprius. Sed oportet vt iuuentur ad ipsum digerendum cum melle *Lac cũ melle bibitum interiora vlcera mundat ab humoribus crassis, eáq; maturat & lauat.* Et est boni chymi, facit etiam exuberare sanguinem. Omne autem lac facit opilationes & proprie in hepate, nisi lac camelarum fœtarum, & similium propter paucitatẽ caseitatis, & absterſionẽ aquositatis eius. Nocet autem fluxũ sanguinis habentibus, nec est bonum visceribus. In substantia quidem sua velocis conuersionis est, & proprie ad caliditatẽ, nec est aliquid nocibilius corpori quam malum lac. Plurimus eius vsus generat pediculos. Sed ipsum abstergit cicatrices fœdas in cute linitum. Et bonũ colorem efficit bibitum. Multotiens tamen facit accidere sordes. Nocet etiam dentibus, & concauat, & consumit eos, & proprie cum frigidæ complexionis sunt, laxã efficit gingiuam, facit etiam caliginem visus. Veruntamen cum mulgetur in oculo, confert opthalmiæ, & asperitati. Est etiam conuenientius pectori quam capiti & stomacho. Medetur vlceribus pulmonis, & extenuationis. Et gargarizatum cõfert præfocationi & squinantiæ, & apostematibus vuæ & amygdalarum. Nocet tamen habentibus tremorem cordis humidum. Nocet etiam spleneticis & hepaticis, & indigentibus regimine subtiliatiuo, præter lac camelarũ fœtarum, hoc enim non nocet, sed iuuat. Item lac facit euenire lapidem. Et decoctum donec consumatur eius aqueitas constringit ventrem, ac fluxũ sanguinis per interiora retinet. Omne prætera lac crassum excitat cholicam & generat lapidem propriéque coloſtra. Item lac excitat coitum, ita quod etiam acetosum & aqua lactis in corporibus calidæ complexionis, hoc facit eo quod humectat & inflat, & sepæ ventrem lenit. Decoctũ autem in quo carbones extincti sunt & calefactum cũ lapidibus ignitis & laminis ferri, proculdubio ventrẽ stringit. Item lac confert rasuræ inteſtinorum, & potui medicinarum mortalium. *Est autem cura obliuionis siccæ, ac triſtitiæ & alienationis.* Multotiens quoque sanantur illi quibus accidunt apostemata mala, & carbunculi, & scabies & pruritus bibitione lactis, cũ in eorum cõplexionibus non fuerit quod ipsum corrũpat & conuertat ad choleram. Nocet autem habentibus apostemata intrinseca. Lac recenter mulsum crassum multotiens facit incurrere febres.

Lac cum melle.

Cura obliuionis.

De diuersitate lactis secundum differentiam animalium.

CAPVT LXVI.

DIuersificatur autem lac secundum species animalium, & secundum ætatem, vt si est paruum aut magnum, aut mediocre. Et secundum formam, vt si est lenis carnis aut duræ, extenuatum aut pingue albi coloris aut alterius. Nam debilius dicitur omne lac albi animalis & est velocioris descensionis. Et vaccinum quidem lac multum habet butyrositatis. Lac vero camelarum partui vicinarum minus est caseitatis, & est subtile valde. Lac similiter asinarum & equarum subtile. Caprarum vero temperatum. Ouium autem crassum & pingue. Itaque caseitas in lacte camelino pauca est, postea in equo, deinde in asino, & ob hoc raro caseatur in stomacho & superioribus ventris plusquam aliud. Et lac quidẽ omnis animalis cuius imprægnatio prolixior in imprægnatione mulieris malũ est. Quapropter proportionale est illud quod est proximũ, sicut vaccinum. Et sicut lac vernale aquosum cõparatione ad æstiuum, sic & lac animalis cuius pastus est ripa, vel terra limosa. Plantæ siquidem veris aquosæ sunt, comparatę ad plantas æstatis, & quãto magis æstas accedit ad autumnum, tanto fit lac magis crassum. *Et illud melius est quod est in medio æstatis.* In ipso tamen timetur, quod calor illud conuertat postquam potatum fuerit, hoc autem in vere non timetur. Ventrem quidem leniunt proprie lac equinum, camelinum, & asininum, deinde vaccinũ, post caprinum, & quanto plus minuitur aqueitas. *Isaac vbi supra.* Omnium autem lac laudatissimum est, quod est subtilissimum, vt fœmininum, Secundo asininum, post caprinum. Asininum tamen est ita in subtilitate vicinum. Crassissimum est plus nutritiuum vaccinum, dehinc porcinum. Magis autem caseatum est porcinum, quam vaccinum, plus aquaticum porcinum, post hoc camelinum, tunc caballinum & asininum. Temperatius & in tribus substantijs mediocrius fœmininum, secundo caprinum. Nam omne lac naturam & complexionem animalis cuius est, imitatur. Si ergo est de crasso animali, crassum erit. Si de subtili, subtile. Vt autem ait Galenus lac porcinum grauius est in odore quã vaccinum, & ideo magis phlegmaticum. *Auctor.* Sunt autẽ species lactis medicinalis, secundum Auicennam vaccinum, ouinum, caprinum, camelinum, equinũ, asininum, caninum, muliebre. De quibus fere omnibus locis congruis iam dictum est superius. *Plinius li. 11.* Mulieri ante septimum mensem præfusum lac inutile. Ab eo mense quo vitalis est partus, salubre, plerisq; autem totis mammis atque etiam in alarum sinus fluit. Cameli lac mulgetur ne iterum graueſcat suauissimum hoc existimatur ad vnam mensuram tribus aquæ additis: Bos ante partum non habet. Ex primo semper à partu coloſtra fiũt, ni admisceatur aqua in punicis modum coeunt duritia. Asinæ prægnantes continuo lacteſcunt. *Pullo earum vbi pingue pabulum, biduo à partu, maternum lac gustasse letale est.* Genus mali vocatur coloſtratio. Tenuissimum camelis mox equabus, Grassissimum asinæ, vt coaguli vice vtantur. Conferre aliquid & candori in mulierum cute existimatur. Omne autem igne spissatum humore feruescit. Bubulum caseo fertilius, quam caprinum, ex eadem mensura pene altero tanto. Quæ plures quaternas mãmas habent caseo inutilia, & meliora, quæ binas.

Lac melius.

Nota.

De vita, & morte animalium.

CAPVT LXVII.

ARistoteles *in libro de vita & morte.* Animalia alia longioris vitæ sunt, alia breuioris. Ignis autem & aqua, & his proxima causa sunt generationis & corruptionis. Quæcunque enim composita sunt naturam earum participant ex quibus sunt, corrumpuntur ergo animalia, quia subsunt contrarijs. A contrario enim solum contingit corrumpi. Impossibile est autem materiam habenti non inesse contrarium. Mox enim cum potentia inest contrarium possibile materiæ. Ideo longioris vitæ animalium sunt homo & elephas. Et similiter maiora, sicut frequentius est dicere longioris vitæ sunt quam minora. Oportet autem accipere quod animal natura calidum est, & humidum & huiusmodi iuuentus. Senium autem frigidum est, & etiam siccum, & moribundum. Vnde oportet humidum non leuiter id est de facili esse siccabile, sed pingue. Neque iterum paruum humidum: quia de facili paruum humidum siccabile est. Itaque magna animalia, & plantæ longius viuunt. Rationale est enim maiora plus habere humidum. *Duæ autem causæ longioris vitæ sunt, scilicet quale, & quantum, id est caliditas & humiditas, & horum quantitas.* Est autem in quibusdã calidum & pingue, quod simul

Duæ causæ longioris vitæ.

facit

facit & non cito ſiccari,& non cito frigeſcere. Interimitur autem huiuſmodi, aut ægritudine, aut natura, aut etiam dieta, aut etiam ætate. Oportet ergo calidum & humidum non ſuperfluum eſſe, contraria eſt enim naturæ ſuperfluitas, & corruptiua. Vnde & ſupereffuſa multáque ſemina cito ſeneſcunt. Amplius quæcunque maſculinorum fatigantia ſunt, cito ſeneſcunt. Deſiccat enim labor, ſenectus autem ſicca eſt naturaliter. Sed in homine maſculina fœminis plus viuunt, quia maſculus fœmina calidior eſt, propter eandem etiam cauſam,quę in calidis locis ſunt,lõgioris vitę ſunt quã quę in frigidis. Quia vero ſemẽ ſuperfluitas eſt, lõgioris vitæ eſt mulus equo,& aſino,ex quibus eſt,& fœminæ maribus, ſic accidũt maſculi,dũ paſſeres breuioris vitæ sũt fœminis. Alimentum autem accipientia, vt plantæ,&animalia corrumpuntur, conſumunt enim ſeipſa. Nam ſicut multa flamma comburit, & corrumpit paruam in alimentum aſſumendo. Sic & phyſicus calor id eſt naturalis primũ digeſtiuus eſt, cuius eſt digeſtio conſumit materiam in qua eſt. Aquatica animalia breuioris vitę ſunt quam pedibus gradientia,quia humida ſunt & aquoſa,& tale velociter corrumpitur, quia frigidum eſt, & denſabile, & etiam animal, quod eſt ſine ſanguine propter eandem cauſam cito corrumpitur. Apes autem longioris vitæ ſunt alijs animalibus maioribus. *Idem in lib. de animalibus. Elephas viuit annis* 200. *& forte* 300. *Equus autem viuit vſque ad annos* 30. *vel* 35. *equa vero vſque ad* 11. *Bos maſculus viuit annis* 15. *caſtratus autem* 20. *Camelus viuit annis* 30. *& plus. Canis vſque ad* 14. *Porcus vſque ad* 15. *Ouis in Ethiopia prope viuit annis* 14. *Capra vero* 11. *Delphinus viuit annis* 120. vel plus, quod probatur quãdo captus amputata cauda dimittitur, & ſic poſt multa tempora inuenitur. *Pauo viuit* 25. *annis. Columba & turtur* 15. *Homo vero diutius omnibus animalibus viuit præter Elephantem.* Hominis autem longæuitas non eſt,niſi quia complexio eius aſſimilatur aeri continenti. Infans natus infra 7. menſes omnino non viuit,natus autem in 8. forte viuit,ſed vt in plurimũ moritur. In corporibus mortuorum non apparet natura venarum magnarum, quia ſubito contrahũtur in exitu ſanguinis. Capilli quidẽ poſt mortẽ magis duri ſunt, & ſimiliter accidit in vnguibus.

Quæ animalia in quibus regionibus non ſunt.

CAPVT LXVIII.

PLinius *lib.* 8. Hoc quoque mirum eſt, naturam non ſolum aliis dediſſe terris animalia, ſed in eodẽ quoque ſitu quædam aliquibus locis negaſſe. In meſia ſylua Italiæ, non niſi in parte reperiuntur glires. In lycia dorcades non tranſeunt montes ſyris vicinos, nec Onagri montem quæ Cappadociam à Lycia diuidit. In helleſponto in alienos fines non commeant cerui,& circa arginuſam elaphum montem non excedunt, auribus etiam in monte fiſſis. In pordoelene inſula viciniam muſtelæ non tranſeunt, in boæcia leucadia illatæ ſolum ipſum fugiunt. Quæ iuxta in orchomeno tota ſubruunt talpę arua,quarum ex pellibus cubicularia vidimus ſtragula. Adeo ne religio quidem à portentis ſubmouet delicias. In Ithaca lepores illati moriuntur, extremis quidem in littoribus. In ebuſo in littoribus cuniculi ſcatẽt iuxta Hiſpaniam, baleariſque chyrenis mutæ fuere ranæ. Illatis è continente vocali durat genus earum; in Italia muribus araneis venenatus eſt morſus. Eoſdem vlterior appennina regio non habet. In Olympo Macedoniæ monte non ſunt lupi, nec in creta inſula. Ibi quidem nec vulpes vrſive, aut vllum omnino maleficum animal, pręter ſphalangium. In Aphrica nec apri ſunt, nec cerui,nec capreæ, nec vrſi. *Iam vero animalia indigenis innoxia aduenas interimunt.* Sicut ſerpentes parcunt in myrintho quos terra naſci proditur. *Nam in Syria angues circa Euphratis maxime ripas dormientes ſyrios nõ attingunt.* Aut etiam ſi calcati momordere, non ſentiuntur maleficia. Alios vero cuiuſcũque gentis infeſti auidè,& cum cruciatu exanimantes. Quamobrem & ſyri eos non necant. Econtra vero in Aletenio cariæ monte Ariſtoteles tradit à ſcorpionibus hoſpites non lædi, indigenas interimi. Nota.

Solinus. Sconicæ in Arabia quæ in cilicinis tentorijs habitant, ſuillis carnibus prorſus abſtinent. Sane ſi hoc genus animalis illic inuectum fuerit,illico moritur. Pſittacum auem ſola India nutrit. *Iſidorus.* Illud quoque ſine quadam naturæ dote manere piſcibus non putant, quod vnumquodque genus eorum præſcripta ſibi domicilia habet quę ſui generis nullus excedat,nullus alienis incurrat. Hoc quippe genus piſcium in illo ſinu maris alitur, & gignitur, & illud in alio. Denique non reperies confuſa genera piſcium, ſed quod hic abundat, alibi deeſt. Et ille ſinus maris cephalos alit, ille lupos. Et ille ſexatiles locuſtas. *Ex lib. de nat. rer.* Diuerſificantur etiam animalia ſecundum loca in quibus habitant, vt porci qui in locis calidis manent, nigros habent pilos, duros, & criſpantes. Qui vero in frigidis ſtratos, molles atque pendentes, ſic & lana in ouibus. *Auctor.* Hæc de animaliũ natura in generali & in ſpecie dicta ſufficiant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS

VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,

Tomus Primus.

LIBER VICESIMVSTERTIVS.

De cauſis hominis creandi.

CAPVT I.

EX gloſſa ſuper Geneſim. Facta igitur & ornata habitatione mundana, homo tanquã habitator omniũ erat creãdus. *Iſidor. in ſententijs.* Omnia quidem ſub cœlo propter hominem facta ſunt, homo autem propter ſeipſum. Inde & omnia per figuram ad eius ſimilitudinem referuntur. Communia quidem homini patet omnia naturalia eſſe, atque in eo omnium rerum naturam conſiſtere. Vniuerſitatis creaturę homo magna quędam portio eſt tantoque gradu cæteris excellentior, quanto diuinæ imagini vicinior. *Ariſt. in 2. li. Phyſic.* Vtimur ergo tanquã propter nos omnibus quæ ſunt, ſumus enim & nos quodammodo finis omnium. *Hugo in li. de tribus diebus.* Deus hominem propter ſe fecit, non quod ipſe indigeret homine, ſed vt homini, quia melius dare nihil potuit ſeipſum fruendum daret. Aliam vero creaturam ſic fecit, vt & ſũbiecta homini eſſet per conditionẽ, & ſeruiret ad vtilitatem. Homo ergo quaſi in quodam medio collocatus, habet ſuper ſe Deũ, ſubter ſe mundum. Et corpore quidem deorſum mũdo iungitur, ſpiritu autem ſurſum ad Deum ſubleuatur. Neceſſe ergo fuit, vt viſibiliũ conditio ita ordinaretur, quatenus in eis homo foris agnoſceret, quale eſſet inuiſibile bonũ quod intus quærere deberet, hoc eſt, vt ſubtus ſe videret, quod ſupra ſe appeteret. *Comeſt.* Sicut autẽ factus eſt homo propter Deũ. i. vt ei ſeruiret, ita mundus factus propter hominẽ ſcilicet vt ei ſeruiret, Poſitus ergo eſt in medio homo, vt ſeruiretur ei, & ipſe ſeruiret, vt acciperet vtrũq; & refluueret totum ad bonũ hominis & quod accipit obſequium, & quod impẽdit. Ita enim voluit Deus ſibi ab homine ſeruiri, vt ea ſeruitute non Deus, ſed homo ſeruiens iuuaretur & voluit vt mundus ſeruiret homini, vt exinde ſimiliter iuuaretur homo. Totum igitur bonum hominis erat, & quod factum eſt propter ipſum, & propter quod factus eſt ipſe. *Omnia enim vt ait apoſtolus noſtra ſunt, ſcilicet* ſuperiora & æqualia & inferiora. Superiora quidem noſtra ſunt ad perfruendum, vt Deus Trinitas. Æqualia ad conuiuendum ſcilicet angeli, qui & ſi modo ſunt ſuperiores, in futuro erunt æquales, qui & modo noſtri ſunt, quia ad vſum nobis ſunt, ſicut res dominorũ dicitur eſſe famulorũ nõ dominio, ſed quia ſunt ad vſum eorum. Ipſiq́e angeli in quibuſdam ſcripturæ locis nobis ſeruire dicuntur, dũ propter nos in miniſteria mittuntur. *Petrus Lombardus.* Quod igitur interdum in ſcriptura reperitur de homine quod factus ſit propter reparationem angelicæ ruinæ, non ita eſt intelligendum quaſi non fuiſſet homo factus ſi non peccaſſet angelus, ſed quia inter alias cauſas præcipuas hæc etiam nonnulla extitit. *Boetius in li. de Trinitate.* Quoniam igitur illius ſupernæ ciuitatis, cuius ciues angeli ſunt, numerum imminutum noluit conditor permanere, ex terra hominem formauit, ac ſpiritu vitæ animauit, ratione compoſuit, arbitrij libertate decorauit, vt quia ſuperior natura per ſuperbiæ malum petierat ima, inferior ſubſtãtia per humilitatis bonum aſcenderet ad ſuperna.

Cur Deus fecit hominem?

1. *Cor. 3.*

De hominis formatione.

CAPVT II.

COmeſtor. Dixit ergo Deus, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, &c. loquitur pater ad filium & ſpiritũ ſanctum, vel eſt quaſi vox communis trium perſonarum, faciamus & noſtram. Factus eſt autem homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei quantum ad animam; *ſed imago Dei eſt eſſentia eius & ratione, quiã ſpiritus eſt, & rationabilis vt Deus, ſimilitudo autem in* virtutibus, quia bona iuſta ſapiens. Cum imagine pertranſit homo, quia illam habet homo etiam & in peccatis exiſtens. Similitudine vero priuatur ſæpe. *Maſculum, & fœminam creauit eos*, hoc quãtum ad corpus, quod tamen dicitur creaſſe propter animam. Eos autem dicit pluraliter ne androgynos ideſt hermaphroditos factos putaremus. Tamen etiam ſecundum corpus eſt homo quodammodo ad imaginem Dei, quoniam os homini ſublime dedit, vt Deum, & cæleſtia videat, & imitetur, vnde cum quæſitum eſſet à quodã philoſopho ad quid homo factus eſſet, reſpondit, vt cõtemplaretur cœlum, & cœli numina. *Formauit dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in eo ſpiraculum vitæ.* Ad carnem ſpectat, quod dicit, formauit hominem de limo terrę, ad animam vero, quod dicitur inſpirauit in faciem, &c.

Imago Dei ſimilitudo.

Geneſ. 1.

quaſi

quaſi diceret corpus fecit de terra,animam de nihilo. A- A
lia tranſlatio habet, & inſufflauit, quod non eſt incongruum de Deo,vt quidâ putauerunt, cum fauces,& ſpiritum non habebat. *Dicitur enim inſpirauit,id eſt ſpiritum fecit. Similiter inſufflauit, id eſt flatum,hoc eſt animam fecit.* Vnde in Iſaia dicit. *Omnem flatum ego feci.* Quod autem dicitur in faciem, per ſynecdochen à parte intelligitur totum:totum enim hominem animauit,ſed faciem tanquam partem digniorem,quia ſenſuum capacem ſolam nominauit, eandem autem animam etiam ſpiraculum vitæ nominauit, quia per eam homo ſpirat, & viuit. Et poſt dicit, animam viuentem in ſe, id eſt in perpetuitate vitæ mentem non mutabilem, vt animam pecudis. Hunc locum non ſane intellexit Plato,dicens Deum animam creaſſe, ſed angelos corpus formaſſe, vt ibi; dij deorum quorum opifex patérque ego. Quod autē quidam aſſerunt animam ex diuina eſſentia factam, ſtare non poteſt, quia tunc nullo modo peccare poſſet. *Alij diſtinguunt inter ſpiraculum vitę, & animam.* Spiraculum B
vitæ dicentes ſpiritum ſanctum, quem & tunc datum homini aſſerunt etiam ad prophetandum. Alii etiam diſtinguunt,ſpiraculum vocantes quendam ſpiritum corporeum in corpore animalis,qui & quinque ſenſus operatur in eo. Qui etiam paulatim extinguitur in eo. Et dum moritur animal in aliqua parte corporis, adhuc ſentitur ſpiritus ille, cum in alia extinctus ſit. Factus eſt autem homo in virilitate mortalis, & immortalis,id eſt potens mori, & potens nō mori,& anima corpori prius formato infuſa. Sed quæritur vtrum in ipſo corpore dum infunderetur creata, vel extra creata ſit, & datum ſit ei naturaliter velle incorporari? Quicquid circa illam actum ſit de poſt creatis dictū eſt, quòd in ipſis corporibus cum infunduntur creantur animæ.

Inſpirare. Inſufflare.

Spiraculum vita.

De dignitate; vel nobilitate conditionis humanæ.

CAPVT III.

IN tribus autem notatur hominis dignitas in ſua cōditione. Primo, quia non ſolum factus eſt in genere ſuo, vt prædicta. Sed quia etiam imago eſt Dei. Secundo quia cum deliberatione factus eſt. In alijs ſiquidem corporibus, dixit & facta ſunt. In hoc tanquam inter ſe deliberantes perſonę aiunt, faciamus. Tertio, quod Dominus ſtatutus eſt animalium, vt eſſent ei, quem futurum mortalem Deus ſciebat,in alimentum, indumētum,& laboris adiuuamentum. *Ante peccatum enim herbas, & fructus arborum dedit Deus in eſcam hominibus, & animalibus*, & quod in eſcam inde colligitur, quia ante peccatum nil noxium aut ſterile terra produxit. Et nota, D
quod in maximis,vt in leonibus perdit homo Dominiū, vt ſciat ſe amiſiſſe & in minimis. Et in muſcis perdidit,vt ſciat vilitatem ſuam,In medijs habet Dominium ad ſolatium,& vt ſciat ſe habuiſſe. *Auguſtin. ſuper Geneſim li. 6.* In hoc etiam homo beſtijs excecellentior eſt, quod ad imaginem Dei creatus eſt. Non tamen hoc ſecundum corpus, ſed ſecundum intellectum mentis, quamuis in ipſo corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet ei ſcilicet erecta ſtatura factus eſt, vt hoc ipſo admoneretur non ſibi terrena eſſe ſectanda, velut ſunt pecora, quorum voluptas omnis ex terra eſt. Vnde in E
aluum cuncta prona atque proſtrata ſunt. Congruit ergo & corpus eius animæ rationali non ſecundum figuras, & lineamenta membrorum, ſed potius ſecundum id, quod in cœlum erectum eſt,ad intuenda quæ in corpore ipſius mundi ſuperna ſunt, ſicut anima rationalis debet erigi in ea, quæ ſpiritualibus natura maxime excellunt, vt quæ ſurſum ſunt ſapiat, non quæ ſuper terram. *Ouid. in lib. Methamorph. Pronaque cum ſpectant animalia cætera terram. Os homini ſublime dedit, cœlumque videre Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus. Bernardus Syluęſter in Megacoſmo.* Quærenti Empedocles cur viueret inquit vt aſtra Conſpiciam, cœlum ſubtrahe, nullus ero. *Seneca ad Lucillum in Epiſt. 65.* Vetas me cœlo intereſſe, ſi iubes me capite demiſſo viuere. Maior ſum id eſt ,ad maiora genitus,quam vt corporis mei ſim mācipium. Quod equidem non aliter aſpicio,quam vinculum aliquod libertati meæ circundatum, cuius contemptus certa libertas eſt. Seruiant ergo deteriora melioribus. *Ambro. in Exameron lib. 6.* Cum ergo cæteris animantibus ſunt quaterni pedes,bini autem auibus,homo habet tantum duos, quia quaſi de volatilibus eſt, qui alta viſu petat, & quaſi quodam remigio alarum volitet ſublimium ſagacitate ſenſuum,dicátque noſtra conuerſatio in cœlis eſt. *Auguſt. in lib. quæſtionum. 83.* Inter multa documenta quibus oſtendi poteſt, hominem ratione beſtijs antecellere,hoc vnum eſt,quod belluæ ab hominibus domari, & manſuefieri poſſunt, homines à belluis nullo modo. Omnis etiam creatura in homine numeratur. Corporalis, quæ per locum diſtenditur, animalis quæ viuificat corporalem, & ſpiritualis, quæ regit animale, & tunc bene regit, cum ipſa ſe regendam Deo ſubijcit *Greg. Nazianzenus Epiſcop.* Deus igitur hominē factum velut alterum quendam mundum in breui magnum,atq; exiguo totum,in terris ſtatuit. Animal,quod hic quidē inſtituatur,ſed alio transferatur, Animal,quod imitatione Dei Deus efficiatur. *Ariſt. in metaphyſic. li. 10* Anaxagoras quoque dicebat, quod homo eſt menſura omnium rerum. *Idem in lib. de animalib.* Nobiliſſimum, & altiſſimum animalium apud nos notius ac magis fixū eſt homo, cuius etiam partes principaliter creatæ ſunt, & poſitæ ſecundum creationem,& ſitum totius mundi.

Eſca hominis ante peccatum.

Ouidius.

De imagine Dei in homine.

CAPVT IV.

Auctor. Porro excepta illa potiſſima Trinitatis imagine, qui eſt in mente hominis, in qua communicat cum angelo, in quinque ſpecialiter imaginem Dei gerit homo. *Primum eſt auctoritas dominationis, quia ſicut* C
Deus eſt omnium Dominus ſcilicet cæleſtium, terreſtrium,& infernorum,ſic & homo mundo ſenſibili prę-latus eſt. *Secundum auctoritas principij*, quia ſicut Deus eſt principium omnium per creationem, ſic Adam omnium hominum per generationem. *Tertium quia ſicut Deus habet conuenientiam cum omnibus, vel econuerſo*, vnde, & dicitur mundus archetypus,ſic & homo, vnde dicitur microcoſmos. *Quartum, quia ſicut Deus finis eſt omnium, ſic & homo totius creaturæ*, quæ propter ipſum facta eſt. Vnde licet primus omnium ſit ſecūdum ordinem rationis, vltimus tamen ſecūdum ordinem naturæ, quia vltimus omnium creatus eſt. *Quintum, quia ſicut Deus eſt vbique totus in maiori mundo, ſic & anima hominis in ſuo mundo, id eſt in corpore humano.* Itaque non exprimit ſcriptura de angelo, quod ad imaginem Dei factus ſit, ſed tantum de homine, quia in pluribus aſſimilatur Deo, quam angelus. Licet angelus magis aſſimiletur quantum ad ſimplicitatem intellectus, vel quia forte maius de Deo dicitur ſcilicet quod ſit lux, & hoc ſufficit ad exprimendam dignitatem illius,vel etiam quia de angelo nihil dicit ſcriptura,quod videatur eius nobilitati derogare. De homine autem dicit vile quod ſcilicet quod ſecundum corpus ſit formatus de limo terræ. Ideoq; oportuit eius dignitatem infamari, quæ eſt ex parte animæ. Mulier quoque licet prædita ſit ratione ſicut vir, dicitur tamen eſſe gloria viri, non autem imago Dei eadem ratione qua nec angelus, & etiam maiori ſcilicet viro ſubdita eſt non Domina omnium, & quia non eſt origo omniū ſicut ille, & quia non eſt à Deo facta immediatè, ſed formata de viri latere. Et quia non habuit ab initio rationem ita limpidam ſicut vir. Vnde à diabolo ſeducta eſt, non vir. Item propter duplex myſterium ſcilicet Chriſti, & Eccleſiæ ſuperioris & inferioris partis ratiotionis. In vtroque enim præfertur vir mulieri.

Imago Dei in quinque cernitur.

De proprietatibus hominis.

CAPVT V.

Auguſtinus in lib. de ordine. Eſt autem homo animal rationale mortale. In hoc, quod rationale diſcernitur à beſtiis. In hoc, quod mortale à diuinis. *Ariſtot. vbi ſupra.* Loquutio ſoli homini appropriatur, homo quoque ſolus inter animalia ridet, cui titillatio riſum

Homo.

etiam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

etiam præter voluntatem adducit. Solus autem recipit titillationem, quia corium eius eſt valde tenue, vnde & præ cæteris animalibus melioris eſt tactus. Hominis membra ſecundum naturam ſunt, & maximè membrũ ſuperius id eſt caput, quia conuenientiam habet cum toto ſuperiori id eſt mundo. Nec eſt animal eleuati capitis, niſi homo. Qui ideo erecti corporis eſt, quia natura eius calida eſt, & calor efficit crementum ſecundũ eandem viam. In cæteris animalibus color pilorum eſt ſecundum colorem cutis, in homine vero non. Item homo ſolus eſt multorum pilorum in capite, quia cerebrũ eius plus eſt humidum cõparatione ſui corporis, quam cęterorum animalium. Caput etiam eius paucæ carnis eſt, & ſic melioris ac perfectioris ſenſus, & eſt ex pluribus futuris. Ob hoc indiget cuſtodia capillorum. Habet autem & pillos apud pubem, cum cæterorum animaliũ partes illæ nudæ ſint, *proprium hominis eſt in ſenectute canescere, niſi quod accidit hoc etiam equis*: cæteris autem animalibus non. Item homo ſolus habet pilos in vtraque parte palpebræ, cætera tantum in ſuperiori. Nec oculorum varietas eſt, niſi hominibus & in equis. Omne animal habens aures habet eas mobiles præter hominem. Item homo in comparatione corporis ſui parui oris eſt. In homine pars ſiniſtra ſuperior eſt quam in cęteris animalibus, & in omnibus animalibus poſterius minus eſt quam anterius præterquam in homine, in quo pars ſuperior proportionalis eſt inferiori. Minor eſt etiam in decrepitis, ſed in pueris èconuerſo. Ideóque infantuli non poſſunt eleuare ſe, quia ſuperius eorum maius eſt ac ponderoſius inferiori. Cum vero iuueneſcunt pars inferior ſupercreſcit. In quadrupedibus autem èconuerſo eſt, & ideo ſtatim nata ſe erigunt, & incedunt, ob hoc etiam pueri minoris intellectus ſunt, quia caput habent craſſum, & ponderoſum. Quoniam autem homo ſuper animalia cætera pluris eſt intellectus, natura dedit ei manus, vt eis in multis vti poſſit. Non eſt enim manus vnum inſtrumentum, ſed multa, vt dicetur infra. Manus autem ſiniſtra in homine non eſt leuis motus, ſicut nec pes ſiniſter in animalibus præterquam in elephante. Solus homo pectus habet latum & paucæ carnis, animalia vero cætera anguſtum. Cætera quoque animalia mammillas habent infra pectus apud coxas, mulier autem in pectore. Cumque cæteris animalibus cor in medio ſit, in homine declinat ad ſiniſtram, vt ſcilicet partem ſiniſtram temperet, quæ in eo ſuperior eſt, quam in cæteris animalibus. *Splen hominis ſimile eſt ſpleni porci. Venter eius, id eſt ſtomachus aſſimilatur ventri canis, quamuis amplior ſit*: animalium pedes ſcilicet maiores id eſt coxæ, modicæ carnis ſunt, præter hominem. Homo inter animalia cætera, comparatione corporis, modici ſeminis eſt: animalia cætera caudam habent, homo vero non, ſed anchas. Ideo caro eius mollis eſt, præ cęterisanimalibus, poſt hunc autem guſtus. Cæteri verò ſenſus, hebetiores ſunt in eo, quam in cæteris animalibus. Homo claudit oculum eius, plus omnibus animalibus, quia tenuis eſt corij. *Plinius lib.* 11. Terreſtrium ſolus homo bipes eſt, huic autem pedes maximi ſunt, ſed fœminis teneriores. In omni quoque genere ſuræ homini tantum, & crura carnoſa, homini tantum pectus latum cæteris carinatum, facies homini tantum, cæteris os aut roſtrum: frons, & alijs ineſt, ſed homini tantum triſtitiæ, & hylaritatis clementiæque, & ſeueritatis index. Mentum verò nulli pręter hominem nec malæ.

Equi canescunt.

Cur Deus in homine ſpiritũ rationalẽ vniuit terreno carpori.

CAPVT VI.

Petrus Lombardus. Cum autem maioris dignitatis eſſe videretur anima, ſi abſque corpore permanſiſſet, poteſt tamẽ dici, quod ideo voluit eam Deus vniri corpori, vt in humana conditione nouum exemplum beatę vnionis oſtenderet, quæ eſt inter Deum, & ſpiritum, in qua toto corde diligitur, & facie ad faciem videtur. Ob hoc, & animę corporibus vnitæ ſunt, vt in eis Deo famulantes maiorem coronam mereantur. *Hugo in li. de ſpiritu, & anima.* Fecit ergo Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ dans ei ſenſum, & intellectum, vt per ſenſum lutum ſibi ſociatum viuificaret, ac per intellectum regeret, vt etiam per intellectum ingrederetur, & contemplaretur Dei ſapiẽtiam, & per ſenſum foris egrederetur, & contemplaretur opera ſapientiæ. Intellectu intus illuſtrauit, ſenſu foris decorauit: vt in vtroque refectionem inueniret, intus ad fœlicitatem, foris ad iucunditatem. Ex carne igitur & anima conſtat homo, in vtroque bonum ſuum habet in quo gaudet. Bonum animæ Deus eſt, cum affluentia dulcedinis ſuæ. Bonum carnis mundus eſt, cum abundantia iucunditatis ſuæ. Quicquid oculis corporis videtur; propter corpus factum eſt, corpus propter animam, anima propter Deum. Vita corporis anima eſt, vita animæ Deus eſt. Igneus eſt illi vigor, ac cœleſtis origo ſpiritus vitæ, & limi terræ. Sanè ſine miraculo non fuit, quod tam diuerſa, & ab inuicem diuiſa potuerunt coniungi, nec minus mirabile fuit, quod limo noſtro Deus ſe ipſum coniunxit, vt ſibi inuicem vnirentur Deus, limus, tanta ſublimitas, & tanta vilitas. Nihil enim Deo ſublimius, & nihil limo vilius. Mirabilis fuit coniunctio prima, mirabilis, & ſecunda, nec minus mirabilis erit tertia, cum homo, & angelus, & Deus, vnus erunt ſpiritus. Si enim tam diſparem naturam carnis & animæ ad vnam confęderationem Deus coniungere potuit, nequaquam erit ei impoſſibile rationalem ſpiritum, qui vſque ad conſortium terreni corporis humiliatus eſt, cum eodem corpore glorificato, vt ſit ei gloriæ, quod fuit ſarcinæ ad conſortium bonorum ſpirituum, qui in ſui puritate perſtiterunt, exaltare atque ad ſuæ glorię participationem ſublimare, ſubijciatur ergo corpus animo, animus Deo, & vnus ſpiritus erit cũ eo. *Mercurius Trimegiſtus ad aſclepium.* Solum igitur animal homo duplex eſt eiuſque pars illa ſimplex, quã vocamus diuinę ſimilitudinis formam. *Iſidor. Etym. lib.* 11. Abuſiuè autem pronunciatur ex vtraque ſubſtantia totus homo, id eſt ex ſocietate animæ & corporis. Nam propriè homo ab humo. Græci autem hominẽ ἄνθρωπον, appellauerunt, eo quod ſurſum ſpectet ſubleuatus ab humo, & ad contemplationem artificis ſui. Duplex eſt autem homo ſcilicet interior, & exteriot, id eſt anima, & corpus.

Cur homo conſtet carne & anima?

De anima humana.

CAPVT VII.

Caſſiodorus in libr. de anima. Anima proprie hominis dicitur, non etiam pecudis, quia illorum vita in ſanguine conſtituta noſcitur, hic verò, quia immortalis eſt anima, rectè apellatur quaſi à † vena, id eſt à ſanguine longe diſcreta, quia etiam poſt mortem corporis perfectam eius conſtat eſſe ſubſtantiam. Alij vero animam appellatam dicunt, eo quod animet corpus ac viuificet. Hæc mox, vt data fuerit, ineffabili conditione corpus ſuum diligit, carcerem ſuum amat, propter quod libera eſſe non poteſt. Doloribus eius vehementer afficitur, ad eius caſus trepidat, & formidat interitum, quæ mori non poteſt. Ipſius quoque carnis ſalubri temperatione perfruitur, ſenſuum delectationibus paſcitur, & licèt ijs rebus nullatenus ipſa veſcatur, illis tamen ſubductis, graui mœrore conficitur. Deſiderans non ſibi naturaliter accommoda, ſed adiunctis artubus profutura. Huic ſubrepunt plerunque vitia rationi contraria, quando anima dilecto corpori indulgẽtius remittendo locum præbet peccato, ſi quod fortaſſe vulnus acceperit ſtatim condolet, quia ibi ſubſtantialiter inſerta eſt. *Ariſtoteles in* 1. *lib. de anima.* Diffiniunt omnes animam tribus, motu ſcilicet & ſenſu, & incorporeo. Mouetur autem aliquid aut ſecundum ſe, ſicut nauis, aut ſecundum alterum, vt nauta in naui, ſic, & anima videlicet in corpore, maximè vero videtur ipſi animæ eſſe proprium intelligere.

† *Melius à vento legeretur.*

Cur anima dolet accepto vulnere in corpore?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De nobilitate ipſius, & virtute.

CAPVT VIII.

ISTud autem, quod agit anima, eſt valde nobile, videlicet intelligere. Impoſſibile igitur eſt, vt aliquid nobilius, ac principalius ſit, quam anima, habet enim eſſe rationabiliſſimum, ac nobiliſſimum, & proprium ſecũdum naturam. *Idem in libro 3.* Anima eſt quodammodo omnia, quæ ſunt. Omnia namque ſunt aut intelligibilia, aut ſenſibilia. Eſt autem ſciẽtia id eſt anima ſciens, quodammodo omnia ſcibilia, ſenſus autẽ ſenſibilia. Itaque ſecundũ quod diuiduntur res, ita ſcientia, & ſenſus, quia potentia, & actu ſunt, id eſt omnia ſenſibilia ſunt in ſenſitiua actu, vel potentia, & omnia intelligibilia ſimiliter in intellectiua. Veruntamen non ipſę res in animà ſunt, ſed eorum formæ, vel ſpecies. Igitur anima ſicut manus eſt, manus enim eſt organum organorum, & intellectus eſt ſpecies ſpecierum, ſenſus quoq; ſpecies eſt ſenſibiliũ; diuidentibus autem partes animæ ſi potentias eius diuidant, ac ſeparent multæ ſunt valde. Vegetabile, ſenſibile, intellectiuum, appetitiuum, deliberatiuum. *Ex li. fõtis vitæ.* Anima ſcientiæ ſubiecta eſt, & ipſa eſt aſſequutrix omnium rerum viribus ſuis, quæ penetrant omnia. Itaque ſicut ille eſt virtus receptibilis formarum ſenſibiliũ; ſic anima virtus eſt receptibilis formarum intelligibilium. *Hugo vbi ſupra.* Creata eſt igitur anima magna à magno, recta, à recto, eo magna, quod capax æternorum eo recta, quod appetens de aſpectu diuino ſupernorum. Eo beata, quo Deo vnita. Anima namque quam Dei pietas reſpicit, humilitas ſubijcit, pœnitentia reducit, iuſtitia deducit, obedientia concutit, perſeuerantia perducit, deuotio introducit, puritas iungit, charitas vnit, habet igitur anima amorẽm in ſe, quo ſemper poteſt ſtare cum Deo, vel redire. Solus enim eſt amor ex cunctis ſenſibus, & affectibus animæ in quo poteſt, & ſi non ex æquo auctori ſuo reſpondere, vel de ſimili mutuam vicem rependere. Nam & ſi minus amat, quia minor eſt, tamẽ ſi ex toto diligit ſe, nihil deeſt, vbi totum eſt. Nobilis creatura eſt anima. Ciuitas namque Dei eſt, de qua tam glorioſa dicta ſunt. Ciues huius ſunt naturales vigores tanquam indigenę, quorum diſtincti ſunt gradus. Superiores ſunt quidem intellectuales ſenſus, medij rationales, infimi animales. Intellectuales ſunt tanquam animæ conſiliarij dicentes ei. Deum time, & mandata eius obſerua. Rationales ſunt tanquam milites, qui hoſtes concupiſcentiarum impugnant per arma iuſtitiæ. Animales ſiue ſenſuales tanquam ruſtici, & artifices qui corporalibus rudimentis inſiſtunt, & corpori neceſſaria miniſtrant.

Excellentia anima.

De quibuſdam eius diffinitionibus.

CAPVT IX.

AVctor. Videndum eſt ergo de anima. primo quid ſit, & hoc dupliciter. Primo, quid ſit ſecundum diffinitionem, deinde quid ſit ſecundum rem, & hoc dupliciter, primo quantum ad fieri, quod eſt eius originem conſiderare. Deinde quantum ad eſſe, & hoc dupliciter, primo quantum ad eſſe ipſius abſolutum, vt quod ipſa ſit ſubſtantia ſimplex & incorporea, quod ſit vna in tribus potentijs, quod ſit imago Dei, poſtea vero quãtum ad eſſe comparatum ſcilicet ad corpus ſuũ, & ad extremum de viribus eius. *Iohãnes Damaſc.* Anima igitur eſt ſubſtantia viuens, ſimplex & incorporea, corporalibus oculis ſecundum propriam naturam inuiſibilis, immortalis, rationalis, intellectualis, infigurabilis, organico vtens corpore, & huic vitæ, augmentationis, & ſenſus, & generationis tributiua, non habens præter ſe ipſam intellectum, ſed & partem ſui ipſius puriſſimam. Sicut enim oculus in corpore ita in anima eſt intellectus, arbitrio libera eſt, voluntatiua, & operatiua voluntate vertibilis, quoniam creabilis. *Ariſt. in 2. li. de anima.* Dicamus ergo vnumquodque genus rerum eſſe ſubſtantiam, & huius aliud quidem materiam aliud formam ac ſpeciem. Tertium vero, quod eſt ex his. Eſt autem materia quidem potentia. Species autem endelechia id eſt actus, quod autem ex vtroque eſt animatum. Igitur anima eſt actus primus phyſici corporis organici potentia vitam habentis. Vnde non oportet quærere ſi anima & corpus vnum ſunt, ſicut nec de cera & figura, nec omnino de materia, & eo cuius eſt materia. *Gloſſa.* Organicum autem illud corpus eſt in cuius qualibet parte diuerſa ſecundum ſpeciem anima eſt principium diuerſarum operationum ſecundum ſpeciem. In viſu namque, & auditu, & huiuſmodi anima diuerſas habet operationes ſecundum ſpeciem. *Ariſtoteles vbi ſupra.* materia quidem ſecundum ſe non eſt hoc aliquid. Secundum ſpeciem vero dicitur hoc aliquid. Itaque oculus eſt materia viſus, quo deficiente non eſt oculus, niſi æquiuoce ſicut lapideus aut depictus. Debet igitur accipere, quod in parte eſt, & in toto viuente corpore ſcilicet ad hoc vt ſit organum, vel corpus organicum. Anima denique id eſt qua viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primum. *Alexander in libro de motu cordis.* Anima eſt ſubſtantia incorporea, intellectualis illuminationis à primo vltima relatione perceptiua. *Seneca.* Anima eſt ſpiritus intellectualis ad beatitudinem in ſe, & in corpore ordinatus. *Plato.* Anima eſt ſubſtantia incorporea mouens corpus. *Bernardus Carthuſienſis.* Anima eſt res incorporea rationis capax viuificando corpori accommodata. *Hugo vbi ſupra.* Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis ſimplex, & indiſſolubilis, inuiſibilis, & incorporea, paſſibilis atque mutabilis carens pondere, figura, & colore. *Auguſtinus in libro de quantitate animæ.* Anima eſt ſubſtantia rationis particeps regendo corpori accommodata. *Remigius.* Anima eſt ſubſtantia incorporea regens corpus.

Anima quid.

Alia diffinitiones animæ.

De Diuerſis rationibus vel modis animam diffiniendi.

CAPVT X.

AVctor. Ad videndum autem diſtinctè quid ſit anima ſecundum diffinitionem ſubſtantiæ. Notandum, quod ſubſtantia creata quædam eſt ſpiritus, & non anima, ſicut Angelus. Quædam anima non ſpiritus vt ſenſibilis in brutis, & vegetabilis in plantis. Quędam anima eſt ſpiritus, vt anima rationalis. Eſt enim ſpiritus per naturam rationalem, per quam ſeparabilis eſt à corpore, Et eſt anima per naturam vnibilitatis in corpore per quã corpus animando viuificat. Quædam veronec ſpiritus eſt, nec anima, vt quælibet alia creatura. Diffinitur ergo anima quandoque vt ſpiritus, ſicut in libro de motu cordis, vt dictum eſt hoc modo. *Anima eſt ſubſtantia incorporea intellectualis, & illuminationis à primo vltima relatione perceptiua.* Angelus namque prima relatione ſuſcepit lumen à primo; quia ſtatim cum creati fuerunt, illuminati ſunt à ſuo principio. Vnde ipſa illuminatio eſt eis connaturalis, & coæua. Anima vero non prima, ſed vltima relationé, quia non ſecundum, quod exit à ſuo principio per creationem, ſed ſecundum acceſſum ad ipſum, vt ad finem, eſt in ea receptio luminis, hoc autem dico de illuminatione naturæ non gratiæ vel gloriæ. Quandoque vero diffinitur vt anima, & hoc dupliciter, quia comparatur, & vnitur corpori dupliciter vno tanquam motor mobili, vel natura naui. Secũdum hoc à remigio ſic diffinitur. *Anima eſt ſubſtantia incorporea regens corpus.* Nam & ſi aliquando Angelus vniatur corpori aſſumpto vt motor, non tamen vt rector, nec vt motor naturalis, ſed vt voluntarius, humanus autem ſpiritus corpori coniungitur vt regno ſuo rex, eique quadam neceſſitate naturalis amoris, & gubernationis alligatur, & inclinatur. Alio modo vnitur ei tanquam actus, & perfectio ipſius, & forma. Secundum hoc ab Ariſtotele ſic diffinitur in libro de anima. *Anima eſt actus primus corporis phyſici organici, potentia vitam habentis:* ibi dicitur actus perfectio rei: Quæ quia duplex eſt

ſcilicet perfectio ſecundum habitum vt rationalitatis in puero, & hic eſt actus primus, Et ſecundum actum vt in viro, qui poteſt ratione vti, & hic eſt ſecundus. Anima dicitur actus primus ad differentiam ſecundi. Corpus autem phyſicum ideſt naturale, dicitur ad differentiam corporis artificialis, vt eſt ſtatua vel domus. Potentia vitam habens ad differentiam ignis, lapidis & huiuſmodi. Organicum verò dicitur ad differentiã corporis naturalis, Potentia vitam habentis, quod adhuc imperfectum eſt, & ob hoc actioni animæ incongruũ, vt eſt ſemen, & partus nondum formatus. Præterea quandoque diffinitur vt ſpiritus, & anima & hoc dupliciter, vno modo per comparationem ad creaturas generaliter, & ſecundum hoc ab Auguſtino ſic diffinitur. Anima eſt omnium ſimilitudo. Alio modo per cõparationem ad corpus, cuius eſt perfectio, & ſecundum hoc etiam ab Auguſtino ſic diffinitur in libro de quantitate animæ. Anima eſt ſubſtantia quædã rationis particeps, regendo corpori accommodata. Alio modo per comparationem ad Deum, & hoc dupliciter, quia vel in relatione ad Deum ſecundum quod eſt principium, & ſecundum hoc ſic diffinitur. *Anima deiforme ſpiraculum vitæ.* Deiforme ſcilicet quantum ad vim rationabilem. Spiraculum quantum ad ſenſibilem. Vitæ quantum ad vegetabilem. Vel in relatione ad Deum vt ad finem, & ſecundum hoc diffinitur ſic à Seneca. *Anima eſt ſpiritus intellectualis ad beatitudinẽ in ſe, & in corpore ſociatus vel ordinatus.*

De Origine animæ.

CAPVT XI.

Anima non eſt pars Dei.

Hvgo vbi ſupra. Anima non eſt credenda pars, ſed creatura Dei. Neque enim de ſubſtantia Dei, vel de qualibet elementorum materia, ſed ex nihilo eſt creata. Si enim ex ſemetipſo Deus eam feciſſet nequaquam vitioſa aut mutabilis vel miſera eſſet. Si autem ex elementis facta fuiſſet, eſſet corporea. Cum itaque incorporea ſit ignotam habens originem initium habet, finem non habet. Et cum ſit ſpiritualis naturæ, nihil habet mixtum contextumque terrenum, nil humidum aereum, vel igneum, nullum habet colorẽ, nullo loco continetur, nullis mẽbris circũſcribitur, nullo ſpacio diffinitur, ſed ita eſt cogitanda, & intelligenda ſicut ſapientia, iuſtitia, & cæteræ virtutes ab omnipotente creatæ. *Philoſophus.* Dixerunt autem quidam, quod exitus animæ vegetabilis eſt ſecundum propagationem ex traduce. Exitus animæ ſenſibilis ſecundum motionem & influentiam cælorum. Exitus verò animæ æternalis per creationem. Exitus animæ vegetabilis ab eo, quod eſt principium productionis ſecundi, poſt primam conditionem vegetabilium. Exitus animæ ſenſibilis, non à virtute corporea cæli, ſed à virtute mouente cęlum, quę eſt virtus intelligentiæ ſiue Angelica, quæ intelligentia cum ſit incorporea benè poteſt eſſe principium incorporeæ ſubſtantiæ. Exitus vero animæ rationalis ſolum eſt à virtute diuina. Et propter hoc dicit Ariſtoteles, quod ſolus intellectus diuinitus ab extrinſeco aduenit. Anima enim ſenſibilis, & ſi adueniat ab extrinſeco quẽadmodum dictum eſt, non tamen diuinitus per creationem. Tradit autem Auguſtinus animam Adæ cum Angelis ſine corpore creatam fuiſſe, poſtea ſponte ad corpus acceſſiſſe, quia naturaliter inditum ei fuerat hoc velle. Alij vero dicunt eam creatã in corpore, ſed quicquid de illa æſtimetur certiſſimè de alijs tenendum eſt, quod in corpore creato infunduntur. Nec illa præſcia fuit operis ſui futuri iuſti vel iniuſti.

Exitus animæ.

De ſimplicitate eiuſdem in compoſitione.

CAPVT XII.

Ariſtoteles in Metaphyſica. Anima quidẽ & eſſe animæ idẽ, homo vero & eſſe hominis non eſt idẽ. *Philoſophus.* Eſt autẽ propriè loquẽdo duplex materia. ſ. materia ex qua fit aliquid, vt in generalibus; Materia ex qua eſt aliquid, & ſi non fiat, vt eſt in cæleſtibus. Ideo ibi eſt quantitas abſque contrarietate. Communiter autem loquendo, notandum quod eſt materia in qua, & eſt materia ex qua eſt aliquid, vel ex qua fit. Quod autem eſt in anima ſe habet per modum materiæ in qua, quia ſecundum hoc eſt receptibilis, & paſſibilis, & perfectibilis ſecundum ſcientiam, & virtutem. Quo eſt vero ſe habet per modum formæ. *Iuxta illud Boetij de Trinitate. In omni eo, quod eſt citra primum eſt hoc, & hoc.* Sciendum ergo, quod partes entis eſſentiales dicuntur dupliciter, vno modo dicuntur, quod eſt, & quo eſt, & iſtæ inueniuntur in omni eo, quod eſt citra primũ in omni ſcilicet creatura, quæ cum ſit per participationẽ ens non ſua eſſentia, non eſt bona per eſſentiam, ſed per participationem ipſius ſummæ bonitatis, quam habet ex ordine ad ipſam. Ideo differt in creatura quod eſt bonum, & quo eſt bonum, hoc eſt bonitas. Similiter ergo erit differens in ente creato, quod eſt, & quo eſt. Præterea omne ens creatum eſt ens à Deo de nihilo. Igitur in eo quod dicitur quod eſt, creatura intelligitur, quæ eſt ens de nihilo. In eo autem quod dicitur, quo eſt, intelligitur eſſentia à Deo, ſiue quã accepit à Deo. Secundum primum modum eſt in creatura potentia receptiua, & paſſibilis, iuxta ſecundum modum potentia actiua. Alio modo dicuntur partes entis eſſentiales materia, & forma, & eſſe ſolum inueniuntur in illis ſolum, quæ à Deo ſunt de aliquo. Corporalia ergo, quæ ſunt de aliquo compoſitionem habent materiæ, & formæ. *Materia enim eſt, de qua eſt aliquid. Forma vero per quam eſt aliquid.* Dicendum ergo, quod ſpiritualia, & anima rationalis compoſitionem habent ex partibus eſſentialibus, quæ partes ſunt, quod eſt, & quo eſt, quia ſunt à Deo, & de nihilo, & non habent compoſitionem, quæ eſt ex materia, & forma proprie dictis, quia non ſunt à Deo creata de aliquo. Sic ergo à Boetio intelligatur, hoc, & hoc, & dyas in monade, à Beato Dyonifio. Et ſecundum hoc recipere, & agere in anima differens eſt, ſcilicet recipere per naturam eius, quod dico, quod eſt, agere vero per naturam eius quo eſt. Sic intelligendum eſt, quod compoſitio eſſentialis præcedit accidentalem.

Maxima.

Materia. Forma.

De eodem.

CAPVT XIII.

Avctor. Eſt igitur anima ſimplex, non tamen ita vt careat omni compoſitione. Eſt enim compoſitio multiplex partium ad totum, & hæc diuerſificatur ſicut & partes, ſunt enim partes integrales, vt partes, & tectum, & fundamentum in domo. Eſſentiales vt materia, & forma in compoſito. Artificiales vt ſtatua, & figuratio. Quædam etiam ſunt partes multitudinis, vt in numeris: quædam magnitudinis, vt in continuis. Secunda compoſitio eſt accidentium ad ſubiectum, quæ dicitur concretio. Tertia potentiæ ad actum. quarta cauſæ ad effectum, & hæc etiam variatur ſecundum quadruplex genus cauſæ ſcilicet vt dicatur compoſitum, quod eſt ab alio vt in materiam, vel ad aliud vt ad finem. Omni tali compoſitione Deus caret, vnde ſimpliciter, & omnino ſimplex eſt. Angelus autem, & anima primo genere compoſitione partium carent, ſed tres alias habent. Habet igitur anima, quod eſt & quo eſt in ſui compoſitione, id eſt potentiam paſſiuam ſiue receptiuam, quæ ſe habet ad modum materiæ, & actiuam, quæ ſe habet ad modum formæ. Sed hæc in anima differunt ſolum ratione, & non re, quia ſecundum ſubſtantiam ſuam eſt vtrumque ſcilicet & paſſibilis ſiue receptiua, & etiam actiua, & ita ſecundum idẽ. In rebus autẽ corporeis differũt, & re & ratione. Angelus quidẽ cõpoſitionem habet creationis, & etiam cauſalitatis. ſ. ad efficientem, & finẽ, Et etiã comparatio eius ad nihilum ex quo eſt, quędam cõpoſitio eſt. Anima vero plures habet etiam, quam Angelus, qui componitur alij ſcilicet corpori ad faciendũ vnũ ſcilicet hominem. Præterea vnus Angelus alio, & vna anima alia ſimplicior

Partium. Diuiſio.

eſt,

eſt, ſecundum maiorem acceſſum ad diuinæ naturæ ſimplicitatem.

Hugo in primo lib. Didaſcalicon. Probata ſententia apud philoſophos anima ex cunctis naturæ partibus aſſerit eſſe compactam. quia ſcilicet ſiue per ſenſus ad ſenſibilia exeat, ſiue per intelligentiam ad inuiſibilia aſcendat, ad ſeipſam rerum ſimilitudines trahens regyrat, ſectaque in orbes geminos motus glomerat. Pythagoricum namque dogma erat, ſimilia ſimilibus comprehendi, vt ſcilicet anima niſi ex omnibus compoſita foret, nullatenus omnia comprehendere poſſet. Nec tamen exiſtimemus viros in rerum natura peritiſſimos hoc de ſimplici eſſentia ſenſiſſe, quod vlla ſe partium quantitate diffunderet, ſed vt eius mirabilem demonſtrarent potentiam. Dicebant ex omnibus naturis eam conſtare, non ſecundū compoſitionem, ſed ſecundum compoſitionis rationem. Neque enim hæc omniū rerum ſimilitudo aliunde vel extrinſecus venire eſt credenda, ſed ipſa potius eam in ſe, & ex ſe natiua quadam potentia, & propria virtute capit. Ita omnium capax, & rerum omnium ſimilitudine inſignia, omnia eſſe dicitur, & ex omnibus compoſitionem ſuſcipere, non integraliter, ſed virtualiter ac potentialiter omnia continere.

Dogma Pythago.

De virtute animæ in tribus potentijs.

CAPVT XIIII.

Idem in libro de ſpiritu, & anima. Anima igitur ſpitus intellectualis, rationalis, ſemper viuens, ſemper in motu, bonæ malæque voluntatis capax, ſecundum benignitatem creatoris, atque ſecundum ſui operis officium variis nuncupatur nominibus. Dicitur namque *anima dum vegetat, ſpiritus cū contẽplatur, ſenſus dū ſentit, &c.* Per concupiditatẽ appetit, per iraſcibilitatẽ temnit, per rationabilitatem inter vtrumque diſcernit. Nec per partes diuiditur, cum ſit ſimplex, nec aliud, nec minus eſt ratio vel ſubſtantia, quàm anima nec aliud, nec minus eſt ira vel concupiſcentia, quàm anima, ſed vna eademque ſubſtantia ſecundum diuerſas potentias diuerſa ſortitur vocabula. *Gennadius in diffinitionibus Eccleſiaſticorum dogmatum.* Non igitur animas duas eſſe dicimus in homine, ſicut Iacobus, & alii Syrorum dicunt, vnam animalem, qua corpus animetur, quæ & immixta eſt ſanguini. Aliam verò ſpiritualem, quæ rationẽ miniſtret, ſed vnam eandemq; dicimus eſſe, quæ & corpus ſua ſocietate viuificet, & ſemetipsū ſua ratione diſponat. *Auctor.* Vna eſt anima in homine, cuius potentiæ ſunt vegetabilis, ſenſibilis, rationalis, in vna ſubſtantia fundatæ. Videtur quidem Ariſtoteles velle, quod corpus hominis in vtero matris prius vegetetur, quàm ſentiat, & prius etiam in eodem ſit ſenſus, quàm intellectus. Non tamen oportet quod ibi ſint tres animæ, vel incorporeæ ſubſtantiæ, ſed vna quæ prius habuit ſolam vim vegetandi, & tandem vim intelligendi. Prima eſt quaſi materialis diſpoſitio ad ſecundam recipiendam, & ſecunda ad tertiam, quæ eſt vltima perfectio ſiue completio. Vnde & ſola dicitur anima. Ideoque etiam licet videatur puer eſſe animal antequam homo, quia corpus habet, & animam ſenſibilem antequam rationalem, non ob hoc ſequitur, quod ſit aſinus vel capra, vel aliquod aliorū ab homine, quia nondum eſt animal perfectum, Illud enim quod habet materiale, eſt ab vltimo completiuum ideſt ab intellectu, qui eſt vltima perfectio corporis. Eſt enim completiſſima omnium virtutum, quæ ſunt in corporibus, & eſt in corpore mediante ſenſibili, quæ tamen non eſt medium per modū materialis diſpoſitionis ex toto, quia exercet operationes ſuas in corpore. Nec eſt medium rationis vel intellectiuæ ad hoc, vt ſit, ſed ad hoc vt ſit in homine. Vnde illa deſtructa, deſtruitur & iſta, non in ſe, ſed in homine ideſt ad hoc vt non ſit in homine. Itaque illæ duæ, quæ ſunt quaſi materiales ad tertiam, corrumpuntur cum corpore ſcilicet in morte, & tertia manet ab aliis ſeparata, & ab ipſo corpore. In viuentibus quoque nihil prohibet eam ad operationes intelligibiles rapi, nec ob hoc ab alijs potentijs omnino ſeparari, ſed ea ex toto illuc cōuerſa, ſicut in raptu Pauli, remanent alię duæ, penes quas conſiſtit regnum corporis, & per quas conſeruatur in eſſe vitali. Patet igitur, quod anima eſt vna in tribus potentijs, quia cum idem ſit in homine earum perfectibile ſcilicet vnus homo ſecundum rem, vna quoq; earū erit perfectio ſecundum ſubſtantiā. Præterea cum eſt triāgulus in quadrangulo, non differt in ſubſtàtia, immo idē ſunt. Igitur ſimiliter vegetatiuū cum eſt in ſenſitiuo, & vtrūque in rationabili, non differunt ſecūdū ſubſtantiā. Itē ſi eſſent multa ſecundū ſubſtantiā, & ſecundum potentiam, & in vno genere, actus vnus non impediretur per actum alterius. Occupata ergo anima rationali circa ſenſibilia, non impediretur ad ſpiritualia. Itē eſſent tres animæ, quod dānatur in li. de Eccleſiaſticis dogmatibus. Concedendū ergo eſt eandem ſubſtantiam in homine eſſe vegetabilem, ſenſibilem, & rationalem, ſecundum potentiam tamen differentem.

Anima vna in homine.

Reſponſio ad obiectiones contrarias.

CAPVT XV.

FVerunt tamen qui dixerunt tres ſubſtantias incorporeas ineſſe ſicut tres vitas ſcilicet vitam vegetabilem, ſenſitiuam, intellectiuam. Habet enim homo ſubſtantiam incorpoream, qua viuit, creſcit & nutritur, & hoc ex traduce per generationem, in qua conuenit cum plantis, habet ſubſtantiam incorpoream qua ſentit ex cœlo, & ſtellis, ſecundum quam conuenit cum brutis. Habet, & ſubſtantiam incorpoream, qua viuit, & intelligit, immediatè à Deo per creationem, & quamuis ſint tres ſubſtantiæ, non tres animæ in homine, quia anima eſt nomen perfectionis, & ideo ſubſtantia vegetabilis non eſt anima, niſi in plantis quarum eſt perfectio, ſenſibilis non niſi in brutis. In homine autem ſunt quaſi materiales ad rationalem, & rationalis eſt completio. Et ideo in primo ſola eſt anima in homine aliis exiſtentibus, vt diſpoſitionibus materialibus ad ipſam. De vnione autem illarum quidam adducūt exemplū in radijs ignis, & ſolis, qui quādoque vniuntur in aēre ſi in quo nō eſt niſi quaſi vnus, & hoc propter eorum ſimplicitatem, Et ſicut contingit, quòd radius ignis cum igne corruptibilis eſt, radius ſolaris cum ſole incorruptibilis. Sic duæ corrumpuntur in corpore ſcilicet vegetabilis, & ſenſibilis, tertia remanet cum ſeparatur à corpore, vt radius ab aere. Dicunt etiam cum Ariſtotele, quòd prius tempore eſt ipſa vegetabilis cum ſemine qua nutritur ac creſcit. Inde cum creuerit ſubſequatur per influentiam corporis cæleſtis ſenſitiua. Vltimò verò infunditur per creationem rationalis, vt perfectio vltima. illud ergo, quod ante rationalis infuſionem eſt animatum, & ſenſibile, imperfectum eſt, & materiale ad vltimum completiuū Non ſunt igitur illæ tres in homine differentes ſpecies vel ſubſtantiæ, quia vna eſt diſpoſitio materialis ad aliā. Ideo vna, & ſimplex eſt anima, quia vna eſt perfectio vltima.

Explicatur ſententia ponentium tres animas in homine.

Si autem obijcitur, quod non eſt eadem ſubſtantia corruptibilis, & incorruptibilis & ſenſitiua quidem corrūpitur, rationalis autem non. Reſponderi poteſt, quod ſenſibilis in homine corrumpitur, non ſecundum eſſentiam, nec ſecundum potentiam, ſed tantummodo ſecundum actum ſcilicet cum anima ſeparatur à corpore. Vnde in libro de anima, & ſpiritu legitur, quod anima ſecum trahit imaginationem in ſeparatione. Si igitur iterum obiicitur, quod non eſt eadem ſubſtantia ſeparabilis & inſeparabilis; mixta corpori, & non mixta. Reſpondeo, quod miſceri corpori ſecundum operationem virtutis alicuius, & non miſceri ſecundum operationem alterius: vel ſeparari ſecundum actum, & non ſeparari ſecundum habitum, vel vtrumque ſecundum diuerſas potentias nihil prohibet eſſe vnius ſubſtantiæ.

Obiectio ſoluitur,

Adhuc De eodem.

CAPVT XVI.

Obiectio. SEd adhuc obijciunt, quod non eſt eadem ſubſtantia prius tempore, & poſt tempore. Vegetabilis autem prior eſt tempore ſicut patet in ſemine, & in embrione, quod prius vegetatur, quam nutriatur, creſcit antequam anima rationalis infundatur. *Reſp.* Ad hoc dici poteſt, quod eſt vegetatiua diſponens, & vegetatiua perficiens. Vna eſt forma in fieri, alia in eſſe. Prima traducitur, & ſeminatur cum corpore. Secunda verò infunditur rationali animæ. Prima ergo tranſit completo fieri, id eſt corde formato, & organizato. Et ſimiliter diſtinguendum eſt de ſenſibili.

Obiectio alias ſoluitur. Tertiò ſic obiiciunt, ſubſtantiæ ſeparabilis non eſt potentia inſeparabilis. Ergo anima rationalis non eſt potentia vegetabilis, & ſenſibilis. Reſpondeo vt ſupra, quia potentia ſenſibilis in homine aliter eſt, quàm in brutis. Nam in brutis cum ſit forma ſubſtantialis, & incorporea, non eſt ſeparabilis à corpore, nec ſecundum potentiam, nec ſecundum actum. In homine verò cum ſit ſubſtantia, & potentia animæ rationalis, ſeparabilis eſt ſecundū actum non ſecundū potentiā. Itaq; ſecundū omnes philoſophos, & naturales anima rationalis eſt vna ſubſtantia incorruptibilis, ex qua fluunt quędā potentiæ operantes in inſtrumētis corporalibus, & quædam operantes ſine inſtrumētis corporalibus, vnde corruptio non eſt ex parte ipſius animæ, ſed ex parte organorū, & eſt corruptio operationis, non potentiæ operātis. Nā & ſecundū philoſophos intellectus practicus innititur corpori, eo quod actuale bonū non acquiritur ſine operatione corporis. Nec tamē ideo dicimus ipſum corrūpi ſecundum ſubſtantiā corrupto corpore, vel eſſe diuerſæ ſubſtātiæ ab aliis partibus animæ rationalis, Corruptio enim hæc accidit ex parte corporis, & non ex parte partium animæ, ſicut & debilitas operationis accidit ex debilitate organi, non ex debilitate virtutis organi. Dicit enim philoſophus, quod ſi ſenior accipiat iuuenis oculū, videbit vtique ſicut iuuenis. Itaque potentiæ animæ rationalis etiam ſeparatæ, ibidem quoque ſunt in ſubſtantia animæ ſed ſecundum operationes ex organis deficientibus corrumpuntur. Infunditur autem animæ rationalis ſubſtantia ſecundum ſe totam per creationem corpori organico, & in quibuſdam partibus eius operatur opera vegetatiuæ, in quibuſdam ſenſitiuæ. Vniuntur autem tria in anima rationali triplici modo ſcilicet vt potentia, & actus, vt prima cauſa & conſequentia, vt partes virtuales in toto.

De Imagine, & ſimilitudine trinitatis in anima. & primo in ſenſu.

CAPVT XVII.

Augu. de Trini. li. 11. Sicut autem interior homo intelligentia ita exterior ſenſu præditus eſt. In hoc ergo exteriori quæramus, quomodo poſſumus quandam Trinitatis effigiem ſi non expreſſiorem, tamen fortaſſis ad dignoſcendū faciliorem. Senſu igitur corporis exterior homo præditus corpora ſentit, & ille ſenſus quinque partitus eſt. Sed quod vnus eorum nobis renunciat, hoc etiam in cæteris valet. In viſu igitur hæc tria dignoſcenda ſunt. Primo res ipſa quam videmus, quæ vtique iam eſſe poterat, & tanquam videretur. Deinde viſio, quæ non erat, prius quàm rem iſtam obiectam ſenſu videremus. Tertiò, quod in ea re, quæ videtur, quamdiu videtur ſenſum detinet oculorum, ideſt animi intentio. In his non ſolum eſt manifeſta diſtinctio, ſed etiam diſcreta natura, & cum ſenſus non procedat ex corpore illo, quod videtur, ſed ex corpore ſentientis, & animantis, cui anima ſuo quodam miro modo contemperatur, tamen ex corpore, quod videtur, gignitur viſio ideſt ſenſus ipſe formatur, vt iam non tantum ſenſus, qui etiā in tenebris eſt integer, dū eſt incolumitas oculorum, ſed etiam informatus ſit, quæ viſio vocatur. Gignitur ergo ex re viſibili viſio, ſed non ex ſola, niſi adſit & videns, quocirca ex viſibili & vidente gignitur viſio, ita ſanè vt ex vidente ſit ſenſus oculorum, & aſpicientis atque intuentis intentio, illa tamen informatio ſenſus, quæ viſio dicitur, à ſola re viſa imprimitur, qua detracta nulla remanet forma, quę inerat ſenſui dum adeſſet illud, quod videbatur. Senſus tamen remanet, qui erat & prius quàm aliquid videretur, velut in aqua veſtigiū tamdiu eſt, donec ipſum corpus, quod imprimitur ineſt, quo ablato nullum erit, cum remaneat aqua, quæ erat, & antequam formam illā corpus caperet. Ideoque ſenſum non gignit res viſibilis, gignit tamen forman velut ſimilitudinem ſuam in ſenſu. Sed formam corporis, quod videmus, & formam, quæ ab illa in ſenſu videntis fit, per eum ſenſum non diſcernimus, quia tanta coniunctio eſt, vt non pateat diſcernendi locus.

Sed ratione colligimus, nequaquam nos ſentire potuiſſe, niſi fieret in ſenſu noſtro aliqua ſimilitudo conſpectui corporis. Neque enim annulus cum ceræ imprimitur, ideo nulla imago in eo facta eſt, quia non diſcernitur, niſi cum fuerit ſeparata. Horū itaque trium primum ſcilicet res ipſa viſibilis non pertinet ad animantis naturam, niſi cum corpus noſtrum cernimus. Alterum autem ita pertinet, vt & in corpore fiat, & per corpus in anima. Fit enim in ſenſu, qui neque ſine corpore eſt, neque ſine anima. Tertium verò ſolius animæ eſt, quia voluntas eſt. Cum igitur hæc tria tam diuerſas habeant ſubſtantias, tamen in tantam coeunt vnitatem, vt duo prima vix intercedente iudice ratione diſcerni valeant, ſcilicet ſpecies corporis, quæ videtur, & imago eius, quæ fit in ſenſu ideſt viſio. Voluntas autem tantam habet vim copulandi hæc duo, vt & ſenſum formandum admoueat ei rei, quæ cernitur, & in ea formatā teneat. Et ſi tam violenta eſt, vt poſſit vocari amor aut cupiditas, aut libido, etiam cæterū corpus animantis vehementer afficit, & vbi non reſiſtit durior pigriorque materies in ſimilem ſpeciem coloremque commutat. Licet videre corpuſculum cameleontis ad colores quos videt, facillima conuerſione variari. Aliorum animalium, quia non eſt ad conuerſionem facilis corpulentia, fætus plurimum produnt libidines matrum, tale quale eſt illud, quod cum magna delectatione conſpexerint. Quoniam enim teneriora atque formabiliora ſunt primordia ſeminum, tam efficaciter atque capaciter ſequuntur intentionem maternæ animæ, & quæ in ea facta eſt phantaſia per corpus, quod cupide aſpexit, ſicut patet in exemplo de Iacob.

De imagine Trinitatis in memoria vel imaginatione.

CAPVT XVIII.

POrro etiam detracta ſpecie corporis, quæ corporaliter ſentiebatur, remanet in memoria eius ſimilitudo, quo rurſus voluntas aciem conuertat, vt inde formetur intrinſecus, ſicut ex corpore ſubiecto ſenſibili ſenſus extrinſecus formabatur, atque ita ſit illa Trinitas ex memoria, & interna viſione, & quę vtrūque copulat voluntate. Quæ tria cum in vnū coguntur, ab ipſo coactu cogitatio dicitur, nec iā in his tribus diuerſa ſubſtātia eſt. Sicut autē ratione diſcernebatur ſpecies viſibilis, qua corporis ſenſus formabatur, & eius ſimilitudo, quæ fiebat in ſenſu formato vt eſſet viſio. Alioquin ita erant coniunctæ vt omnino vna, & eadem putaretur, ſic phantaſia, illa cum animus cogitat ſpeciem viſi corporis, cum conſtet ex corporis ſimilitudine quam memoria tenet, & ea quæ inde formatur in acie recordantis animi, tamen ſic vna, & ſingularis apparet, vt duo quidem eſſe non inueniantur niſi indicante ratione, qua intelligimus aliud eſſe illud, quod in memoria manet, etiā cum aliūde cogitamus, & aliud fieri cū recordamur, id eſt ad memoriā redimus, & illic inuenimus eandem ſpeciem, quę ſi iam non ibi eſſet

Cogitationis etymon.

eſſet ita nos oblitos eſſe diceremus, vt omnino recolere non poſſemus. Si autem voluntas, quæ hac atque illac fert, & refert aciem formandam, coniungitque formata ad interiorem phantaſiam tota confluxerit, atque à ſenſibus corporis animi aciem omnino auerterit, atque ad eam, quæ intus cernitur imaginem penitus conuerterit, tanta funditur ſimilitudo ſpeciei corporalis expreſſa in memoria, vt nec ipſa ratio diſcernere ſinatur. Vtrum foris corpus ipſum videatur, an intus tale aliquid cogitetur.

Mira vis imaginationis.

Vnde memini me à quodam audiſſe quod tam expreſſam, & quaſi ſolidam ſpeciē fæminei corporis in cogitando cernere ſoleret, vt ei ſe quaſi miſceri ſentiens, etiã genitalibus flueret. Sed multum differt vtrum ſopitis corporis ſenſibus ſicut ſunt dormientium, aut ab interiore compage turbatis, ſicut ſunt furentium, aut alio quodam modo alienatis ſicut ſunt prophetantium, cum intentio quadam neceſſitate incurrat in eas, quæ occurrunt imagines, ſiue ex memoria, ſiue ex alia vi occulta per quaſdam ſpiritales mixturas ſpiritalis ſubſtantiæ, an ſicut ſanis interdum contingit etiam vigilantibus, ſicut iam commemorauimus. Non autem tantum cum appetendo in talia voluntas intenditur, fiunt illæ impreſſiones imaginum, ſed etiam cum deuitandi, & cauendi cauſa rapitur in ea contuenda quæ fugiat. Vnde non ſolum cupiendo, ſed etiam metuendo infertur vel ſenſus ipſis ſenſibilibus, vel acies animi formanda ipſis imaginibus ſenſibilium. Itaque aut metus, aut cupiditas quanto vehementior fuerit, tanto expreſſius formatur acies ſiue ſentientis ex corpore, quod in loco adiacet, ſiue cogitantis ex imagine, quæ memoriæ continetur. Quod ergo eſt ad corporis ſenſum aliquid corporis in loco, hoc eſt ad animi aciem ſimilitudo corporis, in memoria. Et quod eſt aſpicientis viſio ad eam ſpeciem corporis, ex qua ſenſus formatur, hoc eſt viſio cogitantis ad imaginem corporis in memoriam conſtitutam ex qua formatur acies animi. Et quod eſt intentio voluntatis ad corpus viſum viſioneinque copulandam, vt ibi quædam vnitas trium fiat, quamuis eorum ſit diuerſa natura, hoc eſt eadem voluntatis intentio ad copulandum imaginē corporis, quę eſt in memoria, & viſione cogitantis ideſt forma quam cepit acies animi ad memoriam rediens, vt fiat, & hæc quædam vnitas ex tribus non iam naturæ diuerſitate diſcretis, ſed vnius, & eiuſdem ſubſtantiæ, quia hoc totum intus eſt, vt totum vel commune vnus animus.

De Fallacia Trinitatis exterioris hominis ſecundum quam homo conformatur huic ſeculo.

CAPVT XIX.

ANima itaque rationalis deformiter viuit cum ſecundum Trinitatem exterioris hominis viuit ideſt cum ad ea, quæ forinſecus ſenſum corporis formant, non laudabilem voluntatem, qua hæc ad vtile aliquid referat. ſed turpem cupiditatē qua his inhæreſcit accommodat. Sicut autem cum forma, & ſpecies corporis interierit, non poteſt ad eā reuocare voluntas ſenſū cernentis. Sic cū imago quam memoria gerit obliuione deleta eſt, non erit quo animi aciē formandā voluntas recordando retorqueat. Sed quia prævalet animus non ſolum oblita, verum etiam non ſenſa, nec experta confingere ea, quæ non exciderunt augmentādo, minuendo, & cōmutando, & pro arbitrio componēdo, ſæpe imaginatur quaſi ita ſit aliquid, quod aut ſcit non ita eſſe aut neſcit ita eſſe. In quo genere cauendum eſt ne aut mentiatur, aut decipiat, aut opinetur, vt decipiatur. Quibus duobus malis euitatis nihil ei obſunt imaginata phantaſmata, ſicut nihil obſunt experta ſenſibilia retenta memoriter, ſi neque cupide appetantur ſi iuuāt, neque turpiter fugiantur ſi offendunt. Cum autem in his voluntas relictis melioribus aliide volutatur, immunda fit, atque ita, & cum abſunt perniciosè, & cum adſunt perniciosius cogitantur.

Male itaque & deformiter viuitur ſecundū Trinitatē exterioris hominis, quia illam Trinitatem, quæ licèt interius imaginetur exteriora tamen imaginatur, ſenſibilium cauſa vtendorum peperit, nullus enim eis vti poſſit etiam bene, niſi ſenſarum rerum imagines memoria tenerentur. Et niſi pars maxima voluntatis in ſuperioribus habitet, eaque ipſa, quæ cōmodatur ſiue foris corporibus, ſiue intus imaginibus eorum, vbi quicquid in eis capit ad meliorem, & veriorem vitam referat, atque in eo fine, cuius intuitu hæc agenda iudicat acquieſcat. Quid aliud facimus, niſi quod nos Apoſtolus facere prohibet, cum dicit: *Nolite conformari huic ſeculo.* Quapropter non illa Trinitas eſt imago Dei, nec tamen omnino diſſimilis. Cum enim Deus fecerit omnia bona valde, non ob aliud niſi quia ipſe ſummè bonus eſt, profecto inquantum bonū eſt quicquid eſt, habet non nullam ſimilitudinem ipſius, & ſi naturalem, vtique rectam & ordinatam, & ſi vitioſam, vtique turpem atque peruerſam. Nam & animæ in primis ſuis peccatis non niſi quandam ſimilitudinem Dei ſuperba, & præpoſtera, & ſernili libertate ſectantur. Itaque nec primis parentibus noſtris perſuaderi peccatum poſſet niſi diceretur. *Eritis ſicut dij.* Illa autem ſola imago Dei eſt, qua ſolus ipſe ſuperior eſt. Ea quippe prorſus de illo exprimitur, inter quam & ipſum nulla interiecta eſt natura.

Peruerſa deitatis ſimilitudo.

Gen. 3.

Quod in ſenſu non ſit vera Trinitatis imago.

CAPVT XX.

VIſionis ergo illius ideſt formæ, quæ fit in ſenſu cernentis quaſi parens eſt forma corporis ex qua fit, ſed parens illa non vera, vnde nec iſta proles eſt, neque enim idem omnino gignitur, quia aliquid aliud copori adhibetur, vt ex illo formetur id eſt ſenſus videntis. Quocirca id amare alienari eſt, Itaque voluntas, quæ vtrunquee coniungit quaſi parentem, & prolem magis ſpiritualis eſt, quàm vtrumlibet eorum, nam corpus illud, quod cernitur, omnino ſpirituale, non eſt, viſio verò, quæ fit in ſenſu habet admixtum aliquod ſpirituale, quia ſine anima fieri non poteſt, ſed non totū ita eſt, quia ille qui formatur corporis ſenſus eſt. Ideo autem nec prolem viſionis poſſumus dicere voluntatem, quia erat antè viſionem, nec quaſi parentem, quia non ex volūtate, ſed ex viſo corpore formata, & impreſſa eſt. Finem fortaſſe voluntatis, & requiem poſſumus dicere viſionem ad hoc duntaxat vnum. Neque propter hoc nihil aliud volet quia videt aliquid quod volebat. Non itaque ipſa omnino volūtas hominis, cuius finis nō eſt niſi beatitudo, ſed ad hoc vnum interim voluntas videndi finē habet viſionē, ſiue id ad aliud referat ſiue nō. Tanquam ſi quiſque velit videri cicatricem, vt inde doceat vulnus fuiſſe. Aut ſi velit videre feneſtrā, vt per feneſtram videat tranſeuntes. Omnes tales voluntates ſuos proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis, qua volumus beatè viuere, & ad illam peruenire vitam, quæ non referatur ad aliud, ſed amanti per ſe ipſam ſufficit. Rectæ ergo ſunt voluntates, & omnes ſibimet religatæ, ſi bona eſt illa, quo cunctæ referuntur. Si autem praua eſt, prauæ ſunt omnes, & ideo rectarum voluntatum connexio iter eſt quoddam aſcendentium ad beatitudinem, quòd certis velut paſſibus agit. Prauarum hæc atque diſtortarum voluntatum implicatio vinculum eſt, quo alligabitur, qui hoc agit, vt proijciatur in tenebras exteriores. Beati ergo qui factis ac moribus cantant canticum graduum, & væ his qui trahunt peccata, velut reſtem longam. Sic eſt autem requies voluntatis quam dicimus finem, ſi adhuc referatur ad aliud, ſicut poſſumus requiem dicere pedis eſſe in ambulando, cum ponitur, vnde alius imitatur quo paſſibus pergit, ſic cum aliquid ita placet, vt in eo cum aliqua delectatione voluntas acquieſcat, nondum eſt tamen illud quo tenditur ſed & hoc ad aliud refertur, vt deputetur non tanquam patria eius, ſed tanquam refectio, vel manſio viatoris.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Quòd nec in phantaſia ſimiliter, vbi ſit infinita trinitatum alternatio.

CAPVT XXI.

POrro in alia trinitate illam ſpeciem quæ in memoria eſt, quaſi parẽtem dicimus eius quæ fit in phantaſia cogitantis, ſed nec illa vera parens, nec alia vera proles eſt. Quamuis enim forma quæ eſt in acie recordantis ex ea fiat, quæ ineſt memoriæ, tamen ipſa acies non inde exiſtit, ſed erat ante illam. Difficilius iam plane diſcernitur, vtrum voluntas quæ memoriæ copulat viſionem, nec parens nec proles ſit alicuius eorum, quandoquidem vtrumque ita coniungit vt tanquam vnum ſingulariter appareat, vt diſcerni niſi ratione poſſit, atque illud primum videndum eſt, non eſſe voluntatem reminiſcendi, niſi vel totum vel aliquod eius rei quam reminiſci volumus in penetralibus memoriæ teneamus. Quod enim omni ex parte obliti ſumus, ab eo nec reminiſcendi voluntas exoritur. Vnde intelligi poteſt, voluntatem reminiſcendi ab his rebus quæ memoria continentur procedere. Adiunctis his ſimul quæ modo per recordationem credendo exprimuntur, id eſt ex copulatione rei cuius recordati ſumus, & viſionis quæ inde facta eſt in acie cogitantis cum recordati ſumus. Ipſa quæ vtrunque copulat voluntas requirit aliud quod quaſi initium eſt atque contiguum recordanti. Tot igitur huius generis trinitates, quot recordationes ſunt, quia nulla eſt earum vbi hęc tria non ſint. Quia vero non poteſt acies animi ſimul omnia quæ memoria tenet vno aſpectu contueri, alternantur viciſſim trinitates cogitationum, fitque illa innumerabiliter numeroſiſſima trinitas, id eſt quæ facultatem numerantis excedat, nec tamen infinita, ſi numerus in memoria reconditarum rerum non excedatur.

Elegans probatio quod alia ſit ratio rei exiſtentis in memoria alia exiſtentis in cogitatione.

Sed hinc etiam aduerti poteſt aliud eſſe quod reconditum memoria tenetur, & aliud quod inde in cogitatione recordantis exprimitur, quamuis tamen vtriuſque copulatio vnum & idem videatur, quia meminiſſe non poſſumus corporum ſpecies niſi tot quot ſenſimus, & quantas ſenſimus & ſicut ſenſimus. Ex corporis enim ſenſu eam in memoria combibit animus. Viſiones autem cogitationum ex his quidem rebus quæ ſunt in memoria, ſed tamen infinite multiplicantur & variantur. Vnum quippe ſolem memini, quia ſicut eſt vnum vidi. Si autẽ voluero duos vel tres, vel quot volo cogito, ſed ex eadẽ memoria qua vnum memini, formatur acies multos cogitãtis, & tantum memini, ſi enim maiorẽ vel minorem quam vidi memini, iam non memini quod vidi, & ideo non memini. Maiorem tamen pro voluntate cogito vel minorem quam memini & vidi. Quadrum etiam cogitare in promptu mihi eſt, cum rotundum meminerim, & cuiuſlibet coloris cum ſolem viridem nunquam viderim, & ideo nec meminerim, atque vt ſolem ita cetera, hæ autem rerum formæ quia corporales ſunt errat quidem animus cum eas opinatur eo modo foris eſſe, quomodo intus cogitat, vel cum interierint foris, & adhuc memoria retinentur, vel cum aliter etiam quam meminimus cum recordandi fine, ſed cogitandi variè formantur.

Quod non ſolum vera ſed etiam ficta per trinitatem memoriæ vel imaginationis aduertuntur.

CAPVT XXII.

SÆpiſſimè tamen credimus etiam vera narrantibus quæ ipſi ſenſibus perceperunt, quæ cum ipſo auditu quando narrantur, cogitamus, non videtur ad memoriã retorqueri acies, vt fiant viſiones cogitantium, atque illa trinitas non hic videtur expleri, quæ fit cum ſpecies in memoria latens & viſio recordantis tertia voluntate copulantur. Sed ſi intelligentius cõſideremus, nec tunc exceditur memoriæ modus. Neque enim vel intelligere poſſem narrantem, ſi ea quæ dicit, & ſi contexta tunc primum auditem, non tamen generaliter ſingula meminiſſem, qui enim mihi narrat aliquem montem ſylua exutum, & oleis indutum ei narrat, qui meminerim ſpecies & montium, & ſyluarum, & olearum, quæ ſi oblitus eſſem, quid diceret omnino neſcirem, & ideo narrationem illam cogitare non poſſem, ita fit vt omnis qui corporalia cogitat, ſiue ipſe fingat aliquid, ſiue audiat, aut legat, vel prẽterita narrantem, vel futura pronunciantem, ad memoriam ſuam recurrat, & ibi reperiat modum atque menſuram omnium formarum quas cogitans intuetur. Ita neque colorem quem nunquam vidit, neque ſonum quem nunquam audiuit, nec aliquid quod nunquam ſenſit, poteſt quiſquam omnino cogitare, ac ſi corporale aliquid, propterea nemo cogitat niſi quod ſenſit, quia nemo corporale aliquid meminit niſi quod ſenſit, ſicut in corporalibus ſentiendi, ſic in memoria eſt cogitandi modus.

Ordo potentiarum in operando.

Senſus enim accipit ſpeciem à corpore, quod ſentitur & à ſenſu memoria, à memoria vero acies cogitantis. Voluntas porro ſic adiungit ſenſum corpori, ſic memoria ſenſui, ſic aciem cogitãtis memoriæ. Quæ autem conciliat illa atque coniungit, ipſa etiam diſiungit & ſeparat id eſt voluntas. Sed à ſentiendis corporibus motu corporis ſeparatur ſenſus corporis, ne aliquid ſentiamus, velut ſentire deſinamus, vt cũ oculos ab eo quod videre volumus auertimus, vel claudimus, vel aures à ſonis, & ſic de alijs. Ita motu corporis agit voluntas, ne ſenſus corporis rebus ſenſibilibus copuletur, & agit hoc quantum poteſt. Nam cum in hac actione propter conditionem ſeruilis mortalitatis difficultatem patitur, cruciatus eſt conſequens, vt voluntati nihil reliqui fiat niſi tolerantia. Memoriam vero ſenſu voluntas auertit, cum in aliud intenta non ei ſinit inhęrere præſentia. Nam mihi ſæpiſſimè euenit, vt perfecta pagina vel epiſtola, neſciam quid legerim & repetam: in alio quippe intentio nutu voluntatis non ſic eſt adhibita memoria ſenſui corporis, quemadmodum ipſe ſenſus adhibitus eſt litteris. Ita & ambulantes intenta in aliud voluntate, neſciunt quæ tranſierunt. Iam porro ab eo quod in memoria animi eſt, aciem velle auertere, nihil eſt aliud quam inde non cogitare. In hac igitur diſtributione vbi quatuor ſpecies reperiuntur, voluntas quaſi prolem cum parente ter copulat. Et vndecunque procedat, nec parens nec proles dici poteſt.

Quòd ex his quæ meminimus coniicimus aut fingimus ea quæ non vidimus.

CAPVT XXIII.

ETenim ſi non meminimus, niſi quod ſenſimus, neque cogitamus, niſi quod meminimus, cur plerumque falſo cogitamus, cum ea quæ ſenſimus, non vtique falſo meminerimus, niſi quod voluntas illa quam coniunctricem & ſeparatricem huiuſmodi rerum demonſtraui, formandam cogitantis aciem per condita memoriæ ducit, vt libitũ eſt. Et ad cogitãda ea quæ non meminimus ex eis quæ meminimus, aliud hinc, aliud inde vt ſumat appellat, quæ in vnam viſionem coeuntia faciunt aliquid quod ideo falſum dicatur, quia vel non eſt foris in rerum corporearum natura, vel non de memoria videtur expreſſum, cum tale aliquid nos ſenſiſſe meminimus. Quis enim vidit cygnum nigrum, facile eſt tamen figuram illam quam videndo nouimus, nigro candore perfundi quem etiam etiam in alijs corporibus vidimus, & quia vtrumque ſenſimus etiam vtrumque meminimus. Quapropter dum coniuncta cogitamus, quæ ſigillatim ſenſa meminimus, videmur non id quod meminimus cogitare, cum id agamus moderante memoria, vnde ſumimus omnia quæ multipliciter & varie pro noſtra voluntate componimus. Nam neque ipſas magnitudines corporum quas nunquam vidimus, ſine opere memoriæ cogitamus. Quantum enim ſpatij ſolet occupare per magnitudinem mundi noſter obtutus, intantum extendimus quaſlibet corporum moles, cum eas maximas cogitamus. Et ratio quidem pergit in ampliora, ſed phantaſia non ſequitur. Quippe cum infi-

Cur verè sẽtimus, falsò cogitamus?

nitatem quoque intueri ratio non renunciat, quam nulla viſio corporalia cogitantis apprehendit. Eadem ratio docet etiam minutiſſima corporalia infinite diuidi. Cum tamen ad eas trinitates vel minutias peruentum fuerit, quas viſas meminimus, exiliores minutioreſque phantaſias iam non poſſumus intueri, quamuis ratio non deſinat perſequi ac videre. *Ita nulla corporalia niſi quæ meminimus, aut ex his quæ meminimus cogitamus:* ſed quia numeroſa cogitari poſſunt, quæ ſigillatim ſunt expreſſa memoriæ, videtur ad memoriam menſura, ad viſionem vero numerus pertinere, quia licet innumerabilis ſit multiplicitas talium viſionum, ſingulis tamen in memoriam præſcriptus intranſgreſſibilis modus. Menſura igitur in memoria, in viſionibus numerus apparet, ſicut in ipſis corporibus eſt menſura quædam, cui numeroſiſſimè coaptatur ſenſus videntium, & ex vno viſibili multorum cernentium formantur aſpectus. Ita vt etiam vnus propter duorum oculorum numerum plerumque vnam rem ſpecie geminata videat. In his igitur rebus vnde viſiones exprimuntur, quædam menſura eſt. In ipſis autem viſionibus eſt numerus, voluntas autem quæ illa coniungit & ordinat, & quadam vnitate copulat, nec ſentiendi aut cogitandi appetitum, niſi in his rebus vnde viſiones formantur, acquieſcens collocat, ponderi ſimilis eſt. Quapropter hęc tria menſuram, numerum, & pondus etiam in cæteris rebus omnibus aduertamus.

Maxima.

De imagine trinitatis in mente.

CAPVT XXIV.

Hvgo vbi ſupra. Anima rationalis ex imagine Dei habet rationem, & ex ſimilitudine charitatem. Charitas vero in ſemetipſa repræſentat trinitatem. Hãc in præſenti fides ſequitur, ſpes in cœlum vſque comitatur, charitas perenniter amplexatur. Appareat ergo ſimilitudo Dei in moribus pro natura, in operibus pro iuſtitia, in virtutibus pro gratia, vt moribus natura perornetur, vt & iuſtitia operibus comprobetur, vt gratia virtutibus compleatur. *Auctor.* Trinitatis imago eſt anima quo ad memoriam, intelligentiam, & voluntatem, vel amorem, & hoc triplici ſimilitudine, quia ſcilicet hæc tria ſunt vna eſſentia, vna vita, & cum ad ſe inuicem referuntur ſicut illæ tres perſonæ, & etiam quia æqualia ſunt, & quia ſe inuicem capiunt. In his tamen etiam triplex eſt diſſimilitudo, ſcilicet quia ita ſunt in homine vno, quæ tamen non ſunt homo. Et quia homo habens illa tria non eſt tres, ſed vna perſona. Et quia ſunt hominis vnius: non autem homo vnus.

Trinitatis imago.

Aliter autem aſſignatur in anima hæc imago, ſcilicet quantum ad mẽtem, & ſui notitiam & amorẽ. De mente enim ſui notitia naſcitur, quia ſi ſuper ſeipſam reflectatur ſciet quid eſt, & quod imago Dei eſt, à quo eſt, & ad quem finem eſt. Et ex vtroque ſcilicet mente & ſui notitia procedit amor ſuiipſius. Hæc quoque tria æqualia ſunt, & ſe inuicem capiunt. Similitudinem autem Dei anima habet in ſe, quo ad virtutes & effectus earum. Nam etſi Deo non conueniat credere vel ſperare, proprius tamen effectus fidei eſt aſſentire primæ veritati ſuper omnia, & propter ſe, quod vtique facit Deus, etiam verius quam homo. Effectus ſpei eſt Deo confidere ſuper omnia, & propter ſe, hoc etiam facit Deus. Similiter & de effectu charitatis, quod eſt diligere. Sed tamẽ ſimilitudo multiplex eſt. Prima omnimodæ identitatis, qua filius Dei ſimilis eſt patris. Secunda proprietatum conformitatis, de qua ſcilicet dicit Ariſtot. Proprium eſt qualitatis ſecundum eam ſimile vel diſſimile dici. Tertia repręſentationis, qua ſcilicet aliquis patri ſuo ſimilis dicitur, quando mores ejus imitatur. Et hoc vltimo modo aſſimilatur Deo homo, ſcilicet diſcreta operatione, quæ eſt virtutis effectus.

Alia aſſignatio dicta imaginis.

De ſimilitudine omnium rerum in anima.

CAPVT XXV.

Hvgo vbi ſup. Porro ſicut mundus iſte ſcilicet viſibilis in quinque partita quadã diſtinctione eſt ordinatus, terra ſcilicet, aqua, aere æthere ſiue firmamẽto, ipſoque ſummo cœlo, quod empyreum vocant. Sic animæ in mundo ſui corporis peregrinanti quinque progreſſus ſunt ad ſapientiam, ſenſus ſcilicet imaginatio, ratio, intellectus & intelligentia. Quinque enim progreſſionibus rationalitas exercetur ad ſapientiam, & quatuor effectibus ad charitatem. Anima igitur ad ſimilitudinem totius ſapientiæ facta, omnium ſimilitudinem in ſe gerit, vnde & à philoſopho diffinita eſt omnium ſimilitudo. Habet ſiquidem in ſe vires, quibus omnia inueſtigat, & omnibus ſimilis exiſtit, cum ſit vna. Similis terræ per ſenſum, aquæ per imaginationem, aeri per rationem, firmamento per intellectum cœlorum, cœlo per intelligentiam. Similis eſt lapidibus per eſſentiam, arboribus per vitam. Animalibus per ſenſum & imaginationem, hominibus per rationem. Angelis per intellectum, Deo per intelligentiam. Et ſicut Deus omnibus eſt capabilis & participabilis, ſic anima capax eſt omnium. *Ex libro fontis vitæ.* Subſtantia ſimplex forma eſt omnis rei. Intelligentia igitur & anima non apprehendunt res, niſi per formas ſuas, & forte non coniunguntur niſi cum formis, propter ſimilitudinem & conuenientiam eorum in genere. Itaque ſicut ille virtus eſt receptibilis formarum ſenſibilium, ſic & anima virtus eſt recepibilis formarum intelligibilium. Tu vero ſi res viſibiles ponas intelligibilium exemplum, apud te facilis erit imaginatio rerum intelligibilium. Omnis autem forma vnit id quod imaginatur per eam, denique poſtquam intelligentia non habet propriam formam in ſe, & eſt apprehendens omnium formarum ſemper, neceſſe eſt vt formæ rerum omnium ſint ſibi formæ. *Ex libro de cauſis.* Omnis intelligentia plena eſt formis, ſcitque quod eſt ſupra ſe, & quod eſt ſub ſe, intelligit res ſempiternas, quæ non deſtruuntur, neque cadunt ſub tempore. *Ex libro Ariſtot. de anima 3.* Eſt igitur anima (ſicut iam dictum eſt ſupra) quodammodo omnia quæ ſunt. Omnia namq; ſunt aut intelligibilia aut ſenſibilia. Veruntamen in anima non ſunt ipſæ res, ſed earum formæ vel ſpecies. Itaque ſicut manus eſt organum organorum, ſic intellectus eſt ſpecies ſpecierum, ſenſus quoque ſpecies eſt ſenſibilium.

Quinque partes virius que mundi.

Anima eſt omnia.

De differentia animæ humanæ ad brutalem & ad Angelum.

CAPVT XXVI.

Gennadius vbi ſupra. Solum autem hominem credimus animam habere ſubſtantiuam, quæ etiam exuta corpore viuat, & ſenſus ſuos & ingenia viuaciter teneat. Non enim cum carne moritur, quoniam (vt dictum eſt) non carne ſeminatur. Animalium autem animæ ſubſtantiuæ non ſunt, ſed cum ipſa carne carnis viuacitate naſcuntur, & cum carnis interitu finiuntur. Ideoque nec ratione reguntur, ſic Plato & Alexand. putant, ſed ad omnia naturæ incitamenta ducuntur. *Hugo vbi ſupra.* Senſum quidem & imaginationem cum ceteris animalibus communia habemus, vident ſiquidem viſibilia, & viſorum recordantur. In quibuſdam etiam ſenſibus nos ſuperant, quoniam iuſtum fuit, vt quibus nihil dandum erat in intellectu, aliquid amplius daretur in ſenſu. Et econtrario tanto maior neceſſitas inducitur homini exercendæ rationis, quanto maiorem defectum patitur ſenſualitatis. Ratio autem inde incipit, vnde aliquid occurrit, quod nobis cum animalibus non ſit commune.

Auctor. Anima quoque humana in hoc differt ab angelo, quia corpori eſt nubilis, & quia non habet diſtinctionem perſonalitatis, & quia vim quandam habet cõponendi & diuidẽdi intelligibilia cũ ſenſibilibus, quam

Anima ab angelo in quo differt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

non habet angelus. Et quia licet inter eam & Deum nihil eſt mẽdium quantum ad naturam, & etiam quãtum ad ęternam fruitionem, eſt tamen quantum ad præſentem illuminationem quam ipſa recipit ab angelo, angelus, autem à Deo. Item quia anima ad beatitudinẽ ordinata eſt in ſe & in corpore, angelus autem tantũ in ſe. Et notandum quod cum perſona ſit naturæ rationalis indiuidua ſubſtantia, in tribus tantum eſt perſonalitas. Vnde ſequitur quod triplex eſt diſtinctio perſonalis. In Deo ſcilicet tantum ſecundum originem. In angelo tantum ſecundum qualitatem. In homine ſecundum vtrumque. Quia & ſecundum qualitatem vnus differt ab alio. Et ſecundum originem vnus eſt ab alio, ſicut in perſonis diuinis, vbi hæc diſtinctio tripliciter variatur. Aut enim eſt origo & non habet originem, & ſic eſt in patre. Aut habet originem, & eſt origo, & ſic eſt in filio. Aut habet originem, & non eſt origo, & ſic eſt in ſpiritu ſancto. Ecce diſtinctio perſonalitatis in tribus perſonis ſecundum tres differentias. Quarta vero differentia quæ faceret quartam perſonam, ſcilicet quod nec eſſet origo, nec haberet originem, ibi eſſe non poteſt. Talis enim perſona increata eſſe non poſſet, quia diſtinguibilis ab alijs non eſſet, ſed hæc eſt diuina eſſentia, quæ nec diſtinguit nec diſtinguitur, ſed communiter congruit perſonis. Harum autem omnium perſonalium diſtinctionum nulla in anima reperitur.

De quantitate animæ.

CAPVT XXVII.

Quantitas anima quæ

Optima exempla & ſimilitudines ad intelligendum vim ſpiritualem animæ.

ESt autem anima in ſingulis partibus corporis tota, quantum ad totalitatem eſſentię, ideſt perfecti eſſe, non tamen tota ideſt ſecundum omnem ſui potentiam vel virtutem ſiue operationem. Multitudo autem potentiarum non infert maioritatem vel minoritatem in anima, ſed multiplicitatem. Tanta eſt igitur in ſui corporis vna parte vel in duabus, quanta in omnibus, ſed non tam multiplex. *Non eſt ergo propriè quanta quantitate ſed virtute*, & hæc quantitas penes operationem attenditur. Prima autem eius operatio eſt viuificare, aliæ vero fiunt illa mediante. Aliter etiam poteſt dici quanta, ſcilicet *quantum ad certum naturæ ſuæ terminum vel modum quem habet omnis creatura*, quia ſolus Deus eſt immenſus. *Auguſtinus in lib. de quantitate animæ.* Si figurarum planarum optima circulus eſt, in quo nihil eſt puncto potentius, quod impartibile eſt, Quid mirum ſi anima neque corporea ſit neque alicuius quantitatis, cum tamen & tantum valet in corpore, vt penes eam ſit regimen omnium membrorum, & quaſi cardo quidam in agendo cũctarum corporalium motionum. Sic enim & pupilla quaſi quidam punctus eſt, in qua tamen tanta vis eſt, vt ea dimidium cœlum, cuius ineffabile ſpacium eſt, ex aliquo eminenti loco cerni colluſtrarique poſſit. Oculus etiam aquilæ qui noſtro breuior eſt, cum illa tam ſublime volat, vt etiam à nobis in tanta luce difficile cernatur, latentem videt ſub frutice lepuſculum, & piſcem ſub fluctibus. Non eſt ergo mirum, ſi ratio incorporalis, quæ aſpectus eſt animæ, tot imagines & tantas contineat, cum corporalis oculus tanta comprehendat etiam in beſtijs. Si vero magnitudo corporis magnipenda eſſet, plus nobis ſaperent elephanti, & aſini plus apibus. Non ergo aberrat à vero animam carere omni corporea magnitudine, quamuis quaſlibet corporum magnitudines imaginari queat.

Quòd creſcente corpore anima non creſcit, niſi forſitan in virtute & diſciplina.

CAPVT XXVIII.

Quæſtio.

Reſp.

HIc autem quæritur quomodo anima non creſcat pueris creſcentibus & proficientibus, cum ratio & intelligentia in eo creſcat. Ad hoc ſic reſpondetur. Virtus eſt æqualitas quædam vitæ, rationi vndique conſentiens. Si autem virtus æqualitas eſt, ſimilior eſt illis circulus quam quælibet alia plana figura. Hinc eſt illud Horatij, cum ſapientem deſcribit *Fortis in ſe ipſo totus, teres atque rotondus.* Si ergo circulus non qualitate ſed æqualitate cæteris figuris præſtat, quanto magis virtus non magnitudine ſed congruentia rationum atque concordia cæteras affectiones animi ſuperat. Cũ autem puer proficit laudabiliter, non ad aliud quam ad virtutem proficit. Et ſi aliud eſt profectus, aliud magnitudo, aliud maius, aliud melius, vtique pueri cum creſcendo proficiant, in anima non maiores ſed meliores fiunt. Si autem id faceret membrorum magnitudo, eo quiſque prudentior eſſet, quo longior. *Horatius.*

Sed quæritur quomodo profectus iſt temporũ ſpacio, licet non membrorum fiat? Ad quod reſpondeo, quod nec ipſa corpora ex tempore habent vt creſcant, cum multotiens inueniantur annoſiora breuiora, non ſolum in ſenibus, ſed etiam in pueris. Vis enim creſcendi in corporibus eſt, non in temporibus, in quibuſdam, ſcilicet naturæ numeris occultis, & ad dignoſcendum difficilibus. Eſt autem virtus & potentia quoddã genus magnitudinis, ſecundum quam magnus fuiſſe dicitur non ſolum Hercules gigas, ſed etiam Alexander quinque pedalis ſtaturæ. *Quæſtio.* *Reſp.*

Item quęritur, quare eſt hoc, quod puer infans non loquitur, ſed creſcendo hoc aſſequitur? Ad quod reſpondeo, quod anima non creſcendo ſed diſcendo hoc aſſequitur. Si autem dicitur creſcere diſcendo, ergo obliuiſcendo decreſcit. Eſt tamen peritia creſcendi genus, & creſcit anima diſcendo, dediſcẽdo decreſcit, ſed tranſlato verbo. Magni tamẽ refert, qualia ſint illa quæ diſcit. Nam ſicut in corpore tria ſunt genera incrementorum, vnum neceſſarium, quo naturalis conuenientia impletur in membris, Alterum ſuperfluum, quod integra valetudine in membris augetur, vt ſeni digiti & ſimilia, Tertium noxium, vt gibbus & quilibet tumor, qui expugnata bona valetudine ſupercreſcit. Ita in animo ſunt quædam quaſi naturalia incrementa, cum honeſtis & ad bene beateque viuendum accommodatis diſciplinis augeri dicitur. Cum vero ea dicimus, que mirabiliora quam vtiliora ſunt, quanquam nonnullis rebus plurimum oportuna de ſecundorum genere ſuperfluorum dicenda ſunt. Non enim ſi tibicen (vt Varro auctor eſt) ita populum delectauit, vt rex fieret, ideo noſtrum animum nullo artificio augendum putare debemus, quia nec maiores quã humani ſunt dẽtes habere vellemus, ſi audiſſemus quod aliquis dẽtiũ morſu hoſtẽ ſuum occidiſſet. Noxiũ vero genus eſt artium, quo animi valetudo ſauciatur. Nã odore & ſapore mirabiliter dijudicare pulmenta, & quo lacu piſcis captus ſit, vel quo tenue vinũ ſit noſſe miſerãda quædã peritia eſt. *Alia quæſtio* *Reſp.*

Quòd nec fortitudo corporalis conſiſtat in incremento corporis vel ætatis.

CAPVT XXIX.

ITem quęritur quomodo vires animæ ſecũdum ętatem aliquando creſcant, ſicut & vires corporis, quæ ipſius animæ ſunt? Ad quod reſpondeo: Vires non magis eſſe in corporis vel ætatis incrementis quam in exercitatione ex conformatione membrorum. Inde eſt quod pueri & inuenes multo plus itineris conficiunt ſine defectu & fatigatione quam athletæ fortiſſimi, & quam ipſi poſtea cum ſe ad ſtudia tradiderint. In ipſis quoque luctatoribus non tam faciunt vires magnitudo corporis quam nodi quidam & thori lacertorum & nerui figuraque congruens, quæ tamen omnia parum valent, niſi vis artis & exercitationis accedat. Vnde ſæpe maiores à minoribus in certamine viriũ vel curſu ſuperantur. Hinc etiam celeberrime vulgatum eſt, hominem tollendo quotidie vitulum paruum, egiſſe, vt cum etiam taurum ſine ſenſu maioris oneris, quod paulatim additur, tollere ac ſuſtinere poſſit. Dum autem quorundam animalium maiora corpora eo amplius aliquid habent virium, quo maiora ſunt, inde eſt, quia naturali lege cedunt pondera minora maioribus, non modo cum ad proprium locum ſuapte nutu ferũtur, vt *Quæſt.* *Reſp.* *Milo.*

humida

humida & terrena corpora in ipſius mundi medium, qui eſt infimus curſus aerea & ignea ſurſum verſus. Nec etiam cum aliquo tormento aut iactu aut impulſu in aliena ire coguntur. Nam ſi ex alto dimiſeris duos lapides diſparis quantitatis, citius maior ad terram perueniet; ſed ſi ei minor ſubijciatur, eo quod ineuitabiliter occupetur, cedit profecto ſimulque in ſolum deducitur. Item ſi maior ſurſum iacularetur, & minor in terram iactaretur, minor repulſus ire cogeretur in cælum. multum tamen intereſt, quanto in ſe agantur impetu. Nam ſi minor aliquo vehementi tormento iactetur, & maior languidus, quamuis ab eodem reſiliat, retardat illum tamen, aut etiam retro agit, pro modo ictuum & ponderum. Huic rationi congruunt vires animalium, pondus enim corporis nutu animę actum multum valet magnitudine propria, ſed virtus animæ ad mouendum corporis pondus neruis quaſi tormentis vtitur. Neruos autem vegetat nobilioreſque efficit ſiccitas, calorque moderatus, laxat autem & infirmat humidus rigor. Vnde eſt quod per ſomnum qui frigidus & humidus eſt membra langueſcunt, & conatus expergefacti multo eſt debilior. Ideoq; nihil eſt fractius, & eneruius lithargicis. Econtra vero quidam phrenetici quibus vigiliæ, & vini vis & acutæ febres id eſt calidę, plus nimio neruos tendunt atque durant, maioribus viribus ſunt, quam cum erant integra valetudine, cum eorum corpus ægritudine ſit attenuatius & exilius.

Calida durant corpus.

Quod Anima de viribus corporis non creſcat.

CAPVT XXX.

HIc igitur nutu animæ, & neruorum quodam machinamento, & pondere corporis, cum fiunt ea quæ vires vocantur, voluntas nutum exhibet, qui pronior fit ſpe vel audacia. Retunditur autem timore, & multo magis deſperatione. Nam in metu cum aliqua ſpes ſubeſt, vehementiores vires apparere ſolent. Machinamentem vero & configuratio quædam corporis coaptat, temperatio modificat, valetudo cõfirmat exercitationis induſtriam, pondus dat moles membrorum, quam ætas & nutrimenta comparant, inſtaurant autem ſola nutrimenta. His omnibus qui æqualiter prævalet, mirandus eſt viribus, & tanto eſt alius alio validior, quanto plus eum iſta deficiunt, fitque ſæpe vt pertinaci nutu, melioreque machinamento, alius quamuis paruum corporis pondus egerit, alium maiori mole præditum vincat, rurſuſque non nunquam tanta moles eſt, vt etiam ſi imbecilliore niſu agatur, obruat tamẽ paruum aduerſarium multo vehemẽtius innitentem. Non ergo creſcit anima cum puer creſcit in viribus. Nam cum puero nutus ſit inter ad trahendum aliquid vel repellendum. Veruntamen propter recentem minuſq; perfectam confirmationem adhuc ſunt *inhabiles propter humorem qui in illa ætate exuberat*, Marcidi, propter nullam exercitationem languidi, pondus vero corporis adeo eſt exiguum, vt ne ab alio quidem impactum grauiter vrgeat, oportunius ad accipiendam quam ad inferendam moleſtiam. Hæc autem poſtea omnia per ætatem adduntur corpore non anima creſcente. Item ſi anima creſcit de viribus corporis quibus ſolum nutum accommodat, quanto magis creſcere dicenda eſt de copia doctrinarum, quam ipſa ſola poſſidet? Quod ſi creſcit anima cum vires illæ creſcunt, decreſcit ergo cum deficiunt, vt in ſenecta, & in labore ſtudiorum. Sed hiſdem temporibus doctrinæ augeri ſolent & extrui. Nihil autem eodem tempore ſimul augeri poteſt & minui. Non ergo creſcit anima de viribus maioribus in maiori ætate. Alioquin dicẽda erit creſcere de inſania, & phreneſi, de quibus plerumque vires creſcunt.

Inhabilitas puerorum vnde?

Optima ratio.

Quod Anima corpori non commenſuratur, licet per totum diffuſa ſentiat.

CAPVT XXXI.

POſt hæc quæritur cur anima ſentit vbique corporis ſi non tanta eſt, quanta & corpus. Ad quod reſpondeo. Senſus eſt paſſio corporis per ſe ipſam non latens animam, Potentior autem & melior eſt anima quã totum corpus. Si igitur oculi tantum per animam poſſunt, vt ibi ſentiant vbi non ſunt, quanto magis hoc ipſa poteſt anima id eſt vt anima ibi ſentiat vbi non ſit localiter diffuſa, quando quidem oculus qui corpus eſt viſum non in loco ſuo patitur, quod tamen nunquam ſine anima pateretur, denique, ſi magnitudo corporis magnipendenda eſſet, elephas homine plus ſaperet, odore autem & ſapore mire pulmenta diiudicare & quo lacu piſcis captus ſit, vel quo territorio vinũ noſſe miſeranda quippe quædam peritia eſt. Et his artibus cum quaſi creuiſſe anima videtur, quia neglecta mente defluxit in ſenſus, nihil aliud quam tumuiſſe vel etiam contabuiſſe iudicanda eſt. *Idem in li. de mortalitate animæ.* Moles quidem omnis quæ occupat locum non eſt in ſingulis partibus tota, ſed in omnibus. Quare alia pars eius alibi eſt, & alibi alia. Anima vero nõ modo vniuerſę moli corporis, ſed etiam vnicuique particulæ illius tota ſimul adeſt. Partis enim corporis paſſionem tota ſentit, nec in toto tamen corpore. Cum enim quid dolet in pede oculus aduertitur, lingua loquitur, manus admouetur, quod non fieret niſi id quod animæ in eis partibus eſt, & in pede ſentiret, nec ſentire quod ibi factum eſt, abſens poſſet. Non enim nuncio aliquid credibile eſt fieri non ſentiente quod nunciat, quia paſſio quæ fit non per continuationem molis currit, vt ceteras animæ partes quæ alibi ſunt latere non ſinat. Sed illud tota anima ſentit quod in particula pedis ſit, & ibi tantũ ſentit vbi ſit. *Tota igitur ſingulis partibus, ſimul adeſt, quæ tota ſimul ſentit in ſingulis.* Nec tamen hoc modo adeſt tota, vt candor vel alia huiuſcemodi qualitas in vnaquaq; parte corporis tota eſt. Nam quod in alia parte patitur cãdoris immutationem, poteſt ad candorem qui eſt in alia parte non pertinere. Quapropter ſecundum partes moſis à ſe diſtantes, & ipſe à ſe diſtare conuincitur. Non autem ita eſſe in anima per ſenſum, de quo dictum eſt, probatur.

Obiectio. Reſponſio.

Anima tota in toto.

Quod Animæ lacertarum ac vermium incorporeæ ſunt & indiuiſibiles.

CAPVT XXXII.

IDem in li. de quantitate animæ. Sed hic quæritur de caudis lacertarum, quæ amputatæ à certo corpore palpitant, quæ palpitatio mirum eſt ſi ſine anima fiat. Si autem fit per animam, quoniam anima nullũ habet ſpaciũ, quæ etiam præſcidi cum corpore poteſt. Ad quod reſpondeo, ignẽ & aerẽ quę duo per animæ præſentiam tenentur in corpore terreno & humido, vt omniũ quatuor fiat contemperatio, dũ poſt eiuſdem animæ abſceſſum ad ſuperna euadere ac ſe mouere expediũt illa corpuſcula, tanto cõcitatius, quãto plaga recentiore ſubito erũpunt, deinde motũ langueſcere, Poſtremo deſinere dũ minus minuſque fit quod effugit, ac deinde totum euolat. Sed huic rationi obuiat quod nuper aſpexi in vermiculo qui multipes appellatur. Hunc enim cum vnus de adoleſcentibus, quos ego in Liguria docebam, verſo ſtilo quem tenebat, medium percuſſiſſet, continuè ambæ partes corporis ab illo vulnere in contraria diſceſſerunt, tanta pedum celeritate ac nihilo imbecilliore viſu, quam ſi duo huiuſcemodi animantia eſſent. Quo miraculo exterriti, cauſæque curioſi, attulerunt eadem fruſta ad me & Alipium adhuc alacriter currentia. Neque nos parum commoti, ea currere in tabula quaqua verſum poterãt cernebamus, atq; vnum ipſorũ ſtilo tactum contorquebat ſe ad doloris locum, alio nihil ſentiente ſed ſuos alibi motus peragente. Quod

Anima inſertorum an quanta?

Multipes vermis.

plura

plura tentauimus quatenus id valeret, atque vermiculum immo iam vermiculos in multas partes conſcidimus. Ita omnes mouebantur, vt totidem ſeparatim natos, ac ſibi quoque vixiſſe putare poſſemus, niſi à nobis id factum fuiſſet. Sed nihil eſt, quod iſtum vermiculum pueriliter timeamus, quamquam viuacitatis & numeroſitatis eius cauſam non valeamus afferre, cũ nobis conſtet multis rationibus animam non contineri loco, & ideo nullius talis eſſe quantitatem qualem cernimus in corporibus.

Anima etiã vermis non eſt quanta.

Oſtenſio eiuſdem ſententiæ per exemplum.

CAPVT XXXIII.

CVm ſonus ad aures pertineat, ſignificatio ad mẽtem, ſic eſt in aliquo nomine ſonus & intelligentia, velut in animante corpus & anima. Et cum nomen per litteram tanquam per partes diuidi poteſt, intelligẽtia non poteſt, quia nec longa nec lata eſt, & cũ nomine ita diuiditur, quaſi dilaniato corpore anima diſcedit, quãdo ſignificationẽ quã habuerit perdit. In quibuſdã tamẽ nominibus viuũt partes literarũ, quaſi fruſta corporũ anima nõ diuiſa, vt in hoc nomine lucifer, quòd in duas partes ſectum in vtraque viuit, vel potius quaſi viuit. Non enim eandẽ vitã ideſt ſignificationẽ habet diuiſum quam integrum. Sunt autẽ locus & tempus duo quædã, quibus omnia quæ ſequuntur occupantur, vel potius quæ occupant. Quod oculis ſentimus, per locũ diuiditur, quod auribus, per tempus. Sicut autẽ ille vermiculus plus loci totus quam pars eius occupabat, ita maiorẽ temporis moram tenet, cum lucifer dicitur, quã ſi luci tantũ diceretur. Quare ſi hoc viuit ſignificatione in ea diminutione tẽporis quę diuiſio illo ſono facta eſt, cum eadẽ ſignificatio diuiſa non ſit. Non enim ipſa per tempus diſtendebat, ſed ſonus, ita exiſtimandum eſt ſecto vermiculi corpore quãquam in minori loco pars eo ipſo quo pars erat viueret, non omnino animã ſectã, nec loco minore minorẽ eſſe factam, licet integri animantis membra omnia per maiorẽ locum porrecta ſimul poſſederit. Non enim locum ipſa, ſed corpus quod ab eadem agebatur tenebat, ſicut illa ſignificatio non diſtenta per tempus, omnes tamẽ nominis literas ſuas moras ac tempora poſſidentes, velut animauerat atque compleuerat. *Auctor.* Ex his verbis Auguſtini patet, quod etiam animæ lacertarum incorporeæ ſunt indiuiſibiles. Vnde conſtat, quòd immateriales ſunt, & de nihilo factæ. Quod ſi verũ eſt, etiã in ſingulis animalibus ſingulę animæ creantur nouæ non naſcũtur de traduce.

Pulcherum exemplum ſoni & ſignificationis.

Anima omnes indiuiſibiles.

De Loco animæ corporali.

CAPVT XXXIIII.

CAſſiodorus in li. de anima. Anima ergo tota eſt in partibus ſuis, nec alibi minor, alibi maior; ſed alicubi intentius, alibi remiſſius, vbi tamen vitali intẽtione porrigitur colligit in vnũ & copulat, membra ſua nõ ſinit diffluere vel contabeſcere, quæ vitali vigore cuſtodit. Huius ergo ſuſceptæ præſentia corporis vita eſt. Mors autem eius abſceſſus. In corpore autẽ poſita, vbique cogitatione quaſi diſtẽditur, nec tamen à ſe vel à corpore diſcedit, ſed in ſeipſa tanquã in magno currens ſpacio peruagatur. *Auctor.* Anima eſſe dicitur in loco multipliciter. Dicitur enim eſſe aliquod in loco proprie per circumſcriptionẽ, & ſic conuenit ſoli proprie. Minus autẽ proprie per diffinitionẽ, vel per determinationem, & ſic conuenit angelo & animæ ſeparatæ, quia ita eſt vterque alicubi quod non alibi. Tertio modo per præſentiã in operatione, & ſic dicitur deus eſſe omni loco. Animæ autem conueniunt omnes iſti modi. Primus tamen non eſt proprie, ſed per accidens, ſcilicet inquantum eſt corpori, & corpus quidem prohibet aliud corpus à loco in quo eſt, ſed nec anima corpus, nec econtrario. Verum ſicut corpus vnum aliud, ſic anima animam prohibet à loco ſuo, quia ſeparantur ab inuicem & eſſentia & operatione, & loco, vnde non poſſunt duæ animæ in eodem corpore eſſe, nihil tamen prohibet dæmonem eſſe in humano corpore, licet anima ſit in qualibet eius parte, quia anima eſt ibi per vnionem, dẽmõ autẽ nequaquã, ideo poſſunt ibi ſimul eſſe. Quidam etiam dicunt, quod dæmon in vacuitate ventris vel capitis eſt, vbi anima non eſt. *Hugo vbi ſupra.* beAnima ſi corporea eſſet, partibilis eſſet, & partes haret, nec tota ſimul in vno loco eſſe poſſet. Nullũ enim corpus totũ ſimul aut tangi aut tangere poteſt. Anima vero in quibuſque ſuis motibus vel actibus tota ſimul adeſt, tota videt, tota tangit, tota diſcernit, tota meminit & quodãmodo tamẽ loco circumſcribitur, quia in carne clauditur. Ideoque & in loco eſſe & locata dicitur, quia dum alicubi preſens eſt alibi non eſt. Nec tamen corporalem dimenſionẽ aut circumſcriptionem habet, quia corporalis quantitatis expers eſt, ſed quia per preſentiam & operationem in loco concluditur, localis & ipſa dicitur, non tamen ſicut corpus, cui ſecundum locum principium & mediũ & finis aſſignatur, nec ita per ſpacium loci ſiſtitur aut mouetur, & maiore ſui parte maiorem locũ & breuiorem occupet, minorque ſit in parte quam in toto. Per omnes quippe corporis particulas tota ſimul adeſt.

Adhuc de eodem.

CAPVT XXXV.

Auctor. Notandum ergo quod eſſe in loco per diffinitionẽ conuenit animæ ratione ſubſtantiæ, quę eſt terminata & finita. Vnde ei cõuenit ita eſſe alicubi, quod non alibi, ad differentiã diuinæ ſubſtantiæ, quæ interminata eſt & infinita & ideo vbique. Et hic modus eſſendi in loco conuenit animæ ſeparatę. Eſſe vero per præſentiã in loco ei conuenit per operationẽ. Vnde Iohãnes Damaſcenus de angelo dicit, quod eſt vbi operatur. Eſſe vero in loco per circunſcriptionẽ ei conuenit per accidens, ideſt per eã quæ eſt ad corpus vnionem. Debetur ergo ipſi eſſe in loco per determinationem ratione ſubſtantiæ, Eſſe per preſentiam ratione operationis, Eſſe per circunſcriptionem, ſed per accidens ratione corporis. Item notandũ quod hæc tria ſe habent hoc modo, vt eſſe per præſentiã ponat ſolũ coexiſtentiã rei & loci. Eſſe vero per determinationẽ ponat coexiſtentiam, & etiam ſuperaddat terminationem & diſtinctionem, Eſſe vero per circunſcriptionem ſuperaddat dimenſionem. Cum ergo dicitur, deus eſt in loco per præſentiã, ſenſus eſt, quia non abeſt loco, ſed eſt ſimul cum illo, ita vt hoc quod dicò ſimul cum illo, non notet paritatem. Cũ vero dicitur angelus eſt in loco per determinationem vel anima, ſenſus eſt, quod nõ abeſt loco, imo præſens in illo & non in alio. Cum vero dicitur corpus in loco eſt per circunſcriptionem, ſenſus eſt, præſens eſt cum illo loco ens in illo loco & non in alio, & etiam in tanto ita quod in minori vel in maiori loco eſt. Eſſe ergo in loco per preſentiam non excludit pluralitatem loci. Eſſe vero in loco per determinationem excludit pluralitatẽ loci, & etiam minoritatis vel maioritatis loci aſſignationẽ. Eſſe autem per circunſcriptionem excludit tantum loci pluralitatem. Igitur aliquid dicitur eſſe in loco corporali ſecundum tres modos. Primo vt ſit in loco vt non determinetur ei locus corporalis, & ſic dicitur deus eſt in loco corporali. Secundo vt determinetur ei locus corporalis non quantũ ad ſubſtantiam, ſed quantum ad operationẽ, & ſic ſpiritualis ſcilicet ſubſtãtia creata. Tertio modo vt determinetur ei locus corporalis, & quantũ ad ſubſtantiã, & quantũ ad operationẽ, & ſic ſubſtantia corporea. Cum enim diuina ſubſtantia nullã dependentiã habeat ad locum corporalẽ, nec quantum ad eſſe, nec quantum ad operari, non determinabit ſibi locum corporalẽ. Spiritualis vero ſubſtãtię quantum ad operari determinatur locus corporalis, maxime ratione illarũ operationum, quas facit in corpus vel per corpus, quę quidẽ operationes habẽt ſuã dependentiã, & quantũ ad eſſe, & quantũ ad operari à cõtinẽte corpore. Ideoq; determinatur ei locus quantũ ad ſubſtantiã, & quantũ ad operationẽ.

Eſſe in loco dicitur multipliciter.

Anima quotmodis in loco

De Loco eiuſdem ſpirituali.

CAPVT XXXVI.

PORro intellectualis locus dicitur dupliciter ſcilicet ſimpliciter & ſecũdum quid. Simpliciter quod eſt corporale in ſe, ſed tamẽ ratione contẽti dicitur ſpirituale. Secundum primum modum ponitur locus ſpiritus creati dupliciter. Vno modo vt nihil ſit extra quod cõtinet & hoc modo ponitur locus ſpiritualis ſubſtantiæ terminatio ſiue finis ſuę virtutis & potentiæ. Cuiuſlibet enim ſpiritus creati eſt & potentia finita & eſſentia, nec eſt iſta poſitio mirabilis. In genere enim corporũ eſt aliquod corpus continens & non contentũ ab aliquo extra, ſed ſe ipſo contentum & terminatum, vt vltimũ cælũ. Multo ergo magis hoc eſt poſſibile in ſubſtãtia ſpirituali incorporea. Alio modo ponitur locus ſpiritualis vt ſit aliquid extra continens, & ſic ipſe increatus ſpiritus ſecundũ quendã modum poteſt dici locus ſpiritualis, in quo habent quieſcere, & ad quem moueri, & in quo contineri & ſaluari ſpirituales ſubſtantiæ. Nec accipitur ſecundũ ambitũ dimenſionis continentiæ, ſed ſecundũ ambitũ virtutis, intra quem ambitum currunt ſpirituali motu animæ & angeli. Et quod dicitur de angelis quod extra mittantur, intelligendum eſt non extra ambitum huius virtutis diuinæ, ſed quia egrediuntur extra ambitũ illius, in quo maximè relucet ſua operatio ſcilicet cæli empyrei. Sic ergo duobus modis ponitur locus ſpiritualis per ſe ſcilicet terminans intra locus proprius. Continens extra locus communis.

Locus per accidens ſpiritus.

Secundũ quid autẽ dicitur locus (ſcilicet ſpiritualis) locus corporalis in quo operatur ſpiritualis ſubſtantia, ſed corporalis eſt in ſe & ſimpliciter, ſpiritualis vero ratione operationis ſubſtantiæ ſpiritualis in eo. Et locus hoc modo dictus nõ eſt locus per ſe, ſed per accidens. Nam ipſa operatio per illud dicitur eſſe in loco, & iterum per operationem ſpiritualis ſubſtantia. Vnde ibi intercedit duplex mediũ, ſiue duplex per aliud, & ideo duplex per accidens. Dicitur ergo Deus locus vt continens commune nulli appropriatum, & differentia nulla eſt ex parte continentis, ſed ex parte contentorum ab eo. Sicut enim prima cauſa eſt in omnibus cauſatis ſecũdum vnũ modum & diſpoſitionem, Res autem cauſatæ non ſunt in ea ſecundum vnam diſpoſitionem, quia non æqualiter participant bonitatem cauſæ, vt dicit philoſophus. Sic diuina ſubſtantia quantum eſt de ſe ſecundũ ambitum virtutis, vno modo continet ſpirituales ſubſtantias creatas. Ipſę tamen quantum eſt de ſe diuerſum habent ordinem in ambitu virtutis diuinæ, & ſic differt circumſcriptio ipſarum ſpiritualium ſubſtantiarum. Verum licet prima eſſentia ſit continens omnes ſpiritus circumſcriptos. non tamen habẽt in ea proprie circumſcriptionem differentem, quia non habent longitudinem & latitudinem & profunditatem, ſecundum quam in ea diuerſi ſpiritus creati ſituentur intelligibiliter, ſicut eſt de loco corporali, ſed habet ambitum virtutis in operatione: intra quem poſſunt currere diuerſæ animæ, & angeli qui dicuntur extra mitti reſpectu cæli empyrei.

Iterum de Vtroque.

CAPVT XXXVII.

CVm autem dicat Dionyſius quod duo lumina indiſtincta ſunt in eodem loco, non tamen confuſa, multo magis ſpirituales ſubſtantiæ eſſe videntur. Sed ſi locus dicatur ſenſibilis, dico quod poſſunt eſſe in eodem loco. Si vero intellectualis, diſtinguẽdum eſt. Nam aut dicitur, vt cõmunis locus, quemadmodum dicitur Deus locus, & ſic iterum nihil prohibet eſſe in eodem loco. Aut dicitur vt locus proprius, & hic qui attenditur quantum ad terminum virtutis, vel etiam qui ſecũdum figurationem operationis, & ſecundum hunc modum non poſſunt eſſe duæ ſpirituales ſubſtantiæ in eodẽ lolo, quia non operantur ſecundum idem in eodem loco, vt dicit Damaſcenus quemadmodum non eſt poſſibile duas animas rationales eſſe in vno corpore. De luminibus reſpondetur, quod non eſt ſimile, quia nõ ſunt corpus, ſed corporum formæ. Nihil autem prohibet plures formas eſſe in eodem ſuſceptibili, quarum vna ab alia diſtincta eſt. Spirituales autem ſubſtantiæ ſunt hoc aliquid: & iterum ſi ponerentur corpora eſſe, non ſequeretur quod ſpirituales ſubſtantiæ poſſent eſſe in eodem loco ſpirituali, ſed quod in minimo loco corporali. De dæmoniacis dico quod nihil prohibet dæmonẽ & animam eſſe in corpore ſecundum diuerſam omnino operationẽ. Anima enim eſt in corpore vt perfectio, & motor voluntarius, dęmõ autẽ vt motor violentus. Itaque ſpiritualis ſubſtantia non eſt in loco corporali, niſi per accidens ratione vnionis ad corpus, vel ratione operationis in corpus. Cum autem locus animæ dicatur vel per ſe vel per accidens. Locus animæ qui eſt per ſe idem eſt in anima ſeparata & coniuncta, quia huius locus ponitur terminatio & finis ſuæ virtutis & ſubſtantiæ. *Vnde in li. de anima & ſpiritu.* Sicut Deus vbique eſt in ſemetipſo, ſic anima vbique eſt in ſemetipſa, quodammodo, & per hoc ibi eſt anima poſt corpus, vbi erat agens in corpore, ſicut & Deus ibi eſt modo, vbi fuit priuſquã fieret mundus. Vbi etiam foret, ſi mundus non eſſet. Si vero dicatur locus per accidens, qui ſcilicet eſt corporalis, dicendum, quod ſpiritualis ſubſtantia dicitur eſſe in loco corporali, non ſolum ratione operationis, vbi ſcilicet operatur ſecundum potentiam actiuam, ſed etiã ratione paſſionis, vbi ſcilicet operatur ſecundum potẽtiam receptiuam ideſt vbi ſuſcipit paſſiones gaudij vel pænæ. Ibi ergo determinatur locus animæ ſeparatæ, in quo ſuſcipit lætitiam vel pænam, vt cælum empyreum, & purgatorium, vel infernum.

Anima in ſemetipſa ſicut Deus.

De Motu animę locali.

CAPVT XXXVIII.

ARiſtoteles *in li. de anima.* De motu locali quo mouetur anima, manifeſtum eſt, quod non eſt à potentia vegetabili, ſiue à virtute nutritiua. Semper enim motus huiuſmodi fit propter aliquid, & eſt actu cum phãtaſia, aut appetitu. Nihil enim mouetur, niſi aut per deſiderium, aut per fugã ab ipſo, niſi motus eius ſit violentus, vt ſupra dictum eſt. *Auctor.* Cum autem locus ſubſtantiæ ſpiritualis dicitur tripliciter ſcilicet locus cõmunis intellectualis id eſt ipſe ambitus diuinæ virtutis, Et locus proprius per ſe ſcilicet ambitus propriæ virtutis; Et per accidẽs locus corporalis, vbi operatur: primo modo non mutat locũ, ſed mutatur in loco, quia inter ambitũ diuinæ virtutis decurrit. Secundo modo nõ mutat locũ, nec mutatur in loco, quia nõ relinquit ambitũ propriæ virtutis. Tertio modo mutat locũ, & mutatur in loco. Sed aliud eſt mutare locũ aliud moueri per locum; *Nam quod mouetur per locum, per loci ſpacium diſtenditur, vt pars parti ſe commetiatur, & ſic ſolum corpus mouetur per locũ.* Adderem ſpiritu moueri per locum quãdo inter ſe mouendũ applicatur loco taliter vt in eo obtineat virtualem extenſionem ad inſtar corporis. Quod vero mutat locum procedit de loco ad locum, ſed non eſt neceſſe, quod diſtendatur per ſpacium loci, Spiritualis ergo ſubſtantia non mouetur per locum, quamuis mutet locum, quia non habet de ſe partem commetientem parti corporali, eiuſque motus eſt ſubitus, & totus ſimul. Porro anima quando à corpore ſeparatur, localiter mouetur. Dicitur tamen per locum non moueri, quia non tranſit per locum eodem modo quo corpus, ita ſcilicet vt pars ſe commetiatur parti, cum ſpiritualis ſubſtantia partem non habeat commetientẽ ſe parti corporali. Dicitur etiã moueri per tẽpus quia modo eſt in vno loco, & iã in alio. Motus autẽ eius eſt ſubitus & ſimul totus. Quodãmodo tamẽ (vt dictũ eſt) loco circũſcribitur, quia in carne clauditur. Ideoq; & in loco eſſe, & locata dicitur, quia dum alicubi præſens eſt, alibi non eſt. Nec tamen corporalem dimenſionem aut circumſcriptionẽ habet, quia corporalis quãtitatis expers eſt. Sed quia per præſentiam & operationem in loco

Moueri per locum quid.

conclu-

concluditur, localis & ipſa dicitur, non tamen ſicut corpus, cui ſecundum locum principium & medium & finis aſſignatur. Nec ita ſpacium loci ſiſtitur aut mouetur, vt maiore ſui parte maiorem locum, & breuiorem occupet, minorq; ſit in parte quam in toto. Per omnes quippe corporis particulas tota ſimul adeſt. *Ex li. de fontis vitæ.* Locus eſt niſi applicatio ſuperficiei corporis nō ad ſuperficiem alterius corporis. Subſtātia vero ſimplex locum non occupat, & omne quod non habeat eam diſtat ſecundum eſſentiam ab omni.

Quod rationalis anima non ſit virtus organica, ſiue corporea.

CAPVT XXXIX.

Actor. Quia vero dicit Iohannicus quod de ordinatiua & compoſitiua virtute procedunt phantaſia in fronte, cogitatio in cerebro, memoria in occipitio. *In lib. quoque de differentia ſpiritus & animæ* legitur, quod intellectus & prouidentia & cogitatio fiunt per ſpeciem quæ eſt in ventriculo priori capitis & in medio, ratio etiam debilitatur media capitis cellula debilitata. Ex his huiuſmodi videri poteſt alicui quod anima rationalis cum ſuis viribus ſita ſit in organo vel in organis, ac per hoc quod ſit organica virtus atque corporea. Sed ſciendum quod ratio vel intellectus in media cellula capitis, & in ſpiritu mediæ cellulæ dicitur eſſe, non quia ſit actus illius partis corporis, ſed quia ſpecies abſtrahit à phantaſmatibus, quæ tanquam in vehiculo ſunt in ſpiritu cellulæ illius. Porro ſecundum Auicennam & Algazelem duæ ſunt cauſæ quibus anima retrahitur ab actu intelligendi in corpore, in dolore capitis læſiuo vna, quia de natura ipſius animæ eſt, vt cum multum circa vnum occupatur, ab alio retrahatur. Maximè vero occupatur circa id quod maximè mouet, dolor autem læſiuus mediæ cellulę maxime mouet, & ideo retrahit animam ab actu intelligendi & ratiocinandi. Sicque per accidens impediri contingit in corruptione cellulæ capitis, & non per ſe. Alia vero cauſa, quia motus animæ fortiores excludunt debiliores. Cum autem corrumpitur caput anterius vel poſterius confortatur phantaſia vel memoria. Nam ſi corruptio fiat anterius per phreneſim aliquid aliud, multa erunt ibi phantaſmata, & inordinate fortiterque mouentia, eritque retractio animæ ab actu rationis ac memoriæ. Si vero nimis ſicca ſit & frigida complexio cerebri, tunc memoria confortatur in parte poſteriori, & phantaſmata tenentur fortiſſime. Tuncque iterum fiet retractio rationis ab actu ſuo, & ſic iterum per accidens impeditur vſus rationis, ſicut in phreneticis, & maniacis, ac melācholicis. Tertiam quoque cauſam poſſumus addere, videlicet quod licet intellectus ratio non ſit virtus in organo ſita, tamen accipit ab illis, quæ ſitæ ſunt in organo, vt à ſenſibus, & phantaſia. Ideoque illis impeditis per corruptionem impeditur etiam actus intelligendi per accidens & non per ſe.

Obiectio. *Si autem obyciatur* quod ſecundum Ariſtot. intellectus egrediens de potentia in actum, vt frequenter laſſatur, quia frequentia intelligendi inducit ei laſſitudinē, quod etiam probat per experimentum, laſſatio vero ſicut dicit Auicenna, non fit niſi per inobedientiam organi ad virtutem mouentem, ſicque videtur intellectus eſſe virtus in organo ſita corporali. *Reſp.* Reſpōderi poteſt, quod laſſitudo quidem accidit ex frequenti intelligere, non propter intellectum ipſum, ſed propter illa quæ antecedenter ordinantur ad ipſum, vt ſunt motus phantaſmatum & diſcurſus ſpiritus animalis, qui nimis calefacit ac deſiccat caput, cauſatque laſſitudinem.

Rationes collectæ ad idem probandum.

CAPVT XL.

QVod autem rationalis anima no ſit virtus corporea vel organica, multis quidē ſignis & rationibus probabilibus, & etiam neceſſarijs poteſt oſtēdi. Nā quæcūnque virtus eſt corporea ideſt actus alicuius organi per ſe debilitatur eiuſdem organi debilitate, & cōfortatur bona ipſius habitudine, quod per inductionem patet in omnibus virtutibus in organo ſitum habentibus. Virtutes autem animæ rationalis, nequaquam per ſe debilitantur, alicuius partis corporis debilitate nec per ſe iuuantur bona ipſius habitudine. Quod patet per hoc, quod ſpecies impreſſa in organo corporeo ſemper eſt particularis. Rationes autem veri, vel boni, quæ ſunt in anima rationali ſunt vniuerſales. Ergo virtutes eius per ſe non ſunt corporeæ. *Argumentum 1.*

Item nulla virtus corporea ſe apprehendit, vel inſtrumentum ſuum, ſicut patet per inductionem omnium ſcilicet ſenſuum interiorum & etiam exteriorū, vt imaginationis ac cæterorum. Tales enim virtutes non apprehendūt niſi organo corporis aliquid paſſo. Nullum ergo organum patitur à ſe ipſo, nec à virtute quæ eſt in ipſo. Sic enim ſemper pateretur. Cum igitur intellectus ac cæterę virtutes animæ rationalis apprhendant ſe, & omnia inſtrumenta virtutum, patet quod non ſunt virtutes corporeæ.

Præterea virtutes corporeæ nihil apprehendunt, niſi ſub diffinitione ac motu ſicut patet in tactu. Ethicus enim non ſentit calorem ſuum, licet maior ſit quam febricitantis, eo quod iam quaſi verſus eſt in naturam, & aſſimilatur membris. Intellectus autem cæterę que virtutes animę rationalis apprehendunt quicquid eſt in ipſis, ſiue ſit qualitas rationalis, ſiue aduenies.

Item ſecundum Ariſtot. Nulla virtus habens in organo ſitum, apprehendit omnia: Non enim talium inſtrumenta complexionata ſunt, niſi ad apprehendendum ſenſibilia, vt ſpeciem qualitatis ſenſibilis, & figuram quantitatis. Intellectus autem apprehendit omnia, diuidens inter ſubiectum accidens; ac determinans rem ſubiecti per eius ſubſtantialia. Ergo ſeparatus eſt ab omnibus, non habens organum complexionis alicuius.

Item omnis virtus corporea lædit ur ab excellenti apprehenſo, ita quod poſtea minus apprehendit. Quod fit duobus modis, vno ſcilicet quando res mouet plus quam virtus mobilis ſit & ſic læduntur omnes apprehenſiuæ exteriores ab excellenti ſenſibili apprehenſo. Alio modo ex frequentia ipſius virtutis corporeæ, ſicut ex frequenter imaginari lædit ur imaginatiua, & alię interiores organicæ. At ex frequenter intelligere & rationari efficitur anima rationalis habilior & nobilior ad hoc ipſum. Similiter excellenti intellecto melius intelligit minus intelligibile.

Præterea omnis corporea virtus nobis communis eſt cum animalibus cæteris. Nam bruta quædam habent omnes ſenſus & virtutes quæ determinantur in tribus cellulis capitis. Anima vero rationalis cum ſuis viribus ineſt ſolum hominibus, in quorum capitibus non determinatur illi cellulæ terminus. 6.

Præterea virtutes corporeæ confortantur; & accipiunt quaſi generationem vel augmentum, per proceſſum temporis, ſecundum quod alteratur complexio ſui organi, & debilitatur in ſenectute, quando ſcilicet iam non ſit ſufficiens reſtauratio deperditi in organis ſcilicet à 40. vel 59. annis & vltra. Illo autem tempore intellectus ac cæteræ virtutes retionales animæ, ſunt in maximo ſui robore. Non eſt itaque virtus corporea rationalis anima. 7.

Aliæ Rationes ad idem neceſſariæ.

CAPVT XLI.

PRædictis rationibus ac ſignis probabilibus addi poſſunt & alię ad idem demonſtrandū neceſſariæ.

Quidquid enim eſt perceptibile ſpecierum indiuiſibilium corporis quantitati vi, quanti diuiſione, ipſum eſt incorporeum & indiuiſibile. Nam ſi detur oppoſitum, tunc erit aliquid corporeum ad diuiſibile ſpecierum indiuiſibilium ſuſceptibile. Quod eo patet 8.

falſum

falſum eſſe, quia ſpecies per accidens diuiditur ſubiecti A diuiſione. Anima vero rationalis ſecundum vires ſuas eſt ſpecierum indiuiſibiliũ ſuſceptibilis. Si enim ſpecies intelligibiles diuiderentur, aut diuiderentur per ſe, aut per accidens. Si per ſe, cum nihil diuidatur per ſe, niſi quantum eſſent ſpecies quantitatis continuæ vel diſcretæ. Neque enim ſunt linea vel ſuperficies, aut corpus vel tempus aut locus nec oratio vel numerus. Si vero per accidens diuiderentur, tunc diuiderentur diuiſione eius quod per ſe diuiditur. Et ſecundum hoc intellectus haberet ſitum in partibus quantitatis. Ex quo duplex inconueniens ſequeretur. Vnum quod intellectus eſſet corpus, quod iam improbatum eſt multis rationibus. Alterum vero quod vniuerſalia quæ ſunt in anima, eſſent ibi per accidens ſitum habentia. Cumque B omne ſitum habens eo modo quo habet, habeat figuram determinatam, ſecundum hoc omnia vniuerſalia figuræ determinatæ eſſent. Et ſic vniuerſalia eſſent particularia. Homo enim in figura determinata nõ cõuenit omni homini, ſed alicui ſingulari, vt Socrati vel Platoni. *Item intelligere contingit abſtractum*, quod à materia & appenditis materiæ & conſequentibus illam eſt ſeparatum. Cum ergo intelligibile non habeat, niſi duplicem comparationem ſcilicet ad intellectum, & ad rem cuius eſt ſpecies intellecta, huius ſeparationem oportet fieri de intelligibili ex altera comparationum iſtarum. Non autem fit ex illa quæ eſt ad rem, quia res frequenter eſt cum materia, & appenditijs materiæ, ac conſequentibus eam. Relinquitur ergo quòd fiat ex illa comparatione quæ eſt ad intellectum. Cum igitur huiuſcemodi ſeparatio ſimplex etiam, & immateriale, & incorporeum eſſet dat intelligibili, propter C intellectum, neceſſe eſt intellectum per ſe ac primo eſſe ſimplicem & incorporeum, ſimiliter & animam rationalem. Præterea quæcunque virtus eſt potens ſuper corporea & incorporea, ipſa eſt incorporea. Nulla quippe virtus corporea ſiue ſit animæ, vt ſenſus exterior vel interior ſiue corporis, vt calidum vel frigidum, extenditur extra corpus ſibi obiectum. Virtus autem animæ rationalis potens eſt ſuper vtraque in apprehendendo. Intelligibilium enim quædam ſunt corporea, quædam incorporea, licet omnia incorporea, ſunt inquantum intelligibilium. Omnes hæ rationes probabiles ac neceſſariæ ſumptæ ſunt ab Auicenna & Algazele. Quibus etiam alias poſſumus adicere. *Nam virtus materialis animæ ſenſibilis* delectatur in medijs, corrumpitur in extremis. Sed virtus intus intelligibilis non ſic. D Non enim fatigatur intelligendo. Et ſi intelligat valde intelligibilia, non ideo minus intelligit alia. *Poſt. omnis virtus materialis* debilitatur per receſsũ ab eo in quod agit, vt virtus calefaciendi, ſed intellectus indifferenter ſe habet, ſiue intelligibile ſit propinquũ ſiue remotum.

De vnione animæ ad corpus.

CAPVT XLII.

Auguſti. in li. de anima & ſpiritu. Deus itaque ſola charitate nulla ſui neceſſitate rationales ſpiritus creauit, vt eos ſuæ beatitudinis participes faceret, alioſque in ſua puritate in cælo confirmauit. Alios autem propter ſuperbiam in infernum præcipitauit, atque E alios ad probandum humilitatem terrenis corporibus ſociauit vt ad vitæ ſenſum luteam naturam vegetarent. Habent namque; in natura ſua quandam vnibilitatem, ſecundum quam viuificandis corporibus appropinquat. In qua quidem nihil ſuæ puritatis deponũt. Cum autem delectatione corporis afficiuntur quaſi quandam corpulentiam inde trahunt, quæ puriorem eorum naturam corrumpit. Et hoc vitium quanto altius eis corporibus inhæſerit, tanto difficilius eas à corporibus diſcedentes deſerit. Quoniam non tollitur actio, etiam cum tollitur cauſa paſſionis, niſi ab huiuſcemodi fæculentia ſe in hac vita mũdare ſtuduerint. *Auctor.* De vnione quidẽ animæ ad corpus videtur quod anima poteſt conſiderari dupliciter. Vel vt eſt ſubſtantia, & ſic proprie dicitur ſpiritus, & eſt in corpore per coexiſtentiam tantum, non per informationem, vel vt eſt forma & ſic dicitur anima quaſi animans & perficiens corpus. Secundum hoc eſt in eo, vt perfectio in ſuo perfectibili ſicut forma in materia. Vnde deſtructo corpore, deſtruitur anima inquantum forma, non tamen inquantum eſt ſubſtantia ideſt ſpiritus. Quod autem dicit Auguſtinus animam non eſſe in corpore vt formam in materia, intelligendum eſt ſecundum omnem modum, quia ſcilicet anima ſeparatur à corpore, ſecũdum quod eſt ſubſtantia, Forma vero ſecundum rem nullo modo ſeparatur à materia.

De modo illius vnionis.

CAPVT XLIII.

ITaque non eſt anima vnita corpori per modum cõtinuationis, quia continuatio terminum habet ſecundum quem res alteri coniungitur, nec eſt per totum illud cum quo continuatur. Anima autem eſt per totum corpus abſque termino & ſitu. Vnde dicit Auguſtinus quod non eſt in corpore ſicut vinum in vtre, ſed tota toti corpori coniuncta eſt. Eadem ratione nec per modum contiguitatis, ſed nec per modum mixtionis, quia in mixtione oportet eſſe partium diuiſionem & quia non poteſt quodcumque quantocumque miſceri. Anima vero quantocunque coniungitur corpori. Similiter nec per modum impreſſionis. Impreſſum enim non ſubſiſtit ſine eo cui fit impreſſio, ſicut patet in forma impreſſa ſtatuæ vel ſigillo, ſed per modum agglutinationis. Quando enim egreditur vel exciditur ſemen ab homine in pueri generatione, quidam ſpiritus qui dicitur ædificator vel artifex ſimul egreditur, qui diſpoſitiones acquirit in corpore priuſquam anima infundatur, & quaſi ad eam recipiendam corpus habilitas vel coaptat, ſicque duo illa in vnum agglutinat. Sunt autem vnum, non vt continuum vel indiuiſibile ſed vnum ratione, non quia eadem ſit ratio vtriuſque, ſed quia illa faciunt vnum cuius eſt vna ratio.

Triplex vnitas in corporibus.

Eſt autem triplex vnitas in corporibus, prima quæ ſurgit ex duplici dependentia, ſcilicet materiæ, ad formam & econuerſo. Et talis eſt in eis quæ ſunt ingenerabilia & incorruptibilia, vt corpora cæleſtia. Hæc eſt maior vnitas in corporibus, quæ ſcilicet nec materiam ſeparari ſinit à forma, nec econuerſo. Secunda quæ conſurgit ex vnico reſpectu vel dependentia ſcilicet formæ ad materiam, & non econuerſo, talis eſt in omnibus corruptibilibus. Et hæc eſt minor quæ ſcilicet materiam ſeparari ſinit à forma, & non econuerſo, vt quando ex igne fit aer, perit forma ignis, & manet materia tranſiens in illam formam. Tertia qua aliqua duo ita coniunguntur, vt vtrumque ſeparabile ſit, & hæc eſt minima; talis eſt inter animam & corpus. Veruntamen miro modo cum homo habeat in ſe continuare ſuperiora & inferiora, hanc triplicem vnitatem habet in ſe ſecundum diuerſa. Prima enim eſt in anima ſecundum ſe conſiderata. Secunda in corpore. Tertia in toto homine.

Quod nequaquam ſine medio poſsit fieri illa vnio.

CAPVT XLIIII.

CVm autem anima rationalis maxime diſtet à corpore, quia, ſimplex eſt & incorporea, & incorruptibilis. Corpus vero compoſitum, & corporeum & corruptibile, non poſſunt vniri niſi per medium conueniens ſiue per media. *Hugo in tractatu de vnione ſpiritus & corporis.* Vtique ſi nihil inter ſpiritum & corpus medium eſſet, neque ſpiritus cum corpore, neque corpus cum ſpiritu conuenire potuiſſet. Multum enim diſtant inter ſe duo hæc. Eſt ergo quiddam quo aſcendit corpus vt appropinquet ſpiritui, & rurſus quiddam quo deſcendit ſpiritus,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vt appropinquet corpori. Id quo aſcendit corpus altius A
eſt corpore. Et iterum id quo deſcendit ſpiritus, inferius
eſt ſpiritu. Sed ipſa corpora ſunt alia ſuperiora, alia infe-
riora, alia ſuprema, & corpoream naturam pænè tranſ-
cendentia. Similiter & ſpiritus ſunt alij ſuperiores, alij
vero infimi, & pænè infra ſpiritualem naturam prolapſi,
vt in hunc modum ima cum ſummis copulentur.

Ex libro fontis vitæ. Spiſſum quidem ſubtili non cõ-
iungitur, niſi per medium conueniens vtrique extremo-
rum, nec recipit eius impreſſionem niſi per medium, ſi-
cut corpus humanum non recipit actionem animæ ra-
tionalis, niſi per medium ſpiritus animalis. Vis etenim
animalis effluit à virtute rationali: cuius ſedes eſt cere-
brum in neruos & lacertos, per ſe vero notum eſt, quia
quicquid ab alia fluit, eiuſdem generis eſt cum eo à quo
fluit, quamuis in diſpoſitione diuerſa ſint nec fluit quic-
quam ab aliquo niſi ſibi ſimili. B

Qualiter in homine ſupremis infima connectuntur.

CAPVT XLV.

Hugo vbi ſupra. Pone ergo primum eorum quæ
infima ſunt vt ab his incipiens ordine ad ſuperio-
ra conſcendas. Sunt igitur in hoc mundi corpore qua-
tuor elementa, proprijs qualitatibus diſtincta. Primum
id eſt terra, ſola per ſe immobilis eſt quia moueri non
poteſt niſi extrinſecus impellatur. Reliqua tria mobilia
ſunt, hoc tamen intereſt, quod aqua teneri poteſt vt nõ
moueatur, aer & ignis non poteſt. Rurſum aer ad ſta-
tum teneri non poteſt, ad præſentiam poteſt. Ignis nec
ad ſtatum tenetur, vt non moueatur, nec ad præſentiam
vt non elabatur. In ſe omnem motum habens & ex ſe. C
In his ergo quatuor quæcunque à ſenſu plus longè ſunt
magis à natura corporum recedunt, & ad naturam ſpi-
rituum accedunt. Hinc eſt quod aer, quia præ ſui ſubti-
litate videri non poteſt, ſpiritus appellatur. Sed ignis qui
ipſo longè ſubtilior eſt & mobilior, & non ſicut aer ex-
trinſecus terrena corpora afflando mouet, ſed interius
vegetando viuificat, magis propriè ſpiritus vocatur. Sed
quædam tantum vegetat, ſicut arbores, quædam autem
vegetat & ſenſificat, ſicut bruta animantia. In quibus
quædam ſenſum tantum habent, quædam autem &
ſenſum & imaginationem.

Cum itaque ſenſificari maius ſit, quam vegetari tan-
tum, conſtat profecto hanc vim ſubtiliorem eſſe, vbi D
ſenſum præſtat, quam vbi ſolum vegetationem. Vbi
autem magis ſubtilis eſt, magis incorporeæ naturæ ap-
proximat. Nihil autem in corpore altius vel ſpirituali
naturæ vicinius eſſe poteſt, quam id vbi poſt ſenſum, &
ſupra ſenſum vis imaginandi concipitur, quod quidem
in tantum ſublime eſt, vt quicquid ſupra illud eſt aliud
non ſit quam ratio. Ipſa itaque vis ignea quæ extrinſe-
cus formata ſenſus dicitur, Eadem forma vſque ad inti-
mum tranſducta, imaginatio vocatur. Forma nãque rei
ſenſibilis per radios viſionis foris concepta, operante
natura ad oculos vſque retrahitur atque ab eiſdem ſuſ-
cepta viſio nominatur. Deinde per ſeptem oculorum
tunicas, & tres humores tranſiens nouiſſime purificata
& colata introrſum ad cerebrum vſque tranſducitur, & E
imaginatio efficitur. Poſtea eadem imaginatio ab ante-
riori parte capitis ad mediam tranſiens, ipſius animæ
rationalis ſubſtantiam cõtingit, & excitat diſcretionem,
intantum iam purificata & ſubtilis effecta, vt ipſi ſpiri-
tui immediate coniungatur, veraciter tamen naturam
corporis retinens. Sicut enim de ſpiritu corpus non naſ-
citur, ſic nec de corpore ſpiritus, tamen quod ſummum
eſt in corpore, propinquum eſt ſpiritui, & in ipſo vis
imaginandi fundatur ſuper quam eſt ratio. Quod enim
imaginatio extra ſubſtantiam animæ rationalis ſit, argu-
mentum eſt quod bruta animalia vim habent imagi-
nandi, hæc eſt itaque imaginatio ſimilitudo ſenſus in
ſummo corporalis ſpiritus & in imo rationalis, corpo-
ralem informans, & rationalem contingens.

De quatuor rebus ad prędictas vniones conuenientibus.

CAPVT XLVI.

AD conſiderationem medij vel vnionis humani
corporis & animæ notanda eſt conuenientia &
diſtantia vtriuſque ſubſtantiæ. Eſt enim in homine ſub-
ſtantia quædam ſimplex & incorporea, ſed corruptibi-
lis, ſcilicet anima ſenſibilis. Quod enim ſimplex ſit, pa-
tet per hoc, quod poteſt abſtrahere ſpecies materia per
quas ipſa fit cognoſcitiua. Hæc ergo conueniunt cum
corpore, & anima rationali. Sed cũ anima in duabus diſ-
poſitionibus, ſcilicet in eo quod ſimplex & incorporea.
Cum corpore autẽ in vna ſcilicet in hoc quod eſt cor-
ruptibilis, vnde neceſſe eſt hanc eſſe mediam inter ani-
mam rationalem & corpus. Et eſt quaſi materialis diſ-
poſitio ad recipiendum animam rationalem in corpo-
re, cuius perfectio eſt anima ipſa rationalis. Et iterum
aliæ quædam ſubſtantia, quæ eſt incorporea ſed com-
poſita, & incorruptibilis ſcilicet anima vegetabilis. Et
hæc præcedit animam ſenſibilem & eſt quaſi materia-
lis diſpoſitio ad recipiẽdum animam ſenſibilem in cor-
pore, quæ eſt eius perfectio, hæc autem non habet niſi
vnicam conuenientiam cum anima rationali, ſcilicet
incorporeitatem. Non enim eſt ſimplex, cum non ſit
cognoſcitiua, neque incorruptibilis, cum non ſit ſepa-
rabilis à corpore, ſicut nec anima ſenſibilis. Exigitur er-
go vtramq; cõniungi corpori ad hoc vt ei coniungatur
anima rationalis. Itẽ ex parte corporis ſimiliter inueniũ-
tur diſpoſitiones quę habẽt cõuenientiam cũ anima ra-
tionali. Eſt enim quoddam corpus ſimplex & incor-
ruptibile, ſcilicet corpus ſupercæleſte, quod nunquam
ab hominis operatione ſiue generatione ſeparatur.
Vnde dicit Ariſtoteles quod homo generat homi-
nem & ſol. Et eſt corpus ſimplex ſed corruptibile ſcili-
cet elementum. Hæc ergo exiguntur tanquam media
conuenientia ad coniunctionem animæ rationalis cum
corpore ſcilicet anima ſenſibilis, & anima vegetabilis,
& ſpiritus qui eſt à natura corporis ſuperioris, & etiam
calor elementalis.

Spiritus autem qui eſt in natura corporis ſuperioris, *Spiritus corporeus triplex.*
triplex eſt. Eſt enim quidam qui dicitur animalis, & hic
eſt in cerebro. Quidam vitalis, & hic eſt in corde. Qui-
dam naturalis & hic eſt in hepate. Quando ergo gene-
ratur homo triplex iſte ſpiritus egreditur cum ſemine,
& operatur in corpore antequam infundatur anima ac-
quirendo organizationem. Et quãdo infunditur anima
ex ipſa relinquitur quædam qualitas in corpore etiam
propter organizationem ſcilicet quædam complexio,
quæ quando incipit deficere incipit pariter deficere &
homo. Cum autem hi tres ſpiritus ſint à natura corpo-
ris ſupercæleſtis, vt dictum eſt, ſicut corpus ſupercæle-
ſte continuè mouetur, ita & per virtutem contentam
in his tribus membris principalibus eſt motus inde-
ficiens & continuus, ſcilicet in cerebro, in corde & hepate. Ad coniunctionem autem animæ ſenſibilis cum corpore non exiguntur tot diſpoſitiones, cum non habeat tantam oppoſitionem cum corpore. Item pau-
ciores adhuc exiguntur adaptationes ad cõiunctionem animæ vegetabilis quia pauciores habent inter ſe op-
poſitiones. In corporibus autem non exigitur niſi ele-
mentorum commixtio.

Si autem obijcitur quod forma ſe ipſa vnitur materiæ, *Obiectio ſoluitur.*
ergo & anima ſe ipſa corpori, & non per medium. Reſ-
pondeo quod quædam ſunt formę primæ, quędam me-
diæ, quædam vltimæ. Primę formæ abſque medio con-
iunguntur materię, vt eſt corporeitas. Vltimæ per me-
dium coniunguntur, & talis eſt anima rationalis, eſt
enim vltima forma naturalium. Mediæ autẽ & quando-
que coniunguntur per mediũ, & quandoq; ſunt media,
& quaſi diſpoſitiones materiales ad aliarũ coniunctio-
nem. Verbi gratia, potentia ſenſibilis per medium con-
iũgitur ſuo ſubiecto ſcilicet mediãte potẽtia vegetabili,
vt diſpoſitione materiali, & hoc quandoque eſt vltima

perfe-

perfectio, ſicut in brutis: quandoque autem ipſa eadem A in nobiliori ſubiecto ideſt in homine eſt medium, & quaſi diſpoſitio materialis ad compoſitionem potentiæ intelligibilis ſiue animæ rationalis, licet ergo anima rationalis ſit vt forma, non tamen eam per ſe neceſſe eſt coniungi, quia non eſt corporis forma prima ſed vltima.

De alio modo diſtinguendi medium prædictæ vnionis.

CAPVT XLVII.

Anima rationalis definitio.

Philoſophus. Eſt igitur anima rationalis natura ſimplex non contraria ideſt non habens contrarium, incorporea, cognoſcitiua, non dependens, ideſt abſolutæ libertatis. Porro econtrario corpus humanum eſt natura compoſitũ, contrariũ ideſt ex contrarijs, corporeum, obtuſum, dependẽs ſcilicet ab anima, tanquã à ſuo rectore, hæ ſunt ergo quinque oppoſitiones ſiue diſtantiæ. Ideoque à tam diſtantium naturarũ vnione neceſſe eſt media quatuor intercurrere, quibus conuenientiſſima proportione ſibi inuicẽ coniunctis, ambæ naturę quinque diſtantijs ſeiunctæ valeant copulari. Quia vero media debent æqualem habere conuenientiam cum extremis, duo ex illis quatuor eſſe debent ex parte animæ, & duo ex parte corporis. Ex parte animæ ſunt natura ſenſibilis & vegetabilis. Eſt enim natura ſenſibilis ſimplex, & non contraria, incorporea, & cognoſcitiua, dependens. Simplex quidem eſt, alioquin ſpecies & imagines ſenſibiles in ea facerent diſtantiam & replerent eam. Eſt & incorporea, caret enim dimenſione, nec eſt in maiori, quam in minori corpore. Non contraria verò ideſt non habens contrarium ſicut elementa, vel non ex contrarijs ſicut elementatum. Cum enim ipſa ex natura ſuſceptiua ſit omnis contrarietatis corporalis, vt ſecundũ tactũ calidi & frigidi, ſecundũ viſum albi & nigri, & ſic de cæteris, in ſe nullam habet contrarietatem. Dependens etiam eſt non ſolum à natura rationali, quæ rectrix ipſius eſt in homine, ſed etiam à natura vegetabili, cui vnitur tanquam materiæ, & per quam operatur. Porro natura vegetabilis eſt ſimplex, non contraria, incorporea, obtuſa, dependens. Simplex quidem ad differentiam compoſitionis, quæ eſt in elemementatis ex elementis. Non contraria vero, ad differentiam contrarietatis quæ eſt in elementis ratione qualitatum contrariarum. Incorporea quoque ad differentiam naturæ cæli, & corporum cæleſtium quæ quamuis non ſint ex elementis compoſita, nec cõtrarietati ſubiecta, corporea tamen ſunt. Obtuſa vero ad differentiam naturæ ſenſitiuæ, quæ eſt cognoſcitiua. D Dependens autem ad differentiam naturæ rationalis quæ eſt abſoluta. Hæc ergo ſunt duo media ex parte animæ. Et ex parte quoque corporis duo ſunt, vnum pertinens ad cæleſtem naturam id eſt ad quintam eſſentiam, quod dicitur ſpiritus, & vocatur à philoſophis vehiculum virium animæ. Eſt autem corpus ſubtile ſpirituale, diffuſum in concauitate membrorum à natura quintę eſſentiæ. Vnde motus eius à fontibus eſt, ſicut motus irradiationis & illuminationis à corporibus luminoſis.

Et dicuntur fontes principalia & radicalia membra, ſcilicet cor, cerebrum & hepar, ſecundum quæ diſtinguitur triplex differentia ſpiritus, id eſt naturalis in hepate, vitalis in corde, animalis in cerebro. Aliud vero medium pertinet in æqualitate & temperantia, quæ eſt in ſanguine. Eſt itaque ſpiritus natura ſimplex, non contraria, corporea, obtuſa, dependens, Simplex eſt quia cõpoſita nõ eſt ex elemẽtis: Corporea vero ad differentiã naturarum vegetabilis, ſenſibilis, & rationalis. Obtuſa quoq; ad differẽtiam ſenſibilis & rationalis. Dependens autẽ ad differentiã rationalis. Natura vero elementaris eſt ſimplex, contraria, corporea, obtuſa, depẽdens. Quæ omnia dicuntur ad differentiam prædictorum. In his ergo vide naturalem ordinem & proportionẽ. In principio quidem natura eſt rationalis tanquam vnum extremum, dein vero media ordinantur. Primum, ſcilicet natura ſenſibilis. Secũdum vegetabilis. Tertium natura ſpiritus cæleſtis. Quartum natura elementaris. Vltimum vero eſt natura elementati corporis, quod medijs armonia decentiſſima diſpoſitis copulatur cum natura animæ rationalis.

Fontes corporis qui?

De differentia vnionis animæ in homine & in animali & in planta.

CAPVT XLVIII.

POrro de differentia vnionis animæ rationalis in hominibus, & ſenſibilis ac vegetabilis in animalibus, & plantis, Dicendum: quod vnio animæ rationalis ad corpus, eſt per dependentiam ipſius corporis ab ea, & non econuerſo. Vnio vero vegetabilis & ſenſibilis eſt per dependentiam corporum ab eis, & econuerſo. Hinc eſt quod ſola rationalis eſt ſeparabilis, & manet ſeparata. Ad hoc poni poteſt exemplum in luce ignea & ſolari. Lux enim ſolaris in radio vnitur aeri, non tamen eius eſſe dependet ab aere, ſed potius aer à luce tanquã ab eo perfectibile. Vnde deſtructo aere, remanet adhuc radius, quod videri poteſt per interpoſitionem alicuius corporis tranſparentis in loco aeris vt chryſtalli, remoto enim aere, remanet idem radius illuminans chryſtallum. Sic eſt in vnione animæ rationalis ad corpus. Lux autem inflammata vnitur ſubtiliori materiæ, quæ eſt vapor reſolutus à corpore inflãmato, & eſt radioſa. Veruntamẽ lux ſiue in carbone ſiue in flãma, dependet & vnitur materiæ ita quod deficit ipſa deficiente materia.

Lux incorporea triplex.

Itaque ſecundum tres differentias lucis corporeæ viſibilis, in carbone ſcilicet & in flamma & in aere, poteſt intelligi triplex differentia lucis incorporeę quę eſt in anima corpori vnibili, vt anima vegetabilis in plantis cogitetur ſecundum modum lucis in carbone, eo quod vnitur corporibus plantarũ craſſis ac terreſtribus, & ad motum localem ineptis. Hęc eſt radioſa per cognitionẽ vt in ea fulgeat cognitionis lumẽ. Anima vero ſenſibilis cogitetur vt lux in flãma, quæ corporibus ſubtilioribus vnitur, & aptioribus ad motum, & eſt radioſa, hæ duæ ſecundum naturam à corporibus dependentes ſunt, & ideo cum eis deficiunt. Anima denique rationalis cogitetur vt lux naturæ cæleſtis incorruptibilis in aere radians. Sic enim & ipſa in humano corpore, hoc tamen excepto, quod lux vnius radij determinat ſibi partẽ aeris aliquam, pluſquam aliam. Sed vnus & idem radius poteſt diuerſas aeris partes illuminare, quod animę rationali non conuenit, quæ eſt lux incorporea incorruptibilis. Nam vna rationalis anima determinatur ad corpus, nec eſt poſſibile, vt aliud corpus ſplendore ſuo perficiat, ſicut mentiti ſunt hæretici dicentes, animas de corpore ad corpus reuolui. Fortaſſis autem requiritur etiam ex parte corporis ſenſibilis natura lucis nobilioris ad vnionem diſponens in animali quam in planta, & in homine, quam in bruto. Eſt enim differentia lucis cęleſtis & etiam ordo, ſecundũ nobilitatẽ eſſentiæ lucis. Nã ſuper lucẽ cæli ſyderei eſt lux cęli aquei ſiue chryſtallini & ſupra vtraque lux empyrei. Cum ergo conſtat quod influentia lucis cæli ſyderei diſponat corpora vegetabilium ad ſuſceptionem vitæ vegetabilis, Influentia lucis nobilioris quę eſt cæli aquei diſponet corpora ſenſibilium ad diſpoſitionem vitæ ſeuſibilis, quæ etiam fortè propter virtutem quæ eſt ex receptione impreſſionum imaginum, quæ neceſſaria eſt in apprehenſione ſenſitiua dicta eſt aquea ſiue chryſtallina. Influentia vero lucis nobiliſſimæ, quæ eſt empyrei, diſponet corpus humanum ad ſuſceptionem vitę nobiliſſimæ, quæ eſt anima rationalis.

De perfectione ipſius organi id eſt corporis humani.

CAPVT XLIX.

COrpus autem non ſolum humanum vel animale, ſed eſſe vegetabile conſtat ex quatuor elementis, & quinta eſſentia aceurrente ad vnam harmoniã in eis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

conciliandam,alioquin nec eſſet corpus vnibile, cum elementalis naturæ ſit habens contrarium, & omnis contrarietas repugnet vnionis rationi. Verum cum anima rationalis perfectiſſima ſit inter omnes naturales formas,humanum quoque corpus eiuſdem formæ perfectibile oportuit eſſe perfectiſſimum cæteriſque perfectius.Elementa namque cum ſint materialia reſpectu corporum elemẽtatorum imperfectiora ſunt illis. Inter elementata vero quædam corpora ſunt, in quorum generatione tantum exigitur elementorum mixtio vt mineralia, quædam in quibus non ſolum requiritur mixtio, ſed etiam complexio vt vegetabilia, quædam etiam in quibus prẽter hæc duo, requiritur organorum ſiue membrorum compoſitio, vt animalium corpora. Cum ergo elementorum mixtio materialis ſit reſpectu complexionis, & ipſa complexio reſpectu compoſitionis, & hæc omnia reſpectu humani corporis, imperfectiora ſunt corpora mineralia vegetabilibus, & hæc animalium corporibus, iſtaque omnia corpore humano. Præterea cum anima ſit omnium ſimilitudo, quia ſimilitudinem rerum omnium nata eſt comprehendere,ſcilicet ſpiritualium per ſe, corporalium vero mediante corpore, neceſſe eſt,vt ipſum corpus mediante quo recepit omnium corporalium ſimilitudines habeat ſimilitudinem omniũ, quod fieri non poſſet niſi ex omnibus corporibus compoſitum eſſet. Denique cum corpus vnibile animæ debeat eſſe organicum, impoſſibile eſt vt ſit ſimplex & vnius naturæ. Porro non erit vltima actio nutritiuæ per naturam elementarem, quæ eſt habens contrarium, vt dictum eſt,ſed per cœleſtem quæ eſt natura lucis & quinta eſſentia. Organum quidem & inſtrumentum in hoc conueniunt, quod vtrumque eſt illud quo artifex opus ſuum exercet.

Differentia inſtrumentorum.

Sed in hoc differunt, quod inſtrumentum ſeparatum eſt ab artifice ſecundum eſſe, licet coniunctum ſecundum operationem, vt dolabra vel ſecuris. Organum vero coniunctum eſt ſecundum vtrumque vt pupilla virtuti viſiuæ. Et tunc operatio non attribuitur organo,nec virtuti,ſed tertio quod ex his coniunctis efficitur. Vnde propriè non eſt dicere virtus viſiua videt, vel pupilla videt,ſed oculus videt, qui ex vtroque conſtituitur. Corpora vero mineralia vnibilia non ſunt, licet in eorum compoſitione concurrat lucis natura cõcilians elementorum contrarietatem. Cum enim actiones animæ non ſint vnius modi reſpectu corporis, ſed multorum modorum ſcilicet nutritiua,generatiua, &c. neceſſe eſt etiã organa ipſa differre. Itaque corpus animale quod eſt organicum,non erit vnius modi ſcilicet vt ſimile ſit in toto & in partibus, quia ſi in toto ſimile eſſet,non niſi vno modo per illud anima ſuũ opus exercere poſſet. Igitur corpora mineralia non ſunt animalia,quia lux in eis eſt ſecundum vnum modum harmoniæ conciliantis elemẽta in toto & in partibus. Corpus organicum neceſſario multiplicis eſt harmoniæ vt congruat operationibus animæ.

De Naturali fœdere amborum.

CAPVT L.

Hvgo in li. de anima & ſpiritu. Quadam igitur amicitia anima corpori coniungitur, ſecũdum quam nemo carnem ſuam odio habet. Nam licet eius ſocietate prægrauetur,amat tamen carcerem ſuum, & ideo libera eſſe non poteſt. Doloribus eius vehementer afficitur,& formidat interitu, quæ mori non poteſt. Oculorum ſpeculatione depaſcitur,ſonoris delectatur,cibis ſuauiſſimis iucundatur, odoribus larga epulatione reficitur. Et licet his rebus nullatenus ipſa vtatur, graui tamen mærore affligitur ſi ſubtrahantur. Hinc & nonnũquam ſubrepunt vitia contraria rationi, dum anima ſe dilecto indulgentius remittendo locum noſcitur præbere peccato. Carni namque ita vnitur anima, vt cum carne ſit vna perſona,vnde ſalua proprietate vtriuſque naturæ,adijcitur carni,quod animæ eſt, & animæ quod carnis eſt. Exinde fit anima originali culpæ obnoxia quã caro contrahit,& animæ refundit. Caro nimirum contracta de carne per legem concupiſcentiæ, quam cito viuificatur, originalis culpæ vinculo premitur, eiuſque affectionibus anima quæ carnem viuificat aggrauatur. Denique fatigatur corpus cogitationibus mentis, afflicitur,& mens in corpore doloribus corporis. Conuenientiſſima ergo media ſunt carnis & animæ ſenſualitas carnis,quæ maximè ignis eſt. Phantaſia ſpiritus quæ igneus vigor dicitur. Vnde Virgilius de animalibus loquens ait. *Igneus eſt illis vigor,& cœleſtis origo.* *Caſſiodorus vbi ſupra.* Tempera igitur bone artifex organum corporis noſtri, vt harmoniæ mentis poſſit aptari, nec ſic roboretur,vt ſuperbiat, nec ſic langueſcat, vt deficiat. *Childebertus Cenomanenſis.* Caro certè viuificationis officium amat,tãtamque cum eo pacem pepigit,vt ſi quid ei contrarium nouerit,& implicabili odio abhorreat, & curioſa ſimilitudine auerſetur. Hinc eſt quod illi quoque qui cum Paulo clamant, cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto,mortem tamen ideo formidant, quia caro hic animæ lætatur officio,Chriſtus mori venerat, & tamen dicebat pater ſi fieri poteſt trãſeat à me calix iſte. Idem cum remotus à diſcipulis prolixius oraret, vſque ad ſudorẽ ſanguinis anxietate turbatus eſt paſſionis. In quibus verbis nihil aliud intelligendum eſt, quam quædã cõuiuificatio carnis,quæ ſic inerat ei lege naturæ, vt tamen bonum non impediret obedientię. *Auguſtinus ſuper Geneſim lib.* 20. Denique dubitandum non eſt & raptam hominis à corporis ſenſibus mentẽ, & etiam depoſita carne per mortem, non ita videri poſſe incommutabilem ſubſtantiam Dei, ſicut vident angeli ſancti, ſiue alia latentiore cauſa, ſiue ideo quia ineſt ei quidam appetitus naturalis corpus adminiſtrandi, quo retardatur quodammodo,ne tota intentione in ſummum illud cælum pergat,quamdiu non ſubeſt corpus,cuius adminiſtratione appetitus ille conquieſcat.

Caro contrahit originalem culpam ſecundum Hugonem.

Virgilius.

Quod fœdus illud quandoque moleſtijs irrumpitur.

CAPVT LI.

Childebertus. Quæ cum ita ſint, tantum tamen amorem, tamque germanum fœdus corporis & animæ plerumque ſuperuenientes irrumpunt moleſtiæ, quibus excitata caro ad viuificationis odium, ſpiritum ſolicitat ad conſenſum, quia ſicut illecebrarum deſiderio, ſic etiam pernicioſa commouetur anxietate ſollicitudinum. Quibus dum venatrix illa deliciarum diu ſubeſſe, diuque fatigari formidat, paulatim incipit cedere vitæ, placetque viuificationis gratiam abiurare, cuius obſequia permixtis incommodis amareſcunt. Naſcitur inde turpis ac ridiculoſus mortis appetitus, nequam ſcilicet progenies, & quæ more vipereo ſuoſque plerumque ſuffocat, & extinguit genitores, nonnullos etenim quoque tempora habuere, quos vel in aquas vel ad laqueum egit dolor amiſſę pecuniæ. Nam de veteribus quod loquar, quorum mortes ſimili prouocatas inſania veridicis aſſertionibus nequaquam poetæ tacuerunt. Num recolis idem te atteſtatum cum affectatæ mortis originem ſuppoſitis decantares verſiculis?

Cum placeat carni, quod viuificatur, ametque
Hoc animæ obſequium, tamen euenit vt diuturnis
Fracta malis vitam faſtidiat, abdicet annos.
Malit obire ſemel, quam ſæpius, atque ſuprema
Morte rapi, quam tot pereuntibus eſſe ſuperſtes.
Sed licèt his inſtet, non eſt homicida voluntas,
Donec declinet, faueatque vxorius illi
Spiritus, hæc ſtimulis & blanda lite ſubacta.
Gignitur exceſſus, quia dum caro clamat eamque
Spiritus exaudit conſenſu culpa creatur,
Indeque creando nephas, caro fit vir, ſpiritus vxor.

Auctor. Manifeſtum eſt autem, quod prædictum corporis, & animæ fœdus, & quandoque moleſtijs irrum-

rumpatur, nequaquam tamen penitus rumpitur, quoniam quidem iuxta ſententiam Auguſtini, anima etiam exuta deſiderat incorporari. Sed nec ſimpliciter interrũpitur, quia nec in ipſis moleſtiis anima corpus ipſum abhorret, ſed tantum moleſtias corporis. Vnde etiam illi qui huiuſmodi moleſtijs fatigati vitam ſibi extorſerunt, nequaquam propriè corporis vita, ſed potius eius moleſtia carere voluerunt, ſicut ècontra Apoſtolus diſſolui cupiens, & eſſe cum Chriſto, nequaquam prøpriè ſimpliciterque diſſolui optabat, ſed exoptatum ſequens præmium, de quo ſecurus erat.

De modo eſſendi animæ in corpore.

CAPVT LII.

Tres modi eſſendi anima in corpore.

Philoſophus. Modus eſſendi animæ in corpore eſt ſecundum triplicem comparationem. Vna eſt, quæ perfectionis eſt ad perfectum. Alia, quæ eſt motoris ad motum ſiue artificis ad organum. Tertia radij luminis ad illuminatum. Secundum primum modum eſt in toto, ita quod in nulla parte. Non enim eſt perfectio alicuius partis, ſed ipſius totius inquantum huiuſmodi: Vnde nota, quod quædam ſunt ita perfectiones totius, quod etiam quarumlibet partium ſecundum eundem modum, vt in omnibus corporibus quorum eſt eadem ſpecies in partibus, & in toto. Quod ita totius, quod nullius partis, & talis perfectio eſt anima ſecundum omnem ſui differentiam ſcilicet vegetabilis, ſenſibilis, rationalis. Vnde quælibet planta ita eſt planta, quod non aliqua pars eius. Ita etiam eſt de quolibet animali, & homine. Porro ſecundum modum alterum ita eſt in toto anima, quod in qualibet parte, quia operatio virtutis motiuæ inuenitur per totum corpus. Nam quia non eſt virtus ſine ſubſtantia in qua eſt, erit ſubſtantia animæ per totum corpus tota, & in qualibet parte corporis, & hoc eſt, quod dicitur in lib. de ſpiritu, & anima. Sicut Deus vbique eſt totus in toto orbe, & in omni creatura ſua, ſic anima vbique tota, & in toto corpore ſuo, tanquam in ſuo etiam quodam mundo. Intentius tamen eſt in corde, & in cerebro, quemadmodum Deus præcipuè dicitur èſſe in cœlo. Secundum tertium modum eſt ſeparabilis à toto, & à qualibet parte, nec maior in maiori, nec minor in minori, quemadmodum radius luminis ſeparabilis eſt ab aere illuminato, nec in minori minor, nec in maiori maior. *Ariſtoteles in lib. de anima.* Videtur autem pluribus animam nihil ſine corpore pati neque facere nec omnino ſentire, omneſque paſſiones eius videntur eſſe cum corpore, vt deſiderium, timor, gaudiũ, triſtitia, amor, & odium. Similiter enim cum his compatitur corpus, dicere igitur animam iraſci ſimile eſt ac ſi dicatur animam texere vel ædificare, meliuſque eſt non dicere animam miſereri vel addiſcere, ſed hominẽ in anima, ſiue per animam.

Qualiter anima corpus vegetat & ſenſificat.

CAPVT LIII.

Hvgo vi ſupra. Anima non aliter, quàm ſol lucem diei vitam tribuit carni, cum venerit, mortem efficit cum recedit. Cumque ſit incorporea per ſubtiliorem naturam ſui corporis, id eſt per ignem, & aerem, quæ in ipſo quoque mundo præcellentia ſunt corpora ſpiritui ſimiliora corpus adminiſtrat. Iſta ſiquidem priora accipiunt nutus animę viuificantis, eo quòd incorporeæ naturæ ſunt propinquiora, quàm humor, & terra, & vt ad eorum proximum miniſterium tota moles adminiſtretur. Vnde non eſt ſine his duobus vel in corpore ſenſus, vel ab anima ſpontaneus motus. Ignis, & aer, quia leuia ſunt, mouent terram, & aquam, quæ grauia ſunt. Quapropter corpora poſt animæ abſceſſum moueri non videmus, quia ignis, & aer, quæ duo per animæ præſentiam tenentur in corpore terreno, & humido, vt omnium quatuor fiat temperatio, poſt eiuſdem animæ abſceſſum ad ſuperna euadunt, ac ſeſe expediunt. Igitur anima præſentia ſua corpus viuificat, & ſic colligata eſt ei, vt nec cum velit ſe inde ſegregare poſſit, nec retinere cum iuſſionem creatoris audierit. In vita ſiquidem animæ conſiſtit vita corporis, & de morte corporis deſcendit mors animæ. Sicut enim anima vita ſua facit carnem viuentem, & de fonte ſuæ naturæ irrigat eam animando: ſic caro per corruptelam materiæ ſuæ animam ſi cupiditatibus illicitis illigauerit, occidit. Et cum altera naturæ videatur alterius, tranſit vnaquæque in victricis naturam, id eſt vt aut carnem ſpiritualem anima virtutibus ſuis præſtet, aut animam carnalem caro victrix eius efficiat. Anima tamen de morte nihil habere poteſt niſi per vitia carnis ei propinatum fuerit, nec caro aliquid de vita retinere poteſt niſi ab anima fuerit irrigata. Nec altera in alterius naturam tranſire poteſt, niſi aut vitijs infecta aut virtutibus deſerta fuerit.

Supremum corporis & ſpiritus infimum.

Senſim quoque anima progreditur ad corpus mouendum & viuificandum. In corpore duo foramina ſunt quibus ſecundum naturalem contemperantiam influit & effluit omne quo idem corpus vegetatur ac regitur. Sunt & quædam vtriuſque ſimilia, ſcilicet corporis ſupremum, & ſpiritus infimum: in quibus ſine naturarum confuſione, perſonali tamẽ vnione facile coniungi poſſunt. Similia quippe ſimilibus gaudent. Vnde anima quæ natura ſpiritus eſt, & caro quæ natura corpus eſt, in ſuis extremitatibus facile atque cõuenienter vniuntur, vt iam ſuperius dictum eſt, hoc eſt in phantaſtico animæ, quod non corpus, ſed ſimile corpori eſt, & ſenſualitate carnis, quæ ferè ſpiritus eſt, quia ſine anima fieri non poteſt. Sicut enim animæ ſupremum, quod eſt intelligentia, ſeu mens imaginem ac ſimilitudinem ſui ſuperioris, id eſt Dei gerit. Vnde & eius ſuſceptiua eſſe potuit & ad vnionem perſonalem, etiam quando ipſe voluit, abſque vlla mutatione naturæ ſuſcepta fuit, ſic ſupremum carnis, id eſt ſenſualitas animæ gerens ſimilitudinem, ad perſonalem vnionem eius eſſentiam ſuſcipere poteſt. Ita in viuificatione deſcendit anima ad corpus. Præſentia nanque ſua illa viuificat, colligit in vnum, atque in vno tenet, defluere atque contabeſcere non finit. Congruentiam eius atque modum ſeruat non tantum in pulchritudine, ſed etiam in creſcendo atque gignendo.

Qualiter anima corpus ſenſificat.

CAPVT LIV.

ITaque corpus humanum ex quatuor elemẽtis compoſitum eſt, ſed in carne & oſſibus terra maxime apparet propter terrenam ſoliditatem. Aqua in humoribus, aer in pulmone continetur. Iccirco ſemper in motu eſt, quia ventilabrum eſt cordis, ne nimio calore cor conſumatur & diſſoluatur. Sedes ignis eſt in corde, & ideo inferius eſt latum, & ſuperius acutum, quia formam ignis retinet. Quædam autem ignea vis aere temperata à corde ad cerebrum aſcendit: ibique purificata & colata per oculos, aures, nares, cæteraque inſtrumẽta ſenſuum foras egreditur, & ex contactu exteriori formata, quinque corporis ſenſus facit. Quorum tactus ab anteriori parte cerebri ad poſteriorem tranſiens, & inde per ceruicem ac medullam ſpinæ deſcendens, per totum corpus diffunditur. Itaque ſenſus corporis ſic fiunt, quod eſt in corpore ſubtiliſſimum, & ob hoc animæ ſimilius, & vicinius quam cætera, id eſt lux primum per oculos ipſa diffunditur: eminens de radijs oculorum ad viſibilia intuenda, deinde mixtura quædam, Primo cum aere ponitur. Secundo cum aere & caliginoſo, ac nebuloſo. Tertio cum corpulentiore humore. Quarto cum terrena craſſitudine, ſicque quinque ſenſus cum ipſo ſenſu oculorum perficit, vbi ipſa ſola excellit.

Quinque ſenſus quo pacto fiunt.

Cur Deus inſufflauit in faciem hominis.

Iſti ſenſus, quia in ſola facie prælocati ſunt, ideo ſcriptum arbitror, quoniam in faciem Deus inſufflauit homini ſpiraculum vitæ, cum factus eſt in animam viuentem. Anterior quippe pars poſteriori merito præ-

ponitur, quoniam ista ducit & illa sequitur. Ab ista sensus, ab illa motus, sicut consilium præcedit actionem.

De naturali animæ cognitione.

CAPVT LV.

ANima quidem à creatore principium habens ex quo est, perfecta est in genere suo. Vnde ex quo est sciret omnia quę ab homine sciri possunt, nisi grauitas carnis esset. Quod per primum hominem quæ antè corruptionem humanitatis ex quo fuit perfectè habet scientiam humanam probari potest. Sed corrupta humanitate, ex quo coniungitur corruptioni corrumpitur, nec proprietates suas potest exercere, donec vsu, & experientia, & alicuius doctrina excitata incipit discere. veluti si quis cum acie subtili oculorum in tenebrosa detrudatur, videre tamen non potest ibi nisi prius assuescat tenebris, & lumen accendatur.

Augustinus de Trinitat. libr. 14 Anima etiam paruuli infantis se nosse credenda est, sed intenta nimis in eas res quas per corporis sensus tanto maiore quanto notiore cœpit delectatione sentire, non ignorare se potest, sed cogitare se non potest. Ita enim in omnes corporis sensus quantum finit illa ætas se quasi coartat, vt quicquid per carnem offendit vel allicit, hoc solum abhorreat vehementer vel appetat. Sua vero interiora non cogitat, nec admoneri potest vt hoc faciat, quia nondum admonentis signa nouit vbi præcipuum locũ verba tenent. In omni quidem temporalium rerum scientia, quædam cognoscibilia cognitionem tempore antecedunt, sicut sunt ea sensibilia quæ iam erant in rebus antequam cognoscerentur, vel ea omnia, quæ per historiam cognoscuntur. Quædam vero simul esse incipiunt velut si aliquis sonet vbi adest auditor. Sed siue sic, siue sic cognoscibilia cognitionem gignunt, cognitione vero facta, cum ea quæ agnouimus posita in memoria recordatione reuisuntur, quis non videat priorem esse tempore in memoria retentionem, quam in recordatione visionem, & huius vtriusque tertia voluntate iunctionem? Porro autem in mente non sic est. Neque enim aduentitia sibi est, quasi non ibi fuerit, antequam seipsam cognosceret, cum profecto ex quo esse cæpit, nunquam sui meminisse, nunquam se intelligere vel amare desistit.

De multiplici eius operatione.

CAPVT LVI.

Ioannes Damascenus. Operationes autem animæ sunt & naturales, & artificiales. Operatio enim est naturalis vniuscuiusque substantiæ virtus & motus innatus. Dicuntur autem & operationes gestiones & actus, vt loqui, ambulare, comedere, bibere, & huiusmodi. Sed & passiones naturales multotiens dicuntur operationes, puta fames, sitis, atque talia. Dicitur rursus operatio & opus virtutis, quod Græci apoteleſma dicunt, id est effectum.

Carmina Childeberti seu potius vt alij scribunt Hildeberti.

Childebertus cænomannensis.

Vis animæ septem proprios sibi vendicat actus
Viuificat, sentit, varias amplectitur artes,
Corrigit excessus, virtutibus instat in ipsam,
Dirigit intuitum deitatem gaudet in illa.
Seminibus quoque primus ineſt animalia bruta
Participant aliunde & nostræ proprietatis.
Tres sunt & superum superi tamen anteferuntur.
Ex actu primo vegetantur corpora, crescunt,
Prouenit inde vigor, nexus, complexio, motus,
Et status & species, & conuenientia quædam;
Ex alio tangit, videt, audit, gustat, odorat,
Odit, amat, petit apta sibi, contraria vitat,
Soluitur in somnos, in somnia mente vagatur,
Præteriti meminit, venturis instat, agitque.
Plurima, quæ sensu & non ratione geruntur.
Tertius ingenuas aliasque perambulat artes.
Quæque vel ingenium, vel disciplina ministrat.
Colligit & vario profectu mentibus hæret.
Quartus ab illicitis reuocat, residensque recreatus.
Abiurare docet, extunc agnoscere sese.
Incipit inque nouum nitì ac transire decorem.
Dicimus è quinto naturæ lege teneri.
Res inconcessas virtutis amore cauere,
Concessis aliquot etiam sine teste carere.
Sextus in aspectum solis lucisque supernæ
Penè parem diuis animam rapit immaculatam.
Septimus astringit, stabilique subarrat amore.
Collatératque Deo quam dotem tam speculetur.
Quos thalamos, quis cultus, eam quæ festa ferenent.
Quis dicat speciosa veni, dixere beatæ,
Maioresque animæ, nec eis tamen aut ea virtus
Aut ea lingua fuit, quibus hæc aperire liceret;
Excedit sensus vbicumque recondita merces.

Primus itaque naturæ actus est viuificatio, secundus sensus. Tertius ars, quartus correctio, quintus virtus, sextus contemplatio, septimus quies, os, actus si carnis desiderijs impediri negas, profecto vel penitus infra hominem defecisti, vel supra hominem profecisti. Qui solus tam libere beatus es, vt eam concupiscentiam nescias, quæ aduersus præfatos actus & numero militat exercitu, & diuerso triumphat affectu. Neque enim in omnes animas par ei licentia est. Ipsa quoque actus nec eodem tempore omnes, nec omnes eadem infestantur molestia. Alij quippe in ortu quasi seges in gramine præfocantur. Alij iam in prouectu velut in spicis grana, quę feruor nimius exurit, inanescũt. Est etiam quod illos intrinsecus impugnet, quod illos extrinsecus euacuet. *Septẽ actus animæ.*

De ipsius passibilitate.

CAPVT LVII.

Victor. Passibilis autem est anima non solum corpore inclusa, sed etiam à corpore separata, sicut dicetur infra. *Augustinus de ciui. Dei li. 14.* Sunt quidem quatuor animæ perturbationes, quibus omnis morum humanorum vitiositas continetur. De quibus Virgilius mentionem faciens, de animabus inclusis corporibus ita loquitur. *Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque, nec auras Suscipiunt clausæ tenebris & carcere cæco.* Et postquam de terrenis moribundisque membris hæc dixit, sequutus adiunxit. *Quin & supremo cum lumine vita relinquit,* id est cum die nouissimo vita præsens eos relinquit. *Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes Corporeæ excedunt pestes,* &c. *Virgilius.*

Ioannes Damascenus. Dicitur autem æquiuoce passio. Est enim passio dicta quæ animalis est, vt concupiscentia, & ira quam sequitur voluptas & tristitia, sequitur enim passionem ipsa tristitia, & non ipsa passio est tristitia. Nam insensibilia quidem patientia non dolent. Non igitur passio est dolor, sed passionis sensus, oportet autem esse hanc dignam ratione id est magnam vt sensui subiaceat. Itaque communiter ac generaliter passio animalis est quam sequitur voluptas atque tristitia. Animalium denique passionum terminus est hic. Passio est motus appetitiuæ virtutis sensibilis, in imaginationes boni vel mali, vel vt dicit Remigius. Passio est motus irrationalis animę per susceptionem boni vel mali. Susceptio namque boni mouet concupiscentiam, susceptio vero mali iram. Sed & secundum alium modum operatio dicitur passio. Nam operatio quidem est motus qui est secundum naturam. Passio vero quæ præter naturam. Secũdum hanc igitur rationẽ operatio dicitur passio, cũ nõ secundũ naturam mouetur siue ex se ipso, siue ex alio. Itaque cordis cui secundum pulsus est motus naturalis existens, operatio est. Qui vero secundum saltus est immoderatus existens, & non secundum naturam, passio est non operatio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Passiones quæ vocentur.

Non omnis autem motus passi vocatur passio, sed qui vehementiores sunt, & in sensus procedentes. Nam qui parui sunt, & insensibiles nõdum passiones sunt. Oportet siquidem passionem habere magnitudinem ratione dignam: quia parui motus latentes sensum: non faciunt passionem. *Philosophus*. Sciendum vero quod est actio corporis in corpus: & est actio spiritus in spiritum, & est actio corporis in spiritum. Actio corporis in corpus est per contactum. Actio autem spiritus in spiritum est per applicationem, sicut accidit in dæmoniacis: quod anima patitur à dæmone, qui coniungitur ei per applicationem ad corpus: cuius ipsa est perfectio. Actio vero corporis in spiritum est per colligationem ipsius spiritus ad corpus, non per contactum, vt patet in colligatione animæ & corporis. Et quamuis inter illa non sit qualitas communis, est tamen relatio & inclinatio communis. Inclinatio enim animæ appetitu eius fit & amore naturali; & econuerso, ratione cuius est quasi symbolum ad corpus.

De multiplici eiusdem passione.

CAPVT LVIII.

Passio multipliciter dicitur.

Actor. Vt ergo de passionibus animæ plenius veritas eluceſcat, Notandum quod passio duplex est, videlicet naturalis, & innaturalis. Porro naturalis multipliciter dicitur. Primo modo & generalissimè passio idem est, quod receptio. Vnde omne receptibile est passibile: & hoc modo etiam Angelus & anima sunt passibiles per naturam. Generaliter autem secundo modo passio est motus ex alio in aliud. Et hoc modo etiam anima cuius per naturam est passibilis intellectus & cum tempore passibilis est per naturam. Tertio modo dicitur passio specialiter, scilicet animalis, quam diffinit Iohannes Damascenus motum appetitiuæ sensibilis in imaginatione boni vel mali, vel secundum Remigium. Passio est motus, irrationalis partis animæ per susceptionem boni vel mali. Motus autem huiusmodi si fuerit moderatus est animæ per naturam. Porro innaturalis passio non est animæ ex natura: secundum quod dicit Damascenus. Passio est motus præter naturam: siue ex se, siue ex alio. Sic enim dicitur passio cum contrarietate ac disconuenientia receptibilis & recepti. Et huius passionis respectu dicitur passibilitas ad patiendum potentia remota: vel necessitas ad patiendum potentia remota: vel necessitas ad patiendum potentia proxima: passibilitas autem ad patiendum est ex origine de nihilo, & hæc non est pæna sed defectus. Vnde passibilitas sic dicta non est ex natura, vt est natura, sed ex conditione creaturæ, vt est nihilo facta. Necessitas vero ad patiendum est ex culpa. Si autem quæratur vtrum anima sit passibilis secundum omnem vim suam: dicendum est, quod passio quædam ex imaginatione boni vel mali sensibilis est in anima secundum partem irrationalem. Passio vero ex susceptione boni vel mali intelligibilis est in ea secundum partem rationalem. Quamuis ergo intellectui nihil contrarium fit, nec pæna ex coniunctione disconuenientis vel contrarij. Est tamen passibilitas ex separatione conuenientis, & hic modus magis conuenit passioni rationali, Alius vero passioni sensibili. Verum in anima subiecta Deo, videlicet suo superiori, non erit passibilitas secundum partem superiorem ab aliquo inferiori: sed à superiori recedens per culpam, iuste patitur ab inferiori pœnam, vt dicit Augustinus in lib. ciu. Dei.

Anima dolet tripliciter.

Dolet & patitur anima tripliciter. Primo enim dolet in corpore: vt cum corpus læditur, ipsa condolet & compatitur. Secundo modo dolet sola quamuis existens in corpore, quando scilicet ex aliqua causa inuisibili tristis est in corpore incolumi. Dolet etiam extra corpus, sicut dolebat ille diues apud inferos constitutus. Est itaque passio duplex, scilicet subiectionis & cõpassionis. Passio subiectionis est naturę infirmioris quẽadmodum à fortioribus patiuntur infirmiora, sicut ab igne ligna. *Passio compassionis est naturæ fortioris*: quemadmodum patitur dominus in pæna serui: & mater in pœna filij. Et hoc modo patitur anima in passione corporis, videlicet compatiendo.

Passio compassionis.

De passibilitate animæ coniunctæ, & separatæ.

CAPVT LIX.

Anima patitur in corpore dupliciter.

POrro sicut anima duobus modis patitur in corpore: vno modo per viã colligationis ad corpus, quãdo scilicet dolẽdi causa est à corporis læsione. Alio modo per viam cõprehensionis, quando scilicet cõprehendit inconueniens aliquod tristabile. Sic & separata duobus modis patitur ab igne. Vno modo scilicet per viam colligationis ad ignẽ: secundum quod dicit Aug. in præfato li. de dæmonibus: adhærebũt inquit dæmones licet incorporei corporeis ignibus cremandi modis ineffabilibus: accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Alio modo per comprehensionis viam: secundum quod ponitur similitudo formarum imaginabilium, quæ mouent fantasiam. Vnde & in Dialogo Gregorij dicitur, quod ex igne visibili ardor inuisibilis trahitur, vt per ignem corporeum mẽs incorporea cremetur. Hinc etiam in huius rei typo de Ægyptijs in lib. sapientiæ legitur: *personæ tristes illis apparentes pauorem eis præstabant, Apparebit enim illis subitaneus ignis terrore plenus*. Ex quibus colligitur quod ignis habet vim: vt ex ipso imagines in anima terribiles ac tristabiles imprimãtur, vel per ipsum in anima similitudines terribilium, quas secum traxit detinentur vel exercentur.

Obiectioni satisfit.

Si autem obijcitur, quod natura corporalis non est potens vel dominans super incorporalẽ. Respondeo quod hoc quidem verum est, si natura incorporalis custodiat ordinem naturalem. Si vero non custodiat ordinem, ordine transmutato corporea efficitur dominãs super illam: vide ergo quod anima corpori colligata perficit illud modis duobus. Vno modo vt agẽs in corpus vel per corpus. Alio modo vt recipiens à corpore ac per corpus. Primum est virtutis perfectionis scilicet agere. Secundum imperfectionis, & infirmitatis, scilicet recipere, hoc secundo modo vnitur igni: non vt ignem animando perficiens, sed vt ab igne pœnam recipiens. Si autem obijcitur: quod non est aliqua conuenientia ignis ad animam. Dicendum quod imo cõmune aliquid est ibi: prout in libro de anima & spiritu dicitur, quod scilicet affectio inordinata dilectionis corporalium informat animam ad quandam corpulentiam, ex qua scilicet est ei separatæ conuenientia quædam ad corpus afflictiuum id est ad ignem.

Obiectio alia.

De separatione animæ à corpore.

CAPVT LX.

COrpus quidem constat ex officialibus membris, officialia ex cõsimilibus, cõsimilia ex humoribus, humores ex cibis, cibi ex elementis Et nihil horum est anima, sed in istis tanquam organis agit. Ac per hoc corpori consumitur & huic vitæ in qua factus est homo in animam viuam. Quæ cum temperata & ordinata fuerint & congruum viuificationi: nunquam anima recedit. Si vero distẽperata & confusa fuerint in vita, recedit anima secũ trahens omnia, sensum. s. imaginationem, & rationẽ, intellectũ, intelligentiam, & concupiscibilitatẽ & irascibilitatẽ. Et ex his secundũ merita afficitur ad delectationem siue ad dolorem. Corpus autẽ quod prius integrum tanquã organum contemperatum & dispositum erat, vt melos musicum in se contineret, & motum resonaret, nunc confractum & inutile eregione iacet. Anima vero recurrentibus ad regiones suas elementorum partibus, non habens vbi vires suas exerceat, requiescit ab his tantum motibus quibus corpus per locum & tempus mouebat. Ipsa per tempus illocaliter mota, quoniam & si organum perit: sed non melos. *Augustinus super Genesim libro* 12. Si autem quæritur cum anima de corpore exierit: vtrum ad aliqua

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

corporalia loca feratur cito. Reſpondeo non eam localiter ferri niſi cum corpore. Porro vtrũ habeat aliquod corpus cum ex hoc corpore exierit; oſtendat qui poteſt, ego autem non puto. Ad ſpiritualia vero loca pro meritis fertur, vel pœnarum vel gaudiorum. *Auctor*, Anima quando à corpore ſeparatur localiter mouetur, dicitur tamen per locum non moueri, quia non tranſit per locum eodem modo quo corpus, ita ſcilicet vt pars commetiatur parti: cum ſpiritualis ſubſtantia partem non habeat commetientem ſe parti corporali. Dicitur etiam moueri per tempus, quia modo eſt in vno loco, & iam in alio: Motus autem eius eſt ſubitus & ſimul totus.

De ſtatu & loco animę ſeparatæ.

CAPVT LXI.

Anima incorporea ſed corpori ſimilis.

Hugo vbi ſupra. Anima dum carne exuta eſt, videt, viuit, audit, & omnes ſenſus ingenua viuaciter tenet, vt pote pura, ſubtilis, cita, & perpetua. Et ſicut Deus vbique eſt in ſemetipſo, ſic anima vbique eſt quodammodo in ſemetipſa. Ac per hoc ibi eſt anima poſt corpus, vbi erat in corpore agens. Incorporea quidem eſt anima, poteſt tamen habere ſimilitudinem corporis non corporalem, ſed corpori ſimilem: & corporalium omnino membrorum cum de corpore egreditur. Sicut enim ad ſpiritualia pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia ſimilia corporibus: qualia ſæpe demonſtrata ſunt his qui rapti ſunt, cum & ipſi in ſeipſis ſimilitudinem quidem gererent corporis ſui, per quam poſſent ad animalia ferri, & talia ſimilibus ſenſibus experiri. Animæ ſiquidem quæ corporibus viuentes per dilectionem rerum viſibilium corporalibus imaginibus afficiuntur, à corporibus exeuntes in eiſdem imaginibus tormenta patiuntur: propter hoc enim corporalibus ibi paſſionibus teneri poſſunt: quarum à corruptione corporalium affectionum hic mundatæ non fuerunt, quoniam corpulentiam de corporis dilectione traxerunt. In eiſdem ergo locis in quibus culpam commiſerunt, puniuntur. Studeat ergo anima in hac vita ſe ab huius fæderantia mundare: quatenus cum hinc exierit, inde nihil corporeum ſecum trahat: & à corporali paſſione immunis exiſtat. *Auguſtinus vbi ſupra.* Animam quidem corpoream non eſſe me planè profiteor ſcire: habere tamen ſimilitudinem corporis, & corporalium omnino membrorum poſſe quiſquis negat, poteſt negare animam eſſe: quæ videt in ſomnis vel ambulare ſe, vel ſedere, vel hac atque illac ferri greſſu: vel etiam volatu: quod ſine quadam ſimilitudine corporis non videtur poſſe fieri. Proinde ſi hanc ſimilitudinem & apud inferos gerit non corporalẽ, ſed corpori ſimilem. Ita & videtur in locis eſſe non corporalibus, ſed corporalium ſimilibus, ſiue in requie, ſiue in doloribus. Idem in enchiridio. Tempus itaque quod inter hominis mortem & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis contineri, ſicut vnaquæque digna eſt, vel requie, vel ęrumna, pro eo quod ſortita eſt in carne cum viueret.

De immortalitate animæ ſecundum aſſertiones ſanctorum.

CAPVT LXII.

Gregorius in Dialogo libro quarto. Quod autem poſt mortem carnis viuat anima: patet ratio, ſed fidei admixta. Homo namque ſicut in medio creatus eſt, vt eſſet inferior Angelo, ſuperior iumento, & etiam haberet aliquid commune cum ſummo, aliquid cum infimo, immortalitatem ſcilicet ſpiritus cum Angelo, mortalitatem vero carnis cum iumento. *Hugo vbi ſupra.* Immortalis eſt anima ne à creatoris ſimilitudine diſcrepare videatur. Non enim poterat eſſe imago Dei & ſimilitudo, ſi mortis termino clauderetur? Itaque ſecundum quendam modum vitæ, quam nullo modo amittere poteſt, immortalis eſt. Secundum vero quandam mutabilitatem qua poteſt vel deterior fieri mortalis eſt. *Petrus in itinerario libro 3.* Ecce nonnulli Deum blaſphemantes, & omnem vitam ſuam in iniuſtitia & voluptate ducentes in lectulis ſuis defuncti ſunt, & inter ſuos honorabiliter ſepulti. Alij vero Deum timentes & colentes, & cum omni iuſtitia & ſobrietate viuentes pro inſtitiæ obſeruantia in deſertis interierunt, ita vt nec ſepultura digni haberentur, vbi eſt ergo iuſtitia Dei, ſi anima immortalis non eſt, quæ ſi bene egerit & piè, præmia, ſi autem impiè, pœnas in futuro conſequetur? *Auctor.* Vtique cum certum ſit Deum eſſe iuſtum, conſequens eſt, vt animę poſt mortem viuant, ac pro meritis ſuis recipiant quod hic vtique non ſentiunt. *Caſſiod. in li. de anima.* Anima denique rationaliter etiam à philoſophis probatur eſſe immortalis, quia cum viuificet aliud in ſemetipſa vtique viuit. Et quia non eſt harmonia, neq; conſtat ex pluribus, ſed ſimplex eſt natura, quia à contrarietate originali non corrumpitur, & quia ſeipſam mouet. Nos autem veridica lectione ipſam immortalem eſſe facile approbamus, quoniã ad imaginem & ſimilitudinem factoris ſui facta legitur qui vtique viuit ſemper ac perennitatem cuſtodit.

De quibuſdam mediis ad probandum animę immortalitatem.

CAPVT LXIII.

Primum argumentum pro immortalitate animæ.

Auctor. Certè ſicut probat Auguſtinus in libro ſoliloquiorum Veritas eſt immortalis, cum ergo proportionaliter in nobilitate ſe habeat comprehenſiuum, Anima quę nata eſt & habilis ad comprehenſionem veritatis, erit & ipſa immortalis. *Præterea cuius actus eſt ſine corpore & ſubſtantia poteſt eſſe* ſine corpore. Anima vero intellectu cernit formas, quæ 2. nec corpora ſunt, nec habent formas corporibus ſimiles, vt mentem ipſam & eius affectiones. Cum igitur actus eius ſit ſine corpore, & ipſa viuere poteſt ſine corpore. Idem conijci poteſt ex ordine & 3. connexione rerum, quæ eſt aurea cathena Pythagoræ. Nam inter creaturas eſt quædam ſimplex & incorruptibilis, & intellectiua, vt Angelus. Alia his contraria habens, vt cætera. Neceſſe eſt autem extrema per medium coniungi, oportet igitur eſſe mediam ex vtroque compoſitam ſcilicet ex ſimplici & compoſito, &c. Et hoc eſt homo, in quo connexionis ordo completur, ſed quod eſt in eo corruptibile corpus eſt, ergo anima eſt incorruptibilis. *Item intellectus hominis & Angeli* non differunt niſi in modo apprehendendi. Idem enim cognoſcunt ſed differenter ſcilicet intellectus hominis niſi per ſpeciem abſtractam, quia corpori coniunctus eſt, Angelicus autem non ſic. Et eſt in ſe incorruptibilis, ergo & intellectus hominis, quia gratia coniunctionis non poteſt corrumpi ſubſtantialiter. Ergo cum ſeparatur à corpore non deſtruitur niſi modus ille, quia gratia coniunctionis non habet aliud. *Item omne quod intelligitur, aut eſt vniuerſale, aut eſt ſubſtantia individua* ſeparata à materia corruptibili. Intellectus autem intelligit ſe, & non primo modo, ergo ſecundo. Sed nota quod ad hoc intelligendum exiguntur tria. Nam intellectus agens abſtrahit ſpecies à phantaſmatibus, & abſtrahendo vnit cum paſſibili qui eſt recipiens. Formalis autem dicitur quæ recipitur. Inter has autem tres differentias ſolus intellectus formalis deſtructibilis eſt, quia acquiſitus eſt & tolli poteſt, & ſecundum diuerſa intellecta diuerſus eſt. Ideo deſtructibilis eſt, & hoc ex parte corporis habet. Ex quo anima multas recipit paſſiones, & cõtrahit obliuionẽ & huiuſmodi. At vero quia intellectus agens ſpecies à materia & materialibus diſpoſitionibus abſtrahit. Paſſibilis autem

abſtractas recipit, Intellectus ſecundum vtramque differentiam eſt ſeparabilis, ac per hoc incorruptibilis.

De eodem.

CAPVT LXIV.

6. PRæterea omne quod naturę legibus ſubijcitur habet vnam viam determinatam ad quam cogitur, & ſolum quod tale eſt, corruptibile eſt. Anima vero non
7. cogitur, ſed libera eſt. *Item in potentia intellectiua non maior eſt aſſimilatio creaturæ* ad creatorem, quam in perpetuitate eſſendi, quam tamen dedit Deus corporibus
8. cœleſtibus, ergo dedit & animæ rationali. Præterea nulla virtus materialis mouet ad non eſſe ſubiecti ſui, nec inclinat illud vt commutet eſſe pro bene eſſe. Anima vero rationalis eſt huiuſmodi, imperat enim mori pro
9 bono fine. Item omne corruptibile debilitatur ſecundum acceſſum ad ſui temporis terminum. Sed anima rationalis non debilitatur per acceſſum & ſenium, immo magis fortificatur eius operatio quantum ad vim in-
10. telligibilem, quia in antiquis eſt ſapientia. Iterum cum nobilius ſit eſſe formę, quam eſſe materiæ. Sed in eſſe materię incorruptibilis eſt materia prima igitur in eſſe formæ incorruptibilis erit forma vltima, ſcilicet anima
11. rationalis, quæ eſt perfectio digniſſima. Præterea ſicut ſe habet ὕλη ad omnes formas ſenſibiles & corruptibiles, & ita ſe habet ſubſtantia intellectiua ad formas intelligibiles & ſpirituales. Ergo ſicut ὕλη eſt incorruptibile corruptione corporali. Ita eſt ſubſtantia rationalis corruptione ſpirituali, quare & multo minus corruptione corporali, cum ad eam propter ſubtilitatem eſſentiæ ſuæ corruptio corporalis non poſſit attingere. Relinquitur ergo eam eſſe incorruptibilem & immortalem.
12. Item omne quod naturaliter mouetur, non eſt naturali poſſibilitate prohibitũ à fine ad quem mouetur, quia nullius motus naturæ naturaliter fruſtra eſt. Sed anima rationalis naturaliter mouetur per appetitum ad fœlicitatem, & beatitudinem perpetuam, nõ ergo naturaliter prohibetur ab illa, ſed ſi eſſet mortalis naturaliter prohiberetur, ergo immortalis.

Aſſertiones Platonis & Ariſtotelis de eodem.

CAPVT LXV.

M*Acrobius de ſomnio Scipionis libro ſecundo.* In Phædone Platonis, quem tranſtulit Cicero, validiſſimis argumentis anima immortalis aſſeritur, & poteſt omnis ratiocinatio in vnius ſyllogiſmi compendiũ
13. ita redigi. Anima ex ſe mouetur, quod ex ſe mouetur principium motus eſt, quod autem principium motus eſt natum non eſt. Et quòd natum non eſt, immortale eſt, anima igitur immortalis eſt. *Auct.* Ariſtoteles quoque in ſecundo libro de anima, vbi loquitur de anima vegetabili ac ſenſibili, ſecundum quod eas contingit diuidi diuiſione corporis in animalibus & plantis, ſubiungit de intellectu hoc modo. De intellectu autem ac perſpectiua potentia nihil adhuc manifeſtum eſt ſcilicet quod ita ſit in corpore ſicut vegetabilis ac ſenſibilis, ſed videtur alterum genus eſſe animæ. Et hoc ſolum contingit ſeparari, ſicut perpetuum à corruptibili. Ecce ex his verbis Ariſtotelis habetur, quod intellectiua potentia non ſit in aliquo corporis organo. Ac per hoc quod ſit virtus incorporea, & quod in corruptione corporis intellectus ſeparetur, ſicut perpetuum à corruptibili. In eodem quoque libro dicit, quòd anima non ſit à corpore ſeparabilis aut prius quidem eius ſecabilis, id eſt ſeparabilis apta nata eſt, manifeſtum eſt. Quarundam enim partium actus eſt ipſa. Ac vero ſecundum quaſdã nihil prohibet ſeparari, propter hoc ſcilic. quòd nullius corporis ſunt actus, ſic autem eſt corporis actus anima, ſicut nauta nauis. Ex his verbis cauſa duplex habetur. Cur anima rationalis à corpore ſeparetur. Anima quippe ſecundum genus ſuum eſt actus corporis, & partes quędam animę ſunt actus quarũdam partium corporis, vt vegetatiuum ac ſenſitiuum, & ideo non ſeparantur. Anima vero rationalis nullius corporis eſt actus nec partis corporis. Hæc igitur eſt vna cauſa vel ratio quod à corpore ſeparatur. Alia vero cauſa eſt, quod ipſa eſt in corpore ſicut nauta in naui ſedẽs ac mouẽs nauẽ. Nauta quippe ſeparatur à naui, licet actum regiminis nauis non habeat extra nauim. Similiter & anima ſeparatur à corpore, licet tamen non regat corpus quando ſeparata eſt. Iterum idem in primo lib. dicit quod intellectus videtur ſubſtantia quædam eſſe, & non corrumpi, maxime cum non corrumpatur ab illa quæ in ſenio eſt debilitata. Ecce hic habetur ratio probabilis, quod intellectus ſit ſubſtantia incorruptibilis. Si enim corrumperetur corruptione corporis, tunc maxime corruptione ſenij, eo quod illa ſola ſit corruptio ſecundum naturam iuxta Ariſtotelem. Vnde & amplius ait, quod antiquatur & ſeneſcit prope interitum eſt.

Aſſertiones aliorum Philoſophorum de eodem.

CAPVT LXVI.

P*Linius in li. de ſpermate.* Sicut ergo lux ſolis quæ eſt incorruptibilis, officium ſuum complens nullam patitur diuiſionem. Sic & anima quę incorruptibilis eſt, Sicut etiam lumen ſolis quod eſt corruptibile ſeparatur ab aere, & ab omnium oculorum intuitu ſine corruptione, ſic & anima ſine ſui corruptione ſeparatur à corpore. *Porphyrius.* Non eſt autem mirum, animam quæ ſubſtantia eſt incorporea poſſe ſeparari à corpore, cum ignis quoque qui eſt ſubſtantia corporea corruptibilis à lignis quibus eſt vnitus ſeparari poſſit, in ſuam naturam reuerti ſine ſui corruptione. *Ex l. de differentia ſpiritus & animæ.* Spiritus quidem ille qui corpus eſt ſubtile, quod oritur ex corde, ac fertur in venis pulſus ad corpus viuificandum, oritur ſcilicet ex cerebro, ſimiliter in neruis vt operetur ſenſum, & motũ ſeparatus à corpore perit. Opera quoque animæ quæ in organo fiunt, viſus & auditus, & huiuſmodi pereunt. Cum ipſa ſeparatur à corpore. Ipſa vero anima non perit in ſemetipſa. *Iſaac in lib. de diffinitionibus.* Cum itaque tres ordines ſint animarum ſcilicet rationalis, & beſtialis, & vegetabilis, omnibus excellentior eſt rationalis eo quòd ipſa creata eſt ex intelligentia & de illius natura. Ob hoc factus eſt homo rationalis diſciplinę perceptiuus, diſcernens inter bonum & malum, & inter illa per quę ſaluandus ſit vel damnandus. *Idem in explanatione diffinitionis philoſophiæ. Philoſophia quædam eſt aſſimilatio operibus creatoris ſecundum veritatem humanitatis.* Hominis ergo finalis cauſa ſpecialis eſt vt vnio animæ cum corpore ſit ad hoc vt homini manifeſtetur veritas rerum particularium, vt diſcernat inter bonum & malum, faciatque quod expedit viuens in ſanctitate & iuſtitia, quouſque remuneretur, & coniungatur ſplendori intelligentiæ ac pulchritudini ſapientiæ, fiatque ſpiritualis coniunctus ſplendori cauſato ex veritate creatoris ſine medio, quod eſt paradiſus eius, ac retributio & bonitas ſumma ſublimitaſq; integra, & pulchritudo eius perfecta; propter hoc dixit Plato, quòd philoſophia eſt cura mortis, & ſolicitudo.

Tres ordines animarum.

Philoſophiæ definitio.

Item aliorum ad idem.

CAPVT LXVII.

A*Verrois ſuper librum methaphyſicæ.* 11. Anima rationalis manet poſt mortem, & finis proſperitatis eius erit, ſi coniungatur primo motori. *Auicenn.* Anima quidem in corpore degens dum fortunata fuerit propter habitudinem recipiendi infuſionem ab intelligentia agente, & confidenter locata propter ſui cohærentiam inſolubilem, ſuperſedet à negocio regendi corpus, & ab his, quæ conueniunt ſenſibus. Non tamen ceſſat corpus eam retrahere, & impedire ac prohibere à perfectione cohærendi cum ea. Cum autem liberatur à corporis occupatione poſt mortem, remouetur velamen, & prohibens, duratque ſpiritualiter cohærentia, quoniam anima permanet ſpiritualiter, & intelligentia

agens

agens ſpiritualiter, & infuſio ex parte illius eſt largiſſima, *Algazel. 2. lib.* Cum ergo ſeparata fuerit anima à corpore, durabit eius cohærentia cum intelligentia agente, perficieturque eius diſpoſitio ac delectabitur in delectatione. Cuius eſſe non poteſt explicari ſermone. Porro in homine malo poſt mortem amiſſo rei deſideratæ, inſtrumento manet deſiderium eius, & amor in anima, & hoc eſt cruciatus eius ineffabilis. Quòd enim anima rationalis poſt mortem maneat ex hoc conſtat, quod non deducitur de materia, nec eſt in ſpermate potentia, ſed cauſatur à ſubſtántia ſeparata. Non ergo deſtruitur, materia, quæ corpus eſt, deſtructa, quia non deſtruitur forma deſtructione materiæ, niſi quæ per tranſmutationem educitur de ipſa. *Auctor.* Alpetagoras etiam in principio Aſtrologiæ ſuæ dicit de quodã philoſopho mortuo, quod locus eius eſt inter Sãctos. Quod vtique quia non poſſet eſſe niſi anima maneret poſt mortem, patet eum intellexiſſe animã immortalẽ eſſe. *Similiter Ptolomeus in almageſti dixit*, quod ſcientia ſtellarũ in actionibus, & honeſtatibus morum laudabiliũ ducit hominẽ ad diuini ſtudij perſeuerantiam, & cõiungit ipſum ei quod eſt animæ ſimile propter bonitatem formæ, & aſſimilat creatori ſuo, facitque cæleſtem pulchritudinem diligere, quod patet eum in ſtatu poſt mortem intelligere, quia antea dixit, quia non eſt mortuus, qui ſapientiam viuificauit.

Anima manet poſt mortem ſecundũ philoſophos Arabas.

Rationes Priſciani ad idem.

CAPVT LXVIII.

Priſcianus ad Coſdroe regem perſarum. Si habet anima operationem ſine corpore omnino ibi & eſſentiam habebit ſeparatim, proprium autem eſt animæ virtus rationalis, per quam irrationali vitæ dominatur, proprium etiam eius eſt, diligens eorum, quæ ſunt ſcientia ſcilicet diuinorum, & intelligibilium per vtramque enim philoſophi digni ſunt, & circa contemplationem, & circa actum. Philoſophari autem nihil aliud eſt, quam & vitam habere mundam, & incontaminatam naturam, & ſcientiã eorum, quæ verè ſunt non errantem. Scire autem ea, quæ ſunt, neſcientes prius ſemetipſos, impoſſibile eſt. Neceſſarium eſt autem cognoſcentes ſeipſos naturam incorporalem habere, & familiariter ad id quod cognoſcendum eſt ſe habentem. Nullum enim corporum ſeipſum cognoſcere conſueuit, nec omnino ad ſeipſum conuerti. Omnis autem cognoſcentis eſt conuerti ad cognoſcibile, & ideo ſeipſum cognoſcentis ad ſeipſum cognitiuam operationem conuerſam eſſe, neceſſariò quoque ſeparatam eſſentiam habere. Igitur anima philoſophans, & incorporalis eſt & ſeparata corporibus. Cõſequenter nec ſoluitur, nec cum corpore perit. Itẽ anima cuicũque corpori adeſt, vitam ei ſemper infert, ergo non recipit vitæ contrarium, quia ſemper eam habet ſecundum eſſe ſuum, & naturaliter. Contrarium autem vitæ mors eſt ergo anima immortalis eſt.

Addidit etiam Ptolomeus aliquid maius, ſi enim nec ipſam quam infert vitam poteſt iterum anima recipere, multo magis eius contrarium, ideſt mortem, habens enim eius cauſam comnaturalem, non ea indiget ideſt vita. Etenim nihil omnino cauſaliũ indigens eſt cauſatiui, meliores ſèmper habens virtutes his quas cauſatiuo largitur. Nam & ignis non caliditatẽ recipit quam à ſe calefactis infert, ſed hanc connaturalẽ habet, ac per hoc multo magis nec frigiditatem, quæ eſt ei contraria. Item omne quod ſua malitia non corruperit, hoc ab alterius corrumpi impoſſibile eſt. Solum enim vniuſcuiuſque corruptiuum eſt ipſius malum. Animæ autem malitia maior eſt morte corporis, vt indiſciplinatio, intemperantia, iniuſtitia, & huiuſmodi, his anima non corrumpitur, nec eius vita maceratur ergo incorruptibilis eſt. Idem anima à ſeipſa mouetur, quia vita eſt, & alijs eam tradens, per totã ſeipſam viuit. Et ſecundũ quod vita eſt mouet, ſecundũ verò, quod viuit mouetur, eſt igitur, & mouẽs, & motum viuens, & vita prius in ſeipſam operãs, & tota in totã ſeipſam intrãs, & eſt alijs cauſa motus, ſeipſã primò mouens (de ſola autem rationali dicimus) Irrationalis enim quaſi phantaſiã proprię motionis habet cũ alio, ideſt cum corpore, & non per ſeipſam mota eſt, quod autem à ſeipſo mouetur cauſale immortalitatis oſtenditur. Igitur anima rationalis eſt immortalis.

Ethnici immortalitatẽ animæ fatentur.

Exempla quorundam philoſophorum ad idem.

CAPVT LXIX.

Lactantius in li. de falſa ſapientia. Multi etiam è philoſophis, quia æternas eſſe animas ſuſpicabantur, tanquam in cælo migraturi eſſent ſibiipſis manus intulerunt, vt Chryſippus, Zeno, Empedocles, & ex Romanis Cato. *Auctor.* Plato etiam de immortalitate animæ librum compoſuit, quem cum legiſſet Cheombrotus Ambracienſis è muro ſe præcipitem dedit præ deſiderio vitæ melioris. *Tullius in li. de ſenectute.* Apud Xenophontem Cyrus maior moriens hoc dixit. Nolite arbitrari ô mihi cariſſimi filij, me cum à vobis diſceſſero nunquam aut nullum fore. Nec enim dum eram vobiſcum animum meum videbatis, ſed eum eſſe in hoc corpore ex eis rebus quas gerebam intelligebatis. Eundem igitur animum eſſe creditote, etiam ſi nullum videbitis. Nec verò clarorum virorum poſt mortem honores permanerent, ſi nil ipſorum animi efficerent, quo iuſtius memoriam ſui teneremus. Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit animos dum in corporibus eſſent mortalibus viuere, cum exceſſiſſent ex his emori. Nec verò tunc animam eſſe inſipientem, cum ex inſipienti corpore exiſſet, ſed cum omni admixtione corporis liberatus purus, & integer eſſe cæpiſſet, tunc eſſe ſapientem. Neque me vixiſſe pænitet, quoniam ita vixi, vt non fruſtra me natum exiſtimem. Et ex vita ita diſcedo tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diuerſorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum diem, cum, ad illud diuinorum animorũ concilium cætumque proficiſcar, cumque ex hac turbæ colluuione diſcedam. Proficiſcar enim ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior, cuius à me corpus eſt crematũ, quod contra decuit ab illo meum. Animus verò eius non me deſerens, ſed expectáns, in ea profecto loca diſceſſit; quo mihi ipſe eſſe cernebat remeandum.

Rationes ad idem.

CAPVT LXX.

Auctor. Et enim in lib. de morte, & vita probat philoſophus, quod non fit corruptio niſi tribus modis. Corrumpitur enim quod compoſitum eſt ex contrarijs ab actione contrariorum agentium, & patiẽtium. Et hoc per corruptionẽ tollitur in parte non in toto. Sic corrumpitur elementum, & elementatum remanente materia, & non forma. Fit etiam corruptio, contrarij à contrario, & hoc tollitur in toto ſicut ſanum ab ægro. Sic etiam corrumpitur habitus per priuationem. Tertio etiã modo fit corruptio per accidens eius quod non habet contrariũ. Ex hoc, quod eſt in corruptibili per ſe, ſicut in materia vel in ſubiecto. Anima verò rationalis vt patet primam corruptionis cauſam non habet, quia non ex contrarijs agentibus, & patientibus. Neque ſecundam, quia non habet contrarium. Sed neque tertiam, quia ſicut habetur in li. de animalibus, cum operatio principiorum fuerit corporalis, non poſſunt illa principia, eſſe ſine corpore. Econtrario igitur ſi operatio principiorum non eſt corporalis, principia erunt ſine corpore. In cauſa quippe immediata ſi affirmatio cauſa eſt affirmationis, & negatio negationis. Vt autem ſuperius dictum eſt operatio animæ intellectiuæ eſt ſine corpore, & ipſa igitur ſine corpore. Non ergo eſt in ipſo ſicut in materia vel in ſubiecto, ſed ſicut in moto, & ita non corrumpitur per accidens corporis

poris corruptione. Præterea, quod corrumpitur corruptione alicuius alteratur etiam per accidens alteratione ipſius. Anima verò rationalis non alteratur per accidens alteratione corporis dicente Ariſto. quod intellectus ſecundum ſe alteratur corporis ſenio vel debilitate. Non ergo corrumpitur etiam per accidens ipſius corruptione.

Idem argui etiam poteſt ex conſideratione potentiarum animæ. Potentiæ quippe ex obiectis cognoſcũtur, Cum igitur perpetuum ſit obiectum intellectus, & intellectus erit perpetuus. Nam ſpecies in anima per hoc, quod eſt in intellectu ſicut accidens in ſubiecto, corrumpitur quidem per obliuionem, ſed hoc modo nõ eſt obiectum intellectus. Eſt autem obiectum intellectus per hoc quod eſt ratio rei, & natura, & ſic non corrumpitur, hanc rationẽ innuit Aug. in li. ſoli loquiorum, vbi probat animam eſſe immortalem, ex hoc quod eſt ſubiectum veritatis, cum veritas ſit immortalis. Iterum vniuerſale eſt intelligibile. Eſt autem vniuerſale ſemper & vbique, aut ergo ſecundum quod eſt in re, aut ſecundum quod eſt in intellectu. Conſtat autem, quia non primo modo, quia in re eſt in materia. Materia verò diuiditur contrahendo, & ſic non poteſt eſſe vbique. Similiter etiam ſubiecta eſt tranſmutationi, & ita non poteſt ſemper eſſe. Neceſſe eſt itaque vt ſecundum quod eſt in intellectu ſeparante à materia, & loco, ſit ſemper & vbique. Per hoc autem eſt perpetuum. Ab intellectu igitur habet, quod eſt perpetuũ. Intellectus ergo perpetuus eſt alioquin perpetuitas à tranſmutabili ſecundum quòd eſt tranſmutabile cauſare tur, & oppoſitum ad eſſe iuuaret oppoſitum.

Adhuc ad idem.

CAPVT LXXI.

ITem. Intellectus de natura ſua omne quod apprehendit expoliat à tranſmutatione, ac tempore cauſiſque tranſmutationis, & temporis. Vnde dicit philoſophus, quòd intellectus eſt ſimplex; & immixtus. Nulli habet commune, per hoc ergo, quòd ſeparatus eſt à tranſmutabili, & temporali materia ipſe eſt potentia omnia. Quod non eſt verum de aliqua potentia in organo corporali ſita, vt habitum eſt ſupra. Præterea quicquid in aliquo recipitur vt in ſubiecto, recipitur ſecundum poteſtatem recipientis, & non recepti, quod probatur per inductionem omnium agentium, quorum actus à ſuis paſſiuis recipitur ſecundum poteſtatem patientium, verbi gratia. Calor ſolis aliter recipitur à ſemine plantæ, & aliter à ſemine animalis, & aliter ab elemento. In elemento enim eſt rarificans tantum. In ſemine autem plantæ diſſoluit, & pullulare facit. In ſemine vero animalis diſſoluit, & format, & ſic eſt de alijs. Igitur & intelligibile recipitur in intellectu ſecundum poteſtatem intellectus & non intelligibilis. Cum ergo omne intelligibile recipiatur ſub ratione ſimplicis ac perpetui & intranſmutabilis, igitur &c.

Tres nobiles operationes anima.

Item in lib. de cauſis habetur, quod omnis anima nobiles tres habet operationes ſcilicet diuinam, intelligibilem, & animalem. Exponit commentator, quod habet diuinã, inquantum eſt à cauſa cauſante ipſam. Intellectualẽ autem, in quantũ eſt cauſata à prima cauſa poſita ſuper inſtrumentũ intelligibile, in quo ſcilicet de lumine ſuo influit intelligibilia. Animalem vero habet in cõparatione ad corpus. Porro quãlibet ſubſtantiã ſequitur operatio ſua naturalis, & quælibet ſubſtantia ponitur, poſita ſua operatione naturali. Vnicuique autem ſubſtantiæ naturalior eſt operatio illa, quam habet in comparatione ad prius, à quo accepit eſſe ad ſubſtantiam, quam illa quam habet in comparatione ad poſterius. Cum igitur anima, vt dictum eſt, operationem diuinam intellectualem habet in comparatione ad prius, animalem vero in comparatione ad poſterius. Et cauſæ priores non poſſunt deſtrui. Anima quoque non deſtruetur in operatione diuina, & intellectuali. Huic rationi conuenit *Auicenna in 6. lib. de naturalibus*, vbi dicit, quod hoc nomen anima non eſt nomen illius rei, quam nominat ex eſſentia eius vel ex prædicamento in quo cõtinetur, ſed ex accidente quod accidit ſcilicet animare corpus, anima quippe ab animando dicitur.

Reſponſio ad obiectiones contrarias.

CAPVT LXXII.

SI autem contra prædictas rationes obijciatur, quod deſtructo perfecto, deſtruitur eius perfectio: Anima vero eſt perfectio corporis. Reſpondeo quod reuera ratio perfectionis inquantum perfectio, eſt eſſe in perfecto, nec eſt ſine vllo. Sed ſubſtantia rei perficientis bene poteſt eſſe ſine illo, ſicut in caſu propoſito. Verumtamen anima rationalis ſecundum quandam ſui partem eſt perfectio corporis intrinſeca & organo coniuncta, vt ſecundum potentiam, vegetabilem ac ſenſibilem, & ſecundum illas ſui partes deſtruitur quantum ad actus ſuos deſtructo corpore, ſicut iam ſuperius dictum eſt. Porro ſecundum aliam ſui partem eſt perfectio corporis extrinſeca ab illo id eſt non commixta corporis organo. Et hæc non deſtruitur organo deſtructo. *Ob. Sol.*

Porro ſi obijciatur, quod corruptio nihil eſt aliud quam formæ naturalis ſupra materiam corruptio, & iccirco in corruptione hominis videtur deſtrui forma eius naturalis quæ eſt anima rationalis. Reſpondeo, quod inualida eſt iſta ratio. Nam propoſitio quidem vera eſt deformis, quæ non ſunt ſubſtantiæ per ſe exiſtentes. Anima vero rationalis forma talis non eſt, vt ex ſupradictis manifeſtum eſt. *Porro ſi obijciatur iterum* quod nulla ſit operatio animæ ſine corpore, quia ſecundum Ari. Non eſt intelligere ſine phantaſmate, & phantaſma nõ eſt ſine corpore, & aliqua operationum animæ eſſet ſine corpore, nulla potius quam intelligere. Sicque videtur nec principium aliquod illarum operationum eſſe ſiue corpore, Reſpõderi poteſt, quòd intelligere quoddam eſt ex phantaſmate, quoddam nõ, ſicut oſtendetur in ſequenti opere. Siquidem, vt philoſophi dicunt, & intellectus poſt mortem erit per conuerſionem ad intellectum agentem. Et dicit *Ariſt. in ſuo li. de ſomno, & vig. quod* etiam in ſomnis quandoque fiunt intelligẽtiæ veræ præter phantaſmata. Cuius cauſa determinabitur infra, quia ſcilicet per illuminationem ſubſtantiarum ſeparatarum fiunt quędam ſomnia. *Ob. Reſp. Ob. Sol.*

Iterum ad idem.

CAPVT LXXIII.

ITerum autem obyci poteſt, quia quicquid diſponitur diuerſimode diuerſa corporis complexione illud eſt forma, nõ ens ſine corpore, nõ enim forma diuerſificatur in operationibus ſuis ex materia, niſi quia eſt ex illa, nec habet eſſe ſeparatum ab ipſa. Anima vero rationalis diuerſimode diſponitur diuerſa complexione corporis, vt enim ait. *Ariſtot. in lib. de anima* 2. Molles carne videmus bene aptos mente, & duros carne male aptos mente. Et ita videtur anima rationalis eſſe forma non ens ſine corpore. Ad hęc dicit poteſt, quod anima rationalis non alteratur permixtione corporis, niſi inquantum accipit à phantaſmate, & hoc eſt per accidens. Vnde per ſe non alteratur, & ideo non ſequitur, quod deſtruatur. *Si autem adhuc obijcitur*, quod in eccleſiaſte dicitur, *vnus eſt interitus hominis, & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio*, ac cæteræ quæ ſequuntur, & iterum, vnus & ſtulti & meus occaſus erit. Reſpondeo quod ibi loquitur Salomon concionãdo. Ideoque ſubinfert, quod hoc quoque vanitas eſt. De philoſophis quoque ſolet obijci quod dicit *Hippocrates in aphoriſmis*. Quicumque dolentes aliquid corporis plurimum dolere non ſentiunt, his mens agrotat. Nam ſi mens ęgrotat cũ corpore, videtur etiam commori. *Ariſtoteles quoque dicit in li. de morte, & vita.* Corruptis animabus corrumpitur doctrina & ſanitas quæ ſunt in animabus. *Ob. Sol. Ob. Sol. Ob.*

Verum

Verum Hippocrates ibi vocat mentem virtutem animalem in organo ſitam. Et hæc non ægrotat corpori niſi per accidens. Inquantum ſcilicet à morbo impeditur ſenſum influere, ſicut accidit in cancro, vbi ſenſum intercipit frigiditas melancholiæ, itaque efficitur locus inſenſibilis. Quod autem hæc virtus ægrotet per accidens, patet per Ariſtotelis dictum in primo li. de anima, videlicet quod ſi ſenior accipiat oculum iuuenis, videbit vtique ſicut iuuenis. Quod autem dicit Ariſtoteles in libro de morte, & vita, intelligit de anima quæ non ſeparatur à materia & organo, vt eſt vegetabilis, & ſenſibilis, vtraque etenim deſtruitur deſtructione corporis. De rationali vero probat ipſe quod non eſt ita in corpore. Et ideo ei non conuenit modus ille corruptionis.

Qualiter intelligi debeat immortalitas animæ.

CAPVT LXXIV.

Immortalitas dicitur dupliciter.

Macrobius vbi ſup. Sciendum eſt autẽ quod duobus modis immortalitas intelligitur, autideo eſt immortale quid, quia per ſe non eſt capax mortis, aut quia procuratione alterius à morte defenditur. *Auctor.* Tribus de cauſis dicitur aliquid incorruptibile, vel quia compoſitum eſt ex contrarijs, vel per applicationem contrarij, ac per dominium, & iſtæ duę cauſæ, non ſunt generales, cum omne creatum naturaliter deſibile eſt, ſed tertia ſcilicet quia de nihilo eſt. Sic etiam anima & Angelus naturaliter deſibiles ſunt.

Deus immortalis eſt ſolus per eſſentiam.

Notandum igitur quod Deus ſolus immortalitatem habet per eſſentiam, quia idem eſt eſſentia ſua quod immortalitas ſua. Anima vero rationalis habet ſecundũ Hieronymum participationẽ, quæ attẽditur ſecundum imaginis vel ſimilitudinis rationem. *Vnde in li. de anima, & ſpiritu legitur*, quòd immortalis eſt anima ne à ſimilitudine ſui creatoris diſcrepare videatur. Cum ergo dicit *Ioannes Damaſc.* de angelo, quod ipſe eſt ſecundũ gratiã, non natura ſuſcipiens immortalitatẽ, naturam appellat originem de nihilo, gratiam vero donum ſimilitudinis vel imaginis ex quo immortalitas eſt, & in anima, & in Angelo. Sciendum tamen eſt, quod anima, conſiderata ſecũdum originem ſuam ſcilicet inquantũ habet eſſe poſt non eſſe, ex natura ſua corruptibilis eſt, quia apta eſt redire ad non eſſe, niſi voluntas primi impediat. Cõſiderata vero ſecundum eſſentiam ſuam vel ſubſtantiã eſt incorruptibilis, quia eius ſubſtantia non eſt ex contrarijs, nec aliquid eius naturæ contrarium habet, à quo poſſit corrumpi. Similiter conſiderata quantum ad formam quæ eſt potentia intelligendi, quia intellectus capax eſt omnium formarum intelligibilium, quæ per ſe ſunt incorruptibiles. Similiter ſi conparetur ad finem ſuum, quia ſcilicet data eſt ei virtus ſpeculatiua & motiua per quam poteſt ſe ordinare ad ſummum bonum, ſed in hoc etiam voluntate primi incorruptibilis manet ad magnitudinem pænç, vel præmij. Et ex creatione quidem habet, vt ex actione alterius, quidem non poſſit corrumpi, niſi ex actione Dei. A relatione vero ad finem habet, quod Deus velit eam non corrumpi.

De quorundam philoſophorum errore ſuper animarum reuolutione.

CAPVT LXXV.

Cauſa erroris Pythagoræ.

Auguſtinus de ciu. Dei li. 10. Platonem vero ſcripſiſſe certiſſimum eſt, animas hominũ poſt mortem reuolui vſque ad corpora beſtiarum. Quam ſententiam. Porphyrij doctor tenuit Plotinus, eandem tenuit & Macrobius. Hæc autem animarum reuolutio, ideo credita eſt à quibuſdam Platonicis, quia ipſi credebant animam eſſe coæternam, & mũdum ipſum: & hoc ideo, quia ſciebant animam immortalem neceſſario ſemper eſſe victuram, videbaturque eis, quod ſempiternum eſſe nihil poſſet, quod ſemper antea non fuiſſet. *Helinandus lib.* 8. Et quoniam ſciebant animam in hoc mundo non poſſe ſine corpore viuere, putabant eam ante diſpoſitionem huius corporis aliud habuiſſe, & ad-

A huc poſt iſtud aliud habituram eſſe. Quia vero corpus hominis immortale poſſe fieri, nec legerant, nec audierant, animas ſemper ad mortalia corpora redituras putabant. Hunc autem errorem apud græcos, vt ait Hieronymus, Pythagoras inuenit, qui ſe primum fuiſſe Euphorbium, ſecundo Dalidem, tertio Hermociniũ, quarto Pyrrhum, ad extremum Pythagoram dixit. Vbi forte dicendum eſt reuolutionem animarum fieri de quadrupedibus in auiculas, quando apes naſcuntur ex putrefactis boum cadaueribus, iuxta illud Ouidij, *De boue mille animas vna necata dedit*, & notandum quod non dixit mille animas natas eſſe de vna, ſed de ipſo boue id eſt de bouis cadauere, cuius animam iam necatam fuiſſe teſtatur, & de necata anima viua propagari non poteſt. Anima autem pro animato poſuit methonomice contentum pro continente. *Ouidius.*

B

De erroris eiuſdem cauſa vel origine.

CAPVT LXXVI.

VNde autem tantus error accipere potuit initium niſi ex peruerſa ſuggeſtione dæmonum? Quorum omnis conatus eſt perſuadere hominibus, neminẽ ex ſuis operibus æternaliter condẽnandum, neque aliã beatitudinem ſperandam eſſe homini, quam vitæ huius fælicitatem, vt damnationis æternæ timore poſtpoſito, viuat ſicut equus, & mulus in quibus non eſt intellectus. O quanti ſunt etiam hodie qui vellent poſt mortẽ aut reuerti in nihilum ſecundum Epicurum, aut ſecundum Platonem, aut Pythagoram in iumentum conuerti. Auxit autem hunc errorem, & ſparſit in vulgus quarundam fortaſſis animarum apparitio damnatarum, quæ diuino iudicio olim ſuis aut notis aut extraneis in formis beſtialibus apparebant, vt aut earum corrigerentur exemplo territi, aut grauius damnarentur admoniti nec correcti. Sic enim apparuiſſe refert Papam Benedictum iuniorem Petrus Damianus dicens. Gimbertus † archiepiſcopus mihi narrauit, quod Benedictus iunior nepos Benedicti maioris, poſt mortem apparuit cuidam Vaſconi iuxta molendinum equo inſidenti, & iter agenti, apparuit autem in ſpecie animalis monſtruoſi. Cuius aures, & cauda aſini erant, cætera vrſi. Cumque Vaſco tremefactus fugam iniret, clamauit monſtrum illud. Noli inquit, ô vir expaueſcere: ſcito me fuiſſe hominem ſicut tu es. Sed quia beſtialiter vixi, poſt mortem præferre ſpeciem beſtiæ merui. Ad quem ille. Quiſnam fuiſti: ego ait ille, ſolo nomine Benedictus fui, qui nuper apoſtolicam ſedem indignus obtinui. Cui Vaſco: quid habes retributionis? Nunc inquit vſque ad diem iudicij per dumoſa & ſqualentia loca ſulphurea, & fætida bullientia rapior & protrahor, poſt iudicium vero corpus meum, ſimul cum anima irremediabilis cruciatus, & irreuocabilis olla gehennalis barathri me deglutiet: ita, vt mihi nulla ſpes in poſterum recuperationis reſtet, poſt hæc verba diſparuit. Fuerat autem teſte eodẽ Damiano Benedictus ille, vel potius maledictus ab ipſo pontificatus ſui primordio, vſque ad finem vitę in luxuriæ cæno conuerſatus. Et ideo incipiebat ab auribus aſini præferre ſpeciem, & in caudam deſinebat, duxerat etiam totam vitam ſuam reliquam carnalem, & iccirco per cætera vrſus erat. Potuit ergo fieri, vt animæ carnalium corporalibus exutæ frequenter antiquitus in monſtrorum ſimilium figuris apparerent: & quia præferebant quaſdam ſimilitudines beſtialium corporum, putatæ ſunt à rudibus hominibus vera geſtare corpora beſtiarum. Magi quoq; & malefici, qui ante aduentũ ſolis iuſtitiæ totum ſuis tenebris orbem nebulabant, quibus etiam illuſtres reddebãtur ſtupentibus cũctis ad inſolita, magiſquã indignantibus ad illicita, huic errori per ſua præſtigia vires non modicas præſtabant. Nam cum vel ſe, vel alios in diuerſas ſpecies transformarent, putabat eos imperitum vulgus diuina quadam virtute alternatis vicibus de humana natura in beſtialẽ ruere, & rurſus quãdo vellent de beſtiali in humanam reſurgere: ſic ille Iuppiter mago-

C

D

E

Apparitio Benedicti Papæ.

† *Alias Hũbertus.*

Iupiter magus.

Iupiter magus.

magorum celeberrimus, & totius sceleris officina, apud vulgus ignobile arcem diuinitatis obtinuit, quoniam ad perpetrandos incestus nepharios se in quaslibet formas deformauit. Ouidi. has sententias irrisit, dicens:

Ouidius.

Heu quantum scelus est in viscera viscera condi,
Alteriusque animantem animantis viuere carne.

Qualiter animæ corporibus exutæ patiuntur in inferno.

CAPVT LXXVII.

AVgustinus *super Gen. li.* 12. Animam plane sicut iam dictum est, certum est non esse corpoream, sed tamen corporis corporalium que membrorum, vt in somno patet habere similitudinem, quam videlicet similitudinem si & apud inferos gerit ibi quoque videtur esse in loco nõ corporali, sed simili corporali: quod si ita est, ideo inferi sub terra esse dicuntur, quia congruenter in spiritu per illas corporalium rerum similitudines sic demonstrantur, vt quoniam animę defunctorum inferis digna carnis amore procreauerunt, hoc eis per illas corporalium rerum similitudines exhibeatur, quod ipsi carni mortuæ solet, scilicet vt sub terra recondatur. Denique inferi eo quod infra sint latinè sic appellantur. Sicut autem secundum corpus si ponderis sui ordinem teneãt inferiora sunt omnia grauiora, ita etiã secũdum spiritum inferiora sunt omnia tristiora. Vnde etiã in græca lingua origo nominis quo inferi appellantur, ex eo quod nihil suaue habeant resonare perhibetur. Siquis autem putat animas exutas locis corporalibus contineri, cum sint sine corpore, nõ deerũt qui faueant, & diuitem illum sitiẽtem contendãt in loco corporali fuisse, ipsamque animam linguã corpoream præparasse, ac stillam de digito Lazari cupiuisse. Sed melius est dubitare de occultis quam litigare de incertis. *Gregorius in dialogo lib.* 4. Sicut autem electos beatitudo lætificat: ita credi necesse est, quod à die exitus sui reprobos ignis exurat. Nam si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur, in corpore, cur & non post mortem spiritus licet incorporeus etiam corporeo teneatur igne, dumque peccatorem diuitem damnatum veritas in ignibus perhibet, quis iam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? Cęterum si diabolus, & angeli eius cũ sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi. Quid mirum si animæ, & antequam recipiant corpora, possunt corporea sentire tormenta? *Hugo de sacram. lib.* 2. Quidam autem putant animas corporalibus pœnis cruciari non posse, nisi per corpora & in corporibus manẽtes. Quapropter à corporibus exutas nullas alias pœnas sustinere credũt, nisi eas solũ quas intus conscientia accusatrix irrogat. Sed si lædũtur, dũ cæduntur indutæ, cur non lædantur cum cædantur exutæ. Si affici possunt, quando inter ipsas, & illud à quo afficiũtur, medium est illud per quod afficiũtur, nonne probabile omnino est, multo magis eas affici debere, quando illi à quo afficiuntur immediate coniunguntur? Tamen hoc vbique quærẽdum nõ est, vt quod credere iubemur, nostra sẽper ratione discutere conemur. *Scriptura sacra magistra fidei nostræ hoc nobis dicit, quid amplius quærimus? B. Greg. dicit, quod in eo ipso ardent, quod se ardentes vident.* Poterat etiam Deus sine materialibus elementis animabus cruciandis sensum doloris dare, sed dignum est vt in eis puniantur in quibus peccauerunt. *Greg. in homilia de diuite, & lazaro.* Ex hoc autem quod ardentis in inferno diuitis, postquam de ipso spes sublata est, animus ad propinquos recurrit, patet, quia reproborum animas pœna sua quandoque ad charitatem erudit, vt iam tunc etiam suos, spiritualiter diligant, qui hic dum peccata diligerent nec amabant. Seruatur ergo diuiti ad pœnam & cognitio pauperis quem despexit, & memoria fratrum quos reliquit, vt de visa gloria despecti, & de pœna inutiliter amatorum amplius torqueatur.

Prohibetur curiosa disputatio de pœnis inferni.

De his, quæ patiuntur in purgatorio.

CAPVT LXXVIII.

HVgo *vbi supra.* Maxima, itaque tormenta locum habent in imo, maximeque gaudia in summo. Media vero bona, & mala mixta sunt in medio, id est in hoc mundo. Est autem & alia pœna post mortem, quæ purgatoria dicitur, cuius locus omnino determinatus non est, nisi, quia multis exemplis, & reuelationibus animarum in eiusmodi positarum sępe monstratum est in hoc mundo illam exerceri. Et fortassis probabilius erit, vt in his potissimum locis singulæ pœnã sustinere credantur, in quibus culpam commiserant. Itaque de perfectè quidem bonis dubiũ non est, quin egredientes statim ad gaudia transeant. Similiter, & de valde malis, quin sine mora ad inferni tormenta descẽdant. De imperfecte quoque bonis certum est, quod nunc interim quibusdam pœnis vsque ad plenam videlicet purgationẽ à venturis gaudijs differuntur. *Gregorius in dialogo, libro* 4. De quibusdam etenim leuibus culpis ante iudicium esse credendum est igne pro eo quod veritas ipsa dicit. *Si quis in spiritum secundum blasphemiam dixerit, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Hac enim sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc seculo, quasdam in futuro laxari. *Bern. Clarevallen.* Est itaque regio quædam expiationis, vbi scilicet animę corporibus exutę cruciãtur ad tempus, vel calore ignis, vel rigore frigoris, vel alicuius grauitate doloris. Ibi pius pater filios glorificandos in manu tentatoris relinquit, nõ quidem ad occisionem, sed ad purgationem. Ad illos nobis transeundum est per cõpassionem, quibus iuncti fuimus per humanitatem. Surgam igitur illis in adiutorium, interpellabo pro eis ieiunijs, & orationibus, & sacrificio singulari. Huiusmodi enim officijs, potest earum pœnitentia resecari, & pœna finiri. *Augustinus, in Enchiridio* Neque enim negandum est animas defunctorum pietate viuentium releuari, cum pro illis, vel in ecclesia eleemosynæ fiũt, vel sacrificium offertur mediatoris. Sed hæc illis tantummodo prosunt, qui cum hic viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus nec tam bonus, vt requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est autem in bono talis, vt ista non requirat, & est rursus in malo talis, vt nec his cum hæc vita trãsierit adiuuari valeat. Quocirca meritum omne comparatur in vita præsẽti, quo post illam possit quispiam grauari, vel releuari. Cum ergo sacrificia altaris, vel eleemosinarum quarumcunque pro valde bonis offeruntur, sunt gratiarum actiones, pro non valde malis propiciationes. Si autem pro valde malis, etiam si nulla sint adiumenta mortuorum, sunt tamen qualescunque consolationes viuorum, quibus vero prosunt, vel ad hoc prosuut, vt sit plena remissio, vel certe, vt tolerabilior sit ipsa damnatio.

De his, qui iam requiescunt in Paradiso.

CAPVT LXXIX.

AVgustinus *ad Ianuarium, li.* 2. Quod autem nunc fide ac spe gerimus, & vt ad id perueniamus, dilectione satagimus, est animarum requies quædam ab omni labore molestiarum omnium sancta, atque perpetua. In eam nobis ex hac vita fit transitus, quam dominus noster Iesus Christus sua passione præmõstrare, ac consecrare dignatus est. Inest autem in illa requie non desidiosa segnicia. Sed quædam ineffabilis tranquilitas agnitionis ociosæ. Sic enim ab huius vitæ operibus in fine requiescatur, vt in alterius vitæ actione gaudeatur, sed quia talis actio in Dei laude agitur, sine labore membrorum, sine angore curarum, non sic ad eam fit transitus per quietem, vt ipsi quieti succedat, id est non sic esse incipit actio, vt esse desinat quies. Neque enim redditur ad labores, & curas, sed permanetur in actione quod ad quietem pertinet, nec in o-

pere laborare, nec in cogitatione fluctuare. Quia ergo per quietem ad primam vitam reditur, vnde anima lapsa est in peccatum: præterea sabbato requies significatur. Illa verò prima vita, quæ à materia sabbati quem diem dominicum figurari dicimus. Quære 6. dies, Genesim legens inuenies septimum sine vespera, quia requiem, sine fine significat, denique de solo sabbato dicto dictum est, & sanctificauit diem septimum. Amant enim requiem, siue piæ animæ, siue iniquæ, sed qua perueniant ad id quod amant plurimæ nesciunt, nec aliquid appetunt etiam ipsa corpora põderibus suis, nisi quod animæ amoribus suis. Nam sicut corpus tam diu nititur pondere, siue deorsum versus, siue sursum, donec ad locum quo nititur veniens conquiescit, sic & anima affectione, & multa quidem corpus delectant, scilicet non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna: & præterea magis sordidant animam, & aggrauant potius, vt syncerum eius pondus quo in superna nititur impediant. Cum verò anima se ipsa delectatur, adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum superior sit Deus. Cum autem in Deo delectatur ibi veram, certam, & æternam inuenit requiem, quam in alijs quærebat nec inuenebat. Quia ergo charitas, id est amor Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ideo sanctificatio sexto die commemorata est, vbi requies commendatur, vt omnia, quæ bene operamur non habeant intentionem, nisi in futurum requiem sempiternam. Ideo dicitur, spe gaudentes, vt videlicet futuram requiem cogitantes in laboribus hilariter operemur. *Idem super Genesim libro* 12. Inest autem, vt supra dictum est, animæ deposita carne quidam naturalis appetitus administrandi corpus, quo retardatur quodammodo, ne tota intentione in summum illud cœlum pergat donec appetitus illic conquiescat.

Septimus dies sine vespera quid denotet.

Qualiter animabus exutis, ea quæ fiunt apud nos innotescunt.

CAPVT LXXX.

Petrus Lombardus. Vt autem dicit Augustinus super Psal. 108. licet animabus defunctorum cura sit de charis, sicut de illo diuite legitur, qui dum apud inferos pateretur, habuit curam de quinque fratribus suis viuis, non tamen ideo consequens est illos scire, quæ circa charos suos hic aguntur, vel læta, vel tristia. Veruntamen incredibile non est sanctorum animas, quæ in abscondito faciei Dei veri luminis illustratione lætantur, in eius cõtemplatione intelligere illa, quæ foris aguntur quantum prodest, vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium. Si enim de illis angeli à Deo per eius verbum petitiones nostras discunt, & quid de illis implendum est, vel non, cur non credamus, & animas sanctorum Dei faciem cõtemplantium in eius veritate intelligere preces hominum, & quæ implendæ sint, vel non. Adeo quippe adiuncti sunt veritati supernæ, vt nihil præter eius voluntatem queant velle: intercedunt igitur ad Deum pro nobis, & merito, dum earum nobis suffragantur merita, & affectu dum implere cupiunt vota nostra. Quæ tamen non faciunt, nisi cum illa in Dei voluntate implenda didicerint.

Hugo vbi supra. Certum est itaque sanctorum animas in secreto diuinę contemplationis constitutas eorum, quæ foris aguntur tantum scire, quantum vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium constat prodesse. Quid amplius vis? Times ne forte non orent, qui semper orant: Quomodo non orabunt pro te, quando tu oras eos, qui, & quando tu non oras, orare tamen non cessant? sed non audiunt iniquis, & ego in ventum verba effundo. Quid est audire, nisi scire vnum lumen, in quo & audiunt ad percipiendum, & vident ad cognoscendum? in quo si quid forte foris agitur, quod modo interim non audiunt, aut vident, mysterium est dispensationis, non detrimentum fœlicitatis. *Gloßa super Cantica Canticorum.* Ergo, inquit, quæ habitas in hortis, amici auscultãt te, fac me audire vocem tuam, in hortis habitare, hoc est in viriditate spei ac bonorum operum permanere. Talibus igitur dicitur à Domino, amici, id est, angeli, quos tibi adiutores dedi, ac spiritus iustorum, qui iam cum Deo sunt, & pro fratribus orant, auscultant te, quasi internuncij inter me & te: ideo fac me audire vocem tuam, scilicet in oratione, dum non potes mihi iungi per præsentiam, ita age vitam, vt quicquid vel voce, vel opere oraueris dignum sit à me exaudiri.

Sancti audiunt nos.

De quibusdam animabus, quę post mortem viuentibus apparuerunt.

CAPVT LXXXI.

Augustinus in libro de cura pro mortuis gerenda. Cum autem defunctorum animæ viuis aliquando videntur apparere, credibile est hoc fieri eis nescientibus mortuis, & istas esse operationes angelicas per dispensationem prouidentiæ Dei bene vtentis, & bonis, & malis secundum altitudinem iudiciorum suorum inscrutabilem, siue hic instruantur mentes mortalium, siue fallantur, siue consolentur, siue terreantur, prout vnicuique vel præbenda est misericordia, vel irroganda vindicta, si rebus viuentium interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos quando eas videmus, alloquerentur in somnis, vt de alijs taceam, meipsum pia mater mea nulla nocte desereret, quæ terra marique secuta est, vt mecum viueret. Absit enim vt facta sit vita fœliciore crudelis adeo, vt quando cor meum aliquid angit, ne tristem filium consoletur, quem vnicè dilexit, quem nunquam mœstum videre voluit. Denique si mortui sciunt ea, quę in humanæ vitæ calamitate contingunt, quid est quod pijssimo regi Iudæ flenti in cõspectu Domini pro magno beneficio promisit Deus, quod esset ante moriturus, ne videret mala, quæ illi populo & loco ventura minabatur.

Pietas S. Monica.

Sed diceret aliquis. Si nulla est mortuis de viuis cura, quomodo diues ille apud inferos vocabat Abraham, vt mitteret Lazarum ad fratres suos, qui ageret cum eis, ne & ipsi venirent in locum tormentorum? Sed nunquid, quia hoc dixit, ideo quid agerẽt tunc fratres vel quid paterentur sciuit? Ita fuit illi cura de viuis, quamuis quid agerent omnino nesciret, sicut nobis cura est de mortuis, quamuis quid agant omnino vtique nesciamus. *Sed rursus occurrit,* quomodo Abraham quid hic ageretur nesciebat, vbi Moysen & Prophetas, id est, libros eorum, quibus homines obediendo tormẽta deuitarent esse sciebat, vbi denique diuitem illum nouerat in deliciis, pauperem verò vixisse in miserijs, quia dixit, fili recordare, &c. Verum hæc non cum agerentur in viuis, sed eis mortuis potuerit, Lazaro indicante cognoscere, ne falsum sit, quod ait Propheta: Abraham nescivit nos: proinde fatendum est, nescire quidem mortuos, quid hic agatur, dum hic agitur, postea vero audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quę sinuntur indicare, qui sinuntur etiã ista meminisse, quæ illos quibus hæc indicant oportet audire. Possunt etiam spiritus mortuorum, aliqua quæ hic aguntur spiritu Dei reuelante cognoscere presentia, vel præterita, vel futura, sicut hic Prophetę, nec ipsi omnia, sed quę illis esse reuelanda prouidentia Dei iudicat. Mitti quoque ad viuos aliquos ex mortuis, sicut econtrario Paulus ex viuis in Paradisum raptus est. Nam & Samuel Propheta defunctus viuo regi Sauli etiam futura prædixit. Vnde & liber Iesu filij Sirach continet in laude Patrum, quod mortuus Samuel prophetauit. Et Moyses qui in Deuteronomio legitur mortuus, in Euangelio cum Helia qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus.

Obiect.

Resp.

Alia obiectio & solutio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER VIGESIMVSQVARTVS.

Vtrum anima sit suę vires, atque potentiæ?

CAPVT I.

Vtor. Dicto de anima secundum esse suum absolutum, & secundum esse comparatum ad corpus, restat dicēdum de viribus eius, scilicet ab inferioribus secūdum quas vnitur corpori, vel administrat corpus incipiēdo, de hinc ad superiora pregrediendo. De his tamen in generali præmittenda sunt duo, scilicet vtrum anima sit suæ vires, vel potentię. Deinde vero, vnde sit distinctio virium animæ. De primo dicunt aliqui, quod anima dupliciter potest considerari. Vno modo, vt est quædam substantia. Alio modo, vt est substantia naturalibus habitibus disposita, secūdum primum modum est anima suæ potentię, secundum alium vero minimè. Habitus quippe naturales super essentiam addētes distinguunt illam à potentijs. Alij vero dicunt, quod idem est omnino anima, quod suæ potentiæ. Sed differt tantummodo ratione, quod habetur in libro de anima & spiritu. Anima cum tota meminit, tota est memoria, cum tota vult, tota est voluntas, &c. Dicunt ergo quod est potentia, quæ est accidens in re cuius est potentia. Et est potentia quæ cōsequitur essentiam, sicut eius proprietas. Et est potētia quę est ipsa essentia adijciens quandam relationem ad actum, v.g. Potentia recipiendi similitudines colorum est accidens pupillæ, deficit enim in ea per senium. Potentia calefaciendi in igne est sequens essentiam ignis, & ab hoc inseparabilis. Porro naturalis potentia recipiendi formam est in materia, vt ipsa materiæ substantia, vel essentia. Quanto magis ergo potentiæ ipsius animæ sunt ipsa anima? Sed adijciunt relationem ad actus differentes penes quam, scilicet relationem non est differentia potentiarum secundum rationem. Alij porro dicunt quod in nullo alio à primo est idem rei essentia, quod sua potentia. Et ita ponunt, quod nec in anima est idem essentia, quod sua potentia, dicunt tamen quod idem est in substantia. Sicut enim non est idem esse, & operari, ita nec essentia animæ est potentia. Essentia quippe animæ est per quam anima est absolutè, essentia vero potentiæ est id per quod anima est ad aliud efficiendum, vel recipiendum. Dicunt tamen quod idem sunt in substantia, eo quod sine suis potentijs, nec subsistat, nec etiam intelligatur anima, nec ipsæ potentię sine anima. Identitas igitur, quæ ponitur in libro de anima & spiritu, referenda est ad substantiam, diuersitas ad essentiam.

Potentia accipitur variè

Vnde sit distinctio virium animæ.

CAPVT II.

DIstinguuntur autem à seipsis animæ vires non per actiones, sicut causa, vel per organa, vel per obiecta. Cognitio tamen distinctionis virium, est aliquando secundum differentiam actionum, vnde dicit Philosophus, quod actus præuij sunt potentijs, & obiecta actibus secundum rationem cognoscendi. Quędam autem vires differunt in organo, & actu, & obiecto. Accidit virtutibus, siue potentijs, quod differunt in organo. Actionum vero differentium in fortitudine ac debilitate, velocitate, & tarditate principaliter est vna vis, sed vni vi accidit, vt actionem suam faciat fortiorem, vel debiliorem aliquando secundum quod fuerit actio, aliquando vero secundum idoneitatem, vel defectum instrumenti, & aliquando secundum prohibentiam extrinsecus, quę vel addunt, vel diminuunt ad operationem virtutis. Actionum etiam differentium secundum priuationem, & habitum principium est vna vis, quia priuatio, & habitus nata sunt circa idem fieri. Actionum quoque differentium secundum comparationem sui ad contraria principium est vna vis ratione consimilis, quia contraria similiter nata sunt circa idem fieri. Sed actionum in genere differentium duplex est differentia, quædam enim differunt in genere vltimo, siue proximo, quod diuiditur in species specialissimas, & secundum hunc modum differunt actiones in genere videre, & gustare. Quædam autem in genere remoto, & hoc modo differunt in genere sentire, & intell gere.

Duplex differentia actionum.

Itaque differentia actionum in genere propinquo differentiam ostendit virium in specie, sicut videre, & audire circa vires sensibiles, visiuam, & auditiuam; intelligere ac velle circa vires intelligibiles, cognitiuam, & affectiuam. Differentia vero actionum in genere remoto differentiam ostendit virium in genere, sicut apprehendere

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

prehendere & mouere differentiam virium apprehenſiuæ ac motiuę ſentire,& ratiocinari differentiam ſenſitiuæ, & rationalis,quæ ſunt genera ad alias. Sic ergo manifeſtum eſt,ſecundum quam differentiam actionũ ſit differentia virium, & ſimiliter intelligendum eſt de differentia obiectorum. Differentia namque virium cognoſcitur per differentiam actionum per obiecta, vel ex obiectis ſecũdum diſtinctionem, quę poſita eſt.

Prima potentia Dei. Nota ergo quod eſt potentia operans ſine organo, & ſine obiecto,& hęc eſt prima potentia Dei. Non enim cognoſcit res per ipſas res,vel ſimilitudines in rebus,ſed cognoſcendo ſeipſum. Eodem modo potentia operandi ipſius eſt ſine organo, nec requirit materiam,quaſi ſubiectum. Et eſt potentia operans habens organum, & obiectum, ſicut potentia animæ operans per corpus, vt potentia viſiua organum pupillam, & obiectum colorẽ,vt videat. Et eſt potentia operans ſine organo, non tamen ſine ſubiecto, vt potentia intellectiua. Differentia igitur obiectorum ſecundum illum modum qui dictus eſt,ſemper comitatur differentiam virium. Sic ergo manifeſtum eſt, vnde ſit diſtinctio virium in anima. Eſt enim diſtinctio ex ſeipſis, ſed cognitio diſtinctionis eſt ex actionibus, & obiectis.

De viribus animæ,quibus commiſcetur corpori.

CAPVT III.

Hugo in lib. de anima & ſpiritu. Habet autem anima vires quoad ſe, & habet vires quibus corpori admiſcetur, virtũ autem quibus commiſcetur corpori, prima eſt naturalis, ſecunda vitalis, tertia vero animalis. Deus trinus,& vnus, verus ac perfectus omnia tenet, omnia implet,omnia ſuſtinet,omnia ſuperexcedit, ac circumplectitur. Sic anima tribus his viribus per totũm corpus diffunditur, non locali diſtenſione, ſed vitali intentione. Naturalis virtus operatur in hepate ſanguinem,& alios humores, quos per venas ad omnia corporis membra tranſmittit,vt inde augeantur,& nutriantur.

Naturalis vis eſt quadruplex. Vis iſta quadrifariam diuiditur, in appetitiuam, retentiuam, expulſiuam, & diſtributiuam. Appetitiua, quæ neceſſaria ſunt corpori appetit. Retentiua vero ſumpta detinet, donec ex illis decoctio vel digeſtio fiat. Expulſiua vero,nociua & ſuperflua expellit. Diſtributiua bonos ciborum humores omnibus membris diſtribuit,prout cuique expedit. Iſtas vires habent omnia animalia.

Vis vitalis. Vis vitalis eſt in corde, quæ obtemperandum feruorem cordis aerem hauriendo, atque reddendo, vitam & ſalutem toti corpori tribuit. Aere namque puro ſanguinem purificatum per totum corpus impellit per venas pulſatiles,quæ arteriæ vocantur, & quarum motu temperantiam atque diſtemperantiam cordis phyſici cognoſcunt.

Vis animalis. Vis animalis eſt in cerebro, & inde vigere facit quinque corporis ſenſus. Iubet etiam voces edere, membra mouere. Tres namque ſunt ventriculi cerebri,vnus anterior,à quo eſt omnis ſenſus, & alter poſterior,à quo eſt omnis motus, tertius inter vtrumque eſt medius.i. rationalis. Iſtę vires tam corporis,quàm animę dici poſſunt,quia ab anima in corpore fiunt.

De virtute naturali, & eius ſpeciebus.

CAPVT IV.

Hali in libro regalis diſpoſitionis. Virtus naturalis incipit ab hepate,tenditque non pulſantes in omnia corporis membra venas,dans illis virtutem hanc: huius triplex eſt differentia,ſcilicet virtus generans,& nutriens,& paſcens. Generans dicitur illa,quæ fætum ex ſpermate,& in menſtruo ſanguine generat; huius actio eſt à momento, quo ſperma cadit in matricem, vſque ad generationis fœtus complementum. *Vis generatiua.* *Vis nutritiua.* Nutriens eſt illa, quę facit creſcere membrum; huius actio eſt à principio generationis fœtus, vſque ad perfectionem iuuentutis,& tunc deficit. Porro natura paſcentis virtutis eſt membris afferre ſubſtantiam eorũ ſubſtantiæ ſimilem, reſtaurans,quæ illis diſſoluuntur. Huius actio eſt à principio generationis,vſque ad mortem ipſius animalis. *Virtutis generanti* ſeruiunt duæ,ſcil. immutans,& informans. Immutans eſt illa, quæ ſpermatis ſubſtantiam,& mẽſtruorum ſanguinem,in quęque membra fœtus immutat. Huius actio per quatuor eſt,fiuntque variarum membra ſubſtantiarum. Nam ſi per calorem,& humiditatem operatur, caro procedit. Si per calorem, & ſiccitatem caro cordis. Si autem in frigido & humido,cerebrum producit. Si in frigido & ſicco,oſſa videbis oriri. Erit autem eius actio ſecũdum qualitatum augmẽtum,& diminutionem in omnibus reliquis membris, ſequunturque deinceps membra, quæ operatur virtus, complexioneſque ipſas ſequũtur qualitates quatuor,ex habitudinibus viſis,tactis, odoratis,& deguſtatis. Sunt autem qualitates viſæ, vt color rubeus calorem ſequens,albus frigidum comitans, qualitates vero tactus, vt durũ, & molle,quę humidũ ſequuntur,& frigidũ,leuitas calorem, grauitas humiditatem,ſubtilitas calorem craſſicies frigiditatem. Guſtus autẽ & ſapor dulcis calorẽ ſequitur, acerbus frigiditatem,olfactus autẽ,vt odores iucundi,& fœtidi. His autem virtus immutans vtitur ſecundum quantitatem vnicuique membro neceſſariam. Differunt autem virtus immutans prima,& ſecunda; prima namque ſuas operatur actiones in tempore generationis fœtus,trãſferens,ſc. menſtruorum ſanguinẽ,& ſperma à tenuitate ad craſſiciem, eorumque ſubſtantiã alterans in mẽbrorum ſingulorum ſubſtantiam, & eſt eius actio per quatuor qualitates. Secunda vero ſubſtantiam ſanguinis immutat in ſubſtantiã membri, quod iam generatũ eſt,& completũ, aſſimilatque in eis, & inhærere facit. *Virtus informans.* *Virtus autem informans eſt*, quæ membrum vnumquodque format,& figurat prout cuique neceſſe eſt, & cauat ea,quibus neceſſaria ſunt foramina,aſperat ea quibus neceſſe eſt aſperitas. Lenienda quoque lenit, & vnienda coniugit. Hę duæ virtutes, prima, ſcilicet immutans, & informans non ceſſant operari donec forma fœtus,& imago compleatur: perficitur autem fœtus ſi maſculus eſt 30. diebus, aut 35. ſi fœmina in 40. Virtus nutriens generanti ſeruit in augmentando mẽbra fœtus extendens ea,ſcil. in longum, & in latum,& altum,huius actio eſt à principio generationis vſque ad finem iuuentutis,quę eſt annorum 35. tunc enim ab actione ſua deficit: virtus paſcens nutrienti ſeruit, cibum ſętus immutans eique inhærere faciens,& aſſimilans. Quę niſi nutrientis actionem adiuuaret, fieret eius extenſio qua membra diſtendit, ſicut veſica quæ inflatur,& tumeſcit,eiuſque profundum eſt vacuum.

Inſeruientes virtuti generatiuæ

De quatuor virtutibus virtuti paſcitiuæ ſubſeruientibus.

CAPVT V.

VIrtuti vero paſcenti quatuor virtutes ſeruiunt, quæ ſingulis membris inſunt,& per quas eorum eſt eſſentia atque permãſio,ſcilicet attrahens,retinens, & ſecunda immutans, & expellens. *Attrahens* eſt illa, quędę de cibis ad vnũquodque membrũ attrahit id quod competit,& conuenit,ſicut ad carnem temperatæ cõplexionis trahitur ſanguis,ad oſſa vero, quod ad frigidum, & ſiccum declinat, ad cerebrum vero, quod ad frigidum,& humidum. Eodẽ quoque modo,ſuperfluitates cõtrahunt vaſa,quæ illis parata ſunt, vt fel à ſanguine ſuperfluitatẽ cholericã,ſplen vero nigram,renes aquoſitatem. Operatur hęc autem virtus actionẽ ſuam per calorem,& ſiccitatẽ, cum caloris ſit attrahere,ſiccitatis vero magis,quã humiditatis intrahendo durare. *Attrahens.*

Fit autem attractio tripliciter. Primo modo ex neceſſitate euacuationis, & conſecutionis eorum, quæ vacuantur. Sicut cum homo fiſtula ſugit aquam in vna extremitate impoſitam, aqua namque fiſtulam ingreditur cauſa euacuationis eius ab aere. Secundo modo per calorem, ſicut ignis attrahit oleum in lucerna poſitum. Tertio modo per potentiam naturalem, ſic- *Attractio fit tripliciter*

ut ma-

ut magnes ferrum. Et hoc tertio modo attrahunt materias sibi competentes.

Vis retinens *Virtus retinens est*, quæ in ipso membro retinet, quod ei conuenit, donec digeratur, & immutetur sicut cibum retinet stomachus, sperma quoque matrix, huius actio magis fit per frigidum, & siccum. Virtus immutans est, quæ illud membro conueniens immutat, & in substantiam membri conuertit, eique assimilat, & conglutinat? huius actio fit per calorem, cum eius natura sit immutare, & maturare.

Vis expellens *Virtus expellens est*, quæ superfluitates eorum, quæ virtus attrahens attrahit, à membro expellit, cum ei non conueniant, huius actio magis fit per calorem, & siccum. Horum quatuor virtutum vna pascẽtis actioni propria est scilicet immutans, secunda, quæ vocatur digerens, quæ cibum assimilat cibato, sicut quæ sanguinis immutat substantiam in carnis naturam. Tres aliæ autem scilicet attrahens, retinens, & expellens tãquam seruientes sunt digerenti. Natura etenim attrahentem in membro parauit, vt cibum ei configuratum, & conuenientem ad ipsum pertraheret. Quem virtus immutans transformat eique vnit. Quemadmodum in plantis fieri conspicimus, quæ cum in vna terra eademque rigentur, aqua, vnaquęq; tamen quod sibi competit, & configuratum est, & ex terra, & ex aqua contrahit, immutansque virtus, quæ in eis est assimilat earum essentiæ, quod attractum est. Vnde videmus agricolas in terris salsis sępius blitum seminare cum eas ad dulcorem volũt reducere, quia natura bliti salsa est, & terræ salsuginem ad se trahit naturę suę competentem, fitque terra iucundior, quoniam eius euanescit salsugo, sic, & portulaca substantiam acerbam, & omnes aliæ plantæ naturæ suæ, configuratum attrahunt ex terra. Eadem quoque ratio est in omnibus corporis membris, sicut dictum est. Porro secundum proximitatem naturæ membri, & materiæ, quę ad illud venit, opus habet natura spacio temporis in eius mutatione complenda: sicut caro, quia naturæ sanguinis proxima est, paruo indiget tempore ad illius in se mutationem celebrandam. Ossium natura, quoniam à natura sanguinis est longe remota, necesse habet natura longius habere spacium in eis ex sanguine generandis. Ob hoc ergo virtutem retinẽtem in vnoquoque membro fecit, qua teneat id, quod ei configuratum est, eo temporis spacio, quod illius oportunum est immutationi, vt membro simile fiat, ne fortè fluxiuum non stet in membro: præterea, quia reliquię quædam materiæ, quæ ad membra deuenit supersunt non eis consimiles, necessaria quoque fuit virtus expellens, quæ superfluitates illas à corpore depelleret atque mundaret.

De actione virtutis digestiuæ.

CAPVT VI.

ACtio igitur huius cibi propriè sit per virtutem secundam immutantem, quæ, & digerens dicitur. Quæ scilicet actio est augmentum, & coniunctio, & assimilatio. Membrum enim, quod pascitur, cum per venas ad ipsum peruenerit sanguis: necesse habet illum omnibus suis partibus immorari, donec omnes augeantur, & vt id quod ad ipsum venit membrum ei commoretur, ac cõglutinetur, & assimiletur. Signum quidem augmentationis est corpus phthisicorum, quod in nullo penitus augetur. Conglutinationis autem corpus hydropicorum, qui hiposarca laborant. Et si enim augetur, augmentum tamen hoc eis non conglutinatur, quia sunt eorum corpora tenuia, & aquosa, in quibus calor naturalis nihil operatur, quo immixta illis materia conglutinetur. Ideoque fluxiua est, à & membris decurrit. Assimilationis vero signum est lepra: corpus enim leprosi cibo quidem augetur, qui & ei conglutinatur. Sed non assimilatur propter debilitatem virtutis immutantis secundæ, vel quia cutis ad quam humor phlegmaticus peruenit, immutansq; virtus à conuertendo illum in sanguinem deficit. Propter hæc igitur, quæ dicta sunt, Hippocrates nomẽ cibi tribus sententijs declinat. Ait enim esse cibum, qui augmentat, & conglutinatur, & assimilatur; & cibum, qui augmentat, & conglutinatur, sed non assimilatur; & eum quoque qui nondum est cibus: sicut est ciborum, & sanguinis succositas. Nam ad omne mẽbrum peruenit cibus duobus temporibus. Stomachus enim tempore quo cibos digerit, quod naturæ suæ proximũ est: ex eis sumit, vt in essentiam suam alterans illo pascatur. hinc etiam sanguis ab hepate mittitur per venas, quæ ab hepate ad exteriorem eius tunicã veniunt, & ille quoque pascitur. Eodem modo tempore transitus cibi, quod in eo subtilius est, vaporisq; naturæ propinquius, os & nerui sumunt, eoque nutriuntur. Sed & sanguis ad ea venit ex hepate per venas, quæ ab ipso à radicibus germinãtur, eoque nutriũtur. Intestinorum autem substantialia ex cibo, qui ad ipsa à stomacho, & per ea ad hepar mittitur, sumunt quod eis necessarium est, ipsiusque sanguis ab hepare mittitur per venas, quæ porta finduntur quo pascuntur, & eorum substãtia augetur. Semiliter, & intestina crassa ex purgamento ciborum, quod eis competit sumunt, & pascuntur, eisque sanguis continuatur per venas, quę ipsis ab exterioribus eorum iunguntur. Ad hepar autẽ à stomacho cibus mittitur tempore quo in stomacho cibus digeritur, quia trahit eũ hepar per venas quibus stomachus & ipse continuantur, fitque illi alius: postquam in stomacho cibus decoctus ab ipso intestina descendit, ad omnia vero reliqua membra cibus ab hepate mittitur per venas, quæ ab ipso ad illa diffunduntur tẽpore quo cibi succositas ad hepar intestinis mittitur, antequam digeratur, & sãguis fiat, subiungiturque illis alius cibus per easdem venas, postquam digestio facta est, & in sanguinem conuersus. Horum igitur omnium membrorum singulum trahit ad se cibũ: aut à mẽbro debiliori, aut ab hepate cor & ab intestinis hepar, & à venis non pulsantibus stomachus. Aut à fortiori se, sed in quo plurima est materia. qua tota nõ indiget, vt stomachus ab hepate trahit: cum ipse sit vacuus, & hepar multum habeat sanguinẽ, vt eo pascatur. Expellit etiam membrũ superfluam materiã, quæ in eo est, ad id, quod in eo debilius est, vt stomachus ad intestina aut in propinquiora membra, vt si materia collecta sit in stomachi superioribus, eã ad os vomitu expellit. Si autem ab inferioribus ad intestina, per solutionem demittit. Per hanc itaque virtutem naturalem, id est digestiuam cibi regimen est, & materiarum, quę sunt in corpore.

Tres sententiæ de cibo

De actionibus attractiuæ, & retentiuæ, virtutum in stomacho.

CAPVT VII.

QValiter autem cuiusque naturaliũ virtutũ actio sit in corporis membris, duobus Galeni proponimus exemplis, in stomacho scil. & matrice, eo quod in his amplius sensui naturales pateant actiones. Attractionis actionem transglutiendi tẽpore patet esse in stomacho. Primò quidem ex motu meri, & stomachi, quoniã quando magna est cibi necessitas, vterque cibum ab ore trahit, curtaturque meri, & stomachus ad superiora ascendit nimio cibi attrahẽdi desiderio. Vnde plura videmus animalia quibus & meri breue est tempore quo cibum sumunt, & stomachus eorum intantum ascendit, vt ori copuletur. Quod fit cũ & os latum est, & ipsa animalia gulosa. Denique videmus meri cum ei dulcis ac delectabilis cibus porrigitur ipsumque stomachum eum citissimè trahere: intantum vt hepar quoque velocius illũ à stomacho trahat propter delectationẽ, & naturæ suæ propinquitatẽ: vnde & si quis alium cibũ vosit dulcem comederit, & deinceps vomat, inuenit, quod vomitus expellit vltimo dulce, quoniam illud in fundo sui stomachus traxerat. Si autẽ abominabile porrigitur, & meri & stomachus illud expellunt, nec transglutiendi, nisi in quadam difficultate

Stomachus & matrix patefaciunt magis vim naturalem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nota experientiam

ſicultate aditum parant. Præterea homo etiam capite demiſſo, & pedibus ad ſuperiora reuolutis optime cibum tranſglutit, & ad ſtomachum, qui ſuperior eſt prouehit: Ex his patet, quod in ſtomacho virtus naturalis ſit, quæ quod illi configuratum eſt, & cõueniens ad ipſum trahit. Retinens quoque virtus, & in ſtomacho, & inteſtinis apparet, quia cum cibus ad ipſũ peruenit: ſtomachus ſuper eum vndique ſtringitur, eiuſque inferiora clauduntur, locus: ſcilicet qui ianitor dicitur, tanta quidem arctatione, vt nihil omnino etiam humidi poſſit effluere, ſicut apparet quando ipſa hora, qua alicui animalium datus eſt cibus, eius interiora inquiruntur. Inuenitur nãque ſtomachus ſuper cibum complicatus, & ianitor conſtrictus, & quaſi obligatus. Sic quoque ſi idem fiat, poſtquam in inteſtina cibus ex ſtomacho deſcendit, reducta inuenientur inteſtina: ſuper ea, quę in ipſis ſunt in ciborum purgamenta eiſque inhærentia.

De actione digeſtiuæ virtutis in eodem.

CAPVT VIII.

DIgerentis actio virtutis eſt cum principijs retinentis: ſtomachus namque cibum per meci ad ſe tractum ſtatim retinens incipit mutationem. Cuius actio duabus cauſis fit, vna eſt, vt ei cibus cõpetens fiat idque, quod in eo ſibi conueniens, & naturæ ſuæ proximum eſt ſumens operimentis, & tunicis ſuis addat. Altera eſt, vt hepati facile fiat ipſum immutare, & in ſubſtantiam ſãguinis vertere: ſicut & os quadam alteratione prius eum immutat, quo ſtomacho facilis eius immutatio fiat. Non enim repente poteſt aliquid ſed paulatim in cõtrariam mutari qualitatem. Ideoque panis non ſtatim, vt in corpus intrauerit ſanguis fieri poteſt, ſed in ore quidẽ prius aliquatenus alteratur, quod patet ex eius reliquijs inter dentes remanentibus, quorum putridus odor fit, induuntque gingiuarum ac dentium qualitatem carnis qualitatibus ſimilem. Immutantur igitur in ore cum ſubſtãtia carnis, quæ in ore eſt, occurrunt, & phlegmati admiſcentur, quod digeſtum eſt, eique calor datus eſt, vnde, & impetigines ac ſerpedines curat, & vlceta quædam maturat, ſcorpiones quoque necat, hac igitur ratione, & cibus immutatur in ore, dehinc vero ſtomachus circum amplectus eius ſubſtãtiam, quas habet imprimit qualitates, eiuſque naturali calore cibus immutatur, dum in eo quoque phlegmati humido admiſcetur. Fit autem in eo maior immutatio quam in ore, quia calidior eſt quam os propter choleras ad ipſum influentes, & quia locus eius membris calidis eſt vicinus. A dextris enim eſt illi hepar, & a ſiniſtris ſplen, à ſuperioribus cor, & dyaphragma, à poſterioribus ſpinę lacerti. Sic ergo ſtomachus cibum immutans digerit, & ad inteſtina ſubtilia mittit, vbi etiam immutatione quadam alteratur. Porro hepar illum per venas, quæ inter ipſum, & inteſtina implicitę ſunt, & irretitę trahit. eumque immutans ſãguinem facit. Nã, & in hepare maior fit immutatio, quam fuerat in ſtomacho, quia multo calidior eſt ipſius complexio. Sãguinea eſt enim natura eius, & ferè ſanguis coagulatus. Cum igitur ad eum ſuccoſitas cibi peruenerit, ipſam naturæ ſuæ aſſimilat, & in ſubſtantiam ſuam cõuertit. Simili ratione, & venæ ab hepate ſanguinem attrahunt, eũque membris diſtribuũt, & fit facillima cibi immutatio, ſuæque ſubſtantiæ aſſimilatio. Patet igitur & in ſtomacho, & in omnibus membris immutantem eſſe virtutem, quæ cibum in eorum alterat naturam.

De actione virtutis expulſiuæ in eodem.

CAPVT IX.

EXpellentis actio virtutis incipit, cum retinentis pariter, & immutãtis deſinit. Stomachus enim cum cibos digeſſerit, & quod ſibi opus eſt aſſũpſerit, reliquum, quod inconueniens eſt, & ipſum grauat, ad inteſtina expellit. Tũc enim eius ſuperiora ad os ipſius reducta plurimum arctantur & inferius aperitur ianitor, quo cibus egrediatur. Tunc illum inteſtina ſubtilia attrahunt, ſumuntque, quod in eo ſibi neceſſarium inueniunt. Huiuſque cibi ſuccoſitatem, & meſaraicæ, & hepar ab inteſtinis trahunt. Iam vero tunc inteſtina ſubtilia ad craſſa purgamenta cibi mittunt, à quibus ſcilicet purgamentis, & craſſa ſimiliter, quod ſibi neceſſarium eſt ſumunt, reliquum vero quo grauãtur ad exteriora propellunt: eadem ratione, & omnia membra cum ex cibo, qui ad ea mittitur, quod ſibi neceſſarium eſt ſumpſerint, reliquum eius abominabile eſt. & onus graue. Ob hoc illud ad membrũ cui conuenit expellunt. Expellit autem ſtomachus, quod ad ſe trahit, cum ei nocere incipit, aut propter nimiam copiam aut propter eius corruptionem, quandoquidem nimietate grauatur expellit grauantia, aut vomitu ſicut contingit ebrio, aut ſolutione ſicut fit in faſtidio. Quando vero cibus, vel potus corruptus eſt, & alteratus in eã, qua pungitur ſtomachus qualitatem, expellit eum, aut vomitu, ſiquidem in ore ſtomachi ſupernatauerit, aut ſolutione, ſi fundo eius immerſum fuerit. Sic igitur in ſtomacho oſtẽditur eſſe virtus expellens intantum, vt & in vomitu ſtomachus à loco ſuo ad ſuperiora deferatur, & inteſtina nonnulla ſecum trahat Et in egeſtione ſimul cum inteſtinis, quæ vicina ſunt eis inferius, viſcera moueantur lacertorum ventris motu, quo inteſtinis ad expellendum grauantia ferant opem, nonnunquam etiam inteſtinum rectum, virtute motus expellentis, à loco ſuo euellatur, ſicut tenaſmon patientibus contingit. Expellit etiam hæc virtus, à membro in membrum nocentes materias intãtum, vt oſſa quoque ſuperfluitates, quæ in eis oriuntur, poſtquam ſuper ea caro producta fuerit, expellant, & à corpore emittant. Patet igitur, eſſe quatuor virtutes prædictas naturales in ſtomacho, & in omnibus reliquis membris eodem modo.

Vis expulſiua ſtomachi.

De actionibus prędictarum quatuor virtutum in matrice.

CAPVT X.

IN matrice ſi quidem fecit natura virtutẽ attrahentem, qua ſuprema ad ſe traheret, propter generandi neceſſitatem, quod in ipſo momento cõcubitus apparet. Retinens quoque virtus in ea eſſe oſtenditur, ab hora conceptus vſque ad horam partus. Matrix enim cum ad ſe ſperma cum deſiderio traxit, congregatur ſuper illud, eo quod ei in amore ſit, vnde & vndique ſuper illud firmiter conſtringitur, & anguſtatur os eius intantum, vt nec acus illud intrare poſſit. Sed & actio virtutis immutantis eodem tempore manifeſtatur ex ipſius immutatione ſpermatis in varias membrorũ fœtus ſubſtantias eorumque qualitates. & figuras. Porro virtutis expulſiuę duobus temporibus actio manifeſtatur ſcilicet quãdo fœtus, ipſe completus eſt, ac perfectus, vel quando mortuus. Cum enim membra fuerunt conſũmata, virtus retinens imminuta quieſcit, & expellentis initium fit ad emittendum ſcilicet fœtum, quod fit, aut ſeptimo aut octauo menſe, aut certè vſque ad decimum. Matrix quidem fœtum completum pellit, & commouet duabus ex cauſis, vna eſt quia matricem grauat, & ob hoc à ſe eum expellit, altera quia plurimo cibo indiget, nec inuenit. Ideoq; turbatur fœtus, & pedibus calcitrat, donec operimenta ſua diſrumpat. Egreditur ergo prius humiditas concluſa, ſuperfluitates ſcilicet fœtus, vt ſudor, egeſtio & vrina, ſuperfluitas quoque ſanguinis membrorũ, quæ cum ſuper matricis corpus infuſa fuerit, lædũt ac pungunt, & tunc ad exteriora fœtum expellit. Exitus quoque fœtus à matrice cũ mortuus eſt, duabus ex cauſis fit, aut quia rubiginem acutam illic parit, quę matricem pungit, ita quod eam à ſe expellere cogit. Aut quia quoduis operimentorum rumpitur, & matricis corpus ſuperfluitatibus diffuſis pungitur, & ob hoc ad expellẽdum animatur. Ex his igitur quę in ſtomachi & matricis actionibus expoſita ſũt, clarũ eſt in omnibus membris

Vis expulſiua matricis.

Cauſa egreſſionis fœtus ex vtero.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

bris quatuor eſſe virtutes naturales quæ naturæ deſeruiunt in omnibus quæ neceſſaria ſunt, & ad ſanitatis confirmationem,& ad membrorum medelã. Ideoque Hippocrates ait naturam morbos curare, cuius ſignũ eſt, quod in pluribus emiſſiones paruæ ſine aliqua cura cicatrizantur, & nonnulli dolores ſola tolerantia nullo curati medicamine ſedantur. Hęc de naturali virtute dicta ſint.

De virtute vitali agente.

Caput XI.

Cor fornax vitalis virtutis.

POrro vitalis virtus eſt per quã eſt vita eiuſque fundamentum & origo & fornax eſt cor, à quo incipit, & ad omnia corporis membra per arterias mittitur, vitamque miniſtrat. Hæc virtus bipertita eſt. Quædam enim eſt agens, per quam ſcilicet cordis & venarũ pulſãtium dilatatio fit, eorumque reductio ad caloris naturalis cuſtodiam. Alia vero eſt patiens per, quam ſcilicet ira fit & excellentia & indignatio. De agente primum dicemus. Itaque cordis venarũ & pulſantium dilatatio eſt motus eorũ localis à medijs ad extrema, & terminorum ipſorum capita ſicut follis à fabris mouetur, ſi artifex illum tenens aerem per ipſum contrahit. Dilatatur enim à ſui medio in omnes partes eũ terminantes. Reductio vero eorum eſt motus localis contrarius. Primo ſcilicet ab extremis ad centrum, in tantum vt teſtimoniorum capita ſibi occurrant ſicut & vter fabri, cum artifex emittit aerem ab illo. Omnes enim eius extremitates in medium redeũt, & inuicem ſibi occurrunt. Horum itaque duorum motuum quiſque per agẽtem virtutem eſt, ſicut in vtre eſt exitus aeris & ingreſſus per artificis actionem. Nõ enim vt quidam arbitrati ſunt, cordis & arteriarum motus propter aerem eſt, ſicut vtrem vẽtus & aer mouet ſed per attrahentem virtutem, quę quaſi locum artificis obtinet, qui aerem inducit in vtrem. Virtus nanque per quam dilatatio fit, ipſa eſt per quam aerem cor à pulmone attrahit. Ingreſſus autem aeris ad pulmonẽ mediatione pectoris fit. Eſt enim lacertorum qui inter coſtas ſunt, dilatare pectus & reducere. Cumque dilatatum fuerit, dilatatur pariter & pulmo, ſequiturque actum hunc aeris ingreſſus ad pulmonem, & tunc cor aerem trahit, hac etiam virtute pulſantes venæ trahũt aerem à corde, diciturque huius aeris ingreſſus reſpiratio, virtus autem per quam reductio fit ipſa eſt per quam fumoſæ ſuperfluitates à corde expelluntur, ac purgantur, & ab eo ad pulmonem emittuntur. Lacerti namque qui ſunt inter coſtas cum reducuntur, cor ipſum & venæ pulſantes reducuntur, eaque quæ in eis eſt operãte virtute arctãtur, quaſi fumoſa ſuperflua & emittuntur, & huius actus expiratio dicitur. Anhelitus autem ſpiratio vocatur. Et ſciendum eſt quod venæ pulſantes in dilatatione, quæ quidem cordi proximæ ſunt, aerem & ſanguinem ſubtilem à cordis vacuitate neceſſitate trahunt. Reductionis enim tempore & ſanguine euacuantur & aere. Cum autem dilatantur venit ad illas & aer & ſanguis eaſque replet. Quæ autem cuti proximæ ſunt, ab exterioribus aera trahunt. Quæ vero inter cor & cutem mediæ conſiſtunt, earum eſt à venis non pulſantibus ſanguinem, qui in eis eſt ſubtilior ducere, hæc eſt igitur virtutis aſſignatio, per quam dilatatio fit, ſimulque reductio, per quas vtraſque fit anhelitus & ſpiratio.

De vita in genere.

Caput XII.

AVctor. Quod autem virtutis vitalis per quam eſt vita, fundamentum & origo & fornax ſit cor, teſtatur etiam Salomon: *Omni*, inquit, *cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.* Hinc ergo inferendum æſtimo de vita quid ſit, & à quo, & cuius ſit. *Alexander.* Quid ſit vita ſecundum diffinitionem, dicit beatus Bernardus *in libro de liber arbitr.* Vita

Quomodo vena trahũt aerem à corde?

A eſt interuus & naturalis motus, tantum vigens intrinſecus. Et hæc eſt diffinitio ſubſtantialis, in qua motus quaſi pro genere ponitur. Internus vero & naturalis pro differentijs vitã diſtinguentibus ab actu, qui eſt extrinſecus, & ab illo qui eſt præter naturã ſiue non naturalis. Alia vero eſt Philoſ. diffinitio talis. *Vita eſt primus & continuus actus viuentis.* Hæc aſſignata eſt in relatione ad ſubiectum. In qua ſc. ſupra prædictam additur comparatio ad viuentem ſiue viuificatum. Tertia quoque ſcripta eſt in libro de motu cordis. *Vita eſt*, inquit, *primus actus animæ in motu corporis adaptati ad mouendum.* Hęc aſſignatur in relatione ad ſubiectum diſpoſitum, in qua ſcil. additur comparatio ad corpus aptatum ad motum ſiue ad mouendum. Quarta eſt Ambroſij in li. de bono mortis. *Vita*, inquit, *eſt ſpirandi munere frui.* B Hæc aſſignata eſt in relatione ad actum vitæ conſeruatiuum & manifeſtatiuum. Vita enim animalis cõſeruatur & manifeſtatur per ſpirationẽ. Vnde ſcriptum eſt de homine, quod *inſpirauit Deus in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Quinta eſt in commento lib. de intelligentiis, & eſt talis: *Vita eſt proceſſio procedens ab ente quieto & ſempiterno, & primus motus.* Hæc aſſignatur in relatione ad primum principiũ & hoc generaliter exprimendo cõparationem vitæ ad ens ſempiternũ, à quo vita procedit. Sexta Dionyſ. Ariopag. *Vita*, inquit, *eſt theophaniarum. i. diuinarũ apparitionum proceſſio ab ente quieto & ſempiterno.* Hæc aſſignata eſt in relatione ad primũ principium, & ſpecialiter ſecundũ quod reſpicit eſſe gratuitum, ad quod ſpectãt apparitiones ſiue illuminationes diuinæ, quæ dicuntur theophaniæ. Aliud quodque cõſiderandum eſt in ratione prædictarũ diffinitionum, videlicet quod quædam reſpiciunt vitã generaliter, vt illa quam diximus eſſe Philoſophi. Et illa, quã aſſignat C Commentator lib. intelligentiarum. Quædã vero ſpecialiter reſpiciunt vitam naturalẽ, vt illa quæ eſt Bern. & illa quę eſt in lib. de motu cordis. Quædã etiam ſpecialius vitam ſenſibilem, vt illa quæ eſt Ambr. Quædã ſpecialiſſimè vitam rationalẽ, vt illa quæ eſt Dionyſij.

Vtrum vita ſit ſubſtantia, vel accidens?

Caput XIII.

QVid autem ſit vita ſecundũ rem quęſtio eſt; vtrũ videlicet ſubſtantia ſit vel accidens. Cum enim vita ſit forma ſiue perfectio viuentis, ſicut anima animantis, ſecundum illud philoſophi, viuere eſt viuentis eſſe, accidens vero non ſit forma vel perfectio ſubſtantiæ ſiue eſſentiæ, videtur quod vita non ſit accidẽs, ſed ſubſtãtia. Econtra vero cum vita ſit motus, ſicut patet D ex prædictis diffinitionibus, nulluſque motus ſit ſubſtantia, patet quod vita non ſit ſubſtantia. Præterea mors eſt priuatio vitæ: ergo vita eſt habitus ei oppoſitus, non eſt ergo ſubſtãtia. Nos quoque dicimus, quod vita non eſt ſubſtantia loquendo propriè, quia ſc. non ex illis quæ ſecundum ordinationem prędicabilium linearem ſunt in genere ſubſtantiæ. Porro ſecundum quod extenſo nomine dicuntur ſubſtantiæ vel potius ſubſtantialia quę aliquo modo reducuntur ad illa quæ per ſe ordinantur in illo genere, dici poteſt ſubſtantia, vel potius ſubſtantiale.

Modi reducendi aliquid ad genus.

Modus enim reducendi ad genus multiplex eſt. Nã quædam reducuntur vt principia, ſicut ad genus ſubſtantiæ materia & forma. Iuxta illud Boetij: Relictis E extremis agitur de medio, id eſt, de ſubſtantia compoſita. Sic etiam puctus reducitur ad quantitatis genus. Quędam autẽ reducuntur, vt ſubſtantiales differentię. Quædã vt potentiæ quæ reducuntur ad genus illud in quo eſt ſubſtantia eorum, quorum ſunt illæ potentiæ vt ad genus illud in quo eſt anima potentiæ animæ. Quædam etiã vt actus proprius ac primus, qui dicit eſſe illius cuius eſt actus, ſecundũ quod eſſe dicitur entis actus. Et hoc vltimo modo vita reducitur ad illud genus, in quo eſt viuẽs, quod innuit Philoſ. dicens: Viuere eſt viuẽtis eſſe, & quidẽ verũ eſt quod nullus motus propriè loquendo eſt ſubſtantia, veruntamen ſecundũ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quod motus concernit actum prædicto modo ſumptũ, videlicet prout dicitur actus primus & proprius, qui tangit eſſe illius cuius eſt actus & ſecundum quod ſubſtantia extenſo nomine dicitur ſubſtantiale, vel ad ſubſtantiam reducibile. Sic aliquis motus ſubſtantia eſt, vt præoſtenſum eſt. Cæterum eſt priuatio quædam qua priuatur eſſe ſimpliciter. Quædam vere qua eſſe partis vt cæcitate priuatur eſſe oculi. Oculus enim cęcus non eſt oculus, niſi æquiuocè dictus, ſicut oculus erutus. Illa ergo priuatio qua priuatur eſſe partis priuat habitum ſibi oppoſitum, qui eſt accidens. Illa vero priuatio qua totum rei tollitur eſſe, non priuat habitum eo modo habitu ſumpto, quo priuatio & habitus opponuntur priuatiue, neque habitum qui eſt accidens. Et talis priuatio eſt mors, quæ priuat eſſe ſiue actum proprium & primum ipſius rei ſiue ſubſtantiæ.

Nota de priuationibus

Vtrum vita ſit anima ipſa

CAPVT XIIII.

Ambroſius in lib. de bono mortis oſtendit, quod anima non poteſt mori, quia vita eſt, ac per hoc cõtraria morti. Vnde anima, inquit, eſt vita, quomodo igitur poteſt mortem ſuſcipere cum ſit contraria? Sic igitur dicere videtur expreſsè, quod vita ſit anima ipſa. Idem etiam probat ibidem hoc modo. Cui anima infunditur, vita infunditur, & à quo diſcedit anima diſcedit vita. Anima igitur eſt vita. *Cæterum in lib. de motu cordis* dicitur, quod anima ſimplex eſt, & ex ea tantum animal viuit. Cum ergo vita ſit illud quo viuit animal, idem erit vita quod anima. *Item Iſid. in lib. de ſummo bono* dicit, quod vita corporis eſt anima. Philoſop. quoque vult, quod anima viuat ſeipſa. Anima igitur eſt vita corporis & ſua. Denique ſi anima viuit aut ſeipſa quidem, aut alio viuit. Si alio tunc ſimiliter de illo eſt quæſtio. Vtrum viuat, aut non. Si non viuit, ſequitur quod nulli vitam tribuit. Si autem viuit, aut ſeipſo, aut alio. Et ſimiliter reſtat quæſtio de illo alio. Si ergo non eſt in infinitum proceſſio, relinquitur quod ipſa vel aliud quo viuit, viuit ſeipſo. Porro ſi non eſt aliud quo viuat anima, patet quod viuit ſe ipſa. Ipſa eſt ergo vita ſua. Item animare eſt viuificare, & animari viuificari. Anima igitur eſt vita. *Econtra vero* nihil creatum eſt actus ſuus, ſiue actus egrediens à ſe. Cum ergo vita ſit actus egrediens ab anima, ſicut habetur in lib. de motu cordis, quod animæ primus & continuus actus eſt vita: patet quod vita non eſt anima. Item aliud eſt, quod ab aliquo infunditur, & aliud à quo infunditur. At *Ambroſius in libr. de bono mortis*, ſic de anima loquitur, quomodo ſubſtantia eius interire poſſit, cum anima ſit quæ vitam infundit. Ex his ergo patet, quod vita non eſt anima, nec econuerſo formaliter loquẽdo, quod & nos concedimus dicẽtes, quod anima eſt cauſa vitæ in corpore, & cauſa vitæ in ipſa, eſt cauſa ipſius animæ. Vnde vita qua viuit anima in ſe, non eſt cauſa vitæ ſuæ, ſed illud quod eſt cauſa ipſius animæ. Cũ ergo dicit Ambroſ. quod anima eſt vita, ibi prædicatur effectus de cauſa. Nec dicitur propriè mors animæ contraria, ſed eo modo quo incõtingentia vel incõpoſſibilia. Et hoc patet ex ſerie verborum ipſius Ambroſij. Dicit enim quod anima non moritur ſicut nix calorem non recipit; quia ſtatim reſoluitur. Similiter & lux tenebras nõ recipit, quia ſtatim eas diſcutit. Infuſo quippe lumine tenebrarum horror aufertur, & ſicut igne admoto rigor niuium deſinit. Sic & anima, quæ vitam cauſam, mortem non recipit.

Anima eſt vita.

Anima non eſt vita formaliter loquendo.

Qualiter anima dicatur eſſe vita.

CAPVT XV.

ANima ergo dicitur vita per concomitantiã cauſalitatis, vt patet ex ipſis Ambroſij verbis. Et licet animal viuat tantum ex anima, nihilominus animal viuit & vita. Nam quoniam animalis vita eſt ab anima, per hoc quod dicitur animal viuere tantũ ex anima nõ excluditur quin ipſum viuat vita. Cum enim dicitur animal viuit, tantum ex anima notatur præciſio cauſæ primæ ſiue principalis, & hoc intelligendũ eſt ratione vitę partis animalis, ſc. corporis, quoniam animal ratione totius viuit vita, ſed ratione partis. i. corporis vita anima: anima quippe non viuit, ſcilicet formaliter loquendo, licet effectiuè, ſed viuit vita, præterea cum dicitur, animal viuit vita, & animal viuit anima, habito reſpectu ad idem, ſcilicet ad animal ratione corporis, notatur ratio diuerſa cauſalitatis. In prima quippe ratio cauſalitatis formalis. In ſecunda effectiuę, anima enim eſt cauſa vitæ in corpore effectiua, vita vero eſt ipſius viuentis forma. Cęterum & ſi corporis vita ſit anima, vt vult Iſidor. quia tamen hoc eſt intelligendũ per concomitantiã cauſalẽ, non ex hoc ſequitur, quod ſit anima per identitatẽ eſſẽtialem & anima quidẽ dicitur viuere ſeipſa, quia vitæ principium eſt in ipſa, nec eſt ab aliquo extra ipſam ſicut eſt de vita corporis, quæ eſt ab extrinſeco, ſc. ab anima teſte Ambro. Dicit enim quod anima cauſat vitam in corpore, id eſt facit, quod vita ſit in corpore. Notandum ergo quod dupliciter eſt viuere ſeipſo, aut vt ſe toto, aut vt ſui aliquo, v.g. Aliter viuit anima ſe ipſa, aliter vita: vita quippe viuit ſe ipſa tota ſicut eſt, vnde viuere vitæ ipſius eſſe eſt. In vita quippe non eſt aliquid quod vita non ſit. Anima vero viuit ſeipſa. i. aliquo ſibi intrinſeco, vtpote formali principio, quod non eſt alterius naturæ, quam ipſa. Ideoque non ſequitur ex hoc quod anima ſit vita. Si enim hæc eſſet vera, neceſſario oporteret, quod idem in eo informans, & informatum eſſet, id eſt ipſa & forma ſua. Idemque illi eſſe, ac viuere, quia vita viuit ſeipſa, hoc autem dico de rationali anima. Vnde quoque Bern. ſuper Cantica. Vita, inquit animæ eſt viuens, ſed non aliunde quàm ſeipſa, ac per hoc non tam viuens quàm vita, vt propriè loquamur de illa. Hinc eſt quod infuſa corpori corpus illud viuificat, vt ſit corpus illud viuens de vitæ præſentia. Vnde liquet quod nec vnitę quidem corpori eſt idem viuere quod eſſe, cum à ſe minimè poſſit viuere. Nec ſequitur huiuſmodi argumentatio. Anima viuit ſeipſa, & viuit vita: ergo ipſa eſt vita, eſt enim ſimile. Animal mouetur motu, & mouetur à ſeipſo: ergo animal eſt motus. Animal quippe dicitur moueri ſeipſo. i. ab aliquo principio ſibi intrinſeco, & tamen dicitur moueri motu formaliter loquendo. Eadẽ eſt in anima & vita ratio. Denique cũ dicitur, animare eſt viuificare, potius eſt huiuſmodi prædicatio per concomitantiam, quam per formam vel eſſẽtiam: ſicut enim eſſe hominem tangit formã conſequentem totum cõpoſitum, ita reſpectu animæ, & corporis eſſè viuum, animatum vero vel animari tangit perfectionem partis, quæ eſt altera pars cõpoſiti, ſc. corporis. Sicut ergo non ſequitur: ſi eſſe perfectum anima rationali, eſt eſſe perfectũ humanitate, quod anima ſit humanitas, quia perfectũ anima rationali eſt homo ratione partis, perfectum autem humanitate eſt homo ſecundum ſe totum, ita non ſequitur, ſi animare ſit viuificare, quod anima ſit vita: huiuſmodi enim conſequentia per locum à coniugatis tenet in prædicatione formali.

Anima viuit ſeipſa.

Vtrum vita ſit animę potentia?

CAPVT XVI.

HAbito quod vita propriè loquẽdo nõ ſit anima, reſtat quærere, vtrũ ſit aliquid ipſius animæ, & primo vtrũ ſit eius potẽtia. Nam ſuper lib. Ethic: Cõmentator dicit, quod vita plantæ potẽtia eſt, quæ nutrit & augmẽtat, & generare facit. Vita vero animalis eſt potẽtia ſentire faciens. Illamq; habet tam delectãs quã triſtans. Præterea cũ anima viuat non alio aliquo, ſed ſeipſa, ſicut probatũ eſt ſupra, aut viuit ſe tota, aut aliqua ſui potentia. Si ſe tota, ſecundum hoc non poterit vita ſua priuari, & ita nec mori, quod ſi eſſet, anima quęlibet immortalis eſſet, quod vtique falſum eſt. Si vero aliqua ſui potentia, relinquitur quod vita ſit eius potentia. At econtrario vita in eodem animali eſt vnica & indiuiſa, multiplex vero potentia. Non eſt ergo vita potentia. Præterea non

eſt po-

eſt potentia viſiua, nec ſenſitiua, & ita de alijs. nam ſi eſſet anima potẽtia, aut eſſet potẽtia quælibet, aut vna tantũ, aut duæ, vel tres. Si quælibet tunc viſiua potẽtia, vita eſſet, quod falſum eſſe patet, ſic .n. corrupta viſiua corrũperetur vita. Si omnes ſimul, tunc planta vel brutum animal vitã non haberet. Sed ſolus homo qui omnes animæ potentias inſimul habet. Si vero eſſe aliqua tantum vna, tunc aut ſola ſenſitiua, & tunc non viueret planta, aut ſolum vegetatiua, tunc non eſſet diuerſa plantę, & animalis vita, quod vtique falſum & contra Ariſtot. Si vero duæ, vel tres ſimul, vt vegetatiua, & ſenſitiua, tunc non eſſet planta viua. Et ſimiliter inferre poſſumus de cæteris obuiationibus. Ex his vero videtur quod vita non ſit potentia, verum cum vita multipliter dicatur, vt inferius oſtendetur in vna quidem vita poteſt dici potentia extenſo nomine ſcilicet eo modo quo virtus potentia dicitur, licet enim quandoque dicant idem potentia & virtus. Id tamen magis propriè dicitur potẽtia, quod ab actu eſt remotum. Virtus vero quod actui magis coniunctum. Secundum hoc ergo concedimus, quod vita eſt potentia ſiue virtus. *Vnde in lib. de motu cordis* habetur, quod omnium potentiarũ animæ prima eſt vita: quam etiam quaſi primam cæteræ ſequuntur, & ſine qua nullam cæterarum ineſſe eſt poſſibile. Ibidem etiam dicitur quod prima virtus id eſt vita certum præcipue organum vendicauit. Et hæc eſt fortaſſe virtus vitalis, vt videtur ex Auicennę verbis. Vita enim quæ eſt eſſe viuentis efficaciore virtute, vigẽs in organo primo id eſt in corde, motu ipſius alijs operatiuis virtutem operandi miniſtrat. Ideoque dicitur virtus cordis, & hoc plane in præfato libro determinatur, vbi motus cordis omnium aliarum virtutum eſſe principium oſtẽditur.

Vita non eſt potentia probatur.

Quod ipſa ſit potentia, vel virtus indiuiſa.

CAPVT XVII.

Obiectio ſolnitur.

AD id ergo quod obijcitur in contrarium, quod ſcilicet in eodem animali vnica, & indiuiſa eſt vita, multiplex autem potentia dicimus, quod eſt alia potentia ab illis quæ diuidũtur, quia nec eſt virtus apprehenſiua, nec motiua quarum vtraque diuiditur, Neque vero diuiditur omnis potẽtia. ſicut illa que habet eſſe determinatum in vltima differentia. Ideoque non ſequitur, ſi vita eſt indiuiſa, & potẽtia diuiſa quod vita nõ ſit potentia Ratio vero cur vita manet indiuiſa, nec diuiditur, vel multiplicatur ſicut virtus, vel potentia, vna eſt, quod illa quidem ab animæ ſubſtantia in corpus egreditur immediate per indiſtãtiam ab eſſe. Vnde vruere dicitur viuentis eſſe. Ideoque ſicut eſſe in eodẽ manet indiuiſum, ſic & vita indiuiſa. Hæc eſt igitur ratio, quare manet indiuiſa ſecũdum quod ad actũ primũ refertur, à quo viuens eſſe dicitur. Alia vero eſt ſecũdum quod refertur ad actum qui diſtinguitur per ſenſum, & motum prout ſibi determinat ad organum vnum, ſcilicet cor. Vnde Auice. Vitalis, inquit virtus eſt illa, quæ conſeruat eſſe ſpiritus qui vehiculum exiſtit ſenſus, & motus. Ipſumq; reddit aptum ad eorum impreſſiones recipiendas cum ad cerebrum peruenerit, eumque potentem dare vitã vbicunque expanditur facit. Et huius quidem virtutis ſedes, & operationis eius proceſſus eſt cor. Vnde nec in relatione ad actum primum quo perfectibile ſuum perficit, neq; in relatione ad organum quo egrediuntur operationes illius in eſſe eſt diuiſibilis. Nec etiam in relatione ad motorem: imoque egrediuntur operationes illius in eſſe ex immediata coniunctione cum primo motore. Ideo decet indiuiſa eſſe. Vnde in lib. de motu cordis ſcriptum eſt. Semper enim motori eſt proximũ quod ab eo eſt primum. Omniſq; virtus quo magis accedit principio, eſt perfectior, multitudine, ac diuiſione minor, potentia & vnitate præſtantior, perſeuerantia, & operatione accommodatior, eſſentia integrior ſibique ſufficientior, hæc autem non reperiuntur in potentijs, ſiue virtutibus quæ diuiduntur. Itaque vita nec eſt vna potentia, nec duæ, nec omnes ſimul, ſed alia à cæteris quæ eſt prima & quaſi aliarum origo. Vnde Auicẽ. Quemadmodum, inquit ex humorum ſpiſſitudine ſecũdum aliquam complexionem ſubſtantia ſpiſſa quæ membrum eſt, aut pars membri generatur, ita ex humorum vaporib. eorumque ſubtilitate ſecundum aliquam complexionẽ ſubſtantia generatur ſubtilis, quæ ſpiritus appellatur, & hic quidem ſpiritus quando ſecundum complexionem quam debet habere prouenit, ad hanc virtutem recipiendam præparatur. Deinde vero alia omnia membra præparat ad recipiendum omnes alias virtutes ſcilicet animales, ac reliquas virtutes equidem animales, non peruenium in ſpiritu & membris, niſi poſtquam peruenerit hæc virtus vitalis. Ideoque licet virtutes animales alicuius membri deſtruantur, viuum tamen adhuc exiſtit, niſi hæc virtus in eo deſtructa fuerit. Et dicuntur hæ virtutes animales ab anima communiter.

Vitalis virtus.

Vita aſſeritur eſſe prima potentia

Cur inter vires animæ non agit Ariſtoteles de vitali ſicut Auicenna.

CAPVT XVIII.

VErum ſi vita eſt animæ potentia diminutus eſſe videtur Ariſtoteles in libro de anima potentias animæ diſtinguendo, nec iſtam inter cęteras aſſignãdo. Si vero nõ eſt, tunc enim videtur eſſe ſuperfluus Auicen. cæterique periti in medicina, qui virtutem vitalem inter alias ponunt virtutes. At vero alterius intentionis eſt medicus, Alteriusque philoſophus in eorum determinatione, quæ ad animam referuntur: Medicus enim primo, ac per ſe intendit de illis, quæ animam conſeruant in vita, vel vnione cum corpore, propter quod eius eſt proprie, ac per ſe de vita profundius, ac perfectius inueſtigare, ac determinare. Phyſicus autẽ ſiue philoſophus intendit de illis quibus peruenitur in animæ cognitionem, hoc eſt de obiectis, & actibus, & potentijs exterioribus, quæ ſcilicet reſpiciunt motum, ac ſenſum exteriorem. Vnde de vita ſufficienter determinat Ariſt. in 2. de anima ſecundum intẽtionem eius in comparatione ſcilicet ad ſubiectum illius, id eſt philoſophicum corpus. Ibi nanque determinat quæ corpora phyſica participant animam, & quæ recipiant alimentum, & augmentum, ac detrimẽtum. Et in comparatione ad cauſam ſuam ſcilicet animam, vbi determinat, quod non eſt actus corporis niſi habẽtis vitam. Et etiam in ordine naturę. Quia vero intentio medici eſt circa vitam per ſe. Ideo de vita multiplicius quam phyſicus habet determinare. Vnde medico determinare conuenit, & de vita ſecundum quod eſt actus, & de virtute vitali, & de alijs ad vitam pertinẽtibus, quæ non oportuit à phyſico determinari. Poſſumus autem dicere, quod vbi dicitur in lib. de anima, multipliciter, aut ipſo viuere &c. Illa multiplicitas viuendi eſt à virtute vitali, vnde fit ibi comparatio actuum ad vitam ſiue virtutem conſequentium: prout eſt quodammodo cauſa illorum: cum autem dicitur quod anima viuit, aut ſe tota, aut aliqua ſui potentia, dicimus, quod neutro modo proprie loquendo, ſed aliquo ſui ſcilicet ſuo quo eſt. Si autem obijcitur, quod omnis actus à ſubſtantia exiens aliqua potentia mediãte in eſſe egreditur, ſola enim eſſentia prima agit ſeipſa: & ita ſicut actus videndi exit ab anima mediante potentia viſiua, ſic videtur quod actus viuendi procedat mediante vita, quæ eſt aliarum potentiarum prima. Reſpondemus, quod illud ſubiectum, omnis actus exiens à ſubſtantia egreditur in eſſe mediante aliqua potentia, non eſt verum de actibus primis, qui ſe exerũt in eſſe ex coniunctione ſubſtantialis formæ cum ſua materia ſiue perfectibili. Anima ſiquidẽ vnit ſe cum ſua materia nulla interueniente diſpoſitione media. Ex cuius ſcilicet vnione relinquitur aliquis actus in corpore, ſcilicet actus animandi ſiue viuendi.

Obiect.

Reſp.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter vita ſit actus animæ.

CAPVT XIX.

QVod autem vita ſit actus animę dicit Ariſt. in lib. Ethicorum expreſſe. *In libro quoque de motu cordis* ſcriptum eſt, quia primus actus animæ vita eſt. *In eodem etiam legitur*, quod æqualis, & continua eſt vita, & primus actus formæ ex quieto & ſempiterno fluẽs. *Cæterum Bernar. in lib. de libero arbitrio*, ſicut dictum eſt ſupra, dicit, quod vita eſt internus, & naturalis motus, &c. Cum igitur in actione firmetur omnis motus, relinquitur quod vita ſit actio, vel actus. Ambroſius quoque dicit, quod vita eſt ſpirandi munere frui. Porrò frui eſt quidam actus. Nos quoque dicimus, quod vita eſt actus formaliter loquendo ſiue eſſentialiter, & actus primus atque continuus ſubſtantiæ nobilis. Nã omne quod primo perficit, eſt actus primus. Vita vero eſt id quod primo perficit. Ideoque dicitur eſſe viuẽtis. Præterea, omnes actus rei viuentis vitam ſubijciunt, vel ſupponunt quaſi radicem & principium. *Vnde in lib. de motu cordis legitur.* Potentiarum hæc prima diſtantia eſt; quod vitã quaſi primam, vel præuiam cæteræ ſequuntur. Cæterum vita eſt actus continuus. licet enim viuens aliorum actuum interpolationem recipiat, non tamen vitæ: quia vero vita eſt forma inter omnes nobiliſſima, non poteſt eſſe actus cuiuſque ſubſtantiæ, ſed eſt actus primus & continuus ſubſtantiæ nobilis, vnde quia nobilitas ſubſtantiæ conſiſtit principaliter in duobus ſcilicet in mouendo, & in cognoſcendo, propter hoc omnes diffinientes animam, quæ eſt nobilis ſubſtantia, ſolent eam diffinire penes motum & cognitionem. & dicit philoſophus in 1. lib. de anima, vita igitur eſt actus primus continuus nobilis ſubſtantiæ mouentis, vel cognoſcentis, vel vtrunque facientis.

Reſponſiones ad obiecta in contrarium.

CAPVT XX.

Obiect. SI autem obijcitur in contrarium, quod vita eſt perfectio viuentium, actus vero cum ſit accidens non poteſt eſſe perfectio talium, dicimus, quod eſt primus actus formæ ſubſtantialis, & actus conſequens ad primum. Et actuum quidem conſequentium eſt aliquod accidens, non tamẽ actus primus, qui eſt perfectio ſubſtantiæ eſt accidẽs, qualis actus eſt vita. Si fortaſſis obijciat aliquis, quia legitur in *lib. de motu cordis*. Primus & cõtinuus actus animæ eſt vita, quæ motu cordis efficitur, quod autem efficitur motu cordis, accidens eſt.

Reſp: *Obiect.* *Reſp.* Reſpondemus, quod vita multipliter dicitur. Quandoque dicitur actus primus ſimpliciter ſiue perfectio viuentis, qua ſcilicet in coniunctione animæ, & corporis talis, ipſum corpus viuificatur: Alio modo dicitur potentia inquantum vigens abundanti virtute in corde motu ipſius alijs operatiuis virtutem operandi miniſtrat. Tertio modo dicitur actus, vel operatio vitæ. Sicut ergo intellectus nomine quandoque intelligitur intellectiua potentia, quandoque actus eiuſdem accidentalis, vt qui prouenit ex rerum extrinſecarum comprehenſione, ſic etiam eſt de vita. Vnde vita quãdoque nominat vitæ actum ſcilicet accidentalem, ſiue ſecundum. Et hoc modo vita eſt accidens de qua dicitur, quod motu cordis efficitur. Nam in corde quidẽ eſt anima mouens, & ex hoc motu vita efficitur, quæ effectus eſt huius motus. Videtur tamen quod ibi loquatur philoſophus de vita quæ eſt primus actus, quia dicit quod primus, & continuus actus animæ vita eſt. Ad hoc autem dici poteſt quod vita quidẽ perficit viuentem, & ſic dicitur actus primus id eſt perfectio prima, cæterisque operatiuis miniſtrat operandi virtutem, mediantibus virtutibus ſiue ſpiritibus vitalibus & operationibus, ſiue motibus, quæ exercet organo primo, mediante ſcilicet corde. Secundum hoc dicitur virtus, ſiue potẽtia, & poteſt dici prima. Præterea hos autem modos dicitur motus vel actus, quo cæteris operatiuis miniſtratur operandi virtus. Secundum hũc modum dicitur actus primus ſcilicet ratione prioritatis, ac prȩceſſionis actuum cæterarum operatiuarum. Aliter etiam intelligi poſſet illud verbum (vita motu cordis efficitur) eo ſcilicet modo quo aliquid in effectu ſuo effici dicitur, vt vita dicatur effici id eſt extra fieri ſcilicet effectu ſuo, id eſt in operibus virium operatiuarum, quæ ab ipſa vita principium habent, & potentiam operandi hoc modo ſumeretur vita in ſignificatione prima, per hæc itaque poſſunt ſolui & multa, quæ contra prædictam ſententiam poſſunt obijci. Nam actus eſt ſignum vitæ, & nihil eſt ſignum ſui ex quo videtur actus vitæ eſſe. Et dicimus vt quidam dicunt, quod vita quandoque dicitur continuatio eſſe viuentis, quandoque ipſa vis continuatiua, quandoque ipſa comparatio, vel actus ſequens, qui eſt eiuſdem vis effectus, & ſignum continuationis illius. Itaque dicimus quod vita eſt ſignum vitæ, ſecundum quod vita ſumitur in diuerſis acceptionibus.

Vita ſumpta pro actu accidentali eſt accidens.

Quod vita diuerſimode ſumpta ſit actus & potentia.

CAPVT XXI.

Obiect. FOrtaſſis dicet aliquis, quod cum vita potentia ſit, non poteſt actus eſſe, quia differunt actus, & potentia. Cæterum cum omnis actus ſit alicuius potentiæ: non videtur aliqua potentia eſſe, cuius vita ſit actus, niſi forte dicatur, quod hæc ſit vitalis virtus, ſed non poteſt eſſe actus virtutis vitalis, quoniam illa poſterior eſt vita, quæ dicitur eſſe viuentis. Denique vita, nec videtur eſſe actus primus, neque ſecundus. Primus quidem non eſt, quia talis actus ipſa anima eſt. Quod patet ex illa diffinitione Ariſto. Anima eſt actus primus phyſicus corporis organici potentia vitam habẽtis. Secundus quoque non eſt, quia talis actus accidens eſt. Ideoque viuentis eſſe non eſt, ac per hoc nec eſt vita. *Reſp.* Ad hæc itaque dicimus. Quod vita ſicut ex prædictis patet, ſecundum diuerſas acceptiones, & potentia, & actus eſt. Nec hoc inconueniens videatur eſſe, quia ſimile repetitur in intellectu cæteriſque potentijs animæ. Iam vero ſuperius dictum eſt, quod non omnis actus alicuius eſt actus alicuius potentiæ, ſed excipitur actus primus à quo eſt eſſe. Actus igitur animandi non eſt ab aliqua animæ potẽtia, ſed potius ab ipſa eius eſſentia qua vnitur immediate cum corpore ſe ipſa, non mediante potentia, vel diſpoſitione aliqua. Porro alio modo eſt actus primus anima, & alio modo vita. Cum enim actus quidam ſit vt ſcientia: quidam, vt conſiderare, vt dicit philoſophus. Vita in quantum huiuſmodi eſt actus, vt conſiderare, non vt ſcientia. Conſideratis igitur omnibus actibus exiſtentibus, vt conſiderare, quorum principium eſt anima, primus omnium eſt vita. Primus inquam natura, vt à quo non conuertitur conſequentia, & primus, vt à quo motus, & operationes habent alia. Vnde in libro de motu cordis determinatur quod vnum eſt organum primum ſcilicet cor, & vnus eſt actus primus, & ab his eſt motus, & operatio aliorum. Vel poteſt dici aliter, quod anima eſt *Alia reſp.* actus primus ſimpliciter, Vita vero eſt actus primus ſequens vnionem animæ cum corpore. Adhuc autem *Alia.* dicendum eſt, quod duplex eſt genus formæ in genere formarum, quæ ſunt ſubſtantiæ. Quædam enim eſt forma, quæ ſubſtantia tantum eſt, quædam vero quæ ſubſtãtia, & motor eſt, & talis forma eſt anima. Et ex coniunctione quidem animæ cũ tali corpore in quantum eſt ſubſtantia eſt eſſe animatum. Ex coniunctione vero animæ cum tali corpore in quantum eſt motor eſt eſſe viuum. Ex eo ſiquidem ex quo aliquid ſe motum habet, ex hoc viuum ſiue viuens eſt. Dico autẽ ex ſe propter grauia, & leuia, quę motũ habent non ex ſe, ſed à generante vel prohibens remouente. Eſt itaq; vita primus actus ſequens vnionem animę in corpore, in quantum anima eſt motor, & actus primus, relictus ex coniunctione animæ cum corpore, in quantum anima eſt huiuſmodi.

Quod

Quod vita sit habitualis potentia.

CAPVT XXII.

probatur vitam esse esse habitum

CVm autem habitus sit qualitas difficile mobilis, vt dicit Philosophus, videtur quod vita etiam sit habitus. A vita quippe dicimur viuentes, sicut à scientia scientes, & qualitas est, vt Arist. testatur, secũdum quam quales dicimur. Quod autẽ difficile mobilis sit, patet ex hoc, quia non est separabilis à viuente dummodo anima corpori vnita sit. Cæterum habitus est, quo habilitatur potentia, vel virtus ad exitum in opus, vel actum sibi conuenientem. Vt autem superius habitum est, per vitam habilitantur potentiæ vel vires animales ad exeundum in opera vel actus cõuenientes. Denique habitus tollitur priuatione, sic & vita morte. Ex his omnibus ergo colligi potest, quod vita sit habitus.

Obiect. AT obijci potest in partem contrariam quod habitus consistit in distãtia ab actu. Vita vero nequaquam. Cæterum habitus actiuum habile reddit ad actum, vel opus, vita vero, vt dictum est supra, est ipse actus. Denique cum vt superius habitũ est, vita sit potentia, vel vis animę non videtur habitus esse, At vt supra iam tactum est, vita dicitur multipliciter. Dicitur enim actus primus, & hoc dupliciter, quia vel vt actus dicit esse viuentis substantiale vel accidẽtale. Dicitur etiam potentia vel virtus nomine extenso, quæ ratione alicuius proprietatis habitus, dici potest vis vel virtus habitualis scilicet propter facilitatẽ vel habitualitatem exeundi in actus sibi proprios. Sicut enim liberum arbitriũ, potentia dicitur habitualis, propter huiusmodi facilitatem, sic & virtus vitalis potest dici virtus habitualis, propter habilitatem exeundi in actus suos, & continuandi se in eisdem. Non est autem habitus sumendo habitum proprie, licet quodammodo habeat proprietatem habitus vel potius habitualis potentiæ, nec est verum, quod vita sit qualitas difficile mobilis. Non enim secundum vitam dicimur quales, secũdum quod quale dicit accidens & qualitatem, sed secundum quod dicit substantiam vel differentiã substantialem. Nam viuens licet modum qualitatis videatur sonare: res tamen, quę subest illi modo dicit substantiam vel substantiale. Porro licet vita quodammodo expediat vel habilitet potentias animales ad exeundum in proprias operationes, non propter hoc habitus dici debet. Secundum hoc enim vna potentia, vel habitus potentiæ vnius esset habitus alterius. Potentia quippe vel habitus cognitiuę affectiuã reddit habilẽ quodammodo ad exitũ in actum suũ, quia cognitio excitat & habilitat eam ad amandũ. Sed cum aliquid additũ est ipsi potentiæ, vt inhærens eidem, disponens illam, & habilitans, & in actum proprium efficiens facilem, illud recte dici potest habitus. Non sic autem est de vita quæ nimirum est quasi radix vigoris ipsarum potẽtiarum, & etiam esse illarum mediante quoque spiritu vitæ, vel potius irradiatione virtutis vitalis ad potentiarum organa iuuantur ipsa operatiua. Vnde in libro de motu cordis scriptum est. Motus, & sensus vitæ obnoxij sunt, ex ea enim sunt. Dicitur ergo vita potentias expedire, & tantos ad effectus vel actus suos faciles efficere. Mors vero propriè nõ est priuatio sed potius corruptio vel destructio. Priuatio enim aptitudinem relinquit ad habitum priuatione sublatũ. At vero vita morte sublata: non relinquitur aliqua naturalis aptitudo ad illam ex aliqua. scilicet animæ influentia. licet secũdum aliquos ex ordine diuinæ iustitiæ relinquatur aptitudo, & appetitus aliquis ad eandem siue ad vnionem corporis cum anima.

Resp.

A quo vita effectiua?

CAPVT XXIII.

Gen. 1. QVod autem vita sit à creatore tanquam à causa immediata, patet dicente scriptura. *Formauit hominem Deus de limo terræ, & inspiraut in faciem eius spira-*

A *culum vitæ*: verum hoc de vita hominis intelligitur, de qua ibi scriptura diuina specialiter loquitur. Sciendum est autem quod est aliquid quod viuit ex se & in se & per se, vt vita prima quæ Deus est. Et est aliquid quod viuit in se, ac per se, sed non ex se, vt Angelus & anima siue spiritus rationalis. Est iterum aliquid quod viuit in se, sed non ex se, neque per se, vt anima sensibilis. Et illorum quidem quæ viuũt per se, & in se, quędam possunt vitam aliis cõmunicare, vt animæ rationales organicis corporibus potentia vitam habentibus. Quædam vero nõ possunt, vt Angelici spiritus. Sic ergo quædam sunt quæ per se viuunt. vt Angelici spiritus, & rationales, quædam non per se sed solum participando vitã illis mediantibus, quæ per se viuunt, vt corpora humana. Dicimus ergo quod vita illorum
B quæ per se viuunt est immediate à Deo, sicut eorum substantia vel essentia. vita vero illorum quę viuunt participando vitam mediantibus illis quæ viuunt per se non est immediate à Deo, sed illis mediantibus quę viuunt per se: quod ergo scriptum est de homine, inspirauit, Deus in faciem eius spiraculum vitæ, non intelligitur de vita eorum, quæ vitam participiant mediantibus aliis, sed de vita illorum, quæ viuunt per se. Nam per spiraculum vitæ signatur anima rationalis, siue vita rationalis animę. Vnde & ibidem glossa exponit, quod inspirauit id est vita rationali eum animauit. *Hinc & Augustinus super Genesim ad litteram ita dicit.* Cur anima ipsum Dei flatum dicere dubitemus, dum intelligitur esse de natura Dei atque substantia? Sed hoc ipsum est sufflare, quod est flatum facere. Quod autem flatum facere, hoc est animam facere. Et dicitur anima in quantu m vita participatur in
C corpore vel à corpore ea mediante, spiraculum vitæ Methaphorice ad similitudinem inspirandi interius, & expirandi exterius. Vita enim quæ ab anima est motus est reciprocus & in se reflexus. Vitalis enim animę motus est quædam de se spiritalis egressio, & in se reciproca reuersio, & ex hac reciprocatione motus animæ in se, sequitur motus cordis qui in se reciprocatur. Mouetur enim cor continue secundum systolem, & diastolem, siue secundum dilatationem, & constrictionem, imitans, vt potest per dilatationem corporalem extensionem virtutis animæ vitalis, & per constrictionem corporalem reciprocationẽ spiritalem, & sequitur ex motu cordis naturaliter motus inspirationis, & respirationis. Quia ergo anima secundum quod est vita, est quædam sui de se spiratio, in se reflexa, mouens proportionaliter corpus cui vnitur, sicut motor & forma, & primo primum membrum organicum, non
D inconuenienter dicitur spiraculum vitæ.

Cur anima dicitur spiraculum.

Quid importet habitus.

Quod infatigabilis sit actus vitæ.

CAPVT XXIIII.

POrro actus vitæ siue qui vita est, infatigabilis est, vnde in lib. de motu cordis scriptum est. Necessario cõtinuus est actus vitæ, cæterarum vero potentiarum, minime, at vt habetur in libro de somno, & vigilia, omne cuius opus est secundum naturam habet fatigari & languere si indesinenter agat, vt oculi videntes, & manus facientes &c. Non est ergo vita alicuius actus, vt videtur agentis secundum naturam, sed actus progrediens ab agente supra naturam. Nos autem dicimus, quod in operando fatigatur actiuum, vel
E operatiuum, cuius operatio erit in esse per organum fatigabile, cuius illud est perfectiuum, vita vero secũdum quod est actus primus simpliciter, non determinat sibi organum aliquod, sed totum corpus organizarum habens vitam potentia. Vnde vita diffinitur principium actus animæ in corporis adaptati motu. secundum autem quod vita est virtus quædam eodem modo quo dictum est, vendicat sibi cor tanquam domicilium & organum secundũ quod dicitur, *in lib. de motu cordis. Cor est organũ, & domicilũ vitæ.* Et illius motu vita, quæ est actus secũdus, quę rationabiliter accidens dici potest, distribuitur alijs partib. corporis. Vnde in eodẽ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

virtus cordis in motu eſt, & motu vitam diſtribuit. Et quia vt habetur in eodem ſolus motus cordis eſt infatigabilis, propter hoc eſt continuus. Vnde iſta conſequenter ſe habent infatigabilitas, & continuitas.

Cur motus cordis indefatigabilis eſt.

Quare autem motus cordis eſt infatigabilis cauſa vna eſt, maior approximatio & influentia à motore ſcilicet anima. Vnde in lib. de motu cordis. Ibi, id eſt in corde eſt mouens ſcilicet anima. Semper enim eſt motori proximum, quod ab eo eſt primum. Omnis vero virtus quo magis accidit principio, perfectior eſt, multitudine & diuiſione minor, potentia & virtute præſtantior, & operationi accommodatior. Alia cauſa eſt organi perfectio, primo enim organo ſecundum exigentiam officij ſui & ſitum & perfectionem contulit artifex optimus & potentiſſimus ſcilicet Deus. *Vnde in lib. de motu cordis.* Anima cũ ex ſe immobilis & imperfectibilis vſquequaque ſit, cumque certam in corpore ſedem obtineat inſtrumento, cuius actu & miniſterio vitam virtuteſq; corpori miniſtraret, indigebat. Creator ergo vt perfectum optimus efficeret inſtrumentum, animam actu, & materialiter primæ materiæ impreſſit, quod velut à centro in circumferentiam potẽtias circumquaque deferret. Primam materiam vocat ipſe primum inſtrumentum, cui Deus animam virtuali præeminẽtia impreſſit, vel poſſet aliter dici, quod eſt ſpiritus vitalis, & animalis. Similiter eſt virtus ſiue vis quædam cuius operatio eſt mediante ſpiritu vitali. Quædam cuius operatio eſt mediante ſpiritu animali. Opus ſpiritus vitalis à cauſa intrinſeca perficitur, propter quod eius cauſa ſibi ſufficit, nec fatigationem recipit. Opus ſpiritus animalis eſt ab extrinſeco adueniente excitante, vnde quando illud extrinſecum excedit, vis ſiue virtus operans fatigatur. *Vnde in lib. de* motu cordis. Duplex eſt ſpiritus, animalis & vitalis. Animalis interpolatur operatione, vitalis nequaquam. Spiritus enim vitalis opere vniformis eſt, animalis vero multifariam partibilis, vitalis irradiando vnificat, animalis vero reſolutione ſenſum & motum exterius iuducit. Et quidem ſpiritus opus ſcilicet vitalis intrinſeca cauſa mouet & perficit, ideo ſibi ſufficiens eſt & ſemper in actu. Animalem vero in effectu extrinſecus aliquod aduenies tãquam minus perfectum excitat, complet autem innatum. Ideoque quando metam excedit, fatigatur potentia, & dolet animal. Quod ergo dicitur in libro de ſomno & vigilia, intelligitur de illis quorum operationes fiunt mediantibus ſpiritibus animalibus, & quæ ſine aliquo extrinſeco cooperante, non egrediuntur in actum.

Qualiter vita fluere dicatur ex quieto & ſempiterno.

CAPVT XXV.

Obiect.

SEd fortaſſis obijciet aliquis quod ſcriptum eſt in libro de motu cordis, quod vita eſt primus motus fluens ex quieto ſempiterno, ex quo videtur quod à ſolo Deo. Nam quietum ſempiternum eſt ſolum primum. Nos autem dicimus quod anima ipſa quieta dicitur ac ſempiterna, inquantum eſt principium motus ex ſeipſa, qui ſcilicet motus eſt internus, & dicitur vita.

Reſp.

Ad cuius rei declarationem notandum, quod Plato & eius ſequaces poſuerunt quod anima principium motus eſt, & ex ſeipſa mouetur, & quod ſeipſo mouetur ſemper atque cõtinue mouetur, & motus ab eo ſeparari non poteſt. Ideoque motum iſtum poſuerunt in anima ſempiternum & animam immortalem propter ipſum. At huic poſitioni videtur Ariſtoteles contradicere, oſtendẽs principium motus eſſe in omnibus immobile, cui etiam videtur Auguſtinus ſuper Geneſim ad literam conſentire, oſtẽdens & ipſe principium motus eſſe immobile. Macrobius autem contrarietatem iſtam diſſoluit vtriuſque rationes recitans, & oſtendens, quod Ariſtoteles Platoni non contradicit. Dicit enim quod illud cui Ariſtoteles innititur, quod in omnibus rationibus ſuis probare intendit, videlicet quod omne quod mouetur neceſſe eſt ab alio moueri. Verũ eſt in eis in quibus motus non eſt de eſſentia rei.

A In quibus autem ipſe motus eſt rei eſſentialis vel rei eſſentia, mouetur ex ſe. Vnde non contingit ibi duo ponere ſcilicet mouens & motum, ſed vnum ſolum. Huius exemplũ ponit in igne ac ferro calido, quoniam ignis calet ſeipſo, nec ibi ponere contingit duo, ſcilicet vnum quod calefacit, & alterum quod calefiat, cũm idem ſit quod ſe ipſo caleat. At in ferro calido, quia non calet ex ſe, duo contingit ponere. Sic ergo dicit quod etiam animæ motus eſt eius eſſentia vel ei eſſẽtialis. Ideoque in ea duo ſcilicet moues & motum ponere non contingit. Sicque contrarietatem inter illos diſſoluit, ponẽs tamen cum Platone animam motu continuo ac ſempiterno intrinſecus moueri, ac per hoc in ſe principium habere vitæ immortalis. Motus ergo iſte in anima immutabilitatis cauſa eſt, nec facit diſtare quod eſt. Vnde moueri in ea non cedit in genus paſſionis, nec cum aliis motibus eſt eiuſdem generis. Ideoque dicitur anima huiuſmodi motu quieta.

Conciliatur Plato & Ariſtoteles.

B Cum autẽ dicunt Plato & Macrobius, quod motus quo viuit anima in ſe eſt ipſa eſſentia animę, huiuſmodi prædicatio non eſt formalis ſiue eſſentialis, ſed potius cauſalis. Vnde is eſt ſenſus. Motus quo viuit anima fundatur in principijs ſubſtãtialibus vel eſſentialibus ſuis, ſiue cauſatur ab illis. Cum enim eſſe rei cauſetur ex eiſdem principijs ex quibus res ipſa, viuere & quod rei viuẽtis eſſe in eiſdem principijs fundatur, vel ab eiſdem cauſatur à quibus, & ipſa. Quod autem ait Dionyſius in libro de diuinis nominibus, quod omnis vita, & vitalis motus ex ipſa vita eſt, quæ ſuper omnem vitam eſt. Intelligitur de vita eorum quæ per ſe viuunt, vt ſupra dictum eſt. Similiter, & illud quod in lib. de intelligentijs ſcriptũ eſt. Vita eſt proceſſio procedẽs ab ente primo quieto & ſempiterno, & primus motus. Sic enim exponit commentator, res viuæ ſunt omnes motæ per eſſentiam ſuam propter vitam primam, res autem viuæ quæ ſecundum eſſentiam ſuam mouentur, ſunt illæ quæ per ſe viuunt. Harum vita eſt cauſa prima, quod notatur cum dicitur ex ente primo & quieto ac ſempiterno. Vnde ens inquit primum eſt quietum, & cauſa cauſarum. Porro quod in libro de motu cordis legitur, quod vita motu cordis efficitur, non intelligitur de vita à qua eſſe viuentis eſt, & quæ eſt actus primus ſimpliciter, ſed de illa quæ accidentalis eſt. Sed & illud quod ibidem ſcriptum eſt, cor eſſe primum organum animæ, cuius actus primus eſt vita, qua mediante cæteras corporis virtutes producit. Intelligitur de vita quæ eſt actus ſecũdus, licet primus ſit reſpectu actuum quorum motus cordis eſt terminus.

Varia grauium auctorum dicta explicantur.

C

D

Vtrum in plantis & brutis vita ſit immediate à Deo creata.

CAPVT XXVI.

QVia vero ſcriptum eſt, creauit Deus omnem animam viuentem atque motabilem, videtur etiam in brutis animalibus eſſe vitam immediate à Deo creatam. Et ſi fortaſſe dicat aliquis, quod in principio conditionis rerum animæ cunctorum viuẽtium immediate per creationem exierunt à Deo. Non ſic autem modo. Econtra poteſt obijci quod ſcriptum eſt in Pſal. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur. Hoc enim de vitis animalium & plantarum intelligitur. Vnde ſuper librum de diuinis nominibus commentator de vita ſic loquitur. Irrationabilium ac germinum vitæ non ſunt diuinæ, ſed materiales ignis & ſpiritus. De his ergo ſolis nouiſſimis vitis ait illud Dauidicũ ſcilicet: Auferes ſpiritum eorum & deficient & in puluerem ſuum conuertentur. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur & renouabis faciẽ terræ. Inſenſitiua enim tantum anima & natura ſiue vita hic accipitur per iſta diuina eloquia. Auguſtinus quoq; dicit in lib. de vera religione, quod nulla eſt vita quæ non ſit ex Deo, quia Deus ſumma vita eſt, & ipſe fons vitę. Et ſi forte dicatur, quod illud intelligendum eſt mediate, vel immediate, hoc videtur nihil eſſe. Nam hoc dicit Auguſtinus ad commendationem vitæ; quæ in nullo commendaretur, ſi

Probatur Deum creare omnem animam.

E

ſic intel-

ſic intelligeretur, cum etiam creaturæ viliſſimæ ſint à Deo mediate. Cæterũ ibidem quoq; dicit Aug. attentendum eſt, quæ ſit natura vitalis quæ cuncta ſentit, quę profecto, quia vitã corpori dat, neceſſe eſt vt præſtantior illo ſit. Non enim qualiſcunq; moles, quamquam iſta viſibili luce præfulgeat magna eſt æſtimanda, ſi vita careat. Quælibet nanq; viua ſubſtantia præponitur lege naturæ cuilibet non viuæ ſubſtantiæ. Si ergo multorum non viuentium creatio eſt immediate à Deo, & nobilitas cauſati atteſtetur nobilitati cauſæ, videtur quod omnis vita cuiuſcunq; conditionis ſit, debeat à Deo immediate eſſe. Deniq; non ſolum anima rationalis, ſed & animalis & plantæ corporis motor eſt, cuius perfectio eſt. Quod autem talę eſt, ſubſtantia ſimplex eſt, ac per hoc totum eſſe ſuum ſimul habet. Quod ergo cauſa ipſius eſt, in totum illius eſſe poteſt, hoc autem ſolius Dei proprium eſt. Relinquitur ergo, quod ſolius Dei ſit in eſſe producere plantæ vel animalis animam, ac per hoc & eorum vitam.

Rationes oł aliam ſententiam.

At obijcitur e contrario, quod ſcriptum eſt, producant aquę reptile animæ viuentis, & producat terra animam viuentem in genere ſuo, quod vtiq; non diceretur, ſi eſſent immediate à Deo, ſicut illa quę fiunt ex nihilo, quorũ Deus eſt tota cauſa. Cęterũ dicit philoſophus, quod omne corruptibile eſt generabile. Cũ ergo ſenſitiua in brutis & vegetatiua in plantis ſit corruptibilis per ſe vel per accidens, relinquitur quod & generabilis ſit per ſe, vel per accidens. Non ergo creabilis tantummodo. Præterea nulla forma conſtituta in eſſe per ſubiectum ſuum creatur niſi ſubiectum illud concreetur. Talis autem forma eſt vegetatiua in plantis, quod patet ex hoc, quia per ſubiecti ſui diuiſionem eſt diuiſibilis. Similiter etiam eſt anima ſenſitiua, quod patet in annuloſis. Neutra ergo illarum per ſe eſt creabilis. Deniq; ſola rationalis anima ſiue intellectiua exit in eſſe immediate à Deo, philoſopho etiam atteſtante, qui dicit quod ſolus intellectus intrat ab extrinſeco. De ſenſitiua vero dicit. Quod eius prima mutatio à generante fit.

Opiniones diuerſæ de multiplicatione vitæ in plantis & brutis.

Cap. XXVII.

Prima ſentẽtia.

ITaq; de iſta materia diuerſi ſentiunt diuerſa. Quidam enim ponunt huiuſmodi animarũ in eſſe progreſſum fieri per participationem, & multiplicationẽ animarum. Modũ autem participationis & multiplicationis aſſignare volentes ponunt exemplum tale: Linea quando diuiditur ſectio eius fit in puncto, nec tamen punctus diuiditur, ſed ipſa diuiſione totus cadit ad vtramq; partem, & exiſtit in vtraq; linea. Similiter anima cũ ſit impertibilis non diuiditur, ſed ad diuiſionem materię ſiue deciſionem tota cadit vtrobiq; in partibus diuiſis. Et hoc quia impreſſa eſt materiæ. Quia enim ſequitur materiam, & non poteſt diuidi, tota cadit vtrobiq;, hoc autem non videtur verũ nec eſt ſimile. Quia ſi punctus actu eſſet in linea vt linea eſſet ex pũctis, ſicut anima actu eſt in corpore, nec pũctus diuideretur in linea, nec in duo caderet. Sed ſi ſecantis operationem ſuſciperet, deſtrueretur. Nunc vero quia ibi eſt in ſola potentia, & tamen quod erat in potẽtia in actu deduceretur, nec quod erat vnus punctus in potentia, efficitur duo. Sed duo potentia reducuntur in actum & ſunt duo actu. Alij vero modum multiplicatonis per ſimilia volunt oſtendere in aliis, in quibus eſt potentia multiplicandi ſe, vt igne & luce, quæ ſe multiplicant ſine ſui diminutione. Candela enim accenſa multa poteſt accendere ſine ſui diminutione, & lux ſeipſam multiplicare in qualibet parte aeris circũadiacentis. Similiter dicunt de anima, quod etiam non videtur verũ. Nec eſt ſimile de anima & de illis, quia multiplicatio ignis & lucis non eſt per diuiſionem vel deſciſionem materiæ alicuius. Cum enim ignis multiplicat ſe, non diuiditur materia in qua eſt ignis, Quia ſi ſic minoraretur, ſicut quando ligna ſubtrahuntur. Similiter ſi ſubiectum lucis diuideretur in duo vel plura de luce minus eſſet in partibus, quam in toto. Cum ergo ponitur productionem animarum huiuſmodi in eſſe fieri per diuiſionem materiæ non per ſui operationem ſolum, ſicut eſt de igne & de luce, patet quod non eſt ſimile.

Alia ſententia.

Iterum opiniones aliæ de eodem.

Cap. XXVIII.

Alia opinio.

ALiter etiam poſuerũt quidam ſcilicet eas fieri ex formis ſubſtantialibus elementorum quæ ſimplices ſunt, vt generatio ſimplicis ex ſimplici fieret, ſicut fit corporalis ex corporali & quẽadmodũ ex qualitatibus actiuis & paſſiuis elementorũ generatur forma cõplexionis, ita ex eorum formis ſubſtantialibus forma addita complexioni, & ſicut ex accidentalibus accidẽtalis, ita ex ſubſtantialibus ſubſtãtialis. Hęc autẽ poſitio euidenter apparet falſa, primo per hoc quod aliquid fieri ex formis puris eſt impoſſibile. Forma enim pura non eſt ex quo aliquid fieri habet, cum ex quo dicit circumſtantiam materialis cauſę. Præterea ſubſtantia ex formis fieri non poſſet, niſi per earum immutationem, forma autem de ſe eſt inuaria bilis. Præterea ſi ex formis puris ſubſtantialibus elemẽtorum fit forma huiuſmodi quę eſt forma & ſubſtantia, aut ergo erit ex formis eorum in quibus ſubſiſtit, aut aliorum. Si aliorum, tunc ab aliquo formam ſuam ſubſtantialem ſuperari contingeret, ipſo in eſſentia manente præter illud cuius erat forma, quod eſt impoſſibile. Si ex formis eorum in quibus ſubſiſtit, tunc aut ipſa manebunt ſine forma ſubſtantiali, aut neceſſe eſt animam eſſe formam qua ſint ſubſtantiæ, & non ſolum animatæ, quod falſum eſt, aut aliam formam nouam recipient quæ vnde contingat, non erit aſſignare. Non ergo corpus poteſt eſſe, nec forma corporis, ex quo fiat anima vegetabilis & ſenſibilis. Aliter autem exiſtimant aliqui ſcilicet ſpiritus brutales eſſe ex traduce, & educi de potentia in actum medianti bus corporibus cæleſtibus ab eorum motoribus. Qui ſcilicet motores, quia ſpiritus rationales ſunt, vt ponũt, poſſunt in productione ſpiritus ineſſe, ſed quia nõ immediate, ſed mediante corpore cęleſti, Ideo producunt ſpiritum rationali ignobiliorem, & talem quidẽ qui ſine corpore non viuit, eo quod per corpus cęleſte in eſſe productus eſt. Sed hæc opinio poteſt reuelli per hoc, quod motores orbium intelligentiæ ſunt, quorũ operatio eſt operatio artis & per hoc quod virtus corporum cæleſtium eſt virtus corporalis, ideo ſunt minoris nobilitatis nobilitate ſpirituũ. Alij ponunt huiuſmodi ſpiritus omnino creari à Deo, & nullo modo eſſe extraduce, ſicut nec ſpiritus rationales, dicentes quod ideo dicitur in Geneſi animã de terra produci, quia corpus organicũ de terra producitur & ei influit ſeminaliter cũ omnibus diſpoſitionibus materialibus facientibus neceſſitatem reſpectu animæ, cui materiæ ſic diſpoſitæ Dei bonitas animam infundit. Quia ergo, in terra ſunt rationes ſeminales, non tantum intendentes corpus, ſed etiam intendentes vltimam eius complexionem, ſcilicet animam & habentes naturalem appetitum talis formæ.

Alii exiſtimant.

Alia opinio.

Alexandri ſententia probabilior.

Cap. XXIX.

Alia ſententia.

ALiter videtur inſpiẽtia mea dicẽdũ ſcilicet quod in elementis mundi indita eſt à conditore eorũ natura quædã, alia à natura elemẽtari, quæ eſt ſimplex & incorporea, vt poſſit eſſe principiũ ſubſtantiæ ſimplicis, vnde philoſophus in lib. de animalibus, omnia iſta inferiora plena eſſe virtute animę poſuit. Aug. vero dicit, rationes ſeminales inditas mũdo ſiue partibus mundi, ex quibus mundus grauidus eſt, ex quo accepta

accepta oportunitate prodeunt plantæ & animalia, non tantum ſecundū corpora, ſed quodammodo ſecundū animas. Nam ſicut matres inquit grauidæ ſunt fœtibus, ſic ipſe mundus grauidus eſt cauſis naſcentiū quæ in illo non creantur, niſi ab illa ſumma eſſentia, vbi nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit eſſe, nec deſinit. Præterea virtus primi orbis & aliorum inferiorum cooperantur vitæ, ſiue productioni rei vitis. *Vnde calo, & mundo ſecundo lib. veteris tranſlationis dicitur*, quod orbis primus eſt principium & virtus & cauſa in vita omnis viui pluſquam reliqui orbes valde. Et in noua tranſlatione dicitur, quod primus orbis principium eſt potentia, & cauſa in vita cuiuſlibet viui pluſquam alij orbes, & per naturam lucis ſuæ quam vbiq; diffundit, quę vitam & motum operatur in omnibus in quibus eſt vita & motus vitalis. Sed hoc ſolum poteſt eſſe per modum diſponentis & cooperantis ſiue adiuuantis, quia quodlibet corpus ſiue cęleſte ſiue aliud, aut virtutem corporis, conuerti in naturam corpoream non contingit. Vnde non poteſt eſſe, ſicut ex quo fiat ſubſtantia ſpiritualis, nec ſicut à quo vt dictum eſt. Ex his ergo mundi partibus quæ ſunt plenæ virtute ſecundum Philoſophum ſiue rationibus ſeminalibus quibus mundus eſt grauidus ſecundum Aug. oportunitate accepta, vt quando confluunt virtus primi orbis & orbium inferiorum, & virtus generatiua in planta & in animali, & virtus ſimplex indita illis elementis fit corporis organizatio & productio animæ ſenſibilis in eſſe & animę vegetabilis. *Vnde ſcriptum eſt in libro de dogmatibus eccleſiaſticis.* animalium animæ non ſunt ſubſtantiæ, ſed cum carne ipſa carnis viuacitate naſcuntur. Ex his ergo ſcilicet rationibus ſeminalibus ſiue virtute animæ qua plena ſunt hæc inferiora, eſt origo & principium animæ vegetabilis atque ſenſibilis. Sicut autem ſubſtantiarum corporalium ab initio creauit Deus principia ſcilicet elementa, ſic in elementis corporalibus ſubſtantiarum ſimplicium quæ à corpore dependent creauit elementa. Et ſicut corpora ex elementis generantur, elementa tamen non ſunt generata, ſed creata ſic anima hábent principia vnde generantur, tamen illa principia non ſunt generata ſed creata. Et iterum ſicut corpora quæ fiunt ex elementis ſunt corruptibilia. Elementa tamen in quæ reſoluuntur incorruptibilia. Sic animę vegetabilium & ſenſibilium ſunt corruptibiles ſemina tamen eorum incorruptibilia.

Reſponſiones ad obiecta in contrarium.

CAP. XXX.

CVm igitur audis ſcripturam dicẽtem, quod creauit Deus omnem animam viuentem atq; mõtabilem, intellige quod ibi create extenſo nomine dicitur producere. Porro commentator ſuper librum de diuinis nominibus, vbi dicit, quod vitæ irrationabiliũ ac germinum non ſunt diuinæ, ſed materiales ignis & ſpiritus, intendit oſtendere differentiam inter vitam intellectiuam ſenſitiuam & vegetatiuam quantum ad hoc, quod intellectiua eſt perpetua, cæteræ vero nequaquã, immo pereunt iſtæ & creantur aliæ. Intellectiua vero eſt diuina ideſt omnino ex nihilo creata. Porro cæteræ ex materia conditæ, non ergo intelligit, quod illæ ex nihilo ſint creatę, ſed potius quod ex elementis habent originem. hoc patet per hoc quod dicit quod ex tetra ſunt renouatæ, & quod non ſunt diuinæ, ſed materiales ignis & ſpiritus. Cæterum Aug. vbi dicit quod nulla eſt vita quæ non ſit ex Deo, non intendit ponere omnem vitam eſſe immediate à Deo, ſed vitam rationalem tantummodo. Vnde & verbo prædicto ſubiungit opponendo, nec aliqua vita inquantum eſt vita malum eſt, ſed inquantum ad mortem vergit.

Nequitia etymon.

Mors vitæ autem non niſi nequitia eſt, quæ ab eo quod nequaquam vel nec quicquam ſit, eſt ſic dicta. Ideoq; nequiſſimi homines nihili homines appellãtur: licet autem nobilitas cauſati quandoq; atteſtetur nobilitati cauſæ, hoc tamẽ non eſt verum generaliter loquẽdo & proportionaliter, ita vt quod nobilius eſt ſit à cauſa nobiliore, & hoc maxime quãdo agẽs per electionem agit. Agens enim per electionem diuerſa cõſideratione habita nunc, nobiliorem producit effectũ nunc minus nobilem. Vnde in actionibus vbi tota cauſa eſt Deus, ipſa voluntas quæ eſt cauſa per ſe ſecundum beneplacitum ſuę voluntatis omnino indifferẽtis in ſe, differentes producit effectus. Ad hoc autem quod obiectum eſt, quia quod eſt cauſa ſimplicis alicuius, poteſt in totum eſſe illius, dicimus quod omnis cauſa creata operatur ex ſuppoſitione materiæ vel ex materia ſuppoſita. Vnde ſolus Deus poteſt in totã rei ſubſtantiam ſoluſque poteſt creare ideſt aliquid de nihilo facere. Cũ igitur anima vegetabilis ac ſenſibilis originẽ habeat ex rationibus ſeminabilibus inditis mundi partibus, in quibus ſunt aliquo modo, patet quod natura producẽs eas in eſſe, operatur ex ſuppoſitione materiæ quodammodo. Denique ad id quod obiectum eſt, quod anima huiuſmodi ſubſtantia ſimplex eſt, ac per hoc totum eſſe ſuum ſimul habet. Dicimus quod ſimplex inquantum ſimplex dicit carentiam partium quantatiuarũ, non tamen carẽtiam partium ſubſtantialiũ eo modo quo quod & quo dicũtur partes ſubſtantiales rerũ quodammodo ſimpliciũ, habent enim huiuſmodi animæ quod eſt, & quo eſt quæ ſũt & quaſi partes earũ ſubſtantiales. Vnde cum quod eſt huiuſmodi animarũ ſit in ſeminalibus rationibus inditis mũdi partibus, licet natura producat eas in eſſe Nõ ideo dicendũ eſt in totã ſubſtãtiã poſſe cũ agat vel operetur ex eis quod eſt quaſi materiæ ſuppoſitione.

Quod vita cauſatur a creatura media inter corporalem & ſpiritualem.

CAP. XXXI.

CVm autẽ ex corpore incorporeã fieri ſit impoſſibile, videtur quod vita cauſari non poſſit à corporali creatura, vt enim dicit *Aug. ſuper Geneſim ad literã.* Omne quidẽ corpus in omne corpus mutari credibile eſt, quodlibet autẽ corpus mutari poſſe in animã credere abſurdum eſt. Nõ ergo poteſt corpus eſſe cauſa vt ex qua fiat vita, ſed nec ſicut à qua, quia tunc effectus nobilior eſſet cauſa ſua. Quælibet enim ſimplex ſubſtantia nobilior eſt omni ſubſtantia & virtute corporea. Præterea dicit *idem Aug. in li. de fide ad Petrum.* Si Deus vita non eſſet, non viuentia corpora nõ feciſſet. Non enim fecit rem non viuentem, niſi res viuens. Multo fortius ergo ſi non eſſet vita non feciſſet vitam vel corpora viuentia, ex quo argui poteſt quod res viuens ſiue vita non poteſt eſſe niſi à vita. Porro nec à creatura ſpirituali viuente poteſt eſſe, quia creatura ſpiritualis etiã nobiliſſima vt Angelus, in productione rerũ naturalium in eſſe non operatur, vt natura ſed potius vt ars. Eſt enim, vt dicit Aug. in mundo gemina prouidẽtiæ operatio ſcilicet partim naturalis, & partim voluntaria per angelorũ & hominum opera. Ex quo patet, quod operatio Angeli in mundo eſt voluntaria, & eſt operatio artis non natura. Cum igitur vitæ animalis & plantæ productio in eſſe non ſit opus artis, huiuſmodi productio angelicum opus non eſt nec eſſe poteſt; eadem ratione patet, quod ab anima rationali eſſe non poteſt. Dicimus itaque vt ſupra quod elemẽtis mũdi eſt indita quædã natura ſimplex & incorporea, alia ſcilicet ab elementari natura quædum cooperatur virtuti operatiuæ in plantis & in animalibus virtute corporum cæleſtium concurrente, prodeunt in eſſe vegetabilium & animaliũ animæ. Et hę quidẽ virtutes ſiue naturę poſſunt dici corporales, quia radicãtur in corporibus ſiue corporum naturis, & etiam ſpirituales quia carent mole corporali, & ab huiuſmodi corporali, & ex tali poteſt ſpirituali fieri, ſed nõ ex corporali molẽ habẽte coporis in quãtũ huiuſmodi. Æſtimo itaq; quod illa natura quæ ſimplex

Solus Deus poteſt creare.

Natura partim corporea partim ſpiritualis.

eſt &

eſt & incorporea mũdi partibus indita, qua dicit Philoſophus hęc inferiora plena eſſe, principiũ eſt & origo, vt ex quo eſt quod eſt huiuſmodi animarũ. A virtute vero deſciſa à generante eſt quo eſt illarũ. Porro à virtute primi orbis & aliorum corporum ſupercęleſtium ſunt ipſæ huiuſmodi animæ vt à diſponente & corroborante alia operatiua ad hoc, vt prodeant in actum. Et ſic intelligitur verbum illud Philoſophi, quod ſcilicet orbis primus eſt principium ac virtus & cauſa in vita omnis viui. Ad hoc etiam videtur valere quod ponit Philoſophus, ſcilicet quod de virtute animę deſciſa à generante fit anima ſenſitiua, & quodãmodo conſimili anima vegetatiua. Dicit enim quod virtus à generãte deſcinditur, quę materiã organizat. Qua ſcilicet organizata ingreditur eã vt artifex in artificio, fitq; non ſolũ eius motor, ſed & actus ac perfectio, virtus enim animę, quia cũ materia ſibi proportionali deſcinditur, in ipſa fortius radicatur, ac vehementius vnitur. Vnde ab ipſa facile non recedit. Et iterum à calore, matricis adiuuantis caleſcit & vigoratur & fortificatur, vt animæ accipiat robur. Hoc autem dico quia virtutẽ aliquam per elongationem ab eo cuius eſt debilitati videmus, & vt in motu proiectorum & ſimilibus. In hac autẽ virtute ſecus eſt propter cauſas prætactas. Ex prędicto autem Philoſophi verbo videtur, quod virtus a generante deſciſa virtutem illam ſiue naturam alimentis inditam quæ ſola potentia erat ad animam producit in actum. Deniq; concedimus quod probatum eſt, videlicet quod vita non niſi à vita eſſe poteſt. Nec eſſe poteſt ab intelligentia vt à cauſa efficiente, licet eius miniſterio accelerari poſſit animarum productio huiuſmodi in eſſe ſicut alibi dictum eſt.

Virtus deſciſa à generãte.

Quod non poſſit cauſari à ſpirituali creatura in ſpecie ſibi conſimili.

CAP. XXXII.

SI autem ab aliqua ſpirituali creatura poſſent huiuſmodi animę vel vitæ produci in eſſe, hoc maxime videretur fieri poſſe à cõſimilibus in ſpecie ſcilicet ab animabus animalis & plantæ, ſed hoc, vt videtur, non poteſt eſſe, quia non poteſt fieri per modum diuiſionis cũ huiuſmodi animæ ſint impertibiles ſubſtantiæ. Sed forte dicet aliquis, quod hoc quidẽ impoſſibile eſt tali ſubſtantię ſecundum ſe, tamen quia virtus impreſſa eſt materiæ, ad ipſius diuiſionem poteſt portionem recipere. Vnde, & anima rationalis, quia non eſt impreſſa materiæ diuiſionem non recipit, nec eſt ex traduce. At vero nec hoc dicere ſufficit, quia cum materia diuiditur, aut cũ ipſa cedit aliquid quod animæ ſit, aut nihil. Si nihil, quomodo ex eo quod deſciſum eſt fit idem in ſpecie? Et quid erit materia illa principium vitæ? Si vero aliquid, aut illud eſt virtus ſola aut de animæ ſubſtantia. Si de ſubſtantia animæ, tunc accidit quod eſt impartibile ſecundum eſſentiam, eſſe indiuiſibile. Si vero deſcinditur virtus ſola, cum virtus ſit accidens, videtur impoſſibile quod ex ea fiat anima vel ſubſtantia. Non enim acccidens poteſt eſſe principium eſſentiale ſubſtantiæ.

Nos autẽ ſine præiudicio dicimus, quod huiuſmodi animæ fiunt, vt tactum eſt, per diuiſionẽ virtutis, nec dicimus quod illa virtus ſit accidens ſed ſubſtãtia extenſo nomine. Nempe diuiſionem entis in ſubſtantiã & accidens pręcedunt diuiſiones iſtę. Entium aliud in potentia, aliud in actu, aliud vnum, aliud multa, has autem ſequitur hæc vnum aliud ſubſtantia, aliud accidens. Eſt ergo diuiſio in ſubſtantiam & accidens entis completi: Sed virtus non eſt ens completum. Ideoq; nec ſubſtantia, nec accidens. Ad ſubſtantiã tamen cuius eſt principium eſt reducibile, & ideo fieri poteſt ſubſtantia. Sed quoniam alicui videtur inſolitum & minus bene dictum virtutem ſubſtantiam fieri poſſe. Aliter dicunt quidam ſcilicet exponendo illud verbũ virtutem deſcindi à generante, manifeſtando quæ ſit iſta virtus dicentes, quod anima vegetabilis cuius eſt potẽtia generatiua alimentũ attrahit, & ſibi aſſimilat, aſſimilat autem ſibi nõ partem ſui vel virtutem in eã relinquendo ſed virtutem ſibi ſimilem, quæ in alimento erat in potentia remota, in proxima faciendo. In ipſo enim alimento eſt virtus animę indita à creatore ſcilicet ratio ſeminalis, quæ per virtutem animæ aſſimilantem alimentum & diſponentem ad organizationem, de potentia in actum educitur. Et hæc virtus nec eſt de ſubſtantia animæ quæ in alimentũ agit & aſſimilat, nec virtus eius, ſed ei ſimilis. Et ſic virtus quæ erat ſemini originaliter indita, cum ſemine deſcinditur. Nihil autem de ſubſtantia animæ generantis & deſcindentis ſemen deſcinditur, nec etiam virtus eius quæ cadat in animam generati. Secundum hanc expoſitionem dicendum eſt, quod animæ huiuſmodi & quantum ad quod eſt, & quantum à quo eſt, ſunt de illa natura quæ eſt indita partibus mundi à conditore illorum, & quantum ad vtrunq; erant in illis potentia, & producuntur in eſſe à virtute cooperãte virtuti cęleſti, vt enim habetur in lib. 14 primæ philoſophiæ, omne quod fit, fit ex aliquo in potentia ad illud quod fit. Vnde animæ huiuſmodi cum fiunt, fiunt illud quod fiunt ex aliquo ente in potentia, ſcilicet in rebus ſeminalibus.

Ratio ſeminalis in alimento.

1. Modus dicendi.

2. Modus.

Quod principia vitæ fundantur in eſſentialibus rei principiis.

CAP. XXXIII.

POſt hæc determinare oportet à quo vita ſit originaliter, & videtur aliquid eſſe in ſubſtantia viuente ex ſe, vnde habeat viuere. Nulla quippe ratione debet dici viuere ex ſe, quod viuit per aliud à ſubſtantia viuente, & ita quę viuunt ex ſe, habent aliquid in ſe, quod eſt illis origo vel principium intrinſecum vitæ. Cæterũ vt habetur etiam à Platone, illud quo anima viuit eſſentia eſt animæ. Intelligendum eſt itaq; quod dicit Benardus. Vita eſt internus motus tantum vigẽs intrinſecus, vt ergo videamus quid ſit in ſubſtantia viuente ex ſe, vnde ſit iſte vigor ac motus. Et videtur quod ſit à principio generali motus intrinſeco in omnibus. Eſt enim duplex motus principium ſcilicet intrinſecum & extrinſecum. Hic autem intenditur de principio intrinſeco. Notandum ergo, quod in omni motu ſiue ad formam ſiue ad ſitum appetitus eſt principium motus primum intrinſecum. Hæc eſt enim vis à creatore omnibus indita creaturis, per quam ad ſui complementum ordinantur & in ſui complemento ſtant, & radicantur, nec ſolum ſic eſt in creaturis, ſed etiam in creaturarũ eſſentialibus principijs, quæ ſunt materia & forma, actus & potentia. Neq; enim materia ſeipſa mouetur ad formam determinatam, quia cũ nullam ſibi determinet, non magis mouetur ad hanc quam ad illam. Neq; forma ſeipſam facit in materia, ſed per appetitum inſitum vtriq; ad inuicem ordinãtur, & per appetitum huiuſmodi inſeparabiliter coniunguntur. Nec ſolum appetitus rem completam in eſſe ſequitur, ſed in ipſis etiam rerum principijs eſſentialibus radicatur & fundatur. Et ſicut eſt in motu ad formam, ſic eſt in omni motu non violento. In omni enim motu appetitus excitat motorem ad motum, ex quo patet ipſum eſſe principium motus vniuerſale intrinſecum. Ex hoc igitur patet, quod appetitus in omnibus excitat ad motum, & quendam efficit vigorem in illis. Nec tamen vigorem vitæ facit in omnibus, ſed ſolum in ſimplicibus, quod manifeſtius patebit per differentias appetituũ & eorũ in quibus eſt appetitus.

Appetitus rerum.

Eiuſdem ſententia declaratio.

CAP. XXXIV.

SVpponatur ergo, quod omnibus rebus naturalibus ineſt appetitus, ſed differẽter ſicut diuerſę ſunt res naturales. Rerum enim naturalium quædam magis habent

ſimplicior, & quoniam eſſe diuinum eſt ſimpliciſſimum nihil habens admixtum de paſſibilitate, ideo eſt plena actualitate, & vigore. Quoniã ergo vita eſt quidam vigor internus, vt ſupra tactum eſt, viuere quoddam vigere, hinc eſt, quod in Deo eſt vitam vltima perfectione reperire.

Obiectio 1. Si autem econtra obijcitur, quod vita vel viuere addit ſupra eſſe, In Deo autem nihil additur ad eſſe,

Reſp. alioquin in ipſo eſſet aliqua compoſitio. Reſpondemus, quod viuere quidem addit ſupra eſſe in eis in quibus eſt vita per differentiam aliquam, ita quod in viuente differt illud, quod viuit, & quo viuit, hoc autem eſt in rebus creatis tantum, quæ ſcilicet habent paſſibilitatẽ eſſe actui permixtam. At vero ſolus Deus eſt in actus puritate ſiue actus purus. Ideoque in ipſo viuere non addit ad eſſe, ſed eius eſſentia eſt vita ſua.

Obiectio 2. Porro ſi obijciet aliquis, quod vita cõtrahit aliquod genus entis. Entiũ enim quædã viuunt & quędam nõ viuũt, & ita non videtur illi conuenire quod eſt ſupra

Reſp. omne genus, & nõ in genere. Dicimus, quod duplex eſt vita, vna ſc. increata, quæ eſt origo omnis vitæ, nec cadit ſub determinatione temporis vel motus, ſed eſt æterna, Et hæc eſt per ſe viuifica, & ſubſtantifica: *Vnde Dionyſius in lib. de Diui. nominibus.* Laudanda eſt inquit vita æterna, quæ per ſeipſam eſt vita, omniſque vita, & vitalis motus eſt ex ipſa. Hæc ergo non cadit ſub aliqua differentia, quæ trahat in genis, ſed eſt idem cum eo, quod eſt ſimplex ac per ſe ſcilicet Deus. Et eſt vita cauſalis ſiue cauſa vitæ ſecundæ, videlicet vitæ creatæ, quæ participata eſt per diſtinctionem ac proprietatem vnicuique viuenti conuenientem. Hæc autem vita ſcilicet ſecundo modo ſumpta trahit in ge-

Obiectio 3. nus. *Sed fortaſſis adhuc obijciet aliquis*, quia ſcriptum eſt *in libro de motu cordis*, animatum & viuens paria ſunt ad ſe inuicem. Ex quo videtur, quod eſſe viuentem, & habere animam cõuertantur. Cum ergo Deus non habeat animam, videtur nec habere vitam. Cæterum vt ſuperius eſt oſtenſum, in quo eſt vita eſt appetitus, & deſiderium. At in nullo eſt deſiderium alicuius quin ſit & indigentia, reſpectu illius. Cum ergo

Reſp. in Deo nulla ſit indigentia, videtur per conſequens, quod nec vita. At philoſophus in motu cordis inquirit de vita, quæ habet eſſe in corporibus, & de illa verum eſt, quod animatum, & viuens ad ſe inuicem paria ſunt. Sed loquendo generaliter falſum eſſe cõſtat, quia viuit Angelus licet animam non habeat. Porro eſt appetitus rei diſtantis, & hic habet imperfectionẽ annexam. Et eſt appetitus rei indiſtantis, quod poteſt eſſe dupliciter, vel quia coniungitur appetitus appetibili, vel quia idem eſt per eſſentiam Aliquando enim eſt appetitus appetibili coniunctus, & tamen eſt aliud per eſſentiam. Aliquando autem idem eſt appetens, & appetibile per eſſentiam, & hæc eſt in primo, vbi ſcilicet idem eſt delectans, & in quo delectatur, fruens, & quo fruitur. Vbi verò talis appetitus nullus eſt affectus, ſed vita perfecte delectabilis, nullo indigens exiſtens in fine nobilitatis, & delectationis. Quod autem dicitur à Dionyſio, quod nec anima, nec vita eſt in Deo, intendit oſtendere, nec vitam, nec alia de Deo dicta proprie ſumpta Deo conuenire. Denique in illo verbo Bernardi. Vita eſt motus internus, cauſalis eſt prædicatio, quia ſcilicet vita eſt cauſa motus. Eſt itaque in Deo vita principium motus, non quo moueatur Deus, ſed quo mouet omnia viuificatque viuentia.

Vtrum vita creata, & increata conueniant in re aliqua.

CAP. XL.

CVm autem participantis ad non participans nónulla ſit comparatio, patet quod vita increata, & vitã creata, quæ comparabiles ſunt ad inuicem ſecundum prius & poſterius, ac ſecundum plus & minus conueniunt in aliquo vno. Cęterum cum vita creata cauſata ſit ab increata, patet quod veſtigium eius eſt ac ſimilitudo. At vero aliquorum ſimilitudo, conuenientia illorum eſt in aliquo vno. Pręterea cum omne exemplar cum exemplato conueniat, vitam increatam exemplar eſſe vitæ creatæ conſtat. Secundum hoc ergo vita increata in aliquo conuenit cum creata. Econtra verò quæcumq; conueniunt, & non ſimpliciter idem ſunt, penes aliquid conueniunt, & penes aliud differunt. Non enim penes idem conueniunt, & differunt. Si ergo vita increata & creata, per aliquid conueniunt, per aliud differunt, & ſic in vita increata eſt vnum & aliud. Non ergo omnino ſimplex eſt, quod impoſſibile eſt. Denique ſi vita creata & increata non conueniunt, non tantum in nomine, ſed etiam in aliqua re, tunc illa res non eſt ſimpliciter increata, nec creata, quod eſt impoſſibile.

Nos itaq; dicimus, quod differt vnũ vniuocationis, & analogię, vnum vniuocationis eſt cum vnũpluribus ineſt, vniens illa in aliqua re vna illis priore. Sic autem non conueniunt vita creata & increata. Vnum verò analogiæ eſt, quando vnum pluribus ineſt, ita quod alicui eorum primo, & principaliter, in quo eſt aliorum omnium origo prima cæteris vero poſterius, & ſecundario ac per modum quo deſcendunt ab origine prima. Et tale vnum non vnit ea quibus ineſt in aliqua re naturaliter illis priore. Sed tota prioritas eſt in aliquo eorum naturaliter ſicut in cauſa reſpectu cauſati. Et illud vnum licet non ſit omnino vnitocum, non tamen eſt penitus ęquiuocum, ſed medium, & dicitur analogum. Sic itaque vita creatoris, & creaturæ conueniunt in re vna vnitate analogiæ, non autem vna vniuocationis vnitate. Neque enim comparatio neque ſimilitudo, neque conuenientia, quæ eſt creati ad increatum concludit vniuocationis vnitatem. Si obiiciatur illud verbum philoſophi, ſolum vniuocũ eſt comparabile, dicimus quod ibi ſumitur vniuocum extenſo nomine ſecundum etiam quod analogo conuenit, facta ſolius æquiuoci excluſione.

Vnum vniuocationis & analogiæ.

De multiplici vitæ differentia.

CAP. XLI.

MVltiplex eſt autem differentia vitę. In ſpecies quippe trahitur ſecundum quod appetitus in ſubſtantiis ſimplicibus ſiue ſpiritualibus, & corporeis variatur: vt enim ſuperius tactũ eſt, appetitus ſubſtantiæ ſpiritualis niſi ſuo actui coniungatur, & ſic perficiatur, nec in ſe viget, nec vitam operatur. Vnde ex coniunctione cum ſuo deſiderabili in ſe viget, & quaſi ſuſcitatur ad vitam. Cum autem caret ſuo deſiderabili, aut languet vita, aut extinguitur. Sed intelligendum eſt, quod non vno modo appetitus iſte differenti perficitur, & ſecundum hoc varias vitæ differentias operatur. Aut enim iſte appetitus in ſubſtantijs ſimplicibus intrinſecus omnino finitur aut totaliter extrinſecus terminatur, aut partim ſic, partim ſic. Si autem intrinſecus totaliter finitur, vt nullo penitus indigeat, neque propter eſſe, neque propter bene eſſe, ſed in ſe, & ex ſe habet quicquid requiritur ad eſſe, & ad bene eſſe, vtpote vbi eſt idem appetitus ſiue appetens, & appetibile, ſiue fruens, & quo fruitur, tunc eſt vitæ per ſe, & ſecundum ſe delectabilis, & perfecta, ſcilicet in fine perfectionis, & nobilitatis ſicut in primo bono, & ſummo. Si verò totaliter extrinſecus terminatur, vtpote ad aliquid quo indiget ad eſſe, ſine quo neque in vita eſſe poteſt, tunc eſt vita ipſa minime delectabilis, & minimę perfectionis, vt in vegetabilibus, & ſenſibilibus. *Vnde Dionyſius in libro de diuinis nominibus.* Animalia inquit omnia, & gemina ſecundum nouiſſimam conſonantiam vitę habent viuere. Cum autem appetitus partim terminatur intrinſecus partim extrinſecus, tunc aliquo indiget non propter vitam, ſed propter vitę illuſtrationem & delectationem, hoc eſt non propter eſſe, ſed propter bene eſſe, illud autem

Demonſtratio graduum vitæ.

quo

quo indiget aut ſeipſo poteſt adipiſci, ideſt ſine aliquo corpore ſibi vnito, & ſic eſt vita in Angelis. Aut ſeipſo non poteſt, ſed indiget vnione cum corpore, vt illud poſſit adipiſci, & ſic eſt vita animæ rationalis. Vnde dicit Auicẽna, quod anima vnitur corpori vt perficiatur. Adhuc nota, quod appetitus ſubſtantiæ ſimplicis terminatur extrinſecus, quãdo indiget aliquo extrinſeco ſine quo non eſt in ſua perfectione. Sed hoc poteſt eſſe multipliciter. Illud enim extrinſecum poteſt eſſe vel res, vel rei ſpecies ſiue ſimilitudo vel vtrumque. Nam ſubſtantia ſpiritualis cuius eſt vita, aut indiget re tãtum à qua dependet quantum ad eſſentiam, & ſpeciem rei, aut quantum ad illuſtrationem, & bene eſſe. Si autem illud extrinſecũ quo indiget ſit ſolũmodo res à qua dependet eſſentialiter ſiue ſecundum eſſentiam, tunc eſt vita vegetabilis. Si vero illud extrinſecum ſit res à qua dependet quantum ad eſſentiam, & B ſpecies ſimilitudo rei à qua dependet quantum ad illuſtrationem, tunc eſt vita ſenſibilis. Subſtantia autem animæ ſenſibilis eſſentialiter dependet à corpore. Et quia vita in ſenſibilibus eſt cognitiua, non ſolum re ſiue corpore indiget, ſed ſpecie rei ſiue ſimilitudine. Vis autem ſenſitiua bipartita eſt. Habet enim quoſdam ſenſus propter eſſe, quoſdam propter bene eſſe, quoſdam propter vitam, quoſdam propter illuſtrationem vitæ. Vnde duplici principio naturali indiget ſcilicet calore & luce, ſiue qualitate feruida, & luculenta ſecundum Auguſtinum. Calore ſiue qualitate feruida propter vitam, luce ſiue qualitate luculenta propter vitæ illuſtrationem. Qualitas autem luculenta eſt in cerebro, vnde eſt origo ſenſuum, vt dicit Auguſtinus ſuper Geneſim ad litteram. Et etiam philoſophus dicit in libro de anima, ſine igne non eſt ſentire. Quando autem extrinſecum quo indiget ſubſtãtia ſpiritualis non eſt res à qua dependet quantum ad eſſentiam, ſed ſimilitudo quantum ad illuſtrationem, tunc eſt vita rationalis. Hæc autem non dependet eſſentialiter à corpore, indiget tamen rei ſpecie propter bene eſſe, vel propter illuſtrationem vitæ, quæ fit per rei ſimilitudinem, quæ accepta ducit in aliud, & facit cognitionem, quæ eſt vitæ illuſtratio, & ideo hæc vita eſt ſeparabilis. Vita ergo iſta continetur quodammodo ſub duplici membro diuiſionis prædictæ, quia & vita eius interius eſt terminata, & non terminata exterius. Quantum ad eſſe terminata, quo ad bene eſſe non terminata. Similiter ex parte creaturarum corporearum variatur appetitus ſecundum variationem appetitus animarum, à quibus vitam habent. Vnicuique enim corpori inditus eſt ab eius cauſa proprius appetitus reſpectu ſui delectabilis ſiue ſuæ perfectionis, à qua vitam participat, ſic & ex parte perficientis formaliter eſt inditus appetitus reſpectu ſui perfectibilis. Et ex eo duplici appetitu eſt colligantia eorum ad inuicem.

Qualitas luculenta.

Dictum philoſophi.

Quod cæleſtia corpora non ſunt viua.

CAP. XLII.

Cælos viuere probatur. 1.

VIdetur autem, quod vita ſit etiam in corporibus cæleſtibus per hoc, quod in ſecundo libro cœli & mundi, dicit philoſophus. Sciendum eſt inquit, quod primus orbis principium eſt potentię, & cauſa in vita cuiuſlibet viui plus, quàm orbes alij. Dicit etiam ibidem commentator, quod iſti orbes non ſunt cauſæ vitæ illorum, quæ hic ſunt, niſi per ſtellas, cum viſum ſit, quod nobiliora, quæ illic ſunt ſtellæ ſunt. Et quod principia, quę ſunt in iſtis orbibus ſunt viua, & vitæ, quæ hic eſt, principia. Ex his ſiquidem verbis videntur innuere, quod ſtellę ſint viuæ. Si enim orbes per ſtellas ſunt cauſa, & principia vitæ. Sequitur, quod ſtellæ ſunt cauſa, & principium vitæ. Et vt dicit commentator. Principia, quæ ſunt in iſtis orbibus, ideſt ſtellæ, ſunt viuæ. Prætereà nulla cauſa efficiens principaliter ac per ſe minus nobilis eſt cauſato. At verò 2. ſicut in multis locis habetur ab Ariſtot. corpus cæleſte cauſa eſt efficiens per ſe, ac principaliter tam vegetatiuę, quam ſenſitiuæ vitæ. Non ergo eſt eis minus nobile, quod vt videtur eſſet ſi vita careret.

Econtra verò cum non ſit vita creata niſi tripliciter, ſcilicet vegetatiua, & ſenſitiua, & intellectiua, nulla videtur in prædictis corporibus eſſe vita. Neque enim plantę, nec animalia, nec Angeli vel homines ſunt. Ex quo relinquitur, quod nulla illarum vitarum viuunt. Ideoque nec viuunt. Si autem quęritur cur in creaturis non ſit niſi triplex genus vitæ, patet ratio, quia ſcil. vita in inferioribus iſtis actus eſt animæ. Anima vero non poteſt eſſe niſi ad vegetandum vel ad cognoſcendum. Ad vegetandum igitur eſt vegetatiua. Ad cognoſcendum vero non poteſt eſſe niſi vel reſpectu ſenſibilis, & ſic eſt ſenſitiua. Vel reſpectu intelligibilis, & ſic eſt intellectiua. Cæterum ſicut in corporibus dimenſio non ſtat citra ternarium, nec extenditur vltra ipſum, & hoc propter completionem huius numeri, vt habetur in principio cœli, & mundi, ſic anima ſiue vita, quæ eſt corporum completio ſiue perfectio completur in eodem numero. Eſt itaque vera ſententia, quod cæleſtia corpora nõ ſunt viua. Nec ſine ratione diſputatur à Theologis iſta quæſtio, quia non poſſet poni cęleſtia corpora viuere ſine fidei periculo. Ex hac enim opinione ponebant antiqui gentiles huiuſmodi corpora Deos eſſe. *Ideoque dicit Ioannes Damaſcenus* Nullus cælos animatos vel luminaria exiſtimet. Inanimati enim ſunt, & inſenſibiles. Dicendum eſt ergo, quod non habent vitam vt formam vel actum, ſed effectiue tantum habent calorem, & frigus, nec tamen calida ſunt vel frigida formaliter loquendo Et hoc videtur velle philoſophus dicẽs, quod principium potentiæ cauſa in vita eſt orbis primus. C Quod autem dicit commentator, quod principia, quę ſunt in orbibus viua ſunt, intelligi poteſt de intelligentiis, quæ viuunt, quas motores orbium eſſe ponũt. Vel etiam poſſumus dicere, quod viua dicuntur, vt prætactum eſt effectiue. Intendit autem commentator, quod primus orbis non ſolummodo ſit vitæ principium, ſed etiam cauſa conſeruationis viuentium. Vnde dicit philoſophus, quod principia, quæ ſunt in orbibus ſunt effectiuè viua, ideſt conſeruantia viuentes in vita. Cum autem dicitur, quod nulla cauſa efficiens minus nobilis eſt cauſato. Diſtinguendum eſt inter nobile, & ignobile, ſicut dicetur inferius, vbi patebit, quod cæleſtis corporis forma nobilior eſt omni vita inferiori quodammodo, vel poteſt dici, quod illud verum eſt de efficiente proprio, & immediato in productione vniuoca, vt cum animal producitur ex animali, vel planta ex planta.

Contraria ſententia probatur.

Nota pro Theologis.

Reſponditur ad rationes oppoſitas.

Reſponſiones ad quædam in contrarium obiecta.

CAP. XLIII.

POteſt autem aliquis contra prædicta opponere, quod vt dicunt Ariſtoteles, & Auicenna, omne generans habet apud ſe ſpeciem rei generandæ, & efficiens vel producens rei producendę. Species autem rei viuentis non niſi apud rem viuentem poteſt eſſe, cum ipſa rei ſpecies non ſit minus ſpiritalis ipſa re, ſed magis vel æquè. Cum ergo ſupercæleſtia corpora ſint producentia res viuentes in eſſe, videntur ipſa viuere. Cæterum nihil dat, quod aliquo modo non habeat, quin potius omne dans vel agens habet illud quod dat vel agit aut vniuoce cum recipiente aut aliquo modo excellentiore. Cum itaque nullus ſit excellentior modus habendi vitam quam viuendo, neceſſe eſt viuere quod dat vel agit vitam in aliquo. Deniq; dicit *Auguſtinus in libro confeſſionum*, quod nullum corpus corpori vitam præſtat ſcilicet quod ſit corpus tantum. At verò generans ſiue producens animalia ex putrefactione ſiue materia putrefacta, non eſt niſi cælum cum ſtellis ac virtutibus cæleſtibus, quæ agunt in

ob.

illa materia Relinquitur ergo, quod cælum cum ſtellis ſiue virtutibus cęleſtibus ſit res viuens vt videtur.

Reſponſio. Nos autem dicimus quod reuera ſicut in prima philoſophia vult philoſophus. Omne quod fit, fit ex conuenienti tam in naturalibus quàm in artificialibus. In naturalibus, vt cum animal facit animal. In artificialibus, vt quando mediante forma in mente artificis efficitur forma conſimilis in artificiali. Sed determinatur ibidem à commentatore quibus concurrentibus hoc intelligi debet, vt ſcilicet forma rei ſiue ſimilitudo ſit in agente non in inſtrumento, & in agente propinquo non remoto, & eſſentialiter non accidentaliter. Species enim rei producendæ in eſſe per inſtrumentum aliquod, non eſt in ipſo inſtrumento, vt ſpecies imaginis non eſt in ſecuri vel dolabro: Nec ſpecies hominis producendi in eſſe eſt in ſole, neque in agẽte accidentaliter, vt in agente non ſecundum intentionem neque propter finem. Sed quando eſt agens propriè non vt inſtrumentum, & agens propinquum, vt homo agit in generando hominem, eſſentialiter nõ caſu, vt eſt in eis, quę fiunt ex cauſis agentibus propter aliquid, tunc fit quod fit ex conuenienti, & generans vel producens habet ſpeciem rei agendæ vel producendę. Porro dans vel agens aliquid actione vniuoca habet illud modo vniuoco. Agens autem aut dans ſpeciem alicui ex propoſito habet illud, quod dat, ſcilicet ſpeciem illius excellentiore modo. Agens enim aliquid ex propoſito, quia agit comprehendendo habet ſpeciem eiuſdem in intellectu. Species autem rei modo excellentiore eſt in intellectu, quam in ipſa re, quia eſt in maiori puritate, & immaterialitate. Et hoc maximè verum eſt in intellectu, quam in primo agente. In quo excellentiori modo ſunt ſpecies rerum quã in ipſis rebus. Vt enim dicitur in 11. primæ philoſophiæ, cauſę non tantum ſunt in eis, quę fiunt, ſed ea, quæ ſunt extrinſecus ſunt cauſa. Super quod dicit cõmentator, quod primum mouens mouet ad omnes formas, & quod forma primi mouentis eſt aliquo modo omnes formæ, vt autem ibidẽ exponitur, eſt principium extrinſecus dupliciter primum & ſecundum. Primum eſt commune omnibus mouentibus, & hoc eſt principium de quo dicit, quod forma primi mouentis eſt aliquo modo omnes formæ. Secundum autem principium, quod eſt commune, & remotum, nõ eſt de neceſſitate conueniens, ideſt conforme. Hoc autem principium eſt illud, quod eſt cœli actio, quod eſt agens ex natura non ex propoſito. Vnde tale agens vel dans aliquid non habet illud, quod dat.

Adhuc ad idem.

CAP. XLIV.

ITaque quod dicit Auguſtinus, quod nullum corpus corpori vitam præſtat, verum eſt de principio intrinſeco, quod per ſui vnionem viuificat, tale enim nõ poteſt eſſe niſi forma ſpiritualis. Et huius ratio eſt, quia vt ſupra dictum eſt, vita eſt vigor, qui non poteſt procedere niſi à ſubſtantia ſimplici carente extenſione propter ſuam actualitatem, & nobilitatem. Si autem intelligitur de principio extrinſeco, ſic non eſt verum, niſi intelligatur, quod non dat vitam per virtutem omnino corporalem. Poteſt enim corpus cœleſte habere virtutem aliquam viuificatiuam, per quã dat vitam aliquo modo, quę quidem non eſt omnino corporalis, licet habeat eſſe in corpore. Et ideo ex hoc non ſequitur, quod huiuſmodi corpus viuat.

Alius modus reſpondendi melior. Poteſt etiam & aliter dici ad hoc & præobiecta, quod illud eſt verum de eo, quod dat vitã ſicut principium effectiuum, cui principaliter attribuitur forma rei generandę, & ideo locũ non habet, quando agens exterius ſe habet in ratione excitantis illud, quod latitat interius. Sicut calor fimi (ſecundum quod experientia docet) de ouo facit pullum. In alia enim de ouis poſitis in fimo producũtur pulli ſine decubatione gallinæ, nec tamen habet vitam, nec ſpiritualem A virtutem, ſed per corporale exterius excitatur ſpirituale latens interius. Nec huiuſmodi productio attribui debet excitanti tanquam principali efficienti, ſed magis illi qui illam rationem indidit, qui etiam hoc explicat tempore oportuno. *Vnde Aug. libr. 12. de Ciuitate Dei.* Deus operatione qua nunc vſque operatur facit vt numeros ſuos explicent ſemina, & à quibuſdam latentibus ac inuiſibilibus inuolucris in formas viſibiles huius quas aſpicimus decoris euoluant: & ſic intelligi poteſt in propoſito. Sicut enim ex cauſis naſcentium quibus mundus grauidus eſt ſecundum Auguſt. tempore oportuno animalia quædam producũtur in eſſe operatione conſimili in ſpecie virtute cœleſti cooperãte, vt in generatione vniuoca. Simili modo ex eiſdem cauſis producuntur quædam animalia in eſſe, mediante virtute cæleſti excitãte virtutem intra latentem ſine operatione conſimili. Huiuſmodi ſunt illa, quæ exeunt in eſſe ex corporum corruptione. Et ſicut prima productio ſiue virtus adproducendum eſt indita creaturis modo iſto à prouidentia conditoris, ſic & ſecunda, modo ſecundo. *Vnde Aug. ad Oroſium* Multa itaque videmus animalia ex corruptione corporum maximè mortuorum naſci. Nunquid tunc creata ſunt ipſa corpora: abſit vt tunc creata dicantur quando ipſa corpora, ſed corporibus inſita ſunt, & quodammodo initiata quæ ſunt tempore exoritura. Sicut enim ſemen cuiuſlibet arboris habet quandam vim, vt cum obrutum fuerit in terra oriatur & virgultum producat, Deinde ramis nihilominus conſtipata dilatetur, Et frondibus ab eiſdem ac floribus decorata fructificet: ita eſt in corpore vt ita dicam quoddam ſeminarium, vnde ſuo tempore curãte prouidentia Dei aliqua genera oriantur. *Similitudine declaratur.*

B

C

De comparatione formæ cœleſtium corporum ad vitam inferiorum.

CAP. XLV.

FOrma vero cœleſtium corporum licet vita non ſit, tamẽ quo ad quædam nobilior eſt omni vita iſtorum inferiorum. Eſt enim omnino ſeparata à contrarietate, ideoque incorruptibilis eſt per ſe ac per accidens loquendo phyſicè, & quantum ad hoc eſt nobilior tam vita ſenſitiua, quam vegetatiua. Licet enim neutra compoſita ſit ex contrariis, vtraque tamen ſequitur contrariorum mixtionem, & ideo vtraque eſt corruptibilis. Præterea forma corporis cœleſtis omnino eſt inalterabilis, & impaſſibilis, & quantum ad hoc eſt nobilior * etiam, quam vita intellectiua hominis. quoniam huiuſmodi vita eſt alterabilis, & paſſibilis quodammodo ſequendo complexionem corporis. Denique nobilioris ſunt conditionis corpora cœleſtia, quantum ad virtutem influunt in inferiora, qua ſcilicet illa in eſſe producuntur, & conſeruantur, & etiam quantum ad eorum formæ nobilitatem, qua omnino appetitus materiæ terminatur, quæ ſcilicet duo non inueniuntur in illis quę vita perficiuntur. Verum licet corpus cœleſte nobilius ſit corporibus vegetabilium ac ſenſibilium quantum ad luminoſitatis, & incorruptibilitatis ac cæterorũ prætactorum proprietatem, tamen non quantum ad vitam ſuſcipiendi aptitudinem ſiue dignitatem. Forma quippe viuificatiua multarum operationum eſt principium. Ideoq; corpus ad huiuſmodi formam aptum non poteſt eſſe, niſi corpus heterogeneũ, & quantum ad naturam complexionis, quæ ex multis eſt cauſis, & quantum ad eſſe organizationis. Quæ quia nullum cœleſte corpus habet, ideo tantam idoneitatem reſpectu vitæ non habet. *Excellentia formæ cœli qua ſuperat vitas inferiorum ſcili. corporeas.* ** Hoc minus bene dictum videtur, niſi condiatur grano ſalis, per illud (quodammodo.)*

D

E

Sed forſitã aliquis obijciet, quod in 11. primæ philoſophiæ ſcriptum eſt, principium mouens cœlũ mouet ſicut mouet deſideratum, & intellectum. Ex quo arguit commentator, quod cœlum eſt animatum, ſi enim mouetur cœlum, ſicut deſideratum, & intelle- *Ob.*

ctum,

ctum tunc illud mobile, quod mouetur ab illo, scilicet cælum est desiderans, & intelligens, ac per consequens animatum. At philosophus de vltimo mouente loquitur, qui nullo modo nec per se nec per accidens mouetur, & dicitur mouere, vt desideratum, & intellectum, non quia desideratum sit & intellectum ab ipso primo orbe vel alijs, sed à motore primi orbis. Ponebant enim intelligentias motores orbium, vt iam superius ostensum est. Dicitur autem mouere vt desideratum, & quantum ad effectuo, qui fiunt in inferioribus per motum orbis primi, & aliorum, & quantum ad effectum assimilationis ipsorum orbium ipso primo. Motores enim orbium desiderant, & intelligunt ab ipso primo mouente aliquos effectus fieri in istis inferioribus mediante motu corporum supercælestium, & etiam in ipsis corporibus cælestibus, quorum ipsi sunt motores coniuncti. Effectus in orbibus istis est assimilatio ipsi primo.

Resp.1.

Resp.2.

Vel potest aliter dici, quod primum mouet, sicut mouet desideratum, & intellectum, non quia ipsa mobilia seu mota scilicet corpora cælestia desiderent, & intelligant ipsum, sed quia ipsum primum mouens mouet sicut illud, quod desideratur, & intelligitur, idest sicuti finis mouet desiderantes ipsum, & intelligentes. Hoc est, mouet nullo modo motus. *Vnde commentator ait.* Cum primum mouens mouet, & non mouetur, neque secundum accidens neq; secundum seipsum sicut mouetur anima, quæ est in corpore, Necesse est vt iste motor moueat quemadmodum desideratum, & affectatum mouet nos.

Vtrum viuat aliquod animal carens sanguine.

CAP. XLVI.

Leuit.17.

QVoniam autem in multis locis dicit scriptura, quod animæ idest vitæ sedes est in sanguine. Videtur quod nec anima, nec vita sit in carentibus sanguine. Econtra vero certa nouimus experientia, quod multa genera piscium viuunt sanguine carétia. Cumque anima sit spiritualis substantia, non habens situm, nec determinans sibi partem in qua sit per inscisionem. Merito quæri potest cur in sanguine dicatur habere sedem. Cæterum cum sedes animæ vel vitæ est in sanguine cum in omnibus membris sit sanguis, in omnibus erit sedes vitę. At huic contrarium habetur in libro de motu cordis, vbi dicitur quod cor est proprium vitæ domicilium.

Difficultas.

Resp.

Nos itaque dicimus, quod quædam carentia sanguine viuunt, & animas habent. Cum autem dicitur animæ sedes esse in sanguine, ibi dicitur anima vita carnalis, quæ finitur morte. Vnde super illud verbum Leuitici. Anima carnis est in sanguine, dicit Augustinus, quod in sanguine aliquid est vitale, quia per ipsum maximè in hac carne viuitur, quia per omnes corporis venas diffunditur, ipsaque corporis vita anima vocatur, non vita quæ migrat, sed quæ morte finitur, qua videlicet locutione vtitur & Apostolus dicens.

Anima sumitur pro vita carnali quandoque.

Act 20.

Non facio animam meam precioſiorem, quam me. Vita ergo hominum temporalis, & vita pecudum in sanguine dicitur esse, quia inter quatuor humores sanguis est temperatissimus, & maxime amicus naturæ. Omniaque membra tam solida quàm mollia à sanguine tanquam nutrimẽto habent ortum, quia membrorum omnium sanguis est nutrimentum. Quod ergo dicitur, anima & vita in sanguine habent esse vel sedem, intelligi debet in habentibus sanguinem. Nec ibi sumitur anima pro spirituali substantia, quæ est corporis perfectio, viuificans illud sua præsentia, sed vt dictum est, pro corporali vita, cuius sedes dicitur esse in sanguine. quia sanguis est maxime amicus naturę, ac per hoc maxime conseruatiuus vitæ. *Et vt legitur in libro de motu cordis.* Calor, & humor conseruatiua sunt vitę, quæ sunt proprię qualitates sanguinis, maximè, quia nutrimentum membrorum est sanguis, A quorum esse, & ordo est propinqua dispositio ad informationem animæ. Ex cuius colligantia cum corpore est vita corporalis. Denique cor dicitur vitæ domicilium ratione prędentiæ vis vitalis, & hoc non impedit, quin etiam vita sit in aliis membris.

De quadruplici assignatione sedis vitæ in corpore.

CAP. XLVII.

POrro quia sedes animæ vel vita quandoque dicitur esse sanguis, vt in Leuitico, quandoque cor in Euangelio, & etiam in libro de motu cordis; Quandoque vero caput, sicut ponitur à Cassiodoro, Et quãdoque cerebrum vt assignatur à medicis. Ad hoc de facili potest ex prædictis respondeti ex parte, cur scilicet sanguis dicitur sedes vitæ, quia maxime est amicus naturæ, ac per hoc maximè conseruatiuus est vitæ. Similiter etiam dicitur cor domicilium vitæ, ratione scilicet præsidentię vis vitalis, quæ primo viget in corde. Cur autẽ caput dicitur sedes animæ, ratio est membri sublimitas, & figura quæ bene competit sublimitati rationalis creaturæ. Vnde Cassiodorus, plurimi ait, in capite manifestant animam insidere ad similitudinẽ aliquam diuiniratis, si fas est cum reuerentia tamen dicere, quæ licet omnia ineffabili substantia sua repleat, scriptura tamen cerebro eam insidere confirmat. Dignum est enim vt peteret arcem, quæ se nouerat cœlesti operatione sublimem, & tali loco prę cæteris versari, vnde reliqua membra debuissent competenti regimine gubernari. Nam & ipsa figura capitis sphęroide pulcherrima est, quam sibi immortalis atque rationalis anima digne faceret mansionem. Item medici ponunt cerebrum esse templum siue sedem animę, & hoc maxime quantum ad illam partem animæ, quæ est cognitiua. Sicut enim in templo tres sunt partes principales, scilicet vestibulum, consistorium, & apotheca, ita phantastica cellula, logistica, & memoralis, partes sunt cerebri principales. Anima ergo phãtastica cellula quasi in vestibulo diuersas per imaginationem suscipit formas. In logistica cellula quasi in consistorio de imaginatis ratione discernit. In memorali vero cellula quasi in apotheca anima ea, quæ maginatio recipit, ratio discernit, per memoriam conseruat.

Figura capitis sphæroides.

Vtrum ante organizationem vita sit in embryone.

CAP. XLVIII.

HAbet autem quæstionem, vtrum in embryone vita sit ante organizationem, videtur enim hoc in libro de animalibus sentire Aristote. dicens, quod omne conceptum viuit, sicut viuunt arbores. Et vocat conceptum semen à generante in matrice relictũ, In eodem quoque dicit, quod non potest ali quis dicere conceptum animam omnino non habere, & vita priuatum esse. *In libro de motu cordis* sic ordinantur actus animæ. Viuit anima, & vegetatur sentit & mouetur, discernit & intelligit, & quæ ex illis oriuntur non facile, mirabilia habet efficere. Harumque potentiarum hęc prima distantia est quod vitam quasi primam sequuntur cęteræ, sine qua nullam cæterarum inesse possibile est. Actus vero consequentes necessario præsupponunt priorem. Cum ergo in embryone vigeant actus consequentes ad vitam actus vegetandi, & augmentandi, & huiusmodi, Relinquitur quod in illo sit actus prior qui est vitæ siue vita. Præterea cum sine virtute vegetabilis ac sensibilis non possit organizari corpus hominis, & præparari conuenienter ad susceptionem animę rationalis, necesse est vt videtur prius esse vegetabilem ac sensiblem in semine, quàm organizato corpori rationalis infundatur. Hoc etiam videtur velle philosophus in libro de animalibus dicens. Necessatio erit in conceptu prius anima cibatiua, & cum creuerit erit in eo

Sententia asserens vitam inesse embryoni probatur.

sensibi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſenſibilis anima per quam dicitur animal, & non eſt animal ſimul. *'Denique in libro de motu cordis ſcriptum eſt*. Vitam actu æqualiter omnibus ineſſe neceſſe eſt. Æquè enim eſt viuens embryo, & adoleſcens.

Sententia negans probatur.

Et econtrario poteſt obijci, quod dicitur in eodem libro, animatum & viuens paria ſunt ad ſe inuicem. Si ergo viuit embryo eſt corpus animatum, ac per cõſequens planta vel animal, quorum vtrumque falſum eſt. Cæterum ex hoc ſequeretur, quod plures animæ ſecundum ſubſtantiam eſſent in homine quolibet. Cuius cõtrarium legitur in libro de eccleſiaſticis dogmatibus, vt iam ſuperius dictum eſt.

Opiniones varie de eadem materia.

CAP. XLIX.

CIrca hanc itaque materiam diuerſi diuerſa ſentiunt. Quidam enim prędictis verbis Ariſtotelis innitentes dicunt, quod embryo viuit ante organizationem, & habet animam vegetatiuam ac ſenſitiuam ante animæ rationalis infuſionem. Et hi ponunt hominem habere tres animas, vel tres animæ ſubſtãtias, vt iam dictum eſt alias. Quidam enim dicunt, quod tres animæ ſunt in homine. Quidam vero quod quãuis tres ſunt ſubſtantię, non tamen tres animæ. At hęc poſitio contraria eſt Auguſtino manifeſte dicenti nõ eſſe plures animas in vno homine. *Nam in libro de anima, & ſpiritu legitur*. Anima dum carne exuta eſt, viuit ac videt, audit, omneſque ſenſus, & ingenia viuaciter tenet. Homo enim anima ſentire diceretur exuta, niſi potentiam ſentiendi haberet ex eſſentia ſua. Illaque virtute qua anima ſentit ſenſificat corpus quod perficit. Alij verò ſuppoſito, quod rationalis habeat ſuam vegetatiuam, & ſenſitiuam, ponunt neceſſariò duas vegetatiuas, & duas ſenſitiuas in eodem eſſe, prioreſque ceſſare ab operatione fortiori virtute ſuperueniente. At verò, nec hoc videtur probabile, quia teſte philoſopho. Natura nihil agit fruſtra, multoque fortius actor naturæ. Si autem eſſet in homine duplex vegetatiua, & duplex ſenſitiua, altera eſſet fruſtra. Ex hoc etiam ſequeretur, quod in homine plures eſſent animæ per ſubſtantiam diſtinctæ, cum animæ potentia non ſit ſine ſubſtantia. Quidam autem ponunt priores corrumpi rationali adueniente, & tanquam ad tempus commiſſas completa organizatione deficere. Sed hoc quoque non videtur probabile cum organizatione completa fortius vigeant vegetatiua, & ſenſitiua eo quod fini ſuo ſunt magis coniunctæ. Denique vnde eſſet illis deficiendi ratio vel cauſa cum animæ huiuſmodi non habeant deficere, niſi ex aliqua diſſolutione ſiue corru; tione facta circa earum ſubiecta.

Confutatio variarũ ſententiarum de numero animarum in eodem homine.

Probabilior Alexandri ſententia.

CAP. L.

POſſumus ergo dicere ſine præiudicio, quod propriè loquendo non viuit embryo eo modo quo illud, quod habet animam ſiue formam ac perfectionem dicitur viuere, ſed impropriè loquendo, & extenſo nomine. Sic enim omnia illa dicuntur viuere quibus communicatur aliqua operatio vitæ, ſiue hoc ſit ex animæ præſentia viuificantis id, & informantis, ſiue ex contiguatione vel continentia cuiuſlibet viuificati, vel viuentis ex animæ pręſentia illud informãtis. Sic etiam poma viuere dici poſſunt non quia viuificentur ex animæ præſentia informantis vel viuificantis illa, ſed ex influentia quam ex planta recipiũt, cui contigua ſunt, ſic ergo embryo viuit loquendo impropriè, quia non ex præſentia informantis animę, ſed ex influentia quam recipit à corpore continente. Vbi autem dicit Ariſtoteles, quod conceptum viuit ſicut arbores, ibi ſumitur viuere pro vegetari. Et hæc dictio ſicut notat ſimilitudinem quantum ad genus actus, non quantum ad modum, vt ſit ſenſus. Conceptum, & arbores hanc habent ſimilitudinem inter ſe, quod vegetatur vtrumque.

Embryo impropriè viuit.

Explicat vt Ariſtoteles.

Quod autem dicit idem philoſophus, quod dici non poteſt conceptum animam omnino non habere. Sic debet intelligi, quod habet animam operantem in ipſo, ideſt operationem animæ, non tamen habet animam informantem ſe. Vnde faciẽda eſt vis in hoc, quod addit omnino, quia ſcilicet non poteſt vere dici animam omnino, id eſt quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad operationem ſeparati à concepto. Ad hoc autem, quod obiectum eſt, quod viuere eſt primus actus animæ quem pręſupponunt, conſequenter dicimus, quod eodem modo habent ordinem quo habent eſſe. Cum enim datur alicui vita mediãte anima illud informante, conſequenter vegetatur ac ſentit eadem mediante. Cum autem datur alicui vita aliquo modo ex contiguatione, & continentia alicuius alterius, quod ex animæ præſentia ſe informantis viuificatur, conſequenter vegetatur ac ſentit illo mediante à quo continetur, & hoc per influẽtiam quam ab illo recipit. Et notandum, quod in deciſione ſeminis à generante derelinquitur virtus in ſemine, quæ inualeſcit, & vigoratur à virtute continentis, ſicut natura quandoque confortatur, & roboratur opere artificis. Vnde virtus illa ſeminis ſic roborata operatur ad organizationem, præparatque corpus ac reddit congruum ad animæ rationalis ſuſceptionem inceſſanter cooperante, & influente ipſo continente. Vnde nõ eſt neceſſe prius ineſſe vegetabilem ac ſenſibilem embryoni per modum informantis, vt ſic præparetur ad ſuſceptionem rationalis, ſed ſolummodo per modum exterioris ipſum corpus præparantis, quod debet eſſe organum ac perfectibile ipſius animæ perficientis. Quod autem dicit philoſophus, quod erit in conceptu prius anima cibatiua, & poſtea ſenſibilis anima, poteſt intelligi quantum ad operatiuam non quãtum ad ſubſtantiam informatiuam Prius enim in eo fiunt operationes vegetatiuæ, quæ ſunt alimẽto vti, & augmentari, quam opera ſenſitiuæ, & prius opera ſenſitiuę, quàm intellectiuæ. Si autem obijcitur, quod non eſt virtus ſine ſubſtantia, dicimus, quòd eſt ſubſtantia in qua virtus radicatur, & eſt ſubſtantia, qua quandoque virtus defertur. Vnde poteſt dici vere, quòd nunquam eſt virtus ſine ſubſtantia radicabili vel deferente. Quod autem animatum, & viuens ad ſe inuicem parta ſunt, intelligitur de viuente per præſentiam viuificantis animæ, quod dicitur viuens propriè. Vbi autem dicit philoſophus, quod æquè eſt viuens embryo, & adoleſcens, embryo extenſo nomine dicitur fœtus, & organizatus.

Embryo ſumitur extẽſe profectu organizato.

Vtrum in humoribus ſit vita.

CAP. LI.

VIdentur autem etiam humores viuere, quia nihil reſurget, niſi quod viuit. Cum illud, quod reſurget de veritate ſit humanæ naturæ. Quod autem reſurgant humores, patet in corpore ſaluatoris, in quo reſurrexit ſanguis, cuius ſacramentum eſt vini ſpecie in ſacramento altaris. Sanguis enim ibi ſumptus, eſt glorificatus viuunt ergo humores vt videtur.

Viuunt humores.

At obijci poteſt econtrario, quia nihil viuit quod non ſit colligatum membro, humores autem non ſunt colligati membris, ſunt enim in partibus corporis ſicut in vaſe ſcilicet in venis, vnde fit horum diminutio ſine læſione corporis. Præterea ipſis humoribus nutriuntur membra. Alimentum autem quo membra nutriuntur non eſt vitæ ſubiectum, donec conuerſum fuerit in membrum. Deniq; ab anima nihil inſtabile, & fluxiuum viuificatur, & ideo, nec dicitur viuere, niſi quod habet ſtabilitatem, & fixionem in corpore, at humores huiuſmodi ſunt, quia continue fluunt ac refluunt.

Probatur sẽtentia quæ id negat.

Dicimus ergo, quod viuere dictum de corpore tripliciter

Reſolutio.

pliciter accipi potest, scilicet proprie, minus proprie, & minime proprie. Proprie dicitur viuere illud corpus, quod vnitur animæ ipsum perficienti, sicut corpus organicum iam actu ab anima perfectum. Minus proprie dicitur viuere, quod licet non sit coniunctum animæ perficienti, coniunctum tamen est corpori habenti animam vt perfectionem, & licet non habeat animam, tamen habet aliquam vitalem virtutem, per quam & per virtutem alienam, scilicet alicuius contigui vel continentis habet operationes consimiles rei viuę, sicut in præcedentibus dictũ est de embryone, & sicut de capillis est, & vnguibus. Minime proprie dicitur viuere, quia ex colligatione sui cum corpore viuente recipit aliquam vegetationem, vnde est in dispositione ad vnionem cum corpore viuificato, & est sicut instrumentum respectu vitalis virtutis, quamuis non sit vnitum animę, nec habeat virtutem vitalem intra se. Et per hunc modum dicuntur viuere spiritus, & humores, qui deseruiunt virtuti vitali, & per illam quodammodo in corpore vegetantur, & augmentantur, & restaurantur. Vegetãrur dico communiter loquendo, eo modo quo dicitur vegetari in corpore, quod non putrescit vel corrumpitur.

Humores improprie viuunt.

Sic ergo improprie, accepto viuere, concedi potest, quod humores viuunt. Si autem proprie accipiat, sic dicendum est, quod non viuunt. Non solum resurget, quod vivit primo modo dicto viuendi, sed & quod secundo sicut capilli, & vngues. Et etiam quod tertio sicut humores, qui resurgent, vt dicunt quidam, fortè ad decentiam repletionis, & vacuitatis in corpore siue in venis, vel ad complementum corporis humani.

Ob.

Quod autem dicit Damascenus. Christi corpus esse factum ex purissimis beatæ Virginis sanguinibus, non intelligitur de sanguine, qui est vnus ex quatuor humoribus, sed ibi sanguis pro carne sumitur. Rectè tamen illa portio carnis dicitur sanguis, quę vim habeat seminis. Sanguis autem magis propinquo conformis est seminis, quam caro. *Vnde secundum Damas. in Virgine erat semen diuinum.* Si autem obijcitur, quod sanguis est propinquior vitæ, quàm cætera, quę magis distant à corde, quia scilicet in corde secundum Cassiodorum est purissimis sanguis, quod est domicilium vitæ, & ita videtur sanguis viuere. *Dicimus*, quod huiusmodi propinquitas non est esse vitæ, sed potius aptitudo suscipiendi viuificationem, quæ prouenit ex propinquitate vel conformitate harmoniæ ac numerorum, quæ est rei viuentis ad animam viuificantem. Denique licet humores nutriantur, & augmententur ex cibis sanis, & naturę amicis. Non tamen sicut quæ viuunt ex influentia animæ perficientis illud, quod continet ipsos humores. Vnde eadem improprietate qua dicuntur viuere, dicuntur & nutriri, & augmentari, prout & dicuntur opera vegetatiuæ, quod ideo dico, quia in aliquo nutriti, & augmentari non est opus vegetatiuæ sicut in igne.

Resp.

Quòd virtus vitalis causa sit anhelitus ac respirationis, & caterorum.

CAP. LII.

SIcut autem superius dictum est, per virtutem vitalem fit dilatatio similiterque reductio, per quas vtrasque fit anhelitus, ac respiratio. Est autem anhelitus vnus ex voluntariis motibus, mouet enim pectus, & pectoris motus fit per neruos, qui lacertis inter costas positis continuantur. Omnis autem motus, qui fit per neruos & lacertos voluntarius est. Hinc est, quod homo quando vult spiritum suum artare potest, & respirationem prohibere: vtilitas anhelitus ac necessitas est custodia naturalis caloris in sua temperantia, vitalisque spiritus refectio, sed & animalis spiritus generatio. Custodia namque naturalis caloris in sua temperantia fit per ingressum aeris frigidi temperatè, quo refrigeretur eoque recreetur, quæ ex ipso fit inflammatio valida fumososque vapores emittat, qui fiunt ex sanguine, qui est caloris naturalis materia. Refectio quoque spiritus vitalis, & generatio spiritus animalis fiunt aeris ingressu temperatè frigidi.

Vtilitas anhelitus.

Vtilitas ergo, quę ad corpus ex anhelitu prouenit magna est, cum sit & firmitas, & subsistentia vitæ per spiritus. Spirituum autem firmitas, & robur per naturalis caloris fit temperantiam, quæ scilicet temperantia est per temperatum anhelitum, bonitatemque regiminis per cibos, & potus sanguinem temperantis, quem constat esse materiam caloris naturalis. Necessitas tamen caloris naturalis prior est ad anhelitum, quam ad cibum, & potum, maiorque huius quam illorum vtilitas est. Nam abstinere a cibo, & potu diutius potest homo, viuere vero diutius non poterit si anhelitus priuaretur officio. Denique si quem quasi suffocaueris, quodammodo viuum dimiseris. Primo omnium ad respirationem accelerat aeri quo, quæ ex calore sunt cordis incommoda, sedentur. Vaporesque fumosi, qui in eo congregati sunt egrediantur, sicque calor ad temperantiam suam reuertatur. Dehinc ad aquam appetitus eius conuertitur, deinde vero ad cibos.

De corruptione naturalis caloris ex interioribus causis.

CAP. LIII.

Causa mortis.

QVod autem dicit. Galenus mortis causam esse naturalis caloris temperantiæ corruptionem, intelligi oportet huiusmodi corruptionem aut ex mouentibus ab interioribus corporis esse causis, aut exterius aduenientibus. Et quæ quidem ab interioribus mouentur, aut sunt causa corruptionis organorũ eius aut qualitatis ipsius aut materiæ. Corruptionem organorum dico, quæ accidit cerebro vel cordi vel hepati. Cerebrum enim si corrumpatur, cessat virtus mouens, quæ ab eo ad pectus mittitur, cessatque anhelitus, & naturalis calor extinguitur. Corde verò corrupto, virtus vitalis deficit, qua aer à pulmone ad cor trahebatur. Porro si corrumpitur hepar cessat virtus generans sanguinem, qui est materia caloris naturalis. Horum autem corruptio propter incommodum accidit aut ex malo complexionis, aut ex malo organi. Complexionis malum aut calidum est vltra modum exurens, sicut accidit in febre causon. Aut frigidum, sicut in passione, quę coagulatio dicitur. Morbus organicus est, vt apostemata calida vel frigida, quæ alicui membrorum illorum accidunt, sicut phrenesis cerebro, vel etiam opilatio, quæ aliquando accidit cerebro, vt in apoplexia aut epilepsia, quibus vtrique vẽtriculi cerebri frigido, & crasso humore corrumpũtur. Vnde nec virtus ab eo mouens ad pectus mittitur, & ob hoc anhelitus arctatur, & deficit. Aliquando vero accidit pulmoni, vnde nec ad illum penetrat aer, nec per ipsum ad cor, & ob hoc naturalis extinguitur calor. Similiter, & si venis hepatis opilatio fiat, ad eum non peruenit aeris recreatio sed refrigeratur, & deperit sanguinis generatio. Hæ itaque causæ mortem afferunt, & accelerant, & magis, quæ ad cor descendũt. Nam quidem, & hepar si vehemens illi inferatur incommodum, & mortem parit cito. Si vero paruum quoquomodo portatur, & curari potest.

Complexionis malum. Morbus organicus.

Symptomata.

Naturalis vero calor accidens corruptio causa qualitatis ipsius, Aut propter fortissimum fit calorem sicut in esurientibus febribus, quæ calorem naturalem penetrant ipsumque dissoluũt, & annihilant. Et similiter quando quis medicamẽ nimis calidum sumpsit, vt euphorbium vel huiusmodi Aut propter exuberãtem frigiditatem, sicut in paralysi cæterisque frigidis morbis, qui naturalem calorem extinguunt. Similiter, & medicamen bibẽti frigidum vt opium vel cicutam accidit caloris naturalis extinctio, & ipsius materiæ

coagu-

coagulatio. Corruptio denique materiei naturalis caloris aut ipsius imminutione fit aut augmento. Imminutione quidem sanguinis aut aliquo aliorum humorum euacuatione superabundanti aut fame, aut siti. Dissoluuntur enim corporis humiditates, & calor naturalis extinguitur materiæ suæ priuatione. Augmento vero materiei, sicut in morbis, qui ex repletione fiunt humorum aut aliarum materierum vt cibi vel potus. Corpus enim cum sic repletum est non supereſt in eo locus aeris respirationi, quem percurrat. Fitque ab inde naturalis caloris suffocatio, sicut accidit vltra modum ebrio ex venarum cerebrique repletione. Fit etiam plerumque mors subita, sicut his quibus corpora sunt pinguissima.

Mori subitanibus cõtingit.

De corruptione eiusdem ab exterioribus.

CAP. LIV.

CORruptio vero quæ naturali calori ab exterioribus causis accidit, aut ipsius euacuatione fit aut eiusdem ad interiora suppressione, aut etiam repletione, aut anhelitus priuatione, aut substãtię vel qualitatis ipsius corruptione. Euacuatio eius fit, aut per euacuationem substantię ipsius aut materiæ, euacuatio substantiæ fit quandoque nimio gaudio quod huiusmodi repente accidit, egrediturque calor ad exteriora corporis simul, diffunditurq; ac dissoluitur, & refrigerantur quę exteriora corporis, sequiturq; mors. Accidit autem in hac specie naturali calori, quod lucernæ, si ventus in eam sufflat validior, ignis etenim soluitur, & extinguitur. Itaque contingit, & nos quodam nimio subitoq; gaudio exultantes, repente mortuos esse. Quandoq; vero pectori vel cerebro vulnus accidit, & ad eorum concaua peruenit, substantiamq; naturalis caloris euacuat. Euacuatio materiæ fit, vt si vulnus alicui fiat, aut venæ, aut arteriarum inscisio ac ruptura, defluatque tamdiu sanguis, donec extinguatur calor naturalis, & fiat mors. Accidit enim tunc calori naturali, quod lucernę, cum ab ea defecerit oleum, vt extinguatur. Corruptio naturalis caloris ex eius ad interiora suppressione est, sicut accidit illi cui subitus magnusque sit timor. Ingreditur enim totus naturalis calor ad interiora corporis simul, & conglobatur, & extinguitur, fitque abinde subita hominis mors.

Mors ex nimio gaudio.

Corruptio causa repletionis.

Corruptio eiusdem causa repletionis est, vt fit illis, qui aqua suffocantur ex concauitatis corporis eorum repletione à multitudine aquę, ita vt anhelare non possint. Accidit enim tũc ei quod & igni lucernæ, si multa sit in ea olei superfusio. Illi enim immergitur ignis, & extinctus perit. Corruptio eius ex anhelitus priuatione fit, sicut accidit illi, cuius os, & nares obturantur, cuiusque iugulum arctatur fumo, & aeris ingressu prohibito, superfluitates fumosæ cordi superfunduntur, sicque calor naturalis extinguitur. Accidit enim ei, quod & igni lucernæ, cum super eũ vas spissũ inuoluitur, & prohibet illi obuium esse aera fumus, quia super ignem conglobatur, vnde & extinguitur.

Corruptio ex vaporibus.

Corruptio substantiæ ipsius fit quandoque per aeris mali respirationem, quem miscent humidi putridique vapores, sicut illi qui soluuntur à cadaueribus mortuorum, quæ putrida sunt, quique à paludibus surgunt, & à veteribus foueis, in quibus est lutum magnæ putrefactionis. His enim corrumpitur substantia caloris naturalis, vnde mortui sunt plurimi ad huiusmodi loca descendentes. Illic enim accidit calori naturali, quod & igni lucernæ si in multo ponitur fumo, vel in loco vbi multi forteſque vapores surgunt, qui illum extinguunt. Quandoque vero fit reptilium venenatorum morsu vel ictu, quorum virus per corpus hominis diffunditur, caloriſque naturalis substantia corrumpitur. Corruptio qualitatis eius fit quandoque, quia nimio calore calefit, dissoluiturq; & refrigeratur, sicut accidit ei qui diutius in balneo magni caloris immoratur, aut ad æstum solis plurimum, tunc enim accidit ei quod & luci, si iuxta magnũ ponatur ignem, aut ad maximum solis calorem. Extinguitur etiam quandoque vbi frigore nimio refrigeratur intantum vt coaguletur, sicut accidit illis quandoque super quos cadit nix. Congelantur enim & moriuntur à naturalis extinctione caloris, cui tunc accidit, quod lucernæ, si ponatur in frigoris nimij loco. Hęc de vitali virtute agente sufficiant.

De virtute vitali patiente.

CAPVT LV.

VIrtus autem vitalis patiens est per quam ira fit & disceptatio quæque indignationem, & extollentiam ministrat. Et dicta est patiẽs, eo quod naturali calore fiat, cum ab exterioribus eum aliquid cõmouerit, ita quod sãguinis cordis ebullitio fiat, naturaliſque caloris egressus ad corporis exteriora simul, & ad vltionem mouetur animæ desiderium in eum qui sibi nocuit. Sic etiam dominatio ac decertatio est naturalis caloris exitus ad exteriora cum anima videri desiderat, & apparere in propatulo, fugam & detectionem indignans ne formidolosa dicãtur. Manifestum est autem harum contraria passionum ex contrarijs causis fieri. Iræ namque contrarius est timor, qui fit per naturalis ingressum caloris simul ad corporis interiora, cum alicui quæuis exterrentia superueniunt, aut ex sonis vt tonitrui, aut ex visis vt serpentis, feræ vel imaginis subitaneæ. Dominationis autem atque certaminis contraria sunt formido, & fuga, quæ fiunt per caloris naturalis recessum ad interiora, sic etiam est de alijs. Hæ sunt virtutes vitalis passibilis, & agentis diuersitates. Huius virtutis originem, & formam communiores philosophi medicique consenserunt esse cor. In hoc autem sicut & in naturali parcicipat homo cum omni irrationali animali. Virtus enim vitalis agẽs per quam dilatationis, & reductionis est actio, vitã omni animali ministrat. Virtus autem passibilis grauitatem, audaciem, & iram animali dat, & in homine quidem ira, & audacia eum cum regimine, & discretione virtutis rationalis, cuius sedes est cerebrum. Habet enim homo potentiam disponendi iram suam. Scitque discernere tempora quibus certamẽ est necessarium. Animal autem irrationale cũm aliquid ei superuenit, hoc operatur sine vlla animi discretione. Hæc de vitali virtute dicta sint.

Vis vitalis patiens.

Iræ cõtrarius timor.

Certaminis contraria.

CAP. LVI.

De virtute animali, & eius ſpeciebus.

VIrtus autem animalis est illa cui cerebrum sedes. & fornax est deputata. Huius species sunt tres, Prima est per quam cerebrum suas operatur actiones, hoc est per quam regimen stat, & huius totalitas dicitur mens. Alię vero duæ sunt per quas mediantib. neruis sensus fit, & voluntarius motus. Prima quidẽ quæ mens, & cogitatio dicitur, si diuisionem susceperit in tres partes distribuitur, in virtutem sc. per quam fit phantasia, & in illã quæ cogitationi præest, & illam per quam fit memoria. His autem à cæteris animalibus differt homo, suntque ei propriæ, maximè autem cogitatio. Hæc enim aliarum duarum firmitas est & robur, phantasiæ scilicet & memoriæ, quę propter illam sunt factę: per cogitationem namque discretio fit, & iudicium regimenque, & rerum ad inuicem intelliguntur discrepantiæ. Animalia vero irrationalia propriam operantur actionem sine aliqua discretionis via. Sicut equi propria actio cursus est, tauri aratio, Accipitris venatio, canis quoque custodia domus, &c.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Statio virtutum animalium.

Harum trium virtutum cuique statio, & locus proprius deputatus est. Phantasiæ scilicet duo ventriculi proræ cerebri, memoriæ verò posterior cerebri pars, & cogitationi medium. In his ventriculis est spiritus animalis, cuius per has virtutes actio est. Et vnaquæque propriam habet actionem. Phantasiæ actio est res formare, & imaginari, & ad cogitationem transmittere. Cogitatio verò res imaginatas speculatur, vt actiones, & artes, & scientias, earumque regimen atque dispositionem. Et siquidem est de ijs actionibus, quæ manu fiunt, sequitur constitutio, & propositum agendi, deinde verò membrorum motus voluntarius. Si autem est ex his, qnæ tantum conseruantur, sequitur illam custodia, id est actio memoriæ. Ipsa enim est virtus qua res conseruat, quas cogitatio intellectus ordinauit, & formauit, suisque locis impressit. Durant ergo firmæ stabilesque donec necessaria sit earum eductio à potentia in actum. Hæ sunt ergo actiones virtutis animalis per quas regimen fit. Porro virtutis sentientis, & virtutis mouentis operationes extrahet cerebrum meditatione neruorum, quæ sensui motuique sunt organa voluntaria, cum aliquis spiritus animalis, qui in cerebri ventriculis est, & in neruis mittatur ad omnia membra. Vnde cum aliquis neruorum qui ad aliquod membrorum illud peruenit insciditur, membrum illud sensu motuqne priuatur.

Alia diuisio virium animæ secundùm quosdam.

CAPVT LVII.

Naturalis vis quadruplex.

Gvilielmus de Conchis. Virtus ergo est possibilitas in mẽbris constituta, quod est suum perficiens. Cũq; tres sint species virtutis, sc. naturalis, & spiritualis, & animalis. Naturalis quadrifariam diuiditur. *Est enim appetitiua, retentiua, digestiua, expulsiua.* Vis appetitiua per calidum, & siccum operatur Hoc enim in homine sic contingit, hominis superficies calore exteriori, vel longo labore exiccatur, quæ suam inanitionem sentiens trahit succum à carne, caro ab intestinis, intestina ab hepate, hepar à patrefamilias, id est à stomacho, qui omnibus ministrat vnde viuunt, sed nullum sibi. Stomachus sentiens inanitionem suã per quosdam neruos calidos & siccos, qui in ore eius existunt, potum & cibum desiderare incipit, & appetere, & hoc est opus appetitiuæ virtutis.

Ortus & vsus detium.

Sed quia cibus crassus est, & durus, necesse fuit, vt priusquam stomachum intraret subtiliaretur, ad hoc ergo dentes parati sunt, nati ex flegmate per gingiuas descendente ex frigiditate densato, & spissato, & indurato, vt cibum cõterant. Quorum primi dicuntur insciſorij, horum est partem à parte separare. Circa istos sunt qui dicuntur canini, horum est quæ dura sunt frangere, Vltimi sunt molares. Lingua etiã huic operi deseruit, quia ad manus molendinarij more sic in ore præparatus per ociophagum in stomachum per portam, cuius est amplius introitus descendit. Sed quia nil valeret recipere, si statim emitteretur, fuit necessaria vis retentiua. Hanc operatur stomachus per frigidum & siccum, quia iterum nil valeret retinere, nisi mutaretur. Incipit vis digestiua, quæ per calidum & humidum operatur. Cibo ergo in speciem ptisanę mutato, stomachus quod cibi necessarium est retinet, & in sui substantia mutat. Reliquum verò sibi superfluum, & aliis membris necessarium vi expulsiua, quæ per frigidum & humidum operatur expellit, vt postea plenius dicetur: Hę sunt ergo naturalis virtutis operationes in homine, præter quas sunt ei, & aliæ duæ, scilicet augmentum & somnus, de quibus ad præsens breuiter tangemus. Augmentum ergo in nobis ex calido humidoque perficitur. Quod enim aliquid ascendit, est caloris, quod spissatur humiditatis, huius enim est dilatari, & diffundi. Somnus autem est quies animalium virtutum cum intensione naturalium. Dum enim homo dormit, cessant animales virtutes, quia tunc nec intelligit, nec discernit, nec meminit, nec sentit, nec voluntariè mouetur. At verò tunc actiones naturales augmentantur, quia natura scilicet à cura exteriorum libera intus operatur.

Augmẽtum

Somnus.

De virtute spiritali, & eius instrumento.

CAPVT LVIII.

Avctor. Porro secunda virtus, quæ dicitur spiritalis, ipsa est, quæ à cæteris auctoribus dicitur vitalis, & videtur hic sumi genus pro specie, quia sicut legitur in libris medicinæ, spiritus per quos firmitas corporis, & subsistentia fit, sunt tres, scil. naturalis, vitalis, & animalis, à quibus nomina sortiuntur tres vires animæ. *Vt enim dicit Hali in libro regalis dispositionis.* Spiritus naturalis generatur in hepate, vitalis in corde, animalis in cerebri ventriculis. *Gvilielmus de Conchis.* Virtus ergo spiritalis est possibilitas attrahendi, & emittendi aera. Huius fundamentum ac sedes est cor.

Cur respiramus?

Si autem quæris, quæ fuit necessitas attrahendi, & emittendi aëra, dico quod maxima, ne scilicet interior calor intestina comburat, sed debito modo temperentur. Sed quoniam ter conuertibilis est, citoque in interioribus accenditur, oportet, quod expellatur, & frigidus recipiatur. Hinc est, quod in acutis ægritudinibus os aperimus grauiusque spiramus, quia natura propter nimium feruorem captat aëris temperiem. De huius autem instrũmento scito, quod fumi pars, quæ in hepate nascitur, transiens per arterias, quæ à corde ad hepar extenduntur, quod spissitudinis habet deponit, subtiliataque ad cor perueniens ipsum dilatat, & tunc aerem attrahit. Deinde ipsum constringit, & tunc aerem expellit: huic actioni pulmo deseruit, qui ideo cordi suppositus est, vt superfluitates, quæ cum aere influunt expellat, ne venientes ad cor ipsum lædant. Habes ergo virtutis spiritalis instrumentum, & opus, restat nunc vt de virtutis animalis instrumento aliquid dicamus.

De instrumento virtutis animalis.

CAPVT LIX.

Avctor. De ipsa quippe virtute animali, & eius speciebus, in quibus sensus, & ratio comprehenduntur, latiores tractatus libris sequentibus reseruamus, quoniam in præsenti libro de illis animæ viribus quibus corpus suum vegetat, & sustentat principaliter intendimus. Quod ergo ad hanc materiam vtrinque attinet, de instrumento virtutis eius corporeo ad præsens pauca dicere sufficiat. *Gvilielmus de Conchis.* Prædicta ergo substantia, quæ in hepate fumus humidus existit, subtiliataque perueniens ad cor ipsum dilatat, & constringit à corde ad cerebrum per vasa subtiliata ascendit. Deinde transeundo per subtilissimum rete, quod est circa cerebrum colando ita subtilis efficitur, quod ibi præ sui subtilitate spiritus dicitur, cum tamen aerea substantia sit. Et hoc est instrnmentum virtutis animalis, quia transiens ad diuersa loca diuersas actiones animales perficit.

Spiritus vitalis non est anima.

Hanc verò substantiam voluerunt quidam esse animam, quod quidem in brutis animalibus facile possent concedere, sed nullo modo in homine. Et si enim subtile quid est, tamen corpus est, quotidieque crescit ac decrescit, quorum nihil in hominis anima contingit. Cæterumque hęc eadem substantia, cum indissolubilis sit anima, dissolui potest. Hæc tamen aerea substantia igniri, & in ignem transire, vel in aquam spissari potest. Hoc enim aeris proprium est Denique si anima esset, cum igni similis sit non læderetur ab igne, vt quid ergo timeremus flammas gehennæ? Est itaque substantia hęc in homine non anima, sed instrumentum animæ. Huius instrumenti vel

potius animæ per hoc inſtrumẽtum actiones eius prodeunt à capite. Sub craneo quippe ſunt duæ pelliculæ, quarum propinquior cranio durior ac ſiccior phyſicis dura mater dicitur. Quæ vero propinquior eſt cerebro, ne ipſum lædatur, eſt tenerior, & pia mater appellatur. Ex his omnes humani corporis nerui naſcuntur, vnde & matres dicuntur. Sed ex pia matre naſcuntur illi, qui ſenſuum inſtrumenta ſunt, & ad proram capitis tendentes ibi tumorem quendam faciunt. Ex dura vero matre naſcuntur illi, qui voluntarij motus inſtrumenta ſunt, & ad puppim capitis tendunt, ibique tumorem quendam efficiunt. Sub his autem pelliculis eſt cerebrum natura frigidum, & humidum.

Dura mater
Pia mater

Porro in capite ſunt tres cellulæ, vna, ſcil. in prora, & altera in medio, tertia in puppi. Prima dicitur phantaſtica, id eſt, vſualis, quoniam in ea videt anima, & intelligit. Huius cerebrum calidum eſt, & ſiccum, vt calore ſicco cuius eſt attrahere formas, & colores ſibi attrahat exteriorũ. Media vero dicitur logiſtica, id eſt rationalis, quoniam anima res viuas in ea diſcernit, figuras enim & colores quas vis phãtaſtica intus trahit, logiſtica vis ad ſe cõtrahit, ibique rem à re diſcernit, huius cellulæ cerebrum temperatum exiſtit, quia diſtemperies rationem impedit. Poſtrema denique dicitur memorialis, quia in ea exercet anima memoriam. Quod enim anima per primam cellulam attraxit, & in media diſcreuit per quoddam foramen, quod inter mediam, & poſtremam eſt, ad poſtremam tranſmittit. Hoc quidem foramen caruncula ſimilis capiti muliebris vberis obſtruxit. Cumque anima vult aliquid nouum memoriæ commendare, vel vetus ad memoriam reuocare, remouet ſe caruncula illa, ſicque foramen aperitur, quo peracto ne alia donec reuocentur exeãt, iterum obſtruitur, huius cellulæ cerebrum frigidum eſt ac ſiccum, frigidi enim ac ſicci eſt conſtringere ac retinere.

De impedimentis actionum eius per impedimenta inſtrumentorum.

CAP. LX.

SI vero qualitates iſtæ cerebri mutatæ ſint, prædictæ actiones minuuntur. Si enim aliquis habet cerebrum poſtremæ cellulæ humidum malæ memoriæ eſt, quoniam humiditas defluit ac figuras & colores turbat. Ideoque malam memoriam vocant auctores madidam. Si vero diſtemperatum eſt cerebrum mediæ cellulæ homo penitus eſt amens ſine ratione. Verumtamen quanto plus diſtemperatum eſt, tantò eſt homo minoris rationis, & quantò minus, maioris. Similiter etiam eſt de priori cellula. Si enim cerebrum frigidiſſimum eſt, homo ſtupidus eſt ac ſine ingenio. Et quantò plus frigidum eſt, erit ingenij tardioris, quantò minus, acutioris: probata ſunt iſta per vulnera in partibus illis recepta. Cum enim aliquis eſſet boni ingenij rationis ac memoriæ, notauerunt phyſici, quod accepto in prima cellula vulnere, vim quidem intelligendi amiſerat, rationem tantum ac memoriam retinebat. Quod eſſe Galenus ſic ſe probaſſe narrat. Cum quidam accepto ibi vulnere demens fieret, & in cænaculo figuli eſſet, dixit ei Galenus: Oſtende mihi ollam, qui ſtatim deiecit illam, deindeque ſubiunxit: Oſtende mihi figulum, qui ſtatim præcipitare voluit illum. Apparet ergo, quod diſcretionem habebat, qui figulum ab olla diſcernebat. Eodem argumento conſtat, quod memoriam prius cognitorum habebat. Item quandoque viſum eſt, quod aliquis accepto vulnere in poſtrema cellula, memoriam amiſit, & intelligentiam rationemque retinuit. Narrat etiam Solinus in polyhiſtore, quendam accepto ibi vulnere ad tantam obliuionem deueniſſe, quod neſciebat ſe nomen habuiſſe. Alius quoque viſus eſt, qui læſa cellula media rationem amiſit, memoriam tamen, & vim phantaſticam retinuit. Iure ergo dixerunt antiqui, caput ſapientiæ ſedem eſſe, vel Mineruam in cerebro natam eſſe, quoniam ea, quæ ſapientem faciunt, intelligentia, ſcilicet ratio ac memoria ſedem habent in capite. In eodem quoque capite ſunt quinque ſenſuum feneſtræ.

Mala memoria madida.

Diſtinctio & vſus cellarum probatur.

Alia diuiſio virium animæ ſecundum Philoſophos.

CAPVT LXI.

Actor. Sciendum autem, quod ſupradicta virium animæ diuiſio poſita eſt à medicis, ſed eſt alia, quę poſita eſt ab Auicenna cæteriſque philoſophis. Siquidem & Auicenna, qui in primo can. medicinę ſupradicto modo diuidit eas vt medicus, idem in libr. de anima alio modo diuidit eas vt philoſophus. Iuxta quẽ modum ſcilicet phyſicũ de his amodo diſſerendo procedemus. *Auicenna in libro de anima.* Vis & virtus, & potentia ex eo, quod eſt vis eſſentialiter, & principaliter eſt ad aliud cuius eſt principium, & non alterius. Ergo vires non ſunt, niſi principia propriarum actionũ principaliter. Poſſibile tamen eſt, vt vna vis ſit principium multarum actionum ſecundario, quæ ſunt quaſi rami ipſius. Omnis itaque vis habet actionem principalem, in qua non conuenit cum alia vi.

Tres vires animales

Dicamus ergo quod vires animales primo diuiduntur in tres. Prima eſt vegetabilis, quæ eſt prima perfectio corporis naturalis inſtrumentalis, in hoc, quod generatur, & nutritur, & augmentatur. Secunda ſenſibilis, quæ eſt perfectio prima corporis naturalis inſtrumentalis ſecundum quod apprehendit particularia, & materialia, & mouetur voluntate. Tertia humana, quæ eſt perfectio prima corporis naturalis inſtrumentalis, ſecundum quod attribuitur ei agere actiones deliberationis electione, & adinuenire meditando, ſecundum hoc quod apprehendit vniuerſalia. Ex lib. de natu. re. Potentiæ tamẽ animæ ſecundum Ariſtotelem quinque ſunt ſcilicet vegetatiuum, ſenſitiuum, appetitiuum, motiuum ſecundum locum, intellectiuum. Sed Auicẽna ſub ſenſibili comprehendit tres medias quinque prædictarum. In plantis quidem eſt vegetabilis ſola, & ibi nõ debet dici potentia, ſed anima. In brutis autem ſunt duæ, nec vegetabilis debet in eis dici anima, ſed potentia, quia materialis eſt ad ſenſibilem. In homine vero ſunt tres, quarum duæ non debent in eo dici animæ, ſed potentiæ, quia materiales ſunt ad animam rationalem.

Potentiæ animæ quinque ſecundũ Ariſtotelem.

De differentia earum ad inuicem.

CAPVT LXII.

VEgetabilis à cæteris differt, quia cognitiua non eſt. Cæterę vero differunt inter ſe, quia ſenſibilis per affectum in rem ſpiritalem non poteſt. Rationalis vero poteſt. Cæterum rationalis à cæteris differt, quia ſeparata eſſe poteſt. Cæteræ vero ſunt inſeparabiles. Denique rationalis ab intellectiua differt, quia rationalis ratiocinando mouetur de forma in formam, intellectiua vero nequaquam: *Albertus.* Anima ſecundum omnes philoſophos vegetabilis, & ſenſibilis, & rationalis in homine ſunt vna ſubſtantia, & anima vna, & actus vnus. Nec anima vegetabilis eſt in eo ante ſenſibilem tempore, licet prius manifeſtentur operationes eius. Non enim vegetabilis, & ſenſibilis in homine ſunt ab agente intrinſeco, ſed animæ rationalis ſubſtantia ſecundum ſe totam eſt per creationem, quia infunditur corpori organico. Et in quibuſdam partibus eius operatur opera vegetatiuæ, in quibuſdam ſenſitiuæ. Nec eſt dicendum, quod anima vegetabilis vel ſenſibilis in ſemine ſit ſicut actus in potentia, ſed ſicut artificium in artifice. Non eſt ergo eiuſdem rationis vegetabile in plantis, & animalibus, quia in plantis eſt ſpecies, in animalibus autem potentia tantum, & non ſpecies. Similiter ſenſibile in brutis

Vegetabilis manifeſtatur ante ſenſitiuam.

eſt ſpe-

eſt ſpecies, in homine verò potentia, non ſpecies. In plantis quidem ſufficit ad vegetabile materia ſeminis cum virtute cæleſti ſine operatione maſculi. In brutis autem oportet in materia maſculi eſſe ſemen, quod ſubſtantificat, & mouet materiam, quoniam aliter nõ egrederetur animal ſenſibile. In hominibus verò propter virtutem diuinã ipſius intellectus exigitur ipſius animæ creatio extrinſecus. *Ex libro fontis vitæ.* Actio animæ vegetabilis eſt vegetare, & generare. *Vegetare.* Vegetare eſt mouere partes vegetabiles à centro ad extrema. *Generare.* Generare verò eſt rem ex re conſimilem procreare. Actio animæ ſenſibilis eſt ſenſus, & motus. Sentire quidem formas craſſorum corporum in tempore, & mouere per loca. Actio animę rationalis eſt ſentire formas intellectuum ſubtiles, & moueri intellectibus non in tempore, & non in loco. Actio intelligentiæ eſt apprehenſio omnium formarum intellectuum ſine tempore, & ſine inquiſitione, ſine negocio, & ſine alia cauſa, præter ſuam eſſentiam, quia perfectè plena eſt.

De anima vegetabili, & eius operationibus.

CAPVT LXIII.

ARiſto. *in lib. de anima.* Anima quidem vegetatiua ſiue nutritiua omnibus viuentibus primo ineſt, maximè, quia communis eſt potentia animæ, ſecundum quam ineſt omnibus viuere, cuius opera ſunt generare, & alimento vti. Nihil autem augmentatur neque corrumpitur phyſicè, niſi quod alitur, nec quicquam alitur, quod non vitam communicet. Et anima quidem eſt cauſa alimenti, & augmenti ac decrementi. *Ignis cõcauſa alimentationis.* Ignis vero natura non eſt horum cauſa ſimpliciter, vt quibuſdam falſo videtur, ſed concauſa quodammodo. Ignis autem augmentans eſt in infinitum, quouſque combuſtibile eſt, ea verò quę per naturam conſtituuntur, habent omnia finem ac terminum quantitate, & augmento. Et aqua quidem igni alimentum eſt. Ignis autem non alit aquam. Quoniam ergo tria ſunt, alens, & quod alitur, & quo alitur. Primum quidem anima, ſecundum verò corpus, tertium eſt alimentum.

Porro alimentum omne neceſſarium eſt poſſe decoqui, & operari calore decoctionem vel digeſtionẽ, vnde animatum omne calorem habet. *Cur animatum calorem habet?* Differt autem animatum ab inanimato in viuendo, ſed multiplex dicitur viuere, & ideo multæ ſunt actiones vel differentiæ vitæ ſcilicet intelligere, ſentire, moueri, quieſcere, nutrire, augeri, & minui. Omne enim quod nutritur, neceſſariò viuit, nec viuit niſi dum poteſt accipere nutrimentum. Illud autem viuere ſolum dicimus, cui ineſt vnum aliquod prædictorum modorum, id eſt aliqua prędictarum quatuor actionum vel differentiarum vitę. *Idem in lib. 1.* Dicit autem Leucippus vitæ terminum eſſe reſpirationem, vel ſecundum tranſlationem anhelitum eſſe diffinitionem vitæ.

De viribus vegetabilibus.

CAPVT LXIV.

AVicenna *vbi ſupra.* Anima itaque vegetabilis habet tres vires. Vnam ſcilicet nutritiuam, quæ conuertit nutrimentum à corporalitate in qua erat, in ſimilitudinem corporis in quo eſt, & vnit ei propter reſtaurationem ipſius, quod reſolutum eſt ab illo. Aliam augmentatiuam, quæ auget corpus in quo eſt corpore, quod ei nutritiua aſſimilat augmento proportionali in omnibus ſuis dimenſionibus, quæ ſunt longitudo, latitudo, ſpiſſitudo, vt rem ad perfectionem perducat. Tertiam generatiuam, quæ accipit in corpore in quo eſt partem ei ſimilem in potentia, & operatur in ea per attractionem aliorum corporum, quæ aſſimilantur illi generi, & commiſcetur, conuertitque eam in ſimilitudinem ipſius in effectu. *Albertus.* Vis quidem generatiua ſemper adeſt, ſed non ſemper operatur, quia frequenter ab opere per accidens impeditur, & hoc vel debilitate organi, vt in iuuenibus, Vel ex defectu inſtrumenti, quod eſt calor, vt in ſenibus, & frigidis, Vel ex defectu ſeminis. Similiter augmentatiua ſemper adeſt, ſed impeditur plerumq; tam ex parte inſtrumenti, quam ex parte illius, quod debet augeri. Porro nutritiua ſemper operatur quamdiu viuitur. Eſt autem generatiua finis à quo denominatur, & diffinitur vegetabilis anima. *Generatiua finis vegetatiua, non nutritiua.* Nutritiua quippe non attingit niſi reſtaurationem materię indiuidui. Vnde cum materia non ſit finis, nutritiua non poteſt eſſe finis. Idem quoque iudicium eſt de augmentatiua, quæ tamen ducit ad perfectionem, & figuram quantitatis. Generatiua verò tendit ad ſaluationem formę ac ſpeciei, quæ ſimpliciter eſt finis. Ideoque dicitur eſſe finis in his dumtaxat, in quibus vegetatiua eſt vt ſpecies, hoc eſt in plantis. Poſſunt itaque omnes vires animę vegetabilis dupliciter ordinari, vel ſecundum reſpectum indiuidui, vel ſecundum reſpectum ſpeciei. Secundum primum modum generatiua erit prima, & ſequetur eam nutritiua. Vltima verò erit augmentatiua. Porro iuxta ſecundum modum generatiua erit vltima, cui ſcilicet miniſtrat augmentatiua corroborando organa à quibus deciditur generationis ſemen. Nutritiua verò ſeruit vtrique miniſtrando materiam.

De inſtrumento earum ac finibus.

CAPVT LXV.

OMnium autem virium vegetabilium calor eſt inſtrumentum. Sed probat Auicen. quod maior calor eſt inſtrumentum augmentatiuæ, quam nutritiuæ, quia ſcilicet maioris eſt virtutis extendere membra radicalia quæ dura ſunt, & conuertere cibum in ſubſtantiam, & quantitatem acuti, quod per inſtrumentum ſuum facit augmentatiua, quam conuertere ſubſtantiam cibi tantum in ſubſtantiam nutriti, quod per ſuum facit nutritiua. *Calor præcipuum inſtrumentum vegetatiuæ.* Sic vtique maioris virtutis calor eſt inſtrumentum augmentatiuæ, quam nutritiuæ. Eius tamen calor agit triplici virtute, ſcil. ignis ac cæli, & animæ. Et huic calori obedit frigiditas coagulans, illiſque ambobus obediunt humidum, & ſiccum recipiendo ac tenendo figuram, virtutis quoque generatiuæ inſtrumentum principale eſt calidum, ſecundum quod eſt coniunctum calido cæli, & calido animæ.

Secundario autem eius inſtrumẽtum eſt frigidum. Quibus ſcilicet duobus (vt dictum eſt) obediunt humidum, & ſiccum. Quòd autem his adiuncta debeat eſſe vis cæli, & vis animæ patet per Ariſto. in lib. de animalibus ſic dicentem. *Inſtrumentum ſecundarium.* Duricies, & mollicies atque viſcoſitas, atque omnia accidentia ſimiliter erunt in membris animatis ex calore, & frigiditate, mixtura verò ex qua quædam caro, & quoddam os non ex caliditate & frigiditate erit, ſed ex motu generationis ſecundum quem illud, quod eſt in actu, eſt ex illo, quod eſt in potentia, ſicut etiam accidit rebus artificialibus. Calor enim & frigus faciunt molle ac durum in ferro, gladius autem efficitur ex motu inſtrumenti, quod mouetur ſecundum ſcientiam artificis, quoniam ars eſt principium, & forma illius, quod erit.

Finium quoque differentia eſt, finis enim nutritiuę eſt per incorporationem cibi corpus animatum ſaluare. *Finis nutritiua & augmentatiua.* Finis augmentatiuæ eſt per incorporationem cibi quanti corpus ad perfectam magnitudinem ſecũdum figuram conducere. Vnde augmentatiua indiget maiori calore, qui ſufficiat organa extendendo, & cibum addendo ad magnitudinem debita ſpeciei perducere. Similiter & ſuperfluum nutrimenti ſuper quod operatur generatiua, eſt potentia totum corpus organicum non alij corpori addibile, ſicut fuit cibus nutritiuæ, & augmentatiuæ, propter hoc ibi maxime oportet vt operetur ſeminis tranſmutatiua, & organorum formatiua. Sic ergo patet, quod licet nutrimentum ſecundum ſubſtantiam materiæ ſit idem, non tamen

idem eſt ſecundum ſpeciei rationem. Alia quippe virtus eſt in ipſo à virtute nutritiua, quæ eſt in hepate. Alia verò à virtute augmentatiua, quæ eſt in fonte caloris, ſcilicet in corde. Alia quoque à virtute generatiua, quæ eſt in vaſis ſeminarijs. Per has ergo virtutes in cibum deſcendentes trahitur in diuerſas rationes, quæ fiunt ei ſpecificæ, ſecundum quod ad diuerſas potentias vegetabilis comparatur.

De inſtrumento vis nutritiuæ.

CAPVT LXVI.

PRimum itaque nutritiuæ inſtrumentum eſt calor naturalis, ſed ille calor eſt in triplici virtute, ſicut dicit Ariſtot. *in lib. de animalibus.* Natura, inquit, quæ eſt conueniens elemento terminanti virtutem, ſcilicet ignis generat animalia, neque apparet ſuſtentata, niſi ſuſtentetur in rebus humidis aut ſiccis. Et præter hanc in corpore ſunt calor animalis, nec in ſpermate tantum, ſed in qualibet aliarum naturæ ſuperfluitatum, id eſt in materia ſeminis, & in ſanguine, & in humoribus. Calor enim digeſtiuus, qui congregat partes homogenias ſibi, hoc eſt ſubtile, & ſpiritale, dulce, humidum, & diſgregat heterogenia ſibi, hoc eſt craſſum, terreſtre, aquoſum expellendo. Ille eſt de natura ignis, ſed calor, qui eſt principium viuificabilitatis in parte cibi, qui incorporatur eſt propriè calor cæleſtis, ac præcipuè qui eſt à lumine ſolis. Calor autem alteratiuus ad ſpeciem carnis, & ad ſpeciem oſſis dicitur calor animalis, & eſt ab anima. Et calor quidem vnus eſt in ſubiecto, ſed triplex in virtute, ſcilicet cæli, & elementi, & animę. Cumque iſtæ ſint operationes principales animæ vegetatiuæ, rectè ponitur calor vt proprium inſtrumentum eius in triplici virtute.

Calor agit in virtute animæ:

Patet itaque quod neceſſe eſt calorem agere in virtute animæ, quod etiam probat Ariſt. in lib. de animalibus hoc modo. Calor, inquit, innaturalis, conſumptiuus eſt ac deſtructiuus ſubſtantiæ. Calor autem naturalis conſeruatiuus eſt principium vitæ. Agit ergo in cæli virtute, quia calor cæli principium eſt vitæ. Porro frigiditas, quæ eſt in corpore humano obſequitur, vt dicit Auicenna, ſecundario membra coagulando. Frigiditatis enim proprium eſt coagulare humidum illud intra continendo. Hiſque duabus virtutibus obſequuntur duæ virtutes paſſiuæ, ſcilicet humidum & ſiccum, & hoc duobus modis ſcilicet ad ſubſtantiam membrorum, & ad figuram ac ſpeciem eorum. Ad ſubſtantiam, quia humidum per actionem caloris digerentis, & frigidi continentis continuat ſiccum. Siccum autem per actionem eorundem terminat humidum. Ad figuram verò ſpeciemque membrorum, quia humidum calido cedit, quaſi imprimenti circumſtando ipſum, vt legitur in 4. lib. Metheo. Sicque ſpeciei ac figuræ eſt receptiuum, ſed non retentiuum. Siccum autem retentiuum eſt, ſed non receptiuum. Ideoque commixtum ex humido, & ſicco bene receptiuum eſt, propter humidum, & bene retentiuum propter ſiccum. Ideoque humidum eſt cauſa vitæ, & materia. Omnes enim cauſæ longioris vitę conſiſtunt in humido difficulter ſiccabili, & in calido difficulter infrigidabili.

De ipſius actione.

CAPVT LXVII.

A *Vicen. vbi ſupra.* De actionibus quidem virtutum vegetabilium ſciendum, quod nutrimentum non ſemper permutatur in naturam nutriendi ſubito, ſed primo permutatur aliquantulum à ſua qualitate, & aptatur per mutationem in ſubſtantiam nutriendi, id eſt eius quod nutriendo debet vniri, in quo operatur virtus digeſtiua nutritiuæ deſeruiens. Hæc eſt enim quæ nutrimentum in animali diffundit, &

Actiones vegetatiuæ.

præparat ad hoc vt diffundatur æqualiter. Deinde virtus nutritiua permutat illud in aliud primo ſanguineũ, & poſt in ſanguinem & humores, ex quibus fit conſtitutio corporis, ſed omne membrum habet nutritiuam propriam, quæ permutat nutrimentum in ſimilitudinem eius propriam, & vnit ei. Virtus ergo nutritiua reſtaurat, & aſſimilat, & vnit, non ſolum ad hoc neceſſarium eſt nutrimentum, vt reſtauret, quod ſolutum eſt, ſed etiam natura eo indiget ad augmentandum corpus quouſque, ſcilicet perficiatur augmentum. Poſtea enim non eget eo, niſi ad ſupplendum, quod ſolutum eſt.

Ex virtutibus ergo animę vegetabilis virtus nutritiua operatur omni tempore vitę ſingularis, quæ dum permanſerit actiones ſuas exercens, vegetabile, & animal viua erunt. Si autem deſtructa fuerit, viua non erunt. Inſtrumentum autem (vt dictum eſt) primum huius virtutis eſt calor naturalis, calor enim aptus eſt ad mouendum materias. Poſt hunc ſequitur frigiditas ad faciendum eas quieſcere in ſuis operationibus, & perfectionibus. Qualitatum vero paſſiuarum inſtrumentum primum eſt humiditas, quæ eſt receptibilis figuræ, quam ſequitur ſiccitas, quæ conſeruat figuram, & iuuat eam ad retinendum formam. *Albertus.* Nutritiuę virtutis actus non ſunt eiuſdem rationis in animalibus, & plantis, niſi ſecundum genus. Cum enim nutriens plantam ſit aſſimilatiuum plantæ, & nutriens animal ſit aſſimilatiuum animali. Patet, quod id, quod nutrit hinc, & inde non eſt in eadem ſpecie nutrimenti, alioquin ex eiuſdem ſpeciei nutrimento aptum natum eſſet fieri lignum, & caro, quod vtique falſum eſt, ſimiliter etiam eſt de generatiua. Nam in plantis quidem generat lignum ex ſuperfluo nutrimenti, ex quo aptum eſt natum fieri lignum. In animali vero generat carnes, & oſſa corporis animati, quæ apta nata ſunt fieri ex ſuperfluo alimento vel nutrimento animalis.

Virtus nutritiua ſemper durat in animali viuo.

De vnitate virtutis nutritiuæ.

CAPVT LXVIII.

VNa ſola eſt nutritiua, quę eſt pars vegetabilis animæ, plures tamen ab ipſa cauſatæ ſecundum diuerſitates complexionis omnium membrorum ſimilium. Cum enim anima ſit motor corporis, non mouet ipſum niſi impreſſiones influendo illi, ſecundum quas anima poteſt ab ipſa etiam moueri, quæ ſcil. impreſſiones animales ſunt virtutes affixæ membris. Et in corpore quidem vt in ſubiecto ſunt, ſed tamen ab ipſa cauſatæ, & influxæ ſunt ipſi corpori. Cumque membra diſſimilia non nutriantur immediatè, ſed per ſimilia, quæ immediatè nutriuntur, & ex quibus illa componuntur, oportet illas virtutes affixas membris præcipuè multiplicatas eſſe ſecundum numerum, & cõplexionem membrorum ſimilium. Verum licet vna conuertat in os, alia in carnem, alia in venam, & ſic de cæteris. Quia tamen huiuſmodi termini qui ſunt particularium operum, non propriè ſecundum ſpeciem diſtinguunt operationem efficientis. Ideo virtutes illæ non propriè differunt ſpecie, ſed numero, & materia. Neque enim dicendum eſt, quod neruus, & os, & huiuſmodi ſunt organa nutritiuæ, ſed potius materia circa quam operatur nutritiua in organo exiſtens, vt in hepate vel in corde. Organa quippe ſunt officialia membra, quæ ad officium aliquod ſpirituale ſunt ordinata, vt oculus ad viſum, auris ad auditum. Eſt ergo alia reductio iſtarum virium ad nutritiuam, quam virium ad animam, & membrorum ad cor. Vires enim reducuntur ad animam vt ad ſubſtantiam & ſubiectum in quo ſunt. Membra verò ad cor vt principium ex quo generantur, & à quo recipiunt influxum vitæ. Iſtæ autem vires reducuntur ad nutritiuam, ſicut inſtrumenta quædam in quibus operatur nutrimentum. Et nutritiua quidem habet actum &

Virtus nutritiua in carne & oſſe non differt ſpecie.

Inſtrumenta nutritiua.

motum,

motum, qui eſt aſſimilando nutrimentum vnire ſubſtantiæ nutriendi per cibum aduenientem. Eſt tamen nutritio vnus motus, qui eſt in nutrimento, ſimplex quidem. Quem tamen præcedunt quidam motus ex parte nutrimenti, quod per digeſtiuam tranſmutatur ex contraiacentibus paſſionibus, & aſſimilatur membris, ac per calorem naturalem purius eleuatur ſurſum ad nutrimentum ſuperiorum, & craſſius deprimitur inferius ad nutrimentum inferiorum. Et calor quidem ignis conſumit, ſed calor digeſtiuus non agit tantum ſecundum proprietatem ignis, immo etiam ſecundum animæ virtutem, & ſecundum virtutem cæleſtem. Cumque nutritio ſit motus in partibus nutrimenti, cuius eſt reficere ſecundum materiæ partes effluentes ac refluentes, manifeſtum eſt id quod recipit hunc influxum eſſe motus illius ſubiectum, videlicet ipſum nutrimentum. Nam & ſi cibus tranſmutatur, non tranſmutatur motu nutritionis, ſed alterationis quæ ad nutrimentum exigitur. Denique licet nutrimentum eiuſdem ſit diſpoſitionis ante & poſt ſecundum formam, non tamen ſecundum materiæ partes, vt ex prædictis apparet.

De digeſtione prima ei ſubſeruiente.

CAPVT LXIX.

Gvilielmus de Conchis. Cum (vt ſuperius dictum eſt) vim retentiuam operetur ſtomachus per frigidũ & ſiccum qualiter dicitur digerere & coquere cibum. In hoc enim deſignari videtur ipſum eſſe calidum. At vero ſtomachus quidem naturaliter frigidus eſt, quia neruoſæ naturæ, vt quando plus homo comederit ſolito poſſit extendi, quando minus contrahi, & cum aliquid durum tranſigit non lædatur. Et vt melius retineat intus eſt villoſus. Quamuis autem naturaliter frigidus ſit, tamen ex accidente calefit.

Situs ſtomachi. Hepati namque ſupponitur, itaque ferè totus ab illo clauditur. In dextra quoque parte illius eſt fel, cor in ſiniſtra, quæ omnia ſunt calida, fit ergo accidentaliter calidus, vt igne ſuppoſito calefit olla, vel cacabus. Si ergo velimus proprie loqui in ſtomacho non à ſtomacho dicamus cibum coqui. Illic ergo cibus in ſpeciem typſanę mutatur, qualem videmus ſi poſt dormitationem modicam euomatur. Et hæc eſt digeſtio prima.

Digeſtio prima. Nec moueat, quod omnis res ſimile ſuum appetit, contrariumque fugit, vt ſtomachus cum ſit frigidus & ſiccus, frigida videatur appetere, calida vero & humida fugere. Nam ſtomachus & ſibi & aliis membris appetit. Omnibus enim membris ſeruit, vnde quod ſibi eſt ſimile ſibi appetit, & quod ſibi diſſimile aliis tribuit. Cibo ergo ſic mutato ſtomachus quod ſibi neceſſarium eſt retinet, & in ſui ſubſtantiam mutat. Reliquum vero ſibi ſuperfluum & aliis membris neceſſarium vi expulſiua quæ per frigidum & humidum operatur per inferius foramen expellit in *duodenum* inteſtinum, ſic dictum eo quod in vno continet quantitatem duodecim digitorum. Ibique relicto, quod eius conuenſt nutrimento, tranſit in aliud inteſtinum, quod *ieiunium* dicitur, quia quacunque hora animal occidatur, nil in eodem de ſucco inuenitur, huic autem ieiunio ſe coniungunt quædam ſubtiles venę, quæ progrediuntur ab hepate. Eſt enim hepar principium venarum, cor arteriarum, cerebrum vero neruorum. Per has quod ſubtile eſt in loco ſicco ad hepatis ſumma tranſmittitur. Vnde & mittendo à *meſeraicæ venę* dicuntur. Quod vero fæculentum eſt per longationem emittitur, & hoc eſt ſuperfluitas primæ digeſtionis.

Duodenum.

Ieiunum.

Meſeraicæ venæ.

De ſecunda digeſtione.

CAPVT LXX.

ILlud vero liquidum per meſeraicas venas ad hepatis ſumma perueniens eiuſdem calore digeritur, quodque in eo calidum eſt & ſiccum tranſit in choletam rubeam, atque per quaſdam venas ad ciſtam fellis tranſmittitur. Quędam tamen pars illius ad confortandum vim appetitiuam ad ſtomachum tranſit. Quod autem frigidum in eo eſt & ſiccum in melancholiam tranſmutatur, & ad ſplenem melancholiæ ſedem tranſmittitur, parte tamen quadam quæ vim retẽtiuam confortet ad ſtomachum tranſmiſſa. Quod vero ibidem eſt frigidum & humidum in phlegma mutatur, atq; pulmoni qui eſt ſedes phlegmatis commendatur. Cuius pars ad confortandam vim expulſiuam ad ſtomachum tranſit, quod vero calidum & humidum ibi remanet à calore hepatis in ſanguinem mutatur. Inde eſt quod naturalis ſanguis colorem habet hepatis.

Obiectio. Sed fortaſſe dicet aliquis, quod natura exigit, vt res alias res ſibi ſimiles gignant, quomodo ergo hepar cũ ſit calidum & humidum poterit, vel choleram, quæ eſt calida & ſicca, vel phlegma quod eſt frigidum & humidum, vel melancholiam quę eſt frigida & ſicca gignere. Huius ſolutionem ſic accipe. In prædicto ſucco ſunt quatuor humores mixti atq; confuſi, quos, in hepate natura ſeparat & diuidit. Atque quod calidum eſt & ſiccum cum nondum ſit cholera, ſed materia choleræ ad ciſtam fellis tranſmittit, & in ea ad choleram tranſit. Non ergo hepar, ſed ciſta fellis choleram gignit. Similiter etiam intellige de melancholia & phlegmate. Hepar vero ſanguinem ſolum quoniam illi confert eſſe ſanguinem. Materia ergo quatuor humorum à quatuor elementis in cibo & potu contrahitur & in ſtomacho præparatur. In hepate autem in quatuor humores diuiditur, & in eodem ſanguis formatur. In felle cholera. In ſplene melancholia. In pulmone phlegma. Eaque in quibus humores illi formantur, ſedes eorum dicuntur, quamuis de phlegmate dicunt quidam, quod non habet ſedem propriam, ſed cum ſanguine duabus de cauſis à natura retinetur, videlicet, vt auxilio labilitatis eius poſſit ſanguis per venas arteriaſque facilius diſcurrere. Et ſi ſanguis deficiat, ex phlegmate reſtauretur, habilius enim eſt ad creationem ſanguinis quam humores cęteri. Quod in illa mixtura ſuperfluum fuerit, per venam kilym quæ ſpinę adiacet, ad renes deſcendit, qui partem inde ad ſui nutrimentum retinentes, reliquum tranſmittunt ad veſicam, quod vrina dicitur, exiens per virgam, & hęc eſt ſuperfluitas ſecundæ digeſtionis.

Solut.

Superfluitas 2 digeſtionis.

De tertia digeſtione.

CAPVT LXXI.

SAnguis vero prędicto modo generatus in hepate per venas ad omnia membra pergit, quorum calore digeſtus in eorum ſimilitudinem tranſit, ſuperfluitas vero partim per ſudorem exit, alia pars ad hepar reuertitur, ibique decocta cum vrina exit, *ſedimẽq;* vocatur. Et ſiquidem in vaſe in quo vrina colligitur in fundo appareat, *hypoſtaſis* dicitur, ſi autem in ſummo *nephyle*, in medio *enormia* nuncupatur. Quid autem ſignificet poſitum in locis diuerſis, ſi noſſe deſideras, lege librum Theophili, vel Iſaac de vrinis.

Sedimen.

Hypoſtaſis. Nephyle. Enormia.

Obiect. Sed fortaſſis obijciet mihi aliquis. Tu dicis choleram, vel melancholiam à ſanguine in hepate diuidi, & ad ſua loca tranſmitti. Deinde dicis ſanguinem per venas & arterias ad cætera loca tranſmitti, eaque ſic augmentari atque nutriri. At huic ſententiæ tria videntur repugnare. Videmus ſiquidem in minutione cum ſanguine choleram & melancholiam exire. Item-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rum phyſica ratio eſt ſimilia ſimilibus ſuis nutriri. Quomodo ergo ex ſanguine qui calidus & humidus eſt, membra calida & ſicca poſſunt nutriri. Denique phyſica teſtatur ex cholera accenſa in venis vicinantibus cordi cauſon gigni, & ex eadem putrefacta intra
Reſp. vaſa tertianam continuam. Similiter ex melancholia intus putrefacta quartanam? At vero facilis ac breuis eſt ad hoc reſponſio. Cum enim choleram ac melancholiam dicimus à ſanguine ſeparari, non dicimus eas penitus auferri. Remanet ergo de his aliquid cum ſanguine, vnde membra ſimilia nutriuntur,& infirmitates oriuntur. Dicunt etiam multi ex ſolo ſanguine tales infirmitates naſci. Quaſdam tamen ex ſanguine cholerico, quas ideo naſci dicunt ex cholera, quaſdam ex melancholico, quas etiam ideo naſci dicunt ex melancholia, & ita de cæteris. Non eſt ergo mirum, ſi in
B minutione cholera, vel melancholia, ſiue potius cholericus, vel melancholicus appareat ſanguis.

Qualiter per nutrimentum fit reſtauratio deperditorum.

CAPVT LXXII.

Albertus. Ex ſupradictis autem eſt manifeſtum, quod agens tranſmutationem nutrimenti eſt in nutrito reſtituens autem deperditum in partibus materiæ eſt vis nutritiua in vltimo actu nutriendi, & patiens in hoc actu eſt corpus animatum ſecundum materiam. Vt autem videamus, vtrum in omnibus materiæ partibus deperditio fieri poſſit,ac reſtauratio,aut in quibuſdam tantummodo. Notandum quod ſubſtantia corporis cuiuſlibet animalis naturaliter conſtat
C ex duplici humido. Primo quidem ex humido ſeminali, quod non tantum eſt materiale, ſed etiam factiuum organorum, & ex illo principaliter fit illa ſubſtantia, in qua eſt prima corporis organizatio. Recipit autem augmentum per aliud humidum, quod attrahit quaſi pro cibo, & vocatur à quibuſdam humidum nutrimentale. Nec tamen eſt ſemper adeo conueniens facturæ corporis, ſicut primum. Ideo virtutes naturales operantes in corpore animato hebetantur in primo. Et in primo quidem humido deperditio non recipit reſtaurationem per eiuſdem rationis humidum. Licet enim radicalia membra nutrimentum & augmentum recipiant per cibum, nunquam tamen adeo conueniens fieri poteſt humidum cibi, vt
D efficiatur radicale. Ideoque conſumpto radicali humido vniuerſaliter, vel in tanto vt non ſufficiat corpori animato, inducitur mors neceſſario, nec poteſt fieri reſtauratio, ſed impeditur eius conſumptio per continuam infuſionem humidi nutrimentalis. Humidum enim radicale eſt illud quod eſt in ipſis membris radicalibus imbibitum. Et eſt quaſi quoddam vas & inſtrumentum naturale, in quo virtutes animæ, quæ ſunt in organis conuertunt humidum nutrimentale attractiuum in membra, & in complexionem membri, & ſine quo hoc facere non poſſunt, ſicut nec artifex poteſt operari ſine inſtrumento.

Triplex humidum in corpore humano.

Et inde eſt, quod ſi diſtinguatur humidum per locum, triplex humidum recipitur in corpore humano.
E Primum ſcilicet radicale, quod eſt intra membra radicalia, & per quod tanquam per inſtrumentum natura operatur in humidum cibi. Et ſecundum eſt humidum nutrimentale, quod iam attractum eſt ad ſingula membra. Et eſt humidum nutrimentale ſuper infuſibilia venis, quæ ſunt viæ nutrimenti. Et huius exemplum ponitur in oleo lucernæ, cuius quædam pars eſt imbibita intra lychinium. Et quædam pars attingit lychinium vndique. Et quædam circumnatat in plures lucernas. Et cum apponitur ignis agit quidem immediate in humidum, quod eſt intra lychinium continue & paulatim & attrahit continue humidum circunſtans lychinium. Sed ne ſubito poſſit conſumere humidum primum, impeditur à continua infuſione olei circumnatantis. Et ſic calor naturalis continue
A agit in humidum radicale, continue deperdendo partem eius, ſed ne ſubito poſſit conſumere, impeditur à continua infuſione humidi nutrimentalis. Dicendum ergo quod deperditio fit in omnibus partibus corporis ſecundum materiam, ſiue ſint ex humido nutrimentali ſiue radicali, ſed non eodem modo fit reſtauratio. Licet enim reſtituatur caro ex humido nutrimentali tamen illa caro non erit inſtrumentum, & vas ſicut eſt illa caro, quæ fit ex humido radicali.

De vi augmentatiua.

CAPVT LXXIII.

Augmentatiua ſumitur proprie & largè.

VIs augmentatiua proprie ſumpta eſt tantum in
B animatis. Ibi namque proprie eſt faciens maiorem quantitatem ex aliquo extrinſeco quod in ſubſtantiam rei augmentatæ conuertitur, ita quod res aucta in ſua ſpecie formáque maneat, & res augens eandem numero ſpeciem ac formam accipiat. Largè vero dicitur vis augmentatiua, quælibet vis auctiua, quæ conſumptiua eſt ſubſtantiarum ſibi appoſitarum, ac generatiua ſuæ ſpeciei in ſpeciem ipſam, ac per hoc augens obiectum ſuum, ſicut eſt virtus ignei caloris in igne. Vnde hoc modo dicitur ignis augmentari, non tamen augmentatur proprie, quia non eadem numero ſpecies ignis efficitur in maiori quanto, ſed potius noua ſpecies ignis generatur à materia aquæ & hanc generationem nouam conſequitur maior quantitas, nec auget aqua hoc modo ignem, vt ſubintret
C quamlibet ignis partem, ſed ſufficit ſi ei additur in parte vna. Igitur, augmentum eſt motus animati proprie, & ſecundum quantitatem. Eiuſque termini ſunt perfectum, & imperfectum ſecundum figuram & magnitudinem debitam corpori animato.

Operationis augmentatiuæ modus.

Operatur autem vis augmentatiua præcipue ab extenſione omnium membrorum radicalium ad perfectam figuram & magnitudinem ipſorum. Et ſecundum quod illa ſunt in corpore toto, ſic & augmentum eſt in toto corpore. Sed vltimum eius ſecundum quod ipſa dicitur virtus determinatur in ſurſum, ſecundum quod eſt in principium longitudinis membrorum. Eſt autem hæc virtus in augmento & non in augente. Huius enim virtutis eſt extendere radicalium membrorum ſubſtantiam, & in ipſis tranſmutare ad ſe cibum aduenientem, quod videlicet cibus quia
D ſecundum totam ſubſtantiam ſuam tranſmutatur in id quod augetur, ideo neceſſe eſt ipſum corrumpi ſecundum formam quam prius habuit. Vnde philoſophus dicit, ingrediens generatur ſpecies, ſed corrumpitur hæc patiens. Denique motus cibi non eſt augmentum, ſed potius tranſmutatio ſubſtantialis. Nec tamen eſt generatio, quia non eſt in ſpecie quæ non eſt, ſed potius in ſpecie aucti quæ præexiſtit. Et licet materia cibi non ferat quantitatem actualem. Cum tamen additur ſubſtantialiter ad cibatum, efficitur quantitas maior in cibato. Quantitas enim eſt menſura ſubſtantiæ ſecundum partes, ideoque neceſſe eſt ipſam extendi multiplicatis materiæ partibus, ac decreſcere deperditis partibus eodem modo ſe habentibus in ſitu, quia per rarefactionem vna non diſtat ab alia, nec per inſpiſſationem contrahitur. Dixerunt autem quidam, quod de augentis ſubſtantia nihil tranſit in id quod augetur, ſed tantum per ipſum refocillatur calor naturalis, qui confortatus dilatat ſubſtantiam in qua eſt. Verum hoc eſt contra ſententiam philoſophi, qui expreſſe dicit, quod nutrimentum tranſit in ſubſtantiam nutriti. In lib. quoque de generatione & corruptione dicitur, quòd aduenientе aliquo oportet augere, recedente autem diminui &c.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De augmento corporis naturalis.

CAPVT LXXIV.

Vilielmus de Conchis. Si autem ex calido & humido est augmentum, vt supra dictum est, ex calido in altum fit, & humiditate in spissum & latum. Vnde & cholerici & sanguinei quia calidi sunt crescunt in altum, phlegmatici vero & melancholici breues statura fiunt. Sanguinei quoque & phlegmatici, quia humidi sunt etiam in spissum & latum crescunt. Melancholici autem & cholerici quia sicci, graciles fiunt. Nullus est homo, qui non sit calidus, & humidus, sed quidam plus, quidam minus.

Primus enim homo inter quatuor qualitates fuit temperatus, sed postquam amænitate paradisi expulsus in valle lachrymarũ, & miseriæ in labore manuum suarum cæpit vesci pane suo, labore, ieiuniis, vigiliis, cæpit desiccari atque naturalis calor extingui. Similiter ex intemperie aëris, ex qualitate cibi & potus. Omnes ergo ex eo nati, vtpote ex corrupto, sunt corrupti. Neque postea perfecta sanitas in homine fuit inuenta. Est enim perfecte sanum, quod est in omæomeris eucrasicum, & in organicis æquale, id est quod in membris quæ in partes sibi similes possunt diuidi, quæ à Græcis dicuntur omæomeria est bonæ complexionis, & in officialibus membris quæ à Græcis dicuntur organica, nec in quantitate nec in numero modum, vel in maius, vel in minus excedit. Nimirum cum corrupta sit natura, non tamen æqualiter & eodem modo. Quidam enim plus, quidam minus, quidam sic, quidam aliter. In quibusdam enim intenditur calor & remittitur humiditas, qui dicuntur cholerici, id est calidi & sicci, non sunt tamen sine humiditate. In quibusdam intenditur humiditas, sed remittitur calor, hi dicuntur phlegmatici, id est frigidi & humidi, non sunt tamen penitus expertes caloris. In aliis intenditur siccitas, & remittitur calor. Hi dicuntur melancholici id est frigidi & sicci, habent tamen calorem, & humiditatem. Si autem plus ad æqualitatem accedant humores, dicuntur sanguinei. Quemadmodum ergo sine quatuor elementis non inuenitur hominis corpus, ita nec sine quatuor qualitatibus, sed intenduntur ac remittuntur, recipitque nomen intensæ, & nomen contrarij remissæ. In omni complexione potest homo crescere, plus tamen in vna quam in alia. In quadam in longum, in quadam in latum. Cholerici namque longi sunt & graciles. Longi ex calore cuius est ascendere, ex siccitate graciles. Sanguinei propter calorem longi sunt, propter humiditatem pingues. Phlegmatici propter frigiditatem sunt parui, propter humiditatem pingues. Melancholici vero frigiditate sunt parui, siccitate graciles. Istorum proprietates sæpe ex accidente variantur. Cholerici namque & melancholici vel ex ocio, vel ex comestione sæpe sunt pingues Sanguinei & phlegmatici ex labore, & abstinentia graciles. Item cholerici & sanguinei ex paruitate matricis & spermatis fiunt breues, phlegmatici & melancholici propter contrarium longi.

Intemperies ex multis oritur.

Vnde augeatur corpus animatum secundum quamlibet partem sui.

CAPVT LXXV.

Quæst. *Albertus.* Si autem de corpore quæritur animato vtrum augeatur secundum quamlibet sui partẽ, vel secundum aliqua tantum modo.

Resp. Dicit expresse philosophus, quod quælibet pars augetur secundum speciem, & non quælibet secundum materiam, quod intelligendum est de augmento generali, quod est secundum quantitatem. Alioquin videretur esse cõtrarium quod ait Auicen. videlicet quod augmentatiua plus addit de cibo longitudini quam latitudini, vel spissitudini Sed hoc est intelligendum de augmento speciali, & quod producit corpus ad perfectam quantitatem & figuram. Quod videlicet augmentum spiritualiter attenditur in extensione radicalium membrorum per additionem cibi. Veruntamen secundum vtramque augmentationem fit additio cuilibet particulæ proportionatè, ita scilicet vt in maiori mẽbro plus, & in minori minus. Calor siquidem in minima diuidit & nutrimentũ & nutriens, subinducit enim vndiq; cibum in corpus nutritum, nihilque prohibẽt quin pars cibi tantæ sit dimensionis, quantæ est pars corporis nutriti antequam additur ei. Sed cibus ita cibato additur, vt non maneat in propria forma substantiali, nec acquirat formam nouam substantialem, quę prius non fuit, sed accipiendo formam, quæ actu est in nutrito. Ideo etiam non additur manens in ea quam habet, nec accipiendo quantitatem aliquam nouam, sed accipiendo quantitatem eius quod nutritur. Ideoque non est necesse illud augmentari in duplum, vel in triplum. Itaque materia cibi aduenies eandem accipit formam substantialem numero, quæ est in nutrito, & eandem quantitatem & qualitatem & idem vbi.

Si vero quæritur, qualiter tunc fiat augmentum. *Quæst.* Dicendum est, quod per calorem extendentem radicalia membra in omnem dimensionem, & plus in longum. Ideoque cum est extensio fortior, quod multitudo partium additarum inspissare possit, tunc est corpus nutritum subtile & rarum, sicut sunt corpora puerorum. Cum autem vtrumque proportionatum est vtrique, tunc est corpus in medio modo se habens, sicut corpora iuuenum. Si vero stat extensio, & nihilominus ingeruntur partes materiales per cibum, tunc necesse est corpora fieri spissa & crassa propter humidi consumptionem, sicut sunt corpora senum. *Resp.*

De statu augmenti, & motu diminutionis.

CAPVT LXXVI.

MOtus autem augmenti stat in corpore animato tribus rationibus. Quarum prima sumitur ex calore naturali, qui est in membris radicalibus, cuius posse in extendendo limitatum est. Secunda est ex parte materiæ membrorum radicalium, cui licet addatur nutrimenrum, non est tamen extensibilis vltra debitam speciei quantitatem. Tertia est ex comparatione mobilis ad motorem, hoc est organi ad virtutem animæ, quæ est in ipso, hoc enim quantitate & tali figura proportionatum est virtuti, quæ est in anima. Itaque si obijciatur, quod continue cibus additur corpori, & quantus. *Obiectio.* Vnde sicut nutritiua continue ingerit substantiam, sic & augmentatiua videtur ingerere quantum. Respondemus quod nutritiuæ finis est saluare indiuiduum, & hunc finem non consequitur, nisi continue nutriendo, sicut & continua fit deperditio. *Resp.* Finis augmentatiuæ est perfectio secundum magnitudinem & figuram organorum, & cum illam assequitur quiescit, eo quod superuacuum esset vltra mouere. Itaque nutritiua subseruit augmentatiuæ ministrando plus de nutrimento longitudini quam latitudini vel spissitudini, quoadusque stat augmentatiua, tunc enim incipiunt plus inspissari & dilatari membra ex maiori influxu nutrimenti ad dimensiones illas. Porro si obijcitur iterum, quod omnis virtus crescit ac fortior efficitur ad multiplicationem materiæ, sicut patet in calore, qui maior est in maiori igne, & minor in minori, & ita videtur similiter in animato, quod quanto plus crescit, tanto maior efficiatur in ipso calor naturalis, qui est instrumentum augmentatiuæ virtutis. *Obiect.* Respondeo reuera virtus crescit in multiplicatione materiæ propriæ, sed non alienæ. Proprie autem propria materia caloris naturalis est substantia radicalium membrorum. Subst*antia* quippe humidi nutrimentalis ingeritur ab extrinseco, & ideo non est proprie propria materia illius, vnde calor ipse tanto in illa remittitur, quanto magis multiplicatur. *Resp.*

Status augmenti fit ob tres causas.

Quæſt. Reſp. Si autem quæritur, vtrum illo tempore quo augetur animatum continue augeatur. Dicimus quod nequaquam, ſed quandoque additur quanto,& quandoque non. Si autem obijcitur, quod calor naturalis ſemper agit nutrimentum conuertendo,& ita videtur ſemper fieri additio in quolibet momento. Dicimus quod calor non ſemper addit aucto, ſed quandoque diſponit vt poſtea facilior fiat additio. *Quæſt. Reſp.* Vnde ſi quæratur, cur potius in hora vna fiat augmentum quàm in alia. Reſpondemus huius differentiæ rationem eſſe, quòd non eodem modo diſpoſitum eſt in qualibet hora id cui additur, nec etiam id quod additur, & ideo diſcontinuatur additio.

Quod aliter fit aſſimilatio in augmentatiua, quam in nutritiua.

CAPVT LXXVI.

ASſimilatio diuerſimode fit, nutritiua,& augmẽtatiua, ſecundum diuerſos eorum terminos. Nutritiua ſiquidem aſſimilat, vt potentia nutriens ſubſtantiam in qua ſaluatur eſſe indiuidui. Augmentatiua vero vt potentia extendens indiuiduum ad maiorem quantitatem. Denique nutritiua non ponit augmentum per ſe, nec in latitudine, nec in ſpiſſitudine, ſed per accidens, quia ſcilicet id reſtituit quod quantum eſt, non tamen in eo quod quantum eſt reſtituit, ſed in eo quod ſubſtantia. Veruntamen vt ſuperius habitum eſt, quædam partes ſunt in corpore animato vt vaſa, ex quo vnum extenſione principaliter eſt augmentum naturale, vt ſunt oſſa, nerui ac venæ. Has extendere difficillimum eſt, eo quod duræ ſunt, & ob hoc etiam extenſæ non reuertuntur. Non enim videmus aliquem hominem effici minus longum quam fuerit per aliquam diminutionem, & ſic etiam in latitudine & ſpiſſitudine ſubſtantiæ radicali. Hæc ergo augmentatio propriè virtutis eſt augmentatiuæ,& eſt ſecundum materiam. *Varie augmentationes.* In hac expreſſe apparet quod dicit Auic. videlicet, quod multo plus additur longitudini quam latitudini & ſpiſſitudini. Alia vero eſt augmentatio in partibus quæ ſunt ex humido nutrimentali, quæ non ſunt vt vas, ſed potius vt in vaſe effluentes & influentes. Secundum has accidit frequenter incraſſatio, & attenuatio. Vnde multos videmus quorum latitudo & ſpiſſitudo non correſpondent longitudini ſecundum proportionem. Et hæc augmentatio pertinet ad nutritiuam, quia cauſatur à nutrimento maiori vel minori. Sic etiam videmus in paruulis, quod quia calor eſt fortis & corpus rarum, ideo de nutrimento ipſorum tranſit ad membra ſuperiora, efficiunturque maiora inferioribus ſecundum corporis ſui proportionem. Poſtea vero dum corpus inſpiſſatur, caloréque debilior efficitur, non tranſit ad membra ſuperiora de nutrimento, niſi quod eſt ſubtile, ac penetratiuum, & leue, totumque reſiduum tranſit ad inferiora. Ideo tunc inferiora efficiuntur maiora ſuperioribus membris ſecundum proportionem corporis ſui.

Auic. vbi ſupra. Augmentatiua vero nutrimentum alio modo diſtribuit quam nutritiua. Quod enim nutritiua ex ſe habet, æqualiter diſtribuit. Augmentatiua vero vni ſubtrahit, & dat alij, hoc eſt. Nutritiua virtus dat ſcilicet vnicuique membro de nutrimento ſecundum eius magnitudinem vel paruitatem, & vnit ei æqualiter. Augmentatio vero tollit ab vna parte corporis, & addit alij quæ indigebat, vnitque ei vt illa pars augmentetur potius quam alia, miniſtrante ſibi in hoc nutritiua. Si autem eſſet dominium nutritiua vtiq; adæquaret illas, aut etiam plus largiretur parti cui ſubtrahit augmentatiua. Videmus enim quod nutritiua quandoque ſola eſt ſci. aucto iam animali & eius actio fortior, ita quod corpori reſtituit amplius quam reſoluatur. Ipſaque & in latitudinem & in craſſitudinem membrorum apponit augmentum manifeſtum, ſed longitudini non apponit augmentum quod appareat. Augmentatiua multo plus addit longitudini, quamuis hoc difficilius fit quam addere latitudini. In augmento namque longitudinis neceſſe eſt diffundi nutrimẽtum in membris duris, vt in oſſibus ac neruis per omnes partes eorum in longum propagando & elongando. In augmento vero latitudinis ſufficit carnes augeri & oſſa nutriri. Nutritiua itaque deſeruit augmentatiuæ in eo quod non eſt vincens, ſed operans ad nutum illius, vt nutrimentum diſtribuat, vel diffundat illuc, vbi augere debet augmentatiua, quæ non appetit niſi perficere rem. *Augmẽtum longitudinis & latitudinis.*

Sequitur nunc de vi generatiua.

CAPVT LXXVIII.

POrro vis generatiua (ſicut dictum eſt ſupra) vis eſt accipiens de corpore in quo eſt partem ei ſimilem in potentia, & operatur in ea per attractionem aliorum corporum quæ illi aſſimilantur generari & commiſceri, conuertitq; illam in ſimilitudinem ipſius in effectu. *Alber.* Hæc diffinitio Auicen. data eſt per comparationem virtutis ad genus ſuum, ad propriam materiam, proprium finem & actum. Genus quippe virtutis ſupponitur per hoc quod dicitur, vis animæ ſcil. vegetabilis. Actus autem eius ſupponitur dupliciter, ſcil. per accipere & per operari. In generante ſiquidem accipit primo per contractionem ad vaſa ſeminaria, quæ attrahunt ſemen à toto corpore, & ab ipſis vaſis deſcendit in ipſum vis generatiua. Vis autem operans eſt in ſemine non in organo aliquo, & illius operatio eſt eius quod naſcitur. Materia quoque duplex ſupponitur. Principalis ſcil. per hoc quod dicitur partem illi ſimilem in potẽtia. Hæc eſt enim quæ profundatur in radicalibus membris,& hoc eſt humidum quod eſt in ſubſtantia ſeminis. Secundario verò per hoc quod dicitur per attractionem aliorum corporũ quæ illi aſſimilantur. Illa enim eſt materia ſeminis menſtrui ac ſeminis mulieris quæ attrahitur à ſemine viri, & commiſcetur illi, vt ſufficiat ad quantitatem corporis. Alia vero pars ſanguinis menſtrui deriuatur ad mammillas ad nutrimentum, quo generatio debet præparari. Similiter etiam finis duplex eſt, per hoc enim quod dicitur generari tangitur figuratio corporis ſecundum lineamẽta membrorum, per hoc autem quod dicitur in ſimilitudinem illius in effectu, tangitur finis vltimus, qui eſt finis intentionis, & eſt inductio formæ ſpecificæ in eo, quòd generatur. *Definitio generatiua.* *Explicatio partium definitionis.*

De actionibus generatiuæ.

CAPVT LXXIX.

A*Vicenna vbi ſupra.* Generatiua vero duas habet actiones. Quarum vna eſt creare corpus, id eſt à ſubſtantia generantis corpus ſeminale deſcindere & figurare, & lineamentare ſcil. ad ſimilitudinem generantis. Alia vero attribuere partibus eius in permutatione ſecunda formas earum ſcil. virtutes & dimenſiõnes ac numeros,& aſperitatem & lenitatem,& his adhærentia, ſubiecta gubernationi eius qui ſolus omnia poteſt. Huic autem ſeruiunt duæ vires, nutritiua ſcil. in nutriendo,& augmentatiua dilatando. Et huius quidem actio perficitur in principio generationis. Deinde gubernatio remanet augmentatiuæ & nutritiuæ commodata. Cumque iam augmentatiua quaſi circa perfectionem operatur, tunc iterum generatiua cum duabus miniſtris ſuis ad generandum ſemen quo quieſcat virtus quæ eſt eiuſdem ſui generis excitatur. Nutritiua ſiquidem hoc appetit, vt per eam cuiuſlibet ſingularis ſubſtantia obſeruetur. Augmentatiua, vt per eam perficiatur.

Generatiua vero vt per eã remaneat ſpecies, quoniam appetere permanere, res eſt quæ ex Deo prouenit in omne quod eſt. In ſingulari itaque quod non eſt aptum ad permanendum in ſe, ſed in ſua ſpecie, virtus *Generatiua finis.*

ad reparandum aliquid vice illius excitatur,vt per hoc ei ſpecies conſeruetur. Nutritiua ergo reſtaurat quod de ſingulari, generatiua vero quod de ſpecie reſoluitur. *Alber.* Itaque virtus generatiua, quæ eſt pars animæ, in organo eſt in generante, & huius actus eſt ille primus, qui eſt deſciſio ſeminis. Sed ab hac virtute refluxa eſt alia virtus in ſemine,cuius eſt ſubſtantiam ſeminis in ſimilitudinem ſpeciei primi generantis conuertere. Et hic eſt ſecundus actus generatiuæ, nec eſt virtus in generante, ſed in ſemine. *Auctor.* Ex prædictis ergo ordo prędictarum trium virium, & ratio diſtinctionis patet, & quantum ad operationes, & quantum ad fines. Et etiam quantum ad tempus patet diſtinctio. Nã operatio nutritiuę incipit in principio vegetabilis,& terminatur in fine vitæ,& non ante. Operatio augmentatiuæ incipit ſimiliter in principio, ſed terminatur perfectio circa finem determinatum ſecundum naturam. Operatio vero generatiuæ incipit in iuuentute iam aucto corpore, & terminatur circa finem determinatum ſecundum naturam in ſenectute.

Qualiter ſemen decidere ſit proprius actus generatiuæ.

CAPVT LXXX.

Albertus. Videbitur autem fortaſſis alicui, quod ſemen decidere non ſit proprius actus generatiuæ. Siquidem & in fœmina eſt vis generatiua. *In libro tamen de animalibus habetur*, multiplici quoque ratione probatur, quod in fœmina non ſit deciſio ſeminis, quæ aliquid effectiue ad conceptum operetur. Idem etiam videtur ex diffinitionibus maſculi ac fœminæ, quæ colliguntur ex libro animalium, & ex libro vegetabilium, videlicet quod maſculus eſt qui generat in alio ſuæ ſpeciei ex proprio ſemine. Fœmina vero quę generat in ſe ex ſemine alterius ſpeciei ſuæ. Ex hoc enim videtur, quod fœmina generando non decidat ſemen proprium ad hoc vt effectiue operetur conceptum. Nos autem dicimus cum Auic. quod ab anima, quæ eſt in toto corpore generatiua virtus emanat in organum generationis, quæ ſcilicet virtus influit ſemini virtutem generationis, quia generat membra ſecundum vnamquamque virtutem congruam illius actioni, ita quod vnumquodque membrorum fit aptũ ad recipiendum virtutem propriam, quæ in eo appareat. Et ſecundum hoc dicimus, quod virtus generatiua prima, quæ eſt pars animæ vegetabilis, eſt in generante. In ſemine autem eſt vis generatiua cauſata ab illa quæ nec eſt anima, nec pars animæ, licet actiones operetur animæ. Itaque decidere ſemen à ſuperfluo digeſtionis quartæ, eſt actus generatiuæ primæ, quæ eſt pars animæ, & hoc tam in animalibus, quam in plantis. Porro generatiuæ ſecundæ, quæ eſt in ſemine, non eſt actus ille, quoniam aliter ſemen deciderẽtur à ſemine.

Mariꝰ deſinitio; Fœminaq;.

Duplex ſemen.

Diſtinguendum eſt autem duplex ſemen. Vnum ſcilicet materiale, aliud effectiuum, quod tamen eſt pars materiæ ſecundum primum ſubiectum, in quo ſaluatur. Et primum quidem ſcilicet materiale deciditur à fœmina per attractum ſeminis menſtrui, vel humoris alterius, qui eſt in loco eius. Secundum autem ſcilicet effectiuum deciditur à viro, & hoc in omnibus animalibus, in quibus eſt maſculus & fœmina. Nam in quibuſdam piſcibus non eſt huiuſmodi diſtinctio, vt in anguilla. Dicendum eſt itaque quod fœmina non ſolum generat in ſe ex alio ſemine, quod eſt effectiuum,ſed etiam ex proprio ſemine, quod eſt materiale.

Qualiter vis generatiua ſit in plantis, & in animalibus.

CAPVT LXXXI.

Dubium.

DVbitare quoque poteſt aliquis, vtrum vis generatiua ſit in plantis, quia non videtur in eis eſſe deſciſio ſeminis. Vnde quæret fortaſſe aliquis, quid ſit ſemen deſcindere. Si enim hoc eſt tantum ſeparare quandam partem nutrimenti, hoc etiam facit augmẽtatiua in augmento. Si vero dicatur, quod hoc eſt per aliquod organum attrahere ſuperfluitatem quartę digeſtionis, ipſamque materiam, ita quod recipiat virtutem informatiuam ſeminis in ſimile ſpeciei generantis, tunc non videtur eſſe actus geueratiuæ in plantis. Non enim in eis eſt attractio partis nutrimenti ad organum vnum, quod influat ei virtutem formatiuam, quin potius videmus quod planta in radice & in ſtipite & ramis profert ſurculos, virgas, folia, flores, ac fructus.

Reſp.

Nos autem dicimus quod in plantis eſt deſciſio ſeminis. Deſciſio quippe ſeminis in genere conſiderata, eſt ſeparatio quædam nutrimenti à cibo quod natum eſt ſuſtentare indiuiduum, in quo ſeparato per generationem ſaluatur ſpecies. Talis autem generatio fit in planta, quoniam illud vnde fit generatio, ſeparatur ab eo quod eſt cibus ad ſuſtentationem corporis plantæ neceſſarius. Sic ergo deſciſio ſeminis eſt in plantis, licet non eijciant ſemen extra ſe in morem animalis. Veruntamen rectè poſſumus etiam dicere, quod in planta dupliciter eſt generatio,vna videlicet per quam ad ipſam plantam generãtem redit iuuentus, & in hac generatum ſemper pars eſt generantis. Alia vero eſt plantæ ſimilis in ſpecie per quam ſaluatur ſpecies plãtæ tantum, & non indiuiduum. Et hæc fit per ſemen à nutrimento deſciſum & extra plantam proiectum, ſicut patet in nucleis & fructibus.

Semen decidere quid?

Dicimus ergo quod ſemen deſcidere eſt ipſum à nutrimento ſeparare, eique virtutem generatiuã materialem, vel effectiuam influere. Qui videlicet influxus à generatiua fit,vel quæ eſt in organo ſpeciali,ſicut in animalibus, vel in toto corpore generantis ſicut in plantis. Nam in animalibus quidem ſitum habet in organo generationis determinato. In plantis autem ſecundum omnem partem eſt vis imprægnans, nec imprægnatio certum habet ſitum, ſed eſt in toto corpore plantæ. Quodque in plantis eſt generatio multiplex, id eſt multorum ſcil. ſurculorum & foliorum & florum ac fructuum, contingit propter æqualitatem & ſimilitudinem corporis plantæ in partibus ſuis. Ex hoc enim accidit, quod nutrimentum aptum nutrire partem vnam, aptum eſt etiam nutrire partem aliam. Et ex hoc iterum contingit quod nulla eſt differentia inter humidum radicale & humidum nutrimentale in ipſis niſi per accidens. Ex hoc quoque contingit vlterius, quod ex humido nutrimentali poteſt eſſe generatio partium in plantis, cuius ſignum eſt, quod partes eius abſciſæ recreſcunt, quod non accidit in animalibus multam in organis diuerſitatem habentibus, ergo ex nutrimento in quo dominatur humidũ aquoſum quod facile eſt dilatari, folia producuntur. Ex nutrimento autẽ in quo dominatur ſubtile aëreum cum aqueo facile digeſtibili atque maturabili fructus generantur, & ita de aliis.

Quod in plantis non ſit diſtinctio ſexus.

CAPVT LXXXII.

CVm autem in omni natura ſit aliud agens,& aliud patiens,alia materia, & alia forma. Fœminaq; ad maſculum ſe habeat,vt materia ad formam,vt patiens ad agens, videbitur alicui fortaſſe,quod in plãtis quoque ſicut & in animalibus debeat eſſe diſtinctio ſexus maſculi ac fœminæ ſecundum actum virtutis generatiuæ. Præterea cum generatiua virtus ſit vegetabilis animæ, videtur quod eius diſtinctio ſecundum actum ſuum debeat omni naturę vegetabilium conuenire.

Concluſioni Ariſtoteles, graues experientiæ repugnant & authores.

Nos autem dicimus cum Ariſt. quod in plantis nõ eſt diſtinctio ſexus maſculi & fœminę. Hoc enim probat in lib. de vegetabilibus multis rationibus, vna eſt quia maſculus quãdo generat,in alio generat. Fœmina vero ab alio generat. Sunt & ambo ſeparata ab inuicem, & poſtea commiſcentur: quod in plantis non inuenitur.

uenitur. Alia eſt quod plantæ non indigent effectiuo niſi ſolæ in hora pullulationis. Cum ergo & effectiuum ſit per maſculum indigent maſculo. Dicimus ergo quod in eis non eſt diſtinctio maſculi ac fœminæ per ſexum, ſed per proprietates quæ ſunt, formã, ſpeciem ac figuram imprimere, & hæc impreſſa recipere. Ideoque ambæ iſtæ proprietates adunantur in planta vna, ſicut ibi dicit Ariſt. Calidi enim ac ſicci quæ ſunt proprietates maſculi eſt imprimere, & quaſi ſigillare formam & figuram, quia calidum eſt penetratiuum, & ſiccum eſt terminatiuum. Cum ergo hæc vbique ſint in planta, ſequitur quod & proprietates maſculi erit vbique in ea: proprietates autem fœminæ ſunt frigidum & humidum. Et humidum quidem eſt figuræ ac ſpeciei receptiuum. Frigidum vero per coagulationem humidi aquoſi eorundem eſt retentiuum, & iſtæ proprietates vbique ſunt in planta. Ideo dicit philoſophus, quod planta eſt vbique imprægnans & imprægnata.

Cur non ſit in plantis ſicut in animalibus.

CAPVT LXXXIII.

IN animalibus quidem eſt diſtinctio maris & fœminæ per ſexum, quoniam anima ſenſibilis diuerſas habet virtutes & operationes, præcipue vbi perfecta eſt. Ideoque magnam exigit diuerſitatem partium in corpore quo vtitur, vt organo in illis virtutibus & operationibus. Cumque talia difficilioris ſunt generationis ſecundum naturam, ex hoc contingit quod nutrimentum aſſimilatum vni parti non eſt aſſimilatum alteri, & quod eſt aſſimilatum parti, non eſt aſſimilatum toti. Et etiã vlterius quod eſt potentia pars, non eſt potentia totum, vnde ſpecies non ſaluatur, niſi in eo quod eſt potentia totum. Oportet talia ſpeciale organum habere, in quo ſit virtus animæ quæ trahat cibi partem à toto corpore, faciatque ipſum potentia totum, vel materialiter vel effectiuè. Et horum organorum diſtinctio facit diſtinctionem ſexus in animalibus, quod patet ex hoc, quia cum ſint animalia in partibus ſuis completa, eorum facilis eſt generatio Præcipue tamen quando non ſunt completa in ſenſuum numero, multa horum generantur ex putrefactione ac ſtellarum virtute (vt dicit Ariſt.) in lib. de animalibus. Quod autem non diſtinguitur ſexus in plantis, hoc eſt propter æqualitatem corporis plantæ in partibus ſuis. Ex hoc enim contingit, quod nutrimentum aſſimilatum parti, eſt etiam aſſimilatum toti, quodq; eſt potentia pars, eſt potentia totum. Cum itaque nutrimentum in planta vbique ſit potentia, pars erit vbique potentia totum, & ſic vbique generatio. Quod autem idem in planta ſit humidum nutrimenti & humidum generationis, patet per experimentum, quia ſcilicet partes eius abſciſæ recreſcunt, quod vtique non fieret, ſi humidum diuerſum eſſet. Ideoque cum ad humidum nutrimẽti non exigatur diſtinctio ſexus, ſed tantum calor agens cum virtute cœleſti, ſequitur quod etiam ad generationem plantæ non exigitur niſi calor agens cum virtute animæ ac cæli. Et hoc eſt quod ait philoſophus, quod *omnium vegetabilium terra eſt mater, & ſol pater.*

Vtrum anima vegetabilis ſit ex traduce.

CAPVT LXXXIV.

Quæſt. CVm autem circa generatiuam quæritur, quod & ex quo generetur, occurrit illa quæſtio. Vtrum anima ſit ex traduce, & vtrum ſit in ſemine, & an ſit per creationem & infuſionem à creatore, vel per generationem, quæ eſt actus naturæ. Dicimus autem quod omnes formæ prẽter animam rationalem potẽtia ſunt in materia ipſa generabiliũ & corruptibilium, & educuntur per actionem calidi & frigidi, ſicci & humidi per commixtionem. Sola vero rationalis anima infundendo creatur, & creando infunditur à prima

Reſp.

A cauſa, quæ Deus eſt glorioſus atque ſublimis. Porro anima plantæ ac bruti in ſemine potentia, non actu, & non potentia materiali tantum, ſed potentia efficientis & operantis. Rationalis autem non ſic, nec habet efficientem, niſi ſolum Deum. In ſemine quidem hominis eſt virtus formatiua membrorum humani corporis, quibus formatis anima per creationem à Deo infunditur, & infundendo creatur.

Et corpus quidem quod generatur, corruptum eſt corruptione duplici, ſcil. paſſionis & vitij. Ex qua videlicet vitij corruptione tanquam ex filia peccati cauſatur in anima originale, cum tamen pœna tantum ſit in corpore. Licet autem anima ſtatim dum eſt, originali peccato commaculata ſit, illam tamen maculationem à parentibus non trahit, tanquam ſit ex traduce, ſed potius ſequitur ipſa vnionem animæ ad corpus, ſicut aliquis liquor purus corruptionem contrahit ex vaſe in quo eſt. Itaque bonitas Dei cooperatur naturæ in hominis generatione. Etenim quandocunq; natura ſufficienter formauit organa corporis humani, Deus creando animam rationalem infundit, quod non eſt ex poteſtate efficientis naturæ, ſed ex ordine operationis Dei ad opus naturæ. Sic etiam eadem bonitas Dei ſemper cooperatur voluntati ad ſe operanti. Etenim quandocunque aliquis quod in ſe eſt facit, Deus illi gratiam infundit.

Corruptio corporis duplex.

Vtrum anima ſit in ſemine?

CAPVT LXXXV.

Quæſt. Reſp. SI ergo quęritur vtrum anima ſit in ſemine. Dicimus quod anima humana cum omnibus potentiis ſuis non eſt in ſemine ſicut in effectiuo, neque per ſubſtantiam, ſed à Deo creatur, & corpori infunditur. Non enim dicimus ſicut quidam dixerunt, quod in homine ſit trina animæ ſubſtantia, ſed vna ſola habẽs tres vires. Ideoque non poſſumus dicere, quod hæc ſubſtãtia in parte cauſetur à Deo immediate per creationem quantum ad potentias rationales, & in parte educatur ex ſubſtantia ſeminis quantum ad potentias ſenſibiles ac vegetabiles. Quin potius dicimus tõtã à Deo creari, & corpori ſimul infundi. Porro animas brutorũ & vegetabiliũ non ita creando infundi, ſed potius per generationẽ ex materia ſeminis educi.

Quæſt. Reſp. Si autem quæritur, vtrum ſunt in ſemine vel non. Dicimus quod ibi ſunt per aliquem modum, & per aliquem non. Vt enim habetur in libro de animalibus, non ſunt ibi actu, ſed ibi ſunt in potentia efficientis & materiæ. Et ſi quidem vltra quæratur, quid ſit illud efficiens. Dicimus ſecundum philoſophum, quod illud non eſt anima, ſed eſt calidum, materia vero eſt humidum commixtum ſecundum complexionem ſeminis & naturam. Calidum autem id quod agit multiplici agit virtute, ſicut in libro de animalibus habetur expreſſe, videlicet in virtute ignis, ſecundum quã habet attrahere ſubtilia apta animationi. Et in virtute cæli, ſecundum quam poteſt eſſe principium formæ ac ſpeciei. Et in virtute animæ, ſecundum quam recipit à virtute generatiua partis vim informatiuã & generatiuam organorũ. Ideoq; dicit philoſophus, quod anima eſt in ſemine, ſicut artificiatum in artifice. Artificiatum ſiquidem non eſt in artifice ſecundum eſſe ac ſpeciem ſuam, ſed ſicut in effectiuo, in quo eſt operis ratio, quę ſcil. ratio eſt efficientis ad opus proportio. Similiter ergo & anima ſenſibilis ac vegetabilis ſunt in ſemine ſicut in effectiuo, in quo eſt ad talem formam ac ſpeciem ſecundum naturam proportio. Qualiter autem contingat, quod calidum elementare efficiatur ſubiectum calidi cæli & calidi animæ, aliàs oſtenſum eſt. Concedimus ergo, quod anima non eſt in ſemine neque per genus, neque per ſpecies, neque per virtutem, quæ ſit pars animæ, ſed quemadmodum dictum eſt, ſcilicet in potentia efficientis & materiæ. Vel ſicut artificiatum in artifice, & hoc dico quantum ad animam bruti, vel plantæ. In

Anima quo modo in ſemine.

his enim

Anima hominis à Deo

his enim semen est causa efficiens generationis. Secus est in anima hominis. Hæc etenim secundum partem sui principalem absoluta est à materia, nec est alicuius partis corporis actus. Ideoque cum eius operatio non dependeat à corpore, principium non habet à virtutibus corporalibus, sicut expressè probatur in lib. de animalibus. Vnde anima rationalis dicitur differentia, quæ egrediatur ab extrinseco, scilicet à creante Deo. Hinc etiam Auicenna; Tribuens (inquit) esse animæ non est corpus, nec virtus corporalis, sed est sine dubio essentia existens nuda à materijs & mensuris. Itaque virtus quæ est in semine hominum, non est nisi formatiua & generatiua organorum.

Vtrum vegetabile, vel sensibile per diuisionem corporis sit multiplicabile.

CAPVT LXXXVI.

VTrùm autem vegetabile, vel sensibile per diuisionem corporis in quo est sit in plura multiplicabile. Disputat August. propter diuisionem quorundam vermium, in quibus videtur eadem anima numero manere in vtraque parte. Huius quoque signum apparet in plantis, quia cum planta diuiditur, frequenter contingit vtramque partem conualescere ac germinare. Vnde patet quod in plantis est anima vna quidem actu, sed potentia plures, sicut forma materialis, ac per diuisionē plantæ fit actu plures. Quod autem planta diuisa conualescit, propter similitudinem partium eius conualescit. Licet enim radices habeant ori similes, tamē figura radicis nō diuersificatur multum à figura stipitis & ramorum. Radix enim nutrimentum trahit per poros qui sunt in ramo, & ideo frequenter contingit quod ramus in loco nutrimenti fixus incipit trahere nutrimentum sicut radix, & conualescit. Huius autem signum est, quod cortex, inspissatus circa radicem plantæ, propter hoc opilatur in poris, impedit attractum nutrimenti. Ideo minus fructificat planta & tandem arescit.

Experientia pro curatione aridarum plantarum

Econtra vero si scindatur radix in plantis antiquis, & scissuræ imponatur lapis ne iterum coniungi possit, incipiet radix trahere nutrimentum sicut prius per apertionem pororum in medio radicis. Sicque planta incipiet germinare atque viuere, nisi fortè superiores partes ita desiccatę sint, vt non possint attrahere nutrimentum quod est in radice. Similiter & videtur in quibusdam animalibus quę similia sunt in corporis partibus, vt anguillæ, serpentes, & rugosa. Hoc solum excepto, quod non videntur conualescere diuisa. Et hoc ideo contingit, quia nullum animalis corpus ita simile est in suis partibus quin semper dissimilitudinem habeat in ore. Ideoque per defectum oris quo cibum accipit, & defectum membri quo cibum digerit, cognoscuntur partes deficere, licet vtraque habeat animam sensibilem.

De varietate generationis secundum varietatem agentis, & materiæ.

CAP. LXXXVII.

GEneratur autem conueniens secundum proportionem agentis & materiæ. Calidum enim & humidum mouentia in generatione diuersas accipiunt proportiones ad formas substantiales inducendas, ex diuersitate luminis descendentis à sublimi de stellis, & ex diuersitate materiæ, quæ, scilicet materia quandoque commixtionem tantummodo nata est susciepere, & tunc generantur mineralia. Quandoque vero commixtionem & complexionem non tamen ad æquale, sed in qua dominatur substantia terrestris ac dura, tunc generātur plantæ. Quandoque autem cōplexionem accedentem ad æquale, & tunc generantur animalia. Sic etiam intelligitur quod dicit Philosophus, quod omnis generatio est ex conuenienti. Conueniens enim supponit proportionem agentis & materiæ ad formam quæ inducitur. Et huius simile ponit Auicenna in actione ignis, qui cuidam materiæ non communicat nisi calorē, alij vero calorem & lumen, & alicui calorē & lumē ac speciē secūdum quod magis & minus apta est materia suscipere impressiones, quæ sunt ab igne. *Aristoteles in lib. de causis proprietatum elementorum.* In habitatoribus autem climatis primi, quod est propinquius lineæ æqualitatis, hoc est equinoctiali, propter assiduam fixionē motus solis accidit siccitas & caliditas, & minoratur in eis frigiditas & humiditas. Quapropter calefiunt matrices mulierum & communicant eis nigredo corporum, & crispitudo capillorum, aqua enim viri quando cadit in mulierem, decoquit eam matrix caliditate sua, & commiscetur aqua illa cum sanguine matricis, donec fit frustum, deinde formatur & fit in ea spiritus vitæ iussu Dei.

Causa nigredinis Æthiopum.

Quod perfectiorem habeant generationem animata quàm inanimata.

CAP. LXXXVIII.

Aliber. Cum autem videamus inanimata generari non per decisionem à materia, sed quædam per commixtionem elementorum vt mineralia, quædam vero per transmutationē materię alterius in speciem suam, vt cum ignis transmutat in se aeris materiam, videri potest alicui, quod perfectior modus generationis sit in rebus inanimatis quàm in animatis, tanquam perfectius sit speciem suam generare super aliam materiam, quàm super materiam à seipso decisam.

Duplici titulo, generatio animatorum perfecta est.

At vero perfectiorem habent generationem animata quàm inanimata tam ex parte agentis, quàm ex parte materiæ. Ex parte quidem agentis, quia in illis agit qualitas actiua tantum vt calidum, frigidum. In istis autem hoc non sufficit, sed calori oportet adesse virtutem animæ, ac virtutem cœli. Ex parte vero materiæ quoniam in illis generatio præparat materiam. In istis autem oportet esse materiam ante prę̄paratam. Quod autem illa non generant de substantia sua, huius causa est, quia sunt homogenea. In homogeneis autem nihil est in potentia ficad formam, sed totum est in actu. At vero in animatis sunt quædam partes potentia & quędam actu. Nutrimentum ei assimilatum est pars potentia & non actu. Cum itaque generatio fiat ex ente potentia in actu, in his quæ sunt animata debet fieri generatio ex talibus partibus. In illis autem quæ non sunt animata fieri non potest, quia omnes partes eorum sunt actu, & ex ente in actu non fit generatio, sicut dictum est. Ideoque oportet vt generent speciem suam super materiam alienam extra se.

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER VIGESIMVSQVINTVS.

De prima diuiſione virium animæ per cognitiuas, & affectiuas ſiue apprehenſiuas & motiuas.

CAPVT I.



VGO in lib. de anima & ſpiritu. Cum autem homo cõſtet ex duabus ſubſtantiis, ſcil. anima cum ratione ſua, & carne cum ſenſibus ſuis. Ipſos quidem ſenſus caro non mouet abſq; ſocietate animæ, ſed anima rationale ſuum tenet ſine carne. Eſt quippe in ea vis rationalis, concupiſcibilis, iraſcibilis.

Per vim rationalẽ habilis eſt illuminari ad aliquid cognoſcendum infra ſe, & ſupra ſe, & in ſe, & iuxta ſe. Cognoſcit ſiquidem Deum ſupra ſe, & ſe in ſe. Angelum iuxta ſe, & quicquid cœli ambitu continetur infra ſe. Per concupiſcibilitatem, & iraſcibilitatem habilis eſt affici ad aliquid appetendum vel fugiendum, amandum vel odiendum. Ideo de rationabilitate animæ omnis ſenſus oritur, & de aliis omnis affectus.

Affectus quadripartitus.

Affectus vero quadripartitus eſſe dignoſcitur, dum de eo quod amamus iam gaudemus vel gaudendum ſperamus, & de eo quod odimus iam dolemus vel dolendum metuimus. Et ob hoc de concupiſcibilitate gaudium & ſpes, de iraſcibilitate dolor & metus oriuntur. Qui quidem quatuor affectus animi omniũ ſunt vitiorum atque virtutum quaſi quædam principia & communis materia. Affectus ſiquidem omni operi nomen imponit. Et quoniam virtus eſt habitus mentis bene diſpoſitæ, componendi & inſtituendi atque ordinandi ſunt animi affectus ad id quod debent, & quomodo debent, vt in virtutes proficere poſſint. Alioquin in vitia facile deficient. Senſus verò vnus eſt in anima, & eſt quod ipſa. Cumque corpus non ſit, corporeus dicitur.

Vnus ſenſus internus.

Et cum intus non ſit niſi vnus, tamen propter varia exercitia variatus variè nuncupatur. Dicitur namque ſenſus imaginatio & ratio intellectus intelligentia. Et hęc omnia in anima nihil aliud ſunt quam ipſa. Aliæ quidem & alię ſunt inter ſe proprietates propter varia exercitia, ſed vna eſſentia, ſcilicet rationalis, & vna anima. Et ſicut mundus iſte viſibilis quintupartita quadam diſtinctione eſt ordinatus, ſic animæ in mundo ſui corporis peregrinanti quinque progreſſus ſunt ad ſapientiam. *Auctor.* Ecce prædicta trimembris diuiſio reducitur ad duo membra, dum ſcil. vires animę diuidũtur in ſenſum & affectum, id eſt in vires cognitiuas & affectiuas, ſiue in apprehenſiuas & motiuas. Et iterum membrum vtrumque ſubdiuiditur, affectiuum ſcil. in quatuor, & cognitiuum in quinque.

De viribus cognitiuis, vel apprehenſiuis.

CAPVT II.

HVgo vbi ſupra. Animæ namque (vt ſupra dictum eſt) in mundo corporis ſui peregrinanti quinque progreſſus ſunt ad ſapientiam. Cum enim ab inferioribus ad ſuperiora aſcendere volumus, primus occurrit nobis ſenſus, deinde imaginatio, poſtea ratio, poſtea intellectus, & poſtea intelligentia, & in ſumma eſt ſapientia. Summa namque ſapientia ipſe Deus eſt. Sapientia hominis eſt pietas, ideſt cultus Dei. Senſus ea vis animæ eſt, quæ rerum corporearum corporeas formas percipit. Imaginatio eſt vis animæ, quæ rerum corporearũ corporeas percipit formas, ſed abſentes. Senſus namque formas in materia percipit. Imaginatio extra materiam. Et ea vis quæ eſt exterius formata ſenſus dicitur. Eadem vſque ad intimũ tranſducta imaginatio vocatur. Imaginatio namque de ſenſu oritur, & ſecundum ipſius diuerſitatem eius variatio eſt. Multa videt anima carnalibus oculis. Multa etiam phantaſtica imaginatione cõcipit, & vbiq; quaſi diſtenditur, mouetur, erigitur, & fluctuare videtur, non à ſe egrediens, ſed in ſemetipſa tanquam in magno percurrens ſpacio peruagatur, non exit ab illa, ſed tractatibus ſuis illa ſibi repreſentat. Habet ſiquidem in ſe quaſi quandam latitudinem, longitudinem & altitudinem. Nam per charitatem Deum & omnes fideles ſibi complectitur. Per meditationem vniuerſa quæ à principio mundi vſque ad finem Deus propter ſalutem noſtram operatus eſt meditatur. Per contemplationem quæ ſurſum ſunt cæleſtia contemplatur. Ratio ea vis animæ eſt, quæ rerum corporearum naturas, formas, differentias, propria & accidentia percipit, & omnia quidem incorporea, ſed non extra corpora niſi ratione ſubſtantiæ.

Sapientia. *Senſus.* *Imaginatio.*

Abſtrahit enim à corporibus, quæ fundantur in corporibus non actione, ſed conſideratione. Natura nempe ipſius corporis, ſecundum quam omne corpus eſt, nullum vtique corpus eſt. Intellectus ea vis animæ eſt, quæ inuiſibilia percipit, ſicut angelos, dæmones, animas, & omnem ſpiritum creatum. Intelligibilis ea vis animæ eſt, quæ immediatè ſupponitur Deo. Cernit ſiquidem ſummum verum & vere incommutabilem. *Iohannes de Rupella.* Nota quod tres vltimæ differentię ſcilicet ratio intellectus & intelligentia comprehenduntur ſub virtute intellectiua ſiue rationabili. Cuius virtutis nota triplicem actum, inueſtigare, diſcernere & retinere, ſecundum inueſtigationem eſt ingenium, ſecundum rationem diſcretio, ſecundum memoriã retentio. Ingenium igitur inquirit ignota, Ratio diſcernit inuenta, Memoria recondit iudicata.

Vis intellectiua quid comprehendit.

De mutua illorum connexione.

CAPVT III.

Hugo vbi ſupra. Sic ergo anima ſenſu percipit corpora, imaginatione corporis ſimilitudines, Ratione corporum naturas, Intellectu ſpiritum creatum, & quicquid ſenſus percipit imaginatio repræſentat, cognitio format, ingenium inueſtigat, ratio iudicat, memoria ſeruat. Intelligentia comprehendit, & ad meditationem ſiue contemplationem adducit. Ingenium id eſt quæ vis animæ eſt ſiue intentio qua ſe extendit anima & exercet ad incognitorum cognitionem, ſic fit aſcenſus ab inferioribus ad ſuperiora, & ima à ſummis dependent. Intellectus namque quædam imago & ſimilitudo eſt intelligentiæ, ratio intellectus, rationis phantaſticus ſpiritus. Cui etiam ſupremum corporis id eſt ignis quadam ſimilitudine iũgitur, vt igni aer, aeri aqua, aquæ terra. Senſus iuuatur exterius, quia oculus carnis ex natura quamuis habeat facultatem videndi, nunquã tamen per ſe conſequitur viſionem nec auditum auris, niſi beneficio exterioris lucis & ſoni. Imaginatio iuuatur exterius, quia ex ſenſibus concipitur. Ratio iuuatur interius, quia ſpiritus rationalis ex dono creationis habilis ad cognoſcendum verum & diligendum bonum, niſi radio interioris lucis fuerit perfuſus, & calore ſuccenſus, nunquam conſequitur ſapientiæ cognitionem, ſeu charitatis affectum. Intellectus & intelligentia iuuantur ſuperius, quia Deus & ignis & lux eſt. Lux ergo ſplendorem emittens, ſed non amittens inflammat affectum ad amorem virtutis, & ſicut ſolem non videt oculus niſi in lumine ſolis, ſic verum ac diuinum iumen non poterit videre intelligentia niſi in lumine ipſius. Domine inquit propheta, in lumine tuo videbimus lumen.

Intellectus quid?

Similitudo ad intellectũ dum viſionem beatificam.

De differentia earum ſecundum Hugonem.

CAPVT IIII.

Hugo. Anima innumerabiles differentias ſaporum, odorum, ſonorum, formarum, dijudicat, atque in his omnibus ea quæ ſecundum naturam ſui corporis ſunt appetit, fugitque contraria, remouetque ſe ab his ſenſibus certo interuallo temporum, & eorum motus quaſi per quaſdam ferias reparans rerum imagines quas per eos hauſit ſecum cateruatim & multipliciter verſat. Cum autem vult intelligere, vel diuina, vel Deum, vel ſeipſam, ſuaſque conſiderare virtutes, abſtrahit ſe ab omnibus ſenſibus corporis, & ſpiritu ac ratione ſe conſpicit, & contemplatione ad Deum aſcendit.

Deus vero reuelatione ac diuina inſpiratione ad eam deſcendit. Meditatio ſiquidem eſt occultæ veritatis ſtudioſa inueſtigatio. Contemplatio eſt perſpicuæ veritatis iucunda admiratio. Illam itaque diuina illuminat reuelatio, vt veritatem cognoſcat. Iſtam diuina inſpiratio inflammat vt eam diligat. In ſenſu quidem inſtrumentum eſt ſenſualitatis, & origo imaginationis. Senſus itaque parit imaginationem, Imaginatio cognitionem. Cogitatio meditationem, Meditatio acuit ingenium, Ingenium rationem, Ratio conducit intellectum, Intellectus intelligentiam, Intelligentia contemplationem. Contemplatio ipſam veritatem admiratur, & per charitatem in ea delectatur.

Deſcenſus Dei ad animam.

Senſus quid?

Senſus eſt paſſio animæ in corpore ex qualitatibus extra iacentibus. Imaginatio eſt vis animæ quæ figurã corporearum rerum abſente corpore ſine exteriore ſenſu dignoſcit. Cogitatio eſt circa quælibet animi occupatio. Meditatio eſt frequens cogitatio modum & cauſam & rationem vniuſcuiuſque rei inueſtigans. Ingenium eſt vis quædam naturaliter animæ inſita per ſe dignoſcere valens. Ratio eſt quædam vis animæ quæ omnia diſcernit & iudicat, ſed maxime eum inhiat ſpiritualibus & imaginem Dei in ſe conſeruat. Intellectus eſt rerum vere exiſtentium perceptio. Intelligentia eſt de ſolis rerum principijs, ideſt de Deo, ideis, ὅλῃ, & de corporeis ſubſtantijs pura certaque cognitio.

Imaginatio & opinio qui differãt.

Item de eodem ſecundum Ariſtotelem.

CAPVT V.

Ariſt. in li. de anima. Apud Platonem nihil cognoſcitur niſi per ſuum ſimile. Terram namque terra cognoſcimus, aquã aqua, & ignẽ ſimiliter per ignẽ. Dicũt etiã, quod anima cognoſcit omnia, & quod nõ cognoſcũtur res niſi per ſua principia. Iudicantur autẽ id eſt conſiderantur res aliæ quidẽ intellectu, aliæ ſcientia, aliæ vero opinione, ſeu eſtimatione, aliæ quoque ſenſu. *Idem in li. 2.* Quod autẽ idem nõ ſit ſentire & intelligere manifeſtum eſt. Sẽſus enim ineſt omnibus animalibus. Intellectus autem paucis nullique cui non ſit ratio. Amplius intelligere contingit recte & non recte. Senſus autem propriorum ſemper verus eſt. Porro imaginatio aliud eſt à ſenſu & intellectu, ſed hæc non fit ſine ſenſu, ſine hac autem non fit opinio.

Et differt ab opinione, quia paſſio hæc id eſt imaginatio in nobis eſt, cum volumus præ oculis ponere res, ſicut diſpoſitæ ſunt in recordatiuis ſiue in conſeruatione & fingere formas. Opinari vero non in nobis eſt cum volumus, quia neceſſe eſt verum aut falſum dicere, ideſt aſſerere. Prẽterea quod phãtaſia nõ ſit ſenſus, manifeſtũ eſt in his. Senſus enim aut potentia aut actus eſt, vt viſus & viſio. Sed quandoque imaginatur quod neutrum eſt, vt in ſomnis. Item ſenſus ſemper eſt præſens id eſt ſemper fit cum prẽſentia ſenſibilis. Imaginatio vero nõ. Præterea ſenſus quidem veri ſunt, phantaſiæ vero falſæ. Item imaginatio fit clauſis oculis, ſenſus autem non. At vero neque phantaſia eſt ſcientia aut intellectus. Eſt enim phantaſia falſa. Reſtat ergo videre an opinio ſit. Opinio namque fit & vera & falſa, ſicut phantaſia. Sed opinioni quidem inhæret fides vel ſecundum aliã translationem æſtimationem ſequitur fides, quia non contingit opinantem non credere quod æſtimat. Beſtiarum vero nulli fides inhæret, multis tamen earum ineſt phãtaſia. Amplius opinionem ſequitur fides, Fidem vero ſuaſio, ſuaſionem autem ratio. Sed beſtiarum quibuſdã videtur ineſſe phãtaſia, Ratio vero nõ. Deniq; phãtaſia motus quidã eſſe videtur, & nõ fit ſine ſenſu, ſed in his qui ſentiunt & quorum eſt ſenſu, phãtaſia ergo eſt motus à ſenſu ſecundũ actũ factus. Vel ſecundũ aliã tranſlationem, imaginatio eſt motus à ſenſu qui eſt in actu. Porro ſenſus quidẽ propriorum ſenſibiliũ verus eſt, aut paruiſſimum habens falſum. Circa ſenſibilia vero communia eſt maxime decipi ſecundum ſenſum.

De modis apprehendendi.

CAPVT VI.

Ex libr. fontis vitæ. Anima ſenſibilis apprehẽdit formas ſenſibiles ſine cõprehenſione materiarũ illis ſubiectarum: & hoc non fit, niſi quia materia eſt extra eſſentiam animæ. Formæ ſunt in eſſentia animæ. Porro omne quod apprehendit res per ſe, inter ipſum & id quod apprehendit non eſt medium. Subſtantia vero

ſimplex eſt huiuſmodi,& forma omnis rei eſt ipſamet. Apprehendit ergo omnes formas per formam ſui. Impreſſio vero non fit niſi per applicationem imprimentis ad impreſſum. Senſus autem & intellectus non applicantur niſi formę ſenſibili & intelligibili. Intelligentia ergo & anima non apprehendunt res niſi per formas ſuas, & forte non coniunguntur niſi cum formis propter ſimilitudinem & conuenientiam earum in genere. Itaque ſicut ὕλη virtus eſt receptibilis formarum ſenſibilium, ſic & anima virtus eſt receptibilis formarum intelligibilium. Tu vero ſis res ſenſibiles ponas intelligibilium exemplum apud te, facilis erit imaginatio rerum intelligibilium. Omnis autem forma vnit id quod per eam imaginatur. Denique poſtquã intelligẽtia non habet propriam formam in ſe,& eſt apprehendens omnium formarum ſemper, neceſſe eſt vt formæ rerum omnium ſint ſibi formę. Omnes formæ autẽ ſuſtinẽtur in quantitate,& quantitas in ſubſtantia. Et ſicut figura finis eſt formæ quantitatis ac terminus circundans eam ita ſcientia finis eſt formæ intelligentiæ, & terminus circundans eam.

Quod diuerſæ vires apprehenſiuæ formas abſtrahant à materia diuerſimodè.

CAPVT VII.

Senſus requirit materiam.

Avicenna vbi ſupra. Videtur autem quod omne apprehendere nihil ſit, niſi apprehendere formam apprehenſibilem abſtractam à materia aliqua abſtractione. Species autem abſtractionis diuerſę ſunt,& gradus earum differentes. Formæ namque materiali propter materiã accident diſpoſitiones, & alia quæ non habet ex ſui eſſentia,vel ſecundum quod eſt forma. Vnde abſtractio illius à materia aliquando fit non ſine illis appendicijs adhærentibus prope materiã. Aliquando vero eſt perfecta abſtractio illius à materia,& ab alijs appendicijs. Itaque ſenſus cũ apprehendit formam, abſtrahit quidẽ illam abſtractione vera,Sed neceſſariũ eſt ei adeſſe materiam,vt hæc forma apprehendatur ab illa.

Intellectus.

Imaginatio vel imaginatiua diſcernit formam à materia maiori diſcretione,capit enim eam ſine materia, ita quod ad hoc,vt hæc ſubſiſtat in illa,non eſt neceſſe materiã exiſtere,quoniã abſtrahit eam perfecta collatione quam habet cum materia. Non tamen diuidit eam ab accidentibus materialibus. Itaque ſenſus non denudat formam à materia perfectè,nec ab accidentibus materiæ. Sed imaginatio denudat quidem illam à materia, nondũ autẽ ab accidentibus materiæ. Formæ namque ſunt in imaginatione ſecundum quod ſunt ſenſibiles,& ſecundũ quantitatẽ aliquã & ſitũ. Nõ poteſt autẽ imaginatio formã apprehendere in tali diſpoſitione in qua poſſibile eſt omnia illius ſpeciei indiuidua conuenire. Homo enim imaginatus eſt ſicut vnus ex hominibus. Æſtimatio vero tranſcendit aliquantulum hunc ordinẽ huius abſtractionis, quoniam apprehendit intentiones quæ non ſunt in materijs,quamuis accidat eis eſſe materia,vt bonitas,malitia,& his ſimilia, non ſunt res materiales in ſe,alioquin non intelligerentur ſine corpore. Accidit tamen eis eſſe in rebus materialibus. Hæc autem & ſimilia tantum apprehendit æſtimatio. Hæc abſtractio vicinior eſt ſimplicitati quam duę primæ. Non tamen expoliat formam hanc ab accidentibus materiæ, quia particulariter apprehendit eam, & ſecundũ vnamquamque materiam,& ſecundum comparationem eius ad illam, ligatamque cum forma ſenſibili, ac ſtipatam accidentibus materiæ.

Virtus autem intellectiua capit formas quæ non ſunt materiales vllo modo, nec rerum materialium, ſed ab omni colligatione cum materia denudatæ. Apprehendit ergo eas apprehenſione nuda à materia omni modo. Et in eo quidem quod eſt ex ſeipſo nudum à materia res manifeſta eſt, vt ſcilicet cum apprehendit omnino intellectualia. Id autem cuius eſſe materiale eſt, vel quod habet eſſe in materia, abſtrahit à materia & ab omnibus appendicijs materiæ quæ cum ipſo ſunt, & apprehendit illud apprehenſione nuda.v.g. hominẽ ſecundum quod de pluribus prædicatur ſequeſtratum ab omni quali & quanto & vbi & ſitu materialibus, niſi enim denudaretur ab his non eſſet aptum de omnibus prædicari.

De vi apprehenſiua ſenſibili.

CAPVT VIII.

Visus. Auditus. Odoratus. Guſtus. Tactus.

Hugo vbi ſupra. Anima ſenſibilis animalia bruta vegetat aque ſenſificat. In quibus etiam quædam habẽt ſenſum & non imaginationem,quædã autẽ vtrũque. Cumque plus ſit ſenſificari quam vegetari tantũ, profecto conſtat hanc vim eſſe ſubtiliorẽ quã vegetabilẽ,quæ magis etiam incorporeæ naturæ appropinquat, cum imaginationẽ format,quam cum ſenſum præſtat. *Iohãnes de Rupella.* Et vis quidẽ ſenſibilis diuiditur primo per cognitiuam & motiuam. Cognitiua vero ſiue apprehenſiua ſenſibilis duplex eſt, quędã enim apprehẽſio eſt modo materiali,quædã autem modo animali. Prima eſt apprehenſio phãtaſiæ. Dicitur enim operãs per modũ naturę,quæ ſemper vno modo eſt,& quę nõ regitur nec perſuadetur ratione, ſicut in ſomnis patet,vbi eius operatio maxime apparet. Nã operatur quidẽ ſemper, ſed anima intentata circa ſenſibilia ſingula nõ attendit continuam operationẽ ipſius phãtaſiæ. Relinquitur ergo, quod eius apprehenſio eſt in modũ naturæ, & inquantum huiuſmodi conſideratur vt natura quædã, & dicitur phantaſia,nec eſt obediens rationi. Inquantum vero conſideratur,vt ſenſus, ſic dicitur ſenſus communis, & ſubijcitur rationi. Cognitiua vero ſiue apprehenſiua modo animali,hoc eſt cum inobedientia rationis ſubdiuiditur. Nam quędam eſt apprehenſiua exterior,quædam interior.

De ſenſibili apprehenſiua exterius.

CAPVT IX.

Scientia vniuerſaliũ.

Ali in lib.regalis diſpoſitionis. Virtus quidẽ exterius ſentiens,eſt illa, quæ ſingula mẽbra ſentientia in rem ſenſam immutat, & hæc in quinque ſenſus diuiditur. Viſus cæteris ſubtilior eſt. Vnde & remotiora quã cęteri cõprehendit,& eius natura eſt ignea. Ignis quidẽ ſpecies ſunt tres,flãma ſcilicet & rubor,& lumẽ. *Natura vero viſus eſt natura luminis* eiuſq; res ſenſa lux eſt diuturna. Poſt viſum in ſubtilitate eſt auditus, cuius natura eſt aerea,eiuſq;ſenſa res eſt aer,& quæ fiunt in aere percuſſiones. Poſt hũc eſt odoratus, huius ſenſa vapores ſunt, quorũ natura ex aquæ & terræ naturis eſt cõtemperata. Subtilitatem eius ſequitur guſtus, cuius natura quę & aquæ eſt, ſenſa vero ſapores quæ ex humida regenerantur. Omnibus autem ſpiſſior eſt tactus, qui & terræ comparatur,eiuſque ſenſum eſt terra,& ipſius accidentia durum & molle,calor & frigus.

Ariſtot. in lib. de ſenſu & ſenſato. Senſus ineſt animæ per corpus & animali ſecundum quod animal eſt,vnũquẽque ſenſum habere neceſſe eſt proprieque tactum & guſtũ. Cæteri vero propter exteriora proficientibus eorũ inſunt. Omne autẽ ſenſibile velut in colore album & nigrũ,in ſapore dulce & amarũ, & in omnibus alijs ſunt vltima contraria. Omniaque ſimplicia magis ſunt ſenſibilia quã commixta, ſicut vinum intemperatũ quã temperatum. *Idem in li.de anima 2.* Sentire quidẽ duplex eſt,potẽtia ſcilicet & actu, potentia nãque vidẽs videre dicimus,etiã ſi fortè ſit dormiens. Senſus autem in actu ſingularium eſt,ſcientia vero vniuerſalium. Et hæc vniuerſalia quodammodo ſunt in ipſa anima. Vnde intelligere quidem eſt in anima quando vult, ſentire vero non ſemper, ſed neceſſe eſt eſſe ſenſibile ſcilicet extra agens. Ipſorũ namque ſenſuum non eſt ſenſus: nõ enim ſentiunt ſe. Sicut ergo combuſtibile non comburit ſeipſum ſine combuſtiuo,ita ſenſitiuum non ſentit ſine alijs quæ ſunt extra, ideſt medijs & organis, in quibus ſcilicet dominantur quatuor elementa, quorum eſt ſenſus per ſe. Actiua ergo operationis ſenſibilis

extra

extra ſunt,vt viſibile odibile &c. ideſt principia actiua, in ſenſu extra. Nec manet ſpecies ſenſibilis in ſenſu,niſi quamdiu ſenſibile extra eius mouet ſenſum, ſed ſpecies vlterius ad phantaſiã fertur. Senſus ergo in ipſo moueri & pati accidit, ideſt ſentire fit per aliquam paſſionem & actum à ſenſibilibus, à quibus ſcilicet alteratur ſenſus aliquo modo. Eſt enim de virtutibus paſſiuis & non actiuis. Omnia vero patiuntur & mouentur ab actiuo. Et pati quidem eſt quandoque à ſimili, quandoque à diſſimili. Paſſum autem aſſimilatur, ideſt agenti ſimile efficitur. Itaque ſentire pati quidem eſt. Omnia vero ſentimus per medium. Vnde cum ſenſibilia fuerint poſita ſupra ſentiens, omnino non ſentiet, Omne autem habens ſenſum, habet phantaſiam & appetitum ſiue imaginationem & deſiderium, & etiam triſtitiam & lætitiam, ſiue triſte & dulce. Appetitus enim dulcis eſt.

De inſtrumento, vel medio ſentiendi

CAPVT X.

Ex verbis Aug. ſuper Gen. Cum autem corpus hominis compoſitum ſit ex quatuor elementis, quorum quædam ſubtiliora ſunt, quædam craſſiora. Vnũquodque eorum quanto ſubtilius tanto naturæ ſpirituali vicinius ideſt animæ. Vnde anima cui ineſt vis ſentiendi atque mouendi per ſubtilius corpus agitat vigorem ſentiendi ſcilicet per ignem. Inchoat itaque motum in omnibus ſenſibus à ſubtilitate ignis, ſed in omnibus ad idem peruenit. In viſu enim peruenit repreſſo calore vſque ad eius lucem. In auditu enim calor ignis penetrat vſque ad liquidiorem aerem, In olfactu tranſit aerem purum, & peruenit vſque ad humidam exhalationem, vnde hæc craſſior aura exiſtit. In guſtu tranſit hanc, & peruenit vſque ab humorem corpulentiorem: quæ enim ſapiunt ipſius oris humori commiſcentur, vt ſapiant etiam ſi arida videantur quando accipiuntur. In tactu autem penetrato atque traiecto corpulentiori humore, peruenit vſque ad terrenam grauitatem.

Quinque ſenſus referuntur ad 4. elementa.

Vnde quidam ſubtiliſſima conſideratione referunt hos quinque ſenſus per ordinem ad quatuor elementa, ex quibus conuenit mundus, & ex quibus corpus hominis commixtum eſt, qui dicitur microcoſmus ideſt minor mundus. Dicunt enim oculos pertinere ad ignem, Aures ad aerem, Olfactum & guſtum ad aquam ideſt ad naturam humidam. Olfactum quidem ad humidas exhalationes, quibus hæc aura craſſatur. Guſtum vero ad humores corpulentiores. Tactum vero ad terrenum elementum. Vnde & hic ſenſus viget per totum corpus, quod maxime ex terra ſubſiſtit. Ignis tamen in omnibus ſenſibus omnia cætera elementa penetrat, vt motum in eis faciat. Ideo etiam priuatione caloris ſenſus obtunduntur, cum corpus ſcilicet nimis frigeſcit, quia motus pigreſcit qui ex calore ineſt corpori, dum ignis aera, & aer humida, & humor terrena afficit ſcilicet ſubtilioribus craſſiora penetrantibus.

Qualiter omnes ſenſus & voluntarij motus à cerebro dirigũtur.

CAPVT XI.

OMnes autem ſenſus & motus voluntarij dirigũtur à cerebro. Nam in anteriori parte cerebri eſt quædam qualitas ignis luculenta, quæ quaſi eliquari & ſubuolare oſtenditur in excelſum cerebri locum tanquam in cœlum corporis noſtri. Vnde & radij oculorum emicant, & de cuius medio quaſi centro quodam non ſolum ad oculos ſed etiam ad ſenſus cæteros tenues fiſtulæ deducuntur ſcilicet ad aures & nares, & ad palatum propter audiendum & olfaciendum & guſtandum. Tactus etiam qui per totum corpus viget, ab eodem cerebro dirigitur per medullam ceruicis, & per illam quæ continetur in oſſibus, quibus ſpina dorſi conſeritur, vt inde tenuiſſimi quidam riuuli per cuncta membra ſe diffundant, qui tangendi ſenſum vbique faciant, & his quinque ſenſibus quaſi quibuſdam nuncijs accipit anima quicquid de rebus corporalibus ad eius notitiam peruenit. Et quoniam anterior pars cerebri vnde omnes ſenſus diſtribuuntur ad frontem collocata eſt, & in facie ſunt ipſa organa ſentiendi excepto tactu, qui per totum corpus diffunditur, qui tamen ipſe ab eadem cerebri anteriori parte oſtenditur habere viam ſuam, vt dictum eſt ſcilicet quæ retrorſum per ceruicem atque verticem ad medullam ſpinæ dorſi deducitur, vnde & ipſa facies habet ſenſum tangendi ſicut & totum corpus, exceptis illis quatuor qui in ſola facie prælocati ſunt. Ideo in Geneſi de infuſione animę in corpore Adæ, quæ illud totum viuificaret & ſenſificaret ſpecialiter facies exprimitur & dicitur. Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.

Cur anterior pars faciei præponitur poſteriori.

Anterior enim pars ideſt facies merito poſteriori præponitur, quia & iſta ducit, illa ſequitur, & ab iſta ſenſus ab illa motus dirigitur. Ideo recte eam præcedit, ſicut conſilium præcedit actionem. Sed quia motus corporalis qui ſequitur ſenſus, ſine interuallis temporum nullus eſt. Agere autem interualla temporum motu ſpontaneo non valemus, niſi per adiutorium memoriæ. Ideoque in cerebro tres quaſi ventriculi eſſe demonſtrantur. ſcilicet vnus anterior ad faciem, à quo eſt ſenſus omnis, vt dictum eſt. Alius poſterior ad ceruicem, à quo eſt motus omnis. Tertius inter vtrunque in quo viget memoria, quæ nunciat corporis motus præcedentes in qualibet operatione, vel ambulatione, vt homo mediante ſenſu continuet ſequentes motus cum præcedentibus. Cum enim ſenſum ſequitur motus, non poteſt homo conijcere quid faciendum eſt, ſi fuerit oblitus quod fecit, & ita auertit vel ſiſtit imperandi nutum à miniſterio motus, vel operationis, vt quandoque neſciat quod fecit vel quo vadit; quia animæ intentio auerſa à memoria in aliquam cogitationem vehementer applicata eſt.

Qualiter ſenſus ſit ſenſibilium ſuſceptiuus.

CAPVT XII.

ARiſtoteles vbi ſupra. Senſus eſt ſuſceptiuus ſenſibilium ſpecierum ſine materia ſicut cera annuli ſine ferro & auro ſignum recipit. Nihil autem ſine calore ſenſitiuum eſt, quia videlicet nullus ſenſus poteſt actionem ſuam facere cum infrigidatur. Senſibilia quoque intenſa corrumpunt inſtrumenta ſenſuum. Porro ſi deficiat nobis aliquis ſenſus, neceſſe eſt organum nobis deficere. Eſt autem vnus & idem actus ſenſibilis & ſenſitiui ideſt ſentientis, ſed ipſorum eſſe non idem. *Guilhelmus de Conchis.* Ariſt. quoque in metaphyſica ſenſum ita diffinit. Senſus eſt animati corporis applicatione non leuis exteriorum mutatio, ſed quomodo in omni ſenſu ſit exteriorum applicatio, & quomodo animatum corpus inde mutetur, tractando de vnoquoque dicitur. Omnium vero ſenſuum quædam aerea ſubſtantia eſt inſtrumentum quam oportet in naturam rei ſenſæ mutari prius quam ſit ſenſus. *Albertus.* Senſus itaque dicitur potentia paſſiua, non quia recipiat formam quæ tranſmutat ſubſtantiam ſuam in ſubſtantiam eius ſecundum eſſe, ſed potius tranſmutatur in ſpeciem ſenſibilem ſecundum intentionem. Et hæc potentia tres habet gradus, ſicut etiam potentia ſciendi. Dicitur enim ſcientia ſciendi ſicut in puero qui eſt de numero ſcientium ſecundum poſſibilitatem naturæ tantũ. Et hæc potẽtia dicitur remota & materialis & imperfecta & indiſpoſita. Dicitur etiã ſciendi potẽtia in diſcẽte nondũ habitũ habẽte, qui tamen iã cognoſcit in parte, & hæc eſt potẽtia diſpoſita & propinqua. Tertius eſt gradus potentię, quę cõpleta eſt per habitũ perfecte. Et hæc dicitur potentia per actum cõpleta. Similiter etiam in ſenſu. Cum enim animæ potentia coniungitur organo, tunc eſt potentia ad ſenſum in primo

Senſus quid?

Potentia tres gradus habet.

gradu. Cum autem diſpoſitio ſit per ſpiritum animalem & calorem naturalem & organi harmoniam, tunc eſt potentia ſenſus in ſecundo gradu. Cum vero ſpeciem habet ſenſibilem, tunc eſt in tertio gradu, ſcilicet potentia per actum completa.

Qualiter ſenſus dicatur eſſe ſenſibilis & non ſenſibilis.

CAPVT XIII.

SIcut autem de viſu dicit Ariſtoteles in 2. libro de anima, quod viſus eſt viſibilis & inuiſibilis. Et quod tribus modis eſt inuiſibile, ſed nullo modo viſibile. Et vix viſibile propter paruitatem. Et corruptiuum viſus propter excellentiam, ita dicimus, & de alijs ſenſibus. Notandum ergo quod cum dicitur viſus eſt inuiſibilis, hæc propoſitio in adiuncta viſibili per compoſitionem priuare poteſt obiectum viſus reſpectu viſus, vel reſpectu harmoniæ ipſius. Si reſpectu viſus tunc inuiſibile dicitur non habens colorem, tamen aptum natum habere, ſicut aer vel aqua. Si vero reſpectu harmoniæ, poteſt hoc fieri ſecundum duplicem modum ſcilicet ſecundum diminutionem, tunc inuiſibile dicitur quod paruam habet inuiſibilitatis duritiam, Vel ſecundum exceſſum, tunc inuiſibile dicitur, quod nimis eſt lucidum. Similiter etiam de auditu dicimus ſcilicet quod auditus eſt audibilis, & non audibilis.

Non odibile dicitur duplicter.

Et non audibile dicitur duobus modis. Primus eſt ſecundum quod priuat actum audibilem potentiam relinquendo. Et ſecundum hoc dicitur non audibile ad ſonum ſine vacuum ſono. Alius eſt ſecũdum quod priuat harmoniam obiecti ad auditum. Et hoc iterum ſecundum duplicem modum, videlicet exceſſum, & hoc eſt excellens corrumpens ſenſum. Et ſecundum diminutionem, quando ſcilicet minus immutat auditum, quam immutabilis ad audiendi actum. Similiter etiam guſtus eſt guſtabilis, & non guſtabilis. Et non guſtabile dicitur tribus modis, vno modo ſcilicet per priuationem habitus, ſic nõ guſtabile eſt inſipidum. Alio modo per priuationem harmoniæ ad ſenſum, ſicut excellens eſt non guſtabile, quia corrumpit guſtum. Tertio per priuationem harmoniæ ad immutationem guſtus ſecundum immutantis debilitatem, ſic non guſtabile dicitur quod paruum habet ſaporem. Denique ſimiliter & tactus eſt tangibilis & non tangibilis. Et non tangibile tribus modis dicitur, videlicet aptum natum tangi, & non actu. Vel corrumpens tactum propter excellentiam, ſicut calidum ignis, Vel paruum habens tactum, ſicut aer.

De ſenſibili per ſe & per accidens.

CAPVT XIIII.

DIſtinguitur autem ſenſibile tripliciter ab Ariſtotele, horum inquit duo quidam dicimus ſentire per ſe, vnum autem per accidens, deinde vero quæ ſentiuntur per ſe, aliud quidem proprium eſt vniuſcuiuſque, Aliud vero omnium commune. Dico autem proprium quod non contingit altero ſenſu ſentire, & circa quod non contingit errare, vt eſt coloris viſus, & ſoni auditus. *Communia vero ſunt quinque ſcilicet, motus, quies, numerus & magnitudo.* Porro ſecundum accidens ſenſibile dicitur, vt ſi album quod diarrij filius. Hoc enim ſecundum accidens ſentitur, quoniam diarrij filiũ eſſe accidit album quod perſe ſentitur. Sed nota quod ſenſibile per ſe duobus modis dicitur, ſc. quod eſt oppoſitum ei quod eſt per accidens. Et ſecundum quod ei quod eſt per aliud. Et cum dicit Ariſt. quod ſenſibile per ſe eſt proprium & commune, accipit per ſe ſecundum quod opponitur per accidens, & ideo ſic ordinanda eſt diuiſio. Senſibile quoddam eſt per ſe, & quoddam per accidens. Senſibile quoque per ſe, quoddam eſt per ſe commune, quoddam proprium. Nihilominus tamen per accidens dicitur duobus modis, dicitur enim

Senſibilia communia ſunt quinque.

A per accidens oppoſitum ſubſtantiali, & oppoſitum immediate conuenienti. Nam ſortem dicimus eſſe album per accidens, eo quod ſubſtantialiter non eſt albus. Dicimus etiam ſortem eſſe animal rationale per accidens & mortale. Non quia non ſit hoc ſubſtantialiter, ſed quia hoc immediate non conuenit ei, ſcilicet inquantum ſortes eſt, ſed inquantum homo eſt. Secundum hunc enim modum dicit philoſophus quod iſocheli accidit habere tres angulos duobus rectis æquos. Per ſe vero ineſt triangulo. Notandum eſt ergo, quod ad hoc quod aliquid ſit ſenſibile per ſe & proprium tria exiguntur, ſcilicet quod non ſentiatur alio ſenſu per ſe, & quod circa ipſum non contingat errare illum ſenſum cuius eſt ſenſibile, & quod ſubſtantia ſenſus illius organi apta nata ſit pati ab illo, & non ab alio, ſicut viſus coloris eſt, quem non contingit ſentire per ſe auditu, vel
B olfactu, vel aliquo alio ſenſu. Et circa colorem non errat viſus.

Viſus circa quæ fallitur.

Licet enim circa compoſitionem coloris cum ſubiecto vel diuiſionem ipſius ab ipſo contingat error, tamen circa colorem nunquam eſt error. Viſus enim ſemper rubeum dicit eſſe rubeum, componere autem rubeum cum hoc ſubiecto quod eſt cuprum, vel cum hoc ſubiecto quod eſt aurum, non eſt viſus, ſed ſenſus communis vt infra habetur. Et circa illam compoſitionem & diuiſionem frequenter contingit mentiri, multi enim crediderunt cuprum eſſe aurum, & multi mel fel putauerunt, eo quod citrinum eſt vtrumque, ſimiliter organum viſus non immutatur niſi à colore, & non à ſono vel odore, & ſic eſt de alijs ſenſibus & ſenſibilibus.
C quæ autem exiguntur ad ſenſibile commune, infra dicentur. Senſibile vero per accidẽs dicitur hic per oppoſitũ ad ſubſtantiale. Subſtãtiale enim ſenſibile eſt quod ex ſui forma facit ſenſum. Vnde per accidens eſt illud quod nõ facit ſenſum ex ſui forma, ſed potius coniungitur in eodẽ ſubiecto cũ illo quod per ſe facit ſenſum: ſicut album per ſe obiectum eſt viſus, id autem quod cum albo eſt in eodem ſubiecto per accidens ſentitur à viſu. Sicut dicit philoſophus, quod viſus per accidens ſentit dulce, quia album eſt dulce, & viſu per accidens ſentimus filium diarrij quia album eſt filius diarrij, & ſic de alijs. Cum autem dicit philoſophus quod ſenſata communia ſentimus per accidens proprijs ſenſibus, non accipit per accidens ſecundum quod ſubſtantiali opponitur, ſed prout opponitur immediato
D Figuram enim non ſentimus ſenſu proprio gratia ſui & immediate, ſed gratia proprij ſenſibilis inuenti in figura & magnitudine.

Qualiter ſenſibile ſit in obiecto & in medio, & in ſenſu.

CAPVT XV.

MAniſeſtum eſt autem quod ſenſibile in obiecto habet ſecundum naturam eſſe. In ſenſu vero habet eſſe intentionis id eſt ſpeciei, quæ principium eſt cognitionis ſenſibilis. Videtur itaque quod in medio habeat eſſe medio modo. Econtra vero per quaſdam rationes quas ponit Ariſtot. in libro de anima ſecundo videtur, quod nihil patiatur à ſenſibili niſi ſenſus, &
E ita quod ſenſibile nullo modo ſit in medio. Ideoque dicimus, quod reuera in tribus ſenſibus quæ ſunt per medium extrinſecum ſenſibile aliud in obiecto, & aliud in medio, & aliud in ſenſu habet eſſe. Nam in obiecto quidem habet eſſe materiale. In ſenſu vero tantum eſſe ſpirituale, in medio autem ſenſibile. Color quidem qui ſcilicet eſt ſenſibile proprium ſiue obiectum viſus, eſt in re colorata tanquam in materia, in aere vero tanquam in medio, ſicut dictum eſt ſupra. Sed ſenſibile auditus ſcilicet ſonus ſecundum eſſe ſuum, in medio ſcilicet in aere eſt, vt in materia, non tamen agit in auditum actione materiæ, ſed actione medij, & ſimiliter eſt de odore.

Et vt hoc intelligatur, notandum, quod actio materiæ proprie eſt actio qualitatum tranſmutantium materiam ſiue

Actio materia.

natu-

naturaliter, ſiue violenter, vel ſi non tranſmutat materiam, tamen diſponit eam ſecundum qualitatem propriam. Et propter hoc aer habens colorem vt medium,non agit actione materiæ ſecundum colorẽ, quia nihil colorat. Similiter habens ſonum non agit actione materiæ ſecundum ſonum,quid illud quod mouet, non facit ſonare. Sed bene ſecundum modum violentũ aliquando agit actione materiæ, quia impulſus à tonitru ſcindit lignum,ſed tamen actione medij,& non materię agit in ſenſum, facit enim ſenſum in actu per ſenſibile, quod vt in medio eſt in ipſo. Et propter hoc ſenſibile quod eſt in medio,non eſt in potẽtia, ſed ſecundũ quod eſt in materia & ſenſu eſt in actu. Aliquod tamen ſenſibile in aliquo vno eſt vt in materia,& vt in medio,ſicut ſupra de ſono eſt expeditum. Et hoc eſt quod dicit philoſophus,quod colores & ſoni & odores in aere ſunt,ſicut in tranſitu & in via. In ſenſu autem & obiecto ſecundũ actum,quia ſenſibile & ſenſus eſt vnus actus, vt dicit philoſophus. Et per hoc patet ſolutio ad rationes philoſophi, quæ tantum ſunt de ſenſibili, quod eſt per mediũ extraneum,quia ſenſibile in medio,ſicut in medio non eſt niſi ſecundũ viam & potentiã & tranſitum. Sed ſi eſt in medio, vt in materia,tunc mediũ eſt in ratione obiecti,& non in ratione medij. Et tunc ſenſibile eſt in actu. Duo ſenſus autem qui ſunt per mediũ intra habẽt ſenſibilia quę actu sũt,& in obiecto, & in medio, & in organo, & ſenſibilia eorũ eſſe ſpiritualeacquirunt per ſpiritũ animalẽ attrahentẽ & deferentẽ intentiones ipſorum ſenſibiliũ ad cerebrũ. Et hoc patet,quia intentio calidi per ſpiritum attractiuum animalem ab origine tractus non calefacit cerebrum.

Qualiter forma ſingularis recipiatur in ſenſu.

CAPVT XVI.

PRæterea dicit Ariſtot. in ſecundo de anima, quod ſenſus communis eſt ſuſceptiuus ſenſibilium ſpecierum ſine materia. Et ad hoc dat exemplum in cera,quæ recipit figuram annuli ſine materia eius,quæ eſt ferrum vel aurum. Idem etiam per rationem probatur,quia ſcilicet materia coloris eſt colorata res,vt lapis vel equus, quæ ſcilicet res in oculo recipiuntur,licet eorum ſpecies ibi recipiantur. Similiter eſt & in alijs ſenſibus.

Ob. *At contra hoc poſſet aliquis obijcere*, quod in hoc differunt vniuerſale & ſingulare,quod vniuerſale eſt à forma, & ſingulare à materia, & appendicijs materiæ. Si ergo ſenſus eſt ſingularis, erit eorum quæ ſunt cum materia & appendicijs materiæ, ſicque non erit receptiuus ſenſibilium ſpecierum ſine materia. Præterea dicit Auicenna, quod omnis forma eſt vniuerſalis, & non particularis niſi per naturam. Si ergo ſpecies ſenſibilis ſine materia eſt forma materiæ coniuncta, erit vniuerſalis, & ita ſi ſenſus recipit ſpecies ſenſibiles ſine materia, recipiet vniuerſalia, quod fieri non poteſt.

Reſp. *Dicimus itaque* quod aliud eſt ſingulare ſecũdum eſſe naturæ,& aliud intentio ſingularis in anima: Nam ſingulare ſecundum eſſe quod habet in natura, eſt à materia,ſed intentio ſingularis in anima eſt ab appendicijs materiæ, quæ ſunt præſentia materiæ, & apprehenſio ipſius cum hic & nunc & cęteris indiuiduantibus. Et illa bene ſunt in ſenſu, licet materia ſecundum eſſe non ſit in ſenſu. Cæterum forma quantum eſt de ſe, ſemper communicabilis eſt multis, & quod non communicatur ſecundum eſſe eſt à materia. Intentio tamen incõmunicabilitatis & ſingularitatis eius eſt ab appendicijs cum quibus apprehenditur in ſenſu. Denique particulare ſicut & ſingulare ſecundum eſſe eſt à materia, ſed ſecundum intentionem ab appendicijs materiæ, cum quibus apprehenditur à virtutibus ſenſibilis animæ, & ab illa intentione particularis intellectus abſtrahit intentionem vniuerſalis.

De numero & nominibus ſenſuum.

CAPVT XVII.

Senſus quinque.

ISidorus in lib. Etymologiarum 11. Senſus itaque corporis quinq; ſunt,viſus, auditus, guſtus, odoratus & tactus, ex quibus duo aperiuntur & clauduntur, duo ſemper patentes ſunt. Senſus autem ideo dicti ſunt, quia per eos anima ſubtiliſſime totum corpus agitat vigore ſentiendi. Vnde & præſentia nuncupantnr,quod ſint præ ſenſibus, ſicut præ oculis quæ præſto ſunt oculis. Viſus eſt qui à philoſophis humor vitreus appellatur. Hunc autem quidam aſſerunt fieri aut externa ætherea luce,aut interno ſpiritu lucido per tenues vias à cerebro venientes, atque penetratis tunicis in aerem exeuntes, & tunc commixtione ſimilis materiæ viſum dantes.

Viſus ety mon. *Viſus autem dictus eſt* quod viuacior ſit cæteris ſenſibus ac præſtãtior ſiue velocior ampliuſque vigeat,quãtum memoria inter cætera mentis officia, vicinior eſt enim cerebro,vnde omnia manant. Ex quo fit,vt ea quę ad alios pertinent ſenſus videre dicamus,veluti cum dicimus,vide quomodo ſonat, vide quomodo ſapit &c.

Auditus. Odoratus. Guſtus. Tactus. *Auditus appellatus*, quod voces hauriat, hoc eſt aere reuerberato ſuſcipiat ſonos. *Odoratus quaſi odoris attractus*; tracto enim aere ſentitur,ſic & olfactus quod odoribus afficiatur. *Guſtus à gutture dictus eſt. Tactus eo quod pertractet & tangat*,& per omnia membra vigorem ſenſus aſpergat. Nam tactu probamus quicquid cæteris ſenſibus iudicare non poſſumus. Duo vero genera tactus eſſe patet. Nam aut extrinſecus venit quod feriat, aut intus in ipſo corpore oritur. Vnicuique autẽ ſenſui propria natura datur. Nam quod videndũ eſt oculis capitur,quod audiẽdum eſt,auribus, Mollia & dura tactu æſtimãtur,Sapor guſtu,odor naribus ducitur. *Ari. in 3. li. de anima.* Guſtus vero quidam tactus eſt, & hi quidẽ ſcilicet guſtus & tactus neceſſarij ſunt animali, cæteri vero propter bonũ ſunt,id eſt propter bene eſſe. Viſus quidẽ vt videat in aere & aqua. Guſtus autẽ in alimento dulce ſentiat & amarum. Et de olfactu ſimiliter. Auditus vero vt ſignificet ſibiipſi ſicut & lingua,vt ſignificet aliquid alteri propter hoc autem oſſibus, & capillis & huiuſmodi partibus non ſentimus,quia terrenæ ſunt. *Idem in li. de animalibus.* Tactus quidem in homine ſubtilis eſt pluſquam alij ſenſus,& poſt eum guſtus. Cæteri vero ſenſus hebetiores ſunt in homine pluſquam in animalibus.

Senſus ſunt paſſiui. *Philoſophus.* Conueniunt autem quinque ſenſus in hoc quod ſunt potentiæ paſſiuæ. Sentimus enim intus ſuſcipientes ninil extra mittentes. In hoc quoque quod quilibet ſenſus indiget obiecto medio organo & ſpiritu. Vnde forma abſtracta eſt primo in medio, ſecũcundo in organo,tertio in ſpiritu,quarto in potẽtia ſenſibili,quinto in rationali. Item in hoc quod ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentitur. Differunt autem in hoc, quod tactus & guſtus neceſſarij ſunt, cæteri vero non,ſed ſunt propter melius. In hoc etiam quod guſtus & tactus habent medium intrinſecum quod eſt pars animalis,cæteri vero extrinſecum.

De ratione numeri eorum.

CAPVT XVIII.

Probatur ſenſuum numerus. Ratio. *ALbertus.* Quod autem non ſint ſenſus præter quinque probat. Ariſto. in 2. de anima duplici ratione. Vna ſumitur penes numerum organorum. Altera vero in adductione animalium ſentientium. Prima itaque ratio per diuiſionem colligi poteſt hoc modo. Organum quod habet naturam receptiuam ſecundum quam habet medium, vt ex ſuperioribus patet, aut eſt extrinſecus,aut intrinſecus,vel hoc eſt ſimplex vel compoſitum: ſi eſt compoſitum, tũc medium eſt organum tactu. Si autem eſt ſimplex medium, aut eſt ſiccum aut calidum, aut humidum aut frigidum, ſed non poteſt eſſe de natura calidi vel frigidi, quia qualitates

huiusmodi actiuæ sunt. Natura autem medij passiua est, eo quod receptiua sensibilis. Similiter non potest esse de natura sicci, quia siccum repugnat receptioni, ergo relinquitur, quod sit de natura humidi, ergo erit de natura aerei humidi vel aquei, non autem de natura aerei. Aereum enim humidum non potest incorporari, vt habetur in lib. de sensu & sensato. Sed omne intrinsecum animali necesse est ipsi incorporari. Et sic relinquitur quod sit de natura humidi aquei, & sic habetur medium in gustu. Si autem est extrinsecum, tunc necesse est ipsum esse simplex, quia compositum est possibile ad animationem, extrinsecum autem secundū quod extrinsecum impossibile. Et tunc cum calidum & frigidū nihil operentur ad naturam medij, siccum autē repugnet. Oportebit iterum esse humidum ad hoc quod recipiat impressiones sensibilium. Aut ergo recipiet per actionem agentis naturaliter, aut agentis violenter. Si primo modo, tunc est natura diaphani in medio. De cuius natura est organū visus, quia lumē est actus corporis quinti principaliter, vt supra ostensum est. Si secundo modo, tunc esset per actum frigidi, vel per actum calidi. non autem per actum frigidi, quia frigiditas sistit motum. Ergo per actum calidi, quod est diffusiuum sicci vaporatiui. Si autem per motum violentum tunc est medium in auditu, de cuius natura est instrumentum auris. *Sed quia aliquis potest quærere*, an per organum vnius sensus sentiantur plura sensata genere in sensu apprehendente per medium distans. *Ad hoc dicit Aristoteles*. quod hoc non est conuertiens, quia tunc compositio illius organi apta esset ad diuersa genera, quod non potest esse, cum simplex in organo vno non dominetur, nisi secundum vnam naturam, vt secundum naturam diaphani in oculo, & secundum naturam fractiui trementis in aure. Eadem ratione non potest dici, quod per duo organa diuersorum sensuum accipiatur vnum sensibile, quia hoc esset superfluum ponere in natura.

Nota de lumine. — *Quæstio. Resp.*

Præterea hoc probatur per inductionem, quia in nullo animali inueniuntur plures quam quinque sensus, licet pauciores in aliquo inueniantur. Et istæ sunt rationes philosophi.

2. Ratio.

De eodem.

CAPVT XIX.

SI quis aliter vellet dicere, posset probare numerum sensuum ex parte sensibilium, & ex parte mediorum, & ex parte ipsorum sensuum.

Et ex parte sensibilium sic, sensibile aut est commixtū in simili complexione cum esuriente aut simplex. Si primo modo, aut sentimus secundum ipsa complexionantia, & est sensibile tactus. Aut sentitur secundum sequelas complexionis proximas, & hoc duobus modis scilicet coniunctum vel remotum. Et si primo modo tunc est sensibile gustus. Si secundo modo tunc erit sensibile odoratus. Si autem est simplex non coniunctum complexionantibus necessario. Aut est motiuum sensus per agens secundum naturam, & sic est sensibile visus. Aut per agens violentum, & sic est sensibile auditus.

3. Ratio ex ex parte sensibilium.

Ex parte mediorum sic, medium aut est intra, aut extra. Si intra aut est intrinsecum sensibili, aut est extrinsecū. Si primo modo tunc est medium in tactu, si secundo modo tunc est medium in gustu. Sapor enim sentitur per commixtionem ad humidum, quia humidum subiectum saporis est. Si autem est extrinsecū, tunc oportet quod sit simplex. Aut ergo ipsum est in ratione medij tantum non materiæ, & sic est medium in visu. Aut in ratione medij & materiæ, & hoc duobus modis, aut enim secundum suum esse simplex est medium & materia, & sic est medium in auditu, quia aer secundum suum esse simplex medium est & materia soni. Aut est medium & materia per alterum quod commiscetur ipsi, & sic est medium in odoratu. Aer enim & aqua sunt media odoris per siccum vaporatiuum tantum quod commiscetur eis.

4. Ratio ex parte mediorum.

Ex parte sensuum sic, sensus aut est ad esse, aut ad bene esse, vt dicit Arist. in 3. de anima. Si primo, aut est ad esse constituendo, & sic est, tactus. Aut conseruando, & sic est gustus. Si ad bene esse, aut secundum regimen in cibo, aut secundum regimen in motu processiuo. Si primo, tunc est odoratus. Si secundo modo, aut secundum rectum motum, aut secundum motum circularē. Si primo modo tunc est visus, si secundo modo, tunc est auditus. In homine vero isti tres sensus alio modo sunt ad bene esse, vt probat Aristot. in lib. de sensu & sensato. Est enim in homine cerebrum multum frigidum & humidum. Et ad illius conseruationem est odoratus, vt supra ostensum est. Visus autem & auditus proficiunt ad sapientiam. Et secundum quod sapientia est per inuentionem, & fit ex differentijs & conuenientijs rerum, & sic proficit ad ipsam visus quia visus multas duritias rerum ostendit. Vt habetur in principio Methaphisicæ. Secundum autem quod est per doctrinam acceptiuam ex cognitione nominū & signorum vocalium, sic proficit ipsam ad auditus.

5. Ex parte sensuum.

Item aliæ rationes ad idem.

CAPVT XX.

Iohannes de Rupella. Aliter etiam numerus sensuum accipitur multipliciter. *Primo* per ordinem sensuum ad finem potissimum in homine. Nam quidam sunt ordinati ad animam, quidam ad corpus. Ad animam visus & auditus, habet enim visum, qui deseruit maxime rationali inquisitioni. Habet auditum qui deseruit disciplinæ & verbis. Ad corpus ordinati sunt olfactus gustus & tactus. Corpus enim saluatur nutrimento. Ad discendum dum ergo salubre & nociuum in nutrimento ordinantur hi sensus. Quidam enim diiudicat in distantia sicut olfactus per odorem bonum vel malum. Quidam in propinquitate & hoc dupliciter, aut enim qualitates elementares, quæ antecedunt naturam vt per caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem. Et sic est sensus tactus. Aut per qualitates consequentes complexionem, vt est sapor, & sic est gustus.

Alia rationes ad idem. 1. Ratio.

Potest enim iterum accipi numerus sensuum secundū naturam mediorū. Nam cum sensus fiat per corpus cōpositum ex quatuor elementis, erit venire in cognitionem sensuum per naturas quatuor elementorum. Per naturam ergo igneæ lucis quæ radiat in oculis & colore illuminato, & perūio lucido mediante peruenit visus in suum obiectum. Per naturam vero aeris, auditus: per naturam humoris, olfactus & gustus. Nam duplex est humor, in materia concretus mundabili, vt in aqua. Rarefactus in aura flabili, vt in vaporibus. Mediante ergo humore rarefacto, scilicet vapore peruenit olfactus. mediante vero humore concreto, vt saliua peruenit gustus. Per naturam vero terræ, hoc est solidi, vt est caro, peruenit tactus. Et hæc diuisio sumitur ab Augustī. super Genesim. Lux enim quam tribuit ignis, vt supra dictum est, medium est in visu, aer in auditu.

2. Probat.

Aliter etiam potest accipi secundum duritiam modi sentiendi. Est enim sentire secundum distantiam, aut secundum applicationē. Secundum applicationē duobus modis, aut enim applicatur sensus sensibili secundū superficiem, & sic in tactu, aut secundum profunditatē, & sic in gustu. Vnde gustabile frangitur & masticatur, vt gustus veniant ad sensum intimę profunditatis gustabilis, secundum vero distantiā est tribus modis, aut respectu sensus & sensibilis secundum vnā partē, aut secundū omnem, vel plures. Si secundum vnam, sic est sentire in visu. Non enim videmus coloratum secundū omnē partē, sed secundū illā quæ opponitur visui ex directo. Sed secundū omnē in auditu, sed secundū plures in odoratu. Auditus enim secundū quācunq; partem percipit sonū. Odoratus autē odorē secundū plures non secundū omnē id est secundū emissionem vaporis ab odorabili, qui emanat ad modū fumi scilicet non secundū orbē circu-

3. Probatur.

lariter

lariter admodũ soni. Præterea vaporis applicatio nõ secundum rectum, immo magis secundũ diffusionis obliquum & expansum motum. Et ideo secundum plures partes non tamen secundum omnem.

Item alia ratio ad idem.

CAPVT XXI.

4. Probat. ITem accipitur numerus sensuum secundum numerum principiorum in rebus sensibilibus, quæ quinque sunt, quatuor scilicet elementa, & quinta essentia. Et habent inter se ordinem naturalem, prout vnum alio nobilius est. Supremum autem est quinta essentia, quæ secundum suam virtutem influentem determinat sensibile visus. Nam lux quæ est in corpore luminoso sicut sol, vel aliud cælestium corporum derelinquit in corpore transparenti sicut est aer effectum scilicet lumen. In corpore vero opaco quemadmodum est terra & omne corpus præbens resistentiam, splendorem. In Color quid. corpore vero mixto colorem. Vnde diffinitur *color extremitas perspicui in corpore terminato.* Secundum corpus est ignis & secundum suam virtutem efficit simile olfactus. Nam in medio deferente quemadmodum est aer, habet esse vaporis aut fumi resoluti ab odorabili virtute caloris, cuius principium est ignis. Tertium corpus est aer, cuius natura & de virtute determinatur sensibile auditus. Aer enim habet virtutem rari cum denso, vnde citissimè rarefit & condensatur. In ipso autem est plus de natura rari quam densi. In aqua vero econtrario. Faciens vero sonum, duplex est causa, quædam scilicet intrinseca & quædam extrinseca. Extrinseca est motor violentus aeris, qui facit eum moueri tempore breuiore, quam additum sit suæ naturæ. Intrinseca vero causa est partium diuersarum aeris ad raras resistentia, quæ facit tremorem in aere vel aqua. Et hæc est causa immediata soni. Quartum corpus est aqua secundum cuius virtutis influentiam determinatur obiectum gustus. Humiditas enim aquosa influens ab aqua sicut ab effectiuo principio commixta substantiæ gustabili efficit saporem, & differentem secundum duritiam complexionis saporalis calidæ frigidæ vel temperatæ, subtilis crassæ vel mediocris, secundum quas sunt sapores differentes. Humiditas vero salualis recepta in corpore linguæ spongioso, perueniens vsque ad instrumentum gustus est determinans rationem medij. Quintum corpus est terra, secundum naturam cuius primo determinatur sensibile tactus. Quamuis enim elementares qualitates scilicet calidum frigidum humidum & siccum sunt sensibilia sensu tactus, hoc tamen est inquantum in composito terreo recipiuntur.

De dispositione quinque sensuum in corpore.

CAPVT XXII.

ISidorus *in lib. Etymologiarum* 11. Sicut autem præcellunt sibi corporei sensus diuersitate locorum, ita sibimet virtute sentiendi præcellunt, nam præstantior est odoratus sapore, & positione loci, & sentiendi longinquitate. Sic & aures odoratu, longius enim audimus quam odoramus. Sic oculi auribus, longius etenim videmus, quam audimus. Animus autem & loco & merito his vniuersis sensibus superfertur. In arce enim capitis constitutus, quod illi corporaliter non attingunt, iste intellectualiter contuetur. *Arist. vbi supra.* Principiũ sensus est in corde, duoque sensus cum corde sunt continui scilicet gustus & tactus, tres vero residui sunt in capite. In omnibus autem animalibus est sensus visus supra auditum, & supra olfactum. Recte namque fuit sensus visus circa cerebrũ, quia natura sensus ipsius est frigida & humida. Est enim aqua scilicet vt superius dictum est in cap. de sensibus animalium.

Ex libro de nat. rerum. Bene quoque ordinauit natura sensuum instrumenta, quę posuit aures in medio capitis rotundi, quoniam auditus audit non solum recte cõtrà se, sed circumquaque. In posteriori quoque parte sunt positæ, quia pars illa capitis plena est aere, nec est ibi caro, neque cerebrum. Et quidem sensus auditus & odoratus vię continuæ sunt cum aere scilicet extrinseco, plenæ spiritu naturali habente transitum ad venas subtiles à corde ad cerebrum extensas.

De ordine ipsorum.

CAPVT XXIII.

Albertus Vt autem dicit Arist. in 1. lib. de somno & vigilia. Primum organum sensus est organum tactus, quod cum impotens fuerit necesse est omnia sentiendi organa defectum sensus habere, cum autem aliquid aliorum defecerit, non est necesse hunc deficere. Est itaque tactus organum vel instrumentum fundamentum organorum aliorum sensuum. *Idem etiam dicit in li. de anima,* quod viuere inest animalibus secundum sensibile primũ, & primum sensibile vocat tactũ. Ex his ergo videtur, quod tactus sit sensuũ primus, præcipuè quia quocunque sensu posito sequitur inesse tactum & non econuerso. *Tactum est primum sensibile. Ob.*

Econtrario autem dicit Damasce. quod visus est primus sensus. Quod etiam per rationem videtur, quia cum vires sensibiles sint principia cognitionis, visus autem facit cognoscere plus cęteris, quia plures duritias ostendit, vt in Metaphisicis legitur. Certius quoque per visum accipitur sensatum proprium quam per aliquem aliorum, vt habetur in libro de sensu & sensato. *Nos itaque dicimus,* quod sensus duplicem habet comparationem scilicet ad sensitiuum & ad rem sensibilem. Ad sensitiuum in ipsum constituendo. Ad sensibile vt in cognoscendo. Secundum primum modum tactus est sensus primus. Secundus vero gustus, qui est alimenti sensus & quidam tactus ideo dicit philosophus in 3. lib. de anima quod isti duo sensus sunt propter esse. Reliqui vero tres propter bene esse. Tertius autem est odoratus, quia sicut legitur in lib. de sensu & sensato non habent odores propriam delectationem in cæteris ab homine animalibus, nisi tantum illa quæ est cibi, quoniam odores indicant cibum. Ideoque dicitur in Ethic. quod canes non gaudent odoribus leporum, aut ceruorum propter delectationes odorum, sed quia propinquus est scilicet ceruus ad deuorandum. In hominibus autem propriè sunt quædam delectationes eorum vt florum & aromatum. Quartus sensus est auditus, & vltimus visus, hunc ordinem sequitur. *Resp.*

Auicenna. Porro secundum rationem cognitionis visus est sensus primus, & consequenter auditus. Tertio autem odoratus, qui ducit animalia quædam ad cibum longè distantem. Deinde gustus, & vltimo tactus, hunc ordinem sequitur Aristoteles, & etiam Damascenus, & Gregorius Nyssenus.

De organis quinque sensuum.

CAPVT XXIIII.

IOannes *de Rupella.* Dicto numero sensuum dicendum est de differentia organorum ac mediorum. Nota ergo quod ab anteriori parte cerebri descendentes nerui cum spiritibus sensibilibus sunt organa sensibilium perfecta in suis extremitatibus, verbi gratia, à cerebro anterius descendens quidam nerus ramificatur, ex quorum ramorum extremitatibus formantur pupillæ & dispositio oculorum, quæ sunt organum visus. Item alius ramus descendens ramificatur, & in extremitatibus ramorum formantur folles intra concauitatem aurium, & sunt organum auditus. Item ab eadem parte descendens ramus ramificatur in extremitatibus suis, habens ramusculos narium, & sunt organum olfactus. Quartus generatur ab eodem, sed vnitur in lingua in homine, diuisus autem manet in serpente. Vnde duas habet linguas, nec habet vnitas sicut homo, & sic est organum gustus. Quintus neruus ramificatur in modum retis totum corpus vestiens, *Serpens bilinguis.*

& est organum tactus. Et ideo generalis est sensus tactus, est enim in qualibet parte corporis; etiam in organis sensuum aliorum. *Guilhelmus de Conchis.* Sicut ergo in capite sunt sensuum fenestræ, & quia longius videmus quam audimus, & longius audimus quam odoramus, longiusque odoramus quam gustu sentimus. Ideo instrumentum videndi est super instrumentum audiendi, vel instrumentum audiendi, est super olfaciendi, & olfaciendi super instrumentum gustandi. Tactus vero per totum corpus est diffusus, licet frequentius manu quam cæteris partibus corporis tangamus.

De mediis ipsorum.

CAPVT XXV.

Duplex aer quis est medium auditus.

Quæstio.

Resp.

Anima eget organis ad sentiendum quod vane probat.

Iohannes de Rupella. Duritia mediorum manifesta est ex prædictis. Nam perspicuum peruium est medium in visu. Sunt enim quædam corpora solida, vel superficialiter opaca, vt terra, quam impossibile est visum pertransire. Sunt etiam peruia, vt aer, aqua, chrystallus. Sunt superficialiter perspicua, sed secundum soliditatem opaca, vt aurum & argentum, quæ similiter impenetrabilia sunt visui. Medium ergo in visu est perspicuum secundum superficiem & secundum profunditatem. In auditu vero medium est aer: sed ille duplex est, exterior, id est ex quo fit sensus. Interior connaturalis auri contentus infra folles aurium. In olfactu vero medium est vapor, qui emanat ab odorabili in modum subtilissimi fumi. In gustu vero medium est caro cooperiens neruos.

Si autem quæratur, quare adhibita sunt media in sensibus & non perueniat sensus in cognitionem obiecti sine medio. Dicendum est, quod hoc est, quia sensibile appositum supra sensum non sentitur. Sensus enim fit per receptionem speciei vel similitudinis obiecti secundum essentiam. Si enim reciperet sensus essentiam sui obiecti, nunquam esset sensus contrariorum. Igitur non esset videre album vel nigrum, quod patet. Nam si in oculo reciperetur essentia albedinis, iam visus alteratus non esset receptiuus nigredinis. Sed constat quod non alteratur oculus cum recipit videndo albedinem vel nigredinem. Si vero recipit eam secundum essentiam, tunc contraria essent secundum essentiam in eodem. Relinquitur ergo aut quod non erit susceptiuus nisi tantum alterius contrariorum, aut quod non recipitur color ab oculo secundum essentiam, sed secundum speciem suam, vel similitudinem.

Auicenna vbi supra. Sentire est recipere formam rei nudam à sua materia, ita vt informetur per eam sentiẽs. Dixerunt autem aliqui possibile esse quod anima sentiat sensibilia sine medijs & sine instrumentis. Exempli gratia, vt videat sine medio aere, & sine oculo, si ita esset, tunc instrumenta hæc ociosa in creatura essent & inutilia. Præterea cum anima secundum eos aliud sit à corpore non habens situm, oportet vt non sit diuersitas in situ corporum quantum ad ipsam, nec occultatio nec manifestatio, quoniam hę dispositiones corporum sunt & circa corpora: impossibile est itaque vnum corpus ei esse propinquius, & aliud remotius, & vnum manifestum, & aliud occultum. Si ergo anima per seipsam sine instrumentis sentiret, oporteret vt esset ęque apprehendens omnium corporum, aut nullius, quoniam absentia sensati non prohiberet eam ab apprehensione eius. Nã vnde aliquando res esset animę præsens, aliquando esset absens, quod fit ex loco situali, præterea si anima non indiget medijs ad apprehendendum res, visus non indigeret lumine, & applicatio rei ad oculum non prohiberet visum, nec auris obturatio sonum. Languores quoque qui accidunt instrumentis huiusmodi, non prohiberent sensum.

Fuerunt autem & alij qui posuerunt medium disturbans, dicentes, quod medium quanto tenuius fuerit, tãto magis peruium erit. Vnde si purum esset, visio perfectior existeret, & esset possibile videri quicquid in cœlo est. Sed hæc quoque dictio falsa est. Et si enim propter attenuationem proueniat augmentum visus, non tamen propter aeris priuationem, non enim attenuatio via vel causa est annihilando corpus, sed inane secundum eos est priuatio corporis, si autem aliquis inane esset, tunc intersentiens & sensatum remota non esset continuitas vllo modo, nec esset ibi actio vel passio.

In inani non est sensatio.

De obiectis eorum.

CAPVT XXVI.

Lux in mẽte est color.

Generatio vocis explicatur proiectione lapidis.

Obiectum odoratus.

Gustus.

Tactus.

Philosophus. Visus quidem dignitate prior est cæteris sensibus licet tactus prior sit natura. Visus obiectũ est color. Est enim immutatiuum visus secũdum actum lucidi id est secũdum lucẽ, quia lux in corpore quidem luminoso lux est. In diaphano id est transparenti lumẽ, & in denso splendor. *In mixto vero color est formaliter.* Radius autem addit supra lucem, sicut virtus supra gratiam, quia radius est lux directa, sicut virtus est gratia ordinata ad opus. Medium autem eius est aer. Instrumentum oculus ad quem peruenit neruus opticus spiritum visibilem, continens qui recipit colorem ab humore chrystallino id est oculi pupilla. Obiectum auditus est sonus, qui in aere fit, ex eo quod corpus densum mouet aerem velociter, eique resistens sonat. Faciens tremorem in aere continuum vsque ad aurem ad modum tamen sphæræ cuius centrum est locus percussionis. Vnde vox ex omni parte auditur, vt dicit philosophus. *Generat autem tremorem semper debiliorem circulariter quousque deficiat, cuius simile apparet quando lapis in aquam proiicitur.* In hoc sensu medium est aer continuatus aeri posito in concauitate auris. Instrumentum est tympanum auris, ad quod peruenit neruus continens spiritum audibilem. Et hoc proprium est in sensu, quod eius sensibile non habet esse nisi in medio. Et ideo caret abstractione prima, quæ scilicet fit ab obiecto.

Obiectum Odoratus in re odorabili dicitur odor, in medio vero dicitur fumus aut vapor, quem calor resoluit ex odorifero. Et inde fit quod res odorifera sæpè odorata citius putrescit, vt pomum. Huius medium est aer. Organa sunt duæ carunculæ pendentes ex cerebro similes capitibus mammillarum, ad quas peruenit spiritus odorabilis.

Obiectum gustus est sapor. Res enim saporifera quando coniungitur humiditati saliuarum immutatur ab ea mediante carne spongiosa, quæ est in superficie linguæ, & est medium intrinsecum, redditque saporem spiritui, qui est in neruo interiori, hinc est quod si humiditas saliuaris infecta fuerit amaritudine choleræ, gustus iudicat, omnem cibum amarum esse, sicut patet in ægris. Idem est de salsedine cæterisque saporibus. Sic ergo duplex est medium in hoc sensu scilicet intrinsecum, vt caro & extrinsecum, scilicet humiditas. *Tactus numerari potest ab eo à quo sentitur*, & sic est vnus sensus, vel ab his quæ sentiuntur & sic non est vnus sed quatuor. Apprehendit enim calidum & frigidum, secundo siccum & humidum, ex quibus sunt durum & molle. Tertio asperum & lene. Quarto graue & leue. Quarum scilicet qualitatum non est vnum genus proximum, sicut color omnium colorum. Medium autem tactus habet in sui natura formas alias eiusdem generis cum formis tangibilibus. Vnde non reddit sensum nisi formam interresciſam, & quanto magis temperatum est medium, tanto magis & melius reddit sensui etiam id quod remissius est. *Vnde homo melioris est tactus cæteris animalibus, quia magis temperatæ complexionis est, est etiam in homine vola, magis autem summitas indicii.*

De inclinatione sensuum ad obiecta.

CAPVT XXVII.

Hali vbi supra. Horum autem sensuum singuli si in suo sint habitu & qualitate naturali ad quædam sentita inclinantur eisque delectantur. Contraria vero fugiunt,& abhominantur, vt visus coloribus albo & nigro mixtis fusco scilicet & viridi ac feneto. Albo vero & si quid eius naturæ est, aduersatur, quia fortes in eo passiones efficit, diuiditque & lædit,quemadmodum cum quis solem intuetur,contingit. Color autem niger lumen eius congregat & ad interiora reducit, sicut & in tenebris paucitas visus accidit. Minus autem nocet visui color niger, quàm rubeus & nitens ac fulgurans. Omnis etiam in visu alteratio quę simul subitoque fit magis nocet, vt illa quæ ab albo, quæ vero à nigro non simul fit & statim, sed mediocriter & paulatim,ideoque minus nocet.

Obiecta gratiora sensibus quæ?

Auditus similiter vocibus leuibus planisque delectatur,grauibus autem vt tonitruis,aut peracutis,vt collisionibus læditur. Odoratus iucundis delectatur propter vaporis temperantiam. Fætidis autem & abominabilibus læditur, eo quod sint extra temperantiam. Gustus porro dulcibus delectatur, eo quod huiusmodi linguam ab asperitate leniant. Fugit autem amara, quia linguam exasperant, eiusque substantiæ immerguntur, ita vt etiam continuationes partium ipsius disiungant. Tactus quoque delectatur corporibus temperatis in calore & frigore,duricie & mollicie, fugit autem acuta calidaque corpora, quæ dissoluunt & continuationes separant. Frigidissima quoque quæ spissant & congregant,intantum vt aliæ partes alijs adstringantur. Porro si aliquis sensuum à suo naturali habitu labefiat, contrarijs recreatur ex suo genere sensorũ: exempli gratia, si visus ex coloribus infirmatur, cõtrarijs reficitur. Nam si factum est nocumentum à colore albo,prodest ei color fænetus & viridis ac fuscus. Si ex nigro albus. Sic & in gustu si pontico sapore vel insuaui & aspero lęsus est, vnctuosis roboratur, eo quod hic sapor lenit & vacua replet. Similiter & in cæteris.

De diffinitionibus visus.

CAPVT XXVIII.

Ioannes Damascenus lib. 2. Visus est primus sensus, cuius organa sunt qui ex cerebro nerui & oculi,sentitque secundum primam rationem colorem, & cum colore coloratum corpus. *Gregorius Nyssenus.* Visus est sensus qui in anterioribus cerebri secundum lineam rectam accipit colorem,& cum colore coloratum. *Auicenna.* Visus est vis ordinata in neruo optico ad apprehendendum formam eius quod formatur in humore chrystallino, ex similitudine corporum colorem habentium, quæ per corpora radiosa veniunt in effectum ad superficies corporum terrorum. *Auctor.* Hæ sunt tres diffinitiones visus secundum quod est potentia quædam organo in quo operatur coniuncta, & ab obiecto exteriori passiua. Prima tamen cum substantia visus tangit ordinem ipsius ad alios sensus, & ordinem obiectorum ipsius visus, per hoc enim quod dicitur primus sensus tangit ordinem ad alios sensus, licet enim tactus sit primus sensus in animali constituendo, visus tamen primus est in apprehendendo. Per hoc autem quod dicitur sentire colorem secundum primam rationem,tangit obiectorum ipsius ordinem. Licet enim secundum primam rationem videatur sentire lucem,quia scilicet sentit eam actu proprio, colorẽ actu alieno,tamen lux & color secũdum esse formale coloris non differũt ratione obiecti visus. Esse quippe formale coloris secũdum quod est actu color visibilis,est à luce, secundum quod etiã color dicitur extremitas perspicui in determinato corpore. Et sic æquè vtrumque primo videtur, quia per vnam rationem vident. Per hoc autem quod dicitur cuius organa sunt qui ex cerebro nerui & oculi, tangit substantiarum visus secundum quod est vis ad organum determinata. Vbi quod dicitur (qui ex cerebro nerui) cum supponat organum commune omnibus viribus motiuis ac sensibilibus per quod additur oculus restringitur ad neruos opticos idest visibiles.

Quæst. Resp.

Virtus siquidem visiua, secundum sui perfectionem est in anteriori parte cerebri, sed secundum inceptionem est in humore chrystallino. Secundum autem progressum ad perfectionem est in neruo optico & spiritu visibili,qui decurrit in illo. Sicque nihil prohibet quin vis illa, scilicet visiua diuersimode considerata diuersa habeat instrumenta, sicut etiam vna vis habet duos oculos. Secunda vero visus diffinitio datur penes substantiam & obiectum visus modumque videndi, qui importatur per hoc quod dicitur, secundum lineam rectam. Tertia vero magis exprimit esse visus, quia tangit proprium organum visus, quod est neruus opticus ad oculum terminatus, & dicit esse ipsius secundum quod est potentia passiua recipiens impressa humore chrystallino.

Virtus visiua vbi perficitur?

De organo visus.

CAPVT XXIX.

Hali vbi supra. Ostendimus autem quod videns spiritus per duos neruos concauos ad oculos decurrit, & quod eorum origo est à duobus pro re cerebri ventriculis. Et qua parte mediastino ventriculo vicinantur antequam ad oculos tendant conueniunt & descendunt, mittiturque meatus alterius ad alterum. Deinde vero diuisi tendunt in alterutro quisque in oppositum originis suæ oculum, consolidaturque chrystalleidos tunicæ quæ primum est organum visus,& est in vltimo claritatis & luminis ac nitoris. Quod ideo factum est vt à coloribus cito alteraretur. Itaque spiritus,vt dictum est, videns subtiliatus & clarificatus cum ad humorem chrystalleidos peruenerit, qui grandini claræ lucentique similis est,cum & ipsius spiritus natura sit quæ & aeris igne illuminati,facilis est foras egredi, cõtinuarique & vniri aeri illuminato, propter eam quæ inter vtrumque est configurationem. Est autem vterque facilis alterationis,vnde & aer exterior,facile ac celeriter in colorem alteratur,& spiritus interior cum aeri continuatur egressus & vnitus in eum in quem & aer prius alteratur, & eãdem ad oculum defert alterationẽ. Alteraturque ea chrystallina humiditas eo quod alterationis sit facile susceptibilis, sentitque alterationẽ eiusmodi mens quæ est in cerebri ventriculis. Sic ergo res exteriores manifestantur, dum aer exterior per colores alteratur,eandẽque spiritui videti præsentit alterationẽ.

Guilhelmus de Conchis. Hæc quoque sententia est Academicorum, quibus philosophorum nullis potius credendum est in natura rerum. Est inquiunt in cerebro quædam aerea & subtilis substantia,qua nil corporeum subtilius esse potest, vnde propter nimiam simplicitatẽ sui & splendorem à Platone ignis vocatur. Igneus vnus neruus & cauus à pia matre nascitur,qui integer ad frõtem peruenit,sed ibi in duos ramos diuiditur. Estque similis Græcę figurę quę lambda dicitur ad hunc modũ. Huius dextra pars ad dextrum tendit oculum, sinistra ad sinistrum. Prædicta ergo rara & subtilis substantia per hunc neruum ad oculos venit, ac per illorum medietatem quę pupilla dicitur,exiens si splendorem inexteriori aere reperit,illi se cõiungit, atque cum eo vsque ad obstaculum in speciem coni peruenit. Quod cũ tangit naturali subtilitate per totam superficiem se diffundit,formamque illius & colorem in se recipit,proprium est enim aeris formas rerum & colorem in se recipere. Cum figura vero & colore per oculos ad phantasticam cellulam reuertitur,inde ad logisticam,ibique animæ figuram & colorem perpendimus.

Neruus opticus est similis (λ) græco.

De celeritate ſpiritus viſibilis.

CAPVT XXX.

Difficultas. QVæris autem cum tanta diſtantia ſit inter nos & ſtellas fixas, eaſque ſtatim vt aperimus oculos videmus, quomodo illa ſubſtãtia in momento tam breui poteſt ad illas peruenire, & ad nos reuerti. At vero ſi ſubtilitatem, & agilitatem ipſius ſubſtantiæ cognoſceres nunquam inde dubitares. Eſt enim tanta eius velocitas, & ſtatim eſt hic & ſtatim ibi. Sed adhuc quæris, cum aliquid diu aſpicimus, vtrum hæc ſubſtãtia immobilis maneat, an ſine intermiſſione currat & recurrat. *Reſponſio pro paradoxo Platonico paradoxa.* Nam ſi continue currit ac recurrit, ſibimet obuiat, & ſeipſam repercutit. Ad hoc ergo reſpondeo, quia craſſum craſſa decet obiectio hæc ſubſtantia ita velox eſt quod nulla diſtantia inter curſum ac recurſum illius notari poteſt. Ita quoque ſubtilis eſt, vt ſi ſibimet obuiaret, non ſe impediret. Denique nihil æque ſubtile, vel æque velox eſt in corporibus. Vnde ſtatim eſt hic, ſtatim alibi, & quamuis aliqua ſit inter itum & reditum illius duritia, non tamen poteſt perpẽdi. Si ergo ad ſimplicitatem temporis velis reſpicere, non eſt hic, & ibi in eodem tempore. Si vero ad hoc, quod tarditas noſtra nullam ibi poteſt diſtantiam perpendere, videbitur hic & ibi ſimul eſſe.

Hali vbi ſupra. Non eſt omnino temporis aliquid inter momentum, quo loci ſpiritus occurrit & quo mens illum ſentit propter occurſus eius ad mentem celerrimam peruentionem. Sed & ſi res viſa longe remota ſit, eam tamen abſque mora ſpiritus videns comprehendit. Dum tamen aer circundans alterationem ad ſpiritum videntem deferens lucidus & clarus ſit, eaquemẽs alteratione colorem ſentit, & à coloribus figuriſque corporum & magnitudine motum commenſurat. Si autem aer circundans nebuloſus eſt aut obſcurus, ſpiritus ab oculis progrediens amputatur, & in loco ſuo congregatur. Eo namque loco ſiſtitur, quo & tenebroſitas obuiat, nec rem viſibilem comprehendit. Similiter & ſi corporeum aliquid inter rem viſam & ſpiritum videntem interſit, res illa comprehendi non poterit.

Reprobatio quorundam opinionum de progreſſu radij viſualis.

CAPVT XXXI.

Confutantur abſurda dicta quorundam Platonicorũ *Guihelmus de Conchis.* Quærunt autem qui dixerunt radium viſualem non vſque ad rem viſam peruenire, ſed in medio aere formas rerum & colores inuenire, quibus ſibi aſſumptis ad animam reuertitur. Cui videtur ratio obuiare. Sint enim duo alter albus alter niger ſeſe reſpicientes. Tunc quidem in medio quo vnius radius viſualis nigrum inueniret, ſicut illi opinabãtur, alterius pariter & album reperiret colorem, quare alternis radijs ſic ſimul & ſemel vtroſque colores ſentirent. Ergo tam ex parte radij viſualis, quam ex parte medij vbi vtrorumque colores conuenirent duo cõtraria ſimul & ſemel in eodem eſſent, quod eſt falſum, & impoſſibile: dixerunt alij non inſtrumẽtum illud ad rem ipſam vel ad medium peruenire, neque figuras neque colores ad animam ſe ipſam animam per oculos eminus perpendere figuram & colorem. O beſtiale iudicium ex ſeipſis falluntur, quia nec ſuum corpus vadit ad rem viſam nec res viſa ad ipſum. Simile iudicant de anima ſed nil ab anima ad rem viſam, nil à re viſa ad animam peruenit cum anima non ſit corpus, ad quid ſibi ſunt oculi neceſſarij. Quare plus videt per oculos qui ſolidiores ſunt carne potius quam alia. Et quare non potius per foramina aurium vel narium quæ ſemper patent videtur. Si iterum quæ extra ſe ſunt, & contra ſe intuetur, vnde ſeipſum in ſpeculis videt. Stoici dixerunt neque animam res eminus intueri, neque radium vſque ad res peruenire. Sed figuras & colores ad animam tendere, eique velut in cera imprimi, huius erroris deſtructio per ſe patet. Si enim figura & color ad animam peruenium, vel in ſubiecto ſunt vel ſine ſubiecto Sed cum ſint accidentia, ſine ſubiecto eſſe non poſſunt. Si in ſubiecto ſunt, tunc non ſolum ipſi, ſed etiam res viſa ad animã peruenit. Quod eſſe falſum patet omnibus. Si in alio ſubiecto, tunc res viſa ſemper in ſua figura & colore permaneat, vnum & idem indiuiduum accidens in eodem tempore erit in diuerſis ſubſtantijs. Ad vltimum anima nil habet corporeitatis, quomodo ergo poterit illa figura imprimi.

Aſſertio opinionis academicorum de eodem.

CAPVT XXXII.

ESt autem aliud, quod & hanc & alias duas prædictas opiniones de viſu deſtruit, ſed primam videlicet academicam & platonicam quæ ſola vera eſt aſtruit. Nam academica & platonica ſententia eſt, vt ſuperius dictum eſt, quod viſibilis ſpiritus à neruo cauo per oculorum pupillam exiens, *ſi ſplendorem in aere reperit, illi ſe coniungit*, & cum illo vſque ad obſtaculum in ſpecie coni peruenit, quod cum tangit naturali ſimitudine per totam ſuperficiem ſe diffundit, formamque illius & colorem in ſe recipit, cum quibus per oculos ad phantaſticam cellulam redit. Itaque ſi aliquem lippentem oculis aſpicimus, eandem infirmitatem oculos illius aſpiciendo contrahimus. Prædicta ſiquidem ſubſtantia per illos ſe diffundit, atque rubiginem illorum in ſe aſſumit. Cum qua videlicet ad oculos aſpicientis redit, ſed interius ad animam penetrans, rubiginem illam in oculis deponit, qui ſi ſint ad talem infirmitatem diſpoſiti ſtatim corrumpuntur. Sed ſi nil à nobis ad illos procederet, quomodo ex viſu hæc infirmitas proueniret, etiam eiuſdem rei eſt argumentum quod ſic prouenit. Omnis enim res ſuo ſimili nutritur, contrario lædit̃ur. Si ergo aliquis diſtemperatæ complexionis in tenellam paruuli faciem radium immittat viſualem, ille diſtemperatus, vtpote ex diſtemperato prodiens tangendo illam inficit & corrumpit. Inde eſt quod vetulæ faciem lingentes & expuentes hanc infirmitatem curant, quod enim ibi nociuum eſt expellunt.

Melior explicatio Platonica ſententia per coniunctionẽ radiorum fit.

Cur oculorum aſpectus inficit.

Quia oculus ſecundum Ariſtotelem exiſtit in humido.

CAPVT XXXIII.

Liber. Veterum inter Ariſtotelẽ & Platonẽ ac ſequaces eorum de viſu ex parte organi fuit altercatio. Vtrum ſcilicet oculi conſiſtentia ſit tantum in humido & aquoſo, vel igneo luminoſo. Nos autem cum Ariſtotele dicimus, quod aqua dominatur in oculo quantum ad illam partem in qua fit expreſſio. Eſt enim in oculo duplex humor, quorum vnus eſt in acie qui dicitur chryſtallinus propter puritatem & glacialis ſiue grandinoſus propter frigidum cõplexionale dominans in ipſo. Oculus enim vt ait philoſophus, eſt adeo frigidus, quod ſeruata complexione non infrigidatur amplius.

Ideoque in temporibus & locis in quibus infrigidantur oculi ſupra temperamentum generatur obſcuritas viſus. Quod etiam patet ex hoc, quod diu ambulantibus in niue vel glacie, vel in fumo, vel in mari apparent obſcura loca niuium, & ripæ aquarum, & littora marium. Alius autem humor eſt poſt nullum in textura venarum, qui habet colorem vitri vergentis ad ruborem, ideoque à quibuſdam philoſophis dicitur vitreus, claritatem enim habet vitri ex conuenientia cum chryſtallino, cuius ille nutrimentum eſt. Sed ruborem participat ex conuenientia cum ſanguine ex quo generatur, ab extremitate venarum tangentium oculum, ſuperfluitas autem in albugine ponitur, vt ſit ſcutum humoris chryſtallini. Porro circa hos humores ſunt tunicæ ſiue retia oculi, quæ ſunt ex parte ante, vt per ipſas fieri poſſit immutatio humoris chryſtallini.

Frigiditas obſcurat viſum.

Et

Et circumducitur acies cum circumferentia nigra vel glauca, vt ex illo colore ſit congregatio & coadunatio virtutis viſiuæ, cuius natura eſt turbari nimia claritate, hac etiam de cauſa ponuntur exterius palpebræ ac ſupercilia.

De quibuſdam accidentibus viſum impedientibus.

CAPVT XXXIV.

HInc etenim accidit, quod aſpiciens diu ad magnam albedinem vel claritatem, poſtea non bene videt niſi prius coadunetur viſus. Cum autem humidum chryſtallinum receptibile ſit luminis & coloris, oportet quod pelliculæ quæ ſunt ante ipſum peruiæ ſint, ita quod per ipſas poſſit immutando ingredi color & lumen, quia color nõ immutat viſum niſi per actum luminis. Ideoque contingit cum aliquis oculos diu clauſos habuit vel in tenebris fuit, & poſtea ſubito ad lumen vadit, quod non bene videt, antequam ingrediatur lumen temperate immutans ab extrinſeco. Quia vero iterum viſus perficitur ſpiritu viſibili, qui defertur ad oculos per neruos opticos & concauos ab interiori parte cerebri, qui ſcilicet ſpiritus ſecum trahit colorem temperatum. Ideo contingit, quod poſt ſomnum in quo ſpiritus omnes ad interiora mouentur ad locum digeſtionis relinquendo ſenſum organa exteriora, ſtatim aperiens oculos non bene videt ante reditum ſpirituum & caloris ab interioribus ad exteriora organa ſenſuum. Et quoniam illi ſpiritus qui deferuntur ad oculos clari ac puri ſunt ſuper omnes ſpiritus ſenſibiles, ideo turbatio quæcunque contingens in cerebro magis apparet in ipſis.

Vnde ebrium oculi obſcurantur.

Vnde contingit in ebrijs, in quibus multus vini vapor ad cerebrum fertur quod viſus eorum obſcuratur. Eadem etiam eſt cauſa, cur in iratis obſcuratur, quia ſcilicet ira ſanguinem accendit circa cor, & eleuat vapores ad caput. Cumque iterum ſpiritus ille fluidus ſit, iterum in quibuſdam infirmitatibus & ebrietatibus, & ira ipſum à vaporibus calidis extra ſitum proprium remoueri contingit, & tunc talibus apparet de vno quod ſint duo, ſpiritus accipiens formam in vno ſitu antequam renuncier eam, at plenè imprimatur ab iſta eandem accipit in alio ſitu. Et ſic vnum in duplici ſitu acceptum apparet duo. Hæc eadem cauſa eſt, vt vnum appareat duo quando digitus ſupponitur & eleuatur oculus ad ſitum altiorem, vel deprimitur ad inferiorem. Vnde quanto magis ponitur inferius vel altius extra ſitum proprium, tanto magis apparet diſtantia inter idem in duplici ſitu acceptum. Huius ſimile eſt videre in ſole ſuper aquam fluentem percutiente, qui videtur eſſe minoris quantitatis ad duplum vel triplum ſecundum motum ipſius aquæ. Eſt & oculus terſum corpus & politum in acie, vt ad ipſum ſit extrinſeci luminis reflexio, ſub quo fit immutatio à coloribus & colorũ abſtractio.

Guilhelmus de Conchis. Porro cum duo æqualiter à ſe diſtant, ſi fuerit alter in obſcuro loco, alter in ſplendido. Ille qui eſt in obſcuro videt eum qui eſt in ſplendido, non autem econuerſo. Radius quippe viſualis quanto ab origine ſua remotior eſt tanto debilior. Vnde non tam determinate decernimus remota quam prope ſita. Ideoque natura ſalubre tegmen palpebrarum oculis conſtituit, quibus conuenientibus radius viſualis in oculis congregatur & conuenit. Illis vero apertis cum fortiore impetu exit. Si oculos teneas deficit viſus. Cum ergo radius viſualis ab illo qui eſt in loco ſplendido procedit, & ad locum obſcurum peruenit ſolis ſplendore diſſipatur, & remotione ab origine ſua debilitatus, tangendo ſuum contrarium nil reportans ad oculum redit. At vero procedens ab illo qui eſt in obſcuro, quia nigredo eſt congregatiua viſus, nondum eſt debilitatus cum ad ſplendorem venerit. Ideoque perueniens ad hominem figuram eius reportant illi qui eum miſit.

De debilitatione viſualis.

De quibuſdam animalibus nocte videntibus.

CAPVT XXXV.

POrro quædam animalia de nocte vident apertius, quia in oculis eorum abundat humor albugineus. Ideoque nimio ſplendore tam oculorum ſubſtantiæ, quam ſolis ac diei viſus eorum diſſipatur, ſed idem ſplendor noctis obſcuritate temperatur. Hinc etiam homines qui nimis oculos albos habent, parum aut nihil de die vident.

Bubo cur de nocte melius videt?

Sed vnde inquis bubo id habet, qui non nimis oculos ſplendidos habet, dico quia naturale eſt odium buboni cum cæteris auibus. Timens ergo eas, die in obſcuris latet, ob hoc ex conſuetudine in tenebris videt.

Albertus. Ex hoc autem videtur quibuſdam, quod in oculo dominetur lumen vel ignis, quia viſus perficitur ſecundum actum lucidi. Quædam autem animalia de nocte vident, vt lupi & catti, quando ſcilicet medium non eſt actu lucidum à luce exteriori. Vnde videtur lucidum eſſe à luce ab oculis egredienti. Præterea nihil in tenebris videtur, niſi in quo lux dominatur. At oculi animalium prædictorum videntur in tenebris ad modum candelarum, vnde videtur in eis lumen dominari. Cumque de omni oculo quantum ad videre ſit eadem ratio, videtur in omni oculo cuiuſlibet animalis eſſe dominium ignis. *Dicit enim Ariſt. in 2. lib. de cælo, & mundo,* quod in videndo ſtellas fixas inuoluitur viſus propter elongationem earum, nec conſequitur eas conſecutione forti, ſed tremit. Planetas vero conſequitur, & ideo non tremit. Hic autem tremor videtur eſſe per aliquid quod exit & elongatur ab ipſo, & hoc videtur eſſe radius, qui vtique non egreditur niſi à luminoſo. *Idem etiam dicit in ſecundo de ſomno & vigilia,* quod oculus eſt ſplendentium nec videtur eſſe ſplendentium, niſi quod eſt luminoſum. Nos itaque dicimus ad hoc, quod animalia prædicta debilem habent viſum, & non bene coadunatum. Ideoque claritate diei vincuntur, & de nocte mouentur. Oculi vero talium & capita piſcium, ac quercus putrefacta, & huiuſmodi noctiluca lucent actu in tenebris, non tamen ſic ſemper vt medium illuminent, quia ſi medium illuminatum eſſet, illa tunc nequaquam lucerent, quod patet ex hoc quod de die non lucent, vnde illa lux in talibus lucens eſt à partibus ignis, quæ ſunt in exteriori parte, nec progreditur ab interiori oculi ad proiectionem radiorum per quos illuminetur medium & obiectum viſibile. Alter enim aer circunſtans & omnia colorata circumſtantia illuminarentur, ſicut à candela. Quod vtique non fit, non enim videntur etiam proxima quæ ſunt iuxta noctiluca, vt lupi naſus & maxilla. Porro tremor ille de quo loquitur Ariſt. eſt in ſpiritu viſibili interiori, qui ſicut exigit proportionem in claritate, & obſcuritate viſibilis, ita etiam exigit proportionem in diſtantia conueniente ſibi. Et ſi tremor aliquis eſt in radio, ipſe eſt in radio ad oculum reflexo & non ab illo emiſſo. Oculus autem ſplendentium dicitur eſſe ſicut terſum ac politum reflectens lumen, & ſicut proijciens lumen per ſe. Porro lucis illius quæ apparet in tenebris, vel clauſis oculis in refractione vel repercuſſione oculorum cauſa eſt claritas ſpiritus viſibilis qui tunc diſpergitur in ſeipſum. Ideoque retro in oculo apparet quandoque luminis immutatio; chryſtallinum enim oculi eſt immutabile ſecundum ante & retro & profundum, retro ſiquidem ad ipſum fluunt imagines ſomniales, & ante recipiuntur imagines ſenſibiles, ac per ipſum tranſeunt ad ſenſum communem & phantaſiam.

Cur noctiluca in tenebris lucet.

De opinione Platonis, quod in oculo dominetur ignis.

CAPVT XXXVI.

ALiter autem de prædicta materia videtur ſenſiſſe Plato dicens in Thimæo, quod oculi radius intet-

rior exteriori radio coniungitur, & ad ſenſibile terminatur. Qui ſcilicet radij percuſſi motu recto redeunt ad oculum, ac recurrentes interius ad animam operãtur viſum. Platonẽ quoque Chalcidius ſequitur dicens, quod iubar exterius deſcendens interiori coniungitur, tanquã ei quod eſt eiuſdem natura. Cum enim ſit duplex ignis natura ſcilicet edax quæ eſt ardor, Et lux quam influit ſuper inferiora. Secundum naturæ lucis influentiam ſuperius corpus cõſtituit oculum. Ideoque exteriori coniungitur ad operandum viſum.

Ariſtoteles negat dominium ignis in oculo.

Ariſtoteles autem econtra probat, quod fallebantur antiqui philoſophi, qui dicebant ignem in oculo dominari. Si tamen dicebant viſum ſecundum actum ſine duce non perfici, lucemque appellabant, ſecundum hoc verum dicebant. Non itaque ſententiam tenemus aſpectiuorum põnentium radios eſſe corpora, ab oculis egredientia. Sed dicimus radios eſſe immutationes ſecundum rectas lineas in diaphano factas. Et quoniam oculus eſt corpus politum ac terſum, ſuper ipſum reflectitur lumen quod eſt actus rei viſibilis, ſicut ſuper ſpeculum. Et quia lucis reflexio fit ad pares angulos cum incidentia eiuſdem. Ideoque ſicut radij à primo illuminante diriguntur ſecundum figuram pyramidalem, cuius punctus eſt in corpore projciente radios & dilatantur plus ſecundum quod radij ab illo procedunt, ſic & in corpore reflectente lumen & radios colliguntur radij in punctum pyramidis, & ampliantur plus ac plus ſecundum quod radij magis diſtant à corpore lumẽ & radios reflectente. Cumque tale corpus ſit oculus, per hunc modũ fit reflexio lucis ab ipſo, & non ita quod radij procedant ex ipſo, ſicut ex luminante primo. Nec eſt etiam de proprietate ſcientiæ aſpectiuorum determinare de natura radij, quin potius ipſum ponunt in paſſionibus geometricis, quæ ſunt curuum ac rectum & huiuſmodi. Naturalis autem habet quęrere vtrum ſit corpus an qualitas alia ſcilicet à corpore. Quod autem dicit Auguſt. ſuper Geneſim ad literam, quod in oculo eſt lux ignis, & quod radij egrediuntur ab oculis prius tangentes aerem vicinum quam remotum, poteſt intelligi de exterioribus radijs, vel potius loquitur iuxta ſententiam Platonis.

Auguſtinus platonizat.

Qualiter Ariſtoteles rationibus improbat aliam opinionem.

CAPVT XXXVII.

Probatur ſententia Ariſtotelis.

DEnique ad probandum Ariſtotelis ſententiam & imitãtium eũ, quod aqua videlicet dominetur in oculos plures ſunt rationes quarum quædam ſunt in li. de ſenſu & ſenſato. Verbi gratia, ſi dominaretur ignis in oculo, ſicut dixerunt Empedocles & Plato. Cum ignis emittat radios ad illuminationem diaphani, ſicut lux egrediens à lucerna, tunc accideret quod lux egrediens ab oculo medium illuminaret, & ſecundum hoc colores in tenebris videri contingeret, quod vtique non ita habet. *Nec ſtare poteſt ſolutio* quæ dicit radium egredientem ab oculo extingui à tenebris, ſicut dicitur in Thimæo. *Hoc enim vanum eſt omnino*, quia nihil extinguitur niſi à ſuo contrario, vt calidum à frigido. Ignis autem non autem contrarium. *Sed nec illa ſtare poteſt*, quæ dicit lumen quidem ignis quod eſt in oculo non extingui, ſed intantum vt nos lateat debilitari. Si enim talis ignis eſt in oculo, tunc oportet eũ etiam per diem extingui frigido & humido. Quod ſi verũ eſſet, tũc maiores tenebræ fierent in glaciebus, & in aqua, quia in his extinguũtur flãmæ & corpora ignita, hoc autẽ patet eſſe falsũ, deinde ponit philoſophus rationẽ ab ordine oculi ad actũ recipiendi viſibilia ſumptã. Cũ enim vna ſit forma viſibilis quæ recipitur à medio & ab oculo, vnam oportet eſſe naturã receptibilitatis in medio & in oculo. Cũ ergo recipiat perſpicui naturam in medio, reſtat quod aliquod perſpicuorũ dominetur in oculo. Perſpicua vero ſunt duo tantũmodo ſcilicet aer & aqua, quæ differunt in recipiendo. Nã aqua ſeruabilius eſt elemẽtum quã aer, & hoc tripliciter. Melius enim ſeruat quãtitatem & figuram ipſius oculi qui fabricatur ex ipſa.

Euaſio excluditur.

Alia euaſio ſimilis reijcitur.

Similiter etiam melius ſeruat actum luminis ab extrinſeco ingredientem in ipſum humorem oculi. Melius quoque ſeruat viſibiles ſpecies receptas, quæ per ipſum aerem tantum modo tranſeunt. Cum ergo oculi ſit recipere & aliquantulum tenere, relinquitur quod in ipſo dominetur elementum aquæ.

Aqueum tẽperamentũ conducibilius ad recipiendum ſpecies.

De cæteris rationibus quas idem adhuc inducit ad idem.

CAPVT XXXVIII.

COnſequẽter ponit philoſophus ad idem quatuor rationes à quatuor operibus oculi. *Prima eſt*, quia videmus oculo corrupto aquam exire. Vnumquodque autem corrumpitur in eo ex quo materialiter conſiſtit. *Secunda* eſt experimentum in ebrijs ſumptum, in quibus vinum calidum ſuperat cerebrum frigidum, & calore reſoluit ac fluere facit humidum oculi frigido coagulatum, atque ex vaporibus calidis & craſſis in parte diminuit ipſum, turbatque perſpicui quantitatem, & facit tremere ſpiritum viſibilem. Quod non accideret ſi ignis in oculo dominaretur, quia calidum à calido non diminueretur, ſed potius augeretur. *Tertia* ſumpta eſt per experimentum in multum calido ſanguine abundantibus, in quibus natura ponit cerebrum frigidiſſimum, & album oculi facit craſſius. Quod ideo fit vt permaneat humidum incoagulatum. Oculi namque corpus adeo frigidum eſt, vt non poſſit amplius infrigidari ſalua complexione oculi. Si autem eſſet oculi natura ex igne, non oporteret naturam ingeniari, qualiter oculus ſaluaretur à calore cordis in abundantibus calido ſanguine. Tanto enim melius ſaluaretur oculus, quanto cor eſſet calidius. *Quarta* ſumitur ab expetimento in non habentibus ſanguinem. In his enim propter defectum caloris intãtum coagulatur exterior oculi tunica & induratur, quod nõ indigent palpebris velantibus. At in quarto libro meteororũ probatur, quod à frigido non niſi aqua vel ſpecies aquę coagulatur. Ex his ergo relinquitur quod aqua in oculo dominatur. *Debinc etiam ponit philoſophus huiuſmodi rationẽ ad idẽ*: ſi in oculo dominaretur ignis à quo exirent radij, oporteret viſum in radijs illis vſque ad aſtra quæ videmus extendi, ipſumque prodeuntem ex oculo per radios cohęrere omnibus viſis. Ex quo ſequeretur, quod viſiua virtus extra oculum extenderetur, quod inconueniens eſſe probatur, cum nulla virtus per eſſentiam extra ſubiectum proprium extendatur. Præterea in omni figurato & animato corpore neceſſe eſt ſecundum naturam elemẽti dominare receptibile illius figuræ. At ignis & aër propter ſpiritualitatem ſui non ſunt corpora receptibilia figurarum. Ex quo ſequitur quod in oculo neutrum dominetur iſtorum. Sed nec terra, quia non eſt perſpicua. Relinquitur ergo quod aqua. *Alpharabius quoque dicit in ſuo lib. de ſenſu & ſenſato*, in oculo (inquit) qui eſt inſtrumentum virtutis viſibilis dominatur aqua, quæ eſt ſubſtantia diaphana, vt fiat talis in quo deſcribantur formę ſenſibilium ſicut in ſpeculo. Ideoq; pars glacialis eſt valde clara. *Item Auic. in li. ſuo de animalibus*, dico (inquit) quod viſus exigit humiditatem claram, quæ recipiat impreſſiones. *Ariſt. etiam in lib. de animalibus* dicit, quod quia in oculo aqua dominatur, Ideo etiam vltimo inter corporis membra cõplentur. Idem quoque communiter dicunt auctores naturalium. Ideoque multas ad hoc inducere auctoritates puto ſuperuacuum.

Prima ratio Ariſtotelis.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio.

6. Ratio.

De obiecto viſus.

CAPVT XXXIX.

DIcto itaque de viſu ex parte organi, conſequenter dicendum eſt de viſu ex parte obiecti aut medij. Et quia lumen eſt actus vtriuſque, Ideoque de illo dicendum. Sed de hoc iam ſupra dictum eſt, ſcilicet in tractatu de luce. Sicut autem corpora luminoſa vel noctiluca obiecta ſunt viſus in tenebris, ſic colores obiecta ſunt eiuſdem in lumine, dicente Auic quod color eſt qualitas quæ percipitur ex luce. *Ariſtot*

quo-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quoq; dicit in 2. de anima, quod color eſt motiuum viſus ſecundũ actũ lucidi,& hoc eſt ipſius natura. *Ariſt. in lib. de anima 2.* Viſus eſt ſenſus rei viſibilis. Viſibile autem per ſe color eſt,ſed & in ſe cauſam habet,vt aliquid ſit viſibile.Omnis enim color motiuum eſt viſus ſecũdum actum lucidi,& hoc eſt ipſius natura. Vnde nec aliquid eſt viſibile ſine lumine,ſed omnis color in lumine videtur. *Diaphanũ.* Lucidum autem ſiue diaphanũ dico, quod eſt viſibile , non ſecundũ ſe ſimpliciter,ſed propter extraneum colorẽ. Huiuſmodi ſunt aer & aqua, multaq; planorum ideſt perſpicuorum.Non enim ſecundum quod eſt aqua vel aer lucidum eſt , ſed quoniam eadẽ eſt natura in his & in perpetuo corpore ſuperius ideſt ſupercæleſti, vt in ſole , vel igne . Lumen autem ſiue lux eſt actus lucidi ſiue diaphani ſecundũ quod eſt lucidum.Porentia vero illud in quo hoc eſt, tenebra,cui contrarium videtur eſſe lumen. Eſt enim tenebra priuatio huiuſmodi habitus ſcilicet lucidi ex lucido,vel lucis ex lucido. Huius ergo p·eſentia lumẽ eſt. Eſt enim lumen quaſi color lucidi.Suſceptiuũ autẽ coloris eſt non color,ideſt quod non habet colorẽ, ſicut & ſoni à ſonum. Et vix quidem videtur omne quod tenebroſũ eſt,huiuſmodi tamen, ideſt tenebroſum lucidum eſt non actu, ſed potentia, ideſt materia lucidi. Eadem enim materia quandoque tenebra eſt, quandoq; lucida Ignis autẽ in vtroq; videtur,& in tenebra & in lumine.Si quis vero ponat coloratũ ſuper ipſum viſum, non videbitur , quia ſcilicet ſenſus viſus fit per medium ſicut & cæteri. *Auctor.* Itaq; de coloribus & de formis quæ apparent in ſpeculis ſatis dictum eſt ſuperius in eodem tractatu , ſcilicet vbi occaſione lucis actum eſt de corporibus luminoſis.

De eodem.

CAP. XL.

Libertus. Quod autem excellens color deſtruit viſum non eſt ex natura coloris ſecundũ quod color,ſed ſecundũ naturam lucis per cuius actum color mouet oculum.Hæc enim quando eſt nimia,ſpiritum viſibilem ſuperat,& confundit ipſum,ac per conſequens hebetat viſum.Et quoniam ad multitudinem luminis ſequitur multiplicatio coloris, plerunque nimia lux oculum ingrediens humidum chryſtallinum incendit , ipſumque remouet à temperamento ſuæ complexionis , partemque illius ſubtilem in fumum reſoluit. Qua videlicet reſoluta fit inſpiſſatio partium craſſiorum , ſicut dicit philoſophus in 4. lib. Meteo. Cumque ſic humidum chryſtallinum inſpiſſatum fuerit, iam non erit ſuſceptibile viſibilis ſpiritus, qui per neruos opticos à cerebro venit. Sicque perfecta cæcitas accidit aliquibus etiam cum tamen oculi pulchri appareant exterius. Patet itaque quod oculi corruptio per accidens eſt à luce & colore. Similiter accidit de quibuſdam , qui diu in tenebris fuerunt, & poſtea cum labore valde alba reſpiciunt & inſpiciunt. Talia quippe nequàquam accidunt à colore, per ſe , ſed per accidens. Calor enim naturalis & ſpitus in organis ſenſuum diffunduntur,& in eis duabus de cauſis multiplicantur. Vna eſt exercitium in operibus ſenſuum. Exercitium enim colorem multiplicat , & calor multiplicatus attrahit ſpiritum. Inde fit quod in vno ſenſu magis quam in alio multiplicatur ſpiritus , videlicet propter maius exercitium illius ſenſus. Alia vero cauſa eſt intentio animæ in vnius ſenſus opere. Ex hoc enim ipſo extrahitur ab altero , dirigitque ſpiritum & calorem ad illum ſenſum, in cuius opere eſt intentio . Cumque calor ſit aperitiuus pororum , facilem efficit diſcurſum ſpirituum ad illum ſenſum. At vero per oppoſitum diu manentes in tenebris non habent exercitium viſus. Nec anima intenta eſt operibus ipſius. Ideoque ſpiritus viſibilis ab oculis ſubſtrahitur , ac neruus opticus exiccatur & contrahitur , ita etiam quod quando veniunt ad lucem ſpiritus non poteſt ſubintrare niſi modicum & paulatim, Ideoque vincitur & læditur ab excellenti albo.

Turbatio chryſtallini cæcitatem cauſat aliquibus.

De medio eiuſdem.

CAP. XLI.

PORro medium viſus (vt ait philoſophus) ſunt aer & aqua non ſecundum quod aer & aqua. Ideoq; non hæc tantummodo ſunt eius media,ſed etiam alia, in quibus eadem eſt natura , ſicut quinta eſſentia in partibus non ſtellatis,& ignis in ſphæra ſua.Nec tamẽ adeo proprie ſunt illa duo media , ſicut aer & aqua, duplici de cauſa. Vna eſt, quod aer & aqua communicãt in humido. Et humidi ſunt virtutes duæ ſcilicet bene recipere , & ad aliquid fluere , quia male terminabile eſt in ſe. Ideoq; illa duo, ſcil. aer & aqua bene ſenſibilia recipiunt,& ad ſenſus fluendo bene referũt. At vero tale humidum non eſt in igne , nec in quinta eſſentia. Alia ratio eſt, quoniam aer & aqua ſimpliciter non ſunt leuia,nec ſimpliciter grauia,quamobrem minus obuiant motui ſenſibilium per ipſa ad omnem partem.Talis quoq; proprietas non eſt in igne,ideoq; non eſt adeo conueniens medium.Eſt tamen alia medij natura , ſcilicet quod ipſum ſit ratum ac paruum, & hæc magis eſt in igne,& in quinta eſſentia,quàm in aere , pluſque in aere , quàm in aqua. Sic ergo hæc omnia differenter medium efficiuntur.

Obiectio. Per hoc ceſſat obiectio,quę fit contra philoſophum dicentem, quod aer & aqua , tantum in viſu ſint medium. Nobis autem apparent ſtellæ per quintæ eſſentiæ partem,ac per ignem,& aerem.Sed(vt dictum eſt) inter media diuerſitas eſt. Si autẽ quæritur, quæ ſit illa natura,quam idem philoſophus dicit aquam,& aerem communicare cum perpetuo ſuperius corpore. *Reſp.* Reſpondemus, quod eſt ibi cõmunicantia duplicis naturæ. Vna eſt ex parte potentiæ, ſcilicet diaphaneitas,quę cauſatur ex raro ſubtili in partibus materię.Et quanto plus illud abundat in aliquo corpore , tanto magis eſt diaphanum,ideſt tranſparens,ſiue peruium. Alia vero eſt ex parte actus,ſcilicet luminis receptiui, quod facit tranſparẽs eſſe tranſparens in actu.Vtraq; etenim harum naturarum inuenitur in cœlis,quia in ſtellis eſt lumen, & in alijs partibus orbium tranſparentium. Humidum autem in ſua virtute duplici addunt aer & aqua ad facilitatem mediandi, præcipueque hoc eſt in aere , quia ibi coniungitur humidum cum magis tranſparenti , quam in aqua. Denique aer & aqua (ſicut dictum eſt ſupra)non ſunt media, ſecũdum quod aer & aqua , ſed ſecundum communicantiam , qnam habent cum perpetuo ſuperiu corpore, ſcilicet ſecundum tranſparentiam , quæ eſt aptitudo ibiq; recipiendi ſpeciem viſibilem, vbi apponitur res colorata ſecundum actum lucidi.

Qualiter ſpecies viſibiles ſunt in medio, & in oculo.

CAP. XLII.

AD ſciendum vero qualiter ſpecies viſibiles in medio ſunt , & in oculo , tria ſunt neceſſaria. *Extribus diguoſcuntur ſpecies.* Vnum eſt natura colores agens & abſtrahens , & hæc eſt natura luminis,quod eſt qualitas non habens contrarium,cuius tranſitus non in tempore, ſed ſubito fit per medium.Ob hoc & colores cum non agant in medium, & oculum , niſi per luminis actum, ſecundum quod agunt in actione ſua non habent contrarium· Secundum eſt natura coloris abſtracti Non enim abſtrahitur cum cauſis generantibus ipſum in ſubiecto, ideſt cum calido, & frigido, humido, vel ſicco. Si abſtractio ſit in propria coloris ſpecie , ſine omni parte materię, & ſine omni cauſa materiali,& hoc eſt quod vocat Auerrois ſupet librum de animà eſſe ſpirituale. Tertium eſt medij natura , de quo dictum eſt ſupra.

Obiectio. Si autem obiicitur quod in oculo nequaquam per actum medium videtur eſſe viſibile , cum æquè

Reſp. primo generatur in vtroque. Reſpondemus, quod ibi non eſt prius & poſterius ſecundum tempus, vt dictũ, eſt ſed tantummodo ſecundum ordinem cauſę. Itaq; non mouentur colores ad oculum motu locali, ſed potius immutationis eſt motus eorum, quo generant ſe primo in medio, & poſt in oculo ſupradicto modo. Deinq; tres ſunt differentiæ ſpeciei viſibilis in medio & in oculo. Vna eſt quod oculus ex eo quod in aquæ ſubſtantia conſiſtit, ſeruat ſpeciem & colligit eam, ita quod apparet in ipſo, hoc autem aer non facit. Secunda eſt quod oculus habet ſpeciem viſibilem vt habitum vel diſpoſitionem, quæ principium eſt cognoſcendi rem viſam, propter hoc etiam color in oculo non eſt vt colorans ipſum, ſed vt habitus qui eſt forma colorati totius, & ipſum cognoſcendi principium. Et ſic iterum non eſt in aere. Tertia eſt quod in oculo eſt color ſicut in termino, ſed in medio ſicut in via, propter hoc etiam in oculo eſt aliquo modo vt in actu, ſed in medio ſicut in potentia.

Differentiæ ſpeciei in oculo & medio.

De modo actus videndi ſecundum diuerſos.

Cap. XLIII.

Aulus Gel. in lib. 5. atticarum noctium. De videndi ratione cernendiq; natura diuerſas eſſe opiniones philoſophorũ animaduertimus. Stoici dicunt videndi cauſas eſſe radiorum ex oculis in ea quę videntur emiſſionem, aeriſq; ſimul intentionem. Epicurus autem effluere ſemper ex omnibus corporibus ſimulacra quædam corporum ipſorum, eaq; ſeſe in oculos inferre, atq; ita fieri sẽsũ putat. Plato exiſtimat quoddam genus ignis atq; lucis de oculis exire, idque coniunctum continuatumque cum luce ſolis, vel cum alterius ignis lumine, ſua vi & externa viſum efficere, vt quæcunq; oſtenderit, illuſtraueritq; cernamus. *Helynandus in chronicis ſuis libro 1.* Intuenti autem ſubtiliter apparet nil eſſe viſibile niſi ex obſtaculo quod ex aqua vel ex terra contingit. Nam & nubes etiam ex vapore aquarum denſatę viſibiles apparent. Flammæ vero quæ in nubiloſo aere vel in aliqua materia quæ comburitur fiunt, ex vaporibus aquarum ſubſtãtiam habent. Radius quoque ſolis qui per feneſtram decurrere videtur, non aliunde eſt viſibilis, niſi ex athomis pulueris in radio decurrentibus & ad lumen ſolis relucentibus, ſic & in cæteris rebus *Albertus*. Itaque de modo & actu videndi diuerſa ſenſerunt antiqui philoſophi. Quorum opiniones recitant Alpharabius in lib. de ſenſu & ſenſato, & Auic. in li. 6. Omnesq; reprobat Apharabius præter illam quæ eſt Ariſtotelis, cui & nos conſentimus, videlicet quod ſenſibilia veniunt ad ſenſus per medium, in quo ſcilicet primo fiunt, & poſtea in ſenſu. & quod ab oculo radius non egrediatur, ſed lux exterior quæ eſt in aere ſuper oculum reflectitur, & ex illa reflexione radij generantur, ſub quibus oculus immutatur.

Stoici. Epicurus. Plato. Ariſtotelis.

Cur non videamus ad omnem partem ſecundum aeris immutationem.

Cap. XLIV.

Ex hoc tamen videtur ſequi quod videamus ad omnem partem. Nã aer immutatur ante & retro & à dextris & à ſiniſtris. Aer ergo qui eſt poſt nos immutat aerem per longum ſpacium ante nos. Si ergo aer immutatus oculũ immutat, videtur quod aer qui eſt ante & retro nos immutare debeat oculos noſtros colore rei quæ eſt retro nos. Et ſecundum hoc ita videbimus quod eſt retro nos, ſicut id quod eſt ante nos. Et nos quidem concedimus quod aer immutatur ad omnem partem, & vt non videamus ea quæ retro ſunt, nõ eſt hęc cauſa, quia non fiat immutatio ad omnem partem, ſed quia color non agit niſi ſecundum actum lucidi, Ideoq; proceſſio immutationis à colore in aere fit ſecundum proceſſionẽ lucis reflexæ vel incidentis. Lux autem quæ eſt poſt nos abſtrahens colorem immutat quidã aerem ante nos, ſed hæc immutatio aeris ad viſum non ſufficit, quin etiam oportet viſibiles ſpecies in oculũ procedere actu ſecundũ actũ lucidi. Quoniam ergo lux quæ eſt poſt nos recedit remouẽdo ſe ab oculis noſtris, & non in oculos noſtros. Ideoq; viſus non fit, niſi fiat reflexio ſuper ſpeculum quod eſt ante oculos noſtros. Concedimus tamen radios ſub quibus immutatio fit oculos attingere, ſed illi non egrediuntur ab oculo, ſed exteriori luce, ac reflectuntur ſuper oculum, non quidem à luce quæ fit immediate circa oculum, ſed ab illa quæ eſt in extremitate perſpicui, quæ facit eſſe colorem actu, quoniam illa ſola ſufficit ad viſum.

Cauſa cur non videmus ad omnem partem.

Cur non ante nos ſaltem actu videmus ſimul ad omnem partem.

Cap. XLV.

Cvm autem immutetur aer ad omnem partem, cur non videmus ante nos ſaltem actu ſimul ad omnem partem. Expanditur enim viſus noſter ſuper totum pauimentum & denarium ſuperiacentem non videmus, donec diſcurrat viſus ad illam partem vbi iacet denarius. Et ex hoc concludit Euclides quod videmus per lineas ab oculo egrediẽtes, videlicet per triãgulum, cuius baſis eſt res viſa, & angulus expanſus eſt in oculo, eiuſq; diameter ſuper partes rei in ſe diſcurrit ne apprehendamus partem viſibilis niſi quam diameter attingit. Ideoq; dicit quod non ſtatim videmus denarium in pauimento iacentem, quod etiam probatur per demonſtrationẽ. Nos autem dicimus quod hoc non eſt cauſa, quia diameter egrediens ab oculo attingit rem viſam, ſed potius, quia virtus viſiua quæ apprehendit formam impreſſam, dirigit eam ad rem quam apprehendit per ipſam. Et quandoq; illam in totam rem ſecundum rationem totius dirigit, & tunc in ipſa totum viſibile accipit. Quandoq; dirigit eam in partem vt apprehendat partes rei viſiuæ per ipſam, & tunc ſimul operari non poteſt ad multas partes, ſed comparatur ad partem poſt partem. Et tunc fit quaſi diſcurſus quidam virtutis viſiuæ ſuper partem viſibilem. Cumq; venit ad partem illam in pauimento in quo denarius iacet, tunc ipſum videt. Licet autem diameter non egrediatur ab oculo directo, tamen ſpiritus viſibilis & virtus viſiua in rem viſam eſt per diametri modum. Meliuſque apprehenduntur quæ per diametrum opponuntur ad oculum, quàm quæ opponuntur extra diametrum.

Euclidis ratio de modo videndi.

Rationes ad probandum quod non videmus extra mittendo.

Cap. XLVI.

Qvia vero ad opinionem contrariam multa ſunt argumẽta vel rationes perſpectiuorum, nitamur etiam rationibus in contrarium. Nam reuera videndo nihil extra mittimus, ſed tamen proceſſus luminis in colore ſecundũ rectã oppoſitionem deſcribit intellectuales angulo ſuper oculũ, ita quod angulus procedentis luminis eſt in oculo, ſicut iam ſupra diximus. Cæterum ſi radius qui eſt linea, vt dicunt, eſt ab oculo egrediẽs, aut eſt ſubſtantia, aut accidens. Et ſi accidẽs eſt, eſſe niſi in ſubiecto non habet. Cum ergo exit, aerem qualem facit, multiplicato ergo radio multiplicabitur aeris illuminatio. Si ergo ſtet aliquis iuxta multos apertos habentes oculos, melius quam alibi videbit iuxta eos. Præterea ſecundum hoc melius videbit debilem habens viſum coniunctus ei qui fortem habet viſum. Præterea multis aſpicientibus ſimul in tenebris ſtantibus aer illuminabitur eorum aſpectibus Quæ omnia falſa ſũt & abſurda Præterea viſus non aerem tantum penetrat, ſed etiam cœlum vſq; ad ſtellas, ſecũdum hoc ergo cœlũ impreſſionem

Viſum non fieri extramittendo probatur variis rationibus.

lumi-

luminis à viſu recipit, quod eſt contra philoſophum dicẽtem, quod cœlum non recipit impreſſiones peregrinas. Iterum ſecundum hoc radius reflexus à ſpeculo aliud erit ab incidente in eo propter diuerſitatem ſubiectorum. Similiter & radius exiſtens in aere non erit idem numero cum illo qui eſt in oculo. Et ideo per ſenſum radii non fiet apud videntem iudicium de re viſibili. Secundum hoc ergo ad viſum non prodeſt radius. Iterum viſibile in proprio lumine non indiget ad hoc radioſo lumine à viſu emiſſo medium immutante. At verò lucẽtia per ſe ad hoc ſibi ſufficiunt proprio lumine. Si vero dicatur eſſe ſubſtantia, conſtat, quod nõ eſt incorporea, quia ſcilicet nec angelus, nec anima. Sed neq; corporea, quia nec aliquis mathematicorum ponit radios eſſe corpora. Præterea ſi radius egrediens eſt corpus, non erit in eodem loco cum aere medio: oportet ergo, quod totus aer, & aqua & ignis & totum cęlum, per quæ viſus eſt, eiiciantur de locis ſuis per viſum, aut pleni ſint poris vacuis, per quos ſit trãſitus linearum corporalium, quorum etiam vtrunque eſt abſurdũ. Præterea non poteſt paruum miſceri multo ampliori, quin virtus eius vincatur à multo. Cũ ergo radius ille paruus ſit mixtus lumini totius hemiſpherii virtutem amittit. Non ergo videbit in multo lumine, cum virtus eius ſit videre. Cæterum cum agẽs & patiens in natura ſint proportionata, quæri poteſt ab eis, qua virtute radius agat in viſibile, nec erit aſſignare. Quæritur ergo hic ab eis cauſa huius actionis & paſſionis ſecundum naturam. Queritur etiam cum oculus videat radium de ſe egrediẽtem, quo radius ille videatur. Si dicatur, quod radio, tũc radii erit radius, & ſic in infinitũ ibit proceſſus. Si vero dicatur, quod oculus ſeipſo videt radium, multo magis, quæ non ſunt adeo ſubtilia videbit per ſeipſum: & ſic iterũ inutilis erit radius. Deniq; abſurdiſſima quędã ſecundum omnem naturam conſequuntur opinionẽ illã, videlicet, quod linea ſit in eſſe naturali, quod linea moueatur motu locali, quod videatur lõgitudo ſine latitudine, quod linea ſecundũ indiuiſibile pũctũ apprehẽdit diuiſibile aliaq; plura, quæ abhorret natura.

Solutiones ad obiecta e contrario.

CAP. XLVII.

Obiect. *Sed illi inquiunt*, quorũ viſus debilitatur præcipuè in tempore humido vident imaginem ſuam corã oculis ſuis. Quod vtiq; non poſſet eſſe, niſi quia cũ radijs egredientibus ab oculo etiam figura egreditur in radio vidente. Preterea creator omnium Deus perfectiſſime conſtituens organa ſenſuũ fecit inſtrumentũ organi odoris frigidum & humidum, quod ſaluaretur calido & ſicco vaporatiuo, in quo defeꝛũtur odores. Fecit & inſtrumẽtum auditus concauum & ſtrictũ in quo ſaluarentur ſoni, qui nihil aliud ſunt, quàm aer preſſus. Fecit ergo & inſtrumentũ viſus optime, & hoc fecit ſphęricum, ſuper quod ſcilicet ſphæricum non ſtant formæ. Nõ ergo fecit eum ad hoc, vt formæ aduenientes ſtarent ſuper ipſum. Non itaq; fuit in ipſo forma, ſed potius ab ipſo lux egreditur, qua poſſit anima ſenſata iudicare. Mobile quoque fecit ipſum, mobilitas vero repugnet receptioni formarum. Ad hoc ergo fecit illud mobile, vt motu ſuo centrum ſuum ad omnia viſibilia conuerteret, ac per radios pyramidales virtutem ſuam viſiuam ad ipſa moueret. Hoc etiam videri habetur ex hoc, quod centro ſubſidens optime videtur. Remota vero à centro, eo quod longius diſtant, minus videntur. *Reſp.* *Ad hoc ergo reſpondemus*, quod vt videat homo debilis viſus imaginẽ ſuam tẽpore humido non eſt cauſa quã ponunt pro cauſa ſc. egrediẽs ab oculo radius, nec vnquam homo videret in aere imaginem ſuã, niſi poſſit aer vt ſpeculum effici. Videtur autẽ ſibi quod eam videat cum tamen non videat. Quod cõtingit ex fluxu imaginũ à loco cellulæ imaginatiuæ ad organũ ſenſus communis, & ab illo ad organum viſus, ſicut accidit in melãcholicis & infirmis. Nec ideo fecit creator oculũ ſphæricum, vt non imprimerent in eo imagines rerum, ſed ideo potius vt eſſet facile mobile ſicut ſpeculum animatum, in quo imprimantur imagines rerum. Nam ſuper rotundum rectius imprimentur quàm ſuper latum & planũ, vel ſuper concauum. In loco etenim plano propter diuaricationẽ luminis quam facit quęlibet pars ęque eminens cuilibet parti confunditur, & dilatatur imago ſicut patet in enſe limato ac terſo. Porro in cõcauo vna pars imaginem receptam proiicit ſuper alteram. Ita quod iterum non ſit directa rei cõprehenſio. At vero in rotundum recte cõtinetur imago. Cumq; illa pars æque alteri emineat, nulla pars proceſſionum luminis diuaricat, in qua forma viſa procedat, nec alia ſuper aliam proiicit, ſicut in concauo fit. Porro mobilitas oculi non contraria impreſſioni formarũ, quin potius ad hoc valet, vt ab omni ſitu viſibiliũ immutatio dirigatur ad oculum, deniq; propinquitas eius quod cadit ſub oculi centro nõ eſt tota & ſola cauſa cur melius videatur. Sed rectitudo immutationis & confortatio viſiuæ virtutis in oculi centro. Veruntamen omnis virtus cuiuſlibet rei, ac per hoc & viſiua maior eſt in centro rei quàm iuxta extrema.

Ad experimenta quæ contraria videntur reſponſioni.

CAP. XLVIII.

Obiect. VErum & alia adhuc experimenta contra nos inducuntur, vt quod colores ac figuræ rerum viſatũ corporibus in quibus ſunt nec motu locali nec ad viſum mouentur. Cum ergo inquiunt, neceſſe ſit in viſu rem viſiuam & oculos coniungi, oportet viſum ad rẽ viſam per aliquid moueri. Et hic eſt radius ab oculo emiſſus, in quo eſt viſiua virtus. Præterea videmus quod in oculo diu clauſo vel excæcato, foramen alterius oculi repletur lumine quod fuit in priori oculo, meliusq; videt oculus ille quam prius viderat alio vidente. Vnde patet lumen in oculis eſſe. *Reſp.* Et nos quidẽ concedimus, quod reuera colores (vt dictum eſt) non mouentur ad oculum localiter, ſed motu immutationis quo generant ſe in medio, ac per illud in oculo. Cum autem oculus vnus clauditur vel cæcatur, & lumen illius redit ad alium, hoc non contingit propter emiſſionem radiorum, ſed alijs tribus ex cauſis vna eſt quia virtus apprehenſiua naturaliter ad apprehenſiones formarum mouetur, & in ipſis delectatur, vnde mouendo ad locum ſecum trahit ſpiritum viſiuum. Cum ergo formas nõ inuenit in loco vnius oculi mouetur ad reliquum, & trahit ſecum ex alio viſibilem ſpiritum. Secunda eſt quia neruus opticus oculorum in anteriori parte capitis bifurcatur. Ideoque ſpiritus viſiuus in vno impeditus, retroſum agitur vſq; ad bifurcationem & tranfunditur in alium oculum. Tertia eſt attentio, quia ſcilicet oculo vno amiſſo maior fit circa reliquum intentio. Attentio vero frequens opus facit, & operis frequentia calorem inducit, Calor autem animalem affluere cogit.

Cur aliquando viſui vnum apparet duo.

CAP. XLIX.

Quatuor cauſæ cur vnum appareat duo. VT autem vnũ appareat duo quatuor ſunt cauſæ ſecundũ naturã. Vna eſt quia omnis ſenſus particularis refertur ad ſenſum communẽ in quo perficitur eius operatio. Spiritus ergo viſiuus per nernũ opticũ currẽs reddit formã apprehenſiuã, & licet fiat in duobus oculis, tamen quia venit & vnitur in loco bifurcationis nerui, ibi fit forma vt vna in ambobus oculis apprehẽſa. Cũ autem cõprimitur oculus, egreditur linea vnius ſpiritus extra lineam alterius in loco bifurcationis, & ideo ibi non cõtingit alium ſpiritũ in pũcto oculi anguli bifurcationis. Et ideo tũc forma apprehenſa in duobus oculis non vnitur. Et ideo ſenſus cõmunis qui cõponit & diuidit ſenſata propria tũc iudicat & apprehẽdit eam ſicut duo ſenſata eiuſdẽ

ſenſus. Huius autem ſignum eſt, quod ſi vnus oculus comprimatur, & alter claudatur, expreſſione vnius tantum oculi non apparebit vnum duo.

2 Secunda cauſa eſt ex reflexu ſpiritus ad intus & extra. Cum enim currat inter ſenſum communem & ſenſum particularem accipiendo ab vno & dando alteri, & ſit velociſſimus ſicut per apprehenſionis velocitatem poteſt probari. Accipiens formam in oculo exundantem ad ſenſum communem refluit forma ad partem aliam ante quam ſpiritus egrediatur plene ab oculo. Et tunc apparet in vna parte ſpiritus & in alia, & iudicãtur duo. Et hoc maxime contingit in quibuſdam ęgris, ebrijs & infirmis, in quibus vapor & ventoſitas eleuata impellit ſpiritum viſiuum, ſicut ventus aquam. Vnde talibus frequenter prominent oculi vẽtoſitate vel vapore eos extra loca ſua premente. Signũ autem huius eſt, quia videmus ſole apparente in aqua & vento aquam mouente, formam ſolis in aqua fieri pluribus locis, & ſic incidere formam quod vna contĩnuetur ad aliam.

3 Tertia cauſa eſt ex fluxu ſpiritus ſecundum latũ per amplitudinem nerui, vel etiam quod neruus eſt cellæ imaginatinæ & ſenſus communis, tunc enim apparet res viſa in duobus locis, eo quod in vno ſitu apprehẽditur antequam vnã ſpiritus perfecte relinquat. Sicut patet in virgula circumducta, quæ videtur facere circulũ ſenſu particulari accipiente extremitatẽ eius hic & ibi, & ſenſu communi continuante illa loca per circumuolutionẽ ſpiritus ad formam apprehenſam. Hac de cauſa etiam forma ſcilicet motus quandoq; infigitur intra ſpiritum ſenſus cõmunis imaginatiuę, quod aliquis ſtãs iuxta aquam, videtur ſibi moueri, & cadit. Et hac de cauſa etiam poſt nauigationem videtur nobis moueri terra longo tẽpore poſtquam venimus ad potum, quia forma manet in ſpiritu, & ſpiritus vndat ſe ſecundum motum formæ ad latitudinem cellæ anterioris capitis.

4 Quarta eſt ipſa compoſitio oculi, ſicut enim ſupra probatum eſt, compoſitio ſua eſt in humido aquoſo ſeruabili formæ apprehenſiuæ. Habet autem tunicas, quarum quędam habent foramen ab anterius, ſicut vuea. Et ideo benè imprimitur oculus, extumeſcit humor chryſtallinus, & diuaricatur forma, & videntur duo, vel tres quandoque.

De diffinitione auditus.

CAP. L.

Auditus quid?

Auic. Auditus eſt vis ordinata in neruo expanſo in ſuperficie nerui optici ad apprehendendũ formam eius quod ſibi euenit ex commotione aeris, quæ contingit inter percutiens & percuſſum reſiſtens conſtrictione coacta, ex qua prouenit ſonus, & peruenit eius commotio ad aerem collectiuum quietum, qui eſt in concauitate nerui poſtici mouens illũ inſtar ſui motus, & commotiones illius motus tangunt neruum. *Alber.* Neruus poſticus, qui eſt neruus audibilis (vt dicit Auic. in li. de animalibus) reuera ab anteriori parte medullę cerebri naſcitur, & vadit ad telam auricularem, quę tympanum dicitur, & in ea diſpergitur. Et quoniam eius ramus in duo diuiditur, maior illius rami pars in auris tympano diffunditur, minorq; pars exit per foramen oſſis penetroſi, quod foramẽ cæcum dicitur. Vnde quod dicit Auic. In ſuperficie nerui optici, qui eſt neruus viſibilis, eſſe in neruum poſticũ, hoc eſt, quia tangit eum in origine neruorum ſenſibilium, non quia cum illo ſit idem: ſic etiam dicimus in loco capitis, vbi occurrunt omnes nerui ſenſitiui eſſe ſenſus cõmunis organũ, quoniã aliter nõ cognoſceret ſenſus cõmunis ſenſibilia omnium ſenſuum particularium.

Perceptio ſoni in organo quo pacto fit.

Itaq; ſecundũ dicta naturalium neruus poſticus immutatur ſecundum ſonum ex aere percutiente ac ſonante per hunc modũ. Aer extrinſecus fractiuo motu ſonans aerem connaturalem in aure percutit, & ille quoq; efficitur percuſſus ac ſonans ad ſimilitudinem exterioris. Neruus autẽ audibilis expanſus in tympano auris, ab aere quidem percuſſo tãgitur, ſed non de neceſſitate, niſi ſecundũ ſonũ immutatur, & hoc ideo, quia ſenſus recipit ſpecies ſine materia. Vnde cũ ſoni materia ſit aer percuſſus, ſine aere percuſſo ſonũ accipit auditus. Quia tamen aer percuſſus non alterat neruum niſi agat, nec agit niſi tangat, neceſſe eſt vt neruũ tangat. Sonus itaq; ſecundũ eſſe ſuum quod habet in materia, eſt in aere, & alterat aerem. At vero ſecundũ quod conſideratur vt ſpecies ſenſibilis eſt in ſenſu. Si autẽ obijcitur quod eſſe ſoni non eſt niſi cum motu fractiuo aeris. *Ob.* *Reſp.* Reſpondemus, quod verum eſt hoc de eſſe ſoni quod habet in materia, & non de eſſe quod habet de ſenſu, vt ſpecies ſenſibilis. Ex his patet vnde contingat quod nos percipimus ſonum, & non aeris motũ, quia ſcilicet licet in aere duo ſint ſcilicet ſonus & motus, non tamen de neceſſitate ſenſibilẽ neruum alterat, niſi ſecũdum alterum ideſt ſecundum ſonum.

Cur auditus dicitur ſecundus ſenſus.

CAP. LI.

Ariſt. in libr. de ſenſu & ſenſato. Senſum quidem ad notitiam melior eſt viſus ſecundum ſe, quia multas & multimodas annunciat differentias. Omnia namq; corpora colorem participant. Diſcenti autem auditus multum confert ad ſapientiã ſecundum accidens. Sermo enim audibilis exiſtens, cauſa eſt diſciplinę, non ſecundũ ſe, ſed ſecũdum accidens, ex nominibus enim conſtat. Nominũ autem vnumquodq; ſymbolũ eſt, quare ſapientiores à natiuitate ſunt cęci priuatis ab vtroq; ſenſu mutis & ſurdis. *Alberus.* Auditus itaq; dicitur ſecundus ſenſus ex cauſis tribus. Vna tangitur in libro de ſenſu & ſenſato, quia ſcilicet ad notitiam melior eſt viſus, eo quod multas oſtendit rerum differentias. Per viſum enim deprehenduntur omnia corporalia, quoniam omnia vel habent colorem, vel lucem, vel ſunt diaphana, quæ omnia ſunt viſus obiecta. Auditus autem ſtrepitus ideſt ſoni oſtendit differentias, & confert diſciplinæ, non ſecundum ſe, ſed ſecundum accidens. Ex nominibus enim conſtat. Ergo viſus ad ſapientiam conferat ſecundũ ſe, quia ſcilicet oſtendit rerũ ſimilitudines ſecundum ſe, Auditus autẽ per accidens, quia oſtendit eas non ſecundum ſe, ſed in ſignis ideſt nominibus. Recte primus ſenſus inter diſciplinabiles dicitur viſus, & ſecũdus auditus. Quia vero nomina quæ percipiuntur per auditũ, ſigna ſunt omnium ſcilicet viſibilium, odorabilium, guſtabiliũ, tangibilium, & ipſorum etiam audibilium atque intelligibilium. Ideo per auditum accipitur doctrinabiliter prudentia de omnibus, per viſum autem non de omnibus. Ideoq; cæci à natiuitate habentes auditum, prudentiores ſunt ſurdis & mutis à natiuitate, habentibus tamen viſum. Secunda cauſa eſt, quia poſt viſum habet filium in homine, qui omnibus animalibus dignior eſt. Tertia eſt, quia de quinque ſenſibus duo ſunt ad ſalutẽ animalis neceſſarii ſcilicet guſtus & tactus. Duo vero ad diſciplinam ſcilicet viſus & auditus. Tertius autem cõmunicat cum vtriſque ſcilic. odoratus. Sunt autem duæ cauſæ, cur auditus non eſt in facie. Vna eſt, quia ſenſus alii magis neceſſariis obtinuerunt locum faciei, ita quod congrue non potuit auditus in facie locari, hęc eſt ratio Auic. Alia vero fortaſſe melior eſt, quod auditus eſt ſenſus animalis perfecti ac moti ſecundum motum proceſſiuum, qui ſcilicet motus proceſſiuus omnis animalis vt plus in ante eſt. Ideoque natura nequaquam animalia rotundauit vel acuit ante, vt facilius aerem diuideret, per quem motus habet eſſe. At vero ſi foramina auditus eſſent ante in facie, in motu proceſſiuo continua fieret aeris inundatio in auditus foramine, cuius ſcilicet inundationis ſonus confunderet auditum, aut deſtrueret cerebrum. Ideoque natura ordinauit auditus organum à latere, vel retro in capitis ſummitate, vt ad ipſum non perueniat aer in motu proceſſiuo, niſi prius diuiſus à facie.

Duæ cauſæ cur auditus non eſt in facie.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De organo auditus.

CAP. LII.

NEruus autem audibilis, qui dicitur poſticus ipſe eſt organum auditus, qui (vt ſupra dictum eſt) ab anteriori parte medullæ cerebri tendit ad telam auricularem quæ tympanũ dicitur, & in ea diſpergitur. *Hali. vbi ſupra.* Auditus fit per par neruorum qui ex prora cerebri oriuntur ſcilicet à loco quinti paris, & ad duo perueniunt auriũ foramina, quæ ſunt in duobus lapideis oſſibus capitis, vt autem eorum quiſque peruenit ad foramen dilatatur, & foramen operit, & hoc operientum præcipuum eſt auditus organum, eiuſq; eadem eſt vis in auditu, quæ eſt chryſtallinæ tunicæ in viſu. Huius operimenti natura aerea eſt.

Auditus quomodo fit.

Auditus itaque fit, cum in aere ſonus intonuerit, B Iſque percuſſus aer vſque ad aures peruenerit, vel ad foramen auditus, ſicut vndarum motus ab alijs locis ad alia peruenit, quandiu earum eſt moueri. Itaque commota aliqua aeris parte mouet hæc aliam, qua mouetur & alia contigua, donec ad aures venerit, & aurium foramina. Ingreditur ergo locum viæ ſimilem vſque ad operimentum, quo foramen ab interioribus operitur, ipſumque operimentum in aeris ſonoris naturam alterat, cum ſit auditus aeris natura naturę ſonori configurata facileque in aliam alteratur, & eius alterationis ſenſus per duos neruos qui ad foramina veniunt, ad mentem peruenit. Sicque vocis & ſoni naturam mens ſentit.

De concauitate ac mobilitate aurium.

CAP. LIII.

Concauitas aurium ob tria.

ALbertus. Auris concauitas eſt longa propter tria. Vna cauſa ſumitur ex parte teneritatis medullę cerebri, quia ſi eſſet breuis ſubintraret frigus ad cerebrum & interficerentur animalia. Alia vero ex parte nerui audibilis, qui propter hoc quod oritur ab interiori cella, quæ medulloſa eſt in ſuo initio, eſt mollis. Vnde quia molle non eſt aptum tenere commotiones ac ſonos, ideo neceſſe fuit ipſum prolongari vt indureturex coniunctione ſui ad os petroſum, & ex prolongatione in foramine tortuoſo. Tertia ex parte ſoni quia ſonus ex multis repercuſſionibus ac circumuolutionibus ſaluatur, vt magis poſſit per auditum deprehendi, ſicut patet in ſono facto in concauo, vt in campana & fiſtula.

Quæſtio. Reſp.

Si autem quęritur, cur homo non habet aures prominentes ac mobiles ſicut animalia cætera. Reſpondemus quod in animalibus habẽtibus rotundum caput, vię ſenſuum ab organis ad anteriorem cellã propinquę ſunt. Et propter immutationes ſenſuum de facili veniunt ad ſenſum communem & phantaſiam, ſicut eſt in auibus & in homine & in ſimia, Et ideo non fuit neceſſe vt mouerentur aures eorũ. Sed in animalibus cũ longis capitibus aures ſunt retro in capite, & difficilis eſt reflexus à retro in ante ad locũ ſenſus cõmunis & phãtaſiæ. Et propter hoc oportuit quod aures haberent mobiles & multum prominentes, vt ex mobilitate poſſent eas dirigere in omnem partẽ vnde veniret ſonus, & ex prominentia multum caperent de ſoni commotione. Quandoq; tamen cõtingit per accidens, quod quidã homines mouent aures, quia nerui motiui qui ſunt in muſculis maxillaribus pertingunt ad radices auris in ipſis, ſicut & quidam mouent ſuperiorem partem capitis. Ex hoc quod nerui qui ſunt in muſculis frontis pertingunt in ipſis vſque ad pellem crinoſam, quæ eſt ſuper caput.

De obiecto eiuſdem quod eſt ſonus.

CAP. LIV.

ALgazel *in ſua phyſica.* Auditus fit per ſonum qui prouenit ad aerem intus quieſcẽtem intra concauitatẽ auris, & imprimit neruum expanſum in concauitatis profunditate, quemadmodum corium extenditur in tympano. *Aug. de ordine lib. 2* Ad iudicium ergo aurium nihil aliud pertinet niſi ſonus, qui triplex eſt ſcilicet aut in voce animantis, aut flatu in organis, aut pulſu. *Ariſtot. in 2. de anima. Sonus eſt motus aeris.* Et quædam ſunt quæ ſonum habent vt æs, & quæcunq; plana ac lenia ſunt & concaua. Nam concaua ex repercuſſione multos faciunt ictus poſt primum in potentia exire quod motum eſt, quædam vero non dicimus habere ſonum, vt ſpongiam, pilos, & lanam, quia ſcilicet mollia ſunt. Item quædam ſunt quæ habent ſonum in actu, quędam in potentia. Sonus in actu ſemper fit per aliquid, & apud aliquid, & in aliquo, quę tria ſunt percutiens, percuſſum & medium ideſt aer vel aqua. Auditur enim in aere vel in aqua, ſed in aqua minus. Vacuum enim recte dicitur proprium audiendi, videtur autem eſſe vacuum aer. Auditus itaque coonaturalis eſt aeri. Et ſicut colores ſine lumine non videntur, ita graue & acutum ſine ſono non ſentiuntur. Et hæc dicuntur per tranſſumptionem ex rebus ſenſibilibus. Acutum enim mouet ſenſum in modico tempore multum. Graue autem in longo tempore parum.

Sonus quid?

De ſoni diffinitione.

CAP. LV.

Alia ſoni definitio.

ALgazel *vbi ſupra.* Sonus eſt quoddam quod fit in aere propter inundationem accidentem aeri ex motu fortiſſimo proueniente ex vehementi aliquorum inter ſe percuſſione vel ſeparatione. *Albertus.* Dicimus ergo quod ſonus eſt qualitas ſenſibilis proueniens ex motu fractiuo aeris & ens cum illo. Ex fractione dico, quia nõ ex quolibet aeris motu fit ſonus, ſed ex motu frangente aerem antequam diuiſibilis ſit pet naturam. Dico etiam ens cum illo, quia ſonus non habet eſſe niſi quamdiu durat motus ille. Verum quia motus debile habet eſſe propter duo ſcilicet quia ipſe eſt actus exiſtens in potẽtia, & tale eſſe non eſt niſi ſecundum quid, Et iterũ quia ſic eſt ſucceſſiuum quod non permanens, de ipſo nihil eſt accipere neq; ſecundum eſſe, neq; ſecundum ſubſtantiã. In hoc enim differt à tempore, quia temporis eſt accipere permanens ſecundum ſubſtantiam, licet non ſecundum eſſe ſicut eſt probatũ in tractatu de tempore. Cum ergo ſonus cauſetur à cauſa debilis eſſe ſcilicet motus fractiui, etiã taliter cum ipſo tẽpore adhuc debilius habet eſſe, propter hoc non inuenitur ab auctoribus determinatum expreſſe quid ſit ſonus, ſed modo ſupra dicto diffiniri poteſt ſecundũ naturam eius. Per illã enim diffinitionẽ tanguntur cauſa eius materia & forma & finis ac permanẽtia. Nã forma & finis tãgitur per hoc quod dicitur qualitas ſenſibilis ſcilicet ſẽſu auditus. Per hoc autẽ quod dicitur ex motu fractiuo aeris prouenientis, tãgitur efficiens & etiã materia. Deniq; per hoc quod additur ens cũ illo, tangitur permanentia eius in eſſe.

De voce.

CAP. LVI.

Votis ſignũ diſtinctum eſt à placito.

CVm autẽ dicit *Ariſt. in 2 li. de anima*, quod in voce oportet eſſe animatum verberans cum imaginatione aliqua Sciendum eſt. quod animalia quęcunque per pulmonem attrahunt aerem, habent & arteriam notatiuam, & imaginationem, & non alia, & vox eorum eſt imaginationis ſignum. At vero duplex eſt ſignum ſcilicet formatum ſiue diſtinctum & confuſum. Diſtinctum autem vocis ſignum non eſtà natura, ſed à placito & inſtitutione, nec eſt niſi in animalibus illis in quibus dominatur imaginatio ſuper inſtinctũ naturæ, ita quod poteſt & ipſũ imitari, & ab ipſo abſtinere, ſicut eſt in homine. Incæteris autẽ animalibus in quibus imaginatio cauſatur ab inſtinctu naturæ, & eum per omnia ſequitur. Cuius ſignum eſt, quia

nec faciunt consilia nec inquisitiones operũ suorum. In illis etiam signum est imaginationis, sed tãtum per naturam, & nõ ab institutione. Et quia natura eadem est in omnibus, ideo suæ voces manserunt indistinctę, nec vnum animal percipit ex alterius voce, nisi desirium eius in communi scilicet indigentiam cibi, ac desiderium coitus, & nocumentum læsionis, & vocationem societatis. In his autem desiderijs aliquo modo variant voces suas. Quod autem in libro suo de animalibus probat Auicenna, quod apes construunt casas, & aues nidos, non ad imaginationem, sed ad instinctum naturæ, non intendit ab huiusmodi animalibus imaginationem excludere, sed hoc tantum significare, quod scilicet imaginatio eorum instinctui naturæ non dominatur, quin potius ab ipsa regitur, vel additur &c.

De vocis significatione.

CAP. LVII.

PORro significatiuus sermo duplicem habet comparationem. Vnam scilicet ad rem signatam, quæ est extra animã. Aliam vero ad illam quę est in intellectu vel imaginatione speciem. *Vnde Aristoteles.* Sunt nquit ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ. Secundum primam comparationem causa eius significationis est voluntas instituentis. Vt enim dicit Augustinus quando non profertur, tunc est in potentia, & statim quando profertur actu rem significat.

Quæst oni satisfit. Si ergo quæratur secundum quem modum rei significatum in sermone venit, quando primo institutus fuit. Dicendum est, quod per nutum instituentis dirigentem talem sermonem ad talem rem in ratione significandi intentionem proferentis. Secundum aliam vero comparationem significatiui sermonis accipit rationem significandi ab intẽtione proferentis. Si vero quæratur qualiter significatio cum voce coniungatur. Dicimus quod in voce sunt rationis partes duę, sicut dicit Damascenus. Vna, scilicet quæ sermonem interius disponit & hæc pars rationis est propria, quã non in aliquo amittit. Alia vero quæ per vocem interpretatur intentionem, & hanc quandoque ratio amittit, in his scilicet, qui loqui non possunt. Prima itaque pars rationis est per comparationem ad imaginationem & intellectum mentis, & dicitur potestatiua. Secunda vero per comparationem ad corpus & ad organa locutionis, & dicitur interpretatiua. In huius virtute generatur significatum in voce, nec oportet esse continuationem vel contactum corporalem inter imaginationẽ & intellectum, quia generatio significationis in sermone signante non est materialiter, sed potius virtualiter atque potestatiue, sicut omnia spiritualia per ordinem habent ad corpus virtualiter atque potestatiuè, quod impressionem in corporibus faciunt, & illa corpora, quæ sunt propria materia illarum impressionum statim eas recipiunt.

De potentia interpretatiua. Similiter etiam rationis potentia, quæ dicitur interpretatiua, percutiendo aerem per organa vocalia imprimit vocibus formatis speciem imaginantis, & intelligentis speciem similem, ac per instrumenta vocalia tangit aerem illas species suscipientem. Porro secundum quod tangit agit in ipsum, & secundum quod agit transmutat eum ad signandi actum. Nec est verum, quod aiunt, quod species imaginariuæ, & intellectiuę deferuntur ab anteriori parte capitis ad linguam, & ad instrumenta vocalia per neruum ab interiori cella descendentem. Neruus enim ab interiori cella descendens non est principaliter motiuus nec actiuus, sed sensitiuus, & passiuus. Et ideo ille non facit ad interpretationem, sed potius ad gustum. Et est natus recipere speciem, & non dare eam. Sed neruus descendens à posteriori parte capitis est ille, qui principaliter est actiuus, & motiuus Et duo ex illis pertingunt in linguam, & faciunt eam moueri, & quidã alij ad pulmonem, & quidam ad mandibulam inferiorẽ, & ad labia. Vnde quidam sunt treuguli & malè proferunt litteram R, ex eo, quod nerui illi non sufficienter pertingunt ad principium linguæ, in quo formatur R, littera quia principium linguæ eorum non est sufficienter mobile. Et isti nerui sunt, qui deseruiunt potentiæ interpretatiuæ. Si enim ponamus, quod scilicet sit via per quam fit descensus ab imaginatione, quæ erit via per quam erit descensus à speciebus intelligibilibus, cum species intelligibiles non sunt aptæ natæ imprimi in spiritu corporeo. Ideo hoc absurdum est dicere, & contra naturam.

Qualiter ad auditum perueniat vox, & echo, & sibilus.

CAP. LVIII.

Gvilhelmus de Conchis. Boetius dicit, quod auditus vocis hoc modo fit. Aer naturalibus instrumentis percussus in ore loquentis formam quandam accipit, qui exiens particulam aeris quam tangit simili forma informat, & illa aliam, donec ad aures, quæ ad modum tympani sunt concauæ, peruenit, quo in earum concauitate resonante excitatur anima, emittitque partem prædictæ aereæ substantię per neruos, qui à medio cerebri hinc, & vsque ad aures extenduntur. Quæ tangens aera, quæ in aure reperit simili forma informatur cum qua ad animam in logistica cellula recurrit. Ibi anima figuram nostræ vocis perpendit, & auditus fit: Ad quod demonstrandum inducit idem Boetius tale exemplum: Lapis proiectus in medio stagni facit breuissimum circulum, & ille alium, & hoc fit donec vel ad ripas peruenerit vel impetus defecerit. Diuersę ergo aeris particulæ, sed simili formæ informatæ sunt in auribus diuersorum. Dicitur tamen eadem vox ibi esse propter expressam similitudinem. *Quomodo sonus generatur.*

Porro de echo est physica ratio. Vox enim quam in antro vel sylua emittis, vsque ad summum antri vel ad patulos ramos arborum peruenit, cuius prima pars ex reuerberatione resultat, & ad te redit. Extremæque partis sonans formam sibi assumit, atque cum ea ad te reuertitur. Inde est quod per echo solos fines verborum audimus. *De Echo.* Sed dicis: verum est quandoque istis percussionibus auditum fieri, non tamen semper. *Ob.* Aliquando enim labia constringimus aeraq; attrahentes, & non emittentes sonum sibili exprimimus, tamen à diuersis auditur. *Resp.* At inquam dum sibilamus stringendo labia aerem attrahimus, qui attractus vicinum sibi attrahit, & ille alium, donec illum, qui est in auribus attrahat, qui secum prædictum instrumentum vsque ad os sibilantis attrahit, ibique forma accepta ad animam reuertitur, sicque sibilus auditur.

Cur densa corpora penetrat sonus potius, quàm visualis radius.

CAP. LIX.

Ob. AT inquis, vt ex verbis perpendo tuis non est auditus nisi vel aer à loquente prodeat, vel ab audiẽte ad os loquentis perueniat. Quid ergo si ferreus paries inter ipsos sit, nõne vox audietur, & quomodo per tam solidam materiẽ aer transibit. Nullum est inquã corpus tam solidum, quin poros infinitos habeat, per quos aer subtilitate sua penetret. *Resp.* sed dicis, si aer quia subtilis est ferreum parietem penetrat, quid est quod *Ob.* radius visualis, qui adhuc est subtilior, nec etiam tenuem parietẽ ligneum, vt videamus ea, quę vltra sunt, penetrat. Nã vnde velocior est auditu visus; nisi quia instrumentũ habet velocius. Bene, inquam opponenti bene oportet responderi. Ad hoc vt visus fit non solum instrumentum aut res visa sufficit, sed exteriorem

quoque

quoque ſplendore neceſſario inquirit. Cum enim obſcura nocte vel obſcuro loco, nec inſtrumentum, nec res viſibilis deficiat, quia tamen deficit ſplendor, deficit & viſus. Cum ergo ſplendida die ad parietem radium illum dirigimus, qui reperit obſcuritatem ſibi inimicam & contrariam, fugienſque eam non intrat, ſed circa ſuperficiem cui ſuperior ſplendor adhæret diffunditur, atque prædicto modo viſum operatur.

De medio ſoni vel auditus.

CAP. LX.

Aer & aqua media ſon, & quomodo? Ob. Reſp.

ALbertus. Sicut ſuperius iam dictum eſt. Sonus ſecundum Ariſtotelem duplex habet medium, ſcilicet aerem, & aquam, ſed hoc diuerſimode. Aer enim eſt materia, & medium in quo generatur ſonus, & ſine quo non eſt eſſe illius. Aqua verò medium eſt tantum in quo vel per quod tranſit ſonus in materia ſua, quæ eſt aer impulſus, propter hoc etiam aqua cõfundit, & prohibet ſonos, aer autem conſeruat, quia conſeruatio rei eſt in materia propria. *Si autem obijcitur in contraria*, quod ſonus non eſt ſecundum eſſe ſuum, niſi tantum in materia, quæ eſt aer, & aer vt legitur in lib. de ſenſu, & ſenſato, non eſt in aqua. *Reſpondemus*, quod immo, ſecundum quod legitur in 2. li. de cę & mun. Aer leuis eſt in aqua. Ideoque ſecundum naturam aſcendit, niſi commixtus ſit, ſicut in his, quæ generantur ſub aqua. Cum autem virtus auditiua ſit in organo ſuo, ſcilicet in neruo audibili concauo, qui eſt apparens verſus tympanum auris, vt claudat in ſe partem aeris connaturalem, qui impellitur ab exteriori aere impulſo. Videtur, quod non tantum ſpecies ſoni perueniat ad virtutem auditiuam, ſed etiam eſſe ſoni ſecundum materiam. At verò ecõtrario cum auditus ſit potentia apprehenſiua, non videtur percipere niſi ſpeciem ſine materia. Nam omnis apprehenſiua eſt abſtractiua ſpeciei à materia, licet vna quidem abſtrahat plus, & altera minus. Nos autem dicimus, quod aer quidem tangit neruum in ſui principio, ſed ſpiritu deſcendente ab anteriori capitis parte non imprimitur ibi ſpecies ſoni, niſi vehementiſſima fiat impulſio. Et illa eſt, quæ corrumpit per excellentiam. Et ſiquidem philoſophi dicunt à ſono virtutem auditiuam tangi, intelligitur quantum ad principium nerui, Et in quibuſdam animalibus tantum, ſcilicet non aquaticis.

Queratur. Reſp.

Porro ſi quaratur, vtrum ſoni tranſeant per aerem ſubito, ſicut accidit in viſu, *patet* quod non ſubito, ſed quando ſonans eſt propinquum tunc veniunt ad auditum repente, ideſt imperceptibili tempore. Quãdo verò diſtat, tunc bene percipitur tempore.

De diffinitionibus olfactus.

CAP. LXI.

Olfactus quid?

AVicenna. Olfactus eſt vis ordinata in duabus carunculis anterioris cerebri partis ſimilibus mammillarum capitibus ad apprehendendum illud, quod ei offert aer attractus de odore, qui eſt in vapore permixto, aut de odore impreſſo in illo ex permutatione, quæ fit ex corpore odorifero. *Algazel.* Olfactus fit per virtutem, quæ eſt in duabus carunculis cerebri, quę ſimiles ſunt ſummitatibus vberum capreæ, quæ apprehendit mediante corpore, quod patitur ex odoribus, ac retinet eos, vel partes odoriferorum permiſcentur illi corpori, ſicut eſt, & aer, & aqua. Secundum vtramque diffinitionum iſtarum patet, quod olfactus ſit vis nequaquam in neruo ordinata, ſicut eſt viſiua, & auditiua, Et reuera ſecundum Auicennam, & Conſtantinum, & Gregorium, & etiam ſecundum Ariſtot. in libr. de ſenſu, & ſenſato, Organum olfactus immediatè eſt in cerebro. Et huius ratio eſt, quoniam odor ſecundum eſſe ſuum naturale, & materiale, quod habet in vaporatiuo ſicco, cerebri iuuatiuus eſt. Ideoque oportuit, quod ad ipſum pertingeret in ſua materia, & non tantum per ſpeciem ſenſibilem ſeparatum à materia, ſicut accidit in aliis ſenſibilibus. Si autem eſſet vis ordinata in neruo concauo deferente odoratiuum ſpiritum, ſpiritus non reciperet impreſſionem, niſi ſpeciei ſine materia tãtum. Cumque ſpecies à materia ſeparata non ſit calida, nec frigida, non conferret ad cerebri iuuamentum. Naſus autem conſiſtit inferius ex cartilagine, & ſuperius ex oſſe. Nareſque diſtinguuntur per os veniens in medio, fiuntque quaſi trianguli duo, vt naris vna recipiat ſuperfluitatem à capite deſcendentem, aer inſpiretur per alteram. Nam aer inſpiratus licet ex parte magna deſcendit ad pulmonem, & ad pectus, tamen in aliqua parte aſcendit ad cerebrum, vt mitiget calorem cerebri accidentalem, qui ex membris nutritiuis, & ſpiritualibus aſcendit in ipſum. Per immixtos autem odores, & vaporiferos efficitur aer leuior, propter calorem vaporum, & habilis ad aſcendendum. Et quantum ad hoc temperat naturalem cerebri frigiditatem, & humiditatem. Porro ſecundum Gregorium Nyſſenum anterior capitis pars dicitur vaporatiſſima, non quia vapores emittat, ſed quia nata eſt vaporibus immutari.

De organo ipſius.

CAP. LXII.

Organũ proprium olfactus.

GVilhelmus de Conchis. Aer ergo cum aliquod corpus odoratum tangitur, odorem qui eſt in eo aſſumit, cum quo nares ingrediens vſque ad foramen quoddam ori naribuſque commune peruenit, vbi quædam caruncułæ, quæ à cerebro prodeunt in modum mammillarum dependent, has penetrat quidam neruus à cerebro exiens, per quem anima partem inſtrumenti prædicti quæ plus ſe habet ad hanc qualitatem, quàm ad alias vſque ad prędictum locũ tranſmittit, quæ odorem prædictum in ſe recipiens animę in logiſtica cellula illum repræſentat. *Hali vbi ſupra.* Odoratus itaque ſentit vapores, qui à corporibus humidis diſſoluuntur. Huiuſmodi namque vapor aeri miſcetur & ad nares ingreditur, trahuntque illum ad ſe duo ventriculi proræ cerebri per augmenta duo mammillarum vberibus ſimilia, quæ proprie ſunt organum huiuſmodi ſenſus. Eorumque natura mutatur in huiuſmodi vaporis attracti naturam, & alterationem huiuſmodi ſentit mens. Cerebri namque natura eſt anhelare propter aeris frigidi attractionem, quod fit per dilatationem, & ſuperfluitatum emiſſionem, qua reductione efficitur, vt calor naturalis in ſtatu ſuo cuſtodiatur. Hæc dilatatio reſpiratio vocatur, per quã odores ſentiuntur, dum per hæc augmenta vapores odoriferorum corporum, aeri mixti à naribus trahuntur.

Quòd eius organum ſit frigidum, & humidum.

CAP. LXIII.

Obiectio. Solutio.

ALbertus. Cum autem (vt dicit Greg. Nyſſenus) vnumquodque organum ſenſus ad ſimilitudinem quandam, & familiaritatem propria ſenſibilia comprehendat, videtur quod organum olfactus calidum, & ſiccum eſſe debeat cum odor ſit vaporatiui ſicci, quod olfactus eſſe ſenſibile conſtat. At vero ecõtrario, vt dicit philoſophus, natura cerebri frigida eſt, & humida. Et nos quidem bene concedimus, quod proprie propria ſenſibilia ſunt, ad quæ comprehendenda apta nata eſt ſubſtantia cuiuſlibet ſenſus immutari. Cumque igitur contraria nata ſint ſe inuicem tranſmutare, quia materia eorum ac ſubiectum eſt vnum, & odor tranſmutans olfactum ſit in calido ſicco aut vaporatiuo, erit humidum & frigidum actu organum tranſmutabile ab ipſo.

Si autem obiicitur, quod habentium ſymbolum facilior erit tranſmutatio; *dicimus*, quod ea, quæ ſymbolum habent in toto tranſmutãtur ad inuicem, quia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nec agunt, nec patiuntur ab inuicem, ſed quæ ſymbolum habent in aliqua qualitate, & in alia cõtrarietatem. Illa defacili tranſmutantur ad inuicem ſecundũ ſubſtantiam, ita quod alterum corrumpitur. Et talis conuenientia inter cerebrum, & odorem eſſe non debet, quia ſecundum hoc per facilem alterationem ab odoribus cerebrum temperamento recederet, & animal cortũperetur. Nam & vaporibus calidis, & ſiccis vehemẽter homo caput dolere incipit, propter nimiã cerebri ſiccitatem, ſicut in fumo carbonum. Ideoque carbones aliquando ſale vel vino reſpergentur, vt humidum ſalis vel vini ex ipſis reſolutum temperet ſiccitatem illius vaporis ita, quod non nimis cerebrum exiccet, propter hoc ergo natura ordinauit contrarietatem, vt ab odoribus calidis, & ſiccis non immutaretur cerebrum niſi ſecundum ſuperfluum frigidum, & humidum. Non autem ſecundum frigidum, & humidum, quod eſt de ſuo naturali temperamento.

De obiecto eiuſdem.

Cap. LXIV.

Ioannes Damaſcenus. Eſt ergo odoratus vis ſenſitiua vaporum ſuſceptiua. *Ariſt. vbi ſup.* Odorabilis rei olfactus ſenſus eſt, & boni odoramenti, & mali. Corrũpi autem videtur à fortibus odoribus, vt ſulphure, & aſſatura fœtida, & huiuſmodi. Eſt autem odor ſicci, ſicut ſapor humidi. Reſpirantia ſiue anhelantia nõ odorant in aqua, ſiue in humido, quoniam inſpiratio neceſſaria eſt in olfacto, hoc autem in humido facere eſt impoſſibile. *Idem in li. de ſenſu & ſenſato.* Odor verò eſt fumalis euaporatio, quę eſt ab igne. Quare inſtrumentum odoratus eſt proprius locus, qui eſt circa cerebrũ. Virtute enim calidum, id eſt poteſtate eſt materia frigida. Et oculi generatio à cerebro conſtat. Cerebrum enim frigidius eſt, & humidius omnibus partibus corporis. Ad adiutorium autem ſanitatis facta eſt ſpecies odoratus. Frigido nãq; exiſtente cerebro, & ſanguine, qui circa illud eſt in venis exiſtẽte ſubtili, & puro defacili infrigidabili, cibi fumoſitas infrigidata infirmitatem facit. Aſcendentibus autem odoribus ad cerebrum propter leuitatem caloris, qui circa illos eſt, leuius habere facit. Odoris enim virtus natura calida eſt. Itaque non confert ad nutrimentum odorabile ſecundum quod odorabile, ſed ad ſanitatem confert. Quod enim ſapor confert in nutrittuo, & in nutribilibus, hoc ad ſanitatem odorabile. Elementa quatuor inodorabilia ſunt, quoniam humida, & ſicca eorum achyma ſunt, niſi commixta odorem faciant. *Auctor.* Porro de ſonis, & odoribus plenius tactũ eſt ſuperius, vbi actum eſt de cælo aereo, & aeris impreſſionibus.

De medio eiuſdem ſenſus.

Cap. LXV.

Albertus. Porro de olfactu ex parte medij dicit Ariſt quod mediũ eius eſt aer, & aqua. At vero, quod aqua non poſſit eſſe medium, videtur per ipſas rationes quas in libro de ſenſu, & ſenſato ponit Ariſt. contra Heraclitum: dicebat enim Heraclitus odorem eſſe fumalem euaporationem terię, & aeri communẽ exiſtentem. Et etiam ſi omnia fumus fierent, nares in omnibus dẽtibus odorem diſcernerent. Obiicit autẽ contra eum hoc modo, fumalis euaporatio nõ poteſt eſſe, quod ſit in aqua, quod patet ex hoc, quod aer in aqua exiſtens aſcendit ſuperius, & ſimiliter vapor aereus. Cum ergo odor ſit fumalis euaporatio nõ poteſt eſſe in aqua. At verò econtrario piſces in aqua ſentiũt odores, & corrumpuntur fætidis, eoſq; ſc. odores fætidos fugiunt. Cum ergo aerem non contingant, oportet quod per medium aquæ ſentiant, & ſic odor eſt in aqua. Heraclitus autem errabat dicens, quod odores reſoluuntur à quolibet ente propter quod non fiunt in medio niſi in aere, Simplicia quippe non ſunt odorabilia, etiam ſi euaporent. *Nam dicit ibidem Ariſtoteles. 1. de ſenſu, & ſenſato.* Amplius euaporatio ſimiliter dicitur, huius, ſc. aeris, & illius, ſc. terræ, ſi enim nec illa bene, nec iſta bene, volens quod ſi aer, & terra, quorũ Heraclitus euaporationem commune eſſe dixit, non ſunt bene odorabilia, nec illa euaporatio facta ab iſtis erit bene odorabilis. Et ſic patet, quod odor non eſt talis euaporatio. Præterea odores ſunt in aqua & in aqua non eſt aer, ſcil inquantum eſt medium odoris. Nam etiam ſi aer eſt in aqua non tamen per eum tanquam per medium piſces odorant, nam nequaquam per ipſum ſpirant, & reſpirant. Nam dicit ibidem Ariſtoteles, quando autem ineſt, ſcil. aer, nec ipſa ſpirant. Dixerunt etiam quidam, quod quia odor eſt fumalis euaporatio, & fumus eſt vapor terræ, vt habitum eſt ſupra. Odor non reſoluitur niſi à terra.

Elemẽta inodorabilia. Nos itaq; dicimus cum Ariſtotele, quod elementa inodorabilia ſunt, & achyma, & per conſequens terra, ſic neque & euaporationes fumales, vt iam tactũ eſt. Et quod odor eſt in aqua, & terra, & in aere vt mediis, ſicut dicunt Ariſt. & Algazel, & Auicen. Quod autem obiicit Ariſt. contra Heraclitum non ſic intelligendũ eſt, quod velit odores in aqua non eſſe, ſed deductio eſt ad inconueniens. Dicebat enim ille odores nõ eſſe in medio niſi in aere, & à terra reſolui. Et ex hoc ſequitur, cum aer non ſit in aqua niſi commixtus ſecũdum quod herbas generari videmus ex commixtione elementorum in aqua, quod odor non ſit in aqua, quod eſt inconueniens. Fumalis enim euaporatio non eſt in aere tali vt in medio, quoniam aer commixtus aliis ad generationem vegetabilium, non eſt alicuius ſenſus medium. Vnde licet ille non aſcendat in aqua, tamen aer purus aſcendit, & ſecundum hunc tamen non ſunt odores in aqua vt iam tactum eſt.

Secundũ quam naturam aer, & aqua ſint media olfactus.

Cap. LXVI.

Difficultas. Vxta hoc autem quæritur, ſecundum quam naturã aer, & aqua ſint media. Videtur enim quod ſecundum nullam, quoniam in ipſis ſunt tria, ſc. natura diaphani, & natura frigidi, & natura humidi. Secundum naturam diaphani non ſunt media, quoniam hoc modo ſunt viſus media. Similiter neq; ſecundum naturã humidi, quoniam odor eſt principaliter ſicci, nec ſecundum naturam frigidi vel calidi, quia neutrum cõmuniter ambobus conuenit. Præterea dicit philoſophus, quod odores extinguit frigus.

Reſp. Dicimus itaque, quod odor vt in medio eſt in vtroque ſecundum quod vtrumque eſt ſine odore, tamen odoris receptibile. Sic enim & de ſono dictum eſt ſupra, quod hoc modo medium eſt in aere, ſcil. ſecundũ quod eſt abſonum, ſoni tamen ſuſceptibile. Et bene cõcedimus, quod obiectum eſt, quod ſcil. non ſit medium ſecundum naturam humidi, vel frigidi, vel diaphani. *Si vero quaeratur* cur non ſit in aliis corporibus ſimplicibus, quæ ſunt etiam ſine odore. *Queſt.* Dicendũ eſt, *Reſp.* quod illa non ſunt ſuſceptiua euaporationis odoriferæ, ita quod poſſibilis ſit euaporatio per ipſa. Euaporatio autem debilior eſt in aqua, quam in aere, nihilominus tamen eſt ibi, ſicut etiam in aere, debilior eſt in frigido, quam in aliquo tempore, & propter hoc eſt odor in vtroq;. Dicunt tamen quidam, quod in odore licet ſit actu ſicci, permixtũ eſt humidum ſicco. Ideoque ſecundum quod magis vergit ad humidum eſt in aqua, ſecundum quod magis ad ſiccum eſt in aere. Dicit enim Ariſtoteles de ſenſu, & ſenſato. Perſpicuum autem commune, ſcilicet aeri, & aquę eſt odorabile, id eſt ſuſceptiuũ odoris, non ſecundum quod perſpicuum, ſed ſecundum quod lauabile, & mundabile euchymæ ſiccitatis. Intellige, quod ſicut perſpicuitas eſt natura communis, per quam ſuſcipitur color in aere, & in aqua, ſic munditia eſt natura communis, qua ſentitur odor in vtroque.

Si autem quæritur, vtrum odor fiat in medij partibus ex ſola medij permutatione, vel corporis odorabilis *Queſt.*

Confutatio ſententiæ Heraclit.

cum

cũ ipſo medio permixtione. Videtur enim, quod ſpecies odoris tantum permutet medium, & non vapor diffundatur cum odore. *Dicimus* ſecundum Auicen. *Reſp.* quod eſt ſecundum modum vtrumque. In euaporatione quippe dominatur natura aeris,& iccirco tranſmutat aerem ſecundum odorem, ita quod etiam aer recipit aliquam partem rei euaporantis. Similiter etiã tranſmutat aquam,ſicut videmus in dolio tranſmutari vinum ad odorem eorum quæ ponuntur iuxta dolium. Et ſecundum hunc modum fieri poteſt immutatio ſecundum odores per longum ſpacium. Experimentum eſt in auibus tygridibus, quæ deueniunt ad cadauera per centum leucas,cum ducem non habent niſi odorem. De his tamen dicit Auicenna,quod ſunt acuti viſus, alti volatus, & potuit eſſe quod per viſum *Ob.* deuenerũt ad cadauera, & non per odorem. Si autem obiicitur contra prędicta, quod odorabilia poſt multum odorem attractum leuiora fiunt,& putreſcentia, *Reſp.* ſicut patet in pomis. *Dicendum*, quod reuera non fit odor ſine euaporatione fumali proprie rei odorabilis. Ideoque illa quidem alienatur ac putreſcit per multã odorum attractionem, ſed nihil prohibet quin ipſa euaporatio poſtea immutet aera, etiam præter hoc, quod vlterius alia euaporatio fiat ex ipſa.

Vtrum olfactus vniuoce ſit in animalibus reſpirantibus, & non reſpirantibus.

CAP. LXVII.

Quæſt. DE modo autem odorandi videmus quædã odorare animalia reſpirantia, quædam vero non reſpirantia. Vnde videtur, quod olfactus æquiuoce dicatur de reſpirantibus, & non reſpirantibus. In libro quoque de animalibus dicitur, quod viæ olfactus in animalibus aquaticis clauſæ ſunt Licet enim quidam piſces videantur habere foramina quædam in naſo, tamen illa non pertingunt vſque ad medullã cerebri. Et ad hoc aſſignatur duplex ratio. Vna.ſ.quod ſi apertè eſſent viæ,penetraret aqua vſque ad medullam cerebri,& infrigidaretur cerebrũ, & extingueretur animal. Secunda eſt, quia talia animalia frigida ſunt parum habentia caloris circa locum digeſtionis,Et ideo pauci vapores eleuantur ad cerebrum. Qui ſi infrigidati fuerint in cerebro pauca erit materia phlegmatica,& purgabilis per vias alias. Cum ergo quędam animalia habeãt vias apertas odoratus, videtur odoratus eſſe æquiuocus in iſtis, & in illis.

Reſp. Sed dicendum,quod olfactus non dicitur æquiuoce in olfacientibus diuerſimode in diuerſo naſo. Potentiæ enim ſenſuũ paſſiuæ habent diffiniri per actus, & obiecta,ſicut dicit Ariſtot. Vnde cum obiectum ſit vnum,ſc.odor.vnius rationis erit olfactus. Et ſicut diuerſitas oculorũ in habentibus duros oculos, & molles, & habentibus velamen ſuper oculos, & non habentibus.non facit viſum ęquiuocum. Ita nec diuerſitas naſi, & habere organum odoratus coopertum vel non coopertum facit odoratum ęquiuocum. A modo enim organi non diffinitur aliqua potentia ſenſibilis, ſed potius ab obiecto,vt dictum eſt. Cum enim potẽtia ſenſibilis ſit potentia paſſiua, & diffiniri habeat per actum ſuum, Actum autem habeat ab agente, quod eſt obiectum,oportet,quod per obiectũ diffiniatur.

Quæſt. Præterea quæritur iuxta hoc,vtrum ex qualibet diſtantia odoret animal inſpirans, vel non inſpirans, & videtur quod ſic. Ponamus enim duo animalia,vnum inſpirans, & aliud non inſpirãs in vltimo euaporationis vel immutationis rei odoriferæ. Ibi enim tangitur, & alteratur cerebrum non inſpirantis, & eundem aerem trahit inſpirans,ergo odorant in æquali diſtantia. Quæritur ergo iuxta hoc, vtrum inſpirantia omnia odorant ex æquali diſtantia, & præcipue homo cum aliis animalibus, & videtur quod ſic. Si enim ſtet homo cum cane in vltimo euaporationis odoriferi eundem aerem trahet homo quem canis,ſed aer immutatus odore tãgit cerebrum vtriuſq;, ergo agit in vtrumque,& alterat ipſum. *Sed dicendum*, quod nõ oportet, *Reſp.* quod quæcunque animalia odorant,odorẽt ex æquali diſtantia,ſiue ſint reſpirantia ſiue non reſpirantia ad ſenſum odoris. Non enim exigitur tantum æqualitas agentis,ſed & æqualitas patientis propter hoc in loco vbi debilis eſt odor tranſmutatur cerebrum ſiccum alicuius animalis, eo quod habẽtium ſymbolum facilior eſt tranſmutatio,& in eodẽ loco non poteſt tranſmutari cerebrum frigidum, & humidum ſicut eſt hominis. Non enim immutatur tale niſi à forti odore.

Cur homo peius odorat cæteris animantibus.

CAP. LXVIII.

OMnes autem naturales dicunt, quod homo inter omnia animalia prauè odorat Vnde dicit Auicenna, quòd licet homo maioris ſit ingenij, quam alia animalia in eiiciendo odores ab odoribus per cõfricationis ſubtiliationem, & diſtinctionem odorum, tamen minus ab odoribus afficitur,& debilius imprimuntur in organo olfactus humani. Et huiuſmodi ſignum eſt,quia cum ſpecies omnium ſenſuum reponãtur in imaginatione,& phantaſia, ſpecies illius ſenſus debilius imprimuntur in organo phantaſiæ. Et huius duplex ſignum eſt, quia homo rariſſime ſomniat de odoribus,& quando ſõniat ſe eſſe in fætidis odoribus non multum abominatur, eo quod phantaſia illum motum debilem relinquit in homine. Aliud ſignũ eſt, quia cum phantaſmatis ſit mouere poſſibilem intellectum ad diſcernendas naturas rerũ,mouet illud phantaſma debiliter intellectum. Et propter hoc bene diſcernimus differentias odorum. Et ideo odores denominamus in nominibus excellentiarum, ſcil. nomine redolẽtis ſiue fragrantis,& fætentis. Cauſa autẽ huius eſt,quia homo inter omnia animalia rationalis eſt & propter hoc oportet vt perueniat ſpecies rerum puræ optimæ receptæ, & optime retentæ inter omnia animalia. Puritatem autem ſpiritus animalis operatur ſpiritus puriſſimus. Optimam autem receptionem habet humidum, & optimam retentionem frigidũ,quod ſic probatur, quia ponatur, quod cerebrum ſit calidum vt quidam medici mentiẽtes dicunt. Si ergo cum calido eſt humidum,cum calidum ſit cõgregatiuum homogeneorum ſibi,continue eleuabit humidũ vapora liter à cerebro,& propter hoc cõtinue turbabit ſpiritũ animalem,ſicut videmus,quod poſt cibum, & præcipuè in ebriis bibẽtibus vinum,& magis * medonem à loco calido digeſtionis aſcendũt vapores ad caput nõ tantum turbantes ſpiritum animalẽ, ad quod deferre debet formas ad cellam logiſticã, quæ eſt cella rationis quę eſt in medio capitis,ſed etiam ſecundũ quod recipere debet ſpecies ſenſibiles. Et ideo accidit,quod turbantur oculi, turbatur odoratus, & ſimiliter alij ſenſus. Vnde etiam quidam philoſophus dicit, quod mauri bene odorant, quia non bibunt vinum. Ergo patet,quod non poteſt eſſe calidum,& humidum cerebrum humanum. Detur ergo, quod ſit calidum, & ſiccum. Cum ergo calidum coagulet ſiccum,ſicut dicitur in lib. Meteororum, Erit cerebrum ſecundũ naturam ſolidum, & repugnans receptioni formarum, quod eſt inconueniens. Si vero detur,quod ſit frigidũ & ſiccum, cum frigidum ſit conſtrictiuum ſicci,erunt duæ qualitates cõtrariantes receptioni formarũ,quod eſt iterum inconueniens. Ergo relinquitur quod ſit frigidum, & humidũ, vt ex humido cauſetur facilis impreſſio, & ex frigido bona retentio, quia frigidum inſpiſſat humidum aliquantulum, & ex carentia vaporum cauſatur puritas ſpiritualis deſerens formas receptas,& retentas. Et propter hoc dicit Ariſt. in libro de animalibus, quod homo habet humidius, & frigidius cerebrum inter omnia animalia reſpectu ſui capitis,& corporis.

Cauſa autem, quam quidã ponunt aperte falſa eſt, ſcil.quod habeat calidiſſimum cor, cuius caliditas reprimi debeat ex frigiditate cerebri. Cum enim tempe-

* *Medo eſt hydromeliſeia μεθὺ γλυκὺ*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ratissimum animal sit, & principium totius temperamenti sit cor, impossibile est, quod cor hominis sit calidissimum inter omnia animalia. Præterea auctores dicunt, quod cor leonis calidius sit corde hominis. Si enim cor hominis esset calidissimum continuè eleuaret vapores turbantes cerebrum, vt habitum est.

Cur delectatio in odore propria sit homini secundum se.

CAP. LXIX.

Quæst. MErito autẽ potest quæri, cur delectatio in odore secundum se propria sit homini. Cum enim cuius est melius odores sentire, illius quoque magis sit in eis delectari vel tristari. Videtur, quod brutorũ quorundã, quæ melius odorant, quam homo magis sit in *Resp.* odoribus delectari vel tristari. *Nos autẽ dicimus*, quod non est causa naturalis delectationis melius sentire odorem, sed potius, quod magis confert ad sanitatem. Vnde bruta quidem melius sentiũt odores quàm homo, sed non indignantur vel lætantur ad eos, nisi sint corruptiui, sicut apes atque formicæ fugiunt odorem sulphuris, & serpentes odorem cornu cerui combusti. Ex prędictis patet quæstionis solutio, quam Arist. tangit in lib. de sensu & sensato, videlicet cur existentibus quinque sensibus medius ponitur odoratus. Huius enim ratio est, quia gustus, & tactus sunt sensus alimẽti constituentis substãtiam animalis. Et cum his odoratus cõuenit, eo quod habeat delectabile gustus per accidens secundum quod ad alimentum conducit. Visus autem, & auditus talia delectabilia non habent, nec sunt propter esse, sed propter bene esse. Et cũ his conuenit odoratus secundum quod habet delectabile per se, & est per medium extrinsecum.

De diffinitione gustus.

CAP. LXX.

Gustus quid? AVicen. *vbi sup.* Gustus est vis ordinata in neruo expanso super corpus linguæ, ad comprehendẽdum sapores resolutos ex corporibus cõtingentibus ipsum, *Ob.* cum permiscentur humori vnctuoso linguæ permixtione permutante. *Albertus.* Videtur autem insufficiẽter dictum, quod dicit Auicenna gustum esse ordinatum in neruo linguæ, quia dicit Greg. Nyssenus, quod *Resp.* organum gustus sunt lingua, & palatum. Item dicit Aui. in lib. de animalibus. Præterea videtur in quibusdã animalibus non esse linguam, sicut in ciconiis, & in *Sedes gustus.* quibusdam piscibus, tamen illa habent gustum. Sed dicẽdum est, quod in veritate gustus est etiam in neruis palati, sicut obiectum est, sed secundum sui optimum est in lingua, & in membro, quod est in loco linguæ. Et cum ab optimo sumatur diffinitio, diffinitur à neruo expanso in superficie linguæ. Ad id autẽ quod obiicitur de animalibus, quæ nõ videntur habere linguam, dicendum est, quod habent aliquid loco linguę scil. carnem quandam, ad cuius radicem continuatur œsophagus tantum, vel stomachus tantum, vel œsophagus, & canna. Dico autem, quia in quibusdam auibus inuenitur œsophagus cum canna simul coniuncta ad linguam, vel ad id, quod est loco linguæ. In quibusdam autem piscibus inuenitur œsophagus tantum sine canna. In quibusdam autem piscibus inuenitur stomachus sine œsophago, & canna, sicut de quodam pisce dicit Arist. quod nõ habet œsophagum, sed stomachum longum, & ideo in voracitate quandoq; eiicit ipsum per os. Contra quod in quibusdam animalibus sunt duæ linguæ, vt in serpentibus. Dicunt enim Gregorius Nyssenus, & Damascenus, quod organa sensuum creator animalium dedit duplicia, & linguas duas, sicut oculos duos. Vt si vnum destrueretur, in altero saluaretur sensus. Sed in quibusdam animalibus linguę sunt coniunctæ, vt in homine. In quibusdam non coniunctæ, vt in serpentibus. In quibusdam longæ, & acutæ, vt in apibus, & anulosis, quæ sugunt nutrimentum per linguam, quę longe emittitur ante os. Vnde quandoque recuruant eam dum non sugunt nutrimentum. In quibusdam curta est, sicut in citoniis, & in quibusdam piscibus. Et in quibusdam media, sicut in hominibus. In quibusdam autem ligata anterius ad palatum, vt in ranis, & ideo vox ranarum non potest esse nisi coax.

De organo gustus.

CAP. LXXI.

Vilhelmus de Conchis. Est ergo qualitas quædã, quæ sapor dicitur. Cumque cibum masticamus, succus quidam subtilis cum sapore linguam, quę spõgiosa est penetrat. Nerui vero quidam à cerebro ad linguam descendunt, per quos pars instrumenti prædicti, quę sapori est habilis ab anima per neruos ad linguam emittitur, quę saporem quem ibi reperit in se recipiens ipsum animæ repræsentat. *Hali vbi supra.* Gustus sentit humiditatem aquosam, quæ inter naturam vaporis, & terræ media est in subtilitate. Ideoque primi organi eius natura, id est linguæ, rara facta est, & spongię similis humiditatum saporiferarum naturæ configurata. Venit autem ad linguam à cerebro neruus vnus ex tertio neruorum pari, qui in eam distribuitur, & sensum gustus ministrat. Saporifera namq; res cum ad linguam peruenerit, eiusque humori obuiauerit, quæ cuius saporis est, operatur in ea, linguæque natura mutatur in illius naturam. Neruus ergo qui ad linguam venit, mutationem illam sentit, & ad mentem defert, sicut in omnibus aliis sensibus fit.

Modus gustandi.

De obiecto eiusdem.

CAP. LXXII.

ARistoteles *in lib. de sensu, & sensato.* Omnino sapor est passio nutrimenti. Odoris autem, & saporis eadem est fere passio, quia scilicet ex eisdem primis qualitatibus, non tamen in eisdem, quia scilicet flores odorant delectabiliter, sed non ita sapiunt. Manifestius autem saporum est genus, quàm odorum, cuius causa est, quia peioré habemus odoratum cæteris animalibus, & ipsis sensibus, qui in nobis sunt, Tactũ verò discretissimũ animalibus cęteris, & gustus est quidam tactus. Frigus, & conglutinatio sapores hebetãt, & olfactus destruunt. Calidum enim quod mouet, & generat auferunt. Nutritiui quidem passio sapor est, id est sicci commixti cum humido, quoniã nec siccum absq; humido, nec humidum absque sicco. Et omnia quidem dulci nutriuntur vel simplici, vel commixto: sicut enim medij colores albi vel nigri commixtione sunt, & sic sapores à dulci, & amaro. Et qui delectationem faciunt, hi commixti sunt. Calidum autem augmentat, & consumit nutrimentum, & leue quidem attrahit. Amarum autem, & salsum propter grauedinẽ relinquit. Natura aquæ insipida est, sola & incõmixta nõ nutrit. Subtilissimumque omnium humorum est etiam in ipso oleo. Sed protenditur oleum plus aqua, propter lubricitatem, aqua verò tennior est. Quare & grauius est eam in manu seruare, quam oleum. Sapores omnes crassitudinem habent, calidum autem cõcrassatiuũ est. Vnde & aqua calida apparet incrassata.

Sapores omnes ex mixtione dulcis & amari.

Idem in lib. de anima. Gustus est quidam tactus, & ideo non comprehendit suum sensibilẽ per medium, quod sit corpus extraneum, sicut nec tactus, sed per medium, quod sit pars animalis. Econtrario vero est de sensibus cæteris, sicut autem est color visibile, sic sapor est gustabile, nihilq; recipit sensum saporis sine media humiditate, vt salsum quia liquidum est, & liquefactiuum linguæ, quia scil. dissoluit humores, qui sunt in lingua. Porro lingua non sentit, cum sc. aut sicca valde fuerit, aut valde humida, velut si quis prius gustauerit fortem saporem, & deinde alterum. Tunc enim non sentiet saporem secundum propter dominium primi super lingua. *Arist. vbi supra.* Laborãtibus, id est ęgrotis omnia videntur amara, quia sentiunt eã

Quãdo lingua non sentit.

per

per linguam in humore tali,id est amaro submersam. Omnia verò tãgibilia sentimus per linguam, & etiam saporem. Est autem fames appetitus calidi,& sicci. Sitis vero frigidi,& humidi. Humor autẽ dulcedo quædam horum est. *Auctor.* De saporibus quoque plenius dictum est supra in tractatu de proprietatibus,& effectibus aquæ.

De medio eiusdem sensus.

CAP. LXXIII.

Obiect. ALbertus. De medio in gustu videtur,quod nõ sit humidũ aqueum, quia dicit philosophus hoc esse insipidũ. Vnde sicut aer se habet ad colorẽ,quod est medium in visu, quia nullius coloris est, sed susceptibilis est omnium colorum, ita se habet ad sapores humidum aqueum, & ita videtur in gustu medium. Idem etiam videtur per Auicennam dicentem, quod gustus eget medio,eo sc.quod recipiat saporem,& sic in se non habens saporẽ,& hoc est humor saliuæ,quæ prouenit ex instrumentis salivalibus. At vero econtra ponamus, quod aliqua saporosa per se sint humida sicut vinum, & huiusmodi cætera. Hæc itaque per se possunt ad linguam penetrare.& sic non indigent humido saliuali, quod videtur in gustu medium esse.

Resp. Nos autem dicimus,quod medium in gustu est medium aqueum, aut ex instrumentis salivalibus ab extrinseco sumptum. Est autem medium,& materia, nõ medium tantum sicut aer in auditu medium est audiendi,& materia soni, & non sicut in visu per mediũ est tantũ & non materia caloris. Ob hoc dicit Auicẽna,quod videtur sibi mediũ esse, ad hoc vt sapor facilis coniungatur cũ lingua sine quo si posset sapor linguam penetrare,immutaret neruũ gustatiuũ linguæ.

Quæst. *Quærit autem Auicenna.* Vtrum humor,scil.aqueus saporẽ recipiat in commixtione partium rei saporosę, vel sine illarum commixtione, videlicet tantum per saporis immutationem, quia humidum ipsum immutat,sicut color aerem. *Resp.* *Nos autem dicimus,* quod sapores non generantur in aliquo tantum ex humido, sed oportet plures causas esse.Ideoque ad hoc vt fiat actu saporosum, oportet quod partes saporosi commisceantur humido.

Qualiter gustus sit quidam tactus.

CAP. LXXIV.

QVia vero dicit philosophus in libro de anima,& libro de sensu sensato, quod gustus est quidã tactus.Dicẽdum est, quod gustus accipitur duobus modis,sc.secundum quod sensus est alimẽti, vt in multis locis dicit philosophus,& sic gustus est quidam tactus quadruplici ratione.Quarũ prima est sumpta ex parte obiecti, quod est alimentum. Cum enim alimentum nutriat per substantiam, sicut dicit in primo de generatione, & corruptione, oportet quod substantia alimenti tangat illud, quod nutritur. Cum vero nõ nutriat nos,nisi ex quo sumus,oportet quod ipsum sit cõmixtũ ex frigido,calido, humido,& sicco,sicut & nos commixti sumus. Cum ergo sic tangat per substantiã sine medio extrinseco,& immutet per calidum humidum frigidum,& siccum,quę sunt qualitates tangibiles,patet quod ex parte obiecti gustus,quidam tactus est. Secunda ratio sumitur ex parte materię, quæ est medium gustabilium,hoc est humidum aqueũ, quod est insipidum. Et cum hoc sit vnum tangibilium, erit gustus secundum hoc quidam tactus. Tertia ratio sumitur ex parte modi gustandi, non enim gustatur aliquid nisi habendo humidum linguæ coniunctum cũ vltimo rei gustatæ.Cum ergo illa se contingant,vt habetur in 5.Physi. quorũ vltima sunt,simul patet quod ex hoc modo gustandi gustus tactus quidã est. Quarta ratio est,quia gustus est tactus in quibusdam membris,sicut in lingua,& palato. Tactus autem est in omnibus membris corporis. Et ideo dicitur quidã tactus, quasi tactus particularis. Accipitur etiã gustus secundum quod est iudicium saporum. Et secundum hoc gustus nullo modo tactus est. Et quia per obiectum, quod est definiens sensum, sic distinguitur à tactu, ideo gustus ponitur vnus quinq; sensuum,& è diuerso à tactu diuisus.

Probatur gustum esse tactum in aliquo sensu.
1. 2. 3. 4.

Qualiter iuxta cor sit instrumentum gustus, & tactus.

CAP. LXXV.

ARist.in libr.de sensu, & sensato. Itaque gustus est quædã species tactus, vnde iuxta cor est instrumẽtum vtriusq; sc.gustus & tactus. Cor enim cerebro est oppositum,& est calidissimum partium. *Alber.* Cõtra hoc videtur esse sententia omnium pene auctorũ, qui communiter dicunt neruos sensibiles oriri à cerebro,sicut spiritum animalem, & gustum esse in neruo expanso in lingua. Hoc etiam probat experimentum, quia sc.in lingua sentimus sapores,& non circa cor. Si fortè dicat aliquis, quod gustus est alimenti sensus, quod digeritur à calore cordis & habet differentias tactus. Ideoq; dicuntur circa cor instrumenta sua gustus,& tactus. Econtra dicit Gal quod digestio fit à calore qui est in hepate, & ibidem est virtus digestiua. Secũdũ hoc ergo magis debet dici,quod gustus,& tactus habeãt instrumẽta sua circa hepar,quã circa cor. *Difficultas.*

Resp. Nos itaque dicimus,quod duobus modis accipitur gustus. Vno modo secũdum quod est iudicium saporum,vt dicit Arist.in 3. Ethic. Et secundũ hoc neruus gustatiuus principiatur à cerebro, & expãditur in lingua, & palato, & sic non habet instrumentum circa cor. Alio modo secundum quod est sensus alimenti, & sensus cõmixti ex calido, frigido, humido, & sicco. Et quo ad hoc habet instrumentum suum circa cor.Et per omnem eundem modum distinguimus in tactu, sc. secundum quod iudicium est tangibilium, vel secundũ quod ipsum tangens nutritur tangibilibus.Sed de tactu infra dicetur. Ad hoc autem quod obiicitur in contrarium, respondeo secundum Auic.quoniam in veritate est quædam præparatio ad digestionem nutrimenti in hepate,vt dicit Gal.& Arist. non cõtradicit. Sed illa præparatio non potest facere, vt illa materia possit esse cibus,antequam recipiat formam à calore cordis,quia sicut cor formale principium est,& effectiuum vitæ in omnibus membris, ita est formale principium nutrimẽti.Sed tamen in stomacho quædã est præparatio, ad hoc, quod separatur succositas prisanaria ab impuro efficiendo,quia succositas per venas quasdã,quæ meseraicæ dicuntur, attrahitur ad hepar, & ibi accipit præparationem vlteriorem. Completiuam autem formam sibi accipit à calore cordis,& quo ad hoc tactus, & gustus dicuntur habere instrumenta sua circa cor.

De diffinitionibus tactus.

CAP. LXXVI.

Tactus quid. AVicen. Tactus est vis ordinata in neruis cutis totius corporis, & eius carnibus, ad apprehendẽdum id, quod tangit illud, & afficit cõtrarietate permutante complexionem,& affectionem compositionis. *Algazel.* Sensus tactus est vis diffusa per omnem carnem, & cutem, per quam apprehenditur calor, & frigiditas, humiditas, & siccitas, durities ac mollities, asperitas, & lenitas, grauitas & leuitas. *Iohannes Damascenus.* Tactus est sẽsus,qui fit missis à cerebro neruis ad totum corpus, vnde tactus fit à toto corpore, præter ossa, & neruos, & vngues, & cornua & pilos, & alia quędam talia. *Albertus.* Prędicta diffinitio Auicennæ videtur falsa per hoc, quod tangit Aristo in 2. lib. de anima, quod sicut anima sensibilis perfectiõ est totius corporis sentientis, ita partes eius sunt partium perfectiones. Cum enim tãctus sit pars animæ sensibilis secundum hoc erit perfectio partis corporis, & ita non erit vis ordinata in neruis cutis totius

corpo-

corporis,& in omnibus carnibus corporis ſentiẽtis. Aliter autem econtrario videtur tactus non tantum in neruis, & carnibus,ſed etiam in aliorum ſenſuum organis ordinatus, quia fundamẽtũ eſt ad omnes sẽſus.

Duo ſunt de ratione tactus.

Nos autem dicimus, quod tactus habẽt duo de ſui ratione. Vnum,ſcilicet quod eſt tangibilium iudiciũ, & ſic eſt potentia, & pars ſenſibilis animæ. Alterum vero eſſe ac perfectio à qua ſumitur ſermo diffinitiuus animæ ſenſibilis,& ſic nõ eſt pars eius, ſed eſt id quod conſtituit ipſam, & facit eſſe ſenſibilem animam. Et hoc patet duplici ratione. Vna eſt neceſſaria, ſcilicet quod poſito tactu ponitur animal. & econtrario deſtruitur tactu deſtructo. Non ſic autem in alijs ſenſibus,niſi tantum in gũſtu,ſecundum quod eſt quidam tactus. Cum ergo (vt dicit Auicẽna) propter ſenſum animal ſit animal, tactus erit ſenſus, propter quem animal eſt animal. Cumque ſenſibile diffinitiuum ſit animalis,tactus erit ille ſenſus à quo eſt sẽſibile,quod animal diffinit Et hoc eſt, quod dicit Ariſtoteles in ſecundo de anima, viuere propter hoc principiũ, ſcilicet vegetabile ineſt viuentibus ideſt plantis. Animal autem viuere eſt propter primum ſenſibile. Senſuum autem primo ineſt omnibus tactus. Alia ratio eſt per ſimilitudinem, ſicut enim in partibus animæ vegetabilis generatiua eſt à qua ſumitur eius diffinitio,& eſt ipſius perfectió, eo quod vnumquodq; dicimus perfectum,dum facere poteſt ex ſe tale alterum quale eſt ipſum, ſic eriã in partibus animæ ſenſibilis tactus eſt eſſe ac perfectio eius ſecundum genus ſuum, eo quod animal perfectam animalis naturam habere dicitur, cum habet tangendi ſenſum. Cum itaque tactus ſit perfectio totius animalis oportet ipſum eſſe nõ tantum in organo vno,ſed in omnibus partibus corporis, & hoc ſecundum aliquem modum, quia fundamentum eſt aliorum ſenſuum. Si autem quęritur, quæ ſit differentia complexionis, & compoſitionis, quæ ponuntur in diffinitione tactus. Dicendum eſt ſecundu Auicennam,quod cõplexio refertur ad cõplexionem membrorum ſimilium, ſcilicet carnis, & oſſis ac nerui, & venæ, & talium. Compoſitio autem refertur ad compaginationem membrorum diſſimilium, vt manuum, pedum & talium. Et ſic patet, quod compoſitio ſuper complexionem addit, &c.

Quòd tactus non ſit plures ſenſus, ſed vnus.

Cap. LXXVII.

EX hoc autem quod probat Ariſt.in ſecundo li.de anima,non eſſe ſenſus præter quinq;, conſtat tactum vnicum ſenſum, & non plures eſſe. Cõtra quod tamẽ videtur eſſe rationes in eodem li ab ipſo poſitæ.

Prima ratio ad probandũ tactus eſſe plures.

Quarũ prima eſt hæc. Omnis ſenſus videtur eſſe cõtrarietatis vnius,vt viſus albi, & nigri. Auditus grauis ſoni. & acuti. Guſtus dulcis,& amari. At in eo, quod poteſt tangi multę contrarietates inſunt, ſc.calidũ frigidum, & humidum ſc.& ſiccum,durum & molle,& huiuſmodi. Ergo tactus non eſt vnus ſenſus. Si fortè dicatur, quod in aliis ſenſibus multæ ſunt contrarietates,vt in voce non ſolum acuitas, & grauitas, ſed & magnitudo,& paruitas,& aſperitas vocis. Et in viſu ſimiliter non ſolum album, & nigrum, ſed etiam clarũ, & obſcurum. Oſtendit Ariſt. quod omnes illæ cõtrarietates,quę ſunt in auditu.& viſu,reducuntur ad vnũ ſubiectum,quod eſt genus proximum,& in auditu ad vocem, & in viſu ad colorem. Et propter vnitatẽ generis illius, dicitur viſus vnus, & auditus vnus. In tactu vero contrarietatis reduci non poſſunt ad vnum proximum genus. Ideoq; tactus erunt plures.

2. ratio.

Item Auic. Multæ inquit tangendi virtutes eſſe videntur quarum vnaquęque contrariorum vni appropriatur. Nos itaq; dicimus, quod in ratione duplici eſt tactus, videlicet in ratione potentiæ, & partis, & ſecundum quod iudicium tangibilium eſt. Et in ratione formæ animalis ſecundum quod animal eſt. Propter hoc ipſe ſolus inter ſenſus plurium contrarietatum eſt,cum tamen ſit vnus ſenſus ſecundum quod forma eſt Sicut enim generatiua in plantis quę perfectio vegetabilium eſt, non eſt in vna parte corporis plantæ, ſed determinat totum ſicut eſt forma totius exiſtẽs in radice,ſtipite,ramis,& virgis,nec eſt ſecundum vnum modum, ſed potius ſecundum multos,generans folia, ramos,virgas,fructus,ſemina & plantas,ſic tactus,qui forma perfectiua eſt animalis, & non eſt pars niſi per comparationem ad opera ſpecialia, ſicut etiã eſt pars generatiua vegetabilis. Nõ eſt ergo tactus in vna parte corporis animalis,ſed in omnibus ſecundum aliquem modum,vt infra dicetur,nec eſt vno modo,ſed pluriũ contrarietatum apprehenſiuus,ſc.omnium illarũ,quę determinãt ipſũ corpus,ſc. quod eſt organum tactus.

Dicimus ergo, quod tactus eſt ſenſus vnus ſecundũ quod eſt forma. Eſt tamen plurium contrarietatum ſecundum opera ſpecialia. Nec eſt ſimile de tactu, & aliis ſenſibus. Vnde non ſequitur:ſi alij ſunt cõtrarietates vnius in genere, quod & tactus debeat vnius eſſe. Ad verbum Auicennæ reſpondemus,quod reuera plures virtutes paſſiuę videtur eſſe tactus,ſed eius paſſio reducitur ad paſſionem organi ſui,quod eſt corpus animatum,& tunc illud virtute quidem eſt plura, ſed actu vnum.Sicut omne mixtum eſt potentia plura,& actu vnum.

Soluuntur rationes dicta.

De proprietatibus eius.

Cap. LXXVIII.

Tactus primo ineſt ſenſuum.

A *Riſt. in li. de anima.* Tactus quidẽ ex ſenſibus primo ineſt omnibus animalibus,& ſicut vegetatiuũ à tactu,& ab omni ſeparari poteſt, ſic & tactus ab aliis ſenſibus,vnus quidem ſenſus vnius contrarietatis eſſe videtur,vt viſus albi,& nigri Auditus grauis, & acuti. Guſtus quoque dulcis,& amari. In eo vero quod tangi poteſt,multæ ſunt contrarietates,vt calidum,& frigidum,ſiccum & humidum, molle. & durum, & huiuſmodi. Omnia vero,quæ tangi poſſunt ſentit lingua ſecundum eandem partem, & etiam humorem. Itaq; ſenſus alimenti tactus eſt, ſiccis enim & humidis, calidis,& frigidis alũtur omnia viuentia. Horum autem ſenſus tactus eſt,ſc.per ſe.ſed aliorum ſenſibilium per accidens. Nihil enim in alimentum cõfert ſonus, nec color,nec odor. Fames autem & ſitis ſunt appetitus illorum, vt ſupra dictum eſt. Iterum guſtus, & tactus propè ſunt,alia vero à longe. Et omnia quidem ſentimus per medium, ſed in his latet ſc. in tactu, & guſtu. In his enim medium eſt caro,ſicut aer,& aqua in viſu, & auditu, & olfactu. Nam cum ſenſibilia poſita fuerint ſupra ſentiens non ſentiet omnino. Caro autem, ſentit,cum aliud ſuper ipſam poſitum fuerit. Caro ergo medium eſt eius,quod tangi poteſt, non ſcil. quaſi inſtrumentum vel organum. Senſum quidem tactus habet homo certiſſimum, cum in cæteris animalibus multis deficiat. Ideoque ſubtilior eſt, & diſcretior omnibus animalibus: propter hunc namq; ſenſum videmus homines ingeniolos, & non ingenioſos eſſe; fortes enim,ideſt duros carne videmus indiſcretos, molles autem carne diſcretos vel intelligentes *Idem in tertio li.* Sine tactu quidem nec vnum alium contingit habere ſenſum. Omne namque corpus animatũ poſſibile eſt tangere, & animalia neceſſario moriuntur, quando carent hoc ſenſu. Propter hoc etiam alia quidem ſenſibilia,vt ſonus,color,& odor,excellentiis ſuis non corrumpunt animal,ſed corrumpunt inſtrumẽta ſenſus, niſi hoc ſit per accidens, vt ſi cum ſono ſimilis fiat magna percuſſio. Eorum vero, quæ tangi poſſunt excellentia,ſicut calidorum,frigidorum,& durorum, corrumpit animalia,quia ſenſus iſte ſc. tactus animali neceſſarius eſt, vt ſit animal. Alios autem habet ſenſus animal,vt ſupra dictum eſt, non propter eſſe,ſed propter bonum, id eſt bene eſſe. Iccirco vero oſſibus, & capillis, & huiuſmodi partibus non ſentimus, quia terreæ ſunt.

Excellens tãgibile corrũpit animal.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De organo eiusdem.

CAPVT LXXIX.

Tactus ineſt omnibus membris neruoſis.

Obiect.

Reſp.

Nota.

Ali vbi ſupra. Tactus quoque fit, ſicut & alij ſenſus ſcilicet immutatione ſentientis in rei ſentitæ naturam, & in continuatione ſenſus illius per neruum ſibi proprium ad mentem, niſi quod cæterorum cuique proprium membrum deputatum eſt. Tactus autem eſt in omnibus membris corporis, exceptis vnguibus & pilis. Nam ad vnumquodque membrum aut à cerebro aut à nucha dirigitur neruus, ad pilos autem, & vngues nullus. Pilorum enim generatio fit ex vaporibus ſiccis, vngues autem extremitatibus digitorum continuati ſunt, & in eorum radicibus ligamenta ſunt ex neruorum genere, quę illos tenent, & aſtringunt. Non autem illis ſenſum, niſi ſolius ligationis loco cõferunt. Guilhelmus de Con. Similis eſt tactus ratio, quæ & guſtus. Cum enim manus vola, quæ vt melius ſentiat eſt neruoſa, alicui calido ſe applicat, aerea ſubſtantia, quæ in illis membris eſt calorem ſibi aſſumit, quem animæ in logiſticam cellulam repræſentat, ſimiliter & frigiditatem. Lene quoque aſperum molle ac durum cæteraſque qualitates ſenſibiles ſecundum tactum. Iſte ſenſus, & ſi manibus, quia per eas frequentius exercetur aſcribitur, omnibus tamen membris neruos habentibus eſt communis. Quæ enim carent neruis, carent & ſenſu.

De obiecto eiusdem.

CAPVT LXXX.

Albertus. Cum autem multæ ſint qualitates ſenſibiles ſecundum tactum ſcilicet calidum, frigidum, humidum, ſiccum, graue, leue, durum, molle lubricum, aridum, aſperum, lene, craſſum, ſubtile, non videntur omnes iſtę ſecundum tactum primò ſenſibiles eſſe. Qualitas enim ſenſibilis ſentitur, quod ipſa eſt. Ideoque non videtur prima ſentire, ſi prima nõ eſt. At vero inter iſtas non ſunt niſi quatuor primæ duæ ſcilicet duæ actiuæ, & duæ paſſiuæ. Ideoque videtur, quod omnes alię conſequentes per actus illarum ſentiantur. Et hoc etiam dixerunt quidam. At contra obiicitur, quod medij colores ab extremis conſtituuntur, nec tamen per extremos ſentiuntur. Præterea quicquid agit actu, hoc eſt actu de neceſſitate. Ideoque videtur ſi cõſequentes agunt in ſenſu actu primarum, quod de neceſſitate ſunt actu primæ. Nos itaque dicimus, quod multa ſunt tangibilia, quę ſunt qualitates miſcibilium vel conſequentes mixtum. Nos enim per corpus ſentimus inquantum eſt mixtum ex tangibilibus. Et probat Ariſt. in primo de generatione, & corruptione, quod nihil pręter qualitates tactus eſt miſcibile per ſe. Per vnum itaque tactum apprehendimus omnes contrarietates tangibilium. At vero omnes prædictæ qualitates ſcilicet quę ſunt miſcibilium vel conſequentes mixtum, non ſentiuntur à tactu niſi prout habent contrarietatem, et motum ad ipſum. Cum autem receptæ ſunt, & quieſcentes, tunc non ſentiuntur. Quod vt intelligatur, repetendum eſt, quod ſupra dictum eſt ſcil. quod tactus eſt forma, & actus animati corporis anima ſenſitiua. Dicit enim Ariſtot. in ſecundo de anima, quod viuere per primum ſenſibile ſentientibus ineſt, quod primum ſenſibile tactus eſt. Cum itaque corpus animatum habeat complexionem in membris ſimilibus, & compoſitionem in diſſimilibus, erit tactus perfectiua corporis forma talis, inquantum ſcilicet eſt cõplexionatũ in ſimilibus, & compoſitũ in diſſimilibus. Dicimus ergo, quod tactus prout eſt actus complexionati corporis agnoſcit ac ſentit omne, quod eſt cõtrarium complexioni, & conueniens illi, prout eſt in motu ad ipſam; & ſic ſentitur calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, & cætera, quæ diſſimilia ſũt complexioni corporis tangẽtis. Ideo autem dico, prout eſt in motu, quia nihil prohibet aliquem calorem innaturalem ſentiri, ſi receptus ſit in complexione quaſi naturalis. Vnde propter hoc heticus calorem ſuum non ſẽtit, quia calor innaturalis naturalem vincit, & factus eſt quaſi naturalis. At econtrario febricitans in febre tertiana mirabiliter ſentit calorẽ ſuum, & tamen minus habet de calore, quam ille, quia non eſt in eo victus calor naturalis, ſed calor febris in motu, & pugna eſt ad calorem complexionis. Porro ſecundum quod tactus eſt perfectio corporis compoſiti in diſſimilibus membris, ſic ſentit omne illud quod eſt diſſoluẽs contiuuationem talis corporis, & quod eſt ipſam conſeruans.

De medio eius.

CAPVT LXXXI.

An caro ſit medium?

Reſp.

Tactus quomodo in cerebro.

Prius natura tãgitur caro.

Quæſt.

QVoniam autem illa tangunt quorum vltima ſimul ſunt, & talia non habent aliquod medium. Idem etiam videtur per Auicennam dicentem, ex proprietatibus tactus eſt, quod inſtrumentum naturale, quod eſt caro aut neruus ſentit ex eo, quamuis non ſit ibi medium aliquo modo. *At contra videtur eſſe* ratio Ariſtotelis in 2. li. de anima, vbi carnem medium eſſe probat. *Dicimus ergo* iuxta ſupradicta, quod tactus habet duplicem intentionem ſcilicet formæ, & potẽtiæ. Et ſecundum quod eſt forma, & perfectio animati corporis, ſic totum corpus habet pro organo, & non vtitur aliquo medio, ſed magis ſentit in partibus illis, quæ magis accedunt ad æqualitatem, & magis participant ſpiritum ſenſibilem, ſicut in neruis carne & cute. Quæ autem recedunt ab æqualitate, & non participant ſpiritum ſenſibilem, ſicut oſſa, & cerebrum, & capilli, & cornua, & vngues non ſentiunt niſi ſecundũ quendam modum vt infra dicetur, ſcilicet inquantum circumpoſita ſunt talia panniculis quibuſdam neruoſis, in quorum diſſolutione ſentitur dolor, ſicut circa cerebrum, & circa oſſa. Cum enim tactus ſit ſicut forma corporis animati, terminat, & complet totam materiam ſuam. Et propter hoc percipit quicquid immutat cutem, & quicquid immutat neruum. Et quod ad hoc principaliter tactus eſt in corde, quod eſt principium totius corporis, & per fila neruorum continet totum corpus.

Secundum autem, quod tactus eſt iudicium, ſic principaliter eſt in loco tẽtabilium. i. in cerebro, licet enim cerebrũ propter ſui ſuperfluitatem & humiditatẽ nullum habeat tactum, tamen ab ipſo diffunditur ſpiritus animalis, qui eſt principiũ ſenſuũ; ſicut dicit Algazel, quia tactus pertingit ad partes carnis, & cutis mediante corpore ſubtili, quod eſt vehiculũ eius, quod dicitur ſpiritus, & diſcurrit per compagines neruorum, quibus mediantibus pertingit ad partes carnis, & cutis. Et hoc eſt corpus ſubtile, quod nec acquirit nec haurit virtutem hanc niſi à cerebro, & à corde, & ſecundum hunc modum neruus virtutem à cerebro, & à corde recipit, carnique & cuti reddit. Immutatio autem à tangibili ſimul tempore fit in neruo, & carne, ſed natura prius in carne. Sicque caro rationem quãdam videtur habere quam non habet neruus, vt videtur Ariſtoteles velle. Ad hoc autem, quod probat Ariſtoteles carnem eſſe medium dicimus, quod reuera maiorem habet medij rationem caro, quã neruus. Sed non eſt medium, quod prius immutetur tempore, ſicut etiam ibidem dicitur ab ipſo Ariſtotele.

Vtrum dolor corporis ac delectatio ſit ſenſibilis ſecundum tactum.

CAPVT LXXXII.

EX his itaque patet ſolutio cuiuſdam quęſtionis ſcilicet de dolore qui ſentitur in ſolutione continuitatis, & de ſenſu delectationis ex aliquo tactu, ſicut eſt in coitu. Vtrum iſta per ſe ſint tangibilia. Nam ſi detur quod per aliud, hoc eſſet per calidum, vel frigidũ, vel humidum, vel ſiccum, quod patet eſſe falſum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nam illæ qualitates in corpore sentiuntur æqualiter.
Resp. Solutio vero continui sentitur in dolore non æqualiter. Dicimus ergo quod tactus non sentit talia, prout est actus cõplexionati corporis, sed prout est perfectio corporis compositi in dissimilibus membris, sic enim sentit dolorem in verberibus,& delectationem in amplexibus. Augmentatur autem in coitu sensus delectationis,eo quod semen subtilissimè neruos tangit. Itaque patet quod sensus delectationis inquantum est delectatio,& doloris inquantum dolor, non est nisi in tactu, vt dicit Auic. Cum enim visus videt pulchrum delectatio non generatur in potentia visiua, quæ affixa est oculo, sed potius in anima apprehendente pulchritudinem rei visę. Et similiter est de auditu & odoratu. Et ideo cætera animalia ab homine non multum ducuntur delectatione colorum, & sonorum,& odorum. Gustus autem quandam habet delectationem,
Tactus per se dolet & delectatur, alij sensus non. sed non est per se ipsius delectationis, sed potius saporis. Tactus autem proprium obiectum habet dolorem & delectationem in sensu, & propter hoc ipse solus per se delectatur & dolet. Alij autem omnes per accidens, hinc est etiam quod dicit *Aristot. in 4. Ethicorum*, quod castitas non est in gustu inquantum iudicium est saporum, sed inquantum est quidam tactus. Delectatio autem cibi non est obiectum gustus, inquantum iudicium est saporum, sed inquantum est quidam tactus. Instrumentum autem tactus iudex est tangibilium dissimilium sibi,sicut & medium index est extremorum excellentium. Et illud instrumentum antequam tangat potentia est sicut tangibile, & cum tangit fit actu huiusmodi.

Solutiones quarundam quæstionum circa tactus sensum.

CAPVT LXXXIII.

EX prædictis etiam patet solutio prædictarum duarum quæstionum,quæ solent fieri circa tactũ,
Quæst. scil. cur homo melioris est tactus cæteris animalibus?
Resp. Et cur carnes molles in tactu bene aptæ sunt mente in ingenio? Homo enim in complexione magis ad ęqualitatem accedit, ideoque minimas tangibilium differentias ab æqualitate recedentes subtilissimè sentit, eo quod habent contrarietatem ad suę complexionis æqualitatem. Similiter carnis mollicies æqualitatem maiorem indicat complexionis, & in nobiliori complexione nobilior est dispositio mentis. Ideoque molles corpore apti sunt mente.
Quæst. Et per hoc etiam patet 4. quæstionis quæ fit à philosophis solutio,scilicet,cur homo tactum habet certiorem,quàm alios sensus. Cętera vero animalia econuerso? In homine siquidem tota complexio corporis
Resp. accedit maximè ad æqualitatẽ,& propter hoc impossibile est, vt partes sui corporis omnino depurentur à natura elementi simplicis: cum ergo organa sensuum aliorum sint de natura simplicis elementi, in homine erunt non omnino depurata,& propter hoc alios sensus habebit hebetiores quam tactum. In alijs vero animalibus quæ recedunt à temperamento, sed magis ad frigus, consequens est vt magis clarificentur in oculis. Etsi magis accedunt ad calidum siccum,consequẽs
Quæst. est, vt magis subtilietur eorum odoratus.
Resp. Vlterius ex his patet solutio 5. quæstionis, quare homo sapientissimũ est animaliũ? Bona enim dispositio in tactu, bonam dicit dispositionem simpliciter & in toto,& inquantum corpus est organum animæ.Sed bona dispositio in organis aliorum sensuum, non dicit nisi bonam dispositionem secundum quid, & in comparatione ad vnam partem tantum animæ. Præterea bonus tactus subtiliter cognoscit causas omnium sensibilium, quæ sunt qualitates sensibiles, sed alij sensus non agnoscunt nisi vnum sensibile tantum.

De sensualitate.

CAPVT LXXXIV.

Hvgo vbi supra. Sensualitas ea vis animæ est, quæ corpus vegetat, & per corporis sensus ista exteriora sentit & discernit. Sensualitas,sensus,& imaginatio,tam corporis quàm animæ dici possunt. Sensualitas corporis est quędam vis ignea. Sensualitas sen- *Sensualitates diuersæ.*
sus est animalitas. Sensualitas animæ est inferior vis eius,quę secum trahens sensualitatem carnis velut famulam obedientem sensus, & imaginationes facit, easque in arca memoriæ reponit. *Auctor.* Differunt autem phantasia & sensualitas, quia phantasia est vis secundum quam apparet aliquid esse bonum aut malum. Sensualitas vero vis secundum quam percipitur esse bonum vt nunc, aut malum. Diuiditur autem propriè ratio contra sensualitatem intellectus, contra phantasiam. Quidam etiam diuidunt sensualitatem sicut & rationem in duas partes,scilicet inferiorem, quæ mouet ad illicita, & superiorem,quæ ad licita & corpori necessaria. Primæ motus pœna est & culpa. Secundæ vero si est moderatus,nec culpa nec pœna. Sed si immoderatus eius est & culpa & pœna. Tripliciter autem accipitur sensualitas, aliquando pro vi sensitiua inferiori, quam vocat Aristot. sensum communem, scilicet virtutem quandam cui creduntur omnia sensibilia, & discernit à singulis singula. Aliquando enim pro vi motiua interiori, quæ intenditur in quinque sensus corporis & appetitus. Aliquando etiam pro inferiori parte rationis, quæ circa sensibilia negotiatur.

De viribus animæ sensibilis interius apprehensiuis.

CAPVT LXXXV.

Avicenna vbi supra. Virium autem sensibilium in- *Sensus interior.*
tus apprehendentium, quædam apprehendunt formas sensibilium rerum, vt sensus interior post exteriorem. Primo enim sensus exterior apprehendit formam,& postea reddit eam interiori. Sicut ouis apprehendit formam lupi, id est figuram & colorem, sed hoc primo exteriori sensu, deinde interiori. Quædam autem apprehendunt intentiones, sc. vt æstimatiua & memoratiua. Quod enim occultæ vires absque sensu apprehendunt, hic vocatur intentio, sicut ouis ex visione lupi apprehendit intẽtionem inimici siue inimicitię, ex qua accidit vt eum paueſcat, & ab eo fugiat, licet hoc non apprehenderit sensus vllo modo. Et talis in- *Cognitio elicitiua.*
tentio aliàs dicitur cognitio elicitiua. Iterum quædam apprehendunt & operantur simul, quædam vero non operantur. Apprehendere operando est de actionibus alicuius virium interiorum aliquas formarum & intentionum comprehensarum cum aliis componere,& aliquas ab aliquibus separare. Apprehendere autem non operando est cum forma vel intentio describitur. in vitium,ita vt in ea non possit aliquid agere vllo modo. Item quædam apprehendunt principaliter,cum sc. forma acquiritur aliquo modo ad inquisitiones, quæ accidit rei per se. Quædam vero secundario cum videlicet apprehensio,vel acquisitio rei est ex alio quod eã induxit. *Iohannes de Rupella.* Virium intrinsecus apprehensibilium quædam apprehendunt sensibiles formas, *Imaginatiua*
sicut sensus communis & imaginatio,vel imaginatiua. *Æstimatiua*
Quædam intentiones sensibilium, vt æstimatiua & *Memoratiua*
memoratiua. Item harum & illarum quædam apprehendunt, & operantur, vt sensus communis, excogitatiua,æstimatiua. Quædam apprehendunt, & non operantur,vt imaginatio, & memoratiua. Item quædam principaliter,quædam secundario. In apprehensione formarum sensibilium principaliter apprehendit sensus cõmunis cum sensibus exterioribus. Secun- *Sensus communis.*
dario vero virtus imaginationis,& virtus imaginatiua. Similiter in apprehensione sensibiliũ intẽtionum principaliter apprehendũt virtus ęstimatiua,siue memoria.

De numero eatum & ordine.

CAPVT LXXXVI.

Phantaſia prima.

Imaginatiua ſecunda.

Cogitatiua tertia.

Æſtimatiua quarta.

Memoratiua quinta.

Avicenna vbi ſupra. Itaque virium ſenſibilium intus apprehendentium prima eſt phantaſia, quæ eſt ſenſus communis. Et eſt vis ordinata in prima concauitate cerebri, per ſe ipſam recipiens omnes formas, quę quinque ſenſibus imprimuntur eiſque reddũtur. *Secunda eſt imaginatio,* vel imaginatiua, quæ eſt vis ordinata in extremo anterioris concauitatis cerebri, retinens quod recipit ſenſus communis à quinque ſenſibus, & remanet in ea poſt remotionem ipſorum ſenſibilium. Non eſt enim eiuſdem vis recipere & retinere. Nam & aqua potentiam habet inſculptiones & depictiones ac figuras recipiendi, non autem retinendi. Itaque ſenſus exterior apprehẽdit formam illic vbi eſt. Senſus autem communis apprehendit eam illic vbi fuit, & quaſi illic eſſet. Imaginatiua vero ſiue formatiua apprehendit & format eam, quamuis deſtructa ſit res quæ iam abijt. *Tertia eſt cogitatiua,* quæ eſt vis ordinatiua in media concauitate cerebri vbi neruus eſt, ſoletque aliquid de eo quod eſt in imaginatione cũ alio cõponere, & aliquid ab alio diuidere ſecundum volũtatẽ. Hæc ſiquidem vis quantum ad animam rationalẽ id eſt humanã ſpectat, cogitatiua dicitur, quantum autẽ ad animam ſenſibilem, id eſt brutalem dicitur imaginatiua operans ad differentiam ſcilicet præcedentis quæ prædicta eſt imaginatiua ſiue formatiua retinens. *Quarta eſt* vis æſtimatiua quæ eſt ordinata in ſummo medię concauitatis cerebri, apprehendens intentiones non ſenſatas à formis & ſpeciebus non ſẽſibilibus quæ ſunt in ſingulis ſenſibus, ſicut in oue eſt vis dijudicans, quod ab hoc lupo ſcilicet viſo per elicitationem inimicitiæ fugiendum eſt, & quod huius agni per elicitationem ſimilitudinis connaturalis miſerẽdum eſt. Videtur autem etiam hæc vis operari compoſitionem & diuiſionem in imaginatiuis. *Quinta eſt vis memorialis* vel reminiſcibilis, quæ eſt vis ordinata in poſteriori concauitate cerebri, retinens quod apprehendit vis æſtimationis de intentionibus non ſenſatis ſingulorum ſenſibilium. Huius itaque comparatio ad vim æſtimatiuam talis eſt qualis imaginationis ad ſẽſum. Et comparatio huius virtutis ad intentiones, qualis illius ad formas ſenſatas, hæ ſunt ergo qninque virtutes animę ſenſibilis intus apprehenſiuæ, quarum prima eſt formam recipiens, ſecunda eam retinens, terra operans, quarta intentiones apprehendens, quinta eaſdem retinens.

De ſenſu communi vel phantaſia.

CAPVT LXXXVII.

Probatur dari ſenſus internos.

Ioannes de Rupella. His autem ſenſibilis interior dicta eſt ſenſus communis, eo quod ipſa ſit principium communis iudicij obiectorum ſenſuum exteriorum. Senſus enim exteriores particulares ſũt, & ſecundum ipſos eſt de ſenſibilibus particulare iudicium. Cum enim viſus neſciat iudicare de ſapore nec de odore, & cæteris per ſe, ſed ſolum de colore, non poterit dicere vel iudicare quoniã color non eſt ſapor, quia de ſapore nihil nouit, & ſic de cæteris. Erit ergo vnus ſenſus communis omnibus, apud quem erit commune iudicium de ſẽſibus omnibus. Præterea ſunt quædam quæ percipiuntur à pluribus ſenſibus, vt magnitudo motus, & quies, numerus &c. per ſe. Sed conſtat quod hoc non eſt per naturam propriam, quia ſecundum illam differunt, & non in aliquo conueniunt, niſi per naturam ſenſus communem exiſtentem in eis vel mouẽtem eos. Eſt ergo duplex natura ſenſus, particularis & exterior, communis & interior. Præterea in ſomno conſopitæ ſunt vires ſenſuũ exteriores, & cõſtat, quod operatur quædam vis interior, eſt ergo vna vis ſenſus interioris, quę eſt cõmunis, ad ipſam enim recurrunt vires particulares in ſomno, & ab ipſa ſicut à formali principio fluunt in vigilando. Item nota, quod hęc vis inquantũ cõſideratur vt natura quædam, dicitur phantaſia, & non eſt obediens rationi. Virtus autem ſenſibilis interior ſubdiuiditur per quinque differentias ſecundum Auicen. Prima eſt phantaſia, quæ eſt communis ſenſus, ſecunda imaginatio, tertia imaginatiua, quarta æſtimatiua, quinta memorialis.

Senſus communis quid.

Senſus autem communis eſt vis ordinata in prima concauitate cerebri, recipiẽs per ſeipſum formas, quæ imprimuntur quinque ſenſibus, & reducuntur. Hæc autem virtus eſt centrum omnium ſenſuum, & à qua deriuantur vt rami.

Cur dicatur ſenſus communis,

CAPVT LXXXVIII.

Cur ſenſus communis ita dicitur?

Dicitur autem hic ſenſus formalis, & communis. Communis ſecundum duos modos, vno modo inquantum communiter habet conuerti ſuper actus ſenſuum particularium, prout dicitur, videO quod audio, & audiO quod video, & videO quod odoro, & ſimilia. Alio modo ſecundum quod habet conferre ſenſibilia diuerſorum ſenſuum, vt confertur album dulci, vel ſapor, quoniam hoc non eſt illud, ſecundum hos ergo duos tactus quorum primus eſt abſolutus, ſecundus comparatiuus, dicitur ſenſus communis. Senſus vero formalis dicitur inquantum format, ſiue formam receptam per exteriorem ſenſum retinet abſentem. Alijs vero placet, vt ſenſus communis dicatur formalis ratione ſuæ formæ apprehenſionis, quę eſt ſenſibilium communiũ, quæ ſunt magnitudo, quies, numerus, &c. *Albertus.* Cum itaque quilibet ſenſuum propriorum recipiat ſenſibile ſibi appropriatum, ſenſus ille non habebit rationem propriam ad quam referantur omnia ſenſibilia, ſed habebit rationem communis. Præterea videtur, quod alia ratione communitatis dicatur ſenſus communis, licet enim color differat à ſapore, & odore, & ſic de alijs, nihilominus tamen habent ſubiectum commune. Idem enim ſubiectum eſt, in quo eſt color, odor, ſapor, ſonus, & qualitates tactus. Cum ergo ſenſus communis per ſe immutetur à magnitudine ſubiecti, quæ commune ſubiectum eſt omnium ſenſibilium, hæc erit quædam alia ratio communitatis eius. Prę terea tertia ratio communitatis eius eſt, quod ſenſus proprij referuntur ad ipſum vt ad vnum centrum omnium ſenſuum, vt dicit Auicenna. Cum ergo id, quod refertur ad plura nõ poſſit eſſe cuiuſlibet proprium, eo, quod proprium eſt, quod vni ſoli conuenit, hæc videbitur tertia ratio eſſe communitatis ſuæ.

Quæ fuit neceſſitas ponere ſenſum communum.

CAPVT LXXXIX.

Senſus proprius non diſcernit cõpoſitionem, & diuiſionẽ

Dicit autem Auicenna, quod nihil cogit nos ad ponendum ſenſum communem, niſi quia nullius proprius ſenſus diſcernere poteſt idem, & diuerſum inter ſenſata per compoſitionem, & diuiſionem. Iccirco inter ſenſata ſenſum communem ponere, qui dicat album eſſe dulce, vel non eſſe dulce, & ita de alijs ſenſatis. Quod autem nullo ſẽſu proprio diſcerni poſſit ſenſibilium compoſitio vel diuiſio ſecundum affirmationem vel negationem, probatur per rationem in ſecundo libro de anima, cuius ſcilicet rationis hæc eſt ſententia, vno aliquo diſcernimus, quia conueniunt, & differunt album, & dulce. Ergo neceſſe eſt, quod hoc ſit aliqua vis animæ. Cum autem conuenientia, & differentia illorum ſentiatur cum præſentia materiæ, ſecundum quod illa ſenſibilia ſunt, illud iudicium non erit phantaſiæ vel alicuius virtutis interioris, quæ ſine præſẽtia materiæ diſcernit. Sed quia tactus diuerſa genera habet ſenſata, quæ etiam ſunt cauſæ aliorum ſenſatorum, ideo poſſet aliquis credere, quod hoc etiam fieret tactu, & ideo probat quod non, quia ſic caro eſ-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſet vltimum vt medium tangendi talia, & tunc non ſentiremus alteritatem talem niſi tangentes, quod patet eſſe falſum, quia ponimus alteritatem inter colorem, & ſonum, quorum ſcilicet neutrum tangimus. Et dicitur hic caro vltimum ex parte tangentis non tangibilis, quia vbi tangentis, & tacti vltima ſunt ſimul, ibi vltimum tangens eſt caro. Ex his autem adhuc dicere poſſet aliquis, quod hoc iudicium nō fieret vno, ſed diuerſis ſenſibus ſeparatis. Et probat quod non, quia tunc ſic fieret, ac ſi ego album, tu vero dulce ſentires. Ex hoc neuter noſtrum ſciret alteritatem. Et fundatur in hoc, quod comparationem ponens inter aliqua iudicat de vtroq; comparatorū quod comparat. Vnde neceſſe eſt, quod vnum, & idem dicat iudicium hoc. Et quia ſimile eſt in intellectu ſpeculatiuo de vero, & falſo, & in practico de bono, & malo & generaliter de diuerſis intelligentibus, ideo inducit concludens quod ſi vnum hinc inde dicit iudicium, quod etiam vnum eſt intelligens, & ſentiens ipſum. Plures etiam rationes ad hoc, quod iudicium diuerſorū ſenſibilium non ſit ſimul in vno ſenſu proprio ponit philoſophus in fine de ſenſu, & ſenſato. Et nota, quod quicquid ſuſcipitur à ſenſu cōmuni, ſuſcipitur à ſenſu proprio, & econuerſo. ſed non eodem modo. Nam ſenſibile proprium accipitur à ſenſu proprio per ſe ac primo. A communi autem per poſterius. Commune vero accipitur à ſenſu communi per ſe ac primo, per poſterius à ſenſu proprio.

Diffinitio ſenſus communis ſecundum Auicennam.

CAPVT XC.

Senſus communis definitio.

SEnſus communis eſt vis ordinata in prima concauitate cerebri, recipiens per ſeipsā omnes formas, quæ qninq; ſenſibus imprimuntur eique redduntur. *Albertus*. Hæc diffinitio data eſt per propriam materiam huius potentiæ, quæ eſt organum eius, & tangitur per hoc, quod dicitur vis ordinata in cerebri prima concauitate. Prima enim cerebri concauitas eſt locus in quo primo congregatur ſpiritus animalis, qui per diſtributionem ad organa ſpecialia quinq; ſenſus operatur. Tangit etiam hæc diffinitio rationem communitatis, per hoc quod dicitur recipiens per ſe ipſam formas omnes. Tangit quoq; rationem proprij obiecti potentiæ huius, per hoc, quod dicitur, quæ imprimuntur quinq; ſenſibus. Nam quinq; ſenſibus imprimuntur primo ſenſibilia propria, & poſterius ſenſata communia. Et debet intelligi dictum Auicennę formaliter. Videlicet, quod ſenſus communis recipit formas, quæ ſenſibus imprimuntur, ſecundum quod ſenſibus imprimuntur. Cumque differentia ſit inter ſenſitiuam, & phantaſma, & imaginationem. per hoc patet, quod diſtinguitur ſenſus communis à phantaſia, & imaginatione cęteriſq; potentijs interioribus. Vnde vbi dicit Auic. phantaſiā eſſe ſenſum communē, large ſumit phantaſiam prout comprehendit ſenſum communē, & imaginationem. Ideoque vocat eam aliquādo ſenſum communem, aliquando imaginationem.

Diffinitio eiuſdem ſecundum Algazelem.

CAP. XCI.

Alia definitio.

Algazel. in ſua Phyſica. Senſus communis eſt ſenſus à quo omnes proprij deriuantur, & ad quem omnis eorū impreſſio renunciatur, in quo omnes coniunguntur, & ſic ſunt quaſi ſuggerentes ipſum. *Albertus*. Ex hoc, quod dicit Algazel, quod à ſenſu communi deriuantur omnes proprij, & per rationem ipſius nominis, quod eſt ſenſus communis, videtur, quod deriuentur ab ipſo, ſicut poteſtatiuæ partes à toto poteſtatiuo. Et ex hoc videtur ſequi, quod nihil aliud ſit ſenſus communis, quàm totum quoddā conſtitutum ab omnibus ſenſibus proprijs. Sicque quod communis ſenſus nihil ſit extra proprios ſenſus. Prętera magis videtur, quod ſēſus communis à proprijs deriuetur, quia ipſe eſt ad quem propria ſenſata referuntur. Et ita ſenſus proprius ſecundum actum priuſquam communis exiſtit. Idque quod apprehenditur à proprio, ad communem tranſit. Cum ergo poſterius deriuetur à priori, videtur ſenſus communis potius à proprijs, quam econuerſo deriuari.

Reſp. Organū ſenſus communis.

Dicimus ad hoc, quòd diffinitio Algazelis datur per rationem nominis ſenſus communis. Senſus enim cōmunis eſt in organo à quo diſtribuitur ſpiritus animalis operans ad organa ſenſuum propriorum. Et hoc tangit cum dicit, à quo omnes proprij deriuantur. Similiter etiam ſenſus communis qui à ſenſibus omniū propriorum ſenſuum in actu efficitur. Et hoc tangit cum dicit, ad quem omnis eorum impreſſio renunciatur. Similiter ſenſatum commune quod eſt ſenſus cōmunis primo ac per ſe, eſt id quod omnia ſenſibilia propria coniungit. Et hoc tāgit cum dicit, in quo omnes coniunguntur, quia ſcilicet per obiectum ſuum omnia ſenſata coniungit. Et quoniam vnum ſenſibile proprium non oſtendit conuenienter ac ſufficienter nociuum, & conueniens animali ſentienti, ex colore quippe non ſufficienter cognoſcitur coloratum, ſic oportet multa componere ſenſibilia, quæ compoſitio eſt ſenſus. Ideo dicit, quod omnes alii ſuggerunt ipſum circa cognitionem ſenſibilem. Ob hoc etiam dicit Auicen. quod cognitio ſenſus proprij non completur niſi per cognitionem ſenſus communis.

Qualiter omnes ſenſus proprij coniunguntur in ſenſu communi.

CAPVT XCII.

VErum ſi omnes proprij ſenſus in communi coniunguntur. Aut coniunguntur in ipſo ſicut partes in toto integrali, quod iam improbatum eſt, aut ſicut in principio per quod conſtituuntur quod etiam eſſe non poteſt, quia prius à poſteriori non conſtituitur, ſed econuerſo. Aut ſicut in eo in quo completur eorum operatio, & ſecundum hoc non eſſet auditus in ſe perfectus, niſi ſonus qui auditur per ſenſuum cōmunem ad colorem ſonantis componeretur. Nec eſſet viſus perfectus in ſe, niſi per ſenſum communem color componeretur cum ſapore, & odore rei viſę, & ita de alijs. Pręterea cum ſuggerere ſit conſulere, conſilium autem quærere non ſit, niſi virtutis inquirentis & componentis ac diuidentis. Senſus autem proprius nihil cōponat & diuidat, vt patet ex prædictis, videtur, quod proprius non ſuggerat communem. Dicimus ergo, quod ſenſus proprij quo ad ſenſata coniunguntur communi. Coniunguntur & in ipſo ſicut in perfectiuo, licèt enim proprius ſenſus nō erret in proprio ſenſibili, tamen ab vno ſēſibili non perfecte cognoſcitur particulare quod eſt ex ſenſu, ſed ex multis, quę, ſc. multa coniungit ſenſus communis. Porro ſuggerere ponitur ibi pro expectatione complementi cognitionis circa particulare quod eſt in ſenſu. Hæc enim cōpletio non eſt in ſenſibili, ſed in omnibus ſenſibilibus quæ inſunt in particulari poſito in ſenſu, ſicut patet in cognitione auri, quod cum ſufficienter non cognoſcitur ex colore examinatur ad tinnitum, & ſonum. Et ſi non ſufficienter cognoſcitur ex his duobus, examinatur ad odorem, eſt enim minoris odoris quàm cuprū. Et ſi non ex tribus his, examinatur ad pondus quod percipitur tactu. Hæc autem ſenſibilia coniungit ſenſus communis.

De organo ſenſus communis.

CAPVT XCIII.

Difficultas circa definitionem.

DE organo communis ſenſus patet ex diffinitione Auicennæ præhabita, quod prima cerebri concauitas ipſa ſit organum ipſius. At contrarium videtur ex verbis eiuſdem Auicennæ, quod organum eius ſit in corde. Dicit enim, quod ſenſus cordis, & præcipuè tactus maior eſt quàm ipſius cerebri ſenſus. Cum ergo ſenſus proprij terminētur ad communem ſenſum, videbitur organum ſenſus communis eſſe in corde,

Concauitas prima cerebri organum ſenſus communis.

ſecun-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Obiect. ſecundum quod tactus terminatur ad ipſum. Præterea dictum eſt ſupra, quod guſtus & tactus habeant circa cor inſtrumenta ſua. Et ita ſenſus communis quo ad iudicium ſaporum, & tangibilium videtur habere circa cor organum. Nos autem dicimus, quod ſicut dicit Auicenna, talis eſt diſpoſitio communis ſenſus, quod principium cuiuslibet virtutis ſẽſibilis eſt ex ipſo, & poſtea redit ad ipſum cum lucro. Cum itaque nerui ſentiendi naſcantur ex prima parte cerebri, eo quod prima pars mollior eſt, & mollicies multum facit ad impreſſiones ſenſibilium. Dicimus, quod organum ſenſus communis eſt in prima concauitate cerebri, quæ plena eſt ſpiritu ſenſibili.

Soluitur obiectio. Ad id autem quod obiicitur in contrarium, eſt dicendum, quod tactus ſecundum quod eſt iudicium tangibilium, & guſtus ſecundum quod iudicium ſaporum eſt, oriuntur à prima cerebri parte, vt ſupra determinatum eſt. Porro ſecundum quod ſunt ſenſus alimenti, ſic habent relationem ad cor, vt à quo principium eſt digeſtionis. Aliter tamen ſoluit Auicenna dicens, quod nihil prohibet quin aliqua virtus oriatur in vno membro, ac perficiatur in altero, & tũc completa reuertatur ad ipſum. Vnde vult, quod virtus ſenſitiua

Virtus ſenſitiua etiam à corde. à corde oriatur, & in cerebro perficiatur, ſicut & virtus nutritiua oritur à corde, & complemẽtum eius eſt in hepate. huic tamen contrarium dicere videtur Auerrois, quia ſenſus communis terminus eſt ſenſuum propriorum, ſecundum quod ſunt in virtute ſẽſibili perfecta. Ideoque organum eius eſt in cerebri concauitate prima.

De obiecto eiuſdem.

CAPVT XCIIII.

Senſibilia cõmunia 5. POrro de obiecto ſenſus communis patet, quod Ariſtoteles in ſecundo libro de anima enumerat quinque ſenſibilia communia ſcilicet motum, quietem, figuram, numerum, & magnitudinem. Vnde poteſt quæri cum locus, & tempus ſint quantitates, quo ſenſu percipiantur locus ſingularis, & tempus ſingulare. Similiter poteſt quæri de oratione. Præterea cum tempus ſit quantitas per ſe, videtur magis eſſe ſenſatum illius cuius eſt quantitatem apprehendere, quam motus qui eſt quãtitas per accidens. Item quies cum ſit priuatio motus, videtur non apprehendi niſi per motum, ſicut nec ſilentium niſi per ſomnum, & ita nõ

Dubia. erit per ſe ſenſatum. Similiter figura cum ſit qualitatis ſpecies, non videtur ad ſenſum communem pertinere, cuius eſt apprehendere quantitates ſingulares.

Reſolutio dubiorum Nos autẽ dicimus, quod ſenſus cõmunis ponitur, vt dictum eſt, propter cõpoſitionem, & diſtinctionẽ propriorũ ſenſibilium. Iccirco multiplicãtur eius obiecta ſecundũ quod per ea poteſt identitatem ponere, vel diuerſitatẽ inter propria ſenſata. Hæc autẽ identitas, vel diuerſitas ponitur in ſenſibilibus conſideratis ſecundum ſe, vel ſecundum fieri. Cognoſcitur enim ſenſibile idem, vel diuerſum vtroque modo. Et ſi cõſideretur ſecundum eſſe, aut ergo erit principium per quod diuerſitas ponitur, & ſic erit numerus, aut per quod identitas ponitur, & hoc modis duobus. Vno modo, ſc. cõmuniter ad ſẽſata intrinſeca, & extrinſeca & ſic eſt magnitudo. Hæc.n. vnit in ſe qualitates guſtus, & tactus, quæ ſunt intrinſecæ, & qualitates viſus, & auditus, quæ ſunt extrinſecæ, & qualitates odoris, quę ſũt mediæ: Alio modo proprie quo ad extrinſeca, & ſic eſt figura: Eſt.n. figura exterior terminatio quanti, in qua vt in ſubiecto vniuntur extrinſeca ſenſata: Si vero ſenſibile prout conſideratur in fieri cognoſcitur idem vel diuerſum cum aliquo ſenſibili per commune ſenſatum hoc erit ſecundum duplicem modum, videlicet potentia, vel actu. Et ſi quidem potentia, tunc erit quies; Si vero actu, tunc erit motus.

Quæſt. Porro ſi quæratur vtrum iſta quinque ſint æquè

A ſenſata communia, dicendum eſt, quod ita. Si autem contra obiicitur, quia dicit Ariſt. in ſecundo de anima, quod motu ſentimus alia omnia: ſicque videtur, quod motus ſit ſenſibile primum, & alia ſint per poſterius ſenſibilia, & ita non erunt omnia æquè prima: Reſpondemus, quod illius verbi duplex eſt intellectus vnus, ſcilicet quod omne ſenſibile non ſentitur ſecundum actum niſi ſecundum quod immutat organum ſenſus, & hęc immutatio eſt quidam motus: ſed iſte non eſt Ariſto. intellectus: alius vero eſt, quod motus alia omnia per ſe coniungit materiæ ſenſibili; hic ergo ſenſus eſt Ariſt. quod motus dat alijs habitum ſentientis, actu tamen vnum ſentietur ſine alio.

Reſp.

Adhuc de eodem.

B

CAPVT XCV.

Tempus. DE *tempore* dicimus, quod reducitur ad motum vt ad cauſam ſuam, & ſubiectum, quod etiam propritas eſt ipſius, & iccirco ſentitur in illo. Locus autem cum ſit ſpecies magnitudinis, ſub magnitudine comprehenditur: lineę.n. menſuratæ intra & extra diuerſas faciant continui ſpecies, eo quod in prædicamentis aliam ſpeciem quantitatis eſſe locum quam lineam, vel ſuperficiem, Ariſtoteles dicit, non tamen faciunt diuerſas ſpecies ſenſibiles. Oratio autem ſecundum materiam eſt corpus, quia, vt dicit Priſcianus. Vox eſt aer tenuiſſimus ictus. Sed ſecundum quod eſt oõſequens motum fractiuum aeris eſt quantitas, quæ eſt proprium ſenſibile auditus. Porro ſecundum quod menſuratur indiuiſibili, quod eſt elementum, vel ſyllaba

Locus.

Oratio.

C ſecundum diuerſos reſpectus, ſic eſt quantitas diſcreta, cuius perceptio reducitur ad perceptionem numeri, licet enim quantum ad ſpecies differentia ſit inter numerum, & orationem. Et ex hoc etiam, quod in numero iteratio eiuſdem vnitatis ſecundum ſubſtantiam conſtituit numerum. In oratione vero nihil idem reiteratur ſecundum ſubſtantiam. Nihilominus tamen numerus prout accipitur ſenſatum commune, nihil aliud eſt quam diuiſio continui, diuiſio autem hæc poteſt eſſe vno modo vel diuerſis, vnde diſcretio numeri ſecundum quod eſt ſẽſatum commune communis eſt ad omnem diuiſionem partium continui, per quam diuiſionem diuerſa cognoſcuntur eſſe ſenſata, quæ ſunt in ipſis. Ad aliud dicendum, quod quies non accipitur hic tantum, vt priuatio motus. Sed etiam prout eſt inſtrumentum per quod ponitur diuerſitas inter duo ſenſibilia, quorum vnum eſt in eſſe, &

D alterum in fieri. Ad aliud dicendum, quod figura ſecundum ſubſtantiam ſpecies eſt quædam magnitudinis, ſed ſecundum eſſe ſpecies eſt qualitatis. Quæ tamen qualitas non eſt niſi circa quantitatem, & ſic reducetur ad prædicamentum quantitatis.

Figura reducitur ad prædicamentum quantitatis.

De actu eiuſdem.

CAPVT XCVI.

Actus ſenſus communis. *Actor.* Actus vero ſenſus communis ſecundum quoſdam eſt apprehendere ſenſibilia communia, quæ quinque ſunt ſcilicet motus quies, numerus, figura, magnitudo. Quorum tria prima communiæ ſunt

E ſenſuum particularium, duo vltima ſunt duorum tantum, ſcilicet viſus, & tactus, vt dicit Themiſtius. *Albertus.* Tres ſunt autem actus ſenſus communis, vt probatur rationibus Philoſophi, ſed non eodem modo conueniunt ſenſui cõmuni. Apprehenſio enim ſenſati ſẽſus communis eſt actus ſuus per ſe, & per illum diffinitur. Apprehenſio autem ſenſati proprij cõuenit ei per poſterius, ſc. inquantum ſenſatũ proprium eſt in ſenſato communi vt in ſubiecto. Sed apprehenſio actuum conuenit ei per accidens, ſc. inquantum vnuſquiſque propriorum reducitur ad ipſum. Sicut enim dicit Auic. omnes ſenſus proprij oriũtur à cõmuni, &

reuertuntur ad ipsum cum lucro. *Philosophus.* Sensus communis habet plures actus, vnus est componere,& diuidere sensata propria cum sensato communi, & adinuicem,& ex hoc actu accidit ei mentiri,& verum dicere. Quando enim ćomponit secundum quod est in re,tunc verum dicit. Quando vero aliter quàm est in re,tunc mentitur,& decipitur, sicut quando componit actum mellis ad sensum fellis, mel esse fel arbitramur propter deceptionem. Porro sensus proprij veri quidem sunt,quia nihil componunt. Et licèt sensus communis moueatur à sensibilibus proprijs, tamen decipitur non secundum quod mouetur ab ipsis, sed inquantum componit sensata propria. Itaque quod præsens est in re simpliciter,ob hoc non deceptio est, sed ab eo,quod sensus communis addit supra rem quod est compositio & diuisio sensibilium.

Sensus communis componit & diuidit.

De imaginatione.

CAPVT XCVII.

Hvgo vbi supra. Quædam autem ignea vis aere temperata à corde ad cerebrum ascendit,ibique colata, & purificata per instrumenta sensuum egrediens ex contactu interiori formata quinque sensus facit. Porro ipsa vis ignea, quæ exterius formata sensus dicitur, eadem formàta per ipsa sensuum instrumenta per quæ ingreditur, & in quibus formatur natura operante introrsum ad cellam phantasticam vsque retrahitur, & reducitur atque imaginatio efficitur, postea eadem imaginatio ab interiori parte capitis ad medium transiens, ipsam animæ rationalis substantiam contingit,& excitat discretionem intantum iam purificata,& subtilis effecta, vt immediatè spiritui coniungatur, veraciter tamen naturam corporis retinens.

Imaginatiua in homine purior.

Quæ quidē imaginatio in brutis animalibus phantasticam cellam non transcendit. In rationalibus autem purior fit, & vsque ad rationalem, & incorpoream animæ substantiam contingendam defertur, & progreditur. Est itaque imaginatio similitudo corporis,per sensus quidem corporis ex corporum cōtactu concepta.atque per eosdem sensus introrsus ad partē puriorem corporei spiritus reducta eique impressa.In summo scilicet corporalis spiritus, & in imo rationalis corporalem informans, & rationalem contingens. Spiritum corporeum voco aerem, vel potius ignem, qui prę sui subtilitate videri non potest,& corpora interius vegetādo viuificat.*Ioannes Damascenus.* Imaginatio est passio irrationabilis animæ,quæ ab imaginabili aliquo fit. Phantasma vero est inanis passio, quæ in irrationabilibus animæ nullo imaginabili facta est, id est,cuius imaginationi non respondet res.

Item de imaginatione,siue phantasia.

CAPVT XCVIII.

Aristoteles in lib. 2. de anima. Omne quod habet sensum,habet & phantasiam,& appetitum,(siue secundum aliam translationem)& desiderium.Est autem imaginatio siue phantasia motus à sensu, qui est in actu siue secundum actum factus. Et hoc quidē sine sensu non fit,sed differt à sensu, quia sensus aut potentia est,aut actus,vt visus,& visio. Sed quandoq; imaginatur aliquid quod neutrum est, vt in somnijs. Item sensus semper est præsens,id est,semper fit cum præsentia rei sensibilis. Imaginatio vero non, sed fit etiam clausis oculis. Præterea sensus quidē veri sunt. Phantasiæ verò plures falsæ. Sine hac quoque, id est, imaginatione non fit opinio, sed differt ab ea, quoniā hęc quidem in nobis est cum volumus, opinio vero non. Item phantasia multis bestijs inest.Opinioni vero fides inhæret, quæ nulli bestiarum inest.

Idem in libr. 3. Phantasia quidem omnis,aut est sensibilis aut rationalis. Sensibilis etiam irrationalibus ineſt animalibus, desideratiua siue cognitiua rationalibus tantum. Eligere namque facere hoc aut hoc,est de actione cognitiuæ,non scilicet imaginatiuæ.*Ibidem in commento.* Omne ergo imaginans, aut habet illam formam imaginatam à qua mouetur ex sensu, aut ex cognitione. In homine quidem ex cognitione mouet, in alijs autem animalibus ex sensu. *Ioannes de Rupella.* Imaginatio est virtus sensibilis interior, quæ secundū ordinem virtutis principium est sensuum exteriorum. Vnde organum ipsius;vt dicit Damascenus, est anterior venter cerebri,à quo sicut dicit Augustinus, originem habent nerui qui sunt organa sensuum exteriorum.Secundum autem ordinem actuum posterior est imaginatio sensibus exterioribus. Nam sicut dicit Damascenus per sensum constituitur passio, quæ dicitur imaginatio.

Organum phantasiæ

De æstimatione.

CAPVT XCIX.

Hæc de imaginatione siue cogitatiua. Consequēter dicendum est de duabus viribus consequentibus sensus internos, scilicet æstimatiua, & memoratiua, Est enim æstimatiua, vt dicit Auicen. vis ordinata sicut in summo concauitatis mediæ cerebri apprehendens intentiones sensibilium, sicut est in oue diiudicante,quod à lupo est fugiendum.Est autem ista virtus transcendens,quia apprehensio sua non est formarum sensibilium materialium, sed immaterialium. Bonitas enim & malitia conueniens & inconueniens vtile,& nociuum in se sunt res non materiales,nec cadentes in sensu exteriori,tamen sunt accidentia sensibilium rerum, & ideo dicuntur intentiones sēsibilium rerum. Horum autem virtus est æstimatiua, quæ est quarta virtutum sensibilium interiorum.

Intentiones sensibilium

Nota ergo,quod æstimatio vtilium,& nociuorum. fit in tribus modis.Primus modus est ex causa vel cautela naturali,sicut accidit in puero, qui cum eleuatur ad standū, & æstimat se cadere, statim adhæret alicui. Et cum oculus alicuius debet purgari à lippitudine, quam statim ille claudit, antequam cognoscat quid sibi accidat ex illo. Et sicut ouis timet lupum naturaliter,& leonem animalia, & aues etiam accipitrem, quia çstimant nociua. Secundus modus est per experientiam, sicut accidit cum animal habuit dolorem, aut delitias ab aliqua re, cuius forma descripta est in virtute formali siue imagmatione. Et intentiones vtilitatis,vel nocumenti descriptæ in memoria. Statim vt apparuerit res illa extra, erit in æstimatione nocumenti & malitię: hinc est, quod canes terrentur à fustibus,& lapidibus, quia æstimant hæc nociua. Alliciuntur ossibus,quia æstimant ea delectabilia. Tertius modus est ad modum similitudinis per proprietatem quandam, sicut cum res habet aliquam formam coniunctam cum intentione æstimationis in aliquo sensibilium, sicut accidit in pomo, cum est coloris coccinei,quod est maturum,& dulce,& ideo cum videmus pomum coccineum æstimamus dulce. His ergo modis fit æstimatio.

Tres modi æstimationis

De memoria & obliuione.

CAPVT C.

Secunda virtus est memoratiua, quæ est vis ordinata in posteriori concauitate cerebri, retinens quod apprehendit vis æstimationis de intentionibus sensibilium. Est autem memoria coaceruatio sensibilis,& intelligibilis.Cum ergo typos,id est formas eorum,quæ opinata est,& eorum, quæ intellexit custodit,memorari dicitur. Oportet autem scire,quoniam intelligibilium susceptio non fit nisi ex disciplina, & naturali ingenio : non enim ex sensu. Nam sensibilia quidem secundum seipsa commendantur memoriæ.

Rememoratio.

Rememoratio autem dicitur memoriæ deperditę obliuione reſtitutio. Obliuio autem eſt memoriæ ablatio. *Hugo vbi ſupra.* Memoria eſt animæ vis accepta retinens, præterita repræſentans, elapſa recolligens. Ipſa eſt conſors,& cooperatrix etiam rationis,quia ſine illa ratio nec ad incognita procedere,nec cognitorum ſcientiam poteſt retinere.

Memoria oratori neceſſaria.

Tullius in libro de oratore. Memoria eſt theſaurus omnium rerum,quæ niſi cuſtos, cogitatis,inuentis,diſpoſitisque rebus adhibeatur, omnia etiam ſi præclara fuerint,in oratore ſunt peritura. *Ariſt.in lib.de memoria & reminiſcentia.* Non ſunt autem idem memoratiui & renunciabiles,ſed vt in multis memorabiles quidem tardi ſunt,renunciabiles vero veloces,& bene diſcentes. Eſt autem memoria non ſenſus,neque opinio,ſed horum cuiuſdam habitus, & paſſio, cum fiat tempus id eſt in relatione ad tẽpus,nec præſentis eſt memoria, ſed ſenſus. Senſu enim neque præteritum, nec futurũ cognoſcimus, ſed tantum præſens. Præſentis ergo eſt ſenſus, futuri autem ſpes, facti vero memoria. Vnde poſt tempus omnis memoria fit id eſt poſt apprehenſionem temporis vel poſt tempus,ſcilicet in quo prius ſentiebatur ipſum ſenſibile. Et ſicut non eſt intelligere ſine phantaſmate, ſic & memoria, quæ eſt intelligibilium non eſt ſine phantaſmate. Accidit enim eadem paſſio intellectui,quæ & ipſi diſcretioni .i. ſenſui communi,quare intellectus quidem ſecundum accidens erit, ſcilicet phantaſmatis. per ſe autem primi ſenſitiui id eſt ſenſus communis, vnde non ſolum in eſt omnibus, ſed & cęteris quibuſdam animalibus. Si autem intellectiuarum partium eſſet non vtique aliorum animalium eſſet.Eiuſdem itaque partis animę ſunt phantaſia, & memoria. In melancholicis autem phantaſmata mouent maxime. Itaque poſſunt reminiſci deficientes intelligẽtia,magis autem renunciabiliora ſunt, quæcunque ordinationem habent aliquam ſicut doctrinæ.

De vi motiua ſenſibili.

Caput CI.

Auicenna vbi ſupra. Anima ſenſibilis, vt ſupra dictum eſt ſecundum primum modum habet duas vires,ſcilicet motiuam & apprehenſiuam. Et ſicut apprehenſiua ſic & motiua duplex eſt,aut quia imperat motui,aut quia efficit motum. Imperans motiua eſt vis appetitiua. Cum enim imaginatur formam quæ appetitur aut reſpuitur, imperat alij motiuę, vt moueat. Sed habet duas partes, vnam quæ imperat vt appropinquet ad id quod putatur neceſſarium, & hæc dicitur concupiſcibilis. Aliam, quæ imperat ad repellendum id quod putatur nociuum, & hæc vocatur iraſcibilis. Aut etiam corrumpens appetitu vincendi. Vis autem efficiens motũ eſt vis infuſa neruis ac muſculis,& trahens chordas,& ligamenta coniuncta neruis verſus principium aut extendens, & relaxans in longum atque conuertens, & econuerſo contra principium. Cumque trahit ſeruit iraſcibili, quia fugitur quod moleſtat. Cum autem relaxat ſeruit concupiſcibili, quoniam appetitur quod delectat.

Imperãs motiua ſenſitiua duplex

Ratio imperat in homine.

Albertus. Concupiſcibilis proprie vis eſt ſenſibilis animæ, cuius proprius finis eſt in ſẽſu delectabile. Imperatque motum ad conſecutionem illius. In homine quidem ratio cuius imperium imperat concupiſcibili, & iraſcibili, eo quod ad ipſam ordinentur, vt legitur in primo ethicorum. Ac in genere ſenſibilis imperat potentia concupiſcibilis, & iraſcibilis, & hoc in omnibus animalibus,quia etiam in homine non de neceſſitate ſequitur imperium rationis, ſed imperat per ſe ipſam ſicut in eo qui à Philoſopho dicitur inabſtinẽs. Et imperare quidem motum dupliciter eſt in anima. Vno modo, ſcilicet imperare motiuę, quæ eſt in neruis & muſculis, vt exequatur motum ad executionem delectabilis. Alio modo affici circa id quod per motum eſt acquiſitum. Et altero iſtorum modorum ſemper imperat motum. Vel dicatur melius quod motus hic motus proceſſiuus non dicitur, ſed potius immutatio corporis ad ſuſceptionem delectationis, quæ concupiſcitur. Vt quando concupiſcentia coitus imperat virtuti membrum extendenti ac ſpiritui ſemen ad genitalia expellenti, & huiuſmodi.

De motiua duplici.

Caput CII.

Ioannes de rupella. Virtus motiua ſenſibilis eſt duobus modis. Nam quædam eſt motiua modo naturali. Quædam vero modo animali, motiuam ſenſibilem; modo naturali dico,quę mouet non ſecundum apprehenſionem, nec eſt ſubiecta imperio rationis, qualis eſt virtus vitalis ſiue pulſatiua. Eſt autẽ hæc vis in corde ſicut in organo, & eſt vis per inſpirationem, & reſpirationem principium exiſtens temperantiæ caloris cordis & corporis. Et notandum quod hæc vis non eſt cuiuſcũque animalis, ſed ſolum animalium perfectorum reſpirantium, & habentium pulmonem. Non eſt enim piſcium huiuſmodi vis nec animalium imperfectorum. Et ratio huius eſt, quia animal perfectum, & reſpirans eſt valde calidum. Calor autem naturalis excellens facit duo, reſoluit enim corpus quantum ad ſubſtantiam, & immutat à propria qualitate naturarum quantum ad accidens. Et ideo in valde calido ſẽſibili conſequuntur duo,deperditio,& intemperantia,

Duæ virtutes conſeruatiuæ corporis,vis nutritiua & vitalis.

Contra, quæ neceſſaria ſunt duo conſeruatiua, vnum reparans, aliud temperans. Et propter hoc adhibita ſunt duo conſeruatiua ſine virtutes cõſeruantes. Virtus nutritiua, quæ reparat deperditum per calorem. Et virtus pulſatiua ſiue vitalis,quæ temperat calorẽ. Quia ergo in piſcibus calor diminutus eſt,quod manifeſtum eſt per hoc, quod ſaluantur in elemento frigido quod eſt aqua. Et etiam in animalibus imperfectis, quod depræhenditur tarditate motus. Et etiam non habent diſpoſitionem cordis quamuis habent aliquid proportionale cordi. Inde eſt, quod calor in eis non eſt diſtemperantiã faciens. Inde etiam eſt, quod carent virtute pulſatiua. Motum autem animale m dico, qui fit per præcedentem comprehenſionem boni vel mali. Neceſſarium eſt ergo eſſe aliquam virtutem aliam ab apprehenſiuis ſenſibilibus, quæ moueat animal. Nam apprehendentes nihil aliud faciunt quàm apprehendere, vel iudicare bonum, vel malum ſiue ęſtimare. Nam neceſſe eſt, quod apprehenſionem boni,vel æſtimationem ſequatur motus ad illud, vel appetitus, ſicut manifeſtum eſt in apprehẽſione boni cibi. Poſt ſatietatem vero non ſequitur appetitus illius cibi,vel motus ad ipſum cibum,qui tamen conſequeretur in hora famis. Relinquitur ergo,quod & vis appętitiua alia eſt ab apprehẽſiuis. Hanc autẽ Philoſophi vocant appetitiuam, theologi ſenſualitatem. Sed ſenſualitatem proprie ſenſibilem appetitiuam ſecundum quod in homine eſt,& habet ordinem ad rationem ex quo ordine poteſt in ea eſſe peccatum, ſcilicet primus motus venialis.

Diſtinctio motiuarum in communi.

CAPVT CIII.

POssvmvs autem diſtinguere communiter motiuas. Nam quædam ſunt motiuæ, quia ſunt diſpoſitiones ad motum. Quædam vero ſunt motiuæ,quia cauſæ facientes motum. Et motiuæ diſponentes ad motum ſunt motiuæ ſecundum quid, ſicut phantaſia, & æſtimatiua. Tam enim æſtimatiua quàm phantaſia ſunt mouentes appetitiuam,inquantum præſentant ſpeciem boni, vel mali conuenientis, vel non conuenientis. Species autem, vel ſimilitudo boni, vel mali præſentata, vel apprehenſa mouet appetiti-

petitiuam. In quantum ergo præſentant imaginationem, boni vel mali, ex qua mouetur appetitus, dicuntur motiuę, hoć eſt diſponentes ad motum.

Motus differens phantaſia & æſtimatiua.

Differenter autem mouet æſtimatiua, & phantaſia. Nam phantaſia mouet ex preſentatione formarū ſenſibilium. Æſtimatiua vero ex præſentatione intentionum ſēſibilium. Formas autem ſenſibiles dicimus colorem, ſaporem, & huiuſmodi. Intentiones vero ſenſibilium, vtile nociuum, conueniens, & inconueniens, delectabile & triſtabile. Motiuæ vero quæ ſunt cauſę facientes motum ſunt motiuæ ſimpliciter, quæ ſubdiuiduntur in appetitiuas, & affectiuas, & motiuas membrorum. Appetitiuæ ſunt imperātes moueri. Affectiuæ, & motiuæ, membrorum exequentes motum. Sed affectiuæ faciunt motum interiorem ſpiritualem. Motiuæ vero membrorum faciunt motum exteriorem corporalem.

De motiuis exterioribus.

CAPVT CIIII.

CONſequenter dicēdum eſt de virtute motiua exteriori, quæ conſequitur ad affectiuas. Eſt autem huiuſmodi virtus infuſa in neruis, & muſculis contrahens ligamenta coniuncta membris & relaxans. Subdiuiditur autem in generaliter motiuam, & particulariter. Generaliter autem motiua fundatur in extrema, vel poſtrema parte cerebri, & capitis, à qua oriuntur nerui motiui ſicut ab anteriori nerui ſenſitiui. Qui nerui motiui ramificantur per totum corpus, & fluunt in lacertis, & muſculis qui ſunt inſerti membris. Et hi ſunt organa virtutis naturalis generaliter motiuę corporis.

Poſtrema pars cerebri rigo neruorum motiuorum.

Particulariter autem motiua ſubdiuiditur per cōtrectatiuam, & progreſſiuam & operatiuam & vocatiuam. Contrectatiuam autē dico, quę principium eſt motus contrahendi & extendendi membra animalis, ex quo non prouenit motus totius de loco ſuo. Sicut dicit Auicenna. Motus animalis duplex eſt, quia eſt motus localis de loco ad locum. Et eſt motus contrahendi, & extendi membra animalis. Impoſſibile eſt enim vt animal habeat ſenſum tangendi, cum non habeat in ſe virtutem motus aliquo modo. Quomodo enim ſciretur habere ſenſum tangendi, niſi videretur in eo aliquis motus fugiendi contactum vnum, & apprehendendi alium. Sic enim videmus in cōchylibus, & conchis ſuis motus contractionis, & dilatationis, & reflexionis, & extenſionis, in partibus eorum, quamuis non diſcedant à loco ſuo, & in hoc cognoſcimus, quod ſentiunt, & ſunt animalia.

Contrectatiua, alias cōtractiua.

Progreſſiua vero vis eſt ſenſibilis, & principiū trāſeundi de loco ad locum. Organum vero huius virtutis eſt differens ſecundum differentiam animalium. Nam quędam gradiūtur pedibus ambulando, vt greſſibilia. Quædam feruntur alijs volando, vt volatilia. Quædam trahuntur coſtis, & ventre reptando, vt reptilia. Quædam vero aguntur pinnulis natando, vt natatilia. Virtus vero operatiua eſt quæ eſt principium operandi ſenſibilibus, & habentibus manus. Organa huius virtutis ſunt manus. In non habentibus vero, aliquid loco manuum, vt os, vel pedes, ſicut in apibus, & araneis.

Progreſſiua

Virtus vocatiua eſt, quæ eſt principium emiſſionis vocis. Nec eſt eadem iſta virtus cū pulſatiua. Pulſatiua. n. ſemper & de neceſſitate, & non ſecundū apprehēſionem mouet, vt natura quædam ſecundū dilatationem, & contractionem cordis inſpirando & reſpirando. Vocatiua vero non ſemper, & de neceſſitate, ſed voluntarie, & ſecundum apprehenſionem. Eſt autem hæc virtus indicatiua affectionum. Huius autem virtutis organum eſt pulmo, & vitalis arteria. Vnde ſola animalia habentia pulmonem, ſermonem emittunt. Hæc de viribus motiuis ſenſibilibus ad præſens ſufficiant.

Virtus vocatiua.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER VIGESIMVSSEXTVS.

De Somno, & vigilia.

CAPVT I.

Vltor. Quoniam autem de sensu, & imaginatione dicta sunt plurima, quorum passiones sunt vigilia, & somnus, ac visiones somniorum, de his omnibus consequẽter ob vitandam præcedentis libri fastidiosam longitudinem, huic sequenti libro reseruauimus latiorem tractatum. *Somnus* itaque, sicut dicit Algazel, *nihil aliud est nisi retractio spiritus ab exterioribus ad interiora. Alpharabius. Somnus est sensus in potentia, vigilia vero sensus in actu.* Item somnus est introitus sensus cõmunis in corpus. Vigilia vero est motus sensus communis instrumento suo extra corpus. Item aliter. *Somnus est ligamentum virtutum, & confirmatio earum. Vigilia vero dissolutio virtutum, ac debilitas earum. Auicen. in lib. de anima.* Vigilia est dispositio in qua imperat anima sensibus, & virtutibus mouẽtibus exterius volũtatem cui non est aliqua necessitas. *Somnus vero est priuatio dispositionis huius, in quo anima cõuertitur ab exterioribus ad interiora. Albertus.* Somnus est quies virtutum animaliũ cum intentione naturalium, vigilia vero est intensio animalium cum remissione naturalium. Item aliter. Sõnus est interceptio primi organi sentiendi ab actu sensus. Vigilia vero est solutio primi organi sentiendi ab interceptione actus sensus. Hę sunt diffinitiones somni, & vigiliæ à magistris datæ.

Somnus quid

Obiect.

Contra diffinitionem Auicennæ videtur quod somnus non sit priuatio illius dispositionis, frequenter enim in somnis, vt idem Auicenna dicit, ad motũ phantasiæ præcipit anima virtuti mouenti & extendenti membra genitalia ad expulsionem superflui seminis, sicut fit in eis qui polluuntur in somnis: præterea sicut dicit Aristo. in lib. de somno & vigilia, quandoque in somnis ad organa gustatiua, scilicet linguam & palatum dulce phlegma stillare contingit à capite, & tunc aliquando somniat dormiens se mel bibere. Hoc autem non contingit nisi propter immutationem quam phlegma dulce in organis gustatiuis facit, videtur ergo, quod somnus non sit omnino priuatio dispositionis illius, in qua imperat anima sensibus exterioribus.

Resolutio.

Nos autem dicimus, quod in somnis imaginatio quandoque præparat imaginationes secũdum inclinationem naturæ ac desiderij. Vnde cuius natura grauata est superfluo seminis, vel qui est in desiderio concupiscentiæ, videt imagines talibus aptas sicut imagines mulierum, & tũc ad illas sicut ad rem mouetur membrum, non ad animæ imperium. Vel potius dici potest, quod virtus generatiua, quæ est in membris genitalibus est naturalis non animalis, & iccirco intenditur in somnis. Cum enim calor recedit ab organis virtutum animalium intenditur interius in organis naturalium, propter hoc etiam accidit, quod homines libidine mouentur in somnis plusquam in vigilijs. Similite, etiam in somno digestio confortatur, & ex digestione semen quod est materia concupiscentiæ ministratur. Porro gustus in somno secundum iudicium saporum non immutatur, quia non est solutus, scilicet propter exiguum motum qui est ad organa gustatiua fit motus magnus in imaginatione, & iccirco somniat homo se mel bibere.

De diffinitione earum Aristotelica.

CAPVT II.

Definitio Aristotelica

EX verbis autem Aristotelis sumitur hæc somni diffinicio *Somnus est immobilitas sensuum, velut quoddam vinculum. Vigilia vero est solutio ac remissio sensuum.* At vero econtra sensus communis non immobilitatur in somno, dicit enim Aristo. in eodem lib. de somno, & vigilia, quod ab organo phantasiæ ad organum sensus communis fluunt phantasmata, & immutant ipsum. Et ne forte dicatur ab aliquo, quod verba prædicta intelligantur de sensibus proprijs, & non de communi, dicit Aristote. quod quidam agunt in somnis vigiliæ opera, quod esse non potest cũ hoc, quod organa sensuum exteriorum sint immobilia: præterea multa sunt amentiarum genera sicut epilepsia & lethargia, & conuersio animæ ad interiora, sicut fit in raptis in quibus omnibus est immobilitas sẽsuum velut vinculum, nec tamen somnus sunt illę amentiæ, nec solutiones earum snut vigiliæ, non ergo prædicta diffinitio conuertitur cum diffinito.

Obiect

Resp.

Nos itaque dicimus quod duplicem habet comparationem communis sensus, vnam, scilicet ad sensus exteriores, quibus influit speciem sensibilem & virtutem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tutem ſenſitiuam, propter quod etiam dicitur ab Auicenna forma, & perfectio ſenſuum particularium. Et hac comparatione ligatur organum eius, ita quod ſomnus eſt vinculum etiam communis ſenſus. Aliam vero ad organum phantaſiæ, & imaginationis, quæ ſitæ ſunt in partibus cerebri, quæ naturaliter frigidæ ſunt, & ideo non immobilitantur frigiditate, quæ in ſomno dominatur. Cumque organum cõmunis ſenſus in hac operatione ſit etiam frigidum per naturam non immobilitatur in ſomnis, ſed immutatur à ſimulacris influentibus à loco phantaſiæ, & imaginationis. Et hoc intendit Philoſophus cum dicit, ſomnum eſſe vinculum quodammodo ſenſuum. Nec idem important immobilitas, & vinculum, ſed immobilitatem ſpecificat per hoc quod dicitur vinculum. Eſt enim immobilitas negationis, & priuationis, ſcilicet potentiæ mouendi & talis non eſt ſomnus. Et eſt immobilitas vinculi, ita quod illo remoto mobilitas redit, & talis eſt ſomnus, quia remota frigiditate grauante ac vinciente organa ſenſuum exteriorum. Quod autem quidam opera vigiliæ agunt in ſomno, non eſt hoc ex ſolutione ſenſuum exteriorum ſimpliciter, ſed quodã modo. Illa quippe ſolutio non fit à naturali calore, ſed ab innaturali, & accidentali, & à phantaſmate fortiſſimè mouente. Senſus itaque in ſomno ſimpliciter ſunt clauſi, tamen ſecundum quid à calore innaturali quandoque ſoluti. At vero vigilia nihil aliud eſt, quã ſolutio ſenſuum ad actus exteriores per reuerſionem caloris naturalis ab interioribus ad exteriora. Et hunc modum tangit remiſſio, quia ſcil ad exteriora mittitur calor iteratò. Porro amentia per cauſam diſtinguitur à ſomno. Nam in epilepſia multus vapor aſcendens ad cerebrum implet neruos ac ſuffocat ipſos, ita quod ſpiritus ſenſibilis & motiuus non poteſt ad organa deſcendere per ipſos. Quo facto remanent organa exteriora inſenſibilia, & immobilia. In ſomnis vero frigus à cerebro deſcendẽs ex vaporibus infrigidatis ibidem propellit paulatim ab interioribus ad exteriora calorem naturalem. Ideoque dicit Ariſtoteles, quod ſomnus eſt quoddam vinculum & non omne vinculũ. In epilepſia namque cæteriſque amentijs accidit ſimile illi, qui apprehenditur in gutture, propter ſtrangulationem enim venarum ac neruorum ac arteriarum ſpiritus ſenſibiles non deſcendunt, ſicut accidit etiam ei qui fortiter ligat brachium circa humerum, tunc enim manus & anterior brachij pars efficitur velut inſenſibilis, & immobilis, remotoque illo redit ſpiritus, & facit quaſi puncturas acus. Spiritus enim eſt ſubtile corpus, & eſt vehiculum virtutum vitalium, & animalium per quod ſenſibiles ac motiuæ inſtrumenta ſua tranſeunt.

Immobilitas vinculi.

Quod ſomnus, & vigilia ſunt paſſiones ſenſus.

CAPVT III.

SOmnus autem, & vigilia ſunt paſſiones ſenſus. Et ſomnus quidem ſicut in prima cauſa efficiente efficitur à vi digeſtiua vapores ad cerebrum eleuante ſed non ſicut à cauſa proxima, & immediata, quæ humiditas vaporibus eleuatis, ad cerebrũ generata, propter frigiditatem enim vapores eleuati ad caput conuertuntur in humiditatem frigidam, quæ propter ſui grauitatem deſcendit ad organa ſenſuum, & oppilat vias ſpirituum, ne fluant in organa ſenſuum, vt dicit Alpharabius, ſicut nubes lumen ſolis impediunt, ne deſcendat in aerem. *Dicit Iſaac in libro de diffinitionibus,* quod ſpiritus mouetur in corpore animato ſicut lumẽ in mundo. Spiritus autem impediti reflectuntur ad interiora vt ad ſuum principium. Eadem etiam humiditas ex frigiditate quam accipit à cerebro, propellit calorem naturalem ab organis exterioribus, & repellit ad ſuum principium id eſt ad locum digeſtionis, & ad cor, vnde repulſo calore vel ſpiritibus exterioribus clauduntur inſtrumẽta ſenſuum ab actibus exterioribus, & hoc eſt ſomnus. Et ſit patet, quod proxima cauſa ſomni, eſt à membro, in quo eſt virtus animalis, ſcilicet quod eſt cerebrum, vel id quod eſt loco cerebri in animalibus cerebrum non habentibus. Et quidem ſpiritus omnes generantur à corde quantũ ad ſubſtantiam ſuæ materiæ, ſed tamen formam accipiunt ad opera ſpiritualia in quibuſdam alijs membris. Ad operationẽ enim nutrimẽti ſpiritus formam accipit in hepate. Sed ad operationem ſenſus, & motus formam accipit à cerebro. Et ad operationem vitæ formam accipit à corde, vnde ſecundũ quod ſpiritus efficit mobilitatem ſenſuum, & organorum proceſſiuorum, formã accipit à virtute animali, quę eſt in cerebro, propter hoc proxima cauſa mobilitatis ſpiritus animalis procedit à cerebro. Ideo ille idem per ſui abſẽtiã erit cauſa immobilitatis. Senſus ergo non eſt cauſa ſomni, ſed eius ſubiectum. Scilicet cauſa efficiens eius eſt abſentia caloris & ſpirituum animalium. Vigiliæ autem efficiens cauſa eſt expanſio caloris, & ſpirituum animalium in organa exteriora.

Spiritus & luminis ſimilitudo.

Vtrum ſomnus, & vigilia ſint paſſiones virtutũ motiuarum.

CAPVT IIII.

VIdetur autem ſomnus eſſe paſſio non tantummodo virium ſẽſibilium, ſed etiam motiuarum. In ſomno etenim organa proceſſiui motus immobilia efficiuntur, ſicut organa ſenſus ab actu ſentiendi claudũtur, & ſic vtrorumque vinculum eſſe videtur. Idem quoque dicit Auicenna expreſſe. Præterea videtur eſſe paſſio intellectus practici, & phantaſiæ, quia hæc duo mouent, vt dicit Ariſt. in 3. li. de anima. In ſomnis autẽ organa motiua efficiuntur immobilia, quę mouentur abintellectu, & phantaſia. Nos autem dicimus quod duplex eſt motiua, quædã ſita eſt in organo, & quędã non. Intellectus enim practicus nõ eſt in organo ſitus, ideoque non immobilitatur per ſomnum niſi per accidens, ſicut nec intellectus ſpeculatiuus. Motiua vero quæ ſita eſt in organo duplex eſt, quædam enim ſita eſt in organo exteriori, quędam in interiori, vt phantaſia ſita eſt in interiori, motiua vero, quæ eſt in neruis, & muſculis membrorum mobilium, ſita eſt in exteriori. Cumque ſomnus nõ ſit niſi vinculum exteriorum, patet quod non erit Phantaſiæ vinculum. Item illa, quę eſt in exteriori organo, eſt duplici modo, quædam autem ſecũdum obiectum ordinatur ad virtutes animales, quæ ſunt intellectus, & phantaſia: & ſenſus, vt illa, quæ eſt in manibus ac pedibus, & muſculis oculorũ, & palpebrarum, & ſimilibus. Et illæ immobilitantur, eo quod fundatæ ſunt ſuper virtutem ſenſibilem, quæ eſt in mẽbris illis. vnde, & primo immobilitatur ſenſus ac per conſequens motus. Quędam autem ordinata eſt ad virtutes naturales, quæ ſunt opera vigilię, ſicut eſt illa, quæ eſt in membris genitalibus, & illa non ſemper in ſomno ligatur, vt ſupradiximus. Ex his patet reſponſio de intellectu, & phantaſia, licèt enim intellectus quandoque non moueat per phantaſiam, nec cũ phanataſia, ſemper tamen mouet per illã, quæ in neruis, & muſculis eſt ſita. Idoque illa immobilitata, & intellectus per accidens immobilitatur. Ad dictum Auicennæ reſpondemus quod ſomnus eſt paſſio primò ſenſus ac per conſequens virtutis motiuæ, probatur enim quia eadem ſunt viæ ſpiritus motiui, & ſenſibilis. Eademque organa vtriuſque virtutis, & quia virtus motiua fundatur in ſenſu.

Dubium.

Reſolutio.

An ſint paſſiones omnium ſenſuum æquæ?

CAPVT V.

VIdetur autem quod ſomnus maxime ſit paſſio ſenſuum illorum qui ſunt cauſa motus, ſcilicet viſus & auditus, & odoratus, qui ſetiunt ſenſibile ſuum longe per medium diſtans, hoc inquam videtur per hoc, quod ſomnus eſt organorum immobilitas, & vigilia mobilitas. Iterũ videtur, quod ſit maxime paſſio viſus, quia dicit Ariſt. quod propter exceſſum

Negatiua probatur.

vigiliæ

vigiliæ accidit languor & debilitas, quæ est causa dormiendi. Somnus ergo præcipue videtur esse illius sensus, in quo maxime accidit huiusmodi languor, hoc est visus. Præterea duo præcipue sunt, quę sensibilitatē offerūt organis exterioribus, scilicet calor & lux. Quod ex hoc patet, quia vigiliæ deputatur tempus diei, quod est calidum, & lucidum: somno vero tempus noctis, quod est frigidum, & obscurum. Si ergo hæc duo, scilicet calor & lux sunt causæ vigiliæ, & absentia eorum causa somni, videtur esse vigilia maxime passio sensus illius, in quo conueniunt ambo. Somnus quoq; passio eius, àquo simul auferuntur ambo, hoc autē est visus.

Affirmatiua probatur. *At econtrario dicit Philosophus*, quod per sensum animal constituitur, cuius, scilicet passio est somnus. Id autem quod animal constituit, non est sensus visus, vel odoratus vel auditus, nec etiā omnes simul. Præterea philosophus dicit, quod omne animal dormit, visus autem non est in quolibet animali.

Respondemus ergo, quod somnus quidem & vigilia sunt passiones omnium sensuum, sed non per se ac primo, licet enim omne animal dormiat secūdum omnem sensum quem habet, tamen sicut non omnis sensus est sensus æquè principaliter, ita passio sensus non est in sensibus æquè principaliter, sicut probatum est. Si vero quæratur, cur non potest somnus ab vno sensu separari sine alio, ex quo non omnibus conuenit æquè primo. *Resolutio.* Dicendum est, quod somnus est passio eius in quo vniuntur omnes sensus sicut in radice & fundamento, & hoc secundum vnum modum est sensus communis, sed secundū alium tactus. Et ideo, quia omnes sensus æqualem habent respectum ad istud, nō soluitur, vnus sine alio. Sic ergo in hoc respectu somnus conuenit per prius tactui vel sensui communi, & per consequens alij. Concedemus itaque quod somnus in comparatione ad finem qui est salus organorū, est æqualiter omnium sensuum, ac maxime visus propter facilem lassitudinem organorum suorum. Est autem lux interior, quæ est in spiritu animali, & calor interior, quæ duo sunt omnium sensuum, sed primo eius in quo fundantur omnes sensus. Et præsentia illorum causa efficiens, est vigiliæ, absentia vero somni. Est etiam lux exterior & calor exterior, quorum præsentia dispositio est ad vigiliam, Absentia vero ad somnum, sed non est causa. Et illa quidem simul auferuntur à visu, nec ideo sequitur, quod somnus primo sit passio visus.

Obiect. Resp. Si autem obijciatur, quod in oculis primo somnus ex descisione palpebrarum deprehenditur. Respondemus, quod hoc contingit ex causis duabus, vnam tangit Auicenna scilicet quod visus altior est inter omnes sensus, Ideoque frigiditas à cerebro descendens tangit eum citius. Ante hunc tamen etiam hebetatur tactus, alia causa est facilius lassibilitas organi visibilis, vnde patet quod per accidens primo deprehenditur somnus in visu. Denique sensus primus quādoque dicitur visus, quandoque tactus, & quandoque sensus communis. Et huius rationem Auicenna tangit, quia, scil. sensus communis coniungitur ad sēsus proprios & formales. Aliam quoque ponimus rationem, quia, scilicet memoria virtus est, quę ex imagine reuertitur in rem, & in illa comparatione prior est sensus communis quam proprius, licet in motu ad animam prior sit proprius quam communis sensus. Vnde sēsus communis est primus sensus secundum actum memoriæ, & reminiscentię. At in lib. de somno, & vigilia, per sensibile primo intelligit Philosophus tactum, cuius propria passio est somnus,

Qualiter sint passiones communis sensus.

Capvt VI.

Dubium. VIdetur autem, quod somnus, & vigilia per se nō sint passiones communis sensus, licet hoc dicatur à quibusdam Philosophis. Non si somnus secundum Aristotelem accidit omni animali, videtur quod sit potius secundum sensum, qui inest omni animali, & hic est solus tactus, vt dicit idem Philosophus. Est ergo somnus passio tactus, & non communis sensus. Si forte dicatur, quod Aristoteles de sensibus exterioribus loquitur, econtra sic obiicitur. Sensus communis est propter duo, scilicet propter collationes propriorum sensibilium, & propter apprehensionem cōmunium. At in animalibus in quibus est solus tactus, non potest esse communis sensus propter collationes sensibilium, eo quod non apprehenduntur ab eis plura sensibilia. Sed nec est in eis propter apprehēsionem communium sensibilium, quoniam illa non apprehenduntur per tactum, non est ergo in eis communis sensus, quia frustra esset in illis. At vero natura nihil facit frustra. Cum ergo dormiant huiusmodi animalia secūdum Philosophum, patet quod somnus non inest secundum communem sensum. Nos itaque dicimus, *Resolutio.* quod sensus communis duplicem habet comparationem, vnam, scilicet ad proprios sensus, alteram ad imaginationem, & phantasiam, & prima comparatione nerui sensibiles, qui determinantur in organis sensuum propriorum principiantur in organo sēsus communis, & ideo frigiditas descendens à cerebro primo tangit neruos sensibiles in sui principio, quod est anterior pars sēsus communis, & immobilitat ipsos, & oppilat non permittendo spiritum sensibilem ad organa sensus communis fluere in neruos sensibiles, & sic somnus est passio sensus communis secundum dictum quorundam Philosophorum. Et hoc est etiam quod dicit Philosophus in primo de somno, & vigilia sic. Quoniam autem inest somnus, sic scilicet secūdum vnumquenque sensum, hoc quidem proprium est, illud vero commune, proprium sicut visus videre, auditus audire, & alijs secundum eundum modum. Est autem, & cōmunis potentia, quę sequitur omnes, quæ, quoniam videt, & audit communiter percipit, & intendit dicere, quod ex quo clauduntur in somno omnes sensus proprij, oportet quod claudantur in sui principio quod est sensus communis, qui confert sensata propria, propter hoc quod ad ipsum omnes proprij recurrunt. Et ita patet quod est sensus vnus proprium habens organum, sicut nos supra ostendimus. Secundum aliam comparationem quam habet sensus communis ad interiores potentias, quæ sunt imaginatio, & phantasia non immobilitatur, & secundum hanc etiā somnus non est passio eius, & sic distinguendo oportet eum procedere, qui vult sequi dicta quorundam Philosophorum qui dicunt somnum esse passionem sensus communis, & aliorum quorundam etiam contrarium asserētium. Si quis autem subtiliter vellet intueri, diceret quod somnus non est passio sensus communis nisi per accidens, scilicet inquantum influit spiritum sensibus propriis, & nō sic, vt immobilitetur proprium organum sensus communis per somnum. *Somnus est passio sensus communis per accidens* Est autem somnus passio, quæ primo vel principaliter inest secundum organum tactus, quod in aliqua parte sui fundamentum est omnium sensuum, scilicet in principio ortus neruorum sensibilium à cerebro. Nam in illo loco concurrunt nerui sensibiles, & fundantur in nerno tactus. Ideoque quando vis tactiua deficit à tangendo in illa parte nerui, necesse est omnes alios sensus deficere.

Cuius loci vel partis corporis sit somnus, & vigilia.

Capvt VII.

SI autē quæratur cuius partis sunt somnus, & vigilia ex parte corporis, dicimus quod sunt trium determinatorum locorum, vt dicit Philosophus differēter, sc. cerebri & cordis & hepatis. Ad somnū exiguntur tria, quorum duo sunt agentia, vnum patiens, & agens. Primū est calor cordis, à quo etiam hepar calorē suum habet. Dicit enim *Auic in li. suo de animalib.* quod principiūvenarū est à corde, & licet virtus nutritiua & digestiua sint in hepate, tn emanāt à corde ad hepar, & calor hepatis est præparās ad digestionē nutrimēti, sed *Tria requiruntur ad somnum, scilicet cor, cerebrū, hepar.*

calor cordis est complementum. & ideo cor simpliciter est digestionis principium, & nutrimenti, sed hepar quodammodo. Et licet hepar trahat primo nutrimentum à stomacho, tamen calor cordis perficit ipsum postquam perfectionem redit ad nutrimentum stomachi, & hepatis, & cordis, & totius corporis. Patiens autem est in hepate, & hoc est nutrimentum tractū à stomacho per venas inuisceratas, quod calore cordis euaporaliter eleuatur ad cerebrum. Secundū autem Auicennam agens est frigiditas cerebri, quę vaporem eleuat ad caput, & conuertit in humiditatem, quæ descendendo grauat organa sensuum, hæc autem tria loca secundum Philosophum sunt principia motus, & sensus: sicut enim habetur in li. de differētia spiritus, & animæ. Spiritus vitalis est à corde, & spiritus animalis à cerebro, sed tamē oritur in corde. Formam vero sensus, & motus accipit à cerebro, & in anteriori parte est vehiculum sensus principaliter, & secundario motus. In posteriori autem est vehiculum motus principaliter, & secundario sensus, Hepar enim est principium motus quantum ad ministrationem nutrimenti. Sunt autem duo sensus, scil. tactus, & gustus: secūdum quod est quidam tactus qui inquantum sunt sensus nutrimenti organa sua habent in corde, vt superius habitum est. Organum enim eorum secundum quod sic consideratur, est complens digestionem nutrimenti, cuius ipsi sunt sensus, hoc autem facit calor cordis, vt dictum est. Sūt etiam quodammodo instrumenta omnium sensuum in corde, non quidem quo ad iudicium suorum sensibilium, sed inquantum nullus sensus sentit sine calore actuali, vt habetur in 2. de anima, & in principio de sensu, & sensato. hic enim calor actualis procedit à principio caloris, quod est cor. Est etiam alio modo organum sensus cōmunis in corde, non quidem quo ad iudicium, sed inquantum suo spiritu, & calore, omnes sensus proprios conducit ad actum. Et iccirco dicit Alpharabius, quod sensus communis est calidum naturale, Spiritum autem & calorem quæque infundit sensibus proprijs non accipit à cerebro vt à primo principio, quia illud frigidum est, sed à corde accipit calorem, & spiritum secundum substantiam spiritus, licet idem spiritus formam motus, & sensus accipiat à virtute animali, quæ est in cerebro, & sic patet qualiter ab his tribus partibus fit motus, & qualiter ab eisdem fit somnus, & vigilia. Sed tamen nullius eorum est somnus, vt subiecti, sed potius sic est organorum exteriorum corporis sensitiuorum, & mobilium. Somnus ergo est à corde vt à primo agente, & à proximo cerebro agente, quod est cerebri frigiditas & ab hepate tanquam à patiente.

De Qualitate somni & eius causa.

CAPVT VIII.

*Prisc*ianus ad Cosdroe regem Persarum. Deliberandum est an somnus calidus sit, an frigidus. Si enim calidus, cur sitim restinguit, & humiditatem auget? Si vero frigidus, cur cibos indigestos ducit, & corpus calefacit, & sudores recipit? Non autem dicimus somnum esse priuationem vigilię, sicut sanitatis infirmitatem, & visus cæcitatem. Quæ enim secundum priuationem inducta sunt contra naturam, & nocitura sūt. Somnus autem à natura inuentus est in salutem animalis: nec minus quam vigilia naturalis. Est enim somnus insensibilitas quędam naturalis, & communis passio animæ, & corporis, quoniam & eorum sensus proprij motus communis. Sensibus autem per somnum silentibus circa nutritiuam animæ partem somnus operatur non indigens ad hoc exteriorum motu. Causa vero somni est extrinsecus intrans esca, & intrinsecus humidorum & calidorum superabundātia. Esca enim in receptiuis existente locis euaporatio in venas efficitur, & inde in caput emittitur, ibique cumulatim grauatas materias accidit iterum reuerti deorsum, & refrigerare calidum, quod est cor, qua refrigeratione facta somnus inducitur. Humidi enim vapores vsque ad superiora implētes circa cerebrum in quod cumulantur quod est frigidissimum omnium, quæ in corpore. sunt, aggrauant caput, & palpebras ac dormire faciūt Digestione autem facta somnus conquiescit, quamdiu enim indiscretus est sanguis, post escæ acceptionem somnus fit. Discreto vero sanguine puriore ad superiora loca collocato. Turbulentiore autem partibus inferioribus insidente, resurgit animal ex escæ grauitate absolutum. Sicut autem esca superintroducta sōnum facit: ex humiditatis abundantia, sic & conceptio interius facta: siue à lassitudinibus, siue etiam infirmitatibus, quæ ex abundantia calidi, & humidi sunt. Esca quidem indigesta inflante ex calore, & repulsa deorsum cumulatim, & calore refrigerante somnus efficitur. Idem enim humidorum ascensio, & iterum refluxio. Dormitio ergo refrigeratio est, causa vero dormiendi calida, quia synodus quædam est somnus intus calidi, & compressio naturalis. Ac per hoc accidunt dormientibus corporalia quidem, & spiritualia, qualia videlicet dicentur infra.

De causis oppositis somni & vigiliæ.

CAPVT IX.

SCiendum autem quòd somnus & vigilia causantur ab oppositis causis agentibus & passiuis, quæ non possunt esse in membro vno. vnde cum causetur somnus à frigido, & humido, necesse est causari vigiliam à calido & sicco, Et cum ista non possint esse in vno membro secundum dominium, necesse est, quod vnum sit in cerebro, & alterum in corde. Cumque animalia non semper dormiant, nec semper vigilēt, necesse est quandoque somni causas vincere, & quandoque causas vigiliæ. Itaque quando vincunt causę somni, quæ sunt calidum agens, & humidum patiens, incipit actio à cerebro ac terminatur in corde, quod cor non potest influere calidum actuale organis sensuum.

Causa vigilia.

Econtra vero causæ vigiliæ sunt calidum agens, & siccum patiēs, & incipit actio ipsarum à corde, & procedit exopilando vias sensuum, ad dissoluendum humidum, ac terminatur ad cerebrum, quo ad hoc quod frigiditas cerebri non potest conuertere vaporem eleuatum ad caput, & humidum frigidum opilans vias sensuum. Et sic patet qualiter principium vigiliæ est à cordis, & finis eius ad cerebrum, Et principium somni à cerebro, & finis eius ad cor, sicut dicit Alpharabius. Idem quoq; dicit quod cerebrum, & cor est causa vtriusque, sed cor est causa prima, cerebrum vero secunda, & hæc duo membra communes habent has duas virtutes, scilicet somnum, & vigiliam. Hoc etiā in parte patet ex prædictis, qualiter, scilicet in somnis cor est agens primum, & cerebrum agens secundum. At in vigilia non est adeo perspicuum.

Cerebrum & cor causant vigiliā diuersimode.

Dicendum est ergo, quod vigilia causatur ex duobus. Causatur enim ex calore actuali, & in illo cerebrum non habet aliquam causam. Causatur etiam à spiritu sensibili, & motiuo, & in illo est cor causa prima per generationem spiritus. Cerebrum autem est causa secunda in eo quod dat spiritui sensus, & motus, sic patet ratio dicti, scilicet qualiter somnus, & vigilia sunt virtutes communes cordis ac cerebri, & cor est in eis causa prima, cerebrum vero secunda. Præterea dicit idem philosophus, quod propter debilitatem cerebri & cordis necessario accidit somnus, & vtrumque illorum est causa in debilitate sui operis, licet cerebrum in hoc sit fortius propter complexionem eius, dicimus itaque quod fortitudo cordis est in emissione spiritus vitalis & motiui in totum corpus. Fortitudo autem cerebri est in emissione spiritus animalis per sensum & motum in totum corpus. Nam vtrumque horum in vigilia exercetur, opus autem vtriusque in somno debilitatur, quia tunc omnes spiritus contrahuntur ad intrinsecus corporis ad locum

Causa sōni.

cum digeſtionis,vt cibus digeratur.Ideoque ſpiritus vitalis effluens à corde in corpus diminuitur, & hæc debilitas cordis vocatur.Similiter ſpiritus animalis effluēs à cerebro ſenſum, & motum diminuit, quod debilitas cerebri vocatur.Cerebrum tamen cuius complexio frigida eſt & humida, fortior ſomni cauſa eſt, quàm cor cuius complexio calida & ſicca eſt.

De diſpoſitione animæ,& corporis in dormiente.

CAPVT X.

In ſomno anima vigilat.

Riſcianus vbi ſupra. Anima in ipſa ſoporationis hora per quaſdam partes actualis videtur,& per quaſdam ſimiles etiam inactualis. Actionis partes ſunt inſpiratio, reſpiratio, viſiones & phantaſmata videre, digerere, & corpus quietum facere. Inactualis autem eſt non ſentire, nec ſcire, nec pedum, & manuum actiones recipere, vnde apparet quaſi dimidiam partem animæ viuere,vigilare, & agere, dimidiam ſopitam & inactualem, & quaſi in morte ſeparatam eſſe. Tunc equidem grauiora, & humidiora, & algidiora patet eſſe corpora, ſanguinem pinguiorem, plus quoque quam in vigilantibus inſpirationem, & cætera plura. Spiritualia vero ſomniari, recordari, ſine omni ſenſu & intelligentia phantaſmatum, & dormientes quam vigilantes contemplatiores & inuentiores nouorum. Grauiora quidem ſunt corpora dormientium propter quietem, veluti enim defectus ſpiritus ex membris fit concumulato calido ad id quod intus eſt.Solutionem autem humiditatis, & grauitatis ſequitur leuigantia, quia ſpiritus, & calor extentus, & inflans in toto corpore facit illud leuius.

Algidiores & grauiores dormientes tur ?

Ex eadem quoque cauſa algidiores fiunt dormientes. Calore enim relinquente, & concumulato ad id quod intus eſt, refrigerantur ea, quæ extra ſunt,ſicque frigidiores fiunt,& ob hoc ſanguis incraſſatur. His conſequens eſt & eſcam facilius digeri,& corpus incraſſati.Circumpreſſum etenim calidum,ac totum interius cumulatum, facile,& cito digerit, ita vt,& nutribiliora, & pinguiora ſint corpora. Nam in vigilantibus operans per ſuum naturalem impetum facit eſcæ mutationem. Vnde & turbulenti ſomni ad digeſtionem non ſufficiunt. Per colationem quoque caloris in ea quæ intus ſunt, pallidiores ſunt dormientes. Formoſitatis enim incrementum in ſanguine caliditas facit, per hoc etiam & ſudant amplius, quia calidum in vnum locum intus conglobatum cito ſoluit carnem, & plus facit euaporationem, ſicque ſudor emittitur non ex toto corpore, ſed circa pectus & collum & caput. Pedes vero calidi dormientium, quia caliditas intus impetum facit, & in id quod eſt deorſum.

Hæc autem accidunt ſomnis, Differenter ad ætates & naturas, & tempora, & horas. Adhuc etiam & à locorum cauſa, & à quibuſdam alijs modis. Somnus itaque digerendo, & nutriendo magis, eſt calidus. Sed quia refrigerari facit quod extra eſt, magis frigidus intelligendus eſt, & quia dormientes dum reſurgimus ſapientes efficimur. Procedentes vero hora minus. Intelligentia namque per refrigerationem, remiſſio vero ex caliditate.

De cauſis efficientibus ſomnum.

CAPVT XI.

Vicenna vbi ſupra. Cum autem in ſomno conuertatur anima (ſicut ſupra dictum eſt) ab exterioribus ad interiora, conuerſione huiuſmodi neceſſe eſt fieri, aut propter laſſitudinem, quæ ab exterioribus contingit. Aut propter ſollicitudinem quæ ex illis prouenit, Aut quia inſtrumenta ipſa non ſunt illi obedientia.

Laſſitudo.

Propter laſſitudinem accidit ſomnus, cum ſpiritus animalis videlicet diſſolutus ac debilitatus refugit ad interiora, & ſequuntur eum virtutes animales. Hæc autem laſſitudo aliquando contiugit ex motibus corporalibus, Aliquando ex curis, Aliquando ex pauore, Siquidem ex vapore ſomnus quandoque accidit,& etiam mors.

Cura.

Propter ſollicitudinem aut curas ſomnus accidit, cum ipſæ curæ ſollicitudinum calefaciunt cerebrum,& humores attrahuntur ad illud, cum enim cerebrum impletur, dormitio propter humorem efficitur. Accidit etiam ex curarum ſollicitudine alia ratione, propter hoc videlicet quod cibaria,& humores cum coniunguntur intus indigent vt adueniat eis ſpiritus cum toto calore naturali,ad hoc vt calor digeſtionem perfectam efficere valeat,vt ob hoc exteriora relinquat.

Inobedientia organorum.

Propter inobedientiam vero inſtrumentorum accidit ſomnus, cum nerui imbuuntur & oppilantur ex vaporibus,& ex cibis qui diffunduntur in eis, & ſpiritus refugit organa mouere propter multam humiditatem. Vigilia vero fit ex cauſis oppoſitis,& ex caliditate & ficcitate,& habita quiete. Ex his etiam cauſis eſt digeſtionis imperfectio,ſpiritus diffuſio,mala diſpoſitio quæ animã impedit & non intus eam permittit, ſed reuocat ad exteriora,ſicut ira vel pauor ex re propinqua,vel cruciatus ex veneno. *Albertus.* Cauſas efficientes ſomni quatuor aſſignat Ariſt. ſcilicet alimenti euaporationem, laborem,ægritudinem,primam ætatem.Quibus à commentatoribus adduntur aliæ duæ, ſcilicet caloris ſubtractio, & ſtudij circa aliquid attentio. Quidam etiam addunt languorem,ſed reducitur ad ægritudinem & laborem.

Quatuor ſõni cauſæ.

De prima eius cauſa, quæ eſt euaporatio nutrimenti.

CAPVT XII.

Euaporatio.

DE prima dicit Philoſophus, quòd ex euaporatione circa nutrimentum fit hæc paſſio. Neceſſe eſt enim quod euaporatum eſt vſquequo impelli, id eſt,vſque ad locum determinatum, qui eſt caput. Deinde conuerti ac permutati, ſicut euriptum, id eſt, vaporem innolutum,ſicut eſt in vento turbinis.Sicut enim in primo calore ſolis eleuatur vapor,& aſcendit vſque ad medium aeris vbi dominatur frigus,quo conuertitur, & inſpiſſatur, ac deſcendit aqua pluuiæ, ſic & in microcoſmo à calore cordis primo eleuatur nutrimenti vapor ad caput, qui frigiditate cerebri reuoluitur ac deſcendit in humiditate frigida,facitque dormire.Item humiditas corpulenta repente ſurſum aſcendit. Cumque ſtat grauat, & dormire facit. Cum enim repente deorſum reuertendo calorem propellit, tunc fit ſomnus, & animal dormit.

Ab hac quidem cauſa inducit tres rationes acceptas à ſignis, quæ inueniuntur in dormientibus. Prima eſt, quòd ſomnifera omnia grauant caput, vt potus & cibi, opium, & mandragora, vinum, lolium. Secunda ratio eſt,quod quando deorſum ferũtur animalia,& dormiũt, hæc videntur pati, quod non poſſunt leuare corpus, & palpebras. Tertia hæc eſt, quod poſt cibaria grauantia caput maximè fit ſomnus. Multa enim ab huiuſmodi cibarijs euaporatio eſt. Dicimus ergo ſecundum Arift. quod primi ſomni cauſa eſt calor intrinſecus circa locum digeſtionis, qui prouenit à ſtomacho, & hepate & corde, & naturaliter reciprocatur id eſt, repercutitur a frigiditate cerebri, ad quod eleuatur, & ſic deſcendit humidum,& frigidum. Et propter hoc ſunt multi motus dormientis,ſcilicet quia eſt euaporatio aſcendens,& humidum deſcendens, & cum deficit euaporatio, ita quod vincitur calidum eius à frigiditate cerebri, tunc infrigidatur,& propter infrigidationem deprimit primo vicina loca cerebro, ſicut palpebras & ſuperiora infrigidantur propter humidum frigidum deſcendens à cerebro. Quia vero frigidum oppilat, propter hoc etiam impedit quandoque aſcenſum euaporationis ad ſuperiora,& tunc calor multiplicatur in interioribus, & expellitur ad inferiora ſicut ad pedes. Et idcirco inferiora & interiora remanent calida ſuperiora & exteriora frigida.

Calor prima ſomni cauſa.

Quod nutrimentum illud, eſt ſanguis.

CAPVT XIII.

Sanguis cauſa ſomni.

SEd tunc quæritur quid ſit nutrimentum quod cauſat ſomnum. Et dicit Philoſophus, quod eſt nutrimentum vltimum, quod eſt ſanguis. Si contra hoc obijcitur, quod omnia nutriuntur ex eiſdem ex quibus ſunt. Sed animalia ſunt ex quatuor humoribus, qui proportionantur quatuor elementis, ergo vltimum nutrimentum ſunt quatuor humores. Item quæcumque æqualiter appetuntur vt nutriant, ab his æqualiter debet nutriri animal, calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, æqualiter appetuntur vt nutriant, ergo ab eis æqualiter debet nutriri animal. Prima probatur ex hoc quod appetitus naturalis eſt nutrimenti. Secunda vero probatur ex diffinitione famis, & ſitis quæ ponuntur in ſecundo de animal. vbi dicitur quod *fames appetitus eſt calidi & ſicci. Et ſitis eſt appetitus frigidi, & humidi.* Item in primo de generatione & corrupt. dicitur quod caro nutrit ſecundum ſubſtantiam. Caro autem non eſt ſanguis, ergo ſanguis non eſt vltimum nutrimentum. Concedendum eſt ergo ad primas rationes Philoſophi, quibus probatur nutrimenti euaporationem eſſe cauſam ſomni. Quod vero quæritur quid eſt vltimum nutrimentum quod eſt cauſa ſomni. Dicendum quod ſanguis animalis licet illud non ſit vltimum nutrimentum membrorum. Digeritur enim ſanguis in extremitatibus venarum & in quolibet membro vlteriori digeſtione, ad hoc quod ſit conueniens nutrimento illius membri.

Obiectiones.

Fames. Sitis.

Reſponſiones ad obiecta.

Ad hoc quod contra hoc obijcitur, dicendum quod licet ſanguis ſit humidus & calidus, ſunt tamen in ipſo potentia omnia quatuor elementa, licet terreſtre & aqueũ dominentur ſecundum materiam. Et ſic patet qualiter mixta ex quatuor elementis nutriuntur ex eiſdem ex quibus ſunt. Ad aliud dicendum quod Ariſtoteles in primo de generatione & corruptione loquitur de vltimo nutrimento membrorum, & exemplificat de nutrimento carnis, hæc enim eſt potentia caro quanta. Sed non eſt ſic de nutrimento quod facit ſomnum, hoc enim eſt adhuc intra venas, & eſt ſanguis cum calida euaporatione, quæ à loco digeſtionis eleuatur.

De hac prima cauſa ſomni quæſtio Ariſtotelis.

CAPVT XIIII.

Dubium.

MOuet autem dubium Ariſtoteles circa hanc primam cauſam, quæ eſt ex euaporatione nutrimenti ſic dicens. Quamquàm, vtique dubitet aliquis quare poſt cibum fortiſſimus ſomnus fit, cum ſit ſomniferum vinum, & alia caliditatem habentia, huius autem non eſt rationale, ſomnum quidem frigidum eſſe, cauſas vero dormiendi calidas eſſe.

Solutiones quatuor.

Ad hoc idem Ariſtoteles ponit quatuor ſolutiones. Prima eſt, quia ſicut venter primo calidus eſt propter cor & hepar, ſed propter cibum frigidum infrigidatur, & poſtea frigus vincitur, ac digeſtio efficitur, ſic & in capite pori ſunt calidi, ſed infrigidantur ex ſubleuata euaporatione cibi.

Secunda eſt, quia ſicut aliquis calido perfuſus, tremit ſubito repulſo ad interius frigido ab exteriori calido, ſic congeſta frigiditas cibi ac cerebri ſubito repellit calidum ab organis ſenſuum, & inducit ſomnum.

Tertia eſt, quia ſicut calor ignis remittitur, cum in eo multa ponuntur ſubito ligna, ſed poſtea conualeſcit per ipſa quando ſunt accenſa. Sic multo cibo remittitur calor naturalis, & accidit frigus, & cum digeritur cibus tunc fit vigilia; cuius probatio eſt, quia quando

A fit multa eleuatio corpulenti ad caput, vincit caſorem, & grauat propter frigus. Ideo homo qui ſolus eſt animal rectum in ſtatura corporis cadendo in ſomno facit alteritatem à vigilia, & poſtea ſomniat ſecundum phantaſiam. At hæc ſolutio non potiit totam ſomni cauſam.

Quarta vero cæteris melior ac verior eſt ſcilicet quod infrigidatio ſolum non eſt ſomni cauſa, ſed etiam cauſa immediata. Cauſa vero mediata eſt calor digeſtiuus. Quod probatur per modum generationis pluuiæ, in qua primo agit calor vaporem eleuans, & poſtmodum frigus illud in aquam conuertens vt ſupra dictum eſt. Probatur etiam per catarrhum qui fluit à capite in fluxu rheumatis, & generatur ex humoribus in cerebro infrigidatis. Vnde quemadmodum inquit humidum quod euaporat ſub ſolis calore, cum venerit ad frigidum locum propter frigiditatem ſuam infrigidatur, & congeſtum rurſus aqua factum deorſum fertur, ſic in eleuatione calidi ad cerebrum ſuperflua euaporatio in rheuma redigitur. Ideoque catarrhi videntur ex capite facti. Nutritiua vero non ægrotatiua deorſum fertur congeſta, & refrigeratur quod eſt calidum in organis ſenſuum

B

Adhuc de eodem.

CAPVT XV.

VIdetur autem quod frigiditas euaporationis nutrimenti non poſſit eſſe cauſa ſomni. Nullum enim ſimile alicui organo ſenſus grauat ipſum, & immobilitat. Omnis quippe laſſatio, & corruptio eſt, à contrario. At vero humiditas, & frigiditas ſunt alicui organo ſenſus ſimilia, ſicut dicit Ariſtote. in libro de ſenſu & ſenſato. Quod infrigidabile corpus eſt oculus, quoniam eſt de aquæ natura, quæ frigida eſt & humida. Præterea caro conſiſtit æqualiter, in quatuor, vel plus ex aqua, & terra. Cum ergo tactus conſiſtat in carne, patet, quòd conſiſtit in eo quod eſt æqualiter ex quatuor vel plus ex aqua, & terra, ſicut habetur in ſecundo de generatione & corruptione. At vero aqua, & terra determinantur frigido. Videtur, itaque quod frigiditas magis facit ad conſeruationem tactus, & mobilitationem, quam ad laſſationem, & immobilitationem. Non ergo fit ex frigiditate ſomnus grauante organum tactus.

C

Obiect.

Dicimus, itaque ad hoc, quòd licèt oculus ſit membrum frigidiſſimum ex natura. Non tamen ſentit actualiter ſine aliquo calido in ipſo expanſo in vigilia. Illud tamen calidum excellit frigiditas ſomni. Porro licèt caro ex quatuor ſit, tamen ſecundum quod in ipſo eſt tactus, complexio eius eſt in calido temperato, ſecundum actum, & ſecundum potentiam vt in ſubſtantia terræ, & aquæ remanet in ea frigidum. Illudque calidum actuale, quod habet frigiditatem ſomni vincitur, & immobilitatur. Sic ergo, vt pluries habitum eſt, infrigidata nutrimenti euaporatio fit cauſa ſomni organa ſenſuum immobilitando.

Reſp.

D

Vtrum euaporatio nutrimenti, ſit in omnibus animalibus cauſa ſomni.

CAPVT XVI.

IVxta hoc poteſt quæri, vtrum tale nutrimentum vniuerſaliter in cunctis animalibus ſit cauſa ſomni. Cum enim nutrimentum ſit prima cauſa eius, videtur participari ab omnibus ſomno communicantibus.

Quod autem hæc prima ſit cauſa ſomni, patet ex hoc, quòd cæteræ cauſæ, vt labor, & prima ætas, & infirmitas, non cauſant eum, niſi per actum nutrimenti. Dicit enim Philoſophus quod labor colliquatiuum eſt nutrimenti ex multiplicatione caloris, quod videlicet

E

Rationes pro parte affirmatiua.

nutri-

nutrimentum eliquatum eleuatur ad cerebrum, & inducit ſomnum. Prima etiam ætas ex hoc, quod in ipſa eleuatur ad ſuperiora nutrimentum grauat caput,& inducit ſomnum. Similiter etiam languor ex laſſitudine, per hoc quod ſubtrahit calor à membris exterioribus, & multipllicatur circa locum digeſtionis, diſſoluitque nutrimentum illic inuentum & eleuat inde ad caput, & ſic inducit ſomnum. Agunt itaque omnes actionem nutrimenti, Præterea omnis cauſa efficiens ſomni, quæ procedit ab illis membris, à quibus procedit ſomni principium, debet eſſe maxime vniuerſalis omnibus dormientibus. At euaporatio nutrimenti eſt cauſa huiuſmodi. Nam (vt ex ſupradictis patet) ſomni principium eſt à corde, & hepate, vel ſimilibus membris, euaporatio nutrimenti procedit ex illis. Eſt ergo cauſa omnibus dormientibus vniuerſalis, & ſic omnibus animalibus, quia omne animal dormit, vt dicit Philoſophus, quod nos concedimus.

Rationes pro negatiua.

At vero econtrario poteſt fieri talis obiectio. Nulla euaporatio eſt ſomni cauſa niſi illa, quæ primo calida eſt, à calore digeſto, & poſtea frigiditate cerebri infrigidata. At in quibuſdam animalibus non eſt caput,neque cerebrum, vt in his, quæ ſolum habent tactum. Non eſt ergo in eis euaporatio talis. Si forte dicatur, quod animalia huiuſmodi habent membrum cerebro ſimile, quod facit infrigidationem euaporationis. Ad hoc obijci poteſt, quod membrum non poteſt dici cerebro ſimile, niſi quantum ad ſimiles operationes. Operationes autem cerebri ſunt ſenſus communis, & phantaſia, & memoria, quæ non habẽt huiuſmodi animalia. Vnde Ariſto. in metaph. Natura. inquit, ſenſum habentia

Determinatio authoris.

ſunt animalia. Ex ſenſu vero quibuſdam eorum inſit,& quibuſdam non inſit memoria. *Reſpondemus itaque,* quod in omni quidem animali eſt cerebrum, vel membrum cerebro ſimile, ſicut in libro de animalibus habetur expreſſe. Nec oportet quod illud membrum habeat omnes cerebri operationes. Sicut enim animalia illa deficiunt in numero ſenſuum exteriorum, ita & deficiunt in numero interiorum, vnde non habent, niſi ſenſum commune, debilem, & exiguam phantaſiam.

De ſecunda cauſa ſomni, quæ eſt labor.

CAPVT XVII.

Labor cauſa ſomni.

SEquitur ſecunda cauſa, quæ eſt labor, de qua dicit Philoſophus. Amplius autem ex laboribus quibuſdam accidit ſomnus. Nam labor colliquatiuum & cætera. Et intendi dicere, quod labor propter duplicem calorem, ſcilicet qui eſt ex motu exercitij, & hoc,quod exterior colligitur ab interiore, propter laſſitudinem membrorum diſſoluit, & colliquat nutrimentum extrinſecus, & eleuat ad caput. Et hoc non facit, niſi animal ſit frigidæ naturæ, & in frigido tempore, ſicut eſt in quibuſdam animalibus, quæ in hyeme abſconduntur. De hoc etiam dicit Auicenna, quod ſomnus eſt ex laſſitudine, & propter hoc quia id quod vocatur ſpiritus diſſoluitur, & cum debilitatus eſt refugit ad interiora, & ſequuntur eum virtutes animales.

Duplex cauſa ſomni ex fatigatione.

Item Alpharabius dicit,quòd ſomnus ex fatigatione habet duas cauſas Quarum vna eſt, quoniam calor naturalis, quando fuerit ſuperfluus, & poſtea diminutus,per mõtum localem, & motum compræhenſionis ſenſibilis ſtatim mouebit ipſum anima in profundum corporis, vt agat per illum in reliquias poſtremi nutrimenti, quia ſic augmentabitur eius ſubſtantia, & acquirit loco eius quod diſſolutum eſt ab eo. Cauſa ſecunda eſt, quia quando motus laboris ſemper ſitit calorem naturalem, tunc calor remittetur & diminuetur. & generabitur propter hoc frigus, & trahitur ad ſuum principium, vt à ſe expellat complexionem accidentalem.

4. Cauſa eiuſdem traditur.

Ex his colligitur, quòd ſunt quatuor cauſæ, propter quas labor, & fatigatio ſunt cauſa ſomni. Quarum primam tangit Ariſtoteles,ſcilicet quòd calor excitans ex motu, & attractus ab exterioribus ad interiora colliquatiuus eſt nutrimenti, & per actum nutrimenti inductiuus ſomni. Secundam autem tangit Auicenna, quòd labor diſſoluit ſpiritum in organis ſenſibilibus,& motiuis,qui diſſolutus, & debilitatus de facili vincitur à frigiditate deſcendente à cerebro, & refugit ad interiora. Tertiam,& quartam tangit Alpharabihs, & tertia quidem eſt, quod calor diminutus in exterioribus fugit ad interiora ad locum nutrimenti, vt in nutrimento ſicut in materia multiplicetur, & recuperet deperditum in exterioribus. Quarta vero eſt, vt in proprio principio per calorem ibi inuentum confortetur,& expellat à ſe complexionem frigoris, quæ creata eſt ex diſſolutione ſpirituum propter laborem.

Iterum de eodem.

CAPVT XVIII.

Obiectiones.

EContrario autem videtur labor potius eſſe cauſa vigiliæ.quàm ſomni, quia dicit Auicenna in libro ſuo cæli, & mundi, quod ex motu generatur calor in exterioribus. At vero cum motu eſt omnis labor, ex quo ſequitur, quòd ex labore generatur quandoque calor. Calor autem in exterioribus, eſt cauſa vigiliæ, labor ergo potius cauſa vigiliæ quam ſomni eſſe videtur. Preterea etiam dicit Auicenna, quôd ad illum locum maxime dirigit anima ſpiritum & calorem in quo plus occupatur in opere. At in exercitio laboris corporalis maxime occupatur anima in corpore in exterioribns organis ſenſus ac motus. Ad illa ergo maxime tunc dirigit ſpiritum, & calorem, At vero directio ſpiritus, & caloris ad exteriora membra,eſt vigiliæ cauſa. Non ergo videtur labor cauſa ſomni eſſe. ſed maxime vigilæ cauſa.

Reſponſio.

Nos itaque dicimus, quòd labor,eſt cauſa ſomni per accidens, & modus cauſalitatis eius quadruplex eſt, vt ſuperius oſtenſum eſt. Ad id autem quod obiicitur in contrarium. Reſpondemus, quòd calor excitatus ex motu, eſt calor naturalis diſſoluens ſubiectum organanorum, & ſpiritus operantes in eis ſenſus ac motus. Per hunc itaque modum cauſa ſomni eſt; & non inquantum calor eſt. Porro anima in veritate dirigit ſpiritus ad id cui magis intendit in opere. Sed tamen quando tempus operis, & laboris excellit poſſe, tunc reuocantur ad interiora ſpiritus vt confortentur, quod per ſomnum efficitur.

De tertia cauſa, quæ eſt ægritudo.

CAPVT XIX.

Ægritudo.

POſtea ſequitur tertia cauſa, quę eſt ægritudo, de qua dicit philoſophus. Et ægritudines quidem iſtæ hoc idem faciunt ideſt ſomnum quæcunque à ſuperfluitate humiditatis, & caliditatis ſunt, ſicut accidit febricitantibus, & lethargicis.

Obiect.

Sed contra hoc obiicitur ſic, dicit Auicenna quod diſpoſitio mala quæ non permittit animam intus, ſed euocat eam ad exteriora,cauſa eſt vigilię,ergo videtur quod infirmitas non ſit cauſa ſomni. Et dicendum quod non intelligitur de omni ægritudine, ſed de illa ſola in qua eſt calidum multum eleuans euaporationes, & humidum multum replens vias ſenſus & motus, ſicut accidit in lithargicis & in epylepticis. Epylepſia vero prouenit ex ſubito motu proueniente ex ſuperfluitate humoris & ſpiritus multiplicis in cerebro, quæ poſtea deſcendendo venas tumefaciunt, vt dicit Philoſophus in primo de ſomno & vigilia. Quæ tumefactæ coarctant porum vbi reſpiratio fit, hoc eſt in vocatiuam arteriam, intantum quod etiam ſuffocantur quandoque. Ad id vero quod contra obijcitur, dicendum quòd multę diſpoſitiones male in diuerſis ægritudinibus euocant animam ad vigiliam, maxime quę calide & ſiccę ſunt.

Reſp.

De Quarta quæ eſt ætas prima.

CAPVT XX.

Ætas prima.

DEinde ſequitur de quarta quæ eſt ætas prima, de qua dicit Philoſophus. Amplius quidem prima ætas ſomnifera eſt. Pueri enim dormiunt violenter eo quod nutrimentum ſurſum feratur, omne hoc enim probatur ex hoc, quia pueris maiora ſunt membra ſuperiora inferioribus. In prouectis autẽ ecõtrario. Quod autem pueri dormiant, probatur ex hoc, quod frequenter epyleptici fiunt, & ſomnus eſt ſimilis epylepſiæ, & eſt epileptia quædam. Vnde epyleptia frequenter fit in ſomno, & patientes in epilepſia dormiendo frequenter ſuffocantur, & vigilantes non. Et ideo pueris non dicũtur conferre vina, eo quod vẽtoſum ſit vinum, & magis medum. Ob hanc ſcilicet cauſam, quia in prima ætate, magnus fluxus nutrimenti eſt ab inferioribus ad ſuperiora. Nam dicitur iacere embryo quinque menſibus in matricibus immobilis, ita quod non vertit ceruicem ſicut etiam in multum embryo propter multum fluxum vini ad ſuperiora, grauatur caput & efficitur immobile.

Obiectiones.

At ecõtrario videtur quod totum nutrimentum in pueris non fertur ſurſum nec etiam maior pars. Dicit Ariſtoteles in ſecundo de anima, Quod augmentum eſt in quamlibet partem corporis. Cum ergo augmentum non ſit ſine nutrimento. Nutrimentum eſt in quamlibet partem & non ſurſum tantum. Item in primo de generatione, & corruptione habetur, quod quælibet pars æqualiter augetur, ergo videtur quod nutrimentum feratur ſurſum & deorſum æqualiter. Item vaſa deferentia nutrimentum, quæ ſunt venæ diriguntur à corde vel hepate ſurſum vel deorſum æqualiter, & nutrimentum fertur vaſis illis. Ergo videtur quod nutrimentum fiat æqualiter ſurſum, & deorſum. Præterea videtur quod plus feratur deorſum. In omni enim nutrimento dominantur duo elementa, quæ ſunt terra & aqua & illa ſunt ambo grauia, ergo plus nata ſunt ferri deorſum. Et ſic videtur quod non cauſetur ſomnus ex hoc in prima ætate, quod nutrimentum omne feratur ſurſum.

Adhuc de eodem.

CAPVT XXI.

Reſolutio.

SVper his ergo dicendum eſt, quod prima ætas eſt cauſa ſomni per accidens ſcilicet, quia in ipſa multum nutrimentum fertur ad ſuperiora. Et ideo ponderoſa habent capita. Cuius ſignum eſt, quod frequenter declinant ea in prima ætate. Ad id quod contra obijcitur, dicendum, quod augmentum principaliter, & ſecundum longitudinem in ſuperioribus determinatum eſt. Quod autem dicit Philoſophus, quod æqualiter ad omnem partem intelligimus, non ſecundum dimenſionem, ſed quia quælibet pars ſecundum ſpeciem, & non ſecundum materiam augetur. Cuius ratio ſupra plane aſſignata eſt. Ad aliud dicendum eodem modo, quod præcipuè in pueris nutrimentum fertur ſurſum propter quatuor cauſas. Quarum vna eſt efficiens, quia ſcilicet calidum in eis magis feruens eſt, & calidum tendit ſurſum. Secunda eſt raritas corporis, minus prohibens euaporationes ad ſuperiora loca. Tertia eſt diſpoſitio nutrimenti, quia propter tenuitatem organorum interiorum non ſuſtinent nutrimentum forte, quod eſt calidum, & ſiccum, ſed oportet nutrimentum accipere liquidum, & fluidum. Et cũ in illo abundet natura aquæ, quæ vaporalis eſt multum, iſtud nutrimentum multos vapores exhalat ad ſuperiora loca. Et hæc eſt etiam cauſa, quare in pueris facilius inducitur epileptia, quando dantur eis multum vaporantia, ſicut vinum, & meda & huiuſmodi. Quarta cauſa eſt intentiu naturæ, quæ intendit augmentum, & iccirco plus ponit in longitudinem ad ſuperiora loca. Ad aliud dicendum eſt, quod licet venæ dirigantur in omne corpus à loco digeſtionis, tamen propter prædictas cauſas dirigitur nutrimentum in prima ætate plus ad ſuperiora loca. Ad aliud dicendum, quod licet duo grauia elementa dominantur in nutrimento, tamen propter vim caloris agentis eleuantur ad ſuperiora loca pluſquam inferiora.

Item obiectio contra prædictam cauſam.

CAPVT XXII.

Obiectiones.

ADhuc autem videri poteſt alicui forte, quod ex prædicta cauſa magis quam ſomnus cauſetur vigilia. Nutrimentum enim illud eleuatur fortiſſimo calore ętatis primæ, vnde patet quod calefactum eleuatur & calefacit partes ſuperiores. At vero ſuperiorum partium calefactio, eſt cauſa vigiliæ. Igitur eleuatio nutrimenti ad loca ſuperiora potius erit vigiliæ quam ſomni cauſa. Amplius in iuuenibus maior eſt calor quam in pueris. Quod ex hoc probatur, quia multiplicata propria materia ſua in ſubiecto calor multiplicatur, vnde & fortiores cibos digerunt quam in prima etate exiſtentes. Et hoc itaque videtur, quod iuuenes frequentius deberent alimentum appetere, pluſquam de illo ſumere quam in prima ætate exiſtentes. Cumque alimẽtum ſit ſomni cauſa, videtur ætas ſecunda magis eſſe ſomnifera, quam prima. Præterea dicit Ariſto. in li. de ſom. & vigi. quod melancholici edaces ſunt, quemadmodum nihil habentia iucundum afficiuntur eis corpora, & inde dicit, quod parum dormiunt melancholici. Itaque multitudo nutrimenti non videtur cauſa ſomni.

Reſolutio.

Nos dicimus, quod licet nutrimentum calidum primo eleuetur, tamen in capite infrigidatur, & illic frigiditas attingit locum, per quem in omni organo deſcendere debet animalis ſpiritus. Ideoque ſic efficitur ſomnus. Et licet maior calor ſit in iuuenibus, non tamen adeo feruet, ſicut in pueris, quia plus de alieno ſuppoſitum eſt in illis, & etiam iuuenum corpora magis ſunt ſpiſſa euaporationi reſiſtentia, ſed nec illorum cibi adeo ſunt vaporatiui ſicut infantiles cibi. Porro melancholici reuera edaces ſunt eo quod ad cibum ſe habent in principio ſicut in fine, & econuerſo. Propter modicum enim calidum non multum delectantur in cibo, & ideo non ſatisfit per cibum eorum deſiderio, ſed remanet in fine ſicut in principio. Ac in calido non eſt ſic: quoniam ille multum delectatur in cibo, & accipiendo ſatisfacit deſiderio ſuo, ceſſatque appetitus. Licet autem multum cibum accipiat melancholicus, tamen quia frigidus eſt locus intus, non fit euaporatio multa à cibo. Ideoque non multum accidit ei ſomnus. Sic autem in prima ętate non eſt, vt ex prædictis manifeſtum eſt.

De Quinta cauſa, quę eſt caloris ſubtractio.

CAPVT XXIII.

Caloris ſubtractio.

DE quinta cauſa ſomni dicunt Philoſophi, quod ipſa eſt caloris ſubtractio, quia ſomnus cauſatur ex frigido grauante organa ſenſibilia.

Obiectio.

At ecõtra videtur eſſe quod dicit Ariſtoteles melancholicos non eſſe ſomni amatores, infrigidatus eſt enim intus locus. Ideoque non fit in eis multitudo euaporationis. Et huius rei reddit cauſam dicens. Nigra enim cholera eſt naturaliter frigida, ſicut & nutrimentum locum frigidum facit, aliaſque particulas vbicunque exiſtit poteſtatis huius ſuperfluitas. Ex hoc accipitur, quod caloris ſubtractio potius ad vigiliam quam ad ſomnum operatur.

Reſp.

Nos autem de hac quinta cauſa dicimus, quod ipſa eſt ſubtractio caloris in membris exterioribus. Id autem quod de melancholicis obijcitur, dictum eſt de diminutione caloris in interioribus circa locum digeſtionis, vbi prima ſomni cauſa eſſe cognoſcitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De ſexta cauſa, quæ eſt Studij attentio.

CAPVT XXIV.

Studium. Obiectio. SExtam quoque cauſam adijciunt ſomni ſcilicet circa aliquid attentionē ſtudij. *Verum cum ſtudium multiplicet ſpiritus*, & calorem in loco cerebri, & ob hoc impedit eius frigiditatem actualem dominari, videtur magis eſſe cauſa vigiliæ quam ſomni. *Reſp.* *Nos autem ad hoc dicimus*, quod ſtudium aut deuotio & huiuſmodi attentiones ſunt cauſæ ſomni modis duobus. Vnus eſt, quia ſpiritus in cerebro calorem multiplicat, qui ſcilicet calor euaporationem nutrimēti loco digeſtionis ad ſe trahit, quam cerebri frigiditas vincit, & ſomnum inducit. Sicque calor capitis ſomnum cauſat per accidens. Alius modus quod anima in interioribus occupata, circa vsū rationis & affectus exteriora membra relinquit, ſecumque ſenſibilem ſpiritum & calorem trahit. Quo facto de facili membra exteriora grauantur & accidit ſomnus, hinc etiam accidit, quod aliqui audientes ſubtilia & deuota, frequenter ſomno deprimuntur. In diſſolutionibus autem & nugis exiſtentes vigilant, quoniam in eis anima tota in ſenſus expanditur. Hæc de quatuor cauſis ſomni aſſignatis ab Ariſtotele, & etiam de alijs duabus quas commentatores adijciunt ad præſens ſufficiant.

De ſeptima cauſa ſecundum Auicennam.

CAPVT XXV.

Cura. Pauor. VIdetur autem etiam Auicenna ſeptimam cauſam vel octauam in lib. ſuo de anima inducere dicens quòd cura & pauor inducunt ſomnum quandoque. Sed etiam videtur contrarietas eſſe in dictis eiuſdem Auicennæ, quia primo dicit quòd pauor eſt cauſa ſomni, & poſtea, quod eſt cauſa vigiliæ. Nos autem ad hoc dicimus quod cura & pauor reducuntur ad attentionem, quia cura ſomnum cauſat ſicut & ſtudium. Pauor autem hoc quod retrahit ſanguinem & calorem ac ſpiritus ad interiora ſomnum inducit & eſſe faciei palſorem. Nec eſt contrarietas inter dicta Auicennæ, quia nihil prohibet, idem diuerſis modis cauſam oppoſitorum eſſe, vnde pauor quidem ſomnum cauſat eo modo quo dictum eſt, ſed vigiliā cauſat duobus modis. Quorum vnus eſt quia ſpiritus & ſanguis fugiens ad interiora calefiunt calore cordis, & multiplicantur. Et idcirco tunc regrediuntur ad exteriora, & ſic cauſant vigiliam & animoſitatem. Secundus eſt quia anima non inueniens tutum aliquid in intrinſeco, reuocatur ad ſenſus, & cauſat vigiliam.

De his qui dormiendo faciunt opera vigiliæ.

CAPVT XXVI.

Probatur dormientes vigilare. QVia vero dicit Ariſtoteles quod mouentur quidam dormientes, multaque faciunt quæ vigilantium ſunt, Quæri poteſt vtrum aliquod animal ſimul dormiat & vigilet. Cum enim ſomnus ſit quies ab operibus exterioribus, illi qui faciunt opera exteriora non videntur dormire. Similiter nec videntur vigilare, quoniam (vt dicit philoſophus) ſi partim ſecundum aliquos ſenſus ineſſet vigilia & ſecundum aliquos non, dormiendo ſentiret animal, quod eſt impoſſibile. Præterea dicit philoſophus quod impoſſibile eſt animal dormiēs qualicunque ſenſu ſentire. At vero ſecundum aliquem ſenſum ineſſe neceſſe eſt actum vigiliæ. At econtrario videtur quòd talibus magis inſit vigilia quam ſomnus. Opera quippe vigiliæ in talibus manifeſtè probantur, per hoc quod localiter mouentur. Cuius autem effectus manifeſtior eſt, illius cauſa magis ineſt.

Reſolutio. Nos autem dicimus quòd ad hoc vt aliquis opera vigiliæ faciat in ſomnis exiguntur duo. Vnum eſt alicuius in vigilia præcepti fortiſſima impreſſio, quod fortaſſe faciēdum eſt in futuro. Aliud eſt illorum ſenſuum, A qui ſenſibile ſuum à longe comprehendunt, maximeque viſus & auditus ſolutio. Sed duplex eſt calor ſoluens ſenſus, naturalis ſcilicet & accidentalis. Naturalis etiam duplex eſt. Vnus procedit à loco digeſtionis ad organa ſenſuum, & ille quandoque multum dominatur in interioribus & extremitatibus manuum ac pedum, & tamen non ſoluit ſenſus. Alius à corde & loco digeſtionis ad caput procedit, licet formam & impreſſionem virtutis animalis quæ in capite eſt accipit. Ideoque deſcendens ab interiori & poſteriori capitis, ſenſus ſoluit, & cauſat vigiliam. Accidentalis quoque duplex eſt, vnus eſt qui procedit à loco digeſtionis & calefacit totum corpus, vel aliquam partem ipſius, vel præcipuè partes motiuas, vt extrema manuum ac pedum, quæ præcipuè calent in ſomnis, & ille non ſoluit ſenſus. Alius eſt qui cum cholerico ſanguine ad caput eleuatur, & ille deſcendendo per organa virtutis animalis ſoluit aliquos ſenſus, & maxime illos quorum organa magis extrinſeca ſunt in corpore ſicut eſt viſus, & auditus, ſoluit etiam virtutem motiuam ad motum proceſſiuum. Nullus itaque calor ſenſus diſſoluit niſi qui à capite deſcendit. Sicut enim ſemen non accipit virtutis impreſſionem informatiuæ niſi in teſticulis, ita calor & ſpiritus non accipiunt impreſſionem virtutis animalis niſi à capite in quo ſunt organa virtutis animalis Ideoque talis ſolutio non contingit niſi in his qui diſpoſiti ſunt ad phreneſim, & huiuſmodi ægritudines. In quibus calidus & cholericus ſanguis multum eleuatur ad caput. *Duo ad vigiliam requiſita.*

Adhuc de eodem.

CAPVT XXVII.

C ITaque duo ſunt cauſatiua rei prædictæ ſcilicet phantaſma impreſſum & ſolutio ſenſus à calore accidentali. Phantaſma ſiquidem impreſſum quandoque mouet linguam ad loquendum & quandoque os ad guſtandum, ſicut accidit in quibuſdam dormiēdo loquentibus, & in quibuſdam pueris qui mammas ſugere videntur in ſomno. Tales itaque ſimpliciter dormiunt, quia ſomnus eorum creatur ab illo quod eſt ſimpliciter cauſa ſomni, hoc eſt à frigiditate humidi deſcendentis à cerebro, & immobilitatis organi tactus. Vigilant autem ſecundum quid, quia vigilia eorum cauſatur ab eo, quod ſecundū quid eſt cauſa vigiliæ, hoc eſt à phantaſmate fortiſſime mouente, vel à calido accidentali quoſdam ſenſus ſoluente. D

Reſp. ad rationes. Quod autem obiectum eſt, cuius effectus manifeſtior eſt, eius cauſa magis ineſt, hoc falſum eſt. Manifeſtius enim eſt, quod ſecundum exteriores ſenſus eſt, ſcilicet viſum & auditum & tamen magis ineſt, quòd ſecundum exteriores ineſt ſcilicet guſtum & tactum. Et ſecundum iſtos ineſt ſomnus in eis qui opera vigiliæ faciunt in ſomnis, videlicet ſomnus ineſt ſecundum organum tactus, & vigilia ſecundum organa ſenſuum à longe ſentientium. Licet enim organo tactus immobilitato ſimpliciter, neceſſe ſit aliorum ſenſuum organa ſimpliciter immobilitari, vt ſupra dictum eſt. Nihil tamen prohibet aliquem illorum, vt aliquos per accidens ſolui & ſecundum quid. Et hoc intendit philoſophus, cum dicit quod opera vigilantium in dormientibus non fiunt ſine phantaſmate & ſenſu quodam, id eſt, ſenſu ſoluto per accidens, & non per ſe. E

Cur expergefacti non meminerint operum quæ fecerunt in ſomno.

CAPVT XXVIII.

Quæſt. POteſt quæri, cur expergefacti non memorantur operum vigiliæ, quæ faciunt in ſomnis, & bene memorantur aliorum ſomniorum. Videtur enim quod magis deberent memorari operum vigiliæ, quia fortius memorantur, quæ fortius imprimuntur.

Sed fortius imprimuntur illa quæ imprimuntur sensibus solutis, quam ea quæ sensibus non solutis, ergo potius debent memorari ea. Quod dicit Aristot. scilicet, quod somnium memorantur expergefacti. Vigilum vero actus non memorantur. A

Solutio. Dicendum quod hoc contingit ideo, quia somnus inest simpliciter, & vigilia secũdum quid. Et ideo quod imprimitur in somno imprimitur in virtute interiori, quæ est phantasia, & imprimitur simpliciter ideo simpliciter reseruatur in memoria. Illud autem quod imprimitur in vigilia talium, non imprimitur sensibus nisi per accidens solutis. Et ideo excluditur à fortiori motu interiori phantasticæ virtutis.

Quæst. *Iuxta hoc etiam quæritur*, cur aliquis somnians obliuiscitur sui somnij, si statim post somnum moueatur vertendo se ad aliud latus, vel extendendo corpus.

Resp. Et dicendum, quod huiusmodi somnia fiunt in fine somni quando somnus iam est excitabilis, sicut debilis impressionis motus, & propter hoc si subito sequatur motus vigiliæ magnus, sicut extensio vel versio ad aliud latus, traduntur illa somnia obliuioni, in eo quòd motus fortior superueniens excludit debiliorem in actibus suis. B

Cur dormientes non recordantur, quæ fecerunt vigilando.

CAPVT XXIX.

Quæst. IVxta hoc iterum quæritur, quare dormientes non memorantur eorum quæ fecerunt in vigilia præcedenti, & bene memorantur in vigilia sequenti somniorũ quæ habuerunt in somno præcedenti. Videtur enim quod ècontrario debeat esse. Nam in vigilia sunt motus exteriores, in somno motus interiores, ergo motus memoriæ, qui est interior minus impeditur in somno quam in vigilia. Iterum quæcumque sunt ab extrinsecis causis, ita quod vnum est à fortiori, alterum à debiliori, Id quod est à debiliori, non potest impedire id quod est à fortiori; Somnus autem & memoria sunt ab extrinsecis causis, ita quod memoria est à fortiori, & somnus à debiliori, ergo somnus, non debet impedire memoriam. Item memoria videtur acceptio præacceptorum, & in somno non recipiuntur nisi præaccepta, in vigilia vero præaccepta & præsentia, ergo motus memoriæ magis erit conueniens in somno quam in vigilia. C

Resp. Et dicendum quod hoc ideo est, quia memoria nullo modo potest agere in somnis nisi per accidens, vt supra habitum est, sed bene agit in vigilia. Ex supradictis enim patet, quod memoria reuertitur in rem exteriorem prius acceptam à sensibus cum intentione præteriti tẽporis. Vnde quod est rei exterioris, oportet habere sensum simpliciter solutum, quod autem est præteriti, oportet accipere à sensu communi, qui etiam immobilitatur secũdum cõuersionem ad sensus proprios. Ad primum ergo dicendum, quod sunt quędam exteriora, quæ exiguntur ad motum interiorum, sicut motus sensus communis & proprij ad motum memoriæ. Et illa non opponuntur interioribus, nec impediunt ea, sed potius expediunt & causant. Similiter sunt quædam interiora, quæ non sufficienter causant alia interiora, sicut motus phantasmatis non sufficienter causant memoriam, & cum illis non possunt esse interiora illa, sicut memoria cum somno. Ad aliud dicendum, quod somnium inquantum intrinsecum, non impedit actum memoriæ, sed impeditur ideo quia ad actum suum exigitur actus sensus communis & proprij, qui immobiles sunt in somno. Ad aliud dicendum quòd phantasia in somnis præacceptum quidem est, sed non vt præacceptum, sed vt præsens, & non causat memoriam quæ est præacceptorum vt præacceptorum. D E

De his quæ somnum excitabilem faciunt.

CAPVT XXX.

EXpergiscuntur autem sensus à somno cum facta fuerit digestio, & obtinuerit quæ impacta fuerat caliditas in angustum multa, ab eo quod circunstabat, discreti quoque fuerint corpulentior sanguis atque puriſſimus. Ex hoc accipitur, quod duo faciunt somnum excitabilem. Vnum est complementum digestionis, & vincat caliditas impacta neruos sensibiles à circumstante frigido cerebri. Secundum est discretio sanguinis puri & crassi siue corpulenti, ita vt crassus cedat in nutrimentum inferiorum, tenuis autem & subtilis ad nutrimentum superiorum ac præcipue capitis. *Duo excitãt somniãtem.*

Verum contra primam causam aliquis obijcere potest, quod quanto calidum est in materia spissiori, tanto inuincibilius est. At in principio somni ante complementum digestionis calidum eleuatum ad caput est in spissiori materia quam digestione completa, ergo inuincibilis est in principio. Sed quando calidum est inuincibilius, tunc excitabilior est somnus. Et ita videtur quod excitabilior sit in principio ante digestionem quam in fine post digestionem. Similiter etiam contra secundam obijci potest, quod tenuis sanguis facile infrigidabilis est. Cum ergo frigiditas sit causa somni, videtur quod tenuis sanguis magis operetur ad continuandum somnum, quam ad eum excitandum. Præterea dicit Aristot. quod omnino sunt somni amatores qui occultas habent venas & vani magnaque capita habentes. Videtur ergo à contrarijs, quod ad excitabilitatem somni maxime venæ operentur, & paruitas capitis. *Obiectio.*

Respondemus ad primum, quod spissa materia non defacili distillat per venas, & propter hoc diu manens in capite infrigidatur, & causat somnum. Ad aliud vero potest dici, quòd humidum tenue descendit antequam infrigidetur frigiditate ipsum conuertente & inspissante per ablationem calidi. *Resp.*

De duplici causa somni excitatiua.

CAPVT XXXI.

SCiendum vero quòd duplex est causa somni excitatiua scilicet per se, & per accidens, per se causa est complementum digestionis, quia tunc segregatur tenuis & purus sanguis ab impuro & corpulento, & purus eleuatur sursum, impurus autem descendit deorsum. Primo enim in principio digestionis calor est vehemens, & eleuat purum & impurũ simul ad superiora. Est propter hęc crassa in vigilia fortificatur frigus cerebri expulso calido, & grauatur sensus & facit somnũ. Sanguis autem subtilis eleuatur in fine digestionis quãdo remittitur calidum, & ille de facili descendit per venas à capite, quia non diu manet ibi, nec infrigidatur, & inducit secum calidum in neruos sensibiles, & causat vigiliam. *Causa per se somni excitatiua.*

Causa vero per accidens multiplex est. Est enim causa dispositionis in subiecto, & hæc est duplex, scilicet subtilitas venarum quę sunt in collo, quæ adeo strictæ sunt, quod non potest per eas cito distillare humidum infrigidatum in cerebro, quæ est causa somni. Et huius oppositum est amplitudo venarum colli, per quas distillat humidum infrigidatum in cerebro. Alia vero causa scilicet non disponens in subiecto, est magnitudo quidem capitis vt in nanis & homululis. Magnum enim caput continet magnum cerebrum, cuius multa frigiditas diu vincit calidum cum nutrimento eleuatum. Per oppositum autem paruitas capitis, propter paruum cerebrum & siccum erit causa excitabilitatis facilis. Item causa per accidens est frigiditas circa locum digestionis, per quam non possunt eleuari vapores ad caput sicut est in melancholicis, vt prǽhabitum. Item causa per accidens est motus violentus, qui euocat animam ab interioribus ad exteriora. Et sic etiam causa per accidens est infirmitas quæ non permittit animam in interioribus quiescere. *Causa per accidens.*

cere. Item per accidens est causa nimium ieiunium propter quod aufertur materia euaporationis, quæ debet ferri ad caput & causare somnum, & sunt etiam quædam aliæ causæ huiusmodi per accidens.

De somnio.

CAPVT XXXII.

Pro Risianus ad Cosdroe. In somno vero phãtasma somnium dicimus, vnde claret, quia sensitiuæ partis est somnium, sicut & somnus. Sẽsibilia namque per vnumquodque sensum inficiunt & ab eis facta passio non solum operantibus sensibus inest arterijs, sed etiam transeuntibus iam & cessantibus, velut si quid motum fuerit ab altero cessante motore manet ipsum motum, ita vt moueatur ab illo. Sic itaque non solum vigilantium motus à sensibilibus facti remanent etiam sensibus transeuntibus, sed & cum dormimus. Magis enim non apparent, eo quod interdiu quidam expellantur, & euanescant intelligentia & sensibus operantibus, sicut minor ignis à maiore, & paruæ passiones à magnis. Noctu vero propter silentium, & infirmitatem operandi supercrescunt, & continuæ fiunt, & sæpe quidem similes, sæpe vero in alias figuras, dissolutæ per subiectæ materiæ resolutionem. Ac per hoc nec post escã continuo sicut nec in infantibus apparent somnia, quoniam in humido perturbato nulla apparet vmbra vel etiam videtur perturbata. Silente vero humido, pura apparent in dormiendo phantasmata. Et reliqui motus qui à sensibilibus accidunt. Itaque & melancholicis, & febricitantibus & inebriatis visiones apparent turbatæ. Inflatione vero sedente, & sanguine discreto sensorum motus ex vno quoque sensibilium consequentia & ordinata facit somnia, videtur autem mirabile quod eorum quidem quæ in somnis fiunt phantasmatum, & resurgentes recordamur. Eorum vero quæ vigilantes agimus, in somnis memoriam non habemus, huius est causa quia memoriæ fiunt eorum quæ sentiuntur, aut phantasia videntur, neutrum autem somnijs accidit. Dormientes enim non sentimus, & eorum quæ secundum veritatem aguntur nullum est phantasticum consequenter neque somnium.

Pura phantasmata inter dormiendum.

De septem quæstionibus Aristotelis circa somnium.

CAPVT XXXIII.

Avctor. De somnio circa Arist. nonnulla iam dicta sunt in lib. 20. superius vbi agitur in communi de animalibus. Siquidem inter proprietates communes animalium agitur etiam de somnis eorum. In summa vero de somnio monet Arist. 7. non negligendas, quæstiones. Prima siquidem quæstio est quid sit somnium videlicet in esse. Secunda vero cur dormientes quidam somniant, & quidam non. Tertia de latentibus somnijs ex vi dormitionis. Quarta vtrum in somno contingat præuidere futura. Quinta qualiter contingat futura præuidere per somnium? Sexta vtrum futura perspiciantur ab homine solum, vel causam habeant quosdam dęmones? Septima est, vtrum somnia fiant à natura, vel ab euentu. Itaque de istis omnibus iuxta dictum ordinem aliquãtulum latiori tractatu, videlicet obiectiones multas circa hæc incidentes atque solutiones inferendo prosequemur.

Septem quæstiones.

Quod somnium fit à motu simulacrorum in dormientibus.

CAPVT XXXIV.

Albertus: de somnio quid sit dicit Arist. 2. de som. & vigil. quod phantasma quod est à motu simulacrorum, cum in dormiendo fuerit in eo quod dormit, hoc est somnium, hic motus descendit à loco phantastico, & tangit sensum communem, ac reuertitur ad phantasiam. Cum enim euaporatio fit à loco digestionis ad cerebrum, sanguis subtilis eleuatur, ac descendit ad interius capitis animalis, cum quo progreditur animalis spiritus simulachra deferens à loco phantasiæ ad organum sensus communis. Quæ cum mouent sensum cõmunem fit somnium, & videtur sentiri forma delata à phantasia ad communem sensum. Cum autem ipse spiritus deferens formas sit de natura humidi aërei, & feratur cum humido & subtili sanguine quasi euaporabili. Dicit philosophus quod simulachrorũ motus est in ipso sicut motus ramusculorum salis in aqua calida liquefacti. Cum enim in aqua calida liquefit sal subtile, sursum eleuatur ex calido mouente & humido liquefaciente sicut ramusculus albus, & postea iterum residet ex natura graui, quæ est in terrestreitate salis, sic ergo formæ vel imagines descendente spiritu & sanguine descendũt ad sensum communem ab imaginatione, ac reuertuntur iterum ad cellam imaginationis tanquam ad locum proprium, in quo habent commanere. Et quoniam huiusmodi motus fit in sanguine subtili & spiritu, propter hoc vnus motuum frequenter insequitur alium, & infringit ipsum, sicut est videre in nubibus, quarum quædam similes hominibus & centauris, vt dicit philosophus, cltoque permutantur vna nube super alterã inundante. Si autem quæratur, vtrum in vigilia fiat huiusmodi motus. Dicendum est, quod ille motus qui fit in vigilia non est somnium, quia substantiale est, quod fiat in dormiendo, sed tantum simile est motui somnij.

Simili explicatur natura somni.

De causis quibus fit huiusmodi motus.

CAPVT XXXV.

Licet autem huiusmodi motus fiat multis de causis particularibus, tamen illæ reducuntur ad quatuor principales, quæ colliguntur ex dictis philosophorum. *Quarum vna est inuentus.* In pueris enim propter multas euaporationes magnus est fluxus nutrimenti à capite ad organa sensus communis & propriorum. Et ideo cum abstrahuntur sensus eorum ab actibus exterioribus sicut in tenebris, & in loco solitario horribili, statim cum sanguine spirituque descendũt formæ ab imaginatiua ad sensum, Et videtur eis, quod videant vel audiant horribilia, vel etiam percutiantur. Sed quando sunt in lumine, vel cum hominibus à quibus præsumũt adiutorium, sensus communis diffunditur super sensus proprios in exterioribus actibus, & ideo tunc non sentiunt motum simulachrorum intrinsecus, eo quod fortiores motus exteriores excludunt debiliores interiores.

Secunda causa est complexio frigida & sicca, sicut melancholia dominans. Frigidum enim & siccum faciunt fortissimam intensionem simulachrorum interiorum, & debilissimam receptionem exteriorum. Et iccirco interiora efficiuntur fortius mouentia, & fortissimo motu descendunt ad sensum communem, & videntur esse sensata, & propter malitiam complexionis frequenter apparent horribilia. Et cum fortiores sunt in eis motus interiores exterioribus, interiores excludunt exteriores, & videtur eis quod videant dæmones, & loquantur eis. Quod autem discontinuant locutiones, causa est, quod frigidum & siccum difficulter mobile est. Et ideo nullus motuum potest attingere ad debitum finem, & hæc etiam est causa deliramenti in sensibus, & insuper habent ruinam complexionis & dissolutionem, propter quam corrumpuntur formæ eis impressæ, sicut corrumpitur forma artis in ruinosis ędificijs.

Complexio frigida.

Adhuc de eodem.

CAPVT XXXVI.

Tertium est infirmitas, & præcipue calida & sicca, & calidum fortissimè mouet, & siccum confortat simulachra cõtinuando ea, Et tunc simulachra descendunt ad organum sensus communis, & mouent ipsum sicut sensitiua, sicut fit in eleuatione infirmorum, in quibus materia infirmitatis rapitur ad caput.

Infirmitas.

Fortis cogitatio.

Quarta cauſa eſt fortiſſima radicatio & cogitatio circa aliquid, & præcipue quando aliquis abſtrahit ſe à ſenſibus exterioribus, & quærit locum ſolitudinis, quo minus anima ad interiora reuocetur, tunc enim ſi fortis ſunt imaginationis & debilis rationis, incipiunt ſe mouere ſimulachra, eo quod non impediatur nec ſenſibus nec à ratione,& deſcendunt ad ſenſum communem. Et frequenter videtur tunc homini, quod videat & audiat hoc,quod hic ferat quidem in mente. Et his omnibus ſi illi ſimulachro circa quod occupatur intrinſecus ſenſus communis, aliud etiam modicum ſimile offeratur extrinſecus ad viſum vel auditum, ſtatim videbitur illud, vnde aſpicientes ad iuncturas linearum vel in pariete, vel in terra propter modicam ſimilitudinem cum beſtijs,putãt eſſe beſtias vel aliquid huiuſmodi circa quod occupatur intrinſecus,hæc autem diximus propter hoc quod in diffinitione ponitur ſomnij cum in dormiendo fuerit. Dicit enim Ariſtot. quod quibuſdam minorum etiam omnino perſpicientibus, id eſt, vigilantibus ſi tenebræ ſint, apparent idola plura quæ moueantur, ita vt frequenter timentes obuelantur,vnde pueri quandoque timentes propter apparentia ſimulachra clamant, melancholici quoque propter interiora ſimulachra videntur ſibi homines ac beſtias videre cum quibus loquantur,& timent & fugiunt. Item in quibuſdam infirmis videtur accidere quod videant beſtias ex modica iunctura linearum in pariete. Sicque videtur quod non tantum communem ſenſum moueãt ſimulachra in ſomno, ſed etiam in vigilia. In vigilia quidem ſenſus communis mouet phantaſiam. Sed in ſomno accidit econuerſo. Nã propter deſcenſum nutrimenti deſcendit ſpiritus cum formis a loco phantaſiæ ad ſenſum communem,& propter virtutem apprehenſionis conuertitur ab organo ſenſus communis ad imaginationem.

Videntes idola.

An ſomnium paſſio ſit intellectus?

CAPVT XXXVII.

Rationes pro parte affirmantis.

DIcit Arift.in 2.lib.de ſomno & vigilia,quod de eo quod ſentimus & intelligimus,ſæpe ſic & in ſomnis propter phantaſmata videmus & intelligimus aliqua. Ex quo videtur quod etiam ſomniando ab ipſis phantaſmatibus attrahitur intelligibilis cogitatio, ſicut in vigilando per ſenſus accipimus particulare,ac per intellectum abſtrahimus vniuerſale. Et ita videtur quod ſomnium paſſio ſit intellectus. Hoc etiam probat Ariſtot.per ea quæ acciderunt circa homines. Dicit enim quod quidam viderunt huiuſmodi ſomnia velut quæ videntur ſecundum memoriæ perceptionem,diſponere quæ præponuntur. Et intendit dicere quod aliquis in ſomno diſponit ſomnium ſuum per actum rationis ad interpretationem,quod percipitur in his qui ſomnia ſua in memoria retinent, ſicut dicitur de ſomnio Herculis, cuius nullus interpretationem dicere valuit,& ipſe poſtmodum eius interpretationem ſomniauit. Nos etiam plerumque ſomniamus,nos de ſublimibus diſputare, & intelligibilia inuenire,quod ſolius intellectus eſt. Præterea ſomnium eſt illius ſecundum philoſophum in quo vltimo ſtant phantaſmata accepta per ſenſum. Ac vero vltimo ſtant in intellectu. Dicit enim Ariſt. quod ſomnium eſt paſſio ſenſibilis vel intelligibilis, his enim ſolis eorum quæ in nobis ſunt cognoſcimus. At (vt ipſemet dicit) non eſt paſſio ſenſibilis.

Probatur pars negans.

At vero econtrario poteſt obijci quod quicquid videtur ſub determinata qualitate & figura & colore, non videtur viſione intellectuali. Item dicit Algazel, quod cauſa ſomnij eſt motus phantaſticæ virtutis & eius inſtabilitatis. At vero phantaſtica virtus non eſt intellectus. Somnium ergo non eſt intellectus paſſio. Alphatabius quoque dicit, quod ſomnium eſt motus imaginatiuæ. Et ſic etiam omnes philoſophi videntur dicere.

Huius quæſtionis ſolutio.

CAPVT XXXVIII.

Soluuntur rationes pro parte affirmante.

VErum (vt ſuperius habitum eſt) à ſomno per accidens immobilitatur intellectus,& ſi quando inuenitur ſolutus in ſomno non erit ordinata ſua conuerſio ad ea quæ apparent in ſomnio,ſed erit phantaſijs admixtus iudicans de phantaſmatibus, vt de rebus. Ideo errat frequentiſſime: vnde alicui videtur quod diſputet in ſomnis,eique videntur argumenta fortiora, & quando vigilans examinat ea,inuenit ſophiſtica & debilia. Similiter etiã eſt de verſibus noſtris factis in ſomno quod nihil valere percipiuntur examinati vigilando, quòd autem quandoque vera intelliguntur in ſomnis,accidit ex quibuſdam alijs cauſis determinatis. Itaque licet actus intellectus quandoque ſoluatur in ſomno,tamen eſſentia ſomnij eſt in formis imaginabilibus & phantaſticis ſpeciebus, quibus ſe tunc immiſcet intellectus. Vnde ſomniũ non eſt niſi per accidens intellectus, per ſe vero phantaſia vel ſenſus. Nam & cætera animalia ab hominibus inueniuntur ſomniare. Cum autem dicit Ariſtot. quod ſomnium eſt paſſio ſenſibilis, intelligit ſenſibile ſecundum actum interiorem, qui non immobilitatur in ſomnis. Cum vero dicit, quod ſomnium non eſt paſſio ſenſus, intelligit ſenſum ſecundum actum exteriorem, qui vtique in ſomno immobilitatur.

Qualiter ſomnium ſit motus phantaſticæ virtutis.

CAPVT XXXIX.

Obiect.

AT vero contra id quod dicunt philoſophi ſomnium eſſe motum virtutis phantaſticæ poteſt obijci, quod ille qui ſomniat vtique ſomniat ſe videre & audire. At vero videre & audire non eſt imaginatiuæ. Igitur ſomniũ nõ videtur eſſe imaginationis proprium. Verum (ſicut dicit philoſophus) etiam in vigilia motus ſenſibilium eſt à ſenſu in imaginatione, ita quod principium eſt à ſenſu, & finis in imaginatione. In ſomnio autem eſt motus præacceptorum ſenſibilium ab imaginatione ad ſenſum, ita quòd principium eſt ab imaginatione, & finis ad ſenſum, & ſic imaginationis eſt ſomnium, vt à quo eſt motus eius principium. Quod autem aliquis ſomniat ſe videre & audire, hoc accidit non ex principio motus ſomnij,ſed ex fine.

Reſp.

Obiect.

Si autem adhuc obijcitur, quòd licet ſenſus in ſomnis immobilitetur ſecundum actus exteriores, non tamen ſecundum interiores, & ita videtur ſomnium eſſe motus ſecundũ actum interiorem, & non motus phantaſiæ. Reſpondeo quod reuera ſunt actus interiores ſenſuum, ſecundum quod reducuntur ad communem ſenſum. Et ſecundum illud quantum ad finem ſui motus eſt ſomnium. Sunt & actus ſenſuum propriorum in ſe ſecundum organa, & ſecundum illos non ſemper eſt proprium ſomnium,quia quandoque deſunt organa,ſicut in cæcis ac ſurdis.

Reſp.

Qualiter ſomnij motus ſit vt motus vertiginis.

CAPVT XL.

QVia vero ſomnium eſt paſſio phantaſiæ ac ſenſus communis ſecundum relationem, quam habet ad ſenſus proprios, & ſomnij motus à phantaſia incipit, ac terminatur ad ſenſum. Ideo dicit Ariſtot. quod ſomnij motus eſt ſicut motus vertiginis; quæ componitur ex pulſu & tactu. Senſibilia quippe primo procedunt à communi ſenſu ad imaginationem,qui motus eſt, quaſi pulſus, & poſtea redeunt ab imaginatione ad ſenſum communem, qui motus eſt ſicut tractus. Dicit enim Ariſtot. quod recedenti ſenſibili extrinſecus, in cella commanent ſimulachra, & redeunt in ſomno ad organum ſenſus communis. Porro ſenſus communis ea refert ad ſenſata propria, ſicut etiam facit in vigilia. Ideoque videtur homini quod videat & audiat,cæteriſque ſenſibus agat. Senſus itaque communis

Pulſus & tactus in ſomnijs.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ea refert ad ſenſata propria,& ſecundum cõuerſionem ad interius non immobilitatur in ſomnis, eſtque ſomniũ cognitio illius actualis. Somnium quippe eſt paſſio in actu cognoſcentis, & ſenſus communis ſecundum conuerſionem ad interius immutatur à ſenſibiliũ ſimulacris. Illaque accipit vt ſenſibilia communia,& propria, & per accidens & componit ac diuidit ea,& iudicat intentiones ex ipſis reſultantes.

Dicunt autem quidam, quod proprij ſenſus immobiles quidem ſunt in ſomno ſecundum actus exteriores, ſed à quodam interiori calore ſoluuntur interius. Nos vero ſecundum Auicennam & Algazelẽ dicimus,quod ſomnij motus ſiſtit ad organum communis ſenſus. Et ille quidem in ſomnis immobilitatur per accidens ſecundum conuerſionem ad actum exteriorẽ. Non enim immobilitatur per ſe, ſed non influit virtutem ſenſus ſpirituſque ſenſibilem organis ſenſuum propriorum quia immobilitata ſunt ex ſomni frigiditate, vnde adhuc per ſe manet in actu communis ſenſus ſecundum conuerſionem ad interius. Itaque motus ſomni non eſt niſi ad organum communis ſenſus,& ideo non immobilitatur per ſe,ſed organa ſenſuum propriorum immobilitantur intrinſecus,& extrinſecus.

Quod ſomnium ſit paſſio ſenſus communis.

CAPVT XL.

SI ergo quæratur vtrum ſomnium ſit paſſio ſenſus communis,vel proprij? Dicimus,quod communis, qui ſcilicet accipit proprium ſenſatum in ſenſato communi per ſe,& in proprio per accidens, & de omnibus iudicat. Et in ſomno quidem per ſe non eſt niſi phantaſticum,vt ſenſibile in communi ſenſu acceptum, vnde iuxta philoſophum quod in ſomno videt homo quaſi ſentiat per quinque ſenſus, licet ibi nullum ſenſibile ſit intrinſecum. Hoc accidit per contrarium ei qui eſt in vigilia, motum. In vigilia ſiquidem extrinſeca mouẽt ſenſus,& ſenſus communis mouet imaginationem. At in ſomno reuertitur ac mouet ſenſum communem, ſenſuſque communis mouet particularem, & ſic accidit quod homo apprehendit ſenſibilia, licet non ſint extrinſeca, quia ſcilicet intentiones eorum ſunt in inſtrumentis ſenſuum. Itaque phantaſma quidem eſt de ſomnij eſſentia,non tamen vt phantaſma,ſed vt ſenſibile. Licet enim ſpecies ſomnij re non præſente ſit,eſt tamen vt rei præſentis,maximeque quando tanta eſt virtus ſomnij,quod ſomnians ſe ſomniare nõ percipit, ſed intentionem ſuper ſimulachrum tanquam ſuper rem conuertit. In illis autem qui percipiunt ſe ſomniare,adhuc eſt ſimulacrum vt ſenſibile,licet percipiatur deceptio virtute intellectus,& cognitiuæ potentiæ. Vt enim dicit philoſophus, ſpecies quæ eſt in organo ſenſus eſt ſenſibilis,ſiue veniat ab extrinſecus ſiue ab intrinſecus.

Qui percipiunt ſe ſomniare.

De ſpeciebus ſenſibilium,quæ apparent in ſomnys.

CAPVT XLII.

SI vero quæratur vtrum ſpecies illæ quæ ſunt eſſentiales ſomnio,ſint aliquid rei à qua abſtrahunt,dicimus, quod nihil eſt rei ſomniatæ niſi ſimilitudo illius. Nam reuera quædam ſpecies ſenſibiles generantur in organis ſenſuum. Ideoque dicit Ariſt. quod ſenſus in actu eſt ſpecies ſenſibilium, hæc tamen ſpecies nihil eſt de eſſe materiali,& naturali rei ſenſibilis, ſed ſimilitudo illius ab illa generata, & in illam ita ducunt per ſimilitudinem quam habet cum re ſenſata. Similiter & intellectus, nihil rei accipit in rei veritate, ſed ſpeciem abſtractam à re,quæ eſt intentio & quidditas rei ſecundũ rationem,licet non ſecundum eſſe. Itaque ſpecies coloris in oculo non habet eſſe coloris, ſed intentionem & imaginem, per quas efficitur principium cognitionis ſenſibilis,ſic etiam dicendum eſt de ſomnijs.

Porro ſi quæratur, vtrum huiuſmodi ſpecies abeuntibus ſenſibilibus reſeruentur in organis. Dicimus quod rerum ſimulachra non reſeruantur in organis ſenſuum, ſed in organo imaginationis. Et in ſomno fluunt ad organum ſenſus communis,illeque ſuper ea conuertitur, ſecundum quod ſunt à ſenſibilibus proprijs. Vnde videtur audire quando conuertitur ſuper ſenſibile auditus,& ſimiliter videre quando conuertitur ſuper ſenſibile viſus,& ita de cæteris ſenſibus. Quod ideo fit quia in ſomnio phantaſma vt ſenſibile agit. Hic ait Ariſtot. in lib.de ſomno & vigilia quod abeuntibus ſenſibilibus in cella remanent ſimulacra. Vocat autem Ariſtot. profundum ſenſuum communis ſenſus organum. Et probat quod ſenſibilia ab ipſo phãtaſtico ad organum ſenſus communis refluentia poſſunt manere in ipſa re non præſente,quia poſt impreſſionem aliquamdiu manent in organorum ſuperficie.

Quæſt. Reſp.

De ſecunda quæſtione Ariſt. circa ſomnium.

CAPVT XLIII.

DE ſecunda quęſtione ſcilicet propter quã cauſam quidã dormientes ſomniant & quidã non ? tangit Ariſtot.tria. Primum videlicet,cur quidam per totam vitam ſomniauerunt ? Secundum,cur in iuuentute quidam nunquam ſomniauerunt,& prouecti ſomniare incipiunt? Tertium eſt,cur ſomnia plus in fine dormitionis quam in principio fiunt ? De primis enim dicit. Iam vero quibuſdam accidit,vt nullum ſomnium viderint in vita ſua. Rarum quidem eſt huiuſmodi, accidit tamen. De ſecundis autem dicit. Aliquibus autem & prouectis multum ætate accidit ſomnium, cũ primum nullum ſomnium viderint. De tertijs vero dicit. Sedato & diſcreto ſanguine in habentibus ſanguinem conſeruatorum ſimulacrorum motus ab imo quoque ſenſuum valida facit vtique ſomnia. Sedatio & diſcretio ſanguinis fit in fine dormitionis, quando completa eſt digeſtio. Item dicit Alpharabius & Auicenna contra primum, quia in omnibus animalibus ſanguinem habentibus ſanguis purus diſtribuitur membris ſuperioribus,& impurus inferioribus,& hoc in fine digeſtionis. Si ergo cum ſanguine ſubtili phantaſmata deſcendunt in ſenſum communem & ſomnia faciunt, vt dicit philoſophus, Omnis homo & omne animal ſanguinem habens debet ſomniare.

Quæſtiones Ariſtotelica reſoluta.

Præterea philoſophus cauſam aſſignat,cur quidã nũquã ſomniãt,dicens quod in talibus eſt per totum ſomnum multa euaporatio ſpiſſi ſanguinis ad cerebrum. Et ſunt hæc verba ſua. Quibuſcumque exiſtit hæc natura,vt multum aſcendat euaporatio ad ſuperiorem locum,& iterum deorſum lata faciat multitudinem motus,conſequenter iſtis nullum apparet phantaſma. Sed contra hoc videtur eſſe,quod euaporatio cauſa eſt dormitionis. Et cum conſequenter continuè eleuetur euaporatio in illis, ſomnus eorum nunquam videtur eſſe excitabilis. Et ſi excitabilis eſt, tunc oportebit diminui euaporationem, & tunc poſſunt deſcendere phantaſmata & facere ſomnia. Item videtur quod talis magis debeat ſomniare quam alij. Fortis enim euaporatio contingit à calido multum agente, & ab humido multum eleuabili. Sed calidum (vt dicit Auicenna) multum mouet phantaſmata, & humidum eſt ſubiectum phantaſmatum deſcendentium. Igitur videtur quod tales continue debeant ſomniare,&c.

Nunquam ſomniantes.

Obiect.

Huius Quæſtionis ſolutio & de his qui nunquam ſomniant.

CAPVT XLIV.

VErũm quidam nunquam ſomniant per totam vitam,vt dicunt philoſophi. Et huius cauſa eſt duplex,*vna eſt ex parte corporis*, quam tangit philoſophus, quod ſcilicet non dormitãt poſt, id eſt poſt completam digeſtionem cibi, & tales ſunt illi in quibus eſt calor magnus circa locum digeſtionis, permanẽs tota vita. Qui ſcilicet calor eleuat euaporationes ſpiſſas & craſſas ad caput, quæ deſcendunt infrigidatæ, & iterum

Duplex cauſa non ſomniandi.

eleuan-

eleuantur à calore. Cumque calor ille non reuertatur nec remittatur circa locum digeſtionis, niſi quando expanditur in vigilia ad exterius, in talibus ſemper profundus eſt ſomnus, nec ſomnio aptus. *Alia vero cauſa eſt ex parte animæ* ſcilicet debilitas virtutis imaginatiuæ, quæ formare non poteſt imagines fortiter mouentes. Ad id autem quod contra hoc obijcitur. Dicendum eſt Quod in talibus eſt calor vehemens valde, & ideo ſtatim quãdo ſanguis accidit aliquo modo ad ſubtiliationem, incipit prædominari calor frigiditati cerebri, & ſoluit ſenſus à vigilia. Et ideo tales euigilant antequam incipiant ſomniare completa digeſtione. Cæterum euaporatio non eſt ita continua ſpiſſà, quin in fine incipiat ſubtiliari & ſeparari ſanguis purus ab impuro, & ſic fit ſomnus eorum excitabilis: ſed quia calor fortis eſt, ſtatim ſoluuntur ſenſus à vigilia, & ideo euigilãt antequam ſomniare incipiant. Porro ſpiſſa fit euaporatio propter multum calidum, fortis enim calor eleuat craſſum & ſubtile ſimul. Et propter illam euaporationis turbationem ſpiritus animalis turbatur in capite, ita vt non poſſint in eo formæ apparere, formæ enim non apparent niſi in ſpiritu claro & puro.

De illis qui iam ætate prouecti ſomniare incipiunt.

CAPVT XLV.

Obiect. COntra ſecundum quod dicit Ariſtote. videlicet quod aliquibus prouectis ætate ſomnium accidit, cum prius nullum ſomnium viderint, obijci poteſt quod idem Ariſtot. Dicit in 6. phyſicorum, quod ſcilicet infantes addiſcere non poſſunt, neque iudicant ſenſibus ſimiliter presbyteris id eſt ſenioribus, multa enim turbatio circa hoc & motus. Et intendit quod propter fluxibilitatem complexionis ac nutrimenti in pueris anima circa idem non infigitur, ſed circa multa vagatur. Cum ergo motus phantaſmatum plurimus ſit cauſa ſomni, maxime debent ſomniare minores ac pueri. Præterea ſecundum Ariſtot. ſomnij motus eſt ſicut motus vertiginis in humido, in quo multæ apparent figuræ ex multis motibus. Cum ergo cõplexio puerorum maxime humida ſit, & ad diuerſitatem figurarum mobilis, videtur quod pueri debeant ſomniare plus ſenibus & prouectis.

Solut. *Nos autem dicimus*, quod quidam in iuuentute non ſomniant, & prouecti iam ætate ſomniant, hoc contingit ob cauſam ſuperius iam expoſitam. In iuuenibus eſt calor magnus eleuans purum & impurum ſimul ad caput. Ideoque confortat ſomnum, & impedit ſomnium. In prouectis autem calor remittitur, & ideo non eleuat niſi purum, quod facile eſt leuare. Vnde cum in puro bene reſultent formæ, tunc incipiunt ſomniare. Ad obiectum vero in contrarium dicimus, quod in pueris vtique multum eſt humidum & fluxibile. Sed quia calor interior in dormitione cõfortatur, humidum illud cum impuro ad caput eleuato commiſcetur. Illaque impuritas impedit formarum reſultationem, & iccirco non ſomniant.

Quæ phantaſmata faciunt ſomnium.

CAPVT XLVI.

CIrca tertium quod dicit philoſophus quod ſcilicet in fine dormitionis plus fiunt ſomnia quam in principio, quia ſedato ac diſcreto ſanguine conſeruato, ſimulacrorum motus ab vnoquoque ſenſuum ſomnia facit valida. Quæri poteſt, quæ phãtaſmata deſcendunt à phantaſia ad ſenſum communem, vt faciant ſomnia. Aut ea quæ manifeſtius ſunt in ipſa, & fortius impreſſa ſunt. Aut ea quæ magis latent, & debilius impreſſa ſunt. Aut ea quibus nuper in vigilia fuit meditatio & cognitio. Non enim pluribus modis videtur poſſe contingere phantaſma. Si dicatur primo modo, tunc ſomnium erit ſemper de omnibus phantaſmatibus & ſenſatis, & talia ſunt multa & infinita, & non determinata, & non ordinata ad vnam ſcientiam, vnde ſecundum hoc videbitur omne ſomniũ eſſe de infinitis inordinatis & indeterminatis, quod falſum docet eſſe experientia. Sed tamen videtur quod omnia deſcendant. Quæcunque enim æqualem habent inclinationem ad ſenſum communem æqualia ſunt ad ipſum. Sed omnia phantaſmata æqualem habent inclinationem ad ſenſum communem, ergo æqualis erunt deſcenſus ad ipſum. Prima patet de ſe, Secunda vero probatur ex hoc, quod omnia phantaſmata accipiuntur à ſenſu. Si autem dicatur, quod ea deſcendunt, quæ fortius impreſſa ſunt, propter rationem ſuperius habitam ſcilicet quia fortiores motus debiliores excludunt, Et ideo cum phantaſma fortius impreſſum moueat, ipſumque fortius excludat debilius impreſſum à motu ſomnij, econtra ſic poteſt obijci. Si phantaſma tantum fortius impreſſum, fortius apparet in ſomno, cum non imprimatur fortius niſi per maiorem attentionem circa illud, nec occurrit ſomnium niſi illa quæ maiorem habent attentionem in vigilia, quod falſum eſt manifeſte. Porro ſi dicatur, quod illà magis apparent, quæ magis latent ac debilius impreſſa ſunt contra hoc eſt aperte, quod latentia debiliſque impreſſio potius ſunt, cauſa non apparentiæ quam apparentiæ. Præterea dicit Auicenna quod magis ſomniat homo de his circa quæ ſollicitus, & attentus eſt magis. Sollicitudo autem & attẽtio cauſę ſunt maioris impreſſionis. Non ergo apparent ea quæ debilius impreſſa ſunt. Si autem dicatur, quod in ſomnio apparent ea de quibus in vigilia præceſſit cogitatio vel locutio, ſicut dicere videtur Ariſt. in 2. de ſom. & vig. quod ea frequenter apparẽt in ſomnijs quorum cauſa præceſſit in vigilia. Experimentum eſſe videtur econtra. Multi namque ſomniant ea quæ nunquam viderunt vel audierunt, vnde quia talium cauſa non præceſſit, in vigilia, patet, quod hoc non eſt apparitionis ſomnialis cauſa.

Diffícile dubium.

Solutio prædictæ quæſtionis.

CAPVT XLVII.

NOs autem dicimus quod in fine dormitionis frequentius apparent ſomnia ex cauſa itidem ſuperius dicta, quia ſcilicet calor digeſtiuus confortatur in principio, & inuenit cibum permixtum purum cum impuro. Ideoque turbatam euaporationem ſic eleuat ad caput, in qua non bene reſultant imagines. At in fine cum impurior ſanguis reſidet deorſum, & ſubtilis tantum eleuatur ſurſum, tunc purificatur ſpiritus animalis, & incipiunt reſultare ſimulacra inſomnijs. Porro ſomniorum quædam ſunt ſigna vel cauſæ aliquorum præteritorum vel præſentium vel futurorum, & illa proueniunt diuerſis cauſis agentibus, de quibus dicetur inferius. In talibus imaginatiua præparat imagines rebus ſignatis conuenientes, & in talibus nec omnia phantaſmata, nec fortius impreſſà, nec debilius impreſſa, nec etiam de quibus locutio fuit in vigilia deſcendunt, ſed ea ſola quæ rebus ſignatis competunt. Quædam vero ſunt, quæ nec rationem cauſæ nec ſigni habent ad res aliquas in præſenti vel in præterito, vel in futuro ſignandas. In talibus frequenter mouent phantaſmata fortius impreſſà, ſicut immediate de forti ſtudio venienti ad dormitionẽ accidit, qui ſomniat idem quod ſtuduit. Et talia vt frequenter conſueuerunt durare per totam dormitionem. Itaque non omnia phantaſmata deſcendunt, quia licet ſint à ſenſu, non tamen æqualem habent inclinationem ad deſcenſum. Quædam enim inclinantur per modum cauſæ vel ſigni. Quædam ex fortitudine impreſſionis, vt patet ex prædictis, & illa deſcendunt prius quam alia. Impreſſà vero magis deſcendunt, niſi impediat ratio cauſandi vel ſignãdi, vt dictum eſt. Ideoque quandoque contingit magis latentia ſomnia fieri. Porro debilius impreſſa non deſcendunt, niſi faciant ad cauſandum & ſignandum. Nam licet in ſe latentia ſint, efficiuntur tamen apparentia propter mouens intus ex parte corporis, vel ex parte elementorum vel cæli, vel ſubſtantiarum ſeparatarum. Illa vero de quibus in vigi-

Solutio.

lia

lia fuit meditatio vel locutio frequenter deſcendere contingit, quandoque tamen per rationem cauſandi vel ſignandi prædictam aliter accidit.

De ſomnijs incertis.

CAPVT XLVIII.

Duplex cauſa incertorũ ſomniorum.

QVod autem quidam de diuerſis & inordinatis ſomniando habent incerta ſomnia, contingit ex duplici cauſa, *vna eſt ex parte animæ*, quam Ariſt. tangit in ſecundo de ſomno & vigilia, vbi dicit quod mendaces falſâ conſueuerunt habere ſomnia. In ethicis quoque tangitur ab eodem Ariſt. vbi dicit quod meliora ſunt phantaſmata iuſtorum quam quorumcunque. *Alia vero eſt ex parte corporis* ſcilicet fluxibilitas complexionis quæ eſt de facili mobilis. Et ideo vna figura infringit aliam, & vnus motus alium, fiuntque figuræ incertæ & indeterminatæ, & motus ſimiliter. Ex hoc ergo ſequuntur ſomnia incerta & inſtabilia & indeterminata ſcilicet ex fluxu deſideriorum & inſtabilitate. Ideoque talia pueris & iuuenibus apparent frequentiſſime. Porro quidam habent ſomnia multa, ſicut infirmi quidam: & etiam dormientes poſt vigiliam in hora matutinali, in talibus enim eſt euaporatio debilis, vel propter inanitionem vel propter completam digeſtionem, vnde cum in eis ceſſant exteriores ſenſus, intenduntur imaginationis motus, apparentque phantaſmata, & multiplicantur ſomnia.

De tertia quæſtione Ariſtotelis circa ſomnium.

CAPVT XLIX.

Latentia ſomnij quid?

TErtia quæſtio Ariſt. eſt de latentibus ſomnijs ex vi dormitionis. Et dicimus quod latentia ſomnij dicitur, quando ſomnium vt res à ſomniante accipitur: quod contingit duobus modis ſcilicet ex potentia ſomnij & debilitate. Et quando contingit ex potentia, tunc eſt deceptio & latentia proprie. Quando autem ex debilitate, tunc non eſt deceptio, ſed improprie dicitur latentia; potentia vero ſomnij dicitur primo quidē à quadam immobilitate ſenſus communis, & ſecundario ab immobilitate rationis. Senſus enim cõmunis licet non immobilitetur in ſomnio, quo ad actũ interiorem, tamē immobilitatur quo ad exteriorē. Et hoc dicitur maior potentia ſomnij. Ratio autem licet non immobilitetur à ſomnio per ſe, tamen immobilitatur per accidens, vt dictum eſt. Et hoc accidens duplex eſt. Vnum quidem, quia propter colligantiam virium animæ in vna natura animæ & ſubiecto contingit, quod ſi anima intẽdit motui vnius potentiæ, ſtatim abſtrahitur à motu alterius. Quia (ſicut dicit philoſophus) motus fortior in motibus animæ ſemper excludit debiliorem. Vnde cum in ſomnis anima maxime intendit motui imaginationis, contingit quod abſtrahitur à motu rationis & intellectus. Aliud accidens eſt, quia cum intellectus moueatur à phantaſmate, hoc non contingit omni modo ſed illo modo tantũ quo phãtaſma per ſenſum accipitur à re & ſenſu, & procedit in phantaſiam, & ſic vlterius procedit ad mouendum intellectum. In ſomnis autem non eſt talis proceſſus phantaſmatis, ſed potius à phantaſia procedit ad ſenſum per diſtantiam ab intellectu, vnde intellectus manet immobilis, eo quod non ſit mouens ipſum. Et tunc non deſit iudicium intellectus, deeſt & illa comparatio ſenſus communis qua comparat exterius ad interius, quare neceſſe eſt accipere ſimulacrum vt rem.

De ſomnio latente & non latente.

CAPVT L.

ET hoc eſt latens ſomnium ex maiori poteſtate ſomnij. Alius modus eſt quo accipitur ſomnium, vt res ex debilitate ſomni, & ibi eſt latentia parua. Et contingit, quando iam ſenſus incipiunt ſolui à vigilia, & tunc propter quietem ſenſuum paruum ſenſibile facit maxime motum in ſenſu ſicut parua lux videtur maxima, & paruus ſonus maximus ſtrepitus eſſe videtur. Et ſic accidit alicui, quod ſomniat ſe audire canes vel campanas, & quando euigilat audit eos. Et ſic etiam contingit alicui debiliter dormienti, cui aſſiſtunt loquentes de materia aliqua, quod ſomniat de eadem materia, vel in parte vel in toto. Et hoc eſt quod dicit philoſophus in ſecundo de ſomno & vigilia. Aliquibus accidit ſentire aliquo modo ſonum & lumen & ſaporem, languide quidem & velut de longe. Nam in dormiendo reſpicientes, & eueſtigio, id eſt, ſtatim ſurgentes, quod rectè videbant lumen lucernæ dormientes, vt arbitrantur, expergefacti cognouerunt, quod lucernæ erant. Et gallorum & canum tacite voces audientes, expergefacti cognouerunt eſſe manifeſte. Quidam vero & reſpondent interrogati.

Somnium non latens contingit 2. modis.

Sed tamē nullum iſtorum proprie dicitur ſomnium, eo quod ſomnus iam adeo debilitatur, quod ſenſus ſecundum aliquid ſoluti ſunt à vigilia. Non latens autem ſomnium contingit duobus modis, ſcilicet ex reflexione rationis in phantaſia apparens. Et ex hoc quod ſenſus communis interius comparat ad exterius. Et primum contingit duabus de cauſis. Quarum vna eſt ſolicitudo, quia ſcilicet alicui multum contrarium voluntati apparet in ſomnis. Et tunc excitatur anima ad repellendum illud, & poſt multam pugnam excitatur ratio quaſi conſolans animam quod non ſit res, ſed rei ſimulachrum. Et talia ſomnia frequentiſſimè occurrunt religioſis, quibus ex longo ſtudio abominabile factum eſt peccatum. Cum enim ſomniant ſe peccare, ex ſolicitudine accidit eis quod dictum eſt. Altera cauſa eſt puritas & forticudo intellectus. Quibuſdam enim ſemper præſto ſunt veræ intelligentiæ, & talium anima frequenter excludit motus ſimulachrorum. Quando autem ſenſus communis interius comparat ad exterius, tunc contingit ex debilitate dormitionis, quia iam ſenſus communis quodammodo incipit ſolui ad actum exteriorem, quandoque tamen contingit quod ſomnus debilitatur, & tunc ſomnium incipit non latere. Et ſic accidit eis qui vident ſomnia, & poſtea vident ſe ſomniare, & narrare illud ſomnium alteri. Cum enim primo vident ſomnium, tunc latet. Et quando vident ſe ſomniare non latent, & quando vident iterum ſe narrare illud ſomnium alteri, latet, quia in veritate non narrant, ſed ſomniant ſe narrare.

De deceptionibus animæ in ſomnijs.

CAPVT LI.

IN ſomnis autem dupliciter anima decipitur, quorum vnus eſt ex vi dormitionis, qui iam determinatus eſt paulo ſuperius. Secundus eſt ex modo compoſitionis, quæ oritur ex ſenſu communi, ac per conſequens hic etiam determinatus eſt ſupra in tractatu de ſenſu communi. Porro de obliuione qua quidam obliuiſcuntur ſcientiæ per ſomnum habitæ. Dicunt Gregorius Nyſenus & Iſaac, quod obliuio eſt corruptio ſcientiæ, vnde cum minus operantur cauſæ deſtruentes obliuionem in ſomno, patet quod in ſomno magis operari debet obliuio. Cauſæ quippe deſtruentes obliuionem ſunt ſcientiæ acceptio, memoria & reminiſcentia, quorum nullum operatur in ſomno, ſed in vigilia. Præterea in ſomno non poteſt ſcientia accipi, ergo nec ſaluari, & ita ſequitur obliuiſci.

Obiect.

Econtra vero poteſt obijci, quod obliuiſci eſt id quod in anima prius acceptum eſt ab anima ſeparari. At in vigilia pluſquam in ſomno ſeparatur ab anima, quod eſt acceptum ab ipſa, nam in vigilia ſoluti ſunt ſenſus ad exteriores actus, vnde ſic per ſenſus accipere contingit noua ſimulachra, & ſic deleri vetera. In ſomno autem ſenſus ad exteriores actus immobiles ſunt, ita quod per noua ſimulachra non delentur vetera, quia noua non adueniunt. Igitur in vigilia magis quam in ſomno contingit obliuiſci, quod & nos concedi-

mus

mus ſimpliciter, quoniam in vigilia contingit obliuiſci per ſe, ſed in ſomno niſi per accidens. Obliuiſci enim eſt corruptio memoriæ, vnde ſicut meditationes quæ ſaluant memoriam per ſe agunt in vigilia. Ita deſitio meditationum per ſe reducitur ad vigiliam. Oppoſita enim reducuntur ad idem. In ſomno autem non eſt obliuio, nec ſcientiæ acceptio, nec ſalus eius. Cuius enim non eſt vnum oppoſitorum, illius neque reliquum erit.

Solutio. *Ex hoc patet ſolutio ad obiectum.* Non enim ſequitur, ſi in ſomno non ſaluatur ſcientia, quod propter hoc corrumpatur in ipſo. Quod vero in ſomno non contingit recordari præcedentium quæ facta ſunt in ſomnio, non habet hanc cauſam, quod in ſomnio fit per ſe obliuio, ſed illam quæ ſupra expedita eſt, ſcilicet quia memoria immobilitatur in ſomno, non autem in vigilia.

De quarta quæſtione Ariſtotelis.

CAPVT LII.

Affirmans pars probatur. QVarta quæſtio Ariſtot. eſt, vtrum futura contingat in ſomnio præuidere, vel non? Et patet, quòd ſic etiam ſecundum ipſum. Nam omnes inquit æſtimant, aliquam aſſignationem futurorum habere ſomnia & hoc fidem importat tanquam ab experientia dictum. Quod enim ab omnibus dicitur, neceſſe eſt verum eſſe, vel in toto, vel in parte. Idem etiam inducit rationem ab auctoritate medicorum, qui dicunt quod oportet valde ſomnijs intendere, eo quod aliquid ſignificent in futurum, hoc quoque probat per rationem à ſimili, quia ſcilicet in quibuſdam alijs contingit aliquo modo futura coniecturari, vt in quibuſdam ſignis aſtrorum & nubium. *Pars negans probatur.* *Econtra vero idem Ariſtot. obijcit,* quod cognoſci non poteſt illud, cuius nulla rationalis cauſa præcedit. Nam omne quod cognoſcitur, in cauſa præcognoſcitur. At vero ſomniorum nulla eſt cauſa præcedens rationalis, quia ſomnium eſt contingentis, nec eſt cauſa ipſius. Ideoque ipſum non videtur aliquid præcognoſci. Præterea dicit ſcriptura diuina, quod multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in ſe.

Reſolutio. Nos autem cum ſanctis, & prophetis dicimus, quod ſomnia frequenter aliquid ſignant de futuris, maximeque vt dicit Auic. quæ ſunt in dormitionis fine, ſicut illa quæ videntur in mane. Omnes enim cogitationes hac hora quieſcunt, humorum motus finiti ſunt, ideoque cum imaginatiua non ſit impedita per corpus, nec impediatur ab alijs actibus animæ, tunc obſequium eius quod præſtat animæ, melius eſt quam poſt, & ideo in talibus imaginationibus frequenter pręuidentur futura. Somnium tamen licet principaliter ſit futurorum, tamen & pręteritorum & præſentium eſt, quæ latent cognitionem noſtram, vt dicit Alpharabius. Ad id ergo quod obijcitur in contrarium, dicendum eſt, quod ſomnium quandoque eſt ſignum cauſæ, & quandoque eſt ſignum ſigni, & quandoque ſignum accidentis, & pręcognitio varia ſecundum illa. Ad id autem quod obijcitur, quod omne quod ſcitur, per cauſam ſcitur. Dicendum quod hoc eſt intelligendum de ſcientia intellectiua, quæ accipitur per medium demonſtrationis & ſillogiſmi. Scientia vero ſomnialis eſt quæ habetur per proprietates imaginum apparentium. Vnde dicit philoſophus. Altiſſimus eſt iudex ſomniorum, qui poteſt ſimilitudines inſpicere. Porro eccleſiaſticus dicit de illis qui innituntur ſomnijs tanquam ex neceſſitate futuris, cum ſomnia non ſunt neceſſaria ſigna futurorum, vt dicit philoſophus.

De quinta quæſtione eiuſdem.

CAPVT LIII.

CIrca quæſtionē Ariſt. quintā ſcilicet qualiter contingat futura præuidere per ſomnium. Primo videndum eſt, quot & quibus modis contingant ſomnia quæ ſunt præſagia futurorum. Dicit autem idem Ariſt. quod ſomniorum quædam ſunt cauſa, quædam ſignum, quædam incurſus accidentalis. Sic & rebus quædam fiunt per cauſam, vt defectus ſolis per lunæ interpoſitionem. Quædam vero ſunt ſigna eorum quæ fiunt, vt appropinquatio lunæ ad locum coniunctionis, ſignum eſt eclypſis futuræ. Quædam vero accidentia, vt quod aliquo ambulante accidit ſolem eclypſari.

Somnia non ſunt cauſa. At econtra videtur, quòd nullum ſomnium ſit cauſa, quia omne ſomnium eſt ſimulacrum apparens in anima. Nullum autem ſimulacrū huiuſmodi cauſa eſt alicuius futuri. Nam ſpecies quæ ſunt in anima, non ſunt rerum extrinſecarum cauſæ, ſed potius ab ipſis cauſatæ. Præterea ſi ſomnia eſſent aliquorum cauſæ, aut eſſent cauſæ per ſe, aut per accidens. Si per ſe, tunc aut efficiens aut materialis, aut formalis, aut finalis. Si efficiens tunc cum efficiens per ſe non agat, niſi coniuncta & approximata materiæ quæ eius actione patiatur, ergo coniuncta erunt ſcilicet omnia ſemper rebus illis quæ ſignantur in futuro coniuncta, quod plane falſum eſt Si dicatur quod ſit cauſa finalis, tunc cum huiuſmodi cauſa ſit propter rem, ſomnium debet fieri poſt illam rem quę ſignatur in futuro, quod iterum falſum eſt. Si formalis vel materialis, tunc cum huiuſmodi cauſę ſemper rei ſint intrinſecæ, & nunquam extra illam, oporteret quod ſomnium quodlibet eſſet intrinſecum rei ſignatæ in futurum, vel vt materia, vel vt forma, quod etiam patet eſſe falſum. Porro ſi dicatur quod eſt cauſa per accidens, contra hoc & obijcitur, quòd omne per accidens ad id quod per ſe vt ad ſubiectum reducitur. Si ergo ſomnium eſt per accidens, cauſa aliquorum futurorum puto, oportebit aliquid eſſe in ſomno, vel ſomniante quod ſit cauſa per ſe, quod non eſt facile fingere, cum ſæpiſſime ſomniemus ea quæ multum diſtant per locum & tempus, quorum nullo modo cauſa vel occaſio ſumus.

Quo ſenſu ſomnium dicitur cauſa. *Nos itaque dicimus,* quòd ſomnium non dicitur cauſa eſſe, niſi quia ſimulacrum eſt cauſæ. Porro ſomnium aliquando eſt ſimulacrum efficientis, aliquando materialis, aliquando formalis, & aliquando finalis. Et bene concedimus, quod ſomnium aliquando eſt ſignato coniunctum. Nam ſignatum iam eſt in re vel in fieri apud ſomniantem, quandoque eſt cauſæ etiam ſimulacrum per accidens, quia per accidens reducitur ad per ſe cauſans in anima vel in corpore.

De ſomnijs ſignificatiuis.

CAPVT LIIII.

ITaque ſomnia iuxta ſanctos & etiam iuxta philoſophos aliquando ſignificationem habent, aliquando non, & illa quidem quæ non habent ſignificationem non ſunt niſi motus ſimulacrorum, vt ſuperius eſt habitum. Illa quæ habent ſignificationem, triplicem habent ad ſignificata relationem, videlicet cauſæ, ac ſigni, & incurſus accidentalis. Illud enim quod cognoſcitur, aut cognoſcitur ex proprijs aut ex communibus. Si ex proprijs tunc per cauſam habet cognoſci. Si ex communibus, hoc eſt per propinqua vel remota. Si per propinqua tunc cognoſcitur ex ſignis, quia propinqua accidentia ſunt ſigna. Si vero per remota, tunc cognoſcitur per incurſum accidentalem: quocunque autem modo cognoſcatur in ſomnis res futura, ſemper communior modus cognoſcendi erit per proprietates metaphoricas. Si vero cognoſcatur per cauſam, tunc eſt res quæ cauſam habet ex parte corporis vel animæ.

Ratio ex parte cauſa cognoſcendi ſomnia per corpus. *Ex parte corporis* quidem, ſicut quando aliquis videt ſe in igne, vel in parte, vel in toto, ex eo quod in toto vel in parte in naturali calore calefactus eſt, & aliquis ſomniat ſe comedere mel, eo quod phlegma dulce tangit palatum & linguam. Aliquis etiam ſe sō-niat eſſe in nine & in aqua & glacie eo quod in parte

vel

vel in toto aqua nimis infrigidatus est. Et ad hunc modum reducũtur somnia sequentia complexiones hominum, sicut quod cholerici frequenter somniant se ardere Et phlegmatici se natare & submergi in aquis. Melancholici autem tetra & obscura & nigra somniant se videre, eo quod talis sit dispositio melancholiæ, & huiusmodi. Ad hunc etiam modum reducuntur somnia illa quę sequuntur naturas ciborum, quod enim complexio facit per naturam, hoc cibus facit ex accidente, & eo modo sunt somnia secundum naturas infirmitatum. Quod autem ex somnis fortior occurrit motus, quam sit, hoc contingit propter duas causas, quarum vna est, quia anima est quieta, & tota fertur ad motum vnum. Secunda est, quia spiritus animalis est quietus & iccirco ab vno motu totus imprimitur & ideo motus ille sic maior videtur, sicut vnum videtur duo, quando diuaricatur spiritus visiuus. *Causa 2. ex parte animæ.* Causa vero quæ est ex parte animæ est duplex, scilicet ex parte scibilium & ex parte operabilium. Ex parte scibilium sic. quando inquisitio aliquorum fuit in vigilia, & præsentatur motus illius inquisitionis in somnio, & in eis manifestantur futura scibilia. Ex parte vero operabilium, quando dispositio aliquorum operabilium præcedit in vigilia, tunc enim motus eiusdem dispositionis præfert operationem futuram.

De diuersis somniorum signis.

CAP. LV.

Signum 3. *Signum vero est triplex scilicet in cœlo, & in elemẽtis, & in somniante.* In cęlo quidem sicut stella mouet ad aliquid, cuius motus existens exiguus in vigilia nõ percipitur sed in somno manifestatur, secũdum quod dicitur communiter à philosophis, quod aliud significant somnia in plenilunio & aliud in nouilunio, & aliud sole, vel alio planeta existẽte in bicorporeo signo, & aliud quando sunt planetę in signo vnius corporis. Ex parte vero elementorum sunt signa quando elementa disponuntur ad serenitatem vel pluuiam, vel ventos, vel huiusmodi aliquid. Cum enim illa dispositio est parua in elementis, non sentitur in vigilia, sed percipitur in somnio, secundum quod aliquis pisces somnians, suspicatur futuram pluuiam, & somnians pisces mori & exiccări, interpretatur futuram serenitatem. Signa vero ex parte somniantis sunt dispositiones somniantium paruæ, quę non nisi in somno sentientur, sicut aliquis somnians ignem, interpretatur futuram iram, & somnians se videre os putridum magnum, interpretatur impositionem falsi criminis, & somnians se videre scorpionem, interpretatur futurã detractionem occultè, eo quod talium dispositiones iam mouerunt somniantem ex parte corporis vel ex parte animæ, sicut in ira futura forte fuit memoria iniuriæ vel alicuius debilis ascensus sanguinis ad cor, & impositionem falsi criminis forte præcessit suspiciosum aliquid vel aliquod suspectum factũ, cuius motus signum fuit futuri. *Incursus.* Accidens autem siue incursus est de his, quæ procul sunt tempore vel loco, & quorũ notitia super nostram videtur esse prudentiam, vt dicit philosophus, sicut est de nauali bello futuro, vel de regnis subuertendis, vel de toto mundi statu futuro sicut in somno Pharaonis, Nabuchodonosor, & Danielis. Et notitia huiusmodi somniorum non fit sine reuelatione.

De reuelationibus quæfiunt in somnijs.

CAP. LVI.

FIunt autem reuelationes duobus modis scilicet secundum veram intelligentiam diuinę voluntatis, & secundum permixtionem phantasmatũ. Primo modo non est somnium sed prophetia. Secũdo modo est releuatio non signantis rem futuram simpliciter, sed secundum conditionẽ aliarum causarum naturale vel voluntatiam. Quæ scilicet causę non sunt necessatiæ, non enim necessarium est, quod signatum est, futurũ esse, hoc tamen intelligendum est, quod somniũ semper fit in proprietatibus phantasmatũ, quia sine phantasmatibus non est aliquod somnium. Dicimus ergo philosophis consentiendo, quod somnia non eueniũt de necessitate, siue sint causæ siue signa siue incursus futurorum accidentalis. At vero somnium Pharaonis & Nabuchodonosor & Danielis fuerunt prophetiæ secundum quid immobiles de futuro scilicet existentibus causis voluntarijs, simpliciter autem non. Nam si merita voluntatis Ægyptiorum immutata fuissent, non induxisset Deus famem, similiter quod sæculũ est aureum, postmodum argenteum, & postea ferreum, non aliter æstimandum est quam propter dispositionẽ volũtatis eorum qui sunt in sæculo, & non necessario. Somniũ itaq; signat aliquid scil. contingens de futuro, quod tamen ad alteram partem est dispositum magis.

Quæst. Resp. Et si quæratur vtrum hoc sit aliquid vel non, dicimus quod illud nõ sit simpliciter, sed secundum quid scilic. secundum dispositionem. Sciendum vero quod reuelatio somnialis quę per Angelos fit, habet aliquid de esse prophetię & aliquid de esse somnij, & secundũ quod est habens esse somni nõ consistit in intellectu sed in imaginibus à phantasia præparatis, vt quod Daniel vidit bestias de mari ascendentes & Pharao spicas & boues. *Prophetia.* At vero secundum quod habet esse prophetiæ sic est principaliter in intellectu, & à somnio differt, neq; vero sensibilia transeunt ad intellectum, sed manent in imaginatione. *Somnium.* Sed vt dicit Daniel, intellectu opus est in visione.

De sexta quæstione Aristotelis.

CAP. LVII.

SExta quæstio est Aristotelis, vtrum futura perspiciantur ab homine solum, vel causã habeant quosdam dæmones. Et nos quidem dicimus quod in somnijs fiunt reuelationes ab intelligentijs, quæ dicuntur Angeli, fiuntq; à bonis & malis iuxta sententiam. Augustini. Dicit enim in duodecimo lib super Genesim. Quod per corporalem visionem ac per corporalium imagines, quæ in spiritu demonstrantur, & Angeli boni instruunt & mali fallunt.

Ratio ad probandũ somnia non fieri per intelligẽtias. Sed ecõtra videtur esse, quod Alpharabius & Isaac & Auicenna dicunt, quod intelligentijs non sunt nisi formæ vniuersales simplices, sicut earum substantiæ simplices sunt. Si ergo in animas imprimunt, non imprimunt nisi formas quales habent scil vniuersales ac simplices. At vero somnia fiunt tantum in particularibus phantasmatum formis, ergo intelligentiæ non faciunt aliquam impressionem in somniis. Præterea cõstat quod similitudines corporales non sunt in intellectu simplici ac puro, nec ab ipso. Omnia vero somnia sunt in corporalibus similitudinibus, vt ostensum est superius. Nulla ergo somnia sunt à puris & simplicibus intellectibus quales sunt Angelorum. Nos autẽ dicimus, quod licet in Angelis sint formæ simplices, tamen quia Angelus & intelligentia sunt substantiæ in animas humanas agentes, vt dicunt philosophi: Formæ illæ sunt in eis simplices, recipiuntur ab anima vel animabus, vt particulares & corporales, & hæc est solutio Alpharabij. *Solutio prædicta rationis.* Posset etiam dici quod intelligentia simplicem intellectum infundit, cui scilicet intellectui imaginatio format imagines. Tertio modo potest dici quod sunt formæ compositionis, & formæ abstractionis. Et formæ compositionis deseruiunt intelligẽtiæ actiuæ, formæ vero abstractionis intelligentiæ contemplatiuæ. Cumq; omnis intellectus actiuus agat circa particularia, necesse est formas eius esse particulares, licet tamen sint simplices, & tales sunt formę intelligentiarum, quas in animas imprimunt, & ab ipsa anima propter naturam imaginatiuæ corporales efficiuntur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cur intellectus futurorum non demonſtrantur in imaginibus proprijs.

CAP. LVIII.

Quæſt. QVæritur autem iuxta hoc, cur intellectus futurorum non demonſtrantur in proprijs imaginibus, vt ſcilicet homo videretur in imagine hominis, & ita de alijs, cum imagines propriè demonſtrarent expreſſius intellectum ſui quam metaphoricę. Ad hoc reſpondet Alpharabius, quod intelligentiarum formis, quas ipſæ intelligentię in animas imprimunt, magis ſimiles ſunt proprietates metaphoricæ, quam rerum imagines verę. Et ob hoc intelligentiæ futurorum intellectus imprimunt ſub metaphoricis proprietatibus & non ſub veris rerum imaginibus. Sed *Reſp.* quia reſponſio iſta non eſt ſufficiens. Dicendum eſt huius rei tres cauſas eſſe ſimul concurrentes: vna & præcipua eſt, quia ſomnia non ſunt niſi ſimulacra per ſenſum accepta in parte vel in toto, in cauſa vel in effectu. Futurum autem nec eſt in toto, nec in parte, nec cauſa, nec in effectu, ſiue in ſenſu. Futurum enim contingens non habet cauſam ordinatam, nec vt frequenter, nec vt ſemper, & ideo relinquitur quod in anima non poſſit eſſe per imaginem propriam vel per cauſæ ſuæ imaginem, Erit ergo ibi per imaginem ſimilis ſui. Secunda cauſa eſt, quia intellectus à ſomno ligatur per accidens. Senſus autem per ſe, vt ſupra determinatum eſt. Et ob hoc anima quidem à ſenſu & intellectu abſtracta confortatur in imaginatione ſua. Efficiturque potens non tantum in imaginibus, ſed etiam in earum proprietatibus. Tertia eſt quam tangit Alpharabius. Et veritas illius patet per intellectum diuinorum in ſacra ſcriptura, qui totus nobis manifeſtatur in huiuſmodi imaginibus.

De ſeptima & vltima quæſtione Ariſtotelis.

CAP. LIX.

Dubium. VLtima quæſtio de ſomnio eſt, vtrum à natura vel ab euentu fiant ſomnia; videtur enim quod à natura Per hoc quod dicit Ariſtoteles, quia quoruncumq; loquax eſt natura & multiplex & melancholica, multimodas vident viſiones. Eo enim quod circa plura multifariamque mouentur ſimulacra, theoremata naſcuntur, fortunati & his exiſtentes Ex hoc accipitur quod melancholicorum eſt multum ſomniare & ita ſomnia fiunt à natura, Videtur autem eſſe contrarietas inter Gregorium & Ariſtotelem, quoniam Ariſtoteles probat ſomnia non eſſe à Deo, Gregorius dicit ea quandoque eſſe ab illo.

Reſolutio. Nos autem dicimus quod nullum reuera ſomnium accidit ab euentu, quoniam euentus nulla eſt ſcientia nec interpretatio, vt dicit Alpharabius. Vnde quodlibet ſomnium reducibile eſt ad aliquam cauſam efficientem, quæ ſcilicet cauſa, vel eſt in ſomniante, vel extra ipſum vel partim in ipſo, & partim extra ipſum. Et ſecundum hunc modũ in diffinitione ſua procedit Gregorius, ſicut manifeſtius patebit inferius. Porro Ariſt. tangit cauſam ſomnij frequentis, & hoc probat eſſe naturę melancholicæ infirmitatis, non à merito gratiæ ac virtutis. Dicit autem quod non ſemper hoc falſum eſt, quod ſomnia à Deo ſint, ac per hoc innuit quandoque per diuinam reuelationem eſſe ab ipſo.

De ſex modis ſomnij.

CAP. LX.

Sex cauſæ ſomniorum. *Regor. in moralibus lib. 8.* Sex autem modis tangunt animum imagines ſomniorũ. Aliquando nanq; ſomnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquando illuſione aliquando cogitatione ſimul & illuſione aliquando & reuelatione, aliquando autem cogitatione ſimul & reuelatione generantur. Sed duo

A quę prima diximus, omnes experimẽto cognoſcimus, ſubiuncta autem quatuor in ſacrę ſcripturæ paginis inuenimus. Somnia etenim niſi plerunq; ab occulto hoſte per illuſionem fierent, nequaquam hoc vir ſapiens iudicaret dicens multos errare fecerunt ſomnia, & illuſiones vanæ, vel certe non auguriabimini, nec obſeruabitis ſomnia. Quibus profecto verbis cuius ſint deteſtationis oſtenditur quæ auguriis coniungũtur. Rurſum niſi aliquando ex cogitatione ſimul & illuſione procederent, Salomon minime dixiſſet, multas curas ſequuntur ſomnia. Et niſi aliquando ſomnia ex myſterio reuelationis orirentur, Ioſeph ſe fratribus prę ferendum per ſomnium non videret, nec Mariæ ſponſum vt ablato puero in Ægyptum fugeret per ſomnium Angelus admoneret. Rurſum niſi aliquando ſomnia cogitatione ſimul & reuelatione procederent, nequaquam Daniel propheta Nabuchodonoſor viſionem diſſerens, à radice cogitationis inchoaſſet dicens. *Tu rex cepiſti cogitare in ſtratu tuo quod eſſet futurum poſt hæc, & qui reuelat myſteria oſtendit tibi quæ futura ſunt.* Et paulo poſt, *videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis, ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te.* & cætera. Daniel itaque dum ſomnium ad implendum reuerenter inſinuat, ex qua ſit ortum cogitatione manifeſtat, patenter oſtenditur, quia hoc plerunque ex cogitatione & reuelatione generatur. *Daniel. 2.*

De ſufficientia viſionis ſecundum ipſum.

CAP. LXI.

QVodlibet itaq; genus, vt dictum eſt, ad aliquam cauſam efficientem reducibile eſt. Quæ videlicet cauſa vel eſt in ſomniante, vel extra ipſum, vel partim in ipſo, & partim extra ipſum: & ſiquidem eſt in ſomniante, tũc aut eſt ex parte corporis aut ex parte animæ. Si ex parte corporis, tunc eſt in ventris plenitudine, vel inanitione. Si autem ex parte animæ, tunc eſt in ſola cogitatione. Si vero eſt extra, tunc eſt à bonis Angelis, vel à malis. Si à bonis tunc eſt ex reuelatione. Si vero à malis, tunc eſt ex illuſione. Si autem eſt cauſa partim in ipſo partim extra, tunc etiam inquantum eſt extra eſt ab Angelo bono vel malo. Et ſiquidem à bono tunc eſt ex cogitatione ſimul & reuelatione. Si autem à malo tunc eſt ex cogitatione ſimul & illuſione. *Sic ergo patet ex parte cauſarum ſufficientia diuiſionis ſomniorum ſecũdum Gregorium.*

Reprehenſio diuiſionis Gregoriana. Sed forteſſis alicui videbitur eſſe diuiſio diminuta, quia ſicut alibi probatum eſt, cælũ ac ſtellæ quandoque mouent in ſomnis, quandoq; elementa, & quandoque corpus ipſius ſomniantis. Quorum nullũ Gregorius in illa diuiſione tangit, ſed dicimus, quod non tangit Gregorius niſi proxime mouentia, in ſomnio. Cœlum autem ac ſtellæ & elementa non ſunt proxime mouentia, per ventris autem plenitudinem & inanitionem intelligitur omnis corporis diſpoſitio mouens in ſomnio. *Satisfit ei.*

De alia diuiſione ſecundum Hugonem vel Auguſtinum.

CAP. LXII.

Oraculum. *Ioannes de rupella.* Porro in lib. de anima & ſpiritu diuiſio talis ponitur, omnium quæ ſibi videntur videre dormientes, quinque ſunt genera, videlicet oraculum, viſio, ſomniũ, inſomnium, phantaſma. Oraculum eſt cum in ſomnis parens vel aliqua grauis perſona, ſiue ſacerdos, vel etiam Deus enenturum aliquid vel non euenturum, faciendum aliquid aperte vel non faciendum vel deuitandum eſſe denunciat. *Viſio. Somnium.* Viſio eſt cũ id aliquis videt, quod eodem modo quo apparuerat eueniet. Somnium eſt quod eſt figuris tectũ, & quod ſine interpretatione intelligi non poteſt. *Inſomnium.* Inſomnium eſt, quando id quod vigilanter fatigauerat, ſe ingerit dormienti, ſicut eſt cura cibi vel potus,

vel ali-

vel aliqua ſtudia, vel artes, vel infirmitates. Secundum nanq; ſtudia, quę quiſq; exercuit, ſomniare contingit. Et ſolitarum artiũ ſimulacra in præſentia mentis impreſſa apparent in ſomnis. Iuxta etiam infirmitates diuerſa accidunt ſomnia. Et ſecundum humorum varietates variãtur & ſomnia. Alia enim vident ſanguinei, alia cholerici, alia phlegmatici, alia melancholici. Iſti vident rubra & varia, Illi nigra & alba. Phantaſma eſt quando vix aliquis cæperit dormire, & vigilare exiſtimans, ſe aſpicere videtur irruentes in ſe paſſim vagantes formas, diſcrepantes, & varias, & lætas & turbulẽtas. In hoc genere eſt ephialtes, quã publica perſuaſio quieſcentes opinatur inuadere, & pondere ſuo preſſos ac ſentientes grauare. Quod non eſt aliud niſi quędam fumoſitas à ſtomacho vel à corde ad cerebrum conſcendens, & ibi animalem vim comprimẽs Nota ergo numerum differentiarum ſomnij iſtarum, qui ſecundum modos videndi accipitur. Aut enim videtur verum aut falſum. Si verum aut videtur tectũ figuris & occultum, aut videtur manifeſtum. Primo modo eſt ſomnium Si vero videtur manifeſtum, aut videtur ſimpliciter, & ſic eſt viſio. Aut cum admiratione, quæ accidit ex magna imaginatione alicuius perſonæ ſacræ, & ſic eſt oraculum. Si vero videtur falſum, aut eſt falſitas quo ad rem viſam & ſic inſomnium, aut eſt falſitas quo ad actum videndi, & ſic phantaſma, cum dormiens putat ſe videre vigilando.

Ephialtes quid.

De diuerſis cauſis viſionum in ſomnijs.

CAP. LXIII.

NOtanda eſt autem differentia quantũ ad cauſam viſionum in ſomnis. Cauſa enim viſionum, aut dicitur intrinſeca aut extrinſeca. Intrinſeca vero duplex, ſcilicet curioſitas animę, & appetitus corporis. *Vnde Auguſtinus.* ſunt multa viſa vltata, quæ vel à ſpiritu noſtro multipliciter exiſtunt, vel ex corpore quodammodo ſurgunt. Ex ſpiritu, ſicut ſecundum ſtudia, quæ quiſq; exercuit, & ſolitas artes ſimilitudines apparent Ex corpore ſicut ſi fuerimus affecti à carne vigilantes, dormientibus apparent ſimilitudines, vt ſi forte eſurientes aut ſitientes dormiunt, epulis & potibus inſtanter inhiare videntur. A cauſa vero extrinſeca viſiones duobus modis accidunt in ſomnis. Nam vt dicit Auguſtinus humanum ſpiritum quandoque bonus aſſumit ſpiritus, & quandoque malus, ſicut videlicet plenius dicetur inferius. *Priſcianus vbi ſupra.* Fiunt itaque ſomnia non ſolum ex phantaſia, ſed ex paſſione aliqua, ſicut eſuriens vel ſit ens videtur mãducare vel bibere, aliis quoque ſimiliter paſſionibus impetum facere. Apte vero & ſecundum tempus, aut corporis poſitionem diuerſificantur ſomnia. Circa ver enim & autumnum turbida fiunt & falſa, veluti ab ipſa continua eſca ſumpta. Matutina vero ceſſante iam perturbatione pura. Et iterũ qui ſupini dormiunt ſomniant, proni vero minus, quia bene collocati ſunt. Non autem à ſenſibilium ſuſceptionibus ſed etiam ab ipſa anima cauſæ ſunt ſomniorum, eo quod futura conſueuit prędidere, & quæ à ſe agenda ſunt, aut aliter acceſſura præſignifiare.

Cauſa extrinſeca viſionum.

De viſionibus vel imaginibus anima per angelum bonum, vel malum expreſſis.

CAP. LXIV.

IOannes de Rupella. Sicut autem prædiximus, humanum ſpiritum, vt dicit Auguſt. quandoq; bonus aſſumit ſpiritus, & quandoq; malus. Nec facile poteſt diſcerni quantum ad viſionem à quo ſpiritu aſſumatur, niſi quia bonus inſtruit, malus vero fallit. Cum enim à ſpiritu aſſumitur anima, falli non poteſt, quia ſancti Angeli miris modis viſa ſua mirabili quadam ac prępotenti mixtione noſtra faciunt eſſe, & viſionem ſuam quodam ineffabili modo in ſpiritu noſtro informant. Hoc eſt in ipſa virtute imaginationis. Ipſi ſiquidem his corporalibus miniſtrandis præſunt, & eorum figuratiuas ſimilitudines in virtute imaginationis imprimunt. Et iſtud aſſumere nihil aliud eſt quam in virtute imaginatiua ſimilitudines rerum imprimere ſiue preſentare, & per illas ad cognitionem occultorum eleuare.

Cum vero malus ſpiritus, hoc eſt diabolus, iſtam præſentationem facit vel ingerit, fallitur anima duobus modis. Vnus modus eſt per ſeductionem. Vnde Auguſtinus: Fallit ſæpe diabolus in manifeſtatis bonis, vt cum ſibi creditum fuerit in eis ſeducat ad ſua. *Alius modus eſt per oppreſſionem.* Vnde Auguſtinus. Sic plerunque humanum ſpiritum rapit quadam occulta mixtura, vt quaſi idem ſpiritus eſſe videatur. & ſpiritus patientis & ſpiritus vexantis, vt in dæmoniacis videtur. Animam tamen hominis ideſt mentem, nulla creatura implere poteſt, niſi ſola Trinitas. Implere tamen dicitur mentem ſathanas, cum affectum malitiæ traijcit per cogitationem, & incentiua vitiorũ, quibus plenus eſt. Quæ traiectio intelligenda eſt ſecundũ oppoſitionem formarum quę relinquuntur in ſpeculis.

2. modus quo damon fallit.

De illuſione diaboli cauenda in ſomnijs.

CAP. LXV.

G*Regorius vbi ſupra.* Cum itaq; ſomnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto ei credi difficilius debet, quanto ex quo impulſu veniant, facilius non elucet. Sæpe namq; malignus ſpiritus his quos amore vitę præſentis vigiliter intercipit, proſpera etiam dormientibus promittit. Et quos formidare aduerſa conſiderat, eis hoc durius ſomnij imaginibus intentat, quatenus indiſcretam mentem diuerſa qualitate afficiat, eamque aut ſpe ſubleuans aut deprimens timore confundat Sępe etiam ſanctorum corda afficere ſomnijs nititur, vt ab intentione cogitationis ſolidę ad tẽpus ſaltẽ momentumq; deriuentur, quamuis ipſi protinus ſe ab illuſionis imaginatione diſcutiant. Sed hoſtis inſidians quo eos vigilantes minime ſupetat, eo dormientes grauius impugnat. Quem tamen hęc maligne agere ſuperna diſpenſatio benigne permittit, vt ne in electorum cordibus, ipſe ſaltem à paſſionis præmio ſomnus vacet. Bene ergo rectori omnium dicitur. Si dixero conſolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in ſtratu meo, terrebis me per ſomnia & per viſiones horrore concuties: quia nimirum Deus mirabiliter cuncta diſpenſat, & ipſe facit quod malignus ſpiritus iniuſte facere appetit, quia hoc fieri non niſi iuſte permittit Sicque iuſtorum vita & per vigilias tentatione quatitur & per ſomnium fatigatione & illuſione fatigatur, foris corruptionis ſuæ moleſtias omnes tolerat intus apud ſemetipſam grauiter illicitas cogitationes portat. *Idem in dialogo. lib. 4.* Sancti denique viri inter illuſiones atque reuelationes ipſas viſionum voces atque imagines quodam intimo ſapore diſcernunt, vt ſciant, vel quid à bono ſpiritu percipiãt, vel quid ab illuſione patiantur. Nam ſi erga hæc mẽs cauta non fuerit, per deceptorem ſpiritum multis ſe vanitatibus immergit. Qui nonnunquam ſolet multa vera prædicere, vt ad extremum valeat animam ex aliqua falſitate laqueare: ſicut cuidam noſtrũm nuper certum eſt contigiſſe, qui dum ſomnia vehementer attenderet, eique per ſomnium longa ſpacia huius vitæ promiſſa ſunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitæ ſtipendijs collegiſſet. Itaque repente defunctus eſt, vt intactas omnes relinqueret, & ipſe ſecum nihil ex bono opere portaret. *Auctor.* Cætera de illuſionibus ſomniantium dicta ſunt ſuperius in tractatu de naturis & operationibus dæmonum.

Inſtitia diaboli.

Cur damon vera prædicat ſæpe.

Qualiter malignus ſpiritus imagines imprimat in vigilantibus.

CAP. LXVI.

AVguſtinus in libro de diuinatione dæmonum. Dæmones quidem ſuadent hominibus miris modis & inuiſibihbus per illam ſubtilitatem corporum ſuorum corpora hominum non ſentientium penetrãdo, & ſe cogitationibus eorum ſiue vigilantium ſiue dormientium per quędam imaginaria viſa miſcendo. *Auctor.* Imprimit itaq; malignus ſpiritus imagines rerum delectabiliumrin ipſa an ma, ex quibus ſurgunt malæ cogitationes dum ipſa anima operatur circa illas imagines, has autem imprimit in virtute imaginatiua, quoniam abundat humoribus. Nec ideo diabolus intrat animam, vt in ea formet huiuſmodi imagines ſed quodammodo miſcet ſe vel coniungit virtuti imaginatiuæ, & illæ imagines quas in ſeipio format, reſultant in imaginatiua hominis, ſicut ſi ſpeculum admoueatur ſpeculo forma impreſſa in vno reſultat in alio. Et ita per apprehenſionem rei delectabilis, dum anima circa imaginem eius negociatur vel operatur, mouetur ad concupiſcentiam illius rei delectabilis, cuius eſt imago. Et ita ſurgit cogitatio cum delectatione quæ eſt peccatum. Et quoniam anima delectatur in ipſis rebus corporeis per quinque ſenſus, ideo non ſolum per imaginationem, ſed etiam per ſenſum irritat animas ad illicitas & immoderatas delectationes & prauas cogitationes, ſpecies corporales ſenſibus admouendo, vel etiam miſcendo ſe ſpiritui ſenſibili, & ipſum immutando.

Quod non ſit proprie cogitationum immiſſor ſed incentor.

CAP. LXVII.

HIeronimus ſuper Mathæum lib. 2. De corde quidem, ſicut dicit veritas ipſa, exeunt cogitationes malæ &c. Ex hac ſententia arguendi ſunt, qui cogitationes à diabolo immitti putant, & non ex propria voluntate naſci. Diabolus enim adiutor quidem & incentor malarum cogitationum eſſe poteſt, ſed auctor eſſe non poteſt. *Auctor.* Patet itaque quod malignus ſpiritus non immittit animæ malas cogitationes proprie & immediatè, ſed per occaſionem, & hoc dupliciter. Vno modo videlicet imagines rerum delectabilium imprimendo in ipſa anima, ex quibus ſurgunt malæ cogitationes, vt dictum eſt ſupra. Hoc enim modo tentat hominem de rebus ſenſibilibus, videlicet vel ipſas res ſenſibiles oſtendendo, vel earum imagines imprimendo, vt per earum apprehenſionem prouocetur anima ad cogitandum vel delectandum illicite. Alio autem modo ſuggerendo, vel male conſulendo, per quaſdam locutiones ſpirituales, quas animæ innoteſcit, & hoc modo tentat de inuiſibilibus, vt quando facit errare in fide, vel aliquid tale. Sed quibus locutionibus vtantur Angeli ad animam vel boni bene conſulendo, vel mali male ſuggerendo, à ſenſibus noſtris remotum eſt.

Obiectio. Sed forte contra prædicta obijcietur ab aliquo quod dicit gloſſa Gregorij ſuper Gene. 26. Puteos inquit à vobis foſſos Allophyli replent, quia terrenas cogitationes ingerunt & diuinæ ſcientiæ aquas tollunt. *Reſp.* Sic autem eſt intelligendum, quod dæmones cogitationes terrenas ingerunt ideſt materiam terrenarum cogitationum, videlicet imagines ex quibus vt, dictum eſt, ſurgunt terrenę cogitationes. Dicit autem & Origines ſuper Exodi principium, vbi de multiplicatione populi tangitur Hebræorum. Vtinam inquit & mihi populus Iſrael ideſt ſanctæ cogitationes prævaleant, vt cogitationes quas immittit diabolus non ſuſcipiam: quod etiam intelligere debes circa phantaſmata, vel imagines quas diabolus ingerit, nõ operis, ita vt generentur in te cogitationes malæ. Vbi vero pſalmiſta tangit de immiſſionibus per Angelos malos, non loquitur de immiſſionibus cogitationum, ſed potius ſuggeſtionum vel affectionum, quas immiſit dominus Ægyptijs per malos Angelos.

Obiectio. Si autem obijcitur, quod diabolus, vt legitur, intrauit in cor Iudę, vt traderet dominum. Ad hoc etiam damus reſponſum. Quod diabolus hoc quidem in cor Iudæ ſpirituali ſuggeſtione immiſit, non tamen cogitationem malam immiſit, ſed ex illa ſuggeſtione in eo mala cogitatio ſurrexit. dum eidem ſuggeſtioni male conſenſit. *Reſp.*

Vtrum malignus ſpiritus agat in animam immediatè mala ſuggerendo.

CAP. LXVIII.

Obiect. ADhuc autem obijcere poteſt aliquis, quod diabolus tentando agit in animam. Aut ergo mediate, aut immediate. Et dicitur quod mediate, quia mediãtibus ſanguinibus, quibus ſecundum Gregorium immiſcet ſe. Porro illi ſanguines aut attingunt animam, aut nequaquam. Si nequaquam, ſecundum hoc nihil ageret diabolus in animam. Si vero ſic, tunc & diabolus illis immixtus animã attingit. Et ita ſicut videtur, nihil impedit quin & cogitationes malas immittere poſſit. *Reſp.* Nos autem ad hoc dicimus quod diabolus quidem bene poſſet immediate agere in animã, ſi vellet ſcil oſtendendo ei ſpeciem alicuius rei delectabilis ſed non vult ita agere maxime in tentatione de gula & luxuria, quia per ſolam ſpeciem apprehenſam non irritaretut concupiſcentia. Sed irritatur ex hoc quod immittit imagines prędicto modo ſc. miſcendo ſe ſanguinibus ideſt humoribus, his enim mediantibus excitatur in anima cõcupiſcentia. Sed licet his mediantibus attingat animam, nõ tamen immittit in eam cogitationes, ſed ſolas imagines ex quibus ſurgunt cogitationes. Si enim immitteret malas cogitationes, ſequeretur quod immitteret peccata, quia malæ cogitationes peccata ſunt. Et ideo non eſſent ita imputandæ nobis cogitationes malæ noſtræ, ſed dæmonibus. Sicut ergo bonus Angelus non immittit homini bonam cogitationem, vel bonam voluntatem, ita nec malus malam. De bonis autem Angelis dicitur, quod agunt in animam immediate, ſicut ſpeculum in aliud ſpeculum, oppoſitum ipſum immutando. Recte ergo dicit Beda, quod diabolus non eſt proprie malarum cogitationum immiſſor, ſed incẽtor. Tripliciter enim tentat homines, videlicet concupiſcibilium ſpecies, vel imagines oſtendendo, & mala ſuggerendo, & incendendo, iuxta illud *Iob.* 41. *Halitus eius prunas ardere facit.* Ideoque dicit Apoſtolus ad *Eph.* 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.*

Quod Diabolus animæ non illabitur in tentãdo hominem.

CAP. LXIX.

GEnnadius in lib. de diffinitionibus Eccleſiaſticorum dogmatum. Dæmones itaque per energiam ideſt virtualem operationem non credimus animæ ſubſtantialiter illabi, ſed applicatione & oppreſſione vniri. Illabi vero menti illi ſoli poſſibile eſt, qui eam creauit. *Beda ſuper actus Apoſtolorum.* Mentem nimirum hominis iuxta ſubſtantiam nihil poteſt implere niſi trinitas creatrix. Implet autem ſathanas cor alicuius, non quidem aditum cordis ingrediens ſed fraudulenta deceptione animã in affectum malicię per incẽtiua vitiorum quibus plenus eſt trahẽs. Impleuit ergo cor Iudę ſicut ſcriptum eſt, non quidem intrando, ſed malitię ſuę virus inſerẽdo. *Auctor.* Dicũtur autẽ Deus & Angelus & Diabolus in anima eſſe, ſed diuerſi-

mode.

mode. Deus quidem vt vita ſcilicet animam ipſam viuificans, Angelus autem vt contubernalis ſcilicet animam ipſam exhortans. Angelus ergo ſic eſt in ea, vt non ingerat ei bona, ſed ſuggerat. Deus autem ſic vt afficiat & infũdat. Deus ergo intra, ſed Angelus extra. *Angelusquo modo eſt in anima.* Dicitur tamen eſſe in ea, quantũ ad operationes quas in eam exercet ſcilicet conſulendo, inſtruendo, monendo, & ſimilia. Sic etiam de Diabolo intelligendum eſt, quod non eſt intra animam ſubſtantialiter, ſed intrare dicitur in eam propter operationes quas in eam exercet ſcil. imaginibus vel ſuggeſtionibus ſuis eam ſeducendo, & etiam propter dominium, ſicut in poſſeſſionẽ alicuius terræ vel caſtri intrare dicitur homo. Et licet anima per totum corpus diffuſa ſit, nihilominus intrat corpus ipſũ diabolus, quando ſuggerit animę, non tamen ſequitur quod vnus ſpiritus ſit in alio, quia ſpiritus non eſt quantus quantitate. ſed virtute. B Vnde multi ſpiritus eſſe poſſunt in eodem loco, non tamen eſt vnus in altero. ſed & cum ad ſuggerendum animę Diabolus intrat corpus alicuius, non ex hoc efficitur homo dæmoniacus. Nam dæmoniacus proprie dicitur homo, qui habens in corpore dęmonem, ita preſſus eſt & traditus ei, vt non habeat libertatem aliquid ſponte faciendi, nec libero arbitrio vtatur, ſed *Obſeſſi.* diabolus per eum operetur. Eſt etiam differentia inter obſeſſos & energumenos. Nam diabolus quorundam hominum intrans corpora vexat eos ſicut interius & opprimit, vt operationes virtutum naturalium pro ratione liberi arbitrii, vt dictum eſt exercere non poſſint. At iſti priores non dicuntur obſeſſi, ſed energumeni, ſcilicet propter interiorem operationem ſiue virtutẽ, quam in eos exercet Diabolus ipſos laborare faciens interius. Nam energia dicitur quædam vis poteſtatiua & laborioſa impellente diabolo, intus in homine facta. C Quorundam vero nonintrat corpora, ſed exterius manens impedit eos ne videant vel audiant & ſimilia. Et homines huiuſmodi proprie dicuntur obſeſſi. Qualiter autem dæmones aſſidere ſoleant ſimulacris, & ſimilia, plenius dicta ſunt ſuperius, vbi actum eſt de natura dæmonum & eorum operationibus. In ſuggerendo autem animæ recta furnario diabolus cõparatur, quia corpori ſe immiſcens, incendit animã in ſuggeſtione ſua quaſi clibanum, nec tamen intrat, ſed foris ſtat ſicut furnarius. Vnde ſcriptum eſt in Oſee, quod omnes adulterantes ſunt quaſi clibanus incenſus à coquente.

Quod Non videt anima interiora.

CAP. LXX.

D

Hieronimus vbi ſup. Nec debemus opinari, vt iam dictum eſt, ipſum rimari cordis occulta, ſed ex habitu corporis & geſtibus æſtimare quid verſemus intrinſecus. Verbi gratia, ſemper in inſidijs poſitus, ſi pulchram mulierem nos crebro viderit reſpicere, intelligit cor amoris iaculo vulneratum, & leuem cogitationum noſtrarum ſcintillam fornicibus ſuis inflammat. *Auctor.* Licet itaq, Diabolus, quia ſpiritus eſt non agat per medium, non tamen poteſt videre omnia interiora animæ incluſæ, nec impedit ipſa diſtantia corporis ſed vmbra. Corpus enim humanũ tenebroſum eſt, & tantis tenebris animam inuoluit, vt nec clare ipſa videat, nec & ab aliis ſpiritibus poſſit videri, niſi à Deo & Angelis ſanctis. ſed hoc habent ipſi à gratia. Ita eſt ergo de humano corpore, ſicut de quodam lapide qui dicitur eliotropia, quem qui habuerit eum ſecum non poteſt videri ab hominibus, ita anima corpus humanum gerens non poteſt videri ab alijs ſpiritibus, immo ipſa poteſt videre ea quæ ſunt diaboli ſcil. imaginationes quas ei anteponit, ſed ipſa non poteſt videri ab eo dum eſt in corpore, ſicut ille qui eſt in loco tenebroſo, poteſt videre eũ qui eſt in lumine ſiue extra tenebras, ſed non econuerſo: poteſt inquam animã cognoſcere, & videre imagines quas ei anteponit ſc. in ſeipſo formatas, & in anima reſultantes ideſt in vi

E

A imaginatiua tanquam in ſpeculo oppoſito, ſed ſepiſſime credit eas in ſeipſa tantum & principaliter formari vel fieri propter vehementem applicationem maligni ſpiritus ad ipſam

Si ergo contra prędictam ſententiam obiiciatur, *Obiectio.* quod diabolus cũ ſit ſpiritus nec vtatur ſenſu corporali, videtur quod ſine medio videat interiora noſtra. *Reſp.* Patet ad hoc reſpõſio per ſupradicta, licet enim ea quę videt, ſine medio videat, non tamen animam videt. vt dictum eſt propter corporis vmbram, ſed per habitum ac geſtum exteriorem cogitationes ipſius interiores coniicere poteſt quaſi per ſigna quædam. Nimirum animam ipſam à corpore iam exutam diabolus videt, & ea quæ ſunt in ipſa, quia nullum eſt tunc impedimentum, ſed ablata eſt corporis vmbra ita quod nuda remanet anima. At vero dũ eſt in corpore, ac per hoc in tenebris non poteſt videri propter tenebras ipſius corporis. Sed fortaſſis adhuc obiicier aliquis, quod ſi *Obiectio.* anima intra dolium eſſet, nihilominus tamen diabolus ex ſtens exterius illam videret. Vnde pari ratione videtur forte alicui, quod dum eſt incluſa in corpore, videat diabolus quæ in ipſa ſunt immediate, ſine medio non obſtante impedimẽto corporis quia non agit per medium. Ad hoc autem facilis eſt reſponſio, quod *Reſp.* non eſt ſimile de dolio & de corpore humano. Nam in illo quidem ſola diſtantia eſt, quę viſum diaboli vel cuiuſq; ſpiritus rationalis prohibere non poteſt In hoc autem vmbra eſt, qui prohibet ſicut dictum eſt. Sed nonne angeli boni vident cogitationes ſanctorum, etiam in hoc corpore mortali ac tenebroſo degentium: vtique, ſed hoc habent ex gratia non ex natura. Ideoq; de dæmonibus nõ eſt ſimile. Deniq; ſuperiores in bonis angelis iuxta Dionyſium & Iohannem Damaſcenum inferiores poſſunt illuminare ſiue illuminationes eis tanquam maiora luminaria minoribus tradere, quia ſcilicet illis præeminent in lumine intelligentiæ & gratiæ. Sed illi qui præſunt inter malos angelos nequaquam poſſunt inferioribus tenebras erroris tradere, quia non prȩeminent aut ſupereminent inquantum errant, ſed ſecundum quod meliora naturalia in ſe habent. Ideoque nec ipſi poſſunt malarum cogitationum tenebras vt dictum eſt tradere.

Qualiter angeli boni imprimant animæ locutiones ſuas.

CAP. LXXI.

QVia veto dicit Propheta, dicit Angelus qui loquebatur in me, poteſt quæri quomodo angelus loquatur ad animam in corpore exiſtentem. Aut enim eſt aliquid mediũ inter eos per quod fluat intellectus *Dubium.* angeli ad animam, aut non. Si nil eſt medium, ergo cũ tam anima quam angelus ſit ſimplex & abſq; partibus, oporteret quòd ex toto tangat ſe inuicem ita quod totus angelus totam animam, & econuerſo, ergo vnum eſt in altero, quod eſt contra prædicta, ſupra enim oſtenſum eſt quod angelus non poteſt illabi animæ. Si eſt ibi mediũ quæritur quid ſit illud, & videtur quod non ſit, quia angelus non agit per medium, videtur etiam quòd non ſit neceſſarium medium, ſed quod poſſit intellectus angeli trãſire ad animam ſine medio, quia maior ſimilitudo eſt angeli ad animam, quam corporis ad animam. Igitur ſi de ſenſu corporali tranſeunt aliqua immediate ad animam, ſcilicet vox, color, & huiuſmodi. Multo magis de angelo poteſt aliquid tranſire ad animam ſine medio, ſcilicet eius locutio ſiue intentio.

Reſponſio. Angelus loquitur ad animam ſine medio *Reſponſio.* cooperante vel impediente. Non enim per aliquod medium tranſit ſermo eius ad animam, ſicut ſermo hominis tranſit ad aures alterius aere mediante & ducente, & ſi forte ſit aliquid interpoſitum, non impedit, quin tranſeat, ſicut dictum eſt ſupra de magnete quod attrahit ferrum non per medium. Vnde etiam ſi interponatur aliquid, non impedit quin attrahat. Ita & habet angelus virtutem aliquam occultam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

qua imprimit intentionem tuam animæ, nullo medio impediente vel cooperante, & si angelus coniungat se animæ, non tamen oportet quod sit in ea siue intra eam, quia nec angelus nec anima quantus est quantitate, sed virtute, & ideo non replent locum. Vnde in quolibet loco etiam minimo possent esse infiniti spiritus, nec tamen vnus esset in altero.

Nota.

Qualiter incendant in anima cogitationes bonas.

CAP. LXXII.

POtest etiam quæri quomodo angelus incendat in anima cogitationes bonas: sicut enim dæmones vt supra dictum est non sunt immissores sed incensores malarum cogitationum, ita & angeli boni non sunt immissores sed incensores bonarum, solus enim Deus immissor est per gratiam illuminantem & mouentem ad bene cogitandum. Angelus autem incensor quia præparat intellectum ad gratiam illuminantem, vt immissa recipiatur, vel vt immissa & recepta augeatur, sicut enim ignis appositus ad ligna, quantum est de se paratus est ad immittendum se in ligna, & igniendum ea, sed iuuatur vndiq; flabello vel folle quo incendatur, vel incensus augeatur. Ita & in anima gratia parata est ad illuminandum intellectum, sed quodam modo iuuatur ministerio angeli qui præparat intellectum ad lumen eius recipiendum, vel immissum vel receptum ad augendum, & hoc est incendere. Vnde patet quod non est idem immissio ignis corporalis & eius incensio.

Quæst. Queritur ergo quomodo incendat cogitationes bonas scilicet aut secundum operationem interiorē factam in sensibilibus, aut secundum operationem interiorem factam in phantasmatibus, aut secundū operationem factam in speciebus abstractis super quas est cogitatio intellectiua. Primo modo non videtur, quia nulla immutatio videtur fieri in rebus sensibilibus, siue ex illis eliciatur bona cogitatio siue mala, sed eodē modo se habent, ergo angelus non immutat res sensibiles, vt immutent cogitationem hominis ad bonum. Si secundo modo hoc satis videtur, quia contingit visiones imaginarias aliquando fieri per angelos bonos, aliquando per malos. Vnde patet quod angelus bonus habet potestatem transmutandi phantasmata, vt sicut angelus malus tentando imprimit imagines incitantes ad malum, Sic angelus bonus destruens istas imprimit alias excitantes ad bonum. Sed vtrum tam bonus quam malus angelus imprimat eas primo & principaliter in animam per aliquam operationē occultam. An primo & principaliter in seipso, vt ab ipso tesultent in anima tanquam ab vno speculo in aliud speculum obiectum, non satis elucet. De tertio autem modo scilicet vtrum incendat ad cogitationes bonas per operationē factam in speciebus abstractis, potest esse quęstio: videtur enim quod non, quia species abstractę inquantum abstractæ non sunt nisi intellectu animę vel angeli, nec habēt depēdētiam ab ipso intellectu humano vel angelico, Igitur non subiacent operationi angeli; Item videtur quod nulla lux fluat ab angelo in animam quia super illo verbo Psal. *Da mihi intellectum vt discam mandata tua.* Dicit glossa quod solus Deus dat intellectum. Et si aliquando ministerio angeli vtatur, ita enim inquit dicitur angelus dare intellectum homini sicut quisquam dicitur dare lumen domui, cui fenestram facit, cum eam sua luce non penetret vel illustret.

Eiusdem Quæstionis determinatio.

CAP. LXXIII.

Resp. NOs itaq; dicimus quod sicut dicit Aug. de Doctrina humana quod homo docet ministerio exterius solus autem Deus auctoritate interius, iuxta illud Vnus est magister vester qui illuminat omnē hominem &c. Itaq; potest dici de angelis quod non illuminant animā, nisi ministerio scilicet præparando intellectum ad gratiam illuminantem, vt dictum est. Et incendunt bonas cogitationes tripliciter Per sensibilia exteriora scili. ea immutando, vt ex illis eliciatur bona cogitatio, licet à nobis non percipiatur ista immutatio. Et per phantasmata interiora scilicet imaginationi ea imprimendo vt supra dictum est. Et etiam ipsum intellectum pręparando ad lumen diuinum recipiendum. Non enim ipsum lumen intelligentiæ immittit, sed sicut dicit Aug. quod sicut malignus spiritus quibusdam nebulis erroris obstruit omnes meatus intelligentię, Ita bonus angelus econuerso remouendo istas nebulas erroris, meatus intelligentię aperit, ad recipiendum lumen ex radio diuinæ lucis, quo in trocunt cogitationes bonę. Tamen Cancellarius videtur dicere quod angeli illuminant animam influendo lucem intelligentiæ, sicut dicit Dyonisius quod angeli superiorum ordinum, quia sunt propinquiores primo lumini illuminăt inferiores. Sic & animæ quæ sunt natura inferiores angelis, recipiunt ab eis illuminationes quibus cogitationes incendantur ad bonum. Et dicit Cancellar. quod angelus influit illuminationem super species abstractas. Dicit etiam quod duo primi modi incendendi possunt conuenire dæmonibus, tum ex ordinatione tum ex permissione diuina Vltimus autem non cōuenit nisi angelis bonis. Indignum enim esset vt angelus malus per operationē suam opprimeret animam secundum quod debet esse sedes Dei, & immediate ei adhærere, hoc est secundum rationem, vnde non conuenit, vt aliquid ponatur inter Deum & ipsam, nisi gratia per quam adhæreret Deo, vel substantia habens gratiam, scilicet quæ præparet animam ad gratiam recipiendam. & hæc est angelus bonus incendens cogitationem ad bonum.

Angeli incēdunt bonas cogitationes tripliciter.

Cancellarij sententia ne illuminatione Angelorū.

Qualiter angelus animam doceat.

CAP. LXXIV.

THomas de Aquino. Cum autem angelus sit medius inter Deum & hominem secundum ordinē naturæ, medius sibi modus docendi hominē competit. Inferior quidem Deo, sed superior homine. Ad quod intelligendum scire oportet, qualiter Deus & qualiter homo docet. Sciendum est ergo, quod inter intellectum & corporalem visum hæc est differentia, quod visui corporali omnia sua obiecta æqualiter sunt propinqua ad cognoscendū Sensus enim non est vis collatiua, vt ex vno obiectorum necesse habeat peruenire in aliud. Sed intellectui non omnia æqualiter vicina sunt ad cognoscendum, sed quędam statim cōspicere potest, quædam vero non cōspicit, nisi ex alijs principijs inspectis: sic ergo homo ignotorum cognitionem per duo accipit scilicet per lumen intellectuale, & per primas conceptiones per se notas quæ comparantur ad istud lumen, quod est intellectus agens sicut instrumēta ad artificē. Quantum ergo ad vtrunque, Deus hominis scientiæ causa est excellentissimo modo, quia & ipsam animam intellectuali lumine insigniuit, & notitiam primorum principiorum ei impressit. Quæ sunt quasi seminaria scientiarum: sicut & alijs naturalibus rebus impressit seminales rationes omnium effectuum producendorum. Homo autem quia secundum ordinem naturæ alteri homini par est in specie intellectualis luminis, nullo modo potest alteri homini causa scientiæ existere in eo lumē causando vel augendo. Sed ex parte illa qua scientia ignotorum per principia per se nota causatur, alteri homini causa sciendi quodammodo existit, nō sicut notitiam principiorum tradēs, sed sicut quod implicite & quodammodo in potentia in principijs cōtinebatur educendo in actum, per quædam signa sensibilia exteriori sensui ostensa, sicut supra dictum est. Angelus vero quia naturaliter habet lumen intellectuale perfectius quam homo, ex vtraq; parte potest homini esse causa sciendi, tamen inferiori modo quam Deus. & superio-

ri quam

ri quam homo. Ex parte enim luminis, quamuis non poſſit intellectuale lumen infundere, vt Deus facit, poteſt tamen lumen infuſum confortare ad perfectius inſpiciendum. Omne enim quod eſt in aliquo genere imperfectum, quando continuatur perfectioti in genere illo magis confortatur virtus eius. Sicut etiam videmus in corporibus, quod corpus locatum confortatur per corpus locans quod comparatur ad ipſum, vt actus ad potentiam, vt habetur in quarto phyſicorum ex parte etiam principiorum poteſt angelus hominem docere, non quidem ipſorum principiorum notitiam tradendo, vt Deus facit neq; deductionem concluſionum ex principijs ſub ſignis ſenſibilibus proponendo vt homo facit. Sed in imaginatione aliquas formas formando, quæ formari poſſunt ex commotione organi corporalis, ſicut patet in dormientibus, & mente captis, qui ſecundum diuerſitatem fumoſitatum ad caput aſcendentium diuerſa phantaſmata patiuntur. Et hoc modo commixtione alterius ſpiritus fieri poteſt, vt ea quæ ipſe angelus ſcit per imagines huiuſmodi ei cui immiſcetur oſtendat.

De triplici viſione.

CAP. LXXV.

Auguſtinus ſuper Geneſim lib. 12. Tria ſunt autem viſorum genera. Nam omnia corpora & preſentia videntur in ſuis formis, & abſentia cogitantur imaginibus animo impreſſis. Et faciunt duo genera viſorum, vnum per corporis ſenſus, quod vocatur corporale. Alterum per ſpiritum in quo imagines illæ continentur, & vocatur ſpirituale. Dilectio non aliter videtur præſens in ſpecie qua eſt, & aliter abſens in aliqua imagine ſui ſimili, ſed quantum mente cerni poteſt, ab alio magis, ab alio minus cernitur. Et hoc eſt tertium genus quod vocatur intellectuale, quia intellectu mentis cernitur. Nam ſpiritum à mente diſtingui inuenimus ab apoſtolo in Epiſtola ad Corinthios, euidentiſſimo teſtimonio. Si enim inquit orauero lingua ſpiritus mens orat, mens autē mea infructuoſa eſt: linguam intelligitur hic dicere obſcuras & myſticas ſignificationes. à quibus ſi intellectum mentis remoueas nemo ædificatur audiendo quod non intelligit. *Vnde dicit.* Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo. nemo enim audit: ſpiritus autem eſt qui loquitur myſteria, ſatis indicat ſe linguam hoc loco appellare, vt ſunt ſignificationes velut imagines rerum & ſimilitudines, quę vt intelligantur indigent mentis obtutu. Cum autem non intelliguntur in ſpiritu eaſdem dicit eſſe, non in mente. Quod ergo per linguam quam loquendo mouemus, ſigna rerum dātur, non res ipſe proferuntur. Ideo tranſlato verbo vocauit linguam quamlibet ſignorum prolationē priuſquam intelligantur, quo cum intellectus mentis acceſſerit, fit reuelatio vel agnitio vel Prophetia vel doctrina. Vnde dicit, ſi venero ad vos linguis loquens quid vobis prodero, niſi vobis loquar in reuelatione, aut in agnitione, aut in prophetia, aut in doctrina? ideſt niſi linguis ideſt ſignis acceſſerit intellectus, vt non ſpiritu tantum ſed & mente agnoſcatur quid agitur. Spirituale ergo nunc vocamus tale genus viſorū, quale & corporum imagines abſentium cogitamus. Intellectuale autem illud excellentius quod mentis eſt proprium. Siue intellectuale ſiue intelligibile dicamus, idem ſignificamus, quamquam nonnulli hoc intereſſe voluerunt, quod intelligibilis ſit res, quę ſolo intellectu percipi poſſit. Intellectualis autem mens quæ intelligit. Sed eſſe aliquam rem quæ ſolo intellectu cerni poſſit, ac non etiam intelligat, difficilis quæſtio eſt. Eſſe autem rem quæ intellectu percipiat, & intellectu percipi non poſſit, non arbitror quemquam dicere. Mens quippe non videtur niſi mente, quia ergo videri poteſt, intelligibilis, quia vero & videre intellectualis eſt ſecundum iſtam diſtinctionem.

Spiritus. Mens. 1. Cor. 14.

Lingua apud Paulū quid?

De ipſarum ordine.

CAP. LXXVI.

QVę cum ita ſint, pertinent ſenſus ad viſa corporalia qui per quinque quaſi riuulos diſtanter valentes diſtribuitur. Eſt autem hoc cælum oculis conſpicuum. Vnde tantum luminaria & ſydera fulgent excellentius vtique omnibus corporeis elementis, ſicut oculorum ſenſus excellit in corpore. Quia vero omnis ſpiritus omni corpore ſine dubio præſtantior eſt, Sequitur vt non loci poſitione, ſed naturæ dignitate prę̃ſtantior ſit natura ſpiritualis illo corporeo cælo, etiam vbi rerum corporalium exprimuntur imagines: hic exiſtit quiddam mirabile, vt cum prior ſit corpore ſpiritus, & poſterior corporis imago quam corpus, tamen quia illud quod tempore poſterius eſt, ſit in eo quod natura prius eſt, prę̃ſtantior ſit imago corporis in ſpiritu, quam ipſum corpus in ſubſtantia ſua.

Nec ſane putandum eſt facere aliquid corpus in ſpiritu, tanquam ſpiritus corpori facienti materiæ vice ſubdatur. Omni modo enim præſtantior eſt qui facit, ea re de qua aliquid facit. Spiritus autem præſtantior eſt corpore. Non ergo corpus in ſpiritu, ſed ſpiritus in ſeipſo facit imagines illas celeritate mirabili quæ ineffabiliter longe eſt à corporis tarditate, cuius imago mox vt oculis viſum fuerit in ſpiritu videntis nullius punctis temporis interpoſitione formatur. Itemque in auditu niſi auribus perceptæ vocis imaginem continuo ſpiritus in ſeipſo formaret & memoria retineret, ignoraretur ſecunda ſyllaba, vtrum eſſet prima vel ſecunda, cum iam prima vtiq; nulla eſſet, quæ percuſſa aure tranſierat, ac ſi omnis locutionis vſus, omnis cantandi ſuauitas, omnis poſtremo in actibus noſtris corporalis motus dilapſus occideret. Neque vbi progreſſum eſſet ſciretur, niſi tranſactos corporis motus memoriter ſpiritus teneret quibus conſequentes in agendo conuerteret, quos vtique non teneret, niſi imaginabiliter à ſe factos in ſe comprehenderet. Ipſarum enim futurarum motionum imagines præueniunt fines actuum noſtrorum. Quid enim agimus per corpus, quod non cogitando præoccupauerit ſpiritus omniumque viſibilium operum ſimilitudinem in ſeipſo primo viderit, & quodammodo diſpoſuerit?

Quamuis itaque in eadem anima fiant iſta tria genera viſionum, habent vtique ordinem ſuum: prę̃ſtantior eſt enim viſio ſpiritualis quam corporalis. Corporalis enim ſine ſpirituali eſſe non poteſt, quando quidem eodem momento quo corpus ſenſu corporis tangitur, fit & in animo tale aliquid, non quod id ſit ſed quod ſimile ſit. Quod ſi etiam non fieret nec ſenſus iſte eſſet, quo ea quæ extrinſecus adiacent ſentiuntur, neque enim corpus ſentit, ſed anima per corpus, quo velut nuncio vtitur ad formandum in ſeipſa quod extrinſecus nunciatur. At vero ſpiritualis viſio etiam ſine corporali eſſe poteſt. Item ſpiritualis viſio indiget intellectuali, vt diiudicetur, & non econuerſo, ac per hoc ſpiritualis & corporalis intellectuali vtraq; ſubiecta eſt.

De earundem connexione.

CAP. LXXVII.

Idem in eodem. Hæc itaque tria viſorum genera ſigillatim conſideranda ſunt, vt ab inferioribus ratio ad ſuperiora cōſcēdat. Corporalis ſane viſio nulli horum generi præſidet, ſed quod per eam ſentitur, illi ſpirituali viſioni tanquam præſidenti nunciatur. Nam cum aliquid oculis cernitur, continuo fit imago eius in ſpiritu, ſed non dignoſcitur facta niſi cum ablatis oculis ab eo quod per oculos videbamus imaginem eius in animo inuenimus. Et ſiquidem ſpiritus irrationalis eſt velut pecoris, hæc vtique oculi nunciant.

Si autem anima rationalis est, intellectui nunciatur, qui & spiritu præsidet, vt si illud quod hauserũt oculi, atque id spiritui, vt eius illic imago fieret nunciauerunt, alicuius rei signum est, aut intelligatur continuo quid signet, aut quæratur, quia nec intelligi nec requiri, nisi officio mentis potest.

Balthasar. Vidit rex Balthasar articulos manus scribentis in pariete, & cõtinuo per corporis sensum in spiritu eius imago rei visæ impressa est, atque ipso viso facto, & præterito illa in cogitatione permansit, videbatur in spiritu & non intelligebatur, nec tunc intellectũ erat hoc signum, cum corporaliter oculis appareret. Iam tamen signum esse intelligebatur, id habens ex mentis officio Et quia id requirebatur, quid significaret, etiam ipsam inquisitionem vtique mens agebat. Quo non comperto Daniel accessit & spiritu prophetico

Daniel. mente illustrata quid isto signo protenderetur aperuit. Cum Petrus in alienatione mentis illum discum vidisset & illas voces, macta & manduca in spiritu audisset, redditus corporis sensibus, id quod viderat & audierat in eodem spiritu cernebat cogitando. Cum vero requirebatur, vt ista signa intelligerentur, mentis erat actio cogitantis vel conantis, sed deerat effectus, donec nunciati sunt qui venerant à Cornelio. At vero corporali accedente visione cum Spiritussanctus rursus in spiritu eius diceret, vade cum eis, adiuta diuinitus mens intellexit, quid illis omnibus signis ageretur, satis ergo apparet corporalem visionem referri ad spiritualem, & spiritualem ad intellectualem.

Petrus.

De visionis fallacia vel errore.

Cap. LXXVIII.

Hallucinationes. Illuditur autem anima similitudinibus rerum non earum vitio, sed opinionis suæ, cum aliud pro alio approbat ab intelligentia deficiens, fallitur ergo in visione corporali cum in ipsis corporibus putat fieri, quod fit in corporis sensibus, sicut nauigantibus videtur in terra moueri, quæ stant, & stare sydera, quę mouentur, diuaricatis radiis oculorum duas lucernę species apparere, & in aque remus infractus. Aut cũ putat hoc esse, quod similiter collocatum est, aut similiter sonat, vel olet vel sapit vel tangit. Vnde in omnibus visis corporalibus & aliorum sensuum contestatio, & maxime ipsius mentis adhibetur, vt quod in hoc rerũ genere verum est inueniatur quãtum inueniri potest.

Fallacia visionis spiritualis. In spirituali autem visione fallitur anima cum imagines quas spiritu videt, corpora esse arbitratur, vel quod sibi suspicione falsaque coniectura finxerit, hoc etiam in corporibus putat, quæ non visa coniectat. At vero in illis intellectualibus non fallitur. Aut enim intelligit, & verum est, Aut si non est verum non intelligit. Aliud est enim in his errat. quæ videt, aliud ideo errare, quia non videt. Quid enim faciant oculi non habent, cum simile corpus viderint, quod ab alio discernere non possunt. Aut quid faciat animi intentio, cum in spiritu facta fuerit corporis similitudo, quam non valeat distinguere à corpore. Sed intellectus adhibetur quærens quid ista significent, vel vtile doceant. & aut inueniens ad fructum suum peruenit, aut non inueniens in disceptionę se tenet, ne aliqua pernicioſa temeritate prolabatur in exitialem errorem.

Qualiter sobrius intellectus & vigilantem & dormientem à pernicioso defendit errore.

Cap. LXXIX.

Vdicat autem sobrius intellectus diuinitus adiutus quæ vel quanta sint, in quibus aliud putare quam est, non sit animæ pernicioſum. Neq; enim putantium periculo, & non potius exitio suo quisq; à bonis putatur bonus si occultus sit malus, si in rebus ipsis ideſt in ipso bono quo sit quisq; bonus, non erretur, aut aliquid obest omnibus qui cum dormiunt similitudinẽ corporum corpora esse arbitrãtur. Aut aliquid obfuit. Petro, quod solutus à vinculis, seq: angelo deducẽte, putabat se visum videre. Aut cum in illa extasi respõdit, nequaquam Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum, putans ea ipsa quæ in disco demonstrabantur, vera esse animalia. Et cum in his corporalibus diabolus fallit, nihil obest quod ludificantur oculi, si nõ erratur in veritate fidei, & intelligẽtiæ sanitate, quæ docet Deus subditos sibi. Aut si ludificet animam spirituali visione imaginibus corporum, vtpote corpus esse quod nõ est, Aliquid obest animę. si pernicioſę suasioni non consentiat. Vnde aliqua fit quæstio de consensionibus somniantium, cum sibi concumbere videntur, vel contra propositũ suum vel contra licitos mores quod non contingit nisi cũ ea quæ vigilantes etiam cogitamus, non cum placito cõsensionis, sed ficut talia propter aliquod loquimur, quod non possemus, nisi etiam cogitaremus, sic admouentur in somnis & exprimuntur, vt eis caro naturaliter moueatur, & quod naturaliter colligit per genitales vias emittit. Quod quidem sine peccato à vigilante fieri non posset, tunc vero sine peccato fit, quod sine peccato à vigilãte dicitur quod vt diceretur, sine dubio cogitatum est. Veruntamen propter animæ affectionẽ bonam quæ desiderio meliore mãdata multas interficit cupiditates, quæ ad naturalem motũ carnis pertinent quem casti vigilantes cohibent, dormiẽtes autem ideo non possunt, quia non habẽt in potestate, quin admoueatur expressio imaginis corporalis, quæ discerni non possit à corpore propter istam ergo animæ affectionem bonam etiam in somnis quædam eius merita clarent. Nam & Salomon dormiens præposuit sapientiam omnibus rebus, eamque neglectis cæteris precatus est Deum, & placuit hoc Domino, nec distulit retributionem bonã pro desiderio bono.

De consensionibus somniantium.

De mutua diuersarum visionum collatione vel comparatione.

Cap. LXXX.

Sicut autem in hac luce corporea est cœlum quod super terras conspicimus. Vnde luminaria clarent & sydera, quæ corpora lõge meliora sunt terrestribus, sic in illo genere spirituali, in quo videtur similitudines corporum luce quadã & sua sunt quædam excellentia & merito diuina, qnæ demõstrant angeli multis modis Sũt alia visa vsitata & humana, siue qualia sępe demõstrata sunt his qui raptì à corporis sensibus mortuis similes iacuerunt, & infernales pænas viderunt, cum & ipsi in seipsis gererẽt quandam similitudinem corporis sui per quam possent ad loca pænalia ferri, & talia similibus sensibus experiri. Quamuis enim non sunt corporalia, sed similia corporibus quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, vel bene, vel male, cum ipsæ corporibus suis similes appareant sibimet. Sunt tamen & vera lętitia & vera molestia facta de substãtia spirituali. Nam & in somnis multum interest vtrũ in lætis an in tristibus simus, & vtiq; dubitandum nõ est, quod expressiora sunt illa quæ inferna dicuntur, & ob hoc vehementius sentiuntur.

Visa humana.

Sed & in spiritu nostro multipliciter existunt, siue ex corpore spiritui quodammodo suggeruntur, sicut si fuerimus affecti, vel carne, vel animo, non solũ enim vigilantes curas suas cogitando versant in similitudinibus corporum, sed etiam dormientes hoc sæpe somniant quo indigent. Nam & negocia sua gerũt ex animi cupiditate, & epulis poculisq; inhiantes insistunt, si forte esurientes & sitientes dormiunt, quæ omnia puto illis angelicis demonstrationibus sic habenda ac si in ista natura corporum cælestibus terrestria cõparentur Sic & in primo intellectualium genere visorũ. Alia sunt quæ in ipsa anima videntur, sicut virtutes quibus vitia sunt contraria, siue permansurę, vt pietas, siue tantum vtiles huic vitę, ad vitam æternam adipiscendam, sicut fides spes & patientia. Aliud autem est ipsum lumẽ quo illustratur anima vt omnia, vel in se,

Lumen animæ.

vel

vel in illo vèraciter intellecta cõspiciat: Nã illud ipse Deus est. Hæcautẽ creatura quãuis rationalis ad eius imaginem facta, quæ cum conatur lumẽ illud intueri palpitat infirmitate, & minus valet. Inest tamen quicquid sic valet. Cũ ergo illic rapitur & à sensibus subtracta carnalibus illi visioni expressius præsentatur nõ spaciis localibus, sed modo quodam suo etiam supra se videt illud quo adiuta, videt quicquid in se intelligenda videt.

De prophetica visione.

CAP. LXXXI.

Visio quæ nã dicitur prophetia.

Vtlor. Licet autem prophetia visio dicatur, & propheta videns appelletur, vt diuina scriptura ait, nõ tamen visio quælibet potest dici prophetia, sed visio eorum quæ procul sunt à communi cognitione, vt sic dicatur esse propheta tantum procul fans, id est annuncians, sed etiam procul videns, à phanos quod est apparitio. Vnde prophetia sic describitur. *Est diuina inspiratio rerũ euentus immobili veritati denũcians.* Aliquando tamen prophetia dicitur sermo propheticus. Aliquando prophetandi actus. Aliquando ipsum prophetatum. Et aliquando propherę donum scil. habitus mentis quo cognoscit anima res à Deo sibi ostẽsas in speculo. Vel etiam actus ipse procedens ex tali habitu, id est aliarum rerum actualis cognitio. Et hoc quarto modo accipitur in prędicta diffinitione. Vnde est quod dicitur inspiratio diuina, hoc est aperta scięntia à Deo inspirata. Quod autem sequitur rerum euẽtus immobili denunciãs veritate, hoc est res vt habẽt esse, siue sint futuræ siue pręsẽtes, siue præteritæ. Moyses enim fuit propheta manifestando præterita, vt creationem rerum quæ sibi erat à Deo reuelata. Similiter Helisæus prophetizauit de præsenti, cum in spiritu vidit post tergum Naaman Syri currentem Giezi. Si quis etiam à Deo intantum illuminaretur, vt aperto intellectu videret Deum esse trinum & vnum, hæc visio posset dici prophetia de præsenti. Sed magis propriè dicitur propheta qui res futuras denunciat.

Quid propheti at

Helisæus prophetabat de præsenti.

Isaias: Vnde patet quod Isaias de hoc articulo. *Ecce virgo concipiet* &c. duplicem habuit cognitionem scil. fidei notitiam & cognitionem prophetalẽ. Sed in actu non poterat simul illis duabus vti, quia cognitio prophetalis est aperta, non sic autem cognitio fidei. Cum itaq; quicquid manifestatur sub quodam lumine manifestetur, oportet vt ea quæ manifestantur homini supra communẽ cognitionem quodam altiori lumine manifestentur, quod lumen propheticum dicitur, ex cuius receptione aliquis propheta constituitur. *Hieronymus super Isaiam li. 1.* Nequaquam ergo sicut Mõtanus somniat, prophetæ in extasi locuti sunt, vt nescirent quid loquerentur. Si enim sapientes erant quomodo instar brutorum quod dicerent ignorabant?

Aug vbi sup. Proinde quibus per aliquas rerum corporalium similitudines in spiritu demonstrabantur signa, nisi accessisset mentis officium vt etiam intelligerentur, nondũ erat prophetia Magisque propheta erat qui interpretabatur quid alius vidisset, quam ipse qui vidisset. Vnde apparet magis ad mentẽ pertinere prophetiam, quam ad illum qui modo quodam propriè vocatur spiritus. Et est vis animæ quædã inferior, vbi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Itaq; magis Ioseph fuit propheta, qui intellexit quid significarent septem spicę, & septem boues, quam Pharao qui eas vidit in somniis. Illius enim spiritus informatus est vt videret. Huius mens illuminata, vt intelligeret. Ac pro hoc in illo erat lingua, in isto prophetia: quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginum interpretatio. Minus ergo propheta est, qui rerum sola signa in spiritu per imagines vidit. Magis propheta qui solo earum intellectu prędituſ est. Sed maximè propheta est, qui vtroque præcellit, sicut Danielis excellentia tentata est, qui & somnium regi quod viderat dixit, & quid signaret aperuit.

Ioseph.

Daniel.

Quid sit Propheta.

CAP. LXXXII.

THomas. Sciendum autem quod aliquid retinetur in aliquo dupliciter. vno modo vt forma in subiecto consistens. Alio modo per modum passionis Sicut pallor in eo qui naturaliter, vel aliquo forti accidenti hunc colorem habet, est vt qualitas quædã. In eo vero qui subito ex aliquo timore pallescit, est vt quædam passio. Similiter & lumen est corporale quidẽ in stellis vt stellarũ qualitas, vtpote quædam forma in eis permanens. In aere vero est vt quædam passio, quia lumẽ nõ retinet, sed recipit tantum per oppositionem corporis lucidi. In intellectu ergo humano lumen quidẽ est quasi qualitas, vel forma permanens, lumen sc. essentiale intellectus agentis ex quo anima nostra, intellectus, sc. agens intellectualis dicitur. Sed autem lumẽ propheticum in propheta esse non potest, quicunque enim aliqua cognoscit intellectuali lumine, quod est ei effectiuum quasi connaturali vt forma in eo consistens, oportet quod de eis fixam cognitionem habeat, quod esse non potest nisi ea inspiciat in principio in quo possunt cognosci. Quandiu enim non fit resolutio cognitorum in sua principia, cognitio non firmatur in vno, sed apprehendit ea quę cognoscit secundũ probabilitatem quandam, vtpote ab alijs dicta. Vnde necesse habet de singulis acceptionẽ ab alijs habere. Sicut si aliquis nesciret geometriæ conclusiones ex principijs deducere, habitum geometrię non haberet. Sed quæcumq; de conclusionibus geometriæ sciret, apprehenderet quasi credens docenti, & sic indigeret vt de singulis instrueretur, vel institueretur. Non enim posset ex quibusdam in alia peruenire firmiter non facta resolutione in prima principia. Principiũ autem in quo possunt cognosci futura contingentia, & alia quæ cognitionẽ naturalẽ excedunt, de quibus est prophetia, est ipse Deus. Vnde cum prophetæ Dei essentiã nõ videant, non possunt ea quæ propheticè vident cognoscere aliquo lumine, quod sit quasi quædam forma habitualis eis inhærens, sed oportet quod de singulis sigillatim instruãtur. Vnde oportet quod lumen propheticum non sit habitus, sed magis in anima prophetæ per modum cuiusdam passionis, vt lumen solis in aere. Vnde sicut lumen non remanet in aere, nisi apud irradiationem solis, ita nec lumen prædictum remanet in mente prophetæ, nisi quando actualiter diuinitus inspiratur. Et inde est, quod sancti de prophetia loquentes, de ea per modum passionis loquuntur, dicentes eam esse inspirationem, vel tactum quendam, quo Spiritussanctus dicitur tangere cor prophetæ, & alijs huiusmodi verbis de prophetia nõ potest esse habitus. Sed sciendum, quod sicut est in rebus corporalibus, quod aliquid post passionem etiam passione abeunte efficitur habilius ad patiendum, sicut aqua calefacta prius, facilius postmodũ post infrigidationem calefiet. Et homo post frequentes tristitias, facilius ad tristitiam prouocatur. Ita etiam quando mens aliqua diuina inspiratione tangitur, etiam illa inspiratione abeunte remanet habilior ad iterato recipiendum, sicut post deuotam orationem remanet mens deuotior, vnde propter hoc, vt Augustinus dicit in lib. de orando Deum, ne mens quæ curis & negociis torpescere cæperat, omnino refrigescat, & penitus extinguatur, sed crebrius inflammetur, certis horis ad negocium orandi mentem reuocemus. Vnde & mens prophetæ postquam fuerit semel aut pluries diuinitus inspirata, etiam inspiratione actuali cessante remanet habilior, vt iterum inspiretur: Et hæc habilitas dici potest habitus prophetiæ, licet habitus dicatur improprie.

Lumen propheticum quale?

Prophetia reddit mentem habiliorem.

Vtrum

Vtrũ requiratur diſpoſitio naturalis ad prophetiã habẽdã.

CAP. LXXXIII.

Dubium. VIdetur autem quod ad prophetiam habendam requiratur diſpoſitio naturalis, quia talis perfectio qualis eſt prophetia non recipitur in aliquo, niſi ſecundum diſpoſitionem recipientis. *Vnde Hieron. ſuper Amos.* Naturale inquit eſt omnes qui volunt rem rei comparare, in rebus illis comparationes ſumant quas experti ſunt, & in quibus nutriti ſunt: verbi gratia, nautæ inimicos ſuos ventis, damnum naufragio comparant. Sic & paſtores timorem ſuum rugitui leonis aſſimilant, inimicos ſuos leones & vrſos ac lupos dicunt. Sic ergo Amos qui fuit paſtor pecorum, timorẽ Dei rugitui leonis aſſimilat in prophetia dicens. *Dominus de Syon rugiet* &c.

Reſolutio. Nos autem dicimus quod in prophetia duo eſt cõſiderare ſcil. ipſum prophetiæ donum, & huius doni iam percepti viſum. Ipſum quidem prophetię donum ſupra facultatem hominis excedens à Deo datur, non virtute alicuius cauſæ creatæ vel cauſatæ quãuis prophetia naturalis ex virtute alicuius creaturæ perficiatur in nobis, hæc autem differt inter operationem diuinam & operationem creaturæ. Quod quia Deus ſua operatione non ſolum formam ſed & materiam producit, vnde ſicut non præexigit eius operatio materiam, ita nec diſpoſitionem materialem ad effectum perficiendum. Nec tamen formam ſine materia, aut ſine diſpoſitione facit, ſed ſimul poteſt materiã & formam dare vnica operatione, vel etiam materiã quantumcunq; indiſpoſitam ad debitam diſpoſitionem reducere quæ competit perfectioni quam inducit, ſicut patet in ſuſcitatione mortui. Corpus enim mortuum eſt omnino indiſpoſitum ad animam recipiendam, & tamẽ vnico diuino opere corpus & animam & diſpoſitionem ad animam recipit, ſed ad operationem creaturæ pręexigitur & materia, & debita materię diſpoſitio. Non enim poteſt virtus creata ex quolibet quodlibet facere. Patet ergo quod prophetia naturalis prę-exigit diſpoſitionem debitam naturalis complexionis. Sed prophetia quæ eſt Spirituſſancti donum nõ præexigit eam, licet exigatur tamen ad debitũ prophetiæ vſum, nã ſimul cum dono prophetię datur & prophetæ diſpoſitio naturalis, quæ ſit ad prophetiã cõueniẽs.

Vſus prophetiæ. Vſus autẽ prophetiæ cuiſlibet eſt in poteſtate prophetæ & ſecundũ hoc dicitur primæ Corinth. 14. Spiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt. Et ideo ab vſu prophetiæ aliquis poteſt ſeipſum impedire, & ſic ad debitum prophetiæ vſum de neceſſitate diſpoſitio debita requiritur, cum prophetiæ vſus ex virtute prophetæ creata vel cauſata procedat. Vnde & determinatam diſpoſitionem exigit. Dicendum eſt ergo quod quædem diſpoſitiones ſunt indifferentes ad prophetiam, & hæ diuina operatione non mutantur in propheta, ſed ſecundum earum conuenientiam procedit prophetia. Indifferens enim eſt ad prophetiã vt quibuſcũq; ſimilitudinibus resprophetata figuretur. Diſpoſitiones vero contrariæ diuina virtute à propheta auferuntur, & diſpoſitiones neceſſariæ conferuntur.

obiect. Vnde ſi obiiciatur quod per viſionem imaginariã frequenter fit prophetia, & ob hoc ad illã requiri videtur imaginationis bonitas.

Reſp. Dicendum quod licet ad eam requiratur, nõ tamen de neceſſitate præexigitur. Nam Deus ipſe qui donum infundit prophetiæ potens eſt cõplexionẽ organi virtutis imaginatiuę in melius reformare, ſicut & oculos lippos vt clare poſſent vidẽre.

Vtrum bonitas morum requiratur ad illam.

CAP. LXXXIV.

QVia vero legitur in lib. Sapientiæ, quod ſapientia Dei per nationes in animas ſanctas ſe trãsfert & amicos Dei & prophetas conſtituit. Amici vero Dei non ſunt niſi ſantũ illi in quibus viget bonitas morũ: videtur quod bonitas morum requiratur ad prophetiam, at vero bonitas hominis in charitate cõſiſtit, per quã homo Deo vnitur. Quæcunq; ergo ſine charitate eſſe poſſunt, communiter inueniri poſſunt in bonis & malis. In hoc enim pręcipue diuina bonitas commendatur, quod tã bonis quam malis vtitur ad ſuum propoſitũ implendũ. Et ideo vtriſq, tã bonis quam malis illa dona largitur, quæ ad charitatem neceſſariã dependentiam non habent, prophetia autem non habet aliquã neceſſariã colligãtiam cũ charitate propter duo. Primo quia prophetia eſt in intellectu, charitas in affectu. Et ſic prophetia & aliæ intellectus perfectiones non dependent à charitate. Et hac ratione fides & prophetia & omnia alia huiuſmodi in bonis & malis eſſe poſſunt. Secundo quia prophetia datur alicui ad vtilitatem eccleſiæ & non propter ſeipſum. Contingit autem aliquem vtiliter quantum ad aliquid deſeruire, qui in ſeipſo bonus non eſt, nec Deo per charitatem coniunctus. Vnde prophetia & operatio mira & eccleſiaſtica myſteria, & alia homini quæ ad vtilitatem eccleſiæ conferuntur inueniuntur quandoque ſine charitate, quæ ſola homines bonos facit.

Prophetia nõ neceſſario connectitur cum charitate.

Sciendum tamen quod inter peccata quibus charitas amittitur, quædam ſunt quæ vſum prophetię impediunt, quædam non, quia enim carnalia peccata mentem à ſpiritualitate omnino retrahunt, ex hoc ipſo quod aliquis carnalibus peccatis eſt ſubditus ineptus ad prophetiam redditur ad cuius reuelationem ſumma ſpiritualitas mentis requiritur. Peccata vero ſpiritualia ſpiritualitatẽ mentis non impediunt. Ideo contingit aliquem eſſe prophetam ſpiritualibus peccatis ſubditum, non autem carnalibus vel etiam immenſis ſæculi ſolicitudinibus, quibus mens à ſua ſpiritualitate retrahitur. Et ideo dicit Rabanus, quod hoc eſt ſignũ quod aliquis ſit falſus propheta, quando voluptatibus & ſolicitudinibus ſęculi detinetur, & hoc cõſonat ei quod habetur Mathæi. 7. Attendite à falſis prophetis & à fructibus eorum &c. Quod de manifeſtis oportet intelligi, vt ibidem dicit Gloſſa, quæ maxime ſũt peccata carnalia. Spiritualia enim vitia intrius latent. Porro ſapientia ſe transfert in animam dupliciter. Vno modo vt ipſam Dei ſapientia animam inhabitet, & ſic hominem ſanctum facit & Dei amicum. Alio modo ſolum quantum ad effectum, & ſic non oportet quod ſanctum faciat vel Dei amicum, & ſic transfert ſe in mentem malorum, quos propheras cõſtituit. Et quamuis prophetia ſit donũ Spirituſſancti, non tamen cũ hoc dono Spirituſſanctus datur, ſed ſolum cum dono charitatis. Si autẽ obiicitur quod prophetia non poteſt eſſe in peccatore, quia ſic eſſet idem actus à peccato & à Spirituſancto Dicimus quod prophetia quidem non contingit male vti, ita quod prophetię actus inquantum à prophetia egreditur ſit malus. Cum enim aliquis prophetiæ actum ad aliquid malum ordinat, tũc quidem ipſe actus prophetię bonus eſt à Spirituſancto, ſed ordinatio illius actus ad finem indebitum non eſt à Spirituſancto, ſed à peruerſa hominis voluntate. Dicit autem Hieronymus ſuper Matthęum, tempore illo quo coniugales actus geruntur præſentia Spirituſſancti non dabitur, etiam ſi propheta eſſe videatur qui in officio generationis obſequitur, nec hoc eſt propter culpã, quoniam actus matrimonialis culpa caret, ſed propter concupiſcentiæ paſſionem annexam, huiuſmodi namq; paſſiones vehementes ad ſe trahunt totaliter rationis attentionẽ & per conſequens eam auertunt à ſpiritualium inſpectione. Et ideo vehẽmentibus paſſionibus vel iræ, vel triſticiæ, aut delectationis, vſus prophetiæ impeditur, etiam in eo qui prophetiæ donum percipit. Et ſic etiam naturalis indiſpoſitio complexionis impediret, niſi diuina virtute quodammodo curaretur.

Peccata carnalia ineptũ reddunt ad prophetiæ vſum.

Sapiẽtia Dei trãſfertur in animam dupliciter.

Qualiter Prophetæ dicuntur in ſpeculo videre.

CAP. LXXXV.

QVia vero prophetæ in libro præſcientiæ Dei, vbi omnia ſcripta ſunt, dicũtur legere, ſiue in ſpeculo æternitatis, in quo ab æterno reſpondent omnium rerum formæ. Sciendum quod dicuntur in illo libro legere vel in ſpeculo videre non quidem materialiter quaſi ſpeculum ipſum aut librum videant, ſed cauſaliter quia ſ. ex illo libro, vel ſpeculo deriuatur prophetię cognitio. At vero ſecundum hoc non videtur prophetis in hoc attribui cognitio aliqua priuilegiata, cũ inde deriuetur omnis cognitio humana. Sciendum itaq; quod ſpeculum propriè loquendo non inuenitur niſi in rebus materialibus, ſed in rebus ſpiritualibus per quandam tranſſumptionem dicitur, ſcilic. per ſimilitudinẽ acceptam à ſpeculo materiali, vt ſcilicet in rebus ſpiritualibus dicatur eſſe ſpeculũ id quo alia repræſentãtur, ſicut in ſpeculo materiali apparent formę rerum viſibilium. Sic ergo dicunt quidam ipſam diuinam mẽtem in qua omnium rerum rationes relucent eſſe ſpeculum quoddam, & dici æternitatis ſpeculum, ex hoc quod eſt æternum, quaſi æternitatẽ habens. Dicunt ergo quod iſtud ſpeculum videri poteſt dupliciter, vel per eſſentiam ſuam ſecundum quod eſt beatitudinis obiectum. & ſic non videtur niſi à beatis, vel ſimpliciter vel ſecundum quid, ſicut in raptu vel prout in eo reſultant rerũ ſimilitudines, & ſic propriè videtur vt ſpeculum. Et hoc modo dicunt ſpeculum æternitatis viſum ab angelis ante ſuam beatitudinem, & à prophetis. Sed hæc opinio non videtur rationabilis propter duo. Primo quia ipſæ ſpecies rerum in mẽte diuina reſultantes, non ſunt aliud ſecundum rem ab ipſa eſſentia diuina. Sed huiuſmodi ſpecies vel rationes diſtinguuntur in ipſa ſecundum diuerſos eius reſpectus ad creaturas diuerſas. Cognoſcere ergo diuinã eſſentiam & ſpecies in ipſa reſultantes nihil aliud eſt, quam cognoſcere ipſam in ſe, & relatã ad aliud. Prius eſt autem aliquid cognoſcere in ſe, quam pro vt eſt ad aliud comparatum. Vnde viſio qua videtur Deus, vt eſt rerum ſpecies præſupponit illam qua videtur, vt eſt in ſe eſſẽtia quędam, ſecundũ quod eſt obiectum beatitudinis, vnde impoſſibile eſt, quod aliquid videat Deum ſecundum quod eſt ſpecies rerum, & nõ videat eum ſecundum quod eſt beatitudinis obiectũ. Secundo quia ſpecies alicuius rei inuenitur in aliquo dupliciter, vno modo ſicut præexiſtẽs ad rem cuius eſt ſpecies. Alio modo ſicut à re ibi reſultans. Illud ergo in quo apparent ſpecies rerum vt præexiſtentes ad rem, non poteſt propriè ſpeculum dici, ſed magis exẽplar. Illud autem ſpeculum poteſt dici in quo rerum ſimilitudines à rebus ipſis reſultãt. Quia ergo in Deo ſpecies ſunt & rationes rerum, nuſquam inuenitur dictũ à ſanctis, quòd Deus ſit rerum ſpeculũ, ſed magis quod ipſę res creatę ſunt ſpeculum Dei, prout dicitur in prima ad Corinthios 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Et ſic etiam filius dicitur eſſe ſpeculũ patris, prout à patre in ipſo ſpecies diuinitatis recipitur ſecũdum quod habetur Sapientiæ ſeptimo. *Speculum ſine macula* &c. Quod ergo à magiſtris dicitur prophetas in ſpeculo æternitatis videre, hæc ſic intelligendũ eſt, quaſi ipſum Deum æternum videant, prout eſt ſpeculum rerum, ſed quia aliquid creatum intuẽtur, in quo ipſa ęternitas Dei repræſentatur, vt ſic ſpeculum æternitatis intelligatur, non quod eſt æternum ſed quod eſt æternitatem repræſentans.

Sententia dicens prophetas videre eſſentiam Dei per modum ſpeciei confutatur.

Res creata ſunt ſpeculũ Dei.

Cur Deus futura certò noſcit.

Ex hoc enim Deo cõpetit futura certitudinaliter, vt præſentia cognoſcere, vt Boëtius dicit, quia eius intuitus æternitate mẽſuratur, quæ eſt tota ſimul. Vnde eius aſpectui ſubiacent omnia tempora, & quæ in eis geruntur. Inquantum ergo ab iſto diuino aſpectu reſultat in mente prophetæ futurorũ ſcientia per lumen propheticũ, & per ſpecies in quibus propheta videt, ipſæ ſpecies ſimul cum lumine prophetico ſpeculum æternitatis dicuntur, quia diuinum intuitũ repræſentãt, prout in ęternitate futurorum euentus præſentialiter inſpicit. Itaq; prophetæ in libro præſcientiæ Dei dicuntur legere hac ſimilitudine, quia ex ipſo libro diuinæ præſcientiæ efficitur rerum futurarum notitia in mẽte prophetæ, ſicut ex lectione libri efficitur notitia rerum quę ſcribuntur in libro in mente legentis. Non autem quantũ ad hanc ſimilitudinem, quod propheta ipſam Dei præſciẽtiam videat, ſicut legẽs in libro materiali videt librũ materialem. Et quamuis omnes cognitiones à diuina præſcientia deriuentur, non tamen omnis cognitio repræſentat eam vt ratione ęternitatis etiam futura præſentialiter intueatur: vnde nõ poteſt dici quælibet ſcientia ſpeculum æternitatis, ſed in hoc priuilegiata cognitio prophetarum oſtenditur.

Adhuc de eodem.

CAP. LXXXVI.

SEd fortaſſis obijciet aliquis, quòd nihil poteſt videri niſi vbi eſt. Futura vero cõtingentia non ſunt ſecundũ immobilem veritatem, prout videntur à prophetis, niſi tantũ in ipſa præſciẽtia diuina. Ideoq; videtur quod prophetæ videant illa in ipſa ſolũ Dei præſciẽtia. Si dicatur quod futura cõtingentia ſunt quidẽ primordialiter in diuina præſcientia. Sed ex inde per quaſdam ſpecies ad mẽtem humanam deriuantur, vbi à propheta videntur. Ecõtra obiicitur, quia quicquid in aliquo recipitur, eſt in eo per modum recipientis, & nõ per modũ ſuum. Mens autem prophetæ mutabilis eſt, & ob hoc in ea no poſſunt recipi, vt videtur futura cõtingentia immobiliter. Cæterũ illud quod eſt proprium diuinæ cognitioni, nõ poteſt niſi à Deo cognoſci. Tale autẽ eſt futura cognoſcere, ſicut patet ex verbis Iſaiæ. *Annũciate inquit qua ventura ſunt, & dicemus quia dij eſtis vos.* Itaq; videtur quod nõ poſſint à prophetis futura cõtingentia videri, niſi in ipſo Deo. Dicit autem Auicenna, quod quandoque mens hominis intantũ eleuatur, quod ſpeculo præſcientiarũ coniungitur, maxima vero leuatio mentis humanę eſt in cognitione prophetiæ. Ideoque videtur quod ſpeculo præſcientiæ cõiungatur, ita quod futura in ipſa Dei præſcientia intueatur. Finis etiam humanæ vitæ, ſicut philoſophi tradunt, eſt vt homo ſecundũ mentem altiori ſpeculo cõiungantur, quod eſt ſpeculũ intelligibilium ſubſtantiarum. Quarum videlicet ſuprema eſt diuina eſſentia in qua relucent omnia. Deniq; ſi duo ſint ſpecula quarum vnum ſit ſuperius, & alterũ inferius, & à ſpeculo ſuperiori reſultent ſimilitudines in inferiori, ille qui in ſpeculo inferiori ſpecies videt, non dicitur in ſuperiori videre, quamuis eius viſio quodammodo à ſuperiori ſpeculo deriuetur. Ex hoc itaque quod intuetur propheta in mente ſua ſpecies receptas à mẽte diuina, nõ videtur quod debeat dici videre in ſpeculo ęternitatis ſiue in mẽte diuina, ſed in mente propria vbi eſt ſpeculũ temporale, quãuis ab ęterno deriuetur.

Obiectio.

Ad hæc autem per prædicta patet reſpõſio, vel ex parte vel ex toto. Dicendũ eſt enim quod rationes futurorũ cõtingentium ſecundũ immobilem veritatem originaliter ſunt in mente diuina, ſed exinde effluunt in mente prophetæ. Et ſic in reuelatione accepta propheta futura immobiliter cognoſcere poteſt. Et forma quidem recepta ſequitur modũ recipientis quantũ ad aliquid, prout habet eſſe in ſubiecto eſt in eo materialiter vel immaterialiter, vniformiter vel multipliciter, ſecundũ exigentiam ſubiecti recipientis, ſed quantum ad aliquid forma recepta trahit ſubiectũ recipiens ad modũ ſuum. prout ſc. nobilitates quæ ſunt de ratione formæ, communicantur ſubiecto recipienti. Sic enim ſubiectũ per formã recipit & nobilitates, & hoc modo per gloriam immortalitatis corpus corruptibile immortale efficitur. Et ſimiliter eſſe per irradiationem ab immobili veritate eleuatur mens prophetæ ad hoc quod mobilia immobiliter videat. Porro quia futurorũ notitia quidem eſt Deo propria, propter hoc futu-

Reſponſio.

Forma recepta trahit ſubiectum ad modum ſuũ ſæpe.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rorum cognitio nō poſſit accipi niſi a Deo, non tamē oportet quod ipſum Deum videat, quicunque à Deo cognoſcit futura, & verū eſt quod mens prophetæ ſecundum Auicennam ſpeculo præſcientiarum ſiue intelligentiarū coniungitur, non quod ipſas intelligētias videat, ſed quia ex earum irradiatione ipſarū præſcientiæ efficitur particeps, finis autem humanæ vitę nō ſolum iuxta philoſophos, ſed etiam ſecundū fidem eſt vt homo ſpeculo altiori coniungatur, ſed ad hunc finem non in via, ſed ſolum in patria pertingitur. Speculum autem in quo videt propheta quamuis temporale ſit, tamen æternam Dei præſcientiam repræſentat, & ſecundum hoc videt in ſpeculo æternitatis.

Quid ſit illud quod menti prophetæ imprimitur in revelatione.

CAP. LXXXVII.

Dubium. CVm autem ſecundum Aug. à ſola viſione intellectuali dicatur aliquis propheta, quæ ſc. viſio non eſt de rebus per earū ſimilitudines, ſed per ipſas rerum eſſentias, vt legitur ſuper epiſtolā ſecūdam ad Corinthios. Videtur quod in viſione prophetica nullæ ſpecies imprimantur in mente prophetę, ſed ſolummodo lumen intellectuale. Econtra vero ſicut viſus non determinatur ad aliquid determinatum viſibile cognoſcendum per lumen, ſed per ſpeciem viſibilem, ſic & intellectus poſſibilis nō determinatur ad intelligibilia cognoſcenda per lumen intellectus agentis, ſed per ſpecies intelligibiles. Cū ergo cognitio prophetæ determinetur ad quædā quæ prius cognoſcebat videtur quod nō ſufficiat luminis infuſio, niſi etiā ſpecies imprimatur. Ad hæc & ſimilia reſpondeo, quod prophetia eſt quædā ſupernaturalis cognitio. Ad cognitionē autem duo requiruntur, ſ. acceptio cognitorum & iudicium de acceptis, vt ſupra dictū eſt. Quandoq; ergo cognitio eſt ſupernaturalis ſecundū acceptionē tantū, quandoq; ſecundum iudicium tantū, quandoq; ſecūdum vtrūq;. Sed autē ſit ſecundū acceptionem tantū ſupernaturalis, non dicetur ex hoc aliquis propheta, ſicut Pharao non dicēdus eſt propheta qui ſupernaturaliter accepit futuræ fertilitatis & ſterilitatis iudiciū ſub boum & ſpicarū figuris. Si vero habeat ſupernaturale iudiciū vel ſimul iudicium & acceptionem, ex hoc dicitur propheta. Acceptio autem ſupernaturalis nō poteſt eſſe niſi ſecundum tria genera viſionis. ſc. ſecundū viſionem corporalem quando aliqua corporalibus oculis diuinitus demōſtrantur, vt manus ſcribēntis Balthaſar. Et ſecundū imaginariam viſionē, quādo diuinitus aliquę rerū figurę prophetis oſtenduntur, vt olla accenſa Ieremiæ, & equi & montes Zachariæ. Et ſecundū intellectualē, quando aliqua intelligibilium oſtenduntur ſupra naturalē facultatē. Cum autem intellectus humanus ſit in potentia naturali ad omnes formas intelligibiles ſenſibiliū rerū, non erit ſupernaturalis acceptio quæcunq; ſpecies intelligibiles in intellectu fiant. Sicut erat ſupernaturalis acceptio in viſione corporali quando inſpiciuntur res quæ nō ſunt ſecundum naturam formatæ, ſed ſolūmodo diuinitus ad aliquid oſtendendū. Et ſicut erat ſupernaturalis acceptio in viſione imaginaria quādo videtur aliquæ ſimilitudines nō à ſenſibus acceptæ, ſed per aliquā vim ante formatæ. Sed tunc ſolū intellectus ſupernaturaliter accipit, quādo videt ipſas ſubſtantias intelligibiles per eſſentiam ſuam: vtpote Deum & angelos, ad quos pertingere non poteſt ſecundū virtutē naturæ ſuæ. Inter has autē tres ſupernaturales acceptiones: hæc vltima excedit modum prophetię. Vnde dicitur Numeri duodecimo. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in ſomnio; aut in viſione loquar ad eum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui palā & non per figuras & ænigmata videt Deū.* Videre ergo Deū in eſſentia ſua, ſicut videtur in raptu, vel ſicut videtur à beatis, aut videre alias ſubſtantias intelligibiles per eſſentiam ſuam modum propheticæ viſionis excedit. Sed prima ſupernaturalis acceptio, ſ. quæ eſt ſecundū corporalē viſionem, eſt infra propheticā acceptionē, quia per hanc acceptionē non præfertur prophetia aliis quibuſcūq;, cum ſpeciem diuinitus formatā ad videndū omnes æqualiter videre poſſint. Supernaturalis ergo acceptio quę eſt prophetiæ eſt acceptio imaginariæ viſionis. Sic ergo omnis propheta vel habet tantum iudiciū ſupernaturale de his quę ab alio videtur, ſicut Ioſeph de viſis à Pharaone. Vel habet acceptionē ſimul cum iudicio ſecundū imaginariā viſionē. Iudicium enim ſupernaturale prophetę datur ſecundū lumen ei infuſum. Ex quo intellectus roboratur ad iudicādū, & quantū ad hoc nullæ ſpecies præexiguntur, ſed quantū ad acceptionem requiritur noua formatio ſpecierū, ſiue vt fiant in mente prophetæ ſpecies quæ prius non fuerūt, vtpote ſi alicui cæco nato imprimerentur ſpecies colorū. Siue vt ſpecies præexiſtētes ordinentur & cōponantur diuinitus tali modo qui cōperat ſignificationi rerū, quæ debet prophetæ oſtendi. Et per hunc modum concedēdum eſt, quod prophetæ reuelatio non ſolum ſit ſecundum lumen tantum, ſed ſecundum ſpecies etiam quandoque vero ſecundum lumen tantum. Dicendum eſt itaque quod quāuis propheta non dicatur niſi qui habet intellectualem viſionem nō tamen ſola viſio intellectualis ad propheriam pertinet, ſed etiam imaginatiua, in qua ſpecies formari poſſunt cōuenientes etiam ad ſingularium repræſentationem.

Virum omnis revelatio prophetica fiat angelo mediante.

CAP. LXXXVIII.

Reſponſio. QVia vero Moyſes cæteris prophetis excellentior fuiſſe videtur. Ex ipſius Domini verbis in li. Numeri, & etiā ex fine Deut. cui. ſ. Moyſi facta eſt diuinitus reuelatio mediātibus angelis, iuxta illud Apoſtoli ad Gal. *Lex ordinata eſt per angelos in manu mediatoris.* Et etiā in actibus Apoſtolorū de ipſo Moyſe dicitur. Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cū angelo, qui ei loquebatur in mōte Synaï, & cum patribus noſtris. Multo magis omnes alii prophetę, nō ab ipſo Deo immediate, ſed angelo mediāte videntur reuelationē accepiſſe. Aug. quoq; dicit in li. de trini. quod omnes apparitiones factæ patribus in veteri teſtamento fuerūt per angelos adminiſtratæ. Idē etiā dicit Diony. in li. de cæleſti Hierarchia, quod videlic. diuinas viſiones glorioſi patres noſtri ſunt adepti per medias cæleſtes virtutes. At ecōtra poterit obiici, quod dona Spiritusſācti immediate à Deo ſunt, & habitus infuſi, prophetia vero eſt donū Spirituſſancti, & eſt etiā quoddam lumen infuſū. Ideoq; videtur à Deo eſſe ſine angelo mediāte. Præterea propheta perficitur ſecundū luminis infuſionē, ac ſpecierū impreſſionem. Neutrū autē iſtorum videtur poſſe fieri per angelum, quia ſic eſſe videretur creator luminis vel ſpeciei, cum hæc nō poſſint niſi ex nihilo fieri In diffinitione quoque prophetiæ dicitur, quod prophetia eſt diuina reuelatio, vel inſpiratio quę ſi fieret angelo mediāte, dicenda potius videretur angelica quā diuina. *Sed dicēdū*, quod in reuelatione prophetica duo cōcurrunt. ſ. mentis illuſtratio, & ſpecierum formatio in imaginatiua virtute. Ipſum ergo propheticū lumen quo mens prophetæ illuſtratur, à Deo originaliter procedit, ſed tamen ad eius cōgruum ſuſceptionē mēs humana angelico lumine cōfortatur, & quodāmodo præparatur. Cum enim lumen diuinum ſit ſimpliciſſimum & vniverſaliſſimum in virtute, non eſt proportionatum ad hoc, quod ab anima humana in ſtatu vię percipiatur, niſi quodāmodo cōtrahatur & ſpecificetur per coniunctionē ād lumē angelicū, quod eſt magis cōtractum, & humanæ mēti magis proportionatum. Sed ipſa formatio ſpecierum in imaginatiua virtute propriè angelicis eſt attribuēda, eo quod tota corporalis creatura adminiſtratur per creaturam ſpiritualē, vt Aug. probat in 3. de trini. Vis autē imaginaria vtitur organo corporali. Vnde ſpecierum formatio in ipſa ad miniſterium propriè pertinet angelorū. Quodq;

Pars affirmans probatur. *Gal. 3. Act. 7.*

Probatur pars negans.

Reſolutio.

dicit

Prophetā nō eſt ſine iudicio acceptorum.

Videre Deū in eſſentia excedit modum prophetica viſionis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dicit Aug. in li. de trini. quorundã mentes ita eleuari, vt non per angelũ, ſed in ipſa ſumma rerũ arce incommutabiles videant rationes, referendũ eſt ad viſionem patriæ, vel ad viſionẽ raptus, & non ad viſionem propheticam. Dicendum eſt itaq; quod prophetia ratione luminis prophetici cõputatur inter Spiritusſancti dona, quod quidẽ à Deo immediate infunditur, quãuis ad congruã eius receptionem angelorum miniſterium cooperetur. Angelus ergo neque lumen in intellectu creat humano, neq; ſpecies in imaginatiua, ſed angeli operatione naturale lumen intellectui humano diuinitus confortatur. Et ſecundũ hoc angelus hominem illuminare dicitur. Ex hoc etiam quod angelus habet poteſtatem cõmouendi organum phantaſię, poteſt viſionẽ imaginariam formare, ſecundum quod cõpetit prophetiæ. Deniq; actio non attribuitur inſtrumento, ſed principali agẽti. Vnde ſcamnũ nõ dicitur effectus ſerræ, ſed carpentarij. Similiter ergo cũ angelus non ſit cauſa reuelationis propheticæ, niſi ſicut inſtrumẽtum diuinum per reuelationẽ à Deo perceptam, prophetia non debet dici reuelatio angelica, ſed diuina. Et licet ſapientia diuina (ſicut ſcriptum eſt) in animã ſe transferens aliquos effectus per ſe, id eſt ſine angeli miniſterio faciat, vt infuſionẽ gratiæ, per quam aliquis amicus Dei conſtituitur, nihil tamen prohibet quin alios quoſdam eff ect is faciat mediante prædicto miniſterio, & ita prophetas conſtituit mediante angelo.

Angeli quomodo illuminant hominem.

Quod propheta quandoque cum à ſpiritu prophetia tangitur à ſenſibus alienetur.

CAP. LXXXIX.

SCiendum vero quod prophetia duos habet actus. Vnũ principalẽ ſc. viſionem. Alium vero ſecundariũ ſc. denunciationẽ. Denunciatio fit à propheta vel verbis, vel etiã factis, vt à Ieremia, qui lũbare ſuũ iuxta fluuium ad putreſcendum poſuit. Vtrolibet autẽ modo denunciatio prophetica huiuſmodi per ſigna quędã ſenſibilia fit. Vnde fiat, ſemper fit ab homine non abſtracto à ſenſibus quia prophetã denunciantẽ oportet ſenſibus vti ad hoc quod eius denunciatio ſit perfecta, aliàs denunciaret quaſi abreptus. Sed quantum ad viſionẽ propheriæ duo cõcurrunt, vt ex dictis patet ſc. iudicium, & acceptio propria prophetiæ. Quando ergo prophetia diuinitũs inſpiratur, vt ſit tãtum iudicium eius ſupernaturale, & nõ acceptio, tunc talis inſpiratio abſtractionẽ à ſenſibus non requirit, quia iudicium intellectus naturaliter eſt perfectius in vtente ſenſibus quã in non vtente. Acceptio autem ſupernaturalis propria prophetiæ eſt ſecundum imaginariã viſionem. Ad quam viſionem inſpiciendam rapitur vis humana ab aliquo ſpiritu, & à ſenſibus abſtrahitur, vt Aug. dicit ſuper Geneſim ad litteram. Cuius ratio eſt, quia vis imaginatiua dum quis vtitur ſenſibus, principaliter eſt intẽta his quæ per ſenſus accipiuntur: vnde non poteſt eſſe, quod intentio eius principaliter transferatur ad ea, quę aliunde accipiuntur, niſi quãdo homo eſt à ſenſu abſtractus, vnde quandocunq; fit prophetia ſecundum imaginariã viſionem, oportet à ſenſibus abſtractum eſſe Prophetã. Sed hęc abſtractio dupliciter cõtingit, vno modo ex cauſa animali, alio modo ex cauſa naturali. A cauſa quidẽ naturali, quando exteriores ſenſus ſtupeſcunt, vel propter ægritudinẽ, vel propter vapores ad cerebrũ tendentes, ex quibus cõtingit organum tactus immobilitari. Ex cauſa vero animali, ſicut quando homo ex nimia attentione ad intelligibilia vel imaginabilia omnino à ſenibus exterioribus abſtrahitur. Nunquã autẽ fit in Propheta abſtractio à ſenſibus corporalibus per ęgritudinem, ſicut fit epilepticis vel furioſis, ſed ſolummodo per cauſam naturalẽ ordinatã, ſc. per ſõnũ. Et ideo, prophetia quę fit cũ viſione imaginaria, ſemper fit, vel in ſũmo, quãdo ſc eſt abſtractio à ſenſibus per causã naturalẽ ordinatam, vel in viſione quando fit à cauſa animali. In ho tamen differt propheta in ſua abſtractione à ſenſibus, ſiue abſtrahatur per ſomnũ, ſiue per viſionẽ, ab hominibus aliis qui abſtrahuntur à ſenſibus, quod mẽs prophetæ illuſtratur de his quæ in viſione imaginaria vidẽtur. Vnde cognoſcit ea nõ eſſe res, ſed aliquarũ rerũ ſimilitudines, de quibus certũ iudiciũ habet per lumẽ mẽtis. Sic ergo patet, quod prophetiæ inſpiratio quãdoq; fit cũ abſtractione à ſenſibus, quandoque non.

Iudicium propheticum non dicit alienationem à ſenſibus.

Abſtractio prophetæ fit dupliciter.

Obiectiones in contrarium.

CAP. XC.

S*Ed fortaſſis obijcit aliquis*, quod dicitur à Domino in li. numeri duodecimo. *Si fuerit inter vos propheta Domini in ſomnio & viſione loquar ei.* Nã (vt dicit Glo. in principio Pſalterij) tunc fit prophetia per ſomnia & viſiones quando fit per ea quæ videntur fieri vel dici. At vero cũ apparent talia, ſc. quę dici vel fieri vidẽtur, & nõ dicuntur vel fiunt, patet hominẽ tunc à ſenſibus eſſe abſtractum. Ideoq; viſio prophetiæ ſemper in homine à ſenſu abſtracto videtur eſſe. Præterea cum vna virtus multũ intenditur in operatione ſua oportet aliã abſtrahi à ſua. Cũ ergo in viſione prophetiæ vires interiores, ſcil. intellectus & imaginatio maximè in ſuis operationibus intendantur, videtur quod in viſione prophetica ſemper homo ab operatione exteriorũ viriũ abſtrahatur. Cæterum intellectualis viſio nobilior eſt quã imaginaria, & illa quam corporalis, permixtio autẽ ignobilioris detrahit aliquid de perfectione nobilioris. Cũ ergo intellectus & imaginatio in prophetica viſione ad ſummam perfectionem ſecũdum ſtatũ vię perueniant, vt ſc. propheta cum eis ſimiliter corporali viſione vtatur. Item plus diſtat ſenſus ab intellectu & imaginatione quam ratio inferiora à ſuperiori. Cũ itaq; conſideratio ſuperioris rationis quæ intenditur æternis contemplandis, abſtrahat hominem à cõſideratione inferioris, qua temporalium intenditur adminiſtrationi, multo fortius intellectualis & imaginaria viſio prophetiæ videntur abſtrahere à viſione corporali. Deniq; vna & eadem vis non poteſt ſimul pluribus intendere. At vero cum aliquis ſenſibus corporalibus vritur, eius intellectus & imaginatio rebus illis intendit quæ corporaliter videntur. Simul itaq; cum hoc nõ videtur poſſe intendere, illis quæ apparet abſque ſenſibus corporis in prophetica viſione. Econtrario autẽ opponitur quod in prima ad Corinthios. 14. dicitur. Spiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt. Quod non ita eſſet, ſi propheta à ſenſibus eſſet alienatus, quia ſic, vt videtur, compos ſui non eſſet. Cæterũ in viſione prophetię accipitur certa cognitio de rebus ſine errore. At in his qui abſtracti ſunt à ſenſibus, vel ſomno vel quocunq; modo errori eſt permixta & incerta cognitio, quia rerum ſimilitudinibus inhærent, quaſi rebus ipſis, vt ait Augu. ſuper Geneſim. Itaque prophetia (ſicut videtur) non fit cum alienatione à ſenſu. Deniq; hoc poſito videtur ſequi error Montani, qui dicebat Prophetas velut abreptitios eſſe locutos, quid dicerent neſcientes.

Obiect.

Confutatio falſorum argumentorũ.

Reſponſiones ad eaſdem.

CAP. XCI.

SVpponentes ergo ea quæ ſuperius diximus, ad hæc omnia in cõtrarium obiecta. Reſpondemus quod in verbis illis numeri Dominus intendit oſtendere præeminentiam Moyſi ad alios Prophetas quantũ ad ſupernaturalem acceptionem, quia ſcil Moyſes ſupernaturaliter ad hoc promotus eſt, vt ipſam Dei eſſentiã in ſeipſa videret. Ac ea quæ acceperunt prophetæ acceperunt quidem in ſimilitudinibus ſomnij & viſionis. Sed tamen iudicium prophetiæ non erat per ſimilitudines aliquas ſomnij, vel viſionis. Vnde iudicium prophetiæ fit ſine abſtractione à ſenſibus. Et quando quidem interior vis intenditur in viſione ſui obiecti abſtrahitur, ſi perfecta ſit attẽtio viſione exteriori. Sed quantumq; perfectum ſit iudicium interioris virtutis,

Reſp. ad obiect.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

non abſtrahit ab exteriori operatione, quoniam ad interiorem virtutem pertinet de exteriori iudicare: vnde iudicium ſuperioris in idem ordinantur cum exteriori operatione, ideoq; mutuo non impediunt ſe. Illa vero ratio de nobilitate viſionis intellectualis & imaginarię reſpectu corporalis procedit ſecundum acceptionem, & non ſecundum iudicium. Et illa ſimiliter, quia vna & eadem vis pluribus ſimiliter intendere non poteſt. Ex hoc autē ipſo animę potentię mutuo ſe in operationibus ſuis impediūt, quod in vna animæ eſſentia fundatæ ſunt. Vnde quāto vires aliquæ ſunt magis ſibi propinquæ, tanto magis natę ſunt ſeſe impedire vt ratio inferior & ſuperior: ideoq; de cæteris non eſt ſimile. Quod autem dicit Apoſtolus, Spiritus prophetarū prophetis eſſe ſubiectos, intelligendum eſt quantū ad denunciationē prophetiæ. Ipſorum enim ſubiacet arbitrio denunciare, de quibus inſpirantur vel non. At vero quantum ad reuelationem ipſe propheta ſpiritui ſubiectus eſt. Non enim reuelatio fit ſecundum arbitrium prophetę videntis, ſed ſecundum arbitrium ſpiritus reuelantis. Vt autē etiā in ipſa abſtraſtioneà ſenſibus verum habeat propheta iudicium de his quę videt in ſomno vel viſione: hoc ipsū eſt ex lumine prophetię quo videlicet illuſtratur mens prophetæ. Error autem Montani fuit in duobus. Primo ſc. quia ſubtrahebat prophetis lumen mentis, quo verum haberent iudicium de viſis. Secunda quia in ipſa denunciatione dicebat eos à ſenſibus abſtractos, ſicut in furioſis contingit, vel in eis qui loquuntur in dormiendo. Hoc autem non ſequitur ex poſitione prædicta. Quod autem prophetia dicitur fieri per dicta vel facta, referendum eſt ad prophetię denunciationem magis quam ad propheticam viſionem.

Error Montani de prophetis.

De collatione mutua prophetiæ, qua fit ſecundum viſionem intellectualem tantum, & eius quæ habet intellectualem ſimul cum imaginaria.

Cap. XCII.

CVm autem natura ſpeciei conſiſtat ex natura generis & ex natura differentię ex vtroq; dignitas ſpeciei poteſt penſari. Et ſecundum has duas conſiderationes inueniuntur aliqua ſe inuicē in dignitate excedere quandoq; : & quantum pertinet ad rationem ſpeciei, ſemper illud participat perfectius ſpeciei rationem, in quo differentia formaliter ſpeciem conſtituens nobilius inuenitur. Sed ſimpliciter loquendo, quandoq; eſt nobilius ſimpliciter illud in quo natura generis eſt perfectior, quandoq; vero illud in quo eſt perfectius natura differentiæ. Cū enim differentia addit aliquam perfectionem ſuper naturā generis, tunc præeminentia quæ eſt ex parte differētiæ facit aliquid eſſe ſimpliciter nobilius, ſicut in ſpecie hominis qui eſt animal rationale, ſimpliciter eſt dignior ille qui eſt potior & prævalentior in rationalitate quam ille qui eſt potior in his quæ ad rationem animalis ſpectant, vt pote ſenſus & motus & alia huiuſmodi. Quādo vero differentia aliquā imperfectionem importat, tunc id in quo eſt completius natura genetis, eſt ſimpliciter nobilius, vt patet in fide, quæ eſt cognitio ænigmatica eorum ſcil. quæ non videntur. Qui enim abundat in natura generis, & deficit in fidei differentia, vtpote fidelis qui iam percipit aliquem intellectum credibiliū, quodāmodo ea iam videt, habet ſimpliciter nobiliorem fidem eo qui minus cognoſcit. Et quantum ad rationem fidei pertinet, magis propriè habet fidem ille qui omnino non videt illa quæ credit. Et ſic etiam eſt in prophetia. Prophetia enim videtur eſſe quædā cognitio obumbrata & obſcuritati admixta ſecundum id quod habetur 2. Pe. 1. Habetis firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes quaſi lucernæ lucenti, in caliginoſo loco. Et hoc etiam ipſum nomen prophetię demonſtrat, quia prophetia dicitur, quaſi viſio de lōginquo. Quæ enim clare videntur, quaſi de propevidentur. Si ergo cōparemus prophe-

Prophetia obſcuritati admixta.

tias quantum ad differentiam, quæ ratione prophetiæ complet, illa inuenitur perfectius prophetiæ rationem habere, & magis propriè cui imaginaria viſio admiſcetur. Sic enim veritatis propheticæ cognitio obūbratur. Si autem cōparemus prophetias ſecundum id quod pertinet ad naturā generis ſcil. cognitionem vel viſionem, ſic videtur diſtinguendum. Cum enim omnis cognitio perfecta duo habeat ſc. acceptionem, & iudicium de acceptis. Iudicium quidem de acceptis in prophetia eſt ſolum ſecundum intellectū & ſecundū imaginationem. Quandoq; ergo in prophetia non eſt aliqua ſupernaturalis acceptio, ſed iudicium tantum ſupernaturale, & ſic ſolus intellectus illuſtratur ſine aliqua imaginaria viſione. Et talis forte fuit inſpiratio. Salomonis inquantum de moribus hominū & naturis rerum, quæ naturaliter accipimus, diuino inſtinctu cæteris certius iudicauit. Quandoq; verò eſt acceptio etiam ſupernaturalis, & hoc dupliciter, quia vel eſt acceptio ab imaginatione, vtpote quando diuinitus in ſpiritu prophetæ rerum imagines formātur. Vel eſt acceptio ab intellectu, vtpote quando ita clare cognitio veritatis intellectui infunditur, vt non ex ſimilitudine aliquarum imaginum veritatem accipiat, immo ex veritate iam perfecta ipſe ſibi imagines formare poſſit, quibus vtatur propter naturam noſtri intellectus. Nō autem poteſt eſſe aliqua prophetia quæ habeat acceptionem ſine iudicio. Vnde nec imaginariam viſionē habens ſine intellectuali. Si ergo patet quod viſio intellectualis pura quæ habet iudiciū tantū ſine aliqua acceptione ſupernaturali, & inferior ea, quæ habet iudicium & acceptionem imaginariam. Illa vero intellectualis viſio pura quæ habet iudicium & acceptionem ſupernaturalem; eſt ea nobilior, quę cum iudicio habet acceptionem imaginariam. Et quantum ad hoc concedendum eſt, quod prophetia quæ habet viſionem intellectualem, tantum eſt dignior ea quæ habet imaginariam adiunctam.

Comparatio prophetiarū.

Adhuc de eodem.

Cap. XCIII.

ET quamuis prophetia quæ in vtraq; viſione conſiſtit, habet: etiam intellectualem viſionem, non tamen includit illam quæ in ſolo intellectuali cōſiſtit, quoniam illa viſionem intellectualem excellentiorē habet quam iſta, cū in illa luminis intellectualis perceptio ſufficiat ad acceptionē & iudicium. In hac vero iudicium tātum. Si autem obijcitur quod ex plenitudine luminis intellectualis contingit, quod redundātia in propheta fit ab intellectu ab imaginatione, vt ibi formetur imaginaria viſio, & quanto in propheta lumen intellectuale abundantius eſt, tāto perfectior eſt. Ideoq; videtur perfectior eſſe illa quæ adiunctam habet imaginariam viſionem, quam illa quæ tantum habet intellectualē. Dicimus quod in vtraq; prophetia ſit deriuatio luminis prophetici ab intellectu ad imaginationem, ſed diuerſimode. Nam in illa prophetia quæ dicitur tantum viſionem intellectualem habere, tota plenitudo propheticę reuelationis in intellectu percipitur, & exinde ſecundum intelligentis arbitriū in imaginatiua congrue formantur imagines propter intellectus noſtri naturam, qui ſine phātaſmatibus intelligere non poteſt. Sed in alia prophetia non tota plenitudo propheticæ reuelationis recipitur in intellectu, ſed partim in intellectu, quantum ad iudiciū & partim in imaginatiua, quātum ad acceptionem. Vnde in illa prophetia quę viſionem intellectualem tantum continet, eſt viſio intellectualis plenior. Ex defectu enim luminis recepti in intellectu contingit, quod exinde quodammodo decidit quantum ad aliquid à puritate intelligibili in imaginarias figuras, ſicut in sōnis accidit. Quod autēm dicitur, Iohannes Baptiſtæ fuiſſe propheta & pluſquam propheta quia Chriſtum non ſolum intellectualiter, vel imaginariè ſicut alij prophetæ vidit, ſed etiam corporaliter digito demō-

obiect.

Reſp.

Ioannis Baptiſtæ oſtenſio Chriſti quomodo ad prophetiam ſpectat

ſtrauit, ex quo prophetia cui corporalis admiſcetur viſio videtur eſſe nobiliſſima, dicimus quod non eſt ita, hoc enim quod Iohannes Chriſtum digito demõſtrauit, non pertinet ad viſionem propheticam, ſed magis ad denunciationem, hoc etiam quod corporaliter Chriſtum vidit, non ei dedit prophetiam perfectioris rationis, ſed fuit quoddã munus diuinitus conceſſum amplius quam prophetia. Vnde dicitur à Domino in Lucę decimo. *Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Adhuc autem obiici poteſt*, quod dicit Gloſſa ſuper illud in prima ad Corinthios 14. *Spiritus autem loquitur myſteria.*

Obiect.

Minus inquit eſt propheta, qui rerum ſignatarũ imagines ſolo ſpiritu videt, & magis eſt propheta, qui ſolo earum intellectu prædituſ eſt. Sed maxime propheta eſt qui præcellit in vtroq; Dicit enim Diony. in libro cæleſtis Hierarchię, quod impoſſibile eſt nobis aliter ſuperlucere diuinum radium niſi ſacrorum velaminũ varietate circumuelatũ. Et appellat velamina figuras imaginarias, quibus quaſi velatur intellectualis luminis puritas. In omni ergo prophetia oportet imaginarias eſſe figuras, vel ab homine formatas, vel diuinitus immiſſas. Nobiliores autẽ ſunt diuinitus immiſſæ quã ab homine formatæ. Illa vtiq; prophetia nobiliſſima videtur eſſe, in qua ſimul diuinitus infũditur intellectuale lumen, & figurę imaginarię. Ad hoc autẽ dicẽdũ quod prędicta Gloſſa loquitur de illo qui ſecundũ intellectum nõ habet niſi iudicium de his quæ ab alio accipiuntur, ſicut Ioſeph ſolummodo iudicium de his quæ à Pharaone viſa ſunt habuit, non quod ipſe quid eſſet futurum acceperit. Et ſic ratio cõcludit non autẽ de illa quę tantũ in intellectuali viſione cõſiſtit. Quãuis autem imagines impreſſę diuinitus ſunt nobiliores imaginibus per hominem informatis, tamen acceptio cognitionis quæ eſt in intellectu diuinitus eſt nobilior illa quæ fit per formas imaginarias. Et quãuis intellectus noſter intelligat diuina per aliquas ſimilitudines: illæ tamen ſimilitudines nobiliores ſunt ex hoc quod ſunt immateriales quã imaginariæ ſimilitudines: vnde & intellectualis viſio nobilior eſt. Nec eſſe poteſt vt aliqua res ſit per ſuam eſſentiã imaginabilis, ſicut per ſuam eſſentiam eſt intelligibilis, imaginatio enim non eſt niſi de rebus materialibus, nec etiã poteſt imaginatio aliquid recipere niſi ſine materia. Vnde ſemper neceſſe eſt quod imaginatio ſit alicuius non per eſſentiã ſuam, ſed per ſuam ſimilitudinẽ. Intellectus vero immaterialiter recipit, & eo cognoſcuntur non ſolũ materialia, ſed immaterialia, vnde & quædã cognoſcuntur per eſſentiam, quædam autem per ſimilitudinem.

Res non ſunt per eſſentiã imaginabiles ſunt autẽ intelligibiles.

Vtrum gradus prophetiæ diſtinguantur ſecundum viſiones vel imaginationes.

CAP. XCIV.

VIdetur autem gradus prophetię ſecundum viſionem imaginariam diſtingui, quia ſimilitudines imaginariæ ſunt in prophetia medium cognoſcendi, perfectius autem medium cognoſcendi perfectiorem cognitionẽ facit. Et exinde ſcientia perfectior eſt opinione. Vbi ergo eſt imaginaria viſio nobilior, eſt & prophetię gradus (vt videtur) altior. Præterea cum lumen propheticum ab intellectu in imaginationẽ deſcendit, quanto perfectius eſt lumen in intellectu prophetiæ, tanto perfectior eſt imaginaria viſio. Itaq; diuerſi gradus imaginariæ diuiſionis demõſtrant diuerſos gradus intellectualis. Et vbi perfectior eſt intellectualis viſio, eſt prophetia perfectior. Ecõtra vero poteſt obijci, quod imaginaria viſio prophetam non facit, ſed ſolum intellectualis, ideo ſecundum illam gradus prophetiæ non videtur diſtingui. Præterea quod diſtinguitur per ſe diſtinguitur pænes id quod eſt ei formale. At in prophetia intellectualis viſio eſt formalis, imaginaria vero quaſi materialis. Cæterum (vt dicit Gloſſa in principio Pſalterij) prophetia conſiſtit in dictis & factis, ſomnio & viſione. Non ergo magis A oportet diſtingui ſecundum imaginariam viſionẽ, ad quam pertinet ſomnium & viſio, quam ſecundũ dicta & facta. Deniq; etiam miracula requiruntur ad prophetiam. Vnde Moyſes cum mitteretur à Domino, ſignum petijt, vt legitur in Exodo. Dicitur & in Pſal. *Signa noſtra non vidimus, iam non eſt propheta.* Non ergo magis diſtingui debent hi gradus ſecundum imaginariam viſionem quam ſecundum ſigna. Nos autẽ dicimus, quod ſecundũ imaginariam viſionem diſtinguitur prophetiæ gradus iuxta modum, qui dicetur infetius. Ad obiectiones autem contrarias dicimus, quod cum aliquid diſtinguitur ſecũdum ſpeciem, tunc quidem oportet quod fiat diſtinctio ſecundũ id quod eſt formale Sed ſi fiat diſtinctio graduum in eadẽ ſpecie, poteſt etiam eſſe ſecundũ id quod eſt materiale, ſicut animal diſtinguitur per maſculinum & fæmininũ, quę B ſunt differentiæ materiales, vt legitur in lib. 10. Metaphy. Porro dicta & facta prophetiæ non pertinent (vt ſupra dictum eſt) ad eius reuelationem, ſed ad denunciationem. Ideoq; ſecundum iſtam diſtingui non poſſunt gradus prophetię. Gratia vero ſignorum eſt differens à prophetia, poteſt tamen ad prophetiam reduci, & ſecundũ hoc quod veritas prophetiæ demonſtratur per ſigna. Vnde & gratia ſignorũ quantũ ad hoc eſt potior quã prophetia. Ideoq; 1. ad Corinth. 12. poſtponitur ei prophetiæ gratia. Itaq; excellentiſſimus eſt ille Propheta, qui reuelationem habẽs facit etiã ſigna. In ſumma vero notandum, quod cũ ad prophetiam cõcurrat intellectualis viſio quaſi principalis, & imaginaria quaſi ſecũdaria, gradus prophetiæ eſt ſimpliciter iudicandus eminẽtior, ex eo quod viſio intellectualis eſt eminẽtior. Ex eminentia vero imaginariæ oſtenditur eminentior gradus prophetiæ ſecundũ quid, & nõ ſimpliciter, niſi inquãtum perfectio imaginariæ viſionis demonſtrat perfectionem intellectualis. Ex parte autem intellectualis viſionis nõ poſſunt accipi aliqui C determinati gradus, quia plenitudo intellectualis luminis nõ manifeſtatur niſi per aliqua ſigna. Vnde penes illa ſigna oportet diſtinguere gradus prophetiæ.

Reſp.

De quatuor modis diſtinguendi prophetiam.

CAP. XCV.

SIc ergo poſſunt diſtingui gradus prophetiæ ſecundum quatuor. Primo ſecundum ea quæ requiruntur ad prophetiam. Eſt autem duplex actus prophetiæ ſc. viſiõ & denunciatio. Ad viſionem autẽ requirũtur duo ſc. iudicium quod eſt ſecundum intellectũ, & acceptio, quæ eſt quandoq; ſecundum intellectũ, quandoq; ſecundũ imaginationem. Sed ad denunciationẽ requiritur aliquid ex parte denunciantis ſc. quædam audacia, vt aliquis non timeat vel terreatur loqui veritatem propter aduerſarios veritatis, ſecundum illud quod Dominus dicit ad Ezechielem, Ezechiel. 3. *Dedi faciem tuam valentiorem facibus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Et ſequitur. *Ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.* Aliud autem requiritur exparte rei denunciatæ ſcilicet ſignum per quod veritas rei denunciatæ demonſtratur. Vnde & Moyſes à Domino ſignũ accepit, vt ei crederetur. Sed quia denunciatio in prophetia non principaliter ſed conſequẽter ſe habet in prophetia. Ideo infimus gradus prophetię eſt in eo in quo inuenitur quædã audacia & promptitudo ad aliquid dicendũ, vel faciendũ, ſine hoc quod ei aliqua reuelatio fiat. Sicut ſi dicamus aliquem gradum prophetiæ fuiſſe in Samſone, largo modo accipiendo prophetiam, ſecundum quod omnis ſupernaturalis influxus ad prophetiam reducitur. Secũdus vero gradus erit in eo qui habet viſionem intellectualem cum imaginaria, vt in Salomone. Tertius vero in eo qui habet intellectualem viſionem cũ imaginaria & in Iſaia & Hieremia. Quartus vero in eo qui habet intellectualem viſionem pleniſſimã quantũ ad iudicium & quantũ ad acceptionẽ. ſicut in Dauid. Secũdo poteſt diſtingui gradus prophetię ex diſpoſitione prophetantis Et ſic cũ prophetia fiat in ſõnio & D

Viſio prophetica requirit duo,

Obiect.

E

viſione vigiliæ, vt dicitur Numeri 12. Perfectior eſt gradus prophetiæ quæ eſt in vigilia quam quæ eſt in ſomnio. Tum quia intellectus eſt melius diſpoſitus ad iudicandum, tum quia etiam auocatio à ſenſibus nõ eſt facta naturaliter, ſed ex intentione perfecta interiorum virium ad ea quæ diuinitus demonſtrantur. Tertio ex modo accipiendi. Quia quanto expreſſius ſignificatur res prophetica, prophetiæ gradus eſt ſublimior. Nulla autem ſigna aliquid expreſſius ſignificant, quam verba, & ideo altior gradus prophetiæ eſt, quando percipiuntur verba expreſſe deſignantia rem propheticam ſicut de Samuele legitur primo regum, quam quando demonſtrantur aliæ figuræ quæ ſunt aliarum rerum ſimilitudines, ſicut olla ſuccẽſa oſtenſa eſt Hieremiæ. Ex hoc enim manifeſte oſtenditur, lumen propheticum quod magis in ſuo vigore percipitur, quando ſecundum expreſſiorem ſimilitudinem res propheticæ demonſtrantur. Quarto ex parte eius quod reuelationem facit. Eminentior enim gradus prophetię, eſt quando videtur ille qui loquitur, quam quando verba audiuntur tantum, ſiue ſit in ſomnio ſiue ſit in viſione, quia ex hac oſtenditur quod magis accedit propheta ad cognitionẽ eius qui reuelat. Quãdo vero videtur ille qui loquitur, altior gradus prophetiæ eſt quãdo videtur in ſpecie angeli, quã quando videtur in ſpecie hominis. Et adhuc eminentior ſi videtur in figura Dei, ſicut in Iſaiæ 6. Vidi dominũ ſedentẽ. Cum enim propheticę reuelatio à Deo deſcẽdit in angelũ, & ab angelo in hominem tanto oſtenditur plenior propheticę receptio, quãto magis acceditur ad primũ principium prophetiæ. *Auctor.* Hæc dicta ſunt de prophetica viſione occaſione viſionis imaginariæ.

De extaſi.

CAP. XCVI.

Auguſt. vbiſup. Cum itaq; vigilantes neque mente à ſenſibus corporis alienati in viſione corporali ſumus, ab illa viſione ſpiritualẽ ſine aliqua ambiguitate diſcernimus. Cum vero vel nimia cogitationis intentione, vel aliqua vi morbi, vt phreneticis accidere ſolet, vel commixtione cuius quam alterius ſpiritus ſiue boni ſiue mali, ita corporalium rerum exprimuntur imagines tanquam corporis ſenſibus preſententur corpora, manente tamen etiam in corporis ſenſibus intentione, ſic videtur quæ in ſpiritu fiunt imagines corporum, quemadmodum ipſa corpora per corpus, ita vt ſimul cernatur & homo præſens oculis & alius abſens ſpiritu tanquam oculis. Nam experti ſumus ſic affectos, & cum eis locutos qui vere aderant, & cum alijs qui non aderant tanquam adeſſent. *Extaſis quãdo.* Quando autem penitus abripitur animi intentio à corporis ſenſibus, tunc magis ſolet dici extaſis. Tunc corpora preſentia etiam parentibus oculis non videntur, nec voces audiuntur. Sed totius animi contuitus aut in imaginibus eſt corporum per ſpiritualem, aut in rebus intelligibilibus per intellectualem viſionem. Séd cum imaginibus corporum omnino detinetur, ſiue in ſomnis, ſiue in extaſi, ſi nihil ſignificant, ipſius animæ ſunt imaginationes. Cum autem aliquid ſignificant ſiue dormientibus exhibeantur, ſiue vigilãtibus, ſiue in extaſi, mirus modus eſt, ſi commixtione alterius ſpiritus fieri poteſt, vt ea quæ ipſe ſcit, per huius imagines ei cui immiſcetur oſtendat. *Vnde anima adiuuetur ad diuinandum.* Nonnulli volunt animam hãbere quandam vim diuinationis in ſeipſa. Sed ita eſt, cur non ſemper poteſt cum ſemper velit, an quia non ſemper adiuuatur, vt poſſit? Cum ergo adiuuetur nec vtiq; à corpore, reſtat vt à ſpiritu adiuuetur. Sed quomodo adiuuatur, vtrum in corpore ſit aliquid, vt inde quaſi relaxetur & emicet eius intentio, quo in id veniat, vt in ipſa videat ſignãtes ſimilitudines quæ ibi iam erant, nec videbantur, ſicut multa habemus in memoria quæ non ſemper intuemur, an fiant ibi quę ante nõ fuerant. Vel in aliqua ſpiritu ſunt, quo illa iam emergens ibi eas videat. Sed illa ſi iam erant quaſi proprie, cur eas etiam nõ intelligit, an ſicut ſpiritus eius adiutus eſt, vt eas in ſe videret, ita & mens niſi adiuuetur ea, quæ habet ſpiritus, intelligere non poteſt. An forte corporea non remouẽtur, vel quaſi relaxentur impedimenta, vt ſuo impetu anima in ea quæ videnda ſunt exeratur? Sed ipſa prorſus in hoc aſſumitur, ſiue tantum ſpiritualiter cernenda, ſiue etiam intellectualiter cognoſcenda. An aliquando in ſeipſa videt illa, aliquando per alterius ſpiritus commixtionem. Quicquid horum eſt temere affirmare non oportet. Illud tamẽ non eſt dubitandum, imagines quæ ſpiritu cernuntur, non ſemper eſſe ſigna aliarum rerum ſiue in vigilantibus, ſiue in dormientibus, ſiue in ęgrotantibus. Mirum eſt autem ſi aliquando extaſis fieri poteſt, vt non iſtæ corporalium rẽrum ſimilitudines aliquid ſignificent.

De diuerſis eiuſdem cauſis.

CAP. XCVII.

QViſquis à me quærit vnde viſa corporalibus ſimilia in extaſi appareant, quæ raro accidit animæ, viciſſim quæro vnde appareant dormientibus quæ quotidie ſenſit anima, & nemo illud aut non multũ curat inquirere. Ego vero multo amplius miror, maximeq; ſtupeo, quãta celeritate ac facilitate anima fabricet imagines corporum in ſe, quæ per corporis oculos viderit, quam ſomniantium vel etiam in extaſi viſiones. Illud plane exemplorum experimentis colligi datur, ſicut corporum pallor, rubor, tremor, vel morbus, aliquando à corpore cauſas habet, aliquando ab anima. Et à corpore quidem vel cum humor ſuffunditur, vel actus ſiue labor aliquid aliud corpori iniectũ intrinſecus turbat. Ab anima vero, vel cum timore turbatur, vel pudore confunditur, vel iraſcitur, vel amat, vel ſiquid huiuſmodi, ita & ipſi animæ vt in ea viſa pergat, quæ non ei per corporis ſenſus nuncian- *Vt paſſiones ita viſa partim à corpore ſunt partim ab anima.*
tur, ſed per incorporalem ſubſtantiam, ita vt non diſcernat, vtrum corpora ſint, aut ſimilitudines corporũ, aliquando à corpore accidit, aliquando à ſpiritu.

Et à corpore quidem ſiue naturali viciſſitudine vt ſunt viſa ſomniantium mala valitudine ſenſibus perturbatis, vt cum à phreneticis ſimul & corpora videãtur, & viſa ſimilia corporibus, tanquam & ipſa præ oculis aſſint, Aut pænitus intercluſis, ſicut ſæpe madefacti aliquo morbo ingraueſcente præſente corpore diu abſentes, deinde hominibus redditi multa ſe vidiſſe dixerunt. *A corpore.* A ſpiritu vero cum omnino ſano & integro corpore in alienationem mentis, ſed cum malus *A ſpiritu.*
m hoc arripit ſpiritus, aut dæmoniacos facit, aut abrepticios, aut falſos prophetas. Cum autem bonus, fideles myſteria loquentes, aut accedente etiam intelligentia veros prophetas, & ad tempus quod per eos oportet oſtendi, videntes atq; narrantes. Sed cũ à corpore cauſa eſt, vt talia viſa cernantur non ea corpus exhibet. Neque enim habet ea vim vt formet aliquid ſpirituale, ſed ſopito, aut perturbato, aut etiã intercluſo itinere intẽtionis in cerebro, qua dirigitur ſentiendi modus, anima ipſa quæ proprio motu ab hoc opere ceſſare non poteſt, quia per corpus non finitur, vel nõ plene finitur ad corporalia, vim ſuæ intẽtionis dirigere ſpiritum corporalium ſimilitudines agit, aut intuetur obiectas. Et ſiquidem ipſa eas agit, phantaſię tantũ ſunt. Si autem obiectas intuetur oſtenſiones ſunt.

Adhuc de eodem.

CAP. XCVIII.

DEnique cum oculi dolent, vel extincti ſunt, quia non eſt cauſa in ſede cerebri vnde ipſa dirigitur intentio ſentiendi, non fiunt huiuſmodi viſiones quãuis non cernendis corporalibus obſtaculum exiſtat à corpore. Magis enim cæci dormiẽtes quã vigilãtes aliquid vidẽt, dormientibus quippe in cerebro conſopitur via ſentiendi, quæ intẽtionem ad oculos deducit.

Ideoque

Ideoq; ipſa intentio in aliud aduerſa cernit viſa ſomniorum, tãquam ſpecies corporales adſint, vt ſibi dormiens vigilare videatur, & vera corpora intueri ſe putet. Cum autem vigilant ęęci, ducitur per iſta itinera intentio cernendi, quæ cum ad loca venerit oculorum, non exercetur foras, ſed ibi remanet, vt vigilare, ſe ſentiat. potiuſq; eſſe in tenebris vigilando etiam per diem ſiue per noctem, tantum ergo intereſt, vbi ſit impedimentum ſentiendi corporalia, cum ſit corpore. Si enim nõ ſit niſi in ipſis aditibus, & quaſi ſenſuum ianuis, velut in oculis auribus, cæteriſq; ſenſibus corporis, ſola impeditur perceptio corporalium. Nam animæ intentio in aliud ſic aduertitur, vt pro corporibus habeat ſimilitudines corporum. Si autem cauſa eſt intus in cerebro vnde diriguntur vię ad ea quæ foris ſentienda ſunt ipſius intentionis vaſa ſopiuntur, vel turbantur, vel includuntur, quibus nititur anima in ea quę foris ſũt intuẽda. Quẽ viſum quia non admittit, tanta expreſſione format ſimilia vt imagines corporaliũ à corporibus diſcernere non valens, vtrũ in iſtis an in illis ſit neſciat, & cum ſit, longe alio modo ſciat quam in cogitando verſantur imagines corporum. Qui modus niſi ab expertis capi non poteſt.

Itaque cum in corpore cauſa eſt, vt in eas expreſſius intuendas magines humanus animus attollatur, nihil ſignificare credendum eſt, niſi cum à demonſtrante ſpiritu inſpirantur. Vigilantibus etiam neque vllo modo afflictis occulto quodam inſtinctu ingeſtas cogitationes, quas promendo diuinarent, non ſolum aliquid agentes, ſicut Cayphas pontifex, ſine intentione prophetandi. Verumetiam id ſuſcipientes vt diuinandi modo aliquid dicerent nouimus. Quonam modo hęc viſa in ſpiritum hominis veniant, vtrum ibi primitus formentur, vel formata ingerantur, & quadam coniunctione cernantur, vt ſic angeli hominibus oſtendant cogitationes ſuas, & corporalium rerum ſimilitudines, quas in ſuo ſpiritu futurorum cogitatione prędformant, quemadmodum & ipſi noſtras cogitationes non vtique oculis, quia non corpore ſed ſpiritu vident, verum hoc interſit, quia illi noſtras etiam ſi nolumus vident, nos autem ipſorum niſi oſtẽdant, noſſe non poſſumus, quia ſic eas habent in poteſtate occultare ſpiritualibus modis, quemadmodum interiectis quibuſlibet obſtaculis noſtra corpora, ne aliorum oculis videantur abſcondimus, differere atque explicare operoſiſſimum eſt.

Caiphas.

De diſcretione ſpirituum.

CAP. XCIX.

NOn ſane mirum eſt ſi & dæmonium habentes aliquando vera dicunt, quę abſunt à prędſentium ſenſibus. Quod certè neſcio, qua occulta mixtura fit, vt tanquam vnus ſpiritus ſit patientis atque vexantis. Cum autem bonus ſpiritus in hæc viſa humanum ſpiritum aſſumit, nullo modo iſta eſſe ſigna aliarum rerum dubitandum eſt, & earum quas noſſe vtile eſt. Dei enim munus eſt diſcretio. Sane difficillimum eſt, cum ſpiritus malignus quaſi tranquillus agit, & ſine aliqua corporis vexatione aſſumpto humano ſpiritu etiam vera dicit, & vtilia prædicat, transfigurans ſe in angelum lucis. Ad hoc vt cum illi in manifeſtis bonis creditum fuerit, ſeducat ad ſua, hunc neminem noſſe arbitror, niſi dono iſto, de quo dicit Apoſtolus, de diuerſis Dei muneribus loquens, alij diiucatio ſpirituum, hoc enim dono continuo diiudicatur an malus ſit. Tamen & per corporalem viſionem & per ſpiritualem mali angeli fallunt, & boni inſtruunt. At illæ ſimilitudines in animo noſtro quomodo innoteſcant ſpiritibus etiam immundis, vel quid obſtaculi etiam anima noſtra patiatur ex iſto terreno corpore, vt eas inuicem in noſtro ſpiritu nequeamus videre inuenire & explicare difficile eſt. Certiſſimè tamen apud nos conſiſtit enunciatas à dæmonibus cogitationes hominum. Qui tamen ſi virtutum internam ſpeciem

Diſcretio ſpirituũ quandoque difficillima.

Dæmones nõ cernunt virtutes internas,

poſſent in hominibus cernere non tentarent, ſicut illã in Iob mirabilem patientiam procul dubio ſi poſſet diabolus cernere, nollet à tentato ſuperari. Cæterum quod alicubi longe facta nunciant, quæ poſt aliquos dies vera eſſe firmentur non eſt mirum. Poſſunt enim & hoc efficere, non ſolum acrimonia cernendi corporalia incomparabiliter præſtantiori, quam noſtra eſt, ſed etiam ipſorum corporum longe vtique ſubtiliorum mirabili velocitate. Qua propter cum anima rapitur in ea viſa, quæ ſpiritu cernuntur, ita vt omnino à ſenſibus corporis auertatur, magis quam in ſomno ſolet. Sed minus quam in morte iam diuini eſt adiutorij, vt ſe non corpora, ſed imagines corporum nouerit cernere. Sic vtiq; in ſomnis ſe videre & antequam vigilet, ibi ſi etiã videntur futura, ita vt futura noſcantur, quorum præſentes imagines cernuntur, ſiue ipſa hominis mente diuinitus adiuta, ſed aliquo inter ipſa viſa quid ſignificarent exponente, ſicut in Apocal. Iohanni exponebatur Magna reuelatio eſt etiam, ſi forte ignoret ille cui hęc demonſtrantur, vtrum de corpore exierit an adhuc ſit in corpore, ſed à ſenſibus corporis alienato ſpiritu iſta videat. Poteſt enim etiã ſic raptus hoc ignorare, ſi ei & hoc non oſtendatur.

De Raptu animæ vltra duo prima genera viſionum.

CAP. C.

POrro ſi quemadmodum raptus eſt à corporis ſenſibus, vt eſſet in ſimilitudinibus corporum quæ ſpiritu videntur, ita vt ab ipſis rapiatur vt in illam quaſi regionem intellectualium ſubuehatur, ibi ſine aliqua corporis ſimilitudine perſpicua veritas cernitur, nullis opinionum falſarum nebulis obfuſcatur. Ibi virtutes animę non ſunt laborioſæ, neq; enim opere temperantię libido frænatur: Neq; opere fortitudinis aduerſa tolerantur, Aut opere iuſtitiæ iniqua puniuntur. Aut opere prudentiæ mala deuitantur, Vna ibi & tota virtus eſt amare quod videas, & ſumma fælicitas habere quod amas, ibi beata vita in ſuo fonte bibitur Vnde aſpergitur aliquid humanæ vitæ, vt in tentationibus huius ſæculi, temperanter, fortiter, iuſtè, prudenterq; viuatur, propter illud quippe adipiſcendum vbi ſecura erit requies & ineffabilis viſio veritatis, labor ſuſcipitur & continendi à voluptate, & ſuſtinendi aduerſitates, & ſubueniendi indigentibus, & reſiſtendi decipientibus. Ibi videbitur claritas Dei, non per viſionem ſignificantem ſiue corporalem, ſicut eſt viſa in mõte ſina, ſiue ſpiritualem, ſicut vidit Iſaias vel Iohannes in Apocalypſi, ſed per ſpeciem quantum eam capere mens humana poteſt ſecundum aſſumentis Dei gratiam, vt os ad os loquatur ei, non corporis, ſed mentis, quemadmodum intelligẽdum arbitror, quod de Moyſe ſcriptum eſt. Concupierat enim videre Deum, non ſicut in monte viderat vel in tabernaculo videbat, ſed ſpecie, quantum eam capere rationalis creatura poteſt reuocara ab omni corporis ſenſu, & ab omni ſignificatiuo ænigmate ſpiritus. Sic enim ſcriptum eſt. Si ergo inueni gratiam in oculis tuis oſtende mihi teipſum, vt videam te, cum paulo ſuperius legatur locutus dominus ad Moyſem, ſicut quis loquitur ad amicum. Sentiebat ergo quod videbat & quod non videbat deſiderabat, Niſi tantũ deſideratum videre meruiſſet, nõ diceret dominus ad Aaron & Mariam. Audite verbum meum, Siquis fuerit inter vos propheta domini, in viſione apparebo ei, & in ſomnio loquar illi, Non ita quomodo famulus meus Moyſes qui in tota domo mea fidelis eſt. Ore ad os loquar ad illum, in ſpecie non per ænigmata. In illa ergo ſpecie qua Deus eſt, ſecretiſſimè loquitur, vbi eum nemo videns viuet vita illa qua mortaliter viuitur in iſtis corporeis ſenſibus, niſi ab hac vita quiſque quodãmodo moriatur, ſiue omnino exiẽs de corpore, ſiue ita alienatus à corporis ſenſibus, vt merito neſciat vtrũ in corpore an in anima ſit, cũ in illã rapitur & ſubuehitur viſionẽ. Quapropter hoc tertium genus viſionis,

De viſione Dei quam Moyſes concupiuit.

Tertium cælū Apoſtoli.

quod ſuperius eſt & corporali & ſpirituali, tertiū cælum appellauit Apoſtolus, vbi ſe raptum dicit in hoc videtur claritas Dei, cui videlicet corda mundantur, Vnde, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Aquo peregrinamur mortali & corporali onere pręgrauati, quandiu per fidem ambulamus, non per ſpeciem, etiam ſi cum iuſtè viuimus. Si ergo inquam primum cælum rectè accipimus, omne hoc corporeū quicquid eſt ſuper aquas & terram. Secundum autem in ſimilitudine corporali quod ſpiritu cernitur, vnde Petro diſcus iſte ſubmiſſus eſt. Tertium vero quod mente conſpicitur, ita omnino à ſenſibus carnis arrepta atq; mūdata, vt & illa quæ in illo cælo ſunt, & ipſam Dei ſubſtantiam & verbum domini per quem facta ſunt omnia in charitate ſpiritu ſancti ineffabiliter videre valeat & audire, non incongruenter arbitramur & illuc eſſe apoſtolum raptum & ibi fortaſſis eſſe paradiſum omnibus meliorem. Et dici poteſt paradiſum paradiſorum. Si enim animę bonę lętitia in rebus bonis eſt, in omni creatura quid ea lætitia præſtantius quę in verbo Dei eſt, per quod facta ſunt omnia?

Qualiter raptus ſit ad id quod eſt ſupra naturam.

Cap. CI.

Raptus.

Thomas de Aquino. Eſt autem raptus ptout deſcribitur à doctoribus, ab eo quod eſt ſecundum naturam in id quod eſt ſupra naturam vi naturæ ſuperioris eleuatio. At vero cum (vt ait Auguſtinus) hominis intelligentia naturaliter Deum cognoſcat, & in raptu eleuetur ad Dei cognitionem, in hoc ipſo non videtur eleuari contra naturam, ſed potius ſecundum naturam. Prætetea magis dependet ſpiritus creatus ab increato, quam inferius corpus à ſuperiori, ac impreſſiones ſuperiorum corporum in inferioribus corporibus naturales ſunt, vt ait commentator in libro cœli & mundi. Ideoq; nec eleuatio ſpiritus humani videtur eſſe niſi naturalis, quamuis fiat vi naturæ ſuperioris. Ad hoc autem dicimus, quod ſicut cuiuſlibet alterius rei eſt quædam operatio talis rei inquantum eſt hæc res, vt ignis aut lapidis, ita etiā hominis eſt quædā operatio inquantum eſt homo, quæ eſt ei naturalis. In rebus autē naturalibus dupliciter contingit tranſmutari rem aliquam à ſua operatione naturali. Vno modo ex defectu propriè virtutis, vndecumq; talis defectus contingat, ſiue ex cauſa extrinſeca ſiue intrinſeca, ſicut ex defectu virtutis formatiuæ in ſemine generatur fœtus monſtruoſus. Alio modo ex operatione diuinæ virtutis, cui omnis natura obedit ad nutum, ſicut fit in miraculis, cum virgo concipit. vel cæcus illuminatur. Et ſimiliter etiam homo à ſua naturali & propria operatione dupliciter immutari poteſt. Eſt autem hominis propria operatio intelligere mediante imaginatione & ſenſu. Operatio enim eius qua ſolis intellectualibus inhæret, omnibus inferioribus prætermiſſis, non eſt eius inquantum eſt homo, ſed inquantum in eo aliquid diuinum exiſtit. Operatio vero quæ ſolis ſenſibilibus inhæret, præter intellectum & rationem non eſt etiam eius inquantum homo, ſed ſecundum naturam quam cum brutis habet communem. Tunc ergo à naturali modo ſuæ cognitionis tranſmutatur, quando à ſenſibus abſtractus aliqua præter ſenſum inſpicit. Hæc autem tranſmutatio quandoq; fit ex defectu propriæ virtutis ſicut accidit in phreneticis & alijs mente captis. Et hæc abſtractio à ſenſibus non eſt eleuatio, ſed magis depreſſio. Aliquando vero talis abſtractio fit virtute diuina, & tunc proprie eleuatio quędam eſt, quia cum agens aſſimilet ſibi patiens, Abſtractio quæ fit à virtute diuina, quæ eſt ſupra hominem, eſt in aliquod altius quam ſit homini naturale. Sic ergo in deſcriptione prædicta raptus, qua diffinitur vt quidam motus, tangitur eius genus, cum dicitur eleuatio. Cauſa efficiens, cum dicitur vi ſuperioris naturæ. Duo termini motus à quo & in quem cum dicitur ab eo quod eſt ſecundum naturam &c.

Homo immutatur à ſua operatione dupliciter

Adhuc de eodem.

Cap. CII.

Dicendum eſt ergo quod cognoſcere Deum contingit multipliciter ſcil. per eſſentiam ſuam, & per res ſenſibiles, aut etiam per effectus intelligibiles. Similiter etiam diſtinguendum eſt de eo quod eſt homini naturale. Vni enim & eidem rei eſt aliquod ſecūdum naturam & contra naturā ſecundum ſtatus eius diuerſos, eo quod non eſt eadem natura rei dum eſt in fieri, & dum eſt in perfecto eſſe, vt dicit Rabbi Moyſes ſicut quantitas completa eſt naturalis homini, cum ad ætatem perfectam peruenerit, & alia huiuſmodi. Eſſet autem contra naturam, ſi puer in perfecta quantitate naſceretur. Sic ergo dicēdum, quod intelligentię humanæ ſecundum quemlibet ſtatum eſt naturale aliquo modo cognoſcere Deum. Sed in ſui principio ſc. in ſtatu viæ eſt naturale ei quod cognoſcat Deum per creaturas ſenſibiles. Eſt etiam ei naturale, vt perueniat ad cognoſcendum Deum per ſeipſum in ſui conſummatione, ideſt in ſtatu patrię, & ſic ſi in ſtatu vię eleuetur ad hoc vt cognoſcat Deum ſecundū ſtatū patriæ, hoc erit contra naturā, ſicut eſſet contra naturā quod puer mox natus haberet barbam. Notandum etiam, quod duplex eſt natura ſc. particularis, quę eſt propria vnicuique rei, & vniuerſalis quæ complectitur totum ordinem creaturarū naturalium. Et ex hoc dupliciter dicitur aliquid eſſe contra naturam vel ſecundum naturam. Vno modo quantum ad naturam particularē. Alio modo quātum ad vniuerſalem, ſicut omnis corruptio & defectus & ſenium eſt contra naturam particularem, ſed tamen eſt naturale ſecundum naturam vniuerſalem, vt omne compoſitum ex contrarijs corrumpatur. Quia ergo ordo vniuerſalis cauſarum hoc habet vt inferiora à ſuis ſuperioribus moueantur. Omnis motus qui fit in inferiori natura ex impreſſione ſuperioris, ſiue in corporalibus, ſiue in ſpiritualibus, eſt quidem naturalis ſecundum naturam vniuerſalem, non autem ſemper ſecundum naturam particularem, niſi quando à natura ſuperiori ſic imprimitur in naturam inferiorem, vt ipſa impreſſio ſit eius natura. Et ſic patet, quomodo ea quæ à Deo fiunt poſſunt dici ſecundum naturam, vel contra naturam.

Natura particularis & vniuerſalis.

Vtrum Paulus in raptu viderit Deum per eſſentiam.

Cap. CIII.

1. Opinio.

Quidam autem dixerunt, quod Paulus in raptu non vidit Deum per eſſentiam, ſed quadam viſione media inter viſionem vię & viſionē patriæ, quæ quidem viſio media poteſt intelligi talis, & qualis eſt angelo naturalis, vt ſcil. videat Deum, non quidem per eſſentiam cognitione naturali, ſed per aliquas ſpecies intelligibiles, vtpote conſiderando eſſentiā ſuam quæ eſt quædam ſimilitudo intelligibilis eſſentię increatę, prout dicitur in libro de cauſis, quod intelligentia ſcit quod eſt ſupra ſe inquantum eſt creata ab eo, vt ſic etiam intelligatur Paulus in raptu vidiſſe Deum per refulgentiam alicuius luminis intellectualis in mente ipſius. Cognitio ergo viæ quæ eſt per ſpeculum & ænigma ſenſibilium creaturarum eſt naturalis homini. Sed cognitio patriæ, qua Deus per eſſentiam ſuam videtur, eſt ſoli Deo naturalis. At hæc opinio repugnat dictis Auguſtini, qui expreſſe in locis ſupradictis dicit Paulum in raptu Deum per eſſentiam vidiſſe, nec eſt etiam probabile, vt miniſter veteris teſtamenti, ac Iudæus Deum per eſſentiam viderit, vt habetur ex hoc quod dicitur Numeri 12 palam & nō per ęnigma, videlicet Deum, &c. Et miniſtro noui teſtamenti doctori gentium hoc conceſſum nō fuerit, præcipuè cū ipſe Apoſtolus ſic argumēterur in ſecundæ ad Corinthios. 3. Si miniſtratio damnationis fuit in gloria &c. Nec tamen beatus fuit ſimpliciter, ſed ſolum ſecūdum quid, quātus mēs eius illuſtrata fuerit ſupernaturali lumine

2. Opinio Auguſtini.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad Deum videndum. Quod quidem apparere poteſt exemplo luminis corporalis. In quibuſdam enim inuenitur lumen à ſole, vt quædam forma, etiam manẽs quaſi generalis effecta, ſicut in ſtellis & in carbunculo & huiuſmodi. In quibuſdam vero recipitur lumen à ſole ſicut quædam paſſio tranſiens, ſicut in aere. Non enim efficitur lumen forma permanens in aere quaſi connaturalis, ſed tranſit abeunte ſole. Similiter etiam lumen gloriæ dupliciter menti infunditur. Vno modo per modum formæ connaturalis factæ & permanentis, & ſic facit mentem ſimpliciter beatam, & hoc modo infunditur beatis in patria. Alio modo contingit lumen gloriæ mentem humanam, ſicut quædam paſſio trãſiens. Et ſic mens Pauli in raptu fuit lumine gloriæ illuſtrata, ipſum etiam nomen raptim & tranſeundo oſtendit hoc eſſe factum, vnde non fuit ſimpliciter glorificatus, nec habuit dotem gloriæ, cum illa claritas non fuerit effecta proprietas eius. Et propter hoc non fuit deriuata ab anima in corpus, nec in hoc ſtatu perpetuo manſit.

Lumẽ gloriæ tranſiens.

Quod homo in corpore mortali conſtitutus non poteſt Deum per eſſentiam videre niſi à ſenſibus corporis alienetur.

CAP. CIV.

SCiendum eſt ergo quod homo in mortali corpore conſtitutus non poteſt Deum per eſſentiam videre niſi à ſenſibus corporis alienetur. Cuius ratio ex duobus poteſt ſumi. Primo quidem ex hoc, quod eſt commune intellectui & aliis animæ potentijs, hoc enim in omnibus potentiis animæ inuenimus, quia quãdo vna potentia in ſuo actu intenditur alia vel debilitatur in ſuo actu vel ex toto abſtrahitur, ſicut patet in illo in quo operatio viſus fortiſſime intenditur, quod auditus eius nõ percipit ea quæ dicuntur, niſi forte ſua vehementia ad ſe trahant ſenſum audientis, cuius ratio eſt, quia ad actum cuiuſlibet cognoſcitiuæ potentiæ requiritur intentio, vt probat Auguſt. in libr. de trini. Intentio autem vnius non poteſt heri ad multa ſimul, niſi forte illa multa hoc modo ſint ad inuicẽ ordinata, vt accipiantur quaſi vnum. Sicut nec alicuius motus vel operationis poſſunt eſſe duo termini ad inuicem non ordinati. Vnde cum ſit vna anima in qua omnes potentiæ cognoſcitiuæ fundentur, vnius & eiuſdem intentio requiritur ad omnium potentiarum cognoſcitiuarum actus. Et ideo cum totaliter anima intendit ad actum vnius potentiæ, abſtrahitur homo ab actu alterius potentiæ. Ad hoc quod intellectus eleuetur ad videndum diuinam eſſentiam, oportet quod tota intentio in hanc viſionem colligatur, cum hoc ſit vehemẽtiſſimum intelligibile, ad quod intellectus pertingere non poteſt, niſi toto conamine in id intendat. Et ideo oportet quando mens ad diuinam viſionem eleuatur, quod fiat abſtractio à corporis ſenſibus.

1. ratio.

Secundo vero poteſt eiuſdem ratio aſſignari ex eo, quod eſt intellectui proprium. Cum enim cognitio de rebus habetur ſecundum quod ſunt in actu & non ſecundum quod in potentia ſunt, vt dicit in decimo metaphyſicæ, intellectus qui ſummam cognitionis tenet proprie immaterialium eſt, quæ ſunt maxime in actu. Vnde omne intelligibile vel eſt in ſe à materia immune, vel eſt actio intellectus à materia abſtractũ. Et ideo quanto intellectus purior eſt à materialium quaſi contactu, tanto perfectior eſt. Et inde eſt quia intellectus humanus materialia contingit ad phantaſma intuendo quibus intelligibiles ſpecies attrahit, eſt minoris efficaciæ quam intellectus angelicus, qui ſemper ad formas pure immateriales intuetur, nihilominus tamen inquantum in intellectu humano puritas intellectualis cognitionis non penitus obſcuratur, ſicut accidit in ſenſibus, quorum cognitio vltra materialia fieri non poteſt, ex hoc ipſo quod de puritate remanet, ineſt ei facultas ad ea quæ ſunt pure immaterialia contuendi. Et oportet quod ſi aliquando præter communem modum ad ſummum immaterialium videndum, ſcilic. diuinam eſſentiam eleuetur, quod ſaltem in illo actu poſitus ab intuitu materialium abſtrahatur. Vnde cum ſenſitiuæ vires non niſi circa materialia verſentur, non poteſt aliquis ad diuinam eſſentiam eleuari videndam, niſi ab vſu corporeorum ſenſuum pænitus abſtrahatur. Ad hoc autem probãdum facit, quod dicit Augu. ſup. Gen. Nemo inquit Deum in ſpecie videns viuit vita iſta, qua mortaliter viuitur in his ſenſibus corporeis. Niſi enim ab hac vita quiſque quodammodo moriatur, ſiue omnino de corpore exiens, ſiue ſic auerſus & alienatus à corporeis ſenſibus, vt merito neſciat, vtrum in corpore an extra corpus ſit, in illam non rapitur & ſubuehitur viſionem. Super illud etiam ad Corinth. ſiue mente excedimus Deo, dicit Gloſſa. Exceſſum mentis Apoſtolus dicit, quo mens eleuatur ad intelligenda cęleſtia, ita vt à mente quodammodo labantur inferiora. In hoc mentis exceſſu omnes ſancti fuerunt, quibus arcana Dei mundum iſtum excedentia reuelata ſunt.

Reſponſiones ad ea quæ obijciuntur.

CAP. CV.

Obiectiones.

Sed fortaſſis obijciet aliquis, quod eadem eſt natura hominis in ſtatu viæ & patriæ. At veto non idem numeto reſurgeret, niſi etiam idem ſpiritus eſſet. Cũ itaque poſt reſurrectionem viſuri ſunt ſancti mente Deum per eſſentiam abſque abſtractione à ſenſibus. Idẽ poſſibile videtur & in viatoribus. Si dicatur quod corpus viatoris quia corruptibile eſt. aggrauat intellectum, ne libere in Deum ferri poſſit, niſi à corporeis ſenſibus abſoluatur, quæ quidem corruptio poſt reſurrectionem non erit. Econtra ſic poteſt obiici. Nihil impeditur ſicut nec patitur, niſi à ſuo contrario, ſed corruptio corporis non videtur contrariari actui intellectus, cum intellectus non ſit corporis actus. Igitur corruptio corporis non impedit, quin intellectus corporis libere poſſit ferri in Deũ. Præterea conſtat quod Chriſtus noſtram mortalitatem & corruptionem plene aſſumpſit. Sed intellectus eius continua viſione Dei fruebatur; cum tamen in eo non fieret abſtractio ſemper ab alterioribus ſenſibus, Corruptio ergo corporis non facit vt intellectus ferri non poſſit in Deum ſine hoc quod à ſenſibus abſtrahatur. Præterea Paulus poſtquam Deum per eſſentiam viderat, memor fuit eorum quæ in illa viſione conſpexit, alias non diceret. 2. Corinthio. quod *audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, ſi immemor eorum eſſet, Dum ergo Deum per memoriam videbat, aliquid in eius memoriam imprimebatur, ſed memoria ad partem ſenſitiuã pertinet, vt patet per philoſophum in lib. de memoria & reminiſcentia, ergo cum aliquis in ſtatu viæ videt Deum per eſſentiam, non omnino abſtrahitur à corporeis ſenſibus.

Reſponſiones ad obiecta.

Ad primum dicendum eſt, quod alia ratione coniungetur anima beata corpori poſt reſurrectionẽ, & alia nunc coniungitur. In reſurrectione enim corpus erit omnino ſpiritui ſubditum, intãtum quod ex ipſo ſpiritu proprietas gloriæ redundabit in corpus. Vnde & ſpiritualia corpora appellantur. Quando autem duo adiunguntur, quorum num ſuper alterum totaliter dominium obtinet, non eſt ibi mixtio, cum alterũ totaliter tranſeat in poteſtate dominantis, ſicut cum vna gutta aquę in mille amphoras vini infunditur in nullo puritati vini præiudicatur. Et ideo in reſurrectione ex coniunctione animæ ad corpus qualicunq; nulla erit impuritas intellectus, nec in aliquo virtus eius debilitabitur, vnde & ſine abſtractione à corporeis ſenſibus diuinę eſſentiæ cõtemplandæ intender. Nunc autem corpus nõ eſt hoc modo ſpiritui ſubditũ, & ideo non eſt ſimilis ratio. Ad aliud dicẽdũ, quod ex hoc corpus noſtrũ corruptibile eſt, quod ipſum corpus nõ eſt plene animæ ſubditũ. Si enim plene animæ ſubderetur, ex immortalitate animæ etiã redũdaret immortalitas

in corpus, ſicut poſt reſurrectionem erit. Et exinde eſt, quod corruptio corporis aggrauat intellectũ. Quãuis enim ſecundum ſe intellectui non contrarietur, tamẽ eius cauſa intellectus puritati præiudicat. Ad aliud dicẽdũ, quod Chriſtus ex hoc quod erat Deus & homo, habebat plenariã poteſtatẽ ſuper omnes partes animę ſuæ, & ſuper corpus. Vnde ex virtute deitatis ſecũdum quod noſtræ reparationi cõperebat, permittebat vnicuiq; potentiarũ animæ agere id quod eſt propriũ ei, vt dicit Damaſc. Et ſic non erat neceſſariũ in ipſo, neq; quod fieret redundantia ex vna potentia in aliã, neq; quod vna potentia à ſuo actu abſtraheretur per vehementiã actus alterius, vnde per hoc quod intellectus eius videbat Deum, nõ oportebat aliquã abſtractionẽ à corporeis ſenſibus fieri. Secus autem eſt in aliis hominibus, in quibus ex quadã colligantia potentiarum animæ ad inuicem ſequitur de neceſſitate, quod fiat redundãtia vel impedimentũ ex vna potentia in aliã. Ad aliud vero dicendũ, quod Paulus poſtquã ceſſauit videre Deum per eſſentiã, memor fuit eorũ quæ in illa viſione cognouerat, per aliquas ſpecies in intellectu ipſius remanentes, quę erant quaſi quædam reliquiæ præteritæ viſionis. Quamuis enim ipſum Dei verbum per eſſentiam viderit, & ex ipſo verbo viſo multa cognouerit, & ſic illa viſio nec quantum ad ipſum verbũ nec quantum ad ea quæ videbantur in verbo, fuit per ſpecies aliquas, ſed per ſolã eſſentiam verbi, tamen ex ipſa inſpectione verbi imprimebantur intellectui eius quędam rerum viſarũ ſimilitudines quibus poſtmodũ cognoſcere poterat ea quę prius per eſſentiam verbi viderat, & ex illis ſpeciebus intelligibilibus per quandam applicationẽ ad particulares intentiones vel formas in memoria vel imaginatione conſeruatas poſtmodum poterat memorari eorum quæ prius viderat, etiam ſecundum actum memoriæ quæ eſt potentia ſenſitiua. Et ſic non oportet ponere quod in ipſo actu diuinæ viſionis aliquid fieret in eius memoria, quę eſt pars potentiæ ſenſitiuæ, ſed ſolum in mente. Ad aliud dicendum quod quamuis non per quemlibet actum imaginatiuę virtutis fiat abſtractio à ſenſibus exterioribus, fit autem abſtractio prædicta, quãdo actus imaginationis eſt vehemens. Et ſimiliter nõ oportet quod per quemlibet actum intellectus fiat abſtractio à ſenſibus, oporter tamen quod fiat per actum vehementiſſimum qui eſt viſio Dei per eſſentiam.

Adhuc de eodem.

Cap. CVI.

Obiect. SI autem ad hoc obiiciatur quod naturale eſt humano intellectui Deum videre per eſſentiam, cum ad hoc ſit creatus. Abſtractio vero à ſenſibus eſt homini contra naturam, cum ſenſitiua cognitio ſit ei cõnaturalis. Ideoq; videtur quod ad videndum Deum per

Reſp. eſſentiã non indigeat abſtractione à ſenſibus. *Reſpondemus* quod quamuis naturale ſit intellectui vt quandoq; perueniat ad viſionem diuinę eſſentię, nõ tamen ſibi naturale eſt, vt ad hoc perueniat ſecũdũ ſtatũ viæ.

Obiect. Sed iterum obiici poteſt, quod abſtractio non eſt niſi vnitorum. At intelligentia cuius obiectũ eſt Deus, vt legitur in libro de ſpiritu & anima non videtur eſſe coniuncta corporis ſenſibus, ſed maxime diſtans. Præterea ſancti martyres in ipſis tormẽtis interius aliquid de diuina gloria percipiebant. Vnde beatus Vincentius, *ecce inquit iam in ſublime agor, & omnes principes tuos ſaculo altior tyranne deſpicio* Et B Laurentius, *mea nox inquit, obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.* Nec tamẽ à ſenſibus abſtractio fiebat in eis, alioquin non haberent ſenſum doloris. Cęterum propinquior eſt operationi quæ circa ſenſibilia verſatur intellectus practicus quam ſpeculatiuus. At vero nõ eſt neceſſarium, vt intellectus practicus ſemper intendat his quæ operatur homo circa ſenſibilia, ſicut Auicẽna dicit in ſua ſufficientia, alias enim contingeret quod cytharœdus optimus videretur imperitiſſimus, ſi ad ſingulas chordarum percuſſiones, oporteret eum artis cõſideratione vti. Nimia quippe ſonorum interruptio fieret, quæ debitam melodiam impediret. Multo minus ergo ſpeculatiuus intellectus cogi videbitur his quæ homo circa ſenſibilia operatur, ſicq, ei liberum remanet in quælibet intelligibilia ferri, ita quod etiam in ipſam eſſentiam Dei dum vires ſenſitiuæ circa operationes ſenſibiles occupantur. Denique nõne Paulus dum vidit Deum per eſſentiam, adhuc habebat fidẽ. At vero fidei eſt, videre per ſpeculum in ænigmate, qua ſ. viſio ænigmatica ſpecularis eſt ac per ſenſibilia, ſimul ergo dum Deum per eſſentiam videbat, ſenſibilibus intendebat.

Reſp. Ad hoc autem dicimus, quod intelligentia noſtra qua apprehẽdimus diuina, quamuis non cõmiſceatur ſenſibus per viam apprehenſionis, admiſcetur autem eis per viam iudicij. Vnde dicit Aug. ſuper Geneſim ad litteram, quod per intelligentiæ lumen & iſta inferiora, & ea quæ non ſunt corpora nec vllas gerunt formas ſimiles corporum cernuntur. Et ob hoc intelligentia quandoq; dicitur à ſenſibus abſtrahi, cum de illis non iudicat, ſed ſolis ſupernis inſpiciendis intendit. Martyres autem ſancti, licet in tormentis aliquid de gloria diuina perciperent, non tamen quaſi eam in ſuo fonte bibentes, ſicut illi qui Deum per eſſentiam vident, ſed aliqua illius aſperſione refrigerabantur. Iuxta illud Auguſtini ſuper Geneſim ad litteram. In paradiſo beata vita in ſuo fonte bibitur. Vnde aliquid huic humanæ vitæ aſpergitur, vt in tentationibus huius ſeculi, temperanter, iuſtè, fortiter, prudenterque viuatur. Porro intellectus ſpeculatiuus non cogitur attendere his, quæ aliquis operatur circa ſenſibilia, ſed negociari poteſt etiam circa alia intelligibilia. Tanta tamen eſſe poteſt in actu ſpeculationis vehementia quod omnino abſtrahet à ſenſibili operatione. Denique Paulus in raptu quamuis habuit fidei habitũ, non tamen actum, & ex hoc quidem quod diuinam eſſentiam vidit, idoneus teſtis illius beatitudinis eſſe potuit. Nec tamen oportet quod omnia experiretur in ſe, quæ ſanctis inerunt in illa beatitudine.

Quod ad videndum Deum in ſtatu preſenti non requiritur abſtractio à vi vegetabili.

Cap. CVII.

AD viſionem itaq; diuinæ eſſentiæ quæ eſt actus perfectiſſimus intellectus, requiritur abſtractio ab illis quæ vehementiam intellectiui actus nata ſunt impedire. Vnde cum tres ſint ipſius animæ potentiæ, vt ſupra dictum eſt, ſcil. vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua. Hinc eſt quod intellectiua per operationes aliarum aliquando in ſuis actibus impeditur, & econuerſo aliæ per eam aliquando impediuntur. Hoc autem in quibuſdam contingit per ſe, in quibuſdam per accidens, per ſe quidem impediunt ſe inuicem intellectiuæ & ſenſitiuę operationes, tum propter hoc, quod in vtriſq; operationibus oportet intentionem adeſſe. Tum etiam quia intellectus quodammodo ſenſibilibus operationibus admiſcetur, cum à phãtaſmatibus accipiat, & ita à ſenſibilibus operationibus quodammodo intellectus puritas inquinatur. Sed ad hoc quod anima corpori vniatur, vt forma, non requiritur aliqua intentio, cum hæc vnio non dependeat ex voluntate animæ, ſed magis ex natura Similiter etiam ex tali vnione puritas intellectus directè non inquinatur. Anima enim non vnitur corpori vt forma mediantibus ſuis potentiis, ſed per eſſentiam ſuam, cum nihil ſit medium inter formam & materiam, vt probatur in li. Meth. nec tamen eſſentia animæ ita corpori vnitur, quod totaliter corporis conditionem ſequatur, ſicut aliæ formæ materiales, quæ ſunt omnino in materia quaſi ſubmerſæ, intantum quod nulla virtus, aut actio ex eis prodire poteſt, niſi materialis.

Ab eſſentia vero animæ nõ ſolum procedunt quædam vires ſiue potentiæ, quæ ſunt quodammodo corporales,

porales, vtpote corporeorum organorum actus exiſtẽtes, vires ſenſitiuæ, ſc. & vegetatiuæ. Sed etiam vires intellectiuæ, quæ ſunt pænitus immateriales nullius corporis actus exiſtentes, vt probatur in lib. de anima. Vnde patet quod vires intellectiuæ non procedunt ex eſſentia animæ, ex ea parte qua eſt corpori vnita, ſed magis ſecundum hoc quod remanet à corpore libera, vtpote non ei totaliter ſubiugata. Et ſic vnio animæ ad corpus non pertingit vſque ad operationem intellectus, vt poſſit eius puritatem impedire. Vnde per ſe loquendo ad operationem intellectus quantumcunq; intenſam, non requiritur abſtractio ab illa vnione qua anima corpori vnitur vt forma, ſimiliter etiam nec requiritur abſtractio ab operationibus animę vegetabilis. Operationes enim huius partis animæ ſunt quaſi naturales, quod patet ex hoc, quod complentur virtute qualitatum actiuarum, ſc. calidi & frigidi, humidi & ſicci, vnde nec rationi ſiue voluntati obediunt, vt patet in primo Ethi. Et ſic patet, quod ad huiuſmodi actiones non requiritur intentio. Et ita per earũ actus non oportet intentionem auerti ab operatione intellectiua. Similiter etiam nec operatio intellectiua aliquo modo huiuſmodi operationibus admiſcetur, cum nihil ab eis accipiat propter hoc, quod non ſunt cognoſcitiuę, neque inſtrumento aliquo corporeo vtẽtur intellectus, quod oporteat per operationes animę vegetabilis ſuſtentari, Sicut accidit de organis potentiarum ſenſitiuarum. Et ſic puritati intellectus nihil præiudicatur per operationes animę vegetabilis.

Vnde patet quod per ſe loquendo operatio animę vegetabilis, & operatio intellectus non ſe impediunt. Per accidens tamen poteſt ex altera alteri impedimẽtum prouenire, inquantum ſcil. intellectus accipit à phãtaſmatibus, quæ ſunt in organis corporalibus quę oportet per actum vegetabilis animæ nutriri & conſeruari. Et ſic per actus nutritiuæ potentiæ eorum diſpoſitio variatur, & per conſequens operatio ſenſitiuæ potentiæ, à qua intellectus phantaſmata accipit, & ita per accidens etiam ipſius intellectus operatio impeditur, ſicut patet in ſomno poſt cibum. Et econuerſo per hunc modum operatio intellectus impedit operationem animę vegetabilis, inquantum ad operationem intellectus requiritur operatio imaginatiuæ virtutis, ad cuius vehementiam oportet caloris & ſpirituum concurſum fieri, & ſic impeditur actus virtutis nutritiuæ per vehementiam cõtemplationis. Sed hoc non habet locum in illa contemplatione, qua Dei eſſentia videtur, cum talis contemplatio imaginationis operatione non egeat. *Et ſic patet quod ad videndum Deum per eſſentiam nullo modo requiritur abſtractio ab actibus animę vegetabilis, nec etiam aliqua eorum debilitatio, ſed ſolum ab actibus ſenſitiuarum potentiarum.*

Concluſio.

Solutiones ad obiecta in contrarium.

CAP. CVIII.

Obiect.

ITaque fortaſſis e contrario *ſic obijciet aliquis.* Vires animæ vegetabilis magis ſunt materiales quam vires animæ ſenſibilis. Cũ ergo ad hoc vt intellectus Deum videat per eſſentiam, oporteat vt dictum eſt abſtractionem fieri à ſenſibus, multo fortius ad puritatem illius viſionis requiri videtur, quod abſtractio fiat ab animæ vegetabilis actibus. Quod vtique fieri non poteſt in ſtatu vitæ animalis, quamdiu ſcil. anima corpori vnitur vt forma, quia ſicut dicit Philoſophus, ſemper nutriuntur animalia. In Exodo quoq; dicitur à Domino. *Non videbit me homo & viuet*, vbi dicit Auguſtinus in Gl. Oſtendit huic vitę carnis corruptibilis Deum ſicuti eſt apparere non poſſe. In illa tamen vita poteſt, vbi vt viuatur, huic vitæ moriendum eſt. *Ibidem etiam Gloſſa Gregorij.* Qui ſapientiam inquit quæ Deus eſt, videt, huic vitæ funditus moritur, mors autẽ fit per ſeparationem animæ à corpore, cui vt forma vniebatur. Præterea fortior eſt vnio qua vnitur anima corpori vt forma, quam illa qua vnitur ei vt motor, ex qua vnione proueniunt operationes potentiarum, vt per organa corporea operentur. Sed hæc ſecũda vnio impedit viſionem diuinæ eſſentiæ, ratione cuius oportet quod fiat abſtractio à corporeis ſenſibus, vt dictũ eſt. Igitur multo fortius iſta prima vnio impedit. Et ſic oportebit ab ea abſtractionem fieri. Cæterum maior impuritas contrahitur in anima ex cõiunctione ipſius ad corpus, quam ex coniunctione ſimilitudinis corporalis ad ipſam. Sed ad hoc quod mens Deum per eſſentiam videat, oportet eam deputari à ſimilitudinibus corporis, quæ apprehenduntur per imaginationem & ſenſum, vt dictũ eſt. Ergo multo fortius oportet animam à corpore ſeparari, ad hoc quod Deum per eſſentiam videat. Denique dicit Apoſtolus in ſecunda ad Corinthios. *Quamdiu ſumus in corpore peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus & non per ſpeciem.* Ergo quamdiu anima eſt in corpore, non poteſt Deum in ſua ſpecie videre.

Reſp.

Nos itaq; dicimus quod quamuis potentiæ animæ vegetabilis ſint magis materiales, quam potentiæ animæ ſenſitiuæ, tamen cum hæ ſint ab intellectu remotæ, & ſic minus poſſunt impedire vehementiam intellectus, vel impediri a bea. Viuere autem dupliciter dicitur. Vno modo dicitur eſſe ipſum viuentis, quod relinquitur ex hoc quod anima vnitur corpori, vt forma. Alio modo ponitur viuere pro operatione vitæ. Sic diſtinguit philoſophus in lib. de anima, per intelligere, & ſentire, & alias operationes animæ. Et ſimiliter cum mors ſit priuatio vitæ, oportet quod ſimiliter diſtinguatur, ita quod quandoq; deſignet priuationẽ illius vnionis, qua anima vnitur corpori, vt forma. Aliquando vero priuationem operum vitæ. Vnde Aug. ſuper Geneſim ad litteram, Ab hac quiſq; vita quodammodo moritur ſiue omnino exiens de corpore, ſiue auerſus & alienatus à carnalibus ſenſibus. Et ſic accipitur mori in gloſſis inductis. Quod patet ex hoc, quod ſubiungitur in gloſſa Gregorij. Qui ſapientiam inquit quæ Deus eſt videt, huic vitæ funditus moritur, nec eius amore tenetur. Illa vero ratio de vnione duplici animæ ad corpus recte concluderet, ſi eſſentia ipſius animæ ita corpori vniretur omnino vt eſſet corporis ſubiugata, quod falsũ eſt vt diximus. Porro ſimilitudo corporalis quæ requiritur ad operationẽ imaginationis ac ſenſus, quamuis immaterialior quam ipſum corpus, tamen eſt etiam vicinius ſe habens ad operationem intellectus. Ideoque magis eam impedire poteſt, ſicut iam dictum eſt. Denique verbum illud Apoſtoli. Quamdiu ſumus in corpore per &c. Intelligendum eſt vt ſecundum quod eſſe dicimur in corpore, non ſolum ex hoc quod anima corpori vt forma vnitur, ſed etiam ex hoc quod ſenſibus corporis vtimur.

Mors ſumitur quandoq; pro priuatione actuũ vitæ.

Diuerſorum opiniones de ſcientia Pauli circa raptum ſuum.

CAP. CIX.

QVæritur autem quid illud ſit, quod Apoſtolus circa raptum ſuum ſciuit & quod neſciuit. Quia videlicet dicit. *Scio hominem raptum in paradiſum, ſed vtrum in corpore an extra corpus neſcio, Deus ſcit.* At vero circa hoc multiplex eſt opinio. Quidam enim intellexerunt, quod Apoſtolus diceret ſe neſcire, Non quidem an anima eſſet corpori cõiuncta in illo raptu an non. Sed an eſſet raptus ſecundum animam & corpus, ſimul, vel etiam corporaliter portaretur in cælũ, ſicut Abacuc portatus legitur in Daniele vltimo. An ſecundum animam tantum ideſt in viſionibus Dei, ſicut dicitur Ezech 40. *Adduxit me in terram Iſrael.* Et hunc intellectum cuiuſdam Iudæi exprimit. Hieron. in prologo ſuper Danielem, vbi dicit. Deniq; & Apoſtolum noſtrum non fuiſſe auſum affirmare ſe raptum in corpore, ſed dixiſſe ſiue in corpore, &c. Hunc autem intellectum Auguſtinus reprobat ſuper Geneſim.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Constat enim ex verbis Apostoli, quod ipse sciuit se raptum vsque ad tertium cælum. Constat ergo illud cælum in quo raptus est, esse verum cælum, non aliquam cæli similitudinem. Si enim hoc voluisset intelligere cum dixit se raptum in cælum, id est ad videndam imaginariam similitudinem cæli, eodem modo poterat affirmare se raptum esse in corpore, id est in similitudinem corporis, & sic non fuisset necessarium discernere quid sciret & quid nesciret, quia tũc æqualiter sciret, sc. se esse raptum in cælum, & se raptum esse in corpore, id est in similitudinem corporis, sicut accidit in somniis. Sciuit ergo pro certo, quod illud in quo raptus fuit, vere erat cælum. Igitur sciuit an esset corpus vel res incorporea. Si enim erat corpus, in eam rapiebatur corporaliter. Si vero erat res incorporea, in eam corporaliter rapi non poterat.

De quo dubitauit Paulus in raptu.

Restat ergo quod Apostolus non dubitauit an raptus ille esset corporalis an piritualis tantum, sed sciuit solo intellectu se in illud cælum esse raptum, dubitauit autem an ipso raptu anima eius esset in corpore an non. Et hoc quidem alij concedunt. Sed dicunt quod quamuis in illo raptu Apostolus hoc nesciuerit, sciuit tamen illud postea coniiciens ex ipsa visione quã prius habuerat. In illo enim raptu tota mens eius in diuina ferebatur. nec hoc percipiebat an anima esset in corpore, an non, sed hoc etiam expresse contrariatur verbis Apostoli. Sicut enim distinguit quid sciuerit, & quid nesciuerit, ita distinguit præsens à præterito. Quasi præteritũ narrat raptum hominem ante annos 14. vsque in tertium cælum, sed quasi præsens confitetur se scire aliquid, & aliquid nescire ergo post annos quatuordecim ab illo raptu nesciebat adhuc, an in corpore vel extra fuerit quando raptus fuit.

Et ideo alij dicũt, quia nec in raptu, nec post sciuit, an anima esset in corpore secundum aliquem modũ, & non simpliciter. Dicunt enim quod sciuit & tunc postea quod anima vniebatur corpori vt forma, sed nesciuit vtrũ hoc modo corpori vniretur, vt eius anima aliquid à sensibus acciperet. Vel secundum alios, vtrum vires nutritiuæ essent in suis actibus, secũdum quas anima corpus administrat sed hoc etiam non videtur consonum verbis Apostoli, qui dicit se nescire vtrum tali modo in corpore fuerit, an extra corpus simpliciter. Et prẽterea hoc non multum ad rem pertinere videbatur, vt diceret se nescire, vtrum tali modo vel tali in corpore fuerit, ex quo anima à corpore omnino separata non erat.

Probabil. or sententia super hoc.

Cap. CX.

Paulus simpliciter nescisuit aliquid in raptu.

IDeoque sciendum est quod simpliciter nesciuit, an esset anima corpori coniuncta, vel non. Et hoc est quod Augustinus super Genesim ad litteram, post lõgam inquisitionem concludit dicens. Restat ergo fortasse, vt hoc ipsum cum cognouisse intelligamus, vt quãdo in tertium cælum raptus est in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore, cum corpus viuere dicitur, siue vigilantis, siue dormientis, siue in extasi à sensibus corporis alienati, an omnino de corpore exierit, vt mortuum corpus iaceret, donec peracta illa dormitione membris mortuis anima redderetur, & non quasi dormiens euigilaret, aut extasi alienatus rediret in sensus, sed mortuis omnino reuiuiscceret.

Obiectio.

Si autem obiicitur, quod communiter à multis determinatur, quod anima Pauli in illo raptu corpori eius vniebatur vt forma. Et vtique Paulus melius hoc sciuisse videtur quam aliquis sequentium.

Resp.

Respondemus, quod posteriores de hoc aliquid determinãt magis ex probabilitate quam ex certitudine. Nam ex quo fieri potuit vt anima illa adhuc in vita remanens hoc modo raperetur, sicut Apostolus se raptum dicit. Probabilius est tamen quod vnita remanserit. Præterea dato quod anima fuerit in illo statu à corpore separata, illa tamen separatio non fuit per aliquem modum

Anima Pauli vnita.

A naturalem, sed per diuinam virtutem ipsam animam à corpore ad tempus abstrahentem Denique sicut dicit Augustinus super Genesim ad litteram Apostolo abrepto à carnis sensibus in tertium cœlũ & paradisum, hoc ipsum certum defuit ad plenam perfectam cognitionem rerum, quæ angelis inest, quod siue in corpore siue extra esset nesciebat, hæc itaque non deerit cum receptis corporibus in resurrectione mortuorum corruptibile hoc induet incorruptionẽ. Et sic patet quod licet eius visio quantum ad aliquid similis fuerit visioni beatorum, tamen quantum ad aliquid fuit imperfectior. Itaque sciendum, quod Paulus (vt superius dictum est) non fuit raptus ad videndum Deum, vt esset beatus simpliciter, sed vt esset testis beatitudinis sanctorum & diuinorum mysteriorum, quæ ei reuelata sunt. Vnde illa tantu vidit in visione verbi, propter quę cognoscenda rapiebatur. Non autem omnia sicut erit
B in beatis prẽcipue post resurrectionem. Tunc enim (vt Augustinus præmissis verbis subiungit) omnia erunt euidentia sine vlla falsitate, sine vlla ignorantia.

In quo differant mentis excessus, extasis, & raptus.

Cap. CXI.

QVæritur etiam cum Paulus dicatur raptus fuisse, in quo differt raptus eiusdem à sopore Adæ, & raptus Ioannis Euangelistę, secundum quem dicit in spiritu se fuisse. & ab excessu mẽtis, in quo fuit Petrus, *Ad quod dicimus*, quod excessus mentis raptus & extasis omnia in scripturis pro eodem accipiuntur, & significant eleuationem quandam ab exterioribus sensibilibus, quibus naturaliter intendimus ad aliqua quę sunt supra hominem. Sed hoc dupliciter contingit.
C Quandoque enim intelligitur abstractio ab exterioribus quantum ad intentionem tantum, vt cum quis exterioribus sensibus & rebus vtitur, sed tota sua intẽtio diuinis inspiciendis & diligendis vacat, & sic in excessu mentis, siue extasi, aut raptu est quilibet diuinorum contemplator & amator. *Vnde Dionysius de diuinis nominibus.* Est autem extasim faciẽs diuinus amor *Et Gregorius in moralibus de contemplatione loquens dixit.* Qui ad intelligenda interiora rapitur à rebus visibilibus oculos claudit. Alio modo secundum quod in vsu prædicta nomina magis habentur, fit extasis, aut raptus, aut excessus mentis. cum aliquis etiam actu ab vsu sensuum & sensibilium rerum abstrahitur ad aliqua supernaturaliter videnda.

Dubium.

Resp.

Videtur autem supernaturaliter præter sensum & intellectum & imaginationem, sicut in quæstione de
D prophetia dictum est. Et ideo duplicem actum distinguit Augustinus super Genesim ad litteram. Vnũ quo mens rapitur à sensibus ad imaginariam visionem, & sic accidit in Petro, & in Ioanne Euangelista in Apocalypsi, vt ibidem Augustinus dicit. Alium quo mens rapitur à sensu & imaginatione simul ad intellectualem visionem. Et hoc quidem dupliciter. Vno modo secundum quod intellectus intelligit Deum per aliquas intelligibiles immissiones, quod est proprie angelorum, & sicut fuit extasis Adæ. Vnde dicit in Gen. in glossa, quod extasis rectè intelligitur ad hoc immmissa, vt mens Adę particeps angelicæ curiæ & intrans in sanctuarium Dei nouissima intelligeret. Alio modo secundum quod intellectus videt Deum per essentiã.
E Et ad hoc fuit raptus Paulus, vt dictum est. *Auctor.* Hæc iterum de raptu & extasi occasione visionis imaginariæ, quæ multipharie dormientibus & vigilantibus per similitudines corporum à sensibus acceptas exprimitur diximus. Nunc ad vires animæ, quæ habet quo ad seipsam iuxta diuisionem superius positam transeamus.

Duplex raptus ad intellectualẽ visionem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER VIGESIMVSSEPTIMVS.

De viribus animæ quas habet quo ad ſe.

CAP. I.



X li. de anima & ſpiritu. Habet nimirum anima vires quibuscorpori admiſcetur. De quibus videlicet dictum eſt ſuperius, habet & vires quo ad ſe, quæ quidē in tres diuiduntur. Cum enim homo cōſtet ex duabus ſubſtantiis, ſc. anima cū ratione ſua, & carne cū ſenſibus ſuis, ipſos quidē ſenſus caro nō mouet abſq; ſocietate animæ, ſed anima rationale ſuum tenet ſine carne. Eſt quippe rationalis, cōcupiſcibilis, iraſcibilis, per vim rationalē habilis eſt illuminari ad cognoſcendum aliquid ſupra ſe, & ſe in ſe, angelum iuxta ſe, & quicquid cæli ambitu continetur infra ſe, per concupiſcibilitatem & iraſcibilitatem habilis eſt affici ad aliquid appetendum, vel fugiendum, amandum vel odiendum. Et ideo de rationabilitate animę omnis ſenſus oritur, de aliis omnis affectus.

Anima triplex vis.

Auctor. Sic ergo diuiſio illa trimembris ad bimēbrē reducitur, ac ſi diceretur, virium animæ quædam ſunt cognitiuę, quædā affectiuę Et cognitiuæ quidē ad verum, affectiuæ autem ad bonum. Cognitiuæ generaliter ſubdiuiduntur tribus modis. Vno modo ſ. per duas differētias. Alio modo per tres: Alio modo per quinq; Per duas ſcil. per ſenſitiuam & intellectiuam. Per tres autē, ſc. ſenſum & imaginationem & intellectum, ſecundum quas vt dictum eſt ſuperius, diſtinguit Aug. triplicem diuiſionē animæ. Per quinq; vero ſ. ſenſum, imaginationem, rationem, intellectum, intelligētiam. At vero ſub tertio membro prædictæ diuiſionis, ſc. intellectus, ſiue vis animæ intellectiuæ, cōprehendūtur tres vltimæ huiuſmodi differentię. ſ. ratio intellectus, & intelligentia. De ſenſu quidē & imaginatione ſufficienter, vt arbitror in libris ſuperioribus diximus. In hoc autem de cætetis more noſtro doctorū ſententias colligemus. Siquidē & imaginatio pertinet ad ſēſum, quia fons & origo eſt viriū exteriorum ſenſibiliū iuxta illud quod dicit Damaſcenus, quod imaginatio eſt virtus animæ per ſenſus operans, quæ dicitur interior

Vis anima eſt vel cognitiua vel affectiua.

A ſenſus. Tamen ſecundū ordinem actuum poſterior eſt imaginatio ſenſibus exterioribus, quia ſicut idē dicit, per ſenſum paſſio quæ dicitur imaginatio cōſtituitur. Diſtinguit autem inter phātaſiam & imaginationem. Nam imaginatio eſt paſſio animæ irrationalis, quæ ab imaginabili aliquo fit. Phantaſia vero eſt inanis paſſio quæ à nullo imaginabili efficitur, ſicut cum aliquis chymeram imaginatur.

De confuſione & varietate diſtinctionis virium animæ.

CAP. II.

ET vero in aſſignatione virium animę videtur liber de anima & ſpiritu partes confundere. Nam cum in diuiſione virium animæ quibus cōmiſcetur ponat virtutem animalem quæ vires ſenſibiles cōprehendit, iterū in diſtinctione viriuṁ quas habet anima quo ad ſe, vires ſēſibiles interiores & exteriores ponit. Ad hoc autem reſpondeo, quod nulla eſt ibi confuſio. Nā virtus animalis & vires ſenſibiles ordinantur in reſpectu dupliciter, habent enim reſpectū & ordinē ad corpus inquantū à nociuis diiudicāt vtilia corpori & delectabilia, & appetūt vtilia, fugiuntq; nociua, habent etiam reſpectū & ad animā quia via eſt à ſenſibus ad intelligibilia mediāte animali ſecūdū quod eſt via ab experientia ad ſcientiā. Sed adhuc poteſt aliquis dubitare ſuper hoc, quod videtur ſenſum & imaginationē ſub virtute rationali cōprehēdere. Dicit enim quod de rationabilitate omnis ſenſus animę oritur ſicut de concupiſcibili & iraſcibili omnis affectus. Ad quod intelligendū eſt, quod hoc dicit, nō quia ad eādē vim pertineāt ſentire & intelligere. Sed quia ad rationem ordinatus eſt ſenſus, & propter rationē. Datus eſt ſenſus homini. Et ideo quātum ad hoc ratio ſiue rationabilitas principiū eſt ſenſus ſecundū quod firmis principiū dicit & causā. Sciendūq; quod diuerſimode à diuerſis diuiduntur vires animæ. Nā in lib. de ſpiritu & anima diuiduntur ſecundum operationem ad ſubiectū quod eſt homo ex anima & corpore, cum ſcil. dicitur, quod habet anima vires, quibus corpori cōmiſcetur, & vires quo ad ſe. *Iohannes autem Damaſcenus* diuidit eas per cōparationem earum ad ſe dicens. Oportet ſcire quod animæ natura duplices habet virtutes, has quidem cognitiuas, illas autē zoticas. Et cognitiuæ quidē ſunt intellectus, mens, opinio, imaginatio, & ſenſus. Et in ſenſibus quidem viſus ſecūdum rectas lineas videt. Odoratus autem & auditus non ſolum ſecundum rectum,

Obiect.

Reſp.

Cognitius.

ſed

ſed vndiq; ſentiunt. Tactus vero & guſtus neq; ſecundum rectum nec vndiq; cognoſcunt, ſed tunc ſolum cum eis propria ſenſibilia appropinquant: zoticę vero ſunt appetitiuæ ſcil. conſilium & electio. Porro iuxta philoſophos diſtinguuntur vires animæ humanæ ſecundum operationē in conuenientia & differentia ad vires vegetabilium ac brutorum, ſecundum quam videlicet comparationem ſiue conſiderationem diuiduntur in vegetabilem ac ſenſibilem & rationalem.

Zetica.

De viribus apprehenſiuis ſenſibilibus.

CAP. III.

SCiendum itaq;, quod vis apprehenſiua ſenſibilis duplex eſt. Quædam enim apprehenſio eſt modo naturali. Quædam modo animali. Apprehenſionē quę eſt modo naturali, dico illam quæ eſt phantaſiæ. Dicitur enim operans vel operatio per modū naturæ quæ ſuper vno modo eſt, & quæ non regitur nec perſuadetur ratione. ſicut operatio virtutis vegetabilis dicitur naturalis quia ratione nō regitur, nec vires vegetabiles rationi obſequuntur vel obediunt. Operatio vero per modum animalē dicitur, quæ eſt virtutis ſubijcibilis, & obtemperantis rationi, ſicut eſt virtus viſiua, auditiua &c. Phantaſia ergo cum ſit apprehēſiua, eſt apprehenſiua per modum naturæ, quia eius operatio potiſſima non eſt ſubiecta rationi, ſicut patet in ſomnis, vbi maxime patet eius operatio. Operatur enim ſemper, ſed intenta anima circa ſenſibilia in vigilia non intendit continuam operationem phantaſiæ. Relinquitur ergo cū in ſomno vbi maxime & potiſſime ſua operatio claret, nec regatur ratione, nec ſubijciatur ei quod nunquam ratione regatur. Et ideo apprehenſio phantaſię eſt in modum naturę inquantum huiuſmodi. Nā notandum eſt, quod hæc vis inquantum conſideratur vt natura quædam, dicitur phantaſia, nec eſt obediēs rationi. Inquantum vero conſideratur vt ſenſus, ſic videlicet dicitur ſenſus interior & cōmunis, & eſt ſubijcibilis rationi. Porro vis apprehenſiua modo animali, hoc eſt quæ in obedientia eſt rationis ſubdiuiditur. Nam quædam eſt apprehenſiua exterior quædam interior. Exterior multiplicatur per quinq; sēſus de quibus dictum eſt ſuperius. Interior autem ſecundū duos modos diuiditur. Vno modo ſecundum tres differentias, vt à Iohanne Dameſceno in imaginatiuam ſiue phātaſticalem, & excogitatiuam ſiue rationalem, ideſt iudicatiuam ſenſibilem & memoratiuam. Alio modo per quinq; differentias ſecundum Auicennam. Prima eſt phantaſia quæ eſt ſenſus communis. Secunda imaginatio. Tertia imaginatiua. Quarta ęſtimatiua. Quinta memorialis. Item alio modo virium intrinſecus apptehenſibilium quędā apprehendunt formas ſenſibiles, ſicut ſenſus communis, & imaginatio & imaginatiua ſiue excogitatiua. Quædam apprehendunt intentiones ſenſibilium, vt æſtimatiua & memoratiua. Item harum & illarū quædam apprehendunt & operantur vt ſenſus cōmunis, æſtimatiua & excogitatiua. Quædam vero appræhendunt, ſed non operantur, vt imaginatio & memoria. Item quædam apprehendunt principaliter, quędam ſecundario & in apprehēſione formarū ſenſibilium principaliter apprehendit ſenſus communis cum ſenſibus exterioribus Secundario vero virtus imaginationis & virtus imaginatiua. Similiter & in apprehenſione intentionum & ſenſibilium principaliter apprehendit virtus æſtimatiua ſecundario memoratiua.

Apprehēſiuæ potentiæ diuiſiones.

De viribus apprehenſiuis rationalibus & primo de mente.

CAP. IV.

POrro iuxta diuiſionē ſupra dictam ex li. de anima & ſpiritu acceptam. Anima ſenſu percipit corpora, imaginatione corporū ſimilitudines ratione naturas corporum, intellectu ſpiritum creatum. Intelligentia veto ſpiritum increatum Ex his duę primę vires ſenſibiles ſunt ac brutales. Tres autem reliquæ ſunt humanæ ſiue rationales. Certū eſt itaq; quod mens & ratio vel intellectus pertinent ad vim rationalem. Et mētis quidem motus vel actus à Iohanne Damaſceno triplex, & ſecundum triplicem viam determinatur ſcil. viam inueniendi & viam addiſcēdi, & viam docendi.

Via inueniendi eſt via experimenti per ſenſus ad intelligibilia cognoſcenda, ſecundum quam viam ordinat Iohannes Damaſcenus vires irrationabiles ad rationabilē dicens. Per ſenſum animę conſtituitur paſſio, quę vocatur imaginatio. Ex imaginatione vero fit opinio. Deinde mens diiudicans opinionem ſi falſa ſit indicat veritatē. Vnde & mens dicitur à metiendo cogitando vel diiudicando. Quod ergo diiudicatum eſt & determinatum vere intellectus dicitur. Hęc eſt ergo intentionis via ſiue experimēti incipiens à ſenſu. Alia eſt via addiſcendi ſecundū quam determinat Damaſcenus motus mentales dicens. Oportet cognoſcere quoniam primus motus intelligentia dicitur. Quæ autem circa aliquid eſt intelligentia intentio vocatur. Quod autē permanēs & figurans animam ad id quod intelligitur, excogitatio eſt. Excogitatio vero in eodē manēs & ſeipſam examinans, phroneſis vocatur. Alia via quæ conſequitur ad prædictas eſt via docendi. Cū enim perfectus eſt interior motus intellectus, aut per viā intentionis aut per viam diſciplinæ, non reſtat niſi transfundere intellectū in altū, & hæc eſt via docēdi. Incipit ergo tunc motus mentis à perfectiſſimo ſc. ex phroneſi, quod eſt examinata ipſius veritatis certitudo

Via inueniendi.

Via addiſcendi.

Via docendi.

De duplici mentis intentione.

CAP. V.

SCiendum vero quod intentio mentis dicitur duobus modis. Communiter vt comprehēdat vim rationabilem ſecundum partem ſuperiorem & ſui & inferiorem. Nam ſicut dicit Aug. In ratione quiddā eſt ad cæleſtia & ſuperna intēdens, reſpectu cuius dicitur ſapientia, & quiddam ad tranſitoria & caduca reſpiciens, reſpectu cuius dicitur prudētia. Et diuidit ſe ratio in duo ſurſum & deorſum. Dicitur ergo mens cōmuniter ad intentionem ſuperiorem & inferiorem, & proprie reſpectu ſuperioris rationis. Secundum primū modum dicit. Aug. quod mens dicitur à mene quod græce luna dicitur, & ſicut luna creſcit & decreſcit, & varia viciſſitudine cōmutatur, in id tamen quod fuit perfectum quadam nouitate ſe reſtituit. Sic mens nūc caput ſuum immutat, nūc decidit in vana, nunc referens ſeſe ſibi, veris falſa redarguit modo ad corruptibilia regenda deflectitur, modo æternis rationibus inſpiciendis vel conſulendis adhæreſcit. Secundum modum alium dicitur mens ipſa inferior pars rationis de qua Aug. dicit, quod facta eſt ad imaginē Dei, vt nulla interpoſita natura ab ipſa veritate formetur. Mens enim ex eo quod emineat in anima, eminentior & præſtantior dicta eſt. Siquidē vis animæ eſt à qua procedit intelligentia, & per intelligentiam vtcunq; ipſam veritatem intelligit. Per ſapientiam diligit. Mentis viſio eſt intelligentia, guſtus ſapientia. Illa contemplatur, iſta delectatur. Itaq; ſicut ſcriptum eſt in lib. de anima & ſpiritu, mens diuerſorum capax, & rerum omnium ſimilitudine inſignita omnia dicitur eſſe, natiua quadam potentia. Iccirco rerum cauſas per intelligentiam comprehendit, & viſibiles actualium formas per ſenſuum paſſiones colligit, & ſiue per ſenſus ad ſenſibilia exeat, ſiue per intelligentiam viſibilia aſcendat rerum ſimilitudines ad ſeipſam trahit, præſentia cognoſcit, abſentia intelligit, ignota inquirit, & inuentis verſatur. Rationale & intellectuale lumen quo ratiocinamur intelligimus & ſapimus, mentē dicimus. Et rationale dicitur propter inferiorem partem rationis Intellectuale propter ſuperiorem. Et ratiocinari quantum ad inferiorem partem, intelligere & ſapere quantum ad ſuperiorem.

Mens.

Comparatur luna.

Alia acceptio mentis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De verbo mentis, id est, cogitatione.

CAPVT VI.

AVgustinus *de Trinitate lib.* 11. Est autem Trinitas in mente, ex memoria, & interna visione, & quæ copulat vtrunque voluntate. Quæ scilicet tria in vnum coguntur ab ipso coactu cogitatio dicitur, nec iam in his tribus diuersa substantia esse cognoscitur. *Idem in libro* 15. *de Trinitate.* Quisquis autem potest intelligere verbum non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione voluantur, iam potest videre per hoc speculum, atque in hoc ænigmate aliquam similitudinem verbi illius de quo quo dictum est: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c.* Necesse est enim vt cum verum loquimur, id est, quo scimus loquimur ex ipsa scientia quam memoria tenemus nascatur verbum, quod eiusmodi omnino sit, cuiusmodi est illa scientia de qua nascitur, formata enim cognitio ab ea re quam scimus, verbum est quod in corde dicimus, quod nec est græcum nec latinum nec linguæ alicuius. Sed cum opus est id in eorũ quibus loquimur proferre notitiam, aliquod signum quo signetur assumitur. Inuentæ sunt etiam literæ per quas possumus etiam cum absentibus colloqui proinde verbum quod foris sonat, signum est verbi quod intus lucet, cui magis competit verbi natura. *Vox verbi.* *Nam illud quod carnis ore profertur, vox verbi est,* verbum est ipsum dicitur, propter id a quo vt foris appareret assumptum est. Ita enim verbum nostrum vox quodammodo corporis fit, assumendo eam in qua manifestetur sensibus hominum. Sicut Verbum Dei caro factum est, assumendo eam in qua & ipsum manifestetur sensibus hominum. Quisquis itaque cupit ad qualemcunque verbi similitudinem peruenire, non intueatur verbum nostrum quod sonat in auribus, nec quando voce profertur, nec quando silentio cogitatur, sed transeunda sunt hæc, vt ad id perueniatur hominis verbum, quod in corde dicimus, & tandem per id ad verbum non de Deo natæ, sed à Deo factæ imaginis Dei, quod neque prolatiuũ est in sono neque cogitatiuum in similitudine soni, quod alicuius linguæ esse necesse sit, sed quod omnia quibus signatur signa præcedit. Et gignitur de scientia quæ manet in animo, quando eadem scientia dicitur sicuti est.

Simillima est enim visio cogitationis visioni scientiæ. Nam quando per sonum dicitur vel aliquod corporale signum, non dicitur sicuti est, sed sicuti videri audirive per corpus potest: quando ergo quod est in notitia, hoc est in verbo, tunc est verum verbum & veritas, qualis ab homine expectatur, vt quod est in ista, hoc sit & in isto, quod non est in ista, non sit & in isto, hic agnoscitur est, est, non, non. Sic accedit quantum potest illa similitudo imaginis factæ ad illã similitudinem imaginis natæ, qua Deus filius per omnia substantialiter similis patri prædicatur, sicut etiam de ipso dictum est. *Omnia per ipsum facta sunt,* vbi Deus per vnigenitum suum prædicatur vniuersa fecisse se, ita hominis opera hominis nulla sunt, quæ non prius dicantur in corde, sed etiam hoc cum verum verbum est, tunc est initium boni operis. Verum autem verbum est, cum de scientia bene operandi gignitur, vt etiam ibi seruetur est, est, non, non, vt si est, est in ea scientia, qua viuendum est, sit & in verbo per quod operandum est. Si non, non. Alioquin mendacium erit verbum tale nec veritas, & inde peccatum erit, nec opus rectum.

Similitudo imaginis factæ & natæ.

De verbi nostri ad verbum patris similitudine.

CAPVT VII.

ET hæc similitudo verbi nostri cum Verbo Dei, quia potest esse verbum nostrũ quod non sequatur opus. Opus autẽ esse non potest, nisi præcedat verbũ, sicut Verbũ Dei potuit esse nulla existente creatura, creatura vero nulla esse posset, nisi per ipsũ per quod facta sunt omnia. Ideoque non Deus pater, non Deus spiritus, non ipsa Trinitas, sed solus Deus filius qui est Verbum Dei caro factum est, quamuis Trinitate faciente, vt sequente atque imitante verbo nostro eius exemplo rectè viueremus, id est, nullum habentes in verbi nostri vel contemplatione vel operatione mendacium. Verum hæc huiusmodi imaginis quando que futura est perfectio. Ad hanc consequendam nos erudit magister bonus fide christiana & pietatis doctrina, vt reuelata facie à legis velamine quod est vmbra futurorum, gloriam domini speculantes, per speculum scilicet intuentes in imaginem eandem transformemur.

Nam verbum Dei patris vnigenitus filius, per omnia æqualis patri, hoc est, omnino quod pater, nec tamen pater, ac per hoc nouit omnia, quæ nouit pater. Sed ei nosse de patre est, sicut & esse. Nosse enim & esse ibi vnum est. Proinde tanquam seipsum dicens, pater genuit verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus vel amplius esset in verbo eius quam in seipso, ibi summe illud cognoscitur est, est, non, non. Et ideo verbum hoc vere veritas est, quia quicquid est in ea scientia de qua est genitum, & in ipso est. Quod autem in illa non est nec in ipso est. Et falsum habere aliquid, hoc verbum nunquam potest, quia immutabiliter sic se habet, vt se habet de quo est. Non enim potest filius à se quicquam facere nisi quod viderit patrem facientem. Potenter hoc non potest, nec est infirmitas illa sed firmitas, quia falsa non potest esse veritas. Nouit itaque Deus pater omnia in filio, nouit in seipso, sed in ipso tanquam seipsum, in filio tanquam verbum suum quod est de his omnibus quæ sunt in seipso omnia. Similiter nouit & filius in se, tanquam scilicet ea quæ nata sunt de his quæ pater nouit in seipso. In patre autem tanquam ea de quibus nata sunt, quæ ipse filius nouit in seipso. Sciunt ergo inuicem pater & filius, sed ille gignendo iste nascendo. Et omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum essentia vnusquisque eorum simul videt, non particulatim aut sigillatim, velut alternante conspectu hinc illuc, & inde huc, & rursum inde vel inde, in aliud atque aliud, vt alia videre non possit nisi non videns alia, sed vt dixi simul omnia videt.

Æqualitas verbi diuini cum patre.

Quantum sit ab eodem dissimile.

CAPVT VIII.

NOstrum itaque verbum quod inuenimus vtcunque illi verbo simile, quantum sit etiam dissimile videamus. Nunquid verbum nostrum de sola scientia nascitur? nõne multa dicimus etiam quæ nescimus? Nec dubitantes ea dicimus, sed vera esse arbitrantes, quæ si forte vera sunt in ipsis rebus de quibus loquimur, non in verbo nostro vera sunt, quia verbũ verum non est, nisi quod de re quæ scitur, gignitur: falsum est ergo isto modo verbum nostrum non cum mentimur sed cum fallimur. Cum autem dubitamus nondum est verbn de re de qua dubitamus. Sed de ipsa dubitatione verbum est. Quamuis ergo non nouerimus an verum sit vnde dubitamus, tamen dubitare nos nouimns, per hoc cum dicimus verum verbum est, quia quod nouimus dicimus.

Dissimilitudo verbi diuini & nostri.

Quid quod etiam mentiri possumus, quod cum facimus vtique volentes & scientes falsum verbum habemus vbi verum verbum est mentiri nos? Hoc enim nouimus, & cum nos mentitos esse confitemur, verum dicimus, quia quod scimus dicimus. Verbum autem illud quod Deus est, & potentius nobis est, hoc non potest, non enim potest facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, & non à seipso loquitur, sed à patre est illi omne quod loquitur cum ipsum pater vnice loquitur. Et magna illius verbi est potentia non posse mẽtiri, quia non potest illic esse est & non, sed est est, non non. At enim nec verbum dicendum est quod verum non est, sit ita. Quid cum verum est verbum nostrum, & ideo rectè verbum nostrum. Et ideo rectè

Falsum verbum in mẽtientibus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

verbum vocatur. Nunquid ſicuti dici poteſt viſio de viſione, vel ſciẽtia, ita poteſt dici eſſentia de eſſentia, ſicut illud verbum Dei maxime dicitur? Quid itaque? quia non hoc eſt nobis eſſe quod noſſe. Cum enim ſcientia noſtra animo lapſa à nobis fuerit, nos tamen viuimus & ſumus. Illa etiam quæ vita ſciuntur, vt nunquam excidere poſſunt, quia præſentia ſunt, ad ipſius animi naturam pertinẽt, ſicut eſt illud quod nos viuere ſcimus, manet, enim hoc, quãdiu animus manet, & quia ſemper manet animus, & hoc sẽper manet. Id ergo & ſi qua talia reperiuntur, in quibus potius imago Dei intuenda eſt, etiam ſi ſemper ſciuntur, tamen quia non ſemper cogitantur quomodo de his dicatur verbum ſempiternum, cum verbum noſtrum noſtræ cogitatione dicatur, inuenire difficile eſt. Si enim poteſt eſſe in animo aliqua ſcientia ſempiterna, & ſempiterna eſſe non poteſt eiuſdem cogitatio, & verum verbum noſtrum intimum, niſi noſtra cogitatione non dicitur: Solus Deus intelligitur habere verbum ſempiternum.

Scientia ſempiterna in anima, non verbum ſempiternum.

De cogitatiua vel excogitatiua virtute.

CAPVT IX.

Ioannes de Rupella. Dicit autem Ioannes Damaſcenus quod phroneſis dilatata facit cogitationem, id eſt, interius diſpoſitum ſermonem nominatum, quam determinantes dicimus motum ipſius animæ pleniſſimum in excogitatiuo fientem, ſine aliqua enunciatione, ex quo prolatum ſermonem aiunt prouenire per linguam enarratum. Quod amplius explicans diuidit ſic. Rationale animæ diuiditur, in interius diſpoſitum ſermonem & prolatum. Eſt autem interius diſpoſitus ſermo motus animæ in excogitatiuo fiens ſine aliqua enunciatione. Vnde multotiens & ſilentes ſermonem totum apud noſmetipſos pertranſimus, & in ſomnijs diſputamus, & ſecundum hoc maximè rationales ſumus, prolatus vero ſermo in voce & ſyllabis operationem habet ſcilicet quia per linguam & os profertur, ideoque prolatiuus dicitur. Eſt autem enunciatiuus intelligentiæ, ſecundũ hoc & loquutiui dicimur. Idem quoque Damaſcenus dicit, quod ex cogitatione ſunt iudicia, & cogitationes, compoſitiones & inceſſiones & actus & actiones & fugæ actionũm. Inſtrumentum autem huius medius venter eſt cerebri, & animalis ſpiritus qui eſt in ipſo.

Inſtrumentũ cogitationis.

Circa quæ nota quod ſenſus exterior comprehendit ſpeciem præſentem in materia & ſimplicem. Imaginatio vero comprehendit formam abſente materia & ſimplicem. Excogitatio vero iudicat de ea ſiue opinio. Et ſi ſecundum rationem veri, vt quoniam eſt hoc, vel quoniam non eſt hoc ſic dicuntur excogitatiuę virtutis iudicia & compoſitiones. Si ſecundum rationem boni & mali, ſic eſt excogitatiua virtus principium inceſſionis ad actum & fugæ.

Quod excogitatiua ſecundum Auicennam quæ dicitur & imaginatiua differt ab imaginatione.

CAPVT X.

PAtet autem quod iuxta diuiſionem ſuperius poſitam Auicennę, imaginatiua quæ dicitur & cogitatiua differt ab imaginatione. Eſt enim imaginatio ſicut idem dicit, vis ordinata in extremo concauitatis anterioris cerebri retinens, quod recipit ſenſus communis à quinque ſenſibus, & remanet in ea poſt remotionem illorum ſenſibilium: vult ergo dicere quod ſenſus communis eſt apprehendere formas omnium ſenſibilium, virtutis vero quæ vocatur imaginatio retinere. Dicit ergo quod ſenſus communis & imaginatio ſunt quaſi vna virtus & quaſi non diuerſificãtur in ſubiecto ſed in forma, hoc enim recipit, illa retinet. Quod autem recipit non eſt hoc quod retinet. Virtus ergo quæ non eſt imaginatio quæ etiam vocatur formalis ſenſus formam ſenſibilem retinet, & non diſcernit ilam vllo modo. Senſus etiam communis & ſenſus exteriores diſcernunt ea dicentes, hoc eſt album & hoc nigrum, &c. Differentiam autem hanc probat, quia ex vna ineſt recipere, & ex alia retinere. Quod eſt videre in aqua quæ habet potentiam recipiendi impreſſiones figurarum, non tamen retinendi. Differentis ergo virtutis erit retinere ſenſibilia & recipere ea, alia ergo virtus eſt imaginatio à ſenſu communi, & hæc eſt ſententia Auicennæ.

Auicenna ſententia.

Alijs vero videtur, quod imaginatio ſit conuerſio ipſius virtutis ſenſibilis interioris ſuper imaginem tanquam rem. Quorum vtrunque eſt verum, ſed ſecundum diuerſos modos accipiendi hoc nomen imaginatio. Porro imaginatiua ſiue cognitiua eſt ſecundum Auicennam vis ordinata in media concauitate cerebri, potens componere aliquid do eo quod eſt in imaginatione cum alio & diuidere ſecundum quod vult, quam virtutem manifeſtat ſic. Scimus certiſſime in noſtra natura eſſe vt componamus ſenſibilia inter ſe, & diuidamus ea ſecundum affirmationem & negationem ſecundum ſimilitudinem formæ quam videmus extra, oportet ergo vt in nobis virtus ſit quæ hoc operatur, & hæc virtus in quantum imperat ei intellectus vocatur cogitatiua, inquantum vero illi imperat virtus animalis vocatur imaginatiua. Et eſt ordo iſtius virtutis ad præcedentes. Nam ſenſus communis reddit virtuti formali quaſi ad reponendum quicquid ei tradunt ſenſus exteriores, virtus vero formalis quæ eſt imaginatio reponit & retinet. Habet enim virtutem multiplicandi in ſe formas ſenſibiles. Virtus vero cogitatiua ſiue imaginatiua conuertitur ad formas, quæ ſunt in virtute formali, ſiue imaginatione ad componendum eas & reſoluendum, quoniam ei ſunt ſubiectæ. Et ſecundum hoc accidit fieri transformationes imaginationum eorum quæ non ceciderunt in ſenſu exteriori, ſicut accidit in ſomnis & in vigilia. Alij vero hanc virtutem ſecundum quod mouet ab vno phantaſmate in aliud tanquam eſſent tres, appellant phantaſiam, ſecundum vero transformationes quæ ſunt in ſomnijs appellant imaginatiuam.

Aliorum ſententia.

De memoratiua virtute.

CAPVT XI.

POſt imaginatiuam & excogitatiuam virtutem ordinat Damaſcenus memoratiuam. Eſt autem memoratiuum, vt dicit, memoriæ & rememorationis promptuarium. Memoria autem eſt phantaſia derelicta ab aliquo ſecundum actum apparentem. Phantaſia autem dicit formam ſenſibilem. Vel eſt memoria coaceruatio ſenſus & intelligentię. Omnia enim ſenſibilia per ſenſus ſuſcipit, id eſt, ſentit & fit opinio. Intelligentia vero per intellectum & fit intelligentia. Cum ergo typos, id eſt, formas eorum quę opinata eſt, & eorum quæ intellexerat, cuſtodit, memoria dicitur. Oportet autem ſcire quoniam intelligibilium ſuſceptio non fit niſi ex diſciplina vel naturali ingenio, non enim ex ſenſu. Nam ſenſibilia quidem ſecundum ſeipſa memoriæ commendantur. Intelligibilium vero ſi quidem dicimus memoramur, ſubſtantiæ vero eorum memoriam non habemus. *Rememoratio autem dicitur memoriæ deperditæ obliuione reſtitutio.* Obliuio vero eſt memoriæ ablatio. Item phantaſticum quidem, id eſt, imaginatiuum materias per ſenſus ſuſcipiens tradit excogitatiuo vel diſcretiuo, idem enim ſunt quod diſcretiua ſuſcipiens & diiudicans tranſmittit memoratiuo. Organum autem memoratiuum eſt poſterior ventriculus cerebri & animalis ſpiritus qui eſt in ipſo.

Rememoratio quid.

Albertus. Anima rationalis proprie loquendo non habet memoriam. Cunque dicit Auguſtinus quod memoria eſt pars diuinæ imaginis. Accipit memoriam prout eſt præſentium, præteritorum & futurorum. Auicenna quoque ſentit animam rationalem memoriam non habere, & diſtinguit inter theſaurum & virtutem apprehenſiuam dicens, quod theſauri eſt recipere formam &

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mam & non apprehendere, ideo forma non eſt in theſauro, ſicut in apprehenſiua virtute, ſed virtutis apprehenſiuæ eſt apprehendere formam & non retinere, propter hoc dici quod ſpecies intelligibiles non retinentur in intellectu potentiali, quia ipſe eſt virtus apprehenſiua. Sed ex conuerſione ſui ad intellectum agentem generatur in illo cum actualiter conſiderat. *Memoria in intellectu poſſibili.* Nos autem dicimus, quod manet in intellectu poſſibili, quoniam Ariſtoteles expreſſe dicit, quod memoria & reminiſcentia ſuos habent actus apprehenſionis. Vnde falſum eſt, quod theſauri non ſit apprehendere. Nam in virtutibus quidem comparabilibus alterius virtutis eſt recipere, alterius retinere. Nam humidi quidem eſt bene recipere, ſicci bene tenere. At vero in intelligibili virtute eiuſdem eſt recipere & retinere, eo B quod oppoſitorũ actus ibi non ſunt oppoſiti, cum oppoſita ſeparata ſint à materia & potentia agendi & patiendi. Vnde intellectus poſſibilis recipit intelligibilium formas, & retinet eas. Si autem quæratur quid ſit reducens, poſſibilem de habitu in actum. Dicimus quod nihil niſi voluntas, quod patet per deffinitionem habitus à philoſopho data, ſcilicet habitus eſt in quo quis aliquis agit, quod ſcilicet voluerit. Voluntas enim tripliciter eſt in anima, ſcilicet motor aliarum potentiarum ad actum, & pars imaginis & pars liberi arbitrij.

De via recordationis & obliuionis in capite.

CAPVT XII.

Conſtantinus in libro de obliuione. Operatio mentis C triplex eſt, prima phantaſia, ſecunda ratio, tertia memoria. Cerebri namque duæ ſcil. partes ſunt, vna prora, altera pupis, & prora diuiditur in duas partes. *Prora & puppis capitis.* Quarum vnaquæque multo maior eſt puppi tota, quia vero prora cerebri diuiſa fuerat à puppi, & neceſſarium eſt eas eſſe iunctas, factum eſt vt ambo ventriculi venirent in vnum locũ, & eſt ſpacioſitas cõmunis vtriuſque. Itaque aliqui ex anatomicis nominant iſtum locũ ventriculum quartum. Porro duo ventriculi proræ aream excoquunt, & dant in cerebro ſpiritum animalem, vt faciat ſenſus ſcilicet videndi, odorandi, guſtandi & iterum phantaſiam. Deinde tranſit ad locum qui eſt in medio cerebro, qui & communis eſt, & tranſit ſpiritus animalis iam ſubtilis mundificatus, atque clarior ſpiritu qui fuerit in prora cerebri, vt facit rationem & intellectum. D

Habetur autem in capite circa medium ventriculi qui eſt inter proram & puppim pars ſubſtantiæ cerebri, ſimilis vermi, & vocant eam anatomici pineam aſcendentem & deſcendentem. Itaque aſcenſu eius aperitur foramen, & deſcenſu eius clauditur. Et cum aperitur tranſit ſpiritus animalis à prora cerebri ad puppim. Et hoc non fit niſi quando neceſſarium eſt recordari obliuioni tradita, aut tenere quæ nolunt obliuiſci. *Ventriculus cerebri præſtantior quis?* Vnde & Proculus dixit quod ventriculus puppis præſtantior eſt omnibus ventriculis cerebri, quoniam non venit ſpiritus animalis ad ipſum, niſi ſubtilis clarus mundificatus, quia opus eſt recordatione & retentione claritate & ſubtilitate vt recolligat res ex tempore longo præteritas. Et niſi aperiatur illa via vt tranſeat ſpiritus ad E puppim cerebri non reminiſcitur homo rei nec reſpondet interrogationi.

De pigritia & tarditate memoriæ.

CAPVT XIII.

APertio autem iſtius viæ variatur in hominibus ex feſtinantia & pigritia. Nam qui habent velocem ſunt prudentes & velociter reſpondent. Et qui pigram tardi ſunt ad reſpondendum, & minime cogitant. Vnde Galenus dixit: Quod mentem & intellectum & diſcretionem non facit, niſi contemperantia ſpiritus, qui eſt in medio cerebro. Et recordationẽ ac retentionem non facit, niſi contemperantia ſpiritus animalis qui eſt A in puppe cerebri. Et ſi patitur iſte qui ſcilicet eſt in puppe læſionem, perdit memoriam aut minuitur. Et ſi perdit vocant obliuionem perfectam. Si vero minuitur vocant obliuionem ad tempus. Et memoria ſemper patitur læſionem ex frigiditate. *Frigus ladit memoriam.* Et iſta frigiditas aliquando ſimplex eſt, aliquando cum humiditate, & ſic facit nimium ſomnum, aliquando cum ſiccitate, & tunc euenit ægritudo cum vigilijs. Galenus, quod ſi eſt pigra mens & intellectus, ſignat ſubſtantiam cerebri immundiciam craſſam eſſe. Velociter dicere ſignificat quod ſubſtãtia cerebri impigrè recipit formationem rei viſæ. Bene tenere, ſignat ſubſtantiam cerebri habere moderatam ſodalitatem. Tarde diſcere ſignat, quod ſubſtantia cerebri dura eſt ad recipiẽdum formam rei viſæ.

Dico autem lethargiam, quando eſt immutatio recordationis quæ naſcitur ex frigiditate ſola, aut cum humiditate. *Lethargia & eius curatio.* Oportet ergo vt ſanatio & medicina eius inueniatur in his, quę calefaciunt cerebrũ & mundificãt phlegma in illo, ſicut eſt omnis hiera, theodoricon magnum cum nucibus muſcatis & ſimilia. Nam mundificant cerebrum ex illo chymo qui eſt fundamẽtum lethargiæ & mutant cerebri naturam in calorem naturalem. *Ariſtoteles in libro de memoria & reminiſcentia.* In his quidem qui in motu multo per paſſionem aut propter ætatem ſunt non fit memoria, tanquam in aquam natura fluentem incidente motu vel ſigillo. In alijs autem propter frigidum eſſe & propter duriciem accipientis paſſionem non fit figura ſiue phantaſis. Itaque non multum noui & ſenes ſolent eſſe memores. Fluũt enim hi quidem propter alimentum. Illi vero propter detrimẽtum. Smiliter autem multuum veloces & multum tardi neutri, ſicut videtur frequentius, memores ſunt. Nam indigentia quidem hi humidiores, illi vero duriores, vnde alijs quidem non manet phantaſia anima. Alios vero non tangit. Eſt autem phantaſia communis ſenſus paſſio.

De differentia memoriæ & reminiſcentiæ & addiſcentiæ.

CAPVT XIV.

Ioannes de Rupella. Ad maiorem autem declarationem virtutis memoratiuæ quærendum eſt, quæ ſit differentia memoriæ, & reminiſcentiæ & an ſit recordatio ſeu reminiſcentia irrationabilium. Ad quod dicendum eſt ſecundum Auicennam, quod memoria eſt in alijs animalibus, ſed recordatio quæ eſt reuocatio ingenij ad quærendum quod oblitum eſt, non inuenitur niſi in ſolo homine. *Memoria eſt in brutis.* Cognoſcere enim ſibi aliquod fuiſſe, quod poſtea deletũ eſt, non eſt niſi virtutis rationalis, vel ſi eſt alicuius virtutis alterius præter rationem, poterit eſſe æſtimationis, ſed inquantum decoratur rationabilitate. Differentiam ergo memoriæ & reminiſcentiæ eſt, quia memoria eſt recentio ſpecierum ſiue intentionum ſenſibilium, ſiue repræſentatio earundem. *Reminiſcentia.* Reminiſcentia vero eſt requiſitio formarum à memoria deletarum per obliuionem per cõſimilia. Sicut obliti alicuius perſonæ quam vidimus, recurrimus ad locum, ad tempus & ad actus, per quæ recordamur perſonæ quam vidimus tali loco, tali tempore, talia facientem.

Notandum eſt etiam differentiam inter recordari & addiſcere, quia quidam dicunt, quod addiſcere nihil aliud ſit quam reminiſci. Conueniunt enim in hoc, quod vtrobique eſt motus à cognitis ad incognita ad hoc vt ſciantur. Sed in hoc differentia eſt, quod recordatio eſt inquiſitio cognitorum vt cognoſcantur de futuro, quæ quidem fuerunt cognita de præterito. Addiſcentia vero ſiue diſciplina eſt extẽſio animæ ad cognoſcenda incognita, quæ tamen non fuerunt cognita prius.

Item ad maiorem euidẽtiam quæritur, propter quid *Quæſtio.* quidam homines facilius addiſcunt quam recordentur, quidam econtrario, propter quod etiam quidam facilius addiſcant quam memorentur. Et vniuerſaliter quidam ſint facilis diſciplinæ, quidam facilis recordationis,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quidam facilis memoriæ, quidam econtrario. Ad quod intelligendum, ſciendum eſt ſecundum Auicennam quod illi qui ſunt ſiccæ complexionis fortes ſunt in memoriter retinendo, debiles in recordando. Siccitas enim materiæ conueniens eſt diſpoſitio non ad ſuſceptionem impreſſionum ſed retentionem, inhabilis autem eſt ad motum. Et ideo ficca complexio conuenit memoriæ non recordationi. Qui vero ſunt calidæ complexionis, facile recordantur, hi autem ſunt qui magis percipiũt nutus. Nutus autẽ operãtur motum ſenſuum ad alias intentiones. Et qui fuerit perceptibilior nutuum erit citius recordans. Caliditas autem complexionis eſt vehementiſſima diſpoſitio ad motum.

Diſciplinæ ius humidi.

Illi vero qui ſunt complexionis humidæ ſunt facilis diſciplinæ. Humiditas enim eſt diſpoſitio conuenientiſſima ad facilitatem ſuſceptionis impreſſionis quæ conuenit diſciplinæ facili. Et hæc eſt contraria diſpoſitio forti memoriæ. Memoria enim neceſſaria materia eſt, à qua difficulter deleatur quod impreſſum eſt in illa, & ad hoc opus eſt ſicca materiæ ex complexione. Nota ergo quod bene memorantes ſunt contrariæ diſpoſitionis bene recordantibus & bene addiſcentibus. Illi enim bene memorantes ſunt, quorum animæ non habent facilem motum, nec diſperguntur cogitationes eorum. Illa enim anima quæ habet multos motus & multiplices cogitationes non bene memorat, hæc autem eſt contraria diſpoſitio bonæ recordationis. Bona enim recordatio exigit multiplices motus & agiles cogitationes. Item bene memores ſunt ſiccæ complexionis, quæ eſt diſpoſitio difficilis ad ſuſcipiendum impreſſiones, & ideo eſt contraria diſpoſitioni facili diſciplinæ. Bona ergo memoria eſt vel ex ſiccitate complexionis, vel exercitio circa vnum vel pauca non circa multa. Inde eſt quod pueri quamuis humidi, firmiter tamen retinent. Animæ enim eorum non occupantur circa multa, ſicut animæ maiorum, ſed ſunt fixæ circa vnum. Iuuenis vero propter calorem & propter motus ſuos agiles, debilis eſt in memoria, quamuis ſit complexio ſicca. Senibus vero accidit propter humorem qui præualet in eis non memorari ea quæ vident.

De memoria Dei naturaliter infixa menti humanæ.

CAPVT XV.

Auguſtinus de Trinitate libro 14. Magna quidem iſta hominis miſeria eſt, cum illo non eſſe ſine quo non poteſt eſſe. In quo enim proculdubio ſine illo non eſt. Et tamen ſi eius non meminit, eumque non intelligit neque diligit, cum illo non eſt. Quod autem quiſque pænitus obliuiſcitur, non commoneri eius vtique poteſt. Sed dicit Pſal. *Conuertantur peccatores in infernum omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum.* Porro alibi. *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ.* Non ergo ſi erant gentes iſtæ oblitæ Deum, vt eius nec commemoratę recordarentur. Obliuiſcendo autem Deum tanquam obliuiſcendo vitam ſuam, conuerſæ fuerant in mortem, id eſt, in infernum. Commemoratæ vero conuertuntur ad Dominum, tanquam reuiuiſcentes reminiſcendo, vitam ſuam, cuius ætas habebat obliuio.

Anima qua recordatur Domini.

Quando autem bene recordatur anima Domini ſui, ſpiritu eius accepto ſentit omnino, quia hoc diſcernitur intimo magiſterio, non niſi eius gratuito effectu poſſe ſe ſurgere, nec niſi ſuo voluntario defectu ſe cadere potuiſſe, non ſane reminiſcitur beatitudinis ſuæ, fuit quippe illa, & non eſt, eiuſque oblita eſt penitus. Ideo nec commemorari poteſt. Credit hæc de illa fide dignis litteris Dei ſui per Prophetas conſcriptis, narrantibus de fælicitate paradiſi. Atque illud primum & bonum hominis & malum hiſtorica traditione indicantibus. Domini autem Dei ſui reminiſcitur. Ille quippe ſemper eſt, nec fuit & non eſt, nec eſt & non fuit, & vbique totus eſt, propter quod illa in illo & viuit & moritur & eſt. Et ideo eius reminiſci poteſt, non quia hoc recordatur quod eum nouerat in Adam, aut alicubi ante huius corporis vitam. Aut cum primo facta eſt vt inſereretur huic corpori. Nihil enim horum omnino reminiſcitur, ſed commemoratur vt conuertatur ad Deum, tanquam ad eam lucem, qua etiam cum ab iſto auerteretur quodammodo tangebatur. Nam hinc eſt etiam quod impij cogitant æternitatem, & multa recte reprehendunt & recte laudant in moribus hominum, quibus ea tandem regulis iudicant, niſi in quibus vident quomodo quiſque viuere debeat, etiamſi nec ipſi eodem modo viuant? Vbi eas vident, nec enim in ſua natura, cum proculdubio mente iſta videant, eorumque mentes conſtet eſſe mutabiles. Has vero regulas immutabiles videat quiſquis in eis & hoc videre poterit, nec in habitu mentis ſuæ, cum iſtæ regulę ſint iuſtitiæ, mentes autem eorum conſtet eſſe iniuſtas, vbi nam ſunt iſtæ regulæ ſcriptæ vbi quid ſit iuſtum, etiam iniuſtus agnoſcit? vbi cernit habendum eſſe, quod ipſe non habet? vbi ergo ſcriptæ ſunt, niſi in libro lucis illius quæ veritas dicitur? Vnde omnis lex iuſta deſcribitur, & in hominis qui operatur iniuſtitiam, non migrando ſed tanquam imprimendo transfertur, ſicut imago ex annulo & in ceram tranſit, & annulum non relinquit. Qui autem non operatur, & tamen videt quod operandum ſit, ipſe eſt qui ab illa luce auertitur, à qua tamen tangitur, qui autem nec videt quemadmodum ſit agendum, excuſabilius peccat, quia non eſt tranſgreſſor legis cognitæ. Sed etiam ipſe ſplendore aliquotiens vbique patentis veritatis attingitur quando admonitus confitetur. Qui vero commemorati conuertuntur ad Dominum, & ab ea deformitate qua per cupiditates ſæculares conformabantur huic ſæculo, reformabuntur ex illo. Non enim iſta imago ſeipſam reformate poteſt, ſicut potuit deformare.

Impij cogitant æternitatem.

Qualiter imago Dei reſulget in mente.

CAPVT XVI.

Idem in lib. 9. Ecce mens & amor eius & notitia eius tria quædam ſunt, & hæc tria vnum ſunt, & cum perfecta ſunt æqualia ſunt. Si enim mẽs vel plus, vel minus ſe amat quã eſt, peccat, & non eſt perfectus amor eius. Item ſi notitia minor eſt quam illud quod noſcitur & plene noſci poteſt, perfecta non eſt, ſi autem eſt maior iam ſuperior eſt natura qua nouit, quam illa quæ nota eſt. Mens vero cum ſeipſam cognoſcit, non ſe ſuperat notitia ſua, quia ipſa cognoſcit & cognoſcitur. Cum ergo ſe totam cognoſcit, neque ſecum quicquam aliud, par illi eſt cognitio ſua. Recte ergo dicimus hæc tria cum perfecta ſunt, eſſe conſequenter æqualia. Simul etiam admonemur ſi vtrunque videre poſſumus, hæc vnum exiſtere, & tanquam inuoluta euolui, vt ſentiantur & diuumerentur eſſentialiter, non tanquam in ſubiecto, vt color vel figura in corpore. Hæc enim non excedunt ſubiecta in quibus ſunt. Non enim color iſte vel figura huius corporis poteſt eſſe & alterius corporis. Mens autem cum amore quo ſe amat poteſt amare & aliud præter ſe. Item non ſe ſolam cognoſcit mens, ſed etiam alia multa. Quamobrem non amor & cognitio tanquam in ſubiecto menti inſunt, ſed ſubſtantialiter etiam illa ſunt ipſa mens. Nam & ſcilicet relatiue adinuicem dicuntur, in ſua tamen ſingula ſunt quæque ſubſtantia. Miro itaque modo tria hæc inſeparabilia ſunt à ſemetipſis, & tamen eorum ſingulum quodque ſubſtantia eſt, & ſimul omnia vna ſubſtantia. *Idem in libro de ciuitate Dei cap. 11.* Nos ergo imaginem Dei in nobis ipſis contuentes tanquam ille minor Euangelicus filius ad noſmetipſos reuerſi ſurgamus, & ad iſtum redeamus à quo peccando receſſeramus. Ibi eſſe noſtrum non habebit mortem, ibi noſſe noſtrum non habebit errorem, ibi amare noſtrum non habebit offenſionem.

Cognitio ſui.

Reuerſio ad ſe.

De iudicio mentis ſecundum veritatis regulam.

CAPVT XVII.

IDem in libro de Trinitate. 9. Nam & cum ſeipſam nouit humana mens non aliquid incommutabile nouit & amat. Aliter quilibet homo loquendo mentem ſuam enũciat, quid in ſeipſo agatur attendens. Aliter autẽ humanam mentem ſpirituali vel generali cognitione definit. Itaque cum mihi de ſua propria loquitur, vtrum intelligat hoc vel illud an non intelligat, an vtrum velit an nolit hoc an illud credo. Cũ vero de humana ſpecialiter aut generaliter verum dicit agnoſco & approbo. Vnde manifeſtum eſt aliud vnumquenque videre in ſe, quod alius ſibi dicenti credat, nõ tamen videat, & aliud in ipſa B veritate, quod alius quoque poſſit intueri, quoruũ alterum mutari per tempora, alterum incommutabili æternitate conſiſtere. Neque enim multas mentes oculis corporeis vidẽdo per ſimilitudinem colligimus generalem, vel ſpecialem humanæ mẽtis notitiã, ſed intuemur inuiolabilẽ veritatem, ex qua perfectè quãtũ poſſumus definiamus, non qualis ſit vniuſcuiuſque hominis mẽs, ſed qualis eſſe ſẽpiternis rationibus debeat, vnde & phãtaſias per ſenſum corporis hauſtas, & quodãmodo memoriæ infuſas, & quibus etiã ea quæ non ſunt, viſa ficto phantaſmate cogitantur ſiue aliter quam ſunt, ſiue fortuitu ſicuti ſunt, alijs omnino regulis ſupra mentem noſtram incommutabiliter manentibus, vel approbare apud nos ipſos, vel improbare conuincimur, cum recte aliquid approbamus.

Nam & cum recolo Carthaginem quam vidi, & cũ fingo Alexandriam quam non vidi, eaſdemque imaginarias formas quaſdam quibuſdã rationabiliter præſero, viget & claret deſuper iudicium veritatis, ac ſui iuris incorruptiſſimis regulis firmum eſt. Et ſi corporaliũ imaginum quaſi quodam nubilo ſubtexitur, non tamen inuoluitur, atque confunditur. Sed intereſt vtrũ ego ſub illa, vel illa caligine tanquam à cœlo perſpicuo ſecludar, an ſicut in altiſſimis mõtibus accidere ſolet inter vtrũque aere libro fruens & ſereniſſimam lucem ſupra, & denſiſſimas tenebras ſubtus aſpicens, nam vnde in me ſuperni amoris ardor iuflamatur, cum audio virũ aliquẽ pro fide acria tormenta toleraſſe. Et ſi mihi oſtendatur digito, ſtudeo me illi amicitia colligare, ſpiritualemque complexum credendo molior, quia tã cito non poſſum eius interiora perueſtigare. Amo itaque virum fidelem D *Secreta amoris cauſa.* amore caſto, ac germano, quod ſi mihi inter loquelas noſtras incautus aliquo modo ſe indicet, quod vel de Deo credat incõgrua, & in illo quoque carnale aliquid deſideret, ac pro tali errore, vel pro pecuniæ ſiue laudis humanæ cupiditate illa pertulerit, ſtatim amor ille quo in eum ferebar offenſus & quodammodo repercuſſus atq; ab homine indigno ablatus, in ea forma permanet, ex qua eum talem credens amaueram, niſi forte adhuc vt talis ſit eum amo, cum talem non eſſet compereo. At in homine illo nihil mutatum eſt, mutari tamen poteſt, vt fiat quod eum iam eſſe credideram. In mente autem mea mutata eſt vtique ipſa exiſtimatio, quę de illo aliter ſe habebat & aliter habet. Idemque amor ab intentione perfruendi ad intentionem conſulendi incommutabili E deſuper iuſtitia iubente deflexus eſt Ipſa vero forma inconcuſſæ ſtabiliſque veritatis & in qua fruerer homine bonum eum credens, & inqua conſulo vt bonus ſit, eadem luce incorruptibilis ac ſyncериſſimæ rationis & meæ mentis aſpectum, & illa phantaſiæ nubem quam deſuper cerno, cum eundem hominem quem videram cogito, imperturbabili æternitate perfundit. Item cum arcum pulchre & æqualiter intortum quem vidi Carthagine, animo reuoluo, res quædam menti nuncia-ta per oculos memoriæque transfuſa imaginariũ conſpectum facit. Sed aliud mente cõſpicio ſecundũ quod mihi opus illud placet. Vnde etiam corrigerem ſi diſpliceret. Itaque de iſtis ſecundum illam iudicamus, illã rationalis mẽtis intuitu cernimus. Iſta vero aut præſentia ſenſu coporis angimus aut imagines eorum fixas in memoria recordamur, aut ex corũ ſimilitudine talia fingimus, qualia noſipſi ſi vellemus atque poſſemus in opere moliremur, aliter figurãtes animo corporum imagines, aut per corpus corporea vidẽtes. Aliter autem rationes artemque ineffabiliter pulchram talium figurarum ſuper mentis aciem intelligentia ſimplici capientes.

Qualiter ex ipſo intuitu veritatis in mente formatur imago Trinitatis.

CAPVT XVIII.

IN illa ergo æterna veritate ex qua temporalia facta ſunt omnia formam ſecundum quam ſumus, & ſecundum quam in nobis vel in corporibus recta & vera ratione aliquid operamur, viſu mentis aſpicimus, & inde conceptam rerum veracem notitiam tanquam verbum apud nos habemus, & dicẽdo intus gignimus, nec à nobis naſcendo diſcedit. Cum autem ad alios loquimur, verbo intus manenti miniſterium vocis adhibemus, vt per commemorationem ſenſibilem tale quid fiat in animo audientis, quale de loquentis animo nõ recedit, itaque nihil agimus per membra corporis in factis & dictis noſtris, in quibus vel approbantur, vel improbãtur mores hominum, quod nõ verbo intus edito prẽueniamus. Nemo ſiquidem volens aliquid facit, quod non corde *Charitas. Cupiditas.* ſuo prius dixerit. Quod vtique verbum amore concipitur ſiue creatoris & hoc eſt charitas, ſiue creaturę & hoc eſt cupiditas. Naſcitur autem verbum cum excogitatũ placet, aut ad peccandum, aut recte agendum: verbum itaque noſtrum & mentem de qua gignitur, quaſi medius amor coniungit, ſeque cum eis tertium incorporeo complexu ſine vlla confuſione perſtringit.

Conceptum autẽ & natum verbum idipſum eſt cum voluntas in ipſa notitia conquieſcit, quod fit in amore ſpiritualium. Nam qui perfectè nouit & amat iuſtitiam iam iuſtus eſt ſi nulla exiſtat forinſecus per membra ſecundum illam operandi neceſſitas. At in amore temporalium rerum ſicut in ipſis animalium fœtibus, aliud eſt verbi conceptus aliud vero partus. Illud enim quod cu- *Conceptus & partus verbi.* piendo concipitur adipiſcendo naſcitur. Nam auaritiæ non ſufficit noſſe & amare aurum niſi hoc habeat, neque luxurioſo noſſe & amare veſci, vel concumbere, niſi etiam hoc agat. Quæ tamen omnia nec adepta ſufficiunt. Qui enim biberit inquit ex hac aqua ſitiet iterũ. Ideoque de iniquo dicitur in Pſal. *Concepit dolorem & peperit iniquitatẽ*, dolorem vel laborem cõcipi dicit cum ea concipiuntur, quæ noſſe aut velle non ſufficit ſed marceſcit & ægrotat animus indigẽtia, donec ad ea perueniat & quaſi pariat ea. Vnde eleganter in latina lingua dicuntur parta & comparata atque reparta, quæ ſc. verba quaſi à partu dicta ſunt, quia cum concupiſcentia conceperit parit peccatum. Vnde & dominus clamat. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis.* Et alibi: *Væ prægnantibus & nutrientibus in diebus illis.* Denique cum ad verbi partum referet omnia vel recte facta vel peccata, ex ore inquit tuo iuſtificaberis, & ex ore tuo condemnaberis, os ſcilicet volens intelligi non hoc viſibile, ſed interius & inuiſibile cogitationis & cordis.

De ratione.

CAPVT XIX.

IDem in libro de immortalitate animæ. Ratio eſt aſpectus animi quo per ſeipſum non per corpus verum intuetur. *Idem in libro de quantitate animæ.* Ratio eſt quidam mentis aſpectus. Ratiocinatio autem eſt ipſius rationis inquiſitio, id eſt, aſpectus illius per ea quę aſpiciẽda ſunt motio. Cumque ille mentis aſpectus coniectus in rem aliquam videt illam, ſcientia nominatur. Cum autem non videt, quamuis intendat aſpectum inſciẽtia vel ignorantia dicitur. *Idem in libro de libero arbitrio.* Ratio quidem æſtimat luce veritatis vt recto iudicio ſubdat minora maioribus. Vſus autem conſuetudine commoditatis plerũque inclinatur, vt ea pluris æſtimet, quę

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

veritas minora esse conuincit. Cum enim corpora cœlestia terrestribus, ratio præponat, quis tamen carnaliũ hominum non mallet vel plura deesse in cœlo sidera, quam vnam arbustulam in agro suo, aut vaccam in armento? Imitantur enim iudicia paruulorum qui quemlibet hominum mori mallent quam passerem suum, maxime si homo ille terribilis sit, passer autem canorus & pulcher.

Ioannes de Rupella. Vis rationalis iuxta sententiã Philosophorum est principium intellectiuæ speculationis ac liberæ electionis actionum. Diuiditur autem vis rationalis per inquisitiuam in via inueniendi & diiudicatiuã in via disciplinæ, & interpretatiuam siue locutiuam in via doctrinæ. Circa quas multiplex est actus mentis, sicut dictum est superius. *Ratio quid?* De ratione quoque determinat Ioannes Damascenus dicens, quod est virtus rationalis cognitiua veri, & est virtus rationalis cognitiua boni, vel est virtus rationalis contemplatiua entium, & hoc pertinet ad cognitiuas, & virtus rationalis discretiua operabilium, & hoc pertinet ad motiuas. Vnde rationale inquit, hoc est cõtemplatiuum, hoc autem actiuum. Contemplatiuũ quidem quod vt se habent entia excogitat. Actiuum vero quod est consiliatiuum quod rectam rationem actibilis determinat, & vocat contemplatiuum intellectum. Actiuum vero rationem. *Philosophus.* Ratio est vis mouens corpus ad actiones singulas cum deliberatione & iudicio. Hæc quantum ad primum actum qui est comprehendere, aliquando dicitur proprie ratio, aliquando vero intellectus, sed intellectus apprehendit esse rei absolutæ. Ratio vero dum vnam rem alij confert. *Auctor.* Diuiditur autem proprie ratio contra sensualitatem, sicut & intellectus contra phantasiam, & in hac præcellit homo brutis.

De duplici rationis portione.

CAPVT XX.

Augustinus de Trinitate libro 11. Rationis est ergo iudicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales ac sempiternas. Quæ nisi supra mentem humanam essent, incommutabiles non essent, atque in his nisi nostrum aliquid subiungeretur, non secundum illas de corporalibus iudicare possemus. Iudicamus autem de corporalibus ex ratione dimensionum ac figurarũ, quã incommutabiliter permanere mens nouit. Illud autem nostrum quod in actione temporalium tractandorum ita versatur, vt non sit commune cum pecore, rationale quidem est, sed ex illa rationali nostræ mentis substantia qua subhæremus intelligibili & incommutabili veritati tanquam ductum inferioribus tractandis ac gubernandis deputatum est: sicut enim in omnibus pecoribus non est inuentum viro adiutorium simile sibi, nisi de illo detractum in coniugio formaretur, ita menti nostræ qua supernam & internam consulimus veritatem, nullum est ad vsum rerum corporalium, quantum hominis naturæ sat est, adiutorium simile ex partibus animæ quas cum pecoribus communes habemus. Ideoque rationale quidem nostrum non ad vnitatis diuortium separatum, sed in auxilium societatis quasi deriuatum, in operis sui dispartitur officium. Et sicut vna caro est masculi & fœminæ, ita intellectum nostrum & actionem vel consilium & executionem, siue rationem & appetitum rationalem vel si quo alio modo dici possunt, vna mentis natura complectitur. Itaque cum in mente quærimus Trinitatem in toto quærimus non separando actionem rationalem in temporalibus ab æternorum contemplatione, vt tertium aliquid iam quæramus. Nam & si tota contempletur veritatem, imago Dei est. Et cũ ex illa distribuitur aliquid, & quadam intentione deriuatur ad actionem rerum temporalium, nihilominus ex qua parte consulit veritatem, imago Dei est.

Ex qua vero in agenda inferiora intenditur, imago Dei non est. Etenim quantũcunque se extenderit in id quod æternum est, tanto magis inde formatur ad imaginem Dei. Ideoque cohibenda non est, vt inde se contineat & tẽperet. Præterea vir non debet velare caput. Quia vero illi rationali quæ in rebus temporalibus versatur, periculosa est nimia in inferiora progressio debebet habere potestatem super caput, quod indicat velamen quo signatur esse cohibenda propter angelos, quoniam grata est angelis sacrata & pia significatio. *Auctor.* Notandum ergo quod ratio quãtum ad duos actus prædictos comparatur viro & mulieri propter quatuor. Prima ratio, quia sicut vir regit mulierem, ita superior ratio secundum quod intelligit Dei voluntatem à malo retrahit, & ad bonum mouet inferiorem. Vnde & ex ea tanquam bonos filios generat opera bona. Et hæc est secunda causa. Tertia est, quia sicut de Adam sumpta est Eua, sic ex contemplatione cœlestium, & cognitione diuinæ voluntatis oritur administratio temporalium discreta. Quarta vero est quia non poterat aliqua vis animæ dari sunderesi in adiutorium simile sibi nisi ratio inferior. *Pars superior anima viro, inferior mulieri cõparatur.*

Qualiter Ratio per inferiorem sui partem declinat ad culpam.

CAPVT XXI.

Augustinus vbi supra. Ascendentibus ergo introrsus quibusdam gradibus considerationis per animæ partes, vnde aliquid incipit occurrere commune cum bestijs, inde ratio incipit vbi iam homo interior agnosci possit. Qui & ipse si per illam rationem cui temporalium rerum administratio delegata est, immoderato progressu nimis in inferiora delabitur consentiente sibi capite suo, id est, non eã cohibente illa quę in speculo cõsilij præsidet quasi virili portione, inter inimicos suos dæmones virtutis inuidos inueteratur, æternorumq; illa visio ab ipso capite eum coniunge vetitum manducãte subtrahitur. Et sic ab illa veritatis illustratione ambæ nudatæ atque apertis oculis conscię ad vidẽdum quam inhoneste & indecore remanserunt, tanquam folia dulcium ficuum sine fructibus, ita sine fructu boni operis bona verba contexunt, vt male viuentes, quasi bene loquendo turpitudinem suam contegant.

Potestatem autem suam anima diligens à communi bono ad priuatam partem delabitur, & apostatica superbia quod initium peccati dicitur, quæ cum vniuersalitate creaturæ, Deum rectorẽ suũ secuta, legibus eius optimè gubernari potuisset, plus aliquid vniuerso appetens, & id lege sua gubernare molita, quia nihil est amplius vniuersitate, in curam partilem truditur, & sic aliquid amplius concupiscendo minuitur. Vnde & auaritia malorum omnium radix dicitur. Totumque illud vbi aliquid proprium contra leges quibus vniuersitas administratur, agere mitur, per appetitũ suum ac per corpus proprium gerit, quod particulariter possidet, atque ita formis & motibus corporalibus delectata, quia intus ea secũ non habet, tamen eorum imaginibus quas memoriæ fixit, inuoluitur & phantastica fornicatione turpiter inquinatur. Omniaque officia sua ad illos fines referens quibus curiose corporalia & temporalia quęrit per corporis sensus aut tumido fastu cæteris affectat esse excelsior, aut cœno, gurgitiq; carnalis voluptatis immergitur. Quomodo enim coluber non apertis passibus, sed minutissimis nisibus repit, sic lubricus deficiẽdi motus negligẽtes occupat minutatim & incipiẽs à peruerso appetitu similitudinis Dei ad similitudinẽ pecorũ peruenit.

Hinc est quod vir & mulier nudati stola prima tunicas pelliceas mortalitate meruerũt. Honor enim hominis verus imago ac similitudo Dei est, quæ non custoditur nisi ad ipsum à quo imprimitur. Itaque tanto magis inhæretur Deo, quanto minus proprium diligitur, cupiditate vero experiendæ suæ potestatis quodam suo nutu ad semetipsum tanquam ad medium proruit. Itaque cum vult esse sicut ille sub nullo, ab ipsa etiã sui medietate pœnaliter ad ima propellitur, id est, ad ea quibus pecora lætantur, sic homo in honore positus comparatur iumentis insipientibus: qua ergo causa longe transiret à *Cur homo peccans fit mortalis?*

summis

ſummis ad infima niſi per mediũ ſui? Cũ enim neglecta charitate ſapiẽtiæ quæ ſemper eodẽ modo manet ſcientia ex mutabilium ac temporalium experimento concupiſcitur, quæ inſtat & non ædificat. Ita prægrauatus animus quaſi pondere ſuo à beatitudine expellitur, ac per illud ſuæ medietatis experimentum ex pœna ſua diſcit quid interſit inter bonum deſertum & malũ commiſſum, nec redire poteſt effuſis viribus atque perditis niſi per gratiam ſui conditoris ad pœnitentiam vocantis ac peccata condonantis.

Qualiter duæ partes rationis pertinent ad ſcientiam & ſapientiam.

CAPVT XXII.

APparet itaque cum ſecundum Deũ viuimus mentem noſtram in eius inuiſibilia intentam proficiẽter debere formari, ex eius ęternitate, veritate, charitate. Quiddam vero eius in vſum rerum mutabiliũ, ſine quo hæc vita non agitur dirigendum, non vt conformetur huic ſæculo finem in bonis talibus conſtituendo, & in ea detorquẽdo beatitudinis appetitum, ſed vt quicquid in vſu temporalium rationabiliter facimus æternorum adipiſcendorum contẽplatione faciamus, per iſta tranſeuntes, illis inhærentes. Habet enim & ſcientia modum ſuum bonum, ſi quod in ea inflare ſolet, charitate immutatur æternorum, quæ vt ſcimus non inflat, ſed ædificat. Quippe ſine ſcientia nec ipſe virtutes quibus rectè viuitur habere poſſunt, quibus hæc vita miſera ſic gubernetur, vt ad illam quę vere beata eſt perueniatur. Diſtat tamen ab ęternorum contẽplatione actio qua bene temporalibus vtimur, & illa ſapientiæ, hæc autem ſcientiæ deputatur. Vnde Apoſtolus. *Alij datur inquit ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ per eundem ſpiritum.* Et beatus Iob: *Ecce pietas eſt ſapientia, abſtinere autem à malis eſt ſcięntia.* Vbi ſane intelligendum eſt, ad actionem pertinere ſcientiam, ad contemplationem vero ſapientiam. Pietatem enim vocat Dei cultum græcè theoſebyam dictũ. Et quid eſt Dei cultus, niſi amor eius, quo tunc eum videre deſideramus, & viſuros credimus, ac ſperamus, & inquãtum proficimus, nunc etiam per ſpeculum in ænigmate videmus. De his & huiuſmodi mihi videtur eſſe ſermo ſapientiæ. Abſtinere autẽ à malis quia Iob ſcientiam eſſe dixit, rerum proculdubio temporalium illam eſſe innuit, quia ſecũdum tempus in malis ſumus, à quibus abſtinere debemus: vt ad æterna bona veniamus. Quicquid ergo prudenter, fortiter, temperanter, iuſtè à nobis agitur, ad illam pertinet ſcientiam ſiue diſciplinã, qua malis euitandis ac bonis appetendis actio noſtra verſatur. Inſuper etiam quicquid propter exempla, vel cauenda, vel imitanda, & propter neceſſaria documenta rerum quarumcunque quæ noſtris accommodata ſunt vſibus cognitione hiſtorica colligimus.

Contẽplatio. Actio.

Scientia. Sapientia.

De his ergo cum ſit ſermo hunc eſſe ſermonẽ ſcientiæ puto à ſermone diſcernendum ſapientiæ, ad quam pertinent ea quæ nec fuerũt nec futura ſunt, ſed ſunt ſine vlla mutatione temporum, vbi non ſolum rerũ ſenſibilium in locis poſitarum ſine ſpacijs localibus manẽt intelligibiles & incorporales rationes, verum etiam motionum in temporibus tranſeuntiũ ſine temporali tranſitu ſtant. Etiam ipſæ intelligibiles, ad quas mentis acie paucorum peruenire eſt. Et cum peruenitur quantũ fieri poteſt, non in eis peruentor ipſe manet, ſed veluti repellitur acies ipſa reuerberata, fitque ei non tranſitoriè cogitatio tranſitoria, quæ tamen cogitatio tranſiens per diſciplinas quibus eruditur animus, cõmẽdatur memoriæ, vt ſit quo redire poſſit, quæ cogitur inde tranſire. Quamuis etiam ſi ad memoriam cogitatio non rediret, & ibi quod cõmendauerat inueniret, velut rudis ad hoc ſicut ducta fuerat duceretur, idque inueniret: vbi primũ inuenerat in illa incorporea veritate, vnde rurſus quaſi deſcriptũ in memoria figeretur. Neque enim ſicut manet, verbi gratia, quadrati corporis in corporali & immutabili ratio, ſic in ea manet etiam hominis cogitatio: ſi tamen ad illa ſine phantaſia corporalis ſpacij potuit peruenire. Aut ſi alicuius artificioſi ac muſici ſoni per temporis moras tranſeunt, cõprehenditur numeroſitas incorporaliter ſtans in ſecreto altoq; ſilentio, tãdiu ſaltẽ poteſt cogitari, quamdiu poteſt ille cantus audiri, tamen quod inde rapuerit, & ſi tranſiens aſpectus mentis, & quaſi glutiens in ventre, ſic in memoria repoſuerit, poterit quodãmodo recordando ruminare, & in diſciplinã quod ſic didicit traijcere. Quod ſi fuerit omnimoda deletum obliuione, rurſus doctrina duce ad id venietur, quod penitus exciderat, & ſic inuenietur, vt erat. Vnde Plato philoſophus ille nobilis conatus eſt perſuadere animas hominum, hic & antequam iſta corpora gererent vixiſſe, & hinc ea quæ diſcunt potius reminiſci cognita quam cognoſcere noua.

De ſyndereſi.

CAPVT XXIII.

Hieronymus ſuper Ezech. lib. 1. Plerique autẽ in Ezechielis viſione iuxta Platonẽ vim animæ rationalem & iraſcentiã & concupiſcentiam ad hominem & leonem & vitulum referunt, rationem & cogitationem ac mentem & conſilium in arce cerebri ponunt, feritatem autem & iracundiam & violentiam in leone, quę conſiſtit in felle, libidinem ac luxuriam & omnium voluptatum cupidinem in iecore, id eſt, in vitulo, qui hęret operibus terræ. Quartum vero ſupra & extra ponunt, quã græci ſyndereſim vocant, quæ ſcil. conſcientiæ ſcintilla in Cain quoque non eſt extincta, hæc eſt qua victi furore vel voluptatibus & ipſa interdũ rationis decepti ſimilitudine, ſentimus nos peccare, quam aquilę proprie deputant, non ſe cæteris miſcentem, ſed & ipſa errantia corrigentem. *Hic eſt ille ſpiritus qui pro nobis interpellat gemitibus inenarrabilibus.* Nemo enim ſcit ea quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus qui eſt in eo. Vnde Paulus. *Integer ſpiritus veſter & anima, &c.* Hanc tamen conſcientiam, ſicut dicitur in prouerbijs: *Impius cum in profundum peccatorum venerit contemnit*, ſæpe præcipitari videmus & locum ſuum amittere, cum quidam ſcil. peccant ſine pũdore, quibus merito dicitur, facies meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere, &c.

Scintilla conſcientiæ.

Auctor. Itaque ſyndereſis eſt conſcientiæ ſcintilla, in ſpecula mentis conſtituta, cuius eſt peccato remurmurare & errata corrigere. Hæc eſt quæ liberum arbitriũ mouet in bonũ cõmune, & retrahit à malo cõmuni. Huius enim eſt iudiciũ circa cõmune tantum bonũ immediate, rationis autẽ circa bonũ ſingulare. Præterea ratio iudicat de deliberatione, ſyndereſis autẽ abſque vlla deliberatione ſ. dictat malum non eſſe faciendũ, ſed bonũ. Non autem eſt apud illam iudicium deliberationis, ſed tantũ executionis. Differt autẽ à voluntate naturali ſecundum rationem, quia illa eſt potentia pura, ſyndereſis autem habitualis potẽtia, idem tamen ſunt in ſubiecto. Voluntas naturalis in plura bona mouet quam illa, quia non ſolũ in bona rationabilia, ſed etiam in naturalia & vitalia. Præterea motus volũtatis eſt tantũ in affectiuis. Motus autem ſyndereſis eſt tam in cognitiuis quã in affectiuis, vtraque enim cõprehendũtur ſub hoc nomine ſyndereſis. *Nam ratione lucis vel cogitationis dicitur intelligentia, ratione autẽ affectus ſyndereſis, id eſt, diuiſio, quia ſemper inter bonũ & malũ eſt diuiſiua.* Et videtur eſſe vis à tribus cæteris ſc. rationabili, concupiſcibili & iraſcibili ſeparata. Secundũ hoc autem nullo modo peccat, quia nõ ipſa ſe præcipitat, ſed inferior ratio nebula peccati lumẽ eius obnubilat, ita quod minus potens eſt in executione ſui effectus, vt in remurmuratione contra peccatum, & hoc ipſa obnubilatio vel declinatio dicitur eſſe præcipitatio. Vnde nec ei primo & propriè pœna debetur in inferno, ſed ſicut in corpore vno membro dolente, dolent & omnia alia quia vnita ſunt in vna vita, ſic & anima dum aliæ vires puniuntur, ſiue anima ſecũdum illas per quas peccauit, torquetur & dolet in ſyndereſi per quam non peccauit. Veruntamẽ proprie loquendo nec vires animæ puniuntur, nec anima etiam in viribus, ſed in ſubſtantia ſua pro virium operibus.

Officium ſyndereſeos.

Syndereſis differt à voluntate.

Syndereſis dicitur intelligentia.

In quibus & qualiter ſit extincta.

CAPVT XXIV.

NOn eſt autem extincta ſyndereſis etiam in hæreſiarchis,licet enim errent in particulari ſupponẽtes hanc eſſe veram fidem quam credunt, in communi tamen placet eis veritas & bonitas, errorque diſplicet atque malitia,propter quod & quandoque cognito errore ad verã fidem redeunt. Et ſic eſt ſimile de illo qui ſcit in vniuerſali omnem mulam ſterilem eſſe,& tamen cum videt aliquam groſſam credidit eã pullum in vtero habere. Sed quando pertractat & confert recedit error à mente. *Itaque non eſt error in ſyndereſi*, quæ in communi ſiſtit,ſed in ratione quæ ad particulare deſcendit. Similiter non eſt extincta in Iudæis, ſed nec in deſperatis omnino nec in damnatis.

Syndereſis non errat.

Ad quod videndum nota, quod principales effectus ſyndereſis ſunt duo ſcil.cognitio & affectio. Item affectio duas habet partes ſci.inſtinctum boni,& diſplicentiam mali. Inſtinctus boni duplex eſt, vel boni ſimpliciter, vel in comparatione ad gratiam vel gloriam. Diſplicentia mali duplex eſt ſimiliter, vel mali ſimpliciter, vel in collatione ad pœnã.Itaque ſyndereſis extincta eſt in diabolo quo ad inſtinctum boni omnino,& etiã quo ad mali deteſtationem niſi tantũ in collatione ad pœnã. In animabus autem damnatis extincta eſt ſimiliter quo ad inſtinctum boni vtroque modo , habent enim conſcientię remorſum,ex quo patet illud conſequens quod diſplicet eis culpa præterita pœnitẽtia tamen infructuoſa.Alia tamen eſt opinio quod tam in his quã in diabolo eſt extincta abſolute quantum ad diſplicentiam mali culpæ. Diſplicentia vero mali in collatione ad pœnam reſeruatur reis ad ipſius pœnæ accumulationem.Porro in deſperatis exſtincta eſt vno modo tantummodo ſcil. quo ad inſtinctum boni ad gratiam & gloriam comparati , ſed remanet quo ad inſtinctum boni ſimpliciter, & etiam quo ad diſplicentiam mali vtroque modo.

Syndereſis extincta in diabolo & damnatis quomodo?

De conſcientiæ ſcintilla.

CAPVT XXV.

QVoniam autem,vt ait Hieronymus, ſyndereſis eſt conſcientiæ ſcintilla. Dicunt quidam quod conſcientia eſt ſyndereſis iudicio rationis coniuncta. Et ex illa parte qua eſt ſyndereſis nunquã peccat,ſed ex parte rationis aliquãdo errat. Alij vero dicũt, quod cõſcientia eſt habitus quidam in ratione,ſiue ſcientia vel notio inclinans rationem ad faciendum aliquid vel nõ faciendũ. Alij quod conſcientia ſit crudelitas debiti ad facere, vel non facere derelicta ex rationis collatione. Alij quoque dicunt,quod conſcientia eſt ipſum rationis iudicium.

Varia ſententia de conſcientia.

Sed melius videtur dici , quod conſcientia eſt rationis iudicium ſcientia, vel crudelitate firmatum. Siue crudelitas proueniẽs ex inſtinctu ſyndereſis ratione intellectus vel phantaſię formata.Et eſt ſemper conſcientia recta,quãdo ſyndereſim ſequitur. Cũ autẽ ſequitur inſtinctũ phãtaſię,quãdoq;eſt erronea,quãdoq; non. Ideo ſic poteſt diffiniri cõgruè. *Conſcientia eſt crudelitas faciendi,vel non faciendi aliquid ſecundum iudicium rationis.* Conſcientia nempe duo dicit.Et in his quidem quæ ſecundũ ſe ſunt bona, vel mala non poteſt ligare conſcientia , quia iam firmata ſunt, vel infirmata præcepto, vel prohibitione diuina.In differentibus autem ligat quãdiu manet conſcientia,hoc inquam in indifferentibus tantũ, ſecus autem in his quæ diuina lege ſancita ſunt. Vnde Iudæi propter conſcientiam non tenebantur Chriſtum crucifigere, ſed errorem deponere conſcientiæ. Similiter nec Iepte tenebatur filiam immolare.Neque enim laudatur ab Apoſtolo de hoc quod eam immolauit. Sed quia de victoria fidẽ habuit , laudatur etiã de hoc quod vouit ſimpliciter ſe Deo immolare , non autem de illa particulari voluntate. Vnde deuotus quidem fideliter extitit in vouendo, ſed ſtultus in filia exequendo etiam ſi expreſſiſſet iuramento. Item conſcientia non poteſt veniale facere de mortali , quia peccati diminutio non ex parte hominis, ſed tantum gratiæ Dei. Poteſt autem de veniali facere mortale, quia peccatũ & eius augmentũ eſt ex hominis parte, & illud quod eſt de genere bonorum,ſi fiat contra conſcientiã,peccatum eſt & demeritorium.Quod autem de genere malorum eſt,etiam ſi bona conſcientia fieri videatur , vt ſi quis cauſa ſobolis fornicetur,quia credit hoc non eſſe peccatũ,non poteſt eſſe meritorium,quia conſcientia erronea non excludit malum ab opere,quod in ſe malũ,ſed potius addit malo id eſt, errorem operi malo. Nec eſt bona vel ſana talis conſcientia, licet bonum intendat,quia indiſcreta eſt.

Conſcientia eſt rationis iudicium.

Ligat in indifferentibus

De diuerſis acceptionibus, & officijs rationis.

CAPVT XXVI.

EX prædictis patet, quod accipitur ratio multipliciter. Dicitur enim quandoque mens in qua præcellit homo beſtijs,& ſic tres vires comprehendit ſc. rationalem concupiſcibilem,irraſcibilem,ſecundum hoc intellectus non eſt ratio ſed quædã potentia rationis, quandoque vero ſumitur in diuiſione contra concupiſcibilẽ, iraſcibilem,& ſic intellectus & ratio ſunt eadẽ potentia. Sed intellectus dicitur, inquãtum apprehendit,ratio inquantum iudicat. Tertio modo ſumitur & forte magis propriè,ſecundum quod eſt vis quædã media inter ſenſum & intellectum,conferens ſcil.intelligibile cum ſenſibili alterius, quia ſicut cõmunis ſenſus ſenſibile vnius ſenſus cum ſenſibili alterius cõfert, & ſicut vnus ſenſus comparticularis non apprehendit quod alius, ſic nec intellectus ſenſibila ſuo modo, nec ſenſus intelligibilia ſuo modo. Horum ergo collationis vis media ratio dicitur,quę eſt animæ forma ſecundum quod eſt coniuncta corpori. Ab ea igitur ſumitur hæc differentia rationale in diffinitione hominis. Nam per eam ſolam homo differt à ſuperioribus & ab inferioribus,per intellectum enim conuenit cum angelis,& per ſenſum conuenit cum brutis. Ideoque à neutro horum ſumitur eius differentia,ſed à ratione quę collatiua eſt vtriuſque.Super hoc autem intellectus conferens intelligibile cũ intelligibili,ita quod tres ſunt collatiuæ in homine ſcilicet ſenſus communis,ratio & intellectus.Et ſenſus quidem neceſſe eſt corrumpi cũ corpore: ſimiliter & rationem ſecundum hunc modum. Solus autem intellectus corrumpi non poteſt, quia ſeparabilis eſt.

Mens.

Intellectus.

Ratio.

Liberum arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente, & malum gratia deſiſtente. Itaque rationis officium multiplex eſt primum eſt comprehendere : & ſecundum hoc dicitur intellectus. Secundum ratiocinari , id eſt, rationes ad aliquod oſtendendum inducere, & ſecundũ hoc dicitur vis rationalis. Tertiũ diſcernere,& ſic ratio dicitur.Quartum media inuenire,& ſic ingenium. Quintum eligere , & ſic voluntas liberi arbitrij dicitur, ſecundum vtrumque officium ſcilicet diſcernendi & eligendi. Sextum cęleſtia contemplari , & ſic ſyndereſis. Septimum inferiora diſponere, & ſic ſenſualitas vel inferior pars rationis. *Albertus.* Ratio quandoque dicitur principium cognoſcendi ſecundum quod dicimus rationales ſcientias contra naturales diuidi, eo quod rationales conſiderant res per principia cognoſcendi. Naturales autem per principia eſſendi. Quandoq; vero dicitur diffinitio ratio. Quandoque dicitur vis animæ rationabilis ratio, quæ non aliud eſt , quam intellectus compoſitus illa ſcilicet compoſitione,quæ eſt inter inferens, & illatum,ſiue probans & probatum.

Liberum arbitriũ quid?

De opinione.

CAPVT XXVII.

Opinio eſt acceptio eius quod contingit aliter ſe habere. Hæc opinionis deffinitio colligitur ex verbis

Opinio quid?

Ariſt.qui dicit tres eſſe differentias acceptionis ſci. opinionem & prudentiam & ſcientiam. Dicit etiam quod opinio eſt vera & falſa. In primo quoque libro poſteriorũ diſtinguit inter ſcibile & ſcientiam & opinabile & opinionẽ,dicens quod ſcientia eſt ex neceſſario,&quod non contingit aliter ſe habere. Ibidem quoque dicunt quod opinio eſt acceptio propoſitionis immediatæ & non neceſſariæ.

Obiectio. At vero his videtur eſſe contrarium,quod idẽ Ariſt. dicit,ſciẽtiam & opinionem eſſe circa verum. Præterea cum opinio ponatur eſſe potentia rationalis animę,nullaque potentia ſit acceptio ſiue acceptionis differentia, videtur opinio nõ eſſe acceptio. Iterum opinio aut particulare aut vniuerſale accipit, & ſic eſt acceptio non autem particulare, quia hoc non videtur omnibus, vel pluribus,vel ſapientibus,&c.accipit ergo vniuerſale.

Reſponſio. *Nos itaque dicimus*, quod opinio ſecundum ſubſtantiam propriè eſt habitus ex probabilibus conſiſtens in potentia intellectiua. Ideoque dicit Ariſt.differentiam eſſe acceptionis,ſicut & ſcientiam & prudentiam, quoniam habitus quidem ſunt, ſed variatur ſecundum materiam.Eſt enim opinio habitus probabiliũ. Scientia vero demonſtrabilium. Prudentia vero practicorum. Cunque probabile aliter poſſit eſſe, patet quod opinio eſt acceptio eorum quæ poſſit aliter eſſe. Et licet idem non ſit verum & falſum, tamen eſt opinio circa verũ & falſum propter proprietatẽ ſuæ materię quæ eſt probabile:licet etiam Ariſt.dicat, quod ſcientia & opinio ſint circa verum & ita circa idem in genere,non tamen ſunt circa idem in ſpecie. Aliud eſt enim verũ in ſpecie probabilis & aliud in ſpecie neceſſarij. Vel dicatur quod nihil prohibet idem in ſe & in comparatione ad ſigna eſſe probabile & opinabile. Sed in comparatione ad cauſas ſubſtantiales & immediatas demonſtratiuum & ſcitum ac neceſſarium eſſe.

Qualiter opinio differt ab intellectu & à fide.

CAPVT XXVIII.

NEc opinio differt ab intellectu ſubiecto potentiæ, ſed differt eſſe & ratione.Nulla ſiquidem eſt opinio animæ ſenſibilis, ſed omnis eſt animæ rationalis. *Probabile.* Quandoque tamen ſequitur rationem, quandoq; ſenſum. Nam & probabile eſt,quod videtur omnibus vel pluribus, & tunc eſt ſecũdum viam ſenſuũ & eſt quod videtur ſapientibus & maxime notis, & tunc eſt ſecundum viam rationis. Opinio quidem eſt de eodẽ de quo & ſenſus, & maxime de quo eſt ſenſus communis qui habet ſenſata componere ac diuidere,non tamen ſecundum idem. *Senſus.* Senſus eſt enim eſt rei accipiendo ſecũdum rationes ſenſibilis. *Opinio.* Opinio autem eſt de eodem ſecundum rationem probabilis.

Obiectio. *Sed obiici poteſt* quod dicit Ariſt.quod ſol videtur eſſe vnius pedis, ſed creditus eſt maioris quantitatis quam terra.Ex quo videtur quod duæ ſunt opiniones,vna ſcil. quæ ſequitur rationem ponens ſolem eſſe terra maiorem. Alia vero quę ſequitur ſenſum,ſolem ponens eſſe vnius pedis. Ideoque dicit Ariſt.quod quandoque contingit veram abijcere opinionem eo quod lateat ratio propter ſenſum.

Reſponſio. *Sed dicimus* quod non ſunt opiniones duę,ſed duplex eſt opinionis reſpectus, nihil quod prohibet aliquid ſecundum vnum ſenſum videri verum, & ſecundum alium falſum.

Phantaſia non eſt opinio. Quod autem opinio ſit ſolius animæ rationalis,patet per rationem ab Ariſt.in ſecundo de anima poſitam,vbi probat phantaſiam non eſſe opinionem dicens. Opinio ſit vera vel falſa,ſed opinioni quidem adhæret fides. Non enim contingit opinantem de quibus non videtur credere. Beſtiarum vero nulli eſt fides,ſed phantaſia multis. Ex hoc accipitur,quod opinio eſt in hominibus ſolis.Idem etiam patet per hoc,quod opinio eſt de vniuerſali probabili,quod eſt ſolũ animæ rationalis. Ariſt. quoque dicit in ſecundo de anima, quod omnem opinionem conſequitur fides, fidem autem ſuaſum eſſe, ſuaſionem vero ratio. At vero ratio non ſequitur aliquid animæ ſenſibilis, ſed ſolius animæ rationalis, verũ cum dubitatio & ambiguitas, vt dicit Boetius, non niſi animæ rationali contingat,poteſt oriri quæſtio,cur non ponantur,vt partes animæ rationalis ſicut opinio, Sed cum opinio rationibus innixa fiat fides: vt dicit Ariſtoteles, quæri poteſt in quo ab opinione & ſcientia differat fides.

Nos itaque dicimus,quod dubitatio & ambiguitas tangunt rationis actus, vel id quod ex actu illo relinquitur vlterius, nec dicunt potentiam vel habitum animæ rationalis. *Eſt enim dubitatio indeterminatus motus rationis ſuper vtramque partem contradictionis.* *Dubitatio.* Ambiguitas vero eſt motus rationis ambiens per ęqualia media vtrãq; partẽ contradictionis. At vero *opinio eſt acceptio partis vnius cum formidine alterius, ita* quod ad illam quam formidat non habetur aliquid expreſſæ rationis, formidatur tamen propter debilitatem rationis alterius partis. *Opinio.* *Fides autem eſt perfecta perſuaſio vnius partis per multa probabilia.* *Fides. Scientia.* Porro *ſcientia eſt eorum quæ cognoſcuntur per cauſam, & quoniam impoſsibile eſt aliter ſe habere. Bernardus Clareuallens ad Eugenium Papam.* Ea quæ ſuper nos ſunt tribus modis quaſi totidem vijs inueſtiganda ſunt, videlicet opinione,fide,intellectu. *Intellectus.* Intellectus innititur rationi,fides auctoritati. Opinio veriſimilitudini, habent duo prima certam veritatem, ſed fides clauſam & inuolutam. Intellectus autem nudam & manifeſtam. Opinio vero nil habens certi, verũ per veriſimile quærit,potius quam apprehendit. Omnino autem in his cauenda eſt confuſio,ne aut in incertum opinionis fides figatur, aut quod firmum & fixum eſt fidei, opinio in quæſtionem reuocet. Et ſciẽdum quod opinio ſi habet aſſertionem temeraria eſt.Fides autem ſi habet hæſitationẽ infirma eſt, Intellectus quoq; ſi fidei ſignata irrũpere nititur,effractor & maieſtatis ſcrutator reputatur.

De virtute intellectiua.

CAPVT XXIX.

Ioannes de Rupella. Intellectus itaque non eſt ſeparatus à ſubſtantia animę cum ſit quædam differentia virtutis intellectiuæ, de qua dicit Pſal. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, id eſt, in ſuprema parte animæ ſimilitudinis tuæ. Hoc lumẽ ad intelligibilia conoſcenda nopis impreſſum eſt à creatione,ſiquidem & oculus corporalis aliquando videt per lumen exiſtens in ſe, vt oculus noctuæ videt in tenebris non indigens exteriori luce. Itaque multo fortius oculus intellectiuę videbit & videt per lumen exiſtens in ſe. *Diuiſio cognitorum.* Cumque ſicut legitur in libro de anima & ſpiritu, *quædam ſunt ſupra humanum intellectum, quædam infra,quædã intra,quædam iuxta.* Cognoſcit anima Deum ſupra ſe. Angelum iuxta ſe.Se autẽ in ſe.Et quicquid cœli ambitu continetur infra ſe. Ad intelligenda quidem ea ſupra ſe quæ ſunt de diuina eſſentia & perſonarum Trinitate indiget anima irradiatione ab ipſa ſumma luce ſuper vim eius ſupremam quæ eſt intellectiua, de qua dicit Aug. quod nulla natura interpoſita formatur ab ipſa prima veritate. Ad cognoſcendum vero ea quæ ſunt iuxta ſe, ſicut ſunt angelicæ eſſentiæ, virtutes & ordines & operationes ipſarum indiget anima reuelatione angelica vel inſtructione. Quę tamen non reſpicit faciem ſupremam intellectus humani, quæ eſt ad æterna & increata, ſed virtutem inferiorem, ſecundum quod in libro de anima & ſpiritu diſtinguitur inter intelligentiam & intellectum & rationem, ſiquidem intelligentia ſicut ſupradictum eſt, eſt ſpiritus increati. Intellectus autem creaturæ ſpiritualis. Ratio vero naturæ corporalis.

Porro ad cognoſcenda ea quæ ſunt intra ſe vt eſt anima ipſa eiuſque potẽtiæ,& habitus & ſcientiæ,ac virtutes,nõ indiget lumine extrinſeco,ſed hęc omnia cognoſcit lumine innato. Deniq; ad cognoſcenda ea quæ ſunt infra ſe,non indiget ſimiliter lumine intelligẽtię quę ſit extra ſe. Cũ enim natura intellectus humani ſuperior ſit

rebus

rebus corporalibus & etiam incorporalibus, quæ sunt in subiecto, sicut sunt habitus & dispositiones & affectiones animæ, ad hæc comprehendendá non est necessaria illuminatio substantiæ separatæ, sed sufficit lumen internum quod est suprema vis animæ. *Albertus.* Intelligentia vero quatuor modis accipitur. Substantiæ enim separatæ quas vocamus angelos dicuntur intelligentiæ ab Isaac in libro de causis. Ab Alexandro autem quodlibet intelligibile denudatum pure à materia & materialibus appendicijs dicitur intelligentia. Sed in libro de anima, intelligentia consueuit appellari actus intelligendi, sicut in tertio vbi dicitur. Intelligentia indiuisibilium in his est circa quæ non est falsum. Richardus vero de sancto Victore simpliciorem actum intellectus dicit esse intelligentiam, in illo qui fertur in Deũ & super cœlestia. *Ex libro fontis vitæ.* Intelligentia quidem non apprehendit rem, nisi per coniunctionem formæ suæ cum forma illius. Ipsaque intelligentia est locus formarum intelligibilium sicut ille naturalium. Substantia enim intelligentiæ facta est cõprehensibilis omnium rerum, per vnitatem essentiæ suæ quæ duxit eam ad esse, formaque intelligentiæ perfectior & clarior est forma animæ. Prima vero forma vniuersalis est origo omnis formæ, & ex eius scientia inquiritur omnis formæ scientia. Ipsa denique forma est vniuersalis substantia, sapientia perfecta, lumen purissimum, constituens essentiam omnium formarum.

Intelligentia quadruplicitur accipitur.

De duplici eius essentia.

CAPVT XXX.

ANimæ autẽ intellectiuæ duplex inest intelligendi potentia. Vna scil. in se secundũ quam intelligit per formas vniuersi. Alia in comparatione ad corpus secundum quam intelligit accipiendo à phantasmate & illa vtitur in corpore.

Sed contra quæcunque potẽtia inest alicui in se non derelinquens substantiam eius, magis inest ei substantialiter, quam illa quę inest ei in comparatione ad aliud. Potentia intelligendi per formas vniuersi ordinis inest animę in se non derelinquens substãtiam eius etiam post mortem, potentia autẽ intelligendi ex phantasmate non inest ei nisi in comparatione ad corpus. Igitur illa est ei magis substantialiter quam ista. Item vlterius quandocunque potentia est magis substantialis, magis est parata ad actum, quam illa quæ est accidentalis, Potentia intelligendi formas ordinis vniuersi magis est substantialis animæ, quam potentia intelligendi ex phãtasmate, ergo magis debet esse parata ad actum. Et ex hoc sequitur, quod anima in corpore præcipue debet intelligere per formas ordinis vniuersi, & non ex phantasmate. Præterea quæritur, per quem modum illę formę sint in anima: aut enim sunt à natura aut per illuminationes intelligentiarum. Si primo modo, tunc semper sunt in anima in corpore & extra corpus. Et ita anima in corpore existens possit intelligere per ipsas sine phãtasmate. Præterea secundũ hoc non est necesse quod anima cõiungeretur corpori, sine corpore enim haberet intellectum omniũ quẽadmodum intelligẽtię separatę.

Obiectio.

Responsio.

Et dicimus quod potẽtia intellectiua vna est in vtroque modo intelligendi supra dicto, quem scil. duplicem modum habet propter duplicem sui comparationem: vna est enim in substantia quasdam vires habẽs corpori affixas, & quasdam non affixas, vndevnum habet modũ intelligendi per comparationem ad corpus. Alium per comparationem ad substãtias separatas, quibus ipsa est similis per hoc est substantiã perpetua & incorruptibilis ac separabilis. Cum autem obijcitur quod si sunt in anima huiusmodi formæ, non indiget alias abstrahere. Dicimus quod illę formæ non sunt vnius rationis cum his quæ abstrahuntur. Nam illæ quidem sunt ad rem, & non ad rerum rationes, eo quod eodem modo comparantur ad vniuersale & particulare. Formæ autem quæ abstrahuntur sunt rationes vniuersales, propter hoc etiã scientię nõsunt vnius rationis hinc & inde, quod autẽ anima modo nõ agit per formas illas, hoc est quia fortior motus in cõparatione ad corpus excludit alios debiliores, omnes enim exteriores motus, vt habetur in libro de somno & vigilia, fortiores sunt interioribus. *Si autem obijcitur* quod veriori & certiori modo cognoscũtur res per huiusmodi formas, quæ sunt in intelligentijs separatis, quã per acceptas ex phantasmatibus, quod patet per hoc quod in illis non est opinio vel ignorantia, sed certa sciẽtia: Sicque videtur iniuste in corpore poni in quo acciperet inferiorem modum cognoscendi quam haberet ex seipsa: *dicimus*, quod animę proficit coniungi cũ corpore, quia secũdum quasdam operationes accipit in ipso perfectionem scientiæ quæ est per abstractionem. Si autem quęritur vtrum per illuminationes intelligentiarum fiunt in anima formę prædictæ, dicimus quod anima non conuertitur ad intelligentiam nisi per formas quas habet apud se, sicut alias dictum est de angeli ad angelum conuersione.

Obiectio.

Responsio.

De differentia & conuenientia intellectus & sensus.

CAPVT XXXI.

DE differentia intellectus ad sensum ponit Aristot. in tertio de anima rationes. Prima est quod si esset intelligere sicut sentire, tũc intellectus pateretur ab intelligibili, sicut sensus à sensibili, ita quod corrũperetur ab excellenti. Prętera sensus in vna vi sensitiua non apprehendit omnia, eo quod est vis organo innixa. Intellectus autẽ apprehendit omnia nec est vis in organo sita. Cæterum intellectus est locus specierum, per hoc quod species habet in illo esse incorruptibile. Non sic autẽ est sensus specierũ locus. Item post valde sensibile sensus debilior est in apprehendendo minus sensibile, quia scil. ab excellenti sensibili corrumpitur vt prædictũ est. At ecõtra intellectus post valde intelligibile fortior est in apprehendendo minus intelligibile. Quod patet per hoc quia principia sunt intelligibilia valde, conclusiones minus, & tamen conclusiones magis intelliguntur post intellecta principia quam ante.

Differentia sensus & intellectus.

Ibidem quoque ponit Arist. cõmunicantia inter sensũ & intellectũ, & primo quo ad sensum propriũ. Sẽsus enim vt supra dictũ est, mouetur à sensibili motu specierũ & non materiæ. Cumque omnis passio sit materiæ, patet quod motus sensibilis non est permixtus passioni, & sic est mouens perfectum, eo quod passio est dispositio imperfecti, sicut est in motu physico, in quo patitur mouens. Similiter autẽ est in intellectu, quod sci. mouetur à specie cuius nullo modo est pati. Vnde motus speciei est actus perfecti mouentis. Deinde ponit conuenientiã intellectus practici ad sensum communem dicẽs, quod quando sensus cõmunis est negans vel affirmans lętum vel triste, tunc imitatur lætum, & fugit triste: cuius probatio est quod lętari nõ accidit animalibus nisi mediante sensibili accepto per sensum cõmunem ac cõpositio, quod scil. sensibile est bonũ, vel aliquid huiusmodi pertinens ad corpus vel ad apprehensionem tantum. Item fuga & appetitus in gen ere sunt idem in actu, quia idem in genere sc. species sensibilis & non intelligibilis mouet ad vtrũque. Sensibilis autẽ illius secundũ quod est actus sensus & appetitus & fugæ differt esse, quia vt sensibilis est actus sensus, vt bonũ actus appetitus, & vt inimicum actus fugę. Opus autẽ intellectus practici per omnia est simile. Nam intellectiuæ animæ intellectui practico phantasmata vt sensibilia sunt, & prosequitur bonũ & malum in phãtasmatibus. Sicut enim aer idem in substantia, sed aliud secundum esse medium est visus & auditus, sic idem sensibile in sensu communi & idem phantasma comparatum ad practicum intellectum diuersum tamen secundum esse comparatur iudicio sensus & intellectus ad imitationem & fugam.

Conuenientia eorum.

Qualiter à sensu iuuatur intellectus.

CAPVT XXXII.

COnfert autem sensus intellectui secundum Auicennam vtilitatem quadruplicem. *Prima est*, quod

Quatuor cõferũtur intellectui à sẽsu.

intellectus

intellectus ſeparat vnum quodque vniuerſalium à ſingularibus abſtrahendo intentiones eorum à materia & appendicijs materiæ & à conſequentibus eam, & conſiderat in quo cõueniunt & in quo differunt,& eius eſſe eſſentiale ſimiliter & eius accidẽtale,ex quo accidit animæ habere principium intelligendi. *Secundũ eſt* quo anima ponit habitudines inter quæque vniuerſalia ſecundum affirmationem & negationem, & id de quo fuerit affirmatio vel negatio, per ſe nota percipiet, quod autẽ non fuerit ita dimittet,quouſque inueniat mediũ terminum. *Tertium eſt* acquirere propoſitiones experimentis ſcilicet vt inueniat per ſenſum,quod aliquod prædicatũ comitatur ſubiectum aliquod affirmando vel negando, vel affirmando coniũctionem, vel negando contradictionẽ,& non fit hoc in quibuſdam horis & nõ in alijs, neque differẽter ſed ſemper ſit donec quieſcat. Et quod inter naturam huiuſmodi prædicati & huiuſmodi ſubiecti eſt hæc habitudo; aut natura huiuſmodi conſequentis comitatur naturam huius antecedentis, aut remouetur eſſentialiter nõ caſu. Et tunc erit hęc cõceptio adepta ex ſenſu & ſyllogiſmo. *Quartũ eſt porrigere* vera quibus facile aſſentit anima eo quod probabilia ſunt.

Compoſitio intelligibiliũ dupliciter fit

Hi quatuor modi ſumuntur penes intelligibile cõplexum & incõplexum, ſiue penes intellectum ſimplex & compoſitum. Primus enim modus eſt ſecũdum abſtractionem intelligibilis ſimplicis ſiue complexi. Compoſitio autem intelligibilium fit duobus modis ſcil. penes habitudinem terminorum in genere,& penes habitudinem eorum in ſpecie. Et primo modo egreditur modus ſecundus qui per ſe nota componit ſtatim imaginabilia & opinabilia, aut non componit ante inuentionem medij termini. Habitudo autem terminorum in ſpecie eſt duobus modis ſcil. per modum veritatis & ſic egreditur modus tertius,& per modum probabilitatis & ſic egreditur quartus. *Auctor.* Intellectus autem & ratio,ſicut dictum eſt ſupra,ſunt eadem potentia,ſed *intellectus dicitur quantum apprehendit, ratio inquantum iudicat*, & ſic diuiditur propriè ratio contra ſenſualitatem,ſic & intellectus contra phantaſiam,& homo quidem per ſenſum conuenit cum brutis,per intellectum vero cum angelis. Ideoque à neutro eorũ ſumitur differentia in eius diffinitione, ſed à ratione quæ collatiua eſt vtriuſque. Super hæc autẽ eſt intellectus conferens intellegibile cũ intelligibili,ita quod tres ſunt in homine collatiuæ ſcil. ſenſus communis, ratio & intellectus, & ſenſum quidem neceſſe eſt corrumpi cum corpore, ſimiliter & rationem ſecundum hunc modum. Solus autem intellectus corrumpi non poteſt quia ſeparabilis eſt,&c.

Intellectus ratio.

De organo virtutus intellectiuæ.

CAPVT XXXIII.

Intellectus non habet organum ſecundum quod operatur.

IOannes de Rupella. Quæret autem aliquis de organo intellectiuæ virtutis ſiue in qua parte operetur & ſit. Si enim in nulla parte corporis operatur, non videtur eſſe in corpore. Si vero operatur in aliqua parte corporis erit habens aliquam partem,vt organum in corpore. Contra communis virtus operãs per organum eſt operans ſecundum proprietatem organi & poſſibilitatem tantum, & viſiua virtus quæ operatur per organũ operatur ſecundum proprietatem eius & poſſibilitatẽ tantum,vnde non iudicat de ſapore vel de ſono, ſed de colore,quia color pertinet ad naturam organi viſus tantũ, non ſapor vel ſonus. Nullum autẽ organum corporale habet poſſibilitatem vel diſpoſitionem ad incorporalia. Nulla ergo virtus operans vel cognoſcẽs per organum corporale eſt cognoſcitiua niſi tantum corporalium. Si ergo virtus intellectiua intelligeret per organum corporale, intelligerer tantum corporalia & nõ ſpiritualia. Præterea operatio virtutis intellectiuæ eſt ſemper per abſtractionẽ à materia & à materialibus conditionibus, ſed omnis operatio eſt ſecundum naturã virtutis à qua egreditur, ergo virtus intellectiua cum ſit abſtractiua à materia non habet organum corporale & materiale in corpore aſſignatum. Item nulla virtus incorporata, id eſt, parti corporis determinata, ſiue operans per organum corporeum eſt cognitiua ſui, quia no poteſt reflecti ſupra ſe cũ ſit incorporata. Vnde oculus nõ videt ſe,nec imaginatio imaginatur ſe. Cum ergo virtus intellectiua ſit cognitiua ſui, intelligit enim ſe cum reflectitur ſupra ſe, virtus intellectiua non eſt incorporata nec operans per organum. Item quod comprehenditur vel cognoſcitur eſt in cognoſcente ſecundum naturam cognoſcentis, & non ſecundum naturam rei cognitæ, vt patet in hominibus, & generaliter omne quòd recipitur eſt in recipiente ſecundum naturam recipientis, & non ſecundum recepti naturam. Cum ergo corporalia & materialia ſunt in intellectu ſecundum modũ immaterialem, natura intellectus eſt immaterialis. Ideoque ſimpliciter non vtens organo corporali, quod concedendum eſt. *Dicendum eſt ergo quod virtus intellectiua non eſt in corpore, ita quod determinet ſibi partem corporis quia nullius partis corporis eſt actus ſiue perfectio*, quemadmodum virtus viſua oculi, & auditiua auris, & cæteris, ſed eſt in toto corpore tota,hæc eſt perfectiua quemadmodum patet ex prædictis.

Conclusio.

De multiplici obiecto eiuſdem & formarum abſtractione.

CAPVT XXXIIII.

CVm itaque virtus intellectiua ſit immaterialis etiã obiectũ eius erit immateriale,& hoc eſt intelligibile. Eſt autẽ intelligibile forma abſtracta à materia & à conditionibus materiæ. Species autem vt formæ abſtractæ à materia. Quædam ſunt abſtractæ per naturã propriam vt ſpiritualia omnia. Quædam vero per actionem ipſius virtutis intellectiuæ hoc eſt per conſiderationem, vt ſpecies ſeu ſimilitudines quibus cognoſcuntur corporalia. Formas vero abſtractas & à materia & à conditionibus omnibus materiæ per naturam dicimus vt forma qua cognoſcitur Deus & angelus, & ipſa anima, & ea quæ ſunt in ea ſicut in ſubiecto, vt potentiæ, virtutes & ſcientię. Forma vero qua cognoſcitur Deus, eſt ſimilitudo vel imago primæ veritatis impreſſa animæ à creatione, propter quod dicit Ioannes Damaſcenus. Omnibus cognitio exiſtendi Deum ab ipſo naturaliter inſerta eſt. Imago autem impreſſa primæ veritatis inducit in cognitionem ipſius cuius eſt imago. Forma vero qua cognoſcitur ipſa anima aut angelus eſt ipſa anima rationalis quæ cum vtitur ſe, in ſimilitudine cognoſcit ſe, & intelligit referendo à ſe. Cum vero vtitur ſe vt ſimilitudine referendo ad alterũ, ſic aut vtitur ſe vt ſimilitudines referendo ad id ad cuius imitationẽ facta eſt ſupra ſe, & ſic cognoſcit Deum per modum acquiſitionis. Aut referendo ad alterum ad cuius imitationẽ facta non eſt,ſed quod in imaginatione eius ſimile quid eſt, & ſic cognoſcit angelum iuxta ſe, hoc eſt ſecundum proportionem & comparationem ad ſe. Et hoc eſt quod dicit Auguſtinus quod anima cognoſcit Deũ ſupra ſe,ſe in ſe,& angelum iuxta ſe. Ad cognoſcenda vero ea quæ ſunt in ea, ſicut ſunt potentiæ eius, virtutes & ſcientiæ,vtitur ipſis vt ſimilitudinibus ad ipſa cognoſcenda.

Forma abſtracta.

Vnde differunt ſolum ſecundum rationem, & non ſecundum rem, res quę cognoſcitur & forma qua cognoſcitur. Sic ergo manifeſta eſt differentia in formis intelligibilibus per naturam abſtractis à materia & omnibus conditionibus materiæ. Formæ vero quę ſunt per actionem intellectus abſtractæ ſunt formæ quibus cognoſcuntur corporalia, & ea quæ in corporibus fundãtur. Cum etiam natura intellectus ſuperior ſit rebus corporalibus. Poteſtatẽ habet ſuper corporales formas miro modo apprehẽdendi vel abſtrahẽdi eas. Abſtrahit enim eas primo à ſenſibus, poſtea ab imaginatione,& conditionibus materialibus omnibus, vt eſt à figura, ſitu, & huiuſmodi. Et ſic expoliatis omnibus cõditionibus materiæ & ſingularis ſubſtantiæ accipit eas abſtractas, vt vniuerſales & communes & immateriales, vt generas ſpecies, differentias, propria, & accidentia. Abſtractio autem illa non fit actione ſed conſideratione.

Forma et res cognita ratione tantũ differunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De ordine abſtractionis formæ corporalis.

CAPVT XXXV.

ORdinem autem abſtractionis formæ corporalis determinat Auicenna, ſicut dictum eſt ſupra hoc modo. Senſus exterior vt viſus non ſuſcipit formam quæ eſt originaliter & radicaliter in materia, ſed eius ſimilitudinem vel ei ſimilem, tamen non comprehendit eam niſi præſente materia, vel forma exiſtente in materia. Senſus vero interior vt imaginatio, abſtrahit formam abſtractione maiori quia comprehendit formam etiam abſente materia. Sed tamen imaginatio non diuidit ipſam formam ab accidentibus materiæ, vt figurę, ſitus & huiuſmodi: ſub quibus comprehendit eam. Æſtimatio autem parum tranſcendit illum ordinem abſtractionis, apprehendit enim formas quæ ſunt intentiones ſenſibilium non ſecundum ſe ſimilitudinem habentes cum formis materialibus, vt bonitas, malitia, conueniens & inconueniens. Sed tamen æſtimatio non apprehendit hanc formam expoliatam ab omnibus accidentibus materiæ, eo quod particulariter apprehēdit eam, & ſecundum naturam propriam, & per comparationem ad formam ſenſibilem imaginatiuam: ſicut patet ex prædictis, virtus vero intellectiua apprehendit formam corporalem, & denudat à materia & omnibus circunſtantijs materiæ: & ab ipſa ſingularitate, & ſic apprehendit ipſam nudam & ſimplicem, & vniuerſalem: verbi gratia, ſicut cum apprehenditur homo, qui prædicatur de pluribus: vt vna communis natura, & ſic ſequeſtrat eam intellectus ab omni qualitate & quantitate, ſitu, vbi, & ſingularitate. Niſi enim ſic conſideratione denudaretur, non poſſet intelligi vt communis, quæ diceretur de omnibus. Hæc ergo eſt differentia in ordine abſtractionis formæ corporalis, primo in ſenſu, ſecundo in imaginatione, tertio in æſtimatione, quarto in intellectu.

Senſus interni non abſtrahunt à materia conditionib.

Vniuerſale abſtrahitur.

Quis ſit veriſſimus modus abſtractionis.

CAPVT XXXVI.

SCiendum tamen eſt ſecundum Auicennā, quod formis materialibus præter materiam accidunt diſpoſitiones multæ, quas non habent ex ſua eſſentia ſcilicet ex hoc quod ſunt formæ, & ratio eſt, quia ſpecies abſtractionis ſunt diuerſæ, ſicut dictum eſt. Aliquando enim fit abſtractio à materia non ſine diſpoſitionibus materialibus vel aliquibus earum, ſicut in ſenſu & imaginatione & æſtimatione. Aliquando vero à materia & ab omnibus conditionibus materiæ, vt in abſtractione intellectiua, & tunc eſt apprehenſio veriſſima formæ, verbi gratia, forma humana ſubſtantia eſt & natura in qua conueniunt omnia ſingularia ſpeciei hominis æqualiter, cuius eſt vna diffinitio, ſed quia accidit ei eſſe in ſingulari, hoc & in illo ideo multiplicata eſt. Hoc autem non eſt ex natura ſui, ſi enim ex natura humana eſſet, vnde deberet multiplicari, tunc non prædicaretur homo, niſi de aliquo vno numero. Si enim humanitas eſſet ex hoc quod humanitas Petri, tūc humanitas non eſſet alicuius alterius. Relinquitur ergo quod accidit humanitati ex materia iſte modus multiplicationis & diuiſionis, quæ eſt in ſingularibus. Accidūt etiam ei alia præter hæc, quia cum fuerit in materia acquiritur aliquis motus qualitatis, quantitatis, ſitus, & vbi. Quæ omnia abſtracta ſunt à natura ipſius. Si enim humanitas ex hoc quod humanitas determinaret ſibi accidentia huiuſmodi, tunc oporteret vnūquemque hominem conuenire cum altero in huiuſmodi accidentibus, cum conueniant in ipſa humanitate inquantum huiuſmodi. Eſſent ergo eiuſdem quantitatis, &c. Relinquitur igitur quod forma humana non habet ex ſua eſſentia huiuſmodi accidentia, ſed iſta accidunt propter comparationem eius ad materiam. Cum ergo ſic apprehenditur veriſſima eſt ipſius formæ apprehenſio.

Homini accidit quod ſit in Petro.

De differentijs apprehenſionis ſecundum differentiam abſtractionis.

CAPVT XXXVII.

NOtandum etiam, quod differentia apprehenſionis eſt ex differentia abſtractionis quæ eſt in ipſis formis. *Quædam enim formæ ſunt ſimpliciter abſtractæ* à materia & ab omnibus conditionibus materiæ ipſius, vt ſpirituales formæ quæ appellatæ ſunt ab ipſis Philoſophis Metaphyſicæ. *Quædam vero ſunt abſtractæ* à materia, ſed non à conditionibus materiæ, & ideo ſecundum quid abſtractæ ſunt ſicut formæ mathematicæ, ſicut magnitudo & numerus. Linea enim, vel figura inquantum huiuſmodi non determinat ſibi materiam aueam, vel lineam, tamen determinant ſitum & poſitionem, & ideo non ſunt abſtractæ à conditione materiæ ſecundū ſe. Similiter numerus non determinat ſibi materiam, vt duo vel tres, ſed tamen determinat multiplicationem ſeu diuiſionem, quæ ſunt conditiones materiæ ſicut ſuperius oſtenſum eſt. *Quædam vero formæ ſunt non quidem abſtractæ ſecundum ſe: ſicut formæ phyſicæ* ſiue naturales, vt ignis & terra, os & caro: ſed abſtrahuntur conſideratione per modum & ordinem qui ſupradictis eſt à materia & à conditione materiæ. Primæ formæ ſolum comprehenduntur viſione intellectuali. Illa viſio ſicut dicit Auguſtinus comprehēdit res quę non habent imagines niſi ſeipſas. Secundę formæ apprehenduntur viſione imaginatiua: quę eſt ſenſus communis ſiue interioris principaliter. Et per abſtractionem à cōditionibus materiæ poſitionis & ſitus, & huiuſmodi, apprehenduntur viſione intellectuali quæ eſt virtutis intellectiuæ. Tertię vero formæ comprehēduntur viſione corporali quæ eſt ſenſus particularis ſiue exterioris. Per abſtractionem vero à materia comprehenduntur viſione imaginatiua. Deinde per abſtractionem ampliorem ab omnibus conditionibus materiæ, comprehenduntur intellectuali viſione.

Forma Metaphyſica.

Mathematica.

Phyſica.

De diſtinctione virtutis intellectiuæ.

CAPVT XXXVIII.

EST autem virtus intellectiua duplex ſicut & ſenſitiua ſcilicet apprehenſiua & motiua. Apprehenſiua quoque duplex. Eſt enim intellectus paſſiuus, & corruptibilis, qui dicitur ab Ariſtotele materialis, & eſt intellectus incorruptibilis & ſeparabilis. Intellectus paſſiuus eſt vis inferior partis intellectiuæ coniunctæ ſenſibili, quę recipit ſpecies intelligibiles in phātaſmatibus. Oportuit autem hanc vim eſſe vt intellectus qui eſt ſeparabilis, ſpecies abſtractas à phantaſmatibus intelligeret, & hæc eſt vis continuans actus virtutis intellectualis cum actibus virtutis ſenſibilis. Hæc enim ex phantaſmatibus offert materialiter ſpecies intelligibiles abſtrahendas. Hæc autem virtus nunquam eſt animæ rationalis, niſi dum coniungitur ad corpus, prouenit enim ex coniunctione animæ rationalis ad corpus, & nominatur ſicut dicūt alio nomine rationalitas animæ rationalis, à qua dicta eſt media cellula cerebri logiſtica ſiue rationalis, dicta eſt autē rationalitas aut ratio, quia potens eſt accipere vniuerſalia in particularibus quamuis non vniuerſale per modum vniuerſalis. Intellectus vero ſeparabilis aſſignātur differentiæ ſecundum duos modos. Vnus modus eſt ſecundum differentiam naturę ſecundum quod diſtinguitur virtus intellectiua per duas differentias, intellectum ſcilicet poſſibilem, & intellectum agentem. Alius modus eſt ſecundum differentiam ordinis. Et ſecundum hoc duę ſunt differentiæ virtutis intellectiuę. Intellectus ſuperior & inferior ſiue ratio ſuperior & inferior.

Intellectiua apprehēſiua.

Quantum ad diuiſionem primam nota quod duplex eſt natura intellectus, vna eſt quaſi materialis, alia formalis: vna eſt poſſibilis, vt tabula nuda ab omni pictura, & ſuſceptibilis omniū picturarum nullam habens actu, ſed poſſibilis eſt ad oēs. Et hæc eſt intellectus poſſibilis.

Intellectus poſſibilis & agens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Alia vero eſt agens vt lumen. Eſt enim lumen intelligibile primæ veritatis in nobis per naturam ſemper agens impreſſam, ſicut lux ſemper irradians, de qua ſcriptum eſt, ſignatum eſt ſuper nos lumẽ vultus tui Domine. Et ſe habet ad ſpecies intelligibiles manifeſtandas, ſicut lux ad colores, ſicut dicunt philoſophi. De intellectu autem poſſibili certum eſt ipſum eſſe. Nam niſi eſſet poſſibilitas ad ſuſceptionem intelligibilium, ſpecierum, impoſſibile eſſet non intelligentem fieri intelligentem. De intellectu quoque agente quoniam ſic probatur per Auicennam. Anima humana prius eſt intelligens in potentia, poſt in effectu. Omne autem quod exit de potẽtia in effectum, non exit niſi per cauſam quæ educit illud de potentia in effectum. Eſt ergo cauſa quare animæ noſtræ in rebus intelligibilibus exeunt de potentia in effectum. Sed cauſa dandi formam intelligibilem, non eſt niſi intellectiua in effectu. Neceſſario ergo eſt agens intellectus.

De varia ſecundum diuerſos, eius diuiſione.

CAPVT XXXIX.

Tres intellectus.

Quatuor

Duæ.

A *Lexander Philoſophus dicit in lib. de intellectu & intelligibili*, quod tres ſunt intellectus ſcilicet poſſibilis ſiue materialis, & intellectus in habitu ſiue formalis. Tertius quoque prẽter iſtos duos qui eſt intelligentia agens. Ex hoc accipitur quod non ſunt niſi tres differentiæ intellectus. *Alkindius quoque in libro ſuo de intellectu intelligibili* ponit tres, ſcilicet intellectum qui eſt actu, & illum qui eſt in potentia. Tertium quoque quem vocamus demonſtrantem. Porro ſecundum Auicennam ſunt differentię quatuor in parte aliæ à prędictis, ſcilicet intellectus agens, & paſſibilis, & intellectus in habitu, & intellectus adeptus. At vero ſecundum Ariſtotelem vidẽtur eſſe ſpecies intellectus duæ, ſicut enim in omni virtute quæ de potentia exit ad actum, eſt accipere agens & poſſibile, ſic etiam in anima oportet intellectum agentem, & poſſibilem accipere. Denique Auerroes ponere videtur triplicem intellectum ſcilicet agentem poſſibilem & ſpeculatiuum.

Potentia in actum exiẽs quadrupliciter conſideratur

Verum ſecundum Ariſto. & Auicen. quatuor ſunt gradus potentiæ exeuntis in actum. Primus eſt potentiæ quam Alexander vocat hylealem ſiue materialem. Nos autem vocamus eam potẽtiam indiſpoſitam. Secundus eſt potentiæ quæ appropinquat ad formam, Tertius potentiæ ſub forma. Quartus vero potentiæ in opere ſecundum formam acceptam. Exemplum primi eſt potentia militandi in infirmitate. Exemplum ſecundi eſt potentia militandi in puero inſtrumenta militaria cognoſcente. Exemplum tertij, potentia militandi in milite. Exemplum quarti potentia militandi in militãte. Cumque ſecundum gradus iſtos diſtinguatur intellectiua potentia ſecundum philoſophos, videtur quod prẽter agentem ſint etiam intellectus quatuor.

De concordantia varietatis prædictæ.

CAPVT XL.

De prima diuiſione

VT vero diuiſiones ſupradictæ ſunt diuiſiones analogicę quod medium eſt inter vniuocum & ęquiuocum. Sunt enim illæ partes ordinatæ ad vnum ſcilicet ad intellectum ſpeculatiuum, & agens ordinatur ad ipſum vt efficiens, poſſibilis vero vt recipiens. Ille vero quem Auicenna vocat habitum, ordinatur ad ipſum vt præparans. Illum vero quẽ Alkindius vocat demonſtrantem, conſequitur ipſum ſicut actus conſequitur habitum. Ad primam ergo diuiſionem quæ eſt Alexandri, dicendum eſt quod accipitur penes ea quæ ſunt in tranſmutatione ſcilicet tranſmutatum & tranſmutans & in quod eſt tranſmutatio. Tranſmutans enim eſt agens, tranſmutatum poſſibile, & in quod eſt tranſmutatio eſt ille qui eſt in habitu, & Alexander comprehendit illum quem Auicenna vocat in habitu & illum quem appellat adeptum ſub intellectu in habitu.

Ad ſecundam diuiſionem quæ eſt Alkindij, dicendum eſt, quod accipitur penes ea quæ exiguntur ad perfectionem potentiæ egredientis in actum, quę ſunt mouens, & mobile, & forma acquiſita per motum & opera ſecundum formam illam, vnumquodque enim tunc eſt perfectum, cum propriam complet operationem, vt ait Damaſcenus. Et penes mouens eſt intellectus agens, penes mobile vero poſſibilis. Penes formam acquiſitam per motum eſt intellectus qui fit in effectu. Penes operationes autem eſt intellectus demonſtrans. Et ſic verum patet, quod ſub illo qui eſt in effectu comprehẽdit Alkindius eum quem Auicenna vocat in habitu adeptum. Diuiſio autem Auicennę & Alkindii accipitur penes perficientia poſſibilem intellectum. Illa enim ſunt perficiẽtia vel per modum agentis vel per modum formæ. Si per modum agentis, hoc erit aut per modum efficientis ſimpliciter, aut per modum inſtrumẽti: ſi primo modo tunc eſt agens intellectus. Si ſecundo modo tunc eſt intellectus in habitu. Intellectus enim in habitu ſecundum Auicennam & Alkindium aliud eſt, qnam habitus principiorum, quibus, vt dicit Auerrois, tanquam inſtrumentis agens poſſibilem educit in actum. Si vero perficiẽs eſt per modum formæ, tunc erit intellectus adeptus, id eſt, quem adipiſcimur per doctrinam & inuentionem. Qui etiam alio nomine dicitur acquiſitus, & alio nomine accommodatus, eo quod ipſum mutuamus à rebus extra, id autẽ quod perficitur ab his perficientibus, eſt intellectus poſſibilis.

De diuiſione Ariſtotelis.

Diuiſio autem Ariſtot. accipitur penes ea quæ ſunt partes animæ eſſentiales ſcilicet agens, & id quod eſt in potentia, & in illa diuiſione non cadit intellectus in habitu vel adeptus vel demonſtrans, eo quod illi ſunt à ſimilitudinibus rerum quæ accidunt animæ, & non ſunt eſſentiales partes. Potentiæ enim & actus ſunt in omni eo in quo ſunt partes eſſentiales ipſius, Diuiſio autem Auerrois accipitur penes perfectionem intellectus. Illa enim eſt in his tribus ſcilicet intellectu quo eſt omnia fieri, qui eſt poſſibilis, & intellectu quo eſt omnia facere qui eſt agens, & in illo qui conſtituitur ex illis & ille eſt ſpeculatiuus, ſub quo comprehenditur intellectus in habitu & adeptus & demonſtrans, vt patet per ſupradicta.

De intellectu agente

CAPVT XLI.

Tria in Deo

Deus dici poteſt intellectus agens, item angelus

I *Ohannes de Rupella.* Quæri autem poteſt vtrum intellectus agens ſit ſeparatus à ſubſtantia animæ, an ſit aliqua pars animæ, & ſi ſeparatus an ſit ſubſtantia intellectiua creata quæ eſt angelus, an increata quę eſt Deus. Nam dicit Aug. in lib. ſoliloquiorum: ſicut in iſto ſole tria animaduertimus ſcilicet quod eſt, quod fulget, quod illuminat, ſic ſecretiſſimo Deo tria intelligere debemus, quod eſt, quod intelligit, & quod cætera intelligere facit. Si ergo eſt intellectus intelligere faciens, ſequitur quòd ſit intellectus agens. De angelis quoq; dicit Dionyſius, quod omnes ſunt manifeſtatores, & ad ipſos pertinent reuelationes, vt patet in Apocal. & in Daniele. Et conſtat quod huiuſmodi manifeſtatio ſit intellectiuæ virtuti non niſi per irradiationem, ex quo dicuntur angeli lucis. Igitur & intelligentia angelica eſt intellectus agens. Præterea quod intellectus agẽs ſit in anima ſcilicet quędam virtutis intellectiuę differentia, patet vt dictum eſt ſupra, per hoc quod dicit Pſal. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Super nos .i. in ſuprema parte animæ.

Nos itaque dicimus, quod quia ad intelligendum ea quæ ſupra ſe ſunt id eſt diuina, indiget anima irradiatione lucis diuinæ: ſecundum hunc reſpectum dicitur Deus intellectus agens, cuius illuminatio eſt ad contemplanda diuina. Ad cognoſcenda vero ea quæ iuxta ſe ſunt, vt ſunt angelicæ virtutes, indiget anima

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

reuelatione angelica & inſtructione. Et in hac comparatione dici poſſet angelus intellectus agens, inquantũ ſcil. inſtruens, non tamen reſpectu ſuperioris partis intellectus humani, qui à Deo illuminatur immediate, ſed reſpectu inferioris, ſecundum quod Aug. inter intellectiuam & intellectum & rationẽ diſtinguit. Porro ad cognoſcenda ea quę ſunt intra ſe vel infra ſe, non indiget anima lumine extrinſeco, ſed hæc omnia cognoſcit lumine interno & innato, quod eſt intellectus agens, vis ſcilicet animę ſuprema de qua fit hic ſermo.

De Varijs opinionibus ſapientum in eius poſitione.

CAPVT XLII.

Sentẽtia varia de intellectu agente.

ALbertus. Sapientes qui fuerunt ante nos diuerſificati ſunt in poſitione intellectus agentis. Quidam enim agentem dixerunt omnino non eſſe, ſed tãtum poſſibilem & ſpeculatiuum. Et quidam dixerunt ipſum eſſe habitum & illi diuerſificati ſunt inter opiniones. Quidam enim dixerunt ipſum eſſe habitum & ſpeciem primæ cauſæ. Quidam habitum principiorum. Quidam autem habitum qui eſt in omnibus ſpeciebus intelligilibus. Alij vero dixerunt ipſum eſſe intelligentiam ſeparatam agentẽ decimi ordinis. Et cum etiam intelligentiæ moueant immotæ ſicut deſideratum mouet deſiderans & deſiderium. Dixerunt quod intelligentia agens mundi terreni mouet intellectum poſſibilem humanę animæ, ſicut deſideratum mouet deſiderantem. Ita ſcilicet quod ſicut anima cœli mouet cœlum, ita quod conformetur intelligentiæ agenti, ita intellectus humanus poſſibilis mouet hominem ad hoc vt conformetur intelligentiæ agenti decimi ordinis, & hoc modo fluunt bonitates ab intelligentia agente ad intellectum poſſibilem. Sed nos nihil horum dicimus, ſequentes enim Ariſtot. & Auerroem, dicimus cœlum non habere animam niſi intelligentiam, vt ſupra in quęſtione de cælo determinatum eſt. Et ſimiliter dicimus intellectum agentem humanum eſſe coniunctum animæ humanæ, & eſſe ſimplicem & nõ habere intelligibilia, ſed agere ipſa intellectu poſſibili ex phantaſmatibus, ſicut expreſſe dicit Auerrois in commento libri de anima. Porro ſequentes Auicennam dixerunt eſſe intellectum agentem intelligẽtiam ſeparatam & irradiare ſuper intellectum poſſibilem. Et hoc ideo, quia intellectus agens non determinat àliquam partem corporis nec recipit aliquid à phantaſmate. Et in his duobus conuenit cum intelligentia ſeparata id eſt angelica. In hoc tamen differt, quod actus intellectus agentis eſt ſuper phantaſmata abſtrahendo vniuerſale phantaſmatibus, quod non facit intellectus angelicus propter duo tamen quibus conuenit cum eo dicitur ab Algazele quod non eſt in corpore, neque enim eſt in corpore vt virtus in organo corporis, ſicut vires animæ ſenſibilis, nec ſicut recipiens à phantaſmatibus corporum, ſicut intellectus poſſibilis. Itaque cum ordines intelligentiarum ſecundum Auicennam determinentur ſecundum ordines numerumque mobilium, & intellectus agens quem dicit eſſe decimam intelligẽtiam moueat hominem & animam humanam, non erit intelligentia illa agens extra hominem & animam humanam.

Vtrum intellectus agens ſit pars animæ.

CAPVT XLIII.

Sententia vera.

SI autem quæritur vtrum intellectus agens ſit pars animæ, dicimus quod ſic. Diuerſitas enim proprietatum & potentiarum animæ fiunt à diuerſitate principiorum componentium ipſam, quæ ſcilicet principia ſunt quod, & quo eſt, vel actus & potentia large ſumptis nominibus, ac per hoc dicimus, quod intellectus agens eſt pars animæ potentialis fluẽs ab eo quod eſt quo eſt ſiue actus. Intellectus autem poſſibilis eſt pars animæ fluens ab eo quod eſt ſiue potentia.

Intellectus agens quo ſenſu dicitur pars animæ.

Obiect.

Si autem econtra obijcitur, quod ſecundum Ariſtotelem in libro de anima, Intellectus agens eſt efficiens, poſſibilis autem patiens. Efficiens autem & patiens nunquam poſſunt eſſe eiuſdem naturę, quia contraria ſunt, vt probatur in libro de generatione & corruptione. Sicque cum intellectus poſſibilis ſit pars animæ non videtur agens eſſe pars eius. *Reſpondemus* quod eſt efficiens reſpectu primi eſſe ſiue actus primi, & eſt efficiens reſpectu ſecundi eſſe ſiue actus ſecundi. Primo modo dictum efficiens ſemper eſt extrinſecum patienti, quod eſt contrarium in forma, & idem in materia cum patiente ſicut philoſophus dicit. Secundo modo dictum poteſt eſſe cum forma rei perfectiua, & intrinſecum ei quod efficitur, tale efficiens eſt intellectus agens, eſt enim actio ſua reſpectu intelligibiliũ & non reſpectu animæ ſimpliciter. Similiter & potentia eſt ad intelligibilia, & non ad eſſe, propter hoc intellectus agens & poſſibilis poſſunt eſſe intrinſecæ partes animæ rationalis. Nec idẽ ſunt intellectus agens & poſſibilis, ſed differunt, quia impoſſibile eſt idem eſſe mouens & motum. Anima vero rationalis eſt mouens ſecundum intellectum agentem, & mota ſecundum poſſibilem. Præterea ſecundum agentem eſt in actu, ſecundum poſſibilem in potentia, ſecundum agentem eſt agens, ſecundum poſſibilem patiens, ſecundum poſſibilem ſuſceptibilis eſt omniũ, ſecundum agentem vero nullius, quoniam vniuerſaliter agens eſt, vt prius habitum eſt.

Reſp.

Ex his omnibus patet, quod agens & poſſibilis non ſunt idem, quia prædictę diuerſitates non poſſunt in eodem eſſe ſecundum idem. Si autem obijcitur contra quod in ſeparatis à materia non eſt agentis & patiẽtis differentia, quoniam omne patiens ad materiam reducitur. Intellectualis vero natura ſeparata eſt à materia, quia corpore vt organo non vtitur, & ita non videtur in ipſa eſſe agentis & patientis differentia. *Reſpondemus* quod quædam ſeparata ſunt à materia phyſica & in alijs non eſt actio vel paſſio phyſica ſed tamen in eis poteſt agens reſpectu alicuius diſpoſitionis aduenientis ſine motu phyſico, & patiens cuius eſt diſpotionem illam ſuſcipere, & ſic eſt in natura intellectuali reſpectu intelligibilium.

Obiect.

Reſp.

Qualiter ſit intellectus agens.

CAPVT XLIIII.

INtellectus agens ſecundum Ariſtote. eſt intellectus quo eſt omnia facere. Et intelligitur hoc de omnibus intelligibilibus, quod ipſe ſcilicet agit omnia intelligibilia. Sed econtra videtur eſſe quod dicit Auicẽ. quod quędam per ſe ſunt intelligibilia. Nam quę ſunt intelligibilia per ſe non fiunt ab alio intelligibilia, & idem nec ab intellectu agente. Nos autem dicimus quod intellectus agens ſecundum ſubſtantiam & diffinitionem eſt potentia & principium actuum intellectualium, ideoque dicit Philoſophus quod ipſe eſt intellectus quo eſt omnia facere. Et licet quædam ſecundum ſe denudata ſint à materia, vt ipſe intellectus & quædam alia, tamen alio modo faciunt phantaſiam in anima ſenſibili ſcilicet ſecundum quod ex operibus & motibus ſuis cognoſcuntur, & tunc intellectus agens eodem modo ſe habens idem facit in omnibus intelligibilibus. Et omnia intelligibilia eodem modo ſunt inquantum intelligibilia. Illum quoque modum in eis facit intellectus agens. Quod autẽ intelligibilia ſint diuerſa, & quædam magis, & quædam minus intelligibilia, hoc non habent ab intellectu agente, ſed inquantum ſunt diuerſorum intelligibilia. Quædam enim ſunt ſecundum poſſibilitatem rei factæ & non facientis: vt patet in actione ſolis in terram & lutum & aerem & colorem. Si autem quæritur, vtrum intellectus agens tempore præcedat poſſibilem. Dicimus quod duplex eſt ordo temporis, vnus ſcilicet ſecũdum ſucceſſionem prioris & poſterioris, & ſecundum hoc neuter intellectum præcedit alium. Alius vero ſecundum ordinem tranſmutationis quę eſt ſecundum intelligibilia, & ſecundum hũc agens præcedit poſſibi-

Obiect.

Reſp.

De ordine inter vtrũque intellectum.

lem

lem. In illa enim transmutatione primo mouet agens: deinde ipsum potentiale mouetur, ac per motum tertium in actu efficitur. Actio ergo intellectus agentis est super potentiaē educendo ipsum in actum. Vt enim superius habitum est agens principiatur in anima ab eo quod quo est. Possibilis autem ab eo quod quod est. Vnde sicut actus quod est qui est esse animæ rationalis, non est nisi in substanti, ac actio intellectus agentis non est nisi in possibili.

Quid sit intellectus possibilis.

CAPVT XLV.

SIcut autem intellectus agens est intellectus quo est omnia facere, sic potentialis est intellectus quo est omnia fieri. Intellectus inquam in quo vt subiecto est omnia intelligibilia fieri. Sed contra sicut dicit Auerrois. Omnis ratio subiecti reducitur ad materiā, & intellectus possibilis non est ex materia, videtur quod non possit esse subiectum, & ita quod nec in ipso vt in subiecto fieri possint omnia intelligibilia. Itē in li. sex principiorum legitur, quod accidentalis forma est cōpositioni contingens. Cum ergo intelligentiæ sint accidentales formæ, non erunt in subiecto nisi vt in aliquo composito. Cumque vero intellectus possibilis non sit compositus, intelligentiæ non erunt in ipso. Pręterea nihil est susceptibile accidentalis formę, nisi quod altera est secundum ipsam. Intellectus autem possibilis non alteratur secūdum aliquid, vt probatur in septimo physicorum. Nos autem dicimus cū philosopho, quod intellectus possibilis est potentia passiua large sumpto vocabulo passionis ad physicam & non physicam, sic enim diffinitur in quinto metaphycę scilicet quod potentia passiua est principium transmutationis ex alio secundum quod est aliud. Intellectus potentialis transmutatur ex alio quod est intellectus agens, & eius transmutatio est exitus de potentia intelligendi ad actum. Et in hac ratione potentię passiuæ supradicto modo diffinitur ab Aristo. Ad hoc autem quod obijcitur, quod intellectus possibilis nō est ex materia. Dicimus quod licet anima ipsa intellectiua non sit ex materia, tamen essentiæ illius principia sunt (quo est) & (quod est). Et sicut in (quo est) fūdatur intellectus agens, & ita & (in quod est) fundatur possibilis, habetque potentiam materiæ similem. Ideoque Alexander in lib. de intellectu & intelligibili vocat eū intellectum hylealem. Itaque similiter dicimus, quod licet ipse non sit compositus, tamen est potentia animæ intellectiuæ compositæ, & gratia sui anima efficitur subiectum intellectiuum, & sicut compositum ex materia substat accidētibus, non gratia formæ sed gratia materiæ. Porro alteratio duplex est, vna scilicet physica, ad quam exiguntur quinque sicut alibi dictum est. Et hęc in intellectu non est. Alia vero secundum genus: scilicet quando subiecto eodem manente mutatio fit in quibuscūque qualitatibus. Et huic alterationi subiacet anima intellectiua secundum intellectum possibilem.

Obiect. — *Resp.* — *Alteratio duplex.*

De gradibus eius vel differentijs.

CAPVT XLVI.

SVnt autem tres gradus huiusmodi potentiæ per similitudinem materiæ. Est enim materia indisposita, & materia disposita, & materia perfecta sub forma. Et secundum hoc est intellectus indispositus scil. intellectus possibilis, qui ab Alexan. dicitur hylealis. Et intellectus per prima principia dispositus. Et intellectus sub scientia constitutus. Hoc etiam videtur dicere Aristo. in secundo de anima vbi dicit, quod est intellectus, aliquid sciens, vt si dicamus hominem sciētem, quoniam ipse scibilis est. Per hoc enim non ponitur nisi potentia materialis ad sciendum. Iterum inquit est sciens, sicut dicimus scientem habentem grāmaticam, per hoc minuit potentiam quæ est facta per habitum. Iterum dicit quod potentia ante habitum non tantum dicitur vno modo, sed dupliciter. Nam vna est sicut vna potentia, militandi in puero quæ materialis est & indisposita. Alia vero sicut potentia militandi in iuuene quæ est potentia disposita, quia talis iam cognoscit arma militiæ. Eandem quoque distinctionem ponit Auicenna.

Tres gradus intellectus patientis.

Ac per hoc potest obijci econtra, quia cum intellectus possibilis non sit nisi ad intelligibile, videtur quod intelligiblli habito sit potētia perfecta. Cum ergo primis propositionibus siue principijs habitis habeatur intelligibile, potentia erit perfecta, sicque non erunt nisi duo gradus potentia scilicet hylealis ac perfecta. Nos autem dicimus, quod intellectus quidem possibilis ad scientiam, vt dictum est sunt tres gradus, sed nō sunt nisi duo ad intellibigile. Scientia enim est habitus ex intellectuum compositione. Ideoq; primus potentiæ gradus ad ipsam est intellectus hylealis qui est de numero & natura scientiæ. Secundus est habitus principiorum, quæ quasi instrumenta sunt ad acquirendum scientiam. Tertius est qui iàm habet scientiam & potest considerare quando vult. Porro ad intellectum siue intelligibile non sunt gradus nisi duo scilicet ante intelligere & sub ipso, eo quod intelligere nō habet dispositionē præcedentem se in intellectu possibili *Iohannes de Rupella*. Constat esse possibilitatem ad intelligendum in pueris, & in adultis addiscentibus & in adultisiam edoctis & in actu considerātibus, sed aliter & aliter: sicut potentia scribendi in paruo & adulto addiscente scribere, & in scriptore iam perfecto in arte, & in actu scribente. In primo enim est potentia materialis. In secundo materia disposita. In tertio potentia perfecta sed in habitu. In quarto potentia perfecta in vsu. Secundum hunc modum est differentia intellectus possibilis quadruplex secundum Auicennam & alios. Prima est intellectus habens possibilitatem tantum. Et est sicut potentia materialis ad similitudinem materię primę, quę ex se non habet aliquam formam, sed est subiectum indifferens omnium formarum. Secunda est intellectus habens dispositionem quod est cū iam habētur in intellectu principia, hoc est propositiones quas cōtingit credere nō aliunde, sed quia per se sunt notæ: sicut omne totū est maius sua parte, & si ab æqualibus æqualia demas, remanētia & quæ relinquuntur sunt æqualia. Tertia est intellectus perfectus, cū iam habet intellectus cōclusionem eorum quæ sequuntur ad ipsa principia, sed nō est conuersio actu ad illa per considerationem. Quarta intellectus in vsu cū cōsiderat in actu. Primus est materialis. Secundus dicitur intellectus in habitu respectu intellectus consequentis cōclusionem. Siue intellectus conclusionum in effectu respectu intellectus materialis præcedentis. Tertius dicitur adeptus & in habitu respectu consequentis. Et in vsu & in effectu respectu intellectus prę cedentis principiorum. Quartus dicitur intellectus accommodatus in vsu. Et hi sunt ordines intellectus speculatiui possibilis.

Obiect. — *Resp.* — *Potētia variè considerata.*

Qualiter intellectus possibilis est incorruptibilis secundum substantiam suam.

CAPVT XLVII.

Albertus. Dicit autem Auerroes in lib. de anima, quod intellectus possibilis est incorruptibilis secundum subst̄ātiam suam sed corruptibilis per species quæ sunt in ipso, sicut Micalus musicus dum desinit habere musicam corrumpitur & tamen Micalus non corrumpitur, hoc etiam patet per simile, quoniam à materia non potest abstrahi potentia materiæ. Si enim abstraheretur non esset materia simplex, esseteq; materia aliqua quæ non posset esse subiectum alicuius formæ. Itaque similiter à substantia intellectiua non potest separari potentia quæ subijcitur intellectibilibus. Cum ergo substantia intellectus, vt probatum est supra, perpetua sit & incorruptibilis sequitur quod & potentia intellectus possibilis.

A materia non abstrahitur potentia eius.

Philosophus asserit intellectum passiuum corrumpi, & quo modo?

At vero econtrario dicit Philoso. quod corruptibilis est intellectus passiuus. Præterea omnis potentia quæ alio mediãte alicui inest, illam necesse est corrũpi corrupto illo quo mediãte inest. Intellectus autẽ possibilis est potentia quæ non inest nisi mediante phantasia. Non enim abstrahit nisi à phãtasmate sicut dicitur ab Auic. & Auerroe. Necesse est ergo vt corrupta phãtasia corrũpatur & hæc potẽtia. *Nos itaque dicimus, quod intellectus possibilis secundum substantiã suam & potẽtiam est incorruptibilis, tamen corruptibilis est per accidens*, sc. per actum qui est in ipso. Et hæc corruptio non est nisi intelligibilũ obliuio. Et sic intelligitur prędictũ philosophi verbum de intellectu passiuo. Ad hoc autem quod econtra objcitur phantasiæ medio. Respondemus, quod intellectus intelligit duplici modo, vno modo, sc. per intelligentiarum separatarũ formas. Et hunc modũ accipit ab intelligentia prima, & vtitur ipso etiam post mortẽ. Alio modo à phantasmate abstrahendo vniuersale, & hoc modo vtitur in corpore, vnde licet quendam intelligendi actũ habeat intellectus possibilis mediante phantasia, non tamen intelligendi potentiã accipit ab ipsa. Quod autẽ intellectus possibilis actum intelligendi quendam habeat ab intelligentijs separatis, patet per hoc quod anima intellectiua est instrumentum intelligentiæ in quibusdam somnijs. *Si autem adhuc objcitur* contra prædicta, quod sicut dicit Iohannicius, cognitio & ratio est in medio cerebro in capitis medio. Phantasia vero in fronte, & memoria in occipitio. Vnde si media cellula quo dicitur logistica corrumpatur, vsus rationis & intellectus aufertur. *Dicimus* quod intellectus possibilis non corrumpitur ex corruptione mediæ cellulæ, nisi quoad illum actum qui est ex phantasmate. Si autẽ quæratur, quare non sic in alio actu, dicendũ est, quod fortiores motus in anima semper excludunt debiliores. Vnde cum motus sensuũ & phantasiæ in habentibus corruptum caput sunt fortiores interioribus motibus intellectus, non ita deprehenditur motus ipsius intellectus nisi quãdoque in reuelatione, quas reuelationes Arist. in 2. de somno & vigilia vocat veras intelligentias sine phãtasmate existentes, post mortem vero complebitur potentia intellectus possibilis ab intellectu agente & à formis quæ sunt in intelligentiis separatis. Ideoque superuacua non erit. Dicunt enim & philosophi, quod anima post mortem conuertitur ad primum motorem, & hic est finis perspicuitatis eiusdẽ.

Obiect.

Resp.

De differentijs intellectiuæ virtutis & apprehensiuæ secundum rationem ordinis.

CAPVT XLVIII.

Pars intellectiua superior.

Imago Trinitatis in anima.

Memoria

Intelligentia

Ioannes de Rupella. Consequens est dicere de differẽtia intellectiuæ virtutis & apprehensiuę secundum rationẽ ordinis. Sciendum ergo, quod intellectiua virtus subdiuiditur per superiorem & inferiorẽ partem. Superior verò intellectiua dicitur ab August. Est autem huiusmodi vis suprema inter apprehẽsiuas ad cognoscendum veritatem increatã secundũ imaginem vel speciem trinitatis sibi à creatione impressã. Quæ imago veritatis trinitatis secundũ Aug. determinatur secundum tria, sc. *memoriam, intelligentiam, voluntatẽ*. Et memoria dicitur ipsa vis inquantũ est conseruatiua siue retentiua similitudinis primæ veritatis à creatione. Intellectiua verò est inquantũ est contẽplatiua primę veritatis per impressã similitudinem veritatis à creatione. Voluntas verò secundũ quod hic accipitur est inquantũ est à natura primæ veritatis per infixũ appetitum ipsius à creatione. *Vel aliter, memoria* vt hic dicitur est ipsa vis intellectus superioris, qua rationalis creatura potest cogitare suum principiũ efficiens, per hoc quod non semper fuit, vnde certũ est quod ab illo fuit. *Intelligentia vero est* impressa vis superioris intellectus, qua potest cogitare pręsentẽ primã veritatem, vt pręsentem lucem vel exemplarem causam. Voluntas est vis intellectus superioris qua terminatur ad ipsam vt in finem. Nota ergo quod secundũ hanc vim sunt nobis impressa indicia veritatis, principia sc. scientiarum, vt de quolibet affirmatio vel negatio, & omne totũ est maius sua parte, & huiusmodi quæ dicuntur esse innata naturæ cuiuslibet addiscentis per lumẽ primæ similitudinis primæ veritatis, secundum illã partẽ nobis impressã de qua dicitur in Ps. *Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine.* Nota ergo quod hæc vis est eadem secundũ substantiã cum agente intellectu, sed secundũ quod consideratur hęc vis vt natura quędam, sic dicitur intellectus agens. Secundũ vero quod apprehensiua, sic dicitur intellectiua siue mens. Inferior autem vis intellectus apprehensiua, si cõsideretur vt natura quædam, sic dicitur intellectus speculatiuus possibilis & actus ipsius dicti sunt. Si vero consideretur vt apprehensiua vis, sic dicitur intellectus speculatiuus vel ratio.

Principia

De speculatiuo intellectu.

CAPVT XLIX.

Intellectus speculatiui definitiones diuersæ

Albertus. Porro intellectus speculatiuus sic ab Alexand. definitur in lib. de intellectu & intelligibili. Intellectus speculatiuus vel adeptus est cum intelligit, & habet habitum vt intelligat, & est potens assumere formas intelligentiarũ per virtutem suã vel potentiã quę in ipso est. *Ab Auicenna vero sic.* Intellectus in effectu siue speculatiuus est qui intelligit quotiens vult intelligere sine labore acquirẽdi. Circa primam diffinitionem notandũ, quod non conuenit intellectui possibili, quia non habet habitum formaliter sicut speculatiuus, sed potentialiter tantũ, quod est nõ habere simpliciter, sed secundũ quid. Cum .n. distinguitur intellectus possibilis à speculatiuo, non distinguitur ex parte subiecti, sed ex parte potentiæ & actus, possibilis enim est, qui est in potentia. Speculatiuus qui est in actu, propter hoc à philosophis potius dicitur gradus intellectus, quã alius intellectus. Cũ enim dicit Alexand. quod speculatiuus est potens assumere formam intellectorum per virtutem suam, hoc intelligit de potentia & virtute habituali. i. quæ est stans completa per habitum. Possibilis autem non est potens eas sic assumere, sed indiget auxilio virtutis alienæ, sc. studij & inuentionis ac doctrinæ. Nec assumit eas speculatiuus ad hoc vt habeant esse in ipso, quia iã insunt ei, sed ad vsum considerandi, secundũ quod dicit Victorinus, quod vsus est actus ex habitu elicitus. Porro diffinitio secunda data est de potentia intelligibili per actum cõpleta. Si autẽ quæritur, an motiua virtus in opere considerationis attribuatur intellectui vel intelligibili speciei, dicẽdum est quod vtrisque sed diuersimode. Nã speciei attribuitur vt formæ in opere regẽti. Et intellectui vt efficienti & agẽti. Propter hoc dicit Alexander, quod intellectus speculatiuus est sicut virtus artificis habens artem. Ars enim in artifice mouet vt forma regens in opere. Virtus vero artificis mouet efficiens atque agens super materiam.

Vtrum intellectus speculatiuus sit res scita in actu.

CAPVT L.

Difficultas

Videtur autem intellectus speculatiuus esse in actu res scita, quia dicit Aristot. quod sensus est idem in actu cũ sensibili, & scientia in actu est res scita. *Idem in lib. de anima* dicit, quod in his quæ sunt sine materia idem est intellectus & quod intelligit. Scientia namque speculatiua, & quod speculatum est, idem est. Dicit etiam ibidem quod anima est sicut manus. Manus est enim organum organorum, & intellectus est species specierum. Sensus vero species sensibiliũ. Ex his omnibus accipitur vna sententia, quod scil. intellectus speculatiuus idem sit in actu cum re speculata: verum cum quæcunque sunt actu idem, simpliciter sunt idem, quia sc. idem est actu esse, & simpliciter esse, secundum hoc intellectus & res scita simpliciter erunt idem. At vero quęcunque vni & eidem sunt simpliciter eadem, ipsa quoque sunt eadem. Si ergo lapis scitus & homo scitus intellectui scienti

simpli-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

simpliciter sunt eadem,ipsa quoque sunt eadē. Quod absurdum est. Nos itaque dicimus quod omnia intelligibilia vel nuda sunt per seipsa, vel à materia& appenditijs materiæ denudata. Vnde intellectus speculatiuus species est omnium intelligibilium, & idem actu cum omnibus. Verum actus duplicem habet comparationem,vnam scilicet ad rem,cuius est actus, & sic est rei ratio & quidditas nullam habens differentiam ab ipsa. Si enim haberet differentiam, secundum illud in quo differet non cognosceretur per ipsum res scita. Et ideo species in anima quæ est principium intelligendi totam rem & totum esse rei omnino,accipitur,vt actus totius rei. Et cum sit in intellectu eo quod principium sit intelligendi est scientia res scita in actu,& intellectus speculatiuus res quæ speculatur in actu. Aliam habet comparationem ad id in quo est,vt in subiecto,& sic non est principiū intelligendi sed principium esse. Et quia in intellectu est similitudo accidentalis causat in ipso esse accidentale. Quia vero in re est forma naturalis facit in ipsa esse naturale. Et hoc attendens Philosophus dicit quod scientia quodammodo est res scita. Et in alio loco dicitur quod intellectus idem est actu cum eo quod intelligitur,sed esse est aliud sicut supra exposuimus.

Varia glossæ dicti Aristotelis.

Vt tamen melius intelligatur glossabimus singula dicta Aristotelis. Quod ergo dicit,quod idem secundum actū est scientia rei,&c. tripliciter glossatur. Primò sic,idem,sc. possibilis de quo ante fecit mentionē in actu existens est scientia rei. Et intendit tunc dicere, quod speculatiuus & possibilis sunt idem in substantia & in subiecto. Sed quādo possibilis est in actu, tunc est scientia rei. Secundo,sic speculatiuus intellectus qui est scientia formaliter secundū actum est idē rei. Sed tertio intelligendum est secundum Auicennā & Aristot. & Alexandrum & Alpharabium, quod cū dicit intellectus est scientia,intelligitur,scientia & intellectus esse vnum sicum vnum cōgregatum ex subiecto & accidente, quia dicitur idem actu cum re, & quod est in actu simili. In omnibus his tribus modis vera est expositio,sed melius est vt dicatur intellectus speculatiuus formaliter esse scientia & actu idem rei, vt prius habitum est. Quod autem anima dicitur esse sicut manus exponitur in lib. de animalibus,quia scil. creatio manus est conueniens omnibus operationibus. Et anima per duas partes ac species est vtens omnibus speciebus. Omnia enim quæ sunt vel sensibilia vel intelligibilia sunt. Nihilominus tamen species quæ formaliter est intellectus speculatiuus, est actus specierum quæ sunt in rebus. Denique duplex est actus,scil. actus naturę,& actus rationis. Actus naturæ dat esse naturale,quod est esse simpliciter,& quę sunt eadem in illo actu,sunt eadem simpliciter. Actus vero rationis est intentio & ratio rei, non principium esse, sed principium cognitionis. Ideo quæ in illo actu sunt non simpliciter eadem sunt, sed secundum quid,vt patet ex prædictis.

Qualiter species intelligibiles sint in intellectu.

CAPVT LI.

Intellectus quasi locus & materia specierum

SI autem quæritur vtrum species intelligibiles sint in intellectu vt in loco vel vt in materia. Dicimus quod intellectus respectu specierum habet conueniētiam cum loco & cum subiecto, per hoc enim quod confert intelligibilibus esse simplex, & quodammodo esse incorruptibile, conuenientiam habet cum loco & maxime cum loco superiorum,quia de illo dicit Aristot. secundo de generatione & corruptione,quod species maximè in terminis est, formalia quippe sunt in loco superiori,& materialia in inferiori. Per hoc autem quod intellectuum variatio fit circa intellectum sine mutatione ipsius & motu habet similitudinem cum loco. Per hoc autem quod est in potentia nec potest agere per se,& efficitur in actu per intelligibile, & habet similitudinem cum subiecto & materia.

A Si vero quæritur vtrum in potentia sit ad duas species simul. Dicimus quòd speciem suscipit agentis & speciem intelligibilis, sed illę duę species non nisi actus vnius. Species enim agentis est actus speciei intelligibilis, sicut lux actus coloris. Omnia quidem speculatiua sunt in nobis, existentia in potentia tantum, & agens continuatur in nobis in potentia, quia non continuatur nobis nisi per illa. Cumque fuerint talia existentia in nobis in actu, tunc & ipse continuatur nobis in actu. Actio enim intellectus agentis determinatur ad phantasma, & sic determinata mouet intellectum possibilem & educit eum in actum, sicut actio luminis determinatur ad colores, & sic determinata visum educit in actum. Per hoc itaque patet, quod intellectus agens non est substantia separata plena formis, nihilque recipit, quoniam aliter non esset agens vniuersaliter,nec intelligit intellectu causato à rebus tanquam à causa efficiente,quia res non faciunt similitudines suas in intellectu agente,immo per hunc modum potius intellectus possibilis intelligit intellectu actu causato à rebus. Si vero hæc præpositio annotet materiam,quam tamen causa non notat propriè,sic bene concedimus,quod intellectus agens intelligit intellectu causato à rebus, quia intellectus eius non est super res abstrahendo ab eis vniuersale. Intellectus enim agens est sicut si videremus extra mittentes,nihil intus suscipientes. Sic enim visio esset super res & ageret in eis visibilitatem. Intellectus autem possibilis est sicut cum videmus intus suscipientes & nihil extra mittentes. Sicut enim res agit in visum & generat in eo similitudinem suam. Ex hoc autem quod agens sic intelligit intellectu non causato à rebus, non sequitur quòd sit intelligentia separata, eo quod intellectus intelligentiæ separatæ est determinatus ad formam quam habet. Intellectus autem agens determinatur ad phantasma quod est ex se.

Intellectus agens non est substantia separata.

Vtrum omnia intelligibilia sint in anima.

CAPVT LII.

SI vero quæritur vtrum omnia intelligibilia sint in anima, an abstrahantur à rebus extra. Dicimus quod omnia scibilia considerari possunt vel in suis principijs, vel in seipsis. Et siquidem in seipsis, tunc non sunt in anima antequam discantur, nisi potentia. Si vero in principijs, sic etiam considerantur duobus modis. Vno modo secundum terminos principiorum ac terminorum naturam, & à sensu generantur, vt quod scamonea talis naturæ est, vt purget choleram. Alio modo secundum habitudinem terminorum, & sic semper sunt in anima, sed tantum in potentia, cui scilicet potentiæ sufficit cognoscere naturam terminorum ad hoc vt reducatur in actum. Vnde dicit Philosophus, quod principia scimus inquantum terminos cognoscimus. Talis est enim sentētia Aristotelis. Aug. vero dicit,quod scibilia sunt in memoria, & accipit memoriam large pro mente,scilicet in qua scibilium est notitia siue sint præsentia, siue præterita, siue futura.

Scibile in triplici specie.

Est autem scibile in triplici specie. Est enim species intelligibilis, secundum quod est intelligibilis,& hāc speciem habet ab intellectu agente, & est species mētis, & secundum hanc scibilia semper sunt in anima, sed hoc in potentia, donec adueniat phantasma quod abstrahitur ad species intellectus agentis. Tunc enim efficitur in actu & intellectui possibili coniungitur,illaque mediante discernitur hoc quod quærebatur. Et hoc est quod dicit Augustinus. Speciem ante studium latere,& in abditis thesauris reconditam esse. Est species intelligibilis,quę est species rei, & hęc abstrahitur à rebus, nec semper est anima. Itaque consensus & discretio fiunt in discipulo per speciem intellectus agentis,qui coniungibilis est cuilibet intelligibili, ad hoc vt actu fiat in intellectu possibili.

De quatuor viribus intellectiuæ inquantum ordinantur ad ſenſibilem.

CAPVT LIII.

Vis quadruplex intellectiua.

IOannes de Rupella. Notãdum ergo, quod actus principalis huius virtutis eſt intelligere per ſe. Et præter hoc ſunt actus adminiculares, inquantum ſcilicet hæc vis ordinatur ad ſenſibilem. Et ſecundum hoc primo multiplicantur ratione quadruplicis vis, ſcilicet inuentiuæ, iudicatiuæ, memoratiuæ, interpretatiuæ. Inuentiua & iudicatiua diſtinguuntur quantum ad inuentionem & iudicium, ſecundum quod diſtinguitur duplex via ad intellectum. Vna inuentionis quæ eſt in inquiſitione veritatis per ſe, via iudicij in diſcuſſione veritatis acceptæ ab illo. Vna eſt via experiendi, alia addiſcendi. Experiri eſt per ſe, diſcere ab alio. Vel via inuentionis eſt ſecundum modum compoſitionis, via iudicij ſecundum modum reſolutionis. Siue via inuentionis eſt cum agnitione effectus peruenitur in cognitionem cauſæ, via vero iudicij cum per cognitionem cauſæ cognoſcitur effectus. Memoratiua vero & interpretatiua diſtinguuntur, quia memoratiua eſt retentiua ſpeciei cognitæ. Interpretatiua vero eſt datiua cognitionis. Vel aliter poſſunt diſtingui. Nam inueſtigatiua & memoratiua ſunt hominis reſpectu ſui. Sed inueſtigatiua ſiue inuentiua inquirendo incognita. Memoratiua in retinendo cognita. Vnde inuentiua deſeruit cognitiuæ ante intelligere. Memoratiua vero poſt intelligere. Item iudicatiua & interpretatiua ſunt reſpectu alterius, ſed iudicatiua in ſuſcipiendo ab alio cognitionem. Interpretatiua in tranſfundendo in alium. Vnde vna, ſcilicet iudicatiua deſeruit virtuti intellectiuæ ante intelligere. Reliqua vero, ſcilicet interpretatiua poſt intelligere.

De actibus inuentiuæ virtutis, & iudicatiuæ.

CAPVT LIV.

Experientia quid?

INueſtigatiuæ vero actus ſunt, ingeniari, experiri, apprehendere, concipere, ratiocinari. Ingeniari autem eſt extenſio intellectus ad incognitorum cognitionem. *Experientia vero eſt certitudo rerum factarum per ſenſum.* Apprehenſio vero eſt acceptio ſimplicis intellectus, vt hominis, vel animalis. Conceptio vero eſt acceptio complexa intellectus, vt quoniam homo eſt animal vel homo eſt riſibile. Ratio verò eſt acceptio argumentatiua intellectus, vt quoniam ſi homo eſt animal, homo eſt ſenſibile. Patet ergo numerus. Nam inueſtigatio aut extenditur ad cognoſcẽdum, & tunc eſt ingenium: aut eſt in via cognoſcendi per ſenſum, ſic eſt experientia. Aut in via cognoſcendi per rationem quæ triplex eſt. Eſt enim via in cognitionẽ ſimplicium, vt dictionem, immo eorum quæ ſignantur per dictiones, & eſt apprehenſio. Et eſt via in cognitionem apprehenſiuorum & enunciationum, vel propoſitionum, & eſt conceptio. Et eſt via in cognitionem argumentationis, & eſt ratiocinatio.

Actus indicatiua.

Iudicatiuę vero actus ſunt etiam qui dicti ſunt, ſed ſecundum viam aliam. Nam ad intellectum peruenitur aut per ſe, vt inquiſitione. Aut per alium, vt iudicio ſiue diſciplina. Tamen iudicatiuæ actus aſſignari poſſunt: Inquantum coniugitur ſenſibili, diſcernere. Inquantum coniungitur imaginatiuę, dubitare, & opinarumquantum coniungitur excogitatiuæ. Sed dubitatio eſt acceptio vtriuſque partis cum formidine falſitatis. Opinio vero eſt acceptio vnius partis cum formidine alterius. Scire vero eſt completus actus intelligentiæ, ſed hic eſt ordo. Primo enim eſt diſcernere hoc eſt dijudicare. Deinde iudicio deficiente, ſequitur dubitatio. Proficiente vero iudicio fit fides ſiue opinio. Perueniente vero iudicio ad intellectum veritatis fit ſcientia. Eſt & dubitatio vacillatio inter verum & falſum. Opinio credulitas, ſcientia vero certa comprehenſio veritatis.

De actibus memoratiuę, & interpretatiuæ.

CAPVT LV.

Tres actus memoratiuæ

MEmoratiuæ vero rationalis triplex eſt actus. Primus ſpecies intelligibiles retinere. Secundus repræſentare. Tertius amiſſas vel oblitas ſpecies reperire, & hoc eſt reminiſci; & in hoc abundat à ſenſibili. Notandum vero, quod memoratiua triplex eſt. Eſt enim memoratiua vis conſeruatiua ſpeciei ſenſibilis, & etiam conſeruatiua ſpeciei intelligibilis, & eſt conſeruatiua vis diuinę ſimilitudinis inditæ à creatione, ſicut dictum eſt.

Interpretatiua duplex actus.

Interpretatiua vero quæ eſt vis indicatiua intellectus duplex eſt actus, ſc. excogitatio & ſignificatio, & eſt excogitatio, figuratio, vel informatio cogitationis ad exprimendum exterius. Significatio verò eſt cogitationis formatæ vel per ſigna vel per verba demonſtratio. Quia vero ſigna in opere confuſa ſunt & æquiuoca, ſc. ad intellectum accommodandum alteri, ideo accommodata ſunt verba ad manifeſtationem intellectus, vt ſigna diſcreta & propria, & ideo ſignificatio intellectus facta eſt locutiua. Eſt autem locutiua verbi interioris mente concepti, id eſt cogitationis, per verba exterius demonſtratio. Hęc autem virtus non eſt eadem cum vocatiua .i. cum emiſſiua vocis. Vocatiua enim eſt ſenſibilium & irrationalium. Locutiua vero eſt rationalium. Vnde nec pica, nec dormientes loquuntur. *Loqui enim vel dicere eſt cum intentione proferre.* Solius ergo proferentis cum intentione eſt loqui, & hęc eſt virtus locutiua. Sed tale eſt rationale, ſc. homo, locutiua ergo quantum ad intentionem eſt intellectiuę, quantum ad prolationem eſt ſenſitiuæ. Hęc enim duo ſunt in eo quod eſt loqui, ſcilicet cum intentione proferre.

Loqui quid?

De viribus animæ motiuis inferioribus.

CAPVT LVI.

DIcto de viribus apprehenſiuis reſtat dicẽdum de motiuis. Eſt itaque vis motiua in bonum, vt natura. Et eſt motiua per apprehenſionem. Motiua vt natura triplex eſt. Eſt enim motiuum in bonum ſupremum, & dicitur ſynderęſis. Et eſt motiuum in bonũ infimũ quod dicitur ſenſualitas, & eſt motiuũ in bonum medium quod dicitur voluntas naturalis. Et eſt bonum ſuperius videlicet bonum rationale quod dicitur honeſtum & bonum ſimpliciter quod ſua vi nos trahit & ſua dignitate nos allicit, & eſt bonum inferius, bonum ſcilicet corporale delectabile carni, quod eſt bonum apparens, ſiue ſecundum quid, & eſt bonum medium ſcilicet quod eſt bonum naturale, quemadmodum eſſe & viuere, intelligere & ſentire, & quęcũque ſunt ſubſtantialia naturæ. Eſt ergo affixus appetitus naturalis & inditus animæ boni honeſti vt virtutum & operationum virtuoſarum: Eſt etiã infixus appetitus boni delectabilis carni, vt quæ ſunt circa cibos, & coitus, & delectationes. eſt iterum infixus appetitus, vt amor boni naturalis ſcilicet eſſendi, viuendi, ſentiendi intelligendi. Eſt ergo ſynderęſis vis naturaliter motiua, & inclinãs animam rationalem ad bonum honeſtum remurmurans & retrahens ab inhoneſto. Senſualitas vero eſt vis naturaliter mouens & inclinans ad corporis delectationem. Voluntas vero eſt vis naturaliter mouens & inclinans ad bonum ſubſtantiale naturæ. Sic ergo diſtinguitur motiua vis vt natura, non per apprehenſionem. Item motiua per apprehenſionem boni diſtinguitur. Nam eſt motiua determinata ad incommutabile bonum, eſt etiam virtus motiua determinata ad commutabile bonum. Et eſt motiua indeterminate ſe habens ad vtrumlibet. Motiua determinata ad incommutabile bonum eſt ſuprema pars rationis vel intellectus, quæ eſt habens ſimilitudinem ſummæ bonitatis à creatione impreſſam, Secundũ quã etiã determinatur in anima imaginatio trinitatis ſecũdum rationem ſimilitudinis ſummi bo-

Motiua triplicia.

Synderęſis

Senſualitas Voluntas.

ni,

Mens. Notitia. Amor.

ni, mens notitia amor. Mens est vis conseruatiua bonitatis inditæ à creatione. Notitia vero est per speculationem illius. Amor vero est per appetitum illius. Itaque sicut suprema pars apprehensiuæ siue intellectiuæ erat imago trinitatis, per similitudinem primæ veritatis indicatiua. Sic suprema pars intellectiuę motiuę est imago trinitatis per similitudinem bonitatis indita. Vnde ex impressione bonitatis nascũtur dictamina iuris naturalis, vt nõ facias alij quod tibi non vis fieri. Et iterum fac alij &c. Motiua determinata ad commutabile bonum est sensibilis quantum est de se. Tamẽ potest considerari duobus modis, vel in se, vel in ordine ad reuelationem vel intellectum. Secundum quod in ordine, vt scilicet sit subiecta ipsi rationi, secundum quod patet in concupiscibili & irascibili, & motiuis membrorum. Secundum quod in se, sic est determinata & ordinata ad bonum sensibile quod est commutabile. Motiua vero determinatè se habens ad vtrumlibet scilicet bonum commutabile vel incommutabile, est vis rationalis pars suprema vel liberũ arbitrium, de qua dicitur Eccles. 15. Dereliquit eum in manu consilii sui, ante hominem vita & mors bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi. Manus consilij, est potestas arbitrij, vita & bonum animæ est ex conuersione liberi arbitrij ad bonum incõmutabile, quod est Deus, mors vero & malum ex auersione ab incommutabili bono, & conuersione ad commutabile. Hæc autem vis à Philosophis dicta est intellectus practicus, eo quod sit principium operabilium.

De practico intellectu.

CAPVT LVII.

Albert. Solet autẽ dici quod speculatiuus per extensionẽ fit practicus, propter illud verbũ Arist. in 3. de anima. Amplius extẽdente se intellectu & dicẽte intelligibilia fugere aut imitari, nõ mouetur sed secundũ desideriũ agit vt abstinens, hæc autem extensio dicitur esse à ratione veri in rationem boni vel mali, secundum quod in ethicorum videtur dicere Philosophus, quod ethicum opus non est comtemplandi gratia sed vt boni fiamus.

Nos autem dicimus quod speculatiuus & practicus conueniunt quidem in substantia, & differunt in ratione. Et hæc ratio est à vero in bonum extensio, sicut dicit Philosophus. Extenditur autem principaliter ad tria scilicet ad bonum & ad actuale vel operabile & ad appetitum. Bonum est primum mouẽs Primus autem boni motus est eius cui sit nuncium de ipso, & hoc est intellectus practicus, non inquantum intellectus. Cunque hoc bonum sit actuale vel operabile, erit vtique in particularibus, quia circa hæc est omne opus, quod patet per circunstãtias in quibus est opus quæ in ethicorum singularia dicuntur. Dicit enim ibi Philosophus, quod volũtarium est cuius principium est in ipso cognoscente singularia, in quibus est opus. Bonum vero non nunciat intellectus, nisi inquantum est appetibile. Ideoque extendit se intellectus mouendo appetitum ab boni consecutionem. Et hoc est quod dicit Philosophus, quod nihil mouet nisi inquantum est appetitum. In speculatiuis autem est status, quia ibi accipitur verum non vt sibi bonum. Et si accipiatur bonum, accipitur vt verum, sicut enim vniuscuiusque ratio est principium veritatis de ipso, ita & boni ratio, nec ibi fit extensio ad particularia, nec ad appetitum. Eo quod speculatiuus nihil actuale considerat secundum Philosophum. Itaque bonum ethicum aliter est in volente & operante. Aliter in tãtummodo sciente. Primo enim modo est vt actule bonum & appetibile. Secundo modo est vt scibile, de quo est veri ratio. Vnde dicitur in ethicorum, quod scire nihil aut parum prodest ad virtutem, velle autem ac perseuerare in operibus multum. Et iterum alibi: Sunt qui ethica non faciunt, ad rationem autem confugientes philosophari quæruntur & esse boni aliquid simile facientes ægris, qui medicos quidem studiosè audiunt, & nihil operandorum faciunt: & quemadmodum illi nunquam bene corpus habebunt sic curati, sic nec isti animam ita philosophantes ideo autem intellectus extenditur à vero in bonum, potiusquã econtrario, quia bonum est post verum in intellectu. Verum enim est in ratione speciei vniuersalis. Bonum autem in particularibus operum. Ideo necesse est intellectui vltra id quod est sui proprium extendi, quia proprium eius inquantum est intellectus est stare in vniuersali. Sed si debeat esse practicus necesse est illũ ad particularia extendi in quibus est ipsa praxis.

Extensio intellectus practici ad tria

Voluntarium quid?

Bonum in sciente & scibile.

Praxis in quibus?

Qualiter ab intellectu speculatiuo differt practicus.

CAPVT LVIII.

Porro secundum quod dictum est, quod speculatiuus per extensionem fit practicus, non videtur practicus à speculatiuo differre in substantia, cum tamen Auicen. videatur dicere quod sit alia vis animæ, hoc etiam per rationẽ videtur probari posse, quia non est vnus habitus potentiæ practicæ cum potentia speculatiua, sicut patet se. At vero potentia cuius non est vnus habitus cum alia, non est eadem in substantia cũ ipsa. Dicit enim Philosophus; quod idem accidente est idem numero. Prętera potentiæ diffiniuntur per actus, & actus per obiecta. Et aliud est actus & obiectum practici secundum rationem quam speculatiui. Alia est ergo hinc & inde potentia. Nos quoque dicimus, quod differentia quidem actuum & obiectorum facit differre practicum à speculatiuo in ratione virtutis & potentiæ, sed non in subiecti ratione. Est autem differentia multiplex, sed quatuor ex dictis Arist. & Auicen. colliguntur. Prima est quod practicus accipit speciem secundum quod est principium operis, speculatiuus autem secundum quod est principium sciẽtiæ, & hoc est quod dicit Arist. in secundo metaphysicæ, quod finis speculatiuæ scientiæ est veritas, & finis operatiuæ est opus. Operantes enim licet considerent in eo quod agunt, tamen non perscrutantur per causã propter seipsam, sed respectu eius quod agũt. Et nos non scimus veritatẽ, absque eo quod sciamus causam eius. Secũda est quod practicus intellectus habet formam operatiuam rei, sed per hoc componitur cum re operata. Dicit enim Aristot. in 8. Methaphysicæ, quod sanitas quæ inducitur in ęgro est à sanitate quæ est in anima medici, & dicitur forma compositionis. Forma vero quæ est in intellectu speculatiuo, non est ad rem, sed à re per abstractionem, & dicitur ideo forma abstractionis. Tertia est, quia intellectus practicus per hoc quod est practicus, cognoscit particularia in quibus est opus, vt tempus, & locus & partes materię sicut patet in arcario, qui cognoscit lignum ex quo est arca & partes eius, sicut operculum & fundum. Intellectus autem speculatiuus est vniuersalium & non cognoscit materiã vel materialia siue particularia in quibus species vniuersalis tantum per materiam diuersificatur. Quarta est quia intellectus præcticus per hoc quod est appetitiuus innititur corpori, & influit virtutem motiuam in ipsum, vt possit exequi motum eius. Sed speculatiuus non innititur corpori sed abstrahit sese ab ipso, per hoc quod stat in vniuersali.

Practici à speculatiuo differentia quadruplex

Vtrum intellectus practicus semper sit rectus.

CAPVT LIX.

Videtur autem quod intellectus practicus semper sit rectus quia dicunt Arist. & Auicen. quod intellectus semper iubet à malo retrahere de natura sua, semper ergo ad bonum inclinat. At vero econtrario quandoque: sequitur motum inferioris motoris, quoniã ab illo est vincibilis, & hic est phantasia, quę quandoque mouetur non rectè, & sic intellectus est quandoque non rectus. Nos itaque dicimus quod intellectus practicus tribus modis accipitur scilicet prout est natura quædam & pars rationalis animæ. Et prout est

Difficultas

Solutio.

potentia diſcernens intelligibilia & operabilia. Et prout eſt principium aliorum operabilium. Si primo modo accipiatur, tunc & ex ſeipſo deflecti poteſt in malum, & hoc probatur natura angelici intellectus qui reflexus eſt in malum, etiam abſq; hoc quod eſſet coniunctus phantaſię. Et propter hoc Damaſcenus dicit, quod omne creabile vertibile eſt aut ſecundum naturam, aut ſecundum electionem. Secundum naturam vt generabilia & corruptibilia. Secũdum electionem vt rationalia & voluntaria. Si ſecundo modo accipiatur; tunc ipſe eſt potentia omnia intelligibilia. Operabilia vero principia ſunt in particularibus, vnde extẽdi habet in particularia. Et cum circa particularia plurimus ſit error, contingit ipſum quandoque iterum reflecti in malum & errare ignorantia. Si tertio modo accipiatur, tunc ipſa erit circa vniuerſalia iuris in quibus non eſt error, & ſic ſemper eſt rectus. Et quia ſic proprie accipitur eo quod ſit de ratione intellectus, vt dicit Auicen. quod circa vniuerſalia remota à materia & appendicijs materiæ ſit, dicit Philoſophus quod ſẽper eſt rectus. Poſſet tamen dici ſicut quidam dixerunt, quod intellectus ordinatur antecedenter ad voluntatem & conſequenter, & quando antecedenter, tunc mouet voluntatem & non errat. Et ille eſt ordo proprius. Quando vero conſequenter, tunc etiã quandoque errat. Sicque ille ordo non eſt proprius ſed indebitus & innaturalis, per quem egrediuntur mores peruerſi, vt dicit Auicenna.

Quomodo hic intellectus ſemper rectus, quomodo non?

De motu phantaſiæ.

CAPVT LX.

PHantaſia vt dicit Ariſt. eſt motus à ſenſu ſecũdum actum factus. Si ergo phantaſia mouet, mouebit ab alia ſpecie quæ fit à ſenſu ſecundum actum facto. At vero in ſenſu non ſunt niſi ſẽſibilia propria, & communia, ex quo ſequitur quod ab illis moueatur phantaſia. Sed econtra nihil mouet niſi per intẽtionem boni vel mali, nec à ſenſibus accipitur intentio huiuſmodi. Igitur phantaſia non mouet per hoc quod à ſenſu accipit. Præterea dicit philoſophus quod phantaſia eſt potentia ſecundum quam in nobis fit phantaſma. Alibi quoque dicit quod ad huiuſmodi nos habemus ſicut ſi ad ſcripturas ſine appetitu ac tenore aſpicientes ſumus. Et ita videtur quod non poſſit mouere phantaſia. Nos quoque dicimus quod hæc ratio verum concludit. Duo enim habet phantaſia motiua ſiue incitatiua ſcilicet quod ſibi fit nuncium de apparenti bono vel malo. Et quod innititur corpori mouendo ipſum per appetitum ſenſibile. Dicitur tamẽ phantaſia large & ſtricte vt ſupra habitum eſt, & hoc intelligitur mouens large ſcilicet quod includit eſſe æſtimationem. Ad hoc obiectum autem contra, dicendum quod licet bonum & malum non accipiantur à ſenſibili, tamen non ſeparantur à ſenſibili prout ſunt in phantaſia. Et hoc eſt quod dicit Auic. quod ſenſus quandoque diffundit concupiſcentiam. Et propter hoc ſcilicet quod ſenſibilis vis id quod videtur bonum non ſeparat à ſẽſibili, ſed accipit cum ipſo.

Difficultas

Solutio.

Quæſtio.

Sed quęritur vnde contingat ei eſſe rectam, & non rectam. Videtur enim quod ſemper ſit recta. Senſus enim propriorum verus eſt, ergo ab illo non habet errare. Si dicatur quod hoc habet à ſenſu cõmuni, contra, obiecta ſenſus communis ſunt ſpecies quantitatis, illis autem non eſt coniuncta ratio vel intentio apparentis boni vel mali, aliter enim bonum vel malum conſiderarentur in mathematicis ſi bonũ & malum eſſent paſſiones quanti. Cum ergo phantaſia ſit de apparenti bono vel malo, ipſa non erit de obiectis ſenſus communis. Igitur ab illis nõ habet errare. Nos autem dicimus, quod phantaſia errorem habet apprehendere à ſenſu communi, vt habetur in libro de anima, ſenſus enim communis non tantum habet apprehendere ſẽſata communia, ſed etiam diuidere propria, ex qua collatione reſultat intentio apparentis boni vel mali.

Reſp.

De differentia eius à ſenſualitate.

CAPVT LXI.

Auctor. Ex ſupradictis vero patet, quod ſenſualitas ſicut ratio vel phantaſia non ſolum apprehenſiuam ſed etiam motiuam vim ſuam habet. Et differunt phantaſia & ſenſualitas, quia phantaſia eſt vis ſecundum quam apparet aliquid eſſe bonum aut malum, & mouetur in bonum aut contra malum. Senſualitas autẽ eſt vis ſecũdum quam percipitur aliquid eſſe bonum aut malum, vt nunc, & mouetur in illud & cõtra illud. In ratione quidem præcellit homo brutis. Senſualitas autem eſt vtriſque communis. Et hoc ſecundum vnam rationem ſcilicet ſecundum ſe, non tamen ratione peccati, videlicet propter ordinationem quam habet in homine ad interiorem potentiam ſcilicet rationalem, in qua nimirum abundat ſuper bruta, propter hũc enim ordinem quodammodo perfectior eſt, & nobilior ſenſualitas in homine, quam in brutis. Ideoque in humana contingit eſſe peccatum in brutali nequaquam. Diuiditur autem proprie ratio contra ſenſualitatem & intellectus cõtra phantaſiã. Quidam etiam diuidunt ſenſualitatem ſicut & rationem in duas partes ſcilicet inferiorem, quæ monet ad illicita, & ſuperiorem quæ ad licita & corporis neceſſaria. Primæ quidem motus pæna eſt & culpa. Secundæ vero motus ſi eſt moderatus nec culpa, nec pęna, ſi immoderatus & culpa & pæna. Tripliciter autem accipitur ſenſualitas. Aliquando pro vi ſenſitiua inferiori, quam vocat Ariſt. ſenſum communem ſcilicet virtutem quandam cui creduntur omnia ſenſibilia & diſcernit à ſingulis ſingula. Aliquando vero pro vi motiua interiori, quæ intendit in quinque ſenſus corporis, vt appetitus. Aliquando etiam pro inferiori parte rationis, quæ circa ſenſualia negociatur.

Senſualitas quid?

De viribus appetitius inobedientibus rationi.

CAPVT LXII.

Iohannes de rupella. Vires autem appetitiuę ſecundum Iohannem Damaſcenum diuidũtur in rationales & irrationales. Irrationalium quoque duæ ſunt partes, hæc quidem inobediens rationi, illa vero obediens ac perſuaſibilis rationi. Inobediens igitur eſt quæ ratione non perſuadetur. Et hæc in quatuor ſubdiuiditur, videlicet in virtutem vitalem quæ pulſatiua vocatur, & ſeminatiuam ſiue generatiuam & plãtatiuam quæ dicitur nutritiua, & argumentatiuam quæ plaſmat corpora. Hæc enim non ratione gubernantur ſed natura. Harum vero numeri ratio ſic patet, generatiua quidem eſt ad generis multiplicationem ac ſpeciei cõſeruationem. Reliquæ vero tres ad conſeruationem eſſe ſingularis, vel perfectionem. Et augmentatiua eſt ad perfectionem ſingularis, ſecundum debitum modum conſiſtentiæ & quantitatis naturalis. Pulſatiua & nutritiua ad conſeruationem eſſe ſingularis contra corruptionem, quæ eſt ex actione caliditatis innaturalis. Et pulſatiua eſt ad temperandum calorem, nutritiua ad reparandum deperditum per calorem. *Albertus.* Ariſt. etiam in primo ethicorum libro diuidit motiuas vires in rationalem & irrationalem. Irrationalem vero ſubdiuidit in obedientem rationi & inobedientem. Obedientem vero diuidit in concupiſcẽtiam & iram. At illa diuiſio data eſt de mouente in comparatione ad primum ordinans motum, quod eſt ratio. Aliquid enim nullo modo eſt ordinabile, eo quod nullo modo ſubiacet imperio rationis, & libertatis voluntatis, ſicut commune plantatiuum, hoc eſt vegetabile, ſecundum quod eſt in homnibus ac brutis & plantis. Aliquid autẽ ordinem rationis percipiat per hoc, quod ſubiacet imperio rationis & libertatis voluntatis, ſicut virtutes quædam interiores animę ſenſibilis, porro aliquid particìpat rationem particulariter, id eſt partes ſui vt virtutes animæ rationalis.

Vis irrationalis inobediens rationi quadruplex

Cur vegetabiles non obediunt ei.

CAPVT LXIII.

CAusa vero cur vegetabiles virtutes non possunt participare rationem duplex est, vna est ex parte corporis, quia scilicet omnes illæ operantur actu calidi & frigidi & humidi & sicci, quorum operationes sunt ad vnum tantum & de necessitate. Sic autem non operantur sensibilis animæ virtutes ac præcipuè interiores, sed potius componendo ac diuidendo apprehensa & æstimando ea. Ideoque non sunt etiam ad vnum nec de necessitate, sed contingenter ad opposita duo scil. apparens verum & falsum in apprehendendo & apparens bonum & malum in mouendo. Alia vero est ex parte animæ, quia scilicet virtus nullo modo apprehensiua non potest imperium superioris motoris percipere, siue sit sibi coniunctus, siue nõ coniunctus. Sed aliquo modo apprehensiua percipit ipsum, & ordinatur ab ipso, ac sequitur ipsum. Vires autem animę vegetabilis nullo modo apprehensiuæ sunt, ideoque non percipiunt imperium rationis. At vero sensibiles vires cum sint apprehensiuæ, percipiunt ipsum, & si sequuntur eum ordinantur. Sed non de necessitate sequuntur quia contingenter se habent ad opus.

Obiect. At vero contra hoc obiicitur, quod plantatiuum æqualiter rationem participare videtur. Nam cuiuscunque actus & materia sunt ordinabilia per virtutẽ moralẽ quæ pars honesti est, illud est participãs æqualiter rationẽ, actus vero & materia nutritiuæ sunt & generatiuæ huiusmodi, ergo participãtia æqualiter sunt rationẽ. *Resp.* Nos autem dicimus, quod generatiua duobus modis cõsideratur sc. in substantia, & sibi annexo per accidens. Si consideratur in substantiali sic habet actus non subiacentes rationi, sicut est attrahere semẽ ad locum generationis & conferre sibi virtutem informatiuam cum quinque suis operibus scilicet assimilatiuo, concauo, perforabili, aspero, & leni. Quorum primum adæquat partes complanando exterius. Secundum autem cauat quæ dant membra, vt sint vasa humidi. Tertium vero perforat spondilia, vt sit concauus transitus nuchæ, vt habeatur vicarius cerebri in collatione motus & sẽsus per totum corpus. Quartum vero exasperat quædam membra, vt stomachum facit interius villosum, quo magis retineat cibum, & matricem interius villosam, quo magis retineat semen conceptum. Quintum autem lenificat & hoc in multis membris quæ lenia sunt. Annexum autem per accidens est motus volũtarius & delectabile tactus, hoc enim non in omnibus habet vnum, sed illa respicit ad animam sensibilem & vlterius ad rationem.

Vis informatiua habet 5. opera.

Similiter dicendum est de nutritiua. Opera enim substantialia nutritiuæ sunt appetere cibum ac digerere, & à loco digestionis ad membra expellere, & pascere membra per vnionem cibi ad substantiam membri, & informare cibum specie membri. Quantum ad hoc non ordinatur à ratione, sed quantum ad annexa per accidens quę non habet in omnibus sicut est tempus & qualitas cibi, & delectatio sensibilis. Secundum hoc enim est sub voluntate & viribus animæ sensibilis.

De obedientibus rationi & primo imperantibus motui id est affectiuis.

CAPVT LXIIII.

Origo omnium affectionum IOhannes de Rupella. Porro vis obediens ac persuasibilis rationi subdiuiditur in imperantem motum & exequentem, imperans quoque motum subdiuiditur in concupiscibilem & irascibilem, ex quibus omnes affectiones oriuntur. Nam rerum hæ quidem sunt bonæ, hæ autem malæ. Bonum expectatum constituit concupiscentiam, præsens vero lætitiam. Similiter autem expectatum malum, timorem, præsens vero tristitiani. Et hic bonum dicimus vel quod est vere bonum vel quod videtur bonum. Similiter autem & malum: & forsitan hæ sunt idem cum appetitiuis secundum substantiam sed non secundum rationem, iuxta id quod dicit Auicenna, inquantum enim intenduntur vires appetitiuæ, fiunt affectiuæ siue desideratiuæ.

Appetitus Notandum ergo quod appetitus est motus imperii siue irascibilis siue concupiscibilis. *Affectio.* Affectio vero est motus interior consequens ad apprehensionem boni vel mali. Vnde affectiones iuxta sanctos atque philosophos multiplicantur secundum differẽtias quatuor, videlicet gaudium siue lętitiam, dolorem seu tristitiam, cupiditatem seu spem, metum siue timorem. Quarum scilicet numeri ratio patet ex prędictis. Nam ex apprehẽsione boni futuri oritur cupiditas siue spes, ex comprehensione boni præsentis gaudium seu lætitia. Porro ex comprehensione mali futuri nascitur metus siue timor, ex comprehensione autem mali præsentis oritur tristitia seu dolor.

De differentia essentiali & concupiscibilis & irascibilis.

CAPVT LXV.

AD cognoscendum autem differentiam virtutis concupiscibilis & irascibilis. Notandum est quod bonum dicitur duobus modis, videlicet bonum simpliciter & bonum expediens. Bonum simpliciter hoc dicitur delectabile. Bonum expediens arduum quod & tristabile. Bonum tamen dicitur quia vtile. Bonum delectabile vt cibus. Bonum expediens vt medicina vel inscisura propter salutem corporis. Est itaque vis cõcupiscibilis appetitiua boni delectabilis. *Vis concupiscibilis* Vis autem irascibilis, appetitiua boni ardui expedientis. *Irascibilis* Præterea notandum quod sicut duplex est esse scilicet esse naturæ, & esse ordinis absolutum & comparatum, sic duplex bonum. Est enim bonum naturale scilicet conueniens & consentaneum naturæ, & hoc est bonum delectabile: delectatio enim est coniunctio conueni entis cum conuenienti. *Delectatio* Et est bonum ordinis quod est honorabile vel excellens. Duplex est ergo virtus appetitiua boni quę est motiua ad bonum. Nam alia est motiua sine appetitiua boni naturæ delectabilis. Alia boni honorabilis siue excellentis. Prima est concupiscibilis quæ intendit delectationem. Secunda irascibilis quæ intendit excellentiam vel honorem.

Vnde Damascenus videtur dicere, motum irę procedere ex amore excellentię quo quodlibet perfectum animal vult custodire proprium ordinem. Præterea cum bonum sit principium mouendi cum apprehenditur, similiter & malum. Si ergo est vis quę mouet secundum apprehensionem boni vt concupiscibilis, erit & vis quæ moueat secundum apprehensionem mali. Sicut ergo per apprehensionem boni expectati fit motus cupiditatis & desiderij in cõcupiscibili, sic per apprehensionem mali opinati fit motus timoris in irascibili, similiter sicut per coniunctionem boni siue per adeptionem fit quietatio vis cõcupiscibilis, sic per ablationem & diuisionem boni concupiscibilis fit perturbatio vel ira in irascibili. Diuisio autem boni vel ablatio læsio est concupiscibilis, & hæc æstimatur malum. Cum ergo apprehenditur hoc malum, si vis irascibilis est confortata, tunc sperat & audet & irascitur, & hoc est moueri contra malum insurgendo in vindictam vel bellum. Vnde Damascenus. Ira est id quod audax est læsæ mentis concupiscentiæ vindex. *Ira.* Si vero est disconfortata, tunc desperat & timet & fugit, quod est moueri à malo. Sicut ergo est vis quæ mouetur ad bonum, & quiescit in bono concupiscibilis, similiter erit vis quæ mouebitur contra malum, & recedit à malo. Sic ergo ex his manifestum est, quid irascibilis, & quid coucupiscibilis, & quæ earum differentiæ sint essentiales.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De actibus concupiſcibilis.

CAPVT LXXVI.

Actus concupiſcibilis.

NVnc autem determinandi ſunt actus & motus, qui fiunt ex imperio concupiſcibilis & iraſcibilis virtutis, & primo de concupiſcibili. Sciendum ergo quod virtus concupiſcibilis cũ ſit in bonum delectabile, habet actus concupiſcere, deſiderare, gaudere, lætari, diligere. Et cum contraria nata ſunt fieri circa idē erunt actus contrarij prædictis ipſius concupiſcibilis, vt faſtidire quod eſt contrarium concupiſcere. Abominari quod eſt contrarium deſiderare. Dolere quod contrariatur gaudere. Triſtari quod contrarium eſt lætari. Odire quod eſt contrarium amare & diligere. Eſt autem concupiſcere, apprehēſum delectabile appetere. Deſiderare verò intensè & ardenter appetere. Gaudere vero & iucundari de adeptione boni. Lætari vero eſt de fruitione ſiue vſu boni. Amare vero & diligere aliquid bonum appetere. Nam propriè amor & dilectio non dicuntur reſpectu ſui, ſed alterius. Econtra faſtidire eſt delectabile reſpuere. Abominari vero eſt cum ardore & intentione reſpuere. Dolere affligi ex ſeparatione ſeu diuiſione boni delectabilis ſiue cōuenientis. Triſtari vero affligi ex preſentia ſiue coniunctione diſconuenientis ſiue triſtabilis. Odire vero eſt velle alijs malum ſiue appetere. Poſſemus etiam addere aliam contrarietatem actuum qui pertinent ad concupiſcibilem & iraſcibilem, ſcilicet miſereri & inuidere. Sed quia miſereri eſt contriſtari in alienis malis, inuidere triſtari in alienis bonis, ideo continentur ſub triſtitia.

Actus cōcupiſcibilis ſecundum placentiam & diſplicētiam

Notandus eſt ego numerus horum actuum. Duplex enim eſt diſpoſitio virtutis concupiſcibilis mouentis ad actus, ſcilicet placentia & diſplicentia. Quidam ergo actus exeunt ab ea ſecundum placentiam. Quidam vero ſecundum diſplicentiam. Secundum placentiam duobus modis: nam placentia aut eſt boni aut mali. Si boni iterum dupliciter, proprij vel alterius. Si proprij, iterũ dupliciter coniuncti vel diſtãtis. Boni ergo proprij diſtantis adhuc placentia generat concupiſcentiam & deſideriũ. Sed concupiſcentia eſt appetitus illius ſimpliciter, deſideriũ appetitus intenſus. Boni vero delectabilis proprij coniuncti placentia generat gaudium & lætitiam, ſed gaudium de appetitione, lætitiã, de fruitione vel vſu. Boni vero alterius placentia generat amorem & dilectionem. Mali vero placentia nõ poteſt eſſe reſpectu alterius. Nullus enim poteſt malum ſibi appetere. Ideo placentia mali eſt ſolum reſpectu alterius & generat odium. A concupiſcibili ergo ſecundum placentiam exeunt iſti actus concupiſcere, deſiderare, gaudexe, lętari & amare, odire. Secundum diſplicentiam egrediuntur actus multipliciter. Nam diſplicētiam aut eſt boni aut mali, ſi boni aut proprij vel alterius, ſi proprij generantur faſtidium & abominatio ſeu acedia, ſi alterius, generatur inuidia, ſi autem mali, hoc eſt dupliciter proprij vel alterius, ſi proprij generatur dolor & triſtitia, ſi alterius generatur miſericordia. Sic ergo determinātur prædicti actus concupiſcibilis. Et ſi qui ad hos ſunt reducibiles ſecundum placentiam & diſplicentiam, qua ſunt diſpoſitiones ipſius concupiſcibilis, vt imperet motibus.

De actibus iraſcibilis

CAPVT LXVII.

Actus iraſcibilis ſecundū confortationem.

ACtus autem iraſcibilis cum ſit in arduum & difficile, ſunt ſecundum duplicem diſpoſitionem, ſcilicet debilitatis & corroborationis. Debilitas eſt diſpoſitio quæ conſequitur ex diſconfortatione virtutis iraſcibilis. Corroboratio eſt diſpoſitio quæ conſequitur ex confortatione eiuſdem, ſecundum ergo corroborationem fiunt actus ex imperio iraſcibilis, quidam in bonum, quidam contra malum. In bonum vero non ſecundum quamcunque rationem, ſed ſecundum excellentię rationem, vel honoris, ſecundum hoc ergo ſunt actus ambitio, & ſpes, ſuperbia, dominatio, contemptus. *Ambitio* & ſpes ſunt reſpectu honoris vel excellentiæ adhuc diſtantis, ſed ambitio eſt appetitus honoris vel excellentiæ non habitæ vel arduj cuiuſcunque. *Spes* vero appetitus eiuſdem, ſed cum confidentia obtinendi. *Superbia* verq & dominatio & cõtemptus ſunt reſpectu boni ardui, vt honoris & potentiæ iam obtentę: ſed ſuperbia & dominatio dicunt appetitum excellentiæ, vel dominationis præſentis. Et intentio ſuperbiæ eſt ab inferioribus ad ſuperiora excellere. Intentio dominationis eſt per ſuperioritatē inferioribus preęſſe. *Contemptus* vero dicit deteſtationem ſiue reprobationem ſubiectionis ſiue veritatis vel virtutis. Contemptus enim proprie eſt reprobatio alicuius rei vel perſonæ, quia æſtimatur vilis.

Ambitio. *Spes.* *Superbia.* *Dominatio* *Contemptus.*

Contra malum vero fiunt actus ſecundum roborationem iraſcibilis ſcilicet audere, & iraſci & inſurgere. Et audere eſt de victoria mali præſumere. Iraſci vero eſt vindictam vel punitionem appetere. A quo ſequitur inſurgere in vindictam ſeu inferēdum malum. Iſti ergo actus egrediuntur ab iraſcibili ſecundum corroborationem ipſius in appetendo bonum arduum, vel inſurgendo contra malum.

Audacia. *Ira.* *Inſurrectio*

Actus ſecundum debilitatem.

Secundum debilitatem vero ſeu diſconfortationem ſunt motus ab iraſcibili per modum fugæ, & hoc multipliciter. Nam quidam motus ſunt fugæ à bono, quidam fugę à malo, & motus fugæ à bono non ſecũdum rationem boni cuiuſcunque ſed boni ardui ſiue excellentiæ, ſecundum hoc ergo ſunt motus paupertas ſpiritus, deſperatio, humiliatio, reuerentia. Et paupertas ſpiritus opponitur ambitioni, quæ eſt appetitus fugę honoris & excellentię. Deſperatio vero eſt appetitus reſiliens à bono arduo propter diffidentiam obtinendi, ſiue diffidentiam reſiliens ab arduo obtinendo, & eſt cõtraria ſpei. Humiliatio vero eſt amor ſubiectionis, & fugiens excellentiam. Et contraria eſt ſuperbiæ & dominationi. Reuerentia vero eſt ex conſideratione excellentiæ alterius reſilitio in propriã paupertatem, ſiue veneratio rei vel perſonæ alicuius propter ſuam excellentiam, & eſt contraria contemptui. Hi ergo ſunt motus iraſcibilis per modum à bono.

Dubium. Reſp.

Sed dubitabit aliquis cum bonum trahat appetitum, quomodo poteſt eſſe fuga reſpectu boni? Reſponſio, non boni inquantum bonum, ſed inquantum difficile. Quidam vero actus ſunt per modum fugæ à malo, vt pænitentia, impatientia, timor. Et pænitentia eſt fuga ſiue reſilitio à pręterito malo ſeu deteſtatio. Impatientia eſt reſilitio à præſenti malo. Timor vero eſt fuga ſiue reſilitio à futuro malo. Secundum ergo diſpoſitionem debilitationis virtutis iraſcibilis procedunt actus ſcilicet paupertas, ſecundum quod reſtringitur ad appetitum deſertionis honoris, deſperatio, humiliatio, reuerentia,, & pœnitentia, impatientia, timor. Quibus contrarij ſunt actus procedentes ſecundum diſpoſitionem corroborationis virtutis iraſcibilis, ſcil. ambitio, ſpes, ſuperbia, ſeu dominatio, contēptus, audacia, ira, magnanimitas, ex qua eſt inſurgere.

De actibus vtriuſque generaliter & organo ambarum.

CAPVT LXVIII.

HÆc ergo de actibus virium iraſcibilis & concupiſcibilis quæ ſunt imperantes, dicta ſunt. Et generaliter quicunque motus ſunt in bonum delectabile inquantum huiuſmodi, & horum contrarii ſcilicet quicunque ſunt circa triſtabile inquantum triſtabile opponitur delectabili, ſunt motus procedentes ex imperio concupiſcibilis. Similiter quicunque ſunt motus in bonum expediens ſiue arduum appetendo ſiue fugiendo ab illo, & quicunque contra malum inſurgendo, vel à malo fugiendo, ſunt motus procedentes ex imperio iraſcibilis. Non autem tales ſunt motus qui iam dicti ſunt ſupra procedere ab imperio concupiſcibilis, ſcilicet dolor, odium miſericordia, inuidia. Nam huiuſmodi, motus

non

non fiunt inſurgendo contra malum vel fugiendo ab eo, ſed magis placendo vel diſplicendo ſicut patet ex prędictis.

Organum vtriuſque virtutis cor

Organum autem virtutis iraſcibilis & concupiſcibilis eſt cor. Sicut enim virtutis apprehenſiuæ ſenſibilis organum principale eſt cerebrum , ita virtutis motiuæ organum eorum eſt cor, ſicut dicunt philoſophi. Et huiuſmodi ſignum eſt dilatatio cordis & conſtrictio & reuocatio ſanguinis & ſpirituum ab exterioribus ad interiora in motibus concupiſcibilis & iraſcibilis. Cũ enim motus ſit à virtute cõfortata, tunc fit dilatatio cordis,& emiſſio ſanguinis & ſpirituum à corde, vel interioribus ad exteriora, ſed leuiter, cõfortata concupiſcibili , impetuòsè confortata iraſcibili. Diſcõfortata vero virtute fit cordis conſtrictio & reuocatio ſpirituũ, ſed diſconforta concupiſcibili lentè, B iraſcibili vero impetuosè. Ex his ergo paſſionibus differentibus in motibus concupiſcibilis apprehenditur organum virtutis motiuæ quod eſt cor.

De ſpeciebus triſtitię ac lætitiæ.

CAPVT LXIX.

Lætitia vera & mendaces

Lætitiam diuidit Iohannes Damaſcenus multipliciter. Primo ſic. Lætitiarum quædam ſunt animales, quædam corporales. Animales ſunt , quæcunque ſunt ſolius animæ ſecundum ſeipſam, quęcunque ſcilicet ſunt circa diſciplinas contemplatiuas. Corporales vero ſunt quæ cum coniunctione corporis & animæ fiunt. Et ideo tales vocantur quæcũque fiunt circa cibos & coitus & talia. Solius quippe corporis nequaquam inueniet quis lætitias. Alio modo ſic , lætiC tiarum quædam ſunt veræ, quædam mendaces. Veræ ſunt ſolius mentis ſecundum doctrinam & contemplationem. Mendaces quę ſunt cũ corpore ſecundum ſenſum. Eas autem lætitias quæ ſunt cũ corpore ſubdiuidit ſic. Lætitiarum quę cum corpore ſunt, quædã ſunt naturales ſimul & neceſſariæ , ſine quibus viuere impoſſibile eſt , vt nutritiuæ & indige ntiærepletiuæ, & indumenta neceſſaria. Aliæ vero naturales non ſunt neceſſariæ , vt quæ ſecundum naturam & legem ſunt commixtionis , hæ enim in permanentiam quidem totius humani generis conferunt. Poſſibile autem eſt & ſine eis in virginitate manere. Alię vero quę neque neceſſariæ neque naturales ſunt, vt ebrietas, & luxuria & plenitudo vtilitatem excedens. Neque enim ad conſiſtentiam vitæ noſtræ conferunt , neque ad ſucceſſionem generis, ſed etiam nocent. Eum ergo qui ſecundum Deum viuit oportet neceſſarias & naturales ſimul pertranſire. In ſecundo vero ordine naturales & non neceſſarias ponere cum decenti tempore & modo & menſura. Alias autem oportet omnino retinere.

Species quatuor triſtitia

Triſtitiam autem diuidit ſic. Triſtitiæ ſpecies ſunt quatuor, *acedia, achos, inuidia, miſericordia.* Acedia eſt triſtitia aggrauans. Achos verò eſt triſtitia vocem auferens. Inuidia vero eſt triſtitia in alienis bonis. Miſericordia vero eſt triſtitia in alienis malis. Quorum numerus ſic patet , quia triſtitia aut eſt de bono , aut de malo. Si de bono aut eſt de bono proprio,& ſic acedia, quæ eſt tædium interni boni , aut de alieno & ſic inuidia. Similiter de malo , aut de malo proprio & E ſic eſt achos , aut de malo alieno , & ſic eſt miſericordia.

Dubium.

Sed dubitabit aliquis cum bonum ſecundum ſe coniunctum afferat lætitiam , cur dictum eſt prius

Reſp.

quomodo poſſit eſſe triſtitia de bono. Dicimus quod bonum inquantum bonum non infert triſtitiam , ſed inquantum diſconueniens ac improportionale, hoc eſt non placens affectui contrariam diſpoſitionem habenti, ſeu inconuenientem illi bono, quemadmodum lux quæ ſecundum ſe delectabilis eſt viſui, tamen malè diſpoſito odioſa eſt. Vnde Auguſtinus: *Oculis ægris odioſa eſt lux.*

De ſpeciebus timoris & iræ.

CAPVT LXX.

Sex genera timoris.

Diuidit etiam timorem in ſex, *in ſegniciem, & erubeſcentiam, verecundiam, & admirationem, ſtuporem, & agoniam.* Segnicies eſt timor futuræ operationis. Erubeſcentia eſt timor in expectatione conuicij. Verecundia eſt timor in turpi actu. Admiratio eſt timor ex magna imaginatione. Agonia eſt timor per caſum, ſcilicet per infortunium. Timentes enim infortunatas actiones agonizamus, quorum numerus ſic patet. Cum timor ſit ſuſpicio futuri mali , aut igitur eſt æſtimatio futuri mali ſecundum diſpoſitionem proximam,& ſic agonia, aut ſecundum diſpoſitionem remotam, & hoc duobus modis , aut enim diſpoſitio B iam adhuc remota eſt ſecundum viam virtutis apprehenſiuæ , & ſic eſt admiratio & ſtupor. Sed admiratio ex imaginatione magna, ſtupor ex inſolita. Aut attenditur quòd diſpoſitio adhuc remota eſt per comparationem ad virtutem motiuam,& ſic eſt ſegnicies, erubeſcentia & verecundia. Sed ſegnicies eſt reſpectu mali in opere. Erubeſcentia reſpectu mali in verbo. Verecundia reſpectu mali in opinione, propter hoc. n. verecundamur , quia alius eſt conſcius noſtri turpis actus. Et notandũ quod malum dicitur hic communiter ſecundum quod eſt commune ad triſtabile,& difficile, & diſconueniens quodcunque. Conſequenter ſubdit de ira quam diffinit ſecundum duos modos. Primo materialiter ſic. *Ira eſt feruor eius qui circa cor & ſanguinis ex enaporatione & perturbatione fellis fiens.* Secundo moraliter , & dupliciter. Vno modo , *ira eſt deſiderium repunitionis.* Iniuriam enim paſſi, æſtimantes ſe inC iuſtitiam pati iraſcuntur. Et eſt quaſi mixta paſſio & ex concupiſcentia & ira. Alio modo ſic, ſcilicet, *ira eſt id quod audax eſt mentis vindex læſæ concupiſcibilis.* Cum enim concupiſcimus aliquid & prohibemur ab aliquo, iraſcimur aduerſus eum, vel quod iniuſta paſſi mente, ſcilicet iudicante dignum anguſtia, quod factum eſt in cuſtodientibus ſecundum naturam proprium ordinem, per quod dat intelligere, quod ex amore naturali reſpectu proprij ordinis ſecundum honorem & excellentiam fit motus iræ.

Ira.

Species iræ tres.

Deinde ſubdiuidit ſpecies iræ quæ ſunt tres , ſcilicet, fel ſiue fellea & ira quæ vocatur mania & cholos, ſcilicet furor. Ira enim principium & motum habẽs, ira & fel & fellea vocatur , hoc eſt, quę de facili recedit. Mania vero eſt ira permanens , ſcilicet memoria mali. Vnde à manendo dicitur,& memorię tradendo. D Cholos autem , id eſt furor eſt ira obſeruans tempus in vindictam. Notandum ergo quod hæ quatuor, lætitia, triſtitia, timor , & ira ſunt ipſius concupiſcibilis & iraſcibilis. Sed lætitia & triſtitia cõcupiſcibilis, lætitia cõcupiſcibilis confortatæ, triſtitia diſconfortatę. Cum enim vis concupiſcibilis confortatur, lætatur & gaudet. Cum diſconfortatur, triſtatur & dolet. Timor autem & ira iraſcibilis, ſed timor diſconfortatæ , ira confortatę. Cũ enim virtus iraſcibilis cõfortatur, tunc ſperat & audet, cum diſcõfortatur deſperat & timet.

De diuerſis cauſis differentiæ affectionum.

CAPVT LXXI.

Triplex cauſa affectionũ Prima.

AD explanationem autem maiorem affectionum ſciendũ eſt, quod differentia in affectionibus proE uenit ex triplici cauſa. Vna eſt diſpoſitio apprehenſionis. Alia eſt diſpoſitio virtutis motiuæ. Tertia eſt diſpoſitio cõplexionis corporis. Diſpoſitio enim apprehenſionis maximè operatur ad aptitudinem triſtitiæ & lætitiæ, timoris vel ſpei. Cũ enim anima imaginatur ſpeciem aliquam boni vel mali & agit ex hoc, quod cor corroboratur in ea , ſtatim materia corporalis recipit diſpoſitionẽ habentẽ cõparationem ad illã. Sicut nos videmus in diſpoſitione infirmi, cũ credit ſe cõualeſcere, aut ſani credit ſe ęgrotare. Multoties. n. cõtingit quod roboratur forma imaginatiua in anima quod

patiatur

patiatur ex ea ipſa materia corporis, & proueniat ex hoc ſanitas & infirmitas. Et eſt hæc actio efficacior, quam id quod operatur medicus. Et ſicut patet in diſpoſitione hominis ambulantis ſuper trabem quę eſt in media via, ambulat enim ſuper trabem ſecurè, ſed ſi poſita fuerit vt pons ſuper aquam profundam, non audebit ambulare ſuper aquam, eo quòd in anima eius eſt forma vel imaginatio cadendi vehementer impreſſa. Sic ergo manifeſtum eſt, qualiter ſecundum apprehenſionem cum corroboratur imaginatio, conſequitur diſpoſitio ad timorem vel audaciam, dolorẽ vel triſtitiam, & quaſi à cauſa neceſſaria.

2. cauſa. Secunda cauſa eſt diſpoſitio virtutis motiuæ quam habet ex conſuetudine exercitij. Cum enim virtus concupiſcibilis frequenter exercetur ad lætitiam aptior eſt ad illam. Cum vis iraſcibilis exercetur ad ardua audacior eſt ad illa, & per contrarium exercitium fiunt aptitudines ad contraria, ſcil. ad triſtitiam & ad metum. Per omne enim quod frequentat, virtus roboratur. Ex corroboratione autem virtutis eſt aptitudo, ſicut patet in corporibus, cum corpus frequenter caleſcit, aptum eſt ad cito caleſcendum. Similiter cum frigeſcit, ſiue cum diſſoluitur, ſiue conſtringitur. Similiter interiores virtutes animæ cum frequentant actiones ſuas habilitantur, & fit in eis fortis habitus ad actus conſuetos.

3. cauſa. Tertia cauſa eſt diſpoſitio complexionis ſecundum ſpiritus corporeos, & ſanguinem & humores. Spiritum autem (ſecundum quod dicit Auicenna) dicunt, quòd eſt ſubſtantia lucida, & effigiat vultus hominum ad ſimilitudinem cæleſtium corporum. Vnde ſpiritus viſibilis vocatur radius & lux. Vnde anima congratulatur cum videt lucem, & moleſtatur in tenebris. *Spiritus aptus gaudio.* Notandum ergo quòd cum ſpiritus qui eſt in corde fuerit multus & temperatæ complexionis in tenuitate & ſpiſſitudine, & lux eius fuerit reſplendens, erit aptiſſimus gaudio. Cum autem fuerit paruæ quantitatis & materia fuerit pauca, ſicut in conualeſcentibus qui ſunt graciles ex infirmitate & in ſenibus. Siue fuerit diſtemperatę complexionis vt in calidis & cholericis, ſiue ſpiſſus & craſſus, vt in melancholicis, erit aptus triſtitiæ. Vt autem quod aptum eſt ad aliquid, ſufficit quælibet cauſa, ſicut ſulphuris accenſio, quod incenditur quolibet igne, licet cum multo maiore igne ligna non incendantur. Cum ergo anima fuerit habens ſpiritus aptos ad patiendum ex lætis, lætabitur qualibet ex cauſa, ſi vero aptum ad patiendum ex triſtibus, triſtabitur: ſimiliter nota circa complexionem humoris ſecundum Auicennam, quod cum ſanguis eſt inferius temperatus inter tenuitatem & craſſitatem propter abundantiam ſpiritus reſplendentis aptat animã gaudio, ſanguis vero clarus diſtemperatus in calore propter multam eius accenſionem vel velocitatem ſui motus, aptat eam iracundiæ, ſanguis autem ſi tenuis, aquoſus, frigidus, aptat eam debilitati cordis & timoris, ſpiritus enim qui fit ex eo eſt grauis ad mouendum exterius, & eſt paruæ accenſionis, ſanguis vero craſſus, turbidus, diſtemperatus in calore, aptat triſtitiæ & iracundiæ pertinaci. Sed triſtitia fit per ſpiritum turbidum, qui generatur ex eo. Ira vero propter velocitatem accenſionis ſuę ex calore. Pertinacia autem iræ fit ex hoc, quod eſt ſpiſſus, quia ſpiſſum cum caleſcit non cito frigeſcit. Si vero ſanguis ſit tenuis & diſtemperatus in calore cito accenditur & cito extinguitur, & ideo aptat ad iram facile mobilem, & ſic intellige in ſimilibus.

Adhuc de eodem.

CAPVT LXXII.

Potentia. Aptitudo. EX his ergo nota differentiam inter potentiam & aptitudinem. Potentia enim eſt æqualiter ad contrarias affectiones. Aptitudo determinatur magis ad vnam illarum, v.g. Omnis homo æqualiter poteſt triſtari & gaudere, ſed quidam aptiores ſunt gaudio, quidam triſtitiæ propter cauſas prædictas. Ex quibus aptitudinibus dicuntur quidam iucundi, quidam triſtes, quidam iraſcibiles, quidam formidoloſi.

Notandum quod quaſdam diſpoſitiones habet anima ex ſe tantum, ſicut intelligere & contemplari veritatem. *Anima ex ſe* Quaſdam habet corpus ex ſe, vt compoſitionem & complexionem & ſolutionem continuitatis. *Corpus ex ſe.* Quaſdam vero habet anima ex hoc quod eſt habens corpus, vt concupiſcentiam, & iracundiam, & imaginationem, quę ſunt etiam in anima ſeparata per comparationem ad corpus, quaſdam vero habet corpus inquantum eſt habens animam, ſicut eſt ſomnus & vigilia, ægritudo & ſanitas. Quaſdam vero habet homo ratione coniuncti ex corpore & anima, ſicut ædificare & artificia perficere.

De vitioſitate & radice affectionum.

CAPVT LXXIII.

Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 14. Philoſophi qui prius veritati acceſſerunt iram atque libidinem vitioſas animæ partes confeſſi ſunt, eo quod inordinatè mouentur ad ea, quæ etiam ſapientia perpetrari vetat. At per hoc opus habere moderatricem mentem & rationem. Quam partem animi tertiam velut in arce quadam ad illas regendas perhibent collocatam, vt illa imperante, iſtis ſeruientibus poſſit in homine iuſtitia ex omni parte animæ ſeruari, hæ ergo partes, quas etiam in homine ſapiente, fatentur eſſe vitioſas, vt eas ab his ad quę iniuſtè mouentur, mens cohibeat ac reuocet, atque adeat, permittet, quæ ſapientiæ lege conceſſa ſunt, ſicut iram ad exercendam iuſtam coertionem, libidinem ad propagandæ prolis officium. Primo in homine ante peccatum vitioſæ non erant. Nam quod nunc ita mouentur, & à iuſtis ac pijs aliàs facilius, aliàs difficilius, tamen cohibendo modificantur, non eſt vtique ſanitas ex natura, ſed languor ex culpa.

Itaque quatuor ſunt animi perturbationes, quibus omnis humanorum morum vitioſitas continetur: de quibus videlicet ſic loquitur Virgilius, agens de animabus incluſis corporibus, *Hinc metuuntque dolent, gaudentque Nec auras, ſuſcipiunt clauſæ tenebris & carcere cœtro.* Intereſt tamen qualis ſit voluntas hominis, quia ſi peruerſa eſt peruerſos habebit hos motus. Si autem recta, non ſolum culpabiles, ſed etiam laudabiles erunt. Voluntas quippe eſt in omnibus, immo omnes nihil aliud ſunt quàm voluntates. Nam quid eſt cupiditas & lętitia, niſi voluntas in eorum conſenſione vel conſecutione quæ volumus? Et quid eſt metus & triſtitia niſi voluntas in diſſenſione ab his quæ volumus? Sed cum conſentimus appetendo quæ volumus cupiditas. Cum autem conſentimus fruendo his quæ volumus, lętitia vocatur. Itemque cum diſſentimus ab eo quod accidere volumus, talis voluntas metus eſt. Cum autem ab eo quod nolentibus accidit triſtitia eſt. Et quia recta voluntas eſt bonus amor, voluntas autem peruerſa malus amor. Amor inhians habere quod amatur cupiditas eſt. Id autem habens eoque fruens, lætitia, fugiens quod ei aduerſatur timor eſt. Idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia. Proinde mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor, bona, ſi bonus. *4. animi perturbationes*

De ordinatione ipſarum.

CAPVT LXXIV.

PROinde ciues ſanctæ ciuitatis Dei has affectiones rectas habent, quia rectus eſt amor eorũ, metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam. Dolent in ſpe quę in ſemetipſis, ingemiſcũt adoptionem filiorũ Dei expectantes redemptionem corporis ſui. Gaudent in re, quia fiet & ſermo qui ſcriptus eſt: *Abſorpta eſt mors* *Studium electorum.*

est mors in victoriam. Item metuunt peccare, cupiunt perseuerare. Dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis. Item sicuti infirmitas eorum firmitasq; habuerit, metuunt tentari, cupiunt tentari, dolent & gaudent in tentationibus. Non solum autem propter semetipsos his mouentur affectibus, sed & propter eos quos liberari cupiunt, & ne pereant, metuunt, & dolent, si pereunt, gaudent si liberantur. Vnde Apostolus gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus, desiderat videre Romanos vt aliquid impertiatur eis gratiæ spiritualis. Æmulatur Corinthios, & ideo timet ne seducantur à charitate quæ est in Christo.

Cum ergo hi affectus de amore boni & sancta charitate venientes rectam rationem sequantur, quando vbi oportet adhibentur, quis eas tunc morbidas seu vitiosas animi passiones audeat dicere? Quamobrem etiam dominus ipse in forma serui vitam dignatur agere humanam, sed nullum habens omnino peccatum eas adhibuit vbi adhibendas esse iudicauit. Neq; enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus falsus erat humanus affectus. Cum ergo eius in Euangelio ista referuntur quòd super duritia cordis Iudæorum cum contristatus sit, quod dixerit: *Gaudeo propter vos vt credatis*; quòd Lazarum suscitaturus esset lachrymas fuderit, quòd cum discipulis suis pascha manducare concupiuerit, & appropinquante passione, tristis fuerit anima eius vsque ad mortem, non falso vtique referuntur. Vnde motus hos ille certe dispensationis gratia ita cum voluit suscipit, animo humano, vt cum voluit factus est homo. Proinde quod fatendum est secundum Deum, & rectas habemus has affectiones, huius vitæ sunt, non illius quam speramus futuram. Et sæpe etiam eis inuiti cedimus. Itaque aliquando quamuis non culpabili cupiditate, sed laudabili charitate moueamur, vt cum volumus flemus, habemus ergo eas ex humanæ conditionis infirmitate. Non autem ita Dominus Iesus, cuius & infirmitas fuit ex potestate. *Hugo in lib. de anima & spiritu.* Anima ergo habet affectiones quibus exercetur ad virtutes, dolor namque de peccatis, timor de supplicijs, desiderium de promissis, gaudium de præmiis, quædam exercitia sunt virtutum. *Bernardus Clarevallensis in sermone de ieiunijs.* Miser homo qui totus pergens in eo quæ foris sunt, & ignarus interiorum suorum, putans se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit. Attende solerter quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas vel contristeris, & sub habitu conuersionis cor peruersum inuenies. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, & de his accipiendum puto quod per Prophetam dicitur à Domino. *Conuertimini ad me in toto corde vestro:* non enim corporalis conuersionis nos admonet, quæ quidem in momento fieri posset, sed spiritualis, quæ non vno die perficitur, vtinam vel in omni vita præsenti valeat consummari. Hanc vero spiritualem non parum adiuuat corporalis, de qua subiungitur, in ieiunio & fletu. *Idem in libro de Consideratione 5.* Ecce affectus nostri latent mole corporea prægrauati, & luto hærentibus desideriis. Sola interim arida & tenuis consideratio præuolat. Et tamen ex tantillo quod iam datur, libet exclamare. Domine dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis glorię regni tui. Quid si totum colligat se anima, & reductis affectibus è cunctis locis quibus captiui tenentur timendo quæ non oportet, amando quæ non decet; dolendo vanè, gaudendo vanius, cum his ineat tota voluntate & libertate volatum pulset impetu spiritus, & in pinguedine gratiæ illabatur. Nonne cum cæperit circumire illas lucidas mansiones, & sinum illum Abrahæ curiosius perscrutari, & sub altari Martyrum reuisere animas in prima stola, secundam patientissimè expectantes, multo magis tunc instabit, & dicet, Vnam petij à Domino &c.

Cur Christus lachrymatus est?

Infirmitas Christi ex potestate.

Conuersio in toto corde difficilis.

De Apathia siue carentia affectionum.

CAPVT LXXV.

Augustinus vbi supra. Nos itaque dum vitæ huius infirmitatē gerimus si affectiones omnino nullas habemus, tunc potius non rectè viuimus. Vituperabat enim Apostolus quosdam, quos etiam dixit sine affectione esse. Nam omnino non dolere dum sumus in hoc loco miseriæ, sicut etiam quidam apud huius sæculi litteratos ait, non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore. Quo circa illa quæ græcè apathia dicitur, latinè impassibilitas si ita intelligenda est, vt sine his affectionibus v.uatur, quæ contra rationem accidunt, mentemque perturbant; Bona plane & maxime optanda est, sed nec ipsa est huius vitæ. Nam in hac vita si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Tunc itaque apathia illa erit quando peccatum nullum erit in homine, nunc vero satis bene viuitur, si sine crimine. Sine peccato autem, qui se viuere æstimat, non id agit vt peccatum non habeat, sed vt veniam non accipiat.

Quæ apathia optanda?

Sed si apathia illa dicitur cum animum contingere omnino non potest vllus affectus, quis hunc stuporem non omnibus vitiis iudicet esse peiorem. Potest ergo non absurdè dici perfectam beatitudinem sine timore & tristitia futuram, sed non sine amore & gaudio. Si autem apathia illa est, vbi nec metus exterret, nec angit dolor, auersanda est in hac vita, si rectè, id est secundum Deum viuere volumus. In illa vero beata quę sempiterna promittitur, plene speranda est. *Timor enim ille castus permanens in seculum seculi, non erit timor exterrens à malo quod accidere potest, sed tenens in bono quod amitti non potest*, vbi enim boni adepti amor immutabilis est profecto si dici potest mali cauendi timor securus est, vt scilicet nomine timoris significetur ea voluntas, qua nos necesse erit nolle peccare, & non sollicitudine infirmitatis, ne forte peccemus, sed tranquillitate charitatis cauere peccatum. Aut fortasse timor castus in seculum seculi dictus est permanens, quia id permanebit, quo timor ipse perducit, sicut dicitur. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Quæ cum ita sint. Quoniam recta vita dicenda est qua perueniendum sit ad beatam. Omnes istos affectus recta vita rectos habet, peruersa vero peruersos. Beata vero & æterna amorem quidem habebit & gaudium non solum rectum, sed etiam certum, timorem autem & dolorē nullum. Vnde iam apparet vtrinque quales esse debeant in hac peregrinatione, ciues ciuitatis Dei viuentes secundum Deum, non secundum hominem, & quales in illa quatendunt immortalitate futuri sunt. Ciuitas porro impiorum non secundum Deum sed secundum hominē viuentium, his affectibus prauis tanquam morbis & perturbationibus quatitur. Et si qui in ea hos motus quasi temperare videantur, sic superbi & elati sunt, vt hoc ipso sint in eis maiores tumores quo minores dolores. Et si quos habet ciues qui tanto immaniore quanto rariore vanitate hoc in se adamauerint, vt nullo prorsus erigantur vel inclinentur affectu, humanitatem totam potius amittunt, quam veram assequantur tranquillitatem. Non enim quia durum aliquid ideo rectum, aut quia stupidum est ideo sanum.

Sine peccato in hac vita non viuitur

Apathia vitupranda.

Timor adtendendus in bono quod amitti nequit.

De vi motiua membrorum.

CAPVT LXXVI.

Ioannes de Rupella. Consequenter dicendum est de virtute motiua exteriori, quæ consequitur ad effectiuas. Est autem huiusmodi virtus, sicut dictum est superius, infusa neruis & musculis contrahens ligamenta coniuncta mēbris & relaxans. Subdiuiditur autem in generaliter motiuā & particulariter. Particula-

Vis exequtiua.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

riterque motiua ſubdiuiditur per contrectatiuam & progreſſiuam & operatiuam & vocatiuam, ſicut videlicet plenius dictum eſt ſupra. *Auguſtinus ſuper Geneſ. libro 7.* Mouentur quidem & arbuſta non tamen vi extrinſecus impellente, ſicut cum ventis agitantur, ſed etiam illo motu quo intrinſecus quicquid ad incremẽtum ac ſpeciem arboris pertinet agitur, quo ſuccus in radicem ducitur, & in ea quibus herbæ natura vel ligni conſtat, vertitur. Nihil enim horum ſine interno fit motu, ſed non eſt ſpontaneus ille motus qualis iſte qui ſenſui copulatur ad corporis miniſtrationem, ſicut in omni animaliũ genere. Nam & nobis niſi ineſſet motus ille, nec corpora noſtra creſcerent, nec capillos & vngues producerent. Sed ſi hoc ſolum eſſet in nobis abſque ſenſu & motu illo ſpontaneo, nequaquam diceretur homo factus in animam viuentem. Aër nempe qui neruis infuſus eſt voluntati paret, vt membra moueat, & media cerebri pars motum membrorum nunciat, vt memoria teneatur.

Tres ventriculi cerebri.

Anterior ſiquidem pars vnde ſenſus omnes diſtribuuntur, poſteriori merito præponitur, quoniam iſta ducit, & illa ſequitur. Et ab illa ſenſus, ab iſta motus eſt, ſicut conſilium præcedit actionem. Et quia corporalis motus qui ſequitur ſenſus ſine interuallis temporum nullus eſt, agere autem interualla temporum ſpontaneo motu, niſi per adiutorium memoriæ non valemus. Ideo tres quaſi ventriculi cerebri demonſtrantur, vnus anterior ad faciem, à quo ſenſus omnis, alter poſterior ad ceruicem, à quo motus omnis Tertius inter vtrumque, in quo memoriam vigere demõſtrant. Nam cum ſenſum ſequitur motus non conſecturat homo, quid faciendum eſt, ſi fuerit quod fecit oblitus. Deniq; cum hæc animæ tanquam miniſteria vitio quolibet ſeu perturbatione omnino deficiunt, deſiſtentibus nunciis ſentiendi, & miniſtris mouendi, tanquam non habens cur adſit abſcedit. Si autem non ita deficiunt, vt in morte aſſolet, turbatur eius intentio tanquam conatus redintegrare labentia nec valentis. Et in quibus rebus turbatur inde cognoſcitur quæ pars miniſteriorum in cauſa ſit, vt ſi potuerit medicina ſuccurrat. Et aliud eſt eſſe ipſam, aliud hæc eius corporalia miniſteria. Hinc euidenter elucet, quod plerunque ita ſe vehementi cogitationis intentione auertit ab omnibus vt præ oculis patentibus rectèque valentibus multa poſita neſciat. Et ſi maior eſt intentio dum ambulat repentè ſubſiſtat, auertens vtique imperandi motum à miniſterio motoris, qua pedes agebantur. Si autem non tanta eſt cogitationis intentio vt ſi gat ambulantem loco, ſed tamen tanta eſt vt partem illam mediam nunciantem corporis motus non vacet aduertere, obliuiſcitur aliquando & vnde veniat & quo eat.

De motu proceſſiuo quid ſit.

CAPVT LXXVII.

Pulſus & tractus in proceſſiuo motu.

Albertus. Quis autem ſit motus proceſſiuus, videtur Ariſto. dicere, videlicet quod motus proceſſiuus eſt motus organicus in quo principium & finis idem eſt, cuius aliud quidem mouetur, aliud autem quieſcit. Quæritur ergo cum omnis motus localis ſit ſecundum proceſſum mobilis de loco ad locum, cur non omnis motus localis ſit proceſſiuus. Et dicimus quod ſecundum Ariſtot. proceſſiuus motus eſt compoſitus ex pulſu & tractu. Et eſt ſicut motus circularis non circuli, ſed ſuper circulum, ita quod ſuper vnum ſemicirculum ſit pulſus, & ſuper alium tractus. Eſt enim pulſus appetitus in appetibile extra. Tractus autem eſt ipſius appetibilis in animal appetens. Et appetibile quidem eſt finis pulſus, & ab eodem eſt principium tractus, ideo quieſcere accidit appetibili à pulſu, quia quotienſcunque mobile in motu vno & eodem vtitur & fine & principio, de neceſſitate accidit quieſcere. Vnde patet quod prædicta diffinitio proceſſiui motus non eſt conueniens, nec conuenit omni motui A localí, quia licet mobile quodlibet localiter feratur de loco ad locum in toto vel in partibus, non tamen propriè procedit. Nam procedere eſt ab appetitu moueri, organo ad procedendum ordinato, ſicut eſt pes vel ala.

Motus organicus.

Dicitur ergo iſte motus organicus ab organo ſpirituali. Et licet à poſteriori capitis in multa mẽbra motiua deſcendat virtus, non tamen ab illis dicitur motus proceſſiuus, quia per illa non procedit totum animal, ſed mouetur tantum quędam pars ipſius: quia vero proceſſiuus compoſitus eſt, vt iam dictum eſt, ideo nihil prohibet quin quieſcat in parte vna ſcil. in pulſu quando motus eſt in altera ſcil. in tractu. Cum autem dicit Ariſtot. quod animalia multa ſunt immobilia ſecundum locum. Dicit Auicenna, quod animal omne B mouetur localí motu, quod videtur eſſe contrarium. Sed Auicenna loquitur de motu conſtrictionis & dilatationis quem habet omne genus animalis. Ariſtoteles autem de motu qui eſt de loco ad locum, & propriè dicitur proceſſiuus quem non habet omne animal, vt habetur in libro de animalibus.

Ex qua vi motus ille proueniat.

CAPVT LXXVIII.

Potentia vegetatiua non mouet proceſſiuo motu, nec ſenſitiua vt talis.

ET hoc etiam Ariſtot. in tertio de Anima, probat duabus rationibus, quod vegetabilis potentia nõ mouet. Prima quod omnis motus proceſſiuus eſt propter aliquod apprehenſum prius, vegetabilis autem nihil apprehendit. Secunda eſt quia plantæ non mouentur motu proceſſiuo, quæ tamen participant vege- C tabili. Deinde ponit duas rationes, quod nec ſenſus ſecundum quod ſenſus motu proceſſiuo mouet. Prima eſt quia multa ſunt animalia quæ habent ſenſum & tamen immobilia ſunt ſecundum locum. Secunda eſt contra reſponſionem quæ poſſet fieri, ſcilicet quod animalia huiuſmodi ſunt imperfecta, & deficiunt eis organa neceſſaria motus proceſſiui. Nam omne quod generatiuum eſt, & augmentum ſuſcipit & decremẽtum eſt perfectum. Cum ergo talia ſunt huiuſmodi animalia relinquitur quod ſint perfecta. Cumque natura non deficiat in neceſſariis, nec abundet ſuperfluis, talibus animalibus non deerit de neceſſariis. Cum ergo non habeant partes organicas proceſſiui motus non habent motum proceſſiuum.

Nec etiam intellectiua vt ſic.

Poſt hæc adducit rationem vnam, quod ratiocinatiua ſpeculatiua, ſcil. intellectus ſpeculatiuus non mouet. Quia ſcilicet omnis motus proceſſiuus eſt aliquid D mutabile vel fugiendum per appetitum. At vero ratiocinatiua vel intellectus ſpeculatiuus cum multotiens timendum vel lætum accipiat, non iubet animæ timendum fugere, aut lætum imitari, eo quod non accipit ſpeciem niſi inquantum eſt principium ſcientiæ. Poſtmodum adducit duas rationes, ad hoc quod nec intellectus practicus mouetur. Prima eſt, quod quicquid eſt mouens, illius imperium ſequitur motus. At imperium practici intellectus non neceſſario ſequitur motus, nam extendente ſe intellectu practico à conſideratione veri & falſi ad conſiderationem actualis boni vel mali, ac dicente intellectiuo fugere aliquid aut E imitari, non neceſſario ſequitur motus, ſed agit quandoque ſecundum deſiderium ſenſus. Secunda eſt à ſimili in arte operatiua, in qua videmus quod habens ſcientiam medicinæ, non neceſſario ſecundum illam mouetur. Igitur & intellectus practicus qui eſt cognoſcens operabile inquantum huiuſmodi, non erit motiuum per ſe. De hinc adducit rationem vnam, nec appetitus ſenſibilis per ſe eſt mouens. Videmus enim quoſdam concupiſcentes ſenſus delectabilia non moueri ad illa, ſed abſtinere eo quod ſequantur rationem & intellectum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Vtrum vis illa ſit ab alijs diſtincta?

CAPVT LXXIX.

QVæritur ergo vtrum motiuum in motu proceſſiuo ſit differentia quædam animæ ſeparata à vegetabili & ſenſibili & rationali vel ratione, vel ſit aliqua ipſarum potentia non diſtincta ab ipſis niſi per rationem partis, ſicut diſtinguuntur cæteræ animæ potentiæ. Videtur enim quod diſtinctum ſit à cæteris differentiis animæ, per rationes inductas ab Ariſto. At vero econtrario nón fit motus proceſſiuus niſi per apprehenſionem boni actualis, nec eſt apprehenſio niſi ſenſus & rationis. Motus ergo proceſſiuus non eſt niſi potentiæ ſenſibilis vel rationalis. Præterea motus huiuſmodi non fit niſi per appetitum, & omnis appetitus eſt ſenſibilis vel rationalis. Dicimus ergo quod aliud eſt quærere de mouente ſimplici, & aliud de mouente à quo ſemper egreditur motus. Mouens enim ſimplex eſt quod importat vel inclinat ad motum, vel extendit membra. Et hoc quidem multiplex eſt, ſcilicet intellectus practicus, & phantaſia, & appetitus, & virtus quæ eſt in muſculis & neruis. Mouens autem à quo ſemper egreditur motus non eſt vnum, ſed duo ordinata ad minus vel etiam tria, videlicet apprehendens actuale, quod eſt imperans motum, & appetendo exequens motum. Et quoniam apprehendens motum duplex eſt, ſcili. intellectus & phantaſia, ideo efficiuntur tria. De hoc mouente quærit Ariſtoteles in lib. de Anima. *Ibique probat, quod non eſt intellectus practicus per ſe, nec appetitus per ſe, ſed oportet vtrumque concurrere.* Ac per hoc patet ſolutio ad omnes rationes inductas ab Ariſt. Cum itaque quæritur vtrum motiuum ſit differentia ſpecialis animæ, dicimus quod non, ſed eſt potentia ſenſibilis vel rationalis animæ. Senſitiuum quippe non mouetur à motiuo, niſi quia ſenſus non mouet de neceſſitate, ſed tamen motiuum eſt pars ſenſibilis animæ, licet non omnia animalia partem illam habeant, ſicut nec omnia ſenſus omnes habent. Nam nec ſenſibilis anima in omnibus animalibus eſt ſpecie vna, & ſicut differunt plures vel pauciores in ſenſibus partes habendo, ſic etiam differunt habendo motiuam, vel non habendo.

Probatur cõtraria ſentẽtia quod loco motiua ſit ſenſus vel rationis.

Determinatio veritatis.

De numero mouentium motu proceſſiuo.

CAPVT LXXX.

IVxta hoc quæritur de numero mouentium ſecundum Ariſt. Dicit enim ipſe quod ſunt duo mouentia, & quod ſunt tria, & quod mouens eſt ſpecie vnum & tria per numerum. Videtur autem primo quod non ſunt tantum duo, mouens enim eſt cuius imperium ſequitur motus, vt prædictum eſt. At intellectus practici & appetitus imperium non de neceſſitate ſequitur motus, ſi deſiderium ſenſus ſit in contrarium, & ita videntur eſſe plura quam duo mouentia. Præterea videntur eſſe quatuor mouentia. Sicut enim vnum eſt mouens per apprehenſionem ex parte rationalis animæ, & vnum per ſenſibile quæ ſunt intellectus practicus & phantaſia. Sic etiam videtur eſſe duplex appetitus, ſcilicet vnus animæ ſenſibilis, & alter rationalis. Item ſicut eſt mouens appetitus, ſic etiam eſt mouens virtus quæ diffuſa eſt in muſculis & neruis, & ſic iterum plura videntur eſſe mouentia. Cæterum in animalibus imperfectis non videtur eſſe phantaſia, quia phãtaſia componit diuerſa ſenſata, & accipit ex ipſis intentionem conuenientis & non conuenientis. Quædam autem ſunt animalia vnicum tantummodo ſenſum habentia.

Difficultas.

Nos itaque dicimus, quod mouentia ſecundum vnum modum ſunt duo, ſecundum alium ſunt tria, & ſecundum tertium vnum in genere. In omnibus enim animalibus ſecundum locum mobilibus mouentur phantaſia & appetitus; phantaſia propter imperium, & appetitus immediate. In homine vero ſunt tria ſpecialiter mouentia, duo ſcil. per imperium, & vnum immediate quod eſt appetitus. Eſt enim imperium ſecundũ rationem boni ſimpliciter, & ſic mouet intellectus practicus. Eſt enim imperium ſecundum rationem bòni, vt nunc & ſic mouet phantaſia. Duobus autẽ modis eſt vnum mouens, vno modo ſi attendatur immediatum mouens, quia tunc non erit mouens niſi appetitus, qui ſcil. appetitus eſt exequens motũ. Alio modo intellectus & phantaſia determinantia ſunt vnum quodammodo ſpecie, ſpecie inquam actualis boni vel mali. Per ſpeciẽ enim actualis boni intellectus & phantaſia determinant motum. Appetitus autem per eandem ſpeciem exequitur ipſum, itaq; licet intellectum practicum & appetitum non ſequatur motus neceſſario, tamen mouentia ſunt aliquo modo. Et licet alius ſit appetitus animæ ſenſibilis, & alius rationalis, vterq; tamen mouet per eundẽ modum, ſcil. exequendo motum. Sic autem non eſt de intellectu & phãtaſia. Nam intellectus eſt boni ſimpliciter, phantaſia vero boni vt nunc, id eſt apparentis in ſenſibus. Porro Ariſt. illam potentiam organis affixam quæ eſt in neruis ac muſculis, reducit ad organũ per quod eſt motus. Dicit enim in tertio de Anima: tria quædam eſſe, vnum quod eſt mouens, aliud quod mouetur. Mouens autem duplex eſt, aliud quidẽ immobile, aliud mouens & quod mouetur. Mouens autem immobile eſt actuale bonum, quod per ſpeciem ſuam monet appetitum. Mouens autem quod mouetur eſt appetitiua potẽtia, quæ quidem mouet membra, ſed mouetur ſpecie boni actualis. Quodcunque mouetur eſt animal proceſſiuum. Quo vero mouet eſt organum motus, vt pes, vel ala cum virtute motiua ſibi affixa. Deniq; animalia imperfecta dicuntur ab Ariſto. quæ numerum ſenſuum attingunt incomplete. Et illa quidem quæ ſenſum vnicũ habent tantum habent tactum, nec mouentur motu proceſſiuo, & ſecundum quoſdam non habent phantaſiam, ſed Ariſt. in lib. de Anima dicit, quod habent quidem eam licet infinite, ſed quod etiam mouentur infinite. Infinitam autẽ dico phantaſiam eſſe, quæ non eſt cum certa boni, vel mali actualis determinatione.

Reſolutio.

Mouens immobile eſt bonum.

De fine proceſſiui motus, & eius organo.

CAPVT LXXXI.

SI vero quæritur ad quid ſit motus proceſſiuus, videntur dicere philoſophi, quod ad cibum qui non eſt in vno loco, ſicut plantarum quarum cibus totus congregatur circa radicem, at hoc videtur falſum eſſe, quòd videmus animalia quædam alia quam ciborum delectabilia in diuerſis locis quærere, & hominem præcipue. Præterea, ſicut habetur in libro de animalibus, multa mouentur propter hoc ſolum, vt excitent ſibi calorem digeſtiuum, & illa non videntur moueri ad aliquem appetitum cibi. Ad hoc itaque breuiter dicimus, quod huiuſmodi motus eſt principaliter ad cibaria & ſecundario ad alia delectabilia.

Iuxta hoc autem quæri poteſt, cur diuerſa ſunt proceſſiui motus organa, cum per quodlibet eorum moueri poſſint animalia ad loca diuerſa. Dicimus autem quod animalium quorũdam cibus eſt multum ſparſus & illa indigent ala vt volatilia. Quædam autẽ habent corpora excellenter longa & illa mouentur annulo vel coſtis, quia ſi natura feciſſet eis pedes factum fuiſſet corpus eorum nimis oſſeum. Itaque impedita fuiſſent ſpiritualia & nutritiua eorum. Si autem paucos pedes habuiſſent, fuiſſet corpus in alia parte tractum in terra, & in alia parte eleuatum. Scribitur tamen in libro de animalibus de carabo & cancro, & aliis quæ multos habent pedes, & dicuntur multipedia, de quodam animali quod dicitur *quadraginta quatuor*, eo quòd tot habeat pedes. Et videmus multos vermes multos habere pedes, vt erucam & huiuſmodi. Sed in omnibus huiuſmodi animalibus accidit contrarium eius quod eſt in bipedibus, vel quadrupedibus, vel natatilibus.

Ad quid progreſſio.

Ratio diuerſitatis organorum in loco motiuis.

Animal dictũ quadraginta quatuor.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

In omnibus enim talibus mica quæ vicarius eſt cerebri, quantum ad poſteriorem partem eſt, & in ſuperiori parte corporis ſui miniſtrant virtutem motiuam neruis ſuorum organorum proceſſiuorum. Et propter hoc crura eorum & alæ eorum colligantur ad dorſum. Molle autem eorum & alæ tenues eorum in ventre, & locus ſpiritalium eſt inferius, ſed in multipedibus eſt contrarium. Nucha enim illorum vel id quod loco nuchæ eſt ſubtus, eſt per modum cuiuſdam pontis & infiguntur in ipſa pedes mobiles per longitudinem totius corporis ex vtraq; parte. Et ſuper illud diſponuntur ſpiritalia & nutritiua. Cauſa autem huius eſt duplex, quarum vna eſt, quod animalia talia non accipiunt tantum cibi, quòd venter eorũ intumeſcat propter quod neceſſe ſit, quod natura remoueat eis obſtaculum tumoris illius, ſicut fit in his quæ habent pedes paucos vel nullos. Alia eſt, quia talia animalia fere omnia ſunt teſtea, & cum teſta ſemper continua debeat eſſe deſcendens à dorſo impediret motum crurium ſi collectatio eſt ad dorſum. Notandum eſt etiam quod omne animal organa proceſſiui motus habet patria, & ſecundum naturam motus eius ſemper incipit à dextro, cuius ſignum eſt in homine & leone, qui ſemper præponunt pedem dextrum, niſi aliter fiat per præmeditationem vel læſionem.

Metus proceſſiuus à dextro.

De viribus motiuis rationalibus, & primo de voluntate.

CAPVT LXXXII.

IOannes de Rupella. Dictum de motiuis irrationalibus, dicendum eſt de motiua rationali, quam Damaſcenus determinat ſecundum tria, ſcilicet voluntatem, rationem, & arbitrij libertatem. Et rationem quidem ſiue rationale diuidit, ſicut videlicet dictum eſt ſuperius in capit. de ratione. *Aug. in lib. de duabus animabus*, voluntas eſt motus animi cogente nullo ad aliquid vel non admittendum, vel adipiſcendum. Peccatum autem eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat. *Idem in tertio de libero arbitrio.* Nihil tam in poteſtate noſtra eſt quam voluntas, quæ mox vt volumus præſto eſt. Porro cupiditas, quę eſt improba voluntas, malorum omnium cauſa eſt, quod autem eſt natura ad præceptum capiendum, hoc eſt voluntas ad obſeruandum. *Boëtius in lib. de articulis fidei.* Voluntas eſt vis applicata ad eligẽdum quod magis placet, quòd ſi naturaliter ad bonum eſt inflexa, bonitas dici ſolet. *Auctor.* Voluntas quidem nunquam contradicit rationi, ſecundum quod dicitur eadem eſſe potentia cum ratione. Eſt enim propriè voluntas appetitus ſecundum rationẽ, qui eſt in vi rationali non tamen inquantum eſt ratio, ſed inquantum eſt appetens ſecundum rationem vel imperans appetitiui. Appetitus autem ſecundum phantaſias, qui eſt deſiderium, eſt in vi concupiſcibili, & hoc dico ſecundum quòd concupiſcibilis & iraſcibilis communes ſunt nobis cum brutis. Nam animalis nullo modo congruit eis. Hic etiam Philippus dicit, quòd in rationali voluntas ſit, & in irrationali deſiderium & animus. Quibus ſcilicet verbis innuuntur eſſe tres partes appetitus, videlicet voluntas ex parte animæ rationalis, ac deſiderium ſiue concupiſcentia, & animus, ſiue iraſcibilis ex parte irrationalis, hoc eſt ſenſibilis.

Voluntas.

Cupiditas.

De Voluntatis diſtinctione.

CAPVT LXXXIII.

IOannes de Rupella. Voluntatem autem diſtinguit Damaſcenus ſecundum hũc modum dicens. Oportet ſcire quoniam inſerta eſt animæ naturaliter virtus appetitiua eius quod ſecundum naturam eſt, & omnium quæ ſubſtantialiter adſunt naturæ contentiua, quæ vocatur voluntas. Subſtantialiter autem naturæ adſunt naturalia bona, ſicut eſt eſſe, viuere, intelligere. Eſt iterum voluntas appetitus naturalis ad aliquã rem, & hæc dicitur theliſis. Idem ergo eſt ac ſi dixiſſet. Eſt voluntas naturalis, & eſt voluntas rationalis. Et voluntas naturalis eſt reſpectu bonorũ naturalium, quæ non poſſumus non appetere. Voluntas rationalis eſt reſpectu bonorum non naturalium quæ poſſumus velle & non velle. Voluntatem autem rationalem ſubdiuidit in voluntatem eorum quæ ſunt in nobis, & voluntatem eorum quæ non ſunt in nobis. Et hoc eſt poſſibilium & impoſſibilium, verbi gratia, Voluntas eorum in nobis eſt, quæ ſunt in poteſtate noſtra, vt fornicari, ſobrium eſſe, dormire & huiuſmodi. Voluntas vero eorum quæ non ſunt in poteſtate noſtra, vel in nobis, Aliquando eſt poſſibilium, vt cum volumus reges eſſe vel epiſcopi, quod quidem poſſibile eſt, ſed in poteſtate noſtra non eſt. Aliquando eſt impoſſibilium, vt cum volumus nunquam mori.

Voluntas eorũ quæ ſunt in nobis, & non ſunt in nobis.

Item eſt voluntas finis, & eorum quę ſunt ad finẽ. Et finis eſt voluntas vel volitum ſimpliciter, vt regem eſſe, & ſanum eſſe. Quod autem eſt ad finem, eſt voluntas vel volitum propter aliud ſcil. finem, & hoc eſt conſiliabile ſecundum modum per quem debemus ſani eſſe vel regnare. Voluntas ergo quæ eſt eorum quæ ſunt in nobis poſſibilium, eſt voluntas cum conſilio, cuius determinatur multiplex actus ſecundum hanc viam, ſcil. conſilium, iudicium, ſententia, electio, impetus, vſus. Primus ergo motus voluntatis reſpectu eorum quæ ſunt in nobis, conſilium eſt. *Conſilium* autem eſt appetitus inquiſitiuus de his rebus quæ in nobis ſunt. Cõſiliatur enim aliquis, ſi debeat iactare rem vel non, deinde iudicat quid melius ſit, & dicitur *iudicium*. Deinde diſponit & amat quod ex conſilio iudicatum eſt, & vocatur *ſententia*. Si enim iudicet, & non diſpoſitus fuerit ad hoc quod iudicatum eſt, hoc eſt, non diligat illud, non dicitur ſententia. Deinde poſt diſpoſitionem fit *electio*. Eligere autem eſt duobus prę iacentibus hoc præoptari alteri. Deinde facit impetum ad operationem, & dicitur *impetus*. Deinde vtitur, & dicitur *vſus*. Sic ergo determinat de voluntate, quam nihil aliud ſecundum ſubſtantiam ponit, eſſe, quam liberum arbitrium.

Conſilium.

Iudicium.

Sententia.

Electio.

Impetus.

Vſus.

Item de triplici voluntate.

CAPVT LXXXIV.

ALbertus. Ex verbis Damaſceni accipitur, quòd voluntas eſt virtus appetitiua eius quod ſecundum naturam eſt, contentiua omnium quæ ſubſtantialiter adſunt naturæ. Ac vero contra hoc ſic obijci poteſt. Id quod ſecundum naturã eſt aut intelligitur id quod pertinet ad conſiſtentiam vitæ. Aut id ad quod ordinatur natura. Si primo tunc eſſent volũtaria, vt quæ pertinent ad conſeruationem vitæ, quod patet eſſe falſum. Si autem intelligitur ad id quod ordinatur natura, tunc non eſſet voluntas niſi virtus, hoc iterum falſum eſt. Præterea dicit Damaſcenus exponens quomodo voluntas ſit eorum quæ ſunt ſecundum naturam, quia quod ſubſtantia quidem eſt & eſſe & viuere & moueri, ſecundum intellectum & ſenſum appetit, propriam concupiſcens naturalem & plenam eſſentiã. Ergo videtur quod voluntas non ſit niſi ad eſſe & viuere & ſentire & intelligere. Verum ſecundum Damaſcenum & Gregorium Nyſſenũ duplex eſt voluntas, ſcil. naturalis & deliberatiua. Naturalis eſt de conſtituentibus & ſaluantibus naturam. Deliberatiua vero eſt de his quæ ſecundũ prohęreſim eliguntur. Tamẽ ex verbis Damaſceni voluntas nõ naturalis, nec etiam deliberatiua eſt quædam eorum ſcil. quæ poſſibile eſt per nos fieri, & etiam impoſſibilium, ſicut quòd volumus nunquã mori, quod tamen eſt impoſſibile. Et hæc voluntas eſt poſſibilium quæ non fiunt per nos, ſicut quòd volumus eſſe reges, quod quidem poſſibile eſt, ſed non fit per nos. Has tres voluntates nominat Damaſcenus tribus modis. Prima enim dicitur theliſis, hoc eſt naturalis volũtas. Secunda autẽ propriè dicitur voluntas rationalis. Tertia vero buleſis dicitur, hoc eſt

Obiect.

Reſp.

qualiſcunque

qualiscunque voluntas, eo quòd generalis est appetitus possibilium & impossibilium, siue per nos operandorum. Dicendum est ergo, quòd Damascenus ibi diffinit voluntatem quæ dicitur thelisis, & est diffinitio potius manifestans diuisionem quàm totam dicens essentiam voluntatis. Dicendum est etiam quòd nihil prohibet voluntatem esse eius quod iam inest per naturam, & eius quod ante voluntatem est acquisitum, & eius quod iam de necessitate est habitum. Sed aliter est de ipso voluntas quando fit per naturam, Et aliter quando fit acquisitum ante voluntatẽ. Et aliter quando iam inest ex necessitate. Est enim voluntas ad permanendum & conseruandum, cum secundum hunc modum ante nobis non fuerit, nec habitura sit.

Vtrum voluntas sit vna potentia per se?

CAPVT LXXXV.

Probatur voluntatem irrationalem non esse voluntatem.

QVæritur autem vtrum voluntas sit potentia vna per se, vel diffusa in omnibus aliis, & videtur quòd vna per se. Dicit enim Damascenus, quod voluntas quæ irrationalis est non est voluntas, ergo videtur quod voluntas non sit in illa potentia, quæ secundum naturam sequitur iudicium rationis. Item Arist. in Topicis dicit, quòd omnis voluntas est ex ratione, & ex hoc sequitur idem. Item in libro de Anima dicit, quòd in rationali voluntas est. In irrationali autem desiderium & animus. Item Priscianus dicit, quòd hoc verbum *volo* est verbum prohæreticum, secundũ autem Arist. *prohæresis est cum eligentia recta*, sicut habetur in tertio Ethicorum. Cum ergo eligentia recta non sit nisi secundum rationem, voluntas non erit nisi in ratione. Hoc etiam probatur ratione, sic voluntas est eius quod est voluntariũ, eo quod potentiæ per actus, & actus per obiecta habeant diffiniri. Dicit autem Arist. in tertio Ethicorum, quòd voluntarium est cuius principium est in seipso cognoscenti singularia, in quibus est operatio, sed singularia hoc est determinatas circunstantias cognoscere non est nisi rationis. Igitur voluntas non est nisi rationis.

Prohæresis.

Contraria sententia probatur.

Sed econtra Aristoteles dicit in tertio Ethicorum, sed neque voluntas est prohæresis, voluntarium enim pueri & alia animalia communicant, prohæresim autem non. Et hoc autem accipitur, quod voluntas inest brutis & pueris, & bruta quidem nec habent rationem nec vsum rationis, ergo non omnis voluntas in ratione est. Item hoc dicunt auctores medicinæ artis, qui distingunt virtutem animalem in apprehensiuam, & motiuam motus voluntarij, & motum voluntarium appellant motum processiuum in omnibus animalibus. Igitur videtur quod voluntas in omnibus animalibus sit, & non in ratione tantum.

Determinatio veritatis.

Nos autem dicimus, quod voluntas dicitur multipliciter, scilicet largè & strictè, largè dicitur duobus modis, scilicet propriè & metaphoricè, propriè dicitur de sensibilibus, secundum quod appetitus illorum quo mouentur ad desiderata dicitur voluntas. Metaphoricè autem dicitur de inanimatis & plantis, sicut dicitur in Euangelio, quod spiritus vbi vult spirat, quia secundum Chrysostomum intelligitur de vento. Strictè autem dicitur appetitus rationalis animæ, & in hac significatione propriissimè accipitur. Et adhuc dicitur tribus modis in illa significatione secundum triplex eius obiectum. Obiectum enim eius aut est extra, aut intra. Intra sicut potentiæ animæ, quas omnis voluntas inclinat ad actum, secundum quod dicimus, volo intelligere & volo videre, volo ambulare. Si extra est de constituentibus & saluantibus naturam. Et tunc est illa quæ dicitur thelisis à Damasceno. Dicit enim quod thelisis est rationalis appetitus omnium naturæ constitutiuorum id est appetitus rationalis animę. Aut est de non pertinentibus ad naturam, & hoc duobus modis, scilicet possibilium & impossibilium. Si est impossibilium tunc est voluntas quæ à quibusdam dicitur irrationalis, eo quod semper præit deliberationem & inquisitionem & consilium. Si autem est possibilium est dupliciter. Aut enim est possibilium & non operandorum per nos in toto vel in parte, & sic est illa voluntas quam Damascenus dicit esse quod ipsi volumus esse reges, vel sani, ad quod quandoque nihil operamur, quandoque autem non in toto. Si operandorum per nos: tunc est propriè voluntas rationalis, quia tunc est de quibus ratio habet antecedenter inquirere & disponere & ordinare & consulere. Voluntas autem generalis ad vltimos tres modos, hæc est possibilium & impossibilium non per nos operandorum. Secundum Damascenum & Gregorium Nyssenum dicitur bulesis, nisi quandoque restringatur ad aliquod horum trium per specialem rationem.

Vtrum voluntas sit in omnibus viribus animæ?

CAPVT LXXXVI.

ARistoteles *in tertio de anima.* In parte quidem cognitiua siue rationatiua fit voluntas, & in non rationali desiderium & ira, si ergo anima tres habet partes, in vnaquaque erit appetitus. Intellectus quidem rectus est, apperitus autem & phantasia & recta sunt, ideoq; mouet appetitiua semper aut ad bonum, aut ad apparens bonum. Quandoque vero contrarij sunt appetitus adinuicem, quod accidit cum ratio & desiderium contraria sunt. Intellectus autem propter futurum retrahere iubet, scilicet à faciendo. Desiderium autem scilicet facere iubet propter ipsum iam, siue propter rem præsentis voluptatis, æstimatur enim quod sit voluptas simpliciter, quia non aspicit rem futuram. *Albertus.*

Obiect.

Præterea videtur voluntas esse in omnibus viribus animæ, Dicimus enim, volumus intelligere, volumus ambulare, volumus videre, signantes progressum vniuscuiusque virtutis ad actum sibi proprium. Cum ergo ad hunc progressum sit motus in vnaquaque virtute, videtur voluntas esse appetitus quidam disseminatus & sparsus per omnes vires animæ. Item vnumquodque appetit & id quod secundum naturam perficit ipsum, sed omnes vires animæ perficiuntur à suis obiectis secundum naturam ipsarum virium, igitur omnes appetunt sua obiecta. Appetitus autem non diuiditur nisi per voluntatem, & irascibilem & concupiscibilem. Cum ergo concupiscibilis sit respectu delectabilium corporis, irascibile autem ad insurgendum contra nociuum. Relinquitur quod appetitus qui est vniuscuiusque virtutis ad suum obiectum, sit appetitus qui est voluntas.

Resp.

Sed dicendum quod non, Dicimus autem ad primum quod voluntas prout est intrinseca, vniuersalis motor est virium ad actum. Non ita quod ipsa sit immista eis, sed quia cæteræ virtutes cum actibus suis sunt in ratione volitæ, & per hoc efficiuntur obiecta voluntatis. Ad aliud dicendum est, quod appetitus sumitur largè & strictè. Largè prout dicit inclinationem vniuscuiusque rei naturalis in id quod debetur ei secundum naturam, & sic appetitus est etiam diffusus in omnibus viribus animæ apprehensiuis, secundũ quod dicit Aristot. quod omnia appetunt esse diuinum, & propter illud agunt quicquid agunt, & alibi quia materia appetit formam sicut fœmina masculum, & Boëtius *in lib. de Hebd.* dicit, quod omnia quæ sunt appetunt bonum, & sic dicimus esse totam naturam moueri propter aliquid. Appetitus autem strictè dicitur desiderium alicuius rei adipiscendæ vel fugiendæ apprehensæ in ratione boni vel nociui, & sic sumitur appetitus quando diuiditur in voluntatem & irascibilem & concupiscibilem, & iste appetitus non est diffusus in omnibus viribus.

Appetitus largè sumptus.

Qualiter intelligatur quod omnis voluntas eſt in ratione.

CAPVT LXXXVII.

IVxta hoc quæritur etiam quomodo intelligatur, quod *omnis voluntas eſt in ratione.* Eſſe enim in ratione dicitur tribus modis, ſcilicet ſicut obiectum rationis eſt in ratione. Aut ſicut id quod eſt in radice rationis & ſubiecto. Aut ſicut id quod eſt pars rationis. Si primo modo dicatur voluntas eſſe in ratione, hoc parum eſt, quia ſic omnia ſunt in ratione, eo quod ratio eſt de omnibus: Si ſecundo modo tunc non erit voluntas, niſi quę pars rationalis animæ. Anima enim rationalis ſecundum ſe ſubiectum eſt rationis. Et hoc erit contra præhabitas auctoritates. Et præterea cõtra hoc B quod dictum eſt, voluntatem quandam eſſe naturalem quæ eſt de conſtituentibus naturam, quæ videtur ineſſe omnibus. Si tertio modo tunc omnis voluntas eſſe videbitur & cum iudicio rationis & cum rationis iudicium non ſit repentinum, nulla voluntas videtur eſſe repentina. Et hoc eſt contra Ariſtotelem in tertio Ethicorum, vbi dicit repentina quidem voluntaria eſſe dicimus, ſecundum prohęreſim autem non. Iuxta hoc iterum quæritur de diſtinctione quorundam dicentium quod eſt voluntas finis, & eius quod eſt ad finem. Cum Ariſtot. dicat quod voluntas eſt finis tantum. Conſilium autẽ eius quod eſt ad finem. *Item Damaſcenus.* Eſt autem buleſis, id eſt voluntas finis non eorum quæ ad finem ſunt. Ergo finis quiddam eſt voluntabile, vt regem eſſe & ſanum eſſe. Ad finem autem C eſt quod conſiliabile eſt, ſecundum modum per quem volumus ſani eſſe vel regnare. Ergo nulla videtur ſuprahabita diſtinctio. Et dicendum eſt quod voluntas eſt in ratione duobus modis. Vno modo quod eſt pars rationalis animæ, & ſic omnis voluntas dummodo propriè ſumatur eſt in ratione, & iſte modus eſt in cõparatione ad illud cuius eſt voluntas vt ſubiecti. Eſt etiam in ratione in comparatione ad obiectum, id eſt volitum, quia volitum antecedenter debet eſſe ex ratione determinatum, & ſic non omnis voluntas eſt in ratione, ſed ſolum ordinata. Si vero priori modo omnis voluntas dicatur in ratione eſſe, tunc non ſequitur, quod propter hoc voluntas debeat eſſe rationalis, eo quod voluntas non de neceſſitate ſequitur rationem, licet ſecundum ordinem debitum ſequi debeat. Ad id quod vlterius quæritur, vtrum omnis voluntas ſit finis. Dicendum eſt quod ſic ſi accipiatur voluntas reſpectu voliti extra, ſed & ibi finis accipitur vltimum intentum per appetitum, hoc enim ſemper determinatum eſt, propter hoc de ipſo non eſt inquiſitio & conſilium, ſed modus acquirendi ipſum non eſt determinatus, & ideo conſilium eſt de ipſo. Si autem accipiatur voluntas non in reſpectu obiecti extra, ſed reſpectu virium intra animam quas mouet ad actũ, tunc verum eſt quod voluntariè ratiocinatur & voluntariè diſponit & conſulit, & hoc modo voluntas poteſt eius eſſe quod eſt ad finem, ſed ſic non propriè ſumitur voluntas buleſis, vt patet per antedicta.

De conſenſu voluntatis.

CAPVT LXXXVIII.

An conſenſus ſit voluntatis

POſtea quæritur de conſenſu voluntatis, videtur autem quod nullus conſenſus voluntatis ſit propriè; de illo enim eſt conſenſus quod inquiritur per conſilium. Nullius autem quod inquiratur hoc modo eſt voluntas, ergo conſenſus non propriè eſt voluntatis. Prima probatur per hoc quod conſenſus dicitur quaſi ſenſus cum alio, & non eſt aliud cum quo ſentiatur niſi conſilium præcedens. Secundum probatur per antedicta, quia voluntas eſt propriè finis. Item nomen conſenſus ſonat in apprehenſionem pauſantem ſuper apprehenſum. Voluntas autem non eſt apprehendere, ergo voluntatis non eſt conſentire.

Negatiua probatur.

A Sed contra voluntas frequenter contraria eſt rationi. Contrarietas autem illa nihil aliud eſt quam diſſenſus eius, ergo voluntatis eſt diſſentire, ſed cuiuſcunque eſt diſſentire, eius etiam eſt conſentire, ergo voluntatis eſt conſentire. Ad hoc dicimus, quod quiddam conſenſus eſt rationis conſenſus quaſi ſentẽtiam fert de faciendo, ſecundum quod dicit Damaſce. quod ſententia eſt diſpoſitum & amatum quod iudicatum eſt ex conſilio. Et ille conſenſus ſemper eſt in rem ex conſilio inuentam. Voluntas autem & conſenſus eſt in concordia rationis. Dicunt autem quidam quod eſt conſenſus in verum, & hic eſt rationis, & conſenſus in bonum, & hic eſt voluntatis, ſed hoc nihil eſt, quia conſenſus in verum propriè eſt ſpeculatiuæ, de qua non agitur. Rationis autem practicæ eſt de actuali bono inquirere, & conſentire, voluntatis appetere, ideoque in bonum eſt conſenſus vtriuſq;, ſed rationis conſenſus eſt vt ſententia, voluntatis vt concordia. Porro contrarietas voluntatis ad rationem non eſt in allegatis & conſultis, ſed potius in hoc quod appetitus contrariæ voluntatis ſe habet ad allegata & conſulta per rationem. Ideoque diſſenſus eius eſt diſcordia, & ob hoc etiam conſenſus eius vocatur concordia.

Affirmatiua probatur.

Conſenſus duplex, vt ſententia & vt cõcordia.

De inſtrumento & obiecto voluntatis.

CAPVT LXXXIX.

ANſelmus in libro de concordia liberi arbitrij & gratiæ. Voluntas videtur æquiuoce dici tripliciter. Aliud etenim eſt inſtrumentum volendi. Aliud affectio inſtrumenti, aliud vſus eiuſdem inſtrumenti. Inſtrumentum volendi eſt illa vis animæ qua vtimur ad volendum, ſicut ratio eſt inſtrumentum rationandi, & viſus videndi. Affectio inſtrumenti eſt qua afficimur ad volendum aliquid etiam quando illud quod vult non cogitat. Nam verbi gratia, ſic eſt inſtrumentum volendi affectio ad volendum ſalutem etiam quando illam non cogitat, vt cum venerit in memoriam ſtatim eam velit. Vſum vero eiuſdem inſtrumenti non habemus, niſi cum cogitamus rem quam volumus, & inſtrumentum volendi duas habet aptitudines quas voco affectiones. Quarum vna eſt ad volendum commoditatem. Alia ad volendum rectitudinem. Ex his duabus procedunt merita hominum ſiue ad ſalutem, ſiue ad damnationem. Rectitudo quidem inquantum D *Rectitudo.* ipſa eſt nullius mali cauſa eſt, & omnis boni meriti mater eſt, hæc enim fauet ſpiritui concupiſcenti aduerſus carnem, & condelectatur legi Dei, illa vero voluntas quæ eſt ad volendum commodum non ſemper eſt mala, ſed quando conſentit carni concupiſcenti aduerſus ſpiritum: voluntas quidem iuſtitiæ eſt ipſa iuſtitia, voluntas vero beatitudinis non eſt ipſa beatitudo, quia non omnis habet beatitudinẽ qui habet eius voluntatem, in habitudine autem ſecundum ſenſum omnium, eſt ſufficientia competentium commodorum ſine omni indigẽtia, ſiue angelica intelligatur beatitudo, ſiue illa quam habuit Adam in paradiſo. Qui quoniam deſeruit iuſtitiam perdidit beatitudinem. Et voluntas quam bonam & ad bonum ſuum accepit feruens deſiderio commodorum, quę quidem non velle nequit, quia vera commoda rationali naturæ conuenientia quæ perdidit, habere non valet, ad falſa brutorum commoda, quæ beſtiales appetitus ſuggerunt ſe conuertit, & ita cum ea vult inordinate rectitudinem, aut ne accipiatur oblatam repellit, aut vt acceptam expellit. Itaque voluntas commodi bona inquantum eſt aliquid, mala ſcilicet iniuſta facta eſt, quia non eſt ſubdita iuſtitiæ.

Auguſt. de Trinitate libro 13. Beatos eſſe ſe velle omnes in corde ſuo vident. Tantaque eſt in hac re naturæ humanæ conſpiratio, vt non fallatur homo, qui hoc ex modo ſuo de animo conficit alieno, volunt etiam omnes immortales eſſe ſi poſſint, ſed multi non credendo quod poſſint, neque enim ſic viuunt vt poſſint. Neceſſaria eſt ergo fides, vt beatitudinem conſequa-

Omnes beati eſſe volunt.

mur

mur omnibus humanæ naturæ bonis, id est animi & corporis. Iustus enim ex fide viuit, quæ per dilectionem operatur, in tantum vt virtutes quoque ipsę quibus prudenter fortiter temperanter & iustè viuitur ad eam fidem, si veræ virtutes sunt, referantur. *Hugo in libro de tribus voluntatibus.* In Christo sequebatur voluntas diuinam iustitiam, & voluntas rationalis obedientiam, & voluntas carnis naturam. Neque altera contraria alteri erat, sed vnaquæque quòd suum erat appetit, vt quamuis ad aliud esset, alteri tamen contraria non esset, hoc est, vt licet ad aliud velle haberet, ad aliam tamen non velle non haberet. Sicut enim deitati natura erat iustitiam non deserere, sic carni iustũ erat, naturam seruare, & pietati alienam miseriam non amare. Iustum itaq, carni erat, quod passionem suam noluit, quia hoc erat secundum naturam. Et iustum Deo quod passionem illius voluit, quia hoc secundum iustitiam. Similiter & pietas quod suum erat amauit misericordiam, tamen quod suum non erat, non improbauit iustitiam.

Quod voluntas in bono firmata sit magnæ libertatis.

CAPVT XC.

Anselmus in libr. de libero arbitrio. Nihil autem liberius est recta voluntate, cui nulla vis potest auferre suam rectitudinem. Nempe si dicimus, quia quis cum vult mentiri, ne perdat vitam aut salutem, cogitur deserere timore mortis aut tormenti veritatem, non est verum. Non enim cogitur malis magis velle vitam quam veritatem. Sed quoniam aliena vi prohibetur vtrumq; seruare simul, ipsa eligit quòd mauult. Sponte vtique & non inuita, quamuis in necessitate vtramlibet deserendi posita sit, non sponte sed inuita, non enim minus fortis est ad volendum veritatem, quam ad volendum salutem, sed fortius vult salutem. Nam si præsentem videret gloriam æternam, quam statim post seruatam veritatem assequeretur, & inferni tormenta, quibus post mendacium sine mora traderetur, proculdubio mox sufficientiam virium ad seruandam veritatem habere cerneretur.

Rationalis natura habet semper liberum arbitrium.

Semper ergo habet rationalis natura liberum arbitrium, quia semper habet potestatem seruandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem quamuis aliquando cum difficultate. Sed cum libera voluntas deserit rectitudinem per difficultatem seruandi, vtique post seruit peccato per impossibilitatem recuperandi. Quia qui facit peccatum, seruus est peccati. Fitque spiritus vadens & non rediens. Quippe sicut nulla voluntas antequam haberet rectitudinem potuit eam Deo non dante capere, ita cum deserit acceptam, non potest eam nisi Deo reddente recipere. Et magis existimo miraculum cum eius voluntati desertam rectitudinem reddidit, quam cum mortuo reddit vitam amissã. Corpus etenim necessitate moriendo non peccat, vt vitam nunquam recipiat. Voluntas vero per se rectitudinem deserendo meretur vt illa semper indigeat, & siquis sponte mortem sibi infert, non aufert sibi quòd nunquam erat amissurus. Qui vero voluntatis rectitudinem deserit, hoc abijcit quod ex debito semper erat seruaturus.

De libero arbitrio vtrum sit in nobis.

CAPVT XCI.

Ioannes de Rupella. De libero arbitrio determinat Ioannes Damascenus, ostendens in ipso concurrere iudicium rationis & motum voluntatis, de quo scilicet libero arbitrio nonnullas quæstiones proponit. Prima quidem est, an liberum arbitrium in nobis sit. Ad quam determinandam sic procedit. Eorum quæ fiunt vel Deum aiunt causam vel necessitatem esse, vel fortunam, vel naturam, vel euentum, vel casum. Quæritur ergo de his quæ fiunt ab hominibus. Non enim potest Deus dici principium omnium actuum humanorum, quia non est fas Deo adscribere actus iniustos qui frequenter fiunt. Neque necessitas, quia actus humani non semper similiter se habent sicut necessaria. Neque fortuna; Nam illi qui posuerunt fortunã principium, dicunt eam non esse principium contingentium sed necessariorum, quæ habent impleri post tempus aliquod. Et secundum hoc differunt fortuna & necessitas secundum quod sunt principia. Nam necessitas respicit omne tẽpus, fortuna tempus aliquod determinatum. Neque natura; Naturæ enim opera sunt generatio & augmentatio, plantæ & animalia, quorum principium motus in ipsis est, non sic artificialia quæ sunt opera humana, neque euentus. Nam euentus est principium actuum qui sunt rari & inopinabiles. Determinant autem euentum concisionem & cursum duarum causarum ab electione principium habentium, sicut euenit fodientem sepulchrum thesaurum inuenire. Neque enim qui posuit ideo posuit, vt hic inueniret, neque qui fodit ideo fodit, vt hæc inueniret, sed hic quidem vt quando vellet auferret. Hic autem, vt sepulchrum foderet. Concidit autem illud præter id quod prælegerat vterque, neq; casus potest poni principium humanorum actuum. Nam sicut dicunt, casus sunt inanimatorum & irrationabilium simptomata sine natura & arte. Relinquitur ergo ipsum agentem hominem esse principium proprie harũ actionum & arbitrio liberum.

Probatur actiones quasdam prouenire à libero arbitrio.

Amplius si nullius actus est homo principium, superflue habet homo consiliarium, ad quid enim vteretur consilio nullius existens dominus actus. Omne enim consilium est actus gratia & propter actum. Item omnis consiliarius vel consiliaris in seipso existente electione agibilium consiliatur, vt quod prę̃iudicatum est ex consilio eligatur, & eligens agat. Dominus ergo erit actuum ex libero arbitrio. Vnde irrationalia non sunt libero arbitrio, aguntur enim magis à natura quã agant, hoc est moueant. Item non contradicunt appetitui naturali, sed simul cum appetierint aliquid impetum faciunt ad actum, homo autem rationale ens magis agit natura quam agatur ab ea, ideoque appetens aliquid potestatem habet refrænare appetitum vel assequi eum. Vnde & irrationabilia quidem neque laudantur, neque vituperantur, homo autem laudatur & vituperatur. Sic ergo determinatur quæstio prima, & patet ratio quare bruta careant libero arbitrio.

Aliaratio.

De his quæ sunt in potestate liberi arbitrij.

CAPVT XCII.

Secunda quæstio est Damasce. quæ sint ea in nobis quæ sunt in potestate liberi arbitrij? ad quam ita procedit. In nobis sunt quæ nos sumus, libero arbitrio facere & non facere, hoc est omnia quæ per nos voluntariè aguntur, non enim voluntariè dicerentur agi, actu non existente in nobis, hoc est in potestate nostra. Item in nobis sunt illi actus quos consequitur laus vel vituperium, & in quibus est lex, principaliter autem in nobis etiam sunt illa omnia de quibus consiliamur. Consilium autem est eorum quæ pariter contingunt. Pariter autem in nobis contingens est quod & ipsum possumus & oppositum eius, facit autem electione eius intellectus noster, & hoc est principium actuum. Ex his autem concluditur quod ea quæ sunt in nobis pariter contingunt, verbi gratia, Moueri & non moueri, impetum facere & non facere, appetere necessaria & non appetere, & huiusmodi, cum in potestate nostra sint, cum hoc tam interiores actus vt cogitare, eligere, quam exteriores, vt loqui, ambulare, erunt actus vtroque modo in nobis. *Contra*, exteriores actus multotiens prohibentur, vt loqui, ambulare, ergo non simpliciter & primo sunt in nobis, hoc est in potestate nostra. *Respondet* Damascenus, oportet scire quod electio actuum semper in nobis est. Actus autem prohibentur secundum quendam modum prouidentiæ. Item multi actus committuntur à nobis ignoranter,

Actus liberi quia?

Obiect.

Resp.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ranter, & hoc duobus modis. Vno modo cum nos ſumus ignorantiæ cauſa. Alio modo cum non ſumus cauſa. Item multi actus committuntur ex violentia, & hoc vel cooperantibus nobis vel nihil cooperantibus, nunquid ergo iſti actus erunt voluntarij vel inuoluntarij? Item quidam actus noſtri puniuntur & remunerantur, quidam non. Quæ ergo eorum differentia? Et incidunt circa hoc quæſtiones de actibus puerorum qui non habent diſcretionem, furioſorum & ebriorum, & de actibus eorum qui coguntur vel coactione ſufficienti, cui non poteſt reſiſti, vel coactione inducenti, ſicut cum aliquis timore mortis negat Chriſtum, vel huiuſmodi.

Determinatio eiuſdem quæſtionis.

CAPVT XCIII.

AD hæc omnia determinanda nota diſtinctionem Damaſ. quod actuum humanorum, hi cum delectatione, hi cum triſtitia aguntur. Et hi quidem eorum ſunt eligibiles agenti, hi autem fugibiles. Et eligibilium hi ſemper eligibiles, hi ſecundum quoddã tempus. Similis eſt diſtinctio fugibilium, & rurſus hi quidem actus miſericordiam conſequuntur & indulgentia digni ſunt, hi autem odio habentur & puniuntur. Voluntarij ergo actus ſunt qui cum delectatione agũtur, & eligibiles ſunt agentibus vel ſemper, vel tunc cum aguntur. Et ideo eos omnes conſequitur laus vel vituperatio. Inuoluntarij vero actus cum triſtitia aguntur, & non ſunt eligibiles, nec per ipſum agentem perficiuntur, quamuis vim patiantur, & ideo miſericordia & indulgentia digni æſtimantur.

Nota ergo ex Damaſceno quod eſt voluntarium ſimpliciter & inuoluntarium ſimpliciter & medium partim ſcilicet voluntarium, partim inuoluntarium. *Inuoluntarium ſimpliciter.* Inuoluntarium ſimpliciter eſt, quòd per ignorantiam & violentiam fit. Actus autem per ignorantiam determinatur, cum non ipſi agenti tribuimus cauſam ignorantiæ, ſed quia ita contingit, ſicut ſi ebrius aliquis homicidium faciat, ignorans quidem occidit non tamen inuoluntariè, cauſam enim ignorantiæ ipſe egit. Inuoluntarium autem per violentiam eſt, cuius principium hoc eſt effectiua cauſa deforis eſt, non committendo ſecundum proprium impetum vim paſſo, hoc eſt nihil cooperante illo qui patitur violẽtiam. Si enim cooperaretur cauſæ cogenti non diceretur actus illius eſſe inuoluntarius. Inuoluntarium ergo ſimplex eſt duobus modis, hoc quidem ſecundum violẽtiam, hoc autem ſecundum ignorantiam. Voluntarium vero ſimpliciter vtrique opponitur.

Voluntarium ſimpliciter. Eſt enim voluntarium ſimpliciter quod neque per violentiam, neque per ignorantiam fit. Voluntarium ergo eſt, cuius principũ, hoc eſt cauſa in ipſo eſt agente, ſciente ſingularia per quæ & in quibus eſt actus. Et principium in ſeipſo dicitur ad excludendum violentiam, cuius principium ſcilicet deforis eſt. Scientiæ vero dicitur ad excludendam ignorantiam. Singularia autem ſunt quæ vocantur à Rhetoribus conſtitutiuæ particulæ, hoc eſt circunſtantiæ, vt quis, cum quæritur perſona quæ fecit. Quæ, cum quæruntur ea quæ paſſus eſt. Quid, cum quæritur actus. Quo, cum quęritur organum vel inſtrumentum. Vbi, cum quæritur locus. Quando, cum quæritur tempus. Qualiter, cum quæritur modus actus. Propter quid, cum quæritur propter quam cauſam.

Voluntariũ & inuoluntarium. Medium voluntarium & inuoluntarium eſt, quod neque eſt delectabile, neque triſte, & quod propter maius malum vitandum acceptamus, vt cum propter naufragium iactamus ea quæ ſunt in naui. Tale eſt in eo qui timore mortis negat Chriſtum.

Obiect. *Item* obijcitur de hoc quod dictum eſt ſupra, quod voluntarium eſt in his de quibus conſiliamur. Omnis autem conſilians habet in ſe electionem actuum. Secundum hoc ergo ſunt actus puerorum voluntarij, nec actus eorum quæ ſubito volumus vel facimus ſine deliberatione. Reſponſio non dicebatur ſupra, quod ſolum ea de quibus conſiliamur eſſent voluntaria, ſed quia voluntaria principaliter in nobis ſunt ea omnibus de quibus conſiliamur. Vnde ſecundum Damaſcen. ſciendum eſt, quod quædam voluntas eſt ſiue actus voluntatis ſecundum electionem & conſilium de qua ſupradictum eſt. Quædam vero eſt conſilio & ſine electione. Vnde dicit quod infantes volenter quidem aliquid faciunt, non tamen eligentes. Et quæcunque propter iram facimus, ſi præconſiliati voluntariè facimus non tamen ſecundum electionem, vt cum amicus repentè ſubuenit nobis, voluntariè quidem nõ tamen vt eligentibus. Et cum aliquis theſauros ſine ſpe partitur, voluntariè quidem partitus eſt, non tamen eligens. Hæc omnia voluntaria ſunt propter hoc quod in eis lætamur, non tamen ſecundum electionem quia non à conſilio. *Reſp.*

De Libero arbitrio quid ſit.

CAPVT XCIV.

AVctor dicit Auguſtinus, quod liberum arbitrium eſt facultas rationis & voluntatis qua bonum eligitur gratia aſſiſtente, malum vero gratia deſiſtente. *Liberum arbitriũ quid?* Ex hac diffinitione liberi arbitrij ortum habent diuerſæ opiniones de libero arbitrio quid ſit. Nam quidam dixerunt, quod ipſum eſt ratio. Alij quod voluntas. Tertij quod nec ratio, nec voluntas. Sed quædam cõpactio ex ratione & voluntate. Quarti vero quod nec aliquid horum, nec aliquid compactum ex his, ſed quædam poteſtas vel dignitas imperans vtrique. Ad huius rei euidentiam notandum quod voluntas eſt nomen & actus & potentiæ. Voluntas autem actus eſt iudicati conſiliati liberi appetitus. Vnde dicit Ioannes Damaſcenus, quod voluntas eſt rationalis & liberi arbitrij appetitus. Conſilium autem, vt idem dicit, eſt appetitus inquiſitiuus de his quæ in nobis ſunt rebus fiendis. Electio vero idem eſt quod voluntas in eſſentia, ſed differt quia voluntas eſt propriè finis. Electio autem eorum quæ ſunt ad finem. Voluntas inquantum potentia idem eſt quod ratio, ſed differunt nomine, quia ratio dicitur in quantum diſcernit inter aliqua, Voluntas autem inquantum eligit alterum.

Sed liberum arbitrium ſecundum quod eſt nomen actus, vtrumque complectitur. Dicitur autem arbitrium quantum ad actum rationis, liberum quantum ad actum voluntatis. *Nota.* Similiter liberum arbitrium ſecundum quod eſt nomen potentiæ vtrumq; complectitur ſcilicet & voluntatem & rationem. Et ita eadem eſt potentia voluntatis, & rationis, & liberi arbitrij. Hoc eſt ergo quod dicit Auguſt. liberum arbitrium eſt facultas rationis & voluntatis, id eſt facilis poteſtas, rationalis & voluntaria, id eſt diſcreta & libera. Quod autem ſequitur quia bonum eligitur &c. Expoſitio eſt eius quod dictum eſt voluntaria, quia electio idem eſt quod voluntas in eſſentia, vt dictum eſt. Ex his patet quod tres primæ opiniones de libero arbitrio idem ſunt in re & veræ ſunt, in quarta vero falſa eſt.

Qualiter in eo concurrunt iudicium rationis & motus voluntatis.

CAPVT XCV.

SEd contra hoc quod ſupra dictum eſt, quod ratio & voluntas ſunt eadem potentia in eſſentia. Poteſt *Obiect.* obijci quod multotiens voluntas contradicit rationi & econuerſo, ſunt enim duo mouentia appetitum, ſcilicet phantaſia & intellectus. Intellectus mouet ad verum bonum. Phantaſia ad apparens bonum, quando ergo voluntas & appetitus ſequitur phantaſiam, contradicit rationi, ergo voluntas non eſt ratio nec econuerſo, ergo non ſunt eadẽ potentia in ſubſtantia. Item,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

iudicare & velle sunt actus diuersi & dissimiles & separati, ergo non sunt vnius potentiæ, sed duarum. Item, si voluntas est idem cum concupiscibili, & ratio est idem cum voluntate, eadem est vis rationalis & concupiscibilis. Pari ratione est eadem irascibilis & concupiscibilis, immo à maiori vt videtur, quia ideo est in gustu corporalis vis appetitiua quæ appetit dulce & quæ respuit amarum, ergo cum anima rationalis simplicior sit quam sensibilis, in gustu eius, id est in affectu eadem erit vis quæ appetit bonum, & quæ detestatur eius contrarium, ergo eadem est concupiscibilis & irascibilis, & ita est vna vis animæ & non tres. Item quæritur, si liberum arbitrium est vna potentia omnino simpliciter, Cur non nominatur vna intentione simplicis nominis, sed pluribus, cum dicitur liberum arbitrium? quia liberum quantum ad voluntatem, arbitrium quantum ad rationem. Item potest quæri, si libertas ad voluntatem pertinet, & arbitrium ad rationem, quare potius dicitur liberum arbitrium quam voluntas arbitraria?

Resp. Respondeo ad primum, quod voluntas nunquam contradicit rationi secundum quod dicitur esse eadem potentia cum ratione. Est enim eadem voluntas appetitus secundum rationem. Appetitus autem secundum phantasiam est desiderium. Ad secundum respõdeo, quòd licet actus sint separati, velle & iudicare, tamen ad inuicem ordinati sunt, quia præordinatur iudicare ad velle. Et licet alterum possit esse sine altero, tamen nihil impedit quin sint vnius potentiæ, sicut econtrario non sequitur vniuersale, apprehenditur ab alia potentia quam singulare, ergo hoc non est illud, immo vnum sunt vniuersale & singulare, nisi quantum ad rationem. Ad tertium respondeo, quod concupiscibilis non est eadem cum voluntate, nec econuerso, quia voluntas est, vt dictum est, in rationali. De concupiscibili autem & irascibili, bene potest concedi quòd est eadem vis secundum substantiam, sed duplicata secundum actus & secundum obiecta, quia huius est concupiscere bona, illius autem insurgere in nociua. Ad aliud respondeo, quòd ratio non nominatur vna simplici nominis intentione, sed duabus, quia vis merendi necessario duas habet rationes inquantum inclinatur ex fide, & inquantum inclinatur ex charitate, quantum ad initium meriti inclinatur fide, & secundum hoc dicitur arbitrium, quantum autem ad complementum ex charitate, secundum hoc dicitur liberum; libertas enim est in voluntate. Vnde dicit beatus Bernardus, quod liberum arbitrium est consensus rationis & voluntatis. Et Aug. ita diffinit liberum arbitrium, est liberum de voluntate iudicium, liberum de voluntate dicit non quia liberum iudicium sit etiã ante voluntatem, sed quia potissima libertas est in voluntate. Arbitrium autem refertur ad rationem. Vnde ad vltimum respondeo, quòd non dicitur voluntas arbitraria, sed liberum arbitrium, quia arbitrium est principium meriti materiale. Voluntas autem vt formale & quasi complementum. Vnde illud materialiter significatur, illud autem formaliter.

Ioannes de Rupella. Ioannes quoque Damascenus dicit, quod in ipso libero arbitrio concurrunt iudicium rationis & motus voluntatis. Vnde dicit coniugatæ sunt cognoscitiuæ & vitales virtutes, hoc est motiuæ in eodem, liberum enim arbitrium appetit, & liberum arbitrium vult quantum ad motum voluntatis, liberum arbitrium inquit & scrutatur, & liberum arbitriũ iudicat quantum ad discretionem rationis, liberum arbitrium disponit, liberum arbitrium eligit, & liberum arbitrium facit impetum, liberum arbitrium agit. *Boët. in libro de libero arbitrio.* Est itaque liberum arbitrium habitus animi, liber sui, & iudex sui, liber propter voluntatem, iudex propter rationem, & merito libertatem comitatur iudicium, vbi enim peccat ibi se iudicat, vt liberum ad voluntatem, arbitrium referatur ad rationem.

Liberum arbitrium iudex.

Quod Flexibilitas ad malum non sit pars libertatis.

CAPVT XCVI.

DIcitur autem communiter, quod libertas arbitrij est flexibilitas ad id quod vult liberum arbitrium habens. Et hoc videtur velle Aug. in libro quæstionum contra Pelagium, vbi ostendit quare liberum arbitrium dicatur liberum & quare arbitrium, dicens. Puto quòd liberum arbitrium ab arbitrando, rationali consideratione nomen accipit, vt discernat quid eligat, quidve recuset. Ecce quare arbitrium. Deinde subiungit: ideo liberum arbitrium dictum est, quòd in sua positum sit potestate, habens agendi quod vult potestatem. Ecce quare liberum, scilicet, quia potest quod vult. Ex quo apparet quòd libertas nihil aliud est quam potestas siue flexibilitas ad id quod vult, habens liberum arbitrium. Si autem obijcitur, quia secundum hoc mali habent liberum arbitrium liberius quam boni, quia habent impulsiuum ad id quod volunt, scilicet fomitem, boni autem non, sed potius illud habent pro impedimento ad id quod volunt. Respondeo verum est hoc, non tamen habent mali liberius quam boni, quia loco huius habent boni synderesim & gratiam impellentem ad id quod volunt, quæ magis possunt simpliciter quam fomes, & sicut fomes resistit voluntati bonorum, ita synderesis obuiat voluntati malorum. Vnde patet quòd non est maior libertas in malis ad malum quod volunt. Concedimus tamen, & verum est, quod liberum arbitrium pronius est in malis ad malum quam in bonis ad bonum, sed non liberius, quia libertas non dicitur flexibilitas arbitrij, sed libera flexibilitas, id est incogibilis, & hæc æqualiter est in bonis & in malis. *Anselmus in libro de libero arbitrio.* Libertatem arbitrij non puto esse potentiam peccandi. Quippe si hæc esset eius diffinitio, nec Deus, nec Angelus qui peccare nequeunt, liberum arbitrium haberent, quod nephas est dicere.

Liberum arbitrii quid?

Obiect.

Resp.

Libertas non est flexibilitas.

Denique nec libertas, nec pars libertatis potestas est peccandi. An non vides quoniã qui sic habet quod decet & quod expedit, vt hoc amittere nequeant, liberior est quam ille qui sic habet hoc ipsum vt possit perdere, & ad hoc quod dedecet & non expedit valeat adduci? liberior ergo est voluntas quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quam quę illam potest deserere. Potestas ergo peccandi quæ addita voluntati minuit eius voluntatem, & si detur auget, neque enim libertas est, neque pars libertatis. Clarum est itaque liberum arbitrium non esse aliud quam arbitrium potens seruare rectitudinem & liberum à tẽtatione & peccato, si nulla tentatio potest illam auertere à rectitudine ad peccatum, id est ad volendum quod non debet. Cum ergo vincitur, non aliena vincitur potestate sed sua. Nam cum homo habitam rectitudinem voluntatis aliqua ingruente tentatione deserit, nulla vi aliena abstrahitur, sed & ipsa se conuertit ad id quod fortius vult. Itaque sicut dictum est superius, nihil est recta voluntate liberius. Cui nulla vis rectitudinem suam auferre potest, verum ne seruitus peccati pugnare videatur libertati arbitrij, Nam vtraque scilicet hęc libertas & hæc seruitus in voluntate est, si bene discernas qui facit peccatum sine repugnantia & seruus & liber est. Nunquam enim est eius potestatis rectitudinem capere cum non habet, sed semper eius potestatis est seruare cum habet. Per hoc ergo quod redire non potest à peccato seruus est. Per hoc etiam quod abstrahi non potest à rectitudine liber est. Sed à peccato & ab eius seruitute non nisi per aliud potest reuerti. A rectitudine vero, non nisi per se potest auerti, & à libertate sua, nec per se, nec per aliud potest priuari. Semper etenim naturaliter est liber ad seruandam rectitudinem si eam habet, etiam quando quod seruet non habet.

Potestas peccandi non est pars libertatis.

Peccator seruus & liber.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Vtrum liberum arbitrium aliquid ſine gratia poſſit?

CAPVT XCVII.

An ſine gratia bene velle quis poſſet?

AVctor. Si vero quæritur, an liberum arbitrium per ſe, id eſt ſine gratia, poſſit bene velle? Reſpondeo quod ſuper hoc duplex ſolet eſſe opinio. Quidam enim dicunt, quòd non poteſt aliquid bene velle ſine aliqua gratia pulſante ipſum & adiuuante. Et quando conatur ſurgere, ille conatus eſt à gratia ipſum excitante. Alij dicunt quod per ſe poteſt bene velle ſine omni gratia cooperante, verbi gratia, velle orare vel eleemoſynam dare. Similiter de ipſo opere bono duplex eſt opinio. *Diuerſa ſententia.* Quidam enim dicunt, quòd ſine aliqua gratia non poteſt homo facere bonum in genere. vt eleemoſynam dare propter Deum vel aliquod ſimile, ſed ſolis naturalibus poteſt facere bonum naturæ, ſicut comedere vel bibere. Alij vero dicunt, quòd homo ex ſolo libero arbitrio facere poteſt bonum in genere ſine omni gratia cooperante, ſed non ſine Deo cooperante, quia ſine ipſo factum eſt nihil.

An homo ſe præparet ad gratiam?

At vero quæri poteſt, vtrum homo ex ſolo libero arbitrio ſe præparare poſſit, ita vt ei gratiam infundi neceſſe ſit, & videtur quod ſic, per illud Salomonis Prouerb. 16. *Hominis eſt animum præparare.* Et etiam in primis illa Dei promiſſio. *Aperi os tuum & ego adimplebo illud*, vbi ſcilicet oris apertionem notat præparationem mentis ad gratiam. Impletionem autem, gratiæ infuſionem. Sed Deus verax eſt in promiſſis, quia negare ſeipſum non poteſt; ergo ſi homo faciat quod in ſe eſt, neceſſe eſt quòd Deus infundat gratiam. Contra, nec eſt neceſſitas in dante ſcil. in Deo, quia nulla cadit in eum neceſſitas ſiue obligatio. Nec in ſuſcipiente, quia in eo eſt oppoſitum ſuſcepti, ſcilicet peccatum, ergo nulla eſt ibi neceſſitas, ſcilicet vt ſi faciat homo quod in ſe eſt, Deus infundat gratiam. Item ſi neceſſe eſt infundi gratiam facienti quod in ſe eſt, videtur quòd homo ex ſolo libero arbitrio poſſit mereri primam gratiam merito congrui, quod falſum eſt.

Reſolutio. Reſpondeo reuera ſi faciat homo totum quod in ſe eſt, quod tamen non poteſt facere niſi beneficio gratiæ gratis datæ, neceſſe eſt vt & Dominus faciat quod in ipſo eſt, ſcil. gratiam conferendo. Et hæc neceſſitas eſt ex parte ipſius dantis, veruntamen vt dicit Anſelmus, Non eſt neceſſitas obligans ipſum dantem, ſed eſt ſolius bonitatis ac liberalitatis ipſius, ſcilicet mouentis eum ad ſubueniendum creaturæ habilitanti ſe ad eius adiutorium recipiendum. Ex parte etiam recipientis eſt neceſſitas, quia indiget nec impedit macula peccati, quia gratia poteſtatem habet in ſubiecto ſic diſpoſito, vt ſtatim remoueat illam maculam. Vnde non eſt illa diſpoſitio contraria aduentui gratiæ, quia gratia ex toto potens eſt in illam remouendo. Ad aliud reſpondeo, quod licet homo faciat quod in ſe eſt, & infunda tur ei gratia, non tamẽ meretur eam nec datur ei quaſi ex debito. Iam enim non eſſet gratia, vt dicit Auguſt. ſi meritis redderetur, & non gratis daretur. *Bernardus vbi ſupra.* Tolle ergo liberum arbitrium, non erit quod ſaluetur; tolle gratiam, non erit vnde ſaluetur.

Quod libertatem arbitrij præſcientia Dei tollit.

CAPVT XCVIII.

ANſelmus in lib. de concordia liberi arbitrij & præſcientiæ Dei. Rectè autem intelligendo nequaquam ſibi repugnare videntur præſcientia Dei quam ſequitur neceſſitas, & liberum arbitrium à quo remouetur neceſſitas: neceſſe eſt ergo, quod Deus præſcit, & ſicut præſcit futurum eſſe. Deus autem præſcit aliqua futura eſſe ſine omni neceſſitate.

Obiect. Dices itaque mihi, Deus præſcit me peccaturum, vel præſcit me non peccaturum. Et ideo neceſſe eſt me peccare, ſi pecco, vel non peccare ſi non pecco. Ad

Reſp. quod ego. Non debes dicere, Deus præſciuit me peccaturum tantum, vel non peccaturum, ſed præſciuit Deus me peccaturum ſine neceſſitate, vel non peccaturum. Et ita ſequitur, ſiue peccaueris, ſiue non peccaueris, vtrumq; ſine neceſſitate erit, quia Deus præſcit futurum eſſe ſine neceſſitate id quod erit. Si autem dico neceſſe eſt peccaturum te eſſe, vel non peccaturum, ſola voluntate, ſicut Deus præſcit, non eſt intelligendum quod aliquid prohibeat voluntatem, quæ non erit, aut cogit illam eſſe quæ erit. Hoc ipſum præſcit Deus, qui prẽuidet aliquid futurum ex ſola voluntate, quod voluntas non cogitur, aut prohibetur vlla aliare. Et ſic ex libertate fit, quod fit ex voluntate. Si ergo diligenter hæc intelligantur: puto quia & præſcientiam Dei & libertatem arbitrij ſimul eſſe nulla prohibebit inconuenientia. Denique ſi quis intellectum verbi propriè conſiderat, hoc ipſum, quod aliquid præſciri dicitur, futurum eſſe pronunciatur. Non enim niſi quod futurum eſt præſcitur quia ſcientia nõ eſt niſi veritatis. Quare cum dico, quia ſi præſcit Deus aliquid neceſſe eſt illud eſſe futurum, idem eſt ac ſi dicam, ſi erit, ex neceſſitate erit, ſed hæc neceſſitas non cogit, nec prohibet aliquid eſſe, vel non eſſe. Aliquando etiam res aliqua quamuis ſit vt futura, non neceſſario eſt futura. Nam ſi dico, cras ſeditio futura eſt in populo, non tamen neceſſario erit ſeditio. Poteſt etenim fieri antequam ſit vt non fiat. Itaque nulla oritur repugnantia ſi aſſerimus idem aliquid neceſſario eſſe futurum, quia eſt futurum, & nulla cogitur neceſſitate eſſe futurum.

Obiect. Si quis autem obijciat nobis illud Iob: *Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Non eſt hoc contra id quod prædiximus. Nam quia Deus non fallitur, *Reſp.* nec videt niſi veritatem, ſiue ex libertate, id eſt ex libera creaturæ rationalis voluntate, ſiue ex neceſſitate eueniat dicitur cõſtituiſſe apud ſe immutabiliter quod apud hominem priuſquam fiat poteſt mutare: habet enim æternitas ſuum ſimul in quo ſunt omnia, quæ ſimul ſunt loco vel tempore, & quæ ſunt diuerſis in locis, vel temporibus. Illic itaque non eſt præteritum, vel futurum, ſed tantum præſens, immutabile. Sed in ipſis hominibus ex libertate arbitrij aliquando eſt mutabile, ſicut etenim quamuis in æternitate nõ fuit, vel erit aliquid, ſed tantum, eſt, tamen fuit, & erit aliquid ſine repugnantia, ita quod in æternitate mutari nequit in tempore aliquando per liberam voluntatem antequam ſit eſſe mutabile, probatur abſque inconuenientia. Quamuis autem ibi nihil ſit niſi præſens, non eſt tamen illud præſens temporale ſicut noſtrum, ſed æternum in quo tempora continentur concreta, ſicut enim præſens tempus continet omnem locum & quæ in quolibet loco ſunt; ita in æterno præſenti ſimul clauditur omne tempus & quæ ſunt in quolibet tempore: itaq; non magis oppoſita ſunt mutabile in tempore, & immutabile in æternitate, quam non eſſe in aliquo tempore & eſſe ſemper in æternitate, & fuiſſe vel futurum eſſe ſecundum tempus, atque non fuiſſe aut non futurum eſſe in æternitate.

Nota de æternitate.

Quod nec voluntas Dei tollit, ſed iuuat libertatem arbitrij.

CAPVT XCIX.

QVONIAM autem iuſtitiam qua iuſtus eſt aliquis conſtat eſſe rectitudinem voluntatis, rectitudo autem tunc tantum eſt in aliquo cum vult quod Deus vult eum velle, patet quòd Deus non poteſt eãdem rectitudinem merito auferre, quia non poteſt hoc non velle. Sicut enim Deus non facit iniuſtitiam, ita non facit aliquid iniuſtum eſſe. Qui tamen facit omnes actiones & omnes motus, quia facit res à quibus & ex quibus & per quas fiunt. Nullaque res habet vllam poteſtatem volendi aut faciendi niſi illo dante. Ipſum quoque velle quod aliquando iuſtum eſt, aliquando iniuſtum, nec eſt aliud quam vti voluntate & poteſtate volendi quam Deus dat & inquantum eſt,

Voluntas Dei ſtatuit libertatis rectitudinem.

bonum est,est,& à Deo est. Quod tunc quidem quando rectè est, bonum & iustum est. Quando vero non rectè,hoc solo quia non rectè est,malum est,& iustum est, & ipsum non rectè esse non est aliquid, nec est à Deo. Nam sicut cum aliquis vtitur gladio,aut lingua, aut potestate loquendi non est aliud gladius vel lingua aut potestas loquendi cum rectus est eorum vsus, & aliud cum non est rectus, ita voluntas qua vtimur ad volendum, non est aliud quando quis illa rectè vtitur, & aliud quando non rectè. Nec maius, nec minus est hoc quod est essentialiter cum est iusta, quam cum est iniusta,sic itaque facit Deus in omnibus voluntatibus & operibus bonis, & quod essentialiter sunt, & quod bona sunt. In malis vero non quod sunt mala,sed tantum quod per essentiam sunt, sicut autem non est essentia nisi à Deo, ita non est recta nisi ab ipso, huius rectitudinis absentia, quæ est iniustitia, non est nisi voluntate rationalis creaturæ, quæ semper debet habere iustitiam. Nemo certè seruat rectitudinem acceptam nisi volendo. Velle autem illam aliquis nequit nisi habendo illam, habere autem eam nullatenus valet nisi per gratiam. Neque etenim per se valet eam adipisci, quia nequit eam velle nisi habeat, nec ab alia creatura potest eam accipere, quia creatura nequit creaturam saluare.

Sicut ergo nullus eam accipit nisi gratia præuiente, ita & nullus eam seruat nisi cadē gratia subsequente; sic enim gratia subsequitur donum suum: vt nunquam siue magnum siue paruum sit illud dare deficiat, nisi liberum arbitrium volendo aliud rectitudinem quam acceperat, deserat. Adiuuat enim gratia liberum arbitrium quando vt deserat rectitudinem acceptam impugnatur, mitigando aut penitus remouendo vim tentationis, aut augendo affectum eiusdem rectitudinis. Denique cum omnia subiaceant dispositioni Dei, quicquid contingit homini quod adiuuet liberum arbitrium ad accipiendum vel ad seruandum hanc de qua loquor rectitudinem, totum gratiæ est imputandum: *veruntamen nec sola gratia, nec solum liberum arbitrium salutem hominis operatur*: cum enim legitur: Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis, non negatur in volente & currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significatur non imputandum esse libero arbitrio, quod vult & quod currit, sed gratiæ. Sic vtique dici potest non est induti pauperis quod est indutus sed miserentis, id est vestem dantis. Multo vero magis hoc diceretur si ille qui dedit vestem dedisset etiam potestatem vtendi & seruandi, sicut Deus qui dat homini rectitudinem, dedit etiam prius liberum arbitrium ad seruandum illam & vtendum.

Nota.

De Impotentia standi & potentia peccandi.

CAPVT C.

POrro impotentia quæ descendit ex culpa non excusat impotentem manente culpa. Vnde infantibus in quibus exigit Deus à natura humana iustitiam quam accepit in primis parentibus cum potestate seruandi illam, omnem prolem suam non excusat impotentia habendi iustitiam, quia propter culpam corruit in hanc impotētiam, hoc ipsum,quia non habet quod per se resumere nequit; est illi habendi impotentia, in quam ideo cecidit, quia sponte deseruit quod seruare potuit. Itaq; ad peccatum illi imputatur impotentia, quam peccando sibi fecit: possumus & rationabiliter asserere, quia quod à prima cõditionis humanæ dignitate ac fortitudine minorata & corrupta, illi ad culpam imputatur. Per hoc enim minorauit quantum in ipsa fuit honorem & laudem Dei. Quippe secundum dignitatem operis laudatur & prædicatur sapientia artificis, quanto ego humana natura preciosum opus Dei,vnde ipse glorificandus erat,in se minorauit atque fædauit, tanto sua culpa Deum exhonorauit. Quod ad tantum peccatum illi statuitur: vt non nisi morte deleatur. Denique sicut terra innumerabiles herbas & arbores, sine quibus humana natura alitur, aut etiam quibus premitur, sine hominis cura profert, vtiles vero non sine magno labore & cultore & seminibus; Ita corda humana sine doctrina & sine studio quasi germinant sponte cogitationes & voluntates saluti inutiles vel etiam noxias. Illas vero sine quibus ad salutem animæ non proficimus nequaquam sine sui generis sēmine & laboriosa cultura concipiunt aut germinant. Vnde illos quibus talis cultura impenditur, agriculturam Dei vocat Apostolus: cuius semen est verbum Dei. Sed & omnis intellectus rectitudinis quem mens humana siue per auditum, siue per lectionem, siue per rationem, siue quolibet alio modo concipit,semen est recte volendi.

Auctor. Dicit autem Aug. quod posse peccare non est aliquid posse sed potius aliquid non posse, quod videtur falsum. Quia ex hoc sequitur quod potentia peccandi nō sit potentia,sed potius impotentia. Econtra dicit idem Aug. Peccare est spreto incommutabili bono rebus commutabilibus adhærere, quod facimus libero arbitrio voluntatis. Ergo liberum arbitrium est potentia propriè loquendo. Ergo potentia peccandi est propriè potentia, non impotentia. Ergo posse peccare est aliquid posse. Sed si hoc, cum Deus non possit peccare, sequitur quod non potest omnia, & ita non est omnipotens. Respondeo quod secundum opinionem quæ dicit,quod peccatum est aliquid,reuera posse peccare est posse aliquid. Sed ideo dicit Aug. quod non est posse aliquid quod sit purę potentiæ. Potentia enim peccandi non est pura potentia, sed potentia cum defectu. Deus autem dicitur omnipotens, non quia possit omnia generaliter, sed quia potest omnia quæ posse puræ est potentiæ.

Posse peccare est non posse.

De varia distinctione liberi arbitrij.

CAPVT CI.

ANselmus *in libro de libero arbitrio.* Ergo libertas arbitrij alia est à se: quæ nec facta est, nec ab aliquo accepta, & hæc est solius Dei. Alia à Deo facta & accepta, quæ est angelorum & hominum. Et hæc bipartita est,nam alia est habens rectitudinem quam seruet. Alia carens. Habens autem alia tenet separabiliter, alia inseparabiliter. Illa quidem quæ separabiliter tenet, fuit omnium angelorum antequam boni confirmarentur & mali caderent. Et est omnium hominum ante mortem qui habent eandem rectitudinem. Quæ vero tenet inseparabiliter, hæc est electorum,angelorum & hominum, sed angelorum post ruinam reproborum, & hominum post mortem suam. Illa autem quæ caret rectitudine. Alia caret recuperabiliter, & hæc est tantum in hac vita omnium hominum illa carentium, quamuis illam multi non recuperent. Alia irrecuperabiliter. Et hæc est reproborum angelorum & hominum, sed angelorum post ruinam, & hominum post hanc vitam.

Bernardus in lib. de libero arbitrio. Est libertas à peccato,de qua dicit Apostolus. Nunc autem liberati à peccato &c. Et est libertas à miseria, de qua itidem dicit, Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, &c. Est iterum libertas à necessitate, eo quod necessarium est voluntario contrarium. Et hanc vltimam contulit nobis in conditione natura, in primam restauramur à gratia. Media vero nobis reseruatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, secunda gratię, tertia vitæ vel gloriæ. Primo nempe in liberam voluntatem, ac voluntariam libertatem conditi sumus. Secundo reformamur in innocentiam noua in Christo creatura. Tertio consummamur in gloriam perfecta in spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris. Secunda plurimum & virtutis. Nouissima cumulum iucunditatis. Ex prima quippe præstamus cæteris animantibus. In secunda carnem. Per tertiam mortem subijcimus.

De infantiū peccato originali.

Libertas variè accipitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Libertas quomodo est maior in beatis?

Auctor. Quod itaque dicunt sancti liberum arbitrium esse liberius in angelis & hominibus bonis, quã in malis, Intelligendum est liberius, id est ad bonum potentius, vel etiam liberius, id est liberum pluribus libertatibus. Cum enim triplex sit libertas, scilicet à necessitate, à peccato, à miseria, sicut prædictum est. Necessitas quoque duplex est: videlicet ineuitabilitatis & coactionis, maior ergo libertas est in angelis quã in hominibus, quia illi tres habent plenarias libertates, scilicet à peccato, à necessitate coactionis, à miseria. Sed ineuitabiliter volunt bonum, nec hoc minuit libertatem eorum, sed potius auget, quia ita liberè volunt bonum quod nolunt peccare omnino. Nec sentiunt aliquod impulsiuum ad malum. Boni autem homines tres habent libertates, sed non omnes plenarias, sed à necessitate coactionis, à peccato sed non ex toto, & à miseria, sed adhuc in spe, nondum re: liberiores ergo sunt quam mali, qui duas tantum habent, scilicet à necessitate duplici. Mali quoque homines liberiores sunt quàm dęmones, qui vnum tantum habent, scilicet à necessitate coactionis.

De operationibus omnium animæ virium in generali.

CAPVT CII.

Maxima.

Ioannes Damascenus lib. 2. Oportet autem scire quoniam omnes prædictæ virtutes & cognoscitiuæ & vitales & naturales & artificiales operationes dicuntur. Operatio enim est naturalis vniuscuiusq; substantiæ virtus. Et rursus operatio est naturalis omnis substantiæ innatus motus: vnde manifestum est, quoniam quorum substantia eadem est, horum & operationes indifferentes. *Impossibile est enim substantiam esse expertem naturali operatione.* Et rursus operatio est naturalis, & prima, & semper mobilis virtus intellectualis animæ, hoc est, semper eius mobilis ratio, naturaliter ab ipsa semper irrigata. Dicuntur autem & operationes & gestiones actus, vt loqui, ambulare, comedere, bibere, & quæ talia. Sed & passiones naturales multotiens operatio & opus virtutis, quod græci apotelesma dicunt, id est effectum. Hildebertus Cænomanen.

Vis animæ septem proprios sibi vendicat actus,
Viuificat, sentit, varias amplectitur artes,
Corrigit excessus, virtutibus instat, in ipsam
Dirigit intuitum deitatem, gaudet in illa,
Seminibus quoque primus inest, animalia bruta
Participant alium, duo nostrę proprietatis.
Tres sunt & superum: superi tamen anteferuntur.
Ex actu primo vegetantur corpora, crescunt,
Prouenit inde vigor, nexus, complexio, motus,
Et status & species, & conuenientia quædam.
Ex alio tangit, videt, audit, gustat, odorat,
Odit, amat, petit apta, sibi & contraria vitat,
Soluitur in somnos, in somnia mente vagatur,
Pręteriti meminit, venturis instat, agitque
Plurima quæ sensu non & ratione geruntur,
Tertius ingenuas altasque perambulat artes,
Quæque vel ingenium: vel disciplina ministrat,
Colligit, & vario profectu mentibus hæret,
Quartus ab illicitis reuocat residetque reatus.
Obiurare docet, ex tunc agnoscere sese
Incipit, inque nouum nitis ac transire decorem,
Dicimus ex quinto naturę lege teneri,
Res inconcessas virtutis amore cauere,
Concessis aliquot etiam sine teste cauere,
Sextus in aspectu solis lucisque supernæ,
Penè parem superis animam rapit immaculatam,
Septimus astringit, stabilisque subhortat amore,
Collateratque Deo, quam dotem iam speculatur,
Quos thalamos, quis cultus eam, quæ festa ferenent,
Quis dicat speciosa, veni dixere beatæ.
Maioresque animæ nec eis tamen aut ea virtus,
Aut ea lingua fuit, quibus hęc aperire liceret.
Excedit sensus meritumque recondita merces.

Primus itaque noster actus est viuificatio. Secundus sensus, tertius ars, quartus correctio, quintus virtus, sextus contemplatio, septimus quies. Hos actus si carnis desideriis impediri negas, profecto vel penitus infra hominem defecisti, vel supra hominem profecisti. Qui solus tamen libere beatus es, vt eam concupiscentiam nescias, quæ aduersus præfatos actus innumero militat exercitu & diuerso triumphat affectu. Neque enim in omnes animas par ei licentia est. Ipsi quoque actus nec eodem tempore omnes, nec omnes eadem infestantur molestia. Alij quippe in ortu quasi seges in germine præfocantur. Alij iam prouecti velut in spicis grana quæ feruor nimius exurit inanescunt. Est etiam quod illos intrinsecus impugnet, quod illos extrinsecus euacuet.

Concupiscętię licentia non par in omnibus.

De Passionibus animę similiter in communi.

CAPVT CIII.

Ioannes Damascenus vbi supra. Passio vero æquiuocè dicitur. Dicitur enim passio & quæ corporalis est, vt ægritudines & vlcera. Et rursus quæ animalis est vt concupiscentia, & ira. Est autem communiter quidem ac generaliter passio animalis quam sequitur voluptas & tristitia. Sequitur autem passionem ipsa tristitia, & non ipsa passio est tristitia. Insensibilia enim patientia non dolent. Non ergo passio est dolor, sed passionis sensus. Oportet aut dignam ratione esse scilicet magnam, vt sensui subiaceat. Animalium passionum terminus est hic: *passio est motus appetitiuæ virtutis sensibilis in imaginatione boni vel mali.* Et aliter, *passio est motus irrationalis animę per suspicionem boni vel mali.* Suspicio enim boni mouet cõcupiscentiam. Suspicio vero mali iram. Sed & secundum alium modum operatio passio dicitur. Nam operatio quidem est quæ secundum naturam motus, passio vero quæ præter naturam. Secundum hanc ergo rationem operatio passio dicitur, cum non secundum naturam mouetur siue ex seipso, siue ex alio. Cordis ergo qui quidem secundum pulsus est motus naturalis existens, operatio est. Qui vero secundum saltus est, immoderatus existens & non secundum naturam, passio est, & non operatio. Non omnis autem motus passionis passio vocatur, sed qui sunt vehementiores, & in sensus procedentes. Qui enim parui sunt & insensibiles, nondum passiones sunt. Oportet enim passionem habere magnitudinem dignam ratione. Ideo adijcit termino passionis motus sensibilis. Parui enim motus latentes sensum, non faciunt passionem. *Auctor.* Hæc de anima humana dicta sunt & viribus eius. Nunc ad describendam similiter creationem atque naturam humani corporis transeamus.

Animalis passionis definitio.

Vehementiores motus sunt passiones.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER VIGESIMVSOCTAVVS.

De causa humani corporis.

CAPVT I.

ICARDVS de sancto Victore in lib. excerptionum. Spiritus quidē humanus creatus est propter Deum, corpus autem propter spiritum, mundus vero propter corpus vt ipse mundus seruiret corpori, corpus autē spiritui & spiritus creatori. Sane scriptura sæcularis materiam habet opus conditionis. Diuina vero scriptura materiam habet opus restaurationis. Opus nempe conditionis est, quo factum est vt essent quæ non erant. Opus autem restaurationis est quo factum est vt melius essent quæ perierant. Opus conditionis est creatio mundi cum omnibus elementis suis. Opus restaurationis est incarnatio Verbi, cum omnibus sacramentis suis. Opus conditionis in sex diebus factum est. Opus restaurationis non nisi sex ætatibus perfici potest. Sex autem sunt contra sex, vt idem cognoscatur esse redemptor qui creator. Primum opus scilicet conditionis factum est, vt stanti homini subesset. Secundum factum est vt lapsum erigeret. Et sacra quidem scriptura vt ad materiam suam tractandam competentius accedat, primum opus conditionis commemorat. Non enim posset reparationem hominis sine eius lapsu, nec eius lapsum sine ipsius creatione, nec eius creationem sine totius mundi conditione declarare. Et ideo voluit prius opus conditionis commemorare. Mundo igitur creato, dispositio, ordinato, quòd esset humano corpori necessarium commodum gratum, fecit Deus hominem possessorem omnium, dominum vniuersorum, qui quamuis tempore posterior, causa tamen prior, dignitate superior inuenitur. *Auctor.* Animam quidem hominis creauit Deus ex nihilo sicut & angelum, corpus autem de materia præiacenti, scilicet de terra rubea, secundum Iosephum.

Nota redemptionis figuram in conditione mundi.

A

De materia & loco & forma ipsius creationis.

CAPVT II.

FOrmauit ergo, sicut scriptum est, Dominus hominem in agro Damasceno de limo terræ, quantum ad corpus, vnde & Adam interpretatur terra rubea siue terrenus. Erat corpus illud immortale, non de conditione naturæ, sed beneficio gratiæ. Nam eius immortalitas erat sustentanda per esum ligni vitæ. Erat itaque potens non mori si non peccaret, quia de ligno vitæ sustentaretur, & potens mori si peccaret, quia ligno vitæ priuaretur, sicut & factum est. *Isidorus in libr. Etymologiarum*, 11. Corpus dictum est eo quòd corruptum perit, solubile enim atque mortale est, & aliquando soluendum. Caro autem à creando est appellata. Crementum enim semen est masculi, vnde animalium & hominum corpora concipiuntur, hi ne & parentes creatores vocantur. Caro autem ex quatuor elementis compacta est. Nam terra in carne est. Aer in anhelitu, humor in sanguine, ignis in calore vitali: habent in nobis elementa suam quęque partem, cui quid debetur compage resoluta.

B

Vitruuius in libro tertio de Architectura. Corpus hominis ita natura composuit, vt os capitis à mento ad summam frontem & radices imas capilli esset decimæ partis. Item manus palma ab articulo ad extremum medium digitum tantumdem. Ipsius autem oris altitudinis tertia pars ab imo mento ad imas nares. Nasum ab imis naribus ad finem medium superciliorum tantumdem, ab eorum autem fine ad imas radices capillorum frons efficitur. Reliqua quoque membra suas habent commensurationes & proportiones, quibus etiam antiqui pictores & statuarij nobiles vsi magnas laudes sunt assecuti. Corporis autem centrum naturaliter est vmbilicus: nam si Homo collocatus fuerit supinus manibus & pedibus pansis, circinique centrum in eius vmbilico collocatum circumagendo rotundationem vtrorumque manuum & pedum digiti tangentur. Item quadrata designatio in eo inuenitur. Nam si à pedibus imis ad summum caput mensuraueris, eamque mensuram ad manus pansas retuleris, inuenietur eadem latitudo vti & altitudo.

C

Ager Damascenus locus, vbi Adam formatus.

Corpus vnde dictum?

Proportiones partium corporis humani.

De dignitate & nobilitate humani corporis.

CAPVT III.

Dignitas corporis humani.

Augustinus de ciuitate Dei libro 22. Iam vero in ipso corpore quamuis nobis sit cum beluis mortalitate commune, multisque earum reperiatur infirmius, quanta bonitas & prouidentia creatoris apparet? Nonne ita sunt in eo loca sensuum & cætera membra disposita, speciesque ipsa & figura & statura totius corporis ita modificata, vt ad ministerium animæ rationalis se iudicet factum? Non enim vt animalia rationis expertia, prona esse videmus in terram, ita creatus est homo, sed erecta in cælum corporis ammonet forma, eum quæ sursum sunt sapere. Porro mira mobilitas quæ linguę ac manibus attributa est ad loquendum & scribendum, apta atque conueniens & ad opera artium plurimarum officiorumque complenda, Nonne satis ostendit quali animæ & seruiret, tale sit corpus adiunctum? Quandoque & detractis necessitatibus operandi, ita omnium partium congruentia numerosa sit, & pulchra sibi parilitate respondeat, vt nescias, vtrum in ea condenda maior sit vtilitatis habita ratio quam decoris. Certè enim nihil creatum videmus in corpore vtilitatis causa, quod non habeat etiam decoris locum. Plus autem illud nobis appareret, si numeros mensurarum quibus inter se cuncta connexa sunt & coaptata noscemus, sicut est tanta perplexitas venarum atque neruorum, & viscerum secreta vitalium quibus coaptatio, quæ armonia græce dicitur, tanquam cuiusdam organi extrinsecus atque intrinsecus totius corporis constat. Qui si noti esse potuissent in interioribus quoque visceribus quæ nullum ostentant decus, ita delectaret pulchritudo rationis, vt omni formæ apparenti quæ oculis placet ipsius mentis quæ oculis vtitur præferretur arbitrio. Sunt vero quædam posita in corpore, vt tantummodo decorem habeant, non & vsum, sicut habet pectus virile mammillas, sicut facies barbam. Vnde puto facile intelligi, in conditione corporis dignitatem necessitati fuisse prælatam. Transitura est quippe necessitas, tempus quia venturum, quando sola inuicem pulchritudine sine vlla libidine perfruamur. Quod maximè ad laudem referendum est conditoris, cui dicitur in psalmo; *Confessionem & decorem induisti.*

De corporis eiusdem membris.

CAPVT IV.

Membra.

Artus.

Articuli.

Isidorus vbi supra. Membra sunt partes corporis. Artus vero sunt quibus membra colligantur, ab artando dicti. Artus enim dicti sunt eo quòd inuicem colligati neruis artentur, id est stringantur. Quorum diminutiua sunt articuli. Nam artus dicimus maiora membra vt brachia, Articulos vero minora vt digitos. Et in corpore nostro quædam vtilitatis tantum causa facta sunt vt viscera, quædam etiam vtilitatis & decoris vt sensus in facie, & in corpore manus & pedes, quorum membrorum & vtilitas magna est, & species decentissima. Quædam tantum decoris, vt mammillæ in viris & in vtroque sexu vmbilicus. Quędam discretionis, vt in viris genitalia, barba prolixa, pectus amplum. In mulieribus lenes genæ & angustum pectus. Ad concipiendos autem & portandos fetus renes & latera dilatata.

Constantinus in pantegni. 3. parte. Facit autem natura quandoque membrum vnum duarum vel trium rerum instrumentum, vt subtilem fecit matrem cerebrum operire, venas & arterias ad inuicem ligare. Cerebrum quoque ne dispergeretur adiuuare. Idem etiã fecit in pulmone & eius cannalibus, vt essent instrumenta flatus ad calorem naturalem cordi reseruandum, & nihilominus vocis instrumentum. Aliquando etiam facit eadem natura, vt expulsa sint alterius rei iuuamenta, sicut fumus dicitur causa pilorum esse. *Ex libello de Anatomia.* Membrum est solida & firma pars animalis ex similibus vel dissimilibus composita ad aliquid speciale officium deputata. Cum autem omnia membra tam mollia quam solida ortum habent à sanguine tanquam à nutrimento, pinguedo tamen solidior est sanguine, caro pinguedine, neruus sensibilis carne, motiuus sensibili, cartilago quoque neruo motiuo, & ossà cartilagine.

De varia membrorum diuisione.

CAPVT V.

Principalia membra.

A principalibus orta.

Membrorum quædam sunt principalia, quædam à principalibus orta *Principalia* sunt cor, hepar, testiculi, cerebrum. Cor, hepar, & cerebrum, quia conseruant rem speciei. Testiculi vero, quia conseruant speciem rei. *A principalibus* orta sunt nerui, arteriæ, venæ, & vasa seminaria. Nerui enim oriuntur à cerebro, spiritum vitalem, cum pauco sanguine deportantes vbique corporis ad vitam faciendam & motum complendum. Venæ oriuntur ab hepate, deportantes sanguinem & alios humores, cum spiritu naturali ad nutrimentum totius corporis. Vasa seminaria oriuntur à testiculis, in quibus materia spermatum continetur, quæ in testiculis dealbata per virgam in matricem effunditur ad generationem faciendam.

Similia.

Composita.

Item membrorum quædam sunt innatas tantum virtutes habentia, vt sunt membra consimilia. Quædam vero innatas & influentes, & hæc sunt membra officialia. *Constan. in Pantegni. in secunda parte.* Naturaliter vero diuiduntur membra, scilicet in similia & composita. *Similia* dico, partes toti, totumque parti assimilantia, vt sunt ossa, nerui, & consimilia. *Composita* vero vocantur officialia, vt caput, hepar, manus, pedes, & cætera talia. *Ex Isagogis Hippocratis.* Corpus quidem hominis in tres partes generales diuiditur, scilicet caput, pectus, & pedes, in particulas autem multas. Specialiter autem constat de venis & arteriis, neruis & ossibus, cartilaginibus, adipibus & cæteris spiritibus.

Vena.

Arteria.

Vena est vasculum simplex quo sanguis per quem alimur circungeritur. *Arteria* est vasculum quadruplex, quo vitalis spiritus continetur, per quem etiam signum pulsus efficitur.

Neruus.

Os.

Neruus est vasculum quo spiritus sensualis & volubilis continetur. *Os* est corpus durum & forte factum ad cæterum corpus fulciendum.

Cartilago.

Adeps.

Articulus.

Cartilago est corpus neruis durius, ossibus vero mollius. Quod si quando rasum fuerit, vel præsciſum nunquam crescit neque iungitur. *Adeps* est crassa coagulatio circa humectum consistens. *Articulus* est ossium capitis, ad caput positio atque coniunctio.

De distinctione membrorum secundum conuenientiam actionum.

CAPVT VI.

Animata.

Constantinus vbi sup. in 2. parte. Aliter quoque diuiduntur membra prout singula fecit natura propriis actionibus conuenientia. Actiones enim sunt tres, scilicet animalis, spiritualis, naturalis, quibus similia sunt instrumenta corporis. Vnde membra virtutem animalem sequentia, vocantur animata. Spiritalem, spiritalia. Naturalem, naturalia. Animata membra fecit Deus in omnibus animalibus propter sensus & voluntarios motus. In homine vero & propter hoc & propter intellectum & rationem ea fecit, *vt cerebrum, oculos, naves, articulos, linguam, neruos, atque lacertos.*

Spiritalia.

Membra spiritalia facta sunt propter spiracula flatus & caloris naturalis conseruantias, vt sunt *pectus*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& eius panniculi, cor & pulmo cum cannalibus suis, fauces & A hoc oportuit esse firmiora. Aut quoniam ab exterio-
Naturalia. *diaphragma & arteriæ.* Membra naturalia bipartita sunt, ribus defendunt interiora, propter hoc oportuit hæc
quædam enim sunt nutritiua, quædam generatiua. esse duriora. *Ex libro de naturis rerum.* Sicut in pariete
Nutritiua. Nutritiua sunt, quæ mutant cibum in substantiam luteo pali ipsum scilicet parietem tenent ne penitus
membrorum totius corporis. Omnia enim humana obruatur, sic ossa carnem fragilem stipant, ne sua mol-
& bestialia corpora consumuntur ab aëre & naturali licie corpus in vnum improbe conuoluatur. Sunt au-
calore. Ideo necesse est vt ad conseruandam integri- tem dura, interius concaua, alba nimium, ac durabi-
tatem eorum consumptio cibis reparetur. Itaque nu- lia. Ossa masculorum fortiora sunt ossibus fœmina-
tritiua sunt *os, dentes, stomachus, intestina, hepar, splen, fel,* rum, nisi tantum in genere amazonum, vbi robur fœ-
Generatiua. *renes, vesica, vena.* Generatiua vero facta sunt, vt spe- minarum præfertur fortitudini virorum. Videtur qui-
cificarentur generalia, & indiuiduarentur specificata. dem os consolidari post confractionem vel absciſſio-
Nam quoniam omnia indiuidua naturaliter consu- nem, & fieri robustum vt ante, sed non est verum.
muntur, necesse est vt per genitalia reparentur, quæ Coniungitur enim & adhæret os ossi, & pars parti, *Os fractum non cõtinuatur amplius.*
sunt *matrix vel vulua, virga, testiculi, & vasa spermatis.* quibusdam ebullitionibus mediis quę defluunt ex me-
Horum autem trium generum, scilicet animatorum, dulla, hoc autem nullo modo fieri potest, vt ossium
spiritalium, & naturalium membrorum singula ha- B fractio continuetur sicut in prima creatione. *Isidorus*
bent vnum principale mẽbrum, cuius causa facta sunt *vbi supra.* Ossa sunt corporis solidamenta. In his enim
aliaque vel actionis suæ sunt adiumenta vel superflui- positio omnis roburque consistit. Ossa autem ab vsto
tatis expulsiua, vel eiusdem defensiua: in membri ani- dicta propter quod crematentur ab antiquis, siue, vt
matis principale est cerebrum, quia in ipso sunt me- putant, ab ore, eo quod ibi pateant. Nam alias vbique
moria, ratio & intellectus, & de ipso virtus sensibilis cute visceribusque obtecta velantur. *Medulla* appellata *Medulla.*
ac motus voluntarius ad alia membra progrediuntur. est, eo quod madefaciat ossa, irrigat enim & confor-
Actionis eius adiumenta sunt oculi & cætera superius tat. *Vertibula* sunt summæ ossium partes, nodis cras- *Vertibula.*
nominata. Vnumquodq; enim horum exteriora por- sioribus conglobatæ, dictæ ita, eo quod ad inflexionẽ
Cerebrum. tat ad *cerebrum* quod sibi portata disponit. Nerui au- membrorum illa vertantur. Compages capita sunt
tem & lacerti ad opera à cerebro discreta atque dispo- ossium, dicta eo quod sibi compacta neruis vel glutino quodam adhæreant. *Auicen. in 2. canone.* Ossa hominis in potu data conferunt dolori iuncturarum, eadem quoque adusta in potu dantur epilepticis.
sita mouentur. Istorum etiam quædam superfluitatis
expulsiua sunt, vt nares emunctionum, oculi lachry-
marum. Quædam vero defensiua vt panniculi super
cerebrum.

Spiritalium autem membrorum principalissimum C
Cor. est cor, caloris enim naturalis fundamentum est, qui
de ipso in alia omnia viuificanda procedit. Huius ad-
iuuamenta sunt pulmo, panniculi, lacerti pectoris.
Motu enim istorum attrahitur aer ad cordis calorem
refrigerandum, & calor fumosus expellitur qui circa
cor adunatur. Portantia vero ab ipso ad alia sunt arte-
riæ, à corde namque calorem naturalem & virtutem
vitalem accipientes portant ea ad omnia corporis mẽ-
bra. Cordis autem defensiua sunt eius panniculi &
diaphragma, & panniculi pectoris.

Hepar. Nutritiuorum membrorum principale est hepar:
vbi mutatur ciborum succus & sanguis efficitur, de
ipso ad totum corpus nutriendum dispergendus. Hu-
ius adiuuamenta diuersa sunt. Quædam enim cibum
præparant, vt stomacho leuiorem reddant sicut den- D
tes. Quædam eum calefaciunt & mutant vt hepati ad
mutandum in sanguinẽ alleuient vt stomachus. Quæ-
dam illum à stomacho in hepar portant sicut intestini
gibbositas, quod medici ieiunium vocant. Alia vero
ab hepate ad totum corpus & vena concaua. Alia quo-
que tantum in superfluitatem sanguinis expellunt &
mundificant, vt splen, fel, renes. Alia partem cibi su-
perfluam recipiunt & expellunt, vt intestina crassa &
vesica. Quod enim à stomacho reijcitur, ab eis reci
pitur & expellitur, vesica vero recipit superfluitates
aquosas à renibus de sanguine depuratas. In membris
generatiuis testiculi principales sunt. Eius adiuuamen-
ta sunt spermatis vasa quæ de vno ad aliud ferunt, &
de spermate fœtus faciunt. Mammillę etiam adiuuant,
cum infantes nutriant. E

De membris consimilibus, & primo de ossibus.

CAPVT VII.

Septem similia membra. MEmbra vero consimilia, sicut dictum est supra,
sunt partes toti, totumque parti assimilantia.
Sunt autem septem, primum scilicet ossa, secundum
cartilago, chordæ, nerui, ligamen, tertium venæ, quar-
tum arteriæ, quintum caro, glandes & pinguedo, sex-
tum cutes & pelliculæ, septimum pili & vngulæ. Ossa
itaque sunt purior & siccior corporis pars, quæ dua-
bus ex causis necessaria sunt, aut quod sunt fundamẽ-
tum super quæ totius corporis sita est fabrica, & ob

De diuisionibus eorum.

CAPVT VIII.

Sex causa diuersitatis ossiũ in corpore. COnstantinus *vbi supra.* Ossa autem in corpore mul-
ta ac diuersi generis sex de causis oportuit esse.
Primo propter motionem corporis, quia membra quæ-
dam in animalibus aliquando moueri necesse est, ali-
quando quiescere, & aliquando quidem mouentur
manuum volæ sine brachiis & digiti sine volis. *Secundo*
propter fumosæ superfluitatis expulsionem. Omnis
namque cibi superfluitas est subtilis vel crassa. Crassæ
viam inferius natura dedit, per quam secreto illam ex-
cludit. Fumosæ vero viam superius fecit, videlicet
poros in cute & in capitis osse. Caput enim summa
pars corporis idemque est sibi, quod tectum domui.
Fumi vero natura petit semper altiora. Ideo necesse
fuit ossa capitis perforata esse, ne fumus conclusus
perhiberetur exire, hi tamen pori non propalantur vi-
sui, ne aliquid ab exterioribus intraret, quod cerebro
noceret. *Tertio* etiam oportuit esse ossa multa, vt faci-
lius essent passibilia. Si enim vnicum esset, dum vnius
pars pateretur, necesse esset vt sibi totum compateretur. Ideo fecit natura duo vel tria, & vbi oportuit plu-
ra, vt si vnum pateretur, alterum compatiendo non
læderetur. *Quarto* propter magnitudinem & paruita-
tem, iuxta membrorum enim quantitatem quædam
oportuit esse magna, vt in coxis & in brachiis. Quæ-
dam vero parua, vt in digitis. *Quinto* propter firmita-
tem, quoniam vbi debebant esse solida natura non fe-
cit ea concaua. *Sexto* propter motus leuitatem, sicut
in corporis similibus membris, quia magna sunt &
ossa mobilia, oportuit ea esse concaua, quæ etiam ex
duabus causis plena sunt medullis ne cõcauitate fran-
gerentur, vel vt inde nutrirentur.

De diuisionibus eorum.

CAPVT IX.

OSsa itaque iuncta aut solida sunt & immobilia.
Aut non solida & mobilia, quorum motus aut
mollis est aut durus, & oportuit vt alterius acumen sit
infra concauitatem alterius, sicut videlicet plenius di-
cetur inferius. *Auicenna in primo canone.* Ossium corpo-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ris alia sunt fundamentum, vt spondiles dorsi. Super has enim corpus fabricatur sicut nauis super lignum quod primũ in ea ponitur. Alia sicut clypeus ad tuendum, sicut os cranei. Alia sicut arma quibus bellatores impedientes repellantur, vt ossa simelia vocata, quæ sunt super dorsi spondiles vt spinæ. Alia quibus iuncturarum vacuitates replentur, vt ossa sisamina, quæ sunt inter ossa digitorum. Alia quibus corpora suspendenda suspenduntur, sicut os laudę assimilatum quod est musculus gutturis ac linguæ aliorum suspensorius.

Ossa cur solida? cur porosa habent?

Omnia autem corporis ossa sustentaculum sunt & correctio. Et illa quidem quæ sunt ad sustentandum tantum aut ad defendendum, & non ad mouenda mẽbra necessaria sunt, solida facta sunt, licet in eis vacuitates sint & foramina parua & pori, quæ necesse fuit in eis esse nutrimenti causa & etiam alicuius rei quæ necesse est vt in ea penetret, sicut odor qui cum aëre in osse coloratorio simili attrahitur ad cerebri quoque superfluitates quæ per ipsum expelluntur. Illa vero quæ propter motum etiam necessaria sunt, vnam habent concauitatem maiorem intrinsecam in medio sui positam, vna quidem est vt corpus eorum exterius remaneat durius. Nam si pluribus receptaculis nutrimenti paruis & separatis indigeret, inde laxum fieret. Nunc autem factum est durum & eius nutrimentum quod est medulla in interiori eius concauitate est aggregatum, quæ scilicet concauitas facta est etiam magna, vt ossium corpora propter motum sint leuia. Dura vero facta sunt ne in hora fortissimorum motuum rumpantur. Iuuamentum quoque medullarum est, non solum vt ea nutriat, sed etiam vt ea semper mollificet ne frangantur, quia motus exiccat. Concauitas quidem minor est, vbi magis necessaria est firmitas. Maior autem vbi maior exigit leuitas. Ossa omnia vicina sunt & coniuncta, inter aliqua tamen inuenitur spacium paruum quod implent cartilaginosa, vel cartilaginibus similia.

De Ossibus singulorum membrorum, & primo cranei.

CAPVT X.

Constantinus vbi supra. Omnium autem ossium sex modi sunt. Alia namq; capitis sunt, alia dorsi, alia pectoris & costarum, alia spatularum & furcularum, alia quoque manuum & alia pedum. Capitis sunt craneum & ossa menti, & dentium. Cranei forma rotunda est ante tamen, & retro acuta. Rotunda quidem aut vt à passibilitate sit remotior, aut vt quantitas cerebri sit capacior. Anterius autem propter cerebri proram acuitur. Vnde numeri prodeunt, qui quinque sensus deferunt. Posterius vero propter cerebri puppim acuitur. Vnde medullę spondilium egrediuntur. Craneum est ex ossibus multis sibi inuicem concatenatis, quod factum est quinque de causis, aut propter fumi superfluitatem reijciendam, aut vt venæ & arteriæ viam habeant ad cerebrum introeundi & exeundi. Aut vt pãniculi cerebri firmiter ei inhærerent, ne cerebro inciderent, & cadentes aggrauarent. Aut ne si vnum frangeretur, alia conquassarentur. Aut quia prora mollior est, puppis autem durior.

Ossa capitis.

Cranei forma quintupla.

Cranei forma quintupla est, & in artubus sex dupla. Cuius ossa quædam habent propria nomina, vt coronatum, erectum & lauda sunt, & alia duo sibi similia super auriculas ex vtroque latere posita, quæ vocantur decuma. Alia quoque duo in medio capitis vtrinque cum erecto iuncta & sunt quadrangula, quorum mollis est substantia propter fumi superfluitatem dissoluendã qui circa proræ cerebri ventriculum adunatur. Sunt & alia duo vtrinque posita solis decumis à craneo differentia quæ appellantur tempora. Sunt triangula in ossa tria diuisa, quorum vnumquodque suam habet naturam, vnum est petrosum foramen habens auriculæ positum ibi propter auris diuisionem. Alterum summitati mãmillæ natura simillimum positum, ibi propter os menti firmandum, ne suum exiret locum, & non est adeo durum sicut est petrosum. Tertium rectè tempus vocatur duobus aliis mínus durum, idem intelligas in alterius partis triangulo. In prora capitis est os, quod vocatur frons, semicirculi formam habens inter durum & molle temperatum, ne læderetur vicinitas oculorum. Est etiam illud durũ quod vocatur os puppis, præter hæc sunt & alia quinque, quorum vnũ palo simile, puppis ossi iunctũ est, & vsque ad solum capitis porrectum vt maxillis firmaretur craneum. Super lacertos etiam temporum sunt quatuor alia, quæ vocantur paria, ob defensionem temporum ibi collocata.

De ossibus maxillarum & menti.

CAPVT XI.

Maxillarum ossa craneo sunt coniuncta, quæ ideo de multis frustulis sunt, ne si vnum pateretur, alia læderentur. Item quia naturaliter dura erant & mollia, oportuit esse plura. Sunt autem octo scilicet in oculis vel ocularibus duo. In maxillæ & narium extremitate duo. In naso duo, in nasi foramine vnum. Et vbi pares dentes & quadrupli firmantur, alterutrum vnum: horum etiam quædam subdiuiduntur. Et si particularius ossa totius faciei scire volumus 14. esse præter menti & dentium inueniemus. Ossa menti duo sunt in ipso iuncta medio, vbi dentes subteriores firmantur quadrupli atque pares, quorum altera extremitas duas habet furculas, vna est acuta sub paribus, & huius acumini quædam chorda inseritur, quæ à lacertis temporum protenditur, per quam bucca clauditur. Altera vero crassa est & rotunda, posita in concauitate quæ est sub durum ossium vberum cranei similitudine, & huius rotunditate mentum fit mobile.

Octo ossa maxillaria.

De dentibus.

CAPVT XII.

Dentes sunt quædam quasi plantaria maxillarum. Sunt autem 32. Sexdecim enim in maxillaribus positi sunt, quorum quatuor in anteriori parte pares vocantur, & quadrupli lati acuti insisores dicti, quia necessarij sunt ad insisionem cibi. Duo vocantur canini collaterales quadruplis in summitate acuti, in radice vero lati. Duris cibis commolendis apti sunt. Sunt & decem alij vtrinq; quini collaterales quadrupli lati & crassi, molares dicti, eo quod ad molendum & frangendum cibum sunt necessarij. Idem quoque dentium numerus in mento est intelligendus. Omnes autem hi furcati sunt, sed diuersimode. Alij namque quatuor furculas habent, alij tres, alij duas, alij vnam, verbi gratia quadrupli & pares, id est molares vnam: tres vlteriores quatuor, primi molares infra positi duas habent, vltimi tres. *Auicenna vbi supra.* Quosdam tamen homines contingit non habere neguegidij, qui sunt quatuor extremi, & tunc non sunt nisi 28. horum duo sunt duales, & duo quadrupli superius & totidem inferius ad inscidendum, duo vero canini superius & duo inferius ad frangendum. Molares ad molendum ab vtraque parte superiores & inferiores, quatuor aut quinque, id est octo vel decem. Et huius totius summa aut est 32. aut 28. quatuor duale, & quatuor quadrupli, & quatuor canini & octo molares, & quatuor neguegidij. Neguegidij quidem secundum plurimum nascuntur in medio temporis augmẽti, hoc est post spermatis emissionem & ante consistentiam quæ est circa triginta annos, dentes habent radices & capita acuta, quæ figuntur in foraminibus duarum ossium mandibularum, & super cuiusque foraminis marginem oritur additamentum magnum rotundum, quod dentem circundat & stringit, vt fortia sint ligamenta.

Dentes triginta duo.

Molares.

Canini.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

menta. Vnusquisque vero dentium præter molares habet caput vnum, molarium autem in inferiori mandibula fixorum quisque habet ad minus duo capita & quandoque plura, propriè que neguegidij quæ habent quatuor. Porro fixorum in superiori mandibula qui libet ad minus habet tria & fortassis etiam plura, propriè que neguegidij quæ plura habent capita. Ideo vero capita molarium multa sunt facta, quia magni sunt & eorum operatio maior est. Nullum præterea ossium vllo modo sentit prçter dentes. Galenus enim dicit, quod experimentum nobis demonstrat eos habere sensum. Quod ideo fit, vt ipsi inter frigidum & calidum discernant. *Idem in tertio canone.* Dentes sunt ex summa ossium quibus inest sensus propter id quod ad eos venit ex numeris procedentibus à cerebro lenibus. Vnde quandoque sentiunt frication em suam & commotionem, & quandoque accidunt eis ægritudines corrosio, putrefactio, fissura, fractura, eradicatio, mollificatio, dolor vehemens, stupor, & alteratio caloris in substantia sua.

Dentium ægritudines.

De ossibus dorsi.

CAPVT XIII.

Vtilitas ossiũ dorsalium.

Constanti. vbi supra. Ossa dorsi ab ossibus puppis capitis incipiunt, & vsque ad vicinitatem ani protenduntur, hæc quatuor ex causis fuerunt necessaria, aut vt essent aliorum fundamenta, sicut totius nauis carina media. Aut vt essent opertorium ac defensio viscerum & lacertorum. Aut vt per ea numerus à cerebro descenderet, qui inde vim sensus & motus inferioribus membris daret. Cum enim multa membra à cerebro sint remota, vis quçdam cerebri data est spondilium medullis, per quas dispensaretur sensualitas neruis per remotas partes corporis, quæ quasi medullæ nuchæ vocantur arabice. Quarta ratio cur dorsi ossa necessaria erant, hæc fuit, vt nucham custodirent ac defensarent, ne ab extrapositis aliquid pateretur læsionis. Sunt ergo hæc ossa defensaculum nuchæ, sicut craneum cerebri. Eadem est enim nucha quæ cerebri natura. Spondiles duabus de causis sunt ex ossibus multis, aut vt animal inclinare se & erigere posset, aut vt eorum concauitas alicubi esset lata, alicubi stricta, & ossa ipsa alibi crassa, alibi subtilia. Superior enim pars spinæ subtilis est, & concauitas larga. Inferior autem larga est & concauitas subtilis.

Quadripartita ossa dorsi.

Ossa dorsi quadripartita sunt. Alia namque colli sunt, alia dorsi. Alia renum, alia iuxta anum. Collum septem spondiles habet maiores ac subtiliores & concauitate longiores, propter sonoritatem vocis, & propter motum capitis. Dorsum habet 12. minus concauas, sed maiores & crassiores. Crassæ quidem ideo sunt, quia costæ super eas fundatæ sunt, aut quia viscera cooperiunt. Earum vero concauitas ideo astricta est, quia nucha à cerebro descendens in colli spondilibus crassior est, multitudine namque neruorum à dorso procedentium necesse fuit eam subtiliari & cõcauitate minorari. Renum vero spõdiles maiores sunt prioribus & crassiores minus concauæ. Nam quia de vnaquaque spondili exeunt nerui duo, necesse fuit eas subtiliari. Harum autem maioritas inde fuit, quia vna vsque ad alteram portat: sunt autem 24. & omnes istę sibi inuicem concatenatæ sunt exceptis prioribus in colli positis summitatibus vnaquæque spondilis duplicis est foraminis, per quæ numeri pares exeunt qui de nucha interiori prodeunt. Horum autem foraminum quædam inter duas spondiles sunt & fiunt. Quædam in integra tantum, & hæc in spondilibus dorsi. Spondiles autem renum vnum foramen habent tantum, quæ vero iuxta anum duorum sunt ossium, quorum vnum latum est inferiori renum spondili iunctũ, ad instar spondilis de tribus ossibus factum, & in vnoquoq; foramina à quibus numeri prodeunt. Os quoque tertium habet foramen aliud inferius, vnde exit neruus vnus &c.

De Ossibus pectoris & spatularum ac furcularum.

CAPVT XIII.

AVctoris fundamentum supra dorsum est positum, cuius concauitas est vt intra se posita custodiat & defendat, cor scilicet & pulmonem & panniculos & cætera. Magnitudo vero concauitatis est, vt pulmo possit huc & illuc dilatari. Constat autem pectus costis & teneritudine quadam. Costarum 24 in anteriores & posteriores fit diuisio. De 14. anterioribus confieitur pectus quæ sunt ligatæ dorsi spondilibus septenæ, scilicet ex vtroque latere semicirculo assimilatæ, sed si iungantur circulum facere videntur, ligantur autem in anterioribus cum septem teneris ossibus cartilaginem assimilantibus. Sed in teneritudinis summitate seria cartilago comprobatur esse, quçdum acuitur sicut gladius, & ori stomachi superponitur ad defensionem sui cordis & diaphragmatis. Decem vero posteriores costæ quinque spondilibus sunt insertæ. Sunt autem curtæ, vt non possint ad ossa tenera pertingere. Extremitas earum ne forte rumpantur, est cartilaginosa. Sunt autem omnia 32.

Costa 24.

Ossa spatulæ

Ossa spatulæ necessaria fuerunt aut vt pectus defenderent, ne quid ab exterioribus retro pateretur. Aut vt armorum ossa ligentur, quæ sunt interius concaua, exterius vero gibbosa, hæc ossa nodos habent quos spatularum oculos vocant, qui ideo concaui sunt quasi oculi, vt armorum acumina possint eos ingredi, habet autem spatula duo acumina retro, vnum corui rostro simile per quod furculæ connexa est, ne à superiori exeat locum suum. Alterum intus ad hoc tantum positum, ne subtus exiret acumen armorum. Furculæ ad hoc necessariæ fuerunt, vt & armos ligarent, & à pectore differre facerent, ne forte pectus manus contraheret, harum ossa sunt interius concaua, exterius rotunda, & cum teneritudine pectoris ante ligata, retro vero cum corui rostro, harum autem ligamenta sunt ossa cartilaginosa, quę vocantur spatularum capita.

De Ossibus manuum.

CAPVT XV.

Armus.

MAnus in ossa tria diuiditur, in armum, brachium & plantam manualem. Os armi magnum est, & ex familiari parte concauum, id est ex illa quæ interiori parti corporis videtur attinere. Ab extranea vero gibbosum, quod est rotundum magnum quidem fuit vt manum ferret brachium, quorum concatenatio eidem connectitur. Rotundum autem vt non facile pateretur. Concauum vero vt arterię venæ ac nerui viã haberent ad manum ac brachium. In extremitate superiori acutum, vt intraret spatulæ concauum, & concatenatio fieret armorum. Quod adeo molle est, vt locum suum aliquando cogatur exire. Ideo autẽ molle fuit, vt armus vndique mobilior fieret. Extremitas inferior attinens brachio habet capita duo. In familiari parte maius, quod nulli ossi colligatur, vt nerui venæ & arterię in eo ligarentur. Interq; duo bina sunt concaua, vnum retro, alterum antea, quę brachij intrant acumen, vt suam faciant concatenationem.

Brachium.

Brachium ex duobus ossibus constat cubito, scilicet superiori & inferiori. Quorum inferius priori maius est & firmius, quia portant ipsum. Hęc habent duo rotunda acumina, quę milia vocantur ad extremitatẽ armi pertingentia. Concauitatem vero habent armi quam intrant cum extensio fit brachij. Manus exterior ex 8. minimis ossibus medulla carentibus, solidis ac diuersis componitur. Ideoq; tot habuit, vt manus esset mobilis. Sunt autem forma diuersa. Nam altera gibbosa, altera concaua, alia erecta, vt cum omnia iungerentur, quasi vnum os redderẽtur, hæc in duobus ordinibus stantia ex vna parte cum vola pectinibus, ex

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

altera cum duabus brachiis cõcatenationibus fortiter ligantur, & his concatenationibus manus mouetur.

Vola manus Vola manus in duo diuiditur, pectinem scil. & digitos. Pecten ex duobus ossibus est, vt si vnum patitur, alterum non lædatur. Digiti vero sunt quinque. Quilibet ex tribus membris componitur quæ sibi inuicem concatenantur. Quatuor digiti cum pectine ligantur. Pollex autem cum interiori brachij & trium ossium concatenatione iungitur. Suntque inferiores moduli, superioribus maiores & latiores, quia portans latius est & firmius eo quod portatur.

De Ossibus pedum.

CAPVT XVI.

OSsa pedum in tria diuiduntur, scilicet ancharum, coxarum, crurium atque pedum. Ossa quoque ancharum diuiduntur in tria. Primum superius cum ossibus ani concauitatem suam intrantibus ligatur, & *Ancha.* proprie ancha vocatur. Pixis autem concauitas eius. Os secundum vocatur ilium. Tertium penis. Os coxę necessarium est propter coxæ motum. Ossa vero interiora & exteriora sunt ad custodienda spermatis vasa, matricem quoque & vesicam ac recta intestina. Os *Os coxa.* coxæ maius est totius corporis ossibus, vel quia omnium aliorum fundamentum est, vel quia maiorem portat lacertum, per quem fit motio pedum. Tortitudo extraneæ partis à superiori est, vt locum habeant lacerti, qui si esset intrinsecus in eundo fricarentur & læderentur. Tortitudo vero à familiari parte inferiorem, ne si essent ex vna parte tortitudines, corpus tortum fieret & non rectum. Concauitas posterior, & gibbositas anterior, vt esset firma sessio. Acumen superius rotundatur vt anchæ pixidem ingrediatur. Inferius autem sunt duo acumina duas cõcauitates cruris subeuntia. Crus enim duorum ossium est, quæ vocantur harundines, vna est magna in familiari parte posita habens duo concaua, quæ concatenatum genu reddunt inferiori parti coxæ iuncta. In huius namque concatenationi supremo vnum est rotundum os cartilaginosum & concauum, cuius concaua crurium & coxæ intrant ossa; & hoc vocatur genu. Altera vero subtilior & curtior est in parte extranea non pertingens à superiori vsque ad concatenationem poplitis, sed ab inferiori coniungitur harundini maiori, his harundinibus cauillæ pedis iunctis, concatenatio quędam fit, vnde motus calcanei procedit. Et minor quidem aut adiumento maiori data est, vt pondus facilius patiatur. Aut vt neruos, arterias, & lacertos tutaretur. Aut inter ambas concatenatio calcanei redderetur.

Pedis partes sex. Pedis diuisio senaria est. Est enim in eo cauilla, calcaneus, nauicula, rasca, pecten, digiti. Os calcanei rotundum est superius à parte familiari, ab extranea vero longum & subtile, subterius latum ac solidum attingens terram, rotundum ne quid forte patereturr, longum & subtile vt bene firmaretur, vel vt superposita patereturr. Solidum autem vt dura corpora ferre posset. Cauilla calcaneo superpositа est mollibus ligamentis retro nexa duo habens acumina, à parte familiari concauitates intrans maioris harundinis. Ab extranea vero minoris hac concatenatione mouetur calcaneus sursum & deorsum. Os nauiculæ factum est ad modum nauis superius & retro, hæc vtrinque cum calcaneo ligata est, sed à familiari parte altius vt locus remaneret concauus. Quod ideo necesse fuit, vt si pes acutæ rei supponeretur concauum haberet ad quod cito refugeret, vel vt calcaneus ad motum leuior redderetur. Rasca quatuor habet ossa, tria posterius cum ossibus nauiculæ retro iuncta. A parte vero familiari ante cum tribus ossibus pectinis. Quartum quod vocatur grandosum in parte minoris digiti positum, huius acutum vt retro ligetur intrat in calcanei concauum. Ante vero cum duobus ossibus pectinis ligatur. Rasca necessaria fuit in pedibus sicut & A in manibus, sed hęc quatuor habet ossa, illa vero octo. Maior enim motus manibus quam pedibus est necessarius. Pecten ex quinque conficitur, cum quatuor ossibus rascæ iunctis, tribus scil. cum tribus, & duobus cum vno grandoso. Quatuor digiti habent ossa tria singuli. Pollex autem duo tantum, vt pedes intus essent concaui, Maiora vero habuit, vt per ea pes sustentari possit. Quatenus sicut manus per pollicem habet tenendi facultatem, ita pes in descensu vel ascensu firmitatem.

De Numero totius corporis ossium.

CAPVT XVII.

OMnia corporis ossa sunt 241. Septem capitis, 4. paria, 14. maxillaria, dentium eius 16. vnum pali, duo menti, dentium suorum 16. Spondiles 24. coxarum 3. Ani tria, costæ 24. Teneritudinum octo, Spatularum duo. Capitum spatularum duo. Rascæ manuum 16. Furcularum duo. Armorum duo. Cupitorum superiorum duo. Inferiorum duo, pectinis in manibus 8. Digitorum 30. Ancharum duo Calcaneorum duo. Nauicularum duo. Rascæ pedum 10. Digitorum 30. *Ex Isagogis Hippocratis.* Sunt autem in humano corpore ossa 242. In capite 6. In facie 8. Dentes plerunque 32. Spondilia, idest ossa spinæ 24. Iuguli duo. Vertebrarum duo. Fœmorum duo. Palæ duo. Pectoris vnum. Laterum 24. Cubitorum & radiorum 4. Carpon 7. metacarpon octo. Digitorum manuum 30. coxarum duo, fœmorum duo, vertebrarum 2. Geniculorum duo, Crurium radij 4. plantarum 65. calcanei duo. Astraguli duo. Digitorum pedum 30. Horum quædam composita sunt per capitis coniunctionem tanquam inuicem consuta vt capitis ossa, Quædam per symphysim quandam, id est vnitatem vel cõglutinationem, vt ea quæ faciem complent. Quędam per gomphosim, id est coartationem, vt dentes. Quædam per articulationem vt lacerti à palato vsque ad coxam. Quædam per in articulationem, vt cubitus manus geniculi, plantæ, digiti. Quędam per armoniam, id est aptissimam coniunctionem, vt spondilia. Itaque capitis ossa consuta sunt, quia in serrarum modo facta atque in se cõmissa: habet autem testa quinque consutiones, vnam super frontem quæ dicitur corona. Alteram in occipitio quæ dicitur recta. Tertiam vero retrorsum super ceruicem quæ dicitur labdo. Quæ autem circa vtraque tempora sunt crocasite vel labdoides dicuntur. Facies habet commissiones 9. vnam scilicet per medium & per oculos. Et per nasum 3. & maxillarum quatuor. Per palatum vnam. *Ossa corporis 241. aly plura ponunt.*

De motibus ossium.

CAPVT XVIII.

Constan. vbi supra. Ossium autem, sicut dictum est supra, quædam sunt solida & immobilia, quædam autem non solida & mobilia. Quorum motus aut mollis est aut durus. Et oportet vt alterius acumen sit intra alterius concauitatem cui videlicet concauitati ineſt quoddam obstaculum ad repellendum acuminis ictum, ne cadens & concauum collidens suam perdat mobilitatem. Ipsumque obstaculum quadam quasi cartilagine vestitum est, & similiter concauum. Quibus ineſt humiditas viscosa, vt lenius moueantur ossa. Vtrisque vero in extremitatibus ligamenta neruosa quędam inducuntur, ne ex nimio motu ossa seiungantur.

Rasi in almanzore in parte prima. Ossa condidit Deus, vt per ea corpus sustentaretur & rectificaretur. Et quia necesse fuit vnam partem corporis aliquando sine altera moueri, non vnum tantum os in corpore fecit sed multa, quibus etiam diuersas figuras tribuit, vt ad id apta forent, quod per ea fieri necesse est. Item quia necesse fuit quędam eorum quandoque coniunctim, quandoque sigillatim moueri, substantiæ quidam ea *Ossium vsus.*

coniun-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cõiunxit, quam ex vnius ossis extremitate procreauit, & cum alterius extremitate continuauit, hæc substantia ligamentum vocatur, quod est corpus album durum, non habens sensum. Et iterum, quoniam ossa non mouentur ex essentia sua, sed per motorem, igitur motum patientium contingue fuerunt eis à principio & origine sensus & motus à cerebro concauitates quædam quæ sunt neruis, qui tamen non per se, vt simplices sunt ossibus coniunguntur, nisi prius cum carne & ligamentis misceantur. Neruus enim si per se grandi membro coniungeretur, aut nullo modo aut debiliter ipsum moueret. Quamobrem neruus antequam ad mẽbrum quod per ipsum moueri debet perueniat diuiditur, & subtiles ac minimæ partes carnis ac ligamenti in ipsis diuisionibus cõtexuntur, & quod ex hoc toto prouenit musculus vocatur. Post hoc ex vna extremitatum musculi, qui scil. est versus partem membri quod mouetur, quædam substantia nascitur, quæ chorda nominatur. Ipsa est corpus compositum ex neruo qui ad mẽbrum dirigitur, & ligamento quod ex osse oriebatur, & est separata à carne quæ erat in musculo, protenditur autem quousq; breui extremitati membri, quod per ipsam moueri debet coniungatur. Igitur ex parata retractione qua musculus ad partem radicis suæ retrahitur, chorda fortiter trahitur, & membrum cum vniuersalitate mouetur.

De medullis ossium.

CAPVT XIX.

Medulla quid?

I *Sidorus vbi supra.* Medulla appellata est eo quod madefaciat ossa, irrigat enim & confortat. *Ex lib. de na. re.* Medulla est superfluitas sanguinis, vt dicit Gal. in ossibus concauitatem habentibus. Vnde omne animal abundans in sebo & sanguine, abundat etiam in medulla. Quod maximè patet in pueris, in quorum ossibus inuenitur multus sanguis, & non potest in medullam decoqui, quia calor non inualescit, qui possit decoctum sanguinem album facere, & in medullam conuertere. Est ergo medulla superfluitas sanguinis ossa nutrientis. Medulla namque callida est & humida. Ossa vero frigida & sicca sunt. Proinde videtur quod medulla sit potius superfluitas ossium quam nutrimentum. Nam & in ossibus animalium frigidorum multa reperitur medulla, quia calor ossium non potest in eis pinguedinem facere vel medullam consumere, propter hoc & leo medullam non habet, quia nimio calore naturali consumitur in ipso osse. Est itaque medulla iuuamentum ossium, vt ea fomentet & humectet, ipsaque semper mollificet ne frangantur. Nam motus etiam in animali deficcat ossa, & arefacit nimium. Medulla (vt ait Plinius) rubet in iuuenibus, alba est in senibus. Quidam vero putauerunt nucham medullam esse, sed falsum est, hoc enim negat Aristoteles: quod etiam patet ex hoc, quia nucha quandam in se habet duriciem quam non habet medulla, medullam autem non habent aquatica.

Temperamentum medullæ.

De cartilagine.

CAPVT XX.

Cartilagines sunt ossa mollia.

I *Sidorus vbi supra.* Cartilagines sunt ossa mollia & sine medulla, quod genus auriculæ & narium discrimen, & costarum extremitates habent siue operecula ossium quæ mouentur. Et dictæ sunt cartilagines, eo quod leui attritu carent, dolore autem plectuntur. *Gregorius in moral.* Cartilago quidem speciem ossis habet, sed ossis firmitatem non habent. *Constanti. vbi supra.* Cartilago est teneritas quorumlibet fœtuum ossibus assimilata, de qua iam diximus in ossium compositionibus cum quibus iungitur. Est & pectoris teneritas, & costarum extremitas, & hypocondria pars in ano & in ancha, & in extremitatibus ossium acutorum, nariumque & auricularum & gutturis, & cannalium pulmonis. Quæ omnia cartilaginosa sunt facta ne fortè rumperentur, quando complicarentur. *Ex li. de natu. rerum.* Cartilago (vt dicit Arist.) propinqua est creationi ossis, nec est differentia nisi in mollicie & duricia. Itaque sicut os non consolidatur post abscisionem, ita nec cartilago, hæc ad flectendum habilis, vt dicit Gal. iuuamentum corpori fuit, vt per eam facilior fieret ossium coniunctio in pelliculis & carnibus, si enim molle cum duro componeretur absque medio accideret ei passio vehemens in percussione, coarctatione, siue constrictione, & ex eius casu super durum immediatè.

De neruis.

CAPVT XXI.

I *Sidorus vbi supra.* Nerui græca deriuatione appellati sunt quos illi neura vocant. Alij latine vocatos neruos putant, eo quòd artuum coniunctiones inuicem his inhæreant, id est ab inhærendo. Maximam autem virium substantiam neruos facere certissimum est. Nã quanto fuerint densiores, tanto propensius augescere firmitatem. *Razi vbi supra.* Neruorum ortus autem à cerebro est, aut à nucha. Nucha vero à posteriori parte cerebri egreditur, quæ cerebri panniculis inuoluitur, spondilibus quoque cooperitur, vsque quo perueniat ad os quod cauda nominatur. Ab hac autem scilicet nucha per vnamquamque duarum spondilium iuncturam, vnum par neruorum exoritur, quorum vnum dextrorsum & aliud sinistrorsum tendit, quousque perueniat ad locum qui cauda nominatur, à quo neruus pari carens egreditur, quamobrem impar dicitur.

31. paria neruorum à nucha oriũtur.

Sunt autem illo excepto 31. paria, quæ à nucha exoriuntur 7. scilicet à colli spondilibus procedentia. Duodecim à spondilibus costarum superiorum, quæ scilicet in pectoris rectitudine sitæ sunt. Et 5. ab inferioribus costarum spondilibus. Tria vero ab osse superposito renibus & alia tria ab osse caudæ, à cuius scilicet caudæ summitate neruus pari carens exoritur, à cerebro quoque paria septem egrediuntur, quorum similiter vnus dextrorsum & alius sinistrorsum dirigitur. *Ex lib. de nat. rer.* Nerui duram ac flexuosam habent substantiam & ad separandum difficilem, hi à cerebro oriuntur, & his ad inuicem ossa coniunguntur, horum itaque iuuamentum est deferre virtutes sensibiles & motiuas à cerebro ad partes alias, & totum corpus roborare per quod incedunt. Nullus autem est neruus in capite hominis, sed in manibus & pedibus multi. In locis enim omnium ossium est multitudo neruorum. *Constan. vbi supra.* Nerui fuerunt necessarij, vt sensum ac motum membris corporis ferrent, ossibus ligamentis cartilaginibus, pinguedini glandibus. Horum enim nullum in natura sua sensum habet ac motum, licet singula ex causis variis sint necessaria. Quidam tamen dentes osseos sensus habere dicunt, quia labris trementibus, & ipsi tremere videntur ac dolorem patiuntur, qui sine sensu non est, hoc autem alij negant dicentes, illum dolorem esse in gingiuis atque neruis. Quorumlibet autem neruorum fundamentum est cerebrum, cum voluntarij motus ac sensuum sit firmamentum. Omnes itaq; nerui aut de cerebro procedunt, aut de cerebri mediatoribus, id est medullis spondilium, quæ nucha appellantur. Quod ideo fit ne si à cerebro omnes prodirent, aut rumperentur, aut nimia longinquitate sensus perderentur. Membrorum igitur propinquorum nerui debent à cerebro progredi, remotorum à nucha qui fungitur cerebri natura: à cerebro quidem procedentes sunt molliores, à nucha vero duriores. Exeuntes autem à prora cerebri omnium sunt molliſſimi, quia sensum aliis portant. Prodeuntes autem à puppi cerebri facti sunt duri, vt motum possent pati, quia mollia veloci motu cito rumpuntur.

Neruorum vtilitas.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De neruorum distinctione.

CAPVT XXII.

Septem paria neruorum explicatur.

NEruorum à cerebro prodeuntium 7. paria sunt. Primum ad oculos progreditur, vt det eis sensum visus. Secundum ad eosdem vt det motionem. Tertij vero paris pars ad linguam vadit & sensum gustu tribuit. Pars ad tempora vt comedenti motum præbeat. Eadem quoque pars ad narium extremitatem exit, & vsque ad labia. Alia vero pars ad gingiuas & ad dentes tendit, & tactum eis præstat. Quartum par per palati summum diuiditur, vt ei gustum præstet. Quinti pars ad auriculas vadit, vt auditum eis præbeat. Pars ad latitudinem pectoralium lacertorum, vt virtutem motionum eis tribuat. Sexti pars ad viscera tendit, vt per eam sentiant. Pars ad lacertos gutturales, vt eos moueat. Septimum ad linguæ gutturisq; lacertos vadit, vt inde moueri possint. Horum parium vnumquodque priusquam exeat craneum duobus panniculis est coopertum. Quorum vnus subtilis est propter nutrimentum sui neruosus. Alter vero crassior & durior neruos à cranei defendens ossibus. Primum par cuius substantia naturæ cerebri vicina est, plus omnibus aliis concauum est, vt per illud detur oculis spiritus visionis. Omnibus quoque maius est, ne concauitatis causa rumperetur, aut maiorem quantitatem spiritus ferret. Facti sunt autem molles, vt velociter facerent sentiẽtes. Prodeunt autem hi duo nerui quasi à duobus vberibus cerebri, vicinantesque naribus prius ibi iunguntur, & à naribus in oculos in modum protenduntur. Concauitatis conuenientia hæc oculis necessaria fuit, vt si forte ramusculus vnus pateretur per alterum alteri lumen oculo præberetur, hoc probare poteris, si vno oculo clauso alterum aperueris. Neruus à dextra parte veniens ad dextrum tendit oculum, à sinistra ad sinistrum. Quorum quilibet ad oculos vsque progressus, ita ibi dilatatur, vt vitream tunicam circundet concauus. Spiritus autem visionis à cerebro egrediens, eandemque tunicam percutiens oculum irradiat. Hi quidem nerui in egressione à cerebro lenes sunt & molles. sed quanto plus ab ipso elongantur, tanto duriores efficiuntur. Cum autem ad oculos conueniunt, ibidem rursus molescunt.

Auctor. De cæteris sex paribus breuitatis causa pertranseo. *Constantinus vbi supra.* Reliqui vero nerui videntur à cerebro procedere nucha mediatrice. Nucha enim à cerebro descendit in spondiles dorsi, incipiens à fine puppis, id est à prima spondili colli. Ab hac ergo procedunt nerui sensum & motum præstantes voluntarium membris sub collo positis. Sunt autem triginta duo sibi paria & vnum tantum impar. In collo enim octo sunt, in dorso duodecim, in renibus quinque. Iuxta anum tria. In ano tria, in fine ani vnum par. Octo prima partiuntur in multa. Pars enim in lacertos dorsi. Pars in diaphragma. Pars in ascellas. Similiter diuiduntur & cætera membrisque sibi vicinis virtutem subministrant. Sed horum omnium primum exit à prima spondili colli secedens in lacertos capitis, cæteri vero & colli & dorsi inter duas spondiles exitum habent excepto 12. dorsi in parte inferiori, qui ab integra spondilis medio procedit. Nerui qui circa anum exeunt ad inferiora loca procedunt, vt ad nates, ad virgam & ad pedes.

Nerui orti à nucha.

De ligamentis & chordis & musculis.

CAPVT XXIII.

Ligamenta.

LIgamentum est substantia inter neruos & ossa, ossibus quidem mollior, neruis autem durior. Incipit ab extremitate ossium, ideoque nullum habet sensum, illa etenim tantum sentiunt, quæ de cerebro exeunt. Ligamenta dupliciter necessaria sunt, vel vt in sua concatenatione ossa ligent, vel vt lacerti cum ossibus per ea ligentur, horum forma diuersa est, aut enim sicut nerui rotunda sunt, quia in locis carentibus neruis posita sunt, sicut in concatenatione armi & cubiti. Aut lata sunt vt ligandorum culcitra sint, & firmiter ligent liganda. Aut lata sunt & subtilia sicut panniculi, vt per ea venæ defendantur ac nerui.

Chordæ.

Chordarum vero natura ligamentorum ac neruorum est media. Pars enim ligamentorum ac neruorum in summitatibus lacertorum, in membrorũ confinio se mouentium vbi cum eis miscentur & chordæ vocantur. Vnde & sentiendi, ligandi atque mouendi habent supplementa: harum forma, sicut & ligamentorum diuersa est. *Ex lib. de nat. ver.* Chordæ (vt dicit Galenus) ab extremitatibus musculorum originem dicunt, & ad membra mobilia tendunt, quæ cum retrorsum retrahuntur propter sui principij retractionẽ ea quibus alligantur retrahunt. Quandoq; verò laxant, quoniam accidit eis relaxatio, ex eo quod relaxantur principia sua, & ad situs suos redeunt, ab extensione scilicet quam habent à suis principiis egredientibus mensuram suæ consuetæ longitudinis. *Razi vbi supra.*

Musculi.

Musculi quoque sunt voluntariorum motuum instrumenta, hos quòque componi dicimus ex carne & neruo & ligamento, horum figuræ secundum locorum diuersitatem prout eis necesse est diuersificantur & in facie quidem sunt musculi 45. videlicet ad oculorum & palpebrarum motus 24. Ad motum mandibulę 12. Et cæteris faciei partibus decem. Porro ad mouẽdum caput & collum sunt 28. Sic & omnia cætera membra quæ voluntariè mouentur, proprios habent musculos quibus moueantur. *Auctor*: De his autem plenius infra dicetur, cum de membris compositis agetur.

De Venis.

CAPVT XXIV.

ISidorus *vbi supra.* Venæ dictæ sunt eo quòd viæ sunt natantis sanguinis atque riui per omne corpus diffusi, quibus vniuersa membra irrigantur. *Constantinus vbi supra.* Venæ incipientes ab hepate necessariæ fuerunt, vt sanguinem ab eodem ad membra corporis nutrienda deferrent. Sunt autem rarioris ac mollioris naturæ, vt quia vicinæ sunt hepatis naturæ, mutarent aliquantulum succum siue sanguinem venientis ad se, hæ de vna tunica sunt factæ, non de duabus sicut arteriæ. Arteriæ spiritum recipiunt & sanguinem, istæ vero solum sanguinem. Venæ ergo exeuntes ab hepate duæ sunt, vna exit ab hepatis concauitate, quæ porta nominatur. Altera vero à gibbo hepatis, quæ concaua vocatur. Portæ extremitas antequam hepar exeat est quinaria, exiens autem ab hepate vsque ad duodenum intestinum videtur pertingere, ibi vero diuiditur in octo. Duarum minorum vna intrat intestinum portans ad hepar succum ab ipso intestino recipiendum. Altera secedit in stomachum, & in aliud intestinum portam nominatum, & inde cibi succum portat, si quid ibi reperiat. Reliquarum vero sex, vnaquæque proprium habet effectum. Quarum etiam quædam subdiuiduntur ac multipliciter furculantur.

Vena Porta, & Caua.

Similiter & illius quæ concaua dicitur multifaria est distributio, & quædam propriis vocantur nominibus, vt ascellata quæ & basilica. Spatulosa quæ & cephalica. Et media & sephen. huiusmodi sunt venarum in corpore compositiones, quarum 11. sunt diuisiones. Sunt enim quædam ad vmbilicum fœtuum venientes ab hepate, quædam à porta, quædam à concaua. Sunt & venæ pectoris & venæ diaphragmatis. Vena quoque spatulosa cum ramis suis. Et ascellata cum suis. Arteriæ exteriores & ventrem circundantes, venæ ossis ani, & venæ exteriores ani. *Ex libr. de nat. ver.* Venæ (vt dicit Galenus) arteriis assimilantur in aliquibus, sed non habent motum dilatationis vel constrictionis sicut arteriæ, vnde & quietæ nominantur, harum duæ principales sunt (vt dicit Arist.) illæ quæ à scilicet corde procedunt, vna magna, alia minor. Physici tamen dicunt quod ab hepate ortum habent

Basilica. Cephalica.

venæ, hæ

venę, hæ quidem duæ, vt dicit Plinius, in prora & terga discurrunt, sparsaque ramorum serie per alias minores omnibus membris vitalem sanguinem rigant. hinc ad omne membrum instrumentale, sicut dicit Gal. duæ pulsatiles veniunt quæ superficialiter in quibusdam membris sentiuntur, vt circa iuncturas manuum & in temporibus, & hæ debilitatem cordis ac validitatem plerunque calefactionem etiam corporis ostendunt. Alię vero non pulsatiles deferunt duo genera sanguinis, quibus membra irrigantur ad naturæ conseruationem & corporis nutrimentum.

De Arterijs.

CAPVT XXV.

ARterię sunt organa cõcaua in lõgitudine extensa neruorum, & in sui substantia ligamentalia, diuersas motiones habentia, hæ à corde originem ducunt & ad hoc compositæ sunt, vt Gal. dicit, vt per eas euentetur cor à suis fumis, & respiret calor naturalis, ac distribuatur spiritus membris quę sunt post ipsum, propter participationem & viuificationẽ quam suscipiunt, hæ ergo inter neruos latent, & sunt semitæ spiritus. *Constant. vbi supra.* Venæ quæ vocantur arteriæ necessariæ fuerunt vt calorem naturalem à corde ad omnia deferrent, hæ de duobus panniculis compositæ sunt in forma similes, sed in substantia dissimiles, harum interiora per latitudinem villosa sunt, quorum substantia dura est, & quinquies durior & crassior quam exteriora. Earum extrinsecus villosa per longitudinem vadunt, & pauca per transuersum, harum ideo substantia mollissima est, quia duos motus habent, vnus est in dilatando cum sibi spiritum à corde trahant, imo quod cum exterioribus sit panniculis per longum villosis. Secundus est motus constringendi, quod cum interioribus sit panniculis per latum villosis, hi per villum transuersum adiuuantur, his panniculis sanguis retinetur qui à corde trahitur, vnde duriores sunt exterioribus ne forte ex motu rumperentur, hæ autem venę à cordis incipiunt sinistra concauitate. Ex hac enim duę pulsatiuæ, quarum minor panniculum vnum molliorem habet, & hæc vena pulsatiua vocantur, quæ ad hoc necessaria fuit, vt multam quantitatem sanguinis spiritus pulmoni ferret, & aërem exciperet quem sanguini daret, hæc pulmonem ingreditur, ibique multiformiter diuiditur. Altera vero priore maior est, quam Aristotelici vocant orithi, Audacem vero medici, hæc à corde ascendendo similiter in duas diuiditur, & iterum multipliciter subdiuiditur. *Auctor.* Hæc materia plenius ab Auicenna aliisque medicis pertractatur, de qua tamen ad præsens breuitatis causa supersedeo.

Munus arteriarum.

De Carne.

CAPVT XXVI.

ISidorus *vbi supra.* Caro (sicut dictum est) à creando est appellata, & est ex quatuor elementis compacta. Nam terra in carne est aër in anhelitu, humor in sanguine. Ignis in calore vitalj, habent enim in nobis elementa suam quæque partem, quibus quid debetur compage resoluta. *Aristoteles in libro de animalibus.* Hominis caro præ cæteris animalibus mollior est, quoniam homo præ cæteris melioris est tactus. Primum enim instrumentum tactus est caro. *Constantinus vbi supra.* Carnis species in corpore sunt tres, quædam enim scilicet neruis & chordis admixta lacertus, id est musculus vocatur, de quo in membrorum compositione dicetur. In huiusmodi quidem lacertis maior est pars carnis. Quędam est caro sola inter durum & molle temperata, vt in coxis, & in dorso & inter dentes. Illa quidẽ quæ iacet in parte coxarum extranea, quiescentium super eam ossium est quasi culcitra. Caro vero interior & exterior dorsi duabus ex causis necessaria fuit. Interior namque calefacit interiora, quæ propter naturalem nuchæ frigiditatem & ossium neruorumq; sunt frigida. Alia causa est concauitatis neruorum ascendentium, arteriarum descendentium recreatio maxima, ne forte rumpentes deficiant in via. Caro dorsi scilicet exterior defensio sui est ab exteriori aëre, & concauitatis spondilium & costarum recreatio. Caro inter dentes firmat eorum radices, nutriens eos vt sint stabiles.

Caro humana cæteris mollior.

Tertia species est caro glandosa, quæ diuiditur in tria, quædam enim in humectatione in bonam ac iuuantem generat, quod testiculi mammillæq; faciunt. Et glandes quæ subtus linguam sunt, humiditatem enim ori & linguæ attrahunt, ne nimia siccitate torpescat ad motum. Alia vero glandosa aut loca replent vacua, aut venarum neruorumque sunt fomenta, qualia sunt in ventre posita, & ea quæ vocatur mora, & quę ventriculorum cerebri sunt media. Sunt etiam glandosa quædam expulsum à membris humorem recipientia, quales sunt in ascellis & inguinibus, post auriculas & in collo. Glandosa enim ascellarum expulsa recipiunt à corde, inguinis autem ab hepate, colli vero & post auriculas ejecta à cerebro. Glandosa quidem ideo mollia sunt, vt cætera super ea suauius quiescant, vel si forte aliqua duricies obuiet eis ad hęc mollia refugiant. *Ex libro de naturis rerum.* Caro fragilis est corruptioni prona, mollis, & delicata. Melior est illius dispositio quæ nec est macilenta nimium, nec fæda pinguedine. Probatio huius est debita & moderata membrorum repletio. Huius pinguedo circa vmbilicum & ilia cernitur. Probatio huius est quando corpus bene sensificat, hoc est vt contrarietatis dolorem cito sentiat. Mortificationis autem nota est quando punctionibus non mouetur. Carnis iuuamentum, (vt dicit Gal.) est vt rimas impleat, & ramos connectat, hæc in complexionibus & coloribus suis diuersa in diuersis membris reperitur, sicut alba in mammillis, rufa siue rosea in pulmone, rubicunda in corde, purpurea in hepate, nigra vel subnigra in splene. Et alba quidem membra albificant materias quas conuertunt. Sicut est in mammillis lac, & in matrice oua vel semen. *Razi vbi supra.* Carnes multæ ac duræ crassum sensum & intellectum declarant, lenes autem bonam naturam & intelligentiam signant. In maxillis quidem multitudo carnium & in genis paucitas significat complexionis humiditatem. Caro maxillarum crassa demonstrat crassam hominis naturam. Tempora vero inflata & venæ arteriatæ crassæ signant irascibilitatem.

Caro glandosa.

Carnes durę crassi sensus signum.

De Sanguine.

CAPVT XXVII.

ISidorus *vbi supra.* Sanguis ex græca ethymologĩa nomen duxit, eo quod vegetetur & sustentetur & viuat. Item sanguis latine vocatur quòd suauis sit. Vnde & homines quibus dominatur sanguis dulces & blandi sunt. Sanguis quidem est dum in corpore est. Effusus vero cruor dicitur eo quòd decurrat, vel ab eo quòd currendo corruat. Item cruor à crudelitate vocatur, vnde & crudelitas dicta est, crudus. Sanguis autem non est integer, nisi in iuuenibus. nam dicunt physici minui scilicet sanguinem per ætatem, vnde in senibus tremor est. Est autem sanguis dulcis, humidus & calidus, vnde & eos quibus dominatur facit beneuolos, simplices, moderatos, blandos, eusebios, seu planos: proprie autem sanguis animæ possessio est. *Auicenna vbi supra.* Sanguis hominis & sanguis porci similes sunt in omni re, & similiter & carnes amborum, ita vt quidam vendiderit carnem hominis pro carne porci, latuit donec in ea inuenti sunt digiti hominis. Sanguis tamen porci debilioris est virtutis sanguine hominis.

Sanguinis etymon.

Caro hominis & porci similis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Pinguedine & zirbo.

CAPVT XXVIII.

Aruina. *Pulpa.* *Isidorus vbi supra.* Aruina est pinguedo cuti adhærens. Pulpa vero est caro sine pinguedine sic dicta eo quòd palpitet, resilit enim sæpe, hanc plerique & viscum vocant, propter hoc quòd glutinosa sit. *Constan. vbi supra.* Pinguedo est res humida, quæ maximè super pelliculas inuenitur, & loca neruosa naturaliter frigida. Sanguis enim subtilis & vnctuosus pinguedinem non obseruat in locis calidis sibique penetrabilibus, sed cum in loca naturaliter frigida venit ibi tandem coagulatur & pinguedinem concreat. Quod ex necessitate natura fecit, vt quia nerui atque pelliculæ sicca sunt, humida pinguedine refocillentur, ne fortè ex motu suo nimio rumperentur. Ventris autem pinguedo *zirbum* arabice nominatur. *Idem in tertia parte,* zirbum est crassitudo ventris super intestinum, cuius forma sicut sacculus ab ore stomachi incipit & vsque ad colon tendit. Bucca vbi & eius principium ex duobus panniculis crassis ac spissis componitur. In horum medio multa est crassitudo, multæque venæ & arteriæ, aliquando in hepatis extremitate, & in dorsi costis solidatur. Sæpius cum stomacho & splene, & colon iungitur, vt stomachus, & intestina possint calefieri per seipsa, & vt liget atque operiat venas quas habent intestina.

Zirbum.

De Panniculis.

CAPVT XXIX.

PElliculæ siue panniculi subtilia sunt & dura corpora, quibus cooperiuntur membra, nihilq; subtilius, & nihil præter ossa durius in toto corpore reperitur. Quod ideo fuit necesse, vt alia membra cooperiendo possint defendere, dura quidem facta sunt ne facile rumperentur. Subtilia vero ne nimia corporis quantitas occuparetur. Membrorum autem quædam vnum, quædam duos habent panniculos. Lacerti enim vno tantum contenti sunt, vndique cooperti sunt. Qui sic eis conglutinatur, vt non facile auferatur, quod tribus ex causis necesse fuit. Primo vt membra in se coadunet. Secundo vt ab aliis separet. Tertio vt si quando lacerti se inuicem percutiant, per hunc panniculum tuti maneant. Interiora membra duos habent, vnum eadem necessitate qua & lacerti, alterum super positum priori non tamen iunctum ei, quo non nisi membra inuicem ligata sunt, qui ideo fuit necessarius, vt membrum esset tutius & ligaretur firmius.

Conglutinatio panniculorum lacertis ob tres causas.

Habent itaque interiora membra pectoris & costæ & venter & hepar, & splen & renes, intestina quoque & vesica, matrix atque testiculi pelliculas siue panniculos se operientes, & vicinis sibi membris colligantes. Panniculi omnia tegunt, & à summo craneo prodeunt, ipsumque cerebrum cooperiunt. In quo tantum duo sunt, crassior qui dura mater vocatur, & craneo supponitur, hic cerebro necessarius fuit, vt ipsum à duritie cranei tutaretur, hic cranei connectitur ossibus serræ assimilantibus. Alter vero subtilis est mixtus & etiã colligatus arteriis ac neruis, formæq; secundinæ assimilatur. Secundina namque nihil aliud est quam venæ & arteriæ & panniculi sibi inuicem connexi: hic necessarius fuit, vt per ipsum à dura matre cerebrum defenderetur, venisque sibi ministrantibus nutriretur, & calor naturalis ei propulsus donaretur. Omnes ergo nerui, venæ & arteriæ duabus his pelliculis inter cerebrum operiuntur quo ad craneum egrediantur.

De Cute.

CAPVT XXX.

SIcut autem natura mirabilis pelliculas fecit interioribus tutandis, & sic extrinsecus omnia cute circundedit, ne quid forte paterentur deforis. Cutis in hominibus mollior est & subtilior quã in cæteris quibuslibet animalibus, propter nobilitatem tactus. Si enim dura & crassa esset sicut piscium conchile, cum pateretur, nihil sentiret. Si vero pilosa sicut asinorum & boum, pilorum quoque massa tactum attenuaret, vnde & in volis manuum subtilior ac mollior est propter tactum. In capite vero fragilior est quam in aliis membris, vt fumositates à toto corpore reciperet & excluderet. Est enim & hęc tota cutis vndique perforata vt excludat fumosa, hæc autem foramina pori vocata sunt. Cutis itaque hominis non est æqualis in omnibus membris, in facie namque subtilior est quam in aliis causa sensus atque claritatis. Si enim crassa esset, rubor sanguinis in ea non appareret.

Crassior caro in pedũ plantis.

Crassior autem est in aliis membris sicut in pedum plantis, ne forte pungentibus aculeis eorum lacerti læderentur. Est & alibi mollis, sicut in volis, vt in naturam rei sensæ cito mutaretur. Alibi vero dura sunt sicut in pedis planta, vt possit calcare dura. Item alibi pilosa, vt in capite, supercilijs, & barba, cuius causa dicetur postea. Alibi vero non, sicut est cutis manuum ac pedum, vt maiorem haberet sensum. Cutis hominis carnibus sic coniungitur suppositis, vt nullatenus excoriari possit. Solidatur enim vel cum lacertis, sicut illa maxillarum & frontis labiorumque & faciei. Vel cum chordis, vt volarum manualium ac plantarum pedum. Cutis autem aliorum animalium inter se & lacertos, panniculum habet, vnde facilius excoriari valet.

Corium. *Isidorus vbi supra.* Cutis in corpore prima est appellata, eo quòd ipsa corpori superposita inscisionem prima patiatur. Cutis enim græce inscisio dicitur. Item & pellis, quod externas iniurias corporis tegendo pellat. Pluuiasque & ventos Solisque ardores perferat. Pellis autem mox detracta, subactaque corium dicitur. Corium vero per deriuationem caro appellauit, eo quòd tegatur. Sed hoc in brutis animalibus propriu.n est. *Pori.* Pori corporis græco nomine appellantur, quæ latinè proprie spiramenta dicuntur, eo quòd per eos viuificus spiritus exterius ministretur. *Arist. vbi supra.* In animalibus quidem color pilorum est secundum colorem cutis, in homine vero non, homo vero solus recipit titillationem, quia corium eius est valde tenue, in corporibus tamen senum cutis est rugosa. *Ex lib. de nat. rer.* Cutis siue pellis toto corpori superponitur, vt multiplex membrum compacta cõgeries vna continuatione ligetur. Corium hominis est tenue, non valens aduersitates sustinere, quippe pilorum fomentationibus destitutum, nec aliquo obuio vel contra frigus munitum: diuersificatur autem, vt dicit Gal. in raritate & spissitudine, vbi enim magis rara pilosa magis est & aspera, vbi vero magis spissa, lenis magis est & plana. Sicca quoque asperior est, humida vero mollior est. Est autem alba naturaliter in hominibus nisi in illis partibus orbis quas feruidi radij solis adurunt. Remissius enim calefacit sol oblique, quam perpendiculariter descendens. Adustiores itaque partes habitabilis nostræ dicunt Æthiopiam. *Vnde Theodolus. Æthiopum terras, &c.*

De coloratione cutis.

CAPVT XXXI.

Generantia sanguinem subtilem.

Avicen. in 4. canone. Omne quod mouet sanguinem & spiritum ad cutem, induit in eam pulchritudinem puerilem & mundificationem atque rubedinem. Res autem mouent sanguinem tripliciter ad cutem, quædam enim generant sanguinem bonum ac subtilem, qui cum generatur & multiplicatur & spargitur ipsum omnis locus consequitur, huius sunt *cicer, & oua sorbilia, & aqua carnis, & vinum odoriferum, & assumptio ficuum,* hæc enim sanguinem subtilem generant expulsum ad cutem, sicq; bonum efficiunt colorem. Quædam vero sanguinem mundificant vt trifera minor,

mirabolani conditi, assiduè administrati. Quædã enim sanguinem dilatant & spargunt, quia meatus aperiunt, ipsumque mouentes ab interioribus ad exteriora violenter attrahunt. Dilatant siquidem vt piperi & cyperi & gariofili in cibo positi & crocus &c. De oleribus autem vt raphanus, & porrus, & cepe & caulis propriè & allium. De operationibus enim & motibus, & ira, & alteratio, & exercitium temperatum & luctatio & gaudium &c. Attrahunt autem, vt linimenta & ablutiones fabarum excorticatarum, & farina ordei, & herbi & tritici, & ciceris propriè lentes, & rizi & glutino piscium & hireos, & laudano & ficubus, & thure, & mastice & oleo eius, & corticibus oui, & carne ostratorum, & bdellio, & lithargyro, & ceruſa, limatura eboris, & ossibus vetustis. In hoc iterum est fortis rubea aromatica, & amigdalæ, & semen citroli & melonis, & attriplicis & cucurbitæ, & erucæ; hæc itaque cutis adiuuant pulchritudinem. Ad hoc etiam confert illud quod abstergit abstersione leni ponens cutem subtiliorem, & detegit ab ea illud quod mortuum est super faciem eius, detectione subtili, proprièque si fuerit in eo tinctura. Cum his omnibus cutis indiget cautela à calore & frigore & vento. A quibus vt conseruetur, cum albugine oui vel cum aqua gummi, vel cum cera liniatur. Vel sumatur crassũ similæ infusæ in aqua vel colatæ & cum æquali albuginis oui mensura misceatur, atque cum eo facies inungatur. Color denique cutis conuertitur ad nigredinem causa solis, aut frigoris, aut venti, aut sordiciei, aut ratione balneationis, aut comestionis salsorum, aut conuersionis sanguinis ad melancholiam. Ad citrinitatem vero conuertitur ex causis citrinitatis quæ sunt ægritudines & tristitiæ defectus nutrimenti, multitudo coitus, fames, calor aeris vehemens, & potus aquarum stantium. Ex comestis etiam sicut ameos & eius olfactus, & etiam aspectus vt dicitur. Item acetum & cyminum & longa statio in domo in qua est cyminũ plurimum. Item comestio cretæ, facit enim opilationem in orificiis venarum, vt non euadat sanguis ad cutem.

Cutis pulchritudinem quæ faciant.

De Vngulis & pilis.

CAPVT XXXII.

EX *libro de nat. rer.* Vnguium creatio est vt cooperiant extremitates digitorum, habent autem creationem mediam inter os & cartilaginem, scilicet cartilagine duriores ossibus teneriores. Membrum digito si amputaueris, vnguẽ tamen in summitate refundet, vnguium insciſio dolorem non habet, nisi eo loco quo carni coniungitur, hi colorem in morte mutant, & in quibusdam infirmitatibus. Colores autem corporum sunt secundum colores vnguium. *Constanti. vbi supra.* Vngula est solida cum carne sibi iuncta & cute suprema, cuius ligamenta sunt chordosa, veniunt tamen ad vngulas nerui, venæ & arteriæ, vt dent eis sensum & naturale nutrimentum. horum incrementum non est in longum & latum, sicut cæterorum membrorum corporis, sed in longum tantum, sicut & pilorum. *Arist. in lib. de animalibus.* Vngues hominis, vnci non sunt sicut cæterorum animalium, sed vt cooperiant extremitates digitorum. *Constant. vbi supra.* Pilorum & vngularum non idem est incrementum quod cæterarum corporis partium. Omnia namque membra corporis in longum latum augeri videntur, hæc autem tantum in longitudinem crescunt. Item diffinitum habent membra crescendi modum, hæc autem augmentantur quamdiu viuitur, quædam expulsiones corporis sunt.

Vngula crescunt vt pili, in longum.

Materia pilorum.

Pili namque ex fumo calido conficiuntur & sicco, subtilitas enim & mollities fumi dum per poros egreditur, exiens quidem & non se diuidens exteriori aere siccatur. Sunt itaque pili vel naturaliter iuuamentum ornamentumve corporis, vel tantum expulsio superfluitatis. Iuuatiui sunt capilli ciliaque vel palpebræ & supercilia. Capilli namque caput custodiunt, honestant atque defendunt. Supercilia vero similiter oculos. *Cilia* quoque ante & retro sursum deorsum munimenta sunt oculorum, non autem crescunt, quia naturaliter sicut & alia membra fundata sunt. *Barba* vera solum est ornamentum bene apparens, & maxillas cooperiens, hi ergo pili facti sunt à natura vt essent iuuamenta corporis & ornamenta. Cęteræ autem omnes naturę sunt expulsiones. Membra namque calida & humida, & inde fumum emittentia pilosa fiunt, vt penis propter testiculorum confinia, pectus propter vicinitatem cordis, hæc ergo non sunt naturalia, sed superfluitatis expulsiua, sicut videmus quædã non studio colentium nasci. *Aristoteles vbi supra.* Solus homo lenis corporis est. Nullum tamen animal est tam multorum pilorum in capite, quia cerebrum eius comparatione sui corporis plus est humidum quam cæterorum animalium. Idem etiam apud pubem habet pilos cum cæterorum animalium partes illæ nudæ sunt. In animalibus est color pilorum secundum colorem cutis, in homine vero non. *Razi in almanzore in 2. parte.* Multitudo pilorum in ventre signat luxuriam. In ventre quoque & pectore sapientiæ paucitatem, super costas audaciam, super spatulas autem & collum dementiam & obstinationem. In capite vel in toto corpore stantes pili, id est plani non crispi, signant timorem.

Cilia. *Barba.* *Signa sapiẽtiæ &c.*

De Capillis.

CAPVT XXXIII.

Isidorus vbi supra. Capilli dicuntur quasi capitis pili, facti vt decorem præstent & cerebrum aduersus frigus muniant, atque à sole defendant. Pilos autem dictos aiunt à pelle qua prodeunt. *Cæsaries autem à cædendo vocata est.* Ideo tantum virorum est, virum enim tonsum esse decet, mulierem non decet. Comę sunt proprie non cæsi capilli, & est græcus sermo. Nam comas, græcè caymos, à secando nominant. Crines proprie mulierum sunt dicti, eo quòd vittis discernantur, vnde & discriminalia dicuntur à quibus diuisi religantur. *Aristoteles vbi supra.* Inter animalia solus homo multorum pilorum est in capite, scilicet vt custodiant illud à frigore vel calore nimio. Causa vero longitudinis eorũ est, quia cutis capitis est valde pinguis, & est in eo multus humor, viçque capitis sunt valde rarę. Elongantur ergo capilli, cum humor cutis non fuerit velocis siccitatis. Quod accidit propter duo, scilicet propter qualitatem & quantitatem, cum enim humor multus fuerit non cito desiccatur. Similiter & quando fuerit pinguis, propter hoc ergo elongantur hominis capilli, quia cerebrum eius frigidum & humidum, sicque materiat pilos in humiditate multa. Crispitudo autem & lenitas eorum est propter vaporem. Cum enim vapor fuerit fumosus calidus & siccus, capilli crispi fiunt & inuoluuntur, quia vadunt per duas vias contrarias. Pars enim terrestris vadit ad inferius, & calor ad superius. Sic ergo inuoluuntur & crispantur pili propter debilitatem suam. Et possumus dicere quòd hoc accidit propter paucitatem humiditatis eorum, & multitudinem partis terrestris quæ desiccatur ex aere continenti & corrugatur crispaq; efficitur, hoc enim accidit leni, quoniam humiditas quæ in eo dissoluitur, vnde ex igne pili corrugantur & inuoluuntur, huius signum est quia pili crispi sunt humidi plusquam lenes, quia quod siccum est, durũ est. Et pili lenes non sunt in animalibus, nisi ex humorum multitudine. Nam humor decurrit lubricando donec ad pilos venit. Ob hoc illorum pili qui morantur in Thracia lenes sunt, quia complexio eorum est humida, & aer continens eos humidus. Æthiopes autem crispi sunt, propter siccitatem cerebri, & aeris continentis. *Razi in almanzore in 2. parte.* Capilli plani signant timorem, crispi vero complexionis caliditatem.

Cæsaries. *Comæ.* *Crines.* *Crispitudo vnde?* *Æthiopes cur crispi?*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De capillorum colore.

CAPVT XXXIV.

ARistot. *vbi supra.* Color capillorum diuersificatur in homine, præterquam albedo quæ accidit eis non in senectute tantum, sed etiam ex infirmitate, & tunc albescunt cum albedine corij. Cum autem albescunt propter senectutem, non albescit corium cum eis. Et huius causa est, quoniam ista infirmitas est in cute, & cum albescit cutis, necessario albescunt pili. Canicies autem naturalis est propter debilitatem caloris qui exit à corpore & abundantiã frigoris. Nam senectus infrigidat & desiccat corpus.

Equi canescunt.

Denique proprium est hominis in senectute canescere, sed accidit hoc etiam equis, non autem animalibus cæteris. Infirmitate quoque canescit homo, sed eo conualescente capilli cani cadunt, & redeunt quales prius fuerunt. *Auicenna in 4. canone.* Capilli quidem nigri sunt dum sanguis permanet pinguis, spissus, calidus, viscosus. Cum autem ad æqualitatem incipit tendere, capilli declinant ad caniciem. At vero medicinæ sunt quædam caniciem retardantes, quædam vero prohibentes, sicut inferius dicetur vbi de capillorum medicinis agetur. *Ex lib. de nat. rer.* In frigidis quidem regionibus, vt ait Aristoteles, Animalia vel homines capillos habent stratos ac pendentes albosque frequentius & rigidos, in calidisq; sæpè nigros ac crispantes per omne corpus.

De diminutione capillorum & caluicie.

CAPVT XXXV.

AVicenna *vbi supra.* Capillus quidem nascitur ex vaporis fumo quando coagulatur in poris, & oritur super illos per illud quod assumit ex alimento, proprièque quando est humiditas corporis viscosa & vnctuosa, non aquosa nec lutosa, sicut arborum vnctuosarum folia non cadunt. Capilli destruuntur & minorantur aut propter causam in materia, aut propter causam in re in qua nascuntur. Causa in materia est, aut causa eius quod ipsam submergit vel alterat.

Cur mulieres barbã carent?

Aut causa paruitatis substantiæ primæ, sicut est paruitas vaporis fumosi in pueris, & mulieribus propter multitudinem vaporis humidi, quare non nascitur eis barba. Paruitas quidem radicis substantiæ aut est propter accidens, aut quia natura consumit eam, propter accidens sicut in conualescentibns, quos ægritudines longæ exiccant, vt phthisis, & hectica, ita quod non remanet illis materia de qua capilli cibentur, & ideo cadunt sicut accidit plantis irrigatis quando non irrigantur, sicut etiam accidit castratis ex eorum similitudine cum mulieribus in humiditate & frigore propter causam testiculorum eorum. Et quoniam illud quod generat sperma conculcatur in eis & infrigidatur, quia non resoluitur humiditas eorum ad exiccandum, & quod resoluitur non remanet in poris propter paruitatem ac subtilitatem suam, sed egreditur. Sic etiam accidit ei qui assuete vtitur institis grauibus super caput suum, illud autem quod est ex via naturæ est sicut caluicium.

Caluities vnde?

Accidit enim caluicium propter abbreuiationem materiæ pilorum ex caluicio. Et illud est vel propter paruitatem eius, vel submersionẽ cerebri ab eo quod tangit ipsum de craneo. Idcirco enim non imbibit eum, sicut cum est ei obuians. Illud autem quod fit propter causam in re in qua nascuntur secundum tres modos est. Aut enim non penetrat cum materia pilorum, aut penetrat quidem sed non retinetur, aut etiam in ea corrumpitur & conuertitur ad qualitatem quæ non conuenit vt pili generentur. Non penetrat quidem in eam propter opilationem pilorum & pororũ, quæ non fit nisi propter vehementiam soliditatis eius, aut propter siccitatem ipsius. Vnde festinat caluicium in calida complexione propter velocitatem exiccationis eius. Ob hoc etiam super præparatos ad caluicium multiplicantur pili corporis & pectoris propter caliditatem complexionis eorum. Aut etiam propter soliditatem eius causa vestigiorum vlcerum præteritorum, sic est dispositio in glabrie. Quod autem in ea non retinetur, est propter vehementiam raritatis eius, & amplitudinem pororum illius. Quod autem corrumpitur aut est propter humorem fixum malignum, sicut in alopicia & tyria, aut propter vlcera mala & corrosiua, sicut est in quibusdam speciebus glabriei & caluiciei.

Aristot. vbi supra. Inter animalia viri proprie calui fiunt, non tamen omnes sicut nec omnibus arboribus folia defluunt sed quibusdam, sic & aues nidificantes plumam eijciunt. Sed folia quidem arboribus & plumæ auibus redeunt. Pili vero decaluatis non redeunt, *Cur pili non redeunt decaluatis?* quia scilicet caluicies accidit propter mutationem ætatis, quæ est irreuocabilis. Casus autem foliorum & plumarum est propter mutationem temporum quæ est circularis. *Ex lib. de nat. rer.* Capilli nascuntur ex fumo calido & crasso, qui ex incentiuis humoribus est Rarescunt autem vbi calor excedit naturam, & cadunt propter abstinentiam cibi, propter infectos humores, vt leprosis & in viris quidem sæpe, sed in mulieribus vel spadonibus natis nunquam, nec in nullo anno veneris vsum, id est antequam vti possit, & hoc propter frigiditatem naturæ.

De Medicinis capillorum.

CAPVT XXXVI.

AVicenna *vbi supra.* Medicinæ conseruantes capillos sunt illæ, in quibus est caliditas subtilis attractiua & virtus stiptica, & ex simplicibus quidẽ sunt myrtus & grana eius, & laudanum & emblici & mirabolani, & kebuli & myrrha & aloes, & capillus veneris, & galla, & similia. Ortum vero pilorum prohibent stupefacientia & prohibentia & infrigidantia, vt si post depilationem liniatur cutis cum iusquiamo albo & opio, & aceto, & aqua iusquiami nigri cum eis, & sola. Corpus autem ranæ lacualis exiccatum tritum, & cum succo iusquiami albi mixtum est ex prohibentibus, similiter & semen vrticæ cum oleo depilat cum fortitudine. Subtiliat autem capillos baurach, id est nitrum, vel sal nitrum, quando ponitur in medicinis eorum. *Myrtus conseruatiua capillorum.*

Incrispantia vero sunt, vt farina fenugreci, & oleum eius, & myrrha & galla, & calx, & alsedre album, & lethargyrum si misceantur, & cum eis caput tangendo commoueatur. Ad hoc etiam quandoque iusquiamum album sicut est solum administratur, & omnino administratio oleorum mollificantium, & mustillaginum humectantium. Scissionis eorum causa est siccitas, & siccus cibus, ipsamque prohibent omnia lenia æqualia & mustillagines viscosi, sicut alteæ, psylij, & foliorum salicis. *Incrispantia.*

Caniciẽ vero tardant euacuatio phlegmatici humoris omni hora, proprieq; cum vomitu super cibum & per clysteria. Deinde administratio medicinarum ex quibus generatur sanguis laudabilis spissus. Cõfectiones quidem & species quæ naturã phlegmatis abscindunt & caniciẽ tardant, sunt vt masticatio mirabolanorum, kebulorum, de quibus omni die cum numero superueniente sibi sumatur & masticetur & deglutiatur, hoc enim fortasse conseruabit adolescentiã vsque ad finem vitæ. Et similiter triferæ factæ ex mirabolanis maior & minor, & cõfectio de scoria ferri quæ melior erit, si aurum in ea fuerit. Ad hoc quoque mitridatum forte est, & thyriaca similiter. Carnes etiam viperæ conseruant adolescentiã & virtutem, cum eorum assiduatur comestio. Caniciẽ vero prohibent omnia olea calida confortantia & omnia currentia similia sunt illis in natura. conseruat enim complexionem capillorum super calorẽ innatum, & rugatur quod penetrat in *Canicies tardantia.*

trat in eis de nutrimento, huiuſmodi ſunt alkytran id eſt pix & cum eo linitur dimittatur quatuor horis, deinde ingrediatur balneum & oleum de coſto, de nigella, de ſynape, de oliuis ſilueſtribus.

De tinctura eorum.

CAPVT XXXVII.

Denigantia capillos. TIncturæ ſpecies quibus tinguntur capilli ſunt tres ſcilicet denigrans albificans, & flauos faciens. Denigrantia ſunt, vt galla oleo inuncta & aduſta, Alkanna quoque & indicũ, diuerſificantur tamen impreſſiones amborum ſecundũ diuerſitatem præparationis capillorum. *Albificantia* ſunt vt ſtercus hirundinũ, cortices raphani, fel tauri, vapor ſulfuris, cacumen capparis, & cacumen oliuarum ſingulariter & coniunctim, proprieq; cum aceto. *De flauum facientibus* dixerũt quia quod currit ex harundine nabati recẽte ablato ab ea cortice eius, cum accenditur ſuper eam ab alio latere tingit ſicut aurũ, & ſimiliter ærugo ferri cum aqua draganti ſuper quã expectetur ſicut expectatur ſuper alcannam. Quoniam autem plures ſpecies tincturæ ſunt infrigidantes cerebrum, & corrumpentes ipſum, prępărãtes ad catarrhos, & ad appoplexiam & ſimilia, curari debet igitur cũ eis quæ vicinantur tincturis, aut earum ſucceſſione adminiſtretur de aromaticis calidis vt ſunt muſculus, gariophylli, & ſimilia. Quandoque etiam accidit ex tinctura, vt debilitentur & rumpantur capilli, barbaque exiccetur, huic quoque ſuccurrunt ſi conſequenter adhibeatur oleum violatum & oleum alkeiri.

Albificãtia.

Flauum facientia.

Contra denigrationẽ facies. Si autem ex tinctura facies denigretur, cum farina fabarum & ciceris atque ſimilium lauetur, nec eſt ad illud melior ablutio quam cum oleo calido. Auctor. Hoc iccirco de capillis proſecutus ſum latius, quia de his ſcripturæ faciunt mentionem frequentius.

De barba.

CAPVT XXXVIII.

Barba ex fumis calidis prouenit. I *Sidorus.* Barbam faciei non eſſe in munimento, ſed virili ornamento indicant purę facies feminarũ quas cum infirmiores ſunt vtique muniri tutius cõueniret, ſi barba corpus muniret, itaque nõ ad vſum ſed ad decorem tantũ habet vir barbã in facie, ſicut mammillas in pectore. *Conſt. vbi ſup.* Barba ſolũ ornamentum eſt bene apparens & maxillas operiens. Cauſa vero cur maſculus & non fœmina barbeſcat hæc eſt, quia maſculi ſunt calidiores, & ideo fumus qui pilorum eſt materia, magis in eis augmentatur. Deniq; nec eunuchi barbeſcunt, quia membra calidiora perdiderunt, & in fœminis calidiſſimis apparet aliquãdo barba, in maſculis autem frigidis econtra. *Ariſt. vbi ſup.* Impubes caſtrati nõ barbeſcunt, barbati quoque ſi caſtrentur imberbes fiunt, ſed in alijs locis pili rareſcunt, præterquã in pectine. Nã & mulieres habent ibi pilos. Corpora tamen earũ molliora ſunt & leniora, pauciorique pili corporibus marium. In mulieribus etiã quandoq; pili oriũtur in barba, ſed hoc modicũ ſcilicet quando menſtrua retinẽtur, viri multorũ pilorũ apud coxas & in parte pedũ multi ſunt coitus. Pilorũ vero nuditas maxime q; in pectore ſignũ naturalis frigiditatis. *Ex li. de na re.* Barba in homine diſtinguit virilem ſexum à fœmina, & eſt magna in viris calidis, parua in frigidis. Menti & oris circuitum vſque ad genas & colli partẽ vſque ad aures occupat, quod ſi vir teſtibus viduetur, pili de barba cadent & vir ille fruſtratus audacia fœmineus apparebit: ſunt & fęminę quæ barbam habent ſuperius, hoc eſt ſignum caloris in eis.

Pilorum nuditas ſignũ frigiditatis.

De membris officialibus, & primo de lacertis ſiue muſculis.

CAPVT XXXIX.

DIcto de cõſimilibus mẽbris. i. ſimplicibus, ſequitur de compoſitis quę officialia dicũtur: hæc autẽ vniuerſalia ſunt, vt caput, manus, pedes, aut particularia id eſt vniuerſalium partes, vt lacerti vel muſculi, quoniã & ipſi compoſiti ſunt ex carne & neruis ligamentis & panniculis. Caput autẽ ex lacertis ſimilibuſque membris compoſitum eſt. Itaque de compoſitione lacertorum id eſt muſculorum ſumamus exordiũ. Muſculus de carne componitur neruiſque & ligaminibus atque pelliculis veſtitur ac ſuper oſſa ligatur ligaminibus ab oſſibus ipſis procedentibus. Nerui etenim à nucha vel à cerebro exeuntes ad lacertos, cum ad ſuperiorem veniunt extremitatem, in lacertorum miſcentur carnẽ. Ab oſſibus quoque quæ muſculis ſuppoſita ſunt exeunt ligamenta, quæ cum carne & neruis ſe confundunt, ex his ergo corpus conficitur, quod lacertus dicitur. Ab inferiori autem extremitate muſculi exeunt nerui cũ ligamentis, quæ quando miſcentur corpus efficiunt, quod chorda vocatur. Chordæ quidẽ & nerui neceſſarij ſunt cauſa motus voluntarij. Chordę namq; exeuntes muſculi extremitatem, extenſæ ligant mẽbri concatenationẽ, cuius cauſa facta eſt muſculus. Cum autẽ neceſſarius eſt mẽbri motus, lacertus in originem ſui retorquetur, cum quo chordæ ita fortiter trahuntur, vt membra cõcathenata moueantur, & in lacerti partem reducantur. Si enim volas manuum interior mouerit lacertus, ad eundem interius replicatur manus. Si vero exterior dilatatur, manus extra reclinatur.

Compoſitio muſculorũ.

Cauſa motus voluntarij.

Omnes autem lacerti quinque modis ſunt diuerſi ſcilicet in quantitate, figura, ſitu, loci compoſitione, & chordarum ab eis egreſſione. In quãtitate quia quidam magni ſũt, vt maiora mẽbra, ſicut coxæ, per eos poſſint moueri, quidam vero parui vt palpebrarum lacerti, & illi per quos minores pedum mouentur digiti, qui teſtante Gal. tantæ ſunt paruitatis vt vix inueniantur ab anatomicis. Sunt & quidam ſubtiles, vt ſuper ventrem poſiti, qui ventri & inteſtinis neceſſarij ſunt in digeſtionis expreſſionibus. Per hos etiam calefit ſtomachus, & adiuuant veſicam ad expellendam vrinam. proficiunt quoque perturientibus in fœtuum excluſionibus, & ab eiſdem diaphragma iuuatur, cum pectus exprimitur, vt vox ſiue flatus recipiantur. *In figura* quia ſunt quidam trianguli ſicut lacerti pectoris. Alij rotundi ſicut circundantes veſicam & anum, alij quadranguli, ſicut ſuper ventrem poſiti, alij longi, ſicut illi duo ſuper ventrem ſuſpenſi. *Ex ſitu loci*, quia qui recto motui ſunt neceſſarij, ſuper membrorum longitudinem ſunt erecti. *Ex compoſitione* vero diuerſitas eſt lacertorum, ſuper ventrem locatorum, quorum caro neque neruis neque ligamentis commiſcetur, tamen in eorum extremitatibus chordæ ſolidantur. *In chordarum egreſſione* diſſimilitudo videtur, quia quandoque à lacertis duobus vel tribus vna ſola chorda egreditur, ſicut illa craſſa quæ ad pedes protenditur, maximis enim membris vnus lacertus non ſufficeret, ob hoc à duobus exit, vt tactus fortior ſit, vt ſi vnus deficiat, alter medietatem ſuam ſuppleat. Econtra vero alij ſunt à quibus duæ chordæ vel tres vel etiam plures exeunt, ſicut de medio in cruris prora poſito. Ab hoc enim toto, quia magnus eſt, quatuor chordæ exeunt & ad quatuor pedum digitos tendunt, lacerti vero omnes in quatuor diuiduntur partes. Alij namque caput & collum mouent, alij gulam & guttur ſibique vicina, quæ ſunt volũtarij motus, alij ſpatulas, alij manũ, alij pectus, alij ventrem, & eius vicina voluntarium motum habentia, alij vero pedes & alij coxas. Hæc quoque ſingula diuidũtur multipliciter, & ſunt in toto corpore muſculi ſiue lacerti numero 581.

Quintuplex diuerſitas muſculorũ.

Numerus muſculorũ.

De Cerebro.

CAPVT XL.

Ex li. de anato. Cerebrũ eſt membrũ ſecundũ quoſdam calidũ, ſecundũ quoſdã frigidũ, ſecundũ omnes humidum, ſubtile, molle, album, cum rotunditate oblongũ, multũ habẽs de ſpiritibus & multũ de medulla, duabus pelliculis obuolutũ, pia matre ſcilicet & dura matre, craneo & cute coopertũ, tribus cellulis diſtinctũ. Humidũ quidẽ vt defacili ſuſcipiat impreſſionẽ. Subtile vero

Temperamentum cerebri.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vero propter operationes animæ ſubtiles ſcilicet imaginationem, rationem, memoriam. Molle quoque vt cito impreſſioni cedat. Et album, vt diuerſas formas ſuſcipiat. Rotundum vt mobile ſit. Oblongum vt motus eius temperatus ſit. Multum habens de medulla & ſpiritibus, vt his mediantibus operationes animales fiant plenius. Duabus obuolutum meningis interius, vt ipſum à duricia cranei defendant. *Auic. vbi ſupra.* Cerebri ſubſtantia creata eſt frigida & humida. Frigida quidem, ne ipſum inflammet multitudo quæ aduenit ei ex fortitudine motuum neruorum & paſſionibus ſenſuum ac motibus ſpiritus in alterationibus imaginatiuis, cogitatiuis & memorialibus. Et vt temperetur ſpiritus à corde egrediens, & ad ipſum penetrãs in duabus venis ab eo ad ipsũ aſcendentibus, humida vero vt motus eum non ſiccet, & vt eius figura bona ſit. Creatũ eſt etiã lene, vt ſit pingue, & vt nutrimentum quod neruis gradatim duris tribuit, bonũ ſit. Nerui enim ex cerebro, & nucha oriuntur. Dicit autẽ Galenus cauſam lenitatis eſſe, vt eius figura bona fiat, & ipſius alteratio cum imaginationibus quia lene facilius ſuſcipit alterationes.

Diuiſio cerebri in ſuas partes integrales.

Cerebrũ diuiditur in ſubſtantiã velatiuam, & in ſubſtantiam medullarem, & ventres in ipſo ſpiritu plenos. Nerui vero ſunt quaſi virgulta ab ipſo procedentia non tamen ſunt partes ipſius propriè. *Conſtantinus vbi ſupra.* Cerebrũ omnibus alijs mẽbris dignius eſt, ac nobilius, quia materiale fundamentum eſt in homine, vt poteſtas rationalis animæ valeat ad actualia procedere. Quod etiam in excellentiori parte poſitũ eſt oculorũ cauſa, ſicut enim homo remotum aliquid diſcreturus ad altiora loca progreditur, vt latior proſpectui viſus detur. Sic natura mirabilis in arce ſuperiori locauit cerebrum, vt quæ ſibi ſuppeditat exterior viſus diſcernere valeat. Cerebrum ergo eſt corpus album, & ſine ſanguine humidum. Quod ideo fit vt cito immutetur in naturam ſentiendi. Diuiditur autẽ in duas partes principaliter ideſt in proram, & puppim. Quarũ differentia eſt craſſior cerebri pellicula, quæ inter eas duplicatur. Prora puppi maior eſt, & mollior, magna quidẽ eſt, vt qui ab ea procederent nerui ſenſuales, qui ſunt ſeptem pares. Puppis vero minor eſt, quoniam ab ea pauci nerui procedunt. Item cum à prora nerui ſenſuales exeunt hanc emolliri oportuit vt nerui ſenſũ cito reciperẽt. Puppis vero dura eſt, vt facilius dura patiatur. *Razi vbi ſupra.* Cerebrũ fecit Deus vt eſſet origo sẽſus, & volũtarij motus ab ipſo produxit ramos ideſt neruos, qui mẽbris cõtinuãtur, & dãt eis sẽsũ, & motionis modos. Eſt etiã cerebrũ ſecundum Galenum imaginationis, & cogitationis, ac memoriæ fundamentum.

De ventriculis cerebri.

CAPVT XLI.

Tres ventres cerebri.

Conſtant. *vbi ſup.* Imaginatio quidẽ in duobus ventriculis anterioribus perficitur. Cogitatio vero in medio, & in poſteriori memoria expletur. Cerebrũ tres habet concauitates, quæ vocantur tres ventres. In prora ſiquidem duo ventriculi ſunt, à quibus aer per nares egreditur, atque trahitur, & à quibuſdam exit vox à cerebro. In eiſdem quoque ſpiritus vitalis in naturam mutatur animalis. Ab his rurſus duo capita egrediuntur duobus vberibus aſſimilata, quibus odoratus efficitur. Duos quidem oportuit ineſſe prore ventriculos à quibus ſingulis exirent nerui ſinguli, vt ſi vnus pateretur alterius iuuamentum ſubintraret. Puppis autem ventriculus vnus eſt ad quem accedit ſpiritus animalis, cum in duobus aliquantulum mutatus eſt proræ ventriculis, quoniam hi viam habent perforatam, vnde ſpiritus animalis tranſeat ad ventriculum puppis. Neceſſarium fuit vt duo proræ ventriculi iungerentur puppi ventriculo: vnde huius viæ perforatio trium ventriculorũ eſt continuatio. Sed via hæc antequã ad puppim veniat in eundo quædã ſpecioſa reperit vbi dum dilatatur quartus ventriculus efficitur, qui ideo rotũdatur vt maior ſpiritus quãtitas ſuſcipiatur, & ne facile patiatur: huius ventriculi principium eſt quoddam corpus glandoſum, cuius forma quaſi pinea eſt ad hoc neceſſaria, vt ſpactum inter venas vnde rectè efficitur repleat, hæc autem pinea ſuſpenſa vadit ad locum ſibi deſtinatum, & in eundo quoddã fruſtulum obambulat longum, quod neruus dicitur & habet huius viæ concauum, huiuſmodi neruus iuuamentum eſt, vt foramen inter puppim, & medium ventriculum intraturo animali ſpiritui aperiat, & poſtquam intrauerit, claudat. A cerebro autem exeũt duo fruſtula longa neruis lateralia, nares homini iunctas aſſimilantia, ſubtilibus operta pelliculis, cum ipſis naribus vtrimque ſolidatis. Cumque neruus ille dilatatur nares clauduntur. Cum vero rugatur, aperiuntur, quia pelliculæ gibboſitati illius iunctæ cum eodem trahuntur.

Ex li. de anatomia. Cerebrum itaque tribus cellulis eſt diſtinctum. Duæ namque meninges cerebri faciunt tres plicaturas inter ſe deuexas, in quibus tres ſunt cellulæ, phantaſtica ſcilicet ab anteriori parte capitis, in qua ſedem habet imaginatio. Logiſtica in medio, in qua ratio. Memorialis à poſteriori, in qua memoria. Phantaſtica multum habet de ſpiritibus vt eorũ multitudine, & motu plena fiat in ea formarũ attractio. Parum autẽ de medulla, vt ſit ibi quædam vacuitas vbi fluat frequens curſus ſpirituũ ad formas ibi concipiendas. Logiſtica vero multum habet de ſpeciebus ad operationes rationis peragendas, & etiam de medulla vt plena fiat, & bona ſpirituum reſtauratio. Porro memorialis parum habet de ſpiritibus, ne propter eorũ multitudinem fiat formarũ quas rationis diſcretio commendauit delectio: multum vero de medulla vt ad impreſſiones formarum ſuſcipiendas ſufficiens habeatur materia. *Phantaſtica* cellula eſt calida, & ſicca, vt per has qualitates formas rerum appetat, & ſic in ea formarum attractio vigeat. *Logiſtica* vero calida eſt & humida, vt his qualitatibus mediantibus bona fiat in cerebro digeſtio id eſt rationis diſcretio, ſicut enim in bona digeſtione per prædictas qualitates vigentes purũ ab impuro diuiditur, ita per diſcretionem vero à falſo, bonum à malo ſecernitur. *Porro memorialis frigida eſt, & ſicca*, vt per has qualitates fiat rerum tenẽdarum retractio, itaque cerebrum dicitur eſſe templum animæ propter tres eius partes principales. Anima enim in phantaſtica cellula quaſi in veſtibulo diuerſas formas recipit per imaginationem. In logiſtica quaſi in conſiſtorio de imaginatis diſcernit per rationem. In memoriali vero imaginata, & dijudicata conſeruat per memoriam.

Tres cellulæ cerebri.

Cella Phantaſtica.

Logiſtica.

Pars memorialis.

Cerebrum anima templum.

De pia matre & dura.

CAPVT XLII.

Conſtant. *vbi ſupra.* Hæc eſt ergo forma cerebri, quod circundant duo panniculi matres eiuſdem appellati, vnus craſſior eſt, qui dura mater vocatus craneo incraſſatur, quia ibi duplicatur, quod in oſſe lambda græco ſimili finiatur. Inde duplex in cerebrum deſcendit, per locum ſcilicet illum quem arteriæ duæ conſcendunt, quæ dũ in durã matrẽ deſcendunt, cõcauitas quædam remanet, quã quaſi vena quædã concaua per ſongum in prorã cerebri vadens, & ſanguinem portans replet. Ideoq; ab anatomicis vena vocatur, licet non ſit, quia viuente homine ſanguis ibi recipitur, dũ vero moritur incraſſatur, & coagulatur: hæc quidem dura mater non craneo ſolidatur, ſed potius ſuſpenditur, & ab eis foraminibus egreditur. In egreſſu autẽ huc illucque dilatatur. *Facta autẽ eſt propter tria ſcilicet* vt matrẽ piam à cranei duricie cuſtodiat. Vel vt proram, & puppim diuidat, vel vt operimentũ, ac defenſio venarũ, & arteriarum, quæ ſuper cerebrũ ſunt, earumq; ad inuicem ligamentũ exiſtat, ipſarumq; diuerſa ſpaciola ſuppleat, venarum inquam, & arteriarum hepar circundantium, hæ namque ad inuicem commixtæ ſunt in modum telæ, quarum ſpacia panni ſubtiliſſimi implent, vt nihil vacans in eis remaneat,

Matres cerebri.

Dura mater facta ob tria.

Alius eſt panniculus ſubtilior, qui duræ matri ſupponitur, & pia mater vocatur. Hęc cerebro cõiũcta ipſum

Pia mater.

vndi-

vndique circundat, ſeque per concauitatem cerebri ſpargit, mollior eſt in ſubſtantia quam mater dura. Durior autem cerebro cui cõiuncta eſt, ſicut cutis carni cõglutinata. Diſtat autem à dura matre paruo interſticio, ſed tamen in quibuſdam ei coniungitur, ſicut venæ cũ craneũ ingrediũtur, & cerebrum dilatatur, & ſtringitur. Primo quidẽ ſubtiliatur mater pia, quia cerebri venas, & arterias colligat ne forte ſuſpẽſa ſint, eorũque vacuitates oportet vt ſuppleat. Secundo vt cerebrũ coadunet ne diſpergatur, & operiẽs à dura matre deſendat ſicut ipſa à cranei duritiæ defenditur dura matre. Tercio vt cerebrũ nutriat per venas quas habet, & ſpiritũ det per arterias quas in ſe continet: hi ſunt ergo duo panniculi, qui cerebrum operiunt, neruoſque adiuuant, & dum intra ipſos ſunt protegunt. Poſtmodum vero nudi, & ſoli cranei duritiem exeunt.

Cauſa ſubtiliationis pia matris.

Qualiter cerebrum ſit principium ſenſus, & motus voluntarij.

CAPVT XLIII.

EX li. de anatomia. Porro veſtibulũ animæ id eſt phãtaſtica cellula quinque portas quinque ſenſuũ habet ante ſe, & ab illa decem nerui oriuntur qui ad quinque ſenſus faciendos diriguntur. Ideoque ſenſibiles appellantur, horũ ergo duo Optici, id eſt viſibiles dicuntur, qui in media fronte cõiunguntur, & illic iterũ diuiduntur. Quorum vnus ad oculum dextrum & alius ad ſiniſtrum cum ſpiritibus per eos decurrentibus ad viſum faciendũ diriguntur. In phantaſtica namq; cellula, ſicut dictum eſt, multi ſpiritus abundãt, quorum quidam deputantur ad diuerſas imaginationes faciendas, quidam vero diſcurrunt per neruos ad inſtrumenta ſenſuum, vt compleant ſenſum. Quidam autem in logiſtica cellula diſcurrunt ad rationem faciendam. Porro alij duo nerui diriguntur ad oſſa petroſa aurium vt faciant auditum, Alij autem duo ad linguam ad guſtum faciendum. Alij quoque duo ad carunculas naribus dependentes in modum mammillarum ad odoratũ faciendũ.

Nerui optici duo.

Neruorum tangibilium diſpoſitio.

Reliquorum vero duorum qui ſunt tangibiles vnus ad dextrum humerum dirigitur, & alius ad ſiniſtrum. Et ille qui ad dextrum in duos ramos diuiditur, quorum vnus tendit ad volam dextræ manus, & alius ad volam dextri pedis ad faciendum actum. Similiter & qui ad ſiniſtrum diuiditur, & ſimiliter ad volam & plãtam ſiniſtram dirigitur. Iſte namque ſenſus id eſt tactus licet cuilibet parti corporis communis ſit, volis tamen manuum ac plantis pedum proprie conuenit. Dicunt tamen aliqui, neruos tangibiles à memoriali cellula inter neruos motiuos oriri. Nerui quidem motiui deputantur in corpore principaliter ad motum faciendum. Secundario ad ſenſum tactus. Sicut econtrario nerui ſenſibiles principaliter ad ſenſum, ſecundario ad motum, Oriuntur autem nerui motiui à parte poſteriori in contiguitate ſpinæ, & cerebri. Spina enim habet principium in commiſſura id eſt in quadam cranei parte poſteriori, quæ furcata eſt velut y littera. In hac inquam infurcatur ſpina, & illic oriuntur nerui motiui deſcendentes cum ſpina in inferiores corporis partes ad motus faciendos.

Qualiter à cerebro nucha deriuatur, & per ea ſenſus ac motus ad membra tranſfunduntur.

CAPVT XLIV.

Nucha.

ORitur autem in parte poſteriori capitis à cerebro nucha id eſt medulla per cõcauitates ſpondilium trahens ſecũ duas meringas cerebri quibus tegitur, exterius vero ſpondilibus illas cũ meringis defendentibus includitur. Sunt autem 18. ſpondilia 6. in collo 12. in dorſo, & inter ſingula oriuntur duo nerui vnus à dextris & alius à ſiniſtris, qui diriguntur in diuerſas partes corporis ad motum principaliter faciendum & ſecundario tactum. *Razi vbi ſupra.* Cum ergo cerebrum ſit origo ſenſus & voluntarij motus, & partes corporis inferiores à cerebro valde ſunt remotæ, quæ tamen & ſenſu & motu indigent, & hæc abſque neruis habere non valent, Nerui quoque ſi à cerebro recta via protenderentur ex longitudine deſcenſus debilitarentur, fecit Deus foramen ſub craneo per quod perduxit partem cerebri quæ nucha vocatur. Ad cuius etiam cuſtodiam oſſa cranei condidit. Quam etiam taliter munitam ſecundum corporis longitudinem prolongauit, & ex ea per ſpondilium foramina neruos produxit, qui membris continuantur dantes eis ſenſum & motum. Itaque ſi graue ſuper cerebro venerit accidens, toti corpori ſenſus ac motus aufertur. Nuchæ vero ſi ſuperuenerit membris illis auferetur, quibus nerui ab illa parte nuchæ procedentes coniunguntur.

Cur nucha condita à Deo.

Cerebrum eſt quaſi fons ſenſuum & motus voluntarij. Nucha vero quaſi fluuius magnus ab eo manans. Porro nerui ab illa procedentes ſunt quaſi riuuli paruuli de fluuio exeuntes. Sed cum fonti aliquod impedimentum acciderit, commune erit; Riuulo autem ſi euenerit, proprijs locis nocebit, ad quæ ipſi riuuli diriguntur;. Ideoque medicis ſcire perutile eſt, vnde quiſquis neruus oriatur, & ad quod membrum dirigatur. Vnde Galenus quendam qui de mula ceciderat, & ex vnius ſpondilis læſione digitos auricularem & medicum duriter mouebat: atque medicis emplaſtra digitis ſuperponentibus nullum ex eis iuuamentum ſentiebat, in breui ſanabat, dum eadem medicamina ſpondilibus à quibus ad prefatos digitos nerui protendebantur ſuperpoſuit. Nerui quidem in principio ſui exitus à cerebro vel nucha ſunt valde molles, ipſique cerebro vel nuchæ ſimiles. Cum autem magis elongari ceperint indurantur, donec perfectam neruorum formam ſuſcipiant. Ipſi ſunt inſtrumenta ac viæ per quæ ſenſus & motus omnibus membris transfunditur. Vnde ſi ex tranſuerſo inſcidantur, aut ſenſus aut motus membri aut vtrumque deſtruitur, ad quod ipſa diriguntur. Nucha quoque ſi conſtringatur, aut ex tranſuerſo inſcidatur, ſenſus & motus omnium membrorum, quorum nerui à locis qui ſub ipſa ſunt inſciſione prodeunt auferetur. In longitudine vero ſiue nucha ſiue neruus inſcidatur non multum nocebit.

Scientia ortus neruorum perutilis medico.

De vijs quibus purgatur cerebrum.

CAPVT XLV.

COnſtantinus vbi ſupra. Omnis autem cerebri ſuperfluitas aut eſt ſubtilis vt eſt fumus, Aut coagulata vel craſſa, Fumoſa enim ſuperfluitas à toto corpore tẽdit ad capitis ſuprema. Vnde craneum capiti ſuperpoſitum habet quædam oſſa ſerræ ſimilia, quandamque vacuitatem habentia, vnde fumus ille exeat. Superfluitas autem craſſa & coagulata petit inferiora, cui expellendæ natura fecit duo foramina, buccam ſcilicet & nares, dura namque mater ſuper nares perforata, quaſi quoddam colatorium huic ſuperfluitati exibet. Similiter & duo narium oſſa duræ matri ſuppoſita ſentiuntur eſſe perforata, vt inde ſuperfluitas exeat, & flatus ab exterioribus introeat, horum autem oſſium foramina ſunt multiformia. Alia namq; recta, vt emittant cerebri digeſta. Alia vero torculata atque tranſuerſa ne frigidus ac nociuus aer ad cerebrum introeat ſubitus, vel ne dura corpora ſicut puluis ſubeant ab exterioribus. Quædam autem ex toto lata ad flatum recipiendum ſunt facta. Superfluitas à bucca emittenda per duo egreditur loca, ab interſtitio puppis & proræ per tranſuerſum vſque in primam viam deſcendente. Hæc via quanto plus deſcendit, tanto magis ſe rotundat ac ſtringit cuidam poſtea iungenda glandi, quæ concaua & rotunda, ſicut ſphæra vicinatur oſſi colatorio ſimili. Hoc autem os ſuperpoſitum eſt palato. Concauitas hęc embo vocatur, quia ſicut vinum per embotum ita ſuperfluitates noſtræ craſſæ per eam influunt.

Bucca.

Narium oſſa.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De oculis & eorum munimentis.

CAPVT XLVI.

Oculorum etymon. *Isidorus vbi supra.* Oculi vocati sunt, siue quia eos tegmina ciliorum occultant nequa incidentis iniuriæ offensione lædantur, siue quia occultum lumen habent id est secretum vel intus positum, hi inter omnes sensus animæ viciniores existunt, in oculis enim omne mentis indicium est. Vnde & animi perturbatio vel hilaritas in oculis apparet. Iidem & lumina dicta, quod ex eis lumen manat, vel quia ex intimo sui clausam teneãt lucem, Aut extrinsecus acceptam visui præponendo refundant.

Pupilla. Pupilla est medius punctus oculi in quo vis est videndi, vbi quia paruę imagines vidẽtur nobis, propterea pupillæ appellantur. Nam paruuli pupilli vocantur, vocatur autem pupilla quod sit pura atq; impolluta, vt sũt puellæ. *Physici dicunt easdẽ pupillas quas videmus in oculis morituros ante triduũ non habere, quibus non visis certa est desperatio.* Circulus vero quo à pupilla albæ parteş oculi separantur discreta nigredine, corona dicitur, quod rotunditate sua ornet pupillam, vel ambitum pupillæ.

Palpebræ. *Palpebræ sunt sinus* oculorum à palpitatione dictæ, quia semper mouentur, concurrunt enim inuicem vt assiduo motu reficiant obtutum. Munitæ sunt autem vallo capillorum, vt & apertis oculis si quid inciderit repellatur & somno conuenientius tanquam inuoluti quiescant latentes.

Cilia. *Cilia* sunt tegmina, quibus cooperiuntur oculi. Et dicta cilia, quod celent oculos tegunt tuta custodia.

Supercilia *Supercilia* dicta sunt, quia super posita cilijs. Quę iccirco pilis vestita sunt, vt oculis munimenta prætendant, &

Intercilium. sudorem à capite defluentem depellant, *Intercilij* vero medium est illud super cilia, sine pilis est. Genæ sunt inferiores oculorum partes vnde barbæ inchoat. Nam græcè genos, barbæ, hinc & genæ quod inde incipiunt

Mala. gigni barbę. *Malæ* sunt eminentes sub oculis partes ad protectionem eorum suppositę, vocatæ autem malæ, siue quod infra oculos prominent in rotunditatem quæ græci mala appellant, siue quod sint supra maxillas. Maxillæ per diminutionem à malis dicuntur, sicut paxillus à palo, taxillus à talo. Mandibulæ sunt maxillarum partes. *Razi in Almãzore secunda parte.* Superciliorum multitudo signat cogitationum & stultitiæ multitudinem, loquelam quoque fædam & crassam, longitudo vero arrogantiam & verecundiam. Quæ autem inferius descendunt à parte naris, & superius eleuantur à parte temporis inuerecundiam simul & hebetudinem. Inferiores quoque palpebræ tumorem habentes hepatis innuunt debilitatem.

De proprietatibus oculorum hominis.

CAPVT XLVII.

Oculorum temperamẽtum. *Ex li. de nat. rer.* Oculi sunt pars corporis preciosissima. Nullumque in eo membrum est frigidum & humidum nisi oculi & cerebrum. Oculi in homine sibi appropinquant secundum magnitudinem ipsius, plusquam in cæteris animalibus. Ambobus oculis apertis, vna videndi via vtrique dirigitur, ne vnus aliquid videat quod non alter. Visus autem secundum horum malitiam quę in vidente est, inficit subiectam materiã, adeo vt si mulier menstruata continue speculum aspiciat, ipsum quasi rubigine quadam inficiat. Magna dubitatio visum obducit, sicut morbus caducus. Nec vident patentibus oculis. Post annos viginti multis restitutus est visus. *Arist. vbi sup.* Non est autẽ oculorum varietas nisi in hominibus, & in equis. Oculi puerorum apud generationem virides sunt. Deinde mutantur in eis secundũ naturam vincentẽ. Oculi equorũ inter animalia sunt diuersi coloris, & forte vnus oculus erit glaucus. Alius ei contrarius, quod non accidit in alijs animalibus præter hominem. Causa glaucitatis oculorũ in pueris, quoniã ista mẽbra eis sunt debiliora quã alia. Et glaucitas oculorum non est nisi quædam debilitas eorum. Similiter causa varietatis oculorum in homine & in equo scilicet

A vt sit oculus vnus hominis vel equi glaucus & alius nõ, eadẽ est cũ illa, quod homo tantũ & equus in senectute canescũt. Nam canicies est quidã modus debilitatis humoris in cerebro, & paucitatis digestionis, & similiter glaucitas. Cum ergo natura fuerit debilis ad decoquendum quod est in vtroq; & decoxerit quoddam & quoddã non. Tunc accidit, vt quidã oculus sit glaucus, & quidã non, homo claudit oculum plus omnibus animalibus, quia tenuis est corij. Super palpebrã enim est coriũ continens eã, & ob hoc non consolidatur palpebra neque præputium, quia sunt coriũ sine carne. *Plin. lib. 11.* Hominum tamen oculi tantum diuersi sunt in colore. Cæteri autem in suo cuique genere similes. Et equarum quibusdam glauci: in homine autem sunt numerosissimæ varietatis atque differentiæ, grãdiores, modici, parui, prominentes. Præterea aliæ concernunt longinqua, Alii nisi prope admota non cernunt. Nam Tyberio Cæsari in tenebris clariores fuerunt, ita vt expergefactus nocte paulisper tanquam clara luce contue retur omnia, paulatim tenebris sese obducentibus. Dino Augusto equorum modo glauci fuere. In ludo Gaii principis viginti gladiatorum paria fuerunt, in his duo omnino fuere qui contra comminationes non conniuerent, & ob id inuicti, tantæ hoc difficultatis est homini, pleriſque vero naturale est, vt mutare non cessent: paucliores accipimus.

Canicies quid?

Tyberij Cæsaris visus.

De dispositione oculorum.

CAPVT XLVIII.

Avicen. in tertio Can. Oculi operatio ad corpus est quasi speculatoris ad exercitum, cui conuenientior est locus altus. Virtus autẽ visus & materia spiritus visibilis à cerebro procedit ad locũ per viam duorũ neruorũ concauorũ, qui per Anatomiam noti sunt. Cumq; nerui illi cum panniculis sibi sociatis ad orbitã descendunt, & dilatatur extremitas cuiuslibet eorum ac replet & ampliatur, ita quod comprehendit humores qui sunt in pupilla. *Constantinus in li. de oculis.* Compositum membrum propriã habet actionem ad quam est, quam cum vna suarum partium operatur. Cæteri vero illi operanti ministrant. Sic & oculi multis diuersisque partibus compositi sunt. Visus tamen non fit nisi cum vna illarum scilicet humore qui dicitur cristallidos. Est autem cristallidos humor albus & lucidus, non omnino rotundus sed aliquantulum planus in medio oculorum locatus. Albus quidem & lucidus, vt cito varios colores susciplat, sicut clarum vitrum. Rotundus autem ne cito patiatur. Omnis enim forma rotunda non cito patitur propter suos angulos, parua ta men ei latitudo facta est, quia si omnino rotundaretur, omnino instabilis esset, & lumen accipere non posset. In medio autem locati, vt cæteræ partes subministrent. Quarum quædam eum defendunt, quædam adiuuant, hoc humore perforato lumen visuale amputatur, sed aqua ab oculo ablata, mox lumen reparatur. Qui autem vult oculorum naturam scire, cerebri prius oportet cognoscere naturam à quo visus procedit. Est enim cerebrum initium & fundamentum sensuum & voluntarij motus atque regitiuæ virtutis.

Humor chrystallinus.

Idem in pantegni in tertia parte. Oculi sunt instrumenta visus, duo autem sunt, vt vno forte patiente alter possit ministerium suum explere. Sunt autẽ vniuscuiusque decem efficientes causę, tres scilicet humores & septẽ tunicæ. Non tamẽ hæc omnia visum faciunt, sed vna tantum. Solus enim humor cristalleidos vocatus est instrumentũ visus. Alia vero omnia sunt eius iuuamenta, hic aliquantulũ est rotũdus, vt non facile patiatur. In superficie vero aliquantulũ planus, vt rem sentiendã melius recipiat. Nam si penitus rotundaretur, non bene sensui rerum aptaretur. Omnis enim rotunda res in latera sua relisa instabilis est & non firma. Clarus autem est & lucidus vt crystallus vt in oppositos colores cito transferatur, In tunicarũ situs medio ne vndique careat

Decem causa oculi.

iuuan-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iuuantium ſupplemento. Humor clariſſimus qui & gelaidos dicitur, eſt retro ſicut vitri liquor, vt eũ muniat vel nutriat. Cum enim membra nutriantur ſanguine, qui à criſtalleide ſemouetur, vitreum humorem facit natura, qui ſanguinem ſuſcipiat, & in eius eſſentiam vertat,& mutatum ac depuratum ad criſtalleidon mittat clarum. Alius humor ante criſtalleidon locatur, vt ab aere deſiccetur, qui clarus & albus albugini oui aſſimilatus, & euagaidos vocatur, huius alterum eſt iuuamentum,vt à criſtalleide aſperum tunicæ remoueat tactum;*hi ſunt ergo tres humores, vitreus ſcilicet cryſtallinus & albugineus.*

Tres humores.

De ſeptem tunicis oculorum.

CAPVT XLIX.

Septem tunica.

SEptem vero tunicarum tres ante euagaidon,& tres locantur poſt gelaidon, vna vero ſubtilior eſt ſita inter euagaidon & criſtalleidon. Duo ſiquidem nerui concani à cerebro venientes ad oculos in exitu ſui duobus induti ſunt panniculis cerebri, quos exuunt cum ad oculorum oſſa veniunt. Et dum dilatantes ſe extendunt, circundat eos tela venarum & arteriarum à pia matre exeuntium. Itaque venæ & arteriæ ibi contextæ rete vocantur ex retis ſimilitudine. Cuius iuuamentum eſt ad criſtalleidon viſualem ferre ſpiritum,venis autem & arterijs vnde conficitur ſanguis humori vitreo ſubminiſtratur. Nam vitreus humor & chryſtallinus cum venis & arterijs careant, ſanguinem ſibi ſugendo attrahunt,à reti quidem vitreus & à vitreo chryſtallinus. Ambo vero neruorum panniculi ſunt à duabus matribus ipſius cerebri. Quorum ſubtilior rete operit & iungitur cùm ipſo vbi rete coniungitur criſtalleido, quod fit vt rete venis nutriatur, calor vero naturalis ex arterijs detur.

Secundina.

Hæc tunica ſicut & mater vnde proceſſit ſecundina vocatur,hanc velat craſſior pellicula,quæ ad hoc neceſſaria fuit, vt oculum ligaret & ab oſſe defenderet, hæ ſunt ergo tres poſteriores tunicæ ſcilicet rete, ſecundina, & dura. Trium autem anteriorum prima quæ poſt prædictas eſt quarta velat albuginem oculi lenis in antea,intrinſecus autem viloſa, colorem habens medium inter nigrum & venetum,vnde & vuea vocatur, à ſecũdina vero egreditur,huius triplex eſt iuuamentum,nam & corneã nutrit, vnde multis venis abundat, & ipſam à criſtalleide diuidit,ne duritia ſua illi noceat,vnde humidam eam eſſe oportuit. Tertio nigredine ſua ſpiritum viſibilem coadunat,ne per aera diſpergatur, quia nigredo naturaliter lumen ſibi congregat, Albedo vero diſpergit. Vnde quidam viſu deficiente propter ſplendorem nimium paululum claudunt palpebras oculorum vt viſus ad vueam refugus, poſtmodum amplior egrediatur. Dedit itaque natura ſplendorem nimium in hac concauitate vuea,quæ etiam eſt pertuſa vt ſpiritus viſibilis exiens ab ea rem illico ſenſu percipiat. Et etiam villoſa, vt aquam deſcendentem ad oculos cohibeat.

Vuea.

Cornea.

Quinta dicitur cornea cornu ſubtili & alba ſimillima dura ſolida & alba, ex multis fruſtulis compoſita. Ad hoc quidem neceſſaria, vt criſtalleidon ab extrinſecus accidentibus cuſtodiat. Clara eſt & lucida, vt viſualem ſpiritum exire prohibeat. Dura vero quia ſubtiliſſimam eſſe oportebat. Sexta dicitur coniunctiua ſubtilis & alba in omnibus oculi lateribus ſolidata, non operiens corneam ſed circundans, hæc eſt illa albedo quæ videtur in oculo & exit à panniculo qui intercutaneus ſuperpoſitus eſt craneo. Huius vtilitas eſt quod vndique oculum oſſibus circumligat & lacertos operit, quibus mouentur oculi, hæ ſunt ergo tres tunicæ albugini antepoſitæ. Septima vero ſubtiliſſima, albiſſimaque & nitidiſſima quæ albugini ſuppoſita partem illam tantum operit quam vitreus humor operiendam dimiſit, vocatur autem *aranea tela*, eo quod eſt illi ſimillima, hæc eſt quam in oculo videmus.

Aranea.

De Phyſiognomia oculorum.

CAPVT L.

Oculi magni profundi.

Parui.

Immobiles.

Pupilla nigra.

RAzi vbi ſupra. Oculi magni ſignificant pigriciã, maioremque ſtultitiam, ſed minorem malitiam. Oculi foris prominentes inuerecundiã deſignant,& loquacitatẽ,& ſtoliditatẽ. *In profundo vero poſiti* calliditatẽ atque deceptionem,ſimiliter & in corporis lõgitudine poſiti,magni ac tremuli pigritiã & libidinẽ. *Parui* quoq; & tremuli ac varij libidinẽ & iracundiã. Oculi varij vel virides hominem malum & latronẽ ſignant. Oculi coloris ignei,peſſimum & obſtinatum. Oculi quoque varij qui ſuo colori citrinitatem habẽt admixtã, peſſimos mores deſignant. Sed & oculi varij maculas multas circa pupillam habentes,hominem peſſimũ indicãt. Oculi vero varij cum citrinitate radiãtes, aut virides,hominem malum ſignant. Qui vero cum hoc habent rubeas maculas in oculis vt ſanguinem, aut albas,omnibus deteriores ſunt,magiſque deceptores. Meliores autem dicuntur eſſe oculi,qui inter nigrum & varium ſunt, cum hoc etiam nec multum radioſi ſint, nec rubedo vel citrinitas in eis apparuerit,tales enim bonam naturam demonſtrant. *Oculi quaſi lapides immobiles* ſignant calliditatem,cito quoque mobiles & acutè cernẽtes hominem callidum & deceptorem atque latronem. Multum vero tremuli,malitiam,oculi ſurſum tendentes vt boum oculi,qui cum hoc etiam videntur rubei, hominem peſſimum, ſtolidum,ſtultum & ebrioſum ſignificant. Oculi quoque caprarum oculis ſimiles ſtoliditatem indicant. Vaccarum oculis ſimiles amentiam. Oculi quorum intuitus intuitui mulieris aſſimilantur luxuriam prætendunt & inuerecundiam. Quando vero ſimiles ſunt intuitui pueri, totaque facies & oculi quaſi ridere videntur, lætitiam indicant & longam vitam. *Pupillæ multum nigræ* ſignant timidum hominem & hebetem ac pigrum. Pupillæ vero in quarum circuitu marginis apparet ſimilitudo, hominem inuidum & loquacem ac timidum & peſſimum. Oculi quorum palpebræ cum magna frequentia clauduntur & aperiuntur, hominem timoroſum & maniaticum declarant. Quorum vero pili palpebraruum inferius curuantur, vel ad vnam partem naturaliter torquentur, hominem mendacem & callidum ac ſtultum ſignant.

De auribus.

CAPVT LI.

Aurium etymon.

Inſtrumenta auditus.

ISidorus vbi ſup. Aurium dictum eſt nomẽ à vocibus hauriendis, vox enim repercuſſa per anfractus earũ ſonum facit,quo ſenſum accipiant audiendi. Pinnula eſt ſumma pars auris ab acumine dicta, pænum enim antiqui acutum dicebant, vnde & bipennis & penna. *Conſt. vbi ſup.* Auditus inſtrumenta ſunt in oſſe petroſo foramina & pelliculæ quibus illa operiuntur, & auriculæ, ſed cum vno tantum horum auditus efficitur, quod ab aliis duobus adiuuatur, vnum enim par neruorum à quinto pari egreditur, quod in oſſis petroſi foramina protenditur,vbi dum dilatatur, foramina interius operiuntur. Quę tranſuerſa ſunt ſicut torcular,vt non frigidus aer cito penetret, ac panniculis obſit, neve noxium aliquid incidat, quod auditus inſtrumentum impediat. Exterior autem cartilago quæ dicitur auricula, dupliciter eſt neceſſaria. Defendit enim auditum ſicut oculos cilia, nequid in eum incidat, & etiam vocem adiuuat. Vox enim eſt aeris repercuſſio, quæ cum ad cartilaginem venit,ibidem adunata fortiter intra foramina. *Auicenna vbi ſupra.* Auris eſt membrum auditui creatum habens ſtratum anfractuoſum, vt omnes voces ſentiat & faciat tinnitum earum neceſſarium. Et incipiens in oſſe petroſo foramen inuolutum, vt eius anfractus per longũ ſpaciũ aerem ad interiora deferat. Nã ſi directe penetraret abbreuiaretur ſpaciũ. Nũc autẽ abbreuiatur, vt nõ ſubito perueniant ad interiora eius calor & frigus ſuperflua. Auris cartilaginoſa creata eſt, quia ſi eſſet

carnea ſiue neruoſa vel panniculoſa non ſeruaret figuras fornicis & anfractuoſitatis. Et ſi oſſea eſſet, in omni caſu læderetur & læderet. Ideo ſic creata eſt habens cum figuræ conſeruatione lenitatem atque reflexionē. In lateribus vero creatæ ſunt aures, quoniam anterior pars viſui conuenientior fuit, vt non ſit ſub capillorum vittarumque tegumento. *Ariſt. vbi ſupra.* Omne animal habens aures habet eas mobiles præter hominem. Aures mediocres bonitatem ſignant; magnæ vero ac prominentes ſtoliditatem & garrulitatem. *Razi vbi ſupra.* Aures magnæ ſignant ſtoliditatem & vitæ longitudinem. *Auicenna in 2. Canone.* Sordicies auris confert pannaricio, & linitur ſuper fiſſuras labij. Item ſordicies auris hominis confert emigraneæ.

Aures mediocres.

De Naribus.

CAPVT LII.

Iſidorus vbi ſupra. Nares iccirco nominantur, quia per eas vel odor vel ſpiritus emanare non deſinit, ſiue quia nos odore admonēt, vt norimus aliquid ac ſciamus, vnde econtra, ruſtici ac rudes ignari dicuntur. *Conſtantinus vbi ſupra.* Nares ſunt duo naſi foramina à ſe vna inuicem cartilagine differentia. Quorum ſingulum naſum aſcendit, & in duo foramina ſe diuidit, primum in buccam per tranſuerſum tendit. Alterum poſt matrem durā vadit in oſſā colatorio ſimilia, hæ viæ craſſis panniculis ſunt indutæ quæ à ſexto pari incipiunt. Sunt autem narium viæ duabus ex cauſis neceſſariæ. Prima quæ maior eſt, quia ſpiritus & odoratus per illas trahitur. Altera vero, qua craſſę ventoſitates à cerebro venientes emittuntur. Sunt autē tranſuerſę non pulmoni oppoſitę: vt ſi quando frigidus aer ſubeat pulmonem non lædat, & ſi quid cum aere ſicut puluis & cinis intrauerit, pulmoni non obſit, ſed aer tranſuerſa obambulans depuretur & caleſiat, ac noxia ne ad pulmonem veniant, repellant. viæ quidem apparentes in naſo tantum ad cerebrum ferunt odoratum. Duo vero fruſtula proræ vberibus ſimilia ſunt odoratus inſtrumenta: quæ vſque ad colatoria vel colatorium deſcendunt: vbi dura mater eſt pertuſata, & ſuper eam ſimiliter vberum extrema vſque ad ventriculos cerebri pertingentia.

Nares quid?

Nares trāsuerſa reſpectu pulmonis & cur?

Quo pacto fit odoratus.

Odoratus autem ſic efficitur, fumus ſcilicet odoriferorū corporum diſſolutus, & cum aere mixtus per foramina narium ab vberibus trahitur, ac per vberū pertuſiones cerebro tranſmittitur. Cerebrum namq; dilatatur & conſtringitur, vt calorē ſuum naturalē cuſtodiat. Et dū dilatatur aer aerē trahit à naribus pectore quoq; & pulmonis cannalibus. Et qualiſcunq; fumus aeri tracto miſcetur, neceſſe eſt vt ad cerebrum trahatur. Iſta dilatatio, flatus dicitur tractio: cum vero fumoſus aer conſtringitur, emunctiones à ventriculis per nares expelluntur. Hæc autem expultio flatus eſt emiſſio. *Auic. in 3. Canone* Nati meatus ambo penetrant vſque ad colatorium ſub duobus corporibus poſitum, ſimilibus duobus mammillarum capitibus, & illic velamen cerebri coram foramine colatorij perforatum eſt, vt in ipſum penetret odor. *Razi vbi ſupra.* Narium amplitudo complexionis humiditatem ſignat. Item narium magnitudo & craſſicies, indicat ſapientiæ paruitatem, Latitudo quoque luxuriam, Narium extremitas longa & ſubtilis feſtinationem ſtultitiam ac leuitatem, Narium foramina valde aperta iraſcibilitatem.

De Ore & labijs.

CAPVT LIII.

Iſidorus vbi ſupra. Os dictum eſt, eo quod per ipſum quaſi per oſtium & cibos ſcilicet intus mittimus, & ſputū per ipſum foris proijcimus, vel quia ibi ingrediūtur cibi & inde egrediuntur ſermones. *Labia vero à lambendo* nominata ſunt. *Aui. vbi ſup.* Os eſt membrum ad hoc neceſſariū, vt perueniat cibus ad concauitatē inferiorē. In hoc quoque communicans, vt aer perueniat ad concauitatem ſuperiorem. Confert etiam in expulſione ſuperfluitatum aggregatarum in ore ſtomachi cū elongantur, & fit earum expulſio ad inferiora difficilis. Eſt etiā vas vniuerſale membrorū in homine locutionis, & in reliquis animalibus vociferationis ex ſufflatione. Duo labra creata ſunt ad cooperiendum os & dentes, & ad decorem & ad recipiendum ſaliuam, & ad iuuandum loquelam. Creata ſunt autem ex carne & neruis, quæ ſunt partes lacertorum quæ continent ea. *Razi vbi ſup.* Oris extremitas ad duo tendit foramina. Quorum vnū quod anterius locatur eſt trachea arteria, quæ à chyrurgis cannalis pulmonis dicitur. Aliud vero poſterius ad partē colli ſuper eius ſcilicet ſpondiles politū vocatur meri per quod cibus tranſit & potus. Per tracheam vero arteriam non tranſit niſi aer, qui attrahitur & emittitur. *Ariſt. vbi ſup.* Os quidē quo indigetur ad vigorem eſt multę fiſſuræ ſicut in lupis cæteriſque rapacibus animalibus, homo vero in cōparatione ſui corporis parui oris eſt. *Ex li. de na. re.* Cætera quoq; animalia hiatū amplum & longū habent, homo vero econtra anguſtum & rotundum, in quo notatur parſimonię virtus, qua debet cæteris omnibus præcellere. Eſt autem os inſtrumentum guſtus, & virtus guſtatiua maximè in palato oris conſiſtit. Razi vbi ſup. Os magnum ſignat guloſitatem & audaciam, labia magna ſtultitiam & hebetudinem, labia non bene tincta ægrotationem.

Trachea arteria.

Os longum rapacibus eſt animalibus.

De Lingua.

CAPVT LIIII.

Iſid. vbi ſup. Linguæ à ligando cibum putat Varro nomen impoſitum. Alij quod per articulatos ſonos verba ligat. Sicut enim plectrum chordis, ita lingua illiditur dentibus, & vocalem efficit ſonum. *Razi vbi ſupr.* Lingua eſt caro mollis & alba, quæ multis venis paruis in quibus eſt ſanguis circundatur, & ob hoc eius color in rubeum mutatur. Sub inferiori eius parte ſunt venæ & arteriæ multæ, nerui quoque multi, quorum omnium magnitudo linguæ ſuperat modum. Sub ea ſunt orificia à quibus egreditur ſaliua, quæ vſque ad carnem glādoſam ac mollem prope radicem linguæ poſita protenduntur. *Conſtantinus vbi ſupr.* Lingua eſt inſtrumentum guſtus & locutionis, quæ de carne molle componitur, & ſpongiæ aſſimilatur. Ad hanc veniunt multæ venæ ſanguine plenæ, vnde & rubicunda eſt colore. Eiſdemque veſtibus operitur, quibus buccæ ſpacium & palatum induitur, Et os ſtomachi guttur & cannales pulmonis. A ſuperiori parte apparet tota, & ab inferiori vſque ad ligamenta, quibus mento connexa eſt. In quibuſdam autem hominibus pluſquam oporteat lingua contrahitur, ne in partes diuerſas moueatur. Vnde ligamenta neceſſario inſciduntur, vt ei motus per totum os & palatum detur. In lateribus ligamentorum quædam venæ ſunt, quæ ſemper humectationem phlegmaticam ſaliuam appellatam linguæ ſubminiſtrant. Vnde & vocantur à medicis *ſaliuaris habitatio.* Initium linguæ vnde exit, caro glandoſa & alba, eſt ipſius ſaliuæ generatiua, quæ iuuamentum præbet dum ſaliuam à venis illis recipit, vnde linguam & buccam humectet. *Auicenna vbi ſupra.* Lingua eſt ex inſtrumentis conuerſionis cibi maſticati & inſciſionis vocis, & ad ipſam pertinet diſcretio guſtus. Cutis ſuperficiei eius inferioris eſt continua cum cute meri, & interiori parte ſtomachi. Lingua ſecundum potentiam loquendi eſt melior, quæ commenſurata eſt in longitudine & latitudine ſua, & quæ ſubtilis eſt apud extremitatem ſuam exteriorem. Illa vero quæ eſt magna & lata aut valde parua, non eſt habilis ad loquendum. Subſtātia quidem linguæ eſt caro mollis quam cooperiunt venæ paruæ intrantes ſanguineæ rubeæ ex eius colore. Harum aliæ ſunt venæ, aliæ arteriæ. In ipſa quoque ſunt plures nerui procedentes ex neruis quatuor venientibus ad ipſam. Sub hac etiam ſunt duo orificia quaſi duo fontes vel duo hauritoria ſaliuæ, rorem linguæ conſeruantes. Item ſub ea ſunt duæ venæ magnæ virides ex quibus procedunt venæ plures.

Lingua.

Cur rubicunda.

Saliuaris habitatio.

Os vnde dictum.

Labia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A

De variys officijs linguæ.

CAPVT LV.

Dua operationes linguæ.

Ariſtoteles vbi ſupra. Lingua quidem hominis abſoluta eſt, valde mollis & lata, vt vtatur duabus operationibus tactu & guſtu humiditatum. Omnemque corpus molle conueniens eſt ad bonitatem ſenſus tactus. Nec erit guſtus niſi per aliquem modum tactus. Præterea quando lingua eſt abſolutè lata & mollis, apta eſt ad bene ſermocinandum, quoniam extenditur, contrahitur atque gyratur in ore circumquaque diuerſis modis. *Ex lib. de Anatomia.* Inter neruos quidem motiuos oriuntur à nucha duo nerui qui ſuperioribus mandibulis infiguntur, & inde reflectuntur ad inferiores maxillas in maſticando mouẽtes illas & non ſuperiores, B & hoc in quolibet animali præterquam in crocodilo, in quo non inferior, ſed ſuperior in manducando maxilla mouetur. Quidam etiam nerui motiui à nucha diriguntur ad pulmonem, vt colligantiam pulmonis ad ſpinam faciant, & inde reflectũtur ad linguam vt ad vocem forment, vnde & vocales & reuerſibiles dicuntur. Sed hi quandoque terminantur in medio linguæ, vnde lingua replicari non poteſt ad formandam, R, litteram. Quandoq; vero diriguntur ad ſummitatem, ſed ita quod linguam nimium dilatant, Vnde malè profertur, S, littera.

Nerui directi ad linguam.

Itaque neruorum genera diriguntur ad linguam ſcilicet duo ſenſibiles, vt ſupra dictum eſt à cella phantaſtica ad guſtum faciendum, & duo motiui à nucha ad motum linguæ faciẽdum, & duo vocales à pulmone ad C voces formandas. Vnde lingua triplex habet officiũ, ſeruit enim membris animatis ſapores diſcernendo, Spiritalibus autem voces formãdo, Nutritiuis quoque cibos vertẽdo & maſticãdo. *Ex li. de nat. rer.* Lingua eſt inſtrumẽtum ori inſitum, quo vox ad loquendũ verba formatur. Lingua mediocris, id eſt, nec lata, nec ſtricta laudabilis eſt, quia cõuenientior eſt bonitati motus. Itẽ lingua quandoque eſt abſoluta, quandoque eſt impedita, vel ex mala cõſuetudine, vel ex mala diſpoſitione. Nam nimis ſpiſſa blæſos reddit, Nimis vero tenuis tituantes, vel ſyncopiantes. Muta vero eſt non ex ſui vitio ſæpe, ſed quoniam homo non audiẽs, nequaquam vſum loquendi didicit, quandoque etiam ſed raro muta fit ex ſui vitio ſcilicet ex radice linguæ & arterijs quæ paralyſi ſoluuntur. Aut ex alio vitio ex corruptione contracto.

De vua & amigdala.

CAPVT LVI.

Conſtant. vbi ſup. Hæc eſt compoſitio linguæ & cæterorum animatorum corporum interiorum. Sequitur de membris interioribus compoſitis ſpiritũ ſubminiſtrantibus ſcilicet de vua, pulmone, diaphragmate, de pectore namque iam diximus, cum de compoſitione ipſius tractauimus. *Vua triplex de cauſa eſt neceſſaria. Primo* quod reddit vocẽ pulchram & fortem. *Secundo,* quia alleuiat aerem introeuntem, eiuſq; temperat frigiditatem. Vnde quidam moriuntur cum eis radicitus euellitur, vel inciditur, non tantũ amittentes ſonoram vocem, ſed nimium recipiẽtes aerem qui pectus infrigidet & pulmonem. Quapropter oportet inſcidẽtem non totam extirpare ſed partẽ. *Tertio* vt recipiat puluerẽ ne guttur intret vel pulmonẽ. *Auicenna vbi ſup.* Vua eſt carnoſa ſubſtantia pẽdens ſuper poſtremam partem epiglottis ſicut velamen, huius iuuamentum eſt gradatio aeris, ne frigore ſuo percutiat pulmonem ſubito, & vt prohibeat puluerem ac fumum, & vt percutiat vocem qua confortetur, & magnificetur, tanquam ipſa ſit porta cuſtodiens ſuper exitum vocis quantitate ſua.

3. Neceſſitas vuæ.

Amigdalæ.

Amigdalæ duæ, ſunt carnes duæ in radice linguę natæ tendentes ad ſuperiora tanquã ſint duę paruæ auriculæ. Sunt autem carnoſæ atque neruoſæ, ſicut duo glãdulæ, vt ſint fortiores, harum iuuamentũ eſt vt adiuuent aerẽ apud caput cannæ, ſicut arca & vt non penitus expellatur aer, cum fit attractio cordis, & animal deficiat.

D

De Gutture.

CAPVT LVII.

Guttur.

Conſtantinus in pantegni tertia parte. Guttur eſt ſpacium meatus anhelitus & cibi. Ex eo ſunt additio quæ eſt vua, & duæ amigdalæ. *Conſtantinus vbi ſup.* Guttur eſt extremitas cannalium pulmonis, cuius duplex eſt iuuamentum, maius & primum vt aerem emittat, & flatus trahat. Secundum propter vocem. Aer enim trahitur vt corpus naturali calore refrigeretur. Expellitur autem vt nos dupliciter opituletur, vel vt fumoſa ſuperfluitas à corde expeliatur, vel vt materia vocis efficiatur, his ergo duabus ex cauſis compoſitis eſt cannalis pulmonis, qui etiam ex multorum fruſtulorum concatenatione ligamentis conſtrictus eſt vt dilatari poſſit & conſtringi, quæ duo attinent voluntario motui, qui nũquam niſi ex concatenatis membris poteſt fieri. Huius ſubſtantia cartilaginoſa eſt & dura vt cum exit ventus, fiat vox clara. *Raucitas enim vocis ex humiditate fit cannalis pulmonis*: huius ſuperior extremitas gulæ vicina quæ guttur appellatur cannalibus omnibus pulmonis durior eſt, & ob hoc ipſa eſt inſtrumentum vocis.

Raucitat vocis vnde?

Fit autem guttur ex tribus cartilaginibus maioribus, primum eſt anterius, gibboſum exterius, concauum interius. Secundum priore maius eſt, & retro ſtomachi locatur, vt ſuppleat quod priori defuit. Tertium vero tanto ſecundo minus, quanto ſecundum priore maius. Secunda cartilago vbi tertiæ coniungitur, ſtrictior eſt fundamento, quod ideo neceſſe fuit, vt fundamentum in pulmone latius eſſet gulari gutture. Tertia vero tantam habet concauitatem ex parte viæ ſpiritus, vt ex harum trium compoſitione cannalis reddatur ſimilis fiſtulæ, per quam poſſit aer ad pulmonem trãſire. Tertia ſecundam quaſi equitat, quæ cypho aſſimilatur, duo habens concaua. Quæ duo ſecundæ intrant fruſtula quaſi concatenata, & hoc, vt hac concatenatione guttur claudatur & aperiatur. In ipſa quoque cartilagine cyphum aſſimilante, eſt os vnum duas furculas habens, per quod collum extenditur.

Tres cartilagines in gutture.

Concauitas gutturis per quam aer intrat, & exit, habet corpuſculum quoddam, quod aſſimilatur linguæ fiſtulæ, cuius nihil in toto corpore reperitur ſimile. Componitur enim glande; pelliculis & pinguedine, vocatur autem gutturis lingua ſiue cataracta, & eſt primũ vocis inſtrumẽtum, quia niſi claudatur impoſſibile eſt vocem eſſe. Nã ſi via gutturis aperta eſt aer paulatim exit, quod formandæ voci contrarium eſt. Sed fit tantum quidam flatus, ſi tenuiter exeat paruus, ſi vero fortiter magnus. Cum autem vox formatur ſubito de corpore multus aer egreditur, cuius via primum à largo venit ad anguſtum, & poſt paulatim egrediens anguſtatur & dilatatur, hæc ergo gutturis cataracta ad conſtringendum flatum fuit neceſſaria, non vt intus ex toto contrahatur, ſed in emiſſione vocis vtrinque conſtringit lateraliter pectus, & cũ coſtis lacertos hipocondris vicinos, aërque licet fortis coarctatur, ne ſubito egrediatur, quod facit lacertus, quo cyphum aſſimilans cartilago conſtringitur. Eſtque rei huius explementum linguæ corpus fiſtulæ aſſimilatum. Per huius linguæ latera natura fecit duo foramina, quæ ad locum concauum ſecedunt, quo non poteſt aer ſubire dum per largitatem vagatur viæ. Sed cum alta ſe dirigit, illa duo foramina aperit, vt poſſit aer exire. *Ex libro de nat. rer.* Guttur ineſt homini tantum & ſuibus, habent tamen & volucres. In gutture voces formantur, in cuius ſuprema parte ad verba articulantur. Guttur eo loco os habet medio perforatum, quo caput collo conĩugitur. Et iſtud os maximè apparet in viris maximè ſubmento. In fœminis autem nunquam vel raro. Guttur cartilaginoſum eſt & habet gradus nodis ſimiles, per quos vox eructans habilitatur, aut articulata poſtmodũ in verba formatur, habet autem vires formandi tonos aut notulas & ſi non verba, habet & ſpirandi vias, recipitque ſpiritus aereos, qui vitalem animam nutriunt.

Compoſitio gutturis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Pulmone.

CAPVT LVIII.

Pulmo.

ISidorus *vbi supra.* Pulmo ex Græco trahit vocabulum. Græci enim pulmonem pleumon vocant, eo quod cordis flabellum sit, in quo pneuma, id est, spiritus inest, per quod & agitantur & mouentur pulmones & palpitant adaperiendo se vt flatum capiant, stringendo vt eijciant. Est enim organum corporis. *Constantinus vbi supra.* Pulmo ex molli carne est aeris spumæ coagulatæ simillimus, multis quasi vasis celatus, hæc vasa triformia sunt, vnum à dextra concauitate cordis incipit, alterum à sinistra, tertium à suis cannalibus prodit. A dextera cõcauitate cordis est vena non pulsatiua quæ tantum propter formam similẽ arteria dicitur, quia de duris & duobus facta est panniculis, vt subtilitatem sugeret aerei sanguinis in nutritiua pulmonis. Pulmo namque naturæ subtilis est & aerei, ideoque nutrimentum debet habere simile. A sinistra cordis exit arteria, cuius forma est sicut vena, quia vna est & rara pellicula, vnde venata vocatur arteria, hæc ideo necessaria fuit, vt spiritum & clarum sanguinem afferret pulmoni, multumque fert spiritus quantitatem propter raritatem. Vas autem veniẽs à pulmonis cannalibus simile est eorum compositionibus, & cum cartilagine sua cum venata iungitur arteria. Vnde vnumquodque trium horum vasorum cum intrat stomachũ sit qua tripartitum, duæ partes eunt dextrorsum, & duæ sinistrorsum. Pulmo namque diuiditur in duo, panniculis mediantibus pectusque intercidentibus. Quatuor superiores partes per pulmonem postea multipliciter diuiduntur.

Duo motus pulmonis.

Pulmonis iuuamentum est, vt vndique cor circundet & cum proprio motu careat, intus pectoris eum vt moueatur adiuuat, est autem instrumentum spiritus & vocis. Spiritus propter cor necessarius est. Cum enim cor fundamentum sit & fons caloris naturalis, necesse est aerem trahi, vnde & feruor eius refrigerari, & fumosa superfluitas possit expelli. Itaque duos motus habet contrarios scilicet dilatandi quo spiritum trahat, refrigerandi atque stringendi, quo fumosas superfluitates expellat. Est ergo pulmo cellulę similitudo seruans semper aerem frig dum ad cordis feruorem refrigerandum, & calidum ad vocem atque flatum. Quod si mediatore careret cor, & per se principaliter aerem traheret & expelleret, spississimũ & in infinitum motum esse oporteret, quod adeo periculosum esset, vt nec vno momento flatus teneretur.

Cor quando refugit ad pulmonem?

Cum autem quodlibet animal in loco calido vel fœtido siue in aqua profunda flatum teneat, cor ad pulmonem refrigerationis causa refugere constat, vnde fit vt quamdiu aer in cella pulmonis est, animal in his locis viuere valeat. Eo vero deficiente & fumosa superfluitate in corde vel pulmone crescente, vitale esse desinat: est iterum pulmo necessarius vt aerem excoquat, & in naturam spiritus trahat. *Ex libro de Anatomia.* Est itaque pulmo membrum in complexione frigidum & humidum, in substantia molle ac tenerum, in forma cauernosum ac spongiosum habens septem pennulas duplici motu mobile. Dilatatur enim & constringitur, quia ministrat aerem cordi attrahendo & cordis calorem mitigando, & cor ipsum depurando superfluas fumositates ab ipso recipiendo & eas expellendo.

De corde.

CAPVT LIX.

Cordis etymon.

ISidorus *vbi supra.* Cor à Græca appellatione deriuatum est, quod illi cardian dicunt, siue à cura. In eo enim omnis solicitudo & scientiæ causa manet. Quod ideo pulmoni vicinius est, vt cum ira accenditur pulmonis humore temperetur, huius duæ arteriæ sunt, de quibus sinistra plus sanguinis habet, dextera plus spirituum vnde & in dextro brachio pulsum inspicimus. *Constantinus vbi supra.* Cor fit ex villis diuersè positis, cuius caro tota est dura. Diuersitas villorum est ex diuersitate motuum dilatandi scilicet & constringendi. Durities autem carnis vt velocius auferatur passibilitas. Pulmo circundat cor lateraliter. Forma vero cordis pinea est. Inferior eius pars, id est latitudo superiori corpori opponitur, & inter ambas pectoris medietates ponitur, quas mediante panniculo diximus esse diuisas. Caput autem quod acumen dicitur, in sinistra parte locatur. Et hoc latus cordis inhabitat spiritus vitalis. Inde exit arteria maior de qua omnes egrediuntur aliæ, vnde fit vt pulsus in sinistra parte fortissimus sit.

Cor autem duas habet concauitates, quarum sinistra in acumen tendit, dextra vero infra subsistit, à dextra vsque in sinistram est vnum foramen. Dextra tamen habet duo foramina, quorum vnum intrat vena concaua, portans ab hepate sanguinem in eandem concauitatem. Supra hoc foramen tres panniculi sunt ad hoc ibi positi, vt intraturo sanguini aperiant & postquam intrauerit claudant, ne exeat propter dilatationem cordis, alterum vero foramen exit vena arteriæ similis, vt pulmonem nutriat, de qua iam diximus in tractatu pulmonis. Sinistra itidem duplex habet foramen, quorum vnũ arteria venæ simillima intrat, quæ spiritum à pulmone portat, & sanguinem à corde ad pulmonem portat. Super hoc quoque foramen sunt duo panniculi aperientes se aeri ad cor ingredienti. Alterum vero foramen est sinistræ partis vnde maior arteria exit quæ vocatur orithi, & omnium arteriarum totius corporis fons existit: hæc habet tres panniculos, qui aperiuntur sanguinem & spiritum emittendo à corde, postea clauduntur reditum prohibendo: hæ duæ cordis concauitates semper in pulsu sunt, sed tamen plus sinistra, quia sanguis & spiritus plus ibi regnat, vnde dignior est quam dextra.

Duæ concauitates cordis.

Duæ auriculæ cordis.

In vnoquoque autem cordis concauo fructulum est exterius quod auriculæ assimilatur, *vnde duæ cordis auriculæ* nominantur. In quarum dextra solidatur arterialis vena, & in sinistra venosa arteria, habetque in sua latitudine quędam esse cartilaginosa, quæ sedes cordis sunt appellata. Circumit etiam cor panniculus quidam qui casula cordis etiam dicitur. In cuius medio extrinsecus panniculi pectus mediantes solidantur: hic cordi necessarius fuit, vt esset fundamentum caloris naturalis, vnde regeretur vita animalis.

Adhuc de eodem.

CAPVT LX.

Sine calore cordis membra congelantur.

RAzi *vbi supra.* Cor itaque fecit Deus vt esset fons & origo caloris naturalis, & vt ab eo totum corpus per arterias quæ ab ipsa procedunt ad omnia membra calefieret, vnde si membrum aliquod arterias ad se venientes amiserit congelatur, & motus eius ac sensus prius indurantur, deinde quasi mortuum redditur. Musculi enim ac nerui necnon & ipsum cerebrum vt in sua natura conseruentur, & actiones suas perficiant, quadam mensura caloris indigent, & ob hoc eis arteriæ transmittuntur. Itaque quod animal habet supra vegetabilia primum iuuamentum est quod à corde contrahit. Secundũ vero quod à cerebro recipit per quod est perfectio, & ad quod prona fuit actoris tota voluntas & intentio, iuuamen autem quod recipit ab hepate cum vegetabilibus est commune. Non enim ab eo recipit nisi nutrimentum & augmentum. Quia vero cordi vt in sua natura conseruaretur, aeris frigidioris necessaria fuit attractio, & aeris concauitatibus suis nimis calefacti expulsio, facta sunt ei instrumenta aerem attrahendi, pectus scilicet & pulmo. Inter ipsa quoque & cor, concauitates & foramina posita sunt, per quæ transire possit aer attractus, sicut postea dicemus. *Cordis caput tornatile & acutum inferius tendit, radix eius superius est.* Habet autem cor casulam quæ ex spisso panniculo constat ipsum circundante, nec totaliter ei continuatur, sed prope radicem suam tantum. Cor in medietate pectoris positum est, sed eius caput tornatile parum ad sinistram declinat, à qua magna arteria scilicet orithi exoritur. Vnde

Situs cordis.

& pul-

& pulſus in ſiniſtra parte magis apparet, habet etiam cor iuxta originem vel radicem ſuam quoddam ſimile cartilagini, quod eſt quaſi baſis totius corporis cordis. Habet prꝛterea duos magnos ventriculos, vnum in latere dextro,& alium in ſiniſtro,& inter eos quꝛdam foramina: horum dexter habet orificia duo per quorum vnum venæ quæ ab hepate oriuntur intrãt,& per quod ſanguis ad dextrum cordis vẽtriculum tranſit. Per aliud vero tranſit vena,quæ ab hoc ventriculo pulmoni continuatur. Siniſter quoque vẽtriculus habet orificia duo, quorum vnum eſt os arteriæ magnæ, à qua totius corporis arteriæ oriuntur. Aliud vero eſt os venæ quæ ad pulmonem tendit,per quod aer à pulmone ad cor tranſmittitur, habet inſuper duo additamenta auriculis ſimilia,dextrum ſcilicet & ſiniſtrum. Pulmo quoque eis adiunctus eſt, vt ipſum cuſtodiat, & ab offium pectoris percuſſione defendat.

Ariſt. vbi ſupra. Cum in cꝛteris animalibus poſitum ſit cor in medio pectoris, in homine declinat ad ſiniſtrã vt eam temperet, quia frigidior eſt in homine quam in alijs. *Ex lib. de nat. rerum.* Cor eſt lucerna corporis,vt dicit philoſophus, vnde & in medio collocatur, & eius virtus ad omnia membra extenditur. Eſt enim fons & principium ſanguinis,nec eſt aliud membrum in quo ſit ſanguis multus qui maneat fixus. Ipſum eſt principium motuum rerum delectabilium, & cum eo duo ſenſus continui ſunt, tactus ſcilicet & guſtus, reſidui vero ſunt in capite. Eſt autem cor hominis magnum ſecundum quantitatem corporis. Quæ autem eſt poſitio fornacis ad ignem,eadem eſt cordis ad calorem. Itaque ſicut fornacis ſic & cordis oportet ex duris & compactis & non liquabilibus eſſe compoſitionem, quoniam aliter ſtare non poſſet propter caloris ſui multitudinem. Vnde & confortatur maximè apud ſui diſſolutionem ac remollitionem ex ſubſtantijs duris atque lapideis, vt ſunt corallij, margaritæ, hyacinthi & ſapphyri tanquam ſimile à ſuo ſimili. Cor ſicut & cætera interiora membra corrumpi quidem vel infirmari poſſet, ſi tamdiu vita in corpore maneret, ſed ideo non corrumpitur, quia non expectat tempus vt corrumpatur. Sed imminente corruptione,nec dum vſque ad cor perueniente, mors eam prꝛuenit,& cor à læſura eripit.

Duo ſenſus continuo cũ corde.

Iterum de eodem.

CAPVT LXI.

Auicenna vbi ſupra. Cor creatum eſt ex carne forti, vt ſit à nocumentis longinquum in quo contextæ ſunt ſpecies villorum fortium vehementis diuerſitatis lõgitudinalium attractiuorum,& latitudinalium expulſiuorum & tranſuerſorum retentiuorum, vt ſint ei ſpecies motuum. Ex ipſo eſt,origo arteriarum, & ſuſpenſio lacertorum. Et ob hoc dilatatum eſt vt ſit in origine ſufficientia cum eo quod oritur. Hæc autem pars eius altior poſita eſt, vt longe ſit ab appodiatione ſuper oſſa pectoris ne lędat eam tactus illorum. Altera vero eius extremitas ſubtiliata eſt, ſicut illud quod aggregatum eſt ad punctum vnum,vt ſit illud quod offium tactu paratum eſt lædi,eſtque minor partium eius. Ob hoc etiã facta eſt dura non ſuperfluè,propter illam obuiationem ne lædatur ab illa. Itaque gradata eſt figura ad pineam, vt ingenioſa fabricatio inferior & ſuperior bona ſit, & non ſit in ea ſuperfluitas: poſitum eſt autem in panniculo ſolido valde ac ſpiſſo,vt ſit ei clypeus ac tutamen. Separatumque eſt corpus eius ab hoc panniculo cũ quantitate quadam,niſi apud radicem eius,& vbi oriũtur arteriæ. Et hoc vt in ipſo dilatetur abſque præfocatione, Apud radicem vero eius eſt membrum quaſi fundamẽtum ſimile cartilagini paruum, vt ſit baſis firma & fixa. Sunt autem in eo tres vẽtres,duo ſcilicet magni, tertius vero medius,quẽ Gal. vocat *foueam aut meatum*,non ventrem,vt ſit ei receptaculum nutrimenti, quo nutriatur ſpiſſum,ac forte ſimile ſubſtantiæ illius, & minera ſpiritus in ipſo generati à ſanguine ſubtili. Inter ambos etiã viæ ſunt,quæ dilatantur in ipſo cũ dilatatur cor,& coarctantur apud longitudinem eius: baſis quidem ventris ſiniſtri altior eſt quam dextri. Et baſis quidem ventris dextri deſcendit multum. Origo arteriarum eſt ex ventre ſiniſtro, qui eſt vnus duorum ventrium pectoris. Dexter enim hepati propinquior eſt,propter hæc oportet,quod occupatus ſit in attractione nutrimenti & adminiſtratione eius. Et quia dexter cordis venter comprehendit craſſum & graue,ſiniſter autem ſubtile ac leue,temperata ſunt ambo latera.

Origo arteriarum à corde.

Foucа.

Cor quidem nutritur cum virtutibus ſuis naturalibus cum dilatatione, quare attrahitur ſanguis ad interiora, ſicut & aer. Poſitum eſt autem in medio pectoris, quia temperantior locus eſt,ſed parum declinat ad ſiniſtram, vt elongetur ab hepate,& hepar habet locum amplum, ne aggregetur totus calor in parte vna,& vt temperetur latus ſiniſtrum, cum ſplen ipſe ſit non calidus valde, & vt minus comprimat venam concauam venientem ad ipſum prꝛparando ei quendam locum. *Ex libro de Anatomia.* Eſt itaque cor membrum in complexione calidum & ſiccum, in ſubſtantia ſolidum, in forma pineatum,inferius acutum, ſuperius latum, interius concauum,duas habens auriculas,cafula quadam ad defenſionem ſui contentum,duplici motu mobile per dilatationem & conſtrictionem, vt per eius motum corpus calefiat, & ſpiritu vitali mediante viuat. Cor enim dilatatur, vt ad infrigidationem & mitigationem innati caloris aeris calorem attrahat. Conſtringitur autem vt fumoſam ſuperfluitatem per ebullitionem ſanguinis in eo generatam expellat.

Cur cor vergit ad ſiniſtram?

Qualiter à corde procedunt arteriæ.

CAPVT LXII.

VEna enim concaua in gibbo, id eſt, dorſo hepatis orta per medium diaphragmatis, id eſt, pelliculæ cuiuſdam,ſic dictæ, quia nutritiua ſeparat à ſpiritalibus, tendit ad ſpiritalia deportans ſanguinem ad nutrimentum ſuperiorum,quæ antequã ad cor perueniat, in duos ramos diuiditur,quorum vnus in dextram cordis ſubintrat auriculam, deportans ſanguinem ad nutrimentum cordis ad vitalis ſpiritus generationem, Iſta pars venæ concauæ de cordis ſubſtantia ſecundam ſibi tunicam aſſumit,& dicitur aorta *, quoniam ex ea oriuntur arteriæ, & ſic efficitur arteria,ſed per ſiniſtrã cordis exit auriculam. Adorta namque in arterias tres diuiditur. Quarum vna,quæ parua eſt, ad ſiniſtrum humerum directè tendit,& inde per brachium ad ſiniſtram manũ tranſit, vnde quia modicus & directus eſt illius tranſitus, pulſus in ſiniſtro brachio eſt certiſſimus. Aliarum autem duarum,quæ magnæ ſunt, vna per pulmonem tendit ad humerum dextrum, & inde per brachium ad dextram manum,ideoque pulſus incertus eſt propter amfractum curſus. Reliqua vero in multos ramos diuiditur, quorum quidam inferius ad membra genitalia tendunt, & ad coxas & tibias, ibique pulſum faciunt. Alij dirigũtur ad pulmonem portantes ſanguinem, ac ſpiritum vitalem ad cannales,fiſtulas pulmonis,qui exeuntes à pulmone in vnum collecti tracheam arteriam conſtituunt, per quas aeris inſpiratio fit & expiratio. Prꝛterea ramus ille qui à concaua vena exoritur,antequam perueniat ad cor,in plures ramos diuiditur à dextris & à ſiniſtris, qui per collum aſcendentes, & tempora in cerebro collecti rete arteriarum illi conſtituunt, ibique ſpiritus vitalis exit ab arterijs, & ex eo atque aere inſpirato fit ſpiritus animalis in cerebro. *Razi vbi ſup.* Arterię omnes à corde procedentes ab eius ſiniſtra concauitate oriuntur. Arteriarũ vero tunicæ craſſiores ſunt & duriores venarum tunicis,quoniam arteriæ mouentur aſſidue quamdiu viuit homo,ex quo motu ſi contingeret eas rumpi, maius ſequeretur incommodum quam ex ruptura venarum.

* *Anatomici vocant aortam cõmuniter.*

De ſignis diſpoſitionum cordis, & de pulſu.

CAPVT LXIII.

Auicenna vbi ſupra. Ea vero quibus ſignificantur diſpoſitiones cordis ſunt octo. Pulſus ſcilicet & anhelitus

Octo ſigna diſpoſitionũ cordis.

anhelitus & creatura pectoris, & ea quæ nascuntur super pectus,& tactus corporis, & quod accidit in ipso,& mores,& virtus corporis,& debilitas eius, & meditationes. *Pulsus.* Pulsus quidem quia velocitas eius & magnitudo atque frequentia significant caliditatem ipsius, & horum contraria frigiditatem,durities siccitatem, fortitudo æqualitatem,& ordinatio sanitatem, & horum contraria ægritudinem. Anhelitus magnus & velox frequens & calidis signat cordis caliditatem, & horum contraria frigiditatem. *Pectus.* Et pectus amplum latum,si non est propter multitudinem cerebri,quam significat capitis magnitudo faciens multitudinem cerebri, facientem magnitudinem nuchæ,facientem magnitudinem spondilium, facientem magnitudinem costarum ortarum ex eis,immo est illic paruitas capitis, aut eius meditatio, & fortitudo pulsus significat caliditatem ipsius. Et contrarium illius, si non facit ipsum paruitas capitis significat frigiditatem eius. *Pili super pectus.* Pili super pectus orti propriè illi qui crispi sunt caliditatem cordis significant,nuditas autem pectoris frigiditatem significat, propter priuationem agentis fumum, aut siccitatem, propter priuationem materiæ fumi. *Calor corporis.* Caliditas totius corporis significat caliditatem cordis, si non resistunt splen & hepar frigida. Similiter & econtrario frigiditas corporis significat frigiditatem eius si non resistit hepar. Et lenitas eius significat humiditatem eius,si non resistit hepar,& econtrario.Similiter febres putridæ cum sanitate hepatis, significant caliditatem & humiditatem cordis. *Febres. Ira.* *Ex moribus autem ira natura'is & audacia* & leuitas motuum significat cordis caliditatẽ,& ecõtrario,fortitudo corporis significat fortitudinem cordis, & econtrario, si non fuerit nocumentum in cerebro & neruis. *Fortitudo corporis.* *Item fortitudo corporis* significat æqualitatem naturalis complexionis cordis, quoniam essentia carnis innati & sanguinis & spiritus vitalis plurima est in ipso non inflammata & fumosa, sed splendida & pura. *Meditationes iucunda.* *Item meditationes* quæ ad gaudium declinant, vel spem, fortitudinem & æqualitatem cordis significant, quæ in eius caliditate & humiditate sentiuntur, decliues ad timorem & tristitiam significant cordis frigiditatem & siccitatem. Tremor autem autem cordis sequitur omnes species debilitatis ipsius & malitiæ complexionis, nec significat rem puram in ipso. Quandoque plurimum tremoris cordis est propter fortitudinem sensus eius, ita quod accidit ex qualibet meditatione aut vapore, aut alijs similibus quæ ad ipsum perueniunt. Cor quidem non tolerat nocumentum,sicut cætera membra. Et quando peruenit ad ipsum purus calor,aut purum frigus moritur homo. *Ex libro pulsuum à voce phylacterij.* Pulchra est, motio cordis & arteriarum quæ secundum diastolem & systolem fit ad infrigidationem innati caloris,ad egestionem fumosarum superfluitatum. *Pulsus.* Tria sunt efficientia pulsum,scilicet virtus faciens motionem, vtilitas inducens, & instrumentum obediens. *Isidorus vbi supra.* Pulsus vocatus est, eo quod palpitet, cuius iudicio aut infirmitatem intelligimus,aut salutem. Huius duplex est motus, simplex qui ex vno saltu constat. Compositus qui ex pluribus motibus inordinatus & inæqualis existit. Qui motus certa habent spacia, vt dactylicum percussum, quamdiu sine vitio sunt. Si quando vero citatiores sunt, vt dorcadazontes, aut leuiores vt myrmizontes mortis signa sunt.

De diaphragmate.

CAPVT LXIIII.

Diaphragma. *Constantinus vbi supra.* Diaphragma est quidam lacertus rotundus inter duo concaua maiora diuidens,quæ sunt subtus collum,quorum vnum circundat omnia pectoris,continens cor & pulmonem. Alterum incipit ab inferiori teneritudine pectoris vsque ad interiora ossa penis,& continet omnes lacertos ventris stomachum & intestina,hepar, splen, renes, fel,vesicam & matricem. Diaphragma ergo incipiens à teneritudine pectoris protenditur vtrinque vsque ad duodecimam spondilem, vbi solidatur ex omni parte cum cordosis ligamentis ab ipso exeuntibus. Habent autem duo foramina, quorum vnum iunctum est spondili, vnde exit meri. De altero vero exit concaua vena quæ spargitur in corporis superiora. Diaphragmatis duo iuuamenta sunt, dilatat enim pectus & constringit cum alijs lacertis pectoris, & insuper instrumenta cibi ac spiritus differre facit. *Razi vbi supra.* Concauitas siquidem totius ventris quæ à furculis vsque ad duo ancharum ossa reperitur, in duas magnas partes diuiditur, quarum vna quæ superius est continet cor & pulmonem, Alia vero quæ inferius est stomachum, intestina, & hepar, splenem,fel,& renes, & vesicam, & matricem. Has autem concauitates Diaphragma separat, quod à capite teneritatis pectoris incipit, & obliquè inferius ad vtrumque latus tendit donec duodecimæ spondili continetur, separãs ea quæ supra ipsum sunt, ab his quæ sub ipso sunt. Superior quoque concauitas in duas iterum partes separatur, quas alius panniculus Diaphragmati similis distinguit, per medium earum tendens quousque costarum spondilibus continuetur. Tota vero superior concauitas pectus vocatur, cuius superior terminus furculæ sunt,inferior vero Diaphragma ventrem diuidens in latitudine,& hæc quam diximus est pectoris figura. *Pectoris etymon.* *Isidorus vbi supra.* Pectus vocatum est, eo quod sit pexum inter eminentes mammillarum partes, vnde & pecten dicitur,quod pexos capillos faciat.

De Instrumentis vocis.

CAPVT LXV.

Instrumenta vocis. *Avctor.* Instrumenta vocis sunt lingua, dentes labia, palatum, vua, trachea arteria, siue canna, & epiglottis & guttur, de quibus ex magna iam parte superius dictum est. *Isidorus vbi supra.* Palatum à polo per deriuationem dicitur, eo quòd pro sui concauitate cæli similitudinem habeat. Fauces à fundendis vocibus nominatæ sunt,vel quod per eas famur voces. *Trachea arteria.* Arteriæ vocatæ sunt siue quod per eas à pulmone aer, hoc est spiritus fertur, seu quod arctis & angustis meatibus spiritum vitalem retineant. Vnde vocis sonos emittant, qui soni vno modo sonarent, nisi linguæ motus distantias vocis efficeret. *Ex libro de Anatomia.* Trachea arteria est membrum frigidum & siccum cartilaginosum, à pulmone inchoatum, & ad radicem linguæ terminatum, via aeris inspirati & expirati.

Canna. *Ex libro de natura rerum.* Canna est instrumentum, per quod attrahitur spiritus & emittitur, hæc à radice linguæ vsque ad pulmonem ducitur, habens operimentum in parte superiori, vt non cadat in eo quicquam de cibo. Hæc inferius in duos ramos diuiditur,& magis hoc apparet in volatilibus, & hæ quidem strictæ sunt supra, amplæ vero infra, sicut vocibus competit & inspirationi. *Epiglottis.* Epiglottis autem dicitur ipsum instrumentum in modum vuulæ, quod est prope radicem linguæ, duo cooperiens instrumenta, scilicet alternatim quidem isophagum, vnde cibi vel potus nutrimentum sumimus, & cannam per quam spiritum haurimus. Nam vtrumque simul operire non potest, quia cum isophagum claudit, canna aperta est,& econuerso.

Ex libro de Anatomia. Epiglottis interpretatur super ingluuies, hoc enim membrum est quasi operculum, quod ingrediente cibo per isophagum claudit tracheam arteriam. Econuerso autem in loquendo trachea arteria aperitur, & isophagus clauditur. Vnde plerumque contingit, dum aliquis loquitur, & cibus in ore tenetur, quod aliqua cibi pars in tracheam arteriam descendit, & opilationem & angustiam facit, donec expellatur per tussim, vel per ictum inter scapulas impressum. *Vua.* Vua siue vuula rubea est & rotunda,

sic di-

sic dicta, quia ad modum vuæ dependens à palato. Deseruit autem membris animatis à phlegmate ea depurando. Spiritalibus quoque phlegma retinendo, ne ad spiritalia fluat, ac suffocationem inducat, & etiam retinendo ac depurando aerem attractum per nares. Habet autem vuæ foramen colligãtiam cum naribus, quod patet in ioculatoribus, qui filum per nares attrahunt, & per palatum extrahunt. *Ex libro de natura rerum.* Vuulam physici folium appellant. Hæc (vt ait Aristoteles) est ad vocem conueniens, dummodo quantitatem debitam non excedat: quandoque vero tumet & suffocat animal.

A

De instrumentis cibi.

B

CAPVT LXVI.

Constantinus vbi supra. Sequitur de instrumentis ciborum. Instrumenta quoque cibi ab ore incipiunt. Os enim habet instrumenta multa ibi coadunata, Dentes scilicet & pelliculas vnde operitur bucca, palatum, & linguam, & inferiorem eius partem guttur, & vuam, cannales pulmonis & meri, id est, os stomachi. *Ex libro de Anatomia.* Os itaque simile est molendino, dentes autem molæ, lingua vero manui molendinarij. *Auctor.* De his omnibus fere iam superius dictum est. Ad hæc enim etiam pertinent membra nutritiua quibus hæc ipsa deseruiunt cibum præparando, & eis transmittendo scilicet stomachus, hepar, intestina &c. *Razi vbi supra.* Nulla siquidem vt fuerunt remanent, nisi vel quia nihil ex eis dissoluitur, sicut hyacinthus & aurum & vitrum, vel quod dissolutum est in eis restauratur, sicut aqua maris. Animalium ergo corpora, quoniam ex eis quæ dissoluuntur composita sunt, augmentari vel in suo statu permanere non possent absq; nutrimenti beneficio, sed quia nutrientia non sunt vnius speciei cum dissolutis in corpore, membrum esse oportuit quod hęc in dissolutorum similitudinem permutaret. Verum nec ipsa nutrientia totaliter conuertuntur, sed quædam eorum pars conuertitur & assimilatur, pars autem alia tanquam humor superfluus remanet, quæ si in corpore remaneret, grauium ægritudinum materias generaret, eius expulsioni sunt præparata instrumenta apta vt cannales.

C

Tria genera superfluitatum.

Sicut autem nutritionis operatio perficitur in tribus locis, ita superfluitatum genera tria sunt. Vna est superfluitas primæ digestionis, quæ scilicet in stomacho fit & in intestinis, & vocatur egestio. Alia secundæ digestionis, quæ perficitur in hepate, vbi generatur sanguis, & ipsa est cholera rubea, & nigra, & vrina. Quæ scilicet tria à sanguine separata habent propria receptacula à quibus recipiuntur, sicut fel, choleram rubeam, Splen vero melancholiam, & renes vrinam suscipiunt. Alia quoque scilicet tertiæ digestionis, quæ fit in omnibus membris, cum ille sanguis assimilatur, qui vnicuique illorum diuiditur, hæc est sudor crassus, & quicquid ex superfluitatibus à membris exeuntibus ei assimilatur, vt muscilagines, & lippitudines, & his similia.

D

Duo orificia stomachi.

Ex libro de Anatomia. Stomachus quidem habet orificia duo scilicet vnum neruosum superius versus cor, vt à corde calorem aliquem accipiat. Aliud vero carnosum, vt carnositatis etiam calor ad digestionem operetur, & hoc inferius vergens versus hepar. Hepar enim stomacho supponitur, vt ignis lebeti, vnde stomachus multum habet calorem accidentalem. Cibi ergo in stomacho per virtutem ipsius digestiuam coagente calore accidentali digeruntur, & in quandam albam massam transmutantur, quæ massa ptisanaria dicitur, à qua succositas ad hepar per venam meseraicam ad secundam digestionem faciendam transmittitur. Massa vero ptisanaria celebrata prima digestione per portonarium, id est, inferius orificium stomachi descendit in duodenum intestinum, scilicet rectum & gracile, sic

E

Massa ptisanaria.

dictum, quia longitudinem habet duodecim digitorum illius cuius est intestinum. Ab illo vero transit in ieiunum, quod est tortuosum & gracile, sic dictum, quia semper in animali mortuo reperitur vacuum, ibique fit iterum separatio puri ab impuro. Et quod puri est ad hepar per quasdam venas ab intestinis illic directis attrahitur. Quod autem impurum est, transit ad orbum siue saccum siue monoculum intestinum, scilicet crassum sit dictum, eo quod vnicum habet oculum. Ab orbo vero transit in ilion quasi confusum, & ab ilio in colon, quod crassum est & tortuosum à colando sic. dictũ. A colo autem in elongationem, quæ crassa est & directa. Inde vero in secessum emittitur.

De dentibus.

CAPVT LXVII.

Præcisores. *Isidorus vbi supra.* Dentes Græci odentes vocant, & inde in Latinum trahere nomen videntur. Horum primi præscissores dicuntur, quia omne quod accipitur ipsi prius inscidunt. *Canini.* Sequentes canini vocantur, quorum duo in dextra maxilla & duo in sinistra sunt, & dicuntur canini, quia ad similitudinem caninorum existunt, vt & canes ossa ex ipsis frangunt, sic & homo, vt quod non possunt priores præscindere, illis tradunt vt confringant. *Molares.* Hos vulgus præ longitudine & rotunditate columellos appellat: vltimi sunt molares, qui conscisa à prioribus atque confracta subigunt & molunt atque immassant. Dentium autem numerum discernit qualitas sexus, nam in viris plures, in fœminis pauciores existunt.

Gingiua. Gingiuæ & à gignendis dentibus nominatæ sunt, factæ sunt etiam ad decorem dentium ne nudi horrori potius quam ornamento existerent. *Ex epistola Hippocratis de Anatomia.* Quoniam autem dentes organa quodammodo linguæ sunt, infans tamen cum nondum habet dentes, vagit, dum vero duos vel tres habuerit, mutitat. *Dentes non sunt ossa.* Si autem os dentibus impleuerit, loquitur. Dentes quidem ossa non sunt, nec medullam habent. Ideoque non vt ossa confringuntur, sed assiduus humor capitis eos vitiat, sicut & assiduus liquor ab alto maximè veniens perforat. Habent autem viri dentes 32. mulieres vero 30. De quibus ait Apollonius. Gemini dentes vsque ad caninos radices habent, singulas, molares vero ternas vel quaternas.

Contra morsum viperæ. *Ex quodam sermone beati Bernardi.* Dentes candidi sunt & fortes, carnem non habent, corio carent, nihil intra se morari patiuntur, & clausi sunt labijs ne videantur. Indecens enim est si appareant, nisi forte interdum ad risum, nec est dolor super dolorem eorum, per ordinem positi sunt & cum inferiores moueantur superiores nũquam: toti corpori cibum masticant & nullum inde saporem habent. *Aristot. vbi supra.* Dentes eijcit homo sed anteriores tantum, & non molares. Dentes autem qui oriuntur intra gingiuam, non oriuntur in viris & mulieribus, nisi post 20. annos, & forsitan in quibusdam mulieribus post annos 80. Eorumque origo est cum magno dolore, maximè quando oriuntur intempestiuè. *Vtilitas dentium.* *Ex libro de natura rerum.* Dentes in homine sunt vtiles ad digerendum cibum. Ore namque receptum comminuunt, & ad interiora transmittunt. Dentes pro nimia soliditate fundati, vt dicit Plinius, nõ possunt cum reliquo corpore comburi, sed ab igne permanent illæsi, qui tamen inuicti ab igne, consumuntur tabe. Colores dentium sunt sicut colores ossium, quod patet Æthyopibus. *Razi vbi supra.* Dentium raritas atque debilitas totius corporis imbecillatem vitæque breuitatem significat. Dentes autem canini si longi fuerint ac firmi gulositatem indicant ac malitiam. *Auicenna in secundo can.* Dentes hominis triti vel adusti & puluerizati valent super morsum viperæ.

De

De ore ſtomachi.

CAPVT LXVIII.

Meri.

Conſtantinus vbi ſupra. Meri, id eſt, os ſtomachi eſt corpuſculum quoddam longum rotundum & cõcauum, quod à ſtomacho incipiens progreditur vſque ad ſuperiorem gutturis extremitatem, huius exordium eſt anguſtum, ſed poſtea paulatim dilatatum ad gutturis ſummitatem veniens fit latum. Supra dorſi vero ſpondiles protenditur, vbi multis ligamentis ligatur, non tamen ſpondilibus medijs adhærens, ſed magis à dextris vergens vſque ad duodecimam ſpondilem deſcendit. Componitur autem ex panniculis duobus à ſtomachi pelliculis egredientibus, horum vnus exterior eſt carnoſus, cuius villi per latum extenduntur. Alius interior ac neruoſus, cuius pili in longum protenduntur, pauci vero obliquãtur. Officium meri eſt tranſglutire, ab ore namque cibum trahit, & in ſtomachum traijcit. *Compoſitio meri.* *Auicenna in 3. can.* Meri compoſitum eſt ex carne & tunicis pannicularibus planis villos longitudinales habentibus, vt per eos in deglutitione facilis fiat attractio. Nam attractio non perficitur niſi in villis longitudinalibus cum contrahuntur, expulſio vero non niſi latitudinalibus. Itaque regit ipſum exterius panniculus villos latitudinales habens, vt per eos facilis fiat expulſio ad id quod ſubtus eſt. Fit ergo deglutitio per meri cum virtute attractiua cibum attrahente cum villis longitudinalibus. Quos adiuuant latitudinales quia retinent illud quod deglutitur, & exprimunt ad inferiora: vomitus etiam per meri completur, ſed difficilius, quia motus eius non eſt ſecundum curſum naturalem nec completur eius operatio, niſi per tunicam velatiuam exprimentem tantum. Deglutitio vero fit ſecundum naturæ motum cum adiutorio duarum tunicarum, quarum vna longitudinales habet villos. Alia vero latitudinales quæ eſt operiens illam. Locus meri eſt ſuper ſpondiles quæ ſunt in collo ſecundum rectitudinem in cuſtodia & tutela, & deſcendit cum eo par neruorum ex cerebro ſecundum gradationem ſecurando ipſum à nocumento. *Ex libro de natura rerum.* Iſophagus (vt dicit Ariſtoteles) eſt os ſtomachi, quod applicatur cum canna mediante tela, quæ illum continet, ſequiturque linguæ radicem, & vadit ad parietem interius, & inde ad ventrem. Per hunc ergo recipit homo cibum & potum, qui deducuntur ad ſtomachum, vt ibi decoquantur & ad inteſtina tranſmittantur.

De ſtomacho.

CAPVT LXIX.

Stomachus villoſus.

Iſidorus vbi ſupra. Stomachus Græcè os vocatur, eo quod oſtium ventris ſit, & ipſe cibum excipiat, & ad inteſtina tranſmittat. *Ex lib. de nat. rer.* Stomachus ergo mediante iſophago cibos crudos recipit, & decoctos in meliore digeſtione deducit: habet autem villos in modum lanæ breuioris intrinſecus, vt horum caloribus cibi recepti foueantur ac digerantur. Et etiam ſi abſque villis eſſet ſtomachus cibi eo raſo pluſquã neceſſe eſſet citius laberentur. *Conſtant. vbi ſupra.* Stomachus & ſi locatus ſit ad ſiniſtram, inferiora tamen eius tendunt in dextram, hic habet hepar dextrum, quod cum ſuis quinque fruſtulis ipſum branchat ſtomachum. Splen eſt ei ſiniſter, ſubterius lacerti dorſi, & ſuperius zirbum, huius forma quaſi ſphærica eſt, eius tamen extrema ſunt aliquantulum longa, & inferiora ſuperioribus ſunt latiora, foramen autem latitudinis eius verſus inteſtina videtur ſtringi, foramen vero ſtrictæ partis in meri dilatatur. Componitur & ipſe ex duobus panniculis, quorum interior neruoſus eſt, pilos habens in longum & in tranſuerſum exterior autẽ carnoſus, pilos habens per latum, ligatur autem lateraliter cum pelliculis ſplenis & hepatis. Ex parte vero dorſi cum ſpondilibus. Iuuamentum eius eſt vt excoquat cibum, & hepati mittat excoctum, vt facilius hepar illum in naturam ſanguinis vertat. Sic in opus ſtomachi bucca cibum inconſumptum apparat: hanc ſtomachi excoctionem medici vocant primam digeſtionem. Duorum panniculorum duplex eſt iuuamẽtum. Vnus à meri cibum ſibi contrahit, interior ſcilicet per longum villatus. Secundus vero cibum retinet. Qui cum ad ſtomachum peruenit, ab ipſo quaſi branchatur, quoad digerenda digerantur, & retinenda retineantur. Expellenda vero ad inteſtina emittuntur, vnde ſuperiora ſtringuntur, inferiora vero dilatantur inteſtino ſe aperiẽte, quod porta vocatur, hoc itaq; ſtringere facit exterior panniculus, in quo villũ latum habetur: omne namque membrum duobus panniculis conſtans, ſi vilium per longum habuerit, inde ſuſcipienda ſuſcipit. Si vero per latum, inde reijciẽda reijcit. Panniculus interior neruoſus eſt propter ſenſus ſui fortitudinem. Oportuit enim ſtomachum digniorem habere ſenſum, vt & digeſtionis vacuitatem ſentiret, & vnde rurſus expleretur expeteret, plurimus tamẽ ſenſus in ore ſtomachi habetur, quia fames eo ſentitur, ideo vtrunque oportuit eſſe neruoſum. Deſcendunt autem duo maiores nerui à ſummitate cerebri per os ſtomachi, ipſumque ſtomachum ſpargẽdi, exterior vero pãniculus ideo carnoſus eſt, vt ſtomachus calefiat & digerere valeat. Natura namq; carnoſa calida eſt & humida. Quod autem in ſiniſtra parte ſtomachus aptatur, inde hepati locus herilis apparatur, qui maioris quantitatis eſt quam ſplen. Hepar ergo in dextra, Splen vero locatur in ſiniſtra. Lacerti dorſi eius inferius zirbũque ſuperius, vt melius calefieret ad digerẽdum ſtomachus. Ligatur autẽ vndique, ne motus eius nimius ipſum à loco ſuo valeat extirpare. Rotundus, vt paſſibilitatem reijciat, & multam cibi quantitatem recipiat. In humano tantum ſtomacho eſt latitudo inferior, & anguſtia ſuperior, quia cum homo præ cæteris animalibus erecti corporis ſit, cibum ſemper in inferiora ſuſcipit, latitudo vero ſuperioris foraminis appoſita eſt meri, vt ſi forte tranſglutiatur res aliqua dura vel craſſa valeat ingredi. Inferius autem foramen anguſtatur, quia cibus in ſtomacho nimia excoctione ſubtiliatus facilius egreditur, & rurſus ne cibus exeat antequam excoquatur, vnde oportet vt ſemper claudatur. *De libro Anatomiæ.* Eſt itaque ſtomachus membrum frigidum & ſiccum propter retentionem faciendam, rotundum autem ne lateat in eo ſuperfluitas præſtitura læſionem. Aliquantulum oblongum, vt diſtendatur ſecundum quãtitatem ciborum inſertorum. Villoſum etiam, vt inter villos cibi retineãtur, habet autem orificia duo. Vnum neruoſum, vt per ſenſualitatem neruorum ſuam ſentiat inanitionem, quia neruus omnis eſt ſenſibilis. Aliud carnoſum, vt eius carnoſitatis calor digeſtionem operetur. Primum vergit ſuperius verſus cor, vt à corde calorem aliquem recipiat. Secundus inferius verſus hepar. Hepar enim ſupponitur ei ſicut ignis lebeti, vnde ſtomachus multum habet calorem accidentalem, qui naturaliter cooperatur in digeſtione ciborum.

Prima digeſtio.

Locus ſtomachi, hepatis, ſplenis.

Tẽperamentum ſtomachi.

De viſceribus & inteſtinis.

CAPVT LXX.

Iſidorus vbi ſupra. Viſcera non tantum inteſtina dicimus, ſed quicquid ſub corio eſt, à viſco quod eſt inter cutem & carnem. Item viſcera vitalia ideſt, circumfuſa cordis loca, quaſi viſcora, eo quod vita id eſt anima contineatur. Item viſcera capita neruorum ex ſanguine & neruis compilata. Item lacerti ſiue mures, quia ſic in ſingulis mẽbris cordis loco ſunt, vt cor in media totius corporis parte. Appellanturque à nomine ſimilium animalium ſub terra deliteſcentium. Nam inde muſculi à murium ſimilitudine. Idem etiam & thori quia illic viſcera torta videantur. Inteſtina dicuntur eo quod corporis interiore parte cohibeantur. Quæ idcirco longis nexibus in circulorum ordinata ſunt modum, vt ſuſceptas eſcas paulatim digerant, & ſuperadditis cibis non impediantur.

Viſcera à viſco.

Omen-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Omentum. Omentum dicitur membranum quod continet inteſtinorum maiorem partem, quod ἔπιπλον græci vocant. Diſceptum autem inteſtinum quod diſcernit vētrem, & cætera inteſtina à pulmone & corde. Cęcum inteſtinum quod ſit ſine foramine & exitu. Ieiunium vero renue inteſtinum, vnde & ieiunium dicitur. *Conſtanti. vbi ſupra.* Inteſtina ſuper dorſi ſpondiles & os latum poſita ſunt, ligamentis à ſyphac egredientibus ligata. Incipiunt autem à ſuperiori foramine ſtomachi, quod porta vocatur, & vſque in anum protenduntur, globoſaque à dextra in ſiniſtram & econtra retorquētur. Hæc ex duobus panniculis componuntur, quorum vnuſquiſque villum habet in latitudine rotundum, horum eſſētia eadem quæ in ſtomacho dicta eſt. *Rotunditas inteſtinorum cur?* Inteſtinorum gibboſitas & rotunditas neceſſaria eſt, vt ibi cibus aliquamdiu inhæreat, quod ſi non fieret, homo ſemper comederet, ſemperque digereret. Item vt cibum partim digerant, & prout eis ſuppetit, partim retineant, ſuperflua vero expellāt. Duo panniculi ſunt neceſſarij, vt ſi vnus patitur, ab altero ſibi ſubueniatur, ſicut in diuturna apparet dyſſenteria, horum villa per latum ſunt extenſa, vt ſuperflua fortiter expellat, & ideo duplicia ſunt. Inferiora inteſtina ſuperioribus craſſiora ſunt & maiora, ne frequentius oporteat aſſellari, quia ſi locus inferior ſtrictus eſſet, citius impleretur, & mox euacuari oporteret.

Auicenna vbi ſupra. Inteſtina ſunt inſtrumenta expulſionis ſuperfluitatum ſiccarum, ſunt plurium neruorum & inuolutionum ac reuolutionum, vt ſit cibo deſcendēdi ex ſtomacho mora conueniens in eis. Nam ſi creatum eſſet vnicum inteſtinum tantum, aut etiam plura breuis quantitatis, cibus velocior ſepararetur à ventre, & neceſſe eſſet omni hora cibū ſumere, ſequereturque cōtinuatio egerēdi atque ſugendi. Ob hoc ergo creator inteſtinorū numerū multiplicauit & ipſorum plurima prolongauit, eorumque reuolutiones multiplicauit: & etiam propter aliud iuuamentum. Venæ namque continuatæ inter hepar & inſtrumentum digeſtionis cibi, non trahunt niſi quod ſubtile eſt ex cibo, ſuis orificijs penetrantibus in tunicas ſtomachi, immo in tunicas inteſtinorum, nec trahunt niſi quod tangunt. Eius vero quod ab eis occultatur id eſt ſubmergitur in profundo inteſtini à tactu orificiorum venarum elongati, attractio eſt impoſſibilis aut difficilis. Ideo ſubtiliatus eſt creator multiplicando inuolutiones, vt quod continetur occultum in vna parte inteſtini, redeat contingens in parte altera.

Sex inteſtina Numerus inteſtinorum eſt ſex ſcilicet duodenum, ieiunium, longum ſiue ſubtile, monoculum, colon, rectum. *Ex lib. de na re.* Vide ergo quanta inteſtinorum ratio polleat, quæ iccirco longis circulorum nexibus ordinata ſunt, vt ſuſceptas digeſtiones ciborum paulatim egerant, quo nec ad ſubitum pulſum inania loca efficiantur, & his qui ſuperadditi fuerunt cibis non impediantur.

De Numero inteſtinorum & officijs ſingulorum.

CAPVT LXXI.

Conſtant. vbi ſupra. Sunt inteſtina numero ſex. Tria ſubtilia ſuperiori portæ iuncta & tria craſſa ab inferiori ſubtili incipientia. Vnum ſubtilium vocatur *Duodenum* duodenum, quia longitudo eius pro menſura cuiuſque hominis habet digitos. 12. hoc ſuper dorſum erigitur, & in nullam partem torquetur, ſicut alia circūuoluuntur. Alterum vocatur *Ieiunium* ieiunium, quia ſemper cibis eſt vacuum, globoſe vero circumactum eſt. Tertium appellatur *Subtile.* ſubtile ſecundo ſimillimum, ſed nunquam ſine cibi fæce inuētum. Trium vero craſſorum, primū dicitur *Orbum.* orbū, quia vno tantum foramine contētum eſt, per quod & intrātia intrant, & exeuntia exeūt, & ideo ſacculo aſſimilatur. Hoc incipit à ſubtili extremitate. & eſt latum à dextra ad ſiniſtramque partem circumuolutum. Quod ab hoc egreditur intra aliud quod *Ilion.* ilion appellatur, ſimiliter alijs à dextra in ſiniſtram tendit. Sed tamen à dextra ſuper Ancham aſcendit: hoc eſt ſecundum craſſorum ſic dictum, quia dura eſt eius digeſtio, vnde dolor iliorum in hoc reſidet inteſtino. Tertium eſt rectum inteſtinum quod in inferiore ani extremitate poſitum colon vocatur, vbi *Colon.* cum aliquādo inhæret digeſtio, inde oritur colica paſſio, & hoc eſt latius cæteris. Hæc inteſtina circundant venæ, nerui & arteriæ, liganturque cum panniculis, & glandoſa in carne ſua concaultate. Horum iuuamentum eſt, vt à ſtomacho digeſta accipiant, & inde ſuccum ad hepar mandent, fæceſque foras expellant: à ſuperiori nanque vena quę vocatur porta, multæ venę ſubtiles proruunt ad inteſtina, & ab inteſtinis ad hepar, & hæ vocantur meſeraicę, per quas cibi ſuccus ab inteſtinis ad hepar tendit. Rurſus inteſtina inuāt, quia cibum mutant. Cibus enim intrat ſtomachum, digeſtus cum à portis exit, & ad inteſtinum ſubtile venit, aliquas ibi moras conſummans melius ſubtiliatur, & inde per meſeraicas venas ad hepar progreditur, vbi in naturam ſanguinis mutatur. Sicut enim bucca & meri cibum ſubtiliāt, vt ad ſtomachum ſubtiliorem mittant. Sic & in inteſtino ſubtili nondum bene puratus in ſtomacho, multo magis digeritur, vt hepati digeſtibilior mittatur, vnde hoc inteſtinum eſſentiæ ſtomachi eſt vicinum. Duodenum inteſtinum ad dorſum erectum eſt, vt minus loci ſpacium occuparet, ſicque venis & arterijs ac neruis locum daret.

Ancha.

De Hepate vel iecore.

CAPVT LXXII.

HEpar concauum eſt gibboſum in dextro latere ſub hipocondria ſuperiore locatum. Concauitas eius ſtomacho & inteſtinis eſt finitima pelliculis ac venis cum eiſdem ligata. Gibboſitas eius diaphragmati eſt oppoſita, ita vt ipſum tāgat, ligaturque cum eo pelliculis ipſum cooperientibus, & ſimiliter coſtis ſuperioribus & inferioribus. Hepar in hominibus maius eſt quam in beſtiis eiuſdem quantitatis, nec in omnibus æqualiter ſe habet hominibus quantitate ſiue partibus. Numerus enim partium id eſt pennarum in quibuſdam duorum eſt, in quibuſdam trium, in alijs quatuor, in alijs quinque. Hepar magnā partē in dextra tenet. *Vena porta* Altera cōcauitate ſua vena progreditur, quę porta vocatur, & antequam exeat in quinque venulas diuiditur, quinque particulas hepatis intrantes, vbi vnaquæque quinaria pars in multas diuiditur ſubtiliſſimas, quæ in inferiorem protenduntur ſtomachum, in duodenū quoque inteſtinum, & ieiunium ac rectum.

Hepar neceſſarium eſt, vt cibum mutet, & ſanguinem faciat, quem poſtea per venas ad totius corporis membra traijciat. Cibus namque digeſtibilis factus portam ingreditur, deinde in duodenum, poſtea in ieiunium, & à ieiunio in ſubtile inteſtinum, ſubtile vero per venas meſeraicas bene colatum mittit ad venam, quæ porta vocatur, & per eandem intrat hepatis ventrem, vbi per venas ſparſim dilatatur, quæ per hepar extenduntur. Hepar autem cibum in naturam ſanguinis mutat, quem per venam maiorem, quę cōcaua *Vena concaua.* dicitur, in cętera mēbra corporis mandat. *Auicen vbi ſup.* Hepar eſt mēbrum quod generat ſanguinē, quamuis & meſeraicæ conuertant quandoque chylum ad ſanguinem conuerſione alia, propter id quod in eis eſt de virtute hepatis. Sanguis quidem ſecundum veritatem eſt cibus conuerſus ad ſimilitudinem hepatis quod eſt caro rubea, quaſi ſit ſanguis, ſed congelatus, & eſt vacuum à villis neurorum. In quo naſcuntur venæ, quæ ſunt radices earum quæ procedunt ex eo, diſpartitæ in eo ſicut villi. Et ſunt ſugentes à ſtomacho & inteſtinis mediantibus ramis portæ, quæ oritur ex hepatis concauitate, & decoquit illic ſanguinem, & mittit eum corpori mediante vena concaua, ex eius gibboſitate orta. Aquoſitatem vero mittit ad renes ex via gibbolitatis, & ſpumam cholericam ad fel via concauitatis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Iecur ſedes concupiſcẽtiæ

Iſidorus vbi ſup. Iecur nomen habet, eo quod ignis ibi habeat ſedem, qui in cerebro ſubuolat, inde ad oculos ceteroſque ſenſus & membra diffanditur,& calore ſuo ad ſe ſuccum ex cibo tractum in ſanguinem vertit, quem ad vſum paſcendi nutriendique ſingulis membris præbet. In iecore autem conſiſtit voluptas & concupiſcentia iuxta eos qui de phyſicis diſputant ſicut autem cõrde ſapimus, ita iecore amamus. Fibræ iecoris ſunt extremitates, ſicut & extremæ partes filorum in veſtibus, foliorum in vitibus, ſiue quaſi linguę eminentes. Dictas autem fibras, quod apud gentiles in ſacris ad Phœbi aras ferebãtur ab ariolis, quibus oblatis atque ſuccenſis reſponſa accipiebant. *Ex li. de Anatomia.* Inter membra nutritiua principale eſt hepar, cui ſcilicet os & iſophagus ſtomachuſque deſeruiunt. Et autem hoc membrum calidum & humidum propter bonam digeſtionem faciendam: in ſubſtantia quidem molle ac tenerum, in colore purpureum, interius concauum, exterius gibboſum, paucos habẽs neruos, arterias autem plures, & multas venas habens,& plures pelliculas verſus ſtomachum reflexas, pluraque receptacula, quę ſuperfluitates humorum recipiunt, de quorum ſcilicet humorum generatione duplex eſt opinio. Quidam enim dicunt, quod generantur in hepate materialiter & formaliter. Alij vero dicunt ſanguinem tantum in hepate generari, per materiam & formam, reliquos autem tres humores in hepate tantum, per materiam, & in alijs per formam. in hepatis autem ſyma, id eſt concauitate venę meſeraicæ ideſt mediatrices oriuntur, quia mediant inter ſtomachum & inteſtina deportantes ſuccoſitatem ptiſanarum ad hepar.

Ortus meſeraicarum.

De ortu vel proceſſu venarum ab hepate.

CAPVT LXXIII.

SCiendum autem quod in ſyma id eſt in concauitate hepatis oritur quędam vena, quæ lactea porta vocatur, recipit enim ſuccoſitatem lacti ſimilem id eſt ſuccum ptiſanarum per venas meſeraicas à ſtomacho, & à quibuſdam inteſtinis ad hepar deportandum. Dicitur etiam ramoſa vena, quoniam ab illa procedunt omnes venę quęcunque ſunt in humano corpore, deportantes ſanguinem ad totius corporis membra nutrienda. Harum itaque quædam appellantur meſeraicæ, ſicut dictum eſt, quædam capillares, quæ vrinam cum ſanguine deferunt, & in fruſto hepatis minimo terminatæ chyli venam conſtituunt. Sunt & duæ cephalicæ, quæ ad duo brachia reflexæ in paſſionibus capitis inſciduntur. Duæque cardiacæ, quæ cordi & ſpiritualibus nutrimentum preſtãt ac pro illorum paſſionibus in brachijs inſcidũtur. Duæ quoque fundamentales hepaticæ, quæ pro paſſione nutritiuorum in brachiis ſimiliter inſciduntur. Sunt & duæ magnæ per collum à dextra & à ſiniſtra parte aſcendentes, quę dicuntur organicæ,& canendo inflatæ apparent. Dicuntur etiam pnæumaticæ id eſt vocales, quia de ſanguine contento humectatæ, perfundunt & irrigant inſtrumenta vocalia, quę ſicca ſunt ad clarificãdum vocem. Quod patet ex raucis, in quibus ex conatu loquendi ſanguis mouetur, & aſpergit vocalia, & tunc melius loquuntur. Item ſub oculis ſunt quædam venæ titillantes dictę, quæ inciſæ faciunt hominem mori ridendo. Sunt & venæ in temporibus iuueniles dictæ, quibus inciſis, teſte Hippocrate, ſpermatis fit inſciſio. Præter has autem & alias venas, quæ ſunt in maſculis, eſt quædam principaliter in mulieribus, quæ ab hepate egreſſa duos ramos facit, & vterque bifurcatur. Nam alter eorum dirigit vnum ramum ad dextram mammillam, & alterum ad ſiniſtrã. Alter vero duos ad duo cornua matricis, per quę purgantur menſtrua quando illę venę apertę ſunt. Quandoque etenim clauduntur in conceptione,& tunc redundat ſanguis menſtruus ad mammillas illic, dealbandus in lac, tempore determinato fętui nutriendo.

Ramoſa vena. *Pneumatica.* *Vena titillantes. iueniles.*

A Hinc eſt quod ceſſantibus menſtruis, ſemper fluit è naribus ſanguis. Sanguis autem à venis redundans recipitur in fontibus antequam nutriat. Et ſunt quidam fontes rari ac ſpongioſi iuxta ſingulorum membrorum iuncturas.

De felle.

CAPVT LXXIV.

ISidorus *vbi ſupra.* Fel appellatum eſt, eo quod ſit folliculum geſtans humorem, qui vocatur bilis. *Conſtanti. vbi ſupra.* Fel locatum eſt ſuper hepatis fruſtulum maius, & huius tantum eſt panniculus fortis ac durus, habet autem bina vaſcula, vnum hepatis concauitati iunctum, per quod ab hepatis ſanguine cholera rubea depuratur id eſt extrahitur. Alterum autem in duo diuiditur, quorũ vnum maius inteſtino iungitur vt cholera rubea ſibi iniiciatur. Alterũ in inferiorẽ tendit ſtomachum, vbi choleræ rubeæ expleat officium huius collo duæ furculæ iunguntur, quarum vna eſt illius arteriæ quæ exit ab hepate. Alia eſt nerui ad hepar venientis: vnde vita & ſenſus fælli datur. Eſt autem fellis iuuamentum, vt ſanguinem à cholera rubea mundificet, ne forte ibi remanens eũ incenderet.

B

Fellis etymõ.

Auicen. vbi ſup. Fel eſt kyſtis ab hepate pendens ad partem ſtomachi, habet orificium ad hepar, & in ipſo eſt meatus attrahens humorem ſubtilẽ & conuenientem & choleram citrinam. Meatus iſte continuatur cum hepate, & venis in quibus generatur ſanguis, & illic rami plurimi neruoſi quamuis ſit perpendicularis introitus eius ex concauitate. Habet autem orificium & meatum ad partes ſtomachi & inteſtinorum, quibus mandat illuc ſuperfluitatem choleræ. Huius quidem meatus cõtinuatur ramus cum duodeno,& quãdoque parua res ex eo continuatur cun fundo ſtomachi. Quandoque vero res accidit econtrario, peruenitque maior continuatus cum inteſtino craſſo ab fundum ſtomachi, minor autem ad duodenum. Pluribus autem hominibus eſt meatus vnus continuus cũ duodeno. Introitus vero cannulæ ſugentis choleram, proximus eſt introitu cannulæ in veſica. Et ſolent medici fel nominare kyſtim minorem ſicut veſicam kyſtim maiorem.

C

Veſica kyſtis maior, fel minor.

Ex iuuamentis. autem in trahendo cholerã eſt mundicatio hepatis à ſuperfluitatibus ſpumoſis, & iterum eius calefactio ſicut accenſio ſub vaſe, & ſubtiliatio ſanguinis ac reſolutio ſuperfluitatum, & cum motione egeſtionis, & mundificatione inteſtinorum, & coarctione eius quod mollificatur de lacerto in circuitu eius. Ideo autem creata fuit in phutibus felli via ad ſtomachum, vt lauarentur humiditates inteſtinorum, quia ſtomachus per eas lædit ur,& nauſeam patitur,& in ipſo corrumpitur digeſtio per id quod miſcetur cibo de humore illo. Adueniunt autem ei ex vena pulſatili & neruo qui cum hepate continuatur duo rami valde parui. Fel quidem ſicut veſica vnam habet tunicam ex tribus villorum ſpeciebus compoſitam. Et quãdo non attrahit choleram, vel attrahit quidem, ſed non complete cholera ſupra fel retenta nocet, facit enim hepati apoſtemata quandoque, aliquando vero putreſcit, & febres accidere facit. Quando vero ad aliqua currit membra, accidit eriſipila & formica. Quãdo vero ſpargitur in corpore toto quieta abſque ebulitione, accidit ictericia. Porro quando currit ad inteſtina cum ſuperfluitate facit ſolutionem ventris colicam & raſuram. *Ex lib. de natu. re.* Fel eſt calidum & ſiccum, & eſt domus choleræ citrinæ. Hepati vero annexum eſt adiuuans illud ſuper decoctionem cibi. Totumque corpus ex eo calorem & ſiccitatem habet. Nonnulli homines, vt dicit Plinius felle carent, quorum valitudo firma, & vita longior eſt. Quidam autem, vt dicit Ariſt habent fel poſitum ſuper hepar, & hi crudeliores eſſe naturaliter ex fellis vicinitate creduntur. Alij vero non ſuper hepar, ſed magis à remoto loco. Et hi benigniores naturali-

D

Fel mundificat hepar.

E

Fel calidum & ſiccum.

ter

ter eſſe æſtimantur, valet tamen multum in homine conſuetudo & exercitium, vt alteretur in eo natura ſiue ad bonum, ſiue ad malum, vnde quidam Philoſophorum olim cuidam alij dixiſſe fertur, nullum inquit vidi ſecundum diſpoſitionem naturæ te crudeliorem, nullum vero ſecũdum exercitationem virtutis in moribus benigniorem. Nullum quoque vidi ſecundum naturam te peius diſpoſitum ad ſapientiam, nullumque per aſſiduitatem ſtudendi in penetrandis ſubtilibus perſpicaciorem.

De ſplene.

CAPVT LXXV.

Locus ſplenis.

Sid. vbi ſup. Splen dictum eſt à ſupplemento ex contraria parte iecoris ne vacua exiſteret, quem quidam etiam riſus cauſa factum exiſtimant. Nam ſplene ridemus, felle iraſcimur, corde ſapimus, iecore amamus. Quibus quatuor elementis conſtãtibus integrum eſt animal. *Conſtan. vbi. ſup.* Splen locatur in parte ſiniſtra, cuius forma aliquantulum eſt longa, & parum contra ſtomachum concaua, verſus autem coſtas gibboſa. Et in his duobus locis ligatur cum panniculis: huic duo vaſcula coniunguntur. Vnum maius, quod oritur ab hepatis gibboſitate, per quod ab hepatis ſãguine choleram nigram ſibi ſplẽ videtur attrahere. Alterum vero minus inter ſplenem & os ſtomachi locatur, vnde cholera nigra ori ſtomachi mandatur, vt appetitus inde confortetur. Splenis iuuamentũ eſt, vt ſanguinem in hepate mundificet, & per vaſculum ſupradictum ſibi trahat ſanguinis feces, quas per aliud vas ori ſtomachi mittat, quarum appetitui adiuuando ſufficiat. Non enim totum illi committit, ſed in vſus ſuos partem transformat. Alia pars tandem vera facta cholera (prout dixi) ſtomacho mittitur in ſuo appetitu cõfortando, vnde fit vt ſplenis ſubſtantia quam ſugit & emittit rara ſit, vt ſpongia, & vt craſſos humores ſibi contrahat. Color eius nigredini aſſimilatur, vt cholera nigra exprimatur.

Ægritudines melancholiæ ex debilitatione ſplenis.

Auic. vbi ſup. Splen eſt euacuatorium fæcis ſanguinis, & aduſtionis eius, & melancholiæ naturalis & accidentalis. Ineſtque ei proprietas quædam & virtus reſiſtendi ſcilicet hepati & felli ex latere. Et quãdo debilitatur à mundificatione hepatis, & quæ ſequuntur ipſum ex melancholia, accidunt in corpore ægritudines melancholiæ, ſicut ex cancro, & elephantia, & impetigine, & morphea nigra, & lepra & reliquæ. Quãdo vero debilitatur ab educendo id quod opertet exire ab ipſo de melancholia, magnificatur & apoſtematur. Cum autem incraſſatur ſplen, areſcit corpus & hepar. Et quando aduritur melancholia in ſplene declinãs ad acetoſitatem, & cum effunditur plurimum abominabilis ad ſtomachum, facit accidere vomitum melancholicum. Quandoque vero eis periodus, & accidit ex eo ſubuerſio ſtomachi. Splẽ quidem eſt membrum longum linguoſum cum ſtomacho coniunctum à ſiniſtro ſuo vſque retro, vbi eſt dorſum, attrahens melancholiam, cum collo & continuato cum hepatis cõcauitate, vbi collum fellis continuatur, & expellit eum cum collo ex interiori eius orto: huius concauitas ſequitur ſtomachum, gibboſitas vero coſtas, & eius ſuſpenſio cum coſtis eſt cum paucis ligamẽtis villoſis, vigoratis cum coſtarum panniculis, ab hoc late recõtinuatur cum venis quietis & pulſatiuis, & latus eius concauum ſuperficiale venit ſuper hepar & ſtomachum. In ſplene quidem venæ plurimę ſunt, in quibus ſanguis dirigitur, & eius ſubſtãtiæ aſſimilatur, deinde ſuperfluitas expellitur. Corpus eius rarum eſt, vt facile recipiat ſuperfluitates melancholicas, quæ ipſum ingrediuntur, tegitque eum panniculus ortus ex ſyphac, & communicat diaphragmati cauſa illius. *Ex libro de natura rerum.* Splen (vt dicit Ariſt.) habet homo ſtrictum & longum, ſicut porcus. In ipſo eſt melancholiæ ſedes, & ipſum eſt ſpeciale curſus impedimentum, vnde ſplenis vena in curſoribus minuitur, hoc exempto per vulnus, animalia viuere tradunt. Sunt qui putant homini ſimili adimi riſum, & eius intemprantiam conſtare ſplenis magnitudine.

Sedes melãcholiæ in ſplene.

De Renibus.

CAPVT LXXVI.

Sido. vbi ſupra. Renes ait Varro dictos, eo quod riui ab his obſceni humoris naſcantur. Nam & medullæ tenuem liquorem defudant in renibus, qui liquor rurſus à renibus calore venereo reſolutus decurrit. Poſiti ſunt autem in ſeptimo vertebro ſpinæ, vbi lumbi ſunt, & ſunt muſculoſi natura, colore liuidi, foris recti, intus autem curui & concaui, hi genitale ſemen portant. Ex eiſdem exeunt duæ venę velut fiſtulę continentes veſicam & teſticulos, quibus calorem vel ſemen adminiſtrant: poſiti ſunt autem inter adipem & carnem oblongationẽ inter ſpinam & viſcera, quę eis calorem vel virtutẽ præſtant. *Conſtan. vbi ſupra.* Renes ſunt in lateribus ſpõdilium, quorum dexter excelſior eſt vni hepatis fruſtulo vicinus, horum cocauitas alternatim ſibi appoſita eſt, quod in ſolo contingit homine. Et ſingulis duæ de concaua vena inſeruntur furculæ, cum ipſa vena egrediatur ab hepate, vna ſãguinem portat, vt ipſum nutriat. Altera vt ſanguinis colamentum ſibi ſubtrahat, id eſt vrinam. Ambobus quoque de maiori arteria accedũt furculæ, vt vitam eis poſſint dare. Ab ambabus exeunt duo vaſcula longa & bene concaua, pelliculis operta, quæ iunguntur cum veſica & vocantur emunctoria, per quæ in veſicam portatur vrina. Ad hoc enim renes facti ſunt, vt ſanguinem aquaticum ſugentes id eſt aquoſitatem ſanguinis ſuper fluam extrahentes, ipſum in hepate depurarent. *Auicenna vbi ſupra.* Renes ad hoc creati ſunt, vt ſint inſtrumentum mundans ſãguinem ex aquoſitate ſuperflua, qua indiget quidem propter neceſſitatem, ſed illa neceſſitas deſtruitur, cum digeſtus eſt ſanguis & prępatatus, vt penetret in corpus. Quoniam ergo hęc aquoſitas valde plurima fuit, neceſſarium fuit vt crearetur membrum ipſam mundificans, attrahens ad ſe vel membrum magnum, vel duo membra ſcilicet parua. Et ſi quidem eſſet vnum magnum coarctaret & comprimeret. Loco ergo vnius creata ſunt duo. Et eorum in mundificatione iuuamentum eſt, quod in creatione membrorum parum eſt notum. Poſitus eſt autẽ ren dexter ſuper ſimiſtrum vt ſit eius locus hepatis ſitui propinquior & magis attrahens ab ipſo quantum poſſibile eſt, ita vt fortaſſe tangat ipſum: immo additamentum quod ſequitur ipſum. Siniſter vero poſitus eſt deſcendens, quoniam in ſiniſtro latere compreſſio fit à ſplene, & vt illud quod attrahitur ex aquoſitate non ex foramine quod habet, ſed attrahatur ad propinquius in primis, & ad longinquius ſecundo. *Razi vbi ſup.* Renes circa hepar ab vtraque coſtarum parte ſpondilij poſiti ſunt, & vterque duo habet colla: quorum vnum ad venam magnam quæ eſt in gibbo hepatis tendit, aliud inferius deſcendit, donec veſicæ continuetur. *Ex lib. de natu. re.* Renes hominis ſunt ſicut renes vaccæ, dexter altius ſitus eſt quam ſiniſter, & pinguedo dextri, minor eſt quam ſiniſtri. Eſt autem in viris luxuriæ locus in renibus, à corde nãque vena tranſit ad hepar, per quam res apprehenſa deſcendens ab hepate concupiſcitur & amatur. Hepar enim ſedes amoris eſt, à quo illa vena deſcendens ad renes rem apprehenſam & amatam illuc tranſducit, vbi mediante cogitatu concupiſcentia ignitur, & accẽſis renibus ardor ad virgam multiplicatur. Sicque fluxu vniuerſaliter ad renes deſcendente, ſanguis per quem amoris apprehenſiua virtus in venis miniſtratur, occultius ſemen eijcit per meatum.

Renes portãt ſemen.

Emunctoria.

Renes mundificant ſanguinem ab aquoſitate

Renes hominis ſicut vaccæ.

De veſica.

CAPVT LXXVII.

Veſica etymen.

ISido. *vbi. ſup.* Veſica dicta eſt, quaſi vas aquæ, quia ſicut aqua ita de renibus vrina collecta completur & humore diſtenditur. Cuius vſus volucribus non habetur. *Conſtati. vbi ſup.* Veſica in maribus ſuper rectum inteſtinum ponitur. Eſt autem panniculus vnus, itemque durus, vt choleram rubeam vrinæ ferat immixtam. Super foramem vnum habet lacertum quo veſica conſtringitur, ne vrina præter velle hominis egrediatur, à renibus ad veſicam tendit vrina per vaſa quæ

Vaſa emunctoria.

vocantur emunctoria, & hæc cũ ipſa ſolidantur. Quę cum ad veſicam veniunt, eius quodammodo pelliculem excoriant vt illis vaſculis patiatur, & vt ante fuerat inuenitur. *Razi vbi ſup.* Veſica eſt vrinæ vas eiuſque receptaculum, hæc inter fæmur & anum locata componitur ex duabus tunicis, & ſuper os eius muſculi quidam ſunt, qui ipſum conſtringunt & prohibent ne vrina inuoluntaria à veſica egrediatur. Ad veſicam autem à renibus profluit vrina per duo colla quæ vocantur emunctoria. Quę cum ad veſicam peruenerint, vnam tunicarum ipſius perforãt. Et poſt hæc inter duas eius tunicas tranſeunt donec ad collum veſicę peruenium vbi & aliam perforantia tunicam ad concauitatem veſicæ deſcendunt. *Ex lib. de na. re.* Veſica eſt vltimum interiorum membrorum in corpore quæ depẽdent à vijs procedentibus à renibus ad radicem virgę. Ipſa eſt exitus ſuperfluitatis humidæ & non ſiccæ. In ea ſiquidem decolãtur potus & humiditas ſuperflua medijs inteſtinis. In colore ſæpius vrinaria digeſtio monſtratur, quo incommodo vel inconualeſcentia corpus hominis aut eleuatur in proſperis, vel deprimitur tabeſcens in aduerſis.

De vrina.

CAPVT LXXVIII.

Vrina etymõ

ISidor. *vbi ſup.* Vrina dicta eſt ſiue quod vrat, ſeu quia ex renibus egeritur. Cuius indicio & ſalus & ęgritudo futura monſtratur. Qui humor vulgo lotium dicitur, quia eo lota id eſt mũda veſtimenta efficiantur.

Colores vrinarum 19.

Auctor. Colores vrinarum (vt legitur) ſunt, 19. *Albus* vt aqua puriſſima, *lacteus*, vt ſerum, *Glaucus* vt cornu, lucidum, album, *karapos*, vt pili camelorum. *Pallidus* vt aqua ſemicrudæ carnis. *Subalbidus* id eſt remiſſus. *Citrinus* vt color citri. *Subcitrinus* id eſt remiſſus. *Ruffus* vt crocus orientalis. *Subruffus*, id eſt remiſſus. *Rubicundus* vt flamma ignis. *Rubeus* vt aurum puriſſimum. *Subrubeus*, id eſt remiſſus, *Inopos* vt vinum nigrum, *Cuaneos* vt color purpuræ nigræ. *Viridis* vt color viridis caulis. *Liuidus* vt color plumbi. *Niger* vt cornu nigrum lucidum. *Auicenna in primo canone.* Vrina hominis abſtringit *ſcabiem* vlceroſam & pruritum. Prohibet *ſerpiginem* & impetiginem. Eadem in vaſe ęneo cum melle cocta abſtergit *albuginem oculi*, & confert palpitationi, Confert etiam *ictericiæ*, & proprie cum aqua mellis, & aqua ciceris. Dicitur enim abſcindere ſolutionem & purgare matricem decocta cum porris. Fęx eius vrinæ ſanat *criſipilam* ſecundum quod dicitur. Et vrina infantis abſtergit *morpheam* & pannũ. Eadem quoque bibita confert. *difficultati anhelitus* & dilationi. Item hominis vrina prę cęteris vrinis eſt magis abſterſiua. Ponitur cum cinere vitis ſuper locũ fluxus ſanguinis & ſiſtitur. Confert etiam *morſui viperæ* bibita, omnique morſui & punctura valet, & quæ ex ea antiqua eſt confert venenis omnibus & lepori marino. Præterea quidam ſplenęticus homo ſomniauit, quod ei præcipiebatur quod vrinam ſuam omni die ter biberet, & ſanaretur, qui ita eſſe expertus eſt. Eadem valet *hydropiſi*, & ea linitur ſplen præcipue cum lacte camelı. Confert etiam *excoriationi*, & pruritui, & vlceribus ambulatiuis & humidis, proprieque antiqua. Vrina puerorum propriè confert albugini oculi & ſcabiei in vaſe ęreo coagulata & ſimiliter cocta cum porris.

Remedia ex vrina.

Dioſcorides. Locium humanum vetus *furfures capitis* & ſcabiem & paſcẽtia vulnera curat, & *puſtulas auium* ſanat, vermes etiam aurium excludit cum corio maligranati, ſi decoctum fuerit. Item *venenis* bibitis prodeſt & punctionibus venenoſis, vnde ſi locium ſuum quiſque biberit, percuſſuram viperæ ſanat, hidropes etiam in initio curat. Locium pueri in ęreo vaſe coctum & perunctum vulnera gingiuarum compeſcit, caligines oculorum tollit. In eramine miſſum ac coctũ coagulare facit. Quod ex vrina in vaſe reſederit, *ignem ſacrum* compeſcit.

De membris generatiuis, & primo de teſticulis.

CAPVT LXXIX.

AVctor. Dicto de membris nutritiuis, dicendum eſt de generatiuis. *Iſidorus vbi ſup.* Genitalia corporis partes (vt nomen ipſum docet) gignendæ ſobolis acceperunt vocabulum, quod his procreatur & gignitur, hæc & pudenda, pro verecundia, ſiue à pube, vnde & indumento operiuntur. Teſticuli per diminutionem à teſtibus dicti ſunt: quorum numerus incipit à duobus, hi ſemen calamo miniſtrant, quodà ſpinæ medulla & renibus & lumbis ſuſcipiunt ad gratiã procreandi. *Conſtan. vbi ſupra.* Teſticuli ſunt inſtrumenta ſpermatis generandi, propter hocde carne glandoſa ſunt, alba & molli & rara, vt album faciant ſperma.

Teſticuli albificant ſperma perfectè.

Quilibet autẽ vno pãniculo obſitus eſt, quæ à ſyphac egreditur. Et ad vnum quodque venit à renibus vena, qua ſanguis ab eis ſubminiſtratur, vnde materia ſpermatis eſſe comprobatur, hæc cum ad teſticulos venerit, multipliciter ſe per eos dilatat. Item arteriæ duæ veniunt à dorſi parte, quæ per teſticulos multipliciter diuiduntur, ſicut & venæ quibus miſcentur eędem arteriæ, & per teſticulorum carnem diſperguntur mixtæ. Sanguis autem eſt materia ſpermatis, qui antequã ad teſticulos perueniat ex parte mutatur, ac per venas diſpergitur, & inalbeſcit cum digeſtio completur. Deinde venæ emittunt eum in carnem teſticulorum, vnde fit perfectum.

Vaſa ſpermatica.

De teſticulis autem exeunt duo vaſa ſubſtantiæ ſibi ſimilis, in quæ ipſi eijciunt ſperma, & à vaſis ſuſcipit virga, ſicut à mulierum teſticulis vulua, hæc vocantur ſpermatis vaſa, quæ in maſculis quidem longa ſunt & larga & dura: longa quidem vt à teſticulis exiens ſperma melius coquatur in via. Teſticuli namque in oſſa penis aſcendunt, & inde in virgam deſcendunt. Larga vero vt ſperma cito exeat in vuluã à virga. Dura quoque ne rumpantur ex vię loginquitate. In muliere ecõtrario ſtricta ſunt, quia ſubtile eius eſt ſperma. Curta vero quia vicina ſunt ad quæ proijciuntur loca. Mollia quoque, quia non longa reſtat eis via.

Ex libro de Anatomia. Inter membra genitalia principales ſunt teſticuli, membra ſcilicet glandulоſa, mollia, carnoſa: & hæc ſecundum magis & minus in viris craſſiora, in mulieribus minora, in vtriſque ſpermatis generatiua. Vtriq; teſticulo quidam neruus alligatur, qui dicitur dydymus id eſt dubius, quia dubium eſt, vtrum ab inteſtinis, an à teſticulis originem trahat. Superius quidem ſyphac, inferius autem cum teſticulis collimitatur. Per hunc inteſtina deſcendunt ad rupturam, per hunc etiam aſcendunt teſticuli, vt omnino quandoque latere videantur. Teſticulis autem deſeruiunt vaſa ſeminaria duplicia, ſuperiora ſcilicet & inferiora. Superiora ſunt venæ quædam & arteriæ venientes ab hepate, deportantes ſanguinem ad ſperma generandum. Inferiora vero ſunt venæ quædam inter teſticulos & virgam virilem, deportantes in matricem ſperma per virgam.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De virga virili.

CAPVT LXXX.

Compositio virgæ. VIrga quidem componitur ex neruis à spina ad pecten reflexis, vnde & cauda neruorum dicitur. In fine siquidem spinæ multi nerui sunt inferius duri, qui in vnum collecti virgam virilem constituunt, quæ vasa seminaria purgat superfluitate spermatica. In sexu quoque fœmineo nerui reflectuntur ad orificium matricis inferius, quandoque claudentes eam, & quandoque aperientes, ibique concupiscentiam coitus facientes. *Constantinus vbi supra.* Virga est caro neruosa, rotunda, & concaua, ab vtroque osse penis incipiens, & vtrinque neruos sibi oppositos ex transuerso habens, hæc duplici de causa fuit necessaria. *Necessitas* Primò, vt sperma per vasa sua in vuluam eijciat. Ideoque neruosa est vt concupiscentiæ appetitum in tactu habeat, Concaua verò, vt ascendente appetitu vento impleatur, vnde erigatur. Ambo verò lacerti lateraliter sibi sunt oppositi, vt nusquam virga possit flecti, sed rectè sperma proijciat. Secundò, quia cum vesica viæ spermatis sit vicina, hac eadem via mittitur vrina. Vesicam enim ex parte ani natura extulit, quam ossibus penis admouit, quæ in masculis collum longum habuit, quia virgæ concauitate iungitur, quo vrinam expellit. Mulier autem cum virga careat, parum longi colli sibi necessitas est, vt vrinam in naturam fœmineam traijciat.

Ex lib. de nat. rer. Virga est exitus humidæ superfluitatis, & cursus spermatis ex cartilagine & carne creatus. In libidine quidem apparet cartilago, quia tunc tumescit commoto spiritu vitali ex concupiscentia medijs cogitationibus ex imaginatione rerum delectabilium. Commouetur etiam aliquando ex solis humoribus commotis incentiuis ciborum vel potuum. *Radices virgæ à renibus.* Huius scilicet virgæ radices sunt (vt dicit Arist.) à renibus procedentes. A venis quidem principalibus cordis aliæ venæ diriguntur ad renes, & à renibus ad virgam, vt sic concupiscentia cordis ad renes transmittatur, ibique augmẽtato calore in virga luxurietur. Omnes denique partium corporis venæ communicant *Nota.* venis quæ in virga descendunt. Suntque multiplices illæ quæ in virga concurrunt, & inde fit, vt proles generata per virgam similitudinem plerunque membrorum omnium compacta suscipiat. *Isidorus vbi supra.* *Veretrum vnde dictũt* Veretrum, dicitur, quia viri tantum est, siue ideo quod ex eo virus emittitur. Nam virus proprie dicitur humor fluens à natura viri.

De Matrice & vulua.

CAPVT LXXXI.

Matrix. ISidorus *vbi supra.* Matrix dicitur eo quod fœtus in ea generetur. Semen enim receptum confouet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit. *Constantinus vbi supra.* Matrix in forma sua est sicut vesica, nisi quod habet quædam fistula cornibus assimilata, quæ arteriæ intrant, quæ sperma & spiritum in vultam portant. Hęc recto superposita est intestino, ei vero vesica, membrisque sibi vicinis ligatur ligamentis flexibilibus, quibus eam extendentibus non rumpatur. Duos habet testiculos in summitate colli positos post fistula prædicta, masculinis minores, sed duriores, forma rotunda, parum superficietenus plana, quibus singulis venæ singulę de renibus veniunt quæ prædicta fistula subeunt. De vnoquoque vero testiculo quædam petię videntur exire, per quas testiculi sperma in vasa iaciunt.

Matrix ad instar stomachi. *Ex lib. de Anatomia.* Matrix est frgida & sicca, ad instar stomachi formata, superius neruosa, villosa, septem folliculis distincta, duo habens orificia, exterius & interius, ac superius & inferius, ascendẽs prope dyaphragma. *Ex lib. de. na. rer.* Matrix est genitale membrum in fœminis, sicut virga in masculis, matrix tamen proprie dicitur, quæ iniecto semine per portam vuluæ fœtum sinu suo recipit tempore debito pariendum. Huius situs est super intestinum rectum. Et sicut de virga diximus in matrice multę venæ concurrunt ad luxum generationis. Eiusque radix est ab vmbilico, sicut virgæ radix à renibus, vnde & vmbilicus est luxuriæ locus in fœminis, sicut renes in viris. Omnia vero membra similia sunt in maribus & feminis, pręter virgam in viro, & matricem in fœmina. *Constantinus vbi supra.* Vuluæ substantia neruosa est, vt possit in conceptu vndique extendi, & tunc maxime quando conceptus incipit augeri. Hæc secundum tempus & ętates in fœminis diuersa est, nam grauidæ maiorem habent quam non grauidæ, libidinosæ quã castę, adultæ quam puellæ, veteranæ quam iuuenculæ. Quantoque magis grauidantur, tãto plus earum vuluę propter extensionem augentur. *Isidorus vbi supra.* Vulua vocata est quasi valua id est ianua ventris, vel quod semen recipiat, vel quod extra fœtus procedat. *Radix matricis vmbilicus.*

De Lumbis & vmbilico & ilio.

CAPVT LXXXII.

ISidorus *vbi supra.* Lumbi ob libidinis lasciuiam dicti sunt, quia in viris causa corporeæ voluptatis in ipsis est, sicut in vmbilico fœminis, vnde & ad Iob in exordio sermonis dictum est. Accinge sicut vir lumbos tuos, vt in his esset resistendi præparatio, in quibus libidinis est vsitata dominandi occasio. *Vmbilicus Cur sic dictus.* Vmbilicus est medius locus corporis dictus, quod sit vmbo iliorum, vnde & vmbo appellatur locus in medio clypei à quo pẽdet. Ex eo enim infans in vtero pendet, & ex eo etiã nutritur. *Ex lib. de na. rer.* Nõ enim per os attrahit infans alimentũ sanguinis, sed vmbilico mediãte de visceribus matris. Est autem (vt supra dictum est) vmbilicus locus luxuriæ in fœminis, sicut renes in viris. *Ilia.* Ilia loca sunt in regione splenis & hepatis super spondilia. Ilia quidem in muliere fętum suscipiunt, digestumque sanguinem in pinguedinem communiter in viris & in fœminis conuertunt. Sæpius autem vexantur excessu ciborum, maximeque illis quæ fumositates generant, horum passio vehemens est, quæ iliaca passio dicitur. *Iliaca passio.* Nec habet cursum in venis nisi per vias vrinales. Ideoque videri in vrina negatur, nisi forte accidentaliter fiat, vtpote si ex dolore vehementi patiens accendatur, ac per hoc inflammetur vrina vel alteretur. *Isido. vbi supra.* Ilium græco sermone est appellatum, eo quod nos ibi obuoluamus. Græce enim ilios obuoluere dicitur.

De Mammilis.

CAPVT LXXXIII.

COnstan. in pantegni secunda parte. Mammillæ quoq; in membris generatiuis adiuumenta sunt, cum infantes nutriant. *Idem in tertia parte.* *Mammillarum compositio.* Mammillæ de glandosa carne factæ sunt, molli scilicet & alba, sicut lactis est natura. Sunt autem ibi venę & arteriæ sibi inuicem commixtæ, ideo autem in pectore positæ sunt, vt essent cordi vicinæ, quod est fundamentum caloris naturalis quatenus adiuuaret decoctionem sanguinis, & in naturam lacteam mutaret. Necessariæ quidem sunt, vt lac in eis generetur, vnde infans nutriatur. Puer enim in vulua positus sanguine menstruo nutriebatur, vnde oportuit eundem natum habere nutrimentum eidem sanguini finitimum.

Vena namque concaua ad cor veniens, & de corde ad pectus exiens vsque in gutturis furculas ascendit, in duas maiores furcas diuidenda, simile facit arteria, quę ambæ furculatim descendunt in mammillas, & ambæ diuiduntur in ambas ac multipliciter diuisæ cum earum miscentur carne. *Lactis generatio.* Sanguis veniens in via excoquitur. Per concauam enim venam ad cor ascendit, & inde pectori redditur, de pectore vero ad cor redit. Por-

ro de corde penetrat ad mammillas, & venatim ſpargitur per eas, vbi tandiu moratur donec perfectiſſime excoquatur. Excoctus autem iacitur in mammillarum ſpongioſam carnem, quia caro iſta naturam habet lacteam, ſic ergo fit nutrimentum infantis. Itidem & hepar ſuccum cibi mutat in ſanguinis naturam, vnde nutrimentum detur membris cæteris, maximeque carnoſis.

Probatur lac fieri de ſanguine menſtruo.

Quia autem lac de ſanguine menſtruo fiat, & vlua mammillas attingat, ſignum eſt, quod multis à cõceptione incipiunt menſtrua ceſſare, vt infantibus in vulua poſitis iam videatur nutrimentum dediſſe. Mulierum abortiuum facientium emolleſcunt mammillæ, etiam ſi fuerunt ante duræ ſicut Hippocrates in aphoriſmis teſtatur. Si mulieris inquit poſtquam geminos conceperit, emollierit mammilla dextra, maſculus abortietur, ſiniſtra fæmina. *Auicenna vbi ſupra.* Mammilla eſt membrum creatum ad generãdum lac, vt nouiter natus eo nutriatur, vſquequo confirmetur, & virtute auctus fiat conueniẽs ad digerẽdum cibum fortem ac ſolidum. Et ipſa eſt corpus compoſitum ex venis & arterijs & neruis, inter quæ vacuitas exiſtit, quam glandoſa caro replet, cui non eſt ſenſus, & eſt albi coloris. Ideo quando aſſimilatur ei ſanguis albificatur, & quod ipſam nutrit, & quod ab ea ſuperfluit, & lac fit. In hoc ergo aſſimilantur mammilla & hepar, quod vtrumque conuertit humiditatem ad ſuam ſimilitudinem in natura & colore. Nam hepar rubificat chylum album, & facit ipſum ſanguinem. Mammilla vero ſanguinem rubeum albificat, & facit lac, venæ quidem & arteriæ ac nerui in ſubſtantia mammillæ poſitæ ramificantur in ea vſque ad partes villoſas, & habent in ea reuolutiones & circuitiones plurimas. Communitas autem mammillæ cum matrice in venis inter eas contextis in venarum anatomia cognoſcitur. *Ex lib. de na. re.* In mammillis venæ & arteriæ ſubtiliter diuiduntur, quæ multis circumuolutę reuolutionibus, & mammillas circundantes, carnem glandoſam & albam inter eas ſolidatam atque ſpiſſatam ſuſcipiunt. Quæ quicquid ſanguinis in ſuis foraminibus inuenitur immutat, donec illud naturæ ſuæ aſſimilans in lac conuertat, ſicut hepatis caro propter ſui ſimilitudinem, quod à ſtomacho & ab inteſtinis trahitur, tamdiu conuertit, donec ex eo ſanguinem faciat. *Iſidorus vbi ſupra.* Mammillæ ſunt vocatæ, quia rotundæ ſunt quaſi malæ, per diminutionem ſcilicet. Mammillas autem & mammas & vbera ita diſtinguunt, quod mammillæ virorum ſunt, mammæ vero mulierum, vbera autem pecudum.

Papilla.

Papillæ capita mammarum ſunt quod eas infantes quaſi palpant, dum lac ſugunt.

Vbera

Vbera dicta, vel quia lacte vberta, vel quia vuida humore ſcilicet lactis in more vuarum plena. *Ex lib. de na. re.* Mammillæ dicuntur inſtrumenta lactis & ſeminis, mammæ quidem vel mammillæ dicuntur virginum, vbera vero illarum quæ pepererunt. Nullum animal habet mammillas in anteriori parte, præterquam homo.

De Lacte.

CAPVT LXXXIIII.

Lac.

Iſidorus vbi ſupra. Lac vim nominis à colore trahit, quod ſit albus liquor. Leucos enim græci album dicunt, cuius natura ex ſanguine commutatur. Nam poſt partum, ſiquid ſanguinis nondum fuerit vteri nutrimento conſumptum, naturali meatu fluit in mammas, & earum virtute albeſcens lactis accipit qualitatem. *Auicenna tertio canone.* Lac multitudine ſanguinis boni multiplicatur, eiuſdemque paucitate vel bonitatis penuria minoratur. In paruitate quidem ſanguinis cauſa eſt, aut ex parte materiei, aut ex parte complexionis. Ex parte materiei, aut quia cibus eſt paucus, aut quia generationi ſanguinis ex eo contrarius propter ſiccitattem ſuam & frigiditatem ſuperfluam, aut quia conuerſus ad partem aliam ſcilicet fluxus ſanguinis, aut apoſtematis, aut huiuſmodi. Ex parte vero complexionis, quia complexio corporis aut mãmillæ exiccans eſt humiditatem, ita quod ex ea non generatur ſanguis, aut etiam propter ſuperfluitatem aquoſitatis eius, & elongationem ab æqualitate conueniẽte ſanguinea, aut aliqua eſt cauſa quæ conſumit ſubſtantiam ſanguinis, & corrumpit id quod ex ea generatur. Lac vero non generatur, niſi ex ſanguine bono. Huius autem cauſa eſt dominium vnius humorum trium, cholerę ſcilicet aut phlegmatis aut melancholiæ. Quandoque etiam ſanguis exuberat, ſed illaudabilis. Et ideo lac naturale non generat, ſed quod inde generatur eſt illaudabile.

Generatiua lactis.

Quod autem exuberare facit ſperma, exuberare facit in pluribus corporibus lac, vt lactuca, ſemen papaueris, & vber capræ, & ouis, & ſimilia. Sic etiam quod ſperma prohibet generari, vel illud exiccat, lac quoque minorat, vt ſemen canabi. Lac quidem quãdo ſuperfluit plurimũ nocet, & apoſtemat, & ægritudines affert. Aggregatur autem in mammilla quandoque abſque imprægnatione, proprieque quando mẽſtrua retinentur. Conuertitur autem materia quæ virtutem expellendi per matricem non inuenit, & in vbera peruenit, & lac fit: quandoque etiam in corporibus virorum propriè in puberibus aggregatur, ita vt eorum mammillæ rotundentur. Quandoque etiam mammilla caſeatur propter caliditatem exiccatiuam. Et quandoque propter frigiditatem congelatiuam.

Nota.

Ex libis de natura rerum. Lac eſt humiditas ſeparata in animalibus poſt imprægnationem. Lac mulierum nigrarum melius eſt quam albarum. In capris autem contrarium: lactis & ſeminis humiditas ex vnius fontis origine deriuatur. Quandoque etiam erumpit in maſculis, vt dicit Ariſt. ſed non apparet propter creationis eius ſpiſſitudinem. *Auicenna in ſecundo canone.* Lac mulieris valde confert in conſumptione, vel hectica, & eſt cura leporis marini quaſi tyriaca. Prouocat vrinam, & vlceribus matricis confert embrocatus vel ſuppoſitus. Idem cum opio ac cera & oleo ſedat dolorem podagræ.

De membris compoſitis vniuerſalibus, & primo de capite.

CAPVT LXXXV.

Auctor. Dicto de membris compoſitis particularibus, reſtat dicendum de membris compoſitis vniuerſalibus, & à capite inchoandum. *Iſidorus vbi ſupra.* Prima pars corporis eſt caput, datumque eſt illi hoc nomen, eo quod ſenſus omnes & nerui inde initium capiant, atque ex eo omnis vigẽdi cauſa oriatur. Ibi enim omnes ſenſus apparent, vnde ipſius animæ, quæ conſulit corpori, quodam modo perſonam gerit. *Ariſtoteles in lib. de animalibus.* Homo magnum habet caput comparatione ſui corporis. Et membra quidem hominis ſecũdum naturam ſunt maximè membrum ſuperius, id eſt caput, quia conuenientiam habet cum toto ſuperius, id eſt mundo. Nec eſt animal rectum & eleuati capitis niſi homo. Fuitque caput eius creatum paucæ carnis, vt eſſet melioris ac velocioris ſenſus. Si enim eſſet multæ carnis eſſet operatio cerebri contraria operationi naturali propter quam creabatur, ſc. ad infrigidandum cor. Nec in eo poſſent eſſe ſenſus, ſed eſſet cerebrum ſicut aliquod ſuperfluitatum. Principium verò ſenſus eſt in corde. Et duo quidem ex ſenſibus ſunt cõtinui cum corde, ſcilicet guſtus & tactus, tres vero reſidui ſunt in capite, ſcilicet viſus interior circa cerebrum. Auditus in poſteriori, quod eſt vacuum. Olfactus autem anterius in medio trium inſtrumentorum. Item ſi eſſet caput carnoſum, eſſet ponderoſum, cum econtra in omnibus animalibus eſſe debeat eleuatum & rectum. Propter hæc tria non eſt caro in capite, ſcilicet propter ſubtilitatem ſenſus, & parationem cerebri & capitis leuitatem.

Caput.

Cur caput non ſit carnoſum.

Auic. in 4. canone. Partes autem capitis eſſentiales & quę ſequuntur ea, ſunt capilli, cutis, caro, panniculus,

Partes capitis

deinde

deinde craneum, postea pāniculus durus, & post panniculus subtilis, qui secundina vocatur. Deinde cerebrum, id est substantia eius, & ventres ipsius, & quod in eis existit. Post hæc duo panniculi sub eo, deinde rete. Postea vero os quod est vas cerebri. *Isidorus vbi supra.* Vertex est ea pars qua capilli capitis colliguntur, in qua cæsaries vertitur, vnde & nuncupatur. Caluaria ab ossibus caluis dicta per defectum. Occipitium capitis pars posterior, quasi contra capitium, vel quod sit capiti retrorsum. Ceruix autem vocata, eo quod per eam partem cerebrum ad medullam spinæ dirigitur, quasi cerebri vita. Tempora sunt quæ caluariæ dextra lævaque subiacent, quæ ideo sic nuncupantur, quia mouentur, ipsaque mobilitate quasi tempora quibusdam interuallis imitantur.

De facie & fronte.

CAPVT LXXXVI.

ARistoteles *vbi supra.* Quod autem inferius est sub fissura capitis facies dicitur, non rectè nisi in homine, pars vero faciei superior frons. Omne animal habens caudam pilosam habet caput paruum, & mandibulas magnas. Homo vero maius habet caput cōparatione sui corporis. Pueri minoris sunt intellectus, quia habent caput crassum & ponderosum. *Augustinus de ciuitate Dei lib.* 23. Quis autem consulta ratione non videat in hominibus mirabiliter sic habere singulos singulas facies inter se ita similes, vt per hoc à cęteris animalibus discernantur, & rursus ita inter se dissimiles, vt ab omnibus cæteris quisque dignoscatur. *Facies omnes similes & dissimiles.* Quos ergo similes eosdem dissimiles inuenimus. Sed mirabilior est consideratio dissimilitudinis, quia similitudinem iustius videtur exposcere natura communis. Et tamen quia quæ rara sunt, mira sunt, multo amplius admiramur quando duos ita similes reperimus, vt in eis discernendis frequenter erremus. *Isidor. vbi supra.* Facies dicta est ab effigie, ibi est enim tota figura hominis, & vniuscuiusque personæ cognitio. *Vultus.* Vultus vero dictus eo quod per eum animi voluntas ostenditur, secundum voluntatem enim in varios motus mutatur. *Frons.* Frons ab oculorum foraminibus nuncupata est, hæc imago quædam animi mentis motum specie sua exprimit, dum vel læta vel tristis est. *Razi. vbi supra.* Frons plana rugas non habens significat rixositatem, multum vero rugosa frons inuerecūdiam. Frons parua signat stoliditatem, magna vero pigritiam, ad medium sui collecta irascibilitatem. *Physiognomia faciei.* Facies carnosa signat pigritiam & stultitiam. Subtilis autem cogitationum multitudinem. Rotunda quoque stultitiam. Permaxima pigritiam. Valde parua chaliditatem & malitiam. Longa quoque inuerecundiam. Fęda morum prauitatem. Color parum citrinitati propinquus, & facies parum tumida, inferiores palpebrę tumores habentes, hepatis innuunt debilitatem. Color ruffus aut rubeus sanguinis & caloris innuit similitudinem. Color autem inter rubeum & album medius æqualem signat complexionem. Si cum hoc & cutis nuda fuerit à pilis. Color flammeus signat instabilitatem & maniam. Rubeus & clarus verecundiam. Viridis aut niger morum prauitatem.

De Collo.

CAPVT LXXXVII.

ISidorus *vbi supra.* *Collum à columna* Collum dictum est, eo quod sit rigidum & rotundum vt columna baiulans caput & sustentans, quasi capitolium, cuius anterior pars gula vocatur, posterior ceruix. *Rumen. Gurgulio* Duæ sunt autem in collo fistulæ. Vna ciborum, Altera aeris, harum superior rumen vocatur, altera inferior gurgulio dicitur. Gurgulio à gutture nomen trahit, cuius meatus ad os & nares protendit, habens viam qua vox ad linguam transmittitur, vt possit verba collidere, & inde garrire dicimus. Rumen proximum est gurgulioni, quo cibus & potio deuorantur. Hinc & bestiæ quæ cibum reuocant & remandunt, ruminare dicuntur. *Sublinguium* Sublinguium est operculum gurgulionis, quasi parua lingua, quę foramen linguæ recludit operitue. *Constantinus vbi supra.* Homo collū habet duabus de causis. Aut propter motum capitis, vt scilicet ante moueretur, aut retro. Aut propter sonoritatem vocis, quoniam animal collo carens voce caret omnino, sicut piscis: aut si quam habet, raucam habet, vt rana. *Colli compositio.* Habet autem collum septem spondiles dorsi spondilibus minores & subtiliores, & concauitates largiores. *Ex libro de naturis rerum.* Collo caput corpori coniūgitur, ex carne cartilaginosa creatur & hoc interius magis, multitudo venarum in ipso est per quas à corde ad officia quinque sensuum animus effundatur. Collum semper in homine tantum parum à suo loco reflectitur in anterius quidem dextra lævaque, sed posterius nequit. Animalium colla in posterius sicut in anterius ad libitum reflectūtur, præterquam leonis, lupi, & leenæ, quæ rectis ceruicibus rigent, auium autem indifferenter. *Razi vbi supra.* Collum curtum signat hominem esse callidum & ingeniosum, longum autem & gracile stolidum & garrulum ac timidum. Porro durum ac forte designat iracundum atque festinum.

De humeris & brachijs.

CAPVT LXXXVIII.

ISidorus *vbi supra.* *Armi.* Humeri dicti sunt quasi armi, ad distinctionem hominis à pecudibus. Nam propriè armi quadrupedis sunt. *Ala.* Ala summi humeri pars posterior. *Ex libro de naturis rerum.* Humeri creati sunt ex ossibus fortibus ad sustinendum læsionem constituti. Carne quoque in ea parte fortiori, his insunt scapulæ ossa lata tenuia, quæ & humerorum debitæ latitudini satis facerent, carnem in ambitu fulcientes, & tenuitate moderata pectoris elegantiam non fędarent. Humeros habet homo maiores respectu corporis sui cæteris animalibus ad portandum & sustinendum onus. Brachia quoque ex fortissimis ossibus creata sunt, vt iuuamentum laboris sint, Et flexibilia ad omnem actū habilitata. In his quoque sunt nerui fortes, ac venę multiplices, è quibus etiam commodius secundum physicos superfluus ac noxius sāguis extrahitur. *Musculi brachiorū vulnerati mortē inferunt* Musculi brachiorum iuxta cubitum flexuræ brachij non recipiunt vulnera. Quia si receperint, indubitata mors sequitur. Abscisionem vero brachiorum cum musculis vita sustinet, sed non vulnera in musculis, vt dictum est. Idem & in musculis tibiarum & manuum quidam autumant, sed non est ita certum, sicut de musculis brachiorum.

Razi vbi supra. Humerum gracilitas paucitatem sensus ostendit. Amplitudo vero, sensus ostendit bonitatem, humeri vero eleuati stultitiam. *Brachia longa, quid designant?* Brachia longa, adeo vt manus genua possint attingere, nobilitatem animæ designant, & arrogantiæ, ac regnandi cupiditatem. Multum vero curta timiditatem atque malitiam. *Isidorus vbi supra.* Brachia à fortitudine nominata sunt. Bary enim Græcè graue & forte significat. In brachijs enim thori lacertorum sunt & insigne musculorum robur existit. Hi sunt thori, id est musculi, dicti thori, quod illic viscera torta videantur. *Cubitum* Cubitum dictum est, eo quod ad cibos assumendos in ipso cubamus. *Vlna* Vlna secundum quosdam vtriusque manus extensio est, secundum alios cubitus, quod magis est verum, quia Græcè elenos cubitus dicitur. *Alæ cur dictæ.* Alæ sub brachijs appellatæ sunt, eo quòd ex eis in modum alarum motus brachiorum inchoet, quas quidem ascellas vocant, quod ex eis brachia cillentur, id est mouentur. Nam cillere est mouere, has quidam subhircos vocant, propter quod in plerisque hominibus hircorum fœtorem reddant.

De manibus & digitis.

CAPVT LXXXIX.

Manus. MAnus dicta est, eo quod sit totius corporis munus. Ipsa enim cibum ori ministrat, ipsa operatur omnia, atque dispensat, per eam accipimus & damus. Dextra vocatur à dando, ipsa enim pignus pacis datur, ipsa fidei testis atque salutis adhibetur, læua vero dicitur eo quod aptior sit ad leuandum. Palma est manus expansis digitis, sicut contractus pugnus. *Arist. vbi supra.* Homo quia pluris est intellectus super animalia cætera, scilicet vt possit & sciat multa facere, dedit ei natura manus, sicut dantur fistulæ fistulatori. Nam quia valde intelligens est, instrumentis multis indiget, idcirco datæ sunt ei manus loco pedũ anteriorum, vt possit eis vti diuersis modis, quia manus non est vnum instrumentum, sed multa. Est enim homini sicut vnguis & vngula, & gladius & lancea, & alia instrumẽta, quia potest facere omnia ista, eiusque creatio conueniens est omnibus operationibus, quoniam extensa est & in multas partes diuisa.

Læua. *Palma.*

Itaque cætera animalia non habent nisi vnum vigoris modum, nec alium habere possunt, vel arma sua mutare, homo vero multos habet vigoris modos, & illos mutare potest in alios, quia potest vti manu in operationibus, & vna sola parte vti, vel duabus, vel pluribus secundum diuersos modos: sinistra quidem manus in hominibus & pes sinister in animalibus non est leuis motus, præterquam in elephante. In quorum autem manibus fuerint duæ vel tres lineæ totam palmam findentes, longitudinem vitę signat, contrarium vero contrarium. *Ex libro de nat. rer.* Digiti manui inserti sunt, vt habilitetur manus per illos ad omnem actum. *Razi. vbi supra.* Manus leues ac subtiles sapientiam multam, & intellectum bonum signant, multum vero curtæ stultitiam, sed & graciles & multum longæ tyrannidem atque stultitiam.

Signum ex manuum lineis vitæ longæ.

Digiti. *Isidorus vbi sup.* Digiti nuncupati sunt, vel quia decem sunt, vel quia decenter iuncti existunt. Primus pollex vocatus, eo quod inter cæteros polleat virtute & potestate. Secundus index est & salutaris, quia eo ferè salutamus, vel aliquid demonstramus. Tertius impudicus, quia plerumque per eum probri insectatio exprimitur. Quartus annularis, eo quod in ipso annulus geritur. Idem & medicinalis, quòd eo trita colliria à medicis colliguntur. Quintus auricularis pro eo quod aurem ea scalpimus. *Aristot. vbi supra.* Digitorum mobilitas conueniens est ad accipiendum & retinendum, horum pollex est curtus & crassus propter operationes fortes, nec adiuuatur homo per alios digitos sine pollice, itaque si non esset manus non esset accipere, & si non esset pollex non esset retinere. Pollex autem fortis est & vigor eius æqualis est omnium virtuti digitorum. Ideo crassus est & curtus, medius verò longus est sicut remus.

De thorace, & pectore, & ventre.

CAPVT XC.

Truncus. ISidorus *vbi supra.* Truncus est media pars corporis

Thorax. à collo vsque ad inguinem. Thorax à Græcis dicitur anterior pars trunci à collo vsque ad stomachum, quam nos dicimus arcam, id est secretum quo cætera arcentur. Cuius eminẽtes pulpę mammillę, inter quas pars illa ossea pectus dicitur, dextra autem læuaque

Pectus. costæ. Pectus autem vocatum est eo quod sit pexum inter eminentes mammillarum partes, vnde & pectinem dicimus, quod pexos faciat capillos. *Aristot. vbi supra.* Pectus homini latum est, in quadrupedibus autem esse non potest propter arteriarum pedum extensionem, & propter ambulationem. Ideo non habent mammillas in pectore sicut homo. Item pectus hominis paucæ carnis, auium autem carnosum & acutum, vt supra dictum est. *Ex lib. de nat. rer.* Pectus est pars hominis delicata, & quæ minus potest absque sui detrimento sustinere, tum propter cor quod in eo situm est, tum etiam propter internorum spiritalia, quæ & in illo quodam modo sedem habere videntur. In medio pectoris os amplum & latum & fistulosum situm est, cui costæ innectuntur ac nerui. Sub quo & venæ principales oriuntur. Indeque ramificant se ad membra diuersa compaginis.

Venter. *Isidorus vbi supra.* Venter est qui acceptos cibos digerit & apparet extrinsecus, pertingitque à pectore vsque ad inguinem, dictus venter, quod per totum corpus vitæ alimenta transmittat: venter autem mari assimilatur propter collectionem omnium humorum quasi congregationem aquarum. *Aluus.* Aluus est qui cibum recipit, & purgari solet, & vocatus est aluus, quod abluatur, id est purgetur. Ex ipso enim sordes stercorum defluunt. *Vterus.* Vterum solæ mulieres habent, in quo concipiunt, ad similitudinem cauliculi, vocatus est autem vterus, quod duplex sit, & ab vtraque in duas se diuidit partes, quę in diuersum diffusæ ac reflexæ circumplicantur in modum cornuum arietis, vel quod interius impleatur fœtu. Aqualiculus autem propriè est porci, hinc ad ventrem translatio. *Ex lib. de natur. rerum.* Venter est quasi saccus in quo interiora cuncta depẽdent. Dicit autem Aristoteles homines cani similes in ventre superiori, porco vero in inferiori: minus solertes sunt quibus auidissimus venter est, vt dicit Plinius. *Razi. vbi supra.* Ventris magnitudo nimietatem libidinis declarat. Carinarum gracilitas atque subtilitas cordis innuit debilitatem. Earum vero fortitudo ac super ipsas carnium multitudo stoliditatem. Corporis vero subtilitas audaciam.

De latere & dorso.

CAPVT XCI.

Latus. ISidor. *vbi sup.* Latus dictum est, quia iacentibus nobis latet, est enim læua pars corporis, dextro autem lateri habilior motus est, læuo fortior & oneri ferendo accommodatior, vnde & læua nuncupata quod aptior sit ad leuandum aliquid & portandum, ipsa enim gestat clypeum, ensem, pharetram, & reliqua onera, vt expedita sit dextra ad mouendum & agendum. *Dorsum.* Dorsum est à ceruice vsque ad renes, dictum autem dorsum eo quod sit superficies durior corporis in modũ saxi fortis & ad portandum & ad perpetiendum. *Tergum.* Terga vero quia in ea supini iacemus in terra, quod solus homo potest. Nam multa animalia tantum aut in ventre aut in latere iacent, vnde in animalibus terga abusiuè dicitur. Inter scapulum autem dicitur spatium quod inter scapulas est. *Palæ.* Palæ sunt dorsi dextra læuaque eminentia membra', dicta quod in luctando eas premimus, quod Græci palyn dicunt. *Spina.* Spina est iunctura dorsi, eo quod habeat radiolos acutos, cuius iuncturæ spondilia appellantur propter partem cerebri, quæ fertur per eos longo tractu ad cæteras corporis partes. *Sacra spina.* Sacra spina est vna perpetuæ spinæ quam Græci hierorachin vocant, quoniam primũ infante concepto nascitur, ideoque & hostia id primũ à Gentilibus dijs suis dabatur, vnde & sacra spina dicitur. *Ex lib. de natura rerum.* Dorsum habet initium à collo vsque ad exitum superfluitatum, spina vero quæ continuat ipsum dorsum à summo vsque deorsum, & ex multis ossibus constat, quæ omnia in medio perforata recipiunt vtriusque lateris costas in vna extremitate connexas sibi iunctura forti. Sunt autem ossa ista secundum numerum costarum. *Nucha.* Et per medium eorum perforatorum nucha descendit à summo verticis in modum funis, potest autem dorsum præcipuè labores sustinere. Sed cum ad senium homo peruenerit, incuruatur. *Isidorus vbi supra.* Costas appellari quidam putant, eo quòd ab ipsis interiora custodiantur, & tota mollicies ventris vallata seruetur. *Ex lib. de nat. rer.* *Costa.* Costæ hominis insertæ sunt octo vtrisque lateribus, nonnulli vero sunt qui habent decem in vtroque la-

tere,

tere, fortiores quidem in dextra, quàm in sinistra, sicut & in membris reliquis. *Razi. vbi supra.* Costarum amplitudo fortitudinem declarat & arrogãtiam, iramque multam. Curuitas autem morum malitiam, æqualitas verò bonum signum.

De anchis, & natibus, & coxis.

CAPVT XCII.

EX *lib. de natura rer.* Anchas habet homo loco caudæ, scilicet ad cooperationem digestiualis exitus, hoc ergo faciunt anchæ, quod in quadrupedibus caudæ, & homini transit in anchas, quod illis in caudas, vnde & hac ratione simia & vrsus caudam non habẽt, quoniam anchas habent vt homines. *Isidorus vbi supra.* Nates dicuntur eo quòd in ipsis nitimur dum sedemus, vnde & conglobata est in eis caro ne prementis corporis mole ossa dolerent. Item posteriora dicta sunt, quia retro sunt & à vultu auersa, ne dum aluum purgamus, inquinaremus aspectum. Meatus inde appellatus, quia per ipsum meant, id est egeruntur stercora. Fæmora dicta sunt quod ea parte à fæmina sexus viri discrepet. Sunt autem ab inguinibus vsque ad genua, fæmina autem per deriuationem fæmorum partes sunt, quibus in æquitando tergis equorum adhæremus. Coxæ dicuntur quasi coniuncti axes, ipsis enim fæmora mouentur, quorum concaua vertebra vocantur. quia in eis capita fæmorum vertuntur. Suffragines quia subtus franguntur, id est flectuntur non supra sicut in brachijs. *Arist. vbi supra.* Coxæ hominis crura multum carnosa sunt, quoniam homo recti corporis est, vt ergo sit declinatio corporis & via ad partem superiorem abstulit natura ex illa parte carnem & addidit inferiori propter pondus corporis, & vt sit corpus rectum. Cerebrum autem animalium econuerso superius, sicut dictum est in loco suo. *Razi vbi supra.* Ancharum gracilitas libidinem signat & corporis debilitatem ac timorem. Ossa vero ancharum cum foras tenduntur fortitudinem multam atque virilitatem. Coxæ multas carnes exterius habentes imbecillitatem declarant & laxitatem. Ossa vero coxarum foras prominentia significant audaciam.

Cur simia caudis carẽt.

Fæmora.

Coxæ.

De genibus & tibijs.

CAPVT XCIII.

ISidorus *vbi supra.* Genua sunt commissione fæmorum & crurium, & dicta, eo quod in vtero sint genis opposita, cohærent enim ibi sibi & cognata sunt oculis lacrymarum indicibus & misericordiæ, nam à genis genua dicuntur. Denique complicatum gigni formarique hominem dicũt, ita vt genua sursum sint, quibus oculi formantur, vt caui ac reconditi fiant. *Ennius* ait, atque genua comprimit arta gena. Inde est quod cum homines ad genua se prosternunt, statim lacrymantur, voluit emm eos natura vterum maternum rememorare, vbi quasi in tenebris consedebant, antequam venirent ad lucem. *Ex lib. de nat. rer.* Genu habet ossicula parua interius, quibus ad robur ligaminis spondilia tibijs coniunguntur, sub his autem nerui fortissimi, duo quidem principales, qui à renibus per spondilia, & de spondilibus medijs genibus per tibias vsque in calcaneum certa protensione ducuntur. Tibiæ vero locum tenent à genibus vsque ad pedes, & sunt quasi columnæ super bases pedum, hominis enim totum ædificium corporis his sustentatur. Et ideo necesse fuit vt ossium fortiori natura fulciretur; duo in eis ossa sunt, vnum scilicet maius, quod tibia dicitur ad hoc naturaliter roboratum, vt infortunij casus frequenter excipiat: Aliud verò minus validum, quod carnem & musculos in tibijs sustinet, & vsque ad talos dirigitur. *Isidorus vbi supra.* Crura dicta sunt, quia in his currimus & gressum facimus. Sunt autem sub genibus vsque ad suras. Tibiæ vocatæ sunt quasi tubæ, sunt enim & longitudine & specie similes.

Genua à genis.

Cur prostrati ad genua lacrymantur

Crura cursu dicta.

De pedibus.

CAPVT XCIV.

PEdes Græci podas dicunt, quia alternis motibus solo fixi incedunt: quorum digiti & decorem & vsum fecerunt. Nam currere non possumus nisi digitis in humo pressis, soloque innitentibus impetum saltumque capiamus. Plantæ à planitie nuncupatæ sunt: quia non rotundæ, vt in quadrupedibus ne stare non possit bipes homo, sed planæ atque longiores formatæ sunt, vt stabile corpus efficerent. Sunt autem plantæ anteriores partes, quæ etiam de multis ossibus constant. Calx prima pars plantæ dicitur, à callo nomen illi impositum est, quo terram calcamus, hinc & calcaneus. Solum inferior pars pedis dictum est, quia eo terræ vestigia imprimimus. Sed & solum dicitur omne quod aliquid sustinet quasi solidum, vnde & terra solum quod cuncta sustineat, & solum pedis, quia totam corporis molem portat. Talus dictus est à tolo, nam tolus eminens est rotunditas. talus autem sub crure est, sub talo calcanei. *Ex lib. de natura rer.* Pedes sunt quasi bases in fulcimento plantarum solidè roborati, qui quinque digitos in anterioribus non excedentes certa distinctione habilitantur ad gressus. In his autem digitis vngues cornei sunt, quibus eorum extremitas in offẽsione gressuum protegatur. Suntque breues & lenes non acuti vt vo-lucrum. Plantę pedum latæ sunt, quorundam quidem hominum strata planicie, quorundam autem in medio cauatæ. Et harum situs elegantior & firmior iudicatur. Plantarum cutis dura & spissa est vsibusque quotidie succrescens, vt raro in hominibus atteratur, maximeque in his qui nudis pedibus eundi diutius vsum habuerunt.

Planta.

Calx.

Solum.

Talus.

Pedes.

Cutis tamen illa plantarum, quæ tenuis & subtilis admodum est, ad eundum fortior & habilior iudicatur, vnde remedium est illis qui continui nudi pedes vadunt, & sæpius pedes lauent, lateribus plantas atterant, vt cutis subtilietur, & non durities siue crassicies nimia dissecetur: hoc itaque mirum de plantis demõstrat natura, quod vbi nec ferrum, nec æs duraret attritione continua, cutis ibidem omni æuo perseueret indemnis. Talos autem creauit Deus in posteriori parte pedis, vt æquaretur anteriori, quatenus per hoc firmaretur status & gressus hominis, totaque corporis fabrica per hoc quasi per basim firmissimam fundaretur, nec retrorsum cederet fulcimento subnixa. Cætera vero animalia talorum adiutorijs non egebant, quia prostrata sunt in faciem, nec ad cælos eriguntur. Simia tamen vt dicit Arist. talos habet, & ideo stare potest & ambulare vt homo, modicè tamen. *Razi. vbi supra.* Pedes in quibus est caro multa & dura hominem parui intellectus prætendunt, parui & pulchri fornicationem & iocosum innuunt. Calcaneum gracile timorem signat, crassum & forte fortitudinem. Cauillæ verò vtrinque & crura crassa inuerecundiam & hebetudinem. Gressus magni & tardi signant hominem pigrum. Citi verò & parui festinũ, ac de quibuslibet rebus valde solicitum, quas tamen nescit disponere. Motus tardus significat hebetudinem. Festinus autem leuitatem.

Cutis plantarum.

Simia talos habet.

De phisionomia membrorum humani corporis.

CAPVT CXV.

PLinius *lib.* 11. Miror autem Aristotelem non modo credidisse præscita vitæ esse aliqua in corporibus ipsis, verum etiam prodidisse. Quæ quanquam vana existimo, nec sine cunctatione proferenda, ne in se quisque & auguria quærat, attingam tamen quæ

Vita breuis ſigna.

tantus vir in doctrina non ſpreuit. Igitur vitæ breuis ſigna ponit raros dentes, prælongos digitos, plumbeum colorem, pluresque in manu ſciſſuras nec perpetuas. Contra longæ eſſe vitę incuruos humeris, & in manu vna duas inciſſuras longas habentes, & plures quàm 32. dentes, auribus amplis. Addidit quoque morum aſpectus ſimili modo apud nos Trogus, & ipſe auctor ſeueriſſimus, quos verbis eius ſubijciam: frons magna vbi eſt, ſegnum animum ineſſe ſignat, quibus paruo nobilem, quibus rotunda iracundum, velut hoc veſtigio tumoris apparente. Supercilia quibus porrigũtur in rectum, molles ſignat. Quibus iuxta naſum flexa ſunt auſteros. Quibus iuxta tẽpora inflexa, deriſores. Quibus in totũ demiſſa maleuolos & inuidos. Oculi quibuſcunq; longi, maleficos eſſe moribus indicant. Qui carnoſos à naribus angulos habent, malitię nota præuenti. Candidi pars extenta notam impudentię habet. Qui identidem operire ſolent inconſtantiæ. Auricularum magnitudo loquacitatis & ſtultitiæ nota eſt.

Auriũ magnitudo.

Razi. vbi ſupra. Capilli plani ſignificant timorem, criſpi verò audaciam, frons parua ſtoliditatem, magna vero pigriciam. Oculi varij vel virides malitiam. Ignei verò obſtinationem, aures magnæ ſtoliditatem, vitæque longitudinem, ſic de cæteris membris corporis, vt ſuperius dictum eſt in locis proprijs. Oportet autem cum de his iudicare volueris, non vnam tantum ſignificationem attendas, ſed inquantum vales ad earum congregationem intendas. Et ſi quando ſignificationum acciderit contrarietas, ipſarum virtutes ac teſtimonia metiaris, illarumque iudices teſtimonio quæ plures fuerint. Sciendum præterea quod faciei & oculorum ſignificatio præ cæteris omnibus in fortitudine ac firmitate præiudicat.

De medicinis ex humano corpore.

CAPVT CXVI.

Saliua.

Auicenna in 2. canone. Saliua hominis ieieiuni ſcorpiones interficit. Cum eadem & campho-ra fricatur impetigo, eadem quoque cum diſtillatur in aurem vermibus læſam eos interficit & ſtatim educit. Sordicies auris hominis confert emigraneæ & pannaricio, & linitur ſuper fiſſuras labij. Capilli quoque & dentes & oſſa hominis combuſta, & alia plura de homine medicinalia ſunt, vt ſuperius dictum eſt. Item vrina hominis vt iam ſuperius dictum eſt, abſtergit ſcabiem vlceroſam & pruritum, prohibetque ſerpiginem & impetiginem. Eadem in vaſe æneo cum melle cocta abſtergit albuginem oculi & confert palpitationi. Confert etiam ictericiæ, & propriè cum aquâ mellis, & aqua ciceris. Fæx eiuſdem vrinæ ſanat eriſipilam ſecundum quod dicitur. Et vrina infantis abſtergit morpheam & pannum. Eadem quoque bibita confert difficultati anhelitus & dilatationi. Item vrina hominis præ cæteris vrinis eſt magis abſterſiua, ponitur enim cum cinere vitis ſuper locum fluxus ſanguinis & ſiſtitur. Confert etiam morſui viperæ bibita, omnique morſui & punctura valet. Et quæ ex ea antiqua eſt, confert venenis omnibus & lepori marino. Alia quoque plura medicinaliter operatur, vt dictum eſt ſupra, in capitulo de hominis vrina. Sperma hominis propriè competit impetigini & ſedat dolorem podagræ. Dicitur etiam quod abſtergit morpheam. Stercus hominis calidum ſedat eriſipilam vt dicitur, & forſitan ſordiciei confert. Idem ſiccum cum melle aut vino bibitum in febribus periodicis, prohibet enim earum periodos. Confert etiam ictericię.

Sordes auris.

Vrina.

Nota.

Sperma.

Dioſcorides. Fimus humanus vulneribus impoſitus tumorem non admittit. Succus autem cum melle ſquinanticos curat. *Auctor.* Hæc de hominis creatione & vniuerſa eius natura, omniumque rerum quæ propter ipſum creatæ ſunt, immo cunctarum rerum, quæ ſub Deo ſunt viſibilium & inuiſibilium ad præſens dicta ſufficiant.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER VIGESIMVSNONVS.

Qualiter Deus opera sua iam facta considerauit.

CAPVT I.



POSTQVAM ergo compleuit Deus per sex dies opera naturæ: quæ ab æterno mente conceperat, vidit, vt ait scriptura, cuncta quę fecerat. In qua scilicet visione intelligunt duo, videlicet scientia vel cognitio & approbatio. *Augustinus de ciuit. Dei lib 6.* Porro si sciens Deus omnia fecit, ea vtique quæ nouerat fecit. Ex quo omnino occurrit quoddam mirum, sed tamen verum, quod scilicet iste mundus nobis esse notus non posset nisi esset, Deo autem nisi notus esset esse non posset. *Idem super Genesim lib. 12.* Nota ergo hæc omnia fecit, non facta cognouit: *Erant enim priusquam fierent in Dei scientia*; non erant in sua natura, nec audeo dicere ipsi Deo alio modo hæc innotuisse cum ea fecisset, quàm illo quo ea nouerat, vt faceret, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Facta præexistierunt in Dei scientia.

Idem de ciuit. Dei lib. 11. Non eius ergo hoc modo aliqua scientia variatur, vt aliud in ea faciant quæ nondum sunt, aliud quæ iam sunt, aliud quæ fuerunt, non enim more nostro ille vel futura prospicit, vel præsentia inspicit, vel præterita respicit. Sed alio quodam modo à nostrarum consuetudine cogitationum longè alteque diuerso. Non enim ex hoc in illud cogitatione mutate, sed tam præsentia, quæ iam sunt tam præterita quę iam non sunt, quàm futura quę nondum sunt, ipse stabili ac sempiterna videt præsentia, nec aliter videt ante, quàm postea, quia ita nouit tempora nullis temporalibus suis rationibus, quemadmodum ea mouet nullis suis temporalibus motibus. Non ergo quia facta opera sua vidit, scientia duplicauit, vel ex aliqua parte auxit, qui vtique tam perfectè non operaretur, nisi tam perfecta scientia, cui nihil ex operibus adderetur.

Deus nõ duplicat scientiam.

A *Petrus Lombardus.* Hinc tamen à quibusdam dicitur, plura quàm sciat Deus, scire posse, quia potest aliqua facere, quæ nunqnam erunt, & illa potest scire. Non enim aliqua incognita potest facere, quæ nunquam essent, verum quia totum hoc posset fieri sine mutabilitate scientiæ, constat Dei scientiam omnino immutabilem esse, nec augeri posse, vel minui, sed illa tantum, quæ subiecta sunt ei. Siquidem & ab æterno sciuit, & immutabiliter sciuit omne quod erat futurum.

Dei scientia nequit augeri.

Augustinus de ciuitate Dei lib. 15. Verum quis hominum comprehendere potest sapientiam illam, qua Deus nouit omnia, vbi vno conspectu simul præsto sunt omnia, quandoquidem nec à nobis comprehenditur nostra, non enim singula cogitatio aspicit, sed vna æterna & ineffabili visione complectitur cuncta quæ nouit, in hac potius angustia libet ad eum exclamare, mirabilis facta est scientia tua ex me. Ex me, inquit, intelligo, quàm sit mirabilis, & incomprehensibilis scientia tua, qua me fecisti, quia nec meipsum comprehendere valeo, quem fecisti.

B

Quòd ea bonitas ipsius approbauit.

CAPVT II.

C

QVid est autem, quod per omnia sex dierum opera in fine dicitur: Vidit Deus quia bonum est, nisi approbatio secundum artem facti, quæ sapientia Dei est. Sed dum Deus quia bonum est videt, quod nisi vidisset antequam faceret, non vtique fieret, nequaquam discit bonum esse, sed docet. Et Plato quidem plus ausus est dicere, Deum, scilicet elatum gaudio, perfecta mundi vniuersitate, vbi etiam ipse non adeo desipiebat, vt putaret operis sui nouitate beatiorem fuisse, sed sic voluit ostendere artifici suo placuisse factum, quod placuerat in arte faciendum.

Deus vidit bonum antequam faceret.

Mercurius Trismegistus. Placitum Dei necessitas sequitur, voluntatem effectus comitatur. Non enim credibile est Deo displicturũ esse, quod placuit, cum & futurum id, & placiturum multo ante præsciuit.

Augustinus super Genesim. Placuit ergo quod factum est, in ea benignitate, qua placuit vt fieret, duo quip-

pe sunt,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pe sunt, propter quæ Deus creaturam suam amat, videlicet vt sit, & vt maneat, vt ergo esset, quod maneret antequam facta esset, legitur, quod spiritus Domini super aquas ferebatur, in quo sancta bonitas ipsius, vt aliàs dictum est, intelligitur, vt autem facta maneret, vidit Deus, quod bona esset, manent enim quædã supergressa omnem tẽporalem volubilitatem amplissima sanctitate sub Deo, scilicet Angeli, qui semper eius visione fruuntur, quædam verò secundum sui temporis modos, dum per decessionem rerum, ac successionem sæculorum pulchritudo contexitur. *Item de ciuitate Dei lib.* 11. Ibi quoque vidit Deus bonum esse quod facit, vbi vidit bonum esse vt faceret. Nec quia factum vidit, vt dictum est, scientiam duplicauit, vel ex aliqua parte augmentauit. Quia vero tria de creatura maximè scienda nobis intimari oportuit, videlicet, *quis, & per quid, & cur illam fecerit.* Ideo per singula legitur, dixit Deus, fiat, & factum est, viditque Deus, quia bonum est. Si ergo quærimus, quis fecit, Deus est. Si per quid, per verbum. Si quare, quia bona est, nec auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo. Nec causa melior, quàm vt crearetur bonum à bono. Quam etiam causam condendi mundi Plato dicit esse iustissimam: hæc itaque causa tam iusta, tamque idonea, quam dicimus ad bona creanda fuisse Dei bonitatem diligenter considerat, & præcogitata, terminat omnes controuersias quærentium mundi originem.

Tria de creatura scienda.

Quòd omnia erant valde bona.

CAPVT III.

ERant quidem opera Dei singula per se bona, sed in vniuersitate erant omnia valde bona, sicut oculus in animali pulchrior est, quàm cum à corpore separatus est. *Idem super Genesim.* Hæc quidam hæretici non viderunt, quia egenam carnis huius fragilemque mortalitatem de iusto supplicio venientem, plurima dum ei non conueniunt, ostendunt, sicut ignis & frigus, aut fera bestia, & similia. Nec attendunt quantum in suis locis in natura vigeant, pulchroque ordine disponantur, quantumque vniuersitati rerum pro suis positionibus decoris, tanquam in communem rem publicam conferant, vel nobis ipsis, si eis congruenter atque sapienter vtamur, commoditatis attribuant. Nam & ipsa venena, quæ per inconuenientiam pernicioſa esse noscuntur, conuenienter adhibita in salutaria medicamenta vertuntur. Econtrario autem cibus, & potus, & cætera quibus delectamur, immoderato & importuno noxia vsu sentiuntur, vnde nos admonet diuina prouidentia, nequaquam res insipienter vituperare, sed earum vtilitatem diligenter inquirere, & vbi nostrum ingenium, vel infirmitas deficit, ita occulta credere, sicut erant quædam alia, quæ vix potuimus inuenire. Nam & ipsa vtilitatis occultatio, aut humilitatis est exercitatio, aut elationis attritio.

Mundus tãquam res publica vna.

Malum nomen est priuationis.

Omnino itaque nulla natura malum est, nomenque hoc non nisi priuationis est, verũm à terrenis ad cœlestia, à visibilibus vsque ad inuisibilia sunt alijs alia bona meliora. Ad hoc vtique inæqualia vt essent omnia. Deus autem ita est artifex magnus in magnis, vt non sit minor in paruis. Quæ scilicet parua non sua granditate, quæ nulla est, sed artificis sapientia sunt metienda. Nam verbi gratia, vide in hominis specie, si vnum supercilium radatur, quam propemodum nihil corpori, & quàm multum pulchritudini detrahitur, quoniam vtique non constat molle, sed parilitate membrorum atque dispositione.

Hugo in libro de tribus diebus. Necesse autem fuit vt visibilium conditio ita ordinaretur, quatenus in eis homo foris agnosceret, quale esset inuisibile bonum, quod intus quærere deberet, hoc est, vt subtus se videret, quid supra se appeteret, non ergo dicebat, vt rerum visibilum copia aliqua in parte defectum sentiret, quæ ob id maximè instituta est, vt inæstimabilem æternorum bonorum affluentiam nuntiaret. Certè homo cum multa facere desiderat, magna facere non potest, quia tantò minus præualet in singulis, quantò plura sunt per quæ intentionis suæ conatus diuidit. Rursus cum ad magnitudinem nititur, à multitudine retardatur, quia multis præstare non sufficit vires, quas ad vnius rei effectum specialiter effundit. Simili modo minor diligentia decori operis impenditur, quotiens ad multitudinem solam siue ad magnitudinem perficiendam animus occupatur. Sed in opere Dei nec multitudo magnitudinem, nec magnitudo multitudinem stringit, neque simul, vel multitudo, vel magnitudo pulchritudini officit, neque pulchritudo vtilitatem tollit, sed sic facta sunt omnia, quasi facta sint singula, vt cum vniuersa aspexeris, singula miteris.

γνώμη.

Cur non omnia facta sunt æqualia.

CAPVT IIII.

AVgustinus in libro quæstionum 83. Cum autem omnia Deus fecerit, cur non æqualiter fecit? quia non essent omnia, si essent æqualia. Non enim multa rerum essent genera, quibus conflatur vniuersitas, primas & secundas, & deinceps vsque ad nouissimas ordinatas habens creaturas, & hoc est quod dicitur omnia.

Primò omnia, & primò æqualia repugnant.

Idem contra aduersarium legis, & prophetarum. Si omnia essent æqualia, vnum esset genus bonorum non omnia. Nunc vero ideo sunt omnia bona, quia sunt alijs alia meliora, & bonitas inferiorum addit laudibus superiorum. Et in rerum bonarum qualitate ipsa est iucunda gratulatio vbi minorum comparatio amplior est commendatio.

Hugo super Ecclesiast. homil. 15. Si fortiter pertingit sapientia à fine vsque ad finem: ergo non est defectus opificis differens pulchritudo conditionis. Quare ergo nõ æquè pulchra sunt omnia, nisi vt magis pulchra sint simul vniuersa? Nam si non essent differenter pulchra singula, non essent incomparabiliter pulchra vniuersa: quia si esset vna pulchritudo in singulis quamlibet excellens illa foret, & cæteris omnibus eminentior, non esset omnis pulchritudo in vniuersis. Igitur sapientia à fine vsque ad finem fortiter pertingit, quia sic opera sua vsque ad fundum rerum prosequitur, vt etiam defectum inferiorum ad vniuersorum pulchritudinem moderetur, vt inde vniuersitas magis pulchra sit, quo in vniuersitate quædam aliorum comparatione, & defectum patiuntur. Nã hoc ipsum, quod in quibusdam eius operibus pulchris non pulchrum videtur, turpe tamen non est vbi est, sed minus in parte pulchritudinis habet, quia hoc in toto pulchrum est ad quod est, ergo ex eo in toto partium maxima est, quod in partibus differens, & multipliciter variata, distinctaque omnifaria pulchritudo. Suauiter enim omnia disponit, quia in tam multis, tamque diuersis rerum generibus, singula quæque ad terminum suum promouens, nihil vniuersitatis concordiam, pacemque turbare permittit, sed sic vnicuique quod suum est tribuit, vt dissimiliter currentia ad vnum finem conducat, & vnius operatio vim effectumque alterius non impediat.

Defectus singulorũ confert vniuersi pulchritudini.

De quarundam rerum eminentia.

CAPVT V.

AVgustinus super Genesim libro primo. Manent ergo, sicut est dictum supra, quædam in creaturis supergressa omnem temporalem volubilitatem in amplissima sanctitate sub Deo scil. angeli, qui semper eius

eius viſione fruuntur: quædam vero ſecundum ſui temporis modum, dum per deceſſionem rerum, ac ſucceſſionem ſæculorum, pulchritudo contexitur. *Idem in libro de ciui. Dei* 11. Cum enim Deus ſummè ſit, qui ad Moyſen dicit: *Ego ſum, qui ſum*, rebus quas creauit eſſe dedit, alijs amplius, alijs minus; atque ita naturas eſſentiarum gradibus ordinauit. *Idem in li. de natu. boni.* In his autem omnibus, quæ creata ſunt, omnia quanto magis moderata, ſpecioſa, ordinata, tanto magis bona ſunt: *malum quippe nihil aliud eſt, quam corruptio modi, vel ſpeciei, vel ordinis naturalis*, melior eſt tamen etiam corruptus per malam voluntatem ſpiritus rationalis, quam irrationalis incorruptus. Et melior eſt quilibet ſpiritus etiam corruptus, quam quodlibet etiam incorruptum corpus. *Petrus in itinerario li.* 1. Deus etiam cum feciſſet mũdum, ſingulis quibuſque creaturis principes ſtatuit, ipſis quoque arboribus, montibus, fluminibus, & vniuerſis quæ fecit. Statuit ergo angelis angelum principem, ſyderibus ſydus, dæmonibus dæmonem, auibus auem, piſcibus piſcem, hominibus hominem, qui eſt Chriſtus Ieſus.

Malum quid.

In quauis ſpecie eſt res princeps.

Quod in rebus ordinem naturæ non vſus ſed ratio diſcernit.

CAPVT VI.

Auguſtinus de ciu. Dei. li. 10. In his ergo, quæ à Deo facta ſunt, præponuntur viuentia non viuentibus. Et in his, quæ viuunt, ſentientia non ſentientibus, & in his, quæ ſentiunt intelligentia non intelligentibus, & in his, quæ ſentiunt, & intelligunt, immortalia mortalibus. Sed ita præponuntur ordine naturæ. Eſt autem alius, atque alius pro ſuo cuiuſque vſu æſtimationis modus, quo fit, vt quædam carentia ſenſu quibuſdam ſentientibus prẽponamus. Quis enim in domo ſua panem non malit habere, quam mures, nummos, quam pulices? Sed quid mirum, cum in ipſorum æſtimatione hominum, quorum natura tantæ dignitatis eſt, plerumque carius comparetur equus, quam ſeruus, gemma, quam famula? ita libertate iudicandi plurimum diſtat ratio conſiderantis à neceſſitate indigentis, ſeu voluptate cupientis. Cum illa quid per ſeipſum in rerum gradibus pendat, neceſſitas, aut quid propter quid expetat, cogitat, & illa quid verum luci mentis appareat, voluptas autem quid iucundum corporis ſenſibus blandiatur expetat. Sed & tantum valet in naturis rationabilibus quoddam velut pondus voluntatis, & amoris, vt cum ordine naturæ Angeli hominibus cum lege iuſtitiæ boni homines malis Angelis præferantur.

Ordo naturæ & æſtimationis.

Idem de li. arbitrio li. 3. Igitur aliter æſtimat ratio, aliter vſus. Ratio quidem æſtimat luce veritatis, vt recto iudicio minora maioribus ſubdat. Vſus autem conſuetudine commoditatis plerũque inclinatur, vt ea plus exiſtimet, quæ veritas minora, & viliora eſſe conuincit. Cum enim corpora cœleſtia terreſtribus ratio præponat, quis tamen carnalium hominum non mallet etiam plura deeſſe in cœlo ſydera, quam vnam arbuſtulam in agro ſuo, aut vaccam in armento? imitantur enim iudicia paruulorum, qui quemlibet hominum mori malũt, quam paſſerem ſuum, maximè ſi homo ille terribilis ſit, paſſer autem canorus, & pulcher.

Æſtimatio rationis & vſus.

Vtrum Deus alius vel melius aliquid facere poſſit quam fecit.

CAPVT VII.

Hugo ſuper magnificat. Aiunt autem quidam, non poteſt Deus alia facere, quam facit, nec melius facere quam facit. Si enim poteſt aliud facere, quam facit, poteſt facere quod non præuidit. Quod ſi præter præuidentiam aliquid fieri impoſſibile eſt, omne autem quod prẽquiſum eſt, fieri neceſſe eſt, aliud fieri, quam ſit nulla ratione poſſibile eſt. Amplius quicquid facit Deus ſi melius poteſt facere, quam facit: in hoc ipſo non benę facit, quia optimè non facit, facere quippe, & nolle melius facere etiam bonum facientis male facere eſt. Sed hæc pia mens in Deum dici non ſuſtinet. Eiuſmodi rationibus inducuntur, vt dicant Deum operum ſuorum menſura, ac lege ita aſtrictum, vt præterquam facit quicquam nec aliud facere poſſit, nec melius. Certum eſt enim quod omne, quod factum eſt in numero, & pondere, & menſura, legitimum terminum ſuum, & finem habet. Et iccirco ſi ad operis menſuram creatoris potentia, modumque componitur, ipſa procul dubio, & fine, & menſura terminari declaratur. Primum itaque conſiderari conuenit ſi Deus illa ratione, neque mutata, neque caſſata ſua prẽuidentia, aliud poſſit facere, quam facit. Conſtat enim quod omne, quod fit, ab ęterno præuiſum eſt futurum eſſe, quia ab æterno futurum eſt, quod tamen ipſum ab æterno non eſt. Et dicimus, quia poſſibile eſt, non fieri, quod futurum eſt. Et ſi mutaretur euentus, quod fieri poteſt, nunquam fuiſſet præuiſum, quod nunquam fuerat, futurum, & tamen ſtaret prævidentia in eo, vt non fieret, ſicut modo in eo conſiſtit vt fieret, non mutata, vt poſt aliam alia eſſet, ſed vt nunquam alia eſſet, ergo Deus poteſt aliud facere, quam facit.

Reſp.

Nunc illud reſtat vt diſcutiamus, vtrum melius aliquid facere poſſit, quam facit, hic illi dicunt ſingulas creaturas per ſe quidem conſideratas à perfecto minus habere, vniuerſitatem autem rerum omnium in tanta conſummatione boni expreſſam, vt non poſſit eſſe melior, quam eſt. Sed ſi ita ſummè bona eſt, vt nulla deſit ei boni perfectio, iam opus ſuum planè creatori æquatur, & vel extra metam extenditur, quod infra eſt, vel intra immenſitatem coartatur, quod ſummum eſt. Quod vtrumque pari inconuenientia impoſſibile eſt. Si vero ideo non poteſt eſſe melior, quia bonum amplius, quod ei deeſt, capere ipſa non poteſt, iam hoc ipſum non poſſe defectionis eſt, & poteſt melior eſſe, ſi fiat capax maioris boni, quia & hoc ipſe, qui fecit poteſt, ergo in ſe non poteſt, in Deo poteſt, quia ipſa non poteſt, ſed Deus poteſt, ergo ipſe melior eſſe non poteſt, ſed quod fecit omne melius eſſe poteſt. Si tantum ipſe voluerit, qui poteſt. Et ipſe quod fecit, melius facere poteſt, non tamen corrigens male factum, ſed bene factum promouens in melius, vt non ipſe quantum ad ſe melius faciat, ſed vt quod fecit ipſo idem operante, & in eodem perſeuerante melius fiat: ergo ſummipotens eſt, qui poteſt omne quod poſſibile eſt, nec ideo minus poteſt, quia impoſſibilia non poteſt, *quia impoſsibilia poſſe non eſt poſſe, ſed non poſſe*, propter hoc inquit Maria. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt &c.* Quia cum omnia Dei opera humani ſenſus capacitatem exuperare liqueat, prẽcipuè redemptionis ſacramentum, & incarnationis verbi myſterium ineffabile ſuper omnia eſſe conſtat. Nihil enim maius mirum vnquam factum eſt, quam quod Deus homo factus eſt. *Auguſtinus de Trini. li.* 13. Et alius quidem modus liberationis noſtræ, Deo qui omnia poteſt poſſibilis fuit, ſed nullus alius noſtræ miſeriæ ſanandæ conuenientior extitit.

Deus non poteſt impoſſibilia.

De vniuerſitatis apta, & firma compoſitione.

CAPVT VIII.

Hugo in lib. de tribus diebus. Compoſitio quidem debet habere duo ſcilicet aptitudinem, & firmitatem. Hoc eſt, vt componenda apte, & competenter coeant, & compoſita firmiter cohæreant. Itaque ſi vniuerſitatis huius mundi machinam intueris, inuenies, quam mirabili ratione, & ſapientia compoſitio omnium rerum perfecta ſit, & quam apta, quam congrua, quam cunctis partibus ſuis abſoluta, in qua non ſolum concordiam ſeruant, ſimilia, ſed ea etiam quæ creante potentia, diuerſa, atque repugnantia ad eſſe prodierunt, dicta ſapientia in vnam quodammodo amicitiam, & fœderationem conueniunt. Quid repugnan-

In mundo faderantur repugnãtia.

Obiectio.

gnantius esse potest aqua,& igne? quæ tamen in natura rerum ita Dei contemperauit prudentia, vt non solum adinuicem commune societatis vinculum non dissipent, verum etiam nascentibus cunctis, vt subsistere possint vitale nutrimentum subministrent. Quid de humani corporis compage loquar? vbi omnium membrorum iuncturæ tantam ad inuicem seruant concordiant, vt nullum omnino inueniri possit membrum, cuius officium alteri non videatur præstare adminiculum. Sic omnis natura se diligit, & miro quodam modo plurimum dissimilium, & in vnum redactorum concordia, vnam in omnibus harmoniam facit. Apta est ergo, & conueniens omnium rerum compositio.

Firmitas vniuers.

Sed quomodo est firma, quis non videat, quis non miretur? Ecce cœli qui ambitu suo concludunt omnia, quomodo solidi sunt, & quasi ex ære fusiles, desuper circumquaque oppansi. Terra vero in medio pondere suo librata, semper immobilis perseuerat, vt cætera in medio fluctuantia,hinc soliditas cælorum, illinc terræ stabilitas in vnum coerceant,& constringant, ne citra legitimos terminos diffusa, concordiam vniuersitatis disrumpant. Ecce quomodo per viscera telluris intrinsecus dracones aquarum sparsi & foris per alueos suos ad diuersa loca deducti intus fatiscentem ne dissoluatur conglutinant,& foris ne fatiscat, arentem rigant .Ecce quomodo in humani corporis fabrica,iuncturas ossium vincula neruorum ligant, & medullis intus per fistulas tibiarum diffusis,cannales etiam venarum vitalem sanguinem per omne corpus deducunt,ac deinde teneritudinem carnium cutis regimen inuoluit, vt rigor ossium intrinsecus corpus sustineat,& pellis munimen foris defendendo custodiat.

De mira omnium rerum dispositione.

CAPVT IX.

Dispositio vniuers.

POst compositionem sequitur, vt dispositionem rerum qualis sit consideremus, in cælo luminária, & stellas collocauit, vt subiecta omnia illustrent: in aere ventis,& nubibus fecit viam, vt agitationibus suis dispersæ pluuiam deorsum funderent. In gremio telluris moles aquarum recipi iussit, vt per gurgites suos hinc illincque, quo nutus ferret iubentis discurrerent. quasdam regiones ditauit vbertate frugum, quasdam vinearum, alias olerum, alias pecorum, alias potentibus herbis, alias gemmis preciosis, alias animalibus, & bestijs monstruosis, alias coloribus varijs, alias diuersarum artium studijs, alias metallorum, alias thymiamatum, generibus diuersis, vt nulla prorsus regio sit, quæ non aliquod præ cæteris nouum, & speciale possideat, nulla item quæ non aliquid nouum, & speciale ab alijs accipere queat. Quid quod ea etiam, quę humanis vsibus necessaria sunt,in communi hominum frequentia prouidentia creatoris constituit, ea vero quæ nonnullam propter necessitatem, sed cupiditas expetit propter speciem, in abditis terrarum sinibus abscondit, vt quem amor virtutis ab immoderato non castigat appetitu, saltem laboris studio victus conquiescat.

Dispositio temporum.

Quid de dispositione temporum? ecce post noctem venit dies, vt torpentes motio laboris exerceat, post diem sequitur nox, vt fessos ad refocillandum quies accipiat. Item quemadmodum vicissitudines dierum, & noctium animantia renouant, ita quatuor anni tempora ordine sibi succedentia totius mundi speciem immutant. Primum per teporem veris quadam innouatione mundus nascitur: deinde per feruorem æstatis, quasi in amænitatem roboratur: post hoc superueniente autumno ad maturitatem conscendit, postremo succedente hyeme ad defectum vergit, iccirco autem semper deficit, vt semper post defectum renouari possit, quia nisi prius à statu suo deficerent vetera, quasi illis locum occupantibus, non valerent exurgere noua.

Visus in homine est speculator.

Omnes sensus deforis intus veniunt, solus visus deintus foras exit, & eminus posita mira præ cęteris agilitate percipit. Bene ergo quasi speculator quidam eminentiorem locum cunctis obtinuit, vt quæ cæteris sensibus superuentura sunt, ante periculum præuidere possit: post hunc auditus, & loco & nobilitate est secundus: deinde vero olfactus. Gustus autem qui nil sentire potest, nisi id quod tangit merito, velut tardior cæteris sensibus in imo resedit. Tactus specialem sedem non habet, qui ideo vniuersalis est, quia cooperatur cunctis sensibus,vnde & in digitis pollex, qui tactũ significat, coadunatis in vnum digitis, solus omnibus respondet, quia sine tactu nullus sensuum esse potest videlicet quoniam in humano corpore ossa intrinsecus collocata sunt,quatenus robur eorum corpus sustineat, Deinde caro ossa vestit, vt duritia eorum molliter tactum excipiat, ad vltimum pellis carnem induit, vt sua quodammodo tenacitate ab incommodis foris accidentibus corpus muniat. Sic cortex munit arbores, sic pennę,& rostra volucres,sic squammę pisces,vide quomodo in motu locali sapientia conditoris appareat. Cogita,nunc vnde defluentibus aquis semper indeficiens vena ministratur, vnde motus ventorum ducitur, quis inuestigabilem astrorum cursum moderatur, quis solem per Hyberna descendere signa pręcipit.

De mirabili,ac multiplici rerum specie.

CAPVT X.

Species quid.

Species est forma visibilis, quæ continet duo, figuras, & colores. Figuræ enim rerum multis modis apparent mirabiles, aliquando ex magnitudine, aliquando ex paruitate, aliquando quia raræ, aliquando quia pulchræ. Secundum magnitudinem figura attenditur, quando res quælibet sui generis modum in quantitate excedit. Sic miramur gigantem inter homines, cetum inter pisces, grifen inter volucres, elephantem inter quadrupedes, draconem inter serpentes, vide quid magis miraris dentes apri vel tineæ, alas grifis vel cinifis, caput equi vel locustæ, crura elephantis vel culicis, aquilam vel formicam, leonem vel pulicem, tygridem vel testudinem, ibi miraris magnitudinem, hic paruitatem, corpus paruum magna sapientia conditum, magna sapientia cui nulla subrepit negligentia, illis dedit oculos quos vix comprendere potest oculus, & in tam exiguis corporibus sic omnipharia liniamenta naturæ suæ congrua pleniſſimè distribuit, vt nihil videas deesse in minimis eorum omnium, quę natura formauit in magnis, rursus alia idcirco miramur, quia monstruosa quodammodo sunt, vel ridiculosa. Quorum quidem plasmatio quantum ab humana ratione aliena est, tanto melius humanum animum in admiratione compellere potest.

Sagacitas animalium.

Quare crocodilus manducans inferiorem molam non mouet? quomodo salamandra & in igne illæsa manet? Quis dedit ericio spinas,& docuit eum,vt se pomis turbine discussis inuoluat? Quibus onustus incedens stridet quasi plaustrum: & formica hyemis superuenturæ præscia granis horrea sua replet: aranea quoque de visceribus suis laqueos nectit, vt prędam capiat,isti sunt testes sapientię Dei. Est adhuc aliud verum, & est euidens diuinæ sapientiæ argumentum,quod omne genus simile sibi procreat,& in tam multis similitudo vna propagata primæ originis formam non immutat: hoc quoque mirabile est,quod in vno corpore, tot constituuntur membra, tot membrorum formæ,tot loca,tot officia Et cum sint ita diuersa in se singula, inuicem tamen cooperantur omnia.

Color rerũ.

Por figuram sequitur color. Quid luce pulchrius: quæ cum colorem in se non habet, omnium tamen colores rerum ipsa quodammodo illuminando colorat, sicut aurum sol rutilat, luna pallet quasi electrum. Stellarum quædam flammeo aspectu radiant,

quædam

quædam luce niuea micant, quędam vero alternatim, nunc roſeum nunc viridem, nunc candidum fulgorem demonſtrant. Quid de gemmis narrem? Ecce tellus redimita floribus, quam iucundum ſpectaculum præbet, quomodo viſum delectat quomodo affectum prouocat? videmus rubentes roſas, candida lilia, purpureas violas, in quibus omnibus non ſolum pulchritudo, ſed origo quoque mirabilis eſt, quomodo ſcilicet Dei ſapientia de terræ puluere talem producit ſpeciem.

De varia, & mirabili rerum qualitate.

CAPVT XI.

POſt ſpeciem de qualitate rerum diſſerere debemus, tam diuerſas qualitates rebus indidit, vt omnis hominis ſenſus ſua oblectamenta inueniat. Quot enim oblectamenta oculorum in diuerſitate colorum monſtrauimus, tot oblectamenta aurium in varietate ſonorum inuenimus, inter quæ prima ſunt dulcia ſermonum commercia, quibus homines ad inuicem ſuas voluntates communicant, præterita narrant, præſentia indicant, futura nunciant, occulta reuelant, adeo vt ſi his careat vita humana, beſtijs comparabilis videatur. Quid autem concentus auium? Quid humanæ vocis melos iucundum? quid dulces modos ſonorum omnium commemorem? ſic eſt de olfactu, & cæteris ſenſibus. *Auguſtinus de ciuit. Dei libro* 12. Conſiderandum eſt ipſam generis humani miſeriam, in qua laudatur iuſtitia punientis, qualibus & quam multis repleuerit Dei bonitas, cuncta, quæ creauit, adminiſtrantis: In originali malo ſunt duo, peccatum ſcilicet atque ſupplicium. In originali bono ſimiliter alia duo, videlicet propagatio & confortatio, nam operatione qua vſque nunc operatur, facit vt ſemina numeros ſuos explicent, & à quibuſdam latentibus, & inuiſibilibus inuolucris in formas viſibiles huius quod aſpicimus decoris euoluant, ipſe incorpoream, corporeamque naturam, illam præpoſitam, iſtam ſubiectam miris modis copulans, & connectens animantem facit, quod opus eius tam magnum, & mirabile eſt, vt non ſolum in homine, qui eſt animal rationale, & ex hoc cunctis terrens animantibus excellentius, atque præſtantius, ſed in qualibet minutiſſima muſcula bene conſideranti ſtuporem mentis ingerat, laudemque pariat creatoris. Ipſe itaque animæ mentem dedit vbi ratio, & intelligentia in infante ſopita eſt quodammodo quaſi nulla ſit excitanda ſcilicet atque exercenda ætatis acceſſu, qua ſit ſcientiæ capax, atque doctrinæ & habilis perceptioni veritatis, & amoris boni, qua capacitate hauriat ſapientiam, virtutibuſque ſit prædita: præter artes enim bene viuendi, & ad immortalem perueniendi fælicitatem, quæ virtutes vocantur, & ſola Dei gratia, quæ in Chriſto eſt filijs promiſſionis, regnique donantur.

In originali malo & bono ſunt duo.

Nonne humano ingenio tot, tantæque artes inuentę ſunt, & exercitatæ? partim neceſſariæ, partim voluntariæ; vt tam excellens vis mentis, atque rationis, in his etiam rebus, quas ſuperfluas, immo & periculoſas, pernicioſaſque appetit; quantum bonum habeat in natura, vnde iſta potuit, vel inuenire, vel diſcere, vel exercere teſtetur. Veſtimentorum, & ædificiorum ad opera, quam mirabilia, quam ſtupenda induſtria humana peruenerit, quo in agricultura, quo in nauigatione profecerit quo in fabricatione quorumcumque vaſorum, vel etiam ſtatuarum, vel picturarum varietate excogitauerit, vel expleuerit pro ſalute mortali tuenda, atque reparanda, quot medicamenta, atque adiuuamenta comprehenderit, pro voluptate faucium quot condimenta, & gulæ incitamenta reperit, quot organa muſica quos cantilenæ modos excogitauerit, quam multa rerum mundanarum cogitatione ſe impleuerit, quis poſſit eloqui? maximè ſi velimus non aceruatim cuncta congerere, ſed in ſingulis immorari, Quis æſtimare ſufficiat?

Probatur magnum bonũ eſſe Naturæ.

Iam certa pulchritudo, & vtilitas creaturæ, quæ homini licèt in iſtos labores, miſeriaſque proiecto, atque damnato ſpectanda, atque ſumenda diuina largitate conceſſa eſt, quo ſermone terminari poteſt? in cæli, & in terræ, & maris multimoda, & varia pulchritudine, in ipſius lucis tanta copia, tamque mirabili ſpecie, in Sole, & Luna, & ſyderibus, in opacitatibus nemorum, in coloribus, & odoribus florum, in diuerſitate, ac multitudine volucrum garrularum, atque picarum; in multiformi ſpecie tot tantarumque animantium, quarum illæ plus habent admirationis, quæ molis minimum, plus enim formicularum, & apicularum opera ſtupemus, quam immenſa corpora balenarum, in ipſius quoque maris tam grandi ſpectaculo cum ſe ſe diuerſis coloribus velut veſtibus induit, & aliquando viride, atque hoc multis modis, aliquando purpureum, aliquando ceruleum, quam porro ſpectatur delectabiliter etiam quãtocumque turbatur, & fit inde maior ſuauitas, quia ſic demulcet intuentem, vt non iactet, & quatiat nauigantem. Quid ciborum vſquequaque copia contra famem? Quid ſaporum diuerſitas contra faſtidium naturæ? diffuſa diuitijs non coquorum arte, ac labore quæſita; quanta in multis rebus tuendæ ac recuperandę ſalutis auxilia, quam grata viciſſitudo diei alternantis, & noctis, aurarumque blanda temperies? Omnia quis commemorare poſſit? Et hic omnia ſunt miſerorum damnatorum ſolatia; non præmia bonorum. Quæ ergo illa ſunt ſi tot, ac talia, & tanta ſunt iſta.

Solatia hominis miſeria ex creaturis quanta.

De omnium harmonia, & pulchritudine.

CAPVT XII.

GRegorius Nazanzenus *de natiuitate Domini.* Laudabilis quidem mundus eſt pro ſingulis quibuſcunque ſpeciebus, ſed multo laudabilior ex harmonia omnium, & compage vniuerſorum, in quo ſumma eſt, & ſtupenda ex contrarietate concordia, dum inter ſe inuicem diuerſa ſunt, & cum ſingulis cuncta conueniunt, & ad vnius mundi perfectionem cum vniuerſis cuncta concordant. *Auguſtinus de ordine libro* 1. Hoc autem quæſtionibus plenum eſt, quod membra pollicis mirè, & diſtinctè diſpoſita ſunt, cũ inter hæc humana vita innumerabilium perturbationum inconſtantia verſetur, & fluctuet. Sed homines, qui vniuerſam rerum coaptationem atque concentum imbecilla mente complecti, & conſiderare non valent, ſi quid eos offenderit, quia cogitationi ſuæ magnum eſt, magnam putant rebus ineſſe fœlicitatem. Cuius erroris maxima cauſa eſt, quia homo ipſe ſibi incognitus eſt, qui tamen vt ſe noſcat, *magna conſuetudine opus eſt à ſenſibus recedendi*, & animum in ſeipſum colligendi, atque in ſeipſo retinendi, itaque ſibi redditus, quæ ſit pulchritudo vniuerſitatis intelligit, quæ profecto ab vno cognominata eſt, ideoque illum videre non licet animæ, quæ in multa procedit. Sectaturque auiditate pauperiem, quam neſcit ſola ſegregatione multitudinis poſſe vitari. Multitudinem vero non hominum dico, ſed omnium, quæ ſenſus attingit, nec mireris, quod eo magis ægeſtatem patitur, quo magis appetit plura complecti. Sicut enim in circulo quamuis amplo vnum eſt medium, quo cuncta conuergunt, quod centrum geometrę vocant, & quamuis totius ambitus partes innumerabiliter ſecari queãt: nihil tamen eſt præter illud vnum, quo cætera pariliter dimetiantur; & quod omnibus quaſi æqualitatis iure dominetur: hinc vero ſi in quamlibet partem ægredi velis, eo omnia amittuntur; quo in plurima pergitur, ſic animus à ſeipſo ſenſus immenſitate quadam diuerberatur, & vera mendicitate conteritur; cum eum natura ſua vbique vnum quęrere cogit, & multitudo inueniri non ſinit.

Quid homo ſe ipſum noſcat?

Idem in muſi. libro 6. In rebus mundi multa videntur nobis inordinata & perturbata, quia eorum ordini pro noſtris meritis aſſueti ſumus, quemadmodum ſiquis

Cur res apparent inordinatæ.

in ampliſſimarum & pulcherrimarum ædium vno aliquo angulo tanquam ſtatua collocétur, pulchritudinẽ eius fabricæ ſentire non poterit, cuius ipſe pars erit, nec totius exercitus ordinem miles in acie poteſt intueri. Amor quidem inferioris pulchritudinis animam polluit, quæ cum infimis etiam ordinem diligat, ipſa ordinem ſuum amiſit, non tamen ordinem rerum exceſſit, aliud enim eſt ordinem tenere, aliud teneri ordine.

Quod deformitas mali non minuit pulchritudinem vniuerſi.

CAPVT XIII.

Augustinus ſuper Gen. libro 3. Ea ergo quæ peccando proprium decus amittunt, nullo modo efficiunt, vt non etiam ipſa rectè ordinata cum vniuerſo mundo ſint, Deus enim naturarum optimus conditor, peccantium eſt certiſſimus ordinator, vt etiam ſi qua ſigillatim delinquendo fiant deformia, ſemper tamen cum eis vniuerſitas ſit pulchra. *Idem in enchiridio*, Ex omnibus conſiſtit admirabilis pulchritudo vniuerſitatis, ita quod etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum & ſuo loco poſitum eminentius commendat bona vt magis placeant & laudatiora ſint dum comparantur malis. *Idem de ciuitate Dei* 11. Neque vero Deus vllum angelorum vel hominum crearet, & malum futurum præſciret, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commodaret, atque ita ordinem ſeculorum tanquam pulcherrimum carmen, etiam quaſi quibuſdam anthetis honeſtaret, qualibus illum locum ſuauiter & decenter explicat apoſtolus per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam &c. Namque ſicut illa contraria contrarijs oppoſita ſermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam non verborum ſed rerum eloquentia contrariorum oppoſitione ſeculorum pulchritudo cõtexitur. Quod apertiſſime in eccleſiaſtico ſcriptum eſt, hoc modo. *Contra malum bonum, & contra mortem vita, ſic contra pium peccator* &c. non ergo mala voluntas quia ordinem naturæ ſeruare noluit, ideo iuſti Dei leges omnia bene ordinantis effugit, quoniam ſicut pictura cum colore nigro loco ſuo poſito ita vniuerſitas rerum, ſi quis intueri poſſit etiam cum peccatoribus pulchra eſt, quamuis per ſe conſideratos ſua deformitas turpet. *Idem pergens contra Manicheos.* Omnis denique pulchritudo quæ partibus conſtat, multo laudabilior eſt in toto, quam in parte. Tanta enim eſt vis ac potentia integritatis, vt etiam quæ multa per ſe ſingula bona ſunt tũc magis placeant, cum in vnum aliquid conueniunt atque cõcurrunt. Quod ſi Manichæi conſiderarent, vniuerſitatis auctorẽ laudarent, & quod eos propter immortalitatis noſtræ conditionem in parte offendit, ad vniuerſi pulchritudineẽ redigerent, eo quòd Deus omnia non ſolũ bona ſed etiam valde bona fecerit. *Idem in lib confeſſi.* 5. Ergo domine iniquos etiã & à te fugientes cernis, & vmbras diſtinguis. Et ecce cum eis omnia pulchra ſunt ſed ipſi turpes ſunt. Nihil ergo tibi nocuerunt, aut imperium tuum vbique iuſtum & integrum in aliquo dehoneſtauerunt.

Quod Nihil contrarium eſt vniuerſitati.

CAPVT XIIII.

Dionisius in lib. de diui. nominibus. Quod autem per omnem modum bono priuatum eſt, nec eſt, nec erit, nec erat, nec eſſe poteſt, quodque priuatur bono per irrationabilem concupiſcentiam, in hoc quidem nec eſt, nec exiſtentia concupiſcit, participat tamen bonum ſecundum ipſam vnitatis & amicitiæ conſonantiam obſcuram. Aegritudo etiam corporis defectus eſt ordinis, ſed non omnis. Si enim pænitus ordo deceſſet, vtique nec ægritudo iam eſſet. Denique nihil eſt vniuerſaliter naturæ contrarium, eius autem per ſingula videlicet à ſeinuicem diſſidentia. *Gloſſa ibidem.* Nihil enim quod totum totis obſiſtat in exiſtentibus eſt, quia quod vni præter naturam eſt, alij naturale eſt, non ergo in tota natura malum eſt. *Idem in libro de moribus Manichæorum.* Sed dicunt Manichæi malum eſſe ignem, ſcorpionem, feram, & huiuſmodi.

Quis autem meliuſcule imbutus non videat iſta per inconuenientiam nocere, ac per conuenientiam etiam prodeſſe. Nam ſi venenum quod eſt in ſcorpione per ſeipſum malum eſſet, eundem ſcorpionem prius perimeret, at contra, ſi ei detraheretur periret. Illius ergo corpori malum eſt amittere, quod noſtro recipere, & illi bonum eſt habere. Malum vero & illi & nobis eſt quod contra naturam eſt, id enim cuique generi malum eſt quod eius naturæ aduerſatur, eamque perimere nititur. Quædam facinoroſa mulier venenum, quod corto modulo damnati vti morerentur hauriebant, paulatim bibendo effecit, vt ſine vllo incommodo illud biberet. Cunque aliquando damnata eſſet, illam veneni quantitatem quam conſuetudine vicerat, accepit, nec extincta eſt. Quia ergo inconuenientia malum eſt, fecit illa vt per conſuetudinem moderatam illud corpus ſuo corpori conueniret, vt autem ſibi inconuenientia non noceret, nullo modo facere poſſet, quia quod vere & generaliter malũ eſt, ſemper & omnibus nocet. Elleborum nonne alio modo cibus eſt, alio medicamentum, alio modo venenum. Salem immoderatè acceptum quis non clamet eſſe venenum? Panis hominem alit, accipitrẽ necat. Quid ſtercore aſpernabilius? quod tamen tantã agris vtilitatem affert, vt eius inuentori Stercutio: à quo etiam ſtercus nomen accepit, diuinos honores Romani deferendos putarent. hic eſt ergo exitus diſpoſitionis, quia quicquid eſt, inquantum eſt ex Deo eſt: inquantum autem ab eſſentia deficit, ex Deo non eſſe probatur, ſed tamen à diuina prouidentia ſemper ſicut vniuerſitati congruit ordinatur. &c.

Venenum eſſe bonum probatur.

Stercutius inuentor ſtercorationis.

De pace diuina quæ adunat & copulat omnia.

CAPVT XV.

Gloſſa ſuper epiſtolam ad Philippenſes. Pax quidem Dei, qua videlicet Deus ipſe pacificatus vel pacatus eſt, ſecundum Apoſtolum exuperat omnem ſenſum ideſt omnem intellectum humanũ & angelicum. Neque enim nos neque angeli poſſumus eam noſſe: ſicut nouit & ipſe. *Auguſtinus de ciui. Dei li.* 11. Sunt etenim pater & filius vt dictum eſt ſupra: non participatione ſed eſſentia ſua, neque dono alicuius ſuperioris, ſed ſuo proprio ſeruantes vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. *Dionyſius vbi ſupra.* Ipſa porro diuina & Archiſynagoga pax omnium eſt adunatrix & omnium conſenſus: & connaturalitatis genitrix & operatrix, proinde & ipſam appetunt omnia partibilem eorum multitudinem conuertẽtem in totam vnitatem, & ciuile bellum vniuerſitatis adunantem in æquiformem cohabitationem: participatione ergo diuinæ pacis, primores congregatarum virtutum & ipſæ quidem ad ſemetipſas vniuntur, & ad ſeinuicem, & ea quæ ſibi ſubiecta ſunt vniunt ad vnam omnium priſtinam pacem. Ipſa quoque & ad ſeipſa, & ad ſeinuicem, & ad vnum perfectũque principium pacis vniuntur, & cauſam quæ videlicet impartibiliter ſuperfirmata totis velut quibuſdam clauſtris diuerſorum continentium, omnia terminat, omniaque conſummat & tutificat: hanc ergo vnam, & ſimplam pacificæ vnitatis contemplabimur naturam: omnes ſibi ac ſibimetipſis, & inuicem copulantem: omniaque inconfuſa omnium continentia & conſpicua, & contemperata ſaluantem: per quam videlicet vna & inſolubilis omnium complicatio ſecundum diuinam eius harmoniam ſubſtituitur, & conſonantia perfecta compaginatur, peruenit autem in omnia exiſtentia, coniungens ima per media ſummis, per vnam connaturalem coniugata inuicem amicitiam, ſeque perfrui donans & nouiſſimis vniuerſitatis extremitatibus, & omnia cognata faciens vnitatibus naturalibus, im-

Pax adunatrix.

Rerum eloquentia in antitheſis mundi

Ordo non deeſt penitus in rebus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mutabilibus ſocietatibus, & adiuuationibus. Omnibus ergo eſt pax amabilis, & nihil exiſtentium eſt, quod ab omnibus penitus cecidit vnitate pacis. Quod enim omnino inſtabile, & in collocatũ & infinitum eſt, neque in exiſtentibus eſt. Si enim quis dicat infeſtos eſſe paci eos qui contentionibus atque furoribus & alienationibus & inſtabilitatibus gaudent vel occupantur, & ipſi quidem obſcuriſſimis vmbris pacis concupiſcentiæ detinentur, ad quas videlicet paſſionibus turbati multum mobilibus eaſque indiſciplinate ſiſtere appetentes, æſtimant plenitudinem ſemper refluentium pacificare ſeipſos inſtructione vel adeptione ſiue defraudatione tenentium voluptatum perturbatos. Ipſa Deique pacifiua † humilitas ſecundum Chriſtum angelorum vtique ſedauit bellum.

† *Alias humanitas.*

Qualiter eadem pace perfunditur omnis creatura.

CAPVT XVI.

Pax in omnibus.

Qui bella volunt pacem appetũt.

Pax iuſta & iniqua.

Pax itaque corporis eſt ordinata temperatura partiũ. Pax animæ irrationalis eſt ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis eſt ordinata conſenſio cogitationis & actionis. Pax animæ & corporis eſt ordinata vita & ſalus animantis. Pax hominis mortalis cum Deo eſt ordinata in fide ſub æterna lege obedientia.

Pax corporis & animæ.

A

B

C

D

E

Augustinus de ciui. Dei lib. 5. Deus ergo omnipotens, qui homini eſſentiam cum lapidibus, vitam ſeminalem cum arboribus, vitam ſenſualem cum pecoribus, vitam intellectualem, cum ſolis angelis dedit, non ſolum cœlum & terram, nec ſolum angelum & hominem, ſed nec exigui & contemptibilis animantis viſcera, nec auis pennulam, nec arboris folium, nec herbæ floſculum, ſine ſuarum partium quadam conuenientia & quadam veluti pace derelinquit. *Idem li. 19.* Deinde tantum eſt pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil ſoleat gratius audiri nihil deſiderabilius concupiſci, nihilque tandem poſſit melius inueniri. Et ſicut nemo eſt qui gaudere nolit, ita nemo eſt qui pacem habere non velit. Siquidem & ipſi qui bella volunt, nihil aliud quam vincere appetunt. Et quid eſt vincere, niſi repugnantes ſubijcere? Quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis etiam intentione etiam bella geruntur aſſidue: vnde conſtat vtique pacem eſſe belli optabilem finem, latrones etiam vt vehementius ac tutius infeſti ſint paci cæterorum, volunt pacem habere ſociorum. Ipſe quoque ſęuiſſimæ feræ proprium genus cuſtodiunt quadam pace: videlicet coeundo, gignendo, nutriendo. Quanto magis homo naturæ ſuæ legibus fertur ad ſocietatem ineundam, pacemque cum omnibus obtinendam, cum etiam mali pro ſuorum pace belli gerant, vt vni cuncti & cuncta adſeruiant. Sic enim ſuperbia peruerſe Deum imitatur peruerſa, odit namque cum ſocijs æqualitatem ſub illo, & imponere vult ſocijs ſuis dominationem ſuam pro illo. *Odit ergo pacem Dei iuſti.am, & amat iniquam pacem ſuam. Nullo tamen modo poteſt qualemcumque pacem non amare,* quia nullum ita contra naturam eſt vitium, vt etiam extrema deleat veſtigia natura. Itaque pacem iniquorum ille videt nec pacem eſſe dicendam in comparatione pacis iuſtorum, qui nouit præponere recta prauis, ordinata peruerſis. Anima quoque corpori ſuo pacata eſt, ac pro ſalute illius ſatagit. Ideoque quando pectoris pax perturbatur, ipſa dolorem ſentit. Quæ ſi moleſtijs eius excluſa diſceſſerit, etiam tunc quamdiu mẽbrorum compago manet; non eſt ſine partium quadam pace quod remanet. Et ſiquidem nulla condiendi cura, quæ formam cadaueris diſſolui dilabique non ſinat abhibeatur, ſed naturali ſuo curſui relinquatur, tamdiu tumultuatur diſſidentibus exhalationibus, & noſtro inconuenientibus ſenſui, id enim eſt quod in putore ſentitur, donec elementis mundi conueniat, & in eorum pace paulatim particulatimque diſcedat. Sicque nullatenus inde aliquid legibus ſummi creatoris ordinatoriſque ſubtrahitur à quo pax vniuerſitatis adminiſtratur.

Ordo quid.

Pax ſinis bonorum.

Pax hominum ordinata concordia ipſorum. Pax domus eſt ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax ciuitatis ordinata imperandi atque obediendi concordia ciuium. Pax ſupernæ ciuitatis eſt ordinatiſſima & concordiſſima ſocietas fruendi Deo & inuicem in Deo. Pax omnium rerum eſt tranquillitas ordinis. *Eſt autem ordo parium diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio.* Proinde miſeri, quia inquantum miſeri ſunt, vtique in pace non ſunt, tranquillitate quidem ordinis carent, vbi nulla eſt perturbatio, veruntamen quia merito iuſteque miſeri ſunt tales, & in ea quoque ipſa miſeria ſua, ſine ordine eſſe non poſſunt, non quidem beatis coniuncti, ſed ab eis ordinis lege ſeiuncti. Sicut autem eſt vita quædam ſine dolore. Dolor autem ſine aliqua vita eſſe non poteſt, Sic quædam pax ſine bello, bellum autem ſine aliqua pace eſſe non poteſt. Non ſecundum id quod bellum eſt, ſed ſecundum id quod ab eis vel in eis geritur, quæ aliquę naturæ ſunt. Quod vtique nullatenus eſſent ſi non qualicumque pace ſubſiſterent. Nam & qui dolet in ſupplicio, cum amiſſæ naturę ſuæ pacem dolet, ex aliquibus pacis reliquijs id dolet, quibus vtique fit, vt ipſa natura ſibi amica ſit. Quapropter etiam bonorum noſtrorum finem poſſumus dicere pacem profecto cum dicat propheta, loquens ciuitati Dei Hieruſalem. *Qui poſuit fines tuos pacem.* Nam & ipſum nomẽ myſticum ciuitatis interpretatur viſio pacis, hanc pacem æternam nullus aduerſarius inquietabit, quæ talis & tanta erit qua melior eſſe non poſſit.

Deus vbique.

Quomodo Deus in omnibus.

Qualiter Deus vbique totus implet omnia.

CAPVT XVII.

Ioannes Damaſcenus. Eſt autem impartibilis Deus, totaliter ens vbique totus & non pars in parte corporaliter diuiſus ſed totus in omnibus & ſuper omne totus. *Hilarius de trinitate libro 8.* Deus immenſæ virtutis, viuens poteſtas, quę nuſquam non adſit nec deſit vſquam, ſe omnem per ſua edocet, vt vbi ſua ſint, ipſe eſſe intelligatur, & in omnibus eſſe non deſinat. *Auguſtinus ſuper Geneſim lib. 8.* Ipſe eſt interior omni re, quia in ipſo ſunt omnia, & exterior omni re, quia ſuper omnia, antiquior omni re, quia ante omnia, & nouior omnibus, quia idem ipſe poſt omnia. *Idem ad Bardanum de præſentia Dei.* Non ergo quaſi ſpacioſa magnitudine Deum per cuncta diſtendi vel diffundi opinemur, ſicut fumus & lux iſta diffunditur, ſed potius ſicut in duobus ſapientibus, quorum alter eſt grandior corpore, ſed non eſt ſapientior, vna eſt ſapientia, nec eſt in maiore maior, nec in minore minor, nec in vno quam in duobus minor, ita Deus ſine labore mundum regens, & continens in cœlo eſt totus, & in terra totus, & in vtroque totus, nulloque loco contentus, ſed in ſeipſo vbique totus. Ad ipſum enim pertinet non eſſe in parte, ſed vbique per ſeipſum eſſe. *Idem ſuper Pſalm.* Hinc de ſapientia Dei ſcriptum eſt, quod attingit à fine vſque ad finem fortiter, non quidem motu locali ſed immutabilitate ſui velut ſi moles aliqua ſaxea locum impleat aliquem, dicitur quod attingit à fine illius loci vſque in finem, cum tamen alterum non deſerat, dum alterum occupat.

Gregorius in Moralibus libro 16. Si ad orientem, inquit iuero, non apprehendam eum, creator ſiquidem omnium in parte non eſt, quia vbique eſt, & tunc minus inuenitur, cum is qui totus eſt vbique eſt, in parte quęritur. Incircumſcriptus namque ſpiritus, otinnia intra ſe ipſum habet, quæ tamen implendo circundat, & tranſcendendo ſuſtinet. *Iſidorus de ſummo bono.* Non ergo, vt dictum eſt ita putandus eſt eſſe in omnibus, vt vnaquæque res ex illo pro ſua portione capiat, id eſt, maxima maius & minima minus, cum ipſe potius in omnibus totus ſit, & intra ſuæ poteſtatis immenſitatem cuncta concludit, nec euadendi potentias eius aditum in-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

uenire quis poterit, quoniam ille intra iudicij omnipotentiam omnia circumquaque conſtringit, ſiue quæ continenda ſunt vt ſaluentur, ſiue quæ amputanda ſunt vt perdantur, nullatenus ergo poteſt quis effugere Deum, quia qui non habet placatum, nequaquam euadet iratum. *Iohannes Cryſoſtomus ſuper epiſtolam ad Hebræos.* Sicut itaque multa de Deo intelligimus quæ loqui penitus non valemus, ſic & multa loquimur de ipſo, quæ tamen idonei intelligere non ſumus, verbi gratia. Quod Deus eſt vbique ſcimus & dicimus, quomodo autem vbique ſit, intellectu non capimus. *Auctor.* Reuera mirum eſt & inueſtigabile, quod ipſe vbique eſt nec tamen in loco. Omnia ſunt in ipſo, nec tamen eſt locus. Ipſe eſt ſecundum Auguſt. intra omnia, non incluſus. Supra omnia non elatus. Infra omnia non depreſſus, vnde eleganter Empedocles ſic eum deſcripſiſſe fertur. *Deus eſt ſphæra cuius centrum vbique circumferentia nuſquam.*

Deſcriptio Dei.

Qualiter præſens eſt mentibus etiam pollutis.

CAPVT XVIII.

Auguſtinus in li. quæſtionum 85. In hoc autẽ Deus, in hoc & innoxia voluntas, in hoc recti facti meritum relucet, quia Deus vbique preſens eſt. Tũc enim vnicuique noſtrum ſimilis eſt, cui noſtræ mentis illibata puritas in eius præſentiam patet. Sicut enim oculorum viſus quicquid videre non poteſt, adeſſe non putat, cum viciatus fuerit, fruſtra quippe circunſtat oculos imago rerum præſens, ſi oculis integritas deſit, ita etiam Deus qui nuſquam deeſt, pollutis animis præſens eſt quem videre mentis cecitas non poteſt. *Idem ſuper Iohannem.* Non ergo ſatis fuit Domino dicere, vbi ego ſum, & illi ſint, ſed addidit mecum, quia mali & poſſunt eſſe, vbi ille eſt, qui nuſquam deeſt, *boni vero cum illo ſunt, quia eo fruuntur. Idem in libro confeſſion.* 5. Errant ergo inquieti & iniqui Domine, & fugiunt à te. Et quidem eos cernis, & vmbras diſtinguis. Et ecce cum eis omnia pulchra ſunt, ſed ipſi turpes ſunt. Quid ergo tibi nocuerunt aut in quo tuum imperium vbique iuſtum & integrum dehoneſtauerunt? Quo enim fugerunt, cum fugerent à facie tua? aut vbi tu non inuenis eos? fugerunt quidem, vt non viderent te, videntem ſe, & in te offenderent excæcati, quia non deſeris aliquid eorum quæ feciſti. In te igitur offenderunt iniuſti, vt vererentur iuſte, ſubtrahentes ſe lenitati tuæ, & offendentes in rectitudinem tuam, atque cadentes in aſperitatem tuam. Neſciunt videlicet quod tu quem nullus circumſcribit locus, ſis vbique, & ſolus es præſens etiam his, qui longe fiunt à te. Conuertantur ergo & quærant te, quia non ſicut ipſi deſeruerunt creatorem ſuum, ita tu deſeruiſti creaturam tuam, & ecce ibi es in corde ipſorum confitentium tibi, & proijcientium ſe in te, atque plorantium in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles, & tu facilis lachrymas eorum abſterges. Tales vtique iam gaudent etiam in fletibus, quia tu domine non aliquis homo caro & ſanguis, ſed tu ipſe qui feciſti eos rehcis eos & conſolaris, & vbi eram olim ego domine quando te quærebam, & tu eras ante me. Ego autem & à meipſo diſceſſeram, nec me inueniebam, quanto minus te. *Idem in libro* 8. Heu mihi domine, quam excelſus es in excelſis, & quam profundus in profundis, & nuſquam recedis, & vix redimus ad te. Age domine, fac, excita & reuoca nos. Accende & rape, flagra & dulceſce, amemus, curramus.

Impius diſcedit à ſe & à Deo.

Quod in rebus eſt Deus multis modis.

CAPVT XIX.

Gregorius ſuper cantica. Licet autem Deus communi modo omnibus rebus inſit præſentia, potentia, ſubſtantia, tamen familiariori modo dicitur ineſſe per gratiam illis qui mirificentiam operum Dei acutius & fidelius conſiderant. *Auguſtinus ad Bardanum.* Deus eſt inhabitator quorundam nondum cognoſcentium ſe, vt paruulorum baptizatorum, & non quorundam cognoſcentium ſe, qui ſcilicet cognoſcentes Deum non ſicut Dominum glorificant. Igitur quem potuerunt illi noſſe nec habere, iſti potuerunt habere antequam noſſe. Beatiſſimi autem ſunt illi, quibus hoc eſt habere Deum quod noſſe. *Idem contra Maximinianum.* In templo enim ſuo habitat Deus, id eſt in cœlis. Sed dicit aliquis antequam faceret Deus cælum & terram antequam faceret & ſanctos vbi habitabat? *in ſe habitabat, in ſe habitat, & apud ſe eſt.* Non ergo ſic ſancti ſunt domus Dei, vt ipſa ſubtracta cadat Deus. Sed ſic habitat in eis, vt ſi ipſe diſceſſerit cadant. *Petrus Lombardus.* Fatendum eſt ergo vbique Deum eſſe per deitatis præſentiam, ſed non vbique per inhabitationis gratiam, propter quam non dicimus. Pater noſter qui es vbique, cum hoc verum ſit, ſed qui es in cælis, id eſt in ſanctis in quibus eſt quodam excellentiori modo.

Deus erat in ſe ante orbi conditum, ſicut nunc eſt in ſe.

Sciendum ergo, quod Deus incommutabiliter in ſe exiſtens, præſentialiter potentialiter, eſſentialiter eſt in omni natura ſine ſui diffinitione, & in omni loco ſine circumſcriptione, & in omni tempore ſine mutabilitate. Eſt præterea in ſanctis ſpiritibus & animabus excellentius ſcilicet per gratiam inhabitans, eſt in homine Chriſto excellentiſſimè in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, in eo enim habitat Deus nõ corporaliter per gratiam adoptionis, ſed per gratiam vnionis. *Auctor.* In ſumma notandum eſt quod quinq; modis Deus dicitur eſſe in rebus, per naturam, per gratiã, per gloriam, per vnionem, per loci circumſcriptionẽ. Per naturam tripliciter ſcilicet potentialiter præſidendo, præſentialiter cognoſcendo, eſſentialiter ſuſtentando. Per gratiam tripliciter ſcilicet inhabitatione, vt in ſanctis vel iuſtis, Efficacia, vt in ſacramentis, Myſterio vt in columba. Per gloriam tripliciter ſcilicet in vi rationali, inquantum veritas. Per cognitionem in concupiſcibi, inquantum bonitas. Per delectationem in iraſcibili, inquantum poteſtas, vel maieſtas per reuerẽtiam. Per vnionem tripliciter ſcilicet ad humanam naturam in Chriſto. Ad carnem tantum, in ſepulchro. Ad animam tantum, in inferno. Per loci circumſcriptionẽ ſiue per præſentiam corporalem tripliciter ſcilicet in vtero virginis per conceptionem. In mundo per eruditionem. In cęlo per patris ad dexteram ſeſſionem.

Quomodo Deus in ſanctis.

Quod etiam in ipſo ſunt omnia.

CAPVT XX.

Auguſtinus ſuper Geneſim libro 4. Cuiuſque etiam rei perfectio non tam in vniuerſo cuius pars eſt, quam in eo à quo eſt, in quo & ipſum vniuerſum eſt, pro ſui generis modulo ſtabilitur vt quieſcat id eſt, vt momenti ſui ordinem teneat. Ipſe quippe qui nullo indiget extra ſe, dum in ſeipſo manet, quicquid ex ipſo eſt, ad ſe retorquet, ſicut videlicet plenius dicetur inferius *Hugo ſuper Hierarchiam.* Ex ipſo igitur vt ait ſcriptura diuina, & in ipſum ſunt omnia, ex ipſo videlicet procedentia. In ipſum conuerſa. Ex ipſo principio, In ipſum finem. Omnia ſiquidem ab ipſo accipiunt ſubſiſtendi principium. Et finem conuerſionis in ipſum. *Dionyſius in libro de di. no.* Ex ſumma itaque bonitate, & in ipſa ſunt omnia, menſurate & conuolute & vnice, ſicut in monade omnis numerus ſubſiſtit, & in ea vnitur, & quantum à monade prouenit, tanto diſcernitur & multiplicatur. Et ſicut in centro omnes circuli lineæ ſecundum primam vnitatem conſtitutæ ſunt, & omnes habet in ſemetipſo ſimplas vniformiter vnitas ad ſeinuicem, & ad vnum, principium à quo procedunt. Et ſimpliciter quanto centro proximiores ſunt, tantum & ipſi & ſibiinuicem adunantur, & quantum ab eo, tantum & à ſeinuicem diſtãt. In ipſo ergo cauſali omniũ, ſunt omnia principia, omnes confines, omnes concluſiones, omnia exiſtentia coambiens eſt, & præhabens. Proinde & omnia ſimul

Quomodo in Deo omnia.

de eo

de eo prædicantur & nihil eſt exiſtentium. *Aug. de natura boni.* Cum autem in Deo ſunt omnia quæ condidit, non tamen eum inquinant illi qui peccant. De cuius etiam ſapientia quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, dicitur quòd attingit vbique propter ſui munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrit.

Quod ipſum eſſe Deum oſtendunt omnia.

CAPVT XXI.

Deus cognoſcitur per receſſum à creatis.

Penſatur ex operum admiratione.

Dionyſius vbi ſupra. Deum itaque non ex ſua cognoſcimus natura, ſed ex omnium exiſtentium ordinatione ex ipſo prætenta imagines quaſdam diuinorum ipſius habente. Omnique via & ordine in ipſum redeundum, omni ablatione & eminentia in cauſa omnium. Proinde & in omnibus & ſine omnibus & per ſcientiam & ſine ſcientia cognoſcitur Deus, vtique ſecundum ſuper omnem animum vnitatem cognoſcitur, ſcilicet cum animus exiſtentibus omnibus recedens, deinde & ſeipſam relinquens, ſuper apparentibus radijs vnitur, inde inſcrutabilis ſapientiæ profundo illuminatur, quæ, vt dictum eſt, cognoſcenda eſt ex omnibus, ipſa eſt omnium factrix, ſemper compaginans omnia, & inſolubilis omnium congruentiæ & ordinationis cauſa, ſemper priorum fines ſæculorum connectens, & vnam vniuerſitatis conſpirantiam harmoniamque pulchram faciens.

Gregorius in Moral. lib. 27. Certè ſicut iam ſuperius dictũ eſt, omnis homo eo ipſo quòd rationalis conditus eſt, ex ipſa ratione illum qui ſe condidit, Deum eſſe colligere debet, vnde per quendam ſapientem in lib. Iob dicitur. *Omnes homines vident eum.* Quem nimirum iam videre, eſt dominationem illius ratiocinando conſpicere. Rectè quoque ibidem ſubiungitur, *vnuſquiſque intuetur procul.* Ipſum quippe procul intueri eſt non iam illum per ſpeciem cernere, ſed adhuc ex ſola operum ſuorum admiratione penſare.

Iſidorus de ſummo bono libro primo. Ex pulchritudine quippe circumſpectæ creaturæ, pulchritudinem ſuam quæ circunſcribi nequit Deus intelligi facit, vt ipſis homo veſtigijs ad Deum reuertatur, quibus auerſus eſſe probatur, videlicet vt quia per amorem pulchritudinis creaturæ à creatoris forma ſe abſtulerat, rurſum per creaturæ decorem ad creatoris pulchritudinem redeat. Quibuſdam etenim gradibus intelligentiæ per creaturam homo progreditur ad intelligendum creatorem, videlicet ab inſenſibilibus ad ſenſibilia, & à ſenſibus ad rationalia, & à rationalibus ſurgens ad creatorem, ſicut dictum eſt ſupra. *Richardus in prolo. libri de trinitate.* Cogitemus itaque quantum in eius cognitione ſtuduerũt, vel quouſque profecerunt etiam huius mundi philoſophi, & pudeat nos in hac parte inferiores illis inueniri. Amplius aliquid in nobis debet amor veritatis quam in illis potuit amor vanitatis. Amplius etiam aliquid in his nos poſſe oportebit, quos fides dirigit, ſpes trahit, charitas impellit.

Qualiter ipſum laudat omnis creatura.

CAPVT XXII.

Cõfeſſio creaturarum de Deo.

Auguſt. in lib. confeſſionum. Non ceſſat nec tacet Domine laudes tuas vniuerſa creatura tua, nec ſpiritus omnis per os conuerſum à te, nec animalia, nec corporalia per os conſiderantium ea, vt exurgat in te à laſſitudine anima noſtra, innitens his quæ feciſti, & trãſiens ad te qui hæc mirabiliter feciſti, ibique refectio & vera fortitudo. *Idem in lib. 10.* Interrogaui de Deo meo terrena & cæleſtia, & exclamauerunt omnia vocem magna: vere Deus non ſumus nos, ſed ipſe fecit nos, interrogatio mea, intentio mea, reſponſio eorum, ſpecies eorum, hæc quidem ego interior homo cognoui per exterioris hominis miniſterium, id eſt, per ſenſum corporis mei mihi renuntiantes interius præſidenti, ac de illorum reſponſione iudicanti. Sed nunquid apparet hæc creaturarum ſpecies hominibus quibus eſt integer ſenſus? Cur ergo non eadem loquitur omnibus? Animalia quidem, etiam puſilla eum vident, nec tamen interrogare valent. Non enim eſt in eis iudex ratio præpoſita ſenſibus hæc illi ad iudicandum nunciantibus: homines autem interrogare quidem poſſunt vt inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciant, ſed amore ſubduntur eis, & ſubditi de illis iudicare non valent nec illa interrogantibus, niſi iudicantibus reſpondẽt, nec vocem ſuam mutant, id eſt ſpeciem ſuam, ſi alius videns interroget, & alius tantum videat, vt aliter huic & aliter illi appareat. Sed eodem modo vtrique apparens, huic muta eſt, illi loquens, immo vero omnibus loquitur, ſed illi tantum intelligunt, qui vocem eius foris acceptam intus cum veritate conferunt, veritas enim dicit, cœlum & terram & omne mutabile nõ eſſe Deum, hoc dicit natura eorum.

Totus mundus Deo ſortis præter hominem.

Hieronymus ſuper Pſal. 148. Rectè igitur ſcriptum eſt de laude diuina. *Laudate eum ſol & luna &c.* In hoc quippe Deum laudant, quod ab officio ſuo non recedunt. Nam ſeruitium eorum laus Dei eſt, de quo & paulo poſt ibidem ſcriptum eſt. *Præceptum poſuit, & non præteribit.* Nam ecce ſol & luna curſus ſibi ſtatutos nunquam mutant. Totus quoque mundus Deo ſeruit, & præceptum eius meminit, nec præterit, & homo ſolus non meminit. Denique, *laudate,* inquit, *eum omnes abyſſi, grando, nix, &c.* videte concordantem diſcordiam, aqua & ignis ſimul laudant, vniuerſa quæ naſcuntur ex aqua, naſcuntur & ex igne, hoc eſt, ex humore & calore, nec vnum ſine altero poteſt generare. Non eſt tam contrarium quàm humor calori, & econuerſo. Et tamen voluntate Dei hæc quæ inter ſe diuerſa ſunt in noſtra natiuitate concordant. *Idem ſuper Pſal. 11.* Parua quidem in quibuſdam animantibus ſunt corpora, ſed ratio magna. Ego ſic Deum miror in elephanto quomodo in formica, ſic eum in camelo prædicto, quomodo & in culice, vide culicem, quomodo quaſi punctus eſt corpuſculi cuiuſdam, in quo tamen omnia ſunt membra diuiſa. Habet enim ſex pedes, duos oculos, habet etiam os, habet ventrem, habet alas, habet vocis tubam. Si membra conſideraueris, corpus non inuenis, & tamen in eo magnificatur Dei ſapientia, quia ſine corpore mẽbra ſunt omnia. *Idem ſuper Danielem.* Hinc etiam ſcriptum eſt. *Benedicite omnia opera domini Domino laudate, &c.* Omnis quippe creatura non voce, ſed opere Deum laudat quoniam ex creaturis creator intelligitur, & operibus ſingulis eius magnificentia demonſtratur. *Gregorius in Moralibus libro 11. Interroga,* inquit, *iumenta, & docebunt te, &c.* Iumenta ſiquidem & volatilia & terram & piſces interrogamus, cum eorum ſpeciem conſideramus. Quæ nobis concorditer reſpondent, quòd omnia manus Domini fecerit, quia eo ipſo quòd creatura ſunt, per oſtenſam ſpeciem creatori ſuo quaſi vocem confeſſionis reddunt.

Deus admirandus in culice.

Qualiter apparent in ea diuinæ trinitatis veſtigia.

CAPVT XXIII.

Omnipentia. Bonitas Dei. Simplicitas.

Auguſt. de trinit. lib. 6. Denique hæc omnia quæ arte diuina facta ſunt, & vnitatem in ſe quandam & ſpeciem & ordinem oſtendunt. In illa vero trinitate creatrice ſumma eſt omnium rerum origo, & perfectiſſima pulchritudo, ac beatiſſima delectatio. *Idem in lib. de fide ad Petrum.* In eo primum trinitatis quæ Deus eſt, æternitas naturalis agnoſcitur quia quædam ita fecit, vt cum eſſe cæperint, non tamen aliquando non eſſe poſſunt. In eo vero eius omnipotentia intelligitur, quòd omnem creaturam viſibilem & inuiſibilem de nihilo fecit, in quibus ipſa rerum diuerſitate multo magis ipſius bonitas & omnipotentia commendatur, niſi enim omnipotens eſſet, non vna eademque facilitate ſumma & ima feciſſet. Et niſi ſummè bonus eſſet, non ſe gubernandis rebus, etiam in infimis præſtitiſſet. Simplicitas denique multiplicis ſapientiæ Dei commendatur, non ſolum in creaturarum ſublimium magnitudine, ſed

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

etiam infirmarum paruitate, dum omnia bona creata non ſolum inferius diſſimiliuſque ſuo creatore ſunt, vtpote non prolata de ipſo, ſed facta de nihilo, verum etiam inter ſe non æqualiter ſunt, ſed permanent ſingula, ſicut à Deo vt eſſent acceperunt. Denique niſi naturaliter immutabilis eſſet, nunquam in rebus mutabilibus ordo conſilij ac diſpoſitionis eius incommutabilis permaneret. *Idem in lib. 3. de ſymbo.* In igne quidem maximè Deus apparere voluit, quoniam habet hoc elemẽtum magnum vtique ſacramentum, per quod exerceat quærẽtium ingenium. In igne quippe tria conſpicimus, ignem, ſplendorem, calorem, quæ ſimul conſiſtunt & vnum lumen ſunt. Et cum hæc tria inſeparabiliter operentur, tamen igni attribuitur vſtio, ſplendori illuminatio, calori calefactio. *Hugo de trin. di.* Denique mundus iſte ſenſibilis eſt quaſi liber quidam digito Dei ſcriptus, hoc eſt diuina virtute creatus, & ſingulæ creaturæ ſunt quaſi figuræ, & vt alias dictum eſt, Potentiam Dei manifeſtat creaturarum immenſitas, ſapientiam decor, benignitatem vtilitas. Immenſitas creaturarum magis ad eſſentiam, decor vero magis pertinet ad formam, Eſſentia vero abſque forma conſiderata informitas eſt, quod autem informe eſt, in hoc quidem quod eſt, ſimile Deo eſt, ſed in hoc quod forma caret à Deo diſſidet. Quod ergo formatum eſt magis Deo ſimile eſt, quam id quod formam non habet, vnde conſtat, quòd plus euidens ſimulachrum eſt decor creaturarum, qui pertinet ad formam, quam immenſitas creaturarum quæ ad ſolam ſpectat eſſentiam. Item decor creaturarum propter formam naturalem pertinet ad habitum, vtilitas vero ad actum, quia creaturæ in hoc vtiles ſunt, quod ſubiectæ homini ſeruiunt, & obſequium reddunt. Quod autem ad habitum pertinet, magis proprium eſt & magis certum quam id quod pertinet ad actum, quia habitum natura indidit, actum vero inſtitutio adiunxit. Simulachrum ergo decoris immẽſitatem pariter & vtilitatem in cognitione præcedit, quia in manifeſtione eſt euidentius. In hoc ergo primum veſtigium contemplationis ponere debemus.

Trinitas in creaturis apparet.

Mundus liber eſt.

Qualiter cognoſcitur Deus ex motu creaturæ.

CAPVT XXIIII.

Decor creaturarum in quatuor conſiſtit.

DEcor creaturarum quatuor complectitur, ſitum, motum, ſpeciem, qualitatem: ſed in his quatuor motum excellentiorem locum habere dubium non eſt, quia viciniora vitæ ſunt omnia mobilia, quam ea quæ moueri non poſſunt. Motus autem quadripartitus eſt, ſed motus naturalis localem motum ſuperat, quia in naturali motu non ſolum imago vitæ exprimitur, ſed ipſa quodammodo vita inchoatur, rurſus animalis motus tanto naturali præcellit, quanto inſenſibili id quod ſentit, poſtremo rationalis cunctis ſuperponitur. Ianua ergo contemplationis homini aperitur, quando ipſe ſe ſua ratione ducente ad ſeipſum agnoſcendum ingreditur. Si ergo intellectus eſſe non poteſt niſi intelligens, reſtat vt quem non ſemper intellexiſſe cognoſcimus, non ſemper fuiſſe, ac per hoc aliquando cæpiſſe credamus. Si ergo inniſibile noſtrum initium habuit, ſupereſt, vt non de præiacente materia, ſed de nihilo actum ſit. Quod autem nihil eſt, eſſe ſibiipſi dare non poteſt, & idcirco quicquid initium habuit, dubium non eſt quin ab alio eſſe acceperit. Quod autem à ſemetipſo, non eſt, eſſe alijs dare non poteſt. Igitur quiſquis ille eſt qui rebus eſſe contulit, ab alio eſſe non accepit. Quod inde quoque liquido comprobatur, quia ſic quicquid eſt, creaturam eſſe credimus, nullum in rebus finem inuenimus.

Æternitas Dei probatur.

Noſtra ergo nos natura inſtruit, quod creatorem habemus æternum, cui ſuum & proprium eſt quòd ſubſiſtat, quia ſi ab alio eſſe accepiſſet, prima rerum origo veraciter dici non poſſet. Item quod à ſemetipſo eſt, non eſſe non poteſt. Quicquid enim à ſemetipſo eſt, huic idem eſt eſſe & id quod eſt. Et conſtat quod nulla res à ſemetipſa diuidi aut ſeparari poteſt. Cui ergo idem eſt eſſe & id quod eſt, neceſſario ſemper eſt, quia à ſemetipſo nihil ſeparari poteſt hanc cognitionem in rationali motu inuenimus, huic autem cognitioni, cæteri motus atteſtantur. In animali namque motu ſunt ſenſus & appetitus. Omnis autem naturalis appetitus in rebus explementum inuenit. Conſtat ergo quæ prouidentia præceſſit, cuius conſilio hoc tam cautum eſt, ne quod nunc indigentijs rerum ineceſſarium præſidium deſit. Qui enim appetitus inſtituit, ipſe appetitibus alimenta præparauit. Idem motus naturalis probat, ſicut enim impoſſibile eſt, vt per ſe aliquid de nihilo fiat, ſic omnino impoſſibile eſt, vt per ſe aliquid augmenti ſuſcipiat, hoc eſt quod ſibiipſi dare non poteſt incrementum. Quicquid enim creſcenti in augmentum venerit, præter id eſſe comprobatur, quod per ſe prius ſolum ſine incremento fuit. Si ergo nihil poteſt creſcere, niſi addatur ei quod prius non habuit, patet quòd nulla res creſcens per ſe incrementum ſumit. Qui ergo creſcentibus dat crementum, ipſe exiſtẽtibus dedit initium. Idem motus localis probat: quaſdã namque creaturas perpetuo motu agitari cernimus. Quaſdam vero ſecundum tempus moueri videmus & alias ſic, atque alias ſic. Et licet ita res diſſimiliter moueantur, nuſquam tamen ordo rerum confunditur, vnde non eſt dubium, quin intus ſit diſpoſitio præſidentis, qui certa lege cuncta moderatur, vnus inquam, nam ſi diuerſa intus conſilia præſidentium eſſent, ipſi ſe foris rerum curſus ab inuicem aliquando diuiderent. Nunc autem omnia dum ſic concorditer ad vnum finem currunt, profecto indicant, quia vnus eſt fons & origo vnde procedunt.

Ordo in rebus motis arguit aliquem motui præſidere.

De omnium rerum modo, ſpecie & ordine.

CAPVT XXV.

AVguſtinus de ciuitate Dei libro 5. Ipſe eſt à quo omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo, à quo eſt menſura, numerus & pondus, à quo ſunt ſemina formarum, formæ ſeminum, motus ſeminum atque formarum, qui dedit & carni originem, pulchritudinem, valetudinem, & animæ irrationali memoriam, ſenſum, appetitum, rationali autem inſuper mentem, intelligentiam, voluntatem. *Idem in libro* 12. Naturæ omnes quoniam ſunt, & ideo habent modum ſuum, ſpeciem ſuam, & quandam ſecum pacem ſuam, profecto bonæ ſunt, & cum ibi ſunt vbi eſſe per naturæ ordinem debent, quantum acceperunt ſuum eſſe cuſtodiunt. *Idem in libro de natura boni.* Nos itaque Chriſtiani Deum colimus, à quo omnia bona ſunt, à quo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo. Omnia namque quanto magis moderata, ſpecioſa, ordinata ſunt, tanto magis bona ſunt. Vbi vero parua ſunt, parua bona ſunt, vbi denique nihil horum eſt, nullum bonum eſt. Malum quippe nihil aliud eſt quam corruptio modi vel ſpeciei, vel ordinis naturalis.

Trinitas intelligitur ex creaturis.

Idem in libro de trinit. 3. Ergo trinitatem per ea quæ facta ſunt intellecti conſpicere oportet, cuius nimirum in creaturis veſtigium apparet. Hęc enim quæ arte diuina facta ſunt, & vnitatem quandam & ſpeciem & ordinem in ſe oſtendũt. Nam quodlibet horum, & vnum aliquid eſt, vt ſunt naturæ corporum & animarum. Et aliqua ſpecie formatur, vt ſunt figuræ vel qualitates corporum, doctrinæ vel artes animarum. Et ordinem aliquem petit aut tenet, vt ſunt pondera vel collocationes corporum, amores vel delectationes animarum. Et ſic in creaturis prælucet veſtigium ſummæ trinitatis. In illa quippe ſumma eſt omnium rerum origo, & perfectiſſima pulchritudo, & beatiſſima delectatio. *Idem in libro de vera religione.* Summa quidem origo intelligitur Deus pater, à quo ſunt omnia, à quo filius & ſpiritus ſanctus. Perfectiſſima pulchritudo intelligitur filius ſcilicet veritas patris, nulla parte ei diſſimilis, quam cum ipſo & in ipſo patre veneramur, quæ forma eſt omniũ quæ ab vno facta ſunt, & ad vnũ referuntur, quæ tamen omnia nec fierent à patre per filium, neque ſuis finibus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nibus salua essent, nisi Deus summè bonus esset, qui & nulli creaturæ quòd ab illo bona esset inuidit. Et vt in bono ipso maneret, alia quam vellet, alia quam posset dedit. Quæ bonitas intelligitur spiritussanctus, qui est donum patris & filij. Quare ipsum donum Dei cum patre & filio æquè incommutabile colere & tenere nos conuenit per considerationem itaque creaturarum vnius substantiæ trinitatem intelligimus scilicet vnum Deum patrem, à quo sumus, & filium, per quem, & spiritumsanctum, in quo sumus. Principium ad quod recurrimus, & formam quam sequimur, & gratiam qua reconciliamur. Vnum scilicet quo auctore conditi sumus & similitudinem eius, per quam ad vnitatem reformamur, & pacem, qua vnitati adhæremus. Deum qui dixit: Fiat, & verbum per quod factum est omne quod substantialiter est & naturaliter, & donum benignitatis eius, qua placuit, quod à Deo per verbum factũ est.

De Mensura & numero & pondere.

CAPVT XXVI.

Idem super Gen. lib. 4. Denique secundum id quòd mensura omni rei modum præfigit, & numerus omni rei speciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem & stabilitatem trahit. Ipse primitus ac veraciter & singulariter est ista tria, qui terminat, format, & ordinat omnia. Nihilque aliud intelligitur dictũ, quando per corpus & linguam hominis ei dici potuit. Omnia in mensura numero & pondere dispósuisti. Sed magnum est, pauciſque concessum excedere omnia quæ metiri possunt, vt videatur mensura sine mensura. Excedere omnia quæ numerari possunt, vt videatur numerus sine numero. Excedere omnia quæ àppendi possunt, vt videatur põdus sine põdere. Neque enim mensura & numerus & põdus in rebus tantũ corporalibus possunt animaduerti. Sed est etiã mẽsura aliquid agẽdi, ne sit irreuocabilis & immoderata progressio, quæ reprobatur. Et est numerus affectionum atque virtutum, quo à stultitiæ deformitate ad sapientiæ formam anima colligitur, Et est pondus voluntatis & amoris, vbi apparet quanti quidque in appetendo, fugiendo, pręponendo vel postponendo pendatur. At hæc animorum ac mentium mensura alia mensura cohibetur, & numerus alio numero formatur, & pondus alio pondere rapitur, mensura vero sine mensura est, cui æquatur quod de illa est, nec ipsa aliunde est. Numerus vero sine numero est, quo formantur omnia, nec ipse formatur. Pondus sine pondere est, quo referuntur vt quiescant, quorum quies est purum gaudium, nec illud iam ad aliud refertur. Itaque nomina mensuræ ponderis & numeri quisque non nisi visibiliter nouit, transcendit omne quod ita nouit, aut si nondum potest, nec ipsis nominibus hæreat, de quibus nisi sordide cogitare non potest. Tanto enim ista magis cuique cara sunt in superioribus, quanto ipse minus caro est in inferioribus. *Idem de ciuitate Dei 11.* Inde est ciuitatis sanctæ, quæ in angelis sanctis sursum est, & origo, & informatio, & beatitudo. Nam si quæratur, vnde sit, Deus illam condidit. Si vnde sapiens sit, Deus eam illuminauit. Si vnde sit felix, Deo fruitur. Inde subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhærens iucundatur. Est, videt, amat. In æternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet. Nos quoque quia natura nostra vt esset, Deum habet auctorem, proculdubio vt vera sapiamus, Deum debemus habere doctorem, & vt beatissimus, suauitatis intimæ largitorem.

Mẽsura, numerus, pondus in omnibus creatis quo pacto?

Ciuitatis sancta origo.

De quadruplici creaturarum consideratione.

CAPVT XXVII.

Quatuor modi cõtemdi creaturas.

Hvgo de arca Noe. Quatuor autem modis eximus per contemplationem in creaturis. *Primus est,* quando consideramus omnem creaturam, quid ex se sit, & inuenimus omnia vanitatem. Omnis enim creatura sicut de nihilo ad esse venit, immo etiam immutatione quotidiana indicat, quia quantum in se est, ad nihilum tendit. Secundus quando consideramus quid sit ex dono creatoris, & cernimus in ea diuinæ rationis similitudinem. Tertius quando consideramus quomodo vtatur Deus ministerio creaturarum ad iudicia sua implenda, siue pro sua misericordia beneficia largiendo, siue pro nostro merito erogando præmia, siue pro demerito erogando supplicia. Quartus modus est, quando in eis cõgitamus non naturalis infirmitatis subsidium, sed libidinis oblectamentum. Tria prima contemplationum genera, in exitu columbæ de arca sunt figurata, quæ vacua quidem exiuit, sed vacua non redijt, quia foris inuenit quod intus non habuit, nec tamen foris amauit quod intus detulit. Ramus oliuæ virentis demonstrat bonum affectum mentis, quia sæpe viri sancti quanto magis opera diuina foris aspiciunt, tantomagis intus in conditoris amore virideſcunt. Qui vero quarto modo per cogitationem exeunt, similes sunt coruo, qui reuersus non est, quia dum foris quod male delectat inueniunt, ad arcam conscjentiæ amplius redire nolunt. In primo ergo materia vanitatis inspecta in nobis generat contemptum mundi. In secundo simulachrum rationis laudem Dei. In tertio instrumentum dispensationis timorem & amorem Dei. In quarto cupiditas incentiuum libidinis, &c.

De consideratione ipsarum quantum ad earum vanitatem.

CAPVT XXVIII.

PRimus itaque modus est, vt dictum est, quando consideramus, scilicet omnem creaturam quid ex se sit, & inuenimus omnia vanitatem. *Gregorius in Moralibus libro 17.* vnde beatus Iob de domino dicit. *Ipse enim solus est.* Sunt quidem hæc omnia quæ creata sunt, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt. Ex nihilo quippe facta sunt, & eorum rursus essentia ad nihilum tenderet, nisi ea omnium auctor, regiminis manu retineret, per se neque subsistere præualent, nec moueri, sed intantum subsistunt, inquantum vt esse debeant, acceperunt, & intantum mouentur, inquantum occulto instinctu disponuntur. Vir ergo spiritus despiciat omne quod exterius tenet, omne quod per essentiã suam nisi regeretur ad nihilum tenderet, vt mentis oculis suppressis omnibus intueatur illum, in cuius essentiæ compositione esse nostrum non esse est, & dicat, ipse enim solus est. *August. de fide ad Petrum.* Naturæ quidem à Deo factæ, ideo proficere possunt, quia esse cœperunt, ideo vero deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Ad defectum eas conditio ducit originis. Ad profectum vero prouenit operatio creatoris. *Hieronymus super ecclesia.* Hinc & alibi scriptum est. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Bona quidem sunt hæc per se considerata, sed Deo comparata quasi nihil sunt, sicut lucerna in comparatione solis nec lucere cernitur, & stellarum lumina orto sole obscurantur. Itaque ego aspiciens elementa & rerum multiplicem veritatem admiror quidem operum magnitudinem, sed recogitans omnia transire, ac suo fine senescere, solumque Deum idem semper esse quod fuit, cogor non semel, sed bis dicere, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Quomodo solus Deus est?

Quomodo creatura vanitas?

Hugo super Eccles. libro 2. Vanitas alia est in rebus conditis, alia in operibus humanis, alia in corporibus, alia in mentibus. Prima est mutabilitatis, secunda curiositatis, tertia mortalitatis, quarta iniquitatis. Vanitas mutabilitatis duobus modis in rebus consideratur, siue quia inanes sunt, siue quia transitoriæ sunt. In illo vanæ sunt, quia ostendunt quod non habent: In isto vanæ sunt, quia non permanet id quod habent. Vanitas cupiditatis in tribus constat. In concupiscentia scilicet oculorum.

Vanitas quadruplex.

In

In concupiſcentia carnis. Et in ſuperbia vitæ. In omnibus enim iſtis vanitas eſt, propterea tam vanũ eſt in his omnibus quæ bona videntur ſpem ponere, quam quæ mala putantur formidare. Vanitas mortalitatis in duobus conſtat, in pœna ſcilicet quæ atterit, & in pœna quæ diſſoluit.

De conſideratione illarum ad creatoris agnitionem.

CAPVT XXIX.

Varietas formarum radij diuinitus.

Ignorantia virtutis creaturarum occaſio ſciendi Deum.

Idem in libro de arca Noe. Secundus autem modus eſt quando conſideramus creaturam, quid ſit ex dono creatoris, & cernimus in ea Diuinæ rationis ſimilitudinem, quia ipſa quæ pro ſui conditione mutabilitati ſubiacent, dum hoc ex beneficio creatoris accipiunt, vt nunquam prorſus eſſe deſinant, opus quodammodo temporale æterni opificis imitatur ſtabilitatem. *Auguſtinus in libro ſoliloquiorum primo.* Ipſe enim eſt Deus, cuius legibus in qua ſtantibus, motus inſtabilis rerum mutabilium perturbatus eſſe non ſinitur, quumque circumeuntium ſæculorum ſemper ad ſimilitudinem ſtabilitatis reuocatur. *Bernardus ſuper cantica. Homil. 31.* Tanta etiam hæc formarum varietas, ac ſpecierum numeroſitas in rebus conditis, quid niſi radij quidam ſunt deitatis? miraris in ſole ſplendorem, in flore pulchritudinem, in pane ſaporem, in terra fœcunditatem. Sed à Deo data ſunt hæc omnia, nec dubium quin multo ſibi amplius reſeruauerit, quam creaturis indiderit. *Hieronymus ſuper Abacuc libro ſecundo.* Hinc iterum per Prophetam dicitur. *Domine conſideraui opera tua, & obſtupui*, id eſt operatua diligentius contemplatus ſum, ne diceretur mihi; Opus domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Ex creaturis ergo te creatorem intellexi, cernenſque quæ operatus es & operaris quotidie, totus obſtupui, ac ſenſui humanitatis abraſo, in ſanctum amentiam conuerſus ſum. *Hilarius de trinitat. libro 12.* Ego quidem domine Deus cum in cœlum oculos infirmos erigo, nihil aliud quam cœlum eſſe tuum credo. Cũmque in terras mente conuertor, quæ occultarum virtute cauſarum omnia fata ſuſcepta diſſoluunt, diſſoluta viuificant, viuificata multiplicant, multiplicata confirmant, nihil in his reperio, quæ ſenſu meo intelligere poſſim. Sed ignorantia mea ad intelligendum te proficit, dum famulantis mihi naturæ imperitus, vſu te tantum vtilitatis meæ intelligo, ipſum quoque me neſciens ita ſentio, vt te magis eo quòd mei ſum ignarus admiror. *Baſilius in Hexaemeron.* Deus ergo qui magnifica fecit ex nihilo, det vobis intellectum ſuæ veritatis, vt ex viſibilibus inuiſibilem reputetis, vt in terra, & in aere, & in cœlo, & in omnibus quæ cernuntur benefactoris monimenta certiſſima capiatis. Sic enim domino ſenſibus noſtris adhærente, neque peccatis tempus dabitur, neque inimico locus ſuggerendi contraria relinquetur. *Hugo ſuper Eccleſ. Homil. 8.* Nemo itaque viſibilium rerum aſpectum caſtis mentibus noxium putet. Opus enim Dei quaſi verbum illius eſt, per quod nobis loquitur. Sicut ergo auris inſtrumentum eſt ad percipiendum verbum hominis, ſic oculus inſtrumentum eſt ad percipiendum verbum creatoris. Propterea cõgruè in humano corpore & oculi coram poſiti ſunt, & aures à latere conſtitutæ, quaſi per hoc nobis ſignaretur quod noſtra intentio ſecundario dirigi debeat ad proximum, principaliter ad Deum. Species rerum viſibilium quaſi venæ tantummodo quædam ſunt, per quas inuiſibilis pulchritudo ſe manifeſtans ad nos vſque emanat. Et ideo cum iſta ſenſum noſtrum atque affectum naturaliter prouocant, non quidem deſiderium replent, ſed ad inquirendum conditoris ſpeciem & eius pulchritudinem concupiſcendam incitant.

De conſideratione ipſarum ad vitæ correctionem.

CAPVT XXX.

Tres voces creaturarũ.

Idem de arca Noe. Tertius modus eſt quando conſideramus quomodo vtatur Deus miniſterio creaturarum ad iudicia ſua implenda, ſiue pro ſua miſericordia beneficia largiendo, ſiue pro noſtro merito ſupplicia erogando. In hoc genere contemplationis audimus omnem creaturam tribus vocibus nobis loquentem. *Prima vox dicit, Accipe, ſecunda dicit, Redde, tertia, Fuge. Accipe beneficium. Redde debitum. Fuge ſupplicium.* Prima vox eſt famulantis, ſecunda admonentis, tertia comminantis. Vox famulantis eſt. Cœlum dicit, miniſtro tibi lucem in die, vt vigiles, tenebras in nocte, vt pauſes. Ego ad delectationem tuam gratas temporum viciſſitudines pario. Tempora veris, & æſtatis feruorem, autumni plenitudinem, & algorem Hyemis. Ego alternantibus incrementis dierum & noctium ſpacia ſimili ratione diſſimiliter extendo, vt & varietas tollat faſtidium, & tibi pariat oblectamentum. Aer dicit, Vitalem tibi præbeo flatum, omne genus animum ad tuum mutuo obſequium. Aqua dicit, Potum tibi do, ſordes purgo, arentia rigo, & diuerſorum genera piſcium ad tuum eſum miniſtro. Terra dicit, Ego te porto, ego te nutrio, pane conforto, vino lætifico, omnigenis fructibus oblecto, diuerſis animalibus menſas tuas repleo. Vox commonentis eſt: Mundus dicit, Vide homo quomodo amauit te, qui fecit me propter te. Seruio tibi, quia factus ſum propter te, vt tu ſeruias illi, qui fecit & me propter te, & te propter ſe. Si ſentis beneficium, redde debitum, Accipis benignitatem, redde charitatem, hoc tribuit, & hoc exigit Deus. Vox comminantis eſt. Ignis dicit, A me abſorberis, Infernus dicit, A me duglutieris, quia omnis creatura ſicut ex conditione ſua homini famulatur, ſic etiam peccatoribus pro malorum meritorum conſcientia comminatur, vt in ſingulis creaturis perpeti timeant, quod ita ſe meruiſſe cognoſcunt. *Gregorius in moralibus.* Ecce enim peccator de rebus mundanis flagellatur, areſcit in eius laboribus terra, in eius naufragijs mare concutitur. In eius ſudoribus aer igneſcit, contra eum inundationibus cœlum obtenebreſcit. Inardeſcunt in eius oppreſſionibus homines, in eius aduerſitate mouentur & angelicæ virtutes. Nunquid hæc omnia quæ inanimata, vel quæ viuentia diximus, ſuis inſtinctionibus, non magis diuinis agitantur impulſionibus. Cum itaque flagellamur per ea quæ videmus, illum ſollicitè debemus metuere, quem non videmus.

Blaſphemia manichæorum interrogatio confutatur.

Hieronymus ſuper pſalmum nonageſimum primum. Quam magnificata ſunt inquit opera tua domine. In hoc loco Marcion & Manichæus erumpunt & dicunt. Si omnia Deus in vtilitatem hominum fecit, quid culicem vel cimicem ac pulicem neceſſe facere fuit? Ego tibi breuiter reſpondeo, vt oſtenderetur tibi fragilitas tua, qui cognitionem tuam in cœlum ponis. Reſpice, morderis à culice, & contremiſcis. Quid in cœlum erigeris, qui à culice vulneraris? *Aug. ſuper Ioan. Homil. 1.* Quid te inflas humana ſuperbia? Homo dixit tibi conuitia, & intumeſcis, pulicibus reſiſte, vt dormias.

De conſideratione ipſarum ad ædificationem.

CAPVT XXXI.

Hieronymus vbi ſupra. Denique chriſtianus quicquid intueatur, ſemper ædificatur. Iuxta illud. *Delectaſti me domine in factura tua, &c.* Vides ſolem, vides lunam, vides ſtellas, hæc ædificant te. Debes enim cogitare & dicere apud te, cœlum & terra ſeruiunt Deo, & ego infelix homo non ſeruio, reſpice apem, reſpice formicam, vide corpus & inquire ſapientiam, maior in eis ſapientia cognoſcitur, quam corporis magnitudo videatur. Apes & formicæ prouident, quod ſibi contra tempus hyemis ſit futurum, monachus autem & chriſtianus non cogitant iudicium eſſe venturum. *Gregorius*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Conſideratio pia ex viſu bufonis.

Nazianzenus in Apologetico lib. 2. Moxitaque mihi eſt, ſingula quæque quæ video reuocare ad memetipſum, præcipue ſi quies mihi eſt & ſilentium, ſi vacet animi motibus aptare, quæ oculis video, vt oculorum viſibus fiat mihi mentis eruditio. *Helinandus in chronica libro 8.* Erant aliquando fratres ſimul in auditorio loquentes. Cumque quidam ad ſocios ſuos diceret, ſe nihil aſpicere vnde non ædificaretur, quidam promptulus ad loquendum reſpondit. Quid tibi confert obſecro ædificationis bufonis viſio? Et iſte ſtatim inquit, certè multum, quia cum nihil meruiſſem quare me Deus magis formaret hominem quam bufonem, quotiens bufonem video hoc beneficium Dei gratuitum ad mentem refero & gratias ei ago, quod nihil mihi merito tam execrabilem formam non tribuit ſed ſpeciem pulcherrimam & figuram regiam mihi dedit. Deinde & hoc mihi confert bufonis viſio, quòd quotiens eum video forma tam horridum, natura tam ſæuum, greſſu tam pigrum, veneno tam noxium, homini tam inimicum, valde formido ne aſſimilatus illi in moribus, pectore & ventre repens, aliquandó, quod auertat à me Deus, tradar huiuſmodi peſſimis vermibus deuorãdus, non his terrenis, qui cito conterunt, ſed illis terribilibus in gehenna viuentibus qui nunquam moriuntur. Hoc ſapientiſſimo fratris reſponſo confuſus obiurgator obticuit.

De conſideratione ipſarum ad concupiſcentiæ prouocationem.

CAPVT XXXII.

Aſpectus incautus cauſa concupiſcentiæ.

Anima vt Dina corrumpitur dũ temere exit.

Hugo vbi ſupra. Quartus modus eſt cum in creaturis cogitamus non infirmitatis naturalis ſubſidium, ſed libidinis oblectamentum. Hoc oculo lignum Eua vidit, & comedit. Et qui hoc modo per cogitationem exeunt, coruo qui non eſt reuerſus, vt ſupradictum eſt, ſimiles exiſtunt, quia dum foris quod male delectat inueniunt, ad arcam conſcientiæ amplius redire nolunt. Hunc ergo exitum caueamus, ne temere quoque nos egrediamur. Nemo de conſcientia ſua confidat, Dina intus virgo, intus caſta, intus columba fuit, Sed quia columba fuit ſeducta, non habens cor egreſſa foras, colorem pariter cum nomine mutauit, quod vi opprimitur, patet quod non ideo exit, vt corrumpatur, ſed tantum quia temere exijt. Pudicitiæ ſuæ damna etiam inuita ſuſtinuit. Quod autem ibi ſubiungitur de Sychem, quod ſibi conglutinauit eam, hoc eſt quòd cadauer coruus inuenit, & amplius ad arcam redire noluit *Greg. in Moral. lib. 20.* Non decet intueri, quod non licet concupiſci, vt ergo mens in cogitatione munda verſetur, à voluptatis ſuæ laſciuia deprimendi ſunt oculi, quaſi quidam raptores ad culpam, hinc per Prophetam ſub Iudæ voce dicitur. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Et plerumque quidem res quælibet innocenti mente conſpiciuntur, ſed ipſo conſpectu animus concupiſcentiæ gladio confoditur. Non enim Dauid ideo vxorem Vriæ ſtudiosè reſpexit, quia concupierat. Sed ideo concupiuit, quia incautè reſpexit, ſit vero retributionis examine, vt qui exteriori negligenter vtitur, interiori oculo non iniuſtè cæcetur. Plerumque vero iam intrinſecus concupiſcentia dominatur, & illecebratus animus ad vſus voluptatum ſuarum ſenſus corporis famulari more tyrannidis exigit, feneſtraſque luminis ad tenebras cæcitatis aperit. Ideoque beatus Iob ſciens quia plerumque praua cogitatio per oculos ad mentem venit. Primo quidem dicit. *Pepigi fœdus cum oculis meis, &c.* Perpendens etiam quod nonnunquam in mente oritur. Sed huic obortæ oculi peruersè famulantur. Paulo poſt ait: *Si ſecutus eſt oculus meus cor meum, &c.* Ac ſi dicat. Nec paſſim cum concupiſcerem videre volui, nec videndo ſecutus ſum quod concupiui. *Auguſt. de libero arbit. lib. 1.* O ſuauiſſima lux menti purgatæ ſapientia, non ceſſas innuere nobis quæ & quanta ſis, & nutus tui ſunt omne creaturarum decus. Væ qui dereliquerunt te ducem & oberrant in veſtigijs tuis, qui intus tuos pro te amant, & obliuiſcuntur quid innuas. Væ qui ſe auertunt à lumine tuo, & obſcuritati ſuæ dulciter inhærent. Tanquam enim dorſum ad te ponentes, in carnali opere velut in vmbra ſua defiguntur, & tamen etiam ibi quod eos delectet adhuc habent de circumfulgentia tua, ſed vmbra dum amatur languidiorem facit oculum animi, & inualidiorem ad perferendum conſpectum.

De inani ſtudio circa operum Dei & non opificis cognitionem.

CAPVT XXXIII.

Pulchra & parabola.

Sapientia per ſtultitiã inuenitur.

Idem in libro confeſ. 5. Nunquid autem domine Deus veritatis quiſquis hæc à te creata nouit, ideo placet iam tibi? Infelix homo ille qui hæc omnia ſcit, te autem neſcit. Beatus autem qui te ſcit, etiam ſi iſta neſciat. Qui vero te & iſta nouit, non propter iſta beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt, ſi cognoſcens te ſicut Deum glorificet, & gratias agat, & in cogitationibus ſuis non euaneſcat. Sicut enim melior eſt, qui arborem poſſidere nouit, ac de vſu eius tibi gratias agit, quãuis neſciat, vel quot cubitis alta, vel quanta latitudine diffuſa ſit, quam ille qui eam metitur, & omnes ramos eius numerat, ſed nec poſſidet eam, nec creatorem eius nouit aut diligit, ſic fidelis homo, cui totus mundus diuitiarum eſt, & quaſi nihil habens omnia poſſidet inhærendo tibi, cui ſeruiunt omnia; quamuis nec ſaltem gyros ſeptentrionum nouerit, Dubitare ſtultum eſt, quin vtique melior ſit quam menſor cœli, & numerator ſyderum, ac penſor elementorum, & negligens tui, qui omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuiſti. Dixiſti enim homini: Ecce pietas eſt ſapientia, vanitas eſt mundana iſta etiam nota profiteri. Pietas autem tibi confiteri. *Iſidorus de ſummo bono libro ſecundo.* Interdum quædam neſcire conuenit, ſed nullus in culpa maior eſt, quam ille qui Deum neſcit. Vtile quidem eſt multa ſcire, & rectè viuere, quòd ſi vtrumque non valemus, melius eſt, vt bene viuendi quam multa ſciendi ſtudium ſequamur. Non enim ad beatitudinem pertinet conſequendam ſcientia rerum, nec eſt beatum multum ſcire, ſed magnum eſt bene viuere. Nihil prodeſt ſcire omnem prudentiam cum ignorantia Dei. Et nihil obeſt ſcientibus Deum ignorantia mundi. Perfectè autem ſcit, qui Deum prius, & iſta non pro ſe, ſed pro Deo ſcit.

Hugo ſuper Hierar. Olim quidem mundus ſapientiam falſam inuenit, & inflari incæpit, ac ſpeciem creaturæ ſcalam ad inuiſibilia creatoris nitens fecit. Tunc quæ manifeſta Dei erant; ad illuminationem proceſſerunt, & vt probarẽtur corde non puro nota facta ſunt. Nam illa quæ videbantur nota erant, ac per illa ſe putabant ire in ea quæ abſcondita fuerant, & corruerunt mente vltra poſſibilem veritatem in mendacia figmentorum ſuorum, vbi amplius quod apprehenderent, non eſt inuentum, ideo ſtultam fecit Deus ſapientiam huius ſæculi, qua non potuit inueniri ſapientia Dei. Monſtrauitque ſapientiam aliam, quæ ſtultitia videbatur, vt vera per illam ſapientia inueniretur: prædicatus eſt Chriſtus, vt humilitate veritatis quæreretur, ſed mundus modicum reſpexit, ac verum agnoſcere non potuit, voluit enim opera Dei quæ miranda fecerat contemplari, & quæ propoſuit imitanda noluit venerari. Dedit ſe, vt vna curioſitate aliena inueſtigaret, & videbatur extra ſe proficere, ſed in ſe defecit, eumque qui erat ſupra ſe, non inuenit, propoſuit de illo æſtimationes, quas conceperat ſuperbo corde, ne verum videretur ignorare, ac ſciſſus eſt in inuia erroris plurima maieſtati deformia. Illic ergo Philoſophi capti ſunt laqueo præſumptionis ſuæ, qua ſe præcipitauerunt in illud ire. Manifeſta ſunt hæc. Legimus enim artes & diſciplinam, rationum præcepta plurima, quæ illi ſenſu & ingenio ſibi dato in hoc ipſum ſcrutati ſunt. Et inualuerunt in hac parte, vt verum apprehenderent, quoniam & hæc veritas, quæ non erat ad vitam, per illos erat miniſtranda, qui vitæ filij non erant. Ideoque datum eſt

illis

illis propter nos, quibus conſummatio ſeruabatur, & inchoatio parabatur, vt inuenirent veritatem illam, quam oportuit ſuſcipere filios vitæ ad obſequium veritatis ſummæ, cuius videlicet labor illis eſt appoſitus. His autem fructus ſeruatus, & in omnibus his lumen intelligentiæ & acumen ingenij ſenſuſque virtutem, ad documenta prima perceperunt, in quibus creaturarum vim & modum naturæ inferioris ſecundum formam inſitæ rationis ſubtiliter diſcuſſerunt, nouiſſimè autem theologiam pro ratione diuinorum, & ſcrutatione inuiſibilium, quaſi conſummaturi ſapientiam addiderunt, vt ipſi putauerunt conſummaturi, ſed vere amiſſuri ac veram non inuenturi.

Cur Deus ſenario dierum opera ſua compleuit.

CAPVT XXXIV.

Senarius in trigonum ſurgit.

Senarius eſt perfectus.

Augustinus ſuper Gen. libro quarto. Non eſt autem abre, vt ſenarij numeri, quo Deus opera ſua compleuit, perfectionem interiore naturæ numero conſideremus, quam mente intuentes, etiam illa quæ ſenſibus corporis adiacent, numeramus numerosèque diſponimus. Inuenimus ergo numerum hunc primum eſſe perfectum illa ratione, quòd ſuis partibus compleatur, illis videlicet quæ multiplicitate conſummant totum ſuum. De tali enim poteſt dici quota ſit. Huius ergo partes ſunt vnum ſexta, duo tria, dimidia tertia, quæ ſimul omnes ductæ ſenarium conſtituunt. Deus ergo perfecit opera ſua perfecta dierum numero, id eſt ſenario, magiſque in numerum iſtum intentus fio, cum operum iſtorum ordinem conſidero. Sicut enim numerus hic gradatim partibus ſuis in trigonum ſurgit, quoniam ita ſequuntur, vnum, duo, tria, vt nullus interponi poſſit, quæ ſingulæ partes aliquotæ ſunt ſenarij, Sic vno die facta eſt lux. Duobus autem ſequentibus fabrica huius mundi, videlicet vno die ſuperior pars, id eſt firmamentum. Altera vero inferior, ideſt mare ac terra. Sed partem ſuperiorem nullis alimentorum corporalium impleuit generibus, quia non erat ibi corpora tali refectione indigentia poſiturus, ac inferiorem quam ſibi congruentibus animalibus ornaturus erat, neceſſarijs eorum indigentiæ cibis apte ditauit. Reliquis ergo tribus diebus ea creata ſunt quæ intra mundum viſibilia ſuis, & congruis motibus agerentur, primo ſcilicet, in firmamento luminaria, quia prius erat factum firmamentum. Deinde in inferiore animantia, ſicut ordo ipſe poſcebat, vna ſcilicet die aquarum, alia vero terrarum, nec quiſquam ita demens eſt, vt audeat dicere non potuiſſe Deum vna die facere cuncta ſi vellet. Quapropter cum eum legimus ſex diebus omnia perfeciſſe, ſenarium numerum conſiderantes inuenimus perfectum eſſe. Sicque enim creaturarum ordinem currere, vt etiam ipſarum partium appareat quaſi gradata diſtinctio, quibus perficitur numerus ille. Et ſicut aliàs dictum eſt, videlicet vbi actum eſt de numero, & pondere, & menſura, non ideo ſenarius numerus perfectus eſt, quia ſex diebus perfecit Deus opera ſua, ſed ideo perfecit ea ſex diebus, quia ſenarius eſt numerus perfectus. Itaque perfectus iſte numerus eſſet etiam ſi illa non eſſent, niſi autem iſte perfectus eſſet, illa ſecundum eum perfecta non eſſent.

De cauſis futurorum ſeminalibus quas mundo tunc inſeruit.

CAPVT XXXV.

Idem in libro ſexto. Quod autem nunc videmus temporalibus interuallis ea moueri ad peragenda quæ ſuo cuique generi competunt, ex illis etiam rationibus inſitis venit, quas Deus tanquam ſeminaliter in ictu condendi ſparſit, cum dixit, & facta ſunt, non itaque tardè inſtitutum eſt, vt eſſent tarda quæ tarda ſunt, nec ea mora condita ſunt ſydera, qua tranſierunt. Hos enim numero tempora peragunt, quos cum crearentur non temporaliter acceperunt. Ipſe namque incommutabili æternitate viuens creauit omnia, ex quibus current tempora, & implentur loca, Sicque temporalibus atque localibus rerum motibus voluerentur ſæcula, in quibus, & quædam ſpiritualia, & quædam corporalia condidit, ac ſpiritualem creaturam corporali præpoſuit, quia ſpiritualis mutare poteſt tantum modo per tempora, corporalis autem per tempora & loca. Aliter itaque facti ſunt Adam, & Eua ſexta die. Aliter poſt enumerationem dierum, quando formauit Deus hominem de limo terræ, tunc enim ſcilicet ſexta die facti ſunt ſecundum potentiam per verbum Dei, tanquam mundo ſeminaliter inditam, quando videlicet opera ſua primaria ex quibus omnia ſuis quęque temporibus iam per ordinem ſæculorum fierent creauit, à quibus etiam operibus die ſeptimo requieuit. Poſtea vero facti ſunt ſecundum operationem implendam temporibus, qua vſque nunc operatur, quoniam oportebat iam ſuo tempore fieri Adam de limo terræ, & mulierem ex eiuſdem viri latere, nemo itaque putet in illo primo Dei opere ita fuiſſe hominem vt aliquam vitam duceret, & vt Dei locutionem ad ſe directam qua dictum eſt, *Ecce dedi vobis omnem herbam & ligna in eſcam*, diſcerneret, crederet, intelligeret, verba quippe hominum, quæ corporis voce proferunt, omnibus ſyllabis ſuis congruas temporum moras ſumunt atque conſumunt. Cum vero Deus, *faciamus hominem, &c. & creſcite, & multiplicamini, &c. Ec ecce dedi vobis omnem herbam, &c.* dicebat, Ipſe ſermo eius ante omnem ſonum aeris, ante vocem carnis & nubis, in illum eius ſumma ſapientia per quam facta ſunt omnia non quaſi humanis auribus inſtrepebat, ſed rebus factis rerum faciendarum cauſas inſerebat, & omnipotenti potentia futura faciebat, hominemque ſuo tempore formandum tanquam in radice, vel ſemine temporum condebat. Ex qua videlicet radice temporum inciperent ſæcula ab illo condito, qui eſt ante ſæcula. Creaturas ſiquidem aliàs præcedunt aliæ, quædam cauſis, quædam tempore. Ille vero omnia quæ fecit non ſolum excellentia potentiæ qua creaturarum, vel cauſarum effector eſt, ſed etiam æternitate præcedit. In illo ergo opere primo Dei creatus eſt homo, qui eſſet futurus ratio creandi, non actio creati.

Potentia ſeminalis.

Omnia facta in verbo, & in elementis ſunt ſed alio & alio modo.

Igitur omnia hæc aliter in verbo Dei ſunt, vbi non facta, ſed æterna ſunt. Aliter in elementis mundi, vbi omnia ſimul facta futura ſunt. Aliter etiam in rebus quæ ſecundum cauſas ſimul creatas, non iam ſimul, ſed ſuo quæque tempore creantur, ſicut Adam ex limo factus eſt, & formatus, ac ſenum exoritur, & cętera quæ de terra pullulant, & quæ aliter in ſeminibus, in quibus rurſum primordiales cauſæ repętuntur ex rebus ductæ, quæ ſecundum cauſas primo conditas extiterant, ſed hæc iterum ſeipſa ſecum gerunt: in occulta quadam vi generandi, quam de illis cauſarum ſuarum primordijs contraxerunt. In quibus creato mundo pluſquam in manifeſtam ſpeciem ſui generis exoriretur, inſerta ſunt. In illis ergo primis operibus Dei, & quodam modo conſummata, & quodammodo inchoata ſunt, ea ipſa quæ conſequentibus voluenda temporibus, à Deo primitus omnia ſimul creata ſunt. Conſummata quidem, quia nihil habent iſta in naturis ſuis proprijs, quibus aguntur curſus temporum ſuorum, quod non in illis cauſaliter ſit factum, & nihilominus inchoata, quia quædam erant quaſi futurorum ſemina per ſæculi tractum ex occulto in manifeſtum locis congruis exerenda.

De cauſis miraculorum quas apud ſe retinuit.

CAPVT XXXVI.

HIc autem Deus cæteras temporum leges rerum generibus, & qualitatibus in manifeſtum ex abdito producendis attribuit, vt tamen eius voluntas ſuper omnia ſemper ſit. Potentia quippe ſua numeros creaturæ dedit, non ipſam eiſdem numeris alligauit.

Nam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Spiritus Dei quomodo ſuperfertur truncis.

Nã ſpiritus eius ita mundo faciendo ſuperferebatur, vt & facto ſuperferatur, non corporalibus locis, ſed excellentia poteſtatis. Quis enim neſcit aquam terræ concreatam, cum ad vitis radices deuenerit, duci in ſaginam illius ligni, atq; ex eo ſumere qualitatem, qua in vuam procedat, atq; in ea paulatim erumpente & grandeſcente fiat vinum, maturumq; dulceſcat. & adhuc expreſſum feruefcat, & quadam vetuſtate firmatum ad vſum bibendi vtilius iucundiuſq; perueniat? Num ideo Deus lignum aut terram & huiuſmodi tẽporum moras quęſiuit, cum aquam miro compendio in vinum quod ebrius conuiua laudaret, conuertit? Nunquid adiutorio temporis eguit conditor temporis? Nonne certis dierum numeris ſuo cuiq; generi accommodatis, omnis natura ſerpentium coaleſcit, formatur, naſcitur, roboratur? Non expectati ſunt hi dies, vt in draconem virga de manu Moyſi, & Aaron conuerteretur, nec vtiq; talia quando fiunt contra naturam ſunt, niſi nobis quibus aliter naturæ curſus innotuit, non autem Deo, cui hoc eſt natura quod fecerit. Ille ergo cauſales rationes quas mundo indidit ad vtrunque modum humiles creatæ ſunt, ſiue ad iſtum quo viſitatiſſime temporalia tranſcurrunt, ſiue ad illum quo rara, & mirabilia fiunt, ſicut Deo placuerit facere quod tempori congruat, cuius voluntas eſt rerum neceſſitas.

Idem in lib. 9 Itaq; totus iſte viſitatus naturę curſus quaſdam leges ſuas continet, ſecundum quas, & ſpiritus vitę, qui creatura eſt, quoſdam appetitus ſuos quodammodo determinatos habet, quos etiam mala voluntas excedere non valet. Et elementa mundi huius corporei diffinitã vim qualitatemq, ſuam habent quid vnunquodque valeat, vel non valeat, quid de ſuo fieri poſſit, vel non poſſit. Ex his velut rerum primordijs omnia quæ gignuntur ſuo quoque tempore ſumunt exortus atque proceſſus & fines ac deceſſiones ſui cuiuſque generis, vnde fit, vt non naſcatur faba de tritici grano, vel de pecore homo. Super hunc autem motum curſumque rerum habet poteſtas creatoris apud ſe poſſe de his omnibus aliud quàm eorum quaſi ſeminales habent rationes facere, non tamen id quod non in eis poſuit, vt de his vel ab ipſo fieri poſſit. Non enim potentia temeraria, ſed ſapientiæ virtute omnipotens eſt, & hoc de vnaquàque re in tempore ſuo facit, quod prius in ea fecit.

Exortus ſiue à cortis primordijs.

Naturalis verũ motus.

Naturalis ergo & viſitatus rerum motus eſt, quo herba iſta ſic germinat, illa ſic. Aetas iſta parit, illa non parit. Homo loqui poteſt, pecus non poteſt. Horum enim & talium rationes modorum non tantum in Deo ſunt conceptæ vel prouiſæ, ſed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concretæ. Vt autem lignum de terra exciſum & aridum ac præpolitum ſine radice aliqua, ſine terra, & aqua repente floreat, fructumque gignat, vt femina ſterilis in ſenecta pariat, vt loquatur aſina, & huiuſmodi dedit quidẽ naturis quas creauit, vt ex eis hęc poſſent fieri. Neque enim ex eis vnquam fieret, quod ex illis fieri non poſſe ipſe pręfigeret, veruntamen alio modo dedit vt non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo quo ita creata eſſent, vt eorum natura potentioti ſubiaceret amplius voluntati. Habet ergo Deus in ſe ipſo abſconditas quorundam factorum cauſas, quas tebus conditis non inſeruit, eaſque non illo implet opere prouidentię, quo naturas vt ſint ſubſtituit, ſed illo quo eas adminiſtrat vt voluerit, quas vt voluit, creauit.

Motus naturæ ſubiecta poretiori voluntati.

Quod inter illas cauſas abſcondita ſuit, qua peccatores ſalnauit.

CAP. XXXVI.

INter has autem in Deo abſconditas futurorũ cauſas ſiue rationes, eſt etiam gratia, per quam ſalui facti ſunt peccatores. Nam quod attinet ad humanam naturam, iniqua ſua voluntate deprauatam, recurſum non habet per ſemetipſam, ſed per Dei gratiam qua ſcilicet adiuuatur & inſtauratur. Quod ergo dicitur in hominibus per viam perditionis ambulantibus, omnes qui ambulant in ea non reuertuntur, dictum eſt ſecundum pondus iniquitatis ſuæ vt quod reuertitur non hoc ſibi tribuat, ſed gratiæ, non ex operibus ne forte extollatur: propter hoc huiuſmodi gratiæ myſterium Apoſtolis abſconditum eſſe dicit, nõ in mundo in quo ſunt abſconditæ cauſales rationes omnium rerum naturaliter orituraturum, ſicut abſconditus erat Leui in lumbis Abrahæ quando decimatus eſt & ipſe, ſed in Deo, qui vniuerſa creauit, quamobrem omnia quoque quæ ad hanc gratiam ſignandam non naturali motu rerum, ſed mirabiliter facta ſunt, eorum etiam cauſæ in Deo abſconditę fuerunt, quorum ſi vnum erat, quod ita mulier de latere viri dormientis ædificata eſt, quę per ipſum firma facta tanquam eius oſſe firmata eſt. Ille vero propter ipſam quodammodo infirmus eſt effectus, quia in locum coſtę non coſta ſed caro ſuppoſita eſt nec habuit hoc rerũ prima conditio, quando ſexto die dictum eſt de Deo, maſculum & fæminam fecit eos, vt omnino fæmina ſic fieret, ſed hoc tantum habuit, vt & ſic fieri poſſet, ne contra cauſas quas ipſę volũtate inſtituit, mutabili volũtate aliquid faceret. Quid autem fieret, vt aliud non eſſet futurum omnino, abſconditum erat in Deo: verum quia ſic illud abſconditum fuiſſe dicitur voce Apoſtoli, vt innoteſceret principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus, per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei probabiliter creditur, ſicut illud ſemen, cui promiſſum eſt diſpoſitum eſt per angelos in manu mediatoris. Sic & omnia quæ ad ipſius ſeminis aduentum vel annunciandum vel prænunciandum in rerum natura pręter viſitatum naturæ curſum mirabiliter facta ſunt, eſſe facta miniſtrantibus angelis, ita tamen vt vbique vel creator vel reparator naturarum ſit nullus niſi qui plantatore & rigatore quolibet ſolus incrementum dat Deus.

Gratia myſterium abſconditũ in Deo.

Extaſis immiſſa Adæ.

Ac per hoc etiam extaſis illa quam immiſit Deus in Adam vt ſoporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immiſſa, vt & ipſius mens per extaſim tanquã angelicæ curiæ particeps fieret, & intrans in ſanctuarium Dei ibi noniſſima intelligeret, vnde & inuigilans tanquam Prophetię plenus, cum ad ſe adductam mulierem videret, continuo eructauit, quod magnum ſacramentum apoſtolus ad Epheſ. commendauit. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago &c. Quæ etiam verba ex ore Adam prolata Dominus in euangelio dixiſſe declarauit, quãdo phatiſæis eum tentantibus ait. Non legiſtis, quia qui fecit, ab initio maſculum & fœminam fecit eos, & dixit. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna, ob hoc inquam inſinnat Dominus iſta Deum dixiſſe, vt hinc intelligamus propter extaſim quæ præceſſerat in Adam hoc eum diuinitus tanquam Prophetam dicere potuiſſe.

Quod inferiores cauſas mundo inſertas etiam ſuperior ad libitum ſuum vertit.

CAP. XXXVIII.

NOs quidem pro captu infirmitatis humanæ iam in ipſis rebus exortis tempore poſſumus noſſe, quid etiam cuiuſque natura ſit quod experimẽto percepimus. Sed vtrũ etiam reuera futurũ ſit, ignoramus. Eſt quippe, verbi gratia in natura iuuenis huius vt ſeneſcat & hoc ſcimus quod vtrum hoc etiam in Dei voluntate ſit neſcimus, veruntamen nec in eius natura eſſet, niſi in voluntate Dei qui cõdidit omnia priuſ fuiſſet. Et vtique occulta eſt Deo ſenectus in corpore iuuenili, vel iuuentutis in corpore puerili, non enim ſicut ipſa in puero pueritia, & in iuuene iuuentus cernitur oculis, ſed alia quadam notitia colligitur ineſſe in natura quoddã latens, quo in promptu numeriocculti educãtur, vel à pueritia iuuẽtutis, vel à iuuentute ſene-

te ſenectutis. Occulta eſt igitur illa ratio qua fit, vt hoc eſſe poſſit, non menti, ſed oculis, verum autem hoc etiam ſit neceſſe, non poſſumus ſcire. Et illa quidem qua fit, vt eſſe poſſit, in natura ipſius corporis nouimus eſſe illam qua fit, vt neceſſe ſit, manifeſtum eſt illic non eſſe, ſed fortaſſis in mundo poteſt eſſe, vt neceſſe ſit hunc hominem ſeneſcere. Si autem nec in mundo eſt, in Deo eſt, hoc enim neceſſario futurum eſt, quod illic vult atque diſponit, & illa vere futura ſunt quæ ille preſciuit.

Futurum ſecundum cauſas, quod tamen abſolutum erit futurum.

Nam multa quidem ſecundum inferiores cauſas futura ſunt, Sed ſi ita ſunt & in præſcientia Dei, tunc vere futura ſunt. Si autem ibi aliter ſunt, ita potius ſicut ibi ſunt vbi quæ præſciuit falli non potens, futura ſunt, verbi gratia, ſenectus in iuuene dicitur futura ſed tamen futura non eſt, ſi ante moriturus eſt. Hoc autem ita erit ſicut habent aliæ cauſæ ſiue mundo contextæ, ſiue in Dei ſcientia ſeruatæ. Nam ſecundum quaſdam futurorum cauſas Ezechias moriturus erat, cui Deus addit 15. annos ad vitam, id vtique faciens quod ante mundi conſtitutionem ſe facturum eſſe præſciebat, & in ſua voluntate ſeruauerat Non ergo id fecit quod futurum non erat. Hoc enim magis erat futurum quod ſe facturum eſſe præſciebat, nec tamen iſti anni recte adijci dicerentur annis niſi ad aliquid adderentur, quod ſe aliter in alijs habuerat cauſis, ita ſecundum aliquas inferiores cauſas iam vitam finierat, ſecundum vero illas quæ ſunt in voluntate ac præſcientia Dei, qui ex æternitate nouerat, quod illo tempore facturus erat, tunc finiturus erat vitam, quando finiuit eam. Nam & ſi hoc ipſum oranti conceſſum eſt, etiam ſic eum oraturum, vt tali orationi concedi oporteret, ille vtique præſciebat, cuius præſcientia falli non poterat. Ideoque quod ipſe præſciebat, neceſſario futurum erat. Non enim illæ cauſæ quas in ſua voluntate ſeruauit ex earum neceſſitate pendent, quas creauit. Nec tamen contrariæ ſunt quas conſtituit in voluntate ſua, quia Dei voluntas ſibi non poteſt eſſe contraria. Iſtas ergo ſic condidit, vt ex eis illud eſſe cuius cauſæ ſunt poſſit, ſed non neceſſe ſit. Illas vero ſic abſcondit, vt ex ipſis eſſe neceſſe ſit, hoc quoque quod ex iſtis fecit vt eſſe poſſit.

De illa requie qua Deus ab operibus ſuis in ſe requieuit.

CAP. XXXIX.

IDem *in lib.* 4. Quoniam autem vitium & infirmitas animi eſt ita ſuis operibus delectari, vt potius in eis quam in ſe requieſcat ab eis, cum proculdubio melius aliquid in illo ſit, quo ea facta ſunt quam ipſa quę facta ſunt. Per ſcripturam illam qua ab operibus ſuis requieuiſſe dicitur Deus, nobis inſinuatur quod nullo quidem opere ſuo ſic delectatus ſit, quaſi faciẽdi eius eguerit, vel minor futurus eſſet, niſi feciſſet, quia enim ita ex illo eſt quicquid eſt, vt ei debeat quod eſt. Ipſe vero nulli quod ex ipſo eſt debeat quod beatus eſt. Se rebus quas fecit diligendum præpoſuit, non ſanctificans diem quo ea facienda inchoauit, nec illum quo ea perfecit, ne ſcilicet illis vel faciendis vel factis auctum videretur ipſius gaudium. Sed illum quo ab illis in ſeipſo requieuit. Et ipſe quidem nunquam illa requie caruit, ſed nobis eam per ſeptimum diem oſtendit, hinc etiam ſignificans, quod requies ſua non niſi à perfectis participatur, cum ad eam intimandam non deputauit diem, niſi qui rerum omnium perfectionẽ ſequebatur. Nam qui ſemper quietus eſt, tunc nobis requieſcit, quando ſe requieſcere oſtendit. Requies ergo Dei eſt, quia nullius boni indiget. Ideoque certa nobis in illo eſt, quia nos bono quod ipſe eſt beatificamur, non ipſe bono quod nos ſumus. Nam & nos vtiq; bonum aliquod ab ipſo ſumus, qui omnia valde bona fecit, in quibus & nos fecit. Porro alia res bona præter ipſum nulla exiſtit, quam ipſe nõ fecerit. At per hoc nullo extra ſe bono indiget, qui bono quod fecit non eget. Quibus autem bonis laudabiliter non egerit, ſi nulla feciſſet. Nam etiam ſic poſſet dici, nullis egens bonis, non à factis in ſeipſo requieſcendo, ſed omnino nulla faciendo. Verum bona facere ſi non poſſet nulla eſſet potẽtia. Si vero poſſet, nec faceret, magna eſſe inuidentia. Quoniam ergo bonus & omnipotens vel optimus exiſtit, omnia valde bona fecit. Quia vero ſeipſo bono perfecte beatus eſt, à bonis quæ fecit in ſeipſo requieuit, ea ſcilicet requie à qua nunquam receſſit. Sed ſi à faciendis requieuiſſe diceretur, nihil aliud quam non feciſſe intelligeretur. Niſi vero à factis requieuiſſe exprimeretur, non eis egere quæ fecit minus commendaretur.

Deus nullo ſuo opere eguit.

Requies Dei à perfectis participatur.

Quies Dei nec mane, nec veſperã habet.

Iccirco non operis ſed quietis diuinæ ſanctificauit diem, quia non hæc faciendo, ſed his quæ fecit non egendo ſe beatum intimauit, quieti eius nec mane nec veſpera eſſe cognoſcitur, quia nec aperitur initio, nec fine clauditur. Requies autem eius ab operibus ſuis ex eo initium habuit, ex quo illa perfecit. Neq; enim operibus ſuis non egendo requieuiſſet, quibus nec perfectis eguiſſet. Et quia nunquam eis omnino indiguit, nec illa beatitudo qua non eis indiget tanquam perficiendo perfectionem obtinebit, ideo nulla veſpera ſeptimi diei acceſſit. *Idem in lib.* 1. Itaque (ſicut iam ſupra dictum eſt) in inchoationem creaturæ dicitur, quod ſuperferebatur ſpiritus Dei, ne faciendo opera ſua per neceſſitatem indigentiæ potius quam per abundantiam beneficentię Deus amare putaretur, eo quod egenus & indigus amor rebus quas diligit ſubjciatur.

Quod etiam omnis creatura in ipſo requieſcit.

CAP. XL.

IDem *in lib.* 4. Et opera quidem eius bona nunc videmus, quietem vero ipſius poſt opera noſtra videbimus: propter quam olim ſignandam mandauit Deus Hebræorũ populo ſeptimam hebdomadæ diem obſeruandam. Et ſicut iam dictum eſt, ad eam intimãdam non deputauit Diem, niſi qui rerum omnium ſequebatur perfectionem: inde ſignans niſi à perfectis percipi requiem ſuam. Non eſt autem pia ſimilitudo, ſi velimus ita ſimiles eſſe Deo, vt & ipſi ab operibus noſtris requieſcamus in nobis ſicut ipſe in ſe ab operibus ſuis. In quodam etenim bono incommutabili requieſcere debemus, quod ipſe nobis eſt, qui nos fecit Deus Hęc ergo ſumma minimeq; ſuperba & verè pia requies noſtra erit, vt quemadmodum ipſe ab operibus ſuis in ſe requieuit, quia non ei opera ſua, ſed ipſe ſibi bonum eſt, quo beatus exiſtit: ita & nos ab omnibus non tamtummodo noſtris, verũ ipſius etiam nonniſi in illo requieturos ſperemus: ideo deſideremus poſt opera noſtra bona, quæ potius ipſius in nobis agnoſcimus eſſe quam noſtra, vt etiam ſic poſt opera ſua bona requieſcat ipſe, cum poſt opera bona, quę ab illo iuſtificati fecerimus, in ſe nobis requiem præſtat. Magnum eſt enim nobis ab illo extitiſſe, ſed maius erit in illo requieuiſſe, ſicut ille non ideo beatus eſt, quia hęc fecit, ſed quia factis non egens in ſe potius quam in illis requieuit: vnde nec operis, ſed quietis diem ſanctificauit, quia non hæc (vt dictum eſt) faciẽdo, ſed eis quę fecit non egendo, ſe beatum intimauit: & apud ipſum quidem eius requies, quia nec initio aperitur, nec fine clauditur nec mane, nec veſperam habet: perfectis autem operibus eius manet quidem & non veſperam habet.

Imitatio requietis Dei vera.

Perfectio creatura.

Perfecta quippe creatura quoddam habet initium ſuæ conuerſionis ad quietem ſui creatoris, quia rei cuiuſq; perfectio non tã in vniuerſo, cuius pars eſt, quã in eo à quo eſt: in quo & ipſum vniuerſum eſt pro ſui generis modulo ſtabilitur vt quieſcat ideſt vt momẽti ſui ordinem teneat. Ipſe quippe qui nullo indiget extra ſe dum in ſeipſo manet, quicquid ex ipſo eſt ad ſe retorquet, vt omnis creatura in ſe habeat naturę ſuæ terminum, quo non fit quod ipſe eſt: & in ipſo quietis locum, quo ſeruet quod ipſa eſt: ſcio quod im-

proprie

proprie dixerim locū, quia proprie sumitur in spacijs corporum: sed nec incongrua similitudo est, quia nec ipsa corpora in loco manent, nisi quo ponderis sui tāquam appetitu perueniunt, vt eo comperto requiescant. Initium ergo quietis creaturæ illo mane arbitror designari. quod factum est post vesperam sextæ diei. Non enim posset in eo nisi perfecta requiescere. Ideoque sexta die consummatis omnibus, postmodum factum est mane, quo consummata creatura in illo à quo facta est requiescere cæpit, quo scilicet initio ipsum in seipso requiescentem, vbi & ipsa requiescere posset inuenit: tanto stabilius atq; firmius quanto ipsa illius, non ille ipsius ad quietem suam indiguit. Quia vero quicquid erit vniuersa creatura quibuslibet mutationibus suis, non vtique nihil erit, sed in creatore suo semper manebit. Iccirco post illud mane nulla deinde vespera fuit.

Septenarius cur vniuersa denotat.

Cur Prædictam requiem diei septimo deputauit.

CAP. XLI.

IDem de ciuitate Dei, lib. 11. Porro quia numerus totus impar primus est ternarius & totus par quaterternarius: ex quibus scil. duobus septenarius agnoscitur. Ideo pro vniuerso frequenter ponitur, vt cum dicitur. *Septies in die cadit iustus, & resurget* idest quotiēscunq; ceciderit non peribit. Et alibi *septies in die laudem dixi tibi Domine*, hoc est quod in alio psalmo dicitur, *Semper laus eius in ore meo*, propter hoc & eodem numero signatur frequenter spiritus Sanctus, de quo ait Dominus. *Docebit vos omnem veritatē*: in ipso quippe requies esse intelligitur, qua in Deo requiescitur. *Nam in toto est requies* idest in plena perfectione, labor autem in parte. Ideo laboramus quamdiu ex parte sumus, cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est Angeli vero sancti quorum in hac peregrinatione laboriosissima, congregationem suspiramus, atq; societatem, sicut ibi habent permanendi æternitatem, ita & cognoscendi facilitatem, ac requiescendi fælicitatem. Sine difficultate quidem nos adiuuant, quia spiritualibus motibus puris ac liberis non laborant.

Requies in toto.

Idem in lib. confes. Verum ô Domine cui dicam vel quomodo dicam de pondere cupiditatis in abruptam abyssum & sublcuatione charitatis per spiritū tuum. Non enim loca sunt quibus mergimur & emergimus, affectus sunt, amores sunt immundicia spiritus nostri amore curarum inferius defluens, & sanctitas tui nos amore securitatis superius attollens, vt sursum ad te vbi spiritus tuus ferebatur super aquas cor habeamus, & ad supereminentem requiem veniamus, Cum pertransierit anima nostra aquas quæ sunt sine substantia. Creaturæ quippe rationali quæ à te facta est, nullo modo sufficit ad beatam requiem quicquid te minus est. Ergo da mihi te Deus meus, redde te mihi, vt vita mea currat in amplexus tuos, nec auertatur omnino, donec absc̄odatur in abscondiro vultus tui: hoc enim scio, quia præter te non solum extra me, sed etiam in meipso male mihi est. Omnisq; mihi copia quæ Deus meus non est, egestas est. Ponderibus suis aguntur corpora, suaq; petunt loca, minus ordinata, & inquieta sunt, ordinantur & quiescunt. Pondus meum meus est amor, eo feror quocunq; feror, dono tuo accendimur & sursum ferimur: inardescimus & imus, ascensiones in corde disponimus, & canticum graduum decantamus. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus.*

Amor pōdus.

De operationum eius continuatione.

CAP. XLII.

IDem super Gen. lib. 4. Potest etiam intelligi quod Deus à condendis creaturæ generibus requieuit, quia scilicet vltra iam noua genera non condidit. Deinceps autem vsque nunc & vltra eorūdem generum quę tunc instituta sunt, administrationem facit, vt nec ipso saltem die septimo potentia eius à rerum omnium quas condiderat gubernatione cessauerit. Creatoris namque potentia & virtus omnipotentis & omnitenentis Dei, omni creatuuę est causa subsistendi, quæ scilicet virtus ab his quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul etiam illorum species periret, omnisque natura concideret. Non enim sicut ædium structor cum fabricauerit abscedit, illoque cessante stat opus quod fecit, ita mundus iste vel ictu oculi stare poterit, si Deus illi regimen subtraxerit. Proinde quod Christus Dominus vsq; modo patrem suū operari dicit continuationem quamdam operis eius qua vniuersam creaturam administrat ostēdit, quodque de sapientia legimus, quod attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, & quod eius motus celerior est omnibus motibus, satis apparet hunc ipsum ineffabilem, & si possit intelligi, stabilem motum prębere disponendis suauiter rebus, quo vtique subtracto si ab hac operatione cessauerit perituras illas esse continuo: per hanc enim dispositionem etiam nos in illo viuimus, mouemur & sumus, quam si rebus subtraxerit, nec viuemus, nec mouebimur, nec erimus.

Deus nō quiescit a rerum gubernatione.

Itaq; simul & operatur & quiescit, & creaturę congruam prębens gubernationem, & apud se habens tranquillitatem æternam. Illa vero Dei operatio quæ per sex dies ab initio leguntur facta, scriptura dicit, & consūmata & inchoata. Consummata, cum dicit, Perfecti sunt cœli & terra. &c. Inchoata quoq; paulo post perhibet, vbi dicit, quod requieuit Deus ab operibus suis quę inchoauit vt faceret. Consummasse quippe Deum illa dicimus cum ita perfectè creauit omnia simul, vt ei nihil adhuc in ordine temporum creandum esset, quod tunc non ab eo iam in ordine causarum creatum esset. Inchoasse vero, vt quod tunc prefixerat causis, postmodum impleret effectis. Rebus quippe tunc factis, faciendarum causas inseruit, & omnipotenti potentia iam in temporum velut radice futura fecit.

Deus simul operatur & quiescit.

De Assidua rerum propagatione.

CAP. XLIII.

IDem in lib. 5 Iam ergo discernamus opera eius, quæ nunc vsque fecit ab illis quibus in die septimo requieuit. Nam (vt dictum est supra) secundum illa rerum genera, quæ primo condidit noua quotidie multa facit, quæ tunc non fecit. Nouum autem genus instituere credi rectè non potest, quia tunc omnia consummauit. mouet itaq; per occultam potentiā suam vniuersam creaturam suam, eoq; motu illa versat, dum angeli iussa perficiūt, dum sydera circueunt, dum venti alternant, dum abyssus aquarum lapsibus, & diuersis etiam per aerem conglobationibus agitatur, dum vi recta pullulant, suaque semina euoluunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui iustos exercere permittuntur, explicat sæcula quę ipse dum primum condita essent, indiderat eis tanquam implicita, Quæ tamen in suos cursus illa non explicaret si ipse qui condidit prouido motu administrare cessaret. Admoneri autem nos oportet ex his quæ in tempore nascuntur & formantur, quo modo ista indagare vel considerare conemur.

Considerāmus itaque pulchritudinem cuiuslibet arboris in robore & ramis ac frondibus & pomis: hanc vtique speciem nequaquam repente talēm & tantam exortam esse scimus, sed quo etiam ordine exorta sit nouimus. Surrexit enim à radice quam primo terræ germen infixit. Indeque omnia illa formata & distincta creuerunt: sed illud germen ex semine ortum habuit, in semine ergo primitus illa fuerunt omnia, non mole corporeæ magnitudinis, sed in causali potētia. Magnitudo siquidem illa copia terrę atq; humoris

Arbor in semine præexistit non modo.

motis eſt congeſta: ſed illa in exiguo grano mirabilior atque preſtantior vis extitit, qua humor adiacens, terræ commixtus tamquam materies ſic verti potuit, videlicet in illius ligni qualitatem: in ramorum diffuſionem, in foliorum viriditatem atque figuram, & fructuum formas, & opulentiam, omniumque ordinatiſſimam diſtinctionem. Quid enim ex arbore illa ſurgit & pendet, quod non ex theſauro quodam occulto ſeminis illius extractum atque depromptum eſt. Illud quoque ſemen ex alia ortum eſt arbore. Illaque rurſum ex alio ſemine. Aliquando autem arbor ex arbore naſcitur, vt cum ſurculus demitur atq; plantatur. Igitur & arbor ex ſemine, & ſemen ex arbore, & arbor ex arbore. Sémen autem ex ſemine nullo modo, niſi prius interueniat arbor. Alternis ergo ſucceſſionibus alterum ex altero, ſed vtrumque ex terra, nec ipſis terra prior. Sic etiam de animalibus eorumq; ſeminibus, omniunq; parens eſt terra. Sicut autem in illo grano inuiſibiliter omnia ſimul erant, quæ per tempora in arborem ſurgerent, Sic & ipſe mundus eſt cogitandus, cum omnia ſimul creauit Deus, habuiſſe ſimul omnia, quæ in illo cum illo ſunt facta, videlicet ſol & luna cum ſyderibus, quorum ſpecies manet motibus rotabilibus: terraq; & abyſſus, quę velut incõſtantes, patiuntur notus. Illa quoque quæ terra potentialiter atque cauſaliter produxit, prius quam ita per temporum moras exorirentur, quomodo nobis iam nota ſunt in eis operibus, quæ Deus vſque nunc operatur.

Theſaurus occultus ſeminis.

De diſtinctione operum creatoris & creaturæ in adminiſtratione naturæ.

CAP. XLIV.

Idem in lib 8 Quid autem maius mirabiliuſque ſpectaculum. Aut vbi magis cum natura rerum humana ratio loqui poteſt quam cũ ſeminibus poſitis, plantatis ſurculis, tranſlatis arbuſculis inſitis malleolis, tãquam interrogatur vis quęq; radicis ac germinis quid poſſit, quidue non poſſit: vnde poſſit, & vnde nõ poſſit: quid in ea valeat numerorum inuiſibilis interiorq; potentia: & quid extrinſecus adhibita diligentia: & in ipſa conſideratione perſpicitur, quia neq; qui plantat neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Nam & illud operis quod accedit extrinſecus, per illum accedit, quem nihilominus creauit, & quem regit & ordinat inuiſibiliter Deus. Hinc iam in ipſum mundum, velut in quandam arborem rerum oculus cogitationis attollitur: & ipſo quoque gemina prouidentiæ operatio reperitur, partim ſcilicet naturalis, partim voluntaria.

Prouidentia operatio naturalis & voluntaria.

Naturalis per occultam Dei adminſtrationem, quę lignis herbiſque dat incrementum, voluntaria vero per angelorum opera & hominum. Secundum primã illam cæleſtia ſuperius atque terreſtria ordinantur: inferius luminaria & ſydera fulgent. Diei noctiſque, vices agitatione ſua præbent, aquis terra fundata circumluitur & interluitur: aer altius ſuperfunditur, arbuſta & animalia concipiuntur atque naſcuntur: creſcunt, ſeneſcunt, occidunt, & quicquid aliud in rebus interiori naturalique motu geritur. In hac autem alia ſigna dantur, docetur atque diſcitur, agri coluntur: ſocietates adminiſtrantur, artes exercentur, & alia quæcunque ſiue in ſuperna ſocietate, ſiue in hac terrena & mortali agantur, ita vt bonis etiam per malos neſcientes conſulatur.

Comparatio arboris & hominis.

In ipſo etiam homine ipſa gemina viget potentia prouidentiæ. Primo quidem erga corpus eſt operatio naturalis, ſcilicet eo motu quo fit, quo creſcit, quo ſeneſcit. Voluntaria quoq; circa illud eſſe cognoſcitur, qua ſcilicet ad victum & tegumentum atq; curationem conſulitur. Similiter erga animam naturaliter agitur, vt viuat, & ſentiat, voluntariæ vero vt diſcat, vt ſciat. Sicut autẽ in arbore id agit agricultura forinſecus, vt illud proficiat quod geritur intrinſecus. Sic & in homine ſecundum corpus ei quod intrinſecus agit natura, ſeruit extrinſecus medicina. Itemq; ſecundum animam, natura vt beatificetur intrinſecus, doctrina miniſtratur extrinſecus. Quod autem ad arborem colendi eſt negligentia, hoc ad corpus medendi eſt incuria, hoc ad animam diſcendi ſegnitia. Et quod ad arborem eſt humor inutilis, hoc ad corpus victus exitialis, hoc etiam ad animam perſuaſio iniquitatis. Quid ergo abhorret à vero ſi credamus hominem conſtitutum in Paradiſo, vt operaretur agriculturam, non ſeruili labore, ſed honeſta potius voluptate. Quid enim innocentius hoc opere vacantibus, & quid plenius magna conſideratione prudentibus. &c.

Agriculturæ laus.

Exemplificatio illius differentiæ.

CAP. XLV.

Idem in lib. 9. Ecce ſi quidem opus agricolæ eſt, vt aquam ducat, cum arborem vel ſemen rigat. Non autem eſt opus eius vt aqua prolabatur per declivia, ſed eius qui in menſura & numero & pondere diſponit omnia Iterum agricolę opus eſt, vt ex arbore ſurculus euellatur, terræq; mandetur. At vero non eſt opus eius vt ſuccum imbibat, vt germen emittat, vt aliud eius ſolo figat, quo radicem ſtabiliat, vt aliud in auras promoueat quo robur nutriat, ramoſq; diffundat, ſed illius qui ſolus incrementum dat. Medicus etiam ęgroto corpori alimentum adhibet, & vulnerato medicamentum præbet, non de rebus quas creauit, ſed quas vtique creatas operè creatoris inuenit. Deinde cibos & medicamenta prępparare ac miniſtrare poteſt, Non autem ex his quæ adhibet operari & creare vires vel carnem poteſt. Natura hic agit interiori motu nobiſq; occultiſſimo, cui tamen ſi ſubtrahat Deus operationem intimam, qua ſcil. eam ſubſtituit & facit, continuo tanquam extincta & nulla remanebit. Quapropter cum Deus omnipotens piè vniuerſam creaturam ſuam bipartito, vt dictum eſt, opere prouidentię & in voluntarijs & in naturalibus motibus adminiſtret, creare tamẽ nullus angelus naturam aliquam nec ſeipſum valet. Sed voluntas angelica voluntati Dei obediens, eiuſq; iuſſionem exequens, naturalibus moribus de rebus ſubiectis more agricolandi vel medendi tanquã materiam poteſt miniſtrare, vt vel ſecundũ illas principales in verbo non creatas, vel ſecundum illas in primis ſex dierum operibus cauſaliter creatas rationes aliquid creatur in tempore. Itaq; quod Adam in Paradiſo ſoporatus ſit, eiuſq; coſta ſine vllo dolore à corporis compage detracta ſit, hoc totum fortaſſe per angelos fieri potuit, formare vel ædificare coſtam in mulierem nullus potuit, niſi ſolus Deus, à quo omnis natura exiſtit. Certiſſime quippe dixerim etiam ſupplementum illud in locum coſtæ, mulieriſq; corpus & animam, confirmationem membrorum, omnia viſcera, omnes ſenſus, & quicquid erat quo illa & creatura & homo fuit & fœmina, non niſi opere illo Dei factum, quod non per angelos, ſed per ipſum, non operatus eſt ac dimiſit ſed ita continuo operatur, vt nec ipſorum angelorum nec illarum rerum natura ſubſiſtit ſi non operetur.

Angelus nequit creare.

De quatuor differentijs operationum.

CAP. XLVI.

Hugo ſuper eccleſiaſten Homilia. 16. Quatuor ſunt opera quibus omnia temporalia explicantur. Primum eſt opus Dei, ſecundum naturæ, tertium artificis cum natura, quartum ſolius artificis ſine natura.

Opus Dei eſt eſſentiam rerum de nihilo creare, materiam rerum informem diſponere, motum autem rerum ſub certo ordine temperare, propterea tria hæc ad opus Dei pertinent ideſt eſſentia rerum, & forma. & ordo. Hæc autem tria de opetibus Dei ſtabilia ſunt, nec temporis capiunt mutabilitatem, & rerum eſſen-

Opus Dei.

tiæ

tiæ hoc quod ſunt nunquam eſſe deſinunt, & rerum formę ſecũdum primam conditoris ſui inſtitutionem in ſuis generibus perpetuam identitatem cuſtodiunt, & motus rerũ primum ordinis legem nunquam tranſcendunt. Neque enim vel eſſentiæ rerum nihil eſſe, vel formę rerum aliter eſſe, vel ordo rerum diſpoſitioque ab initio mutari potuerunt. Opus itaq; Dei eſt, ceare, formare, diſponere vniuerſa.

Opus naturæ & artificis.

Opus naturæ eſt ſemina rerum de occulto per incrementum producere, eademque rurſum marcentia cum concidunt per defectum ad occultum ſinum vnde prodierãt reuocare. Opus artificis cum natura eſt, ea quæ otiuntur de terra ſtudio, & induſtria adiuuare. Opus ſolius artificis in ſubiecta rerum materia operari vel diſiuncta componendo, vel coniuncta ſeparando. Tres itaq; opifices ſunt in hoc mundo. *Deus, natura, & artifex imitans naturam.* Sed hi tres valde diſpari potentia id quod ad effectum perducunt, efficiunt. Nam Deus in opere ſuo nec naturę opera indiget, nec opificis imitantis naturam. Operatur enim Deus aliquando ſine natura, aliquando in natura, aliquãdo ſupra naturam. Nam ſine natura primũ fecit ipſam naturam, Cum natura facit ea quæ de natura ſecundum naturam producit. Supra naturam quando in natura prẽter curſum naturæ ſolitum & poſſe primum maiori addita potentia aliquid ad effectum perducit. Omne ergo quod natura facit Deus facit, ſed non omne quod Deus facit, natura etiam facit. Tertio loco ſequuntur opera artificis imitantis naturam. Et ipſe quidem aliquando cũ Deo operatur ſine natura. Aliquãdo ſine Deo & cum natura. Aliquãdo cum Deo ſimul & cum natura. Aliquãdo ſine Deo pariter, & ſine natura. Cum Deo operatur, quando opera iuſtitiæ, ſine Deo, quando opera iniquitatis operatur. Cum natura quãdo in ſeminibus rerũ ac fœtibus propagandis quibus natura incrementum ſubijcit: foris induſtriam & ſtudium apponit. Sine natura, quãdo præterea in ſubiecta materia ſtudium explicat vt aliquid quodcunq; ad effectum promoueat, in quo natura patitur tantũ, non operatur, quia materiam operandi præbet, non autem effectum operantis exercet. Talia ſunt omnia opera hominum, quæ fiunt ſuper terram, ex quibus multa mortalis vitæ neceſſitas cogit, multa ſuadet cupiditas, multa vanitas operatur.

Tres opifices in mundo.

Operans ſine Deo.

De varijs modis diuinarum operationum.

CAP. XLVII.

Alcuinus ſuper Gene. 47. Quatuor itaq; ſunt modi operationis Dei. Operatus eſt enim primo in verbo ſuo omnia diſponendo. Secundo in materia informi quatuor elementorum de nihilo eam creando. Tertio per opera ſex creaturas varias diſtinguendo. Quarto ex primordialibus ſeminibus non incognitas naturas faciendo, ſed notas ſæpius ne pereant reformando. *Richardus in lib. exceptionum primo.* Pater inquit meus vſque modo operatur, cuius ſcilicet operatio quadrifariam diuiditur. Primum eſt opus conditionis: ſecundum diſpoſitionis, tertium propagationis, quartum gubernationis. Primum opus ante omnem diem fecit. Secundum in ſex diebus. & ab hoc in ſeptimo die requieuit. Tertium à principio vſque ad finem facit. Quartum in æternum facere non ceſſabit. *Iohannes Damaſcenus lib.* 1. Eſt autem ſolius Dei vbique ac ſecundum idem operari, vbiq; etenim ens ſuper omnia, ſecũdi m idem differenter operatur vbique vna & ſimplici operatione. *Petrus Lombardus in ſententijs li.* 2. Cumque dicimus Deum aliquid facere, non enim in operando aliquem motum intelligimus ineſſe, vel aliquam in operando paſſionem, ſicut nobis ſolet accidere, ſed eius ſempiternæ voluntatis nouum aliquem ſignamus effectum, hoc eſt ipſius æternã voluntate nouiter aliquid exiſtere. Et hoc dicitur agere, quia eius cauſa exiſtit abſque ipſius agitatione, vt actus propriè dici non queat, cum actus omnis in motu conſiſtit, & nullus in Deo motus exiſtat. Sicut ergo ex calore ſolis aliqua fieri contingit, nulla tamen in ipſo vel in eius calore facta mutatione, vel motione, ſic ex voluntate Dei habent eſſe noua ſine actoris mutatione.

Opiratio Dei quadruplex.

Auguſt. de ciui. Dei lib. 12. Itaque cum audimus, quod Deus hominem ad imaginem ſuam fecit, eiq; coniugem in adiutorium generandi ex eius coſta ędificauit, nequaquam huiuſmodi operationes Dei carnaliter cogitemus, ſicut opifices ex quacunq; terrena materia corporalibus membris quod artis induſtria potuerunt fabricantes videmus, manus enim Dei eſt ipſius potentia, qua inuiſibiliter operatur etiam viſibilia. Cumq; alia ſit ſpecies, quæ adhibetur extrinſecus cuiq; materię corporali, ſicut operantur homines figuli, ac pictores. & fabri. Alia vero quæ intrinſecus de occulto & ſecreto naturę viuentis & intelligentis arbitrio efficientes habet cauſas, quæ non ſolum naturales corporum ſpecies, verum etiam ipſas animantiũ animas dum non ſint, facit, ſupra dicta illa ſpecies artificibus quibuſq; tribuatur: hęc autem altera non niſi vni artifici conditori & creatori Deo conuenit, qui mundum ipſum & angelos ſine vllo modo & angelis fecit. Quia etenim diuina vi (vt ita dicam) effectiua, quæ fieri neſcit, ſed facere, ſpeciem accepit, (cum mũdus fieret) rotunditas cœli & rotunditas ſolis, Eadem vi diuina & effectiua quæ fieri neſcit, ſed facere, accepit ſpecẽ rotunditatis oculi, & pomi, cæteręq; naturales figuræ, quas in rebus naſcẽtibus naquaquam extrinſecus videmus adhiberi, ſed intima creatoris potentia, quæ dixit cœlum & terram impleo: cuius ſapientia nimirum attingit à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter.

Manus Dei eius potentia eſt.

De Miraculorum operatione.

CAP. XLVIII.

Loſſa ſuper epiſtolam ad Roma. 11. Porro ipſe Deus naturarum omnium conditor nihil contra naturam facit omnino, quia hoc eſt natura cuique rei quod ipſe facit à quo eſt omnis naturæ modus & numerus & ordo. Non incongruè tamen humano more dicitur facere aliquid contra naturam, quando contra id quod in natura nouimus facit. Naturam quippe ſolemns appellare cognitum nobis mortalibus ſolitumque curſum naturæ: contra quem ſcilicet cum aliqua Deus operatur magnalia vel mirabilia nominantur. At vero contra ſummam illam naturæ legem à notitia remotam ſiue impiorum, ſiue infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam nec contra ſeipſum facit. *Auguſtinus de trini. li.* 3. Quis itaque cadaueribus reddidit animas ſuas cum reſurgerent mortui, niſi qui carnes in vteris matrum animat, vt oriantur morituri. Sed dum fiunt iſta continuo quaſi quodam fluuio rerum labentium atque manentium, & ex occulto in promptum, atque ex prompto in occultum vſitato itinere tranſeuntium, naturalia dicuntur. Cum autem admonendis hominibus inuſitata mutabilitate ingeruntur magnalia (vt dictum eſt) mirabilia nuncupantur.

Deus nihil facit contra naturam.

Mirabilia.

Idem in libro de vtilitate credendi. Miraculum enim vocari ſolet quicquid arduum aut inſolitum ſupra ſpem vel facultatem mirantis apparet. *Idem ſuper Geneſim li.* 9. Vt autem ſuperius dictum eſt, ſicut illud ſemen cui promiſſum eſt, diſpoſitum eſt per angelos in manu mediatoris, ſic omnia quæ ad eiuſdem ſeminis aduentum vel annunciandum vel prænunciandum in rerum natura præter vſitatum naturæ curſum mirabiliter facta ſunt, propabiliter creditur eſſe facta miniſtrantibus angelis, ita tamen vt vbiq; creator vel reparator naturarum non ſit niſi qui plantatore ac rigatore quolibet ſolus incrementum tribuit.

Miraculum quid?

Itaq; in rebus creatis altitudinem illius operationis qua mulier de latere viri facta eſt quærimus, nec inuenimus, non niſi quia homines quidam quemadmodũ

Agricolatio angelorum.

operantur in hac terra cognouimus, quemadmodum autem angeli in hoc mundo quo modo agricolantur, non vtiq; nouimus. Nam profecto si remota hominū industria fruticum genus operaretur tantum cursus nature, nihil aliud in hac parte nouissemus, quam in terra nasci arbores & herbas, & ex earum seminibus ex eis itidem in terram cadentibus, nec innotesceret nobis quid valeret insitio, vt alterius generis lignum propria radice poma portaret aliena, & coalescente vnitate iam sua, hæc nimirum per agricolarum opera didicimus, cum ipsi creatores arborū nullatenus existāt, sed ad naturæ cursum Deo creanti suum quidem ministerium præbeant. Nunquam enim per opera eorum aliquid existeret, si hoc in Dei opere intima naturæ ratio nō haberet. Quid ergo mirū si quē admodum ex osse viri facta est mulier non nouimus, quando quidem Deo creante quemadmodum angeli seruiant ignoramus? Fideliter tamen fœminam ex viro factam nullo interueniente concubitu credimus, etiam si forte costa ministrata sit per angelos pro nutu creatoris sicut fideliter etiam virum ex fœmina sine concubitu factum credimus, quando semen Abrahæ per angelos dispositum est in manu mediatoris, & poterat quidem dominus ipse carnem suam de costa, vel de aliquo membro virginis creare. Sed qui posset ostendere in suo corpore se hoc iterum fecisse, quod factum est vtilius in matris ostendit corpore pudendum nihil esse quod castum est.

Quod Deus miracula facit per ministeria angelorum bonorum ac malorum.

CAP. XLIX.

IDem in lib. 11. Habent autem angeli boni & mali opera quædam similia in miraculis, sicut Moyses & magi Pharaonis, vnde sic locutus est serpens ad Euam, sicut asina ad Balaam nisi quod opus illud fuit diabolicum, hoc angelicum. veruntamen, etiam in his potentiores sunt angeli boni malis. Non enim angeli mali talium operum possunt aliquid, nisi per angelos bonos Deus permiserit, vt videlicet retribuatur vnicuiq; secundum cor eius, vel secundum gratiam Dei, vtrunq; iustè ac benigne secundum altitudinem diuitiarum sapientię & scientię Dei. *Idem in li. quæstionum.* 83. Omnis enim anima partim priuatam cuiusdam sui potestatem gerere cognoscitur, partim vniuersitatis legibus siue publicis coercetur ac regitur. Quoniam vnaquæq; res visibilis in hoc mundo potestatem habet angelicam sibi præpositam, vt diuina scriptura testatur, de illa re cui præposita est, aliter quasi priuato iure agit, aliter tanquam publico agere cogitur, vniuersitas quippe potentior est parte. Nam & id quod ibi priuatim agit, tantū agere sinitur, quantum lex vniuersitatis finit, anima vero humana quanto neglecto communi bono, suoq; gaudens priuato, suis honoribus vel potestate delectatur, tanto magis pænaliter diuinis legibus tanquam publicis seruire cogitur, magisq; talibus potestatibus subduntur quæ priuato suo gaudent, & tanquam dij ab hominibus honorari desiderant. Quibus sæpe diuina lege conceditur, vt eis quos sibi secundum merita eorum subiugauerunt, illo priuato iure etiam aliquid miraculorum præstent in his exhibendorum quibus in infimo, sed cum ordinatissimo gradu præpositæ permanēt. Sed vbi diuina tanquam publica lex contrarium iubet, vincit priuatam licentiā tanquam & ipsa priuata licentia nisi vniuersalis diuinę potestatis permissione nulla esset.

De magis Pharaonis & eorū operibus.

Deus imperat insanis.

Ideoq; fit vt sancti Dei serui cum eos vtile est habere talia dona secundum publicam & imperialem legem id est summi Dei potestatem infirmis potestatibus imperent, ad visibilia quędam miracula facienda. In illis enim imperat ipse Deus, cuius tēplum illi sunt & quē contempta sua priuata potestate ardentissime diligūt. In magicis autem operationibus ad illecebrā dilectionis, vt videlicet eos quibus talia cōcedunt, sibi subiugent eorum ministerijs ac precibus effectum præbent primato illo iure largiēres quod sibi largiri licet se honorantibus, sibiq; seruientibus & quædam in sacramentis suis secum pacta seruantibus. Cumq; imperare magi Dæmonibus videtur, per sublimorum nomina inferiores terrentur, & nonnulla visibilia quæ propter infirmitatem carnis hominibus æterna contueri non valētibus, qnæ per semetipsum dilectoribus suis præstat Deus verus, magna apparent & exhibent.

Ideo autem non omnibus sanctis impetia prædicta tribuūtur: ne pernicioſissimo errore infirmi decipiantur, existimantes in talibus factis maiora dona esse quam in operibus iustitiæ, quibus æterna vita comparatur. Ideoq; prohibet Dominus discipulos suos hinc gaudere dicens, In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Cum ergo talia faciant magi qualia nonnunquam sancti, alio faciunt iure ac diuerso fine. Illi quippe faciunt quærentes gloriam suam. Isti vero quærentes gloriam Dei: & illi faciunt per quædam potestatibus in ordine suo concessa, quasi priuata commercia. Isti vero administratione publica iussu eius cui subiecta est omnis creatura.

Maiora sunt dona iustitiæ quam miraculorum.

Quod hæc omnia Dei potentia & prouidentia moderantur pro meritis animarum.

CAP. L.

OMnis quidem anima (sicut iam dictū est supra) partim priuati cuiusdam sui potestatem gerit, partim ea vniuersitatis lex siue publica, quæ est diuina sapientia siue prouidentia coercet ac regit: & vnamquamq; tanta pietate purgatiorem esse constat, quanto minus priuato suo delectata, legem vniuersitatis intuetur, eique libenter ac deuote obtemperat quantoque amplius priuato suo gaudet, ac neglecto Deo, qui omnibus animis vtiliter atque salubriter, præsidet, ipsa suam potius in se vel in alios quam illius in omnes diligens potestatem, honoribus suis delectatur, tanto sordidior esse cognoscitur, tantoque magis pænaliter diuinis legibus seruire cogitur, & tanto magis malignis potestatibus, quæ priuato suo similiter gaudent, subditur, quæ scilicet potestas ad illecebram dilectionis ac seruitutis suæ quandoq; honorantibus se ac seruientibus sibi nonnulla visibilia priuato illo iure quo rebus infimis sunt præpositæ, quandoq; largiuntur, quæ pro infirmitate carnis hominibus æterna contueri non valentibus magna videntur. Hæc autem permittit Deus omnia iuste moderans, atq; pro cupiditatibus electionibusque eorum seruitutes ac libertates distribuens.

De iis quæ reprobi impetrāt à Deo.

Et si quando inuocatione summi Dei aliquid impetrent, pro cupiditate sua mala, vindicta est ista, non gratia. Non enim de talibus dicit Apostolus frustra, quod tradidit eos Deus in cordis eorū desideria. Quorum enim peccatorū fælicitas perpetrandorum pena est aliorum præcedentium. Vt autem mali frequenter bonis temporaliter noceant, accipiunt in eos potestatem ad maiorem bonorum vtilitatem, patientiæ scil. exercitationem. Anima ergo christiana semper vigilet in tribulationibus suis sequi voluntatem Domini sui, ne grauius sibi iudicium acquirat resistendo ipsius ordinationi. Quod enim Dominus ipse agens dixit Pōtio Pilato, hoc Sanctus Iob dicere posset diabolo. Nō haberes potestatem in me, nisi datum esset tibi desuper. Non ergo illius voluntas, cuius malitiæ potestas in bonos datur, sed eius voluntas, à quo datur potestas illa, debet nobis esse charissima, quia tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio veto spem. Et quidem (vt dictum est) fieri potest, vt diuina prouidentia per malum hominē & puniat & adiuuet. Nam impietas Iudæorum & Iudam supplantauit, & gētibus saluti fuit. Item fieri potest, vt per hominem bonum & damnet & adiuuet, dicente Apostolo, Alij sumus odor vitæ in vitam, Alijs

De abutentibus potestate à Deo data pulchra consideratio.

odor

odor mortis in mortem. Omnis itaq; tribulatio aut pœna est impiorum aut exercitatio iustorum. Nam eadē tribulatio & paleas conscidit & frumenta paleis exuit: vnde & tribulationis nomen accepit, rursum pax & quies à molestiis corporalibus bonos acquirit, & malos corrumpit. Hæc autem omnia pro meritis animarum prouidentia diuina moderatur. Nec tamen sibi boni ministerium tribulationis eligunt, nec mali pacem diligunt, quapropter ipsi quoque per quos id agitur quod nesciunt: nō iustitiæ quæ ad Deum refertur, sed maliuolentiæ suæ mercedem accipiunt, quemadmodum nec bonis imputatur, quòd ipsis prodesse volentibus alicui nocetur, sed bono animo beniuolentię præmium tribuitur: ita etiam in cæteris Dei prouidētia pro meritis animarum rationalium vel sentitur, vel latet, vel molesta, vel commoda est. Summo quippe Deo bene administrante quæ fecit, nihil inordinatum in vniuerso nihilque iniustum est, siue scientibus siue nescientibus. Nobis vero in parte anima peccatrix offenditur, cum quia ibi est, vbi talem esse decet, eaque quæ talem pati æquum est, patitur; vniuersum Dei regnum nulla eius fœditate deformatur, quamobrem inter omnia quæ de nobis bene agit ordo diuinus, in sola bona voluntate secundum legem agimus. In cæteris autem secūdum legem agimur, cum lex ipsa immutabilis maneat. Omniaque mutabilia gubernatione pulcherrima moderetur. Gloria igitur in altissimis Deo, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Agere & agi secundum legem.

Quod Dei prouidentia sit gubernatrix omnium.

CAP. LI.

Prouidentia quidē

Basilius in hexa. lib. 7. Apud Deum quippe nihil improuidum esse cognoscitur: cuncta enim oculus ille insopitus speculatur. *Augustinus de ciuit. Dei libr. 1.* Est nimirum prouidentia cura eorum quæ subiectis sunt adhibenda: hæc vtrinque operatur in suo & alieno, in suo quod fecit, in alieno quod & permisit. Cuncta quippe subiecta sunt illi, & prouidet omnibus, præsidens omni creaturæ per gubernationē, iustitiæ glorificationem, & malitiæ damnationē. Simili modo dupliciter consideratur diuina dispositio. Bona quippe dispositionem habent, & vt sint, quia bona sunt, & vt sic sint, quia ordinata sunt, mala vero ex dispositione superna non habent quod sunt, quia mala sunt, & tamē habent quod sic sunt, quia diuinitus ordinata sunt. Deus enim vt dictum est, *malorum non est auctor sed ordinator. August. de ciui. Dei lib. 10.* De prouidentia certè Plotinus Platonicus disputat, eamque à summo Deo cuius est intelligibilis & ineffabilis pulchritudo vsque ad hæc terrena & ima pertingere, flosculorum atque florum pulchritudine comprobat. Quæ nimirum omnia quasi abiecta & velocissimè pereuntia decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur vbi forma intelligibilis & incommutabilis simul habens omnia perseuerat. Hoc & Dominus Iesus ostendit, vbi ait. *Considerate lilia agri quomodo crescunt &c.* Optimè ergo humana anima terrenis adhuc sensibus dedita & desideriis infirma ea ipsa bona infima, quę huic vitæ necessaria, & præ illius vitæ sempiternis beneficiis cōtemnenda temporaliter appetit, non tamen nisi ab vno Deo expectare consuescit, vt ab illius cultu etiam in iustorum desiderio non recedat. Ad quem eorum contemptu & ab eis auersione perueniat. *Idem in libr. 11.* Verum Dei bonitatem in rebus creādis vel disponendis hæretici non intelligunt, quia egenam carnis huius fragilemque mortalitatem de iusto supplicio venientem dum eis non conueniunt, plurima offendunt, nec attendunt quantum in locis suis naturisque vigeant, pulchroque ordine dispositionem habeant, quantumque vniuersitati rerum pro suis positionibus decoris tanquam in communem rempublicam conferant, vel etiam nobisipsis, si eis congruenter atque sapienter vtamur, commoditatis tribuant, ita vt etiam

Dispositio bonorum & malorum.

A ipsa venena quæ per inconuenientiam pernicioſa esse comprobantur, conuenienter adhibita in salutaria medicamenta vertantur. Econtrario autem etiam cibus & potus & lux & cætera quibus delectantur, immoderato & importuno vsu noxia sentiantur. Vnde nos admonet diuina prouidentia non res insipienter vituperare, sed rerum vtilitatem diligenter inquirere, & vbi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ita occultata credere sicut fuerant nonnulla, quæ vix potuimus inuenire. Nam & ipsa vtilitatis occultatio, aut humilitatis est exercitatio aut electionis auractio, & nulla omnino natura malum est, nec hoc nomen nisi priuationis boni est. Sed à terrenis ad cœlestia, & à visibilibus vsque ad inuisibilia sunt aliis alia bona meliora, ad hoc quidem inæqualia, vt essent omnia. Et si nemo peccasset, mundus tantummodo bonis naturis B plenus & ornatus esset. Nunc autem licet peccatum vigeat, non ideo peccatis plena sunt omnia. Sed bonorum longe maior numerus in cœlestibus ordinem suum seruat, vt mala voluntas quia naturæ ordinem seruare noluit, ideo iusti Dei leges, omnia bene ordinantis effugit. *Idem in lib. 12.* Naturæ ergo omnes quia sunt profecto bonæ sunt, & cum ibi sunt, vbi esse per ordinem naturæ debent, quantum acceperunt esse suum custodiunt. Et quæ semper esse non acceperūt, pro vsu motuque rerum quibus creatoris legi subduntur, in melius deteriusve mutantur. Sicq; in eum diuina prouidentia tendunt exitum, quem ratio gubernandæ vniuersitatis includit, ita vt nec tanta corruptio, quanta vsque ad interitum naturas mirabiles mortalesque perducit, faciat non esse quod erat vt non inde consequenter fiat, quod esse debeat.

Abusus creaturarum.

Ex occasione peccati plurima bona.

C *De bipartito opere quo vniuersitati creaturæ prouidet.*

CAP. LII.

D *Deus super Genesim lib. 8.* Bipartito autem opere prouidentiæ præest Deus vniuersæ creaturæ suæ, scilic. naturis vt fiant, voluntatibus autem vt sine illius iussu vel permissu nihil faciant, vniuersam quippe creaturam regens, & administrans naturas sicut voluntates vt nec bonæ infructuosæ, nec malæ impunitę sint, primo subdit omnia sibi. Deinde vero creaturam corporalem creaturæ spirituali, terrestrem cœlesti, fœminam masculinæ, minus valentem valentiori. Et quia naturæ liberum voluntatum arbitrium habentes cæteris potentiores sunt ac superiores, illæ quæ non habent subditę sint necesse est illis quæ habent. Et hoc ipsius creatoris ordinatione qui nunquam ita punit malam voluntatem, vt naturæ perimat dignitatem, in voluntatibus quoque bonos quidem sibi, cæteras autem ipsis subdit, seruientibus sibi, vt hoc patiatur voluntas mala, quod ex iussu Dei fecerit bona, siue per seipsam siue per malam in rebus dumtaxat quę naturaliter subditæ sunt etiam malis voluntatibus, hoc est in corporibus. Nam in seipsis habent malæ voluntates interiorem pœnam suam, eandem scilicet ipsam iniquitatem suam, ac per hoc angelis sublimibus Deo subditæ fruentibus, subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis quoque voluntas vel infirma vel prauа, vt hoc dē subditis vel cum subditis agant, quod ordo naturæ poscit in omnibus illo iubente cui subiecta sunt omnia. Proinde illi quidem in E ipso veritatem incommutabilem cernunt, & secundū eam voluntates suas dirigunt, fiuntq; participes æternitatis ac veritatis & voluntatis eius semper tempore & loco, mouentur autem eius imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto, nec ita mouentur vt ab eius contemplatione fileant aut defluant, sed vt simul & illum sine loco & tempore contemplentur, & eius in inferioribus iussa perficiant, mouentes se per tempus tantum, corpus autem per tempus & locum quantum actioni congruit eorum.

Pœna malarum voluntatum.

Itaque natura vniuersitatis corporalis non adiuua-

tur corporaliter extrinsecus, quia non est extra ipsum vllum corpus, sed intrinsecus adiuuatur incorporaliter, Deo id agente, vt omnino sit natura, quoniam ex ipso ac per ipsum & in ipso sunt omnia. Partes vero eiusdem vniuersitatis & intrinsecus adiuuantur incorporaliter, vel potius fiunt, vt naturæ existant, & extrinsecus corporaliter, quo se melius habeant, sicut alimentis, & agricultura, & medicinis, & quæcunque etiam ad ornatum fiunt, vt non solum saluæ ac fecundiores, sed etiam decentiores maneant. Spiritualis autem creata natura si perfecta & beata est, sicut angelorum sanctorum, quantum attinet ad seipsam quod sit, sapiensque sit, non nisi intrinsecus adiuuatur, æternitate, sua veritate & ebrietate creatoris, extrinsecus vero si adiuuari dicenda est, eo fortasse solo adiuuatur, quod inuicem se vident, ac de sua societate in Deo gaudent, & quod perspectis etiam in eis ipsis omnibus creaturis vndique gratias agit, laudatque bonitatem creatoris. Quod autem attinget ad angelicę creaturæ actionem, per quam vniuersarum rerum generibus, & maximè humana prouidentia Dei prospicitur, ipsa extrinsecus per ea quę similia sunt corporalibus, & per ipsa corpora quę potestati angelicę subiacent, adiuuatur. Igitur Deus omnipotens & omnitenens incommutabili æternitate, veritate, voluntate, semper idem, non per tempus, nec per locum motus, mouet tamen creaturam spiritualem per tempus. Corporalem vero per tempus & locum mouet, vt eo motu naturas quas intrinsecus substituit etiam extrinsecus administret, ac per voluntates sibi subditas, quas per tempus atque per corpora sibi & illis voluntatibus subdita quæ per locum & tempus, mouet ea tempore & loco, cuius ratio in ipso Deo vita est sine tempore & loco. Cumque aliquid tale Deus agit, non debemus opinari substantiam eius qua Deus est temporibus lociſque mutabilem esse, sed in opere diuinæ prouidentiæ ista cognoscere, non in illo quo naturas creat, sed in illo quo intrinsecus creatas, etiam extrinsecus administrat.

Angeli beati sunt suæ etiã societate.

Quod Dei prouidentia omnium naturarum indigentias implet.

CAP. LIII.

HVgo de tribus diebus. Ecce videmus certe quod omnis naturalis appetitus explementum inuenit in rebus. Constat ergo quia prouidentia præcessit, cuius consilio cautum est, ne quod rerum indigentiis necessarium præsidium desit, qui enim appetitus instituit, ipse appetitibus alimenta ministrauit. *Gloſſa ſuper Luc.* 11. Hinc Dominus Apostolis ait. *Nolite solicitè esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*, vbi certè non prohibet prouidentiam per quam in sudore vultus præparamus nobis panem, sed vetat de præsentibus solicitudinem, quæ nimirum mentem perturbat & ab æternis reuocat, indecorum est enim homini curare de veste vel cibo, qui militat regno nouit rex quemadmodum familiam suam pascat, alat, & vestiat. Hinc ibidem etiam congrue subiungit. *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus est, quam vestimentum?* Ecce moraliter eos ad fidem instruit omnia credentibus à Deo conferri posse, qui eos ex anima & corpore composuit. Cum enim anima ex corporis indumento vestiatur, & ex animæ vigore sine nostro labore corpus animetur, absurdum est vt victus copiam nobis defuturam putemus, qui iugem viuendi substantiam à Deo consequimur. Cætetum inquit considerate corpus & volatilia, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium nec horreum, & tamen illos Deus pascit, quorum est anima mortalis, vnde quantomagis vos plutis estis illis, ideſt vt plus eis valetis scilicet propter rationem & propter immortalitatem quæ promittitur vobis. Si ergo auibus non laborantibus, nec communes fructus aliquo sibi dominatu speciaA liter sibi vendicantibus, prouidentia Dei necessaria largiendo tribuit, illi vos curam regendi corporis vestri relinquite, qui ad hanc illud mensuram crescere fecit. *Quis enim vestrum solicitudine sua & sagacitate potest ad staturam suam vel cubitum vnum adijcere.* Denique ait. *Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant*, se scilicet coloribus ornando, *neque nent* indumenta sibi faciendo, sed nec vt cęteri terræ fructus aliquem agricolarum cultum requirunt. *Et tamen dico vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis*, quę etenim purpura rerum quę pictura textricum comparari potest floribus liliorum, & dicitur vestimentum floris ipse color, sicut de aliquo dicitur quod eum operuit rubor. *Si autem inquit fœnum quod hodie in agro est & cras in clibanum mittitur, à Deo sic vestitur*, ideſt si ea quæ ad vsum corporis tantummodo sunt, & cito decidua igne cremabuntur, à Deo tam venustè adornantur, *quantomagis vestiet vos pusilla fidei?* qui scilicet ad imaginem ipsius estis creati, & ad æterna vocati. Cum in Euangelio paulo ante legitur eis dixisse. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non est in oblivione coram Deo*, ac si diceret. Omnia etiam minima sunt sub prouidentia Dei, quantomagis vos ad imaginem Dei facti? *Sed & capilli inquit capitis vestri omnes sunt numerati*, vt de massa corporis taceam, quoniam etiam minimæ particulę conseruantur prouidentię Dei.

Sollicitudo prohibetur cum prouidentia.

Minima prouidet Deus.

Qualiter eadem prouidentia cunctorum animantium appetitus mouet, ad dirigit.

CAP. LIV.

SIcut autem superius iam diximus per Angelicæ creaturæ actionem prouidentia Dei prospicit vniuersarum rerum generibus. Et ipse quidem Deus, nec per tempus, nec per locum motus, creaturā spiritualem mouet per tempus tantummodo, corporalem vero tempore & loco, cuius ratio in ipso Deo vita est sine tempore, & loco, mouetur enim animus reminiscendo, quod oblitus erat, vel discendo, quod nesciebat, vel volendo quod nolebat *Idem in li. 9.* Et omnis quidem anima, siue sit rationalis, siue irrationabilis mouetur visis. Sed anima rationalis arbitrio voluntatis, vel eis consentit, vel non consentit. Irrationalis autem iudicium hoc nequaquam habere cognoscitur, pro suo tamen genere, atque natura viso aliquo tacta propellitur. Nec est in potestate vllius animæ, quę illi veniant visa, siue in sensum corporis, siue in ipsum spiritum interius quibus, scilic. visis moueatur animantis cuiuslibet appetitus, ac si cum huiusmodi visa per Angelorum desuper ministrantur officia, iussio Dei non solum ad homines, ac aues, ac pecora peruenit, sed etiam ad ea quæ in aquis latent, vt ad cetum qui Ionam deglutiuit, nec solum ad illa maiora, sed etiam vsque ad minima. Nam etiam vermiculo legimus diuinitus iussum, vt radicem cucurbitæ roderet, sub cuius vmbraculo propheta recubuisset. Nempe donauit & homini Deus, sic eum instituens, vt etiam carnem peccati portans, possit non solum pecora, & iumenta suis vsibus subdita, nec tantum aues domesticas, sed etiam liberè volantes, quaslibet etiam sæuas feras, & capere, & mansuefacere, eisque potentia rationis non corporis mirabiliter imperare, cum earum appetitus, ac dolores captans, & paulatim illectando, premendo, laxandoque moderans, agresti ea consuetudine exuit, & tanquam humanis moribus induit. quantomagis ergo hæc Angeli possunt? qui Dei iussione in ipsa commutabili veritate perspecta, quam sempiternè inspiciũt, mouentes seipsos per tẽpus, & corpora sibi subdita per locum & tempus, agilitate mirabili, & visa quibus moueantur, & appetitum indigentiæ carnalis efficere valent omni animæ viuæ, vt nesciens adducatur quo eam opus est venire. Ad intelligẽdum ergo qualiter adduxerit Deus ad Adam cuncta animantia, ne carnaliter sapiamus, adiuuare nos debet,

De Iona.

Quomodo omnia animalia ducta ad Adam.

bet, quod de opere diuinæ prouidentiæ ſuperius diximus.

Qualiter hominibus viſa pro meritis obijcit, & ſubtrahit.

CAP. LV.

Auguſtinus in lib quæſtionum 83. Ex diuerſis nimirum viſis diuerſus eſt animarum appetitus, & ex diuerſo appetitu diuerſus adipiſcendi ſucceſſus. Diuerſa vero viſa facit ordo rerum nobis quidem occultus, ſed ſub diuina prouidentia certus. *Grego. in moral. lib. 1.* Non autem decet intueri, quod non licet cõcupiſci. Non enim Eua lignum vetitum cõtigiſſet, niſi prius illud incautè reſpexiſſet. *Aug. ſuper Geneſim lib. 11.* Nec tamen ſerpentis ſuggeſtioni credidiſſet ita de facili, niſi iam eius menti ineſſet amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de ſe præſumptio ſuperba, quę per illam tentationem conuincenda fuerat, & humilianda. *Item de ciuit. Dei lib. 14.* Manifeſto namque peccato diabolus hominem non cæpiſſet, niſi iam ille ſibi placere incæpiſſet. Hinc etiam & delectauit quod dictum eſt ei: *Eritis ſicut Dij.* Quod vtique melius eſſe poſſent ſummo, veroq; principio cohærendo per obedientiam, non ſuum ſibi principium exiſtendo per ſuperbiam. Dij namque creati non ſunt Dij ſua veritate, ſed Dei veri participatione. Plus enim appetendo minus eſt, qui dum ſe ſibi ſufficere diligit ab illo, qui ei verè ſufficere poteſt deficit. Illud itaque malum præceſſit in abſcondito, vt ſequeretur quod perpetratum eſt in aperto, verum enim eſt, quod ſcriptum eſt, ante ruinam exaltatur cor, & audeo dicere ſuperbis vtile eſſe in aliquod manifeſtum peccatum incidere, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando fleuit, quã ſibi placuit, quando præſumpſit. Vnde Pſ. dicit. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Greg. in moral. libr. 9.* Hinc etiam B. Iob ait. *Propter ſuperbiam quaſi leænam capies me.* Leæna quippe dum eſcam exquirit, inhiantet in foueam ruit. Et frequẽter homo acceptis virtutibus in præſumptionem erigitur. Sed mira Dei diſpoſitione res quælibet ante eius oculus in quam corruat, ordinatur, in eam ſponte inhians corruit, ſed ſuis viribus non ſurgit, vt cum ſe eſſe nihil ex ſe conſideret, Dei adiutorium requirat, quẽ ſuperna miſeratio quaſi à fouea euehit, quia hunc infirmitate cognita ad veniam reducit. Sed quia cum mentem noſtram ſuperna gratia viſitat, ſtatim per lachrymas ad ſua deſideria inſtigat, apte vir ſanctus ſubiungit, reuerſuſque mirabiliter me crucias, ac ſi dicat, dum me propter ſuperbiam meam relinquis, non afficis, quin potius adeo inſenſibilem, vt perditionis meæ damna non ſentiam reddis, ſed dum reuerteris, crucias, quia dum te mihi inſinuas, quam ſim lugendus demonſtras: quia vero ſępe nos à ſancto deſiderio torpeſcimus, ſuperna pietas exempla bonorum nobis obiicit, vt cum noſtra mens aliorum profectus conſiderat, in ſe torporem erubeſcat, vnde ſequitur: *Inſtauras teſtes tuos contra me.* Teſtes Dei ſunt, qui teſtantur per ſancta opera, quæ electos præmia ſequantur. Sed teſtes ſuos contra nos Dominus inſtaurat, cum electorum vitam prauitati noſtræ contrariam ad arguendos nos demonſtrat, vt qui præceptis non accendimur, ſaltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis nil ſibi mens noſtra difficile æſtimet, quod perfectè peragi ab aliis videt. Sæpe quoque Dei prouidentia nobis accidunt mala, ne habeamus, quæ cupimus, & variis huius ſæculi calamitatibus ad Deum redire cogamur, vnde per propheram à Domino dicitur: *Sepiam viam ſuam ſpinis, & ſemitas ſuas non inueniet.* Et dicet. *Vadam & reuertar ad virum meum priorem* &c. Sed paulo poſt ſubiungitur. *Sumam frumentum meum in tempore ſuo, & vinum meum* &c. Hęc etenim omnia quibuſdam aufert diuina prouidentia, vt qui datorem non ſenſerant ex copia, ſentiant ex penuria.

Dij creati.

Superbis vtile eſt peccare.

Teſtes Dei quæ

Quod eius prouidentia omnia regna diſponit.

CAP. LVI.

Auguſtinus de Trinitate libr. 5. Ipſe ergo omnipotens, qui hominem fecit, & eum peccantem nõ impunitum eſſe permiſit, nec ſine miſericordia dereliquit, qui bonis, & malis eſſe etiam cum lapidibus dedit, vitam ſeminalem cum arboribus, vitam ſenſualem cum pecoribus, vitam intellectualem cum ſolis Angelis, qui non ſolum cœlum & terram, nec ſolum Angelum & hominem, ſed nec exigui, & contemptibilis animantis viſcera, nec auis pennulam, nec arboris folium, nec herbæ floſculum, ſine ſuarum partium quadam conuenientia, & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo credendum eſt, quod regna hominum à ſuæ prouidentiæ legibus alienauerit. *Hieronym. ſuper Iſaiam libro 5.* Hinc etenim omnia quondam regna contra ſe inuicem ſuperbientia congruis temporibus pro meritorum exigentia deſtruxit, ſicut per prophetas prædixit, vbi patet admirandus ordo prouidentiæ Dei omne hominum genus diſpenſantis iudicio ineffabili. Ecce contra iram Dei Iſrael in Damaſco ſperauit, Ideo dirupta eſt iſta ciuitas, quæ contra Dei voluntatem impiis auxilium præſtitit. Iudas quoque ſperauit in Ægyptiis, ipſi quoque deſtructi ſunt à Chaldæis. Ægyptij vero in Æthiopibus confiſi ſunt: & Æthiopes ab Aſſyriis ſuperati ſunt. Aſſyrij quoque non Dei, ſed ſuarum vitium arbitrantes eſſe victoriam, ſuperbierunt, & ipſi ergo à Babyloniis victi ſunt. Babylon etiam contra dominum caput eleuauit, & ipſa quoque ſuperatur à Medis & Perſis. Perſi ac Medi perſecuti ſunt Dei populum, & aries ſæuiſſimus ad Orientem, & Occidentem ventilauit eum, veniat ergo Hircus, videlicet Alexander Magnus, & conterat eum ſuis pedibus, Iſte quoque Alexander vltra modum ſe eleuabit, veneno pereat, regnumque ipſius in partes diuidatur, & cum multo tempore inter ſe colliſum fuerit, Romano vincente populetur, Romanus ipſe ſuperatis his, dentibus, & vnguibus ſanctorum carnes comedit, & ore cruento lacerauit. Lapis ergo exciſus de monte ſine manibus exurgat, & potentiſſimum primo regnum quaſi ferreum, deinde fragile, & infirmum in modum teſtarum conterat.

Deus prouid. det regnis.

Chriſtus conteret regnum Romanum.

Gregor. vbi ſupra lib. 25. In cunctis huiuſmodi, quæ prouidentia æterna diſponuntur, aperta eſt cauſa rationis occulta iuſtitia voluntatis, & iudicium quod ſuper vnam gentium exercetur, etiam ſuper omnes homines celebratur. Sic enim intenduntur diuina iudicia ſuper vnam animam, ſicut ſuper vnam vrbem, & ſic ſuper vnam gentem, ſicut ſuper vniuerſam generis multitudinem. Etenim Dominus ſic intẽdit ſingulis, ac ſi vacet à ſingulis, nec vniuerſis deeſt, cum vniuerſa diſponit. Hinc aliud de diſpoſitione Dei loquens, ait: Et ſuper gentem, & ſuper omnes homines. Statimque ſubiũgit: Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Alibi quoque Dominus per prophetam dicit, *Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Quid ergo illos præeſſe nobis deſpicimus, quorum regimina ſuper nos ex Domini furore ſuſcipimus? Sic autem ſecundum merita ſubditorum perſonæ regentium tribuũtur, vt ſæpe qui boni videntur, accepto regimine mox mutentur, ſicut de Saule ſcriptura exprimit, quia cor tum dignitate mutauit. *Cum inquit parvulus in oculis tuis eſſes, caput in tribubus Iſrael factus es, Quare ergo feciſti malum in oculis Domini?* Sic autem pro qualitate ſubditorum diſponuntur corda rectorum: vt ſæpe pro merito gregis etiam vere boni delinquat vita paſtoris. Ille namque Deo atteſtante laudatus: ille ſupernorum myſteriorum conſcius videlicet propheta Dauid tumore repentinæ electionis inflatus, populum numerando peccauit. Cur hoc? quia ſcilicet ſecundum merita plebium diſponuntur corda rectorum

Mali reges dãtur à Deo.

Pro merito gregis delinquat ſæpe paſtor.

rum. Iuſtus itaque iudex peccantis vitium ex ipſorum animaduerſione corripuit, ex quorum cauſa peccauit, ſed quoniam & ipſe ſua voluntate ſuperbiens alienus à culpa non fuit, ipſe culpæ vindictam ſuſcepit. Denique certum eſt quod ita ſibiinuicem rectorum merita connectantur & plebium, vt & ſæpe ex merito plebium mutetur vita paſtorum. *Gloſſ. ſuper epiſtolam ad Roman.* Itaque ſicut Apoſtolus ait. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus voluntariè ſubdita ſit*, nõ eſt enim alicui poteſtas bono vel malo data niſi à Deo, licet nocendi voluntas ſit ab ipſius hominis animo. Quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt, ideſt rationabiliter à Deo diſpoſita ſunt. Et vt quidam ſapiens ait, Deus potentes non abiicit, cum ſit & ipſe potens.

De differentia fati & prouidentię.

Cap. LVII.

Prouidentia. Fatum.

Boetius in lib. de conſolatione. Omnium quidem generatio rerum, cunctuſque mutabilium naturarum progreſſus, & quicquid aliquo modo mouetur, cauſas, ordinem, formas, ex diuinæ mentis ſtabilitate ſortitur, hæc in ſuæ ſimplicitatis arce compoſita multiplicem rebus regendis modum ſtatuit. Qui ſcilicet modus cum ipſa diuinæ intelligentię puritate conſpicitur, *prouidentia* nominatur. Cum vero ad ea quę mouet atque diſponit refertur, *fatum* à veteribus appellatur, quę diuerſa eſſe facile liquebit, ſiquis vtriuſque vim mente conſpexerit. Nam *prouidentia eſt illa ipſa diuina ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit. Fatum vero inhærens rebus mobilibus diſpoſitio eſt, per quam prouidentia ſuis ordinibus eas nectit.* Prouidentia namque cuncta pariter complectitur quamuis diuerſa, quamuis infinita, fatum verò ſingula dirigit in motum locis, formis ac temporibus diſtributa, vt hæc temporalis ordinis explicatio in diuino adunata proſpectu, prouidentia vocetur, eadem vero adunatio explicata temporibus, fatum appelletur, quæ licet diuerſa ſint omnino, alterum tamen pendet ex altero, ſiue ergo famulantibus quibuſdam diuinæ prouidentiæ ſpiritibus exerceatur, ſeu anima ſiue tota inſeruiente natura, ſeu cœleſtibus ſyderum motibus, ſeu angelica virtute, ſeu dæmonum varia ſollertia, ſeu aliquibus horum, ex omnibus fati, ſcilicet ſeries texitur. Omnia quidem quæ fato ſubſunt, prouidentię quoque cui etiam ipſum ſubiacet fatum, ſubiecta ſunt.

Quædam ſuperant fati ſeriem.

Quędam vero quę ad prouidentiam ſpectant fati ſeriem ſuperant. Nam ſicut orbium circa eundem cardinem ſeſe vertentium, qui eſt intimus ad ſimplicitatem medietatis accedit, cæterorumque extra locatorum veluti cardo quidam circa quem verſantur, exiſtit, ſimili ratione quod longius à prima mente diſcedit, maioribus fati nexibus implicatur, ac tanto aliquid fato liberum eſt, quanto illum rerum cardinem vicinius petit. Quod ſi ſuperne mentis hæſerit firmitati, motu carens, fati quoque ſupergreditur neceſſitatem. Igitur ſicuti eſt ad intellectum ratiocinatio, & ad id quod eſt quod pingitur, ad æternitatẽ tempus, ad punctum medium circulus, ita eſt fati ſeries mobilis ad prouidentiiæ ſtabilem ſimplicitatem. Eaque ſeries cœlum ac ſydera mouet, elementa in ſeipſa temperat, & alterutra commutatione tiãsformat, eademque naſcentia & occidentia omnia per ſimiles fętuum ſeminumque progreſſus renouat, hæc etiam actus fortunaſque hominum indiſſolubili cauſarum connexione conſtringit, quæ cum ab immobilis prouidentiæ proficiſcantur exordiis, ipſas quoque immutabiles eſſe neceſſe eſt. Ita enim res ei optimè reguntur ſi manens in diuina mente ſimplicitas indeclinabilem cauſarum ordinem promat.

De ratione caſus vel fortunæ.

Cap. LVIII.

Exigua quæuis diſponũtur à Deo.

Auguſti. ſuper Geneſ. libr. 1. Nec omnino ſunt audiendi, qui putauerunt ſublimes tantummodo partes mundi diuina prouidentia gubernari, hanc autem imam partem terrenam & humidam aeriſque huius vicinioris qui terram & aquarum exhalationibus humeſcit, in quo venti nubeſque conſurgunt, caſibus potius ac fortuitis motibus agitari, atque vt hoc probare valeant, gemino vtuntur argumento, ſcilicet vel de conſtantia tempeſtatem, vel de fœlicitatibus hominum, quod non pro vitæ meritis accidãt. Qui vtiq; ſi tantum ordinem quantus vel in membris cuiuſlibet animantis apparet, valerent conſiderare, nonne clamarent ne puncto quidem temporis Deum à quo eſt omnis modus menſurarum, omnis parilitas meritorum, omnis ordo ponderum, ab eius gubernatione ceſſare. Quid ergo abſurdius, quid inconſultius poteſt ſentiri, quam totam illam naturam eſſe vacuam nutu ac regimine prouidentiæ Dei, cuius extrema & exigua vides tanta diſpoſitione formari vt his qui aliquanto attentius ea cogitant, ineffabilem admirationis horrorem incutiant? Cunq; naturæ corporis præcellat animæ natura, quid dementius quam putare nullum eſſe diuinum iudicium de meritis hominum, cum in eorum carne tantæ ilius ſolertię clareant indicia? ſed quia minima in promtu ſunt noſtris ſenſibus, & ea facile inueſtigamus, elucet in eis ordo rerum euidentius. At illa quorum ordinem videre non poſſimus, inordinata putant, qui eſſe non putant, niſi quod videre conſueuerunt, aut ſi putant, tale aliquid putant quale videre conſueuerunt. Nos autem quorum greſſus, ne in illam peruerſitatem incidamus, eadem prouidentia regit, per ſacram ſcripturam ex operibus Dei ipſo adiuuante indagare conemur eandem pſius prouidentiam.

Hugo de tribus diebus. Ecce videmus, quod Dei prouidentia ſapienter diſponens omnia, in cęlo luminaria collocauit, vt omnia ſubſtantia illuſtrarent, in aere ventis, & nubibus viam fecit, vt agitationibus ſuis diſperſæ pluuiam deorſum funderent. In gremio telluris moles aquarum recipi iuſſit, vt per gurgites ſuos nunc, & illinc quo nutus ferret iubentis diſcurrerent: quaſdam regiones dirauit vbertate frugum, quaſdam vinearum, alias olerum alias pecorum, alias herbis virtuoſis, alias gemmis pretioſis, alias animalibus, ac beſtijs monſtruoſis, alias coloribus varijs, alias diuerſarum artium ſtudijs, alias metallorum, alias thymiamatum generibus diuerſis, vt nulla proſus ſit regio, quæ non aliquid præ cęteris nouum, ac ſpeciale poſſideat, nulla iterum, quæ non aliquid nouum, ac ſpeciale à cæteris accipere queat. Cætera quoq; plurima, videlicet, quæ ſuperius dicta ſunt de iſta materia, in quibus palam eluceſcit gubernatoris prouidentia.

Casuale fortuitum.

Boetius vbi ſupra. Verum inquis, nihilne eſt, quod vel caſuale, vel fortuitum iure appellari queat? vtique quotiens aliquid cuiuſpiam rei gratia geritur, & quibuſdam cauſis aliud contingit, quam intendebatur, caſus vocatur, vt ſi quis agri colendi cauſa humum fodiat, & intus auri pondus inueniat, proprias enim cauſas huiuſmodi habet euentus quarum improuiſus inopinatuſque curſus caſum videtur operatus, licet ergo diffinire caſum eſſe inopinatum ex confluentibus cauſis in his, quæ ob aliud geruntur euentum. Concurere vero, atque confluere cauſas facit ille ordo ex mutabili connexione præcedens, qui de prouidentię fonte deſcendit, cuncta ſuis locis, temporibuſque diſponens.

Quod ea quæ in vniuerſo confuſa, & conturbata videntur, per prouidentiam Dei ordinantur.

CAP. LIX.

HIc ordo res mutabiles aliquando temere fluitu-
tas propria incõmutabilitate oportet coerceat,
quo fit vt eam & ſi nobis hunc ordinem minimè con-
ſiderare valentibus confuſa omnia, perturbataque vi-
deantur: nihilominus tamen ſuus modus ad bonum
dirigens, cuncta diſponit. Nihil enim eſt, quod mali
cauſa ne ab ipſis quidem improbis fiat, ne dum ordo
de ſummi boni cardine proficiſcens à ſuo quoque
exordio deflectat.

Obiectio. Quæ vero inquies poteſt vlla iniquior eſſe confu-
ſio, quam vt bonis tum aduerſa, tum proſpera: malis
etiam tum optata, tum odioſa contingant? vt ergo nũc
pauca quæ ratio valet humana de diuina profundita-
Reſp. te perſtringam, quicquid citra ſpem videas geri, rebus
quidem rectus eſt ordo, opinioni vero tuæ peruerſa
confuſio, ecce ſit aliquis ita bene morigeratus, vt de
illo diuinum iudicium pariter, humanumque con-
ſentiat, ſed animi viribus infirmus exiſtat, huic forte
ſi quid aduersè contingat colere deſinat innocẽtiam,
per quam non potuit retinere fortunam. Itaque ſa-
piens diſpenſatio parcit ei, quem aduerſitas deterio-
rem facere poſſit. Et alius cunctis viribus abſolutus
ſanctusque ac Deo proximus: hunc quibuſlibet ad-
uerſis contingi nephas prouidentia iudicat, adeo vt
nec corporeis quidem morbis agitari ſinat. Sæpe vero
fit vt bonis ſumma rerum gerenda deferatur, quate-
nus exuberans improbitas retundatur. Alij quoque
prouidentia mixta quædam pro animarum qualitate
diſtribuit, quoſdam remordet, ne longa fœlicitate lu-
xurient, alios duris agitari ſinit vt virtutes animum
patientiæ vſu, & exercitatione confirment. Alij plus
æquo metuunt, quod ferre poſſunt, Alij plus æquo
deſpiciunt, quod ferre non poſſunt: hos ergo in expe-
rimentum ſui permittit prouidentia triſtibus duci.
Prouidentia Dei varia erga bonos & malos. Quod autem nũc triſtia nunc optata proueniunt im-
probis, ex eiſdem ducitur cauſis, quorum quidẽ ſup-
plicia tum cæteros à ſceleribus deterrent, tum ipſos
quibus inuehuntur emendant, læta vero magnum
bonis argumentum loquuntur, quid de huiuſmodi
fælicitate iudicare debeant, cum eam ſæpe famulari
etiam improbis cernant. Cæterum alicuius cauſa præ-
ceps eſt, atque importuna natura, vt eum in ſcelera
potius exacerbare poſſet rei familiaris inopia. Huius
morbo prouidentia collatæ pecuniæ medetur reme-
dio: hic fædatam probris conſcientiam ſpectans, ſe-
cumque fortunam ſuam comparans, forſitan pertu-
meſcit, ne cuius iucundus eſt vſus, amiſſio triſtis ſit:
mores itaq; mutabit, & dum fortunam amittere me-
tuit, nequitiam derelinquit. Alios in cladem meritam
præcipitauit indigne aucta fælicitas, quibus permiſ-
ſum eſt ius puniendi, & eſſet bonis exercitij, maliſ-
Malos mali faciunt bonos. que cauſa ſupplicij.

Et ſæpe quidem ſumma prouidentia pertulit inſig-
ne miraculum circa improbos, vt videlicet malos
mali facerent bonos. Nam dum iniqua ſibi à peſſimis
quidem perpeti metuunt, noxiorum odio flagrãtes ad
frugem virtutis redeunt, dum illis ſtudent eſſe diſſi-
miles, quos oderunt. Sola enim eſt diuina vis, cui
mala quęque bona ſint, cum eis competenter vten-
do alicuius boni effectum elicit. Ordo namque qui-
dam cuncta complectitur, vt quod ab aſſignata ſibi
ordinis ratione diſceſſerit, hoc licet malum ſit, tamen
ad ordinem relabatur, ne quid in regno prouidentiæ
temeritati, ſed omnia ſeruiant eius immutabili diſ-
poſitioni. Omnium quippe naturarum conditor Deus
ad ſe dirigens cuncta diſponit, & dum ea quæ protu-
lit in ſui ſimilitudine retinere feſtinat, malum omne
de ſuę reipublicæ terminis per fatalis ſeriem neceſſi-
tatis eliminat, quo fit vt etiam malorum quę abunda-
re credunt in terris, ſi diſponentem prouidentiam ſpe-
ctes nihil vſque mali perpendis.

Vtrum ea quæ in mundo ſunt vel fiunt à præſentia Dei cauſentur.

CAP. LX.

AVguſtinus de ciuit. Dei lib. 6. Ex hoc autem quod
dictum eſt ſupra, quod Deus non niſi ea quæ
nouerat fecit, animo quiddam mirum, ſed tamen ve-
rum occurrit, videlicet quod mundus iſte nobis qui-
dem notus eſſe non poſſet, niſi eſſet; Deo autem niſi
notus eſſet, eſſe non poſſet. *Hugo de ſacramentis libr. 5.*
Verum quia omnis ſcientia alicuius eſt, nequaquam
in Deo præſentia ab æterno fuiſſet, niſi futurum eſſet
aliquid de quo eſſet. Si ergo ex creaturis pendet præ-
ſentia Creatoris cauſaliter, prius eſſe videbitur quod
creatum eſt, ipſo qui creauit illud. An dicemus quia
Omnia in creatore ab æterno increata. omnia in creatore ab æterno increata fuerunt, quæ ab
ipſo temporaliter creata ſunt, & illuc ſciebantur, vbi
habebantur, & eo modo quo habebantur, & non co-
gnouit Deus aliquid extra ſe, quia omnia habet in ſe,
nec ideo ibi fuerunt, quia hic futura fuerunt, nec cau-
ſa illorum creditur fuiſſe ex iſtis, neque ideo, quia huc
venerunt ibi fuerunt, quaſi eſſe non potuiſſent illa ſi-
ne iſtis, nam & illa fuiſſent, etiam ſi illa ex iſtis futura
non fuiſſent: cum iſtorum cauſa non fuiſſent. Et fuiſ-
ſet quidem ſcientia eorum quæ eſſent, præſcientia au-
tem non fuiſſet eorum quæ futura non eſſent, nec
ideirco minus aliquid in creatore fuiſſet, quia ipſa quę
præſentia eſt, ſcientia fuiſſet.

Auguſt. de Trinit. libr. 6. Cum ergo tempora dece-
dunt ac ſuccedunt, ſcientiæ Dei non decedit aliquid
vel ſuccedit, in qua nouit omnia quæ per ipſam fecit:
non enim hæc quæ creata ſunt ideo ſciuntur à Deo
omnipotenti, quia facta ſunt, ſed potius quia immu-
tabiliter à Deo ſciuntur, ideo facta ſunt. *Petrus Lom-* *Obiect.*
bardus. His tamen Auguſtini verbis videtur obuiare
ſententia Origenis: ſuper epiſtolam quippe ad Roma
nos ait: Non propter hoc aliquid erit quod Deus id
futurum ſciat, ſed quia futurum eſt, ideo ſcitur à Deo
antequam fiat. Ecce videtur ſignificare quod res fu- *Reſp.*
turæ ſint cauſa præſcientiæ Dei, ibi vero contrarium,
videlicet quia præſcientia ſit cauſa futurorum, verum
res futuras præſciẽtiæ Dei nullatenus cauſam eſſe di
cimus, & quod ait. Origines ita exponimus: quia futu-
rum eſt, ideo ſcitur à Deo antequam fiat, ideſt quod
futurum eſt à Deo ſcitur antequam fiat, nec ſciretur
niſi futurum eſſet, vt videlicet ibi non vocetur cauſa,
niſi ſine qua non fieret, ſic etiam Dei ſcientiam vel
præſcientiam ſi tantum ad notitiam referamus, dici-
mus, non eſſe cauſam eorum quæ fiunt, niſi talem ſine
qua non fiunt. Si vero ſcientię nomen etiam bene-
placitum & diſpoſitionem includit, tunc recte poteſt
dici cauſa eorum quæ Deus facit. Et hoc modo for
taſſis Auguſtinus accipit, vbi dicit. Ideo ſunt quia no-
uit id eſt quia ſcienti placuit, vel quia ſciens vt eſſet
diſpoſuit.

Quod præſcientia neceſſitatem in rebus non ponit.

CAP. LXI.

AVguſtinus de ciuitate Dei libro 5. Nec ipſam Dei
præſcientiam ponimus ſub neceſſitate, licet di-
camus, Neceſſe eſt Deum cũcta præſcire ſicut nec po-
teſtas eius minuitur, cum mori falliq; non poſſe dici-
tur. Quin potius ideo talia non poteſt, quia omnipo-
tens eſt. Nam ſi talia poſſet, minoris vtiq; poteſtatis
eſſet. Sic etiam neceſſe dicimus eſſe, vt quando volu-
mus libero arbitrio velimus, & verum proculdubio
dicimus, & non ideo liberum arbitrium neceſſitati
quæ libertatem adimit ſubijcimus. Nec propterea ni-
hil eſt in voluntate noſtra, quia Deus præſciuit quod
futurum eſt in ea. Non enim qui hoc præſciuit, nih

præſciuit,

præsciuit, sed aliquid, vnde ipso vtique prescientiæ, est aliquid in nostra voluntate. Quo circa nullatenus cogimur, aut retenta Dei præscientia tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deũ quod nephas est, negare præscium futurorum. Sed vtrumque amplectimur, vtrumque fideliter & veraciter cõfitemur, illud vt bene credamus, hoc vt bene viuamus, male autem viuitur si de Deo non bene creditur, vnde abſit à nobis negare præscientiam vt libere velimus, quo adiuuante sumus liberi vt velimus. Proinde non frustra fiunt leges, obiurgationes, & exhortationes, laudes, & vituperationes, quia & ipsas futuras esse præsciuit, sed & preces valent ad ea impetranda, quę se peccantibus daturum esse prescisciuit, & iuste præmia bonis factis, & supplicia constituta sunt peccatis. Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit. Qui si nollit omnino non peccat, immo ideo non dubitatur ipsum peccare cum peccat, quia ille cuius prescientia falli non potest non fatum, non fortunam, non quodlibet aliud seipsum peccaturum esse prescisciuit.

Præscientia sumus liberi vt velimus.

Idem super Ioannem. Itaque Deus futurorum præscius infidelitatem Iudæorum per prophetam prędixit, sed non fecit. Non enim ideo quenquam ad peccatum cogit, quia futura hominum peccata prænouit, illorum enim peccata præsciuit non sua, cuius falli non potest præscientia. *Petrus Lombardus.* Ad hoc solet à quibusdam opponi aut aliter potest fieri quam Deus præsciuit, aut non. Si non, cuncta necessario eueniunt. Si sic, prescientia falli potest vel mutari. *Ad quod dicimus*, quod huiusmodi locutiones sunt multiplices, aliter non potest fieri quàm Deus prescisciuit. Impossibile est non esse quod Deus præsciuit, & consimiles. Si enim intelligatur coniunctim, vt conditio sit implicita, hoc modo non potest aliter fieri quam Deus prescisciuit, ideſt non potest esse simile vtrũque scilicet quod Deus præsciuerit ita fieri, & aliter fiat verum est. Si autem disiunctim, vt dicatur hæc aliter euenire non posse quàm euenit sicut Deus futurum præsciuit, falsum est.

Obiectio cõtra præscientiam.

Resp.

Quod libertatem arbitrij non excludit.

Cap. LXII.

Boetius de consolat. libr. 5. Dicis itaque mihi cum manens in diuina mente simplicitas indeclinabilem causarum ordinem promat, isque ordo res mutabiles incommutabilitate sua coerceat. In hac hærentium sibi serie causarum est ne vlla nostri arbitrij libertas an ipsos quoque humanorum motus animorum fatalis cathena constringit. Est vtique, *neque enim est vlla creatura rationalis quin eidem adsit libertas arbitrij*, sed non in omnibus est æqualis. Nam supernis diuinisq; substantiis, perspicax est iudicium & incorrupta voluntas atq; efficax optatorum præsto est potestas, humanas vero animas liberiores quidem necesse est esse, cum se in mentis diuinæ conseruãt speculatione, minus vero cum ad corpora delabuntur minusque etiam cum terrenis artubus colligantur. Extrema vero seruitus est cum vitiis deditæ propriæ rationis possessione ceciderũt, & quodammodo propria libertate captiuæ sunt. Quæ tamen ille ab æterno omnia prospiciens intuitus prouidentiæ cernit ac suis quæque meritis prædestinata disponit.

Omnis creatura rationalis est libera.

Concordia præsciẽtiæ & libertatis difficilis sed vera.

At nimium inquis repugnare videtur vniuersa prenoscere Deũ & esse libertatis arbitrium. Nam si cuncta prospicit Deus, nec vllo modo falli potest, quod futurum esse præuidit, euenire necesse est. Si enim aliorsum quam prouisa sunt detorqueri possunt, iam non erit futura præscientia firma, sed potius opinio incerta. Quod quidem credere de Deo nephas iudico. Quod si apud illum rerum omnium finem certissimum nihil incerti esse possit, certus est eorum euentus quæ futura firmiter prescisciuerit, quare nulla humanis consilijs actionibusq; libertas esse comprobatur. Quæ nimirum ad vnicum euentum immobiliter constringuntur. Idq; videbitur omnium inquissimũ quod nunc iudicatur æquissimum, videlicet improbos puniri vel iustos remunerari, quos ad alterutrum nõ propria mittit voluntas, sed certa futuri cogit necessitas, vitia quoq; nostra ad omnium referẽtur actorem bonorum, itaq; nec sperandi aliquid nec deprecandi vlla ratio erit, quandoquidem omnia optanda series indeflexa connectit. Sic ergo necesse humanum genus disceptum atque disiunctum suo fonte fatiscere. Vetus inquam est ista prouidentię querela. Cuius scilicet caliginis causa est, quod humanæ rationis modus ad diuinæ prescientiæ simplicitatem admoueri non potest, quæ si vllo modo queat attingi, nihil prorsus relinquitur ambigui, verum statuamus nullam esse præscientiam futuri. Non ergo quantum ad hoc attinet quæ ex arbitrio veniunt ad necessitatem coguntur, non vtiq; si statuamus iterum præscientiam esse manebit, vt opinor, in nobis integra & absoluta voluntatis libertas. Quę ergo carent existendi necessitate cum fuerint eadem vtiq, priusquam fiant sine necessitate futura sunt; sicut enim præsentium rerum scientia nihil necessitatis importat his quæ fiunt, ita nec præsentia futurorum his quę futura sunt. *Augustinus in libro de prædestinatione.* Itaque præscientia Dei hominem non cogit vt talis sit qualem Deus eum futurum præsciuit.

Regula.

Quod apud Deum sit certa prænotio rerum contingentium.

Cap. LXIII.

Boetius vbi supra. Sed hoc ipsum inquies dubium existit an illarum quę necessarios exitus non habent vlla prænotio esse possit, nihil enim putatur scięntia comprehendi posse nisi certum, quoniam aliter quam se res habeat arbitrari ab integritate scientiæ creditur esse diuersum Cuius videlicet erroris causa esse cognoscitur, quia omnia quæ quisq; nouit, ex ipsorum tantummodo vi atque natura cognosci æstimat quæ sciuntur, quod vtique totum contra esse probatur. Quicquid enim cognoscitur, non secundum sui vim vel naturam, sed secundum cognoscentium facultatem potius comprehenditur: nam vt hoc breui exemplo liqueri possit, eandem corporis rotunditatem aliter visus, aliter tactus agnoscit. Ille siquidem eminus manens totum simul iactis radijs intuetur, hic vero cohęrens orbi atq; coniunctus circa ipsum motus ambitum, rotunditatem partibus comprehendit. Ipsum quoq; hominẽ aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia contuetur. Superior nanq; comprehendendi vis amplectitur inferiorem: inferior autem nullatenus consurgit ad superiorẽ, neq; enim sensus extra materiam valet aliquid, neq; vniuersale imaginatio contuetur, vel ratio simplicem formam capit. Sed intelligentia quasi desuper spectans concepta forma, quæ nulli alij nota esse valeat, quæ subsunt etiam cuncta diiudicat. Nam & rationis, vniuersale, & imaginationis figuram, & materiale sensibile cognoscit, nec ratione, nec imaginatione, nec sensibus vtens, sed illo vno mentis ictu formaliter vt ita dicam cuncta prospiciens: ratio quoque vniuersale respicit nec imaginatione nec sensibus vtẽs imaginabilia vel sensibilia comprehendit, vides ergo quod in cognoscendo cuncta sua potius facultate quàm rerum cognitarum vtuntur, nec id iniuria esse probatur. Cum enim omne iudicium iudicandis actus existat, necesse est vt operam suam quisque non ex aliena, sed ex propria potestate perficiat. Quod siquidem in sentiendis corporibus quamuis afficiant instrumenta, obiectæ qualitates forinsecus, animique vigore agentis antecedat passio corporis, quæ etiam in se mentis actum prouocet, atque interim quiescentes intrinsecus formas excitat, si in quam in sentiendis corporibus animus in se passionem illã non

De futuris contingentibus an certo præsciantur.

Ratio attingit rẽ secundum rationes vniuersales.

habeat

habeat, ſed ex ſua vt ſubiectam corporis paſſionem iudicat, quantomagis ea quæ cunctis corporum affectionibus abſoluta ſunt,in diſcernendo non obiecta intrinſecus ſequuntur,ſed actum ſuæ mentis expediunt.Quid ergo ſi ratiocinationem ſenſus imaginatioque refragentur,illud vniuerſale nihil eſſe dicentes, quod ſeſe ratio intueri fatetur. In huiuſmodi lite nos qui tam ratiocinandi ac ſentiendi vim habemus, nõne rationis cauſam potius probaremus?huic vtique ſimile eſt,quod humana ratio diuinam intelligentiam non putat intueri,niſi vt ipſa cognoſcere poteſt.

De excellentia diuinæ mentis in intuitu rerum mutabilium.

CAPVT LXIIII.

SI igitur nos vt rationis participes ſumus, ita diuinæ mentis iudicium habere poſſemus,ſicut imaginationem ſenſumque rationi credere oportere iudicamus, ſic humanam rationem ſeſe diuinæ menti ſubmittere iuſtiſſimum cenſeremus.Et ſi eſt aliqua diuini humanique præſentis digna collatio, ſicut nos temporali hoc quędam videmus prędenti noſtro,ita ille omnia ſuo cernit æterno. Quapropter hæc diuina prænotio naturam rerum non mutat,& qualia in tempore olim futura, talia etiam præſentia ſpectat, nec iudicia rerum confundit,vnoque ſuæ mentis intuitu tam neceſſario quam nõ neceſſario euentura dignoſcit,ſicuti nos dum,& ambulare in terra hominem, & oriri in cœlo ſolem pariter cernimus:quamquam ſimul vtrumque conſpectum,tamen diſcernimus,&hoc quidem voluntarium,illud neceſſarium videamus.

Hugo de tribus. Sicut igitur immutabilis eſt voluntas Dei qui nec mutat conſilium de præterito, nec propoſitum de futuro.Sic eius etiam cognitio immutabilis eſſe credenda eſt omnino,triplici enim modo mutabilitati ſubiacet humana cognitio, ſcil. per augmentum, per diminutionem,per viciſſitudinem, per augmentum ſcilicet,vt cum diſcimus quod neſcimus,per diminutionẽ, vt quando quod ſcimus obliuiſcimur. Viciſſitudinem autem videmus quadripartitam eſſe,videlicet *in eſſentia, in forma,in loco,in tempore*:in eſſentia viciſſitudinem parit cognitio humana,quando nunc hoc,nunc illud cogitamus quia ſimul omnia ſenſu noſtro comprehendere nõ poſſumus.In forma vero, vt quando idipſum nunc tale, nunc autem tale tendimus, quia ſimul vtrumque non valemus. Porro in loco, vt quando nunc huc, nunc illuc cogitationem ducimus, quia ſimul vbique cogitatione eſſe non poſſumus. In tempore autem quando nunc præterita, nunc præſentia, nunc futura conſideramus, quando nunc habitam cognitionem intermittimus,nunc intermiſſam iterum reſumimus. Quo modo itaque viciſſitudinem recipere ſapientia poſſit,quæ omnia ſimul, & ſemel ſub vno viſionis radio comprehendit,ſimul omnia, quia omnem eſſentiam, omnem formam, omnia loca, omnia tempora. Semel autem, quia viſionem nec intermiſſam recipit,nec habitam intermittit,ſed quod ſemel eſt ſemper eſt,omnia videt,& de omnibus omnia videt, & ſemper & vbique videt, quemadmodum ſi totum corpus tuum oculus eſſet,nec aliquid tibi eſſet,& aliud videre eſſet,quocunque ſe res verteret,ſenſus tibi nõ eſſe non poſſet,& ſub vno viſionis ictu immobilis permanens, comprehendens quicquid quaque verſum in reſpectu haberes, immo non niſi ante te cerneres quicquid circumquaque poſitum haberes. Res tranſiret & viſio ſtaret & quocunque ſe ſua mobilitate verteret, ſtatim non niſi præſens eſſet, nunc autem, quia ex parte vides mutabiliter vides, & cum res videnti tranſit, ac videri deſinit, aut ſecum viſionem mutabiliter trahit. Quod ſi totus oculus eſſes ſic mutabiliter non videres. Quicquid ergo ex parte eſt mutabile eſt,& quicquid non ex parte eſt non mutabile eſt. Deus autem cui idem eſt viuere & intelligere, cum per eſſentiam ex parte non ſit, nec per ſapientiam ex parte eſſe poterit, ſed ſicuti immutabilis eſt eius eſſentia, ita vt eius eſſentia, ita & eius ſapientia.

Cognitionis humana viciſſitudo quadruplex.

Quia ex parte videmus mutabiliter videmus.

Quod etiam contingentia ad diuinum intuitum relata ſunt neceſſaria.

CAPVT LXV.

Boetius vbi ſupra. Sic ſi dicas, quod euenturum Deus videt id non euenire non poſſe,& ob hoc ex neceſſitate contingere,neque ad nomen neceſſitatis adſtringas,fateor rem quidem ſolidiſſimæ veritatis, ſed cui vix niſi diuini ſpeculator intuitus acceſſerit aliquis, hoc eſt futurum cum ad diuinam notionem refertur videri neceſſarium, cum autem in ſui natura perpenditur liberũ prorſus, & abſolutum. Duæ ſunt etenim neceſſitates, *vna ſimplex eſt*, veluti quod omnes homines mortales eſſe neceſſe eſt. *Altera vero conditionalis eſt*, vt ſi aliquẽ ambulare ſcias,ipſum ambulare,vel moueri neceſſe eſt. Quod enim quiſque nouit, id aliter eſſe quam notum eſt,nequit. Sed hæc conditio minime ſecum illam ſimplicem trahit, hanc enim neceſſitatem non propria natura,ſed conditionis adiectio facit. Atqui Deus ea quæ ex arbitrij libertate proueniunt futura contuetur præſentia,hæc ergo ad intuitũ Dei relata,per notionis diuinæ conditionẽ neceſſaria fiunt. Per ſe vero conſiderata abſoluta naturæ ſuæ libertate non deſinunt, quo priuſquam fierent etiam non euenire potuiſſent.

Duplex neceſſitas.

Verum ſi eſt inquies in mea poteſtate fixum mutare propoſitum, prouidentiam euacuabo,. cum quod illa prænoſcit fortaſſe mutauero. *Reſpondebo* te quidem propoſitum poſſe deflectere.Sed quoniam & id te poſſe, & an facias quo ve conuertas præſens prouidentiæ veritas intuetur,diuinam te præſcientiam vitare nõ poſſe ſicuti nec oculi præſentis intuitum effugere poteris, quamuis te in varias actiones libera voluntate conuerteris. Nunquam enim ex tua diſpoſitione ſcientia diuina mutabitur, vt cum tu quidem nunc hoc, nunc aliud velis, ipſa quoque noſcendi vices alternare videatur. Omne quippe futurũ diuinus præcurrit intuitus,vt vno ictu mutationes tuas manens præuenit, atque complectitur, quam videlicet præſcientiam non ex futurarum rerum euentu,ſed ex propria volũtate ſortitur, ne quod indignum ſcientiæ Dei cauſam futuram noſtra præſtare dicantur, hæc etenim ſcientiæ vis,præſentaria notione cuncta complectens, rebus omnibus ipſa modum conſtituit, nec rebus ipſa ſe ſubijcit. Quæ cum ita ſint, manet intemerata mortalibus arbitrij libertas, nec inique leges ſolutis omni neceſſitate voluntatibus præmia proponunt, & pœnas, manet etiam deſuper ſpectator Deus cuncta præſciens, bonis præmia maliſque ſupplicia diſpenſans,nec fruſtra ſpes atque preces in Deo poſitæ ſicut, quæ quando rectæ ſunt, ineffaces eſſe non poſſunt.

Obiectio.

Reſponſio.

Quod Dei voluntas ſit prima & ſumma rerum omnium cauſa.

CAPVT LXVI.

Auguſtinus de Trinitate libro 3. Porro voluntas Dei prima & ſumma cauſa omnium ſpecierum atque notionum eſſe probatur, nihil enim fit quod non de interiori,& intelligibili arca ſummi Imperatoris egrediatur. *Auguſt.in enchiri.* Et quidem voluntas Dei ſemper impletur,aut à nobis,aut de nobis. A nobis,quando bonũ facimus.De nobis,quando peccauimus.*Gregorius in moralibus.* Et ſicut iam dictum eſt ſuperius,multi voluntatẽ Dei inde peragunt vnde mutare contendunt eiuſque conſilio reſiſtentes obſequuntur, quia hoc eius diſpoſitioni militat quod per humanum ſtudium reſultat. *Auguſt.vbi ſupra.* Deus itaque quaſdam voluntates ſuas implet vtique bonas per malorum hominũ voluntates malas, vti per maleuolos Iudæos bona voluntate patris occiſus eſt Chriſtus pro nobis.Quod bonũ videlicet tãtum fuiſſe probatur, vt Petrus cum hoc fieri nollet, ſatanas ab eo vocaretur,aliquando etiam bona voluntate

Volũtas Dei ſemper impletur & quomodo?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vult homo aliquid quod Deus non vult, vt ſi bonus filius patrem viuere velit, quem Deus mori vult. *Auguſt. vbi ſupra.* Itaque prima rerum omnium cauſa voluntas creatoris eſt, quam nulla præcedens cauſa mouit, quia æterna eſt, nec ſubſequens aliqua confirmat, quoniam ex ſemetipſa iuſta eſt, ac ſecundum eam iuſtũ eſt omne, quod iuſtum eſt. In beneplacito quidem & in ſigno beneplaciti eius eſt volũtas ipſius. Præceptum eius & prohibitio ſigna quædam ſunt voluntatis eius, ſicut operatio eius ac permiſſio illius, veruntamen diſſimiliter. Nõ enim ſicut operatio eius ac permiſſio per omnia tẽduntur, ſed ad creaturam rationalem tantũmodo dirigũtur, nec omnino certum faciunt quid in beneplacito ęterno ſit, donec operatione, vel permiſſione probetur cum factum fuerit. Innuunt tantummodo, quod ita in voluntate iubentis exiſtat vt fiat, vel non fiat. *Petrus Lombardus.* Vere quidem ac propriè voluntas Dei dicitur illa quæ in ipſo eſt & in ipſius eſſentia eſt, hæc nimirum vna eſt, nec multiplicitatem recipit, nec mutabilitatem, quæ inexpleta eſſe non poteſt. De hac enim Propheta dicit: *Quod omnia quæcunque voluit Dominus fecit.* Improprie vero voluntas Dei vocatur *præceptio, prohibitio, conſilium, promiſſio, operatio.* Ideoque pluraliter aliquando ſcriptura pronunciat voluntates Dei, vt ibi, Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius. Illa enim quinque ſecundum quidem tropũ dicũtur voluntas Dei, quia ſigna ſunt voluntatis Dei, quæ vna eſt, & immutabilis, id eſt, eius beneplaciti. Iccirco lector diligenter diſtinguat, vbi voluntatem Dei ſcriptura cõmemorat, iuxta quem modum accipi debeat, videlicet, vtrum pro beneplacito Dei an pro aliquo ſignorum accipi oporteat.

Voluntas proprie dicta & improprie dicta.

Cur & qualiter vult Deus eſſe mala.

CAPVT LXVII.

HVgo *vbi ſupra.* Sed dicis iterum: Si Deus voluit ita eſſe totum vt factũ eſt, quia bonum eſt. Cur ergo præcepit quod factum non eſt, prohibuitque quod factum eſt, cum bonum ſit vtrumque, videlicet & factum non eſſe quod factum non eſt, & factum eſſe quod factum eſt. Conſidera nunc quod omne quod bonum dicitur, aut ſecundum ſe bonum eſt: aut ad aliquid, quia ſcilicet alicui bonum eſt ipſumque bonum non eſt. Eſt autem quoddam excellẽs & vniuerſaliter bonum, quoniam ad omnia omniumque bonum eſt. Ideo ſummum bonum. Medium vero bonum quod & ipſum bonum eſt, & ad aliud bonum eſt. Bonum autem infinitum & extraneum quaſi, ac ſolum eſt denominatiue quod ad aliquid tantummodo bonum eſt. Non enim quod ipſum eſt, bonum eſt, ſed quod ex ipſo eſt, quia niſi eſſet ipſum quod bonum non eſt, non eſſet ex eo quod bonum eſt, nec iccirco pręſtant mala, quoniam ex ipſis bonum eſt, ſed præſtanti ſeruiunt & largienti, quia per ipſa non eſt, ſed per ipſum quod ex ipſis eſt. Itaque mandatum Dei, quia propter illum fit, cui præcipitur bonũ ipſius eſt cui mandatur: fruſtra quippe mandatum fieret, ſi non illi propter quem fieret bonum exiſteret, maximè cum à bono mandatum eſſet.

Summum & medium bonum.

Contingit autem quod alicuius bonum eſt non ad omnia bonum eſſe, & iterum quod alicuius malum eſt, quoniam ex eo bonum eſt omnium, bonum omnium eſſe. Sic quod bonum eſt & alicui bonum eſt, minus bonum eſſe cõtingit quàm quod malum eſt, & alicui malum eſt, & quoniam ex eo ipſo maius bonum eſt ex quo omnium bonum eſt. Et maius itaque bonum eſt illud eſſe à quo maius bonum eſt, etiam cum illud alicui bonum non eſt, quia in toto bonum eſt. Nec in compenſatione minoris boni debet quod maius eſt bonũ ab eo qui optimus eſt impediri. Dicimus autem quod maius eſt bonum ex bono & malo quã ex ſolo bono eſſe bonum. Itaque permitti mala debuerunt, vt eſſent, quoniã vt eſſent, id bonum erat, ex quibus bonum futurũ erat. Præcepit ergo Deus quod bonum erat, ſingulis, ac permiſit quod bonũ erat vniuerſis, quoniam & maius erat bonum vniuerſitatis, quod impediri non debuit, & bonum non erat, quod malum erat alicui, cuius malus auctor eſſe non potuit. Ideo in quam vnicuique quod bonum erat, & quod illi bonum erat præcepit, & illud ſe velle percipiendo ſignificauit, nec à nobis exigitur, niſi quod noſtrum eſt tantum, ſcilicet vt faciamus & approbemus in nobis ac diligamus, ſicut, & Deus diligit & approbat bonum noſtrum tantum vt ſimiles ei ſimus. Cumque nobis quod bonum noſtrum eſt præcipitur quod Deus hic vult nobis ſignificatur, nec fit niſi quod ipſe fieri vult, ſiue faciamus quod præcipit, ſiue non faciamus. Nam & ſi faciamus bonum hoc vult Deus, quia factum eſt & bonum eſt. *Et faciamus malum non approbat quod factum eſt, quoniam malum eſt, & tamen vult quod factum eſt, quoniam id bonũ eſt quod factum eſt.* Conſtat ergo omnipotens eius voluntas in beneplacito ſuo certa & ſumma bona quidem approbãs, mala vero permittens propter bona, & ſequũtur poſt ipſam ſigna eius, permiſſio, ſcilicet & operatio eius, quę oſtendunt quod in illa eſt, quoniam in ipſis idem eſt. Adduntur quoque præcepta, & prohibitiones, quæ ſignant non quid eſt illud in ſumma voluntate ſit, vt fiat, ſed quod in eius beneplacito, & approbatione ſit, ſi fiat.

Acutè dictũ & ſanè intelligendum.

Bonum reſpectu alterius non eſt ad omnia bonum.

Qualiter malas voluntates moderatur voluntas diuina.

CAPVT LXVIII.

POrro quatuor modis Deus prauas hominũ, & angelorum voluntates ad imperium ſuæ diſponit voluntatis, vt in eo etiã in quo diſplicet id quod eſt, quia malum eſt, placeat quia eſt, quod ordinatum eſt, hoc inquam moderamen perficitur quatuor modis, aut ſcilicet termino naturaliter collatæ poteſtatis, aut miraculo temporaliter illatæ impoſſibilitatis, aut obſtaculo intrinſecus adhibitæ difficultatis, aut iudicio intrinſecus operantis diſpoſitionis. Itaque primum eſt quantum naturaliter poſſe conceditur. Secundum quando idipſum poſſe naturale ſubita, & occulta diuinæ præſentiæ virtute ſine impedimento exteriori exprimitur. Tertiũ quãdo nutu diuino per alias poteſtates extrinſecus obuiantes aliarum voluntates, ne ad effectum veniant impediuntur. Quartum quando ipſa vis diuina quæ ab intus omni creaturæ præſidet, illas etiam voluntates quæ contra voluntatem ſuam ſunt, ad perficiendum ſuam voluntatem intorquet.

Deus moderatur prauã voluntate multipliciter.

Verum de hoc vltimo modo ſciendũ eſt, quod Deus malis voluntatibus non corruptionem, ſed ordinationẽ dare credendus eſt, voluntati etenim malæ ex ipſa eſt vitium quo mala eſt. Ordo autem ex Deo quo per ipſum velle ſiue ad hoc ſiue ad illud eſt. In velle ergo & vitium eſt, inquantum ex volũtate mala eſt, & ordo eſt, inquantum ad hoc vel ad hoc ex diſponente eſt. Quodque potius ad hoc quam ad illud eſt, bonum eſt, quia ordo eſt, & ex bene diſponente eſt. Poteſt autem malæ voluntas in ſe corrumpi ac reſolui per proprium motũ, quod ei aliunde non datur ſed ſponte extra ſe per velle præcipitatur, eique via aperitur, & dum præcipitem qua vult ad ruinam diuina voluntas vel diſpoſitio viam aperit, ipſam inclinat quodammodo non tamen impellendo, ſed permittendo, nec illi Deus ruendi eſt auctor ſed incedendi ordinator. Vnde Deus inquit Dauid præcepit illi, ſcilicet, Semei vt maledicat mihi. Et Propheta: *In Die inquit illa ſibilabit Dominus muſcæ, &c.* Et ego, ait Dominus: *vocabo ſeruum meũ Nabuch. vt diſperdat terrã, &c.* In his omnibus oſtenditur Deus ad iudicia ſua iuſta complenda volũtates malas hominum ſiue dęmonum, quibus vult modis & occaſionibus ſiue intus ſiue foris, & excitare ad volendum & dirigere ad perficiendum, & ordinare ad ſubſiſtendum. In quibus vtique Dei non eſt quod ſunt, ſed quod ordinatæ ſunt, hæc autem interna diſpoſitio inuiſibiliter præſidentis adeo eſt occulta, vt ipſas etiam voluntates malas in quibus fit, lateat, quæ ſe ſuo ſolum arbitrio putant dirigi, quia ſe ſentiunt præter coactionem arbitrio proprio moueri.

Deus ordinat malas voluntates.

Etenim

Etenim quia non impelluntur, nequaquam intelligunt quod diriguntur, & neſciunt ſe habere cauſam præcedentem vt ordinentur, quia non ſentiunt retrorſum impellentem, vt præcipitentur, peccatum enim eſt factum vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam.

Quod naturalis ordo præcipitur obſeruari lege æterna.

CAPVT LXIX.

Lex æterna. *Avguſtinus contra Fauſtum. libro 2.* Lex æterna eſt ratio diuina, vel voluntas Dei naturalem ordinem iubens obſeruari, & vetans perturbari. Ordine autem naturæ conſtat animam præponendam eſſe corpori. Sicut autem anima corpus ſic ipſius animæ ratio cæteras eius partes quas cum pecoribus habet communes antecellit, & in ipſa ratione quæ partim eſt contemplatiua, partim actiua, proculdubio contemplatio præcellit. In hac imago Dei repræſentatur, quæ per fidem ad ſpeciem reformatur. Actio itaque rationalis debet obedire contemplationi rationali, ſiue nunc per fidem operanti, ſiue in futuro per ſpeciem contemplanti, quando ſcilicet homines erunt æquales angelis Dei. Nam & ipſi ſublimes angeli cõtemplationem & actionem ſuam habẽt, & id ſibi agendum imperant, quod ille iubet quem conſpiciunt, cuius æterno imperio liberaliter, & ſuauiter ſeruiunt. Nos autem quamdiu peregrinamur ab eo, pro modulo infirmitatis noſtræ iuſtè viuimus ſecundum æternam legem qua naturalis ordo ſeruatur ſi viuamus ex fide non ficta quæ per dilectionẽ operatur, habentes in conſcientia bona immortalitatis & incorruptionis ſpem, & ipſius perficiendæ iuſtitiæ vſque ad ſuauiſſimam ſaturitatem quam in hac peregrinatione oportet eſurire ac ſitire, quamdiu per fidem ambulamus non per ſpeciem. Quapropter hominis actio ſeruientis Deo, refrenat omnes mortales delectationes ad naturalem modum eos coercens, meliora inferioribus ordinata dilectione præponens. Si enim *Illicitũ quid?* nihil illicitum delectaret, nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illicitam relaxat potiuſquam refrenat. *Illicitum autem eſt, quod illa lege prohibetur qua naturalis ordo ſeruatur.* Si autem eſt aliqua rationalis creatura quam nihil illicitum delectare poſſit, nequaquam in hoc genere factus eſt homo, nec angelus ille qui in veritate non ſtetit. Et magna quidem eſt humana creatura in ea poſſibilitate inſtaurata per quam ſi voluiſſet nõ cecidiſſet: magnus ergo dominus qui eam condidit, condidit enim & inferiores quæ non poſſunt peccare, condidit & meliores qui nolunt peccare.

Beſtialis natura cur non peccet. Beſtialis quippe natura non peccat, quia nihil contra legem æternam facit, cui nimirum ita ſubdita eſt vt eius particeps eſſe non poſſit, rurſus angelica ſublimis natura non peccat, quia ita particeps eſt legis æternæ, vt ſolus eam delectat Deus, cuius voluntati ſine aliquo experimento tentationis obtemperat, homo itaque cuius propter peccatum tentatio eſt vita ſuper terram, ſubdat ſibi quod habet commune cum beſtijs, ſubdat Deo quod habet commune cum Angelis, donec iuſtitia & immortalitate perfecta ab iſtis exaltetur, illis coæquetur. Mortales autem delectationes vel excitandæ, vel relaxandæ ſunt, vſque ad reparãdam, vel cuſtodiendam ſalutem iſtam mortalem, ſiue vniuſcuiuſque hominis, ſiue ipſius humani generis, vltra vero ſi prolapſæ fuerint, & contra temperantiæ rationem hominem non ſe regentem accipiunt, libidines erunt turpes & illicitæ, doloribus emendari dignæ: quod ſi talis neglecta pœnitentiæ medicina diem iungat extremum, lex illa irreprehenſibilis cenſet eum iam non emendatione, ſed damnatione dignum.

Hugo vbi ſupra. Ad naturalem quippe ordinem iuſtitiæ pertinet, vt aut peccata non fiant, aut impunita eſſe non valeant, quodlibet horum ſit, naturalis ordo ſeruatur, & ſi non ab homine certe à Deo, & ipſa peccata conſcientiam vexant, ipſique animæ nocent, cum luce iuſtitiæ peccando priuatur, etiam ſi dolores non conſequantur, qui vel corrigendis ingeruntur, vel non correctis vltimis reſeruantur.

Quod In eius præceptis & prohibitionibus nulla ſit fallacia.

CAPVT LXX.

Difficultas. QVia vero ſæpe Deus præcepit, vt fiat quod futurum non eſt nec fiet: & prohibet vt non fiat, quod futurum eſt, & fiet, nec eſt in eius beneplacito, niſi hoc ſolum vt ſit quod fiet, videntur eius præcepta fallaciæ obnoxia eſſe cum aliud ſignant, & affirmant de ipſius voluntate, grauiterque colluctatur humana conſcientia quare præcepit Deus quod noluit, vel quare non eſt factum quod voluit. Si enim veritas eſt in præcepto, videtur quod præcipit voluiſſe omnino, & ſi omnipotentia in beneplacito conſiſtit, videtur factũ eſſe quod voluit. Non eſt autem factum quod iuſſit, & factum eſt quod prohibuit.

Reſolutio. *Talis quæſtione coarctamur*, & tamen vnum è duobus facilius approbamus, quia voluit magis bonum quod præcepit, quam malum quod permiſit, cum tamẽ quod præcepit bonũ non ſit factum, ſed malũ quod permiſit, facile nimirum & ſine conſcientiæ ſcrupulo dicitur, quod Deus bonum vult. Si vero dicitur Deus malum *Bene dicitur Deus vult malum, ſed non bene intelligitur.* velle, auditu eſt graue, non quia non bene dicitur, ſed quia non bene intelligitur, malum quippe vult eſſe, & tamen malum non vult, quia non eſt in eius approbatione. Et in eo quod malum vult eſſe, non vult niſi bonum, quia bonum eſt eſſe malum.

Obiectio. Sed fortaſſis alicui videntur excuſabiles mali, cum mala faciunt, quia Deus voluntas impletur in malis quę agunt. At vero ſuæ voluntati reſiſtendo vt fiat quod nõ vult, quia non poſſunt, ſed tantum reſiſtere volendo, quia mali ſunt, & hæc ipſa eorum mala voluntas culpa eſt, qua ſcilicet aliud volunt, facultas autem iſta, qua aliud non poſſunt. Cumque quod Deus vult, volunt ipſi, non ideo ſunt boni, quia non ideo volunt quoniam Deus vult, & quod volunt ipſum Deus non vult. Approbant enim & diligunt quod odit Deus, ac per hoc Deo contrarij ſunt & mali ſunt, *non efficiendo contrarium eius voluntati, ſed amando contrarium eius voluntati atque dilectioni.* *Hugo de ſancto Victore.* *Præcepta* Dei multis nominibus ſignificantur, via dicuntur quia eã faciendo peruenimus ad vitam. *Lex* quia obſeruationum ritu propoſito rigant. *Teſtimonia*, quia euidenter admonent pœnis vel promiſſis conteſtantes. *Mandata* quia facienda indicunt. *Iuſtificationes*, quia impleta à reatu liberant. *Iudicia* quia vnicuique pro merito debitam retributionem pronunciant. *Sermones*, quia narrando inſtruunt. *Veritas*, quia ita eſt vt dicunt. *Iuſtitia*, quia nihil inordinatum continent. *Reſponſio.*

Qualiter Ab illa ſumma lege, lex apud homines eſt tranſcripta.

CAPVT LXXI.

Avguſtinus de ciuitate Dei lib. 10. Lex autem ſcripta diſtributione temporum eſt hominibus data, quæ prius habet promiſſa terrena, quibus tamen ſignificarentur æterna, quæ & in viſibilibus ſacramentis celebrarent multi, & intelligerent pauci. Data eſt autem angelorum edictis ſed vocibus humanis, ab illo qui non ſenſibiliter, ſed intelligibiliter, nec temporaliter, ſed æternaliter loqui, nec incipit, nec deſinit, quod apud illum ſincerius audiunt non corporis aure, ſed mentis illi eius miniſtri nuncij qui eius veritate perfruuntur incommutabili. Quodque faciendum & vſque in hæc viſibilia & per ſenſibilia perducendum, ineffabilibus modis audiunt incunctanter atque indifficulter efficiunt. *Idem contra Fauſtum lib. 1.* *Et lex quidem per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt,* gratia pertinet ad charitatis plenitudinẽ, veritas ad prophetiarũ impletionem, & quia vtrumque per Chriſtũ factũ eſt. Ideo non venit legem ſoluere, ſed adimplere,

Non addebatur legi quod deerat.

non vt legi adderentur, quæ deerant, ſed vt fierent quæ ſcripta erant. Plenitudo quippe legis eſt dilectio quam dedit fidelibus ſuis ſpiritum ſanctum mittendo, vnde Apoſtolus: *Charitas inquit Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis.* Et ipſe Dominus: *In hoc ait, ſcient omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Impletur ergo lex vel cum fiunt quæ præcepta ſunt ibi, vel cum exhibentur quæ ibi prophetizata ſunt, lex enim & prophetę vſque ad Ioannem, lex vt reos faceret, qui deſiderarent ſalutem, prophetæ vt promitterent ſaluatorem.

Idem in libro quæſtionum. 83. Quiſquis autem veteris ac nouæ legis diſpenſationes pro temporum congruentia, generis humani diligenter ætatibus diſtributas conſiderat, ſatis, vt æſtimo intelligit, quid ætati priori generis humani, & quid poſteriori conueniat: diuina quippe prouidentia pulchrè omnia moderatur, ſic vniuerſas generationum ſeries ab Adam vſque ad ſæculi finem adminiſtrat, tanquam vnius hominis à pueritia vſque ad ſenectutem, ætatum gradibus terminatis, vita diſtinguatur. Ideoque virtutum etiam gradu à minoribus vſque ad ſummam perfectam qui veniatur, illum diſtinguere conuenit, qui pium diuinis lectionibus animum intendit, ne forte cum aliquando paruis parua, aliquando maioribus maiora iuberi inuenerit, reputans in comparatione maiorum ea quæ minora ſunt peccata eſſe,

Phariſæorũ iuſtitia.

non arbitretur illa Deum imperare decuiſſe. *Idem in libro de ſermone Domini in monte.* Itaque Phariſæorum iuſtitia eſt non excedere modum in vindicta, id eſt, vt non plus quiſque reprehendat vindictæ quã accepit iniuriæ, & hæc eſt pacis inchoatio. Perfecta vero pax eſt nullam velle vindictam omnino. Inter illud ergo quod præter legem eſt, ſcilicet vt maius malum reddatur pro minore malo, & hoc eſt quod Dominus in Euangelio perficiendum diſcipulis ait: *Non malum reddi pro malo,* medium locum tenet, quod in lege Moyſi ſcriptum eſt, vt tantum reddatur quantum acceptum eſt, per quod à ſumma diſcordia tranſitus ad ſummam concordiam pro temporum diſtributione factus eſt. *Idem in libro Soliloquiorum primo.* Deus ergo eſt de cuius regno lex etiam in iſta regna deſcripta eſt, cuius legibus liberum eſt arbitrium animæ, boniſque præmia, & malis pœnæ, fixis per omnia neceſſitatibus ſunt diſtributæ, à quo manant, vſque ad nos omnia bona, à quo coercentur à nobis omnia mala.

Qualiter eiuſdem legis notio humanis mentibus eſt impreſſa.

CAPVT LXXII.

Gloſſa ſuper Epiſtolam ad Rom. Porro gentiles, & ſi non habeant ſcriptam legem, habent tamen naturalem, quia intelligunt, ſibique conſcij ſunt, quid ſit bonum & quid ſit malum. Lex enim naturalis eſt nemini iniuriam inferre, nihil alienum præripere, à fraude & periurio abſtinere, alieno coniugio non inſidiari, cæteraque huiuſmodi, & vt breuiter dicatur, quod tibi non vis fieri nolle alij facere, quod Euangelicæ concordat doctrinæ, hanc inquam legem habent ſcriptam in cordibus. Iuxta quod ait Apoſtolus, quod gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt: non enim vſque adeo eſt in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita, vt nulla in ea remanſerint liniamenta, nec omnino deletum eſt, quod

Lex naturalis.

Lex ſcripta in corde.

ibi per imaginem Dei cum crearetur impreſſum eſt, proinde vitio per gratiam ſanato naturaliter fiunt ea quæ legis ſunt, non quòd naturæ nomine negetur gratia, ſed potius intelligitur per gratiam reparata natura, qua ſcilicet gratia, in interiori homine inuocato, lex iuſtitiæ ſcribitur quam deleuerat culpa, hoc etenim illic ſcribitur per renouationem, quod deletum eſt per vetuſtatem. Tales ergo & ſi non habent in ſcriptis verba legis, tamen indicijs operum oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, id eſt, firmiter infixum rationi eorum, dum illa, ſcilicet opera laudant quæ lex iubet, illaque damnant quæ lex prohibet. Vnde & in die iudicij propriæ cogitationes eos defendent vel accuſabunt, non illæ quidem quæ tunc erunt, ſed illæ quæ nunc in eis ſunt, quarum quædam notæ & ſignacula in eorum cordibus relinquentur, velut in cera. Vnde de reprobis ſcriptum eſt. *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum & traducent illos ex aduerſo iniqui.*

Gregorius in moralium lib. 27. Hinc & alibi de creatore ſcriptum eſt, quod in manu omnium hominum omnia ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua, & ipſi ergo qui præceptis dominicis erudiri contemnunt vtrum mala ſint an bona quæ faciunt, ſciunt, Nam ſi bona neſciunt facere, cur de factis aliquibus gloriantur in oſtentatione? rurſum ſi male agere ſe ignorant, cur in eiuſdem factis alienos oculos declinant? hinc bene & per quendã ſapientem dicitur, cum enim timida ſit nequicia dat teſtimonium condemnationi, quia videlicet dum de facto ſuo conſcientiam pulſans timor redarguit, ipſa ſibi teſtimonium perhibet damnabile eſſe quod agit, quo circa per Ioannem dicitur: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos fiduciam habemus apud Deum,* fugiant ergo iniqui humanos oculos, certe non fugere poſſunt ſemetipſos. Nam quia malum quod faciunt nouerunt, habent teſtimonium conſcientiam, habẽt iudicem rationem ſuã. In peccato ergo quod cõmittunt prius contra ſe inueniũt iudiciũ ſuæ rationis, & poſt ad diſtrictionẽ æterni producũtur examinis. Et hoc eſt fortaſſe quod per pſal. dicitur: *Abyſſus abyſſum, &c.* Ipſi itaque ſibi in conſcientia teſtes ſunt, quia inexcuſabiles ſunt. Eo enim ipſo quod rationalem creaturam Deus hominem condidit, in manu omnium hominum ſignat, vt ſinguli opera ſua nouerint.

Nequitia teſtis eſt ad condenandũ

Auguſt. de Trin. lib. 14. Anima ſiquidem humana & cum ab illo auertitur, illius quodammodo luce tangitur, hinc eſt, quòd etiam impij æternitatem cogitant, multaque in moribus hominum rectè reprehendunt, & rectè laudant, quibus vident quomodo quiſque viuere debeat, etiam ſi nec ipſi eo modo viuant, & ibi eas, videt, non enim in ſua natura, cum proculdubio mente videãtur iſta, eorumque mentes conſtet eſſe mutabiles, has vero regulas immutabiles, ſed nec in habitu mentis ſuę, cum illæ regulæ ſint iuſtitiæ, mentes autem eorum conſtat iniuſtas eſſe, vbi nam ergo ſcriptæ ſunt illæ regulæ? vbi quid iuſtum ſit, etiam iniuſtus agnoſcit, vbi habendum eſſe quod ipſe non habet, cernit? vbi inquam ergo ſcriptæ ſunt, niſi in libro lucis illius quæ veritas dicitur? vnde lex omnis iuſta deſcribitur, & in cor hominis qui operatur iuſtitiam non migrando, ſed tanquam imprimendo transfertur, ſicut imago ex annulo & in cerã tranſit, & annulum non relinquit. Qui autem non operatur, & tamen quid operandum ſit, ipſe intuetur, qui ab illa luce auertitur, à qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodum viuendum ſit, excuſabilius peccat, quia non eſt tranſgreſſor incognitæ legis, ſed etiam ipſe aliquotiens vbique præſenti ſplendore veritatis attingitur cum admonitus confitetur.

Liber lucis veritas.

De Amore Dei ad opera ſua.

CAPVT LXXIII.

Dionyſius in libro de diuinis nominibus. Audet etiam hoc differentiæ vera ratio, quia ipſe qui omnium cauſalis exiſtit, per excellentiam bonitatis omnia quę fecit amat, & continet & conuertitur. Eſt etiam diuinus amor optimus, optimi per optimum, ipſe namque benefactor & exiſtentium & in optimo per excellentiam ante ſubſiſtens, non ſinit ipſum in ſeipſo manere infœcundum. Mouit autem ipſum in agendum iuxta excellentiam genitiuam omniũ. Eſt enim irrationale ac ſtultum non intentionis virtuti ſed dictionibus attendere, nec eſt proprium diuina volentium intelligere. Scribit autem & diuinus Ignatius, *amor meus eſt crucifixus.* Multitudines autem non capientes vniforme diuinę ac propriæ & veræ amatoriæ nominationis, ſemetipſos in partibile, & corporale ac diuiduum labefacere, cum non ſit

Amor diuinus.

verus

verus amor, ſed vmbra, vel magis caſus à vero amore. Remotum eſt enim à multitudine diuini,& vnius amoris ſingulare, in quem cum animus reſtituitur, in ipſo difficultas abſoluitur. Eſt etiam extaticus amor diuinus, non ſinens ſeipſos amantes penitus eſſe. Dicendum eſt ergo excellentis vnitatis amatorium motum ſimplum per ſeipſum actuum in optimo præexiſtentem, & ex optimo exiſtentibus emanantem, & iterum ſe conuertentem in optimum, & in ſe ipſo infinitũ, ſed & principio carens oſtenditur amor diuinus, ſicut quidam æternus cyclus per optimum inenarrabili conuerſione circumiens, & in eodem, & per id ipſum, atque proueniẽs ſemper & manens, ac reuolutus, hæc & vir ſanctus, ſcil. Ierotheus perfector noſter communis, ex amatorijs introducit Hymęnis. Amorem inquit, ſiue diuinum, ſiue angelicum, ſiue intellectualem, ſiue animalem, ſiue naturalem dicamus vnitiuam quandam, & continuatiuã virtutem intelligimus ſuperiora quidem mouentem in inferiorum prouidentiam, & æquiformia in ſociabilem viciſſitudinem, & nouiſſima, ſubiectaque ad meliorum, & ſuperpoſitorum conuerſionem iterum ait, dicamus, quia vna quædam eſt virtus ſimplex ſe ipſam vnitiuam quandam temperantiam ex optimo vſque ad exiſtentium nouiſſimum mouens, & ab illo iterum conſequenter per omnia vſque ad optimum ex ſeipſa, & per ſe ipſam, adque ad ſe ipſam reuoluens.

Amor vnitiuus.

Auguſtinus ſuper Gen. lib. 1. Ineſt autem Deo bonitas ſumma, & quidem non ex indigentia, ſed ex beneficentia veniens amor in opera ſua, vnde & quia indignus amor, & egenus ita & diligit, vt rebus quas diligit ſubijciatur, ob hoc in principio Geneſis, vbi ſpiritus Dei commemoratur, in quo ſancta eius beneuolentia, dilectioque intelligitur, rerum formandarum materiæ ſuper ferre dicitur, ne facienda opera ſua per neceſſitatem indigentiæ potius, quam per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur. *Idem de Trinit. lib. 3.* Abſit autem vt Deus temporaliter aliquem diligat quaſi dilectione noua, omnes enim ſanctos ſuos ante mundi conſtitutionem dilexit, ſicut eos prædeſtinauit. Sed quando conuertuntur, & inueniunt illum tunc incipere ab eo dicuntur diligi, vt eo modo dicatur quo poteſt humano affectu capi, quod dicitur. Sic etiam cum iratus malis, & placidus bonis oſtenditur, non ipſe, ſed illi mutantur ſicut lux firmis oculis lenis eſt, infirmis aſpera, ipſorum ſcilicet mutatione non ſua. *Idem in libro 7.* Denique Spiritus ſanctus dicitur charitas patris, & filij vtrumque cõiungens, nosque ſubiungens. *Hugo in lib. de tribus diebus.* Hic eſt inquit pater, filius meus dilectus, in quo mihi complacui, hoc eſt, quod mihi de me placet, in ipſo eſt, quia quod ego ſum, ipſe eſt. Quicquid mihi placet in ipſo, ac per ipſum mihi placet, ipſe eſt ſapiẽtia per quam feci omnia, in ipſo æternaliter diſpoſui, quicquid temporaliter feci. Et tanto amplius vnumquodque opus meum diligo, quanto perfectius illud primæ diſpoſitioni concordare video. Nolite putare quia tantum ipſe ſit mediator in reconciliatione hominũ, quia per ipſum etiam commendabilis, & placita fit aſpectui meo conditio omnium creaturarum. In ipſo examino cuncta opera mea quæ facio, & nõ amare nequeo quod intueor ſimile illi quem amo. Solus ille me offendit, qui ab eius ſimilitudine recedit.

Deus amat per abundãtiam beneficentiæ.

Quod bonum appetunt omnia.

CAPVT LXXIV.

Dionyſius vbi ſupra. Eſt itaque bonum principium, & finis omnium, propter bonum enim omnia, & quæ contraria mala, agimus ſiquidem, & malum deſiderantes bonum, ipſa denique diuina bonitas & prouidẽtia ex omnibus creaturis eſt laudanda, quoniam & circa ipſam, & propter ipſam, & in ipſa omnia conſtituta, ipſamque deſiderant omnia, & verè laudatur ſubſtantia omnium inchoatiua, & conſummatiua, continens omnia, cuſtos, & paſcens, omnia ad ſeipſam conuertens, & hæc adunans. Itaque laudatur bonum ſecundum nos, vt principium, & finis, & continentia omnium exiſtentium, vt forinſecum non exiſtentium, vt malorum non cauſale, vt omnibus appetibile, omnipotens enim Hierarchia omnibus amabilis eſt, immittens omnibus voluntarias copulationes, & dulces partes diuini, & omnipotentis, & immaterialis bonitatis ipſius amoris. *Ariſt. in lib. Ethi.* Denique omnis ars, & omnis doctrina, ſimiliter autem, & operatio, & pro hæreſis boni alicuius operatrix eſſe videtur. Ideoque optime enunciant bonũ, quod omnia appetunt, & omnis cognitio, & prohæreſis bonum aliquod exoptat. *Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 18.* Proinde philoſophi quondam inter ſe diſſentientes, alij finem boni conſtituebant in corpore ſcilicet voluptatem, alij autem in animo ſcilicet virtutem, alij vero extrinſecus etiam poſita bona ad animam, & corpus addebant, has & alias diſſentiones pene innumerabiles, impia mundi ciuitas gremio ſuo continuit, non de agris, vel domibus, aut aliqua pecuniaria ratione, ſed de his rebus quibus, aut miſere viuitur, aut beatè, vbi & ſi fortaſſis aliqua dicebantur vera, eadem licentia dicebantur, & falſa.

Bonũ quid?

Cicero in Triſcula. lib. 4. Certè naturæ omnes ea quæ videntur bona ſequuntur, fugiuntque contraria. *Idem in eodem lib 5.* Stoici bonorum finem eſſe ſenſerunt congruere naturæ, & cum ea conuenienter viuere. *Idem in libro de amicitia.* Illos itaque bonos viros appellandos putemus, qui quantum homines poſſunt, naturam optimam bene viuendi ducem aſſequuntur. *Idem de Offic. lib. 3.* Nempe multomagis ſecundum naturam eſt communitas & liberalitas & iuſtitia, quam voluptas diuitiæ & vita, homo denique obediens naturæ non poteſt homini nocere, nihil enim tam ſecundum naturam quam vtilitas eſt. In re vtili certe turpitudo eſſe non poteſt.

Cur bonus quia?

Qualiter diuina bonitate perfuſa eſt omnis creatura.

CAPVT LXXV.

Dionyſius vbi ſupra. Diuinæ bonitatis imago ſignificatiua eſt magnus iſte ſol viſibilis, qui omnia quę participare illum ponit, illuminat, ad generationem ſenſibilium corporum committitur, eaque ad vitam mouet ac nutrit, & auget ac perficit, & purget ac perficit, & purgat ac renouat. Eſtque horarum menſura ac numerus, & totius temporis lux. Illa enim lux omnia ſoluta facit & congregat diſperſa, & ad ſe conuertit omnia viſibilia, eamque deſiderant omnia ſenſibilia, vt aut mouendi aut videndi aut illuminandi & calefaciendi, & omnino cõprehendendi à lumine appetentia. Sic etiam principaliter & vnifica deitas ad ſemetipſam omnia cõuertit, & diſperſorum congregatrix eſt principaliter omnia quæ ipſam concupiſcunt. Intellectualia quidem & rationalia ſcienter, ſenſualia ſenſibiliter, ſenſus autem experientia inſito motu vitalis appetitus, inanimalia vero & tamen exiſtentia ad ſolam eſſentialem participationem. Sicut autem ignorantia errantium eſt ſeparatrix, ita inuiſibilis luminis præſentia illuminatorum eſt congregatrix, & nutrix, ac perfectiua & conuerſiua, ita vere vt ex multorum opinione vanorum conuertens varios vultus vel potius phantaſias in vnam veram ac puram & vniformem ſcientiam congregans, & vna è nutrice ſcientia implicans, & primo quidem errorem omnem ab animabus abigit, eiſque lumen inuiſibile tradit. Primo quidem claritate moderata illuſtrando, deinde vero illis tanquam lumen deguſtantibus magiſque deſiderantibus ſemetipſam amplius dando, & quia dilexerunt multũ ſuper eas in ea quę altiora ſunt extendendo, denique ſupereſſentiale bonum & pulchrũ omnibus ab illo exiſtentibus fontalis radij ſui pulchrificas traditiones diſtribuit, velut omnium bene compactionis & claritatis cauſale, ac velut omnia vocans ad ſe, huic etiam pulchrum dicitur, velut tota in totis in ſe congregans. Bonum etiam vniforme dicitur, vt omnis boni fontem ac pulchritudinem ſupereminenter in ſe-

Sol imago bonitatis Dei.

Ignorantia eſt ſeparatrix.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

metipſo præferens. Singula vero quæ ab ipſo ſunt ſecundum propriam rationem quæque ſunt bona, & per bonum omnium copulationes & amicitiæ atque ſocietates,& bono adunantur omnia, ipſa ſiquidem per omnia veniens perfectiſſima bonitas,non ſolas implet optimas eſſentias, ſed extenditur vſque ad nouiſſimas: his quidem vniuerſaliter aduenies, his autem minus, alijs vero nouiſſimè. Quod ergo per omnem modum bono priuatum eſt, nec eſt, nec erat, nec erit, nec eſſe poteſt. *Nihil priuatur bono.* Quod autem priuatur bono per irrationabilem concupiſcentiam, participat tamen bonum ſecundum ipſam vnitatis & amicitiæ obſcuram conſonantiam.

Quod ſolus bonus Deus creat vniuerſa.

CAPVT LXXVI.

Ioannes Damaſcenus lib.2. Quoniam ergo bonus eſt ac ſuperbonus Deus, non eſt ſui contemplatione contentus, ſed bonitatis ſuperabundantia quædam generari quibus bene faceret acceptauit, & participatiua ſua bonitate ex non ente ad eſſe vniuerſa viſibilia & inuiſibilia deduxit & condidit, eumque qui ex viſibili & inuiſibili conſtat hominem compoſuit. *Aug. ſuper Gen. lib.8* Nullo quippe bono Deus extra ſe indiget qui bono quod fecit non eget. Quibus autem bonis laudabiliter non egeret ſi nulla feciſſet Bona quidem facere ſi non poſſet,nulla eſſet potentia. Si autem poſſet nec faceret,magna eſſet inuidentia. Quoniam ergo omnipotens ac bonus exiſtit,omnia valde bona fecit. *Idem de ci. Dei li.12.* *Potentia Dei facit ea quæ faciũt cauſæ ſecundæ.* Cæterum quælibet cauſæ corporales vel ſeminales gignendis adhibeantur rebus,ſiue hominũ aut angelorum aut quorumlibet animalium operationibus,ſiue marium ac fœminarũ commixtionibus, ipſas omnino naturas quæ ſic vel ſic in genere ſuo efficiantur, non facit niſi ſummus Deus, cuius occulta potentia cuncta penetrans, incommutabili præſentia facit eſſe quicquid eſt aliquo modo exiſtens. Qui etiamſi potentiam ſuam fabricatoriam rebus ſubtrahat, omnino non erunt ſicut antequam fierent omnino non fuerunt.

Idem de Tri.li.3 Aliud ſiquidem eſt ex intimo ac ſummo cauſarum ordine condere creaturã & adminiſtrare, quod qui fecit ſolus creator eſt Deus. Aliud vero pro diſtributis ab illo viribus & facultatibus aliquam operationem forinſecus admouere,vt tunc vel tũc,ſic vel ſic exeat quod creatur. Iſta quippe originaliter atque primordialiter in textura quadam elementorum cuncta iam creata ſunt, ſed acceptis opportunitatibus prodeũt, nam ſicut matres grauidę ſunt fœtibus, *ſic mundus ipſe cauſis naſcentium eſt grauidus.* *Mundus eſt grauidus cauſis naſcentiũ.* Quæ quidem in illo non creantur,niſi ab illa ſumma naſcentia,vbi nec oritur nec moritur aliquid,nec incipit eſſe,nec deſinit,penes quem primitus ſunt omnium quæ ſunt numeri, menſuræ, & pondera. Sicut ergo nec parẽtes filiorum, nec agricolas frugum creatores dicimus,quamuis eorum extrinſecus adhibitis ita motibus,illa creanda operetur interius virtus Dei,ita nec bonos, nec angelos fas eſt quarumcunque rerũ creatores putari,ſed pro ſubtilitate ſui ſenſus & corporis ſemina rerũ nobis occultiora mouerũt,eaſque per congruas temperationes elemẽtorum latenter ſpargunt, ſicque & gignendarum rerum & accelerandorũ incrementorum occaſiones tribuunt, verum nec boni hoc niſi inquantum Deus præcipit,nec mali hoc iniuſte faciunt, niſi quantum Deus iuſte permittit. Sed neque Iacob creator colorum in pecoribus fuit, quod bibentibus matribus in conceptu varias virgas quas intuerentur appoſuit; neque vero ipſæ pecudes varietatis ſuæ proculdubio fuerunt cicatrices, vt enim de pecoribus non virgę naſcerentur,ſed pecora,fecit hoc incommutabilis ratio Dei ſapientiæ per quam creata ſunt omnia: vt autem de varietate virgarum color pecorum cõceptorum aliquid duceret hoc anima grauidæ pecudis fecit per oculos affecta forinſecus, ſecumque pro modulo ſuo formandi regulam trahens interius, quam de intima potentia ſui creatoris accepit.

Quod immutabilis permanens mutat vel innouat inferiora.

CAPVT LXXVII.

Petrus Lombar.in ſent.li.2. Sicut autem ex calore ſolis aliqua fieri contingit, nulla tamen in ipſo vel in eius calore facta mutatione vel motione,ſic ex Dei voluntate habent eſſe noua ſine actoris mutatione. *Aug.de ciu. Dei. lib.12.* Bonum itaque ſolum ſimplex & ob hoc ſolũ incommutabile eſt, quod Deus eſt. Ab hoc autẽ bono bona creata ſunt omnia,ſed nõ ſimplicia: & ideo mutabilia. *Idem in lib.confeſſ.1.* O igitur ſumme Deus,optime, potentiſſime, ſecretiſſime, præſentiſſime, pulcherrime, ſtabilis,& incomprehẽſibilis,& immutabilis vnitas omnia:nunquam nouus,& innouas omnia,nunquã vetus & inuetuſtatẽ perducis ſuperbos ac neſciunt,ſemper agẽs, ſemper quietus, colligens & non egens, portans & implens ac protegens, creans & nutriens ac perficiens, amãs nec ęſtuans,zelas & ſecurus es:pęnitet te & nõ doles: iraſceris & tãrquillus es, opera mutas & non mutas conſilium, quæris cum nihil deſit tibi, recipis quod inuenis & nunquam amiſiſti, nunquam inops & gaudes lucris,nunquam auarus & vſuras exigis. Semper erogatur tibi vt debeas, & quis habeat quicquam non tuum, reddis debita nulli debens, donas debita nihil prodens. *Pulchra antitheſes de Deo.*

Gregorius in moral. lib. 20. Licèt autem Deus apud ſe nunquã mutetur, in ſcriptura tamen ab humanis in eũ qualitatibus vocabula quædam tracta ſunt dum ad infirmitatis noſtræ verba deſcenditur: verbi gratia, quia caſtitatẽ animæ cuiuſque cuſtodit, humano modo zelans vocatur, quamuis mentis cruciatu non angatur vel vrgeatur. Et quia percutit culpas, iraſci dicitur, quãuis nulla perturbatione animi moueatur. Et quia quod voluerit mutat, pænitere dicitur, quamuis rem quidẽ mutet, conſilium vero non mutet, cumque miſeriæ noſtræ ſubuenit, miſericors vocatur, qui tamen cor miſerum nunquam habet. Et quoniam ea quæ nobis futura ſunt videt, que tamen ipſi ſemper præſto ſunt: præſcius dicitur, quamuis nequaquam futurum præuidet quod præſens videt. Nam & quæcunque ſunt nequaquam in æternitate videntur ideo quia ſunt,ſed quia videntur ideo ſunt. Dum ergo ad verba mutabilitatis noſtrę deſcenditur, quibuſdam ex eis gradibus factis & iuxta nos poſitis per ea quæ nobis vicina ſunt, aſcendat qui poteſt ad incommutabilitatem Dei,vt videat ſine zelo zelantẽ, ſine dolore penitentem ſine miſero corde miſericordẽ, ſine prequiſione præſcientem. In illo ſiquidem nec præterita nec futura reperiri queunt, ſed cuncta mutabilia immutabilitet durant: & quæ ſimul in ſemetipſis exiſtere non poſſunt: illi omnia ſimul aſſiſtunt: nihilque illum præterit quod tranſit, quoniam in eius æternitate cuncta volumina ſæculorum tranſeuntia manent, currentia ſtant. Nos autem cum circa nos quædam proſpera & aduerſa variantur, in eo quod mutamur quaſi mutatum circa nos eius animum ſuſpicamur. Ipſe vero incommutabilis in ſe permanens aliter & aliter in cogitatione ſentitur hominum pro qualitate meritorum, Nam & lux ſolis nequaquam ſibimet diſſimilis, infirmis tamen aſpera, ſanis autem oculis videturlenis, eorum videlicet mutatione non ſua. Vnde beatus Iob dicens de Deo,*mutatus es in crudelem*,adiunxit mihi,vt hęc ipſa crudelitas & mutatio non eſſe intelligatur in qualitate iudicis,ſed in mente patientis,ac ſi diceret,qui nihil habes in teipſo crudelitatis, mihi quem à percuſſione reſpirare non ſinis, crudelis videris. Sicut enim Deus eſſe crudelis non poteſt, ſic nec mutari vllatenus poteſt. *Enunciata de Deo ἀνθρωπικῶς.*

Qualiter ſtabilis in ſe manens mouet omnia.

CAPVT LXXVIII.

AVguſtinus ſuper Geneſim lib.8. Mouet autem creator ſpiritus ſeipſum ſine tempore & loco, mouet conditum ſpiritum per tẽpus ſine loco, mouetur enim animus volendo quod nolebat, diſcendo quod neſciebat, reminiſcendo quod oblitus erat, mouet corpus per locum & tempus. *Idem in lib.5.* Videmus enim aſſidue per moras temporum ab ortu ad occaſum ſydera moueri, cœlum ab æſtate ad hyemem immutari, germina certis dierum momentis, pullulare, grandeſcere, vireſcere, areſcere. Animalia quoque ſtatutis temporum metis & curſibus concipi, perfici, & naſci, ac per ætates vſque in ſenium mortemque decurrere. Cæteraque huiuſmodi temporalia mutatione temporum excurrere. Quis autem hæc operatur niſi Deus? nullo tamen huiuſcemodi motu ipſe motus, nõ enim & ipſi accidit tempus. *Idem in lib.7.* Quiſquis autem ante hoc intelligere conatur ſcilicet quomodo Deus, nec per tempus, nec per locum motus creaturam ſuam temporaliter atque localiter moueat, non eum aſſequi puto niſi prius intellexerit quod agitur in ſeipſo: videlicet quomodo anima per tempus immota tantum corpus moueat per tempus & locum. Sed ipſa cõſuetudine carnalium affecta ſenſuũ: etiã ſemetipſam corpore moueri putat, dũ illud mouet per locum, quæ ſi poſſet diligenter inſpicere tanquam cardines membrorum ſui corporis in quibus nituntur motionũ initia, quomodo ſci. articulatim diſpoſiti ſunt, C
inueniret ea quæ per loca mouẽtur: non niſi ab eis moueri quæ loco fixa ſunt. Non enim ſolus digitus mouetur, niſi fixa ſit manus, à cuius articulo velut immoto cardine moueatur, ſic & tota palma ab articulo cubiti, ſic cubitus ab articulo humeri, & humerus à ſcapula, cum mouetur, ſtantibus cardinibus, id per loci ſpacium quod mouetur. Sic plantæ in talo eſt articulus, quo ſtante mouetur: ſic cruris in genu & totius pedis in coxa eſſe probatur: nulluſque omnino mẽbri motus quod voluntas mouet, eſſe perpẽditur, niſi ab aliquo articuli cardine, qui primo à voluntate figitur, vt ab eo quod loco non mouetur, agi valeat quod mouetur. Quanto magis ergo cum anima corporea non ſit, nec locali ſpacio corpus ſicut aqua vtrem vel ſpongiam impleat, ſed miris modis incorporeo nutu corpori viuificando commixta D
ſit. quo & corpori quadã intentione non mole imperat, quantomagis inquam nutus ipſe voluntatis eius cui mẽbra deſeruiunt, non per locum mouetur vt corpus per locũ moueat, quandoquidem totum per partes mouet, nec aliquas mouet locõ, niſi per illas quas loco non mouet. Illa quippe Trinitas incommutabilis & æterna ipſa inquam, vt dictum eſt, ſine tempore & loco manens apud ſemetipſam, mouet tamen per tẽpus & locum ſibi ſubditam creaturam: nam creans bonitate, voluntates ordinans poteſtate, vt in naturis nulla ſit quæ ab illo non ſit, in voluntatibus autem nulla bona ſit cui non proſit, nulla mala qua bene vti non poſſit. *Dion de di.no.* Ab ipſo denique ſunt omnes ſtatus, & omnes motus, alij quidem intellectualium, alij verò animarum, & alij E
corporum, omnis ſtatus & motus ex ipſo & per ipſum & in ipſum & propter ipſum.

Primus motor immobilis digno ſcitur ex anima.

Quod ipſe ſit omnium gubernator.

CAPVT LXXIX.

AVguſtinus ſuper Ioannem. Miracula quæ fecit in carne Dominus Ieſus, diuina fuerunt opera, & ad intelligendum Deum ex viſibilibus humanas mentes admonentia. Sed maius miraculum eſt gubernatio totius mundi, quam ſaturatio quinque milium hominum de quinque panibus, & tamen hoc nemo miratur, illud vero mirantur homines, non quia maius eſt, ſed quia rarum eſt. *Idem de Trin.lib.3.* In ſuperna quidem ac cœleſti patria voluntas Dei quæ fecit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis: in eiſdem ſpiritibus ſumma pace inuicem copulatis, & in vnam voluntatem quodammodo charitatis igne conflatis tanquam in ſecreta præſidet ſede. Indeque in quibuſdam ordinatiſſimis creaturæ motibus, videlicet ſpiritualibus, deinde corporalibus, ſe per cuncta diffundit & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ. Et quemadmodum craſſiora corpora & inferiora per ſuperiora & ſubtiliora reguntur quodam ordine, ita omnia corpora per ſpiritum vitæ; & ſpiritus vitæ irrationalis per ſpiritum vitæ rationalem pium & iuſtum, & ille per ipſum Deum, & ſic vniuerſa creatura per creatorem ſuum, nihil enim viſibiliter ac ſenſibiliter in mundo efficicitur, quod non de interiori & inuiſibili aula ſummi imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilẽ iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum.

Gubernatio mundi miraculum.

Idem in lib de academicis primo. Itaque nihil aliud in rebus caſum vocamus, niſi cuius ſecreta cauſa eſt vel ratio, nihilque ſeu commodi ſeu incõmodi contingit in parte quod non conueniat vel congruat vniuerſo *Ex Epiſtola Clementis ad Iacobum lib.1.* Qui ergo credit ſummi Dei prouidentia mundum gubernari, non debet de ſingulis aſpernanter accipere, quæ quomodocunque accidunt, certus quod iuſtitia Dei etiam ea quę ſuperflua videtur aut contraria: in vnoque negocio oportuno exitu diſpenſat, prçcipue tamen erga eos qui familiarius colunt eum: qui enim, vt dixi, certus eſt ita eſſe, ſi quid contra ſententiam eueniat, nouit pro eo mœrorem animo depellere ſentẽtia meliore, certus quod diſpenſatione boni Dei etiam quod contrarium putatur, in melius vertatur. *Aug de ciu. Dei li.5.* Cæterum quicquid præter voluntatem patitur homo, non debet humanis vel angelicis vel cuiuſcunque creati ſpiritus tribuere volũtatibus, ſed eius potius qui dat poteſtatem volentibus.

Quod non ſit malorum auctor ſed ordinator.

CAPVT LXXX.

IDem in lib. quæſtionum 83. Qui autem omnium quæ ſunt auctor eſt, & ad cuius bonitatem pertinet, vt ſit omne quod eſt, vtique boni tantummodo cauſa eſt, mali ergo auctor non eſt. Ideoque & ipſe ſummum bonum eſt, à quo in nullo deficere bonum eſt, deficere vero malum eſt, non eſt cauſa deficiendi, id eſt, ad non eſſe tendendi, qui cauſa eſt eſſendi, qui nimirum auctor eſt omnium quæ ſunt, quæ inquantum ſunt, bona ſunt. *Idem de ciu. Dei lib.11.* Sicut autem Deus naturarum bonarum eſt optimus creator, ita voluntatum malarum iuſtiſſimus ordinator, vt cum ille vtantur natiuis bonis, ipſe bene vtatur etiam voluntatibus malis. Neque enim vllum angelorum hominum crearet, quem malum futurum præſciret, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorũ vſibus commẽdaret, atque ita ordinẽ ſęculorum tanquã pulcherrimum carmen etiam quaſi quibuſdã antithetis honeſtaret, videlicet qualibus locum illum ſuauiter ac decẽter explicat Apoſtolus, *per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, &c.* Nam ſicut illorum cõtrariorum ad inuicẽ oppoſitione ſermonis pulchritudo redditur, ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentia, contrariorũ oppoſitione ſeculi pulchritudo contexitur. Quod aptiſſime in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt hoc modo, *contra malũ bonum eſt, & contra vitam mors, ſic & contra virum iuſtum peccator.* Et ſic intuere in omnia opera altiſſimi duo contra duo, vnum contra vnum, non ergo mala voluntas quia naturæ ordinem ſeruare noluit, ideo iuſti Dei leges omnia bene ordinantis effugit. *Idem in muſica li.6.* Amor ſiquidem inferioris pulchritudinis animã polluit, quæ cum in infimis ordinẽ diligat, ipſa ſuum ordinem amiſit: Non tamẽ exceſſit ordinẽ rerũ, quandoquidẽ ibi & ita eſt, vbi & quomodo eſſe talis eſt ordinatiſſimũ. Aliud enim eſt ordinẽ tenere, & aliud teneri ordine, ſubditur legibus qui non amat leges, ſicut videlicet

Ordo ſæculorum tanquã carmẽ.

Mala volũtas ordinatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

plenius oſtenſum eſt ſuperius. *Hugo de ſancto Victore.* Itaque diſpoſitio diuina in omnibus operationis ſuæ virtutem oſtendit, videlicet in bonis, & in malis, in bonis quidem dupliciter, vt ſint, & vt ordinata ſint. In malis autem ſimpliciter, in quibus non facit quidem vt ſint, ſed tantum vt ordinata ſint.

Cur Deus in mundo mala fieri permittit.

CAPVT LXXXI.

Peccata pro ſunt electis

Vniuerſitas eſt pulchra peccatis.

Elatio præceſſit lapſum aliq.

Humilitas in ſcriptura cõmendatur

Deus facit & majus & minus bonũ.

Aguſtinus in Enchirid. Omnipotens ergo Deus cum ſit ſummè bonus, nullatenus mali aliquid in ſuis operibus eſſe ſineret, niſi adeo potens ac bonus eſſet, vt etiam de malo bene faceret, meliuſque iudicauit de malis bene facere, quam mala eſſe nulla permittere. *Idem in libro de Trinitate.* Nam & mala quæ ab iniquis fideles perferunt, ipſis iuſtitiam, vel ad demenda peccata, vel ad exercendam probandamque iuſtitiam, vel ad demonſtrandam huiuſmodi vitæ miſeriam. *Idem in libro de gratia & corre.* Cæterum vſque adeo Deus electis ſuis omnia cooperatur in bonum, vt ſi aliqui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipſum faciat eis proficere in bonum. Inde namque humiliores redeunt, & doctiores, ſicut in Petro videre potes. *Idem contra aduerſarium legis & Prophetarum.* Ipſa quoque vitia creaturarum etiam teſtimonium perhibẽt bonitati naturarum, quod enim per vitium malum eſt, profecto per naturam bonum eſt, vitium quippe contra naturam eſt, quia naturæ nocet, nec vtique noceret niſi bonum eius minueret. *Idem de ciuitate Dei libro* 1. Sed nec vitium eſſet à Deo recedere, niſi ei naturæ cuius id vitium eſt competeret potius cum Deo eſſe, qua propter & defectus ipſe voluntatis malæ, grande teſtimonium eſt naturæ bonæ. Sed & Deus, vt dictum eſt, ſicut bonarum naturarum eſt optimus creator, ita voluntatum quoque malarum iuſtiſſimus & ordinator.

Idem ſuper Geneſim libro 3. Et ea quæ peccando proprium decus amittunt, nullo modo, vt etiam non ipſa recte ordinata cum vniuerſo bona ſint, efficiunt. Ipſe namque qui naturas optimè condidit, peccantes iuſtiſſime ordinando id efficit, vt etiam ſi qua ſigillatim delinquendo fiant deformia, ſemper tamen cum eis vniuerſitas ſit pulchra. *Bernardus Clareual* Denique diligentibus Deum à Deo in bonum omnia cooperantur, vt inter hæc omnia etiam illa quæ nihil ſunt ſcilicet ipſa peccata numerentur, dum ex eis quiſque feruentior, & timoratior, & cautior & humilior inuenitur. *Idem in ſermone de ſeptem miſericordijs.* Sic etiam ex toto Deus indulget omnem iniuriam, vt iam nec damnet vlciſcendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando ita vt vbi abundauit delictum ſoleat gratia ſuperabundare. Teſtis eſt Paulus qui plus omnibus cum Dei gratia laborauit. Teſtis Matthæus de Thelonco in Apoſtolum electus. Et Petrus cui poſt negationem totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Quis accuſauit Mariã & oportuit eam pro ſe reſpondere, ſic Phariſeus murmurat, ſic Martha conqueritur, ſic Apoſtoli ſcandalizãtur, Maria tacet, Chriſtus excuſat eam etiam & commendat. O quanta in ipſo conuerſionis initio conceſſa eſt ei multitudo dilectionis, quanta poſtmodum indulta eſt gratia familiaritatis prima reſurgentem videre, prima tangere meruit.

Cur primum hominem tentari permiſit quem conſenſurum præſciuit.

CAPVT LXXXII.

Aguſtinus ſuper Geneſis lib. 11. Si quæritur, cur Deus hominem tentari permiſit quem præſciebat tẽtatori conſenſurum eſſe? Altitudinem quidem eius conſilij non valeo peuetrare, ſed tamen non mihi videtur hominem magnæ laudis futurum fuiſſe, ſi propter hoc poſſet bene viuere, quia nullus ſuaderet ei male viuere. Cum & in natura poſſet & in poteſtate haberet ſuadẽti non conſentire. Ille tamen qui ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam adiuuantem, cur tentari non ſineret illum, quem præſciebat conſenſurum, cum id facturus eſſet propria voluntate per culpam, & ordinandum illis æquitate per penam, vt etiam ſic oſtenderet animæ ſuperbæ ad futurorum eruditionem ſanctorum, quã rectè ipſe vteretur animarum voluntatibus etiam malis, cum illæ peruerſe vterentur naturis bonis?

Sed nec arbitrandum eſt quòd hominem ille tentator deiecturus eſſet, niſi quædam in anima ipſius elatio hominis comprimenda præceſſiſſet, vt per humilitatem peccati quã de ſe falſo præſumpſerit diſceret. Ante ruinam enim exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Animæ ſiquidem extollenti ſe, ac nimis confidenti de propria virtute experimento etiam pœnæ demonſtrandum fuerat, quòd natura ſi ab auctore ſuo diſcedit, non bene ſe habeat, hinc etenim maximè commẽdatur quale bonum Deus eſt quando nulli ab eo recedenti bene eſt. Nam & qui gaudent in mortiferis voluptatibus eſſe ſine dolorum timore non poſſunt, & qui omnino malum deſertionis ſuæ maiore ſuperbiæ ſtupore non ſentiunt, miſeriores prorſus apparent alijs qui hæc diſcernere nouerunt, vt & ſi recipere nolunt, medicinam talia deuitandi, valeat ad exemplum quo poſſit talia deuitare humanum genus. Nunc etiam aſſidue permittit Deus inſidijs diaboli tentari humanum genus, quoniã ſic probatur & exercetur virtus, & eſt palma glorioſior tentatum non conſenſiſſe, quàm tentari non potuiſſe, mali quoque homines bonos tentantes præbent illis contra cupiditatem deuitationis exemplum, & contra ſuperbiã incutiunt timorem pueri. Reuera namque mirum eſt quantum humilitas illa qua Deo ſubdimur, ne tanquam eius adiutorio non egentes de viribus noſtris præſumamus, per omnes diuinas ſcripturas cura continua commendatur.

Cur homines aſsiduè naſci facit quos malos fore præneſcit.

CAPVT LXXXIII.

CVr ergo creet Deus homines quos quidem præſcit eſſe malos futuros, ſed bonis profuturos: vt & illis vtiles exercendis admonendiſque naſcantur, & iuſte pro mala ſua voluntate puniantur? ſed talem inquiunt hominem potius faceret, qui omnino peccare nollet? Ecce concedimus meliorem eſſe naturam quę omnino peccare nolit, concedant & ipſi non eſſe malam, quæ ſic facta eſt, vt poſſit non peccare ſi velit, ac iuſtam eius ſententiam qua punita eſt quæ non neceſſitate, ſed voluntate peccauit. Cum ergo ratio certa demonſtret, duo quædam bona non æqualia, ſed vnum ſuperius, alterum inferius, non intelligunt tardi corde cum dicunt ſi vtrumque tale eſſet, nihil aliud ſe dicere quàm ſolum illud eſſet. Sicque cum æquare bonorum genera volunt, numerum minuunt, & vnum genus immoderare augendo, alterum tollunt: verum quis audiret eos ſi dicerent, vt quoniam excellentior eſt ſenſus videndi quàm audiendi quatuor oculi eſſent, & aures non eſſent, ſic ergo & ſi excellentior eſt illa creatura rationalis, quæ ſine alicuius pœnæ comparatione ſubditur Deo illa quæ in hominibus ita creata eſt vt in ſe beneficium Dei non poſſet agnoſcere, niſi ſupplicium alterius videndo, vt non altum ſapit ſed timeat, id eſt, non de ſe perfidat, ſed in Deo confidat, quis rectè intelligens dicat, talis eſt iſta qualis illa? cum hoc nihil aliud ſit quàm dicere non eſſet iſta, ſed iſta ſola. Cur denique non crearet Deus etiam illos quos malos præſciebat futuros, volens demonſtrare potentiam ſuam, & ob hoc in multa patientia vaſa iræ ſuſtinens, vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Sic enim qui gloriatur, non niſi in Domino gloriatur, cum cognoſcit, non ſuum, ſed illius eſſe non ſolum vt ſit, ſed illius etiam vt non niſi ab illo bene ſibi ſit, à quo habet vt ſit. Itaque nimis importune

dicitur,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dicitur, vt non eſſet quibus Deus tantam beneficentiam miſericordiæ ſuæ tribueret, ſed aliter non poſſent eſſe, niſi eſſent & hi in quibus vindictæ iuſtitiam demonſtraret. Cur enim non vtraque potius ſint, cum in vtriſque & Dei bonitas, & æquitas iure prædicatur.

Deus voluit vt homines eſſent quod vellent.

At inquiunt, ſi Deus vellet etiam iſti boni eſſent. Sed quantomelius hoc Deus voluit vt eſſent quod vellent. Si boni quidem fructuoſe, mali autem impunè non eſſent, & in hoc ipſo vtiles alijs eſſent. Sicut enim præuidit quid mali facturi eſſent, ſic etiam præuidit de malis eorum factis quid boni eſſet ipſe facturus. Nam ſi eos fecit vt eis relinqueret, vnde & ipſi aliquid facerent, quo quicquid & culpabiliter elicerent, illum de ſe laudabiliter operantem inuenirent. A ſe quippe habent voluntatem malam, ab illo autem & naturam bonam, & ad iuſtam pœnam ſibi debitum locum, alijs exercitationis adminiculum, & timoris exemplum. Itaque non parui boni creatura rationalis eſt etiam illa, quæ malorum comparatione malum cauet. Quod vtique bonæ creaturæ genus non eſſet, ſi malas omnium voluntates in bonum Deus conuertiſſet, nullique iniquitati pœnam debitam infligeret, ſed ſolum illud genus eſſet, quod nulla vel peccati vel ſupplicij malorum comparatione proficeret, ſicque bonæ creaturæ numerus minor eſſet.

Ergo inquiunt aliquid eſt in operibus Dei, quod alterius malo indigeat, vt ad bonum perficiat, ſic enim ſunt excæcati, vt non videant quod quibuſdam punitis corrigantur plurimi, nec volunt aduertere è quo diuinæ prouidentiæ opere in eos veniat imponendæ commotio diſciplinæ, vt ſi non corrigantur qui puniuntur, ipſorum tamen exemplo cæteri terreantur: valeatque ad ſalutem illorum iuſta pernicies aliorum, nec enim illorum malitiæ Deus auctor eſt, de quorum iuſta pœna cæteris quoque conſulit: ſed illos quidem malos vitijs proprijs futuros eſſe præſciens: non tamen creare deſtitit, vtilitati deputans eorum, quos in hoc genere creauit. Quod vtique genus quiſque non vult vt ſit, nihil aliud agit, niſi vt ipſe in eo non ſit.

Quod nec malitia, nec eſſentia vlla Deo nocere, vel aduerſari poſſit.

CAPVT LXXXIV.

Nihil eſt Deo contrarium.

Magna ergo opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius Præuidet bonos futuros, & creat. Præuidet malos futuros, & creat: ſeque ipſum ad fruendum bonis præbet munera ſua largiens, malis miſericorditer ignoſcens, & iuſtè vlciſcens, itemque miſericorditer vlciſcens, & iuſtè ignoſcens, nil metuens de cuiuſque malitia, nil indigens de cuiuſque iuſtitia, nil ſibi conſulens de operibus etiam bonorum, bonisque conſulens etiam de pœnis malorum. *Idem in libro de natura bon.* Cum ergo in Deo ſint ea, quæ condidit omnia: non tamè eum inquinant illi, qui peccant: de cuius nimirum ſapientia, quæ à fine vſque ad finem fortiter attingit, dicitur quod attingit vbique propter ſui munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrit. *Idem in libro de fide & ſymbolo.* Cæterum ergo, inquit, ſum quid ſum. Ex hoc vtique ſpiritualibus animis patere confido, nullam creaturam poſſe contrariam eſſe Deo. Si enim hoc verbum eſt, de ſolo Deo dici poteſt, quia quod vere eſt incommutabiliter manet, nihil vtique Deus contrariũ habet: ei namque quod eſt, ſolum rectè poteſt dici contrarium quod non eſt.

Idem in libro de ciu. Dei 12. Illi ergo eſſentiæ, quæ ſumma eſt, & omnium eſſentiarum auctrix eſt, eſſentia nulla contraria eſt: dicuntur autem inimici Dei in ſcripturis eius imperio aduerſantes non natura, ſed vitijs, nec nocendi, vel lædendi poteſtate, ſed reſiſtendi voluntate. Deus enim immutabilis, & omnino incorruptibilis eſt. Ideoque vitium quo Deo reſiſtunt nõ ei, ſed ipſis malũ eſt, nec ob aliud eſt eis malum, niſi quia corrumpat in eis naturę bonum. Natura ergo non eſt Deo contraria, ſed vitium quia quod malum eſt, bono eſt contrarium. Et quis neget Deum ſummum bonum eſſe, vitiũ ergo cõtrarium eſt Deo tãquam malum bono. Sed & natura quam malum vitiat eſt vtique bonum, ideo & huic bono malum eſt contrarium. Sed Deo tantummodo tanquam bono malum, naturæ vero quam vitiat, non tantum malum, ſed etiam noxium: nulla quippè mala ſunt Deo noxia, ſed mutabilibus, corruptibilibuſq; naturis, ipſorum tantũ vitiorum teſtimonio bonis. Si enim bonæ non eſſent, eis nocere non poſſent. Quid enim eis nocendo faciunt, niſi quod integritatem, pulchritudinẽ, ſalutem, virtutem, & quicquid boni naturæ per vitium detrahi, vel minui poteſt, adimunt, vnde colligitur quãuis non poſſit vitium incommutabili nocere bono, non tamen poſſe nocere niſi bono. Sic etiam dici poteſt, vitium nec eſſe poſſe ſummo bono, nec niſi in aliquo bono. *Idem in libro Soliloquiorum primo.* Deus ergo eſt, vt iam ſuperius dictum eſt, per quem vniuerſitas etiam in ſiniſtra parte perfecta eſt. Ipſe eſt enim à quo omnia ſunt, in quibus diſſonantia vſque in extremum nulla eſt, cum deteriora melioribus concinunt. Ipſe eſt in quo ſunt omnia, cui tamen vniuerſæ creaturę non error oberat, nec nocet malitia.

Vitiũ eſt Deo contrarium.

Quod quicquid ei reſiſtere nititur ſemetipſum lædit.

CAPVT LXXXV.

Bernardus ad Eugen. lib. 5. Nec minus eſt Deus peruerſorum pœna, quam humilium gloria. Eſt enim rationabilis quædam æquitatis directio, inconuertibilis, & indeclinabilis, quippe attingens vbique, cui omnis prauitas illiſa conturbetur neceſſe eſt, vt ergo oppoſitis voluntatibus, qui ſemper impingere conãtur & fruſtra, ſolam auerſionis ſuæ pœnam referentes. Quid enim tã pœnale, quam ſemper velle quod nunquã erit? ac ſemper nolle, quod nunquam non erit? nũquam quod vult obtinebit, & quod non vult in æternũ ſuſtinebit? Quis autem hæc facit? rectus Dominus Deus noſter, qui & cum peruerſo peruertitur. Eſt etiã turpium pœna Deus quia lux. *Omnis enim qui male agit lucem odit:* nec tamen lucem declinare poterit, quoniam vbique lucet etiam in tenebris, ſed eam tenebræ non comprehendunt. Proinde in iudicio reprobi videbuntur, vt confundantur, & non videbunt, ne conſolentur, nec modo videbuntur à luce, ſed etiã in luce, & hoc ab omni vidente, vt ſit confuſio multa pro intuentiũ multitudine, ac nullus de tanta ſpectantium numeroſitate moleſtior erit oculos ſuo cuiuſque. Non eſt enim aſpectus ſiue in cœlo, ſiue in terra, quem ſuffigere magis velit, & minus poſſit tenebroſa conſcientia: hic eſt vermis, qui non moritur, *præteritorum memoria.*

Deus turpiũ pœna.

Vermis conſcientia quis?

Auguſt. ſuper Geneſim lib. 11. Sic parentes primi mox vt præceptum tranſgreſſi ſunt intrinſecus gratia deſerẽte omnino nudati, quam typo quodã, & ſuperbo amore ſuæ poteſtatis offenderant, in ſua membra oculos iniecerunt, eaque motu quem non nouerant concupierunt: hæc mors ipſa die accidit, qua factũ eſt quod Deus vetuit, amiſſo quippe ſtatu mirabili, qui eis de ligno vitæ myſtica virtute præbebatur, per quem nec morbo tentari, nec ætate mutari potuiſſent, corpus eorum duxit mortiferam qualitatem, quæ eſt in pecoribus, ac per hoc, & eundem motum quo fit in pecoribus coeundi appetitus, vt ſuccedant naſcentia morientibus, ſed tamẽ etiam in ipſam pœnam ſuæ generoſitatis iudex anima rationalis beſtialem motum in membris ſuę carnis erubuit. Eique pudorem incuſſit, non ſolum quia hoc ſentiebat, vbi nunquam tale quid antea ſenſerat: verum etiã quia pudẽdus ille motus de præcepti tranſgreſſione veniebat, ibi namque ſenſit, qua prius gratia veſtiretur, quando nihil indecens patiebatur.

Felix fractus Adæ à ligno vita.

Gregorius in moral. lib. 1. Rectè ergo de Deo per beatũ Iob dicitur: Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Nã qui cũcta mirabiliter creat, ipſe vt creata ſibimet cõueniẽtia

ordinat:

ordinat: in quo ergo auctori reſiſtitur pacis conuentio diſſipatur, quia ordinata eſſe nequeunt, quæ ſuperni moderaminis diſpoſitionem perdunt. Quæ enim ſubiecta Deo in tranquillitate perſiſterent, ipſa ſe ſibimet dimiſſa confundunt, quia in ſe pacem non inueniunt, cui deſuper venienti in auctorē contradicunt: vnde & primus homo, qui præcepto auctoris reſtitit, carnis in ſe protinus contumeliam ſenſit, & Angelus apoſtata ſemetipſum repulſus patitur, quia per naturæ ſuæ inquietudinem foras vagatur.

Quod diuina voluntas etiam illos qui conantur reſiſtere ſibi ſeruire cogit.

CAPVT LXXXVI.

Idem in lib. 6. Sed multi quidem humana ſapientia inflati, dum deſiderijs ſuis aſpiciunt diuina iudicia contraire, aſtutè reluctari conantur, & optant vt ad votum ſuum vim ſupernæ diſpoſitionis intorqueant, verum inde voluntatem Dei peragunt vnde mutare contendunt, itaque Dei conſilio reſiſtentes obſequuntur, quia hoc eius diſpoſitioni militat, quod per humanum ſtudium reſultat. Vnde ſcriptum eſt: *Qui comprehendit ſapientes in aſtutia eorum.* Ecce Ioſeph viderat ſomnium, quod manipuli fratrum adorarent manipulum ſuum, Sol & Luna cum reliquis ſtellis ſeipſum. Cumque fratres ſe eius dominio metuerent ſubijci, in puteum illum depoſuerunt, & Iſmahelitis vendiderũt, qui ſcilicet in Ægyptum ductus ac ſeruituti ſubditus, accuſatione luxuriæ damnatus, ſed merito caſtitatis adiutus, ac prophetiæ iudicio ereptus, omni Ægypto per Dei prouidentiam eſt prælatus, per ſapientiã quoque ſupernam prouidus frumenta congeſſit, & futuro periculo neceſſitatis obuiauit. Cumque in orbe fames inualuit Iacob in Ægyptum filios miſit. Qui frumentorum diſpenſatorem Ioſeph inueniunt. Eũque alimenta vt meterentur adorare compulſi ſunt, ſic ergo Ioſeph, qui ab eis ne adoraretur venditus fuerat, *ideo adoratus eſt, quia venditus, Et coacti ſunt voluntatem Dei peragere, qui a moliti ſunt commutare.* Iuſtus quoque & miſericors Deus mortalium facta diſponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus. Et quæ permittit iratus ſic tolerat, vt in conſilij ſui vſum vertat, vnde fit, vt quod ſine voluntate Dei agitur, voluntati eius contrarium non ſit, quia dum in bonum vſum humana vertuntur, eius conſilio militant etiam quæ repugnant. Vnde ſcriptum eſt: *Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius.* Sic magna ſunt, vt per omne quod agitur, ab omnibus eius voluntas exquiratur. Nam ſæpe inde perficitur, vnde repelli putatur. Vnde ſcriptum eſt: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra.* Hinc Salomon ait: *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Deum.* In cunctis ergo, quæ agimus vim ſupernæ voluntatis inquiramus. Cui cognitæ debemus famula ri, & quaſi ducem itineris ſequi, ne etiam nolentes ſeruiamus ei. Vitari enim vis ſuperni conſilij non poteſt, ſed magna ſibi virtute hanc temperat, qui ſe ſub eius nutibus refrænat, eiuſque pondera leuigat, qui volens portat.

Ioſeph ideo adoratus quia vẽditus

Qualiter ſapientia vincit malitiam, & omnia ſuauiter diſponit.

CAPVT LXXXVII.

Hvgo ſuper Eccleſiaſtem homelia 15. Malum quidem propriam ſedem non habet, ſed natura peregrinum à ſuo in alieno moratur, quia non eſſet, niſi eſſe poſſet malitia. Si non eam in ſuo pateretur, quæ eam non fecit ſapientia, non enim ſapientia malitiam fecit, ſed in eo quod fecit malitiam eſſe permiſit, vt collata malitiæ ſapientia vinceret, & comparata pulchrior appareret. Confert enim ſe & cometitur ſapientia malitiæ in operibus ſuis, & vincit eam vtique, vt attingat à fine vſque ad finem. Ideo enim malitia ad defectum currens ſapientiam non euadit, quia non poteſt malitia ipſa, quod corrumpat inuenire, niſi in his, quæ ſapientia creauit. Sapientia vero propter malitiam ad prouectum ſurgens tranſcendit, quia non poteſt malitia corrumpere, quod ſapientia potuit creare. Currit ergo ſapientia, vt attingat à fine vſque ad finem, tranſcendens malitiam in corruptis bonis, quo malitia non accedit, & conſequens malitiam in his, quæ corrupta ſunt, quo malitia non præcedit, tam ſuauiter enim omnia etiam non ſuauia diſponit, vt omnia, quæ contra eius voluntatem ſe eriguñt, neque potenter extinguat, vt nihil ſint neque violenter compellat, vt nil poſſint, ſed eſſe ſinens, & poſſe annuens, currentia contra ſuam voluntatem manifeſtè permittit, & occultè conducit ad implendam ſuam voluntatem.

Sapientia vincit malitiam.

Reſtat nunc maximus iſte, & ſupremus ſapientiæ excurſus à fine vſque ad finem qui nullum habet finem. Surſum ſublime contemplationis, & deorſum profundum damnationis, ad iſtos duos fines vniuerſorum curſum incipiens à medio ſapientia, hinc inde ſiue promouendo ſiue deſerendo diſponens conducit, ſurſum aſcendentibus viam ſternens iuſtitiam, deorſum deſcendentibus viam relinquens iniquitatem. Quo cum ventum fuerit, ſiſtent vniuerſa in finibus ſuis, & fines ipſi nunquam habebunt finem. Et tunc quoque ipſa ſapientia pertingit à fine vſque ad finem fortiter, vt amplius nunquam, vel à retributione iuſtorum deficiat, vel à pœna in quorum deſiſtat, diſponens omnia ſuauiter hinc ad gaudium, illinc ad ſupplicium æternum. Sed quæſo, quæ ſuauitas in inferis erit, quia ipſa ſuauis permanet, quæ diſponit: licèt illi ſuaues non ſint quos diſponit, nec illud ſuaue ſit in quo diſponit, ipſa quoque diſpoſitio ſuauis eſt, etiam ſi illa ſuauia non ſint, quæ diſponit.

Finis curſus ſapientiæ.

Bern. Clareual. Cæterum ſapientia vincit malitiam, dum Chriſtus contriuit Sathanam, attingit à fine vſque ad finem fortiter in cœlo deijciendo ſuperbum, in mundum ſuperando malignum, in inferno ſpoliando auarum, & diſpoſuit omnia ſuauiter, in cœlo ſtantes Angelos confirmando, in mundo venundatos redimendo, in inferno captiuos liberando.

Qualiter diuina iuſtitia vel prouidentia voluntates bonas, & malas ordinat.

CAPVT LXXXVIII.

Avgvſtinus in libro quæſtionum 83. Deus omnipotens, & iuſtus voluntates creat, bonas remunerat, malas punit, omnes ordinat. *Idem de ciuitate Dei libro 11.* Sicut enim naturarum optimus eſt creator, ita voluntatem etiam malarum iuſtiſſimus ordinator, vt cum illæ male vtantur naturis bonis, ipſe quoque bene vtatur voluntatibus malis. *Idem contra Fauſtum libro 2.* Diuina quippe prouidentia per cuncta tendens, cui nec nouum exiſtit, quod oritur, nec perit, quod moritur, in ſuo ſingula quæque ordine ſiue naturarum, ſiue meritorum, vel cedere, ſiue ſuccedere, vel manere facit, & omnis quidem recta voluntas diuinæ legi coniungitur: inordinata vero cupiditas diuinæ legis ordine coerceatur, vt nec bonus aliud quam præcipitur velit, nec malus amplius, quam permittitur poſſit, ita ſanè, vt ne impune poſſit, quod iniuſtè voluerit. Siue autem iniquitas, ſiue iuſtitia, nec eſſet in voluntate, niſi eſſet in poteſtate, ac per hoc nullum præmium, nullaque pœna ſequeretur iuſtè, quod nemo ſapit, niſi qui delipit Ignorantia vero, vel infirmitas qua vel neſciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit poſſit, ex occulto pœnarum ordine, & ex illis ineffabilibus Dei iudicijs, apud quem non eſt iniquitas venit. Et in omnibus quidem quæ timet, vel horret humana infirmitas, ſola iure damnatur iniquitas. Cætera vero ſunt, vel tributa naturarum, vel merita culparum.

Ignorantia humanæ pœnæ.

Idem in libro 1. Denique ad aliquem vſum ſanctorum ordinatur omnis pœnalis cæcitas impiorum, videlicet à

ſummo

ſummo Deo, qui pro ſui regiminis æquitate malis etiã bene vtitur, vt qui ſuo arbitrio iniuſtè viuunt, illius iudicio iuſtè diſponuntur. Itaque ne prophetias Chriſti naſcituri, mira facturi, indigna paſſuri, morituri, reſurrecturi, aſcenſuri, Euangelium per omnes gentes diſſeminaturi finxiſſe credantur illi, qui prius annunciarent eũ, magnum quid actum eſt in vſum noſtrum de infœlicitate Iudæorum, vt idem ipſi qui propter ſe hoc non haberent in cordibus, propter nos haberent in codicibus, nec enim auctoritas in libris illis minuitur, ſed etiam augetur. Nam & ipſa eorum cæcitas futura ibidem eſt prædicta, vnde magis non intelligendo veritatem veritati teſtimonium perhibent, quia cum eoſdem libros non intelligunt à quibus non intelligendi prædicti ſunt, hinc etiam eos veraces oſtendunt. *Greg. in moral. lib. 23.* Quiſquis autem pro peccato percutitur, niſi in murmurando reatur, eo ipſo iam iuſtus eſſe inchoat, quo ferientis iuſtitiam non accuſat: homo enim ſub Deo conditus eſt, & ad conditionis ordinem redit, quando ſibi æquitatẽ ſui iudicis etiam quã non intelligit, anteponit.

Libri Iudæorum confirmant Euangelium.

Quod de tota maſſa damnata quoſdam eligit: & quoſdam reprobat.

CAPVT LXXXIX.

Hvgo de ſancto Victore. Cum autem Deus, vt dictũ eſt, cunctorum futurorum ſit præſcius, quædam futura fuerunt, quæ facturus fuit Deus, quædam vero, quæ permiſſurus, propter hoc amplius habere videtur prædeſtinatio, quam præſcientia, quia præſcientia quidẽ de alieno eſt: prædeſtinatio autem niſi de proprio eſſe non poteſt. Deus quippe malorum non eſt auctor, ſed ordinator. *Eſt autem prædeſtinatio propoſitum voluntatis diuinæ in quo diſpoſuit gratiam electis ſuis dare. Auguſt. de verbis Apoſtoli.* Hinc Apoſtolus de Deo loquens, ait: quod ante mundi conſtitutionem nos elegit: quis hoc explicare ſufficit? Eliguntur qui non ſunt, nec errat qui eligit, nec vanè eligit. Eligit tamen, & habet electos, quos creaturus eſt, eligendos, quos habet apud ſemetipſum non in natura ſua, ſed in præſcientia ſua, nondum erant quibus promittebatur, ſed ipſi prouiſi erant quibus promittebatur. *Idem in libro de prædeſtinat. ſanctorum. Eſt itaque prædeſtinatio gratiæ præparatio.* Gratia vero eſt ipſe prædeſtinationis effectus. Non autem quia futuros nos tales eſſe præſciuit, ideo elegit, ſed vt eſſemus tales per ipſam electionem gratiæ ſuæ, qua nos in dilecto filio ſuo gratificauit.

Prædeſtinatio plus dicit quam præſcientia.

Gratia effectus prædeſtinationis.

Petrus Lombardus. Cum autem prædeſtinatio ſit gratiæ præparatio, id eſt, diuina electio qua elegit quos voluit ante mundi conſtitutionem. *Reprobatio econuerſo intelligenda eſt præſcientia iniquorum, & præparatio damnationis eorundem*: ſicut enim prædeſtinationis effectus eſt illa gratia qua in præſenti iuſtificamur, & illa qua in futuro beatificamur, ita reprobatio Dei qua ab æterno non eligendo quoſdam reprobauit ſecundum duo conſideratur, quorum alterum præſcit, & non præparat, ſcil. iniquitatem, alteram præſcit, & præparat ſcilicet pœnã æternam. *Auguſt. ad Proſperum & Hilarium.* Hæc itaque regula inconcuſsè eſt tenenda, peccatores in peccatis præſcitos quidem à Deo, ſed non præparatos eſſe, pœnam vero præparatam eſſe. *Fulgentius ad Monimum.* Porro in illo ſermone ſancti Auguſtini, quo ad interitum quoſdam prædeſtinatos affirmat, nihil aliud accipiendum exiſtimo niſi, quod ad interitum ſupplicij non delicti quoſdam eſſe præparatos intelligat, prædeſtinationiſque nomine non aliqua coacta neceſſitas humanæ voluntatis exprimitur, ſed miſericors, & iuſtus futuræ operis diuini ſempiterna diſpoſitio prædicatur. Sic autem Deus futurum effectum hominis renouandi diſpoſuit, vt eius voluntas in opere nouo noua eſſe non poſſit. In iuſtis opera ſua glorificat. In iniquis opera non ſua condemnat.

Reprobatio quid?

Prædeſtinatio ad interitũ ſupplicij.

Exempla eiuſdem electionis ac reprobationis.

CAPVT XC.

Avgust. de ciuitate Dei. lib. 15. Sicut ergo in homine vno, quod ait Apoſtolus experimur videlicet, quia non primum quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, poſtea vero ſpirituale: nam vnuſquiſque quoniam ex damnata progenie oritur, primo neceſſe, vt ſit Adam malus, atque carnalis, & ſi renaſcendo in Chriſtum profecerit, poſtea fit bonus, & ſpiritualis. Sic & in vniuerſo genere humano cum primo duæ ciuitates myſticè naſcendo, ac moriendo cœperunt procurrere, prior natus eſt Cayn ciuis huius ſæculi, poſterior autem Abel, peregrinus in ſæculo, ciuisque ciuitatis Dei, gratia prædeſtinatus, & electus, gratia peregrinus deorſum, gratia ciuis ſurſum. Nam quantũ ad ipſum attinet, ex eadem ortus eſt maſſa, quæ originaliter eſt tota damnata, verum Deus eſt tanquam figulus: hanc enim ſimilitudinem non imprudenter inducit Apoſtolus, ex eadem maſſa fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.

Adã carnalis & ſpiritualis.

Et prius quidem vas in contumeliam, quia in vno, vt dixit, homine prius eſt reprobum, vnde neceſſe eſt incipiamus, & vbi neceſſe non eſt remaneamus. Poſterius vero probum, quo proficientes veniamus, & quo peruenientes maneamus. Proinde non quidem omnis homo malus erit bonus, nemo tamen erit bonus qui non fuerit malus. Sed quando quiſque citius mutatur in melius: hoc in ſe facit nominari, quod apprehẽdit celerius, & poſteriore cooperit vocabulũ prius, ſcriptum eſt itaque, quod Cayn tanquam videlicet ciuis huius mundi ciuitatem condiderit: Abel autem tanquam peregrinus non condidit. Superna enim ſanctorum ciuitas eſt quãuis hic ciues pariat in quibus peregrinatur, donec regni eius tempus adueniat.

Prius reprobum poſtea probum?

Gloſſa ſuper Epiſtolam ad Romanos 9. c. Cæterum in Iacob antequam natus feciſſet aliquid boni, quid diligebat Deus, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et in Eſau quid oderat antequam natus aliquid feciſſet mali niſi originale peccatum: nam nec in illo diligeret iuſtitiam quam ille nullam fecerat, nec in iſto odiret naturam quam ipſe bonam fecerat. Patet ergo, quod cuius vult miſeretur gratuito, & quem vult indurat iuſto iudicio. Si quærimus meritum obdurationis & miſericordiæ, nullum eſt meritum miſericordiæ, meritum autem obdurationis eſt peccatum totius maſſæ damnatæ nec obdurat Deus impartiendo malitiam, ſed non impartiendo gratiam. Miſeretur ergo magna bonitate, & obdurat nulla iniquitate, vt nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus, niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola quippe gratia redemptos diſcernit à perditis, quos in vna perditionis excreauerat vaſa communi cauſa perditionis ab origine ducta.

Meritum obdurationis & miſericordia.

Cur Deus ex tota maſſa tam paucos elegit cæteris reprobatis.

CAPVT XCI.

VNiuerſum quippe genus humanum tã iuſto Dei iudicio damnatum eſt in apoſtatica radice: vt etiam ſi nullus inde liberaretur, nemo rectè Dei iuſtitiam poſſet vituperare. Illis autem qui liberantur pluribus non liberatis, & in damnatione iuſta derelictis, oſtenditur quid vniuerſa conſperſio meruiſſet, & quo etiam iſtos debitum iudicium reduceret, niſi eius indebita miſericordia ſubueniſſet. Illorum autem non miſeretur quibus gratiam non eſſe præbendam æquitate occultiſſima, & ab humanis ſenſibus remotiſſima iudicat, quam non aperit Apoſtolus, ſed miratur, & clamat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius*, vniuerſa namque maſſa iure damnata contumeliam debitam reddit cui vult Dei iuſtitia, & honorem indebitum tribuit cui vult Dei gratia, non

Electio Dei occulta.

meritorum

meritorum prærogatiua, non fatali neceſſitate, non temeritate fortunæ, ſed clauſa ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ altitudine. *Auguſt. contra Pelagianos.* Debita quidem redditur pœna damnato, indebita gratia liberato, vt nec ille ſe indignum queratur, nec iſte dignum ſe iuſte glorietur. Omnes enim in vna, eademque maſſa damnationis, & offẽſionis inuoluit, vt liberatus de nõ liberato diſcat, quod etiam ſibi pœna conueniret, niſi gratia ſubueniret. Quærimus itaque meritum miſericordiæ, nec inuenimus, quia nullum eſt ne gratia euacuetur, ſi non gratis datur, ſed meritis redditur. *Idem in libro de diuina prædeſtinatione.* Gratulare ergo quicumque illuminatus es, & gratiam quam non merebaris agnoſce. Geme quicumque induratus es, ac iuſtitiam confitere.

Idem de ciu. Dei libro 14. Siquidem donatus eſt primus homo ſibi, quia Deum deſeruit placendo ſibi, & non obediens Deo, non potuit obedire nec ſibi: veruntamẽ omnipotẽti Deo, ac ſummè bono naturarum omnium creatori, bonarum autem voluntatum adiutori, ac remuneratori, malarum vero relictori, & damnatori, vtrarumque ordinatori, non defuit vtique conſilium, quo certum numerum ciuium, etiam ex damnato genere humano ſuæ ciuitatis impleret in ſapientia ſua prædeſtinatum, non eos iam meritis, ſed gratia diſcernens, ac liberatis non ſolum de ipſis, ſed etiam de non liberatis, quid eis largiatur oſtendens, non enim debita, ſed gratuita bonitate tunc ſe quiſque agnoſcit erutum multis malis, cum ab illorum hominũ conſortio, cum quibus ſibi iuſta eſſet damnatio, ſit immunis. Cur ergo Deus quos peccaturos præſciuit non crearet? quandoquidem in eis, & ex eis, & quid eorum malitia mereretur, & quid ſua gratia donaretur oſtendere poſſet, nec ſub ipſo creatore, ac diſpoſitore peruerſa delinquentium ordinatio rectum ordinem rerum peruerteret. Proinde peccatores, & Angeli, & homines nihil agunt quo impediantur magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius, quia qui prouidenter, atque omnipotenter ſua cuique diſtribuit, non ſolum bonis, ſed etiam malis bene vti nouit. Duas vero prædictas ciuitates duo fecerunt amores, terrenam, ſcilicet amor ſui vſque ad contemptum Dei, Cœleſtem vero amor Dei vſque ad contemptum ſui. *Idem in libro* 21. Sicque diſpartitum eſt humanum genus, vt in quibuſdam demonſtretur quid valeat *miſericors gratia*. In cæteris autem quid *iuſta vindicta*, in qua propterea plures ſunt, quam in illa, vt ſic oſtendatur quid omnibus deberetur. Quod ſi omnibus redderetur in nullo iudicantis iuſtitia reprehenderetur.

Certus numerus prædeſtinorum.

Duæ ciuitates.

Gratia. Vindicta.

Quod circa iſta periculoſum eſt ſtudium humanæ diſcuſſionis.

CAPVT XCII.

Gloſſa vbi ſupra. Multi quidem de profundo iſto, videlicet iudiciorum Dei circa quorundam electionem, & aliorum reprobationem quærentes rationẽ reddere, merſi ſunt in profundum erroris, ac ſtultitię, dicentes animas in cęlo primitus conuerſatas, & ibi aliquid boni, vèl mali egiſſe, ac pro meritis ad terrena corpora fuiſſe detruſas. Quod vtique fides Catholica reſpuit propter euidentem Apoſtoli ſententiam qua de Iacob, & Eſau loquens ait: Cum nondum fuiſſent, aut aliquid boni, vel mali egiſſent: melior eſt ergo fidelis ignorantia, quam temeraria ſcientia. Certè cuius vult miſeretur gratuita miſericordia, & quem vult indurat veritate rectiſſima, miſeretur vtique ſecũdum gratiam, quæ gratis datur. Obdurat autem ſecundum iudicium, quod meritis redditur. Et ille quidem cui miſericordia impenditur, oportet vt etiam ipſe ex libero arbitrio Dei gratiæ cooperetur. *Tolsum tamen Deo tribuendum eſt, qui voluntatem hominis bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam, volentem præuenit vt vellet, volentem ſubſequitur, nec fruſtra velit*, hinc & Apoſtolus ait: *Non eſt volentis, nec currentis, ſed Dei miſerentis.* Cum autẽ hunc potius, quam illum miſericordia liberet, iſtum iuſtitia obduret, ſcrutetur, qui poteſt tam magnum iudiciorũ Dei profundum, ſed caueat præcipitium. *Auguſt ſuper Ioannem*: *Nemo*, inquit Dominus: *poteſt ad me venire niſi pater, qui me miſit, traxerit eum*: Ille ergo venit, quem gratia Dei præuenit. Qui cum propheta dicit: Miſericordia eius præueniat me, præueniat velle, ſubſequatur perficere, magna commendatio gratiæ, nemo venit, niſi tractus ſit. Quem vero trahat, & quem non trahat, cur iſtum trahat, & cur illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare, nondum traheris, ora vt traharis. *Idem contra Fauſtum libro* 1. Vides, inquit Apoſtolus, bonitatem Dei, & ſeueritatem in eos, qui ceciderunt ſeueritatem. In te autem bonitatem, videtis quemadmodum, nec auferat Deo iudiciariam poteſtatem, nec homini liberam voluntatem, occultũ eſt, altũ eſt, & ab humana cogitatione ſeeluſũ quomodo Deus, & iuſtificet pium, & damnet impium. Num ergo garrire delectat aduerſum diuina iudicia, quia ſunt inſcrutabilia, quanto conuenientius eſt modulo noſtro expaueſcere, vbi expauit Apoſtolus, & clamare: *o altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Idem in libro de bono perſeuerantiæ.* Neque vero ita prædicanda eſt prædeſtinatio populis, vt dicatur eis, ſiue curatis, ſiue dormiatis, quod vos forte præſciuit, qui falli non poteſt, hoc eritis, ſed dicendum eſt illis, ſic currite, vt & comprehendatis; atque hoc ipſo curſu veſtro ita vos præcognitos noueritis, vt legitimè curreretis.

Si nondum traheris ora vt traharis.

Quod ſub certo numero ruinam Angelorum ſupplet Deus ex hominibus prædeſtinatis.

CAPVT XCIII.

Idem in Enchiridio. Superna itaque Hieruſalem mater noſtra nulla ciuium ſuorum numeroſitate fraudabitur, quin etiam vberiori copia fortaſſe ditabitur. Non enim numerum nouimus, aut ſanctorum hominum, aut immũdorum dæmonum, in quorum locum ſuccedentes filij ſanctæ matris, quæ ſterilis apparebat in terris, & in illa pace, de qua ipſi ceciderũt in ęternũ permanebũt. Sed illorũ ciuiũ nũerus ſiue qui eſt, ſiue qui futurus eſt, in contẽplatione ipſius artificis exiſtit, qui vocat ea, quæ non ſunt, tãquã ea quæ ſũt, & omnia in mẽſura, & numero, & pondere diſponit: verũ hæc pars humani generis, cui Deus liberationem promittit nunquid operum ſuorum reparari poteſt meritis? abſit. Quid enim boni poteſt operari perditus, niſi quantum à perditione fuerit reparatus? nunquid libero arbitrio voluntatis? & hoc abſit. Nam libero arbitrio male vtens homo, & ſeipſum perdidit, ſicut enim qui ſe occidit, vtique viuendo occidit, ſed occidendo ſe non viuit, nec ſeipſum reſuſcitare poteſt cum occiderit, ita cum libero peccaretur arbitrio amiſſum eſt liberum arbitrium victore peccato. A quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Qualis autem quæſo potęſt eſſe ſerui addicti libertas, quando ipſum peccare delectat. Nam liberaliter ſeruit, qui domini ſui voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccatis ſeruus eſt, vnde ad iuſte faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus, iuſtitiæ ſeruus eſſe cęperit. Ipſa eſt vera libertas propter recte faciendi licentiam, & pia ſeruitus propter præcepti obedientiam, nec iſta libertas homini addicto, & vendito eſſe poterit, niſi ab illo qui dicit: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.*

Amiſſum liberum arbitrium per peccatum & quo ſenſu?

Idem in libro de correp. & gratia. Tene, inquit, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Porro ſi alius non eſt accepturus niſi iſte perdiderit, certus eſt electorum numerus, vt nec augeri, vel minui poſſit. *Petrus Lombardus.* Verum ad hæc verba Auguſtini ſic à quibuſdã obijci ſolet. Poſſet Deus opponere gratiam quibus non apponit, per quam ſcil. ſaluarentur, qui ſine illa damnabuntur; poſſet ſimiliter gratiam ſubtrahere, vel non apponere quibuſdam, quibus apponit eam, ſicque poſſet numerus electorum augeri, & minui. Quibus reſpondemus

Certus electorum numerus.

Obiectio.

Reſponſio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

demus ea ratione dictum eſſe,& verum eſſe numerum electorum Angelorum, vel minui non poſſe,quia non poteſt vtrumque ſimul eſſe, videlicet vt aliquis prædeſtinatus non ſit, & ſaluetur, vel vt aliquis prædeſtinatus ſit, & damnetur. Intelligentia namque conditionis implicite veritatem facit in ſermone. Si autem ſimpliciter intelligatur, falſum eſſe probatur. Nam & prædeſtinatus poteſt dãnari, & reprobus poteſt ſaluari.

Cur pro peccato primi hominis puniat totam maſſam humani generis.

CAPVT XCIV.

Iuſta condemnatio Ada.

Auguſtinus de ciui. Dei li.14. Primis ergo parentibus tam grande peccatum admiſſum eſt,vt in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in poſteros obligatione peccati,& mortis neceſſitate tranſmiſſa,viuebat quidem homo ſecundum Deum in paradiſo, & corporali propter bona corporis, & ſpirituali propter bona mentis. Quoniam ergo contemptus eſt Deus iubens,qui eũ ad imaginẽ ſuam creauerat,qui in Paradiſo conſtituerat,qui rerum omnium affluentiam,ſalutemq; præſtiterat,qui vno ſolo leuiſſimo,atq; breuiſſimo præcepto ad obedientiæ ſalubritatem amminiculatus fuerat,quo eam creaturam cui libera ſeruitus expediret,ſe eſſe dominum commonebat, iuſta damnatio ſubſecuta eſt:taliſque damnatio,vt homo, qui cuſtodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne ſpiritualis,fieret mente carnalis,& qui ſuperbia ſua ſibi placuerat, Dei iuſtitia ſibi donaretur, nec ſic vt in ſua eſſet omnimoda poteſtate, ſed à ſeipſo quoque diſſentiens,ſub illo cui peccando conſenſit pro libertate, quam concupiuit miſeram, & duram ageret ſeruitutem, mortuus ſpiritu dolens, & corpore moriturus, inuitus deſertor æternæ vitæ, & æterna niſi gratia liberaret, morte damnatus.

De grauitate peccati Ada.

Si quem ergo mouet, cur non alijs vitijs ita mutetur humana natura, ſicut illa duorum parentũ præuaricatione mutata eſt. Non ideo debet putare illud leue, ac paruũ fuiſſe cõmiſſum, quia in eſca factũ eſt,nõ quidem mala, nec noxia, niſi quia prohibita, neque enim quicquã mali Deus in loco tantæ fœlicitatis crearet,ſed obedientia cõmendata eſt in præcepto, quæ virtus in natura rationabili mater eſt omnium, cuſtoſque virtutum, quandoquidem ſic facta eſt, vt ei ſubeſſe ſit vtile, pernicioſum autem ſuam non eius à quo creata eſt facere voluntatem. Hoc itaque tam leue, & breue præceptũ, vbi nondum voluntati cupiditas reſiſtebat, tãto maiore iniuſtitia violatum eſt,quanto poſſet facilius cuſtodiri. In occulto autem mali eſſe cæperũt, vt in apertã inobedientiam laberentur. Manifeſto enim peccato diabolus hominem nõ cepiſſet, niſi iam ille ſibi placere cæpiſſet. Hinc enim & delectauit quod dictum eſt: *Eritis ſicut Dij*, quod melius eſſent, & eſſe poſſent, ſi Deo per obedientiam cohærerent : Dij enim creati, non ſua veritate, ſed Dei viri participatione ſunt Dij. Et audeo dicere ſuperbis eſſe vtile cadere in apertum peccatum, vnde ſibi diſpliceant,qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit quando fleuit,quã ſibi placuit,quando præſumpſit.*Vnde Pſalmus:Imple facies eorum ignominia,& quærent nomen tuum Domine, &c.* Et eſt aliquid humilitatis,miro modo, quod ſurſum faciat cor,& aliquid elationis, quod deorſum facit cor: hoc quidem contrarium videtur vt elatio ſit deorſum, & humilitas ſurſum: ſed pia humilitas facit ſubditum ſuperiori:nihil autem eſt ſuperius Deo, & ideo exaltat humilitas,quia hacit ſubditum Deo.Elatio autem eſt in vitio,eoipſo,quod reſpuit ſubiectionem, & cadit ab illo,quo non eſt quicquam ſuperius, & ex hoc erit inferius,ſitque quod ſcriptũ eſt: *Deieciſti eos dũ alleuarentur.*

Æternitas pœnæ non eſt iniuſta.

*Idem in lib.*21.Iccirca autem pœna æterna dura videtur,& iniuſta ſenſibus humanis, quia in hac infirmitate moribundorum ſenſuum deeſt ille ſenſus altiſſimæ, ac puriſſimæ ſapientiæ,quo ſentiri poſſit quantum nefas in prima præuaricatione commiſſum eſt: quanto magis enim homo Deo fruebatur, tanto maiore impietate Deum reliquit, & factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe peremit bonum quod eſſe poſſet in æternum. Hinc eſt vniuerſa generis humani maſſa damnata,vt ab hoc iuſto ſupplicio nullus liberetur,niſi miſericordia,& indebita gratia,atque ita diſpertiatur genus humanum, vt dictum eſt ſupra.

Qualiter eius culpa cum pœna mortalitatis ad omnes tranſmittitur.

CAPVT XCV.

Peccatum Ada tranſiit in poſteros.

*Idem in libr.*13.Fatendum eſt itaque primos quidem homines, ita fuiſſe inſtitutos, vt ſi non peccaſſent nullum mortis genus experirentur, ſed eoſdem peccatores ita fuiſſe mulctatos, vt etiam quicquid ex eorum ſtirpe eſſet exortum,eadem pœna teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis,quam quod ipſi fuerant naſceretur:pro magnitudine quippe illius culpæ naturam damnatio mutauit in pœnis, vt quod pœnaliter præceſſit in hominibus primis, ſequeretur in naſcentibus cæteris. Neque enim ita homo ex homine, ſicut homo ex puluere. Puluis namque homini faciendo materia fuit, homo autem homini gignendo parens. Proinde quod eſt terra,non hoc eſt caro, quamuis ex terra facta ſit caro. Quod eſt autem parens homo, hæc eſt & proles homo. In primo ergo homine per fœminam in progenie tranſiturum vniuerſum genus humanum fuit, quando illa coniugum copula diuinam ſententiam ſuæ damnationis excepit,& quod homo factus eſt, non cum crearetur, ſed cum peccaret, & puniretur: hoc genuit quantum quidẽ attinet ad peccati, & mortis originem.

Omnis mors inflicta Ada pro peccato.

Cum autem quæritur, quam mortem Deus primo homini fuerit comminatus ſi mandata, vel mandatum tranſgrederetur, ſcilicet animæ, an corporis, an totius hominis, an illam, quæ dicitur ſecunda, dicendum eſt, quod omnes. Nam etſi in eo,quod ait:*Morte morieris*, intelligamus eam ſolam, quæ fit cum anima deſeritur ſua vita, quæ illi Deus eſt, profecto in illa morte etiam cæteræ duę denunciatæ ſunt, quæ proculdubio fuerant ſecuturæ. Nam in eo, quod inobediens motus in carne animę inobedientis exortus eſt,propter quem pudenda texerunt, ſenſa eſt mors vna in qua deſeruit animam Deus. Illaque ſignificata eſt verbis eius, quando timore dementi ſeſe abſcondenti homini dixit, Adam vbi es? non vtique ignorando quærens,ſed increpando admonens,vt attenderet vbi eſſet,in quo nõ eſſet Deus. Cum vero corpus ipſa anima deſeruit ætate corruptum, & ſenectute confectum, venit in experimentum mors altera,de qua Deus peccatum adhuc puniens,homini dixit:*Terra es, & in terram ibis*:vt his duabus mors illa prima, quæ totius hominis eſt compleretur, quam ſecunda in vltimo ſequitur,niſi homo per gratiam liberetur.

In peccato Ada plura peccata.

Idem in Enchiridio. Illorum etiam primorum hominũ peccatis conſtat poſteros obligari Nam ideo quiſq; renaſcitur, vt ſoluatur in eo quicquid peccati eſt cum quo naſcitur, ac per hoc non eſt inſtituta regeneratio, niſi quia vitioſa eſt generatio,adeo vt etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat, in iniquitatibus conceptus ſum,& in peccatis concepit me mater meo. Neque dixit iniquitate,vel peccato: ſed iniquitates, & peccata dici maluit,quia & in illo vno,quod in omnes pertrãſiit, reperiuntur plura peccata ſcilicet ſuperbia qua homo ſuã potius,quã Dei poteſtatẽ dilexit,ſacrilegiũ quia Deo non credidit, homicidium, quia in mortem ſe præcipitauit, *fornicatio ſpiritalis*, quia integritas humanæ mẽtis ſerpẽtina ſuaſione corrupta eſt,furtũ,quia cibus prohibitus vſurpatus eſt, auaritia, quia pluſquam debuit appetiuit.

Qualiter illud peccatum à parentibus in filios tranſfunditur.

CAPVT XCVI.

Gloſſa ſuper epiſtolam ad Romanos tertio. Illud autem peccatum in poſteris originale dicitur, quoniam

ex originis noſtræ vitioſa cõditione trahitur. Non enim quia deſcendimus ab Adam per carnis propaginem, ideo peccato tenemur, cùm & Chriſtus ab eo deſcenderit, qui omni peccato caruit, ſed quia vitioſa lege cõcipiendi ex peccato primi hominis id eſt concupiſcẽtia carnis accedente concepti ſumus, ideo peccati, quod originale dicitur rei ſumus. *Auctor.* His etiam verbis videtur ſonare Aug. dicens, quod peccatum in paruulos non tranſmittit propaginatio, ſed libido.

Obiect. *Verum hic obiici poteſt*, quod aliquis ex maiori libidine gignitur, quam alius: ideoque ſecundum hoc videtur contrahere peccatum maius. Præterea dicunt quidam, quod peccatum illud non contrahitur ex libidine, ſed ex corruptione, quæ eſt in carne, nec ideo Chriſtus originali caruit, quia non per libidinem fuit conceptus, ſed quia ſanguis de quo corpus formatũ eſt depuratus fuit à ſuſceptione vitij per operationem ſancti Spiritus quæ dicitur corruptio actiua, quia cauſa eſt originalis peccati, remanſit tamen in eo corruptio paſſiua id eſt paſſibilitatis à fame, & ſiti, & huiuſmodi: hæc etenim corruptio duplex in carne noſtra ab Adam contracta. *Reſp.* Quod ergo dicit Aug. ita intelligendum eſt non propago, ſed libido id eſt cauſa libidinis originale peccatum in paruulos tranſmittit. *Fomes.* Et fomes quidem, ſiue pronitas quãtum eſt de ſe æqualis eſt in omnibus, qui naſcuntur, ſed tamen vnus eſt alio pronior ad peccandum propter aliquod annexum, vt propter complexionẽ, vel aliquid huiuſmodi.

Obiect. *Sed fortaſsis adhuc obiiciet aliquis*, quod in baptiſmo remittitur carnis corruptio, ideo minor eſt in baptizato. Si ergo carnis corrupio eſt præciſa cauſa originalis peccati, videtur quod ſi decidatur aliqua portio carnis ab vtroque, & infundatur anima vtrique maius peccatum hæc, quã illa cõtrahit. Sicque filius non baptizati maius peccatũ cõtrahit, quã baptizati. *Reſp.* Nos autẽ dicimus, quod actiua corruptio, quę eſt in carne pueri, licet remittatur, ſiue diminuatur in baptiſmo quo ad fœditatem, & intenſionem, ſecundum quam dominabatur in carne, tamen quo ad eſſentiam manet eadem, quæ prius, & ex ea contrahitur originale à puero ex eo nato, etiam ſi nulla ſit libido in conceptu, nec minus contrahitur originale à filio baptizati, quam à filio non baptizati. Hæc autem corruptio à tribus eſt ſcilicet à peccato Adæ tanquam corrupto, & merito, & à Deo tanquam infligente, & puniente, & à carne tanquam corruptibili, & punibili, nec dicitur in conceptu pueri originale tranſmitti, quia in carne traducta ſit ipſum peccatum cum eidẽ carni donec formatum ſit puerperium anima non infundatur, ſed quia in ipſa eſt cauſa peccati id eſt corruptio ex qua fit peccatum in anima cum infunditur. *Aug. de baptiſmo paruulorum contra Maximinum lib.* 3. Si quos ergo aduerſos, vel obtuſos, & contentioſos mouet quomodo peccatum, quod mundatur per baptiſmum maneat in eis quos genuerunt circunciſi, quomodo etiam palea, quæ opere humano tanta diligentia ſeparatur, manet in fructu, qui de purgato tritico naſcitur. *Idem contra Iulianum.* At vero Iulianus dicit, non peccat iſte, qui naſcitur, non ille qui genuit, non ille qui condidit, per quas ergo rimas inter tot præſidia innocentię peccatum fingis ingreſſum: verum quid quærit latentem rimam cum habeat apertiſſimam ianuam, per vnum hominem, ait Apoſtolus, per vnius delictum, per inobedientiam vnius hominis. Quid quęrit apertius, quid inculcatius.

Actiua corruptio in carne cauſa peccati originalis.

Qualiter anima paruuli culpam à carne contrahere permittitur.

CAPVT XCVII.

VOluit enim Deus propter peccatum Adæ conſtitutionem ſuã mutare, qua videlicet conſtituit, vt homo naturaliter generetur ex homine. Ideoq; licet vaſa corrupta ſcilicet corpora ſeminata in vteris matrũ inueniat: nõ tamen ab infundendis animabus congruo tempore ceſſat. Si autem obijcitur, quod hæc vaſa mundare poſſet antequam infunderet animas, dico quod poſſet quidem ſi vellet, ſed non vult propter hoc mutare conſtitutiones naturæ.

Accedit ad hoc præterea triplex cauſa. Prima quidem eſt, vt homo, qui cecidit per ſuperbiam humilietur ſemper habens ſecum cauſam humilitatis id eſt fragilitatem ſuam, iuxta illud propheticum: *Humiliatio tua in medio tui. Secunda* eſt, vt dum in corpore fragili, & corrupto bene pugnat, maius meritum acquirat. *Tertia vero*, vt anima corpus ipſum tam miſerum, & corruptum bene illo vtendo ſecum ad gloriam traheret. Vnde de his vltimis duabus dicit Gregor. Anima colligata eſt ſocio deteriori duabus ex cauſis. Vna eſt, vt virtutis præmia non ſolum ex dono Dei ſperaret, ſed etiam per laborem acquireret. Alia vero vt hanc deteriorem naturam corporis ſecum traheret, & quod Deus eſt animæ, ipſa corpori fieret. *Triplex cauſa cur Deus in infuſione anima non mũdat carnem corruptam.*

Eſt autẽ originale, & in anima, & in carne, *ſed in carne originaliter, ſiue cauſaliter*; iuxta illud Apoſtoli: Scio quod non habitat in me id eſt in carne mea bonum, hoc eſt, habitat in ea malum ſcilicet fomes, qui dicitur etiam lex membrorum. In anima vero eſt formaliter ſcilicet tanquam in ſubſtantia, quia ſola ſuſceptibilis eſt virtutis, & vitij rationalis anima. *Quomodo Originalis culpa eſt in carne.*

Obiect. reſp. *Si ergo aliquis obiiciat*, quod caro non eſt corrupta, niſi corruptione pœnæ, Ideoque nec in anima corruptionẽ culpę poteſt introducere, dicimus, quod non ſequitur: quod enim in carne tantummodo eſt pœna, in anima dicitur & culpa, & pęna. Et huius ratio eſt, quoniam iſta corruptio carnis & animæ ſcilicet culpa Adæ cauſata eſt, vnde cum effectus eius venit in ſubiectũ ſibi ſimile ſcilicet in animã pueri dicitur ſimiliter culpa. In diſſimili autem id eſt in carne, dicitur tantummodo pœna. Si ergo quæritur, an Deus creauerit animam huius pueri mundam, an immundam, dicitur quod mundam licet tamen nunquã fuerit munda. Et ponitur exemplum de pomo, quod aliquis alij mundum tradit, & ille pollutis manibus ſuſcipit: licet enim iſte dederit iſti pomũ mundum, tamen ille nunquam habuit, niſi immundũ, quoniam ipſo momento quo accipit, immunditiã cõtrahit: At hoc ſimile non eſt omnino conueniens, quia pomũ aliquãdo fuit mundũ, anima vero nunquã: ideo dicimus, quod falſa eſt iſta propoſitio propriè loquendo. Deus creauit hanc animam mundam, poteſt tamen impropriè concedi ſub hoc ſenſu. Deus creauit hanc animam, quę nullam ex creatione habuit immunditiam. Poteſt etiam dici, quod duplex eſt ſenſus quia ſi hoc verbum creauit tranſeat ſuper vtrumque iſtorum accuſatiuorũ *animam mundam* falſa eſt. Nunquam enim creata fuit munda. Si vero tantum ſuper hunc accuſatiuum animã, vera eſt, ſub hoc ſenſu: Deus creauit hanc animam, quæ munda eſt. Si enim obijcitur, quod Deus animas innocentes infundẽdo corporibus corruptis inſipienter agere videtur. Reſpondetur quod recta videtur obiectio. Si Deus animam extra corpus primum crearet, & poſtmodum illam corpori corrupto infunderet, ſic autem non eſt, immo creatur intra corpus anima dum infunditur, vnde nunquam eſt niſi corpori coniuncta, & ita namque eſt innocens, vel munda. *An anima creata ſit munda?*

Qualiter aliena culpa ei a Deo imputatur.

CAPVT XCVIII.

Auguſtinus contra Iulianum. At vero quia peccatum eſt ex voluntate, quærit forſitan Iulianus vtrum & originale. Reſpondeo prorſus & originale, nam & hoc ex voluntate ſeminatum eſt, vt & in illo eſſet, & in omnes tranſiret. *Auctor.* Sic patet reſponſio ſi obiiciatur illud aliud aug. verbum. Omne peccatum adeo eſt voluntarium, quod ſi non eſt voluntarium non eſt peccatum: hæc tamen Apoſtoli locutio omnes in Adam peccauerunt eſt impropria, & ideo ſic exponenda. Omnes contraxerunt ex Adam cauſam, ſiue originẽ peccati ſcilicet fomitem, ſiue corruptionẽ, *Obiect. Reſp.*

quæ

quæ erat in carne eius, ex qua eſt omnis caro humana: ſatisfactio autem Adæ non fuit ab Adam, ſed à Deo, nec etiam per ſatisfactionem fuit, mundata caro Adæ, ſed anima tantum quo ad maculam quia ergo carnem ab Adam trahimus, & non animam patet, quod cauſam peccati ab eo contrahimus, & non cauſam ſatisfactionis, quæ à ſolo Deo eſt: ideo licet dicatur, quod in eo peccauimus: non tamen poteſt dici, quod in eo ſatisfecimus. Dicitur autem originalis culpa, inquantum eſt in anima pueri, non tamen dicitur culpa propriè ipſius animæ in qua eſt, ſed animæ à qua eſt ſcilicet animæ Adæ.

Originale contrahitur naturaliter. Si autem quæritur, an contrahat illud violenter, aut voluntariè, aut naturaliter, dicimus, quod naturaliter, & hoc à natura corrupta iuſto Dei iudicio, licet occulto præcedente. Cumque pro naturalibus non vituperemur, ſecundum philoſophum, anima in qua eſt originale non dicitur propriè vituperabilis propter ipſum, ſed illa à qua eſt ſcilicet anima Adæ, quam ab illa nõ naturaliter ortum eſt illud peccatum, ſed voluntariè.

Obiect. At vero cum intellectus, vel ratio impermixta ſit carni, nam anima tantũmodo ſecundũ vires inferiores colligata eſt illi: videtur, quod non contrahat corruptionẽ aliquam ex carnis corruptione, & ideo non peccatũ originale, nec eius eſſe, nec operatio dependet à carne. *Reſp.* *Nos autem dicimus*, quod nõ contrahit corruptionem à carne ratione permixtionis, contrahit tamen ratione concomitantiæ, quã habet cum ſenſu vel imaginatione cæteriſque viribus inferioribus, quibus anima carni colligata eſt. Denique anima naturali appetitu corpori conũgitur, & ex ipſo corpore, quod inuenit corruptum corrũpitur, vel inficitur, ideoque ſecundũ exigentiam naturæ iuſtum eſt vt maculetur, Appetitus ergo naturalis quo vniri appetit corpori, dicitur iuſtitia, qua tenetur rea peccato originali. Sicut autem in actuali peccato ſunt duo ſcilicet actio, & deformitas, & quo ad actionẽ eſt à Deo, quo ad deformitatẽ vero non ſic, & in originali ſũt duo ſcilicet actio, & deformitas, & quo ad actionẽ eſt à Deo, quo ad deformitatẽ vero non ſic, & in originali ſunt duo ſcilicet *pronitas peccandi, quæ eſt pœna*, & macula ſecundum quã pronitas eſt culpa. Inquantũ ergo pœna eſt à Deo, inquantum culpa non. Notandum quoque, quod peccatũ originale, & in Adam fuit, & in nobis, ſed diuerſimodè In Adam quippe fuit duplex peccatum. Primum actuale ſcilicet inobedientia. Secundum originale, quod in ipſo ortum eſt ab ipſa inobedientia ſcilicet corruptio carnis, & animę cum obligatione pœnæ æternæ, id eſt carentię viſionis Dei. Non tamen in ipſo fuit originale, quia non fuit natus cum eo ſicut nos, qui omnes naſcimur filij iræ, & ideo in nobis dicitur originale, quia ex vitioſa lege originis contractum eſt. Poteſt tamen dici vno modo in ipſo fuiſſe originale, quia in ipſo fuit fomes peccati ortus, ſiue traductus ex peccato eius actuali, ſed aliter in nobis, ſcilicet ex carnis origine.

Pronitas peccandi eſt pœna, & eſt ratione maculæ culpa.

De paruulis abſque baptiſmo decedentibus, quid ſentiendum ſit.

CAPVT XCIX.

Auguſtinus ſuper Gen. li. 10 Itaque quæritur à quibuſdam quid infantis anima meruit, vnde illi non percepto baptiſmo exire de corpore pernicioſum ſit, ſi nec proprium aliquod peccatum commiſit, nec ex illa traducta eſt, quæ in Adam peccauit. Non enim de pueris grandiuſculis, ſed de infantibus agimus, nõ quia plerumque naſcuntur de adulterio, quia nequaquam naturę bona culpanda ſunt in prauis moribus, aut non debuerunt frumenta germinare, quod ea ſeuerit furantis manus. Adhuc autem reſpondetur, animas quidem corporibus hominum Deum nouas ſigillatim dare ad hoc, vt in carne peccati de originali peccato veniente rectè viuendo, carnaleſque concupiſcentias ſub Dei gratia ſubigendo, meritum comparent, quo cum ipſo corpore in melius transferantur tempore reſurrectionis, & in Chriſto in æternum cum Angelis viuant, ſed neceſſe eſt cum membris mortalibus, maximeque de peccati carne propagatis miro modo coaptentur, vt ea primo viuificare, poſt etiam ætatis acceſſum regere poſſint, tanquam obliuione prægrauarentur, quæ ſi eſſet quodammodo indigeſtibilis creatori tribueretur. Cum vero paulatim ab huius obliuionis torpore anima reſipiſcẽs poſſit conuerti ad Deum ſuũ, eiuſque miſericordiam, & veritatem: primo ipſa pietate conuerſionis, deinde ſeruandi præcepti eius perſeuerantia promereri, quid ei obeſt iſto velut ſomno paulatim emergi, vnde paulatim euigilans in lucem intelligentiæ, propter quam anima rationalis facta eſt: poteſt per voluntatẽ bonam eligere bonam vitam, quod quidem non poterit, niſi adiuuãte Dei gratia per mediatorem, hoc ſi homo neglexerit, nõ tantum ſecundum carnem, ſed etiam ſecundum ſpiritũ Adam remanebit: ſi vero curauerit ſecundum ſpiritum rectè viuens, erit & illud quod de Adam culpabile tractum eſt mundatum à labe peccati, & recipere merebitur illam communicationem, quam reſurrectio ſanctis pollicetur.

Idem in lib. de baptiſmo paruulorum. Poteſt autem recte dici paruulos ſine baptiſmo de corpore exeuntes, in damnationẽ omniũ mitiſſimam futuros, *Idem contra iulianum li.* 5. Ego itaque nõ dico paruulos ſine beptiſmo morientes tanta pœna eſſe cõplexendos, vt eis melius eſſet non naſci, cum hæc dominus de peccatore ſceleratiſſimo dixerit. Quæ autẽ, & qualis, & quanta erit quãuis diffinire no poſſumus, non tamẽ audeo dicere, quod eis vt nulli eſſent, quã vt ibi eſſent potius expediret. *Idem in Enchiridio.* Mitiſſima ſanè omniũ erit pœna eorũ, qui præter peccatũ originale quod contraxerunt, nullũ inſuper addiderunt. *Comeſtor.* Itaque pœna ſodomitarum ſubuertit etiã paruulos pro peccatis parentũ, in quo prouiſum eſt illis, ne diu viuentes ſequerẽtur exẽpla patrũ, & eſt aliquod bonũ, reũ non eſſe qui glorioſus non eſt. Prodeſt enim pauperẽ non eſſe, qui rex eſſe non poteſt. *Auctor.* Quod dicit Aug. mitiſſimã eſſe pœnã paruulorum, intelligendũ eſt quo ad ſenſum, non quo ad damnũ. Dicit. enim gloſſa ſuper illud Deuteronomij, *abſcõdam faciem meã ab eis, quod nihil eſt grauius, quã carere viſione Dei.* Eſt itaque mitiſſima quo ad ſenſũ ideſt nulla: ſecundũ quod dicitur minimus vocabitur in regno cælorũ, ideſt nullus. Grauiſſima autem eſt quo ad damnũ, vel grauiſſima, quia generaliſſima. Erit enim cõmunis omnibus damnatis. Vnde notandũ, quod ſi fiat cõparatio pœnæ ad pœnã pręciſe, ſimpliciter maior eſt in dãno pœna debita originali, quã pœna debita maximè actuali. Potius enim eligeret homo bene diſpoſitus videre Deum, & cruciari pœna debita homicidio, quã priuari viſione Dei alijs pœnis ceſſantibus. Sed ſi fiat cõparatio inter dãnatos, minor eſt pœna damnatorũ paruulorum, quia illi puniuntur ſola carentia viſionis Dei. Alij autem eadã pœna, & inſuper alia, ſcilicet pœna debita, peccato actuali.

Damnatio mitiſſima paruulorum ſine baptiſmo decedentium.

Pœna damni grauiſſima.

De remedijs, quæ contra peccatum originale Deus inſtituit.

CAPVT C.

Gregorius in moral. li. 4 Quod autem apud nos valet a qua baptiſmi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificii, vel pro his qui de Abrahæ ſtirpe prodierunt myſterium circumciſionis. *Beda in homil. euang.* Idem enim ſalutiferæ curationis auxilium circumciſio in lege contra originalis peccati vulnus præbebat, quod baptiſmus agere reuelatæ gratiæ tempore conſueuit, excepto quod regni cœleſtis ianuam, necdum intrare poterant, ſed tantum in ſinu Abrahæ poſt mortem beata requie conſolati, ſuperno pacis ingreſſum ſpe fœlici expectabant. *Petrus Lombar.* Propter hoc ergo præcepta fuit circũciſio, quia non poſſet melius ſignari, quam per ipſam tolli originale peccatum. Nam omnis homo naſcitur

Sola fides.

Circumciſio.

Comparatio meriti ex carne peccatis ſubdita.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cum prępucio,quemadmodum & cum originali peccato,& circumciſus præpuciatum gignit, traijciens in illum quo ipſe iã caruit,ſic baptizatus in filium, quem ſecundum carnem generat,reatũ traijcit originis,à quo ipſe iam liber erit. In carne ergo præpucij,ideo iuſſa eſt fieri,quia inſtituta eſt in remedium peccati, quod à parentibus contrahimus in concupiſcentia,quę in illa parte magis dominatur concepti. Et etiam quia in illo mẽbro culpam inobedientiæ primus homo cognouit,vt in eodem obedientiæ ſignum acciperet decuit: verum ſi circunciſio ſuo tempore conferebat remiſſionem peccatorum,cur ergo mutata eſt per baptiſmum, quia videlicet perfectius eſt baptiſmi ſacramentum, quoniam & magis commune, magiſque gratiæ plenum. Nam in circunciſione peccata tantum dimittebantur,ſed nec ad bene operandũ gratia per eam præſtabatur,nec virtutes dabantur,vel augebantur. In baptiſmo autẽ omnia peccata dimittuntur,& gratia cooperandi confertur,& virtutes augentur. *Auguſt. ſuper Geneſim li.* 10. Antequam ergo paruulus per ętatẽ poſſit ſecundũ ſpiritum viuere, neceſſarium habet mediatoris ſacramentum, vt quod nondum per eius fidem poteſt,per eorũ, qui eum diligunt fiat. Eius enim ſacramento tollitur etiã in ætate infantili originalis peccati pęna,à quo niſi adiutus etiã iuuenis carnalem concupiſcentiam non domabit, nec ea ſubiugata æternæ vitæ meritum apprehendet. Ideo viuus oportet etiam infans baptizetur,ne obſit animæ ſocietas carnis peccati qua participata ſit, vt nihil poſſit anima infantis ſecundum ſpiritum ſapere. Ipſa quippe affectio grauat etiam corpore exutam, niſi cum in corpore eſt per vnicum ſacrificium veri ſacerdotis expietur.

Diſcrimen baptiſmi & circumciſionis.

Quid ergo aliquis ait, ſi hoc non curauerint ſui vel infidelitate vel negligentia? Reſpondetur hoc diuinitus auxilium procurari illi animæ quam Deus præſcijt pie victuram ſi viueret hic vſque ad annos congruos fidei, quam propter aliquid quod ipſe nouit,& naſci voluit in corpore, & cito extraxit de corpore. *Idem ad Hyero. de verbo Iacobi.* Cumque quidam ruiſſet in puteum, vbi aqua tanta erat, vt eum magis exciperet ne moreretur quam ſuffocaret ne loqueretur. Acceſſit alius, eoque viſo admirans ait. Quomodo huc cecidiſti? Obſecro, inquit cogita quomodo me hinc liberes, non quomodo huc ceciderim quæras: ita quoniam fatemur,& fide catholica tenemus de reatu peccati tanquam de puteo etiam paruuli infantis animam,Chriſti gratia liberandã, ſatis eſt quod modum quo ſalua fiat nouimus, etiam ſi nunquam quomodo in malum illud venerit, nouerimus. *Idem contra Iulianum libro* 5. Itaque magis curandum eſt ſiue in Paruulis ſiue in grandibus, quo anima ſanetur auxilio, quã quo viciata ſit merito. Quod enim de ea latet aut exercitio diſcitur,aut in hac vita ſine ſalutis labe neſcitur. *Idem in libro* 6. Vide autem quam importune nolis paruulum de alieno peccato reportare malum, & velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecunque ſed Dei regnum. Alienum quippe eſt opus cum credit per alterum ſicut alienum opus fuit, cum in altero peccauit. Si autem propterea vis paruulos à primi hominis alienos eſſe peccato, quia eum non ſunt imitati propria voluntate, hac ratione etiam alienabis eos à iuſtitia Chriſti, quia nec eum imitati ſunt propria voluntate.

Quid cenſendum de ijs qui negligentia suo tum nõ baptizantur.

Quod etiam originales pœnas in bonum conuertit.

CAPVT CI.

Cauẽ intelligenda hæc quæ Magiſter habet ex Auguſtino.

PEtrus Lombar. Concupiſcentia ſiquidem ſiue concupiſcibilitas,qui dicitur peccati fomes, ante baptiſmum eſt culpa & non pœna. Poſt baptiſmum vero pœna eſt,non culpa, quæ paruulum habilem facit etiam concupiſcere,ſed non facit concupiſcere,adultum vero facit etiam concupiſcere, *dimittitur ergo in baptiſmo nõ vt non ſit, ſed vt non imputetur ad peccatum.* Hoc eſt enim non habere peccatum,nõ eſſe peccati reum: quomodo enim alia peccata prętereunt actu,& remanent reatu,vt homicidia,& ſimilia, Sic econtrario fieri poteſt, *vt fomes ille prætereat reatu & maneat actu.* Manet enim in corpore mortis huius carnalis concupiſcentia, ſicut dicit Auguſt. cuius vitioſis deſiderijs non obedire præcipimur, quæ tamen concupiſcentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus. *Auctor.* Secundum itaque quod originale duobus modis in baptiſmo dimittitur ſcilicet quantum ad reatum qui omnino deletur,& quantum ad fomitem ſiue concupiſcentiam,quæ debilitatur,& extenuatur,vt iam non regnet in corpore ſicut prius,non tamen omnino aufertur, vt habeat homo meritum eius motibus repugnando, qui nunquam ſunt peccata, niſi rationem attingant aliquo modo.

Et dicunt quidam quod ſicut à reatu anima purificatur, ſic & caro ab illa fæditate pœnali, ſiue pollutione quam in conceptione contraxit ex libidinoſa concupiſcentia purgatur,vt ſicut duobus completur myſterium baptiſmi,ſcilicet aqua & ſpiritu, ſic etiam ibi duo purgentur anima ſcilicet à reatu,& caro ab illa contagione. Alia vero pœna originalis quę eſt paſſibilitas carnis,cõſtat,quod in baptiſmo nõ dimittitur, cuius ratio duplex ab Aug. aſſignatur, vna videlicet ne fidei meritum in baptizatis euacuaret. Alia vero, vt bonus eiuſdem vſus martyres glorioſos efficeret. *Auguſt de ciuitate Dei li.*13. A vinculo ergo originali ſi ſoluantur infantes per gratiam mediatoris, hanc ſolam mortem quæ animam ſeiungit à corpore perpeti poſſunt, in illam vero ſecundam ſine fine pęnalem non tranſeunt.

Cur paſſibilitas carnis in renatis manet.

Si quem mouet cur vel ipſam mortem patiantur,quę eſt pœna peccati, quorum per gratiam reatus aboletur. Dicimus ad hoc relinqui animæ experimentum ſeparationi à corpore,quamuis ablato criminis nexu, quia ſi regenerationis ſacrum continuo ſequeretur immortalitas corporis,ipſa fides euacueretur,quæ tunc eſt fides, quando expectatur in ſpe quod nondum in re tenetur. Fidei autem robore ac certamine in maioribus dumtaxat ætatibus,etiã mortis fuerat ſuperandus timor, quod in ſanctis martyribus emicuit, cuius profecto certaminis eſſet nulla victoria,nulla gloria,quia nec ipſum omnino poſſit eſſe certamen,ſi poſt lauacrum regenerationis iam ſancti nõ poſſent mortem perpeti corporalem. Cum paruulis autem baptizandis quis non ad Chriſti baptiſmum propterea potius curreret,ne à corpore ſolueretur, atque non inuiſibili præmio probaretur fides, ſed nec iam fides eſſet confeſtim ſui operis ſumendo,& quærendo mercedem. Nunc vero maiore & mirabiliore gratia ſaluatoris in vſus iuſtitiæ,peccati pœna conuerſa eſt. Tunc enim dictum eſt homini,morieris ſi peccaueris,nunc dicitur martyri, morere nec pecces. Quod tunc timendum fuerat vt non moreretur, nunc ſuſcipiendum eſt ne peccetur, ſic per ineffabilem Dei miſericordiam & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis & fit iuſti meritum, etiam ſupplicium peccatoris: tunc enim mors eſt acquiſita peccando, nunc impletur pro iuſtitia moriendo. Ita eſt cum ex primis hominibus perpetua propagine fit mors pœna naſcentis, tamen ſi pro iuſtitia pietateque pendatur fit gloria renaſcentis. Et cũ ſit mors peccati retributio,aliqua impetrat, vt nil retribuatur peccato. Nam quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Chriſti confeſſione moriũtur,tunc eis tantum valet ad dimittenda peccata,quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis. Qui enim dicit. *Si quis non renatus fuerit ex aqua & ſpiritu,non intrabit in regnum cælorum.* Alio loco iſtos fecit exceptos vbi non minus generaliter ait, *Qui perdiderit animam ſuam propter me,inuenet eam.* Hinc etiam ſcriptum eſt: *Pretioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius.*

Martyrium aque valet ac baptiſmus.

Cur Deus bonis & malis communicat bona & mala præſentia.

CAPVT CII.

*Idem in li.*1. Placuit autem diuinæ prouidẽtiæ præparare in poſterum bona iuſtis,quibus non fruerentur iniuſti,

iniuſti,& mala impijs,quibus non excruciabuntur iuſti. Iſta vero temporalia bona & mala vtriſque voluit eſſe communia,vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur,nec mala turpiter euitentur quibus & boni plerumque afficiuntur. Oſtendit autem ſæpe Deus etiam in his diſtribuendis operationem ſuã euidentius. Nam ſi nunc omne peccatum manifeſta pœna plecteret,nil vltimo iudicio reſeruari putaretur. Rurſum,ſi nullum peccatum puniret, nulla eſſe diuina prouidentia crederetur : ſimiliter in rebus ſecundis ſi non eas Deus quibuſdam petentibus euidentiſſima largitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus. Itemque ſi omnibus ea petentibus daret,non niſi propter talia præmia ſeruiendum illi eſſe arbitraremur, nec nos faceret talis ſeruitus pios, ſed potius cupidos: ſicut autem ſub vno igne aurum rutilat, palea fumat,& ſub eadem ſtipula paleæ comminuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere premitur,ita vna eademque vis tribulationis irruens bonos reprobat, purificat, eliquat, malos damnat, vaſtat, examinat : vnde in eadem afflictione mali Deum deteſtantur & blaſphemant, boni vero Deum precantur & laudant.

Cur Deus punit hic aliqua peccata & non omnia.

Reſpiciendũ in patiente non qualia ſed qualis patiatur.

Tantum interẽſt, non qualia ſed qualis quiſque patiatur. Nam pari motu exagitatur & exhalat horribiliter ſebũ, & ſuauiter fragrat vnguentum. Item excepto quod quilibet quantumlibet laudabiliter viuens in quibuſdam carnali concupiſcentiæ cedit, quis facile reperitur qui eos propter quorum execrabiles iniquitates Deus terras conterit,ſic habeat, vt habendi ſunt,ſic cum eis viuat,vt cum talibus eſt viuendum. Plerumque enim ab eis docendis,admonendis,obiurgandis,corripiẽdis,male diſſimulatur, vel cum laboris piget, vel cum os eorũ coram offendere verecundamur,vel cum eorum inimicitias deuitamus, ne impediant & noceant in iſtis temporalibus rebus,ſiue quas adhuc appetit noſtra cupiditas, ſiue quas amittere formidat infirmitas. Iure ergo vitam iſtam quando diuinitus affliguntur cum eis amaram ſentimus, cuius amando dulcedinem peccantibus eis amari eſſe nolumus. Deinde etiam habent cauſam boni quare temporalibus affliguntur malis, qualem beatus Iob habuit,vt videlicet animus humanus ipſe ſibi quantum gratis Deum diligat probatus ſit.

Adhuc de eadem materia.

CAPVT CIII.

Hvgo de arra anima. Non ergo ô anima ſancta conturbare te debet, quod in vſu temporalium rerum eadem bonis,& malis participatio eſt, nec ideo ſimiliter illos à Deo amari exiſtimes,quia tecum his omnibus ſimiliter communicare vides. Nam ſicut beſtiæ non propter ſe,ſed propter hominẽ creatæ ſunt, ita homines mali non propter ſe ſed propter bonos viuunt,vt ſocietas illorum vitam exerceat bonorum, quos & felicitate ſua potiora his & quæ mali communicare non poſſunt admonent bona quærere, & iniquitate ſua cogunt arctius virtutem amare,poſtremo vt dum illos diuina gratia deſtitutos viderent per quælibet abrupta vitiorum ruere, diſcant quantas pro ſalute ſua debeant creatori gratias referre. Similiter ergo bonis & malis iſta concedi debuerunt, quoniam aliter boni bona ſibi potiora ſeruari non crederent, niſi videlicet iſta bonis quam malis eſſe communia cernerent.

Omnia bona dantur propter paucos ſanctos.

Iohannes Chryſoſt. ſuper Mathæum li. 1. Solem inquit ſuũ facit oriri ſuper bonos,& malos,& pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Omnia quidem bona Deus non propter omnes homines dat ſuper terram, ſed propter paucos ſanctos. Conuenientius enim eſt,vt peccatores contra meritum ſuum à bonis eius fraudentur. Quemadmodum autem peccatores à iuſtis non ſeparat, ne ſeparati cognoſcant ſe eſſe electos & glorientur, ſed male viuentes dum bona percipiunt ad præiudicium ſuum percipiunt, & boni dum mala patiuntur ad iuſtitiæ lucrum eis cedunt. *Gregorius in moral. li.* 5. Cum autem occulta ſint A Dei iudicia,cur in hac vita nonnunquam bonis male ſit & malis bene. Nãcũ bonis male eſt,& malis bene,hoc fortaſſe deprehenditur, quia & boni ſi qua deliquerũt, hic recipiunt vt ab æterna damnatione plenius liberentur,& mali bona quæ pro hac vita faciunt hic recipiũt, vt ad ſola in poſterum tormenta pertrahentur. Vnde in inferno ardenti diuiti dicitur. *Recordare, quia recepiſti bona &c.* At cum bonis hic bene eſt, & malis male,incertum ſit valde,vtrum boni iccirco bona recipiant,vt prouocati ad aliquid melius creſcant, aut iuſto latentique iudicio hic ſuorum operum remunerationem recipiãt, vt præmijs vitæ ſequentis inaneſcant, & vtrum malos iccirco aduerſa feriant, vt ab æternis ſupplicijs corrigendo defendant,aut hic eorum pœna incipiat, vt quãdoque complenda eos ad vltima gehẽnę tormenta perducat: vnde ſancti viri cum ſibi ſuppetere proſpera mũdi conſpiciunt, timent,ne laborum ſuorum fructus recipiant. Iccirco etiam ea moleſte tolerant, quia per hoc ſe vtcunque tardari interno deſiderio non ignorant. Plus enim in hoc mundo honor,quam deſpectio occupat,& magis proſperitatis ſublimitas,quam neceſſitatis aduerſitas grauat,&c. *Luc. 16.*

B

Qualiter vtriſque ſcilicet bonis,& malis diſtribuit dona ſua gratia.

CAPVT CIV.

Idem homil. de talento. Nunc etiam dominus ad negocium talenta donorum ſuorum partitur, poſt multũ vero temporis rationem poſiturus manifeſtabitur,bene quidẽ operantes pro apportato lucro remuneraturus, ſeruos autem torpentes ab opere bono damnaturus. Conſideremus ergo quid accepimus,& in eorum erogatione vigilemus. Conſiderare nos conuenit, ne nos, qui cæteris plus aliquid in hoc mundo accepiſſe videmur,ab actore mundi grauius inde iudicemur. Cũ enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum: tãto ergo humilior,atque ad ſeruiendum prõptior eſſe quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe cõſpicit in reddenda ratione. *Idem in moral. li.* 6. Itaque nihil fit in terra ſine cauſa,iccirco enim ſæpe, & deſidioſus ingenium accepit,vt de negligentia iuſtius puniatur, qui quod ſine labore aſſequi potuit, ſcire contemnit, & iccirco quandoque tarditate intelligentiæ ſtudioſus premitur, vt pro labore ſtudij abundantius remuneretur. *Idem in li.* 17. Mira quoque diſpenſatione conditor, & culpas reſpicit,& viuendi tempora impendit, vt ſpacia vitæ longiotis,aut conuerſo fiant ad adiutorium muneris, aut non conuerſo ad augmentum damnationis, vnde rectè de reprobo dicitur. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ,& ipſe abutitur eo in ſuperbiam.* Neceſſe eſt ergo, vt cum nos expectari conſpicimus, ipſa prorogata pietatis tempora quaſi damnationis augmenta timeamus. *Idem in li.* 28. Sic etiã creator noſter,ac diſpoſitor cũcta moderatur,vt qui extolli poterat ex dono,quod habet,humilietur in virtute,quã non habet. Sic cũcta moderatur,vt cũ per impẽſam gratiã vnũquemq; ſubleuat, etiã per diſparẽ alteri alterũ ſubdat, & meliorẽ quiſque dono alio eũ qui ſibi ſubijcitur attendat. At licet ſe prę-ire ex alijs ſentiat,eidem tamen quem ſuperat in alijs ſe poſtponat. Sic etiã cũcta moderatur,vt dũ ſingula quæque ſint omniũ,interpoſita quadam neceſſitate fiãt ſingulorũ omnia,& vnuſquiſque ſic,quod nõ accepit in altero poſſideat,vt ipſe alteri poſſidendum,quod accepit humiliter impẽdat:hinc etenim per Petrũ dicitur,vnuſquiſque prout accepit gratiam in alterutrũ illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Tunc namque bene multiformis gratia diſpẽſatur, quando acceptum donum,& ei,qui hoc non habet creditur, & propter eum cui impenditur datum putatur. *Idem in dialog. li.* 3. Magna ergo omnipotentis Dei diſpenſatio,& plerumque contingit,vt quibus maiora bona præſtat, quædam minora non tribuat, vt ſemper eorum animus habeat, vnde ſe ipſe reprehendat. Sicq; per

C

D

E

Obligatio ad reddendum rationem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

bonum, quod quærit,& habere non valet, illud ſeruet humiliter, quod habet. A

Qualiter vtroſque illuminat ſua veritate.

CAPVT CV.

Cur odium parit veritas cum nemo velit falli.

Avguſtinus in libro confeßionum 10. Cum autem quæro ab omnibus vtrum malint de veritate quâ de falſitate gaudere, tam non dubitant dicere de veritate ſe malle, quã nec ſe beatos eſſe velle. Beata quippe vita eſt gaudium de veritate, hoc gaudium omnes volunt. Multos ſiquidem expertus ſum,qui fallere volunt, qui vero falli neminem inueni. Amant itaque veritatem omnes, nec amarent, niſi aliqua eius notitia in eorum mente eſſet. Cur ergo veritas odium parit, & inimicus efficitur,qui veritatem dicit,quam tamen omnis homo diligit,quia videlicet amant homines veritatem quidem lucentem, ſed oderunt eam redarguentem. Nam quia falli nolunt,& fallere volunt, amant cum ſeipſam indicat, & oderunt eam cum ſeipſos demonſtrant, inde retribuit eis, vt qui ſe manifeſtari nolunt ab illa, & eos ipſa manifeſtet, eiſque non ipſa ſit manifeſta. Cæterum ſic amant homines veritatem, vt hoc quod amant velint eſſe veritatem,& quia falli nolunt nolunt conuinci, quod falſi ſunt. Itaque propter illam rem veritatẽ oderunt,quã pro veritate dilexerunt. Sic animus humanus cęcus,& languidus,turpis & indecens,latere vult,ſe autem vt lateat aliquid non vult,econtra illi redditur,vt & ipſe veritatem non lateat, & ipſum veritas lateat, tunc etiam ſic dum miſer mauult gaudere veris, quam falſis. Beatus ergo erit ſi nulla interpellente moleſtia de ipſa per quam vera ſunt omnia veritate ſola gaudebit. Ecce nunc ô veritas tunc præſides vbique omnibus conſulentibus te. Simulque reſpondes omnibus etiam diuerſa conſulentibus. Et tu quidem liquide reſpondes, ſed non liquide audiunt omnes,omnes vnde volunt conſulunt, ſed non ſemper quod volunt audiunt. Optimus autem miniſter tuus eſt,qui non magis intuetur hoc à te audire,quod ipſe voluerit,ſed potius hoc velle, quod à te audierit. B C

Idem in li. de Trin. Ex intuitu veritatis etiã phantaſias per ſenſum corporis hauſtas,& quodammodo memoriæ infuſas, ex quibus etiam eas, quæ nunquam viſæ ſunt ficto phantaſmate cogitantur,ſiue aliter,quam ſint, ſiue fortuitu ſicuti ſunt omnino alijs regulis ſupra mẽtem noſtram incommutabiliter manentibus,vel approbare apud noſipſos, vel improbare conuincimur, cum rectè aliquid approbamus, vel improbamus: nam & cũ Carthaginem quam vidi recolo, & Alexandriam quam non vidi fingo, eaſdemque formas imaginarias qualdã quibuſdam rationabiliter præfero,viget & claret deſuper veritatis iudicium, ac ſui iuris incorruptiſſimis regulis extat firmum. Et ſi corporalium imaginum quaſi quodam nubilo ſubtexitur, non tamen inuoluitur, atque confunditur. Sed intereſt vtrum ego ſub illa, vel illa caligine tanquã à cœlo proſpicuo ſecludar. An ſicut altiſſimis montibus accidere ſolet inter vtrumque aere libero fruar, & ſereniſſimã aſpiciam lucem deſuper, & tenebras depreſſimas ſubter. *Idem in li.* 12. Nam ſentire quidem corporalia per corporis ſenſus, & ea memoriæ fixa reminiſci,nobis eſt cõmune cum pecoribus: ſublimioris autem rationis eſt ſecundum incorporales,ſempiternaſq; rationes iudicare de iſtis corporalibus. Quæ ſcilicet rationes niſi ſupra mentẽ humanã eſſent, incõmutabiles non eſſent,atque in his,niſi noſtrum aliquid ſubiũgeremus,nequaquã ſecundũ illas de corporalibus iudicare poſſemus. Iudicamus ergo de his ex dimenſionũ figurarumq; ratione,quam mens ipſa nouit incommutabiliter manere. *Idem in li. quæſt.* 83. Denique ſicut iam ſuperius dictum eſt, artifices naturam imitãtes eoſdem numeros, & conuenientiam lineamentorum, quæ corpori per corpus imprimunt,ab ipſa ſumma ſapientia in animo accipiunt,quæ numeros ipſos, & conuenientiam in vniuerſo mundi corpore longè artificioſius impreſſit, quod ex nihilo fabricauit. D E

Sublimius eſt iudicare quam reminiſci.

Qualiter etiam omnes tangit iuſtitiæ forma.

CAPVT CVI.

Idem de Trinitate li. 9. Manifeſtum eſt certè aliud vnumquemque in ſeipſo videre, quod ſibi alius dicenti credat, non tamen videat. Aliud in ipſa veritate, quod alius ſimiliter intueri valeat, horumque alterum per tempora mutari, alterum æternitate conſiſtere immutabili. Neque enim multas mentes oculis corporeis videndo per ſimilitudinem colligimus humanæ mentis notitiam generalem, vel ſpecialem,ſed intuemur inuiolabilem veritatem,ex qua perfectè quantum poſſumus diffiniamus non qualis vniuſcuiuſque hominis mẽs exiſtat,ſed qualis eſſe ſempiternis rationibus debeat. Nam vnde ſuperni amoris ardor inflammatur in me,cum audio virum aliquem pro fide acria tormenta toleraſſe. Quod ſi forte mihi conſtiterit, quod carnalis homo ſit, & pecunię,vel laudis cupiditate,vel alicuius rei trãſitoriæ cauſa pertulerit illa,ſtatim amor ille, quo in eum ferebar offenſus,& quodammodo repercuſſus, atque ab homine indigno ablatus, in ea forma,ex qua taleum eũ credens amaueram permanebit,niſi forte ad hoc eum amauero, vt talis ſit. At in illo nulla facta eſt mutatio, ſed mente mea mutata eſt ipſa exiſtimatio, quæ aliter ſe modo habet,quam prius de illo. Idemq; amor meus ab intentione perfruendi ad intentionem conſulendi iubente etiam incõmutabili deſuper iuſtitia eſt deflexus. Ipſa vero forma inconcuſſę, ſtabiliſque veritatis, & in qua fruerer hominẽ bonum eum credens,& in qua cõſulo vt bonus ſit, eadem luce incorruptibilis ſinceriſſimęque rationis, & mentis meę conſpectum, & illam phantaſiæ nubem quã deſuper cerno, cũ eundẽ hominẽ quem viderã cogito,imperturbabili æternitate profundit. Itaque & illã rationalis mentis intuitu cernimus, & de iſtis ſecundũ illam cõgitamus. Iſta vero,aut præſentia ſenſu corporis tãgimus,aut imagines fixas in memoria,recordamur, aut ex earum ſimilitudine talia fingimus,qualia noſipſi ſi vellemus,ac poſſemus etiã opere moliremur. Aliter figurantes animo corporũ imagines,aut per corpus corpora videntes. Aliter autẽ rationes,artemq; ineffabiliter pulchrã taliũ figurarum ſuper mentis aciem intelligentia ſimplici capientes.

Impij æternitatem cogitant.

Idem in lib. 10. Denique anima humana etiam cum à iuſtitia auertitur,illius quodammodo luce tãgitur: hinc eſt, quod etiam impij æternitatẽ cogitant, multaque in moribus hominum rectè reprehendũt, & rectè laudãt. Quibus autem ea regulis iudicant,niſi in quibus vident quomodo quiſque viuere debet? etiã ſi nec ipſi eo modo viuant;& vbi eas vident? vbi inquã ſcriptæ ſunt,niſi in libro lucis illius, qui veritas dicitur? vnde lex omnis iuſta deſcribitur, & in cor hominis, qui operatur iuſtitiam non migrando, ſed tanquam imprimendo transfertur,ſicut imago ex annulo,& in ceram tranſit, & annulum non relinquit. Qui autem non operatur, & tamen quid operandũ ſit intuetur,ipſe eſt,qui ab illa luce auertitur à qua tamen tangitur, ſicut videlicet plenius dictum eſt ſupra in capitulo de notione legis humanis mentibus impreſſa.

Qualiter in præſenti bonos affligit & malos proſperari permittit.

CAPVT CVII.

Gregorius in Moral. lib. 8. Electis autem ſuis ad ſe pergentibus,Dominus iter huius mundi aſperum facit, ne dum quiſque vitæ præſentis requie, quaſi viæ amęnitate paſcitur,magis eum diu pergere,quam citius peruenire delectet,ne dum oblectetur in via, obliuiſcatur quod deſiderabat in patria. *Idem in libro* 21. Nunc quidem flagellatur iuſtus, & verbere diſciplinæ corrigitur, quia ad æternæ hæreditatis patrimonium præparatur. In ſuis autem voluptatibus relaxatur iniuſtus,quia tanto ei bona temporalia ſuppetunt quanto ęterna denegantur. Iniuſtus ad debitã mortem currens: ſuis voluptatibus effrænatus vitur, quia & vituli qui

mactan-

Vitulus mactandus pastum, laboraturus iugum habet.

mactandi sunt in liberis pastibus relinquuntur. At contra iustus à transitoriæ delectationis iucunditate restringitur: quia & vitulus ad laboris vsum iure deputatus sub iugo retinetur, negantur electis in hac vita bona terrena, quia & ægris quibus viuendi spes est nequaquam à medico cuncta quæ appetunt conceduntur. Dantur autem reprobis bona quæ in hac vita appetunt, quia & ægris desperatis omne quod desiderant non negatur.

Perpendant ergo iusti quæ iniquis permanent, & nequaquam eorum fælicitati qui percurrit inuideãt, quando & ipsi per iter asperum ad salutis patriam currunt, & illi quasi per amæna prata ad foueam tendunt. *Idem in pasto. lib.* 2. Admonendi sunt ergo, qui in hoc quod temporaliter appetunt prosperantur, ne cum cuncta ad votum suppetunt, dantem quærere negligant, si in his quæ dantur animum figant, ne peregrinationem pro patria diligant, ne subsidia itineris in obstacula peruentionis peruertant, quisquis enim prosperitatem qua vtitur apud iudicium cordis melioris vitæ amore non reprimit, fauorem vitæ transeuntis in perpetuæ mortis occasionem vertit. Solerter autem considerent, quod præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur vt ad meliorem vitam prouocet. Aliquando vero vt internum pleni damnet. De primo dicitur. *Dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt &c.* De secundo in inferno diuiti cruciato dicitur *Recepisti bona in vita tua.* Idcirco enim hæc bona recepit & malus, vt illic plenius mala reciperet, qui hic nec per bona fuerat conuersus.

At contra admonendi sunt, qui ea quidem quæ mundi sunt concupiscunt, sed tamen aduersitatis labore fatigantur, vt sollicitè perpendant, creator, dispositorque cunctorum quanta super eos gratia vigilet, quos in sua desideria non relaxat. Ægro quippe quem medicus desperat concedit vt cuncta quæ cõcupiscit accipiat. Nam qui sanari posse creditur, à multis quæ appetit prohibetur, & pueris nummos subtrahimus, quibus tota simul patrimonia hæredibus seruamus. Considerent quoque quod plerumque etiam iustos cum temporalis potentia sustollit velut in laqueum culpa comprehendit. *Augustinus in libro de verbis do.* Ideo vero Deus fęlicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quæratur fælicitas. Cuius dulcedo non fallax, & te ipsis amaritudinibus conatur mundus auertere ab eo quod intendis in anteriora, & retro conuertere. O munde immunde, quid strepis, quid auertere conaris, tenere vis periens, quid faceres si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris?

Pueris nummi subtrahuntur quibus hæreditas relinquitur.

Reprobi aristæ sunt.

Cur bonos malorum persecutionibus exponit.

CAPVT CVIII.

Idem de ciuitate Dei lib. 18. Omnes autem inimici ecclesiæ quolibet errore cæcentur vel malitia deprauentur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi exercent eius patientiam. Si tantummodo malè sentiendo aduersantur exercent eius sapientiam. Vt autẽ etiam inimici diligantur exercent eius beniuolentiam. *Gregor. in Moral. lib.* 20. Itaque iuxta diuinam scripturam, militia vel tentatio est vita hominis super terram. Mens ergo sanctorum in hoc tentationum prelio & munita patientiæ clypeo, & gladio amoris accincta ad perferenda mala sumit fortitudinem, & ad reprehendenda bona exerit benignitatem, quatenus & odiorum tela potenter excipiat, & amoris iacula valenter reddat. Cuius armaturæ summam breuiter Paulus insinuat dicens. Charitas patiens est, benigna est &c.

Idem in lib. 21. Porro festina consolatio bonorum est consideratus finis malorum, dum enim ex illorum interitu malum conspiciunt quod euadunt, leue existimant quicquid aduersum in hac vita patiuntur. *Idem in lib.* 17. De his autem scilicet reprobis in libro Iob dicitur, quod sicut summitates spicarum cõterentur. Quid enim sunt diuites praui huius mundi nisi quædam aristæ humani generis, qui dum contra se inuicem superbiunt, licet bonorum vitam vnanimiter affligant, aduersum se quidem diuisi sunt, sed tamen concorditer grana deorsum premunt. Nunc aristæ ad alta prosiliunt, grana latent, & reproborum potentia eminet, & electorum gloria non apparet. Illi se honorum fastibus ostendunt. Isti in humilitate se deprimunt. Sed triturę tempus aduenier, quod & aristarum rigiditatem frangat, & solida grana conterat, sed eorum candorem apparere faciet.

Quod de malis iustorum probationem facit.

CAPVT CIX.

Idem in libro primo. Cum beatus Iob virtutum omnium mandata perficeret, vnum ei deerat, vt etiam à diabolo flagellatus agere gratias Deo sciret. Pœna quippe interrogat, si quietus quis veraciter amat. *Idem li.* 24. Nouerat enim beatus Iob bene vti rebus habitis, sed nesciebamus si patiens maneret ablatis. Data est ergo contra eum hosti callido tentandi licentia, qui dum eius bona multis cognita interimere appetit, etiam bonum patientiæ, quod latebat ostendit. Et quem se angustare persequendo credidit flagellis, auctum etiam in exemplum dilatauit.

Aliena mala toleranda.

Idem in lib. 20. Ipse quoque beatus Iob rectè dicit. *Frater fui draconum, & socius struthionum*, hoc enim ipsius vocibus specialiter congruit, qui ad culmen magnæ fortitudinis bonus inter malos fuit, nullus quippe perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est. Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine longe distat. Abel quippe renuit esse, quem Cayn malitia non exercet, sic in tritura areæ grana sub paleis premuntur, sic flores inter spinas prodeunt, & rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit: duos namque filios habuit primus homo, sed vnus electus alter reprobus fuit. Tres quoque filios arca continuit, sed duobus in humilitate persistentibus vnus ad patris irrisionem ruit. Duos Abraham filios habuit, sed vnus innocẽs, alius vero fratris persecutor fuit. Duos quoque Isaac filios habuit, vnus in humilitate seruatus, alter vero & priusquã nasceretur reprobatus est. Duodecim filios Iacob genuit, sed ex his vnus per innocentiam venditus fuit, cæteri vero per malitiam venditores fratris fuerunt. Duodecim quoque Apostoli in sancta ecclesia sunt electi, sed ne improbati manerent, vnus eis admixtus est, qui eos persequens probaret, hi ergo veraciter boni sunt qui in bonitate persistere etiam inter malos possunt, hinc etiam sponsi voce sanctæ ecclesiæ dicitur. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, hinc ad Ezechielem Dominus dicit, *Filij hominis increduli & subuersores sunt tecum & cum scorpionibus habitas.* Hinc Petrus vitam beati Loth glorificabat dicens, *Et iustum Loth oppressum à nephandorum iniuria conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant.* Hinc Apostolus discipulorum vitam glorificat, & glorificando confirmat, dicens. *In medio nationis praue & peruerse inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes.* Hinc per Ioannem Angelus pergami ecclesiæ attestatur, dicens. *Scio vbi habitas, vbi sedes est Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Beatus ergo Iob vt ostẽdat cuius fortitudinis fuerat, insinuat cum quibus vixit, dicens. Frater fui draconum & socius struthionum, quia minus esset quod ipse bona ageret, nisi ad bonitatis suæ cumulum ab alijs mala toleraret.

Malus ad miscetur bonis vt eos probet.

Quod eosdem bonorum purgatorium efficit.

CAPVT CX.

Idem in eodem. Sic namque iusto peccator cum malitia iungitur, sicut in fornace auro palea cum igne sociatur, vt quo ardet palea aurum purgetur. *Idem in li.* 26. Reproborum ergo nequitia triturę more vitam ele-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ctorum quasi grana à paleis separans premit & purgat. Mali namque bonos magis ab huius mundi desiderijs expediunt dum affligunt, quia dum multa hic violenta ingerunt, festinare illos ad superna compellunt. Quod bene in Israelitico populo Moyse vocãte, & Pharaone rege sæuiente signatum est. Tunc namque Moyses ad vocandum missus est, cum iam Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat exercitatus, vt Israelitarum mentes Ægypto deformiter inhærentes, alius dum vocaret, quasi traheret, alius quasi impelleret dum sæuiret. Et plebs in seruitio turpiter fixa, vel prouocata bonis, vel malis impulsa moueretur, propter multitudinem inquit calumniatorum clamabunt & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum. Quanto vita morum à rerum distat substantia, tanto grauior calumniator est, qui male viuendo vim nostris infert moribus, quam qui violenter opprimendo damna ingerit rebus. Et quia in hoc mundo abundat malorum vita quæ cruciat, recte dicitur. *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt.* quia vero ea quæ verbis suadere non valent, extorquere nonnunquam etiam effrænatis viribus studet. Apertæ subiungitur. *& eiulabunt propter vim brachij tyrannorum.* Sic itaque electorum desideria dum premuntur aduersitate proficiunt, sicut ignis flatu premitur vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur. Indeque ostendimus, quanta ad Deum cupiditate flagramus, si non solum ad eum per tranquilla & mollia, sed etiam per aspera & dura transimus.

Afflictiones compellunt festinare ad patriam.

Pedes iustorũ cur cerui.

Hinc namque Propheta ait. Qui perficit pedes meos tanquam cervorum. Ceruus enim cum montium iuga conscendit, quæque se aspera, quæque obijciunt sentibus alligata, dato saltu transgreditur, & absque vllo sui cursus obitaculo in superiora eleuatur, *vbi est inquit Deus qui fecit me? Qui dedit carmina in nocte?* Carmen in nocte est lætitia in tribulatione. Quia & si pressuris temporalitatis affligimur, spe tamen iam de æternitate gaudemus. Carmen in nocte Paulus prædicabat, dicens. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Carmina in nocte Dauid sumpsit qui dicebat. *Tu mihi es refugium à tribulatione quę circundedit me, exultatio mea redime me à circundantibus me.* Infirmus autem quisque ideo nequaquam se in perturbatione corroborat, quia in tranquillitate non temperat.

Cur bonos de tribulatione clamantes plerumque non exaudit.

CAPVT CXI.

Idem in eodem. Iustus itaque Dominus & suos permittit temporaliter opprimi & violentorum malitiam nequiter augeri, vt dum horum vita in purgatione teritur, illorum nequitia consummetur. Sicut ergo sæpe Dominus suorum vitam pro inimicorum conuersione eripit, ita sæpe suorum voces propter damnationem persequentium non exaudit, vt scilicet inde reatum suũ cumulent, vnde prævaluisse se nequiter gaudent. Dicatur ergo ibi, clamabunt & non exaudiet propter superbiam malorum, ac si diceret, reatus opprimentium audiri voces prohibet oppressorum, nec eripiuntur visibiliter iusti, quia saluari inuisibiliter nec merẽtur iniusti. *Quisquis itaque bonorum vitam persequitur, tunc peiore vltione damnatur, cum nulla ei aduersitate resistitur, & tunc fortioris iræ periculis subiacet, cum prospere peragit, quod nequiter concupiscit.* Quia videlicet vindicta superni iudicij ad futura eum supplicia seruando deseruit, cui hic in malo obuiare contempsit: nemo ergo qui tardius auditur, credat quod à superna cura negligitur, sæpe etenim nostræ desideria, quia celeriter non fiunt, exaudiuntur, & quod impleri concite petimus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. Sicut & semina messium gelu præmisso solidantur, & quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multipliciora consurgunt. Desideria itaque nostra dilatione extenduntur, vt proficiant, proficiunt, vt ad hoc quod perceptura sunt conualescant. Exercitantur in certamine, vt maioribus cumulentur præmijs in retributione, labor protrahitur pugnæ, vtcrescat corona victoriæ. Etiam cum dixeris, non considerat, *iudicare coram eo, & expecta eum*, sicut in Iob 0. capitulo scribitur, ac si diceret, Cum idcirco Deus considerare non creditur, quia tarde miseretur, intima cogitationis egredere, atque illic coram eius oculis causæ tuæ iudicium suscipe. & quid ipse viuendo contulisti, vel quid misericorditer percepisti discerne, & tunc ad spei fiduciam redi: dum bona tantæ benignitatis erubescis, quatenus inter aduersa fidenter expectes quem & post delicta propitium recole. Speranda enim fuerant superna adiutoria, etiam si nulla beneficia præcessissent. Sciẽdumque quia Deus hominem quem benigne condidit, inique non spernit. Pensandum est ergo quãti est periculi transacta munera cernere, & futura desperare, quanti est periculi, si in hac procella tribulationum desperationis naufragio frangimur, qui ad portum spei velut immensis funibus præteritis donis ligamur, dicatur itaque iudicare coram eo, & expecta eum. Nam, qui semetipsum coram Deo non iudicat, eum, dum affligitur non expectat. Cuius enim bona præcessisse dissimulat, adiutoria subsequi posse desperat. Et cum præteritorum obliuiscitur, & subsequentium largitate fraudatur.

De eodem.

CAPVT CXII.

Bernardus Claræual. Itaque multi dicunt: Ecce nunquam ab oratione cessamus, & tamen vix, aut nunquam fructum illius experimur. Sicut ibi accedimus, ita vacui redimus. At vero, nolite, inquit, iudicare secũdum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Iudicium fidei sequere & non experimentũ tuum, quia fides quidem est verax, sed tamen experimentu fallax. Quid est autem veritas fidei, nisi quod promittit filius Dei? *Quicquid ait orantes petite, credite, quia accipietis, & fiet vobis.* Nemo itaque vestrum paruipẽdat orationem suam. Dico enim vobis, quòd ipse quem oramus non paruipendit eam, priusquam egressa sit ab ore nostro scribi iubet eam in libro suo. Et vnum è duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouit esse vtilius. *Augustinus super psal.* Vt quid ait Domine repellis orationem meam? ad hoc oratio sanctorum tanti beneficij dilectione, & tribulationum aduersitate, quasi repellitur, vt tanquam ignis flatu repercussus ardentius inflammetur.

Efficacia orationis.

Hieronymus in Prohemio super Abacuc. Cæterum quomodo si ęgrotus, & æstuans febribus aquam frigidam postulet, & dicat ad medicum, vim patior, crucior, exanimor, vsquequo medice clamabo, & non exaudies. Et respondet ei sapientissimus, & clementissimus medicus. Scio, quo tempore debeam, quod postulas dare, non miserebor modo: quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua cõtra te petit. Ita & Dominus noster sciẽs clementiæ suæ pondera, atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, vt comprobet, & magis ad rogandum prouocet, & quasi igne excoctum iustiorem, & puriorem faciat. Quod intelligens Apostolus secũdum id quod misericordiam consecutus est à Domino, ait. Sed nõ deficimus, & benedicimus Deum in omni tempore. Et scit, quia qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, & gloriatur in labore, & dolore, & cum Hieremia dixit. *Tribulationem & dolorem inuocabo*, vt quomodo alius inuocat Deum, sic Sanctus vir, & bellator inuictus ad exercendum se, & probandum tribulationem, & miseriam veniæ desiderat. *Rabanus super Iudith.* Posuistis, inquit, vos tempus miserationis domini. Solus vtique Deus præ omnibus nouit tempus, & modum miserationis suæ. Et ideo non licet cuique petulanter pro aliqua re Deum postulare, Sed magis ad arbitrium eius cuncta referre. Sicut quidam patrum in oratione tantum legitur dixisse. *Fili Dei sicut vis, & sicut scis miserere mei.* Vnde tres pueri Nabuchodonosor pœnas minanti dixerunt. Non oportet nos ô Nabuchodonosor de hac re respondere. Ecce enim Deus noster quem

Tribulatis desiderenda.

Modus orandi.

colimus

colimus poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis,quod ſi noluerit notum ſit tibi rex,quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam æream quam erexiſti non adoramus. *Iſidorus de ſummo bo.* Denique quotiens orantes non cito exaudimur, noſtra nobis facta in oculis proponamus, vt hoc ipſum quod accipere differimur,iuſtitiæ reputemus,& culpæ noſtræ.

Quod Deus bonos exaudit ad ſalutem,malos autem ſæpius ad voluntatem.

CAPVT CXIII.

ET interdum quòd perſeueranter orantes non cito exaudimur, vtilitati noſtræ proficit, non aduerſitati. Nam ſæpe multos Deus non audit ad voluntatem,vt exaudiat ad ſalutem. *Auguſt ſuper pſal.* Si quidam (vt ecce Paulus ſtimulum carnis) patitur aliquem forte dolorem corporis, rogat medicum, vt tollat emplaſtrum, & non tollit,niſi cum fuerit vulnus ſanatum,ſed dicit,Emplaſtrũ mordax vrit te,ſed ſanat te: Nam virtus in infirmitate perficitur. *Idem ſuper epiſtolam. 1. Ioan. Homil.6.* Itaque ſancti quidem ſalutem æternam deſiderant, & ſecundum hanc ſemper exaudiuntur,licet non plerumque ad voluntatem. Vnde Paulo petenti, vt auferretur ab eo ſtimulus Sathanæ,à Domino reſpondetur. Sufficit tibi gratia. Nam virtus in infirmitate perficitur. Tu vis auferri medicamentum, quo vteris, ego noui infirmitatem qua grauaris. Diabolus autem ſanctum Iob tentandum petijt, & accepit, ſed tamen Apoſtolus magis exauditus eſt, quam diabolus: quia exauditus eſt ad ſalutem, & ſi non ad voluntatem, ille vero ad voluntatem, ſed ad damnationem. Deus ergo & ſi voluntati noſtræ non dat, ſaluti dat. Multi malo ſuo exauditi ſunt, de quibus dicit Apoſtolus, *tradit illos Deus in deſideria cordis eorum*, petit aliquis, verbi gratia, magnam pecuniam, quam ſi accipit, accipit malo ſuo. Nam præda fit potentiori quem prius non timebat, & voluit habere,vnde à latrone quæreretur,quem prius nemo quęrebat. *Ambroſius ſuper Lucam libro 6* Frequenter itaque Deus non concedit rogatus, eo quod inutilia iudicet, quæ nos profutura credimus, ſicut videlicet de Paulo dictum eſt.

Quod Deus etiam malis frequenter diſpenſatiue condeſcendit, vt eis morem gerens eorum ſaluti proficiat.

CAPVT CXIIII.

GRegorius *ſuper Deut.* Quæri autem poteſt cur populus Iſrael Deo diſplicuit cum regem deſiderauit, cum ipſe Dominus hoc in lege permiſerit. Sed intelligendum eſt eorum de rege conſtituendo poſtulationem non fuiſſe ſecundum Dei voluntatem, qui hoc fieri non præcepit, ſed deſiderantibus permiſit. *Item in quæſtionibus Ioſue.* Olim Iudæi Gabaonitis,licèt mentitores eſſe didiciſſent,parcere tamen maluerunt iurationis cauſa,cum poſſet vtique dicere ſe, tanquam illis iuraſſe,quos eos eſſe crediderant. Deus autem hæc approbauit,nec parcentibus ſuccenſuit,quamuis eum non interrogaſſent,quinam illi eſſent,qui & eos ibi fallere voluiſſent. *Chryſoſtomus ſuper Matthæũ Homil.6.* Cur etiam magos non per Prophetas, vel per angelos potiuſquam per ſtellam Dominus vocauit? Quia mira diſpenſatione eorum ſaluti condeſcendens per hæc eos vocabat, quæ eis familiaria conſuetudo faciebat, hoc & Paulus imitando de inſpecta ara gentibus differebat, proferens teſtimonia poëtarum. Iudæis etiam aliquandiu ſine interdicto circunciſionis Chriſtum annunciauit. Si ergo indignum æſtimas, quòd magi per ſtellam vocantur, hoc omnes quoque cerimonias, omneſque ritus, & ſacrificia,baptiſmata,templumque reprobabis. Siquidem hæc omnia ſui originem de gentium occaſione traxerunt, ſed tamen Deus ob deceptorum ſalutem per ea ipſa ſe coli paſſus eſt per quæ illi dæmones ante coluerunt, aliquandiu illa in melius inflectens, donec à conſuetudine ſua cuius amicitia ligati erant, paulatim eos reuocaret,& ad philoſophiam altiorem perduceret. Sic fecit & Magis,denique quos ad prçſepe ſtella præeunte perduxerat, non iam per ſtellam, ſed per angelum alloquitur, gradatim eos ad meliora perducens, hoc etiam feciſſe legitur Philiſtæis: nam diuinis eorum conſilium dantibus de dimiſſione arcæ Domini in plauſtro iunctis ad illud iumentis indomitis, & tamen eorum præceptũ populi regionum impleuerunt. Dominus quoque condeſcenſione ſolita diuinorum ſententiam approbauit, nec maieſtati ſuæ putauit indignum ad effectum verba prophanorum perducere,idque agere, vt illi viderentur fideliter ea ſuaſiſſe. Nam ad maiorem Dei gloriam pertinebat,ſi virtus eius etiam inimicorum teſtimonio panderetur, & ipſi quoque gentilitatis magiſtri conſonam ferrent de Dei veri poteſtate ſententiam. In Pythoniſſa quoque hunc tenuit diſpenſationis tenorem, cum ad eius votum ſuſcitauit Samuelem,multaque de his ſimilia in Dei diſpenſationibus inuenimus,hunc ergo ipſum ſuæ diſpenſationis morem & in Magis ſeruauit, quibus ingens & clarum oſtendit aſtrum, vt eis de magnitudine, & pulchritudine, necnon & de ipſa curſus nouitate admirationem moueret.

Iudæorum cæremonia ortum habuerunt occaſione gentium.

Quod malorum vitam non niſi propter electos tolerat.

CAPVT CXV.

GRegorius *in morali.lib.*19. Prauorum vitam dominus tolerat, quoniam eos ad iuſtorum ſuorum probationem ſeruat,vt videlicet cum aduerſarius noſter diabolus tentare nos nititur, eorum moribus quaſi ſuis contra nos armis vtatur, per ipſos quoque nos ſæuiens cruciat,ſed neſciens purgat,vnde agitur vt vitæ proficiat electorum, etiam vita perdita reproborum, & vtilitati noſtræ dum eorum perditio militat,mira diſpenſatione fiat quatenus electis Dei etiam omne quod parit non pereat. *Hugo de arra animæ.* O ergo anima ſancta, non ideo ſimiliter malos à Deo amari exiſtimes,quod bonis temporalibus eos tecum ſimiliter communicare vides. Nam ſicut beſtiæ non propter ſe,ſed propter hominem creatę viuunt:ita mali homines non propter ſe,ſed propter bonos viuunt, vt ſocietas illorum bonorum vitam exerceat,quos & fælicitate ſua admonent potiora his & quæ mali communicare non poſſunt bona quærere, & iniquitate ſua cogunt arctius virtutem amare. Poſtremo vt dum illos diuina gratia deſtitutos vident,per quęlibet abrupta vitiorum ruere diſcant quantas pro ſalute ſua debeant Creatori gratias referre.

Bona temporalia non arguunt Dei dilectionem.

Gloſſa ſuper epiſtolam ad Romanos 9. cap. Volens Deus (ait Apoſtolus) *oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloria.* Patientia ergo, & longanimitas Dei eſt quamdiu malos ſuſtinet,vt ſi velint corrigantur, vel in cæpta malitia perdurantes,ordinatè diſperdantur. Diu ſiquidem expectati inexcuſabiles ſunt, & ob hoc expectat illos Deus, vt & illis vtatur tanquam inſtrumento ad ſalutem bonorum. Nouit enim Deus bene vti malis, in quibus humanam naturam non ad malitiam creauit, ſed perfert eos patienter quouſque oportere nouerit non inaniter, ſed vtens illis ad admonitionem,vel exercitationem bonorum. Nullũ enim Deus, vel Angelorum, vel hominum crearet, quem malum eſſe futurum præſciret, niſi pariter noſceret quibus eos bonorum vſibus commodaret; ob hoc itaque tot bona dat malis, & eos tamdiu tolerat, vt ipſos iuſtè damnari oſtendat & conuincat, & vt fideles eum diligant magis, quibus ipſe gratiam conſeruauit, non communem malis. Et hoc eſt quod Apoſtolus ait, *vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ*, id eſt diutem, & glorioſam miſericordiam ſuam in vaſa miſericordiæ,id eſt,electa per miſericordiam. *Ipſe inquam volens oſtendere iram ſuam*, id eſt, pœnam æternam in perditis, quos male vſos Dei patientia æternaliter damnabit, & notam facere potentiam

Deus quomodo bene vtitur malis.

tiam ſuam in ſaluandis, quos tunc quidem glorificabit, cum vindictam ſanguinis eorum ſuper malos potenter exercebit. Oſtendit etiam in electis copioſam, & glorioſam miſericordiam ſuam per fornacem tribulationis, quam boni tolerantia malis, à quibus ſcilicet quanto magis tribulationibus exercentur tanto puriores, ac meliores operante gratia Dei redduntur. In futuro etiam ſæculo per reproborum comparationem oſtendet in electis copioſam, & glorioſam miſericordiam ſuam, videlicet quantum fecit eis quos liberauit, & glorificauit, cum pœnam quæ pariter omnibus debebatur habebunt illi quos deſeruit. *Ioan. Chryſoſt. ſuper Matthæum l. 1.* Denique medulla huius mundi ſunt homines ſancti, ſicut enim in arbore quamdiu medulla ſana fuerit ſemper floret, cum autem percomeſta fuerit paulatim marceſcendo ſiccatur, ſic & quamdiu fideles, ſtat iſte mundus, & cum ſancti de mundo iſto defecerint, caſurus eſt mundus; ſicut etiam egredientibus Iſraelitis de Ægypto, exterminata eſt Ægyptus.

Sancti medulla ſunt mundi.

Quod Deus quoſdam in ipſa malitia latentes ſibi notos euocat.

CAPVT CXVI.

Gregorius vbi ſupra. Nunquid ait ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis in diem pugnæ, & belli. In frigore niuis, vel in duritia grandinis quid aptius poteſt quam vita prauorum accipi, quæ corpore frigeſcit, & per malitiæ duritiam percuti? Quorum tamen vitam dominus tolerat, quoniam iſtos ad iuſtorum probationem ſeruat; ſed quia ſanctos ſuos etiam de talibus elegit, & quam multos electos adhuc intra prauorum vitam repoſitos habebat nouit, apte igitur in niue vel in grandine theſauros habere ſe perhibet. Quos ad diem belli pugnæque præparatos diu intra ſuæ præſcientiæ ſinum tegit, ſed cum repente eos eduxerit, reſiſtentia aduerſariorum pectora eorum verbis, & redargutionibus quaſi quibuſdam grandinibus percutit. Nix quippe, vel grando fuerat Saulus per frigidam inſenſibilitatem, ſed nix, & grando contra aduerſariorum pectora factus eſt, vel candore iuſtitiæ, vel diſtricti eloquij correctione. O qualem hunc theſaurum in niue, & grandine habuit, quando inter prauorum vitam illum poſitum iam nunc electum ſuum dominus latenter vidit. O ad quanta aduerſariorum pectora ferienda hanc in manu ſua grandinem ſumpſit, per quam tot ſibi reſiſtentia corda proſtrauit. Nemo itaque de ſuis operibus extollatur, nemo deſperet eos quos adhuc frigidos videt, quia theſauros Dei in niue, & grandine non videt.

Theſauri in niue repoſiti ſunt electi.

Gloſſa ſuper epiſtolam 2. ad Timo. 2 c. Sicut enim ait Apoſtolus. *Nouit dominus qui ſunt eius*, ex quo videlicet numero ſunt quidam, qui adhuc nequiter viuũt, aut etiam in hæreſibus vel in Gentilium ſuperſtitionibus iacent. In illa ſiquidem ineffabili præſcientia Dei multi qui foris videntur intus ſunt, & multi qui intus videntur foris ſunt. Ex illis ergo omnibus qui in occulto intus ſunt, nemo in æternam damnationem eſt iturus, quia nouit dominus qui ſunt eius; nouit enim triticum & paleam, nouit qui permanent ad coronam, & qui ad flammam. *Auguſt. contra Fauſtum lib. 2.* Cæterum animæ virtutis capaces, ſed ſteriles plerumque vitia quędam pręmittũt, quibus hoc ipſum oſtendunt, cui virtuti ſint potius accommodatæ, ſi fuerint diuinis præceptis excultæ, ſic enim & agricolæ cum aliquam terram ingẽtes herbas licet inutiles progignere viderint, frumentis aptam eam prænunciant, & montem quem oleaſtris ſylueſtrem proſpexerint, oleis vtilem fore cultura accedente non dubitant, hinc zelus ille quo Moyſes iniuriam fratris ſui non obſeruato ordine poteſtatis in Ægyptũ vindicauit, adhuc quidem incultus erant, ſed magnæ ferocitatis indicium præferebat; ſic & illa Pauli ſæuitia cum ſecũdum æmulationem paternarum traditionũ perſequebatur eccleſiam putans obſequium præſtare ſe Deo, ſylueſtre quidem erat vitium, ſed magnæ fertilitatis indicium. Sicut & illud Petri cum euaginato gladio volens defendere dominum aurem perſecutoris abſcidit, quod dominus ſatis minaciter cohibuit; itaque non incongruè poſt illud factũ Petrus factus eſt Paſtor eccleſiæ, ſicut Moyſes poſt illud princeps ſynagogæ. Nam vterque non immanitate deteſtabili, ſed animoſitate emendabili iuſtitiæ regulam exceſſit. vterque odio improbitatis alienæ, ſed ille fraterno, iſte dominico, licèt carnali, tamen amore peccauit. Ergo reſecandum erat vitium, aut eradicãdum, Sed tamen tam magnum cor ſicut terra frugibus, ita ſerendis virtutibus excolendũ vel extollendum. *Item Greg. vbi ſupra lib 3* Sępe namque ſi forti ſtudio contra vitiorum incentiua nos ſtringimus, ipſa etiam vitia ad vſum virtutis immutamus, nã nonnullos ira poſſidet, ſed hanc dum rationi ſubijciunt, in ſancti zeli miniſterium conuertunt; non nullos ſuperbia erigit, ſed dum diuinæ formidini animum inclinant, hanc ad defenſionem iuſtitiæ in vocem liberæ auctoritatis immutant.

Vitium eradicandum, cor excolendum.

Vitia præmittuntur virtutibus.

Zelus Moyſi, & Pauli & Petri.

Quod nullis ſaluentur niſi quos gratiam ſuam vocat.

CAPVT CXVII.

Auguſtinus in lib de fide ad Petrum. Firmiſſimè ergo tene, & nullatenus dubites, neminem hic poſſe pœnitentiam agere, vel diuinis mandatis obedire, niſi quem Deus gratia ſua præuenerit, nec perire poſſe aliquem illorum, quos Deus ad regnum prædeſtinauit. *Idẽ de ciuitate Dei lib. 13* Anima ſiquidem peccando deſerta non eſt, vt deſeret, ſed vt deſereretur deſeruit, ad malum quippe ipſius prior eſt voluntas eius, ad bonum autem eius prior eſt voluntas creatoris eius, ſiue vt eam faceret quæ nulla erat, ſiue reficeret quæ lapſa perierat. *Idem contra Pelagianos.* Quærimus itaque meritum noſtrum huius miſericordiæ, nec inuenimus, quia nullum eſt, ne gratia euacuetur, ſi non gratis datur, ſed meritis redditur. Quod enim eſt meritum hominis ante gratiam quo eam percipiat? Cum omne bonum meritum noſtrum nõ faciat in nobis niſi gratia, & cum Deus coronat merita noſtra, nil aliud coronat quam ſua munera. Non itaque fruſtra cantatur, & miſericordia eius præueniet me, & miſericordia eius ſubſequetur me.

Merita noſtra Dei munera.

Idem in lib. de libero arbitrio. Ideo qui cœpit, ait Apoſtolus, *in nobis opus bonum perficiet, vt enim velimus ſine nobis operatur, Cum autem volumus & ſic volumus vt perficiamus, nobiſcum cooperatur*, agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit, quæ aliquid iniuſtè velle non nouit. *Idem in libro de ſpiritu & litera.* Denique vbi abundauit delictum, ſuperabundat & gratia, non peccantis merito, ſed ſuperuenientis auxilio. Nunquid ergo liberum arbitrium euacuamus per gratiam? abſit, ſed magis ſtatuimus. Sicut enim lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur ſed ſtatuitur, vitio ſiquidem lex Dei deleta eſt, de cordibus hominum, quo ſanato cum ibi lex ſcribitur, naturaliter ea quæ legis ſunt fiunt, non quòd per naturam negata ſit gratia, ſed per gratiam reparata natura. *Idem in libro de bono viduitatis.* Gratiam ergo Dei qua liberum arbitrium adiuuatur, non ingrata ſuperbia negamus, ſed grata potius pietate prædicamus. Noſtrum eſt enim velle, ſed voluntas ipſa & admonetur vt ſurgat, & ſanatur vt valeat, dilatatur vt accipiat, & impletur vt habeat. *Idem in libro de corrept. & gratia.* Denique cum ipſa vita æterna, quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, ab Apoſtolo gratia Dei dicitur. Cum gratia non operibus reddatur ſed gratis datur, ſine vlla dubitatione confitendum eſt, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini. *Bern. clarævallen.* Sed nec talia ſunt homini merita, vt propter illa ex iure debeatur vita æterna, ita quod Deus aliquam quaſi iniuriam faceret, niſi eam donaret. Nam vt taceã, quod omnia merita ſunt Dei dona, & ſic homo Deo magis debitor eſſet propter ipſa, quã Deus

Nota.

Statuitur liberum arbitrium per gratiam.

Cur vita æterna vocatur gratia?

homini.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

homini. Quid ſunt ad tantam gloriam omnia merita, nam etiam ſi vnus omnes ſuſtineat, non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam &c. Item hæ ſunt ergo benedictiones dulcedinis in quibus electos Deus præuenit ſcilicet miſericordia præueniens, gratia adiuuans, gloria conſummans.

Quod eadem gratia paulatim imaginem ſuam in peccatore reformat.

CAPVT CXVIII.

Auguſt. de Trinit. lib. 14. Cum ergo bene recordatur anima peccatrix Dei ſui, videlicet vitæ ſuæ, quæ fuerat obliuioni, ſpiritu eius accepto ſentit omnino quoniam hoc diſcit intimo magiſterio, non niſi eius gratuito effectu ſe poſſe ſurgere, nec niſi voluntario ſuo defectu cadere potuiſſe. Qui ergo reminiſcentes conuertuntur ad dominum, ab illa deformitate qua per cupiditates ſæculares conformabantur huic ſæculo, reformantur ex illo. Non enim imago illa ſe poteſt reformare, ſicut potuit deformare.

Conuerſionis reformatio non fit vno momento.

Sanè non vno momento fit conuerſionis reformatio, ſicut vno momento fit in baptiſmo remiſſione peccatorum omnium illa renouatio. Quomodo enim aliud eſt frebribus carere, aliud ab infirmitate quæ febribus facta eſt reualeſcere. Et iterum aliud eſt telum infixum de corpore demere, aliud vulnus quod factum eſt ſanare, ita curatio prima in anima eſt cauſam remouere languoris, quod per omnium fit diluentiam peccatorum, Secunda ipſum ſanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis. Vnde Pſal. poſt quàm præmiſit, *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*, quod fit in baptiſmo ſubiungit, *Qui ſanat omnes infirmitates tuas*, quod fit quotidianis acceſſibus cum renouatur hæc imago. *Gloſſa ſuper epiſtolam* 2. *Corin.* *Nos autem reuelata facie*, id eſt expedita ratione gloriam domini ſpeculantes, id eſt glorioſum dominum *in eandem imaginem transformamur*, id eſt de obſcura forma in lucidam tranſimus atque mutamur. Eſt enim etiam inter vitia natura bona, cumq, creatura rationalis in rebus creatis excellentiſſima à creatore ſuo ab impietate iuſtificatur, à deformi forma in formoſam mutatur; de gloria creationis in gloriam iuſtificationis, vel de gloria fidei in gloriam ſpei, & hoc tanquam à ſpiritu domini, quia tam optabilis transformationis bonum nobis confertur à gratia Dei. *Bernard. Claræual.* Cõuertimini ergo ad me, dicit dominus, patet quod non corporalis conuerſionis nos admonet, quæ quidem in momento fieri poſſet, immo ſpiritualis, *quæ non vna die perfici*, vtinam vel in omni vita præſenti valeat conſummari. Attende ſolerter quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas vel cõtriſteris, & cor peruerſum inuenies ſub pannis conuerſionis, totum enim cor in his quatuor affectionibus verſatur, & de his accipiendum puto quod dicitur. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.*

Cõuerſio ſpiritualis non vno die perficitur.

Quam multiplicem effectum miſericordiæ ſuæ circa peccatorem oſtendit.

CAPVT CXIX.

IDem, *Miſericordias domini in æternum cantabo*, vt quid mihi neſcio quæ cogitatio de pœnitentię huius onere immurmuret, vt illud ſuper ceruicem meam aggrauet? ſentio ſiquidem aliud onus ſuauius quidem, ſed multo maius. Sic enim onerat me Deus miſerationibus ſuis, ſic concludit, ſic obruit beneficijs, vt onus aliud ſentire nõ poſſim, ſepté nimirũ in me video miſericordias. Prima ſiquidem eſt, quod me adhuc in ſæculo poſitum ingratum & parũpendentem à multis peccatis conſeruauit. Secunda quod me peccante non ſtatim vltionem adhibuit, ſed me prolongante iniquitatem, ipſe pietatem prolongabat. Tertia: quia cor meum viſitauit & immutauit, vt amara fierent, quæ male dulcia prius erãt. Quarta, quod pœnitentiã miſericorditer ſuſcepit, multi enim pœnitentia ducti ſunt, ſed infructuoſa. Quinta quod mihi continendi deinceps & emendatius viuendi virtutem præſtitit, ne recidiuum pateret, & eſſet nouiſſimus error peior priore. Manifeſte enim diuinæ virtutis eſt non humanæ, ſuſceptum ſemel iugum à ceruice ſua excutere: quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, nec eſt liberari niſi in manu forti. Iã vero poſtquam his quinq; miſerationibus à malo liberatus ſum, vt facerem quod ſcriptum eſt. Declina à malo & fac bonum, in duabus alijs bona largitus eſt. *Hæ ſunt gratia cœleſtia promerendi, & ſpes obtinendi.* Ecce ſeptem panes nobis diſtribuit Si enim factæ ſunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, quanto magis diuinæ operationes & miſerationes, multo enim dulcius ſapiunt, meliuſque reficiunt, & confirmant cor hominis, verum multa ex his panibus inter digitos proſperantis vel proterentis fragmenta ceciderunt, quæ colligi oportet ne pereant. Primi itaque panis, id eſt cõſeruationis à peccato tria fragmenta teneo.

Septem miſericordiæ Dei.

Tribus enim modis memini me à peccato conſeruatum ſcilicet, *ſubtractione occaſionis, data virtute reſiſtendi, ſanitate affectionis.* Secũdus panis patiẽtia fuit, qua vltionem tardauit: quia indulgentiam cogitauit, huius etiam tria fragmenta accipite, ſcilicet cogitantes longanimitatem quam exhibuit, Electionẽ prædeſtinationis ſuæ quã impleri voluit. Et charitatem nimiam, qua nos dilexit. Tertij quoque ſcilicet cõuerſionis à peccato tria habeo fragmenta, à tribus enim conuerſus ſum, ſcilicet conſideratione peccatorum metu ſuppliciorum, ſpe veniæ & conſolationum. Quarti ſcilicet indulgentiæ totidẽ fragmẽta colligite. Sic enim in toto indulſit omnẽ iniuriam vt iam nec damnet vlciſcendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando, ita vt vbi abundauit delictum, ſoleat gratia ſuperabundare. In quinto etiã pane continentia ſcilicet, à peccato tria inuenio vnde non immerito clamare poſſim. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.* Non enim paruum quid continentiam reputo, quæ tales habet oppugnatores carnem videlicet hoſtem domeſticum, prẽſens ſeculum nequam concludens vias meas, & iaculis ſuis me impetens per portas quinque ſenſuum, & malleum vniuerſæ terræ ſerpentem calidiſſimum hoſtem, quem nec videre poſſum ne dum cauere. Sextus, id eſt gratia promerendi ſimiliter in tribus conſiſtit ſcilicet in odium malorum præteritorũ, & contemptu præſentiũ bonorum, & deſiderium futurorum. Septimus id eſt, ſpes obtinẽdi in tribus etiã cõſiſtit, quæ ſunt *charitas adoptionis, veritas promiſſionis, poteſtas redditionis.* Hæc enim tria ita confirmãt cor meum, vt nulla me penuria meritorum, nulla conſideratio propriæ fragilitatis, nulla ęſtimatio cœleſtis beatitudinis ab altitudine ſpei deijcere poſſit in ea firmiter radicatum.

Tribus modis quis conſeruatur à peccato.

Spes obtinendi in tribus fundatur.

Qualiter veritatis, & gratiæ ſuæ lumen infundit.

CAPVT CXX.

GRegorius *in moralibus lib.* 27. *In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei vt rurſus adueniat*: quia veritatis lumen, quod elatis occupatiſque mentibus abſcõditur, affligtis humiliatiſque reuelatur; annunciat de illo animo ſuo, quod poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere. Amicus veritatis eſt amator rectæ actionis. Vnde & ipſa veritas dicit Apoſtolis. *Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ ego præcipio vobis, maiorem hanc dilectionem &c.* Non ergo ſe deſperet humana fragilitas, vnigeniti ſanguinem conſideret, & in precio ſuo conſpiciat, quàm magna eſt quæ tanti valet. Conſideret cœlos, ſperet ſupernam patriam, Angelorum ſe ſociam ſciat, atque in ſuo capite prælatam ſe etiam Angelis gaudeat. Cuius itaque cor non huiuſmodi pietatis admirationem exiliet, & in ſubleuationem tantæ conſiderationis expaueſcet, vnde & aptè ſubditur. Super hoc expauit cor meum, & motum eſt de loco ſuo. Quia pauor dum mẽtem percutit, hãc à ſemetipſa alienam reddit, locus autẽ humani cordis eſt delectatio vitæ præſentis; ſed cum diuina aſpiratione tangitur, locus noſtri cordis fit amor

Amicus veritatis quis.

Locus cordis noſtri.

æterni-

æternitatis. Bene ergo dicitur. *Super hoc expauit cor meum & motum eſt de loco*: quia pigrum cor & terrenis dudum cogitationibus deditum, cum repente per excelſum ſed ad ſumma ſuſpendit, cognitionis infimæ locum mutauit. *Idem in lib. 29. Per quam viam ſpargitur lux diuiditur æſtus ſuper terram.* Quid lucis nomine niſi iuſtitia deſignatur, de qua dicitur. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* Omne autē quod ſpargitur non cōtinuè ſed ſub quadam intermiſſione iactatur. Lux ergo in hac vita ſpargitur: quia ad omnis rei intelligentiam continua non habetur. Tunc ergo nobis lux ſparſa iam non erit, quando mens noſtra ad Deum funditus rapta fulgeſcit, requiritur ergo à Deo homo neſciens per quā viam ſpargitur lux: ac ſi ei patenter dicat, dum dura corda emollio: dum rigida inflecto, dū aſpera mitigo, dum frigida accendo, debilia roboro, dum vaga ſtabilio, dum nutantia confirmo, intuere ſi vales incorporaliter veniens, quibus ea meatibus illuſtro.

Iuſtitia eſt lux.

Qualiter poſt infuſionem gratiæ tentationibus hominem exponit.

CAPVT CXXI.

I*Dem in eodem. Poſt lucem ergo æſtus ſequitur*: quia poſt illuminationem diuini muneris tentationis certamen augetur. Rectè ergo diuidi æſtus dicitur: quia nimirum non ſinguli omnibus, ſed quibuſdam vicinis & iuxta poſitis vitijs fatigantur. Quo igitur occultus aduerſarius facile capiat, vicinas conſperſionibus deceptiones parat, quia etenim lætitiæ voluptas iuxta eſt, lætis moribus proponit luxuriam, & quia triſtitia in iram facile labitur, triſtibus poculum diſcordiæ porrigit: quia timidi ſupplicia formidant, pauentibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conſpicit, eos ad quæque voluerit blandis fauoribus trahit. Quia ergo in tentationis ardore callidè ſingulis inſidians, vicinos moribus laqueos abſcondit, rectè dicitur, *diuiditur æſtus ſuper terram.* Denique quis eſt, inquit, pluuiæ pater, vel quis genuit ſtillas roris. Quid eſt quod prius quidem Deus ſe pluuiæ patrem inſinuat. Poſtmodum de vtero ſuo egredi glaciem narrat, ſeque gelu gignere de cœlo pronunciat, niſi quod miro modo noſtri pectoris terram ad ſuſcipienda verbi ſemina, & prius per occultæ gratiæ pluuiam infundit, & poſtmodum ne in conceptis virtutibus immoderatus profluat, diciplina intimæ diſpenſationis premit, vt quem perceptæ gratiæ pluuiam irrigat, etiam diſciplinæ rigor abſtringat. Ne ſi aut antequàm debet, aut pluſquàm neceſſe eſt conceptas virtutes proferat fruges in herbam vertat. Plerumque enim ab inchoantibus bonum dum priuſquàm oportet oſtenditur, à grano perfectionis inanitur. Et plerumque virtutes dum pluſquàm neceſſe eſt exuberant, inde exhalant. *In ſimilitudinem*, inquit, *lapidis aquæ durantur, Et ſuperficies abyſſi conſtringitur.* Mentes enim quæ per proſpera molliter fluxerunt, aduerſitatibus conſtrictæ dureſcunt. Itaque poſt gelu & glaciem ſuperficies abyſſi conſtringitur: quia noſtra mens ad conſeruanda profunda dona quæ accepit ipſis aduerſitatibus munitur. Abyſſi namque ſuæ ſuperficiem Paulus conſtrinxerat, qui tot periculis aduerſitatis inſudans ſub prętextu cuiuſdam de ſemetipſo loquens audiſſe ſe arcana verba, quæ non licet homini loqui dicebat.

Laqueis inſidiantis quales?

Aduerſitates conſeruant profunda dona.

Idem in libro 24. Hæc omnia, inquit, operatur Deus tribus vicibus per ſingulos, ſi vigilanter intendimus, has tres vices mœroris & lętitiæ in vniuſcuiuſque electi animo his alternari modis inuenimus, ſcilicet conuerſione, tentatione, morte. Tres namque ſunt modi conuerſionis, *inchoatio*, *meditas*, *perfectio*. In inchoatione inueniunt blandimenta dulcedinis. In medio tempore certamina tentationis. Ad extremum vero perfectionem plenitudinis. Nam & ex Ægypto filijs Iſrael exeuntibus è vicino bella ſubtrahuntur, quia derelinquentibus ſæculum quædam. Primo tranquillitas oſtenditur, Ne in ipſa teneritudine inchoationis turbati, & adhuc territi redeant quo euaſerunt. Poſt cognitam vero dulcedinem, tanto iam tolerabilius tentationum certamina ſuſtinent, quanto in Deo altius cognouerūt quod ament.

Tres modi conuerſionis electorum.

Qualiter quoſdam iuſto iudicio cadere permittit.

CAPVT CXXII.

I*Dem in libro 29. De cuius vtero egreſſa eſt glacies? & gelu cœlo quis genuit?* Quaſi de vtero Dei glacies egreditur, cum hi qui iam intus incaluerant, ex virtutum dono frigeſcunt. Dumque iſte ſignis, ille ſcientia, ille prophetia, ille magnis operibus pollet, atque per hæc dona placere hominibus appetit, omne quod prius intimum celauerat exteriorem laudem diligens in torporem vertit. Quaſi ergo glacies de vtero egreditur, dum poſt donorum beneficia à viſceribus pietatis ſupernæ ſeparatur, hanc glaciem nunc in vtero dominus portat, quia intra ſinum eccleſiæ tolerat, ſed tunc aperte eijcit cum tales à ſecretis cæleſtibus per extremum, & publicum iudicium repellit. *Idem in libro 30.* De hoc etiam in eodem libro videlicet Iob alibi dicitur. *Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?* Cum enim Deus cæcis noſtris mentibus ſubtilia de ſemetipſo inſinuat, in nebulam vocem leuat. Cum vero tentatione vitiorum ipſe de Deo noſter intellectus opprimitur, quaſi aquarum impetu in voce ſua Deus, operitur. Tot enim ſuper illo aquas emittimus, quot poſt inſpirationem eius gratiæ cogitationes illicitas in corde verſamus. *Auguſt. de ciuitat. Dei lib. 14.* Illum etiam primum hominem manifeſto peccato diabolus non cepiſſet, niſi iam ille ſibi placere incepiſſet, hinc enim, & delectauit quod dictum eſt mulieri, *eritis ſicut dij.* Illud itaque malum præceſſit in abdito, vt ſequeretur quod perpetratum eſt in aperto. Verum enim eſt, quod ſcriptum eſt. *Ante ruinam exaltatur cor*, & audeo dicere ſuperbis vtile eſſe in aliquod manifeſtum peccatum incidere, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit quando fleuit, quam ſibi placuit quando preſumpſit. Vnde Pſalmus dicit. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine.*

Glacies in vtero Dei.

Aqua ſuper Deum emiſſa.

Auctor. De hoc autem plenius dictum eſt ſupra in capitulo videlicet vbi oſtenſum eſt, qualiter hominibus pro meritis obijcit viſa. Frequenter enim, vt ait Grego. homo acceptis virtutibus in preſumptionem erigitur, ſed mira Dei diſpoſitione res quælibet ante eius oculos in quam corruat ordinatur. In ea ſponte inhians corruit, ſed ſuis viribus non reſurgit, vt cum ſe nihil ex ſe eſſe conſiderat, Dei adiutorium requirat. Quem ſuperna miſeratio quaſi à fouea euehit, quia nunc infirmitate cognita ad veniam reducit. *Auguſt. de trinitate libro xij.* Honor ſiquidem hominibus verus, eſt imago & ſimilitudo Dei, quæ non cuſtoditur niſi ad ipſum à quo imprimitur, tanto magiſque inhæretur Deo, quanto minus diligitur proprium, cupiditate vero experiendæ poteſtatis ſuæ quodam nutu ſuo ad ſeipſum tanquàm ad medium proruit. Itaque cum vult eſſe ſicut ille ſub nullo, etiam ab iſta ſui medietate pænaliter ad ima propellitur, id eſt, ad ea quibus pecora lætantur, atque ita cum *homo in honore poſitus non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus illis.* Quomodo ergo tam longe tranſiret à ſummis ad infima, niſi per medium ſui? Cum enim neglecta charitate ſapientiæ, quæ ſemper eodem modo manet, concupiſcitur ſciētia ex viſibilium temporaliumque experimento, inflat non ædificat, ita ægrægrauatus animus quaſi pondere ſuo à beatitudine expellitur, & per illud ſuæ medietatis experimentum ex pœna ſua diſcit quid interſit inter bonum deſertum & malum commiſſum.

Superbia ad ima propellit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter reuertentes per pœnitentiam ſuſcipit.

CAP. CXXIII.

Deus eſt præſes ijs à quibus lõge abeſt.

Auguſt. in lib. confeſ. 4. Redite ergo præuaricatores ad cor, & inhærete illi qui fecit vos. Clamat enim vt redeatis, & ibi eſt locus quietis imperturbabiliter, ſtate cum eo, & ſtabitis, quieſcite cum eo, & quieti eritis. Quo itis in aſpera? quo itis? ab illo eſt bonum quod amatis, & quantum ad illum eſt, bonum eſt, & ſuaue, ſed amarum erit iuſtè, quia deſerto illo quicquid ex illo eſt, amatur iniuſtè, nõ eſt requies vbi eam quęritis, Beatam vitam quæritis in regione vmbrę mortis. Deſcendit hinc vita noſtra tulitq; mortẽ noſtram, & occidit, de vitæ ſuæ abundantia, clamans vt redeamus hinc ad eum in illud ſecretum vnde proceſſit ad nos primum in virginalem vterum. *Idem in li.* 5 In te Domine Deus iniuſti offenderunt, vt vexarentur iuſtè, ſubtrahentes ſe lenitati tuæ, offendentes in rectitudinem tuam, & cadentes in aſperitatem tuã, neſciunt videlicet, quod ſis vbique, quem nullus circunſcribit locus. Et ſolus es præſens etiam his qui lõge fiunt à te. Conuertantur ergo, & te quærant, quia non ſicut ipſi creatorem ſuum deſeruerunt, ita tu deſeris creaturam tuam. Ipſi ergo conuertantur & quęrant te, & ecce ibi es in corde ipſorum tibi confidentium & proijcientium in te, & plorantium in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles, & tu facilis terges lachrymas eorum, magiſq; plorant, & in fletibus gaudent, quia tu Domine non aliquis homo caro & ſanguis, ſed tu qui feciſti reficis eos, & conſolaris.

Dionyſ. Areopagita in epiſtola ad Demophilum. Vere optimus & ſuperoptimus Ieſus qui ad eſſe adduxit omnia, & omnia ſemper ſibi fieri vult approximantia, & eorum quæ ſunt eius ſecundum oportunitatem ſingulorum communicantia, qui & redeuntibus ſe amabilem exhibet & contendit ac deſiderat, non indignando amantes, in vanum accuſantes ſuſtinet, & illos ipſe defendit, magiſq; curare promittit. Sic accedentibus occurrit, & obuiat, totuſq; totos amplectens ſaluat, nec de prioribus accuſat. Quin potius aduenientes diligit, ad diem feſtum agit, & conuocat amicos videlicet optimos, vt ſit omnium lætantium habitudo. Itaq; in humeros tollit, quos vix ab errore conuertit, & optimos angelos in lætitiam ſuſcitat. *Anſelmul in Epiſtola ad Heinricum.* Dicunt autem multi periculum in ordine monachorum eſſe reſpectu ſtatus ſeculi; Grauius enim Deus iraſcitur monacho peccanti quam alij, quia de propoſito cadit altiori. At hoc quidem verum eſt quamdiu in peccato eſt; certè benignius, & familiarius Deus ſuſcipit monachum pœnitentem, ſi ad propoſitum ſuum redit, quam non monachum qui ad idem propoſitum non venit. Plus namq; placet Deo etiam poſt graue peccatum, cuius propoſitum eſt, & ante, & poſt quo maius habere non poteſt, quàm ille qui nec ante nec poſt ſimile peccatum vult proponere quo melius non poteſt. *Bern. ſuper cantica Homel. 22.* Licet enim ſuauis ſit Dominus vniuerſis, maxime tamen domeſticis. Deniq; non horruiſti Domine confitentem latronem, non lachrymãtem peccatricem, non Cananæam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio, non ſedentem in telonio, non ſupplicantem publicanum, non negantem diſcipulum, non perſecutorem diſcipulorum, non ipſos crucifixores ſuos, in odore horum currimus.

Monachus pœnitens familiarius à Deo ſuſcipitur.

Qualiter illos à peccatis ſuis iuſtificat.

CAP. CXXIV.

Prima hominis iuſtitia.

Aug. ſuper Pſal. 84. Veritas quidem de terra oritur, quando peccator confitetur, & tunc iuſtitia de cœlo proſpicit ideſt à Domino Deo confitenti iuſtitia datur. Et ipſa eſt prima hominis iuſtitia, vt punias te malum, & Deus faciet te bonum. *Idem ſuper Ioan. Homil. 72.* Qui credit inquit in me, operaq; ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Quæ ſunt hæc opera: niſi vt ex impio iuſtus fiat. Nunquid nam omnium operum Chriſti maiora facit, qui cum timore ſuam ipſius ſaluté efficit? Quod vtiq; Chriſtus operatur in illo, ſed non ſine illo. Prorſus hoc maius eſſe dixerim, quàm ſit cęlum & terra, & quęcunq; cernuntur in cęlo, & in terra. Nam & cælum & terra tranſibunt, prędeſtinatorum autem ſalus & iuſtificatio permanebunt. In illis tãtum opera Dei, In illis autem eſt etiam imago Dei, ſed & in cælis Angeli ſunt opera Chriſti. Nunquid etiam maiora opera facit, qui operante in ſe Chriſto cooperatur æternã ſalutem, & iuſtificationem ſuam? non hic audeo præcipitare ſentẽtiam, intelligat qui poteſt, videlicet vtrum maius ſit iuſtos creare quã impios iuſtificare. Certè & ſi æqualis vtrunq; potentiæ hoc maioris eſt miſericordiæ.

Iuſtificatio peccatoris inter opera Dei eſt maximũ.

Idem in lib confeſ. 2 Gratiæ tuæ Domine deputo, & miſericordiæ tuæ, quod peccata mea tanquam glaciẽ ſoluiſti, gratiæ tuæ deputo, & quæcunq; mala non feci. Quid enim facere non potui, qui etiam gratuitum facinus amaui? & omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, ea quæ mea ſponte mala feci, & quæ te duce non feci. Quis enim ſuam cogitans infirmitatem audeat viribus ſuis tribuere caſtitatem, & innocentiam ſuam, vt minus amet te, quaſi minus ei neceſſaria fuerit miſericordia tua quam donas peccata cõuerſis ad te? Non ergo me derideat ab iſto medico ægrum ſanari, à quo ſibi præſtitum eſt, vt non ægrotaret, vel potius vt minus ægrotaret.

Bern. in ſer. de miſericordia. Sic autem vt ſupra dictũ eſt, ex toto Deus omnem iniuriam indulget, vt iã nec damnet vlciſcendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputãdo, ita vt vbi abundauit delictum ſoleat gratia ſuperabundare, ſicut videlicet plenius dictum eſt 30. capitulo ſuperius. *Idem in ſer. de verbis do.* Vt ergo inhabitet gloria in terra noſtra, miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatę ſunt. Gloria ſiquidem noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtrę, teſtimonium ſc. de remiſſione peccatorum de fructu bonorum operum, de ſpe cæleſtium præmiorum. Hæc tria in Pſalm. habentur. *Beatus inquit vir, cui non imputabit Dominus peccatum.* Et alibi. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te.* Et iterum. *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti* &c. Hæc gloria eſt vera gloria inhabitatis. Inhabitat itaq; gloria hic etiã in terra noſtra, Sed miſericordia, & veritas obuiant ſibi, ac ſeſe iuſtitia & pax oſculantur. Præuenienti ſiquidem miſericordię veritas occurrat neceſſe eſt confeſſionis noſtræ, ac de cætero ſanctimoniam ſectemur & pacem, ſine qua nemo videbit Deum. Igitur miſericordia, & veritas obuiant ſibi, vt declines à malo, iam vero vt facias bonum, In tympano & choro debes pſallere. ideſt mortificationem carnis, & opera iuſtitię in vnitate & concordia facere, quia vnitas ſpiritus eſt vinculum perfectionis.

Gloria Chriſtiani teſtimonium de remiſſione peccatorum.

Qualiter eos à prauis conſuetudinibus inolitis purgat.

CAP. CXXV.

Auguſti. in li. confeſ. 4. Mala quidem omnia fiunt, cũ tu derelinqueris fons vitæ qui es vnus, & verus rector, & creator vniuerſitatis, priuata ſuperbia diligitur in parte vnum falſum. Itaque pietate humili reditur in te, & purgas nos à mala conſuetudine & propitius es peccatis confitentium, ſi iam non erigimus aduerſus te cornua falſæ libertatis auaritia plures habendi, & damno totum amittendi, amplius amando proprium quam te bonum omnium.

Quid homo ſibi ſine Deo.

Idem in li. 4. Domine quid ego ſum mihi ſine te, niſi dux in præceps? ſed ecce tu immines dorſo fugitiuorum, Deus vltionum & fons miſericordiarum ſimul, qui conuertis nos ad te miris modis. Noli iam vana eſſe anima mea, & obſurdeſcere in aure cordis tumultu vanitatis tuæ. Audi potius & tu verbum patris, vt redeas clamans ad te, ſaltem fatigata fallacijs

veritati commenda quicquid est tibi a veritate,& non perdes aliquid, & putrida tua refloreſcent,& salubuntur, omnes languores tui & fluxa tua reformabuntur & constringentur ad te, nec te deponent quo descendunt,sed stabunt tecum,permanebunt ad semper stantem ac permanentem Deum,vt quid peruersa sequeris carnem tuam?tempora te sequatur conuersa. In te Domine non est transmutatio, nec momenti obumbratio. Ego autem conabar ad te,ac repellebar abs te,vt saperem mortem: quia superbis resistis,voluebam apud me corporalia figmenta cordis mei autribus obstrepantia, quas intendebam dulcis veritas in interiorem melodiã tuam cogitans, de pulchro & apto scire cupiens & audire te & propter vocem spõsi gaudere, sed non poteram: quia vocibus erroris mei foras rapiebar, & pondere superbiæ meæ in ima deptimebar. Non enim dabas auditui meo gaudium, nec exultabant ossa mea, quæ non erant humiliata. Falsitas enim erat quam cogitabam, non veritas, & figmenta miserię meæ, non firmamenta beatitudinis tuæ; iusseras enim & ita fiebat in me, vt terra spinas & tribulos mihi pareret, ac peruenirem ad panem meum cum laborem. *Idem in libro 6.* Suspirabam & audiebas me, fluctuabam & gubernabas me, ibam per viam seculi latam, nec deserebas, inhiabã honoribus & lucris atque coniugio, & tu irridebas Patiebar meis cupiditatibus difficultates amarissimas te propicio tantomagis quanto minus quod non eras tu mihi dulcescere sinebas, taceat ergo laudes tuas qui non considerat miserationes tuas,quę tibi de medullis meis cõfitentur. Multæ cogitationes in corde meo erant, consilium autem tũum manet in æternum. Ex quo consilio derides nostra,& præparas tua nobis daturus escam in oportunitáte,aperturus manum & impleturus animas nostras benedictione. Sed ô vias tortuosas, væ animæ audaci,quæ speret si recessisset à te, aliquid melius habituram se, versa & reuersa in tergum & in ventrem, & in latera & dura sunt omnia, & tu solus requies. Et ecce ades, nosque in via tua constituis, & consolaris, & dicis. Currite ego feram, & ego ibi perducam.

In solo Deo requies.

Adhuc de eodem.

CAP. CXXVI.

IDem in libro 7. Clamabat Domine cor meum vehementer aduersus omnia phantasmata mea, & hæc vno ictu cogebar abigere circumuolantem turbam immundicię ab acie mentis meæ, & vix dimota in ictu oculi ecce conglobata rursum aderat, & irruebat in aspectum meum,& obnubilabat eum. Cum enim superbè contra te tumerem, etiam ista infima supra me facta sunt, & premebant me, & nusquam erat respiramentum. Occurrebat enim mihi vndique aceruatim cernenti, & opponebantur redeunti, quasi dicerentur. Quo is indigne ac sordide? & hæc de vulnere nostro creuerant,quia tu humiliasti sicut vulneratum superbum, & tumore modo separabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Sed tu in æternum manens, non in æternum irasceris,sed miseratus es terram & cinerem. Placuitque tibi reformare deformia nostra. Stimulis internis agitabas me, & residebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ. Acieſque mentis meæ contenebrata acri collyrio salubrium dolorum meorum de die in diem sanabatur, & ostendisti mihi quia superbis resistis,& quanta misericordia demonstrasti hominibus viam humilitatis. Sed postquam fouisti caput nescientis, & clausisti oculos meos ne videant vanitatem, consopita est insania mea, & euigilaui in te. Non tamen stabam frui Deo meo, sed rapiebar ad te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, ruebam in ista cum gemitu meo. Pondus hoc consuetudo carnalis, sed mecum erat memoria tui,nec vllo modo dubitabam esse cui cohęrerem,sed nondũ me esse qui cohærere,quoniam corpus quod corrumpitur aggrauat animã. Deniq; abduxit ratio cogitationem à consuetudine,subtrahens se contradicentibus turbis phantasmatum, vt inueniret quo aspergeretur lumine,cũ sine aliqua dubitatione clamaret incommutabile mutabili præferendum esse. Quod vtique nisi aliquo modo nosset, nullo modo illud mutabili certa ratione præponeret.

Consuetudo carnalis est pondus.

Idem in li. 8. Deus meus profundantur ossa mea delectatione tua, & dicant. Domine quis similis tibi, iam inhæserant præcordijs meis verba tua, & vndique abs te circumuallabar. Placebatque via ipse saluator,sed ire per eius angustias adhuc pigebat,vacationi tuæ suspirabam, ligatus non ferro alieno,sed mea ferrea voluntate, velle me non tenebat inimicus,& inde mihi cathenam fecerat & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi annulis sibimet innexis quam catenam appellaui, tenebat me dura seruitus obstrictum. Itaque duæ voluntates meæ,vna vetus alia noua & spiritalis. Alia vetus & carnalis inter se confligebant, & discordando dissipabant animam meam. Ego quidem in vtroque, sed magis ego in eo quod approbabam quam in eo quod improbabam, sed consuetudo aduersum me pugnatior ex me facta erat, quia volens quo nollem perueneram Ego ergo adhuc obligatus terra recusabam tibi militare,& impedimentis omnibus sic timebam expediri; quemadmodum impediti timendum est. Ita sarcina sæculi veluti somno assolet dulciter premebar, & cogitationes quibus meditabar in te similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur, nec erat quid tibi responderem dicenti. *Surge qui dormis* &c. nisi verba lenta & somnolenta, modo, ecce modo, sine paululum, sed modo & modo non habebant modum, & sine paululum in longum ibat.

Ex voluntate peruersa necessitas oritur.

Lex enim peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam inuitus animus, eo merito quo in eam volens illabitur, miserum ergo me, quis liberaret de corpore mortis huius, nisi gratia tua per Iesum Christum Dominum nostrum? Sic ægrotabam & cruciabar voluens ac versans me in vinculo meo,donec abrũperetur totum quo iam exiguo tenebar; Dicebam enim intus apud me, ecce modo fiat, ecce modo hæsitans mori morti, & vitæ viuere, plusquam in me valebat deterius inolitum quam melius insolitum, Non tamen auertebar, sed suspendebar. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates antiquæ amicæ meę, & succutiebant vestem meam carneam, ac submurmurabant, dicebat mihi consuetudo violenta,putasne sine istis esse poteris? ista controuersia in corde meo, non nisi de me aduersum meipsum.

Lex peccati.

Idem in libro 9. O Domine distupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Quam suaue mihi subito factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me tu vera & summa suauitas. Eijciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini, omni honore sublimior, omni luce clarior, sed omni secreto interior.

Quod eis etiam in præsenti multa beneficia tribuit.

CAP. CXXVII.

BRnar. in ser. de Mise. Et quid autem mihi nescio quæ cogitatio de pœnitentiæ huius onere immurmuret, vt illud super ceruicem meam aggrauet. Aliud onus sentio, quod quidem est suauius, sed multo maius. Sic me Deus onerat miserationibus suis, sic concludit, sic obruit beneficijs,vt aliud onus

Deus onerat miserationibus.

sentire

ſentire non poſſim. Quid enim rettribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi. Tantum tribuit ac retribuit,& tu mihi de alio onere loqueris,deficit ſpiritus meus in tanta beneficiorum conſideratione, & licet dignas non ſufficiam agere gratias, tamen ingratitudinem prorſus odit anima mea. Nihilq; pro modo ſapere præſertim in filijs gratię, ita diſplicet Deo ſicut ingratitudo, vias enim gratiæ obſtruit, inimica eſt ſalutis. Timendumque ne ingrati à gratia deſerantur, quam non vt gratiam venerantur. Nam nonne iure quod ingrato datum eſt perditum reputatur, aut eum dediſſe pœnitet, quod periſſe videtur?

Idem in alio. Ad locum ergo vnde exeunt gratiarum flumina reuertuntur,vt iterum fluant.Idem ſuper Pſalmum, *Qui habitat*, O Domine quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? mittis vnigenitum tuum, immittis ſpiritumſanctum, promittis vultum tuum, & ne quid in cœleſtibus vacet ab opera ſolitudinis noſtræ, bonos ſpiritus mittis, & in miniſterium noſtrę cuſtodiæ deputatos noſtros fieri iubes pædagogos. *Nam Angelis inquit ſuis Deus mandauit de te* &c. Quantam tibi debet homo inferre reuerentiam hoc verbum afferre deuotionem,conferre fiduciam. Caute ambula vbi adſunt Angeli, ſicut eis mandatum eſt, in omnibus vijs tuis, in quouis diuerſorio, in quouis angulo habe reuerentiam Angelo tuo, tu ne audeas illo præſente, quod non auderes me vidente. *Hugo in libro de arra anima.* Reſpice quoque mundum iſtum, omnis natura curſum ſuum ad hunc finem dirigit. vt obſequijs tuis & vtilitati deſeruiat, tuiſque oblectamentis pariter & neceſſitatibus ſecundum affluentiam indeficienter occurrat. Quis iſtud naturæ præcepit, vt ſic vno conſenſu tibi ſeruiat? beneficium accipis, & auctorem eius non agnoſcis, donum in manifeſto eſt, largitor occultus. Quicunque ergo ille eſt, multum tibi contulit, qui hoc totum & tantum tibi dedit. Multum diligendus eſt, qui tantum dare potuit, & quia tantum dare voluit,multum dilexit. Vide ergo quid agis,cum in hoc mundo amari & amare concupiſcis. Totus ergo mundus ſubiectus eſt & tu non dico totum mundum, ſed neſcio quod vix aliquam portiunculam in ſocietatem tui amoris admittere non aſpernaris. Certe ſi hæc diligis, vt ſubiecta dilige, aut arram ſponſi vt munera amici,vt beneficia Domini, ſic tamen vt ſemper memineris, quid illi debeas, nec iſta pro illo, nec iſta cum illo, ſed iſta propter illum, & per iſta illum, & ſuper iſta illum diligas,diſcerne quę dona à ſponſo tuo accepiſti, alia enim communiter, alia ſpecialiter, alia ſingulariter tibi data ſunt. Communiter quæ omnibus propter te tecum ſeruiunt, Specialiter quæ multis.nec tamẽ omnibus propter te tecum ſunt conceſſa. Singulariter quæ tibi ſoli data ſunt. O igitur dulcedo vitę meæ,& lumen oculorum meorum,quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi.tu dediſti mihi Domine ſenſum,vt te cognoſcam,& prę cęteris multis de tuis ſecretis reuelata intelligam, alios coęterneos meos in tenebris ignorantiæ dereliquiſti, & mihi præ illis lumen ſapientiæ infudiſti, tu dediſti mihi ſenſum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, linguam diſertam,ſermonem gratum, doctrinam ſuadibilem, efficaciam in opere, gratiam in conuerſatione, profectum in ſtudijs, effectum in inceptis, ſolamen in aduerſis, cautelam in proſperis, & quocunque vertebam me, vbique gratia tua & miſericordia pręceſſit me. *Hiero. ſuper Danielem.* Dedit quoque Deus Danieli gratiam & miſericordiam in conſpectu Principis Eunuchorum, ex quo videlicet intelligimus, ſi quando ſancti diligantur ab infidelibus pro neceſſitate rerum, Dei eſſe miſericordię non bonitatis hominum peruerſorum.

Præſētia Angelica.

Dona Dei quomodo diligenda.

Qualiter ipſos adiuuat & protegit.

Cap. CXXVIII.

Hugo vbi ſupra. Sæpe quoque cum mihi conſumptus videbar, Domine, ſubito liberaſti me,quãdo errabam,reduxiſti me,quando ignorabam,docuiſti me, quando peccabam, corripuiſti me,quando cõtriſtabar, conſolatus es me,quando deſperabam,confortaſti me, quando cecidi erexiſti me, quando ſteti, tenuiſti me,quando iui, duxiſti me,quando veni,ſuſcepiſti me, hæc omnia feciſti mihi Domine Deus meus,& multa alia, de quibus mihi dulce erit ſemper cogitare, ſemper loqui,ſemper gratias agere,vt te laudem & amem. *Bernar.vbi ſup.Homil.1.* Itaq; qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Tria quidem ſunt genera hominum, quæ non habitant in adiutorio altiſſimi.vnum in Deo non ſperantium, ſecundum in ſe confidentium. Tertium fruſtra ſperantium, cõtra quos Propheta,Maledictus, inquit,qui peccat in ſpe.Primum genus habitat in meritis ſuis, ſecundum in pœnis, tertium in vitijs. Prima habitatio ſtulta eſt & periculoſa, ſecunda anxia, tertia immunda. Hi ſunt qui non poſuerunt Deum adiutorem ſuum, ſed beatus qui habitat in adiutorio altiſſimi, quia in protectione Dei cœli commorabitur, vt nihil eorum quę ſub cœlo ſunt timere poſſit. Sub cœlo enim ſunt quęcunq; nocere poſſunt ſc.mundus,caro,demones. *Idem inſecunda. Dicet Domino ſuſceptor meus es tu,& refugium meum Deus meus ſperabo in eum.* Suſceptor eius eſt Deus, quia cum ceciderit non collidetur. Dominus enim ſupponit manũ ſuam ita vt etiam ipſe caſus ei cooperetur ad bonum: quia & humilior & cautior inde efficitur. *Septies inquit cadit iuſtus & reſurget*, ſed fortior. At vero iniuſtus cũ ceciderit non adijciet vt reſurgat, imo aut in pudorẽ noxium cadit, vt excuſet quod fecit, & hic eſt pudor adducens peccatũ,aut impudentium; quia fit ei frons meretricis, ita vt nec Deum timeat nec hominem reuereatur, ſed peccatum ſuum vt Sodoma prædicet. *Idem in tertia.* Sperabo inquit in eum,quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Venatores noſtri callidiſſimi ſunt & crudeliſſimi, qui i cornu non ſonant ne audiantur, ſed ſagittant in occultis immaculatos, laquei diaboli ſunt diuitiæ ſecundum Apoſtolum. Et quid eſt *verbum aſperum*, niſi illud aſperum verbum inſatiabilis gehennæ,affer,affer, percute, dilacera. Quomodo enim exultant venatores capta pręda,& clamant tolle,tolle,infige verubus, infer prunis. Sic facient Dæmones in inferno. Cæterum quid eſt verbum aſperum, niſi, tollatur impius ne videat gloriam Dei. *Idem in quarta* Scapulis ſuis obumbrabit tibi &c. Credo in his ſcapulis geminam Dei promiſſionem intelligendam, vitæ ſcilicet quæ nunc eſt, & futuræ. Sub his ſcapulis quatuor nobis beneficia conferuntur, ſub his enim abſcondimur, quoniam inquit, abſcondit me in tabernaculo ſuo in die malorum. Neceſſe eſt quidem nobis abſcondere interim ſi quid boni habemus: quia theſaurum regni cœlorum qui inuenit homo abſcondit. Neceſſaria namq; eſt abſconſio non ſolum ante oculos aliorum, ſed maxime ante noſipſos. Et hæc eſt vtique magna virtus ac ſumma ſecuritas, quando & piæ viuis, & cum plus quæ deſunt tibi attendis, quam quę obtinuiſſe videris. Sub his quoque ſcapulis protegimur, vnde obumbraſti inquit, ſuper caput meũ in die belli, ſicut mater videns accipitrẽ venientem,expandit alas ſuas,vt pulli ſubeant,& ibi refugium habeant.Sub his etiam vmbraculum habemus contra nimium feruorẽ ſolis iuſtitię.Qui ſi rẽperatus non fuerit,infirmo capiti & oculis nocet.Ideo dicitur. *Noli eſſe iuſtus multũ.* Sub his etiam alis tanquã pulli calore materni corporis fouemur,ne foris vagantes moriamur refrigeſcẽte nimium charitate. Sub his etiam pẽnis ſecurus ſperabis: vt de exhibitione præſentium munerũ firma ſit

Tria genera hominũ extra adiutorium Di.

Verbũ aſperũ quod.

Scapula Dei.

expectatio futurorum. *Iacem quoq;* 18. Igitur in plenitudine quidem gratiæ nobiſcum eſt Dominus. In plenitudine autẽ gloriæ nos cum ipſo erimus Bonum eſt mihi Domine dummodo mecum ſis tribulari, quam ſine te gloriari. Bonum mihi eſt in camino tribulationis habere te, quam eſſe vel in cœlo ſine te. *Cyprianus in Epiſtola ad Fortunatum.* Non ergo timendæ ſunt iniurię perſecutionum: quia maior eſt Dominus ad protegendum quam diabolus ad impugnandum, vnuſquiſq; ſecundum diuina promiſſa & fidei ſuæ merita tantum accipit de Dei opere quantum ſe credit accipere, nec eſt quod omnipotens præſtare non poſſit, niſi accipientis fides caduca defecerit.

Qualiter eos in melius proficere facit.

CAP. CXXIX.

Virtus ſpiritus Dei gradatim proce dit.

Semen vitæ fructificat primo herbã poſt ſpicam.

Auguſt. in li. de gratia, & libero arbitrio. Sicut autem dicit Apoſtolus, qui cæpit in nobis perficiet bonum opus, ſicut videlicet aliàs dictum eſt, vt enim velimus ſine nobis operatur, cum autẽ volumus & ſic volumus vt perficiamus, nobis cooperatur, agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit, qui aliquid iniuſtè velle non nouit. *Greg. in moral. libr.* 22. Nemo autem infima hæc deſerens repente fit ſummus, ſed quibuſdam meritorum gradibus, Vnde ſcriptum eſt. *Ibunt de virtute in virtutem* &c. Et alibi *exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.* Quanto ſiquidem quotidie de ſpiritu Dei in nobis virtus creſcit, tãto ſpiritus noſtet deficit. Tunc autem in Deo plene proficimus, cum à nobis funditus defecerimus. Hæ itaq; creſcentiũ menſuræ virtutum viri ſancti voce gradus dicuntur. Hinc & in euangelio dicitur. Sic eſt regnum Dei quemadmodum ſi iaceat homo ſementem in terram, & dormiat nec exurgat nocte & die, & ſemen germinet & increſcat dum neſcit ille. vltro enim terra fructificat primum herbã, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica, herba ſi quidem Petrus inuentus eſt, quando ab ore ancillę ſubito vnius flatu ſermonis inflexus eſt, Iam quidem per deuotionem viridis, ſed adhuc per infirmitatẽ tener, Plenum ergo frumentũ in ſpica inuentus eſt, quando perſequentibus principibus reſiſtebat dicẽs. Obedire Deo oportet magis quã hominibus, quãdo in tritura perſecutionis tot verba pertulit, & tamẽ nequaquam palearum more imminutus eſt, ſed granum integrum manſit in vnaquaque anima paulatim internæ gratiæ humor exuberat, vt herba in frugem creſcat. Nemo ergo quemlibet proximum cum adhuc herbam videt, de frumento deſperet.

Item ſuper finem Ezech. Homil. Nullus qui ad bobum propoſitum adhuc in mentis teneritudine eſſe conſpicitur, deſpiciatur, quia fructus Dei ab herba incipit, vt granum fiat. *Hier. ſuper Marcum.* Semẽ enim eſt verbum vitæ, terra vero corda humana, vbi fructificat primum horbam ideſt timorem, quę eſt initium ſapientiæ, deinde ſpicam ideſt pœnitentiam lachrymoſam, deinde vero plenum frumẽtum in ſpica ideſt charitatem, Plenitudo enim legis charitas. *Fulgentius ad Theodorum ſenatorem.* Quod itaq; viam mandatorum Dei currere delectaris, non hoc tibi dat natura ſed gratia. Nam & oculus ſic factus eſt, vt videri lumẽ poſſit, ſed videre non poteſt, niſi ſe illi lumen infuderit. Quod ergo videt oculus beneficium eſt luminis, quo ſi caruerit, cæcus remanebit in tenebris. Nil itaq; tibi boni tanquam tuum aſſignes, ne non accipias quod accipere poteras, & quod acceperas perdas. Deteſtabilis enim eſt cordis humani ſuperbia, qua facit homo, quod Deus in hominibus damnat, ſed illa deteſtabilior qua ſibi tribuit homo quod Deus in hominibus donat, damnabilis eſt qui ſubſtantia ſæculi male vtitur, ſed damnabilior qui ſpiritualibus donis ſuperbus efficitur.

Qualiter eorum munera gratanter ſuſcipit.

CAP. CXXX.

De ſacrificio Cayni & Abel.

Auguſt. de Ciui. Dei lib. 15. Legitur autem, quod Deus Abel & Cayn ſacrificia diſcreuit, illius reſpiciens, huius deſpiciens, quod aliquo ſigno viſibili atteſtante cognoſci potuit. Iratuſq; eſt Cayn ac cõcidit facies eius, & dixit ei Deus. Nonne ſi recte offeras, recte autem non diuidas peccaſti? Occiditq; fratrem ſuum, vt ait Iohannes Apoſtolus, non alterius rei gratia, niſi quia opera eius erant maligna, fratris autem iuſta. Ex quo datur intelligi Deum iccirco non reſpexiſſe ad eius munera: quia hoc ipſo male diuidebat, Deo videlicet dans aliquid ſuum, ſibi autem ſeipſum. Quod omnes vtique faciunt, qui propriam non Dei voluntarem ſectantes, ideſt corde peruerſo viuentes, Deo tamen munus offerunt, quo videlicet eum redimi putant, vt eorum prauis cupiditatibus opituletur non ſanandis, ſed explendis. Boni ſiquidem ad hoc vtuntur mundo, vt fruantur Deo, mali autem econtra volunt vti Deo, vt fruantur mundo.

Origenes ſuper Mathæum lib. 15. In datis vtique non aſpicit Deus datum, ſed dantis affectum & melius ſuſcipit parua dantem cum affectu magno, quam magna cum modico. Et ſi ergo minima, & contemptibilia Petrus cum fratre ſuo reliquit, tamen apud Deum nõ minima ſunt æſtimata, conſiderantem quoniam ex tãta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt, vt etiam ſi multas poſſeſſiones habuiſſent, omnia ſine dubio reliquiſſent, nec ab eis vllo modo detenti vel impediti fuiſſent ab impetu dilectionis eiuſmodi. Et puto quod magis confidens Petrus de affectu ſuo quam de quantitate rerum relictarum fiducialiter dixit. *Ecce nos reliquimus omnia &c. Gregorius in Homil. de vocatione Apoſtolorum.* Fortaſſis itaque dicit aliquis: ad vocem Dominicam vterq; piſcator ille quid aut quantum dimiſit, qui penè nihil habuit? Sed in hac re chariſſimi debemus potius affectum penſare quàm cenſum. Multum reliquit qui ſibi nihil retinuit, qui quamlibet paruum totum deſeruit: certe nos & habita cum amore poſſidemus, & quæ minime habemus ex deſiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimiſit, quando vterque etiam deſideria habendi reliquit, à ſequentibus ergo Chriſtum tanta dimiſſa ſunt, quanta à non ſequentibus concupiſci potuerunt. Multa fratres relinquitis, ſi deſiderijs renuntiatis Exteriora enim noſtro Domino quamlibet parua ſufficiunt, cor namque & non ſubſtantiam penſat, nec perpendit quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur. Æſtimationem quippe preci; non habet, ſed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes: valuit namq; Zachæo dimidio ſubſtantiæ, Petro & Andreæ retibus & naui. Valuit viduæ duobus minutis, valet alteri calice aquæ frigidæ. Penſatæ ergo fratres quid vilius cum emitur, quid carius cum poſſidetur. Sed ſi fortaſſe nec calix aquæ frigidæ ſuppetit, qui indigenti præbeatur, etiam tunc ſecuritatem nobis promittit ſermo diuinus, *In terra inquit pax hominibus bonæ voluntatis.* Ante Dei namq; oculos nunquam eſt vacua manus à munere, ſi arca cordis repleta fuerit bona voluntate. Hinc etenim Pſalmiſta dicit. *In me ſunt Deus vota tua*, &c. Nihil quippe offertur Deo ditius voluntate bona. Voluntas autem bona eſt, ſic aduerſa alteri, ſicut nobis pertimeſcere, ſic de proſperitate proximi, ſicut de noſtro profectu gratulari, Aliena damna noſtra credere, Aliena lucra noſtra deputare, Amicum non propter mundum, ſed propter Deum diligere, Inimicum amando tolerate, nũlli quod pati non vis facere, nulli quod tibi iuſte impendi deſideras denegare, Neceſſitati proximi iuxta vires concurrere.

Deus affectũ reſpicit.

Deus non pẽſat quantum ſed ex quanto.

Voluntas bona.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter eos exaudit orantes pro ſe ipſis.

CAP. CXXXI.

Tribulatis conducit vt quis exaudiatur.

Gloſſa ſuper Pſal. *Inuoca me inquit in die tribulationis*: iccirco ſiquidem homini tribulatio datur, vt ab illo Deus inuocetur. *Hieronymus ſuper Pſal.* 117. *'Da nobis 'Domine* ait *auxilium de tribulatione*, vis à Domino exaudiri, eſto in tribulatione, clama & exaudieris. Scriptum eſt enim: *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Si quis ergo non eſt in tribulatione, auxilium Domni non poteſt inuocare. *Auguſtin. de ſermone 'Domini in Monte libro* 2. Orationis autem intentio cor noſtrum ſerenat, vel ſeruat, vel expurgat, & ad accipienda diuina munera, quæ nobis ſpiritualiter infunduntur, capacius efficit, itaque fit in oratione conuerſio cordis ad Deum qui ſemper paratus eſt dare, ſi nos apti ſumus quod dederit capere. *Idem in quodam ſermone.* Sicut ergo orantis affectus, erit & exaudientis effectus Nam pletumque orantes aliunde cogitamus, quaſi obliti ante quem ſtamus. *Idem ſuper* 3. *Pſalm.* Ecce quid iniurię Deo facis quotidie. Quid ſi iudicem interpelles, & ſubito cum ad eum loqueris, illum dimittas, & cum alio fabulari incipias, quomodo te tolerabit, & tamen tolerat Deus corda peccantium diuerſas res cogitantium. Nam vt omittam dicere noxias ac peruerſas, ac Deo inimicas ipſaſque ſuperfluas cogitare, iniuria eſt eius, cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio eſt ad Deum, quando legis tibi Deus loquitur, quando orans Deo loqueris.

Orationis elogia.

Item ſuper Epiſtolam ad Rom. Verum quid oremus ſicut oportet, neſcimus, fallimur enim quando que putantes prodeſſe quæ poſcimus, ſicut ipſe Apoſtolus orauit, vt ab eo diſcederet ſpiritus, qui etiam ex diuino reſponſo didicit, contra ſe ipſum eſſe quod petijt. *Gregorius in Moralibus libro* 10. Sæpe quoque orationis tempore tanta tentamentorum numeroſitas nos obſidet, vt penè ad lapſum deſperationis inclinet, ſed apud miſericordem iudicem hæc ipſa quæ vſum quoque orationis aggrauat, pro nobis triſtitia exorat. Nam mæroris noſtri caligi nem conditor conſpicit, & ſubtracti luminis radios refundit. Vnde ſcriptum eſt. *Cum te conſumptum putaueris, orieris vs Lucifer. Benardus in quodam ſermone.* Nemo itaque noſtrum paruipendat orationem ſuam, quoniam ipſe quem oramus non paruipendit eam, ſed priuſquam egreſſa ſit ab ore noſtro, ſcribi iubet eam in libro ſuo, & vnum indubitanter è duobus ſperare poſſumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis eſſe nouit vtilius. *Ambroſi. ſuper Lucam libro* 6. Nec nocet aliquid ſæpius poſtulare, ne vel Dei gratia, & miſericordia videatur homo diffidere, vel ex arrogantia quod prima prece non impetrauit dolere. *Iohannes Chryſoſtomus ſuper Matthæum.* Porro ſi Deus placandus eſt, non docendus, non ei neceſſaria eſt narratio longa, ſed voluntas bona. *Gloſſa ſuper Matthæum.* Scit enim inquit pater veſter, quid opus ſit vobis antequam petatis. Cur ergo ſcienti loquimur vtique non noſtrę faciamus indicium voluntatis, ſed vt excitemus obſequium piæ deuotionis. Non enim opus eſt narrare, ſed oblectrare, quod eſt obſequium iuſtitiæ. Rogari quippe vult Deus & honorati, vt bonitas eius detinetur ad plurimos, & ſtatus iuſtitię ſeruetur apud ſubiectos. *Gloſſa ſuper Pſalm:* Magna eſt itaque virtus purę orationis, quę quaſi nuncius quidam ad Deum intrat, & mandatum peragit, quo caro peruenire nequit. Vnde Pſal. *Intret inquit in conſpectu tuo oratio mea.*

Deus dat aut id quod petitur aut vtilius.

Qualiter eoſdem exaudit orantes pro aliis.

CAP. CXXXII.

Chryſoſtomus vbi ſupra. Pro ſe quidem orare eſt naturæ, pro altero autem gratiæ, pro ſe orare cogit rei neceſſitas, pro altero autem orat fraternitatis charitas, & dulcior eſt ante Deum oratio non quam tranſmittit neceſſitas, ſed quam commendat fraternitatis charitas. Deinde magis exaudimur orantes pro inimicis quàm etiam pro nobis ipſis. Qui enim orat pro ſe, non gratiæ opus exequitur, ſed naturæ, qui autem orat pro inimico ſuo, digne exaudi tur, quia gratiæ opus exequitur. *Idem in ſermone de Chananea*: Mulier Chananæa orans pro filia, ſed à Domino repulſa, tandem tamen eſt exaudita. Cum enim dixiſſet Dominus. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere conibus* &c. Illa reſpondit: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis &c.* O violentia mulieris, ô intentio animi, & profectus fidi, emedicus dicit non, & illa dicit, etiam. Et tu ergo ne recedas, donec quod petis accipias, imo nec tunc quando acceperis ceſſa, ſed tunc perſeuera; gratias pro eo agens quod accepiſti, vt tibi permaneat quod acceperis. *Hieron. ſuper Danie.* Daniel reuelata ſibi Nabuchodonoſor viſione, dicit in oratione. *Domine oſtendiſti mihi quæ rogauimus te.* Quod enim quatuor rogant, vni oſtenditur, vt & arrogantiam fugiat, ne ſolus impetraſſe videatur, & gratias agat, quod ei ſoli myſterium reuelatur. *Idem ſuper Ezechiel. libro* 4 Sicut autem hoſti murus opponitur, & aduerſario ex aduerſo venienti occurritur, ita Dei ſententia ſacrorum precibus frangitur. Vnde Moyſi ab eo dicitur. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra populum iſtum, & deleam eum.* Per Ezechielem etiam eiuſdem populi paſtoribus vel prophetis improperando dicitur. Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini. *Idem ſuper Hierem. libro* 9. Ecõtra vero ad Hieremiam dicitur à Domino. *Tu autem noli orare pro populo hoc*; nullam videlicet pœnitentiam agente, ne videaris rogans quod poſtulas non impetrare. Et rurſum quia non exaudiam, inquit, in tempore clamoris eorum ad me, qui me videlicet neceſſitatis tempore coguntur rogare. Ex hoc autem quod dicitur: *Noli orare pro populo iſto.* dicimus fruſtra aliquem pro aliquo alio rogare, cum ille pro quo rogatur, non mereatur accipere. *Gregor. in Moral. libro* 9. Deus inquit eſt, cuius iræ reſiſtere nemo poteſt. Ait vero quid eſt dicere Moyſi. *'Dimitte me, vt iraſcatur furor meus in populum iſtum*, niſi deprecandi auſum præbere. Iræ ergo Dei reſiſti videtur, quando ſcilicet ipſe qui iraſcitur opitulatur. Reſiſti autem omnino non valet, quando quidem & ſe ad vlciſcendum excitat, & precem quæ ſibi funditur, non aſpirat. Hinc & ad Hieremiam dicitur. Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. *Auguſt. de Ciuit. Dei libro* 21. Cauſa itaque qua fit, vt nunc eccleſia non oret pro malis Angelis, eadem eſt cauſa qua fiet, vt in extremo iudicio, quamuis perfecta charitate non oret pro hominibus æterno igne cruciandis. Nunc autem propterea pro eis orat quos in genere humano habet inimicos: quia tempus eſt pœnitentiæ fructuoſę. Nam ſi de aliquibus certa eſſet, quod prædeſtinati eſſent in ignem ęternum ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo Sed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus duntaxat hominibus in hoc corpore conſtitutis, non tamen pro omnibus exauditur, ſed pro his qui etſi aduerſantur, tamen ita prædeſtinati ſunt, vt pro eis exaudiatur, & filij eius efficiantur. Pro defunctis etiam quibuſdam oratio eccleſiæ exauditur, ſcilicet pro his quorum in Chriſto regeneratorum nec ita male vita in corpore geſta eſt, vt hac miſericordia iudicentur non eſſe digni, nec

Fides Chananea.

Dei ſententia precibus frangitur canto intellige.

Pro quibus orationes eccleſiæ exaudiuntur.

ita bene, vt hanc misericordiam necessariam non habeant. A

Qualiter perfectos ad sui contemplationem subleuat.

CAP. CXXXIII.

Paulus aquila spei.

G *Regor. in Moral. lib. 31.* Denique (sicut scriptum est) ad præceptum eleuatur Aquila, dum iussionibus diuinis obtemperans in supernis suspenditur fidelium vita, quæ & nidum in arduis ponere dicitur, quia desideria terrena despiciens, spe iam cœlestibus innititur. Videamus Paulum velut Aquilam spei nidum in arduis construentem. Nostra inquit conuersatio in cœlis est, In petris ergo manet, idest intentione cordis inter illas cœlestes virtutes residet, quæ per æternitatis suę fortitudinem tanta iam soliditate fixæ sunt, vt in nullo latere culpæ mutabilitatis varietate flectantur. Vnde & aptè sequitur. Et in præruptis silicibus commorantur, atque inaccessis rupibus. Prærupti etenim sunt, quia pars eorum cecidit, & pars remansit. Qui & integri quidem stant per qualitatem meriti, sed per numeri quantitatem prærupti, hanc præruptionem restituere mediator venit, vt redempto humano genere illa Angelica damna sarciret, & mensuram cœlestis patriæ locupletius forte cumularet. In ipso quidem restaurantur ea quæ in terra sunt, cum peccatores ad iustitiam conuertuntur. In eo restaurantur quæ in cœlis sunt, dum illuc humiliati homines redeunt, vnde apostatæ Angeli superbiendo ceciderunt. Cordi enim peccatorum hominum, valde inaccessa est claritas Angelorum, Inde contemplatur escam, idest ex illis choris Angelicis tendit oculum mentis ad contemplandam gloriam supernę maiestatis: qua non visa adhuc esurit, qua tandem visa satiatur. Oculi eius de longe prospiciunt. Quantumlibet etenim in hac vita positus quisque profecerit, necdum Deum per speciem, sed per ænigma & speculum videt.

Mēs quæ vagatur.

Consideremus quam sublimis aquila fuerit Paulus, qui vsque ad tertium cælum volauit, sed tamen in hac vita positus è lōginquo ad Deum prospicit, vnde ego inquit non me arbitror comprehendisse. *Idem super cantica canticorum.* Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Meridie siquidem feruente Christus in vmbra requiescit: quia dum in reprobis æstus vitiorum flagrat, ipse sponsæ suæ spiritum refrigerij tribuit, & in ea delectabilem sibi locum quietis accendit. Et vere in quo Christus non cubat vagatur: quia mens quam ille suauis & ponderosus Christi spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circunfertur. *Super cantica homelia 22.* Itaq; licet suauis sit Dominus vniuersis, maxime tamē domesticis. Et quanto quis ei pro vitæ meritis & puritate mentis appropiat, tanto eum arbitror vnctionis suauioris sentire fragrantiam Porro in huiusmodi nō capit intelligentia, nisi quantum attingit experientia. *Idem in ho. 25.* Anima vero quę semel à Domino didicit & accepit intrare ad seipsam, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, talis nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius pænaliusve ducat, quam post spiritualis huius studij gustatam semel suauitatem exire denuo ad illecebras, vel potius molestias carnis, sensuumq; inexplebilem repetere curiositatem. Terribilis proinde nimis est illa minatio, egredere & abi post vestigia gregum. Quod est, indignam te noueris illa tua familiari & suaui diuinorum contemplatione, quamobrem egredere de sanctuario meo corde tuo, & magis tanquam vna de secularibus pascendis & oblectandis tuæ carnis sensibus intricate Exitus aquarum deducant oculi mei super huiusmodi animam, quæ cum nutriretur in croceis, demum amplexatur stercora. Pauit enim sterilem, & qui non peperit: & viduę non benefecit. B C D E

Qualiter infirmæ mentis affectum lux diuina reuerberat.

CAP. CXXXIV.

Gradus assēsionis animæ.

G *Regorius super extremam partem Ezechielis.* Et autem fides primum ostium nostrum in cognitione Dei, quia per illam aperitur aditus visionis Dei. Et sæpe quidem Dei naturam inuisibilem considerare volumus, sed nequaquam valemus, atq; ipsis fatigata difficultatibus anima ad se redit, sibiq; ipsa de se gradus ascensionis facit. *Primus* ergo gradus est, vt se ad se colligat. *Secundus est* vt qualis est collecta videat. *Tertius* vt super seipsam surgat, & se contemplationi auctoris inuisibilis intelligendo subiiciat, sed se ad se nullo modo colligit nisi prius terrenarum & cælestium imaginum phantasmata ab oculo mentis conspicere didicerit. Cum ergo se sine imaginibus cogitat, iam primum ostium intrat, sed ab hoc ostio ad aliud tenditur, vt de natura rei aliquid contempletur, hoc est ostium contra ostium. *Idem in 7.* Itaq; dilectus manum per foramen mittit, quando virtute sua Deus nostrum animum per subtilem intellectum pulsat, & venter ad tactum illius contremiscit, quia infirmitas nostra per hoc quod cœlestis gaudij intellectu tangitur, ipsa sui exultatione turbatur, & fit mentis pauor in lætitia, quia iam sentit quod de cœlis gaudium diligat, & adhuc metuit, & non percipiat quod vix tenuiter sentit. *Idem super primam partem.* Audi Prophetam, vidi inquit & cecidi in faciem meam. Quid ergo de ipso fieret, si ita vt est Dei gloriam vidisset? Considerare cum lachrymis debemus, in quantam miseriam, & infirmitatem cecidimus, qui & ipsum bonum ferre non possumus, ad quod videndum creati sumus.

Qui nouit veritatē nouit æternitatem.

Aug. in li. confes. 7. Ego quidem admonitus ad meipsum redire, intraui in intima mea duce te. Et vidi qualicunq; oculo animæ meæ supra oculum eundem lucem incōmutabilem. Qui nouit veritatem, nouit eam, & qui nouit eam, nouit æternitatem. O ęterna veritas & vera charitas, & chara æternitas, tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte, & cum te primum cognoui, tu assumpsisti me vt viderem esse quod videram, & nondum me esse quod viderem, & reuerberasti infirmitatem aspectus mei, radians in me vehemēter & contremui horrore & amore, & inueni me longe esse in regione dissimilitudinis, tanquam auditem vocem tuam de excelso. Cibus sum grandium cresce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. *Idem in libro 10.* Tu es itaque lux permanens quam de omnibus consulebam an essent, quid essent, quanti pendenda essent, & audiebam docentem atque iubentem, sæpe illud facio & ab actionibus necessitatis quantum relaxari possum ad istam voluptatem refugio, nec in his omnibus qui percurro consulens te inuenio tutum animæ meæ locum, nisi in te quo colligantur sparsa mea, nec à te quicquam recedat ex me. & aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ac nescio quam dulcedinem quę si perficiatur in me nescio quid erit quod vita ista nō erit, sed ærumnosis ponderibus in ista recido & resorbeor solitis acteneor, & multū fleo. Hic enim esse valeo nec volo, illic volo nec valeo, miser vtrobiq; O veritas sero te amaui, pulchritudo tam antiqua, & tam noua. Et ecce intus erat & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa quæ fecisti deformis irruebā. Mecum eras & tecum non eram, ea me tenebant longe à te quę si in te nō essent, nihil essent. Vocasti enim, clamasti & rupisti surditatem meam, coruscasti, splēduisti, & fugasti cæcitatem meam. tetigisti me & exarsi in pacem tuam. Flagrasti & duxi spiritum & anhelo tibi. Gustaui & esurio, & sitio cum inhæreo tibi ex omni me. Nusquam erit mihi labor & dolor, sed viua erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam quem

tu

tu imples, ſubleuas eum, quoniam autem plenus tui non ſum, oneri mihi ſum. *Idem in libr.* 11. Quid eſt ergo illud quod interlucet mihi, & percutit cor meũ ſine læſione, & inhorreſco, & inardeſco. Inhorreſco inquantum diſſimilis ei ſum, Inardeſco inquantum ſimilis ei ſum, Sapientia ipſa eſt, quæ interlucet mihi diſcindens nubilum meum, quod me rurſus cooperit deficientem ab illa caligine atque aggere pœnarum mearum, quia infirmata eſt in paupertate virtus mea, vt non feram bonum meum, donec tu domine qui propiciatus es omnibus iniquitatibus meis, ſanes etiã omnes infirmitates meas. *Spe enim ſalui facti ſumus*: & promiſſa tua per patientiam expectamus. *Idem in lib. de trin.* 8. Ecce ô anima vide ſi potes, Deus veritas eſt, hoc enim ſcriptum eſt, quod Deus lux eſt; non vtiq; quam iſti oculi vident, ſed quam intuetur cor cum audit, veritas eſt. Noli quærere quid ſit veritas, ſtatim enim ſe opponent caligines imaginum corporalium, & nubila phantaſmatum ſerenitatem perturbantium, quæ primo ictu diluxit tibi, cum diceretur veritas. Nam ecce in ipſo ictu primo, quo velut coruſcatione perſtringeris, cum dicitur, Veritas, mane ſi potes, ſed vtique non vales, mox enim relaberis ad iſta terrena tibi conſueta, nec alio pondere relaberis, niſi ſordium contractarum viſco cupiditatis erroribuſque peregrinationis.

Qualis lux Deus?

Qualiter in hoc ipſo intuitu mentes electorum ad compũctionem inflammat.

CAP. CXXXV.

Gregor. in Moral. lib. 27. Recte autem in lib. Iob te Domino dicitur: *Quia poſt eum rugiet ſonitus*, quem enim illuſtrando repleuerit, eius vitam proculdubio in lamentum vertit, & dolet homo quod fuit, quia bonus iam incipit videre quod non fuit. Odit qualem fuiſſe ſe meminit, amat qualem ſe eſſe debuiſſe cognoſcit. *Idem in lib.* 32. Sancti namque viri quo apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eo ſubtilius indignos ſe eſſe deprehendunt: quia cum proximi luci fiunt, quicquid eos in ſeipſis latebat inueniunt, & tanto magis foris ſibi deformes apparent, quanto minus pulchrum eſt quod intus vident. Itaque ſi igne compunctionis incaleſcens anima à tenore ſuo tacta ſubito afflatu contemplationis euigilet, illa quæ leuia paulo ante credidit, mox vt grauia & mortifera perhorreſcit. Et quanto amplius ſubleuata profecerit, tanto magis refugiet infima, in quibus proſtrata defecit. Ex qua re miro modo agitur, vt vnde dignior efficitur, inde ſibimet indigna videatur, & tunc à rectitudine longe ſe eſſe ſentiat cum appropinquat.

Sancti deprehendunt ſuã indignitatẽ.

Idem in li. 5. *In horrore inquit viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pauor tenuit me & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt, & cum ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ, ſteterit quidam, cuius non agnoſcebam vultum* &c. Horror nocturnæ viſionis eſt pauor occultę contemplationis. Mens enim humana quo altius leuata æterna conſiderat, eo de factis temporalibus tremefacta formidat, quia tanto ſe ream verius cernit, quanto ſe ab illo lumine diſcrepaſſe, quod ſuper ſe intermicat conſpicit. Sicque fit, vt illuminata plus metuat: quia magis aſpicit, à veritatis regula per quanta diſcordat, quod quaſi tempore ſoporis fit: quia quiſque internam quietem quęrens huius mundi ſtrepitum mente fugit, & velut obdormiſcit, dumque altiora ſecretorum cœleſtium ſubleuata mens cõſpicit, cuncta virium humanarum, quę per oſſa deſignantur, ſoliditas concremiſcit, nobiſque præſentibus tranſit ſpiritus, cum tranſuiſibilia non ſolide, ſed raptim videmus. Non enim in hac ſuauitate diu mens figitur, quoniam ad ſemetipſam immenſitate luminis reuerberata reuocatur. Cumque dulcedinem internam deguſtat, amore ſiquidẽ ęſtuat, & ire ſuper ſemetipſam nititur. Sed ad infirmitatis ſuæ tenebras fracta relabitur. Non ergo ſtat ſpiritus, ſed tranſit, quia ſupernam lucem noſtra contemplatio nobis inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abſcondit.

Horror nocturnæ viſionis.

Pili vero carnis quęlibet ſuperflua ſunt humanæ corruptionis. Semper enim caro ſuperflua generat, quæ ſemper ſpiritus ferro ſollicitudinis reſcindat. Tranſeunte ergo ſpiritu pili horreſcunt, quoniam ante vim compunctionis, qua ſemetipſam anima contemplatiua de ſuperfluis cruciat, cogitationes ſuperfluæ fugiũt, vt nihil iam fluxum nihil iam remiſſum libeat: quia mentem afflatam etiam contra ſemetipſam viſionis intimę ſeueritas inflammat. Cumque quod in corde illicitum naſcitur, continua diſcretione reſeratur, plerumque fit, vt vegetata mens paulo latius radio ſpeculationis inhæreat, & pæne figat ſpiritum qui tranſibat, nec tamen hac ipſa contemplationis mora plene diuinitatis vim aperit, quoniam eius immenſitas humanas vires etiam auctas ſubleuataſque tranſcendit, ideo recte poſtea dicitur. *Stetit quidam cuius non agnoſcebam vultum.* Quidam enim non dicimus, niſi de illo quem exprimere nolumus, aut non valemus. Anima vero cum deitatis eſſentiam rimatur, ad inſueta rapitur. Et ſi necdum apprehendit quid ſit, agnouit tamen quid non ſit. & bene dicitur. Stetit, ad differentiam creaturæ, quæ facta eſt ex nihilo, per ſeipſam ad nihilum tendit, nec habet ſtare, ſed defluere. *Idem in lib* 24. Quatuor denique ſunt qualitates, quibus anima viri iuſti in compunctione afficitur vehementer, videlicet cum aut malorum ſuorum reminiſcitur, conſiderans vbi fuit, aut iudicia Dei metuens, & ſecum quærens cogitat vbi erit. Aut cum mala vitæ præſentis ſolerter attendens, mærens conſiderat vbi eſt, aut cum bona ſupernæ patriæ contemplãs lugens conſpicit vbi non eſt &c.

Pili a carnis.

Stetit quidam quid impertat.

Qualiter illis ſpirituales locutiones occulte inſpirat.

CAP. CXXXVI.

Auguſtinus de ciu. Dei libr. 11. Magnum eſt autem & admodum rarum pauciſque conceſſum vniuerſam creaturam corpoream, & incorpoream mente conſideratam, compertamque mutabilem intentione mentis excedere, atque ad incommutabilem Dei ſubſtãtiam peruenire, & illic ex ipſo diſcere, quod cunctam creaturam quę non eſt quod ipſe, non fecit niſi ipſe, ſic enim cum homine loquitur, non per creaturam corporalem, nec per corporis imaginem ſed ipſa veritate, ſi quis idoneus ſit ad audiendum mente non corpore. Ad illud enim hominis ita loquitur, quod in homine cęteris quibus conſtat homo melius eſt, & quo ipſe Deus ſolus melior eſt. *Item in li. confeſ.* 10. O igitur veritas (vt dixi) tu præſides vbique omnibus conſulentibus te, ſimulque reſpondes omnibus etiam diuerſa conſulentibus, & tu quidem liquidè reſpondes, ſed non liquide audiunt omnes, omnes vnde volunt conſulunt, ſed non ſemper quod volunt audiunt. Optimus autem miniſter tuus eſt: qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipſe voluerit, ſed potius hoc velle quod à te audierit.

Veritas præſidet omnibus.

Bernar. Clareual. Felix qui diuini ſuſurrij venas intus aure cordis percipit, frequenter iterans illud Samuelis. *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Gregor. in moral. lib* 5. *Ad me inquit dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiue ſuſcepit auris mea venas ſuſurrij eius.* Verbum abſconditum audire, eſt ſpiritus ſancti locutionem corde concipere: quæ ſentiri quidem poteſt, ſed ſtrepitu ſermonis exprimi non poteſt, quæ ſcilicet aſpiratio mentem humanam cõtingendo ſubleuat, & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc deſiderijs inflammat, vt nihil ei iam cogitare niſi quæ ſuperna ſunt libeat, & cuncta quæ inferius de humana perſtrepunt corruptione contemnat, venę autem ſuſurrij eius dicuntur cauſarum origines, qui-

Spiritus ſancti loquutio in corde non poteſt exprimi.

bus hæc aſpiratio ad mentem dicitur. Quaſi enim venas ſuſurrij ſui aperit, cum nobis Deus latenter inſinuat, quibus modis ad noſtræ intelligentiæ aurem venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore compungit, aliquando præſentia quaſi nulla ſint oſtẽdit, & ad æterna diligenda deſiderium erigit, aliquando prius æterna indicat, vt poſt temporalia vileſcant, aliquando noſtra nobis mala aperit, & adhoc nos vſq;, vt de alienis etiam malis doleamus, extẽdit. Aliquando aliena mala noſtris obtutibus obiicit: & compunctos mirabiliter à noſtra prauitate nos corrigit. *Venas itaque diuini ſuſurri furtiue audire*, eſt occultos diuinæ aſpirationis modos tenuiter cognoſcere. Aliter vero qui ſuſurrat occulte loquitur, & vocem non exprimit, ſed imitatur. Nos ergo quouſque carnis corruptione premimur, nullo modo claritatem diuinę lucis ſicut in ſe incommutabilis manet videmus: quia acies noſtræ infirmitatis non ſuſtinet hoc quod de eius æternitatis radio ſuper nos intolerabiliter fulget. Cum ergo ſe nobis omnipotens Deus per rimas contemplationis indicat, nequaquam nobis loquitur, ſed ſuſurrat: quia etſi ſe plene non intimat quiddam tamen de ſe humani menti manifeſtat. Tunc autem iam nequaquam ſuſurrat ſed loquitur, cum eius nobis ſpecies certa reuelatur, hinc & ipſius veritatis voce dicitur, *Palam de patre meo annunciabo vobis.*

Diuinus ſuſurrus quis?

Idem in libro 27. Tonabit inquit voce ſua mirabiliter, voce nempe ſua Deus mirabiliter tonat, quia occulta vi corda noſtra incomprehenſibiliter penetrat. Qui dum latentibus motibus in timore premit, & in amore format quanto ardore ſequendus ſit, aliquo modo ſilenter clamat, ſit cuiuſdam impulſionis intimitas in mente, dum nihil ſonet in voce. Quę tanto apud nos valentius perſtrepit, quanto & ab omni exteriori ſtrepitu aurem noſtri ſurdeſcere facit cordis. Vnde & anima ad ſemetipſam mox hoc intimo clamore collecta miratur quod audit: quia vim compunctionis incognitæ percipit. Cuius ipſa admiratio bene apud Moyſen manna deſuper veniente ſignificatur. Dulcis etenim cibus qui de ſupernis accipitur manhu vocatur. Manhu dicitur, quid eſt hoc? Et quid eſt hoc dicimus, quando hoc quod cernimus neſcientes admiramur. Supernum ergo manna anima percipit, cum per vocem compunctionis incognitæ eleuata, nouam ſpeciem internæ refectionis obſtupeſcit, vt diuina dulcedine repleta iure reſpondeat. Quid eſt hoc? quia dum ab infima cogitatione ſuſpenditur, ea quę de ſuperis conſpicit inſolitè miratur.

Manna quid ſignificat

De varijs locutionum Dei modis.

CAP. CXXXVII.

Auguſtinus in libr. confeſ. 12, In verbo quidem ſibi cœterno dicit Deus ſimul omnia quæ dicit: & fit quicquid vt fiat dicit, nec aliter quam dicendo facit, nec tamen ſimul ac ſempiterne fiunt omnia quæ dicendo facit. Sed omne quod incipit eſſe vel deſinit, tunc eſſe incipit, & tunc deſinit, quando debuiſſe incipere vel deſinere cognoſcitur in ęterna ratione, vbi nec incipit aliquid nec deſinit, ipſum eſt verbum patris, quod principium eſt, & loquitur nobis, nec quicquam eius cedit atque ſuccedit: quia vere immortale & æternum exiſtit. *Gregor. in moral. libr. 5.* Verbum abſconditum eſt inuiſibilis filius Dei, verbum quod erat apud Deum, ſed hoc verbum abſconditum mentibus electorum dicitur, cum eius poteſtas credentibus manifeſtatur, Et hoc eſt quod dicitur ſecundum vnum ſenſum, *ad me dictum eſt verbum abſconditum. Auguſtin. de prædeſtinatione & perſeuerantia.* Omnis inquit qui audit à patre, & didicit, venit ad me, valde remota eſt à ſenſibus carnis hęc ſchola, in qua pater auditur, & docet vt ad filium veniatur, multos ad filium venire, & in Chriſtum credere cernimus: ſed vbi & quando à patre audierint, & didicerint non videmus.

Verbum abſconditum.

Idem in lib. de magiſtro. Quis autem filium in ſchola mittit, vt quod magiſter cogitet diſcat. Ac iſtas omnes diſciplinas, quas magiſtri docere profitentur, cum verbis explicuerint, diſcipuli vtrum vera dicta ſint, apud ſemetipſos conſiderant, interiorem, ſcilicet veritatem pro viribus intuentes. Falluntur autem, vt eos qui non ſunt, magiſtros vocent: quia plerumque inter tempus locutionis & tempus cognitionis nulla mora interponitur, & quoniam poſt admonitionem ſermocinantis cito intus diſcunt, foris ſe ab eo qui admonuit didiciſſe arbitrantur. Nos autem intelligamus quam verè ſcriptum ſit auctoritate diuina: ne nobis quemque magiſtrum dicamus in terris, & quod vnus omnium magiſter in Cœlis eſt.

Vnus magiſter.

Item in lib. confeſ. 3. O veritas lumen cordis noſtri, non tenebræ meę loquantur mihi, defluxi ad iſta & obſcuratus ſum, ſed hinc etiam adamaui te. Erraui & recordatus ſum tui. Audiui enim poſt me vocem tuam vt redirem, & vix audiui propter tumulus impacatorum. Nunc autem ecce redeo ęſtuans & anhelans ad fontem tuum. Nemo prohibeat, ne hinc bibam, & hinc viuam, ſed male vixi ex me: mors mihi fui, nunc reuiuiſco in te, tu me alloquere, tu mihi ſermocinare. Credidi libris tuis, & verba eorum arcana valde dixiſti mihi Domine voce forti in aure interiori, quia tu æternus es & immortalis, quoniã ex nulla ſpe motuve mutaris, nec temporibus variatur voluntas tua: quia non eſt immortalis voluntas, quæ alia & alia eſt, hoc enim in conſpectu tuo claret mihi, & magis magiſque clareſcat, ore te atque in ea manifeſtatione perſiſtam ſobrius ſub alis tuis. Item dixiſti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quod omnes naturas atq; ſubſtantias quæ non ſunt quod tu es & tamen ſunt, tu feciſti, Et hoc ſolum à te non eſt, quod non eſt, motuſq; volũtatis à te quies, ad id quod minus eſt, quia motus talis peccatum eſt. Et quod nullius peccatum aut nocet tibi, aut vel in vllo perturbat ordinem imperij tui, vel in primo vel in imo, & quod nec illa creatura tibi coæterna eſt, cuius voluptas tu ſolus es, teq; perſeueran tiſſima charitate hauriẽs, mutabilitatem ſuam nuſquam & nunquam exerit, ſed te ſibi ſemper præſente, ad quam affectu toto ſe tenet non habens quod expectet futurum, nec traijciens quod meminerit, nulla vice variatur, nec in aliqua tẽpora diſtenditur. hæc inquam omnia dixiſti mihi voce forti in aure interiori. *Idem ſuper Gen. lib. 8.* Certiſſime autem tenere debemus loqui Deum, aut per ſubſtantiam ſuam, aut per ſubditam ſibi creaturam. ſed per ſubſtantiam ſuam non loqui, niſi ad creandas omnes naturas. Ad ſpirituales autẽ intellectuales non ſolum creandas, ſed etiam illuminandas, cum iam ſc. capere poſſunt eius locutionẽ in verbo æterno, quod eſt ipſa veritas. Illis vero qui eam non poſſunt capere, nõ loquitur Deus, niſi per creaturã, aut tantum ſpiritualem, ſicut in ſomnis, vel extaſi in rerum corporaliũ ſimilitudine, aut etiam per ipſum corporalem, dum ſenſibus corporis vel apparet aliqua ſpecies, vel inſonant voces.

Ex fonte veritatis bibimus & viuimus.

Qualiter nobis loquitur etiam in ſcripturis.

CAP. CXXXVIII.

Hvgo de San. Vict. Quamdiu quidem homo Deũ intus audire loquentem potuit, doctrina exteriori opus non habuit. Sed poſtquam librum vitæ oculo interiori inſpicere iam non valet, ſcriptura foris apponitur, vt ex eius ſaltem inſpectione renouetur. *Aug. ſuper Pſal.* Itaque ſicut cum oras Deo loqueris, ſic Deus tibi loquitur quãdo legis. Vnde ſi vis ait Dominus, vt figam in auribus meis orationem tuam, fige in corde tuo legem meam.

Idem de ciuit. libr. 11. Nempe quia mens noſtra vitiis quibuſdam veteribus & tenebroſis inualida eſt:

non ſolum ad inhærendum fruendo: verum etiam ad perferendum incommutabile lumen donec de die in diem renouata atque ſanata, fiat tantæ fœlicitatis capax, fide primum imbuenda fuerat atque purganda, ita vt confidentius ambularet ad veritatem. Ipſa veritas Deus. Dei filius, homine aſſumpto, non Deo cõſumpto, eandem fidem conſtituit atque fundauit: vt ad Deum via eſſet homini per hominem Deum hic quoque per Prophetas, deinde per ſeipſum & per Apoſtolos locutus, etiam ſcripturam canonicam condidit, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit.

Scriptura Canonica.

Idem contra Fauſtum libro primo. Itaq; diſtincta eſt excellentia veteris & noui teſtamenti apoſtolorum firmata temporibus, per ſucceſſiones epiſcoporum, & propagationes eccleſiarum tanquam in ſede quadam ſublimiter conſtituta, cui ſeruiat omnis fidelis & plius intellectus, Ibique ſi quid velut abſurdum legentem mouerit, non licet dicere, auctor huius libri veritatem non tenuit, ſed aut codex mendoſus eſt, aut interpres errauit, aut tu non intelligis. In opuſculis autem poſteriorum licet eadem inueniatur veritas, longe tamen eſt impar auctoritas. Vnde niſi vel certa ratione, vel ex illa canonica auctoritate quod ibi diſputatum vel narratum eſt demonſtrerur, ſi quis credere noluerit non reprehenditur, quia non præcipiendi auctoritate, ſed proficiendi exercitatione à nobis ſcribuntur. Inter hos enim ſumus quibus dicit apoſtolus. Et ſi quid aliud ſapitis id quoque vobis Deus reuelauit: hoc ergo genus litterarum non eſt cum credendi neceſſitate, ſed cum iudicandi libertate legendum. Cui tamen ne locus intercluderetur & adimeretur poſteris ad difficillimas quæſtiones tractandas ſtili ſaluberrimus labor, diſtincta eſt (vt prędictum eſt) à poſteriorum libris excellentia illa canonicæ auctoritatis, vbi quicquid Propheta, vel Apoſtolus, vel Euangeliſta poſuiſſe declaratur, ipſa canonis confirmatione non licet quin verum ſit dubitare. Alioquin nulla erit pagina qua humanæ imperitiæ infirmitas regatur, Si ſalubertima librorum auctoritas aut contempta pænitus aboletur, aut interminata confunditur.

Authoritas ſcripturæ ſacræ.

Item in libro de Doctrina Chriſtiana. His autem qui ſcripturas diuinas legunt, quædam obſcure dicta, plerunque denſiſſimam caliginem obducunt quod diuinitus prouiſum eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio remouendum, cui facile inueſtigata plerunque vileſcunt. *Idem in libro* 3. Quicquid autem in ſermone diuino nec ad morum honeſtatem, nec ad fidei veritatem poteſt referri proprie, cognoſcas figuratum eſſe, morum honeſtas pertinet ad Deum & proximum cognoſcendum. Spes autem ſua cuique eſt in conſcientia. *Grego. in moral. libro* 23. Aduerſus Deum inquit contendis, quod non ad ſingula verba reſponderit tibi. *Semel loquitur Deus, & ſecundo idipſum non repetit.* ac ſi diceret. Deus ſingulorum cordibus priuatis vocibus non reſpondet, ſed eloquium tale conſtruit, per quod cunctorum quæſtionibus ſatisfacit. In ſcripturæ ſiquidem eius eloquio, cauſas noſtras ſinguli ſi requirimus inuenimus, ibi nobis omnibus in eo, quod ſpecialiter patimur, communiter reſpondetur.

Cur tãta caligo ſcripturarum.

Benar. in Epiſtola ad Carthuſ. Verum quo ſpiritu ſcripturæ factæ ſunt, eo legi deſiderant, & intelligi, nunquam ingredieris ſenſum Pauli, donec vſu bonæ intentionis in lectione & ſtudio aſſiduæ meditationis ſpiritum eius imbiberis.

De diuinis præceptis ſcriptura promulgatis.

CAP. CXXXIX.

Auguſtin. vbi ſupra. Non autem ſcriptura præcipit, niſi charitatem, non culpat niſi cupiditatem, eo modo informat mores hominum. Non autem aſſerit niſi Catholicam fidem, rebus præteritis, & futuris & præſentibus: *præteritorum narratio eſt futurorum prænunciatio, & præſentium demonſtratio.* Sed omnia hęc ad eandem charitatem nutriendam & corroborandam, & cupiditatem vincendam & extinguẽdam valent. Charitatẽ voco motũ animi ad fruẽdum Deo propter ipſum, & ſe atq; proximo propter Deũ. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum ſe & proximo & quolibet corpore non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus, ſuum, *flagitium* vocatur. Quod autem agit vt alteri noceat, *facinus* dicitur. Et hæc ſunt duo genera omnium peccatorum. Sed flagitia priora ſunt. Quę cum exanimauerint animum, & ad quandam egeſtatem perduxerint, in facinora proſilitur, quibus remouẽtur impedimenta flagitiorum, vel adiumenta quęrantur. Item quod agit charitas vt ſibi proſit, *vtilitas* eſt. Quod autem agit vt proximo proſit, *beneficentia* nominatur. Quantoque magis regnum cupiditatis deſtruitur tanto charitas augetur.

Regula.

Flagitium. Facinus.

Vtilitas. Beneficẽtia

Item in ſermone de charitate. Si ergo tibi homo non vacat omnes paginas ſanctas reuoluere, omnium ſcripturarum penetrare ſecreta, tene charitatem vbi pendent omnia. Ille quippe tenet & quod patet, & quod latet in diuinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus. *Item in Pſalterio decachordo.* Porro decalogus legis decem præcepta diſtributa ſic habet, vt tria pertineant ad Deum, ſeptem ad homines, vnum itaque præceptum charitatis continet duo præcepta. Illaque duo continent ſeptem, & illa decem quæ continent omnia. Cantate ergo in Pſalterio decem chordarum canticum nouum, & vt nouum cantetis, noui homines ſitis. *Gregorius in moral. libr.* 10. Vtinam inquit oſtenderet tibi Deus, quod multiplex ſit lex eius. Lex Dei charitas intelligitur per quam ſemper in mente legitur præceptum vitę qualiter in actione teneatur. Vnde per Apoſtolum dicitur. Plenitudo legis eſt dilectio. Sed eadem lex multiplex dicitur, quoniam ad cuncta virtutum facta dilatatur. Quæ à duobus quidem præceptis incipit, ſed ſe ad innumerata extendit Huius namque legis initium dilectio Dei eſt: ac dilectio proximi. Sed dilectio Dei ad tria limitatur & per tria diſtinguitur: quia ex toto corde, ex tota anima & ex tota fortitudine diligi conditor iuberur, vt vniuerſaliter, qui perfecte Deo placere deſiderat, de ſe ſibi nihil relinquat. Proximi autem dilectio in duo præcepta deriuatur, cum per quendam iuſtum dicitur, quod ab alio tibi odiſti fieri, vide tu ne alteri feceris: Et per ſemetipſam veritas dicit, *Quæ vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis.* Quibus duobus, ſcilicet vtriuſque teſtamenti mandatis, per vnum malitia compeſcitur, per aliud benignitas prærogatur: vt malum quod pati non vult quiſque non faciens ceſſet à nocendi opere. Et rurſum bonum quod fieri ſibi appetit impendens erga vtilitatem proximi ſe exerceat ex benignitate. Sed hęc nimirum duo dum ſollicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum miniſteria tenditur, ne vel ad inferenda quæ non debet deſideriis inquieta mens ferueat, vel erga exhibenda quæ debet ocio reſoluta torpeſcat. De hac legis multiplicitate dicit Apoſtolus: *Charitas patiens eſt: benigna eſt* &c.

Decalogi diſtributio.

Charitas ſolidatio præceptorum.

Idem in hom. Euangel. cum ita ſacra eloquia dominicis plena ſunt præceptis, de ſola dilectione Dominus in Euangelio præceptum ponit: quia quicquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur, præcepta ergo domini multa ſunt per diuerſitatem operis, ſed vnum in radice dilectionis.

De diuinis iudicijs in generali.

CAP. CXL.

Gregor. in moral. lib. 16. Deus certe cum ſit omnipotens, ſic omnibus intendit, vt ſingulis adſit. Nam etſi quoſdam peccantes deſerit, eis tamen adeſt per iudicium, quibus deeſſe cernitur per adiumentū. Fruſtra ergo dicit impius. *Quid enim nouit Deus: qui quaſi per caliginem iudicat? nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat.* *Ambroſius ſuper epiſtolam ad Epheſios.* Dominus itaque iudex iuſtus diſcernit cauſas, non perſonas. *Item ſuper epiſtolam ad Hebraos.* Timeamus ergo eius præſentiam, cuius nullatenus effugere valemus ſententiam. *Bernard. ſuper cantica Homil. 60.* *Similis eſt*, inquit ſponſa, *dilectus meus caprea hinnuloque cernuū*, Tu ergo qui aduentū deſideras ſaluatoris, time oculos capreæ. Time ſcrutinium iudiciis, acuto viſu eſt: nil inſcrutatum relinquit. Quid in Babylone tutum, ſi in Hieruſalem manet ſcrutinium? Illorum qui de Babylonia ſunt, peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium: & non egent ſcrutinio, ſed ſupplicio: mea autem qui videor Hieroſolimita, peccata certe ſunt occulta, & ideo neceſſe erit ſubtili ea diſcuſſione inueſtigari, & quaſi admotis lucernis, de tenebris in lucem prodi. *Cum accepero inquit tempus ego iuſtitias iudicabo*, verendum eſt, ne in tam ſubtili examine multæ noſtræ iuſtitiæ, vt putamus peccata appareant, vnum tamen eſt, ſi noſipſos iudicemus, non vtique iudicabimur. *Spiritualis homo omnia iudicat, & à nemine iudicatur.* Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona, mala melioribus actibus corrigere & punire curabo. In bonis de me humiliter ſentiam, & ſeruum me inutilem reputabo. Quis mihi det ita ad liquidum proſequi vel perſequi omnia delicta mea: vt in nullo oporteat vereri oculos capreæ: & in nullo contingat ad lumen lucernarum erubeſcere?

Oculus caprea.

Subtile ſcrutinium in iudicio Dei.

Hier. ſuper Iſa. lib. 14. Ego quaſi in ſpecula conſtitutus, mundi huius turbines atque naufragia non abſq; gemitu & dolore contemplor, non præſentia cogitās, nec hominum famam atque rumuſculos, ſed Dei iudicium pertimeſcens. *Idem ſuper Pſalm. 17.* *Omnia ſiquidem iudicia eius in conſpectu meo ſunt ſemper.* Quæ ſunt quatuor, duo quidem in præſenti, ſcilicet proſperitas malorū. & tribulatio ſanctorū, & duo in futuro ſ. remuneratio ſanctorum & condemnatio peccatorū. *Gloſſa ſuper eundem Pſalm.* *Omnia itaque iudicia eius in conſpectu meo*, quia præmia iuſtorum, pœnas impiorum, flagella corrigendorum, tentationes probandorum ſemper attendo, ac perſeueranti contemplatione cōfidero. *Et iuſtitias eius*, id eſt, eadem eius iudicia iuſta non repuli à me, ſicut facit ille qui ſub eorum ſarcina deficiens ad vomitum redit, vel qui carnis fragilitate ſuperatus, quod cœperat dimittit. Itaque tripliciter Deum contemplatur animus hominis. ſcilic. in ſeipſo bonum: in operibus magnum, in iudiciis iuſtum, in ſeipſo amabilem, in operibus mirabilem, in iudiciis metuendum.

Quatuor Dei iudicia.

Qualiter miſericordia & veritas in eis occurrunt ſibi.

CAP. CXLI.

Hieronym. ſuper Ionam. Porro iuſtitia Dei fallatur miſericordia: & tali ad iudicium ambitione procedit, ſic parcit, vt iudicet, ſic iudicat, vt miſereatur, vnde miſericordia inquit & veritas obuiauerūt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. *Item ſuper Pſalm. 84.* O quam præclara amicitia miſericordiæ ac veritatis, ſiue iuſtitię & pacis. Peccator es? audi quid dicat miſericordia. Sanctus es, audi quid dicat veritas, vt nec ſi peccator es deſperes, nec ſuperbias ſi iuſtus es. *Anſelmus in prologo.* Domine tu quidem miſericors es ſecundum nos, quia ſaluas miſeros, & peccatoribus parcis, non autem ſecundum te, quia compateris. Non eſt tibi cor miſerum ex miſeri compaſſione, quod eſt miſericordem eſſe, miſericors es, non quia tu ſentis affectum, ſed nos effectum, verum quomodo parcis malis, ſi totus & ſumme iuſtus es. Sed & cum punis malos, iuſtum eſt, quia illorum meritis conuenit. Et cum parcis malis, iuſtum eſt: quia bonitati tuæ condecens eſt. Parcendo ergo malis iuſtus es: non ſecundum nos ſed ſecundum te, ideſt non quia nobis reddas debitum, ſed quia facis quod decet te ſummum bonum. Sic itaque ſine repugnantia & iuſte punis & iuſte parcis. *Hugo de ſancto Victore.* *Miſericordia inquam & veritas obuiauerunt ſibi*, veritas affirmauit nequam homines merito debere damnari; Miſericordia reſpondit, Eos vt boni fierent, ſpontanea etiam pietate debere reuocari: veritas dixit ſe nolle nec poſſe tot ſcelera hominum tolerare; Miſericordia reſpondit: Gratiam Domini ad indulgendum ſuperabundare, videns Deus tam diuerſas ſententias ad effectum ſimul procedere non poſſe ait. Scriptum eſt *miſericordiam & veritatem diligit Deus*, veritas autem vult vt totum imputetur. Miſericordia vero, vt totum condonetur, quæ ſimul fieri non poſſunt propterea peccatum hominis & ex parte propter veritatem puniatur, & propter miſericordiam ex parte dimittatur. *Auguſt. contra epiſtolam fundamenti* Non ergo mireris ô anima rationalis, quod etiam bona quæ ad ſeruiendum tibi creata ſunt, nunc tibi non omnimodo ſeruiant, & te aliquando cruciant: Hæc etenim in Adam meruit humana natura, nec tamen derelicta es ſine miſericordia, certis rerum ac temporum menſuris vt redeas vocaris. Sic enim recto moderamine conditoris corrumpuntur ac reformantur bona terrena, vt haberes ſupplicio mixta ſolacia, vt & Deum laudates ordine delectata bonorum, & in eo refugeres experimentis exercitata malorum, inquantum itaque tibi terrena ſeruiunt, docent te dominam tuam eſſe, & inquantum moleſta ſunt docent te Domino tuo ſeruire. *Idem in libr. de continentia.* Sic à Deo largitas impartitur miſericordiæ, vt non relinquatur etiam iuſtitia diſciplinæ. Nam & peccatum quod multum videtur, pediſſequam habet pœnam ſuam, vt nemo de amiſſo niſi aut amaritudine doleat, aut cæcitatē non doleat. Deniq; miſericordia ſuperexaltatur iudicio iuxta Iacobum, nec dicit quod vincat iudicium. Non eſt enim aduerſa iudicio miſericordia, ſed ineſt Deo & miſericordia iudicanti, & iudicium miſeranti. *Ambr. ſuper epiſtolam ad epheſios.* Et nos ergo Deum imitari debemus, cuius tempore nata eſt iuſtitia ſicut dicit ſcriptura. Noli eſſe nimis iuſtus. *Idem ſuper beati immaculati.* Siquidem & in homine miſericordia portio eſt iuſtitiæ, dare namq; pauperi eſt iuſtitia, ſecundū quod ſcriptum eſt. *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſaculum ſaculi.* Nam quia conformis tuus eſt iniuſtum eſt, quod à ſocio non adiuuetur. Præſertim cum Dominus hanc terram communem omnium eſſe poſſeſſionem, & fructus omnium miniſtrare voluerit, ſed *auaritia poſſeſſionum iura diſtribuit.*

Supplicio mixta ſolacia.

Dari pauperi eſt iuſtitia.

De Ira Dei.

CAP. CXLII.

Hiero. ſuper Malachiam. Itaq; ſi quando fames ac penuria & omnium rerū ægeſtas mundum opprimit, Sciamus quod hoc ex ira Dei deſcendit, qui ſe in pauperibus ſi non accipiant eleemoſynam dicit fraudari, ſuaque poſſeſſione priuari, vnde Propheta in penaria inquit, Vos maledicti eſtis. &c. *Item ſuper Epiſtolam ad Epheſios libro 3.* Porro de nulla re ſic iraſcitur Deus, quomodo ſi peccator ſuperbiat, & erectus ac rigidus nequaquam in fletum flectatur, nec miſericordiam poſtulet pro delicto. *Aug. in Enchiridio.* Ad iram quoque Dei pertinet iuſtitia, quicquid cæca & indomita concupiſcentia libenter faciunt mali, &

Amicitia iuſtitiæ & pacis.

quicquid

Deus nõ iraſcitur de iniuria ſua.

quicquid manifeſtis apertiſq; pœnis patiuntur inuiti *Iohannes Chriſoſtomus ſuper Matthæum lib.* 1. Cum autem Deus ab homine contegitur, non de iniuria ſua, ſed de perditione humana iraſcitur. Et cum hominem caſtigat, nequaquam iniuriam ſuam vindicat, ſed hoc facit vt illum ad ſalutem corrigat. *Idem in lib* 2. Vtilior eſt ergo homini Deus iratus, quàm homo propitius. *Item ſuper Matth. Homil.* 14 Non dolere autem, quia peccaueris, magis Deum iraſci facit & indignari, quam hoc ipſum quod ante peccaſti.

Mereri & Prouocare iram Dei quid?

Greg. in Moral. lib. 26. Ira itaque iudicij à noſtra hic correctione inchoat, vt in reproborum damnatione conquieſcat. Porro ſimulatores & callidi prouocant iram Dei, nam non dicuntur mereri, ſed prouocare, quoniam irã Dei mereri, eſt etiam neſciendo peccare. Prouocare autem iram Dei eſt mandatis eius ſciendo contraire, ſcire bonum ſed deſpicere, facere poſſe nec velle. Et bene ſimulatores dicuntur callidi: quia ſimulationis falſitatẽ non poteſt exequi, niſi qui ſubtilioris fuerit ingenij. Oportet enim eum qui talis eſt, ad cuſtodienda duo continua obſeruatione diuidi, videlicet vt calide nouerit occultare quod eſt, & oſtentare quod non eſt, vera mala premere, bona falſa monſtrare, nec ſe aperte in hoc quod videtur extollere, atque vt maiorem gloriam teneat, ſæpe ſimulare ſe gloriam declinare. Ante diſtrictum itaque iudicium hi de ignorantia excuſationem habere non valent, quia dum ante hominum oculos ſanctitatis modum oſtentant, ipſi ſibi teſtimonio ſunt: quia bene viuere non ignorant. *Bernar. ſuper cantica. Homil.* 42.

Miſeratio Dei nolenda quã.

Denique tunc magis iraſcitur Deus quando non iraſcitur, vnde *miſereamur inquit impio, & non diſcet facere iuſtitiam*, hanc miſericordiam ego nolo, ſuper iram omnem eſt iſta miſeratio mihi ſapiens vias iuſtitiæ. Satius profecto eſt mihi apprehendere diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & peream de via iuſta, volo iraſcaris mihi pater miſericordiarum, ſed ira illa qua corrigis deuium, Cum te ſentio iratum, tunc maxime confido propicium, quia cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis.

Quod Deus ſemper inuitus punit.

CAP. CXLIII.

Regorius Nazian. de plaga grandinis. Ego itaque polliceor de miſericordia Domini, quod ſtatim vt nos ad eum fuerimus conuerſi, & ipſe quidem iraſci deſinet, quod vtique contra naturam facit, & conuertetur ad miſerationes, quod vtiq; ſecundum naturam gerit In illud à nobis compellitur, hoc ei naturaliter ineſſe comprobatur, nos tamen ipſi noſtri miſereamur, & iuſtis eius miſerationibus viam patefaciamus. *Hiero. ſuper Iſa. lib.* 1. *Heu, inquit, ego conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor, de inimicis meis.* Ecce plangit clementiſſimus pater delinquentes, eoſque ſuos vocat hoſtes, videlicet quod ſponte pereant cum nolint agere pœnitentiam. Itaque conſolatio eius ſuper hoſtibus ſuis eſſe dicitur, vt qui non ſenſerunt beneficia, ſupplicijs corrigantur. *Idem in lib.* 11.

Homo opus amaritudinis quando.

Alibi per eundem Prophetam videlicet Iſaiam dicitur. *Sicut in monte diuiſionum ſtabit Dominus, ſic in valle Gabaon iraſcetur, vt faciat opus ſuum.* Alienum eſt opus vt faciat illud, peregrinum eſt opus eius ab eo, homo eſt opus amaritudinis, quando ſcilicet mutare clemẽtiam cogitur, & pro dulci amarus efficitur. *Idem ſuper Ionam.* Deus itaque natura miſericors eſt paratus vt ſaluet clementia, quos non poteſt ſaluare iuſtitia. Hinc ad prędicationem Ionæ pœnitentibus Niniuitis miſertus eſt Dominus ſuper malitia quam locutus eſt, vt faceret illis. Nam qui mauult pœnitentiam peccatoris quam mortem, opera Niniuitarum commutata videns, libenter mutauit ſententiam, quin potius perſeuerauit in propoſito ſuo miſereri volens ab initio. Nemo quippe punire volens, quod facturus eſt A comminatur. *Iohannes Chr. ſuper Matt.* Ergo quaſi violenter cogitur aliquem perdere, qui cupit omnes ſaluare. *Proſper in lib. ſententiarum Aug.* Nullaque opera Dei vacant à miſericordię beneficio, quando quidem homini & indulgentia conſulit & flagello.

Bern. in ſermone de Natali Domini. Verum quomodo Deo proprium eſſe miſereri dicitur, cuius iudicia ſcilicet abyſſus multa eſſe leguntur. Neque enim vniuerſæ viæ Domini miſericordia ſola, ſed miſericordia & veritas dicũtur, nec minus vtiq; iuſtus quam miſericors eſt, cui meſericordia & iudicium decantantur, verum licet cui vult miſereatur, & quem vult induret, tamen quod miſeretur, eſt illi proprium, quia videlicet ex ſemetipſo materiam ſumit, ac velut quoddam miſerendi ſeminariũ Quo ad enim iudicat & cõdemnat, nos eum quodammodo cogimus: at longe B aliter miſeratio quam animaduerſio procedere videtur de corde ipſius. Depiq; ipſum audi, quid per Prophetam dicat, Nunquid voluntati meę eſt mors impij, dicit Dominus, & non magis vt conuertatur, & viuat? Recte ergo non pater iudiciorum vel vltionum dicitur, ſed pater miſericordiarũ, non modo quia miſeretur quemadmodum pater filiorum, ſed eo magis quod miſerẽdi cauſam & originem ſumit ex proprio, iudicandi vel vlciſcendi magis ex noſtro. *Ambr. de S. Abraham li.* 1. At quandoq; flagitiorum noſtrorũ clamoribus velut excitatur Deus, vt aliquando vindicet, qui libenter ignoſceret. Vnde *Clamor inquit ſodomorũ & Gomorraorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggranatum eſt nimis.* Magna ſiquidem Dei eſt patientia, vt non peccatores puniat, ſed diu correctionem expectans differat, necvnquam commoueatur ad vlciſcendum, niſi peccator menſuram excedat. Vnde & C Iudęis ait. *Vos implete menſuram veſtrorum patrum in perpetratione* ſcilicet delictorum.

Cur miſereri propriũ Dei cũ ſit iuſtus?

Qualiter peccatores per miniſterium creaturarum afflugit.

CAP CXLIV.

Reg. in Moral. lib. 6. Ecce ante cernimus, quod ad correctionem noſtram imber arẽte terra ſuſpenditur, & aer inardeſcente ſole ſiccatur, ſemen acceptum à terra conſumitur. In quibus patenter aſpicitur hoc quod Sapiens teſtatur, Pugnabit cum eo orbis terrarum contra inſenſatos. Contra enim eos orbis pugnat, quia in pœnam delinquentium & elementorum aduerſitas militat. *Hiero. ſuper Iſa. li.* 5. Areſcit inquit aquam de mari &c. Naturale ſiquidem eſt, vt indignationem Dei ſentiant, & aduerſus eos qui Deum offenderunt cuncta ſimul elementa deſeruiant. *Idem ſuper Here. li.* 3. Hinc etiam de ſermonibus ſiccitatis eſt Hieremię Prophetia, queniam iræ Dei conſentiunt vniuerſa. *Idem ſuper Malachiam.* Itaq; (ſicut iam dictum eſt ſuperius) ſi quando fames omniumq; rerum egeſtas mundum opprimit, hoc ex ira Dei deſcendere cognoſcamus *Aug. contra Epiſt. fundã.* Nec miteris (vt dixi) quod bona quæ ad ſeruiendum tibi creata ſunt, nunc te aliquando cruciant, nec omni modo tibi ſeruiũt. Hæc etenim humana meruit natura. *Hugo de ſan. Vic.* Homo nimirũ ad miſeriam deiectus, ad miſericordiã reſeruatus cepit cruciari, vt culpã agnoſceret, & exerceri, vt ad miſericordiam reparari poſſet, vt in dolore ſentiret bonũ quod perdidit, & in exercitatione proficeret ad bonum quod habiturus fuit, totum ergo ad cruciatum verſum eſt, quod creatum fuerat in iucunditatem vt in omnibus dolorem & laborem inueniat, vt in afflictione ſua & præſentem miſeriam & amiſſam felicitatem cognoſcat.

Fames ex ira Dei.

Greg. Nazian. vbi ſup. Vnde igitur ſterilitas? vnde aeris corruptio? vnde poſtea & morbi? vnde terrarum motus terroreſque de Cælo? multo vtiq; vehementiora ſunt & grauiora quæ apud ſe retinent theſauri iræ Dei. Sed hæc ideo ad præſens inferuntur, vt quod ſupereſt iræ Dei per conuerſionem noſtram auertamus,

uertamus, quoniam hic adhuc lenitas quædam eſt & correptio manſueta & initia quædam caſtigationum velut paruulis adhuc & lactentibus illata. Adhuc fumus quidam eſt iracundiæ,& auſpicia pœnarum, nõdum ignis exurens, nondum flamma vorax, nec carbones ſuccenſi. *Beda ſuper Marcum.* Cœli ſiquidem (vt ait Petrus) qui nunc ſunt verbo Dei repoſiti, ſunt igni reſeruati in diem iudicij. Nam quocuuq; peruenire potuit aqua diluuij, quæ quindecim cubitis cacumina montium tranſcendit, eo iuxta dictam ſententiam Petri perueniet ignis quoque iudicij.

Ignis iudicij.

De malis diuina iuſtitia miniſtris.

CAP. CXLV.

ISidorus *de ſummo bono lib.* 3. Mali quoq; iccirco neceſſarij ſunt, vt ab illis flagellentur boni quotiens offendunt. Hinc eſt quod Aſſur virgam furoris ſui fuiſſe Dominus teſtatur. Habet ergo aliquem vſum & malorum iniquitas, quod electos Dei ſuis morſibus laniat, ac per hoc impiorum vita ſibi deperit, Iuſtorum autem non perit, ſed proficit, dum eos mali per exercitium tribulationis erudiunt ad vitam præſentem odiendam,& futuram deſiderandam.

Malierudiũt bonos.

Hiero. ſuper Iſaiam lib. 4. *Nunquid ergo inquit gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? Aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur?* hoc contra Sennacherib dicitur, quo videlicet tanquam inſtrumento Deus in caſtigatione Iudęorum vtebatur. O ſtultiſſime mortalium, iram Dei tuam putas eſſe ſapientiam & illius iuſſionem ad tuam refers fortitudinem. Cunque organum fueris diuinę voluntatis, in ſuperbiam erigeris, & cuncta quę geruntur, tuę gloriaris fuiſſe virtutis. *Idem in lib.* 11. Interfectis autem Aſſyrijs, iccirco Sennacherib reſeruatus eſt, vt Dei potentiam ſciret, oraq; blaſphemantia comprimeret, atq; maieſtatis illius, quem paulo ante contempſerat teſtis fieret ſic & in decem plagis Pharao reſeruatus eſt, vt nouiſſimus periret, quod & iſte poſt modicum paſſus eſt..

Sennacherib Dei inſtrumentum.

Greg. in Moral. lib. 2. Legitur etiam quod ſpiritus Domini malus arripiebat Saul. Vbi notandũ eſt, quod vnus & idem ſpiritus & Domini appellatur, & malus. Domini per licentiã iuſtę poteſtatis. Malus per deſiderium iniuſtę voluntatis, formidari ergo non debet, qui nihil niſi permiſſus valet. *Idem in lib.* 18. Omnis quippe diaboli voluntas eſt iniuſta, & tamen Deo permittente omnis poteſtas iuſta. Vnde dicitur, *ſpiritus malus* (vt dictum eſt) propter nequiſſimam voluntatem, & Domini propter acceptam iuſtiſſimam poteſtatem. *Idem in dialogo lib.* 3. Igitur abſque omnipotentis Dei conceſſione nullam habet poteſtatem contra hominem malignus ſpiritus, qui etiam in porcos intrare nõ potuit niſi permiſſus. *Iohannes Chriſ. ſuper Matth. lib.* 1. Homines ergo Dei, non quantum vult, diabolus tentat, ſed quantum permittit Chriſtus qui in eis habitat. Ipſe namq; diabolus quantum ad ſe nunquam ceſſaret à tentatione, nec alium actum habet, nec dormit, nec manducat, nec aliud operatur, niſi vt tenter, vt fallat,& ſubuertat, hic eſt cibus illius & honor & gaudiũ. *Bernar. ſuper Cantica Homil.* 17. Iucundum vero iudicium eſt, vt ille ſuperbus humilium malleator eiſdem ipſis coronas perpetuas fabricet, omnes impugnando & omnibus ſuccũbendo, tu tibi ô miſer, ſedem in aquilone collocas plaga nebuloſa & frigida. Et ecce ſuſcitantur de puluere inopes, & de ſtercore pauperes, vt cum principibus ſedeant, & ſolium gloriæ teneant. Super eos incaluit mons coagulatus mons pinguis. *Aug de Ciu. Dei lib.* 5. Deniq; cum omnis poteſtas ſit à Domino Deo, quicquid præter voluntatem ſuam patitur homo, non debet attribuere humanis vel angelicis vel cuiuſquam creati ſpiritus voluntatibus, ſed eius potius voluntati, qui dat poteſtatem volentibus.

Quo ſẽſu dicitur: ſpiritus Domini malus?

Quod his tradit iuſtitia miniſteria pro gradibus vel meritis.

CAP. CXLVI.

IDem *in libro quæſt.* 83. Deus itaque dignis digna tribuens, vtitur animis pro meritis & gradibus eorum, vt ſi quiſquam dignus ſit decipi, nec per ſeipſum nec per hominem veracem, nec per Angelum ſanctum decipiat eum, ſed aut per talem hominem qui nondum ſe mundi cupiditatibus exuit, aut per talem Angelum qui pro ſuæ peruerſione voluntatis ad vindictam peccatorum vel exercitationem iuſtorum in infimis naturæ gradibus ordinatus ſit. Legimus enim deceptum regem Achab falſo vaticinio, quia ſic dignus decipi fuit, & hoc non per Angelum bonum, quem deceptionis officium ſuſcipere non deceret, ſed per Angelum erroris, qui ſibi tales partes imponi vltro cum lætitia poſtulauit. Ex hac rerum per Dei prouidentiam adminiſtratione, quaſi tranſcripta eſt lex naturalis, in animam rationalem, & homines in vitæ huius conuerſatione talium diſtributionum ſeruant imaginem, hinc eſt quod iudex damnatum percutere indignum perſona ſua iudicat, eius tamen iuſſu hoc facit carnifex qui ordinatus eſt in officio, pro ſua cupiditate, vt legum moderatione damnatum percutiat, qui poſſet etiam innocentem percutere ſua crudelitate. Item fur morſu lacerari eſt dignus, id tamen agit homo non per ſe nec filium aut ſeruum, ſed per canem, quem talia facere decet pro naturæ gradibus. Cum ergo quoſdam aliquid pati deceat, quod alios facere non deceat, miniſteria quædam ſunt media, quibus digna iniunguntur officia, vt eis vtens ipſa iuſtitia,& talia pati quemquam imperet, qualia pati decet & per eum quem talia facere decet. Sic Ægyptij deceptione digni à filijs Iſrael Deo iubente, vel potius pro illorum cupiditate permittente decepti ſunt, vt illi vaſa eorum ac veſtes auferrent, quæ ab eis mutuo acceperunt. Quam etiam mercedem tam diurni laboris & operis pro talium animarum gradu non iniuſtam voluit eſſe, pœnamque illorum quos digne fecit amittere, quod debuerunt reddere. Non ita malorum Dominus eſt præceptor; ſed meritorum ac pœnarum iuſtiſſimus diſtributor, faciens quædam per ſeipſum, quę ſibi ſoli conueniunt, ſicut eſt illuminare ac beatificare ſeipſo animam, Alia vero per ſibi ſeruientem creaturam integerrimis legibus ordinatam, quędam eorum iubens, quædam permittens, vſque ad paſſerum adminiſtrationem, & ad fœni decorem, & vſque ad noſtrorum numerum capillorum diuina prouidentia protendente, quæ nimirum attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.

De deceptione Achab & Ægyptiorũ.

Quædam Deus per ſeipſum quædã per creaturas facit.

Quod ex Angelis & hominibus poteſtatis ſuæ miniſtros efficit.

CAP. CXLVII.

IOhannes *Chryſoſtom. in ſermo. de aſcen.* Quoniam ergo mente rabida Dæmones ad auerſionem pacis vbique verſantur, ad tutelam noſtram exercitus Angelorum à Deo conſtituuntur, vt eorum pœnitentia & Dæmonum confringatur audacia, & nobis miniſtretur pacis gratia. *Beda ſuper Apoc. libro* 2. Itaque duplex eſt (vt ait Hieronymus) Angelorum officium. Aliorum ſcilicet qui præmia iuſtis tribuunt, aliorum qui ſingulis cruciatibus præſunt. Vnde ſcriptum eſt. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Iſidorus in libro de ſummo bono.* Quotiens itaque Deus quolibet flagello huic mundo iraſcitur, ad miniſterium vindictæ

Miniſterium Angelorum apoſtatarũ.

apoſtatæ

apoſtatæ Angeli mittuntur, boni autem ad miniſteriũ ſalutis humanæ deputati ſunt, vt curas adminiſtrent mundi, & regant omnia iuſſu Dei. *Hugo ſuper Hierarchiam.* Creaturam quippe rationalem à conditione ſua ſimilitudinis eius participem, ſuæ fecit omnipotens & glorioſus Deus poteſtatis participem, conſtituens principatus & poteſtates ſacras, in cælo, in Angelis, & in terra in hominibus, vt dominentur creaturæ eius. Voluit enim in rerum à ſe factarum gubernatione participes habere, non vt illorum miniſterio iuuaretur, ſed vt ipſi poteſtatis eius conſortio ſublimes efficerẽtur, & quod vniuerſitatis ordo depoſcebat, vt opera eius complerẽtur per ordines & diſpoſitiones à ſummo omnium in vniuerſa præcepto decurrente. *Augu. de Trinit. lib.* 3. Sicut enim dictum eſt ſupra: Voluntas Dei quę facit Angelos ſpiritus, &c. in eis tanquam in ſecreta præſidet ſede. Indeque quibuſdam ordinatiſſimis creaturæ motibus, primò videlicet ſpiritualibus, deinde corporalibus ſe per cuncta diffundit, & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ. Nihil enim viſibiliter ac ſenſibiliter in mundo efficitur, quod non interioti & inuiſibili aula ſummi imperatoris aut iubeatur, aut permittatur ſecundum ineffabilem iuſtitiam prẽmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum.

Gregor. in Moral. lib. 26. Deus itaque potentes non abijcit, cum & ipſe ſit potens. Magna ſiquidem eſt etiam potentia temporalis, quoniam apud Deum habet meritum ſuum de bona adminiſtratione regiminis. Bona enim eſt in ordine ſuo potentia, ſed tanta regentis indiget vita. Poteſtas nempe quanto exterius eminet, tanto interius premi debet, ne animũ in delectatione ſua rapiat, ſeque illi mẽs libidine dominãdi ſupponat. Superbia namque vicina ſolet eſſe potentibus, & pænè ſemper elatio ſociatur rebus affluentibus, mirumque eſt cum in cordibus ſublimium regnat humilitas morum, intrinſecè ergo eſt tumoris elatio, non poteſtatis ordo. Potentiam enim Deus tribuit, elationem vero potentiæ malitia noſtræ mentis inuenit. Tollamus ergo quod de noſtro contulimus, & bona ſunt quæ Deo largiente poſſidemus. Nam quia non iuſta potentia, ſed actio praua damnatur, aptè ſubiungitur. Sed non ſaluat impios, & iudicium pauperibus tribuit. *Iſidorus vbi ſupra lib.* 3. Poteſtas quidem bona eſt, quæ à Deo data eſt, vt malum coerceat, non vt malum temerè committat. Nihil autem peius, quã per poteſtatem peccandi libertatem habere. Nihilque infœlicius malè agendi fœlicitate. Et quia reges à rectè agendo vocantur, ideo rectè faciendo regis nomen tenetur, peccando amittitur.

Superbia vicina potentibus.

Rex à rectè faciendo dicitur.

Quales in hominibus rectores ac doctores eligi conſtituit.

CAPVT CXLVIII.

Cyprianus ad Fel. Quia vero Deus peccatores non audit: plena indulgẽtia & exploratione ſincera illos oportet ad ſacerdotium Dei dirigi, quos à Deo conſtat audiri. Ideo enim in ordinatione Eleazar filij Aaron iuſſit eum Dominus in monte coram omni ſynagoga conſtitui, oſtendens ordinationes ſacerdotales non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia oportere fieri, vt plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum prædicentur merita, fitque ordinatio iuſta & legitima, quæ omniam ſuffragio & iudicio fuerit examinata. *Leo Papa ad Epiſcopos Africæ.* Integritas ſiquidem prẽſidentium ſalus eſt ſubditorum. Principatus autem quem aut ſeditio extorſit: aut ambitio occupauit, etiam ſi moribus aut actibus non offendit, ipſo tantum initij ſui pernicioſus eſt exemplo, & difficile eſt vt exitu peragantur bono, quæ malo inchoata ſunt principio, quod ſi in quibũſlibet eccleſiæ gradibus prouidenter curandum eſt, vt in domo Dei nihil fiat inordinatum nihil prẽpoſterum, quanto magis elaborandum eſt, vt in electione eius qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur? Nam totius familiæ Dei ſtatus & ordo mutabitur, ſi quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. *Iſidorus vbi ſupra.* Prouidet tamen Deus ſæpe curis deditos ſecularibus, ad ſuſceptionem regiminis, vt dum hi exteriora ſine tædio procurant, ſpirituales rebus interioribus ſine impedimento rerum terrenarum deſeruiant. Dei ergo ordinem accuſant à quo inſtituuntur, qui Epiſcopos condemnant, dum minus ſpiritualia, ſed magis terrena ſectantur. Non eſt itaque iudicandus à plebe rector inordinatus, dum magit nouerunt populi ſui fuiſſe meriti, peruerſi regimen ſuſcepiſſe pontificis. Nam pro meritis plebium diſponitur à Deo vita rectorum.

Rectores non iudicandi à plebe.

Hiero. ſuper Aggæum. Quia vero frequenter Domini iudicio, & populorum ſuffragio ſimplices in ſacerdotium eliguntur, ſaltem poſtquam fuerint ſacerdotes ordinati, diſcant legem Domini. Sacerdotis enim eſt legem ſcire, & interrogatum de lege reſpondere. Qui ergo ignorat legem, ipſe ſe arguit non eſſe ſacerdotẽ. *Auguſt. ſuper Ionam homil.* 7. Veruntamen Nathanaelem, quem intelligimus eruditum fuiſſe ac peritum in lege, licet ipſum verè Iſraelitam ac ſine dolo eſſe diceret, propterea noluit Dominus inter diſcipulos ponere, quoniam idiotas elegit, vt mundum confunderet, volens enim ſuperborum duram frangere ceruicem, non quæſiuit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem: magnus Cyprianus orator, ſed prius Petrus piſcator, per quem poſtea crederet & orator & etiam Imperator. *Idem de verbis Domini.* Itaque Dominus vt pro ſalute noſtra vt potentium amicitias contemnamus noluit prius eligere ſenatores ſed piſcatores. *Aug. de ciuit. Dei lib.* 2. Non ergo peritos Grammatica, non inflatos rhetorica, non armatos dialectica, ſed omnino quantum ad Philoſophorum doctrinam pertinet, impolitos piſcatores cũ fidei retibus ad mare huius ſæculi pauciſſimos miſit, atque ita ex omni genere tam multos piſces, & tanto mirabiliores quanto rariores ipſos etiam philoſophos cepit. *Bernardus ſuper Cantica homil.* 39. Benignus autẽ eſt ſapientiæ ſpiritus, eique Doctor benignus & diligens placet, qui ſic ſatisfacere cupiat ſtudioſis, vt morem gerere tardioribus non recuſet, qui elucidant, inquit me, vitam ęternam habebunt.

Sacerdos ſimplex.

Cur Nathanael non fuit poſitus inter diſcipulos?

Ordinatio ſacerdotalis qualis?

Qualiter Deus ad verbum doctrinę gratiam infundit.

CAPVT CXLIX.

Auguſtinus vbi ſupra lib. 15. At ipſe quidem Spiritus ſanctus operatur intrinſecus vt aliquid valeat doctrinæ medicina quę adhibetur extrinſecus, Alioquin etiam ſi Deus ipſe creatura ſibi ſubdita vtens alloquatur humanos ſenſus in aliqua ſpecie humana, niſi mentem interiorem regat & agat gratia ſua, nihil homini prodeſt omnis prædicatio veritatis. Quid enim Cain profuit? nonne conceptum ſcelus etiã poſt verbũ diuinæ admonitionis impleuit. *Idem in lib. de catechizandis rudibus.* Mihi quidem ſæpe indicat eorum ſtudium qui me audire cupiunt, non ita eſſe frigidum meum eloquium vt mihi videtur, & eos inde aliquid vtile capere ex ipſorum delectatione cognoſco, mecumque ago ſedulè, vt huic exhibendo non deſim miniſterio, in quo illos bene accipere quod exhibetur video. Et reuera multo gratius audimur, cum & nos eodem opere delectamur, ipſo quippe noſtro gaudio ſilum noſtræ locutionis afficitur, & exit facilius atque acceptius. Cæterum ſi Deus hilarem datorem diligit in pecunia corporali, quanto magis in ſpirituali.

Studium auditorum in Auguſtinum

Bernard. Clareuall. Ego etiam inter loquendum fateor, nonnunquam mihi feruorem ſtudij veſtri ſentire videor. Etenim quanto abundantius ſugitis, tanto amplius verba mea replet dignatio Spirituſſancti quæ propinem vobis. *Gregor. in Moral. lib.* 30. *Per quam ergo viam ſpargitur lux?* ait Dominus, ac ſi patenter di-

ceret, dum corda dura emollio, dum rigida flecto, dū aspera mitigo, dum frigida accendo, dum debilia roboro, dum vaga stabilio, dum mutantia confirmo, intuere si vales, incorporaliter veniens quibus ea meatibus illustro. Quis etiam dedit vehementissimo haberi cursum, & viam sonanti tonitrui, vt in deserto plueret & impleret inuiam & desolatam, & produceret herbas virētes: hæc enim omnia Deus fecit. i. exteriori prædicationi aspirationem internam cōtulit, vt corda hominū arentia viresceret, clausa patescerent, inania cōplerentur, infœcunda germinarent. Plerūque siquidem & imber est, & cursum non habet: quia prædicatio ad aures venit, scilicet cessante interna gratia ad corda audientium non pertransit, de cuius prædicationis verbis propter electos dicitur: *Etenim sagittæ tuæ pertransierunt.* Sagittæ quippe Dei pertranseunt, quando verba prædicationis eius ab auribus ad corda descendunt, quod quia solo diuino munere agitur, imbri cursum Dominus se dedisse testatur.

Externa prædicatio Deo aspirante quid facit

Qualiter prædicatorum vias disponit ac dirigit.

CAPVT CL.

IDem *in lib.* 28. Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit. Quid electi sunt nisi frumenta Dei cœlestibus horreis recondenda? Quæ nunc in tritura areæ paleas tolerant: quia in hanc purgatione sanctæ ecclesiæ mores contrarios reproborum portant, quousque hęc internus agricola ventilabro iudicij dirimat, & in superna habitacula electos suos quasi munda iam grana suscipiens, æternis paleas ignibus tradat: hoc frumentum quousque ad perfectionem fructuum veniat, nubium pluuias expectat vt crescat: quia bonorum mens prædicantium verbis infunditur, ne ab humore charitatis desideriorum carnalium sole siccetur. Nubes etiam lumen spargere est prædicatores sanctos exempla vitæ & loquendo & agendo dilatare. Sed quamuis annuntiationis intimæ lumen spargunt, non tamen ad conuertenda omnium quæ appetunt corda perueniunt. Nam sequitur: *Quæ illustrant cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit.* Sæpe enim prædicatores sancti exhortari quosdam volunt, sed nequeunt. Sępe quosdam declinare appetunt, sed tamen internæ instigationis impulsu eos exhortari instantissimè compelluntur. Videamus lumen Dei, quomodo gubernantis manu & ad ea quæ non appetit ducitur, atque ab impulsu suo iterum gubernantis manu retinetur. Certè Paulus cum vestimēta sua excutiens à Corinthijs discedere vellet, audiuit. *Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propterea quod ego tecum sum, & nemo apponetur vt noceat tibi, quoniam multus est mihi populus in hac ciuitate.* Rursum cum ad Thessalonicenses voluisset ire, retentus est dicens: *Voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus & semel & iterum, sed impediuit me Sathanas.* Neque enim per semetipsum Sathan præpedire vias tanti Apostoli potuit, sed occultæ dispensationis vsibus dum aduersatur nesciens deseruiuit, vt nimirum Paulus dum vellet ad alios accedere, nec valeret, eis à quibus recedere non poterat altius prodesset.

Nubes lumē spargentes sunt prædicatores sancti.

Lux prædicationis.

Nubes ergo Dei cuncta per circuitum lustrant: quia prædicationis luce mundi fines illuminat; sed quia diuinis nutibus subditæ nequeunt explere quod volunt, ire non possunt, nisi quo eas voluntas gubernantis duxerit, vnde & adhuc subditur: *Ad omne quod præceperat eis super faciem orbis terræ*; Sæpe enim cum gubernantis voluntate perducuntur, aliter agere appetunt, sed aliter disponuntur. Nam plerumque quosdam auditores suos prædicatores sancti studeant blandè corrigere, & tamen eorum sermo in asperitatem ducitur, plerumque quosdam resecare asperè appetunt, sed tamen eorum vigor per mansuetudinis spiritum refrænatur. Sicut ergo non possunt quò volunt, ita etiam nequeunt agere sicut volunt. Quia enim eos internus arbiter tenet cum mittit, ita illos etiam modificans suscipit cum perducit, vt aliquando in cogitatione alia disponant, sed alia in opere peragant, aliquando aliter inchoent, sed aliter consumment. Eo enim apertiorem viam prædicationis inueniunt, quo ad hanc non suis, sed præceptoris sui nutibus ducuntur: vnde & adhuc subditur: *Siue in vna tribu, siue in terra sua, siue quocunque loco misericordię sue eas iusserit inueniri.*

Idem in lib. 29. Hæc quoque gratia conditoris altius alibi commendatur, vbi dicitur: *Quis est pluuia pater? vel quis genuit stillas roris?* Hæc est pluuia de qua dicit Psalmus: *Pluuiam voluntariam*, &c. Voluntariam enim pluuiam hæreditati suæ Dominus segregat: quia non eam nobis pro meritis nostris, sed pro benignitatis suæ munere præstat. Et iccirco hic pater pluuiæ dicitur: quia superna prædicatio de ipsius nobis gratia generatur. Nam *stillæ roris* sunt prædicatores sancti, de quibus dictum est Iudæę contumaci, propterea prohibitæ sunt stillę pluuiarum, & serotinus imber non fuit.

Prædicatores stillæ roris

Quod humilibus gratiam tribuens superbis resistit.

CAPVT CLI.

IDem *in libro* 32. *Si habes*, inquit, *brachium sicut Deus*, &c. *Respiciens omnem arrogantem humilia.* Duobus modis à Domino peccator respicitur, cum aut à peccato conuertitur, aut ex peccato punitur. De respectu autem conuersionis dicitur. Quia *respexit Dominus Petrum, & recordatus Petrus fleuit amarè.* De respectu rursus vltionis dicitur: *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Vtrisque autem modis in humilitate arrogans sternitur, quia aut pœnitendo cognoscit culpam, aut pereundo percipit pœnam. Rectè autem sequitur: *Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo.* Superbi enim ex respectu Domini confunduntur, aut hic de ipsius pietate crimina cognoscentes atque damnantes, aut illic supplicia de iniustitia capientes. Impius autem in loco suo conteritur, quoniam ipsa superbia qua eleuatur opprimitur. Cumque eferendo se in cogitationibus erigit, lumen sibi iustitię quod inuenire debuisset abscondit. Sæpe autem dum contra Deum falsa gloria exterius proficit, vera miseria interius inanescit. Vnde Propheta ait: *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Ordinante siquidem diuino iudicio non eis est hic aliud culpa, & aliud pœna, sed sua illis in pœnam vertitur culpa, vt elati superbiæ fastu hoc ipsum sit verè intus cadere, quod foris ostenditur profecisse. Rectęque postea subditur: *Absconde eos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam.* Superbos enim iusto iudicio in puluere Dominus abscondit, quia eorum corda ipsis qui despecto amore creatoris eligunt, terrenis opprimi negotijs permittit, vnde & illorum vitam cum iudicio extremo discutit, tanquam sibi absconditam non cognoscit, dicens: Qui estis?

Peccator dupliciter respicitur.

Culpa vertitur in pœnā.

Hier. ad Bigunm Hispanum. Quanquam mihi multorum sim conscius peccatorum, & quotidie flexis genibus in oratione loquar: *Delicta iuuentutis meę*, &c. Sciens tamen scriptum esse: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Nihil à pueritia tam vitare conatus sum, quàm animum tumentem & erectam ceruicem, Dei contra se odia prouocantem.

Item super psalm. 35. De cœlo siquidem expulsi sunt dæmones, nec potuerunt stare, quia cœlum non potuit eos tenere, eo quod iam corruerant in pedem superbiæ. *Bernard. super Cantica homil.* 54. Sponsus ergo qui salit in montibus, non salit in dæmonibus. Sed eos transilit iuxta interpretationem Dauid, dicentis: *Omnes montes qui estis in circuitu eius visitet Dominus, à Gelboe autem transeat.* Diabolo namque qui per Gelboe significatur, hinc inde sunt montes quos visitat Dominus, supra Angeli, infra homines, in pœnam siquidem suam locum in aere isto medium inter cœlum &

Diabolus per Gelboe significatur.

terram

terram de cælo cadens diabolus sortitus est, vt videat & inuideat, & ipsa inuidia torqueatur. Quid ergo superbis terra & cinis? repudiatio Angelorum, fiat commendatio hominum: scripta est enim ad correctionē ipsorum. Cooperetur mihi bonum, & diabolo malū, & lauem manus meas in sanguine peccatoris. *Montes*, inquit, *qui in circuitu eius sunt, visitet Dominus, à Gelboe autē transeat.* Si sic actū est cum Angelo, quid de me fiet terra & cinere? Ille intumuit in cælo, ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in diuite superbiam, quam in paupere ducat? væ mihi si tam durè in illo potente animaduersum est, nec ei profuit quod cognata potentibus superbia esse cognoscitur. Quid de me exigendum est & misero & superbo? Denique in veritate didici nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore inueniaris coram Deo non altum sapere, sed timere.

De occultis Dei iudicijs.

CAPVT CLII.

Occultus ordo prædestinationis

Isidorus in sententijs suis libro 2. Mira vero dispositio est supernæ distributionis, per quam hic iustus amplius iustificatur; Impius autem amplius sordidatur. Malus ad bonum aliquando conuertitur; Bonus ad malum aliquando reflectitur, vult quis esse bonus & non valet, vult alter esse malus, sed non permittitur interire. Vult prodesse bono iustus, neq; prævalet, vult nocere malus, & valet. Iste vult Deo vacare, sed sæculo impeditur; Ille negocijs implicari cupit, nec perficit, dominatur bonus malo, bonus damnatur pro impio; Impius honoratur pro iusto, & in hac tanta obscuritate non valet homo diuinam perscrutari dispositionem, & occultum prædestinationis perpendere ordinem. *Gregor. in Moral. lib. 5.* Cum autem occulta sint Dei iudicia, cur in hac vita nonnunquam bonis malè fit, & malis bene. Tunc etiam occultiora sunt, cum & hic malis malè est, ac bonis bene, supradicta videlicet ratione. Infirmi autem qui florere in hoc mundo appetunt, & sicut magna mala, sic flagella pertimescunt, in eis quos flagellatos inspiciunt, culpas ex pœna metiuntur. Quos cum percussos cernunt, Deo displicuisse suspicantur: Vnde amici beati Iob quem percussum viderunt, impium fuisse crediderunt, videlicet æstimantes, quia si impius non fuisset, eius tabernacula permanerent, atque dicentes: *Vbi est domus principis, & vbi tabernacula impiorum?* Sed ista non cogitat, nisi qui adhuc infirmitatis tædio laborat, qui in præsentis sæculi delectatione gressum cogitationis figit, qui transire ad æternam patriam perfectis desiderijs nescit, vnde & subiungitur: *Interrogate quemlibet de viatoribus*, &c. sicut videlicet exponetur infra.

Idem in lib. 32. Itaque diuina iudicia cum nesciuntur, non audaci sermone sunt discutienda, sed formidoloso silentio veneranda. Magnaque satisfactio percussionis est voluntas conditoris, quæ cum iniustum facere nil solet, iusta agnoscitur etiam si latet. Nam & cum ex iniustitiæ peccato percutimur, si in percussione nostra diuinæ voluntati coniungimur, mox à nostra iniustitia ipsa coniunctione liberamur. Et magna est iam iustitia, quod voluntati iudicis concordat in pœna, cui discrepauit in culpa. *Hugo de sancto Victore.* Sed qüæritur, inquit, quare aliquando damnantur qui non peccauerunt, vt infantes, qui mox in ortu suo decedunt. Certè puer qui recens natus moritur, omnino pro culpa sua punitur, qui enim nasci contulit, renasci non abstulit. Dicat etiam animalia bruta quare puniuntur? quæ nulla culpa penitus obligantur? sed debet creatori suo factura laborem suum etiam sine culpa si ei placuerit; cum ad implendam ipsius dispositionem ratio exposcit, sicut enim totum illi debet quod est, sic etiam totum quod potest. Cæterum quæ propter hominem facta sunt, propter hominem puniuntur, quia in pœna ipsorum homo punitur. Amplius: quia si etiam homo non peccasset, ea quę propter hominem facta sunt propter hominem laborarent, vt sciat homo quanti est apud Deum salus eius, pro quo videlicet omnia laborant. Iterum, ne solus laboret ipse, & vt pœnam videns laborantium, in pœna discat timere.

Bruta sine culpa puniuntur cur nō & infantes.

Cur dæmones immissi porcis.

Hieron. super Matth. lib. 1. Denique dæmones in porcos à Domino ingredi permittuntur non quod ipsis dæmonibus quod petebant concederet, sed vt per interfectionem porcorum hominibus salutis occasio præberetur. In quo videlicet non eiusdem conditionis animæ bestiarum & hominum esse probātur, cum ob salutem vnius hominis duo millia porcorum suffocantur.

De iudicio discretionis.

CAPVT CLIII.

Iudicium discretionis

Profundum iudiciorum Dei.

Avgust super Ioban. Porro iuxta verbum Domini, *nunc iudicium est mundi.* Quid ergo expectandum est in fine sæculi? sed in fine quod expectatur iudicium erit iudicandorum viuorum atque mortuorum, iudicium erit præmiorum ac suppliciorum æternorum, nunc autem est iudicium non damnationis, sed discretionis. Vnde scriptum est: *Iudica me Deus & discerne causam meam. Idem contra Faustum lib. 1.* De hac bonorum & malorum discretione legimus Apostolum dixisse: *Vide bonitatem Dei & seueritatem, in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem.* Occultum est, altum est, ab humana cogitatione seclusum, quomodo Deus & iustificat impium, & damnat pium. Non ergo ideo gatrire debemus aduersum diuina iudicia, quia sunt inscrutabilia, quanto conuenientius est humano modulo expauescere, vbi expauit Apostolus, & clamare: *O altitudo diuitiarum sapientię & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.*

Glossa super epist. ad Rom. Valde vtique paruū habemus sensum ad discutiendam iudiciorum Dei iustitiam, ad discutiendam gratiam gratuitam nullis præcedentibus meritis redditam, neque tam mouet nos, quod quibusdam indignis gratia præstatur, quàm quod hæc æquè indignis alijs denegatur. Et scio quidem quod iniquitas non est apud Deum, & quod superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Illud vero latet, quare quibusdam indignis dat, quibusdam negat, aliquid ergo est in abdito & profundo iudiciorum Dei obscurum, sed tamen iustum, nec putes id posse comprehendi. Hęc enim est altitudo diuitiarum præscientiæ & scientiæ Dei. *Glossa super epistolam ad Timot.* Et sicut alibi dicit Apostolus: *Nouit Dominus qui sunt eius*, id est amat suos, & defendit quos futuros esse conformes imagini filij sui præsciuit. Quos enim prędestinauit, hos & vocauit, iustificauit, glorificauit. Numerus talium est hortus conclusus, fons signatus, paradisus cum pomorum fructibus. Ex hoc numero sunt non solum qui supereminentem charitatis viam ingressi sunt, sed etiam quidam qui adhuc nequiter viuunt. Nam in præscientia Dei multi qui foris esse videntur, intus sunt, & in his omnibus nouit Dominus, qui sunt eius, nondum apparuit iudicium, sed iam est in notitia Dei factum, nouit enim qui permaneant ad coronam, & qui ad flammam, nouit triticum & paleam.

De iudicio correctionis, seu castigationis.

CAPVT CLIV.

Glossa super 2. ad Thessal. Cæterum iudicio præsenti Deus sinit malos affligere bonos & prosperari. Bonos vero facit aduersa pati. Vnde Apostolus ad Thessal. ait: *Tribulationem sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei*, hoc est vt sitis exemplum & documentum alijs quod iustè iudicat Deus, dum suos permittit affligi, & malos prosperari, ne videlicet ipsi fatigen

tur dum à Deo corripiuntur. Ipſe namque iuſto iudicio flagellat omnem filium quem recipit. Iuxta quod & Petrus dicit : *Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei.*

Arcus Dei quis?

Gregorius vbi ſupra. Propter hoc, inquit, *arcus meus in manu mea inſtaurabitur.* Per arcum extremi dies iudicij deſignantur, ſicut alibi dicitur : *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.* In arcu enim quanto longius trahitur corda, tanto de eo diſtrictior exit ſagitta, ſic illius iudicij dies quanto longius differtur vt veniat, tanto cum venerit de illo diſtrictior ſententia procedit. Iccirco diuerſis cladibus nunc percutimur, vt his correcti paratiores inueniamur. Vnde illic præmittitur : *Oſtendiſti populo tuo*, &c. *Hieronymus ſuper Hierem. lib.* 3. Diuerſis enim medicaminibus peccantes ſaluari cupit Deus, vt qui contemplerant blandientem, timeant comminantem. Vnde : Multiplicatæ ſunt, inquit mihi viduæ, &c. Propter hoc etiam paulò poſt dicitur in Hieremia iuxta editionem 70. *Non fias mihi Domine alienus, parcens mihi in die mala.* Et eſt ſenſus: Ne parcas mihi in præſenti ſęculo, quod malum eſt, ſed redde mihi peccata mea, vt requiem habeam ſempiternam, quia quem diligis caſtigas, & flagellas omnem filium quem recipis. *Idem ſuper Iſaiam libro* 11. Hinc & quondam ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, ne videlicet cor eius poſt incredibiles triumphos eleuaretur, infirmitate corporis viſitatur.

Cur Ezechias ægrotauit.

Angelus ſathanæ colaphizans Paulũ quis?

Idem ſuper epiſtolam ad Gal. lib. 2. Sic & Paulus paſſus eſt ſtimulum carnis, propter quod & ſcribens Galatis : *Per infirmitatem carnis euangelizaui vobis.* Tradunt autem eum ſępe grauiſſimum capitis dolorem perpeſſum fuiſſe, & hunc eſſe angelum Sathanæ, qui ad hoc ei appoſitus eſt, vt eum ne extolleretur colaphizaret. *Ioannes Chryſoſtomus ſuper Matthæum homil.* 10. Certè ſi tales eſſemus etiam in requie, quales in tribulatione ſumus, nequaquam eruditi afflictionibus indigeremus.

De iudicio interrogationis ac probationis.

CAPVT CLV.

Deus interrogat nos tripliciter.

Gregorius vbi ſupra lib. 28. Tribus autem modis conditor noſter interrogare nos conſueuit, cum ſcilicet aut flagelli diſtrictione nos percutit, & quanta nobis inſit vel deſit patientia oſtendit, aut quædam quæ noluimus præcipit, & noſtram nobis obedientiam vel inobedientiam patefacit, aut aliqua nobis occulta aperit, & aliqua abſcondit, & menſuram nobis noſtræ humilitatis innoteſcit. Fagello namque interrogat, cum mentem bene ſibi per tranquillitatem ſubditam, afflictionibus pulſat. Præcipiendo autem dura nos interrogat, ſicut Abraham terram ſuam iubetur egredi & pergere quo neſciebat, in montem vnicum filium ducere, & quem ad conſolationem ſenex acceperat immolare. *Idem in lib.* 1. Cum itaque beatus Iob omnium virtutum mandata perficeret, vnum ei deerat, vt etiam flagellatus agere gratias ſciret. Pœna quippe interrogat, ſi quietus quis veraciter amat. Percuſſionum autem diuerſa ſunt genera, aliquando enim peccator percutitur, vt ſine retractione puniatur, ſicut perituræ Iudææ dicitur : *Plaga inimici percuſſi te, caſtigauit.* Aliquando vt corrigatur, ſicut cuidam in Euangelio dicitur : *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare*, &c. Aliquando verò non pro præterita culpa diluenda, ſed pro futura cauenda percutitur, ſicut de ſeipſo Apoſtolus loquitur: *Ne magnitudo, inquit, reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Sathanæ*, &c. Nonnunquam verò vt ſola diuinæ virtutis potens amputata percuſſione monſtretur, ſicut de cœco nato dicitur: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo*, in qua videlicet manifeſtatione quid agitur, niſi vt ex flagello meritorum virtus augeatur.

Diuerſa genera percuſſionum.

Idem in libr. 9. Si repente, inquit, *interroget, quis reſpondebit ei.* Repente Deus interrogat cum nos in diſtrictione ſui examinis inopinatos vocat, ſed interrogationi illius reſpondere homo non ſufficit, quia ſi remota pietate diſcutitur illius examini etiam iuſtorum vita ſuccumbit, vel certè interrogat cum duris nos perſecutionibus pulſat, vt mens noſtra quæ magna de ſe in tranquillitate æſtimat, ſemetipſam veraciter qualis ſit in perturbatione deprehendat. Et plerumque cum percutitur gemit, ſed reſpondere non ſufficit, quia & ipſa ei percuſſionis ſuæ aduerſitas diſplicet. Sed tamen ſemetipſum homo conſiderans tacet, & diuina iudicia diſcutere metuit, quia eſſe ſe puluerem agnoſcit. Vnde & per Paulum dicitur : *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Reſpondere Deo non poſſe conuincitur, qui homo nominatur, quia per hoc quod de humo ſumptus eſt, iudicia ſuperna diſcutere dignus non eſt, vnde ibi quoque, ſcilicet in Iob apertè ſubiungitur. Vel quis ei poteſt dicere. *Cur ita facis? Hieron. ſuper Iſaiam libr.* 1. *Super quo*, inquit, *percutiam vos vltra, addentes prævaricationem*, hoc diſcimus teſtimonio, Deum iccirco percutere delinquentes, vt percuſſos corrigat, & non tam pœna ſit, quàm emendatio.

Homo non poteſt reſpõdere Deo.

Idem ſuper epiſtolam ad Epheſ. lib. 3. Chriſtianorum itaque propria virtus eſt, etiam in his quæ aduerſa putantur referre gratias Creatori, & ſemper dicere : *Benedictus Deus, & minora me ſcio ſuſtinere quàm mereor, hic animus eſt Chriſtiani*, hic crucem ſuam tollens ſequitur Saluatorem, quem non orbitas, nec damna debilitant, quem vt Flaccus in lyrico carmine ait : *Si fractus illabatur orbis impauidum ferient ruinæ. Iſidorus in ſentent. ſuis lib.* 3. Diſcat ergo non murmurare, qui mala patitur, etiã ſi ignorat cur mala patitur, & per hoc iuſtè ſe pati arbitretur, quod ab illo iudicatur, cuius nunquam iniuſta ſunt iudicia. Qui flagella ſuſtinet, & contra Deũ murmurat, iniuſtitiam iudicantis accuſat, qui vero ſe cognoſcit à iuſto iudice pati quod ſuſtinet, etiam ſi pro quo patitur ignorat, per hoc iam iuſtificatur, quod & ſeipſum accuſat, & Dei iuſtitiam laudat.

Vox verè Chriſtiana

Qualiter Deus in ſanctis vim arcet tentationis.

CAPVT CLVI.

Vtilitas tẽtationum

Idem in eod. Ad magnam ſiquidem vtilitatem diuino iudicio iuſti mens diuerſis paſſionum tentationibus agitatur, pro quibus ſi Deo gratias egerit, ſuæque culpæ, quod ad talia dignus ſit reputauerit, hoc quod ex paſſione tolerat, ei pro virtutibus reputabitur, quia & diuinam agnoſcit iuſtitiam, & ſuam intelligit culpam. *Greg. vbi ſupra lib.* 28. *Quis autem concluſit oſtijs mare*, &c. Quid eſt mare niſi cor noſtrum furore turbidum, rixis amarum, elatione ſuperbię humidum, fraude malitię obſcurum? Quod mare quantum ſęuiat, attendit quiſquis in ſe occultas cogitationum tentationes intelligit. In iniquitate autem concepti, & in delicto editi, per inſitæ corruptionis moleſtias pugnã nobiſcum huc deferimus quam cum labore vincamus. Vnde rectè de hoc mari dicitur: *Quãdo eruũpebat quaſi de vulua procedens*; Corruptionis namque malum quod quiuis noſtrũm ab ortu deſideriorum carnalium ſumpſit, in prouectu ætatis ſe erexit. Et niſi hoc citius diuinæ formidinis manus reprimat, omne conditę naturæ bonum repente culpa in profundum vorat. Nemo ergo ſibi cogitationum ſuarum victoriam tribuat, cũ veritas dicat, quis concluſit oſtijs mare? quando erũpebat quaſi de vulua procedens ? quia niſi ab ipſo cogitationis primordio cordis fluctus gratia diuina retineat tentationum procellis mare ſæuiens terrã proculdubio humanæ mentis obruiſſet, vel ſalſis fluctibus perfuſa areſceret, id eſt perniciofis carnis voluptatibus delectata deſiperet, hoc mare tumultuoſum videlicet cogitationibus cor noſtrum nube veſtitur, quia ne internam quietem pure conſpiciat, inquietudinis ſuæ confuſione tenebratur : hoc mare caligine,

Cor noſtrũ mare.

Gratia Dei ſedat fluctus cordis.

quaſi

quaſi infantiæ pannis obuoluitur, quia à contemplandis ſublimibus adhuc teneris ſenſibus ſuę infirmitatis legatur. Terminis enim ſuis Dominus hoc mare circũdat, quia cor noſtrum adhuc corruptionis ſuæ moleſtia & cura turbulentum ſub menſura contemplationis humiliat, vt licet plus appetat vltra tamen quã ſibi conceditur non aſcendat. Vel certe terminis ſuis Dominus hoc mare circundat, quia cor noſtrum tentationibus tumidum occultis bonorum diſtributionibus mitigat, modo agens ne praua ſuggeſtio ad delectationem veniat, modo ne delectatio vſque ad cõſenſum prorumpat.

Terminos mari cordis quis ponit?

Qui ergo ad illicitos motus cordis reſpicit, & in quibuſdam eos vſque ad conſenſum venire prohibet, in quibuſdam vero illos etiam à delectione reſtringit, nimirũ furenti mari terminos imponit, vt nequaquã in opere exeat, ſed intra ſinum mẽtis tentationũ ſubmurmurans ſe vnda collidat, quæ quia tunc valenter reſtringitur, cũ ei dilectione Dei atque inſpiratis virtutibus obuiatur, rectè ſubiungitur: *Et poſui vectem & oſtia, & dixi, hucuſque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quid enim moraliter per *oſtia*, niſi virtutes? Quid per *vectem*, niſi robur charitatis accipimus? Quia ergo Dominus per inſpiratæ charitatis fortitudinem naſcentia in corde vitia reprimit, inſurgentis maris impetum per obſerata clauſtra cõpeſcit. Ita fortaſſe in occulto exaſperat, ſed ne quies ſuperna perdatur, perturbationi mentis officium linguæ ſubtrahitur, ne vſque ad voces exeat, quod in ſinu cordis tumultuoſum ſonat, luxuria in occultis cogitationibus accendit, ſed ne ſupernam munditiam mens amittat, conceptæ immunditiæ ea quę famulari poterant membra caſtigat, ne vſque ad corruptionẽ corporis exhalet fœtor cordis. Auaritia ſtimulat, ſed ne cœleſti regno mens careat, intra clauſtra ſe parſimoniæ contenta proprijs ligat, ne in paruo ſe opere dilatet, & vſque ad exteriores actus internæ concupiſcentiæ æſtus exudet. Superbia inſtat, ſed ne veram celſitudinem amittat cõſiderando quiſquis, quia puluis eſt, ab altitudine ſe conceptæ elationis humiliat, certans nimirum ne quod in ſuggeſtione cogitationis tolerat, in exercitationem operis erumpat. Bene ergo dicitur: *Poſui vectem*, &c. Quia dum electus quis tentatur vitijs, & tamẽ facere malè ſuggeſta remittitur, quaſi mare clauſum tenetur. Qui & ſi intus tumultuoſis cogitationum fluctibus mentem percutit, ſtatuta bene viuendi littora non excedit, quod mare quidem in tumorem ſe erigit, ſed dum fixæ deliberationi cordis illiditur fractum redit.

Vectis cordis

Qualiter eos ſeruat à vento elationis.

CAPVT CXLVII.

IDem in lib. 2. Tunc autem vere bona noſtra cognoſcimus vnde ſint, quando hęc quaſi amittendo ſentimus quod à nobis ſeruari non poſſint, vnde pia conditoris diſpenſatione agitur, vt de ſe confidens anima deſperatoria tentatione pulſetur, quatenus infirmata quid ſit inueniat, & præſumptionis proprię faſtum deponat. *Idem in lib.* 19. Recte ergo de Deo dicit ſcriptura, quod *ipſe qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura*, velocitate ſiquidem ac ſubtilitate ventorum animæ deſignantur, ſicut per Pſalmiſ. dicitur: *Qui ambulat ſuper pennas ventorum*, id eſt tranſgreditur virtutes animarum. Fecit ergo ventis pondus, quia dum ſuperna ſapientia replet animas, eas inclyta ſoliditate graues reddit, vel certè ventis pondus facere, eſt conceſſam hic electis de virtutibus gloriam permixta infirmitate temperare, vnde & aquas appendit menſura, quia ſancti ipſi qui ſubleuante ſpiritu ad ſumma rapiuntur, quandiu in hac vita ſunt, ne aliqua elatione ſuperbiant, quibuſdam tentationibus reprimuntur, vt nequaquam tantum proficere valeãt, quantum volunt, ſed ne extollantur ſuperbia, fit in eis ipſarũ quædam menſura virtutum, hinc eſt enim, quod Helias dum tot virtutibus in alta profeciſſet, quadam menſura ſuſpenſus eſt, dum Iezabel quamuis reginam, tamen mulierculam fugit; perpende quippe hunc mirę virtutis virum ignem de cęlo trahere, & ſecũdo quinquagenarios viros cum ſuis omnibus petitione ſubita concremare, verbo cęlos pluuijs claudere, vebo cęlos ad pluuias aperire, ſuſcitantem mortuos, ventura quæque præuidentem. Et ecce rurſus animo occurrit, quo pauore ante vnam fugerit, conſidero virum timore percuſſum de manu Dei mortem petere, non accipere, de manu mulieris mortem fugiendo vitare. Quærebat enim mortem dum fugeret dicens: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum quã patres mei.* Vnde ergo ſic potens, vt illas virtutes faciat? vnde ſic infirmus eſt, vt ita fœminam pertimeſcat? niſi quia aquæ appenduntur menſura? vt ipſi ſancti Dei homines & multum valeant per potentiam Dei, & rurſus quadam menſura moderati ſint per infirmitatem ſuam. In illis virtutibus Helias quod de Deo acceperat, in iſtis infirmitatibus quid de ſe poterat eſſe agnoſcebat. Illa potentia virtus fuit, iſta infirmitas cuſtos virtutis; In illis virtutibus oſtendebat quod acceperat; In iſtis infirmitatibus hoc quod acceperat cuſtodiebat; In miraculis monſtrabatur Helias, in infirmitatibus ſeruabatur.

Helias fugit mulierculã & cur?

Sic Paulum video fluminum, & latronum ciuitatis & ſolitudinis, maris, ac terræ pericula ſuſtinentem, frænantem ieiunijs & vigilijs corpus, ſuſtinentem frigoris & nuditatis ærumnam, ad eccleſiarum cuſtodiã vigilanter ſe ac paſtoraliter exercentem, ad tertium cælum raptum, rurſum eum in paradiſum raptum, & audiſſe arcana verba quæ non licet homini loqui, & cum Sathanæ angelo ad tentandum conceditur, orat vt debeat eximi, & non exauditur: Cuius cũ ipſa initia conuerſionis aſpicio, perpendo quod ei ſuperna pietas cælos aperuit, ſeque illi Ieſus de ſublimibus oſtendit. Qui lumen corporis ad tempus perdidit, lumen cordis in perpetuum accepit. Ad Ananiam mittititur, vas electionis vocatur. Et cum de ciuitate eadem quam poſt viſionem Ieſu ingreſſus fuerat, fugiens recedit, ſicut teſtatur dicẽs: *Damaſci prępoſitus gentis Arethæ regis cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta demiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius.* Cui licenter dicam: ô Paule, iam Ieſum in cælo conſpicis, & in terra adhuc hominem fugis? In paradiſum duceris, ſecreta Dei verba cognoſcis, & adhuc à Sathanæ angelo tentaris? vnde ſic fortis, vt ad cæleſtia regna rapiaris? vnde ſic infirmus, vt in terra hominem fugias, & adhuc à Sathanę angelo aduerſa toleres? niſi iſte qui te ſubleuat, rurſum de ſubtiliſſima mẽſura moderatur, vt in miraculis tuis nobis prædices virtutem Dei, & rurſum in timore tuo reminiſci nos facias infirmitatis noſtræ. Quæ tamen infirmitas ne in deſperationem nos pertrahat, cum pulſat, dum & in infirmitate tua Dominum rogares, quia auditus non es, nobis quoque locutus es quod audiſti, ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Apertè hac voce Domini oſtenditur, quia *cuſtos virtutis eſt infirmitas.* Tunc quippe bene interius cuſtodimur, cum per diſpoſitionem Dei tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitijs, aliquando preſſuris. Nam eis quoque quos viros nouimus fuiſſe virtutum, tentationes atque certamina non defuere vitiorum, hinc eſt enim quod ad conſolationem noſtram idem prędicator de ſe quædam talia prodere dignatur, dicens: Video aliam legem in mẽbris meis repugnantẽ legi mentis meæ, &c. ad ima quippe trahit caro, ne ſpiritus extollat, & ad ſumma ſpiritus, ne caro proſternat. Sicque moderamine certo efficitur, vt quiſque ſanctorum dum iam interius ad ſumma prouehi reperitur, ſed adhuc exterius tentatur, nec deſperationis lapſum, nec elationis incurrat periculum, magnoque ordine cognoſcimus interiori prouectu quid accepimus, in exteriori defectu quid ſumus.

Paulus cupit liberari ab angelo Sathanæ, & cur?

Cuſtos virtutis infirmitas.

Ventis pondus quod?

De iudicio purgationis quo in præsenti electos purgat.

CAPVT CLVIII.

HIeronymus *super Isaiam lib.* 8. *Tempus est autem*, inquit, *vt incipiat iudicium à domo Domini.* Pro diuersitate quippe peccati disponitur ordo iudicij, vt qui minus peccauerunt, ante purgentur. Vnde & alibi dicitur: *A sanctis meis incipite. Idem super Ezech. lib.* 2. Ideo Dominus ipse per Hieremiam dicit: *Non parcat oculus meus super te*, &c. Clementissimus siquidem medicus carnes putridas cupiens inscidere, & carnosa vulnera cauterio adurere, non parcit vt parcat, non miseretur vt magis misereatur, ne quid putridum viuarũque carnium vicinia sui corruptiuum in corpore remaneat. *Idem super Matthæum lib.* 2. *Iram*, inquit, *Domini portabo, quoniam peccaui ei*, &c. Anima enim se peccasse cognoscens, & habere vulnera, & indigere cauterio, constanter dicit ad medicum, vre carnes meas, reseca vulnera. Mei vitij fuit vt vulnerarer, vnde dolori sit vt tormenta sustineam, & postea sanitatẽ recipiam. *Idem super Matthæum lib.* 1. Hinc etiam in sanatione paralytici fecit Dominus carnale signum, vt probaretur spirituale, quanquam eiusdem sit virtutis & corporis & animæ vitia purgare. Deditque nobis intelligere propter peccata plurimas corporum infirmitates euenire. Et iccirco forsitan eidem paralytico prius peccata dimittuntur, vt causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur. *Isidor. vbi supra.* Tribus siquidem ex causis infirmitates accidunt corporis. Videlicet ex peccato, ex tentatione, & ex intemperantiæ passione. Sed huic tantum nouissimo humana potest medicina succurrere. Illis vero sola pietas diuinæ misericordiæ. Ordinata est ergo miseratio Dei, qui hic hominem per flagella peccatis emendat, & postea ab æterno supplicio liberat, nequaquam vero Deus delinquenti parcit, antequam peccatorem vel flagello temporali ad purgationem ferit, vel in iudicio æterno puniendum relinquit, vel huiusmodi in se pœnitendo punit, quod malè admisit. Nec tantum de corporalibus passionibus, sed etiam spiritualibus oportet intelligi, vt quanto quisque aut in corpore, aut in mente flagella sustinet, tanto se in fine remunerari speret. *Omnisque diuina percussio aut purgatio vitæ præsentis est, aut initium pœnæ sequentis. Ioannes Chrysosto. super epistolam ad Hebr. homil.* 20. Quid autem luges, quia pecunias non habes, & non magis consideras, quod ablatæ sunt tibi peccandi occasiones. Vnum tantum à nobis quęritur, vt in omnibus Deo gratias agamus, omniaque abundanter habebimus, auri libras 10. milia perdidisti, age confestim Deo gratias, & centum milia per illam vocem & gratiarum actionem acquisiuisti. *Idem super Matth. homil.* 10. Pro hoc etiam iubemur peccata confiteri, vt erubescentiam patiamur pro pœna, quoniam hoc ipsum est pars diuini iudicij.

Infirmitates ob peccata veniunt.

Diuina percussio est vel purgatio, vel initium pœnæ.

Cur Deus quorundam peccata tamdiu dissimulat.

CAPVT CLIX.

AVgustinus *de vita Christiana.* Sentire autem nos conuenit tamdiu peccantem Dei patientia sustentari, quamdiu peccatorum suorum nondum terminum finemque repleuerit, quo consummato eum illico percutit, nec illi iam veniam reseruari. Ecce nãque certum peccatorum modum vel mensuram, & quod vnusquisque vel celerius, vel tardius prout peccatorum suorum modum expleuerit, iudicetur: euidenter demonstratur cum Sodomorum interitu: quia iam peccata sua impleuerant, ad Abraham Deus loquitur: *Clamor Sodomorum & Gomorreorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis*: Et de Amorrhęis idem dictum est: *Nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Sed dicit aliquis: Quid est quod etiam bonos videmus perire cum malis? verum illi non pereunt, sed euadunt. Vocantur autem ipsi boni ante tempus ne diutius vexentur. Mali tolluntur, ne bonos diutius persequantur. Iusti de pressuris & angustijs vocantur ad requiem. Iniqui de opibus ac delitijs rapiuntur ad pœnam, illi vadunt vt iudicentur, illi vt iudicent, illi vt vindicent, isti vt in eos vindicta celebretur.

Certa peccatorum est mensura.

Boni nõ pereunt sed euadunt.

Greg. in Moral. lib. 15. Interrogate ait quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis: quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris dicitur. Sæpe namque diu diuina sapientia tolerat, quos ad supplicia pręscita iam condemnat. Permittit florere, quos adhuc cernit deteriora perpetrare. Nam quia videt ad quam damnationis foueam tendant, hoc eis pro nihilo esse existimat, quod hic peruersis relinquenda multiplicat, sed quisquis præsentis vitæ gloriam diligit, magnam esse fœlicitatem deputat hic secundum votum florere, quamuis cogatur postmodum supplicia æterna tolerare. Solus ergo ille conspicit nihil esse quod iniquus floret, qui tanquam viator iam gressum cordis ab amore præsentis sæculi amouet, vnde dicendum est: *Vidi*, inquit, *impium superexaltatum*, &c. *transiui & ecce non erat.* Quod enim animo non transeunti magnum aliquid esse videtur, à transeunte quàm nihil sit cognoscitur.

Nihil est quod iniquus floret.

Item in lib. 25. Porro diuina seueritas eo iniquum acrius punit, quo diutius pertulit. *Idem in lib.* 26. Patienter quippe nunc Deus iram retinet, quam quandoque irretractabiliter effundet. Vnde scriptum est: *Nunc enim non infert furorem suum, nec vleiscitur scelus valde. Hiero. super Isaiam lib.* 12. Hinc etiam per Prophetam loquitur iuxta editionem nostram, *tacui semper silui, quasi parturiens loquar.* Vbi & habet 70. interpretum editio tacui à principio, nunquid semper tacebo & sustinebo? *Idem in lib.* 17. Alibi quoque dicitur Domino in eodem lib. *Quare Domine induraſti cor nostrum, ne timeremus te.* Salutem quippe nostram expectans Dei patientia, dum delinquentes non corripit, erroris & duritiæ videtur causa. *Idem super Psal.* 81. *Dimisit*, inquit, *eos secundum desideria cordis eorum.* Dimisit eos in voluptatibus suis, vt satiati vitijs suis, vel sic agant pœnitentiam. *Bernard. Clarenall.* Magna planè misericordia est expectatio dominica, nam peccantem Angelum omninò non expectauit, sed præcipitauit, hominem quoque primum peccantem non distulit, sed de paradiso protinus expulit, nunc iam viginti annis expectat, & vsque in senectam & senium dissimulat, & si consideremus quanta & quàm plurima quotidie peccata fiunt, nonne leuia reputabimus illa, quæ tamen continuò damnationis sententiam exceperũt? Sed hęc gratia crucis Christi & virtus: *Viuo ego*, dicit Dominus, *nolo mortem peccatoris*, qui mori voluit pro peccatoribus. Hæc quidem misericordia qua tardat ferire paratus ignoscere, in se quidem est magna, sed ad comparationem parua, nam si sola fuerit, nullatenus ad salutem sufficit, immo iudicium damnationis accumulat, vt dicatur ei: hæc feciſti & tacui. Et secundum duritiam tuam thesaurizas tibi iram. Secunda ergo misericordia est, qua dat pœnitentiam. *Ambr. de sancto Abraham lib.* 1. Flagitiorum quoque nostrorum clamoribus tandem velut excitatur Deus, vt aliquando vindicet qui libenter ignoscit, iuxta illud: *Clamor Sodomorum, &c.* magnaque Dei patientia est, vt non statim peccatores puniat, sed diu correctionem expectans differat. Nec vnquam ad vleiscendum commouetur, nisi peccator mensuram excedat. Vnde & Iudæis ait: *Implete mensuram patrum vestrorum.*

Expectatio Dominima gna misericordia.

Cur quosdam in peccatis relinquens indurat.

CAPVT CLX.

GLossa *super epistolam ad Romanos.* Reprobatio quidem alia est quæ temporaliter fit, alia quæ ab æterno fuit. Ab æterno est illa, qua Deus aliquem dãnandum præuidet. Temporalis autem reprobatio idem est quod obduratio. Vnde Apostolus de Deo

Obduratio temporalis est reprobatio.

loquens

loquens insinuat, quod *cui vult miseretur, & quem vult indurat*: vbi datur intelligi, quod obduratio Dei sit nolle misereri, non quidem vt ab illo aliquod irrogetur, quod sit homo deterior, sed tantummodo non erogetur quo sit mollior; non enim indurat Deus impartiendo malitiam, sed non largiendo gratiam, quod vtique facit æquitate sua, sicut gratiam præstitit misericordia sua. Itaque nihil aliud est obduratio quàm à gratia desertio. Sic Deus Pharaonem obdurauit, cui per Moysen ait, in hoc ipsum excitaui te, id est in hanc eandem malitiam, vt deterior fias; & sic ostendens virtutem meam contra te, hoc quippe iustum est, vt qui in sordibus est, nec resistere vult, sordescat adhuc; merito siquidem hominis id exigente peccato permittitur, vt ipse qui non vult peccatum deserere, peccato amplius contaminetur, sic itaque cum visis signis debuisset corrigi Pharao, deterior factus est vitio suo. *Gregor. vbi supra lib.* 11. Rectè ergo de Deo scriptum est; *Si destruxerit, nemo est qui ædificet.* Nam cor humanum destruit, cũ relinquit; ædificat, dum replet; neque humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem sufficit sibi dimissa; vnde plerumque fit, vt cum audientis cor exigentibus culpis omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius à prædicatore moneatur, quia mutum est omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamat, qui aspirat verba quæ audiuntur. Hinc Propheta ait: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Hinc Salomon ait: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Nec mirum si à corde reprobo prædicator minimè audiatur, dum nonnũquam ipsi quoque à Domino in his quæ loquitur resistentium moribus repugnatur. Hinc est enim quod Cain & diuina voce admoneri potuit, & mutari non potuit: quia exigente culpa malitiæ, iam intus cor eius Deus reliquerat, cui foras ad testimonium verba faciebat.

Mala vita conscientiæ carcer.

Bene autem subditur: *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat*: quia omnis homo per id quod male agit, quid sibi aliud quam conscientiæ suæ carcerem facit, vt hunc animi reatus premat, etiam si nemo exterius accusat. Qui cum iudicante Deo in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minimè meretur. Nam sæpe nonnulli exire à prauis actibus cupiunt, sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi à semetipsis exire non possunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod se rectè agere æstimant, in grauioribus peccatis vertunt, fitque modo miserabili, vt quod exitum putant, hoc inclusionem inueniant. Sicut videlicet reprobatus Iudas cum mortem sibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis supplicia peruenit, & peius de peccato pœnituit quàm peccauit. Dicatur ergo, si incluserit hominem, nullus est qui aperiat, quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis. Includere itaque Dei est clausis non aperire, vnde ad Moysen dicitur de Pharaone: *Ego obdurabo cor eius.* Obdurare quippe per iustitiam dicitur, quando cor reproborum per gratiam non emollitur, hominem itaque recludit, quem in operum suorum tenebris relinquit. *Cæsarius Arelatensis in homil. Dimisi*, inquit, *eos secundum desideria cordis eorum*, &c. Ire itaque post voluntates proprias tam pernicioſum est, vt hoc Dominus iam iratus pro peccati damnatione irroget.

Pœnitentia Iudæ qualis?

De iudicio diuinæ discussionis.

CAPVT CLXI.

Gregor. vbi supra lib. 9. Verè, inquit beatus Iob: *Scio quod non iustificabitur homo compositus Deo*, homo quippe Deo suppositus iustitiã percipit, compositus amittit, quia quisquis se auctori bonorũ cõparat bono se quod acceperat priuat, qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra Dominum donis pugnat. Sanctus autem vir qui omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab æterno arbitrio districtè iudicetur, rectè subiungit: *Si voluerit cum eo contendere, non poterit ei respondere vnum pro mille*, Nam qui de bonę vitæ perfectione se erigit, habere se bene viuendi nec initium ostendit, vnde & paulo dicit: *Si repente interroget, quis respondebit ei?* repente Deus interrogat, cum nos ad districtionem examinis sui inopitatos vocat. Sed eius interrogationi respondere homo non sufficit: quia si remota pietate discutitur, illius examini etiam iustorum vita succumbit. Hinc etiam paulo post subiungit: *Qui etiam si habuero quippiam iusti, non respondebo*, sed meũ iudicem deprecabor. Omnis enim humana iustitia, vt diximus iniustitia esse conuincitur, si districtè iudicetur. Prece ergo post iustitiam indiget, vt quę succumbere discussa poterat, ex sola pietate iudicis conualescat, quæ cum plenè à perfectioribus habetur, haberi tamen illa quippiam dicitur. Quia mens humana comprehensa vix peragit, & valde extrema sunt quæ comprehendit. *Dicat ergo, si habuero quippiã iusti*, &c. ac si dicat, & si ad virtutis opus excreuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia conualesco. Preci ergo innitendum est, cum rectè agimus, vt omne per quod viuimus ex humilitate condiamus.

Omne virtutis propria meritum est vitium.

Si fortitudo, ait, *quæritur, robustissimus est, si æquitas iudicij, nemo pro me audet testimonium dicere.* Ille quippe vitæ causas examinat, qui has per alienum testimonium nõ exponat, quia qui districtus iudex quandoque ostenditur illator pœnæ, ipse diu tacitus extitit testis culpæ. Hinc etenim per Prophetam dicitur: *Ego sum iudex & testis.* Sequitur: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Ac si apertè dicat. Quid de alijs loquor, qui ipse testimonium mihi ferre non valeo? Sed quia innocentiæ tuæ testificare non sufficis, nunquid hoc ipsum quia innocentiam habeas scis? Subdit: *Etiam si simplex fuero hoc ipsum ignorabat anima mea*: plerunque si scimus bona quę agimus ad elationem ducimur. Si vero nescimus, minimè seruamus. Quis enim ex virtutis suæ conscięntia non quantulumcunque superbiat: aut quis rursum bonum in se custodiat, quod ignorat. Sed contra vtramque quid supereſt, nisi vt *recta quę agimus sciendo nescíamus*, vt hæc & recta æstimemus, & minima, quatenus & ad custodiam instruat animum scientia rectitudinis, & in tumorem non eleuet æstimatio minorationis. Sed sunt nonnulla quæ sciri à nobis facile nequeunt, etiam cum geruntur. Nam sæpe recto studio contra delinquentes accendimur, & cum vltra metas æquitatis per iram rapimur, hoc zelum iustæ districtionis æstimamus. Sæpe officium prædicationis assumimus, vt fraternæ vtilitati seruiamus, & dum nostra mens à captiuitate vitiorum alios curat eripere, ipsa suis fauoribus incipit capta seruire. Sæpe ab ipsis exordijs aliud cogitatio expetit, aliud actio ostendit. Sæpe quoque se sibi fidam nec ipsa cogitatio exhibet, quando aliud ante oculos mentis versat, & longè ad aliud ex intentione festinat, nam plerunque nonnulli terrena præmia appetunt, & iustitiam defendunt, seque innocentes æstimant, & esse defensores rectitudinis exultant. Sæpe recta agimus, nec prędmia vel laudes ab hominibus expectamus, sed tamen mens in sui fiducia erecta inde peius obruitur, vnde quasi deductis vitijs nullis se appetionibus subiacere gloriatur. Sæpe dum nosipsos plus iusto discutimus, de ipso studio discretionis indiscretius erramus, quia & qui importunè solis radios aspicit, tenebrescit; quia igitur ab inquisitione nostra torpentes nos omninò nescimus, aut si subtili nos discussione requirimus, plerunque inter vitia virtutesque caligamus. Rectè dicitur: *Etiam si simplex fuero*, &c.

Recta quæ agimus sciẽdo nescí debent,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De eodem

CAPVT CLXII.

ERgo *verebar*, inquit, *omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti*; quàm bona beatus Iob opera exercuit, ipse sacræ historiæ textus ostendit. Quid ergo est quod & opera mira faciens, hæc ipsa etiam veretur pauens, nisi quod in eius actibus verbisque colligimus, vt si placere Deo veraciter cupimus, postquam peruersa subigimus, ipsa nobis etiam bene gesta timeamus. Duo quippe sunt quæ in nostris operibus necesse est vt studiosè formidentur, desidia videlicet & fraus; vnde per Prophetam dicitur apud vetustam translationem: *Maledictus omnis qui facit opus Domini fraudulenter & desidiosè.* Sed sciendum magnopere est, quia desidia nascitur per torporem, fraus per priuatam dilectionem. Illam namque minor Dei amor exaggerat, hanc autem malè mentem possidens proprius amor creat, fraudem quippe in Dei opere perpetrat quisquis semetipsum inordinatè diligens per hoc quod egerit rectè ad remunerationis transitoriæ bona festinat.

Duo in operibus nostris formidanda

Fraus fit tripliciter

Sciendum quoque est, quod tribus modis fraus ipsa committitur, quia per hanc proculdubio, aut tacita cordis humani gratia, aut fauoris aura, aut res quælibet exterior desideratur. Quo contra rectè de iusto per Prophetam dicitur: *Excutit suas manus ab omni munere.* Solus ergo in Dei opere fraudem non facit, qui cum ad studia bonæ actionis inuigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani iudicij gratiam anhelat. Ipsa ergo bona nostra, quia culpæ insidiantis euadere gladium nequeunt, nisi solicito quotidie timore muniantur. Per sanctum virum rectè nunc dicitur: *Verebar omnia opera mea*, ac si humili confessione diceretur. Quæ apertè egerim video, sed quid in his latenter pertulerim ignoro, sæpe namque bona nostra latrocinantis fraude depereunt: quia rectis se nostris actionibus concupiscentię terrenæ subiungunt. Sæpe desidia interuenięte deficiũt, quia à feruore quo cœpta sunt, frigescente amore tabefiunt. Denique, *si lotus*, inquit, *fuero quasi aquis niuis*, id est lamentis humilitatis, *& fulserint velut mundissimæ manus*, id est operationes meæ, *tamen sordibus intinges me.* Vbi notandum, quòd non ait, si fulserint mundissimæ, sed velut mundissimæ, quia quousque pœna nostræ corruptionis astringimur, quamlibet rectis operibus veram munditiam nequaquam apprehendimus, sed imitamur. Deus autem nos intingere sordibus dicitur, id est intinctos sordibus demonstrare: quia quãto ad illũ verius per bona opera surgimus, tanto subtilius vitæ nostræ sordes cognoscimus, quibus ab eius munditia discordamus. Est ergo sensus: quamuis supernæ compunctionis lamentis infundar, quamuis per studia rectæ operationis exercear; in tua tamen mũdicia video, quia mundus non sum. Intentam quippe Deo animam ipsa adhuc corruptibilis caro diuerberat, eiusque amoris pulchritudinem obscœnis & illicitis cogitationum motibus fœdat. Vnde & subditur: *Et abominabuntur me vestimenta mea*, id est abominabilem me faciet caro, qua tegitur anima induta; neque enim viro qui similis mei est respondebo, nec qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri. Cum quolibet in iudicio ex æquo contendimus, & quod contra nos dicatur cognoscimus, & in his quæ dicimus audimur, & quo obiecta patenter apprehendimus, eo audenter ad proposita respondemus. Si ergo inuisibilis iudex quæ facimus videt, quasi audit quę dicimus, sed quia id quod ei displicet nequaquam plenè cognoscimus, quasi quid ipse dicat ignoramus. Vir ergo sanctus vestimentorum suorum abominationem considerans, eo amplius timet, quo audiri ex æquo in iudicio non valet, quia quousque corruptionis suæ pondere premitur, hoc in pœna sua grauius tolerat, quod & sensum sui reprehensoris ignorat; ac si apertè dicat, in hoc ex æquo non audior, quia & patent cuncta quæ facio, & tamen ipse nescio per quanta reprehendor. *Augustinus in libro confess.* Væ ergo etiam laudabili hominum vitæ, si remota misericordia discutias eam Domine.

Cur opera omnia verenda.

Caro diuerberat animam.

De iudicio præsentis vltionis.

CAPVT CLXIII.

HVgo *de sacramentis libr.* 2. Modis autem duobus hominem in hac vita iudicat Deus. Aut enim per mala præsentia iam irrigare tormenta sequentia incipit, aut sequentia tormenta flagellis præsentibus extinguit. *Gregor. in Moral. lib.* 4. Nullum vero peccatum Deus relaxat inultum, aut enim nos illud insequimur flendo, aut ille vindicando. *Idem in lib.* 9. Valde quidem scrupulosum cordi se obijcit, quod beatus Iob postquam dixerat, verebar opera mea, subiungit, *sciens quod non parceres delinquenti.* Nam si delinquenti non parcitur, quis ab æterna morte eripitur, cum à delicto mundus nemo reperitur? At pœnitenti parcit, & delinquenti non parcit, quia cum delicta plangimus, nequaquam iam delinquentes sumus, sed quid cum Petrus negat respicitur, & redemptoris negati respectu ad lachrymas vocatur? Quid quod Paulus cum redemptoris nomen in terra conaretur extinguere, eius verba de cælo meruit audire? sed cum culpa in vtroque punita est: quia de Petro, teste Euangelio scriptum est: *Recordatus est Petrus verbi Iesu, & egressus foras flenit amarè.* De Paulo hæc eadem quæ hunc vocauit veritas dixit: *Ego ostendam illi quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine vltione non deserit; Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit; Aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam ergo peccato parcitur: quia nullatenus sine vindicta laxatur, sic de Iuda. Dauid audire post confessionem meruit, Dominus transtulit peccatum tuum, & tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens reatum culpæ quam perpetrauerat exoluit. Sic nos salutis vnda à culpa primi parentis exoluimur, sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Bene ergo dicitur, *sciens quod non parceres delinquenti*: Quia delicta nostra siue per nos, seu per semetipsum resecat etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult videre.

Deus punit peccata.

De iudicio secretissimę animaduersionis.

CAPVT CLXIV.

AVgustinus *super Gen.* Habent etiam malæ voluntates interiorem pœnam suam eandem ipsam videlicet iniquitatem suam. *Idem in Enchiridio lib.* 1. Ad iram itaque vel vltionem Dei iustam pertinet, vt dictum est supra, quicquid cæca & indomita concupiscentia libenter faciunt mali, & quidquid manifestis apertisque pœnis patiuntur inuiti. *Idem in libr. de vera religione.* Omnis quidẽ creatura corporea quæ possidetur ab anima diligente Deum, bonum est inhmũ. Si vero diligatur ab anima quæ negligat Deum, nec sic quidem ipsa fit malum: sed quia peccatũ est malũ quo ita diligitur, dilectori enim suo pœnalis efficitur, eumque implicat ærumnis, & pascit fallacibus voluptatibus, quia neque permanent, neque satiant, & tamen torquent doloribus. Nam cum ordinem suum peragit pulchra mutabilitas temporum, deserit amantem species concupita, & per cruciatum sentientis discedit à sensibus, & erroribus agitant, vt hanc esse primam speciem putet, quæ omnium infima est. Deniq; si vanitates detrahas, quibus tanquam prima sectantur extrema, non erit corpus vanitas, sed in genere suo, quamuis extremam pulchritudinem sine vllo errore mõstrabit. Temporaliũ enim specierũ multiformitas

Mutabilitas

ab vnitate Dei hominem lapsum per carnales sensus diuerberauit,& mutabili varietate multiplicauit eius affectum,ita facta est abundantia laboriosa, & si dici potest egestas copiosa,dum aliud & aliud sequitur, & nihil cum eo permanet. Sic à fructu frumenti vini & olei sui multiplicatus est,vt non inueniat idipsum, id est naturam incommutabilem & singularem, quam secutus non erret,& assecutus peramplius non egeat, tolle itaque vanitates,& nulla erit vanitas.

Idipsũ quod

*Idem de ciu. Dei li.*12. Homo itaque diuina voluntate contempta,non nisi perniciosè vti potest etiam seipso,sicque discit quid interst, vtrum inhæreat communi omnibus bono,an delectetur proprio. Se quippe amans sibi donatur, vt inde timoribus mœroribusque completus,si tamen mala sua sentit,cãtet in psalmo: *Ad me ipsum anima mea turbata est. Idem de libero arbitrio lib.* 3. Nam quia nemo leges omnipotentis Dei valet superare,non finitur anima debitum non reddere. Aut enim reddit bene vtendo quod accepit: Aut reddit amitteudo quod bene vti noluit: Itaque si non reddit faciendo iustitiam quam debet, reddet patiendo miseriam quam debet,nec vllo interuallo temporis ista diuiduntur:vt alio tempore nõ faciat quod debet,& alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis vniuersalis pulchritudo turpetur,vt sit in ea dedecus peccati sine decore vindictæ, sed in futuro iudicium seruatur ad manifestationem atque ad acerrimum sensum miseriæ, quicquid nunc occultissimè vindicatur. Omni autem animæ peccanti reuera duo sunt ista pœnalia,Ignorantia & difficultas. Sed ex ignorantia de honestate error: Ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris,vt erret inuitus, & resistente dolore carnalis vinculi non posse à libidinosis operibus temperare,non est natura hominis instituti, sed pœna damnati. Non itaque tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras, nec quod vulnerata membra non colligas, sed quòd volentem sanare contemnis. Non enim quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest,hoc animę deputatur in reatum,sed quod scire non studuit, & quod dignam facultati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit. *Glossa super epistolam ad Rom.* Denique inter primum peccatum apostatiæ,& vltimam pœnam ignis æterni, media quę sũt & peccata sunt & pœnæ. Iudicio enim iustissimi Dei crimina criminibus iudicantur, & supplicia peccantium non tantum sunt tormenta, sed & vitiorum incrementa.

Duo sunt panalia anima peccanti

Crimina criminibus iudicantur

Quod non vindicat Deus in idipsum bis.

CAPVT CLXV.

Hieronymus super Naum. Non autem, inquit consurget duplex tribulatio,sicut habet nostra trãslatio, in 70. vero Interpretũ editione sic legitur,quod non vindicabit Deus bis in idipsum in tribulatione. Ex hoc autem sequitur, quod qui puniti sunt, postea non punientur. Receperunt ergo in vita sua & qui in diluuio perierunt,& Sodomitæ,& Ægyptij,& Israelitæ in solitudine mala sua. Quærat autem hic aliquis: Si decolletur fidelis deprehẽsus in adulterio,quid postea fiet de ipso? Aut enim punietur,& tunc falsum est quod hic dicitur; Aut non punietur, & tunc optandũ est adulteris, vt in præsenti breui & cita pœna cruciatus æternos fruſtrentur. Ad quod respondebimus Deum vt omnium rerum ita quoque mensuras scire suppliciorum, & magnis ac diuturnis elui crũciatibus magnum peccatum; si quis autem punitus sit, vt ille in lege qui Israeliticis maledixerat,& ille qui collegerat in sabbato ligna, tales postea non punientur, quia culpa leuis est præsenti supplicio compensata.

Difficilis locus Hieron.

Idem super Ezech. lib. 6. Ecce si quidem de Iudæis ait Dominus in prophetia: *Pepercit oculus meus super eos*, &c. Quęritur itaque quomodo eis pepercit, quorum in solitudine cadauera prostrauit; sed ex hoc intelligimus eos viuere nec æternis supplicijs reseruatos, nec de libro viuentium esse deletos, nec ante faciem Domini consumptos,quia nec Moyses perijt, qui tamen terram promissionis non intrauit.

Auctor. Ex prædictis autem videtur quod puniti diluuio & Sodomitæ & Ægyptij, & murmuratores in deserto saluabuntur. Ad hoc respondent doctores, quod sufficienter puniti non iterum punientur in eodem statu vel in eodem foro. Quidam tamen sic exponunt illud verbum Hieronymi,quod non tam acerbe punientur in inferno, ac si non essent hic puniti. Sed secundum hoc pœna temporalis esset ęternè proportionalis. Igitur alij verbum illud intelligunt de his qui in pœnis conuertuntur ad Deum & conteruntur, videlicet quod tales in inferno non punientur: quod autem dicit: *Non vindicabit Deus bis in idipsum*, de punito in charitate sufficienter intelligitur, quia scilicet pro vno peccato sufficienter punitus, pro eodem iterum non punitur.

Sodomita & Ægyptii an saluati sint?

Quando Deus in filiis punit peccata patrum.

Qualiter vindicat Deus iniquitates patrum in filijs.

CAPVT CLXVI.

Hieronymus vbi supra. Quid est autem quod inter vos parab. vers. in Prouerb. in terra Israel, dicentes, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Ecce docet id quod in Exodo scriptum est: *Ego sum Dominus fortis & zelotes visitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, sic accipi debere quasi parabolam, vt aliud in verbis sonet aliud in sensu teneat, vnde ergo quidam illam sententiam ad humanam animam referunt, patrem in nobis esse, dicentes leuem punctum sensuum, filium vero si cogitatio conceperit peccatum; porro nepotem dicunt,si quod cogitaueris atque conceperis opere perpetraueris, pronepotem autem, id est, quartam generationem, si non solum feceris quod malum est & sceleſtum, sed & in tuis sceleribus glorieris. Sic Deus ergo primos & secundos stimulos cogitationum, quos Græci propathias vocant, sine quibus nullus hominum esse potest, nequaquam punit, sed si cogitata quis facere decreuerit, aut ea quæ fecit corrigere noluerit pœnitentia; vnde licet Cham peccauerit irridens nuditatem patris,sententiam tamen non ipse qui risit,sed filius eius Chanaan suscepit, dicente Noë: *Maledictus Chanaan*, &c. Nec non & in contrariam partem ponit Apostolus saluari mulierem per filiorum generationem,1. ad Timoth 2. Iniustum quidem videtur vt aliud peccet & aliud puniatur,sed ex eo quod sequitur, his qui oderunt me scandalum soluitur,non enim ideo puniuntur in tertia & quarta generatione, quia patres eorum deliquerunt, *sed quia patrum æmulatores extiterunt, hæreditario malo in ramos de radice crescente.* In hoc quoque Dei creatoris clementia demonstratur, non enim truculentiæ & seueritatis est iram vsque ad tertiam & quartam generationem tenere, sed signum misericordiæ pœnam peccati differre.

Aliæ expositio ex Aug.

Augustinus in Enchiridio. Parentum quidem peccatis obligari paruulos, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nascuntur, non improbabiliter dicitur, illa namque diuina sententia,reddam peccata patrum in filios, tenet vtique illos antequam per regenerationem ad nouum testamentum incipiant pertinere. Quod videlicet testamentum prophetabatur,cum per Ezechielem prophetam diceretur, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec vlterius futuram in Israel parabolam illam: *Patres nostri manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Ideo enim quisque renascitur,vt soluatur in eo quicquid peccati est cum quo nascitur,ac per hoc non est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio,adeo vt etiã de legitimo matrimonio procreatus dicat: *In iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis concepit*, &c. Neque dixit iniquitatem, vel peccatũ,sed iniquitates & peccata dicere maluit, quia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& in illo vno quod in omnes pertranſijt reperiuntur plura peccata parentum, quæ & ſi ita non poſſunt mutare, natura tamen reatu obligant filios, niſi gratuita gratia, & miſericordia diuina ſubueniat. Sed de peccatis aliorum parentum quibus ab ipſo Adam vſque ad patrem ſuum progenitoribus ſuis quiſque ſuccedit, non immerito poteſt diſceptari, vtrum omnium malis actibus, & multiplicatis originalibus delictis qui naſcitur implicetur: vt tanto peius quanto poſterius quiſque naſcatur, aut propterea Deus in tertiam & quartam generationem de peccatis parentum eorũ poſteris comminetur, quia iram ſuam quantum pertinet ad progeneratorũ culpas vlterius nõ extendit moderationem miſerationis ſuæ, ne illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimia ſarcina in ipſa æterna damnatione premerentur, ſi cogerentur ab initio generis humani omnium præcedentium parentum ſuorum originaliter peccata contrahere, & pœnas pro eis debitas pendere, an aliquid aliud de re tanta valeat reperiri vel non, temere non affirmo.

Auguſtinus non audet temerè affirmare quidpiam de pœnis filiorum ob peccata parentum.

De iudicio mortis.

CAPVT CLXVII.

Idem de ciuitate Dei lib. 13. Mortem quidem qua fit cohærentium direptio naturarum, videlicet animæ & corporis, homo niſi peccaſſet, perpeſſus non fuiſſet. Eſt enim pœna peccati, & tamen eſt malis quidẽ mala, bonis autẽ bona, ſicut videlicet oſtenſum eſt ſupra. *Idem ad Heſichium.* Nempe qualis in nouiſſimo die ſuo quiſque moritur, talis à Deo iudicabitur, vigilare ergo debet omnis Chriſtianus, ne imparatum eum inueniat Domini aduentus, quod erit ſi imparatum inuenerit vitæ ſuæ dies vltimus. *Bernardus in epiſtola de Machabæis.* Beati certè mortui non ſolum qui pro Domino ſicut martyres, ſed etiam qui in Domino moriuntur, vt confeſſores, ergo duæ res mortem faciunt precioſam, vita, ſcilicet & cauſa, ſed amplius cauſa quàm vita. Porro illa erit precioſiſſima quã & cauſa cõmendat & vita. *Ex gloſſ. ſuper Eccleſiaſtici xlj. capitulo. O itaque mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura eſt, & incredibili qui perdit ſapientiam*; bonum, inquam eſt viro tali iudicium mortis, quia per ipſum tranſit ad vitam æternitatis. *Indigens* dicitur qui terrenis ſubſidijs non delectatur: *Minoratus viribus*, qui de ſe præſumit: *Defectus ætate*, qui ſicut Abraham deficiens moritur in bona ſenectute, *huic eſt cura* de omnibus mandatis Domini, ſcilicet adimplendis vel proximis adiuuandis. *Increbilis* exiſtit, quoniam errori hæretico non conſentit. *Perdit quoque ſapientiam*, quam reputat Apoſtolus apud Deum ſtultitiam.

Mori in Domino, & pro Domino.

Cur mortuus præfertur viuo?

Ambro. in li. de bo. mo. Mors itaque corporis iuſtis videtur bona, ſed pleriſque metuenda. Quæ cum omnes abſoluat, paucos delectat, ſed non eſt hoc vitium mortis, ſed noſtræ infirmitatis, qui voluptate & corporis delectatione vitę iſtius capimur, & curſum hunc conſummare trepidamus, in quo plus eſt amaritudinis quàm voluptatis, certè ſi præſens vita oneris plena eſt, vtique finis ei alleuiamentum eſt, mors autem finis eſt, mors ergo bonum eſt. Denique grauius eſt ad peccatum viuere, quàm etiam in peccato mori, quoniam impius peccatum auget, quamdiu viuit. Si autem moriatur, peccare deſinit, mors itaque iuſtis eſt quietis portus, ſed naufragium putatur nocentibus. Et his certè quibus grauis eſt timor mortis, non eſt mori graue, ſed graue eſt ſub mortis metu viuere, non eſt ergo mors grauis, ſed metus mortis. *Idem ſuper Beati immaculati.* Nonnulli philoſophi diſputauerunt obeſſe improbis abſolutionem, prodeſſe mortem, eo quod in illa ſit incentiuum delinquendi, in morte autem finis delicti, vnde iuxta Eccleſiaſtẽ, mortuus præfertur viuenti, quia peccare deſinit, & mortuo nondum natus, quia peccare neſciuit. *Idem in libro de exceſſu Satyri primo.* Ceſſabunt itaque lachrymæ meę de fratris mei morte, quia debet aliquid inter fidos & perfidos intereſſe. Fleant ſuos qui eos in perpetuum interijſſe exiſtimant, quia ſpem reſurrectionis non habent; quam non eripit ſententia Dei, ſed inclementia fidei, nobis vero quibus mori naturæ, ſed iſtius vitæ finis eſt, quoniam in melius natura ipſa reparatur, fletus omnes caſus mortis abſtergat.

Idem in lib. 2. Mortem enim Deus homini non pro pœna, ſed pro remedio dedit, licèt & ipſa pœnalis ſit. Adam namque peccanti dictum eſt pro pœna, *maledicta terra in opere tuo*, &c. Pro remedio autem additũ eſt, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es. Mors ergo pro remedio quaſi malorum finis præſcripta eſt. Non eſt ergo formidabilis, nec amara egentibus, nec grauior diuitibus, nec iniuſta ſenioribus, nec fratribus, nec perpetua fidelibus, nec improuiſa ſapientibus. Morte martyrum religio defenſa eſt, fides cumulata, eccleſia roborata. Quid plura? Vnius morte etiam mundus redemptus eſt, cuius mors vita hominum eſt, morte eius ſignamur, mortem eius orando nunciamus, mortem eius offerentes prędicamus, ſola mors immortalitatem acquiſiuit, atq; ipſa mors ſoredemit, non eſt ergo mærenda, quę publicæ ſalutis eſt cauſa. In reſurrectione quoque ſurget natura eadem ſtipendijs mortis honoratior. Deinde mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi, deinde in aere ſimul cum illis rapientur & viui, Gentiles etiam aduerſus mortem plerunque ſe conſolantur, vel de communitate rerũnæ, vel de iure naturæ, vel de immortalitate animę. Denique quid abſurdius, quàm vt id quod ſcias omnibus eſſe prę ſcriptum, quaſi ſpeciale deplores, hoc eſt animum ſupra conditionem extollere, legem communem non recipere, naturæ conſortium recuſare, mente carnis inflari, & carnis ipſius menſuram neſcire. Quid abſurdius, quàm neſcire quid ſis, & affectare quod non ſis? aut quid imprudẽtius quàm quod ſcias futurum eſſe, id cum acciderit fieri non poſſe? *Hieronymus.* Reſurgere noſtros credimus, & tamen plangimus. Quid faceremus ſi mori tantum præciperet Deus? voluntas eius vtique ſola ſufficeret ad ſolatium, cui nullum præponere videmur affectum, nihil abſtulit tuum, qui recipere dignatus eſt proprium, creditum ſuum recipere decuit creditorem, & nihil aliud decet quàm creditori gratias agere mutuantem, & dicere cum Iob: *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, &c.

Mortis encomia.

De iudicio futuræ purgationis.

CAPVT CLXVIII.

Gregorius in dialogo libro 4. Qualis ergo hinc quiſque egreditur, talis, vt dictum eſt, in iudicio præſentatur. De quibuſdam tamen leuibus culpis eſſe ante iudicium purgatorius ignis credendus eſt, pro eo, quod veritas dicit, quia ſi quis in Spiritu ſancto blaſphemiam dixerit, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro, hac enim ſententia datur intelligi quaſdam culpas in hoc ſeculo, quaſdam in futuro laxari. Quid autem electis obeſt, ſi admodum durè moriantur. Et eſt fortaſſis eorum culpa, nonnunquam licet minima, quæ in eadem debeat morte reſecari. Nam & legitur, quod vir Dei cõtra Samariam miſſus, quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc Leo in itinere occidit, & poſtea Leo iuxta aſinum ſtetit, & de cadauere non comedit. Ex quo oſtenditur, quod inobedientiæ peccatum in ipſa morte fuerit laxatum, quia idem leo quem viuentem præſumpſit occidere, contingere non præſumſit occiſum. Plerumque de culpis minimis ipſe ſolus pauor egredientes animas iuſtorum purgat, ſicut narrari de quodam ſancto viro frequenter audiui, qui ſcilicet ad mortem veniens vehementer timuit, ſed poſt mortem diſcipulis in ſtola alba apparuit, & quàm præclarè ſuſceptus ſit, indicauit.

Electi dura morte finiũt vitam vtiliter.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Christus quando est fundamentum?

Ignis probat tribulatio.

August. de ciuit. Dei lib. 21. Inuenimus autem quid sit saluari per ignem secundum Apostolum, si prius inuenerimus quid sit in fundamento habere Christum, nihil enim in ædificio pręponitur fundamento: quisquis ergo sic habeat in corde Christũ, vt ei nihil præponat licitum vel illicitum, fundamentũ habet Christum. Si vero aliquid aliud præponit, & si videatur habere fidem Christi, non tamen in eo fundamentum est Christus, quem talibus postponit, hoc autem dies Domini declarabit, dies vtique tribulationis, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque quale sit opus ignis probabit, & hunc ignem vocat Apostolus tribulationem ipsam. Itaque si cuius opus permanserit, quod fit quando cogitat quæ Dei sunt, quod superædificauit mercedem accipiet, id est vnde cogitauit hoc sumet. *Si cuius autem opus arserit, damnũ patietur*, quia quod dilexerat non habebit. *Ipse autem saluus erit*, quia nulla eum tribulatio ab illius fundamenti stabilitate semouit. *Sic tamen quasi per ignem*, quod enim sine vrente amore non habuit, sine vrente dolore non perdit. Ecce quantum mihi videtur, inuentus est ignis qui nullum eorum damnet. Sed vnum ditet, alterum damnificet, ambos probet. Post huius sanè corporis mortem, donec veniatur ad vltimum iudicij diem defunctorum spiritus ignem huiusmodi dicuntur perpeti, quod illi non sentiant qui tales mores & amores non habuerunt in vita præsenti, scilicet vt eorum cum ligna consummantur, & fœnum & stipula, alij vero sentiant, qui huiusmodi secum portauerunt ædificia, siue ibi tantum, siue hic & ibi, siue ideo hic vt non ibi, sæcularia quamuis à damnatione venialia, concremantem ignem transitoriæ tribulationis inueniant, non redarguo, quia forsitan verum est, potest enim ad illam tribulationem pertinere, mors etiam ipsa de primi peccati perpetratione accepta, vt secundum ædificium cuiusque tempus quod ad eam sequitur ab vnoquoque sentiatur. Itaque temporarias pœnas alij quidem in hac vita tantum, alij post mortem, alij verò, & nunc, & tunc, veruntamen ante iudicium patiuntur.

Grauitas pœnæ purgatorij.

Idem super psal. 37. Ideo, *Domine*, inquit, *ne in ira tua corripias me*, sed in hac vita purges me. Neque purgatum reddas talem, cui iam emundatorio igne sit opus propter illos qui salui fiunt, sic tamen quasi per ignem, nam eo quod salui erunt dicitur, ignis ille contemnitur, grauior tamen erit quam quicquid in hac vita potest homo pati.

Purgantur anima in hoc mundo et iã post mortem.

Hugo de sacra. lib. 2. Est itaque pœna post mortem quæ purgatoria dicitur, cuius locus omnino determinatus non est, nisi quia multis exemplis & reuelationibus animarum in eiusmodi positarum sæpe monstratum est in hoc mundo illam exerceri. Et fortassis probabilius erit, vt in his potissimum locis singulæ pœnam sustinere credantur, in quibus culpam commiserunt. *Beda super parabolam.* Licèt itaque sicut scriptum est, mortuo homine impio nulla sit vltra veniæ spes, sunt tamen qui de peccatis leuioribus cum quibus defuncti sunt, absolui possunt, vel pœnis castigati, vel suorum precibus, & eleemosynis ac missarum celebrationibus releuari. Sed hoc ante iudicium. Qui verò postea se liberandos putant, falluntur, & forsitan ad illos pertinet quod sequitur: *Expectatio solicitorum peribit. Auctor.* De hac autem materia, scilicet de pœna purgatoria plenius dictum est superius, vbi actum est in generali de animæ humanæ natura.

De iudicio perpetuæ damnationis.

Caput CLXIX.

Gregorius vbi supra. Vt autem superius est habitum, sicut electos beatitudo lætificat: ita credi necesse est, quod à die exitus sui ignis reprobos exurat. Nam si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non & post mortem spiritus licet incorporeus etiam incorporeo teneatur igne. Cæterum, si diabolus, & Angeli eius cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animæ, & antequam recipiant corpora possint corporea sentire tormenta, & vnus quidem est ignis gehennæ, sed non omnes vno modo cruciat peccatores. Nam vniuscuiusque quantũ exigit culpa, tantũ sentit in pœna. Vis autem scire quomodo iustum sit, vt culpa cum fine perpetrata, puniatur sine fine, hoc rectè quis quæreret, si districtus iudex non hominum corda, sed facta pensaret. At iniqui propterea cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtique si potuissent sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quod in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare cum viuunt. Iustum est ergo, vt nunquam careant supplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato, & quidem omnipotens Deus quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur, quia vero iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedabitur.

Sunt gradus pœnarum in inferno.

Idem in Moral. lib. 15. Est, inquit pars hominis impij à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino. Cum videlicet districta Dei iustitia supplicium à reprobis exigit, eis mala vsque ad verborum retributionem reddit, vt qui de magnis malis debitores sunt supplicijs traditi, etiam nouissimum quadrantem soluant. Illis enim minima parcuntur, quia maiora in se mala districtè defleuerunt. Nam quos magna premunt, etiam minora in gehenna pariter affligunt. *Cæsarius Arelatensis in homil.* Illa vero pœnalis exclusio quia culpam iubetur inquirere, substantiam nescit absumere, flamma siquidem illa nõ tam reum persequitur quam reatum. Et si modus esset delictorum, esset & mensura cruciatuum. Si vero totam naturam occupauit pariter & inuoluit excessus capitalium scelerum, quia non recipit causa remedium, carebit fine supplicium. Occidente te itaque pœna, & viuificante sententia; dum sibi nullam spem promittere potest, vel post immensa tempora iam etiam in præsenti sentientur consequẽtium sęculorum tormenta, ac sic dolorem mortis auget immortalitas conscientiæ imposita. Escas crimina ministrant ardoribus sempiternis, manetque in hoc præceptum actoris iudicis vt ignis arbiter depasta non deuoret, sed ad hoc puniat vt semper interimat. *Hiero. super Isaiã lib. 6. Subtus te*, inquit *sternetur tinea, & operimentum tuum vermes.* Per hæc materia suppliciorum intelligitur, quę scilicet ex ipsis peccatis nascitur, sicut etiam quamdium materia cadaueris est, & aliquis humor in eo, vermes exputredine nascuntur, sic ex ipsa materia peccatorum supplicia gignuntur. *Idem super Hier. lib. 4. Maledicta*, inquit *dies, in qua natus sum, &c.* Hoc testimonio captamus quod melius sit non esse, quam in supplicijs viuere, iuxta illud quod scriptum est: *Mors viro requies:* & iterum: *Quare data est misero luxe? & vita his qui in amaritudine animæ sunt?*

Causa aterna pœna peccatum.

Aug. super Psal. Legimus quosdam in aliorum comparatione tolerabiliorem excepturos damnationem. Alicui vero mitigari eam cui traditus est pœnam, vel in quibusdã interuallis habere pausam, quis audacter dixerit: quandoquidem vnam stillã diues ille non meruit? *Idem de ciuit. Dei lib. 21.* Quidam vero sic iniustum putant, vt pro peccatis quantumlibet magnis paruo tempore perpetratis pœna quis æterna dãnetur, quasi hoc nullius iustitia legis attendat, vt tanta quisque mora temporis puniatur quanta admisit vnde puniretur. Quis enim pro aliquo crimine morte mulctatur, non quod mora qua occiditur æstimant leges eius supplicium, & non quod eum in sempiternũ auferunt de societate viuentium. Sicut ergo non efficiũt leges terrenæ ciuitatis, vt iniquus reuocetur occisus, nec ciuitatis cælestis, vt ad vitam reuocetur æternam, secunda morte damnatus: rectè quoque factus est malo dignus æterno, qui hic in se peremit bonum, quod esse posset æternum. *Beda vbi supra. Mortuo ergo homine impio nulla erit vltra spes.* Heu miser, hanc sententiam Origenes pertransijt, qui post extremum iudicium vitam hominibus peccatoribus dandam credidit.

Non mitigatur pœna inferni.

Origenes cõfutatur.

De

De iudicio diuinæ remunerationis.

CAPVT CLXX.

HIeronymus *contra Pelagianos lib.* 2. Non eſt autem iniuſtus Deus, vt tantum peccata condemnet, & opera bona non memoret. *Idem ſuper Aggæum.* Itaque ſi quando videris quenquam facere nonnulla quę iuſta ſunt etiam inter opera multa peccatorum, non eſt tam iniuſtus Deus, vt propter multa mala paucorum obliuiſcatur bonorum, ſed faciet eum illa tãtummodo quæ in terram bonam ſeminauit, metere, & in horrea ſua congregare. *Idem ſuper Ezechielem lib.* 9. Siquidem & de Nabuchodonoſor rege Chaldæo per Ezechielem dicitur à Domino: *Dabo ei terram Ægypti pro eo quod laborauit mihi.* Ecce in eo quod Nabuchodonoſor mercedem accepit operis boni, intelligimus etiam in Ethnicis ſi aliquid boni fecerint, non abſque mercede Dei iudicio præteriri. Vnde & apud Hieremiam idem rex appellatur *columba Dei*, quod aduerſus populum peccatorem Dei ſeruierit voluntati. *Idem in libro de ſpiritu & littera.* Veruntamen ſicut non impediunt à vita æterna iuſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur, ſic ad ſalutem æternam non proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuſlibet peſſimi hominis inuenitur.

Merces bonorum operum datur Ethnicis.

Idem in libro de correctione & gratia. Cumque ſicut iam ſuperius dictum eſt. Ipſa vita æterna quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, ab Apoſtolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ſine vlla dubitatione confitendum eſt, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini.

Requies beatorum qualis

Idem ad Ianua. lib. 2. Eſt autem, vt dictum eſt ſupra, quædam animarum requies ab omni labore moleſtiarum ſancta atque perpetua, in quam nobis tranſitus fit ex hac vita & eſt in illa requie non deſidioſa ſegnicia, ſed quædam ineffabilis tranquillitas agnitionis otioſæ. Sic enim ab huius vitæ operibus in fine requieſcitur, vt in alterius vitæ actione gaudeatur. Sed quia talis actio in Dei laude agitur, ſine labore membrorum, ſine angore curarum, non ſic ad eam fit tranſitus per quietem, vt ipſa quieti ſuccedat, id eſt non ſic eſſe incipit actio, vt eſſe deſinat quies. Neque enim reditur ad labores, & curas, ſed permanet in actione, quod ad quietem pertinet, nec in opere laborare, nec in cogitatione fluctuare.

Iucunditas vitæ æternæ.

Idem de libero arbitrio lib. 3. Tanta vero eſt illa pulchritudo iuſtitiæ, tantaque iucunditas lucis æternæ, id eſt incommutabilis veritatis, & ſapientiæ, vt etiam ſi non liceret in ea manere, pluſquam vnius diei mora propter hæc innumerabiles anni huius vitæ pleni delicijs, & circumfluentia bonorum temporalium rectè meritoque contemnerentur, non enim falſo, aut paruo affectu dictum eſt: *Quoniam melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia.*

Idem in quæſtionib. Euang. Omnia dici poſſunt de illa ineffabili perfruitione veritatis, & tanto magis omnia dici poſſunt, quanto minus dignè aliquid poteſt dici. Nam vt dux eſt illuminatorum, & requies exercitatorum, & patria reſidentium, & eſca indigentium, & corona vincentium, & quæcunque bona temporaliter tranſeuntia per creaturæ partes error appetit infidelium: Veriora in æternum manentia in creatore omnium ſimul inuenit pietas filiorum.

Auctor. Hæc dicta ſunt de vniuerſo, in quo nimirum Deus poſt illa prima opera ſex dierum, à quibus in die ſeptimo requieuit, operatur multiplicitet vſque modo. Sicut videlicet à Filio dicitur in Euangelio: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Nunc ad inſtitutionem naturæ præcipuæ humanæ quantum ad eius ſtatum, & etiam ipſius immutationem, ſiue deſtitutionem per peccatum latius proſequendam reuertor.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER TRICESIMVS.

Epilogus de inſtitutione naturæ ac ſpecialiter humanæ.

CAPVT I.

VGVSTINVS *ſuper Geneſim li.*1. Sicut iam alias dictum eſt, vbi Scriptura dicit in principio Deum cœlum & terram creaſſe, inſinuatur exordium creaturæ adhuc in imperfectionis infirmitate. Fit autem filij commemoratio qui etiã verbum eſt, in eo quod ſcriptum eſt. Dixit Deus. Sicque per id quod principium eſt inſinuatur exordium creaturæ ab illo exiſtẽtis adhuc imperfectæ. Per id autẽ quod verbũ eſt, perfectio creaturæ ad eum reuocatæ vt formaretur inhęrendo creatori, & pro ſuo genere imitando formam incõmutabiliter cohærentem patri. Æternum eſt autem quod ait Deus, fiat lux quia ſcilicet verbum Deus apud Deum eſt patri coæternum, quamuis Deo in æterno verbo hoc dicente, tẽporalis facta ſit creatura. Cum enim verba ſint temporis quando & aliquando, tamen quando fieri debeat aliquid æternum eſt in Dei verbo. Et tunc fit, quando fieri debuiſſe in illo verbo eſt, in quo non eſt, quando & aliquando, quia totum illud verbum æternum eſt.

Verbum æternum cauſa eſſectꝰ tẽporalis.

Baſilius in Hexaemeron, lib. 4. Similiter cum dicitur, congregẽtur aquę, vox Dei formatrix eſt naturæ. Itaque ſi quãdo te ſtante iuxta riuum ſubit cogitatio, cuius impulſu de tellũribus aqua progreditur, vel quæ ſunt horrea de quibus largiter effunditur, aut quis locus ad quẽ peruenire cogitur, vel quomodo nec illa deficit quæ ſequitur, nec illa quæ præceſſit exuberat, Profecto reperies, omnia hæc ex illa prima voce teneri. Igitur & quod aquarum curſus vrgetur, & mare certis præſcriptum finibus retinetur, primæ præceptionis virtus eſt. *Idem in lib.* 5. Prima quoque illa vox ac præceptio Dei, *germinet terra herbam virentem*, veluti quædam lex naturæ fuit, & ineſt terræ, procreandi fructificandique ſibi præbens in poſterum facultatem. Denique ratio naturæ ex priori Dei mãdato ſortita principium, per omne tranſit ęuum, donec ad communẽ terminũ finemque perueniat. *Idem Aug. ſuper Geneſim li.* 6. Cum ergo ab initio dixit Deus. *Faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtrã* &c. Et poſtea. *Creſcite & multiplicamini.* Et iterũ. *Ecce dedi vobis omnem herbam &c.* Ille ſermo ante omnẽ ſonum aeris, ante omnẽ vocẽ carnis & nubis, in illa ſũma eius ſapientia per quã facta ſunt omnia, non quaſi humanis auribus inſtrepebat, ſed rebus factis rerũ faciẽdarũ cauſas inſerebat, & omnipotẽti potẽtia futura faciebat hominẽque ſuo tẽpore formandũ, vt ſupra dictũ eſt, tanquã in radice vel ſemine temporũ condebat, vnde inciperẽt ſæcula ab illo condita, qui eſt ante ſæcula. Denique illa Dei opera, quæ per ſex dies ab initio leguntur facta, Scriptura dicit, & conſũmata & inchoata. Conſũmąta cum dicit. *Perfecti ſunt cæli & terra &c.* Inchoata quoque paulo poſt perhibet, vbi dicit, quod requieuit Deus ab operibus ſuis quæ inchoauit vt faceret. Conſũmaſſe quippe Deũ illa dicimus, cum ita perfecte creauit omnia ſimul, & ei nihil adhuc in ordine tẽporũ creandum eſſet, quod non tunc ab eo iam in ordine cauſarũ creatũ eſt. Inchoaſſe vero, vt quod tunc præfixerat cauſis, poſtmodum impleret effectis. Rebus quippe tunc factis rerum faciendarũ cauſas inſeruit, & omnipotenti potentia iam in temporũ velut radice futura facit. *Idem in lib.* 8. Creauit ſiquidẽ omnia ſimul, ex quibus currerent tempora, & implerentur loca, ac temporalibus & localibus rerum motibus voluerentur ſæcula.

Deus & inchoauit & conſummauit opera.

Ex fluminibus colligitur vox Dei formatrix.

Epilogus de conſideratione creaturæ.

CAPVT II.

Baſilius vbi ſupra. Quid autem loquar, quid vereticeam, tam precioſos theſauros creaturæ reſpiciẽs? Eſt quidẽ difficilis aſſecutio meliorum ſed iactura non tolerabilis omiſſorum. *Greg. in moral. li.* 25. Nempe ſi vigilanter exteriora conſpicimus, per ipſa eadem ad interiora reuocamur. Veſtigia quippe noſtri creatoris ſunt opera mira creaturæ viſibilis. Menti autem noſtræ peccato ſuo ſparſæ exterius necdum Deus ſicut eſt innoteſcit interius, ſed dum ille facturæ ſuæ decus foras proponit, quaſi quibuſdam nutibus innuit, & quæ intus ſequamur, oſtendit. Et quoquo ſe verterit anima ſi vigilanter intendit in ipſis ijſdem Deum iuuenit, per quæ deliquit, eiuſque potentiam ex eorum

Veſtigia creatoris in creatura.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

rursum cognoscit consideratione,quorum amore deseruit, & per quæ peruersa incedit per hæc conuersa reuocatur. Vbi enim lapsi sumus ibi incumbimus, vt surgamus,& quasi ibi surgendo mannm considerationis figimus,vbi pede amoris lubrici corruentes, negligendo iacebamus. Nam quia ex inuisibilibus per visibilia cecidimus,dignum est,vt ad inuisibilia ipsis rursum visibilibus innitamur, vt quo casu anima venit ad infirma, eo gradu reuertamur ad summa.

*Augustinus contra Faustum lib.*1. Ergo quidem vt ista in imo opera Dei terrena,infirma, mortalia,cõsiderem, ineffabiliter moueor laude creatoris, qui prorsus ita magnus est in operibus magnis,vt minor non sit in minimis. Ars enim diuina qua cœlestia & terrena opera sunt,cum ea sint inter se dissimilia ipsa in omnibus suis similis est:quia in suo quoque genere proficiendo, vbique perfecta est. Neque enim vniuersum condit in singulis, sed ad vniuersi complexum condens singula, se vniuersam condendis præbet & singulis, omnia congruenter locis suis & ordinibus faciens,atque disponens,& omnibus particulariter & vniuersaliter cõgrua tribuens. Ecce hic in isto quasi mundo infimo vniuersæ creaturæ,aspicite animalia quæ volant,& natant,& gradiuntur,& repunt; nempe mortalia sunt. Vita enim eorum est vapor ad modicum parens. Hunc enim modulum ab optimo conditore perceptum tanquam in commune conferunt vniuerso, pro sui generis portione complenda vt cum istis imis sint omnia bona, in quibus sunt eis superna meliora. Veruntamen attendite, & date mihi vnumquodlibet abiectissimum animal, cuius anima oderit carnem suam, ac non potius foueat & nutriat eam, motuque vitali vegetet, & regat, & quodammodo administret pro sui generis exiguitate quoddam vniuersum sibi ad incolumitatem tuendam conciliatum. Quia enim rationalis anima corpus suum castigat & in seruitutem redigit,ne immoderatus terrenorum appetitus sapientiæ perceptionem impediat;etiam sic carnem suam diligit, quam sibi ad obediendum legitime subdit & ordinat. Quid etiam in ipsa carne? Vitalia viscera totius formæ conuenientia membra operandi, vasa sentiendi, locis atque officijs suis cuncta distincta,concordi vnitate contexta, moderatione mensurarum,paritate numerorum,ordine ponderum, nonne indicant artificem suum Deum verum?cui vere dicitur: Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti. Si enim cor non peruersum & corruptum vanis fabulis habueritis, inuisibilia eius etiã per hæc quę in hac infima & carnali creatura facta sunt intellecta conspiceretis, vnde enim istis hæc quæ commemoraui, nisi ab illo cuius vnitate omnis modus fistitur, cuius sapientia omnis numerus formatur, cuius lege omnis ordo disponitur? Intuemini ergo si potestis, quantam vim à creatore ducat creatura. Ab ipsis cælestibus apparatibus, vsque ad carnem & sanguinem vniuersitatis plenitudine terminata, formarum varietate decorata,rerum gradibus ordinata.

Anima dū castigat carnem eam diligit.

De miraculis naturæ.

CAPVT III.

Basilius vbi supra. Cupio ergo in sensibus tuis altius hærere creaturæ miracula: vt vbicunque repertus fueris, & cuiuslibet nascentium generi spectator astiteris,magnificam percipias memoriam conditoris. *Aug. de Ciuit Dei li.*22. Ipse nempe tam miras & varias qualitates rebus indidit quas videmus, vt eas quã multæ sunt miremur,& si enim aliquando miremur insolita experti, ipsa tamen experiendi assiduitas paulatim subtrahit ipsius admirationis incitamentum. Sed homines infideles, qui cum diuina miracula prædicamus rationem à nobis eorum flagitãt, quam reddere non possumus, Ipsi de tot mirabilibus rebus quas videmus rationem reddant,quæ proculdubio si esse nescirent,& ea futura esse prædicaremus,multominus crederent, quã quod nunc nobis dicentibus nolunt credere esse futurum.

Mira natura.

Reddant ergo de magnete lapide, quod nescio qua sorbitione insensibili stipulam non moueat, & ferrum rapiat. De carne non putrescente Pauonis,cum putruerit & Platonis. De palea ipsa sic frigente,vt fluescere niuem non sinat;sic calente, vt poma matureſcere faciat. De igne quoque fulgido,quod secundum suum fulgorem lapides coquendo candificet, & contra eundem suum fulgorẽ vrendo obfuscet. Tale est, & quod nigræ maculæ obfunduntur ex oleo splendido. Similiter nigrę lineæ de candido imprimũtur argento. De carbonibus, quod accedente igne,sic vertuntur in contrarium,vt de lignis pulcherrimis tetri,fragiles, de duris, imputribiles de putribilibus fiant. De calce quod fernet in aqua, in oleo frigida est. De fonte quodam vbi faces extinguuntur accensæ,& accenduntur extinctæ. De pomis Sodomorum forinsecus quasi maturis,intrinsecus fumeis. De sale Agrigentino,quod flamma fluescere facit,aqua trepidare. Porro si mirabilia possunt facere Angeli boni,& Dæmones,& Magi,& si tot & tanta mirifica fiunt quæ mechanica appellant, Dei creatura vtentibus hominibus,vt ea quæ nesciunt, opinentur esse diuina. Vnde factum est, vt in quodam templo lapidibus magnetibus in solo & in camera proportione magnitudinis positis simulachrum ferreum aeris illius medio inter vtrumque lapidem ignorantibus quod sursum esset, quasi numinis potestate penderet, quantomagis Deus potest facere, quæ infidelibus incredibilia sunt, quandoquidem ipse lapidum aliarumque rerum vim, & hominum ingenia,qui ea miris vtuntur modis,& Angelicas naturas condidit,vniuersa mirabilia mirabili vincẽte naturæ virtute,operandique & iubendi, finendique sapientia vtens omnibus tam mirabiliter, quam creauit. Qui fecit mundum innumerabilibus miraculis plenum. Cum omnibus quibus plenus est proculdubio maius & excellentius mundus ipse miraculum. Sed isti cum quibus agimus quando eis vim mirabilem rerum proponimus, sicut ea sunt quæ pauca iam diximus, licèt insolita vis contra naturam esse videatur, Alia tamen ab eis non redditur ratio,nisi hanc esse eorũ naturã. Breuis sane est illa ratio, sufficiensque responsio. Cũ ergo Deus auctor sit omniũ naturarum, cur volunt fortiorẽ nos addere rationẽ, quando aliquid velut impossibile nolũt credere, eisque redditionẽ rationis poscentibus respondemus hanc esse voluntatẽ omnipotentis Dei, qui certe non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult potest?

Infideles fluide deridient miracula.

Epilogus de plantatione Paradisi.

CAPVT IIII.

Idem super Gen. Causaliter quidem dictum est, terrã produxisse lignum & herbã virentẽ idest producẽdi accepisse virtutem. In ea quippe iam tanquam in radicibus temporũ facta erant, quæ per tempora ipsa futura erãt. A qua videlicet cõditione requieuit Deus septimo die,mouensque deinde per tẽporales cursus,ea ipsa quæ cõdidit, & in quibus cõditis requieuit,non solũ plantauit Paradisũ, sed etiã nunc omnia quæ nascuntur. *Petrus Commestor.* Sic ergo fecit Deus omnem virgultum agri antequã oriretur in terra,& omnẽ herbam regionis priusquã germinaret,fecit inquam ea materialiter priusquã orirentur ac germinarẽt paulatim, vt modo faciũt, essentialiter. Vel aliter intelligitur prout innuit littera sequens, cum dicitur, *Non enim pluerat dominus super terram, & homo non erat qui operaretur illam.* Fecit equidem tunc illa Deus perfecte & essentialiter priusquam orirentur ac germinarent,vt modo faciunt,cnm paulatim beneficio roris infusi, & labore hominum adhibito ad ortum & ad maturitatem perueniunt. Tunc enim terram irrigabat fons vnus, sicut Ægyptum Nilus. Vel quia legitur ibi fons, & non vnus multitudinem innuit, sicut in Exodo vbi dicitur, quòd in Ægyptum locusta grauissima venit. Itaque die tertio plantauerat Deus idest plantis aptauerat Paradisum herbis scilicet & plantis arborũ. Et hoc est quod dicitur,à principio

Fons irrigãs terram qualis.

cipio videlicet creationis cum arida apparuit, ac terram ipſam germinare fecit. Vel aliter poteſt intelligi ſcilicet, à principio, id eſt, à prima parte orbis. Vnde ſecundum aliam tranſlationem, *Plãtauit Deus Paradiſum in Eden ad Oriẽtem.* Eden ſiquidem Hebraicè interpretatur delitiæ, Eſt ergo idem Paradiſus voluptatis & Paradiſus in Edẽ ideſt delitijs. Et quod dicitur in principio idem eſt quod ad orientem, dicit alia tranſlatio.

** Hæc ſententia de Paradiſo non placet Theologis nec ſolida eſt.*

* Eſt enim Paradiſus ille locus ameniſſimus, longo maris ac terræ tractu à noſtra habitabili ſecretus, adeo quidem editus, id eſt, in abdito vel ſublimi loco poſitus, vt vſque ad lunarem attingat globum. Vnde & illuc aquæ diluuij non peruenerunt. Fons autem & fluuius, vt ait ſcriptura, egrediebatur ad irrigandum Paradiſum, id eſt Paradiſi ligna, vbi fons intelligi poteſt, vel abyſſus, id eſt matrix omnium aquarum, vel per ſillepſim fontes. Irrigare autem poſitum eſt pro miniſtrare humorẽ. Dicitur enim terra circumiacens humectari à fluminibus per tractiones ſtadijs quatuordecim, aut etiã ſexdecim. Hic autem fons diuiditur in quatuor flumina, de quibus videlicet dictum eſt ſupra. *Hugo de ſacra. ib.* 1. O quantæ amænitatis locus ille fuit, in quo natura hominis adhuc à corruptione aliena foueri ac nutriri debuit. *Auguſt de Ciu Dei lib.* 14. Nonnulli totum ipſum Paradiſum ad intelligibilia referunt, & arbores illas fructiferas in virtutes vitæ moreſque conuertunt, quaſi videlicet illa corporalia penitus non fuerint; Sed intelligibilium cauſa ſignandorum eo modo dicta vel ſcripta ſint. Quaſi vero propter hoc non potuerat eſſe Paradiſus corporalis, quia poteſt etiam intelligi ſpiritualis, & ideo non fuerint duæ mulieres duorum Abrahæ filiorũ matres Agar & Sara, quia duo teſtamenta dicit Apoſtolus in eis figurata. Aut ideo de nulla petra fluxerit aqua Moyſe percutiente, quia poteſt ibi etiam Chriſtus intelligi figurate, dicente Apoſtolo, *Petra autem erat Chriſtus.* Nemo itaque prohibet intelligi Paradiſum vitã bonorum. Cuius quatuor flumina ſunt quatuor virtutes. Ligna vero diſciplinæ vtiles, fructus lignorum mores piorum. Hæc & alia de Paradiſo ſpirituali commodè dicantur, dum tamen & illius hiſtoriæ veritas fideliſſima rerum geſtarum narratione commendata credatur.

Moralis expoſitio.

De lignis eiuſdem.

CAPVT V.

Comeſtor. Produxit ergo Deus in Paradiſo diuerſa ligna de humo, quibus delectaretur homo videndo, & ſuſtentaretur edendo. Produxit quidem, id eſt, procul in altum duxit, vel pro homine eduxit. In medio quorum tanquam digniora poſuit lignum vitæ, & lignum ſcientiæ boni & mali.

Cur lignum vitæ ita dictum? Cur lignum ſcientiæ?

Dictum eſt autem lignum vitæ ab effectu quem habuit naturaliter, vt Comeſtum ſæpius hominem perpetua ſoliditate firmaret, ita vt nulla infirmitate vel anxietate vel ſenio in deterius vel in occaſum laberetur. Lignum vero ſcientiæ boni & mali dictum eſt ex eo quod ſequutum eſt eius comeſtionem, prius enim homo neſciebat quid eſſet malum, quia nondum expertus erat. Bonum dicimus ſanitatem & firmitatem, malum vero ægritudinem & imbecillitatem, quam nõdum ſenſerat. Cognouerat quidem ea per ſcientiam, quia ex vno contrariorum cognoſcitur reliquum, ſed non per experientiam, vt medicus dum ſanus eſt nouit morbos, ſed cum ægrotat magis cognoſcit, quia nouit & ſentit, ſicut de puero delicate nutrito dicitur, quia neſcit quid ſit malum, immo nondum nouit quãti ſit bonum. Vel malum dicitur inobedientia, bonũ obedientia, quia poſt comeſtionem nouit quantum erat bonũ obedientiæ & quantum malum inobedientiæ.

Aug. ſuper Gen. lib. 3. Erat quidem lignum vitæ, quemadmodum petra Chriſtus, nec ſine myſterijs rerum ſpiritualium, hominem in Paradiſo viuere voluit Deus. In cæteris enim lignis erat ei alimentum, in iſto ſacramentum ſignificans ſapientiam, de qua ſcriptum eſt, quod lignum vitæ eſt amplectentibus eam. Sic etiam Chriſtus eſt lapis à Iacob vnctus, & lapis ab ædificantibus reprobatus, in caput anguli factus. Sed illud etiã in rebus geſtis eſt factũ, hoc autẽ in figura tãtummodo prædictum. Sic ergo ſapientia lignum vitæ eſt in Paradiſo ſpirituali, & creatum eſt quod illam ſignificaret lignũ vitæ in Paradiſo corporali. Lignum autẽ ſcientiæ boni & mali tale nomen accepit, vt eo ſecundũ prohibitionem non tacto caueretur, quod eo contra prohibitionem tacto ſentiretur. Non enim quia inde comederũt contra præceptum Dei, ideo lignum illud factũ eſt ſciẽtiæ boni & mali, Sed etiam ſi nihil inde contra præceptum vſurparẽt, id recte vocaretur: quod ibi eis accideret, ſi vſurpaſſent. Nã etſi vocaretur arbor ſaturitatis, eo quod inde ſaturari poſſẽt homines, vtique ſi etiam nemo accederet, non ideo nomen illud incongruum eſſet, quandoquidem cum accederent & ſaturarentur, tunc probarent, quod id arbor illa recte vocaretur. Hoc ergo in quo ligno accidere potuit, ex ipſa re nomen accepit. Malum quippe niſi experimẽto non ſentiremus: quia nullum eſſet, ſi non feciſſemus. Non enim aliqua eſt natura mali, ſed hoc nomẽ accepit amiſſio boni, homo nempe cum ſit bonum mutabile, melius bonum fit, cum immutabili bono adhçſerit, amando & ſeruiendo ei rationabili & propria volũtate. Ideo ſiquidẽ & hoc magni boni natura eſt: quia & hoc accepit: vt adhærere ſummi boni naturę poſſet. Quod ſi noluerit, bono ſe priuat, & hoc eſt ei malum. Propter quod etiam per iuſtitiam Dei patitur cruciatum, Quid enim tam iniquum eſt, vt bene ſit deſertori boni? Nullo modo id poteſt fieri, ſed aliquãdo boni ſuperioris amiſſi non ſentitur malum, cum habetur quod amatur inferius bonum. At vero diuina iuſtitia eſt, vt qui voluntate amiſit quod amare debuit, amittat cum dolore, quod amauit, dũ vbique laudetur creator naturarum. Adhuc enim bonum eſt, quod dolet bonum amiſſum. Nam niſi bonum aliquod remanſiſſet in natura, nullus boni amiſſi dolor eſſet in pœna. Cui vero placet bonum ſine mali experimẽto, ſcilicet vt antequàm amiſſionem boni ſentiat, eligat tenere ne amittat, ſuper omnes homines prædicandus eſt. Sed hoc niſi cuiuſdã laudis ſingularis eſſet, non illo puero tribueretur, de quo ſcriptum eſt. Pauſquam ſciat bonum & malum, malitiam contemnet, vt eligat bonum. Hæc etenim duo ſciuntur aliter per prudentiam boni, aliter per experientiam mali.

Sapiẽtia ſpirituali ſenſu eſt lignum vitæ.

Malum non ſentitur niſi experimento.

Epilogus de formatione hominis.

CAPVT VI.

Idem in lib. 6. Aliter quoque facti ſunt Adam & Eua ſexto die quando dixit Deus, *Faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Et aliter poſt dierũ enumerationem quando de limo terrę formauit hominem, Tunc quidem ſecundũ potentiam per verbum Dei, tanquam mundo ſeminaliter inditam, quando ſimul omnia creauit, à quibus in die ſeptimo requieuit, ex quibus omnia ſuis quæque temporibus iam per ſæculorum fierent ordinem, Poſtea vero ſecũdum operationem præbendam temporibus, quæ vſque nunc operatur. Et oportebat iam ſuo tempore fieri Adam de limo terræ, Mulierem autem ex eius latere.

Quomodo in primo Dei opere Deus alloquitur nonnullos?

Nemo itaque putat in illo primo Dei opere ita fuiſſe hominem vt aliquam vitam duceret, vt Dei locutionem ad ſe directam cum dixit, *Ecce dedi vobis omnem herbam &c.* diſcerneret, crederet, & intelligeret. Ab inquis, quomodo loquebatur eis qui nondum audiebant, quia nec erant qui verba perciperent? Reſpondere poſſim, ſic Deum allocutum eos fuiſſe quomodo Chriſtus nondum natos, non tantum nos ſed omnes etiam qui futuri ſunt poſt nos. Omnibus quippe dicebat quos ſuos eſſe futuros præuidebat, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Verum, vt dictum eſt ſupra, in naturarum inſtitutione ſermo Dei nõ quaſi humanis auribus inſtrepebat, ſed rebus factis rerũ faciendarum cauſas inſerebat, & omnipotenti potentia futura faciebat, hominemque ſuo tempore formandũ in temporũ velut radice vel ſemine condebat, in illo itaq; primo Dei opere creatus eſt homo, qui futurus eſſet ratio creandi hominis, non actio creati, & hoc quidem

cum simul crearentur omnia. Creatus est autem in tempore visibiliter in corpore, inuisibiliter in anima. Si autem & hominē & bestias de terra formauit Deus, quid habet homo in hac re bestijs excellentius? nisi quod ad imaginem Dei est creatus, non tamen hoc secundum corpus, sed secundum intellectum mentis. In ipso tamē etiam corpore quandam proprietatem habet, quæ hoc ipsum indicet, videlicet quod erecta statura factus est. Sicut superius ostensum est.

Corpus hominis indicat imaginē Dei.

Sed quomodo fecit eum Deus ex limo terræ? vtrum videlicet repēte in perfecta, id est, virili aut iuuenili ætate, an sicut vsque nunc in vteris matrum consueuit formari? Non enim hoc alius facit quā ille qui dixit: Priusquam te formarem in vtero noui te, vt scilicet illud tantummodo proprium habuerit Adam, quod non ex parentibus est natus, sed ex terra factus, eo tamen modo, vt in ipso perficiendo, ac per ætates augēdo hi temporum numeri complerentur, quos humano generi attributos videmus. An potius hoc non est requirendum, vtrumlibet enim horum fecerit, hoc fecit quod omnipotentem & sapientem Deum posse & facere decuit. Ita vero certas temporum leges generibus, & qualitatibus rerum in manifestum ex abdito producendis attribuit, vt eius potestas super omnia sit. Itaque si omnium causæ futurorum insitæ sunt mundo cum Deus omnia simul creauit, non aliter Adam factus est, cum de limo formatus est, sicut credibilius est, tam perfectæ virilitatis, quā erat in illis causis, vbi Deus hominē in sex dierum operibus fecit, tam enim non facit Deus contra causam quam vtique volens præstituit quam contra voluntatem suam non facit. Si vero non omnes causas in creatura primitus condita præfixit, sed aliquas in sua seruauit voluntate; non sunt quidem illæ quas in sua voluntate seruauit pendentes ex illarum quas creauit necessitate, non sunt tamen contrariæ, quas constituit in voluntate sua: quia voluntas Dei non potest sibi esse contraria. Illas ergo sic condidit, vt ex eis illud esse cuius causæ sunt, possit, sed non necesse sit; Istas vero sic abscondit, vt ex eis esse necesse sit, hoc quoque, quod ex istis fecit, vt esse possit. *Hugo de sacra. li. 1.* Non autem, vt quidam putant, hominis conditio sic ad restaurationē Angelorum prouisa est, quasi factus homo non fuisset, si Angelus non cecidisset. Sed ob hoc ad restaurandum & supplendum lapsorum Angelorum numerum factus est homo, vt dicitur, quia cum homo postmodū creatus, illuc vnde illi ceciderāt, ducitur, illius societatis numerus, qui diminutus in cadentibus fuerat, per hominem reparatur &c.

Certa leges rebus producendis data.

Deus non damnauit hominem ad laborem ante peccatum.

De translatione ipsius in Paradisum.

CAPVT VII.

Petrus Comestor. Tulit ergo Deus hominem de loco suæ formationis in Paradisum, vt operaretur ibi, nō tamen laborando, velut ex necessitate, sed delectando, ac recreando seipsum. *August. vbi supra li 8.* Quid enim vt aliàs iam superius dictum est, maius, & mirabilius spectaculum est? Aut vbi magis cum natura rerum, humana ratio quodammodo loqui potest? quam cum seminibus positis, plantatis surculis, translatis arbustulis, insitis malleolis, tanquam interrogetur quæque vis radicis, & germinis quid possit, quidve non possit, vnde possit, vnde non possit, quid in ea valeat numerorum inuisibilis interiorque potentia, quid extrinsecus adhibita diligentia, & in ipsa consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, quia & illud operis quod accedit extrinsecus, per illum accedit, quem nihilominus creauit, & quem regit, & ordinat inuisibiliter Deus. Itaque nullatenus est credibile, quod Deus hominem ante peccatum damnauerit ad laborem. Siquidem, & nunc videmus, cum tanta voluptate animi quosdam agricolari. Quicquid autem nunc agricultura deliciarum habeat, tunc vtique longe amplius erat, cum nihil aduersi, vel è terra, vel è cœlo accidebat, Non enim erat laboris afflictio, sed voluntatis exhilaratio, cum ea quæ creauerat Deus, humani operis adiutorio lætius prouenirent, ac feracius, vnde creator ipse laudaretur vberius, qui animæ videlicet in animali corpore constitutæ, facultatem operandi dedisset, quantum animo volenti satis esset, non quantum inuitum corporis indigentia cogeret.

Quid sibi abhorret à verbo, si credamus hominem in Paradiso constitutum, vt operaretur agriculturam non labore seruili, sed honesta voluntate animi. Quid enim innocentius hoc opere, sic vacantibus & quid plenius magna consideratione prudentibus? nec solum, vt operaretur, ibi positus est, verum etiam vt custodiret, eundem Paradisum sibiipsi, ne aliud admitteret, cur inde mereretur expelli. Ob hoc enim præceptum datur, vt id per quod sibi Paradisum custodiat, id est quo conseruato non inde proijciatur. Est & alius in his verbis sensus, videlicet vt ipsum hominem operaretur, & custodiret Deus, sicut enim operatur homo terrā, vt eam cultam, & fructuosam faciat, sic Deus hominem multomagis, quem ipse creauit, operatur, vt iustus sit, si homo per superbiam non abscedat. Ipsum ergo in Paradiso collocauit operandum, & custodiendum. Operandum vt iustus esset, Custodiendum vt tutus esset. Ipsa vtique dominatione Dei, quę nobis vtilis est, nō illi. Ipse quippe nostra nō indiget seruitute; nos autem indigemus illius dominatione, videlicet vt operetur, & custodiat nos. Ideoque solus verus est dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram vtilitatem, & salutem seruimus. Nam si nobis indigeret, eo ipso non verus dominus esset, cum per nos eius adiuuaretur necessitas, sub qua & ipse seruiret: nec dico nos ad vtilitatem nostram illi seruire, tanquam aliquid aliud ab illo expectemus quam ipsum qui est summa vtilitas, & nostra salus. Sic enim gratis diligimus, secundum illud, *Mihi adhærere Deo bonum est.* Totaque hominis actio bona, est ad ipsum conuerti, & ab eo iustum, pium, sapientem, beatumque semper fieri, à quo factus est, non ergo sic ad Deum se conuertere debet, vt cum ab eo factus fuerit iustus, abscedat, se ita vt ab illo semper fiat, eo quippe ipso cū ab illo nō discedit, operantis & custodientis Dei præsentia iustificatur, & illuminatur, & beatificatur, dum ille obedienti, subiectoque dominatur. Sicut enim aer qui præsente lumine fit lucidus, non est factus, quia si factus esset non iam fieret, aut etiam absente lumine lucidus esset, sic homo præsente sibi Deo illuminatur, absente autem continuo tenebratur; à quo non locorum interuallis, sed voluntatis auersione discedit: ille itaque operetur hominem bonum atque custodiat, quem incōmutabiliter bonum esse constat. Semper ab illo debemus fieri, semperque perfici. Ipsius enim figmentum sumus, non tantum vt homines simus, sed etiam vt boni simus.

Agricultura. Paradisi an labor?

Præceptum Adæ cur datum?

Conuersio ad Deum to. ta hominis iusti actio.

Homo continuò illuminatur à Deo.

De adiutorio homini faciendo.

CAPVT VIII.

Idem in libro octauo. Dixit quoque Deus, Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Vtrum autem temporaliter vocibus & syllabis hoc dixerit Deus, an ipsa ratio commemorata est, quæ in verbo Dei principaliter erat, vt sic fœmina fieret, Quam rationem suscipiebat tunc scriptura cum diceret. *Dixit Deus, fiat.* An forte in mente hominis hoc dixit Deus secundum quod dicit Psalmista, *Audiam quid loquatur in me dominus Deus*, an aliqua de hac re ipsi homini in ipso homine per Angelum facta est reuelatio, secundum illud, *Et dixit mihi Angelus qui loquebatur in me*, an per corporalem creaturam vox ipsa sonuerat, sicut de nube, *Hic est filius meus dilectus*, Ad liquidū comprehendere non possumus. Veruntamen certissimè teneamus, & hoc Deum dixisse, & si corporali voce vel temporaliter expressa similitudine, non eum per substātiam quæ ipse est, sed per aliquam subditam imperio suo creaturam hoc dixisse certissimum est eis, qui substantiam Trinitatis incommutabilem, æternam, nec per locum,

Quæstio quomodo loquutus est Deus in creatione mulieris?

Resp.

nec

nec per tempus moueri,vel fideliter credunt, vel excellenter intelligunt. Non igtiur modo quæramus, quomodo Deus illud dixerit, ſed potius intelligamus quid dixerit. Adiutorium quippe homini ſecundum ipſum faciendum æterna veritas habet, per quam creata vel cauſa ſunt omnia,& in illa hoc audit,qui poteſt in ea cognoſcere quid,quare creatum ſit.

Si autem quæratur,ad quam rem fieri oportuerit adiutoriũ hoc,nihil aliud probabiliter occurrit,quàm propter filios procreandos, ſicut adiutorium ſemini terra eſt,vt ex vtroque virgultum naſcatur. Quanquam enim iam emiſſi de Paradiſo conueniſſe & genuiſſe narrẽtur, tamen non video quid prohibuerit honorabiles nuptias eis fuiſſe,& thorum immaculatum, hoc Deo præſtante fideliter & iuſtè viuentibus,vt ſine aliquo ardore libidinis, ſine labore & dolore pariendi, fætus ex eorum ſemine gigneretur,ſed vt illis qui genuiſſent in aliquo formæ ſtatu manentibus & ex ligno vitæ, corporalem vigorem ſumentibus, & illi qui gignerentur ad eundem ſtatum perducerentur, donec certo numero impleto, ſi omnes iuſtè viuerent,tunc fieret illa commutatio, vt ſine aliqua morte animalia corpora conuerſa in aliã qualitatem,eo quod ad omnem nutum regẽti ſe ſpiritui deſeruirent,& ſolo ſpiritu viuificante, ſine vllis alimentorum corporalibus ſuſtentaculis viuerent, ſpiritualia vocarentur. Potuit hoc fieri, ſi non præcepti tranſgreſſio mortis ſupplicium mereretur. Aut ſi parentes filijs ſuis cedere ex hac vita oportebat, vt ita humanum genus per deceſſiones & ſucceſſiones certa numeroſitate cõpleretur. Portuerunt etiam parentes,genitis filijs, perfecta officij humani iuſtitia, ad meliora tranferri, non per mortem, ſed per aliquam commutationẽ ad illam ſummam, qua receptis corporibus erunt ſicut Angeli Dei, Aut ſi illam dari non oportet,niſi in fine ſæculi omnibus ſimul,per aliquam inferiorem,quæ tamen haberet meliorem ſtatum,quam vel hoc corpus habet,vel etiam illa quæ primo facta ſunt. Nam ſi Enoch,& Helias in Adam mortui ſunt, mortiſque propaginem in carne geſtantes,quod debitum,vt ſoluant,creduntur,& reuerſuri ad hanc vitam, (quod tamdiu dilatum eſt) morituri, nunc tamen in alia vita ſunt,vbi antequam animale corpus tempore reſurrectionis in ſpirituale mutetur, nec morbo,nec ſenectute deficiunt,quãto iuſtius,& probabilius primis illis hominibus præſtaretur ſine aliquo ſuo parentumve peccato viuentibus, vt in meliorem aliquẽ ſtatum,filijs genitis, cederent, vnde ſæculo finito, cum omni poteſtate ſanctorũ in angelicam formam non per carnis mortem, ſed per Dei virtutẽ multo fœlicius mutarentur. Non itaque video ad quod adiutorium mulier facta ſit viro,ſi gignendi cauſa ſubtrahatur.

Primi parentes potuerunt genuiſſe in Paradiſo.

De aductione animantium ad eum.

CAPVT IX.

Petrus comeſtor. Quia vero naturaliter ex ſimilibus naſcuntur ſimilia,ne videretur Adam, mulieris formatio ſuperflua, dum ſibi putaret in animãtibus aliquid eſſe ſimile, propter hoc adduxit Deus ad Adam cuncta animantia,in quibus etiam per Synecdochen intelligenda ſunt,& aeris,& aquæ animãtia. Vel poteſt dici, quod vniuerſa ſunt animantia terræ, quia etiam illa quæ de aquis ſunt aliquid terræ habent in ſe. Vel potius piſces poſtmodum cogniti ad hominibus ſunt, & inde nominati, quod ex hoc patet, quoniam æquiuocantur terræ animantibus quia ſimiles his deprehenſi ſunt. Adduxit autem ea dominus pro cauſis duabus, videlicet vt imponeret eis homo nomina, in quo ſcirent eum præeſſe ſibi,& vt ſciret Adam nullum ex his ſibi eſſe ſimile,Impoſuit ergo Adam eis nomina,loquẽs videlicet Hebræa lingua,quæ fuit ab initio ſola. Quod inde perpenditur, quoniam vſque ad diuiſionem linguarum Hebræa ſunt nomina, quæ in ſacra ſcriptura leguntur. Fecit autem Deus,vt omnia ſimul venirent animantia, eo nutu quo ſimul creauit omnia,vel forte per Angelos.

Anpiſces adducti ad Adam?

Hebræa lingua antiquiſſima.

Aug.ſuper Gen.lib.9 Quomodo enim hæc adduxerit Deus ad Adam,ne carnaliter ſapiamus,adiuuare nos debet, quod de bipartito opere diuinæ prouidentiæ in libro ſuperiori tractauimus. Omnis enim anima, ſiue rationalis, ſiue irrationalis mouetur viſus, ſed anima rationalis voluntatis arbitrio,vel eis conſentit,vel non cõſentit. Irrationalis autem non habet hoc iudicium, pro ſuo tamen genere, atque natura viſo aliquo tacta propellitur. Nec in poteſtate vllius animæ eſt, quæ illi viſa veniant,ſiue in ſenſu corporis,ſiue in ipſum ſpiritum interius,in quibus appetitus moueatur cuiuſlibet animantis. Ac ſic cum ea viſa per Angelorum miniſterium deſuper miniſtrantur, peruenit viſio Dei non ſolum ad homines,& aues,& pecora,ſed etiam ad ea quæ in aquis latent,ſicut ad cetum qui glutiuit Ionam, nec ſolum ad illa maiora,ſed etiam ad vermiculum. Nam & hunc legimus diuinitus iuſſum, vt radicem cucurbitæ roderet, ſub cuius vmbraculo Propheta requieuerat. Angeli nempe ſancti Dei iuſſione, in ipſa eius quam iugiter intuentur incommutabili veritate perfecta, per tempus ſe mouentes,ac per locum, & tempus corpora ſibi ſubdita agilitate mirabili, & viſa quibus mouentur, & appetitum indigentiæ carnalis omni animæ viuæ valent efficere, & vt neſciens adducatur, quo eam opus eſt venire.

Viſio Dei peruenit ad ima.

De formatione mulieris ex coſta viri.

CAPVT X.

Petrus comeſtor. Porro non inuento in animantibus ſibi ſimili immiſit dominus ſoporẽ in Adam, id eſt non ſomnum, ſed extaſim,tulitque vnam de coſtis eius, carnem ſcilicet & os, & ædificauit eam in mulierem, Angelorum miniſterio ſcilicet de carne carnem,de oſſe oſſa faciens. *Auctor.* Repleuit autem carnem pro ea coſta,id eſt replendo poſuit carnem pro coſta. Quoddam enim carnis ſupplementum creauit in loco illius coſtæ, quæ detracta eſt de viri corpore. Vnde apertius habet trãſlatio alia,videlicet poſuit carnem pro ea. Qui autem dicitur,ædificauit, impropriè iuxta literam ponitur verbum,ac per hoc intelligi datur myſterium. Quia ſcilicet eccleſia ſponſa Chriſti, de latere eius formata, dicitur, & domus Dei.

Caro ſuppletur loco coſtæ Adæ.

Aug.vbi ſup. Corporatio quidẽ Adæ, & coſtæ detractio illius,à compage corporis abſq; vllo dolore,fortaſſe dicantur per Angelos fieri potuiſſe,formare autẽ,vel ædificare coſtã,vt mulier eſſet,nõ niſi Deus potuit, à quo natura omnis exiſtit. Quale itaq; miniſteriũ Angeli exhibuerint Deo in illa mulieris formatione quis audeat affirmare? Certiſſimè tamẽ dixerim ſupplemẽtũ illud carnis in coſtæ locum ipſiuſq; fœminæ corpus,& animã,& formationẽ membrorũ omnia viſcera, omneſq; ſenſus, & quicquid erat quo illa & creatura,& homo, & fœmina erat non factũ,niſi opere illo Dei, quod non per Angelos, ſed per ſeipſum operatus eſt, quod nec dimiſit, ſed ita continue operatur,vt nec vllarũ rerum,nec ipſorum Angelorum natura ſubſiſtat,ſi non operetur.

Verum in rebus creationis huius, ſimilitudinem qua mulier de viri latere facta eſt quærimus,nec inuenimus, non niſi quemadmodum quidem homines operentur in hac terra cognouimus, Quemadmodum autem in hoc mundo Angeli quodammodo agricolentur, non vtique nouimus: licèt enim tam nullam naturam,quam nec ſeipſos valeant creare, Deo tamen obedientes, eiuſdem iuſſionem exequentes agricolandi, vel metendi more,poſſunt naturalibus motibus, de rebus ſubiectis tanquam materiam miniſtrare, vt ſecundum illas principales in verbo non creatas, vel ſecundum illas in primis ſex dierum operibus cauſaliter creatas rationes, aliquid creatur in tempore, Vt autem dictum eſt ſuperius, ſicut myſterium gratiæ, qua peccatores ſaluantur, abſconditum fuit ſecundum Apoſtolum in Deo, non in mundo, *Sic etiam omnium quæ ad hanc gratiam ſignandam,non naturali motu rerum, ſed mirabiliter facta ſunt, cauſæ fuerunt abſcondítæ in Deo*, quorum ſi vnum erat quod ita mulier facta eſt de latere viri, & hoc dormientis,quæ per ipſum firma facta eſt tãquam eius oſſe firmata, ille autem propter ipſam infirmus, quia in locum coſtæ non coſta ſed caro ſuppoſita eſt, non habuit

agricolantur Angeli.

Documentũ notandum. Omnia ſigna incarnationis fuerunt mirabilia.

hoc prima rerum conditio, quãdo ſexta die dictum eſt, maſculum & fœminam fecit eos, vt fœmina omnino ſic fieret, ſed hoc tantum habuit, quia & ſic fieri poſſet, ne contra cauſas quas voluntate inſtituit, mutabili voluntate aliquid fieret. Quid autem fieret, vt aliud omnino futurum non eſſet, abſconditum erat in Deo, ſicut prædictum eſt. Et quia myſterium iſtud ita dixit Apoſtolus abſconditum, vt innoteſceret principibus & poteſtatibus in cæleſtibus per eccleſiam multiformis ſapientia Dei probabiliter creditur, *ſicut illud ſemen, cui promiſſum diſpoſitum eſt in manu mediatoris, ſic omnia quæ ad eiuſdem ſeminis aduentum pronunciandum vel annunciandum, in rerum natura præter vſitatum naturæ curſum mirabiliter facta ſunt, eſſe facta miniſtrantibus Angelis*, ita tamen vt vbique creator vel reparator naturarum non eſſe credatur, niſi quia plantatore & rigatore quolibet ſolus incremẽtum dat Deus, ac per hoc etiam illa extaſis ad hoc in Adam rectè intelligitur immiſſa, vt eius mens tanquam angelicæ curię particeps fieret, & intrans in Dei ſanctuarium intelligeret ibi nouiſſima.

Aliud documentum notandum.

De errore Philoſophorum circa conditionem generis humani.

CAPVT XI.

Idem in lib. de ciu. Dei 12. Quod autem prius reſpondimus de mundi origine, hoc etiam de prima hominis conditione reſponderim eis qui mouentur cur homo per infinita retro tempora creatus non ſit? Conſiderent enim nihil eſſe diuturnũ, in quo eſt aliquid extremum, & omnia ſæculorum ſpacia diffinita, ſi æternitati interninæ comparentur, non dico exigua exiſtimanda eſſe, ſed nulla ac per hoc ſi non quinque vel ſex, verum etiam quinquaginta millia, vel ſexcenta aut ſexagies aut ſexcenties millies dicerentur annorum, aut itidem per totidem replicaretur hæc ſumma, vbi iam nullum numeri nomen haberemus, ex quo Deus hominem fecit. Similiter quæri poſſet cur non ante fuerit! Dei quippe ab hominis creatione ceſſatio retrorſus æterna ſine initio tanta eſt, vt ſi ei conferatur quantumlibet magna, & ineffabilis numeroſitas temporum, quæ tamen ſine concluſa certi ſpacij terminatur, nec ſaltem tanta videri debeat, quanta ſi humoris breuiſſimam guttam vniuerſo oceano comparemus. Quia iſtorum duorum vnum quidem perexiguum eſt, alterum incomparabiliter magnũ, ſed vtrumque finitum, Illud vero temporis ſpacium quod ab aliquo initio progreditur, & aliquo termino coercetur magnitudine quantacunque tentatur, comparatum ad id quod initium non habet, neſcio an pro minimo an potius pro nullo deputandum eſt. Hinc enim ſi à fine vel breuiſſima ſingulatim momenta detrahantur, decreſcente numero licèt tam ingenti, vt vocabulum non inueniat, retrorſum redeundo, tanquam ſi hominis dies, ab illo in quo nunc viuit vſque ad illum in quo natus eſt detrahas, quandoque ad initium detractio illa perducetur. Si autem detrahantur retrorſum à ſpatio quod à nullo cœpit exordio, non dico ſingulari minuta momenta vel horarum aut dierum aut menſium aut annorum etiam quantitates, ſed tam magna ſpacia quanta illa ſumma comprehendit annorum, quæ iam dici à quibuſlibet computatoribus non poſſunt, quæ tamen momentorum minutatim detractione conſumuntur & detrahuntur, hæc tanta ſpacia non ſemel atque iterum vel ſępius, ſed ſemper: quid fit, quid agitur? quando nunquam ad initium, quod omnino nullum eſt peruenitur. Quapropter quod nos modo quærimus, poſt quinque millia & quod excurrit annorum, poſſent & poſteri etiam requirere poſt annorum ſexcentieſmillies eadem curioſicate. Potuit etiam ipſe primus homo eadem die qua factus eſt requirere, cur tunc & non ante factus ſit.

Cur homo creatus poſt alia?

Philoſophorũ opinio vana de rerum circulo.

Hanc quæſtionem Philoſophi mundi huius non aliter putauerunt diſſoluendum, niſi vt circuitus inducerent temporum, quibus eadem ſemper fuiſſe renouata atque repetita in rerum natura, atque ita deinceps fore ſine ceſſatione aſſeruerant volumina venientium & præteritorum ſæculorum ſiue mundo permanente iſti circuitus fierent, ſiue certis interuallis oriens & occidens mundus, eadem ſemper quaſi noua quæ tranſacta & futura ſunt exhiberet. A quo ludibrio prorſus immortalem animam etiam cum ſapientiam perceperit liberare non poſſunt, euntem ſine ceſſatione ad falſam beatitudinem & ad veram miſeriam redeuntem. Quomodo enim vera beatitudo eſt, de cuius æternitate nunquam confiditur, dum anima venturam miſeriam, aut imperitiſſimè in veritate neſcit, aut infæliciſſimè in beatitudine pertimeſcit, aut ſi ad miſerias nunquam reditura, ex his ad beatitudinem pergit. Fit ergo aliquid noui in tẽpore, quod finem non habet temporis, Cur non ergo & mundus? Cur non & homo factus in mundo, vt illi? Neſcio qui falſi circuitus à falſis ſapientibus fallacibuſque comperti in doctrina ſana tramite recti itineris euitentur.

Nam quidam per illud quod legitur in libro Salomonis, qui vocatur Eccleſiaſtes. *Quid eſt quod fuit ipſum quod erit, Et quid eſt ipſum quod factum eſt? ipſum quod fiet, & non eſt omne recens ſub ſole*: qui loquitur & dicit, Ecce hoc nouum eſt, iam fuit in ſęculis quæ fuerunt ante nos, propter hos circuitus in eadem redeuntes & in eadem cuncta reuocantes, dictum intelligi volunt, quod ille aut de his rebus dixit, de quibus ſuperius loquebatur, hoc eſt de generationibus alijs euntibus, alijs venientibus, de ſolis amfractibus, de torrentium lapſibus, Aut certe de omnium rerum generibus, quæ oriuntur aut occidunt. Fuerunt enim homines ante nos, ſunt & nobiſcum, & erunt poſt nos. Itaque quæque animantia vel arbuſta mõſtraque ipſa quæ inuſitata naſcuntur, quamuis inter ſe diuerſa ſint, & quædam eorum ſemel facta narrentur, tamen ſecundum id quod generaliter miracula & monſtra ſunt, vtique fuerunt & erunt, nec recens & nouum eſt, vt monſtrum ſub ſole naſcatur, quamuis hæc verba quidam ſic intellexerunt, tanquam in prædeſtinatione Dei iam facta fuiſſe omnia ſapiens ille voluiſſet intelligi, & ideo nihil recens fuiſſe ſub ſole.

Obiectio philoſophorum ex ſcripturis. Reſp.

Abſit autem à recta fide, vt his Salomonis verbis illos circuitus ſignificatos eſſe credamus, quibus illi putãt ſic eadem temporum ſiue temporalium rerum volumina repeti, vt verbi gratia, ſicut iſto ſæculo Plato philoſophus in vrbe Athenienſi, & in ea ſchola quæ achademia nomine dicta eſt, diſcipulos docuit, ita per innumerabilia retro ſæcula, multum quidem prolixis interuallis, ſed tamen certis, & idem Plato & eadem ciuitas, & eadem ſchola, & idem diſcipuli repetiti, per innumerabilia deinde ſæcula repetendi ſint. Abſit inquam vt nos iſta credamus, *Semel enim Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, Reſurgens autem à mortuis, iam non moritur*; & nos poſt reſurrectionem ſemper cum illo erimus, cui modo dicimus, quod facer admonet pſalmus, *Domine ſeruabis nos & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.* Quid autem mirum, ſi his circuitibus errantes nec aditum nec exitum inueniũt? quia genus humanum atque iſta noſtra mortalitas nec quo initio cæpta ſit ſciunt, nec quo fine claudatur; quoniam quidem altitudinem Dei penetrare non poſſunt, quia cum ipſe æternus eſt, & ſine initio, ab aliquo tamen initio exorſus eſt tempora & hominem, quem nunquam ante fecerat fecit in tempore, non tamen nouo & repentino, ſed immutabili æternoque conſilio. Nam pſalmiſta cum prædixiſſet. Tu domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum. Ac deinde repercuſſiſſet eos, in quorum ſtulta impiaque doctrina nulla liberationis & beatitudinis animæ ſeruatur æternitas continuo ſubijciens, *& in circuitu, inquit, impij ambulant*, tanquam ei diceretur. Quid ergo tu ſentis? Continuo reſpondit ad dominum loquens, *Secundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*, Sentiant inquit homines quod putant, & quod eis placet opinentur & diſputent ſecundum altitudinem tuam, quam nullus poteſt noſſe hominum, multiplicaſti filios hominum, &c.

Philoſophicã dogmata repugnans fidei.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Valde quippe altum est, & semper fuisse, & hominem quem nunquam ante fecerat, facere voluisse, nec consilium voluntatemque mutasse.

Adhuc de eodem.

CAPVT XII.

Obiectio alia.

SEd inter istorum philosophorum argumenta illud acutissimum putatur, quod dicunt nulla scientia, infinita posse comprehendi; ac per hoc Deum omnium rerum quas fecit finitarum, finitas apud se habere rationes. Bonitatem autem eius nunquam vacuam fuisse, ac per hoc inquiunt, necesse esse semper eadem repeti, eademque semper repetenda transcurrere, ne si aliquando primum Dei opera cæpta dicuntur, priorem suam sine initio vacationem tanquam inertem, & desidiosam, & ob hoc sibi displicentem damnasse quodã modo, & ob hoc mutasse credatur, Si autem semper quidem tẽporalia, sed alia atque alia perhibetur operatus, non scientia, qua putant infinita non posse comprehendi, sed quasi ad horam sicut veniebat in mentem fortuita quadam inconstantia fecisse videatur, quæ fecit: has argumentationes si non refutare posset ratio, fides irridere deberet, Sed in adiutorio Dei hos volubiles circulos quos opinio varia confingit, ratio manifesta cõfringit. Hinc enim maxime isti errant, vbi in circuitu falso ambulare, quam recto & vero itinere malint, quod mẽtem diuinam omnino immutabilem, cuiuslibet infinitatis capacem, innumera omnia sine cogitationis alteratione numerantem, de sua humana mutabili angustaque metiuntur. Et fit in illis quod ait Apostolus. *Comparantes enim semetipsos sibimetipsis, semetipsos non intelligunt.* Nam quia illis quicquid noui faciendum venit in mentẽ nouo consilio faciunt, Mutabiles quippe mentes gerunt, profecto nõ Deum quem cogitare nõ possunt, sed semetipsos pro illo cogitantes, non illum, sed seipsos nec illi sed sibi comparant. Nobis autem fas non est credere aliter affici Deum, cum vacat, aliter cum operatur, quia nec affici dicendum est, tanquam in eius natura fiat aliquid quod ante non fuit. Patitur quippe qui afficitur, mutabileque est omne quod aliquid patitur. Non itaque in eius vacatione cogitetur, ignauia, desidia, inertia, sicut nec in eius opere, conatus, industria. Nouit quiescens agere, & agens quiescere. Potest ad opus nouum, non nouum, sed sempiternum adhibere consilium. Nec pœnitendo, quia prius cessauerat, cepit facere quod non fecerat, sed si prius cessauit, & posterius operatus est, quod nescio quemadmodum ab homine possit intelligi, hoc proculdubio quod dicitur prius & posterius, in rebus prius non existentibus & posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram, præcedentem, altera subsequens voluntatem mutauit aut eandem voluntatem abstulit, sed vna eademque sempiterna & immutabili voluntate res quas condidit, & vt prius non essent egit, quamdiu non fuerunt. Et vt posterius esset, quando esse ceperunt, hoc eis qui talia videre possent, mirabiliter fortassis ostendens quam nõ eis indiguerit, sed eas gratuita bonitate condiderit, cum sine illis ex æternitate initio carente, & non minore beatitudine permansit.

Resp.

In Deo non fit aliquid quod ante non fuit.

Deus nouit infinita.

Quia vero dicunt, nec Dei sciẽtia posse infinita comprehendi, restat eis, vt audeant dicere, quod nec omnes numeros Deus nouerit. Numeros quippe infinitos esse certissimum est, quoniam in quocunque numero finẽ faciendum putaueris, idem ipse quamlibet multitudinem continens in ratione ac scientia numerorum non solum duplicari, sed etiam multiplicari potest. Ita vero que numerus terminatur proprietatibus suis, vt nullus eorum par esse cuiquam alteri possit, ergo & dispares inter se, ac diuersi sunt, & singuli quique finiti sunt & omnes infiniti sunt. Ita ne numeros propter infinitatem Deus non omnes scit, sed vsque ad summam aliquam eius scientia peruenit, ac cæteros nescit. Quis hoc vel dementissimus dixerit. Nec audebunt isti numeros contemnere, ipsosque dicere non ad scientiam Dei pertinere, apud quos nimirum Plato Deum numeris mundum fabricantem magna commendat auctoritate; apud nos etiam Deo legitur dici, *Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti.* De quo dicit Propheta. *Qui profert numero sæculum.* Et saluator in Euangelio, *Capilli inquit vestri omnes numerati sunt*, Infinitus itaque numerus, quamuis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei cuius sapientię vel intelligentiæ non est numerus, quapropter si quicquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur, profecto & omnis infinitas quodã ineffabili modo Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est. Qui ergo nos homunculi sumus, qui eius scientiæ præfigere limitem præsumamus? dicẽtes, quod nisi eisdem circuitibus temporum eadem temporalia repetantur, non potest Deus cuncta quæ fecerat, vel pręscire vt faciat vel scire cum fecerit. Cuius itaque sapientia simpliciter multiplex, & vniformiter multiformis, tam incomprehensibili comprehensione omnia incomprehensibilia comprehendit, vt quæcunque noua & dissimilia pręcedentibus consequentia si semper facere vellet, inordinata & improuisa habere non posset, nec illa ex proximo tempore prouideret, sed ęterna pręscientia contineret.

Infinitas Deo finita quatenus?

Epilogus de humani corporis & animæ coniunctione.

CAPVT XIII.

HVgo *vbi supra.* Deus itaque omnipotens cuius beatitudo, nec augeri potest omnino, quia perfecta est, nec minui quia æterna est, sola charitate, nulla necessitate rationalẽ spiritum creauit, & eum illius boni quod ipse erat, & quo ipso beatus erat participem faceret, creaturamque rationalem quam fecerat iussit partim in sua puritate persistere, partim etiam corporeis indumentis & terrenis mansionibus copulans luteam materiã, fecit ad vitæ sensum vegetare, vt sciret homo, quia si potuit Deus tam disparem naturam corporis & animæ ad vnam confœderationem atque amicitiam conuincere, nequaquam & impossibile futurum est, rationalis creaturæ humilitatem, licet lõgè inferiorem, ad suæ gloriæ participationem sublimare. Rursum si est tanta iucunditas huius vitæ corporalis, quæ constat ex præsentia spiritus in corpore corruptibili, quanta est illa immortalitas ex præsentia deitatis in spiritu rationali? Quia ergo in parte pro exemplo vniuersitatis, humiliatus est rationalis spiritus, vsque ad consortium terreni corporis, ne forte hoc ipsum ad depressionem eius pertinere videretur, adiunxit illud quo qui in sua puritate permanserant sublimarẽtur, vt quod minus ex dispensatione sui creatoris acceperat conditus, per gratiam eiusdem acciperet postmodum glorificandus. In anima quæ potior pars erat fuit imago Dei secundum rationalem, similitudo secundum dilectionem; imago secundum cognitionem veritatis, similitudo secundum amorem virtutis; vel imago quia omnia ipsa secundum sapientiam, similitudo quia vna & simplex ipsa secundum essentiam.

Vnio animæ. Symbolum immortalitatis.

Fides autem catholica hoc potius eligit, vt credamus animam primi hominis de nihilo creatam, neque factã à principio quando Angeli facti sunt sed postea cum corpus ipsum cui infunderetur formatum est ab ipso creatore simul & factam & corpori sociatam. Vtrum vero in corpore vel extra corpus creata sit, quanto difficilius est scire, tanto minus periculosum est ignorare. Neque vero in hoc ingenium hominis approbandum æstimetur, si quæ difficilia sunt pertinaciter insistit, si ea quæ scienda sunt imprudenter discernit. Æqualis enim stultitiæ est, præsumere in his quæ non possunt sciri, & deficere in his quæ non debent ignorari.

Difficile est scire an anima creetur in corpore an extra corpus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cur Deus & mulierem & omnes homines ex vno Adam voluit procedere.

CAPVT XIV.

Vnitas & concordia commendatur in propagatione hominum ab vno.

Augustinus vbi supra. Non est autem arduum videre, multo melius fuisse vt ex homine vno, quem primo condidit Deus, multiplicaretur humanum genus, quam si hoc inchoasset à pluribus. Cum enim animantes alias soliuagas, vt sunt aquilæ & lupi, alias congreges, vt sunt columbæ ac cerui instituerit, vtrumque tamen genus non ex singulis propagauit, sed plura simul existere iussit: hominem vero vnum ac singularem creauit, cuius naturam quodammodo mediam inter Angelos & bestias condidit, nõ vtique solum absque humana societate deserendum, sed vt ei vehementius eiusdem societatis vnitas & concordiæ vinculum comendaretur, dum non tantum inter se naturæ similitudine, verum etiam affectu cognationis homines necterẽtur, vnde nec fœminam viro copulandam illi creare placuit, sicut ipsum, sed ex seipso, vt ex homine vno totum diffunderetur genus humanum, nec ignorabat homines peccaturos, eosque immanitate peccati mortales progressuros, vt pacatius inter se viuant irrationales bestiæ sui generis, quarum ex aquis terrisque plurimum pullulauit exordium, quam homines, quorum genus ex vno ad commendandam concordiam propagatum est. Nunquam enim leones qualia homines bella gesserunt inter se, neque dracones inter se, Sed præuidebat etiam gratia sua populum piorum in adoptionem vocandum, remissisque peccatis spiritusancto iustificatum sanctis Angelis in æterna pace sociandum, cui populo huius rei consideratio profutura esset, quod ex homine vno ad commendandum Deus hominibus quam ei grata sit etiam in pluribus vnitas humanum genus instituisset.

Augustinus in libro de coniugali bono. Nam quia sociale quoddam est humana natura, magnumque & naturale bonum habet vim amicitię, & ob hoc ex vno Deus voluit omnes homines condere, vt in sua tenerentur societate, non solum similitudine generis, sed etiam vinculo cognationis. *Hugo vbi supra.* Creauit ergo Deus hominem primum vnum, vt vnum esset generis humani principium. Diabolus namque aliud Adæ principiũ esse concupierat, & iccirco vt magis eius superbia confunderetur, hoc homo in dono accepit, quod ille peruerse rapere voluit, & obtinere non potuit, vt in hoc etiã imago Dei in homine appareret, quod sicut Deus omnibus rebus creationis principium extitit, ita iste omnibus hominibus principium esset generationis, & omnes homines dum se ab vno & vnum esse cognoscerent, omnes se quasi vnum amarent. *Auctor.* Huc accedit, quod mulier non est facta de capite vel pedibus viri, sed de latere, vt per hoc detur intelligi, quod nec domina debet esse nec ancilla, sed socia. Ratio tamen principalis secundum Aug. Christi & ecclesiæ mysterium est, sicut iam superius prælibatum est.

Adam typus Dei in propagatione hominum.

De Imposition ibus nominum Adæ & Euæ.

CAPVT XV.

Ada prophetia.

CVm ergo viri costam ædificasset Deus in mulierem, statuit eam ante Adam. Qui ait, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Ipse namque Adam in extasi constitutus, secundum glossam, prophetiæ spiritu intellexit costam sibi eam subductam, & inde mulierem esse formatam. Ideoque memorans, quod in cũctis animantibus non inuenerat adiutorium sibi simile, dixit, hoc scilicet quod est formatum, nunc supple mihi erit in adiutorium, *quod est os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Sciendumque quod Adam secundum Hebræos est nomen appellatiuum, & interpretatur homo.

Ada nomen.

Vnde scriptum est in in Genesi de muliere simul & viro 5. capitulo, *Vocauit Deus nomen eorum Adam in die qua creati sunt.* Hoc tamen nomen Adam per se positum, appropriatur viro, quoniam ipse prior omnium factus est homo, & omnes ex ipso tanquam ex vno principio. *Cyprianus in lib. de duobus montibus.* Cæterum hominem ex terra factum oportuit nomẽ portare ex quatuor cardinibus orbis terræ. Legimus enim scriptum, à conditore mundi factas quatuor stellas in cardinibus singulis constitutas, prima stella orientalis dicitur anatole, secunda occidentalis dysis, tertia aquilonaris arctos, quarta meridionalis mesembrias. Ex his quatuor stellarum nominibus, tolle quatuor literas capitales, a, & d, & a, & m, & habes nomen Adam.

Liber hic non est Cypriani.

Petrus Comestor. Adam quoque nomen vxoris suæ tanquam dominus eius imposuit, & ait, *hæc vocabitur virago* id est acta à viro, & est sumptum nomen eius à viri nomine, sicut materia de materia sumpta fuerat in eius formatione. Porro etiam in Hebræo est ista denominatio, is enim vir dicitur, & inde ista, sicut à viro virago. Hoc itaque illius mulieris fuit proprium, nunc autem est commune omnium, & virago est eius syncopatum, quod omnibus cõuenit quamdiu sunt in integritate. Mulieres autem dicuntur fractæ. Adam quoque quod est similiter nomen omnibus commune, sonat etiam rubeus vel rubea terra, quia secũdum Iosephum factus est primus homo de terra rubea cõsperſa, talis est enim, vt ait, virgo tellus. Et vere adhuc proprie virgo erat terra, quia nondum opere hominum corrupta, nec sanguine infecta, Vel rubea fuit illa terra id est animata, quia *sedes animæ in sanguine est*, vt ait scriptura: Imposuit autem & mulieri aliud nomen scilicet Eua quod sonat vita, eo quod mater omnium viuentium esset futura, quia tamen illud non *hic legitur imposuisse, sed post maledictiones illatas ob culpam, fortassis hoc dixit quasi plangens hominis miseriam, & quasi eiulatu puerorum alludens.* Masculus enim recens natus eiulando clamat A, mulier E. Dixit ergo Adam Eua, quasi diceret, omnes dicent E vel A quotquot nascentur ab Eua. Ex præfatis autem verbis Adæ *scilicet hoc nunc os ex ossibus meis &c.* Hoc aduerbium nunc Iudæos in errorem traxit, vt dicant aliam mulierem prius factam, de qua dictum est, masculum & fœminam creauit eos, & nunc secundam de qua dicitur. *Hoc nunc os* &c. Ac si diceret Adam, prior mulier de limo est facta mecum, sed hæc nunc de carne mea. Iosephus etiam dicit mulierem extra paradisum formatam, illuc cum viro translatam. Ait enim. Et in hunc hortum introduxit Deus Adam & eius vxorem, præcipiens eos plantationis habere solicitudinem. Denique fingunt Iudæi genealogias interminabiles ex duabus vxoribus Adæ, sed ex ipso textu conuinci videntur, in quo agitur semper singulariter de ipsius vxore.

Virago. Virgo. Mulier.

Rubea terra.

Eua.

Nota.

Error Iudaorum.

Dua vxores Adæ non fuerunt.

De prophetia Adæ.

CAPVT XVI.

Augustinus super Genesim. li. 9. Sicut ergo dictum est superius, extasis illa quã immisit Deus in Adam, vt soporatus obdormiret, recte intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per extasim tanquam Angelicæ curiæ particeps fieret, & intrans, in sanctuarium Dei, vt nouissima intelligeret. Vnde euigilans tanquam prophetia plenus, cum ad se adductam mulierem videret, continuo eructauit, quam magnum sacramentum Apostolus ad Ephesios commendauit. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, Hæc vocabitur virago,* & cętera. Quæ etiam verba ex ore Adam prolata, dominus in euangelio Deum dixisse declarauit, quãdo Pharisæis eũ tentãtibus ait. *Non legistis, qui fecit ab initio masculum & fœminã fecit eos, & dixit, Propter hoc relinquet homo patrẽ & matrẽ, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Ob hoc inquã insinuat dominus ista Deum dixisse, vt hinc intelligamus propter extasim quæ pręcesserat in Adã, hoc eũ diuinitus tanquã Prophetã dicere potuisse, Ibi quoque de diluuio futuro ac de iudicio per ignem

Qua Adam dixit Deus dixisse fertur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

cognouit, & liberis ſuis indicauit, Illa etiam verba de coniunctione Chriſti,& eccleſiæ protulit. A

Petrus comeſtor. *Propter hoc* inquit eſt, vel quamobrem ſcilicet quia de latere viri facta eſt ei vxor, *relinquet homo patrem & matrem propter vxorem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ* quaſi portiunculæ ſuæ. Vel propter hanc rem, ideſt vxorem relinquet homo patrem & cætera. Hoc fit à viris quotidie, quia ceſſant cum parentibus corporaliter habitare, vel etiam ſpiritualiter, quia maior eſt viri zelus in vxorem, quam amor filiorum in parentes. Nec dixit, relinquent parentes filios ſuos, quia maior eſt dilectio parẽtum in filios, quam econuerſo. Humor enim de trunco ad ramos aſcendit, ſed non redit, & *erũt duo in carne vna* id eſt vnientur ambo in vno carnali opere, vel in vna pueri carne gignenda, Non enim ex ſanguine vno, ſed ex ſanguinibus concreatur pueri caro. Vel aliter licet ſint perſonaliter duo, erunt tamẽ vna caro coniugio, quia neuter habet poteſtatem ſuæ carnis, ſed ambo mutuo. Aliter quoque prædicta verba ſic exponuntur, quod relinquet homo patrem, & matrem, quantum ad copulam coniugalem id eſt patri, & matri non coniungetur in matrimonio. Hic enim hę duæ perſonæ tantum excipiuntur à coniugio, in lege autem 11. ſed plures in Euangelio. B

Amor ſicut tumor deſcendit à parentibus ad filios.

Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 15. Cum ergo humanum genus poſt primam copulam viri facti ex puluere', & mulieris ex eius latere, marium fœminarumque coniunctione, vt gignendo multiplicaretur, opus haberet, nec vlli homines eſſent, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent, viri ſorores ſuas coniuges acceperunt. Quod profecto quanto eſt antiquius compellente neceſſitate, tãto poſtea factum eſt damnabilius religione prohibente. Habita eſt enim ratio rectiſſima charitatis, vt homines quibus eſſet vtilis, ac honeſta concordia, diuerſarum neceſſitatum vinculis iungerentur, ne vnus in vno multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos, ac ſic ad ſocialem vitam diligentius colligandam plurimæ plurimos obtinerent. Quod etiam inter impios Deorum cultores ſic obſeruari cernimus, vt etiam ſi peruerſis legibus permittantur fraterna coniugia, melior tamen conſuetudo ipſa n malit exhorrere licentiam, vt cum ſorores ducere primis humani generis temporibus licuit, ſic auerſetur, quaſi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim ſenſum, vel alliciendum, vel offendendum mos valet plurimum, qui cum in hac cauſa immoderationem concupiſcentiæ coerceat, eum dedignari, atque corrumpi merito eſſe nepharium iudicatur. Si enim eſt iniquum auiditate poſſidendi tranſgredi limitem agrorum, quanto iniquius eſt libidine concũbendi ſubuertere limitem morum. Fuit autem antiquis patribus religioſæ curæ, ne propinquitas ipſa ſe paulatim propaginum ordinibus dirimens longius abiret, ac propinquitas eſſe deſiſteret, ipſam nondum longe poſitam rurſus vinculo matrimonij colligare, & quodammodo fugentem reuocare. Vnde mundo hominibus iam pleno, non quidem ſorores, ſed tamen de genere ſuo amabant ducere vxores. Verum nunc honeſtius prohibita ſunt etiam conſobrinarum coniugia, non ſolum propter multiplicandas affinitates, ne habeat vna perſona duas neceſſitudines, ſed etiã quia neſci› quomodo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale, atque laudabile, vt cui debet propinquitatis cauſa reuerendum honorem ab eo contineat, quamuis generatricem libidinem, de qua erubeſcere videmus etiam pudicitiam coniugalem, &c. C

Neceſſitas compulit ducere ſorores, religio tamẽ id prohibet.

Limes morum non tranſcũdus.

Qualiter in coniugij præparatione prohibita eſt omnis ſpecies luxuriæ.

CAPVT XVII.

Auctor. Sciendum autem, quod in prædicta verborum ſerie ſigillatim, & gradatim prohibentur omnia peccata carnis id eſt luxurię. Formato ſiquidẽ viro, quoniam oportebat eum genus ſuum multiplicare, nec hoc naturaliter poterat, niſi per ſeminis effuſionem in tali loco, vbi poſſit proficere ſcilicet in muliebri vaſe, Ideo dicit dominus, quod ad opus hoc penetrandum *non eſt bonum hominem ſolum eſſe, per quod videlicet mollitiei peccatum excludit*, vbi homo per ſe ſolus ſemen effundit, quod Apoſtolus prohibet, vbi dicit ad Corinthios, neque molles. D

Mollicies.

Item quia poteſt homo proijcere ſemen in alium, vbi tamen non proficiat, quia non eſt vas ad hoc naturaliter inſtitutum, Ideo ſubdit, *Faciamus ei adiutorium* ſcilicet fœminam, non maſculum, quia maſculus adiuuare non poteſt maſculum, vel fœmina fœminam ad procreationem liberorum, Per hoc excluditur abuſus vtriuſque ſexus, De quo dicit Apoſtolus: *Maſculi relicto naturali vſu fœminæ exarſerunt* &c. Propter hoc dicit ſcriptura. *Maſculum & fœminã creauit eos*, non maſculum & maſculum. Vbi etiam non dicit eum, ſed eos, ne factos putaremus Androgynos, quaſi enim Androgyni ſunt Sodomitæ, qui vicem exhibent ſexus vtriuſque.

Sodomia.

Porro quia natura procreat ex ſimilibus ſimilia, propter hoc vt procrearet homo filios ſibi ſimiles, oportuit eum habere adiutoriũ ſimile ſibi, Ac per hoc excluditur coitus cũ brutis. De quo dicitur in Leuitico: *Cum omni pecore non coibis*. Cæterum in coniunctione viri ac fœminę oportuit excipi propinquos carnis, ſupradicta ſcilicet ratione, vt vir, vel mulier quælibet coniugem quærens extra conſanguinitatem ſuam plures ſibi neceſſitudines, & affinitates cum pluribus acquireret, ac per hoc etiam plures ſibi amicitias copularet, In principio tamẽ propter hominum paucitatem oportuit tantum excludere duas perſonas ſcilicet patrem & matrem: quod fit vbi dicitur: *Relinquet homo patrem & matrem &c.* Sicque prohibetur inceſtus. Alia vero cauſa huius excluſionis, quæ tangitur ab Auguſtino ſcilicet honeſtas naturæ, qua refugit homo ad conſanguineam ſuam pręcipuè matrem, & ſororem accedere, forte non haberet locum, niſi eſſet peccatum quia nulla eſt turpitudo in illo opere. E

Coitus cum brutis.

Inceſtus.

Quia vero matrimonium inſtitutum eſt ad præfigurationem coniunctionis Chriſti & eccleſiæ, vbi vna inſeparabiliter coniungitur vni, hoc etiam in ipſo ſacramento oportuit obſeruari, quia rei ſignatę debet aſſimilari, ideo præcipitur, vt vnus vnam habeat, cum dicitur: *Et adhærebit vxori ſuæ* &c. Alia quoque concurrit cauſa ſcilicet vt adhiberetur modus delectationis carnis, quæ poſt peccatum fuerat futura, ad luxuriam prona, ne deflueret homo per vxores diuerſas. Sicque prohibentur peccata duo ſcilicet *adulterium, & fornicatio*, ſed quoniã adulterium eſt grauius, intelligitur prohiberi prius, cum dicitur. *Et adhęrebit vxori ſuæ*, quaſi non alienæ. Deinde vero fornicatio cum ſubiungitur. *Erũt duo in carne vna*, quaſi non tres, aut plures, ſic enim homo carnem ſuam diuidere prohibetur, dum ſecundum Apoſtolum, *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur, & qui fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Notandus eſt etiam ordo, quia gradatim prohiberi videtur primo grauiora, deinde minus grauia. Omnium enim peccatorum carnis quodãmodo grauiſſimum mollicies eſſe videtur, quia mollis ſemetipſo abutitur, Et ſecundum Apoſtolum contumelijs afficit in ſemetipſo corpus ſuum. Deinde vero malis, ac fœminæ abuſus, quia ibi homo proximo ſuo abutitur, humanamque naturam, in eo deturpat, ac dehoneſtat. Poſtea vero coitus cum brutis, quia etiam ibi homo naturam à Deo bene inſtitutam corrumpit, talis enim eſt inſtitutio Dei, vt carnaliter non accedat, niſi ad ſimile ſibi. In cęteris vero patet ordinis ratio.

Adulterium.

Fornicatio.

Polygamia prohibetur.

De ſtatu primorum parentum ante peccatum.

CAPVT XVIII.

Comeſtor. Erat autem vterq; nudus ſcilicet Adam, & vxor eius, & non erubeſcebant. Nihil enim putabant velandum, quia nihil ſenſerant refrænandum. Sic & nos non erubeſcimus, ſi quis videat caput noſtrum, & pedes aut manus, quia membra pudenda quippe facit

cit inordinatus eorum appetitus. Hunc & pueri ſi videantur eorum pudenda,non erubeſcunt, quia beneficio ętatis motum erubeſcibilem nondum ſenſerunt qui propter hoc eſt pudendus, quia eſt inordinatus. Porro ideo inordinatus,quia non ſine peccato fit niſi raro ſpe prolis excuſatus. Nec tamen etiam cum à peccato excuſari poteſt,rubore carere valet,vnde nec ſanctus Zacharias videri vellet, cum ſanctam Eliſabeth ad gignendum præcurſorem domini ſanctum cognoſceret.

Felicitas ſtatus originalis.

*Auguſtinus de ciui. Dei li.*14. Quid autem timere,vel dolere poterant primi parentes,vbi nec mors metuebatur,nec vlla corporis mala valitudo,nec aberat quicquã, quod bona voluntas adipiſceretur,nec inerat,quod carnem animumve hominis fæliciter viuentis offenderet. Amor erat imperturbatus in Deum,atque inter ſe coniugum fida, & ſincera ſocietate viuentium, & ex hoc amore grande gaudium,non deſiſtente,quod amabatur ad fruendum. Erat deuitatio tranquilla peccati,qua manente nullum omnino malum aliunde quod contriſtaret irruebat;an forte lignum prohibitum ad veſcendum cupiebant contingere,ſed mori metuebant, & ſic iam eos cupiditas metuſque etiam ibi perturbabat? abſit vt hoc exiſtimemus fuiſſe peccatum, vbi nullum omnino erat peccatum. Neque enim nullum peccatum eſt, ea quæ Deus prohibet concupiſcere,atque ab his abſtinere timore pœnæ,non amore iuſtitiæ, quam ergo fælices erant, & nullis agitabantur perturbationibus animorum,nullis corporum lædebantur incommodis,tam fælix eſt vniuerſa ſocietas humana, ſi nec illi malum quod etiam in poſteros traijcerent, nec quiſquam ex eorum ſtirpe iniquitatem committeret,quæ damnationem reciperet. Itaque viuebat homo ſecundum Deum in Paradiſo corporali,& in Paradiſo ſpirituali, neque enim erat propter corporis bona, Paradiſus corporalis, & propter bona mentis non erat ſpiritualis. Aut vero erat Paradiſus ſpiritualis quo per interiores ſenſus homo frueretur,& non erat corporalis,quo per exteriores homo frueretur,erat plane vtrumque propter vtrumque. *Bernardus in ſermone de aduentu.* Videtur in quatuor virtutibus amictum hominem, primum ab exordio ſuæ creationis, in quibus conſiſtit integritas ſalutis, Nam quid ei deerat quem miſericordia præueniens,& ſubſequens, protegebat, & cuſtodiebat,veritas docebat,iuſtitia regebat pax fouebat? At vero deſcendens à Hieruſalem in Hiericho,& à latronibus ſpoliatus, non poterat ablata ſibi ſalutis veſtimenta recipere,niſi amitteret ſua Chriſtus,ſicut videlicet dicetur inferius.

Paradiſus erat tum ob corpus tum ob ſpiritum.

De multiplici eorum cognitione.

CAPVT XIX.

Triplex cognitio primi hominis.

Hvgo vbi ſup. Triplici autem cognitione primum hominem eruditũ conſtat, *cognitione ſcilicet creatoris ſui*, vt cognoſceret à quo factus erat, *Cognitione ſui*, vt cognoſceret,quod factus erat,& quid ſibi faciendum erat, *Deinde cognitione quoque illius quod ſecum factũ erat* & quid ſibi de illo,& in illo faciendũ erat. Rerũ enim viſibilium omniũ,quæ cũ homine,& propter hominẽ facta ſunt,perfectã cognitionẽ, hominẽ accepiſſe nulli dubiũ eſſe decet,quantũ videlicet ad animæ eruditionẽ,ſiue ad corporalis vſus neceſſitatem pertinere videbatur, quæ enim propter illum creata erant,ab illo regenda, & diſponenda erant. Et iccirco horũ omniũ Deus illi & ſciẽtiã tribuit,& prouidentiam reliquit. Qui ſi pro vita tẽporali conſeruanda tã magnã ſcientiam accepit, pro vita æterna adipiſcenda, excellentiorem, & abundantiorẽ in cœleſtibus cognitionem habere debuit. Cognouit ergo creatorem ſuũ,nõ ea cognitione qua Deus modo à credentibus abſens fide quæritur, Sed ea, qua tunc per præſentiam contemplationis ſcienti manifeſtus cernebatur,non tamen illa excellenter, ſicut poſtea cognoſcere debuiſſet,ſi perſtitiſſet. Porro conditionem, & ordinem,& debitũ ſuum ſupra ſe,ſiue ſub ſe nõ ignorare, intelligere qualis factus eſſet,& qualiter incedere deberet quid agere, quid cauere hoc totum erat ſemetipſum agnoſcere.

Adam non præſciebat futura circa ſe.

Si autem quæritur, vtrum cognitionem eorũ,quæ circa ipſum futura erant, habuit,hoc & arbitrij libertatem,& obediẽtiæ puritatem minuere videretur omnino, Si ante meritum futuroruꝫ præſcius diceretur,quia nec bona ſperare cum præſcientia malorum potuiſſet, nec cũ præſcientia bonorum mala futura timuiſſet. *Anſelmus in monologio.* O miſera ſors hominis, cum hoc ad quod factus eſt perdidit. Ad te vidẽdum domine factum ſum, & nondum feci propter quod factus ſum. Manducabat tunc homo panem Angelorum,quem nunc eſurit,mãducat nunc panem dolorum, quem tunc neſciuit. Heu publicus hominum luctus, vniuerſalis filiorum Adæ planctus,Ille ructabat ſaturitate,nos ſuſpiramus eſurie. Ille abundabat,nos mendicamus, ac miſerabiliter deſideramus,& heu vacui remanemus. *Greg. in moral. lib.*8. Ad hoc enim homo conditus fuerat, vt ſtanti mente ſe in arcem contemplationis erigeret, & nulla hunc corruptio à ſui conditoris amore declinaret, ſed cum ab ingenita ſtandi ſoliditate voluntatis pedem ad culpam mouit,in ſemetipſum protinus cecidit. Nilque præceptum menti ſufficit,quia ipſum,qui vere ſufficere poteſt amiſit.

De naturali eorum virtute.

CAPVT XX.

Virtus quid.

Hvgo vbi ſupra. Si autem quæritur, an aliquæ virtutes ante peccatũ in ipſo fuerũt: Virtutes dupliciter haberi reſpondemus,ſecundam naturam, & ſecũdum gratiã. Virtus nãque nihil aliud eſt, quam affectus mentis ſecundũ rationẽ ordinatus, quæ ſecũdum varias eiuſdẽ mentis applicationes plurimæ eſſe dicuntur, vnã tamen radicem,& originem habentes voluntatem. Vna enim voluntas, ſecundum quod ſe ad varia, vel appetendo, vel fugiendo inclinat, format affectus, & diuerſa ſecundum eoſdẽ affectus ſortitur vocabula. Voluntas autem aliquando per naturam ſurgit, aliquando per gratiam excitatur. Et eſt quidem ipſa natura per gratiam, ſed alia eſt gratia creatrix, alia ſaluatrix. *Gratia creatrix* primum naturæ conditæ quędã bona inſeruit. *Gratia ſaluatrix*, & bona, quæ natura primum corrupta perdidit, reparat, & quæ imperfecta nondum accepit aſpirat. Bona ergo naturæ,& affectus,ſecundum naturam virtutes ſunt naturales. Quæ & ſi laudabiles ſunt,non ſunt tamen dignę merito illo, quod eſt ſupra naturã,quia nihil habent in ſe præter naturam; nihil tamen mereri, etiam huiuſmodi nõ mihi videtur, quãuis extra bona hæc quæ propter naturã condita ſunt, nihil mereantur. Virtutes autẽ quas gratia reparatrix naturæ ſuperaddita format,quia immerito aliquid ſupra naturẽ accipiunt, niſi præmio etiam ſupra naturã remunerari dignæ ſunt,vt quibus amor Dei cauſa eſt in opere, patientia Dei præmium ſit in retributione.

Gratia creatrix & ſaluatrix.

Sed in his virtutibus, quæ per gratiã præparatricem ſunt,primum Spiritusſanctus bonam voluntatem operatur, Deinde illi mouenti ſe, & operanti cooperatur. Primum eã aſpirat vt ſit, Deinde ei inſpirat,vt moueatur,& operetur,vt vacua non ſit. Primum enim operatur eam,deinde cooperatur. *Bona enim voluntas inſtrumentum eſt,Spiritusſanctus artifex.* Bonam voluntatem ipſe ſolus operatur. Poſtea per bonam voluntatem,non ſolus ipſe operatur. Igitur nullatenus ambigendo putamus affectus bonos,& ſecũdum iuſtitiam ordinatos, natura illius prima ſua origine inſertos,per quos ad bonitatem,& iuſtitiam exequendam naturali appetitu trahebatur,& in his naturales virtutes conſtitiſſe, quibus natura hominis à principio formata eſt, & inſtructa. De illis autẽ virtutibus, quę voluntate bona ex amore diuino mota perficiuntur, nihil temere circa ipſum diffiniri volumus,cum de opere charitatis illius nullum ex auctoritate, ſiue ex ratione argumentum certum habeamus.

Bona voluntas & ſpiritus ſanctus.

De

De varijs bonis eisdem ab initio præparatis.

CAPVT XXI.

ANima quidem rationalis iccirco duplici sensu instructa est, vt & visibilia foris caperet per carnẽ, & inuisibilia ad laudem creatoris excitaret, Sensus Angelorum intus erat, & sensus brutorũ foris. Angeli contemplabantur quæ intus erant, & per ea quæ foris erãt bruta contingebant visibilia, sed non per ea similiter inuisibilia, quoniam inuisibilia in visibilibus cognoscuntur, sed non econuerso. Et positus est homo in medio, vt sensus haberet intus ad inuisibilia, extra ad visibilia, intus sensus rationis, foris sensus carnis, vt ingrederetur, & egrederetur, & contemplaretur intus sapientiam, foris opera sapientiæ, vtrimque quoque reficeretur, videret, & gauderet, amaret, & laudaret. Quia vero ex duplici natura homo compactus fuerat, vt totus beatificaretur, duo illi bona creator suus ab initio præparauit, Vnũ corporale, Alterum spirituale: vtrumque plenum, & vtrinque in suo genere perfectum. Carni visibilia, spiritui inuisibilia, Carni ad solatium, spiritui ad gaudium. Et his bonis vnum dedit, aliud promisit. Visibile gratis dedit, inuisibile merito quærendum instituit, vt ex dono gratuito probaretur, & excellentia promissionis, & fides promittentis. Vnde continuo creatus, dominus rerum constitutus est, Postea vero illi præceptum datum est, vt prius mereretur, deinde remuneraretur, non in his, quæ iam data fuerant in dono, sed in his, quæ proposita fuerant in præmio.

Homo medius inter bruta & Angelos.

Cur homo debet seruire Deo.

Neque vero seruitium iccirco ab homine quæsitum est, quod omnipotens conditor hominis seruitio indigeret, sed vt ipse homo vera bona merito acquisita gloriosius possideret. Et quia plus erat summæ bonitati & meritum dare & præmium, quam sine merito solum præmium, inuisibilia quasi bona vera seruienti post meritum promittuntur. Ista autem quasi modica & transitoria gratis inter merendum adijciuntur, sine illis non potest beatificari in patria, sine istis non potest sustentari in via. Propter quod & talis factus est, vt interim istis indigeret, quatenus per istam indigentiam suam in illis cognosceret, quod ibi sufficiens non esset. Vt ergo interioris vitæ bonum addisceret quærere, exterior vita eius talis facta est, vt ad tempus per se stare non sufficiens, alio præter se, & extra se, bono sustentari indigeret.

De appetitu iusti & commodi.

CAPVT XXII.

DVo quoque posuerat Deus in homine à principio, quibus natura eius tota regeretur, & vsque ad consummationem finis sui conduceretur; Hæc erant appetitus iusti, & appetitus commodi. Appetitum iusti voluntarium esse voluit, vt in eo promereretur homo siue bonum, si eum retineret cum deserere posset, siue malum si eum desereret. Appetitum autem commodi necessarium, quatenus in eo remuneraretur homo, siue ad pœnam, si appetitum iusti desereret, siue ad gloriam si eum retineret. In appetitu ergo iusti Deus meritum hominis constituit, in appetitu vero commodi præmium. Hos appetitus duo effectus eorum sequebantur iustum & commodum, dissimiliter tamen. Ipsum enim iustitiam appetere, secundum aliquid iustitiam habere est. Affectus iusti à voluntate separari potest, sed effectus eius idest iustitia ab effectu ipso separari nõ potest. Appetitus commodi inseparabilis est, quia secundũ necessitatem inest, & à voluntate rationali nunquam separari potest. Effectus autem eius idest commodum ab eo separabilis est, quia desiderari commodum etiam cum non habetur potest. Et in hoc summa constat pœna cum creatura pœnæ addicta commodum fastidire non potest propter immutabilem naturam, nec habere potest per irremissibilem culpam. Homo ergo quia appetitum iusti sponte dereliquit, iccirco merito & iustitiam & commodum perdidit. Solum appetitum commodi ad augmentum felicitatis retinens. Si autem homo iustum velle non desineret, siue illud, siue aliud volendo nunquam peccare posset. Quid autem volendo iustum, velle desijt, nisi aliquid extra mensuram in qua sola iustitia fuit? At vero quæ fuit ista mensura in qua voluntas hominis esse voluerat, vt esset bona?

Appetitus iusti & commodi.

De Mensura sibi imposita in appetitu commodi.

CAPVT XXIII.

DVo sunt quæ præparauerat Deus homini. Vnum temporale, & aliud æternum, vt temporali vteretur, æterno frueretur. Sed quia bonis vti, aut frui laudabile non est, nisi bene vtaris & fruaris, diffinita est homini mensura, secundum quam bonis suis temporalibus bene vteretur, æternis bene frueretur. Modus autẽ mensuræ in vsu inferioris boni quadripartitus constabat. Primo vt vteretur his tantum quibus vti deberet, Secundo vt qualiter deberet, Tertio vt quantum deberet, Quarto vt quando horum quodcũque homo præteriret, mensuram amitteret. Modus autem in fructu superioris boni bipartitus tantum, Primo vt sciret homo qualiter illo bono vti deberet, secundo vt etiam quando eum illo bono frui cõueniret agnosceret. Nam quo bono sibi fruendum esset, quærendum non erat, quoniam non nisi solum vnum bonum ibi erat. Similiter & quantum ab illo bono fruendum esset, omnino quærendum non erat, cum sine dubitatione constaret, quia quantomagis frueretur illo quis, tanto vtique felicior esset. Illic autem sola mensura quantitatis quærenda est, vbi parum aut nimium esse potest.

Vsus temporalium mensura 4.

Fructus autem huius boni ita se habet, vt in eo qui minus possidet plenum sit, & qui amplius non sit superfluum. In hoc ergo mensura constabat, vt agnosceretur qualiter illo bono frui deberet, ne inordinate illud, non quidem ad imitationem sicut conuenit creaturæ, sed ad æqualitatem quod creaturæ possibilitatem transcendit, possidere concupisceret. Similiter vt attẽderet, ne illud ante tẽpus præripere festinaret, cũ illuc priusquã obedientiã consummasset, accipere non deberet. In eo ergo quod bona sua amauit, consideramus appetitum commodi. In eo autem quod mensuram in bonis suis dilexit, intelligimus appetitum iusti. Post autem cessauit velle mensuram, destitit amare iustitiam, & in eo ipso iustitiam perdidit, quo ipsum iustitiæ amorem amisit. In hoc ergo iustitia hominis fuit, quod extra mensuram appetitum suum extendit, & secundum qualitatem cum creatori suo parificari voluit, & secundum tempus cum ante meritum præmium præripere festinauit. Igitur summum bonum appetijt, sed non bene, quia illud & immoderate, & intẽpestiue apprehendere cõcupiuit.

Nolle mensurã est non amare iustitiam.

De multiplici custodia sibi data.

CAPVT XXIV.

BOnum quidem homini à Deo datum vel promissum nihil profuisset, nisi ad illud quod datum fuerat apponeretur, ne amitteretur, & ad illud quod promissum fuerat via aperiretur. Propterea ad bonum datum posita est custodia, præceptum naturæ. Et ad bonum promissum aperta est via, præceptũ disciplinæ. Præceptum autem naturæ intelligimus distinctionem naturalem intrinsecus aspiratam, vt per eam homo erudiretur de his, quę vel appetenda, vel fugienda fuerant. Ad necessaria ergo & salubria pertinet perceptio, ad noxia prohibitio, ad media cõcessio. Hac ergo custodia munitus negligentiam vitare potuit, sed violentiam repellere non potuit. Propterea rationi humanæ adiuncta est prouidentia diuina, quatenus humana ratio in parte vna vigilaret contra negligentiam: prouidentia diuina

in

Custodia ciuitatis humana vita.

in parte altera ſtaret contra violentiam. Hac itaque gemina cuſtodia munita ciuitas humanæ vitæ nullis aduerſis læderetur, quia ſi ratio humana non reſpuiſſet aduerſus negligentiam, prouidentia diuina nunquam in homine violentiæ locum dediſſet. Nec illum hominem primum impaſſibilem fuiſſe credere debemus, quaſi nihil omnino pati potuiſſet, quia naturam in ſe paſſibilem habuit. Sed tamen ſi non peccaſſet, ſicut non mortuus, ita etiam ſiue ad moleſtiam voluntatis in mente, ſiue ad corruptionem integritatis in corpore paſſus omnino aliquid non fuiſſet. Verum (ſicut prædictum eſt) contra paſſionem ei cuſtodia neceſſaria fuit, vt per rationem propriam contra negligentiam cauendam excitaretur, & prouidentia diuina contra violentiam omnem illæſus ſeruaretur. Quia vero primo per negligentiam locum ſuum deſeruit, diuina poſtmodum prouidentia iuſtè ſe à cuſtodia ſua ſubtraxit, vt iam in vita hominis nonnunquàm violentia præualeat, & ratio ipſa iam nunc & in vita cogatur ſubſiſtere, quod prius ſponte cauere neglexit.

De immortalitate ipſorum cibis ſuſtentanda.

CAPVT XXV.

Immortalitas Adæ qualis.

Comeſtor. Si autem quæritur, cur ante peccatum datæ ſunt homini eſcæ, cum eſſet immortalis? Dicimus, quod immortalitas in qua creatus, cibis erat ſuſtentanda, nec erat qualis illa quæ futura eſt, quæ cibis non indigebit. *Illa ei erat poſſe non mori*, hæc erit non poſſe mori. *Aug. de ciui. lib.* 13. Non ſolum enim tale corpus erit, quale nunc eſt in quauis optima valitudine, ſed nec tale quidem quale fuit in hominibus primis ante peccatũ, qui licèt morituri non eſſent niſi peccaſsẽt, alimentis tamen vtebantur vt homines, non dum ſpiritualia, ſed adhuc animalia corpora geſtantes, quæ licet ſenio non deficerent, vt ad mortem neceſſitate perducerentur, qui ſtatus eis de ligno vitæ, quod non medio paradiſi cum arbore verita ſimul erat, mirabili Dei gratia præſtabat, tamen & alios ſumebant cibos, præter vnam arborem, quæ interdicta fuerat: non quia ipſa malum erat, ſed ad commendationem puræ ac ſimplicis obedientiæ, quæ magna virtus eſt rationalis creaturę ſub creatore domino conſtitutæ. Nam vbi nullum malum tangebatur, profecto ſi prohibitum tangeretut, ſola inobedientia peccabatur. Alebantur ergo alijs, quæ ſumebant, ne animalia corpora moleſtiæ aliquid eſuriendo vel ſitiendo ſentirent.

Lignum vitæ quid præſtabat Adæ.

De ligno autem vitæ præterea guſtabant, ne mors eis vndecunque ſubreperet, aut ſenectute cõfecta decurſis temporum ſpacijs interirẽt, tanquam cætera illis eſſent alimento, illud autẽ ſacramento, vt videlicet ſic accipiatur eſſe lignum vitæ in paradiſo corporali, ſicut in ſpirituali & intellectuali paradiſo ſapiẽtia Dei, de qua ſcriptum eſt: *Lignum vitæ eſt his qui apprehendunt eam.* Corpora vero iuſtorum, quæ in reſurrectione futura ſunt, nec vllo ligno indigebunt, quo fiat, vt nullo morbo vel ſenectute inueterata moriantur, nec vllis alijs corporalibus alimentis, quibus eſuriendi ac ſitiendi qualiſcunque moleſtia deuitetur, quia certo & inuiolabili munere immortalitatis induentur, vt non velint niſi poteſtate, non neceſſitate veſcantur.

De ipſorum in melius tranſlatione futura ſi perſtitiſſent.

CAPVT XXVI.

Idem in li 14. Sic ergo manente illa primorum parentum fælicitate, donec per illam benedictionem, qua dictum eſt, *Creſcite & multiplicamini*, prædeſtinatorum ſanctorum numerus compleretur. Alia maior daretur, quæ beatis Angelis data eſt, vbi iam eſſet certa ſecuritas peccaturum neminem, neminemque moriturum, & talis eſſet vita ſanctorũ poſt nullum laboris, doloris, mortis experimentum, qualis erit poſt hæc omnia in incorruptionem corporũ reddita reſurrectione mortuorum. *Hugo vbi ſup.* Probabile ſiquidem omnino eſt, quod ille primus homo poſt peractam obedientiã, ſi in ipſa obedientia perſtitiſſet, ſtatim ad præmiũ ipſius obedientiæ transferri debuiſſet, quatenus ſine mortis interpoſitione de primo ſtatu, vbi habuit poſſe non mori, ad alium ſtatum tranſiret, vbi amplius mori non poſſet. Interim vero vitam terrenam fructibus terrenis nutriret, quia enim quod viuit vitam habet, quod autẽ viuificat vitam dat. Plus eſt omnino viuificare, quam viuere, propter quod primus homo in animam viuentẽ factus dicitur, quæ vitam quidẽ in ſe habuit, ſed corpori per ſe ſolam vitam dare non potuit. Secundus autem in ſpiritum viuificantẽ, qui & vitã habebit in ſe, & corpori dabit per ſe. De termino autẽ huius vitæ inferioris, in qua vſque ad tẽpus diffinitũ homo manere debuerat, hoc fide dignum videtur, quod ſicut in hac vita mortali alijs per mortẽ decedentibus, alii per natiuitatem victuri ſuccedunt, Ita quoque tunc pręcedentibus, poſt terminũ huius vitæ tẽporalis ad vitã æternã tranſlatis, hi qui ex eis nati fuiſſent decedentibus ſuccederent, & ipſi quoque tempora ſua impleturi, & obedientiam ſeruaturi, donec tãdem numerus ad vitam prędeſtinatorum impleretur, & tempus huic inferiori vitæ deputatũ cõſummaretur.

Primus homo ſi perſtitiſſet innocens non fuiſſet mortuus.

Quod eis & prouidentia carnis & exercitium operis oblectamento eſſent.

CAPVT XXVII.

Pabulum. Frænum Calcaria.

POrro niſi ſpiritus in appetitu ſuo menſuram deſeruiſſet, caro ſubiecta ſpiritui aduerſus ipſum in ſuo appetitu terminũ menſuræ non tranſiret. Deus etenim primi hominis corpus ſanum, & integrum condens, forinſecus quædam ordinauit, quę ad conſeruanda valere potuiſſent, Horum autẽ prouidendorũ cura & officium ſpiritui incumbebat. Nam ſicut Deus præſidebat ſpiritui, ita & ſpiritus carni, & ipſa caro ſpiritus iumentum erat, propterea quaſi ad ſeſſorem pertinebat, vt pabulũ prouideret ne deficeret, & hoc ſolum fortaſſis tunc ſufficere potuiſſet, Nam modo præter pabulum fræno & calcaribus neceſſe habet. Fræno quidem vt furentem & præcipitem à malo cohibeat. Calcaribus autem vt ad bonum faciẽdum excitet pigrum. Tunc ergo ſolum pabulum miniſtrans ſine fræno & calcaribus ſuauiter portaretur. Et ſi forte frænum ibi eſſet, quo per ſe incedere neſcia regeretur, nec pũgi tunc opus haberet, quia non eſſet pigra, nec cohiberi, quia non eſſet impetuoſa. Quia ergo ſpiritus ſeſſor erat, iniũctum eſt ei officium, vt & iumento ſuo pabulum prouideret. Ne vero in illo exequendo, ſi ſola hac præceptione non etiam ex amore impleret, conditione ſeruili premeretur, dedit ei Deus affectum quo ſuum corpus amaret, vt hoc ei libenter prouideret.

Rurſus ne vel illis quærendis labor eſſet, vel in ſumendis periculum, indigẽtiam ſimul & appetitum carnalem certa menſura temperauit, quatenus ei & ad fomentum pauca ſufficere potuiſſent & ad ſatietatem, Itaque prouidentia carnis non tam labor, quam oblectamentum & exercitatio futura foret, ſi homo iuſtitiam tenuiſſet.

Agricultura in ſtatu innocentiæ fuiſſet delectatio.

Si autem quæritur quo ſtudio vita humana ſi non peccaſſet homo exercenda & colenda fuiſſet, non inconuenienter dicitur, præter interna & ſpiritualia ſtudia ſapientiæ & diuinæ contemplationis, foris etiam in terræ culturas, ſiue in arando, ſiue in ſeminando, ſiue in plantando, & cæteris huiuſmodi operibus, quibus natura bona exculta profectum capit in melius, primum hominem non ad laborem, ſed ad delectationem exercendum, vt & opus eſſet ad delectationem & exemplum ad eruditionem, ſic namque exterior homo exercendus erat, vt ab ipſo ſtudio exteriori, operis forma ſumeretur ſtudii interioris, & in eo quod foris faceret cognoſceret, quid ſibi intus faciendum eſſet. Nam etiam intus ſimiliter quædam terra erat, quæ bona quidem creata erat, & tamen ſi ipſa terra bene excoleretur, adhuc melior eſſe poterat, quæ culta fructus bonos daret, neglecta vero mala & noxia germina proferret.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De multiplici præcepto diuinitus illi dato.

CAPVT XXVIII.

Prædictum naturale triplex datum Adæ.

Auctor. Datum eſt autem primis parentibus duplex (vt ſupra dictum eſt) præceptorum genus, videlicet præceptum naturæ, ac præceptum diſciplinæ. Præceptum vero naturæ triplex. Primum quidem pertinens ad ſuſtentationem corporis ſui, de comedendo ſcilicet ex omni ligno paradiſi. Secundum ad multiplicationem generis ſui, quod implendum erat per legem matrimonij. Tertium ad dilectionem Dei & proximi, quod in cordibus eorum ſcriptum erat digito Dei. Quartum vero præceptum ſcil. diſciplinæ datum eſt illis ad probationem obedientiæ, videlicet de ligno ſcientiæ boni & mali, non guſtando neque tangendo.

Auguſtinus ſuper Geneſim libro 8. Sed poteſt quæri quomodo Deus homini tunc locutus ſit, vt præceptum capere poſſet, quo tranſgreſſo reus eſſet, Vtrum videlicet in mente modo intellectuali, an in aliqua ſpecie corporali? Reuera cum audimus ſcripturam dicentem: *præcepit ei Deus dicens: Ex omni ligno paradiſi comede, &c.* Si quærimus hunc in Deo modum loquendi à nobis propriè non poteſt comprehendi. Certiſſime tamen tenere debemus Deum aut per ſubſtantiam ſuam loqui, aut per ſubditam ſibi creaturam, ſicut videlicet iam dictum eſt ſuperius. At vero per ſubſtantiam ſuam non loquitur, niſi ad creandas omnes naturas, ad ſpirituales autem & intellectuales, non ſolum creandas omnes naturas, ſed etiam illuminandas cũ capere poſſunt eius locutionem in verbo æterno. Illis autem qui eam capere non poſſunt, non loquitur Deus, niſi per creaturam, aut tantum ſpiritualem, ſicut in ſomnis vel extaſi rerum corporalium ſimilitudinem, aut etiam corporalem dum ſenſibus corporis vel appareat aliqua ſpecies, vel inſonant vates. Itaque ſi Adam talis erat, vt illam Dei locutionem capere poſſet, quam per ſubſtantiam ſuã mentibus Angelicis præbet, non eſt dubitãdum quod eius mentem mouerit per tempus miro & ineffabili modo, non motus ipſe per tempus, eique vtile ac ſalubre præceptum veritatis impreſſerit, & quæ tranſgreſſori pœna deberetur, ea ipſa veritate ineffabiliter monſtrauerit. Sic enim audiuntur vel videntur omnia bona præcepta in ipſa incõmutabili ſapientia, quæ in animas ſanctas ſe transfert ex aliquo tempore, cum nullus ipſi motus ſit in tempore. Si autem ad illum modum Adam iuſtus erat, vt ei adhuc opus eſſet alterius creaturæ ſapientioris & ſanctioris auctoritas, ſicut nobis prophetarum & ipſis Angelorum, quæ voluntatem Dei poſſet cognoſcere; Cur ambiganus Deum per aliquam huiuſmodi creaturam ei locutum eſſe talibus vocum ſignis, quæ poſſet intelligere.

De illo quod datum eſt ad naturæ ſuſtentationem.

CAPVT XXIX.

Auctor. Primum itaque præceptum naturæ (ſicut dictum eſt) homini datum eſt ad ſuſtentationem naturæ, quoniam habebat corpus animale, videlicet indigens ciborum alimonia, vnde ſi non comederet interiret, cumque fames ſit defectus ac pœna peccati (*eſt enim appetitus immoderatus comedendi*) huic vtique nullatenus homo ſubiacuiſſet, ſi non peccaſſet, ſed proculdubio peccaret, niſi defectum habens cibo præueniret, habebat enim appetitum naturalem & moderatum, cui ſic ex præcepto Dei vt defectus famis nunquam ſentiretur, erat vtique ſatisfaciendum. Vtrum autem ad immortalitatem Adæ perpetuo conſeruandam ſufficeret ſemel comedere de ligno vitæ? Videtur quod ſic ſecundum Aug. & ideo creditur Adam de illo nunquam comediſſe. Ait enim idem *Auguſtinus ſuper Geneſ. ſic.* Immortalis & incorruptibilis caro primi hominis condita eſt, vt immortalitatem & incorruptionem per obſeruantiam mandatorum Dei cuſtodiret. In quibus videlicet mandatis hoc continebatur, vt de lignis conceſſis ab interdicto abſtinens manducaret, ac per horum edulium immortalitatis dona conſeruaret, donec incrementis corporalibus ad ætatem perductus, quæ conditori placeret, multiplicata progenie ipſo iubente de ligno vitæ ſumeret, quo perfectè immortalis factus alimenta ſibi vlterius non requireret. Ecce hic apertè videtur Auguſtin. tradere quod caro primi hominis mortalitatem habuit in ſe. Et ita quod in eo fuit potentia naturalis ſcilicet non moriendi, ſed adiuuanda erat per alimoniam ciborum, & obſeruantiam mandatorum Dei. Et etiam quod congruo tempore comeſturus erat de ligno vitæ. *Idem tamen in libro de baptiſmo parvulorum dicit*, quod Adam comedit de conceſſis, ſed fortaſſe non loquitur de ligno vitæ, ſed tantum de aliis. Secundum hoc ergo intelligendum eſt quod ſupra dicit Auguſtinus quod Adam de ligno vitæ guſtabat: id eſt, guſtare debebat. *Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Geneſ.* Adam itaque non habebat corpus tale, quod diſſolui eſſet impoſſibile, ſed corruptionem inhibebat guſtus arboris vitæ. Potuit etiam poſt peccatum diſſolubilis permanere, ſi à Deo permitteretur edere de ligno vitæ.

De alio quod datum eſt ad ſui generis multiplicationem.

CAPVT XXX.

Auctor. Secundum vero præceptum homini datum eſt ad multiplicationem generis humani ſcilicet illud: *Creſcite & multiplicamini*, & implendum erat per legem matrimonij. Vnde quia ſine coniunctione maris ac fœminæ præceptum hoc impleri non potuit, dicit Comeſtor, quod Deus his verbis coniugium inſtituit, in quo etiam dicit quoſdam hæreticos confutari, qui concubitum dicunt ſine peccato non poſſe fieri. Nos autem ſecundum opinionem communem dicimus, quod in paradiſo coniugium inſtitutum eſt, cum viro in extaſim rapto dictum eſt: *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Hinc & Apoſtolus verba illla recitans ad Epheſios: *Sacramentum inquit hoc magnum eſt in Chriſto & Eccleſia.*

Concubitus poteſt fieri ſine peccato.

Matrimonium quid?

Eſt itaque matrimonium legitima coniunctio maris & fœminæ, individuam vitæ conſuetudinem retinens: id eſt retinenda exigens, quantum in ſe eſt. Hoc autem dico, quia contumelia creatoris ſoluit ſcil. matrimonium infideliũ, quoniam non eſt ratum. Dicitur hoc etiam propter matrimonium ſpirituale, quia, ſcil. ante carnalem copulam alteri coniugum licet ad religionem tranſire. Finalis cauſa matrimonij prolis eſt procreatio, & nunc etiam fornicationis euitatio, ſiquidem ante culpam inſtitutum eſt tantum ad procreandę prolis officium, poſtea vero non ſolum ad officium, ſed etiam ad remedium ſcil. vt carnis probibeatur vitium: Iuxta illud Apoſtolicum: *Propter fornicationem vnusquisque vxorem ſuam habeat, & vnaquæque ſuum virum.*

Efficiẽs matrimonij.

Efficiens cauſa matrimonij eſt conſenſus per verba de præſenti. Dicitur autem matrimonium quaſi matris munium, id eſt, officium, quia mulieribus dat eſſe matres, & ideo denominatur magis à matre quàm à patre, quia eius officium prius apparet in matrimonio quàm officium viri. Dicitur autem matrimonium eſſe initiatum per ſponſalia, ratũ per conſenſum de præſenti, conſummatum in carnali copula. *Hugo de Sacramentis libro ſecundo.* Inſtitutio itaque coniugij duplex eſt. Vna ſcil. ante peccatum ad officium, alia poſt peccatum ad remedium. Prima vt natura multiplicaretur, ſecũda vt natura exciperetur, & vitiũ hinc cohiberetur. Prima conſtitutio coniugium propoſuit in fidem dilectionis, vt in eo ſacramentum eſſet ſocietatis, quæ in ſpiritu conſtat inter Deum & hominem. Officium autẽ coniugij in cõmixtione carnis propoſuit, vt in eo ſacra-

Fames non fuiſſet in Adã ſi non peccaſſet.

Adam nunquam de ligno vitæ comedit.

mentum esset societatis, quæ in carne futura erat inter Christum & Ecclesiam. Secunda institutio coniugium in fœdere dilectionis sanxit, & per eius bona id quod in carnis commixtione infirmitatis erat, & delicti excusaretur. Officium autem coniugij in commixtione carnis concessit, vt in eo propter generis multiplicationem generantium infirmitas exciperetur, & forte ipsa societas quæ exterius in coniugio pacto fœderis seruatur, sacramentum est & ipsius sacramenti res est dilectio mutua animorum quæ adinuicem in societatis & fœderis coniugalis vinculo custoditur. Et hæc ipsa rursum dilectio qua musculus, & fœmina in sanctitate coniugij animis vniuntur, sacramentum est, & signum dilectionis, qua Deus rationale animæ intus per infusionem gratiæ suæ & spiritus sui participatione coniungitur.

Sacramentū

Res sacramenti.

Qualiter coniugium esse dicatur in præceptis naturæ.

CAPVT XXXI.

VErum cum præcepta naturę nunquam cessent, sed semper obligent non immerito quæri potest qualiter in præceptis naturæ coniugium est. Si enim adhuc in præcepto est, sequitur quod seruare virginitatem peccatum est. At vero non omnia præcepta naturæ obligant ad semper, siue in perpetuum, sed aliquando tantum ad tempus oportunum. Hoc itaque præceptum: *Crescite & multiplicamini, &c.* tamdiu seruatum fuit, quamdiu oportuit. Iam vero cessauit, quia sufficienter impletum est, id quod in fine præcepti Dominus addit. *Et replete terram.* Iam enim adeo multiplicatum est humanum genus, quod terra tota repleta est hominibus, semper enim obligauit præceptum illud, donec vt dictum est impleretur. Qui autem præcepta naturæ simpliciter, ac semper ad sui obseruantiam obligare dicuntur, de moralibus intelligitur. quæ dicuntur præcepta naturę, quia pertinent ad ius naturale, quod videlicet naturaliter scriptum est in humano corde, hoc autem præceptum non fuit morale, sed quia natura semper tendit ad sui multiplicationem, ideo dicitur naturale quod est de multiplicando genere humano, vnde coniugium ante peccatum quidem in præcepto fuit ad officium, & etiam in remedium scilicet vt ardor concupiscentiæ sine qua coitus non est, per coniugij bonum excusationem haberet. Nunc autem magis est ad remedium quam ad officium. Non iam in præcepto, sed in permissione, quia iam per totum orbem multiplicatus est populus ad Dei cultum.

Præceptum matrimonij.

Spectat ad ius naturæ.

Potest etiam dici præceptum naturæ, quia institutum est in statu naturæ bene dispositæ, & etiam quia pertinet ad ius naturale, quod natura omnia animalia docuit scilicet commixtionem maris & fœminæ. Præterea quia sicut dictum est supra, institutum est contra carnis vitia, præcipue innaturalia, vt sunt mollicies, & sodomia, quibus peruertitur natura *Augustinus in lib. de bono coniugali.* Cum autem ille naturalis vsus qui progreditur vltra pacta nuptialia, id est vltra propagandi necessitatem, venialis sit in vxore, damnabilis in meretrice, ille qui est contra naturam execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius atque damnabilius in vxore. Tantumque valet ordinatio ipsius creatoris & ordo creaturæ, vt si in rebus ad vtendum concessis etiam exceditur modus, longe sit tolerabilius, quam in ea quæ concessa non sunt vel nullus vel rarus excessus. Propter hoc in re concessa toleranda est coniugis immoderatio, ne in rem non concessam prorumpat libido. Cum autem vir membro mulieris non ad hoc concesso vti voluerit, turpior est vxor, si in se quam in alia fieri permiserit. Decus ergo coniugale est castitas procreandi, & fides reddendi carnalis debiti.

Qualiter vnicam vnius esse sit de naturali iure.

CAPVT XXXII.

Polygamia iure naturæ prohibetur.

AVctor. Patet etiam quod vnicam esse debere sit de naturali iure. Est enim de naturali iure vt alij non facias, quod tibi non vis fieri. Sicut ergo vir non vult mulierem diuidere carnem suam, ita nec ipse debet diuidere suam. Et sic vnica debet vni tantummodo coniungi & econuerso secundum naturalem iustitiam. Præterea si vnam esse vnius pertineret tantum ad ius positiuum, secundum hoc ante institutionem iuris positiui plures habere non fuisset peccatum, quod est manifeste falsum. Præterea secundum hoc gentilibus non esset peccatum, cum ius positiuum non liget, nisi tantum illos ad quos peruenit, & illud eis non est prædicatum.

Ius naturæ dupliciter sumitur.

Sciendum tamen quod ius naturale dicitur vno modo sicut dictum est supra, quod natura docuit omnia animalia. Et secundum hunc modum coniunctio maris & fœminæ est de naturali iure. Dicitur etiam naturale eius alio modo scil. quod dictat naturalis ratio, & sic est de naturali iure fidelitas quam debet vir vxori scil. vt nulli commisceatur alteri. Hoc ergo duplici modo coniugium est de iure naturali scil. quantum ad copulam carnalē, & quantum ad fidem, vnam vni tantum coniungi.

Dispensatiū cum patribus pro polygamia.

Olim tamen pro temporis exigentia Dominus cum patribus dispensauit, quia pauci tunc erant cultores Dei, & quia moderate ac spe prolis appetebant coitum patres antiqui. Si autem obijcitur econtrario quòd ius naturale dispensationem non recipit. Respondemus quod immo recipit in aliquibus, licèt non ab homine, sed à Deo qui tradidit. *Vnde Beatus Bernardus in libro de præcepto & dispensatione ita scribit.* Non occides, non mœchaberis, ac reliqua illius tabulæ legis scita, & si nullam prorsus humanam dispēsarionem admittunt. Deus tamen horum quod voluit, & quando voluit, siue cum ab Hebræis Ægyptios spoliari, siue cū prophetam cum muliere fornicaria præcepit misceri, Samsonque vna cum hostibus opprimens seipsum interfecit, quod vtique factum si defenditur non fuisse peccatum, priuatū indubitanter credendus est habuisse consilium, & si de scriptura non habeamus. Hæc ille. Itaque iuxta verbum Augustini plures habere vxores quando mos erat, peccatum non erat, non quidem propter morem, sed propter dispensationem, quæ facta est (vt dictū est) Patriarchis propter populi Dei multiplicationem, ac diuini cultus ampliationem. Denique si etiam non essent nisi duo viri & infinitę mulieres, neć sic etiam ad humanum genus multiplicandum deberet homo cārnem suam diuidere, nisi ex dispensatione. Cum Lamech autem, qui ex libidine bigamiam introduxit, dispensatum non fuit. *Hiero. contra Iouinianum lib. 1.* Primus siquidem Lamech sanguinarius & homicida vnam carnem in duas vxores diuisit, & fratricidium & bigamiam eadem diluuij pęna deleuit.

Lamech primus bigamus.

Cur olim cum viris dispensatum est, vt haberent plures, non autem econuerso.

CAPVT XXXIII.

AVgustinus vbi supra, nec sicut vni viro plures licebat habere vxores, sic nec vni fœminæ viros plures, nec etiam ipsius prolis causa, si forte illa quidem parere posset & ille generare non posset. Nam occulta lege naturæ singularitatem amant, quæ principantur, subiecta vero non solum singula singulis, sed si ratio naturalis vel socialis admittit etiam vni plures, non sine decore subduntur. *Idem contra Faustum libro secundo.* Æterna ergo lege consulta videamus, quid pater Abraham peccauerit, id est, contra legem hanc fecerit, quando cum ancilla concubuit. Illa siquidem æterna lex ordini naturali conseruādo consulens, non vt satiandę libidini seruiatur, sed vt saluti generis prospiciatur, ad

prolem

Abraha concubitus cum concubina.

prolem tantummodo propagandam mortalis carnis delectationem dominatum rationis in concubitum ſiui relaxari. Proinde Abraham ordinem naturæ ſeruans, nihil agebat concubitu illo, niſi vt naſceretur homo. Neque Sara (vt obijcit Fauſtus) conſcientiam ſuã flagitio coniunxit, quo ille ſuam libidinem turpi,& illicita voluptate ſanaret,miſcuit,ſed naturali ordine filios volens, ſequens ſterilem ſciens, ancillaris vteri fœcunditatem in vſu viri ſui poteſtate licita vendicauit, non cedens viro concupiſcenti,ſed iubens obedienti. Nam cum in cæteris actibus ad humanam pacem pertinentibus mulier viro debeat ſeruitutem, tamen ſecundum Apoſtolicam doctrinam huius vnius rei, quę ſexus vtriuſque carnali ſorte diſtinguitur, & carnali commixtione concernitur, ſimilem habent in ſe vir & mulier poteſtatem. Prolem ergo quam de ſe habere Sara non poterat,de ancilla quidem voluit habere. Ex eo tamen ſemine, ex quo & de ſe ſi poſſet habere debebat, nec vnquam hoc vtique faceret Sara,ſi in corpore viri teneretur carnali concupiſcentia, zelaret enim potius pellicem, non faceret matrem. Nunc autem ideo propagandi voluntas pia fuit, quia concumbendi voluptas libidinoſa non fuit.

Mulier quatenus ſubdita viro,quatenus æqualis?

Iacob vxores.

Iacob autem quod pro ingenti crimine quatuor vxores obijciuntur,generali prolocutione purgatur. Alia namque peccata ſunt contra naturam, alia contra mores,alia contra præcepta. Si ergo naturam conſulas,non laſciuiendi ſed gignendi cauſa mulieribus illis vtebatur. Si mores,illo tempore & in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur, nunc vero cur crimen eſt, qui hoc faciat, niſi quia & in moribus & in legibus eſt contrarium?

Contra reprehenſores patrum in hac parte reſponſio.

CAPVT XXXIV.

ET iſti comparantes non alios quorum animi virtutem noſſe non poſſunt, ſed (ſicut dicit Apoſtolus) ſemetipſos ſibiipſis non intelligunt,& quia ipſi etiam ſi vnam habuerint, ad eam non ſolum generandi accedũt officio viriliter, ſed ſæpe coeundo ſtimulo eneruiter pertrahuntur, quaſi veraciter ſibi videntur conijcere, quam maiore huiuſmodi morbo per multas alij captiuentur, quando ſe vident in vna temperantiam non poſſe ſeruare. Verum nos eis qui hanc virtutem non habent, ita de ſanctorum virorum moribus iudicium committere non debemus, ſicut de ciborum ſuauitate ac ſalubritate iudicare febrientes non poſſumus; potius illis ſonorum ſenſu & præceptorum medicamine, quam ex eorum ægritudinis affectione alimenta præparamus, alioquin poſſint & ſanctos Apoſtolos accuſare, quod tam multis populis Euangelium prædicauerunt, non charitate generandi filios æternæ vitæ, ſed cupiditate laudis humanæ, hoc enim amore gloriæ corrupti erant, quos Apoſtolos notat quod per inuidiam & contentionem non caſte Chriſtum annunciabant. De quibus tantum gaudet Apoſtolis, quod his auditis naſcerentur fideles per Euangelium, vt de malo illorum, Deus operaretur bonum, ſicut fieri poteſt, vt ad concubitum homo non generandi voluntate ingrediatur, ſed luxuriandi libidine rapiatur, & tamen inde homo,bonum Dei opus naſcatur de fœcunditate ſeminum,non de turpitudine vitiorum. Sicut ergo Apoſtoli doctrinam ſuam admirantibus auditoribus condelectabantur,non auiditate conſequendæ laudis, ſed charitate ſeminandæ veritatis, ſic & ſancti Patriarchæ coniugibus ſemen ſuum excipientibus miſcebantur, non concupiſcentia percipiendę voluptatis,ſed prouidentia propagandæ ſucceſſionis. Ac per hoc nec illos ambitioſos multitudo faciebat vxorum.

Purgantur Patriarchæ polygami.

Similitudo.

Similes autem ſunt,qui hic in magnis reprehenduntur, pueris in ſchola imperitis, qui cum pro magno didicerint nomen vnum ſingularis numeri reddendum eſſe verbo numeri ſingularis auctorem increpant doctiſſimum, quia dixit: *pars infirma ſecant*. Et quia religionem dici norunt,culpant eum qui gemina littera dixit,religionem patrum. Vnde fortaſſe non abſurde dicitur in genere ſuo quantum diſtant ſchemata & metaplaſmi doctorum à ſolœciſmis & barbariſmis imperitorum, tantum diſtare figurata facta Prophetarum à libidinoſis peccatis iniquorum. Illorum ſiquidem antiquorum non tantum linguam ſed & vitam dico fuiſſe Propheticam, totumque regnum illud gentis Hebræorum magnum quendam fuiſſe Prophetam, nec intelligunt iſti quoſdam virtutes in magnis animis,paruorum animorum vitiis ſimillimas eſſe, non nulla ſpecie, ſed nulla æquitatis comparatione. Si enim in quibuſdam factis à quorum altitudine longe ſunt, vitam patrum vel prophetarum tanquam libidinoſam reprehendunt,ſicut nonnulli etiam paganorum tanquam Chriſti ſtultitiam, quod tempore anni non congruo quæſiuit in arbore poma,redarguunt. Aut puerilis cuiuſdam fatuitatis affectum, quòd inclinato capite digito in terra ſcribebat,& cum hominibus interrogantibus reſpondiſſet, hoc iterum faciebat.

Pagani redarguunt Chriſtum ob quæſita poma in congruo tempore.

De ſanctis mulieribus olim prolem deſiderantibus.

CAPVT XXXV.

IPſas etiam vxores Iacob ſatis elucet nihil aliud omnino in concubitu apetiiſſe quam filios. Nam vbi ſe minime parere viderunt,famulas ſuas viro ſuo dederũt, vt illas quidem matres facerent carne, & ipſæ fierent voluntate. Hinc accidit vt altera virum cõduceret quoniam ordo alterius erat,vt ad illam maritus intraret. Nã vtique iuſtus ad Lyam vicibus accedebat, de qua tot filios procreauerat, & cui vt etiam de ancilla procrearet, obedierat. Tantoq; firmius ſeruabantur poteſtatis coniugalis iura,quanto caſtius vitabatur carnalis cupiditatis iniuria.

Lya.

Filiæ Lot cum ad conuerſationem humani generis prolem quęrerent,qui vtique in eis humanus erat & naturalis affectus, nec alios viros velut illa conflagratione orbe terrarum exuſto,inuenire ſe poſſe crederent, miſceri ſe patri voluerunt. Et potius quidem nunquam matres eſſe,quam ſic vti patre debuerunt. Veruntamen multum intereſt, quòd ea vſæ ſunt cauſa,quam ſi funeſtæ voluptatis vterentur concupiſcentia. Ratio quippe iuſtitiæ non tantum quid factum ſit,ſed etiam quare factum ſit intuetur,vt etiam cãuſis ſuis facta pendentia libramento æquitatis examinet.

Filia Lot.

Thamar quoq; quæ ſocerum fefellit,non carnis concupiſcentia, nec mercedis meretriciæ cupiditate peccauit,ſed ex ipſo ſanguine prolem requirens, ex quo duobus iam fratibus nupta,tertio quoque denegato,habere non potuit,eorum patri ſecandum corpus fraude ſubiecit,pignore mercedis accepto, quod non ad ornamentum ſed ad teſtimonium reſeruauit. Et melius quidem ſine filiis remaneret, quam ſine matrimonij iure mater fieret, longe tamen alia intentione peccauit,quòd filiis ſuis patrem prouidit ſocerum, quam ſi eum cõcupiſſet adulterum. Denique cum iuſſu eius duceretur ad mortem,& pignora proferens ſe grauidatam eſſe diceret ab illo cuius illa eſſent, vbi ea quæ dederat ipſe cognouit, illam ſe iuſtiorem eſſe reſpondit,minus videlicet culpãs deſiderium habendę prolis,quo illa ducta ſe ſocero ſuppoſuerat,quam libidinoſi concubitus ardorem, quo ipſe velut ad meretricem victus intrauerat.

Thamar.

Hugo in libro de bono viduitatis. Olim vtique ſanctas fœminas nubere non concupiſcentia, ſed obedientia compellebat, vt propagaretur populus Dei, in quo promitterentur Prophetæ Chriſti, & ex quo naſceretur etiam caro Chriſti, vt ergo populus ille propagaretur, qui non ſuſcitabat ſemen in Iſrael, per legis ſententiam maledictus habebatur. Vnde & ſanctæ mulieres attendebantur non cupiditate concumbendi, ſed pietate pariendi, & rectiſſimè credantur coitum non fuiſſe quæſituræ, ſi proles poſſet aliter prouenire. Et viris vſus plurium viuarum concedebatur vxorum, cuius rei non concupiſcentiam carnis ſed prouidẽtiam

Cauſa dispenſationis pro polygamia fuit propagatio populi Dei.

generationis fuiſſe cauſam; illud oſtendit, quod ſicut ſanctis viris habere plures viuas, non etiam vt ſanctis fœminis licebat miſceri maritis pluribus viuis, quia tanto eſſent turpiores, quantomagis appeterent, vnde non eſſent fœcundiores. *Auctor.* In ſumma ergo nota quod ideo potius in hac diſpenſatũ eſt cum viris, quia vir caput eſt mulieris. Et quia magis pacifice poteſt vnus pluribus dominari quam duo vni, prẽterea quia plus poteſt vnus fœcundare quam duæ vel tres parere. Cæterum quia vnus eſt verus ſponſus animarum ſanctarum, non quidem vnum habere plures, ſed plures habere vnam interimit ſacramentum.

De Coniugali fœdere.

CAPVT XXXVI.

Hvgo vbi ſupra. Deus quidem à principio, ſicut dictum eſt ſupra, cum hominem inſtituit, mulierem de latere viri formatam eidem ſociauit. Nam ſi de capite fieret, creata videretur ad dominationem, ſi vero de pedibus ad ſeruitutem. Prẽterea de medio facta eſt, vt ad æqualitatem ſocietatis facta probaretur. In hoc tamen quodammodo inferior ipſo, vt tanquam ad principium ſuum reſpiceret, eique indiuidue adhærendo ab ea ſe quæ adinuicem conſtare debeat ſocietate non ſepararet. Hæc ergo ſocietas coniugium eſſe probatur, quæ videlicet fœdere ſponſionis mutuæ conſecratur. Vnde coniugium eſſe dicunt legitimum maſculi & fœminæ conſenſum, indiuidualem vitę conſuetudinem retinentem. *Auctor.* Efficiens ergo cauſa coniugij eſt, vt dictum eſt ſupra, conſenſus per verba de præſenti, conſenſus inquam in copulam coniugalem quæ comprehendit cohabitationem & copulam carnalem, mutuum obſequium, mutuamque poteſtatem corporis quam habet alter in alterum. Itaque quia matrimonium ſolo conſenſu contrahitur, hic ſi ſolus defuerit, cętera etiã cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur. †Nam ex quo vir per verba de præſenti conſenſit in mulierem affectu maritali, & mulier in virum ſiue verbis ſiue ſignis exprimatur conſenſus, ſtatim eſt matrimonium. Signis autem ideo dico, quod ſurdus & mutus poſſunt contrahere matrimonium iſto modo. Veruntamen ſi contrahentes loqui poſſunt, verba mutuum conſenſum exprimentia, quantum ad Eccleſiam neceſſaria ſunt. Ex hoc itaque conſenſu oportet coniuges ipſos cohabitare, & indiuiduam vitæ conſuetudinem obſeruare. Dicitur autem matrimonium initiatum per ſponſalia, ratum per conſenſum de præſenti, conſummatum in carnali copula.

Porro matrimonium ante carnalem copulam ſignat coniunctionem Chriſti ad fidelem animam quæ ſeparabilis eſt. Poſt vero ſignificat vnionem filij Dei ad humanam naturam quæ indiſſolubilis eſt. Ideoque matrimonium per carnalem copulam conſummatum eſt indiſſolubile, ante vero ſolubile. Nam ſpirituale tantum & non carnale matrimonium eſt ante copulam carnalem. Ideo diſſoluitur per mortem ſpiritualem, cum alter ingreditur religionem. Quia vero conſummatum eſt ac corporale poſt copulam carnalem, ideo non diſſoluitur niſi per mortem corporalem, & temporalem. Sciendumque quod vbi eſt conſenſus per verba de futuro & ſequitur carnalis copula matrimonium conſummatum, Eccleſia reputat, dum enim coeunt, illud eſſe tempus interpretatur, pro quo illa verba de futuro fuiſſe videntur, vnde ibi verba de præſenti æquipollentia ſunt, ſed in hoc Eccleſia quandoque fallitur, vt quando nunquam de præſenti conſentiunt. *Auguſtinus in libro de bono coniugali.* Tantum valet fœdus nuptiale, vt nec irritum fiat etiam ſeparatione, quia viro viuente quo vxor relinquitur, ſi alteri nupſerit mœchatur, Manent etiam coniuges ſi bi etiam ſeparati. Tantum ergo valet hoc vinculum, vt cum cauſa procreandi coliigetur, nec ipſa cauſa procreandi ſoluatur.

Cur fœmina formata de medio viri?

†*Hoc aliter ſit modo ob Tridentinũ Decretum.*

Quid ſignificat matrimonium?

De coniugis electione.

CAPVT XXXVII.

Fvlgentius in libro Mythologiarum primo. Sicut autem nihil benigna ſuperius coit coniuge, ſic nihil infeſta crudelius muliere. Quantum enim ſapiens pro viri ſalute ſuam opponit animam pignori, tantum maligna ad mortem mariti etiam vitam ſuam reputat nihili. Ergo coniunx quanto eſt viro coniunctior, tanto eſt ei animorum dulcedine mellea, aut felle malitiæ toxica. *Ioannes Chryſoſtomus ſuper Matthæum.* Si ergo vis ducere vxorem noli quærere diuitem, ſed bene morigeratam, quia mores boni diuitias ſemper acquirunt, diuitiæ autem nunquam mores fecerunt. Et glorioſior eſt paupertas fidelium, quàm diuitiæ peccatorum, noli quærere ſpeciem, quia meretrices quidem placent in ſpecie, moribus autem matronæ, & ſicut inaures aureæ in auribus porci, ita mulieris malæ morigeratæ ſpecies.

Ambroſius de ſancto Abraham libro primo. Legitur Abraham dixiſſe vxori ſuæ Sarai: *Noui quòd pulchra ſis mulier, & quòd cum viderint te Ægyptij dicturi ſunt, vxor ipſius eſt, & te interficient me, & reſeruabunt.* In quo videlicet docet non magnopere quærendum eſſe decorem coniugis, qui viro plerumque necem gignere ſolet. Qui ergo ſuauitatem quærit coniugij non tam pulchritudo mulieris quam virtus eius & grauitas illum delectet, non ſuperiorem cenſu ambiat, non genere nobiliorem (hæc enim ſuperbiæ proxima ſunt,) nec monilibus ornatam ſed moribus. *Hieronymus contra Iouinianum lib. 1.* Martia Catonis filia minor, cum quæreretur ab ea cur poſt amiſſum maritum denuo non nuberet. Reſpondit ſe non inuenire virum qui ſe magis quam ſua vellet. Quo dicto eleganter oſtendit, diuitias in vxoribus magis quam pudicitiam eligi ſolere, multoſque non oculis ſed digitis yxores ducere. Sane res optima quam conciliat auaritia. Epicurus etiam voluptatis aſſertor, raro dicit ineunda eſſe ſapienti coniugia, quia multa nuptiis admixta ſunt & incommoda, & quomodo diuitiæ & honores corporumque ſanitates ac cætera quæ indifferentia nominamus, nec bona nec mala ſunt, ſed velut in meditullio poſita, vſu vel euentu vel bona vel mala fiunt, ita vxores in bonorum malorumque confinio ſitæ ſunt: graue autem eſt viro ſapienti venire in dubio, vtrum bonam aut malam ducturus ſit.

Fertur & aureolus Theophraſti liber de nuptiis, in quo an vir ſapiens ducat vxorem quærit? Cumque ſi pulchra eſſet, ſi morigerata, ſi honeſtis parentibus orta, ſi etiam ipſe ſanus ac diues, ſic ſapientem aliquando matrimonium inire diffiniuit, ſtatim intulit. Hæc autem raro in nuptiis vniuerſa concordant. Denique nulla eſt vxoris electio, ſed qualiscunque obuenerit eſt habenda. Si enim eſt iracunda, ſi fatua, ſi ſuperba, ſi fœtida, poſt nuptias diſcimus, quicquid vitij eſt in ea: equus, aſinus, bos, canis, & viliſſima mancipia, veſtes quoque ac lebetes, calix, vrceolus, prius probantur, & ſic emuntur, ſola vero vxor non oſtenditur, ne ante diſpliceat quam ducatur. *Valerius Maximus de geſtis ac dictis mirabilibus libro 6.* Quidam vnicæ filiæ pater, Themiſtoclem conſulebat, vtrum eam pauperi ſed ornato, aut locupleti parum probato collocaret? Cui ille; *Malo inquit virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem, &c.*

Qualis vxor ducenda?

Martia Catonis filia arguitur reſponſum.

Vitia vxorũ diſcuntur poſt nuptias.

De mutua coniugum dilectione.

CAPVT XXXVIII.

Hieron. vbi ſupra. Sapiens autem vir iudicio debet amare coniugem non affectu, ne regat voluptatis impetus, nec præceps in coitum feratur. Nihil eſt fœdius quam vxorem amare quaſi adulteram. In aliena ſiquidem vxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius. *Vnde Seſtius in ſententijs: Adulter inquit eſt in ſuam*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Amor nimius vxorū.

vxorem amator ardentior. Certe qui dicunt ſe cauſa Reipublicæ & generis humani vxoribus iungi & liberos colere, imitentur ſaltem pecudes,& poſtquam vxorum venter intumuerit, ne perdant filios, nec amatores ſe vxoribus exhibeant ſed maritos. Refert Seneca cognouiſſe ſe quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicum faſcia vxoris pectus colligabat & ne puncto quidem horæ præſentia eius carere poterat, potionemque nullam niſi alternis tactis labris vir & vxor hauriebant, alia deinceps non minus inepta faciebant,in quæ improuida vis ardentis affectus irrumpebat. Origo quidem amoris honeſta erat, ſed magnitudo deformis. Nihil autem intereſt quam ex honeſta cauſa quis inſaniat.

Idem ſuper Epiſtolam ad Epheſ.lib.3. *Viri*, inquit Apoſtolus, *diligite vxores veſtras.* Opera enim liberorum in matrimonio conceſſa ſunt. Voluptates autem quæ de meretricum amplexibus capiuntur in vxore damnatæ ſunt:hoc legens omnis vir & vxor intelligat ſibi poſt cōceptum magis orationi quam connubio ſeruiendū,& quod in animalibus ac beſtiis ipſo naturæ iure præſcriptum eſt, vt prægnantes ad partum vſque non coeant,

Vſus coniugij qualis?

hoc in hominibus ſciant arbitrio derelictum, vt merces eſſet ex abſtinentia voluptatum. *Idem ſuper Epiſt. ad Tim.* *Admone inquit & adoleſcentulas, vt viros ſuos ament, &c.* Vult ſiquidem Apoſtolus inter virum & mulierem pudicam eſſe dilectionem, vt cum pudore & verecundia & quaſi neceſſitate ſexus viro potius debitum reddat, quam ipſa ab eo exigat, & opera liberorum ante Dei oculos & Angelorum perpetrare ſe credat,vt etiam ſecretum cubile ac noctis tenebras & clauſum cubiculum erubeſcat, dum omnia patere Dei oculis cogitat.

Auguſtinus contra Fauſtum lib.2. Fortaſſis autem aliquis ſtudioſius quærat,in cuius figuræ ſacramento accipiendum ſit: quod Abymelec Rex alienigena Rebeccā viri ſui coniugem eſſe tūc agnouit,quando cū illa ludentem eum vidit, quod vtique non cognouiſſet, niſi cum coniuge ille ſic luderet quomodo cum illa quæ coniūx non eſſet, ludere non deceret. Quod cum ſancti coniugati faciunt,non inaniter, ſed prudenter agunt. Deſcendunt enim quodammodo ad fœminei ſexus infirmitatem,vt aliquod blanda hilaritate dicant,vel faciant nō eneruantes, ſed temperantes virilem rigorem, quod tamen ei, quæ vxor non eſt, qui dixerit, aut fecerit,turpis eſt. *Auctor.* De ipſo ſiquidem Iſaac legitur, quia cum Rebeccam in yxorem accepiſſet,intantum dilexit eam, vt dolorem quem ex morte matris acceperat temperaret, quod vtique non eſt intelligendum de amore illo immoderato, ſed de amore vxorio, cui plus ineſt affectio quam amor erga parentes, ſicut ſtatutum eſt ab initio.

Maritus prudenter ludit quandoque cum vxore.

Adhuc de eodem.

CAPVT XXXIX.

Ioannes Chryſoſt. vbi ſupra. Propter hoc enim ait: *Relinquet homo patrem, & matrem*, ſcil.quantum ad affectum quem dedit natura, *& adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna* Sed nonne maior deberet eſſe charitas inter fratres & ſorores, quia iſti quidem ex eiſdem parentibus ſunt, illi autem ex diuerſis. Sed hoc magnum eſt valde, quia fortior eſt Dei conſtitutio, quam virtus naturæ. Non enim præcepta Dei naturæ ſubiecta ſunt, ſed natura Dei præceptis obtemperat, nec ſeipſum ſequitur ordo naturæ, ſed Dei ordinationem. Quod in herbis,& in arboribus eſt humor, hoc eſt in hominibus amor, humor quidem de radicibus aſcendit in herbam, de herba autem ad radices non reuertitur; ſed rurſus in ſemen tranſmittitur. Sic & charitas de parentibus aſcendit ad filios, de filijs autem non reuertitur ad parentes. Parentes enim filios ſuos diligunt, ſed non ſic à filiis diliguntur,quin potius illi filij ad filios ſibi procreandos affectum tranſmittunt. Itaque vir & vxor iam non ſunt duo,ſed vna caro, quia ſcil.carnaliter diligunt ſeſe, ſicut

Plus diligūt maritus & vxor quam frater & ſoror.

A animæ multorum, quæ ſe ſpiritualiter diligunt, anima vna dicuntur eſſe.

Hier. ſuper Malachiam. *Cuſtodite inquit ô viri ſpiritum veſtrum, & vxorē adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere*; ſpiritum quippe viri prophetavocat vxorē eius,eo quod propter affectum anima vna quodammodo eſſe videtur in duobus,ſpiritu videlicet coniunctis ac mente ſociatis. Vnde & paulo ante dicit: Nonne vnus fecit, & reſiduum ſpiritus eius eſt. *Amboſius vbi ſupra.* Legitur de ſancto Abraham, quod cum Angelos inuitaſſet hoſpicio, feſtinauit in tabernaculum ad Saram, dixitque ad eam: *Accelera, tria fata ſimilæ commiſce, &c.* Bonus quippe maritus exortem religioſi muneris vxorem eſſe non tolerat, nec auarè totum munus vſurpat, vult eſſe commune quod pietatis eſt,integrum quod pudoris eſt. Vnde Sara manet intra tabernaculum, vir autem explorat aduentus hoſpitum.

Vxor ſpiritus viri.

B

Ioannes Chryſoſtomus vbi ſupra. Denique viro caſto vxor qualiſcunque videtur bona, quia perfecta charitas non ſentit vitia, vxor quoque neminem debet formoſiorē putare quam virum ſuum,quia perfectum odium, aut perfectus amor non cognoſcit rerum iudicium. Nam ſi perfecte aliquem oderis, qualiacunque fuerint apud illum omnia tibi diſplicent,ſic etiam ſi perfectè aliquem amas, quæcunque ſunt apud eum tibi placent. *Hieronymus contra Iouinianum lib.1.* Duellus qui Romæ primus nauali certamine triumphauit, Iliam virginem duxit vxorem tantæ pudicitiæ, vt illo quoque ſæculo pro exemplo fuit, quo impudicitia monſtrum erat,non vitium. Is iam ſenex, & trementi corpore in quodam iurgio audiuit exprobrari ſibi os fœtidum, & triſtis ſe domum contulit. Cumque apud vxorem queſtus eſſet, quare nunquam ſe monuiſſet, vt huic vitio mederetur, feciſſem inquit illa, niſi putaſſem omnibus viris ſic os olere, laudanda in vtroque pudica, & nobilis fœmina, & ſi ignorauit vitium viri, & ſi patienter tulit. Et quod maritus infœlicitatem corporis ſui non vxoris faſtidio, ſed inimici maledicto ſenſit. *Valerius lib.6.* Horridum Sulpitij Galli maritale ſupercilium, qui vxorem dimiſit, eo quod eam aperto capite foris verſatam cognouit. Abſciſa quidem ſententia, ſed cum aliqua ratione munita, lex enim inquit tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes his decoris inſtrumenta præpara, his eſto ſpecioſa, horum certiori cede notitiæ, Vlterior tui conſpectus irritatione ſuperuacua accerſitur in ſuſpitione, & crimine hæreat neceſſe eſt.

Ilia pudicitia cōiugalis.

C

D

De tribus matrimonij bonis, & primo de fide.

CAPVT XL.

Avguſtinus ſuper Geneſim. Tripartitum eſt autem matrimonij bonum ſcilicet *fides*, *proles*, *ſacramentum*. *In fide* ſiquidem attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altero,vel altera coiungatur. *In prole*,vt amanter ſuſpiciatur, benigne nutriatur, religioſe educetur. *In ſacramento*, vt coniugium non ſeparetur, & dimiſſus, aut dimiſſa, nec cauſa prolis alteri coniungatur, hæc eſt tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas,vel incontinentiæ regitur pronitas. *Idem in libro de coniugali bono.* Mulier itaque ſi fide coniugali violata, fidem ſeruat adultero vtique mala eſt, & ſi nec adultero peior eſt. Decus autem coniugale, vt dictum eſt ſupra, eſt caſtitas procreandi, & fides reddendi carnalis debiti,manetque vinculum coniugale,etiam ſi proles deſit præ ſterilitate, ſicut ſatius eſt mori fame quam idolothitis veſci, ita ſatius eſt ſine liberis defungi,quam ex illicito concubitu prolem quærere.

Tria bona matrimonij.

E

Ambr. vbi ſupra. Legitur Pharao dixiſſe Abrahæ cum intellexiſſet Saram vxorem eius eſſe. *Quidnam eſt quod feciſti mihi, quare non indicaſti, quod vxor tua eſſet, &c.* *Nūc ergo ecce coniunx tua, accipe eam, & vade.* Igitur & natura ferus, ac barbarus Pharao, tamen ſignificat etiam

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Barbari curant pudorem.

externis,ac barbaris erroribus curã eſſe pudoris,& adulterij etiam ſibi crimen cauendum, nec mirũ ſi barbarus nouit ius naturale,nam & muta animalia,quæ nullis tenentur legibus, ſunt tamen aliqua quæ non ſolum paribus ſuis copulę ſeruant fidem,verum etiam vnius coitus cuſtodiunt caſtitatem.Ita maior eſt lex naturę quam legum præſcriptio.Sic ergo dum prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam.

Redditio debite opus iuſtitiæ.

Auctor. Ex prædictus patet quod fides, id eſt,fidelitas mutua coniugum duplex eſt, vt ſcil.vt neuter ad alia vota trãſeat,vel alij carnaliter ſe cõmiſceat. De hac autem dictum eſt ſuperius, vbi oſtenſum eſt,quod neuter carnem ſuam debet diuidere, ſed vnica debet eſſe vnius tãtum.Alia vero fidelitas eſt,vt inuicem ſibi debitum reddant,cum reddere debitũ eſt opus iuſtitiæ. Dicit tamen Greg.coitum etiam coniugalẽ ſine culpa fieri non poſſe, ideoque notandum eſt,quod quatuor de cauſis finalibus vxor à viro cognoſcitur,videlicet cauſa prolis,cauſa reddendi debiti:cauſa vitandę incontinentiæ, cauſa libidinis explendæ. Tribus itaque primis modis vxorem cognoſcere meritoriũ eſt, & abſque omni culpa poteſt eſſe. Quarto modo ſine peccato non poteſt eſſe,ſed aliquãdo eſt veniale aliquando mortale. Veniale ſiquidem eſt,ſi vir eam affectu coniugali cognoſcat,nec illam cognoſceret,niſi ſua eſſet. Tunc enim ſecundum Auguſtinum infirmitas carnis excipitur per bonũ matrimonij, ne cadat in foueam peccati.Si vero cognoſcat eam ex tã feruenti libidine, quod eam cognoſceret,etiã ſi ſua non eſſet,mortale peccatum eſt. Tunc enim locum habet, quod vehemẽs amator vxoris adulter eſt. Deinde ſicut in prædicatione Apoſtolorum miſcebatur inanis gloriæ puluis,& erat culpa venialis cum opere meritorio. Sic etiam vir ſanctus meritorie cognoſcit vxorem, & ei placet delectatio. Si vero diſplicet abſque omni peccato eſt,luſtrari tamen iuxta Gregorium debet, vt Eccleſiam intret,quia bonarum mentium eſt ibi culpã agnoſcere,vbi culpa non eſt. Illud ergo Gregorij, *concumbitus coniugalis,ſine culpa fieri non poteſt*,ſic exponitur, id eſt,vix poteſt.

Cognoſcere vxorẽ cauſa libidinis peccatum eſt.

Exponitur Gregorius.

De Prole ac religioſa ipſius educatione.

CAPVT XLI.

Cura prolis.

IN prole ſicut dictum eſt,ſecũdum Auguſtinũ oſtenditur vt amanter ſuſcipiatur, benigne nutriatur,religioſe educetur. Contra primum faciunt qui conceptus impediunt vel extinguunt, vel qui præ timore multiplicandæ prolis amplexus refugiunt,vel aborſus procurant, aut natos protinus necant. Contra ſecundum faciũt qui nutriendi tædio filios proijciunt aut extingũt. Contra tertium vero agunt qui filios in diſciplina Domini non erudiunt,aut peccatores non corripiunt. *Hieſuper Epiſtolam ad Epheſios.Patres inquit nolite ad iracundiã prouocare filios veſtros,ſed educate illos in diſciplina,& correptione Domini.* Peccatum filiorũ eſt parentibus non obedire. Peccatum parentum filios,atque lactentes ad iracundiam prouocare,aut certè iam adoleſcentibus & maturioris ætatis,ea quæ grauia ſunt imperare.Sicut ergo in filijs obſequium,ſic in parentibus moderatum iubetur imperium,vt non quaſi ſeruis ſed quaſi filijs præeſſe ſe nouerint.

Inſtitutio puerorum qualis?

Seneca in lib.de morib. Educatio ſiquidem,& diſciplina mores facit,& id ſapit quiſque quod didicit.*Varro in ſententiis.* Sapiunt nimirum vaſa,quicquid primo acceperint. *Quintilianus in oratoria inſtit.lib.*1. Vtinam ergo liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus, infantiam ſtatim delitijs ſoluimus, mollis educatio quam indulgentiã vocamus,neruos omnes mentis,corporiſq; frangit.Ætas quidem hominis tũ vel maxime formanda eſt,cum vel ſimulandi neſcia eſt,& prȩcipientibus facillime cedit,franges enim citius quã corrigas quæ in prauum duruerunt.*Idem in li.*2.At vero ingenia puerorum nimia emendationis ſeueritate deficiũt. Nam & deſperant & dolent, ac nouiſſime oderunt, & quod maxime nocet dum omnia timent,nihil conantur. *Horatius in li. epiſtolarum. Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorẽ Teſta diu:* tractari mollius ętas imbecilla ſolet.*Ouid.in li.de arte primo.In puero eſt ætas mollis, & apta regi,Ingeniũ cœleſte ſuis velocius annis Surgit.Idẽ in lib.Epiſtolarum. Ars ſit vbi à teneris crimen conducitur annis, Scilicet vt teneros lædunt iuga prima iuuencos,Frenaque vix patitur de grege captus equus,Sic male vixque ſubit primos mores rude pectus.*

A

B

C

D

E

De tertio matrimonij bono, id eſt,ſacramento.

CAPVT XLII.

Inſolubilitas matrimonij.

Auctor. Tertium vero matrimonij bonum, quod eſt ſacramentum,in hoc attenditur,vt coniugium non ſeparetur,dimiſſa nec cauſa prolis alteri coniungatur. Et cum dictum eſt ſuperius matrimoniũ ante carnalem copulam ſignat coniunctionem Chriſti ad fidelem animam, quæ ſeparabilis eſt,poſt vero ſignat vnionem filij Dei ad humanam naturam,vel Chriſti ad Eccleſiam,quę indiſſolubilis eſt.Ideoque matrimoniũ per carnalem copulam conſummatũ, eſt indiſſolubile, ante vero ſolubile. *Ioannes Chryſoſt ſuper Matth.li.*2. Omnis res per quas cauſas naſcitur,per ipſas & ſoluitur; matrimonium autẽ non facit coitus,ſed voluntas,& ideo non illud ſoluit ſeparatio corporis ſed voluntatis. Itaq; qui coniugem ſuã dimittit & aliã non accipit, adhuc maritus exiſtit, quia & ſi corpore ſeparatus eſt adhuc cum voluntate coniunctus eſt.Cũ autem aliam accipit, tunc plene dimittit. Non ergo mœchatur qui dimittit, ſed qui alteram ducit. Sicut autem crudelis & iniquus eſt, qui caſtã dimittit, ita fatuus eſt & iniuſtus qui retinet meretricem Nam patronus eſt turpitudinis, qui crimen celat vxoris, vir ergo meretricem dimittat, alias autem bene morigeratam caſtamque teneat.

Vxor morigerata redditur tripliciter.

Et hoc tribus modis. Primo quidem eam admone, quia multum proficit doctrina iuſtitiæ, deinde ſi timorem Dei non ſentit, improperando confunde,quia frequenter & pudor frænum eſt vitiorum, ſi autem nec pudorem ſentit.tertio percute,quia iuſtum eſt, vt caſtigetur,quaſi ancilla,quæ erubeſcere neſcit vt libera. Cęterum *Moyſes* inquit Dominus *Iudæis, ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dare libellum repudij*,quia ſcilicet melius iudicauit,permittente lege matrimonia ſolui,quam odio compellente homicidia fieri. Vnde permiſit facere mala, ne faceretis peiora. Hac etiam ratione & Apoſtoli ſecundas nuptias adire permiſerunt propter incontinentiam hominum, *Nam ſecundum quidem ducere ſecundum præceptum Apoſtoli permiſſio eſt, ſecundum veritatis autem rationem fornicatio eſt.* Ideo bene dicit quod Moyſes hoc permiſit non præcepit, quod enim permittimus, nolentes præcipimus, quia malam hominis voluntatem ad plenum prohibere non poſſumus.

Cautè lege.

Hieronymus ſuper Matthæum,libro 3. Sola vero fornicatio eſt quæ vxoris vincit affectum, immo cum illa vnam carnem in aliam diuiſerit,& ſe fornicatione ſeparauerit, à marito non debet teneri, dicente ſcriptura: *Qui tenet adulteram impius & ſtultus eſt. Idem contra Iouinianum libro* 3. Ab initio conditionis quidem humanæ, nec carnes comedebantur,nec homines circuncidebantur, nec repudium vxoribus dabatur, & hoc vſque ad diluuium. Poſtquam ergo venit Chriſtus in fine temporum, & Omega reuoluit ad Alpha, id eſt, finem retraxit ad principium, nec circuncidimur,nec repudium dare permittitur, nec carnes comedimus, dicente Apoſtolo: *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum.* Nam & vinum cum carnibus poſt diluuium dedicatum eſt.

ω recurrit ad α huius ſæculis.

Hieronymus ſuper Epiſtolam ad Corinthios. Verum *ſi quis*, ait Apoſtolus: *frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam, & ſi qua mulier habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum, Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierẽ infidelem. Quod ſi infidelis diſcedit diſcedat,non eſt enim ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiſmodi*, id eſt, non debetur reuerentia coniugij ei qui horret au-

ctorem coniugij. Non enim rarum eſt matrimonium quod ſine Dei deuotione eſt. Ac per hoc non eſt peccatum ei qui dimittitur propter Deum, ſi alij ſe iunxerit. Contumelia enim creatoris ſoluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur, nec alij copulatus accuſetur. *De facto Eſdra.* Infidelis autem diſcedens & in Deum & in matrimonium peccare dignoſcitur, qui noluit ſub Dei deuotione habere coniugium. Illud etiam non debet putari matrimonium quod contra Dei decretum factum eſt, vnde Eſdras fecit Iudæos vxores infideles dimittere. Si ambo autem crediderint, per deuotionem Dei confirmatur coniugium.

Quod nunc virginitas præfertur matrimonio.

CAPVT XLIII.

Auguſtinus ſuper Geneſim lib.9. Magnum vero magiſque honoris meritum iſto iam tempore continendi ab amplexibus apud Deũ habet virginitas fidelis &pia,cum iam ex omnibus gentibus ad implendũ ſanctorum numerum largiſſima ſuppetat copia: quia percipiendæ voluptatis libido ſibi non vendicat, quod iam multiplicandæ prolis neceſſitudo non poſtulat. *Fulgentius de virginitate,& humilitate.* Nec in eo quod virginalis integritatis agnoſcimus culmen, pudicitiæ coniugalis aſſerimus crimen, ſed virginitatem ſanctam dicimus merito potiore diſtare à coniugali vita, quàm diſtant à bonis meliora, à terrenis cœleſtia, à carne ſpiritus, ab infirmitate virtus,immo vero nec dicere dubitamus, tantum à ſancta virginitate carnis & ſpiritus, fidelium coniugatorum,licèt à Deo conceſſum diſtare concubitum, quantum ſimilitudo pecorum ab imitatione *Diſcrimen coniugij & virginitatis.* diſcernitur Angelorum. In vno ſiquidem ad terram ſpiritus, terrena carnis voluptate deprimitur, in altero vero terrena caro cœleſti delectatione ſpiritus ad cœleſtia ſubleuatur. *Iſidorus in ſententijs ſuis lib.2.* Virginitas prælata eſt bonis nuptiarum,illud enim bonum,hoc optimum. Coniugium conceſſum,virginitas autem admonita,ſed non iuſſa: quia nimis excelſa. *Hieron.contra Heluidium. Virgo nimirum cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Nupta vero cogitat quæ mundi ſunt: quomodo placeat viro. Idem vero tu putas eſſe diebus ac noctibus ieiuniis orationique vacare, & ad aduentum mariti faciem exponere, greſſum frangere, *Famine ad ſpeculũ corrigere voluũ Dei artificiũ opus.* blandicias ſimulare. Illa hoc agit,vt turpior appareat,& naturæ bonum iniuria fuſcet, hæc ad Speculum pingitur, & in contumeliam artificis pulchrior quam nata eſt, eſſe conatur. Nec tamen nuptias condemnamus, quia ipſa quippe virginitas nuptiarum eſt fructus. Neque ergo negamus maritatas etiam ſanctas mulieres inueniri, ſcilicet quæ vxores eſſe deſinunt,& quæ virginum caſtitatem imitantur in ipſa neceſſitate coniugij. *Idem in libro de Monogamia.* Si autem & ante diluuium & poſt diluuium viguit illa ſententia: *Creſcite & multiplicamini,&c.* quid ad nos in quos fines ſæculorum deuenerunt? Quibus dicitur, tempus breue eſt,& iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, quæ ſyluam legis & nuptiarum Euangelica caſtitate excidat. *Idem ad Euſtochium.* Olim quidem benedictio ſola erat liberorum, cum vacuus adhuc eſſet orbis,paulatim ergo increſcente ſegete meſſor immiſſus eſt, virgo Helias, virgo Heliſeus, virgines multi filij Prophetarum. Hieremias captiuitate propinqua vxorem prohibetur accipere. Idipſum aliis verbis loquitur Apoſtolus dicens: *Tempus breue, reliquum eſt, vt qui habent vxores ſint tanquam non habentes.*

Quod ei prælata fuit etiam à principio.

CAPVT XLIV.

Idem contra Iouinianum lib.1. Denique caſtitas ſancta ſemper nuptiarum operi fuit prælata. Nam & primi parentes ante offenſam virgines in Paradiſo fuerunt, poſt peccatum autem & extra paradiſum mox nuptias celebrauerunt, itaque nuptiæ replent mundum, virginitas paradiſum, Vnde dictum eſt, *Creſcite & multiplicamini,& replete terram,* prius enim oportuit ſyluam plantari & creſcere, vt eſſet quod deinceps poſſet inſcidi. Quantumque inter eſt inter radicem & fructum arboris, tantum inter nuptias & culmen virginitatis. Præterea Moyſes moriens à populo plangitur. Ioſue vero qui nec vxorem nec filios habuiſſe legitur, quaſi victurus in morte non lugetur. Nuptiæ quippe finiuntur in morte, virginitas autem incipit coronari poſt mortem. *Nuptia replent terram virginitas cœlum.* Sed & Apoſtoli excepto Petro non leguntur vxores habuiſſe. Cumque de vno ſcriptum ſit, & de aliis tacitum, intelligere debemus illos ſine vxoribus fuiſſe.

Idem ad Euſtochium. Creſcant ergo & multiplicentur qui impleturi ſunt terram, tuum agmen virgo in cœlis eſt.tua regio paradiſus eſt. Eua ſiquidem in paradiſo virgo fuit, poſt nuditatem autem & folia ficus auſpicãtia pruriginem,poſt tunicas pelliceas & exitum de paradiſo, nuptiarum initium ſumpſit. Itaque nuptias quidem laudo. Sed quia virgines nihil generant,roſamque de ſpinis, aurum de terra lego. Cur autem de virginibus præceptum non habet Apoſtolus: quia maioris eſt meriti quod non cogitur & offertur. Vnde & virgo fuit ipſe non ex præcepto,ſed propria voluntate. *Fulgentius vbi ſupra.* *Virgo vnde dicta?* Virgo quidem quaſi virago dicitur. Virago autem à viro, & vir à virtute deriuatur. Claret ergo inter cæteras Eccleſiæ donationes illius præcipuũ munus ſpiritualis eſſe chariſmatis,vbi nimirum ipſa virtus integritatis meretur vocabulo cenſeri virtutis. *Petrus Comeſtor.* Hoc nomen,vt dictum eſt ſuperius, illius primæ mulieris proprium fuit, quod ei nimirum ante peccatum Adam imponens ait: *Hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt.* Nunc autem commune eſt omnium,& virgo eſt eius ſyncopatum,quod omnibus conuenit, quamdiu ſunt in integritate, mulieres autem dicuntur fractæ.

De virginitatis prærogatiuis.

CAPVT XLV.

Ambroſius in ſermone de ſancta Agnete. Quis autem humano comprehendere virginitatem ingenio poſſit, quam nec natura ſuis legibus incluſit? Aut quis naturali voce complecti nouerit, quod ſupra vſum naturæ ſit? Accerſiuit è Cœlis quod imitaretur in terris. Nec immerito vſum viuendi quæſiuit è cœlo, quæ ſibi ſponſum inuenit in cœlo,hæc nubes,aera, Angelos, ſyderaque tranſgrediens, Dei verbum in ipſo ſinu patris *Virgines vt Angeli ſunt.* inuenit,ac toto pectore hauſit, Verbum inquam de ſinu patris virginitas hauſit. Quis enim tãtum relinquet bonum cum inuenerit? *Vnguentum inquit effuſum nomen tuum, ideo te adoleſcentulæ dilexerunt & attraxerunt.* Poſtremo non meum illud quod in Euangelio, quia quæ non nubunt neque nubentur,erunt ſicut Angeli in cœlo,nemoque miretur ſi Angelis comparantur,quæ Angelorum Domino copulantur.

Hiero.in ſermone B. Virginis. Angelis quippe ſemper cognata virginitas eſt. Profecto enim in carne præter carnem viuere,non terrena vita ſed cœleſtis eſt, quoniã etiã in carne vitam angelicam acquirere maius eſt me- *Vita cœleſtis.* ritum quam habere. Eſſe quippe Angelum felicitatis eſt, eſſe vero virginem virtutis, dum hæc obtinere nititur cum gratia,quod habet Angelus ex natura. Hæc itaque vita nobis ô virgines de Cœlo fluxit, quam profeſſæ eſtis, De Cœlo venit ſponſus, quem vna cum matre ſequi debetis,nec immerito viuẽdi vſum de Cœlo quęſiſtis, quæ vobis ſponſum de Cœlo petiſtis, ideo conuerſatio veſtra ſemper ſit in cœlis, quia verbum Dei quod amatis non inuenitur niſi in ſinu patris. Omnis gloria veſtra abintus ſit, & intus habete quod foris luceat, ne lampades veſtræ extinguantur,antequam ſponſus veniat. *Idem ad Euſtochium.* Quid autem inuides mater filiæ? Grãde tibi beneficium preſtitit,Socrus enim Dei eſſe cœpiſti.

Aug.in lib.de virginitate. Chriſtus certe virginis filius, & virginum ſponſus,vtero virginali corporaliter natus,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Ecclesia virgo.

virginali connubio spiritualiter coniugatus est. Cum ergo vniuersa Ecclesia virgo sit, eidem vni viro desponsata, quanto membra eius digna sunt honore, qui hoc custodiunt etiam in ipsa carne quod ipsa quæ viri sui & Domini sui matrem imitatur, tota custodit in fide? Proinde cum vniuersa sit sancta corpore & spiritu, nec tamen vniuersa sit virgo corpore, sed ipso spiritu multo sanctior est in his membris, vbi virgo est in corpore, & spiritu. *Ciprianus in lib. de disciplina, & habitu virginitatis.* Itaque virginitas est flos ecclesiastici germinis, decus & ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis, & honoris, opus integrum, & incorruptum, imago Dei respondens ad sanctimoniã Dei, illustrior portio gregis Christi, Gaudet per illas & largiter floret in illis gloriosa fœcunditas Ecclesiæ matris, Quantoque plus numero suo copiosa virginitas addit, tanto gaudium matris augescit.

Exhortatio ad custodiam virginitatis.

CAPVT XLVI.

NVnc itaque ad virgines nobis sermo est, quantumque sublimior gloria, maior & cura est. Seruate virgines, quod esse cœpistis, magna vos merces manet virtutis, grande præmium castitatis, vos ab illa maledictionis sententia quondam in mulieres lata liberæ estis, Vos earum gemitus, & tristitias non timetis, nullus vobis de partu, vel circa filios est metus, nec maritus est Dominus, Dominus vester & caput Christus est, ad instar & vicem masculi. Sors vobis & conditio communis est, Denique quod futuri sumus, vos iam esse cœpistis, gloriam resurrectionis in hoc sæculo iam tenetis, dum per sæculum sine sæculi contagio transitis. Filij quippe huius sæculi generant, & generantur. Filij vero sæculi illius, & resurrectionis à mortuis non nubent neque nubentur. Neque enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei. Et nos ergo dum castæ perseueratis ac virgines, Angelis Dei estis æquales, Igitur ô virgines estote tales, quales vos manus patris instituit, maneat in vobis facies incorrupta, ceruix pura, forma sincera, non inferantur auribus vulnera, nec includat brachia, vel colla de armillis, & monilibus preciosa cathena, sint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deo digni.

Virginum laus.

Hieron. contra Iouinianum lib. 1. At vero si omnes inquis virgines fuerint, quomodo genus humanum stabit? Noli inquã metuere, difficilis res est virginitas, & ideo rara, si omnes virgines esse possent, nunquam Dominus qui potest capere capiat, diceret. Nec Apostolus in persuadendo trepidaret, dicens: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Porro tantum interest, inter nuptias & virginitatem, quantum inter non peccare, & bene facere. *Idem contra vigilan.* Rara virtus est virginitas, nec à plurimis appetitur, & vtinam hoc quod pauci sunt, essent omnes, de quibus dicitur: *Multi vocati, pauci vero electi,* & vacui essent carceres.

Respondetur obiectioni Iouiniani.

De virginibus Deo consecratis.

CAPVT XLVII.

AVgustinus *in lib. de virginitate.* Non autem in virginibus hoc prædicamus, quod virgines sunt, sed quod Deo dicatæ pia continentia virgines sunt. Nam fælicior mihi videtur mulier nupta, quam virgo nuptura, habet enim iam illa quod ista adhuc cupit, præsertim si nondum vel sponsa cuiusquam sit. Illa vni studet placere cui data est, hæc multis, incerta cui danda est. Illa ergo virgo coniugatæ merito præponitur, quę nec multitudini se amandam proponit, cum amorem vnius ex multitudine requirit, nec se iam vni cõponit inuẽto, cogitans quæ mundi sunt, quomodo placeat viro, sed speciosum forma præ filijs hominũ sic amauit, vt quia sicut Maria carne illum concipere non posset, ei corde concepto etiam carnem integram custodit: hoc ergo agite virgines Dei, hoc agite, pergite viam sublimitatis,

Melior nupta qua nuptura.

A pede humiliatis, & sequimini agnum quocunque ierit: ipse enim exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit ad iacentes: dona eius illi seruanda cõmittite, fortitudinẽ vestram ad illum custodite. Quic quid mali ipso custodiente non committitis tanquam remissum ab illo deputate, ne modicum vobis existimãtes dimissum modicum diligatis, & tundentes pectora publicanos iactantia contemnatis. De viribus vestris expertis cauete: ne quia aliquid ferre potuistis inflemini, de inexpertis autem orate ne supra quam potestis ferre tentemini. Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores, perseuerantes in numero vestro prębeant vobis exemplum: cadentes augeant timorem vestrum, non improbus vultus, non oculi vagi, non infrenis lingua, non petulans risus, non B scurrilis iocus, non indecens habitus, non tumidus, aut fluxus incessus, hæc addita virginitati Angelicam vitam hominibus & cæli mores exhibent terris, Si nuptias cõtempsistis filiorum hominum, toto corde amate speciosum forma præ filijs hominũ, qui non quærit à vobis pulchram carnẽ, sed pulchros mores, quibus frænatis & carnem, inspicite pulchritudinem amatoris vestris cogitate æqualem & subditum matri, in cælis dominãtem, & in terris seruientem, inspicite vulnera pendentis, sanguinem morientis, cõmercium redimentis, toto vobis figatur corde, qui pro vobis fixus est in cruce.

Hieron. ad Paulam & Eustochium. Beatæ vos estis filiæ, quæ secotæ estis exemplum tantæ virginis, quas non illecebræ solicitant carnis, non colluuio præcipitat voluptatis, immo angelica imitatio delectatur in terris, quorum in futuro æqualitas vobis promittitur in cœlis. C *Cyprianus vbi supra* O sacræ virgines hortamentis vos mutuo excitate, æmulis de virtute documentis ad gloriam prouocate, durate fortiter, pergite spiritualiter, peruenite fœliciter. Tantum mementote vestri, cum in vobis incipiet virginitas honorari

Hortatio virginum.

De virginibus martyrio coronatis.

CAPVT XLVIII.

MAximus *Episcopus in sermone* 18. Cum autem in toto mundo virgineus Mariæ flos immarcessibiles innectat coronas, & immaculato conseruet affectu sceptrigeram pudoris aulam, eousque integritas perseuerauit ad palmam, vt in puellis trophæum sanctitatis arriperet, ac per vestigia virginis matris ad cœlestẽ D thalamum peruenire. *Chrisost. in Homilia de militia spirituali.* Igitur apud Deum fœmineus etiam militat sexus, multæ namque fœminæ animo virili spiritualem militiam gesserunt, nec pro corporis infirmitate reprobatæ sunt, quædam enim interioris hominis virtute viros æquauerunt, & in agonibus martyrum multæ pares, quædam etiam fortiores viris extiterunt. Nam quibusdam virorum & ignauia muliebri degenerantibus illæ sexum corporis infirmum virili mente vicerunt, ac sic in testimonio virtutis victrices pœnarum viris labentibus constiterunt. Ex ipsis ergo sunt quæ angelicum sacratæ virginitatis chorum aggregant, ex ipsis & illæ quę glorioſis confessorum prælis & martyrum triumphis corruscant, sequebantur enim & ipsæ Dominum in E eius præsentia, sicut designat scriptura, non solum viri, sed & mulieres ex vtroque sextu comites, & obsequebantur & ministrabant ei.

Virgines fortiores viris in agonibus.

Cyprianus ad Confessores. Ergo beatę sunt etiam fœminæ, quæ vobiscũ ô Martyres sancti sunt in eadem confessionis gloria constitutæ. Quæ Dominicam fidem tenentes & sexu suo fortiores, non ipsæ solum ad coronam proximauerunt, sed & cæteris quoque fœminis exemplum de sua constantia præbuerunt. *Chrysostomus vbi supra.* His ergo talibus tantisque virtutibus, & honoribus Christi militiæ veraciter adiacentibus, certatim omnes quondam & patres filios, & matres Christo filias offerebant, & suam quique progeniem ad militandum Regi cœlesti probare festinabant. Gaudentes in æternam spem quæ non confundit, quia charitas Dei

diffusa

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Virgines ornamentum parentum.

diffuſa eſt in cordibus noſtris. Talia namque pignora deuoti parentes habebunt, non ſolum in conſortium ſalutis & gloriæ, ſed etiam in ornamentum,& patrocinium perhenne. *Auguſtinus in ſermonibus de virginibus.* Si ergo virginale nobis decus illuxit, quod noſtræ memoriæ virtutis diuinæ victoriam renouauit,porro quanto fragilior ſexus, quanto infirmius vaſculum, quod reportat ex hoſte triumphum, tanto maiori diabolus opprobrio confuſionis induitur, tanto mirabilior Deus in ſanctis ſuis agnoſcitur,tanto etiã Rex Martyrum Chriſtus in pugnatricibus ſuis iucundius delectatur.

De Virginibus lapſis.

CAPVT XLIX.

Pudicitia in corpore eſt integra, ſi ſit inuiolata in mente.

Idem in ſerm. de bono viduitatis. Plane vero non dubitauerim lapſas à caſtitate ſanctiore, quæ Deo vouetur,adulteris eſſe peiores.Si enim ad offenſionem Chriſti pertinet, cum membrum eius fidem non ſeruet marito, quanto magis cùm non ſeruatur ipſi Chriſto in eo quòd exigit oblatum , qui non exegerat offerendum, cum enim quiſque non reddit quod non imperio appulſus, ſed conſilio commonitus vouit , tantomagis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vouendi neceſſitatem. *Idem in Epiſtola ad Victorem.* Quicquid autem in carne cuiuſquam virginis nec committit nec permittit libido patientis , ſolius eſt culpam facientis. Omnis quoque illa violentia non pro corruptionis turpitudine,ſed pro paſſionis reputabitur vulnere, tantum enim in mente valet integritas caſtitatis, vt illa inuiolata, nec in corpore poſſit pudicitia violari, cuius membra potuerũt ſuperari. *Idem in li. de ciu. Dei li.* 1. Quis namque ſua mente putauerit ſe perdere pudicitiam, ſi forte vi apprehenſa & oppreſſa carne ſua exerceatur,& expleatur libido non ſua.Sed enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit, ſed neque de ipſo corpore perit ſanctitas,quia eo ſancte vtendi perſeuerat voluntas, & quanto in ipſo eſt etiam facultas,ſic itaque non amittitur corporis ſanctitas,manente animi ſanctitate etiam corpore oppreſſo, ſicut amittitur & corporis ſanctitas, violata animi ſanctitate etiam corpore intacto.

Virginitas poſt lapſum irreparabilis

Idem in libro de virginitate. Hoc igitur agite virgines Dei,hoc agite vt dixi. pergite viam ſublimitatis, pede humilitatis , perſeuerantes in numero veſtro præbeant nobis exemplum, cadentes augeant timorem veſtrum. *Iſidorus in ſententijs lib. 1.* Omne ſiquidem peccatum per pœnitentiam recipit vulneris ſanitatem. Virginitas autem ſi labatur, nullatenus reparatur. Virgo quoque carne non mente nullum habet præmium in repromiſſione. *Hieronymus ad Euſtochium.* Caue quæſo, ne de te dicat Deus aliquando, *virgo Iſrael cecidit, non eſt qui ſuſcitet eam.* Audenter loquar,cum Deus omnia poſſit,ſuſcitare non poteſt virginem poſt ruinam. Valet quidem liberare de pœna , ſed non vult coronare corruptam. *Idem in libro de lapſu Suſannæ virginis conſecratæ.* Quid ergo taces ô Suſanna? Quid non erumpis in vocem,ac mentis tuæ exponis ardorem? Audite me omnes populi & videte dolorem meum, ad te tunc mihi ſermo eſt, quàm nephas eſt vocari Suſannam quæ caſta non es, ac vnde incipiam ? quid primum , quid vltimum dicam? bona commemorem quæ perdidiſti , an mala deſleam quæ inueniſti? Eras virgo in paradiſo Dei, vtique inter flores Eccleſiæ eras ſponſa Chriſti, eras templum Dei, eras habitaculum ſpirituſſancti.Et cum toties dico eras, totiens,neceſſe eſt, vt ingemiſcas,quia non es,quod fuiſti. Incedebas in Eccleſia tanquam columba illa de qua ſcriptum eſt, pẽnæ columbæ de argentatæ, &c. Splendebas enim vt argentum,fulgebas enim vt aurum. Eras tanquã ſtella in manu Domini. Quæ eſt iſta ſubita conuerſio? quæ repentiua mutatio ? de Dei virgine facta es corruptio ſathanæ,de ſponſa Chriſti ſcortum execrabile,de Templo Dei phanum immunditiæ,de habitaculo Spirituſſancti tugurium Diaboli, quæ incedebas cum

Virgo lapſa ſcortũ Chriſti.

fiducia vt columba , nunc lates in tenebris vt veſpertilio. Quæ fulgebas vt aurum, propter virginitatis decorem,nunc vilior facta es luto platearum,quæ fueras ſtella radians in manu Domini,velut de alto cœlo ruens extincta conuerſa es in carbonem, væ miſera,& iterum væ tibi quæ tanta bona pariter propter parui temporis luxuriam perdidiſti. O furtiuã turpitudine proſtrata, habitu virgo,facto non virgo , bis adultera, & in aſpectu. Virgo ſecundum Apoſtolum ſollicita eſt , vt ſit ſancta corpore & ſpiritu , tu autem in contrarium totum vertis , vt nec ſis ſancta in corpore, nec ſpiritu, corpore quidem fornicando , ſpiritu autem virginitatem mentiendo.

De Nuptiarum incommodis.

CAPVT L.

Vxor impedimentum philoſophiæ.

Idem contra Iouinianum libro primo. Epicurus licèt voluptatis aſſertor , raro tamen dicit ſapienti eſſe ineunda coniugia , eo quòd multa nuptiis admixta ſunt incommoda : fertur & aureolus Theophraſti liber de nuptiis,in quo vxorem oſtendit non eſſe ducendam ſapienti. Primum ergo patet impedire ſtudia Philoſophiæ, nec quemquam libris & vxori pariter inſeruire, multa etiam eſſe quæ matronarum vſibus neceſſaria ſunt, preciosæ veſtes, aurum,gemmę,ſumptus, ancillæ, ſupellex, variæ lecticæ,exedra deaurata. Deinde per totas noctes conqueſtiones garrulę. Illa ornatior procedit in publicum , hæc honoratur ab omnibus , Ego in conuentu fœminarum miſella deſpicior. Cur aſpiciebas vicinam? Quid autem cum ancilla loquebaris ? De foro veniens, quid attuliſti ? Non amicum habere poſſumus, non ſodalem. Alterius amorem ſuum odium ſuſpicatur. Si doctiſſimus præceptor in qualibet vrbium fuerit , nec vxorem relinquere , nec cum ſarcina ire poſſumus, pauperem alere difficile eſt, diuitem ferre tormentum. Attendenda eſt ſemper eius facies & pulchritudo laudanda , ne ſi alteram aſpexeris ſe æſtimet diſplicere: vocanda eſt domina, celebrandus natalis eius, iurandum per ſalutem illius , vt ſit ſuperſtes,orandum , honoranda nutrix eius & gerula , ſeruus paternus, & alumnus , formoſus aſſecla , & procurator calamiſtratus , & in longam ſecuramque libidinem erectus ſpado. Sub quibus nominibus adulteri deliteſcunt, quoſcunque dilexerit , ingrati amandi , ſi totam ei domum regendam commiſeris , ſeruiendum eſt. Si aliquid tuo arbitrio reſeruaueris, fidem ſibi haberi non putabit, & in odium vertetur ac iurgia, & niſi cito conſulueris parabit anus venena. Aurifices ac gemmarum inſtitores , ſericarumque veſtium ſi intromiſeris, pudicitię periculum eſt,ſi autem prohibueris,iniuria ſuſpicionis:

Vxor impudica ſeruari non poteſt.

Verum quid prodeſt etiam diligens cuſtodia , cum vxor impudica ſeruari non poſſit, pudica non debeat? Infida enim cuſtos eſt caſtitatis , neceſſitas. Illa vero pudica dicenda eſt, cui licuit peccare ſed noluit. Pulchra cito adamatur , fæda facile concupiſcit. Difficile cuſtoditur quod plures amant, moleſtum eſt poſſidere, quod nemo habere dignetur , Minore tamen miſeria deformis habetur , quàm formoſa ſeruatur. Nihil tutum eſt,in quo totius populi vota ſuſpirant, alius forma, alius ingenio, alius facetiis , alius liberalitate ſollicitat, aliquo modo expugnatur , quod vndique inceſſitur.

Quod ſi propter diſpenſationem domus, & languoris ſolacia & fugam ſolitudinis vxores ducuntur,multomelius ſeruus fidelis diſpenſat obediens auctoritati Domini, & diſpoſitioni hic eius obtemperans, quam vxor quæ in eo ſe æſtimat dominam , ſi aduerſus viri faciat voluntatem,id eſt,quod placet,non quod iubetur. Aſſidere autem ægrotanti magis poſſunt vernulæ beneficiis obligatæ , quam illa quæ nobis imputet lachrymas ſuas, & hæreditatis ſpe vendat ingluuiem, & ſolicitudinem iactans languentis animum conturbet. Quod ſi

languerit

languerit coægrotandũ eſt,at nunquàm ab eius lectulo recedendum. Aut ſi bona fuerit & ſuauis vxor,quæ tamen rara auis eſt,cum parturiente geminus, cum periclitante torquemur.

Sapientis commoda.

Sapiens autem nonnunquàm ſolus eſſe poteſt, habet ſecum omnes qui ſunt, quique fuerunt boni,& animum liberum quocumque vult transfert. Quod corpore non poteſt,cogitatione complectitur, & ſi hominum inopia fuerit, loquetur cum Deo,nunquam enim ſolus erit, cum quo ſolus fuerit. Porro liberorum cauſa vxorem ducere, vt vel nomen noſtrum non intereat, vel habeamus ſenectutis præſidia, & certis vtamur hæredibus ſtolidiſſimum eſt. Quid enim ad nos pertinet recedentes è mundo, ſi nomine noſtro alius non vocetur, cum & filius non ſtatim patris vocabulum referat, & innumerabiles ſint, qui eodem appellantur nomine, aut qui ſenectutis auxilia ſint nutrire domi, qui autem prior te forte moriatur aut peruerſis moribus ſit, aut certe cum ad maturam ætatem peruenerit, tarde ei videaris mori, hæredes autem meliores & certiores ſunt amici, & propinqui, quos iudicio eligas, quàm quos velis nolis habere cogaris, licèt certa hæreditas ſit, dum viuis bene vti ſubſtantia tua, quam tuo labore quæſita in incertos vſus relinquere.

Adhuc de eodem.

CAPVT LI.

HÆc & huiuſmodi Theophraſtus diſſerens, quem non ſuffundat Chriſtianorum, quorum conuerſatio in cœlis eſt? Cicero quoque rogatus ab Hircio vt poſt repudium Terentiæ ſororem eius duceret, omnino facere ſupерſedit, dicens: *non poſſe ſe vxori & Philoſophiæ pariter operam dare.* Gorgias rhetor pulcherrimum librum de concordia, græcis tunc inter ſe diſſidentibus recitauit Olimpiæ, cui Melancius inimicus eius, hic nobis inquit de concordia præcipit, qui ſe & vxorem, & ancillam tres in vna domo concordare non potuit. Æmulabatur quippe vxor eius ancillæ pulchritudini, & caſtiſſimum virum quotidianis iurgiis exagitabat. Antinam quoque cum propinquus moneret, vt alteri viro nuberet, eo quod ſibi ætas integra, & facies bona eſſet, nequaquam inquit hoc faciam: *Nam ſi bonum virum vt ante habui inueniam, nolo timere ne perdam, ſi malum, quid neceſſe eſt poſt bonum ſuſtinere peſſimum?* Denique matrimonia quorundam adulteriis adhæſerunt. In aliena ſiquidem vxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius. Amor quippe dico non meretricis, ſed generaliter mulieris ſemper eſt inſatiabilis, qui extinctus accenditur, & poſt copiam rurſus inopiam patitur. Animum virilem effœminat, & paſſione excepta quam ſuſtinet, aliud cogitare non ſinit. Itaque qui vxorem ducit, in ambiguo eſt, vtrum odioſam an amabilem ducat, ſi duxit odioſam ferri non poteſt, ſi vero amabilem, amor eius inſatiabilis eſt. Inferno ac terræ arenti & incendio iuxta Salomonem comparatur.

Ciceronis reſponſum.

Mulieris deſcriptio.

Ioannes Chryſoſtomus ſuper Matthæum libr. 9. Si ita eſt inquiunt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere. Mulier ſiquidem bona difficile inuenitur, atteſtante Salomone qui ait: *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Quid enim eſt mulier, niſi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta? ergo ſi dimittere illam peccatum eſt, tenere autem illam tormentum eſt, neceſſe eſt autem vt dimittentes, & adulterium faciamus, aut tenentes quotidianas pugnas, & amaritudinem habeamus. *Secundus Philoſophus.* Quid eſt mulier? hominis confuſio, inſaturabilis beſtia, continua ſolicitudo, indeſinens pugna, viri incontinentis naufragium, humanum mancipium. *Terentius in Echyra.* Mulieres ferme vt pueri leui ſententia ſunt, vno quoque animo omnes ſocrus oderunt nurus. *Valerius Maximus.* Itaque Socrates ab adoleſcentulo conſultus, an vxorem duceret, an ſe omni matrimonio abſtineret, reſpondit vtrum eorum feciſſet, acturum pœnitentiam. Nam hic te inquit ſollicitudo, ibi te orbitas excipiet, hic generis interitus, illic hæres alienus, illic perpetua ſollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium graue ſupercilium, garrula ſocrus lingua, ſubſeſſor alienæ matrimonij, incertus liberorum euentus: *Ouidius in libro Metamorphoſeos primo. Imminet exitio vir coniugis, illa mariti, Filius ante diem patrios inquirit in annos. Idem in libro de remedijs ſecundo. Turpe vir, & mulier modo iuncti, protinus hoſtes.*

De Sanctis coniugiis quorundam.

CAPVT LII.

IN *libro de nuptijs & concupiſcentia.* Qui autem ſic habent vxores, vt cogitent ea quæ Domini ſunt, nec in his quæ ſunt mundi cogitant placere vxoribus, tanquam non habentes ſunt,quod ea felicitate fit, quando & vxores tales ſunt vt eis mariti non ideo placeãt, quia diuites, quia ſublimes, quia genere nobiles, quia carne amabiles. Sed quia fideles, religioſi, pudici, quia viri boni ſunt. *Idem in libro de bono coniugali.* Illi etiam ſiqui forte nunc inueniuntur, qui in connubio non quærunt nec appetunt, niſi id propter quod nuptiæ inſtitutæ ſunt, coæquari ſanctis patribus poſſunt, qui operi nuptiali ad propagationem intenti fuerunt In iſtis enim qui nunc ſunt, carnale exemplum, deſiderium filiorum, in illis autem ſpirituale erat,quia ſacramento illius temporis concruebat, Eademque vena charitatis nunc ſpiritualiter, & tunc carnaliter, propter matrem noſtram Hieruſalem propagandi erant filij,ſed diuerſa opera patrum non facit niſi diuerſitas temporum. Præterea virtutes animi aliquando in opere manifeſtantur,aliquãdo in habitu latent. Quocirca ſicut non eſt impar meritũ patientiæ in Petro qui paſſus eſt, & Ioanne qui paſſus non eſt, ſic non eſt impar meritũ continentiæ in Ioãne qui nullas expertus eſt nuptias,& in Abraham qui filios generauit, & illius enim celibatus, & illius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militauerunt, ſed continentiam Ioãnes & in opere, Abraham vero in ſolo habitu habebat. Res ergo ipſas ſi cõtemperemus,nullo modo dubitandũ eſt,meliorem eſſe caſtitatem cõtinentiæ,quam caſtitatem nuptialem;homines vero cũ comparamus, ille eſt melior qui bonum amplius habet quã alius. Melius quoque eſt habere omnia bona vel minora,quam magnum bonum cum magno malo, quia in corporibus bonis melius eſt habere ſtaturam Zachæi cum ſanitate, quam Goliæ cum febre.

Parum eritũ continentia Ioannis & Abrahæ.

Hugo de ſacramentis lib. 2. Copula denique carnis quæ ante peccatum in coniugio officium fuit, & poſt peccatum in eodem pro remedio conceſſa eſt, ſic vtrobique coniugio adiungitur vt cum coniugio ipſa ſit, non coniugium ex ipſa. Nam & ante ipſam coniugium verum eſt, & ſine ipſa ſanctum eſſe poteſt. Tunc quidem ſi illa non adeſſet infamoſius, nunc autem ſi illa non fuerit ſincerius. Ad conſenſum ergo coniugalem ſi etiam carnalis commixtionis conſenſus coniungitur, eius debito coniugati poſtmodum ad inuicem conſtringuntur, quod ſi forte in fœderatione coniugij vtrinque pari voto conſenſus carnis remittitur, pro eodem deinceps coniugati debitores ad inuicem non tenentur. Et cum firmum ſtat etiam ſic coniugij ſacramentum, cuius virtute in copula carnis ſicut non efficit cum adeſt,ita etiam ſi defuerit tollere non poteſt. Talis itaque conſenſus indiuidualem vitæ conſuetudinem retinere creditur. In quo quidem copulæ carnalis commercium pari voto aut futurum non contradicitur, aut non futurum laudabitur. Vnde & de matre Domini, Auguſtinus dicit,quòd à prima deſponſationis fide coniunx vocata eſt Ioſeph,quam concubitu nec cognouerat,nec cogniturus fuerat.

Commixtio carnalis à cõſenſu quid operatur?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De commendatione boni coniugalis.

CAPVT LIII.

Nuptiæ bonæ ob incõtinentes.

Auguſtinus in libro de bono viduitatis. Nuptiarum ergo bonum ſemper quidem eſt bonum, ſed in populo Dei fuit aliquando legis obſequium, nunc autẽ eſt infirmitatis remedium, in quibuſdam vero eſt humanitatis ſolatium. *Idem ſuper Gen. li. 9.* vterque nimirũ ſexus propendens in ruinam turpitudinis prius peccatum, rectè excipitur honeſtate nuptiarum, vt quod eſſe poſſet ſanis officium, ſit ægrotis remedium, non enim quia incontinentia malum eſt, ideo connubium quo etiam incontinentes copulantur, bonum non eſt, immo vero nõ propter illud malum culpabile eſt iſtud bonũ, quoniam id quod habent nuptiæ bonum, & quod bonum ſunt, nunquam poteſt eſſe peccatum. *Idem in lib. de nuptiis & concupiſcẽtia.* Voluptas itaque non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter illas accipit veniam. Quocirca etiã hinc ſunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad ſe ignoſci, faciunt propter ſe. *Idem contra Iulianum.* Nequaquam ergo nuptias damnamus, quas etiã in ordine ſuo debita cum prædicatione laudamus, nec etiam earum fructus diabolo aſſignamus. Fructus quippe nuptiarum homines ſunt, quæ ordinatę inde generantur, non peccata cum quibus naſcuntur. Diabolus enim auctor eſt culpæ, non naturæ nec concubitus ſed Dei opus eſt ille qui naſcitur.

Matrimonium minus bonum.

Idem in li. de bono coniugali. Et ſicut ieiunijs ſacrilegorũ meliora ſunt prandia iuſtorum, ita nuptiæ fideliũ virginitati anteponuntur impiorum. Neque ibi prandium ieiunio, ſed iuſtitia ſacrilegio. Neque hic nuptiæ virginitati, ſed fides præfertur impietati. *Idem in lib. de virgin.* Qui ergo ſine coniugio permanere voluerint, non tanquam foueam peccati nuptias fugiant, ſed tanquam collem minoris boni tranſcendant, ita vt in maioris continentiæ boni monte requieſcant. *Ambroſ. ad Vercellenſes* Bona ſiquidem eſt via etiam matrimonij, quæ plurimos recipit, & longiore circuitu ad caſtra ſanctorum peruehit. *Greg. in paſtorali li. 2.* Sic ergo in continentibus laudatur virginitas corporis vt tamen in coniugibus deſpecta non fiat fœcunditas carnis. Sic enim prædicanda ſunt bona, ne ex latere iubeantur mala, ſic laudanda ſunt bona ſumma, ne deſpiciantur vltima, ſic nutriantur vltima, ne dum credantur ſufficere nequaquã tendatur ad ſumma: admonendi ſunt, qui coniugio ligati non ſunt, vt ſi tentationum procellas cum difficultate ſalutis tolerant, coniugij portum petant. Scriptum quippe eſt, *melius eſt nubere quam vri.* Sine culpa ſc. ad coniugium veniũt, ſi tamen necdum meliora deuouerunt, nam quiſquis hominum maius ſubire propoſuit bonum, minus quod licuit illicitum fuit. Scriptum quippe eſt, *Nemo mittens manum ſuam ſuper aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno cælorum.* Qui ergo fortioris boni ſtudio intenderat, retroſpicere conuincitur, ſi relictis bonis amplioribus ad minima retorqueatur.

Qualiter primi parentes generaſſent ſi non peccaſſent.

CAPVT LIV.

Actor. De modo autem propagandi filios quæri poteſt, qualiter ſci. Adam cognouiſſet vxorẽ ſuam ſi non peccaſſet. Cum enim membra ſtupida non haberent, abſque delectatione non coirent, delectatio quippe naturalis eſt in illo. Quod etiam in brutis patet quod delectantur ac feruent in concupiſcentia coitus, ſicut & homines. At ille feruor in homine niſi cohibeatur peccatum eſt, ipſa vero cohibitio pœnalis eſt. Ex quo videtur, quod vel primi parentes non coirent ſine culpa, vel culpam præcederet pœna. Nos quidem dicimus quod in coitu eſſet naturalis delectatio ſicut in comedendo, & ideo quia pure naturalis, non eſſet culpabilis, vnde nec eſſet meritoria, neque demeritoria, neque dicendum eſt, quod ſicut eſt in brutis naturaliter feruor concupiſcentiæ, ſic etiã eſſet in homine, nã huiuſmodi feruor quo aſſimilatur homo brutis in coeundo, prouenit ex Adæ peccato, ſecundum illud: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit &c.* Si autem non peccaſſet haberet in coitu delectationem, vt dictum eſt tantummodo ſibi naturalem, & ideo moderatam, nec ſubuertentem rationem, ſicut nunc in coitu ſopitur ratio hominis, ita quod in ipſo feruore ſit quaſi totus brutalis.

Brutinus feruor in coitu ex peccato.

Auguſt. contra Iulianum. In Paradiſo ergo ſi peccatum non præceſſiſſet, non eſſet quidem ſine vtriuſque commixtione generatio, ſed eſſet ſine confuſione commixtio. Eſſet quippe in coeundo tranquilla membrorum obedientia, non pudenda carnis concupiſcentia. *Auguſtinus in libro de ciuitate Dei. 14.* Nam reniſum voluntatis, & libidinis rixam contra rationem proculdubio, niſi culpabilis inobedientia pœnali plecteretur inobedientia in paradiſo nuptiæ non haberent, ſed voluntati cuncta membra ſeruirent. Ita genitale vas in hoc opus creatum ſeminaret, vt nunc terram manus, & quòd modo de hac re nobis diligentius diſputare volentibus verecundia reſiſtit, & compellit veniam à pudicis auribus poſcere, cur id fieret, nulla cauſa eſſet, ſed quicquid inde diceretur tam honeſtum eſſet, quam de aliis quod loquamur corporis partibus. Quiſquis ergo ad has literas impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam, facta deuocet ſuæ turpitudinis, non verba noſtræ neceſſitatis. Seminaret ergo prolem vir, ſuſciperet fœmina genitalibus membris, quando id eſſet opus, voluntate motis, non libidine concitatis.

Inobedientia culpabilis carnis.

Qualiter illius generationis motus, & in hominibus, & in animalibus exempla quædam apparent.

CAPVT LV.

NEque enim ea ſola membra mouemus ad nutum, quæ compactis articulata ſunt oſſibus, ſicut pedes & manus, & digitos, verum etiam illa quæ mollibus remiſſa ſunt neruis cum volumus mouemus, agitando quoque & porrigendo producimus, & torquendo flectimus, & conſtringendo duramus, ſicut ea quæ in ore & in facie quantum poteſt mouet voluntas, pulmones denique ipſi omnium medullarum molliſſimi viſcerũ, & ob hoc antro pectoris communiti ad ſpiritum ducendum, ac remittendum, vocemque emittendam ſeu modificandam, ſicut folles fabrorum, vel organorum flantis, reſpirantis, loquentis, clamantis, cantantis ſeruiũt voluntati. Omitto quod animalibus quibuſdam naturaliter inſitum eſt, vt tegmẽ quo corpus omne veſtitur, ſi quid in quocunque loco eius ſenſerit, abigendum, ibi tantũ moueant vbi ſentiunt, non ſolum inſidentes muſcas, verum etiam hærentes haſtas cutis tremore diſcutiant. Sic ergo homo potuit obedientiam & inferiorum habere membrorum, quam ſua inobedientia perdidit.

Neque enim Deo difficile fuit ſic illum condere, vt in eius carne etiam illud non niſi eius voluntate moueretur, quod nunc niſi libidine non mouetur, nam & hominum quorundam naturas cognouimus multum cæteris diſpares, & ipſa raritate mirabiles, nonnulla vt voluerunt de corpore faciendo; quæ alij modo nullo poſſunt, & audita vix credunt. Sunt enim qui & aures moueant, vel ſingulas, vel ambas ſimul. Sunt qui totam cæſariem immoto capite quantum capilli occupant deponunt ad frontem, reuocantque cum volunt, ſunt qui eorum quæ vorauerunt incredibiliter plurima, & varia paululum præcordiis contrectatis tanquam ex ſacculo, quod placuit integerrimum proferunt. Quidam voces auium pecorumq; & aliorum quorumlibet hominum ſic imitántur, & exprimũt, vt niſi videantur, diſcerni omnino non poſſunt. Iam illud multo eſt incredibilius, quod plerumque fratres memoria recentiſſima experti ſunt. Presbyter fuit quodam nomine reſtitutus in parochia Calamenſis Eccleſiæ, quando ei placebat (rogabatur autem vt hoc faceret ab eis, qui rem mirabilem coram ſcire cupiebant) ad imitatas quaſi lamentantis cu-

Natura hominum diſpares.

Mirabile de quodam preſbytero.

iuſſibet

iuſſibet hominis voces ita ſe auferebat ſenſibus, & iacebat ſimiliimus mortuo, vt non ſolum vellicantes, atque pungentes minime ſentiret, ſed aliquando etiam igne vteretur admoto ſine vllo doloris ſenſu, niſi poſtmodum ex vulnere. Non autem obnitendo, ſed non ſentiendo non mouere corpus eo probatur, quod tanquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus, hominum tamen voces clarius ſi loquerentur, tanquã de longinquo ſe audiſſe poſtea referebat. Cum itaque corpus etiam nunc quibuſdam licet in carne corruptibili hanc ærumnoſam ducentibus vitam, ita in pleriſque motionibus, & affectionibus extra vſitatum naturæ modum mirabiliter ſeruiat, quid cauſæ eſt, vt non credamus ante inobedientiæ peccatum corruptionisque ſupplicium ad propagandum prolem ſine vlla libidine ſeruire voluntati humanæ humana membra potuiſſe; At vero donatus eſt homo ſibi, quia deſeruit Deum placendo ſibi, & non obediens Deo non potuit obedire nec ſibi.

Quales filios in illo ſtatu generaſſent ſi non peccaſſent.

CAPVT LVI.

Hugo vbi ſupra lib. 2. Quæritur etiam quales homo filios procrearet ſi non peccaſſet, & ſi paternæ obediẽtiæ meritum per incorruptam originem ad poſteros omnes tranſire deberet. Veruntamen ſicut nunc inuenitur in eiſdem ex ſolo paternæ tranſgreſſionis reatu originalis culpa, ita nunc in naſcentibus foret originalis iuſtitia. Sunt qui credunt veraciter aſſerendum, quod primus homo ſi non peccaſſet, non niſi bonos filios generaſſet, & nemo omnium qui ex eius carne naſceretur, damnaretur. Et poteſt fortaſſis non abſurde credi, quod idem mandatum quod primo parenti datum eſt, poſteri quoque illius obſeruare debuerunt, vt ſinguli propria obedientia probarentur, & ſinguli pro ſuis meritis digna remuneratione glorificarentur, primam tamen obedientiam obſeruatam, cauſam fore gratiæ adiutricis in omnes ſequentes, & ipſam obedientiam, obediendo imitantes, id etiam approbamus, vt primus fuiſſe credatur homo & corpore & ſenſu perfectus mox factus quidem, illos vero qui ex ipſo naſcerentur, eadem lege qua & nunc natiuitatem humanam ordinatam cernimus, paruulos naſcituros, ac deinde per interualla temporum tam in ſenſu quam in ſtatura corporis incrementa accepturos. Prima enim omnia perfecta facta ſunt, cætera autem omnia quæ ex ipſis oriuntur, & poſt ipſa ſubſequuntur niſi per interualla temporum creſcendo ad perfectionem venire non poſſunt, hoc in arboribus, & plantis & germinibus cunctis, & in beſtiis cunctis, hoc in beſtiis, & cæteris viuentibus cernimus, quod à modico vniuerſa incipiunt, ac deinde paulatim per incrementa ordine ad perfectionem euadunt. Denique ignorantia non dicitur, niſi cum ſolum id quod non debuiſſet ignorari, neſcitur. Talis itaque non niſi ex pœna peccati cognoſcitur ineſſe. Illa vero quæ in naſcentibus cunctis & nunc à principio ineſſe videtur, & tunc quoque ineſſe debuiſſe creditur, ſenſus ſiue cognitionis imperfectionem naturæ eſſe non culpę manifeſte liquet. Neque vitium fuiſſet illis qui ſine peccato naſcerentur, ſine cognitione etiã naſci, quia nihil in ſe haberent naſcendo, vnde poſtea cum ad tempus cognoſcendi perueniſſent, potuiſſent à cognitione veritatis præpediri.

Auguſtinus in lib. 12. ſuper Geneſim. Nos etiam mouet, vtrum homines primi ſi non peccaſſent tales filios qui nec lingua, nec manibus, nec pedibus vterentur habituri eſſent. Nam propter neceſſitatem vteri fortaſſis erat neceſſe paruulos naſci. At vero quamuis exigua corporis pars coſta ſit, non ideo paruulam viro Deus coniugem fecit, vnde & eius filios poterat omnipotentia creatoris grandes facere mox natos, verum vt hæc obmittamus, certe poterat eis præſtare quod multis præſtitit animalibus, quorum pulli quamuis ſint paruuli currunt mox vt naſcuntur, & matrem ſequuntur. Econtra nunc homini nato nec ad inceſſum pedes idonei ſũt, nec manus ſaltem ad ſcalpendum habiles ſunt. Sed & iuxta ſe mammis poſitis, naſcentes magis poſſent eſurientes fieri quam fugere, proprieque infirmitati mentis congruit hæc infirmitas carnis.

Quid fuiſſet factum de poſteris Ade ſi in gratia perſtitiſſet.

Quæ ignorantia pœna peccati

De his qui eos in Paradiſo commiſcere non credunt licuiſſe.

CAPVT LVII.

Auguſtinus ſuper Geneſim lib. 9. Qui vero primos homines in paradiſo miſceri ſentiunt non licuiſſe, fortaſſis omnem concubitum putant peccatum eſſe. Difficile ſiquidem eſt, vt dum peruerſi homines vitia deuitant, non in eorundem contraria peruicaciter currant, ſicut enim exhorrens auaritiam fit profuſus, aut exhorrens luxuriam fit auarus, aut cuius pigriciam reprehenderis, fit inquietus; aut cuius inquietudinem piger, aut qui reprehenſus odiſſe cœperit audaciam ſuam, fit timidus, aut qui timidus non eſſe conatur, tanquam abrupto vinculo, fit temerarius, dum videlicet non ratione ſed opinione crimina metiuntur, ita dum neſciunt homines quid in adulteriis, & fornicationibus diuino iure damnatur, etiam cauſa procreandi coniugalem concubitum deteſtantur, quod qui non faciunt, ſed tamen fœcunditatem carnis propter ſucceſſionem mortalitatis datam diuinitus ſentiunt, nec ipſi potuiſſe primos illos homines concumbere putant, niſi propter peccatum quod admiſerunt morituri, gignendo ſucceſſores, & requirerent.

Peruerſum iudicium de concubitu.

Nec attendunt ſi recte potuerunt ſucceſſores quæri morituris, multo rectius ſocios quæri potuiſſe victuris, Impleta ſiquidem terra genere humano recte proles non niſi quia morientibus ſuccederet quæreretur. Vt autem per duos homines terra impleretur, quomodo ipſi non gignendo ſocietatis officium implerent? An vero ita quis mente cæcus eſt, vt non cernat quomodo terris ornamento ſit humanum genus, etiam cum à paucis recte laudabiliterque viuatur, quantumque valet ordo reipublicæ, & terrenæ pacis cuiuſdam vinculum coercens etiam peccatores? Neque enim adeo deprauati ſunt homines, vt non etiam tales pecoribus, & volatilibus antecellant, quorum tamen omnium generibus hanc infimam mundi partem pro ſui loci ſorte decoratam, quem non conſiderare delectet? Quis autem ita ſit excors, vt eam putet minus ornari potuiſſe, ſi iuſtis morientibus impleretur? nam quia numeroſiſſima eſt ſuperna ciuitas angelorum, ideo non recte copularentur connubio niſi morerentur, hanc enim numeroſitatem perfectam etiam in reſurrectione angelis ſociandam, dominus præſcius ait. In reſurrectione neque nubent neque nubentur, non enim incipient mori, ſed erunt æquales angelis Dei. Hic vero cum terra hominibus implenda eſſet, eamque propter cognationis amorem, & vnitatis vinculum maxime commendandum ex vno impleri oporteret, propter quid aliud quæſitus eſt ſexus fœmineus adiutor, niſi vt ſerentem genus humanum natura mulieris tanquam terræ fecunditas adiuuaret? hoc tamen, vt dictum eſt, eſt ſine appetitu carnalis concupiſcentiæ, qualem nunc habent iſta corpora, quæ ducta ſunt ex propagine mortis. Si enim creator apibus donauit, vt ſic operentur generationem filiorum, quemadmodum ceræ ſpeciem ac liquorem mellis, cur non credatur hominibus primis talia feciſſe corpora, vt ſi non peccaſſent, & morbum quidem quo morerentur continuo concepiſſent, eo nutu imperarent membris quibus fœtus exoritur, quod pedibus cum ambulatur, vt neque cum ardore ſeminaretur, neque cum dolore pareretur? Nunc vero tranſgrediendo præceptum, motum illius legis, quæ repugnat legi mentis in membris conceptæ mortis, habere meruerunt. Quem nuptiæ quidem ordinant, continentia cohibet, vt ſicut de peccato factum eſt ſupplicium, ſic de ſupplicio fiat meritum.

Generatio apũ explicat caſtam generationem quæ fuiſſet in paradiſo ſi ibi concubuiſſent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Tertio præcepto naturæ.

CAPVT LVIII.

Ius naturale.

Præcepta.

Prohibitiones.

Demonſtrationes.

Obiect. Reſp.

Bono bonum eſt contrariũ quandoque.

Auctor. Tertium vero quod illis datum eſt præceptum naturæ, eſt de diligendo Deo & proximo ſuo, quo continentur omnia præcepta quæ pertinent ad ius naturale. Dicitur autem ius naturale, quicquid naturalis ratio faciendum eſſe dictat, ſine omni vel magna deliberatione, vt Deum eſſe diligendum, & proximo non eſſe nocendum, & ſimilia. Ad hoc etiam pertinet ſecundum primum ſtatum omnia eſſe communia. Verumtamen diſtingui ſolet, quod in iure naturali ſunt quædam præcepta, quædam prohibitiones, & quædam demonſtrationes. Præcepta dicuntur affirmatiua quæ B obligant ſemper ac ſimpliciter, vt, diliges dominum Deum tuum, & honora patrem tuum. Prohibitiones ſunt mandata negatiua, quæ ſimiliter obligant ſemper ac ſimpliciter, vt non occides, non furtum facies. Demonſtrationes autem ſunt quæ ad tempus, & ſecũdum quid obligant, ſed non ſemper, ac ſimiliter caſus emergentes, nam verbi gratia ſecundum ius naturale, licet vi vim repellere, ac ſua repetere, Et ſecundũ Auguſtinum, & Tullium moderate ſe vindicare, Et tamen contraria his præcepit dominus Apoſtolis, dicens, *Ego dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit &c.* & ei qui voluerit tecum contendere & cætera. Tempus enim & locus ſic ſe offerebant, quod propter manſuetudinem niniam homines ad Deum trahendi, ac per miſericordiam & gratiam ad perfectionem ducendi erant; Simi- C liter malos punire eſt de iure naturali, punire vero ſic vel ſic non eſt de iure naturali, ſed iure poſitiuo. Omnia ergo eſſe communia ſub demonſtratione cadit, quia non fuit præceptum iuris naturalis ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, fuit enim præceptum in ſtatu innocentiæ ſiue naturæ bene diſpoſitæ, Sed in ſtatu cupiditatis, & naturæ corruptæ non eſt præceptum, neque debet eſſe, quia ſi ſic eſſet, reſpublica diſſolueretur, & humanum genus ſe mutua cæde perimeret. Omnia tamen tempore neceſſitatis extremæ ſunt communicanda, quia naturalis ratio dictat, quod magis diligenda eſt ſalus proximorum, quam ipſa temporalia.

Si autem obijcitur quod eadem eſt modo natura quæ fuit in ſtatu innocentiæ poſſumus reſpõdere, quod D hoc quidem verum eſt, ſed non in eodem ſtatu manet, Denique ſi nunc omnia de iure naturali deberent eſſe communia, tunc furtum, & rapina non eſſent contra ius naturale. Sed adhuc fortaſſis obijciet aliquis, quod etiam nunc dictat ratio naturalis, quod omnia deberent eſſe communia, cum ergo ſcintilla rationis non ſit extincta licet natura ſit mutata, videtur quod de iure naturali ſit, omnia eſſe communia. Et ita cum aliqua eſſe propria ſimiliter nunc de iure naturali ſit, videtur, quod iuſtum iuſto contrarium ſit. Ad hoc autem dicimus, quod reuera inconueniens eſt bonum bono eſſe contrarium in eadem ratione boni & ex eadem cauſa. At in diuerſis cauſis non eſt inconueniens, nam officium prædicandi recuſare, & recipere contraria ſunt, vtrumque tamen ex diuerſis cauſis eſt bonum, vt recuſare propter humilitatem, recipere propter charitatem. E Sic & omnia eſſe communia iuſtum, & bonum eſt ſecundum ius naturale, & ſimiliter aliqua propria eſſe, ſed aliter & aliter. Naturalis enim ratio dictat, quod omnia deberent eſſe communia, at appetit & amplectitur naturali deſiderio ſtatum illum futuræ beatitudinis, in quo erunt omnia communia. Aliqua vero eſſe propria dictat eadem ratio, ſed quaſi coacta, quia ſic eſſe eſt neceſſe pro ſtatu naturæ corruptæ. Omnia ergo eſſe communia eſt de iure naturali quaſi ex beneplacito naturæ corruptæ. Aliqua vero eſſe propria quaſi ex permiſſione naturæ, Et ille quidem qui primo ſibi aliquid appropriauit, criminaliter peccauit, ſi tamẽ ex cupiditate hoc fecit, ſicut legitur de Cayn. Si autem ideo quia omnia eſſe communia pro naturæ corruptione A nociuum eſſe vidit, non peccauit, ſed prudenter egit.

Obiect. Reſp.

Et quod dicitur, iniquitas eſt dicere, hoc eſt meum, vel hoc eſt tuum, ſic eſt intelligendum & exponendum ſcilicet quod ex iniquitate prodiit huiuſmodi appellatio, quia permanſiſſent omnia communia ſi non peccaſſet homo.

De regula dilectionis Dei.

CAPVT LIX.

Præceptum dilectionis Dei.

SVm autem duæ regulę iuris naturalis ſcriptæ in corde hominis: Prima continet omnia præcepta iuris naturalis, quæ pertinent ad Deum, hoc ſcilicet, *diliges Dominum Deum tuum &c.* iuxta Deuteronomium & Euangelium, *Diliges inquit Deum ex toto corde tuo* ſcilicet omnes cogitationes tuas in ipſum dirigendo, ſicut dicit Salomon, *In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipſe dirigit greſſus tuos. Et ex tota anima tua ſcilicet* omnes affectiones tuas in ipſum applicando. Iuxta ſcriptũ quod eſt in lib. Iob, Si direxerit ad eũ cor ſuũ, ſpiritũ eius, & flatum ſuũ ad ſe trahet. *Et ex tota fortitudine tua* ſcilicet omnes conatus tuos ad ipſum diligendũ, eiq; ſeruiendũ referẽdo. Iuxta illud, fortitudinẽ meam ad te cuſtodiui. *Bernardus Claræuallenſis in ſermone. Diliges dominum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & virtute tua* id eſt dulciter, prudenter, & fortiter. Affectiones enim proprie cordis eſſe dicuntur, anima vero ſedes ſapientię dicitur. De his tribus interrogatus eſt Petrus, quia prius inuentus fuerat habens minus. Audiens enim de paſſione domini primo ferre non potuit tanquam dulciter amans, vnde & meruit audire, *Vade retro ſathana.* Simile quid erat in Apoſtolis cũ dicebatur eis, *Si diligeretis me gauderetis vtique &c.* Dolebant enim, quia diligebant dulciter, ſed nõ ſapienter. Nocte vero ipſa qua dominus traditus eſt diligebat quidẽ Petrus & dulciter & ſapienter cũ diceret. Domine tecũ paratus ſum, & in carcerẽ, & in mortem ire, ſed non diligebat fortiter, quia qui cecidit ſtabili nõ erat ille gradu. *Idẽ ſuper cantica Hom. 40* Eſt autẽ charitas in actu, & in affectu, De prima puto datũ eſſe præceptũ hominibus cum dicitur. *Diliges Deum &c.* Nam in affectu, quis ita habeat vt mandatur? ergo illa mandatur ad meritum, iſta datur in præmium. Cuius initium, & profectum vitam quoque præſentem experiri diuina poſſe gratia non negamus, ſed planè conſummationem futuræ fælicitati deferimus. Nec latuit præceptorem præcepti pondus vires hominum excedere, ſed iudicauit vtile ex hoc ipſo illos admoneri ſuæ inſufficientiæ, vt omne os obſtruatur & cætera, vt ſcirent ad quem iuſtitię finem niti pro viribus oporteret. Accipientes itaque mandatum, & ſentientes defectum, clamemus in cælũ, & miſerebitur noſtri Deus. Et ſciemus in illa die, quia non ſcilicet ex operibus iuſtitię quę fecimus nos. *Proſper de vita contemplatiua lib. 3.* Quid eſt autem diligere Deum, niſi illi occupare animũ, concipere fruẽdæ viſionis eius affectum, peccati odium, mundi faſtidium, diligere etiam proximum quem ipſe cenſuit diligendũ, in ipſo amore ſeruare moduni & ordinem legitimum?

Charitas nõ conſummatur in hac vitã.

Auctor. Hoc eſt iuxta Matthæum maximum, & primum mandatum. Maximum videlicet cõprehenſione, quia omnia præcepta virtuteſque comprehenduntur in eo, ſicut dicitur ab Apoſtolo, *Plenitudo legis eſt dilectio.* Et rectè dicitur plenitudo, quia ſine hac vacua ſũt omnia, iuxta illud ad Corinth. *Si charitatem non habeo nihil ſum.* Maxima eſt etiam prærogatiua vtilitate, quia ſine illa dicit Apoſtolus, cætera nihil prodeſſe, *Nam ſi linguis inquit hominum loquar & Angelorum &c.* Maximũ quoq; dimenſione, quæ quadruplex eſt, Apoſtolo dicente. In charitate radicati. Longitudo charitatis eſt, quod ipſa nunquam excidit. Latitudo, quod per totum orbem ſe extendit. Sublimitas, quod Deum ſuper omnia diligit. Profunditas, quod vſque ad peccatores deſcendit. Dicitur etiam hoc mandatum primũ reſpectu ſecundi, quod eſt de dilectione proximi. Primũ ſcilicet dignitate, quia dignior eſt Deus quã proximus, & etiã dilectionis ma-

Præceptum charitatis maximum.

ioritate, quia Deus magis diligendus est. Lucas hoc præceptum commemorans tribus prædictis addit quartũ scilicet ex omni mente tua Quod etiã in Matthæo legitur. Diligendus est autẽ ex tota mẽte id est omniũ operũ intẽtiones ad ipsũ referẽdo, vt omnia propter Deum fiant. Secundum illud Apostoli ad Corinthi. *Siue mãducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et quatuor ista possunt ad quatuor virtutes referri, quæ sunt vnũ in radice dilectionis Dei, vt ait Augustinus, sed diuersificantur secundũ effectus, *Aug. in lib. de morib. eccles.* Dilectio siquidẽ in Deum redit, quæ se illi non cõponere, sed supponere affectat, & appetit. Quod quanto instantius fecerit, tãto beatior, & sublimior erit. Illoque dominante liberi erimus ac per charitatẽ fiet, vt Deo conformemur. Denique si virtus ab beatam vitã nos ducit, nihil esse virtutẽ affirmauerim nisi summum amorem Dei. Nam & quod ipsa virtus quadripartita dicitur, ex ipsius amoris vario quodammodo effectu accipitur, est enim temperantia amor integrum se præbens ei quod amatur. Fortitudo amor facile tolerans omnia propter id quod amatur. Iustitia vero est amor soli amato seruiens, & propter hoc recte dominãs. Prudentia est amor, ea quibus adiuuatur ab eis quibus impeditur sagaciter eligens: hæc est charitas simplex ac pura quę spiritusancto inspirata perducit ad filium per quem pater cognoscitur &c.

Virtus omnis est Dei amor.

De regula dilectionis proximi.

CAPVT LX.

Actor. Huic præcepto simile est secundũ, quia de dilectione sicut & primum. Et etiam quia de diligenda re simili videlicet de proximo qui factus ad imaginẽ Dei. *Diliges inquit proximum tuum sicut teipsum.* Hæc est secunda regula comprehendens omnia quę ad proximum pertinent mandata. Hic solet fieri quadrifaria diuisio. Existens enim in via ibi similiter existentem diligere debet ad id ad quod seipsũ. Existens in patria ibidem existentem in eo in quo seipsum. Existens in via existentem in patria in eo, ad quod seipsum. Existens in patria existentẽ in via ad id in quo seipsum. *Aug. de doctrina christiana lib. 1.* Ille siquidem iuste, & sancte viuit, qui rerum integer æstimator est. Ipse autem est, qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat non diligendum, aut non diligat, quod diligendum est, aut amplius diligat quod minus diligendum est, aut minus vel plus quod æque diligendum est, aut æque quod minus vel plus diligendum est. Omnis enim peccator inquantum peccator non est diligendus. Et omnis homo inquantum homo est diligendus propter Deum, Deus vero propter seipsum, & si Deus omni homine amplius diligendus est, plus debet quisquam Deum diligere quã seipsum. Item alius homo plus diligẽdus est quam corpus nostrum, quia propter Deum diligẽda sunt omnia. Et potest nobiscum alius homo frui Deo, quod non potest corpus. Omnes autem homines æque diligendi sunt, Sed cum omnibus prodesse non possis his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum vel etiam quarumlibet rerum oportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur.

Peccator quã talis non est diligendus.

Inimicos etiam nostros diligimus, non enim timemus, quia nobis auferre possunt quod diligimus, sed potius eos misereamur, quia tanto magis nos oderunt, quanto ab illo quem diligimus separati sunt, ad quem si conuersi fuerint, & illum tanquam beatificum bonum, & nos tanquam socios tanti boni necesse est vt diligãt. Si autem vel cui præbendum est, vel à quo nobis præbendum est officium misericordiæ rectè proximus dicitur, Sicut ex parabola domini in Euangelio probatur, vbi proximum esse docuit non nisi illum qui erga sauciatum recreandum atque curandum misericors extitit. Ex quo consequens est, vt etiam ille à quo nobis hoc vicissim habendum est, proximus noster sit. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Manifestum est hoc præcepto quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos. Angelos contineri, à quibus magna nobis officia misericordiæ impenduntur. *Prosper de vita contemplatiua libro 3.* Proximos autem sicut nos diligimus, si non propter aliquas vtilitates, vel affinitates, aut consanguinitates, sed propter hoc tantum, naturæ quod nostræ participes sunt diligamus. Nam si propinquos nostros quamuis turpes & incompositos plusquam quoslibet sanctos à sanguine nostro extraneos diligimus, grauiter in eorum tali dilectione peccamus. Hæc est autem proximi tota dilectio, vt bonum quod tibi conferri vis, conferas, & proximo. *Idem in libro sententiarum Augustini.* Sic autem diligendi sunt homines, vt eorum non diligantur errores, quoniam aliud est amare quod facti sunt, aliud odisse quod faciunt.

Inimici diligendi.

Sancti Angeli sunt proximi nostri.

De ordine charitatis ad proximum.

CAPVT LXI.

Ordo charitatis.

Hieronymus super Ezechielem lib. 13. Naturæ vero super hoc affectus probatur, vt ordine charitatis post rerum parentem Deum carnis quoque pater diligatur & filius & filia. *Origenes super cantica li. 3.* Ordinata est charitas in perfectis. Vt autem etiam post Deum inter nos ordo ponatur. Primum mandatum est, vt diligamus parentes, secundum vt filios, tertium vt domesticos nostros. Si autem filius malus est, & domesticus bonus, domesticus in charitate filij collocetur, & sic ordinata erit charitas. *Idem in eodem lib. 3. Ordinate inquit in me charitatem.* Amor siquidem in nonnullis quidem ordinate procedit. In pluribus autem contra ordinẽ. Contra ordinem est in aliquo, cum aut diligit quod non debet, aut diligit quod debet, sed plus iusto vel minus iusto. Ordo autem & mensura eius huiusmodi est, Deum diligere, nullus modus nulla mensura est, nisi hęc sola, vt tantum exhibeas quantum habes. Diligere vero proximum aliqua mensura est, & conueniens distinctio. Nam maiori quidem cum honorificentia matri deferenda est dilectio, sequenti vero gradu cum quadam nihilominus reuerentia etiam sororibus proprio vero quodam & sequestrato ab his more charitatis coniugibus exhibenda est. Post has vero personas pro meritis & causis vnicuique in omni castitate deferenda est.

Dilectio inimicorum.

Bernardus vbi supr. Qui te nõ diligis nisi quia Deum diligis, consequenter omnes qui similiter diligunt eum diligis tanquam teipsum. Porro inimicum hominem quoniam nihil est pro eo, quod non diligit Deum, non potes quidem diligere tanquam teipsum, qui Deum diligis, diligis tamen vt diligat, nec sapiet tibi quod est qui vtique nihil est, sed quod forsitan futurus est. Excepto itaque illo de quo constat, quod ad amorem Dei non sit rediturus vnquam, quia ex toto nihil est, vtpote quia in æternum nihil est, qui non modo iam non diligendus, sed insuper & odio habendus est, secundum illud. *Nonne qui oderunt te domine oderam?* &c. De cętero nulli vel inimicissimo homini negari quantuluncumque affectum charitas ambitiosa permittit. *Quis sapiens & intelliget hæc?* da mihi hominem, qui ante omnia quidem diligat Deum ex toto, sese vero & proximum inquantum diligunt ipsum, inimicum autem tanquam se aliquando forsitan dilecturum. Porro parentes carnis suæ germanos propter naturam. Spirituales vero eruditores suos profusius propter gratiam, atque in hunc modum ad cætera quoque Dei ordinatio intendat amore terram despiciens cælum suspiciens, & inter vtenda & fruenda intimo quodam sapore discernens, vt transitoria transitorie, & ad id dumtaxat quod opus & prout opus curet, æterna desiderio amplectatur æterno. Da mihi inquam hominem talem, & ego audacter illum pronuncio sapientem, cui nimirum quæque res sapiunt prout sunt, & in veritate ac securitate competit gloriari, & dicere, quia ordinauit in me charitatem.

De duabus regulis eius quantum ad effectum.

CAPVT LXII.

Difficultas ſolmitur.

Difficultas.

Reſolutio.

Intelligentia regula.

Quatuor ſunt diligenda.

Ordo charitatis in 4.

Auctor. Sunt autem duæ regulæ continentes omnia mandata quæ pertinent ad proximum quantum ad ipſius dilectionis effectum. Quarum prima legitur in Tobia continens præcepta negatiua ſcilicet illa, *Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu aliquando facias alteri.* Altera vero ponitur in Euangelio præcepta continens affirmatiua ſcilicet illa, *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* Prima quidē maxime pertinet ad vetus teſtamentū, ſecunda vero ad nouū. Verum ſi prima pertinet ad ius naturale, videtur, quod iudex non tenetur latronem ſuſpendere, quoniam hoc ſibi nullatenus fieri vellet; ſi etiam in ſtatu illius eſſet, Ideoq; regula iſta ſic eſt intelligenda. Quod rationabiliter odis ab alio tibi fieri &c. Sicque latro non eſt dimittendus, ſed ſuſpendendus, quia ſi iudex eſſet loco latronis vellet quidem non ſuſpendi, ſed hæc voluntas contra iuſtitiam, & ob hoc irrationabilis, merito autem de ſecunda regula quæri poteſt, vtrum ſit præceptum, an conſilium? Quod enim non ſit conſilium videtur per hoc quod ſtatim ibi ſubiungitur, *Hæc eſt enim lex & prophetæ.* Nam ideo dicitur lex, quia ligat, ideo teneri videmur ad hoc, cum ad legem pertineat. Sed ſi ab alijs peteremus nobis vtique dari vellemus. Secundum hoc ergo tenemur dare petenti cuilibet, & ſic omnes, aut ferè omnes ſunt tranſgreſſores.

Ad quod dicunt quidam quod partim eſt præceptū ſcilicet quantum ad neceſſitatis articulos, partim vero conſilium ſcilicet quantū ad alios, verū ſi ad ſubueniendū indigenti neceſſitatis articulus expectāretur, fortaſſis interim moreretur vel forte iam non poſſet cibū ſumere & ita nō prodeſſet ei donū eleemoſynæ. Igitur ante neceſſitatis articulum eſt ei ſubueniendū. Ideoq; videtur dicendū, qnod tenemur citra neceſſitatis articulū dare aliqua ſcilicet ſuperflua, ſecundum illud quod ſupereſt, *date eleemoſynam &c.* tenemur inquā hæc dare, nō tamē cuilibet petēti, nec quolibet tēpore, quia præcepta affirmatiua nō obligant ad ſemper. Vnde ſi quis nō ſummè indigens aliquid petit à me, non enim ei teneor ſtatim dare, ſed poſſum reſeruare magis indigenti, vel etiam æque indigenti, ſi forte ſit mihi conſanguineus, vel domeſticus, aut vicinus. Pro quāta vero neceſſitate teneamur petenti dare, & non alij reſeruare, non eſt artis determinare, ſed charitatis potius quæ eſt vnctio docēs de omnibus, vnde veraciter docet, quæ circunſtantia cui alij circunſtantiæ præponderet, cui etiam aliquatenus conſonare videtur illud dictum ab Ariſtotele, quod virtus melior, ac certior eſt omni arte. Denique illa regula ſic eſt intelligenda ſicut & prima. *Omnia quæcunque vultis rationabiliter ſcilicet vt faciant vobis homines &c.* Illud autem omni petenti te tribue, dicunt præceptum eſſe ſub hoc ſenſu. Tribue inquam, vel rem petitam, vel orationem, vel bonum verbum.

De ſumma ordinis charitatis quantum ad affectum, & effectum.

CAPVT LXIII.

Quatuor ſunt diligenda.

Ordo charitatis in 4.

DEnique notandus eſt in ſumma ordo charitatis, & quantum ad affectum, & quantum ad effectum. Charitate nimirum diligenda ſunt quatuor tantum, videlicet primo, & præcipue quod ſupra nos eſt ſcilicet Deus: deinde quod *nos ſumus, ſiue quod intra nos* eſt ſcilicet anima noſtra. Tertio quod iuxta nos id eſt proximus ſcilicet homo, vel angelus. Quarto quod infra nos id eſt corpus proprium: diligendus eſt Deus ex toto corde, & propter ſe. Proximum autem debet quiſq; diligere ſicut ſe id eſt citra Deum, & ſupra corpus proprium, vel ad id ad quod ſeipſum.

Ordo charitatis nihil aliud videtur eſſe, quam ordo diligendorum in animo diligentis. Qui poteſt eſſe in quatuor ſcilicet in affectu, in effectu, in bono viæ quod eſt gratiæ, in bono patrię quod eſt gloria. In affectu ergo diligentis ordinat naturalis conditio ipſius diligendi, Quod enim magis mouet affectum diligentis recte diſpoſitum ad ſe diligendū, etiam affectuoſius diligitur, vt Deum, quam hominem, parentes quam filios ſcilicet propter beneficia, quæ ab eis ſuſcepit, & mala quæ pro eo paſſi ſunt. Cognatos etiā ſecundū gradus cognationis cæteris paribus In effectu vero ordinat ipſorum diligendorum neceſſitas, ita quod potius ſubuenit magis indigenti cæteris paribus. Alioquin in quo plures diligendi rationes æque fortes concurrūt, illi potius ſuccurrendū eſt. Secundum hunc ordinē magis diligendi ſunt filij quā parentes, quia naſcuntur paruuli, & ideo magis indigent exterioris exhibitione beneficij: Ad bonū viæ omnes ęqualiter diligendi ſunt, Ad bonū vero patrię, ſecundū gradus participandi bonū. Vnde maiorē gratiam habentes ad maiorē gloriam diligendi ſunt. Et ita etiam extraneū, quē ſcio eſſe meliorem, quam me, debeo diligere plus quam me, id eſt ad maius præmium. Alijs tamen modis debeo me plus diligere id eſt affectuoſius, & effectuoſius.

Communis vtilitas attendenda in charitatis operibus.

Veruntamen pro omnibus circunſtantijs quas attendit charitas, eſt communis vtilitas. Vnde duobus æqualiter indigentibus, illi potius ſuccurrendum eſt, ex cuius ſuccurſu maior vtilitas eccleſiæ ſecutura eſt. Et in hoc caſu videtur; quod debeat quis ſibi alium præferre ſcilicet in beneficij exhibitione, & in extrema neceſſitate; verū ad ſalutem æternam nullum debet ſibi pręponere. Hæc de præceptis naturę ad præſens ſufficiant, quorum vltimum ſcilicet lex naturalis ſcripta eſt in corde hominis, dicente Apoſtolo, *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis,* & de hoc plenius dictum eſt in ſuperiori lib. in quo videlicet deſcribitur qualiter operatur Deus in vniuerſo.

De præcepto diſciplinæ homini dato ad probationem obedientiæ.

CAPVT LXIV.

Lignum ſcientiæ.

AD vltimum reſtat dicendum de præcepto diſciplinæ, quod datum eſt primis parentibus ad probationem obedientiæ. Vnde & lignum à cuius eſu ſunt prohibiti; dictum eſt *lignum ſcientiæ boni & mali*, quia ſcilicet dominus illa prohibitione volebat eos ſi comederent diſcere quid eſſet inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ. Nec dicta eſt arbor illa ſcientiæ boni & mali velut in præſagium futuri peccati. Non enim ſic dicta eſt ab eo quod neceſſario futurum erat, ſed ab eo, quod ſi comederent euenturum erat. Ob hoc autem à re indifferente voluit eos prohibere, non à re mala, vel etiam neceſſaria. Nam ſi à re neceſſaria prohibuiſſet illos, & poſtmodum inobedientes eſſent excuſationem inobedientiæ ſuæ nacti eſſent; quia rem ſibi neceſſariam tetigiſſent. Si vero à re mala prohibiti ea vſi fuiſſent, malum quod inde ſequeretur proceſſiſſe crederent, non ex malo inobedientiæ, ſed ex malitia rei prohibitæ, & ita non diſcerent quid eſſet inter bonum obedientiæ; & malum inobedientiæ. *Hugo vbi ſupra.* Poterat quidem homo per præceptum naturæ conſeruare bonum quod habuit naturale, ſed vt aliquid ſuper hanc vitam mereretur, neceſſarium fuit vt diſciplinæ præceptum adderetur.

Auguſtinus ſuper Geneſim libro 8. Oportebat ergo vt homo ſub domino Deo poſitus aliunde prohiberetur, vt ipſa ei obedientia virtus eſſet, & cauſa dominium ſuum promerendi, quam audeo veriſſime dicere ſolam eſſe virtutem omni creaturæ rationali agenti ſub poteſtate Dei, primumque eſſe vitiū tumoris ad ruinam, vti velle poteſtate ſua cuius vitij nomen eſt inobedientia. Proinde lignum ſcientiæ boni & mali non in figura dictum, ſed quoddam vere lignum eſt accipiendum, cui non fructui qui inde naſceretur eſt nomen impoſitū, ſed potius ex reipſa, quę illo contra vetitū tacto fuerat ſecutura.

Adam noluit eſſe ſub dominatione Dei.

tura. Ab illo igitur ligno, quod malũ nõ erat homo prohibitus eſt, vt ipſa per ſe præcepti conſeruatio illi bonũ, & transgreſſio malum eſſet. Denique à peccante nihil aliud appetitum eſt, niſi non eſſe ſub dominatione Dei, quandoquidem illud admiſſum eſt, in quo ne admitteretur ſola deberet iuſſio dominantis attendi. Quæ ſi ſola quidem attenderetur, quid aliud quam Dei voluntas attenderetur, amaretur, & humanæ voluntati præponeretur. Dominus cur iuſſerit faciendum à ſeruiente quod iuſſit. Et tunc forte videndum eſt à promerente cur iuſſerit. Sed tamen vt cauſam iuſſionis huius non diutius requiramus, hoc ipſum magna eſt vtilitas homini quod Deo ſeruit, iubendo Deus vtile facit quicquid iubere voluerit, de quo non eſt metuendum, ne iubere quod inutile eſt poſſit, nec fieri poteſt vt volũtas propria non grandi ruinę pondere ſuper hominem cadat, ſi eam voluntati ſuperioris extollendo proponat.

Qualiter homo præceptum illud potuit intelligere.

CAPVT LXV.

Natura'is inſtinctus.

SEd qualiter, inquiunt homo quod ei lignũ ſcientiæ boni & mali dicebatur intelligere poterat, quandoquidem ipſum malũ quid eſſet omnino neſciebat? Mirum quidẽ eſt reuera quemadmodum rerũ quas habet amiſſionem etiam inexperta deuitat natura. Quis enim pecora deuitationem mortis niſi ſenſus vitæ docuit? quis paruulũ adhæreſcere baiulo ſuo, ſi eum ex alto iacere minitatus fuerit? Sic & illis hominibus primis ipſa vita erat dulcis, quam profecto amittere deuitabant, idque ipſum quibuſcunque modis vel ſonis ſignantem Deum intelligere poterant. Nec aliter ei poſſet perſuaderi peccatum, niſi prius perſuaderetur eos ex illo facto non eſſe morituros id eſt illud quod habebant & ſe habere gaudebant non amiſſuros. Si quos igitur mouet, quomodo potuerunt minantem Deum intelligere, videant nos omnium inexpertorum nomina, non niſi ex contrarijs quæ iam nouimus, ſi priuationum ſunt, aut ex ſimilibus, ſi ſpecierum ſunt, ſine vllo æſtu dubitationis agnoſcere; nec ideo ſcientiæ boni & mali factum eſt illud lignum, quia inde comederunt contra præceptum. Nam ſi nihil ex eo cõtra præceptum vſurpaſſent: id rectè vocaretur, quod ibi eis accideret ſi vſi fuiſſent. Quemadmodum ſi vocaretur, arbor ſaturitatis, eo quod inde poſſent homines ſaturari. Nunquid ſi nemo ad illam accederet, ideo nomen illud incongruum eſſet, quandoquidẽ cũ accederent aliqui & ſaturarentur tunc probarent, quod id arbor illa recte vocaretur.

Vnum contrarium cognoſcitur per aliud.

Auctor. Malum quidem iuxta Boetium non poteſt euitari niſi cognitum. Ad hoc tamen, vt euitetur, non oportet quod prius per experientiam cognoſcatur, ſed ſufficit vt per habitũ ſibi contrariũ, id eſt per bonũ ſicut cognoſcũtur tenebrę per lucẽ, & ſilentiũ per ſonũ. Sic enim primi parentes peccatũ cognoſcebant malum inobediẽtię per bonũ obediẽtiæ, quod ex iuſtitia naturali habebãt in ſe eſt cuius eſt Deo quod ſuũ, reddere, ac per hoc cauere poterãt illud malũ tanquam huic bono contrariũ. Similiter mortem quam nunquam experti erant, cognoſcebant tamen per vitam quam in ſe habebãt, per hoc enim quod vita illis erat dulcis quę fit ex coniunctione animæ & corporis, mors quæ vtrumque ſeparat illis erat naturaliter horribilis. *Auguſt. de baptiſ. paruulis lib. 2.* Recte ergo primi parentes intelliguntur ante malignam diaboli perſuaſionem cibo vetito abſtinuiſſe atque conceſſis vſi fuiſſe, ac præcipuè ligno vitæ, quod ſimiliter erat permiſſum, & vtilitate præcipuum.

Cur Deus hominem à ſe factum tentari & labi permiſit quem conſenſurum præſciit.

CAPVT LXVI.

AVguſtinus *ſuper Geneſim li. 9.* Quæritur autem cur Deus hominem à diabolo tentari permiſit, quem decipiendum eſſe præſciuit. At vt dictum eſt ſupra, non mihi videtur hominem magnę laudis fuiſſe ſi ideo bene viuere poſſet, quia nemo male viuere ſuaderet. Cum in natura poſſe & in poteſtate haberet velle non conſentire ſuadenti, Deo iuuante, & eſt gloriosius non conſentire quam tentari non poſſe. Mouentur etiam quidam dicentes: Cur creauit Deus quos futuros malos præſciebat? quia præuidit quid bom de malis illorum facturus erat, ſic enim fecit eos vt eis relinqueret, vnde aliquid facerent; quo quicquid etiam culpabiliter elicerent, quod ipſum de ſe laudabiliter operantem inuenirent, ſicut videlicet plenius tractatum eſt ſuperius. *Idem in libro de continentia.* Poteſtas itaque Deo non defuit hominem facere talem, qui peccare non poſſet, ſed maluit eum talem facere cui adiaceret peccare ſi vellet, non peccare ſi nollet, hoc prohibens, illud præcipiens, vt prius eſſet illi bonum meritum non peccare, & poſtea iuſtum præmium non poſſe peccare. *Idem in lib. de Catechizandis.* Cur ergo Deus hominem non faceret, quamuis eum peccaturum prænoſceret? Cum & ſtantem coronaret, & cadentem ordinaret, & ſurgentem adiuuaret, ſemper & vbique glorioſus bonitate, iuſtitia, clementia. *Fecit itaque homines cum beſtijs, vt impleret terram bonis terrenis, & vtique melior eſt homo etiam peccator, quam beſtia Idem ſuper Gen. li. 11.* Huiuſmodi ergo creaturam quiſquis eſſet nollet in rebus contradicit Dei bonitati. Quiſquis autem non vult eam pœnas luere pro peccatis, inimicus eſt æquitatis.

Cur Deus hominẽ peccaturũ fecit.

Qualiter ad ſuam & electorum gloriam mala reducit.

CAPVT LXVII.

Potentia.

Bonitas.

Sapientia.

AVctor. In ipſis nempe malis apparet ſpecialiter Dei potentia, bonitas, & ſapientia: potentia quidem puniendo, quia teſte Apoſtolo, *horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Bonitas in deſerendo tanquam econtrario. Nam in hoc patet quanta ſit bonitas Dei quod nulli bene eſt ab ipſo recedenti, Vnde: *ſcito* inquit, *& vide quia malum, & amarum eſt te Deum reliquiſſe.* Sapientia in diſponendo, quia ſic diſponit de malitia ipſorum, vt illam retorqueat ad gloriam ſuam, & electorũ. Sapiẽtius enim eſt elicere bonum de malo, quam bonũ de bono. Sunt etiã in hac vita bonis ad exercitiũ mali. Iuxta illud Greg. Abel eſſe renuit, quem Cain malitia non exercet. Sunt & exemplum timoris, Iuxta illud Salomonis. *Mulctato peſtilente,* &c.

Triplex cõparatio electorum ad malos, reproboſque.

Cæterum in futuro comparabuntur electis ad gloriã triplici modo. Primo ſcilicet quo ad diuinæ iuſtitiæ laudem, quia lætabitur iuſtus cum viderit vindictam. Deinde quia maiores agent liberatori ſuo gratias, eique fortioris vinculo dilectionis adhærebunt, videntes quod de tanta maſſa damnata, non tam ſuis meritis, quã eius miſericordia liberati erunt: *Omnes enim natura filij iræ ſunt.* Vnde vox eſt totius eccleſię quo ad electos. Miſericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Miſericordia ſcilicet quo ad nos, & iudicium quo ad reprobos. Tertio quia ex ipſa comparatione reproborum euidentius apparebit gloria electorum, quoniam oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Vnde plerunque accidit, vt aliqua mulier pulchra volens oſtendere pulchritudinem ſuam, deformem vetulam ſecum accipiat, vt eius cõparatione magis eius decor appareat. Sic & Chriſtus volebat oſtendere gloriam, & decorem ſponſæ ſuæ, vnde tradidit, inquit ſemetipſum pro ea, vt ſanctificaret illam, mundans lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam non habentem maculam, aut rugam.

Heſter figura Eccleſia.

Et hoc in Heſter figuratũ eſt, vbi legitur Rex Aſſuerus præcepiſſe, vt introducerent reginam Vaſthicoram rege, poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis, & principibus illius pulchritudinẽ. Volens ergo Chriſtus oſtendere eccleſiæ ſanctæ pulchritudinem in Paradiſo: oſtendet etiam ex oppoſito eccleſiam malignantium in inferno, vt ex illius comparatione magis illa eluceſcat. Propter hæc omnia dicit Apoſtolus, quod *Deus volens oſtendere gloriam ſuam ſu-*

ſtinuit

ſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Denique damnatorum deformitas pulchritudinem quandam ſecundum Auguſtinum facit in vniuerſo congrue ordinata in loco ſuo, ſicut nigredo licet per ſe ſit deformis, congrue tamẽ cum alijs coloribus ordinata pulchritudinẽ auget in cæteris. Propter hoc etiam de homine creato ſcriptura non dicit, ſicut de cæteris dixerat creaturis, & vidit Deus, quod eſſet bonũ, quia in proximo ſciebat eũ eſſe lapſurum. Sed poſt omnia dicit Deum vidiſſe cuncta quę fecerat, & erant valde bona, Ipſe namque naturarum optimus conditor, peccantiũ iuſtiſſimus eſt ordinator, vt etiã ſi qua ſigillatim delinquendo fiunt deformia, ſemper tamen cum eis vniuerſitas ſit pulchra. Nec vllum Angelorũ, vel hominũ Deus crearet, quẽ malum futurũ præſciret, niſi pariter etiã nollet, quibus eos bonorũ vſibus cõmodaret, habent tamen in ſeipſis etiã mali laudabilia, & pulchra duo, non quidem à ſe, ſed à Deo, ſcilicet naturam bonam, & pœnam iuſtam.

Qualiter diabolus ad hominem tentandum acceſſit.

CAPVT LXVIII.

Debebat homo in paradiſo per obedientiam aſcendiſſe eò, vnde diabolus cecidit per ſuperbiã.

Hugo vbi ſupra. Domino igitur mundi homine diuina prouidentia in loco delitiarum quaſi in parte potiori conſtituto, & ad conſeruanda ipſa bona, quæ habebat eadem Dei prouidentia ratione humanæ adiuncta munito, atque ad illa bona, quæ habiturus erat quęrenda & obtinenda præcepto obedientiæ cum gratia cooperante inſtructo, vidit diabolus, & inuidit quod homo per obedientiam illuc aſcenderet, vnde ipſe per ſuperbiam corruiſſet, quia vero illi per violentiam nocere non potuit, ad fraudem ſe conuertit. Vt ergo in in propria forma non veniret, ſua voluntate factum eſt, vt autem aliam formam in talem, quæ malitiæ ſuæ cõueniret habere non poſſet, diuina ordinatione diſpoſitum eſt. Venit ergo in ſerpente callidus hoſtis, qui fortaſſis ſi permiſſus fuiſſet in forma columbæ venire maluiſſet, quaſi enim de ſuis viribus parum confidens, humanam naturam in eam partem vbi debilior videbatur aggreſſus eſt vt ſi forte illic aliquatenus præualere potuiſſet, poſtmodum cum maiori fiducia ad alteram quæ robuſtior ſit pulſandam, vel potius ſubuertendam accederet.

Superbia cauſa inuidiæ.

Auguſt. ſuper Geneſim li. 11. Nonnulli hoc ipſum dicũt fuiſſe diabolo caſum à ſedibus ſupernis, quod inuiderit homini facto ad imaginem Dei, at inuidia ſuperbiã ſequitur, non præcedit. Nam ſuperbia inuidiæ cauſa exiſtit, Superbia enim eſt amor excellentię proprię. Inuidia vero eſt dolor fœlicitatis alienæ. Itaque amando quiſquis propriam excellentiam paribus inuidet, quod ei cœquentur, vel inferioribus ne ſibi cœquentur, vel ſuperioribus, quod eis non cœquentur. Superbiendo igitur eſt inuidus, non inuidendo ſuperbus, *Initium enim omnis peccati ſuperbia.* Et vnde vult eminere ſuperbia, inde in anguſtias ægeſtatemque contruditur, cum à communi ad proprium damnoſo ſui amore ducitur, hac diabolus cecidit, qui vtique non pecuniam, ſed propriam poteſtatem amauit. Proinde peruerſus amor ſui turgidũ ſpiritum ſancta ſocietate priuat, quẽ iam per iniquitatẽ ſatiari cupientem miſeria coarctat. Cui morbo contraria eſt charitas, quæ non quærit, quæ ſua ſunt, id eſt priuata excellentia non lætatur, ideoque non inflatur.

Ambr. in lib. de Paradiſo. Diabolus ergo cum eſſet naturæ ſuperioris, quia gratiam accepam nõ tenuit, homini inuidit, eo quod eſſet à limo formatus, & vt incola Paradiſi electus. Iſte inquit inferior poterit adipiſci quod ego ſeruare non potui? hic de terris migrabit ad cælum, vnde lapſus ſum? ſed multas habeo vias quibus eum ſeducere poſſum. *Comeſtor.* Serpens ergo cunctis animantibus callidior, & naturaliter, & incidenter erat, quia dæmone plenus erat. Lucifer enim deiectus à Paradiſo ſpirituum, inuidit homini, qui erat in Paradiſo corporum: ſciens quod eiiceretur & ille, ſi tranſgredi faceret ipſum. Timens autem à viro deprehendi minus prouidam, & ceream in vitium flecti, aggreſſus eſt mulierem, & hoc per ipſum ſerpentem, quia tunc ſerpens vt homo erectus erat, & recte incedebat, & loqui poterat. In maledictione vero proſtratus eſt, & adhuc ſerpens, vt tradit Thales Paetas erectus incedit. Elegit et à quoddam ſerpentis genus, vt ait Beda, virgineum habẽs vultum, vt melius deciperet, quia ſimilia ſimilibus applaudunt. Et monit ad loquendum linguam ſuam neſcientem tamen, ſicut & per phanaticos, & energumenos neſcientes loquitur.

Serpens plenus damone.

Serpens erectus & virgineo vultu.

Qualiter tentando proceſſit.

CAPVT LXIX.

Hugo vbi ſupra. Videte autem quanta eſt confuſio, & timiditas nequitiæ in conſpectu virtutis. Corã fœmina ſtans hoſtis ſuperbus, ex ſola malitia cogitata nondum exerta confunditur, & quaſi ſe iam priuſquam etiam loqueretur deprehenſum metuens, non audet in verba perſuaſionis exire, donec interrogatione præſentiat animum mulieris tentandæ. Cur inquit præcepit vobis Deus, vt nõ comederetis ex omni ligno paradiſi? Reſpondit mulier, ne forte moriamur. Nequaquam inquit moriemini. *Deus igitur affirmauit, mulier dubitauit, diabolus negauit.* Qui verba Dei negare non preſumpſiſſet, ſi non prius ipſam mulierem dubitantem inueniſſet. *Amb. in li. de Paradiſo.* Quidem quod mulier ipſa dixit, ne tangeremus illud ſcilicet de ligno tantum ad eſum prohibito, hoc addidit vtique de ſuo. Nullum quippe vitium fuit in mandato Dei, ſed in reuelatione mandati, pura vero & ſimplex ſeruanda eſt mandati forma & teſtimonii ſeries intimanda. Nam plerumque teſtis dum aliquid ad ſeriem geſtorum ex ſuo adiicit totam teſtimonii fidem partis mendacio decolorat. Nihil igitur etiam quod bonum videtur addendum eſt, nihil vel cautionis gratia iungere debemus mandato. Ecce enim quid offenſionis habuit, quod de ſuo mulier addidit, in quo iam lapſus eſſe principium incæpit, quia vel ſuperfluum addidit, vel addendo de proprio mandatum Dei ſemiplenum eſſe intellexit plerique putant non mulieris, ſed Adæ vitiũ fuiſſe ipſum ita mandatum retuliſſe mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, vt adderet mandaſſe dominũ, ne tangerent illud lignum. Sed mihi videtur quicquid alij ſentiant, à muliere cępiſſe vitium, inchoaſſe mendacium. Nam & ſexus prodit, quod & prius errare potuerit.

Proceſſus diabo in tentando.

Comeſtor. Notandum vero quod diabolus prius eam interrogat, vt in reſponſione illius accaſionẽ dicendi ad quod venerit inueniat. Cum enim quaſi dubitãdo dixit mulier, ne forte moriamur, quia dubitans ad quãlibet partem de facili flectitur, de impetratione ſecurus ait, nequaquam moriemini, ſed Deus in ſcientia holẽs vos ei ſimilari, ſcienſque, quod ſi ex hoc ligno comederetis, eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum, tanquam inuidus vobis prohibuit illum eſum. *Auctor.* Quod ergo dixerat eis dominus, de ligno ſcientiæ boni, & mali, ne comedatis, peruerſe interpretatus eſt diabolus, dicens illis. Quocunque die comederitis ex eo, eritis ſicut Dij, &c. *Aug. vbi ſupra.* Serpens ergo dicitur aſtutiſſimus propter aſtutiã diaboli quę in illo, ac de illo agebat dolũ, ſicut dicitur lingua prudens, vel aſtuta, quã mens prudẽs, vel aſtuta mouet ad aliquid prudenter, & aſtute ſuadendũ. Sicque locutus eſt homini ſerpens, ſicut aſina Balaã, niſi quod illud opus fuit angelicũ, hoc autẽ diabolicũ, habent enim Angeli boni, & mali opera quædã ſimilia, ſicut Moyſes, & Pharaonis magi, tamẽ etiã in his potiores ſunt Angeli boni. Nec angeli mali taliũ etiã operũ poſsũt aliquid, niſi quod per Angelos bonos Deus permiſerit, vt retribuatur vnicuique ſecundũ cor eius vel ſecundũ gratiã; Dei vtrũque iuſte, ac benignè per altitudinem diuitiarũ ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. *Petrus Lumbardus.* Vt ergo malignus ille malum quod intendebet libere perſuaderet, & malum quod timuit mulier negando remoueret, promiſſionem addidit,

Interpretatio diabolica.

Promissa diabolica.

& vt eius persuasio citius reciperetur, promissionem duplicauit, vnam nempe comestionem suadens *duo in præmio proposuit, similitudinem Dei scientiamque boni, & mali* spondens, vbi tribus modis hominem tentauit scilicet gula in persuasione cibi cum dixit, *In quacunque die comederitis. Inani gloria*, in promissione deitatis cum dixit: *eritis sicut Dij. Auaritia* in promissione scientiæ cum dixit, *scientes bonum & malum.* Gula est immoderata cibi auiditas, vana gloria amor proprię excellentiæ. Auaritia immoderata habendi cupiditas, quæ non est tantum pecuniæ, sed etiam altitudinis, & scientiæ, cum supra modum sublimitas ambitur.

De transgressione mulieris, ac viri.

CAPVT LXX.

Elatio mulieris.

Hugo vbi supra. Mulier ergo, quæ primo de fide dubitauit, ab affirmante recessit, & neganti appropinquauit. Ipsa ergo secundum aliquid inchoauit malitiam, quæ tentatori iniquæ persuasionis dedit audaciã, prius peruerse delectata est in promissione, postmodum stulte assensum præbuit in persuasione: primũ enim promissam excellentiam per superbiam appetijt, deinde promissam abundantiam, & qualis tamen excellentiam decebat, per auaritiam cõcupiuit. Postremo vt hæc duo pro voto obtinere mereretur, cibum vetitum gulæ vitio corrupta gustare consensit. In superbia, & auaritia pretij cupiditate se vendidit. In gula autem postea delectata, libenter iam gratis seruire cepit.

Comestor. Elata siquidem mulier dum assimilari Deo voluit serpentis verbis acquieuit, viditque prius quod lignum esset visu pulchrum id est mundum, & ex odore, vel tactu perpendens, quod esset suaue ad vescendũ; comedit, ac viro suo dedit, fortassis verbis suasibilibus eum pręmonens, quę legislator breuitatis causa transit. Cui scilicet vir facile acquieuit, quia cum eã iuxta verbum domini crederet statim morituram, videns aliter accidere dictum hoc à domino tantum ad terrorẽ ęstimauit, ideoque & ipse comedit.

Augustinus super Genesim libr. 11. Quomodo autem mulier à bona, & vtili re diuinitus prohibitos se fuisse verbis serpentis crederet, nisi iam menti eius amor ille propriæ potestatis inesset? & quædam de se sumptio superba, quæ per illam tentationem conuincenda fuerat, & humilianda. Sic ad transgrediendum præceptum audax curiositas mota est, auida experiri latentia, Quidnam tactu vetito sequeretur; & noxia libertate prohibitionis habenas rumpere delectata, probabilius æstimans mortem, quam timuerat non esse secuturam. Tale quippe pomum in arbore illa credendum est fuisse, qualia iam in arboribus cæteris nouerant se sensisse. Vnde magis crediderunt Deum posse facile peccantibus ignoscere quam patiẽter tulerunt, sed quidnam esset cur eos inde cibũ sumere vetuisset, non cognoscere.

De grauitate illius peccati.

CAPVT LXXI.

Superbia initium voluntatis mala.

Idem de ciuitate Dei lib. 14. Nec ideo quis putare debet illud leue paruumque fuisse commissum, quia in esca est factum. Non quidem mala, nec noxia, nisi quia prohibita: non enim aliquid male Deus in tantæ fælicitatis loco crearet, sed obedientia in præcepto commendata est. Quæ nimirum virtus in rationali creatura mater omnium custosque virtutum est, quando quidẽ sic facta est, vt ei subditam esse sit vtile, pernicioſum autem suã facere voluntatem, non eius à quo creata est. Hoc itaque tam leue, ac breue præceptum, vbi nõdum voluntati cupiditas resistebat, tanto maiore iniustitia violatum est, quanto facilius custodiri posset. At in occulto mali esse cæperunt, per quod in apertam inobedientiam lapsi sunt.

Non enim ad malum opus perueniretur, nisi præcessisset voluntas mala, cuius initium nõ potuit esse, nisi superbia, quæ est appetitus peruersæ celsitudinis. Est autem peruersa celsitudo deserto eo, cui debet animus inhærere principio, sibimet fieri principium quodammodo. Hoc autem est cum homo sibi nimis placet, sibi vero ita placet, cum ab illo incommutabili bono deficit, quod ei magisquam ipse sibi placere debuit. Est autem spontaneus iste defectus, nã si voluntas in amore boni superioris à quo illustrabatur, vt videret, & accendebatur vt amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendũ auerteretur, vt ex hoc tenebresceret, ac frigesceret videlicet vt vel mulier verum crederet dixisse serpentem vel vir Dei mandato præponeret vxoris voluntatem: putaret se venialiter esse transgressorem præcepti, si vitæ sociam non desereret etiam in societate peccati, meritoque superbi in scripturis appellantur placentes sibi, nam quidem *bonum est habere cor sursum, non tamen ad seipsum quod est superbiæ* sed ad dominum quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non posset esse. Quapropter in ciuitate Dei, & in eius rege Christo maximè humilitas commendatur. At in eius aduersario vitium elationis maximè damnatur. Et hæc est magna differentia, quæ cum ciuitas vtraque discernitur, vna scilicet hominum piorum, & alia impiorum, vnaquæque cum Angelis ad se pertinentibus, in quibus videlicet præcessit hanc quidem amor Dei, hac vero amor sui; duæ siquidem ciuitates duos fecerunt amores, terrenam scilicet amor sui vsque ad contemptum Dei, Cœlestem vero amor Dei vsque ad contemptum sui. Manifesto igitur peccato diabolus hominem non cepisset nisi iam sibi placere incepisset, hinc enim delectauit quod dictum est eis, *Eritis sicut dij* &c.

Cor sursum ad seipsum superbia.

Dij creati.

Quod vtique melius esse potest summo veroque principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi principium existendo per superbiam. Dij namque creati non sunt Dij sua veritate, sed Dei veri participatione, plus autem appetendo minus est, qui dum se sibi sufficere diligit, ab illo qui ei vere sufficere potest deficit. Illud itaque malum præcessit in abscondito, vt sequeretur quod perpetratum est in aperto. Verum enim est quod scriptum est, *Ante ruinam exaltatur cor.* Et audeo dicere superbis vtile esse in aliquod manifestum peccatum incidere, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando fleuit, quam sibi placuit quando præsumpsit. Vnde Psal. dicit, *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine*, videlicet vt eis tu placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt quærendo suum.

Quod non vir sed mulier seducta sit.

CAPVT LXXII.

Mulier non est imago Dei & quomodo.

Augustinus supsr Genesim lib. 11. Illud autem mirandum est, qualiter homo spiritali mente præditus credere potuerit quod per serpentem dictum est, videlicet quod Deus, quia sciebat eos futuros Deos propter scientiam boni & mali si comedissent, ob hoc illis esum ligni prohibuerit, quasi tantum bonum creaturæ suæ creator inuiderit. An quia hoc ipse credere non posset, ideo addita est mulier quę parui quidem esset intellectus, & adhuc secundum carnis sensum non secundum spiritum viueret. Et hoc est quod ei non tribuit Apostolus imaginem Dei, sed viro soli dicens, *Vir non debet velare caput cum sit imago & gloria Dei, Mulier autem est gloria ipsius viri*, non quia fœminæ mens eandem imaginem capere non possit, sed quod fortassis illa nondum quod fit in actione Dei perceperat, & viro regente paulatimque dispensante perceptura fuerat. Non enim frustra ab Apostolo dictum est, quod *Adam non est seductus sed mulier.* Nam & interrogatus non dixit, mulier seduxit me quam dedisti mihi, sed dedit mihi inquit de ligno, & comedi. Illa vero dixit, *serpens me decepit.* Sic & Salomon virtute sapientię præditus, nunquid credẽdum est quod aliquid vtilitatis esse crediderit in simulacrorum cultu? sed amori mulierum ad hoc malum trahenti non ualuit resistere faciens quod sciebat faciendum non esse, ne suas quibus

deperie-

deperiebat & defluebat, mortiferas delicias contristaret.

Adam comedit pomum vt non contristaret feminam.

Sic igitur & Adam post quam de ligno prohibito seducta mulier manducauit,eique vt simul ederet dedit, noluit eam contristare, quam credebat posse sine suo solatio cõtabescere,illam omnino si ab eius animo alienaretur discordia interire. Non quidẽ illa victus quam nondum senserat carnis concupiscentia, sed amicabili quadam beneuolentia,qua plerumque fit vt offendatur Deus,ne homo ex amico fiat inimicus. Quod eum facere non debuisse iustus exitus indicauit sententiæ diuinæ. Ac etiam si virum propter aliquam mentis elationem sollicitauit aliqua experiendi cupiditas cum mulierem accepta illa esca non esse mortuam videret, non tamen illum arbitror si iam spiritali mẽte præditus erat credere potuisse,quod ipsos Deus ab illius ligni esca inuidendo venisset. *Idem in libro de ciuit. Dei* 14. Adam ergo non est seductus, quia quod fecit sciuit esse peccatum,sed inexpertus diuinę seueritatis in hoc falli potuit, vt veniale crederet esse commissum. *Hugo vbi supra.* Mulier autem seducta, quia verum esse credidit, quod diabolus dixit:æqualitatem elata appetijt,& creatorem inuidia tactum hoc lignum vetusse putauit. Adam seductus non est,quia quod diabolus promittebat falsum esse sciebat, Nec idcirco pomum vetitum comedit, quasi per illam comestionem Deo parificari se posse crederet,vel etiam parificari vellet, sed quia putauit se & mulieri morem gerere,& postea per pœnitentiam,& veniæ postulationem creatori posse placere.

Adam sciebat diabolũ falsa loquutum.

Quis eorum plus peccauit.

CAPVT LXXIII.

EVæ ergo dictum est, quod vir minus peccauit, qui de pœnitentia,& misericordia cogitauit, peccauit tamen quia peccanti consensit, & peccantem non correxit.Et idcirco quæ in peccato originali est culpa,quãuis dissimiliter,ad vtrumque tamen redundat tota. *Auctor.* Mulier quidem peccauit quatuor modis,videlicet de veritate comminationis diuinæ *dubitando, deitatem rapere volendo, contra prohibitionem comedendo, virum ad comedendum inuitando*, vir autem non quidem seductus, vt se diuinitatem rapere posse crederet, sed quadam amicabili beneuolentia illectus, vt mulierem offendere se timeret, si non oblatum pomum comederet.

Mulieris peccatum 4.

Vir dupliciter peccauit.

Duobus tamen modis peccauit, videlicet *occulte superbiendo,& aperte vetitum comedendo* : Et vterque postmodum interrogatus à domino, nihilominus peccauit, alio modo, scilicet culpam propriam excusando, & in alium retorquendo. Mulier enim culpam suam retorsit in serpentem,vir autem in mulierem datorem. Mulier itaque plus peccauit quam vir, quia pluribus peccatis, Et etiam quia peccauit in plures scilicet in Deum, & in proximum,& iterum quia peccauit ex maiori timore,& quia peiori intentione,scilicet vt esset sicut Deus. Ideoque & alio modo plus peccauit, id est, damnosius, quia punita est grauius. Verumtamen vno modo vir grauius peccauit, id est, grauiori peccandi origine, quia scilicet ex certa scientia, cum mulier seducta quodammodo peccauerit ex ignorantia. *Augustin. in Enchiridio.* In illo denique vno peccato quod in omnes pertransit, plura reperiuntur peccata videlicet superbia qua suam homo potiusquam Dei potestatem dilexit, Auaritia qua plusquam debuit appetijt. Fornicatio spiritualis, quia serpentina suasione corrupta est integritas humanæ mentis. Furtum quia cibum prohibitum homo vsurpauit. Sacrilegium quia Deo non credidit. Homicidium quia se in mortem precipitauit. Hæc vna denique tam magna fuit culpa, vt mutaretur,& conuerteretur in necessitatem mortis humana natura.

Mulieris peccatum grauius peccato viri.

Qualiter apertis oculis se nudos esse cognouerunt.

CAPVT LXXIV.

Apertio oculorum quasi

IDem *super Genesim lib.*11. Statim autem vt comederunt cibum vetitum,aperti sunt oculi amborum? ad quid aperti sunt, nisi ad inuicem concupiscendum ? ad peccati pœnam carnis morte conceptam, vt iam non esset corpus animale tantum, sed corpus mortis, in quo lex membrorum repugnaret legi mentis. Non enim facti sunt clausis oculis,quoniam quidem ante peccatum vidit mulier lignum & cõcupiuit. Sed vtique sunt aperti tunc oculi eorum ad aliud, quod antea nunquam aduerterant intuendum & cogitandum. Intrinsecus quippe gratia deserẽte omnino nudati, quam typo quodam & amore superbo suæ potestatis offenderant, in membra sua oculos iniecerunt, eoque motu illo quem non nouerant,concupiuerunt. Hæc mors illa die accidit,qua factum est quod Deus vetuit. Amisso nimirum statu mirabili corporis, cui status etiam virtute mystica præbebatur de ligno vitæ,per quem nec morbo tentari nec mutari potuissent ætate, vt in hoc eorum carne licèt adhuc animali & in melius postea commutanda, iam tamen per esum ligni vitæ significaretur quod ex ipso spiritali alimento sapientiæ cuius sacramentum erat lignum illud, fit in Angelis per æternitatis participationẽ vt in deterius non mutentur. Amisso inquam hoc statu, mortiferam qualitatem duxit corpus eorum, qui inest etiam carni pecorum, Ac hoc per eundem motum quo fit in pecoribus concumbendi appetitus vt succedant nascentia morientibus.

Apertio oculorum est attentio nouæ.

Verumtamen etiam in ipsam pœnam suæ generositatis iudex anima rationalis motum bestialem in membris,suæ carnis erubuit,eisque pudorem incussit,non solum quia hoc ibi sentiebat, vbi nũquam antea tale quid senserat,sed etiam quod pudendus ille motus de precepti transgressione veniebat,ibi namque sensit qua prius gratia vestiretur cum ex iniquitate sua nihil indecens patiebatur. Ibique completum est quod in psalm. scriptum est. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem,auertisti faciem tuam &c. Idem de ciu. Dei lib.*14. Erãt quidem ante peccatum nudi,nec erubescebãt,nõ quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondũ erat,quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat. Nondum ad inobedientiam hominis redarguendam,inobedientia sua caro testimonium perhibebat. Patebant igitur eorum oculi, *sed ad hoc non erant aperti,id est attenti, vt cognoscerent quid eis præstaretur indumento gratiæ*, quando membra eorum nesciebant volũtati repugnare,qua scilicet gratia remota vt pœna reciproca plecteretur inobediẽtia, extitit in corporis motu quędã impudens nouitas, vnde indecẽs esset nuditas, & ipsos fecit attentos reddiditque cõfusos. Vnde aperti sunt oculi eorum non quidem ad videndum, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod ceciderant. Experta nempe morbi molestia, euidentior etiam fit sanitatis iucunditas. Cognouerunt ergo quod nudi erant,nudati scilicet gratia qua fiebant vt corporis nuditas eos in illa peccati lege mente eorum repugnante confunderet, hoc inquam cognouerunt quod fœlicius ignorarent. si Deo credentes & obedientes nihil committerent, quod illos experiri cogeret, infidelitas & inobedientia quid noceret.

Apertio oculorum est attentio nouæ.

Comestor. Quod ergo dicitur de oculis eorum apertis,potest intelligi de oculis corporalibus, quod scilicet visu tale quid perceperunt, quod non scilicet ante disconuenientiã nuditatis percipiebant, vel de oculis concupiscentiæ, & eius cognitione qua cognouerunt quid fecerunt. Erant enim in eis naturales motus concupiscentiæ,sed repressi & clausi sicut in pueris vsque ad pubertatem, & tunc tanquam riuuli aperti moueri cœperunt atque diffundi. Quos cum prius in se esse non sensissent,tunc experti sunt eosque cognouerunt Iosephus tamen tradidit eos scientiam cognoscendi nuditatem suam, & intelligendi confusionem suam, habuisse ex esu illius arboris, quasi hunc effectum in se habentis.

Arbor scientia dabat acumen.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Illa enim inquit plantatio causa acuminis intellectus erat ad cognoscendum miserias suas.

Qualiter Genitalia sua contexerunt.

CAPVT LXXV.

Aguſtinus ſuper Geneſim lib. 11. In prædicta igitur conturbatione ad folia ficulneæ cucurrerunt, ſuccinctoria conſuerunt & quia glorianda deſeruerant, pudenda cõtexerunt, & abſconderũt ſe à facie Dei in medio ligni paradiſi. Cum enim Deus auertit faciem ſuam intrinſecus & fit homo conturbatus, non miremur hoc fieri per nimium pudorem & timorem, quæ ſimilia ſunt dementiæ. Illo quoque occulto inſtinctu non quieſcente, vt ea neſcientes facerent, quæ quandoque poſterius propter quos illa conſcripta ſunt aliquid ſignificarent. *Idem de ciu. Dei lib.* 14. Proinde confuſi ſuæ carnis inobedientia, tanquam ſuæ inobedientiæ teſte pœna fici folia, vt dictum eſt, conſuerunt, ſibique campeſtria, id eſt, ſuccinctoria genitalia fecerunt. Quod enim aduerſus damnatam inobedientiæ culpa voluntatem inobedienter libido mouebat, verecundia pudenter tegebat. Et ex hoc omnes gẽtes quoniam ab illa ſtirpe procreatæ, ideo velare pudenda inſitum tenent, quod etiam barbari quidam partes illas corporis nec in balneis nudas habent, per opacas etiam Indiæ ſolitudines cum quidam nudi philoſophentur vnde & gymnoſophiſtæ nominantur, tegmina tantum ſolis genitalibus adhibent. Opus quoque libidinis huius non ſolum in ſtupris vbi latebræ ad ſubterfugienda humana indicia requiruntur, ſed etiam in vſu ſcortorum terrena ciuitas licitam turpitudinem fecit, deuitat tamen impunita & permiſſa libido publicum conſpectum, & habent verecundia naturali prouiſum lupanaria ipſa ſecretum; faciliuſque potuit impudicitia non habere vincula prohibitionis quam impudentia remouere latibula illius fæditatis. Veruntamen hanc etiam ipſi turpes turpitudinem vocant, quam licèt ament, oſtentare non audent.

Gymnoſophiſtæ & Barbari nudant genitalia.

Concubitus recte factus erubeſcit videri.

Quid concubitus coniugalis qui ſecundum matrimonialium præſcripta tabularum procreandarum fit cauſa liberorum? Nonne & ipſe quamquam licitus ſit & honeſtus, remotum arbitris cubile requirit? Et quia ſicut ait quidam, omnia recte facta in luce ſe volũt collocari, hoc rectum factum ſic appetit ſciri, vt tantum erubeſcat videri. Quis enim neſcit, vt filij procreantur quid agant inter ſe coniuges, quam quãdoquidem vt id agatur tanta celebritate ducuntur vxores? Et tamen cum id agatur vnde filij naſcantur, nec ipſi quidem filij qui iam inde nati ſunt teſtes fieri permittuntur. Sic enim hoc recte factum ad ſuam notitiam lucem appetit animorum, vt tamen refugiat oculorum, nec id ob aliud, niſi quia ſic geritur quod deceat ex natura, vt tamen comitetur quod pudeat ex pœna. Quodque nunc illa membra contra rationem mouentur, & à iuſtis ac pijs alias facilius, alias difficilius, tamen cohibendo modificantur. Non eſt vtique ſanitas ex natura, ſed languor ex culpa.

Pudenda à pudore.

Comeſtor Quoniam igitur illi primum motum concupiſcentiæ rationi contrariũ in genitalibus ſenſerũt, propria contra ſe membra moueri videntes erubuerũt, propter quod & illa pudenda dicta ſunt, quia prius illis pudorem intulerunt, cætera ſiquidem membra corporis mouentur ad nutum hominis, non autem pudenda quia ſunt porta propagationis, & inobediẽtiæ ſignũ ſcriptum eſt in porta. Fecerũt ergo ſibi perizomata quaſi braccas breues, nec ſine cauſa de ficuum folijs, quia de ſucco eorum ſi terantur, inuncta caro hominis ibi ſtatim ſentit quam in carne iam ſenſerat pruriginem voluptatis.

Cur homines motus libidinis plusquam aliarum affectionum vitioſarum erubeſcunt.

CAPVT LXXVI.

Aug. vbi ſupra. Quod autẽ iræ opera, cæterarumq; affectionum in quibuſque dictis & factis non ſic abſconduntur verecundia ſicut opera libidinis quæ fiãt genitalibus membris, quid cauſæ eſt, niſi quia in cæteris mẽbris corporis non affectiones ipſæ, ſed voluntas quæ illis conſenſerit mouet, quæ in vſu eorum omnino non dominatur? Nam verbi gratia, Quiſquis verbum iratus emittit, vel etiam quenquã percutit, non poſſe hoc facere niſi lingua vel manus moueretur voluntate iubẽte, quę vtique mẽbra etiam cum nulla eſt ira mouentur eadem voluntate. Ac vero genitalia membra iuri ſuo libido quodammodo mancipauit, vt moueri non valeant ſi ipſa defuerit, & niſi vel vltro vel excitata ſurrexerit, hoc eſt quod pudet, hoc eſt quod intuentiũ oculos erubeſcendo cauet, magiſque fert homo ſpectantiũ multitudinem, quando iniuſte iraſcitur homini, quã vel vnius aſpectũ quando miſcetur vxori, hoc illi non viderunt canini Philoſophi, ideſt Cynici dicentes, vt quia iuſtum eſt quod fit in vxore palam id in vico vel platea non pudeat agere, vicit tamen pudor naturalis opinionẽ huius erroris. Nam & ſi quis aliquando fecit hoc, vt perhibet Diogenes, poſtea tamen à cynicis fieri ceſſatũ eſt, pluſque valuit pudor vt erubeſcerent homines hominibus, quẽ error vt homines affectarent ſimiles eſſe canibus, vnde illum vel illos qui hoc feciſſe referuntur, potius arbitror concumbentium motus dediſſe oculis hominum neſcientium quid ſub pallio gereretur, quam humano premente conſpectu voluptatem illam peragi potuiſſe. Illi nanque philoſophi non erubeſcebant videri ſe velle cõcumbere, vbi libido ipſa erubeſceret ſurgere, pudet igitur libidinis huius naturam humanam & merito, in eius ſiquidem inobedientia quæ genitalia membra ſolis ſuis moribus ſubdidit, & poteſtati voluntatis eripuit, ſatis oſtenditur quid illi primæ hominis inobedientiæ retributum ſit. Quod in ea videlicet parte maxime oportuit apparere, qua generatur ipſa natura quæ illo primo & magno peccato in deterius eſt mutata.

Cynicorum ſtupiditas.

Nullus eruitur à nexu peccati.

A cuius vtique nexu nullus eruitur, niſi id quod, cũ omnes in vno eſſent, in communem perniciem perpetratũ eſt, ac Dei iuſtitia vindicatum, Dei gratia in ſingulis expletur, hæc itaque libido eo magis erubeſcenda exiſtit quo animus in ea nec ſibi efficaciter imperat, vt omnino non libeat, nec omnino corpori, vt pudenda membra volũtas potiuſquam libido cõmoueat. Quod ſi eſſet ita, non eſſent vtique pudenda. Nunc autem animum ſibi reſiſti à corpore pudet, quod ei natura inferiore ſubiectum eſt. In alijs ſiquidem affectionibus ideo minus pudet cum ſibi reſiſtit, quia cum à ſemetipſo vincitur, ipſe ſe vincit, & ſi inordinate atque vitioſè, quoniam ex his partibus quæ rationi debent ſubijci, tamen à partibus ſuis ac per hoc à ſeipſo conſtat eum vinci. Nã cum ordinate ſe vincit animus, vt irrationabiles motus eius menti rationique ſubdantur, ſi tamen illa Deo ſubdita ſit, & laudis eſt atque virtutis. Minus tamen pudet cum ſibi animus non obtemperat ex vitioſis ſuis partibus, quam cum ei corpus quod alterum ab illo eſt & infra illum eſt. Et cuius natura ſine illo non viuit, volenti iubentique non cedit. Cum autem alia membra voluntatis imperio retinentur, ſine quibus illa quæ contra voluntatem libidine concitantur, id quod appetunt implere non poſſunt, cuſtoditur pudicitia non amiſſa delectatione peccati, ſed non permiſſa.

De interrogationibus & excuſationibus viri & mulieris.

CAPVT LXXVII.

Comeſtor. Audierunt enim vocem Dei deambulantis in paradiſo, vt ex ipſo motu ſuo videretur illos arguere, quã non ſteterant in præcepto. *Gloſſa ſuper Geneſim.* Hoc autem poſt meridiem, vnde & hora nona Chriſtus ſpiritum emiſit, qui hora ſexta fuit crucifixus, vt eadem hora reſtitueretur homo, qua à paradiſo fuerat eiectus. *Ambroſius in libro de Paradiſo.* Audiuit in quam homo vocem deambulantis ad veſperam, quia ſero cognouit culpam ſuam, & ſero quædam erroris præteriti verecundia venit, quæ ipſum errorem

Eadem hora reſtitutionis hominis & eiectionis à paradiſo.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

præuenire debuit. Nam dum in corpore culpa feruet,& exagitatur anima passionibus corporis, non cogitat deuium sensus errantis, magisque postquam peccauimus delicta nostra cognoscimus, quæ antequã peccaremus peccata non esse putabamus. *Comestor.* Abscõderunt ergo se à facie domini in medio lignorum paradisi: Vocauitque Dominus virum,cui scilicet dederat præceptum. per subiectam creaturam loquens ac dicens,vbi es?ac si diceret,vide in qua miseria es.

Augustinus super Genesim. Adam inquit,vbi es? vox est increpantis non ignorantis, & hoc sanè ad aliquam significationem pertinet, & vir prior interrogatur, sicut præceptum datũ est viro per quem ad fœminam transiret,præceptum enim à domino per virum transijt vsque ad fœminam. Peccatum autẽ à diabolo vsque ad virum per fœminam. Respõdit Adam, *Vocem tuam Domine audiui,& quia nudus eram timui,neque abscondi.* Satis apparet Deum solere per creaturam actioni tali cõgruam in humana forma primis illis parentibus apparere,quos tamen nunquam permisit nuditatem suam aduertere, ipsorum intẽtionem in superna sustollẽs,nisi post peccatũ in membris suis pudendum motum pœnali mẽbrorum lege sensisset. Sic ergo affecti sunt,vt affici solent homines sub oculis hominum & talis affectio de pœna peccati est, latere scilicet illum velle,quem latere nihil potest, & ab ipso carnẽ occultare qui cordis inspector est. Verum quid mirum si superbi volentes esse sicut dij, euanuerunt in cogitationibus suis,se quippe dicentes sapientes esse,stulti facti sunt,illo faciem auertente. Quod enim iam ipsos erga seipsos pudebat, propter quod & sibi succinctoria fecerant, multo vehementius ab illo etiam sic succincti verebantur videri, qui tam familiari temperamento ad eos vidẽdos per creaturam visibilem tanquam humanos oculos afferebat. Illa igitur amicitia quæ fiduciam ante peccatum dabat,pudorem post peccatum onerabat. Nec illam nuditatem audebant ostendere talibus oculis quæ displicebat & suis. Dominus itaque iã volens peccatores interrogatos iustè punire,ampliusquam erat illa pœna de qua iam cogebãtur erubescere. Quis,inquit tibi indicauit quod nudus esses, nisi quod de ligno comedisti de quo præceperam tibi ne comederes? dixit Adam, *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno,& comedi.* Non dixit,peccaui. Superbia nimirum habet deformitatem cõfusionis. Ad hoc autem conscripta sunt hæc,vt aduertamus quo superbiæ morbo laborent homines in creatorem referre conantes si quid egerint mali,tamẽ sibi tribuere velint,si quid egerint boni. Mulier,inquit quam dedisti mihi &c. quasi ad hoc data esset non vt ipsa viro sed vterque Deo potius obediret, verum adhuc non considerat Dominus ceruices peccatorum. Restabant labores,dolores ac mortes, omnisque contritio sæculi & gratia Dei, quæ subuenit hominibus oportuno tempore,quos affectos docuit nõ debere de seipsis præsumere. Et ait mulieri: *Quare hoc fecisti? Serpens,ait mulier,seduxit me,& manducaui.* Quasi cuiusquam suasio Dei præcepto deberet anteponi.

Deus humana forma apparuit Adæ.

Superbia Adæ.

De maledictionibus amborum & primo serpentis.

CAPVT LXXVII.

Comestor. Adam interrogatus, peccatum suum in vxorem,immo & in ipsum vxoris datorem retorsit. Mulier quoque peccatum suum in serpẽtem, & tandem in serpentis auctorem obliquauit. Serpens vero nõ est interrogatus,quia non hoc per se fecerat, sed per ipsum diabolum. His igitur omnibus Dominus maledicẽs à serpente incepit ordinem,& congruum maledictionũ numerum seruans. Serpens enim & prius peccauit, & plus,quoniam in tribus. Mulier autem post & minus illo,sed plus viro,quoniam in duobus,homo vero postremo,& minus,quoniam in vno. Serpens inuidit & mentitus est ac decepit. His ergo tribus redditæ sunt tres maledictiones. Nam quia inuidit excellentiæ hominis, dictum est illi. *Super pectus tuum gradieris*: Et quia mentitus est,in ore punitus est,*vt terram comederet*, immo & vocem ei Deus abstulit,eique venenũ in ore posuit. Denique quia mulierem decepit,inimicitias erga ipsam accepit: *Inimicitias inquit, ponam inter te & mulierem*, per quod innuit quod Eua pænituit: *Ipsa inquit,conteret caput tuum*; quod vtique serpens naturaliter seruat quasi sedẽ vitæ,*& tu insidiaberis calcano eius maximè.* Sicut ergo naturale est odium inter equos & griphes, lupos & canes, Sic inter hominem & serpentem. Sicut enim venenum serpentis hominem, sic sputum hominis ieiuni perimit serpentem. Et quoniam adhuc nudi erant vir & mulier, serpens etiam nunc hominem nudum timet ac fugit, & in vestitum insilit. In duobus autẽ mulier peccauit, quia scilicet superbiuit ac vetitum comedit. Quoniam ergo superbiuit, Deus illã humiliauit dicens: *Sub viri potestate eris*, scilicet violenta, vt etiam verberibus te affligat. Et quoniam in fructu peccauit, in fructu suo punita est. Sicut ei dictum est: *In dolore paries filios tuos.* Quodque dictum est,in dolore,maledictio est. Sed quod adiunctũ est, paries, benedictio est. Sic igitur in puniendo Deus oblitus misereri non est, quod etiam in cæteris hominum maledictionibus notandum est.

Tres maledictiones datæ.

Euam pœnituit.

Aug. vbi supra. Sed quomodo mulieri dicitur,*ad virum conuersio tua,& ipse dominabitur tibi*, cum etiam ante peccatum sic facta sit vt vir ei donaretur, & ad eum ipsa seruiendo conuerteretur. Itaque recte potest hinc seruitus illa quæ conditionis cuiusdam est potius quam dilectionis significatiua intelligi, vt ipsa etiam seruitus talis qua postmodum homines hominibus cœperunt esse, serui de pœna reperiatur exorta peccati. Dixit nimirum Apostolus,*per charitatem seruite inuicem*, sed nequaquam diceret dominamini inuicem. Possunt itaque coniuges seruire inuicem per charitatem,sed non permittit Apostolus in virum dominari mulierem, hoc enim potius viro detulit Dei sententia,& maritum habere dominum meruit non natura mulieris,sed culpa, quod tamen nisi seruetur,deprauabitur amplius natura & augebitur culpa. *Comestor.* Adam vero quia peccauit in solo esu cibi, punitus est in labore quærendi sibi edulij. Terra quoq; à Deo non aqua maledicta est,quia de fructu terræ trãsgressio facta est. Hinc est quod legitur Deum comedisse piscem, sed non legitur edisse carnem, videlicet animalium de terra maledicta viuentium, nisi forte de paschali agno pro legis præcepto. Tunc igitur Adam plangens posteritatis suæ miseriam,vocauit,vt dictum est superius, vxorem suam Euam.

Seruitus pœna peccati.

Dominus sapius legitur pisces manducasse quã carnes.

Qualiter peccatum hominis punitum est multis modis,& primo in gratuitorum spoliatione.

CAPVT LXXIX.

Auctor. Hoc autẽ in summa notare debemus,quod peccatum Adæ punitum est in tribus, videlicet in se,& in tota visibili creatura,& in posteritate sua. In se quidẽ punitus est tripliciter, quia scilicet gratia Dei nudatus & in natura sua corruptus, ac de paradiso eiectus. In visibili autem creatura, quia propter idem peccatum immutata est atque corrupta. In posteritate sua,quia ipsum peccatum eius per lẽgem cõcupiscentiæ transijt ad posteros cum pœna sua. De prima quidem pœna, quæ fuit nudatio gratiæ,ac secũda quæ est corruptio naturæ, dicitur in Euangelio Lucæ,*quod descendens à Hierusalẽ in Hiericho incidit in latrones, qui spoliauerunt eum.* Et plagis impositis abierũt semiuiuo relicto. De tertia pœna quæ fuit à paradiso eiectio scriptum est in Genesi,*quod emisit eum Deus de voluptatis loco.* De quarta pœna dicitur ad Romanos, *Vanitati subiecta est creatura non volens &c.* De quinta vero quæ est transfusio peccati ac pœnæ in posteros dicit Apostolus ad Roma. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit,& per peccatum mors,& ita in omnes homines mors pertrãsijt, in quo omnes peccauerũt.* Et prima quidẽ pœna scilicet nudatio gratię quodãmodo exterius fuit manifesta per hoc quod attendentes nuditatẽ suam primi parentes erubuerunt, vt dictũ est supra. Quamdiu siquidẽ habuerunt vestimenta virtutũ interius; nullam penitus confusionem passi sunt exterius.

Quintuplex pœna peccati Adæ.

Sed

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sed erat vterque nudus & non erubeſcebant vt habitum eſt ſuperius, his autem per peccatum exutis, mox nuditatem erubuerunt corporis, hinc etiam veſtes materiales queſierunt fugientes ad ficus folia, vt inde ſibi facerent perizomata.

Bernard. in ſermone de aduentu domini. Ante peccatum ſiquidem diximus quatuor virtutibus amictum hominem. Quem nimirum miſericordia prẽueniens ac ſubſequens protegebat & cuſtodiebat, veritas docebat, iuſtitia regebat & pax fouebat. At vero iuſtitiam perdidit, cum Eua ſerpentis & Adam mulieris voci magiſquam diuinæ obediuit, inſuper etiam verba malitiæ ad excuſationem addidit; prior enim iuſtitiæ portio eſt non peccare, ſecunda vero per pœnitentiam peccatũ damnare. *Exaggeratio damnorum peccati primorum parentum.* Miſericordiam quoque perdidit, cum Eua in concupiſcentia ſua ſic exarſit, vt nec ſibi, nec viro nec filijs naſciturus parceret, ſed omnes ſimul terribili maledictioni ac neceſſitati mortis addiceret. Adam quoque qui ei conſenſit indignationi diuinę mulierem ipſam pro qua peccauerat obiecit. Priuatus eſt etiam vterq; veritate, Mulier quidem primo male detorquẽs quod audierat, *morte morieris*, & dicens, *Ne forte moriamur.* Inſuper etiam ſerpenti credens dicenti. Nequaquam moriemini. Adam vero vbi volatilia excuſationum operimenta prætendẽs veritatem erubuit confiteri. Pacem quoque protinus amiſerunt, quia legem contrariam in membris ſuis inuenerunt. *Non eſt pax impijs, dicit dominus.* Sic ergo deſcendens homo à Hieruſalem in Hierico, & à latronibus ſpoliatus, ablata ſibi veſtimenta ſalutis recipere non poterat niſi amitteret ſua Chriſtus. Vnde propter quatuor partes veſtimẽti quod amiſerat homo vetus, in totidem diuiſa ſunt veſtimenta noui hominis qui eſt Chriſtus.

De ſecunda pœna quæ eſt in naturalium læſione.

CAPVT LXXX.

POrro tunicam inconſutilem arbitror eſſe diuinam imaginem, quæ non eſt aſſuta ſed inſita ipſique naturæ impreſſa, diuidi non poteſt aut ſcindi. Ad imaginem enim Dei factus homo, habet arbitrij libertatem in imagine, virtutem autem in ſimilitudine. Et ſimilitudo quidem perijt, ſed in imagine homo pertranſijt, nam imago quidem in gehenna poterit vri, ſed non exuri, ardere non deleri. *Auctor.* Dicit autem Auguſtinus in Enchiridio, quod libero arbitrio male vtens homo & ſe & ipſum perdidit. *Amiſſum liberum arbitrium quo ſenſu explicatur ex ratione adiuncta.* Cũ enim peccaret libero arbitrio, amiſſum eſt liberum arbitrium victore peccato. A quo enim peccato quis deuictus eſt, huius & ſeruus eſt. Seruitus autem libertati contraria eſt. Sciendũ itaque quod amiſit quidem libertatem non tamẽ omnem, ſed geminam ſcilicet à culpa & miſeria. Tertiã vero ſcilicet à neceſſitate vel coactione non amiſit, ſed ęque poſt vt ante liberum extitit, quia nec ante nec poſtea cogi potuit.

Diſtinguuntur autem in ſententijs Petri Lombardi quatuor in homine ſtatus liberi arbitrij. Nã in *primo ſtatu*, ſcilicet ante peccatũ potuit peccare & non peccare. *In ſecundo*, ſcilicet in ſtatu peccati ante reparationẽ gratiæ poteſt peccare, & non poteſt etiam mortalitate non peccare, quia peccatum, vt dicit Gregor. quod pœnitentia citius non diluitur, ſuo pondere ad aliud trahit. *4. Status liberi arbitrij.* *In tertio ſtatu*, ſcilicet poſt reparationem gratiæ ante confirmationem poteſt peccare & non poteſt ſaltem venialiter non peccare, propter debilitatẽ carnis, in qua fomes extinctus non eſt, & propter tenuitatem gratię quæ etiã nondum conſummata eſt. *Poſt reparationem vero & in quarto ſtatu*, quæ fiet in reſurrectione infirmitate carnis penitus conſumpta, & gratia conſummata poterit non peccare. Corrupta eſt igitur libertas arbitrij per peccatum & ex parte perdita non ad plenum.

2. Corruptio in homine. In ſumma itaque notandum eſt, quod in homine per peccatum duplex eſt corruptio naturæ, vna ſcilicet in anima, & alia in corpore. In anima quippe læſus eſt quo ad rationem & intellectum, memoriam & ingenium, & huiuſmodi cætera, quæ ſtatim ipſo peccante obtenebrata ſunt & vitiata. In corpore vero multas pœnas & miſerias, vt patet, contraxit homo. Nam cum ante peccatũ fuiſſet naturaliter impaſſibilis, ſecundum modum ſupradictum & immortalis, per peccatum contraxit paſſibilitatem frigoris & caumatis, famis & ſitis, infirmitatis & laſſitudinis, inſuper & neceſſitatem mortis. *Hugo vbi ſupra.* Propter peccatum enim ſpiritus puniendum fregit Deus mortalitate integritatem humani corporis, & ob hoc iam pluribus quam prius indiget fomentis, tam ad reparandum incolumitatem quantum perijt, quam ad conſeruandum quantum remanſit. Nam quia ſpiritus elatus ſupra ſe ſuum appetitum intra menſuram cohibere nolu-it, idcirco ad laborem illius & miſeriam factum eſt, vt iam in appetitu carnis ſuæ menſuram tenere non poſſit.

Qualiter homo deſeruit appetitum iuſtitiæ.

CAPVT LXXXI.

SIcut enim dictum eſt ſuperius, Deus ab initio poſuerat in homine duo quibus tota regeretur natura illius, videlicet appetitum iuſti, & appetitum commodi. In appetitu iuſti conſtituit hominis meritum. In appetitu vero commodi præmium, & hos appetitus duo ſequebantur eorum effectus, ſcilicet iuſtũ & cõmodum, diſſimiliter tamen vt expoſitum eſt ſuperius. Quoniam igitur appetitum iuſti ſponte homo dereliquit, Idcirco merito & iuſtitiam & commodum perdidit, ſolumque commodi appetitum ad infælicitatis augmentum retinuit. Sed mirum videtur eſſe ſi volens aut nolens appetitum iuſtitiæ deſeruit, nam ſi nolens paſſus eſt neceſſitatem, non fecit iniquitatem, Si autem voluntas in eo prẽceſſiſſe dicitur, primum peccatum fuiſſe negabatur, nec inueniri poteſt, vnde voluntas homini talis, qua ſcilicet bonum deſerere vellet, aduenerit, quia nec à ſemetipſo habere velle potuit, nec à Deo quicquam præter commodum & iuſtum velle accepit. At vero cõſiderandum eſt, quod velle deſiuit homo non vtique volendo, ſed à voluntate ceſſando. Quoniã igitur homo appetitũ iuſti deſerens, non velle cępit quod prius noluit, ſed tantummodo quod prius volebat deſijt velle, Et non eſt neceſſe vt hoc aut volens aut nolens dicatur feciſſe. Quid autem volendo iuſtum velle deſijt, niſi aliquid extra menſuram in qua ſola iuſtitia fuit? Poſtquam ergo ceſſauit velle menſuram, deſtitit amare iuſtitiam, & in hoc ipſo iuſtitiam perdidit quo ipſum amorem iuſtitiæ amiſit. *Iuſtitia eſt in menſura.* In hoc igitur hominis iniuſtitia fuit, quod extra menſuram appetitum ſuum extendit, & ſecundum qualitatem creatori ſuo parificari voluit. Et ſecundum tempus, cum præmium ante meritum præripere feſtinauit, Summè itaque bonum appetijt, ſed non bene, quoniam illud immoderate & intempeſtiuè apprehendere concupiuit. Igitur voluntatis hominis non hoc malum eſt quod voluntas eſt, quoniam aliquid eſt, ipſam vero malam eſſe nõ aliquid eſſe eſt, ſed eſt aliquid nõ eſſe quod eſſe deberet, & ideo malum nihil eſt. Hoc itaque malum, id eſt non eſſe quod eſſe deberet, cum alibi vel pœna vel ad pœnam ſit, in rationali voluntate culpa eſt, quę quotiens in ipſa eſt, ex ipſa & per ipſam eſt. Ex ipſa quidem, quia liberè, per ipſam vero quia arbitrio ipſius factum eſt. In quo quidẽ à ſimitudine Dei peruerſa quadam imitatione recedit, ex quo & per quem & in quo eſt omne quod eſt, quia cum praua efficitur, ex ipſa & per ipſam & in ipſa hoc ſolum eſt quod nihil eſt. Et hoc illi culpa eſt, ex qua turpis ac reprehenſibilis apparet, quia non formam ſuam nec decorem habet, pro qua ſcilicet amari & ad gloriam adduci debuiſſet.

Qualiter punitus eſt ſuper hoc appetitus in commodi retentione.

CAPVT LXXXII.

QVoniam igitur homo peccauit deſerẽs appetitum iuſti, punitus eſt (vt diximus) in appetitu retento cõmodi. Nã & ille propterea ſic datus eſt, vt inſeparabiliter

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

liter rationali voluntati adeſſet, quatenus in eo vel puniretur ſi à iuſtitia recederet, vel remuneraretur ſi in iuſtitia permaneret, cum vtique pœnam pati omnino non poſſet ſi commodum nullum appeteret. Incommodum quippe nihil aliud eſſe conſtat, niſi quod voluntati ſiue appetitui contrarium eſſe probatur. Quoniam igitur homo appetitum iuſtitiæ deſeruit, appetitus commodi ſolus illi ad pœnam remanſit. In quo quidem dupliciter punitur, ſiue cum ab his quæ ordinate appetit, reſtringitur, ſiue cum alia ad commoda quæ ordinate non poſſunt appeti appetenda relaxatur. In altero eſt pœna, in altero & pœna & culpa, quia & hoc quoque mẽſuram non tenere contra iuſtitiam fuit. Hæc autem culpam præcedentis culpæ pœna fuit, quia niſi ſpiritus in appetitu ſuo menſuram deſeruiſſet, caro ſubiecta ſpiritui aduerſum ipſum in ſuo appetitu terminum menſuræ non tranſiret. Hinc ergo illa dira neceſſitas gignitur, vt extra ordinem primæ diſpoſitionis neceſſario appetitum extendat, non ſolum ſcilicet vt naturam cuſtodiat, ſed vt etiam ipſius naturæ vitium & corruptionem expellat. Hæc autem neceſſitas concupiſcendi non ideo non eſt culpa quia neceſſitas, quoniam vt eſſet neceſſitas iſta, nõ neceſſitas fuit cauſa, ſed voluntas. *Non enim excuſare poteſt illa neceſſitas quam præcedens operata eſt voluntas.* Culpa namque voluntaria meruit pœnam, pœna vero operata eſt infirmitatem, infirmitas autem induxit neceſſitatem. Et ideo quia neceſſitatem operata eſt voluntas, ipſam voluntatem excuſare non poteſt neceſſitas. Tranſgreſſionem ergo ſuperioris appetitus quæ ſolum fuit culpa ſubſecuta eſt inferioris tranſgreſſio, quæ eſt & pœna & culpa. In ſpiritu ſola culpa, in carne pœna & culpa. Si autem homini datum eſt appetere quod commodum eſt, ita prohibitum eſt illi appetere quod inordinatum eſt. Cumque in vnum concurrunt quod aliquo modo non vniuerſaliter commodum eſt: & inordinatum non eſt, ſi appetitus eſt ad commodum in affectu, quoniam hoc naturæ inſitum eſt, refrænandus eſt tamẽ ab effectu propter debitum rationis, cui ad inordinata ire conceſſum non eſt.

Nox excuſat neceſſitas quam operata eſt voluntas.

Dignitas rationis.

In hoc enim rationis dignitas apparet, quod affectũ ſuum ab inordinatis cohibet, idcirco plura eſſe commoda debuerunt, à quibus dum ratio præſidens affluentem affectum reſtringeret, excellentia illius appareret. Si ergo diximus, quia nihil omnino natura niſi commodum appetere poteſt, non ideo falſum id æſtimandum eſt, quia quædam appetit in quibus commodum eius non eſt, quãdo decipitur, vel etiam, quia quædam appetit in quibus aliquod commodum eſt, ſed ordinatum non eſt quando prẽuaricatur. Non enim decipitur in eo quod commodum ſuum appetit, ſed in eo quod commodum ſuum vbi non eſt eſſe putat, vel credit.

Mutabilitas hominis ex peccato.

Gregor. in Moral. lib. 8. Ad hoc ſiquidem homo conditus fuerat, vt ſtanti merite in arcem contemplationis ſe erigeret, & nulla hunc corruptio à ſui conditoris amore declinaret, ſed cum ab ingenita ſtandi ſoliditate voluntatis pedem ad culpam mouit, à dilectione conditoris in ſemetipſum protinus cecidit. Sed amorem Dei deſerẽs veram ſcilicet ſtationis arcem, nec in ſe conſiſtere potuit, quia lubricè mutabilis impulſu, infra ſe per corruptionem defluens, etiam à ſemetipſo diſſenſit. Nunc enim, quia conditionis ſuæ ſoliditate non figitur, alternanter ſemper deſiderij motu variatur, vt & quietus actionem deſideret, & occupatus ad ocium anhelet. Quia enim fixa mens ſtare dum potuit noluit, ſtare non valet etiam cum vellet, ſed quolibet poſita ſemper ægra alium locum quærit.

De tertia pœna, qua electus eſt de Paradiſi felicitate.

CAPVT LXXXIII.

Pelles mortẽ denotant.

Gloſſa ſuper Gen. Prius autem quam eijceret Deus de paradiſo parentes primos, *fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos* quibus videlicet ſignabatur mors, quæ poſt peccatum debebatur peccantibus, quia mortales facti ſcilicet ſunt ex immortalibus. Recte namque mors quam in corpore ſentimus in pellibus exprimitur, quæ mortuis corporibus detrahuntur. *Strabus ſuper Gen.* Ipſi nempe ſibi perizomata fecerant, vt peccatum ſuum abſconderent. Deus vero tunicas pelliceas illis fecit, quibus totum corpus eorum induit, quoniam in corpore & in anima ipſos iuſtè damnauit.

Stulta quæſtio.

Stulta vero quæſtio eſt hoc quærere, qualiter aut quo operante pelles ab animalibus ſint deductæ? Qui enim omnia de nihilo condidit, quomodo & qualiter voluit hoc fecit. *Ecce, inquit, Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis ſciens bonum & malum. Aug. ſuper Gen.* Pluralis numerus hic propter trinitatem ponitur, ſicut & ſuperius, vbi dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Replicatur ergo in caput ſuperbi, ad quem venerit exitum, quod à ſerpente ſuggeſtum eſt, *Eritis ſicut dij*; nec ſunt verba Dei inſultantis, ſed alios à ſuperbia deterrentis ſcilicet videntes hominem non eſſe factum qualem voluit, ſed magis amiſſiſſe quod factus ſit.

Comeſtio ligni vitæ daret æternitatem.

Gloſſa vbi ſupra. Videte ergo, inquit, ne forte ſumat de ligno vitæ & comedat, & viuat in æternum. Impleto quippe numero electorum de ligno vitæ fuerant guſtaturi, & ſic ad beatum ſtatum migraturi, ſed nunc adhibita eſt cuſtodia diuinitus, ne qui facti ſunt indigni, attingant vlterius. *Auctor.* Sed nunquid ſi de illo etiam poſt peccatum comederet immortalis fieret? Sic enim idem beneficium ex illo caperet ac ſi non peccaſſet. Ecõtra verò dicit Apoſtolus. *Corpus mortuum eſt propter peccatum*, ideſt neceſſitati moriendi addictum. Si ergo poſt peccatum de ligno vitæ ſumeret, nunquam propter id mortẽ euaderet. Ideo ſic intelligi poſſunt illa verba. Videte ne forte ſumat &c. Cauete vos Angeli ne comedat de ligno vitæ, quo indignus eſt, de quo ſi perſtitiſſet comederet, & in æternum viueret. *Gloſſa vbi ſup.* Emiſit ergo Deus illum de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt, id eſt, in corpore mortali operando laboraret, ac ſibi redeundi meritum collocaret. Superiora nempe verba Dei ſunt, hoc autem factum propter verba Dei ſecutum. Alienatus eſt igitur à vita, non ſolum quam ſi perſtitiſſet cum Angelis accepturus erat, ſed etiam ab illa quam in paradiſo habebat, quaſi excommunicatus, videlicet à ligno vitæ, quod pro ſacramento erat illi, ſicut in eccleſia ſolent homines à viſibilibus ſacramentis eccleſiæ diſciplina remouerì.

Adam excommunicatus.

De appoſita cuſtodia.

CAPVT LXXXIV.

Gladius flammeus quut

Auguſt. vbi ſupra. Eiecit ergo Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis cherubin, & flammeum gladiũ atque verſatilem, ad cuſtodiendum viam ligni vitæ. Hoc etiam in paradiſo viſibili factum eſſe credendum eſt, vt ibi per angelicum miniſteriũ ignea romphęa, vel cuſtodia quædam eſſet. Non tamen fruſtra, ſed quæ aliquid de paradiſo ſpirituali ſignificaret. *Alcuinus ſuper Gen. li. 2.* Quod autem verſatilis dicitur fuiſſe ignis ille, qui erat diſpoſitus in gladij ſimilitudinem, ſignabat illam cuſtodiam per Dei voluntatem aliquando à paradiſi aditu remouendam. Remota enim eſt Enoch tranſlato, remotã etiã Helia rapto. *Iſidor. in ſenten.* Myſticè autẽ Cherubin, ideſt, ſcientiæ plenitudo, hæc eſt charitas, quia plenitudo legis eſt dilectio. Gladius autem flammeus pœnæ temporales ſunt, quæ ſunt verſatiles, quia tempora volubilia ſunt. Ad arborem ergo vitæ non reditur, niſi per Cherubin, ideſt ſcientiæ plenitudinẽ, hoc eſt per charitatem, ac per gladium verſatilem, ideſt tollerantiam tẽporalem. *Strabus vbi ſup.* Flammeus nimirũ gladius tribulationes & dolores atque labores ſignificat, quibus exercemur in hac vita, vel etiam iuſtæ damnationis ſentẽtia, quæ in hominẽ eſt data. Qui quoniam ita damnatus eſt, vt Chriſti dãnatione poſſit redimi, Ideo gladius ille verſatilis dicitur, quia, ſcilicet poterat remoueri. Remotus eſt enim Enoch & Heliæ vt dictum eſt, fidelibus etiam ad ſupernam beatitudinẽ de hac vita tranſeuntibus

Cur verſatilis?

remo-

remouetur quotidie. Nec dicit ſcriptura, Flammam & gladium, ſed flammeum gladium. Qui enim ad paradiſum remeant, neceſſe eſt vt igne ſancti ſpiritus omnes concupiſcentias vitæ huius exurant, & gladio verbi Dei cuncta noxia præſcindant.

Auctor. Ecce myſterium quod ſuperius tangitur in verbis Auguſtini, videlicet quod ignea illa cuſtodia ſignabat aliquid de paradiſo ſpirituali. Homo enim ab vtroque ſecluſus eſt paradiſo, & ideo vtriuſque ingreſſus eidem intercluſus eſt à Deo, videlicet ſpiritualis per iuſtæ damnationis ſententiam, corporalis autem per igneam cuſtodiam. Et quoniam ab interna viſione ſecluſus erat, quod fiebat viſibiliter id quod erat inuiſibile figurabat. Quod ergo Strabus & etiam Alcuinus in gloſſis aiunt, Illam cuſtodiam igneam Enoch & Heliæ fuiſſe remotam & quotidie fidelibus remoueri tranſeuntibus ad beatitudinẽ ſupernam, non eſt referendum ad idem, ſed primum ad ſignum, ſecũdum ad ſignatum. Enoch enim & Heliæ apertus eſt ingreſſus paradiſi corporalis, fidelibus autem ad vitam æternam migrantibus aditus paradiſi ſpiritualis. *Cur angelus poſitus?* Dicit autem comeſtor, quod illa duo poſita ſunt ante paradiſi corporalis aditum, vt igneus gladius arceret hominem, *Angelus autem diabolum.* Et dominus quidem vtrumque ſolo verbo arcere poterat, Sed hoc (vt dictum eſt) ideo facere volebat, vt per clauſuram illam viſibilem paradiſi corporalis, myſticè deſignaretur, figurareturque clauſura cęleſtis, & ſpiritualis. Nam illa duo viſibilia ſignant alia duo quæ paradiſum ſpiritualem obcludunt homini, ita (vt ſicut prędictum eſt) niſi per illa non poſſit ingredi. Si autem quęritur quid ignis ille conſumebat, vel qua materia nutriebatur, dici poteſt, *Qua materia ignis?* quod eſt quædam ſpecies ignis, vt in vita beati Nicolai legitur, cui ſiquis manum adhibeat, ardorem quidem ſentit, ſed non patitur aduſtionem, nec indiget fomite, vel materia quam conſumat. Et talis etiã ſpiritum vrit, vt in libro Iob legitur, *Deuorabit eum ignis, qui non ſuccenditur.* Licèt autem gladius ille flammeus ad tempus intrantibus, Enoch & Helia fuerit ablatus, non tamen penitus, donec in morte Chriſti fuit extinctus, tunc enim virtute ſanguinis eius vtriuſque paradiſi reſeratus eſt ingreſſus.

De quarta pœna quæ eſt in rerum ſenſibilium punitione.

CAPVT LXXXV.

QVod autem ad quartam pœnam attinet. Sciẽdum quod irrationalis creatura propriè loquendo non eſt punita, ſed homo in ea propter quem facta eſt, & cuius erant dominus à Deo cõſtitutus, ſicut aliquis puniri ſolet in poſſeſſione ſua. *Omnia elementa detrimentum patiuntur propter hominem.* *Hamo ſuper Iſaiam.* In hominis ergo lapſu omnia elementa detrimentum ſuſtinuerunt, nam ante terra ſpinas & tribulos non proferebat, Aer iſte non tantæ craſſitudinis, ſed purus erat. Sic etiam Sol & Luna & ſydera cœli detrimentum ſuſtinuerunt luminis ſui. *Baſilius in Hexameron lib. 5.* Ante lapſum hominis roſa fuit ſine ſpina, poſtea vero pulchritudini eius eſt adiuncta, vt eſſet voluptati ſolicitudo continua reminiſcentibus nobis peccatum, cuius gratia dumos ac veptes generare damnata eſt terra.

Comeſtor. Maledicta inquit terra in opere tuo, id eſt, pro opere tuo ſcilicet pro peccato, pro quo videlicet factum eſt, vt terra quæ prius ſponte faciebat vberes fructus & bonos, deinceps raros nec ſine labore hominis proferat, & quandoque pro fructibus ſpinas & tribulos. *Strabus vbi ſupra.* Spinæ quidem & antea erant, ſed non vt inferrent homini laborem, cuius poſt peccatum ad laborem fuerunt & afflictionem, ſicut ſerpẽtes, ac quæque noxia prius erat innoxia. Et notandum quod viro extrinſeca pœna imponitur. Cum ei dicitur, *Maledicta terra in opere tuo.* Mulieri vero intrinſeca, quia virum ſeduxit ſeducta, cum dicitur, *Multiplicabo ærumnas tuas.* *Hugo de ſancto Victore.* Animalia vero etiam bruta cur puniuntur quæ non peccauerũt? ſed debet creatori ſuo laborem ſuum factura etiam ſine culpa, ſi placuerit. ei cum ratio expoſtulat, ad implendam ipſius diſpoſitionem: ſicut enim totum illi debet quod eſt, ſic etiam totum quod poteſt. Igitur quæ propter hominem facta ſunt, propter hominẽ puniuntur. Amplius, quia ſi etiam non peccaſſet homo, quæ propter hominem facta ſunt laborarent, vt ſciat homo quanti eſt apud Deum ſalus eius pro quo omnia laborant, ne ſolus ipſe laboret, & vt timere diſcat dum pœnam laborantium in pœna videt; denique totum homini verſum eſt ad cruciatum, quod ad iucunditatem fuerat creatum, vt & in omnibus dolorem & laborem inueniat. Et in afflictione ſua præſentem miſeriam & amiſſam felicitatem agnoſcat, *Cur cibi ſanctificantur?* *Ioan. Chryſoſt. ſuper Matthæum li. 2.* Porro cauſa ſanctificandarum eſcarum hæc eſt, quia mundus totus in maligno poſitus eſt. Et omnis ergo res corporalis, quia mundi pars eſt, in maligno poſita eſt. Ipſamque per verbum Dei & orationem ſanctificari oportet, alioquin maculata eſt. *Gloſſa ſuper Epiſtolam ad Roma.* Teſte quoque Apoſtolo, Omnis creatura per quotidianum laborem ingemiſcit, & parturit, id eſt, dolet vſque modo. Omnia ſiquidem elementa cum labore ſua implent officia, ſicut Sol & Luna, non ſine labore ſtatuta ſibi complent ſpacia, quod fit noſtri cauſa, vnde quieſcent nobis ad gloriam aſſumptis. Et ideo dicit quod ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis.

De quinta pœna quæ eſt in totius poſteritatis damnatione.

CAPVT LXXXVI.

Auctor. Quinta vero pœna qua punitus eſt homo, eſt transfuſio peccati ac pœnæ ipſius Adæ in poſteros, quod ſingulare eſt in illo peccato. *Hugo de ſacra.* Vt enim dictum eſt ſuperius, in ſpiritu eſt ſola culpa, in carne vero pœna & culpa, & ob hoc ad generandam prolem in carne tranſit per concupiſcentiam pœna & culpa. Cum autem nati per ſacramentum redemptionis regenerantur, culpa tollitur, vt iuſtificentur, pœna vero remanet vt exerceantur; ipſumque peccatum originale, quod in patribus per regenerationem deletum eſt quãtum ad culpam, quia tamen remanet ad pœnam, ad illos qui generantur tranſiens, non ſolum cõſiſtit ad pœnam, ſed etiam imputatur ad culpam. *Obiect.* *Auctor.* Verum dubitare poteſt hic aliquis de illa ſententia Ezechielis. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur, & filius non portabit iniquitatem patris. Ex hoc enim videtur, quod pro peccato Adę iniuſtę filij puniantur. *Reſp. 1.* Ad hoc autem dicimus, quod nunquam pro peccatis parentum puniuntur filij pœna æterna ſenſibili, ſed tamen pœna temporali, vel pœna æterna damni.

Reſp. 2. Dicunt etiam quidam, quod nulla pœna punit Deus tantummodo pro parentum peccatis, & quod paruuli non puniuntur pro peccato Adæ, ſed pro ſuo originali, quod dicunt aliud eſſe à peccato Adæ, ſed contractum à peccato Adæ, immo nec puniuntur (vt dicunt) pro originali ſuo propriè loquendo, quoniam ipſum originale nec malum eis infert, nec aliquid bonum prius eis habitum aufert: Sed dicuntur interpretatiuè pro eo puniri, quia bonum aliquod haberent, quod non habent ſi non eſſet originale ſcilicet viſionem Dei. Similiter dicunt de filijs natis poſt commiſſum crimen læſæ maieſtatis. Sed prima opinio eſt communior, & videtur eſſe verior. Itaque de paruulis Sodomitarum filijs dicimus, quod non ſunt puniti pœna æterna pro parentum peccatis, ſed tantummodo temporali ſcilicet morte corporis. Vel poſſumus dicere, quod non ſunt puniti propriè loquendo quando cremati ſunt, ſed potius per hoc miſericorditer à gehennæ incendio liberati. Sicut ſi aliquis puerum de periculo maris per capillos eriperet, licèt puer dolorem ſentiret, non tamen diceretur illum punire, ſed potius liberare. Vnde Aug. ſuper Gen. vbi agitur de illo incendio Sodomitarum. Prouiſum eſt inquit pueris Sodomorum, ne diu viuentes exempla patrum ſequerentur, & ſic grauius punirentur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De moderatione diuina ſententiæ in hac parte

CAP. LXXXVII.

HVgo vbi ſupra. Nunc quidem peccata parentum actualia non tranſeunt ad filios, ſed originale tantummodo, quod cæteris omnibus tanto maius fuit, quanto præ cæteris omnibus naturã ipſam mutare potuit. *Auctor.* Sic ergo quæritur, cur aliorum peccata nequaquam in poſteros ſicut & peccatum Adę cum pæna ſua tranfunditur. *Ad hoc reſpõdetur*, quia ſic nimia & intollerabili ſarcina peccatorum ac pęnarum paruuli grauarentur, ſicut ab Aug. in Enchir. tangitur. Quod vtiq; non pateretur diuina miſericordia, quia nunquam obliuiſcitur miſereri Deus, nec continet miſericordias ſuas in ira ſua. Ideoq; poſuit metam in humanæ naturæ corruptione, vt amplius non corrumperetur peccatis aliorũ iam corrupta per peccatũ Adę.

Quæſtio. *Reſp.* *1. Ratio.* *2. Ratio.*

Alia quoq; ratio aſſignari poteſt ex parte ipſius humanæ naturæ, quia iam non erat ſuſceptibilis alterius corruptionis, ex quo ſufficientet corrupta fuit per peccatum Adæ. Nam & pannus ſufficienter madefactus iam non eſt ſuſceptibilis alterius madefactionis, nec aqua iam calefacta ſuſceptibilis eſt alterius calefactionis. Ipſa tamen natura quia de nihilo eſt, poſſet omnino corrumpi & in nihilum redigi, ſed Deus nullatenus permittet tale quid, vt pote quia nihil odit eorum quæ fecit.

Tertia.

Tertia etiam ratio aſſignatur ex parte ipſius eiuſdem naturę ſcilicet eius nouitas, propter quam tunc corruptionis firmius ſuſceptibilis erat. Cuius exemplum in ſpeculo poteſt apparere, quia dum nouum eſt facile inficitur ex viſu mulieris menſtruatæ, Cum autem vetus eſt iam infici nõ poteſt, vt dicit Ariſtoteles. At hæc ratio vltima videtur quaſi nulla. Nam et ſi nunquã homo vſq; modo peccaſſet, ac modo peccaret, æque inficeretur eius natura nunc ſicut & tunc.

Obiect.

Sed fortaſſe videbitur alicui prędictis eſſe contraria illa dominica in Exodo ſententia. *Ego ſum inquit 'Deus zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios, vſq; in tertiã & quartam generationem.* At vero dicit Hierony. quod loquitur ibi de filijs qui peccata parentum imitantur, qui vtiq; non puniuntur, quia parentes peccauerunt, ſed quia ipſimet peccatum parentum imitantes deliquerunt, quod etiam ibidem innuitur, cum ſubiungitur, *His qui oderunt me.*

Reſp.

Sed ſecundum hoc quæri poterit, cur ibi mentionem de patribus facit, cum non illi ſoli mali ſunt ac pæna digni, quia peccata imitantur patrum, ſed omnes etiam illi qui imitantur quorumcunq; malorum. *Iuxta hoc etiam merito quæritur*, cur de tertia & quarta generatione mentionem facit, cum in qualibet generatione ſint rei, qui peccata patrum imitantur.

Quæſt. *Reſp.*

Ad hoc autem dicimus quod ideo patres nominat ſpiritualiter, quia filij maxime ſolent imitari patres, cum eos maxime diligant naturaliter, ideo vero commemorat tertiam & quartam generationem, quia ſolent tandiu interdum viuere patres, donec habeant filios tertios, & quartos, id eſt pronepotes & adnepotes, qui videntes iniquitates patrum per imitationem ſeſe faciunt hæredes ipſorum. Itaque iudęi nõ ſunt puniti captiuitate Babylonica vel Romana pro peccatis patrum ſuorum, niſi quia imitati ſunt ea, & grauius etiam quam illi peccabant. Iuxta illud. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Illi etiam qui nunc per orbem diſperſi ſunt multiſque miſerijs afflicti, non puniuntur pro peccato patrum ſuorum, qui Chriſtum interfecerunt, ſed pro ſuo, quo male credunt, & male viuunt.

Quid ſit peccatum originale.

CAP. LXXXVIII.

HVgo vbi ſup. Originale peccatum dupliciter intelligi poteſt, ſiue videlicet illa prima hominis inobedientia, quæ peccatorum omnium ſubſequentium origo extitit, ſiue vitium illud cum quo ab illo traducto vniuerſi oriũtur. Et duplici corruptione naturam inficit, ignorantia ſcilic. mentem & concupiſcentia carnem, hæc duo mala in primo quidem parente fuerunt pæna culpæ præcedentis, & pæna actualis. In nobis autem culpa pænæ ſubſequentis, & culpa ſimul & pœna originalis. Illud autem peccatum quod in illo originale dicitur, actuale illius fuit, quia profecto qui peccatum naſcendo non traxit, peccatum non habuit, niſi quod agendo perpetrauit. Nos autem qui ab illo naſcendo originem traximus, quod illi actuale fuit originale habemus. Natura enim noſtra corruptionem quam in illo per illius actionem concepit, per noſtram ſolum ad nos natiuitatem traduxit. in illo quippe ſpiritus contra creatorem tumens per ſuperbiam obedientiam non tenuit, & ideo creator ad vlciſcendam iniuriam ſuam ſpiritum quidem ignorantia, carnem vero concupiſcentia damnauit, vt in ſe bonum agendo non videat, In carne autem ſua malũ agere concupiſcat. Hęc duo vitia ad puniendam ſuperbiam hominis iuſtè confirmantur, *Ignorantia* quidem dum ab ipſo ſubtrahitur lumen veritatis. *Concupiſcentia* vero dum caro percutitur pæna mortalitatis. Si ergo quęritur quid ſit originale peccatum in nobis, intelligitur corruptio ſiue vitium quod naſcendo contrahimus per ignorantiam, in mente, per concupiſcentiam in carne.

Ignorantia. *Concupiſcẽtia.*

Quod ſi quæritur qua iuſtitia animæ imputetur quod nec ex creatione accepit, neq; ex voluntate perpetrauit, ſed ex ſola carnis ſocietate contraxit, quam ſocietatem non ipſa ſuo arbitrio vendicauit, ſed præcepto & diſpoſitione ſui creatoris ſuſcipit. Nos tamen id quod verum eſt profiteri oportet iuſtitiam diuinam in hoc reprehenſibilem quidem non eſſe, ſed incomprehenſibilem eſſe. Nam hi qui dicunt Deum à principio propoſuiſſe animas corporibus viuificandis ſociare, & corporum generatorum officium homini iniunxiſſe, & ſic homo ſuum corpus corrupit, Deus autem propoſitum ſuum mutare non debuit, rationem diuinæ iuſtitię non exponunt, quia ſicut ad diuinam bonitatem non pertinuit vt eas malas faceret, ſic nec conuenire videbatur vt apponeret illic collocate, vbi malas fieri neceſſe eſſet, *Fide ergo magis quam ratione ſcrutari oportet. Auctor.* Hæc autem quæſtio plenius ſoluta eſt in li. præcedenti qui eſt de vniuerſo, vbi ſcilicet inter opera diuinæ iuſtitiæ tactum eſt de originali peccato.

Difficultas de traduce peccati originalis ſoluitur.

Qualiter transfundit poſſet cum eius ſubiectum id eſt anima non ſit ex traduce.

CAP. LXXXIX.

HVgo vbi ſupra. Quæritur autem ſi animæ ex traduce non eſſe dicuntur, quomodo filij peccato parentum obnoxij efficiuntur. Si enim caro ſola ſeminatur, per ſolam vtique carnem originale peccatum traducitur, Quod ſi verum eſt, duo nobis quærenda occurrunt, vnum ſcilicet quomodo per ſolam carnem ſine anima peccatum à patre in filiũ tranſeat. Alterum quomodo anima illius peccati quod per ſolam carnem & in ſola carne deſcendit, particeps fiat? Nam caro ſine anima quomodo peccatũ habere poteſt, quæ ſine anima omnino peccare nõ poteſt? Quod enim in carne aliquando non fuit, ex carne illud poſtmodum anima non accepit. Duo quidem vitia humana natura à prima ſua corruptione concepit. Quorum vnum ideſt ignorantia boni mentem infecit. Alterum ideſt concupiſcentia mali carnem maculauit, Ignorantia pæna fuit elationis, concupiſcentia effectus mortalitatis.

Ita quatuor mala in homine apparent, ſuperbia mẽtis culpa tãtum, mortalitatis carnis pæna tantũ, Ignorantia culpa & pęna in mente. Concupiſcẽtia culpa & pænain carne, propter elationẽ animus obſcuratus eſt per

4. Mala in homine.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

per ignorantiam, propter mortalitatem caro emollita eſt per concupiſcentia. Quia vero caro mortalitate percuſſa eſt, ipſa ſui languoris infirmitate diſſoluta eſt, extra menſuram primę diſpoſitionis deſideria ſua extendit. Hæc eſt enim ipſa quę carnis concupiſcentia vocatur, naturalis, ſcilicet appetitus ſiue affectus ordinem tranſgrediens, quando mouetur ad ea quę non debet, menſuram tranſcendens, vel quando mouetur aliter quam debet. Sic igitur culpa prima & pœna vltima duo media orta ſunt culpa & pœna quibus peccati originalis radix conſiſtit. Quia igitur caro humana à parentibus cum mortalitate ſeminatur, ipſi mortalitati infirmitas cauſa eſt, quam ſequitur concupiſcendi neceſſitas. Igitur cauſa culpæ, corruptio mortalitatis eſt. Culpa concupiſcentia eſt. Actus culpę cõcupiſcere. Cauſa culpæ radix eſt, culpa ipſa arbor, Actus culpæ ipſe fructus. Non itaq; naſcentes ſine vitio propterea eſſe exiſtimentur, quia non concupiſcunt, quia radicitus vitium concupiſcentiæ in ipſis eſt, propter quod poſtea cum operantur, concupiſcunt. Ignorantia autem non propterea vitium in eis eſt, quia cum naſcuntur veritatẽ non cognoſcunt. Naſci quippe ſine cognitione natura eſt non culpa, ſed in vitio naſci quo poſtea à cognitione, veritatis impediatur culpa eſt non natura. Hoc autem vitium in corruptione carnis eſt ſenſus carnalis. Qui ſi integritatem ſuam haberet, prouectus & exercitatus iudicium veritatis per ea quę foris videntur ſine labore conciperet. Quia vero ex carne corrupta, integritate ſua priuatus eſt, puram ſine cõfuſione erroris haurire non poteſt. In carne igitur mortali ex ſenſualitate corrupta naſcitur vitium concupiſcentiæ, ex ſenſu corrupto vitium ignorantiæ. Ibi quia appetitus quærendæ neceſſitatis vltra menſuram ſe extendit, hic autem quia inſtrumentum concipiendæ veritatis ab integritatis vigore deficit. Conſtat ergo quia rationalis anima corpori humano infuſa nec voluntate corrumpitur ne peccatum ſit actuale, nec neceſſitate ne vitium ſit imputabile, non itaq; malum illi eſt aut mala voluntas, quia necdum velle cæpit, Aut etiam opus malum, ſed quod talis eſt quæ niſi per gratiam adiuuetur, neque cognitionem veritatis percipere, neque concupiſcentiæ carnis ſuæ poſſit reſiſtere.

Quod non ſolum originale ſed etiam actualia peccata & culpę ſunt & pœna.

Cap. XC.

Loſſa vbi ſup. Porro de quibuſdam ab Apoſtolo ad Romanos dicitur, quod mercedem erroris ſui quam oportuit in ſemetipſis receperunt, vt videlicet crimina criminibus vindicentur, & ſupplicia peccantium non tantummodo ſint tormenta, ſed etiã vitiorum incrementa. Iudicio nanq; iuſtiſſimi Dei traditi ſunt in paſſiones ignominiæ, quæ fuerunt ei peccatorum præcedentium pœnæ, ſed quoniam iſtas pœnas pauci vident, propter hoc Apoſtolus eas ibi maxime commemorat, & multa quæ peccata & pœnæ ſunt enumerat. Inter primum enim apoſtaſiæ peccatum, & vltimam ignis pœnam, media quę ſunt, & peccata & pœnę ſunt. *Greg. in Moral.* Peccatum enim quod per pœnitentiam citius non diluitur, ſuo pondere ad aliud trahit. *Idem ſuper primam partem Ezechiel. Homil.* 11. Diſtincta nanque ſunt Dei iudicia, & qui peccatorem diu expectat vt redeat, non redeunti & contemnenti ponit adhuc vbi grauius impingat, peccatum quippe quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum eſt aut cauſa peccati, aut peccatum ſimul & cauſa & pęna peccati, hoc igitur nobis cum tremore conſiderandum eſt, quomodo iuſtus Deus cum præcedentibus peccatis iraſcitur, permittit vt cæcata mens etiam in alijs labatur. *Vnde in Geneſi legitur. Nondum impleta ſunt peccata Amorrhæorum.* Dauid quoque ait, *Appone iniquitatem ſuper inquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam.* Nec tamen cor peccantis Dominus obdurat, ſed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Et cum patientiam eius gratiæ nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipſum tempus quod ad parcendum pie diſpoſuit, diſtrictius ad ferendum vertit. *Author.* At ex prędictis videtur quod peccatum inquantum peccatum ſit à Deo, cum omnis pœna ſit à Deo, iuxta illud Amos, *Non eſt malum in ciuitate quod non faciat Dominus.* Dicit etiam Auguſtinus, quod quia noluit homo peccatum vitare cũ potuit, inflictum eſt ei non poſſe cum velit. Ex quo patet quod à Deo ſit inflicta pronitas peccantium quæ cauſa eſt ipſius peccati. Illam itaq; propoſitionem, *peccatum eſt pœna peccati*, diuerſimode exponunt diuerſi. *Quidam enim aiunt*, quod peccatum ſequens ideo dicitur pœna præcedentis peccati, quia pœna proueniens ex ſequẽti, ſcilicet corruptio naturalium, & debilitatio, eſt inflicta pro præcedenti, & ſic ſumitur peccatum pro pœna peccato adiuncta, & actiue ſumitur pœna. *Alij vero dicunt*, quod ipſum peccatum eſſentialiter eſt paſſiue pęna peccati, id eſt, punitio pro peccato pręcedenti, vt pro, non ſit cauſale, ſed occaſionale. Et dicunt quod inquantum eſt pęna. bonum eſt, non tamen in ſe bonum eſt. *Aliqui dicunt* quod ibi conſequens pro antecedente ponitur ſub hoc ſenſu. Peccatum eſt pœna peccati, id eſt, ſubtractio gratiæ quæ ſequitur ex peccato eſt pœna præcedentis peccati. Similiter & intelligitur illa, peccatum eſt cauſa peccati, id eſt, ſubſtractionis gratiæ qua ſubtracta defacili cadit homo in aliud peccatum, ſicut homo debilitatus infirmitate corporis, de facili cadit in lubricum. Hæc igitur eſt, impropria peccatum eſt pœna.

obiect.

Reſp.

Varia expoſitiones huius dicti peccatũ eſt pœna peccati.

Peccata pœna peccatorũ.

Obiect.

Si autem obiicitur quod peccatum eſt corruptio naturalium, quæ eſt pœna, & etiam mors animæ, poteſt dici quod dicitur corruptio, quia corrumpit, non per modum efficiendi, ſed per modum deficiendi vel impediendi animam, ne vera lux influat ſuper illam. Nec eſt ſimile de morte corporis, quoniam illa eſt violenta & à Deo inflicta, mors autem animæ quæ eſt peccatum, eſt voluntaria. Et ideo non eſt proprie pœna, nec eſt mors animę per eſſentiam ſed per cauſam, quia repellendo ab illa veram lucem & viuificam mori facit eam. Dicitur etiam peccatum amaritudo propter amaritudinem annexam quę dicitur pœna innata. Eſt enim triplex pœna, videlicet *pœna cõtracta*, vt illa multiplex quæ contrahitur ab originali culpa. *Item pœna innata* quæ eſt amaritudo mentis naturaliter conſequens ex culpa, vt pudor & timor, ac remorſus conſcientiæ vel ſimilia. *Item pœna illata*, vt illa quę infertur à Deo vel ab homine vel diabolo.

Reſp.

Triplex pœna.

De peccati diuiſionibus, & primo de ſeptem vitijs capitalibus.

Cap. XCI.

Peccatum ergo primo diuiditur in originale & actuale, poſtmodum actuale in duo ſubdiuiditur, veniale ſcilicet ac mortale, Mortale in delictum & commiſſum, delictum in duo ſcilicet ignorantiam & omiſſionem. *Ignorantia præcipue culpabilis* eſt in ſacerdotibus, prælatis, & ducibus, qui maxime tenentur ſcire, & quorum officium eſt interrogatos de lege reſpondere. Maxime vero excuſabilis eſt in furioſis, in dormientibus, & in ebrijs, qui rationem habentes ligatam, non valent inter bonum & malum diſcernere. Ad omiſſionem vero pertinet etiam negligentia.

Ignorantia culpabilis.

Commiſſum diuiditur in ſeptem vitia capitalia, quorum radix eſt ſuperbia, germina vero multiplicia, Ex ſuperbia quidem naſcitur inanis gloria. Superbus enim vult ab omnibus laudari, vt poſſit ab omnibus honorari. Ex his autem inuidia, quia dum laus appetitur, eadem aliis inuidetur. Ex hac iterum ira, quia dum mens de aliena fælicitate torquetur, neceſſe

Superbia radix aliorum peccatorum.

eſt vt

eſt vt & oculus mētis per iracundiam turbetur. Ex ira autem acedia, quia dum mens inordinate turbatur, omne bonum ei in faſtidium vertitur. Ex acedia vero auaritia, quia dum turbata mens & triſtis nullam interius conſolationem ſentit, foris eam in terrenis per auaritiam quærit. Ex auaritia quoq; gula, quia quod auaritia congregauit gula depaſcit. Vnde diuites ſolent eſſe guloſi ſicut ille qui epulabatur quotidie ſplēdide. Ex gula autem luxuria, quia venter & genitalia ſunt vicina, & pro vicinitate membrorum ſequitur conſideratio vitiorum. Ex his itaque vitijs ſubinuicem annexis quaſi catena efficitur, vnde peccator ligatur & ad infernum trahitur. Superbia quattuor habet ſpecies. Iuxta illud. *Exſe pro meritis, falſo, plus omnibus inflant.*

Catena vitiorum.

De peccato cordis & oris.

CAP. XCII.

ALiter etiam peccatum diuiditur in peccatū cordis, oris, & operis. Peccatum cordis in tria, ſcilicet cogitationis, delectationis, conſenſus. Peccatum cogitationis proprie eſt error qui triplex eſt, ſcilicet error concupiſcentiæ, & infidelitatis, & praui iudicij. Et ex errore conſcientiæ oritur perplexitas. Ex prauo iudicio perſonarum acceptio, quæ committitur, tripliciter ſcilicet in honorum exhibitione, in praui iudicij executione, in promotione ad dignitates.

Peccatum cordis.

Peccatū oris.

Peccatum oris multiplex eſt, In ſermone enim requiruntur tria ſcilicet veritas, bonitas, æquitas & rectitudo. Contra veritatem peccatur in verbo tripliciter aut quia veritas violatur, quod fit per mendacium. Aut quia contēnitur, quod fit per periurium. Aut quia impugnantur, quod fit per contentionem. Cōtra bonitatem vero dupliciter, ſc. contra honeſtatē, per ſcurrilitatem. Contra vtilitatem per vaniloquium & multiloquium ſiue garrulitatem. Cōtra rectitudinem dupliciter, ſc. in laude & vituperatione. In laude, quādo laudatur non laudandum, quod fit dupliciter, vel in laude aliena per adulationem, vel in propria per iactantiam. In vituperio ſimiliter quādo vituperatur non vituperandum, quod fit dupliciter. Aut enim vituperatur Deus, quod fit per blaſphemiam, aut proximus, aut dupliciter, aut imprecando pœnam, quod fit per maledictum, aut improperando culpam, & hoc dupliciter, aut aperte, quod fit per contumeliam, aut occulte, quod fit per detractionem. Mendacium triplex eſt ſcilicet pernicioſum, officioſum, iocoſum. Aliter vero diuiditur in octo genera ſecundum Auguſtinum. Periurium triplex eſt contra tres comites iuramenti ſcilicet veritatem, iuſtitiam diſcretionem. Iuramentum quoq; diuiditur in aſſertorium & promiſſorium, ſpontaneum & coactum, licitum & illicitum. Adulatio triplex eſt ſcilicet bonum non habitum alicui attribuens, habitum extollens, malum nutriens. Maledictum ſimiliter triplex, videlicet ſurreptionis ex motu ſubito ſimulationis non ex animo, & hæc duo genera venialia eſſe dicuntur. Tertium vero ſcilicet odij, mortale eſt. Detractio fit ſeptem modis, videlicet bonum alterius negando, ſupprimendo, deprimendo, deprauando, malum occultum reuelando, augmentando, & inueniendo.

Mendaciū 3.

Detractio 4.

De peccato operis & primo de impietate quæ committitur in Deum.

CAP. XCIII.

Peccatum operis triplex eſt, impietas in Deum, flagitium in ſe ipſum, facinus in proximum. Impietas eſt triplex, aut enim fit derogando diuinę ſublimitati, quæ attribuitur patri, aut veritati, quæ filio, aut ſanctitati, quæ ſpiritui ſancto. Eius ſublimitati cui debetur honor derogatur tripliciter, videlicet aut cultum ei debitum alij impendendo, quod fit per idolatriam, aut cultum ei indebitum impendēdo, quod fit per ſuperſtitionem Iudaicam, Aut à cultu ei debito retrocedendo quod fit per apoſtaſiam, quæ triplex eſt. Aut enim receditur à fide, & ſic eſt perfidia. Aut à præcepto, & ſic eſt inobedientia. Aut à religione & ſic eſt irregularitas. Inobedientia triplex eſt, tribus enim debemus obedientiam, ſcilicet primo Deo, deinde prælatis, tertio parentibus. Apoſtaſia irregularitatis fit multis modis, videlicet coronam vel tonſuram dimittendo, vxorem ducendo, veſtem religionis abijciendo, ad ſęculum redeundo.

Peccatū oris.

Derogatur 3. veritati diuinæ.

Veritati diuinæ cui debetur fides derogatur tripliciter, videlicet aut ei contradicendo, quod fit per hęreſim, vbi cōtradicitur veritati. Aut quod eius eſt proprium ſibi falſo aſcribendo ſcilicet futura prędicere, quod fit per diuinationem. Aut mendacijs innitendo, quod fit per ſortilegium. Diuinatio multiplex eſt, fit enim in corporibus mortuorum illa quę dicitur necromantia, In igne pyromantia In aere, aerimantia, in aqua, ydromātia, In terra, geomantia. Ad ſortilegium pertinet diuinatio ſortium, carmina vetularum obſeruantia kalendarum anuarij, quaſi in præſagium boni euentus futuri per totum annum, & omnia huiuſmodi ſuperſtitioſa. Omnes quoq; ligaturę ac remedia quæ medicorum condemnat diſciplina. Ad hæreſim vero pertinet ſchiſma.

Sāctitati diuinæ derogatur. 3.

Similiter ſanctitati diuinæ derogatur tripliciter, videlicet aut ſanctitatem falſo ſimulādo, quaſi ſi in eius deriſionem, quod fit per hypocriſim, Aut eius ſacra dona vilificando, id eſt ſub vili precio ponendo, quod fit per ſimoniam, Aut ei ſanctificata violando, quod fit tripliciter, videlicet aut violatione ſacri loci, quod fit per ſacrilegium proprie, Aut ſacri temporis, quod fit per tranſgreſſionem ſabbati & feriarum. Aut ſacræ rei. & hoc tripliciter, videlicet aut rei quam ipſe Dominus ſibi ſanctificauit, vt ſunt decimæ & primitiæ Aut quam ipſe homo Deo ſponte conſecrauit, vt ſunt vota, Aut quam Deo ſanctificari inſtitutio eccleſiaſtica ſanxit, vel conſuetudo approbauit, vt ſunt oblationes & huiuſmodi. Hæc enim omnia retinere, eſt ſanctificata Deo violare.

Simonia 3.

Simonia tres habet differentias, venditur enim aliquando ſpirituale, vt ſacramēta, aliquando annexum ſpirituali, vt præbenda aliquando ſpirituale & annexum ſpirituali, vt prędicatio. Sacrilegium ſimiliter tres habet differentias. Committitur enim quandoq; ratione perſonæ, vt cum clericus vel religioſus verberatur, quandoq; ratione loci, vt cum eccleſiæ vel cimiterij immunitas violatur, quandoq; vero ratione, rei, vt cum res ſacra vel ſacro vſui deputata vſurpatur. Sabbati violatio triplex eſt contra triplicem requiem vel ocium ſanctum Eſt enim ocium ſanctum corporale, contra quod peccatur primo hoc modo ſcil. die Dominico ſeruilia operando. Et eſt ſpirituale, cōtra quod ſecundo modo ſcilicet mentis contemplationem penitus deſerēdo, Et eſt ocium cæleſte, contra quod tertio modo ſcilicet ab eius deſiderio torpendo, & in præſenti vita male ociando. Fractio voti duplex eſt, eſt enim votum ſimplex & ſolenne.

De Flagitio quod committit homo in ſeipſum.

CAP. XCIV.

FLagitium triplex eſt, cum enim in corpore humano ſit duplex vis conſeruatiua ſcilicet vna ad conſeruationem indiuidui, hęc eſt nutritiua. Alia ad conſeruationem ſpeciei ſcilicet generatiua *Peccat homo in carne ſua, aut ex inordinatione generatiua & hoc per luxuriam, aut nutritiua, & hoc per gulam*, ſed dupliciter, aut quantum ad cibum, & ſic ingluuies ſiue guloſitas, aut quantum ad potum, & ſic ebrietas. Guloſitas autem committitur quinque modis, iuxta illud. *Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe &c.* Luxuria quoque plures habet ſpecies, aut enim committitur in coitu naturali, aut contra naturam. Si primo modo, aut in vxorem propriam, quod fit per immoderatum

Luxuria & gula.

Modi gula & luxuria.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vſum vel a morem. Aut in aliam, & ſic aut in conſanguineam & eſt inceſtus; aut in extraneam. Et tunc aut in virginem aut in corruptam; In virginem autem dupliciter, aut illa conſentiente, & ſic dicitur ſtuprum, aut renitente, & ſic eſt raptus. In corruptam ſimiliter dupliciter. Aut in coniugatam, & ſic eſt adulterium. Aut in ſolutam, & tunc aut in priuatam perſonam, & dicitur fornicatio, aut in publicam meretricem, & ſic eſt meretricium. Contra naturam vero peccatur dupliciter, ſcilicet aut in ſe ipſum, & dicitur mollicies. Aut in alium, & ſic ſodomia: Quæ & ipſa quatuor habet ramos. Hanc enim turpitudinem operatur vel maſculus cum maſculo, vel fęmina cum fęmina, vel maſculus cum fęmina, in membro ſcilicet ad hoc non conceſſo, vel maſculus aut fœmina cum bruto. Ad luxuriamque pertinet vtcunque nocturna pollutio, quę tamen aliquando euenit ex naturæ ſuperfluitate, aliquando ex infirmitate, aliquando ex crapula præcedente, aliquando ex turpi imaginatione, & hoc dupliciter, aliquando ex præcedente vigilantis cogitatione, aliquando ex ſola ſomni illuſione.

De facinore quod committitur in proximum, & peccato in ſpiritum ſanctum.

CAP. XCV.

Scandalū 2. FAcinus ſimiliter triplex eſt. Committitur enim lędendo proximum, Aut in anima, aut in corpore, aut in poſſeſſione. In anima lædítur per ſcandalum. Eſt enim ſcandalum duplex, ſcilicet actiuum & paſſiuum. Scandalizat autem aliquis proximum, vel ipſum offendendo, vel ipſum ad peccatum prouocando, vel malum exemplum tribuendo. In corpore autem nocetur ei tripliciter, videlicet aut corporaliter eum vexando, quod fit per angariam, aut corporaliter lædendo vel percutiendo, quod fit per iniectionem manuum violentam, aut vitam corporis omnino deſtruendo, quod fit per homicidium. In poſſeſſione ſimiliter lædítur tripliciter ſcilicet veldebitum ei negando, quod fit per auaritiam vel tenacitatem, quæ negat pauperi eleemoſynam. Vel rem ab eo poſſeſſam ſubripiendo, quod fit per rapacitatem. Vel eam penitus deſtruendo, quod fit per incendia & huiuſmodi.

Res autem proximi ſubripitur dupliciter ſcilicet aperte, vel occultè. Aperte dupliciter, vel ipſo vtcunque permittente, quod fit per vſuram, vel penitus renitente, quod fit per rapinam. Occultè ſimiliter dupliciter, vel in eius abſentia, quod fit per furtum, vel in præſentia, quod fit per fraudem, vt in negocijs. Omnium autem peccatorum maximum quaſi ſumma & finis omnium eſt peccatum in ſpiritum ſanctum. Cuius ſpecies ſunt quinque, ſcilicet præſumptio, deſperatio, finalis impœnitentia, agnitæ veritatis impugnatio, fraternæ charitatis oppugnatio. Peccatum autem in ſpiritum ſanctum proprie dicitur malitioſa & obſtinata impugnatio diuinæ bonitatis. Impugnatur autem dupliciter, quia duplicem habet reſpectum ſcilicet vnum ad ipſum Deum, alterum ad nos. Reſpectu Dei poteſt dupliciter impugnari ſcilicet nimis extendendo, quod fit per præſumptionem, vel nimis reſtringędo, quod fit per deſperationem. Reſpectu noſtri poteſt quis eam impugnare dupliciter, vel in ſeipſo, quod fit per finalem impœnitentiam, ideſt per finale propoſitum non pœnitendi, vel in alio, & hoc dupliciter, vel quo ad affectum, & ſic eſt fraternæ charitatis oppugnatio. Peccatum autem generaliter tria maxima ſequuntur incommoda, ſcilicet ſubtractio omnium gratuitorum, corruptio naturalium, obligatio pœnæ æternæ: ſed & peccatum peccato punitur, vt ſupra dictum eſt.

Vſura. Rapina.

Quinq. ſpecies peccati in Spiritum ſanctum.

SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER TRICESIMVSPRIMVS.

De humana generationis initio.

CAP. I.



Loſſa ſuper Geneſim. Itaque iam reus ac de paradiſo proiectus Adã cognouit vxorem ſuam. In paradiſo quippe virginitas, extra vero nuptiæ, fuiſſet tamen honeſtum in paradiſo coniugium, niſi prius inobedientia meruiſſet exiliũ, quàm Deus indulſiſſet carnale conſortium, propter hoc in lumbis Adæ damnata eſt morte poſteritas tota, quia non eſt ante pręuaricationem in loco virę de maſſa ſeparata, ſed poſt in exilio generata. Gennit ergo Cayn & Abel, hi de vna matre nati, ſigna ſunt omnium hominum, qui propagãtur in hanc vitam de radice peccati. *Auguſtinus de ciuit. Dei lib.* 15. Natus eſt enim Cayn prior pertinens ad ciuitatem mundi, poſterior autem Abel pertinens ad ciuitatem Dei. Siquidem & ita in homine vno experimur, quod dicitur ab Apoſtolo, quia non primum quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, poſtea vero ſpirituale. Nam vnuſquiſque quia ex damnata propagine oritur, primo neceſſe eſt vt ex Adam fit malus atque carnalis, ſi autem in Chriſto renaſcendo profecerit, poſtea bonus & ſpiritualis; ſic & in vniuerſo genere humano, cum primo cęperunt illæ duæ ciuitates procurrere naſcendo & moriendo, prior natus eſt Cayn ciuis huius ſæculi, poſterius autẽ Abel in ſęculo peregrinus, & ciuis ciuitatis Dei, gratia prędeſtinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorſum, gratia ciuis ſurſum. Etenim quantum ad ipſum attinet, ex eadem ortus eſt maſſa quæ tota originaliter eſt damnata, at vero Deus tanquam ſapiens figulus ex eadem maſſa fecit aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam. Et prius quidem vas in contumeliam quoniam in homine vno, ſicut dictũ eſt, prius eſt reprobum, vnde neceſſe eſt incipiamus, & vbi neceſſe non eſt vt remaneamus, poſterius eſt probum, quo proficientes veniamus & quo peruenientes maneamus. Proinde non quidem omnis homo malus erit bonus, nemo tamen erit bonus qui non fuerit malus. Sed quando quiſquis citius mutatur in melius, hoc in ſe facit nominari, quod apprehendit celerius, & poſteriore cooperit vocabulum prius.

Cur Cayn primo naſcitur

Cur Abel nõ legitur condidiſſe ciuitatẽ ſed Cayn.

Rectè itaque ſcriptum eſt, quod Cayn tanquam ciuis huius ſæculi ciuitatem condiderit, Abel autem tanquam peregrinus non condidit. Superna eſt enim ſanctorum ciuitas, quamuis ciues ſuos hic pariat in quibus peregrinatur, donec tempus regni eius adueniat, cum videlicet congregatura eſt omnes in ſuis corporibus reſurgentes, cum eis promiſſum dabitur regnum, vbi cum principe ſuo ideſt Chriſto ſine fine regnabunt. *Auctor.* Rectè quidem ab Abel incepiſſe dicitur eccleſia, quia ſi ab Adam incepiſſet non fuiſſet continua. Et quia in Cayn ſæuire cæpit in ſanctos reproborum malitia, in Abel autem proficere vita ſanctorum & patientia. Proinde vita quoque ipſorum longe diſpar fuit, Abel namque vir ſimplex in paſtu ouium occupatus, de potioribus gregis munera Deo grata obtulit, perſecutionem fratris propter conſcientiam Dei patienter ſuſtinuit, non ob aliud ſcilicet niſi quoniam ipſe erat bonus, ille malus. Vnde & primitus in ipſo figura & ſimilitudo paſſionis Chriſti expreſſa præceſſit, qui peccatum non fecit, & in eodem primo iuſto eccleſia pati cæpit, quæ in ſingulis iuſtis patitur vſque modo, & vſque in finem patietur, dicente Gregorio: *Abel eſſe renuit, quem Cayn malitia non exercet.* Cayn vero nequiſſimus, auaritiæ quoque ſeruiens terram coluit, ac de peioribus Deo fructibus obtulit, ex inuidia fratrẽ occidit, ac de ſalute poſtea deſperauit. Opes rapinis & violẽtia congregans ad latrocinia ſuos inuitauit, ac ſimplicitatem vitæ hominẽ ad inuentionem menſurarum & ponderum permutauit, eamq; ad calliditatem & corruptionẽ perduxit. Terminos terræ primus poſuit, ciuitates muniuit, ſtudia quoque filiorum eius manifeſte indicant, ad quam prædictarum ciuitatum pertineant. Lamech namque primus contra naturam & mores bigamiam introduxit, & ſic adulterium commiſit, cuius etiam progenies quaſdam artes mechanicas & curioſitates adinuenit. Huiuſmodi enim artes quæ non erant ad ſalutem, illorum ſtudio & labore erant inueniendæ, qui non erant filij ſalutis æternæ, quæ tamen filijs lucis vtcunq; ſunt neceſſariæ. Illis ergo talibus labor talis debebatur, his autẽ fructus ſeruabatur. Et ſic ab Hebręis Ægy-

Abel figura Chriſti.

Lamech primus bigamus.

ptij ſpoliantur, vt etiam in hac parte merito veris hebræis conueniat, quod à Domino dicitur, alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.

De natura coitus per quem fit humana generatio.

CAP. II.

Auguſt. de ciuitate Dei lib. 22. Miſeriam igitur humani generis in qua laudatur iuſtitia punientis, multis & magnis repleuit bonis eiuſdem bonitas, cuncta quæ creauit adminiſtrãtis. Inter quæ primum quidem illam benedictionem quam protulerat ante peccatum dicens, Creſcite & multiplicamini & replete terram, nec poſt peccatum inhibere voluit, ſed in ſtirpe damnata fæcunditas donata permanſit. Nec illam vim ſeminum mirabilem, qua efficiuntur & ſemina corporibus humanis inditam & quodam modo intextam, peccati vitium auferre potuit, quo nobis impacta eſt etiam neceſſitas mortis, ſed vtrunque pariter cutrit iſto quaſi fluuio atque torrente humani generis, malum quod à parente trahitur, & bonum quod à creante tribuitur. In originali ſiquidem malo duo ſunt, peccatum & ſupplicium. *In originali bono duo.* In originali autem bono ſimiliter alia duo, propagatio & conformatio. Propagatio in primis mundi operibus benedictione largita eſt, à quibus die ſeptimo requieuit. Conformatio vero in illo eius opere quod vſq; nunc facit. Ipſe nimirum operatione qua vſque nunc operatur facit, vt ſemina numeros ſuos explicent, & à quibuſdam latentibus & inuiſibilibus inuolucris in formas viſibiles huius quem aſpicimus decoris euoluant. Efficacem quippe potentiam ſuam ſi rebus ſubtrahat, nec progredi ſuiſque dimenſis motibus peragere tempora potetunt, nec prorſus in eo quod creati ſunt aliquatenus permanebunt.

Conſtantinus in libro de coitu. Volens igitur creator genus hominum ſicut & animalium non perire, ſed firmiter ſtabiliri, per coitum illud ac per generationẽ diſpoſuit renouari. *Tria ſunt in coitu.* Tria vero ſunt in coitu. *Appetitus ex cogitatione phantaſtica ortus, & ſpiritus, & humor. Appetitus ab hepate, ſpiritus à corde, humor à cerebro.* Nam cum delectabilis motus fit in coitu, dum omnia membra corporis per motum concaleſcunt, per calorem eliquatur humor qui eſt in cerebro, & eliquatus attrahitur per venas quæ per aures ducuntur ad teſticulos, & deinde per virgam in vuluam iacitur. *Vnde Hippocrates dicit.* Quibuſcunque venæ quæ poſt aures ducuntur exciſę fuerint cum effuſo ſemine gignere non præualent. Si vero aliquid emiſerint, non eſt ſemen, ſed aquoſus humor, vnde nullus conceptus fieri poteſt. *Halis in libro regalis diſpoſitionis.* Coitus inter euacuationes naturales computatur à medicis, cum ſpermatis emiſſio ſit quædam exinanitio eius quod fecit natura materiam generationis. Et eſt quędam ſuperfluitas corporis quam ad ſua vaſa natura perducit, & apportat vel aptat generationi ad conſeruationem ſpeciei. Nec eſt vt aliæ ſuperfluitates quibus natura non indiget, vt ſunt emunctiones, ac ſputa, & ſudor, & vrina, & ſimilia. Fit enim ex meliori & laudabiliori quæ eſt in corpore ſubſtantia. *Vnde dicit Galenus in libro de ſanitatis cuſtodia*, quod in eo ducitur ignis & aeris ſubſtantia, ideoque complexio eius eſt calida & humida. Generatur enim ex claro & puro ſanguine, quo principalia & propria paſcuntur ac ſuſtentantur membra. Vnde cum in eius euacuatione quis modum tranſgreditur, non ſupereſt ſanguis quo membra paſcuntur, Ideoque virtus hominis debilitatur, corpus deſiccatur, ac defectus ſequitur. Eſtque plurimos videre cum coitus modum exceſſerint, ſanguinem emittere. Deniq; Hippocrates & Galenus, & eorum ſequaces, aiunt coitum, vnam ex cauſis eſſe quę ſanitatis adhibentur cuſtodię. Nonnulli vero medicorum dicunt eum in ſanitatis cuſtodia non annumerandum. *Conſtan. vbi ſupra. Idem quoq; Galenus in li. ſeminis* cum loquitur de coeuntibus ſuperfluè, non inquit procedit à membris ſolus humor, ſed etiam ſpiritus vitalis per arterias exit cum ſemine. Ideoq; non eſt mirum, ſi ſuperfluè coiens debilitatur, quia dum corpus euacuatur, vitalis quoque virtus minuitur, vnde & multi mortui ſunt. Ob hoc etiam ſecundum Gale. diutius eunuchi viuunt, quia neruo qui eis erigitur abſciſo, non deſcendit ſemen iuxta conſuetum, & ideo coire non poſſunt. *Cur eunuchi diutius viuant?*

De culpabili eiuſdem corruptione.

CAP. III.

Victor. Quia vero ex corruptione primæ originis tota maſſa vitiata eſt, ipſe coitus viri & mulieris in ſe propter voluptatem inordinatam & immoderatam vitioſus eſt, ſemperque culpabilis eſſet niſi matrimonij bonũ illud excuſaret. Vnde & in lege præcipitur, vt mulier etiam coniugata ſi ſuſcepto ſemine maſculum parerer, ſeptem diebus immunda eſſet, & poſtea 33. diebus in ſanguine purificationis ſuæ permaneret, ita ſcilicet vt dies 40. purificationis ſuæ compleret. Tot enim diebus aiunt nonnulli maſculi corpus in vtero formari. Si autem fœminam pareret, duabus hebdomadibus immunda eſſet ac. 64. diebus maneret in purificatione ſanguinis, ſicque duplicarentur non ſolum dies inquinationis, ſed etiam purificationis, quoniam. 80. diebus formari dicitur fœminæ corpus in vtero matris. Dehinc hoſtias pro peccato ſuo legales offerret ideſt pro libidinoſa concupiſcentia ſecundum gloſſam in qua concepiſſet, quę videlicet ei peccatum eſſet, niſi matrimonij bonum illam excuſaret. *Cur 40 dies purificationis?*

Gregorius in regiſtro lib. 9. Auguſtinus Anglicorum Epiſcopo; Ecce cum enixa fuerit mulier poſt quot dies eccleſiam intrare debeat, teſtamenti veteris didiciſti prędeptione ſcilicet vt pro maſculo diebus 33. pro fœmina vero 66. debeat abſtinere. Quod tamen ſciendum eſt, quia in miniſterio accipiendum eſt, Nam ſi eadem hora qua genuerit actura gratias eccleſiam ingrediatur, nullo peccati pondere grauatur. Voluptas etenim carnis, non dolorum gemitus in culpa eſt, voluptas autem eſt in carnis commixtione, ſed gemitus in prolis emiſſione. Itaque ſi enixam mulierem eccleſiam intrare prohibemus, ipſam ei pœnam ſuam in culpam deputamus. Sic & mulier dum menſtruam conſuetudinem patitur, eccleſiam intrare non debet prohiberi, quoniam ei naturæ ſuperfluitas in culpam non debet reputari. Menſtrua namq; ſanguinis fluxio eſt ægritudo. Si autem ex magna veneratione ſacramenti, communionem percipere non præſumit, eſt laudanda, ſed ſi perceperit non eſt iudicanda. Bonarũ quippe mentiũ eſt etiam ibi aliquo modo culpas ſuas agnoſcere, vbi culpa non eſt. Nam ſæpe ſine culpa fit, quod ex culpa venit. Et ideo fœminæ cum ſemetipſas conſiderant, ſiquidem in menſtruata conſuetudine ad Euchariſtiam accedere præſumant, de ſua rectè conſideratione laudandæ ſunt. Dum vero percipiendo ex vitæ religioſæ conſuetudine, ipſius myſterij rapiuntur amore, non ſunt vt diximus, reprimendæ. Hæc autem dicens, culpam non deputamus eſſe coniugium, ſed quoniam ipſa licita coniugis admixtio ſine carnis voluptate fieri non valet, à ſacri loci ingreſſu abſtinendum eſt, quia voluptas ipſa eſſe ſine culpa nullatenus poteſt. Non enim de adulterio ſeu fornicatione, ſed de legitimo natus coniugio fuerat, qui dicebat, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum. In quibus ſcilicet verbis non admixtionem coniugum nominat iniquitatem, ſed ipſius admixtionis voluptatem. Sunt enim multa quidem ac legitima in quorum tamen actu aliquatenus fædamus, ſicut ſæpe iraſcendo culpas incidimus & ſequimur, & tranquillitatem nobis animi perturbamus. Si quis vero ſua coniuge non cupidine voluptatis raptus vtitur, ſed creandorum liberorum gratia ſolummodo, hic profectò ſiue de ingreſſu eccleſiæ, ſiue de ſumendo ſacro myſterio relinquendus eſt iudi- *Menſtruata patiens poteſt communicare.* *Admixtio coniugalis nõ fit ſine culpa.*

Tria ſunt in coitu. *Exceſſiui coitus malum.*

eſt iudicio ſuo, quoniam à nobis prohiberi non debet illud accipere, qui ſcilicet in igne poſitus neſcit ardere. Cum autem non amor ſobolis procreandæ ſed voluptas damnatur, in commixtionis opere habent etiam coniuges quod defleant ex ſua commixtione.

Copula eſt licentia non iuſtitia.

De vitij eius excuſatione.

CAP. IV.

Iohannes Chryſoſt. ſuper Matthæum lib. 1. Coniunctio atque maritalis ideſt copula coniugum carnalis malum eſt ante Deum, ſed malum dico non peccatum. Nam quantũ ad naturam rei ipſius peccatum eſt, conceſſione autem Dei factum eſt vt non ſit peccatum, ſed licentia facta eſt, Licentia dico non iuſtitia, Nam & ſi propter neceſſitatem rei peccatũ eſſe deſijt, tamen iuſtitia eſſe non meruit, & ſi pœnam non infert, mercedem tamẽ non affert. Ecce vna eſt libido quæ fornicationem generat, & quæ maritalem vſum miniſtrat Sed ſicut mari poſuit Deus terminos littora, ita libidini carnali terminum poſuit cõiugium, vt illic vſq; veniens, illic ſe confrigat. *Aug. ſuper Geneſim. lib. 9.* Itaq; ſicut dictum eſt ſupra, non propter illud malum culpabile eſt hoc bonum, ſed propter hoc bonum veniale eſt illud malum; quoniam id quod nuptię bonũ habent, & quod bonũ ſunt nunquam poteſt eſſe peccatum. *Idem ad Valeriũ de nuptijs & concupiſcentia.* Generandi ergo cauſa copulario maris & fœminæ bonũ eſt nuptiarum naturale Sed iſto bono male vtitur qui beſtialiter vtitur, vt ſit vſus eius in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis, *Reuertimini, ait Apoſtolus, in idipſum, ne tentet vos Sathanas propter incontinẽtiam veſtram, Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium,* vbi ergo venia danda eſt, aliquid eſſe culpæ nulla ratione negari poteſt; cum ergo non ſit culpabilis intentione generandi concubitus, qui proprie nuptijs eſt imputandus, quid eſt quod veniam concedit Apoſtolus? niſi quod coniuges dum ſe non continent, debitum ad alterutrum carnis expoſcant non voluntate propaginis, ſed voluptate libidinis. Quę tamen voluptas propter nuptias non cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniã. Quo circa etiam hinc ſunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad ſeignoſci, faciunt propter ſe. *Idem in lib. de coniugali bono.* Cõmgalis ergo concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiſcentiæ vero ſatiandæ, ſed tamen cum coniuge propter thori fidem, habet culpam venialem, adulterium autem vel fornicatio culpam lethalem. Itaq; ab omni concubitu continentia meliti eſt amplioris, Reddere vero debitum coniugale nullius eſt criminis. Exigere autem vltra generandi neceſſitatem culpæ venialis, fornicari vero puniendi criminis. Tantumque valet ordinatio creatoris & ordo creaturæ, vt in rebus ad vſum conceſſis etiam cum exceditur modus, longe ſit tolerabilius, quam in ea quæ conceſſa non ſunt vel vnus vel rarus exceſſus. Et propter hoc in re conceſſa, immoderatio coniugis, ne in rem non conceſſam libido prorumpat, eſt toleranda. Nam longe minus peccat quamlibet aſſiduus ad vxorem, quam vel rariſſimus ad fornicationem. Decus autem coniugale eſt caſtitas procreandi, & fides reddendi carnalis debiti.

Voluptas libidinis eſt culpa in copula.

Aſſiduitas ad vxorem minus peccatum.

Auctor. Quod ergo ſupra dicit Gregorius quod ſine culpa non poteſt fieri concubitus, ſic exponẽdum eſt, quia non poteſt, id eſt vix poteſt, ſed tamen poteſt. Nõ enim eſt libido in omni coitu coniugali, quia libido eſt voluntarius appetitus delectando. Et licet ipſa delectatio moueat ad illicitum, non tamen ad illicitum ſenſualitati ſed rationi, cui quando recuſat eam & cohibet, non eſt peccatum, nam & ſi malum eſt quia caret modo & ordine, non tamen malum culpę ſed pœnæ. Pœna enim eſt rationi quod inferior ſenſualitas non obedit ei. Itaq; ſicut Apoſtolorum prædicationi meritoriæ miſcebatur inanis glorię puluis, & erat veniale, ſic etiam cum vir ſanctus meritoriæ cognoſcit vxorem, & ei placet delectatio, tunc eſt cum opere meritorio peccatum veniale. Si vero diſplicet, abſque omni peccato eſt, lauari tamen debet, vt intret eccleſiam, Iuxta illam Gregorij ſententiam Bonatum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt. Sciẽdumque quod Apoſtolus cum inquit. 1. Corinth. 7. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam non ſecundum imperium &c. Loquitur de indulgentia non permiſſionis, quę fit comparatiuè de malis, ſed conceſſionis, quæ fit de minus bonis. Minus enim bonum eſt caſtitas coniugalis quam virginalis.

Expoſitio dictorũ ex SS. Patribus.

Indulgentia conceſſionis.

Cur magis mulieres feruent in coitu quam viri.

CAP. V.

Gvilelmus de Conch. Cum autem mulier naturaliter frigida ſit & humida, vnde poteſt accidere quod viro feruentior eſt in libidine? Reſpondeo, ignis difficilius in humidis lignis accenditur, in eis tamen accenſus diutius & fortius ardet, Calor ergo luxuriæ in muliere quæ naturaliter eſt humida accenſus fortius & diutius ardet. Iterum matrix quæ ſemẽ recipit, frigida eſt, ſemen viri calidum & humidum, Gaudet ergo matrix illo accepto, Nonne videmus nos ſerpentes quærentes calorem ora dormientium intrare. Duplex eſt ergo mulieris in coitu delectatio, videlicet in emiſſione proprij ſeminis, & in receptione alterius, viri autem eſt ſimplex, eſt enim in ſola ſui ſeminis emiſſione *Sed dices mihi,* Cum calidi & humidi conueniant huic operi, pueritia vero ſit calida & humida, quare non coeunt pueri maxime? *Reſpondeo,* Quoniam in hac ætate ſtricti ſunt meatus per quos habet ſemen diſcurere. Vel ætas iſta non ex abundantia humiditatis dicitur humida, ſed quia eſt propinqua generationi quæ ex calido & humido & in calido & humido corpore facta eſt.

Feruor mulieris in coitu vnde?

Obiect.

Reſp.

Cæterum quare ſi leproſus accedat ad mulierem non lædituꝛ, qui vero primus poſt illum accedit, leproſus efficitur. Reſpondeo. Complexio mulieris frigida & humida eſt. Dicit autem Hippocrates, quod calidiſſima mulier frigidior eſt frigidiſſimo viro. Talis vero complexio dura eſt, & corruptiua maximè virili cõplexioni repugnans. Putrida tamen materia ex coitu leproſi remanet in matrice. Cum autem vir ad eam intrat, virilis virga, quæ ex neruis conſiſtit matricem ſubintrans corruptionem ibi attractam vi attractiua attrahit, atq; ad membra quęlibet adhęrere admittit, vnde & vir inficitur, & lepram incidit.

Res mirada leproſis.

Etiam facta quidem conceptione animalia cætera ceſſant à coitu, mulieres vero tunc ardentius coeunt. In hoc enim differt homo à cæteris animalibus, quod illa habent ſolum ſenſum præſentium, homo vero cũ illo habet memoriam pręteritorum, & coniecturam futurorum, Vnde fit, quod mulier reminiſcens præteritæ delectationis, ſimilem deſiderat, Et quoniam, vt diximus, ex fœtu augmẽtatur calor in ea, fortius ardet deſiderio accenſa. *Ex lib. de anatomia.* Mulier ergo licet viro ſit frigidior, eſt tamen petulantior triplici ratione. Vna ſumitur à complexione frigida, & ſicca, & ſubſtantia dura, quæ accenſa diutius feruet, ſicut ferrum tardius ignitur, & vrit grauius auro, Vnde cum aureo inſtrumento leuiores fiunt torturæ. Alia ratio ſumitur ex complexione neruoſa. Omne namq; neruoſum ſenſibile, vnum & ſua repletione multum delectatur. Tertia vero à modo complexionis ſumitur, quia neruoſa eſt circa inferius orificium, & ad illos neruos attingit ſperma irrorans eos, & ſatians, Sed ad neruos, ſuperiores non attingit, & ideo non poteſt illorum mitigare titilationem.

Mulieres ardentius coeũt à conceptione.

Tres cauſæ petulantiæ muliebris.

Vnde Iuuenalis.

Adhuc ardens rigida tentigine vulua.

Et laſſa-

Et lassata viris, sed non satiata recessit.
Obscurisque genis &c.

Hieron. super Ezech. li. 6. Per singulos autem menses grauia, & torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione releuantur, quo tempore si vir coierit cum muliere, concepti fœtus, vitium seminis trahere dicuntur, ita vt leprosi, & elephantici ex hac conceptione nascantur, ac fœda vtriusq; sexus corpora prauitate, vel enormitate membrorum sanies corrupta degeneret. Caueat ergo mulier, ne forte victa coeundi desiderio, infirmitatem viro suo celet. *Greg. vbi sup.* Praua quidem in coniugatorum moribus consuetudo surrexit, vt mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant eosq; alijs mulieribus nutriendum tradant. Quod videlicet ex sola incontinentiæ causa videtur inuentum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.

De temporibus coeundi.

CAP. VI.

Tempus nubendi.

Ver & hyems coitui sunt apta.

ARistoteles *in lib. de animalibus.* Homo quidem & animalia viuentia cum homine coeunt omni tempore, sed quando fuerit homo multi coitus, debilitatur eius visus. Initium autem coeundi est in homine, quando pili multiplicantur in pectine, & alterantur genitalia in magnitudine, & figura: in fœminis autem mammillæ, & alteratur etiam vox. Et hoc vt plurimum naturale est post duo septennia. Nondum tamen est tempus nubendi, quia non generant nisi raro, & debile. In complemento vero tertij septennij conuenit nubere. Homo itaque coit post annos 13. vsque ad finem vitæ suę. generat autem post 18. vel forsan ante. Nunquam autem visa est mulier, quæ peperit post annos quinquaginta. Viri vero generant vsq; ad 60. vel etiam ad 70. *Guilelmus de conchis.* Veris tẽpus huic operi scilicet coitui, quia temperatum est, conuenit. Nocet autem si æstate fiat, quia naturalem extinguit humorem ac desiccat, similiter etiam in autumno, at in hieme propter abundantiam humiditatis, si raro fiat, non multum nocet corpori. *Hierony. vbi supra.* Præcipit quoque viris, vt non solum in alienis mulieribus, sed in suis quoque certa nouerit tempora concubitus, quoniam est tempus amplexandi, & tempus continendi ab amplexibus. Caueat & vxor, vt dictum est, ne tempore menstruali viro celet morbum victa desiderio coeundi. & maritus ne vim faciat vxori, putans omni tempore sibi subiectã esse debere voluptatem coniugij.

Abstinendũ à synaxi post coitum.

Greg. vbi supra. Ad vxoris concubitum vir non debet accedere post partum, donec puer qui gignitur ablactetur. Et vxores quæ filios suos ex praua consuetudine tradunt ad nutriendum mulieribus alijs, non debent viris suis admisceri, nisi tempus transierit purgationis. Romanorum quoque semper ab antiquioribus fuit vsus, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu ecclesię paululum temperare. *Hiero in quodam sermone.* Cęterum si panes propositionis quõdam ab his qui vxores suas tetigerant, non poterant comedi, quanto magis ille panis, qui de cælo descendit, non potest ab his, qui paulo ante coniugalibus adhæsere complexibus immolari, atque contingi, Sed & quotiescunq; dies natalis Domini, vel reliquæ festiuitates aduenerint non solum ab infidelium cõcubinarum abstinendum est consortio, sed etiam ab vxoribus proprijs. *Idem super Iohel.* Qui etiam in castigatione victus, ac ieiunio, & eleemosynis se dicit agere pœnitentiam, frustra id agit, si non seruat castitatem, frustraque hoc sermone promittit, nisi egrediatur de cubiculo suo, sicut propheta dicit. Sanctificate inquit ieiunium: & post egrediatur spõsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, vt videlicet tempore ieiunij sponsus, & sponsa non seruiant operi nuptiali. Nam & Apostolus recedendum parumper à coitu præcipit, vt orationi vacari possit. Cum inquit, *Nolite fraudare inuicem, nisi ad tempus ex consensu, vt vacetis orationi.* *Idem super Zachariam libro* 3. Zacharias quoque propheta sic describit planctum Hierusalem, vt plangant familię, & familię seorsum, & mulieres eorum seorsum. Hoc videlicet signans, quod tempore tribulationis, & luctus coniugijs & operi nuptiali seruire non debeamus. Hinc etiam diluuio impendente imperatum est Noë. *Ingredere in arcam tu & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum.* Et postea finito diluuio dicitur ad eum, *Egredere tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum.* Vt videlicet qui in arca impendente discrimine separati fuerant, redditi mundo generationi & liberis deseruirent. *Ambro. super epistolam primam Corinth.* Si ergo causa procreandorum filiorum vxor dicitur, non multum ad ipsum vsum tempus concessum videtur. Quia & dies processionis, & ipsa ratio conceptus & partus iuxta legem demonstrant cessare vsum carnis, his debere temporibus. *Augustinus in libro quæstionum noui & veteris testamenti.* Christiano ergo cum vxore sua conuenire aliquando licet, aliquando non licet. Propter processionis enim dies ac ieiuniorum aliquando non licet conuenire. Quia à licitis etiam abstinendum est ad tempus vt facilius impetrari possit, quod postulatur, Vnde Apostolus, *Ex consensu aut abstinendum est ad tempus, vt vacetis orationi.* *Idem in lib. de adulterinis coniugijs.* Nõ enim nisi ex cõsensu & ad tempus vt vacent orationi, voluit coniuges inuicẽ carnali debito defraudari. *Gratianus can. 23. cap. 4.* Hæc igitur omnia quę superius de hac materia dicta sunt, si vxor consensum adhibere voluerit seruanda sunt. Nam sine consensu vxoris continentia seruari non debet, etiam causa orationis.

Tempore pœnitentiæ non vacandũ rei vxoriæ.

De horis congruentibus naturaliter illi operi.

CAP. VII.

Coitus post cibum nocet, & cum vacuitate.

GVilelmus *de Cõchis.* Coitus si post cibum fiat, nocet, minuit enim calorẽ quo cibus decoqui debet, qui crudus remanens diuersas generat infirmitates. Post longa quoque ieiunia & multa exercitia maxime nocet coitus. Hæc enim consumunt hominis corpus. Post somnum vero peracta digestione ab illis quibus licet, & in diebus quibus licet faciendum est opus tale. *Auicenna in tertio canone.* Coitus ille sanus est, qui fit in hora quam sequitur euacuatio superfluitatum, alleuiat enim corpus ac præparat ad augmentum. Cauendum est ergo ne fiat circa fœcis necessitatem aut in hora mingendi, neque cum exercitio vel motu, vel post passionem animalem fortem. Oportet etiam vt non fiat super repletionem, prohibet enim digestionem, & cadere facit in ægritudines. Iterum ne fiat cum adest vacuitas, hoc enim est nocibilius & onerosius naturę, magisque pernecat innatum calorẽ, & magis attrahit liquefactionem, & hæticam, & arefactionem, Quin potius oportet vt fiat cum cibus descendit à stomacho completaq; digestione prima, & secunda, & cum mediatur in tertia digestione dispositio.

Tempus aptius coitus.

Non ergo, vt ait quidam, debet post complementum tertiæ digestionis, illa enim est hora vacuitatis, cum in omnibus membris reliqui cibi sunt in via digestionis. In huiusmodi dispositione aliqui sunt in principio noctis, & ob hoc illa hora conuenientior est illis ad coitum cæteris horis. Nam & lõgus tunc somnus ei succedit, & cum eo virtus accrescit, & aqua figitur in matrice propter somnum mulieris. Cauendus est præterea coitus post euacuationes ex vomitu, & fluxum ventris, & passionem colicam, & diarrhia subita, fortes motusque corporis animales, & apud motum fęcis & vrinę & phlebotomiæ. Diarrhiam vero antiquam alleuiat quandoque sua exiccatione, &

Quando coitus cauẽdus.

trahendo

trahendo materias ad partem aliam ab inteſtinorum parte.

Conſtan. in lib. de coitu. Contingit autem aliquibus in ipſa coitus hora rigor, & triſtitia ex mala ſcilicet humorum commixtione ac ſuperueniente calore. Nam omne corpus quod malos habet humores, ſi repẽte fuerit calefactum rigeſcit, & inde triſtitia prouenit, Quibuſdam vero tremor ſuperuenit ex malitia ſuperfluitatis, Quibuſdam etiam fętor ex putrida commixtione quæ ſoluitur ex calore, Quibuſdam autem venter inflatur, quia naturalis calor in eo debilitatur, hiſque contingit, vt coire ſemper appetant propter ventoſitatum multitudinem quæ introrſum continentur, Quibuſdam denique poſt coitum, dolor capitis accidit, eo quod per motionem fumus ad caput aſcendit ex humiditate ſanguinis, & ſuperfluitatibus corporis, & ex malitia commixtionis. Eſt ergo hora coeundi congrua, quando corpus fuerit in temperamento omnium exteriorum, ſcilicet vt non ſit plenum nutrimento, neque vacuum, neque frigidum, neque calidum, neque ſiccum, neque humidum, ſed temperatum. Si vero errauerit ab hac ratione & coierit, melius eſt, vt calidus coeat quam frigidus, meliuſque ſaturus quàm ieiunus, meliuſque humidus quam ſiccus, & ante ſomnum quam poſt ſomnum. Nam ſi poſtea dormierit conceptui ac fętui melius erit, mulierque ſemen melius continebit.

Melius coit ſaturus quã ieiunus.

De his quæ coitum iuuant, & his quæ impediunt.

CAP. VIII.

SVnt autem nutrimenta quædam quę generant ſperma ſiue ſemen, videlicet aquę nutriunt, & inflant ideſt ventoſitatem generant. Hęc etenim conueniunt ſeminis eſſentiæ, quoniam eius natura conſtat ex ſpiritu, & humore. Maxime vero tertium ſcil. calidum addatur quoniam ea quę calida ſunt auxiliantur, ſiue per calorem illud attrahant, ac de occultis vaſi extrahant, & extrinſecus ferant, ſiue nutrientibus commiſceantur, vt ex his tria quæ dicta iam ſunt concurrant, verbi gratia, Fabæ quidem nutriunt, & ventoſitatem faciunt, ſed quia frigidæ ſunt, vno carẽt, & duo poſſident. His ergo ſi Zinziber aut Piper nigrum vel huiuſmodi quæ calida ſunt miſceantur, nutrimentum fit quo ſemen generetur. In cicere vero ſimul hæc tria concurrunt, quia calidum eſt, & humidum, nutritiuũ, & inflatiuum. Et hoc ſolum naturale ſemen generat, cui rapa etiam appropinquat Quædam autem ſemen generant, & extrahunt, vt *Piper, pinea, ficus recentes carnes, ac cerebella & vitella ouorum, Satyrion quoque libidinem accendit, & Zinziber ac coſtum dulce, crocus orientalis, & cardamum, ac ſemen vrtica, aniſum, & ſimilia.* Quędam vero ſemen non generant, ſed potius deſiccant, videlicet calida & ſicca, vt anetum & ruta, & his ſimilia.

Faba. *Cicer.* *Rapa.* *Piper, pinea ficus &c.*

Quędam autem ſemen ipſum condenſant prohibent & impediunt, ac libidinem extinguunt, vt *lactuca, portulaca, & cucurbita, mora celſi, cucumer, melones, piſces, ac ſimilia quęcunque humida ſunt & frigida.* Frigida quoq; & ſicca venerem comprimunt omnia, vt acetum & vua amara. Magis autem ſi lenticulę cum ſemine lactucæ coquantur, & elixatura bibatur, libidinis appetitus extinguitur. *Auic. in 3. canone.* Denique vnumquodque ſemen viri ſcilic. ac mulieris quicquid ſanguinem calidum & humidum generat, exuberare facit. *Conſtan. in pantegni.* Ablatio vero libidinis aut concatenatione fit membrorum generatiuorum, ſicut in Epilepſia videtur, Aut ex paruitate ſpermatis; paruitas autem ſpermatis aut eſt ex minoratione cibi aut ex complexione frigida & ſicca dominante teſticulis, quæ materiam ibi venientem mutare nequit in ſubſtantiam ſpermatis. Denique ſi paſſio ſit in inteſtinorum ſubſtantia, deſiderium aufert libidinis ac generationem ac paruitatem facit ſpermatis, & apoſtema & vulnera. *Razi in Almanſore quinta parte.* De his quoq; quæ ſperma & erectionem virgę minuunt, ſunt acetoſa & ſtiptica in cibo ſumpta, vt acetum & vuæ acerbæ ſuccus, & his ſimilia. Erectionem quoque virgę minuunt ea, quæ ventoſitatis diſſolutiua ſunt, ideſt cyminum, ruta, mentaſtrum.

Melius coit ſaturus quã ieiunus. *Extinguẽtia libidinem.*

Diſtinctio generalis de coitu coniugali.

CAP IX.

Auctor. Vt autem ſciatur de coitu coniugali quãdo ſit meritorius & quando permiſſus, & quando culpabilis venialiter, & quando criminaliter, Sciẽdum, quod alius eſt licitus, alius fragilis, & alius impetuoſus. Licitus quoq; triplex eſt, videlicet cauſa ſuſcitandę prolis ad cultum diuinum, Et cauſa reddendi debitum, Et cauſa vitandi incontinentiæ peccatum, Horũ meritorij ſunt primus, & ſecundus modus, Tertius vero licitus tantummodo, quia permiſſus iuxta id quod dicit Apoſtolus. *Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquaq; ſuum virum.* Primus quidem eſt virtutis theoſebię, Secundus autem iuſtitię, Tertius vero cautelæ. Dicitur autem coitus fragilis qui ex fragilitate prouenies vtitur amplexu coniugis, non cauſa prolis aut reddendi debiti, vel vitandæ fornicationis, ſed cauſa talis in coniuge delectationis. Et tunc aut illa delectatio ſub Deo amatur, & ſic eſt peccatum veniale, quoniam, à mortali propter coniugij ſacramentum excuſatur, Aut ſupra Deum vel æque, & tunc eſt mortale.

Coitus licitus.

Impetuoſus autem dicitur, qui ex ſola libidine perueniens metas excedit honeſtatis, & rationis. Quod fit quinq; modis, vno modo propter libidinem ſatiãdam per meretricia blandimenta, & dicitur eſſe mortalis culpa, quia ſic dicit Hieronymus contra Ioũinianum, vt habitum eſt ſupra. Quorundam matrimonia cohæſerunt adulterijs, in aliena ſiquidẽ vxore omnis, in ſua vero nimius amor eſt turpis. Vnde * Seſtius pythagoricus in ſententijs. Adulter in inquit eſt amator ardentior proprię vxoris. Cum enim opus ſecundum intentionem formetur, hinc ad vxorem quaſi ad meretricẽ accedenti ſcilicet intentione meretricãdi, meretricium reputatur. Dicit autem Aug. vt habitum eſt ſuperius, quod propter vſum rei cõceſſæ minus peccat quantũlibet aſſiduus ad vxorem, quam vel ratiſſimus ad fornicationem. *Secundo modo* contra modum naturalem ab vtendo. Et ille quidem abuſus execrabiliter fit in meretricem, ſed execrabilius, & damnabilius ſecundum Aug. in vxore. Vnde non eſt dubium quin ſit mortale. *Tertio modo* tempore interdicto videlicet tẽpore quadrageſimali, ac in vigilijs ac ieiunijs, pręcipue in diebus feſtiuis in quibus maxime vacãdum eſt orationi. Et licet dixerint aliqui, quod exigere tali tempore debitum ſemper ſit peccatum mortale, communior tamen videtur opinio quod exigere tunc cauſa prolis vel incontinentiæ ſit peccatum veniale. *Exigere autem tunc cauſa libidinis ſatianda ſemper eſt mortale.* Reddere tamen quilibet coniugum tenetur omni tempore debitum exigenti, ſi tamen inſtanter petierit, alioquin poteſt ac debet eum monere vt abſtineat tali tẽpore. *Quarto modo in loco indebito*, verbi gratia, in eccleſia, vbi carnis concubitũ exercens arguitur de cõtemptu diuinorum, & irreuerentia, niſi forte non habeat locũ alium vbi poſſit coire, niſi forte tempus eſt guerræ vel aliquid tale Similiter in loco publico, vbi ſcilicet intuentes ſcandalizantur, & effrenatiſſimę libidinis eſſe conuincitur. Multa namq; poſſunt honeſte fieri, quæ non poſſunt honeſte videri. In vtroq ergo loco coire in caſu prędicto peccatum eſt mortale. *Quinto modo* cum vxor eſt vicina partui, vel in tempore menſtruali. Et tunc etiam eſt peccatum mortale, quia contra prolis bonum. Nam ex tali coitu, ſicut habitum eſt ſupra iuxta Hierony. naſcuntur partus abortiui, vel leproſi, vel elephantici. Veruntamen in prædictis caſibus, in quibus exigens peccat mortaliter, videtur aliquibus,

Coitus impetuoſus 5.

* *Alias Xiſtus.*

Hoc paulo durius dictũ.

quod

quod reddere non debeat alter. Nam & ſi quis penes me gladiũ depoſuerit, & ego me iurauerim redditurũ quandoq; perierit, & interim in furiam cadat, non teneor illi reddere propter periculum, quod imminet ſcilicet ne ſe, vel alios occidat, & etiam quia non petijt vt homo, ſed vt animal brutum, non habens ſcil. rationis vſum Pari ratione ſi alter coniugum petat debitum tempore, vel loco, vel modo indebito, non debet alter ei reddere, ne ille ſe ſpiritualiter interficiat coeundo cum mortali peccato. Et etiam quia non petijt vt homo, ſed vt brutum ſcilicet vt effrænata libidine metas honeſtatis, & rationis excedendo. Et etiã quia ſi reddat petenti, videtur ei conſentire in mortali. Cæteris autem videtur, quod ſi non meretricaliter, vel contra naturam petat, ſed coniugaliter & inſtanter, ſemper licet cum dolore cordis, & anxietate reddere teneatur, maxime ſi probabiliter adulterio proximus eſſe credatur. Tunc enim non conſentit virgenti, niſi inquantum, quod eſt ſuum poſtulat, & hoc ideo ne peius fiat.

De ſemine generationis humanæ.

CAP. X.

Iſidorus in lib. etymol. 11. Semen eſt, quod iactum ſumitur, aut à terra, aut ab vtero ad gignendum, vel fructus, vel fœtus. Eſt enim liquor ex cibi & corporis decoctione factus, ac diffuſus per venas atq; medullas, qui inde deſudatus in modum ſentinæ concreſcit in renibus electuſq; per coitum, & in vtero mulieris ſuſceptus, calore quodammodo viſcerum, & menſtrualis ſanguinis irrigatione formatur in corpore *Auguſt. contra Iulianum.* Qui ergo primum hominem fecit ex puluere, nunc omnes fabricat ex ſemine. Igitur ait Iulianus. Vis illa voluptatis confectrix, commixtrixque ſeminum, non explet operationis vicem, ſed de naturæ theſauris offert Deo, vnde ille operari dignetur hominem. Falſum quidem eſt, quod dicit à voluptate ſemina confici, atq; miſceri. Non enim fiũt ab ipſa voluptate, ſed quæ iam in corporibus à Deo vero condita ſunt, excitantur, & emittuntur cum voluptate. Vtrum autem in vtero muliebri cum voluptate miſceantur, ſemina vtriuſq; ſexus, videant fœminæ, quid ſentiant in ſecretis viſceribus. Non enim decet nos inaniter vſque ad iſta eſſe curioſos. *Auicenna vbi ſupra.* Nomen quidem ſpermatis, quandoque dicitur per nominis communitatem, vt componatur intentio aggregans rem in inuentione diſtinctam. Nam intentione qua nominatur expulſio viri ſpermatica non nominatur expulſio fœminæ ſpermatica. Nam & viri quidem eſt vere ſperma calidum, digeſtum, ſpiſſum, fœminæ vero genus eſt ſanguinis menſtrui parumper digeſtum, parumperq; conuerſum, nec à virtute ſanguinea quantum ſperma viri elongatum. Propter hoc aſſimilauerunt ipſum Philoſophi menſtruo. Dixerunt, quod quando maſculi ſperma permiſcetur, operatur cum virtute, nec eſt alicui parti eius plurimus introitus in rectificando particularitatem corporis infantis. Hoc enim eſt ſpermatis mulieris, & menſtrui ſanguinis, immo plurimum intendit in particularitate ſpiritus infantis, nec eſt niſi ſicut coagulum agens in lacte. Sperma vero mulieris eſt fundamentum particularitatis corporis infantis.

Femina ſperma.

Conſtantinus in libro de coitu Semen autem ſic Galenus diffinit. Semen eſt ſubſtantia humida, & pura, & calida, vnde fit homo. Item ſemen eſt ſpiritus calidus currens, & currendo influens humida, corporis effectu ſimilem faciens illi vnde proceſſit. *Iterum Galenus in libro de cura morborum.* Semen eſt ſpiritus & humor. Spumoſus autem fit humor per motum, ſicut eſt videre in tempeſtate maris. *Ex libro de natura rerum.* Homo inter omnia animalia multi ſeminis eſt. & ideo multi coitus. Generat autem vir ſecundum Ariſtot. vſque ad annum 70. Alij dicunt vſque ad 90. Mulier vero concipit vſque ad quinquageſimum.

Semen quid?

Omne maſculinum eijcit ſemen in fœminam, fœmina vero in ſuam matricem; *Guilelmus de Conchis.* Spermati vero tria ſunt neceſſaria. Primum eſt ſemẽ, quod emittatur. Secundum quod eſt calor, qui hominem accendit, ac ſemen eliquat, ſcimus enim quod humorem frigus congelat. Tertium eſt ſpiritus, qui virgam erigit vt ſemen expellat. Cum ergo materia eſt in vaſis coadunata, calore eliquata, & parata, per virgam ſpiritus expellit eam. Sed quia virga eſt neruola, nerui vero ſunt ſenſus fundamenta, dum ergo ſemen diſcurrit, ſcalpendo delectationis prurigi nem gignit, Si ergo trium iſtorum aliquid deſit, opus coeundi deficit. Igitur calidi homines, & humidi conueniunt, vt ſuperius dictum eſt, huic operi. *Auicenna in ſecundo canone.* Sperma hominis proprie impetigini confert, ac ſedat dolorem podagrę, fertur etiam, quod idem abſtergit morpheam. *Curatio podagra.*

De ipſius origine.

CAP. XI.

Idem in 3. canone. Sperma eſt ſuperfluitas digeſtionis quartæ, quę fit cum diſpartitur cibus in membris reſudando à venis tertia digeſtione iam expleta. Generatur autem in teſticulis, tanquam in principalibus membris ex humiditate delata ad eos in venis, quæ eſt quaſi ſuperfluitas cibi quarti in corpore toto. Eſt autem ſanguis magis digeſtus, magiſque ſubtilis, Et eſt de ſumma humiditatis proximæ coagulationi, ex qua nutriuntur membra dura, vtpote venæ, & arteriæ, & his ſimilia. Et quandoque reperitur ex ea plurimum in venis retentum, ad quod iam digeſtio quarta præceſſit & remãſit vt ex ipſo venæ nutriantur, aut perueniat ad membra homogenea, & nutriat ea propter quod magis fit alteratio neceſſaria, ſperma vero prouenit ex illa. Itaque commouetur per ſpiritum in meatibus ex vena pulſatili, & vena quieta venientibus, quæ ſunt radices duæ, ramificatione plurimorum amfractuum, & inuolutionum. Et poſt hęc ab eis in vaſa ſpermatis effunditur, indeque in coitu naturali per virgam ad matricem proijcitur. Hippocrates ait, quod plurimum materię ſpermatis eſt à cerebro, & quod deſcendit ex duabus venis, quæ ſunt poſt ambas aures, propter hoc ambarum phlebotomia generationem abſcindit, & ſterilitatem incurrere facit. Harum itaque ſanguis eſt lacteus, & quia non elongantur à cerebro, his quæ ſequuntur ipſum ſpacio longo, ſanguinis illius alteratur complexio. A cerebro namq; proueniunt ad nucham, eiq. continuantur, & inde ad renes, poſt hæc ad venas, quæ veniunt ad teſticulos. Mihi vero videtur, quod non oportet vt ſperma ſit ex cerebro ſolo, quamuis eius fermentum ſit ex cerebro particulariter. Oportet enim quod ei ſit ex omni membro principali fons, & ex alijs membris reſudatio ad iſtius radices, & propter illud eſt aſſimilatio. *Materia ſpermatis à cerebro.*

Guilelmus de Conchis Sperma eſt hominis ſemen ex putiore ſubſtantia omnium membrorum compoſitum. Natura enim exigit, quod ſimilia de ſimilibus naſcantur, vt ergo omnia membra inde poſſint progredi, ratio eſt de omnibus aliquid in ſpermate contineri. Aliud ad hoc idem habe argumentum. Si pater aliquam incurabilem infirmitatem in aliquo ſuo mẽbro obtineat, vt chiragram vel podagram, Filius in eodem membro ſimilem incurrit infirmitatem, Et hoc vnde niſi, quia in germine contraxit infirmitatis illius cauſam, & originem. Sed dicis, quid ergo ſi aliquis truncatis manibus, vel pede, vel aure, vel naſo coeat, puer qui inde naſcitur carebit iſtis membris. Reſpondeo. Natura imperfectionem fugiens, vnumquenque in ſuo genere perficere laborat Materia ergo ex alijs membris contracta illud, quod deeſt parenti, vi formatiua in partu perficit. Membra nempe non ſunt omnino diſſimilia. Itaque quod de oſſibus *Morbi hæreditarij.* *Obiect.* *Reſp.*

aliorum

aliorum membrorum contraxit,in oſſa manuum conuertit, quod de carne in carnem, quod de neruis in neruos, & ſic de alijs. *Ex lib. de anatomia.* Itaque de ſpermatis generatione variæ ſunt ſententiæ. Dicit enim Hippocrates, quod à cerebro per venas iuueniles deſcendit,ideoque non ſpermatizatur illis inſciſis. Galenus autem dicit, quod ab hepate deſcendit. Alij vero auctores,quod ab omnibus membris.Deniq; ſolutio omnia concordans, hæc eſt, quod principaliter deſcendit ab hepate, ab omnibus autem membris originaliter,& à cerebro pro maiori parte.

De cauſis exuberationis in ſpermate.

CAP. XII.

Auicen. vbi ſup. Cauſa vero exuberationis ſpermatis,aut eſt in ſpermate aut in eius vaſis,aut in lacertis ipſum conſeruantibus; aut in renibus, aut in principijs.

Cauſa in ſpermate.

Cauſa quidem quæ eſt in ſpermate,aut eſt eius multitudo propter paucitatem coitus,& multam aceptionem generantium ſperma,propter quam indiget motu expellente: aut propter ſuam tenuitatem ob quam reſudat, ſicut & omne tenue, aut propter ſui acuitatem, ob quam mordificat, & neceſſarium eſt ipſum expellere.

Cauſa in vaſis.

Cauſa vero quæ eſt in vaſis ſpermatis,aut eſt debilitas retentiuæ propter malitiam complexionis, Aut vehementia expulſiuæ virtutis, Aut ægritudo officialis ex ſpaſmo,& tetano,quę neceſſario facit motus extraneos, Vnde & expulſiua mouetur, & expellit ſperma, tanquam nociuum,ſicut accidit vomitus cum aliquid nocet ſtomacho.Spaſmus quidem ipſe eſt preſſor & expreſſor eijciens,ſpaſmus namq; membrorum ſpermatis eſt ſolutiuus, & ſpaſmus lacerti animi eſt retentiuus.Nam lacertus animi creatus eſt ad retinendum,& ille ad exprimendum. Eſt autem in eis mollificatio, quare non retinetur propter dilatationem accidentem meatibus.

Cauſa in muſculis & renibus & principijs.

Cauſa vero in lacertiuo conſeruatiuo, eſt ſpaſmus iterum, & mollificatio. Sed cauſa in renibus eſt, quia quandoq; accidit eorum adipi liquefactio vehementi coitus deſiderio, vel ex multitudine coitus, & ob hoc ex coeuntibus ingreditur poſt vrinam ea res plurima pendens in panno. Et hæc quidem eſt mala, deſtruens virtutem & corpus.Cauſa denique in principijs eſt, vt cum multiplicatur cogitatio in coitu, & auditus verborum eius, Aut accidit qui deſiderat in natura coitum illi ſimilem, Vnde mouetur ad operationem eius, aliquo modo, aut motu debili, & ſic emittit humorem ante vrinam, aliquando forti,& deſcendit ſperma. Cauſæ vero multitudinis pollutionis, ſunt cauſæ exuberationis, & motus ſpermatis. Et quandoq; non mouetur, niſi per ſomnum proprieq; cum dormit aliquis ſupra ceruicem ſecundum modum iam dictũ.Et huius cura,ſtricturæ lamine plumbi ſuper dorſum eſt impreſſio magna. Sed quandoque renibus nocet, & ideo hoc iterum in eo attendere oportet. Similiter etiam in lecto infrigidantia, & dormire ſuper folia ſalicis, & ſimilia.

Decauſis erectionis virgæ.

CAP. XIII.

SVnt autem in virga meatus tres ſcilicet vrinę, & ſpermatis,& alguadi. Aduenit autem ei virtus erectionis,& ventoſitas à corde. Et aduenit ei ſenſus à cerebro, & nucha. Et aduenit ei ſanguis ęqualis & deſiderium ab hepate. Deſiderium quoq; naturale quandoq; fit ei cauſa renum, & apud me principium eius eſt à corde. Et vſus quidem coitus hoc membrũ confortat,ipſumq; lacertoſum facit,& incraſſat. Dimiſſio quoq; liquefacit illud & arefacit, ſicut etiam Hippocrates dicit. Cauſa denique & deſiderij, & motus eius aut eſt meditatiua,aut eſt propter multitudinem ventoſitatis in ſanguine ex quo generatur ſperma. Ad cãnam etenim concauam defert ventoſitatem fortẽ ſpiritus deſideratiuus,cum quo incedit ſanguis plurimus & ſpiritus craſſus. Ex illo itaq; ſanguine inſtrumentũ virgę nutritur, vnde & inflatur & erigitur. Hanc erectionem adiuuat omne in quo eſt humiditas extranea prępparata ad hoc vt conuertatur ad ventoſitatẽ, fit & quandoq; propter illud quod mouetur ex deſiderio propter præparationem membri ad illud, quoniam tenſio facit accidere mordicationem, fit etiam quandoq; quando ſperma in membris coitus aggregatur, & eius ſeparatio inquiritur,tunc enim materia mouetur in ipſis.Prętterea fit quandoq; propter mordicationem materiæ ſtãtis in glandulis,poſitis in duobus lateribus orificij veſicæ, vel materię ſubtilis ad eam ex renibus venientis, ſicut etiam fit propter motum ipſius ſpermatis cũ acuitur, & multiplicatur, & mordicat.Cauſa deniq; propinqua multę tenſionis virgę ad modum chordę eſt multitudo craſſæ ventoſitatis, in partibus membrorum coitus. Et huius cauſę ventoſæ multitudo aut eſt in ipſo neruo concauo, aut eſt ei ſuperueniens ex arterijs & vaſis ſpermatis, aut ſunt duæ res ſimul.Et materia quidem huius vẽtoſitatis eſt humiditas plurima. Efficiens autem ipſam eſt caliditas pauca, ad hoc etiam adiuuant aliquando cauſæ præcedentes aut ex cibis calidis acutis,aut ex inflatiuis,vt ſunt cicer & vua & vitellus oui, & illa quę aggregant vtramque rem, vt eruca, & illud cui proprietas ineſt generandi ſperma, ſicut vinum nouum, aut ex diſpoſitionibus & figuris, ſicut eſt multitudo dormitionis ſuper collum. Vnde ſperma liquefiendo conuertitur in ventoſitatem,aut ſtrictura ancharum cum cingulis aut corrigijs,vnde dilatantur orificia venarum.Quandoque etiam peruenitur ad priapiſmum vt ſi eædem cauſæ confortentur, & fiat erectio fortis,atque remaneat; quamuis non adſit deſiderium.

Cauſa aut eſt meditatiua aut ventoſitas.

De carnis pollutione.

CAP XIV.

Auctor. Ex prędictis autem cauſis excitatur corpus non ſolum ad coitum,ſed etiam frequenter in plurimis ad pollutionem carnis.Dicitur autem huiuſmodi pollutio ſeminis eiectio præter voluntatem mouentem,natura corrupta ſine aliquo membrorum mouente extrinſecus. Et ſecũdum modum huiuſmodi diffinitionis nulla pollutio ſecundum ſe eſt culpabilis.Nihil enim quod omnino præter voluntatẽ homini accidit,ad culpã Deus imputat, iuxta illud Aug. Omne peccatũ adeo eſt voluntarium, vt ſi non eſſet voluntarium, non eſſet peccatum, Quis enim inquit peccet, in eo quod vitare non poteſt.Si ergo fiat emiſſio ſeminis vigilando,& voluntarie,non etiam aliqua perſona mediante, vel contactu alicuius rei, non eſt pollutio ſecundum modum prędictum,ſed reducitur ad peccatum molliciei. Si autem obiiciatur econtrario,quod ibi eſt inordinata delectatio.Reſpondemus, quod illa etiam delectatio eſt pura paſſio.Ideoq; non eſt peccatum, ſed aliquando ſequela peccati tantum, ſcilicet quando prouenit ex crapula vel turpi cogitatione. Nam ipſis paſſionibus nec meremur, nec demeremur, verum ſi nulla pollutio talis eſt culpabilis, quæri poteſt cur à ſacramento altaris aliquando ſeparat hominem ſecundum Gregorium, cum ſolummodo peccatum mortale ſeparet à re ſacramenti.

Pollutio involuntaria cur ſeparat ab altari?

Ad hoc reſponderi poteſt, quod licet ipſa pollutio non ſeparet à re ſacramenti quantum ad meritũ, quia non eſt peccatum mortale,nec etiam veniale ſecundũ ſe, ſeparat tamen à ſacramento non abſque ratione, Nam vt dicit Auguſtinus, inter omnes actus virium animę vel in corpore vel extra non eſt aliquis adeo ſuffocatiuæ delectationis ſicut actus generatiuæ virtutis,

tutis, Vnde & in eo fit omnino ordinis peruerſio, vt quod naturaliter debet eſſe ſubiectum, ſcilicet caro vel ſenſualitas, efficiatur ſupra in vltimo ſcilicet ſupra rationem dominio, vel actualiter, vt in vigilantibus, vel quantum in ſe eſt, vt in dormientibus, Vnde maxime atteſtatur antiquæ præuaricationi, in qua facta eſt omnis inordinatio naturalis boni. Quoniam ergo in pollutione inualeſcit corruptio ſupra naturam, ob hoc indignum eſt, vt pollutus ad ſacramentum accedat, in quo nihil eſt corruptionis, & quod omni cteato dignius eſt ratione contenti, niſi prius reordinetur natura ſuper corruptione illa. Quod fieri poteſt vt dicitur ſecundum naturalem curſum in ſpacio 24. horarum; Vnde videtur, ſecundum hoc, quod etiam vſq; in craſtino debeat homo ſe ab illo ſacramento ſuſpendere, ſi poſt meridiem & ante noctem polluatur, ſicut aliquando contingit dormientibus de die. Peccatum autem veniale non eſt tantę potentię, vt ſubſternat quod eſt naturaliter ſupra. Ideoq; celebrationem nō impedit illius ſacramẽti, quia nec ſic atteſtatur prę-uaricationi antiquæ atq; corruptioni. Quod ergo in hac parte nō poteſt peccatū veniale, poteſt pollutio, licet nullum ſit peccatum, vt dictum eſt ſecundum ſe.

Dicta pollutio eſt indignitas quadã.

Conſtan. in Panteg. Exire quidem ſperma præter voluntatem neque virgam erigi accidit ex contentiuæ virtutis in teſticulis defectione, & expulſiuæ fortitudine, & calore vel humiditate dominantibus complexioni ſuæ, quod fit cum ſpermatis inſtrumenta patiuntur ſpaſmum, ſicut in epilepticis videmus. Hæc enim quando ſpaſmantur, motu non naturali mouentur, deinde quod habent ſpermatis expellitur.

De cauſis pollutionis nocturnæ.

Cap. XV.

Greg. vbi ſupra. Quaſi vero per ſomnum nocturnum illuditur, qui tentatus de immunditia, veris imaginibus in cogitatione inquinatur. Et talis eſt aqua lauandus, vt cogitationis culpas lachrymis obruat, & niſi prius *ignis* tentationis receſſerit, reum ſe quaſi vſque ad veſperam cognoſcat. Sed in eadem illuſione neceſſaria eſt valde diſcretio qua penſari ſubtiliter debeat, ex qua re vel cauſa menti dormientis accidat, Aliquando enim contingit ex naturę ſuperfluitate, vel infirmitate, aliquando ex crapula vel ebrietate, aliquando ex præcedenti cogitatione. *Caſſianus in lib. ſeptem poſteriorum collationum 5.* Hoc autem niſi fallor inquiſitio noſtra complexa eſt, cur interdum diſtrictius abſtinentes, afflicto exhauſtoque corpore, incentiuis acrioribus vrgeamur, ita vt experrecti reperiamus nos humorum naturalium egeſtione reſperſos. Huius ergo infeſtationis triplicem cauſam noſtri prouidere maiores. Aut enim ſuperflua eſcarum nimietate congerit, aut per incuriam mentis, aut inimici illudentis inſidijs prouocatur. Primum ergo gulæ vitium hanc redundantiam obſcæni humoris extendit. Nam & cum diſtrictioris abſtinentiæ tempore etiam ſtatum polluit puritatis, non de præſenti vt putatis inedia, ſed de nimietate præteritæ ſaturitatis effunditur. Quod enim per voracitatis ingluuiem concretum eſt in medullis, neceſſe eſt, vt per pruritum vel certe per ignorantiam quamuis magno ieiunio tabefacti corporis egeratur. Quamobrem nō ſolum lautioribus eſt epulis abſtinendum, ſed etiam à vilioribus cibis æquali eſt abſtinentia temperãdum. Licet nos neceſſe ſit confiteri, interdum etiam abſque vlla mentis induſtria, vel temperie corporum, vel ætatis præteritę maturitate quoſdam rarius ſordidari, vel certè fluxus iſtius egeſtione non pollui. Sed alterius meriti eſt, qui pacem inerti facilitate conſequitur, alterius qui triumphum glorioſis virtutibus promeretur.

Triplex cauſa pollutionis inuoluntariæ.

1. Cauſa.

2. Cauſa.

Secunda impuri illius proflui cauſa eſt, ſi mens ſpiritualibus ſtudijs atque exercitijs vacuata, quandam ſibi ſegnitiei ſitim per conſuetudinem continui corporis adduxerit, Aut cum ſordidarum cogitationum minutias non cauendo, ita illam puritatem ſegniter concupiſcit, vt omnẽ perfectionis & caſtimoniæ ſummam in ſola credat exterioris hominis caſtigatione conſiſtere. Cuius erroris atq; vecordiæ vitio conſequenter eueniet vt non ſolum multimoda cogitationum peruagatio inuerecunde atq; procaciter ſecretũ mentis irrumpat, ſed etiam priſtinarum omnium paſſionum intra eam ſemina perſeuerent, quæ quandiu in eius abditis deliteſcunt, quamuis rigido corporis ieiunio caſtigetur, tamen nihilominus dormientem illecebroſis phantaſmatibus inquietant, quarum ante legittimi temporis curſum, non iam ex naturæ neceſſitate, ſed adhuc ex fraude nequitiæ, obſcæni elician-tur humores. Ideoq; in primis diſcurſus ſunt ſenſuum coercendi, ne mens iſtis exceſſibus aſſuefacta, ad fediora incitamenta luxuriæ ſomnians pertrahatur.

3. Cauſa.

Tertia cauſa eſt, cum conſtrictione cordis, & corporis, perpetuã caſtimoniæ puritatem optamus acquirere, ſed nos fraudulentiſſimi hoſtis impugnat inuidia, dum illis præcipue diebus quibus maiore integritatis merito, deſideramus diuino placere conſpectui, ſimplicis fluxus illius egeſtione, nos polluit, vt à ſacroſancta communione deterreat.

De illa quæ prouenit ex naturæ ſuperfluitate, vel infirmitate.

Cap. XVI.

Gregorius vbi ſupra. Hæc autem illuſio cum euenit ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate, non eſt omnino timenda, quoniam animo hanc pertuliſſe magis dolendus eſt quam feciſſe. *Auctor* Sic idem videtur de illa quæ accidit ex crapula. Non enim animus eam ſponte facit, ſed inuitus patitur. Et ideo pari ratione videtur timenda non eſſe, quam tamen idẽ Gregorius dicit aliquem reatum habere, & ab immolatione ſacræ hoſtiæ ſuſpendere. At vero non eſt ſimile, quoniam in illa quæ accidit ex crapula non eſt animus tantum, vt patiens, ſed etiam vt agens per occaſionem quoniam auctor crapulæ. Vnde non eam tãtummodo patitur, ſed etiam quodammodo facit, dum auctor eſt crapulæ ex qua pollutio accidit. Verum ſi nullum in iſta peccatum ſecundum Greg. timendum eſt; cur animo eam pertuliſſe dolendus eſt? At hoc intelligitur de dolore generali, quo dolere debent omnes ac lugere infirmitatem & miſeriam humanę conditionis, ex qua proueniunt pollutiones huiuſmodi. Nam dolor quidem pœnitentialis non èſt niſi de perpetratione culpæ, nihilominus tamen dolẽdum ac lugẽdum eſt, pro huiuſmodi incolatu miſeriæ, & pro dilatione patriæ. Poteſt hoc etiã intelligi de dolore ſpirituali, quo de frigilitate propria dolere debet homo, & timere ne per ipſum latẽter orta ſit pollutionis occaſio. Hinc etiam de tali confitentur ſacerdotes antequam celebrẽt, & bonum eſt, Quia bonarum mentiũ eſt ibi culpã agnoſcere, vbi culpa non eſt. Et etiã quia pollutionis cauſam homo diſcernere neſcit vtrum ſc. ex ſuperfluitate naturæ, vel infirmitate, vel ex crapula, vel ex turpi cogitatione præcedente acciderit.

Pollutio ex crapula.

De illa vero quę accidit ex naturę ſuperfluitate quæſtio ſolet eſſe, vtrum homini accideret ſi nunquam peccaſſet? Nam etiã ſi non peccaſſet, nihilominus genuiſſet, Nõ autem fit generatio, niſi per deſciſſionem à nutrimento ſuperfluo. In Adam ergo ſuperfluitas eſſet, quam etiam ſi non coiret, nihilominus expelleret. Poſſibilis ergo fuit ad illius ſuperflui expulſionẽ, & ſic ad pollutionem. Prætereain ſtatu primo eſſet naturalis egeſtio, Alioquin egeſtiua virtus, & expulſiua eſſent ſuperfluæ. Sic quidem videtur, quod ratione pari tunc fieret eiectio ſeminis ſuperflui.

Ecõtra vero poteſt obiici, quod ſẽper pollutio prouenit ex corruptione paſſibilitatis, aut vitii, Ibi etiã eſt

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Adam non paſſus fuiſſet pollutionem ſi non peccaſſet.

inordinata delectatio, nihilque tale in Adam fuiſſet, ſi non peccaſſet. Nos autem dicimus, quod ſi non peccaſſet, nunquam pollutionem habuiſſet. Sicut enim rectè ordinatæ ad Deum erant ſuperiores, vires animæ ipſius, ſic & inferiores ad ſuperiores & corpus ad inferiores, exteriora quoque ad corpus. Cum ergo talis ſuperfluitas, quæ pollutione nocturna eijcitur, ſit præter ordinem, vt ſupra dictum eſt, hũquam in eo fuiſſet, ſi abſque peccato permanſiſſet. Verum duplex eſt ſuperfluum, quia duplex eſt neceſſarium, ſcilicet ad ſuſtẽtationem indiuidui, & multiplicationem ſpeciei. Hoc autem vltimum eſt ſimpliciter neceſſarium, ſecundum quid autem ſuperfluum, & eſt tale ſemen quod diſciditur in generatione; nam & ſi ſuperfluum ſit ſecundum quid, ſc. quantum ad ſuſtentationẽ indiuidui, tamen neceſſariũ eſſe dicitur ſc. quantũ ad multiplicationẽ ſpeciei. Nõ ergo in generatione à ſuperfluo ſimpliciter deſciſio fit, ſed à ſuperfluo ſecundũ quid. Et huiuſmodi ſuperfluum ſecundũ quid in ſtatu primo non habuiſſet Adam niſi temporibus determinatis ad genetationem. Vnde poſito etiam quod non coiret, cum nulla in corpore ipſius inordinatio eſſet, huiuſmodi ſuperfluum in eo non generaretur, & ita nec per pollutionem expelleretur. Porro de egeſtione dicimus, quod eſſet tunc ſicut & nunc, ſed abſque fœtore aliquo, & grauamine, quæ ſunt peccati pœnæ. Nec eſt ſimile de egeſtione, ac pollutione: Non enim totus cibus erat homini nutrimento, ſed illud ſolum purum, quod diuideretur ab impuro, ſicut & modo. At verò totum ſemen erat ordinatum naturaliter ad generationẽ, vndẽ patet quod ſecundum naturam bene inſtitutam, non poſſit aliter emitti, quàm per generationem.

De illa quæ accidit ex crapula vel ebrietate.

Capvt XVII.

Regorius vbi ſupra. Cum autem vltra modum gulæ appetitus in ſumendis alimentis rapitur, & ob hoc humorum receptacula grauantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen vſque ad prohibitionem percipiendi ſacri myſterij, vel celebrandi ſolemnia miſſarum, cum fortaſſis aut feſtus dies exigit, aut miniſterium exhiberi pro eo quod ſacerdos alius in loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit. Nam ſi alius qui miniſterium implere valeat adeſt, illuſio facta pro crapula à perceptione quidem ſacri myſterij prohibere non debet, ſed ab immolatione, vt arbitror ſe homo ſubtrahere debebit. Si tamen dormientis mentem imaginatione turpi non concuſſerit, tunc enim animo reatus ſuus manifeſtus erit. *Caſſianus in libro 10. collationum.* Nunquam vtique caſtimoniæ puritatem indirupta valebit virginitate ſeruare, cui prẽterita cibi materia ſubminiſtrat ignem carnalis concupiſcentiæ. Nam quod ſemel per eſcarum abundantiam concretum fuerit in medullis, neceſſe eſt egeri, atque ab ipſa naturæ lege propelli, quæ exuberantiam cuiuſlibet humoris ſuperflui, velut noxiam, atque ſibi contrariam in ſemetipſa reſidere non patitur: Ideoque rationabili ſemper, & æquali eſt corpus noſtrum parſimonia caſtigandum, vt ſi naturali hac neceſſitate cõmorantes in carne omnimode carere non poſſumus; ſtatim rarius nos, & non amplius quàm trina vice iſta colluuione reſperſos, totius anni curſus inueniat. Quod tamen ſine vllo pruritu quietus egerat ſopor, non fallax imago index occultæ voluptatis eijciat.

Prohibitus ab immolatione & non à communione.

Pluſquam ter in anno polluti inuoluntariè, eſſe non debent.

Auctor. At vero ſi iuxta prędicta verba Gregorij: Pollutio quę accidit ex crapula ſacri myſterij celebrationem impediat ratione ſui reatus, ſiue vitij, videtur quod ſacerdos nullatenus celebrare debeat pro quantocunque profectu populi. Non enim facienda ſunt mala, vt proueniant bona. Et hæc obiectio eſt inualida, quia pollutio licet ex vitio procedat, non tamen eſt vitium, id eſt culpa, ſicut dictum eſt ſupra. Affectus vero quem habet ſacerdos ad profectum populi ſubiecti, magis eum aſſimilat ſacramento pro redemptione, ac profectu omnium immolato, quam diſſimilet illa corruptio: maximè cum non habeat ex parte ipſius cauſam, vel occaſionem effectiuè, ſed materialiter tantummodo. Ideoque talis celebrare poteſt in illo caſu, quem Gregorius ponit, quia ſcilicet vtilitatem plebis communem intendit.

De illa quæ prouenit ex præcedenti cogitatione.

Capvt XVIII.

Regorius vbi ſupra. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis illuſio dormienti oritur, patet animo ſuo reatus, videt enim à qua radice inquinatio illa proceſſerit, quæ hoc neſciẽs pertulit, quod ſciens cognouit. *Caſſianus in libro de inſtitutione Monach.* Licèt autem ad plenam peccati noxam talis commotio minime computetur, tamen necdum perfectæ mentis indicium eſt, nec ad purum excocti vitij manifeſtatio, cum per fallaces imagines huiuſmodi illuſio operatur. Qualitas enim cogitationum, quæ in diſtenſionibus diei negligentius cuſtoditur; quiete nocturna probatur. Et iccirco cũ interceſſit aliqua talis illuſio, non culpa ſomni credenda eſt, ſed negligentia temporis præcedentis. Ita manifeſtatio morbi latentis intrinſecus, vt ſolent malæ quoque valetudines corporum non ea colligi tempeſtate, qua videntur emergere, ſed negligentia ſuht præteriti temporis acquiſitæ, quo paſtus quis impudenter eſcis ſaluti contrarijs, noxios humores ſibimet lethaleſque contraxit.

Pollutus ex praua cogitatione non communicet

Auctor. Si autem illa pollutio quæ prouenit ex crapula, niſi neceſſitas vrgeat, ſuſpendit ſacerdotem à celebratione, magis etiam illa quæ fit ex precedenti turpi cogitatione. Quin etiam Chriſtianum quemlibet ſuſpendere debet à perceptione, niſi fortaſſe dies ſolemnis inſtet, vt dies Paſchæ; Sed tunc etiã videtur melius eſſe differendũ in craſtinum, ſi poſſet fieri ſine ſcandalo. Similiter infirmis de quorum morte timetur, dari poteſt in tali caſu propter vtilitatem ſacramenti. Veruntamen ſi memores indignitatis ſuę nolint petere cauſa reuerentiæ, non eſt eis dandum, ſed potius dicendum, Crede & manducaſti. Licet ipſa pollutio ſecundum ſe ſicut prędictum eſt peccatum non ſit, ſed ſequela peccati.

De conſenſionibus ſõniantium

Auguſtinus ſuper Geneſim libro 12. Aliqua itaque ſit quæſtio de conſenſionibus ſomniantium; cum ſibi concũbere videntur vel contra mores licitos vel contra propoſitum ſuum. Quod contingit, cum ea quæ vigilantes etiã cogitamus, non cũ placito conſenſionis, ſed ſicut talia propter aliquid loquimur, quod non poſſemus niſi ea etiam cogitaremus, ſic admouentur in ſomnis, & exprimuntur, vt eius caro naturaliter moueatur, vt quod naturaliter collegit, per genitales vias emittit, quod quidem ſine peccato à vigilante fieri non poſſet. Tunc vero tam ſine peccato fit, quàm ſine peccato à vigilante dicitur, quod vt diceretur, ſine dubio cogitatum eſt. Veruntamen propter animæ affectionem bonam, quæ deſiderio meliore mundata multas interficit cupiditates, quæ ad naturalem motum carnis pertinent, quem caſti vigilantes cohibent, dormientes autem ideo non poſſunt, quia non habent in poteſtate quin admoueatur expreſſio imaginis corporalis quæ diſcerni non poſſit à corpore. Propter iſtã ergo animæ affectionẽ bonam etiam in ſomnis quædam eius merita clarent. Nam & dormiens Salomon præpoſuit ſapientiam omnibus rebus, eamque neglectis cæteris, precatus eſt Deum, & placuit hoc Domino, nec diſtulit retributionem bonam pro deſiderio bono.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De illa quæ accidit tantum ex imaginaria viſione.

CAPVT XIX.

PRæter hæc autem quæ tangit Gregorius videlicet quatuor genera pollutionis, addere poſſumus & quintum, quod fit ex imaginaria tantummodo viſione, quam homo patitur in ſomnis. De quo tamen Grego. tacet, quia de his tantum intendit loqui, quæ cauſam ſuã habent in vigilante. Hoc autem genus ſecundum cauſam ſuam in vigilante non eſt. *Caſsianus in libro 7. collationum 2.* Hanc autem carnis colluuionem quidam dicunt non iccirco dormientibus euenire, quod eam producat fallacia ſomniorum, ſed potius quia redundantia humoris illius aliquas in ægrotanti corde fingat illecebras. Denique quando non inquietat vlla concretio quemadmodum fluxus eius, ita etiam illuſio conquieſcit. Sed hoc diffinire poterit nemo, niſi per experientiam lõgam, & puritatem cordis in confinia carnis ac ſpiritus verbo Domini dirigente peruenerit. Sicque puritatis modum, certa experientia perpendens nequaquam illorum decipietur errore, qui negligentię ſuæ vitio crebrioribus quàm natura appellit egeſtionibus ſordidati, de naturali cõditione cauſantur, cumque eos conſtet inferre potius vim naturæ, & extorquere ab ea pollutionem, quam ipſa non ingerit, intemperantiam ſuam ad neceſſitatem carnis, immo ad eius referunt Creatorem. Itaque quiſquis ad illum puritatis ſtatum iugis cordis intentione peruenerit, vt iam mente ab huius paſſionis titillatione penitus abſoluta per ſoporem caro eius velut redundantiam ſuperflui humoris expellat, conditionem modumque naturæ certiſſimè deprehendit. Et ita cum expergefactus inuenerit carnem ſuam poſt longa tempora ſe inſcio atque ignorante pollutam, tum demum de naturali neceſſitate cauſetur, ad illum ſine dubio perueniẽs ſtatum, vt talis inueniatur in nocte, qualis in die, talis in lecto, qualis in oratione.

Experientia longa definiendum de pollutionibus.

De illa quæ fit à diabolica illuſione.

CAPVT XX.

GRegor. *in Moral. lib.* 8. Sæpe autem (vt aliàs dictum eſt) malignus ſpiritus etiam ſanctorum corda afficere ſomnijs nititur, vt ab intentione cogitationis ſolidæ ad tempus ſaltem momentumque deriuentur, quamuis ipſi protinus ſe ab illuſionis imaginatione diſcutiant. Sed hoſtis inſidians, quo eos vigilantes minimè ſuperat, eo dormientes grauius impugnat. Quem tamen hic malignè agere, ſuperna diſpẽſatio benignè permittit, vt ne in electorum cordibus ipſe ſaltem à paſſionis præmio ſomnus vacet, ſicque iuſtorum vita, & per vigilias tentatione quatitur, & per ſomnum illuſione fatigatur, foris corruptionis ſuę moleſtias tolerat, intus apud ſemetipſam grauiter illicitas cogitationes portat.

Caſsianus in libro 7. poſteriorum collationum. Itaque fraudulenti hoſtis inuidia nos impugnat, dum illis præcipuè diebus, quibus maiore integritatis merito deſideramus placere conſpectui diuino, ſimplicis fluxus carnis egeſtione nos polluit, vt à ſacroſancta communione deterreat, licet in quoſdam incipientium ab hoc diabolica infeſtatione, hæc euenire credatur illuſio, vt cum eos intẽſioribus ieiunijs ſtudere cognouerit, omnes eorum conatus hac arte ſubuertat, vt dum ſe non ſolum nihil ad puritatem corporis diſtrictiori ieiunio profeciſſe, verum etiam grauius ſentiunt fuiſſe pulſatos, magiſtram incorruptionis, ac puritatis altricem abſtinentiæ diſtrictionem, tanquam æmulam perhorreſcant. Et omni quidem induſtria quantum in nobis eſt ſtudere debemus, vt caſtimonię puritatem, illo vel maximè tempore teneamus, quo venerandis aſſiſtere optamus altaribus. Verum, ſi hoſtis ille nequiſſimus, vt nobis cæleſtis remedij ſubtrahat medicinam, cuſtodiam ſubito mentis illuſerit, ita duntaxat,

Pollutio à fraude diaboli prouenions.

A vt nullo reprehenſibili interueniente pruritu, nullo oblectationis contaminemur aſſenſu, ſed egeſtione, aut naturali neceſſitate propulſa aut certè impugnatione diaboli abſque ſenſu voluptatis elicita, ad impedimentum noſtræ ſanctificationis obtenderit, poſſumus & debemus ad gratiam ſalutaris cibi confidenter accedere. Sin vero noſtro vitio hæc fuerit egeſta concretio, illud Apoſtolicum formidemus: *Qui manducat indignè, &c.* Nouimus fratrem, qui cum caſtimonia cordis & corporis ſumma circumſpectione, atque humilitate promeritam iugiter poſſideret, ac nequaquam nocturnis ludificationibus tentaretur, quotieſcunque ſe tamen ad percipiendam communionem, Domini cauſa præparaſſet, immundo fluxu dormiens fœdabatur: Qui cum multo ſe tempore à ſacroſanctis myſterijs trepidus abſtineret, tãdem hanc ad ſeniores detulit quęſtionẽ, remedium impugnationum, ac doloris ſui medicabili eorum conſilio conſecuturum ſe eſſe confidens. Sed cum primam cauſam morbi huius ſpiritualium medicorum doctrina diſcuteret, quæ ſolet ex abundanti ciborum præſumptione deſcendere, eam quæ memorato fratri deprehenderet non ineſſe, inquirunt, ne animæ forſitan culpa caro exhauſta ieiunio illuſionibus vrgeretur, quibus etiam diſtrictiſſimi viri cum paululum elati de ſua corporis fuerint puritate per ſuperbiæ vitium polluuntur: probanteſque nec animæ culpam eſſe, nec carnis, ſacroſanctis eum epulis debere miſceri confidentiſſimè cenſuerunt, ne per hanc fraudem medicina remedij ſalutaris in perpetuum fraudaretur.

Egeſtio viciosa.

Cur pollutio nocturna ſecundum ſe culpabilis non ſit.

CAPVT XXI.

AVctor. Quod autem nulla pollutio nocturna ſecundum ſe peccatum ſit, ipſa ratio euidenter oſtendit. Statim enim quando fit à ſenſibus abſtractio, fit etiam ſpirituum ad interiora directio, ſicque propter calorem excitatum turbantur ſpiritus in cella imaginationis, ita quod inepti efficiuntur ad deferendum formas in cellam rationis. Et ita non ordinantur vires inferiores ad ſuperiores in dormiente ſicut in vigilante, nec poteſt ratio quin moueatur dormiens corporali motu ad eijciendum ſemen, prohibere. Verum quid de illo qui dormiendo illuſionem patitur, & poſt excitatus ſtatim polluitur? Iterum quid de illo, qui nec dormit, nec vigilat, & in tali ſtatu polluitur? Quid etiam de illo, qui poſt pollutionem excitatus à ſomno conſentit, & placet ei? Videtur grauiter peccare, quia cum vigilans conſentit pollutioni, conſentit immoderatæ delectationi. Grauius etiam peccare videtur ille, qui confeſſiones de peccatis carnis audiendo polluitur, quia ſcilicet ibi totum vigilando fit, & cogitatio, & motus carnis, & emiſſio ſeminis. Et tamen aliquando tali dictat conſcientia firmiter, quod nullo modo vellet peccare mortaliter.

Dubia varia.

Ad hęc omnia dici poteſt, quod ille qui dormiens illuditur, & mox excitatus polluitur, ſi placet ei delectatio, & conſentit, peccat grauiter. Si vero non placet tunc ei non imputatur, ſed de illa iudicandum eſt quaſi dormiendo accidiſſet. Signum autem, quod ei non placeat, quando ſtatim vt euigilat emittit abſque delectatione, vel ad minus auertit mentem ab ea quãtum eſt poſſibile. De illo autem, qui nec dormit, nec vigilat, quia tamen ſomnus eſt quies exteriorum virium, poteſt dici, quod licèt non fortiter dormiat, dormire tamen dicitur, quia ſenſibus non vtitur. *Ideoque qui in tali ſtatu polluitur, velut in ſomno iudicatur, licet etiam aliquando ſibi vigilare videatur.* Porro circa illum qui conſentit pollutioni præteritæ, poſſumus diſtinguere, quod aut ei placet exoneratio naturæ, per quam ſe ſentit alleuiatum, & quantum ad hoc nõ peccat; aut ipſa delectatio, & in hoc peccat. Sacerdoti autem qui polluitur confeſſiones audiendo, vix aut nunquam contingere poteſt ex delectatione ſine peccato.

Reſolutio.

Pollutio in ſemidormitibus.

Verun-

Veruntamen ſi turpi delectationi quantum poteſt, reſiſtat viriliter, tunc ex violentia tentationis omnino contra voluntatem rationis pollutionem patiens, non peccat mortaliter. Sed menſurandum eſt peccatum ſecundum quantitatem delectationis, quam in turpi cogitatione habuit, ex qua videlicet illa pollutio accidit. Verum ſi pollutio nocturna nunquam habet in ſe vitium, cur Greg. de illa, quæ prouenit ex crapula, & etiam illa, quæ ex turpi cogitatione dicit contrarium? Ad hoc dici poteſt Greg. non intendere, quod ſecundum ſe ſit peccatum, ſed cum peccato, vel vt magis propriè dicatur peccati præcedentis complementum. Sicut enim voluntatẽ, & opus dicimus idem eſſe peccatum, eo quod ordinantur ad eandem delectationẽ, ita dicere poſſumus, quod præcedens repletio, vel turpis cogitatio cõſequenti pollutione ordinatur ad eundem finem. Ob hoc ipſa pollutio poteſt dici quaſi complementum peccati, ſicut opus exterius voluntatis interioris, nec eſt vitium ſecundum ſe, ſed ſecundum relationem ad præcedens.

Cur pollutis interdicendum ſacramentum?

Si vero quæritur quid ſit in pollutione, & quid in ſacramento Euchariſtiæ, cuius gratia ſit ibi tanta repugnantia, vt quoſdam propter illam prohibeat à cõfectione, quoſdã etiam à perceptione. Dicimus, quod huiuſmodi ſacramenti gratia cõſiſtit in maxima vnione membri cum capite, nutrit enim mentem ex charitatis Chriſti paſſi delectatione. Vnde cum in pollutione ſit maximus mentis deſcenſus in carnem ibi elongatur maximè à gratia illius ſacramenti, in quo ſit maximus mentis aſcenſus ad creatorem ſiue Saluatorem. Præterea in hoc ſacramento recolitur maximè Chriſti paſſio, & in pollutione ſentitur maxima carnis delectatio, quæ maximè contraria ſunt & maximè diſtant. Iterum pollutio maximè atteſtatur elongationi antiquæ, qua ſcilicet à Deo elongauimus, & Deus à nobis, ideo maximè ſacramento contrariatur, in quo Deus ad nos accedit, & nos ad Deum.

Qualiter huiuſmodi labes radicitus euelli poſſit.

Caput XXII.

Aſſianus in lib. 7. priorum collationum 2. Licet autem huiuſmodi ludificationem qua dormiens illecebro ſic phantaſmatibus fœminarum illuditur, obnoxiam eſſe peccato non credamus, concupiſcentiæ tamen adhuc medullitus latentis indicium eſt. Quam tamen illuſionem diuerſis modis conſtat accidere: Nam ſecundum vſum quem vigilans exercere vel cogitare conſueuerat, etiam dormiens tentatur. Aliter autem falluntur qui carnalem copulam norunt, aliter qui expertes ſunt: Hi autem ſicut ſimplicioribus ac purioribus ſomnijs inquietari ſolent, ita etiam minore poſſunt labore purgari. Illi autem ſordidioribus magiſque expreſſis phantaſmatibus illuduntur, donec paulatim in odium illius rei quam voluntariam antea ſentiebat mens & ſomno ſopita vertatur. Et ita demũ quis ad illam beati Sereni, paucorumque ſimilium perueniet puritatem, vt etiam ipſo naturali motu carnis emortuo, illum obſcœnum liquorem omnino non perferat. Caſtitas enim vera non diſtrictionis præſidio, ſed amore ſui & propriæ puritatis delectatione ſubſiſtit. Nec caſtitas eſſe, ſed continentia dicitur, vbi adhuc ei aliqua reſiſtit aduerſitas voluptatis, & adhuc carnis commotione pulſatur. Hac enim commotione ne ipſi quidem eunuchi carere demptis genitalibus poſſunt. Sciendumque eſt, non eis carnales æſtus, nec affectum libidinis, ſed ſolum ſatiuæ generationis deeſſe virtutem. Vnde nec ab humilitate & contritione cordis, vel continentiæ diſtrictione debent laxari. Licet nequaquam ſit diſcredendum minorem ab eis caſtimoniam poſſe labore comprehendi. Quamobrem perfectio caſtitatis, à laborioſis continentię rudimentis, perpetua tranquillitate diſcernitur. Hęc eſt enim verè conſummatio caſtitatis, quæ non impugnans carnalis concupiſcentiæ motus, ſed horrore toto deteſtans, iugem atque inuiolabilem ſui retinet puritatem, nec poteſt aliud quid eſſe quàm ſanctitas. Hæc autem fiet quando iam deſinens caro aduerſus ſpiritum concupiſcere, ſed deſiderijs eius viri, ſcilicet rationis vtique conſenſerit: cœperintque ſibiinuicem pace firmiſſima fœdari, & habitauerunt fratres in vnum, illam repromiſſam à Domino beatitudinem poſſidentes, de qua ait: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram*, &c. *Idem in libr.* 10. *collat.* Itaque puritati ſtudentibus plurimum confert, vt carnalium paſſionum ipſas materias ſibi penitus ſubtrahant, quibus poteſt vel occaſio vel recordatio earundem paſſionum ægrotanti adhuc animæ generari. Neceſſe eſt enim vt morbo duplici duplex adhibeatur curatio. Nam corporine concupiſcentia in effectum tentet prorumpere neceſſario effigies & materia illiciens ſubtrahenda eſt. Et animę nihilominus ne eam vel cognitione concipiat attentior meditatio ſcripturarum, & ſolicitudo peruigil ac remotio ſolicitudinis vtiliter apponenda eſt.

Studentibus puritati quid faciendum?

Quod ad hanc puritatem obtinendam non tam in afflictione carnis, quàm in gratia Dei confidendum ſit.

Caput XXIII.

Idem in lib. 7. priorum collat. 2. Quiſquis ergo à cunctis confabulationibus otioſis extractus, & ab ira omni & ſollicitudine curaque mundana mortificatus, quotidianam panis, & aquæ refectionem ac ſomni quietem moderatus fuerit, nec tamen laborum, & abſtinentiæ huius merito, ſed miſeratione diuina ſe puritatem illam adepturum crediderit, quia ſine hac fide cuncta humani laboris intentio vana eſt in breui perfectionem illius impoſſibilem ſibi non eſſe cognoſcit. Quæ nimirum fides omnibus licèt facilis, & plana videatur, tam difficile tamen ab inſipientibus quàm ipſius caſtitatis perfectio poſſidetur. Nam cum eis vel particula puritatis arriſerit, continuò in ſuæ conſcientiæ ſecretis elatione quadam ſubtiliter illabente ſibimet blandiuntur, credenteſque illam ſe diligentiæ ſuæ ſtudio conſecutos, neceſſe eſt, vt ſuperno illo præſidio paululum denudati, tamdiu illis quas diuina virtus extinxerat paſſionibus opprimantur, quamdiu experientia docente cognoſcant ſe viribus atque induſtria ſua puritatis bonum obtinere non poſſe. Hæc ergo eſt conſummatio caſtitatis, vt etiam quieſcentem ſomniorum illuſio non fallat, ſed cum dormienti tantummodo perſopitæ mentis incuria ſemotio carnis obrepſerit, quemadmodum ſine vlla titillatione voluptatis excitata eſt, ita etiam ſine vllo pruritu corporis conquieſcat.

Fide acquiritur donum caſtitatis.

Idem in lib. 10. *collat.* 7. Summæ ſanctitatis viro nominiſque ſui ſpeculo abbati Sereno, ita peculiari beneficio donum caſtitatis infuſum eſt, vt iam ne ipſis quidem naturalibus incentiuis inquietari ſe, vel in ſopore ſentiret. Primò quidem pro interna cordis caſtitate nocturnis diuiniſque precibus, ac ieiunijs inſiſtens, cum vidiſſet orationum ſuarum ſe obtinuiſſe vota, cunctoſque æſtus in corde ſuo concupiſcentiæ carnalis extinctos, maiori zelo caſtitatis exarſit, & intenſioribus ieiunijs & obſecrationibus incubare cœpit, vt mortificatio paſſionis huius, etiam ad ipſam carnis puritatem eatenus perueniret, vt ne illo quidem ſimplici ac naturali motu, quo etiam in paruulis, ac lactantibus excitatur, vlterius pulſaretur. Credens multo facilius Deum hos ſtimulos carnis radicitus poſſe conuellere, quos etiam humanę artis induſtria ſolet quibuſdam poculis, vel medicamentis, ſeu ferri ſectione detrahere. Cumque cœptæ ſupplicationi, ac lachrymis indefeſſus inſiſteret, aduenies Angelus in viſione nocturna, eiuſque velut aperiens vterum quandam ignitam carnis ſtrumam de viſceribus eius auellens, atque proijciens, ſuiſque omnia vt fuerant locis reſtituens inteſtina, ecce, inquit, incentiua tuę carnis abſciſa ſunt, & obtinuiſſe te noueris hodie

Abbas Sereno qui caſtitatem acquiſiuit.

Eunuchis ineſt æſtus carnalis.

perpetuam corporis puritatem, quam fideliter popoſcilti. *Idem in lib. poſteriorum collat. 5.* Vt ergo fallax imaginatio ſomniorum illectrix egeſtionis impuræ, vel in perpetuum, vel certis menſibus ignoretur poſt illam fidem, qua de Dei ſpecialiter gratia puritatis donum iugiter ſperare non conuenit, eſcæ potuſque nimietas eſt caſtiganda, quorum redundantia huiuſmodi humores propenſius gigni neceſſe eſt. Qui quomodo concreti non poſſunt non egeri, ita ad ipſius naturæ legem poſſunt propelli, ne ſub occaſione cuiuſcunque pruritus, atque illuſionis emergant. In qua nobis caſtimonię puritate fundatis, peccatum iam in nobis non dominatur, ſed interioris fotu pabuloque puritatis exteriori etiam homini caſtitas neceſſaria ſubminiſtratur.

De menſtruali ſanguine.

CAPVT XXIV.

Menſtrua quid?

AVctor. Hæc de pollutione nocturna occaſione ſeminis humanæ generationis, quod ibi effunditur extra generationis ordinem diximus. Nunc ad ea quæ per ſe ad ipſam generationem pertinent redeamus. Et primo de menſtruo, quod etiam in materia cum ſperemate conuenit, & conceptum fœtum nutrit in vtero, diſſeramus. *Iſidorus vbi ſupra.* Menſtrua ſunt mulierum ſuperuacuus ſanguis, ſicque dicta ſunt à circuitu Lunaris luminis, quo ſolet illud profluuium prouenire, nam Luna mene dicitur Græcè. Hæc & muliebria nuncupantur. Nam mulier ſolum animal menſtruale eſt, cuius cruoris contactu fruges non germinant, acescunt muſta, moriuntur herbæ, amittunt arbores fœtus, ferrum rubigo corrumpit, nigreſcunt æra, ſi qui etiam canes inde comederint in rabiem efferantur, Glutinum aſpalti, quod nec ferro, nec aquis diſſoluitur, cruore ipſo pollutum ſponte diſpergitur.

Conſtantinus vbi ſupra. Menſtruorum exitum, & ablationem eorum ſecundum naturam oportet intelligi, itaque menſtrua mulierum exeunt cum 12. annum expleuerunt, & plurimum in quartodecimo protenduntur. Aufertur autem à quibuſdam circa 36. annum Hermaphroditus non habet menſtrua, vel ſperma. Menſtrua quidem naturalia ſunt continua per duorum dierum ſpatia, vel ad plurimum ſex, qui ſi tranſcurrant vltra non erunt naturalia. Grauatur autem mulier cum tempus menſtruorum venit. Quæ vero menſtrua ſua diu differt, moleſtum ei, ac durum eſt, quia multæ quantitatis ſubito purgamentum ſuccedit. Tempus interpolationis 20. dierum eſt, & vſque in duos, aut plures menſes aſcendit. Quæ vero poſt hoc tempus menſtrua veniunt, naturalia non ſunt, & vocatur hæc menſtruorum retentio, conſtrictio. Quæ fit ex paſſione in vulua, vel in corpore toto, vel in vno membro. De vulua propter apoſtemata, vel propter vuluæ torturam, aut ex abortu nimio, vel ex paſſione matricis, vel ex opilatione, vel ex frigida complexione venarum ora claudente, vel ex humoribus craſſis, atque viſcoſis viam implentibus, aut ex vulneribus in eis coagulatis: De toto corpore verò propter febres, aut propter corruptionem complexionis, & hydropyſis. Porro de vno membro ſicut de paſſione pectoris, ſtomachi, vel hepatis, ſit iterum menſtruorum conſtrictio propter hæmorroidem, aut ſanguinem de naribus, vel pectore euntem. Aliquando quoque fit ex nimia craſſitudine corporis premente venas, atque ſtringente, huius conſtrictionis ſignatio vniuerſalis eſt grauitas inferioris ventris, & dolor totius corporis, conſtrictioque vrinæ, atque egeſtionis; Aliquando etiam vrina eſt nigra, deficitque virtus appetitiua, & aliquando mala appetunt cibatia.

Tempus interpolationis menſtruorum.

Cauſæ retentionis menſtruorum.

Ariſtoteles in lib. de animalibus. Menſtruum in fœminis ſimile eſt ſpermati in maribus, nec aliud quàm ſperma indigeſtum, ſed non eſt conueniens generationi, quia ſi fuerit ſperma non erit menſtruum & e-

Menſtruum ſperma indigeſtum.

A conuerſo, huius ſignum eſt, quod natura fœminarum debilis eſt, & minoris caloris, earumque corpora molliora ſunt, & leuiora, pauciorisque pili corporibus marium, minora quoque ſunt eis in omni genere animalium generantium animal. Nec eſt exitus menſtrui niſi tantum in iſtis generibus ſicut dictum eſt ſuperius. *Auicenna in 2. canone.* Sanguis menſtruus (vt dicitur) ſuper eriſipilam linitur, & ſuper podagram calidus diſtillatur, & confert. Suppoſitus autem prohibet impræguationem, ſicut æſtimauerunt quidam. *Dioſcorides.* Sanguis fluens menſtruus mulierem generare non ſinit aliarum mulierum corporibus perunctum. Maximeque vbi fuſus fuerit non generat mulier ſi ſupertranſierit. Ignem vero ſacrum curat, & dolores podagricos inunctus compeſcit.

B

De cauſis ſterilitatis in viro & muliere.

CAPVT XXV.

EX *libro de nat. rer.* Homines quidem pingues raro generant, quoniam habent corpora minus temperata. Similiter accidit in mulieribus, quia ſuperfluum quod eſt in corporibus pinguibus digeritur, & in pinguedinem trãſit. Vnde propter has cauſas quædam etiam arbores non fructificãt, vt ſalix & nux Romana. Tria quoque genera hominum generare non poſſunt, videlicet *infirmi*, propter debilitatem; *Senes*, quia natura non poteſt in eis digerere ſanguinem ſeminalem; *Pueri* vero, quia ſperma tranſit in crementum. *Auicenna in 1. canone.* Cauſa vero ſterilitatis aut eſt in ſpermate viri vel mulieris, aut malitia complexionis diuerſificantis virtutem generationis, ſcilicet calidę vel frigidæ, ſcilicet frigidæ ex frigore naturali, aut frigore accidentali longæ retentionis ſparſo, aut humiditas, aut ſiccitas, aut eſt in membris generationis, vt in matrice vel virga, vel inſtrumentis & vaſis ſpermatis, ſicut eſt debilitas vel corruptio, breuitas, vel amplitudo. Aut eſt propter cauſam in principijs, vt eſt triſtitia vel timor, dolores capitis, debilitas digeſtionis, & ſatietas nauſeatica. Ad hoc enim vt conceptio fiat, oportet quod membra digeſtionis & membra ſpirituum ſint fortia: Aut eſt propter errorem accidentem, vt quando ſpermatis emiſſio fit ante complementum vel poſt illud, ſiue quando vir & mulier diuerſi ſunt in coitus tempore, ita quòd vnus eorum antecedit alium in ſpermatis emiſſione.

C

Tria genera hominum generare nequeunt.

D *Conſtant. vbi ſupra.* Ablatio generandi fit ex nimis mala complexione teſticulis dominante, & hoc aut nimis calida, quæ ſpermatis incendit materiam: Aut nimis frigida, quæ congelat & adunat eam: Aut humida, quæ diſſoluit ac ſubtiliat: Aut ſicca quæ incraſſat. *Hippocrates in lib. aphoriſmorum.* Mulieres quæ præter naturam craſſæ ſunt, his pinguedo quidem os matricis obturat, & priuſquam extenuentur non concipiunt. Iterum quæcunque denſas & frigidas matrices habent, concipere non valent: Aut enim propter denſitatem humidum extra diffunditur: Aut propter frigiditatem non calefit, vt ad hunc locum congregetur, ſed & mulieres quæ matrices habent humidas non concipiunt, quia ſemen in eis extinguitur, nec illæ quę ſiccas magis & ardentes, quoniam indigentia nutrimenti ſemen corrumpitur. Quæ autem ex vtroque moderante habent, illæ generant. *Ariſtot. vbi ſupra.* Mulier quoque dolorosa & infirma imprægnari non poteſt. Si autem imprægnatur fœtus corrumpitur.

E

Cauſæ ſterilitatis.

Iſidorus vbi ſupra. Semen tenue locis muliebribus non adhęret, elabitur enim, nec vim adhærendi habet: Similiter & craſſum vim gignendi non habet, quia muliebri ſanguini ſe miſcere propter nimiam ſpiſſitudinem non valet. Hinc & mares & fœminas videmus fieri ſteriles; vel propter nimiam ſeminis, vel ſanguinis craſſitudinem, vel propter nimiam raritatem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Cur raro concipiunt meretrices proſtitutæ.

CAPVT XXVI.

Vil. de conchis. Quæri autem poteſt, cum frequentiſſimè coeant proſtitutæ mulieres, vnde fit hoc quòd rarò concipiunt? Ad hoc autem reſpondeo, quòd ex vno ſemine non poteſt fieri conceptio, nam vbi non conueniunt ſperma viri & mulieris, mulier non concipit: Proſtitutæ ergo, quæ pro ſolo precio coeunt: nullam delectationem hinc habentes nihil emittunt, quare nec gignunt.

Obiect. Sed dicis, videmus tamen proſtitutas amore vnius torreri, cum quo ſine delectatione non commiſcētur,

Reſp. nec tamen niſi raro concipiunt? Reſpondeo huius rei cauſam cognita forma & qualitate matricis melius percipies: Matrix eſt ciſta ſeminis ſuſceptrix ad modum alchanæ formata: Eſt autem alchana vas vrinarium ſurſum habens os amplum, inferius ventrem rotundum & craſſum, inter os & ventrem collum gracile & longum. Eſt autem matrix intus villoſa, vt melius ſemen retineat, ſeptem habet cellulas humana figura ad modum monetæ impreſſas. Inde eſt, quod ſeptem poteſt mulier vno lecto parere. Proſtitutæ ergo ex frequentia coitus matricem habent oblimatam, piloſque quibus ſemen deberet retinere coopertos, vnde ad modum marmoris vncti, quicquid recipit ſtatim emittit.

Obiect. Dicis itaque, quod mihi dixiſti, ſine fœminę ſemine nil concipi, non eſt veriſimile. Videmus enim raptas reclamantes & plorantes violentiam paſſas concepiſſe: Vnde apparet illas nullam in illo opere habere delectationem, ſed ſine delectatione non poteſt

Reſp. ſperma emitti? Reſpondeo, & ſi raptis in principio opus diſpliceat, ex carnis fragilitate tamen in fine placet. Iterum ſunt in homine duæ voluntates, Rationatiua & naturalis, quas ſæpe in nobis repugnare ſentimus. Diſplicet enim rationi ſæpe quod carni placet. Si ergo in rapta non eſt voluntas rationis, eſt tamen

Sperma mulieris cōcurrit ad conceptum. delectatio carnis. Et quid dubitas ſperma matris in conceptu eſſe, cum videas filios ſimiles matribus naſci, infirmitateſque earum contrahere?

Cur frequenti coitu non impręgnantur coniugatæ.

CAPVT XXVII.

Cauſa non concipiendi. POrro legitimas quæ cum ſolis maritis cum magna delectatione coeunt, videmus etiam frequenter non concipere. Huius rei cauſa tum in ipſa muliere, tum in viro exiſtit, contingit enim aliquando nimis pinguem matricem eſſe, vnde nimia pinguedine inferius os matricis obſtruitur, vnde ſemen ad locum creationis peruenire non poteſt; Aliquando nimia ſiccitate conſtringitur; Aliquādo viſcoſis humoribus intus delinitur; Aliquando deficit illis vis retentiua, & præualet illi expulſiua; Aliquando lacerti, quorum eſt conſtringere, nimis ſunt molles; Aliquando cum nullum vitium ſit in matrice, tamen non concipit, quod ex qualitate ſpermatis alterius, ſiue vtriuſque contingit, ſi enim nimis eſt calidum, vim habet deſiccatiuam & peremptoriam, ſi nimis frigidum congelatur; ſi nimis humidum diſſipatur; ſi nimis ſiccum, durum eſt, & inobediens digeſtioni. *Hippocrates in epiſtola de anatomia.* Neque vero quoties coitus fit, mulier concipit, ſed tantūmodo certo tempore, ſc. aut in initio purgationis, aut in fine. Nam in ipſa purgatione ſperma corrumpitur, ſanguinis natura ſuperante. *Razi. in lib. diuiſionis ægritudinum.* Itaque difficultas impręgnationis fit propter adipis multitudinem, aut virgæ paruitatē, aut quia mulier poſt coitum citò ſurgit, & ambulat, & mouetur, ſpermaque cadit, aut propter craſſam in matrice ventoſitatem, aut propter eius lubricitatem, aut propter caliditatis eiuſdem, aut ſiccitatis, aut frigiditatis multitudinem, aut propter malam ſpermatis complexionem, aut propter hæmorroides vlcerum, que malitiam, aut propter meatus opilationem, quæ fit propter adipem, vel carnem ortam.

Quî ad ſeminationem fœtus oportet affectum vtriuſque parentis concurrere.

CAPVT XXVIII.

Hvgo in lib. de perpetua virginitate Mariæ. In parentibus quoque carnaliter generātibus, & per carnis coitum naſcituram carnem ex carne fabricātibus, vtrobique natura ſubſtantiam miniſtrat partui creando, vt ex vtriuſque carne procedat, quę ſolum in vnius carne formanda eſt caro: tamē hoc vectigal, quod natura quaſi debitum quoddam ex inſtituto creatoris ad fabricam humani corporis abſoluendam impendit, ita prorſus ſine vlla neceſſitate, aut coactione ab ea requiritur, vt niſi ſola dilectione, & (vt ſic dixerim) ſpontanea charitate ad tribuendum id non inclinetur. Nihil enim eſt præter ſolam delectationem, quod hoc debitum à natura extorquere poſſit, ſed cum ſpontanea fuerit charitate perſuaſa, tunc nimirum ſibi adinuicem ad opus conſummandum ex vtraque parte libenter, atque gratanter occurrūt. Sane quicquid violenter nolenti abripitur, ad eiuſmodi cauſæ effectum incongruum prorſus atque inefficax demonſtratur. Sola ergo delectatio eſt, quæ naturam perſuadere poteſt ad ſeminandum partum. Et quidem in muliere amor viri, in viro autem amor mulieris id agere ſolet, vt quia in altero ſolum natura ſibi ſufficiens, non eſt alteruter, & ſibi per dilectionem ſubueniat, vt quod natura in neutro per ſe potuit, in vtroque per ſe cum altero poſſit. Igitur ſemen humani partus à ſola muliere formandum concipitur, quod ſimul à viro & muliere ſeminatur. Quod quidem (ſicut iam dictum eſt) in muliere per amorem viri, & in viro per amorē mulieris natura operatur. Propter quod etiam mulier non niſi à viro concipere dicitur, licèt tam de ſe, quam de viro accipiat, vnde fœcundatur. Et rectè de ſolo viro concipit, quia id quod concipit in altero quidem de carne viri ſumitur, in altero autem per amorem viri miniſtratur. Non itaque hoc ſolum de viro concipit, quod de viro accipit, ſed hoc etiam de viro concipit, quod ex ſe de amore viri accipit.

Sine delectatione non fit ſeminatio partus

Qualiter diſcerni poſſit, an impediatur conceptus ex parte maris, an fœminæ.

CAPVT XXIX.

Conſtantin. in Pantegni. Ablatio concipiendi fit ex parte fœminæ, vel maſculi. Ex parte fœminę fit aut ex mala complexione matricis, aut ex officiali morbo, aut ex humoribus in concauitate vuluæ ſe coadunantibus. Ex mala complexione, quia ſi nimia eſt & fortis ſterilitas efficitur. Sin autem concipiendi vis aufertur: Si eſt calida intenditur, & corrumpitur ſperma: Si frigida, conſtringitur, & concluditur vulua, venarumque ſuarum ora vnde tranſit ſperma, & infrigidatur, & congelatur in ea. In teſticulis quoque propter eorum frigiditatem non multum naſcitur ſperma: Si humida non poteſt continere ſperma: Si vero ſiccaſic craſſum, ac durum ibi naſcens ſperma non extendens ſe, neque formatiuam virtutem ſequens. Ex officiali morbo fit, aut ex conſtipatione viarum ſpermatis; Aut ex apoſtematibus, & ſimilibus. Ex humoribus autem in concauitate vuluæ coadunatis, ſcilicet phlegmaticis, cholericis, aut melancholicis. Plurimum autem fœminæ conceptionem perdunt ex craſſitudine nimia, quia zirbus os vuluæ amputat, & oppilat, vt non ad illud effluant menſtrua, vel ſperma. Qui & ſi currant, parum eſt, & non valet. Ex parte vero maſculi fit ablatio concipiendi ex mala complexione ſpermatis, aut ex morbo officiali. Ex mala complexione, quia ſi calida ſit incendit, ſi frigida congelat, ſi liquida diſſipat. Ex officiali morbo, ſicut eſt tortura virgæ virilis, vnde ſperma cum exit, non recta via in vuluam tendit.

Cauſa quæ impediunt conceptum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tendit. Quod intelligi poteſt ſi non rectè mingit.

Experientia. Itaque ad ſciendum an conceptio propter maſculum aut fęminam ablata ſit, ſedeat mulier ſuper ſcamnum & pannis operta ſuffumigetur. Siquidem ad os & nares ſuffumigatio perforet, non ipſa eſt culpa, ſed in maſculo eſt. Si enim os vuluæ clauſum eſſet & ora venarum vnde ſperma tranſit ad vuluam & menſtrua, ſuffumigatio corpus muliebre non perforaret. Similiter & ſi ibidem eſſet humiditas extingueretur fumus, ſicut calor ſpermatis extinguitur. Si nimius calor, fumus diſſolueretur nec diſpergeretur. Alij vero antiqui dicunt, quod ſperma maſculi ſi ſuper aquam poſueris & dilatetur & natet ſuper aquam, intelligitur eſſe frigidum ac ſubtile, nec proficit: Si autem aquæ infunditur, & commergitur valet. Item ſi vulua in ſua poſitione longa ſit, & magna, breuis autem virilis virga, nõ poteſt ſperma attrahere ſibi, & ita culpa ſit maſculi. Poteſt iterum hoc intelligi ex ſignificatione quam diximus malæ complexionis in maſculis ſiue fœminis & inteſtinis, vt macilitate, craſſicie, nigredine, albedine, duricia, multitudine quoque ſpermatis & eiuſdem paruitate, craſſicieque, & ſubtilitate.

De tempore conceptioni ac generationi congruente.

CAPVT XXX.

MVlier concipit quouſque menſtrua auferantur, & maſculus generat vſque ad annum 70. plurimumque vſque ad 80. ſecundum virtutem caloris naturalis vniuſcuiuſque, & ſecundum calorem in teſticulis. Quidam autem in iuuentute non generant, ſed ſenectute, quia complexionem teſticulorum frigidam habent & humidã, poſt iuuentutem vero perfectã calor eorum naturalis cõfortatur, & teſticuli calidiores efficiuntur, ideo genituræ tunc idonei fiunt. *Impedimẽta generationis* Aliquando etiam idem conſequuntur ex mutatione dietæ frigidæ & humidæ in calidam & ſiccam. Quidam autem in adoleſcẽtia ſua multum generant, quia teſticulorum complexionem calidam & humidam habent: In iuuentute vero & ſenectute calor augmentatur, vnde ſperma comburitur, etiam & deſiccatur, nec ad generandum proficit. Quidam etiam in adoleſcentia parum generant, quorum complexio eſt nimis calida & ſicca & inſenſiua. Cum autem ad ætatem venitur, calor minoratur ac temperatur, ſcilicet aut ex ętate, aut ex mutatione dietæ in temperamento frigidę; ideoque quidam in adoreſcentia fœminas tantum generant, in ætate perfecta maſculos, quoniam in adoleſcentia complexio ipſorum atque teſticulorum frigida eſt & humida, in iuuentute & ſenectute calefit & parum deſiccatur, ideoque maſculum generant. Aliquando ex mutatione dietæ hoc prouenit.

Tempus nubendi. *Ariſt. vbi ſupra.* Tempus coeundi (vt dictum eſt ſuperius) in viro & muliere vt plurimum naturale eſt poſt duo ſeptennia. Nondum tamen eſt tempus nubendi, quia non generant niſi raro, & debile. In complemento vero tertij ſeptennij conuenit nubere. Homo itaque coit poſt annos 14. vſque ad finem vitæ ſuę. Generat autem poſt 18. vel forſan ante. Nunquam tamen viſa eſt mulier, quæ peperit poſt annos 50. Viri vero generant vſque ad 60. & etiam 70.

De ſuſceptione ſeminis & coagulatione.

CAPVT XXXI.

Avicenna vbi ſupra. Porro in hora ipſa coitus expellitur matrix ad ipſum orificium quaſi procedens deſiderando per naturam attrahere ſperma. Ante violationem vero puellæ virginis, ſunt in ore matricis, panniculi contexti ex venis & ligamentis valde ſubtilibus, ortis ex omni membro eius, quos ipſa violatio deſtruit, & qui in eis eſt ſanguis decurrit. *Indicium puellæ non violatæ ex panniculis.* *Guil. de conchis.* Cum autem nec in matrice, nec in ſpermate cauſa eſt ſterilitatis, ſpermate matricem ingreſſo clauditur interius os matricis, ne ſuperfluitates conceptui

A ſe commiſcentes ipſum corrumpant, tuncque mulieris menſtrua ceſſant. *Cauſa ceſſationis mẽſtruũ poſt conceptionẽ.* Non enim in corpore mulieris, calore videlicet ex fœtu argumentando vincente, tantæ ſuperfluitates, vt prius oriuntur, & ex his quæ reſtant partus in vtero nutritur. *Auicenna in 1. canone.* Generationis itaque corporis humani principium duę res exiſtunt. Vna videlicet ſperma viri, quod tenet locum factoris: Altera vero ſperma mulieris & ſanguis mẽſtruus, qui locum tenet materiei. Hæ quidem duæ ſubſtantiæ communicant in hoc, quod ambæ fluidæ ſunt, licèt poſtea diuerſificentur: Aqueitas tamen ac terreitas in ſanguine ac ſpermate mulieris plus abundant, aerietas autem & igneitas in ſpermate viri ſuperant. Oportet ergo, vt principium coagulationis horum duorum ſit humida coagulatio vel ſubſtantia, licèt terreitas & igneitas inueniantur in eo B quod extra ſit. Et terreitas quidem cum eo quod in ea exiſtit cum duritia, igneitaſque cum eo quod eſt in ea ex virtute maturandi, his enim ſe vniunt, & coagulatum durum faciunt. Hoc tamen in noſtris corporibus, ad terminum coagulationis duorum corporum non peruenit, qualia ſunt lapides & vitrum, ex quibus nihil reſoluitur, quod non ſenſim percipiatur. Tunc enim ſecura eſſent à nocumentis, quæ propter aſſiduam aut longiſſimam reſolutionem accidunt.

Duæ nocumentorum ſpecies. Non eſt autem ita, quapropter corpora noſtra duabus nocumentorum ſpeciebus ſunt oppoſita: Vna eſt humiditatis reſolutio, ex qua creati ſumus. & hæc ordinatè aduenit: Alia eſt humiditatis putrefactio, eiuſque corruptio & ipſius alteratio, quæ fomento vitæ conueniens non eſt; Et hic quidem alius eſt à primo modo, licet ſua malitia ad ſiccitatem perducit, quia C corporis humiditatẽ prius exiccari facit, & ex eo quod noſtris corporibus non eſt conueniens corrumpit, ac tandem ad putrefactionem reſoluit. Nam putrefactio quidem in primis corrumpit humiditatem, poſtea reſoluit eam, & rem ſiccam dimittit cinericiam. Hęc ergo duo nocumenta ſunt à cæteris nocumentis aliena, quæ propter alias accidunt cauſas, vt congelatiua frigiditas, & venena, ſpecieſque ſolutionis continuitatis, & ægritudines reliquæ.

De mulieris imprægnatione.

CAPVT XXXII.

Sternutatio poſt coitum impedit conceptionem SOlinus. Mulieribus atque cogitantibus ſobolem, cauenda eſt poſt coitum ſternutatio propter ſeminis excuſſionem. *Ex libro de naturis rerum.* Itaque (ſicut iam dictum eſt) ſi nulla ſit in muliere cauſa ſterilitatis, & fuerit ſperma conueniens genituræ, clauditur D matrix facta conceptione. Et (vt dicit Ariſtoteles) ſemen ſi per ſeptem dies in muliere permanſerit, imprægnabitur. Eſt autem ſperma genituræ conueniens, quod non eſt nimis calidum, vel frigidum, vel humidum, aut ſiccum. Nam ſi etiam aliqua iſtarum qualitatum excedat modum generationi nullatenus eſt aptum. Proinde dicunt quidam ſolum virile ſemen ad conceptum ſufficere, ſed mentiuntur planè. Nulla vero fœmina recipit coitum poſt imprægnationem, niſi mulier. Equa enim & animalia cætera, quæ cum fuerint imprægnata coitum fugiunt. *Vt autem dicit Ioannes in lib. philoſophiæ.* Menſtruum in cõceptione ſolet ceſſare, quia cum omnis quidem mulier frigidiſſima ſit, ita quod calidiſſima mulier frigidior ſit frigidiſſimo E viro, non poteſt bene cibum digerere, remanentque ſuperfluitates, quæ per ſingulos purgantur menſes, & ipſæ purgationes menſtrua vocantur. Conceptione vero facta geminatur calor ex fœtu; Vnde melius cibus digeritur, nec tantæ ſuperfluitates oriuntur. Præterea quia fœtus ex ſanguine matris nutritur, purgatione non indiget. Hinc eſt, quod cum animalia cætera ex quo nata ſunt gradiantur, homo quidem non graditur, quoniam ex ſemine menſtruo nutritur. *Aliaratio cur mẽſtrua ceſſant poſt conceptionẽ.*

Ex libro de anatomia. Ita vero clauditur matrix facta conceptione, quod nec acus quidem poſſet intrare.

Hæc

Hæc tamen concluſio non fit ſubito, ſed ſucceſſiuè, quantò magis augetur fœtus, tanto magis illa conſtringitur. Quod autem poſt conceptionem non ſtatim claudatur ex toto patet ex hoc, quod plures fœtus quandoque ſimul concipiuntur, nec eodem ſpermate, ſed ex diuerſis per diuerſa tempora in diuerſas matricis foſſulas iniectis: Proceſſu vero temporis ex toto clauditur. Vnde & prægnantes ardentius coitum appetunt, quia ſemen cadere non poteſt in matricem ad temperandam libidinem. *Conſtantinus vbi ſuprà.* Signatio vero conceptionis eſt concupiſcentia matricis ad ardorem recipiendi maſculini ſpermatis. Menſtrua quoque non currunt ex conſuetudine, neque maſculum videtur mulier cõcupiſcere. In maxillis eſt venarum color viridis, & maxillæ ſolito duriores, albedo in oculis, albedo eſt liuida, viriditati contigua, facieſque ſimiliter lentiginoſa, abominationem patitur, & virtutis appetitiuę defectionẽ, malorumque ciborum deſideriorũ habet. Si vis autem de cõceptu certificari, da mulieri mellicratem in hora ſomni: Si contra vmbilicum torturam patiatur, concepiſſe cognoſcitur, ſi non, econtrario. Mellicrates de crudo melle hoc facit, quia ventoſitatem & inflationem gignit, vuluamque cum inteſtino recto comprimit, vt ventoſitas non tranſeat, ſed potius circumeat, ac torturam facit.

Cur prægnantes appetant coitũ.

Certificatio conceptus.

De duorum ſpermatum commixtione.

CAPVT XXXIII.

EX *epiſtola Hippocratis de anatomia.* In matrice quidem ſperma miſcetur, & conceptio celebratur ex viri ſemine, & mulieris ſanguine, quamuis & viri ſperma ſanguis dicatur eſſe: Vnde & dicuntur conſanguinei ex conſanguinitate paterna, vel materna à mari, licèt ipſum ſperma ſit coloris albi. Nam & mare licèt natura viride ſit, cum tamen tempeſtatibus mouetur, ſpumam albam emittit, & vinum nigrum in vaſe exagitatum ſpumam candidam facit. Simili ergo ratione, & ſanguis concuſſus in albedinem vertitur. *Ex libro de nat. ver.* Sperma vero maſculi & fœminæ diuerſarum intentionum ſunt, ſecundum Bal. Intentio namque ſpermatis maſculini eſt informare ad ſimilitudinem eius à quo ſeparatum eſt: Intentio vero fœminini eſt ipſam formam ſuſcipere. Etenim à ſpermate maſculi eſt ſpiritus artifex, id eſt anima vegetabilis & forma, à fœmina vero fundamentum generationis & materia.

Intentiones ſeminum.

Ariſtoteles vbi ſupra. Ideo namque fœmina non generat per ſe, quia indiget principio motus quod ex maſculo eſt, ex fœmina vero materia eſt. Itaque natura ex mare, & fœmina facit vnum, & ideo ſit animal vnum. Et vir quidem dat formam, & principium motus, fœmina vero corpus & materiam. *Hali. in libro regalis diſpoſitionis ſermone tertio.* Galenus & Hippocrates arbitrantur in fœtus generatione ſperma agentis & materię locum obtinere, ſanguinem vero menſtruum materiei tantum: ipſumque fœtum perfici contemperantia & commixtione ſpermatis maſculini cum fœmineo. Quę, ſcilicet duorum ſpermatum commixtio duabus ex cauſis neceſſaria fuit; Vna quia ſperma virile craſſum eſt, & calidę complexionis: Vnde & prę craſſicie ſua non poſſet extendi, & dilatari ſicut oportet, & ſic ſuo calore materiam fœtus corrumperet. Ideoque fœmineum cum eo neceſſarium fuit, quod econtrario tenue, frigidæque complexionis eſt, vt eius craſſiciem, & calorem temperaret. Altera vero cauſa eſt operimenti generatio quod fœtum circundet, virile namque ſperma quia rectè fertur, nequaquam per totum ventrem matricis dilatatur. Ideo quoque fœmineum cum eo neceſſarium eſt, quo loca vacua impleantur. Et ex his ſimul operimentum fiat, quo fœtus inuoluatur.

De panniculis contentis in matrice.

CAPVT XXXIV.

Auicenna in 3. canone. Matrix ſiquidem ex duabus tunicis eſt creata, quarum intrinſeca propinquior eſt ad hoc vt ſit venenoſa. Ipſarumque venarum orificia, quæ in ea figuntur, matricis foramina nuncupantur, his embryonis panniculi continuantur, & ex his currit ſanguis menſtruus, & ex eis embryon nutritur: Exterior vero tunica propinquior eſt ad hoc, vt ſit neruoſa: Incraſſatur autem matrix & inſpiſſatur, & hora menſtruorum quaſi impinguatur: Deinde vero cum purgatur extenuatur & exſiccatur; Attenuatur autem iterum & extenditur cum magnitudine embryonis, & dilatatio eius eſt ſecundum dilatationem corporis illius.

Cum autem dicitur, quod *matrix ſit neruoſa*, non intelligitur quod eius creatio ſit ex neruis cerebri, ſed quia ſit ex ſubſtãtia neruis ſimili, ſcilicet alba, ſanguine priuata, viſcoſa, extenſiua, nec ei aduenium ex cerebro, niſi nerui pauci quibus ſentit. Sanguis autẽ menſtruus in prægnante diuiditur in tres partes; Vna, ſcilicet quæ in nutrimentum conuertitur, aliam quæ ad mammillas eleuatur; Tertiam quoque quæ eſt ſuperfluitas ſtans donec hora veniat vt expellatur. Fœtus quoque qui in tribus panniculis continetur, ſc. ſecundina quæ comprehendit ipſum, & in ea venæ contexuntur in tranſuerſo, cuius pulſatiles in duas venas diuiduntur, & eius quietæ in vnam venam. Hic panniculus biles vocatur, & ad ipſum vrina fœtus effunditur. Alio quoque, qui dicitur abgas, & eſt profundatio ſudoris. Nec eſt neceſſarium vas aliud ſuperfluitati egeſtionis, cum ſit illud ex quo nutritur ſubtile, in quo non eſt durities, neque fex, nec ſeparatur niſi aquoſitas vrinę vel ſudor. Tertius autem panniculus fœtui propinquior, cęteriſque ſubtilior, vt aggreget humiditatem reſudantem ex embryone. *Ex lib. de nat. ver.* Itaque concepto fœtu incipit operari virtus digeſtiua, quę calore matricis ſemen inſpiſſat, ipſumque ſemen folliculo quodam circunducitur, quod ex ſiccitate prouenit, & iſte folliculus ſemen cuſtodit, ne aliquæ ſuperfluitates ei ſe commiſcentes ipſum corrumpãt. *Iſidorus vbi ſupra.* Fœtus itaque nominatur, eo quod in vtero adhuc foueatur. Cuius ſecundinæ dicuntur folliculus, qui videlicet folliculus continet eum, pariterque cum ipſo infante naſcitur. Ideoque ſecũdinæ appellantur, quia ſc. cũ fœtus editur ipſum ſequuntur.

Matrix quo ſenſu dicitur neruoſa.

Tres panniculi pro fœtu.

Secundina cur dicta?

De ſecundinarum cum venis & arterijs ſuis creatione.

CAPVT XXXV.

Hali. vbi ſupra. Ex duobus quidem ſpermatibus ſimul operimentum illud efficitur, quo fœtus inuoluitur. Facilè namque eſt hoc fieri, cum ſperma quod craſſum eſt & viſcoſum, intra matricem cuius interiora calida ſunt & plana dilatatur, ſicut ex paſta cito fit cruſtula, ſi calidum operculum ſuperponatur. Et hoc quidem operimentum ex omnibus planis matricis ſoluitur, per aſpera vero loca quæ foſſulæ dicuntur, ad eam ſuſpenditur. Circumtenet autem ſperma, quemadmodum apparet in ouo, quod non ſuo tempore nec completum edidit gallina, nec eius teſta dura. Huius operimenti generatione completa, ſanguis menſtruus ad illud fertur per venas non pulſantes, quarum ora ſunt ea loca, quæ foſſulæ dicta ſunt. Peruenitque ſimul ſanguis ſubtilis & ſpiritus vitalis per arterias quæ veniunt ad matricem, ferunturque ſimul in operimenti ſubſtantia antequam eius durities conſummatur. Ideo namque per illud poſſibilem habet tranſitum in ipſius concauum. Sic ergo in operimento foramina fiunt & meatus, qui dilatari non deſinunt, nec conſolidantur propter ſanguinis decurſum. Sperma namque ſanguinem attrahere non ceſſat, propter eam quæ in ipſo eſt trahendi potẽtiam, quoniam in ipſa generatione miſcetur, & inſtru-

Similitudo in ouo.

Sperma attrahit ſanguinem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mentis eius vitalis ſpiritus & naturalis, per quos materias ſibi cõuenientes attrahendi poſſibilitate ſumit, fiuntque ex eis fœtus membra. Dehinc operimentum illud dureſcit ac ſolidatur, & intra illud ex ſpermate locis illis, per quæ ſanguis ad fœtum influit, venæ & arterię generãtur. Quarũ ora venis & arterijs, quæ ad matricẽ ferũtur continuãtur, ita quod arteriæ arteriis, & venæ venis, deinceps hæ arteriæ & venæ generatæ irretiuntur & inuoluuntur cum operimento, & implicantur inter ipſum, circundantque exterius. Potr hoc omnes hæ venæ congregatæ continuantur, & fiunt ex eis duæ. Similiter ex omnibus arteriis duæ, ſicque quatuor ad vmbilicum fœtus veniunt. Vt autem vmbilicum tranſierunt duæ venę, congregantur in vnam, & arteriæ duæ ſimiliter in vnam. Hoc autem operimentum, in quo irretiuntur hæ venæ & arteriæ ſecundina vocatur. Quæ ideo neceſſaria fuit, vt venas & arterias ſolidaret atque firmaret, & ligatas ad inuicem confortaret, & vt venis quæ in ea ſunt fœtum menſtruo ſanguine paſceret, arterijs autem ſpiritum ac ſubtilem ſanguinem inferret, ab anterioribus autem ſuper fœtum operimenta duo generantur, quorum alterum *ſeca* dicitur, & eſt implicitum quaſi faſcia. Eſt autem ſub ſecundina, & aſcendit ad matricis ſuperiora, tranſmittens ſe ad fœtus veſicam, & eius vtilitas eſt ſuſcipere fœtus vrinam. Alterum vero dicitur *ſela*, fœtum circundans ſub ſeca, & eſt largum ac ſpiſſum factum ad ſuſcipiendos vapores ſpermatis ac fœtus, qui quaſi ſudor ſunt in conſummatis corporibus.

Seca.

Sela.

Qualiter in matrice diſcernitur ſexus ad ipſa conceptione.

CAPVT XXXVI.

Septem foſſæ matricis.

EX *libro de Anatom.* In matrice quidem ſeptem foſſæ ſunt: Tres à dextris, & tres à ſiniſtris, & vna in medio: Vnde dicunt quidam, quod à dextris tantum mares, & à ſiniſtris tantum fœminæ concipiuntur in medio vero hermaphroditi, ſcilicet, qui habẽt vtrumque ſexum: Alij referunt hoc ad facultatem naturæ dicentes quod quilibet ſexus poteſt in qualibet foſſula concipi. Sed ſi fœmina concipiatur in dextra, virilis erit. Si vero mas in ſiniſtra, ſimiliter effœminatus erit. Præterea quibuſdam eſt virga virilis adeo tortuoſa, quod per eam non poteſt ſemen dirigi, niſi tantum in alteram partem matricis, vnde & maſculos tantum vel fœminas tantummodo generant. *Ex libro de natura rerum.* Igitur ſpermate in matrice locato, eiuſdemque ore concluſo ſi in dextra matricis parte maneat, maſculus efficitur, quoniam hepar eſt in dextra parte ſitum matrici vicinum, & ideo meliori atque calidiori ſanguine nutritur, qui eſt proprius maſculorum: Si vero in ſiniſtra parte ſperma reſederit, fœmina efficitur, quoniam à fonte caloris, id eſt, ab hepate, locus iſte ſeparatur. Porro vbi non rectè in dextra, ſed aliquantulum verſus ſiniſtram, plus tamen verſus dextrã locatum fuerit, vir effœminatus generabitur. Si autem econtrario in ſiniſtra, ita quod aliquantulum verſus dextram mulier virilis efficitur, quę & virago dicitur.

Maſculi generatio ratione foſſæ.

Hali. vbi ſupra. Eſt itaque generatio maſculini fœtus in dextro latere, eiuſque motus apparet in hac parte: Econtra vero generatio & motus fœminæ in ſiniſtro. Maſculi namque complexionem oportet eſſe calidam, latus autem matricis dextrum calidius eſt in ſiniſtro, quia vicinius eſt hepati. Teſticulus dexter à quo ſperma defluit in matricem, eadem de cauſa calidior eſt, ob hoc & eius ſperma calidius & ſiccius. Econtra vero fœminas oportet eſſe frigidioris complexionis & latera matricum ſiniſtra frigidiora ſunt ſplenis vicinitate, earumque teſticulus ſiniſter & ſperma ſimiliter. Cum ergo ſperma calidius & ſiccius atque craſſius, fœtus erit maſculus: Cum autem frigidius & humidius atque tenuius, fœtus erit fœmineus.

Siniſtra pars matricis frigidior ob ſplenem.

De cauſis & ſignis diſcretionis prędictæ.

CAPVT XXXVII.

Auicenna vbi ſupra. Cauſa itaque maſculinitatis in fœtu eſt ſperma viri & caliditas eius, & abundantia ipſius, & conuenientia coitus in hora mundificationis, & prouocatio ſpermatis ex rene dextro qui calidior eſt & altior, & hepati propinquior. Vnde & eius ſperma calidius eſt atque ſpiſſius: Similiter & quando cadit in dextro matricis. Regio quoque frigida, & tempus frigidum, & ventus ſeptemtrionalis adiuuant ad maſculinitatem, contrariũ autem ad contrarium, ſimiliter & ætas adoleſcentiæ abſque pueritia & ſenectute. Et dicunt quidam quia ſi currit ex dextro viri ad dextrum eius maſculinat: Sin autem ex duobus ſiniſtris fœmininat: Si vero currit ex ſiniſtro eius ad dexteram ipſius erit fœmina maſculina, & ſi econtrario maſculus fœmineus. *Conſtant. in lib. de coitu.* Calor etiam adauget appetitum, & facit fœtum maſculinum, frigiditas autem diminuit, & fœmineum fœtum reddit. Si vero natura teſticulorum fuerit calida, multus erit appetitus luxuriæ, & plures gignuntur maſculi, & tempeſtiuè pili oriuntur. Si vero frigida, effœminati erunt homines, & appetitus deeſt, & pili tarde oriuntur, & pauci circa pectinem, & extra illa. Vnde & per membra dextra generat maſculos, & ſiniſtra fœminas: Dicit enim Galenus non eſſe mirum, quia calor dextri teſticuli & dextræ partis matricis cũ viciniores ſunt hepati, & nutriuntur ſanguine puro & claro, & ideo à dextris oriuntur maſculi, & à ſiniſtris fœminæ. *Ait quoque Hippocrates.* Si puer etiam tempore pubertatis viderit ſibi dextrum teſticulum maiorem ac prominentiorem generabit maſculos: Si vero ſiniſtrum, fœminas. Euenit etiam aliquotiens, vt virtus caloris ſeminis vincat: Quidam enim medicorum dixerunt: Si ſemen quod proceſſerit de dextra parte teſticuli, ceciderit in ſiniſtram partem matricum efficit maſculinum effœminatum. Et ſi illud quod proceſſerit ex ſiniſtra parte ceciderit ad dextram, efficiet fœminam maſculinam. Præter hoc tamen Deus potens eſt concedere cui vult gignere maſculos, & cui vult gignere fœminas.

Maior teſticulus quid indicat?

Hali. vbi ſupra. Vir quidem maſculos faciens eſt fortis corporis & ęqualis carnis in duricie ac mollicie, multique ſpermatis, magnorum teſticulorum, manifeſtarum venarum, fortis deſiderij, quem non debilitat coitus, ex cuius dextro teſticulo ſperma ejcitur. Cumque adoleſcentis prius dexter teſticulus inflatur, tunc eſt ipſe maſculinans, cum vero ſiniſter, fęminans: Ille ſimiliter ad quem feſtinat pollutio, non à nocumento in ſpermate, faciens eſt maſculos. Ex mulieribus autem maſculinans eſt illa quæ eſt æqualis caloris & formæ, non grauis corpore, neque mollis, nec eius mẽſtrua ſubtilia ſunt cruda nec pauca, aquoſa & aduſta valde. Eius quoque digeſtio bona eſt, & venæ apparentes ad exteriora procedentes, cuius ſenſus & motus ſecundum quod oportet exiſtunt, nec habent ventris ſolutionem aut conſtrictionem aſſiduam, oculi eius decliues ſunt ad fuſcedinem abſque ſubalbedine, habetque gaudentem naturam ac lætam animam.

Mulier maſculinans qualis?

De operatione ſolis ac cæterorum planetarum in humana generatione.

CAPVT XXXVIII.

AVctor. Dicit autem Ariſtot. quod homo generat hominem & ſol. Sanctus quoque Dionyſius in libr. de diuinis nominibus dicit, quod ad generationem omnium corporum ſenſibilium ſol comitatur, & ad vitã ea mouet, ac nutrit, & auget, ac perficit. *Helinandus in chronicis ſuis li. 6.* Nos quoque nõ negamus afflatus quoſdã ſydereos in ſublunaribus aliquantulũ operati,

operari, vt ſolem per quartam circuli tempus variare, & lunam plenam aerem humefacere. & ardentem caniculam dies caniculares facere, & aliquid tale. *Vnde eſt illud Hippocratis*: Mutatio temporum generat morbos. Sed aliud eſt aerem aliquando his afflatibus infici, aliud totam naturam hominis ab eis auſpicari. Cõcedimus ergo quod cælum & motus ſydereus, *ſicut ait Mercurius in aſclepiade*, illis quas importat varietatibus afficit elementa, non tamen eouſque vt ipſa elementa abſque illis nihil faciant, nam etiam ſine illis varietatibus & aqua humectat, & ignis calefacit, & aer mouetur, & terra ſtat. Nam antequam ſtellæ crearentur etiam hoc faciebant, aut facere poterant. Nihil eſt autem quare ſol dicatur magis eſſe cauſa generationis quàm aqua. Omnia ſiquidem ex calore & humore procreantur, cum ergo generandi poteſtas penes hæc duo ſit, cur vni ſoli tota tribuitur? Sicut autem ſol nõ ſolus operatur ad generandum, ſed humor cum eo, ita nec ſolus ad corrumpendum. Denique nec minores nec pauciores morbi fiunt ex humiditate & repletione quam ex ſiccitate & inanitione.

Elementa faciebant aliquid ante ſtellarum creationem.

Sol & Luna non adeo influunt in hominem.

Non autem eandem virtutem habent ſol & luna in generandis vel concipiendis hominibus quàm in herbis & arboribus, vel gelu, vel niuibus, pluuijs & nubibus, & huiuſmodi. Illa namque facilius radios ſolares recipiunt, & ideo facilius generantur & corrumpuntur. Et (vt ita dicam) omnis illorũ vita & mors in manibus eorum eſt; homo autem dignior creatura & operoſior factura, quàm vt à talibus auctoribus credenda ſit procedere, & ad eorum arbitrium vitam vel amittere, vel retinere: Quod oportet concedere, ſi dixerimus ſolem omnis omnino generationis, & corruptionis naturalis cauſam eſſe. *Auctor.* Dicit tamen Conſtan. in lib. de cerebro, quod habent etiam ſeptem planetę aliquid in embryi compoſitione, ſicut de ſingulis ſuperius dictum eſt in tractatu de ſtellarum ratione, & ideo non oportet hoc repetere. Veruntamen amnino genethliacorum ſiue mathematicorum errorem cauere debemus, ne videlicet ea quæ in libero hominis arbitrio conſtituta ſunt, neceſſitati fatalium conſtellationum inaniter, immo peruicaciter aſcribamus, ſicut ibidem plenius diximus.

De opinione Albumaſar ſuper conſtellationis circa fœtum operatione.

CAPVT XXXIX.

Tres proprietates elementorum.

Proprietates ſpecierum.

HElinandus *vbi ſupra.* Albumaſar quidem dicit, quod quidquid naturaliter in elemẽtis efficitur, aut ex elementis cauſa, ſcilicet formali, aut ex motu ſuperiorum cauſa, ſcilicet efficienti perficitur. Quod vt fiat clarius, elementorum proprietates ac ſpecierũ diſtinguamus. Tres ergo elementorum proprietates hæ ſunt: *Oppoſitio, conuerſio vel reciprocatio, augmenti & diminutionis receptio.* Contrarijs enim & oppoſitis omnino qualitatibus participant. Et quia calor & ſiccitas quæ in igne ſunt, frigiditati & humiditati aquæ penitus aduerſantur, caliditas & humiditas aeris à terræ frigiditate & ſiccitate repelluntur: Item conuerſionis ibi fit reciprocatio, quia terra plurimum extenuata conuertitur in aquam; & aqua ſubtiliata tranſit in aerem; aer in ignem; ignis autem dẽſatus reciprocè mutatur in aerem, aer in aquam, aqua in terram reuertitur. Fit etiam ibidem augmentum & diminutio, quia fit quod eſt calidum calidius, & aer humidior aere, & aqua frigidior aqua, & terra ſiccior terra. Similiter etiam in diminutione per deſcenſum.

Species autem tres habent proprietates proprietatibus elementorum contrarias, non enim vt contrariæ ſibi inuicem opponuntur, non conuertuntur inuicem, non augmentum & diminutionem recipiunt. Homo enim in ſubſtantia & ratione ſua nulli rei contrariæ fit oppoſitus, nec conuertitur ex humanitate in aliud, vt equus, ſcilicet fiat vel lapis, nec augmentum recipit, nec diminutionẽ, quia Socrates non eſt magis homo, quàm Plato, nec magis homo fuit heri Socrates quã hodie. Quod ergo homo nunc ſanus eſt, nunc æger, nunc calidus, nunc frigidus, & ita contraria recipit, quod etiam de ſano ſit infirmus, & de infirmo ſanus, & quod in eo conuertitur ſiccitas in humiditatem, etiam in frigiditatem caliditas, quod etiam horum augmentum & diminutionem recipit, ex elementis contrahit. Quod autem nulli alij contrariæ opponitur in ſubſtantia, quod non conuertitur in aliud, quod humanitatis augmentum vel detrimentum non recipit, à ſpecie contrahit. Quicquid autem aliud ab his ſpecierum & elementorum proprietatibus in elementis conſiſtit, ex virtute ſuperiorum & motu primi mouentis ad beneplacitum & prouidentiam deſcendit. Sunt autem hęc pulchritudo corporis & fœditas, lõgitudo & breuitas, ſexus vterque maſculinus ac fœmininus, colores ac motus timor & audacia, craſſitudo & macies, ſpiſſitudo & ſubtilitas, & multa alia, quę referre non ſinit prolixitatis faſtidium. Hæc eſt ſententia Albumaſar, ex qua noſter aſtrologus vult probare ſexum vtrumque à conſtellatione fieri, ſicut & cæteras proprietates quas adiungit. Sed auctoritates & rationes tam Aug. quàm phyſicorum contradicũt.

De ipſius fœtus aſſimilatione.

CAPVT XL.

Colorum origo in animantibus.

SAcra quoque ſcriptura certè commemorat Iacob nouam inueniſſe ſtropham, quomodo oues in aſpectu virgarum decorticatarum fœtus maculoſos & varios ac ſparſi velleris conciperent, apertè oſtendit, quod non ex motu planetarum ſint colores in fœtibus, & pulchritudines aut fœditates, ſed magis ex affectu cupientis & conſpicientis trahere in ſe colores & imagines rerum conſpectarum in feruore voluptatis extremæ. Denique & hoc ipſum in equarum gregibus apud Hiſpanos fieri teſtatur Hieronymus ſuper eiuſdem Gen. locum; Quintilianus etiam quandam matronam accuſatam quod Æthiopem peperiſſet ex imagine conſpecta in cubiculo hoc accidiſſe argumentans defendit. In libris etiam Hippocratis ſcriptum reperitur, quandam puniendam, quia pulcherrimum puerum peperiſſet, vtrique parenti generi quoque toti eorum diſſimilem, niſi monuiſſet Hippocrates quærere, ne fortè talis pictura eſſet in cubiculo. Hinc apparet colores in fœtibus non à planetis fieri. Longitudo quoque & breuitas credibilius eſt quod ex ſimilitudine parentum, vel ex nutrimento trahatur infantium, quàm ex motu planetarum.

Similitudo prolis ad parentes.

Iſidorus vbi ſupra. Naſci autẽ patribus ſimiles aiunt, ſi paternum ſemẽ validius ſit, matribus ſi matris. Hac ratione ſimiles exprimi vultus. Qui autem vtriuſque parentis figuram reddunt, æqualiter mixto paterno maternoque ſemine concipiuntur. Auorum, proauorumque ſimiles fieri, quia ſicut in terra multa ſemina occulta, ſic & in nobis ſemina celantur, figuras parentum redditura. Ex paterno autem ſemine puellas naſci, & ex materno pueros, quia omnis partus conſtat duplici ſemine, cuius pars maior cum inualuerit occupat ſimilitudinem ſexus. *Ariſt. vbi ſupra.* Præter prędictas itaque cauſas quidam filiorum aſſimilantur patri & matri ſecundum totum corpus, & quidam non, quidam etiam patribus & non auis, & non fortè ecõtrario. Forſitan etiam erunt mares fœminis ſimiles, ſimiliter & fœminæ maribus. Quidam vero nulli parẽtum aſſimilantur, ſed naturam habent à genere ſuo extraneam. Sed quando vincit motus primi generantis, & bene operatur in ſuperfluitate mẽſtrui, ita quod completur forma embryonis ex motu maris, tunc erit natus mas patri ſimilis.

Cauſa aſſimilationis.

Gloſ. ibid. Nota quod aſſimilatio eſt natorum qualitas à virtutibus generatiuis parentum in eis relicta. Fit autem aſſimilatio in ſpecie, in ſexu, in coloribus, in moribus, in naturali potentia. Prima cauſa aſſimilationis eſt virtus agens, ſecunda calor, tertia fortitudo,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vltima virtus imaginationis. Ex qua ſcilicet imaginatione fit aſſimilatio non ſolum ex virtute naturali, quia virtus animalis per ſe patitur ab imaginationibus, ſed poteſt eſſe propter fortem impreſſionem ſpirituũ. Prima ergo & maxima cauſa aſſimilationis eſt virtus generantis, qui (verbi gratia) cum ſit animal, homo, filius Socratis, mas & hoc indiuiduu, in ipſo eſt potentia virtus omnium horum, ſcilicet animalis, hominis maris, proaui, aui, patris, & propria. Et primo quidem intendit generare ſibi ſimile, ſi poteſt virtus propria vincere; ſin autem alia virtus quæ vincit aſſimilabit ſibi quod gignitur. *Ex libro de natura rerum.* Ex leproſis quidem plerumque naſcuntur leproſi, non tamen ex cæcis cæci, vel ex mutilatis mutilati, vel ex monoculis monoculi. *Auctor.* Huius ratio ſuperius dicta eſt, vbi de natura ſpermatis actum eſt.

De cauſis geminorum ac monſtruoſorum fœtuum in conceptione.

CAPVT XLI.

Nota.

Cauſa generationis multorum

A *Vicenna in 3. canone.* Cauſa vero conceptionis geminorum eſt multitudo ſpermatis, eiuſque diuiſio in duo vel plura, eiuſque caſus in duos ventres. Incolumitas autem geminorum non eſt plurima, raroque ſunt inter geminos dies plurimi. *Fiunt enim ſecundum plurimum ex vno coitu, raroque contingit vt ex coitu ſuper imprægnationem fiat conceptio.* Nam & ſi fiat, fit in in mulieribus habentibus corpora tenera, ſique ſunt multorum pilorum, multique ſanguinis propter fortitudinem caliditatis earum. De ſignis autem geminorum aut plurium eſt, vt conſideretur vmbilicus nati primi continuus cum fœtu. Si non fuerit in ipſo ruga neque nodus, non erit poſt natum primum filius. Et ſi fuerint in ipſo rugæ, tunc erit prægnatio ſecundum numerum rugarum. *Ariſtoteles vbi ſupra.* Cum autem mulier imprægnatur gemellis, & fuerit alter maſculus, alter fœmina, non erit eorum diſtinctio æqualis, ſed prius fiet diſtinctio maris. Ob hoc etiam minus ſaluabuntur, id eſt citius aborſum patientur, Non autem ſic accidit in animalibus cæteris, Et homo quidem eſt ex generantibus vnum filium naturaliter, ſed propter calorem & humiditatem corporis ſui quandoque multos generare poteſt. Ex vno ſiquidem coitu multum ſpermatizat, & cum ſperma diuiditur multi ex eo filij generantur. Præterea cauſa generationis multorum eadem eſt quę & membrorum ſuperfluorum: Quando enim eſt materia multa in membro, fit membrum illud maius altero. Et fortè diuidetur illa ſuperfluitas, fietque duorum membrorum creatio: Similiter accidit & filiorum creationi. Si enim eſt materia multa, poterit ex illa eſſe pluſquã vnius filij; Formam habere quoque membrorum ſimul maris & fœminæ, ſimiliter erit ex materia multa ad illam partem corporis declinante, cuius, ſcilicet materiæ pars vincitur, pars vero nõ. Præterea ex coitu ſupra coitum, filij monſtruoſi vel gemini generantur, ſicut videlicet in ouis ſuperius dictum eſt. Cauſa itaque monſtruoſitatis eſt in materia vel etiam in modo imprægnationis.

De ſignis mulieris prægnantis.

CAPVT XLII.

Decimus dies notandus à conceptione.

Olinus. Porro ſi naturalis materia in matrice cohæſerit, decimus à conceptu dies dolore grauidas admonebit, iam inde inquietudo capitis incipit, & caligine viſus hebetatur, cibique faſtidium ſequitur. Si corpuſculum in mare figuratur, melior eſt grauidis color, & pronior vteri parcitudo: Denique mouetur à die quadrageſima. Alter vero ſexus nonageſima die primum palpitat, vultumque geſtantis inficit palore, crura etiam prępedit languida tarditate. In vtroque ſexu cum capilli germinant, incommodum maius eſt, fitque pro plenilunio anxior ægritudo, quod etiam tempus editis ſemper nocet. *Auic. vbi ſup.* Prægnans maſculum habẽs melioris eſt coloris, & pluris leuitatis, & agilitatis, faciei quoque mundioris, & appetitus ſanioris, & quietorum accidentium. Sentit quoque grauedinẽ lateris dextri, quia plurimũ generatur maſculus ex ſpermate ad dextrum duorum laterum matricis expulſo. Quod accidit aut propter deſideriũ illius lateris ad recipiendum, aut quoniam expulſio fit ex teſticulo dextro. Præterea quando mouetur fœtus, mouetur ex latere dextro primum. Lac quoque currit imprimis ad dextram papillam, & prouocatur imprimis. Eſtque lac eius craſſum viſcoſum, non tenue, & aquoſum, ita quod lac maſculi diſtillatur ſuper ſpeculum, & conſideratur ad ipſum in ſole, & remanet quaſi ipſum ſit fruſtum argenti viui, aut granum margaritę, non currens, nec prolongatur. Item huiuſmodi prægnans cum à ſtatione mouetur, prius dextrum pedem mouet, & cum erigitur, ſuper manum dextram ſuſtentatur. Oculus quoque dexter ipſius leuioris eſt motus atque velocioris: Maſculus poſt tres menſes mouetur, fœmina poſt quatuor.

Motus fœtus in vtero.

Signa filiæ & maſculi

Signa vero pręgnantis cum filia, ſunt multitudo vlcerum pedum, & propriè in coxis & apoſtematum eorum. Quandoque tamen huiuſmodi prægnans eſt cũ maſculo, ſed non eſt maſculus niſi debilis, & mollificatarum venarum. *Conſtan. in Pantegni.* Porro ſi vis certificari fœtum maſculinum eſſe, vide quia color mulieris pulchrior eſt, motus leuior, venter rotundus, color corporis rubicundus, ſi vero color fœdus, motuſque tardus, & venter longus, in facie quoque lentigo fuerit, & aliquando etiam in cruribus puſtulæ, vulneraquę ſexus fœmineus erit. *Ariſt. vbi ſupra.* In pluribus quidem mulieribus poſt imprægnationem diſpoſitio peioratur, in cæteris autem fœminis nequaquam. Mulieres poſt imprægnationem grauantur, & multa patiuntur, minus tamen ſi fœtus eſt maſculus, & citius recedit grauitas. *Hali. vbi ſupra.* Signa vero quod mulier pręgnãs habeat in vtero maſculum, ſunt hæc: Color pulcher, & motus eius leuis, mamma eius dextra maior quàm ſiniſtra, indeque caput eiuſdem mammillæ, pulſus etiam in dextra manu vehemens eſt ac fortis, celer & plenus: Si vero fœminam habet in vtero, ſigna contraria inuenies. *Hippocrates vbi ſupra.* Hæc quoque ſigna procedere ſolent, quod ſi maſculus in vtero fuerit, mamma dextra robuſtior erit, ſi vero fœmina ſiniſtra. *Idem in libro aphoriſmorum.* Mulierem ſi ſcire vis an conceperit, mellicratum dabis ei bibere. Et ſiquidem circa ventrem tortiones habuerit, concepit, ſi vero non, minimè. Iterum contegens eam veſtimẽtis, ſuffumiga deorſum aromatibus. Et ſiquidem odor per corpus ad os & nares tranſit, cognoſce quod illa non generat. Porro ſi maſculum concepit, bene colorata eſt, ſi vero fœminam diſcolorata. Mulieri prægnanti lac ex mammillis fluens, multum debilem ſignat fœtum, vbera vero dura ſanum.

Signum cõceptus.

De embryonis formatione.

CAPVT XLIII.

Formatio fœtus.

EX *epiſtola Hippocratis de anathomia.* Formatur autem infans in vtero matris in 40. diebus, & in nouem menſibus naſcitur. Aliqui tamen in 30 diebus, & hi in ſeptem menſibus naſcuntur. Formatur autem ſic: Primo menſe iactus ſeminis in vmbilico congregatur, & eſt ſanguis; In ſecundo menſe expreſſio corporis animam tribuit: In tertio capilli & vngulæ naſcuntur, & infans motum facit: Ideoque in quarto mulieribus nauſeæ fiunt: In ſexto neruorum facit conſummationem: In ſeptimo medullam confirmat: Et in octauo cum pelliculis oſſa: In nono vero maturũ mouet infantem. *Auguſt. in lib. 80. quæſt. 3.* Dicitur hominis conceptio ſic procedere, vt primis ſex diebus quaſi lactis habeat ſimilitudinem, ſequentibus autem nouem conuertatur in ſanguinem. Deinde 12.

ſolidetur,

ſolidetur, reliquis octo vſque ad perfecta membrorũ lineamenta formetur, hinc vero reliquo tempore vſque ad tempus partus augetur magnitudine. *Hali. vbi ſupra.* Cum itaque ſanguis ac ſperma fuerint commixta, inflationes & bullæ fiunt in eis ex ſanguinis calore, ſicut in craſſis ac viſcoſis, ſi igni decoquantur, fieri videmus in eorum ebullitione. In huiuſmodi vero bullis ſpiritus ſpermati permixtus adunatur, & profundo ſpermatis immergitur. Hæ quoque bullæ adinuicem adunantur, & fit ex earum ebullitione concauitas magna in ſpermate, in qua ſpermatis quantitas adunatur. Et fit in ſuperficie ſpermatis durities, nec ab inuicem ſpiritus diſſolui poteſt. Decurrit autem ſpiritus & ſanguis per illa iam creata in ſecũdina ad ſperma eiuſque concauum replent; Virtus autem informans ex his duobus, ſpermate, ſcilicet & ſanguine membra fœtus informat. Ex ſpermate quidem membra alba, quæ ſunt cerebrum, oſſa, cartilagines, operimenta, ligamenta, venæ & arteriæ: Ex ſanguine vero menſtruo hepar & omnia membra carnea, excepto corde, quod fit ex arteriarum ſanguine.

Auicenna vbi ſupra. In vnoquoque duorum ſeminum maſculi, ſcilicet ac fœminæ eſt virtus formandi ſimul & informandi. Sed maſculinum fortius eſt in virtute, à qua eſt inceptio formationis. Fœmininum vero plurimum in virtute, à qua eſt principium informationis. Et in maſculino quidem intendit formatiua virtus informando ad ſimilitudinem eius, à quo ſeparatum eſt, niſi ſit aliquid quod prohibeat vel impediat eam. In fœminino vero virtus informatiua ſeparatim intendit, in recipiendo formam illam. In mulieribus quidem tardiores ſunt embryones quàm in maſculis. Eſt autem ſpatium ſpumæ ſex dierum, aut ſeptem, in quibus informatiua format embryonem non petendo aliquid ex matrice. Poſt hoc appetit, & eſt inceptio linearum atque punctorum tribus alijs diebus, fiuntque nouem. Deinde vero poſt ſex alios dies penetrat in toto ſanguinitas, & fit illud vnde creatur, ſicque fiunt 15. à conceptione, poſt hoc 12. diebus fit humiditas caro, iamque diſcernuntur fruſta carnis in tribus membris manifeſtè, & alia ſeparantur à contactu aliorum, & extenditur humiditas nuchæ. Deinde vero poſt 9 dies ſeparatur caput ab humeris, & extremitates à lateribus & ventre, ita vt diſcernatur ſenſus in quibuſdam eorum, & occultetur in quibuſdam. Poſt quatuor autem dies ſentitur, completis ſcilicet diebus quadraginta à conceptione. Aliquando autem poſtponitur vſque ad 45. dies, minus autem in hoc eſt vſque ad 35. dies, nec fœmina ante 40.

Virtus formatiua in mulieribus.

Panniculus.

Qualiter primò formantur in eo membra principalia

CAPVT XLIV.

CVm itaque matrix ſuper ſperma colligitur, tunc diſpoſitionum prima quæ aduenit illic eſt ſpumoſitas ſpermatis, quia virtus informatiua mouet illud quod eſt in ſpermate de ſpiritu animali & naturali & vitali ad mineram vniuſcuiuſque eorum, in qua figitur & creatur ex eo illud membrum, propter hoc reperitur exufflatio tota impelli ad medium humiditatis, vt præparetur locus cordis. Deinde vero fiunt ab eius latere dextro & à latere ſupremo duæ veſicæ quaſi ramificatæ ab eo, tangentes ipſum vſque ad oram, Deinde vero ſeparãtur ab eo ac diſcernuntur, Et primo quidem fit illud ex quo creatur cor, dextra vero illud ex quo epar. Porro alia ſanguine impletur ad albedinem decliui, & penetrat ad exteriorem partem humiditatis ſparſæ poſt duas veſicas, & ventoſitas mundans eam, vt recipiat propter eam reſtaurationem ex matrice & ex ſpiritu & ſanguine, creaturque vmbilicus. Et quod primo creatur tunc eſt panniculus.

Veruntamen veſicæ cordis & hepatis ac cerebri præcedunt creationem vmbilici, quamuis horum triũ complementum illius ſubſtantiæ complemento poſt ponatur. Et reuera primum membrum quod creatur eſt cor, quamuis hoc feratur Hippocrates dixiſſe de cerebro, & oculis, ſicut teſtificatur diſpoſitio pullorum in ouis. In ſequentibus capitulis dicit eſſe rectius, vt ſit primum quod creatur hepar, quoniam operatio prima corporis eſt nutrimentum. Sed eius ſermo probatur eſſe corruptus, quia non nutritur membrum animalis, in quo non eſt ſuſtentatio vitæ cum calore naturali. Si ergo ſecundum quod ipſe æſtimat illud in primis creari oportet, cuius operatio præcedere debet, neceſſe eſt vt crearetur membrum à quo procedit calor naturalis, & ſpiritus vitalis ante creationem nutriens ipſum.

Cor primò creatur quãuis medici contradicãt.

Ex libro de naturis rerum. Die quidem 21. conceptus, illæ guttæ ſanguineæ quæ prius in ſuperficie folliculi apparebant, miſcentur ſemini, 7 vero die poſt 21. ipſum ſemen quaſi media ſpecie inter carnem & ſanguinem coagulatur. Inde autem incipit formatiua virtus & embrio formatur. Cuius partes illæ quę frigidæ & ſiccæ ſunt in oſſeã ſubſtantiã, quæ vero frigidę & humidæ ſunt in phlegmaticam, vt eſt pulmo, quæ calidæ & ſiccæ in cholericam, vt eſt cor, quæ autem calidę & humidæ, in ſanguineam, vt eſt hepar, modo mirabili diuiduntur. *Hali. vbi ſupra.* Primum ergo omnium virtus informans ab illis incipit membris, quæ pluribus membris corporis origo ſunt & radix, cerebro, ſcilicet & corde & hepate. Fitque cerebrum ex ſubſtantia ſpermatis, cor ex arteriarum ſanguine, hepar autem ex illo ſanguine qui per venas ad corpus fœtus venientes per ſecundinam immittitur. Et ſunt hæc tria membra in principio ad inuicem proxima, deinceps autem in vltimis ſeparantur. Venaque magna quæ fit ex non pulſantibus venis hepati continuatur, & ad ipſum defert ſanguinem menſtruoſum. Similiter & vena pulſans quæ fit ex pulſantibus venis in ſecundina cordi coniungitur, cui & ſpiritum vitalem ſubtilemque ſanguinem miniſtrat.

Tria membra primò formantur.

Qualiter formantur & cætera.

CAPVT XLV.

IDem. Poſt hæc ex his radicibus tria germina ſeparantur, à cerebro quidem neruorum paria & nucha, à corde vero arteria magna, & hepate vena concaua, Arteria magna eſt illa quæ ex ipſo corde fœtus procedit, & ad eius vmbilicum attingit. Cum iſtarum quoque radicum ac germinum generatione creantur illa oſſa circumdantia, quæ quaſi operimenta ſint illis & caſtrum. Fiunt enim ex ſpermate oſſa cranij quæ cerebrum circundant, & ſpondiles qui nucham, coſtæque pectoris cor circundantes, & coſtæ poſteriores hepar concludentes: Deinceps alia creantur membra, niſi quod illa ſunt amplius manifeſta, quę radicibus his exiſtunt propinquiora, vt inſtrumenta ſenſus cerebro, pulmo vero cordi, ſtomachus ſpleni, fel etiam & renes hepati. Dehinc manifeſtantur ea quæ hæc membra ſequuntur, quæ ſunt ex concauo pectoris. Vltimo vero manus & pedes, & omnia reliqua membra, iamque completus fœtus tunc incipit moueri.

Ex libro de natura rerum. Ipſa eſt autem virtus concauatiua, quæ manus digitoſque diſtinguit, quæ nares aureſque per foramina deducit, & ad inſtar fiſtularum flexibilium venas cauat, quibus ſanguis per membra ſingulaſque partes corporis deferatur. Caro quidem & adeps ad replenda loca vacua membrorum ex ſolo ſanguine generantur. Sed caro generatur ex ſanguine ſpiſſo, quem caliditas ſiccitaſque coagulant. Adeps autem ex eius aquoſitate & vnctuoſitate, quam frigiditas coagulat, ideoque caliditas eam diſſoluit. Ex ſanguine quidem generata caro poſt perditionem ſuam renaſcitur, illud quoque quod ex ſanguine generatum eſt, in quo virtus adhuc exiſtit, ſperma ſi tollatur, iterum naſci poteſt, ſicut dentes in ætate tenera pueritiæ: Vt autem dicit Ariſt. in embryone ſunt oculi valde magni, ſcil. propter humiditatem

Virtus concauatiua nariũ, &c.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Humiditas ſincipitis.

nimiam. Ideo non complentur niſi tardè, donec ſcilicet deſiccetur humiditas in embryone. Eadem quoque ratio eſt in capite, quod etiam valde magnum eſt ibi, reſpectu corporis ſui. Vnde locus ſincipitis, id eſt anterioris partis capitis ſuper frontem valde humidus eſt, per longum tempus etiam poſt pueri natiuitatem, nec conſolidatur aut dureſcit, donec puer inualuerit, & donec indureſcat locus ille non poteſt puer loqui, quod totum ſit propter humiditatem cerebri.

Quod hæc omnia fiunt ab artifice natura.

CAPVT XLVI.

H*Elinandus vbi ſupra.* Aſſerit etiam Hippocrates in libro de natura pueri, genitale ſemen intra formandi hominis monetam locatum, ab artifice natura ſic diſponi, vt die ſeptimo folliculus gemino circundetur humore, qualis in ouo ab exteriore teſta clauditur, & intra ſe claudit liquorem. Et hoc probat per exemplum cuiuſdam fœminæ, quæ timens ne grauida fieret, poſtquam conceperat rogauit Hippocratem, vt eam adiuuaret: Qui imperauit eam ſaltibus concitari, quæ die ſeptimo à conceptu poſt ſaltum ſeptimum talem qualem diximus folliculum eiecit, Quem Hippocrates iudicauit ſuffeciſſe conceptui. qui tradidit ſemen poſt iactum ſui intra ſeptem horas non effuſum vel elapſum hærere conceptui. Ecce Hippocrates à natura ſola, non à planeta dicit conceptum in vtero formari, & hoc virtute ſeptenarij mediante. Cui conſentiunt Straton peripateticus, & Diocles carſtius, qui hoc modo per ſeptenos dies concepti corporis fabricam diſpenſant, vt hebdomada ſecunda credant guttas ſanguinis in ſuperficie prædicti folliculi apparere, id eſt die quartadecima. Tertia vero, id eſt die 21. demergi eas retrorſum ad ipſum conceptionis humorem. Quarta, id eſt die 28. humorem ipſum coagulari, vt quiddam velut inter carnem & ſanguinem liquida adhuc ſoliditate conueniat.

Diſpoſitio hebdomadarum, quibus fœtus in vtero formatur.

Solinus. Conuenit autem inter omnes corda primum ex vniuerſa formari carne, eaque in diem quintum & 60. creſcere, deinde minui. At ex oſſibus ſpinas. Ea propter capitale eſt, ſi pars alterutra noceatur. *Auctor.* Sciendum vero quod natura duplex eſſe dicitur, ſcilicet naturans & naturata, & vtraque in formatione infantis operatur. Verùm natura naturans ipſa creat & mouet naturam, quæ eſt vis inſita rebus, ex ſimilibus ſimilia procreans. Vnde bona illa mater ſanctorũ Machabęorum, hortatur eos ad martyrium dicens: *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum & animam donaui vobis, & ſingulorum membra non ego compegi; Sed mundi qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium intuetur originem, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet & vitam.* Beatus quoque Iob dicit: *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu.* Et paulò poſt: *Nonne ſicut lac mulſiſti me?*

Qualiter per quatuor tempora ſit eius complementum.

CAPVT XLVII.

H*Ali. vbi ſupra.* Huiuſmodi ergo eſt fœtus, qualem ſupra deſcripſimus, à principio quo ſperma cadit in matricem vſque ad horam complementi eiuſdem. Eſt autem eius informatio per quatuor tempora. *Primum* vocat Hippocrates ſpermaticum, in quo forma ſpermatis adhuc ei dominatur. *Secundum* eſt in quo ſperma ſanguine repletum apparet, nec cerebrũ, aut cor, aut hepar adhuc diſcernitur, nec enim informata ſunt, ſed tantum nodata, & eſt ei quantitas ac menſura, hoc tempore vocat eum Hippocrates fœtum. *Tertium* eſt in quo forma cerebri & cordis & hepatis iam manifeſtius apparent; cætera vero membra videntur tanquam quæ formari incipiant. Hoc

Quatuor tempora formationis fœtus.

A tempore vocatur viuum. *Quartum* eſt in quo diſcernuntur omnia membra, etiam manus & pedes, hoc tempore vocat eum Hippocrates infantem, quia tunc mouetur, & pedibus calcitrat. Omnibus tamen his temporibus vocatur viuum, niſi quod eius vita tribus primis temporibus eſt quaſi plantarum.

Triplex ſimilitudo embryonis cum plantis

Habet autem cum plantis ſimilitudinem triplicem. *Prima* eſt, quia ſicut plantæ radices ſunt, ſic & fœtui continuatio eſt cum matrice veniſque & arterijs quæ in ſecundina ſunt. *Secunda*, quia ſicut plantis inſunt rami, ſic & fœtui germina, quæ à tribus oriuntur ramuſculis, cerebro, ſcilicet, corde, & hepate. *Tertia vero*, quia ſicut à plantis germinantur duo germina. Primum quod ad ſuperiora tendit, ex quo rami fiunt arboris. Secundum ad inferiora à quo radices producuntur; ſic & in fœtu venę & arteriæ, quarũ alię ferũtur ad ſuperiora, alię vero ad inferiora. Spatium autẽ temporis informationis eius & complementum huius eſt, fœtus qui in ſeptimo menſe naſcitur, ſi maſculus eſt, eius informatio perficitur 35. diebus, & motus in 70. complementum in 209. Qui vero naſcitur in nono menſe, ſi maſculus ſit, eius informatio perficitur in 9. diebus, motus in 80. complementum in 209. Quod ſi fœmina eſt, eius informatio fit in 45. diebus, motus in 90. complementum in 270, Porro in decimo menſe naſcentis maſculi fit informatio in 45. diebus, motus in 90. complementum in 200. & 70 Fœminæ vero informatio in 50. motus in 100. complementum in 300. Maſculi namque forma completur antequam fœminę, quia ſperma ex quo generatur maſculus, fortius eſt & calidius. Et ſciendum quia quocunque tempore forma impleatur, in duplo temporis fit motus, partus autem triplicitate temporis motus.

Breuis epilogus præcedentium.

CAPVT XLVIII.

G*Vil. de conchis.* Et ergo breuiter multa poſſumus comprehendere: ſemine quidem in vna ſupradictarum partium, ſcilicet matricis collocato, incipit virtus digeſtiua in eo operari, ac per ebullitionem inſpiſſare, ſed prius ex quadam materia ſicca folliculum intra ſe continentem conceptum creat, ne aliquæ ſuperfluitates inter ſe commiſcentes illum corrumpant, hic folliculus tũc prior creſcit & oritur. Septima die, vt ait Straton peripateticus, incipiunt guttæ ſanguinis in ſuperficie folliculi apparere, tertia ſeptimana ad ipſum conceptionis humorem ſe demergunt. Quarta in quadam liquida ſoliditate velut inter carnem & ſanguinem coagulatur. Quinta vero ſi puer in 7. mẽſe naſci debet, ſed ſi in 9. ſexta ſeptimana incipit operari vis formatiua conferendo humanam naturam illi materiei. Hanc ſequitur virtus aſſimilatiua, quę quod eſt frigidum & ſiccum in frigida & ſicca transformat, vt ſunt oſſa. Quod frigidum & humidum in phlegmatica, vt eſt pulmo Quod calidum & ſiccum in cholerica, vt eſt cor. Quod eſt calidum & humidum in ſanguinea, vt eſt hepar.

Vita ſequitur concauationem

Deinde ſequitur virtus concauatiua, quæ manus concauat, nares format, & ſimilia. Formatis vero mẽbris aſſimilatis & concauatis, incipit aer ſubtilis per arterias diſcurrere, motumque & vitam conferre. Hic motus 70. die à conceptu incipit, ſi puer 7. menſe deberet naſci. Si non in 90. die. Sed quoniam quæ temporaliter viuunt, cibo aliquo indigent. Sequitur virtus paſcitiua, quæ vſque ad mortem extenditur. Si autem quęris, quomodo in vtero paſcitur? audi; quidam nerui ſunt in vmbilico illius, quibus matri adhæret quemadmodum poma cauda ſua arbori. Per hos neruos ſanguis ab hepate matris deſcendit, quo partus nutritur & creſcit, & quia digeſtum recipit, non indiget digeſtione ſuperfluitatis.

Nutritio infantis in vtero.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A

De animæ infuſione in embryone.

CAPVT XLIX.

EX libro de natura rerum. Formatis ergo membris, vt dictum eſt, infunditur anima diuino munere, & tũc incipit fumus humidus per arterias ac venas diſcurrere, motumque & vitam conferre. Hic motus 70. die à conceptione incipit, Poſt hæc ſequitur virtus paſcitiua in puero animato, quæ vſque ad mortem extenditur in omni animante, Tandem vero ſequitur virtus naſcitiua, cuius termini ſunt menſis ſeptimus, & nonus. Quod autem anima ſolo munere Dei detur, & non ſicut hæretici dicunt anima ab anima, & corpus à corpore generetur, euidentur etiam *Ariſtoteles in libro de animalibus* dicere videtur, vbi ait: Intellectus rationis id eſt anima rationalis *intrat corpus embryonis extrinſecus, & ipſe ſolus eſt diuinus*, quoniam eius operatio non habet communicationem aliquo modo cum operatione corporali. Beatus etiam Auguſtinus dicit, quod anima à Deo infundendo creatur, & creando infunditur. *Gennadius in lib. Eccleſiaſticorum dogmatum.* Animas hominum non eſſe credimus ab initio inter cæteras intellectuales creaturas, nec ſimul creatas, vt Origenes fingit, nec per coitum ſeminari cum corporibus, vt Cyrillus, ſed corpus tantum in vulua coagulari & compingi atque formari, corpore vero iam formato animam creari & infundi, vt homo viuat in vtero.

Rationalis Animæ venit extrinſecus iuxta Ariſtotelem.

Non ſunt duæ animæ in corpore.

Non ergo duas animas dicimus eſſe in homine, ſicut Iacobus, & alij Syrorũ, qui dicunt vnã animalẽ qua corpus animetur & immixta ſit ſanguini, aliam vero ſpiritualem, quæ rationem miniſtret; ſed vnam eandemque dicimus eſſe, quæ & corpus ſua ſocietate viuificet, & ſemetipſam ſua ratione diſponat. Solum autem hominem credimus animã habere ſubſtantiuã, quæ & exuta corpore viuat, & ſenſus ſuos, & ingenia viuaciter teneat. Non enim cum carne moritur, quoniam, vt dictum eſt, non cum carne ſeminatur. Animalium autem animæ ſubſtantiuæ non ſunt, ſed cum ipſa carne carnis viuacitate naſcuntur, & cum carnis interitu finiuntur, Ideoque nec ratione reguntur, ſicut Plato, & Alexander putant, ſed ad omnia naturæ incitamenta ducuntur.

Auguſtinus ad Hieron. Si autem quæratur quare facit Deus animas eis, quos nouit cito morituros. Poſſumus reſpondere, parentum hinc peccata vel conuinci vel flagellari. Tu quoque aduerſus Ruffinum poſuiſti, quoſdam huic ſententiæ calumniari quod Deum dare animas adulterinis conceptibus videatur indiguum. Quibus ipſe reſpondiſti non eſſe vitium ſementis in tritico quod furto dicitur eſſe ſublatum, ſed in eo qui frumentum furatus eſt, nec iccirco terram non debuiſſe gremio ſuo ſemina confouere, quia ſator manu immunda proiecit. *Bernardus ſylueſter in microcoſmo.* Itaque velle Dei formatur homo, cui corpus ab imis, à ſuperis animum ſuperinfluat eius.

Carmina de anima.

Velle Dei, mixtura modum, moderatio nexum,
Nexus amicitiam pariat ſacer.
Ne pigeat mentem cæcas habitare tenebras,
Hoſpiciumque pati graue corporis.
Nec propria de carne queat feciſſe querelam,
Spiritus imperijs ſubiectior.
Mirari libet in cælo ſtabilita profundæ
Mentis & argutæ primipotentis opus,
Mentem de cælo, corpus trahit ex elementis,
Vt terras habitet corpore, mente polum.
Mens corpus diuerſa licet iunguntur in vnum.
Vt ſacra complacitum nectio reddet opus.
Diuus erit, terrenus erit, curabit vtrumque.
Concilijs mundum, religione Deum.
Naturis potcrit ſic reſpondere duabus,
Et ſic principijs congruus eſſe ſuis.
Cum ſuperis commune bonum rationis habebit,
Diſtrahet à ſuperis linea parua hominem.

B

C

D

E

De ſitu & poſitione infantis in vtero.

CAPVT L.

HIppocrates in Epiſtola de anatomia. Maſculus quidem, vt dictum eſt in dextra matricis parte continetur, fœmina in ſiniſtra. Nam & hæc ſigna procedere ſolent, quod ſi maſculus in vtero fuerit, mamma dextra robuſtior erit, ſi fœmina, ſiniſtra. Infantis autem dum in vtero eſt, *oculi genibus ſuperpoſiti ſunt*, vnde & genua tumentia ſunt, oculi autem concaui. Ideoque cognita rerum natura nomina hæc impoſuit, genæ & genua. Et cum homo acri dolore percuſſus genua curuauerit, oculi continue lachrymantur. Non enim vult eos natura obliuiſci ſocietatis geminæ.

Situs infantis in vtero.

Hali vbi ſupra. Sciendum eſt itaque, quod generatio maſculini fœtus eſt in latere matricis dextro, eiuſque motus in hac parte apparet. Econtra vero generatio & motus fœminæ in ſiniſtra. Maſculini namque complexionem oportet, vt dictum eſt ſuperius, eſſe calidam, latus autem matricis dextrum calidius eſt ſiniſtro, quia vicinius eſt hepati. Teſticulus quoque dexter à quo ſperma defluit in matricem, eadem de cauſa calidior eſt, ob hoc & eius ſperma calidius atque ſiccius. Econtra vero fœminas oportet eſſe frigidioris complexionis, & latera matricum ſiniſtra frigidiora ſunt ſplenis vicinitate, earumque teſticulus ſiniſter & ſperma ſimiliter.

De ipſius fœtus alimento.

CAPVT LI.

EX libro de natu. rer. Non autem per os, vt quidam mentiuntur, ſed per vmbilicum attrahit puer de matris viſceribus alimentum. Quædam enim vena de matrice mulieris extenditur vſque ad vmbilicum pueri, per quam ille ſanguinem à matris hepate deſcendentem attrahit, eiuſque virtute quaſi alimento naturæ nutritus in robur debitum creſcit. Et quoniam hepate medio ſanguinem digeſtum recipit, ſuperfluitatum egeſtione non indiget. Viuit ergo puer vt dicunt omnes philoſophi ſanguine mẽſtruato, ſed optime puriſſimeq; digeſto, mediãte ſcilicet dulciori atque iucũdiori parte corporis id eſt hepate. Si enim nullo medio, vel non cũ optimo ſuperdominante tranſiret ſanguis menſtruatus ad puerum, potius eum ſua malignitate occideret quam nutriret; Quod patet in aliquibus hominibus ſic natis, vt habeãt maculas in facie, vel alia parte corporis. Hoc enim ex ſanguine mẽſtruato fit, qui quandoq; nimis abundans ſuper puerũ in vtero matris cadit. Et niſi ſecundinæ folliculus inter ſanguinẽ cadentẽ & puerum medius eſſet, ipſum in nudo contactum penetrando occideret. Reſtat tamen ex hoc in puero macula, quę nunquam deleri poterit, etiam cute excoriata.

Non per os ſed per vmbilicum fœtus nutritur in vtero.

Conſtant. vbi ſup. Sanguis ergo menſtruus in prægnãte diuiditur in tres partes, vt dictum eſt ſuperius. Vnam ſcilicet quæ conuertitur in nutrimentum, aliam quæ ad mammillas eleuatur, tertiam quoque quę eſt ſuperfluitas ſtans, donec hora veniat vt expellatur fœtus. *Razi in almanzore ſecunda parte.* Infans ergo ſecundum Galenum ex ſpermate generatur, & ex ſanguine menſtruo creſcit & augetur. Cuius forma ſi maſculus fuerit priuſquã fœminæ completur. Et ipſi quidem fœtui quædã venæ continuantur, quæ ad matricem venientes, ipſum tamdiu nutriunt, donec compleatur. *Hali. vbi ſupra ſermone ſexto.* Accidit autem plerumq; ipſis prægnantibus inordinatus appetitus, videlicet vt appetant terram ac gypſum, carboneſque nigros ex humore malo frigido in ſtomacho edere, dum fetus eſt paruus, nec adhuc præualet paſci multo menſtruorum ſanguine, ſed paſcitur pauco vel meliori, hinc enim ſupereſt ſanguis malus, & in ore ſtomachi congregatur, indeque fit malus appetitus. Quarto vero menſe ceſſat, quia fœtus iam confortatus eſt ad copiam ſanguinis attrahendam, iamque defecerunt ſuperfluitates, quæ-

quædam ſcilicet vomitu, qui contra prægnanti accidit, quædam autem imminutione ciborum, quę ſequitur appetitus defectum. Accidit autem huiuſmodi appetitus & alijs quã prægnantibus, cum in ore ſtomachi eorum ſuperfluitates humorum pungitiuorum vel acerborum coadunantur.

De termino partus & eiuſdem effuſione.

CAPVT LII.

G*Vilhelmus de conchis.* His ergo omnibus peractis, ſequitur natiuitatis tempus, cuius duo ſunt termini ſcilicet ſeptimus menſis & nonus. Vt enim dicũt phyſici, ante ſeptimum menſem nõ eſt motus vitæ ſufficiens. Vnde ſi in aliquo caſu puer exeat, abortiuus eſt, non ortus. In ſeptimo vero ſi materia formationi ſit habilior & prævalet vis formatiua, eſt in puero motus vitæ ſufficiens. Vnde puer ſe mouens, ſi debiles neruos quibus matrici coniungitur reperiat, frangit illos, & naſcitur vitæ idoneus. Si non exit, longo labore debilitatur, vnde ſi tunc exeat viuere non poteſt. Quieſcit ergo interim, donec toto illo menſe & nono refectus, reſumptis viribus incipit ſe mouere, frangenſque neruos, vitæ idoneus naſcitur. *Razi vbi ſupra.* Poſtquam enim completus fuerit infans, & nutrimento menſtrui quod ei dirigitur ſufficienter paſci vlterius non poteſt. Quamobrem duriter fortiterque mouetur, ac retinacula quibus alligatus erat matrici, abrumpuntur, ſicque partus conſequitur. *Ariſtoteles in lib. de animalibus.* Mulier ergo prægnans eſt nouem menſibus vel ſeptem vel octo. Natus enim infra menſes ſeptem non viuit omnino. Natus autem in octauo plerumque viuit, ſed vt plurimum moritur. Mulieri propriè fortis dolor accidit in tempore partus, quam cæteris animalibus. Si tamen anhelitum ſuum eodem tempore retinere potuerit, facilior partus erit. Nunquam vero mulier viſa fuit, quæ poſt annos 50. peperit.

Tempus quo mulier eſt prægnans.

Hali. in li. regalis diſpoſitionis, ſermone 3. Si autẽ quæratur, Cur infans qui octauo menſe naſcitur non viuit. Dicit Hippocrates in libro de fætibus, quoniam in menſe ſeptimo fit ei cõuerſio & motus à loco ſuo, & exitũ quęrit. Itaque ſi virtus ei valida fuerit, à matrice exit, Si vero debilis, nec egredi poteſt, fit ei turbatio ac debilitas & languor & læſio, à qua dum ſanatur remanet vſque ad menſem nonũ vel decimũ, Ac ſi octauo menſe naſcitur, dũ eſt in illa turbationis ac languoris habitudine, nõ viuit, eo quod nõ ſit ei virtus qua paſci poſſit atq; nutriri: huius rei ſignum eſt turbatio & morbus & habitudo mala prægnantiũ in octauo menſe, cum earũ habitudo ſequatur habitudinẽ fætuũ. Fæmina ſi maſculũ peperit mundatur à ſanguine partus in 25. diebus. Si vero fœminã in 35. Et ſiquidẽ ſperma viri maius ac fortius fuerit, qui generatur patri ſimilis erit, Si vero mulieris ſemen amplius ſit & fortius, naſcentis forma matrem ſequitur.

Mundationis fœminæ tempus.

Auic. vbi ſup. Figura quidẽ naturalis partus eſt, *vt egrediatur ſuper caput ſuum ſecundum rectitudinem oris matricis abſque inclinatione, manibus eius ſuper coxas extenſis*, qui vero præter illam eſt, non eſt naturalis. Et formæ quidem exitus mali quandoque interficiunt fœtum & matrem, quandoque autem vnum ex illis.

Forma qua partus exit i ventre.

De multiplici cauſa difficultatis pariendi.

CAPVT LIII.

DIfficultas vero partus ſit, aut cauſa prægnantis, aut cauſa fætus, aut matricis, aut ſæcundinæ, aut cauſa vicinantium & communicantium, aut horæ partus, aut obſtetricis, aut propter cauſas primitiuas. Cauſa prægnantis vt quando ſtricta eſt, aut debilis, ægritudines & famem paſſa, aut timida, aut imprægnationi vel partui non cõſueta, Aut eſt anus debilis, aut plurimi adipis, aut vehementis pinguedinis habens ſtrictum almezem, aut eſt paruæ tolerantiæ in dolore, & eſt vehementis permutationis & inquietudinis, quare perducit illud ad cauſam aliam, & eſt alteratio figuræ infantis ab eo quod cõuenit. Cauſa fætus aut eſt propter genus eius, fœmina nãque penitus difficilioris eſt partus quã maſculus, Aut propter magnitudinẽ eius vel capitis ipſius, aut craſſitudinẽ corporis eius, aut propter eius multã paruitatẽ vel leuitatẽ, propter quã non ſubmergitur cũ fortitudine, aut propter alterationem creaturæ ab æqualitate facilis lubricitatis, vt ſi ſit habẽs duo capita, vel cõprimat eum numeratio embryonum, forſitan ſi in vno ventre ſunt quinq; vel plures parui & diuerſi. Præterea quandoq; fit difficultas partus, quia mortuus eſt fætus, ideoque non fit adiutoriũ propter motũ ipſius. Quandoq; vero quia figura exitus eius eſt non naturalis, vt quando ſuper pedes ſuos egreditur, aut ſuper latus ſuum, eiuſque manus ſuper coxas plicatæ ſunt, & genua eius. Quod fit propter corruptionem motus embryonis. Aut propter multam inquietudinem parientis.

Magnitudo. *Mors. Exitus.* *Inquietudo.*

Ex his autem quæ ſecuritatem huius faciunt, eſt vt inquietudo partus & dolor ad inferiora decliues ſint, anhelitus quoque ſit bonus. Cauſa vero matricis, vt ſi parua ſit, in qua coanguſtetur inceſſus, Aut valde ſicca, in qua non ſit lubricitas. Aut conſtricta valde in creatione, aut propter conſolidationẽ ab vlceribus, & reliquis ſpeciebus conſtrictionis, Aut in ea ſit aliqua malarum ægritudinum, ſicut phlegmon, aut vlcera, vel ragadiæ, vel hæmorrhoides in matrice, Aut quia fuit iam clauſa, quare ſciſſum fuit ſiphac ab ore matricis ſciſſione non completa, quare eſt eius diſpoſitio ſicut diſpoſitio conſtrictionis matricis.

Matrix parua, aut intemperata.

Cauſa vero ſecundinæ ſit, vt ſi non diſrumpatur propter ſuam craſſitudinem, & ideo nec fœtus inueniat euaſionem, Aut ſi rumpantur ab eo velociter & egrediantur humiditates plurimæ ante complementum fætus, & ſic euaſionem non inueniat. Cauſa porro vicinantium fit, vt ſi in veſica ſit apoſtema vel aliud nocumentum ex fixione vrinæ, & alijs. Aut ſit in inteſtino fæx ſicca plurima vel apoſtema vel colica alterius generis, aut hæmorrhoides, aut ragadiæ ani. Vel ſi mulieris illa ſint ſubtilia.

Secundina. *Apoſtema in veſica.*

Cauſa autem horæ partus eſt, vt ſi ſit fætus velox in adminiſtratione partus & ordinatione in eo, & non depaſſus eſt quamlibet grauedinem rei ſuper ſe. Propter cauſas denique primitiuas fit, vt ſi forte fiat frigidus, & inde *fortis conſtrictio membrorum partus.* Propter hoc enim in regionibus & temporibus frigidis difficilior fit, Et quandoque perducit huiuſmodi difficultas ad magnam inflationem ventris, & inflationem mirach. Aut ſi calor fiat fortis, & inde fortis fiat mollificatio virtutis. Aut ſi adueniat ei triſtitia, vel ſi mulier plurimum ſit vtens aromaticis, fiatque matrix eius aſſiduæ attractionis ad ſuperiora.

Fax. *Conſtrictio membrorũ.*

De aborſu & corruptione fœtus.

CAPVT LIV.

SVſpenſio quidem embrionis ex matrice, eſt quaſi ſuſpenſio fructus ex arbore. Et ſicut maior timor qui ſuper fructum habetur ne cadat, eſt aut cum eius aperitio incipit aut cum eius complementum exiſtit, ſic id quod vehementius ſuper embryone timetur ne fiat abortiuus, eſt apud principium conceptionis, & ante appropinquationem partus. Quapropter in his duabus horis oportet vt aborſus cauſæ prædictæ caueantur. Fornicatio quidem ſolum eſt de ſumma cauſarum illarum, Vnde oportet vt eius diſpoſitio caueatur ante menſem quartum, & poſt 7. &c.

Hippocrates in libro aphoriſ. Mulier habens in vtero, ſi phlebotomata fuerit abortiuum facit, ſed magis illa cuius maior fætus exiſtit, Hinc quoque ſi venter multum fluat per vuluam, abortit. Similiter ſi eius mammillæ ſubito graciles fiant. Geminos autem in vtero habenti, ſi altera mammilla gracilis fiat, alterum abortiet. Item in vtero habenti tenaſmon ſuperueniens abortire facit. Item quæcunque in vtero habentes à fæbribus arripiuntur, & fortiter calefiunt fine occaſione manifeſta, difficulter ac periculoſe generant, aut periclitantes

Cauſa aborſus.

Vas ſtrictũ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tantes abortiunt. Mulieri in vtero habẽti ab aliqua acutarum ægritudinum arripi; mortale eſt. Similiter & eriſipilam in matrice fieri. Cui vero ſanguis ad mammillam conuertitur, maniam ſignat. Item mulieres quæ præter naturam tenues ſunt abortiunt. Similiter & quæ non moderate corpulentę ſunt, ſecundo vel tertio menſe ſine manifeſta occaſione abortiunt, His enim cotylidones muſtillaginibus plenæ ſunt ac præ grauedine fætum recipere non poſſunt, ſed abrumpuntur. Item ſi auſtrina & pluuioſa & tranquilla ſit hiems, ver autem ſiccum & boreale, mulieres quibus ineſt partus ad ver abortiunt ex omni occaſione. Si vero genuerint imbecilles ac morbidos pariunt, vt aut ſtatim reſoluantur, aut tenues ac morbidi viuant. Mulieri prægnanti lac ex mammillis fluens, multum debilem ſignat fætum. Si autem vbera fuerint dura, ſanum fætum deſignat. Item mulieri in vtero habenti, ſi purgationes exeunt, impoſſibile eſt fætum eſſe ſanum. Quæcunque vero fætus corruptiuæ ſunt, his vbera gracilia fiunt.

Hieron. ſuper Ezech. li. 6. vir quoque vt dictum eſt ſupra ſi tempore menſtruali coierit cum muliere, dicuntur concepti fætus vitium ſeminis trahere, ita vt leproſi & elefantiaci ex hac conceptione naſcantur, & tæda vtriuſque ſexus corpora, vel prauitate vel enormitate membrorum, ſanies corrupta degeneret. *Auicenna vbi ſupra.* Præterea cum fætus ipſe naſcitur, & non inflatur vmbilicus eius, & non mouetur, neque ſternutat vſque ad tempus, debilis eſt & non viuet.

De diuerſis cauſis aborſus.

CAPVT LV.

IDem aborſus autem aut eſt ex cauſis primitiuis ex percuſſione vel caſu, vel exercitio ſuperfluo vel ſaltu vehementi, proprieque ad poſteriora vel retro, qui multotiens facit deſcendere ſperma conceptum viſibiliter; aut ex paſſionibus animalibus vt ira vehementi, vel timore vel triſtitia, aut ex aeris frigore & eius caliditate ſuperfluis. Propter hoc enim genus abhorretur pręgnanti prolongatio balnei, ex hoc quod magnificatur anhelitus. Balneum quoque licet non abortire faciat per lubricitatem, facit tamen abortire per egreſſionem fætus ad aerem frigidum. Quandoque etiam prouenit ex eius debilitate propter defectum & mollificationem ipſius, cauſa reſolutionis rei corporeæ & ægritudinibus, & aſchim, & famę vehementi, & etiam euocatione humoris aut ſanguinis plurimi per medicinam aut phlebotomiã, aut ex ſeipſo, aut ex fluxu ſanguinis menſtruorũ plurimi, & quanto filius maior eſt, tanto nocumentum in ipſo cum phlebotomia plus eſt. Aut ex repletione vehementi, aut ex ſatietate nauſeatiua plurima corrumpẽte nutrimentum fætus, & opilante viam ad eum. Aut ex multitudine coitus mouente matricem, & proprie poſt ſeptimũ, multitudine quoque balneationis & ablutionis, lubricante matricem. Præterea quandoque ſit à cauſis propter fætũ, vt eſt eius mors, propter quam expellit eum natura, proprieque quando currit ex eo res virulenta, quæ matricem mordicat ac ædit eam. Aut ſicut eſt debilitas eius propter quam non firmatur, aut propter panniculos eius & inuolutiones quibus continetur: cum enim abrumpuntur & mollificantur, & effunditur ex eis humiditas ipſorum, lædit matricem, & expulſiua mouet eam & adiuuat iterum ad lubricitatem. Iterum propter amplitudinem oris matricis, & paruitatem adunationis eius. Aut ex humiditatibus in matrice, aut in orificijs venarum lubrificantibus & grauantibus. Fit etiam quandoque propter reliquas ſpecies malitiæ complexionis in matrice ex calore, vel frigiditate, vel humiditate, vel ſiccitate, & paucitate nutrimenti fœtus. Præterea quandoque fit ex ventoſitate in matrice, & ex apoſtemate, & his ſimilibus, vt duritie vel cancro. Quandoque vero fit ex vlceribus in matrice.

Cauſa aborſus.

Tempus aborſus.

Plurimum autem aborſus factus in menſe ſecundo vel tertio fit ex humiditatibus ſuper orificia venarum matricis, quæ nominantur foramina matricis, ex quibus contexuntur venæ ſecundinæ. *Conſtantinus vbi ſupra.* Abortiendi ergo ſæpe cauſa eſt, aut ab interioribus, aut ab exterioribus. Ab interioribus quidem propter humiditatem viſcoſam in vulua, quæ fætum lubrificat, aut ex mala complexione vuluę, qua virtus contentiua deficit, aut ex apoſtemate vuluę, aut ex nimio curſu menſtruorum in conceptione, vnde fætui nutrimentum minus venit, & moritur atque à natura expellitur. Ab exterioribus autem vt ſaltu, vel clamore nimio, vel timore, vel ira, vel letitia, ſi nimia ſunt, & ſubita, ſternutatione quoque continua, vel percuſſione, ſiue caſu in ventre vel in dorſo, Aut, ex cathartico aut ex poſt magnitudine, Aut ex nimio caſu ſanguinis de aliquo membro corporis.

De ſignis aborſus & difficultatis partus.

CAPVT LVI.

Signa aborſus.

A *Vicenna vbi ſupra.* Signa quidem aborſus ſunt cũ poſt ſoliditatem ſanam incipit mammilla detumeſcere. Cũ ergo ſuperfluit lactis prouocatio, & adeo frequens ſit, donec mammilla detumeſcat, fætum eſſe debilem & aborſui præparatum eſſe indicat. Similiter & multitudo dolorum in matrice, Quando etiam facies in febre rubet, & accidit rigor aut caput grauatur, & laſſitudo dominatur, & dolor in oculi profundo ſentitur, ſignat cauſas aborſus venire, & quod ipſę faciant menſtrua prouenire, deinde vero abortire.

Signa qualitatu partus.

Signa vero difficultatis & facilitatis partus ſunt, vt ſentiat mulier dolorem ante partum, & poſt in anterioribus, Nam ſi declinat ad pectinem, fit partus facilis, ſi ad poſteriora debilis. *Conſtantinus vbi ſupra.* Duricies autem, vt dictum eſt, parturienti, contingit aut ex matre, aut ex fætu, aut ex aliqua re exteriori. Ex matre quidem ſi nimis craſſa ſit, aut eius vulua partua, aut ſi eſt virgo, vel timida, vel debilis vt fætum expellere non poſſit. Aut ſi apoſtema in vulua habuerit, vel aliam paſſionem in aliquo alio membro, aut ſi non in tempore partus exierit. Ex fætu vero ſi nimis magnus aut craſſus ſit, aut parum leuis vt ad inferiora non deſcenderit. Aut ſi magnum caput vel duo capita habuerit, aut mortuus fuerit, aut ſi plures ſint, aut ſi nõ ſecundum quod oportet exierit. Caput enim prius exire debet, & manus eius iuxta coxas extenſæ, aut pedes quidem prius, ſed non diſtorti. Ex ſecundina vero ſi non inſcidatur ex groſſitudine ſua vel ſi ante tempus ſe ſcindat, aut ſi nimis ſubtilis ſit. Porro ex cauſa exteriore ſicut ex aere frigido conſtringente vuluam & coagulante, aut aere calido corpus rarificante & virtute deficiente, vt fætum nequeat expellere. In his autem omnibus ſi mulier ſternutationem patiatur, facilitatem adiuuat partus, ſicut Hippocrates ait.

Sternutatio adiuuat partum.

De modo & arte obſtetricandi.

CAPVT LVII.

Impedimenta partus.

EX *libro de natura rerum.* Sic autem in partu notandũ eſt, quod ſi puer ad prodeundum tam male diſpoſitus veniat, vt ſi in latus vel dorſum iaceat, aut pedes præponat, difficulter ac cum labore & periculo matris ac ſui naſcitur, niſi obſtetrix huic periculo ſapienter occurrat. Debet itaque manu leniter intromiſſa per portã eum intra ſecundinã ad iuſtum modum vertere & caput inferius ad partum diſponere. *Cleopatra medicinarum regina ad filiam ſuam.* Obſeruandum eſt inquit autem ne ſit pariens verecunda, vel multum timida, vel iracunda, vel corpus habens prẽmolle, vel nimis gracile, vel nimis pingue, Prẽterea ne ſit imbecillis matrix, aut orificium anguſtum, aut contortum, aut vtraque parte clauſum, aut in vicinitate hæmorrhoides habens aut collectiones humorum. Prẽterea ne infans grande caput habeat, aut corpus in quantitate excedens, aut mortuus ſit, aut gibboſus, aut contra naturam poſitus. Hæc enim ſunt impedimenta partus quibus occurrere debet obſtetrix.

Quatuor modi quibus pueri naſcuntur.

Generaliter itaque pueri quattuor modis naſcuntur, videlicet in capite, in pedibus, in deuexo iacentes, aut duplicati. Speciales vero modi plures ſunt. Igitur ſi puer ad partum deſcenderit in capite, reliquas in latere partes habente, obſtetrix immiſſa manu, puerum componat, manibus ſcilicet ad latera iunctis, vt in orificium rectus deſcendat, Si vero iunctis pedibus deſcenderit, nunquam eum ſic adducat niſi prius immiſſa manu eum teneat, & ſic adducat ne puer brachia vel manus diuaricet, & in lateribus matris infigat. Porro ſi grande caput habuerit, vt exire non poſſit, miſſa manu adducat eum tenens caput eius ipſa pariente conatu ſuo adiuuante. Si vero contra naturam poſitus ſit, pariens in lecto iacens, caput altius teneat, & obſtetrix immiſſa manu ſecundum naturam eum componat, & ſic educat. Lectus autem parientis durius ſtratus ſit. Si autem manum profert, nunquam ſic eum adducat, ſed infixis eius humero digitis eum intus reuocet & manum eius componat iunctis lateribus, & apprehenſo capite paulatim eum adducat. Quod ſi breuiſſimum caput habuerit, ipſum caput ad orificium componat, & ſic eum per manus adducat. Si pedem vnum eiecerit, nunquam eum ſic adducere conetur, ſed primum digitis ad eius inguina infixis ſurſum eum reuocet, & poſt immiſſa manu pedem alterum corrigat, at ſi fieri poteſt manus eius lateribus iungat, & apprehenſis pedibus foris adducat. Si pedes in diuerſis partibus fixerit, miſſa manu eos iungat, & ad orificium componens adducat. Si genua vel nates oſtenderit, leniter eum repellat, vel in latus conuertat, & ſic integro ſchemate componat, vt in pedes vel caput deſcendat. Quod ſi plures in vtero pariẽs habuerit, & ſimul ad orificium ſe contulerint, vnus ab obſtetrice retrorſum vel in latere ſi commode poteſt repellatur, & ſic vnus poſt alium adducatur.

De ſuſceptione naſcentis pueri.

CAPVT LVII.

Hieronymus ſuper Ezechielem lib. 3. Naturæ autem eſt, vbi parentum diligentia non deeſt ortis infantibus, primo quidem vmbilicum præſcindi, dehic ad diluendum ſanguinem ipſos aqua lauari, tertio paruulorum humorem corporum ſale ſiccari, quarto pannis inuolui, vt & corpus ſale ſiccetur, quod & pannis ne defluat ſeruatur, ac ſtringitur vt membra tenerrima non facile deprauentur. Vnde & barbarorum corporum romanis corporibus rectiora oſtenduntur, quoniam vſque ad ſecundum ac tertium annum pannis inuoluuntur. Hinc & à domino improperatur adulteræ in Propheta Ezechiele, *In die inquit ortus tui non eſt præſciſus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſallita, nec inuoluta pannis*, vbi ponunt 70. non alligauerunt mammillas tuas. Mater nempe diligens ſtatim vt nata fuerit infantulã mammillas eius ligat, & à tenero tumere deuitant, & pulchritudinem virginalem cuſtodiant.

Auicenna in primo canone. Infantis cum naſcitur, plerique ſapientes dixerunt, vmbilicum in primis debere ſuper quatuor digitos inſcidi, & cum lana munda bene retorta taliter vt nõ doleat ligari, oleum quoque cum panno ſuper eum imponi. Et propter vmbilici inſciſionem præceptum, vt venarum citrinarum & ſanguinis draconis & ſarcocollæ & cymini & vineæ & myrrhæ partes ſumantur æquales, & tritæ vmbilico ſuperponantur. Vſnea vt habetur in ſynonimis eſt res collecta ſuper arbores glandium vel nucum vel pini vel oliuæ & ſuper alias diuerſas arbores, & eſt ibi coloris, & odoris boni &c. Feſtinandum eſt etiam ad corpus infantis ſalliendum cum ſale tenui, vt cutis eius indureſcat, quoniam illud cum naſcitur omnia quæ tangunt ipſum nociua ſunt ei, ſiue calida ſiue frigida, ſiue aſpera ſentiat, propter cutis eius ſubtilitatem atque calorem, quoniam omne quod ipſum tangit ſentit durum & frigidum & aſperum. Deinde vero aqua tepida lauetur, eiuſque nares aſſidue digitis quorum vngues inſciſi ſint purgentur, & in eius oculos parum olei eijciatur. Cumque opus erit vt faſcietur nutrix eius membra ſuauiter tangere debet, & quod dilatandum eſt dilatare, quod ſubtiliandum ſubtiliare, omneque membrum ſecundum figuram conuenientiorem figurare, & hoc totum cum extremitatibus digitorum ſubtili compreſſione. Quod quidẽ multis vicibus oportet facere, & oculos eius ſuauiter aſſidue tergere, Veſicam etiam eius præmere, vt facilis fiat exitus vrinę. Deinde manus illius extendantur, brachiaque eius ad genua ducantur. Caput inſtita ligetur, eique pileus imponatur, qui ſuper caput comprimatur & conſtringatur. In domo præterea temperati aeris quæ non ſit frigida ad dormiendum ponatur, oportet autem vt domus vmbræ attineat & tenebroſitati aliquantulæ, quæ à ſuperante radio non illuminetur, Et cum dormierit oportet vt caput eius toto reliquo corpore ſit altius. *Razi vbi ſupra.* Poſt partum quoque ſtatim aures infantis præmendæ ſunt, quod etiam poſtea multotiens eſt faciendum. Obſeruandum quoq; ne lac aures eius intret cum lactatur, vt & palatum eius cum melle tangatur, nareſque cum aqua calida & vncto ſemper mundificentur, & muſtilagines emungantur. Ipſe quoque prius fricandus, & poſtea inungendus. membraque, in vnamquamque partem tenenda ſunt & faſcia cingenda, caput eius & nares & frons rectificanda. Hoc enim regimine ſi cuſtodiantur, ægritudines multas euadent.

Vesica preſſio.

Dormitio.

De ipſius lactatione.

CAPVT LVIII.

Hali vbi ſupra. Infante quidem nato natura menſtruum ſanguinem ad mammillas ſuſcitat, quo idem fœtus alebatur in matricis vtero, ſitque lac quo nutriatur infans, vt ſit eius cibus conſonans ac priori conueniens. Hac de cauſa genetricis lac eidem nato cõuenientius eſt cæterarum mulierum lactibus, quia conſuetudini eius eſt propinquius. *Gregorius in regiſtro Auguſtino Anglorum Epiſcopo.* Praua ergo ſicut dictum eſt ſuperius, in coniugatorum moribus conſuetudo ſurrexit, vt mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eoſque mulieribus alijs ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur eſſe inuentum; quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare filios, quos gignunt. Veruntamen etiam illæ quæ ex praua conſuetudine filios tradunt alijs, niſi purgationis tempus tranſierit admiſceri non debent viris ſuis. *Auicenna vbi ſuprà.* Infanti ergo lac ipſius matris ad ſugendum omnibus modis quibus poſſibile eſt præbeatur. Ipſum enim ſimile eſt ſubſtantiæ præteritorum nutrientium, quibus in ventre alebatur ſcilicet menſtruorum. Ipſa namque ſunt quæ cõuertuntur & lac efficiuntur. Ipſe quoque magis illud recipit & magis ei conuenit, intantum vt experimento certificatum ſit valde conferre extremum mammillæ matris in os infantis ponere ad remouendum quicquid ei nocet.

Lac genetricis eſt conueniẽtius.

Cauendum eſt tamen ne ſit eius mater quæ lactat eũ primo, donec ipſius ſcilicet matris tẽperetur cõplexio, Et melius quidem eſt vt parũ ei mellis tribuatur, & poſtea lactetur. Et lacte quoque quo puer ſugere debet in mane bis aut ter emulgendum eſt, deinde mammilla ei tribuenda, præcipueque cum in lacte fuerit macula. Lac autem malum ſcilicet acutum non eſt infanti dandum à nutrice dum eſt ieiuna. In primis quidem non multum lactandus eſt, eique bis aut ter in die ſufficere debet. Cumque poſt lactationem dormiturus eſt, eius cuna non eſt vehementer voluenda, quia lac in eius ſtomacho conuerteretur, ſed ſuauiter mouenda, fletus quoque paruus ante lactationem ei confert. *Razi vbi ſup.* Lac vero quod melius iudicatur eſt illud, cuius vna gutta ſuper vnguẽ diſtillata nec multum ſubtilis apparet ac liquida, nec multum craſſa & lata inuenitur bonum habens odorem, paruamque dulcedinem.

Quoties in die puer lactandus?

Lac melius quod.

Vmbilici inciſio qui fit.

Purgatio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Salſum vero lac vel mali odoris nullo modo conueniens eſt nutrimento infantis.

De eligenda nutrice & eius regimine.

CAPVT LIX.

Qualitates nutricis.

Auicenna vbi ſupra. Quod ſi forte res aliqua matris lac infanti dari prohibeat, vt debilitas ipſius vel corruptio lactis eius, vel quia delicioſa eſt, Eligenda eſt nutrix ætatis mediocris ſcilicet inter annos 25. & 30. quoniam hæc eſt ętas iuuentutis & ſanitatis atque cõplementi. In ea quoque conſideranda ſunt figura corporis, & mores, & forma mammillarum, & qualitas lactis, & quantitas temporis quod fluxit ab hora ſui partus ſcilicet vt ſint duo menſes vel ad minus menſis & dimidius. Sitque partus eius maſculus, & partus ſecundum naturale tempus. Ipſa vero nec aborſum fecerit, nec facere conſueuerit. Vtatur autem exercitio temperato, cibiſque boni chymi nutriatur, & omnino caueat à coitu, quia ſcilicet ſanguinem menſtruum permiſcet & lactis odorem corrumpit, eiuſque quãtitatẽ minuit. fortaſſis autem & impręgnabitur, & tunc quod in ſanguine ſubtile eſt, ad nutrimentum embryonis redibit, ipſius etiam embryonis nutrimentum parum erit, eo quod alius lacte indiget, & ſic vtrique nocumentum fiet. Quod ſi nutrici mala complexio, vel ægritudo dolorosa, vel multa ſolutio ventris, aut conſtrictio acciderit, melius eſt vt alia lactet infantem donec illa ſanetur.

Cibus nutricis & regimen.

Razi vbi ſupra. Nutricem oportet eſſe inuicem bene coloratam, pinguedine mediocrem, mammillas magnas & amplum pectus habentem, non maculoſam, nec infirmam, nec partui propinquam, nec multum ab eo remotam. Et hæc quidem nec ſalſa comedat, nec acuta, nec acetoſa, nec ſtiptica, nec vtatur porris nec cepis, nec eruca, nec allijs, A ſolicitudine quoque caueat, & menſtruorum prouocatione, Quod ſi lac eius minuatur, pultes de farina fabarum, aut rizi, aut panis de ſimila ſicci, & lacte & ẓuccaro factæ ei tribuantur ad ſorbendum, quibus & parum ſeminis fæniculi ſit admixtum. Si vero lac eius valde groſſum fuerit, nutrimentum ſubtiliandum erit, ipſaque parum laborare cogenda. Porro ſi multum ſubtile fuerit, nutrientia fortia & groſſa cum augmento eius danda ſunt, & ſomnus augmentandus.

Probatio lactis.

Hali vbi ſupra. Nutrix à 25. annis ad 40. eligatur, quæ à cibis pungitiuis & fructibus põticis & amaris, & acerbis valde, & huiuſmodi quæ lac corrumpunt prohibeatur, à coitu quoque pænitus arceatur. Hæc eſt enim maxima cauſarum lac corrumpentium, eõmouet enim ſanguinem menſtruum ad egreſſum & lac à bonitate ſua mutat. Et ſi forte cõcipit amplius eſt nocumentum infanti, quia ſanguis bonus conuertitur ad cibum fætus, & remanet malus. Conſiderandũ eſt itaque lac & eligatur quod eſt melius ac temperantius, quia cibo infantis eſt vtilius. Sic autem probari poteſt. Parum ex ipſo in vaſe vitreo mulgeatur, & nocte ſic dimittatur. Si quod ex eo liquidum eſt ac tenue amplius eſt conglutinato, lac tenue probatur eſſe. Si vero conglutinatum amplius eſt, lac ſpiſſum & groſſum eſt. Ita ſi groſſum eſt ſubtilietur cibus nutricis vt temperetur, Et ſimiliter econtrario.

De infantis ablactatione.

CAPVT LX.

Ablactandi modus.

Razi in almanſore quarta parte. Cum autem aduenerit tẽpus quo infans comedere incipiat, de ſimila & lacte & zuccharo fiat ei cibus, quo ſe ad aliquid traijciendum diſponat. Caro quoq; quæ eſt in pectore pulli teneri vel perdicis eſt ei tribuenda, quę poſt quã ei bene ſapuerit, eamque appetere cæperit, mammillaru ſuctio paulatim eſt minuenda. In nocte quoque eas fugere nõ permittatur & hoc etiam obſeruandũ eſt valde, ne in tẽpore calido à lacte remoueatur. *Auic. vbi ſup.* Naturale ablactandi tempus eſt duorum annorum. Quod ſi infans aliqua de lacte deſiderauerit, ordinate eſt ei tribuẽdũ, non autem violenter prohibẽdum. Poſt quam vero duales apparere cæperint dentes, ad nutrimentum ordinate mouendus erit quod fortius ſit. Non tamẽ res ad maſticandũ dura danda eſt ei, ſed primo quidem panis quem maſticauerit ei nutrix, Deinde panis cũ aquato vino vel cum lacte, Poſt hæc amouendus eſt à lacte ad id quod eſt ex ſorbendi genere, carniumque lenium cibo nutriendus, Quod ſi mammillas improbe petierit, ſemper volens eas fugere, amara quædã emplaſtri more ſunt epitimanda: Cum autem inceperit ambulare, ſeque diuerſis motibus mouere, non eſt permittendus vel exponendus ambulationi, donec ei deſiderium ſecundum naturam fiat, ne cruribus eius ac dorſo nocumentum accidat. In primis autem cum ſedet aut ſuper terram ambulat ponatur ad ſedendum in corio leni, ne terræ aſperitas ipſum ſcalpat. Cultelli quoque & fuſtes & huiuſmodi quæ pungunt vel inſcidunt ab eius conſpectu remoueantur.

Tempus ablactationis.

Vinum infantibus denegandũ.

Cauendumq; eſt ne cadens ab alto lędatur. Cum autẽ canini dentes apparuerint, ab omni re quæ dura eſt ad maſticandum abſtinendus erit, ne materia vnde canini creantur propter maſticationem quam deſiderat reſoluatur. Tandem vero cũ loqui cæperit, fricandi ſunt ei dentes, præcipueque eorum radices. *Hali vbi ſup.* Tẽpus ablactationis duos annos non excedit. Tunc infantem oportet aſſueſcere comeſtioni, non ſubito cibum eius augendo, ſed pedetentim dando & lac paulatim minuendo. Temperatis temporibus ablactetur, nec ablactare non ſuo tempore permittatur, id eſt priuſquã eius membra firmata ſint & ſolidata: Alioquin fæmoribus eius & cruribus debilitates fient & curuationes. Nec oportet infantibus propinari vinum, auget enim humiditatem corporis, eorum cum ipſorum natura ſit humida. Implet etiam eorum capita vaporibus malis, eorumque mentes corrumpit.

De cibis, homini ante & poſt peccatum datis.

CAPVT LXI.

Carnes comedi capta poſt diluuiũ.

Auctor. Ante peccatum quidem homini datę ſunt eſcæ cum eſſet immortalis, quoniam immortalitas illa, ſicut dictum eſt ſupra ſuſtentãda erat cibis. Vnde ſicut peccauit edendo fructum vetitæ arboris, ſic etiam peccaret ſi non comederet de conceſſis. Poſtquã enim de primis parentibus dictum, *Maſculum & fœminã creauit eos.* Et iterum *Creſcite & multiplicamini & replete terram*, Legitur eis à Deo dictum, *Ecce dedi vobis omnem herbam ſemiferam vel afferentem ſemen lignaque fructifera, vt ſint vobis in eſcam.* Poſtea quoque legitur homini præceptum vt comederet ex omni ligno paradiſi, excepto ligno ſcientiæ boni & mali. Poſt peccatũ quoq; dictum eſt ei tantum vt herbas terræ comederet, vt qui per appetitũ carnis aſſimilatus erat iumẽtis, in hoc quoque iumento ſe parem eſſe cognoſceret. Præterea, quia infirmus mente & corpore factus erat per peccatum, dominus tanquam ſapiens medicus iniunxit ei tenere die tam infirmorum ſcilicet vt herbas comederet, & à cibis craſſioribus ac delicatioribus quæ carnis vitia nutriunt, abſtineret. Nam vſque hodie cibis huiuſmodi vtuntur pœnitentes & infirmi, Iuxta Apoſtolum, *Qui infirmus eſt, olus manducet.*

Cur dictum homini poſt peccatum comedere herbas?

Poſt diluuium vero conceſſit Deus carnes ad eſum, tum propter minorem terræ fæcunditatem, tum propter maiorem hominis infirmitatem, à quibus abſtinent multi propter pœnitentiam, vel corporis ſui caſtigationem. *Hieron. contra Iouinianum libr. 1.* Ab initio namque conditionis humanæ, nõ comedebantur carnes; vſque ad diluuium. Poſtquã autẽ venit Chriſtus in fine tẽporum, & reuoluit omega ad Alpha id eſt finẽ retraxit ad principiũ, nos quoq; carnes nõ comedamus, dicẽte Apoſtolo *Bonum eſt homini non manducare carnẽ, & nõ bibere vinum.* Nam & vinum cum carnibus dedicatũ eſt poſt diluuium. *Beda ſuper Geneſim:* Patet etiam quod ante peccatum terra nihil protulit noxium, non herbam

venenatam,non arborem ſterilem. Omnibus enim herba & ligna data ſunt in eſcam hominibus,inſuper etiam animantibus terræ ac volatilibus. Vnde patet quod tũc animalia non viuebant animalium eſu, ſed concorditer omnia herbis & fructibus veſcebantur.

De varijs apud diuerſos veſcendi modis.

CAPVT LXII.

Arabes camelis veſcuntur.

Hieron. vbi ſupra lib. 2. Quis autem ignorat nunc vnamquamque gentem non communi lege naturæ,ſed his quorũ copia eſt apud ſe veſci ſolitam, verbi gratia,Arabes & Sarraceni,& omnis eremi barbaries camelorum lacte viuunt & carnibus, quia huiuſcemodi animal pro tempore & ſterilitate regionum facile apud eos & gignitur & nutritur. Hi nefas arbitrantur porcorum veſci carnibus, Sues enim qui glande & caſtaneis radicibus ſiliquis & ordeo ali ſolent,vt raro apud eos & pænitus non inueniuntur. Et ſi inuenti fuerint,alimenta non habent quæ ſupra diximus. Eregione ſeptentrionales populos ſi ad eſum aſinorum camelorumque compellas, ſimile putabunt eorum veſci carnibus,ac ſi lupum comedere cogãtur & coruum. In Ponto & Phrygia vermes albos & obeſos qui nigello capite ſunt, & naſcuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus paterfamilias exigit. Rurſum orientalis & Lybiæ populis, quia per deſertum & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur,locuſtis veſci moris eſt. Cõpelle Phrygem & Ponticum vt locuſtam comedat, nefas putabit. Coge ſyrum Afrum & arabem vt vermes Ponticos glutiat, ita eos aſpiciet vt muſcas millepedas & lacertos,quamquam ſyri crocodilis terrenis Afri etiã lacertis viridibus veſci ſoleant. In Ægypto & Palæſtina propter boum raritatem,nemo vaccam comedit.

Vitulorum carnes prohibita à valente, cur?

In noſtra prouincia ſcelus putant vitulos deuorare, Vnde & imperator Valens nuper legem dedit per oriẽtem, ne quis vitulorum carnibus veſceretur, vtilitati agriculturæ prouidens, & peſſimam iudaizantis vulgi emendans conſuetudinem, pro altilibus & lactantibus vitulos conſumentes. Nomades & troglodítæ & ſcythæ & Hunorum noua feritas ſemicrudis veſcũtur carnibus. Porro ichthyophagi gens errans in littore maris rubri ſuper petras ſolis calore feruentes aſſant piſces, & hoc ſolo alimento victitant. Sarmatæ,Quadi,Vuandali & innumerabiles aliæ gentes æquorum & vulpium carnibus delectantur. Quid loquar de cæteris nationibus cum ipſe adoleſcentulus in Gallia, viderim Archigotos gentem britannicam humanis veſci carnibus? & cum per ſyluas porcorum greges & armentorum pecudumque reperiant, paſtorum nates & fœminarum papillas ſolere abſcindere,& has ſolas delicias arbitrari.

Alti olfactu.

Solinus. Nomen Æthiopũ late patet in parte Aphricana. Plurimæ eorum ſunt & variæ nationes. Harum è numero Nomades cynocæphalorum lacte viuunt, zachæi vero captos venatibus Elephantes deuorant. Gangis fontem qui accolunt nullius ad eſcam opus radice, ſed odore pomorum viuunt ſylueſtrium, ſongiuſque pergentes eadem illa in præſidium gerunt, vt olfactu alantur. Quod ſi tetriorem forte ſpiritum traxerint,examinari eos certum eſt. *Ex libro de natura rerum.* Sunt & homines quidam qui piſces crudos manducant,ipſumque ſalſum mare bibunt. Comani carnes crudas comedunt & æquorum ſanguinem bibunt.

Quod cibo & potu iugiter reparantur ruinæ.

CAPVT LXIII.

Ex libro minarum à voce mauri. Triplex ſiquidem incommodum cui corpus humanum ſubiacet,aſſidua namque indiget reſtauratione ac nutrimento perenni. Subiacet etiã fluxui,alterationi, corruptioni. Fluit enim quotidie, tum per apertos & manifeſtos poros, tum per occultos & priuatos. Per apertos & manifeſtos, vt oculorum lippitudine, aurium ſuperfluitate,narium muſtillagine, oris ſputo, ani ægeſtione, vrina veſicæ. Per occultos & priuatos, vt pilorum emiſſione, pororum reſudatione, & ſpirituum exhalatione. Alteratur autem quotidie de caliditate in frigiditatem, & èconuerſo, de ſiccitate in humiditatem, & èconuerſo. Deinde ſequitur corruptio, quæ ſubiecti mors eſt & perditio. Vt igitur perditorum fiat reſtauratio, & corruptionis ſi non ex toto tamen ad tempus fiat retardatio, inuenti ſunt cibi & potus.

Cur cibus & potus?

Auguſtinus in libro confeſ. 10. Reficimus itaque quotidianas corporis noſtri ruinas edendo & bibendo, priuſquam tu Deus eſcas & ventrem deſtruas, cum occideris indigentiam ſatietate mirifica,& corruptibile hoc induerit incorruptionẽ ſempiternã. Nunc autem ſuauis eſt illa neceſſitas & dolores noſtri voluptate pelluntur. Nam fames & ſitis dolores quidem ſunt qui vrunt, & ſicut febris necant, niſi alimentorum medicina ſuccurrat, quæ quidem præſto eſt ex conſolatione munerum tuorum, in quibus infirmitati noſtræ terra & aqua & cælum ſeruiunt. Dumque calamitates deliciæ nuncupãtur, hoc me docuiſti,vt quemadmodũ *medicamenta ſic alimenta* ſumpturus accedam.

Alimenta ſunt medicamenta.

Auicenna in primo Canone medicinæ. Cibus in humano corpore tribus modis operatur. Aut enim ſola ſui qualitate, vt quando caliditate ſua calefacit, vel frigiditate ſua frigefacit. Aut ſui materia, vt quando à natura ſua cõuertitur & formam alicuius diuiſionis membrorum recipit. Aut etiam tota ſui ſubſtantia, hoc eſt forma ſui ſpecifica agente, qua non eſt qualitates primæ quas habet materia. neque cõplexio,quę generatur ex eis, ſed perfectio quam acquiſiuit materia ſecundum aptitudinem vel præparationem quam habet à complexione, ſicut in magnete virtus attractiua. *Conſtantinus in pantegni quinta parte.* Potus quoque duabus ex cauſis neceſſarius eſt. Aut enim quia corpus humectat, & quod humidum è corpore diſſoluitur, reſtauratur. Aut craſſitudines cibi diſſolutas ad remotiora loca reportat. Sunt autem potuum genera diuerſa, ex quibus eſt aqua quæ non eſt corporis nutritiua, Nam ſi hoc facit non eſt hoc ex ſui natura, ſed ex re cui eſt commixta. Eſt autem & vinum,quod per omnes partes corporis portat cibũ, nutriens & calefaciens, ſpiritum augmentans, calorem naturalem confortans,ac per totum corpus eum deportans,ſed in ſanitate cuſtodienda, & infirmitate curanda magis eſt aqua neceſſaria. *Ioannicius:* Modi potationum ſunt tres. Eſt enim potus qui nihil aliud eſt quam potus, vt aqua. Et eſt potus qui potus eſt & cibus, vt vinum. Eſt & potio quæ datur contra alicuius morbi vitium, vt mellicratum, vel conditum. Cibi vtilitas eſt quod ordine recto corporis integritatem reparat. Vtilitas potus, quod cibum per corpus deportat. Sed & vtilitas illius quę potio dicitur,corporis naturam ad ſe conuertit.

Neceſſitas potus.

Vinum nutrit non aqua.

De dilatione mortis.

CAPVT LXIV.

Hali in practica ſer. 1. Animalium quidem & hominum corpora iugiter alterantur, nec in vna permanent qualitate, quia naturę eorum eſt ad corruptionem tendere, & propter hoc ipſa corruptio accidit eis, aut ex neceſſitate aut præter neceſſitatẽ. *Neceſſaria corruptio* aut ab intus accidit,aut ab extra. Ab intus quidem aut cauſa naturalis ſiccitatis quæ cõmunis eſt animalibus & plãtis. Per hanc enim & plãtæ cõtendũt ad marcorẽ & ariditatem, & animalia ad finem ac mortẽ, Aut diſſolutione ſubſtantiæ quotidiana ex naturalis caloris cauſa, donec ad corruptionem & finem vergat ea, aut ex ſuperfluitatibus, quæ ex cibis & potibus fiunt. Ab extra vero accidit aeris cauſa nos circundantis. *Corruptio vero non neceſſaria* fit à rebus corrũpentibus quæ obuiant extra, ſicut ea quæ calefaciunt aut infrigidant,

Corruptio neceſſaria.

Corruptio nõ neceſſaria.

aut

aut deſiccant,aut humectant,ſicut eſt colliſio lapidis,inſciſio enſis,pungi morderique à venenatis. Cum itaque corpora mutationi ſunt indiſiuncta neceſſario indigent regimine mutationi illi congruo, quod eorum corruptionem prohibeat, eaque in qualitate ſuæ ſanitatis vſque ad horam finis; & naturalis defectionis cuſtodiat. Hunc enim defectum arcere eſt impoſſibile, quoniam ab ipſa corporum natura mouetur ipſius cauſa. Itaque ſi fiat ab ipſa natura corruptio, arceri non valet. At ſi medicus contra ea vtatur regimine quo oportet,cauendo ſcilicet cauſas nocentes, & corrumpentes non neceſſarias, fient abinde cauſæ neceſſariæ bene compoſitæ,nec accelerabit ad ea corruptio vſque ad finem naturalem. Hoc autem regimen eſt cuſtodia ſanitatis in ſanis, & eius reſtitutio in ægrotis. Ex quibus præcedit, tanquam dignior,& vtilior cuſtodia ſanitatis. Vnde dicit Galenus,quòd adeptio ſanitatis eſt propoſitum medicinæ,& finis eius eſt illi cauere.

Naturalis corruptio vitari non poteſt.

A

B

De cuſtodia ſanitatis.

CAPVT LXV.

Sanitas in vltimo.

Deficiens.

ESt autem ſanitas corporum temperantia. Quæ quidem aut in vltimo eſt, ita vt omnes actiones naturales perfectæ ſint in id ad quod poſſibile eſt. Nec dico temperantiam in vltimo, quæ omnino veraciterque ſit in extremitate, cum eam non ſit inuenire, ſed quæ propria eſt hominis. Aut eſt deficiens ab ea quæ in vltimo eſt,ita tamen,vt hic defectus actionibus non noceat,nec officia amputet. Itaque corpora temperata in vltimo ſunt quidem vno modo. Deficientia vero ab iſta temperantia,multa ſunt,& varia ſecundum magis,& minus ab illa exeuntia. Quare & via quæ ad ſanitatis cuſtodiam ducit, varia exiſtit. Cuſtodia ſanitatis corporum bifariam diuiditur,Eſt enim communis vel propria. Cõmune regimen eſt, id quod eſt corporum ſecundum communes cauſas,quibus participant ſanitas & infirmitas. Propria vero bipartita eſt. Vna eſt corporum quæ ſunt temperatæ complexionis, & æqualis perfectæque compoſitionis, Altera vero corporum extra temperantiam poſitorum in complexione vel compoſitione, ſic tamen quod nocumentum actionum eorum non ſentitur.

C

Communes cauſæ.

Communes cauſæ ſanitati vel ægritudini participatæ ſunt res non naturales corpus mutantes, quarũ vſum ſanitati congruum eſſe oportet. Hæ vero ſunt aer circundans nos,exercitium, fricatio,balneum,cibus & potus,ſomnus & vigiliæ, mundatio corporis, accidentia animæ,conſeruatio quoque conſuetudinum in his cauſis. *Razi in Almanſore quarta parte.* Sanitatem conſeruare eſt in motu & quiete, in cibo & potu, nec non & in ſuperfluitatum expulſionibus menſuram obſeruare,domos & loca cætera in quibus manere debet temperatæ,malis etiam accidentibus antequàm augmentum capiant obuiare,animales quoque cogitationes refrenare, conſuetudineſque conſeruare.

D

Sanitas quid.

Iſidorus in lib. Etym. 4. Sanitas ergo eſt integritas corporis,& tẽperãtia naturæ ex calido & humido quod eſt ſanguis. Vnde & ſanitas dicitur quaſi ſanguinis ſtatus. Ex quatuor ſiquidem humoribus reguntur ſani, & ex ipſis læduntur infirmi. Dum enim amplius extra curſum naturæ creſcunt,egritudines faciunt. *Ambroſius in libro de Iacob & beata vita primo.* Quæro nunc vtrum ſanitate corporis ſapiens delectetur. Et negare quidem non poſſumus,quod delectetur ſecundum naturam, & libenter accipiat non dolere aliquid quàm dolere, niſi forte pro Chriſto,pro quo etiam ſi cauſa poſcat,& debilitatẽ corporis prompte accipiat,& totũ corpus ſuum morti offerat. Idem tamẽ etiam præter cauſam fidei atque iuſtitiæ non afficitur animo ſi ſanitas deſit, nec dolore corporis frãgitur, cum ſe virtutum perfectione conſolari poſſit. Veri ſiquidem ac boni poſſeſſionem beatus qui habet in hoc mundo deſpicit,cætera nec requirit.

E

De quatuor elementis corporum, & quatuor qualitatibus.

CAPVT LXVI.

Conſtantinus in pantegni. Res quidem homini naturalis in ſeptem partes diuiditur ſcilicet elementa, complexiones, humores, membra, virtutes, actiones, ſpiritus. His enim à quibuſdam quatuor admiſcentur, ſcilicet ętates, colores, figuræ, maris ac fœminæ differentiæ. Sed hæc complexionibus attinere videntur. Humores quidem ad comparationem elementorum ſunt compoſiti,ſimplices autem ad membra cõparati, ideoque iure dicuntur medij. Et omne corpus animatum, vel inanimatum ex quatuor ſimplicibus elemẽtis componitur, quod etiam ex deſtructione confirmatur, quia quodcunque deſtruitur, ad hæc quatuor neceſſe eſt reuertatur, verbi gratia. In animalibus morientibus primus calor perditus redit ad ignem, ſpiritus autem ad aerem,humores ad aquam,caro & oſſa ad terram, Similiter & in arboribus. Elementa ergo nunquàm ex toto deſtruuntur, quia deſtructis his quæ ab ipſis conficiuntur, ad ſuum principium particulatim reuertuntur, & idcirco digne elementa vocantur.

Elementa cur dicta?

Auicenna vbi ſup. Elementa ſunt corpora prima, omnium corporum principia,quę in corpora diuerſarũ formarum diuidi minime poſſunt,& ex quorum cõmixtione diuerſæ ſpecies generantur. Horum duo ſunt grauia ſcilicet terra & aqua,duo vero leuia ſcilicet ignis & aer, Et in animalis corpore duo quidẽ grauia plus iuuant ad membrorũ generationẽ, & eorũ quietem, duo vero leuia plus ad generationẽ ſpirituum & motionẽ eorum ad mouendum membra, licet motio non ſit niſi ab anima. Qualitates autem elementorum ſunt caliditas, & frigiditas, humiditas, & ſiccitas. Quodque calidius eſt in corpore ſpiritus eſt, & cor à quo procedit. Deinde licèt ſanguis in hepate generetur, quia tamen cum corde continuus exiſtit,& ideo plus ab eo caloris acquirit,quã hepar habet, Poſtea hepar quod eſt ſicut ſanguis coagulatus. Poſt hoc autem caro, deinde muſculi, poſtea ſplen,poſt renes,Poſt hæc arteriarum tunicæ,venarumque pulſatilium. Poſtea vero cutis volæ temperate.

Calidius in corpore.

Frigida partes corporis & humida.

Frigidius autem quod eſt in corpore phlegma, eſt, poſtea pili, deinde os, poſtea cartilago,poſtea ligamentum, poſt chorda, poſt panniculus, poſt neruus, poſt nucha, poſt cerebrum, poſt adeps, poſt pinguedo,poſt cutis. *Humidius* vero, quod eſt in corpore phlegma eſt, poſt ſanguis,poſt pinguedo,poſt adeps, poſt cerebrum, poſt nucha, poſt caro mammillarum, & teſticulorum, poſt pulmo, poſt hepar, poſt renes, poſt lingua, poſt muſculus, poſt cutis; Hoc ordine Galenus ea diſpoſuit. *Res autem ſiccior* in hominis corpore ſunt pili, quia ſunt ex vapore fumoſo. Reſolutum enim fuit quod in eodem vapore mixtum erat, & pura fumoſitas congelata. Poſtea vero os. Omnibus enim membris durius eſt, humidius tamen pilis,quia eius generatio eſt ex ſanguine, cuius ſitus eſt ſiccus, qui humores naturales exſiccat locatus in eis. Quapropter os multa nutrit animalia; pili vero nullum, aut valde rarum, ſicut exiſtimant quidam, quod veſpertiliones, eos digerant,& in eis delectentur. Nos autem cum duas partes oſſis, & pilorũ æquales in pondere aſſumpſerimus, & eas in cucurbittæ alembico ſuperpoſito diſtillauerimus, egredietur ex oſſe plus aquæ, & plus olei, & remanebit minus fæcis. Os ergo pilo eſt humidius, poſt os autem in ſiccitate eſt cartilago, Poſtea ligamentum, poſt chorda, poſt panniculus, poſt arterię, poſt venæ, poſt nerui motiui, poſtea cor, poſt nerui ſenſus, poſtea cutis.

Sicca partes.

Veſpertiliones pilos digerunt.

De complexionibus.

CAPVT LXVII.

Complexio quid?

Complexio eſt qualitas proueniens ex actione inuicem, & paſſione contrariarum qualitatum in elementis inuentarum, quorum partes ad paruitatem redactæ ſunt. Hæ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

qualitates ſunt caliditas,& frigiditas,humiditas,& ſiccitas. Deus autem cuique animali,& cuique membro donauit ex complexione,quod eius actionibus, & diſpoſitionibus melius conuenit. Donauit homini complexionem temperatiorem,quam in hoc mundo eſſe,poſſibile eſt cum virtutum ſuarum conuenientia, quibus agit, & patitur, & vnicuique membro dedit de complexione,quod meretur. Poſuit ergo quædam ex membris calidiora,quædam frigidiora,quædam ſicciora. *Conſtantinus vbi ſupra.* Complexio dicitur,quod ex quatuor elementorum commixtione conficitur. Si ergo corpus in qualitate æquale ſit, temperatum erit. Si ignea ſuperet calidum eſt; ſi aerea, humidum, ſi aquoſa, aquoſum, ſi terrea,ſiccum, ſi ignea, & aerea, calidum & humidum; ſi ignea, & terrea, calidum & ſiccum; ſi aquoſa, & terrea,frigidum & ſiccum. *Sunt ergo nouem complexiones,* ſcilicet vna æqualis, & octo inæquales, quarum quatuor ſimplices ſunt,& quatuor compoſitæ. Complexio autem corporum comprehenditur ex ſingulorum complexione membrorum. Et illa eſt vnicuique prout oportet. Nam cerebrum neceſſe eſt frigidum eſſe, ad rationis capacitatem,& memoriæ. Cor autem calidum,quia vitæ,caloriſque naturalis eſt fundamentum. Hepar vero calidum, & humidum, quia virtutis digeſtiuæ caput eſt,& principium. Oſſa frigida,& ſicca,quia firmitas totius corporis eſt ſuper ea fundata. Similiter alijs membris ineſt vis quædam naturalis ſecundum quòd neceſſe eſt ſingulis. Quędam autem membra temperata ſunt, vt cutis, quia operimentum eſt, & defenſio omnium membrorum corporis ab exteriori ſcilicet paſſione, vt calore, frigore, inſciſione, vel confixione. Receptrix etiam eſt humorum à natura de interioribus membris expulſorum. Ideoque tẽperata dicitur,quia membra tẽperata qualibet qualitate veniente non ilico mutãtur,& ſi mutantur,ad proprias naturas cito reuertũtur. *Eſt autem temperatiſſima cutis in manuum volis*, & hoc propter tactum, ſcilicet vt diſcernere poſſit inter leue, & aſperum. Quædam vero membra intemperata ſunt in maiori gradu, alia in minori, alia in mediocri. Calidiſſima ſunt, vt cor præ omnibus membris corporis, quia inde calor ad omnia membra procedit. Hepar quoque calidum,minus tamen quam cor,vt cito digerat. Poſt hæc duo calida eſt ſimplex caro. Minus vero lacerti,propter neruorum commixtionem. Deinde ſplen, quia ibi fæces ſanguinis colliguntur:poſtea renes parum ſanguinis habentes. Poſt hoc venæ, & arteriæ, quæ quantum ad naturam ſui frigidæ ſunt,ſed tamen caleſcunt, quia vaſa ſanguinis ſunt. Omnibus autem membris frigidiores ſunt pili, poſt oſſa &c. Denique vniuerſaliter membra ſanguinem habentia ſunt calida, carentia vero frigida. Humidiſſima ſunt membra pinguia, ſicca vero pili & oſſa.

Temperamenta.

Cutis temperatiſſima vbi

De ſignis complexionis totius corporis.

CAPVT LXVIII.

Complexiones nouem.

Signa calidi corporis.

DEnique totius corporis complexio capitur ex tactu,colore, pilis,figura,& actionibus. Si enim calidum fuerit,caro erit multa, pinguedo parua, color rubeus, pili multi, & nigri, tactus calidus, intellectus bonus, homo multum facundus, nobiliſſimus, audax, iracundus, libidinoſus, multum appetens, & cito digerẽs, aſperæ vocis. Contraria econtrario. Si fuerit ſiccum erit macidum,& durum,& ſicciora membra erunt apertiora. Si humidum erit pingue,& carneum. Si calidum, & ſiccum erit macidum, piloſum, pilique nigri erunt, color brunus, tactus calidus,& durus,homo intellectualis, & audax,appetibilis, & digeſtibilis, maxime craſſi cibi, libidinoſus. Si calidum,& humidum erit nimiæ carnis, paruæque pinguedinis,pili nigri,& plani, tactus calidus, & humidus,color albi & ruffi medius.

Signa ſicci.

Frigidi.

Corpora frigida, & humida alba ſunt,& pinguia. Pili ruffi, intellectus durus, homo obliuioſus, nec multum appetens,nec cibi digerens,non libidinoſus. Frigida,& ſicca ſunt alba aliquantulum liuida, & macida,pili ruffi, ſed aliquantulum citrini, tactus frigidus, & durus. Æqualis autẽm, & moderatæ complexionis, hæc ſigna ſunt. Corpus, nec multum macidum, nec pingue, color eius inter brunum, & album medius: pili in infantia ruffi, in pueritia, & iuuentute nigri, Cutis inter calidũ, & frigidum, & leue,& durum, ſicut volæ manuum,bonus homini intellectus, non obliuioſus, prudens, audax, inter pigrum, vel velocem medius, neque guloſus. Actiones etiam omnium membrorum perfectæ ſunt, Hæc eſt complexio media. Si autem in alicuius corpore videris aliquas iſtarum qualitatum diſcordantes ſecundum vicinorum partem iudicandum erit, ſi fuerint inæquales,conſiderandæ ſunt fortiores. Significationes autem complexionis mutatæ, aut ex mutata ſunt regione, aut ex conſuetudine,aut ex ætate,aut ex fœtu.

Signa quidem in pilis, cæteriſque prędictis in regione temperata fallere non poſſunt,in intemperata tamen ſemper fallunt,vt eſt aliquãdo Ægyptus, ſemper autem Æthiopia. Ibi colores nigri,pili criſpi,& aſperi,ſicca cutis,& huiuſmodi. Ex quo videntur eſſe calidi,cum tamẽ ſint frigidi. Calor autem aeris calorem naturalem ab intus ad exteriora protrahit, & ſic interiora refrigeſcunt, & eorum debilitatur animoſitas. Econtra vero in regione frigida Septentrionali,ſunt pili flaui,lenes,& albi,color albus,& huiuſmodi,propter caloris coadunationem ab extremitate corporis in pectus fugientem, itaque cum videantur eſſe frigidi, non ſunt, ſed eorum complexio eſt calida,& ob hoc audaces,& fortes ſunt. Conſuetudo diuturna mutatur in naturam, aut propter dietam, vt cum aliquis naturaliter macidus ſuauiter viuit, cito pingueſcit. Pinguis autem ſi laboret,ac ieiunet, & anguſtietur,macreſcit,& exſiccatur. Ars quoque complexionem mutat ex calore,& ſiccitate:vt in ferrarijs,ac vitrearijs. Ex calore,& humore,vt in balneatoribus. Ex frigiditate & ſiccitate,vt in agricolis,& venatoribus. Ætas quoq; puerilis calidior,& humidior eſt cæteris,quia ſpermati, & ſanguini vicini ſunt vnde fuerunt. Mulieres autem frigidioris complexionis, quam viri ſunt, & ob hoc etiam in ſtatura, & virtute minores maſculis, & humidiores ſunt.

Signorum variatio ob diuerſitates regionum.

De quatuor humoribus.

CAPVT LXIX.

Sangnis vnde dictus?

Varia ſpecies humorum.

Iſidorus vbi ſupra. Sicut autem quatuor ſunt elementa, ſic & quatuor humores, & vnuſquiſque ſuum imitatur elementum. Sanguis ex etymologia Græca vocabulum ſumpſit,eo quod vegetetur, ac ſuſtentetur, & viuat. Choleram Græci vocauerunt, eo quod vnius diei ſpacio terminetur, vnde & cholera, id eſt, fellicula nominata eſt,hoc eſt fellis effuſio, Græci enim fel cholon dicunt. Melancholia dicta eſt, eo quod ſit ex nigri ſanguinis fæce,admixta abundantia fellis. Græci enim melan nigrum vocant, fel autem cholon appellant: ſanguis Latinè vocatur, quod ſuauis ſit, vnde & homines quibus dominatur ſanguis dulces,& blandi ſunt. Phlegma autem dixerunt quaſi ſit frigidum. Græci enim rigorem phlegmonem nominant. Ex his quatuor humoribus, vt dictum eſt ſupra reguntur ſani, & ex ipſis læduntur infirmi. Dum autem amplius extra curſum naturæ creſcunt,ęgritudines faciunt.

Auicenna vbi ſupra. Humor eſt liquidum,in quod in primis nutriens conuertitur,eiuſque ſuperfluitas eſt humor malus,qui à corpore debet expelli,& proijci. Humiditatum quidem corporis,quædam ſunt primæ,quędam ſecundæ, primæ ſunt quatuor humores. Secundarum vero quędam ſunt ſuperfluitates, quædam non. Non ſuperfluitates ſunt humores, qui à principali diſpoſitione conuerſi, membris deligati fuerunt, ſed nondum alicuius membrorum ſimplicium operatione perfecta pars effecti ſunt,horum ſpecies quatuor ſunt. Vna eſt humor in foraminibus extremitatum paruarum venarum contentus, membris ſimplicibus propinquarum ea imbibentium. Alia eſt humor omnia ſimplicia

mem-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

membra tranſiens, ſicut ros qui in nutrimentum aptus
A est conuerti cum corpus nutrimento caret, & vt membra cum aliqua cauſa fortis motus, aut alia ea exſiccauerit, humectet. Tertia eſt humor, qui parum ante coagulatus nutrimentum eſt in membrorum ſubſtantia: iam quidem ex parte complexionis, ſed nondum ex parte eſſentiæ cõpletæ ſimilitudiniſque conuerſum. Quarta eſt humor, qui eſt intus in membris ſimplicibus à principio natiuitatis, per quem partium eorum continuitas exiſtit, cuius principium eſt ex ſpermate, ſpermatis principium eſt ex humoribus. Humores autem boni naturales, & ſuperflui quatuor generibus continentur, ſcilicet genere ſanguinis, qui omnibus illis melior eſt, & genere phlegmatis, & choleræ rubeæ, & nigræ.

B

De locis eorum, & temporibus, ac ſignis.

CAPVT LXX.

Loca humorum.

Tempus quo humores creſcunt.

Ætatibus ſuus humor ineſt.

Sanguinis ſigna.

Choleriti.

Phlegmatici.

Melancholici.

EX *epiſtola Hippoc.* Corpus ergo omne ex quatuor humoribus conſtitutum eſt. Nam habet in ſe ſanguinem, choleram flauam & nigram, & phlegma, qui quatuor humores habitant in ſuis locis. Sanguis in hepate in dextero latere, In parte qua hepar, habetur & cholera flaua, Melancholia in ſplene, phlegma in capite, & veſica. Alia pars ſanguinis dominatur in corde. Qualitas autem ipſorum talis eſt ſanguis feruens humidus, & dulcis. Cholera eſt amara calida, & ſicca, Melancholia acida, frigida, & ſicca, Phlegma frigidum ſalſum,
C & humidum. Hæc omnia creſcunt in tempore ſuo, ſanguis creſcit verno tempore, cholera æſtate, melancholia autumno, phlegma hyeme. Item hi omnes partiuntur ſibi diem, ac noctem: ſanguis habet horas ſex, ab hora noctis nona, vſque in horam diei tertiam, Exinde vſque in nonam cholera. Exinde vſque in horam diei tertiam melãcholia, Exinde vſque ad horam noctis nonã phlegma. Hæc omnia etiam habent reſpirationes ſuas per ſingulas partes corporis. Sanguis per nares, cholera per aures, melancholia pet oculos, phlegma per os.

Diuiduntur etiam per quatuor ætates, phlegma in pueris ab initio vſque in annos 14. Et inde cholera in iuuenibus vſque annos 28. Deinde in altera ætate vſque in annos 60. ſanguis, Exinde in ſene melancholia. Moriente autem eo omnia reuertuntur in ſuo loco. Præterea faciunt mores hominum tales. Sanguis facit boni
D voti ſimplices, blandos, hilares, & ſemper amoroſos. Cholera facit iracundos, acutos, leues, ingenioſos, macros, multum manducantes, cito digerentes. Phlegma facit cauſonios, id eſt cauſon, quæ eſt febris accenſa patientes, cauſatur enim ex phlegmate ſalſo, vigilantes, cito afferentes canos, intra ſe cogitantes, minus audaces. Melancholia facit ſubdolos, cumque iracundia auaros, timidos, triſtes, ſomniculoſos. Sanguis facit pulſum plenum, humidum, æqualem. Cholera tenuem, ſiccum, velocem, lubricum; Melãcholia ſimilem, ſed habet veluti percuſſum aſperitate. Phlegma facit pulſum nimis plenum humidum æqualem eum pondere. *Auctor.* De quatuor humorum, ſiue complexionum in homine ſignis ſolent dici verſus illi. De ſanguineo quidem hi:
E *Largus, amans, hilaris, ridens, rubeique coloris, Cantans, carnoſus, ſatis audax, atque benignus.* De cholerico autem iſti. *Hirſurus, fallax, iraſcens prodigus, audax, Aſtutus, gracilis, ſiccus, croceique coloris.* Porro de phlegmatico iſti. *Hic ſomnolentus piger, ac ſputamine multus, Eſt hebes, huic ſenſus, pinguis facies, color albus.* De melancholico vero illi. *Inuidus, & triſtis, cupidus, dexteræque tenacis, Non expers fraudis timidus, liuidique coloris.*

De generatione ipſorum.

CAPVT LXXI.

A *Vicenna vbi ſupra.* Humores in corpore ſic generantur, nutriens dum maſticatur, aliqua conuerſione permutatur, iamque parum incipit digeri. Cuius ſignum eſt, quod nec primus odor, nec primus ſapor in eo reperitur. Superficies enim oris eſt ſuperficiei ſtomachi contigua, & quaſi vna cum illa. Eſt ergo in ore digeſtiua virtus ex ſtomacho, & auxiliatur in hoc ſaliua per digeſtionem acquiſita, in qua cadit calor innatus. Poſtquam vero cibus ſtomachum ingreditur, tunc integre digeritur: non propter ſtomachi calorem tantum, ſed propter calorem membrorum, qui circumdant ipſum à dextera quidem hepar, & à ſiniſtra ſplen. Splen namque calefacit non propter ſui ſubſtantiam, ſed propter arterias, & venas multas, quæ in eo ſunt. Ab interiori vero zirbum, quod cito calorem adipis cauſa ſuſcipit, & ad ſtomachum reducit. Superius autem cor mediante diaphragmate ab eo calefacto. Cumque nutriens in primis digeritur, eius eſſentia fit in multis animalium auxilio eius, quod eis admiſcetur, de eo quod bibitur plurimumque chylus. Et eſt ſubſtantia liquidæ ptiſanæ ſimilis in ſpiſſitudine. Deinde eius ſubtile à ſtomacho, & inteſtinis attrahitur, ac per vias venarum meſeraicarum, quæ ſubtiles, ac duræ, & omnibus inteſtinis continuæ ſunt, impellitur & ad venam peruenit, quæ hepatis porta vocatur, Penetrat ergo in diuiſionibus, & in ramis portæ intrantibus ſeque minorantibus, ac ſubtiliantibus ad modum capillorum occurrentibus orificijs diuiſionum radicum venæ, quæ à gibbo hepatis aſcendit. Non autem facit ipſam in illas coangуſtationes penetrare, niſi ſuperflua commixtio aquæ bibitæ, ſuper id quo corpus indiget. Cum ergo iſtarum venarum villis diuiditur, fit quaſi totaliter hepar tangat huiuſmodi chyli totalitatem. Et ob hoc tunc eis operatio vehementior eſt, ac fortior, & velocior, & tunc coquitur. In omni vero huiuſmodi decoctione eſt res, quæ eſt ſicut ſpuma, & hæc eſt cholera rubea. Et res, quæ eſt ſicut hypoſtaſis hæc eſt melancholia, quæ ambæ ſunt naturales. Et fortaſſe cum eis erit, aut res aduſta ſi decoctio ſuperflua fuerit, aut res non bene cocta, ſi decoctio minor, quam debet extiterit. Aduſti ſubtile eſt mala cholera rubea, ſi autem ſpiſſum eſt mala melancholia, & ambæ ſunt non naturales. Quod autem non bene coctum eſt, phlegma eſt, Quod vero de hoc toto res colata eſt, & bene cocta, ſanguis eſt, qui tamẽ quamdiu eſt in hepate, ſubtilior eſt, quam debet, propter aquoſam ſuperfluitatem, quæ propter rem prædictam neceſſaria eſt. Cumque ſanguis ab hepate ſeparatur, ab aquoſitate etiam ſuperflua illud mundatur. Extrahitur enim à ſanguine in vena, quæ ad renes deſcendit, & fert ſecum ſanguinem, qui ad renes nutriendos ſua quantitate, & qualitate bonus exiſtit. Nutritque renes huius aquoſitatis, vnctuoſitas, & ſanguineitas. Deinde aliud quod remanet deſcendit, vel tendit ad veſicam, & poſt ad virgam. Sanguis autem eſt eſſentiæ bonæ. Signorum autem virtutes inter ſe conferendæ ſunt. Vnum enim bonum ſignum cum firmum fuerit multis malis ſignis præponderat.

Ordo digeſtionis.

Spuma.

Hypoſtaſis.

De cauſis eorundem.

CAPVT LXXII.

Cauſa ſanguinis.

Cholera.

Phlegmatis.

Melancholia.

EFficiens itaque cauſa ſanguinis eſt calor temperatus, Cauſa materialis eſt, quod de nutriẽtibus temperatum eſt & de bonis potibus. Formalis cauſa eſt eius decoctio bona. Finalis autem eſt, vt corpus nutriat. *Cauſa efficiens choleræ* rubeæ eſt igneus calor ſuperfluus, proprieque in hepate. Cauſa materialis eſt, quod de nutrientibus ſubtile eſt calidum dulce, vnctuoſum, & acutum, Cauſa formalis eſt decoctionem ad ſuperfluitatem procedere. Finalis autem eſt neceſſitas, & vtilitas quas prædiximus. *Efficiens autem cauſa phlegmatis* eſt caliditas abbreuiata. Cauſa materialis eſt, quod de nutrientibus eſt groſſum, humidum, viſum, frigidum. Formalis eſt decoctionis abbreuiatio. Finalis vero neceſſitas, & vtilitas. Melancholiæ quidem hypoſtaſiſue cauſa efficiens eſt calor temperatus. Aduſtæ vero caliditas ab æqualitate egreſſa. Cauſa materialis eius eſt, quod de nutrien-

tibus

tibus eſt vehementer groſſum, paucæ humiditatis, & eorum calidum fortius eſt in illo. Cauſa formalis eſt fæx hypoſtaſiua ſecundum vnum duorum modorum. Vnde neque labitur, neque reſoluitur. Cauſa finalis eſt neceſſitas, & iuuamentum eius. Melancholia multa fit, aut propter caliditatem hepatis, aut propter debilitatem ſplenis, aut propter frigoris congelantis vehementiam, aut propter conſtrictionis perſeuerantiam, aut propter ęgritudines multas, & prolixas, quia propter illud humores facti ſunt cineres. Cumque melancholia multiplicatur, & inter ſtomachum, & hepar ſtat ſanguis, & bonorum humorum generatio cum ea minoratur.

Frigiditas concurrit ad generationē humorum.

Sciendum autem, quod frigiditas, & caliditas generationis humorum cauſæ cum alijs exiſtunt cauſis. Sed caliditas æqualis ſanguinem generat: ſuperfluens vero choleram rubeam. Multumque ſuperfluus melancholiam generat per aduſtionis ſuperfluitatem. Porro frigiditas phlegma gignit, & multa ſuperflua melancholiam generat per ſuperfluitatem congelationis. Oportet autem attendere virtutes paſſiuas cum virtutum actiuarum diſtantia. Nec oportet credere, quod omnis complexio ſibi ſimile generet, & non ſui contrarium, per accidens quidem, licèt non per eſſentiam. Erigida namque, & ſicca complexio plurimum generat humiditatem extraneam, non propter conuenientiam, ſed propter digeſtiuæ debilitatem. Humores autem hi, ſicut in ſuis generationibus, ſic & in ſuis motibus cauſas habent. Motus enim & res calidæ ſanguinem mouent, & choleram rubeam, fortaſſis etiam mouēt melancholiam, & fortem faciunt eam. Quies autem phlegma forte reddit, & aliquas melancholiæ ſpecies Ipſęmet etiam exiſtimationes mouent humores, verbi gratia, Sanguinem mouet res rubeas intueri. Quapropter prohibemus illum ex cuius naribus fluit ſanguis, res ſplendorem rubeum habentes aſpicere.

De ſignis abundantiæ ſingulorum humorum in corpore.

CAPVT LXXIII.

Signum ſanguinis.

Razi in ſecunda parte. Sanguinem abundare ſignant coloris rubedo, corporis caliditas, cum eiuſdem tenſione, aliquando & oſcitatione, multuſque ſomnus, & venarum repletio cum ipſarum intenſione, & pruritus loci à quo ſanguis ſolet minui. Sanguis ſimiliter ex naribus, & gingiuis leui tactu fluens, capitis, & oculorum, ac temporum grauitas, & ingenij ſenſuſque turbulentia, pulſus magnitudo, & oris dulcedo præter ſolitum. In ore quoque veſicæ paruæ, & in corpore carbunculi, vrina rubea, & ſpiſſa.

Cholera.

Choleram vero rubeam abundare ſignant coloris citrinitas, oris amarido, multaque in ore ſiccitas, & multa ſitis, appetituſque debilitas, & faſtidium, & vrina ignea, & clara. Porro choleram nigram dominari ſignant, ardor ſtomachi, multitudo canini appetitus, fuſcus color, nigredo ſanguinis, ac ſpiſſitudo, vrina nigra, vel rubea fuſco participans colore, vel viriditati appropinquans. Si corpus præterea tale ſit, in quo cholera nigra generari ſolet, vt corpus brunum, & macrum. In corporibus enim albis, & craſſis, & à pilis nudis, raro, vel nunquam generatur. Huiuſmodi pręterea ſigna ſunt ſi corpori ſcabies acciderit, & morphea nigra, puſtulæ malæ, ſplenis augmentatio.

Phlegmatis.

In phlegmatis autem dominij ſignatione ſunt multitudo viſcoſæ ſaliuæ, & ſitis paucitas, vrina alba, pigritia quoque, & hebetudo, & malus ſomnus, corporis lubricitas, & digeſtionis tarditas. Somniorum quoque diuerſæ viſiones, deſignant in corporibus dominantes humores. Cum enim frequenter in ſomno videt quis plumas, & fluuios, & mare, humiditas in eius corpore ſignatur multa adeſſe. Ignes autē, & fulgura, liteſque frequenter ſomniare, choleram rubeam deſignant abundare. Rubei vero colores, ac tincti, nuptiæque, ac cibaria dulcia, ſanguiniſque fluxus, abundantiam ſanguinis deſignant ſomniata. Porro fuſcus color, atque nigredo, timores pauoreſque ſi apparuerint in ſomno, choleræ nigræ ſignatur operatio.

De anatomia membrorum.

CAPVT LXXIV

Anatomia quid?

EX *Iſagogis hippoc.* Anatomia eſt contemplatio ſiue perſpectio in interioribus membrorum inſciſionibus. Aliter Anatomia eſt inſciſio ſuperficiei, & denudatio eorum quæ obtecta erant, eorumque cognitio cum propria ratione. Hac comprehenditur poſitio corporum, natura quoque, & operatio ſingularū partium, & particularium. Corpus quidem hominis in tres partes generales diuiditur ſcilicet caput, pectus, pedes. In particulas autem multas. Specialiter autem conſtat de venis, & arterijs, & neruis, & oſſibus, cartilaginibus, adipibus, ac cæteris ſpiritibus. *Razi in Almanſore.* Membrorum in corpore quatuor ſunt genera, quorum principalia ſunt tria, & ad vitæ conſeruationem valde neceſſaria. Horum quidem nutritionum inſtrumēta ſunt, vt ſtomachus & hepar, & eorum cannales, & viæ quæ ad ipſa perueniunt, vt & os, & meri reliquæ quoque viæ, quæ ab eis exeunt vt inteſtina. Quædam vero ſunt inſtrumenta naturalis caloris, & conſeruationis eius. Quorum prima ſunt cor, & arteriæ. Secunda vero pulmo, & pectus, & quæcumque valent ad aeris attractionem. Quædam autem ſunt inſtrumenta ſenſus, & motus, & intellectualium actionum, ipſa ſunt cerebrum, & nucha, & nerui, & muſculi, & chordæ, & his ſimilia, quæ neceſſaria ſunt ad complendam actionem, & paſſionem. In vnoquoque iſtorum trium generum, vnum eſt principale, & operans, alia vero vt ſeruientia, ipſumque in ſuis actionibus adiuuantia. In primo genere principale inſtrumentum eſt hepar, ſecundo cor, in tertio cerebrum. Et vnumquodq; iſtorum alijs duobus connexum eſt, eiſque indiget. Hepar namque niſi omnibus alijs membris nutrimentum tranſmitteret, reſoluerentur. Ipſum vero, niſi à corde calorem haberet, eius ſubſtantia qua ſua completur actio, non conſeruaretur. Cerebrum quoque ſi non in arterijs calefieret, nec à venis nutriretur, eius natura non conſeruaretur. Sed & muſculi pectoris, niſi à cerebro mouerentur, non poſſet aer attrahi, nec cordis conſeruaretur ſubſtantia, qua calor naturalis, qui in corpore eſt, euentatur. Quartum genus membrorum eſt inſtrumenta principalia generationis ſcilicet matrix, & virga, & teſticuli, & vaſa ſpermatis, quæ neceſſaria non ſunt ad vnius ſingularis perdurationem, ſed ad ſpeciei conſeruationem. *Auctor.* De hac materia plenius eſt dictum ſupra, videlicet lib. 29. vbi actum eſt de ſingulis membris humani corporis, & eorum anatomia. De cæteris autem rebus naturalibus, videlicet de virtutibus, & actionibus, & ſpiritibus ſufficienter quoque dictum eſt ſuperius, videlicet lib. 24. vbi de viribus animæ, quas habet inquantum vnitur corpori plene tractauimus.

Quatuor genera membrorum.

De gradibus ætatum.

CAPVT LXXV.

HIs autem rebus quidam, vt ſuperius dictum eſt, alia quatuor adijciunt ſcilicet ętates, colores, figuras, maris ac fœminæ differentias. *Iſidorus libro 11. Ætatis autem gradus ſunt ſex*, videlicet infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuentus, grauitas, & ſenectus. *Prima ætas eſt infantia*, ſcilicet pueri ad lucem naſcentis, quæ porrigitur in ſeptem annos. *Secunda pueritia*, id eſt, pura, necdum apta ad generandum, tendens vſque ad annum quartumdecimum. *Tertia vero adoleſcentia* ad gignendum adulta, quæ duabus conſtat hebdomadis propter intellectum, & actionem quæ nondum erat in pueris, & porrigitur ab anno quindecimo vſque vigeſimumoctauum. *Quarta iuuentus firmiſsima* ætatum omnium,

Sex gradus ætatis.

finiens

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Senectus & ſeniũ differunt.

finiens in anno quinquageſimo, quando & in fœminis partus deficiunt. *Quinta ætas ſenioris*, id eſt grauitas, quæ eſt declinatio à iuuentute in ſenectutem, quæ à quinquageſimo anno incipiens 72. terminatur. *Sexta ætas eſt ſenectus*, quæ nullo annorum numero terminatur, ſed poſt quinque illas ętates quantumcunque vitæ eſt, ſenectuti deputatur. Senium autem pars vltima eſt ſenectutis, ſic dicta, eo quod ſit terminus ſextæ ętatis. In his ergo ſex ſpacijs Philoſophi vitam deſcripſerunt humanam, in quibus mutatur, & currit, & ad mortis terminum peruenit.

Auicenna vbi ſupra. Aliter ætates omnes quatuor ſunt. Prima ſcilicet adoleſcendi, quæ dicitur adoleſcentia, & eſt fere vſque ad annos 32. Secunda conſiſtendi, quæ dicitur ætas pulchritudinis, & eſt fere vſque ad 35. vel 40. annos. Poſt hoc ętas diminuendi, cum virtus amittitur, & hæc eſt ætas ſenectutis, quæ fere eſt vſque ad annos 60. Deinde ſequitur ætas minuendi cum manifeſta virtutis debilitate, & hoc eſt ſenium, & finis vitæ. Ætas autem adoleſcendi diuiditur in ętatem infantiæ, quæ eſt cum membra pueri nondum ad ambulandum apta ſunt. Et in ętatem dentium plantatiuam, quæ eſt poſt ambulationem. Hanc ſequitur ætas concuſſionis, quæ eſt poſt natiuitatem dentium antequam polluatur. Deinde eſt ętas alguelemati, & re hac, id eſt, cum ab eo egreditur ſperma, quæ eſt donec barbeſcat. Poſtea vero eſt ætas fortitudinis, id eſt iuuentutis, quæ eſt donec deſinat creſcere.

De infantia, & eius miſeria.

CAPVT LXXVI.

Infant.

I*Sidorus vbi ſupra.* Infans dicitur homo ætatis primæ ſic appellatus, eo quod adhuc fari neſcit. Nondum enim bene ordinatis dentibus minus eſt ſermonis expreſſio. *Hippocras in lib. de anatomia.* Nam quia dentes organa quodammodo linguæ ſunt, infans cum nondum habet dentes, vagit. Dum vero duos vel tres habuerit, mutitat. Cum autem os dentibus impleuerit, loquitur. *Aug. dẽ ciuit. Dei lib.* 21. Quis autẽ non exhorreat & mori eligat, Si ei proponatur, aut mors perpetuanda aut rurſus infantia? Prorſus enim quod ſcriptum eſt eccleſiaſtici 40. capitulo. *Graue iugum ſuper filios Adæ à die exitus à ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ*, in matrem omnium adeo neceſſe eſt impleri, vt ipſi quoque paruuli etiam per lauacrum regenerationis ab originalis peccati vinculo quo ſolo tenebantur ſoluti, multa mala patiantur, nonnulli etiam malorum ſpirituum incurſibus aliquando torqueantur. Quæ quidem paſſio abſit vt eis obſit, ſi hanc vitam in ætate illa etiam ipſa paſſione ingraueſcente, ac de corpore animam excludente finierint. Veruntamen in illo graui iugo quod poſitum eſt ſuper filios Adam, etiam hoc malum miſerabile reperitur, vt ſobrij ſimus, & hanc vitam de peccato primo nimis nephario factam eſſe nobis pœnalem intelligamus, totumque quod nobiſcum agitur per nouum teſtamentum non pertinere, niſi ad noui ſæculi hæreditatem nouam, vt hoc pignore accepto illud cuius hoc pignus eſt, ſuo tempore conſequamur. *Idem in lib.* 22. Itaque quod ad primam originem pertinet, omnem mortalium progeniem fuiſſe damnatam, hoc ipſa vita ſi tamen vita dicenda eſt, tot, & tantis malis plena teſtatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam ignorantiæ profunditas, ex qua omnis error extitit, qui omnes filios Adam quodam ſinu tenebroſo ſuſcipit, vt homo ab illo liberari ſine dolore, & labore ac timore nõ poſſit. Quid amor ipſe tot rerum vanarum & noxiarum? Et ex hoc curæ mordaces, mœrores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, fraus, rapina, ambitio, inuidia, luxuria, vtriuſque ſexus tot ſtupra, & immunditiæ, & quicquid malorum talium in mente non venit, & tamen de vita iſta hominum non recedit. Sed hęc quidem ſunt malorum hominum, ab illa tamen erroris peruerſique amoris radice veniẽtia, cum qua omnis filius Adã naſcitur. Quis enim ignorat cum quanta veritatis ignorãtia, quæ iam in infantibus eſt manifeſta, & cum quanta vanæ ćupiditatis abundantia, quæ in pueris apparere incipit, homo in hanc vitam veniat? ita, vt ſi viuere dimittatur vt voluit, in prædicta facinora, & flagitia quæ commemoraui, vel quæ commemorare non potui, vel cuncta, vel multa perueniat. *Idem in libro confeſſio.* 1. Quis enim mihi commemoret peccatum infantiæ meæ? quia nemo mundus à peccato, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram, quid ergo tunc peccabam, an quia plorans vberibus inhiabam? Nam ſi nunc faciam non quidem vberibus, ſed eſcæ annis meis congruenti ſic inhians, iuſtiſſimè deridebor ac reprehendar. Tunc ergo reprehendenda faciebam, ſed nec mos reprehendit me, nec ratio me ſinebat reprehendi, quia reprehendentem intelligere non poteram. Imbecillitas ergo membrorum infantilium innocens eſt, non animus infantium. Vidi enim ego & expertus ſum zelantem puerum, qui nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aſpectu collactaneum ſuum. Quid ſi & in iniquitatibus conceptus ſum, vbi quæſo innocens fui domine Deus?

Infantes patiuntur à ſpiritibus quãdoque.

Signa peccati originalis.

De primo vagitu infantis huius vitæ miſeriam deplorantis.

CAPVT LXXVII.

Puer tacet in aqua tepida poſitus.

G*Vilielmus de Conchis:* Cæterum infans ex vtero matris procedens, quia illic in callido, & humido nutritus fuit, terra vero frigida & ſicca eſt ad quam exit, contrarium ſentiens vocem eiulationis emittit. Ideoque prima vox hominis vox eſt doloris. Nutrices autem neſcio vel aliquo phyſico, vel ipſa docente natura ponunt illum in aqua tepida, qui ſentiens ſimile nutriturę ſuæ tacet, & in eo delectationẽ habet. *Ex libro de natura rerum.* Prima quidem vox infantis vox eſt doloris. In naſcendo tamen nulla voce reſonat antequam totus emergat. *Solinus.* Naſcentium itaque prima vox eſt vagitus, nam in 60. diem differtur lætitiæ ſenſus. Virum quidem nouimus eadem hora riſiſſe qua natus erat, ſcilicet Zoroaſtrem, mox optimarũ artium peritiſſimum. Aulus Craſſus quem bella Parthica rapuerunt, eo quod nunquam riſerit, Agelaſtus cognominabatur. *Auguſt. de ciu. Dei lib.* 21. Igitur infantia quia non à riſu ſed à fletu hanc lucem orditur, quid malorum ingreſſa ſit neſciens quodammodo prophetat, vel proteſtatur. Solum quando natus eſt Zoroaſtrẽ ferunt riſiſſe, nec aliquid ei boni portendit monſtruoſus riſus ille. Nam licet magicarum artium inuẽtor eſſet, à Nino Rege Aſſyriorũ cum eſſet ille Bactrianorum ſcilicet rex, in bello ſuperatus eſt. *Auctor.* Infans itaque naſcens deplorat non ſolum præſentes miſerias videlicet infantiles, ſed etiam futuras huius mortalis vitæ multiplices. *Vnde Philo dicit in lib. ſap.* velut in perſona Salomonis illius videlicet delicioſi atque pompoſi regis originis ſuæ primæ cõditionem miſeram memorantis. Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt & in ventre matris caro ſum figuratus. Decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conuenientis. Et ego natus accepi communem aerem, & ſimiliter in factam decidi terram, & primam vocem ſimilẽ omnibus emiſſi plorans. In inuolu entis nutritus ſum, & curis magnis. Nemo enim ex reg bus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo eſt omnibus ad vitam introitus & ſimilis exitus.

Zoroaſtres

Philo aſſeritur author libri ſapientia ab autore.

Bernardus ad Eugenium Papam de conſideratione libro 2. Salubris ergo eſt copula, vt cogitans te ſummum pontificem parites attendas & viliſſimum cinerem non quidem fuiſſe ſed eſſe. Hæc namque conſideratio te tenet in te, nec à te ſinit euolare, non ambulare in magnis nec in mirabilibus ſuper te. Conſidera maxime quod maxime es, videlicet hominem quod & natus es. Nec modo quis natus ſis, ſed etiam qualis. Tolle proinde nunc hæreditaria hæc perizomata ab initio maledicta. Dirumpe

Conſideratio digna ſc. Pontifice.

velamen

velamen filiorum celantium ignominiam, non plagam curantium. Dele fucum fugacis honoris huius, & male coloratæ nitorem gloriæ, vt nude nudum conſideres, quia nudus egreſſus es de vtero matris tuæ. Nunquid infulatus? Nunquid micãs gemmis,aut floridus ſericis, aut coronatus pinnis,aut ſuffarcinatus metallis? Si cuncta hæc veluti nubes quaſdã matutinas velociter tranſeuntes diſſipes & exuffles à facie conſiderationis tuæ, occcurret tibi homo nudus, & pauper, & miſerabilis. Homo dolens quod homo ſit, erubeſcens,quod nudus ſit,plorans quod natus ſit, murmurans, quod homo ſit natus ad laborem,nõ ad honorem. Homo natus de muliere,& ob hoc cum reatu,breui viuens tempore, & ob cum metu,repletur multis miſerijs, & ob hoc cũ fletu. *Plinius de hiſtoria naturali lib.7.* Cæteris autem animalibus varia tegumẽta natura tribuit,teſtas, cortices,coria, ſpinas,villos, ſetas,pilos, plumam,pennas, ſquamas,vellera,truncos etiam arbori quæ cortice interdum gemino à frigore,& calore tutata eſt,hominem vero tãtumtummodo nudum, & in nuda humo natali die abijcit, ad vagitus ſtatim & ploratum, nullumq; tot animalium aliud ad lachrymas,& protinus vitæ principio. *Comeſtor.* Hinc etiam homo primus poſt peccatũ & maledictiones vxori ſuæ nomen imponens,vocauit eam Eua, forte quaſi miſeriam hominis plangens,& eiulatui puerorum alludens. Maſculus enim recens natus eiulando dicit A. mulier autem E. Ac ſi dicerent. Clamabunt E vel A quotquot naſcentur ab Eua.

Cur infans debilior naſcitur cæterorum animalium fœtibus.

CAPVT LXXVIII.

Corpus humanum cur debile?

Gvil. de Conchis. Denique animalia cætera,ex quo nata ſunt,ſtant,& incedunt. Vnde igitur hoc eſt, quod homo niſi longo tempore nec ſtare nec incedere poteſt. Ad hoc ego reſpondeo,quia in vtero nutritus eſt ſanguine menſtruo,& corrupto. Cætera vero animalia menſtruis carent omnia. Vel etiã,quia homo particeps rationis exiſtit, ratio vero temperatiſſima ac mollia carnoſaque membraque exigit. Cætera vero animalia ratione carentia,dura quidem habent membra, & labori conuenientia. Vnde homo cęteris animalibus corpore debilior inuenitur. Et homo quidẽ huius ætatis ſcilicet infantiæ quæ natiuitati coniuncta eſt, vſque ſeptimum annum ſenſum habet. Videt,enim & audit,& olfacit,& guſtat,& tangit,ſed ratione,& intellectu ſcilicet quantũ ad vſum caret. *Aug. de Trin. lib.14.* Anima tamen etiã infantis paruuli ſe noſſe credẽda eſt,ſed intẽta nimis in ea, quæ per corporis ſenſus tanto maiori quãto nouiori delectatione ſentire cępit,ſe cogitare nõ poteſt,ſic enim in omnes corporis ſenſus quantum ſinit ætas illa ſe quaſi coarctat,vt quicquid per carnem offendit vel allicit,hoc ſolum abhorreat vehementer vel appetat. Sua vero interiora non cogitat,nec admoneri poteſt, vt hoc faciat, quia nondum admonentis nouit ſigna, vbi locum præcipuum tenent verba. *Hugo de Sancto Victore.* Homo itaque peccando fecit vt compararetur beſtijs. Qui cum ratione ſuperior eſſe deſijt, ſenſu ſe inferiorem inuenit. Nam ſi viſum conſulis,in hoc ſuperant lynces,ſi odoratum interrogas,præualent canes. Et quęcunque in ſenſu corporali ſunt laudabilia,in ipſis inuenies excellentiora. Et hic vt alibi bonum tuum quæras, nec in illo confidas,vbi beſtijs compararis & tamen non æquaris. *Gregor. Nyſen. in lib. de imagine.* Nudus ergo naturalibus tegumentis,inermis,& inops,omniumque neceſſariarum rerum egeſtiſſimus homo in hanc vitam producitur, qui iuxta id quod cernitur miſeratione potiuſquam fælicitate dignus eſſe videatur. Non enim armatur productione cornuum, non vnguium vel dentium tuitione munitur, nec aliquo aculeo lætiferum virus infundit, quibus rebus pleraque ferarum atque ſerpentum in vltionem ſui naturaliter inſtituũtur. Nec pilis corpus obtegitur, cum eum qui ad aliorum præponebatur imperium,proprijs armis naturali prouiſione vallari deceret, ne ad cuſtodiã ſui aliorum adminiculis indigeret. Nam in eo quidem & aper & ſi quid illi ſimile eſt ſufficiẽtem pro ſua ſalute virtutem naturaliter poſſidet. Et tauro ſunt cornua,& pernicitas lepori,ceruoque ſaltus,& certus intuitus, & alijs animalibus magnitudo, cæteris os prominens. Volatilibus etiam pennarum officia, & apibus aculei. Cunctiſque prorſus aliquod naturale præſidium conſtat eſſe collatum. Solus autem homo præ omnibus creditur deſtitutus. Et his quidẽ quæ currendi velocitate præeminent pigrior, illis autem quæ mole corporis eminent,tenuior,his etiam qui naturalibus armis excellunt,cognoſcitur eſſe deſpectior. Et quomodo dicet aliquis,vniuerſorum talis ſortitus eſt principatum? Verum per id quod naturæ noſtræ deeſſe creditur,certa datur occaſio qua ſubditorum omnium dominium cõſequatur. Nam ſi huiuſmodi adminicula corpori ſuo naturaliter attributa haberet, primum quidem beſtijs ſimilis exiſteret,& occaſione ipſa in actionibus plurimũ difficilis appareret Deinde in alios exercere dominatũ ſperneret,quorũ nullis prorſus adiutorijs indigeret. Núc autẽ in ſingulis quæ nobis mãcipantur,vſus vitæ noſtræ dirimitur,vt neceſſarium eis principatum habere videamur. Nam corporis noſtri tarditas, & ad motũ celerem difficultas,equi nobis adhibere prouidentiam fecit,quæ & neceſſaria annuis cum reditibus, ea quæ naturæ deerant, ſupplementa proſpexit. Ex alijs quoque cauſis quæ ad vitam neceſſaria ſunt, iumenta nobis ſubiecta ſunt. Quia enim & morſu indigebamus & dentibus ad cohibendas vltione beſtias, id quod nobis defuit, canum natura ſuppleuit; pro cornibus etiam vel vnguibus fortius atque penetrabilius ferrum ab hominibus inuentum eſt.

Homo minime armatus à natura.

Cur id expediat

De regimine infantium in dieta & moribus.

CAPVT LXXIX.

Ad naſcituram dẽtium quid faciendum?

Razi in Almanſore. Mammillas infans taliter ſugat, ne venter eius tendatur, & vt non accidat ei diſſolutio,& pigritia,ſomnuſque longus, nec de latere reuoluatur ad latus, & non ploret neque vomat. Oculi eius in primis diebus natiuitatis operiendi ſunt panno, cauendumque ſummopere ne ſtet in loco luminoſo, ſed vitra pannique diuerſorum colorum appendantur coram eo. Vtendum eſt etiam illic delectabilibus cantilenis,non aſperis vocibus neque raucis. Et poſtquam appropinquauerit loquendi tempus,frequenter eius linguam fricet nutrix. Ante ipſum quoque frequenter loquendum eſt,ac verba facilia leuiaque docendus eſt. Cũ vero natiuitas dentium appropinquauerit, gingiuæ frequenter cum butyro & adipe gallinæ ſunt fricandæ, & aqua ordei liniendæ. *Auicenna vbi ſupra.* Cum autem infans dormierit,toto corpore caput altius ſit. Et diligenter obſeruetur ne colli vel dorſi vel extremorũ eius aliquid torqueatur. Aqua ſuaui & equali eſt balneandus, & id poſt longum ſomnum ipſius,plurimumque bis aut ter in die & ordinate,nec lauetur,niſi quouſque corpus eius calefiat,& rubere incipiat. Poſt hoc autem extrahatur & aures eius ab ingreſſu aquæ cuſtodiantur. In hora quidẽ ablutionis cum accipitur manu dextra ſuper brachium ſiniſtrum aſſumatur,nec ſuper ventrem, ſed ſupra pectus ſuum appodietur. In primis autem iaceat ſupra ventrem ſuum,poſtea vero ſuper dorſum. Et præter hoc inceſſanter fricetur ac prematur & figuretur. Duæ quoque res iuuamen ei conferunt ad hoc vt fiat eius cõplexio fortis, videlicet motus lentus, & vox cantilenæ, cum quibus debet dormire. Ex quantitate namque recipiendi hęc duo, patet quantum ſit aptus exercitio, ac muſicæ,quorum vnum eſt corporis,& alterum animæ. *Varro in ſententijs.* Sapiũt autem vaſa quicquid primum acceperint,Sic eſt de infantibus. *Quintilianus de oratoria inſtitutione libro primo.* Vtinam ergo liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus, infantiam enim ſtatim delicijs ſoluimus. Et ætas quidem hominis tunc vel maxime formanda eſt, cum ſimulandi neſcia eſt,

ac præ-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ac præcipientibus facillime cedit. Horatius in lib. Epistolarum.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu.

Idem in eodem.

Tractari mollius ætas imbecilla solet.

De Pueritia, & eius miseria.

CAPVT LXXX.

Puer. ISidorus *vbi supra.* Puer à puritate vocatus est, quia purus est ac nondum lanuginem floremque genarum habet. Hi dicuntur ephæbi à Phæbo, qui quasi iuuenis & imberbis pingitur, sic appellati. Nam in mane oriens quasi puer ac nouus apparet. Dicitur autē puer tribus modis, videlicet pro natiuitate, vt cum de Christo dicitur, *Puer natus est nobis.* Pro ætate, vt cum dicitur aliquis puer octennis aut decennis. Pro obsequio & fidei puritate, vt cum ad Prophetam Dominus ait: *Puer meus es tu, noli timere.*

Puber. Puberes autem dicuntur à pube, id est à pudenda corporis parte, eo quod hæc loca lanuginem in primis ducant, quidam ex annis pubertatem existimant, id est istum esse puberem, qui 33. annos expleuerit, quamuis tardissimè pubescat. Certissimum est autem illum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatē ostendit, vt generare iam possit. Porro puerperæ dictæ sunt, quæ puerilibus annis pariunt. *Aug. de Ciuit. Dei lib. 21.* Cum autem tota vita mortalium sit pœna, non vtique parua est pœna insipientia, & imperitia, quæ adeo fugienda merito iudicatur, vt per pœnas doloribus plenas pueri vel litteras, vel quæque artificia discere cogantur. Ipsumque discere ad quod pœnis adiguntur, est eis tam pœnale, vt nonnunquam ipsas pœnas quibus ad id compelluntur malint ferre quam discere.

Puerpera.

Idem in lib. 22. Sicut etiam dictum est superius, abundantia cupiditatis vanæ cum qua in hanc vitam homo venit, in pueris apparere incipit, ita quod si viuere dimittatur, vt velit, in facinora, & flagitia vel omnia, vel multa peruenit. Sed diuina miseratione, sensibus eorum prohibitio & eruditio contra tenebras ignorantię inuigilant, cum quibus nascimur, & contra cupiditatis impetus opponuntur, plenæ tamen, & ipsæ laborum, & dolorum: quid enim sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur? quid pædagogi, quid magistri, quid ferulæ, quid virgæ, nisi vt imperitia debelletur, & praua cupiditas infrenetur, cum quibus malis in hoc seculo viuitur. Nam cum labore meminimus, sine labore obliuiscimur, cum labore discimus, sine labore nescimus, cum labore scimus sine labore inertes sumus. Ex hinc apparet, inquit, velut pondere suo procliuis humana natura vitiosa existat, & quanta ope, vt inde liberetur indigeat, vitia quoque sunt desidia, pigritia, negligentia, quibus scil. labor fugitur, cum etiam labor ipse qui vtilis est sit pœna. *Idem in li. conf. primo.* Cum ergo infantiæ meæ succesſu pueritia, humanæ vitæ procellosam societatem altius ingressus sum, pēdens ex auctoritate parentum nutuque malorum hominum. Deus meus quas ibi miserias expertus sum. In scholam datus, vt litteras discerem, ibi quid vtilitatis esset, ignorabam, & tamen si segnis essem in discendo vapulabā. Hoc enim à maioribus laudabatur. Et ante nos multi præstruxerunt ærumnosas vias, per quasi transire cogebamur, multiplicato labore ac dolore filiis Adam. Nec mihi deerat memoria vel ingenium, quæ mihi satis dederas pro ætate illa, sed ludere delectabat, & hoc in nos vindicabatur ab illis qui vtique agebant talia. Sed maiorum nugæ negocia vocantur, puerorum autem talia cum sint à maioribus puniuntur. Et tamen bene mihi fiebat à te, sed non faciendam ego bene, nō enim discerem nisi coactus. Nemo autem inuitus bene facit, etiam si bonum est, quod facit. Nec qui me vrgebant bene faciebant, quia non intuebantur quo referrem quod me discere cogebant, præterquam ad faciendas insatiabiles cupiditates copiosæ inopiæ, & ignominiosæ gloriæ. Tu enim lege infatigabili sparsis pœnales cæcitates supra illicitas cupiditates. In his ergo laudabar ab illis, quibus placere mihi tunc erat honestè viuere. Non enim videbam voraginem turpitudinis in quam proiectus eram ab oculis tuis. Eram tamen etiam tunc, & viuebam & sentiebam & incolumitatem meā vestigium secretissimæ vnitatis exquirebam. In hac autem peccabam, quod non in Deo, sed in eius creaturis me scilicet ac cæteris quærebam sublimitates ac veritates, & voluptates sicque viuebam in confusiones, errores atque dolores.

Augustinus discebat coactus.

Pœna in discendo.

De regimine puerorum in dieta & moribus.

CAPVT LXXXI.

AVicenna *vbi supra.* In regimine pueri cum ab infantia emergit, intentio tota sit in eius mores moderando ac meliorando, ne scilicet ira fortis aut timor vehemens accidat ei, neque tristitia vel vigiliæ. In hoc enim duæ consistunt vtilitates. Vna scil. in anima eius, vt morum bonorum habitus à pueritia crescat, ac fixus in eo permaneat. Altera vero in eius corpore, quia sicut mali mores malitiam complexionis sequuntur; sic etiam ex illorum consuetudine cum accesserit, malitia complexionis eos sequitur. Ira namque vehementer calefacit, & tristitia exiccat, pigritia virtutes animales laxat, & complexiones ad phlegmatis proprietatem inclinat: Sanitas ergo corporis & animæ simul in temperantia morum consistit. Cum autem à somno puer excitatur, balneandus est, & post hoc vna hora ludere dimittendus. Deinde vero ad comedendū ei præbeatur, & postea prolixius ludere permittatur. Post hæc iterum balneandus, deinde vero cibandus. Et quanto plus fieri potest aquā in cibum sumere non permittatur, ne cibus penetret crudus antequam digeratur. Cum autem sex annos habuerit, magistro tradendus est, qui eum doceat, in quo etiam gradatim est ordinandus, nec in scholis quotidie morari cogendus. In hac ætate iam minus erit abluendus, eiusque labor cum comestione augmentandus: Nec vinum ei detur, propriæque cum calidæ complexionis fuerit, quoniam in potatoribus ex eo cholera rubea generatur. Nec ipse puer indiget iuuamento quod expectatur ex vino potato. Hoc est vrinæ prouocatio, & iuncturarum humectatio. Non enim eius cholera multa, quæ in vrina sit prouocanda, nec eius iuncturæ indigent humectatione. Bibat ergo aquam frigidam, dulcem & liquidā. Sic regendus est, vsque ad annum 14. & post hanc ætatem regatur regimine sanorum.

Moderatio morum puerilium.

Balneatio puerorum.

Vini potus eis nocet.

Razi in 4. parte. Pueri medicandi non sunt forti ventris solutione, vel etiam minutione, sed eis subueniendum est cum scarificatione ac vētris ex aqua fructuum solutione. Custodiēdi sunt autem ne multum de mellis confectionibus aut de fructibus comedant, & ægritudines multas incurrant. A lacte quoque & caseo, & grossis nutrientibus remoueantur, ne lapis in eorum vesicis generetur. Nec multum nutrientibus repleri sunt permittendi, nec cibos sumere donec digestus sit. *Haly.* Puer ablactatus à multitudine ciborum arceatur, & à cibis grossis, & aqua turbida, quibus lapides generantur. Nec assuescendus est vino, quoniam auget calorem, & humorem, qualis est puerorum cōplexio. Detur tamen ei modicum, vt vrinam prouocet, & siccitatem ex labore accidentem humectet. Cumque fuerit duodecim annorum, tunc eum iam exercere oportet in his quibus est docendus, vel in quibus est ei viuendum.

Lac & caseus generant lapidem in vesica.

Varro in sententiis. Sicut autem in sene puerilitas est ridenda, sic & in puero morum optimorum constantia obstupescenda. *Seneca in declarationibus libr. 5.* Nihil est puero teste certius. Nam & ad annos illos peruenit vt intelligat, & non ad eos quibus fingat. *Idem in libro de moribus.* Educatio quidem & disciplina mores facit, & id sapit quisque quod didicit. *Quintilianus vbi supra lib. 2.* At ingenia puerorum nimia emendationis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Seueritas nimia nocet pueris.

ſeueritate deficiunt. Nam & deſperant, & dolent, ac nouiſſime oderunt, quodq; maxime nocet, *dum omnia timent, nihil conantur.* Ouidius in lib. de arte 1.

In puero eſt ætas mollis, & apta regi,
Ingenium cœleſte ſuis velocius annis
Surgit.

Idem in lib. Epiſtolarum.

Ars ſit vbi à teneris crimen condiſcitur annis,
Et ſicut teneros lędunt iuga prima iuuencos,
Fręnaque vix patitur de grege captus equus,
Sic male vixque ſubit primos mores rude pectus.

Horatius in Poëtria.

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & vnà
Colligit ac ponit temere, & mutatur in horas.

Virgilius in Bucolicis.

Qui legitis flores, & humi naſcentia fragra,
Frigidus, ô pueri, fugite, latet anguis in herba.

De adoleſcentia & iuuentute & earum lubricitate.

CAPVT LXXXII.

Adoleſcens.

I*Sidorus vbi ſupra.* Adoleſcens dictus eſt, eo quod adgignendum adultus ſit, ſiue à creſcere & augeri. Iuuenis autem vocatus eſt, eo quòd iuuare poſſe incipit, ſicut in bobus iuuenci cum à vitulis deceſſerint. Sicut autem triceſimus annus perfectæ ætatis eſt in hominibus, ita in pecudibus ac iumentis tertius eſt robuſtiſſimus. Et ſicut anno ſeptimo finitur infantia, 14. pueritia, accedente ac ſubſequente adoleſcentia, quæ duabus hebdomadis conſtat propter intellectum, & rationem vel actionem, & ab anno decimoquinto porrigitur vſque 28. ita quòd hæc ſuccedens iuuentus tribus hebdomadis permanet, propter illa tria, ſcilicet intellectum & rationem, corporiſque virtutem. *Aug. de Ciuit. Dei lib.* 22. Prima quidem ætas id eſt infantia, ſine illo reniſu carni ſubiacet, Secunda quoque ſcili. pueritia propter infirmitatem mentis nondum præcepti capax, nec pugnæ contra carnem ſuſceptibilis eſt. Cum autem ventum fuerit ad ætatem adoleſcentiæ, quæ præceptum iam capit, & legis imperio ſubdi valet, ſuſcipiendum eſt contra vitia bellum & acriter gerendum, ne ad damnabilia peccata vitium innatũ perducat. Et ſi quidem victoriarum conſuetudine roborata non ſunt, facilius vincuntur, & cedunt. Si autem vincere atque imperare conſueuerunt, laborioſa difficultate ſuperantur. Pauciſſimi vero tantæ felicitatis ſunt, vt ab ipſa ineunte adoleſcentia nulla peccata dãnabilia vel in flagitiis, vel in facinoribus, vel in nephariæ cuiuſdam impietatis errorem committant, ſed magna largitate ſpiritus quicquid in eis carnali delectatione dominari poſſit, opprimant. At vero plurimi cum fuerint vitiis prævalentibus victi ac prævaricatores legis effecti, tunc ad gratiam adiutricem cõfugiunt qua fiant, amarius pœnitendo vt prius Deo ſubditi, & vehemẽtius pugnando victores, præpoſita mẽte carni.

Infantia.

Conſueti vincere vitia difficile ſuperantur.

Auguſtini ſeductio in iuuentute.

Idem in lib. Confeſſ. 2. Et ego ergo in amaritudine cogitationis meæ recordari volo tranſactas fœditates meas, & carnales corruptiones animæ meæ, non quod eas amem, ſed vt amem te Deus meus. Amore amoris tui iſtud facio, recolens vias meas nequiſſimas in amaritudine recogitationis meæ, vt tu dulceſcas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix, & ſecura, colligens à diſperſione mea in qua fruſtratim diſcuſſus ſum dum ab vno te auerſus in multa euanui. Nam aliquando in adoleſcentia mea exarſi ſatiari in inferis, & ſylueſcere auſus ſum variis & vmbroſis amoribus, & contabuit ſpecies mea & computrui coram oculis tuis placens mihi, & placere cupiens oculis hominum. Et quid erat quod me delectabat, niſi amare, & amari? Verum non tenebatur modus ab animo vſque ad animum, quatenus eſt luminoſus limes amicitiæ, ſed exhalabantur nebulę de limoſa concupiſcentia carnis, & ſcatebra pubertatis obnubilabant & offuſcabant cor meum, vt non diſcerneretur ſerenitas dilectionis à caligine libidinis. Efferbui ergo miſer ſequens impetum fluxus mei, relicto te, & exceſſi omnia legitima tua, nec euaſi flagella tua, prœceps ibam tanta cæcitate, vt inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris quum audiebam eos iactantes flagitia ſua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes eſſent. Et libebat facere non ſolum libidinem facti, verum etiam laudis. Vç cum quibus comitibus iter agebam plateárum Babyloniæ, & volutabar in cæno eius tanquam in cynamomis & vnguentis precioſis, & in vmbilico eius quo tenacius hærerem, calcabat me inimicus inuiſibilis, & ſeducebat me quia ſeductibilis eram.

Ambroſ. in lib. de interpellationibus & infirmitate hominis primo. Conſumere, inquit, me vis Domine peccatis adoleſcentiæ meæ, pulchrè id ætatis ad querelam arripuit, quod magis ad vitium eſſe lubricum conſueuit. Habet enim pueritia innocentiam, ſenectus prudentiam, iuuentus delinquendi verecundiam. Adoleſcentia ſola eſt inualida viribus, faſtidioſa monitoribus, infirma conſiliis, illecebroſa delitiis, calens vitiis. *Idem ſuper Pſalm. Beati immaculati.* Rara ſane humilitas eſt in iuuenibus, vt dicere poſſint humiliter: adoleſcentulus ſum ego, & contemptus. Ideoque miranda eſt dum viget ætas, dum vires ſolidæ ſunt, & ſanguis æſtuat, dum debilitas ignoratur, dum lætitia frequentatur. Grandis itaque morum aſſuefacienda eſt maturitas, quæ naturam vincat. Iuuentus enim eſt ad amorem liberior, ad lapſum incautior, ad infirmitatem fragilior, ad correctionem durior. *Seneca in declamationibus lib.* 1. Torpent ingenia deſidioſæ iuuentutis, & cantandi ſaltandique obſcœna ſtudia effœminatos tenent. Capillum frangere, & ad mulieris blanditias voces extenuare, corporis mollitie cum fœminis certare, & immundiſſimis ſe munditiis excolere, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt. Molles eneruesque nati in vitio manent, expugnatores alienę pudicitiæ, negligentes ſuæ. *Idem in Troade.* Iuuenile vitium eſt regere non poſſe animum. *Saluſtius in Catilinario.* Adoleſcentium animi molles, & ætate fluxiui haud difficile capiuntur. Ouid. in lib. de Faſt. v.

Humilitas rara in iuuenibus.

----- *Cum iuuenilibus annis,*
Luxuriant animi, corporaque ipſa vigent.

Idem in li. ſine tit. 1.

Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido,
Quæ bello eſt habilis, veneri quoque conuenit ætas.

De prędictarum ætatum regimine.

CAPVT LXXXIII.

Moderatum exercitium conuenit iuuenibus.

R*Azi vbi ſupra.* Adoleſcentes autem & iuuenes ab acutis infirmitatibus cuſtodiendi ſunt, eos minuendo, eorumque ventrem ſoluendo. Quibus ſtatim, vt in eis illarum apparuerint ſigna, dentur fortiter reprimentia, antequam in eis illæ perficiantur. *Haly vbi ſupra.* Iuuenum corpora cum iam vltimum attingerent terminum, & augmentationis ſtatum, ideo ſuperfluitates in eis augentur, & congregantur, morbique feſtinant in eos propter repletionem. Hoc enim tempore cibus non occupatur in dilatando corpus & augendo ſicut prius. Veruntamen virtus eorum patiẽtior eſt morborum, & in pluribus fortior ad expellendum cauſas eorum. His ergo oportet exercitium indici moderatum, & conſuetum, nec multum calori ſolis obuient. In aqua temperati caloris ſe balneent, Æſtate vero aqua frigida dulci, & ſuaui. Caueant ergo cibos calefacientes, choleram generantes, vt allia, cepas, ſinapem, & ſimilia. Vtantur autem cibis quantum cuiuſque tolerare poteſt digeſtio, & vnuſquiſque iuxta menſuram ſuæ conſuetudinis. Sumant autem cibos frigidos, vt piſces recentes, hædinas carnes cum frigidis condimentis decoctas, & fructibus aſſueſcant cum granatis perſicis, & huiuſmodi. Si quidem complexio eorum eſt in habitudine naturali, vinum bibãt, nec multum nouum, nec vetus, mixtum aqua frigida. Nec vero plurimum tolerent famem, confortat enim

calorem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

calorem, & auget choleram. Aſſueſcant autem corpora phlebotomiæ, & laxaturæ, maximeque in vere. Sit eorum regimen iuxta quod expedit naturali complexioni eorum, in vnoquoque quatuor anni temporum.

Modeſtia decet iuuenes.

Seneca ad Lucilium epiſtola 11. Verecundia bonum in adoleſcente ſignum eſt. *Idem in epiſtola* 36. Iuueni eſt parandum, ſeni vtendum. *Tullius de officiis lib.* 2. Prima adoleſcentium commẽdatio proficiſcitur à modeſtia, tum pietate in parentes, tum in ſuos beneuolentia. Facillimè in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſapientes, & claros viros, & bene conſulentes reipub. ſe contulerunt, quibus cum ſi frequentes ſunt opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimiles, quos ſibiipſi delegerunt ad imitandum. *Idem in libro de ſenectute.* Adoleſcentem probo in quo eſt aliquid ſenile. At ipſa defectio virium adoleſcentiæ vitiis afficitur ſæpius, quam ſenectutis. Libidinoſa enim & intemperans adoleſcentia effectum corpus tradit ſenectuti. *Ambr. ſuper Pſalm. Beati immaculati.* Præcurrit autem maturitatis ætates, quiſquis in adoleſcentia poſitus ſenilem grauitatem induit, & iuueniles animos quadam veterana continentia regit, atque componit. Nam quid laudis habere valeat ſi corpus voluptatibus effectum, & iam ſenectutis gelu frigidum, ad ſera deuotionis officio depoſito iam ſenio vigore conuertatur. Non eſt vtique corona, niſi vbi difficilis fuerit lucta. *Idem ad Vercellenſes.* Sunt autem iuuenes, qui ne ſubiaceant diutius ſeniorum arbitrio, cito volunt ad ſenectutem peruenire, & ſunt etiam ſenes, qui volunt ſi poſſint ad iuuentutem redire. Quorum ſtudium neutrum probo, cum poſſit & iuuentus ſeneſcere moribus, & ſenectus iuueneſcere operibus. *Sydonius in epiſtolari ſuo lib.* 3. Plurimum vero laudis iuuenes moribus ſuis applicant, quotiens de negociorum meritis ambigentes ad peritorum conſilia recurrunt. Virgilius in georgicis lib. 3.

Iuuentus ſeneſcens.

Iam vitulos hortare, viamque inſiſte domandi,
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.

De adoleſcentiæ, vel iuuenilis floris labilitate.

CAPVT LXXXIV.

Vtilior. Porro nullatenus confidendum eſt in robore, vel flore iuuenilis ætatis, quia mors iuuenibus in inſidiis eſt in ianuis. *Tullius in libro de ſenectute.* Fruſtra ergo ſperat adoleſcens vel promittit ſe diu victurum. Quid enim ſtultius quam incerta pro certis habere. Quoniam etiam illa ætas multo plures, quam ſenectus habet mortis caſus: facilius enim in morbos adoleſcentes incidunt, grauius ægrotant, triſtius curantur. Itaque pauci veniunt ad ſenectutem. In hoc etiam melioris conditionis eſt ſenex, quia quod ſperat adoleſcens, ipſe conſecutus eſt. Ille vult diu viuere, iſte diu vixit, quanquam mihi nec diuturnum videtur, quicquam in quo eſt aliquid extremum. Cum enim id aduenerit, tunc id quod præterijt effluxit. Hoc tantum remanet, quod virtute, & recte factis quiſque conſecutus eſt. Mors etiam contingit adoleſcentibus aduerſante, & repugnante natura, & ideo grauis. Senibus vero venit tanquam ſponte nulla vi adhibita, & ideo leuis. Sicut ergo poma ex arboribus ſi cruda ſunt, vi auelluntur; ſi matura, & cocta, decidunt. Sic vis adoleſcentibus vitam aufert, ſenibus maturitas.

Nihil diuturnum vbi eſt extremũ.

Seneca ad Lucilium epiſtola 16. Iunior es, quid refert? incertum eſt quo loco te mors expectet, itaque tu illam omni loco expecta. Tullius.

Vita fugax.

Sæpe quidem cani nigros laſere capillos;
Sæpe venit tacito curua ſenectа pede.

Iuuenalis 3. libro.

Nunc mihi, qui ſuades, poſt damnum temperis, & ſpes
Deceptas, Feſtinat enim decurrere velox,
Floſculus anguſtæ miſerèque breuiſſimæ vitæ
Portio, dum bibimus dum ſerta, vnguenta, puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.

Scalpurius in bucolicis.

Non hic ſemper eris, perdunt & gramina flores,
Perdit ſpina roſas, nec ſemper lilia cędent,
Nec longum tenet vua comas, nec populus vmbras.

Iuuenalis libro 4.

Sarcolago contentus erit, mors ſola fatetur,
Quantula ſunt hominum corpuſcula, &c.

Ouidius.

Labitur occultè, fallitque volubilis ætas.
Et celer admiſſis labitur annus equis.

Idem in libro de arte 3. Igitur ô iuuenes.

Dum vires, annique ſinunt, tolerate labores,
Iam veniet tacito curua ſenecta pede,
Venturæ memores iam nunc eſtote ſenectæ,
Sic nullum vobis tempus abibit iners.

De incolumitate.

CAPVT LXXXV.

CIrca ætatem adoleſcentiæ, vel iuuentutis maxime ſolet attendi pulchritudo corporis, & incolumitas. Ideo poſtquam dictum eſt de illa ætate, libet etiam de iſtis pauca ſupponere, & primo de incolumitate. *Tullius in Rhetorica* 1. Vtilitatis quidem ſuæ ſunt partes ſcilicet incolumitas, & potentia. Eſt autem incolumitas tuta ſalutis, & integra conſeruatio. *Iſidorus vbi ſupra.* Quod autem tuetur, aut reſtaurat ſalutem eſt medicina. Ad hanc enim pertinent non ea tantummodo, quæ ars illorum exhibet, qui proprie Medici nominantur, ſed etiam cibus, & potus, tegmen, defenſio denique omnis, atque munitio qua corpus noſtrum aduerſus externos ictus, caſuſque ſeruatur, & huic nomen amodo, id eſt à temperamento impoſitum æſtimatur, vt non multum, ſed paulatim adhibeatur. Omnis enim immoderatio non ſalutem, ſed periculum affert, mediocritate vero natura gaudet.

Incolumitas quid?

Richardus in libro excerptionum. Hæc itaque continet occaſiones, & operationes. Occaſiones ſunt ſex, videlicet aer circundans nos, cibus & potus, ſomnus & vigiliæ, motus & quies, inanitio & repletio, & accidentia animæ. Operationes autem ſunt intus & foris. Intus quidem, vt ea quæ intro per nares, per os, per anum mittuntur ad excitandas ſternutationes, vomitiones, purgationes. Foris vero ſicut emplaſtrum, inſciſio, aduſtio.

Sex occaſiones.

Haly. Incolumitatis ergo, ſiue ſanitatis corporum temperatorum cuſtodia eſt illarum rerum, quæ habitudini eorum conueniunt contemperantia, ſcilicet aeris, exercitij, balnei, cibi, & ſomni mundationiſque corporis, vt videlicet ſit horum vſus iuxta quod eſt opus in quantitate, & qualitate, & ordine, ac tempore. Corporum autem extra temperantiam poſitorum in complexione cuſtodia ſanitatis fit tribus modis. Vna quidem eſt cuſtodia complexionis in ſuo ſtatu per ea quæ ſibi ſunt ſimilia, & hoc quando non multum diſtat à temperantia. Secunda vero eſt complexionis ad temperantiam ex rebus contrariis traductio, has quidem duas illi facere poſſunt, qui ſine ſolicitudine & occupatione ſunt. Porro tertia eſt illorum quibus ſolicitudines inſtant, ita vt eos ab vſu duarum prędictarum impediant. Cicero in oratione ſua cum gratias egit populo. Bona valetudo iucundior eſt his qui è graui morbo recreati ſunt, quã illis qui nunquã ægro corpore fuerunt, omnia enim deſiderata magis quam aſſidue percepta delectant. *Seneca in epiſtola* 78. In remedium cedunt honeſta ſolatia, & quicquid animum erexerit, etiam corpori prodeſt. *Hieronymus contra Iouinianum libro* 2. Quid neceſſe eſt viro ſapienti & Philoſopho Chriſti tantam habere corporis fortitudinem, quæ athletis, & militibus eſt neceſſaria, quam cum habuerit prouocatur ad vitia, Chriſtiano ſanitas abſque viribus nimis eſt neceſſaria.

Cuſtodia ſanitatis.

Sanitas non adeo neceſſaria Philoſopho Chriſti.

De corporali pulchritudine.

CAPVT LXXXVI.

Pulchritudo quid?

Sputina.

Forma & pudicitia raro cõcordant.

Augustinus de Ciuit. Dei lib. 22. Omnis autem pulchritudo corporis est partium congruentia cum quadam suauitatẽ coloris. Vbi vero non est congruentia partium, aut ideo aliquid offendit, quia prauum est, aut quia paruum est, aut quia nimium. At in corpore bene dispositio sic omnium partium congruentia numerosa est, pulchraque sibi parilitate respondet, vt nescias vtrum in ea condenda maior sit vtilitatis habita ratio, quam decoris. Nihil enim in corpore videmus vtilitatis causa creatum, quod non habeat etiam decoris locum, plus autem id nobis apparet si numeros mensurarum pro quibus inter se cuncta connexa sunt, & coaptata noscemus, sicut videlicet plenius dictum est supra. *Seneca ad Lucilium epistola* 76. Potest autem ex causa exire vir magnus, potest & ex deformi humilique corpusculo formosus animus. Neque enim deformitate corporis animus fædatur, sed animi pulchritudine corpus ornatur. *Idem in* 30. Mecum denique cogito, quam imbecillo sint animo quorum lacertos humerosque miramur. *Idem in Hippolyto.*

Res est forma fugax.

Secundus Philosophus. Quid enim est pulchritudo, flos marcidus, carnalis fœlicitas, humana concupiscentia. *Aristoteles.* Si lynceis oculis vterentur homines, vt eorum visus obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus etiam pulcherrimum corpus turpissimum videretur. *Auctor.* Hoc verbum Boetius in tertio libro de consolatione recitans addit. Te ergo pulchrum videre non tua natura, sed spectantium oculorum infirmitas facit. *Ambrosius in tractatu de sancto Ioseph*: cum esset aspectu decorus, & facie speciosus, venustatem sui vultus ad alienam non deriuauit iniuriam, sed ad suam seruauit gratiam, hoc ipso pulchriorem se ratus si non dispendio castitatis, sed cultu pudoris specioſior probaretur, illum esse verum decorem arbitrans, qui non alienos oculos caperet, nec fragiles mentes vulneraret, sed iudicia vniuersorum acquireret, fraudi futurus nulli, laudibus sibi. *Valerius Maximus libro* 4. Quidam etiam excellentis pulchritudinis adolescens Spurina nomine, cum mira specie complurium fœminarum oculos solicitaret, ideoque viris, & parentibus earum se suspectum esse sentiret, oris decorem vulneribus confodit, deformitatemque, sanctitatis suæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis esse maluit. *Petronius.* Denique raram facit mixturam cum sapientia forma. Iuuenalis lib. 4.

-----Rara est concordia formæ,
Atque pudicitiæ.

Idem in eodem.

----- Mors denique sola fatetur
Quantula sunt hominum corpuscula.

Scarpulius in bucolicis.

Donum forma breue est, nec quod se commodet annis,
Omnia tempus alit, tempus rapit, vsus in arcto est.

Ouidius in libro Tristium 3.

Ità decens facies, longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiqua fronte senilis erit,
Cumque aliquis dicet, fuit hæc formosa, dolebis,
Et speculum mendax esse querere tuum.

Idem in libro de Fastis.

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.

Idem in lib. de arte 1.

Delectant etiam castas præconia forma,
Pessima fit, nulli non sua forma placet,
Forma viros neglecta decet.

Idem in lib. 2.

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo,
Nec violæ semper, nec lilia candida florent.

Idem in lib. Epistolarum.

Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina compti.

Tibullus lib. 1.

Sit procul à nobis formam cui vendere cura est,
Et precium plena grande referre manu.

De senectute.

CAPVT LXXXVII.

Stulti frigidioris sanguinis.

Isidorus vbi supra. Senes à sensus diminutione quidam dictos esse putant, eo quod iam per vetustatem desipiant. Nam physici stultos esse dicunt frigidioris sanguinis homines, calidi vero prudentes. Vnde & senes in quibus iam friget, & pueris in quibus necdum calet, minus sapiunt. hinc est, quod sibi conuenit infantium ætas, & senum, senes enim propter nimiam ætatem delirant, pueri vero per infantiam, & lasciuiam ignorant quid agant, senex vero tantum generis est masculini, sicut anus fœminini. Nam anus dicitur mulier sola quasi annosa, senectus quidem multa secum, & bona affert, & mala. Bona scil. quia nos à potẽtissimis dominis liberat. Voluptatibus enim modum imponit, libidinis impetus frangit, sapientiam aũget, maturiora consilia præbet. Mala vero, quia senium miserrimum est debilitate, ac tædio, *Nam subeunt morbi, tristisque senectus*, duo nempe sunt, quibus vires corporis minuuntur, senectus videlicet, ac morbus. *Hieron. super Isaiam lib.* 13. Magnum vero Babylonicæ crudelitatis indicium est, nec senibus quidem pepercisse quorum ætas etiam inter hostes venerabilis est.

Bona & mala senectutis.

Ambros. in Exaemeron lib. 1. Senectus nimirum est in bonis moribus dulcior, in consiliis vtilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines fortior, Ipsaque infirmitas corporis sobrietas est mentis. *Tullius in lib. de senectute.* Quiete quidem, ac pure, & eleganter actæ ætatis est placida senectus, ac leuis. Nam ipsa bene actæ vitæ, ac beneficiorum multorum recordatio iucundissima est. Temeritas quoque florentis est ætatis, prudentia vero senectutis. Vnde qui legere, vel audire antiqua voluerit, maximas res ab adolescentibus labefactas, sed à senibus sustentatas, ac restitutas reperit. Cæterum decorus est sermo senis, quietus, & tremulus, facitque sæpe ipsa sibi audientiam deserti senis compta, & mitis oratio. Senectus honesta est, si ius suum retinet. O præclarum munus ætatis, siquidem aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum scilicet libidinem corporis. Cupidis rerum odiosum, & molestum est carere. Satiatis vero, & expletis iucundius est carere, quã frui. Quanti illa sunt, quæ affert senectus: animum tanquam è meritis, stipendiis, libidinis, ambitionis, & contentionis, & amicitiarum, & cupiditatum omnium secum esse, secumq; vt dicitur viuere. Si vero habet aliquod tanquam pabulum studij, atque doctrinæ nihil ociosa senectute iucundius. *Apex autem senectutis est auctoritas.* Vnde in senatu vt quisq; ætate antecedit, eius sententia principatum tenet. Non tamen cani, nec rugæ auctoritatem repentè afferre possunt, sed honestè acta superior ætas fructus præbet auctoritatis extremos. Mors autem senibus sponte veniens est leuis, quod non iuuenibus, sicut videlicet dictum est superius. *Idẽ in eodem.* Pisistrato tyranno à Solone responsum est quærenti, qua tandem spe fretus sibi tam audaciter resisteret, Respondisse dicitur, senectute. *Valerius in lib.* 6. Pastellius iurisperitus cum de patribus liberius multa loqueretur, ab amicis ne hoc faceret admonitus, duas res, quæ hominibus amarissimæ viderentur, magnam licentiam præbere respondit, senectutem scil. & orbitatem. *Idem in lib.* 4. Sophocles autem ætate iam senior, cum ab eo quidam quæreret, an etiã rebus nunc vteretur venereis, dic meliora inquit: libenter enim istinc tanquam ex aliqua furiosa dominatione profugi. *Fulgentius in lib. Mythologiarum* 3. Omnis enim denique caloratæ iuuentutis igniculus torpidæ veternositatis algescit senio.

Auctoritas vnde conciliatur?

Senectus & orbitas pariunt magnificas.

Senectus iucunda quæ?

De incommodis senectutis, & eius remedijs.

CAPVT LXXXVIII.

Senectus quid?

AVctor. Licèt autem multa sunt huiusmodi commoda ætatis nihilominus etiam multa sunt eiusdem incommoda, contra quæ nonnulla inueniuntur remedia. *Secundus Philosophus.* Quid enim est senectus? Optatum malum, mors viuentium, incolumis languor, spirans mors. *Quintilianus causa prima* Igitur infirmissimę seruitutis genus est senex maritus. Virgilius in Georgicis lib. 3.

Optima quæque dies miseris mortalibus ęui
Prima fugit, subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor, & durę rapit inclementia mortis,
Frigidus in venerem senior, frustaque laborem
Ingratum trahit, & si quando ad prælia ventum,
Vt quondam in stipulis magnis sine viribus ignis,
In cassum furit &c.

Horatius in poëtria.

Multa senem circumuenient incommoda, vel quod
Quærit & inuentis miser abstinet, & timet vti,
Vel quia res omnes timidè, gelidèque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, auidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti:
Fit puero castigator, censorque minorum.

Maximianus.

Tu me sola tibi subdis, miseranda senectus,
Cui cedit quicquid vincere cuncta solet.
Singula turpe seni quondam quæsita referre,
Et quod tunc decuit iam modo crimen habet,
Stat tremulus, dubiusque senex, semperq; malorum
Credulus, & stultus, quæ facit ipse timet.
Laudat præteritos, præsentes despicit annos.
Hoc rectum solum quod sapit esse putat.
Se solum doctum, se iudicat esse peritum.
Et quod sit sapiens despicit ipse magis.
Despicit auditor, nec deficit ipse loquendo,
O sola fortes garrulitate senes.

Ex Prouerbijs sapientum. Heu quam multa pœnitenda incurrunt homines viuendo diu. *Tullius in lib. de senectute.* Nemo tam senex est, qui se annum viuere posse non putet, In studiis autem & laboribus iuuentutis non intelligitur quando senectus obrepit. Ita sensim sine sensu ætas senescit, nec subito frangitur, sed diuturnitate extinguitur. Vt autem contra morbum sic contra senectutem pugnandum est, & habenda ratio valetudinis. Vtendum ergo est exercitationibus modicis, & tantum cibi, ac potus adhibendum vt vires reficiantur, non opprimantur. Potest enim exercitatio, & temperantia etiam in senectute aliquid pristini roboris conseruare, nec corpori tantum subueniendum est, sed animo multo magis. Nam quod senes aiunt stultos, credulos, obliuiosos, & dissolutos. Non sunt hæc vitia senectutis, sed inertis ignauiæ, ac somniculosæ senectutis. Sicut etiam petulantia, vel libido magis est adolescentium, quam senum, nec tamen omnium adolescentium, sed non probatorum: sic ista senilis stultitia, quę deliratio dicitur senum est, non omnium, sed leuium Sicut autem adolescentem in quo est senile aliquid, sic & senem in quo est adolescentis aliquid probo. Quod qui sequitur corpore senex esse poterit, animo nunquam erit.

Ciborum parcitas.

De regimine illius ætatis.

CAPVT LXXXIX.

Balnea.

HAli vbi supra. Senum vero complexio, quia calida & humida est, hanc regimine calefacienti, & humectanti regi oportet. Habitet ergo in loco aere non ficco, sed simili verno. Et si debilis est virtus eius, equitet, & ambulationem minuat. Qui vero fortior est, vtatur deambulatione, quæ non fatiget. Balneetur aqua dulci, & calida, & post vna hora quiescat. Deinde vero escas calidas & humidas, digestibiles, citoque à stomacho descendentes comedat, cibos aut pungitiuos, & choleram generantes caueat, eos quoque qui melancholiam generant, aut phlegma. Pluries in die reficiatur, & hoc paulatim, quoniam eius natura non patitur, nec sufficit ad digestionem multorum ciborum semel sumptorum. Prandeat hora tertia, Post meridiem balneetur, & dentur ei cibaria quædam ventrem emollientia, postea reficiatur. Coitum omnino fugiat, & animæ accidentia. Quia vero colligitur in corporibus senum phlegma plurimum, oportet eos nonnunquam regi subtiliantibus, & inscidentibus phlegma, nec in hoc est assidue commorandum. Plurimorum quidem hominum ventres, vt ait Hippocrates in iuuentute sunt molles, qui cum senuerint deficcantur eorum ventres. Et quibusdam fit econtrario.

Coitus.

Auicenna vbi supra. Summa regiminis senum est operari, quod calefaciat & humectet, simul ex nutrimentis, & balneis, & potibus, ac somno prolixo, & mora multa in lecto, ex assidua quoque vrinæ eorum prouocatione, & expulsione phlegmatis ex eorum stomachis per viam intestinorum ac vesicæ, & vt materia leuitatis eius duret. Et his præterea multum confert fricatio temperata in quantitate, & qualiter cum oleo, deinde equitatio, aut incessio. Ex aromatibus præterea aliquid bene redolens odorare debent, & proprie quod calidum temperate existit. Et oportet vt post dormitionem cum oleo inungantur, quoniam hoc virtutem excitat animalem.

Fricatio.

Razi vbi supra. Senum corpora magis euacuatione cum medicinis curanda sunt, quam cum minutione. In his autem labor, & solicitudo minuenda sunt, vt corporum vires eo diutius perdurent, nec ipsi valde senescant. Porro qui in senio sunt à labore & solicitudine necnon à minutione nisi magna necessitas immineat, remouendi sunt. Nutrientibus autem bonis, ac suauiter sapientibus, facileque digestibilibus alendi sunt, & sæpe balneis oportet vti, multumq; dormire, rebus etiã odoriferis faciem, & caput inficere. Vinum porro temperatæ naturæ, clarum, ac subtile, mediocriter aqua mixtum bibent, ac temperate sumant. Si enim hoc modo regantur possibile est, vt ad albatam, & Hisim tardè perueniant, nec eorum corpora deijciantur.

Amb. ad Valentinianum. Nulla vero ætas ad perdiscendum sera est. Non enim canicies laudanda est annorum, sed morum. Nullusque pudor est ad meliora transire. *Seneca de naturalibus quæstionibus lib 7.* Obijciat ergo sibi senectus annos inter studia vana consumptos; & damna ætatis male exemptæ farciat labor. Occupationes rescindantur, patrimonij longe cura soluatur. Nam si totus animus vacet & ad contemplationem sui saltem in ipso fine respiciat, faciet ac sibimet instabit, & quotidie breuitatem temporis mentiens, quicquid amissum est diligenti vitæ præsentis vsu recolliget. Faciamus igitur & quod in itinere fieri solet. Qui tardius eximus velocitate moram compensantes festinemus, magnumq; opus absque ætatis excusatione tractemus. *Idem ad Lucilium epistola 61. Ego quidem ante senectutem curaui vt bene viuerem, in illa vero vt bene moriar.*

Cura vitæ potissima quæ?

De Canicie atque caluicie & earum remedijs.

CAPVT XC.

Canicies.

ISidorus vbi supra. Canicies à candore videlicet capillorum vocata est quasi candicies. *Aristoteles in lib. de animalibus.* In senectute canescere proprium est hominis, sed accidit & equis, non autem animalibus cæteris. Sed nec homini tantum accidit in senectute, immo etiam in infirmitate. Et tunc albescunt capilli cum albedine corij. Ipsoque homine conualescente, capilli

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

capilli cani cadunt, ac redeunt quales prius fuerunt. Cum autem propter ſenectutem albeſcunt, non albeſcit cum eis corium. Et huius cauſa eſt, quoniam iſta infirmitas eſt in cute, & cum albeſcit cutis neceſſario albeſcunt, & pili. Canicies autem naturalis eſt propter debilitatem caloris qui exit à corpore, & abundantiam frigoris. Nam ſenectus infrigidat, & corpus deſiccat. Vapor autem vel cibus terreſtris, qui eſt cauſa & origo villis, quando non bene digeritur, putrefit ex calore aeris continentis, & ex illo generantur cani. Omnis enim putrefactio eſt ex calore non naturali, ſed accidentali. Et hæc accidit aquæ & terræ, & omnibus corporibus ſimilibus.

Cauſa albedinis canorum.

Cauſa vero albedinis canorum eſt, quia in omni vapore terreſtri eſt virtus aeris craſſi. Et ſi congeletur vapor erit ex eo glacies & canicies. Si vero putrefiat erit corrugatio. Propter hoc erunt illa duo accidentia in manifeſto corporis, corrugatio ſcilicet & canicies: in infirmitatibus autem eſt canicies, quia calor debilitatur in decoctione cibi. Cumque redit ſanitas, reuertitur virtus, & pili nigreſcunt. Vnde recte appellari poteſt talis infirmitas ſenectus accidentalis, & ſenectus infirmitas naturalis, Pili temporum prius caneſcunt, poſterius enim capitis vacuum eſt ob humiditatem, quia non eſt in eo cerebrum. In parte vero ſincipitis eſt multus humor, nec cito putreſcit. Tempora vero ſunt inter illa duo accidentia, quia nec eſt in eis modicus humor, ita quod digeratur, neq; multus ita vt non putreſcat, propter hoc eorum pili ante alios albeſcunt.

Cauſa priuationis caluiciei in brutis.

Cauſa vero priuationis caniciei in cæteris animalibus eſt, quia cerebrum eorum eſt modicum & humidum, & ideo non debilitatur calor in eius decoctione, ſicut videlicet plenius dictum eſt ſupra libro 21. capitulo de pilorum coloribus & mutatione. Inter alia quoque animalia viri proprie, non tamen omnes calui fiunt, ſicut nec omnibus arboribus, ſed quibuſdam folia defluunt. Sic & aues nidificantes plumam eijciunt. Sed folia quidem arboribus & plumæ auibus redeunt, pili vero decaluatis non redeunt; quia ſcilicet caluicies accidit propter mutationem ætatis, quæ eſt irreuocabilis, caſus autem foliorum, & plumarum propter mutationem temporum quæ eſt circularis. In homine accidit caluities propter diminutionem humoris calidi & pinguis. *Ex libro de natura rerum.* Capilli rareſcunt vbi calor excedit naturam, & cadunt propter cibi abſtinentiam, vel propter infectionem humoris, vt in leprofis. Et ſæpe quidem in viris, ſed nunquam in mulieribus vel ſpadonibus natis, nec in nullo ante vſum veneris, id eſt antequam vti poſſit venere, & hoc propter frigiditatem naturæ. *Auicenna in quarto canone.* Capilli deſtruuntur & minorantur aut propter cauſam in materia, aut propter cauſam in re qua naſcuntur. Cauſa in materia eſt aut cauſa eius quod eam ſubmergit vel alterat, aut cauſa paruitatis ſubſtantiæ primæ. Paruitas quoque radicis ſubſtantiæ eſt propter accidens, aut quia natura conſumit eam. Medicinæ vero conſeruantes capillos illæ ſunt, in quibus eſt caliditas ſubtilis attractiua, & virtus ſtiptica, vt grana myrti, & myrrha, & galla, & ſimilia. Caniciem vero retardat euacuatio phlegmatici humoris. Deinde adminiſtratio medicinarum, ex quibus generantur ſanguis ſpiſſus laudabilis. Caniciem vero prohibent omnia olea confortantia & conſimilia, ſicut videlicet plenius dictum eſt ſupra lib. 28. capitulo 35. & 36.

Cur pili cadunt?

Medicina conſeruatiua capillorum.

Cauſa tarditatis caniciem.

Razi in Almanſore quinta parte. Quibuſdam hominibus intempeſtiuè cani ſolent naſci, cæteris autem tardari complexionis ſuæ cauſa. De his quidem quæ caniciem tardari faciunt eſt, vt de trifera minori frequenter in mane ſumatur. Abſtinere enim conuenit à lacte, & à cibis habentibus micas panis admixtas, & à pultibus quæ multum ſunt ſpiſſæ, & à frumento cocto, & ab his quæ conficiuntur ex melle, & à potu aquæ multum, vinumque vetus ac purum modice bibendum eſt, vel hydromel. Maior autem pars eorum quibus nutrimentum fit Kalaiæ ſit & aſſaturæ.

De varietate complexionis ſecundum gradus ætatis.

CAPVT XCI.

Auicenna in primo canone. De varietate complexionis ſecundum gradus ætatis, dicimus quod ab infantia vſque ad iuuentutem complexio in calore fere temperato & humiditate, fere ſuperflua exiſtit. Dixerunt autem quidam quod calor pueri maior eſt quã iuuenis, & ideo plus creſcit. Alij quod calor innatus iuuenibus valde fortior eſt, quia ſanguis eorum copioſior eſt & ſpiſſior, & quod augmentum in pueris eſt propter humiditatem tantum, & non propter calorem. Sed Gal. vtriſque contradicit, dicens, quod eorum caliditates in radice ſunt æquales, Sed puerorum caliditas maioris quãtitatis eſt, & minoris qualitatis, ſcil. acuitatis, & iuuenum caliditas eſt minoris quantitatis & maioris qualitatis, ſcilicet acuitatis. Sicut ſi vna ſola caliditas in menſura ſubſtantiam humidam multa ſemel penetrauerit, vt aquam, & alia vice ſubſtantiam paucam & ſiccam vt lapidem, inuenimus caliditatem aqueam maioris quãtitatis & minoris qualitatis quam lapideã. Sic ergo agnoſcenda eſt caliditas quæ in pueris & iuuenibus eſt, pueri namque generati fuerunt ex ſpermate quod eſt multum calidum, & huic calori non bene accidit res quæ ipſum extinguat. Puer namque augeri non ceſſat, non enim adhuc ſtetit, nedum quod iam retrocedat. Iuuenibus autem nihil accidit quod eorum calorem augmentet innatum, nec etiam aliquid quod ipſum extinguat. Sed ille calor in eis conſeruatur humiditate minoris quantitatis & qualitatis ſimul, donec ad declinationem perueniat.

Quod autem augmentum ſit in pueris propter humiditatem tantum falſum eſt. Humiditas namque augmenti materia eſt, & materia per ſe non patitur, nec per ſe creatur, ſed ſecundum operationem virtutis in eam agentis. Virtus autem hoc agens eſt anima vel natura præcepto Dei, & non agit niſi cum inſtrumento quod eſt calor innatus. Poſt tempus autem conſiſtendi caliditas incipit minui, quoniam aer circundans materiam eius quæ eſt humiditas exiccat. Cibus quoque priuatur digeſtione, & inde accidit humor extraneus, ſcilicet phlegmaticus frigidus, qui adiuuat ad ipſum calorem extinguendum duobus modis, vno ſcilicet ſuffocando & tegendo, Alia vero qualitati obuiando. Itaq; puerorum atq; iuuenum corpora quantum ad æqualitatem ſunt calida, ſenum autem & decrepitorum frigida. Sed corpora puerorum æqualia ſunt humidiora propter augmentum. Quod patet ex mollicie oſſium ac neruorum eorum, quia parum eſt ex quo fuerunt ſperma & ſpiritus vaporalis. Senes autem & decrepiti præter hoc quod ſunt frigidiores ſunt etiam ſicciores. Quod patet ex duritia oſſium eorum & aſperitate cutis, & in pueris quidem & iuuenibus eſt igneitas æqualis, ſed in pueris plus abundat aeritas, & aqueitas, in ſenibus autem & decrepitis plus terreſtritas, plus etiam in decrepitis.

Calor inſtrumẽtum animæ ad augmentationem.

Senum ſiccitas.

Conſtantinus in Pantegni. Ætas puerilis calidior & humidior eſt aliis, quia ſpermati & ſanguini vnde fuerunt, vicini ſunt. Iuuentus autem calida & ſicca eſt. Sed calor puerorum tactu lenis eſt propter ætatem, iuuenum autem ardentiſſimus propter ſiccitatem. Decrepiti autem frigidiſſimi ſunt & ſicci. Quorum ætas ætati puerili eſt oppoſita, quia in pueris ſolidiora mẽbra vt cartilagines ac nerui & oſſa humidiſſima ſunt & tenerrima, Econtra vero in decrepitis ſicciſſima. Item ætas puerilis in augmento conſiſtit, virtus autem naturalis humida tantum membra augmentat & extendit. Ætatis autem decrepitæ eſt econtra decreſcere, quia naturæ eſt frigidæ & ſiccæ. Dicunt tamen quidã humidum & frigidum eſſe corpus decrepiti propter

Senis humiditates vnde?

ſputa

ſputa plurima, & naſi emunctoria, & faciliores lachrymas, hæc enim apparent eſſe humida. Sed hoc maximè prouenit ex membrorum defectione, & proxima caloris naturalis extractione, & quia prout oportet cibum digerere non poteſt. Vnde crudi humores colliguntur.

De variis diſpoſitionibus corporum.

CAPVT XCII.

Sanitas.

Ægritudo.

Conualeſcentia.

Morbi.

Cauſæ tres diſpoſitionũ.

A *Vicenna vbi ſupra.* Corporis autem humani diſpoſitiones ſecundum Gale. ſunt tres. *Prima* eſt ſanitas, quæ eſt diſpoſitio per quam corpus hominis in ſua complexione & compoſitione tale exiſtit, vt ex eo operationes omnes proueniant incolumes. *Secunda* eſt ægritudo, quæ eſt diſpoſitio in corpore hominis huic contraria. *Tertia* vero nec ſanitas eſt, nec ægritudo. Aut quia non eſt ſanitas in vltimo, vel ægritudo in vltimo, ſicut ſunt corpora ſenum & conualeſcentium & puerorum, Aut quia ambæ res in vno tempore in duobus copulatę ſunt membris, vel in vno membro; ſed in duobus generibus remotis, ſicut qui eſt in complexione ſanus, & in compoſitione æger. Aut in vno membro duorum generum propinquorum, ſicut qui eſt ſanus in figura & non in quantitate ac ſitu. Aut qui eſt ſanus in duabus qualitatibus paſſiuis, & non in duabus qualitatibus actiuis. Aut viciſſitudine duarum rerum in duobus temporibus, vt qui ſanatur in hyeme, & infirmatur in vere.

Iſidorus lib. 4. Sanitas, vt dictum eſt ſuperius, eſt integritas corporis, & temperantia naturæ ex calido & humido quod eſt ſanguis. Vnde & dicta eſt ſanitas, quaſi ſanguinis ſtatus. *Morbi* vero generali vocabulo dicuntur omnes paſſiones corporis, quod inde morbum veteres nominabant, vt ipſa mortis appellatione vim quæ ex ea naſcitur demonſtrarent. Inter ſanitatem autẽ & morbum curatio media exiſtit, quæ niſi morbo congruat, ad ſanitatem non perducit. Morbi omnes ex quadruplici naſcuntur humore, ſcili. ex ſanguine, felle, melancholia, phlegmate. Ex ipſis reguntur ſani, & ex ipſis læduntur infirmi. Dum enim amplius extra naturæ curſum creſcunt, ægritudines faciunt.

Iohannicius. Itaque ſanitas eſt temperamentum perficiens res naturales ſecundum naturæ curſum. Infirmitas autem eſt extra naturæ curſum intemperantia. *Auicenna vbi ſupra.* Cauſæ diſpoſitionem corporis ſunt tres, ſcilicet antecedentes & coniunctæ ac primitiuæ. Antecedentes ſunt cauſæ corporales, ſcil. humorales aut complexionales, aut compoſitionales. Ex quibus aduenit diſpoſitio aduentu non primo, ſcil. mediante aliquo. Cauſæ coniunctæ ſunt corporales ex quibus aduenium diſpoſitiones prouentu primo, ſcil. abſque medio. Primitiuæ vero ſunt cauſæ non corporales ex quibus aduenium diſpoſitiones aduentu primo vel nõ primo. Omnes autem cauſæ aut ſunt cauſæ ſecundum eſſentiam, vt piper cum calefacit & opium cum infrigidat. Aut ſecundum accidens, vt aqua frigida cum calefacit, eo quod cutem inſpiſſat, & caliditatem retinet. Et aqua calida cum infrigidat, quia reſoluit, & ſcamonea cum infrigidat, eo quod humorem calefacientem expellit. Nec omnis cauſa quę corpori aduenit operatur in ipſum, immo præter hæc tria neceſſaria ſunt, videlicet fortitudo virtutis agentis, & fortitudo virtutis præparatiuæ corporis, & vt tamdiu permittatur vnum aliud tangere, donec huius operatio in illud valeat peruenire. Præterea cauſarum aliæ ſunt vicariæ, quarum ſcilicet cum ſeparantur impreſſio remanet, Aliæ vero non, ex quarum ſcilicet ſeparatione prouenit ſanitas.

De ſignis communibus diſpoſitionum.

CAPVT XCIII.

H *Ali in ſermone 6.* Signorum autem diſpoſitionis corporum tria ſunt genera iuxta numerum ſcilicet ipſarum diſpoſitionum. Primum enim eſt quo ſanitas ſignatur, ſecundum quo morbus, tertium quo nec ſanitas, nec morbus. Et horum vnumquodq; aut ſignat eam quæ tranſit habitudinem, vocaturq; commemoratiua. Aut quod in præſenti eſt, vel quod futurum, & ſic dicitur portendens & prouidentia. Horum ſignorum quædam communia ſunt quæ ſcilicet omnes corporis habitudines ſignant. Quædam vero propria quæ quaſdam tantum. De communibus autem prius diſputabimus. Hæc quidem ex actionibus ſumuntur communibus, per quas omnium corporum ſubſiſtẽtia eſt cum & ſanitatis & morbi cauſa in actionibus inueniantur. Sanitatis enim ſignum eſt bonitas actionum. Morbi vero malitia earum. Actionum autem bonitas, & malitia ſunt ex bonitate & malitia membrorum. Porro ſanitas & malitia membrorum ſunt ex intemperantia humorum. Actiones vero communes ex quibus ſigna dicuntur communia, ſunt actiones naturalium vitaliumque virtutum, cum per eas animalis corporis ſubſiſtentia ſit, eiuſque firmitas. Vitalis namq; virtutis ſanitas calorem naturalem ſtatuit, per quem vita eſt, & ex cuius corruptione mors ſequitur. Ex eius quoque temperantia ſanitas conſiſtit, & egreſſu eiuſdem à temperie morbus mouetur. Porro per naturalem calorem quatuor humorum cõſiſtentia eſt. Ex quibus omnia corporis membra conſtituuntur, & per eos augentur. Neceſſario igitur habitudines corporis ſanitatis & morbi ex duabus his virtutibus ſignantur.

Communia ſigna diſpoſitionum.

Ex actionibus enim virtutis vitalis ſignificatur ſanitas & debilitas virtutis, ſcilicet animati corporis. Ex temperie vero caloris naturalis & egreſſu eius à temperie fiunt quæq; res naturales, & quæ extra naturam in ea proueniunt, & in corde quod ei ſedes eſt & fornax. Huius autem virtutis actionum cognitio per motum fit venarũ pulſantium, qui motui cordis eſt æqualis. Porro ex naturalis virtutis actionibus temperantia ſignatur humorum, eorumque ab ea egreſſus. Et habitudinum eius diuerſitates in ſanitate & morbo, ex decoctione quæ fit in ſtomacho & inteſtinis eiuſque ceſſatione, ea quoque quæ in inſtrumentis eſt anhelitus eiuſque priuatione. In his ergo ſignatio fit ex his quæ emittuntur è corpore. Maturationis quidẽ & decoctionis quæ fit in venis eiuſque priuationis cognitio ex vrina colligitur, quæ eſt ſanguinis aquoſitas. Eius autem quæ fit in ſtomacho & inteſtinis, notitia ex egeſtione ſumuntur, quæ eſt ciborum ſuperfluitas. Illius vero quæ fit in anhelitus organis, ſumitur ex ſputis & ſcreatibus, qui ſunt cibi, quo hæc membra paſcuntur, ſuperfluitas. Ex ſudore quoque ſignantur corporum habitudines circa ſanitatem, niſi quod minus communis eſt ad ſignandum decoctionem quæ fit in omni corpore. Eſt enim ſudor ſubtilis ſuperfluitas quam membra ad corporis exteriora depellunt, & per cutis poros educunt.

Virtus vitalis ex pulſu noſcitur.

Sudor quid?

De ſignis ſanitatis.

CAPVT XCIV.

S Anitatis quidem ſignificationes quædam ſunt quę complexionum æqualitatem ſignificant, vt æqualitas tactus in caliditate & frigiditate, humiditate & ſiccitate, mollitie & duritie. Æqualitas quoque coloris in albedine & rubedine, ſed & figuræ mediocritas inter maciem & craſſiciem, quæ tamen magis declinat ad craſſitudinem, eiuſque venæ ſunt inter ſubmerſas & procedentes ſuper carnem. Præter hæc quoque capilli mediocres inter piloſitatem & lenitatem, criſpitudinem & caluiciem, qui in pueritia trahant aliquantulum ad rubedinem, & in iuuentute aliquantulum ad nigredinem; æqualitas quoque diſpoſitionis ſomni & vigiliarum, mẽbrorum in moribus ſuis conuenientia, fortitudo in imaginatione & intellectu & memoria. Mediocritas in moribus, vt inter multã au-

Sanitatis ſignior ex capillis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

daciam & timorem, inter iram & patientiam, inter impietatem & misericordiam, inter instabilitatem & perseuerantiam, inter humilitatem & arrogantiam, in operationibus omnibus complementum, augmenti bonitas ac velocitas, status proceritas, somnia quoque delectantia, facies hilaris & amabilis atque iucunda, in appetitu comedendi & bibendi temperantia, similiter & in expellendo superfluitates. Quædam vero signant coæqualitatem compositionis, & ex his quædam sunt substantiales, vt forma, situs, quantitas, numerus secundum quod oportet. Aliæ vero accidentales, vt decoratio & pulchritudo. Aliq quoque finales, quę scil. ex operationum complemento sunt, & quæ incedendo secũdum perfectionem proueniunt: omne namque membrorum cuius operatio completur est sanum. Modus itaque cognoscendi membrorum principalium dispositiones ex operationibus, secundum cerebrum quidem est per dispositiones operationum voluntarium, & per operationes sensus & æstimationis, Secundum cor vero per pulsum & anhelitũ. Porro secundum hepar per egestionem, & vrinam, eius namque debilitatem egestio & vrina sequuntur loturę recentis carnis similes.

Alia indicia.

De signis ægritudinis.

CAPVT XCV.

ACcidentium autem significantium ægritudinem, Quędam ægritudinem ipsam demonstrant, vt diuersitas pulsus in festinatione sui in febre, febrem enim ipsam significat, Quędam vero locum ægritudinis, vt pulsus serrinus cum in parte pectoris dolor fuerit, signat quoniam apostema est in panniculo & diaphragmate, & pulsus vndosus significat apostema in corpore pulmonis. Quędam etiam signant ægritudinis causam, vt significationes repletionis per diuersitatem suarum dispositionum, quarum quisque modus aliquem significat repletionis modum. Iterum accidentium quædam prodeunt quę cum ægritudine incipiunt & finiuntur, vt in febre acuta dolor pungitiuus & coangustatio anhelitus ac tussis, & pulsus serrinus cum apostemate lateris. Quędam vero notam horam non habent, & quandoque sequuntur ægritudinem, quandoque non, vt dolor capitis cum febre. Quędam autem in fine rei eueniunt, vt sunt significationes crisis, & maturitatis, & signa mortis. Harum plurimæ sunt in ægritudinibus acutis.

Accidentia significãtia.

Præterea significationum quædam in eo quod de membris apparet significant, & hæ quidem aut ex his sumptę sunt, quæ propriè sentiuntur, vt sunt dispositiones colorum, & dispositiones tactus in caliditate & frigiditate, mollicie & siccitate. Aut ex his quę communiter sentiuntur, vt ex forma membrorum, & situ ac motibus & quietibus, & fortasse significabunt occultam dispositionem eorum, vt labij saltus, vomitũ. Ipsorum præterea quantitates si fuerint augmentatę vel diminutæ, eorumq; numeri fortasse significabunt occultorum membrorum dispositiones, vt digitorum curuitas, hepatis paruitatem significat. Et ex rugitu super inflationem ingrediendi malitiam est signum audibile. Hutusmodi quoque sunt cognitiones per odores & sapores oris & similia. Porro cognitiones phthisis & hecticæ per ingilbositatem visibiles sunt ex capitulo eorum quæ communiter sentiuntur. Quandoque vero quod manifestè sentitur rem occultam significat, vt rubor pomi maxillæ pulmonis apostema portendit, & gilbositas vnguis vlcus pulmonis. Significationes autem quę habentur ex quiete mẽbrorum sunt, vt apoplexia, epilepsia, sincopis, & paralysis. Quæ vero sumuntur ex motibus eorum sunt, vt horripilatio, tremor, singultus, oscitatio, sternutatio, & alices, tussis, saltus, & spasmus. Harum autem quædam proueniunt ex operatione naturæ principaliter, vt singultus. Et quædam ex operatione naturæ accidentaliter, vt tremor, spasmus. Quædam autem voluntariè puræ, sicut reuolutio de latere in latus. Quædam autem ex naturali & voluntaria compositæ, sicut tussis & mictus & egestio. Quædam à natura sine voluntate, vt horripilatio & saltus.

Signa ex membris desumpta.

De prognosticis ægritudinum futurarum.

CAPVT XCVI.

ISidorus *vbi supra.* Prognostica est prætisio ægritudinum à pręnoscendo dicto. Oportet enim medicum & præterita agnoscere & præsentia scire & futura præuidere. *Razi in Almansore 4. parte.* Saltus faciei diu permanens multus & fortis torturam vicinam portendit, totius vero corporis saltus multus ac diuturnus spasmum prognosticat. Oculorum facieique rubedo, & venarum in eis manifestatio, lachrymarum descensus, & claritatem pati non posse. Hæc omnia si cum forti dolore capitis adsunt, phrenesis futuræ prognostica sunt. Incubus & schotomia si diu perseuerauerint, & fortes extiterint, epilepsiã portendunt. Tristitia absq; manifesta causa diu permanens, & cordis malignitas ac desperatio melancholiam significant. Rheumatismus & cotiza si frequenter eueniant, timendũ est ne phthisis vel asma, vel passiones pulmonis proueniant. Sudor multus ac diu perseuerans corporis repletionem significat. Qui si male fuerit olens, febrem iam vicinam designat. Repletio quoque superflua timorem æmoptoicę passionis futuræ & apoplexię ac subitaneæ mortis affert: præterea sensuum turbatio motuumque debilitatio cum repletione, timorem inducit apoplexiæ.

Rubedo faciei & oculorum.

Cordis tremor fortis ac frequens, mortem subitaneam portendit. Palpebrę & extremitates inflatę prognosticam hydropisim. Fatigatio & dissolutio cum appetitiuę destructione, febrem significant. Multus faciei rubor cum obfuscatione & angustia aerem attrahendi, vociſque raucedo lepram faciunt timere, quę iam incipit accedere. Grauitas in dextro latere vbi carinæ diminutæ inueniuntur & punctura & tensio, lęsionem hepatis signant. Pruritus ani venturas hęmoroidas significat, si non sit causa paruorum vermium ibidem existentium. Fætor egestionis innuit fastidium & grauedinem quæ in venis fit. Fætor autem vrinæ putrefactionem sanguinis, febresque venturas. Ex multis glandulis oritur suspicio magnæ collectionis, & paralysis parua magnam portendit. Quapropter cuiuslibet prædictorum causa subtiliter inuestiganda est, & ad eius sanationem festinandum.

Cordis tremor.

De diuersis causis ægritudinum.

CAPVT XCVII.

ISidorus *vbi supra.* Humores, vt dictum est, superabundantes naturam hominis lædunt, quia dum vltra naturę cursum excreuerint, ægritudines faciunt. *Haly vbi supra.* Morborum itaque malæ complexionis quatuor sunt causę iuxta numerum quatuor qualitatum corporis. Et morbi calidi sex causæ sunt. *Prima* est motus immoderatus aut corporis, vt labor, aut animæ, vt ira grauis. *Secunda* est obuiatio corporis aliquibus in actu calidis, vt est calor solis in æstate, vel in balneo mora diuturnior. *Tertia* est spissatio pororum & arctatio, quæ calorem dissolui prohibet, vt eunti per niues contingit, aut aqua frigida balneanti. *Quarta* est putredo, vt illa quę febres parit, cum calefiat omne quod putrescit. *Quinta* est ciborum paucitas, calor namque si in quo operetur non inuenit, ad humores & membra se conuertit, eaque calefacit, & humiditatem desiccat. *Sexta* calidorum potentialiter appositio & porrectio, sicut illi fit qui cepas, allium, piper, & similia comedit.

Sex causæ morbi calidi.

Morbi frigidi causæ sunt octo. *Prima* est occursus corporis cum rebus actualiter infrigerantibus, sicut accidit

Morbi frigidi 8. causa.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

accidit ambulãtibus per niues & aëra frigidum, ſi diutius in eis immorentur. Nam ſi quidem diutina ſit mora, calefit, eo quod calor corporis interius concluditur. Si vero diuturnius in eis perſeueretur, calor naturalis ad interiora refugit & coagulatur ſiue congelatur. *Secunda* eſt aliquorum potentialiter frigidorum ſumptio, vt eſt aqua frigida vel lactucarum cum papauere comeſtio, vel opium. *Tertia* eſt ciborum potuumq; tanta ſuperfluitas, vt calor naturalis ſubmergatur & extinguatur, ſicut igni contingit, ſi nimiam lignorum copiam in eum proieceris, & lucernæ ſi olei nimium appoſueris. *Quarta* eſt immoderata ciborum priuatio, ſicut accidit igni, ſi ligno materiaque priuetur, deficit enim & ingelatur. *Quinta* eſt ſpiſſatio pororum immediata, quæ ſuperfluitates arcet, quæ diſſoluebantur, eiſque calor naturalis immergitur & extinguitur. *Sexta* eſt immoderata diſſolutio corporis, intantum vt diſſoluatur etiam ac diſpergatur calor naturalis, ſicut in balneo diutius moranti contingit corporis diſſolutione materiæque per ſudorem euacuatione. *Septima* eſt nimia motus immoderatio, in tantum vt calor naturalis diſſoluatur ac diſſipetur, ſicque corpus refrigeretur. *Octaua* eſt immoderatus vſus quietis & ocij, quo ſuperfluitates multiplicentur in corpore, quibus immerſus calor naturalis extinguatur ac depereat.

Morbi humidi 5. cauſæ.

Morborum humidorum quinque ſunt cauſæ. *Prima* eſt alicuius humidi per actum occurſus, vt balnei, & aeris humidi. *Secunda* eſt eorum quæ comeduntur & bibuntur ſuperabundantia. *Tertia* ciborum & medicaminum quæ corpus humectant porrectio. *Quarta* nimius vſus quietis & ocij, quo ſuperfluitates in corpore congregantur ſpiſſæ, quæ ipſum humectant. *Quinta* eſt prohibitio eorum quæ à corpore humido diſſoluuntur, eorumque concluſio.

Morbi ſiccí 5. cauſæ.

Morborum denique ſiccorum cauſæ ſimiliter ſunt quinque, cauſis humidorum morborum contrariæ. *Hiero. ſuper Matth. lib. 6.* Cęterum in hoc quod Dominus ſanando paralyticum fecit carnale ſignum vt probaretur ſpirituale, cum eiuſdem virtutis ſit & corporis & animæ vitia dimittere, nobis datur intelligi propter peccata pleraſq; corporum infirmitates euenire. Et idcirco forſitan prius peccata dimittuntur, vt cauſis debilitatis ablatis ſanitas reſtituatur. *Item contra Iouinianum lib. 2.* Morbi ex ſaturitate nimia concitantur, multique impatientiam gulæ vomitu remediantur, & quod turpiter ingeſſerunt, turpius egerunt. Hippocrates etiam in aphoriſmis docet craſſa & obeſa corpora quæ creſcendi menſuram impleuerint, niſi cito ablatione ſanguinis imminuantur, in paralyſim & peſſima morborum genera erumpere, & idcirco neceſſariam eſſe demptionem, vt rurſum habeant in quæ poſſunt creſcere, non enim manere in vno ſtatu naturam corporum, ſed aut creſcere ſemper aut decreſcere. Nec poſſe viuere animal niſi creſcendi capax ſit. Vnde & Galenus doctiſſimus Hippocratis interpres, athletas quorum vita & ars ſagina eſt, dicit in exhortatione medicinæ nec viuere poſſe diu, nec ſanos eſſe. *Cato vbi ſupra.*

Pauca voluptati debentur plura ſaluti,
Morbi cauſa mali eſt quæcunque voluptas.

De ſpecibus earum.

CAPVT XCVIII.

Iohannicius. Ægritudinum modi duo ſunt, aut enim communiter aut proprie accidunt. Et illæ quidem quæ communiter accidunt, aut accidentaliter, aut neceſſario fiunt. Accidentaliter, vt percuſſio, combuſtio, morſus, & huiuſmodi. Proprie vero ſunt, aut in membris conſimilibus, aut in officialibus, aut in diuiſione continui. *Auicenna vbi ſupra.* Ægritudines autem multis modis nomina ſortiuntur, aut enim à membris in quibus ſunt, vt illa quæ eſt lateris vel pulmonis. Aut à ſuis accidentibus, vt epilepſia. Aut à ſuis cauſis, vt melancholia. Aut à ſui ſimilitudine, vt Leonina & Elephantia. Aut à ſui ſubſtãtia & eſſentia, vt febris; Aut ab illo dicuntur primo accidiſſe, vt vlcera balchiæ; Aut ab eo qui eas medicando fertur curaſſe, vt caronis vlcera.

Diuerſitas ægritudinũ.

Sunt autem ægritudines quædam manifeſtæ, quæ ſcilicet ſenſu cognoſcuntur, quædam occultæ, & hoc tripliciter. Aut quas facile eſt cognoſcere, vt dolores ſtomachi & pulmonis; Aut quas difficile, ſicut ægritudines hepatis & canalium pulmonis; Aut non comprehenſæ niſi cum æſtimatione, vt illæ quæ accidunt viis vrinæ. Præterea quædam ſunt ſanatiuæ, quædam non, eo quod ſit aliquid prohibens. Quædam autem quæ ad alias mutantur, & ipſæ deſtruuntur, vt cum mutatur apoſtema lateris in apoſtema pulmonis, & phreneſis in lethargiam. Quandoque etiam vna ægritudo medicamentum eſt alterius, vt quartana ex qua frequenter ſanatur epilepſia & podagra, & varices, & articulorum dolores. Venter quoque ſanatur propter oculorum ægritudinem, & lienteria ſanat apoſtema lateris. Similiter ani venarum apertio confert omnibus melãcholicis ægritudinibus, & iſchij & renum ac matricis doloribus. In hoc ergo conſiſtit bonitas. Quandoque vero mutantur ægritudines in maioris malitiæ diſpoſitiones, vt apoſtema lateris in apoſtema pulmonis, & phreneſis in lethargiam. Præterea quędã ægritudines contagioſæ ſunt, quę ſcilicet de vno ad alium tranſeunt, vt lepra, ſcabies, variola, febris peſtilentialis, & apoſtemata putrida, præcipue aurem cum domus ſtrictę fuerint, vel cum vicinus ſub vento extiterit. Sunt & quædam quæ in ſemine hæreditantur, vt podagra, phthiſis & lepra. Quædam vero generales quæ ſunt alicui genti propriæ, aut in aliqua regione morantibus, aut in eis multum abundant. Habent ægritudines plurimæ quatuor horas, ſcilicet horam principij, augmenti, ſtatus, declinationis. Quæ vero extra iſtas ſunt de horis ſanitatis ſunt.

Qualiter conſilio medici ſit vtendum.

CAPVT XCIX.

Iſidorus vbi ſupra. Medicinæ autem curatio ſpernẽda non eſt, meminimus enim & Iſaiam Ezechiæ languenti medicinale aliquid mandaſſe, & Paulum Apoſtolum Timotheo ſcripſiſſe, modicum vinum ei propter firmitatem ſtomachi prodeſſe. *Aug. in regula ſua.* Fiat ergo ſine murmure de conſilio medicinæ, ita vt etiam ſi nolit infirmus iubente propoſito faciat quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem velit & forte non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquãdo enim & ſi noceat, prodeſſe creditur quod delectant. *Hieron. in prologo ſuper Abacuc.* Plerunque ſiquidem ægrotus æſtuans febribus aquam frigidam poſtulat, & dicit ad medicum: Vim patior, crucior, exanimor, Vſquequo medice clamabo & non exaudies? Et reſpondet ei ſapientiſſimus & clementiſſimus medicus. Scio quo tempore debeam quod poſtulas dare. Non miſerebor modo, quia miſericordia iſta crudelitas, & voluntas tua contra te petit.

Seneca ad Lucilium epiſtola 11. Remedia vero non proſunt niſi immorentur. Quis enim medicus ægros in tranſitu curet. *Idem in epiſtola* 48. Non ſum tam demẽs vt ægrotare cupiam, ſed ſi ægrotandum fuerit, nihil effæminate faciam. Non enim pati tormenta optabile eſt, ſed pati fortiter. *Idem in ædipo.* Abi ergo, turpis eſt medicina ſanari piget. *Bernard. ſuper Cantica canticorum, Homil.* 30. Qui voluerit (ait Dominus) animam ſuam ſaluam facere, perdit eam. Quid hic vos dicitis ciborum obſeruatores, motum neglectores. Hippocrates & ſequaces eius docent animas in hoc mundo ſaluas facere, Chriſtus & diſcipuli eius perdere. Quem è duobus ſequi magiſtrum eligitis. At manifeſtum ſe facit qui ſic diſputat. Hoc oculis, & hoc capiti, illud pectori, vel ſtomacho nocet. Profecto vnuſquiſque quod à ſuo magiſtro didicit, hoc in medium profert. Nã in Euangelio legiſtis has differẽtias, aut in prophe-

Pati fortiter eſt optãdum non pati.

tis, aut

tis, aut in litteris Apoſtolorum. Non de Hippocratis vel Galeni ſcientia, aut de ſchola Epicuri debui proferre vobis, Chriſti diſcipulus ſum, Chriſti diſcipulus loquor. Epicurus & Hippocrates corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem præfert, meus vero magiſter vtriuſque rei contemptum prædicat.

Sidonius in epiſtolari ſuo libro 3. Vitanda ſunt etiam plerunq; conſilia medicorum aſſidentium, qui parum docti & ſatis ſeduli, languidos multos officioſiſſime occidunt. *Innocentius III. in Concilio generali.* Cum autem infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, domino dicente languido quem ſanauerat, vade & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Præcipimus medicis corporum, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, vt medicos aduocent animarum, vt poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute prouiſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur, cum cauſa ceſſante ceſſet effectus. Hoc quidem inter alia huic cauſam dedit edicto, quòd quidam cum eis à medicis ſuadetur, vt de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, vnde facilius mortis periculum incurrant. Cæterum cum anima ſit multum precioſior corpore, ſub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali ſalute aliquid ægro ſuadeat, quod in periculum animæ conuertantur. *Hildebertus Cenomanenſis.* Heu quàm ſolicito quiſque labore occurſat medico carnis amore. De morbis animæ nulla querela, egreſſam ſequitur tarda medela.

Medicorum obligatio qualis.

De curatione ægritudinum.

CAPVT C.

Galenus. Eſt autem medicina ſcientia apponendi modum ad modum, vel ad id quod excedit modum. Apponit enim temperata temperatis, vt conſeruentur, diſtemperata diſtemperatis, vt ad temperantiam reducantur. Quæ quidem temperantia triplici fundamento regitur, ſcil. humoribus, cibis ac membris. *Iſidorus.* Morborum vero curatio tribus generibus conſtat, videlicet pharmacis, quæ latini medicamina vocant: Chirurgia, quam latini manuum operationem appellant. Manus enim χειρὲς græcè vocantur. Diæta quoque quam latini regulam vocant. Eſt enim obſeruatio legis & vitæ. Sunt autem omnium curationum ſpecies tres. Primum ergo curationis genus eſt dięticum. Secundum pharmaticum. Tertium chirurgicum. Diæta, vt dictum eſt, legis & vitæ eſt obſeruatio. Pharmacia eſt medicamentorum curatio. Chirurgia ferramentorum inſciſio. Nam ferro inſciditur quod medicamentis non curatur, Antiquior autem medicina herbis tantum ſucciſque fiebat. Talis enim cæpit vſus medendi, deinde ferro cæteriſq; medicamentis cæperunt vti. Omnis autem curatio aut ex contrariis, aut ex ſimilibus adhibetur. Ex contrariis vt frigidum calido vel humidum ſicco, ſicut & in homine ſuperbia ſanari non poteſt, niſi humilitate ſanetur. Ex ſimilibus vero ſicut ligamentum vulneri rotundum, rotundo vel oblõgum oblongo apponitur. Quæ videlicet duo adiutoria etiam nominibus ipſa ſuis ſignificant. Nam & antidotum grecè, latinè ex contrario datum ſignificat. Ac contra ex ſimili, vt pigra quæ interpretatur amaritudo, quoniam amaritudo morbi amaritudine medicaminis ſolui ſolet.

Tres ſpecies curationum.

Ex Galeno. Omne ergo auxilium medicinæ totius corporis tripartitum eſt, ſcilicet medicamento, ferro, igne. Quod ſi medicamento curari non poteſt, ferro curetur. Si autem nec ferro poteſt, igne reuocetur. Quod autem nullo iſtorum trium ſuperari potuerit, incurabile æſtimetur. *Conſtantinus vbi ſupra.* Ægritudinis ergo curatio dupliciter fit: Aut cum potione ac dięta, aut cum chirurgia. Chirurgia iterum dupliciter, Aut in carne inſcidenda, findenda, coquenda, aut in oſſium fractura, & hæc ad locum proprium ſi exierint reducenda. Maximianus.

Auxilium medicina triplex.

Non intellecti nulla eſt curatio morbi.

Ouidius de remedijs lib. 1.

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas,
Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.
Vidi ego quod primum fuerat ſanabile vulnus,
Dilatum longe damna tuliſſe morę.

De ſignis mortalibus.

CAPVT CI.

Razi in almanzore, 8. *parte.* Cum itaque facies extenuata fuerit & oculi concaui videbuntur, & tempora dilatabantur, aureſque frigidæ fuerint, & in citrinitatem mutatæ, quarum etiam extremitas quæ pendet inferius contracta fuerit, & cutis faciei tenſa apparebit. Præter hæc etiam color citrinus aut viridis, aut niger appatuerit, nec æger multam prius euacuationem paſſus fuerit. Hæc omnia ſigna mortalia ſunt. Vrina præterea nigra, & ſputum nigrum, & ſtercus nigrum ex ſignis mortalibus ſunt. Et ſi cum prædictis febris magni fuerit incendij, ſigna valde mortalia ſunt. Iterum fætor anhelitus, & oris in acutis ægritudinibus, ſignum eſt mortale. Iterum ſudor in fronte poſt laboris multitudinem, & pulſus ac motus debilitas, mortale ſignum eſt. Similiter oculi ſtupidi, qui non mouentur, & tremuli qui non quieſcunt, ſed fere ex multo tremore circum ire videntur, de ſignis mortis ſunt. Frequens autem in lecto reuolutio, & verendorum diſcooperitio, huiuſmodi ſigna ſunt non bona, ſignificant enim in ægro æſtuationem, & mentis perturbationem. Item diuerſitas caloris in ægri corpore, vt vnum ex membris ſit calidum, præcipueque ex parte ventris, & alia membra ſunt frigida, ſignum eſt non bonum. Paruitas vnius oculi, vel oris contortio, vel alborum quæ videntur in oculis manifeſtatio præter ſolitum, & dormire ore aperto. Hæc omnia ſigna valde pernicioſa ſunt. Rodere quoque dentibus præter ſolitum malum eſt ſignum, ſi cum acuta accidat ægritudine. Præterea rubedo in albis oculorum, & venæ rubeæ vel nigræ in eis apparentes, mala ſigna ſunt. Extremitatum frigiditas in acutis ægritudinibus, ſignum eſt non bonum, quòd ſi frigiditas augmentetur, & cum hoc magnus calor in ventre fuerit atque ſitis, mortale eſt. Ægritudines acutiſſimæ in ſenibus, & in complexionibus & regionibus, & temporibus frigidis deteriores ſunt, quam in horum contrarijs. Tremor corporis qui perſeuerat in acutis ægritudinibus, ſignum eſt malum & ſingultus ſimiliter. Et ſi cui anhelitus conſtrictus fuerit, & febrilis calor augmentatus, ſignum eſt perniciosum. Cum in alio membro oritur apoſtema vel dolor, & ſequitur æſtuatio, & incendium, ac ſitis, malum eſt. Et ſi cum eo tremor cordis accidit, mortale eſt.

Signa mortalia.
Vrina.
Stercus.
Sudor.
Oculi.
Calor.
Contortio.
Roſio dentibus.
Tremor.

Mortuorum nomina proferre ſignum eſt malum, & ſitis vehemens cum ſudore frigido pernicioſum. flatus autem frigidus cum debilitate virtutis, ægrum ſignificat morti propinquum. Sudor frigidus cum acuta febre pernicioſiſſimus eſt. Cum poſt ſudorem tremor ſequitur, malum eſt ſignum. Signorum autem virtutes inter ſe conferendæ ſunt. Vnum enim bonum ſignum cum firmum fuerit, multis malis ſignis præponderat. Ægritudo timoroſa eſt in homine ſemper ſano, qui fere nunquam ægrotat.

Mortuorum nomina.
Timoroſa ægritudo.

Hippocrates in libro Aphoriſmorum. In quo morbo ſomnus labore præſtat, mortale eſt. Item ægritudinibus quibuſque incipientibus, ſi fel nigrum aut ſurſum aut deorſum exierit, mortale eſt. Quibuſcunque in febribus cum aliis ægritudinibus oculi non ſecundum voluntatem lachrymantur, inconueniens eſt. In acutis morbis frigiditas extremitatum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

mala est. In osse quoque ægrotantis caro liuida, malum est. Similiter in vomitu singultus, & oculi rubei, & in sudore quoque rigor. Quibuscunque immoderatus dolor in cerebro fit, in tribus diebus pereunt, si vero has effugiunt, sani fiunt. Iterum quibuscunque cerebrum ab aliqua occasione motum fuerit, necesse est sine voce fieri statim.

De breuitate vitæ huius.

CAPVT CII.

Anni præteriti non habentur.

EX *Prouerbiis Sapientum.* Homo ergo vitę commodatus, non donatus. Lex enim vniuersalis est quæ iubet & nasci & mori. Itaque male viuunt qui se semper victuros putant. *Seneca de naturalibus quæstionibus li.* 3. Fluit tempus & auidissimos sui deserit, pendeo & magni est modicum fuisse. Eleganter Lælius cuidam dicenti 60. annos habeo, hos inquit 60. dicis quos nõ habes. *Gregorius in Moral. lib.* 11. Homo namque licèt diu hic stare desideret, ipso tamen cursu vitæ, mortalibus impellitur, vt egrediatur, sicut scriptum est: *Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Quasi flos enim egreditur, quia nitet in carne, sed conteritur, quia redigitur in putredinem. Quid enim sunt nati homines in mundo, nisi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem mundi præsentis,& ecce quasi tot floribus quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne, flos in fæno est. Vnde bene per Psalmistam dicitur: *Homo sicut fænum dies eius, & tanquam flos agri ita florebit.* Isaias quoque ait: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos agri.* Homo etenim more floris procedit ex occulto, & subito apparet in publico, qui statim à publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis viriditas nos ostendit,sed ariditas pulueris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus, qui non eramus, quasi flos arescimus, qui temporaliter apparebamus. Et quia per momenta homo quotidie ad mortem compellitur, recte adiungitur, *Et fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Dum enim non tenet vitam quam diligit, velut vmbra fugit. Vnde de seipso quoque scriptum est, quod vmbram secutus est. Et nunquam in eodem statu permanet, quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad iuuentutem, iuuentus ad senectutem, senectus transit ad mortem, in cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur, & inde semper deficit, vnde se proficere in spacium vitę credit; fixum etenim statum hic habere non possumus, vbi transituri venimus; Atque hic ipsum nostrum viuere quotidie à vita transire est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit, quia tempora eo stante transibant. Sed postquam deliquit, in quodam se quasi lubrico temporalitatis posuit, & quia cibum comedit vetitum, status sui protinus inuenit defectum.

Hier. super Ecclesiasten. Propterea nempe colonus & hospes mundi datus est homo, vt breuis suæ vitæ tempore fruatur ac spe prolixioris ætatis abscisa, cuncta quę possidet velut ad alia profecturus aspiciat,& quod potest in vita sua benefaciat, nec in opes congregandas frustra cogitatione torqueatur. Ouidius.

Ouidius.

Labitur occultè, fallitque volubilis ætas.
Et celer admissis labitur annus equis.

Idem in lib. de art. 3.

Ludite eunt anni more fluentis aquæ,
Nec quę præterijt iterum reuocabitur vnda,
Nec quæ præterijt hora redire potest.

Idem in lib. Metam. 15.

Corpora vertuntur nec quod fuimusue, sumusue,
Cras erimus &c.

Idem in lib. de Fast. vj.

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Effugiunt freno non remorante dies.

De multiplici miseria præsentis vitæ.

CAPVT CIII.

Ignorantia amicorum, & inimicorum in hac vita.

Gregorius vbi supra. Homo ergo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Ecce sancti vìri vocibus pœna hominibus breuiter est expressa, quia & angustatur ad vitam, & dilatatur ad miseriam. Si enim subtiliter consideretur omne quod hic agitur, pœna & miseria est. Ipsi etenim corruptioni carnis seruire ad necessaria atque concessa miseria est, vt contra frigus vestimenta, contra famem alimenta, contra æstum frigora requirantur. Quod multa cautela custoditur salus corporis, quod etiam custodita amittitur, amissam cum graui labore reparatur, & tamen reparata semper in dubio est. Quid hic aliud quam mortalis vitæ miseria est? Quod amamus amicos, qui suspectione offendi valeant, formidamus inimicos atque securi de eis non sumus? Vtique quos formidamus quod plerunq; inimicis fit, fidenter quasi amicis loquimur, & nonnunquam pura verba proximorum & multum nos fortasse diligentium, quasi verba suscipimus inimicorum, & qui falli nunquam, vel fallere volumus: ex cautela nostra grauius erramus. Quid itaque hic nisi humanæ vitæ miseria est? Quod amissa cœlesti patria repulsus homo delectatur in exilio, grauatur curis, & tamen cogitare dissimulat, quam graue sit, quia multa cogitantur, quod priuatus est interno lumine, & tamen in hac vita diu vult perpeti cæcitatem suam: quid hic aliud, quam de pœna nostra nata miseria est? Ipsa quoque mens mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur, quam est. Et nisi in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur. Qui enim semper stantem deseruit, statum quem habere potuit amisit. Vnde nunc cum ad meliora nititur, quasi contra ictum fulminis conatur. Cum vero ab intentione ascendendi resoluitur, sine labore ad ima reducitur. Vnde, *contendite* (inquit) *intrare per angustam portam.* Nisi enim mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima reuocatur.

Custodia arcta disciplina.

Bernardus Clarevallensis in quodam sermone. Cogita ergo homo, vnde veneris, & erubesce vbi nunc sis, & ingemisce quo vadis, & contremisce. Vnde inquam veneris, à fœliciſſima scilicet illa, & dulcissima patria, vbi gloria & honore coronatus erat, constitutus super opera manuum Domini in schola Paradisi, ciuis Angelorum, domesticus Domini Sabaoth, id est virtutum. Hinc deiecisti temetipsum in hoc exilium, vbi vita tua in inferno appropinquauit, & pro consortio Angelorum sortitus es consortium peccatorum non modo in necessitatibus corporis, sed etiam in affectibus cordis. Et quod peius est anima curuata est in recto corpore, & in corpore manet similitudo humanæ animæ, in anima vero similitudo Dei mutata est bestiali similitudine. An non confunderis sursum habere caput, qui sursum cor non habes? & corpore rectus esse, qui corde repis in terra? ecce vnde venis? vbi vero nunc sis, videlicet in exilio, in labore, in tenebris, & in lubrico? Heu (inquit) mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Sed & quo vadis, quid enim morte horribilius, quid iudicio terribilius? Nam gehenna nihil cogitari potest intolerabilius. Ideo non dicitur memorare prima, vel media, sed nouissima tua, & in æternum non peccabis. Validior enim est species timoris, quam pudor, & dolor peccato ad resistendum: quoniam & pudor de multitudine peccantium, & dolor de quacunque mundi huius consolatione capit solatium.

Cor sursum erigendum.

Timor.

Sidonius in epistolari suo lib. 5. O ergo necessitas abiecta nascendi, misera viuendi, dura moriẽdi. *Apuleius in lib. de Deo Socratis.* Sunt enim homines ratione quidem plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

animis, ſed morbis membris leuibus, & anxijs mentibus, brutis, & obnoxiis corporibus, diſſimillimis moribus, ſimilibus erroribus, audacia peruicaci, ſpe pertinaci, caſſo labore, fortuna caduca, ſigillatim mortales, volucri tempore, tarda ſapientia, cita mora. *Secundus Philoſophus.* Quid ergo eſt homo? mens incarnata, phantaſma temporis, ſpeculator vitæ, mancipium mortis, tranſiens viator, loci hoſpes, anima laborioſa, parui temporis habitaculum. Quid autem eſt vita? beatorum lætitia, miſerorum mæſtitia, expectatio mortis.

Vita quid?

Iterum de multiplici eiuſdem calamitate.

CAPVT CIV.

Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 22. Præter pueriles vtique pœnas, ſine quibus diſci non poteſt quod maiores volunt, qui vix aliquid vtiliter volunt, quot & quantis pœnis agitatur genus humanum, quæ non ad iniquorum malitiam, ſed ad communem pertinent miſeriam. Quantus enim eſt metus, quanta calamitas à luctu, & orbitatibus, à damnis, & damnationibus, & deceptionibus, ab hominum mendaciis, & ſuſpicionibus falſis, ab omnibus violentis facinoribus, ac ſceleribus alienis. Quid ab innumeris caſibus, qui forinſecus corpori formidantur, æſtibus, & frigoribus, tempeſtatibus, imbribus, alluuionibus, coruſcatione, grandine, fulmine, motibus, hyatibuſque terrarum, & oppreſſionibus ruinarum, à tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, beſtiarum, & à moleſtis, vel etiã mortiferis morſibus ferarum. Quæ mala patiuntur nauigantes, quæ terrena itinera gradientes? Quis ambulat vbicunque non inopinatis ſubiacens caſibus? De foro quidam rediens domum, ſanis ſuis pedibus cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere periit? Quid ſedente videtur ſecurius? De ſella tamen in qua ſedebat Hely ſacerdos cecidit, & mortuus eſt. Agricolæ immo omnes homines quot & quantos à cœlo, ac terra, vel à perniciosis animalibus caſus metuunt agrorum fructibus? Contra milleformes quoque dæmonis incurſus quis in innocentia ſua fidit? quandoquidem ne quis fideret etiam paruulos baptizatos, quibus nihil eſt innocentius, aliquando ſic vexant vt in eis maxime, Deo iſta ſinente, monſtretur huius vitæ flenda calamitas, & alterius deſideranda fœlicitas. Iam vero de ipſo corpore tot exiſtunt morborum mala, vt nec libris medicorum cuncta ſint comprehenſa, in quorum pluribus, ac penè omnibus, ipſa etiam adiuuamenta, & medicamenta tormenta eſſe probantur, vt homines à pœnarum exitio pœnali auxilio eruantur. Ipſe poſtremo ſomnus, qui propriè nomen quietis accipit, quis verbis explicet ſomnorum viſus quam inquietus ſit, & quam magnis falſarum rerum terroribus animam miſeram, ſenſuſque perturbet? Qua etiam falſitate viſorum vigilantes in quibuſdam morbis ac pœnis miſerabilibus agitantur.

Nulla hic ſecuritas.

Venatio dæmonum.

Valerius Maximus lib. 9. Cæterum humanæ vitæ curſus modo aſpero, modo tranquillo motu peragitur, ſpe ſemper minore dum & cupide votis extenditur, & ferè ſine ratione conſumitur. Quodque vix veriſimile eſt in eripiendo ſpiritu, idem gaudium quod fulmen poteſt.

Plautus in aululavia. Imbecilla quidem tantum corpora nobis eſſe videntur, ſed multo infirmior eſt manus. Spes, timor, cupiditas, auaritia, felicem eſſe non ſinunt. *Seneca in Hercule furente.* Denique quantumcunque miſerum videris, hominem eſſe volueris. *Boëtius in de Conſolatione lib.* 3. Pecuniamve congerere conaberis, At eripies habenti, Dignitatibus fulgere vis, Danti ſupplicabis. Et qui præire cæteros honore cupis, poſcentibus humilitate vileſces. Potentiamve deſideres, Subiectorum inſidiis obnoxius, periculis patebis. Gloriam petes, Sed per aſpera quæque diſtractus ſecurus eſſe deſiſtes. Voluptuariam vitam deges, Quis non ſpernat & obijciat viliſſimæ rei, ſcil. corporis ſeruum?

Ambitioſorum vilitas.

Martialis.

Expectant curæque cathenatique labores,
Gaudia non remanent, ſed fugitiua volant.
Hęc vtraque manu complexuque aſſere toto.
Sæpe fluunt viro ſic quoque lapſa ſinum.

Maximianus.

O quàm dura premit miſeros conditio vitæ,
Nec humana ſuo ſubiacet arbitrio
Dulce mori miſeris, ſed mors optata recedit.
At cum triſtis erit, præcipitata venit.
Morte mori melius, quam mortis ducere vitam.
Pœna minor certam ſubito proferre ruinam,
Quam quod pertimeas ſuſtinuiſſe diu.

Idem.

Heu ſolis miſeris ſupereſt poſt omnia luctus.
Quot bona tunc habui, tot modo damna fleo.
Nonne placet melius certis confidere rebus,
Euentus varios res noua ſemper habet.

Fulgentius in lib. Mythologiarum. 2. Sola itaque medicina miſeriarum obliuio eſt.

De propria iuſtorum pœnalitate.

CAPVT CV.

Auguſtinus vbi ſupra. Præter hæc autem quæ dicta ſunt huius vitæ mala, bonis maliſque communia, habent in ea iuſti proprios labores ſuos, quibus militant aduerſus vitia, vigiliis continuis excubantes, ne opinio veriſimilis fallat, ne ſermo verſutus decipiat, ne ſe tenebræ alicuius erroris obfundant, Ne iterum ab his quæ agenda ſunt metus reuocet, ne in ea quæ agenda non ſunt, cupido præcipitet. Ne inhoneſta vel immoderata triſtitia cor abſorbeat, ne torporem impartiendorum beneficiorum ingrata mens ingerat, Ne maledicis rumoribus bona conſcientia fatigetur. Præterea ne temeraria ſuſpicio noſtra decipiat. Ne aliena de nobis falſa nos frangant, Ne regnet peccatum in corpore noſtro mortali. Ne oculos concupiſcentiam ſequatur, Ne in eo quod male delectat vel viſio, vel cogitatio remoretur. Ne improbum aut indecens verbum libenter audiatur. Denique ne fiat quod non licet etiam in ſimilibus. Et ne in hoc bello laborum periculorumque pleniſſimo vel de viribus noſtris victoria facienda ſperetur, vel viribus noſtris facta tribuatur, ſed illius de quo ab Apoſtolo dicitur: *Gratias ago Deo, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum.* Sciamus tamen quantacunque virtute præliandi vitiis repugnemus, vel etiam vitia ſuperemus, quamdiu ſumus in hoc corpore, nobis deeſſe non poſſe, vnde Deo dicamus: *Dimitte nobis debita noſtra.*

Semper in hac vita poſſumus orare pro remiſſione peccatorum.

Gualterus in Alexandreide lib. 7.

Dum ſequitur profugi bona momentanea mundi,
Alluit illecebris animam caro, nec ſinit eſſe
Principij memorem, quod in eius imaginis inſtar
Facta ſit, aut quorſum reſoluta carne reuerti
Debeat, inde boni ſubit ignorantia veri.

Prudentius de conflictu vitiorum ac virtutum.

Feruent bella horrida, feruent,
Oßibus incluſa, fremit & diſcordibus armis,
Non ſimplex natura hominis, nam viſcera limo
Eſſigiata premunt animum, contra illa ſereno
Editus afflatu, nigrantis carcere cordis,
Æſtuat & ſordes arcta inter membra recuſat.

Bernardus in quodam ſermone. Septem ſunt denique impedimenta quibus retardamur à mandatorum obedientia. *Primum* ſcil. neceſſitas corporis, vt fames ac ſitis. *Secundum* vitia cordis, vt leuitas, ſuſpicio, inuidiæ motus, & appetitus laudis. *Tertium* proſperitas. *Quartum* aduerſitas. *Quintum* ignorantia. *Sextum* aduerſarius. *Septimum* falſi fratres. Ab exercitio ſpirituali nos impediunt hæc omnia, contra quæ ſci. ſeptem pericula, nobis eſt neceſſaria ſeptiformis ſpiritus gratia. *Ambr. de exceſſu ſatyri lib.* 2. Nulla vero poteſt eſſe iucunditas inter has amaritudines ac dolores vitæ noſtræ, quæ vel ex corporis infirmitate, vel extrinſecus accidentium

Septem impedimẽta ab obſeruatione mãdatorum.

generantur incommoditate. Anxij namque semper & ad ipsa lætitiarum vota suspensi, quodam fluctuamus incerto, sperantes dubia pro certis, incommoda pro secundis; caduca pro solidis; nihil habentes potestatis, in arbitrio; firmitatis in voto, plusque aduersorum dolore frangimur, quam secundorum fructu potimur.

De moriendi necessitate.

CAPVT CVI.

EX *Prouerbiis sapientum.* Sicut autem dictum iam est superius, homo vitæ commodatus est non donatus, lex enim vniuersalis existit quæ & nasci & mori præcepit. *Secundus Philosophus.* Quid ergo est mors? Somnus æternus, pauor diuitum, desiderium pauperum, euentus ineuitabilis, latro hominis, fuga vitæ, resolutio omnium. Horatius in poetria.

Debemus morti nos nostraque.

Hildebertus Cænomanen. de exilio suo.

Hoc est hic hominis semper cum tempore labi,
Et semper quadam conditione mori,
Est hominis nudum nasci, nudumque reuerti
Ad matrem, nec opes tollere posse suas;
Est homini putrere solo, saniemque fateri,
Et miseris gradibus in cinerem redigi.
Istius est hæres homo proprietatis, & illum,
Certius his dominum præmia nulla manent.
Res & opes præstantur ei, famulantur ad horam,
Et locuples mane, vespere pauper erit.
Nemo potest rebus ius assignare manendi,
Quę nutus hominis non didicere sequi,
Ius illis Deus adscripsit, statuitque teneri
Legibus, & nutu stare vel ire suo.

Ouidius in lib. Epistolarum.

Varia via ad mortem.

Occurrunt animo pereundi mille figura,
Morsque minus pœna quam mora mortis habet.

Idem in lib. Metamorph. 10.

Omnia dentur morti paulumque morati.
Serius aut citius sedem properamus ad imam,
Tendimus huc omnes, hic est domus vltima &c.

Idem.

Scilicet omne sacrum mors importuna prophanat
Omnibus obscuras iniecit illa manus.
Viue pius, moriere pius, cole sacra colentem
Mors tamen à templis in cana bucca trahit.

Claudianus in minori.

O mors quicquid liquidus complectitur aer,
Quicquid alit tellus, quicquid maris æquora verrunt,
Quod fluuij voluunt, quod nutriuere paludes,
Cuncta tuis pariter cedunt animalia regnis.
Lunaris subiecta globo qui septimus auras
Ambit, & æternis mortalia separat astris.
Sub tua purpurei venient vestigia reges,
Deposito luxu turba cum paupere mixti,
Omnia mors æquas.

Maximianus.

Ortus cuncta suos repetunt, matremque requirunt,
Et redit in nihilum quod fuit ante nihil.

Lucanus.

Communis mundo superest rogus, capit omnia tellus.
Quæ genuit, cælo tegitur qui non habet vrnam.

Statius in thebaide.

Mille modis leti, miseros mors vna fatigat.

Prosper in Epigramma.

Ferro, peste, fame, vinclis, ardore, calore,
Mille modis miseros mors rapit vna homines.

Ennodius.

Non expectatis mors venit ordinibus.

Serro.

Paraneſis ad piam mortē.

Mors omne durum, præsens graue, triste futurum,
Fiue carens finis, & plena ruina ruinis.

Petronius.

Heu, heu, nos miseros quam totus homuncio nil est,
Nil erimus cuncti postquam nos auferet orcus.
Ergo viuamus dum licet esse bene.

A

De compendio mortis & eius æquitate.

CAPVT CVII.

Actor. Idcirco autem mors præcipue miseris non modo non est formidabilis, verum etiam optabilis, quia finis est miseriarum ac requies laborum, naturalis debiti solutio, periculorum curatio, meritornm reuelatio, Philosophiæ consummatio, Carceris effractio, Exilij quoque liberatio, & ad patriam regressio. Vnde scriptum est. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Sex enim tribulationes vitæ præsentis sunt, fames ac sitis, frigus, & æstus, lassitudo, & morbus, Septima vero mors, quę liberat ab his omnibus. Hinc etiam Solonis Athenienſis, qui fuit vnus de septem sapientibus in Græcia, legitur elegans illa sententia. Fælicitatis index est dies vltimus, & appellationis honorem sapienti confirmat rogus, siquidem rerum initia debentur fortunæ, philosophiam solus consecrat finis. Zeno quoque stoicus hac etiam collatione vsus est, vt refert Seneca. Nullum malum glorioſum est, mors autem gloriosa est, mors ergo malum non est, vnde & ipse Zeno manus sibi intulit, vt post mortem fælicius viueret, sicut dicit Lactantius. *Salustius in Catilina.* In luctu atque miseria mors ærumnarum requies est, non cruciatus.

Sex tribulationes vitæ præsentis.

B

Mors non est malum.

Valerius Maximus libro 8. Humanæ ergo fælicitatis appellationem rogus consummat, qui se incursui malorum obijcit. *Seneca ad Lucilium epistola* 24. Multum fuit Carthaginem vincere, sed amplius mortem, adeo mors timenda non est, vt beneficio eius nihil anteferendum sit, aut timendum. *Idem in Agamenone.* Rudis itaque tyrannus est, mortem qui pœnam exigit. *Idem in libro de naturalibus quæstionibus* 3. Mors est lex, tributum, officiumque mortalium, malorumque omnium remedium. Optauit illam quisque timet, mortis ergo nomen ne formides. Effice illam cogitatione multa tibi familiarem, vt si ita tulerit, possis ei & obuiam exire. Hoc etiam habet inter omne iusticiæ sue natura præcipuum, quod cum ad exitum ventum est, omnes in æquo sumus. Nihil interest vtrum me lapis vnus elidat an totus mons premat. Egregie vagelius in illo inclyto carmine. Si cadendum, inquit, mihi est, à cœlo, cecidisse velim.

C

Mors non timenda.

D

Idem in libro de remedijs fortuitorum. Optimum quoque est mori cum iuuat viuere. *Ex Prouerbijs sapientum.* Dum vita est grata, conditio mortis est optima. Boëtius de consolatione lib. primo.

Mors hominum felix, quæ se nec dulcibus annis
Ingerit, & mœstis sæpe vocata venit.

Idem in lib. 2. Mors spernit altam gloriam, inuoluit humile pariter, & celsum capit, æquatq; summis infima. Ouidius.

Mors æquat omnia.

Pascitur in vnis limor, post fata quiescit,
Tum suus ex merito quosque tuetur honor.

Horatius in libro Carminum.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres, vitæ summa brevis,
Omnes manet ima mors,
Æqua tellus, pauperi recluditur, regumq; pueris,
Mors vltima linea rerum est.

E

Claudianus in minori.

Omnia mors æquat, tu damnatura nocentes,
Tu requiem datura pijs, te iudice sontes,
Impia cogentur vitæ commissa fatevi.

Hildèbertus Cænomanensis.

Inter opes & delicias populique fauores,
Hoc animus recolat, hoc tua lingua sonet,
Mors dominum seruo, mors sceptra ligonibus æquat,
Dissimiles simili conditione trahens.

A

De prudenti contra mortem præparatione.

CAPVT CVIII.

Meditatio mortis.

TVllius in lib. de senectute. Meditatum ergo esse debet ab adolescentia vt mortem negligamus. Sine qua meditatione tranquillo animo nemo esse potest, cum certissime moriendum sit, & quoquo incertum tempore. Sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, nec enim vixisse pœnitet, quia ita vixit, vt non frustra se natum existimet, & ex hac vita discedit tanquam ex hospitio, non ex domo. Commorandi enim diuersorium natura nobis dedit, non habitandi. *Idem in Paradoxis.* Mors terribilis est his quorum cum vita omnia extinguuntur, non his quorum laus emori

B

non potest.

Abductio animi ad se.

Idem in Tusculanario lib. 1. Tota philosophorum vita, vt ait Cato, commendatio mortis est. Nam quid aliud agimus cum à voluptatibus corporis, & à reipublicæ negociis animum reuocamus, nisi ipsum animum ad seipsum aduocamus, maximeq; à corpore abducimus, secumque esse cogimus. Animum autem à corpore secernere, nihil aliud est quam mori discere. Hoc ergo mihi crede commentemur, nosq; à corpore seiungimus, vt scilicet mori consuescamus. *Idem in oratione, vt interficiantur in malo deprehensi.* Nequaquam viro forti turpis mors accidere potest. *Vegetius Renatus de re militari libro* 1. Mortem minus timet, qui minus deliciarum nouit in vita. *Seneca in Agamemnone.* O quam miserum est nescire mori. *Idem ad Lucilium epistola* 4. Plerique inter mortis metum & vitæ tormenta miseri

C

Iucunda vita qui faciẽdal

fluctuant, & viuere nolunt, & mori nesciunt, facito tu tibi iucundam vitam omnem pro illa solicitudinem deponendo. Nullum bonum adiuuat habentem, nisi ad cuius amissionem præparatus est animus. *Idem* 26. Qui mori didicit, seruire didicit, super omnem potentiam est certe extra omnem. Quid ad illum carcer, & custodia & claustra? liberum hominum habet, vna est cathena quæ nos alligatos tenet, amor vitæ. *Idem in* 54. Illum lauda & imitare, quem non piget mori, cum iuuet viuere. Quæ est enim virtus cum eijciaris, exire. Sapiens nil inuitus facit, necessitatem effugit, quia vult quod coactura est.

Petronius. Ego sic semper & vbique vixi, vt vltimam quamque lucem tanquam non redituram consumerem. *Versificator.*

D

Ne sis securus hodie vel cras moriturus.
Intus siue foris est plurima causa timoris,
Cunctis sis horis hominis memor interioris.

Maximianus.

Felix qui potuit tranquillam ducere vitam,
Et lætos stabili claudere fine dies.

Ouidius in lib. Metamorph. 3.

-----Vltima semper
Expectanda dies hominis, dicique beatus
Ante obitum nemo debet.

Martialis.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Gaufredus in poëtria noua.

E

Quandoquidem mortem non euitare necesse est,
Transeat in formam virtutis.

Cato vbi supra.

Ergo *Fac tibi proponas mortem non esse timendam,*
Quæ bona si non est, finis tamen illa malorum est.
Non metuit mortem, qui scit contemnere vitam.

Mercurius Trismegistus ad Æsclepium. Nos ergo piissimis votis optamus si pietati diuinæ placeat, vt mundana custodia nos absolutos, superioris partis naturæ restituat, & hìc quidem est merces, piè sub Deo diligenterque cum modo viuentibus.

De contemnenda morte.

CAPVT CIX.

VAlerius libr. 9. Corporis siquidem & animæ societas infirmo vinculo cohærens facile dirimitur, minimoque studio bonum retinendum est, cuius caduca possessio tam leui afflatu violentiæ concussa dilabi potest. *Varro in sententijs.* Cum natura litigat, qui mori graue fert, duplexque malum est, cum moleste ferimus quod necesse est. *Seneca in libro de remedijs fortuitorum.* Stultum est timere quod vitare non possis, optimumque est mori, cum iuuat viuere. *Idem in libro de naturalibus quæstionibus* 3. Pusilla res est hominis vita, sed ingens res contemptus vitæ, hanc qui contempserit, securus videbit maria turbari, securus aspiciet horridam faciem fulminantis cæli. Quid ad me quam magna sint quibus pereo? Ipsum perire non magnum est. Proinde si volumus esse fœlices, nec hominum nec rerum timorem versari anima in expedimento habenda est. *Idem in libro* 6. Contemne mortem & omnia quæ ad mortem ducunt contempta sunt, siue bella, siue naufragia, siue ruinarum pondera. Nunquid amplius facere possunt, quam vt corpus ab animo resoluant? hoc nulla diligentia euitat, nulla felicitas donat, nulla potentia euincit. O te dementem & oblitum fragilitatis tuæ, si tunc mortem tamen times cum tonat, viues si fulmen effugeris. Repetet te gladius, petet lapis, petet bilis. Non maximum ex periculis, sed speciosissimum fulmen est, tecum si sensum mortis citæ celeritas infinita præueniet. Iratis dijs propitiisque moriendum est. Animus ergo ex ista desperatione sumatur.

Timor mortis.

Idem in libro Declamationum 3. Crudelius est quam mori, semper timere mortem. *Idem in troade.* Optanda mors est, sine mortis metu mori. *Idem in thyeste* Abeant questus, discedat timor, vitæ nimis auidus est, quisquis non vult mundo secum pereunte mori. *Idem in Hercule Etæo.* Nusquam ille miser est, cui facile est mori. *Idem ad Lucilium epistola* 26. Quæ querela est, quod incommodum si quicquid debeat desinere, desicit? & quis exitus melior, quam in finem suum natura soluente dilabi. *Idem in* 54. In hoc ni fallor erramus,

Mors sequitur & præcedit nos.

quod mortem sequi iudicamus, cum illa & præcesserit, & secutura sit. Quicquid enim ante nos fuit, mors est. *Idem in* 77. Nemo tam imperitus est, vt nesciat quandoque sibi moriendum esse, & tamen cum prope accesserit, tergiuersatur, tremit, plorat. Nonne tibi videtur stultissimus qui fleuerit, quod ante mille annos non vixerit? æquè stultus est qui flet, quod post annos mille non viuet. Hęc paria sunt, non eris, non fuisti, vtrumq; tempus alienum est. Quid fles ad hanc legem natus? Quid noui es? hoc omnibus accidit. *Idem in* 82. Non autem est mors glorioſa, sed fortiter mori glorioſum est. Quæ dementia est fugere, cum retroire non possis? *Tullius in Philippica* 8. Turpis fuga mortis, omni morte peior est. *Idem in Tusculanario li.* 2. Qui non modo quia mori necesse est, verum etiam quia nihil mors habet quod sit horrendum: mortem non timet, magnum sibi præsidium ad beatam vitam comparat. *Valerius in lib.* 7. Theodorus Cyrenæus cum regem Lysimachum increpasset, & ob hoc cum ille cruci affigi iussisset, terribilis ait, hęc sit purpuratis tuis, mea siquidem nihil interest humi an in sublimi putrescam. *Lucanus lib.* 8.

---- Mors vltima pœna est,
Nec metuenda viris.

Quod non sit ad mortem currendum præ fastidio vitæ.

CAPVT CX.

ALdebertus Cenomanensis. Caro quidem viuificationis officium amat, tantamque eum eo pacem pepigit, vt siquid ei contrarium nouerit, implacabili odio

abhorreat,

abhorreat, hoc tamen fœdus plerunque molestiæ superuenientes irrumpunt, quibus excitata caro ad viuificationis odium solicitat spiritum, quia sicut illecebrarum desiderio, sic & perniciosè commouetur anxietate solicitudinum. Quibus dum venatrix illa deliciarum diu subesse formidat, paulatim incipit tædere vitæ, cuius obsequia permixtis incommodis amarescunt. Nascitur inde turpis ac ridiculosus mortis appetitus, nequam scilicet progenies, & quæ more vipereo suos plerunque suffocat genitores. Nonnullos etenim sua tempora quoque habuere, quos vel in aquas, vel ad laqueum egit dolor amissæ pecuniæ, vt taceam de veteribus, quorum mortes simili prouocatas insania nequaquam Poetæ tacuerunt veridicis assertionibus.

Eusebius in Chronicis. Anno siquidem imperij Aug. 41: Marcus Porcius tædio duplicis quartanæ semetipsum interfecit. *Auctor.* Legitur etiam quod Cleombrotus Ambracensis, cum legisset librum Platonis de immortalitate animæ, semetipsum ex alto præcipitauit præ desiderio melioris vitæ. *Seneca ad Lucilium Epistola 24.* Quotidie quidem morimur, quotidie nempe pars aliqua vitæ demitur, & tunc quoque vita decrescit cum crescimus. Itaque ridiculum est ad mortem currere tædio vitæ, vir enim fortis & sapiens non debet è vita fugere, sed exire. *Idem Epistola 78.* Nec ergo vita sit tædio, nec mors timori, vitam in odij sui adducere solet iners ocium. Hisque necesse est omnem vitam breuem videri, qui illam voluptatibus vanis, & ideo infinitis metiuntur, interim hoc tene, hoc morde, aduersis non succumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere. Quicquid enim expectatum est diu, leuius accidit.

Quotidie morimur.

Quintus Curtius lib. 4. Fortium virorum est magis mortem contemnere, quam vitam odisse. *Valerius Maximus lib. 9.* Ratio vitam diligere, mortem non timere præcepit Epicurus. Ridiculum est currere ad mortem tædio vitæ. Quid tam ridiculum quam appetere mortem, cum vitam inquietam tibi feceris metu mortis? *Macrobius libr. 1. de somno Scipionis.* Plato in Phedrone definit homini non esse sua sponte moriendum, sed ineundum. Iterum in Dialogo idem dicit, mortẽ philosophantibus appetendam, & ipsam philosophiam esse meditationem moriendi. Hæc sibi contraria esse videntur, sed non est ita. Nam Plato duas mortes hominis nouit, quarum vnam natura, alteram virtutes præstant. Homo enim moritur, cum anima corpus relinquit, solutum lege naturæ. Mori etiam dicitur, cum anima adhuc in corpore constituta, corporeas illecebras (philosophia docente) contemnit, & cupiditatum dulces insidias reliquasq; omnes exurit passiones. Et hanc mortem dicit Plato sapientibus appetendam, illam vero quam omnibus natura constituit, cogi vel inferri vel accersiri vetat. Lucanus lib. 5.

Mors philosophica.

Sæuitia est voluisse mori.

Gualterus in Alexandreide lib. 6.

Fortis animi est contemnere vitam,
Non odisse tamen vitam, sed amare virorum est.
Degeneres & quos constat tædere laboris,
Compelluntur ad hoc, vt vitam ducere vile
Quid reputent.

Quid mirum ignauiæ viuere? Martialis.

Hostem cum fugeret se Faunius ipse peremit.
Hic rogo num furor est, ne moriare mori.

Idem.

Quod vimium laudas Cheremontoite mortem,
Vis animum mirer, suspiciamque tuum,
Hanc & virtutem fracta facit vrceus ansa,
Et tristis nullo qui tepet igne focus.
Rebus in angustis facile est contemnere vitam,
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

De cæteris rebus homini naturalibus, & primo de coloribus corporum.

CAPVT CXI.

Auctor. Dicto de hominis ætatibus, & ætatis singulis accidentibus, restat dicendum de cæteris quę adiiciuntur rebus homini naturalibus, videlicet de corporum coloribus ac figuris, & maris ac fœminæ differentiis. *Iohannicius.* Color cutis fit ab humorum abundantia, aut ab æqualitate, vel inæqualitate. Ab æqualitate est ille qui cõpositus est ex albedine & rubedine. Ab inæqualitate vero procedunt niger, citrinus, rubeus, glaucus, & albus. Color quidem rubeus & niger & citrinus significant calorem dominantem corpori. Citrinus autem solus designat choleram rubeam. Niger vero solus choleram nigram. Rubeus solus sanguinis abundantiam. Albus autem & glaucus abundantem frigiditatem. Sed albus ex felle, glaucus ex melancholia suas causas habere designant. Ab exterioribus plerunque colores adueniunt, vt ex frigore Scotis, ex calore Æthiopibus, & ex aliis multis accidentibus. Sunt & alij spirituales calores, vt ex timore vel ira, vel tristitia, vel ex aliis animi motionibus.

Colores capillorum quatuor sunt, sci. niger, rubeus, glaucus, canus. Niger ex abundantia cholerici humoris intensi, vel adustione sanguinis, vel ex multitudine choleræ non adustæ, vnde semper fiunt capilli rubei. Glaucus autem ex melancholica abundatione. Canicies vero fit ex nimia defectione caloris naturalis, & ex effectu putridi phlegmatis; quod plurimum fit in senibus. Colores autem oculorum sunt quatuor, scilicet niger, subalbidus, varius, & glaucus. Nigredo fit ex defectu visibilis spiritus, aut ex perturbatione ipsius, aut ex penuria christallini humoris, aut quia idem humor plurimum recedit intus, aut modico humore albugineo, aut ex perturbatione ipsius, aut ex abundantia qualitatis vuei humoris. Subalbedo vero fit ex septem rebus contrariis superioribus, id est ex abundantia visibilis spiritus, aut ex claritate ipsius &c. Varius autem color vel glaucus fit, si res conueniunt, quæ nigredini vel subalbedini accidunt. Et varius quidem color significat visibilem abundare magis, & clarescere in sua varietate. Glaucus autem eundem spiritum abundare nimis, & subnigrescere in sua glaucedine. *Razi in Almansore.* Color rubus aut rubeus sanguinis & caloris innuit multitudinem. Color autem inter rubeum & album medius, æqualem significat complexionem, si cum hoc etiam cutis nuda fuerit à pilis. Color flammeus significat instabilitatem & maniam, rubeus & clarus verecundiam. Viridis aut niger, morum prauitatem. *Auctor.* De hac quoque materia, videlicet de cutis coloribus dictum est superius in tractatu communi de animalibus.

Colores capillorum 4.

Nigredo vnde?

De figuris eorum, & primo de pinguedine & macie.

CAPVT CXII.

Iohannicius. Qualitatum vero, id est figurarum corporis sunt quinq; modi, videlicet crassitudo nimia, macies extenuata, synthesis, squaliditas, & æqualitas. Pinguedo fit ex frigiditate, & superabundanti humiditate. Macies autem ex frigiditate & intensa siccitate. Synthesis ex caliditate & siccitate; squaliditas ex frigiditate & intensa humiditate; æqualitas vero fit ex humorum æqualitate, & hæ sunt corporum formæ. *Ex lib. de regimine sanitatis.* Figuræ corporis sunt sex, id est pinguedo, macies, temperies, soliditas, raritas, & mediocritas inter pinguedinem & maciem soliditatẽ & raritatem existens. Corpora inter pinguedinem & maciem temperata sunt laudabiliora, quia saniora & magis cæteris sufferẽtia. Calor enim naturalis horum corporum fortis est, & digestio perfecta. Vnde membra fortia sunt ad expellenda nociua, quia temperata compositio non est nisi de temperata complexione.

Pinguia vero peſſima ſunt, maxime ſi ſunt naturaliter. Hæc enim corpora ſunt peſſimis morbis apparata, quia naturalis eorum calor defectus eſt propter anguſtiam venarum.

Anguſtæ venæ vndet

Cauſa vero anguſtiarum venarum duplex eſt, Vel ex defectione caloris naturalis, Vel quia premuntur & coarctantur venæ ex carnium multitudine; Hi parum viuunt, quia anguſtia venarum eſt cauſa deficiendi calorem naturalem. Rurſus cauſa eorum eſt ſpiritus indigentia, Hæc quoque omnia ſunt per abundantiam humorum in corpore coadunatorũ, quæ eſt prolixiorum morborum materia, ſicut eſt anhelitus, apoplexia, paralyſis, & ſimilia. Item propter grauitatem ſuorum corporum nequeunt aliquod operari exercitium vel laborem. Qui quoque ſi exercuerint, moleſtiſſimi erunt. Motus autem exercitij calorem confortat naturalem, & fortitudo caloris naturalis eſt cauſa digeſtionis. Quod ſi multum digerunt craſſicies eorum augmentabitur, & augmentata craſſicie venæ eorum fiunt plus anguſtæ. Vnde aër cum flamine intrans non inuenit aditum quo ad totum corpus veniat. Ideoque fit cauſa calorem naturalem ſuffocandi & ſubitaneæ mortis. Proinde hũiuſmodi corpora habentibus ſuccurratur, vt minuatur eorum ſuperfluitas. Macies vero moleſta eſt, quia ſicca. Vnde & his qui ſunt huiuſmodi, non durant exercitia, quia calefaciunt & deſiccant corpora, vnde ſunt in eis augmentandæ materiæ. Hi etiam nequeunt pati calorem vel frigiditatem, quia cito perforantur vſq; ad inferiora propter carnis paucitatem. Qui ſi ceciderint ſuper ſolida corpora, vel ipſa ſuper eos, illico magnã patiuntur moleſtiam. Franguntur enim oſſa eorũ, quia ſunt enudata carne. Quibus pharmacia inconueniens eſt, maxime ſi habuerint macras hipocondrias. Sunt enim ad tuſſim apparati, propter ſiccitatem corporum eorum.

Exercitium.

Macies.

Vnde Galenus in ſecundo libro ſuper quintam epidimiam. Macilenta & ſicca corpora plus craſſis ſuſtinent indigentiam. Craſſa enim plus ſiccis diſſoluuntur, ſicut videmus humida ſemper diſſolui. Et ſicca ſicut lapides, minime. Quorum diſſolutio ſi fuerit, paruiſſima erit. Et quia hæc duæ figuræ tantæ peſſimitatis ſunt, oportet vt macilentam incraſſemus, & craſſam extenuemus. Macri ſunt incraſſandi cum multa requie, & paruis exercitiis, & fricationibus vtantur quo ad calor naturalis ſuſcitetur. Deinde vngantur cum humidis oleis, & lætitia vtantur, veſtimenta eorum ſint læuia & mollia, & humida ſumant cibaria. Poſt cibum balneentur, Craſſi vero extenuandi ſunt nimijs exercitiis & laboribus & ieiuniis, & balneis in aqua ſalſa ante cibum, vtantur & vigiliis, & dormitent in locis aſperis. Sed & aſperis vtantur veſtimentis, & aſſueſcant triſtitiæ cogitationis, comedantque cibaria pauci nutrimenti.

Dieta macrorum.

De ſoliditate ipſorum & raritate.

CAPVT CXIII.

Corpora vero quæ ſunt inter ſoliditatem & raritatem mediocria, minus cæteris ægra ſunt. Quia modicum ex eis diſſoluitur, non ſicut de raris corporibus. Nec in eis humores ſicut in ſolidis augmentantur. Colores eorum glauci ſunt, & piloſi ſunt. Iſtis tamen rara corpora minus ſunt laudabilia, quorum figuræ ſunt ita. Pilos enim & multos habent, & croſſos, & venas plenas. Rara vero corpora ſolidis ſunt meliora, quia craſſiorem, & maiorem cibi quantitatẽ quàm ſolida ſuſtinent. Tolerant etiam laborem, neque cito fatigantur, quia ſuper corporum ſuorum raritatem ſuperfluitas diſſoluitur humorum, qui fiunt cauſa fatigationis cum laborauerint.

Solidis corporibus hæc ſigna ſunt pilorum paucitas & tenuitas, & corporum lenitas, & carnium multitudo, ſubtilitas venarum, copia vrinæ, & egeſtionis. Parum enim ex eis per ſudorem ſoluitur. Ideoque huiuſmodi corpora ſunt peiora, quoniam multum cibi non ſuſtinent propter paucitatem diſſolutionis corporum illorum, quia penetrat cibus neque bonæ digeſtionis eſt. Nequeunt autem pati laborem, citoque fatigantur, quia mali humores in ipſis clauſi per ſudorem non diſſoluuntur. Vnde in lacertis permanentes ſunt cauſæ fatigationis. Idcirco ſemper infirmantur ſecundum humorum materiam in ipſis coadunatam. Quare neceſſe eſt his dari pauca cibaria; ſubtilia ac humida, vt facile habeant digeſtionem, neque in ipſis ſuperfluitas humorum coadunetur. Quod ſi impinguari volunt, cito incraſſantur propter nimietatem ſuæ diſſolutionis. Sed ſolida ſemper de interioribus infirmantur, malorum chymorum, quia de pauca ciborum ſuperfluitate non diſſoluta, mala ægritudo generatur. Sed de exterioribus ſicut aeris frigiditate, ſole, & cæteris non cito infirmantur. Illorum enim accidentium ictus nequit ad interiora perforare propter ſoliditatem corporum eorum. Rara vero ſemper ſtiptica & macra ſunt propter nimiam ſolutionem eorum, quæ cito accidentia exteriora, quia rara ſunt, perforant. *Vnde Hippocrates.* Rara corpora ſolidis meliora ſunt, minuſque infirmantur de ſuperfluis cibis, Bene enim digerunt, plures tamen ægritudines patiuntur de exterioribus accidentibus.

Signa ſolidorum corporum.

De differentia marij & fœminæ.

CAPVT CXIIII.

Vir nuncupatus eſt (vt ait Lactantius) eo quod maior in eo vis eſt, quam in fœminis. Vnde & virtutis nomen accepit, ſiue quod vim agat in fœminam. *Mulier* appellata eſt à mollicie, tanquam mollier. Vtriq; etenim fortitudine & imbecillitate corporum ſeparantur. Sed ideo virtus maxima viri eſt, mulieris minor, vt patiens virum eſſet, ſcilicet ne fœminis repugnantibus libido cogeret viros aliud appetere, aut in alium ſexum proruere. Dicitur ergo mulier ſecundum fœmineum ſexum, non ſecundum corruptionem integritatis, Et hoc ex lingua ſacræ ſcripturæ. Nã Eua ſtatim facta de latere viri ſui nondum contacta à viro, mulier fuit appellata. *Fœmina* vero à partibus fæmorum dicta eſt, vbi ſexus fœmineus à viro diſtinguitur. Alij græca etymologia fœminam ab ignea vi dictam putant, quia vehementer concupiſcit. Libidinoſiores enim viris fœminas eſſe tam in mulieribus, quàm in animalibus dicimus; Vnde nimius amor apud antiquos fœmineus vocabatur.

Vir.

Mulier.

Fœmina.

Auicenna vbi ſupra. Mulieres quoque frigidioris cõplexionis ſunt quàm viri. Ideoque etiam in creatura minores ſunt maſculis & humidiores. Itaque propter complexionum earum frigiditatem multiplicantur earum ſuperfluitates, & propter paucum earum exercitium, ſubſtantia quoque carnium earum rarior eſt, licet caro viri ex parte compoſitionis eius quod ei admiſcetur, rarior ſit. Sua namque ſpiſſitudine plus prohibetur in ipſam penetrare, quod neruis, & neruorum villis ad eam profluit. *Conſtantinus vbi ſupra.* In omnibus etiam animalibus, & maſculi calidiores & ſicciores ſunt quàm fœminæ. Vnde cito pubeſcunt, & pili eorum fortiores ſunt. Fœminæ vero non barbeſcunt, quia mares maioris ſunt ardoris, fortiores quoq; ſunt, & animoſiores lati pectoris ac piloſi, & ad motum citius prompti. Prudentia, intellectus, diſcretio, continentia, maiores inueniuntur in eis, quod etiam fit cauſa maioris caloris. Fœminæ vero minus piloſæ ſunt in pectore & ventre, debiliores manibus & pedibus, tumebundæ, pectore ſtrictæ, minus ſcientes. Ideoq; paruã ſunt earum capita. Manus quietæ, ex quibus frigidiores eſſe ꝓbantur. Citius tamen propter ætatem creſcunt, ſed earum creſcere velocius eſt, ad complementum, quia parum in eis eſt caloris naturalis.

Quare fœminæ non barbeſcunt?

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Mulierum vitijs.

CAPVT CXV.

Mulier quid?

SEcundus Philoſ. Quid autem eſt mulier? Homini confuſio, inſatiabilis beſtia, continua ſolicitudo indeſinens pugna, incontinentis viri naufragium, humanum mancipium. *Valerius Maximus lib.2.* Vini vſus olim fuit Romanis fœminis ignotus, ne ſci. in aliquod dedecus prolaberentur. *Seneca de naturalibus quæſtionibus lib.3.* Muliebrium vitiorum fundamẽtum eſt auaritia. *Terentius in Hechyra.* Mulieres ferme vt pueri leui ſentẽtia ſunt, vno autẽ animo omnes ſocrus oderunt nurus. *Ex prouerbijs ſapientum.* Aut amat aut odit mulier, nihil eſt tertium. A parte mala quando eſt mulier, tunc demum fit bona, Anus cum ludit, morti delicias facit. Mulier cum ſola cogitat, male cogitat. *Marſilius.* Fœminæ vincunt viros. *Macrobius in libro de Saturnalibus.*

Papyrij facetum mendacium.

Papyrius cum puer eſſet, forte cum patre ſuo in curiã ierat, illum reuertentem percunctari cæpit mater, quid in ſenatu egiſſent patres, puer reſpondit, tacendum eſſe, neq; id dici licere. Mulier auidior audiendi ſecretum rei & ſilentium pueri, animum eius ad inquirendum euerberat, Tunc puer vrgente matre, lepidi atque feſtiui mendacij conſilium capit. Actum in ſenatu dicit, vtrum videatur vtilius eſſe, vnusne duas haberet vxores, an vna apud duos nupta eſſet. Hoc illa vt audiuit, ad cæteras matronas retulit, Poſtridieque ad ſenatum confluunt orantes, vt vna potius duobus nupta fieret, quam vni duæ, Senatores quænã eſſet illa mulierum intemperies, & quid ſibi poſtulatio hæc vellet mirabantur, & vt non paruæ rei prodigium illam verecundi ſexus impudicam paueſcebant inſaniam. Puer Papyrius publicum metum demit, quæ matri dixerat enarrat, Senatus quidem ingenium pueri exoſculatur, conſultumque facit, ne præter illum pueri cum patribus in curiam poſt hoc introirent. *Ouidius de arte lib.1.*

Parcitur in nobis nec tam furioſa libido,
Legitimum finem flamma virilis habet.
Quæ dant, quæque negant, gaudent tamen eſſe rogatæ
Peſſima ſic nullis non ſua forma placet.
Delectant etiam caſtas præconia formæ.

Idem in lib. 2

Non eſt ſuluus aper media tam ſæuus in ira,
Fulmineo rapidos dum votat ore canes,
Nec leo cum catulis lactantibus vbera præbet,
Nec breuis ignaro vipera laſa pede,
Fœmina quæ ſocij deprenſa pellice lecti,
Ardet & in vultu pignora mentis habet.

Idem.

Ludunt formoſæ, caſta eſt quam nemo rogauit.

Iuuenalis lib. 2.

Cognoſcit mulier quid toto fiat in orbe,
Prima videt famam, rumoreſque illa recentes
Excipit ad portam:
Intolerabilius nihil eſt quam fœmina diues,
Quæ non faciat quod principis vxor.

Scalpurius in bucolicis.

Mobilior ventis ô fœmina.

Virgilius in Æneid. lib.5.

Varium & mutabile ſemper Fœmina.

Cato.

Fœmina dum plorat, hominem ſuperare laborat.

De regimine mulieris prægnantis.

CAPVT CXVI.

Nutrimenta prægnantis.

RAzi in Alm. 4. parte. Mulier prægnans ab omnib. nutrientibus in quibus amaritudo & acuitas eſt abſtinere debet, vt ſunt cappares, luppini, oliuæ immaturæ, & his ſimilia. Omnia quoque vitare debet, quæ vrinam & menſtrua prouocant, vt ſunt cicer, phaſeoli, præcipueque ruta. A ſaltu quoque & percuſſione, & caſu debet cuſtodiri, præcipueq; in imprægnationis initio, & etiam in fine, & ab omni ſolicitudine remoueri, quæ ſæpe aborſus cauſa exiſtit. Nutriri vero debet cum ſubtilibus humorum bonorum generatiuis, aut nauſeæ repreſſiuis, & os ſtomachi corroborantibus, vt eſt caro gallinæ, perdicis, & hædi. De vino quoque boni odoris bibere modicum, quod temperatè ſit aquatum. Ieiuna vero bibat rob fructuum acetoſorum ac ſtipticorũ, cum quibus parum de tuſciſco xyloaloes accipiat, vt abominatio & nauſea in ea reprimantur. Exercitio quoq; temperato vtatur, & ſibi caueat, ne longam in ſole vel in balneo moram ipſa faciat. Cantilenas autem habeat, & ea quæ delectationem afferunt, res etiam odoriferas circa caput & faciem. Necnon & ſomnum augeat, nec impleatur cibo ſemel. ſed multis vicibus in die comedat. A malis autem nutrientibus ſibi caueat, & ne multa cibaria, diuerſaque in ſtomacho miſceat. Quod ſi multum in ea deſtruatur appetitus, de rebus acutis parum eſt ei tribuendum, vt ſunt cepe & ſynapis, & ſimilia, quæ diſgregando commouent appetitum. Maſticem etiam & olibanum conuenit maſticare, cidonia & granata, malaque maciana comedere. Si vero ipſam infirmari contigerit, oportet vt ſiue minutione, ſiue ventris ſolutione medeatur. Sed cum maximo timore multaque diligentia fiat, ad hoc vt fœtus remaneat, partuſque facilis efficiatur.

Exercitium.

Repetitio.

Auicenna in 3. Canone. Cum prægnans appropinquat partui, tunc neceſſe eſt vt aſſiduet balneationem & tinam. Et melius eſt vt fiat extra balneum, vt non debilitetur, quare mollificetur. Et vt adminiſtretur inunctio pectinis, & dorſi, & coxarum cum eis quæ ſunt ſicut oleum anetinum, camomelinum, & deberi, & aſſiduet ſuppoſitionẽ aromaticorum, effundat in maceria ſua cerotaria ſubtilia olea mollificantia, & muſti lagines mollificantes, ſicut adeps gallinæ, & anſeris tepida & non frigida. Cumque præſens eſt partus, comedat rem paucæ quantitatis & multi nutrimenti, & bibat deſuper vinum odoriferum. Deinde ſedeat mulier hora vna & tendat pedes ſuos. Deinde reſupinetur ſuper dorſum ſuum hora vna. Deinde ſurgat ſubito, & aſcendat in gradus, & deſcendat & clamet. Cum ergo aperitur os matricis parum tunc oportet vt ſuffumigetur, & proprie cum ſcinditur ſiphach, & laboret ſiti, & aperiet os ſuum & intromittat aerẽ plurimum attrahendo ipſum naribus. Et melius ſuper quod ſedetur poſt apertionem matricis eſt ſcamnum puluinari ſuperpoſito. Si pinguis fuerit mulier, ſuper ventrem ſe ponat & caput ſuper terram, & ſubmittat genua ventri vt comprimatur &c.

Poſitio corporis.

Haly Cum menſtrua mulieri tolluntur, accidit ei multorum appetitus incertus, & ſubuerſio, ſputaque & vomitus. Dolor etiam in ore ſtomachi, & paucitas appetitus. Detur ergo ſyrupus xyloaloe. Lambat quoque xyloaloe, & maſticem odoret, aliaq; iucunde redolentia, pullos & hædos comedat, & malagranata cidonia, pyra, nec tamen multum comedat, ſed ter in die paulatim reficiatur, ne ſtomachus eius grauetur. Quod ſi propter aliquam paſſionem indiguerit ſanguine minui, vel cathartico purgari, non oportet hæc in primordiis accelerari, donec quatuor menſium ſit prægnans, & tunc faciendum eſt hoc 5. menſe vel 6. vel 7. Cauendum eſt hoc idem octauo & nono. In primis namque quatuor menſibus eſt in ea fœtus debilis, & opus eſt ei cibo. Minuit autem cibum minutio, vnde & moritur fœtus. Octauo quoque & nono iam augmentatus fœtus eget maiori cibo, in quibus ſi mulier euacuetur, cibus minuitur & fœtus moritur.

Curatio doloris ſtomachi.

De regimine parientis.

CAPVT CXVII.

RAzi vbi ſupra. Cam autem hora partus appropinquauerit, parturiens in balneo mitti debet, & in tina quotidie ſedere, ventrem & coſtas cum oleo ſiſamino inungere, nutrientia quoque bonum habentia ſaporem ac lenientia ſumere. Cumque partus aduenerit hora,

De accidentibus partus curatione.

rit hora, coſtę mulieris & inferiores partes inungi debent cum oleo de alcheiri, & oleo ſambacino calefactis, ipſamque paulatim incedere, quę poſtquam parum ambulauerit, ſedeat & pedes æqualiter tendat. Deinde vero ſuper vtroſque ſe ſubleuet, & ſi dolor partus fortis fuerit, nares & os apprehendendo ſe premat. Obſtetrix quoque coſtas eius extendat, & humeros illaq; infetius premat. Et ſi diu taliter ſe habuerit, effidauem vnctuoſum de pullis factum in quo adeps gallinæ pinguis & anatis ponatur in potu ſumat, vinumque boni odoris bibat. Si vero in partu ſecundina remanſerit, prouocanda eſt cum conſidi ſternutatio nares apprehendendo.

Haly vbi ſupra. Mulier adueniente partu modo deambulet, modo ſedeat ſuper ſcamnum. Cumq; dolor creuerit ſpiritum ſuum arceat & includat, & ad interiora impellat. Infantem vero ſuſceptura poſt tergum eius ſedeat, manumque ſuam ſuper vterum eius & ilia ducat, ſiue autem difficillimus ſit partus, ſiue fætus in vtero mortuus, ſiue poſt partum ſecundina remanſerit, vnicuique proprio ſubueniendum eſt medicinæ remedio.

De partubus geminis & monſtruoſis.

CAPVT CXVIII.

Pluralitas in partu.

Sidorus vbi ſupra. Extant ab vno ortu duo puerperia egeſta, vt in ea quę gemino partu alterum marito ſimilem, alterum ab vtero genuit. Rurſus in alia quæ vnum iuſto partu, alterum quinq; menſium edidit, Et in alio quę ſeptem menſium adito puerperio inſecutis menſibus geminos enixa eſt. *Haly.* Pariunt quidem mulieres ſępe duos, raro autem plures, vidi tamen quæ peperit maſculos ſcil. duos, & fœminam. Tradunt etiam quandam mulierem vno partu quinq; peperiſſe, ſicquo quatuor annorum ſpacio 20. fætus viuentes effudiſſe, & hoc quidem poſſibile eſt, mihi tamen ſenſu incognitum. Sunt etiam quatuor in matrice loca foueis ſimilia, quę ſunt ora venarum à quibus ſanguis mẽſtruus in matricem fluit. Audiui etiam mulierem in 7. menſe peperiſſe filium, & in 9. alium. Huius cauſam eſſe dicunt, quod poſt conceptionem coitui ſe dederit alterius viri. *Sigebertus in Chronicis.* Tẽporibus Theodoſij ſenioris in caſtello Iudeę Emaus,

Monſtrum.

natus eſt puer perfectus ab vmbilico, & ſurſum diuiſus, ita vt haberet duo pectora, & duo capita, & vnuſquiſque proprios ſenſus. Vnus edebat & bibebat, & alter non edebat, vnus dormiebat, & alter vigilabat. Nonnunquam ſimul dormiebant. Ludebant ad alterutrum, & flebat vterque & percutiebant ſe inuicem. Vixerunt autem annis ferme duobus, & vnus mortuus eſt, alter vero ſuperuixit diebus quatuor. *Solinus.* Contra naturã eſt in pedes procedere naſcentes. Qua-

Agrippa quid

propter velut ægre parti appellãtur Agrippæ, ita editi minus proſpere viuunt, & de vita eorum breui recedunt. Quidam etiam cum dentibus procreantur, vt Agreus, Papyrius, Carbo, & Marcus Curio dentatus, ob id cognominatus. Quidam vice dentium continui oſſis armantur ſoliditate, qualem filium Bythinorum rex Pruſias habuit. Ipſum dentium numerum diſcernit qualitas ſexus, cum in viris plures ſint, in fœminis pauciores, quos rhinodontas vocant. Et quibus gemini prodeunt à dextra parte fortunæ blandimenta promittunt. Quibus à lęua verſa vice. Cumque naſcentium prima vox ſit vagitus, Zoroaſtrem ipſa hora qua

Zoroaſtres natus ridens.

natus eſt riſiſſe nouimus.

Ioannes Chryſoſt. ſuper Matth. lib. 2. Sic autem naſcuntur quidam eunuchi, ſicut & ſex digitos habentes vel quatuor. Si enim Deus ſicut ab initio conſtituit vnamquamque creaturam, ſic eam dimittetet immutabiliter ſemper in ordine ſuo permanere, natura rerum ipſa ſe regere æſtimaretur, & operatio Dei coram hominibus in obliuionem duceretur. Ideo natura rerum contra ordinem ſuum conuertitur, vt ſemper Deus naturarum opifex in memoriam reducatur, & non ſolum ſemel, ſed quotidie opera ſua facere videatur. Vnde de cæco qui contra naturæ regulam ſic natus fuerat, dicitur. Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. *Ex lib. de naturâ rerum.* In quadam etiam regione, ſicut dicitur, Infantes cum bufonibus naſcuntur: ſi quis autem ſine bufone naſcitur, mater eius tanquam adultera iudicatur, & vt quæ ab alienigena concepit, à marito ſuo repudiatur.

Nati cum bufonibus.

De portentis.

CAPVT CXIX.

Portenta.

Oſtenta.
Prodigia.
Monſtra.

Isidorus lib. 11. Portenta quidem à Varrone eſſe dicuntur, quæ contra naturam nata videntur, ſed non ſolum contra naturam, quia diuina voluntate fiunt, cum voluntas creatoris cuiuſq; conditæ rei natura ſit. Vnde & ipſi gentiles Deum modo naturam, modo Deum appellant. Portentum ergo fit non contra naturam, ſed contra quam eſt nota natura. *Portenta* autem & oſtenta, monſtra atq; prodigia ideo nuncupantur, quod portendere atque oſtendere, monſtrare, atque prædicere aliqua futura videntur. Nam portenta dicta perhibent à portendendo, id eſt præoſtendendo. *Oſtenta* autem quòd oſtendere quicquam futurum videantur. *Prodigia* quod porro dicant, id eſt futura prædicant. *Monſtra* vero à monitu dicta, quòd aliquid ſignificandum demonſtrent, ſiue quod ſtatim mõſtrent quid appareat. Et hoc proprietatis eſt, abuſione tamen ſcriptorum plurimum corrumpitur.

Xerxis & Alexandri portenta.

Quædam autem portentorum creationes in ſignificationibus futuris conſtituta videntur, vult enim Deus interdum ventura ſignificare per aliqua naſcentium noxia, ſicut per ſomnia & per oracula, quo præmoneat & ſignificet quibuſdam vel gentibus, vel hominibus futuram cladem, quod plurimus etiam experimentis probatum eſt. Xerxi quippe vulpis ex equa creata ſolui regnum portendit. Alexandro ex muliere monſtrum creatum, quod ſuperiores corporis partes hominis quidem ſed mortuas habuerit, Inferiores diuerſarum beſtiarum ſed viuentes, ſignificaſſe repentinam regis interfectionem. Superuixerant enim deteriora melioribus. ſed & monſtra quæ in ſignificationibus dantur non diu viuunt, ſed continuo vt nata fuerint occidunt. Portentum autem & portentuoſum differt, Nam portenta ſunt quæ transfiguruntur, ſicut fertur in Vmbria mulierem peperiſſe ſerpentem, *Vnde Lucanus. Matremque ſuus conterruit infans*, Portentuoſa vero leuem ſumunt mutationem, exempli cauſa cum ſex digitis nati.

De variis portentorum modis.

CAPVT CXX.

Varia portẽtorum differentia.

POrtenta ergo vel portentuoſa exiſtunt, alia magnitudine totius corporis vltra communem hominum modum, quantus fuit Tition in nouem iugeribus iacens, Homero teſtante. Alia paruitate totius corporis, vt fauni vel quos græci Pygmæos vocant, eo quod ſint ſtaturæ cubitales. Alia magnitudine partium, veluti capite informi, aut ſuperfluis membrorum partibus, vt bicipites & trimani vel ſynodontæ quibus gemini procedunt dentes. Alia defectu partium, in quibus altera plurimum pars deficit ab altera, vt manus à manu, vel pes à pede. Alia deſciſſione, vt ſine manu & capite generata, quos græci ſtereſios vocant. Alia per numeria quando ſolum caput aut crus naſcitur. Alia quæ in parte transfiguruntur, ſicut qui leonis habent vultum, vel canis vel taurinum caput, aut corpus, vt ex Phaſide memorant genitum minotaurum, quod græci ætheromorfian vocant. Alia quæ ex omni parte transfiguruntur in alienę creationis portentum, vt ex muliere vitulum dicit hiſtoria generatum. Alia quę ſine transfiguratione mutationem habent locorum, vt oculos in pectore vel in fronte, au-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

res supra tempora, Vel sicut Aristoteles tradidit quendam in sinistra parte iecur, in dextra splen habuisse. Alia secundum connaturationem, vt in alia manu digiti plures connaturati, & cohærentes reperiuntur in alia minus, siue in pedibus. Alia secundum immaturam & intemperatam creationem, sicut hi quid dentati nascuntur, siue barbati, vel cani. Alia complexu plurimarum differentiarum, sicut illud quod prædiximus in Alexandro multiforme portentum. Alia commixtione generis, vt qui Androgynæ & Hermafroditi vocantur; Hermafroditi autem nuncupati, eo quod vterque sexus in eis apparet. Herma quippe apud græcos masculus, Affrodi fœmina nuncupatur. Hi dextrã mammillam virilem, sinistram muliebrem habentes, vicissim coeundo & gignunt & pariunt.

De portentis vel monstris fabulosis.

CAPVT CXXI.

DIcuntur autem & alia hominum fabulosa portenta, quæ non sunt, sed ficta in causis rerum interpretantur, vt Geryonem Hispaniæ regem triplici forma proditum. Fuerunt enim tres fratres tantæ cõcordiæ, vt in tribus corporibus quasi vna anima essent.

Gorgones meretrices. Gorgones quoque meretrices crinitas serpentibus, quæ aspicientes conuertebant in lapides, habentes vnum oculum quo inuicem vtebantur. Fuerunt enim tres sorores vnius pulchritudinis quasi vnius oculi, quæ ita spectatores suos stupescere faciebant, vt vertere eos putarẽtur in lapides.

Syrenes meretrices. *Syrenes* tres fingunt fuisse ex parte virgines & ex parte volucres, habentes alas & vngulas, quarum vna voce, altera tibiis, tertia lyra canebant, quæ illectos nauigantes sub cantu ad naufragium trahebant. Secundum veritatem autem *meretrices* fuerunt, quæ transeuntes quia deducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia, Alas autem habuisse & vngulas, quia amor & volat & vulnerat. Quæ inde in fluctibus commorasse dicuntur, quia fluctus veneris creauerunt.

Scylla. *Scyllam* quoque ferunt fœminam capitibus succinctam caninis cum latratibus magnis propter Siculi maris, in quo nauigantes vertícibus in se concurrentium vndarum exterriti, latrare existimant vndas quas sorbentis æstus vorago collidit.

Cerberus. Fingunt & monstra quædam irrationalium animãtium, vt *Cerberum* inferorum canem tria capita habentem, signantes per eum tres ætates per quas mors hominem deuorat, id est infantiam, iuuentutem, senectutem. Quem quidam ideo dictum Cerberum putant, quasi creoboros, id est carnem vorans.

Hydra. Dicunt & *hydram* esse serpentem cum nouem capitibus, quæ latinè Cedra dicuntur, quod vno cæso tria capita excrescebant. Sed hydram constat locum fuisse euomentem aquas vastantem vicinam ciuitatem, in quo vno meatu clauso multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipsa exussit, & sic aquæ clausit meatus, Nam hydra ab aqua dicta est. Huius mentionem facit Ambrosius in similitudinem hæresum dicens.

Hæresis est hydra. Hæresis enim velut quædam hydra fabularum vulneribus suis creuit, & dum sæpe resciditur pullulat, igni debita incendioque peritura.

Chymæra. Fingunt & *Chymeram* triformem bestiam, ore leonis, postremis partibus Draconis, media capræ vomentis ignem. Quam quidam philosophi non animal sed Cilicia montem esse aiunt, quibusdam locis leones & capras nutrientem, quibusdam ardentem, quibusdam plenum serpentibus, hunc Bellophoron habitabilem fecit, vnde Chymeram dicitur occidisse.

Centaurus *Centauris* autem species hominum & equorum vocabulum indidit, id est homini equo mixto. Quos quidam fuisse equites Thessalorum dicunt, sed pro eo quòd discurrentes in bello velut vnum corpus equorum & hominum viderentur, inde centauros fictos asseruerunt.

Monocentaurus. Porro *monocentaurum* nomen sumpsisse ex tauro & homine, qualem in bestiam dicunt fabulosè in labiryntho inclusam fuisse, de qua Ouidius. *Semibouemque virum, semitaurumque bouem.* Monocentaurum autem vocari, eo quod media hominis species, media asini esse dicatur, sicut & hippocentaurus, quod equorum hominumque in eis natura coniuncta fuisse putatur.

De Transformatis.

CAPVT CXXII.

SCribuntur autem & quædam & monstruosæ hominum transformationes in bestias, sicut de illa maga famosissima Circe, quæ socios Vlyssis mutasse fertur in bestias. Et de archadibus qui sorte ducti tranînatabant quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in lupos. Nam & Diomedis socios in volucres fuisse conuersos non fabuloso mendacio, sed historica affirmatione confirmant. Sed & quidam asserunt strigas ex hominibus fieri: Ad multa enim latrocinia sceleratorum mutantur siue cum magicis cantibus, siue herbarum veneficio totis corporibus in feras transeunt. Siquidem & per naturam pleraque mutationem recipiunt, & corrupta in diuersas species transformantur, sicut de vitulorum carnibus putridis apes, sicut de equis scarabæi, de mulis locusta, de cancris scorpiones. Ouidius.

Hominum transfigurationes in animalia.

Concaua littoreis si demas brachia cancri,
Scorpion exibit caudaque minabitur vnca.

Solinus. Neuri vt accipimus ætatis temporibus in lupos transfigurantur, deinde spacio exacto quod huic sorti attributum est, in pristinam faciem reuertuntur, populis istis Deus Mars est, pro simulacris enses colunt. Homines victimas habent, ossibus adolent ignes focorum. Gelonij ad eos proximant. De hostium cutibus & sibi indumenta faciunt, & equis suis tegmina.

Helinandus in Chronicis. Memini me adolescentulum audisse à nonnullis pro vero narrari quod in territorio Beluacensi erat quidam rusticus, qui, dum vxor eius lauaret ei caput, quosdam articulos manus pueri ex ore euomit. Opinio autem nimis vulgata erat in lupum illum per diuersa tempora transformari. Hæc autem opinio per illum vomitum articulorum pueri vehementius confirmata est.

Lemures. *Item in lib. 8.* Lemures autem siue laruæ, nihil aliud sunt quam terribiles vmbræ, vel animarum damnatarum, vel nequissimorum & immundorum spirituum. Quarum natura, testante Hieronymo, dicitur esse terrere paruulos, & in angulis garrire tenebrosis. Sed harum terror inutilis signo crucis oppositio vt fumus euanescit.

De quorundam virorum miris ac singularibus naturis.

CAPVT CXXIII.

August. de Ciu. Dei lib. 8. Quorundam naturas hominum nouimus vt alias dictum est, ipsa raritate mirabiles, de corpore suo facientium, quod alij nullatenus possunt, & audita vix credunt. Sunt etenim quidam qui & aures & singulas vel ambas simul mouent. Sunt qui totam cæsariem imo capite ad frontem deponunt, reuocantque cum volunt. Sunt qui eorum quæ incredibiliter varia & plurima vorauerunt, paululum præcordiis cõtrectatis tanquam ex sacculo quod placuit integerrimum proferunt. Quidam & voces auium pecorumq; & aliorum quorumlibet hominum sic imitantur & exprimunt, quod nisi videantur omnino discerni non possunt. Nonnulli etiam ab imo sine vllo pędore ita numerosos pro arbitrio sonitus edunt, vt ex illa quoque parte cantare videantur. Expertus sum hominẽ solere cum vellet sudare, notum est etiam quosdam cum volunt vbertim lachrymas fundere.

Plorantes & sudantes cũ volunt.

Solinus. Aulus Crassus quem Parthica bella rapuerunt, eo quòd nunquã riserit Agelastus cognominabatur. Inter alia Socratis magna, præclarũ illud est, quod in eodem vultus tenore, etiam aduersis interpolãtibus

Socratis præclarum.

perſtitit. Heraclitus & Diogenes Cynicus nihil vnquã de rigore animi remiſerunt, calcatiſq; turbinibus fortuitorum, aduerſus omnem dolorem vel miſeriam, vniformi durauere propoſito. Pomponium Poëtam conſularem virum, nunquam ructaſſe habetur inter exempla. Antoniam Druſi non ſpuiſſe percelebre eſt. Nonnullos naſci accepimus concretis oſſibus, eoſque neque ſudare conſueuiſſe, neque ſitire, qualis fuit Syracuſanus Ligdanius, qui tertia & 30. Olympiade primus ex Olympico certamine Pancratij coronam reportauit, cuiuſq; oſſa deprehenſa ſunt medullam non habere.

Prodigioſa fortitudo.

Varro in relatione prodigioſæ fortitudinis annotauit Tritannum gladiatorem, natu Samnitem fuiſſe, qui ex rectis & tranſuerſis neruis non modo crate pectoris, ſed & manibus cancellatis & brachiis omnes aduerſarios leui tactu ac penè ſecuris congreſſionibus vicerit. Eius filium militem Cnei Pompeij pari modo natum ita ſpreuiſſe hoſtem prouocantem, vt inermi eum dextra ſuperaret, & captum digito vno in caſtra imperatoris ſui reportaret. Milonem quoque Crotonienſem egiſſe omnia ſupra quam homo valet, etiam is proditur quod ictu vno manus taurum fecit victimam, eumque ſolus vna die abſumpſit non grauatus. Super hoc nihil dubium, nam vt inde factum elogium extat, victor ille omnium certaminum obiit.

De quibuſdam mulieribus Barbaris & monſtruoſis.

CAPVT CXXIV.

Amazones.

EX *libro de natura rerum.* Porro in partibus Orientis (vt dicit Magiſter Iacobus de Viatrico) ſunt Amazones, videlicet in armis & præliis egregiæ mulieres, iuxta montes Caſpios in inſula fluuio vndique circunclusa pluſquam 200. millia abſque virorum cõſortio ſeorſum habitantes. Quæ quando cum Regina ſua vicinæ à præliis reuertuntur, à viris ſuis qui per ſe commorantur extra inſulam adorantur. Semel autem in anno cauſa generãdæ prolis ad maritos exeunt, reuerſæque ſi maſculum conceperint, ipſum per 6. annos nutriunt, & poſtea patri ſuo tranſmittunt. Si vero fœminam, ipſam ſecum reſeruant, itaque quoniam ex frequenti libidinis vſu multi ſpiritus conſumuntur, præfatæ viragines, quanto rarius coeunt, tanto fortiores ad pugnandum magis idoneæ ſunt.

In ſupradictis quoq; partibus ſunt & mulieres ſpecioſę valde in quodam flumine calido habitantes, horridas veſtes habentes, armiſque argenteis eo quod ferrum non habeant vtentes. Sunt & aliæ in ſyluis Indiæ barbas habentes vſque ad mammillas, pellibus animalium indutę, nec viuunt niſi de venatione, habent enim pro canibus tygrides ac leopardos, rabidaque ferarum genera. Sunt & quædam ibi ſpecioſiſſimæ mulieres in flumine habitantes, albæ ſicut nix, ſed hoc pulchritudinis vitium habent, quod dentibus humanis carent, & caninis horrent. In extremis Burgundiæ partibus circa Alpes, quædam ſunt mulieres guttur magnum vſque ad ventrem protenſum tanquam amphoram vel cucurbitam amplum habentes. *Iſidorus vbi ſupra.* Perhibent in India gentem eſſe fœminarum quæ quinquies concipiunt, & octauum vitæ annum non excedunt. *Solinus.* Appollonides perhibet in Scythia fœminas naſci, quæ Bithiæ vocantur, haſque in oculis pupillas habere geminas, & perimere viſu, ſi forte iratæ aliquem aſpexerint, hæ ſunt & in Sardinia.

Burgunda quadã mulieres.

De quorundam vtriuſque ſexus corporibus immenſis.

CAPVT CXXV.

LIcet autem plerique definiant nullum poſſe excedere longitudinem pedum ſeptem, eo quod intra menſuram iſtam Hercules fuit, deprehenſum eſt tamen Romanis temporibus ſub diuo Auguſto Puſionem & ſecundillam denos pedes & amplius habuiſſe proceritatis, quorũ reliquię adhuc in conditorio Saluſtianorum videntur. Poſtmodum Diuo Claudio principe, Galbarium nomine ex Arabia aduectum 9. pedum, & totidem vnciarum. Priſcorum aut molem teſtantur etiam Oreſtis ſuprema, cuius oſſa Olympiade 58. Tegeæ inuenta à Sparthanis oraculo monitis, diſcimus impleſſe longitudinem cubitorum 7. Scripta quoque ex antiquitate memorias accerſunt in fidem veri, quod bello Cretico cum clara flumina pluſquam viannica terras rupiſſent, poſt diſceſſum fluminum inter plura humi diſſidia, humanum corpus repertum ſit cubitorum tres atque 30, cuius ſpectandi cupidine Lucium Flaccum legatum Metellum etiam ipſum, impendio captos miraculi, quod auditu refutauerant oculis potitos.

Puella 50. cubitorum.

Ex libro de natura rerum. In occiduis quoque partibus reperta eſt puella, quam vndę fluuiorum gurgites, ab Oceani terris adduxerant, ignoratur, in capite vulneratam & mortuam, quæ l. cubitorum longitudinis erat, & inter humeros 4. latitudinis, & induta chlamide purpurea. Coloſſus etiam homo monſtruoſus fuit, quem occiſum Tyberis fluuius cooperire non potuit, ipſumque mare per multa ſpacia rubro ſanguine infecit, vt Adelinus dicit, cuius etiam templum & ſtatua Romæ facta eſt, quæ ab eius nomine Coloſſus dicitur. Præterea tantæ magnitudinis homo aliquando viſus eſt, vt in antro ſuo reſupinus iacens, & vna manu duos viros tenens crudos eoſdem manducaret.

De gentibus monſtruoſis, & primo de Gygantibus & Cynocephalis.

CAPVT CXXVI.

Gigantes.

ISidorus. Sicut autem in ſingulis gentibus quædam monſtra ſunt hominum, ita in vniuerſo genere humano quædam monſtra ſunt gentium, vt Gigantes, Cynocephali, Cyclopes &c. Gigantes dicuntur iuxta græci ſermonis etymologiam, qui eos gegines exiſtimant, id eſt terrigenas, eo quod eos fabuloſe parens terra immenſa mole, & ſimiles ſibi genuerit. Gen terra appellatur, gines genus, licèt terræ filios vulgus vocet, quorum genus incertum eſt. Falſo autem opinantur quidam imperiti de ſcripturis ſanctis, præuaricatores Angelos cum filiabus hominum ante diluuium concubuiſſe, & exinde natos gigantes, id eſt nimium grandes, & fortes viros, de quibus terra completa eſt. *Gloſſa ſuper Geneſim.* Sunt autem gigantes homines potentes, immanes corporibus, ſuperbi viribus, inconditi moribus.

Cyclopes.

Ex libro de naturis rerum. Vltra Gangem fluuium homines adeo grandes ſunt, vt elephantos facile tranſiliant. Hominum quoque genus eſt in ſylua vbi Ætnæ montis incendium legitur, qui vnum oculum ſub aſperrima fronte ad clypei latitudinem habent, dicuntur Cyclopes: hi tantæ ſunt altitudinis, vt procerrimarum arborum excedant longitudinem, & ſanguine veſcuntur. Vnde viſum eſt, vt diximus, quod vnus eorum in antro ſuo reſupinus iacens, vna manu duos viros tenens crudos manducabat. *Iſidorus vbi ſupra.*

Cynocephali.

Cynocephali appellantur, eo quod canina capita habeant, quouſque ipſe latratus magis beſtias, quam homines confitetur, hi in India naſcuntur. *Ex libro de naturis rerum.* Ætate quoque noſtra delatum eſt animal Regi Franciæ Ludouico, capite fere canino, cætera vero membra corporis habens vt homo. Crura quidem humano more nuda, manuſque vel brachia, collum album, ac nudum, dorſum vero piloſum. Erectus vt homo ſtabat, & vt homo ſedebat. Coctis carnibus veſcebatur, vinumque libentiſſimè bibebat, & ita decenter, ac modeſtè ſicut homo cibum manibus capiebat, & ori ſuo inferebat. Genitale membrum habebat magnum, vltra quã corporis quantitas exigebat: puellis ac

Monſtrum Cynocephalinum.

fœminis

fœminis libentiſſimè iungebatur, & in ſexu viri ac fœminæ diſcretionem habebat. Cumque pacatum erat hoc animal inſtar hominis mitiſſimè, ac decentiſſimè ſe gerebat: at vero furiis agitatum crudeliſſimè mouebatur, & in homines ſæuiebat.

De Cyclopibus, ac cæteris.

CAPVT CXXVII.

Agriophagi.

Panothij.

Hirtabacitæ

Satyri.

Sciopodes.

Hippopodes

Pygmæi.

Arimaſpi.

Isidorus. Cyclopes eadem India gignit, dictos Cyclopes, eo quod vnum habere oculum in fronte media perhibentur. Hi & Agriophagitæ nuncupantur, propter hoc quòd ſolas ferarum carnes edunt. Leucanos in Lybia credunt truncos ſine capite naſci, & os, & oculos habere in pectore. Alios ſine ceruicibus gigni, oculos habentes in humeris, in vltimo autem Orientis monſtruoſæ gentium facies ſcribuntur, aliæ ſine naribus, æquali totius oris planicie, informes habentes vultus, aliæ labro ſubteriori adeo prominenti, vt in ſolis ardoribus totam ex eo faciem cõtegant dormientes. Alijs concreta ora eſſe modico tantum foramine calamis auenarum paſtus haurientes. Nonnulli ſine linguis eſſe dicuntur, inuicem profermonibus vtentes nutu ſiue motu. *Panothios* apud Scythiam eſſe ferunt tam diffuſa magnitudine aurium, vt omne corpus ex eis contegant. Pan enim græco ſermone omne othi aures dicuntur. *Hirthabacitæ* in Æthiopia proni vt pecora ambulare dicuntur, Quadrageſimum enim annum nullus ſupergreditur.

Satyri homunciones ſunt aduncis naribus cornua in frontibus habent, & pedes caprarum pedibus ſimiles. Qualem in ſolitudine ſanctus Antonius vidit, qui etiam interrogatus Dei ſeruò reſpondiſſe fertur, dicens: Mortalis ego ſum, vnus ex accolis eremi, quos vario errore deluſa gentilitas faunos, ſatyroſque & incubos colit. Dicuntur quidam & ſylueſtres homines, quos nonnulli faunos ficarios vocant. *Sciopodum* gens fertur in Æthiopia ſingulis curribus & celeritate mirabili, quos inde Sciopodes græci vocant, eo quod per æſtum in terra reſupini iacentes, pedum ſuorum magnitudine adumbrentur. Antipodes in Lybia plantas verſas habent poſt crura, & octonos digitos in plantis. *Hippopodes* in Scythia ſunt, humanam formam & equinos pedes habentes. Item in India ferunt eſſe gentes quæ Macrobij nuncupantur, 12. pedum ſtaturam habentes, vnde & nuncupati. Macron enim græci longum dicunt. Eſt & gens ibi ſtatura cubitalis, quos græci à cubito Pigmæos vocant, de qua ſupra diximus. Hi montana Indiæ tenent, quibus eſt vicinus Oceanus. *Solinus.* Arimaſpi gens circa Cliteleon poſita, monocula gens eſt. Vltra hos & Riphæum iugum regio eſt aſſiduis obſeſſa niuibus, vbi humani pedes flexis niſibus crurium, ſerpunt potiuſquam incedunt, & pergendi vſum lapſu magis deſtinant quam greſſu.

Adhuc de eodem.

CAPVT CXXVIII.

Recens nati cani.

MEgaſtenes per diuerſos Indiæ montes eſſe ſcribit nationes capitibus caninis, armatas vnguibus, amictas veſtitu tergorum animalium hircorum, ad ſermonem humanum nulla voce, latratibus tantum ſonantes, ructibuſque. Apud theſiam legitur quaſdam fœminas ſemel parere natoſque canos illico fieri. Eſſe rurſum gentem alteram, quæ in iuuenta cana ſit, nigreſcat in ſenectute vltra æui noſtri terminos perennantem legimus. Monoculos quoque ibi naſci ſingulis cruribus, & ſingulari pernicitate, qui vbi defendi ſe velint à calore, reſupinati plantarum ſuarum magnitudine inumbrãtur. Gangis fontem qui accolunt, nullius ad eſcam opis indigent, odore pomorum, ſyluestrium viuunt, longiuſq; pergentes eadem illa in præſidium gerunt, vt olfactu alantur. Quod ſi teteriorem forte ſpiritũ traxerint, eos examinari certum eſt. Sunt qui ceruicibus carent, & in humeris oculos habent. Sunt & qui ſylueſtres corpore, hyrti, caninis dentibus, ſtridore terrifico.

Bellum Pigmæorum.

Ex libro de naturis rerum. Homines quidam Orientis ſunt ſtatura mediocri, quorum vt lucernæ lucent oculi. Sunt & homines quidam tantas in dorſo ſtrumas habentes, quod quicquid in augmentum corporis tedere debet gibbus abſorbeat, & ob hoc parui ſunt velut nani. In montibus Indiæ Pygmæi ſunt cubitales, quibus bellum eſt contra grues. In inſula Brixantis fluuij ſunt homines abſque capitibus naſcentes, quos epifagos vocant græci, & ſunt 8. pedum altitudinis, totaque in pectore gerunt officia capitis, niſi quod oculos habent in humeris. Sunt & homines quidam vtriuſque ſexus nudi incedentes, corpus piloſum in modum beſtiarum habentes, & æque in flumine, & in terra habitantes: qui cum extraneos homines ſuperuenire vident, in flumine ſubmerſi non apparent. Sunt agreſtes magni valde, & pilofi ſicut porci, & quaſi feræ mugientes. Homines quoque leguntur antiquitus viſi, qui caudas habebant, alij qui cornua, Aliquos etiam vidimus velut canes emittentes latratus. Iterum homines quidam ſylueſtres, in partibus Orientis capti ſunt in ſyluis, qui poſtquam inter homines domeſticos veniebant, manducare renuentes moriebantur, vel euadebant. Homines etiam Hermaphroditi viſi ſunt in Francia maſculini ſexus, & fœminini.

De quarundam gentium moribus extraneis.

CAPVT CXXIX.

Suſpenſio ſignum dilectionis.

Serum mores.

Serum caſtitas.

DIcto de mirabilibus quorundam hominum naturis, libet etiam hic pauca inſerere de quarundam gentium barbarum moribus extraneis ſiue conſuetudinibus apud gentes cæteras inſuetis. *Hieronymus contra Iouinianum libro ſecundo.* Scothorum natio proprias vxores non habet, ſed vt cuique libitum fuerit pecudum more laſciuiunt, Perſæ, Medi, Indi, Æthiopes, regna non modica, & Romano imperio paria, cum matribus & auiis, & cum filiabus copulantur. Maſſagetæ & Derbices miſerrimos putant, qui ægrotatione moriuntur, & parentes, cognatos, propinquoſque cum ad ſenectam venerint, iugulatos deuorant, rectius eſſe dicentes, vt à ſe potius quam à vermibus abſumantur. *Sybarini ſenes, quos dilexerunt, ſuſpendunt in patibulo.* Hyrcani volucribus, & canibus ſemiuiuos proiiciunt, Caſpi itidem beſtiis mortuos. Scythæ eos, qui à defunctis amati ſunt, viuos infodiunt cum oſſibus mortuorum. Caprij canibus ad hoc nutritis ſubijciunt ſenes. Quod cum Alexandri præfectus Fraſanor emendare voluiſſet, penè amiſit prouinciam.

Solinus. Poſt inhumanos ritus primos hominum Seres cognoſcimus, qui aquarum aſpergine inundatis frondibus vellera arborum adminiculo depectunt liquoris, & lanuginis teneram ſubtilitatem humore domant ad obſequium, hoc illud ſericum eſt in vſum publicum damnoſæ veneritatis admiſſum, eo quod oſtẽdere potius corpora, quam veſtire primo fœminis, nunc in viris luxuriæ perſuaſit libido. Seres ipſi quidẽ mites inter ſe quietiſſimi, aliàs vero reliquorum mortalium cætus refugiunt, adeo vt cæterorum gentium commercia abnuant. Primum eorum fluuium mercatores ipſi tranſeunt, in cuius opes nullo interpretis linguæ commercio, ſed diſpoſito rerum precio oculis æſtimantibus ſua tradunt, noſtra non emunt.

Clemens lib. 9. Apud Seres, neque meretrix, neque adultera, neque fur ad iudicium ducitur, neque occiſus homo fertur aliquando. Sed apud eos legum ſuorum metus vehementior, quam geneſis conſtellatio: hi in initio orbis terræ habitant. Seres quia caſtè viuunt, nec ærugine, nec grandine, nec peſtilentia, & malis huiuſmodi affliguntur, quia nec poſt conceptum adiri vltra apud eos fœmina fas eſt, neque cum purgatur. Carnibus immundis nemo ibi veſcitur, ſacrificia

nemo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nemo nouit. Secundum iuſtitiam omnes ſibi ipſi iudices fiunt, ideo non caſtigantur huiuſmodi plagis, ſed plurimum temporis in vita durantes, abſque ægritudine vitam finiunt. Morbidæ autem immunditiæ pro peccato ſolent occidere. *Solinus.* Eſſedonum moris eſt parentum funera proſequi cantibus, & proximorum corrugatis cætibus corpora ipſa dentibus laniare, ac pecudum mixta carnibus dapes facere, capitum, & oſſa auro incincta poculorum tradere miniſterium. Scythotauri pro hoſtiis cædunt aduenas. Satarcei auro, argentoque damnato, in ætetnum ſe à publica auaritia vendicauerunt.

Adhuc de eodem.

CAPVT CXXX.

Scytharum ritus.

SCytharum in tertis habitantium aſperior ritus eſt. Specus incolunt, pocula nõ vt Eſſedones, ſed inimicorum capitibus moliuntur. Amant prælia, inter emptorum cruorem à vulneribus ipſis bibunt De numero cedium honor creſcit, quarum expertem eſſe apud eos probrũ eſt, *hauſtu mutui ſanguinis fœdus ſanciunt*, non ſuo tantum more, ſed Medorum quorum vſurpata eſt diſciplina. *Iuſtinus lib.* 2. Scythæ agrum non exercent, nec domus vlla, aut tectum, aut ſedes eſt. Armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errantibus. Vxores, & liberos ſecum in plauſtris vehunt coriis tectis, imbrium hyemiſq; cauſa, quibus pro domibus vtuntur. Iuſtitia gentis ingeniis non legibus culta eſt: nullum ſcelus apud eos eſt furto grauius, pro eo quod ſine munimento alimenta habent. Aurũ & argentum non appetunt, lacte & melle viuunt: lanæ, ac veſtium vſus eis ignotus eſt, quanquam continuis frigoribus vrantur, pellibus ferinis, ac murinis vtuntur. Hæc continentia illis morum quoque iuſtitiam edidit, nihil alienum concupiſcentibus. *Quippe ibi diuitiarum cupido eſt, vbi & vſus.*

Fœdus ſancitur hauſtu ſanguinis mutui.

Continentia Scytharum.

Garamãtarum luxuria

Solinus. Garamantici Æthiopes matrimonia priuatim neſciunt, ſed omnibus in venerem vulgo licet. Inde eſt quòd filios matres tantum recognoſcunt, nã paterni nominis nulla reuerentia eſt. Quis enim verum patrem nouerit in hac luxuria inceſti laſciuientis? Ea propter Garamantici Æthiopes inter omnes populos degeneres habentur, nec immerito qui afflicta caſtitatis ſuæ diſciplina, ſucceſſionis notitiam titu improbo perdiderunt. Arabes Scenitæ cauſas nominis inde ducunt, quòd tentoriis ſuccedunt, nec alias domos habent. Ipſa autem tentoria cilicia ſunt. Ita nuncupant velamenta caprarum pilis texta. Præterea ſuillis carnibus prorſus abſtinent. Sanè hoc animalis genus ſi inuectum illo fuerit, morĩtur ilico, Arabes longè latèque diffuſi diuerſis etiam moribus, & cultibus plurimis viuunt. Aliis crinis intonſus, mitrata capita redimitu pari. Pars raſa in cruce barba, commerciis ſtudent, Aliena non emunt, vendunt ſua. Mari quippe, & ſyluis diuites. Vmbræ, quæ nobis dexteræ ſunt illis ſiniſtræ. Pars eorum, quibus aſper victus eſt angues edunt. Nulla velaminis cura corporis. Ac præterea oſſeophagi nominantur. Troglodytę ſpecus excauant, quo tegantur, nullus ibi habendi amor, à diuitiis pauperiare ſe abdicauerunt voluntaria. Tantum lapide vno gloriantur quem exacontaticum nominamus, tam diuerſis notis ſparſum, vt 60. gemmarum colores in paruo orbiculo eius deprehendantur. Homines iſti carnibus viuunt ſerpentum, ignarique ſermonis ſtridٖent potius quam loquantur. Angilæ vero ſolos colunt inferos. Fæminas ſuas primis noctibus nuptiarum adulteriis cogunt patere, mox ad perpetuam pudicitiam legibus ſtringunt ſeueriſſimis. Gafarantes abſtinent præliis, fugiunt commercia, nulli extero miſceri ſinunt.

Tentoria Arabum.

Troglodyta.

De Barbaris moribus Indorum.

CAPVT CXXXI.

MOntana quidem Indiæ Pigmæi tenent, ac hi quibus vicinus eſt Oceanus, ſine regibus degunt. Pandea gens à fœminis regitur, cui reginam primam aſſignant Herculis filiã. Indis omnibus eſt promiſſa cæſaries non ſine fuco cærulei aut crocei coloris. Cultus præcipuus in gemmis, nullus funerum apparatus. Præterea vt Iubæ aut Archelai regum libris editum eſt, inquantum mores populorum diſſoluant, habitus quoque diſcrepantibus eſt, alij lineis peplis veſtiuntur, pars nudi, pars obſcena tantum amminicula ri. Plurimi etiam flexibilibus libris circundati. Quidam populi adeo proceri, vt Elephantos velut equos facillima inſultatione tranſiliant. Plurimis placet neque animal occidere, neque veſci carnibus. Plerique tantum piſcibus aluntur, & mari viuunt. Sunt qui proximos & parentes priuſquam annis aut ægritudine immaciem eant, velut hoſtias cædunt, deinde peremptorum viſcera epulas habent, quod ibi non ſceleris, ſed pietatis loco numerant. Sunt etiam qui cum incubuere morbi, procul à cæteris in ſecreta abeunt, nihil anxiè mortem expectantes.

Indorum mores.

Gymnoſophiſtæ.

Philoſophos habent Indi, & Gymnoſophiſtas vocant, qui ab exortu ſolis vſque ad occaſum contentis oculis orbem candentiſſimi ſyderis contuentur, in globo ignis rimantes quędam ſecreta, areniſque feruentibus per totam diem alternis pedibus inſiſtunt. *Hieronymus contra Iouinianum libro primo.* Indi vt omnes penè Barbari vxores pulcherrimas habent. Apud eos lex eſt, vt vxor chariſſima cum defuncto marito cremetur. Hæ ergo contendunt inter ſe de morte viri, & ambitio ſumma certantium eſt teſtimonium caſtitatis digna morte decerni. Itaque victrix in habitu ornatu que priſtino iuxta cadauer defuncti accubat amplexãs illud & oſculans, & ſuppoſitos ignes pudicitiæ laude contemnens. Puto qui ſic moritur, ſecundas nuptias non requirit. *Idem in lib.* 2. Bardeſanes vir Babylonicus in duo dogmata apud Indos, Gymnoſophiſtas diuidit, quarum vnum appellat Brachmanas, alterum Samaneos. Qui tantæ continentiæ ſunt, vt vel pomis arborum iuxta Gangen fluuium, vel publicæ orizæ & farinæ alantur cibo, & cum Rex ad eos venerit odorare illos ſolitus ſit. Pacemq; prouinciæ ſuę in eorum precibus arbitrari ſitam.

Vxores Indorum non nubunt ſecundo.

Cibus Gymnoſophiſtarum.

Ex libro de naturis rerum. Eridraces ſiue Gymnoſophiſtę contempta fallaci ſęculi vanitate in tugurriis & ſpeluncis habitant, nulli nocent, nec contra aliquos armis ſe defendunt. Filij autem & vxores eorum ſeorſum inhabitant cum animalibus, quæ ad vitam ſobriã ſuſtentandam enutriunt. Hos cum Alexander Macedo reperiſſet, valde miratus, ait illis: Petite quod vultis, & dabo vobis. Da nobis (inquiunt) immortalitatem, quam ſuper omnia deſideramus, alias enim diuitias non curamus. At ille: Mortalis (inquit) cum ſim, immortalitatem quomodo dare poſſum? Si ergo, inquiunt, mortalem te eſſe cognoſcis, cur tot mala faciendo vagabundus in orbe diſcurris? Sunt & Brachmanni vltra Gangem fluuium habitantes, quos religio mirabilis, & innocentia mores & vita mirifice decorant. Horũ Didaſcalus Didymus ab Alexandro Macedonię rogatus, mirabilem ad eum ſcripſit epiſtolam de vita & ſanctis moribus ipſorum, de cultu quoque vnius Dei, & de æternitate filij cum patre dicens inter cætera Deus verbum eſt, & illud verbum creauit mundum, & per hoc viuunt omnia. Nos autem hoc verbũ colimus, hoc adoramus. Deus ſpiritus & mens eſt, ideo non amat aliud niſi mundam mentem. Sunt & in illis partibus homines alij, qui amore alterius vitæ in ignem ſe mittere non formidant. Alij qui parentes proprios nimio ſenio confectos mactare, & eorum carnes ad Epulas pręparare, pietatem immenſam

Brachmãni.

ac reli-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ac religionem putant, reuentes vero tanquam impios deteſtantur.

De Moribus ſingularibus cæterarum regionum.

CAPVT CXXXII.

Thraces. *Solinus.* Thracibus barbaris ineſt contemptus vitæ, & ex quadam naturali ſapientiæ diſciplina cõcordant omnes ad interitum voluntarium, dum nonnulli eorum putant obeuntium animas reuerti, alij non extingui, ſed beatas fieri magis. Apud plurimos luctuoſa ſunt puerperia. Denique recens natum fletu parens *Lata funera.* excipit, Econtra læta ſunt funera, adeo vt exemptos gaudiis proſequantur. Fœminę eorum tenaces caſtitatis inſiliunt rogos defunctorum coniugum, & quod maximũ inſigne caſtitatis ducunt, præcipites in flammas eunt. Thraces corporum magnitudine omnes homines antecedunt, cæruleis oculis ac truci viſu, terrifico ſono vocis, annoſa ætate. Ædificia modicè ab humo eleuata. Annona eodem ſemper tenore, vites neſciunt, pomis abundant. *In Regis electione non nobilitas prævalet, ſed ſuffragium vniuerſorum, Populus enim eligit ſpectatum moribus, & inueterata clementia, etiam annis grauem.* Sed hoc in eo quæritur vt liberi nulli ſint. Nam qui pater fuerit, etiam ſi vita ſpectatur ad regendum non admittitur. Et ſi forte dum regnat pignus ſuſtulerit, poteſtate exuitur. Maxime hoc cuſtoditur ne fiat hæreditarium regnum, deinde etiam ſi Rex maximam præferat æquitatem, *nolunt ei totum licere 40. ergo rectores accipit*, ne in cauſis capitum ſolus iudicet. Quòd ſi etiam ipſe in peccato aliquo arguitur, morte mulctatur, non tamen vt cuiuſquam manu attrectetur, ſed conſenſu publico rerum omnium interdicta ei facultate, etiam colloquij poteſtas primo denegatur.

Colonophagi. Colonophagi non alia quam teſtudinum carne viuunt. Hirſuti niſi facie tenus, quæ ſola lenis eſt. Ijdem quoq; coriis piſcium veſtiuntur. Præterea in quadam regione apud eos quibus ad viuẽdi rationem exactior cura eſt, multæ vxores in eiuſdem viri coeunt matrimonium. Et cum maritus deceſſerit, apud grauiſſimos iudices ſuam quæque de meritis agit cauſam. Et quæ officioſior cæteris ſententia vicerit iudicantium, hæc palmæ refert præmium, vt arbitrio ſuo aſcendat rogum coniugis, & ſupremis eius ſemetipſam det in ferias, cæteræ cum nota viuant. *Ambroſius de exceſſu Satyri lib. 1.* Lyciorum feruntur eſſe præcepta, quę viros *Licij.* iubeant muliebrem veſtem induere, ſi mœrori indulgeant, eo quod mollem & effæminatum iudicauerunt in viro luctum. Deforme enim eſt eos qui pro fide, pro religione, pro patria, pro æquitate iudicij, atque intentione virtutis, obuiũ morti pectus offerre debeant, mœrere in alio grauius, quod in ſe, ſi cauſa exegerit, expendendum ſit.

Britones. *Iulius Celſus.* Britones leporem, & gallinam, aut anſerem guſtare phas non putant. Hęc tamen alunt animi voluptatiſque cauſa. Loca ibi ſunt temperantiora, quam in Gallia remiſſioribus frigoribus. Interiores plerique frumenta non ſerunt, ſed lacte, & carne viuunt, pellibuſque veſtiuntur. Omnes vero ſe Britanni vltro inficiunt cerulæo colore, atque horridiores ſunt in pugna, aſpectu. Capilloq; ſunt promiſſo, & in omni parte corporis raſa, præter caput, & labrum ſuperius. *Vxorum cõmunitas.* Vxores habent, deni duodenique inter ſe communes, & maxime fratres cum fratribus, parenteſque cum liberis. Sed qui ſunt ex his nati, eorum habentur liberi, quo primum virgo quæque deducta eſt.

Valerius libro 2. Perſæ non aſpiciunt liberos ſuos priuſquam ſeptem impleuerunt annos, quo paruulorum amiſſionem æquiore ſuſtineant animo. *Helinandus lib. 17.* Xenophon in libro de vita Cyri, polenta & cardamo, & ſale, ac pane Perſas aſſerit victitare. *Hieronymus contra Iouinianum libro 2.* *Perſæ.* Coge Ægyptium, vt ouium lacte veſcatur, impelle ſi vales Peluſionem, vt manducet cæpas. Singulæ penè in Ægypto ciuitates ſingulas beſtias, & monſtra venerantur, quodcunque voluerint, hoc inuiolabile, & ſacrum putant. Vnde & vrbes quoque apud eos ex animalium vocabulo nuncupantur leonto, cyno, lyco, buſtris, thonni, quod interpretatur hircus, & vt ſciremus, quales ſemper Ægyptus recepiſſet, nuper ab Adriani Amaſio vrbs eorum Antinous appellata eſt. Per hæc vides ergo, quòd non ſolum in eſu, ſed in ſepulturis, & in conuiuijs, & in omni conuerſatione vnaquæque gens ſuo ritu, & proprietatibus victitet, & hæc eam putare legem, quæ dicit.



SPECVLI MAIORIS
VINCENTII PRÆSVLIS BELVACENSIS,
Tomus Primus.

LIBER TRICESIMVSSECVNDVS.

De locis ac temporibus, & primo de tribus orbis partibus.

CAPVT I.

AVCTOR. Quoniam (vt ait Augustinus) Deus incommutabili æternitate viuens, creauit omnia simul, ex quibus currerent tempora, & implerentur loca, ipsorumque temporalibus, & localibus motibus voluerentur sæcula. Huius operis naturalis, in quo mirum de natura rerum in vniuersali, & in particulari, ac de illis operibus Dei primariis, quibus in sex diebus omnes naturas creauit, earumque cursum instituit, principaliter agere disposuimus librum hunc vltimum de locis, & temporibus breuiter transcurrendo, iuuante Deo, complebimus. Res quippe naturales, ac mundiales loco consistunt, & continentur, tempora vero mouentur, vel immutantur. Et loco quidem exhibentur, vel offeruntur, tempore dilatantur, & subtrahuntur. Verum quia de ratione loci, & temporis in generali superius multa intulimus, videlicet in tertio huius operis libro, vbi de cæli continentia, & motu tractauimus. De cætero sufficit, vt pauca de his tantum, prout ad humanum genus proprie spectant: hoc est de locis habitabilibus, & humanæ generationis per tempora successionibus perstringamus.

Diuisio terrarum.

Post benedictionem quippe nuptialem primis parentibus à Deo datam additum est etiam, *& replete terram.* Quòd licèt præcipuè post diluuium, & post diuisionem linguarum factum sit, propter historiam tamen naturalem in hoc opere perfectè complendam, ipsam terrarum diuisionem, ac singularum naturam in hoc loco scribere placuit. Siquidem ante diluuium de inhabitatione locorum nihil, aut parum in sacra historia scriptum est, sed ferè tota illa ætas (vt dicit Aug.) tanquam humani generis infantia obliuione sepulta est. Post diluuium autem iuxta Philonem adhuc viuente Noe nati sunt vigintiquatuor millia virorum, & centum, extra mulieres, & paruulos habentes super se tres duces, quorum primus Nemroth de filiis Cham A regnauit super fratres suos. Cuius exemplo cæpit regnare lectam super filios Sem. Sephenæ autem super filios Iaphet. Sub his autem facta est linguarum confusio, sicque per orbem tripartitum omnes in diuersis regionibus secundum linguarum suarum varietates disseminati sunt.

Filij Sem. Iaph. &.

Filij Sem obtinuisse feruntur Asiam, Cham Aphricam, Iaphet vero Europam. *Isid. in lib. etymo* 14. In tres enim partes orbis non æqualiter diuisus est. Nam Asia à Meridie per Orientem vsq; ad Septentrionem peruenit. Europa vero à Septentrione ad Occidentem. Et inde Aphrica vsque ad Meridiem. Sicque medium orbem sola tenet Asia, medium vero Europa, & Aphrica. Quæ ideo duæ factæ sunt, quia inter vtrumque ab Oceano mare magnũ ingreditur, quod eas intersecat

B

De Asia & eius capite, quod est Paradisus.

CAPVT II.

Asia cur ita dicta?

ASia ex nomine cuiusdam mulieris est appellata, quæ apud antiquos imperium tenuit Orientis. Hæc in tertia orbis parte dispositа ab Oriente, ortu solis, à Meridie Oceano, ab occiduo nostro mari finitur. A Septentrione Mæotide lacu, & Tanai fluuio terminatur: habet autem prouincias multas, & regiones quarum breuiter nomina, & situs expediam, sumpto initio à Paradiso.

Paradisus.

Paradisus locus est in Orientis partibus, cuius vocabulum ex græco in latinum vertitur hortus. Porro Hebraicę eden dicitur, quod in linguam nostram deliciæ interpretatur. Quod vtrumq; iunctum facit hortum delitiarum. Est enim omni genere ligni, & pomiferarum arborum consitus: habens etiam lignum vitæ, Non ibi frigus, non æstus, sed perpetua aeris temperies. E cuius medio fons prærumpens, totum nemus irrigat. Diuiditurque in quatuor nascentia flumina, cuius loci post peccatum homini aditus est intercluſus. Septus enim est vndique, romphæa flammea, id est muro igneo accinctus, ita vt eius cum cælo penè iungatur incendium. Cherubin quoque, id est angelorum præsidium arcendis spiritibus malis super rompheæ flagrantia ordinatum est, vt homines flammæ angelos vero malos Cherubin submoueant, ne cui carni, vel spiritui transgressionis aditus pateat.

C

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De India & eius mirabilibus.

CAPVT III.

India. INdia ab Indo flumine dicta eſt, quo ex parte Occidentali clauditur: hoc à Meridiano mari porrecta vſque ad ortum ſolis, & à Septentrione vſque ad montem caucaſum peruenit habens gentes multas, & opida, inſulam quoque Tapobranam gemmis, & elephantis refertam, Chryſan & Argyren auro, & argento fœcundas: Thylem quoque arborem foliis nunquam carentem. Habet & fluuios Gangem & Indum, & Hipanem illuſtrantes Indos: terra Indiæ Fauonij ſpiritu ſalubertima in anno bis metit fruges, vice hyemis Etheſias patitur. Gignit autem tincti coloris homines elephãtos ingentes: Monoceron beſtiam, Pſitacum auem, hebenum quoque lignum, & cinnamum & piper, & calamum. Mittit ebur, lapides quoque precioſos, berillos, chryſopraſos, adamantem, carbunculos, lignites, margaritas, & vniones, quibus nobilium fœminarum ardet ambitio. Ibi ſunt & montes aurei, quos adire propter dracones & gryphes & immenſorum hominum monſtra impoſſibile eſt.

Solinus. Traduntur in India fuiſſe quinque milia oppidorum præcipua capacitate populorum. Diuetiam credita eſt eſſe tertia pars terrarum. Nec mirum ſit, vel de hominum, vel de vrbium copia, cum ſoli Indi nunquam à natali ſolo receſſerint. Indiam Liber pater ingreſſus eſt, vtpote qui Indis ſubactis omnium primus triumphauit. *Bachus ſubegit Indos.* Maximi in ea amnes Ganges, & Indus. *Minima Ganges latitudo per octo milia paſſuum, maxima per 20 patet. Altitudo vero vbi vadoſiſſimus eſt, menſuram centum pedum deuorat.* *Ganges.* In Gange inſula eſt populiſſima, ampliſſimam continens gentem, Quorum Rex quinquaginta milia peditum, equitumque quinquaginta-quatuor milia in armis habet. Omnes ſanè quicunque ſunt prediti regia poteſtate, nõ ſine maximo elephantorũ, equitũ etiam, peditum quoque numero militarem agitant diſciplinam. Praſia gens validiſſima Palibotram vrbem incolũt. Vnde quidam gentem ipſam Palibotras nominauerũt. Quorum Rex ſepties cẽtena milia peditũ equitũ triginta milia, elephantorũ octo milia omnibus diebus ad ſtipendium vocat. Vltra Palibotram mons *Malcus.* Malcus eſt, in quo vmbræ hyeme, in Septentriones æſtate in auſtros cadunt, viciſſitudine hac durante ſenis menſibus. Septentriones in eo tractu in anno ſemel, nec vltra 15. dies apparent. Sicuti auctor eſt Bethon, qui perhibet hoc in pluribus Indiæ locis euenire Indo, flumini proximantes verſa ad Meridiem plaga vltra alios torrentes habent calores: Denique vim ſyderis prodit hominum color.

Pygmæi. Montana Pigmæi tenent. At hi quibus vicinus eſt Oceanus ſine regibus degunt. Pandea gens à fœminis regitur, cui Reginam primam aſſignant Herculis filiam. In India ſunt monſtra diuerſi generis, ſerpentes enormes, leucrocota, eale, tauri mirabiles, manticora, monoceros, anguillæ tricenorum pedum, pomaria 60. paſſuũ, harundines immenſæ, & alia plura mirabilia.

De cæteris Aſiæ regionibus.

CAPVT IV.

Iſid. vbi ſupra. Parthiam Parthi à Scythia venientes, eamque ex ſuo nomine vocauerunt. Huic à Meridie rubrum mare eſt, à Septentrione Hircanum ſolum. Ab occidua ſolis plaga Media Regna in ea 18. ſunt porrecta à Caſpio littore ad terram Scytharum. Aſſyria vocata eſt ab Aſſur filio Sẽ, qui eã poſt diluuium regionem primus incoluit. Hæc ab ortu Indiam, à Meridie Mediam tangit, ab occiduo Tygrim, à Septentrione montẽ caucaſum, vbi portæ Caſpiæ ſunt. In hac Regione primum vſus inuẽtus eſt purpuræ. Inde primum crinium, & corporum vnguenta venerunt, & odores quibus Romanorum, atque Græcorum effluxit luxuria. Media & Perſia à Regibus Medo, & Perſo cognominatæ ſunt, qui eas Prouincias debellando aggreſſi ſunt, quibus Media ab occaſu tranſuerſa Parthia regna amplectitur. A Septentrione Armenia circundatur. Ab ortu mari Caſpio diuiditur, à Meridie Perſida. Huius terra Medicam arborem gignit, quam alia Regio minime parturit. *Medica arbor.* Sunt autem Mediæ duæ maior & minor. Perſida tendens ab ortu ſolis vſque ad Indos, ab occaſu mare rubrum. Ab Aquilone vero Mediam tãgit. Ab Auſtro Germaniam, quæ Perſidę annectitur, quibus eſt Suſa oppidum nobiliſſimum.

Ars Magica inuenta. In Perſida primum orta eſt ars magica, ad quam Nemroth gigas poſt confuſionem linguarum abiit, ibique Perſas ignem colere docuit. Nam omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipſorum linguã el dicitur: *Etymon Meſopotamiæ.* Meſopotamia græcam etymologiã poſſidet, quod duobus fluuiis ambiatur. Nam ab Oriente Tygrim habet, ab occiduo Euphratem. Incipit autẽ à Septentrione inter montem taurum & caucaſum, cuius à Meridie ſequitur Babylonia, deinde Chaldæa, nouiſſime Arabia Eudemon, quæ inter ſinum Perſicum, & ſinum Arabicum angusto tractu terræ Orientem verſus extenditur. Babyloniæ Regionis caput Babylon vrbs eſt, à qua & nuncupata, tam nobilis, vt Chaldæa, & Aſſyria, & Meſopotamia in eius nomen aliquando tranſierunt. Arabia eſt appellata, id eſt, ſacra: hoc enim ſignificare interpretatur, eo quod ſit Regio Thuriferos odores creans. Hinc eam Græci Eudemon, noſtri beatam nominauerunt. In cuius ſaltibus myrrha, & cinnamum prouenit. *Phœnix.* Ibi naſcitur auis Phœnix. Sardonix gemma, & iris molotides, & pederota ibi inuenitur. Ipſa eſt & Saba appellata à filio Chus, qui nuncupatus eſt Saba. *Chus.* Hæc autem (vt prædiximus) angusto terræ tractu ad Orientem verſus ad Perſicum ſinum extenditur, cuius Septentrionem Chaldæa claudit, occcaſum ſinus Arabicus.

Iterum de eodem.

CAPVT V.

Syria. SYriam Sirus quidam perhibetur indigena ſuo vocabulo nuncupaſſe. Hæc ab Oriente fluuio Euphrate, ab occaſu noſtro mari & Ægypto terminatur, tangens à Septentrione Armeniam, & Cappadociam, à Meridie ſinum Arabicum. Situs eius porrectus in immenſam longitudinem, in lato anguſtior: habet autem in ſe Prouincias Commagenam, & Phæniceam, & Paleſtinam, cuius pars eſt. India abſque Saracenis, & Nabathæis. Commagena eſt prima Prouincia Syriæ vocabulo Cõmage vrbis nuncupata, quæ quondam ibi Metropolis habebatur, huius eſt à Septentrione Armenia, ab ortu Meſopotamia, à Meridie Syria, ab occaſu mare Magnum. Phœnix Cathini frater de Thebis Ægyptiorum in Syriam prouectus apud Sydonem regnauit, eamque Prouinciam ex ſuo nomine Phœniciam appellauit. Ipſa eſt vbi eſt Tyrus, ad quam Iſaias loquitur: habet autem Arabiam ab Oriente, mare Rubrum à Meridie.

Paleſtina. Paleſtina Prouincia Philiſtiim Vrbem Metropolim habuit, quę nunc dicitur Aſcalon, ex qua ciuitate omnis circa eam Regio Paleſtina eſt nuncupata. Huius ab Oriente mare Rubrum occurrit, à Meridiano latere India excipitur, à Septentrionali plaga Tyriorum finibus clauditur, ab occaſu Ægyptio limite terminatur.

Iudæa. Iudæa ex nomine Iudæ eſt appellata, ex cuius tribu Reges habuit. Hæc eſt Paleſtinæ Regio, quę prius Chanaam dicta eſt à filio Cham, ſiue à decem Chananeorũ gentibus, quibus expulſis eandem terram Iudæi poſſederunt. Initium longitudinis eius à vico Arfa, vſque ad vicum Iuliadem porrigitur, in quo Iudęorum pariter, ac Tyriorum communis habitatio eſt. Latituto autem eius à monte Libani vſque ad Tyberiadis lacum extenditur. *Hieroſolyma.* *In medio autem Iudææ ciuitas Hieroſolyma eſt, quaſi vmbilicus Regionis totius.* Terra eſt variarum opum di-

ues, frugibus fertilis, aquis illustris, optima balsamis. Vnde secundum elementorum gratiam existimauerunt Iudæi eam promissam patribus terram fluentem lacte, & melle: cum hic illis Deus resurrectionis prærogatiuã polliceretur. *Samaria regio Palestinæ* ab oppido quodam nomen accepit, quod vocabatur Samaria, ciuitas quondam regalis in Israel, quæ nunc ab Augusti nomine Sebastia nuncupatur. Hæc regio inter Iudæam, & Galilæam media iacet, incipiens à vico cui nomen est Eleas, deficiens in terram Atrabato. Situs eius natura consimilis, nec vllo differens à Iudæa. *Galilæa regio Palestinæ* vocata est, quod gignat cãdidiores homines, quam Palestina. Hæc autem est duplex superior, & inferior, sibi tamen connexæ, Syriæ, & Phœnicię adhærentes. Terra earum optima, & ferax, & fructibus satis fęcunda. *Pentapolis* regio in confinio Arabiæ, & Palestinæ sita est, dicta à quinque ciuitatibus impiorum à Hierosolymis, olim vberrima, nunc autem deserta, atque exusta. Nam pro scelere incolarum de cœlo descendit ignis, qui regionem illam in cineres ęternos dissoluit, cuius vmbra, & species in fauillis, & arboribus ipsis etiam adhuc videntur. *Nascuntur enim ibi poma virentia sub tanta specie maturitatis, vt edendi desiderium gignant, si quæ carpas fatiscunt ac resoluuntur in cinerem, fumum exhalant quasi adhuc ardeant.*

Samaria. *Sebastia.* *Galilæa.* *Pentapolis.* *Poma Pentapolitana.*

Adhuc de eodem.

CAPVT VI.

Nabathæa *Ægyptus.*

Abathæa à filio Ismael est nuncupata, iacet autem inter Iudæam & Arabiam, & surgens ab Euphrate in mare Rubrum porrigitur, & est pars Arabiæ. *Ægyptus* quæ prius erea dicebatur, ab Ægypto Danai fratre postea ibi regnante nomen accepit. Hæc ab Oriente Syriæ, ac Rubro mari coniuncta ab occasu Lybiam habet, à Septentrione mare Magnum: à Meridie vero introrsus recedit pertendens vsque ad Æthiopes, regio cœli imbribus insueta, & pluuiarum ignara. Nilus solus eam circunfluens irrigat, & inundatione sua fœcundat. Vnde & ferax frugibus multam partem terrarum alit. Cæterorum quoque negociorum adeo copiosa, vt impleat necessariis mercibus etiam orbem terrarum. Finis Ægypti Canopia, à Canope Menelai gubernatore sepulto in ea insula, quę Lybię principium, & ostium Nili facit. *Helinandus. Plato tradit in Ægypto nunquam pluisse. Isidorus.* Seres oppidum est Orientis à quo genus sericum, & regio nuncupata est. Hæc à Scythico Oceano, & mari Caspio ad Oceanum Orientalem inflectitur, nobilibus frondibus fertilis, è quibus vellera decerpuntur, quæ cæterarum gentium populis Seres ad vsum vestium vendunt. Bactriæ regioni proprius amnis Bactrus vocabulum dedit. Partes eius quæ plantæ sunt propansis montis iugis ambiuntur, quæ aduersæ sunt Indi fluuij fontibus terminantur, reliqua includit Occus fluuius.

Seres. *Bactria Scytia. Gothia*

Mittit Bactria fortissimos Camelos nunquam atterẽtes pedes. *Scythia sicut & Gothia* à Magoth filio Iaphet fertur cognominata. Cuius terra olim ingens fuit. Nam ab Oriente India, à Septentrione per paludes Mæotides inter Danubium, & Oceanum vsque ad Germaniæ fines porrigebatur. Postea vero minor effecta, à dextris Orientis parte qua Oceanus Syricus tenditur vsque ad mare Caspium, quod est ad occasum. De hinc ad Meridiem vsque ad Caucasi iugum deducta est. Cui subiacet Hircania ab occasu habens pariter gentes multas propter terrarum infœcunditatem late vagantes. Ex quibus quædam agros incolunt, quædam portentuosæ, ac truces carnibus humanis, & eorum sanguine viuũt. Scythiæ plures terræ sunt locupletes, inhabitabiles tamen plures. Nam dum in plerisque locis auro, & gemmis affluant gryphorum immanitate accessus hominũ rarus est, & smaragdis tamẽ optima hæc patria est: Cianeus quoque lapis, & chrystallus purissimus Scythiæ est. Habet & flumina magna Fasidem Ostorum, atque Araxem.

Iterum de eodem.

CAPVT VII.

Hircania.

Hircania dicta est à sylua Hircania, quæ scythiæ subiacet, habens ab oriente mare Caspium, à Meridie Armeniam, à Septentrione Albaniam, ab occasu Hyberiam. Est autem syluis aspera, copiosa immanibus feris, tygribus, pantheribusque & pardis. Vnde Virgilius: *Hircanæque admorunt vbera tygres.*

Albania.

Albania est à candore populi nuncupata, eo quod albo crine nascantur. Hæc ab Oriente sub mari Caspio surgens, per oram Oceani Septentrionalis vsque ad Mæotides paludes per deserta & inculta extenditur. Huic terræ canes ingentes sunt, tantæque feritatis, vt tauros premant, leones perimant.

Armenia.

Armenia vocata est ab Armenio Iasonis Thessali comite, qui à misso Rege Iasone, collecta multitudine eius quæ passim vagabatur, Armeniam cepit, & ex suo nomine nuncupauit. Sita est autem inter taurũ & Caucasum, à Cappadocia vsque ad Caspium mare protensa, habens à Septentrione Ceraunios montes, ex quorum collibus Tygris fluuius nascitur, & in quibus montibus arca post diluuium sedisse perhibetur. Duplex est autem Armenia, superior & inferior, sicut duæ Pannoniæ.

Hiberia.

Hiberia Regio est Asiæ prope pontũ Armeniæ iuncta. In hac herbæ tinctuæ vtiles nascuntur. Cappadociam vrbs propria nominauit. Hæc in capite Syriæ sita ab Oriente Armeniam tangit, ab occasu Asiã minorem, ab Aquilone mare Cimericum & hemistericos cãpos, quos habuere Amazones. A Meridie vero Taurum montem, cui subiacet Cilicia & Isauria vsque ad Cilicum sinum, qui spectat contra Insulam Cyprum. Terra eius ante alias nutrix est equorum. Elis amnis per eam fluit, qui quondam Lydiæ regna disiunxit à Persis.

De Asia minori & eius Prouinciis.

CAPVT VIII.

Asia minor.

ASia minor ab Oriente Cappadocia cingitur, ab aliis partibus vndiq mari circundatur. Nã à Septentrione pontum Euxinum habet, ab occasu Propontidem, à Meridie Ægeum mare. Habet Prouincias Bithyniam, Phrygiam, Galathiam, Lydiam, Cariam, Pamphiliam, Isauriam, Liciam, atque Ciliciam. Bithynia in Ponti exordio, ad partem solis Orientis aduersa Thraciæ iacet, multis antea nominibus appellata. Nam prius Bericia dicta, deinde Migdonia, mox à Bithynio Rege Bithynia nuncupata est. Ipse est maior Phrygia. Nicomedia vrbs in ea est, vbi Hannibal fugiens veneni haustu animam expirauit. Balacia dicta est à priscis Gallorum gentibus à quibus extitit occupata. Nam Galli in auxilium à Rege Bithyniæ euocati regnum cum eo peracta victoria diuiserũt, sicque deinde Græcis admixti primum Gallogræci, nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatæ dicuntur, & eorum Regio Galathia nuncupatur. Phrygia dicta est à Phrygia Europis filia; hæc est Dardania, à Dardano Iouis filio dicta. *De quo Homerus ait: Quem primus genuit cœlesti Iuppiter arce.* Hic enim profectus de Corintho ciuitate primus venit in Phrygiam. Est autem Regio Troadis subiecta. Ab Aquilonis parte Galathæ, à Meridiana vicina est Lycaoniæ, ab Oriente Lydiæ adhæret, ab Occidente Hellesponto mari terminatur. Huius Regio Troia est, quam ex suo nomine appellauit Tros Troianorum Rex Ganymedis pater.

Bythinia. *Gallogræci.* *Tros Ganymedis pater*

Duæ sunt autem. Phrygiæ Maior & Minor. Maior Phrygia Smyrnam habet. Minor vero Ilium, Licaoniã, Cariam Erinus fluuius discernit à Phrygia. Lydia sedes antiqua regnorum, quam pactolivnda extulit in diuitias torrentibus aureis. Hæc antea Mæonia dicebatur. Quę dum pro breuitate duos fratres Reges Liddum & Tirrhenum ferre non posset, hinc ex solo Tirrhenus cum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ingenti multitudine profectus, loca Galliæ occupauit, & Tyrrhenam nominauit. Lydia autem à Lyddo Rege fratre, qui in prouincia remanſerat cognominata eſt. Coniungitur autem minori Phrygiæ ab Occidente. Ab ortu Smyrnam vrbem habet, quam Helles fluuius cingit, cuius campos Pactolus & Herinus circumfluunt arenis aureis ditiſſimi.

Pamphilia. Pamphilia Ciliciæ ſociatur, cuius vltima Phaſelis, deinceps Lycaonia, quæ ab illa parte qua Galatiæ continua eſt, habet ciuitates quatuordecim. *Iſauria* ex ſitu loci perhibetur cognominata, quod vndique aperta aurarum flatibus pateat. Metropolim vrbem Seleuciam habet. Cilicia à Ciliciæ quodam nomen traxit, quem ortum Phœniciæ dicunt, antiquioremque Ioue fuiſſe aſſerunt. Plurima iacet campis, recipiens ab occiduo Lyciam, à Meridie mare Creticum, à tergo montis Tauri iuga. Hanc Cygnus amnis interſecat, mattem vrbium habet Tharſum. In ea Choriſcos oppidum eſt, vnde crocus plurimus & optimus venit in ſpiramine flagrantiori, & colore aureo. *Lycia.* Lycia nuncupata quod ab Oriente adiuncta Ciliciæ ſit. Nam habet ab ortu Cilicia, ab occaſu & Meridie mare, à Septentrione Cariam, ibi eſt mons Chymera, qui nocturnis æſtibus ignem exhalat, ſicut in Sicilia Ætna, & veſæuus in Campania.

Iſauria.

De Europa & eius regionibus.

CAPVT IX.

Europa. POſt Aſiam ad Europam ſtilus vertendus eſt. *Europa* quippe Agenoris Lybię Regis filia fuit, quam Iupiter ab Africa raptam Cretam aduexit, & partem tertiã orbis ex eius nomine appellauit. Iſte autem eſt Agenor Lybiæ filius, ex qua & Affrica fertur cognominata. Vnde apparet prius Lybiæ accepiſſe vocabulum, poſtea Europam. Europa autem in tertiam partem orbis diuiſa. Incipit à flumine Tanai; deſcendens ad occaſum per Septentrionalem Oceanum vſque ad fines Hiſpaniæ, pars Orientalis, & Meridiana à ponto conſurgens tota mari magno coniungitur, & in inſulis Gadium finitur. Prima Europæ regio eſt Scythia inferior, quæ à Mæotidis paludibus incipiens inter Danubium & Oceanum Septentrionalem vſque ad Germaniam porrigitur. Quæ terra generaliter propter Barbaras gentes quibus inhabitatur. *Barbarica.* *Barbarica* dicitur. Huius pars prima Alania eſt, quæ ad Mæotidas paludes pertingit. Poſt hanc Dacia, vbi & Gothia. Deinde Germania vbi plurimam partem Sueui incoluerunt. Germania poſt Scythiam inferiorem à Dannubio inter Rhenum fluuium Oceanumque concluſa, cingitur à Septentrione & occaſu Oceano. Ab ortu vero Danubio, à Meridie Rheno flumine dirimitur, terra diues vitium ac populis numeroſis & immanibus. *Germania etymon.* Vnde & propter fœcunditatem gignendorum populorum Germania dicta eſt. Gignit aues Hircanias, quarum pennæ nocte perlucent. Viſontes quoque feras, & vrſos atque alces parturit. Mittit & gemmas cryſtallum & ſuccinum, callaicum quoque viridem & ceraunium candidum. Duæ ſunt Germaniæ, ſuperior iuxta Septentrionalem Oceanum, inferior circa Rhenum. Prouinciæ autem ſunt quas Danubius à Barbarico ad Mediterraneum mare ſecluſit, prima eſt Meſia à Meſſium prouentu vocata, vnde & eam veteres cæteris horreum vocabãt. Hæc autem ab Oriente oſtiis Danubij iungitur, ab Euro vero Thracię. A Meridie Macedoniæ, ab Occaſu Hiſtrię copulatur. Poſt Meſiam autem Pannonia eſt. Inde noricus ager frigidus, & parthius fructuoſus, poſt quem rethicus ferax frugibus, qui excipit Galliam Belgicam. *Thracum etymon.* Thraciæ Thrax Iaphet filius veniens nomen dediſſe perhibetur, alij à ſæuicia incolarum Thraciam appellatam dixerunt. Huic ab Oriente propontis & vrbs Conſtantinopolis oppoſita eſt. A Septentrione vero hiſter obtenditur, à Meridie vero Ægæo mari adhæret. Ab occaſu Macedonia illi ſubiacet, cuius regionem olim diuerſarum gentium populi Maſſagetæ, Sarmatæ, Scythæ, & aliæ plurimæ nationes incoluerunt. Ampla eſt enim, ideoque plurimas continuit gentes. Ebrum fluuium Thracia fundit, qui etiam gentes Barbarorum plurimas tangit.

Barbarica.

Germania etymon.

Thracum etymon.

De Græcia & eius Prouincijs.

CAPVT X.

GRæcia à Græco Rege dicta eſt, qui cunctam illam regionem incoluit. *Septem Græciæ Prouincia.* Sunt autem Prouinciæ Græciæ ſeptem. Quarum prima eſt ab Occidente Dalmacia. Deinde Epyrus, inde Ellades, inde Theſſalia, inde Macedonia, inde Achaia, & duæ in mari, Creta, & Ciclades. Illyricus autem generaliter omnis Græcia eſt. Dalmacia à Delmi maxima eiuſdẽ Prouinciæ ciuitate traxiſſe nomen exiſtimatur. Adhæret autem ab Oriente Macedoniæ, à Septentrione Meſiæ, ab occaſu Hiſtria terminatur, à Meridie vero Adriatico, ſinu clauditur. Epyrus à Pyrrho Achillis filio dicitur, cuius pars Chaonia quæ ante Molloſa dicta eſt à Molloſo filio Pirrhi quem de Andromacha habuit. Sed poſtquam occiſus eſt Pyrrhus Oreſtis inſidiis, Andromacham Helenus ſuſcepit, tenuitque regnum priuigni qui ſucceſſerat patri. A quo molloſa dicta eſt pars Epyri, quam Helenus poſtea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidiſſe, Chaoniam nominauit quaſi ad ſolacium fratris extincti. Ellades dicta eſt à Rege Ellade Deucalionis & Pyrrhæ filio, à quo & prius Græci Ellentes nuncupati ſunt. Ipſa eſt Attica terra Atte prius dicta. Nam granus quidam Græciæ indigena fuit, & cuius filia Attis nomine Attica terra vocata eſt. Hæc inter Macedoniam & Achaiam media iacet. Archadiæ à Septentrionali parte coniuncta. Ipſa eſt & vera Græcia, vbi fuit Athenæ ciuitas mater liberalium literarum & Philoſophorum nutrix, qua nihil habuit Græcia clarius atque nobilius. *Athenæ.* In ea eſt & Marathonius campus opinione quondam prælij cruentiſſimus. Ellades autem duæ ſunt Prouinciæ Boæcia & Peloponeſus. Boæcia autem dicta eſt hac ex cauſa, dum Cathinus Agenoris filius Europam ſororem à Ioue raptam ex præcepto genitoris quæreret nec reperiret, patris iram formidans confirmato animo eligit exilium. Nam bouis forte ſecutus veſtigia amplexus eſt ſedem vbi illa recubauerat, ſicque locum de nomine bouis Boæciam nominauit, vbi & Thebas vrbem conſtruxit, *Thebæ.* in qua olim ciuilia bella detonauerunt, & vbi nati ſunt Apollo & Hercules maior ille Thebanus. Eadem eſt Æonia vocata à fonte quodam Apollini & Muſis conſecrato, qui in eadem Boæcia eſt. Peloponenſis vero ſecunda pars Elladis à Pellope Rege Atticæ vocata eſt.

Iterum de eodem:

CAPVT XI.

THeſſalia à Theſſalo Rege dicta eſt, quæ ad Meridianam plagam Macedoniæ coniuncta eſt. Cuius à tergo Pyrrhia eſt. Multa ſunt in Theſſalia flumina & oppida, inter quæ præcipue Theſſalonica, Ibi eſt & mons Parnaſſus, quondam Apollini conſecratus. Theſſalia patria Achillis & origo Lapitharum fuit, de quibus fertur, quod hi primo equos frœnis domuerunt, vnde & Cẽtauri dicti ſunt. *Centauri.* In Theſſalia primum ſolidi aurei facti ſunt. Domandorum quoque equorum vſus primum repertus eſt. *Macedonia.* Macedoniæ in exordio ab Æmathio Rege Æmathiæ nomen erat, ſed Macedo Deucalionis maternus nepos, poſtquam ibi accepit principatum, mutauit vocabulum, Macedoniamque à ſuo nomine dixit. Eſt autem confinis ab Oriente Ægeo mari à Meridie Achaiæ, ab occaſu Dalmaciæ, à Septentrione Meſiæ, Patria Alexandri magni, & regio aureis venis argentique optima. Lapidem quem pyritem vocant, iſta gignit. Mons Olimpus in ea eſt, qui excellenti vertice tantus attollitur, vt in cacumine eius nec nubes nec venti

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ſentiantur. Achaia ab Achęo Rege & vrbs & prouincia appellata eſt, hęc penè inſula eſt. Nam abſque Septentrionali parte, qua Macedonię iungitur, vndique ſepta eſt mari. Ab Oriente enim habet Myrtheum mare, ab Euro Ægeum, à Meridie Ionicum, ab Affrico, & occaſu Caſſiopas inſulas, à ſola Septentrionali parte Macedoniæ vel Atticę terrę adiungitur. Huius caput eſt vrbs Corinthus, Græciæ decus. Inachus eſt Achaiæ fluuius. Archadia vero ſinus Achaiæ eſt, vt plantani ſolium inter Ionium & Ægeum mare ab Euro expoſita, quam Archas Iouis & Caliſto filius Pelaſgis in deditionem redactis ex ſuo nomine Archadiam nuncupauit. Ipſa eſt & Sicionia à Sicione Rege, à quo & regnum Sicioniorum eſt dictum. Habet autem Archadia fluuium Magnum Erimanthum, Asbeſton quoque lapidem qui ſemel accenſus nunquam extinguitur. Candidiſſimæ ibi etiam merulæ naſcuntur.

Arcadia.

De cæteris Europæ Prouinciis.

CAPVT XII.

PAnnonia ab Alpibus Appenninis dicta eſt, quibus ab Italia ſecernitur Regio fortis, & ſolo læta. Duobus ſatis acerbis fluuius drauo ſauoque vallata eſt. Coniungitur autem cũ Norico & Rethia, habens ab Oriente Meſiam, ab Euro Hyſtriam, ab Affrico vero Alpes Appenninas, habens ab occaſu Galliam Belgicam, à Septentrione Danubij fontem, vel limitem quæ Germaniam Galliamque ſecernit. Hyſtriam Hyſter amnis vocauit, qui eius terram influit. Ipſe eſt Dannubius. Habet autem Hiſtria à Septentrione Pannoniã. *Auctor.* Pannonia Europæ eſt prouincia, quæ ab Hunnis quondam occupata ab eodem populo Hungaria vulgariter eſt vocata. Quæ duplex eſt ſecundum Oroſium. Maior ſcilicet & Minor. Maior quidem eſt in vlteriori Syria vltra Mæotides paludes conſtituta, à qua Hunni venationis gratia primitus exeuntes per longiſſima paludum, & terrarum ſpacia, & ceruorum, & beſtiarum veſtigia inſequentes tandem ſolum Pannoniæ inuenerunt, qui reuerſi ad propria collecto agmine in Pannoniam redierunt, & expulſis incolis à primæua ſua origine nomen genti, & patriæ indiderunt.

Pannonia. *Hungaria.*

Iſid. vbi ſupra. Italia olim à Græcis populis occupata magna Græcia appellata eſt. Deinde à Regis nomine Saturno, mox & latium dicta, eo quod idem Saturnus à Ioue ſedibus ſuis pulſus ibi latuerit. Poſtremo ab Italo Siculorum rege ibi regnãte Italia nuncupata eſt. Cuius ſitus lõgitudine amplius quam latitudine à circio in eurum extenditur, à Meridie Thyrrheno mari, ab Aquilone Adriatico clauditur. Terra omnibus in rebus pulcherrima, ſoli fertilitate, pabuli vbertate gratiſſima. Habet lacus Venacum, Auernum, atque Lucrinũ. Fluuios Eridanum, Tyberim, & tepentes fontibus Baias. Gignit gemmas ſyrtiten, corallium & lygurium, Boam quoque ſerpentem, lyncem feram & Diomedeas aues. Italia autem & Hiſpania iccirco Heſperiæ dictæ ſunt, quod Græci Heſpero ſtella nauigent in Italiam & in Hiſpaniam. Quę hac ratione diſcernuntur, aut Heſperiam ſolam dicis, & ſignificas Italiam, aut addis vltimam, & ſignificas Hiſpaniam, quæ in Occidentis eſt fine.

Italia. *Heſperia.*

Auctor. Inter omnes autem Europæ regiones Occidentales Italia obtinet principatum. Inſulas enim habet nobiles, & portus maris inſignes, Prouincias cunctis diuitiis locupletes, ciuitates populoſiſſimas. Eſt autẽ contra Septentrionẽ altiſſimis Alpibus circundata & montium iugis, ex quibus oriuntur flumina Rhenus, Danubius, Rhodanus, & Sequana, &c. *Iſid. vbi ſu.* Tuſcia pars eſt Italiæ. Vmbria vero pars Tuſciæ. *Auct.* Tuſcia Italiæ eſt Prouincia inter Lygures & Romanorum territoriũ collocata, quæ difficilibus montium iugis & acceſſibus locorum valde altis & arctis fortiſſime eſt munita, à Thuris frequentia dicta. Nam in illis partibus in mortuorum exequiis antiqui Thura cremare & offerre religionis & deuotionis gratia ſolebant, & ſuos mortuos affectu lachrymabili deplangebant. Thura etiam in aris Deo potiſſime incendebant, quia (vt dicitur) in Thuſcia ars auruſpicum primitus eſt reperta. Hæc & Æmilia fuit primitus nominata, habens inclytas & nobiles ciuitates ab Occidente contra Lyguriam, habet Piſanam & Senas, Lucam, Florentiam. Contra Septentrionem vrbem veterem, contra Orientem Aretium, contra Meridiem Turthonam, Peruſium, & Aſſiſium, quę valli Spoletanæ ſunt contiguæ & vicinæ, habens ab Oriente mare Adriaticum & Marchiam, à Meridie Tyberim, Ripam & Romaniam, ab Occidente Mediolanenſem, Liguriam, à Septentrione Romaniolam & Prouinciam Paduanam.

Thuſcia. *Ciuitates Amilia.*

Iſidorus vbi ſupra. Vmbria vero (vt hiſtoriæ narrant) ab eo, quod tempore aquoſę cladis imbribus ſuperfuerit, & hoc ob vmbria Græce cognominata eſt. Eſt enim in iugis Appennini montis ſita in parte Italiæ iuxta Meridiem. Hetruria pars eſt Italiæ, dicta quod eius fines tendebãtur, vſque ad ripam Tyberis, quaſi altero ſoroi. Nam alterois ſignificatur altera, ſoroi finis vocatur. Romæ enim fines antea vna tantum Tyberis ripa tenebat, hæc & Thuſcia. Thuſcia autem à frequentia ſacrificij & Thuris dicta eſt Aſſotho Iethicæ, illic & auriſpiciam dicunt repertam. Apulia eſt vbi Brunduſium, quam Ætholi olim ſecuti Diomedem ducem condiderunt.

Vmbria.

Auct v. Apulia eſt Regio maritima in Italia, quæ pars eſt Europæ ab Inſula Siciliæ, per maris brachium ſeparata terra ſiquidem eſt multum populoſa, auro & argẽto referta, frumenta mero, & oleo opulenta, ciuitatibus nobiliſſimis inclytaꝰ, caſtris & oppidis præmunita, frugibus, & diuerſi generis fructibus fertilis, & fœcunda: finis eſt Europæ contra Meridiem, quæ ſolo mari à Barbaria eſt diuiſa. Fontes dicitur habere calidiores infirmis præbentes ſanitatem, & medicinam. Metropolis autem illius regionis Brunduſium dicitur, quam Græci quondam ædificauerunt. A Brunda Græce quaſi caput cerui Latine.

Apulia. *Brunduſiũ.*

Iſid. vbi ſupra. Campania Prouincia Italiæ habet terras hyeme anni atque æſtate vernantes, & ſol ibi mitis, grata temperies, aer purus, & blandus. *Auctor.* Campania eſt Italiæ Prouincia inter Romanum territorium, & Apuliam collocata. Cuius Metropolis quondam fuit Capua à Syluio Rege Albanorum exacta, à capacitate ſic dicta eo quod eius terra omnem fructum vitæ capiat: vnde & caput eſt campaniæ, cuius adhuc duæ maximæ ſunt ciuitates ſcilicet Roma, & Carthago. Ex hac etiam aliquando tota Prouincia Italiæ campania fuit appellata; plures alias habet ciuitates famoſas locupletes, & populoſas, ſicut Neapolim, & Peuteolim, &c.

Campania.

Adhuc de eodem.

CAPVT XIII.

GAllia dicta eſt à candore populi. Gala enim Græce lac dicitur: mõtes enim & rigor cœli ab ea parte ſolis ardorem excludunt, quo fit vt candor corporum non coloretur. Hanc ab Oriente Alpium iuga tuentur, ab occaſu Oceanus includit, à Meridie prærupta Pyrenæi, à Septentrione Rheni fluenta, atque Germania. Cuius initium Belgica, finis Germania eſt. Aquitania eſt regio Gleba vberi, ac pabuloſa, & ad vſum animantium apta. Fluminibus quoque & fontibus irrigua, perfuſa duobus magnis Rheno, & Rhodano fluuiis. Belgis autem ciuitas eſt Galliæ, à qua Belgica Prouincia dicta eſt Ciſalpina, quia citra Alpes: Tranſalpina, id eſt, trans Alpes contra Septentrionem. Rheatina vero quod ſit iuxta Rhenum. Aquitania autem ab obliquis aquis lygeris fluminis eſt appellata, qui ex plurima parte terminus eius eſt, eamque penè in orbem cingit.

Gallia etymõ *Aquitania.*

Auctor. Belgica dicitur Galliæ prouincia, ab Oriente (vt Oroſius dicit) habet Germaniam ſine flumine Rheni, ab Euro habet Alpes Apenninas, à Meridie Prouinciam Narbonenſem, in qua ciuitas Arelatenſis ſita eſt, ab occaſu Prouinciam Lugdunenſem. A circio Oceanum Britannicum, à Septentrione Britannicam inſu-

Belgica.

lam,

lam,ſiue Angliam. Hæc Regio in frugibus,& fructibus eſt fœcunda.

Hiſpania. *Iſid.* Hiſpania prius ab Hibero amne Hiberia nuncupata fuit; poſtea ab Hiſpano aliàs Hiſpalo fluuio Hiſpania cognominata eſt. Ipſa eſt & vera Heſperia ab Heſpero ſtella Occidentali dicta. Sita eſt autem inter Africam & Galliam, à Septentrione Pyrenæis montibus clauſa. A reliquis partibus vndique mari concluſa,ſalubritate cœli æqualis,omnium frugum generibus fęcunda, gemmarum metallorumque copiis ditiſſima. Interfluunt eam flumina magna, Betis,Mineus,Belis,& Tagus,Aurum trahens vt Pactolus.Habet Prouincias ſex, Taraconenſem, Carthaginenſem, Luſitaniam, Galliciam,Beticam, & Transfreta in regione Affricæ Tintiganiam. Duæ ſunt autem Hiſpaniæ. Citerior quæ in Septentrionis plaga à Pyrenæo vſque ad Carthaginē porrigitur. Vlterior quæ in Meridiem à Celtiberis vſque ad Gaditanum fretum extenditur.

Fluminaſpania. *Hi-*

De Affrica & regionibus illius.

CAPVT XIV.

Affrica etymon. AFfricam autem nominatam quidam inde exiſtimant quaſi apricam,quod ſit aperta cœlo,vel Soli,& ſine horrore frigoris. Alij dicunt Affricam appellari,ab vno ex poſteris Abrahæ de Cæthura, qui vocatus eſt Apher,de quo ſupra meminimus. Eadem & Lybia dicta eſt,quòd inde Lybs flat,hoc eſt Affricus,alij aiunt Epaphum Iouis filium, qui Memphin in Ægypto condidit ex Caſſiotha vxore procreaſſe filiam Lybiam,quæ poſtea in Affrica regnum poſſedit. Cum ex nomine terra Lybia eſt nuncupata. Incipit autem à finibus Ægypti pergens iuxta Meridiem per Æthyopiam vſque ad Atlantem montem,à Septentrionali parte vero Mediterraneo mari coniuncta clauditur,& in Gaditaneum fretum finitur. *Auctor.* Eſt autem illa pars mundi, quæ Affrica dicitur minor ſpacio, quam Aſia, vel Europa, ſed pro ſua quantitate ditior eſt, & mirabilior in qualitate. Nam in auro, & gemmis ditiſſima eſt : ſimiliter in frugibus,fructibus,& oliuis. Mirabiliſſimas etiam producit beſtiarum, & hominum ſpecies,& figuras, Solis ardoribus præ aliis terris exuritur. Variis Oceani etiam finibus intercipitur. Arenarum cumulis ſterilis in multis partibus efficitur. Et à Satyris tygridibus, & aliis horrendis beſtiis poſſidetur.

Prouincia Affrica. *Iſidorus.* Habet autem Affrica prouincias Lybiam, Cyrenenſem, Pentapolim, Tripolim, Biſantium, Carthaginem, Numidiam, Mauritaniam, Tingitaniam, & circa Solis ardorem Æthiopiam. Lybia Cyrenenſis in parte Affricæ prima eſt, à Cyrene vrbe Metropoli, quæ eſt in eius finibus nuncupata. Huic ab Oriente Ægyptus eſt, ab occaſu Syrtes maiores,& Troglodite, à Septentrione mare Lybicum,à Meridie Æthiopia, & Barbarorum variæ nationes, & ſolitudines inacceſſibiles,quæ etiam baſiliſcos ſerpentes creant. *Pentapolis* græca lingua à quinque vrbibus eſt nuncupata,id eſt,à Berenice,Cyrene, Centria, Appollonia, Ptolemaida. Ex quibus Ptolemaida, & Berenice à Regibus nominatæ ſunt. Eſt autem Pentapolis Lybiæ Cirenenſi adiuncta, & eius finibus deputata.

Pentapolis.

Tripolis. *Tripolitanam* quoque Prouinciam græci ſua lingua ſignant de numero trium magnarum vrbium: Ocea, Sabreta,Leptis magna. Hæc habet ab Oriente Syrtes maiores,& Trogloditas,à Septentrione mare Adriaticum, ab occaſu Biſantium, à Meridie Getulos,& Garamātes vſque ad Oceanum Æthyopicum pertendentes. *Auct.* Tripolitana Regio eſt duplex. Vna eſt in Fœnice dicta à Tripoli ciuitate famoſiſſima,quæ totius patriæ in circuitu propter nimiam ſui fortitudinem eſt defenſio, & munimen. Alia vero eſt Affrica inter Pentapolim & Biſantium,à tribus magnis vrbibus ſic vocata ſcilicet vt iam dictum eſt.

Iſido. Biſancena Regio ex duobus nobiliſſimis oppidis nomen ſortita eſt,ex quibus vna Andrometus vocatur,altera Biſantium. Hæc ſub Tripoli eſt patens paſſuū 200.vel amplitudinis millia,fœcunda oleis, & glebis ita perpinguis,vt iacti ibi ſeminis incremēta penè cētesima fruge renaſcantur. Zeugis vbi Carthago magna,ipſa eſt, & vera Affrica inter Biſantium & Numidiā ſita, à Septentrione mari Siculo iuncta,& à Meridie vſque ad Getulorum regionem porrecta. Cuius proxima quæq; frugifera ſunt. Vlteriora autem beſtiis,& ſerpētibus plena, atque Onagris magnis in deſertum vagantibus. Getulia autem Affricę pars Mediterranea eſt. *Auctor.* Getulia Affricæ eſt Prouincia à Græcis, qui ſcil.de Græcorum proceſſerunt reliquiis dicta. Qui ingenti amodo cōgregato nauigio vſque ad Lybiæ partes prouenerunt,& ibi ſedes ſuas vſque hodie poſuerunt. Et quia ex Gothis venerunt,Getuli nuncupati ſunt. Et ideo eſt opinio apud Græcos, Mauros ex illa gente ſibi eſſe conſanguineos, & propinquos. *Iſid.* Numidia ab incolis paſſim vagantibus ſic eſt vocata, quod nullam certam habent ſedem. Nam lingua eorum incertæ ſedes,& vagæ Numidæ dicuntur. Incipit autem à flumine Aruiſaga,& in Tingitanum limitem deſinit,habens ab Oriēte Syrtes minores, à Septentrione mare, quod intendit Sardiniam,ab Occaſu Mauritaniam Sitiſenſem,à Meridie Æthyopū gentes. Regio campis præpinguis. Vbi autem ſylueſtris eſt, feras educit, vbi iugis ardua,equos,& onagros procreat. Eximio etiam marmore præditatur,quod Numidiū dicitur. Habet autem vrbes prēcipuas Hippone,Regiū,& Ruſſicadam,alias Fuſicadam. *Plin.li.5.* Numidia Methagonius terra à Græcis eſt appellata. Numidæ vero Nomades à permutandis Papilionibus,Mapalia ſua,hoc eſt domus paluſtris circūferētes. Oppida Collurus,Ichade. Ab ea ad 48.millia paſſuum in Mediterraneo,Colonia Cyrtha Sicianorum cognomine. Et alia intus ſicca. Liberum quoque oppidum bulla Regia. Et in ora Tacatua Hippo Regius, flumen Armua. Oppidum Tachabracha, ciuium Romanorum. Tuſca fluuius Numidiæ finis. Nec præter marmoris Numidici ferarumque prouentum aliud inſigne.

Biſantium. *Getulia.* *Numidia.* *Vrbes Numidiæ.*

Iterum de eodem.

CAPVT XV.

Taurus. TAuron Græce nigrum vocant. Sicut ergo Gallia à candore populi, ita Mauritania à nigrore nomen ſortita eſt. Cuius prima Prouincia Mauritania Sitiſenſis eſt,quæ Sitiſi habuit oppidum,à quo & vocabulum regio traxiſſe perhibetur. Mauritania vero Cæſarienſis Coloniæ Cæſaraeæ ciuitas fuit, & nomen Prouinciæ ex eo datum. Vtræque enim Prouinciæ ſibi coniunctæ ab Oriente Numidiam habent,à Septentrione mare Magnum,ab Occaſu flumen Maluam, à Meridie montem Aſtrixim,qui diſcernit inter fęcundam terram,& arenas iacentes vſque ad Oceanum. Mauritania Tingitania à Tingi Metropolitana huius Prouinciæ ciuitate vocata eſt. Hæc vltima Affricæ exurgit à montibus ſeptem,habens ab Oriente flumen Maluam,à Septentrione fretū Gaditarum,ab Occidente Oceanum Atlanticū,à Meridie Gaulalum gentes vſque ad Oceanum Heſperium pererrantes,Regio gignens feras,ſimias & dracones, & ſtruthiones. Olim etiam & Elephantis plena fuit. Quos ſola nunc India parturit.

Mauritania. *Tingitania Mauritania.*

Garamanta Garamantis Regionis caput Garama oppidum fuit. Eſt autem inter Crenenſem & Æthyopiam,vbi eſt fons qui friget calore diei,& calet frigore noctis. Æthyopia diſta eſt à calore populorum,quos ſolis vicinitas torret, Denique vim ſyderis prodit hominum color. Eſt enim ibi iugis eſtus. Nam quicquid eius eſt ſub Meridiano cardine eſt. Circa occiduum autem montuoſa eſt, arenoſa in medio. Ad Orientalem vero plagam deſerta. Cuius ſitus ab Occiduo Atlantis montis ad Orientem vſque in Ægypti fines porrigitur. A Meridie Oceano, à Septentrione Nilo flumine clauditur. Plurimas habēs gentes, diuerſo vultu, & monſtruoſa ſpecie horribiles. Ferarum quoque, & ſerpentium referta eſt multitudine. Illic quippe rhinoceronta beſtia, & camelopardus, baſiliſcus,

Rhinoceros.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

baſiliſcus,dracones iugentes,ex quorum cerebro gemmæ extrahũtur. Hiacyntus, & chryſopraſus ibi reperiũtur,cynamomum ibi colligitur. Duæ ſunt autẽ Æthyopiæ, vna contra ortum ſolis, altera contra occaſum in Mauritania. Extra tres autem partes orbis quarta eſt trans Oceanum,interior eſt in Meridie,quæ ſolis ardore incognita nobis eſt: in cuius finibus Antipodes fabulosè inhabitare produntur. Proxima autem Hiſpaniæ Mauritania eſt,deinde Numidia,inde Regio Carthaginenſis. Poſt quam Getuliam accepimus,poſtea Æthyopiam,inde loca exuſta ſolis ardoribus.

De Inſulis Oceani quo cingitur orbis.

CAPVT XVI.

Inſulæ vnde dictæ? INſulæ dictæ ſunt, eo quod in ſalo ſint,id eſt,in mari. Ex his quoque notiſſimæ, & maximæ quas plurimi veterum ſolerti ſtudio indagauerunt notandæ ſunt. Britannia Oceani inſula interfuſo mari toto orbe diffuſa vocabulo ſuę gentis cognominata eſt. Hęc aduerſa Galliarum parte ad proſpectum Hiſpaniæ ſita eſt. *Circuitus Britannię.* Circuitus eius quadragies octies quadragintaquinque millia,multa, & magna flumina in ea,fontes calidi, & metallorum larga,& varia copia, gagates lapis ibi plurimus, & margaritæ. Thanatos inſula Oceani freto Gallico à Britannia eſt vario tenuique ſeparata, frumentariis campis, & gleba vberi. Dicta eſt autem Tanatos à morte ſerpentium, quos dum ipſa neſciat, apportata inde terra quacunque gentium vecta ſit,angues ilico perimit. Thyle vltima eſt Oceani inter Septentrionalem, & Occidentalem plagam vltra Britanniam à Sole nomen habens, quia in ea æſtiuum Solſtitium Sol facit, & continuus in ea Solſtitiali tempore dies, brumalique nox perhennis exigitur: vltra quam nauigatione vnius diei pigrum,& concretum eſt mare.

Miraculum naturæ. *Solinus.* Thylus Indiæ inſula eſt. Et fert palmas,oleum creat,vineis abundat. Terras omnes hoc miraculo ſola vincit,quod quicunque in ea naſcitur arbor, nunquam caret folio,ibi mons Caucaſus qui maximam orbis partem perpetuis iugis penetrat. Fronti qua ſoli obuerſus eſt arbores piperis oſtentat,quas ad iuniperi ſimilitudinem diuerſi fructus edere alleuerant,qui pene immaturi exeunt,dicitur piper longum. Quod incorruptum eſt piper album. Quorum cutem rugoſam,& torridam calor fecerit,nomen trahit de colore.

Orcades. *Iſid.* Orcades inſulæ Oceani,intra Britanniam poſitę,numero 33.quarum 20.deſertę ſunt 13.coluntur. Scotia eadem,& Hibernia,proxima Britannię inſula,ſpacio terrarum anguſtior,ſed ſitu fœcundior. *Hibernia.* Hæc ab Affrico in Boream porrigitur,cuius partes priores in Hiberniã, & Cantabricum Oceanum intendunt. Vnde & Hibernia dicta eſt. Scotia autem à Scotorum gentibus creditur appellata. Illic nullus anguis,auis rara,apis nulla, adeo vt aduectos inde pulueres, vel lapillos, ſi quis alibi *Gades.* ſparſerit inter Aluearia,examina fauos deſerant. Gades inſula eſt in fine Beticæ Prouinciæ ſita,quæ dirimit Europam ab Affrica, in qua Herculis columnæ viſuntur, & vnde Tyrrheni maris faucibus æſtus immittitur. Eſt autem à continenti terra centum 20.paſſibus diuiſa,quã Thyri à Rubro mari profecti occupãtes,lingua ſua Gades id eſt,ſeptã nominauerunt,pro eo quod circum ſepta ſit mari. Naſcitur in ea arbor ſimilis palmę, cuius gummi infectum vitrum Ceraunium gemmam reddit.

Iterum de eodem.

CAPVT XVII.

Fortunatæ Inſulæ. FOrtunatæ inſulæ hoc ſuo vocabulo ſignificant omnia ferre bona,quaſi fœlices, & beatę fructuũ vbertate. Sua enim aperte natura precioſarum poma ſyluarũ parturiunt,fortuitis vitibus iuga collium veſtiuntur, ad herbarum vicem meſſis & olus vulgo eſt,vnde gentiliũ error,& ſæcularium carmina Poetarum,propter ſoli fęcunditatem eaſdem eſſe paradiſum putauerunt, harum prima Mebriona dicitur,ſecunda Iuniona,tertia Theode,quarta Capraria, alia Vinaria quæ aere nebuloſo & cõcreto eſt. Mox Caninaria,canibus immenſę magnitudinis plena,omnes auibus plenæ,nemoroſæ, palmiferæ, nuceæ,pineæ,mellis copia, animalibuſque ſylueſtribus, & piſcibus abundantes. Sitæ ſunt autẽ in Oceano, contra læuam Mauritaniæ,inter Meridiem Occaſuque occiduo proximę,& inter ſe interiecto mari diſcretę. *Caninaria.* *Gorgonides inſula.* Gorgonides inſulæ ſunt Oceani obuerſę promõtorio quod vocatur Heſperacerus,quas incoluerunt Gorgones fœminæ,aliti,id eſt, celeri pernicitate, hirſuto & aſpero corpore,& ex his inſulæ cognominatæ. Diſtant autem à continenti terra bidui nauigatione. Heſperidum inſulæ, vocatæ ſunt à ciuitate Heſperida, quæ fuit in fine Mauritaniæ. Sunt enim vltra Gorgonides ſitæ ad Atlantæum littus,in intimis maris ſinibus,in quarum hortis fingunt fabulæ draconem peruigilem aurea mala ſeruantẽ. *Draconis peruigilis fabula.* Fertur enim ibi eſſe maris æſtuarium, adeo ſinuoſis lateribus tortuoſum,vt viſentibus procul,lapſus angueos imitetur. Chryſe & argyre ſunt Inſulæ in Indico Oceano ſitæ, adeo fœcundæ copia metallorum, vt plerique eas auream ſuperficiem & argenteam habere prodiderunt, vnde & vocabulum ſortitæ ſunt.

Taprobana mira fertilitas & laus. Taprobana inſula eſt Indiæ ſubiacens ad eurum, ex qua Oceanus Indicus incipit, patens in longitudine octingentis ſeptuagintaquinque milibus paſſuum, in latitudine ſexcentis 25.millibus ſtadiorum. Scinditur amne interfluo, tota margaritis repleta & gemmis. Pars eius beſtiis & elephantis repleta eſt,partem vero homines tenent. Homines autem ibi maiores vltra omnium menſuram,rutilis comis,cæruleis oculis, acutioris ſoni. Nullo linguæ commercio alteri generi ſociantur. Cum negociatoribus aliis in Ripa fluminis merces opponũt, ac vix complacitas mutuant. Ætas illis vltra humanam fragilitatẽ prolixa eſt,vt immature pereat, qui centenarius moritur. Nulli per diem ſomnus, annona eodem ſemper tenore,ædificia humilia paruaque vitẽ neſciunt, redundant pomis,culturas & venatus amant, videlicet tygridum & elephantorum. Piſcationibus delectantur, præſertimque teſtudinum, quarum ſuperficie domos familiarum capaces operiunt. In hac inſula dicunt in vno anno duas eſſe æſtates, & duas hyemes, & bis floribus vernare locum. Thyle eſt inſula Indiæ, virens omni tempore foliis. Hucuſque Oceani inſulæ.

De Inſulis maris Magni ſcil. Mediterranei.

CAPVT XVIII.

ITem ſunt aliæ inſulæ quæ ab Helleſponto vſque ad Gades in mari Magno ſunt conſtitutæ. *Cyprus.* Cyprus inſula à ciuitate Cypro, quæ in ea eſt, nomen accepit. Ipſa eſt & Paphon veneri conſecrata,in Carpatio mari vicina Auſtro, famoſa quondam diuitiis, & maximè æris. Ibi enim prima inuentio huius metalli fuit & vtilitas.

Creta. Creta inſula Græciæ pars eſt ingens contra Peloponenſem,dicta à Crete quondam indigena, quem aiunt vnum Cretarum fuiſſe à quibus Iupiter ibi abſconditus eſt & enutritus. Eſt autem inſula Græciæ inter ortum ſolis & occaſum longiſſimo tractu porrecta, à Septentrione Græciæ æſtibus, ab Auſtro Ægyptiis vndis perfuſa. Fuit autem quondam centum vrbibus nobilis,vnde & hæc Centapolis dicta eſt. *Centapolis.* Prima & remis & ſagittis claruit. Prima literis iura fixit, equeſtres turmas prima docuit. Studium muſicum ab ideis dactylis in ea inceptũ eſt. Capris copioſa,ceruis eget,lupos & vulpes aliaque ferarum noxia nuſquam gignit. Serpens nulla ibi, nulla noctua, & ſi inuehatur ſtatim moritur. Larga eſt autem vitibus & arboribus. Dictamnus herba in Creta naſcitur, & alimoſa, quæ morſa diuturnam famem prohibet. Sphalangos autem venenatos gignit, & lapidem qui ideus dactylus dicitur. *Abydos.* Abydos inſula eſt in Europa ſuper Helleſpontum poſita, anguſto & periculoſo mari ſeparata,& ab idos græcè dicta,quod ſit introitus

troitus Helleſponti maris, in quo Xerxes pontem ex nauibus fecit, & in Græciam tranſiit. Choos inſula eſt adiacens Prouinciæ Atticæ, in qua Hippocrates Medicus natus eſt, quæ (vt Varro teſtis eſt) arte lanificij prima in ornamentum fœminarum inclaruit.

Choos.

De Cycladibus.

CAPVT XIX.

Ciclades. CYclades Græce quondam inſulas, inde autumant dictas quod licet ſpaciis longioribus à Delo proiectæ in orbem, tamen circa Delum ſitæ ſunt. Nam orbem Cyclon græci loquuntur. Quidam vero non quod in orbem digeſtæ, ſed propter ſcopulos, qui circa eaſdē ſunt dictas Cyclades putant. Hæ in Helleſponto inter Ægeum & Maleum mare conſtitutæ, circundātur etiā Myrtheo pelago. Sunt autem omnes numero 53. tendentes à Septentrione in Meridiem per millia quingenta. Ab Oriente in Occaſum per millia ducenta. Metropolis earum Rhodus. Delos eſt inſula in medio Cycladum ſita, & dicta à Delos fertur, quia poſt diluuium, quod Ogygi temporibus notatur, cum orbem multis menſibus continua nox inumbraſſet, ante omnes terras radiis ſolis illuminata eſt, ſortitaque ex eo nomen, quod prima viſibus manifeſta fuiſſet. Nam Delum græci manifeſtum dicunt. Ipſa eſt & Ortygia, eo quod ibi primū viſæ ſunt coturnices aues, quas græci Ortygas vocant. In hac inſula, Latona enixa eſt Apollinem & Dianam. Delos autem & ciuitas & inſula dicitur. Rhodus Cycladum prima eſt ab Oriente, in qua roſæ capitulum dicitur eſſe inuentum, dum ibi ciuitas cōderetur, ex quo & vrbs & inſula eſt appellata. In hac vrbe Solis Coloſſus fuit æreus, ſeptuaginta cubitorū altitudine. Fuerunt & alij centum numero in eadem inſula coloſſi minores. Fertur autem quondam hęc inſula adeo magno terræmotu concuſſa fuiſſe, vt labentibus in illis tectis, ingens quoque ille coloſſus rueret.

Rhodus. *Delos.* *Ortygia.* *Coloſſus Solis.*

Tenedos. Tenedos vna ex Cycladibus ad Septentrionem ſita, in qua olim ciuitas Athenæ quonda condita eſt. Vnde nomen vrbis illius, vel potius inſulæ fuit. Nam Thenes ille infamatus, quod cum nouerca ſua concubuiſſet fugiens in hanc inſulam vacuam cultoribus obtinuit, vnde & Tenedos inſula dicta eſt. Sic Cicero inquit. Thenen ipſum cuius ex nomine Tenedos nominatur. Naxon inſula Cycladum à Dionyſio dicta, quaſi Dianaxon, quod fertilitate vitium vincat cæteras. Eſt autem à Delo per decem & octo millia paſſuum ſeparata, ex qua olim Iouis fertur aduerſus Titanas fuiſſe profectus.

Naxos.

Melos. *Carpathos.* *Melos* ex numero Cycladum vna omnium inſularum rotundiſſima, vnde & nuncupata. *Carpathos* eſt vna ex Cycladibus à Meridie poſita contra Ægyptum, à qua Carpathium mare eſt appellatum, vocata propter celerem fructuum maturitatem. Eſt enim inter Ægyptum & Rhodum. Ex hac inſula ducuntur & Carpaſiæ naues magnæ & ſpacioſæ. *Cytherea* vna eſt ex Cycladibus à parte occidua, vocata quod ibi ſit venus orta, cuius antea Porphiris nomen fuit. Icaria eſt vna de Cycladibus, quæ Hicario mari nomen dedit. Hæc inter Samum & Mychonium procurrentibus ſaxis inhoſpitalis eſt, & nullis ſinibus portuoſa. Dicitur autem Icarum Cretenſem ibi naufragio interiiſſe, & de exitu hominis impoſitum nomen loco.

Cytherea. *Icaria.*

De cæteris Inſulis Magni maris.

CAPVT XX.

HIſtoria dicit ex Iaſone natum fuiſſe Philomelum & Plutum, ex Philomelo Pareātem genitum, qui de ſuo nomine Paron inſulam & oppidum appellauit. Prius autem Minois, deinde Paros eſt dicta de qua Virgilius: *Niueumque Paron.* Gignit enim marmor candidiſſimum, quod parium dicunt. Mittitque ſardem lapidem, marmoribus quidem præſtantiorē, ſed inter gemmas viliſſimum. Chyon inſula Syra. Siri enim maſticem, Chyō vocant. Samo inſula eſt in mari Ægeo, vbi nata eſt Iuno, ex qua fuit Sybilla Samia & Pythagoras Samius, à quo Philoſophiæ nomen inuentum eſt. In hac inſula reperta prius fictilia vaſa traduntur, vnde & vaſa Samia appellata ſunt. Sicilia à Sicano Rege Sicania dicta eſt, deinde à Siculo fratre Sicilia, Italis prius autem trinacria dicta propter tria acria, id eſt, promontoria, Pelorū, Pachinum & Lilybeum. Hęc ab Italia exiguo freto diſcreta Affricū mare proſpectans, terris frugifera, auro abundans, cauernis tamen & fiſtulis penetrabilis, ventiſq; & ſulphure plena. Vnde & ibi Ætnæ montis extant incendia. In cuius freto Scylla eſt & Charibdis, quibus nauigia aut obſorbētur aut colliduntur. Fuit autem quondā propria patria Cyclopum, & poſtea nutrix tyrannorum, frugum fertilis ac primum terris omnibus cōmiſſis feminibus aratro proſciſſa. Principem vrbium Syracuſas habet, & fontem Arethuſam, & Alpheum fluuium magnorum generationem equorum. In ea inſula primum eſt inuenta comœdia, Achatem lapidem ipſa primū ex Achate flumine protulit. Parturit & mare eius coralliū, gignit & ſaltes agrigentinos, in igne ſolubiles, crepitantes in aquis. Omnis ambitus eius clauditur ſtadiorum trium milium. Saluſtius autem dicit Italiæ coniunctam Siciliam fuiſſe, ſed medium ſpacium impetu maris diuiſum & per anguſtiam ſciſſum. Tapſum inſula ſtadiis 10. à Sicilia remota iacens & planior, vnde & nuncupata, de qua Virgil. *Tapſumque iacentem.* Æoliæ inſulæ Siliciæ appellatæ ſunt ab Æolo Phantę filio, quē Poetæ finxerunt Regem fuiſſe ventorum. Sed vt Varro dicit rector fuit iſtarum inſularum, & quoniam ex earum nebulis & fumo, futuros prædicebat flatus vētorum, ab imperitis viſus eſt ventos ſua poteſtate retinuiſſe. Eædem inſulæ & Vulcaniæ vocantur, quod & ipſæ ſicut Ætna ardeant. Sunt autem 9. habētes propria nomina. Quarum prima Lipparus quoniam Lipar vocabatur, qui eam ante Æolum rexit. Altera Theraſia vocatur, quod ſit collibus excellentiſſimis. Tertia Strongyle, in qua Æolus regnare fertur, reliquiæ vero id eſt, Strōgile, Didime, Eriſuſa, Feſtia, Fenicuſa, Enonimon, Stripodes, Sonores, quæ quoniam nocte ardent Æoliæ ſiue Vulcaniæ dicuntur. Ex his quædam ab initio non fuerunt, poſtea mari editæ ſunt, & yſque nunc permanent.

Samos. *Sicilia.* *Ætna.* *Scylla, Charibdisque.* *Tapſum.* *Æolia.* *Vulcania.*

Adhuc de eodem.

CAPVT XXI.

SArdis Hercule procreatus, cum magna multitudine à Lybia profectus, Sardiniam occupauit, & ex ſuo vocabulo inſulæ nomen dedit. Hæc in Affrico mari facie veſtigij humani tam in Orientem quam in Occidentem latior prominet fermè partibus lateribuſque in Meridiem & Septentrionem vertunt, terra patens in longitudine millia 140. in latitudine 40. In ea neque lupus, ſed ſoli fuga tantum animal ægiuum, hominibus perniciоſum, venenum quoque non naſcitur ibi, niſi herba per ſcriptores plurimos & Poetas memorata, apiaſtro ſimilis, quæ hominibus rictus contrahit, & quaſi ridentes interimit. Fontes habet Sardinia calidos, infirmis medelam præbentes, furibus cæcitatem, ſi Sacramento dato oculos aquis eius tetigerint. Corſicæ inſulę exordium incolæ Lygures dederunt appellantes eam ex nomine Ducis. Nam mulier quædam Lygur Corſa nomine cum Taurum ex grege quem prope littora regebat tranſnatare ſolitum, atque per interualla corpore aucto remeare videret, cupiens ſcire incognita ſibi pabula, taurum à cæteris digredientem vſque ad inſulam nauigio proſecuta eſt. Cuius regreſſu inſulæ fertilitatem cognoſcentes Lygures ratibus ibi profecti ſunt', eamque nomine mulieris auctoris & ducis appellauerunt. Hæc græce Cyrene dicitur, à Cyrno Herculis filio habitata. De qua Virgil. *Cyrneataxos.* Diuiditur autem à Sardinia 20. millium, freto cincta, Liguſtici ęquoris ſinu ad proſpectum Italiæ. Eſt autem multis promōtoriis anguloſa, gignēs lætiſſima pabula, & lapidem quē Cacocitem græci vocant. Ebolus inſula eſt Hiſpaniæ,

Sardinia. *Corſica.*

Paros. *Chios.*

dicta quod à zomo non procul ſit, quaſi eboſos, cuius terram ſerpentes fugiunt. Huic contraria eſt colubraria quæ referta eſt angubus. *Baleares* inſulæ Hiſpanię duæ ſunt. *Aßioſiades* & Gennaſides maior & minor, vnde & eas vulgus maioricam & minoricam nuncupat. In his primum inuentus eſt vſus fundarum, quibus lapides emittuntur, vnde & Baleares ſunt dictæ. Balin enim Græce emittere dicitur, vnde & Baliſta quaſi miſſa & fundibulum. *Virg. Balearis verbera funda.* Commune eſt inſulis vt promineant, vnde & loca eorum promontoria dicuntur. Sic Saluſtius de Sardinia in Oriente latior prominet quam in Occidente. Sygeum promunctorium vel promontorium Aſiæ, vbi Helleſpontis apertius dilatatur. Dictum eſt autem Sygeum propter Herculis taciturnitatem, quia prohibitus hoſpitio à Laomedonte Troianorum Rege, ſimulauit abſceſſum, & inde contra Troiam cum ſilentio venit, quod dicitur ſige. Maleum promontorium Græciæ, quod intrat mare, & per millia quinquaginta protenditur, vbi vnda ita ſæua eſt, vt perſequi nauigantes videantur. Hoc autem promontorium à Maleo Rege Argiuorum nomen accepit. *Pelorum* promontorium Siciliæ reſpiciens ad Aquilonem ſecundum Saluſtium, dictum à gubernatore Hannibalis illic ſepulto. *Pachinum* promontorium Siciliæ Auſtrum ſpectans ab aeris craſſitudine dictum. Nam ibi aer eſt craſſus & pinguis, Auſtro enim perflatur. *Lilybeum* promontorium Siciliæ ſolis occaſum intendens vocatum ab eiuſdem nominis ciuitate, quæ ibi ſita eſt. *Borion* promontorium Numidiæ vocatum, eo quod Aquilonem intendat. *Calpis* Hiſpaniæ promontorium, &c.

Baleares. *Maiorica. Minorica.* *Maleum.* *Pelorum.* *Pachinum.* *Lilybeum.* *Borion.* *Calpis.*

De tempore & curſu eius.

CAPVT XXII.

Vctor. Dicto de locis habitabilibus, reſtat dicendum de temporibus quibus videlicet decedendo ac ſuccedendo continuè decurrit humana generatio, diuerſis ætatum ſpaciis annorumque voluminibus. *Eſt enim tempus (vt alias dictum eſt) mora rerum mutabilium. Vel ſecundum Ariſtot. numerus motus ſecundum prius & poſterius*, vel ſecundum Auguſt. *creaturæ motus ex alio in aliud conſequentibus rebus ſecundum ordinationem conditoris omnia quæ creauit adminiſtrantis.* Potius ergo tempus à creatura quam à tempore cœpit creatura, quamuis & ipſum tempus ſit creatura. Ab æternitate ſiquidem, vbi nullum eſt tempus fabricantur tempora & modificantur & ordinantur, ipſam æternitatem imitantia, dum cœli conuerſio ad eadem redit, & cœleſtia corpora ad idem reuocantur, diebuſque ac menſibus & annis ac luſtris cæteriſque ſyderum orbibus æqualitatis & vnitatis ordinatio legibus obtemperat. Sic enim (vt ait idem Auguſtinus) Dei legibus in æua ſtantibus, inſtabilis rerum mutabilium motus perturbatus eſſe non ſinitur, freniſque circumeuntium ſæculorum ſemper ad ſimilitudinem ſtabilitatis reuocatur. Itaque ſicut forma nonoſtræ vocis emiſſa præterit, ſilentioque perimitur, & cum ſermo noſter ex verborum prætereuntium deceſſione ac ſucceſſione peragitur, & moderatis ſilentiorum interuallis decenter ſuauiterque diſtinguitur, ita ſe habet etiam temporalium naturæ voluminum infima pulchritudo, vt rerum tranſitu peragatur, & morte naſcentium diſtinguatur. Cuius videlicet pulchritudinis ordinem & modos ſi capere ſenſus noſter atque memoria poſſet, adeo mentis noſtræ conſiderationi placeret, vt ipſos quibus diſtinguitur defectus, nec vocare corruptiones auderemus. Quid autem in eiuſdem pulchritudinis parte laboramus, dum nos fluentia deſerunt temporalia quæ diligimus, & peccatorum pœnas luimus, & æterna diligere commonemur?

Tẽpus quid? *Fluxus temporalium ad æterna hortatur.*

De tribus ſæculi temporibus.

CAPVT XXIII.

SVnt autem humano generi tria tempora ſecundum triplicem ſtatum eius diſtincta, videlicet ante legem, & ſub lege, & ſub gratia. Primo enim poſt lapſum dimiſſus eſt homo ſibi vſque ad tempora Moyſi, & vtebatur tantummodo lege naturali. Poſtea vero per Moyſen data eſt lex ſcripta, qua humana illuminaretur ignorantia. Tandem vero Dei filius miſſus eſt, qui quod lex vtraque non poterat, ſalutem hominibus daret. Magnoque Dei conſilio factum eſt, vt non poſt hominis caſum illico lex daretur, vel Dei filius mitteretur. Nisi enim hominis ſuperbia vires ſuas prius experiretur, ſui libertati arbitrij ſufficientiam arrogaret, & legem ſuperfluè datam, & Dei filium fruſtra veniſſe iudicaret. Ne igitur detrahendi vel murmurandi occaſionem haberet, reliquit eum Deus prius in libertate arbitrij ſub lege naturali, vt ſic vires ſuæ naturæ cognoſceret, vt cum deficeret, nec ſic humiliauit ſe ad poſcendum gratiam, ſed ſuperbe legem ſcriptam legi naturæ adiunctam ſibi ſufficere putans clamabat. Non deeſt qui impleat, ſed qui iubeat. Vt ergo & de ipſa conuinceretur, antequam filium mitteret pater, legem ſcriptam dedit, quæ peccati morbum detexit, non conſumpſit.

Cur aduẽtus Chriſti dilatus?

Qua data etiam morbus inualuit, & infirmitas eſt aucta, non legis, ſed naturæ vitio, & diaboli inſtantia. Talis eſt enim & carnalitas noſtra, vt ardentius deſideret prohibita, quibus non memoratis iaceret quaſi ſopita. Actum eſt hoc diuina prouidentia, vt ſic homo cognita vtriuſque legis iuſufficentia, & infirmitate ſua clamaret ad medicum, & quæreret gratiæ auxilium. Et ita factum eſt, multiplicatæ ſunt enim infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt ad medicum. Hic eſt ille Samaritanus qui per formam ſerui & cõpaſſionem languido appropiauit, eiuſque vulnera ſanauit, quem Sacerdos & Leuita inaniter pertranſibant, quia Sacerdotium & lex vetus neminem ad perfectum adduxit.

Samaritanus bonus.

Hic eſt etiam omnipotens ſermo, qui dum medium ſilentium tenerent omnia, venit à regali ſolio. Primum enim ſilentium fuit ante legem ſcilicet ignorantia languoris. Secundum ſub lege ſcilicet deſperatio curationis. Tertium erit in gloria ſcilicet adeptio ſanitatis. Ante legem namque morbum ſuum homo non agnoſcebat, & ideo remedium non quærens ſilebat. Vt autem lex ſubintrauit, & vulnera ſua languidis oſtendit, mox ruptum eſt ſilentium, & ceperunt ægri poſcere remedium. Sed dum opera legis vbi ſalus non eſt ſanari volebant, quem quærebant inuenire nequiebant. Tandem ergo homo quaſi diuturno clamore fatigatus & deſperans ſecundo ſiluit, & tunc omnipotens ſermo Dei à regalibus ſedibus venit.

Silentia varia.

De mutatione præceptorum & ſacramentorum pro varietate temporum.

CAPVT XXIV.

DIſtinguitur autem (vt ait Auguſtinus) contra Fauſtum, in lege inter præcepta vitæ agendæ ac ſignificandæ, verbi gratia, non concupiſces, præceptum eſt vitæ agendæ, ac circuncides omne maſculinum octauo die, præceptum eſt vitæ ſignificandæ, & ſimilia, quæ illi vtique tempori congruebant, quo illa ſignificarentur ventura, quæ nondum manifeſta erant. Et hæc quidem ſub figuris occultata, tunc & à quibuſdam ſanctis intelligebantur. Nunc autem ſub nouo teſtamento manifeſte reuelata populis prædicantur. Vnde ſcriptura: *Illa vetus tunc erat præceptum, nunc autem teſtimonium.* Siquidem agebantur hæc, tunc ſub præcepto ſignificato, nunc leguntur in teſtimonio reuelato. Nam nec ipſum tabernaculum teſtimonij diceretur, niſi alicui veritati declarandæ ſuo tempore congruentia ſignificationis atteſtaretur. *Lex itaque per Moyſen data eſt, Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Qui vtique non venit legem ſoluere, ſed adimplere. Impletur enim lex vel cum fiunt quæ ibi præcepta ſunt, vel cum exhibẽtur quæ ibi prophetata vel præfigurata ſunt.

Vſus ſcripturæ veteris in noua lege.

Et ipſa

Et ipſa lex cum impleta eſt, gratia & veritas facta eſt, gratia ſiquidem pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem. Et quia per Chriſtum vtrumque, ideo non venit legem ſoluere, ſed adimplere, non vt adderentur legi quæ deerant, ſed vt fierent quæ ſcripta erant, charitas enim eſt plenitudo legis, quæ per Spiritum ſanctum diffuſa eſt in cordibus noſtris. Lex ergo quæ ſuperbos etiam præuaricationis reatu deuinxit, iubendo quod implere non potuerunt, ipſius impletur iuſtitia per gratiam ſpiritus in eos qui à Chriſto eſſe mites & humiles corde diſcunt. Prophetias vero ſic adimpleuit, cum in eo facta eſt veritas Dei, ſcilicet promiſſio, dicente Apoſtolo: *Quotquot enim promiſſiones Dei fuerunt, in illo ſunt.* Itaque ſi ea quæ figuratiua & prænunciatiua futurorum erant, adhuc à Chriſtianis obſeruarentur, ſignificaretur nondum illa veniſſe quæ figuris illis prænunciabantur.

Sacramentorum vſus.

In nullum autem religionis nomen coagulari poſſunt homines ſiue verum ſiue falſum, niſi colligentur aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum conſortio viſibilium. Quorum vtique vis plurimum proficit, & ideo contempta ſacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, ſine quo pietas non perficitur. Proinde prima illa Sacramenta quæ obſeruabantur ex lege, cum aduentu ſuo Chriſtus impleſſet ablata ſunt, & ideo ablata, quia impleta ſunt, aliaque ſunt inſtituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam videlicet iuſtitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis Dei filiis, iugo ſeruitutis ablato, quod duro & carni debito populo congruebat. Illa ergo fuerunt rerum promiſſiones implendarum. Hæc autem ſunt indicia completarum.

Primis tamen Chriſtianis qui crediderant ex Iudæis, donec circa tam diuinam conſuetudinem paulatim perſuaderentur, & ad intellectum perfectum ducerentur, quia ſic nati erant & inſtituti, paternum ritum ſeruare permiſerunt Apoſtoli, vt eorũ congruerent tarditati. Nã & Timothæum Iudæa matre ac Græco patre propter illos ad quos talis cum eo venerat etiam Apoſtolis circuncidit, & ipſe quoque morem huius inter illos cuſtodiuit, non ſimulatione fallaci, ſed conſilio prudenti.

Quibus ceremonialia noxia.

Nec enim ita natis & inſtitutis erat illa noxia, quamuis iam non eſſent futuris ſignificandis neceſſaria. Quoniam potius noxium erat, ea tanquam noxia prohibere, in his vſque ad quos debuerunt durare. Nam Chriſtus qui omnes illas prophetias implere venerat, ſic & eas initiantes inuenerat. Si tamen homines illi in talibus ſpẽ ſuam & ſalutem continere opinarentur, tanquam à certa pernicie vetarentur. Vnde etiam Apoſtolus ait: Si circundamini, Chriſtus nihil vobis proderit. Illi ergo ſoli prohibendi non fuerant ab obſeruationibus huiuſmodi, quos fides reuelata his iam imbutos inuenerat, vt in eis iam conſummaretur actio ipſa prophetica, quos ante impletionem prophetiæ iam tenuerat obſtrictos. Ne ſi & ab ipſis remoueretur, improbata potius quam terminata videretur. Si autem gentibus imponeretur, aut non Chriſti promittendi cauſa inſtituta eſſe, aut adhuc Chriſtum promittere putaretur. Primus itaque Dei populus antequam Chriſtus veniret legem & Prophetas implere, illa omnia quæ hunc promittebant videbatur obſeruare, liberi in eis qui hæc quo pertinerent intelligebant, ſerui autem in eis qui hæc non intelligebant. Poſterior autem populus accedens ad fidem, qua iam Chriſtus veniſſe, paſſus eſſe, & reſurrexiſſe prædicabatur, in his quidem quos iam talibus inſtitutos eadem fides inuenerat, nec illa cogebat obſeruare, nec prohibebat. In his vero qui in illa generis vel conſuetudinis vel congruentiæ neceſſitate retenti crediderant, etiam prohibebantur, vt per illos apparere iam inciperet, illa omnia propter Chriſtum promittendum inſtituta fuiſſe, quo veniente & hæc promiſſa implente iam oportet ceſſare.

De incremento humanæ iuſtitiæ per temporis proceſſum.

CAPVT XXV.

SEd nunquid non obſeruant Chriſtiani quod in ipſa lege ſcriptum eſt: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt, & illud, non accipies nomen Dei tui in vanum, & cætera quæ ſequuntur. Vtique nam hæc ſunt præcepta morum, illa vero Sacramenta promiſſorum. Hęc implentur per adiuuantem gratiam, illa vero per veritatem redditam. Vtraque (ſicut dictum eſt) per Chriſtum, & illam gratiam ſemper donantem, nunc reuelantem, & illam veritatem tunc promittentem, nunc exhibentem. Non itaque (ſicut Fauſtus opinatur) quædam antiquis iuſtis ante Moyſen iam dicta impleuit Dominus Ieſus, quædam vero ſoluit, quæ propria videbantur illius. Sed quia non intelligebant homines homicidium, niſi peremptionem corporis humani, aperuit Dominus omnem motum iniquum ad nocendum fratri, & homicidij culpæ deputari. Et quia putabant tandummodo corporalem cum fœmina commixtionem illam vocari mœchiam, demonſtrauit etiam magiſter nihil aliud eſſe concupiſcentiam talem. Item periurare graue peccatum eſt, non iurare autem ſicut vere iurare nullum eſt peccatum, ſed longius remotus eſt à falſo iurando, qui nec iurare conſueuit, quam qui verum iurare proclinus eſt, malunt nos Dominus & non iurantes non recedere à vero, quam verum iurantes propinquare periurio.

Perfectio legis Euangelica.

Ea quoque regula docetur non eſſe contrarium, quod antiquis dictum eſt Oderis inimicum tuum. Et in Euangelio: Diligite inimicos veſtros quod omnis iniquus homo inquantum iniquus eſt odio habendus, inquantum autem homo eſt, diligendus eſt, vt illud quod in eo odimus arguamus, id eſt, vitium, quo poſſit id quod in eo diligimus, id eſt, natura humana, vitio emendato liberari. Hæc inquam regula eſt, qua & oderimus inimicum, propter id quod in eo malum eſt, id eſt, iniquitatem, & diligamus propter id quod in eo bonum eſt, id eſt, ipſam rationalem ſocialemque creaturam. Audito enim & non intellecto quod dictum eſt, oderis inimicum tuum, ferebãtur homines in hominis odium, cum deberent non odiſſe niſi vitium. Dominus autem iubẽdo inimicos diligere cogit nos intelligere, quomodo poſſumus eundem hominem odiſſe propter culpam, & diligere propter naturam. Et quoque quod dictũ eſt, oculum pro oculo, non eſt contrarium huic quod ait Dominus: Ego autem dico vobis nõ reſiſtere malo &c. Illud autem antiquum ad reprimendum odiorum flammas, & ad immoderatos ſæuientes animos refrenandos eſt præceptum. Quis enim facile contentus eſt tantum rependere vindictæ quantum accepit iniuriæ. Videmus homines leuiter læſos cædem moliri, & vix inuenire vnde ſatientur in malis inimici.

Lex talionis limes furoris.

Huic ergo immoderatæ ac per hoc iniuſtæ vltioni lex modum iuſtum præfigens pœnam inſtituit talionis, vt oculum pro oculo, dentem pro dente, non vt eſſet fomes, ſed limes furoris, non vt quod erat ſopitum hinc accenderetur, ſed ne quod ardebat vltra extenderetur. Impoſita eſt enim quædam vindicta, quæ iniurianti iuſte debetur, propter quod vtique cum ignoſcimus, de quodam iure noſtro largimur. Quod autem debetur & ſi benigne dimittitur, non tamen iniquè repetitur. Sed ſicut etiam admonitio non iurandi cõſeruatio eſt à peccato periurij, ſic admonitio vindictam debitam non exigendi, conſeruatio eſt à peccato vlta debitum vindicandi. Hoc etiam ipſum de donanda omnino vindicta valet ad illud, vt nobis à Deo dimitti mereamur dimittendo huiuſmodi debita. Sed duro populo lex prius adhibuit modum, quo diſceret non egredi debitum, vt ira edomata, quæ ad immoderatam vindictam rapit, iam qui vellet tranquillus attenderet, quid ipſe deberet quod à Domino ſibi relaxari cuperet, vt hac conſideratione conſeruo debitum relaxaret.

Itaque

Phariſæorũ iuſtitia & perfecta iuſtitia.

Itaque ſicut dicit *Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte:* Phariſæorum iuſtitia eſt modum in vindicta non excedere, hoc eſt, vt non plus quiſque rependat quam accepit iniuriæ. Et hæc eſt pacis inchoatio, perfecta vero pax eſt, nullam velle vindictam omnino. Inter illud ergo quod præter legem ſcilicet, maius malum pro minori reddi, & illud quod perficiendis diſcipulis Dominus dicit: Non malum pró malo reddi, medium locum tenet, vt tantum reddatur quantum acceptum eſt, per quod à ſumma diſcordia ad ſummam concordiam pro temporum diſtributione tranſitus factus eſt. Parumque videtur adhuc Domino ſi malum pro malo non reddideris, niſi rependas quod acceperis, niſi etiam amplius accipere paratus ſis. Vnde ſi quis ait te percuſſerit in dextra m maxillam, præbe illi & alteram. Præterea ſicut dicit *Hieronymus ſuper Ezechielem.* Vide quoque in alio iuſtitiæ profectum per temporis proceſſum. In principio ſiquidem legis, à fratribus tantummodo fœnus tollitur, in Propheta vero ab omnibus vſura recipi prohibetur, vbi ſcil. iuſtus pecuniam ſuam ad vſuram non dediſſe commendatur. Porro virtutis augmentum eſt in Euangelio, dicente Domino: *Mutuum date nihil inde ſperantes.*

De ſex ætatibus ſæculi.

CAPVT XXVI.

Sex ætates.

SIcut autem ſex diebus Deus opera ſua omnia conſummauit, & ſeptimo requieuit, ita ſex ætatibus humanum genus in hoc ſæculo per ſucceſſiones temporum operibus ſuis inſigniuit, & in 7. ſanctos à laboribus ſuis in ſeipſo requieſcere voluit. *Prima ætas* ab Adã vſque ad Noe fluxit. *Secunda* à Noe vſque ad Abrahã. *Tertia* ab Abraham vſque ad Dauid. *Quarta* à Dauid vſque ad tranſmigrationem populi Hebræorum in Babyloniam. *Quinta* deinde vſque ad Domini aduentum. *Sexta* quam nunc agimus vſque quo mundus finiatur, & excel us veniat ad iudicium. *Septima* vero intelligitur in requie ſanctorum. Quæ veſperam non habet, quia iam nullus eam terminus claudet. Tunc etiam requieſcent ab omnibus operibus ſuis hi quibus dictum eſt. Eſtote perfecti ſicut & pater veſter cęleſtis perfectus eſt.

Sex ætates hominis vt mundi.

Sex ergo mundus ætatibus ſicut & hominis vita diſtinguitur. *Prima ſcil infantia*, quaſi quodam diluuio lubricæ obliuionis obruitur, vt non videatur in poſterum, nec vlla eius veſtigia relinquantur. *Secunda id eſt, puerilis* primum de diluuio obliuionis ad ſenſum exiens, per ſuperbiam erigitur, ac per concupiſcentiam diuiditur & diſpergitur. *Tertia, id eſt, adoleſcentia* primum per cohibitionem diſciplinæ circunciditur. Deinde præceptis informatur, conſilio regitur. *Quarta, id eſt, iuuentus* ſeruire iam cogitur, & regimini ſubiicitur, vt per timorem hominis timor diuinus addiſcatur. *Quinta, id eſt, virilis* ad timorem diuinum venit, poſt timorem hominis. *Sexta, id eſt, ſenectus* tanquam itura futurorum concupiſcentia trahitur. Sic ergo genus humanum primo quidem diluuio eſt obrutum. Secundo in ędificatione turris elatum, & in diuiſione linguarum diſperſum. Tertio in Abraham circunciſum & in Moyſe præceptis informatum, ſub iudicibus quoq; conſilio gubernatum. Quarto ſub regibus dominationi ſubiectum. Quinto ſub pontificibus religioni parens. Sexto ſub gratia vera in bonitate illuſtratum.

Chronica primæ ætatis.

CAPVT XXVII.

Prima ætas.

PRima quidem ætas in exordio ſui continet creationem mundi: primo enim die Deus in lucis nomine condidit angelos, ſecundo in firmamenti appellatione, cœlos, tertio in diſcretionis nomine, ſpeciem aquæ & terræ, quarto cœli luminaria, quinto animantia ex aqua, ſexto animantia ex terra, & etiam hominem quem appellauit, Adam. Adam ex agro Damaſceno in paradiſum tranſlato, & ex latere dormientis Eua formata, ambo vt creditur ipſo die ſuæ creationis circa meridiem præuaricati ſunt, & paulopoſt circa horam nonam eiecti ſunt. Proiecti ergo in exilium currunt ad humanum ſolacium, vírgines de paradiſo egreſſi ſunt; & ex tunc carnaliter coierunt. Anno itaque vitę Adam 15. natus eſt ei Cayn, & ſoror eius Ealmana. Poſt alios autem 15. natus eſt ei Abel, & ſoror eius Delbora. Ab Abel dicitur incæpiſſe Eccleſia, quia ſi ab Adã incepiſſet non fuiſſet cõtinua, & quia in Cayn ſæuire cæpit in ſanctos reproborũ malitia. In Abel vero proficere vita ſanctorum & patientia. Adam itaque poſt mortem Abel vehementer amore prolis ardeſcens, cognouit vxorem & genuit *Seth*, cum eſſet 119. annorum, ſecundum Hebraicam veritatem. Qui ſcilicet Seth genuit Enos anno ætatis ſuæ 105. ab initio vero mundi 225. Enos genuit Caynan, anno ætatis ſuæ 90. mundi vero 325. Caynan genuit Malaleel anno ætatis ſuæ 70. mundi vero 395. Malaleel genuit Iared anno ætatis ſuæ 65. mundi vero 460. Iared genuit Enoch anno ætatis ſuæ 162. mundi vero 622. Enoch genuit Matuſalem anno ætatis ſuæ 65 mundi vero 687. Poſt hæc vero cum eſſet Enoch 385. annorum tranſlatus eſt diuinitus in paradiſum voluptatis ad tempus, vt in fine temporum cum Helia veniat, & corda filiorum ad patres conuertat, hic enim 7. in generatione piorum ſcilicet filiorum Seth fuit optimus, ſicut Lamech in generatione impiorum, ſcilicet filiorum Cayn fuit peſſimus. Matuſalem genuit Lamech anno ætatis ſuæ 186. mundi vero 874. Lamech genuit Noe anno ætatis ſuæ 182. mundi vero 1056. Noe vero genuit Sem anno ætatis ſuæ 500. mundi vero 1556. Tunc inundante malitia hominum præcepit Dominus arcam fabricari 100. annis ante diluuium qui dati ſunt eis ad pœnitendum. Denique non ceſſantibus peccatis hominum inundauit aquæ diluuium anno Sem 100. Noe vero 600. Ab initio autem mundi 1656. Et tunc prima ætas mundi eſt terminata, quaſi infantia obliuioni data, & initium habuit ſecunda.

Cain. *Abel.* *Seth.* *Enos.* *Enoch tranſlatus.* *Noe.*

Chronica ſecundæ ætatis.

CAPVT XXVIII.

Secũda ætas.

SEm vixit poſt diluuium annis duobus antequam generaret Arphaxat ſcilicet anno mundi 1658. huius tempore accidit poſt diluuium illa famoſa ebrietas patri ſui Noe, cuius occaſione idem pater ſibi & fratri ſuo Iaphet pro honeſta verecundia in honore paterno benedixit: Tertio vero filio ſcilicet Cham pro impudenti patris irriſione in filio ſuo primogenito Chanaam maledixit. Texuntur autem ex tribus filiis Noe generationes 72. ſcilicet 15. de Iaphet 30. de Cham. 17. de Sem. Quin etiam ex tribus illis adhuc viuente Noe iuxta Philonem nati ſunt 24. milia virorum, & 100. extra mulieres & paruulos. Arphaxat autem genuit Sale anno ætatis ſuæ 35. ætatis autem mundi ſecundæ 37. Ab initio vero mundi 1693. Sale vero, genuit Heber, anno vitæ ſuæ 30. Ætatis ſecundæ 67. mundi vero 1727. Sub his duobus ſcil. Arphaxat & Sale nihil in mundo famoſum legitur eueniſſe. Heber autẽ genuit Phalech, anno vitę ſuæ 34. Ætatis ſecundę 101. mundi vero 1757. Ab Heber ſecundum Ioſephum dicti ſunt Hebræi. Nã & in domo eius ſola remãſit lingua Hebræa, huius quoque filius nomen habuit ab euentu ſcilicet Phalech, id eſt, diuiſio: quia in diebus eius diuiſa eſt terra, Phalech autem cum eſſet annorum 30. genuit Reu vel Ragau, anno ſcilicet ætatis ſecundæ 131. mundi vero 1787. Sub Ragau regnum Scytharum exortum eſt. Reu vero qui & Ragau cum eſſet annorum 32. genuit Saruch ſcilicet anno ſecundæ ætatis 163. mundi vero 1819. Sub hoc ortum eſt regnum Ægypti. Saruch cum eſſet annorum 30. genuit Nachor, anno ſcilicet ætatis ſecundæ 193. mundi vero 1849. Sub hoc orta ſunt duo regna ſcilicet Aſſyriorum & Sicioniorium. Nachor cum eſſet annorum 29. genuit Tharam anno ſcil. ętatis ſecundę 222. mundi vero 1878. In Thare terminatur ſecũda ætas, quę

Noe ebrius. *Hebræi ab Heber.* *Scythia.*

tamen

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tamen vſque ad ortum Abrahæ extenditur,id eſt,vſque ad annum Thare 70.& habuit annos 292. prima autem habuit 1656. Sicque ab initio mundi yſque ad ortum Abrahæ fluxerunt anni 1948.

Chronica tertiæ ætatis.

CAPVT XXIX.

THare ergo cum eſſet 70. annorum genuit Abraham in quo tertia ætas habuit initium, huius anno ſeptimo Ninus Rex Aſſyriorum condidit ciuitatem Niniuem,qui etiam Zoroaſtrem Bactrianorum Regem magicę artis inuentorem deuicit,ac libros eius combuſſit. Idem in ſolatium doloris imaginem patris ſui mortui faciens idolatriam inſtituit. Nam ad huiuſmodi imaginum cultum prouocauerunt homines tria ſci. affectio erga morientes,timor & adulatio erga Reges,diligentia artificum in ſculpendo & depingendo imagines. Cumque eſſet Abraham annorum circiter 75. ad imperium Domini tranſiuit in terram Chanaam relicta patria ſua & gente,acceptaque promiſſione ſeminis,ac terræ poſſidendæ. Deinde per inflammationem ſacrificij, ſigno promiſſionis implendæ diuinitus accepto, primo quidem ſuſcepit filium Iſmaelem de ancilla cum eſſet annorum 86. Poſtea vero certam promiſſionem ſeminis de libera, mutationem quoque ſui nominis,& caracterem circunciſionis,cum iam eſſet 99.annorũ. Iterumq; Dominus ei per ſibi ſubiectam creaturam angelicã ſub myſtico ternarij numero apparuit filiumque de Sara repromiſit, moxque Pentapolim ſubuertit, & precibus Abrahæ Loth liberauit.

Ninus.

Tres cauſæ idololatriæ.

Chronica ab ortu Iſaac vſque ad mortem Ioſeph.

CAPVT XXX.

IGitur Abraham cum eſſet centum annorum eiuſque corpus naturaliter emortuum ad generandum: Sara vero ſterilis & nonagenaria, iuxta repromiſſionem natus eſt eis Iſaac anno ſcil. ab inſtitutione circunciſionis ſecundo ab ortu Iſmahelis 14. Ab initio vero mundi ſecundi 1048. Iſaac quadragenarius vxorem de genere ſuo Rebeccam duxit, & poſt promiſſionem diuinitus acceptam duos gemellos,id eſt,Eſau & Iacob cum iam eſſet ſexagenarius ille ſuſcepit,anno videlicet ętatis tertiæ 160. mundi vero ſecundi 1108. In quo ſcilicet anno regnum Argiuorum exortum eſt ſub Inacho primo Rege.

Iacob fratris ſupplantator,iram illius fugiens ſcalam ad Cœlum erectam per ſomnum vidit,eiuſque ſummitati Dominum innitentem & terram itidem ad benedictionem ſeminis promittentem audiuit. Inde procedens in Syriam ad Laban 14. annis pro duabus filiabus eius ſeruiuit, ex quibus & earum ancillis duodecim filios & vnam filiam ſuſcepit. Ioſeph itaque natus de Rachel anno patris ſui 90. Tertiæ ætatis 250. mundi vero ſecundi milleſimo centeſimo nonageſimo octauo, cum ſedecim eſſet annorum paſcens gregem in inuidiam & odium fratrum incurrit propter familiarem erga ſe patris dilectionem, & propter ſomniorum narrationem, & fratrum accuſationem. Ideo venditus ab eis ductus eſt in Ægyptum, ibique per ſomniorum expoſitionem coram Pharaone diuinitus exaltatus,anno ſc. ætatis ſuæ 30.patris vero ſui, 121. Inter hæc Apis Rex Argiuorum nauibus tranſuectus in Ægyptũ Memphin condidit, & tãdem mortuus factus eſt maximus Ægyptioruũ Deus, ac Serapis dictus. Denique Iacob ad mandatum Ioſeph anno 2. famis cum familia ſua deſcendit in Ægyptum, & in conſpectu Pharaonis ab ipſo introductus eſt cum eſſet 130.annorum. Ioſeph ſepulto patre tandem & ipſe obiit,cum eſſet 110.annorum. Anno videlicet ſui ducatus 80. Ætatis tertiæ 361.mundi vero ſecundi milleſimo 309. Poſt eius obitum incepit ſeruitus Hebręorum,quę perduraſſe legitur 154.annis,vt impleatur numerus 430 annorum à prima promiſſione Abrahæ,vſque ad datio-nem legis.

Iſaac, Rebecca.

Inachi regnum. Iacob.

Ioſeph.

Memphis condita.

Serapis.

Tempora Moyſi vſque ad exitum Ægypti.

CAPVT XXXI.

HVius ſcilicet ſeruitutis,anno 64.qui fuit ętatis tertiæ 425. Mundi vero ſecundi milleſimo 373.natus eſt Moyſes ex Amram & Iacobe de tribu Leui,regnante in Ægypto Ammenone qui fuit 8. à Pharaone illo qui ſublimauit Ioſeph, hic cum eſſet 80 annorum, Aaron autem frater eius 83. Ducatum populi ſuſcepit quem per ſigna & portenta de Ægypto educens leges ei in eremo per annos 40.dedit. In hoc autem primo anno ducatus eius,finem habuit ſeruitus Hebræorum,in exitu ſcilicet de Ægypto,quæ durauerat à tempore mortis Ioſeph,annis 144. Finita quoque eſt eorum peregrinatio in terra aliena,quæ prædicta fuerat, Abrahæ ſcilicet annorum 430. Cum ergo legitur in Exodo quod habitatio eorum in Ægypto fuit 430.annorum,nomine Ægypti intelligitur omnis incolatus eorum qui cępit à prima promiſſione facta Abrahæ, in via Meſopotamiæ à qua vſque ad legem datam,tot anni fluxerunt, vt in Epiſtola ad Galathas legitur,& in actibus Apoſtolorum idem numerus ponitur. In Geneſi tamen ad Abraham dicitur, quod futurum ſit genus eius peregrinum annis 400. Sed illi incipiunt ab ortu Iſaac in quo promiſſum eſt ſemen: Natus eſt enim 25.annis poſtquam facta eſt illa promiſſio ſcil.anno Abrahæ c. quibus ſubtractis de præfato numero,remanent 405,ſed ibi ſcripta more ſuo prætermittit illum quinarium, quæ plerumque nõ facit vim in minutiis numerorum. Fuerunt autem Hebręi in Ægypto 215.annis, qui ab eodem tempore computantur,quo Iacob in Ægyptum deſcendit cum filiis.

Explicit atas Pauli dicit ũ de mora populi in Ægypto.

Tempora ab exitu Ægypti vſque ad mortem Moyſi.

CAPVT XXXII.

IGitur aſcenderunt celebrato phaſe, 14. nocte primi menſis,id eſt,lunationis Aprilis propter plagam primogenitorum vrgentibus eos Ægyptiis. Die vero prima tertij menſis,id eſt, Iunij venerũt ad montem Synai 47.ſcil.die à phaſe. In exponendo enim ſcripturas 30. dies pro menſe ponimus,tanquam inter lunares & ſolares menſes viam mediam eligentes, lunares enim infra triceſimum quidem inueniuntur,ſed vltra non, Solares vero plures hunc numerum excedunt. A phaſe ergo reſtabant ſedecim dies menſis primi, & poſtea fluxerunt 30.ſecundi. Vnde reſtat quod dies Iunij prima ſit à phaſe 47. Tunc iubente Domino Moyſes populum biduo ſanctificauit,& die tertio qui fuit à phaſe 50.populo ſtãte ad radicem montis,& audiente,legem à Domino accepit. Anno ſecundo ab egreſſu ex Ægypto prima die menſis primi, Moyſes tabernaculum erexit, & gloria Domini illud operuit per nubem in die, per ignem in nocte. Inde Dominus Moyſen vocauit, legem ſacrificiorum tradidit, poſt hoc autem eodem anno, 20. die ſecundi menſis eleuata eſt nubes de tabernaculo fœderis, & moti ſunt de monte Synai vt irent in terram promiſſinis.

Lex data.

Sed quia murmurãntes & tentantes Dominum multotiens ipſum contra ſe exacerbauerunt, ac terræ ſibi promiſſæ detraxerunt, iuxta numerum dierum quibus duo exploratores eandem terram conſideraverunt,40, annis impediti, per deſertum circumierunt, donec omnes qui ſigna Domini viderant in Ægypto à 20. annis & ſupra præter Caleph & Ioſue qui pro parte Domini ſteterant, mortui ſunt. Sicque enim terram illam etiam ipſe Moyſes totius populi Dux, & Aaron ſummus Pontifex non intrauerunt,quoniam ipſi ad aquas contradictionis turbati murmurante populo diffidenter egerunt. Moyſes ergo, 40. anno ab exitu de Ægypto videns ſibi diem mortis imminere, omnem

Exploratio terræ.

populum

populum ad Iordanem conuocauit, eiſque Dei beneficia atque præcepta recapitulauit. Tandem vero datis benedictionibus omnium tribuum, conſideratáque terra promiſſionis de monte phaſga mortuus eſt cum eſſet 120.annorũ. Huius temporibus regnũ Athenienſiũ exordium habuit à Cecrope Rege, qui primũ bouem immolans Iouem appellauit, factum eſt ſub Deucalione diluuium in Theſſalia, incendium à Phaetonte in Æthiopia, multæque peſtilentiæ locales, vt Plato refert, in quoque Inachi filiæ Iuppiter mixtus eſt. Hercules in Phœnice claruit qui Deſanaus dictus eſt. Apolliniſque Delij templum fabricatum eſt, hoc etiam tempore in Creta regnauit Abderas, qui & vrbem condidit eius nominis ſcilicet Abderam. Octogenarius, vt ſupra dictum eſt, Moyſes ducatum popul ſuſcepit, & annis 40. populum rexit. Itaque Pentateuchus Moyſi duorum milium 493. annorum hiſtoriam comprehendit.

Deucalionis diluuium.

Pentateuchus

Chronica temporum Ioſue & Iudicum.

CAPVT XXXIII.

IOſue Moyſi ſucceſſit anno egreſſionis Ægypti 41. Ætatis autem tertiæ 546. mundi vero ſecundi 1494. hic confortatus à Domino per arentem Iordanis alueũ Hebræos tranſduxit, & expugnatis Chananeis terram 12.tribubus ſorte diſtribuit. Tandem & ipſe mortuus eſt cum 110.annorum eſſet. Erat annorum 44. quando Moyſen acceſſit, eique 40. annis in deſerto ſeruiunt. Vnde colligitur, quod 25.annis populum trans Iordanem rexit. Tempore ducatus Ioſue Cath filius Hermetis Triſmegiſti dignoſcitur fuiſſe, Phœnix & Cathinus de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum & Sidonem regnauerunt. Europæ Phœnicis filiæ Iuppiter mixtus eſt, quam poſtmodum Aſterius Cretenſium Rex vxorem accepit, & ex ea Minoem procreauit, qui ſcilicet Minos poſtmodum in Creta regnauit. Poſt Moyſen & Ioſue duces, ſucceſſerunt in populo iudices, qui nil iuris habentes in eo, nequaquam vt illi principabantur, ſed in tribulationibus eorum conſilio & prudentia populus vtebatur. Sciendum eſt autem quod in Chronica Iudicum varia eſt computatio annorum. Siquidem in libro Iudicum plerumque inter duos Iudices ponitur tempus afflictionis Iudæorum. Quarum videlicet afflictionum tempora ſecundũ Hebræos annis poſteriorum Iudicum aggregantur vt habeatur præciſe numerus annorum 453. ab egreſſu Ægypti vſque ad ædificationem templi qui in tertio Regum computantur. Itaque poſt mortem Ioſue Iudæos alienigenę annis octo ſubiectos tenuerunt, qui temporibus Othoniel primi Iudicis ſecundum Hebræos adiuncti ſunt. Iterum inter Othoniel & Aoth anni ſeruitutis 108. leguntur, qui temporibus Aoth ſecundum eos copulantur; Similiter poſt Aoth 20. poſt Deboram 7. poſt Iair 18. poſt Abdon 40. qui omnes ſimul computati 111. ſunt. Denique ſi ab annis Iudicum ſeparati cum eis numerentur, ab egreſſu Ægypti vſque ad fundationem Templi 600. & vnum reperiuntur anni, computatis ſcilicet annis 10. ab Ialon qui in 70. non habentur. Nos autem Euſebium Chronographum & Hebræos ex parte ſequentes ſic annos Iudicum numerabimus, vt minorem illum numerum præſciſſe qui in tertio Regum legitur, habeamus.

Iudices non principabantur in populo

Anni ab egreſſu Ægypti ad templi adificationẽ.

Chronica ab Othoniel vſque ad Iephte.

CAPVT XXXIV.

EOrum ergo primus Othoniel frater Caleph ex tribu Iuda iudicauit populum annis 40. Cæpit anno egreſſionis Ægypti 65, Ætatis tertiæ 572. mundi vero 2520. Hic liberauit Iſrael de manu Regis Meſopotamię Syriæ. Huius temporibus regnauit Athenienſium quintus Pandion Erichthonij filius, cuius filiæ fuerunt Progne & Philomena. Cathinus vero Thebis regnauit ex cuius filia Semele natus eſt Dionyſius, id eſt, Liber pater, ſub quo & Lurus Thebæus muſicus fuit. Ea quoque de Demetria dicuntur quam Iſidem eſſe aiunt, & Danae ex qua Perſeus naſcitur, his temporibus geſta ſunt. Poſt hunc Aoth cępit anno ætatis tertiæ 612. mundi vero 2540. & iudicauit populum annis 80. Huius temporibus Athenis 7. regnauit Erichtheus, cuius filiam Orithiam, Boreas, Thrax, rapuit quem fabula ventum fuiſſe confingit. Fabula quoque Proſerpinæ huius temporis fuit.

Semele.

Poſt hoc Sangar contra Philiſtæos Iſrael defendit, ſed eodem anno vitam finiuit. Poſt hoc Debora & Barach cæperunt anno ætatis tertiæ 692. mundi vero 2640. & iudicauerunt annis 40. his temporibus Mida regnauit in Phrygia. Ilium ab Ilo condita eſt, Argiuorum regnum defecit, & in Micænas tranſlatum eſt vbi primùm Perſeus regnauit, deinde Euriſtheus Anicus & Thieſtes, Agamemnon, Egiſeus, Oreſtes &c. Poſt Deboram quoque Gedeon qui & Ierobaal dictus eſt, iudicauit Iſrael annis 40. Cæpit anno ætatis tertiæ 732. mundi vero 2680. huius temporibus Orpheus Thrax habetur clarus, cuius diſcipulus fuit Muſæus, Linus quoque magiſter Herculis omnibus efficitur notus. Hercules certamina conſummat, Anthæum interficit, Ilium vaſtat. Poſt Gedeonem filius eius Abimelech cœpit anno ætatis tertiæ 772. mundi vero 2720. & regnauit in Sichen annis tribus. Thola cępit anno ætatis tertiæ 775. mundi vero 2723. & iudicauit annis 23. huius temporis ſunt ea quæ de Minotauro dicuntur. Theſeus Athenięſium Rex Helenam rapit, qui contra Thebas dimicauit. Iair cępit anno ætatis tertiæ 798. mundi vero 2746. & iudicauit annis 22. Eo tempore Minos leges & iura conſtituit. Hercules Agonem Olympicum inſtituit, Theſeus Athenas profugus dereliquit.

Sangar.

Gedeon.

Orpheus.

Theſeus.

Chronica Iephte vſque ad Dauid.

CAPVT XXXV.

IEphtæ cæpit anno ætatis tertiæ 820. mundi vero 2778, & iudicauit annis 6. Eo tempore Menelaus in Lacedęmone regnauit, Agamemnon Mycenis imperauit. Hercules in morbum peſtilentem incidens ob doloris remedium flammis ſe iniecit. Alexander qui & Paris Helenam rapuit, & Troianum bellum decennale ſurrexit. Abeſan cæpit anno ætatis tertiæ 826. mundi vero 2724. & iudicauit annis 7. Poſt hæc Abialon annis 10. Sed iſte cum annis ſuis in 70. non habetur. Pro cuius damno ſupplendo Euſebius Ioſue & Samueli quorum annos ſcriptura non exprimit plures annos quam in Ioſepho legerat annotauit, vt ab egreſſu ex Ægypto vſque ad ædificationem Templi 430. annorum ſummam quã ſcriptura prędicat haberet. Poſt hunc Abdon cępit iuxta Euſebium eo anno quo ſupra diximus cæpiſſe Abialon, annis ſcilicet eiuſdem Abialon prætermiſſis & iudicauit annis 8. huius anno tertio qui fuit, Agamẽnonis Mycenarum regis 15. ſecundum Euſebium capta eſt Troia. Vnde Græci ad gloriam victoriæ ſuæ ex tunc annotare tempora ſua cęperunt à captiuitate Troiæ.

Bellũ Troianum.

Primus itaque Rex Latinorum poſt captam Troiã fuit Æneas, ante quem Ianus Saturnus ac cæteri iam regnauerant annis circiter 150. Poſt hæc cępit Samſon anno iuxta Euſebium ætatis tertiæ 741. mundi vero 2789. & iudicauit annis 20. hoc tempore ea quæ de Vlyſſe fabulæ ferunt ſcribit Palephatus. Aſcanius Æneę filius Albam condidit. Pirrhus ab Oreſte Delphis occiditur in templo Apollinis. Quidam etiam tunc Homerum poetam græcum fuiſſe dicunt. Poſt Samſonem Hely qui & ſacerdos à digniori officio agnominatus eſt. Cępit anno ętatis tertię 861. mundi 2. & iudicauit annis 40. huius temporibus vigente fame peregrinatus eſt Elimelech cum vxore & filiis de Bethleem in regionem Moab. Sub Hely Samuel natus puer in templo miniſtrauit, & anno 12. pleno, vt ait Ioſephus, prophetauit, Arca Domini capta eſt. Eo tempore filij Hectoris Ilium

Æneas.

Heli Iudex.

Samuel.

ceperunt

ceperunt expulſis Antenoris poſteris. Samueli quoque & Sauli poſt mortem Hely ſimul annotantur anni 40. Seneſcente Samuele populoque regem pertinaciter poſtulante, Saul de tribu Beniamin vir bonus ab humero & ſu ſum eminens ſuper omnem populum diuino nutu eligitur, & à Samuele inungitur. Sed quia domino & Samueli inobediens fuit, à domino reprobari meruit, huius temporibus à quibuſdam fuiſſe putatur Homerus. *Homerus.* Duo regna exordium habuerunt Lacedemoniorum ſcilicet & Corinthiorum. Athenienſium vero 17. hoc tempore regnauit Codrus. A Saule quoque cęperunt in Iſrael tempora regum, & à Samuele tempora nominatorum prophetarum. *Reges. Saul.* Viuente quidem Samuele Saul annis 18. regnauit, & eo mortuo duobus, annos eorum tamen ſacra ſcriptura non annotauit. In morte Saulis terminatur ætas ſæculi tertia, habens 940.

Tempora Dauid & Salomonis.

CAPVT XXXVI.

Dauid. DAuid itaque primus ex tribu Iuda regnauit apud Hebræos annis 40. In ipſo regni eius principio exordium habuit quarta ætas, non vt quidam volunt pro regni Iudæorum initio, cum inchoatum eſſet à Saule, ſed pro innouatione promiſſionis olim patribus factæ de Chriſto & regno Chriſtiano. Siquidem iurauit dominus Dauid veritatem de fructu ventris eius ſeſſuro ſuper ſedem ſuã. Cæpit autẽ anno ab egreſſione Ægypti 426. A natiuitate autem Abrahæ 941. Ab initio vero mundi 2889. Et regnauit primo quidem in Hebron ſuper tribum Iuda 7. annis, Poſtmodũ in Hieruſalem ſuper omnem Iſrael 35. annis, huius temporibus prophetauerunt Gad & Nathan & Aſaph. *Gad, Nathan, Aſaph.* Codrus Athenienſis iuxta reſponſum, ſeipſum morti tradens bello peloponeſiaco interemptus eſt, in quo Eriƈtidarum regnum deſtructum eſt.

Salomon regnare cæpit anno ætatis quartæ 41. Ab initio vero ſæculi 2900. Et regnauit annis 40. Hic filiam Pharaonis regis Ægypti ſibi deſponſauit. *Salomon 9. anno genuit filium.* De qua, vt dicunt. Hebræi, cum adhuc 9. annum ageret contra naturam filium genuit, & in oratione ſua ſapientiam quam cæteris omnibus donis prępoſuit à domino impetrauit. Anno regni ſui quarto qui fuit 480. egreſſionis Iſrael ex Ægypto, menſe Maio templum domini ædificare cępit. In anno 11. menſe Octobri conſumauit, ita quod in ſeptem annis & ſex menſibus ipſum cum ſuis vtenſilibus compleuit. Poſtea domum ſuam regalem ædificare cępit, quam per annos tredecim vix compleuit. Itaque operibus ſuis, & ſapientia, atque diuitiarum gloria vbique nominatus, tandem per mulieres alienigenas deprauatus, vſque ad idolorum culturam deſipuit. Habuit enim vxores 700. & concubinas 300. Ideoque dominus & aduerſarios ei adhuc viuẽti ſuſcitauit, & regnum eius poſt mortem ſcindendum prædixit. *Salomonem pœnituit.* Sicque qui prius ſecundum nomen ſuum pacem habebat, vndique per circuitum vitam in tribulatione finiuit. Dicunt tamen Hebræi quod ante mortem pœnituit, & ob hoc librum de contemptu mundi qui eccleſiaſtes dicitur cõpoſuit. Huius temporibus Sadoch & Ahyas ſylonites prophetizauerunt, quidam etiam Homerum & Heſiodum eo tempore fuiſſe dicunt.

Chronica à Roboam vſque ad Oziam.

CAPVT XXXVII.

POſt mortem Salomonis regno bifariam diuiſo, ſuper duas tribus Iudam ſcilicet & Beniamin regnauit in Hieruſalem, Salomonis filius Roboam, & ſuper decẽ tribus in Samaria ſeruus eiuſdẽ de tribu Ephraim Ieroboam. Cæpit itaque Roboam anno quartæ ætatis 81. mundi vero 2969. & regnauit 17. annis. Anno quinto regni eius Seſach Rex Ægypti Hieruſalem aſcendit, & templum ſpoliauit. *Roboam.* Roboã ſucceſſit Abia filius eius anno quartæ ætatis 98. mundi vero 2987. & regnauit annis tribus, hic patris malitiam imitatus, habuit & ipſe aduerſarium Ieroboam, ſicut & pater eius, huic quoque ſucceſſit filius eius Aſa, anno quartæ ætatis 101. mũdi vero 2989. & regnauit annis 40. huius temporibus prophetauerunt Ahias & Anani & Iehu filius Anani, & Azariasfilius Obed. Ioſaphat filius Aſa cępit anno quartæ ætatis 142. mundi vero 3030. & regnauit annis 25. huius temporibus regnauerunt in Samaria primo quidem Achab peſſimus idololatra, deinde filius eius Ochozias, prophetauerunt autem Helias Theſbites, & Abdias, & Ieheu filius Anani, Micheas filius Hiemla, & Iaziel filius Zachariæ, & Eliezer filius Dodam. Eo quoque tempore agrippa apud latinos regnante Homerus poeta in Græcia claruit, vt teſtatur Appollodorus grammaticus, & Euphorbius hiſtoricus.

Ioram cæpit anno quartę ætatis 167. mundi vero 3055. & regnauit annis 8. Huius temporibus Helias in cælum per turbinem aſcendit, cuius ſpiritus duplex id eſt ad duo ſibi datus ſcilicet ad prophetiam & miracula ſuper Helyſæum requieuit. *Ioram.* Mortuo Ioram ſucceſſit filius eius Ochozias anno ętatis quartæ 175. mundi vero 3063. & regnauit anno vno, ipsũ & omnes reliquias domus Achab, deleuit Ieheu. *Ochozias. Athalia.* Athalia mater Ochoziæ filium ſuum mortuum videns ſurrexit, & regnare volens omne ſemen regium interfecit, excepto Ioas filio Ochoziæ, quem adhuc lactentem Ioſoba ſex annis in domunculis hebdomadariorũ ne interficeretur abſcondit. *Ioas.* Ioas itaque ſeptennis regnare cæpit anno quartæ ætatis 182. mundi vero 3070. & regnauit annis 40. Tẽporibus Athaliæ regnauit Ieheu ſuper decem tribus. Tunc Ionadab filius Rechab apud Iudæos claruit; cuius filij ex præcepto patris tanquam peregrini & hoſpites ſuper terram ſeorſum ab hominibus in tabernaculis habitabant. Regnante in Iſrael Ioas Heliſæus obijt, & mortuus contactu ſuo mortuum ſuſcitauit.

Amaſias cępit anno quartæ ætatis 222. mundi vero 3110. & regnauit annis 21. huius temporibus regnauit Ioas ſuper Iſrael. *Amaſias.* Poſtea Ieroboam contra quem prophetauit Amos de paſtoribus Thecue 13. latinorum rex Syluius Auentinus fuit, qui in eo monte qui nunc pars vrbis eſt mortuus ac ſepultus, perpetuum locovocabulum dedit.

Tempora Oziæ, Ioathan, & Achaz.

CAPVT XXXVIII.

OZias ergo qui & Azarias cæpit anno ætatis quartæ 251. mundi vero 3139. & regnauit annis 52. huius temporibus regnauit ſuper Iſrael Ieroboam. *Ozias.* Sub his autem duobus regibus prophetare cæperunt Iſaias filius Amos & Ozee de tribu Iſachar, & Ioel de tribu Ruben, & etiam Abdias ſecudum quoſdam. Sed verius ſecundum Hebręos ante Heliſæum. Præterea ſub Ieroboam prophetauit Ionas filius Sareptanæ. Præterea regnante Ozia medorum regnum exoritur, & etiam regnum Macedonum. *Regnum Medorum.* Poſt Ieroboam regnauit ſuper Iſrael filius eius Zacharias ſex menſibus tantum. Ipſo enim peccata patrum imitante percuſſit eum palam Sellum filius Iabes & regnauit pro eo. Sicque tranſlatum eſt regnum de domo Ieheu in generatione quarta iuxta verbum domini. Item Ozię temporibus Heſiodus inſignis habetur, Lydorum Regnum naſcitur, Rhemus & Romulus à Marte & Ilia generantur, & eodem anno Olympias prima conſtituitur. Defuncto Ozia, regnauit filius eius Ioathan, anno quartæ ætatis 303. mundi vero 3191. & regnauit annis 16. huius tempore regnauit in Iſrael Phaſee, ſub quo duę tribus & dimidia trans Iordanem à Theglatphalaſar ſunt captiuatæ. Ipſe quoque Phaſee & Raſin rex Syriæ ſub Ioatham regnum Iuda cæperunt infeſtare, prophetabant tunc temporis Iſaias, Oſee, Ioel, Nauum & Micheas. *Achaz.* Achaz filius Ioatham cæpit anno quartæ ætatis 319. mundi vero 3267. & regnauit annis 16. huius tempore regnauit ſuper Iſrael Oſee, cuius anno 9. decem

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tribus à Salmanasar sunt captiuatę. A gemellis Rhemo, & Romulo, Roma in monte Palatino conditur. Et anno ab vrbe condita tertio Rhemus à Fabio Romuli duce rastro pastorali occiditur. Romulus in regnum sublimatur. Thales Milesius physicus Philosophus agnoscitur. Romani à curribus Quirites appellantur.

Quirites.

Tempora Ezechiæ Manassis & Amon.

CAPVT XXXIX.

EZechias filius Achaz cæpit anno quartæ ætatis, 335. mundi vero 3123. Et regnauit annis 29. Huius meritis dominus in castris Assyriorum vna nocte 185. millia virorum per angelum interfecit. Eius quoque vitæ desperatæ 15. annos addidit, & in huius rei signum solem decem gradibus retrocedere fecit. Huius tempore sub Osee rege destructum est regnum Samariæ, in qua captiuitate creditur Tobias captiuatus fuisse. Prophetabant autem Osee & Isaias & Ioel & Michæas. Romulus primus milites ex populo sumpsit, & nobilissimos sensum, senes ob ætatem, senatores, ob similitudinem curæ, & patres appellauit. Templa quoque & muros Romanæ vrbis extruxit. Tandem apud paludem capreæ nusquam comparuit, & suadente Lucio Proculo Quirini nomine consecratus est. Manasses cæpit anno quartæ ætatis 364. mundi vero 3252. & regnauit annis 55. Hic pessimus idololatra fuit, & plateas Hierusalem sanguine prophetarum purpurauit: Huius tempore Romanorum secundus Numa Pompilius regnauit, qui duos menses anno, Ianuarium & Februarium addidit. Et post hunc Tullus Hostilius qui primus in eo regno purpura, & fascibus, vsus, deinde cum domo sua fulmine conflagrauit. Sybilla erophila in Samo claruit. Deiotes apud Medos regnauit, qui Egatanam condidit. Mida cum apud Medos regnaret, sanguine Tauri potato extinctus est. Archilochus & Simonides & Aristoxanus musicus, insignes habentur, Zeleucus legum lator apud Locros præconijs celebratur. Bizantium conditur. Amon filius Manasse cępit anno quartæ ætatis 418. mundi vero 3207. & regnauit secundum 70. interpretes 12. annis, secundum Hebræos autem 2. Itaque decem anni qui supersunt apud 70. pro decem annis Hayalon vndecimi iudicis Israel hic ponuntur, qui vt superius dictum est in 70. non habentur. Eo tempore Phalaris apud agrigentinos tyrannidem exercet, apud Hebræos Helchias pontifex scilicet insignis claret.

Ezechias.

Tobia captiuitas.

Roma condita.

Manasses.

Sybilla samia.

Amon.

Tempora Iosiæ & filiorum eius vsque ad Sedechiam.

CAPVT XL.

IOsias iustus filius Amon cum esset annorum 8. cæpit iuxta Eusebium anno quartæ ætatis 431. Mundi vero 3319. & regnauit annis 31. Eusebius tamen posuit 32. mundi vero 3223. & regnauit annis 29. huius anno 15. Hieremias exorsus est prophetare, prophetauit etiam tunc temporis Oscla mulier & Sophonias, huius quoque Temporibus Terpander musicus claruit, & Thales milesius. Apud Corinthum Periander tyrannus extitit. Panetius quoque primus in Sycilia tyrannidem arripuit, Phalaris autem tyrannis destructa est. Tarquinius priscus Romanorum quintus regnauit, qui capitolium instruxit & Ioui dedicauit. Ægyptiorum vero Nechao secundus qui & Netepsus contra regem assyriorũ ascendens, Iosiam sibi obuiantem interfecit. Iosias moriens tres filios reliquit, scilicet *Eliachim* qui & Iechonias primogenitum, & medium *Ioachaz*, qui & Sellum, Mathaniam vero tertium, horum primus Ioachaz in regnum à populo constituitur, sed post tres menses à rege Ægypti amouetur & Eliachim pro eo substitutus eidẽ regi tributarius efficitur, mutatoque nomine Ioachim vocatur. Ioachim ergo cæpit anno quartæ ætatis 362. mũdi vero 3350. & regnauit annis 11. Ab hoc Vrias Propheta cũ eum redarguisset, turpiter est interfectus. Hieremias quoque destructionem vrbis & templi prophetans incarceratus est, ne publice prædicaret. Eo tempore Pytacus Mytilenus, qui vnus de septem sapientibus fuit cum Phrenone Athenienſe Olimpionice congressus eundem interfecit. Sapho quoque & Alceus poetæ clari habebantur, denique Nabuchodonosor anno quarto regni sui, qui fuit 8. Ioachim, ascendit in Hierusalem, captumque Ioachim & ligatum trahebat secum, & cum eo nobiles viros in Babylonem. In itinere vero imposuit ei tributum, & eum remisit in Hierusalem. Sed obsides de semine regio Danielem, scilicet & tres pueros secum traxit, & Ioachim tribus annis ei seruiuit. Sed postea cum negaret tributum quod ei promiserat. Nabuchodonosor veniens eum occidit, & insepultum abiecit, & Ioachim Ieconiam filius eius, æquiuocum scilicet patri regem constituit, sed post tres menses in Babylonem trãstulit, principes quoque cum alijs plurimis, inter quos erat Mardocheus & Ezechiel adhuc iuuenis, constituit autem regem patruum Ioachim Mathaniam.

Ioachim filius Eliacim.

Tempora Sedechiæ & captiuitatis iudaicę.

CAPVT XLI.

ITaque Sedechias cæpit anno ætatis quartæ 474. mundi vero 3362. & regnauit annis 11. Sub hoc quoque prophetauerunt Hieremias & Baruch. Anno quinto regni eius exorsus est. Ezechiel ad concaptiuos in Babylone prophetare, postquam acceperat epistolam Hieremiæ in principio anni 9. Sedechiæ Nabuchodonosor Hierusalem obsedit, quia superbus & infidus tributum ei promissum negauit. Tandem deficientibus in vrbe victualibus, adeo vt mulieres paruulos suos comederẽt, in mensura palmæ capta est ciuitas 11. anno Sedechiæ. Nabuzardan vero princeps templum & ciuitatem incendit, ac murum totum in circuitu destruxit, vasa domini transtulit. Hic fuit exitus regni Hebræorum, in quo regnauerant annis 500. & 14. & mensibus sex, secundum Iosephum, Temporibus Sedechię prophetauerunt Daniel & Ezechiel in Babylone.

Hierusalem capta.

Tarquinius priscus circum Romæ ædificauit, numerum senatorum auxit, Romanos ludos instituit. Solon genti cui præerat noua iura cõstituit, Epimenides Athenas subuertit. Eo tempore certantibus in agone dabatur tragos id est hircus. Vnde tragædos dicunt nuncupatos. In hac vltima captiuitate Iudæorum ætas sæculi scilicet quarta terminatur, habens annos 485. Fuerunt autem ab anno 4. Salomonis in quo fundatum est templum, vsque ad eius incendium anni 441. Ab ingressu terrę promissionis 872. A dationе legis 912. A natiuitate Abrahę 1426. Ab initio vero sæculi 3343. Igitur ab initio captiuitatis ætas quinta exordium habuit, quæ scilicet captiuitas iuxta prophetiam Hieremiæ perseuerauit 70. annis, vsque ad annum secundum Darij filij Idaspis. Horum 30. primi computantur iuxta Eusebium vsque ad regnum Cyri hoc tempore solis defectio quã Thales prædixerat facta est. In Græcia septem sapientes appellantur scilicet Thales, Solon, Pytacus, Chilon, Cleobolus, Bias, Periander. Mortuo Nabuchodonosor regnauit Euilmerodach, deinde Balthasar. Anaximander Milesius physicus agnoscitur, Astiages contra lydos pugnat, deinde Crœsus lydorum 9. regnat, Phalaris tyrannidem exercet, Cyrus Astiagem Medorum regem subuertit, & imperium ad Persas transfert.

Tarquinius Priscus.

Tempora Cyri regis Persarum & Cambysis & duorum fratrum.

CAPVT XLII.

CYrus itaque destructo Medorũ imperio, primus apud Persas regnauit. Cæpit anno captiuitatis 31. Mundi vero 3404. Et regnauit annis 30. Hic anno primo regni sui verbis excitatus Isaiæ, quæ de ipso dixerat longe ante captiuitatem Iudęorum relaxauit, & in Iudæam circiter 50. millia regredi fecit. Egressi sunt aũtẽ sub Zorobabel Duce & Iesu magno Sacerdote adhortãtibus eos Propheta Zachario & Aggeo iuuene sed

Cyrus.

Phalaris.

Tres filij Iosiæ.

Eliachim mutat nomẽ & vocatur Ioachim.

Hieremias.

nondum

Extruitur Hieruſalẽ.

nondum Propheta. Qui altari conſtructo iecerunt fundamenta templi, ſed impedientibus vicinis gẽtibus imperfectum opus permanſit, vſque ad regnum Darij. Temporibus Cyri Æſopus à Delphis interimitur, phyſicus Athenienſium tyrannus in Italiam tranſgreditur, Anaximenes phyſicus agnoſcitur, Simonides Lyricus, & Sophocles, & tragediarũ ſcriptor Xenophanes clari habentur. Cræſus à Cyro capitur, & Lydorum regnum deſtruitur. Eo tempore Tarquinius ſuperbus Seruio ſocero ſuo Romanum imperium abripuit, qui carceres, exilia, cathenas & compedes variaque genera tormentorum excogitauit. Tandem vero cum Ardeam oppugnaret, cauſa Tarquinij minoris filij ſui qui Lucretiã corruperat, à regno expulſus eſt. Cyrus etiam à Thamari Regina Maſſagetarum occiſus eſt. Cambyſes igitur Cyri filius, Perſarum ſecundus cæpit anno quintæ ętatis 61. mundi 3434. & regnauit annis 8. hic Artaxerxes & Aſſuerus & ſecundus Nabuchodonoſor vocatur, ſub quo iudicum hiſtoria conſcribitur, huius temporibus Ieſus pontifex & Zorobabel princeps apud Hebræos clarent, Hypparchus & Hiſpas Athenis tyrannidem exercent. In anno quinto regni ſui Cambyſes Ægyptum obtinuit, ſiicque regnum Ægyptiorum defecit. Poſt Cambyſem duo fratres magi ſucceſſiui regnauerunt, ſed annum in regno non impleuerunt.

Tarquinius ſuperbus.

Chronica à Dario filio Hidaſpis vſque ad Darium nothum.

CAPVT XLIII.

DEinde ſucceſſit Darius filius Hidaſpis, qui fuit vnus de ſeptem magis. Cæpit autem anno quintæ ætatis 80. mundi vero 3412. Et regnauit annis 36. huius anno ſecundo qui fuit ab ædificatione templi ſub Salomone 512. iuxta Euſebium 70. anni Iudaicæ captiuitatis implentur. Itaq; eodẽ anno menſe 8. templi extruitur, & in anno 7. Darij, conſummatur; eo tempore nouiſſimi prophetabant apud Hebræos Aggæus, Zacharias, & Malachias, Pythagoras Phyſicus, Democritus philoſophus, & Heraclitus tenebroſus, & Anaxagoras phyſicus & Pindarus ac Simonides poetæ lyrici, & Diagoras phyſicus clari habẽtur. Aeſchylus quoque tragediarum ſcriptor agnoſcitur. Ariſtides cum ignominia eijcitur. Ægyptus à Dario receſſit, Gelo Syracuſas obtinuit. Dario ſucceſſit filius eius Xerxes anno quintæ ætatis 105. mundi vero 3478. & regnauit annis 20. hoc tempore Sophocles Tragædiarum ſcriptor & Euripides clari habentur. Herodotus hiſtoriarum ſcriptor agnoſcitur. Bachilides & Diagoras Athenis celebrantur. Themiſtocles in Perſas fugit. Romæ virgo veſtalis Pompilia deprehenſa in ſtupro, viua defoſſa eſt. Poſt Xerxen regnauit Arthabanus, menſibus ſeptẽ. Poſt hoc Artaxerzes qui & Longimanus, cæpit anno ætatis quintæ 125. mundi vero 3498. & regnauit annis 40. Sub hoc Eſdras & Neemias de Babylone in Iudæam redierunt, & fecerunt ea quæ in hiſtorijs eorum ſcripta ſunt. Eſdras quidem legem à Chaldæis ſuccenſam reparauit. Titulos pſalmorum & alia quædam de ſuo addidit, & nouos quoſdam litterarum apices excogitauit. Nehemias muros Hieruſalem conſtruxit anno 30. Artaxerxis opus conſummauit, qui fuit ętatis quintæ 155.

Templum extruitur.

Virgo Veſtalis defoſſa viua.

Nehemias.

Temporibus huius Artaxerxis Themiſtocles hauſto ſanguine tauri moritur. Socrates naſcitur, Lapis in Ægys fluuio de cælo ruit, nec multo poſt, defectio ſolis fuit, Anaxagoras moritur, Heraclitus Clarus habetur, hoc quoque tempore floruerunt philoſophi Melliſſus phyſicus & Theætetus Mathematicus, Ariſtophanes & Sophocles, Democritus Abderites, Empedocles, Hippocrates medicus, Gorgias & Hippias & Zeno, Parmenides, & Protagoras ſophiſta, cuius libros Athenienſes decreto publico combuſſerunt. Poetæ vero Clares comicus & Baſilides lyricus, Cratinus & Plato Comædi, Euripides & Ariſtarchus Tragædiographi, hiſtoriarũ quoque ſcriptores Herodotus & Pherecides. Socrates etiam philoſophus, plurimo ſermone celebratur. Eodem etiam tẽpore Romani per legatos ab Athenienſibus iura petierunt. Ex quibus duodecim tabulæ conſcriptæ ſunt. Macedonum 11. regnauit Archelaus. Poſt Artaxerxen regnauit Xerxes ſecundus duobus menſibus, & poſt eum Gordianus 7. menſibus, his igitur duobus annotattur annus vnus.

Hippocrates.

Chronica à Dario notho vſque ad Darium Arſami filium.

CAPVT XLIV.

DEinde ſucceſſit Darius nothus, qui cæpit anno quintæ ætatis 166. mundi vero 3539. Et regnauit annis 19. hoc tempore Plato naſcitur, Eudochius, Ouidius, & Ariſtophanes comædiarum ſcriptor, clari habentur. Alcibiades profugus ad Tyſaphernem abit, Ægyptus à Perſis recedit, & rurſum Ægyptiorum dynaſtia renaſcitur. Dionyſius in Sicilia tyrannidẽ exercet. Macedonũ 12. regnat Oreſtes. Poſt hoc Aartaxerxes Mennon Darij filius, qui ab Hæbræis dicitur Aſſuerus. Cæpit anno quintę ætatis 185. mundi vero 3558. & regnauit annis quadraginta. Sub hoc Heſter hiſtoria cõſcripta eſt. Huius temporibus Macedonũ 13. regnat Archelaus, deinde Amyntas, põſtea Pauſanias. Democritus moritur, Socrates in carcere venenum bibit, Alcibiadem Parnazab interficit, Iſocrates rhetor, & Diogenes Cynicus & Eudoxus aſtrologus, & Speuſippus inſignis philoſophus agnoſcuntur. Plato quoque ac Xenophon ac cæteri Socrati clari habentur. Cyri regis aſcenſus fit, quem Xenophon ſcribit. Ariſtoteles 18. ætatis annum agens, Platonem audit. Dionyſius Syracuſis tyrannidẽ exercet. Carthaginenſe famoſum bellum factum eſt. Romani cum antea 16. tantum haberent 24. litteris inceperunt vti.

Aſſuerus.

Ariſtoteles.

Senones Galli.

Senones galli Romam inuaſerunt, excepto Capitolio incenſam vaſtauerũt, Præneſtini à Romanis victi ſunt. Poſt hoc Perſarum 12. Artaxerxes qui & Ochus cæpit anno quintæ ætatis 225. mundi vero 3598. & regnauit annis 26. Hoc tempore apud Aegyptos regnabat Nectanabus, apud Macedones Philippus, cuius filius Alexander ex Olympiade naſcitur. Dionyſius Syracuſis interimitur, & filius eius Hipparchus tyrãnidem exercet. Demoſthenes orator agnoſcitur. Ochus Aegyptũ obtinet, nectanabo in exilium pulſo, & Aegyptum ſuo iungit Imperio, ſicque regnum illud finitur. Plato moritur, poſt quem Speuſippus academiã tenuit. Iterum Speuſippus moritur, eique Xenocrates ſuccedit. Romani gallos ſuperant. Dionyſius Corinthum ſub fędere nauigat, & inde poſtmodum expellitur. Iudæorum pontifex Iaddus clarus habetur, cuius frater Manaſſes templum in monte Garizim conſtituit, deſcriptione Romę facta, inuenta ſunt 160. millia Poſt Ochum filius eius Arges cæpit anno quintæ ætatis 251. mundi vero 3624. & regnauit annis quatuor. Eo tempore Romanorum conſul Mãlius Torquatus filium ſuum virgis cæſum ſecuri percuſſit, eo quod contra imperium conſulum inhoſtes pugnauerit, & tamen eos expugnauerit.

Plato moritur.

Chronica A Dario filio Arſami vſque ad mortem Alexandri magni.

CAPVT XLV.

POſt hunc Darius Arſami filius cæpit anno quintæ ætatis 255. mũdi vero 4628. Et regnauit annis quinque huius anno primo regnare cępit apud Macedones Philippi filius Alexander, qui multis regionibus bello ſuperatis, capta etiam Tyro, Iudæam inuadit, vbi fauorabiliter exceptus, Deo victimas immolauit. Pontificem quoque templi plurimis honoribus proſequens Andromachum locorum cuſtodem dimiſit, cuius necem poſtmodum in Samaritanos vindicauit. Interfecto Dario Babylonem obtinuit, in quo regnum Perſarum defecit. Igitur ab anno ſeptimo regni ſui, vſque ad duodecimum, Aſiæ Monarchiam tenuit. Alexãdriã in Aegypto condidit, Hyrcanos etiã & Marcos cępit. Indũ amnẽ tranſgrediens Porũ bello vicit. Eo tem-

Alexander magnus.

Alexandria condita.

pore Latini à Romanis perdomantur, Anaximenes, & Epicurus clari habentur. Samnites quoque Romani ſubigunt,& colonias deducunt. Anno denique regni ſui 12. Ætatis autem 32. Alexander veneno in Babylone moritur, poſt in multos imperium transfertur. Alexandrinorum regnum nouum quod eſt Aegypti tenuit Ptolomeus Lagi filius, Macedoniam Philippus Alexandri frater,qui & Arideus.

Tempora Ptolomeorum regum Ægypti Sotheri & Philadelphi.

CAPVT XLVI.

PRimus igitur Alexandrinorum regum in Aegypto Ptolomeus Sother cæpit anno quintæ ætatis 267. mundi vero 3640.& regnauit annis 40.hic Hieruſalem & Iudæam in deditionem ſuam dolo redegit,plurimoſque captiuorum in Aegyptum tranſtulit. Eo tempore Appius Claudius cæcus Romæ claruit,qui Appiã claudiam induxit,& viam Appiam ſtrauit. Agathocles Syracuſis tyrannidem exercuit. Iudæorum pontifex Onias Iaddi filius clarus habetur, Theophraſtus & Speuſippus inſignes Philoſophi,& Menander comicus agnoſcuntur. Regnum Aſiæ naſcitur ſub primo rege Antigono,mox quoque regnum Syriæ ſub Seleuco. Antigoni quoque ſucceſſor Democritus ſemetipſum. Seleuco tradidit, qui ex vtroque regno vnum faciens Syriæ, & Aſiæ pariter imperauit.

Appius Claudius.

Poſt Ptolomeum Sotherem Ptolomeus Philadelphus cæpit anno quintæ ætatis 307. mundi vero 3680. & regnauit annis 38. Qui Iudæos ex Agypto liberos abire permiſit & vaſa votiua tranſmittens Eleazar Pontifici, diuinas ſcripturas ex Hebræa lingua in Græcam per 70.interpretes transferre curauit, has igitur in Alexandria in Bibliotheca quam ex omni genere literaturæ comparauerat habuit. Huius temporibus Romani Crotonem capiunt. Milo Romanis Calentem tradit. Antiochus Sother in Syria & Aſia regnat, cui Antiochus Theos vocatus ſucceſſit. Romæ vero virgo veſtalis in ſtupro detecta,laqueo vitam finiuit. Polemon Philoſophus moritur, poſt Archeſilaus & Crates clari habentur, Aratus poeta cognoſcitur, Zeno quoque Stoicus moritur,poſt quem Cleanthes,Eraſiſtratus quoque medicus agnoſcitur. Eo quoque tempore Romani Carthaginenſes nauali certamine ſuperant, & centum vrbes Lybiæ capiunt. Nec multo poſt Carthaginẽſes 90. Romanorum naues capiunt,Metello conſule in fugam verſo. Iudæorum pontifex Onias Simonis iuſti filius eius tempore claruit, qui conſueta Ptolomeo tributa non reddens ipſum ad iram impulit. Parthis à Romano imperio recedentibus,primus regnauit Arſaces,inde dicti ſunt Arſacidæ.

70. Interpretes.

Onias.

Tempora Euergetis,Philopatoris,& Epiphanis.

CAPVT XLVII.

POſt hoc Ægyptiorum tertius Ptolomæus Euergetes cæpit anno quintę ætatis 345.mundi vero 3718. & regnauit annis 26.huius temporibus regnabat in Syria Seleucus Callinicus,deinde Seleucus Gerãnus, poſt hunc autem Antiochus magnus. Quintus Ennius poeta Tarenti naſcitur. Simõ Oniæ filius Iudæorũ pontifex clarus habetur,ſub quo Ieſus filius Sirach librum ſapiẽtię compoſuit,qui Paneretos vocatur. Quagraginta ferme millia. Gallorum à Romanis cæduntur. Rhodum terræ motus ita concuſſit, vt Coloſſus magnus ruerit, poſt hoc Ptolemeus Philopator cæpit anno quintæ ætatis 371. mundi vero 3744. & regnauit annis 17. hoc tempore Romæ virgines Veſtæ ob reatum ſtupri terra obruuntur. Eraſthotenes agnoſcitur. Antiochus rex Syriæ victo Philopatore Iudæam ſibi ſociauit. Iudæorum pontifex Onias filius Simonis claruit. Scipio Iberiæ multas vrbes recepit. Deinde Ptolomeus Epiphanes cæpit anno quintæ ætatis 388. mundi vero 3761.& regnauit annis 24. hic Scopa militiæ principe deſtinato Iudęam cæpit, & plurimas vrbes Siriæ, quas Antiochus Scopa ſuperato recipit, & Iudæorum erga ſe cognita voluntate, magnis eos donat muneribus, ac per Epiſtolas crebris proſequitur laudibus. Næuius Comicus & Plautus moriuntur, Titus Liuius tragediarum ſcriptor clarus habetur Syriæ & Aſiæ regnum poſt Antiochum magnum Seleucus qui & Philopator cæpit, à quo Heliodorus in Iudæam miſſus multa perperam gerens diuinis aduerſum ſe ſignis deterretur, & ad Seleucum reuertitur, Annibal à Scipione victus cum ad Pruſiam regem Bithiniæ transfugiſſet,& à ſenatu repetitus tradendus eſſet,venenum bibit,& mortuus eſt.

Plautus.

Mons Hannibalis.

Tempora Philometoris,& Energetis.

CAPVT XLVIII.

ÆGyptiorum 6. Ptolomeus Philometor cæpit anno 5.ætatis 412. mundi vero 3785. & regnauit annis 35. hoc tempore Statius, Cæcilius comædiarum ſcriptor clarus habetur, Ariſtobolus Iudęus qui ad Philometorem commentarios in Moyſen ſcripſit, Peripateticus philoſophus agnoſcitur, Ennius poeta moritur, poſt Seleucum Philopatorem Antiochus Epiphanes in Syria regnauit,qui veniens in Iudæam Ieſu,& Iaſoni fratri Oniæ ſacerdotium tradidit, eoque inde expulſo ſucceſſorem ei Menelaum dedit; itaque ob ſacerdotij dignitatem orta ſeditione inter principes ingentium miſeriarum ſemina pullulauerũt. Epiphani ſuccedit Antiochus Eupator,qui Iudæorum legem impugnat,deinde templum prophanat. Matathias filiorum auxilio fretus patrias leges vindicat, Iudas quoque filius eius Iudæorum dux, Antiochi duces de Iudæa expulit, & ab idolorum imaginibus templum emũdans;patrias leges ciuibus ſuis reddidit. In ipſo igitur Iuda Machabęo regnũ Hebrę orum renaſcitur. Qui cũ regnaſſet annis tribus,ſucceſſit ei Ioriathas frater eius. Eo quoque tempore poſt Antiochum Eupatorem Syriæ,& Aſiæ regnat Demetrius Sother, & poſt eum Alexander, qui Ionathan corona, & donis inſignibus multis proſequitur.

Machabai.

Publius Terentius comediarum ſcriptor moritur. Ariſtarchus grammaticus agnoſcitur, Pacuuius tragædus clarus habetur: Lucilius poeta naſcitur, Ptolomeus Euergetes ſecundus Aegyptiorum ſeptimo cæpit anno quintæ ætatis 445. mundi vero 3820. & regnauit annis 29. hoc tempore Ionathas dux & pontifex Iudæorum cum Romanis,& Spartanis amicitiã facit. Appius Gallos capit, & Carthago in deditionem Romanam per Scipionem redigitur. Scipio Numantinos ſubuertit. Seruile bellum in Sicilia oritur, ibi ſerui rebellantes obſidionis neceſſitate ad ſua cadauera inuicẽ deuoranda compelluntur, Lucius Accius tragædiarum ſcriptor clarus habetur. Ionathas põtifex à Triphone occiditur, & in ſacerdotium frater eius Simon aſſumitur. Quo poſtmodum interfecto filius eius Ioannes ſuccedit, qui aduerſus Hircanos bellum gerens, Hircani nomen accepit. In Syria poſt Alexandrum regnat Demetrius, & poſt eum frater eius Antiochus Sedices cognominatus,poſt hoc iterum Demetrius,& poſt eum Antiochus Gryphus.

Terentius.

Tempora Phiſconis,& Alexandri.

CAPVT XLIX.

ÆGyptiorum 8. Ptolomeus Phiſcon, qui & Soter cæpit anno quintæ ætatis 476. mundi vero 3869. & regnauit annis 17.hoc tempore in regno Syriæ Antiochus Griphus,& Antiochus Cizicenus ex ſucceſſione regnabant inuicem contra ſe dimicantes. In Iudæa vero Ioanni filius eius Ariſtobolus ſucceſſit, qui dux pariter,& pontifex apud Iudæos poſt captiuitatem Babylonis inſigne diadematis ſũpſit ſcilicet poſt 484. annos à captiuitate, poſt eum vero regnauit Ianneus, qui & Alexander. His temporibus Iugurtha cõtra Romanos dimicans capitur. Cicero & Cneus Pompeius magnus naſcuntur. Turpilius comicus, & Lucius ſatyriarum

Ieſus Syracides.

Bellum Iugurtinum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

riarum ſcriptor moriuntur, Cymbrorum 200000. cæ- A
duntur,& 80.m. per Marium cum duce Eutomodo capiuntur. Poſt hos Ptolomæus, qui & Alexander cæpit anno quintę ętatis 493. mundi vero 3976. & regnauit annis 9. Hoc tẽpore in Iudæa regnat adhuc Alexander. In Syria vero poſt Antiochum Philippus, qui anno ſecundo regni ſui à Galbino capitur,& in Romanam deditionem cędente Syria regnum eius finitur. Titus Lucrecius poeta naſcitur. Lucius Pomponius Bononienſis Attellanarum ſcriptor clarus habetur, poſt hoc Ptolomeus Phiſcon,qui prius à matre fuerat expulſus,in regnum redijt anno quintę ætatis 5002. Mundi vero 3875. *Catullus.* & regnauit annis 8. Hoc tempore Valerius Catullus ſcriptor lyricus,& Saluſtius Criſpus ſcriptor hiſtoricus, & Publius Terentius Varro naſcuntur,Plotinus Gallus primus Romę latinam rhetoricam docuit. Cicero anno 25.ætatis ſuæ Quintum defendit. Sylla Athenienſes vaſtat.

Tempora Dionyſij,& Cleopatræ. B

CAPVT L.

POſt hoc 11. Ptolomeus Dionyſius cæpit anno quintæ ætatis 510. mundi vero 4883. & regnauit annis 30.hoc tempore Pompeio, & craſſo conſulibus, Virgilius Maro naſcitur,Marcus Portius,Cato Stoicus philoſophus agnoſcitur. Titus quintus togatarum ſcriptor Romæ moritur. In Iudæa poſt Alexandrum regnat Alexandra vxor eius,& poſt eam filius eius Hircanus. Iudæi Romanorum vectigales per Pompeium fiunt,ea quoque quæ de Catilina, & conſule Cicerone Saluſtius ſcribit,& Liuius,hoc tempore geſta ſunt. Horatius Flaccus ſatyricus, & lyricus poeta naſcitur. Appollodorus Pergamenus orator græcus præceptor Callidij & Auguſti clarus habetur. Catullus anno ætatis C
ſuæ 30. moritur,Meſſala Corunus orator naſcitur, & *Virgilius.* Titus Liuius ſcriptor hiſtoricus.Cicero facit annum in exilio honorificè ſuſceptusà Plancio. Marcus Callidius orator, & Dyodorus Siculus hiſtoriæ græcæ ſcriptor, clari habentur, Virgilius Cremonæ ſtudijs eruditur, deinde ſumpta toga Mediolanum tranſgreditur,& poſt breue tempus Romam proficiſcitur. Iouis olim Pici ſimulachrum fulmine tangitur. Curio popularis orator *Pompeius Imperator.* Romæ inſignis habetur,Pompeius Imperator appellatur, Germani à Cęſare vaſtantur. Poſt hoc in Ægypto Cleopatra regnauit 12. cæpit anno quintæ ætatis 540. *Iulius Cæſar.* mundi vero 3913.& regnauit annis 22.Sed circa principium regni eius Cæſaris & Pompei ciuile bellum exoritur,& ex eo tempore continua Romanis imperia naſcuntur. D

Chronica Romanorum Imperatorum Cæſarum,& Auguſti.

CAPVT LI.

ROmanorum ergo primus imperium ſingulare arripuit Caius Iulius Cæſar,à quo principes Romanorum Cæſares appellati ſunt. Cæpit anno 182. Olympiadis 4. Quintæ ſcilicet ætatis 543. mundi vero 3916. & imperauit annis quinque regnãtibus in Ægygto Cleopatra. In Iudęa vero Hircano hic Pomperum E
bello vincit,& fugat,& Cleopatræ regnũ obſtupri gratiã in Ægypto confirmat. Tandem in curia occiditur, eiuſque corpus ob honorem in roſtris concrematur. Secundus Octauianus Cęſar Auguſtus à quo Roma- *Auguſtus.* norum principes Auguſti appellãtur, cæpit anno quintæ ætatis 548.mundi vero 3921. & imperauit annis 56. Eo tempore Romæ tres ſoles ſimul exorti ſunt,& paulatim in eundem orbem coierunt, bos ad arantem in ſuburbio Romæ locutus eſt,fruſtra ſe ꝟrgeri;nõ enim frumenta, ſed homines in breui defuturos. Laberinus minorum ſcriptor moritur. Cicero in phormiano ſuo occiditur,Publius mimographus Romæ ſcenam tenet. Ouidius naſcitur, Marcus Pharus poeta moritur, Cornelius nepos hiſtoricus clarus habetur.Cornificius poeta diſertus à militibus, quos ſæpe fugientes lepores appellarat interijt,huius ſoror fuit Cornificina cuius inſignia extant epigramata. E taberna meritoria trans Tiberim oleũ è terra erupit, totaque die ſine intermiſſione fluens Chriſti gratiam in gentibus deſignauit. Antigonus contra Iudæos dimicans tandem occiditur,& ex hoc Hieroſolymorum regno deſtructo,princeps à Romanis Herodes alienigena conſtituitur. Lunæ curſus ſecundum Romanos inuenitur. Inter Auguſtum, & Antonium poſt binam diſſenſionem tertia quoque fit, *Mort Antonij & Cleopatræ.* quia repudiata ſorore Cæſaris Cleopatram duxit in vxorem. Tandem Antonius,& Cleopatra ſemet interficiunt, & Ægyptus fit Romana prouincia, quam primus tenuit Caius Cornelius Gallus poeta, tandemque propria manu ſe interfecit. Auguſtus Romæ plurimas leges ſtatuit,Calabriam,& Gallos vectigales facit,Marcus Terentius Varro philoſophus, Virgilius, & amicus eius Quintilius, & Horatius, & Æmilius, Macer poeta moriuntur,Gaius,Iulius,Hyginus,& Melliſſus grammaticus agnoſcuntur. Auguſtus filiam ſuam in adulterio deprehenſam, exilio punit. Marcus Tullius Tyro Ciceronis libertus in Puteolano prædio ſuo conſeneſcit. Marcus Portius Latro latinus declamator, tædio duplicis quartanæ ſeipſum interfecit. Herodes etiam inter cætera geſta ſua crudelia, duos Salomæ ſororis ſuæ viros inſuper & ſcribas,ac diuinæ legis interpretes occidit.

Chronica incarnationis Domini.

CAPVT LII.

ANno denique Octauiani Auguſti 42. Herodis autem regis Iudęæ 32. Natus eſt ex Maria virgine Chriſtus Dei filius in Bethleem Iudæ. Hic fuit annus ætatis quintæ, quæ hic terminatur quingenteſimus circiter nonageſimus. Ab initio regni Dauid 1104. Ab exitu Ægypti,& datione legis 1519. A prima promiſſione facta Abrahæ; 1939. A natiuitate ipſius Abrahæ 2015. A diluuio vero 2306. Ab initio vero mundi 3963. Et hoc dumtaxat ſecundum nos, qui ab Adam vſque ad Abraham ex diuina hiſtoria iuxta Hiero. tranſlationem annorum numerum accepimus. Ab Abraham quoque vſque ad Chriſtum iuxta eiuſdem Hieronymi, ac Cæſariẽſis Euſebij & ipſorum Hebræorum computationem, qui omnes hiſtoriis Gentilium concordant, minores numeros ſecuti ſumus: ea nimirum ratione quam ſuperius in annis expoſuimus. Verum, ante tempora Abrahæ tam ante diluuium,quam poſt,multo plures anni iñ editione 70. leguntur, quam in noſtra reperiuntur. Etenim,vt ait Euſebius, qui antiquam tranſlationem ſequitur,ab Adam vſque ad diluuium fluxerũt anni 2242.& à diluuio vſque ad Abrahã 942. Qui ſimul fiunt 3184. Cum in editione noſtra legãtur tantũ 1948. Itaque ſi maiorem illum numerum ſequi volueris, & iuxta librum iudicum ab exitu de Ægypto vſque ad ędificationem templi 600. annos numeraueris. Inſuper & in regno Amon regis Iuda 12. quorum 10. tantum apud Hæbreos habentur,acceperis,his omnibus computatis inuenies ab *initio mundi vſque ad natiuitatem Domini annos* 5199. *Et hunc numerum aſsignat Beda,quem etiam vſualiter tenet eccleſia. Vnde verſus: Vnum tolle datis ad millia quinque ducentis. Naſcenti domino tot Beda dat Protoplaſto.* Nos tamen iuxta minorem numerum quem hucuſque ſecuti ſumus cætera proſequemur. Chriſtum itaque natum Herodes perſequitur,pro quo etiã pueri Bethleemitæ per eum neci traduntur. Nec multo poſt tyrannus crudelis miſerabiliter moritur, & pro eo filius eius Archelaus in regno conſtituitur. Eo tempore Iudas Galilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur. Sextus Pitagoricus, & Athenodorus Stoicus, & à ſocio præceptor Seneca clari habentur.

Chriſtus naſcitur.

Computatio Euſebij.

Vſualis tẽputatio Eccleſiæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tempora Tyberij Gaij, & Claudij.

CAPVT LIII.

1. *Tyberius.* ROmanorum 3. Tyberius cæpit anno ſextæ ætatis id eſt ab incarnatione domini 16. mundi vero 3879. Et regnauit annis 23. Quo tẽpore Tetrarcha Herodes apud Iudæos dominatur. Liuius hiſtoriographus moritur. Ouidius poeta in exilio perit. Quintus Hacterius orator ſeneſcit. Iudeę procurator à Tyberio Pilatus mittitur. Chriſtus à Ioanne trigenarius baptizatur, poſt tres annos ſub Pilato pro ſalute mũdi cruci affligitur. In cuius paſſione ſol obſcuratur, & terra mouetur, quibus videlicet ſignis etiam hiſtoriæ gentilium atteſtantur.

Primus epiſcopus Hieroſolyma. *Hieroſolymorum* eccleſiæ primus epiſcopus frater domini Iacobus ab Apoſtolis ordinatur. Caſſius Seuerus orator exiliatus moritur: Perſius Flaccus ſatyricus naſcitur. Hærodes Romam profectus à Tyberio vinculis irretitur, & Agrippa filius eius accuſatur.

4. *Imperator Caligula.* *Quartus vero Gaius Caligula cæpit anno domini* 39. mũdi vero 4002. Et regnauit annis 4. hic Agrippã à vinculis liberatũ regẽ Iudææ fecit ſemetipſum in Deos retulit: in Hieruſalẽ, & in toto orbe Romano, & in ſynagogis Iudæorum ſtatuas ſuas, & imagines æreas erexit plurimos nobiliũ, & omnes exules interfecit. Sorores quoq; ſuas quibus intulerat ſtuprum, exilio condemnauit. Tandem à protectoribus ſuis in palatio percuſſus interijt. Eo quoque tempore Pilatus in multas calamitates incidens propria ſe manu interfecit.

5. *Claudius.* *Romanorum 5. Claudius cæpit* anno domini 44. mundi vero 3506. & regnauit annis 14. Eo tẽpore Petrus Apoſtolus Antiochena eccleſia fundata Romæ prædicans Euangeliũ annis 25. in epiſcopatu perſeuerat, & eius interpres Marcus in Alexandria prædicat. Antiochiæ primus ordinatur epiſcopus Enodius. Agrippa mortuo filius eius Agrippa ſubſtituitur in regno. Domicius Affer inſignis orator habetur. Clodius Quirinalis rhetor Romæ docet, Palæmon inſignis grãmaticus claret, cũ quo Marcus Antonius rhetor inimicitias exercet, Fælix à Claudio Iudeæ procurator mittitur, per cuius exercitũ Ægyptius quidam pſeudopropheta multos de populo ſeducens, ſibique aſſocians opprimitur. Hoc tempore deſcriptione Romæ facta inuenta ſunt Romanorum ciuium *ſexagies nouies centena quadraginta quatuor millia.*

Ro ciuium numerus.

Tempora Neronis.

CAPVT LIV.

6. *Nero.* ROmanorum 6. Nero Gaij Caligulæ nepos cepit anno domini 57. mundi vero 4020. & imperauit annis 14. Hic tantæ luxuriæ fuit, vt retibus aureis piſcaretur, frigidis, & calidis vnguentis lotus, cantibus ac luſibus intendebat, & cithariſtas, tragedos, Aurigas, vario certamine ſuperabat. Crudelis vltra modum fuit. Nam & vxorem ſuam & domeſticos, ac multos nobilium interfecit. Senecam quoque prę ceptorem ſuum ad mortem compulit. Et vt ardentis Troyæ ſimilitudinem inſpiceret, plurimam vrbis Romanæ partem incẽdit. Cornutum philoſophum perſij præceptorem in exilium fugauit, Thermas ædificauit. Sub hoc in Iudæa Felici præſidi ſuccedit, Feſtus, apud quem Paulus cauſa ſua dicta Romam eſt miſſus. Feſto vero ſucceſſit Albinus, & Albino Florus, huius auaritiam non ferentes Iudæi, cæperunt rebellare, contra quos Veſpaſianus magiſter militiæ tranſmittitur à Nerone.

Seneca. *Cornutus.* *Iudai rebellant Romanis.* *Ioſephus.*

Ioſephus ſcriptor hiſtoricus dux belli Iudæorum cum à Romanis eſſet occidendus, Veſpaſiano prænunciat de morte Neronis, & imperio ipſius. Temporibus Neronis Probus grammaticus, & Statius rhetor Romæ celebrantur, Alexandriæ Marcus Euangeliſta martyrizatur, Iacobus Iuſtus à Iudæis lapidatur, Perſius moritur, Muſonius, & Plutarchus philoſophi inſignes habentur. Iunius Gallio frater Senecæ declamator egregius propria ſe manu interfecit. *Lucanus poeta* in Piſoniana coniuratione deprehenſus, brachium ad ſecandas venas medico præbuit. Cuius bona pater eius Mela Senecæ frater à Nerone obtinuit. *Lucanus.*

Perſequutio Neronis. *Primus* Nero ſuper omnia ſcelera ſua Chriſti eccleſiam perſequitur: *In qua perſecutione Petrus & Paulus duces gregis pro Chriſto patiuntur.* Sanctus quoque Vitalis miles, & vxor eius Valeria, eorumque filij Geruaſius, & Prothaſius. Item Nazarius, & Celſus Proceſſus, & Martinianus, Timotheus, & Appollinaris, & alij multi. Poſt Petrum vero Romanam eccleſiam Linus tenuit. Denique Nero hoſtis reipublicæ cum à ſenatu quæreretur ad pœnam è palatio fugiens ſeipſum interfecit: *in quo omnis Auguſti familia finem habuit.*

Tempora Galbæ, Othonis, & Vitellij.

CAPVT LV.

Galba. POſt hunc in Hiſpania Galba imperium arripuit, & inde. Quintilianum Romam perduxit, qui primus ibi ſcholam publicam, & ſalarium e fiſco accepit, & claruit. Sed Galba auaritiæ, ac ſegniciei deditus 7. imperij ſui menſe in medio foro ab Othone occiditur, qui & ipſe inuaſo imperio poſt tres menſes à Vitellio deuictus manu propria interficitur. *Vitellius* quoque Romam victor ingreſſus tandem à Veſpaſiani ducibus occiſus in Tyberim proijcitur. His ergo tribus nullus in chronicis annotatur annus: eo tempore Antiochæ ſecundus Epiſcopus ordinatur Ignacius.

Otho. *Vitellius.* *Ignatius.*

Apoſtoli clarent. His quoque temporibus multa miraculorum, & doctrinæ gratia per diuerſas orbis partes claruerunt ſancti Apoſtoli, cæterique domini noſtri Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum diſcipuli, videlicet Thomas in India, Andreas in Achaia, Bartholomæus in Armenia. Item Barnabas & Lucas, Martha & Maria, Maximinus Aquenſis, Martialis Lemouicenſis, Iulianus Cænomanenſis, Paulus Narbonenſis, Trophinus Arelatẽſis. Eutropius Sanctonenſis, Fronte Petragoricenſis. Irenæus Lugdunenſis, Gratianus Turonenſis, Saturninus Tholoſanus, Clemens Romanus, & alius Clemens patruus illius, Sauinianus, & Potentianus, Timotheus, & Lytus, & alij plurimi.

Tempora Veſpaſiani, & Titi.

CAPVT LVI.

Veſpaſianus 7. 9. ROmanorum 7. Veſpaſianus cępit annò domini 71. mundi 4034. & imperauit annis 9. hic apud Iudæam Imperator ab exercitu vocatus Tito filio ſuo bellum reliquit, qui Iudæa capta Hieroſolimam ſubuertit, & ſexcenta millia virorum interfecit.

Strages Iudæorum. Ioſephus ſcribit vndecies centena millia fame, & gladio perijſſe, & alia centena millia captiuorum publicè venundata fuiſſe. In diebus ſiquidem azymorum ad templum ex omni Iudæa confluxerunt, quoniam in illis diebus oportebat eos interfici, quibus Saluatorem cruci affixerunt. Sic igitur Iudæorum regnum defecit anno Veſpaſiani ſecundo. *A paßione domini 42. A captiuitate quam ab Antiocho paßi ſunt 239. Ab anno ſecundo Darij in quo reædificatum eſt templum 590. A prima ædificatione templi ſub Salomone 1102.* Sub Veſpaſiano ſanctus Appollinaris martyrizatur, Coloſſus 107. pedes altitudinis habens erigitur, res vrbes Ægypti terræmòtu ſubruuntur, Gabinius rhetor in Gallia celebratur.

Regnum eorum deficit. *S. Apollinaris.*

Titus 89. *Romanorum 8. Titus Veſpaſiani* filius cępit anno domini 80. mundi vero 4043. & imperauit annis tribus, hic morum imperialium floribus adornatus, & in vtraque lingua diſertiſſimus, intantum quoque facundiſſimus fuit, vt cauſas latino poemate peroraret, & tragædias græcè componeret. Intantum liberaliſſimus, vt quadam die recordatus in cæna ſe nihil illa die cuiquam præſtitiſſe, diceret amicis. *Hodie diem perdidi.* Muſonium philoſophum ab exilio reuocauit, Amphitheatrũ Romæ ædificauit, & in eius dedicatione quinque millia ferarum occidit. Eo tempore mons Bebius in vertice ruptus tantum ex ſe iecit incẽdij vt regiones

Liberalitas Titi.

vicinas

Apotheoſis Titi.

vicinas, & vrbes cum hominibus exureret. Titus moriens decretro ſenatus inter Deos relatus eſt, Anacletus autem Romanæ eccleſiæ præſidet.

Tempora Domitiani, & Neruæ.

CAPVT LVII.

Domitianus 9.

ROmanorum 9. frater Titi Domitianus cœpit anno domini 83. mundi vero 4046. & imperauit annis quindecim. Hic primus Deum ac dominum appellari ſe iuſſit, tanræque ſuperbiæ fuit, vt aureas, & argenteas ſtatuas ſibi in capitolio poni fecerit. Templumque ſine lignorum admixtione conſtruxit. Plurimos ſenatores atque nobilium in exilium miſit: nobilium quoque plurimos cæcidit, mathematicos, & philoſophos ex vrbe pepulit: huius temporibus Quintilianus Romæ claruit. Flauius quoque Ioſephus antiquitatum huius temporis librum ſcripſit. Tertius Romæ Papa Clemens factus eſt. Maxima Veſtalium virginum Cornelia conuicta ſtupri viua defoſſa eſt?

Scelera eius.

Flauius Ioſephus.

Secũda perſequatio Chriſtianorum.

Secundus poſt Neronem Domitianus, Chriſtianos perſequitur, ſub quo paſſi ſunt Anacletus Papa, Nereus, & Achilleus eunuchi, & eorum domina Domicilla. Sanctus quoque Dionyſius Areopagita, qui prædicationis cauſa directus erat in Galliam à beato Clemente Papa: huius quoque ſocij fuerunt ſanctus Ionius Carannus Carnotenſis, Regulus Syluacenſis, Lucianus Beluacenſis, Taurinus Ebroicenſis, Sanctinus Meldenſis, Eugenius quoque qui ab eo deſtinatus eſt ad prædicandum Toletanis.

Ioannes apoſtolus Apocalypſim ſcribit.

Sub eodem Imperatore Ioannes Apoſtolus in feruentis olei dolium merſus, & euadẽs illæſus in Pathmos inſulam relegatus, Apocalypſim vidit, & ſcripſit. Ipſe quoque Domitianus, vt nullus regni Iudæorũ reliquus foret eos qui de genere Dauid erant, interneci iuſſit. Eo tempore Apollonius inſignis philoſophus habetur, & Domitianus tandem occiſus in palatio per Veſpillones ignobiliter exportatur.

Domitianus moritur occijus Nerua 10.

Romanorum 10 *Nerua* cœpit anno domini 98. mundi 4061 & imperauit annis duobus: hic primo edicto ſuo cunctos quos Domitianus exiliauerat reuocauit. Vnde & Ioannes Apoſtolus de Pathmo inſula cum honore Epheſum remeauit, ibique compulſus à fratribus contra hæreticos, qui in Aſia pullulauerant Euangelium ſcripſit. Eo tempore Iuſtus à Tyberiade Iudæorum ſcriptor claruit. Nerua vero ſenex Traianum ſibi in filium antequam moreretur adoptauit, & tandem mortuus inter Deos eſt relatus.

Traianus adoptatur à Nerua.

Tempora Traiani, & Adriani.

CAPVT LVIII.

Traianus 11.

Romanorum ergo 11. *Traianus* cœpit anno domini 100. mundi vero 4063. Et imperauit annis 19. Huius inſtitutor fuit Plutarchus philoſophus, & ſub eo militauit ſanctus Euſtachius: huius temporibus migrauit ad Deum Ioannes Apoſtolus. Poſtquam auditores eius inſignes fuere Papias Hierapolitanus epiſcopus & Polycarpus Smirneus & Ignacius Antiochenus.

Plutarchus.

S. Ioãnis Apoſtols mors. Papias. Polycarpus Ignatius.

Perſecutio 3.

Tertiam contra Chriſtianos perſecutionem mouit Traianus ſub quo crucifixus eſt Simon filius Cleophæ Hieroſolymitanus epiſcopus, & Ignacius Antiochenus beſtijs traditur. Sub eodem paſſi ſunt ſanctus Clemens Papa, & ſanctus Focas. Eo tempore Plinius ſecundus orator & hiſtoricus floruit, qui & cum quandam prouinciam regeret in magiſtratu ſuo Chriſtianorum plurimos interfecit: tandemque eorum multitudine permotus Traiano pro eis Apologiam ſcripſit.

Plinij Apologia pro Chriſtianis.

Adrianus 12.

Romanorum 12. *Adrianus* cœpit anno domini 119. mudi vero 4082. Et imperauit annis 21. hic in vtraque lingua diſertiſſimus, in amorem pueroru incontinens fuit, vnde & Antonium puerum in Ægypto mortuum diligenter ſepeliẽs, ipſum enim in delitijs habuerat in Deos retulit, à quo & vrbs ipſa nomen accepit, Athenienſibus leges petentibus ex Draconis, ac Solonis reliquorumq; libris iura compoſuit, & cum inſignes plurimas ædes Athenis feciſſet, Agonem ędidit, ac Bibliothecam miri operis extruxit, in qua etiam ſecundi philoſophi reſpõſa, qui coram eo conſtanter ſilentium tenens ad interrogata ſingula ſcripto reſponderat, intitulari fecit.

Sub hoc Imperatore pro Chriſto paſſi ſunt Alexander Papa, & Euentius preſbyter, & Theodulus diaconus, & eiuſdem Alexandri ſucceſſor Sixtus à quo ſanctus Peregrinus Antiſiodorenſis in Galliam eſt directus; & ſub quo beatus Thaurinus Ebroicenſis doctrina, & miraculis extit clarus. Sub eodem etiam paſſi ſunt ſancti Fauſtinus & Iobitar, & virgo Chriſti Serapia, & illuſtris Sabina, tres quoque virgines, fides, ſpes, & charitas cum earum matre Sophia, & virgo quædam nomine Maria, præter hos etiam miles ſanctus Euſtachius, & alij decem millia.

Paſſi pro Chriſto.

Temporibus Adriani Plutarchus & Sextus philoſophi, Fauorinus, & Palęmon rhetores inſignes habentur. Baſilides Gnoſticorum hæreſiarches in Alexandria cõmoratur. Iudæis Paleſtinam depopulantibus ad opprimendos rebelles exercitus ab Adriano mittitur. Cothebas autem dux Iudaicæ factionis nolentes ſibi Chriſtianos contra Romanum militem ferre ſubſidium omnimodis necabat ſupplicijs. Adhuc quidem vrbis Hieruſalem per Titum euerſæ remanſerant quædam reliquiæ. In loco igitur vbi ſteterat arca, ſtatuam ſuam Adrianus poſuit, quæ à Iudęis amota manum extremam appoſuit, & funditus vrbem euertit. Anno ab euerſione prędicta 64. Inſuper etiam ne quis Iudæorum in terra illa remaneret edixit. Æliam vero (vt putatur) condidit, quæ ab ipſo Ælio Adriano nomen accepit. In Romana vero ſede præſidebat Teleſphorus.

Clari philoſoph. & alij.

Ælia condita.

Tempora Antonini Pij, & Antonini Veri.

CAPVT LIX.

Romanorum 13. *Antoninus Pius*, cœpit anno domini 140. mundi vero 4103. & imperauit annis 32. Eo tempore Papatum tenuit Hyginius, poſtea Pius, & poſt Anicetus. Floruerunt autem philoſophi Iuſtinus qui librum pro noſtra religione conſcriptum, Antonino tradidit. Eumque erga Chriſtianos benignum redoidit, & Baſilides, & Thaurus, & Maximus, Apollonius, Adrianus, & Creſcẽs Cynicus, & Galenus medicus. Sub eodem Imperatore venerunt Romam Valentinus hęreſiarches, & Cerdo Marcionis magiſter.

Ant. Pius 13.

Papa Philoſophi.

Romanorum 14. regnauit Marcus Antoninus Verus, & cum eo propinquus eius Lucius Aurelius Commodus ab ipſo ad imperij partem aſcitus. Hi primum ęquo iure imperium adminiſtrauerunt. Cum vſque ad hoc tẽpus ſinguli fuerunt Auguſti. Cœperunt anno domini 162. mundi vero 4125. Et imperauerunt annis 19.

Ant. Verus 4.

Quartam vero perſecutionem contra Chriſtianos excitauerunt, in qua paſſi ſunt ſancti Polycarpus Smyrnæorũ epiſcopus, & Pyoninus, & Fotinus Lugdunẽſis, & Pontianus, & puer Flocellus, Marcelius, & Valerianus, & Concordius, Victor, & Corona, virgoque Praxedis, & ſancta Blandina. Statim vero perſecutionem lues magna ſecuta eſt, quę multas latè prouincias deuaſtauit, maximèque Italiam. Antonini vero temporibus poſt Anicetum Sother Romæ tenuit Pontificatum, & poſt eum Eleutherius, floruerunt in eccleſia Dei illuſtres, ac ſapientes viri, Ægyſippus hiſtoriographus, & Plnius, Irenæus Lugdunẽſis, & Dionyſius Corinthiorum epiſcopus, Polypus Cretenſis, Theophilus Antiochenus, Apollinaris Hierapolitanus: philoſophi vero claruerunt Frõto orator, & Atticus Platonicus, & Peregrinus, qui rogo ex lignis incenſo ſeipſum ſuperiecit. Eo quo tempore Tacianus hæreticus agnoſcitur, à qua Eucratice Cataphrygarum etiam hæreſis exoritur, Montano auctore. Exercitu Antonini in bello contra Germanos & Sarmatas ſiti oppreſſo ſupplicantibus Chriſtianis militibus qui ibi erant, pluuia diuinitus mittitur, cum econtrario hoſtes fulmina, & ignes fugarent, & plurimos occiderent.

Perſequutio 4.

Pontifices Romani.

Philoſophi.

Montaniſta.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tempora Commodi, & Pertinacis, Seueri, & Caracallæ.

CAPVT LX.

Commodus. 15. ROmanorum 15. *Aurelius Commodus*, cœpit anno domini 181. mundi vero 4144. Et imperauit annis 13. Hic luxuriæ, & obſcænitati deditus plurimos Senatorum interfecit, Coloſſo capite ſublato, imaginis ſuæ caput imponi iuſſit. Sub hoc præfecturam Alexandriæ tenuit pater ſanctę Eugeniæ ſanctus Philippus. Quæ ſcilicet virgo relicto patre, & ſæculo ſub ſpecie viri ingreſſa monaſterium & abbatis officium geſſit, donec à Melania de ſtupro accuſata, tandem ſexum ſuum fecit innoteſcere. Paſſi ſunt autem ſub Commodo ſancti Appolinus ſenator, & Euſebius cum ſocijs ſuis. In capitolium fulmen ruit, & magna inflammatione facta Bibliothecas, & ædes vicinas concremauit. Alexãdrinæ eccleſiæ Demetrius præficitur. Commodus vero multis nobilium interfectis, tandem & ipſe ſtrangulatur.

Christiani passi.

Ælius 16. Romanorum ergo 16. *imperauit Ælius*, pertinax menſibus ſex, hic cum præfecturam vrbis ageret, ex conſulto Senatus imperare iuſſus obſeerantibus illis vt vxorem ſuam Auguſtam, & filium Cæſarem appellaret, cõtradixit, ſufficere teſtatus quod ipſe regnaret inuitus: hoc tempore Victor papatum ſuſcepit 13. Pertinax poſt ſex menſes in palatio Iuliani iuriſperiti ſcelere interficitur, & ideo nullus ei annus annotatur. *Romanorum itaque 17. Seuerus*, cœpit anno domini 194. mundi vero 4157. Et imperauit annis 19. Hic Iulianum Pertinacis interfectorem occidit, & in honorem illius Pertinacem ſe cognominari iuſſit. *Ideo quintam perſecutionem* in Chriſtianos mouit, in qua paſſus eſt Leonides pater Origenis, & Victor Papa, cui ſucceſſit Zepherinus. Item pater ſanctæ Eugeniæ ſanctus Philippus Alexãdrinus ſimul epiſcopus, ac præfectus, & Andeolus ſubdiaconus, floruerũt tũc temporis in eccleſia viri illuſtres ſanctus Narciſſus, Hieroſolymorum epiſcopus, & Clemẽs Alexandrinus, Muſanus quoque philoſophiæ noſtræ ſcriptor, & Panthenus Stoicus philoſophus. Temporibus quoque Seueri quæſtio de paſcha quo die, & quota luna celebrari debeat ſub Victore Papa determinatur. Tertullianus omnium eccleſiarum ſermone celebratur. Origenes Alexandriæ ſtudijs eruditur.

Seuerus 17.

Perſequutio 5.

Caracallæ 18. Romanorum 18. Antonius Caracalla cognominatur, propter genus veſtis quod Romæ erogauerat. Cæpit anno domini 213. mundi vero 4156. Et imperauit annis ſex. Hic Romæ Thermas ſui nominis, id eſt, Antoninas ædificauit, & tam impatiens libidinis fuit, vt Nouercam ſuam vxorem duceret. Tãdem vero interfectus eſt: hoc tempore Eſclepiades epiſcopus conſtituitur Antiochię, Hieroſolymæ vero Alexander adhuc Narciſſo viuente.

Maternus 19. Romanorũ 19. *imperauit Maternus*, anno vno. Hic palatij præfecturã agens nulla voluntate ſenatus Imperator efficitur, & poſt annum occiditur. Hoc tempore regnauit Ediſſæ vir ſanctus Abagarus, vt vult Affricanus.

Tempora Aurelij, Alexandri, Maximini, Gordiani, Philippi.

CAPVT LXI.

M. Aurelius 20. ROmanorum 20. *Marcus Aurelius Antonius*, cœpit anno domini 220. mundi vero 4183. & imperauit annis 4. hic Eliogabali templi ſacerdos, adeo impudicè in imperio ſuo vixit, vt nullum obſcænitatis genus committere omiſerit, nec vllam ſui niſi ſtuprorum, atque flagitiorum infamem memoriam reliquerit, tandemque tumultu militari occiſus cum matre interit, hoc tempore 15. Papatum tenuit Calixtus.

Alexander 21. Romanorum 21. *Alexander Mameæ filius*, cœpit anno domini 233. mundi vero 4187. Et imperauit annis 13. Hic in Mameam matrem ſuam vnicè Pius fuit, & ob hoc amabilis omnibus: diſciplinæ quoque militaris corrector ſeuerus Xerxen Perſarum regem glorioſe vicit, à cuius victoria cum rediret corpus ſancti Thomæ apoſtoli de India ad Ediſſam tranſlatum eſt. Sub hoc in papatu ſedit Vrbanus, & poſtea Pontianus. Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificantur, multique pro fide Chriſti martyrizantur. Ex quibus fuit Tyburtius, & Valerianus cum beata virgine Cecilia. Papa quoque Calixtus, & poſt eum Vrbanus, Cyricus puer, & mater eius Julia, ſanctaque virgo Martina, his temporibus clari ſcriptores habebantur Hippolitus, & Berillus, Arabiæ epiſcopus. Origenes etiam in Alexandria claruit, & inde in Ceſaream Paleſtinæ tranſijt. Vlpianus quoque iuriſconſultus Alexandri aſſeſſor inſigniſſimus habebatur, qui ſcilicet Alexander tandem Magunciani tumultu militari occiditur.

Martyres.

Maximinus 22. Romanorum ergo 22. *Maximinus*, cœpit anno domini 232. mundi 4020. & imperauit annis 3. hic primus ex corpore militari ſine ſenatus auctoritate ab exercitu electus; ſextam aduerſus eccleſiam perſecutionem mouit. Vnde Pontianus Papa ſucceſſor Vrbani martyrium ſubijt. Tũc Origenes de laude martyrij librum ad Ambroſium ſcripſit, qui cum ad plurimos veniſſet, eos ad confeſſionem nominis Chriſti fortiter animauit. Tandem vero Maximinus à Pupieno peremptus interijt. Moxque Pupienus, & Albinus frater eius imperium vſurpauerunt, ſed in palatio mox occiſi ſunt: hoc tempore Pontiano Papæ ſucceſſit Antherus, & Anthero Fabianus.

6. Perſequutio.

Gordianus 23. Romanorum 23. *Gordianus*, cœpit anno domini 240. mundi vero 4203. & imperauit annis ſex. Eo tempore floruit Aphricanus inter ſcriptores eccleſiaſticos nominatiſſimus, Porphyrius quoque philoſophus, & Theopõpus, Gordianus adoleſcẽs dum à piratis victor reuertitur, fraude Philippi præfecti prætorij interficitur.

Philippus 24. Romanorum 24. *Philippus*, cœpit anno domini 246. mundi vero 4209. & imperauit annis ſeptem: hic filium ſuum Philippum imperij conſortem fecit, primuſque omniũ ex Romanis Imperatoribus Chriſtianus fuit, hos enim beatus Pontius ad Chriſtum conuertit, quod poſtea ſub Decio martyrium ſubijt. his autem regnãtibus expletus eſt vrbis Romanæ milleſimus annus, ob quam ſolemnitatem innumerabiles beſtiæ interfectæ ſunt in circo magno, ludique theatrales celebrati ſunt in cãpo Martio tribus diebus, ac noctibus peruigilante populo, Philippo quidem Imperatori volenti paſchæ vigilijs intereſſe, & communicare myſterijs, Fabianus Papa reſtitit, nec permiſit, donec peccata ſua confiteretur, & inter pœnitentes ſtaret: ambo denique Philippi fraude Decij, circumuenti ſunt & occiſi.

Tempora Decij Valeriani, & Gallieni, & Claudij.

CAPVT LXII.

Decius 25. ROmanorum ergo 25. *cœpit Decius*, anno domini 253. mundi vero 4216. & imperauit anno 1. Qui cum Philippum patrem, & filium occidiſſet in odium eorum 7. contra Chriſtianos perſecutionem mouet. In hac Fabianus Papa Romæ martyrio coronatus ſedem Cornelio reliquit. In eadem quoque paſſi ſunt ſancti Dionyſius, Alexandrinus, & Alexãder Hieroſolymitanus epiſcopi, qui ſcilicet Dionyſius ſermonem de lapſis fecit. Eo tempore quo Nouatus preſbyter ſpeciem eis ſalutis etiam ſi dignè pœnituiſſent adimebat ex quo & Nouacianorum hæreſeos princeps Nouacianus extitit. Sub Decio quoque paſſa eſt beata virgo Agatha: Petrus, Andreas, & Paulus, & Dionyſius, Triphon, & Secundianus, Verianus, Marianus, Abdon, & Sennen, & ſeptem dormientes, & alii plures. Eo tempore Antonius monachus in Ægypto naſcitur: peſtilens morbus Italiam, maximeque Alexandriam occupat, Decius tandem cum filio à Bruto occiditur.

7. Perſequutio.

S. Antonius Abbas.

Gallus. Romanorum 26. Gallus Hoſtilianus cum filio ſuo Voluſiano cœpit anno domini 254. mundi vero 4207. & imperauit annis 2. Hoc tẽpore regebat eccleſiam Papa Cornelius, cui pro Chriſti nomine martyrio paſſio ſucceſſit, Lucius, & Lucio Stephanus, ambo prædicti Imperatores tandẽ interfecti ſunt. *Romanorũ 27. Valerianus,*

Valerianus 27.

cum

cum filio ſuo Galieno cœpit anno domini 256. mundi 4219. & imperauit annis 15. Hi octauam contra Chriſtianos perſecutionem mouerunt, in qua multi ſanctorum paſſi ſunt. Ex quibus fuerunt Stephanus Papa, Dionyſius Alexandrinus, & Aſcyrius Senator, & Cyprianus Carthaginenſis, Fructuoſus Tarraconenſis, ſanctaque virgo Eugenia cum duobus Eunuchis, Protho & Hiacinto, Pontius Priſcus, & alij multi. Stephano vero Papæ ſucceſſit Dionyſius, & Dionyſio Sixtus. Porro Valerianus in Chriſtianos perſecutione commota, ſtatim à Sapore rege Perſarum capitur. Ibique ſeruitute miſerabili cõſeneſcit, & extunc Galienus pacem noſtris reddidit. Ipſo tamen in omnem laſciuiam diſſoluto.

8 Perſequutio.

Martyres.

Galienus.

Porro Galienus vocatus eſt etiam Decius. Itaque ſub Decio paſſi ſunt etiam ſanctus Papa Sixtus, & eius Leuita Laurẽtius, & Hippolytus, & Polychronius cum clericis ſuis, & alij plures. Eo tempore floruit miraculis, & doctrina ſanctus Gregorius Ponticus, ad deſerta quoque fugit primus eremita Paulus, Antiochiæ vero 15. Paulus Samoſatenus epiſcopatum ſuſcepit qui Athemonis hæreſim ſuſcitauit. Galienus quoque tandem Mediolani occiditur.

S. Laurentius.

Paulus eremita.

Claudius 28.

Romanorum 28. *cœpit Claudius*, anno domini 271. mũdi vero 4234. Et imperauit annis duobus. Hic Gothos Illyricum, & Macedoniam vaſtantes ſuperauit, ob hoc ei clypeus aureus in curia, & in capitolio ſtatua aurea collocata eſt. Sub hoc etiam pro Chriſto paſſi ſunt ſancti Cæſarius diaconus, & Iulianus preſbyter, & Marius, & Martha cum duobus filijs, & Valentinus preſbyter, & alij plures, ea tempeſtate Antiochiæ pro Paulo hæreſiarcha Dominus ſubſtituitur, cuius tempore Pelagia peccatrix ad Deum conuertitur.

Tempora Aureliani, & Taciti, Floriani, Probi, Cari, Carini, Numeriani.

CAPVT LXIII.

Aurelianus 29.

Romanorum 29. *cœpit Aurelianus*, anno Domini 273. mundi 4236. Et imperauit annis 6. Hic nondum malis cõſilijs deprauatus de eccleſia Paulum egredi nolẽtem, expelli fecit, ſed poſtea mutato propoſito nonam perſecutionẽ in Chriſtianos excitauit. In qua paſſi ſunt ſancti Benignus preſbyter, & Andochius cum ſociis ſuis, Priſcus & Felix cum ſociis ſuis. Speuſippus cum fratribus ſuis, virgoque Columba, Patroclus, & Sabinianus, pueri quoque Symphorianus, & Mames, & Agapitus, & plures alij. Eo tempore floruit Euſebius Leodicenſis epiſcopus: denique perſecutione contra nos mota fulmen iuxta Aurelianum, & comites eius ruit, ipſeque non multo poſt occiſus interijt.

9. Perſequutio.

Tacitus 30.

Romanorum 30. *imperauit Tacitus*, menſibus ſex. Quo apud Pontum occiſo, Florianus obtinuit imperium octogintanouem diebus. Eo quoq; apud Tharſum interempto regnauit Probus, præfatis ergo duobus Imperatoribus annotatur in chronicis annus vnus. *Romanorum itaque* 31. *Probus*, cœpit anno domini 279. mundi vero 4242. & imperauit annis 6. Hoc tempore Manichæorum hæreſis exoritur. Cyrillus epiſcopus Antiochiæ conſtituitur. Eutychianus eccleſiæ Romanæ præficitur, & poſt eum Caius. Probus vero militari tumultu occiditur.

Probus 31.

Carus 32.

Romanorum 32. *cœpit Carus*, Narbonenſis, anno domini 285. mundi vero 4249. & imperauit annis duobus. Hic cum filios ſuos Carinum, & Numerianum conſortes regni feciſſet ad bellum Parthicum profectus, & victoria potitus, in caſtris fulmine ictus interijt. *Sub Numeriano vero paſſi ſunt.* Babylus epiſcopus cum tribus pueris, Cryſantus, & Darias cum pluribus aliis: denique Numetianus ipſe cum ob dolorem oculorum in lecticula veheretur, inſidiis Arij ſoceri ſui occiditur.

Tempora Diocletiani, & Maximiani, & Galerij.

CAPVT LXIV.

Diocletianus 33.

Romanorum 33. *cœpit Diocletianus*, anno domini 277. mundi vero 4251. & imperauit annis 20. Hic Maximianum Herculium in regni conſortiũ aſſumpſit. Primuſque ſe adorari vt Deum, ac gemmas veſtibus, & calceamentis inſeri iuſſit. *Sub his Imperatoribus decima perſecutio in Chriſtianos excitata eſt*, quæ primo quidem in militibus graſſata eſt. Ex quibus fuerunt beatus Mauritius, cæteriq; ex legione Thebæorum, & beatus Sebaſtianus cum ſuis, & Victor Maſilienſis, & Mennas, à militibus vero vbique per orbem diffuſa eſt. Paſſique ſunt per diuerſas vrbes, atque prouincias innumerabiles martyres. Præcipuè vero ſub Daciano præſide Hiſpaniæ paſſi ſunt ſanctus Valerius Cæſar Auguſtanus epiſcopus, & Vincentius eius Archidiaconus, ac Georgius miles, Fælix Gerundenſis, & Capraſius, virgines etiã Fides, & Eulalia, & alij plures. Sub Rictiouaro autem præſide Galliæ, ſancti Dei Quintinus & Gentianus, Fuſcianus & Victoricus, Criſpinus & Criſpinianus; Ruffinus & Valerius. Puer quoque Iuſtius, & Macra virgo. Sub cæteris vero iudicibus per diuerſas orbis prouincias Dorotheus, & Gorgonius cum ſocijs ſuis Agricola & Vitalis, Coſmas & Damianus, Sabinus & Blaſius, Gregorius Spoletanus, Sergius & Bacchus, Anaſtaſia & Gryſogonus, Vitus puer & Modeſtus, Primus & Felicianus, Lucia & Geminianus, Marcellinus & Petrus, Arthemius Donatianus & Rogatianus Felix & Adauctus. Simplicius Fauſtinus atq; Beatrix, Firmius Ambianẽſis, Bonifacius, Aſcla, Phileas Cucuphates, Pantaleõ & Theodorus, Cyriacus cũ ſociis ſuis, & papa Marcellinus, poſt Marcellus, virgineſque Theodoſia, Iuliana, Dorothea, Barbara, Chriſtina, Lucia, Benedicta, Iuſtina quoque, Cyprianus, & alij infiniti vtriuſque ſexus. Marcellino ſiquidem Romanã eccleſiam regente tanta fuit perſecutio, vt inter dies triginta decemſeptem millia hominum promiſcui ſexus coronarentur martyrio. Tunc & ipſe Marcellinus tyrannis cedens thurificauit, ſed poſtea pœnitens capitis abſciſionem pro fide Chriſti ſuſtinuit. Tunc inter perſecutiones pontificatus annis ſeptem ceſſauit. Et exinde ſuccedens Marcellus ipſe quoque perſecutione eadem martyrium ſubiit. Denique Diocletianus ab inuito Maximiano exegit, vt ſimul purpuram imperiumque deponerent, ac iunioribus in republica ſubſtitutis, in priuato habitu conſeneſcerent. Tunc Maximinus, Galerius, & Conſtantius Auguſti Romanorum imperium in duas procurationes primi diuiſerunt, & Galerius quidem Illyricum & Aſiam & orientem tenuit. Conſtantius autẽ vir manſuetus Gallia tantum Hiſpaniaque contentus cęteris eis partibus ceſſit, hos etenim duos olim Diocletianus Cæſares legerat, tradens Galerio filiam ſuam Valeriam, Conſtãtio vero qui Claudij nepos fuit ex filia Priuignam Maximiani Theodoram, ex qua ſex filios habuit fratres Conſtantini, quem ex Helena concubina ſuſceperat. Hi itaque duo diuiſim tenuerunt imperium annis duobus. Anno enim ſecũdo Conſtantius occiduas partes, quarum Maximianus imperium depoſuerat, regens in Britannia obijt, ac religioſiorem filium Cõſtantinum hæredem imperij reliquit. Eo tempore papatum Euſebius, & poſt Melchiades tenuit. Galerius autem Seuerum & Maximinum Cęſares legit.

S. Vincẽtius.

S. Quintinus.

Martyres.

Diocletianus deponit purpuram.

Galerius cũ Conſtantio Chloro imperant.

Tempora Conſtantini Magni.

CAPVT LXV.

Conſtatinus 34.

Romanorum ergo 34. *cœpit Conſtantinus*, anno domini 309. mundi vero 4283. Et imperauit annis, 31. Maxentius quoque filius Maximini à prætorianis militibus Romæ Auguſtus appellatur. Seuerus à Galerio miſſus Rauennæ interficitur. Sed & Licinius qui ſententia aſcitus omnium in imperium, ſororem Conſtantini duxerat in vxorem, Auguſtus appellatur, quæ res Maximinum vehementer offendit, quia ipſe ſolummodo tunc Cæſar in Orientis partibus habebatur. Igitur etiam ab ipſo nomen Auguſti vi raptum aſſumitur. Porro Maximianus Herculius à filio ſuo Maxẽtio Romæ tyrannidem tenente expulſus, & à genero ſuo Conſtantino religioſe receptus, imperium quod prius abiecerat, iterum arripere volens à filia ſua Fauſta dete-

Diocletiani mors.

ctus, quod dolum viro ſuo Conſtantino pararat Maſſiliæ fugiens occiditur. Diocletianus quoque non procul à Salone moritur, & ſolus omnium priuatus inter Deos refertur. Eo tempore paſſa eſt ſancta Lucia virgo ſub conſulari Paſchaſio.

Maxentij impietas.

Inter hæc Maxentius Romæ tyrannidem agens ſenatorum, maximeque nobilium matronas ad ſuam libidinem duci contaminataſque viris ſuis reddi iubebat, libidine quoque cædis exæſtuans, infinitum ſanguinem effundebat. Magicas etiam artes ſummis ſtudijs excolebat, nihilque flagitiorum, atque facinorum à ſuis actibus alienum relinquebat. Sub hoc paſſa eſt beata virgo

S. Catharina.

Catharina cum quinquaginta ſuis oratoribus, ac duce Porphyrio, & regina. Sub Maximino vero ſimilem in oriente tyrannidem exercente paſſi ſunt ſancti, Petrus Alexãdrinus, & Lucianus Antiochenus, & Phileas epiſcopus, Romanus, & Baralus, puer Quirinus, & Pamphilus preſbyter. Denique Maximinus ipſe poſt multa ſcelera in ſanctos perpetrata diuinam vltionem ſuſtinuit. Porro Conſtantinus anno ſeptimo imperij ſui per ſignũ crucis ſibi diuinitus oſtenſum, de Maxentio triumphauit, *& baptizatus à beato Papa Syluestro*, pacem eccleſijs reddidit. Quarum omniũ caput Romanam eccleſiam eſſe decreuit. Imperium quoque Italicum ſimul cum imperialibus inſignijs beato Syluestro contulit. Ipſe vero ſedem imperij ſui apud Cõſtantinopolim tranſtulit. His autem ſucceſſibus inuidia permotus Licinius in chriſtianos ſæuire cœpit, & vt crudelitati ſuperiorum aliquid adderet, incarceratis cibum vel potum omnino dari prohibuit. Sub hoc paſſi ſunt apud Sebaſtem quadraginta milites, inſuper & ſanctus Theogenes, ſancti quoque fratres Argeus, Narciſſus, & Marcellinus, & ſanctus Vrſacius. Denique Licinius à Conſtantino cõprehenſus capite truncatur.

Conſtãtinus baptizatus à S. Syluestro.

Perſequutio Licinij.

Arius.

Arius in concilio Niceno condemnatur. Cui ſcilicet concilio interfuerũt (vt legitur) ſanctus Alexander epiſcopus Alexandrinus, & eius diſcipulus Athanaſius, ſanctus quoque Paphuncius ac Spiridion Cyprinus & etiã ſanctus Mirrhæorum epiſcopus Nicolaus. Eodem tempore floruerunt ſancti, Iacobus Niſebenus epiſcopus, & Enuncius Aurelianenſis, Euſebius Cæſarienſis, & Antonius Ægyptus monachus, ſanctique confeſſores, Vincentius & Florentius. Philoſophi quoque Lactantius, & Arnobius rhetor, & Porphyrius.

Inuentio S. Crucis.

Imperatrix Helena diuinitus per viſum admonita Hieroſolymã petẽs lignũ ſanctæ Crucis inuenit. Cuius partem vnam thecis argenteis conditam in eo loco fidelibus ad memoriam derelinquens, reliquam filio detulit. Vlterior India per Frumentium, & Hiberia per quandam captiuam ad fidẽm Chriſti conuertuntur. Cõſtantinus in Arianum dogma declinans peruertitur. Hoc habuit ex Euſebio & alijs qui aiunt baptizatum Nicomediæ, ab Arianis ſcilicet vt ſuſpicandum relinquunt.

Tempora Conſtantini hæretici, Iuliani apoſtatæ: Iouiniani.

CAPVT LXVI.

Conſtãtinus 29. Imp. 35.

Romanorum 35. Conſtantinus, cum fratribus ſuis Conſtantio & Conſtante cœpit anno domini 340. mũdi 4303. & imperauit annis 24. Huius impietas Ariana fulta præſidio, vndecimã contra catholicos perſecutionem mouit, in qua paſſus eſt ſanctus Euſebius presbyter, & alij plures. Athanaſius quoque Alexandrinus multa pro fide ſuſtinuit, & Papa Liberius, ac poſt eum Felix. Floruerunt eo tempore ſancti, Iacobus Niſibenus epiſcopus, & Maximinus Treuerẽſis, à quo perſecutiones Conſtantini declinans honorifice ſuſceptus eſt Athanaſius, diſcipuli quoque ſancti Antonij, Paulus ſimplex, & Hylarion, Amos etiam Ægyptius, & duo Macharij, ſed & Euſebius Emiſſenus epiſcopus, & Victorinus Apher. Euſebius quoque Vercellẽſis & Hilarius Pictauienſis, qui his temporibus eccleſiam Dei tanquam columnæ firmiſſimæ vna cum Athanaſio fulciebant.

Hæreſiarchæ.

Hæreſiarchæ vero fuerunt hoc tempore Donatus, Lucifer Macedonius & Andeus, philoſophi quoque Victorinus Rhetor, qui ſtatuam in foro Traiani meruit, & Donatus grammaticus Hieronymi præceptor. Sapor etiam rex Perſarum eo tempore noſtros perſecutus eſt. In cuius regno ſedecim millia martyrum, inter eos Simeon archiepiſcopus paſſi ſunt. Synodus quoque apud Ariminum ab hæreticis facta eſt, In qua fides antiqua patrum damnata eſt, ſed in Gallia per Hilarium eadem Synodus condemnata.

Synodus Ariminenſis.

Iulianus 36

Romanorum 36. cœpit Iulianus Conſtantij nepos anno domini 364. mundi vero 4327. & imperauit annis fere duobus. Quo ad cultum idolorum conuerſo, duodecima eccleſiæ perſecutio cœpit, blanda quidem & illidẽs magis quam propellens. Sub hoc ergo paſſi ſunt martyres Chriſti, Gallicanus quondam magiſter militiæ Conſtantini, Ioannes & Paulus, Donatus Aretinus epiſcopus, & Cyriacus, Gordianus etiam eiuſdẽ Iuliani vicarius, & Epimachus, & alij multi. Denique Iulianus dum contra Perſas ad bellum perexiſſet, orante ſancto Baſilio cum populo ſuo Cæſarienſi, cui Iulianus ipſe minas intulerat, iubente quoque beata Maria ſemper virgine, cuius filium blaſphemauerat, à Mercurio martyre ſubito interfectus eſt.

Duodecima perſequutio.

Ioninianus 37.

Romanorum 37. Iouinianus, vir fortis & nobilis, qui quondam ſub Iuliano cum eſſet millenarius magiſter elegerat cingulum amittere quam imperatori ſacrificando idolis obedire, imperauit menſes 7.

Tempora Valentiniani, Valenti & Gratiani.

CAPVT LXVII.

Valentinianus 38.

Romanorum 38. cœpit Valentinianus, anno domini 367. mundi vero 4340. & imperauit annis 11. qui & ipſe ab impio Iuliano pro fide catholica priuatus fuerat militia. Ab hoc frater eius Valens in regni conſortium aſſumitur, qui ab Eudoxio Arianorum epiſcopo baptizatus noſtros perſequitur. Eo tempore Romæ Papa Damaſus ordinatur, Apollinaris Leodicenſis, & Dydimus Alexandrinus ſcriptores noſtri dogmatis agnoſcuntur. Fuerunt etiam huius temporis Libanius rhetor & Antiochenus & Hęreſiarcha Eunomius, poſt Auxẽtij quoque ſeram mortem Ambroſio Mediolani epiſcopo conſtituto, omnis ad rectam fidem Italia conuertitur.

Damaſus.

Theodulus Attrebatẽſis.

Theodulus miſerabilis preſbyter dum contra conſcientiam furoris ſui, ſacrificia Deo offerre audet, in medijs precibus eliditur apud Attrebatum, eo tẽpore lana è cœlo pluuiæ mixta fluxit. Melana nobiliſſima Romanorum Hieroſolymam nauigans, ibidem magno virtutum miraculo claruit. Sancti quoque patres monachorum eo tempore floruerunt in Ægypto, & maxime in Nitriæ partibus, Iſidorus ſcilicet Heracleotes, Pior & Pãpus, Appelles, Hor, & Ammonius, Serapion & Eulogius, Beniamin & Apollonius, Eugarius, Copres & Mutius & Venus. Mortuo denique Valentiniano anno imperij ſui vndecimo, Gratianus filius eius aſſumpto in imperium Valentiniano fratre cum paterno Valente, regnauit cum eis annis tribus. *Valens legem vt monachi militarent, dedit, & nolentes fuſtibus necari iuſſit.* Multique monachorum Nitriæ cæſi ſunt. Eo tempore Hæreſiarcha moritur. Baſilius Cæſarienſis epiſcopus, & Florentinus, ac Bonoſius, & Ruffinus monachi inſignes habentur. Romani à Gotis vſque ad internecionem in Trachiæ bello cæduntur, & Imperator Valens ſagitta ſaucius ad cuiuſdam villulæ caſam deportatur, ibique cum ipſa domo incenditur.

Valentis lex iniqua.

Gratianus 39.

Gratianus itaque ſolus imperauit publicè annis ſex. Hic religioni valde fauens, ac per omnia reipublicæ promptus Theodoſium imperii conſortem fecit, qui fælicitate iam deuictis Barbaris, dum eſſet magiſter militiæ, mira fælicitate laſſam rempublicam in orientis partibus reparauit.

Viri illuſtres.

Celebrantur eo tempore viri illuſtres in eccleſia Damaſus ſummus pontifex, & Baſilius Cęſarienſis, Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nyſſenus, Martinus

Turo-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Turonenſis & Ambroſius Mediolanenſis, Theophilus Alexandrinus, & Miletius Antiochenus, & Didimus Alexandrinus philoſophus. Ruffinus Aquileienſis presbyter, Hieronymus quoque diuinæ ſcripturæ totus incumbens, & Paula Romanorum matronarum prænobilis, mundo abrenuncians, & etiam in Aegypto ſanctus Abbas Pachomius, in Gallia, ſanctus Firminus Ambianenſis, & Maurilius Andegauenſis. Maximinus vero Conſtantini magni conſanguineus cum rex Britanniæ factus eſſet, per tyrannidem imperium inuaſit: tandem & in Gallias tranſiens Gratianum Imperatorem Lugduni peremit. His quoque temporibus Apollinarem Laodiceæ epiſcopum in hæreſim nominis ſui conuerſum, Damaſus Papa condemnat, ſed & Priſcillianus in Hiſpania epiſcopus hæreſim ſui nominis condens eccleſiam perturbat.

Tempora Theodoſij ſenioris Archadij, & Honorij.

CAPVT LXVIII.

Theodoſius 40.

Romanorum 40. *Theodoſius* ſenior cępit anno domini 378. mundi vero 4350. Et imperauit annis 11. Gratiani necem vindicauit, & idolorum cultum deſtruxit. Huius temporibus eccleſiæ Romanæ præfuit Syricius. Floruit autem ſanctus Ambroſius, qui & corpora ſanctorum Geruaſij, & Prothaſij, Nazarij quoque & Celſi martyrum inuenit, & vitam ſanctæ virginis martyris Agnetis deſcripſit, per quem etiam Auguſtinus cũ eſſet Manichæus ad rectam fidem conuerſus relictis ſcholis baptizatur, & Maximus tyrannus ab eodem excommunicatus à Theodoſio perimitur. Claruerunt & poetæ Claudianus Gentilis Romæ, & Prudentius lyricus in Hiſpania. In Aegypto quoque ſanctus Ioannes Anachoreta. Theodolum immane facinus quod commiſit quando Theſſalonicæ ſeptem milui ciuium in vltionem iudicum in ſeditione occiſorum occidi fecit, mirabili publicæ pænitentiæ exemplo diluit, ab Ambroſio eccleſia expulſus, & humili ſatisfactione reconciliatus.

Theodoſij facinus.

Patricius.

Sanctus Patricius Scotus in Hibernia venditur, vbi cum eſſet regis Portarius angelico ſæpe colloquio fruitur. Arſenius ex ſenatore Romano monachus efficitur.

Arſenius.

In Emaus caſtello Iudeæ puer naſcitur gemellus ab vmbilico, & ſurſum diuiſus. Corpora prophetarum Abacuch, & Micheę reuelantur. Didymus Alexandriæ plus quam octogenarius moritur. Duæ quoque laudabiles Abbatiſſæ Sara, & Sincleticæ hoc tempore fuiſſe creduntur.

Didymus.

Arcadius.

Romanorum 41. Archadius Theodoſij filius cum fratre ſuo Honorio cæpit anno domini 398. mundi vero 4361. Et imperauerunt ſimul annis 13. Hoc tempore in Romana ſede præfuit Anaſtaſius, & poſt eum Innocentius. Floruerunt in eccleſia ſancti viri Ioannes Chryſoſtomus Conſtantinopolis, & Donatus Epyri epiſcopus. In Hiſpania quoq; Oroſius hiſtoriographus, & in Aquitania ſeuerus. In Gallia vero Seuerus Agrippinenſis, & Seruatius Tungrenſis epiſcopus Domini Ieſu Chriſti ſecundũ carnem conſanguineus. Imperatores idolorum vbique templa deſtrui præceperunt. Hieronymus, & Ruffinus orta inter ſe ſimultate pro quæſtionibus ſcripturarum inuectiuas in alterutrum conſcripſerunt. Auguſtinus etiam & Hieronymus de quibuſdam ſcripturæ capitulis vſque ad ſimultatem inter ſe per epiſtolas diſceptauerunt. Sanctus Martinus octogenarius obijt, cui ſanctus Briccius in epiſcopatu ſucceſſit. Sãctus Ambroſius obijt; cuius vitam Paulinus Nolanus epiſcopus deſcripſit. Auguſtinus in eccleſia philoſophatur. Romæ vita ſancti Alexij declaratur. In Hiſpania Pelagius hæreſiarcha agnoſcitur. Oſſa prophetæ Samuelis à Iudæa Conſtantinopolim ab Archadio transferuntur. Ioannes Chryſoſtomus in exilium relegatur.

S. Chryſoſtomus.

S. Seruatius.

Obitus S. Martini & Ambroſij.

Tempora Honorij, & Theodoſij iunioris, & Valentiniani.

CAPVT LXIX.

POſt Archadij mortem Honorius cũ fratruele ſuo Theodoſio imperauit annis quatuordecim. Huius tempore papatum tenuit Innocentius, & poſt eum Zoſimus: poſtea vero Bonifacius: Vuandali duce Croſco Gallias peruagati multas vrbes, & eccleſias ſubuerterunt, ſub quo turbine martyrizantur inter multos Florentinus, & Hilarius Sedunenſes, Deſyderius Lingonenſis, cum Archidiacono Vincentio, Antidius quoque Biſontinus epiſcopus. Tandem vero Vuandali Galliam ſcilicet relinquentes timore Gothorum cum Alanis, ac Sueuis Hiſpaniam occupauerunt, ibique fere triginta annis habitauerunt. Alaricus autem rex Vuiſigothorum per Italiam debacchatus Piſam, tandem Romam cępit, multaque in ea loca incendit. A ſanguine tamen & cæde temperabat, & ad ſanctorum limina confugientibus indulgebat. Vuandalis iterum Gallias incurſantibus ingreſſi Franci, Modigiſilum regem cum 20. millibus Vuandalorum extinguunt: poſt quem filius Gondericus in Hiſpania regnauit. Eo tempore Maximus † Taurinenſis epiſcopus homiliarum in eccleſia declamator floruit. Prædeſtinatorum hæreſis ſerpere cæpit. Iudæus quidam quæſtus cauſa cum ad baptiſma veniſſet, aqua fontis ſubito diſparuit, & iterum iterumque allata, iterumque diſparens Dei virtutem, ac Iudæi perfidiam oſtendit. Corpora ſanctorum Stephani prothomartyris cum ſocijs ſuis Luciano præſbitero reuelata ſunt: cuius ſcilicet martyris reliquias Oroſius preſbyter à beato Hieronymo ad Aguſtinum rediens in Aphricam detulit, eaſque dominus vbique miraculorum gratia mirificauit: quorum plura ſcripſit Auguſtinus, & multo plura Ennodius.

Martyres.

† *Error eſt, nã Taurinenſis fuit hæreticus contra quem ſcripſit Ionas Aurelianenſis fuitque ſub Carolo Caluo. Maximus Epiſcopus.*

Franci legibus vti cæperunt, & legem Salicam dictauerunt. Hieronymus per quinquaginta ſex annos libris ſuis cõfectis fere cẽtenarius apud Bethlehẽ obijt. Mortuo Honorio Theodoſius ſolus imperauit annis tribus. Hoc tẽpore Celeſtinus Papatũ tenuit, ſanctus Albanus cum Epiſcopo ſuo Theoniſco per hæreticos ab vrbe ſua Philippis expulſus, apud Magunciam Galliæ martyrium ſubijt. Caſſianus à Ioanne Chryſoſtomo de conſtantinopolis eccleſia eiectus, cõpertas in Aegypto vitas patrũ collocutioneſque deſcripſit. Denique Theodoſius Valentinianum amicæ ſuæ Placidæ filium in imperium ſecum aſciuit, anno Domini 428. mundi vero 4091. & imperauerunt ſimul annis 24.

Lex ſalica.

Hoc tempore in Papatu ſedit Cæleſtinus, & poſt eũ Sixtus huius nominis tertius, deinde Leo primus, Quorum Cęleſtinus ad Scotos in Chriſtum credentes, miſit Palladium primum Epiſcopum, & poſtea ſanctum Patricium Conches ſororis ſancti Martini Turonenſis filium. Gundericus rex Hiſpali capta cum in eiuſdem vrbis eccleſiam manus extendiſſet, mox à dæmone correptus interijt, eiuſque frater Genſericus ſucceſſit.

Pontifices Romani.

Neſtorius, Conſtantinopolis epiſcopus hæreſiarcha efficitur, & in ſynodo Epheſina prima iuſſu Theodoſij edita cõdemnatur. In Hiſpanijs 20. millia ferme militum cõtra Vuandalos pugnantium cæduntur. Sixtus Imperatoris iuſſu congregata ſynodo coram 56. epiſcopis ſynodico iudicio purgatur. Floruerunt eo tempore ſancti epiſcopi in Gallia Germanus Antiſiodorenſis, Lupus Trecaſinenſis, Eucherius quoque Lugdunẽſis, & Hilarius Arelatenſis, apud Epheſum ſeptem fratres ſub Decio paſſi diuinitus à ſomno ſurgunt, & aſſerta fide reſurrectionis noſtræ coram Theodoſio de qua multum dubitabatur, iterum in Chriſto dormiunt. Remigius Rhemenſis naſcitur, per Montanum monachum ex nomine prænunciatur, quo nato idem Montanus cum eſſet cęcus de lacte matris illius oculos liniens eſt illuminatus.

Neſtorius Synodus.

Sancti.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A

Tempora Marciani, Leonis, & Zenonis.

CAPVT LXX.

Marcianus. THeodosio defuncto successit Marcianus anno Domini 452. mundi vero 4115. Et imperauit annis sex. Quo iubente instantia Leonis Papæ quarti, vniuersalis synodus apud Calcedonem congregatur, in qua *Synodus 4. œcumenica.* Eutyches Constantinopolis Abbas, & eius defensor Dioscorus, atque Nestorius hæretici condemnantur. Attila rex Hunorum per totas Gallias debacchatur, cum tandem Aurelianis vrbem obsedisset in qua sanctus Auianus episcopatum tenens orationibus suis, & meritis vrbem protegebat, ad subsidium Galliarum Ætius Romanorum Patricius aduocat, consertoque prælio in campis Cathalaunicis cæsa sunt ibi 180. millia pugnatorum, inter quos & Theodericus Vuisigothorum rex, qui Ætium iuuabat cecidit, Ætius tamen superior recessit. Sub quo turbine sanctus Nichasius Rhemensis episcopus cum Eutropia sorore sua, ab hoc martyrizatur Sed & vndecim millia virginum apud Coloniam ab eisdem patiuntur. *Martyrium S Nicasij & 11000. virginum.* Pullulante intra Gallias hæresi Arriana. Vnitas substantiæ trium personarum euidenti miraculo ostenditur, dum in vrbe Vasacensi celebrans episcopus missam vidit super altare tres guttas clarissimas æqualis magnitudinis cadere, quæ simul defluentes, & in vnum coniunctæ quasi gemmam pulcherrimam effecerunt. Et cum eam in medio crucis aureæ posuissent, aliæ gemmæ ceciderunt. *S. Genouefa.* *Eo tempore Genouefa* virgo Parisiensis multa sanctitate per Gallias claruit. Ioannes Baptista caput suum (vt quidam scribunt) duobus monachis reuelauit. Genserícus Romam cepit: omniaque diripuit; vt tamen ab igne, & cæde hominumque supplicijs abstineret, Leo Papa ab eo obtinuit. Hucusque Prosper chronicam suam perduxit.

Leo. *Martiano succesßit Leo*, qui cæpit anno domini 480. mundi vero 4121. & imperauit annis 16. Huius tempore Papatum tenebat Leo, deinde Hilarius, & post eum Simplicius. *Simeon Stylita.* Symeon qui 40. annis inclusus in columna stetit, mira sanctitate Antiochię claruit. Mauertius quoque Viennensis episcopus, qui litanias ante ascensionem domini instituit. Corpus Helisæi prophetæ transfertur Alexandriam, & corpus Marci Euangelistæ ab Alexàdria trâsfertur Venetias. Apud Tolosã vrbẽ Galliæ ex eius medio sanguis tota die riuo largissimo fluxit, quod Gothi pro portento suæ perditionis acceperunt.

B

Zeno. *Post Leonem cæpit* Zeno, anno domini 474. mundi vero 4137. & imperauit annis 19. huius tempore Papatũ suũ tenebat Simplicius, & post Fælix, deinde vero Gelasius, & post eum Anastasius. *Acephali.* Acephalorum hæresis exoritur. Carthagine Liberatus Abbas cum fratribus sex martyrizatur. In Aphrica siquidem Honoricus Genserici filius Vuandalorum rex Othodoxos diuersi ordinis, & ætatis vsque ad 4976. in exilium trusos diuersis pœnis ad mortem excruciauit, & iterum omnes episcopos Aphrycæ quasi ad synodum conuocans fugatis, & exiliatis 444. episcopis catholicis ecclesias clausit, aut Arrianis dedit, plebemque varijs supplicijs afflixit. Eusebium quoque Carthaginis episcopum contra Vuandalorum hæresim Arrianam fortiter agonizantem cum clericis plus quam quingentis multimode cruciatos exiliauit. Tandem vero iudicio Dei percussus scatens vermibus miserabiliter expirauit. Clarebant in Gallia sancti episcopi Remigius Rhemensis, & Principius frater eius Suessionensis, Anisus, Viennensis, Solennis Carnotensis. Vedastus quoque futurus episcopus Atrebatensis. In Aphrica vero Fulgentius Ruspensis, & in Italia Germanus Capuanus Epiphanius quoque Thirinensis, Guntamundus Vuandalorum rex primo quidem Eugenium episcopum, & eo petente omnes Dei sacerdotes ab exilio reuocauit, & ecclesias in Aphrica clausas aperuit.

Persecutio Africana.

Sancti florentes.

C

Tempora Anastasij, & Iustini senioris.

CAPVT LXXI.

Anastasius. *Zenoni succesßit Anastasius* anno domini 494. mundi vero 4151. Et imperauit annis 25. huius temporibus Romanam sedem tenuit Symachus, & post eum Hormisda Papa quinquagesimus, verum contra Symachum ordinato ante Papa Laurentio contentio vsque ad cædes, & homicidia intra & extra ecclesiam diu protracta est, sed tandem regis Theodorici quãuis Arriani potentia compressa. In Gallia floruerunt hoc tempore sancti Lannomarus Carnotensis, & Maximinus Aurelianensis, Abbates, cuius scilicet maximi fuerunt discipuli Corielephus, & Auitus Abbates. Maxentius quoque Pictauensis Abbas claruit, & Gibrianus Scotus cum fratribus, ac sororibus in Gallia peregrinatus vrbem Remensem vita & morte sua illustrauit. Gantamundo Vuandalorum regi Trasamundus succedens in Aphrica clausis iterum ecclesijs 222. episcopos exiliauit, circa quos Symachus Papa beniuolè manum suæ liberalitatis exercuit. Hac persecutione Fulgentius episcopus multa pro fide sustinuit: in Sardiniam lõgo tempore exiliauit. Clotildis regina Francorum catholica Clodoueum regem à gentilitatis errore reuocare, dum frustra conari videretur, ille tandem cum Alemanis bello congressus exercitu laborante voto suscipiendi Christianismi se obligare cogitur, sicque perempto Alemanorum rege, & Alemania sub tributo redacta baptizatus à sancto Rémigio, Francorum populum ad fidem Christi perducit exemplo suo, & edicto. Itaque collatis ab eo multis prædijs ecclesiæ Remensi, Remigius multa eorum parte data ecclesiæ Laudunensi sedem episcopatus ibi constituit. Primumque illic Genehandum episcopum posuit, quem in fornicatione cum vxore quondam sua prolapsum, sed septennali pœnitentia purgatum, atque de reclusione tandem diuino iussu eductum sedi suæ restituit.

Sancti Abbates in Gallia.

Fulgentius Exul pro fide.

D

Constantinopoli Deuterus Arrianus episcopus dum quendam baptizans diceret: Baptizo te in nomine patris per filium in Spiritusancto, aqua disparuit. In Aphrica quidam in balneis sanctam Trinitatem blasphemans ignito iaculo cælitus veniente visibiliter exarsit. Faustus sancti Benedicti discipulus ab eo cum Mauro in Gallias mittitur, vbi sanctus Arnulphus sancti Remigij in baptismo filius claret, qui post multos in prædicando Christum agones in sylua Parisiorum Aquilina martyrizatur. Sigismundus Burgundiæ rex filium suum Sigericum malo Nouercæ illius consilio peremit: sed competenti pœnitentiæ se addicens, totumque se martyribus Agannensibus, quibus monasterium illud construxerat deuouens, quod dignus fuerit venia testantur crebra post mortem eius miracula.

Miraculum de Arriano baptizante.

Faustus S. Benedicti discipulus.

Prima synodus à Francis iussu Clodouei regis Aurelianis celebratur, in qua multa ecclesiæ vtilia decernuntur. Hoc quoque tempore multi in Alexandria vtriusque sexus à dæmone correpti, repente quasi canes latrabant. Vitalianus instinctu Papæ insurgit in Imperatorem E Anastasium propter Eutichyanam hæresim Deo & hominibus exosum, qui etiam tandem fulmine à Deo percussus interijt.

Synodus Gallicana Francorum 1.

Anastasius.

Huic vero Iustinus senior succesßit anno domini 517. mundi vero 4181. Et imperauit annis decem. *Eo tempore Boetius* vir consularis omnium liberalium artium peritus, & in vtraq; lingua cõspicuus annuẽte sibi Symacho Patricio, cuius gener erat, & cũ quo rempublicam illustrabat, dum auctoritatẽ Romani Senatus cõtra Theodoricum regem Italiæ tueri nititur, ab ipso exiliatur, ibique de consolatione philosophiæ liber ab illo componitur, & tandem à Theodericò perimitur. Zeliobe Hunorum rege à rege Persarum occiso, totoque penè illius exercitu deleto, regni Hunorum annotatio finitur. Symachus etiã à Theoderico interficitur, & ab eodem Ioannes Papa etiam cárcere excruciatus, fame moritur.

Iustinus senior.

Boetius.

Post

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Poſt dies autem 90. Theodoricus ſubito defunctus à quodam ſancto eremita viſus eſt nudus, & diſcalciatus, tandem Ioanne Papa, & Symaco Patrichio in ollam Vulcani detruſus.

S. Benedictus. Eo tempore ſanctus Benedictus monachorum pater floruit, & virgo Dei Brigida in Scotia obijt. Ioanni Papę ſucceſſit Felix, & Felici Bonifacius.

Tempora Iuſtiniani legum compilatoris.

CAPVT LXXII.

Iuſtinianus IVſtinianus cœpit anno Domini 519. mundi vero 4191. & imperauit annis 37. Huius temporibus papatum tenuerunt Ioannes, Agapitus, Syluerius, Pelagius, & alter Ioannes. Floruerunt autem *Caſſiodorus.* Caſſiodorus Senator, poſt monachus, Arator poeta, Priſcianus Grammaticus, Victor Capuanus Epiſcopus, Gregorius Lugdunēſis, Nicenus Treuerenſis, S. Domitianus Tungrēſis, S. quoque *S. Vedaſtus* Vedaſtus primus Attrebatenſis epiſcopus à S. Remigio ordinatus, & S. Glodoaldus filius regis Clodomeris ad nobilitatē diuinæ ſeruitutis in clericali gradu trāſlatus. In Africa quidem epiſcopi linguis ſibi radicitus exciſis à Vuandalis: poſtea clarè loquendo miracula fuere multis. Floruerunt etiam tunc temporis in Gallia Theodoricus abbas, & Theodulphus eius diſcipulus. Fratres etiam vterini eodem die nati, & pōtifices conſecrati, Medardus ad titulum Nouiomenſem, & Gildardus ad Rothomagenſē vno quoque die abſoluti à ſæculo, & aſſumpti à Chriſto. In Italia quoque Sabinus, Camiſinus, & Caſſius Varmenſis, & Fulgentius Vtricolenſis.

Horrendum In Sicilia Theophilus vt vicedominatum amiſſum recuperaret diaboli ſeruitio addictus, ſed non multo poſt ad ſe reuerſus, ac per 40. dies omnimodo pœnitentia ſe affligens, primo beatiſſimam Dei genitricem ſibi reconciliauit, ac per eam & filij eius gratiam recepit, quæ etiam ad indicium indultæ ſibi veniæ rurſum ei dormienti apparens, ſcriptum abnegationis Chriſti, quod ſignatum diabolo dederat, ſuper pectus eius repoſuit. In diuerſis Galliarum locis, diuerſa ſigna viſa *Signa.* ſunt: nam cælum ardere viſum eſt. Verus ſanguis in veſtimentis hominum ex nube defluxit: domus cuiuſdam ab intus ſanguine reſperſa apparuit, & variæ clades ſecutæ ſunt. Maurus ſancti Benedicti diſcipulus, *S. Maurus.* hoc tempore in Gallia claret. Herculanus Peruſinus epiſcopus à Totila rege Gothorum ſecto capite martyrizatur, quod poſt mortem vnitum corpori reperitur: Vigilius Papa exiliatur.

Quinta ſynodus œcumenica. Miracula. Quinta ſynodus vniuerſalis, Conſtantinopoli celebratur in qua Theodorus perfidię conuincitur. In Oriente puer quidam Iudæus in eccleſia beatæ Virginis à coæuis ſuis Chriſtianis adductus, vt Euchariſtiā perciperet, ob hoc à patre ſuo proiectus in fornacem ardentem illæſus à Chriſtianis extrahitur, aſſerens, quod mulier in eccleſia illa puerum tenens depicta, pallio ſuo à ſe flammas euentilaſſet. Iterum Iudæus quidam imaginem Chriſti de eccleſia furtim deponens eam telo transfixit, & ad domum ſuam deferens eam cum vellet comburere, videns ſe cruentatum eius ſanguine, præ ſtupore eam abſcondit. Quam Chriſtiani requirentes per veſtigia ſanguinis inuenerunt, ac Iudæū lapidauerunt. Radegundis regina Lotharij Regis quondam vxor veſte mutata ſanctitate refulſit. Gregorius etiam Gordiani Senatoris filius Romæ adoleſcit, qui ſex monaſterijs in Sicilia fundatis, & ſeptem Romæ in domo ſua ex prætore Vrbano factus monachus ſapientia & ſanctitate claruit.

S. Brēdanus. In Scotia quoque Brendanus, qui fortunatas inſulas ſeptennali nauigatione perquirens multa miraculo digna vidit, à quo etiā Macutes, qui & Maclouius regulariter educatus, & ipſius nauigationis ſocius in Britannia ſanctitate & miraculis claruit. In Gallia mons ſuper Rhodanum fluuium dans mugitum multis diebus, tandem ab alio monte ſibi vicino diſcuſſus cum eccleſijs, & domibus, hominibuſque, & beſtijs in Rhodanum eſt præcipitatus.

Tempora Iuſtini iunioris, & Tyberij ſecundi.

CAPVT LXXIII.

MOrtuo Iuſtiniano ſucceſſit Iuſtinus iunior, anno Domini 745. mundi vero 4229. & imperauit annis 12. Eo tempore S. Columbanus preſbyter veniens de Scotia claruit in Britānia, Sanſon quoque Dolenſis Archiepiſcopus ſancti Maclouij conſanguineus, & ſucceſſor Sanſonis Maglorius, qui de * tranſmarina Britannia ad Ciſmarinam tranſierant, ſanctitate & doctrina clarebant. In Francia vero Gregorius Turonenſis epiſcopus, Baſolus abbas, ac Syndulphus preſbyter, & recluſus. Haſtæ in cælo viſæ ſunt irruptionem Longobardorum in Italiam protēdentes. Armeni vero fidem Chriſti ſuſceperunt anno Domini 73. Iuſtini 8. Hiſpani & Franci de Paſcha diſſentiunt: Hiſpanis, ſcilicet 12. kal. Aprilis, Franci vero 14 kal. Maij celebrantibus. Sed Francos rectè celebraſſe per hoc diuinitus claruit, quod fontes in Hiſpania qui Sabbato Paſchæ ſponte diuinitus ad baptizandum repleri ſolent, non in Hiſpanorum, ſed in Francorum Paſcha repleti ſunt.

Iuſtinus iunior.

** Tranſmarina Britānia eſt Anglia.*

Miraculum.

Anno ſequenti Albuinus Longobardorum rex qui patrem vxoris ſuæ Gepidarum regem olim in bello peremerat, & ex teſta capitis eius ſibi pateram ad bibendum fecerat, cum vna die porrigeret ei dicens: Bibe cum patre tuo, illa fœmineo furore accenſa, perimi fecit eum in lecto ab ipſius armigero. Eo tempore Ioanni Papę ſucceſſit Benedictus, Fortunatus poeta veniens ab Italia claruit in Gallia. Iuſtino ſucceſſit Tyberius anno Domini 578. mundi vero 4242. & imperauit annis 6.

Fortunatus poeta. Tyberius.

Eo tempore in Francia perempto Sigeberto, Brunichildis vxor eius cum filio Childeberto, vel eius filius regnum gubernans, propter inſolentiam morum Francis intolerabilis erat, & tamen eccleſias Dei honorabat, plura etiam ſanctorum cœnobia fundauit, & ædificia miri operis extruxit. Sanctus Germanus Pariſienſis Epiſcopus obijt. Hoſpicius Dei famulus in Gallia claruit. In Italia vero Vuinocus & Menas ſolitarius. In Romana ſede Benedicto ſucceſſit Pelagius à quo Gregorius Conſtantinopolim Apocriſiarius eſt directus; Lupi Burdegalam vrbem ingreſſi neminem meruentes deuorauerunt canes. Turonis verus de fracto pane ſanguis effluxit.

Brunichildis.

Lupi.

Tempora Mauricij, & Focæ eiuſdem interfectoris.

CAPVT LXXIV.

TYberio ſucceſſit Mauricius anno Domini 584. mundi vero 4247. & imperauit annis 21. Hoc tempore Antiochiæ vir ſenior in medio vibis in veſte alba apparens ſuper vnam medietatem ciuitatis ſudarium exterſit, ſtatimque tota cum habitaculis & habitatoribus ſuis corruit, vixque à duobus ſocijs ſuis multa prece flexus eſt, vt parti reſiduæ parceret. Virum ergo quendam eleemoſynis deditum, qui hoc aſpiciebat attonitum, ex ſaluatione domus ſuæ conſolatus diſceſſit, & vltra non comparuit. Leuuigildus rex Vuiſigothorum Arianus filium ſuum Ermingildum, quia per vxorem ſuam Sigeberti regis filiam ad veram fidem conuerſus erat, exilio damnauerat; nec multo poſt in nocte ſancta Paſchæ in carcere ſecuri occidit. Eo tempore nimiæ pluuiæ inundauerunt, ita vt omnes diluuium fieri dicerent, poſt multam confuſionem rerum ſecuta eſt per cladem inguinariam immedicabilis mortalitas hominum, quæ primum percuſſit Papam Pelagium.

Mauricius.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

S. Gregorius Papa.

Itaque Gregorius ad Papatũ electus interim dũ imperatoris assensus expectatur, iram Dei placare per septiformem letaniam, instituit, & in procedendo 80. hominibus plaga percussis, tãdem ira quieuit. Eo tempore in Scotia regnabat Brandinus, cuius frater erat Adelphius, de cuius filia rex Hiberniæ Philcanus sanctum Furseum, & fratrem eius Foillanum, & Vulcanum genuit, Recharedus Vuisigothorum rex Leuuigildi filius apud Toletum synodo 70. episcoporum congregata, ibique Ariana hæresi abdicata, se cum tota Vuisigothorum gente confirmat in fide catholica. Constantinopoli nascitur puer quadrupes, & alter habens duas vertices. Sol à mane vsque ad meridiem

Sol minoratus.

minoratus est vsque ad tertiam sui partem.

Gregorius Papa, quod olim facere intenderat Augustinum cum alijs ad prædicandum destinat in Angliam. Eo tempore sanctus Goar veniens ex Aquitania claruit in Gallia, Guntrannus rex Francorum sanctitate clarus in Christo dormiuit. Sanctus quoque Columbanus abbas & presbyter doctor Scotorum, atque Pictorum obijt. Edilbertus rex Anglorum, qui Cantuarij vocantur prædicante Augustino cum gente sua baptizatur. Sanctus Columbanus ex Hibernia in Burgundiam venit, ibique permissũ Theodorici regis Luxouiense cœnobium ædificare cœpit. Denique

Luxouiense cœnobium.

orientales Angli cum rege suo Sigeberto per Mellitum episcopum conuertuntur ad Christum. Focas interfecto Mauricio cum vxore sua, & filijs (sicut ipse Mauricius prędixerat diuinitus) cœpit anno Domini 605. mundi vero 4268. & imperauit annis octo. Eo tempore Gregorio Papæ successit Sabinianus. Fame vero Romam aggrauante Romani Gregorio Papæ iam defuncto derogantes, quod thesauros ecclesiæ sua nimia liberalitate dissipasset, cum non adesset persona in quam exardescerent, memoriam nominis illius in libris eius delere volebant, atque illos exurere volẽtibus obstitit Petrus diaconus prodens se Spiritum sanctum in columbæ specie super caput Gregorij diuina

Purgatio Gregorij.

tractantis sedentem sæpius vidisse. Idque confirmans iurisiurandi sacramento, mox monens ex condicto fidem fecit suo testimonio. Sabinianus Papa cum & ipse liberalitati Gregorij prędecessoris sui derogaret, & sub hoc obtentu manum egenis subtraheret. Gregorius eum per visum pro culpa tenaciæ suæ & huius derogationis ter increpatum, quod non resipisceret, etiam quarto horribiliter increpans & comminans in capite percussit. Quo ille dolore vexatus non

Bonifacius 3. & 4.

multo post obijt. Huic successit Bonifacius, & huic alter eiusdem nominis, qui Romæ templum quod Pantheon dicebatur impetratum à Foca, in ecclesiam beatæ Mariæ & omnium martyrum conuertit, ibique solennitatem in Cal. Nouembris instituit. Alexandriç Ioannes episcopus claruit, qui ob eximiam in Christo liberalitatẽ eleemosinarij nomẽ habuit. In Italia quoque Secundus Dei famulus claruit. Corpus sancti Victoris Thebæi apud Saladorum cum sancto Vrso passi inuenitur. Desiderius Vienensis episcopus consilio Brunichildis à Theodorico rege lapidibus obrutus martyrizatur.

De temporibus Heraclij & eius filij Constantini.

CAPVT LXXV.

HEraclius ad Imperatorem electus Foca perempto, & ignibus concremato, cœpit anno Domini 613. mundi vero 4177. & imperauit annis 30. Huius temporibus papatum tenuerunt Deusdedit, Bonifacius quintus, Honorius, Seuerinus, Ioãnes quartus, Theodorus. Sanctus Amandus miraculorum & prædicationis gratia per Gallias claruit, per quem Alluinus, qui & Bauo ex prædone conuersus & Gandaui solitariè reclusus, sanctitatis exẽplum omnibus fuit Sanctus Columbanus à Theodorico rege instinctu Brunichildis auiæ Francia expulsus, & relicto Gallo discipulo in Alemania cœnobium Bobium extruxit. In Italia Clodesindis Metensis claruit, quæ sponsum fugiens velamine capitis à Deo sibi per angelum missо, se & sua Deo dicauit. Sanctus quoque Lupus Senonensis episcopus floruit, cui Eucharistiam conse-

S. Clodesindis.

S. Lupus.

creanti, gemma de cœlo in calicem descendit. Virgo Christi Phara claruit in Frãcia, cuius sanctitatem imitatus frater eius Pharo ex comite clericus, & ex clerico factus est Meldensium episcopus.

S. Phara.

Heraclius Imperator ad Persas debellandos profi-

Heraclij victoria.

ciscens, virilem Dei figuram accipiens in manibus, quam manus non depinxerat, sed verbum quod omnia format, Persidem aggreditur, eamque per sex annos continuos potenter depopulatur. Theodorico rege Francorum mortuo Lotharius eius filios in bello captos occidit, & Brunichildim reginam vno pede

Brunechildis mors.

brachioque mulctatam ad caudam equę indomitæ religatam membratim discerpi fecit, imputãs ei quod decem reges per illãm extincti fuissent, & sic monarchia Francorũ ad ipsum redijt. Post obitũ S. Columbani floruerunt eius discipuli: Gallus in Alemania, & Aidanus episcopus in Anglia, Eustasius quoque abbas Luxouiensis, & Attila Bobiensis, florebant etiam in Gallijs Austregisilus Bituricensis episcopus, & sub eo Sulpicius. Cumbertus Colonienſis, & Ioannes Tungrensis. In Hispanijs autem Isidorus Hispalensis.

Hoc tempore Mahometus quem adhuc Gentiles vt Deum colunt Arabum, siue Sarracenorum princeps erat, qui pseudopropheta ex orphano & inope per hæresis suę præstigia ad regnum prouectus fuerat.

Mahometes regnat.

Heraclius deuicta Persida Zachariam Patriarcham cum populo captiuorum Hierusalem reduxit, & cruce Domini relata celebritatem exaltationis eius annuatim dedicauit. Nec multo post incidens in Monothelitarum hæresim ecclesiam imperium que confudit, contra malitiam eius pugnante rerum omnium perturbatione. Sigebertus infans Dagoberti filius à sancto Amando baptizatur, vbi cunctis tacentibus infans ipse respondit: Amen. Et Amandus Traiectensium Episcopus ordinatur. Sanctus Osualdus filius Edisfridi regis regno Nordanumbrorum susceptо, Cedualam Britonum regem peremit, & qui fidem Christi præ omnibus tenuit, super omnes Britanniæ reges emicuit. Eo tempore floruerunt in Francia tres fratres, Ado, Rado, Dado, qui & Audoenus Dagoberti regis referendarius, id est cancellarius, qui Resbacense cœnobium inter Briegensem saltum constru-

Exaltatio crucis.

S. Osualdus

xit. In quo sanctum Agilum abbatem primum constituit, hos animat Eligius aurifex iam dudum in aula regis Lotharij clarus, qui etiam Solenniacum monasterium construxit, vbi sanctus Remaclus ab Aquitania veniens, in Christi Tyrocinio se exercendum sub eo dedit. Sancta quoque Aurea virgo claruit, quam Eligius monasterio virginum Parisijs constructo prę-

S. Eligius.

fecit. Florebant etiam sanctus Landoaldus, & abbas Romaricus, & Goericus Metensium episcopus.

Porro sanctus Arnulphus quondam ex maiore domus Mentensium factus episcopus, & ex episcopo solitarius in Christo moritur, eiusque filius Clodulphus post Metensis episcopus sanctitatem patris imitatur, & Doda mater Clodulphi Treueris inclusa Christo famulatur.

S. Arnulphus.

Heraclio mortuo, Constantinus filius eius substituitur, & quarto mense imperij sui à Nouerca sua Martina, & Pyrrho Patriarcha veneno extinguitur. Itaque Martina cum filio suo Heraclona imperium sibi arripiunt, sed mox Heraclonas abscisо sibi naso, & Martina abscisa lingua exiliantur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Tempora Constantis qui & Constantinus III.

CAPVT LXXVI.

Constantinus 3. Sancti qui florent.

COnstans ergo qui & Constantinus, Constantini filius, cæpit anno Domini 644. mūdi vero 4317. & imperauit annis 26. Eo tempore virgo Christi Reginulpha sanctitate claret in Gallia. Sanctus quoque Niuardus Remensis archiepiscopus, & Reolus successor eius, Bertharius etiam martyr Antillarium abbas primus, sancta Beata martyr, & abbatissa. Sed & sanctus Remaclus Traiectensium ordinatur episcopus. Sanctus vero Iodocus regis Britonū filius spreto regno, & mundo peregrinus, & eremita in pago Pontino requieuit in Christo. Attrebati dum corpus

Translatio S. Vedasti.

sancti Vedasti transfertur ab Auberto episcopo præsentibus Lamberto Tungrensi, & Audomaro Tauri-B nensi, cæterisque sanctis episcopis, & abbatibus, Audomarus præ senio cœcus, ægrè ferens quod à cæcitate quàm pro salute sua sibi à Deo immissam esse gaudebat. præsentium episcoporum precibus sanctique Vedasti meritis liberatus esset: rursus ad votum suum excœcatus est. His vero temporibus Theodoro Papæ successit Martinus, & post Eugenius, deinde Vitalianus. Eo quoque tempore Haudinar Ammiras Sarracenorum templum sibi Hierusalem ædificauit. Et quia nullo modo structura consistere poterat suggestione Iudæorum crucem desuper montem Oliueti tolli imperauit, & sic structura stare potuit. Postmodum verò Persa quidā simulans se adorare velle Haudiar, infixo in ventrem eius gladio peremit eum.

Dagobertus

Dagobertus rex Francorum moritur, de quo per visionem cuidam reuelatum est, quod anima eius ad C iudicium diuini examinis rapta sit, & multis sanctis contra eam pro expoliatione ecclesiarum suarum reclamantibus, cum eam iam mali angeli vellent ad pœnas inferni rapere, interuentu sancti Dionysij, cui ipse maximè deuotus fuerat, à pœna liberata est. Aliquando enim iram patris sui Lotharij regis veritus, Parisijs ad ecclesiam sancti Dionysij confugit, & quia inde nullo modo extrahi potuit, locum semper cordi habuit. Sanctus Furseus in Hibernia claruit, qui pro Christo peregrinationem aggressus ad Gallias vsque peruenit, & Latiniacum cœnobium fundauit. Foillanus vero frater eius Fossense monasterium, vbi etiam

Sancti.

martyrio coronatus quiescit. Eligius Nouioni, Audoenus Rothomagi clarent episcopi, & Philibertus de Herio, & Richarius Pontinēsis, & Geremarus Ela-D uiacēsis abbates. Angadrisia quoque sacra virgo secus Beluacum, aula relicta Pipini, instinctu S. Amandi se & sua Deo vouens monasterium Niuigellense fundauit, eique filiam suam Gertrudem Deo dignam virginem præfecit. Aubertus Cameracensis episcopus claruit. Cœnobium Floriacense à Leodeboldo abbate fundatur. Corpus sancti Benedicti à castro Cassino delatum illuc transportatur. Corpus vero sanctæ Scholasticæ sororis eius Cenomannis transfertur. Olympius ad regendam Italiam ab Imperatore Constantino missus, & Papam Martinum occidere iussus, E cum aliter non posset, tractauit vt inter missarum solennia, cum ipse sibi Papa communionem porrigeret, illum spatarius suus perimeret: sed spatarius siue lictor hora sanctæ communionis Papam nullo modo videre potuit. Clodouæus rex corpus sancti Dionysij Parisiensis discooperiens minus religiosè, licet cupidè os brachij eius fregit & rapuit. Moxque in amentiam perpetuam incidit. Denique Constans Imperator omnibus suis exosus, Syracusis à suis in balneo est occisus.

Gertrudis

S. Aubertus

Translatio S. Benedicti.

Clodouæus

Vempora Constantini quarti.

CAPVT LXXVII.

Constantinus 4.

HVic succeſſit filius eius Constantinus anno Domini 670. mundi vero 4334. & imperauit annis

A 17. Huius temporibus Papatum tenuit Adeodatus, deinde Donius, Agatho, Leo, Benedictus, Ioannes. Claruit autem sanctus Præiectus Auernensis episcopus, qui etiam ab ipsius vrbis primoribus est martyrizatus. In territorio Cameracensi virgo Dei Maxilendi pro voto virginitatis Harduinum amatorem suum fugiens, ab eo martyrizatur, qui mox excœcatus post triennium ab ea illuminatur. Amatus quoque Senonensis episcopus à Theodorico rege graui exilio tribulatur. Sanctus Kilianus Vuirtzburgēsis episcopus floret. In Anglia vero Ediltrudis regina claret, quæ tribus nupta viris virgo permansit, eiusque corpus post 11. sepulturæ suæ annos incorruptū inuentum est.

S. Præiectus.

S. Ediltrudis

Hoc quoque tempore quidam in Britannia à morte resurgens, multa quæ vidit de locis pœnarum & purgatorij ignis enarrauit Theodorus qui scripsit pœ-B nitentialem librum, in Anglia synodum habuit. Sanctus Leodegarius Augustinēsis episcopus à rege Childerico in Luxorio retruditur, tandem ab Hebroino martyrizatur. In Italia tantæ pluuię & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum memorat, vt & homines & peculia interirent fulgure. Eo quoque tempore regnum Bulgarorum exoritur, quæ scilicet Bulgarorum gens & ipsa à Scythia egrediens per Thraciā Hathaia duce grassatur, adeoque per Romanam rempublicam eorum inualuit excursus, vt imperator facta pace cum eis annua illis pacta præbere sit coactus. Ansegisо Pipini patre perempto Begga eius relicta se & sua Deo mancipat, & monasterium Andemiense fundat.

Theodorus Cantuariensis.

Bulgari.

Tempora Iustiniani secundi, Leonis quoque secundi, & Absimari.

CAPVT LXXVIII.

Iustinianus 2.

MOrtuo Constantino Iustinianus filius eius cœpit anno Domini 678. mundi vero 4350. & imperauit annis 10. Hoc tempore papatum tenuit Conon, deinde Sergius, qui agnus Dei in missa cantari constituit, & corpus Leonis Papæ primi diuina reuelatione transposuit.. Sanctus Cuthbertus Anglorum episcopus obijt. Sanctus autem Vuandragesilus Ansegisi nepos hoc tempore claruit, qui cœnobia Fiscanum & Fontanellam construxit. Adelinus etiam & Vuilfridus episcopi in Gallia florent, & quadam die defectio solis hora tertia sic facta est, vt quædam stellæ clarè apparerēt. Beda venerabilis presbyter & mo-D nachus habetur in Anglia clarus. Denique Leo patricius Iustinianum Imperio priuat, nasoque & lingua truncatum in exilio religat.

S. Cuthbertus.

Beda.

Cœpit itaque Leo anno Domini 697. eique solum annotantur anni duo. Eo tempore sanctus Lambertus Pipinum de fornicatione increpare ausus, à Dodone fratre ipsius meretricis, Leodij interficitur, cui sanctus Hubertus episcopus subrogatur, prefatus autem Dodo infra annum à vermibus consumitur. Sanctus Vrsmarus Lobiense cœnobium à Pipino principe regendum suscepit. Sancta vero Beggia Pipini mater ad E Dominum transijt.

Leo, aliàs Leontius dictus.

Denique Absimarus, qui & Tiberius Leonis naso abscisо, eoque in custodia retruso cœpit anno Domini 699. mundi vero 4362. Et imperauit annis 7. Eo tempore Romani Syriam peruagantes 200. milia Sarracenorum perimunt. Sergio Papæ Ioannes, & huic quoque alter eiusdem nominis successit, sanctus Benedictus quoque abbas Anglorum obijt. Iustinianus autem de exilio fugiens tandem auxilio Therbellis Bulgarorum regis imperium recepit, Leonemque & Tyberium vsurpatores imperij iugulauit, & Califici excœcatum exiliauit, anno Domini 706. mundi vero 4370. & imperauit annis 7. Hoc tempore papatum tenuit Sistinnius, dein Constantinus. Iustinianus pacem cum Bulgaribus pactam soluit, eisque congressus vix euasit. Adrianus abbas Anglorum obijt. Archangelus Michael apparuit Auberto Abrincēsi episcopo, mo

Tyberius 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nuit ſemel & iterum, vt in loco maris, qui propter eminentiam ſui tumbam vocatur, fundaret eccleſiam in memoriam ſui, volens talem venerationem exhiberi ſibi in pelago, quæ exhibetur in monte Gagano. Interim taurus à latrone furtim raptus in illo loco religatur, vnde epiſcopus tertio admonitus, vt in loco illo fundamentũ iaceret, vbi taurum religatum inueniret, & ſicut eũ terrã pedib. proterijſſe videret, ſic eccleſię ambitum duceret, eccleſiam in honorem ſancti Michaelis conſtituit, ibique eius veneratio frequentari cœpit. Iuſtinianus ad ſe Conſtantinopoli Conſtantinum Papam inuitauit, eumque dignè vt Apoſtolum honorauit. Sanctus Hubertus cælitus admonitus corpus ſancti Lamberti à Traiecto Leodium cum miraculorum gloria retulit, illucque ſedem epiſcopalem tranſtulit. Sancta Oda ducis Aquitanorum vxor claruit in Gallia, quæ munificentia ſua ditauit eccleſias, & moriens in Leodienſi quieuit parochia.

Eccleſia S. Michaelis in Normannia extruitur.

Tempora Philippi, & Anaſtaſij tertij, Theodoſij tertij, Leonis quoque, alijs primus, ſecundus vocatur ab alijs, ab alijs tertius.

CAPVT LXXIX.

PHilippus autem qui & Dardanius Iuſtinianũ imperatorem iugulans, 2. annis poſt eum imperauit. Cum eſſet hæreticus Conſtantinus Papa, populuſque Romanus nomen & literas, figuramque eius ſuſcipere reſpuit. Eo tempore ſanctus Vrſmarus obijt, eique S. Erminus ſucceſſit. Poſt Conſtantinum vero Gregorius papatum tenuit, hic cõſtituit vt tempore quadrageſimali, quinta feria ieiunium & celebritas miſſarum fieret in eccleſia, quod non fiebat antea. Pipinus princeps obijt, & filium ſuum ex Alpaide pellice Carolum Tutidem, ſiue Marcellum ſui principatus hæredem reliquit. Arthemius denique qui & Anaſtaſius Philippum oculis & imperio priuat, ac duobus annis imperat. Eo tempore S. Ægidius veniens à Græcia, ſanctitate claret in Gallia. Theodoſius itidem Anaſtaſium de imperio depoſuit, eumque preſbyterum ordinauit. Cumque fuiſſet iners, & idiota, publicorumque negotiorum exactor ab exercitu vi compulſus eſt imperium ſumere, & imperauit anno vno. Eo tempore Gregorius Papa Bonifacium à Britannia venientem epiſcopum conſecrat, ac per eum in Germania verbum Domini prædicat. Denique Theodoſius imperium deponit. Poſt hunc itaque Leo cœpit anno Dõmini 718. mundi vero 4481. & imperauit annis 24. Eo tempore Rathbodus dux Friſonum prædicatione Vulfranni Epiſcopi ad hoc adductus vt baptizari deberet, cum vnum pedem in lauacro tinxiſſet, alterum retrahens interrogauit, vbinam & plures maiorum ſuorum eſſent, in inferno an in Paradiſo? Et audiens eſſe plures in inferno, intinctum pedem extrahens, ſatius, inquit, plures quàm pauciores ſequar, & ita ludificatus à dęmone, promittente quod ei tertia die ab hinc incomparabilia bona daret, ipſa tertia die ſubita & æterna morte perijt. Zuleimen Amurras Sarracenorum cum ſcolo nauium penè trium milium Conſtantinopolim obſidet per triennium. Ac Bulgares 32. milia Saracenorum perimunt. Conſtatinopolitani quoque orandi inſtantia, & præliandi conſtantia fortiter Saracenis reſiſtunt, & illi fame, frigore, bello, peſtilẽtia ſine numero pereunt. Itaque 4. anno ab obſidione confuſi deſiſtunt. Ipſiſque cum nauibus ſuis partim igne marino conſumptis, partim vero demerſis, partim igne grandinis tempeſtate vaſtatis, & ex tãta nauium copia vix 5. reſiduis potentia Domini cunctis innotuit populis. Intra ciuitatem vero 30. millia hominum peſtilentia perierunt.

Gregorius 2. Papa.

Anaſtaſius

Theodoſius 3.

Leo 1.

Clades Sarracenorum.

Oſſa ſancti Auguſtini de Sardinia Papiam tranſlata ſunt. In campania Italię frumentum combuſtum, & ordeum, & legumina quaſi pluuia de cęlo ceciderunt. Leo Imperator à quodam Beſer refuga fidei ſeductus, Chriſti ac ſanctorum imagines vbique deponi, & incendi edicit, ſuper quo eum Gregorius Papa ſcriptis valde redarguit. Conſtantinopolitani quoque hac de cauſa contra eum tumultuantur, & ob hoc nonnulli martyrizantur. Itaque Gregorius quia Leonem incorrigibilem iudicat, Romam, & Italiam, & Heſperiam ab illius iure deſcire facit, & vectigalia interdicit. Sarraceni cum omnibus familijs ſuis quaſi in Gallijs habitaturi Garumnam tranſeunt, omnia deuaſtant, eccleſias cremant. Quibus Carolus auxilio Domini fretus occurrit, & ex eis 385. millia cum rege ſuo peremit, de ſuis vero quingentos amiſit. Pacato & dilatato Francorum regno, Carolus bellicoſus princeps obijt, filioſque ſuos Carolomannum, & Pipinum principatus ſui ſucceſſores reliquit.

Translatio S. Auguſtini.

Gregorius 2. facit Italiã deſcire à Leone 4. Iſauro

Tempora Conſtantini quinti.

CAPVT LXXX.

MOrtuo Leone Conſtantinus filius eius cœpit anno Domini 742. mundi 4505. & imperauit annis 35. Hic quondam dum baptizaretur à Patriarcha Germano, cacatus in ſancto lauacro magnum dedit præſagiũ, quod eccleſiæ Dei futurus eſſet in ſcãdalum. Huius temporibus papatum tenuit Zacharias, & poſt eum Stephanus, deinde Paulus, Stephanus, Adrianus. Contra hunc Archabaldus imperium arripuit. Cinis de Cælo cecidit, ſanctus Bonifacius Maguntinus Archiepiſcopus, Fuldenſe cœnobium fundauit. Petrus Damaſcenus à Sarracenis in Syria martyrizatur, Aquenſi quoque vrbe ab eis deſolata corpus Mariæ Magdalenæ Viceliachum transfertur. Carolomannus à Zacharia papa in monachum attonſus, primo quidem in monte Soracti in cœnobio, quod ipſe fundauit, deinde apud caſtrum Caſſinum laudabili vita emicuit. Hudericus quoque rex Francorum in monachum tonſurãtur. Pipinus vero princeps auctoritate Apoſtolica & electione Francorum à ſancto Bonifacio in regem vngitur, & conſecratur anno circiter 88. poſtquam maiores domus ſuper Francorum reges principari cœperunt. Rachis Longobardorum rex, dum rupto fœdere Romam inquietare nititur, per Zachariam non ſolum à malo reprimitur, ſed & cum vxore & filijs Romam veniens monachus efficitur. Eo tempore in Calabria, & Sicilia facta eſt peſtilentia, & mortalitas hominum nimia: eodemque anno in veſtibus hominum, & velis eccleſiarum apparuerunt cruciculæ, quaſi oleo deſignatæ.

Conſtantinus 5. Ceronymus, alij vocant eũ ſextum.

Carolomannus.

Pipinus.

Haiſtulpho Longobardorum rege contra Romanos exardeſcente, Papa Stephanus ad expetendum Pipini regis auxilium in Franciam cogitur venire. Cui venienti nocte quadã apparuit in cælo ſignũ magnum globus ſc. igneus à Galliæ finibus declinans in parte Longobardorũ. Hoc tẽpore terræ motus terribilis factus eſt, quo vrbes aliæ ſubuerſæ ſunt, aliæ à montanis ad ſubiecta campeſtria cum muris, & habitationibus ſuis integræ & ſalũæ pluſquam vltra ſex millaria trãſmigrauerunt. In Meſopotamia terra dirupta eſt vſque ad duo milliaria. Alia quoque terra nimis alba, & arenoſa de profundo aſcendit, & ex ea animal mulinum humana voce loquens, & pronuncians incurſionem gentis ab eremo contra Arabas. Carolusmannus magnus monachus oſſa ſancti Benedicti ab eccleſia Floriacenſi ad caſtrum Caſſianum referre nititur, ſed miraculis à Deo oſtenſis, & Francis obſiſtentibus, ab incœpto prohibetur. Pipinus à Stephano Papa cum filijs ſuis inungitur eorumque genus in regalis ſucceſſionis hæreditatem perpetuo benedicitur. Sanctus Bonifacius cum ſuis ſocijs in Friſia martyrizatur.

Haiſtulphus.

Tranſlatio S. Benedicti in Italiam impeditur miraculis.

Conſtantinus ſynodũ epiſcoporum 330. congregat, in qua promulgato edicto de ſanctorũ imaginibus deponendis contra Orthodoxos tyrannizat. Eo tempore S. Gangulphus in Burgundia floruit, qui etiã martyrij

Synodus Ceronymi contra imagines

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tyrij gloriam obtinuit. Corpus ſanctæ Petronillæ Petri Apoſtoli filiæ à Paulo Papa tranſponitur, in cuius ſarcofago marmoreo ipſius Petri manu ſcriptum legebatur; Aureę Petronillæ dilectiſſimæ filiæ. Turci Armeniam inuaſtant. In quorum patria cum olim peſtilentia fuiſſet, ſuaſu Chriſtianorum in modum crucis ſe totonderunt,& quia per hoc ſignum ſalus patrię reddita eſt, hunc tondendi ritum tenuerunt. Gelu magnum factum eſt à kal. Octobris vſque ad Februarium. Stellæ quoque de cœlo viſæ ſubito cecidiſſe,ita ruerunt, vt omnes finem mundi putarent imminere. Sanctus Crodogangus Metenſis epiſcopus Pipini nepos obijt. In Syria ciuitate Betritho, quæ ſubiacet Antiochiæ, Iudæi imaginem Saluatoris inuenientes omnia opprobria, quæ olim Iudæi Chriſto Ieſu intulerant,hi eius imagini inferebant. Tandem latere eius aperto exiuit de eo ſanguis & aqua. Quod illi ſuppoſita ampulla ſuſcipientes omnes infirmos in ſynagoga ſua collectos hoc ſanguine aſpergebant, & ſanabantur,vnde Iudæi compuncti ſunt. Quibus baptizatis, Epiſcopus obteſtatus eſt omnes, vt ſingulis annis 5. idus Nouembris celebretur paſſio Dominicæ imaginis.

Turca.

Miraculum

Deſiderius Lögobardus.

Deſiderius Rex Haiſtulfi. ſucceſſor ſub obtentu orandi Romam ingreſſus, aliquos nobilium captos excæcauit. Conſtantinus Imperator virum ſanctum Stephanum per annos 40. incluſum etiam gentibus reuerendum amara morte martyrizauit. Adrianus Papa ad reprimendam hæreticorum rabiem ſanctorum imagines execrantium nimis laborauit, viamque rectam ſolidauit. Carolus magnus Rex Pipini filius ad bellum contra Saxones procedit, ibique ſiti exercitu laborante ſubito in torrentem largiſſimè aquæ effuſæ ſunt diuino nutu. Hunc Adrianus Papa ad tuendas res accerſiuit, qui pergens Papiam obſedit,& cepit. Deinde Romam proficiſcens ſynodum cum Papa & aliis 153. Epiſcopis & abbatibus conſtituit, in qua ei Papa cum tota ſynodo ius eligendi pontificem,& ordinandi Apoſtolicam ſedem, patriciatus quoque dignitatem dedit. Inſuper Archiepiſcopos, & Epiſcopos per ſingulas prouincias ante conſecrationem ab ipſo inueſtituram accipere diffiniuit. Erant tunc in exercitu Caroli Amicus, & Amelius egregij milites Chriſti. Deſiderio itaque rege cum vxore, & filia, cunctiſque principibus capto,& ad Gallias in exilium perpetuum directo, quicquid per multa tempora Longobardi Romanis abſtulerant, Carolus eis reſtituit, regnoque Longobardorum deſtructo totam Italiam ſub iure regni Francorum redegit. Denique Cõſtantinus Imperator peſſimi incendij plaga diuinitus percutitur, & clamans adhuc viuus igni fine inextinguibili traditus miſerabiliter moritur.

Ius eligendi Pontificem Carolo datu

Tempora Leonis quarti, & Brienes,& Conſtantini ſexti.

CAPVT LXXXI.

Victoria Caroli magni.

LEo Conſtantini filius cœpit anno Domini 777. mundi vero 4540. Et imperauit annis 5. Eo tempore Carolus Saxoniam velut tempeſtas proterit,munitiones irrumpit,& ad hoc eos impellit,vt ſe & patriã ei dederent, datiſque obſidibus Chriſtianos futuros ſe ſpondeant. In Hiſpania quoque Cæſar Auguſtam vaſtat,Pampilionam capit,& Vaſcones duoſque Sarracenorum Regulos ſibi ſubigit. Denique Imperator Leo cum inſaniret cupiditate circa lapides precioſos,adamauit magnam eccleſię coronam,& accipiens portauit eam. Fuerunt ergo carbunculi in capite eius, & captus à febre mortuus eſt. Igitur vxor eius Hirene cum filio ſuo Conſtantino cœpit anno Domini 786. mundi vero 4570.& imperauit annis decem. Eo tempore Madi Sarracenorum amurras multos pro Chriſto martyrizauit. Carolus orationis cauſa vadit Romam,ibique filij eius inunguntur in reges,Pipinus ſuper Italiam, Ludouicus ſuper Aquitaniam. Conſtantinopoli quidam laminam auream inuenit, & in ea virum iacentem cum hac ſcriptura: *Chriſtus naſcetur ex Virgine Maria, & credo in eum ſub Conſtantino & Hyrene Imperatoribus,ô ſi iterum me videbis.* Signum cruois in veſtibus hominum apparuit, ſanguis de cœlo in terram profluxit.

Hyrene.

Apud Niceam vniuerſalis ſynodus 350. Epiſcoporum congregatur,in qua fides Catholica præſentibus Hyrene & Conſtantino cũctorum ſubſcriptione roboratur, & hæreſis execrantium imagines abdicatur. Bellum inter Francos & Auares oritur, quorum regnum Carolus terra marique impetit, eiſque in ſola fuga ſpem euadendi relinquit. Alcuinus de Britannia ſcientia literarum præpollet in Gallia, cuius præcipuè magiſterio rex Carolus omnes artes liberales didicit. Ad quem etiam libros de Trinitate ſcripſit. Denique Conſtantinus matrem ſuam imperio priuat, & ſolus imperat annis ſeptem. Eo tempore Pipinus Caroli filius de coniuratione contra patrem conuictus,in monachum tonſuratur: hæreſis Feliciani cum auctore ſuo Felice condemnatur. Adriano Papę Leo ſubſtituitur. Thudim princeps Auarorum ſe & patriam ſuam Carolo regi dedit,& baptiſmi gratiam percepit. Porro Hyrene ſuper erepto ſibi imperio, fœmineo dolore abuſa, Conſtantinum filium ſuum oculis & imperio priuat,ſolaque tribus annis imperat. Eo tempore Leonem Papam celebritatem letaniæ maioris agentem Romani capiunt, eique linguam & oculos euellunt. Cui voce & viſu reddito diuinitus iterum oculos & linguam eruunt radicitus. Ipſe vero de manu eorum erutus, Carolus eum in Romana ſede relocat. Ipſe quoque Romam properat, cauſas examinat, reos legaliter damnat, ſicque Romanorum motus omnes ſedat. Hoc tempore in menſe Iulio contra naturam aſpera & gelu concreta bis pruina fuit, ſed nihil fructibus nocuit. Denique Romani qui à Conſtantinopolitano Imperatore iam diu animo deſciuerant, nunc accepta occaſione, quia mulier excæcato filio ſuoeis imperabat, immo omni conſenſu Carolo regi laudes imperatorias acclamant,eumque per manum Leonis Papæ coronant, Cæſarem & Auguſtum appellant. Pipinum vero filium eius, Italiæ regem ordinatum collaudant.

Pipinus Caroli filius in patrem conſpirat.

Leo 3. Papa reſtituitur.

Carolus coronatur Imperator.

Tempora Caroli Magni.

CAPVT LXXXII.

IGitur anno Domini 802. mundi vero 4765. euolutis, ſcilicet annis circiter 468. ex quo Biſantium Thraciæ ciuitas à primo Conſtantino ampliata etiam in ſedem Imperij Romani dedicata, noua Roma eſt appellata, diuiſo à Conſtantinopoli Romano imperio. Carolus cum iam regnaſſet ſuper Francos annis 33. primus Francorum imperauit Romanis & Francis ſimul annis tredecim. Hic(vt refert Turpinus Archiepiſcopus)erat corpore decorus, ſed viſu ferus. Statura eius octo pedum, facies eius habebat in longitudine palmum & dimidium, barba palmum vnum, naſus circiter dimidium, frons erat vnius pedis, parum panis edebat, ſed quartam partem arietis, aut gallinas duas, aut anſerem, vel pauonem, vel gruem, vel leporem integrum comedebat, modicum vinum & lymphatum bibebat, tamque parcus in bibendo erat,quod ſemper ad cœnam raro pluſquam ter bibere ſolebat. Inter cœnandum autem aliquod acroama vel lectorem audiebat. Tantæ fortitudinis erat quod militem armatum ſuper equum ſedẽtem à vertice vſque ad baſes ſimul cum equo vno ictu propria ſpata ſecabat. Quatuor ferraturas equorum ſimul facile manibus extendebat. Militem etiam armatũ rectum ſtantem ſuper palmam ſuam, à terra vſque ad caput ſuum ſola manu velociter eleuabat. Erat etiã largiſſimus & rectiſſimus & facundus. Religionẽ Chriſtianã ſemper excoluit, eccleſiã diebus ac noctibus impigrè frequentauit. Pauperibus non tantũ in regno ſuo ſubueniebat,

Statura Caroli.

Lectio in menſa.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ueniebat, verum etiam in transmarinis regionibus multa mittebat. Ad faciendum iudicium triginta tria legis capitula instituit. Ad hunc Leo Papa in Franciam venit. Eo tempore Auares qui & Hunni, longo contra Francos bello perdomiti potentia diminuti sunt, omnisque eorum gloria perijt, & quicquid thesauri per tot secula terrarum orbem vincendo sibi congesserant totum victoriæ Francorum cessit, nec vnquam vllo bello tam multa spoliorum quantitate Francia ditata fuit. Denique inter Sabariam & Tharantanum impetrauerunt à Carolo habitandi locum, ibique resederunt subditi Francorum.

Capitularia Caroli.

Testamentū Caroli.

Carolus rerum suarum hæredē Christū testamento fecit, & super ecclesiarū statu per totas Gallias ab Episcopis celebrari fecit. Hęc sunt autē nomina ciuitatū Archiepiscopaliū quæ sub ipso erant: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forum Iulij, quæ & Aquileia, Gradus, Colonia, Maguncia, Saltemburgum, Treueris, Senonis, Besuncio, Lugdunis, Vienna, Rothomagus, Remi, Arelas, Tarantheſia, Ebrodunum, Burdegala, Thuronis, Biturices. Itaque statu ecclesiæ religiosè ordinato moritur, & Aquisgrani sepelitur.

Tempora Ludouici pij.

CAPVT LXXXIII.

Ludouicus & filij eius

LVdouicus igitur pius Caroli filius cœpit anno Domini 815. & imperauit annis 26. Hic fuit natura clementissimus, & tamen tam à liberis quàm à regni proceribus grauiter impugnatus. Habuit enim ex Ermengarde prima vxore sua tres filios, scilicet Lotharium, Pipinum, & Ludouicum. Et ex secunda nomine Iudith Carolum regem Frācorum. Huius temporibus papatum tenuit Stephanus, qui in Franciam venit, & ipsum Imperatorem coronauit. Post Stephanum vero Paschalis, qui corpus sanctæ Ceciliæ virginis ipsa reuelante inuenit. Eo tempore in Thuringia cespes longitudine pedum 60. latitudine 14. altitudine sesquipedali, sine manibus de terra præsciſus ac sublatus est, & vltra pedes 25. translatus. In Saxonia quoque tellus in modum aggeris limite vnius leucę intumuit, & in anno sequenti etiam terræ motus fuit. Multæque villæ igne cœlesti cremantur, homines & animalia ictu fulminum examinantur, fruges grandine vastantur, & cum ipsa grandine veri lapides immensi ponderis cadunt, atque prodigia hæc grandis hominum mortalitas subsequitur. In territorio Tullensi puella duodenis post sacram communionem in Pascha susceptam, primum per decem menses pane, deinde omni cibo & potu per triennium abstinuit, & post ad communem hominum vitam redijt.

Prodigia.

Lotharius.

Lotharius Imperatoris primogenitus ad Italiam regendam à patre dirigitur, qui Romā veniens à Paschale Papa consecratus in Regem & Imperatorem coronatur. Romæ vero quidam nobiles occiduntur, eo quod ad fidelitatem illius iusto proniores esse viderentur. Quod crimen cum etiam in ipsum Papam intorqueretur, ipse cum episcoporum magno numero se iureiurando purgauit. Paschali Papæ succeſſit Eugenius, à quo Hildninus abbas sancti Dionysij, archicapellano sacri palatij Romam mittente S. Sebastiani martyris corpus accepit, ac Suessionis in Basilica sancti Medardi collocauit. Vbi dum adhuc in loco quo fuerat allatū iaceret, tanta signorum gratia emicuit, vt nullus mortalium enumerare vel enarrare possit. Corpus etiam sancti Gregorij Papæ ad eandem vrbem translatum dicitur. Haroldus Danorum rex cum vxore & filijs, suaque Danorum parte baptizatur, & ab Imperatore muneribus ac Frisiæ parte sibi datis, honoratur. Hoc tempore in Gallia ante solstitium æstiuale, aere in tempestatem repente conuerso, ingens fragmētum glaciei cum grandine cecidit, cuius longitudo habebat pedes quindecim, latitudo sex, crassitudo duos. Legati Michaelis Imperatoris Constantinopolitani inter cætera munera detulerunt Ludouico libros sancti Dionysij de Hierarchia ex Græco in Latinum translatos, qui Parisijs in ipso sacri martyris festo missi, cum gaudio recepti sunt. Quod etiam gaudium virtus sancti martyris auxit, 19. ægrotis in ipsa nocte ibi sanatis. Rabanus sophista & poëta egregius fit abbas Fuldensis. Qui librum de laude crucis figurarum varietate distinctum, difficili & mirando poemate composuit, & Sergio Papæ sancto Petro offerendum misit. Eugenio Papę succeſſit Valentinus, deinde Gregorius. Eo tempore Amalarius librum de ecclesiasticis officijs ad Imperatorem Ludouicum scripsit. Angelomus etiam ad eundem Imperatorem tractatus in libros Regum edidit. Ansegisus quoque Lobiensis abbas edicta Imperatorum Caroli & eius filij Ludouici ad Ecclesiasticam pertinentia legem, in duobus libellis digessit. In Vasconia annona de cęlo pluit frumento similis, sed habens grana breuiora. Monente vero Papa Gregorio, qui & in Franciam venerat, Imperator statuit in Gallia festum omnium sanctorum Cal. Nouembris celebrari, quod Romani faciebant ex instituto Bonifacij Papæ.

Libri sancti Dionysii.

Rabanus Fuldensis.

Amalarius.

Festum omnium sanctorum instituitur.

Haroldus rex Danorū

Tempora Lotharij primi.

CAPVT LXXXIV.

MOrtuo Ludouico Lotharius solus imperium vsurpans cœpit anno Domini 841. mundi vero 4804. & imperauit annis quindecim. At vero Carolus & Ludouicus dolentes se à fratre debita regni parte priuari contra eum insurgere parant. Itaque conserta inter eos pugna in pago Antisiodorensi apud Fontanedum tanta itaque facta est cædes, vt nulla meminerit ætas tantam stragem in regno Francorum. Sicque vires eorum ibidem attenuatæ sunt, vt iam nec suos terminos ab externis tueri possent. Tandem optimatum consilio de pace agitur, descriptoque in tres regno, Carolus regnauit in Francia, Ludouicus in Germania, Lotharius autem omnia tenuit Italiæ regna cum ipsa Roma, necnon & Prouinciam & Franciæ partem, quæ ab ipso denominata est Lotharingia. Eo tempore Gregorio Papæ succeſſit Sergius, ad cuius electionem confirmandam Ludouicus Lotharij filius à patre missus in regem Longobardorum ab ipso Papa est vnctus. Sergio vero succeſſit Leo. Eo tempore Rabanus Maguntiæ archiepiscopus ordinatus celebrata synodo iussu Ludouici regis multa vtilia ecclesiæ decreuit. Ludouicus 14. Normannorum duces cum suis baptizari fecit. Sancta Helena imperatrix in Franciam transfertur, & in Rhemensi diœcesi magna veneratione Francorum excolitur. Franci à Normannis vincuntur, cui bello malignus spiritus se præfuisse cum socijs suis spiritibus superbiæ & discordiæ per os Arrepticij publicè protestatur.

Pugna fratrum contra Lotharium

Lotharingia pars Lotharij.

Translatio S. Helenæ.

Carolus rex Francorum fratris sui Pipini regis filios, Pipinum & Carolum regnum inquietātes capit, & attonsos in monasterium trudit. Leoni Papæ Benedictus succeſſit, Normanni qui Caroli regnum infestantes vsque ad Parisios nauigio venerant, & Franciam nimis attriuerant, in patriam suam sunt reuersi, & intestino inter se bello vsque ad internecionem deleti. Terræ motus & turbines & grandines ac fulmina multa hominibus intulerunt incommoda, quidam etiam igne cœlesti consumptus fuit veste manente illæsa. Denique Lotharius Imperator inter filios partito regno sæculo renunciauit, & in Prumia habitu monachi suscepto, non multo post dormiuit.

Normannorum incursus & clades

Tempora Ludouici secundi.

CAPVT LXXXV.

LVdouicus itaque filius eius olim à Sergio Papa in regem vnctus, cœpit anno Domini 856. mūdi vero 4819.

ro 4819. & imperauit annis 19. Lotharius autem frater eius Lotharingiam tenuit. Eo tempore Nicolaus papatum tenuit. In parochia Maguntina malignus ſpiritus parietes domorum quaſi malleis pulſando, & inde manifeſtè loquendo, furta etiam prodēdo, & diſcordias ſeminando inquietabat homines, & vbicunque intraſſet, ſtatim illa domus exurebatur, vt iam eis niſi in agris locus manendi nullus eſſet, ob hoc preſbyteris letanias agētibus, & aquam benedictam ſpargentibus, inimicus lapides iaciendo multis cruentatis tandem aliquando quieuit, presbyteris autem recedentibus flebiliter vlulans, tandem vnum ex eis nominatim exprimens, ſe quando ſpargebatur aqua ſub illius cappa quaſi familiaris ſui latuiſſe profeſſus eſt, accuſans eum cum procuratoris filia concubuiſſe. Sic per triennium inſtitit, donec ibidem ædificia cuncta incendio conſumpſit. Principibus Caroli inter ſe diſcordibus, Britones terram auxilio deſtitutam inuadūt, & vſque Pictauos omnia vaſtando veniunt, quorum rex Nomenus, dum inſtaret Francorum depopulare regnum, viſum eſt ſanctum aſſiſtere in auxilium quendam Andegauenſem epiſcopum, à quo in capite baculo percuſſus, iram Dei morte perſenſit. Huius vero filius Eriſpous Carolo confœderatus eius dominationi ſe ſubdidit.

Malignus ſpiritus.

Conuerſio Bulgarorū

Rex Bulgarorum ad Chriſtianiſmum cum ſua gente cōuerſus, adeo in fide ſolidatus eſt, vt maiore ſuo filio in regnum ordinato, ipſe factus ſit monachus. Sed cum eius filius iuueniliter agens ad gentilitatis cultum redire vellet, reſumpta militia perſecutus, eum cepit, effoſſiſque oculis in carcerem truſit, & in regnū ſtatuto iuniori filio ſacrum habitum recipiens vſque ad finem in eo perſeuerauit. Nicolao Papæ Adrianus ſucceſſit. Eo tempore corpus ſancti Mauri diſcipuli ſancti Benedicti transfertur in Burgundiam ad Foſſatenſe monaſterium, quod conſtruxit ſanctus Babolenus ſancti Columbani diſcipulus. Coloniæ cum maior eccleſia quæ eſt ſancti Petri deberet dedicari, præcedente nocte auditę ſunt voces malignorum ſpirituum inter ſe dolentium & conquerentium ſe à poſſeſſis diu ſedibus debere expelli. In Italia Brixiæ tribus diebus & noctibus ſanguis de cœlo pluiſſe narratur, locuſtæ Galliam depopulantur innumerabiles cęteris locuſtis maiores, ſena habentes alarum tegmina, ſex pedes, duos dentes lapidibus duriores, vt caſtrorum acies turmatim volantes, duces cum paucis itinere vnius diei præmittentes ad metenda loca venturæ multitudini, omnia viridia in herbis & arboribus vaſtabant, ſpatium diurni itineris quatuor aut quinque millibus extendentes. Sic autem vſque ad mare Britannicum peruenientes, tandem flatu ventorum in profundum maris demerſæ ſunt. Sed æſtu oceani ad littus reiectæ, ex putredine ſua aere corrupto multos perire fecerunt. Secuta quoque fames valida multos conſumpſit, vt pene tertia pars hominum conſumpta ſit. Ludouico rege Germanorum apparuit pater ſuus quondam imperator, adiurans eum vt eriperet eum de tormentis quibūs detinebatur, vt tandem ęternam requiem habere mereretur, ob hoc ad diuerſa monaſteria eleemoſynis deſtinatis, obnixè filius ſuccurrbat patri.

Tranſlatio S. Mauri

Sāguis pluit.

Locuſtarum vis magna.

Tempora Caroli ſecundi, & tertij.

CAPVT LXXXVI.

Carolus caluus,

MOrtuo Ludouico patruus eius Carolus Caluus rex Francorum ſolus vſurpauit Imperium, cœpit autem anno Domini 877. mundi vero 4840. Et imperauit annis duobus. Eo tempore ingruente in Germania pecorum peſtilentia, dum canes vndique collecti cadaueribus incumberent, ita diſparuerunt, vt nec viui, nec mortui reperirentur. Poſt mortem Caroli, iunior Carolus Ludouici regis Germanorum filius annuentibus ſibi quibuſdam Romanis imperium adeptus. cœpit anno Domini 879. mundi vero 4842. Et imperauit annis 12. Eo tempore Ioannes papatum tenebat, qui Romanis iniuriatus, ita vt etiā in cuſtodia teneretur, eo quod Carolo non fauebat, in Franciam veniens cum rege Ludouico Balbo bene per annum moratus eſt. Clarebat Millo S. Amandi monachus, qui vitam eiuſdem ſancti etiam metricè compoſuit, & de ſobrietate librum ad Carolum caluum ſcripſit.

Anno primo Caroli Normannorum pluſquā quinque milia cęſa ſunt à Francis in Gallia, & anno ſequēti in ſylua Franciæ carbonaria pluſquam nouem milia. Sol hora diei nona ita obſcuratus eſt, vt in cœlo ſtellæ apparerent. Poſtea vero adiunctis ſibi Danis Franciam & Lotharingiam peruagantes multas vrbes & monaſteria ferro & igne vaſtauerunt, & Metim vſque venientes, ibi confecto prælio Chriſtianos vicerunt. Poſtmodum etiam Pariſios obſederunt. Denique Carolus imperator à Francis ad auxilium inuitatus cum eos expellere nequiret, facto fœdere conceſſit eis regiones quę vltra Sequanā erant, quarum incolæ contra ſe rebellabant, quæ etiam Franciæ pars à Normannis Normannia nuncupata eſt. His temporibus Ioanni Papæ ſucceſſit Martinus, deinde vero Agapitus, & poſt Adrianus. Denique Carolus Imperator corpore animoque deficiens ab optimatibus repudiatur.

Normannorum cades.

Normannia data Normannis ſub Carolo caluo.

Arnulfus

Arnulfus autem Carolimanni regis Francorum filius fratruelis eius in regnum ſublimatur. Cœpit anno Domini 791. mundi vero 4854. Et imperauit annis 12. Ab hoc tempore Linthrandus Cicinenſis eccleſię diaconus ordinatur. Baſilius Romanæ eccleſiæ 90. præſidet, ſed hoc in aliquibus libris non inuenitur. Sanctus Vualdericus in Baloaria naſcitur. Normanni Lotharingiam repetentes contra Chriſtianos pugnant & vincunt. Arnulfus autem audita cæde ſuorum contra Normannos ad pugnam properauit, eoſque ſupra Ciliam fluuium pedeſtri prælio adorſus innumerabilem ex eis ſtragem fecit. Claruit hoc tempore Remigius Antiſiodorenſis in exponendis ſcripturis diuinis & humanis ſtudioſus. Claruit etiam hoc tempore in Burgundia Berno ex comite factus abbas Giginacenſis cœnobij à ſe fundati, qui etiam cōſtruxit Simiacum cœnobium in cellam Giginacenſem. Sub eodem abbate Odo Turonenſis monachus profeſſus eſt. Baſilio Papæ ſucceſſit Stephanus, & poſt Formoſus, poſt Bonifacius, poſt Stephanus, poſt Romanus. Arnulfus tandem Imperator moritur pediculis (vt refertur) irremediabiliter ab eius corpore ſcaturientibus afflictus.

Superantur Normanni

Berno abbas

Tempora Ludouici tertij, Conradi primi, Henrici quoque primi.

CAPVT LXXXVII.

HVic ſuccedens filius eius Ludouicus, cœpit anno Domini 903. mundi vero 4866. Et imperauit annis 10. Hoc tempore papatum tenuit Theodorus, deinde Ioannes. Hungarorum gens Barbari ruptis cluſis, quibus prius Roma nec ad meridianā plagam, nec ad occidentalem exeundi facultatem habuerat, per totam Galliam, Germaniam, Italiamque vt tempeſtas fera diffuſa eſt. Ioanni Papæ ſucceſſit Benedictus, deinde Leo, quem poſt 30. dies ordinationis ſuæ Chriſtophorus preſbyter ſuus capiens & in carcerem trudens, papatum inuaſit, nec multo poſt Sergius diaconus propter Formoſum à papatu reprobatus ad Francos ſe contulit, quorum auxilio Chriſtophorum inuaſorem capiens & incarcerans, latenter Romam ingreſſus papatum inuaſit, & in vltionem ſuę propulſæ Formoſum ſepulchro (quod dictu nefas eſt) extractum in ſede Pontificis ſacerdotaliter indutum decollari præcepit, tribuſque digitis abſciſis in Tyberim iactari fecit. Inſuper omnes quos ipſe ordinauerat iniuſtè exordinauit, iniuſtiuſq; reordinauit, quem, ſcil. Formoſum à piſcatoribus inuentum &

Formoſus à ſepulchro extractus decollatur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

in basilicam beati Petri loculo deportatum, quædam sanctorum imagines adorasse ac venerabiliter salutasse palam omnibus visæ sunt. Eo tempore Berno Ab
S. Odo. bas moriturus Odonem constituit Abbatem Cluniacensis Cœnobij, ea conditione, vt ecclesia Cluniacensis Giginacensi solueret annuatim censum duodecim denariorum.

Conradus. Mortuo Ludouico succedens filius eius Conradus, cœpit anno Domini 914. mundi vero 4876. Et imperauit annis septē. Ipse tamen sicut & pater eius imperiali benedictione caruit. Eo tempore Saraceni Calabriam, Apuliam, Romanorumque vrbes, & Italiam occupauerunt. Hungari quoque totam Alemaniam deuastantes vsque ad Fuldam peruenerunt. Post Sergium Papatum tenuit Anastasius, deinde Ioannes.

Henricus 1. Post Conradum filius Ottonis ducis Saxonū Henricus, cœpit anno Domini 920. mundi vero 4882. Et imperauit annis 18. Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingiæ sanctus Vuibertus, qui Gemblacense Cœnobium fundauit, cingulumque militię deponēs, habitu monastico se accinxit. Ziprinius Bohemiæ rex ad fidem Christi conuersus est. Ioannes Papa à quibusdam militibus captus & incarceratus, ceruicali super os eius posito pessimè strangulatur, & in eius loco alius Ioannes subrogatur. Raherius ex monacho Lobiensi veronensis episcopus efficitur. Sed postea à rege Hugone Papiæ exiliatur, vbi & librum de suis ærūnis luculēter edidit, multa quoque alia legētibus vtilia scripsit. In vrbe Gamensi fons sanguinis largissimè effluxit, vrbis ipsius imminentem ruinam forte portendens, quæ eodem anno capta est ab Africanis, cunctique ciues exceptis paruulis & mulieribus capti & occisi. Temporibus Henrici primi Papatum tenuit Ioannes, & post alius Ioannes, postea Stephanus, Ioānes, Leo. Anno Imperij eiusdem 18. apparuerunt pro-
Prodigia. digia. Sol sereno cælo obscurabatur. Per fenestras vero domorum radios quasi sanguineos emittebat. Hominis cuiusdam sinistra manus amputata, post ei dormienti restituta est, cui pro signo miraculi quasi sanguinea linea loco coniunctionis notabatur. Odo primus Abbas Cluniacensis obijt, cui Adamarus successit.

Tempora Othonis primi.

CAPVT LXXXVIII.

Otho 1. MOrtuo Henrico succedens filius eius Otho primus, cœpit anno Domini 938. mundi vero 4901. Et imperauit annis 36. Contra hunc rebellauerunt Palatij comes Euerardus, & dux Lotharingiæ Gilebertus. Tagmarus quoque frater Othonis ad hostes eius transijt, & Heresburg castrum illius cœpit, ibique ab Imperatore conclusus telis intra ecclesiam confossus interijt. Stephanus & Constantinus filij Constantini Romani Imperatoris ægre ferentes iusta seueritate patris à iuuenili leuitate se coerceri, per insidias eum de solio deponunt. Tonsoque ei capite ad vicinam insulam in qua Cœnobitæ philosophabantur eum transmittunt. Nec multo post ab ipsius Cō-
Normanni plures baptizantur. stantino filio Leonis solio deturbati tonsis capitibus ad idem monasterium, philosophandum cum monachis missi sunt. Ludouicus rex Francorum à ducibus suis circunuentus, à Normannis captus, banchinum mittitur, sed Othone 132. legionibus ad eum liberandum Franciam aggrediente metu eius à custodia relaxatur. Eo tempore Bruno Colonienſis archiepiscopus plures Normannorum cum principibus eorum baptizari fecit. Sanctus Gerardus Bronienſis Cœnobij fundator obijt.

Lapis decalo lapsus. In Italia lapis miræ magnitudinis tonitru & tempestate turbulentè de cęlo lapsus ingens miraculum videntibus præbuit, prodigiosa quoque res multos terruit & à vitijs coercuit, notis crucis in veste plurimorum apparentibus, quorundam autem vestibus quasi lepra sordentibus. Temporibus Othonis primi, Leoni Papæ successit Stephanus, deinde Martinus, Agapitus, Ioannes. Denique collecto à tota Italia episcoporum concilio Ioannes Papa de nefarijs causis infamatur, qui tertiò euocatus dum venire cunctatur, eo à cunctis post multa tandē pręiudicato, Leo adhuc laicus substituitur. Sed postmodum iterum Ioannes à Romanis receptus synodo collecta, Leonem deposuit, & eius gesta cassauit. Tandem cum vxore cuiusdam se oblectans à diabolo in tempore percutitur & moritur. Cui Benedictus subrogatur, deinde Leo, post
Dani conuertuntur. Ioannes. Hoc tempore Danis qui Christum & idola simul colebant cum Popone clerico in conuiuio altercantibus super Dei deorumque cultura ad veræ fidei examinationem ex condicto ferrum ignitum valde manibus clerici ferendum imponitur, quod cum ille vsque ad placitum omnium absque vlla læsione tulisset Rex Danorum Haroldus abiecta penitus idolatria se suosque ad verum Deum solum colendum conuertit, clericus autem ad episcopatum promotus est. Biagaribus vero Petrus & Baianus dominabantur, quorum Baianus adeo valebat in arte magica, vt quotiens vellet lupus vel fera quęlibet fieri videretur. Ioanni Papæ successit Benedictus, deinde Donus.

Tempora Othonis secundi, & tertij.

CAPVT LXXXIX.

Otho 2. OThoni primo succedens Otho secundus, cœpit anno Domini 959. mundi vero 4937. Et imperauit annis 10. hic cum Aquisgrani in pace moraretur, Lotharius rex Francorum subito Lotharingiam inuadit, & Imperatore cedente quoniam ad pugnam imparatus erat, post multam vastationem repatriauit, quem cum inæstimabili exercitu persecutus Imperator Franciam intrauit, eamque peruagatus fines Rhemensium, Laudunensium, Suessionum, & Parisiensium diuersa clade vastauit, ecclesijs Dei tantum immunitate concessa: huius tempore Romanam sedem tenuit Bonifacius, postea vero Benedictus. Sanctus
S. Maiolus Maiolus Cluniacensis Abbas claruit. Sanctus vero Vualdericus Augsburgensis episcopus obijt, cuius qualis fuerit mox miraculorum gloria patefecit.

Otho 3. Othoni secundo successit filius eius eiusdem nominis tertius. Cœpit anno Domini 984. mundi vero 4947. Et imperauit annis 19. Huius tempore Papatum tenuit Ioannes, deinde alius & tertius eiusdem nominis, deinde Gregorius, Ioannes, Gerbertus. Ludouico rege mortuo, Francis regnum transferre volentibus ad Carolum ducem Lotharij regis fratres eiusdem scilicet Ludouici patruū, dum ille rem ad cōsilium defert, regnum vsurpat Hugo filius Hugonis Parisiensis comitis cyhauuide de sorore Othonis primi Imperatoris: Carolus autem dux regnum ex paterna & auita successione sibi debitum contra Hugonem regem nepotem suum repetit, eumque bello perurgens Laudunum vrbem capit. Hugo vero Rex eum ibi obsedit, sed obsidionis mense secundo prosilientes obsessi castra obsidentium incenderunt, & ipse rex Hugo plurimis suorum peremptis turpiter fugiens vix euasit; Carolus montem acutum expugnans suessionis vsque vastando peraccedit. Inde Rhemis aggreditur, & Laudunum cum multa præda reuertitur. Deinde moritur, & Otho filius eius in ducatu succedit. Hugoni vero filius eius Robertus successit in regno.

S. Odilo. In Cluniacensi cœnobio post Maiolum sanctus Odilo præficitur, florebant in scientia literarum in Lotharingia Hirigerus abbas Lobiensis, Adelboldus episcopus Vltraiectensis: In Francia vero Fulbertus episcopus Carnotensis, & Albo abbas Floriacensis, qui etiam post in Vasconia martyrizatus est. Ioanni Papæ successit, vt dictum est, Gerbertus, qui & Syluester Papa 144. Hic tamen à numero Paparum excluditur secundum quosdam, quippe qui & necromantiæ arguitur, & à diabolo percussus obijsse dicitur.

Tem-

Tempora Henrici ſecundi, Conradique ſecundi.

CAPVT XC.

Henricus 2.

POſt Othonem tertium veneno interemptũ Henricus Baioariæ dux imperium inuadens, cœpit anno Domini 1003. mundi 4966. Et imperauit annis 21. quo tempore papatum tenuerunt Ioannes, Sergius, Benedictus, Ioannes. Hoc tẽpore Gerhardus Cameracẽſis epiſcopus, in eccleſia & in Palatio claruit. Hilpericus de ratione cõputi librũ ſcripſit. Fames & mortalitas adeo grauiter per totum orbẽ inualuit, vt ſepelientiũ tædio viui adhuc ſpiritum trahẽtes obruerentur cum mortuis. Hungarorũ gens hactenus idolatriæ dedita ad fidem conuertitur per ſororem Imperatoris Gillam Hungarorum regi nuptam, qui Stephanus in baptiſmo vocatus eſt, eiuſque merita per Hungariam multa miraculorum gratia commendantur. In Lothatingia iuxta montem caſtrilocum fonticulus aquæ multis ſaluberrimus in ſanguinem eſt conuerſus. Eo tempore ſanctus Ginteh qui & Adelbertus Pragenſis epiſcopus martyrizatur, & Simeon Treuerenſis incluſus beato fine quieuit, cuius merita frequenti miraculorum gratia declarantur. Hoc tempore in Gallia vrbe Beluacenſi inclytus Rogerus epiſcopus deceſſit, qui inter alia beneficia dedit eccleſiæ ſancti Petri cui præſidebat Alliacum in Northmannia & Monſiachũ in Vermandenſi patria, Comitatum quoque eiuſdem vrbis ab Othone Campaniæ comite impetrauit. Dato ei pro comercio caſtro Synterio in Bituricenſi territorio ſito: quod ſibi iure patrimonij competebat.

Fons verſus in ſanguinẽ.

Conradus 2.

Henrico ſuccedens Conradus ſecundus, cœpit anno Domini 1025. mundi vero 4988. & imperauit annis 15. Hoc tempore florebat eccleſiaſtica religio per Abbates nominabiles: Odilonem Cluniacenſem, Guilhelrinum Diuionenſem, Richardum Virdunienſem, alioſque plures. Claret etiam in Italia Guido Arethinus inter muſicos præcipuè nominatus. Sanctus quoque Bardo Maguntiæ archiepiſcopus eſt ordinatus. Ioanni vero Papę ſucceſſit Benedictus anno 15. Imperij Conradi viſa eſt in cælo trabs ignea miræ magnitudinis ſuper ſolem iam ad occaſum vergentem currere, & ad terram cadere. Denique eodem anno Conradus Italiam adijt, quoſdam epiſcopos in vincula coniecit, & quia Mediolanenſis epiſcopus fuga lapſus eſt, ſuburbia Mediolana incendit. Die vero Pentecoſtes cum imperator in parua eccleſia ſecus vrbem coronaretur ad miſſam, tam grauia tonitrua, fulguraque fuerunt, vt aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. Bruno vero epiſcopus qui miſſam canebat, & ſecretarius Imperatoris cum alijs tribus dixerunt ſe inter miſſarum ſolemnia vidiſſe ſanctum Ambroſium comminantem Imperatori, tunc Imperator ab Italia diſceſſit, & paulò poſt obijt.

Abbates celebres.

Trabs ignea

Tempora Henrici tertij.

CAPVT XCI.

Henricus 3.

HVic ſuccedens filius eius Henricus huius nominis tertius, cœpit anno Domini 1040. mundi vero 5003. & imperauit annis 17. Eo tempore Benedicto Papæ ſucceſſit Sylueſter, deinde Gregorius, Clemẽs, Damaſus, poſt hos Leo, qui quondam Bruno vocatus Leucorum epiſcopus, cum ad capeſcendã Sedem Apoſtolicam Romam tenderet, audiuit voces Angelorum canentium, dicit Dominus: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*, hic de multis ſanctis cantus compoſuit, & multa bona fecit, & vtilia eccleſiæ ſcripſit. Cumque in Papatu pauperem leproſum ante fores vidiſſet, eum fotum diligẽter in lectum ſuum collocauit, quem cum reſerato oſtio non inueniſſet, in paupere ſe ſuſcepiſſe Chriſtum obſtupuit. Franco ſcholaſticus Leodicenſium moribus & ſcientia claruit, qui ad Hermanum epiſcopum de quadratura circuli librum ſcripſit. Odiloni abbati Cluniacenſi ſanctus Hugo ſucceſſit. Sanctus quoque Theobaldus inter Francorum nobiles non infimus apud Vincentiam vrbem Venetiæ recluſus claruit. Hoc tempore Franciæ turbatur eccleſia per Berengarium, qui aſſerebat Euchariſtiam quam ſumimus in altari non eſſe reuera corpus & ſanguinem Chriſti, ſed figuram corporis & ſanguinis eius, contra cuius errorem ſcripſerunt Abbas de Cruce ſancti Leufredi, & Lanfrancus prior Beccenſis. Leo papa moritur, qui cuius meriti apud Deum fuerit, cunctis patuit, cum multis ad ſepulchrum eius Romę miraculis oſtenſis, Deus eum clarificauit.

Leonis Papa faſtũ excipientis Chriſtum.

Berengarius

Fuit Leo 9.

Tempora Henrici quarti.

CAPVT XCII.

Henricus 4.

MOrtuo Henrico ſuccedens filius eiuſdem nominis quartus, cœpit anno Domini 1057. mundi vero 5020. & imperauit annis quinquaginta, huius temporibus eccleſia multas preſſuras intus ſuſtinuit. Nam victori Papæ ſucceſſit Stephanus, poſtea Benedictus, poſtea Nicolaus, poſtea Alexander Lucenſis epiſcopus. Contra quem Catelone Papatum ambiente, longa inter eos concertatio vſque ad homicidia prorupit. In pago Brachatenſi iuxta Tornacum multitudines colubrorum altrinſecus congregatæ prodigioſo prælio inter ſe concurrerunt, tota paſchali hebdomada cometes apparuit. Sanctus Conon Primicerius Colonienſis martyrizatus, multis miraculis claruit. Claruit etiam hoc tempore Lanfrancus prior Beccenſis monaſterij, ad cuius eximiam doctrinam de Burgundia conuolauit Anshelmus vir poſtmodum multa virtute & ſapientia adornatus, & ei in prioratu ſucceſſit ſub viro egregio Herluino Abbate primo, qui ipſum Beccẽſe monaſterium de proprio ſuo fundauit. Guido decanus & cuſtos eccleſiæ ſancti Quintini Viromadenſis, & archidiaconus Laudunenſis cõſtituitur Beluacenſium epiſcopus, qui grauiter ferens ſe carere præſentia Quintini martyris, in eius honore ædificauit eccleſiam haud longè à mœnibus vrbis: cœpit ergo hoc tẽpore reflorere in eccleſia beati Quintini* Beluacenſis, ordo canonicorum primum ab Apoſtolis, poſt à beato Auguſtino regulariter inſtitutus ſub Iuone eiuſdem eccleſiæ præpoſito, poſtea Carnotenſi epiſcopo, hinc Francis, hinc Scotis Angliam incurſantibus, Angli fame conſumuntur, multique eorum humanis carnibus veſcuntur.

Lanfrancus

Anſelmus.

** Alij legunt Beluacenſes. Ordo Canonicorum.*

Treueris in eccleſia ſancti Paulini multa ſanctorum martyrum corpora cum titulis aureis in crypta ſubterranea reperiuntur. Alexandro Papæ ſucceſſit Hildebrandus, qui & Gregorius, hic ſynodo celebrata ſymoniacos anathematizauit, vxoratos ſacerdotes à diuino officio remouit, eorumque miſſas audire laicis interdixit, ex qua re tam grande ſcandalum oritur, vt nullius hæreſis tempore ſancta eccleſia grauiori ſchiſmate diſciſa ſit. Idem quoque Papa totus in Henricũ Imperatorem inuehitur, & quoſcunque poteſt ab eo verbis ac ſcriptis auertit, econtra Imperator expugnatis vrbibus & caſtellis quę pro illo contra ſe erant Romam obſedit, Papa fugiens ad Norhmannos ſe contulit. Imperator à Romanis vrbe recipitur, eorumque iudicio Hildebrandus deponitur, & Guilbertus Rauennæ archiepiſcopus in ſedem Apoſtolicam intronizatus Clemens nominatur. Contra hunc quoque Caſſinenſis abbas Deſiderius qui & victor Papa 162. ordinatur, ſed non multo poſtea dyſſenteria diſſolutus moritur. Eo tẽpore Marianus Scotus Chronographus agnoſcitur. Aues domeſticæ pauones, & anſeres, & gallinæ à domibus extraneantes ſe, omnes fiunt ſyluaticæ, piſces etiã in aquis moriuntur. Barenſes ciues numero 47. venientes myrrham Lyciæ quæ à Turcis erat deſolata, à quatuor tantum monachis ibi inuentis extorſernnt oſtendi ſibi tumbam ſancti Nicolai, qui effracta oſſa ſancti Nicolai in olei liquore natantia integro numero extraxerunt, & Barim cum gloria tranſ-

Gregorij 7. tempora.

Marianus Scotus.

Tranſlatio S. Nicolai Barrim.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tulerunt, anno à depoſitione eius 745.

Iterum contra Imperatorem & Guilbertum Odo Hoſtienſis Epiſcopus Papa 163. efficitur, & Vrbanus vocatur. Hinc in eccleſia ſcandala & in regna augeſcunt diſſidia, dum alter ab altero diſſidet, alter alterum excommunicat, magis ex ſuo libitu quàm ex iuſtitiæ reſpectu. Eo tempore Baculus igneus per cœlum ferri viſus eſt, cum valido quoque ventorum turbine, motus etiam terræ factus eſt. Occidentales populi ſigno crucis aſſumpto cum multis Francię Baronibus iter tranſmarinum aggreſſi, cum paganis congreſſi tandem Hieruſalem ceperunt, & in templo Salomonis ac porticu, bello conferto tanta in eos cæde bacchati ſunt, vt in ſanguine occiſorum vſque ad equorum genua equitarent. Capta eſt autem vrbs poſt annos circiter 440. ex quo ſub Heraclio ſecunda vice capta, à Saracenis eſt poſſeſſa. Pontificante in vrbe Laudunenſi Helinando mulier quędam prope Laudunum manens, perpetrato homicidio iudicata eſt ignibus concremari. Sed prius ducta ad eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ peccatum ſuum coram Deo & hominibus ex ordine narrauit, & ſic meritis & precibus matris Domini ſe fideliter commendauit, deinde miſſa in ignem nullatenus ſenſit incendium. Item contra eam fortioribus lignis ignis ſuccenditur, ſed nihil proficit. Iteratoque miraculo Deus eam ſeruauit incolumẽ ad laudem ſancti nominis & ſuæ matris honorem. Mortuo Lanfranco Cautuarienſi, Anshelmus in præſulatu ſucceſſit. Ex Moliſmenſi cœnobio 20. & vno monachis cum abbate ſuo Roberto, communi conſilio Ciſtercij ſolitudinem adeuntibus, vt ibi regulæ ſuę profeſſionem diſtrictius obſeruarent, ordo nouus ex veteri incepit. Paſchalis Vrbano Papæ ſucceſſit, qui & ipſe diſcordiam inter regnum ac ſacerdotium à Papa Hildebrando cœptam præ omnibus exagitauit.

Scandala ex ſchiſmatibus.

Lanfrancus moritur.

Tempora Henrici quinti.

CAPVT XCIII.

HEnrico mortuo ſuccedens filius ſuus eiuſdem nominis quintus, cæpit anno Domini 1107. mũdi vero 5070. Et imperauit annis 20. Huic dux Henricus qui prius eum conſilio ſuo contra patrem armauerat, atque à filio ad patrem rediens partes filij debellauerat, vt maieſtatis reum ſe dedit, & ab ipſo cuſtodiæ traditus per induſtriam ſuam euaſit, ſed ducatum, Godefrido Louanienſium comiti datum penitus amiſit. Idem Imperator Papam cum epiſcopis, & Cardinalibus cepit, & in reconciliatione eorum die paſchæ coronatus, poſt euangelium lectum ante altare Apoſtolorum à Papa priuilegium de inueſtitura epiſcoporum & abbatum per annulum & virgam olim imperatoribus à tempore Caroli magni conceſſum accepit. Eo tempore Bernardus iuuenis egregius ſcientia, moribus, genere clarus vir, poſtmodum magnæ virtutis exempla, à Caſtellione caſtro Burgundiæ oriundus, cum Germanis fratribus & alijs comitibus Ciſtercij habitu religionis induitur, & miro religioſitatis feruore conuerſatur.

Henricus 5.

Inueſtitura data Hẽrico

S. Bernardus.

Apud Rauennam in agris & intra mœnia ſanguis pluit. In parochia Lignonienſi porca porcellum habentem faciem hominis enixa eſt, pullus etiam gallinæ quadrupes natus eſt. Sigebertus chronographus Gemblacenſis monachus in omni ſcientia litterarum ingenioſiſſimus obijt, ſuiſque grauiſſimum abſentiæ ſuæ mœrorem reliquit. Eodem tempore Claræuallis fundatur. Norbertus loci & ordinis Præmõſtratenſis fundator, genere, diuitijs, & facundia clarus. Hoc tẽpore poſtpoſita ſæculi pompa inauditam diſtrictionem arripuit, & per aliquantulum temporis nudis pedibus incedens, & brumali rigore verbum Dei ſpargens multos ab errore conuertit. Anſelmus Laudunicæ ciuitatis magiſter nominatiſſimus ſcientia morum & honeſtate clarus obijt, qui inter cætera opera

Sigebertus Gemblacenſis laudatur

Anſelmus. Laudunẽſis.

A in pſalterio gloſſas marginales & interlineares ordinauit. Leodium ciuitas diuerſis plagis attrita eſt, pulſantibus quoque veſperis ſabbato, quædam dum caput lauat puero manus rubent ſanguine fluido, nam & monſtrum quoddam Namurci natum eſt, cui par nũquam vel raro viſum eſt, ſcilicet biceps infantulus qui tam ſexu duplex quàm cæteris, ſimplex erat compage corporis, qui hoc vidit teſtis eſt populus. Paſchali Papæ ſucceſſit Gelaſius, deinde Calixtus, qui de miraculis Beati Iacobi collectis vndique libellum compoſuit. Huic vero defuncto Papa 167. Honorius ſucceſſit.

*Tempora Lotharij ſecundi, & Conradi * tertij.* ** Ab alijs vocatur 5.*

CAPVT XCIIII.

B POſt mortem Hẽrici legati ſedis Apoſtolicæ cum epiſcopis & optimatibus Imperij Maguntiæ cõuenerunt, ſibique & toti Imperio de ſubſtituendo rege conſulunt. Itaque Lotharij qui & Lintherius ſaxonum dux omnium aſſenſu eligitur, & à Friderico Colonię archiepiſcopo benedicitur & vngitur, cœpit anno Domini 1127. mundi vero 5090. Et imperauit annis 11. Eo tempore multi in pago Sueſſionico igne ſacro accenſi ad ſanctæ Dei Genitricis eccleſiam in vrbe conueniunt, ibique ſalutem meritis eius ac precibus conſecuti ſunt, ita vt intra quindecim dies centũ & tres ab hoc igne nominatim extinguerentur, tres quoque puellæ diſtortę ſanitati redderentur. In Albania muliercula monſtrum bis gemini corporis enixa eſt, auerſis vultibus & corporibus ſibi cohærens, ante quidem effigies erat hominis integro corporis C membrorumque ordine diſtincta, retro vero facies canis, ſimiliter corporis & membrorum proprietate integra. In Brachanto villa veriſca, alia mulier enixa eſt quatuor maſculos vno partu. In Gemblacenſi dum paterfamilias Dominico die mixturam ſegetum præ penuria famis moleret in vſus familiæ, ſubito trita indignatione Dei arſit farina cum putoris nigredine. Cœnobium vrſi campi à prę ſule Nouiomenſi Simone fundatur. Eccleſia vero ſancti Medardi Sueſſionenſis ab Innocentio Papa conſecratur.

Lotharius 2.

Monſtrum

Clareuallis, duo Cœnobia vna die producit, ſcilicet Longipontem, & Rieuallem, & poſt paucos menſes naucellas, monaſterium quoque de prato fundatum eſt. Alexander primus abbas mortui maris ſe & domum ſuam tradidit abbati Vrſicampi. Sanctus Hugo Granopolitanus epiſcopus obit, cuius vitam Gigo prior Carthuſiæ ſcripſit. Mortuo Lintherico ſucceſſit Conradus tertius, qui ante ipſum imperium affectauerat, & Henrici Imperatoris ex ſorore nepos fuerat, cœpit anno Domini 1138. mundi vero 5101. Et imperauit annis 15. benedictionem tamen imperialem non habuit. Florebat hoc tempore Gallicana eccleſia per viros ſapientia & religione illuſtres. Milonem Morinẽſem epiſcopum, Godefridum Lingonenſem, Hugonem Antiſiodorenſem, Albericum Bituricenſem, & alios plures. Honorio Papæ ſucceſſit Innocẽtius, deinde Cæleſtinus, poſta Lucius. Senonis præſente rege Ludouico, epiſcoporum & abbatum religioſorum fit conuentus contra Petrum Abailardum, E qui quadam prophana verborum vel ſenſuum nouitatẽ ſcandalizabat eccleſiam. Cœnobium ſanctæ Mariæ de Freſimunt fundatum eſt. Hugo Pariſienſis ſancti Victoris canonicus religione & literarum ſcientia clarus, & in ſeptem liberalium artium peritia nulli ſui temporis ſecundus obijt, qui multa vtiliter ſcripſit & petente Ludouico rege Hierarchiam ſancti Dionyſij martyris explanauit. Romæ in papatu conſtituitur abbas ſancti Anaſtaſij Bernardus Clarę uallenſis patris Bernardi in conuerſione filius, & Papa vocatur Eugenius, contra quem Iordanem Patricium & ſenatores erigentes eum ab vrbe deturbant, qui tranſalpinando ad Gallias venit. Abbas quoque Clareualenſis Bernardus, ab eo per Gallias miſſus, viam Do-

S. Hugo.

Conradus 3.

Petrus Abailardus.

Eugenius 3.

mini

mini prædicabat & ſermonem ſignis confirmabat. Contra Gilbertum Pictauorum epiſcopum egit (qui cum eſſet ſcholarium magiſter nominatiſſimus) multa quidem vtilia ſcripſerat, ſed quadam noua ſubtilitate verborum in ipſis ſuis ſcriptis eccleſiam ſcandalizabat, multa dicta ſunt & diſputata, vnde & quædam quæ defendere non præſumpſit, vel non potuit, ab ipſo damnata ſunt & abraſa.

Tempora Friderici primi.

CAPVT XCV.

COnrado mortuo Fredericus dux nepos eius ſucceſſit, anno Domini 1153. mundi vero 5116. Et imperauit annis 37. His temporibus Eugenio Papæ ſucceſſit Anaſtaſius & poſt hos Adrianus, Alexander, Lucius, Vrbanus, Gregorius, Clemens. Sub Ludouico Francorum rege patre Philippi magiſter Petrus Lombardus epiſcopus claruit, qui librum ſententiarum, & gloſſas Pſalterij, & epiſtolarum Pauli quæ omnia nunc in ſcholis publicè leguntur, ex multis Catholicorum patrum dictis vtiliter compilauit & ordinauit. Florebat eo tempore Theobaldus Canthuarienſis epiſcopus, per cuius induſtriam Thomas archidiaconus ſuus factus eſt Henrici regis Angliæ cancellarius, poſtea martyr futurus, huius quoque temporis ſunt miracula beatæ Mariæ virginis de rupe amatoris. Eodem tempore tres lunæ in cælo viſæ ſunt & in medio ſignum crucis: Nec multo poſt etiam viſi ſunt tres ſoles, Chriſtianus iuuenis in eremitorio Gaſtinẽſi conuertitur: Philippus regis Ludouici filius naſcitur, qui anno natiuitatis ſuæ 15. à Vuilhelmo auunculo ſuo de archiepiſcopatu Senonenſi in Remẽſem tranſlato coronatur adhuc viuente patre, qui iam annis 40. regnauerat, ſed paralyſi morbo laborabat, hic rex Philippus vxorem Eliſabeth filiam comitis Haemenſis habuit, ex qua filium Ludouicum ſuſcepit. Sanctus Petrus Carathaſienſis epiſcopus obijt. Petrus monoculus Clarçuallenſis abbas, multa virtutum gratia claruit, ſimiliter & Hugo venerabilis abbas Boneuallij.

Petrus Lombardus. *Tres Luna in cælo.*

Oritur diſſenſio inter regem Philippum, & regem Henricum Angliæ. Philippus enim à Richardo illius filio comite Pictauienſi, pro eodem comitatu hominẽ petebat, quod ille à patre inſtitutus de die in diem facere diſſimulabat. Petebat etiam ab ipſo rege Angliæ Giſortium & omnia caſtra adiacentia, quæ pater ſuus Ludouicus filiæ ſuæ Margaretæ pro dote tradiderat, quando eam Henrico regi filio maioris Henrici matrimonio copulauerat, ea tamen conditione, vt ſi prolem ex ea non ſuſciperet, poſt ipſius Henrici mortem ad regem Francię dos rediret. Denique data treuga ambo reges ad iniuriam Chriſti & terræ ſanctæ contra Saladinum vlciſcendam, qui crucem Dominicam & vrbem ſanctam cęperat, iter tranſmarinum arripuerunt, atque ad vrbem Achon applicuerunt. Eodem anno Fredericus quoque Romanorum imperator cum exercitu ſuo veniens in tranſmarinis partibus obijt, nam equo ſuo, vt dicitur, impingente & offendente, in quandam aquam cecidit, ibique interijt.

Diſſenſio Angli & Galli regum

Tempora Henrici ſexti.

CAPVT XCVI.

HVic ſucceſſit filius eius Henricus huius nominis imperator ſextus, anno Domini 1190. mundi vero 5153. & imperauit annis 7. Eo tempore Clementi Papæ ſucceſſit Cæleſtinus. Rex Philippus vrbem Achon viriliter expugnans cepit, diuiſaque vrbis pręda partem ſuam duci Burgundię cum multis alijs muneribus delegauit, & exercitus ſuos eidem commiſit. Ipſe vero in Apuliam tranſuectus, Apoſtolorum limina viſitauit. A Papa Cæleſtino benedictione accepta in Franciam redijt. Rex autem Richardus captiuos ſuos qui ſe ſub hac pactione reddiderant, vt mox Domini crucem & captiuos Chriſtianos reſtituerent, cum hoc implere non poſſet, iratus quinque milia ex eis & amplius decolari fecit, & ad terram ſuam redire volens, Henrico nepoti ſuo iuueni Campaniæ comiti exercitum ſuum tradidit, totamque terram tranſmarinam quam tunc Chriſtiani tenebant commixti, qui etiam à Templarijs & peregrinis in regem vrbis ſanctæ vnanimiter electus, accepta filia regis, ibidem remanſit. Rex vero Richardus ingreſſus nauem, naufragiumque paſſus cum paucis euaſit, & iterum omnibus bonis ſpoliatus Imperatori Henrico traditus, ac verè per annum & dimidium in carcere detentus, tandem 200. milibus marcis argenti ſe redemit. Apud Pontifractum ſanctus Vuilhelmus preſbyter obijt. Philippus rex Vigerburgem ſororem Canuti regis Danorum poſtulatam in vxorem accepit. Sed mox quibuſdam, vt fertur, maleficijs per ſorciarias impeditus, exoſam eam habere cœpit, & conſanguinitatis linea computata matrimonium ſeparari fecit.

Rex Richardus captus.

Eo tempore in pago Beluacenſi, inter Clarummontem & Compendium tantæ pluuiæ cum tonitruis & fulminibus, & tempeſtatibus factæ ſunt, quantas nulla memorat hominum antiquitas. Lapides enim ad quantitatem ouorum quadranguli mixtim cum pluuia de cœlo cadentes, & arbores fructiferas & vineas & ſegetes penitus deſtruxerunt. Villæ quoque in pleriſque locis à fulminibus deſtructæ & combuſtæ ſunt. Corui etiam quamplures cum huiuſcemodi tempeſtate viſi ſunt in aere de loco ad locum volantes cum roſtris viuos carbones portantes ac domos incendentes. Sed & vtriuſque ſexus homines ictu fulminum interierunt, & alia multa horrenda ea die monſtrata ſunt; interim vero duo reges Philippus & Richardus ſeinuicem impugnabant, & terras ſuas alterutrum deuaſtabant. Denique imperator Henricus obijt, qui per tyrannidem ſuam Siciliam ſibi ſubiugauerat. Multoſque magnos & nobiles viros ibidẽ peremerat, contra religionem vero Chriſtianam archiepiſcopos & epiſcopos trucidauerat, & contra Romanam eccleſiam ſemper tyrannidem exercuerat, qua de cauſa Innocentius tertius qui in eodem anno in papatu Cæleſtino ſucceſſit in promotione Philippi fratris ipſius Henrici aduerſarius fuit, & omnes fautores excommunicauit. Othoni vero ducis Saxoniæ filiæ filio viriliter adhæſit, & eum Aquiſgrani in regem Germaniæ coronari fecit.

Viſa mira. *Tyrannis Henrici 6.*

Tempora Philippi ſecundi.

CAPVT XCVII.

PHilippus tamen frater Imperatoris maximam imperij partem obtinuit, contra quem Otho ducis Saxoniæ filius ſtetit, habens coadiutorem regem Angliæ Richardum auunculũ ſuum, comitemque Flandrenſem, & archiepiſcopũ Colonienſem. Rex autem Francorum Philippus dicto Philippo regi Alemaniæ ducique Sueuiæ confœderatus eſt, ſperans per eum comitem Flandriæ ſibi ſubijcere, ac regi Angliæ facilius poſſe reſiſtere. Cœpitque Philippus anno Domini 1197. mundi vero 5160. Et imperauit annis 10.

Philippus 2.

Hoc tempore multæ nouitates apparuerunt. Apud Roſetum imbria in ſacrificio altaris vinum viſibiliter mutatum eſt in ſanguinẽ, & panis in carnem. In Vermendeſio quidam miles qui mortuus fuerat reuixit, multaque futura multis prædixit, & poſtea ſine cibo & potu longo tempore vixit. In Gallia circa feſtum ſancti Ioannis Baptiſtæ ros in nocte de cælo cadens mellicas ſpicas ſegetum infecit, ita vt multi eas in ore ponentes odorem mellis apertè ſentirent. Menſe autem Iulio orta eſt tempeſtas valida, tantęque magnitudinis lapides è cœlo ceciderunt, quod à Temblaco vſque ad monaſterium Cale, & circa loca adiacentia ſegetes & vineas & nemora penitus deſtruxerunt. Interim Innocentius Papa Petrum Capuenſem diaconum Cardinalem ad reformandum pacem inter duos reges legatum in Franciam miſit. Rex autem Richar-

Miracula

dus

dus apud Lemouicas in obſidione caſtri cuiuſdã graui-
ter vulneratus occubuit. Hẽricus Bituricẽſis archi-
epiſcopus obijt, cui ſanctus Guilhelmus abbas Caro-
li loci ſucceſſit. Eo etiam anno Michael Senonenſis
ad Dominum migrauit, eique Petrus de Carbolio
quondam Innocentij Papæ didaſcalus in præſulatu
ſucceſſit. Barones quidam Francię, ſcilicet Baldevui-
Balduinus Flandriæ Comes. nus comes Flandrenſis, Ludouicus Bleſenſis, Stepha-
nus Perticẽſis, & alij plures pro liberatiõne terrę ſan-
ctæ crucem aſſumpſerunt, & Conſtantinopolim di-
uertentes, vrbemque capientes, factum ibi memora-
bile peregerunt. Nec multo poſt Baldevuinum Flan-
drenſem comitem illic Imperatorem vnanimiter ele-
gerunt. Iterum Octauianus Hoſtienſis epiſcopus in
Franciam legatus venit, cuius admonitione rex Phi-
lippus Ingeburgem in qualemcunque gratiam rece-
pit, & Mariam ſuper inductam ad tempus à ſe ſepara-
uit, de qua filium nomine Philippum & vnam filiam
habuit, quos ea mortua petẽte rege Philippo, Papa le-
gitimos hæredes eſſe mandauit, quod factum pluribus
diſplicuit, eo quod rex eorum matrem contra legẽ, &
Dei decretum quinque annis habuit. His temporibus
S. Frãciſcus & Dominicus. ſanctus Franciſcus & ſanctus Dominicus religione &
doctrina claruerunt, qui duos ordines nouos Prædi-
catorum ſcilicet, & Fratrum minorum inſtituerunt.
Denique Imperator, à quodam Palentino qui Lan-
dragraphus. i. comes palatij vocatur, occiditur

Tempora Othonis quarti.

CAPVT XCVIII.

Otho 4. ab aliis vocatur 59. OTho vero filius ducis Saxonię per auctoritatem
& induſtriam Innocentij Papæ imperium obti-
nere nitebatur, anno Domini 1208. mundi vero 5170.
& imperauit annis 2. Hic fuit Otho quartus. Eo tem-
pore Innocentius Papa legatum in Franciam Gualo-
nem ſanctę Mariæ in porticu diaconum cardinalem
miſit ad Philippum regem & omnes principes eius,
vt cum exercitu ſuo terram Albigenſium in remiſſio-
nem peccatorum ſuorum inuaderent, omneſque hæ-
reticos qui illam occupauerant, delerent. Florebat
tunc ſtudiũ litterarum Pariſijs, & illic in ſacra pagina
Amalricus. ſtudebat hęreſiarcha magiſter Amalricus, cuius ſectę
cõplices tandẽ detecti & conuicti capti ſunt iuſſu re-
gis, & extra portam in campellis cremati ſunt. Amal-
ricus quoque licet iam ſepultus de cæmeterio ſacro
electus eſt, & eius oſſa ciniſque per ſterquilinia ſunt
Otto periu-rus. diſperſa. Denique Papa Innocentius Othonem im-
peratorem contra multorum voluntatem & contra
filium Romę coronauit, ac de patrimonio & iure bea-
ti Petri in pace dimittendo iuramentum ab ipſo exe-
git, quo facto ipſo die contra iuramentũ Otho venit.
Inſuper & à ſuis quos in caſtris poſuerat Romipetas
ſpoliari fecit, vnde Papa ſentẽtiã excõmunicationis in
eum promulgauit, deinde ſubditos illius omnes ab e-
ius fidelitate abſoluens, ne quis eum imperatorem
vocaret ſub internunciatione anathematis inhibuit.
Sicque receſſerunt ab eo Lantgrauius Thuringiæ, &
dux Auſtriæ, & rex Bohemiæ, multique alij tam ſæcu-
lares quàm eccleſiaſticæ perſonæ. Fuit his tempori-
S. Eliſabeth. bus ſancta Eliſabeth filia regis Hungariæ, quæ fuit v-
xor Lantgrauij Thuringiæ, hæc inter innumera mira-
cula, quæ Dominus per eam oſtendit, mortuos ſuſci-
tauit, & cœcum natum illuminauit, de cuius etiã cor-
pore iam defunctæ oleum, vt fertur, vſque hodie fluit.

Tempora Frederici ſecundi.

CAPVT XCIX.

Fredericus 29. ITaque Othone ab imperio depoſito, Fredericus
Imperatoris Henrici filius à Baronibus Alemaniæ
conſilio Philippi Francorum regis imperator electus,
cœpit anno Domini 1211. mundi vero 5073. & impe-
rauit annis 33. Inter hunc & Philippum regem Fran-
corum initum eſt fœdus amicitiæ perpetuum. Rei-

naldus, aliàs Reginaldus Boloniæ comes, ac Ferran-
dus comes Flandrenſis orta diſcordia à rege Franciæ
receſſerunt, & ad excommunicatos Othonem vide-
licet quondam imperatorem & Ioannem regem An-
gliæ ſe tranſtulerunt, rex Philippus Vigeburgem re-
ginam in gratiam accepit. Eodemque anno in por-
tu prope Brugias nomine Dan de hoſtibus trium-
phauit. Eo tempore Gaufridus Meldenſis epiſcopus *Ceſſio Epiſ-copatus.*
epiſcopatui cedens monaſterium ſancti Victoris Pari-
ſijs intrauit, qui inter alia ſanctitatis opera quibus viri-
liter inſiſtebat abſtinentiam inauditam obſeruans ſin-
gulis annis in quadrageſima, & in aduentu Domini
tertium in ſeptimana cibum, potum vero nunquam
ſumere conſueuerat. Eodem tempore in epiſcopatu
Leodicenſi virtutibus & miraculis floruit ſancta Ma-
ria Oegines, quæ magiſtro Iacobo de Mariaco illius *S. Maria d'Oegnies.*
loci eccleſiæ regulari canonico ſibique familiari in
Domino, ſpecialem prædicandi gratiam à Domino
precibus ſuis ac meritis impetrauit, qui videlicet Ia-
cobus poſtquam à Legato domini Papę aſſumptus,
melliflua ſua prædicatione multos de Franciæ regno
contra Albigenſes dato ſigno Crucis tranſmittit, fa-
ctus eſt epiſcopus Aconẽſis, deinde vero Tuſculanus,
Romanæ videlicet ſedis epiſcopus cardinalis, vnde &
poſt mortem corpus ſuum ad præfatam eccleſiam
ſuam videlicet apud Oegines fecit transferri, iuxta il-
lam ſuam in Domino quondam dilectam ſepeliri, ob-
ijt autem eadem ſancta mulier, anno Domini 1214.

Anno ſequenti Ludouicus Philippi regis Franco- *Ludouici victoria.*
rum primogenitus dum pater eius in confinio Flan-
driæ & Normannię terram ſuam ab hoſtium incurſu
defenderet, cõgregato apud Kinonem exercitu Ioan-
nem Angliæ regem ab obſidione caſtri quod rupes
monachi dicitur fugauit, vrbemque Andegauis quam
occupauerat ac muris circumſcripſerat recuperauit, &
muros eius deſtruxit, hanc eius victoriam modico tẽ-
pore interiecto ſecuta eſt Philippi quoque victoria, ita
quod infra menſis vnius ſpacium filius in Pictauia de
rege Angliæ, pater in Flandria de Othoue atqua Flan-
drenſibus triumphauit. Apud pontem namque Boui-
num conſerto mirabili prælio Otho ipſe à Francis in-
ter primos fugatur, omnibuſque fuga de campo eie-
ctis aut interfectis, comes Boloniæ Peronam adductis
cõpedibus mira ſubtilitate perplexis ligatur. Ferrãdus
vero Pariſijs in Turrem nouã extra muros includitur.

Anno ſequenti Innocentius Papa generale conci- *Concilium Romanum ſub Inno-centio 3.*
lium Romæ celebrauit, & in anno ſequẽti obijt. Eique
Honorius huius nominis tertius ſucceſſit, qui vnde-
cim annis eccleſiam rexit, fratrum prædicatorum or-
dinem confirmauit, ordinem quoque Vallis ſcholariũ
& ordinem Eremitarũ in monte Carmeli, quem He-
lias frequentaſſe legitur inhabitantium, hic imperato-
rem Fredericum ſibi rebellem & aduerſarium eccle-
ſiæ Romanę comperiens anathematizauit, atque Ba-
rones ſuos ab eius fidelitate abſoluit. Denique Impe-
rator iam ante Cruce ſignatus durante anathematis
ſententia mare tranſijt. Circa idem tempus Ludoui-
cus Francorum regis primogenitus contra conſilium
eccleſię & etiam patris ſui in Angliam transfretauit,
vnde ſententiam excommunicationis à Papa contra
ſe datam incurrit anno Domini 1218. Bonæ memoriæ
Simon comes Montfortis ante vrbem Doloſam pe- *Simon Co-mes.*
traria percuſſus interijt. In anno ſequenti capta
eſt vrbs Damiata, & Hieruſalem chriſtianis in bona
pace reddita anno Domini 1223. Rex Francorum Phi-
lippus apud Medontam caſtrum obijt, & in eccleſia
Beati Dionyſij ſepultus quieſcit.

Tempora ætatis noſtræ vſque ad condemnationem prædicti Frederici.

CAPVT C.

Coronatio Ludouici 8. EOdem anno Ludouicus eiuſdem primogenitus
vna cum Blanca vxore ſua Remis coronam regni
ſuſcepit in die transfigurationis domini, hic quoque

cum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum Frederico imperatore pacis colloquium apud vallem coloris habuit. Et anno tredecimo regni ſui Rupellam cepit, deinde contra Albigenſes vna cum domino Romano Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato in Frãciam miſſo multiſque regni ſui proceribus perrexit, ibique Guido comes ſancti Pauli petraria percuſſus interijt. Anno Domini 1226. idem Ludouicus *Obitus.* dum rediret de Auinio ciuitate quam ſibi ſubiugauerat apud Montpathier in Armenia obijt, & *Ludouicus 9.* grandem luctum Francis induxit. Huic Ludouicus filius eius admodum iuuenis annorum, ſcilicet tredecim in regno ſucceſſit, qui etiam vſque hodie regni gubernacula diſponit. Anno quoque Domini 1216. Papa Honorius obijt, cui Gregorius huius nominis nonus in papatu ſucceſſit, & ſedit annis quatuordecim. Porro Ludouicus iunior circa regni ſui principium epiſcopos & milites plurimos in terram Albigenſium miſit, & Doloſam ac totum comitatum in deditionem accepit. Anno Domini 1230. Henricus Angliæ rex inſtinctu Petri Britanniæ comitis, vt terram à prędeceſſoribus ſuis poſſeſſam recuperaret, in Britanniã transfretauit, ſed in propoſito ſuo nullatenus proficere valẽs inanis & vacuus redijt. Et eodem anno rex Ludouicus vrbem Andegauis & caſtrum Beleſinæ dicto Petro priuſ ad vitam conceſſa recuperauit. Anno Domini 1233. Rex Ludouicus comitis Prouinciæ filiam nomine Margaretam vxorem accepit. Eodem anno facta eſt diſſenſio inter Burgenſes Beluacenſes, minoribus inſurgentibus contra maiores, vnde plures ex maioribus occiſi ſunt, plurimi de minoribus capti, & per diuerſa loca carceribus mancipati, ad vltimum multa pecuniæ ſumma redẽpti, & ob hoc epiſcopatus pluribus annis ſub interdicto fuit. Anno Domini *Fames.* 1234. facta eſt magna valde fames in Frãcia, maximèq; in Aquitania, ita vt homines herbas campeſtres ſicut animalia comederent, multique fame interierint, plurimi etiam igne ſacro incendebantur. Anno eodem fratres prędicatores & fratres minores ad hoc ipſum officium à domino Papa vocati, ſuæ prædicationis exhortatione multos de Francia Barones, milites, ac *Cruceſignati* plebeios, clericos & laicos cruce ſignantes, in terræ ſanctę ſubſidium tranſmittere putauerunt. Anno *Corona Domini.* Domini 1239. corona Domini ſpinea per induſtriam pijſſimi Ludouici regis Francorum, annuente Balduino Imperatore ab vrbe Conſtantinopoli Pariſios eſt tranſlata, atque ab ipſo rege cum multis epiſcopis, & militibus, & infinita populi multitudine cum ſumma humilitate atque deuotione recepta. Nec multo poſt eidẽ quoque regi pars Dominicæ crucis à peregrinis tranſmarinis defertur, & itidẽ honorificè valde recipitur. His quoque temporibus orta iterum inter Papam *Excommunicatur imperator* & Imperatorem diſcordia, Imperator excommunicatus contra Romanam eccleſiam acrius inſurgens, itinera quoque obſidens Romipetis inſidiatur, ob hoc Iacobus Prænestinus epiſcopus in Franciam legatus à domino Papa petendi ſubſidij cauſa latenter dirigitur, & peracto negotio reuertens ab Imperatore capitur: Sed & dominus Otho cardinalis iampridẽ in Angliam ab ipſo papa miſſus, eodẽ tempore rediens etiã ipſe ab Imperatore detinetur. Ipſo quoque tempore dũ concilium epiſcoporũ ad ſe vocare nititur, multi iter aggreſſi ſimiliter capiuntur, ex quibus fuit Petrus de Colle medio archiepiſcopus Rothomagenſis, abbates quoque Cluniaci, Ciſtercij, & Claræuallis. De- *Obitus Gregorij.* nique idem Papa Gregorius multis tribulationibus vndique preſſus obijt, & diſſentientibus in electione paucis Cardinalibus, qui à morte reſidui erant, duobus annis ſedes vacauit. Senex quidam infirmus Cæleſtinus 4. eligitur, ſed paucis euolutis diebus moritur. Anno Domini 1241. Hugo Marchiæ comes à rege Francię decedens iterum Angliæ regem in terram ſuam adduxit, contra quem Ludouicus rex exercitum in Pictauiam ducens vrbem Xantonas caſtrumque Fiducenaxum, & alias plures munitiones cepit, repulſoque Angliæ rege comitem ipſum cum vxore, & filijs, ac toto comitatu in deditionem accepit. Anno Domini 1252. Tartari primam Turciæ ciuitatem arſerant, quæ dicitur eſſe Hus, in qua beatus Iob *Hus.* quondam regnauit inuaſerunt, eamque deſtruxerunt. Eo quoque tempore Poloniam & Hungariam cum principe ſub nomine Batho vaſtauerunt. Anno Domini 1243. Ijdem Tartari Turcos contriuerunt, & vſque ad Sauaſle terram vaſtauerunt, & etiam vſque ad ciuitatem regiam Iconium, & vltra curſores ſuos tranſmiſerunt. Eodem anno poſt biennem ſedis Romanæ vacationem electus eſt in Papam Cardinalis Seneſbaldus, mutatoque nomine vocatus eſt Innocẽ- *Innocentius quartus.* tius quartus. Eodem anno natus eſt Ludouicus filiorum Ludouici Chriſtianiſſimi regis Franciæ primogenitus, & anno ſequenti natus eſt & ſecundus filius nomine Philippus. Eodem ſcilicet ab incarnatione Domini 1214. Innocentius Papa fecit Cardinales magiſtros Odonem de caſtro Radulphi cãcelarium Pariſienſem, & fratrem Hugonem de ſancto Theodorico priorem ordinis Prædicatorum prouincialẽ Franciæ, & ipſe Papa venit in Franciam apud Lugdunum circa feſtum ſancti Andreæ. Porro circa feſtum ſanctæ Luciæ Ludouico rege Francorum apud Pontiſaram ægrotante & in lecto decumbente ſic anima eius abrepta eſt à corporis ſenſibus, vt à multis æſtimaretur mortuus eſſe, vt autem ab illa extaſi ad ſeipſum redijt, crucem protinus tranſmarinam inſtanter petijt & accepit.

Tempora vacationis imperij.

CAPVT CI.

DEnique imperatore Frederico pertinaciter in malitia perſiſtente, ac contra Romanam eccleſiam acrius inſurgente, Papa Innocentius anno Domini 1245. generale concilium apud Lugdunum circa feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli contra ipſum Imperatorem conuocauit, eumque ibidem tanquam ſchiſmaticum & hoſtem eccleſiæ cõdemnauit. Tunc etiam prædicata eſt crux tranſmarina, & dictus Odo Tuſculanus epiſcopus cardinalis à latere domini Papæ miſſus eſt legatus in Franciam pro eadem cruce *Cruceſignati* prędicanda. Tunc quoque contra fines Hannoniæ, vel Alemaniæ prædicabatur crux hominibus auctoritate Papę, vt irent contra Conradum Frederici filium in auxilium Lantegrauij Turingiæ, qui de nouo electus erat in regem Alemaniæ. Eo tempore miſit idem Papa fratrem Aſcelinum, & alios tres de ordine Prædicatorum cum literis Apoſtolicis ad exercitum Tartarorum, in quibus hortabatur eos, vt ab hominum ſtrage deſiſterent, ac fidei veritatem acciperent. Sed & alius frater de ordine Minorum, videlicet Ioſephus de plano Carpini cum quibuſdam alijs ad Tartaros eo tempore miſſus fuit, qui, vt ipſe teſtatur, per annum & quatuor menſes cum eis manſit, & inter ipſos ambulauit. Anno prænotato mortuus eſt in Satellia Gaizaduus Turciæ Soldanus, eique ſucceſſit filius eius adhuc puer nomine Ratonadius. Eodem anno Tartari cum Turcis fœdus inierunt, qui tunc 14. camelos hypperis oneratos ac 300. ſommarios ſericis & ſcarlato, alijſque pannis pretioſis onuſtos cum pluribus equitibus eorum regi tranſmiſerunt.

Fredericus depositur.

Anno Domini 1246. Cuinæ qui & gog Chaam, id eſt Imperator, vel rex ſublimatus eſt in Tartarorum regno. Anno Domini 1247. in die traſlationis beati Dominici patris ordinis Prædicatorum prędictus frater Aſelinus cum ſocijs peruenit in exercitum Tartarorum, videlicet in Perſide vbi erat exercitus ille ſub Baiothnos principe. Ibi aliquandiu moratus, tandem ad Papam literas eiuſdem principis retulit, in quibus hoc inter cętera continebatur: Si vultis ſuper terram veſtram & aquam & patrimonium ſędere, oportet vt tu ipſe Papa ad nos in propria perſona venias, & ad eũ qui faciem totius terræ continet accedas, nuncios autem præmittas nobis ſufficientes, an velis nobiſcum

Legatio Tartari.

compone-

componere aut inimicus esse.

B Edmũdus Anno prænotato sanctus Edmundus Canturiensis archiepiscopus multis iam miraculis clarus, cuius sacri corporis Gleba in Ponte Ignacensi monasterio requieuerat de terra est eleuata, qui nimirum anno præterito auctoritate Apostolica fuit canonizatus, & in catalogo sanctorũ deputatus. Anno Domini 1248. rex Francorum Ludouicus in sexta feria post Penthecosten de Parisijs exiens, iter transmarinum arripuit, & in eius comitatum Robertus & Carolus fratres ipsius cum multis regni baronibus & episcopis. Sed & Odo Tusculanus episcopus qui propter negotium illud missus erat, vt dictum est superius, in crastino S. Bartholomæi dictus rex nauem intrauit, ac Deo duce nauigans in Cyprum apud Nycomium applicuit. *Anno Domini* 1249. Die Ascensionis Domini nauem conscendit, tandemque nauigans Damiatæ portum cepit, vrbemque intrauit & occupauit. Eodemque anno circa festum Ioannis Alfonsus dicti regis peregrinationem transmarinam arripuit, sicque Blancha mater eorum ad custodiam regni sola remansit. Porro 20. die Nouembris præfatus rex tam nauali quàm terrestri præparato exercitu contra Sarracenos apud Massoram processit, & in regressu cum exercitu suo captus fuit, sed post paululum Deo disponente sub certo pacto à Sarracenis dimissus fuit. Eo tempore claruit in ordine fratrum Prædicatorum vita & doctrina *B. Petrus.* & miraculis beatus Petrus Mediolanensis, quem etiam Innocentius Papa prædictus anno Pontificatus sui 10. canonizauit, epistola canonizationis eius quam per omnes ecclesias promulgari fecit actus eiusdem breuiter descripsit. Rex autem Ludouicus de manu Sarracenorũ liberatus licet à multis ei dissuaderetur, maluit tamen adhuc differre passagium & morari per aliquod tempus in regno Syriæ, quàm Christi negotium desperatum & captiuos nondum liberatos in tantis periculis constitutos relinquere, Alfonsum vero Pictauiensem & Carolum Andegauensem comites videlicet fratres suos ad matrem suam consolandam duxit in Franciam remittendos. Acta sunt hæc anno Domini 1250. regni vero Ludouici 24.

De temporibus præsentibus & futuris.

Caput CII.

ECce tempora ætatis sextæ vsque ad annum præsentem summatim perstringendo auxiliante Deo descripsimus, qui est annus ab incarnatione Domini 1250. à creatione vero mundi 5222. Et hoc dumtaxat iuxta minorem numerum quem iuxta Hiero. translationem ex Hebraico in Latinum in hac serie à principio secuti sumus. At vero secundum maiorem numerum ex antiqua translatione sumptum, quem supra posuimus, annus presens exiſtit ab initio sęculi 6449. hic est annus Pontificatus Innocentij quarti, vacationis imperij Romani, scilicet à depositione Frederici 5. Regni vero Christianissimi nostri regis Francorum videlicet Ludouici 14.

Ætas septima. Porro ętas septima quę animarum quiescentium est ab ascensione Domini aperta ianua quietis initium habuit, & vsque ad præsens vna cum sexta decurrit. Sed deinceps vsque in finem mundi simul cum illa protendetur, & tunc ipsa quidem secundum se finem non habebit, quia requies animarum interminabilis, sed ab 8. resurgentium ętate suscipietur. Ideoque in Genesi 7. diem non habere vesperam inuenitur. Iterũ autem in hoc mundo visibili florẽtes mali persequuntur bonos, & boni tolerant malos, in quibus iuxta Apostolum vltimus ille sanctorũ persecutor Antichristus expectatur, vt reueletur in suo tempore, & mysterium operatur iniquitatis, vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat, & cum illi nequiter, isti vero laudabiliter viuant, vterque tamen communiter temporalia bona percipiant, necnon & ecclesiæ sacramenta, & inter hæc, vt ait Salomon, nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit, sed omnia permixta sunt & confusa, donec appareat ventilator impiorum rex sapiens, qui separabit granum à palea.

De reprobis & electis. Porro defunctorum animæ quædam, scilicet reproborum in inferno cruciantur, donec in fine resumptis corporibus sententiam perpetuę damnationis excipiant, & duplici contritione conterantur: Quædam vero, scilicet electorum non ex toto purgatæ, sed cum lino, fœno, stipula, de hac vita migrauerunt, igne purgatorio temporaliter affliguntur, donec illo igne purgatæ ac penitus dealbatæ stolam primam accipientes beata requie perfruantur. Aliæ vero quæ innocenter hanc vitam transegerunt, vel etiam in hac vita siue per baptismum, siue per pœnitentiã omnino purgatæ vel post mortem vt dictum est, igne purgatorio dealbatæ, moxque prima stola fęliciter decoratę, iam illa requie ac visione beatifica gratulantur, ac spe fælici & secura secundam quoque stolam in fine præstolantur. Quantum vero tẽporis vsque ad finem sæculi supersit, certum est neminem mortalem esse qui nouerit, nisi forsitan Dominus alicui spirituali gratia reuelauerit. Omnium namque de hac re calculantium digitos requiescere iubet, qui ait: *Non est vestrum nosse, &c.*

Signa finis mundi. Iam tamen illus consummationis apparent euidẽtia quædam signa dudum à sanctis prophetali spiritu prędicta, quorum primum est iniquitatis mundatio, ac per hoc fidei, ac charitatis euacuatio: Reliqua sunt scientiæ multiplicatio, præliorum opinio, Euangelij per orbem dissẽminatio, Sathanę quoque dissolutio, id est, potestatis ipsius à tẽpore passionis Domini cohibitę relaxatio: hęreticorũ dispersio. Septimum quoque iam esse videtur in ianuis à Romano videlicet imperio, vel obedientiã successio. Vt autẽ ait Chrysost. Medulla huius mũdi sunt homines sancti. Sicut enim in arbore quãdiu medulla sana est semper floret, cum autem consumpta fuerit, tota paulatim marcescit, ita quamdiu fideles manent, stat iste mundus, cum autem ex mundo defecerint, cadet, sicut egredientibus Israeliticis exterminata est Ægyptus.

De temporibus Antichristi.

Caput CIII.

Tribus Antichristi. LEgitur autem Antichristus in Babylone de tribu Dan nasciturus, iuxta id quod ait Iacob pater eius: *Fiat Dan coluber in via, &c.* Vnde & hæc sola tribus in Apocal. subticetur, vbi ex alijs tribubus signati numerantur. Huius aduentus, vt ait Apostolus, erit secundum operationem Sathanæ, quia totum faciet diabolo qui illum possidebit instigante, atque cooperante; nec tamẽ ita possidebit eum ex toto, vt vniatur ei, sicut humanitati diuinitas in Christo, nec ita vexabit eum, vt careat rationis iudicio, alioquin non imputaretur ei quicquid ageret, sicut nec furibundo.

Antichristi mores. *Comestor* quidem dicit, quod à principio conceptionis illius diabolus in vterum matris eius descendet, cuius virtute deinceps aletur puer, & nascetur & adolescet. Sed alij dicunt, & fortè verius, quod more cæterorum hominum à die suæ conceptionis habebit angelum sui custodem vsque ad annos discretionis, tunc extolletur super omne quod dicitur Deus & angelorum præsidio penitus eũ desertum occupabit diabolus, qui ideo tunc soluendus dicitur, quia totã potestatem suam antiquam sibi relaxatam per illum exercebit, & pro voluntate sua inclinabit eum ad malum, sicut possessor ad libitum suum trahit iumentum: tunc ergo iniquus ille caput omnium iniquorum apertè reuelabitur, qui nunc in membris suis mysterium iniquitatis iam operatur. Cumque venerit Hierosolymam circuncidet se, dicens Iudæis se esse Christum ipsis in lege promissum, Christum vero nostrum fuisse deceptorem, & magum. Omnes itaque Iudęi credentes & adhærentes ei confluent ad ipsum, & reædificabunt templum à Romanis destructũ, ibique sedebit, dicens se esse summum Deum: veniet quidẽ, vt ait Apost. in omni virtute potestatis, sc. humanæ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

manæ, & opulentiæ, facietque ſigna & prodigia quæ dicuntur mendacia, vel quia non erunt vera ſed phantaſtica, vel quia ad confirmandum mendacia oſtenſa: ad ſeducendum videlicet illos qui charitatem, & virtutem Chriſti recipere nolunt, multa deceptis munera largietur, & quos terrore nequiuerit, auaritia ſubiugabit, populum iudaizare, ſabbatum ſeruare compelleet, vt exteriorem ritum legis reuocet. Diem quoque Dominicum honorari iubebit, quia mori ſe ac reſurgere ſimulabit. Et ſicut Chriſtus miſit Apoſtolos, ſic ille per orbem mittet legatos ſuos, vbi perſonaliter accedere non poterit.

Apoſtoli Antichriſti.

Hi ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus 42. id eſt eccleſiam perſequentur tribus annis & dimidio, quibus regnabit Antichriſtus. In eo namque breui ſpatio totis viribus ſuis ſuorumque legitur ſæuiturus, plurimoſque partim dolo, & hypocriſi, partim blandimento, vel promiſſo, partim violentia ſeducturus, ſancti vero tunc tantæ ſapientiæ, ac fortitudinis erunt, quod tanto eius impetu inſidijſque vinci non poterunt. Tunc emittet Dominus Heliam & Enoc famuſos ſuos ad hoc ipſum viuentes in Paradiſo terreſtri teſeruatos, vt ipſum Antichriſtum redarguant, & corda filiorum ad patres conuertant: tandemque mortis debitum tanto tempore dilatum exoluant.

Enoch & Elia prophetia

Prophetabunt autem diebus 1260. amicti ſaccis, id eſt, verbo & exemplo, prædicabunt pœnitentiam tribus annis & dimidio, ſicut & Chriſtus prædicauit. Ipſum quidem Antichriſtum coram omni populo arguent, & mendacem, ac fallacem oſtendent. Tunc Iudæi agnoſcentes ſe fuiſſe deceptos in Chriſtum credent, pro ipſo mori parati, eruntque, vt dicit Methodius 144. milia virorũ ex omni tribu Iſrael pro Chriſto interfecti. Tunc Antichriſtus furore repletus iubebit ſanctos Dei teſtes Enoch & Heliam occidi, & iacebunt in plateis Hieruſalem per triduum inſepulti, vt quicunque viderint timeant eis conformari. Tunc erit talis tribulatio qualis antea nunquam fuit, nec poſt erit.

Mors Antichriſti.

Denique iuxta viſionem Danielis veniet Antichriſtus vſque ad verticem montis Oliueti, qui dicitur inclytus & ſanctus, quia ex eo aſcendit ad Patrem Chriſtus Dominus. Ibique ſeductor ille peribit, vnde Saluator ad cælos aſcendit. Cum enim ſederit in eodem loco in papilione, & in ſolio ſuo, Dominus Ieſus (vt ait Ambro.) oſtendet ſe ei, & interficiet eum ſpiritu oris ſui. i. virtute præcepti ſui. Ipſo nãque Ieſu clamãte in aere. Morietur Antichriſtus per Michaelem, vt dicitur, fulminatus. Maxima quoque pars ſuorum, vt legitur à Michaele interficietur. Igitur à tempore quo iuge ſacrificium ablatum fuerit, id eſt Antichriſtus orbem obtinens Dei cultũ interdixerit, vſque ad interfectionem eius dies 1290. i. anni ttes & ſemis complebuntur, tanto enim tempore ſanctos perſequentur.

De interuallo temporis inter Antichriſti mortem & aduentum Iudicis.

CAPVT CIV.

POſt mortem Antichriſti non ſtatim ad iudicium veniet Dominus, ſed vt ex libro Danielis intelligitur, electis qui in illa perſecutione titubauerunt 45. dies ad pœnitentiam concedentur. Quantum vero poſt venturus ſit Dominus penitus ignoratur. Miniſtri quidem Antichriſti gaudebunt in illis diebus nubentes, & conuiuia celebrantes, ac ludos diuerſi generis exercẽtes atque dicentes: Licet præceptor noſter mortuus ſit, modo tamen habemus pacẽ & ſecuritatẽ. Cumque talia dixerint, ſuperueniet eis interitus grauis ac repentinus. Illud quidem extremum iudicium præcedent ſigna multa, quæ nobis exprimit euangeliũ. In hiſtoria quoque ſcholaſtica leguntur ſigna 15. dierum, quæ inuenit Hiero. in annalibus Hebræorũ, ſed vtrum continui an interpolati futuri ſint non expreſſit. *Primo* die eriget ſe mare 15. cubitis ſuper altitudinem montium ſtans in loco ſuo quaſi murus. *Secundo* tantum deſcendet vt vix videri poſſit. *Tertio* marinæ belluę apparentes ſuper mare dabunt rugitus vſque ad cœlum. *Quarto* ardebit mare & aqua. *Quinto* herbæ & arbores dabunt rorem ſanguineum. *Sexto* ruent ædificia. *Septimo* petræ ad inuicem collidentur. *Octauo* fiet generalis terræ motus. *Nono* æquabitur terra. *Decimo* exibunt homines de cauernis & ibunt velut amentes, nec mutuo poterunt loqui. *Vndecimo* ſurgent oſſa mortuorum & ſtabunt ſuper ſepulchra ſua. *Duodecimo* cadent ſtellæ. *Tredecimo* morientur viuentes vt cum mortuis reſurgant. *Quartodecimo* ardebit cœlũ & terra. *Quintodecimo* fiet nouum cœlum & noua terra, & reſurgent omnes. Venturum autem iudicem ignis præcedet, qui faciem huius mundi comburet, peribuntque cœlum & terra, non ſecundum ſubſtantiam ſed ſecundum ſpeciem, quæ mutabitur in meliorem, cœlum dico aereum non æthereum, tantum enim aſcendet ignis præambulus iudicij, quantum aſcenderunt aquæ diluuij, ſcilicet 15. cubitis ſuper cacumina montium, vt hanc mundi partem expurget à peccatis hominum. Terram ergo & mare ex aeris craſſitudine conflagrabit, electos purgabit quoque ſecundum Apoſtolum, in quibus aliquid purgandum extiterit: vnde & tamdiu durabit, donec omnes purgauerit, purgatis autem nullatenus nocebit, malis itaque qui tunc viui reperti fuerint, erit conſũptio, bonis vero refrigetatio, vt enim ait Auguſtinus, hoc erit incendiũ mundi ſanctis, quod fuit tribus pueris caminus Babylonis.

Ignis quo mundus ardebit.

De vltima die iudicij.

CAPVT CV.

MEdia nocte venturus iudex legitur, non pro hora temporis, vt ait Aug. ſed pro rei obſcuritate, id eſt occultatione, quia veniet quando non ſperabitur. Erit autem iudicis aduentus ad inſtar fulguris ſubitus & coruſcus. Vnde ſol & luna tunc obſcurari leguntur, non ſui lucis diminutione, ſed veri luminis comparatione, alioquin legimus ſeptuplum luminis quàm nunc plus habituram ſolem in die illa, ſed reſpectu verę lucis erunt omnia in ſui natura tenebroſa, Dominus quidem in aere apparebit ſupra locum vnde aſcendit, & erunt coram eo tanquam triumphi vexilla ſuæ mortis inſtrumenta, videlicet *crux, & claui, & lancea*. Vnde dicit Chryſoſt. quod angeli ſignum crucis excelſis humeris portabunt, & regium & regalem nobis aduentum tanquam vexillo & põpa regali præcedente nunciabunt. Nec ſolum crucem, ſed & vulnera ſui corporis .i. cicatrices vulnerum demonſtrabit, vt oſtendat ſe verè eſſe qui pro nobis eſt crucifixus fuit. Sic ergo purgato mundo & veniente ad iudicium Domino, emittetur vox illa magna & manifeſta, quæ in euangelio dicitur tuba, hoc erit aliquod præclarum & euidens ſignum quod ab omnibus audietur, eiuſque virtute mortui reſuſcitabuntur, boni quidem in gloriam immutati & in multis bene diſpoſiti, mali vero quantum ad diminutionem membrorum incorrupti, ſed prauis & paſſibilibus corporum qualitatibus deprauati.

Vexilla Chriſti.

Tuba.

Reſurget autem non phãtaſticè, ſed verè quidquid eſt de veritate humanę naturę, & in eo reſurget vnumquodque in quo primitus habuit opportunum ſuum eſſe, tunc & illi qui viui reperientur ſecundum Apoſtolum ſimul cum illis qui dormierunt obuiam in aere Chriſto rapientur, & vt dicitur in ipſo raptu morientur, ſtatimque reſurgent, vt anima de corpore quaſi per ſoporem egreſſa eidem in momento reddatur. Tunc ergo electis in aere Domino occurrentibus, & reprobis in terra quam dilexerunt remanentibus, in valle Joſaphat, id eſt iudicij ſententiam expectantibus ſedebit in aere nube ſibi miniſterium exhibente, ſicut factum eſt in eius aſcenſione, ſicque faciet iudicium conſtipatus agminibus ac virtutibus cœlorum, omni quoque creatura armata ad vltionem inimicorum. In

Reſurrectio corporis.

Signa quæ præcedent extremum iudicium

Iudicij locus

forma

forma vtique ſerui Chriſtus iudicabit, in qua coram Pilato iudicatus fuit. Aderunt etiam cum eo tunc omnes angeli, ſcilicet humanorum actuum teſtes futuri, ſub quorum cuſtodia bene & malè egerunt, vt ait Origenes ſuper Numerorum librum: Vnuſquiſque, inquit, angelorum extremo iudicio aderit, perducens ſecum illos, quibus prę fuit. Tunc omnia, vt dicit Gregorius Naziãzenus, pendebunt in ſtatera iuſtitiæ geſta & verba & cogitationes noſtræ, tunc iudex improperabit nobis non ſolum mala quæ fecimus, & bona quę per negligentiam omiſimus, verum etiam beneficiorum ſuorum multitudinem, quæ ingratè ſuſcepimus, & quibus abuſi fuimus, caſtigationes & medelas & remedia, quibus adhibitis curati non ſumus. Tunc etiam qualitercunque proferentur illa præconia bonorum; *Eſurijui, & dediſtis mihi manducare, &c.* Et increpationes illæ malorum: *Eſurijui, & non dediſtis mihi mãducare,* &c. Conſiderandum eſt autẽ hic, vt dicit Gloſſa, quid mereatur qui aliena rapit, ſi damnatur æternaliter qui ſua non dedit. Iudicium namque ſine miſericordia fiet ei qui non fecit miſericordiam, denique profertur ſuper vtroſque ſententia, ſcilicet, *Venite benedicti:* & *Ite maledicti,* ſiue vocali ſono, ſiue alio modo. Hæc enim & huiuſmodi omnia plurimi magis putant conſcientijs quàm verbis exprimenda.

Præconia bonorum, increpationes malorum.

Ibunt igitur reprobi in ſupplicium æternum. Iuſti autem in regnum, tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris, propter quatuor dotes corporis quę notantur in proprietatibus ſolis, hæ ſunt claritas, impaſſibilitas, agilitas, ſubtilitas. In animalibus tres habent dotes tribus virtutibus ſuccedentes, ſuccedit enim cognitio fidei, apprehenſio ſpei, dilectio vero aucta permanebit. Porro in reproborum corporibus terrenis quę nunc contrarijs qualitatibus permixta ſunt, & quodammodo temperata, cunctis bonis qualitatibus ablatis malè tantum & cruciatoriè remanebunt, ex quarum contrarietate abſque temperamento perdurante dolorem perpetuum ac multiplicem indefinẽter patientur. Illic vt dicit beatus Cæſarius, ardoribus ſempiternis eſcas crimina miniſtrabunt. Illaque pœnalis exuſtio, quia culpam iubetur inquirere, ſubſtantiam neſcit abſumere. Non tam reum perſequitur quàm reatum, & quia non recipit cauſam remedium, carebit fine ſupplicium. Porro quantum ad animam erit eis multiplex pæna, ſcilicet Dei obliuio, conſcientiæ remorſio, dolor, timor, deſperatio, odium quoque Dei, & ſui infructuoſa pœnitentia.

Quatuor dotes corporum iuſtorũ.

Pœna.

De innouatione mundi.

CAPVT CVI.

VT autem dicit Aug. iudicatis his qui nõ ſunt inuẽti libro vitæ, & in ignem æternum miſſis, figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione prętcribit. Nam elementorum corruptibilium qualitates quæ corporibus noſtris corruptibilibus congruebant ardendo penitus interibunt, atque ipſa ſubſtantia eas qualitates habebit quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant, vt his mundus in melius innouatus, vt autem dicit Baſilius, ignis qui nunc interim vſque ad diem iudicij calidus & lucidus oſtenditur, poſt illam innouationem mundi diuidetur, ita ſcilicet vt ſuperius in regione viuorũ ſit tantum lux, & inferius in regione malorum ſit dolor. Porro iuxta Iſaiam; *Erit lux lunæ. ſicut lux ſolis.* Super quem locum Haymo dicit, quod cum determinato illo iudicij examine omnibuſque reprobis in inferno concluſis, Dominus Ieſus cum corpore ſuo, quod omnes electi ſunt, in cœlum ſe ſuſtulerit, tunc ſibi luna ſplendorẽ ſolis mutuabit, ſol vero ſeptempliciter quam modo lucebit, recepto ſplendore quem homine peccante amiſit.

Ignis diuiſus erit in fine mundi.

Dicit etiam Iſidorus quod nec ſol, nec luna poſtea ad occaſum ventura ſunt, ſed in loco in quo creata ſunt ſine fine permanebunt, ne ſcilicet eorum claritate fruantur damnati, qui apud inferos erunt. Vnde dicit Abacuc: *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo,* & alibi dicitur: *Non occidet vltra ſol tuus.* Ante diem quidẽ iudicij iuxta Ioẽlẽ eclipſim patiẽtur, in aduentu vero iudicis obſcurari comparatiuè dicuntur. In mundi autem innouatione quando cælum nouum & terra noua fuerit eorum claritas augmentabitur. Vnde dicit Iſidorus quod ſol tunc laboris ſui mercedem recipiet. Non ergo amplius erit diei noctiſque viciſſitudo, ſed vna dies continua, quæ nota eſt Domino. Quod autem dicit Iſaias: *Non erit amplius tibi ſol ad lucendum,* &c. ſubintelligitur ad neceſſitatem ſed tantum ad decorem. Nam ciuitas illa cœleſtis non egebit ſole neque luna, quia claritas Dei illuminabit illam. Hæc quæ iam dicta ſunt de Anti chriſto & aduentu iudicis, dieque iudicij. de bonorum remuneratione, malorumque damnatione breuiori hic ſtilo perſtricta ſunt, ſed latiore in fine Speculi Hiſtorialis pateſcunt.

Sol ſine occaſu.

Nox & dies ceſſabunt habere vices

FINIS.

Summæ & indiuiduæ Trinitati, Ieſu Chriſti crucifixæ humanitati, eiuſque glorioſiſſimæ matri Mariæ ſit laus, honor, & gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX SINGVLORVM
LIBRORVM ET CAPITVM IN PRIMO TOMO SPECVLI MAIORIS NATVRALIS NVNCVPATI CONTENTORVM,

In quo primus numerus capita, ſecundus folia indicant.

INDEX PROLOGI OPERIS.

PROLOGVS totius voluminis Speculi, videlicet Maioris Index, & quaſi lucerna quædam præmonſtrans in eo ſemitam omnium librorum ſequentium, materiam & ordinem breuiter oſtendit, vt in tanta rerum multitudine, de quibus in toto opere agitur, legẽti facillimè pateat, quod quærere propoſuerit. Habet autem prologus iſte numerum 20. capitulorum, quę commodius videri poſſint in textu folio 1. 2. 3.

DE cauſa ſuſcepti operis & eius materia, cap.1. fol.1
Iterum alia cauſa, cap 2. fol.2
De modo agendi & titulo libri, cap. 3. fol.3
De vtilitate operis, & apologia Auctoris, cap.4. ibid.
Apologia de regnis & bellis huic operi inſertis, cap.5. fol. 4
Apologia de natura rerum & hiſtoria temporum, cap.6. fol. 5
Apologia de vniuerſitate ſcientiarum, cap. 7. fol. 6
Apologia de dictis Philoſophorum & Poetarum, cap. 8. ibid.
Apologia de apocryphis, cap. 9. 7
Apologia de modo excerpendi de quibuſdam libris Ariſtotelis capite 10. 8
De impari auctoritate eorum, quę excerpta ſunt, cap.11. 9
De ordine dignitatis earundem, cap. 12. 10
De libris authenticis, cap.13. ibid.
De libris apocryphis, ca.14. 11
Continentia totius operis, ca. 15. 12
De quadrifaria diuiſione totius, ca.16. 13
De materia vniuſcuiuſque partis, ca.17. ibid.
Retractio primæ partis, cap.18. 14
Retractio ſecundæ, tertię, & quartę partis, cap.19. 15
Continuatio quatour partium adinuicem, ca.20. 16

INDEX PRIMI LIBRI.

Primus Liber agit de primaria mundi creatione, & primò de ipſo Creatore, in quo tanquam in archetypo mundus ipſe ab æterno ordinatus eſt, & præconceptus. Deinde verò de prima materia, ac de Angelica creatura, quæ duo ſecundum Auguſtinum, ante omnem diem ſunt creata. Et habet octuaginta ſex capitula.

DE diuerſis mundi acceptionibus, ca.1. fol.17
De duobus mundis pariter exiſtentibus, cap.2. 18
Quod mundus archetypus ipſe ſit Dei filius, ca. 3. 19
Quid ſit Deus, cap. 4. 20
Quibus diſtinguatur proprietatibus, ca.5. 21
De diuinæ eſſentiæ vnitate, cap. 6. 22
De perſonarum Trinitate, cap. 7. 23
Quod ab eadem ſumma Trinitate creata ſunt omnia, cap 8. 25
Qualiter ipſa creatrix Trinitas in principio Geneſeos eſt inſinuata, cap.9. ibid.
Qualiter eius inuiſibilia cognoſcuntur à mundi creatura, cap.10. 26
Qualiter ex conſideratione creaturarum cognoſcitur eſſe ſumma eſſentia, cap.11. 27
Qualiter in omni creatura relucent Trinitatis veſtigia, cap.12. ibid.
De gradibus creaturarum, quibus homines ad Dei cognitionem aſcendunt, ca. 13. 28
Quòd Deum multis modis homines cognouerunt, ca.14. 29
Qualiter ad vnius Dei cognitionem Philoſophi peruenerunt, cap. 15. fol.30.
Qualiter etiam ad trium perſonarum diſtinctionem vtrinque appropinquauerunt, ca.16. 31
Quod in Trinitatis diſtinctione defecerunt, c.17. 32
Qualiter etiam circa originem errauerunt, ca.18. 33
Quod Deus mundum optimum creauit & vnicum, ca.19. ibid.
Quod eum creauit pulcherrimum, ca.20. 34
De arte diuina qua Deus fabricauit omnia, ca.21. 35
De rationibus, vel ideis viuentibus in eius mente vel ſapientia, capite 22. 36
Qualiter ſecundum illas rationes, ſiue notiones fecit omnia, c.23. ibid.
Quod Deus fecit mundum abſque voluntatis nouitate, c.24. 37
Quod mundus cum tempore factus ſit, & non ante, c. 25. 38
Quod non faciebat Deus aliquid antequam mundum faceret, cap.26. ibid.
Qualiter Deus & creat, & facit, c.27. 39
De creatione empyrei, & materia informi, cap.28. ibid.
De Angelo, quid ſit, ca.29. 40
Quales facti ſint ab initio, cap. 30. ibid.
De libero arbitrio eorum, & ſcientia, & dilectione, ca.31. 41
Quod nec miſeri creati ſunt, nec beati, cap.32. ibid.
De conuerſione bonorum ad lucem increatam, cap.33. 42
De illuminatione eorum ab eadem luce, ca.34. 43

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Quod ipſa lux ad ſe conuertit, & colligit illuminatos ſpiritus, cap. 35. ibid.
De confirmatione ſanctorum angelorum, & beatitudine eorum, ca. 36. fol. 44.
De merito eorundem, ca. 37. 45
De ſcientia eorundem, & motu affectionis, ca. 38. ibid.
De linguis eorum, ca. 39. 46
Exemplum ad euidentiam mutuæ locutionis eorundem, cap. 40. 47.
De poteſtate eorum, cap. 41. ibid.
De ſacro principatu eorundem, c. 42. 48
De vnifica contemperantia donorum eorum, c. 43. ibid.
De nouem ordinibus, ca. 44. 49
De excellentia eorum ſecundum dona, c. 45. ibid.
Quod ante occaſum non fuerunt ordines diſtincti, c. 46. 50
De varia ordinum diſtinctione, ca. 47. ibid.
De triplici hierarchia, c. 48. 51
De hierarchia angelica, c. 49. 51
De triplici hierarchia angelica, cap. 50. 52
Qualiter refulgeat in eis imago Trinitatis, c. 51. 53
Qualiter intelliguntur ex ſimilibus & diſſimilibus figuris, c. 52. ibi.
De influentia illuminationum à ſuperioribus ad inferiora, cap. 53 54.
De nominibus ordinum ſupremæ hierarchiæ, cap. 54. 55
De mobilitate, & calore, & acumine dilectionis in Seraphin, cap. 55. 56
De excellentia eorum, ſecundum dona, cap. 56. ibid.
De motu eorum diuinam maieſtatem circumeunte, cap. 57. 57
De effectu eiuſdem circa inferiorum informationem, cap. 58. 58
De cæteris accidentibus, quæ in nomine Seraphin intelliguntur, cap. 59. ibid.
Qualiter Seraphin caput, & pedes Domini velare dicuntur, cap. 60. fol. 59.
De ratione nominis Cherubim, cap. 61. 60
De nominatione thronorum, cap. 62. 61
De nominatione ordinum mediæ hierarchiæ, cap. 63. 62
De nominationibus ordinum inferioris hierarchiæ, cap. 64. ibid.
De miſſione ſanctorum Angelorum, cap. 65. 63
De miniſterio eorum, cap. 66. 64
De motibus ipſorum, cap. 67. ibid.
De angelis prouincialibus, & altercatione ipſorum, ca. 68. 65
De nominibus propriis angelorum. cap. 69. 66
Quod vnicuique homini aſſiſtunt duo angeli, cap. 70. ibid.
De collatione numeri Angelorum & hominum, quibus ſunt deputati, cap. 71. 67
Qualiter miniſterium Angeli perſonales hominibus exhibeant, capite 72. ibid.
Qualiter animas illuminent, & in paradiſum deportent, cap. 73 68
Quod diligenter animas cuſtodiant, cap. 74. 69
Qualiter pſallentibus aſſiſtant, cap. 75. 70
Quod tribus ex cauſis de nobis ſolicitudinem gerant, cap. 76. ibid.
Qualiter obſtinatos relinquant, cap. 77. 71
De angelis perſonalibus Chriſti, & Antichriſti, cap. 78. ibid.
Qualiter hominibus appareant angeli, cap. 79. ibid.
Qualiter angeli circumſcriptibiles ſunt, cap. 80. 73
Qualitee angelorum ruina ex hominibus reparabitur, cap. 81. ibid.
Quod vſque ad diem iudicij angeli proficiant, cap. 82. 74
Qualiter gaudent de pœnitentia peccatorum, cap. 83. 75
Quod ante tempus conditi ſunt, & ex nihilo, cap. 84. 76
Quod angelus medius ſit inter Deum & mundum, cap. 85. 77
Quod virtutes angelicas debemus nobis in exemplum aſſumere, capite 86. 78

INDEX LIBRI SECVNDI.

Secundus liber primò agit quidem de mundo ſenſibili. Et poſtea de opere primæ diei id eſt, de luce corporali, & de diuiſione lucis à tenebris, in qua etiam intelligitur caſus diaboli. Continet autem 131. capita.

DE mundo ſenſibili, & ſchemate, cap. 1. 79
De Athomis, cap. 2 80
De quatuor ſimplicibus corporibus, cap. 3. 81
De primaria elementorum confuſione, cap. 4. ibid.
Cur Deus illam confuſionem creauit, quam non diu permanſuram conuit, cap. 5. ibid.
Qualiter elementorum commixtio ſtare poſſit cap. 6. 82
De igne & terra, ſecundum Platonem ſunt duo mundi fundamenta, cap. 7. 83
Quod inter hæc oportuit eſſe duo media, cap. 8. 84
Adhuc de eodem, cap. 9. ibid.
De ſinguzia, id eſt coniugatione quatuor elementorum, cap. 10. 85
De ordine vel pondere ipſorum, cap. 11. ibid.
De mobilitate elementorum, cap. 12. 86
De mutua permutatione ipſorum, cap. 13. ibid.
Qualis illa fuit congeries prima, cap. 14. 87
Aſſertio Auguſtini, quod omnia ſimul creata ſunt, & formata, capite 15. ibid.
Item ad idem per coniecturas literæ, cap. 16. 88
Expoſitio eiuſdem literæ ſecundum Auguſtinum, cap. 17. 89
De ſenaria conuerſione creaturæ, cap. 18. 90
De cognitione angelica matutina, & veſpertina, ca. 19. ibid.
De ratione ſenarij dierum in operationibus Dei, cap. 20. 91
De die ſpirituali, id eſt, angelo, cap, 21. 92
Alia expoſitio eiuſdem ſecundum eumdem. cap. 22. 93
Aſſertio aliorum Doctorum, & reſponſio ad Auguſt. c. 23. ibid.
Idem ad idem, cap. 24. 94
Ratio ordinis ſex dierum ſecundum quoſdam, cap. 25. ibid.
Alia ratio eiuſdem quantum ad tres dies primos ſecundum Hugonem, cap. 26. 95
Ratio ordinationis quartæ diei, cap. 27. 96
Eiuſdem rationis proſecutio, quantum ad alios dies, cap. 28. ibid.
Item alia ratio ſecundum Aug. cap. 29. 97
Quo tempore creauit Deus hunc mundum, ca. 30. ibid.
Qualiter Deus in verbo ſuo fecit omnia opera ſua, cap. 31. 98
De opere primæ diei, id eſt de luce. cap. 32. 99
Cur opera ſua Deus inchoauit à luce, cap. 33. ibid.
De qualitate & officio, ac circuitu lucis, cap. 34. 100
De nobilitate lucis, & eius influentia, cap. 35. ibid.
De proprietate lucis vinificatiua, cap. 36. 101
De operatione eius, vi cognitiua, cap. 37. 102
De multiplici lucis commendatione, cap. 38 103
Quomodo de luce, vtrum ſit corpus, an qualitas, cap. 39. ibid.
Eiuſdem quæſtionis determinatio, cap. 40. 104
Aſſertio quod lux ſit corpus, cap. 41. 105
Quod lux non ſit ſubſtantia ſpiritualis, cap. 42. ibid.
Quod lux videatur eſſe colorum apparentia, ſiue reſplendentia, capite 43. 106
Reſponſiones ad eadem obiecta, cap. 44. ibid.
Improbationes opinionis prædictæ. cap. 45. 107
Quod lux ſit accidens, cap. 46. 108
Quod lux non ſit ſubſtantia, ſed qualitas mutuata, cap. 47. 109
Quod lux propriè ſit habitus, cap. 48. ibid.
Qualiter ſe habet ad viſum, cap. 49. 110
Qualiter ad multitudinem luminis ſequitur multitudo caloris, capite 50. 111
Quod lux ignis, & lux ſuperiorum corporum non ſit vnius generis, vel ſpeciei, cap. 51. ibid.
Cur ignis lumen in corporibus mixtis manens corpora ſibi adiuncta non conſumit, cap. 51. 112
De corporibus noctilucis, vnde lumen eorum proueniat, c. 53. 113
Qualiter in eis, vt luceant neceſſe eſt partes ignis conculcari & inſpiſſari, cap 54. ibid.
Cur eorum quædam lucent tantum de nocte, quædam autem de die, capite 55. 114
Quod colores ſunt obiecta viſus in lumine, c. 56. ibid.
Qualiter color ſit motuum vſus ſecundum actum lucidi, c. 57. 115
De quibuſdam erroribus auctorum circa viſibilitatem coloris, capite 58. 116
Qualiter intelligi debeat prædicta coloris diffinitio. c. 59. ibid.
De illa quam idem Ariſt. ponit in lib. de ſenſu & ſenſato, c. 60. 117
Qualiter reſponderi poſſit ad obiecta in contrarium, c. 61. 118
De colorum multiplici generatione, cap. 62. 119
Qualiter fiat colorum generatio per mixturam in corpore determinato, cap. 63. ibid.
Quod multipliciter à calido & frigido generatur album, & nigrum, cap. 64. 120
De mediorum colorum generatione, cap. 65. 121
De mixturis colorum, & proportionibus ſecundum quas diſtinguitur

varietas

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

varietas colorum,& numerus,cap.66. 122
De numero colorum,& varietate,cap.67. ibid.
De medio mutationis ab vno colore in alium,cap.68. 123
Cur non quodlibet nigrum mutari poſsit in alium colorem, ſicut & quodlibet album,cap.69. 124
De generatione colorum in nubibus,cap.70. 125
Vtrum color in aſpectu tantum coloratis ſit obiectum viſus,c.71, ibid.
De forma ſpeculi luminoſa,vtrum habeat aliquod eſſe,ca.72. 126
Quibus modis prædicta forma generatur in ſpeculo,cap.73. ibid.
Qualiter illa forma ſit in ſpeculo vt in ſubiecto,cap.74. 127
Quod eadem forma ſit habitus,& diſpoſitio,cap.77. ibid.
Qualiter illa forma recipiatur in ſpeculi ſuperficie,cap.76. 128
Aſſertio quod ibi recipiatur, vt in puncto,cap.77. ibid.
Secundum quam naturam ſpeculum ſit ſuſceptibile talis formæ,capite 78. 129
De ſpeculis metallinis,cap.79. ibid.
De variatione imaginis in ſpeculo viſui reſpondentis,cap.80. 130
De ſpeculis planis,cap.81. 131
Qualiter lux ſit color hypoſtaſis,cap.82. ibid.
Adhuc de quibuſdam proprietatibus lucis,& vmbræ,c.83. 132
De diſtinctione corporalis & ſpiritualis lucis à tenebris,c.84. 133
De Lucifero,& primo ſtatu illius,cap.85. 134
De caſu ipſius,cap.86. ibid.
Qualiter veritate, ac diuinorum cognitione ſecretorum eſt priuatus cap.87. 135
De complicibus eius,cap 88. 136
Cur eum Deus creauit quem peccaturum præſciuit,cap.89. ibid.
De obſtinata eius ſuperbia,cap.90. 137
Qualiter ſit in dæmonibus malum,cap.91. ibid.
De cauſa & origine mali,cap.92. 138
Quod malum,non niſi in bono coaleſcit,cap.93. ibid.
Quod malum cognoſcitur per bonum,& econtra,cap.94. 139
Quod nihil eſt ſummum malum,cap.95. 140
De malo duplici,ſcilcet culpæ,& pœnæ,cap.96. 141
Quod malum culpæ ordinatur per malum pœnæ,cap.97. ibid.
Qualiter angeli boni diuiſi ſunt à malis,tanquam lux à tenebris, capite 98. 142
Qualiter mali decreti ſunt,& boni confirmati,cap.99. 143
Quales effecti ſunt dæmones per peccatum,c.100. ibid.
De ſcientia illorum,cap.101. 144
Qualiter prænunciant futura,cap.102. 145
De poteſtate eorum,cap.103. ibid.
Qualiter per eos exercentur artes magicæ,cap.104. 146
De falſis tranſmutationibus,cap.105. ibid.
Quid de talibus ludificationibus ſenſerit ſanctus Auguſtinus,c.106 ibid.
Exempla quibus eius ſententia comprobatur,cap.107. 147
Exemplum Helinandi ad idem,cap.108. ibid.
Aliud exemplum de falſa tranſmutatione,cap.109. 148
Quod magica transfiguratio non omnium viſum fallit,ſed quorundam tantum,ca.110. 149
De mulierculis, quæ dicuntur ſe noctu ire cum Diana, vel Herodiade,cap.111. ibid.
De diuerſis generibus dæmonum,cap.112. ibid.
Quod in dæmonibus etiam prælationes ſunt, & alij alijs vitijs præſunt,cap.113. 150
Quod hominibus infecti ipſi inter ſe quoque diſcordes ſunt,cap. 114. ibid.
Quod iugiter humanis ſenſibus inſidiantur,cap.115. 151
De proceſſu eorum in tentationibus hominum,ca.116. ibid.
Quod ſemel victi fugiunt confuſi,ca.117. 152
Quod dæmones miſcent ſe humoribus,c.118. ibid.
Quod non illabantur humanis mentibus,c.119. 153
Qualiter deprehendunt hominum cogitationes,cap.120. ibid.
Cur non permittantur à nobis videri,ca.121. 154
Qualiter energumenos & cultores ſuos vexent,c.122. ibid.
Qualiter ſimulacris aſsideant,c.123. 155
Qualiter homines etiam bonos vexent,& eis obediant,c.124. ibid.
Vtrum corpora dæmones etiam habeant,cap.125. ibid.
De incuborum vexatione exemplum de phantaſtica muliere, ca. 126 156.
Alia exempla ad idem,cap.127. 157
Sententia prudentium de eodem,cap.128. ibid.
Quod dæmones omni motu liberi arbitrij peccant,cap.129. 158
Vtrum peccent credendo,vel ſperando,cap.130. ibid.
Cur non habent peccati remedium,cap.131. 159

INDEX TERTII LIBRI.

Tertius liber agit de opere ſecundæ diei, de firmamento, ac de cælo multiplici. Et continet 105. capitula.

DE operatione ſecundæ diei,cap.1. 161
De natura ipſius firmamenti,cap.2. 161
De diuerſis opinionibus circa naturam eius,cap.3. 163
De inuiſibilitate ipſius,cap.4. ibid.
De figura eiuſdem,cap.5. 164
De eodem,cap.6. ibid.
De ambitu eius, & continentia,cap.7. 165
De dextra cæli,ac ſiniſtra,cap.8. 166
Vtrum omnium cæli orbium ſit eadem dextra, cap.9. 167
De rationibus Auenalpetræ aſtrologi ad idem,cap.10. ibid.
Qualiter in cælo,& in cæteris diſtinguitur dextrum ac ſiniſtrum,capite 11, 168
Qualiter in cælo ſunt ante, & retro,c.12. 169
Qualiter etiam ſurſum & deorſum ſunt in eo,cap.13. ibid.
De ordine prædictarum ſex differentiarum in cælo,cap.14. 170
De partibus cælum diſtinguentibus,cap.15. ibid.
De zonis,vel circulis in eo contentis,cap.16. 171
De circulis in maiori ſphæra imaginandis,c.17. ibid.
De eodem,c.18. 172
De duobus circulis viſibilibus,c.19. 173
De alijs nouem circulis inuiſibilibus,c.20. ibid.
De duplici horizonte,c.21. 174
De motu cæli,c.22. 175
De triplici motore cæli,ſecundum philoſ.c.23 ibid.
Quod cælum iuxta philoſophos habet animam ſeſe mouentem,ca.24. 176.
Rationes ad oppoſitum,c.25. 177
Qualiter ſana fide poſſet dici cælum habere animam,c.26. ibid.
Qualiter in hoc ſancti cum philoſophis concordant,c.27. 178
Reſponſiones ad obiecta in contrarium,c.28. 179
De comparatione primi motoris ad motores inferiores,c.29. ibid.
Quod cæli motus ſit naturalis, & non proceſsiuus,c.30. 180
Quod cælum motu ſuo non laſſatur,c.31. 181
Cuius proprie ſit motus ille,ca.32. 182
Quod cæli motus apparet ex ſtellarum motibus,ca.33. ibid.
De effectu motus cæli,ac ſtellarum in inferioribus, ca.34. 183
De fine motus cæli,ca.35. 184
Vtrum conſequatur finem ſuum per vnam circulationem,c.36. ibi.
Quod cæli motus cauſa ſit omnium motuum naturalium,c.37. 185
De motu in genere,ca.38. ibid.
De differentia motus & mutationis,ca.39. 186
De ſpeciebus mutationis & motus,ca. 40. ibid.
De contrarietate motus ad quietē,& motuum adinuicem,c.41. 187
De generatione, & corruptione,ca 42. 188
De eodem, ca. 43. ibid.
De mixtione,ca.44. 189
De loci mutatione,ca.45. ibid.
De loco quid ſit,ca.46. 190
Quid ſit locus,cap.47. ibid.
Adhuc de eodem,ca.48. 191
De modis eſſendi in loco,cap.49. ibid.
De localium motuum diuerſitate,c.50. 192
De alteratione ſecundū quid habeat fieri largè,vel proprie,c.51. ibid.
Adhuc de eodem,ca.52. 193
De quinque quæ exiguntur in vera alteratione,ca.53. 194
De augmento ac diminutione,ca.54. ibid.
De mouente, & motu,cap.55. 195
Quod in omni ſpecie motus inter mouentem & motum nihil eſt medium,ca.56. 196
Quod motus, & quies menſurantur tempore,ca.57. 197
Quid ſit tempus,ca.58. ibid.
Qualiter tempus ab Ariſtot. dicatur eſſe numerus,ca.59. 198
Qualiter conueniunt es paſsiones numeri,ca.60. 199
Qualiter tempus ſit menſura motus,ca.61. ibid.
De diuerſis acceptionibus temporis,ac diffinitionibus,ca.62. 200
De ſubſtantia temporis quæ eſt nunc,ca.63. 201
Vtrum ſit vnum nunc, vel plura,ca.64. ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Qualiter tempus ſit quantitas continua per ſe, cap. 65. 202
De partibus temporis, cap. 66. 203
Qualiter in anima mẽſuretur, aut numeretur motus tẽpore, c. 67. 204
Quod ſecundum quoſdam tempus non habet eſſe, niſi in anima, vel in ratione, cap. 68. 205
Quod temporis eße non dependet ab anima; ſed eius perceptio, ca. 69 ibid.
Obiectiones in contrarium, cap. 70. 206
Solutiones earundem obiectionum, cap. 71. 207
De prima temporis origine, cap. 72. 208
Qualiter tempus dicatur eſſe coæquæuum cœlo, & angelo, & primæ materiæ, cap. 73. ibid.
De differentia temporis, & æui, & æternitatis, c. 74. 210
De conuenientia iſtorum trium, cap. 75. ibid.
De ratione numeri eorum, cap. 76. 211
Quid ſit eſſe in tempore, cap. 77. 212
Quot modis contingat eſſe in tempore, cap. 78. ibid.
Cur tempus magis dicatur cauſa corruptionis, quàm generationis, capite 79. 213
Vtrum tempus ſemper cauſetur à motu, vel aliquando ſit ſine motu, cap. 80. 214
Quod tempus ſit propriè, ac per ſe paßio motus cæli, cap. 81. ibid.
De numero cœlorum, cap. 82. 215
De quinque cœlis, & eorum effectibus in rebus inferioribus, c. 83. 216
De ſeptem cœlis, cap. 84. ibid.
De cœlo Trinitatis, cap. 85. 217
De continentia eiuſdem cœli, cap. 86. 218
De cœlo empyreo, cap. 87. 219
Quod cœlum empyreum uniforme ſit, cap. 88. ibid.
Quod etiam immobile ſit, c. 89. 220
De cœlo aqueo, ſiue cryſtallino, cap. 90. 221
De opinione eorum qui putant aquas eſſe poſſe ſuper cælum, c. 91. ibid.
Reſponſiones eorum ad obiecta in contrarium, cap. 92. 222
Opiniones ſuper hoc antiquorum Doctorum, & obiecta in contrarium, ca. 93. 223
Probabilior Modernorum ſententia de hac materia, cap. 94. 224
Qualiter ſuper hoc intelligenda ſint antiquorum dicta, cap. 95. 225
Quod aquæ iſtæ videntur in modum orbis congregatæ, c. 96. 226
De motu cæli aquei, c. 97. ibid.
Qua neceßitate, vel utilitate ſuper firmamentũ ſint aquæ, c. 98. 227
Quod ibi ſint pro rerum inferiorum conſeruatione, c. 99. ibid.
De quadruplici huius cœli ponendi neceßitate. c. 100. 228
Cur Doctores aquas iſtas cœlos appellauerint. c. 101. 229
De cœlo quod dicitur firmamentum, c. 102. ibid.
De ſtellis in firmamento, & infra collocatis, c. 103. 230
Vtrum aliquod ſpatium ſit inter ſphæras planetarum, c. 104. ibid.
De cœlo olympio, c. 105. 231

INDEX QVARTI LIBRI.

Quartus liber agit de cæteris mundi partibus, hoc eſt de igneo ſpatio, ac cælo aëreo, ac eius impreſſionibus. Habet autem capitula 114.

De igneo ſpatio, cap. 1. 233
De natura ignis communi, cap. 2. 234
De eodem, cap. 3. 235
De proprietatibus ignis, in quibus aßimilatur diuinitati, c. 4. ibid.
De differentia ignis cæleſtis, ac terreni, c. 5. 236
Quod ignis omnia vegetat & mouet, c. 6. ibid.
De diuerſis ſpeciebus ignis, c. 7. 237
De æthere, cap. 8. 238
De aere, cap. 9. ibid.
De naturalibus aeris proprietatibus, c. 10. 239
De loco, & motu ipſius, c. 11. ibid.
Quod aer ſit vnum, & verum corpus probatur ex eius operationibus, cap. 12. 240
De eodem cap. 13. ibid.
De ſono in quo etiam apparet aeris intentio, c. 14 241
De variis ſoni generationibus, c. 15. ibid.
Qualiter in aere ſolo recipitur eius generatio, c. 16. 242
De eccho, cap. 17. ibid.
De ſonis in aere ſibinuicem occurrentibus, c. 18. 243
De differentijs ſonorum, cap. 19. 244
De duplici medio ſoni, cap. 20. ibid.
Iterum de eodem, cap. 21. 245
De tribus aeris partibus, ſiue regionibus, c. 22. 246
De inconſtantia inferioris partis eius, c. 23. ibid.
De varijs eius impreßionibus, c. 24. 247
Iterum de eodem, cap. 25. ibid.
De ventis, ca. 26. 248
De diuerſis ventorum cauſis, cap. 27. ibid.
Adhuc de eodem, cap. 28. 249
De qualitatibus ventorum, ca. 29. 250
De augmentatione ventorum, ſecundum partes à quibus flant, capite 30. 251
De cauſis interpolationis ventorum, ca. 31. ibid.
De ventis antelucanis. c. 32. 252
De cæteris ventorum generibus, c. 33. 253
De numero ventorum, & rationibus nominum ſingulorum, c. 34. ib.
De locis eorum originalibus, & eorum effectibus, cap. 35. 254
De quatuor ventis principalibus, c. 36. 255
De multiplici ventorum vtilitate, c. 37. ibidem
De quorundam ſanitate, & aliorum noxietate, c. 38. 256
De turbine, cap. 39. 257
De tempeſtate, ac temporibus tempeſtuoſis, ca. 40. ibid.
De ſignis tempeſtatum prognoſticis, cap. 41. 258
De nubibus, cap. 42. 259
De diuerſis nubium cauſis, ca. 43. ibid.
De locis & coloribus & generationibus nubium, ca. 44. 260
De pluuijs, cap. 43. ibid.
De diuerſis pluuiarum cauſis, c. 46. 261
De natura aquæ pluuialis, ca. 47. ibid.
De grandine, & eius forma, ac proprietate, c. 48. 262
Vbi, & ex qua cauſa generetur grando, c. 49. 263
De niue, ca. 50. 264
De niuis cauſa, & origine, cap. 51. ibid.
De temporibus niuis, & grandinis, ca. 52. ibid.
De natura aquæ niualis, c. 53. 265
De coruſcatione, cap. 54. 266
De tonitruo, cap. 55 ibid.
De ſpeciebus tonitrui, cap. 56. 267
Quod non ſit tonitruus ex qualibet colliſione, c. 57. ibid.
Quod etiam ſine nube videtur fieri poſſe, ca. 58. 268
De fulmine, ca. 59. ibid.
Cur non tonet, ac fulminet in quolibet anni tempore, c. 60. 269
De diuerſis ſpeciebus fulminis, cap. 61. ibid.
De miraculis operationum fulminis, c. 62. 270
De varijs eiuſdem operationibus ſecundum materias, quas inuenit, cap. 63. ibid.
De differẽtia coruſcationis, ſiue fulgurationis, & fulminis, c. 64. 271
Quod vtrumque illorum eſt ignis, c 65. 272
Qualiter humidę nubes ignem poßint gignere, c. 66. ibid.
Epilogus de tribus prædictis, id eſt fulgure, tonitruo, & fulmine, capite 67. 273
Diuerſorum opiniones de prædictis, c. 68. 274
Quibus in temporibus & locis fulminet, & quibus non, c. 69. ibid.
Morale Senecę de terrore fulminis, c. 70. 275
De ignibus in tranſuerſum per aerem agitatis, c. 71. 276
De aſub, id eſt ſtella cadente, ca. 72. ibid.
De cæteris igneis impreſſionibus aeri, c. 73. 277
De iride & eius coloribus, cap. 74 278
Qualiter imprimitur in eo ſolis imago, c. 75. 279
Quod ibi multę imagines in vnam turbidam confluunt, c. 76. ibid.
De vitio ſpeculi, cap. 77. 280
Diuerſorum ſententiæ de iride, c. 78. 281
Quibus temporibus appareat, & quibus non, c. 79. ibid.
De ſignificationibus iridis, ca. 80. 282
De coronis in aere expreßis, cap. 81. 283
De virgis, cap. 82. ibid.
De imaginibus ſolis, cap. 83. 284
De rore, & eius effectibus, cap. 84. ibid.
De manna quod generatur ex rore, cap. 85. 285
De melle, cap. 86. 286
De laudano, cap. 87. 287
De pruina, cap. 88. 288
De gelu, & glacie c. 89. 289
De nebula, cap. 90. ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De exhalatione, & euaporatione multifaria, c. 91. 290
De illis quæ fiunt ex terra. cap. 92. 291
De illis quæ fiunt ex aqua, vino, & aceto. cap. 93. ibid.
De illa, quæ fit in corpore humano. cap. 94. 293
De illa quæ fit in arboribus, c. 95. 293
De illa, quæ fit ex putrefactionibus, c. 96. ibid.
De exhalatione, quæ fit per attractionem, c. 97. 294
De fumo, & eius proprietate, c. 98. 295
De trina fumi varietate, c. 99. ibid.
De odoribus in genere, c. 100. 296
Vtrum odor sit qualitas simplex, an composita, c. 101. ibid.
Quod odor principaliter constituitur in vapore calido, & sicco, c. 102. 297.
Quod odor per euaporationes immutatur, c. 103. 298
Quod odor & sapor diuersimode generantur à qualitatibus subiectorum complexionabilibus, c. 104. ibid.
De quibusdam corporibus odorabilibus secundum Aristotelem, capite 105. 299
De odoribus quorundam metallorum, c. 106. 300
De odoribus ciborum ac medicaminum, c. 107. ibid.
De differentijs odorum, c. 108. 301
De aere temperato, & intemperato, c. 109. 302
De proprietatibus aeris septentrionalis, & meridionalis, c. 110. 303
De proprietatibus aeris orientalis, & occidentalis, c. 111. ibid.
De diuersitate aeris ex locorum situ, vel vicinitate, c. 112. 304
De aere pestilentioso, cap. 113. ibid.
De habitatione dæmonum in hoc aere caliginoso, c. 114. 306

INDEX QVINTI LIBRI.

Quintus liber incipit agere de opere diei 3. Hoc est de aquarum congregatione, & de huiusmodi elemẽtis, scilicet aquæ natura, & effectu, ac multiplici varietate. Continet autem capitula 95.

DE primo opere dici tertiæ, id est de aquarum inferiorum congregatione, cap. 1. 307
De quatuor elementorum dispositione, cap. 2. 308
Qualiter tanta multitudo aquarum congregari potuit in vnum locum, c. 3. 309
De loco congregationis earum, c. 4. 310
Cur congregationes aquarum appellauit Deus maria, c. 5. ibid.
De naturalibus aquę proprietatibus, c. 6. 311
De eodem, cap. 7. ibid.
De mari, cap. 8. 312
De salsedine maris, c. 9. 313
De ponderositate aquæ salsæ, c. 10. 314
De natura & effectu aquæ marinæ, c. 11. ibid.
Qualiter aqua maris amaritudinem deponit, ca. 12. 315
De oceano, cap. 13. ibid.
De causis augmenti, ac decrementi in eo, c. 14. 316
De mari Mediterraneo, cap. 15. 317
De finibus maris, cap. 16. ibid.
De duobus fontibus caloris & humoris inuicẽ sibi oppositis, c. 17. ibi.
De æstibus maris, ca. 18. 318
Qualiter fiant secundum cursum Lunę, c. 19. ibid.
De ipsorum æstuum variatione, c. 20. 319
De creatione ventorum ex maris refluxione, c. 21. 320
De periculis maris, c. 22. ibid.
De diluuijs, c. 23. 321
De fontibus, cap. 24. 322
Qualiter inuestigandi sunt salubres fontes, c. 25. ibid.
Quibus in locis quærendi, c. 26. 323
De natura aquæ fontalis, c. 27. ibid.
De diuersis generibus fontium, c. 28. 324
De mutabilitate quorundam fontium, c. 29. 325
De miraculis quorundam fontium, c. 30. ibid.
De fluminibus, c. 31. 326
De origine fluuiorum, & quorundam exiccatione, c. 32. 327
De his, qui augentur in æstate. c. 33. ibid.
De flumine Nilo, cap. 34. 328
De cursu eiusdem, & latitudine, & irrigatione Aegypti, c. 35. ibid.
De Gange, cap. 36. 329
De Tygri, cap. 37. 330
De Eufrate, cap. 38. ibid.
De Iordane cæterisque famosis fluminibus, c. 39. 331
Adhuc de eodem, cap. 40. ibid.
De quorundam fluminum miraculis ca. 41. 332
De lacubus, & lacunalibus aquis c. 42. ibid.
De lacu Asphalti, & Tyberiadis cæterisque famosis c. 43. 333
De quorundam lacunum miraculis, c. 44. ibid.
De puteis, cap. 45. 334
De natura aquæ pluuialis, ca. 46. 335
De puteo fodiendo, cap. 47. ibid.
De aquæductu faciendo, cap. 48. 336
De cisternis, cap 49. ibid.
De piscinis, & balneis, cap. 50. ibid.
De vsu balnei, cap. 51. 337
De iuuamentis & nocumentis balnei, c. 52. ibid.
De diuersitate aquarum multiplici, c. 53. 338
De diuersitate aquarum in pondere, c. 54. 339
De diuersitate in colore, c. 55. ibid.
De diuersitate in sapore, c. 56. ibid.
De saporibus in genere, c. 57. 340
De saporum causis, c. 58. 341
Vtrum generentur à qualitatibus primis, c. 59. 342
Vtrum sapor sit passio compositi, vel simplicis, c. 60. ibid.
De terminatio eiusdem quæstionis, c. 61. 343
De cognitione complexionis ac substantiæ cibi, vel medicaminis per sapores, cap. 62. ibid.
De numero, & differentijs saporum secundũ Auicennam, c. 63. 344
De operationibus vel effectibus eorum, c. 64. 345
Iterum de eodem, c. 65. 346
De cõparatione saporum ad inuicẽ in calore & in frigore, c. 66. 347
Adhuc de eadem, cap. 67. ibid.
De aquis metallinis, c. 68. ibid.
De aquis sulphureis, c. 69. 349
De aquis calidis, & frigidis, c. 70. ibid.
Adhuc de eodem, c. 71. 350
De aquis coctis, c. 72. ibid.
De simplici potu aquæ, c. 73. 351
Iterum de eodem, cap. 74. ibid.
De aquis ad potandum eligendis, c. 75. 352
Iterum de eodem, c. 76. 353
De aquis perniciosis, & venenosis, c. 77. ibid.
De his, quæ generantur ex aquis, & primo de vellere aureo, c. 78. 354
De spongijs, c. 79. ibid.
De lapidibus pretiosis ex aqua generatis, c. 80. 355
De natura & speciebus pumicis, c. 81. 356
De natura & origine salis, c. 82. 357
Iterum de eodem, c. 83. ibid.
De operatione salis in medicina, c. 84. 358
Iterum de eodem, Plinij documenta, c. 85. 359
De operatione eius in alchimia, c. 86. 360
De diuersis speciebus salis, c. 87. ibid.
Adhuc de eodem, c. 88. 362
De flore salis, c. 89. ibid.
De nitro, c. 90. 363
De virtute ipsius in medicina, c. 91. 364
De bitumine, c. 92. 365
De virtute bituminis in medicinis, c. 93. 366
De alumine & eius origine, vel natura, c. 94. 367
De virtute aluminis in medicina, c. 95. ibid.

INDEX LIBRI VI.

Sextus liber agit de terrę nudatione, ac de huius elementi natura, & quorundam terrenorum corporum proprietate. Habet quoque 92. Capitula.

DE nudatione terræ ab aquis, c. 1. 369
De proprietatibus terræ, c. 2. 370
De multiplici eius commendatione, c. 3. 371
De fine terræ, c. 4. 372
Qualiter de terra super aquas esset fundata, c. 5. ibid.
Qualiter terræ globus in medio aere sit libratus, c. 6. 373
Quorsum iniectus lapis erit casurus si perforatus sit terræ globus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bus cap.7. 374
Quod rotunda sit forma, vel figura terræ, cap.8. ibid.
Distinctio opinionis contrariæ, c.9. 375
Vtrum terra inhabitetur vndique, c.10. 376
Quod terræ globus sit verticosus, c.11. ibid.
Quod etiam Oceanus terram cingens in vertice sit coactus, c.12. 377
De mensura terræ, c.13. ibid.
De quinque zonis, id est circulis terræ, c.14. 378
Quod in cælo, & in terra rectè dicuntur esse quinque zonæ, c.15. 379
Quam modica inhabitetur portio terræ, c.16. ibid.
De partibus habitabilis nostræ, c.17. 380
De locis conuenientioribus habitationis humanæ, c.18. ibid.
De insulis, & nominibus earum, c.19. 381
De montibus, & causis eorum c.20. 382
De nominibus quorundam montium, & proprietatibus, c.21. ibid.
Adhuc de eodem, c.22. 383
Cur montes frigidiores sunt vallibus, c.23. 384
De vallibus ac cæteris terræ locis patentibus ac subterraneis, cap.24. ibid.
De quibusdam mirabilibus terræ locis, c.25. 385
De terræ motu, & eius causis, c.26. 386
Iterum de eodem, c.27. ibid.
De speciebus terræ motus, c.28. 387
De multiplici eius effectu, c.29. 388
De pestilentia consequente terræ motum, c.30. ibid.
Quibus in locis accidat terræ motus, & quibus non, c.31. 389
Quibus in temporibus accidat terræ motus, & quibus non, c.32. ibid.
De signis terræ motus, c.33. 390
De terris, & insulis ex causis terræ motus enascentibus, c.34. ibid.
De insulis ac terris à mari absorptis, c.35. 391
De terris trementibus semper, & insulis fluctuantibus, c.36. ibid.
De remedijs contra terræ motum, c.37. 392
Morale Senecæ de terræ motu, c.38. ibid.
Adhuc de eodem, c.39. 393
De terræ fœcunditate, c.40. 394
De diuersis terræ generibus, c.41. ibid.
De ratione agriculturæ, c.42. 395
De ipsius apud antiquos veneratione, c.43. ibid.
De ingerum portione, c.44. 396
De agri electione, c.45. ibid.
De salubritate aeris, & aquæ in agri electione considerandæ, cap.46. 397.
De terræ fœcunditate explorandæ, c.47. ibid.
De rusticis operis industria, c.48. 398
De quibusdam documentis artis rusticæ, c.49. 399
De multiplici cultura terræ, c.50. ibid.
De agri cineratione, cap.51. 400
De stercorizatione, c.52. 401
De stercorizationis tempore, c 53 ibid.
De aratione, c.54. 402
De temporibus arandi, c.55. 403
De agris incultis aperiendis, c.56. 403
De iteratione ac occatione, & refectione, c.57. ibid.
De seminatione cap.58. 404
De sarculatione, c.59. 405
De terra vineis & arboribus apta c.60. ibid.
De ipsarum vinearum pastinatione, c.61 406
De cæteris arboribus similiter pastinandis, c.62. ibid.
De vineis fodiendis, & arboribus circumfodiendis, c.63. 407
De pratis instituendis, & colendis, c.64. ibid.
De hortis in terra conserendis, & areis faciendis, c.65. 408
De pulueribus, & glebis terræ, c.66. 409
De luto multiplici, c.67. ibid.
De his quæ continentur in visceribus terræ, c.68. 410
De vaporibus terræ quibus aer imprimitur, c.69. 411
De igne terreno ac multiplici eius effectu. c.70. ibid.
De miraculis corporum vim ignis sustinentium, c.71. 412
De virtute ignis in corporibus adustis, c.72. 413
De flamma, & failla, c.73. ibid.
De fumo & fuligine, c.74. 414
De carbone, c.75. ibid.
De cinere, c.76. 415
De vitro & eius natura, c.77. ibid.
De virtute eius in medicina, c.78. 416
De operatione ipsius in alchimia, c.79. ibid.
De latere cocto, ac testa, c.80. 417
De testa, c.81. ibid.
De diuersis qualitatibus corporum terrenorum, c.82. 418
De eodem, c.83. ibid.
De raritate, & densitate, c.84. 419
De perspicuitate, c.85. ibid.
De aeris, & crystalli peruietate, c.86. 420
De curualibus, & incisuis, c.87. ibid.
De ignis vel flammæ extinctiuis, c.88. 421
De caloris mitigatiuis, c.89. 422
De caloris vel ignis excitatiuis, c.90. ibid.
De flammæ nutritiuis, c.91. 423
De quinto elemento, quod est vapor terrestris, c.92. 424

INDEX LIBRI VII.

Septimus liber agit de corporibus, quæ continentur in terræ viscеribus, hoc est de mineralibus, vt de metallis, & de similibus. Et habet 106. capitula.

DE corporibus terræ mineralibus, cap.1. 425
De quatuor eorum speciebus, cap.2. ibid.
De metallis, & eorum origine, c.3. 426
De naturali metallorum creatione, c.4. 427
De metallorum inuestigatione, c.5. ibid.
De artificiosa eorum transmutatione, c.6. 428
De auri natura, c.7. ibid.
De speciali, & multiplici auri præeminentia, cap.8. 429
De quibusdam modis aurum inuestigandi, c.9. 430
Iterum de alio inuestigandi modo, c.10. ibid.
Quæ fuit auri prima æstimatio, c.11. 431
De luxuria modernorum in auro, c.12 ibid.
De operatione auri in alchimia, c.13 432
De virtute ipsius in medicina, c.14. 433
De eodem cap.15. ibid.
De argenti natura, c.16. 434
De argenti fodina. c.17. ibid.
De operatione ipsius in alchimia, c.18. 435
De virtute ipsius in medicina, c.19. 436
De speculis & vasis ex argento, c.20. ibid.
De lithargirio, c.21. 437
De litharg yro, c.22. ibid.
De vsu lytharg yri in medicina, c.23. 438
De ære, vel cupro, c.24. ibid.
De diuersis speciebus æris, c.25. 439
De operatione æris, vel cupri in alchimia, c.28. 440
De virtute ipsius in medicina, c.27. 441
De cadmia æraria, c.28. ibid.
De scoria æris, & flore, & squamma, c.29. 442
De ipsius rubigine, vel erugine, c.30. 443
De chalcite, c.31. ibid.
De calchanto, c.32. 444
De multiplici eius in medicina remedio, c.33. 445
De pompholige, & Spondio, c.34. ibid.
De difrige, & antispondio, c.35. 446
De auricalco, c.36. ibid.
De stanno, c.37. 447
De operatione ipsius stanni in alchimia, c.38. 448
De virtute stanni in medicina, c.39. ibid.
De plumbo, c.40. 449
Adhuc de plumbi origine, & natura, c.41. ibid.
De operatione plumbi in alchimia, c.42. 450
De mutua plumbi, & stanni collatione, c.43. 451
De diuersimoda plumbi puluerisatione, c.44. 452
De virtute plumbi in vsu medicinæ, cap.45. ibid.
De plumbo vsto, & eius lotura, cap.46. 453
De scoria eius, & spuma, cap.47. 454
De ceruſa, cap.48. ibid.
De anthimonio, cap.49. 455
De ferro, cap.50. 456
Iterum de ferri natura, cap.51. ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De calibe, & alidena, cap. 52. 457
Deferri, & calibis differentia, cap. 53. ibid.
De operatione ferri in alchimia, cap. 54. 458
De virtute ferri in medicina, cap. 55. 459
De ferri purgamentis, cap. 56. 460
Adhuc de eodem, cap. 57. ibid.
De quibuſdam metallis commixtis, & electro, & corinthio, capit. 58. 461
De moneta vel nummo, cap. 59. 462
De ſpiritibus mineralibus, cap. 60. ibid.
De argento viuo & eius origine, cap. 61. 463
De operatione ipſius in alchimia, cap. 62. 464
Qualiter argentum viuum ſit elementum omnium liquabilium, cap. 63. 465
De virtute ipſius in medicina, cap. 64. ibid.
De ipſius potione vel fumigatione venenoſa, cap. 65. 466
De ſulphure, & eius natura, cap. 66. 467
De regimine, & operatione illius in alchimia, cap. 67. ibid.
De virtute ſulphuris in medicina, cap. 68. 468
De arſenico, & eius natura, cap. 69. 469
De operatione eius in medicina, cap. 70. 470
De virtute eius in alchimia, cap. 71. ibid.
De ſale hammoniaco, cap. 72. 471
De cæteris mineralibus, quæ media corpora ſunt inter corpora & ſpiritus, & primo de alumine, cap. 73. ibid.
De atramento & eius natura, cap. 74. 472
De operatione ipſius in alchimia, cap. 75. 473
De virtute ipſius in medicina, cap. 76. ibid.
De vitro, cap. 77. 474
De vitro, & obſiano, cap. 78. ibid.
De naturali generatione lapidum mineralium, cap. 79. 475
De generatione lapidum, & corporum mineralium, c. 80. 476
De lapide elixir per quem ars imitatur naturam, cap. 81. ibid.
De duplici factura elixir, cap. 82. 477
De complemento elixir albi & citrini ſiue rubei, cap. 83. ibid.
Qualiter per hunc lapidem fiat metallorum tranſmutatio, ſecundum quoſdam, cap. 84. 478
Quæve re fiat eorum tranſmutatio, vel potius diſgregatio per alchimiam, cap. 85. 479
Reſponſio Auicennæ contra eos qui dicunt eam eſſe falſam, capit. 86. ibid.
De artificibus eius, & de huiuſmodi artis materia, cap. 87. 480
De clauibus & inſtrumentis, cap. 88. ibid.
De igne multiplici ad operandum, cap. 89. 481
De calcinatione corporum mineralium, cap. 90. ibid.
De quadruplici corporum, & ſpirituum præparatione, c. 91. 482
Qualiter corpora dura liquefacta recipiunt tincturam, c. 92. 483
Quod qualitas olei ſit ibi cauſa permixtionis, c. 93. ibid.
De operatione boracis & commixtione argenti, & aris. c. 94. 484
De operationibus alchimiæ & corporibus cæteris, cap. 95. 485
De operatione vermillionis, & cinabari, & aurichalchi, c. 96. ibid.
De coloribus natiuis & fictitijs, cap. 97. 486
De ſinopide & rubrica, cap. 98. ibid.
De parethonio, & melino, & feretria, cap. 99. 487
De ſyrico, & indico, & ceruſſa, cap. 100. ibid.
De minio, & ocra, cap. 101. 488
De ſandaraco, cap. 102. 489
De praſi, & criſocolla, cap. 103. ibid.
De operatione criſocollæ in aurificio, & medicina, c. 104. 490
De cæruleo ac purpuriſſo, cap. 105. 491
De cinnabari, & armeno, cap. 106. 492

INDEX OCTAVI LIBRI.

Octauus liber agit de lapidibus diuerſi generis, id eſt de lapidibus communibus, & inſignioribus. Habet autẽ liber iſte Capitula 107.

DE lapicidinis, cap. 1. 493
De lapidibus ædificio aptis, cap. 2. ibid.
De lapidibus ad mortaria medicinalia congruis, c. 3. 494
De quorundam lapidum miraculis, c. 4. 495
De lapidibus quibuſdam medicinalibus, cap 5. ibid.
De quibuſdam lapidibus communibus, cap. 6. 496
De arena, & eius ſpeciebus, cap. 7. ibid.
De natura, & proprietatibus arenæ, cap. 8. 497
De calce, cap. 9. 498
De operatione calcis in vſu medicinæ, c. 10. ibid.
De maltha, & gypſo, cap. 11. 499
De topho, cap. 12. ibid.
De ſilice, cap. 13. 500
De cote, cap. 14. ibid.
De marmore marmorumque generibus, cap. 15. 501
De alabaſtrite & alabandico, cap. 16. ibid.
De oſſite & purpurite vel porphirite, & pario, cap. 17. ibid.
De cariſteo & numidico, cæteriſq; marmorum ſpeciebus, c. 18. 502
De lapidibus inſignioribus, & primo de magnete, c. 19. ibid.
De miraculo magnetis in ferri attractione, c. 20. 503
De virtute ipſius in vſu medicinæ, cap. 21. ibid.
De gagate, cap. 22. 504
De ethite, cap. 23. 505
De pirite, cap. 24. ibid.
De frigio, & phingite, cap. 25. 506
De ſamio, & ſarcoſago, & oſtratite, cap. 26. ibid.
De abeſton, & amanto, & catochite, & memphite, c. 27. 507
De androdamanto, & de quibuſdam alijs, c. 28. ibid.
De gemmis, & earum virtutibus, c. 29. 508
De gemmarum generibus & coloribus, cap. 30. ibid.
De luxuria hominum in gemmarum precijs, & aſpectibus, cap. 31. 509
De quarundam earum denominationibus, & effectibus, c. 32. ibid.
De quarundam adulteratione, & meliorum electione, c. 33. 510
De quarundam virtutibus attractiuis, cap. 34. ibid.
De quarundam ſigillis, cap. 35. 511
De proprietatibus gemmarum, ſecundum ordinem alphabeti. Et primo de abſicte, cap. 36. ibid.
De achate, cap. 37. 512
De multiplici achatis origine, & eius ſpecie, cap. 38. ibid.
De adamante, cap. 39. 513
De vario adamantis genere, cap. 40. 514
Iterum de eodem, cap. 41. ibid.
De agape, & alabandina, cap. 42. 515
De allectorio, cap. 43. ibid.
De ametiſto, cap. 44. 516
De androdamanta, & andracite, cap. 45. 517
De aſio, & aſtirite, & aſtrione, cap. 46. ibid.
De balagine, & beryllo, cap. 47. ibid.
Iterum de beryllo, cap. 48. 518
De brocace, cap. 49. 519
De gallaica, & carcidonio, & calcophano, cap. 50. ibid.
De carbunculo, cap. 51. 520
De multiplici carbunculorum genere, cap. 52. ibid.
De celidonia, cap. 53. 521
De celonite, & cimedia, cap. 54. ibid.
De ceraunio, cap. 55. 522
De corallio, cap. 56. ibid.
De eodem, cap. 57. 523
De cornelio, ſiue corneolo, cap. 58. 524
De chryſolectro, & chryſocolla, cap. 59. ibid.
De chryſolanſi, & chryſolito, cap. 60. ibid.
De chryſopraſo, & chryſoptaſio, cap. 61. 525
De cryſtallo, cap. 62. ibid.
De cryſtallo iterum, cap. 63. 526
De demonio, & draconticle, ac droſelito, cap. 64. 527
De diacodo ac diamantio, & dionyſia, cap. 65. ibid.
De ebeno, & eſeſte ac ægypcilla, cap. 66. ibid.
De electria, & elictropia, cap. 67. ibid.
De emathite, cap. 68. 528
De vario emathitis genere, cap. 69. ibid.
De enidro, & epiſtite, cap. 70. 529
De ermiſtione, ethite, & exacontalito, cap. 71. 530
De falcano, & filatero, & ſlongite, cap. 72. ibid.
De galactite, & garamantite, cap. 73. ibid.
De gelaci, & gloſopetra, cap. 74. 531
De hyena, & hyeratite, cap. 75. ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De iacyncto, & iacynctizonte, cap. 76. ibid.
De iaspide, cap. 77. 532
De Kabrate, & Kacabre, & Kaman, cap. 78. 533
De lichine, cap. 79. ibid.
De ligurio, & lipparea, cap 80. ibid.
De margarita, cap. 81. 534
Iterum de eodem, cap. 82. 535
De luxuria antiquorum in margaritis, cap. 83. 536
De virtute ipsarum in medicina, cap. 84. 537
De media, & mirrite, cap. 85. ibid.
De melothita, & murrina, cap. 86. ibid.
De nitro, & nose, & onice, cap 87. 538
De opalo, & optallio, cap. 88. 539
De oritbe, & ostratice, cap. 89. ibid.
De pantro, siue panthero ac peanite, cap. 90. 540
De podoros, pontica, & prasio, & pirite, cap. 91. ibid.
De quirino ac quanidro, & radai, & ranni, cap. 92. 541
De saphiro, cap. 93. ibid.
De virtute ipsius in medicina remedio, cap. 94. 542
De sadga, & sandaziro, cap, 95. ibid.
De sardio, cap. 96. 543
De sardonice, cap. 97. ibid.
De silenite, atque sirtite, cap. 98. 544
De smaragdo, cap. 99. 545
De smaragdi speciebus variis, cap. 100. ibid.
De eodem, cap. 101. 546
De smaragdi virtute in medicinis, cap. 102. 547
De solis gemma, & sucino, cap. 103. ibid.
Opiniones falsæ de sucini origine, cap. 104. ibid.
De certa ipsius origine ac proprietate, cap. 105. 548
De tegolitho, & thopazio, & turcoy, cap. 106. 549
De varach venice ac vegentana, & vnione, cap. 107. 550
De tri, & zimimeniellazuri ac zignite, cap. 108. 551

INDEX IX. LIBRI.

Nonus liber incipit agere de secundo opere diei iij. hoc est de terræ germinatione, & agit j. de plantis in generali, postea de herbis communibus. Habens 156. Cap.

DE primaria terræ germinatione, cap. 1. fol. 553
De plantarum varietate, cap. 2. 554
De compositione plantarum, & complexione, cap. 3. 555
De quatuor elementis eas complexionantibus, & qualitatum gradibus, cap. 4. ibid.
De sexu plantarum, & generatione, cap. 5. 556
De vita earum, & nutrimento, cap. 6. ibid.
De ipsarum incremento, cap. 7. 557
De plantarum digestione, cap. 8. ibid.
De foliorum productione, cap. 9. 558
De florum natura & pulchritudine, cap. 10. 559
De plantarum fructificatione, & multiplici vtilitate, c. 11. 560
De plantarum seminatione, cap. 12. ibid.
De plantarum fixione, vel plantatione, cap. 13. 561
De ipsarum translatione, cap. 14. ibid.
De prima herbarum è terra productione, cap. 15. 562
De continua earum generatione, cap. 16. ibid.
De nutrimento earum, cap. 17. 563
Cur non ab aëre sicut à terra capiant nutrimentum, c. 18. 564
De herbis aromaticis & odoriferis, cap. 19. ibid.
De nomine ac numero herbarum, & primo de incultis, c. 20. 565
De absinthio, cap. 21. 566
Iterum de eodem, cap. 22. ibid.
De diuersis speciebus absinthij, cap. 23. 567
De acantho, cap. 24. 568
De aconito, cap. 25. ibid.
De acoro, cap. 26. 569
De affodillo, cap. 27. 570
De agarico, cap. 28. 571
De eodem, cap. 29. 572
De agrimonia, cap. 30. ibid.
De alcamia, & altea, & alga, cap. 31. 573
De aloe herba, cap. 32. ibid.
De altea, cap. 33. 574
De ambria, vel ambrosia, cap. 34. 575
De anabulla, & anacalla, vel anagalla, cap. 35. 576
De ancusa, cap. 36. 576
De aristologia, cap. 37. ibid.
De arnoglossa, cap. 38. 578
De arthemesia, cap. 39. 579
De asa, & asaro, & asclepia, cap. 40. 580
De baccari, & barba hircina, & basilica, cap. 41. 581
De borith ac bocratione, & botri, cap. 42. ibid.
De branca vrsina, & briona, cap. 43. 582
De buglossa, cap. 44. 583
De bubresti ac butalino, cap. 45. 584
De calamo agresti ac aquatico, cap. 46. ibid.
De calamento, cap. 47. 585
De camedria, cap. 48. 586
De camephito, cap. 49. 587
De cameleone sine camalea, cap. 50. 588
De cameleonte nigro, & albo, cap. 51. ibid.
De camphorata, & camomilla, cap 52. 589
De cannaria, & canna, cap. 53. ibid.
De capillo veneris, & carice, & cathapucia, cap. 54. 590
De celidonia, cap. 55. 591
De centaurea, cap. 56. 592
Iterum de eodem, cap. 57. 593
De ciclamine, cap. 58. ibid.
De cicorea, cap. 59. 594
De cicuta, & cinoglossa, cap. 60. 595
De cipero, cap. 61. 596
De coloquintida, cap. 62. 597
De coniza, & consolida, cap. 63. 598
De costo, cap. 64. ibid.
De dauco, cap. 65. 599
De dictanno, cap. 66. 600
De dracontea, & draconculo, cap. 67. 601
De ebulo, & echino, & echio, cap. 68. 602
De elleboro albo, & nigro, cap. 69. 603
De vtriusque virtute in operatione medicinali, c. 70. 604
Iterum de eodem, cap. 71. 605
De elitropio, cap. 72. 606
De epatica, & eraclea, cap. 73. ibid.
De equicauda, & esula, cap. 74. 607
De euforbio, cap. 76. ibid.
De eupatorio, cap. 76. 608
De ferula, cap. 77. 609
De filantropo, cap. 78. ibid.
De filicæ, & filipendula, cap. 79. 610
De flammula, & folio, cap. 80. 611
De fu, & fuco, cap. 81. ibid.
De fumaria, & fumo terræ, cap. 82. 612
De gallitrito, & gariofillato, cap. 83. ibid.
De geniculari, & genciana, cap. 84. 613
De gladiolo, cap. 85. 614
De gramine, cap. 86. ibid.
De arundine, cap. 87. 615
De herba vitri, & hermodactilo, & hiberida, cap. 88. 616
De hyacintho, & iaro, & impia, cap. 89. 617
De iunco, cap. 90. 618
De iusquiamo, cap. 91. ibid.
De lactaride, & lacticinio, cap. 92. 619
De lappa, & lappacio, cap. 93. 620
De lasele, & laureola, & lenticula, & lepido, c. 94. 621
De libanotide, & ligua auis, cap. 95. ibid.
De maiorana, & malabatro, cap. 96. 622
De mandragora, cap. 97. 623
De virtute ipsius in medicina, cap. 98. 624
De maraco, & marathro, cap. 99. ibid.
De marrubio, & marrubiastro, cap. 100. 625
De medica, & melliloto, cap. 101. 626
De melissa, & melissophilo, cap. 102. 627
De mentastro, & men. cap. 103. ibid.
De millifolio, & morella, cap. 104. 628
De napello, & narcisso, cap. 105. 629
De nardo, cap. 106. 630
De diuersis speciebus nardi, cap. 107. 631
De nemisare. cap 108 632

De num-

INDEX.

De nimphea,cap.109. 633
De oleandro,& orchi,& orpino,ca.110. ibid.
De paliuro,cap.111. 634
De panace,cap.112. ibid.
De papiro,& paritaria,& paratella,c.113. 635
De penthaphilon,cap.114. 636
De peonia,cap.115. 637
Iterum de eodem,c.116. 638
De peucidano,cap.117. ibid.
De piretro,c.118. 639
De plantagine,c.119. 640
De policaria, & poligono, c. 120. 641
De polio,c.121. 642
De polipodio,c.122. 643
De polistrio,c.123. ibid.
De prassio,& proserpinaca,124. 644
De psillio,c.125. ibid.
De reubarbaro,& reupontico,c.126. 645
De rosmarino,c.127. 646
De sabina,& saliunca.c.128. 647
De satirione, & saxifraga, cap. 129. 648
De scabiosa,& scamonea,c.130. ibid.
De scirpo,& scolopendria,c.131. 649
De semperuiua,cap.132. ibid.
De sene,& senatione,ca.133. 650
De silphio,ca.134. 651
De sisimbrio,ca.135. 652
De spartane, & sparto, ca. 136. ibid.
De squilla,cap.137. 653
De squinanto, ca.138. 654
De staphisagria,ca.139. 655
De strigno,vel solatro,c.140. ibid.
De sticado,ca.141. 656
De siderite,ca.142. 657
De simphato vel simphico,& synapiagrion,c.143. ibid.
De sifeleo,ca.144. 658
De tapsia,ca.145. ibid.
De tapsobarbasto,ac de trabith,c.146. 659
De tribulo,ca.147. 660
De trifolio,& tripotio;c.148. 661
De turbith,c.149. 662
De typo,& titimallo,c.150. ibid.
De verbasco,& verbena,c.151. 663
De vetonica,c.152. 664
De virga pastoris,c.153. 665
De visco,& titicella,c.154. 666
De hypericon,c.155. 667
De hipoglossa,& iringion,c.156. 668

INDEX LIBRI X.

Decimus liber agit de cæteris herbis, videlicet quæ nascuntur in locis cultis, & in hortis, & agris. Et habet liber iste 171. capitula.

DE herbis hortulanis,& satiuis,cap.1. 669
De cura antiquorũ circa culturã agrorũ,& hortorũ.c.2. 670
De collocatione,& dispositione hortorum,c.3. 671
De agri colendi electione,c.4. 672
De agricolarum errore,& institutione,c.5. ibid.
De agri emendatione,c.6. 673
De cultura herbarum hortensium,c.7. ibid.
De ortu & incremento earum,c.8. 674
De morbis ac remedijs earum,c.9. ibid.
De differentijs earum in radicibus,ac folijs,& fructibus,& floribus, cap.10. 675
De herbis quæ nascuntur sine radicibus,c.11. 676
De abrotano,c,12. 677
De acalifice,& acetosa,c.13. 678
De allio, & eius natura,c.14. ibid.
De virtute eius in medicina,c.15. 679
De speciebus eius,c.16. 680
De amaraco,& ammone,c.17. 681
De andrafraxe, ac andragne,c.18. ibid.
De anesso,& aneto,c.19. 682
De apio,c.20. 683
De diuersis apij speciebus,c.21. 684
Iterum de eodem,c.22. ibid.
De arboracea,& ascalonia,c.23. 685
De asparago,c.24. 686
De asparago iterum,c.25. ibid.
De attriplici,c.26. 687
De auricula muris,c.27. 688
De banchia,c.28. ibid.
De betha,c.29. 689
De virtute eius in medicina, c. 30. ibid.
De blito,vel bleta,c.31. 690
De borragine,c.32. ibid.
De brasica,c.33. 691
De laudibus eius in medicina, c. 34. ibid.
De eodem,c.35. 692
De bulbo,c.36. 693
Iterum de eodem,c.37. ibid.
De canabo,c.38. 694
De canna,c.39. 695
De capari,c.40. ibid.
Iterum de eodem,41. 696
De cardano,c 42. 697
De cardno,& eiusdem cultura,c.43. ibid.
De operatione eius in medicina,c.44. 698
De caule,& eius culturæ disciplina,c.45. ibid.
De virtute caulis in medicina,c.46. 699
Adhuc de eodem,c.47. 700
De cepa,& culturæ eius disciplina,c.48. ibid.
De virtute eius in medicina,c.49. 701
Iterum de eodem,c.50. 702
De cerafolio,ca.51. 703
De cumino,& cicrolo,c.52. 704
De coriandro, & eius medicina, c. 53. 705
Iterum de eodem,cap.54. ibid.
De croco,& eius medicina,c.55. 706
De operatione eius in medicina,c.56. 707
Adhuc de eodem,c.57. ibid.
De cucumere,& eius disciplina,c.58 708
De virtute cucumeris in medicina,c.59. 709
De cucurbita,c.60. 710
De operatione eius in medicina,c.61. ibid.
Iterum de eodem,c.62. 711
De culcasia,sive colocasia,c.63. 712
De cunila,c.64. ibid.
De endiuia,c.65. 713
De enula,c.66. 714
De virtute ipsius in medicina,c.67. ibid.
De epithimo,c.68. 715
De eruca,c.69. ibid.
De fœniculo,c.70. 716
De duplici fœniculo sylucstri,& hortulano,c 71, 717
De fungo,c.72. 718
De gaisdone,& galanga,c.73. 719
De harundine satina,cap.74. ibid.
De inula,& intuba,c.75. 720
De lactuca,c.76. ibid.
De lactucæ cultura,c.77. 721
De diuersis speciebus lactucæ,c.78. 722
De medicinali earum operatione, c. 79. ibid.
Adhuc de eodem,c.80. 723
De lapistro,& lignstico,c.81. 724
De lilio,c 82. 725
De medicinis ex lilio,c.83. 726
Iterum de eodem,c.84. ibid.
De lino,c.85. 727
De liquiricia,c.86. 728
De malua,c.87. 729
De operatione maluæ in medicina, c. 88. ibid.
Iterum de eodem,c.89. 730
De meconio,c.90. 731
De melone,cap.91 ibid.
De melongena,cap.92. 732
De menta,cap.93. ibid.

De

De virtute ipsius in medicina,ca.94. 733
Idem de eodem,ca.95. 734
De mercurialis,ca.96. ibid.
De mione,& molochia,ca.97 735
De napo,& napocaule,ca.98. ibid.
De nasturcio,ca.99. 736
Iterum de eodem,c.100. 737
De nepeta,ca.101. 738
De ocimo,ca.102. 739
De virtute ipsius medicinali,ca.103. ibid.
De oleo sileno,& olisacro,ca.104. 740
De olere,ca.105. ibid.
De origano,ca.106. 741
De medicinali virtute origani,ca.107. ibid.
Iterum de eodem,ca.108. 742
De papauere,ca.109. 743
De medicinali papaueris operatione,ca°110. 744
Iterum de eodem,ca.111. ibid.
De pastinaca,ca.112. 745
De pepone,cap.113. 746
De petroselino,ca.114. 747
De pipere aquæ,ac piperite,cap. 115. 748
De parro, & eiusdem cultura,ca.116. ibid.
De operatione eius in medicina,ca.117. 749
De diuersis porri speciebus,ca 118. 750
De portulaca,ca.119. 751
Iterum de eodem,ca.120. ibid.
De pulegio,ca.121. 752
Iterum de eodem,ca.122. 753
De radice,ca.123. 754
De radicula,ca.124. 755
De raphano,& eius cultura,ca.125. ibid.
De virtute ipsius in medicina,ca.126. 756
Iterum de eodem,ca.127. 757
Adhuc de eodem,ca.128. 758
De rapa,ca.129. ibid.
De virtute ipsius in medicina,ca.130. 759
De rosa,cap.131. 760
De rosarum cultura,ca.132. ibid.
De operatione eius in medicina,ca.133. 761
Iterum de eodem,ca.134. 762
De his,quæ procedunt,vel comficiuntur ex rosa,ca.135. 763
De rubia,ca.136. 764
De ruta,& eius cultura,ca.137. ibid.
De virtute eius in medicina,ca.138. 765
Iterum de eodem,ca.139. 767
De saluia,ca.140. 768
De sandice,& sansuco,ca.141. 769
De satureia.ca.142. ibid.
De scordione,ca.143. 770
Iterum de eodem, ca.144. 771
De senatione,cap.145. 772
De seride,cap.146. ibid.
De serpilo,cap.147. ibid.
Iterum de eodem,cap.148. 773
De sycla,cap.149. 774
De synape,& eius cultura,cap.150. ibid.
De operatione eius in medicina,cap.151. 775
De sisere,cap.152. 776
De solatro,cap.153. ibid.
De strigno,cap.154. 777
De strucio,cap.155. ibid.
De thimo,cap.156. 778
Iterum de eodem,cap.157. 779
De tribulosa,& tubera,cap.158. ibid.
De viola,cap.159. 780
De virtute eius in medicina,cap.160. 781
Iterum de eodem,cap.161. ibid.
De vlpico, & vrtica.cap.162. 782
De operatione vrticæ in medicina,cap.163. 783
Adhuc de eodem,cap.164. 784
De hipoquistite,& iposilenon,cap.165. ibid.
De ireos,cap.166. 785
De iri,cap.167. 786
De isopo,cap.168. ibid.
Iterum de eodem,cap.169. 787
De zeodare,cap.170. ibid.
De zinzibere,cap.171. 788

INDEX LIBRI XI.

Vndecimus liber agit, de his quæ proceduut de herbis, scilicet seminibus, & granis, ac succis. Et habet liber iste 134. Capitula.

De seminibus herbarum,cap.1. 789
De ameos,& aneto,cap.2. 790
De anisso,cap.3. 791
De eodem, cap.4. 792
De appij semine,& asparagi,& attriplicis,cap.5. 793
De banchie semine,& betæ,& boraginis,& brasicæ,cap.6. ibid.
De canabi semine,& caparis,cap.7. ibid.
De cardamomo,cap.8. 794
De carui,cap.9. 795
De cinino,cap.10. ibid.
De eodem,cap 11. 796
De cocognido,& coriandro,cap.12. 797
De dauco,& crucę semine,cap.13. 798
De feniculi semine,& ferulæ,cap.14. ibid.
De insquiami semine,ca.15. 799
De lactucæ semine,cap.16. ibid.
De lini semine,cap.17. 800
De melonis semine,cap.18. ibid.
De nigella,cap.19. 801
Iterum de eodem,cap.20. ibid.
De ocimo,cap.21. 802
De papauere,cap.22. ibid.
De pastinacæ semina,ac petroselini,& porri,cap.23. 803
De psillio,cap.24. 804
De raphani semine,cap.25. ibid.
De rapę semine,atque rosæ,cap.26. 805
De silere montano,cap.27. ibid.
De synape,cap.28. ibid.
De eodem,cap.29. 806
De thimi semine,& vrticę,cap.30. 807
De frugibus,cap.31. 808
De frumentis,& leguminibus,cap.32. ibid.
De agrorum ad fruges præparatione,cap.33. 809
De quibusdam obseruandis in agri prosciśione,cap.34. ibid.
De letaminis aspersione,cap.35. 810
De frugum seminatione,cap.36. 811
De temporum in serendo varietate,cap.37. 812
De satorum vitijs vel nocumentis,cap.38. 813
De ipsorum remedijs,cap.39. 814
De effectu siderum in satis,cap.40. 815
De radicatione satorum,& eruptione,cap.41. 816
De maturatione ipsorum,& collectione,cap.42. 817
De areæ præparatione,& frugum purgatione,cap.43. 818
De horreis ad frugum repositionem iuxta Plin. cap.44. 819
De eodem iuxta Palladium,cap.45. ibid.
De molitura,& farina,cap.46. 820
De simila,& furfure,cap.47. ibid.
De pane,cap.48. 821
De medicinis ex pane,cap.49. ibid.
De diuersitate panis ex farina,cap.50. 822
De diuersitate panis ex artificio sui,cap.51. ibid.
De diuersitate panis ex modo coquendi,cap.52. 823
De diuersitate panis ex qualitate sumendi,cap.53. ibid.
De fermento,cap.54. 824
De amilo,vel amido,cap.55. ibid.
De eodem,cap.56. 825
De granis segetum,& leguminum secundum alphabetum,c.57. ibid.
De adoreo,cap.58. ibid.
De alica,cap.59. 826
De auena,cap.60. 827
De brance,& bromo,cap.61. ibid.
De candreo,& cicere,cap.62. ibid.
De medicinali ciceris operatione,cap.63. 828
De eodem,cap.64. 829

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De eruo,& eriſimo,cap.65. ibid.
De faba,cap.66. 830
De fabæ cultura,cap.67. 831
De proprietatibus fabę in cibo,cap.68. ibid.
De operatione eius in medicina,cap.69. 832
De eodem,cap.70. ibid.
De farre,atque farragine,cap.71. 833
De faſcello,cap.72. ibid.
De fœno Græco,cap.73. 834
De eodem, cap.74. ibid.
De gyth,cap.75. 835
De herbo,cap.76. 836
De lente,ſiue lenticula,cap.77. 837
De proprietatibus eius in cibo,& medicina,cap.78. ibid.
De eadem,cap.79. 838
De lupino,cap.80. 839
De operatione eius in medicina,cap.81. 840.
De eodem,cap.82. ibid.
De medica,cap.83. 841
De eadem,cap.84. 842
De milio,& miliaria,cap.85. ibid.
De ocino,& olira,cap.86. 843
De ordei natura,cap.87. ibid.
De ordei cultura,cap.88. 844
De operatione eius in cibo,& medicina,cap.89. 845
De his quæ ex ordeo fiunt,& primo de farina,cap.90 846
De ordei polenta,cap.91. ibid.
De hordeaceo,farre,ac furca,& alfica,& pane,cap.92. 847
De ordeacea cerenisia,ac ptiſana,ca.93. ibid.
De oriza,& ormino,& orobbanche,cap.94. 848
De orobo,cap.95. 849
De panico, cap.96. ibid.
De operatione panici in cibo,& etiam in medicina,cap.97, ibid.
De pyſo,cap.98. 850
De riſo,cap.99. ibid.
De robellia,cap.100. ibid.
De ſeſama,vel ſeſamo,cap.101. 851
De ſiligine,& ſiliqua,cap.102. ibid.
De ſiſano,vel ſiſamo,cap.103. 852
De eodem,cap.104. 853
De tritico,cap.105. ibid.
De proprietate tritici in cibo,cap.106. 854
De diuerſitate qualitatum in eo,cap.107. 855
De operatione eius in medicina,cap.108. 856
De poculis ex tritico confectis,cap.109. ibid.
De vela,& vitia,cap.110. 857
De iſea,& zea,& zizania,cap.111. ibid.
De ſuccis herbarum deſcribendis,ſecundũ alphabetum,cap.112. 858
De aloe,cap.113. ibid.
De eodem,cap.114. 859
De diuerſis ſpeciebus aloes,cap.115. 860
De anabula,cap.116. ibid.
De camphora,cap.117. 861
De diagridio,cap.118. ibid.
De eodem,cap.119. 862
De electerio,cap.120. 863
De feniculi ſucco,cap.121. ibid.
De galbano,cap.122. 864
De eodem,cap.123. ibid.
De glaucio,cap.124. 865
De laſere,cap.125. ibid.
De licio cap.126. 866
De meconio,cap.127. 867
De oleo roſato, ac violaceo,& lilino,cap.128. 867
De cæteris oleis herbaceis,cap.129. 868
De opio,cap.130. 869
De eodem,cap.131. ibid.
De opopanace,cap.132. 870
De ſcamonia,cap.133. 871
De ſinapo,id eſt,ſinapis ſucco,cap.134. 872

INDEX LIBRI XII.

Duodecimus liber agit primo in communi de arboribus, & poſtmodum ſpecialiter de arboribus communibus, videlicet ſyluaticis,& agreſtibus. Habet quoque 112. Capitula.

DE arboribus in generali,cap.1. 873
De arborum creatione,vel origine,cap.2. 874
De membrorum vel partium in eis diuiſione,cap.3. 875
De multiplici arborum varietate, & primò in radicibus, cap.4. 876
De varietate arborum in corticibus,cap.5. ibid.
De varietate arborum in ramis,cap.6. 877
De arborum foliis,cap.7. 878
De varietate arborum in folijs producendis,cap.8. 879
De arborum,& frondium coloribus,cap.9. ibid.
De folijs arborum quarundam perpetuis,cap.10. 880
De frondibus deciduis, cap.11. ibid.
De vmbris earum ac ſtillicidijs,cap. 12. 881
De arborum cultura, & primo de ſeminatione, capite decimotertio. ibid.
De plantatione arborum,& tranſlatione,cap.14. 882
De inſitione,cap.15. 883
De diuerſis ſpeciebus inſitionis,cap.16. 884
De temporibus & modis inſerendi,cap.17. 885
De arborum incremento,& magnitudine,cap.18. 886
De arborum germinatione,cap.19. ibid.
De arborum floribus,& earum varietate,cap.20. 887
De arborum fructificatione,cap.21. 888
De quarundam feracitate,cap.22. 889
De varietate temporis arborum in proferendo, & maturando fructum,cap.23. 890
Quæ loca, vel tempora magis conueniunt arboribus ad fructificandum,cap.24. 891
De ſterilitate, vel aborſu quarundam arborum,cap.25. 892
De morbis arborum communibus,cap.26. ibid.
De morbis arborum ſpecialibus,cap.27. 893
De nocumentis arborum illatis ab hominibus,vel animalibus, capite 28. 894
De corruptione fructuum in arboribus,cap.29. 895
De arborum prodigijs,cap.30. ibid.
De ipſarum remedijs,cap.31. 896
De eodem,cap.32. 897
De ſitus arborum varietate,cap.33. 898
De illis,quæ ſitæ ſunt intra mare,cap.34. 899
De his,quæ gaudent,vel læduntur ſocietate,cap.35. ibid.
De diuerſo ſexu arborum,cap.36. 900
De varijs gratibus earum,cap.37. 901
De arborum pulchritudine, & multiplici earum vtilitate,capite 38. 902
De arboribus ceduis ad perticas,& palos,& ſimilia,cap.39. ibid.
De temporibus congruis ad ligna in materiam cędendam, cap. 40. 903
De proprietatibus arborum in materia,cap.41. ibid.
De eodem,cap.42. 904
De quarundam mirabili natura,cap.43. 905
De abiete,cap.44. 906
De eodem,cap.45. 907
De acere,cap.46. 908
De agnocaſto,cap.47. ibid.
De aliſo,& alno,cap.48. 909
De aquifollio,cap.49. ibid.
De bdellio,cap.50. 910
De buxo,cap.51. ibid.
De caprifico,cap 52. 911
De cedro,cap.53. 912
De eodem,cap.54. ibid.
De virtute ipſius in medicina,cap.55. 913
De cynosbato,cap.56. ibid.
De cypreſſo,cap.57. 914
De virtute eius in medicina,cap.58. ibid.
De cocco,& corallo,cap.59. 915
De dipſeo,& driſbero,cap.60. 916
De ebeno,& eius natura,cap.61. ibid.
De virtute ipſius in medicina.ca.62. 917

De

De fago, cap. 63. ibid.
De fraxino, ca. 64. 918
De medicina ex fraxino, ca. 65. 919
De geneſta, & geneſtula, ca. 66. ibid.
De harundine, ca. 67. 920
De hedera, ca 68. ibid.
De medicinali earum operatione, cap. 69. ibid.
De ilice, ca. 70. 921
De iunipero, cap. 71. 922
De medicinis ex eo, ca. 72. ibid.
De larice, ca. 73. 923
De lentiſco, cap. 74. 924
De medicinis ex lentiſco, ca. 75. ibid.
De licio, & lotho, cap. 76. 925
De malabatro, & malomello, ca. 77. ibid.
De murica, cap. 78. ibid.
De mirabolano, cap. 79. 926
De myrto, cap. 80. ibid.
De medicinali virtute eius, cap. 81. 927
De picea, cap. 82. 928
De pino, & eius natura, cap. 83. 929
De virtute eius medicinali, ca. 84. 930
De pinaſtro, ca. 85. ibid.
De piſtacia, & eius natura, & pithio, ca. 86. ibid.
De platano, & eius natura, ca. 87. 931
De virtute eius medicinali, ca. 88. ibid.
De populo, & eius natura, ca. 89. 932
De virtute eius in medicina, ca. 90. ibid.
De quercu, ca. 91. 933
De ramno, cap. 92. 934
De robore, ca. 93. ibidem
De rodrodendro, & roſmarino, ca. 94. 935
De ſalice, & eius natura, ca. 95. ibid.
De generibus ſalicum, & illarum cultura, ca. 96. 936
De virtute ſalicis in medicina, ca. 97. 937
De ſambuco, & eius natura, ca. 98. ibid.
De virtute eius medicinali, ca. 99 938
De ſaphato, & ſentice, & ſetha, ca. 100. ibid.
De ſicomoro, ca. 101. 939
De ſilere, & ſiliqua, cap. 102 ibidem
De ſpina, cap. 103. 940
De virtute eius medicinali, ca. 104. ibid.
De ſubere, vel ſuberie, ca. 105. 941
De tamarice, vel tamariſco, ca. 106. ibid.
De taxo, ca. 107. 942
De teda, ca. 108. ibidem
De terebintho, ca. 109. 943
De tilia, & thino, ca. 110. 944
De turbith, ca. 111. ibidem
De vimine, & vlmo, ca. 112. 945

INDEX LIBRI XIII.

Tertiuſdecimus liber, agit de arboribus cultis & frugiferis, & præcipuè de illis quarum fructus in humanos ſumũtur cibos, vt ſunt amigdalus, malus, pirus, ceraſus, & huiuſmodi. Et habet 115. Capita.

De arboribus frugiferis, cap. 1. 947
De amigdalo, & eius natura, ca. 2. 948
De virtute eius in medicina, ca. 3. ibid.
De auellana, ca. 4. 949
De bacco, ca. 5. ibid.
De caſtanea, ca. 6. 950
De ceraſo, & eius natura, ca. 7. ibid.
De Cidonio, cap. 8. 951
De citro, & eius natura, cap. 9. 952
De corilo, & corno, ca. 10. ibid.
De eſculo, ca. 11. 953
De ficu, ca. 12. ibid.
De ficu Ægyptiaca, Indica, & Cypria, ca. 13. 954
De operatione ficus arboris in medicina, ca. 14. 955
De lauro, ca. 15. 956
De medicinis ex lauro, ca. 16. 957
De malo, ca. 17. 958
De malogranata ſiue punica, ca. 18. 959
De flore punici, id eſt balauſtia, ca. 19. ibid.
De operatione eius in medicina, ca. 20. 960
De medica, vel malo aſiria, & meloflore, ca. 21. ibid.
De mela, vel mella, ca. 22. ibid.
De meſpila, ca. 23 961
De moro, & eius cultura, ca. 24. 962
De operatione eius medicinali, ca. 25. 963
De nuce iuglandæ, ca. 26. ibid.
De cultura eiuſdem, & medicinali virtute, ca. 27. 964
De olea, cap. 28. 965
De virtute olearum medicinali, cap. 29. ibid.
De oleaſtro, & oleomella, cap. 30. 966
De palma, ca. 31. 967
De ſexus in ea diſcretione, cap. 32. 968
De medicinali eius virtute, ca. 33. ibid.
De perſico, cap. 34. 969
De virtute eius medicinali, cap. 35. ibid.
De pyro, & cultura eiuſdem, ca. 36. 970
De pruno, & medicina eiuſdem, ca. 37. ibid.
De rubo, ca. 38. 971
De virtute eius medicinali, ca. 39. ibid.
De rubi ſpeciebus, cap. 40. 672
De ſorbo, cap. 41. 973
De vite, & eius natura, c. 42. ibid.
De vinearum cultura, cap. 43. ibid.
De vineis veteribus, ac nouellis, cap. 44. 974
De vitium putatione, cap. 45. 975
De vitium propagatione, cap. 46. 976
De vitium inſitione, cap. 47 ibid.
De vinearum foſſione, cap. 48. 977
De ablaqueatione atque ligatione, cap. 49. 978
De pampinatione atque rigatione, cap. 50. ibid.
De his, quæ vitibus contraria ſunt, vel nocua. cap. 51. 979
De remedijs morborum ipſarum, cap. 52. ibid.
De præparatione quarundam vitium ſpecialium, cap. 53. 980
De diuerſis generibus vitium, cap. 54. ibid.
De magnitudine quarundam, & fœcunditate, cap. 55. 981
De vitis geniminibus, & emiſſionibus. cap. 56. 982
De virtutibus earum in medicina, cap. 57. ibid.
De medicinis ex vitibus ſylueſtribus, cap. 58. 983
De vindemijs, cap. 59. 984
De hipomelide, ac zizipha, cap. 60. ibid.
De arboribus aromaticis, cap. 61. 985
De aloe, cap. 62. 986
De amomo, & aſpalatro, cap. 63. ibid.
De balſamo, cap. 64. 987
De medicinali eius virtute, cap. 65. 988
De calamo aromatico, cap. 66. ibid.
De medicinis ex eo, cap. 67. 989
De caſſia lignea, cap. 68. ibid.
De cynamomo, cap. 69. 990
De medicinis ex eo, cap. 70. 991
De cypro, cap. 71. 992
De fiſtula, cap. 72. 993
De albano, cap. 73. 994
De matir, cap. 74. ibid.
De myrrha, cap. 75. ibid.
De nardo, cap. 76. 995
De piperis arbore, cap. 77. ibid.
De ſtorace, cap. 78. 996
De thure, cap. 79. 997
De gummis, & ſuccis arborum, cap. 80. ibid.
Qualiter in eis variatur aqua nutrix omnium, cap. 81. 998
De amoniaca gutta, cap. 82. 999
De aſa fœtida, cap. 83. 1000
De balſamo, cap. 84. ibid.
De bernice, cap. 85. 1001
De bidella, cap. 86. ibid.
De borace, cap. 87. 1002
De camphora, cap. 88. ibid.

De

De cedria,& colofonia,c.89. ibid.
De dragaganto,c.90. 1003
De euforbio,c.91. ibid.
De gummi arabico,c.92. 1004
De karabe,c.93. ibid.
De lacca,& licio,c,94. 1005
De maſtice,cap.95. ibid.
De virtute eius medicinali,c.96. 1006
De myrrha,c.97. ibid.
De virtute eius medicinali,c.98. 1007
De opobalſamo,c.99. 1008
De pinea,c.100. 1009
De pice,c.101. ibid.
De medicinali eius operatione,c.102. ibid.
De reſina,c.103. 1010
De ſagapino, & ſerapino,c.104. 1011
De ſanguine draconis c.105. 1012
De ſarcocolla,c.106. ibid.
De ſtacte,& ſtorace,c.107. 1013
De virtute ſtoracis in medicina,c.108. ibid.
De therebintbina,c.109. 1014
De thure, cap.110. 1015
De operatione eius in medicina,cap.111. ibid.
De viſco,c.112. 1016
De zuccaro,& candi,c.113. ibid.
De eodem, c.114. 1017
De penidijs,c.115. 1018

INDEX LIBRI XIV.

Quartuſdecimus liber agit de arborum fructibus,& ſuccis à quibuſdam earum profluentibus. Et habet liber iſte 140. Cap.

De fructibus arborum, c.1. 1019
De varietate fructuum,c.2. 1020
De eodem,c.3. 1021
De amigdala,c.4. ibid.
De virtutibus eius in medicina,c.5. 1022
De eodem,c.6. ibid.
De anacardo,c.7. 1023
De auellana,c.8. 1024
De virtutibus ipſius in medicina,c.9. ibid.
De bacca,c.10. 1025
De belliricis,c.11. ibid.
De berberis,c.12. ibid.
De caparo,c.13. ibid.
De cardamomo,& carpobalſamo,c.14. 1026
De caſſia fiſtula,c.15. ibid.
De caſtanea,c.16. 1027
De virtute eius medicinali,c.17. 1028
De ceraſio,c.18. ibid.
De medicinis ex eo,c.19. ibid.
De cidonio,c.20. 1029
De proprietatibus eius in medicina,& cibo,c.21. 1030
De citreo,id eſt pomo citrino,c.22. ibid.
De cocco,& coctano,& cono,c.23. 1031
De cubebe,c.24. ibid.
De dactilo,c.25. 1032
De proprietatibus eius medicinalibus,c.26. ibid.
De emblico,c.27. 1033
De fagina,c.28. ibid.
De ficu,c.29. 1034
De ficorum cuſtodia,c.30. ibid.
De operatione eius in cibo,c.31. ibid.
De fiſtico, c.32. 1036
De galla,c.33. ibid.
De operatione eius medicinali,c.34 1037
De gariophilo,c.35. ibid.
De glande,cap.36. 1038
De medicinali glandis virtute,c.77. 1039
De intuba,c.38. ibid
De malo,c.39. ibid.
De proprietatibus malorum in medicina,vel cibo,c.40. 1040
De malogranato,c.41. ibid
De meſpilo,c.42. 1041
De operatione eius in medicina, c 43. ibid.
De mirabolano.c.44. 1042
De mirtillis cap.45. ibid.
De moro cap.46. ibid.
De mori proprietatibus in medicina,vel cibo,c.47. 1043
De muza,c.48. 1044
De nuce iuglande.c.49. ibid.
De medicinali eius operatione,c.50. ibid.
De nuce Alexandrina,& Indica,c.51. 1045
De nuce muſcata,c.52. 1046
De macis,c.53. 1046
De cæteris nucum generibus,c.54. 1047
De nucleo,c.55. ibid.
De oliua,& eius ſpecicbus,c.56. ibid.
De collectione oliuarum, & eſpreſsione earum,c.57. 1048
De operatione oliuarum in medicina,c.58. ibid.
De eodem,c.59. 1049
De oxifenicia,c.60. ibid.
De perſico,c.61. 1050
De proprietatibus earum in medicina,c.62. ibid.
De pinea,c.63. ibid.
De pipere,c.64. 1051
De medicinali eius proprietate,c.65. 1052
De pyro,c.66 1053
De operatione pyrorum in medicina,c.67. ibid.
De piſtatio,c.68. 1055
De pomo,c.69. ibid.
De operatione pomorum in medicina,c.70. ibid.
De pruno,c.71. 1056
De proprietate prunorum in medicina,vel cibo, c.72. 1057
De punico,73. ibid.
De medicinis ex eo,c.74. 1058
De roba,c.75. ibid.
De ſiliqua,c.76. 1059
De ſorbo,c.77. ibid.
De ſumath,cap.78. 1060
De thamarindo,& tubere,c.79. ibid.
De vua,c.80. ibid.
De multiplici vuarum differentia,c. 81. 1061
De vuæ proprietatibus in cibo,& medicina,c.82. 1062
De vua matura & acerba,c.83. ibid.
De cæteris vuarum varietatibus,& proprietatibus,c.84. 1063
De vuapaſſa facienda,c.85. ibid.
De proprietatibus ipſius in cibo,& medicina,c.86. 1064
De oxilocaracta,c.87. ibid.
De ſpomelide,& zizipha,c.88. 1065
De ſuccis fructuum,c.89. ibid.
De achacia,c.90. 1066
De oleo in generali,& eius natura,c.91. ibid.
De cella olearia,c.92. 1067
De virtute olei in medicina,c.93. ibid.
De diuerſis olei ſpeciebus, c.94. ibid.
De oleo amigdalino,c.95. 1068
De oleo balanino,& balſamino,c.96. ibid.
De oleo cypreſsino,& cyprino,& citreo,c.97. 1069
De oleo laurino,c.98. ibid.
De oleo lentiſcino,c.99. ibid,
De oleo maſticino,& melino,c.100, 1070
De oleo myrtino,c.101. ibid.
De oleo nucum,c.102. ibid.
De oleo oliuarum,c.103. 1071
De olei oliuarum eſpreſsione,c.104. ibid.
De ipſius olei purgatione,c.105. 1072
De medicinali eiuſdem operatione,c.106. ibid.
De amurca,id eſt,olei fece,c.107. 1073
De virtute eius medicinali,c.108. ibid.
De vino,c.109. 1074
De vini ſpeciebus varijs,c.110. ibid.
De cella vinaria,c.111. 1075
De muratione vini,& emendatione,c.112. 1076
De vini proprietate in potu,cap.113. ibid.
De eodem,c.114. 1077
De vino bibendo moderatè,c.115. ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De vitanda ebrietate,c.116. 1078
De diuersitate vini pro ætatis tempore,c.117. ibid.
De diuersitate ipsius in colore,c.118. 1079
De diuersitate ipsius in sapore,c.119. ibid.
De diuersitate in odore,c.120. 1080
De diuersitate in liquore,c.121. 1081
De diuersitate in fortitudine, c.122. ibid.
De vino multiplici,c.123. 1082
De agresta, & omfacio c.124. ibid.
De careno, & sapa, & passo, c.125. 1083
De musto, c.126. ibid.
De mero, c.127. ibid.
De aceto, & eius mira virtute, c.128. 1084
De medicinali eius operatione,c.129. 1085
De eodem,c.130. ibid.
De fece vini,& aceti,c.131. 1086
De tartaro, siue grandello,c.132. 1087
De vinis fictitijs,& condatis,c.133. ibid.
De quorundam proprietatibus per nomina singulorum,c.134. 1088
Adhuc de reliquis eorum,c.135. ibid.
De vinis pomorum,& primo malagranatorum,c.136. 1089
De vino cidoniorum,& pirorum,& malorum,c.137. ibid.
De vino mespilato, & dactilico, & de vinis fructuum cæterorum, c.1038. 1090
De visco,c.139. 1091
Quod nihil inutile terra germinat vel producit,c.140. 1092

INDEX LIBRI XV.

Quintusdecimus liber agit de opere quartæ diei, hoc est de luminaribus cęli,& signis, & temporibus, & huiusmodi. Continet autem cap. 100.

De formatione cœlestium luminarium,c.1. 1093
De natura Solis,& eius magnitudine, c.2. 1094
De motu vel cursu eiusdem,c.3. 1095
De multiplici eius effectu in rebus inferioribus,c.4. ibid.
De calefactione aeris inferioris à sole,c.5. 1096
De signis dispositionum aeris in sole,c.6. 1097
De luna,cap.7. 1098
De lumine lunæ,c.8. ibid.
De his,quæ luna recipit à sole,c.9. ibid.
De his, qua accidunt secundum augmentum & diminutionem in Luna,c.10. 1099
De motu, vel cursu Lunæ,c.11. 1100
De signis dispositionum aeris in Luna,c.12. ibid.
De eclypsi Solis & Lunæ c.13. ibid.
De linea ecliptica,c.14. 1101
Morale Senecæ de spectaculo eclypsis,c.15. ibid.
De stellis & earum varietate,c.16. 1102
De stellarum origine,c.17. 1103
Opinio Albumasar,& Aristotelis de hac materia,c.18. ibid.
Refragatio eiusdem opinionis,c.19. 1104
De situ,& stellarum magnitudine.c.20. ibid.
De motu stellarum in generali,c.21. 1105
De motu stellarum fixarum,c.22. ibid.
De planetis,c.23. 1106
De nominibus,& proprietatibus singulorum,c.24. 1107
De motu eorum per proprios circulos,c.25. ibid.
De distantia eorum,c.26. 1108
De qualitatibus Saturni,& Iouis,& Martis,c.27. ibid.
De causis retrogradationis eorum,c.28. 1109
De qualitatibus Veneris,ac Mercurij,& eorum dispositione,cap.29. 1110.
De eorum retrogradatione,c.30. 1111
De retrogradatione Solis & Lunæ,c.31. ibid.
Falsa opinio de concentu cœli,c.32. 1112
De quatuor sphæris,vel cœlis habentibus stellas,c.33. ibid.
De duodecim signis Zodiaci,c.34. 1113
De significationibus nominum eorum,c.35. ibid.
De ratione numeri signorum,c.36. 1114
De dispositione eorum,c.37. ibid.
De ratione ordinis eorum,c.38. 1115
De multiplici diuisione signorum,c.39. 1116
De domibus planetarum.in 12. signis, & eorum exaltationibus, capite 40. ibid.
De triplicitatibus eorum ac terminis, & faciebus, cap.41. 1117
De virtutibus planetarum in eisdem signis,c.42. ibid.
De qualitatibus quæ planetis effectiuè non propriè tribuuntur, c.43. 1118.
De proprijs effectibus Solis,c.44. ibid.
De proprijs effectibus aliorum planetarum,c.45. 1119
De ordinatione motuum eorum,c.46. 1120
De perpetuitate ipsorum,c.47. ibid.
De cooperatione omnium planetarum,c.48. 1121
De operationibus ipsorum in dispositione embrionis. c.49. ibid.
Reprobatio fatalis constellationis,c.50. 1122
Cur magos per stellam dominus ad se duxit,c.51. 1123
De numero stellarum,c.52. ibid.
De his,quæ ex situ vel motu stellarum creantur in rebus inferioribus, c.53. 1124
De stellarum significationibus,c.54. 1125
De stellis signiferis, c.55. ibid.
De canicula,c.56. 1126
De lucifero,c 57. ibid.
De cometa, c 58. 1127
Aristotelis sententia de cometis.c.59. ibid.
Opiniones Apollonij,& Ephygenis de cometis,c.60. 1128
Iterum aliorum rationes de cometis,c.61. 1129
Sententia Senecæ de eis,c.62. 1130
Qualiter per cœli luminaria distinguuntur tempora,c.63. ibid.
De quatuor anni temporibus,64. 1131
De hyeme,c.65. 1132
De vere,c.66. 1133
De æstate,c.67. ibid.
De autumno,c.68. 1134
De qualitatibus aeris,secundum quatuor tempora, cap.69. 1135
De qualitatum prædictarum variatione,c.70. ibid.
De dispositionibus humanorum corporum,secundum qualitates temporum,c.71. 1136
De his quę obseruat ecclesia,secundum quatuor tempora,c.72. ibid.
De partibus temporis,& primo de momentis, & horis,c.73. 1137
De distinctione horarum equinoctialium, motu & occasu signorum, c.74. ibid.
De diebus in generali,c.75. 1138
De die naturali,c.76. 1139
De die vsuali & artificiali,c.77. ibid.
De noctibus.c.78. 1140
De septimanis,c.79. ibid.
De mensibus,c.80. 1141
De numero dierum in singulis mensibus,c.81. 1142
De kalendis,& nonis,& idibus,c.82. ibid.
De diebus Ægyptiacis,& canicularibus,c.83. 1143
De annis,& primo de solari,c.84. 1144
De regulari solari,c.85. ibid.
De concurrente,c.86. 1145
De litera dominicali,c.87. 1146
De bisexto,c.88. ibid.
De anno lunari,c.89. 1147
De aureo numero,& anno lunari communi,c.90. 1148
De regulari communi,c.91. 1149
De epacta,& embolismo,c.92. ibid.
De saltu Lunæ.c.93. 1150
De festis mobilibus,c.94. ibid.
De quibusdam versibus ad prædictorum scientiam vtilibus, ca.95. 1151.
Cur in celebratione Paschæ obseruamus numerum Lunæ,c.96. 1152
De sabbati circa idem obseruatione,c.97. 1153
De ciclis annalibus,c.98. 1155
De indictionibus, & lustris, & olimpiadibus & iubileis,cap.99. ibid.
De saculis,& ætatibus,c.100. 1156

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX LIBRI XVI.

Decimusſextus liber agit de opere quintæ diei, id eſt de volucribus cœli. Et habet liber iſte 161. Capitula.

De operatione quintæ diei, id eſt de formatione volatilium, & natantium, c.1. 1157
De natura auium in generali, cap.2. 1158
De differentia auium multiplici, c.3. 1159
De eodem, cap.4. 1160
De mutatione in colore, & plumis, & voce, & tempore, c.5. ibid.
De auibus rapacibus, cap.6. 1161
De roſtris auium, cap.7. ibid.
De alis, & plumis earum, c.8. 1162
De pedibus auium, & cruribus, c.9. ibid.
De unguibus, c.10. 1163
De carnibus earum, cap.11. 1164
De inceſſu & volatu auium, c.12. 1165
De peregrinatione, ac manſione earum, c.13. 1166
De cibo, & potu auium, cap.14. ibid.
De vocibus auium, c.15. 1167
De quarundam auium ſagacitate, c.16. 1168
De quarundam pugnacitate, c.17. 1169
De nominibus & naturis auium ſecundum alphabetum, & primo de accipitre, cap.18. ibid.
De eodem, cap.19. 1170
De diuerſis ſpeciebus accipitris, c.20. ibid.
De medicinis ex accipitre, ca.21. 1171
De achante, & acredula, c.22. ibid.
De aeriophilone, cap.23. 1172
De agochile, & alauda, cap.24. ibid.
De alecto, cap.25. ibid.
De alcione, c.26. 1173
De anate, cap.27. ibid.
De cibo, & medicina ex anate, c.28. 1174
De anſere, c.29. ibid.
De generatione anſerum, & impinguatione, c.30. 1175
De cibo, & medicina ex anſere, c.31. 1176
De aquila, c.32. ibid.
De eadem, cap.33. 1177
De ſpecibus aquilæ, c.34. ibid.
De nidis aquilarum, & pulliſicatione, c.35. 1178
De aquilæ ſeneſcentis renouatione, c.36. 1179
De medicinis ex aquila, cap.37. ibid.
De ardea, & ardeola, & aſalon, & aſida, c.38. 1180
De achaco, & auibus paradiſi, & aurifrigio. cap.39. ibid.
De barliathe, ſiue berneka, c.40. 1181
De biſtarda, & bonoſa, c.41. ibid.
De bubone, cap.42. 1182
De buteo, & botauro, cap.43. ibid.
De caladrio, & calandre, c.44. 1183
De capone, & caprimulgo, cap.45. ibid.
De carabdrione, & carduele, & cariſta, c.46. 1184
De ciconia, c.47. ibid.
De pietate ciconiarum, & caſtimonia, c.48. 1185
De cigno, cap.49. 1186
De eodem, cap.50. ibid.
De cinomulgo, & cipſedo, & citramo, c.51. ibid.
De cocice, cap.52. 1187
De columba, c.53. ibid.
De eadem, c.54. 1188
De columbario, c.55. ibid.
De columbarum pudicitia, cap.56. 1159
De generatione columbina, c.57. ibid.
De carnibus columbinis, c.58. 1190
De operatione columbæ in medicinis, c.59. ibid.
De coredulo, & cornice, c.60. 1191
De coruo, cap.61. 1192
De eodem, cap.62. ibid
De ſagacitate corui, ca.63. 1193
De coturnice, c.64. ibid.
De crocbilo, cap.65. 1194
De cubeth, cap.66. ibid
De cuculo, cap.67. 1195
De diomedijs auibus, cap.68. ibid
De egitho, & emeria, & ercinia, cap.69. 1196
De falcone, c.70. ibid.
De diuerſis generibus falconum, c.71. ibid.
De faſiano, c.72. 1199
De fatore, cap.73. 1200
De fenice, cap.74. ibid.
De ficedula, & philomena, cap.75. 1201
De fulica, cap.76. ibid.
De gallo, cap.77. 1202
De eodem, c.78. 1203
De gallinacio, c.79. ibid.
De cibo, & medicina ex gallo, cap.80. 1204
De medicinis ex gallinacio, c.81. 1205
De gallina, & eius educatione, c.82. ibid.
De imprægnatione gallinæ, c.83. 1206
De ipſius incubatione, cap.84. ibid.
De generatione pullorum, & educatione, c.85. 1207
De cibo, & medicina ex gallina, cap.86. 1208
De girfalcone, & goſturdo, c.87. 1209
De glute, cap.88. ibid.
De graculo, ſiue garrulo, c.89. ibid.
De grippe. c.90. 1210
De grue, cap.91. ibid.
De gruum volatu, & peregrinatione, cap 92. ibid.
De eodem, cap.93. 1211
De harpia, c.94. ibid.
De herodio, c.95. 1212
De ibide, c.96. ibid.
De hirundine, c.97. 1213
De hirundinum pulliſicatione, c.98. ibid.
De medicinis ex hirundine, c.99. 1214
De kyche, & coki, c.100. 1215
De lago, & laro & lucidio, c.101. ibid.
De lucinia, c.102. ibid.
De linacho, cap.103. 1216
De menta, & mennonide, c.104. ibid.
De mergo, c.105. ibid.
De merillone, & merope, c.106. 1217
De merula, cap.107. ibid.
De miluo, cap.108. 1218
De monedula, & muſcicapa, cap.109. ibid.
De nicedula, cap.110. 1219
De nocticorace, vel noctua, c.111. ibid.
De niſo, c.112. 1220
De onocrotalo, cap.113. ibid.
De opimacbo, c.114. ibid.
De oriolo, & ortigometra, c.115. 1221
De oſina, & oſsifrago, c.116. ibid.
De otho, c.117. ibid.
De palumbo, c.118. ibid.
De medicinis ex palumbis, c.119. 1222
De paſſere, cap.120. ibid.
De cibo, & medicina ex paſſere, c.121. 1223
De pauone, c.122. ibid.
De pauonum generatione, c.123. 1224
De ipſorum educatione, cap.124. ibid.
De virtute carnis pauonina, c.125 1225
De pagaſo, & pelargo, c.126. ibid.
De pelicano, cap.127. 1226
De perdice, cap.128. ibid.
De perdicum incubatione, c.129. 1227
De cibo, & medicina ex perdice, c.130. 1228
De pica, c.131. ibid.
De pico, & pigargo, c.132. 1229
De platea, & pluuiali, c.133. ibid.
De porphirione, c.134. 1230
De pſitaco, c.135. ibid.
De regulo, c.136. 1231
De ſeleutide, & ſtrige, & ſtrophilo, c.137. ibid.
De ſtrucione, cap.138. ibid.
De eodem, cap.139. 1232
De ſtruciocamelo, & ſturno. cap.140. ibid.

INDEX.

De tarda, & tragopa, c. 141. 1233
De turdela, & turdo, c. 142. ibid.
De turture, cap. 143. ibid.
De eodem, cap. 144. 1234
De vanello, c. 145. ibid.
De vespertilione, c. 146. 1235
De vlula, cap. 147. ibid.
De vpupa, c. 148. ibid.
De vulture, cap. 149. 1236
De eodem, c. 150. 1237
De multiplici vulturum genere, c. 151. ibid.
De generatione vulturum, & educatione, c. 152. ibid.
De medicinis ex vulture, cap. 153. 1238
De ibos, & idro, & isida, & xione, ac seleutide, c. 154. ibid.
De generatione auium, c. 155. 1239
De fœcunditate earum, c. 156. 1240
De nidificatione auium, c. 157. ibid.
De generatione ouorum, c. 158. 1241
De complemento eorum, c. 159. 1242
De natura ouorum, c. 460. ibid.
De varietate ouorum, c. 161. 1243
De operatione eorum in cibo, c. 162. ibid.
Iterum de operatione eorum in medicina, c. 163. 1244
De eodem, c. 164. ibid.
De ouis venti, c. 165. 1246
De incubatione ouorum, c. 166. ibid.
De corruptione ouorum, c. 167. 1247
De complemento pullorum in ouis, c. 168. ibid.
De nutrimento pullorum, c. 169. 1248
De exclusione pullorum, c. 170. ibid.
De educatione pullorum, c. 171. 1249

INDEX LIBRI XVII.

Decimusseptimus liber agit de piscibus, & monstris marinis. Et habet liber iste 146. capitula.

DE creatione piscium, c. 1. 1249
De corporibus & membris eorum, c. 2. 1251
De dentibus & linguis eorum, c. 3. ibid.
De branchis piscium, c. 4. 1252
De pinnulis, & caudis eorum, c. 5. 1253
De vita & memoria piscium, c. 6. ibid.
De sensibus eorum. c. 7. 1254
De anhelitu, & somno eorum, c. 8. 1255
De alimento piscium, c. 9. 1256
De piscium impinguatione, c. 10. 1257
De elemento aquæ, qualiter sit eis connaturale, c. 11. ibid.
De mansione piscium in aqua, c. 12. 1258
De conuersatione piscium per aquæ loca, c. 13. ibid.
De variatione piscium, secundum tempora, c. 14. 1259
De vario motu piscium, c. 15. 1260
De morbis ac senectute eorum, c. 16. 1261
De inimicitia quorundam ad inuicem, c. 17. ibid.
De diuersis generibus piscium, c. 18. 1262
De diuersis figuris piscium, c. 19. 1263
De multiformi specie eorum, c. 20. ibid.
De diuersis tegumentis piscium, c. 21. 1264
De carnibus piscium, & adipibus eorum, c. 22. 1265
De multiplici diuersitate carnium ipsorum, c. 23. ibid.
De electione piscium meliorum ad comedendum, c. 24. 1266
De venatione, siue piscatione eorum, c. 25. 1267
De eodem, cap. 26. ibid.
De luxuria hominum in captura, & esu piscium, c. 27. 1268
De nominibus piscium, c. 28. ibid.
De naturis piscium, secundum ordinem alphabeti. Et primo de abremone, & achaude, & accipendro, albirem, & alphoram, cap. 29. 1269
De alece, c. 30. ibid.
De anguilla, c. 31. 1270
De aranea, & ariete, & arim, c. 32. ibid.
De aspidochelone, & aurata, c. 33. ibid.
De balena, c. 34. 1271
De borbotha, & bota, & brenna, c. 35. ibid.
De cancro, cap. 36. 1272
De eodem, cap. 37. ibid.
De operatione cancrorum in cibo, & medicina, ca. 38. 1273
De eodem, cap. 39. 1274
De cautio, & capitato, & carpera, c. 40. ibid.
De ceto, cap. 41. 1275
De eodem, c. 42. ibid.
De cibo, ac sperma te ceti, c. 43. ibid.
De conchis, cap. 44. 1276
De cochleis, c. 45. ibid.
De congro, & corem, & coruo, c. 46. 1277
De dendrice, & die, c. 47. ibid.
De eceloa, c. 48. 1278
De ethenai, vel echino, cap. 49. ibid.
De eodem cap. 50. 1279
De medicinis ex eodem, c. 51. ibid.
De effimerone, & escaro, c. 52. ibid.
De exoceto, c. 53. 1280
De fastaleone, & fastem, & lice, c. 54. ibid.
De gardone, & gladio, & glauco, c. 55. ibid.
De gobione, & grauo, c. 56. 1281
De hamio, & hirundine, c. 57. ibid.
De icino marino, c. 58. ibid.
De eodem, c. 59. ibid.
De kalaos, & karcora, & kyloc, c. 60. 1282
De leone, & lepore, cap. 61. ibidem
De medicinis ex lepore marino, c. 62. 1283
De locusta c. 63. ibid.
De lucio, cap. 64. 1284
De lupo, cap. 65. ibid.
De megare, & milagine, & miluo. c. 66. 1285
De mugile, cap. 67. ibid.
De multipede, c. 68. 1286
De mulo, cap. 69. ibid.
De medicinis ex mulo, c. 70. 1287
De murena, cap. 71. ibid.
De eodem, cap. 72. 1288
De murice, cap. 73. ibid.
De mure, & musculo, & mustela, cap. 74. ibid.
De narco, & nautilo, & nubo, c. 75. 1289
De orbe, & ostrea, c. 76. ibid.
De medicinis ex ostrea, cap. 77. 1290
De pagro, & pauo, & pectine, & parca, c. 78. ibid.
De pinna, & plaice, c. 79. ibid.
De porco marino, c. 80. 1291
De pungitiuo, c. 81. ibid.
De purpura, c. 82. ibid.
De medicinis ex purpura, c. 83. 1292
De raie, & raha, c. 84. ibid.
De rana marina, c. 85. 1293
De rumbo, cap. 86. ibid.
De salmone, cap. 87. 1294
De scolopendra, & scorpione, cap. 88. ibid.
De sepia, cap. 89. ibid.
De medicinis ex sepia, cap. 90. 1295
De sfungia, sine spongia, cap. 91. ibid.
De medicinis ex ea, c. 92. 1296
De solari & solea, c. 93. 1297
De spinacia, & squacina, c. 94. ibid.
De stella, & sturione, cap. 95. ibid.
De teucha, & titimallo, & torpedine, c. 96. 1298
De trebio, & tructa, cap. 97. ibid.
De venth, & vipera, & vmbra. cap. 98. ibid.
De vranoscopo, & vrtica vulpe. c. 99. 1299
De monstris marinis, cap. 100. ibid.
De abune, cap. 101. 1300
De barchora, cap. 102. ibid.
De caab, & cane marino, c. 103. 1301
De celethi, & ceruleo, c. 104. ibidem
De chilone, & circho, cap. 105. ibidem
De cocodrilo, c. 106. 1302
De eodem, cap. 107. ibid.
De medicinis ex eo, c. 108. 1303
De delphino, cap. 109. 1304

De eodem,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De eodem,c.110. 1305
De amore delphinorum ad prolem,& adinuicem,c.111. ibid.
De familiaritate delphini ad hominem,c.112. 1306
De medicinis ex delphino,c.113. 1307
De dracone marino,c.114. ibid.
De equo marino,& equimulo,c.115. ibid.
De selcho,& foca,& galatha,c.116. 1308
De karabone,& kilone,c.117. ibid
De Koka,c.118. 1309
De leuiathan,& ludolachra,& loligine,c.119. ibid.
De monacho marino,& monoceronte,c.120. 1310
De nereide,& orcha,c.121. ibid.
De perna,& pistro,& platamista,c.122. ibid.
De polippo,c.123. 1311
De polippi sagacitate,c.124. 1312
De polipporum generatione,c.125. ibid.
De captura ipsorum vel venatione,c.126. 1313
De stella,& serra,c.127. ibid.
De stinco,cap. 128. 1314
De syrena,c.129. ibid.
De testeo,c.130. ibid.
De testudine,c.131. 1315
De tynno,c.132. ibid.
De medicinis ex tynno,c.133. 1316
De tortuca,c.134. ibid.
De vacca,& vitulo marino,c.135. ibid.
De hippotamo.c.136. 1317
De eodem,c.137. ibid.
De zedroso,& ziphio,& zidrach,c.138. 1318
De zitirone,c.139. ibid.
De sexu piscium,c.140. ibid.
De multiplici genere piscium,c.141. 1319
De coitu piscium,c.142. 1320
De piscium impregnatione,c.143. 1321
De ipsorum ouatione,c.144. ibid.
De pullificatione,c.145. 1322
De temporibus ouandi,& pullificandi ipsorum piscium,c.145. 1324

INDEX LIBRI XVIII.

Decimusoctauus liber incipit agere de opere sextæ diei, hoc est de animalibus terrestribus,& primo de iumentis, siue pecoribus, & armentis. Continet autem 98. capitula.

De opere sextæ diei,& primo de animalibus,cap.1. 1325
De pecoribus in generali,c.2. 1326
De eisdem in speciali, secundum ordinem alphabeti. Et primo de agno,c.3. 1327
De multiplici agni vtilitate,c.4. ibid.
De apro,c.5. 1328
De medicinis ex apro,c.6. ibid.
De ariete,c.7. 1329
De arietibus ad coitum admittendis,c.8. ibid.
De vsu arietis in cibo,& medicinis,c.9. 1330
De asino,c.10. ibid.
De eodem,c.11. 1331
De asinorum generatione,c.12. ibid.
De medicinalibus ex asino sumptis,c.13. ibid.
De eodem cap.14. 1333
De boue,c.15. 1334
De eodem,c.16. ibid.
De bobus comparandis,& eligendis,c.17. 1335
De bobus edomandis, & ingo præparandis,c.18. ibid.
De carnibus bouinis,c.19. 1336
De operatione bouis in medicinis,c.20. ibid.
De bubalo,& bisonte,c.21. 1337
De camelo,c.22. ibid.
De eodem,c.23. 1338
De vsu camelorum in prælijs,c.24. 1339
De generatione camelorum,c.25. ibid.
De medicinalibus ex camelis,c.26. 1340
De capra,c.27. ibid.
De generatione caprarum,c.28. 1341
De carnibus caprinis,& medicinis ex earum corporibus, capite 29. 1342.
De medicinis ex caprarum carnibus,c.30. ibid.
De cæteris medicinalibus ex capra præcedentibus,c.31. 1343
De caprea,c.32. 1344
De capro,c.33. ibid.
De cerno,c.34. 1345
De inimicitia cerui cum serpente,c 35. 1346
De ceruorum sagacitate,c.36. ibid.
De ipsorum variatione,c.37. 1347
De ceruorum generatione,c.38. ibid.
De morbis eorum,ac senectute,c.39. 1348
De carnibus ceruinis,& adipe,& sanguine,c.40. ibid.
De cornibus ceruorum,c.41. 1349
De medicinis ex cornibus cerui,c.42. ibid.
De alijs medicinalibus ex cerno,c.43. 1350
De cuniculo,c.44. ibid.
De damula,& dromeda,c.45. 1351
De hædo,c.46. ibid.
De equo,c.47. 1352
De ingenio, & affectu equorum,c.48. ibid.
De generatione equorum,c.49. 1353
De emissarijs ad equas admittendis,c.50. 1354
De pullis equorum enutriendis,atque domandis,c.51. ibid.
De melioribus equis eligendis,c.52. 1355
De vsu equorum in prælijs,c.53. 1356
De vitijs siue equorum,& morbis,c.54. ibid.
De diuersis equorum generibus,& equisero, & equicerno,capitul.55. 1357.
De medicinis ex equo,c.56. ibid.
De hirco,c.57. 1358
De operatione hirci in cibo,& morbi remedio,c.58. ibid.
De ibice,c.59. 1359
De hinnulo,c.60. ibid.
De lepore,c.61. 1360
De eodem,c.62. ibid.
De medicinali leporis operatione,c.63. 1361
De eodem,cap.64. ibid.
De mulo cap.65. 1362
De eodem,cap.66. 1363
De mulorum generatione,c.67. ibid.
De medicinis ex mulo,c.68. ibid.
De oue,cap 69. 1364
De eadem,c.70. ibid.
De diuersis generibus ouium,cap.71. 1365
De pastu ouium,cap.72. ibid.
De generatione ouium,c.73. 1366
De carnibus ouinis,c.74. 1367
De tonsione ouium,& lana,c.75. ibid.
De vsu lanæ in medicina,c.76. ibid.
De cæteris vtilitatibus ouis,c.77. 1368
De porco,cap 78. 1369
De porcorum cibo,c.79. ibid.
De generatione porcorum,c.80. 1370
De morbis eorum,c.81. ibid.
De carnibus porcinis,c.82. 1371
De diuersis ex porco medicinis,c.83. 1372
De sue,c.84. ibid.
De verribus ad suem admittendis,c.85. 1373
De medicinis fellis,& verrinis,c.86. 1374
De tauro,cap.87. ibid.
De eodem,c.88. 1375
De tauris indicis,c.89. 1376
De tauris ad vaccas admittendis,c.90. ibid.
De diuersis ex tauro medicinis,c.91. 1377
De vacca,cap.92. 1378
De carne vaccina,& lacte,c.93. 1379
De medicinalibus ex vacca,c.94. ibid.
De vertice,c.95. 1380
De vitulo,c.96. ibid.
De vitulis castrandis,c.97. ibid.
De medicinis ex vitulo,c.98. 1382

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX LIBRI XIX.

Decimuſnonus liber agit de beſtijs, & habet liber iſte 139. Capitula.

De beſtijs, cap. 1. 1383
De abane, & alce, & aloy, c. 2. 1384
De anabulla, & antaplone, vel aptalo, & aukacinore, capite tertio, 1385
De bonnaco, c. 4. *ibid.*
De cato, c. 5. 1386
De cameleonte, c. 6. *ibid.*
De eodem, c. 7. 1387
De medicinis ex eo, c. 8. *ibid.*
De camelopardo, c. 9. *ibid.*
De cane cap. 10. 1388
De eodem, c. 11. *ibid.*
De canis ſagacitate, c. 12. 1389
De affectu canum ad dominos ſuos. c. 13. 1390
De diuerſis generibus canum, c. 14. *ibid.*
De ſexu canum c. 15. 1391
De generatione canum, c. 16. *ibid.*
De catulis, & ceciſtate eorum, c. 17. 1392
De ætatibus, & morbis canum, c. 18. 1393
De latratu canum, c. 19. *ibid.*
De morſu eorum, ac remedijs contra eum, c. 20. 1394
De medicinis ex cane, c. 21. 1395
De cane rabioſo, c. 22. *ibid.*
De ſignis rabiei in cane, c. 23. 1396
De morſu canis rabioſi, c. 24. *ibid.*
De ſignis eiuſdem morſuræ, c. 25. 1397
De remedijs contra eum in vſu medicinæ, c. 26. *ibid.*
De eodem, c. 27. 1398
De caſtore, c. 28. *ibid.*
De eodem, c. 29. 1399
De venatione caſtoris, c. 30. *ibid.*
De caſtoreo, c. 31. 1400
De eodem, c. 32. *ibid.*
De catobleba, & catto, c. 33. 1401
De cepho, & centrocota, c. 34. *ibid.*
De cyrogrillo, c. 35. 1402
De duran, c. 36. *ibid.*
De eale, c. 37. *ibid.*
De elephante, c. 38. 1403
De humanitate, & obedientia elephantorum, c. 39. *ibid.*
De ſagacitate ipſorum, c. 40. 1404
De pugna elephantorum cum draconibus, c. 41. 1405
Qualiter homines elephantibus vtantur in prælijs, c. 42. *ibid.*
De eodem, c. 43. 1406
De coitu elephantorum, & generatione, c. 44. *ibid.*
De membrorum elephanticorum creatione, c. 45. 1407
De eodem, c. 46. 1408
De promuſcide, c. 47 *ibid.*
De ætatibus, & morbis elephantorum, c. 48. 1409
De venatione ipſorum, c. 49. 1410
De ipſorum domeſticatione, c. 50. 1411
De ebore, c. 51. *ibid.*
De diuerſis medicinalibus ex elephante, c. 52. 1412
De enchire, c. 53. *ibid.*
De enidro, & enitra, c. 54. *ibid.*
De erinacio, & erminio, c. 55. 1413
De ſalena, & fibro, c. 56. *ibid.*
De furone, & furunculo, c. 57. 1414
De galy, & genetha, c. 58. *ibid.*
De hericio, c. 59. *ibid.*
De medicinis ex eo, c. 60. 1415
De hyena, c. 61. *ibid.*
De medicinis ex hyena, c. 62. 1416
De hiſtrice, c. 63. 1417
De icino, & inacli, c. 64. *ibid.*
De lamia, & lauzani, c. 65. *ibid.*
De leone, c. 66. 1418
De virtute leonis, & fortitudine, c. 67. 1419
De leonis ferocitate, c. 68. *ibid.*
De ipſius audacia, & nobilitate, c. 69. 1420
De eiuſdem humilitate, & docilitate, c. 70. *ibid.*
De diuerſis generibus leonum, c. 71. 1421
De venatione ipſorum, c. 72. *ibid.*
De generatione leonum, c. 73. 1422
De ætatibus, & morbis, & nocumentis leonum, c. 74. *ibid.*
De medicinis ex leone, c. 75. 1423
De leopardo, c. 76. *ibid.*
De leotophono, & leucrocuta, c. 77. 1424
De lichaone, & lintiſco, c. 78. 1425
De lince, c. 79. *ibid.*
De vrina lincis, c. 80. 1426
De locuſte, c. 81. *ibid.*
De lupo, ap. 82. *ibid.*
De aſtutia luporum, c. 83. 1427
De malitia, & noxietate ipſorum, c. 84. 1428
De cibis eorum, c. 85. 1429
De generatione, & ætate luporum, c. 86. *ibid.*
De diuerſis generibus luporum, c. 87. 1430
De medicinis ex lupo, c. 88. *ibid.*
De luthere, c. 89. 1431
De mammoneto, & manticora, c. 90. 1432
De melono, & meloſo, & monocerote, c. 91. *ibid.*
De muſione, c. 92. 1433
De muſquelibet, & muſco, c. 93. *ibid.*
De onagro, c. 94. 1434
De diuerſis generibus onagrorum, c. 95. *ibid.*
De medicinalibus ex onagro, c. 96. 1435
De onocentauro, & oraſio, c. 97. *ibid.*
De orige, c. 98. *ibid.*
De panthera, c. 99. 1436
De generatione, & venatione pantheræ, c. 100. 1437
De parandro, & pardo, c. 101. *ibid.*
De piloſo, & pirolo, & putorio, c. 102. 1438
De rangiuero, & roſurella, c. 103. 1439
De rinocephalo, & rinocerote, c. 104. *ibid.*
De ſciuro, & ſcurrulo, & ſtrigo, c. 105. 1440
De ſymia, c. 106. *ibid.*
De ridiculoſitate ſimiarum, c. 107. 1441
De fœtibus ſymiarum, & ſpecibus earum, c. 108. 1442
De tarandro, c. 109. *ibid.*
De taxo, cap. 110 *ibid.*
De medicinis ex taxo, cap. 111. 1443
De tygride, c. 112. *ibid.*
De tragelapho, & trogodita, c. 113 1444
De vario, & vnicorne, & vncia, c. 114. *ibid.*
De vro, c. 115. 1445
De vrſo, c. 116. *ibid.*
De aſtutia vrſi, & ſæuitia, c. 117. 1446
De generatione vrſina, c. 118. 1447
De venatione vrſina & captura, c. 119. 1448
De medicinis ex vrſo, c. 120. *ibid.*
De vulpe, c. 121. *ibid.*
De vulpis doloſitate, c. 122. 1450
De medicinis ex vulpe, c. 123. *ibid.*
De hiphneumone, & hyppotamo, c. 124. 1451
De zubrone, c. 125. 1452
De minutis beſtiolis, & primo de mure, c. 126. *ibid.*
Iterum de mure, c. 127. 1453
De diuerſis generibus murium, c. 128. *ibid.*
De his à quibus mures fugantur, c. 129. 1454
De medicinis ex mure, c. 130. *ibid.*
De glire. c. 131. 1455
De migali, c. 132. 1456
De muſtela, c. 133. *ibid.*
De eodem, c. 134. 1457
De medicinis ex muſtela, c. 135. *ibid.*
De ratto, & ſorice, cap. 136. 1458
De talpa, c. 137. *ibid.*
De eodem, cap. 138. 1459
De medicinis ex talpa, cap. 139. 1460

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX LIBRI XX.

Viceſimus liber agit de cæteris animalibus, ſcilicet ſerpentibus, & reptilibus atque vermibus. Et habet liber iſte *179*. Cap.

De reptilibus in generali, cap 1. 1461
De ſerpentibus in commun, cap. 2. ibid.
De anathomia ſerpentium, cap. 3. 1462
De generatione ipſorum, cap. 4. 1463
De cibo eorum, cap. 5. 1464
De motu ac vivacitate ipſorum, cap. 6. ibid.
De aſtutia ipſorum, cap. 7. 1465
De venenis eorum, cap. 8. ibid.
De nocumentis ac remedijs ipſorum, c. 9. 1466
De eodem, cap. 10. ibid.
De multiplici varietate ipſorum, & nocumentis eorum, capit. 11. 1467.
De eodem, cap. 12. ibid.
De monſtruoſis ſerpentibus, cap. 13. 1468
De his, quæ contraria vel noxia ſunt ſerpentibus, c. 14. 1469
De eodem, cap 15. ibid.
De medicinis ex ſerpentibus, c. 16. 1470
De anguibus, cap. 17. ibid.
De afferato, & affinudio, cap. 18. 1471
De anſibena, & armena, cap. 19. ibid.
De aſpide, cap. 20. 1472
De eodem, cap. 21. ibid.
De baſiliſco, cap. 22. ibid. & cap. 23. 1473
De generibus baſiliſcorum, & remedijs contra illos, c. 24. 1474
De behemoth, & bero, & boa, c. 25. ibid.
De cecula, & celidro, & cenchri, c. 26. 1475
De ceraſte, cap. 27. ibid.
De colubro, cap. 28. 1476
De dracone, cap. 29. ibid.
De pugna draconis cum elephante, & cæteris, c. 30. 1477
De nocumentis draconum, c. 31. ibid.
De utilitatibus eorum, c. 32. 1478
De draconcopede, c. 33. ibid.
De dypſade, c. 34. 1479
De emorroide, & ewydro, & exedra, c. 35. ibid.
De glandoſa, & gnatrice, c. 36. 1480
De iaculo, & ipnali, c. 37. ibid.
De leuiathan, cap. 38. ibid.
De nepa, & obice, c. 39. 1481
De padera, & paria, & præſtere, c. 40. ibid.
De regulo, cap. 41. ibid.
De ſalpiga, & ſcitali, ac ſepe, c. 42. 1482
De ſitula, ac ſpuente, & ſirena, c. 43. ibid.
De taranta, & tortuca, c. 44. ibid.
De tyro, cap. 45. 1483
De eodem, cap. 46. 1484
De tyri carnibus, & tyriaca, c. 47. ibid.
De vipera, cap. 48. 1485
De generibus viperarum, c. 49. 1486
De generatione ipſarum, c. 50. ibid.
De quibus viperis conficienda ſit tyriaca, c. 51. 1487
De preparatione ipſarum, cap. 52. ibid.
De diuerſis medicinis ex viperis, & contra eius morſum, cap. 53. 1489
De hydra, cap. 54. 1490
De genere lacertorum, cap. 55. ibid.
De borace, & botracha, cap. 56. 1491
De buffone, cap. 57. ibid.
De gamelcone, cap. 58. 1492
De rana, cap. 59. ibid.
De diuerſis ranarum ſpeciebus, cap. 60. 1493
De medicinis ex ranis, cap. 61. ibid.
De rubetis, cap. 62. 1494
De ſalamandra, cap. 63. ibid.
De ſalamandræ nocumento, ac remedijs, c. 64. 1495
De ſaura, & ſtellione, cap. 65. ibid.
De medicinis ex ſtellione, c. 66. 1496
De vermibus in generali, cap. 67. 1497
De eodem, cap. 68. ibid.
De diuerſa vermium origine, cap. 69. 1498
De anuloſis, cap. 70. ibid.
De pedibus eorum, cap. 71. 1499
De quorundam alis, cap. 72. 1500
De quorundam aculeis, cap. 73. 1501
De vita inſectorum, ſiue anuloſorum, c. 74. ibid.
De ſenſibus, ac vocibus eorum, c. 75. 1502
De generatione ipſorum, cap. 76. 1503
De apibus, cap. 77. ibid.
De excellentia apum, cap. 78. 1504
De ſolertia apum, cap. 79. 1505
De generatione apum, cap. 80. ibid.
De pullis earum, cap. 81. 1506
De ſexu, & ætatibus earum, cap. 82. 1507
De regibus earum, cap. 83. ibid.
De iiſdem, cap. 84. 1508
De ſpecicbus apum, cap. 85. 1509
De vita earum, & voce, & ſono, cap. 86. ibid.
De cibo earum, & potu, ac ſomno, cap. 87. 1510
De manſionibus earum, cap. 88. ibid.
De apibus inueſtigandis, cap. 89. 1511
De apibus eligendis, & collocandis, cap. 90. 1512
De examinibus excipiendis, & cuſtodiendis, cap. 91. ibid.
De eiſdem ſupplendis & reparandis, cap. 92. 1513
De proceſſu apum ad operandum, cap. 93. ibid.
De diuerſis officijs apum, cap. 94. 1514
De pugnacitate ipſarum, cap. 95. ibid.
De operibus apum, cap. 96. 1515
De fauo, cap. 97. ibid.
De cera, cap. 98. 1516
De operatione ceræ in medicina, cap. 99. ibid.
De melle, cap. 100. 1517
De diuerſo mellis genere, cap. 101. 1518
De mellis electione & probatione, cap. 102. ibid.
De operatione mellis in cibo, & medicina, c. 103. 1519
De diuerſitate mellis multimoda, c. 104. ibid.
De aqua mulſa, cateriſque poculis mellicis, c. 105. 1520
De melle venenoſo, cap. 106. ibid.
De alueariibus apum fabricandis, atque purgandis, c. 107. 1521
De aluearibus apum caſtrandis, cap. 108. 1522
De utilitate ipſorum alucarium in medicinis, c. 109. ibid.
De his, quę contraria ſunt apibus, vel nociua, c. 110. 1523
De morbis apum, cap. 111. 1524
De aranea, cap. 112. 1525
De aranearum generatione, c. 113. 1526
De venatione araneæ, cap. 114. ibid.
De diuerſis ſpeciebus araneæ, cap. 115. 1527
De morſu araneæ, cap. 116. ibid.
De tela araneæ, cap. 117. 1528
De bibione, & blatta, cap. 118. ibid.
De bombice, cap. 119. 1529
De brucho, cap. 120. ibid.
De buſone & bupreſte, cap. 121. ibid.
De cantarida, cap. 122. 1530
De virtute cantaridarum in medicina, c. 123. ibid.
De ceruleo, & ceruo volante, cap. 124. 1531
De cicada, cap. 125. ibid.
De cicendela, & cimice, & coſtro, c. 126. 1532
De culice, cap. 127. ibid.
De his quibus effugantur culices, aut necantur, c. 128. 1533
De cinomia, cap. 129. ibid.
De engula, & eruca, cap. 130. ibid.
De formica, cap. 131. 1534
De formicæ ſolertia, cap. 132. ibid.
De his, quæ contraria ſunt formicis, c. 133. 1535
De maioribus formicis, cap. 134. 1536
De formicoleone, cap. 135. ibid.
De fuco, cap. 136. 1537
De grillo, & gurgulione, cap. 137. ibid.
De lanifico, & limace, cap. 138. ibid.
De locuſta, cap. 139. 1538
De generatione locuſtarum, cap. 140. 1539
De nocumentis earum, cap. 141. ibid.

INDEX.

De remedijs contra eas, c.142. 1540
De medicinis ex corporibus locuſtarum, c.143. ibid.
De lumbrico, c.144. ibid.
De multipede, c.145. 1541
De muſaraneo, c.146. ibid.
De muſca, c.147. 1542
De eodem, c.148. ibid.
De opimacho, c.149. 1543
De papilione, c.150. ibid.
De pediculo, c.151. ibid.
De pulice, c.152. 1544
De pyrale, & rana, & ricino, c.153. 1545
De rutela, cap.154. ibid.
De ſanguiſuga, cap.155. 1546
De operatione illius in medicina, c.156. ibid.
De ſcabrone, cap 157. 1547
De ſcarabeo, cap.158. ibid.
De ſcyniphe, cap.159. 1548
De ſcorpione, cap.160. ibid.
De diuerſis generibus ſcorpionum, & morſibus, vel ictibus eorum, cap.161. 1549
De accidentibus punctura, vel morſus ſcorpionum, c.162. 1550
De remedijs contra ſcorpiones, ac medicinis eorum, c.163. ibid.
De his, quibus punctura vel morſus ſanatur, c.164. 1551
De medicinis ex ipſis ſcorpionibus, c.165. ibid.
De ſeta, ac ſimultate, & ſolifuga, c.166. ibid.
De ſphalangione, cap.167. 1552
De ſpoliatore colubri, ac ſtella, c.168. 1553
De thabano, cap.169. ibid.
De thabur, & capulla, cap.170. ibid.
De teredine, cap.171. 1554
De teſtudine cap.172. ibid.
De quadruplici teſtudinum genere, c.173. 1555
De tinea, cap.174. ibid.
De veſpa, cap.175. 1556
De diuerſis generibus veſparum, cap.176. ibid.
De cibis, & manſionibus earum, cap.177. 1557
De generatione ipſarum, cap.178. ibid.
De punctione earum, cap.179. 1558

INDEX LIBRI XXI.

Vigeſimusprimus liber agit de communi natura animalium, & de ſingulis partibus, vel membris eorum. Habet autem liber iſte 60. Cap.

DE vniuerſali natura animalium, cap.1. 1559
De multimoda diuerſificatione eorum, cap.2. 1560
De corporibus animalium, cap.3. ibid.
De membris animalium, cap.4. 1561
De capite, cap.5. 1562
De vertice, & cerebro, cap.6. 1563
De cerebro iterum, cap.7. ibid.
De cornibus, cap.8. 1564
De ijſdem, cap.9. 1565
De auribus, cap.10. 1566
De fronte, & ſupercilijs, cap.11. ibid.
De oculis, cap.12. 1567
De palpebris, cap.13. 1568
De diuerſitate oculorum in diuerſis generibus animalium, cap.14. ibid. & ſeq.
De genis, & naribus, cap.16. 1569
De ore, & labijs, cap.17. 1570
De lingua, cap.18. 1571
De maxillis, & dentibus, cap.19. 1572
De dentium varietate, cap.20. ibid.
De eorum mutatione, cap.21. 1573
De collo, & gutture, cap.22. 1574
De armis, & pectore, & coſtis, cap.23. 1575
De mammillis, cap.24. 1576
De eodem, cap.25. ibid.
De corde, cap.26. 1577
De eodem, cap.27. 1578
De pulmone, cap.28. 1579
De epate, cap.29. 1580
De ſplene, cap.30. ibid.
De fecore, & felle, cap.31. ibid.
Iterum de felle, cap.32. 1581
De medicinis ex felle, cap.33. 1582
De ventre, cap.34. ibid.
De eodem, cap.35. 1583
De vmbilico, c.36. 1584
De coagulo, cap.37. ibid.
De inteſtinis, cap.38. 1585
De renibus cap.39. ibid.
De veſica, cap.40. 1586
De coxis, & pedibus, cap.41. 1587
De pedibus, cap.42. ibid.
De pedibus, & vnguibus, cap.43. 1588
De membris genitalibus, & primo de teſticulis, cap.44. 1589
De virga, & matrice, cap.45. ibid.
De cauda, cap.46. 1590
De tegumentis animalium, & primo de pilis, c.47. ibid.
De diuerſitate pilorum, cap.48. 1591
De eodem, cap.49. 1592
De coloribus pilorum, & mutatione eorum, c.50. ibid.
De cauſis diuerſitatis colorum in pilis, c.51. 1593
De cute, cap.52. 1594
De carne, cap.53. 1595
De differentia carnium in cibo, & medicina, c.54. ibid.
De eodem, cap.55. 1596
De carnibus extremitatum animalium, cap.56. ibid.
De neruis, & cartilagine, cap.57. 1598
De oſſibus, cap.58. ibid.
De ijſdem, cap.59. 1599
De medullis, cap.60. ibid.
De pinguedine, cap.61. ibid.
Adhuc de pinguedine, & ſepo, & adipe, cap.62. ibid.
De differentia prædictorum inter ſe, cap.63. 1601
De arteryis, & venis, cap.64. 1602
De ſanguine, cap.65. ibid.
De diuerſitate ſanguinis in animalibus, cap.66. 1603

INDEX LIBRI XXII.

Vigeſimusſecundus liber agit de nutrimento animalium, & motu, & generatione, & humiditatibus eorum. Et habet liber iſte 68. Capitula.

DE cibo & potu animalium, cap.1. 1605
De diuerſitate paſtus animalium, cap.2. 1606
De animalibus ruminantibus, cap 3. 1607
De vocibus animalium, cap.4. 1608
De ijſdem, cap.5. 1609
De varietate vocum in diuerſis generibus animalium, c.6. ibid.
De ſenſibus animalium, cap.7. 1610
De proprietate tactus, & viſus, cap.8. ibid.
De tribus reliquis ſenſibus, cap.9. 1611
De vi animalium motiua, cap.10. 1612
De ſomno & vigilia, cap.11. ibid.
De diuerſis cauſis ſomni, cap.12. 1613
De ijſdem, cap.13. 1614
Vtrum in omnibus animalibus ſit cauſa ſomni euaporatio nutrimenti, cap.14. 1615
Quod animalia quædam impinguantur ſomno, etiam ceſſante alimento illorum, cap.15. 1616
De ſomnis animalium, cap.16. 1617
De ingenijs, & affectionibus animalium, cap.17. ibid.
De appetitu, & motu ad inuicem, cap.18. 1618
De naturali pietate animalium in concordia ad inuicem, c.19. ibid.
De naturali concordia quorundam animalium, & pugna ad inuicem, cap.20. 1619
De armis quibus vtuntur ad pugnam, vel tuitionem, c.21. ibid.
De ijſdem, cap.22. 1620
De motibus membrorum, & extremitatibus animalium, capit. 23. ibid.

De ſexu

INDEX.

De ſexu animalium,cap.24. 1622
De animalibus caſtratis,cap.25. 1623
De generoſitatibus animalium,cap.26. ibid.
De eadem,cap.27. 1624
De coitu animalium,cap.28. 1625
De diuerſis temporibus coeundi,cap.29. ibid.
De luxuria,& continentia animalium,cap.30. 1625
De fœcunditate,& ſterilitate eorum,cap.31. 1626
De iiſdem,cap 32. 1627
De temporibus impregnationis eorum,c.33. ibid.
De differentia mulieris pregnantis à fœmina aliorum animalium, cap.34. 1628
De transfuſione ſeminis in preparatione embrionis,c.35. ibid.
De impreßione formarum viſarum in conceptu,c.36. 1629
De diſtinctione ſexus in embrione,c.37. ibid.
De eodem,cap.38. 1630
De formatione membrorum animalis,c.39. 1631
De eodem,cap.40. 1632
De monſtruoſis fœtibus animalium,c.41. 1633
De iiſdem,cap.42. ibid.
De animalibus bigeneribus,cap.43. 1634
De naturali partu animalium,c.44. ibid.
De eodem,cap.45. 1635
De cremento animalium,& ætate,cap.46. ibid.
De ſuperfluis humiditatibus animalium,c.47. 1636
De ſudore,cap.48. ibid.
De lachryma,& ſaliua,cap.49. 1637
De urina,cap.50. ibid.
De ſtercore,& ſterquilinio,cap.51. ibid.
De ſpermate,cap.52. 1638
De menſtruo,cap.53. 1639
De lacte,cap.54. ibid.
De lactis origine,cap.55. 1640
De multiplici lactis diuerſitate,cap.56. ibid.
De lacte meliori eligendo,cap.57. 1641
De lacte malo & venenoſo,cap.58. 1642
De coagulatione lactis,cap.59. ibid.
De triplici lactis ſubſtantia,cap.60. 1643
De ſero,cap.61. 1644
De caſeo,cap.62. ibid.
De eodem,cap.63. 1645
De butyro,cap.64. 1646
De uniuerſali lactis proprietate ſecundùm medicinam, c.65. 1647
De diuerſitate lactis,ſecundùm differentias animalium,c.66. ibid.
De vita & morte animalium,cap.67. 1648
Quę animalia in quibus regionibus non ſunt,cap.68. 1649

INDEX LIBRI XXIII.

Vigeſimustertius liber agit de hominis creatione,ſiue factura: & primo de anima humana. Et habet liber iſte 80. Capitula.

DE cauſis hominis creandi,cap.1. 1651
De hominis creatione,cap.2. 1652
De dignitate vel nobilitate conditionis humanæ,cap.3. 1653
De imagine Dei in homine,cap.4. 1654
De proprietatibus hominis,cap.5. ibid.
Cur Deus in homine ſpiritum rationalem vniuit terreno corpori, c.6. 1655
De anima humana,cap.7. 1656
De nobilitate ipſius,ac virtute,cap.8. 1657
De quibuſdam eius diffinitionibus,cap.9. ibid.
De diuerſis rationibus,vel modis animam diffiniendi,cap.10. 1658
De origine animæ,cap.11. 1659
De ſimplicitate eiuſdem, ac compoſitione,cap.12. ibid.
De eodem,cap.13. 1660
De vnitate animæ in tribus potentijs,cap.14. 1661
Reſponſio ad obiectiones contrarias,cap.15. 1662
De eodem,cap.16. 1663
De imagine, ac ſimilitudine Trinitatis in animâ ſenſibili, cap. 17. ibid.
De imagine Trinitatis in memoria vel imaginatione,c.18. 1664
De fallacia Trinitatis exterioris hominis,ſecundùm quam homo conformatur huic ſeculo,cap.19. 1665
Quod in ſenſibili non ſit vera Trinitatis imago,c.20. 1666
Quod nec in fantaſia ſimiliter, vbi ſit infinita Trinitatis alienatio, cap.21. 1667
Quod non ſolum vera, ſed etiam ficta in memoria,vel imaginatione concernuntur,cap.22. ibid.
Quod ex his,quæ meminimus cognoſcimus,vel fingimus ea, quæ non vidimus,cap.23. 1668
De imagine Trinitatis in mente,cap.24. 1669
De ſimilitudine omnium rerum in anima,c.25. 1670
De differentia animæ humanæ ad brutalem,c.26. ibid
De quantitate animæ,cap.27. 1671
Quod creſcente corpore non creſcit anima, niſi forte in virtute,c.28 ibid.
Quomodo fortitudo corporis conſiſtat in incremento corporis, vel ætatis,cap.29. 1672
Quod anima de viribus corporis non creſcat,c.30. 1673
Quod anima corpori non commenſuratur, licet per totum diffuſa ſentiat,cap.31. 1674
Quod animæ etiam lacertarum, ac vermium in corpore ſunt, & indiuiſibiles,cap.32. ibid.
Oſtenſio eiuſdem ſententiæ per exemplum,c.33. 1675
De loco animæ corporali,cap.34. ibid.
De eodem,cap.35. 1676
De loco eiuſdem ſpirituali,cap.36. 1677
De vtroque iterum,cap.37. ibid.
De motu animę locali,cap.38. 1678
Quod rationalis anima non ſit virtus organica,cap.39. 1679
Queſtiones ad idem probandum,cap.40. ibid.
Rationes ad idem neceſſarias,cap.41. 1680
De vnione animæ ad corpus,cap.42. 1681
De modo illius vnionis,cap.43. 1682
Quod nequaquam ſine medio fieri poßit illa vnio,c.44. ibid.
Qualiter in homine ſupremis infima connectuntur,c.45. 1683
De quatuor rebus ad prædictam vnionem conuenientibus, capit. 46. 1684
De alio modo diſtinguendi medium prædictæ vnionis,c.47. 1685
De differentia vnionis animæ in homine, & in animali, & planta, cap.48. 1686
De perfectione ipſius organi, id eſt corporis humani,c.49. ibid.
De naturali fœdere amborum,cap.50. 1687
Quod fœdus illud quandoque moleſtijs irrumpitur,c.51. 1688
De modo eſſendi animæ in corpore,c.52. 1689
Qualiter anima corpus vegetat,& viuificat,c.53. ibid.
Qualiter anima corpus ſenſificat,c.54. 1690
De naturali animæ cognitione,cap.55. 1691
De multiplici eius operatione,cap.56. ibid.
De ipſius paßibilitate,cap.57. 1692
De multiplici eiuſdem paßione,cap.58. 1693
De paßibilitate animæ coniunctæ,& ſeparatæ,c.59. 1694
De ſeparatione animæ à corpore,cap.60. ibid.
De ſtatu & loco animę ſeparatæ,c.61. 1695
De immortalitate animæ,ſecundùm aſſertiones ſanctorum, cap. 62. ibid.
De quibuſdam mediis ad probandam animæ immortalitatem, c. 63. 1696
De eodem,cap.64. 1697
Aſſertiones Platonis,& aſſertiones Ariſto. de eodem,c.65. ibid.
Aſſertiones aliorum Philoſoph. de eodem,c.66. 1698
Iterum aliorum ad idem,cap.67. ibid.
Rationes Priſciani ad idem,cap.68. 1699
Exempla quorundam Philoſophorum ad idem,c.69. 1700
Rationes ad idem,cap.70. ibid.
Ad idem rurſus,c.71. 1701
Reſponſio ad obiectiones contrarias,c.72. 1702
Ad idem, iterum,cap.73. ibid.
Qualiter intelligi debeat animæ immortalitas,c.74. 1703
De quorundam Philoſophorum errore ſuper animarum reuolutione, cap.75. ibid.
De erroris eiuſdem cauſa,cap.76. 1704
Qualiter animæ corporibus exutæ in inferno patiuntur, capit. 77. 1705
De his,quę patiuntur in Purgatorio,cap.78. 1706
De illis,quæ iam requieſcunt in Paradiſo,c.79. ibid.

Qualiter

Qualiter animabus exutis ea, quæ fiunt apud nos innoteſcunt, c. 80. 1707
De quibuſdam animabus, quæ poſt mortem viuentibus apparuerunt, cap.81. 1708

INDEX LIBRI XXIV.

Vigeſimusquartus liber agit de viribus animæ, quibus corpus vegetat, & ſuſtentat, ac tenetur in corpore, videlicet de naturali, vitali, & animali. Habet autẽ 88. Cap.

VTrum anima ſit ſuæ vires, atque potentiæ, cap.1. 1709
Vnde ſit diſtinctio virium animæ, cap.2. 1710
De virtutibus animæ quibus commiſcetur corpori, c.3. 1711
De virtute naturali, & eius ſpecibus, cap.4. ibid.
De quatuor virtutibus virtuti paſcitiuę ſubſeruientibus, capit. 5. 1712
De actione virtutis digeſtiuę, cap.6. 1713
De actionibus attractiuæ, & retentiuæ virtutum in ſtomacho, cap.7. 1714
De actione digeſtiuæ virtutis in eodem, cap.8. 1715
De actione virtutis expulſiuæ in eodem, cap.9. ibid.
De actionibus prædictarum virtutum in matrice, c.10. 1716
De virtute vitali agente, cap.11. 1717
De vita in genere, cap.12. ibid.
Vtrum vita ſit ſubſtantia, vel accidens, c.13. 1718
Vtrum vita ſit anima ipſa, cap.14. 1719
Qualiter in animâ dicatur vita, cap.15. ibid.
Vtrum vita ſit animę potentia, cap.16. 1720
Quod ipſa ſit potentia, vel virtus indiuiſa, c.17. 1721
Cur inter vires animæ non agit Ariſtot. de vitali ſicut Auicen. cap.18. 1722
Qualiter vita ſit actus animæ, cap.19. 1723
Reſponſiones ad obiecta, cap 20. ibid.
Quod vita diuerſimode ſumpta ſit actus & potentia, c.21. 1724
Quod vita ſit habitualis potentia, cap.22. 1725
A quo vita ſit effectiue, cap.23. ibid.
Quod inſatigabilis ſit actus vitæ, cap.24. 1726
Qualiter vita fluere dicatur ex quieto, & ſempiterno, c.25. 1727
Vtrum in plantis, & brutis ſit immediatè à Deo creata, c.26. 1728
Opiniones diuerſæ de multiplicatione vitæ in plantis, & brutis, c.27. 1729
Aliæ opiniones, iterum de eodem, cap.28. 1730
Alexandri ſententia de eodem probabilior, c.29. ibid.
Reſponſiones ad obiecta in contrarium, c.30. 1731
Quod vita cauſatur à creatura media inter corporale & ſpirituale, cap.31. 1732
Quod non poſſit cauſari à ſpirituali creatura in ſpecie conſimili, c.32. 1733
Quod principia vitæ fundantur in eſſentialibus, c.33. 1734
Eiuſdem ſententię declaratio, cap.34. ibid.
Reſponſiones ad obiecta, cap.35. 1735
Quod res ex ſe viuens habet in ſe aliquid vnde alteri vitam tribuit, cap.36. 1736
Oppoſitiones in contrarium, cap.37. 1737
Reſponſiones ad eaſdem, cap.38. 1738
De duplici vita, ſcil. creata & increata, c.39. ibid.
Vtrum vita creata & increata, conueniant in aliqua re, c.40. 1739
De multiplici vitæ differentia, cap.41. 1740
Quod cæleſtia corpora non ſunt viua, c.42. 1741
Reſponſiones ad quædam in contrarium obiecta, c.43. 1742
Adhuc ad idem, cap.44. 1743
De cooperatione formæ cæleſtium corporum ad vitam inferiorum, cap.45. 1744
Vtrum viuat aliquod animal carens ſanguine, c.46. 1745
De quadruplici aſſignatione ſedis vitæ in corpore, c.47. 1746
Vtrum ante organizationem vita ſit in embrione, c.48. ibid.
Opiniones variæ de hac materia, cap.49. 1747
Probabilior Alexandri ſententia, cap.50. ibid.
Vtrum etiam in humoribus ſit vita, cap.51. 1748
Quod virtus vitalis cauſa ſit ambitus, ac reſpirationis, capit. 52. 1749
De corruptione naturalis caloris ex interioribus cauſis, c.53. ibid.
De corruptione eiuſdem ab exterioribus, cap.54. 1751
De virtute vitali patiente, cap.55. 1752
De virtute animali, & eius ſpecibus, cap.56. ibid.
Alia diuiſio virium animæ ſecundum quoſdam, c.57. 1753
De virtute ſpirituali, & eius inſtrumento, cap.58. 1754
De inſtrumento virtutis animalis, cap.59. ibid.
De impedimentis actionum eius per impedimenta inſtrumentorum, cap.60. 1755
Alia diuiſio virium animę, ſecundum Philoſophos, c.62. 1756
De differentia earum ad inuicem, cap.62. ibid.
De anima vegetabili, & eius operationibus, c.63. 1757
De viribus vegetabilibus, cap.64. ibid.
De inſtrumentis earum, & finibus, cap.65. 1758
De inſtrumento vis nutritiuæ, cap.66. 1759
De ipſius actione, cap.67. ibid.
De vnitate virtutis nutritiuæ, cap.68. 1760
De digeſtione prima ei ſubſeruiente, cap.69. 1761
De ſecunda digeſtione, cap.70. 1762
De tertia digeſtione, cap.71. ibid.
De eo, quomodo per nutrimentum ſit reſtauratio deperditorum, c. 72. 1763
De vi augmentatiua, cap.73. 1764
De augmento corporali animalis, cap.74. 1765
Vtrum augeatur corpus animatum, ſecundùm quamlibet partem ſui, cap.75. ibid.
De ſtatu augmenti, & motu diminutionis, c.76. 1766
Quod aliter ſit aſſimilatio in augmentatiua, quàm nutritiua, cap.77. 1767
De vi generatiua, cap.78. 1768
De actionibus generatiuæ, cap.79. ibid.
Qualiter ſemen decidere ſit primus actus generatiuæ, c.80. 1769
Qualiter vis generatiua ſit in plantis, & in animalibus, c.81. ibid.
Quod in plantis non ſit diſtinctio ſexus, cap.82. 1770
Cur non ſit in plantis ſicut in animalibus, cap.83. 1771
Vtrum anima vegetabilis ſit ex traduce, cap.84. ibid.
Vtrum anima ſit in ſemine, cap.85. 1772
Vtrum vegetabile vel ſenſibile per diuiſionem corporis ſit multiplicabile, cap.86. 1773
De varietate generationis, ſecundùm varietatem agentis, & materiæ, cap.87. ibid.
Quod perfectiorem habeant generationem animata, quàm inanimata, cap.88. 1774

INDEX LIBRI XXV.

Vigeſimuſquintus liber agit de viribus animæ ſenſibilibus, i. quibus anima res ſenſibiles exterius, vel interius apprehendit, vel appetit, & habet 104. Capit.

DE prima diuiſione virium animę per cognitiuas, ſiue affectiuas, ſiue apprehenſiuas, & motiuas, cap.1. 1775
De viribus cognitiuis, vel apprehenſiuis, cap.2. 1776
De mutua illarum connexione, cap.3. 1777
De differentia earum, ſecundùm Hugonem, cap.4. ibid.
Item de eadem, ſecundùm Ariſt. cap.5. 1778
De modis apprehendendi, cap.6. ibid.
Quòd diuerſę vires apprehenſiuæ formas abſtrahant à materia diuerſimode, cap.7. 1779
De vi apprehenſiua ſenſibili, cap.8. 1780
De vi apprehenſiua ſenſibili exterius, cap.9. ibid.
De inſtrumento, vel medio ſentiendi, cap.10. 1781
Qualiter omnes ſenſus, & voluntarij motus à cerebro diriguntur, cap.11. ibid.
Qualiter ſenſus ſit ſenſibilium ſuſceptiuus, c.12. 1782
Qualiter ſenſus dicatur eſſe ſenſibilis & non ſenſibilis, c.13. 1783
De ſenſibili per ſe, ac per accidens, cap.14. ibid.
Qualiter ſenſibile ſit in obiecto, & in medio, & in ſenſu, c.15. 1784
Qualiter forma ſingularis recipiatur in ſenſu, c.16. 1785
De numero, & nominibus ſenſuum, cap.17. 1786
De ratione numeri eorum, cap.18. ibid.
De eodem, cap.19. 1787
Item aliæ rationes ad idem, cap.20. 1788

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Item alia ratio ad idem,cap.21. 1789
De dispositione quinque sensuum in corpore,cap.22. ibid.
De ordine ipsorum,cap.23. 1790
De organis quinque sensuum,cap.24. ibid.
De remedijs ipsorum,cap.25. 1791
De obiectis eorum,cap.26. 1792
De inclinatione sensuum ad obiecta,cap.27. 1793
De diffinitionibus visus,cap.28. ibid.
De organo visus,cap.29. 1794
De celeritate spiritus visibilis,cap.30. 1795
Reprobatio quarundam opinionum de progressu radij visualis,ca.31. ibid.
Assertio opinionis Academicorum,de eodem,cap.32. 1796
Quod oculus, secundùm Aristot. consistat in humido,c.33. ibid.
De quibusdam accidentibus visum impedientibus,c.34. 1797
De quibusdam animalibus nocte videntibus,c.35. 1798
De opinione Platonis, quod in oculo dominetur ignis,c.36. ibid.
Qualiter Aristot. rationibus reprobat illam opinionem,c.37. 1799
De alijs rationibus eiusdem ad idem,cap.38. 1800
De obiecto visus,cap.39. ibid.
De eodem,cap.40. 1801
De medio eiusdem,cap.41. 1802
Qualiter species visibiles sunt in medio,& in oculo,c.42. ibid.
De modo actus videndi,secundum diuersos,c.43. 1803
Cur non videamus ad omnem partem, secundum aëris immutationem,cap.44. ibid.
Cur non ante nos videmus simul, & ad omnem partem,c.45. 1804
Rationes ad probandum, quòd videmus extra mittendo,c.46. ib.
Solutiones ad obiecta in contrarium, cap.47. 1805
Ad experimenta,quæ videntur contraria responsioni,c.48. 1806
Cur aliquando visui vnum apparet duo,c.49. ibid.
De diffinitione auditus,cap.50. 1807
Cur auditus dicitur secundus sensus,cap.51. 1808
De organo auditus, cap.52. 1809
De concauitate,ac mobilitate aurium,cap.53. ibid.
De obiecto eiusdem,quod est sonus,cap.54. ibid.
De soni diffinitione, cap.55. 1810
De voce, cap.56. ibid.
De vocis significatione,cap.57. 1811
Qualiter ad auditum perueniat vox,& echo,ac sibilus,c.58. 1812
Cur densa corpora penetrat sonus potius quam visualis radius, c. 59. ibid.
De medio soni,vel auditus,cap 60. 1813
De diffinitionibus olfactus, cap. 61. ibid.
De organo ipsius,cap.62. 1814
Quod eius organum sit frigidum & humidum,c.63. ibid.
De obiecto eiusdem,cap.64. 1815
De medio eiusdem sensus,cap.65. ibid.
Secundum quam naturam aer & aqua sunt media olfactus, cap.66. 1816
Vtrum olfactus vniuoce sit in animalibus respirantibus, & non respirantibus,cap.67. 1817
Cur homo peius odorat cæteris animantibus,c.68. 1818
Cur delectatio in odore propria sit homini secundum se,c.69. 1819
De diffinitione gustus,cap.70. ibid.
De organo eiusdem,cap.71. 1820
De obiecto eiusdem,cap.72. ibid.
De medio eiusdem sensus,cap.73. 1821
Qualiter gustus sit quidam tactus,cap.74. ibid.
Qualiter iuxta cor sit instrumentum gustus, & tactus,c.75. 1822
De diffinitionibus tactus,cap.76. ibid.
Quod tactus non sit plures sensus, sed vnus,c.77. 1823
De proprietatibus eius, cap.78. 1824
De organo eiusdem,cap.79. 1825
De obiecto eiusdem,cap.80. ibid.
De medio eius,cap.81. 1826
Vtrum dolor corporis, ac delectatio sensibiles sint secundum tactum, cap.82. ibid.
Solutiones quarundam quæstionum circa sensum,c.83. 1827
De sensualitate,cap.84. 1828
De viribus animæ sensibilis interius apprehensiuis,c.85. ibid.
De numero earum,& ordine,cap.86. 1829
De sensu communi,vel fantasia,cap.87. ibid.
Cur dicatur sensus communis,cap.88. 1830
Quæ fuit necessitas ponere sensum communem,c.89. ibid.
Diffinitio sensus communis,secundùm Auic.cap.90. 1831
Diffinitio eiusdem,secundum Algazel.c.91. ibid.
Qualiter omnes sensus proprij coniungantur in sensu communi, c.92. 1832
De organo sensus communis,cap.93. ibid.
De obiecto eiusdem,cap.94. 1833
Adhuc de eodem,cap.95. ibid.
De actu eiusdem,cap.96. ibid.
De imaginatione,cap.97. 1835
De imagine & fantasia,cap.98. ibid.
De æstimatione,cap.99. 1836
De memoria & obliuione,cap.100. ibid.
De vi motiua sensibili,cap.101. 1837
De motiua duplici, cap.102. 1838
Distinctio motiuarum in communi,cap 103. ibid.
De motibus exterioribus,cap.104. 1839

INDEX LIBRI XXVI.

Vigesimussextus liber agit principaliter de animæ humanæ impressione, quas suscipit abrepta quodammodo à corporis sensibus, siue dormiendo, siue vigilando, videlicet in extasim mentis excidendo. Et habet Capit. 111.

DE somno & vigilia,cap.1. 1841
De diffinitione ipsorum Aristotelica,cap.2. 1842
Quod sominus & vigilia sunt passiones sensus,cap.3. 1843
Vtrum sint passiones virtutis motiuæ,cap.4. 1844
Quod sint passiones visus,cap.5. ibid.
Qualiter sint passiones communis sensus,cap.6. 1845
Cuius loci vel partis corporis sint somnus,& vigilia,cap.7. 1846
De qualitate somni,& eius causa,cap.8. 1847
De causis oppositis somni,& vigiliæ,cap.9. 1848
De dispositione animæ & corporis in dormiendo,c.10. 1849
De causis efficientibus somni,cap.11. ibid.
De prima eiuscausa, quæ est euaporatio nutrimenti,c.12. 1850
Quod nutrimentum illud est sanguis,cap.13. 1851
De hac prima causa somni quæstio Aristotelis,c.14. ibid.
Adhuc de eodem,cap.15. 1852
Vtrum euaporatio nutrimenti sit in omnibus animalibus causa somni,cap.16. ibid.
De causa somni,quæ est labor,cap.17. 1853
De eodem,cap.18. 1854
De tertia,quæ est ægritudo,cap.19. ibid.
De quarta,quæ est ætas prima,cap.20. 1855
Adhuc de eodem,cap.21. ibid.
Obiectio contra prædictam causam,cap.22. 1856
De quinta causa,quæ est caloris subtractio,c.23. ibid.
De sexta causa,quæ est studij attentio,c.24. 1857
De septima causa, secundùm Auicennam,c.25. ibid.
De his,qui dormiendo faciunt opera vigiliæ,c.26. ibid.
Adhuc de eodem,cap.27. 1858
Cur experrecti non meminerint operum,quæ fecerunt in somno, c.28. ibid.
Cur dormientes non recordantur,quę fecerunt vigilando,c.29. 1859
De his,quæ somnum excitabilem faciunt,c.30. 1860
De duplici causa somni excitatiua,c.31. 1861
De somno,cap.32. ibid.
De quæstionibus Aristotelis circa somnium,c.33. ibid.
Quod somnium fit à motu simulacrorum in dormientibus,c.34. ibid.
De causis quibus fit huiusmodi motus,cap.35. 1862
De eodem,cap.36. ibid.
An somnium passio sit intellectus,cap.37. 1863
Huius quæstionis solutio,cap.38. 1864
Qualiter somnium sit motus fantasticæ virtutis,cap.39. ibid.
Qualiter somnij motus fit,vt motus vertiginis,c.40. ibid.
Quod somnium sit passio sensus communis,cap.41. 1865
De speciebus sensibilium,quæ apparent in somnijs,c.42. ibid.
De secunda quæstione Aristotelis circa somnium,c.43. 1866
Huius quæstionis solutio, & de illis qui nunquam somniant,cap.44. ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De illis, qui iam ætate proiecti somniare incipiunt, c.45. 1867
Quæ fantasmata faciunt somnia, cap.46. ibid.
Solutio prædictæ quæstionis, cap.47. 1868
De somnijs incertis, ca.48. 1869
De tertia quæstione Aristotelis circa somnium, c.49. ibid.
De somnio latente, & non latente, cap.50. ibid.
De deceptionibus animæ in somnijs, cap.51. 1870
De quarta quæstione Aristotelis, cap.52. 1871
De quinta quæstione eiusdem, cap.53. ibid.
De somnijs significatiuis, cap.54. 1872
De diuersis somniorum signis, cap.55. 1873
De reuelationibus, quæ fiunt in somnijs, c.56. ibid.
De sexta quæstione Aristotelis, cap.57. 1874
Cur intellectus futurorum non demonstrantur in imaginationibus propijs, cap.58. 1875
De septima & vltima quæstione Aristotelis, c.59. ibid.
De sex modis somniorum, secundùm Gregorium, c.60. ibid.
De sufficientia diuisionis, secundùm ipsum, c.61. 1876
De alia diuisione, secundùm Hugonem & Augustinum, capit. 62. ibid.
De diuersis causis visionum in somnijs, cap.63. 1877
De visionibus, vel imaginibus animæ per angelum bonum & malum expressis, cap.64. ibid.
De illusione diabolj cauenda in somnijs, c.65. 1878
Qualiter malignus spiritus imagines imprimat in vigilantibus, c.66. 1879
Quod proprie non sit cogitationum immissor, sed incentor, c.67. ibid.
Vtrum malignus spiritus agat in animam immediatè mala suggerendo, cap.68. 1880
Quod diabolus animę non illabitur intentando hominem, c.69. ib.
Quod non videt anima interior, cap.70. 1881
Qualiter angeli boni imprimant animæ locutiones suas, c.71. 1882
Qualiter incendant in anima cogitationes bonas, c.72. 1883
Eiusdem quæstionis determinatio, c.73. ibid.
Qualiter angelus animam doceat, c.74. 1884
De triplici visione, cap.75. 1885
De ipsarum ordine, cap.76. 1886
De earundem connexione, cap.77. ibid.
De visionum fallacis, vel errore, cap.78. 1887
Qualiter sobrius intellectus, & vigilantem & dormientem à pernicioso defendat errore, cap.79. ibid.
De mutua diuersarum visionum collatione, vel comparatione, c.80. 1888
De prophetica visione, cap.81. 1889
Quid sit prophetia, vel propheta, cap.82. 1890
Vtrum requiratur dispositio naturalis ad prophetiam habendam, cap.83. 1891
Vtrum bonitas morum requiratur ad illam, cap 84. ibid.
Qualiter prophetę dicuntur in speculo videre, c.85. 1893
Iterum de eodem, cap.86. 1894
Quid sit illud, quod prophetæ imprimitur in reuelatione, c.87. 1895
Vtrum omnis reuelatio prophetica fit angelo mediante, c.88. 1896
Quòd propheta aliquando cum à spiritu prophetiæ tangitur à sensibus alienetur, cap.89. 1897
Obiectiones in contrarium, cap.90. 1898
Responsiones ad easdem, cap.91. ibid.
De collatione mutua prophetiæ, quæ fit secundum visionem intellectualem tantum, & eius qui habet intellectualem simul cum imaginaria, cap.92. 1899
Adhuc de eodem, cap.93. 1900
Vtrum gradus prophetiæ distinguantur secundum visionem imaginariam, cap.94. 1901
De quatuor modis distinguendi prophetiam, cap.95. 1902
De extasi, cap.96. 1903
De diuersis eius causis, cap.97. 1904
Item de eodem, cap.98. ibid.
De discretione spirituum, cap.99. 1905
De raptu animæ vltra duo prima genera visionum, c.100. 1906
Qualiter raptus fit ad id quod est supra naturam, c.101. 1907
Adhuc de eodem, cap.102. 1908
Vtrum Paulus in raptu viderit Deum per essentiam, c.103. ibid.
Quod homo in corpore mortali constitutus non potest Deum per essentiam videre, nisi à sensibus corporis alienetur, c.104. 1909
Responsiones ad ea, quæ contra obijciuntur, c.105. 1910
De eodem iterum, cap. 106. 1911
Quod ad videndum Deum in statu præsenti, non requiritur abstractio à vi vegetabili, cap.107. 1912
Solutiones ad obiecta in contrarium, cap.108. 1913
Diuersorum opiniones de scientia Pauli circa raptum suum, cap.109. 1914
Probabilior sententia super hoc, cap.110. 1915
In quo differant mentis excessus extasis, & raptus, c.111. 1916

INDEX LIBRI XXVII.

Vigesimusseptimus liber agit de viribus animæ quas habet quo ad se, videlicet, quæ sensum corporis excedunt, & magis appropriantur animæ humanæ. Et habet 103. Capit.

De viribus animę quas habet quo ad se, c.1. 1917
De confusione, & varietate distinctionis virium animæ, ca.2. 1918
De viribus apprehensiuis sensibilibus, cap.3. 1919
De viribus apprehensiuis rationalibus, cap.4. ibid.
De duplici mentis intentione, cap.5. 1920
De verbo mentis, id est, cogitatione, cap.6. 1921
De verbi nostri ad verbum patris similitudine, c.7. ibid.
Quantum sit ab eodem dissimile, cap 8. ibid.
De cogitatiua vel excogitatiua virtute, cap.9. 1923
Quòd excogitatiua, secundum Auicennam, qua dicitur imaginatiua, differt ab imaginatione, cap.10. ibid.
De memoratiua virtute, cap.11. 1924
De via recordationis, & obliuionis in capite, c.12. 1925
De pigritia, & tarditate memoriæ, cap.13. ibid.
De differentia memoriæ & reminiscentiæ & addiscentiæ, c.14. 1926
De memoria Dei naturaliter infixa menti humanę, c.15. 1927
Qualiter imago diuina resulget in mente, c.16. 1928
De iudicio mentis, secundum veritatis regulas, c.17. 1929
Qualiter ex ipso intuitu veritatis in mente formatur imago Trinitatis, cap.18. 1930
De ratione, cap.19. ibid.
De duplici rationis portione, cap.20. 1931
Qualiter ratio per inferiorem sui partem declinat ad culpam, cap.21. 1932
Qualiter duæ partes rationis declinant ad sapientiam, & scientiam, cap.22. 1933
De sindaresi, cap.23. 1934
In quibus & qualiter sit extincta, cap.24. 1934
De conscientię scintilla, cap.25. ibid.
De diuersis acceptionibus, & officijs rationis, c.26. 1936
De opinione, cap.27. ibid.
Qualiter opinio differt ab intellectu, & à fide, c.28. 1937
De virtute intellectiua, cap.29. 1938
De duplici eius potentia, cap.30. 1939
De differentia & conuenientia intellectus & sensus, c.31. 1940
Qualiter à sensu iuuatur intellectus, cap.32. ibid.
De organo virtutis intellectiuæ, cap.33. 1941
De operatione eiusdem, & formarum abstractione, c.34. 1942
De ordine abstractionis formæ corporalis, c.35. 1943
Quis sit verissimus modus abstractionis, c.36. ibid.
De differentijs apprehensionis, secundum differentias abstractionis, cap.37. 1944
De distinctione virtutis intellectiuæ, cap.38. ibid.
De varia eius diuisione secundum diuersos, c.39. 1945
De concordia varietatis prædictæ, c.40. ibid.
De intellectu agente, cap.41. 1946
De varijs opinionibus sapientum in eius positione, c.42. 1947
Vtrum intellectus agens sit pars animæ, c.43. ibid.
Qualiter fit intellectus agens, cap.44. 1948
Quid intellectus sit possibilis, cap.45. 1949
De gradibus eius, vel differentijs, c.46. ibid.
Qualiter intellectus possibilis est incorruptibilis, secundum suam substantiam, cap.47. 1950
De differentijs intellectiuæ virtutis, & apprehensiuæ, c.48. 1951
De speculatiuo intellectu, cap.49. 1952
Vtrum intellectus speculatiuus sit res scita in actu, secundum ratio-

nem ordi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

nem ordinis cap.50. ibid.
Qualiter ſpecies intelligibiles ſunt in intellectu,c.51. 1953
Vtrum omnia intelligibilia ſint in anima,c.52. 1954
De quatuor viribus intellectiuæ, c.53. 1955
De actibus inuentiuæ virtutis,& iudicatiuæ,c.54. 1956
De actibus memoratiuæ,& interpretatiuæ,c.55. ibid.
De viribus animæ motiuis interioribus,c.56. ibid.
De practico intellectu,cap.57. 1957
Qualiter ab intellectu ſpeculatiuo practicus differt,c.58. 1958
Vtrum intellectus practicus ſemper ſit rectus,c.59. ibid
De motu phantaſiæ,c.60. 1959
De differentia eius à ſenſualitate,c.61. 1960
De viribus appetitiuis in obedientibus rationi,c.62. ibid.
Cur vegetabiles non obediunt ei,c.63. 1961
De obedientibus rationi,c.64. ibid.
De differentia eſſentiali concupiſcibilis,& iraſcibilis,c. 65, 1962
De actibus concupiſcibilis,c.66. 1963
De actibus iraſcibilis,c.67. ibid.
De actibus vtriuſque generaliter,& organo amborum,c.68. 1964
De ſpeciebus triſtitiæ & lætitiæ,c.69. 1965
De ſpeciebus timoris & iræ,c 70. 1966
De diuerſis cauſis differentiæ affectionum,c.71. ibid.
Adhuc de eodem,c.72. 1967
De vitioſitate & radice affectionum,c.73. 1968
De ordinatione ipſarum,c.74. ibid.
De carentia affectionum,c.75 1970
De vi motiua membrorum,c.76. ibid.
De motu proceſſiuo,quid ſit,c.77. 1971
Ex qua vi motus ille proueniat,c.78. 1972
Vtrum vis illa ſit ab alijs diſtincta,c.79. 1973
De numero mouentium motu proceſſiuo, c.80. ibid.
De fine proceſſiui motus,& eius organo,c.81. 1974
De viribus motiuis rationalibus, & primo de voluntate, capite 82. 1975
De voluntatis diſtinctione,c.83. ibid.
Item de triplici voluntate,c.84. 1976
Vtrum voluntas ſit vna potentia per ſe,c.85. 1977
Vtrum voluntas ſit in omnibus viribus animæ,c.86. 1978
Qualiter intelligatur,quod omnis voluntas ſit in ratione,c.87. 1979
De voluntatis conſenſu,c.88. ibid.
De inſtrumento & obiecto voluntatis,c.89. 1980
Quod voluntas in bono firmata ſit magnæ libertatis,c.90. 1981
De libero arbitrio vtrum ſit in nobis,c.91. ibid.
Queſtio de his,quæ fiunt in poteſtate liberi arbitrij,c.92. 1982
Determinatio de his,& illa quæſtione,c.93. 1983
De libero arbitrio,quid ſit.c.94. 1984
Qualiter in eo concurrunt iudicium rationis, & motus voluntatis, c.96. ibid.
Quod flexibilitas ad malum non ſit pars libertatis,c.96. 1986
Vtrum liberum arbitrium aliquid ſine gratia poſſit,c.97. 1987
Quod libertatem arbitrij præſcientia Dei non tollit,c.98. ibid.
Quod nec voluntas Dei tollit,ſed iuuat libertatem arbitrij, cap. 99. 1988.
De impotentia ſtandi, & potentia peccandi.c.100. 1989
De varia diſtinctione liberi arbitrij,c.101. 1990
De opere rationibus omnium virium animæ in generali,c.102. 1991
De paſſionibus animæ ſimiliter in generali,c.103. 1992

INDEX LIBRI XXVIII.

Vigeſimuſoctauus liber agit de formatione humani corporis,& eius natura. Et habet liber iſte 96. Cap.

DE cauſa creationis humani generis,c.1. 1993
De materia,& loco,& forma ipſius creationis,c.2. 1994
De dignitate & nobilitate corporis humani, cap.3. 1995
De corporis eiuſdem membris,c.4. ibid.
De varia membrorum diuiſione,c.5. 1996
De diſtinctione membrorum, ſecundum conuenientiam actionum, c.6. ibid.
De membris conſimilibus,& primo de oſsibus,c.7. 1997
De ratione multitudinis oſsium,c.8. 1998
De diuiſionibus eorum,c.9. ibid.
De oſsibus ſingulorum membrorum,c.10. 1999
De oſsibus maxillarum,& menti,c.11. 2000
De dentibus,c.12. ibid.
De oſsibus dorſi,c.13. 2001
De oſsibus pectoris,& ſpatularum,ac ſurcularum,c.14. 2002
De oſsibus manuum, c.15. ibid.
De oſsibus pedum,c.16. 2003
De numoro oſsium totius corporis,c.17. 2004
De motibus oſsium,c.18. ibid.
De medullis oſsium,c.19. 2005
De cartilagine,c.20. ibid.
De nervis,c.21. 2006
De nervorum diſtinctione,c.22. 2007
De ligamentis,& chordis,& muſculis,c.23. ibid.
De venis,c.24. 2008
De arterijs,c.25. 2009
De carne,c.26. ibid.
De ſanguine,c.27. 2010
De pinguedine,& zirbo,c.28. 2011
De panniculis,c.29. ibid.
De cute,c.30. ibid
De coloratione cutis,c.31. 2012
De vngulis & pilis,c.32. 2013
De capillis,c.33. 2014
De capillorum colore,c.34. 2015
De diminutione capillorum,& caluitie,c.35. ib.
De medicinis capillorum,c.36. 2016
De tinctturis eorum,c.37. 2017
De barba,c.38. ib.
De membris officialibus,& primo de lacertis, & muſculis,cap. 39. ibid.
De cerebro,cap.40. 2018
De ventriculis cerebri,cap 41. 2019
De pia & dura matre,c.42. 2020
Qualiter cerebrum ſit principium ſenſus,& motus voluntarij,c.43. 2021
Qualiter à cerebro nucha deriuatur, & per ea ſenſus & motus ad membra tranſfunduntur,c.44. ib.
De vijs quibus cerebrum purgatur,c.45. 2022
De oculis & eorum munimentis,c.46. 2023
De proprietatibus oculorum hominis,c.47. ib.
De diſpoſitione oculorum,c.48. 2024
De ſeptem tunicis oculorum,c.49. 2025
De phiſionomia oculorum,c.50. 2026
De auribus ca.51. ib.
De naribus,c.52. 2027
De ore,& labijs,c.53. ib.
De lingua,cap.54. 2028
De varijs officijs linguæ,c.55. 2029
De vua, & amigdalis,c.56. ib.
De gutture,c.57. 2030
De pulmone,c.58. 2031
De corde,cap.59.60.& 61. ib.
Qualiter à corde procedunt arterię,c.62. 2034
De ſignis diſpoſitionum cordis, & pulſu, c.63. ib.
De dyafragmate,c.64. 2035
De inſtrumentis vocis,c.65. 2036
De inſtrumentis cibi,c.66. 2037
De dentibus,cap.67. 2038
De ore ſtomachi,c.68. 2039
De ſtomacho,c.69. ib.
De viſceribus,& inteſtinis,c.70. 2040
De numero inteſtinorum,& officijs ſingulorum,c.71. 2041
De hepate,& iecore, c.72. 2042
De ortu venarum à iecore, c.73. 2043
De felle,c.74. 2044
De ſplene,c.75. 2045
De renibus,c.76. 2046
De veſica,c.77. 2047
De vrina,c.78. ib.
De membris generatiuis,& primò de teſticulis,c.79. 2048
De virga virili,c.80. 2049
De matrice & vulua,c.81. ib.
De lumbis, & vmbilico,& ilijs,c.82. 2050
De mammillis,c.83. ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

De lacte,cap.84. 2051
De membris compositis,& primo de capite,c.85. 2052
De facie,& fronte,c.86. 2053
De collo,cap.87. ibid.
De humeris,& brachijs,c.88. 2054
De manibus,& digitis,c.89. 2055
De torace,& pectore,& ventre,c.90. ibid.
De lateribus & dorso,c.91. 2056
De anchis,natibus,& coxis,c.92. 2057
De genubus & tibijs,c.93. ibid.
De pedibus,c.94. 2058
De phisonomia membrorum humani corporis,c.95. ibid.
De medicinis ex humano corpore,96. 2059

INDEX LIBRI XXIX.

Vigesimusnonus liber agit de vniuerso,id est de vniuersitate rerum in qua Deus prẽter illa sex dierum opera, quibus in die septimo requieuit, operatur multipliciter vsque modo. Et habet 170. Cap.

QValiter Deus opera sua iam facta,considerauit,c.1. 2061
Quod in ea bonitas ipsius approbauit,c.2. 2062
Quod omnia erant valde bona,c.3. 2063
Cur non omnia facta sunt æqualia.c.4. 2064
De quarundam rerum eminentia,c.5. ibid.
Quod in rebus ordinem naturæ non visus, sed ratio discernit, cap.6. 2065.
Vtrum Deus aliud vel melius aliquid facere posit,quàm fecit, c.7. ibid.
De vniuersitatis apta & firma compositione,c.8. 2066
De mira omnium rerum dispositione,c.9. 2067
De mirabili,& multiplici rerum specie,c.10. 2068
De varia & mira rerum qualitate,c.11. 2069
De omnium armonia,& pulchritudine,c.12. 2070
Quod deformitas mali non minuit pulchritudinem vniuersi, cap.13. 2071.
Quod nihil est contrarium vniuersitati,c.14. ibid.
De pace diuina qua adunat,& copulat omnia,c.15. 2072
Qualiter eadem pace perfunditur omnis creatura,c.16. 2073
Qualiter Deus vbique totus implet omnia,c.17. 2074
Qualiter præsens est mentibus etiam pollutis,c.18. 2075
Quod in rebus est Deus multis modis,c.19. ibid.
Quod etiam in ipso sint omnia,c.20. 2076
Quod ipsum esse Deum ostendunt omnia,c.21. 2077
Qualiter ipsum laudat omnis creatura,c.22. ibid.
Qualiter apparent in ea diuinæ Trinitatis vestigia,c.23. 2078
Qualiter agnoscitur Deus ex motu creaturæ,c.24. 2079
De omnium rerum modo,specie,& ordine,c.25. 2080
De mensura,numero,& pondere,c.26. 2081
De quadruplici creaturarum consideratione, c.27. ibid.
De consideratione earum, quantum ad ipsarum vanitatem,cap. 28. 2082
De consideratione illarum ad creatoris agnitionem,c.29. 2083
De consideratione ipsarum ad vitæ correctionem,c.30. 2084
De consideratione ipsarum ad ædificationem,c.31. ibid.
De consideratione ipsarum ad concupiscentiæ prouocationem, cap. 32. 2085.
De inani studio circa opera Dei, & non opificis cognitionem, cap. 33. 2086
Cur Deus in senario dierum opera sua compleuit,c.34. 2087
De causis futurorum seminalibus quas mundo tunc inseruit, cap. 35. ibid.
De causis miraculorum,quas apud se retinuit,c.36. 2088
Quod inter illas causas abscondita fuit, qua peccatores saluauit, capite 37. 2089
Quod inferiores causas mundo insertas etiam superior ad libitum suum vertit,c.38. 2090
De ala requie, qua Deus ab operibus suis in se requieuit, capite 39. 2091
Quod etiam in ipso omnis creatura requiescit,c.40. 2092
Cur prædictam requiem diei septimæ deputauit, c.41. 2093
De operationum eius continuatione,c.42. ibid.
De assidua rerum propagatione,c.43. 2094
De distinctione operum creatoris, & creaturæ in administratione naturæ,c.44. 2095
Exemplificatio illius differentiæ,c.45. 2096
De quatuor differentijs operationum,c.46. ibid.
De varijs modis operationum diuinarum,c.47. 2097
De operatione miraculorum,c.48 2098
Quod Deus miracula facit per ministeria Angelorum bonorum & malorum,c.49. 2099
Quod hæc omnia Dei potentia,& prouidentia moderantur pro meritis animarum,c.50. 2100
Quod De prouidentia sit gubernatrix omnium,c.51. 2101
De bipartito opere quo vniuersitati creaturę prouidet,c.52. 2102
Quod Dei prouidentia omnium creaturarum indigentias replet, capite 53. 2103
Qualiter eadem prouidentia cunctorum animantium appetitus mouet & dirigit motus,c.54. 2104
Qualiter hominibus visa pro meritis obijcit & subtrahit, capite 55. 2105
Quod eius prouidentia omnia regna disponit,c.56. 2106
De differentia fati,& prouidentiæ,c.57. 2107
De ratione casus vel fortunæ, c.58. 2108
Quod ea quæ in vniuerso confusa,& perturbata videntur rectè per Dei prouidentiam ordinantur.c.59. 2109
Vtrum ea quæ in mundo sunt,vel fiunt à præscientia Dei causentur, c.60. 2110
Quod præscientia necessitatem in rebus non ponit,c.61. ibid.
Quod libertatem arbitrij non excludit,c.62. 2111
Quod apud Deum sit certa prænotio rerum contingentium, cap. 63. 2112
De excellentia diuinæ mentis intuitu rerum mutabilium, cap. 64. 2113
Quod etiam contingentia ad diuinum intuitum relata sunt necessaria,c.65. 2114
Quod Dei voluntas sit prima,& summa omnium rerum causa,capite 66. ibid.
Cur & qualiter Deus esse mala,c.67. 2115
Qualiter malas voluntates moderatur voluntas diuisa, cap. 68. 2116.
Quod naturalis ordo præcipitur obseruari æterna lege,c.69. 2117
Quod in eius præceptis, & prohibitionibus nulla sit falsitas, cap. 70. 2118.
Qualiter ab illa summa lege,lex apud homines est transcripta, c.71. ibid.
Qualiter eiusdem legis notitia humanis mentibus est impressa, c.72. 2119
De amore Dei ad opera sua,c.73. 2120
Quod bonum appetunt omnia,c.74. 2121
Qualiter diuina bonitate perfusa est omnis creatura, cap.75. 2122
Quod solus Deus bonus creat vniuersa,c.76. 2123
Quod immutabilis permanens immutat, vel innouat inferiora,c.77. 2124
Qualiter stabilis in se manens mouet omnia, c.78. 2125
Quod ipse sit omnium gubernator,c.79. ibid.
Quod non sit malorum auctor,sed ordinator,c.80. 2126
Cur Deus in mundo mala fieri permittit, c.81. 2127
Cur hominem primum tentare permisit quem præsciuit consensurum, c.82. ibid.
Cur homines assiduè nasci facit quos malos fortè prænoscit, cap.83. 2128
Quod nec malitia vlla Deo nocet, vel aduersari posit, capite 84. 2129
Quod quicquid ei resistit,semetipsum ladit,c.85. 2130
Quod diuina voluntas illos, quiconantur resistere,seruire sibi cogit, cap.86. 2131
Qualiter sapientia malitiam vincit, & omnia suauiter disponit. cap.87. ibid.
Qualiter diuina iustitia, vel prouidentia voluntates bonas & malas ordinat.c.88. 2132
Quod de tota massa damnata quosdam eligit, & quosdam reprobat, t.89. 2133
Exempla eiusdem electionis,& reprobationis,c.90. 2134
Cur Deus ex tota massa,tam paucos elegit cæteris reprobatis, cap.91. ibid.

Quod

Quod circa ista periculosum est studium humanę discussionis, c. 92. 2135
Quod sub certo numero ruinam angelorum supplet Deus ex hominibus prædestinatis, c. 93. 2136
Cur pro peccato primi hominis punit totam massam humani generis, cap 94. 2137
Qualiter eius culpa cum pœna mortalitatis ad omnes transmittitur, cap. 95. 2138
Qualiter illud peccatū à parentibus in filios transfunditur, c. 96. ibid.
Qualiter anima paruuli culpam à carne contrahere permittitur, c. 97. 2159.
Qualiter aliena culpa ei à Deo imputatur, c. 98. 2140
De paruulis absque baptismo decedentibus, c. 99. 2141
De remedijs, quæ contra peccatum originale Deus instituit, cap. 100. 2142
Quod etiam originales pœnas in bonum conuertit, c. 101. 2143
Deus cur bonis & malis communicat bona & mala præsentia, c. 102. 2144.
De eadem materia, c. 103. 2145
Qualiter vtrisque, scil. bonis & malis distribuit bona sua gratuita, c. 104. 2146
Qualiter vtrosque illuminat sua virtute, c. 105. 2147
Qualiter etiam tangit omnes homines forma iustitiæ, c. 106. 2148
Qualiter in præsentis bonos affligit, & malos prosperari permittit, capite 107. ibid.
Cur bonos malorum persecutionibus exponit, c. 108. 2149
Quod de malis iustorum probationem facit, c. 109. 2150
Quod eosdem bonorum purgatorium efficit, c. 110. ibid.
Cur bonos de tribulatione clamantes plerumque non exaudit, cap. 111. 2151
De eodem, c. 112. 2152
Quod Deus bonos exaudit ad salutem, malos autem sæpius ad voluntatem, ca. 113. 2153
Quod Deus etiam malis frequenter dispensando condescendit nec eius morem gerit, vt eorum saluti proficiat, c. 114. ibid.
Quod malorum vitam non nisi propter electos tolerat, c. 115. 2154
Quod Deus quosdam in ipsa malitia latentes sibi notos euocat, ca. 116. 2155
Quod nulli saluantur nisi quos per gratiam suam vocat, c. 117. 2156
Quod eadem gratia paulatim imaginem suam in peccatore reficit, seu reformat, c. 118. 2157
Quod multiplicem effectum misericordiæ suæ circa peccatorem ostendit, c. 119. ibid.
Qualiter veritatis & gratiæ lumen infundit, c. 120. 2158
Qualiter post infusionem gratiæ tentationibus hominem exponit, capite 121. 2159
Qualiter quosdā homines iusto iudicio cadere permittit, c. 122. 2160
Qualiter per pœnitentiam reuertentes suscipit, c. 123. 2161
Qualiter illos à peccatis iustificat, c. 124. ibid.
Qualiter eos à prauis consuetudinibus purgat, c. 125. 2162
Adhuc de eodem, c. 126. 2163
Quod eis etiam in præsens multa beneficia tribuit, c. 127. 2164
Qualiter ipsos adiuuat, & protegit, c. 128. 2166
Qualiter eos in melius proficere facit, c. 129. 2167
Qualiter munera eorum grataner suscipit, c. 130. 2168
Qualiter exaudit orationes pro seipsis facientes, c. 131. 2169
Qualiter exaudit orationes pro alijs facientes, c. 132. 2170
Qualiter perfectos ad sui subleuat contemplationem, c. 133. 2171
Qualiter infirma mentis aspectū lux diuina reuerberat, c. 134. 2172
Qualiter ex hoc ipso intuitu mentes electorum ad compunctionem inflammat, c. 135. 2173
Qualiter illis spirituales locutiones occultè inspirat, c. 136. 2174
De varijs Dei locutionum modis, c. 137. 2175
Qualiter etiam nobis in scripturis loquitur, c. 138 2176
De diuinis præceptis in scriptura promulgatis, c. 139. 2177
De diuinis iudicijs in generali, c. 140. 2179
Qualiter misericordia, & veritas in eis occurrunt, c. 141. ibid.
De ira Dei, c. 142. 2180
Quod Deus semper inuitus punit, c. 143. 2181
Qualiter peccatores per ministerium creaturarum affligit, cap. 144. 2182
De malis iustitiæ diuinæ ministris, c. 145. 2183
Quod illis tradit iustitiæ ministeria pro gradibus vel meritis, ca. 146. 2184
Quod ex angelis & ex hominibus potestatis suæ ministros facit, capite 147. ibid.
Quales in hominibus rectores, ac doctores eligi constituit, cap. 148. 2185
Qualiter Deus ad verbum doctrinę gratiam infundit, c. 149. 2186
Qualiter prædictorum vias disponit, ac dirigit, c. 150. 2187
Qualiter humilibus gratiam tribuens superbis resistit, c. 151. 2188
De occultis Dei iudicijs, c. 152. 2189
De iudicio discretionis, c. 153. 2190
De iudicio correctionis, c. 154. ibid.
De iudicio interrogationis, & probationis, c. 155. 2191
Qualiter Deus in sanctis vim arcet tentationis, c. 156. 2192
Qualiter eos seruet à vento elationis, c. 157. 2193
De iudicio purgationis quo in præsenti electos purgat, c. 158. 2195
Cur Deus quorundam peccata tamdiu dissimulat, c. 159. ibid.
Cur quosdam in peccato relinquens indurat, c. 160. 2196
De iudicio diuinæ discussionis, c. 161. 2197
De eodem, c. 162. 2199
De iudicio præsentis vltionis, c. 163. 2200
De iudicio secretissimæ animaduersionis, c. 164. ibid.
Quod Deus non iudicat in idipsum bis, c. 165. 2201
Qualiter Deus vindicat iniquitates patrum in filijs, c. 166. 2202
De iudicio mortis carnalis, c. 167. 2203
De iudicio futuræ purgationis, c. 168. 2204
De iudicio perpetuæ damnationis, c. 169. 2206
De iudicio diuinæ remunerationis, c. 170. 2207

INDEX LIBRI XXX.

Tricesimus liber prosequitur de institutione naturæ, præcipuéque humanæ, & eius primo statu, & immutatione. Nam & homo propter quem facta sunt vniuersa, quoddam vniuersum rectè dicitur, eo quod vniuersum creaturę genus iuxta Gregorium in ipso sit aggregatum. Et ideo microcosmus, id est minor mundus à Philosophis appellatur. Et habet 95. cap.

Epilogus de institutione naturæ, & specialiter humanæ, cap. 1. 2209.
Epilogus de consideratione creaturæ, c. 2. 2210
De miraculis naturę, c. 3. 2211
Epilogus de plantatione Paradisi, c. 4. 2212
De lignis eiusdem, c. 5. 2213
Epilogus de formatione hominis, c. 6. 2214
De translatione ipsius in paradisum, c. 7. 2215
De adiutorio homini faciendo, c. 8. 2216
De adductione animantium ad eum, c. 9. 2217
De formatione mulieris ex costa viri, c. 10. 2218
De errore Philosophorum circa conditionem generis humani, cap. 11. 2219.
Adhuc de eodem, c. 12. 2221
Epilogus de humani corporis, & animæ coniunctione capite 13. 2222.
Cur Deus & mulierem, & omnes homines ex vno Adam voluit procedere, c. 14. 2223
De impositionibus nominum Adę & Euæ, c. 15. ibid.
De prophetia Adæ, c. 16. 2224
Qualiter in coniugij præparatione prohibita est omnis species luxuriæ, c. 17. 2225
De statu primorum parentum ante peccatum, c. 18. 2226
De triplici eorum cognitione, c. 19. 2227
De naturali eorum virtute, c. 20. 2228
De variis bonis eiusdem ab initio præparatis, c. 21. 2229
De appetitu iusti, & commodi, c. 22. ibid.
De mensura sibi impositi in appetitu commodi, c. 23. 2230
De multiplici custodia sibi data, 24. ibid.
De immortalitate ipsorum cibis sustentanda, c. 25. 2231
De ipsorum in melius translatione futura si perstitissent in innocentia creata, c. 26. ibid.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quod eus, & prouidentia carnis, & exercitium operis oblectamento eſſent, c.27. 2232
De multiplici præcepto diuinitus illis dato, c.28. 2233
De illo, quod datum eſt ad naturæ ſuſtentationem, c 29. ibid.
De illo, quod datum eſt ad ſui generis multiplicationem, c.30. 2234
Qualiter coniugium eſſe dicatur in præceptis ipſius naturæ, capit.31. 2235.
Qualiter vnicam vnius eſſe ſit de naturali iure, c.32. 2236
Cur olim cum viris diſpenſatum eſt, vt haberent plures, non autem econuerſo, c.33. 2236
Contra reprehenſores Patrum in hac parte reſponſio, c.34. 2237
Item de ſanctis mulieribus olim prolem deſideranubus, c.35. 2238
De coniugali fœdere, c.36. 2239
De coniugij electione, c.37. 2240
De mutua coniugum dilectione, c.38. ibid.
Item de eadem, c.39. 2241
De tribus matrimony bonis, & primo de fide, c.40. 2242
De prole religioſa, & ipſius educatione, c.41. 2243
De tertio matrimony bono, id eſt ſacramento, c.42. 2244
Quod nunc virginitas præferatur matrimonio, c.43. 2245
Quod eidem prælata fuit etiam à principio, c.44. ibid.
De virginitatis prærogatiuis, c.45. 2246
Exhortatio ad cuſtodiam virginitatis, c.46. 2247
De virginibus Deo conſecratis, c.47. ibid.
De virginibus martyrio coronatis, c.48. 2248
De virginibus lapſis, c.49. 2249
De nuptiarum incommodis, c.50. 2250
De iiſdem, c.51. 2251
De ſanctis coniugij quorundam, c.52. 2252
De commendatione boni coniugalis, c.53. 2253
Qualiter primi parentes generaſſent ſi non peccaſſent, c.54. ibid.
Quod illius generationis motus, & in hominibus, & in animalibus exempla quædam apparent, c.55. 2254
Quales filios in illo ſtatu generaſſent, c.56. 2255
De his, qui eos in paradiſo commiſceri non credunt licuiſſe, capite 57. 2256
De tertio præcepto naturæ, c.58. 2257
De regula dilectionis Dei, c.59. 2258
De regula dilectionis proximi, c.60. 2259
De ordine charitatis ad proximum, c.61. 2260
De duabus regulis eius quantum ad effectum, c.62. 2261
De ſumma ordinis charitatis quantum ad effectum, c.63. ibid.
De præcepto diſciplinæ dato ad probationem obedientiæ, c.64. 2262
Qualiter homo præceptum illud potuit intelligere, c.65. 2263
Cur Deus hominem à ſe factum tentari, & labi permiſit, quem conſenſurum præſciuit, c.66. ibid.
Qualiter ad ſuam, & electorum gloriam mala reducit, c.67. 2264
Qualiter diabolus ad hominem tentandum acceſſit, c.68. 2265
Qualiter tentando proceſſit, c.69. 2266
De tranſgreſſione mulieris ac viri, c.70. 2267
De grauitate illius peccati, c.71. ibid.
Quod non vir ſed mulier ſeducta ſit, c.72. 2268
Quis eorum plus peccauit, c.73. 2269
Qualiter apertis oculis ſe nudos cognouerunt, c.74. 2270
Qualiter genitalia ſua contexerunt, c.75. 2271
Cur homines motus libidinis pluſquam aliarum affectionum vitioſarum erubeſcunt, c.76. ibid.
De interrogationibus, & excuſationibus viri, & mulieris, cap.77. 2272
De maledictionibus arborum, & primo ipſius ſerpentis, capite 78. 2273.
Qualiter peccatum hominis punitum eſt multis modis, & primo in gratuitorum ſpoliatione, c.79. 2274
De ſecunda pœna quæ eſt in naturalium læſione, c. 80. 2275
Qualiter homo deſeruit appetitum iuſtitiæ, c.81. 2276
Qualiter ſuper hoc punitus eſt in commodi retentione, c.82. ibid.
De tertia pœna, qua ejectus eſt de paradiſi felicitate, c.83. 2277
De appoſita cuſtodia ligno vitæ, c. 84. 2278
De quarta pœna, quæ eſt in rerum ſenſibilium punitione, capite 85. 2279
De quinta pœna, quæ eſt in totius poſteritatis damnatione, capite 86. 2280.
De moderatione diuinæ ſententiæ in hac parte, c.87. ibid.
Quid ſit peccatum originale, c.88. 2281
Qualiter transfundi poſſit cum eius ſubiectum, id eſt, anima non ſit ex tradvce, c. 89. 2282
Quod non ſolum originale, ſed etiam actualia peccata, & culpæ ſunt, & pœna, c.90. 2283
De peccati diuiſionibus, & primo de ſeptem vitijs capitalibus, ca.91. 2284
De peccato cordis, & oris, c.92. 2285
De peccato operis, & primo de impietate quæ committitur in Deum, cap.93. ibid.
De flagitio, quod committit homo in ſeipſum, c.94. 2286
De facinore, quod committitur in proximum, & etiam de peccato in Spiritum ſanctum, c.95. 2287

INDEX LIBRI XXXI.

Trigeſimuſprimus liber agit de humana generatione, ſecundum ſtatum culpæ ac de rebus homini naturalibus, & hominum varietate. Habet 132. Cap.

De humanæ generationis initio, c.1. 2289
De natura coitus per quem fit humana generatio, c.2. 2291
De vitioſitate coitus ex prima origine, c.3. 2292
De ipſius vitij excuſatione, c.4. 2293
Cur magis in coitu feruent mulieres, quàm viri, c.5. 2294
De temporibus cocundi, c.6. 2295
De horis naturaliter congruentibus illi oneri, c.7. 2296
De his, quæ coitum iuuant, & his quę impediunt, c.8. 2297
Diſtinctio generalis de coitu coniugali, c.9. 2298
De ſemine generationis humanæ, c.10. 2299
De ipſius origine, c.11. 2300
De cauſis exuberationis in ſpermate, c.12. 2301
De cauſis erectionis virgæ, c.13. ibid.
De carnis pollutione, c.14. 2302
De cauſis pollutionis nocturnæ, c.15. 2303
De illa, quæ prouenit ex naturę ſuperfluitate vel infirmitate, c.16. 2304.
De illa, quæ accidit ex crapula vel ebrietate, c.17. 2305
De illa, quæ prouenit ex præcedenti cogitatione, c. 18. 2306
De illa, quę accidit tantum ex imaginaria viſione, c.19. 2307
De illa, quæ fit ex diabolica illuſione, c.20. ibid.
Cur pollutio nocturna ſecundum ſe culpabilis non ſit, c.21. 2308
Qualiter huiuſmodi tabes radicitus euelli poſſit, c.22. 2309
Quod ad hanc puritatem obtinendam non tam in afflictione carnis quàm in gratia Dei confidendum ſit, c.23. 2310
De menſtruali ſanguine, c.24. 2311
De cauſis ſterilitatis in viro, & muliere, c.25. 2312
Cur raro concipiunt meretrices proſtitutæ, c.26. 2313
Cur frequentis coitu non impregnantur etiam coniugatæ, c.27. ibid.
Quod ad ſeminationem fœtus oportet affectum vtriuſque parentis concurrere, c.28. 2314
Qualiter diſcerni poſſit an impediatur conceptus ex parte maris, an fœminæ, c.29. ibid.
De tempore conceptioni ac generationi congruente, c.30. 2315
De ſuſceptione ſeminis, & coagulatione, c.31. ibid.
De mulieris impręgnatione, c.32. 2316
De duorum ſpermatum commixtione, c.33. 2317
De panniculis contentis in matrice, c. 34. 2318
De ſecundinarum cum venis & arteriis ſuis creatione, c.35. ibid.
Qualiter in matrice diſcernitur ſexus ab ipſa conceptione, capite 36. 2319
De cauſis, & ſignis diſcretionis prædictæ, c.37. 2320
De operatione ſolis ac cæterorum Planetarum in humana generatione, c.38. ibid.
De opinione Albumaſar ſuper conſtellationis circa fœtus operatione, c.39. 2321
De ipſius fœtus aſſimilatione, c.40. 2322
De cauſis geminorum ac monſtruoſorum fœtuum in conceptione, capite 41. 2323
De ſignis mulieris prægnantis, c. 42. ibid.
De embrionis formatione, c. 43. 2324
Qualiter primo formantur in eo membra principalia, cap. 44. 2325
Qualiter formantur & cætera, c.45. 2326

Quod

Quod hæc omnia fiunt ab artifice natura,c.46. 2327
Qualiter per quatuor tempora fit eius complementum,c.47. ibid.
Breuis epilogus præcedentium,c.48. 2328
De animæ infusione in embrione,c.49. 2329
De situ vel positione infantis in vtero,c.50. 2330
De ipsius fœtus alimento,c.51. ibid.
De termino partus, & eiusdem effusione,c.52. 2331
De multiplici causa difficultatis pariendi,c.53. ibid.
De aborsu, & corruptione fœtus,c.54. 2332
De diuersis causis aborsus,c.55. 2333
De signis aborsus, & difficultate partus, c.56. 2334
De modo vel arte obstetricandi,c.57. ibid.
De susceptione nascentis pueri,& eius lactatione,c.57.& 58. 2335
De eligenda nutrice,& eius regimine,c.59. 2337
De infantis oblectatione,c.60. ibid.
De cibis hominis ante & post peccatum datis,c.61. 2338
De variis apud diuersos vescendi modis,c.62. 2339
Quod cibo & potu iugiter reparantur ruinę corporis,c.63. ibid.
De dilatione mortis,c.64. 2340
De custodia sanitatis,c.65. 2341
De quatuor elementis corporis,& quatuor qualitatibus,ca.66. 2342
De complexionibus,c.67. ibid.
De signis complexionis totius corporis,c.68. 2343
De quatuor humoribus,c.69. 2344
De locis eorum,& temporibus ac signis,c.70. 2345
De generatione ipsorum,c.71. ibid.
De causis eorundem,c.72. 2346
De signis abundantiæ singulorum humorum in corpore,c.73. 2347
De anatomia membrorum,c.74. 2348
De gradibus ætatum,c.75. ibid.
De infantia,& eius miseria,c.76. 2349
De primo vagitu infantis,huius vitæ miserias deplorantis, cap.77. 2350
Cur infans debilior nascitur cæterorum animalium fœtibus, cap.78. 2351.
De regimine infantium in dieta,& moribus,c.79. 2352
De pueritia,& eius miseria,c.80. 2353
De regimine puerorum in dieta,& moribus,c.81. 2354
De adolescentia, & iuuentute,& earum lubricitate,c.82. 2355
De prædictarum ætatum regimine,c.83. 2356
De adolescentia,vel iuuenilis floris labilitate,c.84. 2357
De incolumitate,c.85. 2358
De corporali pulchritudine,c.86. 2359
De senectute,c.87. 2360
De incommodis senectutis,& eius remedijs,c.88. 2361
De regimine illius ætatis,cap.89. ibid.
De canicie,& caluitie,& earum remedijs,c.90. 2362
De varietate complexionis,secundum gradus ætatis, c.91. 2364
De variis dispositionibus corporum,c.92. 2365
De signis communibus dispositionum,c.93. ibid.
De signis sanitatis,c.94. 2366
De signis ægritudinis,c.95. 2367
De pronosticis ægritudinum futurarum,c.96. 2368
De diuersis causis ægritudinum,c.97. ibid.
De speciebus earum,c.98. 2369
Qualiter consilio medici sit vtendum,c.99. 2370
De curatione ægritudinum,c.100. 2371
De signis mortalibus,c.101. 2372
De breuitate vitæ huius,c.102. 2373
De multiplici miseria præsentis vitæ,c.103. 2374
Iterum de multiplici eiusdem calamitate,c.104. 2375
De propria iustorum pœnalitate,c.105. 2376
De moriendi necessitate,c.106. 2377
De compendio mortis,& eius equitate,c.107. 2378
De contemnenda morte,c.108. 2380
De prudenti contra mortem præparatione,c.109. 2379
Quod non sit ad mortem currendum præfastidio vitæ, c.110. 2380
De cæteris rebus hominii naturalibus, & primo de coloribus corporum,c.111. 2382
De figuris eorum,& primo de pinguedine,& macie,c.112. ibid.
De soliditate ipsorum,& raritate,c.113. 2383
De differentia maris & fœminæ,c.114. 2384
De mulierum vitijs,c.115. 2385
De regimine mulieris prægnantis,c.116. ibid.
De regimine parientis,c.117. 2386
De partubus geminis,& monstruosis,c.118. 2387
De portentis,ca.119. 2388
De varijs portentorum modis,c.120. ibid.
De portentis,& monstris fabulosis,c.121. 2383
De transformatis,c.122. 2390
De quorundam virorum miris ac singularibus naturis,c.123. ibid.
De quibusdam mulieribus barbatis,& monstruosis,c.124. 2391
De quorundam vtriusque sexus corporibus immensis,c.125. ibid.
De gentibus monstruosis,& primo de gigantibus,& cenocefalis,capite 126. 2392
De cyclopibus,ac cæteris,c.127. 2393
De eodem, c.128. ibid.
De quarundam gentium moribus extrancis,c.129. 2394
Adhuc de eodem,c.130. 2395
De barbaris moribus Indorum,c.131. 2396
De moribus singularibus cæterarum regionum,c.132. 2397

INDEX LIBRI XXXII.

Trigesimussecundus liber agit de locis hominis habitabilibus, ac de temporibus quibus per generationum successiones vsque ad finem decurrit humanum genus. Et habet 106. capitula.

DE locis ac temporibus, & primo de tribus orbis partibus, ca.1. 2399.
De Asia,& eius capite,quod est paradisus,c.2. 2400
De India,& eius mirabilibus,c.3. 2401
De cæteris Asiæ regionibus,c.4. ibid.
De eisdem,c.5.6 & 7. 2402
De Asia minori,& eius prouincia,c.8. 2404
De Europa,& eius regionibus,c.9. 2405
De Græcia,& eius prouincijs,c.10. 2406
De ijsdem,c.11. ibid.
De cęteris prouincijs Europæ,c.12. 2407
Adhuc de ijsdem,c 13. 2408
De Africa,& regionibus illius,c.14. 2409
De ijsdem,c.15. 2410
De insulis Oceani quo cingitur orbis,c.16. 2411
Iterum de ijsdem,c 17. ibid.
De insulis maris magni,scilicet Mediterranei,c.18. 2412
De cicladibus,c.19. 2413
De cæteris insulis maris magni,c.20. ibid.
De ijsdem,c.21. 2414
De tempore,& cursu eius,c.22. 2415
De tribus sæculi temporibus,c.23. ibid.
De mutatione præceptorum, & sacramentorum pro varietate temporum,c.24. 2416
De incremento humanæ iustitiæ per temporis processum, capit. 25. 2418
De sex ætatibus sæculi,c.26. 2419
Cronica primæ ætatis,c.27. ibid.
Cronica secundę ætatis,c.28. 2420
Cronica tertiæ ætatis ab Abraham vsque ad Ioseph,c.29. 2421
Tempora abortu Isaac vsque ad mortem Ioseph,c.30. 2421
Tempora Moysi vsque ad exitum Ægypti,c.31. 2422
Tempora ab exitu Ægypti vsque ad mortem Moysi,c.32. ibid.
Cronica Iosue,& Iudicum,c.33. 2423
Cronica ab Othoniel vsque ad Iepte,c.34. ibid.
Cronica à Iepte vsque ad Dauid,c.35. 2424
Cronica Dauid & Salomonis,c.36. 2425
Cronica à Roboam vsque ad Oziam,c.37. ibid.
Cronica Oziæ, Ioathan,& Achaz,c.38. 2426
Cronica Ezechiæ,Manasses,& Amon c.39. 2427
Tempora Iosię,& filiorum eius vsque ad Sedechiam,c.40. ibi.
Tempora Sedechiæ,& captiuitatis Iudaicæ,c.41. 2428
Cronica Ciri Regis Persarum, & Cambisis,& duorum fratrum, cap. 42. ibid.
Cronica à Dario filio Itaspis vsq; ad Darium Nothum,c.43. 2429
Cronica à Dario Notho vsque ad Darii Arsami filium,c.44. 2430
Cronica à Dario filio Arsami vsque ad mortem Alexandri Magni, cap.45. ibid

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Cronica Ptolæmeorum Regum Ægypti Sotheris,& Philadelphi,capite 46. 2431
Tempora Euergetis,& Philopatoris,& Epiphanis,c.47. ibid.
Cronica Philometoris,& Euergetis,c.48. 2432
Cronica Phiſconis & Alexandri.c.49. ibid.
Tempora Dionyſij,& Cleopatræ,c.50. 2433
Tempora Romanorum Imperatorum Cæſarum,& Auguſti,cap.51. ibid.
Tempora Incarnationis Domini,c.52. 2434
Tempora Tyberij Gaij,& Claudij,c.53. 2435
Tempora Neronis,c.54. ibid.
Tempora Galbæ,Othonis,& Vitellij,c.55. 2436
Tempora Veſpaſiani, & Tyti,c.56. ibid.
Tempora Domiciani,& Neruæ,c.57. 2437
Tempora Traiani,& Adriani,c.58. ibid.
Tempora Antonini Pij,& Antonini Veri,c.59. 2438
Tempora Commodi,& Pertinacis Seueri,& Caracallæ, capitulo 60 2439.
Tempora Aurelij,Alexandri,Maximini,Gordiani, & Philippi,capite 61. ibid.
Tempora Decij,Valeriani,& Galieni,& Claudij,c.62. 2440
Tempora Aureliani,Taciti,Floriani,Probi,Karini,c.63. 2441
Tempora Diocletiani,& Maximiani,& Galerij,c.64. ibid.
Tempora Conſtantini Magni,c.65. 2442
Tempora Conſtantini hæretici,Iuliani Apoſtatæ,& Iouiniani,c.66. 2443
Tempora Valentiniani, Valentis,& Graciani,c.67. 2444
Tempora Theodoſij Senioris,Arcady,& Honorij,c.68. 2445
Tempora Honorij,& Theodoſij Iunioris, & Valentiniani, ca.69. 2446
Tempora Martiani,Leonis,atque Zenonis,c.70. 2447
Tempora Anaſtaſij,& Iuſtini Senioris.c.71. 2448
Tempora Iuſtiniani legum compilatoris.c.72. 2449
Tempora Iuſtini Minoris,& Tyberij ſecundi,c.73. 2450
Tempora Mauricij,& Focæ eiuſdem interfectoris,c.74. ibid.
Tempora Heraclij,& eius filij Conſtantini,c.75. 2451
Tempora Conſtantis,qui & Conſtantinus Tertius,c.76. 2453
Tempora Conſtantini Quarti,c.77. ibid.
Tempora Iuſtiniani Secundi,Leonis, quoque Secundi, & Abſimari, cap 78. 2454
Tempora Philippi, & Archemij, Theodoſij Tertij, Leonis quoque Tertij.c.79. 2455
Tempora Conſtantini quinti,c.80. 2456
Tempora Leonis quarti,& Hirenes,& Conſtantini Sexti,c.81. 2457
Tempora Caroli Magni,c.82. 2458
Tempora Ludouici Pij,c.83. 2459
Tempora Lotharij primi,c.84. 2460
Tempora Ludouici ſecundi c.85. ibid.
Tempora Caroli ſecundi,& tertij,c.86. 2461
Tempora Ludouici tertij, Conradi primi, Henrici primi,cap.87. 2462.
Tempora Othonis primi,c.88. 2463
Tempora Othonis ſecundi,& tertij,c.89. 2464
Tempora Henrici ſecundi,Conradi tertij,c.90. 2465
Tempora Henrici tertij,c.91. ibidem
Tempora Henrici quarti,c,92. 2466
Tempora Henrici quinti,c.93. 2467
Tempora Lotharij ſecundi,& Conradi tertij,c.94. 2468
Tempora Friderici primi,c.95. 2469
Tempora Henrici ſexti,c.96. ibidem
Tempora Philippi ſecundi,c.97. 2470
Tempora Othonis quarti.cap.98. 2471
Tempora Frederici ſecundi,cap.99. ibid.
Tempora ætatis noſtræ, vſque ad condemnationem prædicti Frederici,cap.100. 2472
Tempora vacationis Imperij, cap.101. 2474
De temporibus præſentibus, & futuris,cap.102. 2475
De temporibus Antichriſti,cap.103. 2476
De interuallo temporis inter Antichriſti mortem, & aduentum iudicis,cap.104. 2477
De vltima die iudicij,cap.105. 2478
De innouatione mundi,& luminarium cæli,cap.106. 2480

FINIS.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX
MATERIARVM OMNIVM
IN SPECVLO NATVRALI VINCENTII
EXISTENTIVM,

ORDINE ALPHABETICO DISTINCTVS:

In quo primus numerus librum, ſecundus capitulum demonſtrat.

A

Beston, *lib.*8. *cap.*27
*Abrotanum herba, lib.*10. *cap.*12
Abſinthium herba, libro 9. *cap.*21. 22. & 23.
*Acalitex herba, lib.*10. *cap.*13
*Achantus, lib.*9. *cap.*24
*Achates, lib.*8. *cap.*37
*Abies arbor, lib.*12. *c.*44. & 45
*Acer arbor, lib.*12. *c.*46
*Achatis origo, & ſpecies, li.*8. *c.*38
*Aconitum venenum, lib.*9. *c.*25
*Acorus herba, lib.*9. *c.*26
*Adamans, lib.*8. *c.*39
*Agnus caſtus arbor, lib.*12. *c.*47
*Adamantis genus, lib.*8. *c.*40
*Adoreum tritici genus, lib.*11. *c.*58
*Aër peſtilentioſus, lib.*4. *c.*113
*Aer quid ſit, lib.*4. *c.*9.
*Aer quod ſit vnum & verum corpus, lib.*4. *c.*11
*Aer temperatus & intemperatus, lib.*4. *c.*109
*Aeris locus & motus, lib.*4. *c.*11
*Aeris naturales proprietates, lib.*4. *c.*10
*Aeris Orientalis & Occidentalis proprietates, lib.*4. *c.*111
*Aeris proprietates Septentrionalis, lib.*4. *c.*10
*Aeris tres partes ſiue regiones, lib.*4. *c.*22
*Aeris vicinitas & ſitus, lib.*4. *c.*112
*Ætheris nomine quid ſignificetur, lib.*4. *c.*8
Angeli boni qualiter imprimant animæ locutiones ſuas, libro 26. *cap.*71
*Aeris diuerſæ ſpecies, lib.*7. *c.*25
*Aeris vel cupri operatio in alchimia, lib.*7. *c.*26
*Aeris virtus in medicina, lib.*7. *c.*27
*Æui & æternitatis differentia, & temporis, lib.*3. *c.*74
Vide conuenientiam illorum trium, ibid. *c.*75
*Æſtas, lib.*15. *c.*67
*Aſſodillus herba, lib.*9. *c.*27
*Aeris qualitas, lib.*15. *c.*69
*Aeris varietas qualitatum, lib.*15. *c.*70
*Agapus potentia, lib.*8. *c.*42
*Agaricum, lib.*9. *c.*28. & 29
*Agri colendi electio, lib.*10. *c.*4
*Agri electio, lib.*6. *c.*45
*Aliſon & alaus arbores, lib.*12. *c.*48
*Agri emendatio, lib.*10. *c.*6
*Aquiſolium arbor, lib.*12. *c.*49
Angeli boni qualiter incendant in anima cogitationes bonas, lib. 26. *cap.*72
*Animæ diuiſiones, lib.*25. *c.*1
*Animæ vires cognitiuæ & apprehenſiuæ, lib.*25. *c.*2
*Apprehendendi modus, lib.*25. *c.*6
*Apprehenſiuæ diuerſæ vires, quod formam abſtrahant à materia, lib.*25. *c.*7
*Apprehenſiua vis ſenſibilis, lib.*25. *c.*8
*Apprehenſiua ſenſibilis exterius, lib.*25. *c.*9
*Animalia quædam quæ nocte vident, lib.*25. *c.*35
*Auditus diffinitio, lib.*25. *c.*50
*Auditus cur ſecundus ſenſus, lib.*25. *c.*51
*Auditus organum, lib.*25. *c.*52
*Aurium concauitas ac mobilitas, lib.*25. *c.*53
*Aurium obiectum, lib.*25. *c.*54
*Affectionum diuerſæ cauſæ, lib.*27. *c.*71. & 72
*Affectionum radices, lib.*27. *c.*73
*Affectionum carentia, ſiue apathya, lib.*27. *c.*75
*Arteriæ, lib.*28. *c.*25
*Aures humanæ, lib.*28. *c.*51
*Anchæ, nates, & coxarum, lib.*28. *c.*92
Antichriſti inter mortem & aduentum iudicii interuallum, lib. 32. *c.*104
*Antichriſti tempora, lib.*32. *c.*103
*Aphrica, & eius regiones, lib.*32. *c.*14. 16. 17
*Aphricæ inſulæ, lib.*32. *c.*18. 19. 20. 21
*Adam ex vno cur mulieres, & omnes homines voluit Deus procedere, lib.*30. *c.*14
*Adæ & Euæ impoſitio nominum, li.*30. *c.*15
*Adæ Prophetia, lib.*30. *c.*16
*Agricolarum inſtitutio, li.*10. *c.*5
*Arundo arbor, li.*12. *c.*67
*Amigdala & eius virtus, li.*12. *c.*2. & 3
*Anima vires ſenſibiles interius apprehenſa, li.*25. *c.*85
*Agriculturę ratio, li.*6. *c.*42
*Auellana fructus, li.*12. *c.*4
*Agreſta, lib.*14. *c.*124
*Autumnum, lib.*15. *c.*68
*Agri electio conſideranda, li.*6. *c.*46
Aſſimilatio in augmentatiua aliter fit, quàm in nutritiua, libro 24. *cap.*77.
*Agri ſtercoratio, lib.*6. *c.*52
*Amor Dei ad opera ſua, lib.*29. *c.*73
*Agrimonia herba, li.*9. *c.*30
*Apprehenſionis differentiæ, ſecundùm diffinitionem abſtractionis, lib.*27. *c.*37
*Achacia ſuccus pomorum, li.*14. *c.*90

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Agris incultis aperiendis, lib.6. c.56
Abſtractionis veriſimus modus, lib.27. c.36
Alabaſtrites, lib.8. c.16
Aloe ſuccus, lib.11. c.113
Aloes ſpecies diuerſæ, lib.11. c.115
Album, & frigidum multipliciter à calido, & frigido generantur, lib.2. c.64
Alchamia herba, lib.9. c.31
Alchimiæ claues, & inſtrumenta, lib.7. c.88
Alchimię magiſtri qui, & eius materia, lib.7. c.87
Alchimiæ operatio in corporibus metallicis, lib 7. c.95
Allectarius lapis, lib.8. c.43
Allium, lib.10. c.14.15.16
Aloe herba amara, lib.9. c.32
Alteratio vt fiat in aliquo, quinque requiruntur, li.3. c.53
Altea agreſtis malua, lib.9. c.33
Alumen, lib.7. c.73
Alica genus grani, lib.11. c.59
Angelus animam docet, lib.26. c.74
Aluminis origo, & natura, li.5. c.94
Amigdala, lib.14. c.4.5.& 6
Anacardus fructus, lib.14. c.7
Anellana, & eius virtus, lib.14. c.8.& 9
Aluminis virtutes, lib.5. c.95
Amilum, vel amidum, lib.11. c.55.& 56
Amaricus, & ammoſcus herbæ, lib.10. c.17
Ameos, & aneti ſemen, lib.11. c.2
Amaſillus, lib.8. c.44
Ambria, & ambroſia, lib.9. c.34
Anabalba, & anagalla, lib.9. c.35
Andrafraxis herba, lib.10. c.18
Androdamanta, lib.8. c.45
Anchuſa, lib.9. c.36
Aneſum, & anetum, lib.10. c.19
Animæ vires quas habet quoad ſe, lib.27. c.1
Animę virium diſtinctiones, lib.27. c.24
Angeli animarum cuſtodes, lib.1. c.74
Angeli boni diuiſi ſunt à malis, lib.2. c.98
Angeli effecti ſunt Dæmones per peccatum, lib.2. c.100
Angeli effectus circa inferiorum informationem, li.1. c.58
Angeli mali deiecti, boni verò confirmati, li.2. c.99
Angeli miniſterium, li.1. c.66
Aeris calefactio in Sole, lib.15. c.5
Aeris diſpoſitionum ſigna in Sole, lib.15. c.6
Angeli miſſio, lib.1. c.65
Anabula ſuccus, lib.1. c.116
Annus ſolaris, lib.15. c.84
Regularis ſolaris & concurrens, ibid. c.85.& 86
Animæ raptus vltra duo genera viſionum, li.26. c.100
Angeli motus diuinam maieſtatem circumiens, li.1. c.57
Aloe arbor, lib.13. c.62
Amomum, & aſphalatros arbores, lib.13. c.63
Ammoniaca gutta, lib.13. c.82
Angeli nec miſeri, nec beati creati ſunt, li.1. c.32
Annus lunaris, lib.15. c.89
Aureus numerus & annus lunaris communis, li.15. c.90
Annus regularis communis, li.15. c.91
Angeli prouinciales, lib.1. c.68
Animæ raptus ad id, quod eſt ſupra naturam, libro 26. capit. 101. & 102
Angeli pſallenti aſſiſtunt, lib.1. c.75
Aſa fœtida gumma, lib.13. c.83
Angeli, quod facti ſunt ad inuicem, lib.1. c.30
Angeli ſoliciti de ſalute animarum, lib.1. c.76
Angelica cognitio matutina & veſpertina, li.1. c.19
Angelorum confirmatio & beatitudo eorum, li.1. c.36
Angelorum dona, lib.1. c.43
Angelorum excellentia ſecundùm dona, li.1. c.45
Angelorum liberum arbitrium ſcientia & dilectio, li.1. c.31
Angelorum linguæ, lib.1. c.39
Angelorum meritum, lib.1. c.73
Angelorum mobilitas, & acumen dilectionis, li.1. c.55
Angelorum motus, lib.1. c.67
Angelorum mutuæ locutiones, lib.1. c.40
Angelorum nomina propria, lib.1. c.69
Angelorum nouem ordines, lib.1. c.44
Angelorum ordines non diſtincti ante caſum, li.1. c.46
Angelorum poteſtas, lib.1. c.41
Angelorum ſacer principatus, lib.1. c.42
Angelorum ſcientia motu affectionis, lib.1. c.38
Angelorum varia diſtinctio ordinum, li.1. c.47
Angelus quid ſit, lib.1. c.29
Arborum germinatio, lib.12. c.19
Arborum flores, & varietas eorum, li.12. c.20
Arborum fructificatio, lib.12. c.21
Animæ quomodo in Paradiſum deportentur ab Angelis, lib. primo, cap.73
Amiſum ſemen, lib.11. c.3.& 4
Anthimonium, lib.7. c.49
Apij diuerſæ ſpecies, lib.10. c.21
Apium herba, ibid. c.20
Apij ſemen, & aſparagi, & attriplicis, lib.11. c.5
Aqua cocta, lib.1. c.73
Arborum plantatio, & tranſlatio, lib.12. c.14
Arborum cultura, ibid. c.13
Aqua eligenda ad potandum, lib.5. c.75
Arborum inſitio, lib.12. c.15.& 16
Arborum incrementum & magnitudo, lib.12. c.18
Aqua pernicioſa & venenoſa quæ, lib.5. c.77
Arbores aromaticæ, lib.13. c.61
Arborum & frondium colores varij, lib.12. c.9
Arborum folia quorundam perpetua, lib.12. c.10
Arborum frondes deciduæ, lib.12. c.11
Arborum vmbræ, & ſtillicidia, lib.12. c.12
Aquæ calidæ & frigidæ, lib 5. c.70
Aquæ cur cœli nomine appellatæ, lib.3. c.101
Aquæductus quomodo faciendæ, lib.5. c.48
Aquæ naturalis proprietates, lib.5. c.6
Aquæ ſuper firmamentum qua vtilitate & neceſsitate ſint, libro 3. cap.98
Et quòd ſint pro rerum inferiorum conſeruatione, ibid. c.99
Aquarum congregatio, lib.4. c.1
Aquarum multitudo congregata in vnum locum, lib.5. c.3
Aquas ſuper cœlum eſſe non poſſe qui dicant, lib.3. c.91
Areæ præparatio, & frugum purgatio, lib.11. c.43
Arandi tempora, lib.6. c.55
Arborum variatio, lib.12. c.4
Arborum origo, & membra, lib.12. c.2.& 3
Arborum variatio in cortice, ramis, & foliis, libro 2. capit. 5. 6. & 7.
Aratio, lib.6. c.54
Arboracea, & aſcolania herbæ, li.10. c.23
Arbores paſtinandi, lib.6. c.62
Arborum creatio in generali, lib.12. c.1.& 2
Arena, & eius ſpecies, li.8. c.7
Arenæ natura, & ſpecies, & proprietas, li.8. c.8
Argenti fodina, lib.7. c.17
Argenti natura, lib.7. c.16
Argenti virtus in medicina, lib.7. c.19
Argenti viui fumigatio, & potio venenoſa, li.7. c.65
Argenti viui in medicina virtus, li.7. c.64
Argenti vtui operatio in alchimia, lib.7. c.62
Argentum viuum elementum omnium liquabilium, lib.7. c.63
Argentum viuum, & eius origo, & natura, li.7. c.61
Animalium fœcunditas, & ſterilitas, li.22. c.31.& 32
Ariſtolochia herba, lib.9. c.37
Animalium tempora pro impregnatione, lib.22. c.33
Animalium formatio membrorum, lib.22. c.39
Animalium monſtruoſi fœtus, li.22. c.41
Ariſtotelis diffinitio circa colores, li.2. c.60
Animalia bigeneria, li.22. c.43
Animalium crementum, & ætas, li.22. c.46
Animalium ſuperfluæ humiditates, li.22. c.47
Arnogloſſa herba, li.9. c.38
Animalium ſudor, li.22. c.48
Arborum quarundam ferocitas, li.12. c.22
Arborum varietas temporis in maturando fructus, li.12. c.23
Arboribus ad fructificandum tempora, & loca magis conuenientia, lib.12. c.23
Arborum ſterilitas, lib.12. c.25

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Arborum morbi communes, lib. 12. c.26.& 27
Arborum nocumenta, lib. 12. c.28
Arborum corruptio fructuum, li. 12. c.29
Arborum prodigia, lib. 12 c. 30. & remedia, c.31
Arborum situs, varietas, lib. 12. c.33.34.& 35
Ars diuina, qua Deus omnia creauit, li. 1. c.21
Arborum diuersus sexus, li. 12. c.36
Arborum variæ ætates, li. 12. c.37
Animalium saliua, li. 22. c.49
Arsenici operatio in alchimia, li. 7. c.70
Animalium origo lactis, li. 22. c.55.56.57.58
Arsenici virtus in medicina, li. 7. c.71
Animæ vegetabilis, & eius operatio, li. 24. c.63
Arsenicum, & eius natura, li. 7. c.69
Arborum pulchritudo, & multiplex vtilitas, li. 12. c.38
Arborum ligna cædenda tempore congruo, li. 12. c.39
Arborum proprietas in materia, li. 12. c.41
Arborum quarundam mirabilis natura, & proprietas, li. 12. c.43
Animalium prægnantium tempora, & distantia, li. 22. c.34
Animalium transfusio seminis in præparatione embrionis, libro 22. cap. 35.
Arundo herba, lib. 9. c.87
Animalium impressio formarum visarum in conceptu, libro 22. capit. 36.
Animalium distinctio sexus in embrione, li. 22. c.37
Arundo saliua, lib. 10. c.74
Animalium naturalis partus, li. 22. c.44.& 45
Animalium vrina, stercus, sperma, menstruum, & lac, lib. 22. cap. 50.51.52.53.& 54.
Animalium potus & cibus, lib. 22. c.1
Animalium diuersitas in pastu, li. 22. c.2
Animalia ruminantia, lib. 22. ibid.
Animalium voces, li. 22. c.4.& 5
Animalium varietas vocum in diuersis generibus, li. 22. c.6
Animalium sensus, lib. 22. c.7
Animalium tactus & visus, li. 22. c.8
Animalium tres sensus, li. 22. c.9
Animalium vis motiua, li. 22. c.10
Animalium somnus & vigilia, li. 22. c.11
Actus concupiscibiles, li. 27. c.66
Asa, asarum, & asclepia herba, li. 9. c.40
Animalium diuersæ causæ in somno, li. 22. c.12.& 13
Animalium causa somni, & euaporatio nutrimenti, li. 22. c.14
Animalia, quæ somno pinguescunt, lib. 22. c.15
Asparagus herba, li. 10. c.24
Animalici somnia, li. 22. c.16
Animalium ingenia & affectiones, li. 22. c.17
Amurca olei pars aquosa, li. 14. c.107
Abunc monstrum marinum, li. 17. c.101
Animalium appetitus & motus, li. 22. c.18
Æstimatis, lib. 25. c.99
Achumi qui, lib. 1. c.2
Animalium naturalis pietas & concordia, li. 22. c.19
Auium differentia, li. 16. c.3
Animalium quorundam naturalis discordia, & pugna, libro 22. cap. 20.
Animalium arma, li. 22. c.21
Atramenti operatio in alchimia, li. 7. c.75
Atramenti virtus in medicina, li. 7. c.76
Animalium motus in membris, li. 22. c.23
Atramentum, & eius natura, li. 7. c.74
Animalium sexus, li. 22. c.24
Animalia castrata, li. 22. c.25
Animalium generatio, li. 22. c.26.& 27
Attriplex alus, lib. 10. c.26
Animalium coitus, li. 22. c.28
Auena, lib. 11. c.60
Animalium diuersa tempora in coeundo, li. 22. c.29
Animalium luxuria, & continentia, li. 22. c.30
Aucupalperæ Astrologi rationes circa cæli motum, li. 3. c.10
Actus irascibiles, li. 27. c.67
Auium mutatio in colore, & plumis, voce, loco, & tempore, lib. 16. cap. 5.
Aues rapaces, lib. 16. c.6
Auium rostra, lib. 16. c.7
Auium alæ, & plumæ, li. 16. c.8
Auium pedes, & crures, li. 16. c.9
Auium vngues, lib. 16. c.10
Anima an sit in semine, lib. 24. c.75
Auerrois circa visibilitatem coloris error, li. 2. c.58
Animæ vnio ad corpus, li. 23.
Animæ essendi modus in corpore, li. 23. c.52
Augmentum & diminutio, li. 3. c.54
Anima qui corpus vegetet? lib. 23. c.52
Augustini assertio circa creationem mundi, li. 2. c.15.16.& 17
Animæ humanæ ad brutalem differentia, lib. 22. c.26
Anima qualiter corpus sensificat, li. 23. c.54
Animæ naturalis cognitio, lib. 23. c.55
Augustini sententia circa falsas transmutationes Dæmonum confutatur, lib. 2. c.107
Et vide c. 108.& 109.
Animæ passibilitas, lib. 23. c.57
Anni quatuor tempora, lib. 15. c.64
Animæ multiplex passio, lib. 23. c.58
Auium natura in generali, li. 16. c.2
Auium carnes, lib. 16. c.11
Auium volatus, & incessus, li. 16. c.12
Auium mansio, & peregrinatio, li. 16. c.13
Auium cibus, & potus, lib. 16. c.14
Auium voces, lib. 16. c.15
Auium quarundam sagacitas, lib. 16. c.16
ad Augustinum responsio circa formationem mundi, li. 2. c.23
Auium pugnacitas, lib. 16. c.17
Accipitris auis, lib. 16. c.18.& 19
Accipitris diuersæ species, li. 16. c.20
Accipitris medicina, lib. 16. c.21
Achantis & Acredula aues, lib. 16. c.22
Aëriophilon auis, li. 16. c.23
Agochiles auis, lib. 16. c.24
Alietus auis, lib. 16. c.26
Alcion auis, lib. 16. c.27
Anas, lib. 16. c. 27. Et vide ibi, c. 28.
Anser, lib. 16. c.29
Auicennæ responsio contra eos, qui dicunt metallorum transmutationem esse falsam, li. 7. c.86
Anserum generatio, & impinguatio, li. 16. c.30.& 31
Aquila, lib. 16. c. 32. Et vide c. 33.
Aquila nidus, & pullificatio, li. 16. c.35
Aquilæ senescentis renouatio, li. 16. c.36
Aquilæ medicina, lib. 16. c.37
Ardea, ardeola, alason, & asida aues, li. 16. c.38
Acacus auis paradisi, & auri frigius, li. 16. c.39
Agnus, & eius vtilitas, lib. 18. c.3.& 4
Aper, lib. 18. c.5.& 6
Aries, lib. 18. c.7.8.& 9
Asinus, lib. 18. c.10.11.12.13.& 14
Anathomia serpentum, lib. 20. c.3
Animæ passibilitas, lib. 23. c.59
Animæ separatio à corpore, lib. 23. c.60
Animæ status, & locus separatus, lib. 23. c.61
Animalium vita & mors, lib. 22. c.1
Anima de viribus corporis non crescit, li. 23. c.30
Anima non commensuratur corpori, li. 23. c.31
Animæ corporales locus, lib. 23. c.34.35.& 36
Anima rationalis non est virtus organica, siue corporea, libro 23. cap. 39.
Aurichalcum, lib. 7. c.36
Animæ motus localis, lib. 23. c.38
Animæ vnio ad corpus, lib. 23. c.42.& 43
Animæ immortalitas, li. 23. c.62
Auricula muris herba, lib. 10. c.27
Animæ immortalitatem ad probandum media, lib. 23. c.63.64. 65.66.67.68.69.70.71.72.73.
Animæ quantitas, lib. 23. c.27
Anima non crescit crescente corpore, li. 23.& 28.
Animæ immortalitas qualiter intelligi debeat, li. 23. c.74
Auri natura, lib. 7. c.7
Animæ exutæ corporibus, qualiter patiuntur in Inferno, libro 23. cap. 77.
Auri operatio in alchimia, li. 7. c.13

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Animæ, quæ patiuntur in Purgatorio, lib. 23. c. 78
Animæ, quæ requiescunt in Paradiso, ibid. c. 79
Auri præeminentia, lib. 6. c. 8
Animalibus exutis ea, quæ fiunt apud nos, innotescunt, libro 23. cap. 80.
Animæ, quæ viuentibus apparuerunt, lib. 23. c. 81
Auri prima æstimatio, lib. 7. c. 10
Anima an sit suæ vires, atque potentiæ, li. 24. c. 1
Auri virtus in medicina, lib. 7. c. 14
Animæ virium distinctio, li. 27. c. 2
Animæ vis quibus corporibus commiscetur, li. 24. c. 3
Aurum inuestigandi modus, lib. 7. c. 9
Auium generatio, lib. 16. c. 155
Auium fœcunditas, & nidificatio, & generatio, lib. 16. cap. 156. 157. & 158.
Alles piscis, lib. 17. c. 30
Anguilla, lib. 17. c. 31
Aranea, aries, arimi pisces, lib. 17. ibid.
Aspidochelone, & anrata, lib. 17. c. 33
Animalium vniuersalis natura, lib. 21. c. 1
Animalium multimoda diuersificatio, li. 21. c. 2
Animæ virtus naturalis, & species, lib. 24. c. 4
Animæ virtutes plures, lib. 24. c. 5. & 6
Animæ actiones multæ, lib. 24. c. 7. 8. 9. & 10
Abanæ, alches bestiæ, lib. 19. c. 2
Anabula, anthaphon, aucteacinor bestiæ, lib. 19. c. 3
Anguis, lib. 20. c. 17
Afferatus & affundius serpentes, lib. 20. c. 18
Anfibena & armena serpentes, li. 20. c. 19
Aspis serpens, lib. 20. c. 20. 21
Apes animalia, lib. 20. c. 77
Apum excellentia, lib. 20. c. 78
Apum solertia, lib. 20. c. 79
Aplam generatio, lib. 20. c. 80
Aplam pulli, sexus, & ætas, lib. 20. c. 81. & 82
Apum reges, lib. 20. c. 83. & 84
Apum species, vita & cibus, lib. 20. c. 85. 86. & 87
Apum mansiones, inuestigatio, collocatio, & custodia, li. 20. c. 88 89. 90. & 91.
Apum reparatio, processus ad operandum, diuersa officia, pugnacitas, & operatio, lib. 20. c. 93. 94. 95. & 96
Apes fauum condunt, lib. 20. c. 97
Apum alucaria fabricanda, castrandáque, libro 20. capit. 107. & 108.
Apum alucaria vtilia, lib. 20. c. 109
Apibus contraria & nociua, li. 20. c. 109. & 110
Apum morbi, lib. 20. c. 111
Aranea vermis, lib. 20. c. 112
Aranearum generatio & venenatio, li. 20. c. 113. 114
Arancarum diuersa genera, morsus, telaque, lib. 20. cap. 115. 116. & 117.
Animalium corpora, lib. 21. c. 3
Animalium membra, lib. 21. c. 4
Animalium capita, lib. 21. c. 5
Animalium vertices & cerebrum, li. 21. c. 6. & 7
Animalium cornua, lib. 21. c. 8. & 9
Animalium aures, lib. 21. c. 10
Animalium frontes & supercilia, lib. 21. c. 11
Animalium oculi, lib. 21. c. 12
Animalium palpebræ, lib. 21. c. 13
Animalium diuersitas in oculis, lib. 21. c. 14
Animalium oculi, lib. 21. c. 15
Animalium genæ & nares, lib. 21. c. 16
Animalium os & labia, lib. 21. c. 17
Animalium linguæ, lib. 21. c. 18
Animalium maxillæ & dentes, lib. 21. c. 19
Animalium dentes lib. 21. c. 20
Animalium mutatio in dentibus, lib. 21. c. 21
Animalium guttur & colli, lib. 21. c. 22
Animalium arma, pectus, & costæ, lib 21. c. 23
Animalium mammillæ, lib. 21. c. 24. 25
Animalium cor, lib. 21. c. 26. 27
Animalium pulmo, lib. 21. c. 28
Animalium hepar, lib. 21. c. 29
Animalium splen, lib. 21. c. 30
Animalium iecur, & fel, lib. 21. c. 31
Animalium fel, lib. 21. c. 32
Animalium medicinæ ex felle, lib. 21. c. 33
Animalium venter, lib. 21. c. 34
Animalium iamblicus, lib. 21. c. 36
Animalium coagulum, lib. 21. c. 37
Animalium intestina, lib. 21. c. 38
Animal carens sanguine an viuat, lib. 24. c. 46
Animæ passiones in communi, lib. 27. c. 103
Animalium renæ, lib. 21. c. 39
Animalium vesicæ, lib. 21. c. 40
Animalium pedes, lib. 21. c. 41. 42
Animalium genitales & testiculi, li. 21. c. 43
Animalium testiculi, lib. 21. c. 44
Animalium virga & matrix, li. 21. c. 45
Animalium caudæ, lib. 21. c. 46
Animalium pila, & plumæ, lib. 21. c. 47
Animalium diuersitas in pilis, li. 21. c. 48
Animalium color in pilis, & mutatio, li. 21. c. 50
Animalium causæ diuersitates in coloribus, li. 21. c. 51
Animalium cutis, lib. 21. c. 52
Animalium caro, lib. 21. c. 53
Animalium differentia in cibo, & medicina, li. 21. c. 54. 55
Animalium extremitates, li. 21. c. 56
Animalium nerui & cartilago, lib. 21. c. 57
Animalium ossa, lib. 21. c. 58. 59
Animalium medulla, li. 21. c. 69
Animalium pinguedo, li. 21. c. 61. 63
Animalium differentiæ inter se, li. 21. c. 63
Animalium arteriæ, & venæ, li. 21. c. 64
Animalium sanguis, li. 21. c. 65
Animalium diuersitas sanguis, li. 21. c. 66

B

Baccaris herba, li. 9. c. 41
Baccus, & rubus, li. 13. c. 5
Baligius gemma, li. 7. c. 47
Balaustia flos punici mali, li. 13. c. 19. & 20
Balneorum vinamentum & nocumentum, li. 5. c. 52
Balsami arbor, li. 13. c. 64
Balsami virtus, li. 13. c. 65. & 66
Baccalauri, li. 14. c. 10
Belirici marini, li. 14. c. 11
Balnei vsus, li. 5. c. 51
Bachora animal marinum, li. 17. c. 102
Bancia herba, li. 10. c. 28
Bancia, betæ, boraginis, & brassicæ semen, li. 11. c. 6
Berberi, li. 14. c. 12
Bibrones, & blata animalia, li. 20. c. 118
Bombex frondium vermis, li. 20. c. 119
Brucus fœtus locustæ, li. 20. c. 120
Buso, & bupresti vermes, li. 20. c. 121
Berillus lapis, li. 8. c. 48
Beta oleris genus, li. 10. c. 29. & 30
Barthlates auis, li. 16. c. 40
Bistarda, & bonosa aues, li. 16. c. 41
Bubo, li. 16. c. 42
Botaurus auis, li. 16. c. 43
Balena piscis, li. 17. c. 34
Borbotha, brotha, & brenna pisces, li. 17. c. 35
Bobus, li. 18. c. 15. 16. 17. 18. 19. 20
Bubalus animal, li. 18. c. 21
Bannacon animal, li. 19. c. 4
Basiliscus rex serpentum, li. 20. c. 22
Basiliscus, & eius genus, li. 20. c. 23. & 24
Behemoth, berus, & boas serpentes, li. 20. c. 25
Borax, & botracha serpentes, li. 20. c. 56
Buso animal venenosum, li. 20. c. 57
Bitumen, li. 5. c. 92
Bituminis virtutes, li 5. c. 93
Blitum, & blitus herbæ, li. 10. c. 31
Bisextus, li. 15. c. 88
Bernix, li. 13. c. 85

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Bidellæ arbores, li. 13. c. 86
Butirum, lib. 22. c. 64
Bonorum conuerſio ad lucem increatam, li. 1. c. 33
Bonitas motum, an requiratur ad prophetiam habendam, libro 26. cap. 84.
Bonorum illuminatio à luce increata, li. 1. c. 24
Boracis operatio, & commixtio argenti, & æris, li. 7. c. 94
Borago herba, li. 10. c. 32
Bovax eſt gemma, li. 8. c. 49
Borax gumma, li. 13. c. 87
Boriſh herba, li. 9. c. 42
Brancem, li. 11. c. 61
Branca vrſina herba, li. 9. c. 43
Braſica herba, li. 10. c. 33
Braſicæ laus & virtus, li. 10. c. 34. & 35
Bugloſſa, lib. 9. c. 44
Bulbus radix, li. 10. c. 36
Bupreſtim herba, li. 9. c. 45
Buxus arbor, li. 12. c. 51
Barba, lib. 28. c. 38
Bonum appetunt omnia, li. 29. c. 74
Bonitate diuina perfuſa eſt omnis creatura, li. 29. c. 75

C

Cadmia araria, li. 7. c. 28
Calcinatio corporum mineralium, li. 7. c. 90
Calamentum herba, li. 9. c. 47
Calamus agreſtis herba, li. 9. c. 46
Calcis operatio in vſu medicinæ, li. 8. c. 10
Calybs, & alidena, li. 7. c. 52
Calor mitigatiuus, li. 6. c. 89
Caulis cultura, virtuſque, li. 10. c. 45
Canabi, atque capparis ſemen, li. 11. c. 7
Caloris, vel ignis excitatio, li. 6. c. 90
Cardamomum ſemen, li. 11. c. 8
Calx, lib. 8. c. 9
Camedria herba, li. 9. c. 48
Camephitos herba, li. 9. c. 49
Canabum herba, li. 10. c. 28
Canna, lib. 10. c. 39
Carbones, lib. 6. c. 75
Capillum veneris herba, li. 9. c. 54
Capparis, lib. 10. c. 40
Carbunculorum genera, li. 8. c. 52
Carbunculus, lib. 8. c. 51
Cardamus, lib. 10. c. 42
Carduus, lib. 10. c. 43
Cariſteum, lib. 8. c. 18
Celidonia, lib. 8. cap. 53. & lib. 9. cap. 55.
Celonites, & Cimedia, li. 8. c. 54
Centaura, lib. 9. c. 56
Canafolium, lib. 10. c. 51
Ceraunium, lib. 8. c. 55
Ceruleum, ac purpuriſſum, li. 7. c. 105
Candreos & Cicer, li. 11. c. 62
Ceruſa, lib. 7. c. 4.
Cæni ſemen, lib. 11. c. 9.
Cartilago, lib. 28. c. 20
Ciceris medicinalis operatio, li. 11. c. 63. & 64
Chalchanti, lib. 7. c. 32. & 33
Chalcitis lapis, lib. 7. c. 31
Chriſocolla, lib. 7. c. 193
Ciclamide, lib. 9. c. 58
Cicorea, lib. 9. c. 59
Cinabrij, & auricalchi operatio, li. 7. c. 98
Cinis, lib. 6. c. 76
Cinnabar, lib. 7. c. 106
Caßia lignea, lib. 13. c. 68
Ciminum ſemen herbæ, lib. 11. c. 10
Camphora gemma, lib. 13. c. 88
Circuli in maiori ſphæra imaginandi, lib. 3. c. 17. & 18
Camphora ſuccus, lib. 11. c. 117
Circuli in maiori ſphæra duo viſibiles, lib. 3. c. 19
Caſtanea, lib. 12. c. 6
Conſcientia ſcintilla, lib. 27. c. 25
Circuli in maiori ſphæra inuiſibiles, lib. 3. c. 20
Cocognidum ſemen, lib. 11. c. 12
Ciſterna, lib. 5. c. 49
Cedria, & colophonia, lib. 13. c. 89
Cyperus, lib 9. c. 61
Cæli circa animam, qualiter Sancti cum Philoſophis concordent, li. 3. cap. 27.
Caprificus arbor, li. 12. c. 52
Caro humana, li. 28. c. 26
Ceraſus arbor, lib. 13. c. 7
Cæli dextera, ac ſiniſtra, lib. 3. c. 8
Cidonia, vel Cidonius arbor, li. 12. c. 8
Cæli & terræ dextrum & ſiniſtrum diſtinguitur, li. 3. c. 2
Cæli motus apparet ex ſtellarum motibus, li. 3. c. 33
Cæli motus effectus, ac ſtellarum in inferioribus, li. 3. c. 34
Cæli motus, lib. 3. c. 22
Cæli motus finis, lib. 3. c. 35
Cæli motus, quod ſit naturalis, & non proceſſiuus, li. 3. c. 30
Cæli omnium orbium dextra, an ſit eadem, lib. 3. c. 9
Cæli quinque, & eorum effectus in rebus inferioribus, libro tertio, cap. 83.
Cæli ſeptem, lib. 3. c. 84
Cæli triplices motores, ſecundum Philoſophos, li. 3. c. 23
Cælorum numerus, lib. 3. c. 82
Cælum aqueum, ſiue criſtallinum, li. 3. c. 90
Cælum diſtinguitur in partibus, li. 3. c. 15
Cælum empyreum, lib. 3. c. 81
Et quòd ſit immobile, ibid. c. 89
Cælorum iuxta Philoſophos habet animam ſeſe mouentem, libro 3. cap. 24.
Citrus, & eius natura, li. 12. c. 9
Cæli motu ſuo non laxantur, li. 3. c. 31
Cælum olympeum, lib. 3. c. 105
Cæli concentus falſa opinio, lib. 15. c. 32
Cæli quatuor habentes ſtellas, li. 15. c. 33
Cælum, quod dicitur firmamentum, li. 3. c. 102
Conſtellationis fatalis reprobatio, li. 5. c. 50
Cælum, quomodo ſana fide dici poſſit habere animam, libro tertio, cap. 26.
Capparus fructus, li. 14. c. 33
Cælum Trinitatis, li. 3. c. 85
Cardamomis, li. 14. c. 14
Capa, & cultura ipſius, li. 10. c. 48
Capæ virtus in medicina, li. 10. c. 49
Caßia fiſtula, lib. 14. c. 15
Caſtanea, lib. 14. c. 16. & vide ibi. c. 17.
Coniugatio quatuor elementorum, li. 2. c. 10
Coloquintida, lib. 9. c. 62
Color, an ſit obiectum tantum viſus in aſpectu colorati, lib. ſecundo, cap. 71.
Color, qualiter ſit motiuum viſus, ſecundum actum lucidi, libro 2. cap. 57.
Colores natiui, & fictitij, lib. 7. c. 97
Colores ſunt obiecta viſus in lumine, li. 2. c. 56
Ceraſum, lib. 14. c. 18. & 19
Cidonium malum, lib. 14. c. 20. & 21
Coloris diffinitio, & declaratio, li. 2. c. 59
Colorum mediorum generatio, li. 2. c. 65
Colorum generatio multiplex, li. 2. c. 62
Colorum generatio, qualiter fiat per mixturam, li. 2. c. 63
Citrinum pomum, lib. 14. c. 22
Colorum numerus, & varietas, li. 2. c. 7
Coccum, lib. 14. c. 23
Colorum nubium generatio, li. 2. c. 70
Congregatio aquarum, cur maria appellas, li. 5. c. 5
Coniza, & conſolida herbæ, lib. 9. c. 63
Conuerſio creaturæ ſenaria, lib. 2. c. 18
Corallius, lib. 8. c. 56
Cornelius, ſiue Corneolus, lib. 8. c. 58
Coronæ in aëre expreſſe, lib. 4. c. 81
Corpora mineralia, lib. 7. c. 1
Corpora ſimplicia quatuor, lib. 2. c. 3
Corporum & ſpirituum quadruplex præparatio, li. 7. c. 91

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Corporum miracula vim ignis ſubſtantia, li.6. c.71
Corporum terrenorum diuerſæ qualitates, li.6. c.82
Coruſcatio, lib.3. c.54
Cedrus arbor, lib.12. c.53.54.& 55
Coryllus arbor nuces auellaneæ, lib.3. c.10
Cinoſbatum arbor, lib.12. c.56
Cubebe fructus, lib.14. c.24
Cypreſſus arbor, lib.12. c.57.& 85
Coccus arbor, lib.12. c.59
Corallus arbor, li 12. c.60
Cœleſtium luminarium formatio, li.15. c.1
Canicula, lib.15. c.56
Cancri piſces, li.17. c.36.37.& 38
Corruptio naturalis caloris, li.24. c.53.54
Cutis, lib.28. c.30
Coſtum radix herbæ, li.9. c.64
Caab, & canis marinus animalia marina, li.17. c.103
Cutis coloratio, lib.28. c.31
Cotis, lib.8. c.14
Cinnamomum dictum eſt, li.13. c.69
Cometa, li.15. c.58
Cometarum ſententia ex Ariſtotele, li.15. c.59
Et aliorum, c.60.61.& 62.
Cyclus annalis, lib.15. c.98
Caucius, capitatus, & carpera piſces, li.17. c.40
Cetus piſcis maximus, li.17. c.41.& 42
Ceti ſperma, li.17. c.43
Conchæ piſces, li.17. c.44
Creatio empyrei, & materia informis, li.1. c.24
Cochleæ quæ, li.17. c.45
Conger, corem, & coruus piſces, li.17. c.46
Cera, & eius operatio in medicina, li.20. c.98
Caſeum, lib.22. c.62.& 63
Cor humanum, lib.28. c.59.60
Corde procedunt arteriæ, li.28. c.62
Creatio mundi à Deo, quo tempore facta, li.2. c.30
Capilli, lib.28. c.33
Capillorum color, li.28. c.34
Capillorum diminutio, & caluicies, li.28. c.35
Capillorum medicinæ, li.28. c.36
Capillorum tinctura, li. 28. c.37
Cibi inſtrumenta, li.28. c.67
Cyprus arbor, lib.13. c.71
Celethi, & cæruleum monſtra marina, li.17. c.104
Chilon, & chricos piſces, li.17. c.105
Crocodillus, animal quadrupes, li.17. c.106
Et vide cap.107.& 108.
Creaturarum gradus quibus aſcendunt homines ad cognitionem Dei, lib.1. c.13
Criſolanſis gemma, lib.8. c.60
Criſolectus lapis, lib.8. c.59
Chriſopraſus lapis, lib.8.. c.61
Cryſtalli, & aëris perpetas, lib.6. c.86
Cryſtallus, lib.8. c.62
Cantarida vermis, lib.20. c.122
Cantaridum virtus in medicina, li.20. c.123
Connubium, qualiter eſſe dicatur in præceptis naturæ, li.30. c.31
Caladrius, & calendris aues, li.16. c.44
Capo, & caprimulgus aues, li.16. c.45
Carabdrion, carduelus, & canſta, li.16. c.46
Ciconia, lib.16. c.47
Ciconiarum caſtitas & pietas, li.16. c.48
Cygnus auis, lib.16. c.49.50
Cynomulgus, cyſpedus, & citramus, li.16. c.51
Cocyx auis, lib.16. c.52
Columba, lib.16. c.53.& 54
Columbarum pudicitia, generatio, & caro, libro 16. capit. 56. 57. & 58.
Columbę operatio in medicina, li.16. c.59
Cordeulus & cornix aues, lib.16. c.60
Coruus, lib.16. c.61
Corui ſagacitas, lib.16. c.63
Corporis humani varia membrorum diuiſio, li.27. c.5
Cherubin ratio nominis, lib.1. c.61
Coturnix auis, lib.16. c.64
Crochilos auis omnium minima, li.16. c.65
Cubeth auis luxuriosa, li.16. c.66
Cuculi aues, lib.16. c.67
Caab, & canis marinus, lib.17. c.103
Chilon, & circus monſtra marina, lib.17. c.105
Crocodilus animal marinum, lib.17. c.106.107
Corporis humani cauſa, lib.28. c.1
Corporis humani creationis materia, & forma, li.28. c.2
Corporis humani dignitas, lib.28. c.3
Corporis humani membra, lib.27. c.4
Cineratio agri, lib.6. c.51
Caper duplicis generis, lib.18. c.33
Ceruus, lib.18. c.34.& 35
Ceruorum ſagacitas, lib.18. c.36
Ceruorum venatio, generatio, & ſenectus, & carnes, ac cornua, & medicinæ, lib.18. c.37.38.39.40.41.& 42
Cuniculus, lib.18. c.44
Culex animal paruum, lib.20. c.127
Culices infeſtant hortus riguos, lib.20. c.128
Cynomia muſca canina, lib.20. c.129
Corporis humani diſtinctio membrorum, ſecundùm conuenientiam actionum, li.28. c.6
Corporis humani oſſa, lib.28. c.7
Corporis humani ratio multitudinis oſſium, li.27. c.8
Corporis humani diuiſio oſſium, lib.27. c.9
Cameli animalia, lib.18. c.22.& 23
Camelorum vſus in prælijs, lib.18. c.24.25.& 26
Caprarum generatio, lib.18. c.27.& 28
Caprarum carnes, & medicinæ ex eis, lib.18. c.29.30.& 31
Capreæ, lib.18. c.32
Corporis humani oſſa ſingulorum membrorum, li.28. c.10
Ceruleus, & ceruus volans, lib.20. c.124
Cronicæ ætatum, li.32. c.26.27.28.& 29
Cronicas temporum Moyſi, Dauid, & aliorum, vide lib.
Cæcula, chelidros, & chencris ſerpentes, li.20. c.26
Cicadæ vermes, lib.20. c.125
Coriandrum, & eius medicina, lib.10. c.53
Ceraſtes ſerpens, lib.20. c.27
Coluber ſerpens, lib.20. c.28
Cicendela, cimex, & coſdros, lib.20. c.126
Croci operatio in medicina, lib.10. c.56
Crocus, & eius medicina, lib.10. c.59
Cacus monſtrum, lib.19. c.5
Cameleon, lib.19. c.6.7
Cameleontis medicinæ, lib.19. c.9
Camelopardus animal, lib.19. c.9
Canis animal, lib.19. c.10
Et cap.11.12.13.14.& 15.
Canis generatio, lib.19. c.16
Canes caci naſcentes, lib.19. c.17
Canum morbum, latratus, & morſus, lib.19. c.18.19.& 20
Canum medicinæ, lib.19. c.21
Canes rabioſi, eorum ſigna, morſus, li.19. c.22.23.24.& 25
Canum rabioſorum remedium, lib.19. c.26.& 27
Caſtor, & eius veratro, & teſticuli, li.19. c.28.29.30.31.& 32
Catoblepa, & cattus, lib.19. c.33
Cephos, & centrocota animalia, lib.19. c.34
Cirogrillus animal, lib.19. c.36
Cucumeres, & eorum virtutes, lib.10. c.58.& 59
Cœleſtia corpora, quòd non viua, lib.24. c.42.43.& 44
Comparatio formæ cœleſtium corporum ad vitam inferiorum, li.24. cap.45.
Compoſitio apta & firma vniuerſitatis, lib.29. c.8
Cucurbita, lib.10. c.60
Ipſius operatio in medicina, ibi. c.61.& 62.
Charabe gumma, lib.13. c.93
Corporis animalis augmentum, lib.24. c.74
Corpus animatum vnde augeatur, ſecundum quemlibet partem ſui, lib.24. c.75
Cerebrum humanum, lib.28. c.40
Cerebri ventriculi, lib.28. c.41
Cerebrum principium ſenſus, & motus voluntarij, li.28. c.43
à Cerebro nucha deriuatur, lib.28. c.44
Cerebrum quibus vijs purgetur, lib.28. c.45
Caput humanum, lib.28. c.85

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Collum,lib.28. c.87
Culcaſia,ſiue colocaſia,li.10. c.63
Cultura antiquorum circa hortos,li.10. c.2
Cultura terræ multiplex,li.6. c.50
Cuminum herba,li.10. c.52
Cunile,lib.10. c.64
Cuprum, ſiue æs,li.7. c.24
Curuabilia,& inciſiua,li 6. c.87
Creaturarum quadruplex conſideratio,li.29. c.27
Creaturarum conſideratio varia,li.29. c.28.29.30.& 31

D

Dormientis diſpoſitio animæ & corporis,li.26. c.10
Diabolus animæ non illabitur in tentando hominem, libro 26. cap.69.
Diabolus quod non videt animæ interiora,li.26. c.70
Dactili palmæ fructus,li.14. c.25.& 26
Damula & Dromeda animalia,li.18. c.45
Dentix,& dies piſces,lib.17. c.47
Draco ſerpens maximus,li.20. c.29
Draconis pugna cum Elephante, lib.20. c.30
Draconum nocumenta & vtilitates,lib.20. c.32.& 33
Delphini maris,lib.17. c.109.& 110
Et amor ipſorum ad prolem,ibidem. c.111
Familiaritas eorum & medicinæ, ibidem. c.112.& 113
Draco marinus,lib.17. c.114
Dypſas genus aſpidis,lib.20. c.34
Dormientes qui faciant opera vigiliæ,lib.26. c.26
Dæmonius lapis, lib.8. c.64
Dormientes expergefacti,cur mox meminerint operum quæ fecerunt in ſomno,lib.26. c.28.& 29
Dauci,& erucæ ſemen,lib.11. c.13
Deum ad videndum in ſtatu præſenti, quòd non requiritur abſtractio à vi vegetabili,lib.26. c.107
Et vide ſolutiones ad obiecta,cap.108. ibid.
Daucos herba,lib.9. c.65
Dierum numerus in ſingulos menſes,lib.15. c.81
Diomedeæ aues,lib.6. c.68
Duran animal,lib.19. c.36
Diſpoſitio animæ & corporis in dormiente,li.26. c.10
Diſpoſitio naturalis, an requiratur ad Prophetiam habendam, li. 26. cap.83.
Dentes,li.28. c.67
Dei cognitio qualis,lib.1. c.15
Dyaphragma,li.28. c.64
Diſpoſitio mira omnium rerum,li.28. c.9
Dei in præceptis nulla eſt fallacia,li.29. c.70
Dæmon an habeat corpus,li.2. c.125
Dæmon cur non habeat peccati ſui remedium,li.2. c.131
Dæmon omni motu liberi arbitrij peccat,li.2. c.129
Dæmon vtrum peccet credendo vel ſperando,li.2. c.130
Dæmones alij alijs præſunt,li.2. c.113
Dæmones fugiunt confuſi, ſi ſemel ſunt victi,li.2. c.117
Dæmones inter ſe diſcordes,li.2. c.114
Dæmones miſcent ſe humoribus,li.2. c.108
Dæmones qualiter pronunciant futura, li.2. c.102
Dæmones quod non illabantur humanis mentibus,li.2. c.119
Dæmones ſenſibus humanis iugiter inſidiantur,li 2. c.105
Dæmones videri à nobis quare non permittantur,li.2. c.121
Dæmonis poteſtas,li.2. c.103
Dæmonum proceſſus in tentationibus hominum,li.2. c.106
Dæmonum ſcientia,li.2. c.101
Dragagantum gumma,li.13. c.90
Dæmonum varia genera,li.2. c.107
Dæmonum vexatio erga bonos homines,li.2. c.124
Denſitas,ac raritas,li.6. c.84
Deum multis modis homines cognouerunt,li.6. c.14
Deus confuſionem illam creauit, quam non permanſuram cognouit, lib.2. c.5
Deus mundum fecit abſque voluntatis nouitate,li.1. c.24
Deus qualiter operatur,creat,& facit,li.1. c.27
Deus quod omnia fecerit,li.1. c.23
Dies Ægyptiaci & caniculares,li.15. c.83
Deus,quibus diſtinguatur proprietatibus,li.1. c.4
Dies in generali,li.15. c.75
Dies naturalis,li.15. c.76
Dies vſualis,li.15. c.77
Deus quid ſit,lib.1. c.4
Deformitas mali non minuit pulchritudinem vniverſi,li.29. c.13
Digeſtio prima,ſecunda,& tertia quomodo fiat, libro 24. capit.69. 70.71.
Diuina voluntas illos etiam,qui conantur reſiſtere, ſibi ſeruire cogit, lib.29. c.86
Diuina iuſtitia, vel prouidentia voluntates bonas & malas qualiter ordinat,li.29. c.88
Deus cur ex tota materiâ tam paucos eligit,cæteris reprobatis,lib.29. cap.91.
Deus cur illuminat ſua veritate bonos & malos,li.29. c.105
Deus qualiter bonos affligit,& malos proſperari permittit, libro 29. c.107.
Deus cur bonos malorum perſecutionibus exponit,li.29. c.108
Deus qualiter in præſenti bonos affligit, & malos proſperari permittit,lib.28. c.107
Deus cur bonos de tribulatione clamantes plerunque non exaudit, libro 29. c.111
Deus bonos exaudit ad ſalutem, malos autem ſæpius ad voluntatem, lib.29. c.113
Deus malorum vitam viſi propter electos tolerat,li.29. c.115
Dipſeus arbor,lib.12. c.60
Driſberos arbor,lib.12. c.61
Dies ſpirituales,lib.2. c.21.& 22
Digradium ſuccus,lib.11. c.118
Diſrigen,& antiſpondium,lib.7. c.35
Diluuia,lib.5. c.23
Diprannos herba,lib.9. c.16
Diuerſitas aquarum,lib.5. c.53
Item in pondere,ibid. c.54
Idem in colore,ibid. c.55
Idem in ſapore,ibid. c.56
Dei voluntas rerum omnium cauſa,lib.29. c.66
Deus cur vult eſſe mala,lib.29. c.67
Diuina voluntas qualiter moderatur malas voluntates,li.29. c.68
Deus ſolus bonus creat vniverſa,lib.29. c.76
Deus omnium gubernator,lib.29. c.89
Deus non malorum auctor, ſed ordinator,lib.29. c.80
Deus cur in mundo mala fieri permittit,lib.29. c.81
Deus cur primum hominem tentare permiſit, quem conſenſurum præſciuit,lib.29. c.81
Deus cur homines malos naſci finit, lib.29. c.83
Deo malitia vlla nec eſſentiæ nocere, vel aduerſari poteſt, libro 29. cap.84.
Deo qui reſiſtere nititur,ſemetipſum ladit,li.29. c.85
Draconteæ & dracunculus,li.9. c.67
Diſtinctio ſexus,quod non ſit in plantis,li.24. c.82
Dolor corporis & delectatio, an ſit ſenſibilis ſecundum tactum, libro 25. c.82
De imago qualiter refulget in mente,li.27. c.16
Deus qualiter opera ſua iam facta conſideraui,li.29. c.1
Deus quod opera ſua approbauit,li.29. c.2
Dei opera omnia valde bona,li.29. c.3
Dei opera cur non omnia æqualia,li.29. c.4
Deus,an aliud vel melius aliquid facere poſſit,quàm fecit, libro 29. cap.7.
Deus vbique totus implet omnia,li.29. c.17
Deus eſt in rebus multis modis,li.29. c.19
in Deo ſunt omnia,li.29. c.20
Deum eſſe oſtendunt omnia,li.29. c.21
Deum laudat omnis creatura, li.29. c.22
Diuinæ Trinitatis veſtigia apparent in omnibus,li.29. c.23
Dyacodor lapis,li.8. c.65
Deus,quod cognoſcitur ex motu creaturæ,li.29. c.24
Deus cur ſenario dierum opera ſua compleuit,li.29. c.34
Dei circa opera vide multa,li.29. c.35.36.& 37
Dei requies ab operibus,li.29. c.39
Et hominum, vide ibi. c.40.
Dei requies cur ſeptima die deputata,li.29. c.41
Dei continuatio in operibus,li.29. c.42
Dei creatoris, & creaturæ in adminiſtratione naturæ diſtinctio operum,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

operum,li.29 c.44
Diuinarum operationum varij modi,li.29 c.47
Deus miracula facit per ministeria angelorum bonorum, ac malorum, lib.29. c.49.
Dei potentia omnia moderantur,li.29. c.50
Dei prouidentia gubernatrix omnium,li.29. c.51
Dei prouidentia omnium naturarum indigentias implet, libro 29. cap.53
Dei prouidentiæ effectus,li.29. c.54.55.& 56.
De prouidentia omnia confusa ordinantur,li.29. c.59
Deus originales pœnas in bonum conuertit,li.29. c.101
Deus cur bonis & malis communicat bona & mala præsentia,li.29. c.102.& 103.
Deus cur bonis & malis distribuat bona sua,li.29. c.104

E

Ebenus lapis,lib.8. c.66
Ebenus arbor,& virtus eius,li.12. c.62.& 63
Ebulum,echinum & echios herbæ,li.9. c.68.& 69
Eclyptica linea,lib.15. c.14
Esculus arbor glandifera,li.13. c.11
Eclyptis spectaculum,li.15. c.15
Edus,li.18. c.46
Equus,li.18. c.47
De Echo diffinitio,li.4. c.17
Eceloa piscis,li.17. c.48
Ethenais piscis,li.17. c.49.& 50
Elaterium succus,li.11. c.120
Effimeron piscis,li.17. ca.52
Electria,& electropia,li.8. c.67
Egythus auis,li.16. c.69
Exocetum piscis,li.17. c.53
Equorum ingenium,generatio, li.18. c.48.49.& 50
Equorum pulli nutriendi,li.18. c.51
Equi meliores eligendi,lib.18. c.52
Equorum usus, viuacitas,diuersa genera,& medicinæ ex eis,li.18. c.53.54.55.& 56.
Elephantis ebur,medicamen,li.19. ca.51.& 52
Enchires animal,li.19. c.53
Enidros,enitraque bestiolæ,li.19. c.54
Ermacius, & Erminius bestiolæ, li.19. c.53
Emorrois,enidros,& excedra serpentes,li.20. c.35
Extasis,& eius diuersę causæ,li.26. c.96.97.& 98
Eminentia rerum quarundam,l.29. c.5.
Electionis, & reprobationis exempla, li.29. c.90
Europa, & eius regiones,li.32. c.9.10 11.12.& 13
Elementorum commixtio quare stare possit,li.2. c.6
Epactæ,lib.15. c.92
Epilogus de plantatione Paradisi,& consideratione creaturæ,libro 30. c.2.& 4.
Elementorum mobilitas,li.2. ca.12
Equi marini,equolinus,& equus fluminis,li.17. c.116
Elementorum ordo, & pondus,li.2. c.11
Elementorum permutatio mutua, li.2. c.13
Elementorum primaria confusio,li.2. c.4
Elementorum quatuor dispositio,li.5. c.2
Elitropium herba,li 9. c.72
Elixir lapis,per quem ars imitatur naturam, li.7. c.81
Elephanti rostrum,ætas,venatio,& domesticatio, li.19. c.47 48.49.& 50.
Elixir quod dupliciter fiat,li.7. c.81
Elixir,quod transmutet metalla,li.7. c.84
Eale animal Indicum,li.19. c.37
Elephans,lib.19. c.38
Elephantis obedientia,sagacitas,pugnaque,li.19. c.39.40 41.& 42.
Elephantis generatio,& morbus, lib.19. c.43.44.45.& 46
Emathites lapis,li.8. c.68
Emathitis genera diuersa, li.8. c.69
Emblici poma,li.14. c.27
Endiuia herba,li.10. c.65
Embrionis dispositio,& operatio,li.15. c.49
Energumeni qualiter à dæmonibus vexantur,lib.2. c.122
Enidros lapis,li.8. c.70
Enula herba,lib.10. c.66
Epatica,& eraclea herba,li.9. c.73
Epithimium,lib.10. c.68
Equi cauda,& esula herbæ,li.9. c.74
Ermiston gemma,li.8. c.71
Eruca,li.10. c.69
Essentialis differentia & concupiscibilis & irascibilis, libro 27. capite 65.
Esse in tempore,quid sit,lib.3. c.77
Euphorbium gumma,lib.13. c.91
Esse quot modis contingat in tempore,li.3. c.78
Ethites,li.8. c.23
Euphorbium herba,li.9. c.75
Euphrates,lib.5. c.37
Eupatorium herba,li 9. c.76
Exhalatio ex aqua,aceto,& vino, li.4. c.93
Excellentia diuinæ mentis,li.29. c.64
Exhalatio & euaporatio multifaria,li.4. c.91
Exhalatio ex putrefactione,li.4. c.96
Exhalatio ex terra,li.4. c.92
Exhalatio in arboribus,li.4. c.95
Exhalatio in corpore humano,li.4. c.94
Exhalatio per attractionem,l.4. c.97

F

Faba,& eius cultura, & operatio,libro 11. c.66.67. 68.69.70.
Filcanos lapis,li.8. c.72
Far,& farragina,li.11. c.51
Feniculi semen,& fenile,li.11. c.14
Fermentum,lib.11. c.54
Ferri & calibis differentia,lib.7. c.53
Fasselum leguminis species,li.11. c.72
Fœnugreci,li.11. c.73
Ferri natura,li.7. c.51
Fulica auis,li.16. c.76
Fel,lib.28. c.74
Ferri operatio in alchimia,li.7. c.54
Ferri purgamenta,li.7. c.56
Ferri virtus in medicina,li.7. c.55
Fagina glans dulcissima,li.14. c.28
Ferrum. libro 7. c.50
Fistula arbor aromatica,li.13. c.72
Ficus fructus,lib.14. c.29
Ficorum custodia,& operatio,li.14. c.30.& 31
Ferula herba,lib.9. c.77
Fasianus auis.li.16. c.72
Fatator auis,li.16. c.73
Filantropos,lib.9 c.78
Fantasia cur dicatur sensus communis,li.25. c.88
Filix,& filipendula herba,l.9. c.79
Finis maris,libro 5. c.16
Fagus arbor,li.12. c.63
Fraxinus arbor,lib.12 c.64.& 65
Ficus arbor,lib.13. c.12
Ficus Ægyptiaca,Indica,& Cypria,lib.12. c.13
Fici operatio in medicina,lib.13. c.14
Laurus arbor,libro 13. c.15.& 16
Fœnix auis singularis,lib.16. c.74
Ficedula,& filomena aues,lib.16. c.75
Formica,& eius solertia,lib.20. c.131.& 132
Formicis contraria,lib.20. c.133.& 134.
Formicoleon,libro 20. c.135
Formę corporalis abstractionis ordo, lib.27. c.35
Formatio mulieris ex costa viri,lib.30. c.10
Firmamenti circa naturam variæ opiniones,lib.3 c.3.
Firmamenti figura,lib.3. c.5.
Firmamenti inuisibilitas,lib.3. c.4
Fisticus fructus,lib.14. c.32
Firmamenti natura,lib.3. c.2
Flamma & fauilla.lib.6. c.73
Flammæ nutritiua,lib.6. c.91

INDEX.

Fluuiorum augmentum in æſtate, lib.5. c.33
Florum natura, & pulchritudo, li.9. c.10
Fluuiorum exiccatio, & origo, li.4. c.32
Facies, & frons, lib.28. c.86
Fruges in generali, li.11. c.31
Frumenta, & legumina, li.11. c.32
Fluuius, lib.5. c.31
Falco auis, li.16. ca.70
Falconum diuerſa genera, li.16. c.71
Fœcunditas terræ, lib.6. c.40
Faſianus, lib.16. c.72
Fœcunditas terræ exploranda, lib.6. c.47
Fœniculi ſuccus, li.11. c.121
Fœniculum herba, li.10. c.70
Fœniculum ſylueſtre, & hortulanum, lib.10. c.71
Foliorum productio, li.9. c.9
Fex vini, & aceti, li.14. c.131
Folium, & flammula herbæ, li.9. c.80
Fons caloris, & humoris, li.5. c.17
Fucus maior ape, li.20. c.136
Fontalis aquæ natura, li.5. c.27
Fontes, lib.5. c.24
Fontes quibus in locis quærendi, li.5. c.26
Fontes ſalubres inueſtigandi, li.5. c.25
Fontium diuerſa genera, li.5. c.28
Fontium miracula, li.5. c.30
Fontium mutabilitas, li.5. cap.29
Feſta mobilia, li.15. c.94
Flexibilitas ad malum quod non ſit pars libertatis, li.27. c.96
Forma luminoſa ſpeculi qualiter recipiatur in ſpeculi ſuperficie, li.2. c.76.
Et quod recipiatur ibi, vt in puncto, c.77
Fructus arborum, li.14. c.1
Fructuum varietas, li.14. c.2
Faſtaleon piſcis, li.17. c.54
Forma qualiter ſit in ſpeculo vt in ſubiecto, li.2. c.74
Et quod eadem forma ſit habitus, vel diſpoſitio, ibid. c.75
Fructuum maturatio & collectio, li.11. c.42
Frugum ſeminatio, li.11. c.36
Felcus vitulus marinus, foca, & galata, li.17. c.116
Falcona, & fibris animalia, lib.19. c.56
Furo, & furunculus, li.19. c.57
Fu herba, & fucus, li.9. c.81
Fulmen, lib.4. c.59
Fulmen & coruſcatio eſt ignis, lib.4. c.65
Fulmen & tonitrus cur non ſit in omni anni tempore, lib.4. c.60
Fulmen quibus in locis, & temporibus cadat, li.4. c.69
Fulminis differentia à coruſcatione, li.4. c.64
Fulminis diuerſæ ſpecies, li.4. c.61
Fulminis miracula operationum, li.4. c.62
Fulminis terror ſecundum Senecam, li.4. c.70
Fulminis variæ operationes ſecundum materias, quas inuenit. li.4. c.63.
Fumaria, & fumus terræ, li.9. c.82
Fumi varietas, li.4. c.99
Fumus, lib.4. c.98
Fumus, & ſuligo, li.6. c.74

G

GEnerationis varietas ſecundum varietatem agentis, libro 24. cap.87.
Guttur, lib.28. cap.57
Gagates, lib.8. cap.22
Gaſſo herba, li.10. c.73
Galatites, & garamantitis, li.8. c.75
Gallaica gemma, li.8. c.50
Gallitricum, & gariofilatum herba, lib.9. c.83
Ganges, lib.5. c.36
Galbanum ſuccus, li.11, c.122. & 123
Galla fructus quercus, lib.14. c.33. & 34
Gariofilum, lib.14. c.25
Glandis, & eius operatio medicinalis, li.14. c.36. & 37
Grancella, ſiue Tartarum vinum, li.14. c.132. & 133
Gallus auis, li.16. c.77
Gallinaceus, li.16. c.79. & 80
Gallina, & eius educatio, lib.16. c.82
Gallinarum imprægnatio, & incubatio, lib.16. c.83.84 85. & 86.
Girfalco auis, lib.16. c.87
Glottis auis, lib.16. c.88
Graculi aues, lib.16. c.89
Grippes auis, lib.16. c.90
Grues aues, li.16. c.91
Gruum volatus, & peregrinatio, li.16. c.92. & 93
Gardo, glauis, & glaucus, lib.17. cap.55
Gobio, & granas piſces, li.17. c.56
Hamio, & Hirundo piſces, li.17. c.57
Generatiua vis, li.24. c.78
Generatiuæ actiones, li.24. c.79
Generatiua vis qualiter ſit in plantis & animalibus, li.24. c.71
Gelacies, & gloſopetra lapides, lib.8. c.74
Gethi, & genetha animalia, li.19.. c.58
Gelu, & glacies, li.4. c.89
Glandoſa, & gnatrix ſerpentes, li.20. c.36
Gamaleon anguis, li.20. c.58
Gemmæ, & earum virtutes, lib.8. c.29
Gemmæ proprietas, & nomen, li.8. c.36
Gemmarum genera, & colores, li.8. c.30
Gemmarum ſigilla, li.8. c.35
Gemmarum virtutes attractiuę, li 8. c.34
Generatio, & corruptio tractatur, li.3. c.42. & 43
Genua, & tybię humanæ, li.28. c.93
Generatio plantarum, li.9. c.5
Geneſta, & geneſtula, li.12. c.66
Genicularis, & gentiana herbæ, lib.9. c.84
Germinatio terrę primaria, li.9. c.1
Gummę, & ſucci arboris, li.13. c.80
Grillus, li.20. c.137
Git genus leguminis, li.11. c.75
Guſtus obiectum, lib.25. c.72
Guſtus quod ſit quidam tactus, li.25 c.74
Gladiolus herba, li.9. c.85
Guſtus & tactus inſtrumentum quod ſit iuxta cor, li.25. c.75
Glaucium ſuccus, li.11. c.124
Glires animalia. li.19. c.131
Gramen herba, li.9. c.86
Guſtus definitio, li.25. c.70
Guſtus organum, li.25. c.71
Grandinis forma, & proprietas, li.4 c.48
Grando vbi, & ex quo generatur, li.4. c.49

H

HOminis creandi cauſę, li.23. cap.1
Hominis formatio, li.23. c.2
Hominis nobilitas, li.23. cap.3
Hominis imago Deiſimilis, li.23. ca.4
Hominis proprietates, li.23. ca.5
Hominis ſpiritus rationalis, li.23. c.6
Hominis anima, li.23. c.7
Hominis animæ nobilitas & diffinitio, lib.23. c.89
Hominis animæ diffinitio, li.23. c.10
Hominis animæ origo, ſimplicitaſque, li.23. c.11.12. & 13.
Hominis animæ virtus in tribus potentijs, li.23. c.14.15. & 16
Hominis in anima ſimilitudo Trinitatis, li.23. c.17
Hominis anima Trinitatis imaginem retinens, li.23. c.18.19. 20.21.22.23. & 24.
In homine qualiter ſupremis infima connectuntur, li.22. c.45
Hominis animæ vnio, l.23. c.48
Homo in corpore naturali conſtitutus quod non poteſt Deum per eſſentiam videre, niſi à ſenſibus corporis alienetur, li.26. c.104
Et reſponſiones vide ibid. c.105. & 106.
Homo cur peius odorat cęteris animantibus, li.25. c.68
Humeri, & brachia, li.28. c.88
Henrici Sexti tempora, li.32. c.96
Habitatio dæmonum in aere caliginoſo, li.4. c.114

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Herba cameleon, lib. 9. c. 50
Herba canaria, & canna, li. 9. c. 53
Herbæ aromatinæ & odoriferæ, li. 9. c. 19
Herbæ cameleonta nigra & alba, li. 9. c. 51
Herbæ canforata, & camomilla, li. 9. c. 52
Herbarum continua generatio, li. 9. c. 16
Herbarum hortulanarum, & ſatiuarum, li. 10. c. 1
Herbarum numerus. li. 9. c. 20
Herbarum nutrimentum, lib. 9. c. 17. & 18
Herbarum prima è terra productio, li. 9. c. 15
Hydra ſerpens, li. 20. c. 54
Herbarum vitri, hermodactilæ, & hiberidæ virtutes, lib. 9. c. 88
Hedera, & eius operatio medicinalis, li. 12. c. 68. & 69
Harpiæ aues maximæ, li. 16. c. 94
Herodios auis, lib. 16. c. 95
Hiena lapis, li. 8. c. 75
Hericius animal ſpinoſum, lib. 19. c. 59. & 60
Hiena animal, li. 19. c. 61. & 62
Hiſtrix animal, lib. 19. c. 63
Hierarchia angelica, li. 1. c. 49
Hierarchiæ inferioris nominationes ordinum, li. 1. c. 64
Hierarchiæ mediæ ordinum nominationes, li. 1. c. 63
Hierarchiæ ſupremæ nominationes ordinum, li. 1. c. 54
Herbum leguminis ſpecies, lib. 11. c. 76
Horarum æquinoctialium diſtinctio, lib. 15. c. 74
Hierarchiæ triplices, li. 1. c. 50. & 48
Nox lib. 15. c. 78
Hipomelides arbor, li. 13. c. 60
Hipoquiſtidos, & hipoſelinon, li. 10. c. 165
Hiemis tempus, li. 15. c. 65
Humanorum corporum diſpoſitio, lib. 15. c. 71
Hircus, & eius operatio, li. 18. c. 57. & 58
Homini vnicuique duo angeli aſſiſtunt, li. 1. c. 70
Hepar, vel iecur, li. 28. c. 72
Hominum cogitationes, qualiter deprehendunt dæmones, libro 2. capite 120.
Hinnuli ceruorum filij, li. 18. c. 60
Horrea ad frugum depoſitionem, li. 11. c. 44
Horizon duplex, li. 3. c. 21
Hortenſium herbarum cultura, lib. 10. c. 7
Hortenſium herbarum differentiæ, li. 10. c. 10
Hortenſium herbarum incrementum, lib. 10. c. 8
Hortenſium herbarum morbi remedia, li. 10. c. 9
Horti in terra conſerendi, li. 6. c. 65
Hirundo auis, li. 16. c. 97. 98. & 99
Hortorum diſpoſitio & collatio, li. 10. c. 3

I

IMaginatio, li. 25. c. 97
Imaginatio, ſiue phantaſia, li. 25. c. 97
Intellectus futurorum cur non demonſtrantur in imaginibus, libro 26 ca. 58.
Illuſio diaboli cauenda in ſomnijs, li. 26. c. 65
Intellectus paſſibilis quid ſit, li. 27. c. 45
Intellectus gradus, & differentiæ, li. 27. c. 46
Intellectus paſſibilis incorruptibilis, li. 27. c. 47
Ibices animalia, li. 18. c. 59
Icinus, & inachin animalia, li. 19. c. 64
Iaculus, & ipnalis, li. 20. c. 37
Intellectiuæ virtutis differentiæ, li. 27. c. 48
Intellectus ſpeculatiuus, li. 27. c. 49
Intellectus ſpeculatiuus an ſit res ſita in actu, li. 27. c. 50
Ibis auis, li. 16. c. 96
Icinus marinus, li. 17. c. 58. & 59
Intelligibiles ſpecies qualiter ſint in intellectu, li. 27. c. 91
Intelligibilia omnia, vtrum ſint in anima, li. 27. c. 52
Intellectiuæ vires quatuor in quantum ordinantur ad ſenſibilem, libro 27. c. 53
Inuentiua virtutis & iudicatiuę actus, li. 27. c. 54
Interpretatiuæ & memoratiuę actus, li. 27. c. 55
Interiores vires animæ motiuæ, li. 27. c. 56
Intellectus practicus, li. 27. c. 57
Intellectu ſpeculatiuo, qualiter differat practicus, li. 27. c. 58
Intelleus practicus an ſemper ſit rectus, li. 27. c. 59
Iudicij vltima dies, li. 32. c. 15
Indictiones. li. 15. c. 99
Iacinthus. lib. 8. c. 76
Iacinthus herba, taurus, & impia herba, li. 9. c. 89.
Iaſpides gemma, li. 8. c. 77
Iſia, zea, & zizania, li. 11. c. 111
Ilex arbor. li. 12. c. 70
Iniubæ fructus, li. 14. c. 38
Iuniperus, li. 12. c. 71. & 72
Ideæ viuentes in ſapientia Dei, li. 1. c. 22
Impotentia ſtandi, & potentia peccandi, li. 27. c. 100
Ignis cœleſtis ac terreni differentia, li. 4. c. 5
Ignis communis natura, li. 4. c. 2
Ignis diuerſę ſpecies, li. 4. cap. 7
Ignis, & flamma extinctiua. li. 6. c. 88
Ignis & terra duo mundi fundamenta, li. 2. c. 7
Ignis in tranſuerſum per aerem agitatus, li. 4. c. 71
Ignis manens in corporibus mixtis corpora ſibi adiuncta non conſumit, lib. 2. c. 52
Ignis multiplex ad operandum in Alchimia, li. 7. c. 89
Ignis omnia vegetat & mouet, li. 8. c. 6
Ignis proprietas in quibus aſſimilatur diuinitati, li. 4. c. 4
Ignis terrenus, & multiplex eius effectus, li. 6. c. 70
Ignis virtus in corporibus aduſtis, li. 6. c. 72
Illumina ionum influentia à ſuperioribus ad inferiora, li. 1. c. 53
Impreſſiones vanæ aeris, li. 4. c. 24
Inconſtantia inferioris partis aeris, li. 4. c. 23
Inſulę & terræ cauſa terræmotus notæ, li. 6. c. 34
Inſulæ & nomina earum, li. 6. c. 19
Inſulę obrutę à mari, li. 6. c. 35
Inſulæ ſemper fluctuantes, li. 6. c. 36
Inſula, & intibum, li. 10. c. 75
Iordanis fluuius, li. 5. c. 39. & 40
Ipogloſſa, & yringi, li. 9. c. 156
Ireos, li. 10. c. 166
De Iride diuerſorum ſententiæ, li. 4. c. 78
In iride qualiter exprimitur ſolis imago, li. 4. c. 75
Iridis multæ imagines, li. 4. c. 86
Iridis ſignificatio, li. 4. cap. 80
Iris, & colores eius, lib. 4. c. 74
Iris gemma, & zimelliazuri, li. 8. c. 108
Iris herba, lib. 10. c. 167
In quibus temporibus appareat, & non, li. 4. c. 79
Intellectus & ſenſus conuenientia, & differentia, lib. 27. c. 31
Intellectus qualiter à ſenſu iuuatur, li. 27. c. 32
Intellectiuæ virtutis organum, li. 27. c. 33
Intellectiuę virtutis multiplex obiectum, li. 27. c. 34
Intellectus agens, li. 27. c. 41
Intellectus agens an ſit pars animæ, li. 27. c. 43
Intellectus agens qualiter ſit, lib. 27. c. 44
Inteſtinorum numerus, li. 28. c. 71
Iſopus herba, li. 10. c. 168. & 169
Iugerum portio, li. 6. c. 44
Iuncus, lib. 9. c. 90
Iuſquiami ſemen, li. 11. c. 15
Iuſquiamus herba, li. 9. c. 91

K

KArabo, & kilon marini, li. 17. c. 107
Kabratei lapis ſimilis cryſtallo, li. 8. c. 78
Kolki animal marinum, lib. 17. c. 118
kalendæ, Non. & Id, li. 15. c. 82
kikes auis, li. 16. c. 100
Kalaoz, kakora, & kilok piſces, li. 17. c. 60

L

LÆterides, & lacticinium herbę, lib. 9. c. 92
Lactuca, li. 10. c. 76
Et ipſius cultura, c. 77
Lactucæ diuerſæ ſpeciei, li. 10. c. 78. 79. & 80

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Lacus Aſphaltis, & Tiberiadis, li. 5. c. 43
Latamimis aſperſio, li. 11. c. 35
Lepus animal, li 18. c. 61. & 62
Lucus, & lacuales aquæ, li 5. c. 42
Lacta gumma, & licium, li. 13. c. 94
Lunæ ſaltus, li. 15. c. 93
Lacuum miracula quorundam, li 5. c. 44
Lactis coagulatio, li. 22. c. 59
Lactis triplex ſubſtantia, li. 22. cap. 60
Lactucæ ſemen, li. 11. ca. 16
Litera Dominicalis, li. 15. c. 87
Leuiathan, & ludolacbra, & loligo piſces, li. 17. c. 119
Leporis medicinalis operatio, li. 18. c. 63. & 64
Leuiathan ſerpens, li. 20. c. 38
Ladanum, li. 4. c. 87
Lactis ſerum, li. 22. cap. 61
Larix arbor, li. 12. c. 73
Latus, & dorſum, lib. 28. c. 91
Lentiſcus arbor, li. 12. c. 74. & 75
Liberum arbitrium quid ſit, li. 27. c. 94
Licios, & lothos arbores, li. 12. c. 76
Libero arbitrio qualiter concurrunt iudicium rationis, & motus voluntatis, li 27. c. 95
Libanus arbor, li. 13. c. 73
Lucifer ſtella, lib. 15. c. 57
Lagus, larus, & lucidius aues, li. 16. c. 101
Luſcinia auis, lib. 16. c. 102
Linachos auis, li. 16. c. 103
Leo, & lepus piſces, li. 17. c. 61
Locuſta marina, li. 17. c. 63
Lucius piſcis, li. 17. c. 64
Lupus piſcis, li. 17. c. 65
Lacertorum generatio, lib. 20. c. 55
Lapides communes, li. 8. cap. 6
Lætitiæ, ac triſtitiæ ſpecies, li. 27. c. 69
Liberum arbitrium an ſit in nobis, li. 27. c. 91
Liberi arbitrij in poteſtate quæ ſint, li. 27. c. 92
Lapides ex aqua generati, li. 5. c. 80
Libanus arbor, li. 13. c. 73
Lingua humana, li. 28. c. 54
Linguæ varia officia, lib. 28. c. 55
Lapides medicinales, li. 8. c. 5
Lens legumini ſpecies, li. 11. c. 77
Lentis proprietas in medicina, li. 11. c. 78
Lapides mortariorum, li. 8. c. 3
Lapides ſtructuris apis, li. 8. c. 2
Lappa, & lappacium herbæ, li. 9. c. 93
Lapidum generatio, & itidem corporum mineralium, li. 7. c. 80
Lupiſtrum, & liguſticum herbæ, li. 10. c. 81
Laſer, laureola, & lepidum herbæ, li. 9. c. 94
Libanotida, & lingua auis herbæ, li. 9. c. 95
Lichinis gemma, li. 8. c. 79
Limſemen, li. 11. c. 17
Ligurius gemma, lib. 8. c. 80
Lilium, lib. 10. c. 82. 83. & 84
Linum, lib. 10 c. 85
Liquiritia, lib. 10. c. 86
Lythargiri vſus in medicina, li. 7. c. 23
Laſer lachrymum herbæ, li. 11. c. 125
Licium ſuccus, lib. 11. c. 126
Lythargirium, li. 7. c. 21
Lumbus, & umbilicus, li. 28. c. 82
Lupini operatio in medicina, li. 11. c. 81
Lupinum, lib. 11. c 80
Luna, lib. 15. ca. 8
Luna quæ recipiat à ſole, li. 15. c. 9
Lunæ augmentum, vel diminutio, lib. 15. c. 10
Lunæ motus & curſus, li. 15. c. 1
Lunæ ſigna circa diſpoſitiones aeris, li. 15. c. 12
Lunæ & ſolis eclypſis, li. 15. c. 13
Lactis vniuerſalis proprietas ſecundum medicinam, lib. 22 & 66. c. 65.
Lamia, & lauzani animalia, li. 19. ca. 65
Leo, & eius virtus, ferocitas, & audacia, lib. 19. cap. 66. 67. 68. & 69.
Leonis humilitas, & docilitas diuerſum genus, venatio, generatio, ætas li. 19. c. 70. 71. 72. 73. & 74.
Ligamenta, chorda, & muſcula, li. 28. c. 23
Lex apud homines eſt tranſcripta ab illa ſumma lege, li. 29. c. 71
Localium motuum diuerſitas, li. 3. c. 50
Locus congregationis aquarum, li. 5. c. 4
Locus quid ſit, li. 3. c. 46. & 47
Leopardus animal, lib. 19. c. 76
Leontaphanos, & leocrocuta animalia, li. 19. c. 77
Licaon, & linciſcus animalia, li. 19. c. 78
Linx animal, li. 19. c. 79
Lincis vrina, li. 19. c. 80
Locuſta animal, li. 19. c. 81
Lupus animal, li. 19. c. 82
Luporum aſtutia, li. 19. c. 83
Luporum malitia, & noxietas, li. 19. ca. 84
Luporum cibus, & generatio diuerſorum genera, & medicinæ, li. 19 c. 85. 86. 87. & 88.
Loci conuentiores ad habitandum hominibus, li. 6. c. 18
Luther animal, li. 19. c. 89
Lanificus, & limax vermes, li. 20. c. 138
Locuſtæ, lib. 20. c. 39
Locuſtarum generatio, nocumentum, & remedium contractas, lib. 20 cap. 140 141. & 142.
Locuſtarum medicinæ, li. 20. c. 143
Lumbricus vermis, lib. 20. c. 144
Luciferi caſus, li. 2. c. 86
Luciferi complices, li. 2. c. 88
Luciferi obſtinata ſuperbia, lib. 2. c. 90
Luciferi ſtatus, li. 2. c. 85
Liberum arbitrium an poſſit aliquid ſine cauſa. li. 27. c. 97
Libertas arbitrij tollitur præſcientia Dei, li. 27. c. 98
Libertatem arbitrij voluntas Dei non tollit, ſed iuuat, libro 27. c. 99
Liberi arbitrij varia diſtinctio, li. 27. c. 101
Luciferum cur Deus creauit, quem peccaturum præſciuit, lib. 2. c. 89
Lucis ad multitudinem qualiter ſequatur multitudo caloris, libro 2. cap. 50.
Lucis circuitus, & qualitas, lib. 2. c. 34
Lucis commendatio multiplex, li. 2. c. 38
Lucis diſtinctio, li. 2. c. 84
Lucis & vmbræ proprietates, li. 2. c. 83
Lucis nobilitas & influentia, li 2. c. 35
Lucis operatio vt cognitiua, lib, 2. c. 37
Lucis proprietas vnificatiua, li. 2. c. 36
Lux accidens quod ſit, li. 2. c. 46
Lux apparens & reſplendens, li. 2. c. 43
Lux ignis, & lux ſuperiorum corporum non vnius rationis in genere, nec ſpecie, li. 2. c. 51
Lux increata, quod ad ſe conuertit, & colligit illuminatos ſpiritus, lib. 1. ca. 35
Lux non ſubſtantia ſed qualitas mutuata, lib. 2. ca. 47
Lux non ſubſtantia ſpiritualis, li. 2. c. 42
Lux propriè eſt habitus, li. 2. c. 48
Lux qua die facta, li. 2. cap. 32
Lux qualiter ſit colorum hypoſtaſis, li. 2. c. 82
Lux quod ſit corpus, li. 2. c. 41
Lux vt ſe habet ad viſum, li. 2. c. 49
Lac mulieris, lib. 28. ca. 84
Lux vtrum corpus ſit, vel qualitas, li. 2. c. 39
Et vide determinationem, ibid. c. 40
Lutum multiplex, lib. 6. c. 67
Luxuria hominum in gemmarum precijs, li. 8. c. 31
Luxuria in margaritis antiquorum, li. 8. c. 83

M

Magnes lapis inſignis, lib. 8. c. 29
Magnetis miraculum in attractione ferri, li. 8. c. 20
Magnetis virtus in medicina, li. 8. c. 21
Magica transfiguratio quorundam, & non omnium viſum fallit, libro 2. c. 110
Memoria, & obliuio, lib. 25. c. 100
Magicæ artes exercentur per dæmones, li. 2. c. 104

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Matir arbor...b. 13. c.74
Mens, lib.27. c.6
Maiorana, & malabathrum, li.9. c.96
Mespila arbor spinosa, li.13. c.23
Mali causa, vel origo li.2. c.92
Mixtixgutta, li.14. c.95.& 96
Maliba, & pypso, lib.8. c.11
Malua, lib.10. c.87
Et vide ibid.c.88.& 89.
Malum cognoscitur per bonum, & econuerso, li.2. c.94
Malum culpæ ordinatur per malum pœnæ, li.2. c.17
Malum duplex, scilicet culpæ & pœnæ, li.2. c.96
Matir arbor aromatica, lib.13. c.74
Malum granatum fructus, lib.14. c.41
Malum in dæmonibus qualiter sit, li.2. c.91
Mala fructus, lib.14. c.39.& 40
Menta & virtutes ipsius, li.10. c.93.94.& 95
Mercurialis, lib 10. c.96
Mion, aliàs meu, li.10. c.97
Malus granata arbor, li.13. c.18
Malum quod nisi in bono coalescit, li.2. c.93
Malabathrum, & malabathellum, li.12. c.77
Mirice arbor, lib.12. c.79
Mirabolanus arbor, lib.12. c.79
Malum fuminum quod nihil est, li.2. c.95
Mandragora herba, lib.9. c.97.& 98
Medica arbor, lib.13. c.21
Mamæ generatio, li.4. c.85
Maracon, & maratium herba li.9. c.99
Mare lib.5. c.8
Margarita gemma alba, lib.8. c.81.& 82
Margaritarum virtutes in medicina, li.8. c.84
Marina aquæ natura, & effectus, li.4. c.11
Maris aquæ qualiter amaritudinem deponant, lib.5. c.12
Maris salsedo, li.5. c.9
Maris æstus, lib.5. c.18
Marmora, marmorumque genera, li.8. c.15
Marrubium, & marrubiastrum herbæ, li.9. c.100
Media duo inter ignem, & terram, li.2. c.8.& 9
Media gemma nigra, li.8. c.85
Medica, & melilotum, li.9. c.101
Mediterraneum mare, li.5. c.15
Meconium herba, lib.10. c.90
Medium nihil est in omni specie motus inter movencem & motum, libro 3. c.56
Melonis semen, li.11. c.38
Meconij succi duo genera, li.11. c.127
Miraculorum operatio, li.29. c.48
Melissa, & melissofilos herbæ, li.9. c.101
Mentis excessus, extasis, & raptus in quo differam, li.26. c.111
Mel, lib.4. c.86
Melochites lapis, li.8. c.86
Metalla commixta electro & corintheo, li.7. c.58
Metalli intellectus, li 7. c.5
Mentastrum, li.9. c.103
Melones, li.10. c.91
Mellongena, lib.10. c.92
Metallinæ aquæ, li 5. c.68
Metallorum corpora dura qualiter recipiant tinctturam, libro 7. capite 92.
Metallorum naturalis creatio, li 7. c.4
Metallorum origo, lib.7. c.3
Mespila, & operatio eorum, li.14. c.42.& 43
Metallorum transmutatio, li.7. c.6
Millefolium, & migrella, li.9. c.104
Mineralium lapidum generatio li.7 c.79
Ministeriam angelorum erga homines, lib.1. c.72
Minium, lib.7. c.101
Miracula fluminum lib.5. c.41
Mixtio, lib.3. c.44
Modus essendi in loco, lib.3. c.49
Montes, & eorum causæ, li.6. c.20
Montes frigidiores vallibus li.6. c.23
Motor cœli an consequatur finem suum per motum, li.3. c.36
Motor primus quod comparatur ad motores inferiores, li.2. c.29
Molitura, & farina, li.11. c.46
Mella, vel mela, lib.13. c.22.
Motus, ac quies mensurantur in tempore, li.3. c.57
Motus cæli aquei, lib.3. c.97
Milium, & miliana, li.11. c.85
Motus cæli omnium motuum naturalium causa & principium, lib.3. c.37.
Motus contrarietas ad quietem, lib.3. c.41
Motus & mutationis differentia, li.3. c.39
Motus & mutationis species, li.3. c.40.
Motus in genere tractatur, li.3. c.38
Medica quomodo seratur, li.11. c.83
Myrrha, lib.13. c.75
Mouens & motus, li.3. c.55
Myrtus arbor, & eius medicina, li.12. c.80.& 81
Morus arbor, & eius cultura, li.13. c.24.& 25
Mulierculorum assertio se ire noctu cum Diana damnatur, libro 2. cap.111.
Mirabolani fructus, li.14. c.44
Myrtili fructus, lib.14. c.45
Morus fructus, li.14. c.46.& 47
Mundi creatio optimi & vnici, li.1. c.19
Muza fructus paradisi, li.14. c.48
Macis ramorum nucis muscatæ cortex, lib.14. c.53
Magos cur per stellam ad se Dominus adduxit, li.15. c.51
Menses lib.15. c.80
Monstra marina, li.17. c.100
Mulus animal, li.18. c.65
Mulorum generatio, li.18. c.66.& 67
Mundi diuersæ acceptiones, li.1. c.1
Mammonetus, & manticora animalia, li.19. c.90
Melo, melosus, & monoceros animalia, li.19. c.91
Migale bestia, li.19. c.132
Mundi duo, lib.1. c.2
Mustela animal, li.19. c.133.& 134
Mulsa aqua, lib.20. c.105
Mundus antequam factus est, à Deo nihil factum est, li.1. c.26
Mustum, lib.14. c.184
Monachi marini, & monoceros pisces, li.17. c.120
Musio cattus appellatus, li.19. c.92
Musquelibet, & musius bestiæ, li. 19. c.93
Mullipes vermis terrenus, li.20. c.145
Mundus archetypus ipse est Dei filius, li.1. c.3.
Muserancus animal in Sardinia, li.20. c.146
Mundus cum tempore factus est, & non ante, lib.1. c.25
Musca, lib.20. c.147.& 148
Memoria pigritia, & tarditas, li.27. c.13
Memoriæ differentia, & reminiscentiæ, & adiscentiæ, li.27. c.14
Mundus cur pulcherrimè creatus, li.1. ca.20
Memoria Dei naturaliter infixa menti humanæ, li.27. c.15
Mentis iudicium secundum veritatis regulam, li.27. c.17
Motus fluis processus & organum, li.27. c.81
Motiuæ vires rationales, li.27. c.82
Musculi humani, li.28. c.39
Motus processiuus quid sit, li.27. c.77
Motus ex qua vi proueniat, li.27. c.78
mergus auis, lib.16. c.105
Merilo, & meropes aues, li.16. c.106
Merula, lib.16. c.107
Milaus auis, li.16. c.108
Monedula, & muscicapa, li.16. c.109
Megaris, milago, miluus, li.17. c.66
Mugilis pisces, li.17. c.67
Mulipes pisces, li.17. c.68
Mulus, & mullus, li.17. c.69
Murena pisces, li 17. c.71
Murex cochlea maris, li.17. c.73
Mus musculus, mustela pisces, li.17. c.84
Mus animal, lib.19. c.128.129.& 130
Mel & eius diuersa genera, & probatio, libro 20. c.100.101. & 102.
Mellis operatio in cibo, li.20. c.103
Mundus sensibilis, li.2. c.1
Mellis diuersificatio multimoda, li.20. c.104
Mutatio loci, lib.3. c.46

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Mel venenoſum,lib.20. c.106
Mouentium numerus motu ſucceſſiuo,lib.27. c.80
Mammillæ,lib.28. c.83
Manus,& digiti,lib.28. c.89
Mutationis medium ab vno colore in alium,lib.2. c.68
Medicinæ ex humano corpore,lib.28. c.96
Myrrha arbor,lib.13. c75
Menſura,numerus,& pondus,lib.29. c.26
myrrha gutta arboris,lib.13, c.97.& 98
mundi innouatio,lib.32. c.106
Matrimonij diuerſa bona,lib.30. cap.40.41.& 42

N

NEpa,& obites ſerpentes,lib.20. c.39
Nerus,lib.28. c.21
Neruorum diſtinctio,lib.28. c.22
Nares humanæ,lib.28. c.52.
Napellus,& narciſſus,lib.9. c.105
Napus,& naporum genera,lib.10. c.98
Nardi diuerſæ ſpecies,lib.9. c.107
Nucum cæteræ genera,lib.14. c.54
Nardus herba,lib.9. c.106
Nardus frutex,lib.13. c.76
Nucleus pineæ,lib.14. c.55
Naſturcium,lib.10. c.99.& 100
Nauos,nauſilos,& nubes piſces,lib.17. c.75
Nutrimenti medio fit reſtauratio deperditorum,lib.24. c.72
Nebula,lib.4. c.90
Nemiphar herba,lib.9. c.108
Nereides belluæ marinæ,lib.17. c.121
Nepeta,lib.10. c.101
Nux,lib.14. c.49.& 50
Nux Alexandrina,& Indica,lib.14. c.51
Nux muſcata,lib.14. c.52
Nigella ſemen,lib.11. c.19
Nigrum quodlibet cur non poſſit mutari in alium colorem ſicut album,lib.2. c.69
Nilus,lib.5.cap.34.& eius latitudo,ibid. cap.35
Nitrum,lib.5.cap.90.& effectus eius,ibid. cap.91
Nimphea herba,lib.9. c.109
Nitrum lapis,lib.8. c.87
Niualis aquæ natura, lib.3. c.53
Niuis cauſa,& origo,lib.4. c.31
Niuis,& grandinis tempora,lib.4. c.53
Nix,lib.4. c.50
Nux arbor,lib.13. c.26.& 27
Nicodula genus corui,li.16. c.110
Nicticorax auis,li.16. c.111
Niſus auis,lib.16. c.112
Noctilucis corpora vnde lumen aſſumant,lib.2. c.53
Noctilucis corpora vt luceant quid ſit opus, li.2 c.54
Nomina quorundam montium,li.6. c.21
Nubes,lib.4. c.42
Nubes humidæ ignem poſſunt gignere,lib.4. c.66
Nubium cauſæ diuerſæ,li.4. c.43
Nubium,& tonitruum diuerſæ opiniones,lib.4. c.68
Nubium generatio,loci,& colores, li.4. c.44
Nummus,& moneta,li.7. c.59

O

ORdo naturalis præcipitur obſeruari lege æterna,li.29. c.69
Orbis tres partes,li.32. c.1
Vbi vide Aſiam.c.2.3.4.5.6.7.& 8.
Omnium rerum ſimilitudo in anima,lib.23. ca.25
Olfactus vis inordinata,li.25. c.61
Olfactus organum,li.25. c.62
Olfactus organum frigidum,li.25. c.63.& 64
Obſeruanda in agri poſſeſſionibus,li.11. c.34
Olfactus ex parte medy, li.25. c.65
Ordei natura,cultura,& medicina,li.11. c.87.88.89.90.& 91
Ocinum granum.li.11. c.86
Ordeaceum far,li.11. c.92
Ordei cremiſia,& ptiſana,li.11. c.93
Obſtinati reiecti ab Angelis,li.1. c.77
Oceani augmentum,& decrementum,lib.5. c.14
Oceanum,lib.5. c.13
Oceanus terram cingens in verticem coactus,lib.6. c.12
Ocimum, lib.10. cap.102.& 103
Odor an ſit qualitas ſimplex, an compoſita,lib.4. c.101
Odor ciborum ac medicaminum,li.4. c.112
Odor conſtituitur principaliter in vapore calido,& ſicco,li.4. capite 102.
Odor, & ſapor diuerſimode cauſantur à qualitatibus ſubiectorum complexionaliter,li.4. c.104
Odor in genere,lib.4. c.100
Ocimi ſemen,lib 11. c.21
Ouis,lib.18. c.69.70.71.72.& 73
Odor per euaporationes immutat,li.4. ca.103
Oriza,ominum,& orobanchis legumina,li.11. c.94
Odor quorundam metallorum,li.4. c.106
Orobi herba,li.11. c.95
Ouium carnes,lana,vſus lanæ, & de cæteris earum vtilitatibus, libro 18. c.74.75.76.& 77
Odorabilia corpora ſecundum Ariſtotelem,lib.4. c.105
Olea arbor,lib.13. c.28
Oleorum medicinalis virtus,li.13. c.29
Oleaſter, & olcomella,li.13. c.30
Orbis,& oſtrea piſces,li.17. c.76
Odorum differentiæ,li.4. c.108
Olfactus media,aer & aqua,li.25. c.66
Oleander,orchis,& orpinum herbæ,li.9. c.110
Oliuæ & correctio earum,lib.14. c.56.57. & vide ibid.c.58.& 59.
Olei qualitas in alchimia cauſa permixtionis, lib.7. ca.93
Oleum roſaceum,violatum,& liſinum,lib.11. c.128
Olea herbacea,lib.11. c.129
Oleoſilenon herba,li.10. c.104
Olus lib.10. c.105
Opalus lapis,li.8. 88
Oleum in generali,& eius natura,li.14. cap.91
Olearia cella,& virtus olei,li.14. c.92.& 93
Opera Dei cur à luce inchoata,li.2. ca.33
Opera Dei ſecundi dies,li.2. c.1
Olei diuerſæ ſpecies,lib.14. c.94
Oleum amigdalinum,li.14. c.65
Operis ſuſceptio per authorem. c.1
Oleum Balalinum,& balſeminum,lib.14. c.96
Oleum cypreſſinum,ac cyprinum,li.14. c.97
Ophites,lib.8. c.17
Opium ſuccus,li.11. c.130.& 131
Ordinationis quartæ diei ratio,lib.2. c.27
Opoponax ſuccus,lib.11. c.132
Opobalſamum,lib.13. c.84.& c.99
Onager aſini fœtus,lib.19. c.94.95.& 96
Ordinis ſex dierum ratio.lib.2. c.25.& 26
Onocrotalus auis,lib.16. c.113
Opimachus auis,lib.16. c.114
Oriolus,& ortigometra aues, lib.16. c.115
Oſina,& oſſifragus aues,lib.16. c.116
Othus auis,lib. 6. c.117
Onocentaurus,& oraſius animalia,li.19. c.97
Orix animal,lib.19. c.98
Opimachus vermis,li.20. c.149
Operatio omnium animæ virium.li.27. c.102
Oſſa pectoris,& ſpatularum,ac furcularum,li.28. c.13
Oſſa manus,lib.28. c.15
Oſſa pedum,lib.28. c.16
Oſſium numerus totius corporis,lib.28. c.17
Oſſium motus,li. 28. cap.18
Oſſium medullæ,lib.28. c.19
Oculi, & eorum munimenta,lib.28. c.46
Oculorum hominis proprietates, lib.28. c.46
Oſſa maxillarum,lib.28. ca.11
Oſſa dorſi,lib.28. c.13
Oſſa dentium,lib.28. c12
Origanum,lib.10. c.106

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Os, & labia, li. 28. c.53
Os stomachi, li. 28. c.68
Origo prima temporis, lib. 3. c.72
Oculus existit in humido, lib. 25. c.33
Operationum quatuor differentiæ, lib. 29. c.46
Orithes, & ostratites gemmæ, lib. 8. c.89
Oxifenico fructus, li. 14. 60
Oleum Laurinum, li. 14. c 98
Oleum lanteſcinum, li. 14. c.99
Oleum maſticinum, & mellinum, lib. 14. c.100
Oleum myrtinum, li. 14. c.181
Oleum nucum, lib. 14. c.102
Oleum oliuarum, li. 14. c.103
Olei oliuarum expreßio, li. 14. c.104
Ouorum natura, & complementum, ac varietas, li. 16 c.159. 160. & 161.
Ouorum operatio in cibo, & medicina, li. 16. ca. 162. 163. & 164
Oua venti, li. 16. c.165
Ouorum incubatio, & corruptio, lib. 16. c.166. 167
Oculo quod dominetur ignis ſecundum Platonem, li. 25. c.36
Obiectum viſus, li. 25 c.39
Opinio, lib. 27. c.27
Opinio qualiter differat ab intellectu, & à fide, li. 27. c.28
Oculorum diſpoſitio, li. 28. c.48
Oculorum ſeptem tunicæ, li. 28. c.49
Oculorum phiſionomia, li. 28 c.50

P

Padoros, praſius, & pigrites gemma, li. 8. c.91
Panis diuerſitas ex farina, li. 11. c.50
Panis medicina, li. 11. c.49
Panis diuerſitas ex artificio, li. 11. c.51
Paliurus herba, lib. 9. c.111
Panis effectus, li. 11. c.48
Paneces herba, li. 9. c.112
Papauer, li. 10. c.109. & 110
Papynum, paritana, & paraſella herba, li. 9. c.113
Parethomon, li. 7. c.99
Papaueris ſemen. li. 11. c.22
Panis diuerſitas ex modo coquendi, li. 11. c.52
Panis diuerſitas ex qualitate ſumendi, li. 11. c.53
Paſtinaca, lib. 10. c.112
Paſtinacæ ſemen, & petroſelini, & porri. li. 11. c.23
Prophetæ qualiter dicuntur in ſpeculo videre, lib. 26. c.85
Panicum paruis auibus expoſitum, li. 11. cap. 96. & eius operatio ibid. c.97.
Prophetę menti quid imprimitur in reuelatione, li. 26. c.87
Paſtinatio terræ, li. 6. c.88
Prophetica reuelatio omnis, an fiat mediante Angelo, lib. 26. capite 88
Palma arbor, li. 13. c.31
Palmæ ſexus diuerſus, li 13. c.32. & 33
Planetarum in duodecim ſignis domus, li. 15. c.40
Planetarum effectus, li. 15. c.45
Paucedanum herba, li. 9. c.117
Perſicum, lib. 13. c.34. & 35
Piſcium ſexus, li. 17. c.140
Pentaphilon, li. 9. c.114
Propheta quid ſit, li. 26. c.86
Pyra, lib. 13. c.36
Planetarum virtutes, li. 15. c.42
Planetarum omnium cooperatio, lib. 15. c.48
Peonia herba, li. 9. c.115
Planetarum ordinatio motuum, li. 15. c.46
Pagnitiuus piſcis, li. 17. c.81
Purpura piſcis, li. 17. c.82. & 83
Pinguedo, li. 28. c.28
Pepones, li. 10. c.113
Perna, piſter, & plataniſta piſces, li. 17. c.122
Polippus piſcis, li. 17. c.127
Piperis arbor, li. 13. c.77
Prophetiæ collatio mutua, li. 26. c.92
Pagrus, pectines, & porca piſces, li. 17. c.78
Pinna, & plais piſces, li. 17 c.79
Porcus marinus piſcis, li. 17. c.80
Panthera animal, li. 19. c.99
Pantheræ generatio, & venatio. li. 19. ca. 100
Piloſus, pirolus, & putorius animalia, li. 19. c.102
Paulus in raptu, an viderit Deum per eſſentiam, li. 26. c.103
Paſchæ in celebratione cur obſeruamus numerum lunarem, libro 15. cap. 96.
Pullorum complementum in ouis, li. 16. c.168
Pullorum nutrimentum, & excluſio, ac educatio, li. 16. c.169 170. & 171.
Polippi ſagacitas, & generatio, lib. 17. c.124. & 125
Piſcium coitus, li. 17. c.142
Piſcium impręgnatio, li. 17. c.143
Præparatio agrorum ad fruges, li. 11. c.33
Piſcium ouatio, & pullificatio, li. 17. c.144. & 145
Piſcea arbor, li. 12. c.82
Pinus arbor, & eius virtus in medicina, li. 12. c.83. & 84
Piſcium multiplex generatio, li. 17. c.141
Pericula maris, li. 5. c.22
Pinaſter arbor, li. 12. c.85
Prophetiæ gradus quomodo diſtinguantur, li. 26. c.94
Platanus arbor, & eius virtus medicinalis, li. 12. c.87. & 88
Populus arbor, & eius virtus in medicina, li. 12. c.89. & 90
Perſicum fructus, li. 14. c.61. & 62
Prophetiæ diſtinctionis quatuor modi, li. 26. c.95
Perſpicuitas, li. 6. c.85
Panniculi humani, li. 28. c.29
piſa legumen, li. 11. c.98
pſillij ſemen, li. 11. c.24
phantaſiæ motus, li. 27. c.60
prunus & eius medicina, li. 13. c.37
pineæ lachryma, li. 13. c.100
pix, lib. 13. c.101. & 102
pinea nucleus, lib. 14. c.63
piper, & eius medicinalis operatio, li. 14. c.64. & 65
pyra, lib. 14. c.66. & 67
parandrus animal, & pardus, lib. 19. c.101
piſtacij fructus, li. 14. c.68.
poma, & operatio eorum, li. 14. c.69. & 70
prunafructus, & eorum proprietas, li. 14. c.71. & 72
peſtilentia conſequens motum terræ, li. 6. c.30
porcus, lib. 18. c.78
porcorum cibus, generatio, morbus, caro, & eorum medicina, libr. 18. c.79. 80. 81. 82. & 83.
petroſelinon, li. 10. c.114
punicum malum, lib. 14. c.73. & 74
palumbæ aues, li 16. c.118. & 119
paſſeres aues, lib. 16. c.120. & 121
pauones, & eorum generatio, educatio, virtus carnis, lib. 16. c.122 123. 124. & 125.
pegaſos, & pelargos, li. 16. c.126
pellicanus auis, li. 16. c.127
perdix auis, lib. 16. c.128
perdicum incubatio, & medicina, li. 16. c.130
pica auis, lib. 16. c.31
picus, & pigargus aues, li. 16. c.132
plateu, & pluuialis aues, li. 16. c.133
porphirio, lib. 16. c.134
pſitacus auis, lib. 16. c.135
Regulus auis, li. 16. c.136
papiliones auicula, li. 20. c.150
pediculi vermes, li. 20. c.151
pulex vermis, lib. 20. c.152
piralis muſca, li. 20. c.153
prouidentia, & fati differentia, li. 29. c.57
præſcientia neceſſitatem in rebus, non ponit, li. 29. c.61
philoſophorum error circa conditionem generis humani. lib. 30. capite 11. & 12.
primorum parentum ante peccatum ſtatus, li. 30. c.18
piſcium generatio, lib. 17. c.1
piſcium corpora, & membra, li. 17. c.2
piſcium linguæ, branchi, caudæ, & vita. li. 17. c.3. 4. 5. & 6
piſcium variatio, motus, morbi, inimicitiæ, & diuerſa genera, lib. 17. c.16. 17. & 18.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Piſcium diuerſæ figuræ, multiformis ſpecies, diuerſa tegumenta, & cœnes, li.17. c.19.20.21.& 22
Piſcium diuerſa caro, electio ad eſum, piſcatioque, lib.17. c.23.24.25.& 26.
Piſcium cupiditas hominum, li.17. c.27
Piſcium nomina, naturaque, li.17. c.28.& 29
Pecus in generali, li.18. c.2
Padera, paria, & præter ſerpentes, li.20. c.40
Pauli de ſcientia circa raptum ſuum diuerſorum opiniones, lib.26. cap.109. & probabilis ſententia ſuper hoc, vide c.110.
Pia mater, & dura, li.28. c.42
Pulmo, lib.28. c.58
Pulſus, lib.28. c.63
Pedes, lib.28. c 94
Phyſionomia membrorum humani corporis, li.28. c.95
Philoſophi defecerunt in diſtinctione Trinitatis, li.1. c.17
Piper aquæ, li.10. c.115
Philoſophi qualiter appropinquauerunt ad cognitionem Trinitatis, libro 1. c.16
Phrigius, lib.8. c.25
Piretron herba, lib.9. c.118
Piſcina, & balnea, lib.5. c.50
Plantago herba, lib.9. c.119
Plantarum fixio, & tranſlatio, li.6. c.13.& 14
Plantarum digeſtio, lib.9. c.8
Plantarum fructificatio, & multiplex vtilitas, li.9. c.11
Plantarum geminatio, li.9. c.12
Plantarum varietas, li.9. c.2
Plumbi operatio in alchimia, li.7. c.42
Plumbi origo, & natura, li.7. c.41
Plumbi pulucrizatio, li.7. c.44
Plumbi ſtannique mutua collatio, li.7. c.43
Plumbi virtus in medicina, li.7. c.43
Plumbum, lib.7. c.40
Plumbum, & eius ſcoria, & ſpuma, li.7. c.47
Plumbum vſtum, & eius natura, li.7. c.46
Paruuli anima qualiter culpam à carne contrahere permittitur, li.29. cap.97.
Paruulis cur aliena culpa à Deo imputatur, li.29. c.98
Pluuiæ, lib.4. c.45
Paruuli abſque baptiſmo decedentis iudicium quale ſiendum, lib.29. cap.99.
Pluuialis aquę natura, lib.4.c.47. & lib.5.cap.46.
Pluuiarum cauſæ diuerſæ, li.4. c.46
Policaria, & poliganum, li.9. c.120
Polios herba, lib.9. c.121
Polipodion herba, li.9. c.122
Politricon herba, li.9. c.123
Pompholigen, & ſpondion, li.7. c.34
Porri diuerſæ ſpecies, li.10. c.118
Porrus, & eius cultura, li.10. c.116.& 117
Portulaca, lib.10. c.119. & 120
Potus ſimplicis aquæ, li.5. c.73
Prata inſtituenda, & colenda, li.6. c.64
Praſium, & proſerpinaca herba, li.9. c.124
Pruina, lib.4. c.88
Pſillios herba, lib.9. c.125
Pax diuina, quæ adunat & copulat omnia, li.29. c.15
Pace diuina profunditur omnis creatura, li.29. c.16
Pulegium, li.10. c.121.& 122
Puluis, & gleba terræ, li.6. c.66
Pumicis natura, li.5. c.81
Putei, li 5. c.45
Putens quomodo ſodiendus, li.5. c.47
Pyrites, li.8. c.24

Q

Quatuor elementa plantas complexionantia, li.9. c.4
Quatuor tempora, quæ obſeruet eccleſia, li.15. c.72
Quercus arbor, li.12. c.91
Quirinus, quinidros, radaym, & ranni gemmę, li.8. c.92

R

Radicatio ſatorum, & emptio, li.11. c.41
Racthe, & raha piſcis, li.17. c.84
Rana marina piſcis, li.17. c.85
Rombus piſcis, li.17. c.86
Ranginer, & roſurella animalia, li.19. c.103
Rinocepharus, & rinoceros, lib.19. c.104
Radices plantarum omnium, li.10. c.123
Ratio caſus, vel fortunę, li.29. c.58
Ramnus frutex, li.12. c.92
Robur arbor, lib.12. c.93
Radicula, li.10. c.124
Rododendron arbor, li.12. c.94
Rapa, lib.10.c.129. & vide c.130.
Raphani ſemen, lib.11. c.25
Raphanum, & eius cultura, li.10. c.125.126.& 127
Rapæ ſemen, atque roſæ, li.11. c.26
Rutella animal, li.20. c.154
Rerum omnium modus, ſpecies, & ordo, li.29. c.25
Ratio ſenarij dierum in operationibus Dei, li.2. c.20
Rerum mirabiles, & multiplices ſpecies, li.29. c.10
Rerum varia, & mirabilis qualitas, li.29. c.11
Rerum omnium armonia, & pulchritudo, li.9. c.12
Remedia contra terræmotum, li.6. c.37
Rana, lib.20. c.59.& 60
Ranarum medicinæ, li.20. c.61
Rubeta peßimum ranarum genus, li.20. c.62
Retro & ante quod ſunt in cœlo, li.3. c.12
Roba fructus, lib.14. c.75
Reubarbarum, & reuponticum, li.9. c.126
Rubus arbor, lib.13. c.38.& 39
Rubi ſpecies, lib.13. c.40
Reſina lachryma, lib.13. c.103
Retrogradationis cauſæ, li.15. c.28
Riſum, lib.11. c.99
Robelia ſemen, lib.11. c.100
Ros de aëre venit, lib.4. c.84
Roſa, lib.10. c.131
Roſarum cultura, lib.10. c.132
Roſarum operatio in medicina, lib 10. c.133
Roſis, quæ conficiantur, li.10. c.135
Roſmarinum, lib.9. c.127
Rubia herba, lib.10. c.136
Rubigo, vel ærugo æris, li.7. c.30
Rattus & ſorex animalia, li.19. c.136
Regulus anguis, li.20. c.41
Ratio, & eius portio duplex, li.27. c.19.& 20
Ratio inferiorem ſui partem qualiter declinat ad culpam, libro 27. cap.21.
Rationis duæ partes qualiter pertinent ad ſcientiam & ſapientiam, lib.27. c.22
Renes, lib.28. c.76
Remedia, quæ contra peccatum originale Deus inſtituit, libro 29. capit.100.
Rufſici operis induſtria, li.6. c.48.& 49
Ruta, & eius cultura, lib.10. c.137
Ruta virtus in medicina, li.10. c.138

S

Sabina, & ſaliunca, li.9. c.128
Seculi tria tempora, li.32. c.23
Senſualitas, li.25. c.84
Salicum genera, li.12. c.96.& 97
Sentiendi inſtrumentum, & medium, li.25. c.10
Salix, & eius natura, li.12. c.95
Senſus omnes, & voluntarij motus à cerebro diriguntur, libro 25. capit.11.
Sanguis draconis, li.13. c.105
Senſus qualiter ſit ſenſibilium ſuſceptiuus, li.25. c.12
Sarcocolla, lib.13. c.106

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Sensus sensibilis, & non sensibilis, li. 25. c. 73
Siliqua fructus, li. 14. c. 76
Sensus sensibilis per se, & per accidens, li. 25. c. 14
Sorbis, lib. 14. c. 77
Sensibile quòd sit in obiecto, & in medio, & in sensu, libro 25. capit. 15.
Sumath fructus, lib. 14. c. 78
Salmo piscis, lib. 17. c. 87
Sesama indiana oleum facit, lib. 11. c. 101
Solis natura, & magnitudo, lib. 15. c. 2
Solis motus, & cursus, lib. 15. c. 3
Solis effectus plures, li. 15. c. 4
Solis & Lunæ retrogradatio, lib. 15. c. 31
Stellarum numerus, lib. 15. c. 52
Sagda gemma, lib. 8. c. 95
Solis effectus propry, li. 15. c. 44
Stellarum motu quæ creantur, li. 15. c. 53
Siligo, ac siliqua, lib. 11. c. 102
Stellarum significatio, lib. 15. c. 54
Sensuum numerus, & nomina, li 25. c. 17. 18. 19. & 20
Sisanum semen, lib. 11. c. 103
Stellæ signiferæ, lib. 15. c. 55
Sensuum obiecta, lib. 25. c. 26
Storacte, & storax, lib. 13. c. 107
Storacis virtus, lib. 13. c. 108
Sepia piscis, lib. 17. c. 89
Sal ammoniacum, li. 7. c. 72
Scilla, & serta pisces, lib. 17. c. 127
Spirituum discretio, lib. 26. c. 99
Sambucus natura, & eius virtus, li. 12. c. 98. & 99
Stincus bellua circa Nilum, c. 128
Saphatum arbor, lib. 12. c. 100
in Sensu qualiter forma recipitur, li. 25. c. 16
Sicomorus arbor, li. 12. c. 101
Sensuum media, lib. 25. c. 25
Siler, & siliqua arbores, lib. 12. c. 103
Solaris, & solea pisces, lib. 17. c. 93
Spinachia, & squatina, lib. 17. c. 94
Sensus communis organum, lib. 25. c. 93
Stomachus, lib. 28. c. 69
Salis diuersa species, lib. 5. c. 87
Salis flos, lib. 5. c. 89
Solis natura, & origo, lib. 5. c. 82
Salmo piscis, lib. 17. c. 87
Salpiga, & scitalis serpentes, li. 20. c. 42
Salis operatio in medicina, li. 5. c. 84
Ibidem in alchimia, c. 86.
Sindereſis, lib. 27. c. 23. & 24
Spina, lib. 12. c. 102. & 104
Sensus communis obiectum, lib. 25. c. 94
Suberies arbor, lib. 12. c. 105
Sabbati obseruatio, li. 15. c. 97
Stella, & sturio pisces, lib. 17. c. 95
Salsæ aquæ pondus, lib. 5. c. 10
Saluia herba, lib. 10. c. 140
Samius, lib. 8. c. 26
Sandix herba, lib. 10. c. 141
Sandraca, lib. 7. c. 101
Saphyri virtus in medicina, li. 8. c. 94
Saphyrus, lib. 8. c. 93
Sensuum organa quinque, li. 25. c. 24
Sapor nunquid passio compositi, vel simplicis, li. 5. c. 60
Sensuum ordo, lib. 25. c. 23
Sagapinum & serapinum, li. 13. c. 104
Sus, & eius medicina, li. 18. c. 84. 85. 86
Sensus omnes propry, qualiter coniunguntur in sensu communi, libro 25. c. 92
Sapores in genere, lib. 5. c. 57
Septimanæ, lib. 15. c. 79
Sensuum ad obiecta inclinatio, li. 25. c. 306
Sileris montani semen, lib. 11. c. 27
Splen vnde dictum, lib. 28. c. 75
Sinapis semen, lib. 11. c. 28
Secula, & ætates, lib. 15. c. 100
Saporum causæ, lib. 5. c. 58
Sensuum quinque in corpore dispositio, li. 25. c. 22
Saporum differentiæ, lib. 5. c. 63
Saporum effectus, lib. 5. c. 64
Saporum generatio, li, 5. c. 61
Sfungia pisces, lib. 17. c. 91
Sfungiarum genus, li. 17. c. 92
Suberies arbor, lib. 12. c. 105
Sensum communem ponere, quæ fuit necessitas, li. 25. c. 84
Saporum medicamen, & cognitio, li. 5. c. 72
Sensus communis, vel fantasia, li. 25. c. 87
Saporum operatio ad inuicem, li. 5. c. 66
Sensus communis diffinitio, secundùm Auicennam, lib. 25. c. 90
Satorum vitia, vel nocumenta, li. 11. c. 38
Sarculatio, lib. 6. c. 59
Sardius gemma, lib. 8. c. 96
Sardonix gemma, lib. 8. c. 97
Scoria æris, ac flos, & squama, lib. 7. c. 29
Seminatio, lib. 6. c. 58
Semperuiua herba, lib. 9. c. 132
Saturion, & saxifraga, li. 9. c. 129
Satureia herba, lib. 10. c. 142
Scabiosa, & scamonea, lib. 9. c. 130
Scordium herba, lib. 10. c. 143
Scirpus, & scolopendria herbæ, li. 9. c. 131
Sene herba calida, lib 19. c. 133
Seraphin caput & pedes Domini velant, li. 1. c. 60
Senatio herba, lib. 10. c. 145
Seris lactucæ simillima, li. 10. c. 146
Serpillus, & eius virtutes, li. 10. c. 147. & 148
Silenites gemma, lib. 8. c. 98
Silphion herba, li. 9. c. 139
Simphetas herba, lib. 9. c. 143
Simulachris qualiter dæmones assideant, li. 2. c. 123
Sicla herba, lib. 10. c. 149
Sinopis inuentio, lib. 7. c. 98
Sisere, lib. 10. c. 152
Siseleos herba, lib. 9. c. 144
Sisembrium herba, lib. 9. c. 135
Smaragdi genera, lib. 8. c. 100
Smaragdi virtutes, li. 8. c. 101
Smaragdus gemma, lib. 8. c. 99
Solatrum herba, lib. 10. c. 153
Solis gemma candida, li. 8. c. 103
Somnij sex modi, li. 26. c. 60
Solis imago, lib. 4. c. 83
in Somnys diuersæ causæ visionum, li. 26. c. 63
Siderum in satis effectus, lib. 11. c. 40
in Somnijs deceptiones animæ, li. 26. c. 51
Simila, & furfur, lib. 11. c. 47
Sinapis succus, lib. 11. c. 134
Soni duplex medium, lib. 4. c. 20
Soni generatio in aëre solo recipitur, li. 4. c. 16
Soni varia genera, lib. 4. c. 15
Sonorum differentiæ, li. 4. c. 19
Sonus in aere sibi inuicem occurrentes, li. 4. c. 18
Sonus in quo apparet acris intensio, li. 4. c. 14
Seleusides, strix, strophilos aues, li. 16. c. 137
Strutio auis, lib. 16. c. 138. & 139
Strutio cameli, & sturni, li. 16. c. 140
Sanguisuga vermis aquatilis, li. 20. c. 155
Sanguisuge operatio in medicina, li. 20. c. 156
Scabrones degeneres apum, lib. 20. c. 157
Somnium an passio sit intellectus, li. 26. c. 37. & 38
Somnium qualiter sit motus fantasticæ virtutis, li. 26. c. 39
Somnij motus qualiter sit, vt motus vertiginis, li. 26. c. 40
Spacium aliquod an sit inter sphæras planetarum, lib. 3. c. 104
Somnium quod sit passio sensus communis, li. 26. c. 41
Spacium igneum, lib. 4. c. 1
Spartanea, lib. 9. c. 136
Species quatuor corporum, lib. 7. c. 2
Specula metallina, lib. 2. c. 78
Scarabei animalia, li. 20. c. 158
Scinises muscę, lib. 20. c. 164
Specula plana, lib. 2. c. 81
Species sensibilium, quæ apparent in somnis, li. 26. c. 42

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Somma incerta,li.26. c.48
Specula,vasaque ex argento,li.7. c.20
Somniare ætate proiecti quomodo incipiant,li.26. c.45
Speculi forma luminosa,an habeat aliquod esse,li.2. c.72
Somnium quę fantasinata faciant,li.26. c.46
Scamonea herba,lib.11. c.133
Somnium latens & non latens,li.26. c.50
Speculi forma quibus modis generatur,li.2. c.73
Signorum Zodiaci humerus,& ratio,li.15. c.36
Indispositio,ratio,& diuisio eorum,ibid. c.37.38.& 39
Sirenę,lib.17. c.129
Somnum excitabilem,quę faciunt,li.26. c.30
Speculum secundum,quam naturam sit susceptibile formæ luminosæ, lib.2. c.78
Sciurus,scurulus,strix animalia,li.19. c.105
Status augmenti,& motus diminutionis,li.24. c.76
Somi diffinitio,lib.25. c.15
Somnia significatiua,li.26. c.54
Speculi vitium,lib.4. c.77
Soni,vel auditus medium,li.25. c.60
in Somnys reuelationes quæ fiant,li.26. c.56
Sapientum variæ opiniones in positione intellectus agentis, libro 27. cap.42.
Spiritus minerales,lib.7. c.60
Simia animal,lib.19. c.106.107.& 108
Somni duplex causa excitatiua,li.26. c.31
Somnium,lib.26. c.32
Sobrius intellectus qualiter vigilantem & dormientem à pernicioso defendit errore,lib.26. c.79
Spongiarum generatio,lib.5. c.79
Somni diuersæ causæ,li.26. c.32.33.34.35.& 36
Squilla herba,lib.9. c.137
Squinantum herba lib.9. c.138
Sanguis humanus,lib.28. c.27
Stanni operatio in alchemia,li.7. c.38
Spiritus malignus imagines quomodo imprimat in vigilantibus, libro 26. c.66
Stanni virtus in medicina,lib.7. c.39
Stannum,lib.6. c.37
Sensus communis passiones,li.26. c.6
Storax arbor,lib.13. c.78
Stellarum distantia ad innicem,lib.15. c.26
Saturni,Iouis,& Martis qualitates,lib.15. c.27
Somnus & vigilia,lib.26. c.1
Somni diffinitio,secundùm Aristotelem,li.26. c.2
Somnus & vigilia passiones sensus,lib.26. c.3
Stella cadentes,li.4. c.72
Somni prima causa,lib.26. c.14
Stellarum varietas,lib.15. c.16
Stellarum origo,lib.15. c.17
Stellarum situs & magnitudo,lib.15. c.20
Stellarum motus,lib.15. c.21
Stellarum fixarum motus,li.15. c.22
Stellarum planetæ,lib.15. c.23
Stellarum nomina,& proprietas,lib.15. c.24
Stellarum motus per proprios circulos,li 15. c.25
Somni prima causa,li.16. c.14
Stella in firmamento & infra collocata,li.3. c.103
Sicador herba,lib.9. c.141
Somnus & vigilia animini passiones virtutum motiuarum, lib. 26 cap.4.
Siriguos herba,lib.9. c.140
Strigis species,lib.10. c.154
Structos herba,lib.10. c.155
Somnus & vigilia an sint passiones visus,li.26. c.5
Succini gemmę origo,lib.8. c.104.& 105
Somnus & vigilia qualiter sint passiones communes, c.65
Sensus,lib.26. c.6
Serpentes in commun,lib 20. c.
Spiritus malignus vitrum agat in animam immediatè mala suggerendo,lib. 6. c.68
Serpentum generatio,lib.20. c.4
Serpentum cibus,lib.20. c.5
Serpentum motus,& vinacitas,li.20. c.6
Serpentum astutia,lib.20. c.7
Serpentum venena,lib.20. c.8
Serpentum nocumenta,& remedia,li.20. c.9.& 10
Serpentum varietates,li.20. c.11.& 12
Serpentes monstruosi,li.20. c.13
Serpentibus noxia,lib.20. c.14.15
Serpentum medicinę,li.20. c.16
Situla,spuens,& Syrena serpentes,li.20. c.43
Sonini qualitas,& eius causa,li.26. c.8
Somni & vigiliæ causæ oppositæ,li.26. c.9
Somnum causæ efficientes,li.26. c.11
Sulphur,& eius natura,li.7. c.66
Somni prima causa,quæ est euaporatio nutrimenti,li.26. c.12
Somni nutrimentum est sanguis,li.26. c.13
Sulphureæ aquæ,li.5. c.69
Somni causa an in diebus animalibus sit causa somni,li.26. c.16
Somni secunda causa est labor,li.26. c.17
Sulphuris regimen,& operatio,li.7. c.67
Somni tertia causa est ægritudo,li.26. c.19
Sulphuris virtus in medicina,li.7. c.68
Somni quarta causa,quæ est atas prima. li.26. c.20.& 21
Somni quinta causa est calorus subtractio,li.26. c.23
Sursum & deorsum quòd sunt in cœlo,li.3. c.13
Syderitis herba,li.9. c.142
Sylex est lapis durus,li.7. c.13
Synapis cultura,& virtus,li.10. c.150.& 151
Syricum,ac ceruſa,lib.7. c.100
Somni sexta causa est studij attentio,li.26. c.24
Sorbis quadruplex differentia,li. 13. c.41
Salamandra animal venenosum,li.20. c.63
Salamandræ nocumentum,ac remedium,li.20. c.64
Saura lacertus,& stellio animal venenosum,li.20. c.65
Stellionis medicina,li.20. c.66
Scorpionum diuersa genera,li.20. c.161
Scorpionum morsus,remedia contra eos, lib.20. c.162.163.& 164.
Scorpionum medicinæ,lib.20. c.165
Seta vermis,lib.20. c.166
Sphalangion aranei genus,li.20. c.167
Spoliator colubri,ac stella vermis,li.20. c.168
Sapientia vicit malitiam,& omnia suauiter disposuit,li.29. c.87

T

Tamarix arbor li.12. c.106
Taxus arbor venenata,li.12. c.107
Teda arbor picea,lib.12. c.108
Therebintus,lib.10. c.109
Tapsia herba,lib.9. c.145
Tapsus barbatus herba,lib.9. c.146
Tilia,& tinus arbores,lib.12. c.110
Tegolitus topazion,& turcois lapides,li.8. c.106
Tamarindi,& tuberes fructus,li.14. c.79
Tempestas,& de tempestuosis temporibus,lib.4. c.40
Tempestatum signa,lib.4. c.41
Turbit radix,li.12. c.111
Tarandrus animal,lib.19. c.109
Taxus animal,lib.19. c.110.& 111
Tempori qualiter conueniant passiones numeri,li.3. c.60
Testeum monstrum marinum,li.17. c.130
Testudines marinæ,li.17. c.131
Temporis diffinitiones,li.3. c.62
Temporis motus qualiter in anima mensuretur, aut annumeretur, libro 3. c.67
Temporis partes,lib.3. c.66
Temporis perceptio,quod dependeat ab anima, & non eius esse, lib.3. cap.69.
Temporis substantia,quæ sit,li.3. c.63
Tempus cur dicatur magis causa corruptionis,quàm generationis, libro 3. c.79
Tempus qualiter ab Aristotele dicatur esse numerus, libro tertio, cap.59.
Tigris animal,lib.19. c.112
Tempus qualiter dicatur esse coæquæuum cœlo, Angelo, & primæ materię,lib.3. c.73

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Tempus qualiter ſit menſura motus, li. 3. c.61
Tragelaphus, & tragedita animalia, li. 19. c.113
Tempus qualiter ſit quantitas continua per ſe, li. 3. c.65
Timoris & iræ ſpecies, li. 27. c.70
Temporum in ſerendo varietas, li. 11. c.37
Tempus quid ſit, lib. 3. c.58
Triticum, lib. 11. c.105
Tritici proprietas, qualitas, operatio, li. 11. c.106.107.108
Tritici pocula, lib. 11. c.109
Tempus quod ſecundum quoſdam, non habet eſſe in anima, vel ratione, lib. 3. c.68
Tempus quòd ſit propriè, ac per ſe paſſio motus cæli, libro tertio, cap. 81.
Tempus verum ſemper cauſatur à moto, vel aliquando ſit ſine motu, lib. 3. c.80
Terra apta vineis & arboribus, li. 6. c.60
Thus, lib. 13. c.110
Thuris operatio in medicina, li. 13. ibid.
Terræ motus cauſę, lib. 6. c.26
Terræ motus ſigna, lib. 6. c.33
Terræ motus ſpecies, lib. 6. c.28
Terræ motus effectus, lib. 6. c.29
Terræ motus in quibus locis accidat, & quibus non, li. 6. c.31
Et quibus temporibus accidat, ibid.
Thus arbor, lib. 13. c.79
Thinnus monſtrum marinum, lib. 17. c.132.133
Therebintina, lib. 13. c.109
Teſta, lib. 6. c.81
Tortuca maris monſtrum, li. 17. c.134
Terra an vndique inhabitetur, li. 6. c.10
Terra commendatur multipliciter, li. 5. c.3
Terra rotundam habet formam, li. 5. c.8
Terra ſuper aquas fundata quomodo dicat, li. 5. c.5
Terræ globus in medio aëris libratus, li. 5. c.6
Terræ menſura, lib. 6. c.13
Terræ nudatio ab aquis, lib. 5. c.1
Terræ partes habitabiles, lib. 6. c.65
Terræ portio modica inhabitatur, li. 6. c.16
Terræ primaria generatio, li. 9. c.1
Terræ proprietas, lib. 5. c.2
Terræ genera diuerſa, lib. 6. c.41
Terræ ſitus, lib. 5. c.4
Terræ verticoſus globus, li. 6. c.11
Thronorum nominatio, lib. 1. c.62
Thimus herba, lib. 10. c.156
Et ibid. c. 157.
Tigris, lib. 5. c.37
Tipus, & titimallus herbæ, lib. 9. c.150
Tonitrus ſpecies, lib. 4. c.56
Tonitrus, lib. 4. c.55
Thimi ſemen, & vrticæ, lib. 11. c.30
Tonitrus, quòd non ſit ex qualibet colliſione, li. 4. c.57
Thorax, pectus, & venter, li. 28. c.90
Tonitrus ſine nube fieri poteſt, li. 4. c.58
Tophus, lib. 8. c.12
Tranſmutatio metallorum per alchimiam, li. 7. c.85
Tranſmutationes falſæ, lib. 2. c.105
Et Auguſtini opinio, ibid. c. 106.
Tribuloſa, & tubera herbæ, lib. 10. c.158
Tribulus herba, lib. 9. c.147
Triſolion herba, lib. 9. c.198
Trinitas creatrix qualiter in principio Geneſeos eſt inſinuata, libro 1. cap. 9.
Terra nihil inutile germinat, li. 14. c.140
Tempora diſtinguuntur per cœli luminaria, li. 25. c.63
Temporum partes, & momenta, lib. 15. c.73
Tabanus animal volatile, lib. 20 c.169
Thanor, & tabula vermes, li. 20. c.170
Teredonas lignorum vermes, li. 20. c.171
Trinitas creauit omnia, lib. 1. c.8
Tarda, & tragopa, lib. 16. c.141
Turdela, lib. 16. c.142
Turtur auis, lib. 16. c.143.144
Tactus diſſimilitio, lib. 25. c.76
Tactus quod non ſit plures ſenſus, ſed vnus, li. 25. c.77
Tactus proprietates, lib. 25. c.78
Tactus organum, lib. 25. c.79
Tactus obiectum, lib. 25. c.80
Tactus medium, lib. 25. c.81
Teuca, titimalus, & torpedo piſces, li. 17. c.96
Trebius, & tructa, lib. 17. c.97
Taurus, lib. 18. c.87.88.89.90.91
Talpa animal, lib. 19. c.137.138.& 139
Taranta & tortuca ſerpentes, li. 20. c.44
Tyrus ſerpens, lib. 20. c.45 & 46
Tyri ſerpentis, & tyriaca, li. 20. c.47
Teſtudo vermis, lib. 20. c.172
Teſtudinum quadruplex genus, lib. 20. c.173
Tinea veſtimentorum vermis, li. 20. c.174
Trinitas perſonarum, lib. 1. c.7
Teſticuli, lib. 28. c.79
Tempora vacationis Imperij, li. 32. c.101
Tempora Friderici Secundi Imperatoris, lib. 32. c.109
Tempora Othonis Quarti Imperatoris, li. 32. c.108
Tempora Philippi Secundi, lib. 32. c.107
Trinitas ſumma eſſentia, lib. 1. c.11
Trinitatis imago, quod refulgeat in Angelis, li. 1. c.51
Trinitatis inuiſibilia, qualiter cognoſcuntur à mundi creatura, lib. 1. cap. 10.
Trinitatis veſtigia relucent in omni creatura, li. 1. c.12
Tubera naſcentia ſine radicibus, lib. 10. c.11
Turbith radix, lib. 9. c.149
Turbo, quid ſit, lib 4. c.39

V

Va, & amigdala, lib. 28. c.56
Vacca, & vitulus marinus, li. 17. c.135
Vipera ſerpens, lib. 20. c.48
Viperarum genera, li. 20. c.49
Viperarum generatio, & tyriaca, li. 20. c.50.& 51
Viperarum præparatio, & medicina, li. 20. c.52.& 53
Valles montibus calidiores, li. 3. c.24.& 25
Viſionum diuerſarum mutua collatio, vel comparatio, libro 26. capit. 80.
Viſio prophetica, lib. 26. c.81
Vapor terræ quo aër imprimitur, lib. 6. c.69
Virtus intellectiua, lib. 27. c.29
Virtutis intellectiuæ duplex eſſentia, li. 27. c.30
Vapor terreſtris, ſecundum elementum, li. 6. c.vlt.
Vniuerſitati nihil contrarium, li. 29 c.14
Varac, venia, & vegetana gemmę, lib. 8. c.107
Virginitas, quod præferatur matrimonio, li. 30. c.43
Variatio imaginis in Speculo viſui reſpondentis, li. 2. c.80
Vimer, & vlmus arbores, li. 12. c.117
Vitæ ſedis in corpore quadruplex aſſignatio, li. 24. c.47
Vita, an ſit in embrione ante organizationem, lib. 24. cap. 48. 49.& 50.
Vita in humoribus, an ſit vita, li. 24. c.51
Vitalis virtus cauſa anhelitus, quod ſit, li. 24. c.52
Virtutes vegetabiles, lib. 24. c.64
Vis nutritiua inſtrumentum, li. 24. c.66.& 67
Virtutis nutritiuæ vnitas, li. 24. c.68
Virtutis intellectiuę diſtinctio, li. 27. c.38.39.& 40
Venæ, lib. 28. c.24
Vngulę, & pili, lib 28. c.32
Vocis inſtrumenta, lib. 28. c.65
Venarum proceſſus ab epate, lib. 28. c.73
Veſica, lib. 28. c.77
Vrina, lib. 28. c.78
Venti antelucani, lib. 4. c.32
Venti quatuor principales, lib. 4. c.36
Ventorum alij ſani, alij noxij, lib. 4. c.38
Ventorum augmentatio, lib. 4. c.30
Ventorum cauſa, lib. 4. c.26
Itidem aliæ diuerſæ, ibid. c.27.& 28
Ventorum effectus, & loci originales, lib. 4. c.35
Ventorum interpellationis cauſæ, lib. 4. c.31
Ventorum genera, lib. 4. c.33

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Ventorum numerus, & derationibus nominum, li.4. c.34
Ventorum qualitates, li.4. c.29
Ventorum vtilitas multiplex, li.4. c.37
Veneris & Mercurij qualitates, li.15. c.9
Vis augmentatiua, li.24. c.73
Viscera & inteſtina, li.28. c.70
Virga virilis, lib.28. c.80
Vulua & matrix, lib.28. c.81
Vanelli aues, lib.16. c.145
Veſpertilio auis, lib.16. c.146
Vlula auis, lib.16. c.147
Vpupa auis, lib.16. c.148
Vultur auis, lib.16. c.149.& 150
Vulturum multiplicia genera, & educatio, ac medicina, libro 16. c.151.152.& 153.
Varius, vnicornis, & vnica animalia, li.19. c.114
Vri boues agreſtes, li.19. c.115
Vrſus animal, lib.19. c.116
Vrſi aſtutia, generatio, venatio, & medicina, li.19. c.117.118.119.& 120.
Vulpis doloſitas, & medicina, li.19. c.121.122.& 123
Viſiones, vel imagines animæ per Angelum bonum, vel malum expreſsis, li 26. c.64
Vellus aureum ex aqua generatum, li.5. c.78
Ver, lib.15. c.66
Viſus diffinitio, lib.25. c.28
Viſus organum, lib.25. c.29
Ventorum creatio ex maris refluxione, li.5. c.21
Viſibilis ſpiritus celeritas, li.25. c.30
Viſualis radij circa progreſſum reprobatio, quorum opinionum, libro 25. c.31
Verbaſcum, ac verbana herba, li.9. c.151
Vox, lib.25. c.56
Vela, & vitia ſemina, li.11. c.110
Vini diuerſitates, li.14. c.117.118.119.& 120
Vinum multiplex, lib.14. c.121.122.& 123
Vinum carenum, ſapa, & paſſum, lib.14. c.125
Verbo Dei omnia facta, lib.2. c.31
Vocis ſignificatio, lib.25. c.62
Vetones herba, li.9. c.152
Vini cella mutatio, proprietas, & alia, li.14. c.111.112.113.114.115.& 116.
Vineę fodiendæ, & arbores circumfodiendę, li.6. c.63
Vinum purum, & eius operatio, lib.14. c.127.128.129.130
Viola, lib.10. c.159
Vox, qualiter ad auditum perueniat, li.25. c.58
Violæ virtus in medicina, li.10. c.160.& 161
Voluntas omnis, quòd ſit in ratione, quomodo intelligatur, libro 27. cap.87.
Vermes in generali, lib.20. c.67.& 68
Vermium origo diuerſa, lib.20. c.69
Voluntatis diſtinctio, lib.27. c.83
Virga paſtoris, lib.4. c.153
Voluntas triplex, lib.27. c.84
Virgæ in aëre, lib.4. c.82
Vires appetitiuæ in obedientibus rationi, li.27. c.62
Vis quomodo ſit ab alijs diſtincta, li.27. c.79
Viſcera terræ, quæ contineant, li.6. c.68
Vegetabiles cur non obediant rationi, li.27. c.63
Viſcus, & viticella, lib.9. c.154
Vis obediens rationi, li.27. c.64
Virtutes Angelicæ à nobis aſſumendæ in exemplum, libro primo, cap.86.
Voluntas in bono firmata magna libertas, li.27. c.90
Vitium putatio, & propagatio, li.13. c.46
Vitis, & eius nutrimentum, lib.9. c.6
Vitis natura, lib.13. c.42
Vinearum cultura, lib.13. c.43
Vineæ veteres, & nouellæ, lib.13. c.44
Vitri natura, lib.6. c.77
Vitri operatio in alchimia, li.6. c.79
Vitri origo, lib.7. c.77
Vitri virtus in medicina, li.6. c.78
Volatilium formatio, & natalitium, li.16. c.1
Vitrum, quomodo fit, li.7. c.77
Vis motiua ſenſibilis, lib.25. c.101
Vlpicum, & vrtica, li.10. c.162
Vinum lib.14. c.109.& 110
Vina fictitia & proprietates, li.14. c.133.& 134
Vnitas diuinæ eſſentiæ, lib.1. c.6
Voluntas, an ſit potentia per ſe, li.27. c.85
Vitium inſitio, & vinearum foßio, li.13. c.47.& 48
Vitium ablaqueatio, pampinatio, atque rigatio, li.13. c.49
Vitibus contraria, & nociua, li.13. c.51
Vitium materiam, vide lib.13. c.52.53.54.55.& 56
Voluntas, an ſit in omnibus viribus animæ, li.27. c.86
Voluntatis conſenſus, li.27. c.89
Vindemia quando facienda, li.13. c.59
Voluntatis obiectum, & inſtrumentum, li.27. c.89
Viſcus, lib.13. c.112
Veſpa animal volatile, li.20. c.175
Veſparum diuerſa genera, li.20. c.176
Veſparum cibus & generatio, & punctio, li.20. cap.177.178.& 179.
Viſionis fallacia, vel error, lib.26. c.78
Virtus cogitatiua, vel excogitatiua, li.27. c.9
Virtus excogitatiua, quæ dicatur, ſecundum Auicennam, libro 26. cap.10.
Vrticæ operatio in medicina, li.10. c.163.& 164
Via recordationis & obliuionis in capite, li.27. c.12
Vermes anuloſi, lib.20. c.70
Vermium pedes, lib.20. c.71
Vermes alati, lib.20. c.72
Vermes habentes aculeum, lib.20. c.73
Vermes anuloſi, lib.20. c.74
Vua, & vuarum differentia, proprietates, lib.14. c.81.82.83.& 84.
Vermium ſenſus, & voces, lib.20. c.75
Vis motiua membrorum, li.27. c.76
Vua paſſa facienda, li.14. c.85.& 86
Virtus memoratiua, lib.26. c.11
Vinum malorum granatorum, li.14. c.136
Vinum cidoniorum, lib.14. c.137
Vinum meſpilatum, & dactilicum, li.14. c.138
Viſcum, lib.14. c.139
Venth, vipera, & vmbra, li.17. c.98
Vranoſcopus, vrtica, & vulpa piſces, lib.17. c.99
Vacca, eius caro, medicina ex ea, li.18. c.102.103.& 104
Veruex, lib.18. c.95
Vitulus, lib.18. c.96.& 97
Vituli medicina, lib.18. c.98
Vermium generatio, lib.26. c.76
Virtus vitalis, lib.24. c.11
Vita in genere, lib.24. c.12
Vita, an ſubſtantia vel accidens, li.24. c.13
Vita, an ſit anima ipſa, li.24. c.14
Vita, qualiter dicatur eſſe anima, li.24. c.15
Vita, an ſit animæ potentia, lib.24. c.16
Vitæ potentia, & virtus indiuiſa, li.24. c.17
Vita, qualiter ſit actus animæ, li.24. c.19.& 20
Vita diuerſimodè ſumpta, eſt actus & potentia, li.24. c.21
Vita habitualis potentia, li.24. c.22
Vita effectiua, lib.24. c.23
Vitæ actus infatigabilis, lib.24. c.24
Vita fluere dicitur ex quieto, & ſempiterno, li.24. c.25
Vita, an ſit immediatè à Deo creata in plantis, & brutis, libro 24. cap.26.
Vitæ multiplicatio in plantis, & multæ ſententię circa hoc, libro 24. cap.27.28.29.30.31.32.
Vitæ principia fundantur in eſſentialibus rei principijs, lib.24. cap.33 34.& 35.
Vita duplex, creata & increata, li.24. c.39
Vitæ multiplex differentia, li.24. c.40
Viſionum ſua genera, lib.26. c.75
Viſionum ordo, lib.26. c.76
Viſionum connexio, li.26. c.77
Virtus vitalis patiens, li.24. c.55
Virtus animalis, & eius ſpecies, li.24. c.56
Virtus ſpiritualis, & eius inſtrumentum, li.24. c.58
Virtutis animalis inſtrumentum, li.24. c.59

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

Vitium animæ diuiſio, li.24. c.60.& 61
Viſibiles ſpecies ſunt in medio, & in oculo, li.25. c.42
Videndi modus, c.43
Viſus multæ quæſtiones, lib.25. c.44.45.46.47.48.& 49
Veritatis ex intuitu in mente formatur imago Trinitatis, libro 27. cap.18.

X

Xilocaracta fructus, lib.14. c.87
Xion, zeleutide, Iboz, Idros, & Iſida aues, li.16. c.154

Y

Yperion herba, lib.9. c.155
Yppotamus bellua, lib.17. c.136.& 137
Ychneumon, & Yppotamus animalia, li.19. c.124

Z

Zeodar herba, lib.10. c.170
Zedroſi, zidrach, & zephius bellua marina, libro 17. capit.138.
Zitiron monſtrum marinum, lib.17. c.239
Zinziber ſimile piperi, lib.10. c.171
Zodiaci duodecim ſigna, lib.15. c.34
Zubro beſtia, lib.19. c.125
Zonæ, & circuli in eis contenti, lib.3. c.16
Ziziſum fructus, & Ipomelides fructus, li.14. c.88
Zonæ quinque, lib.6. c.14
Zonæ, quod quinque in cœlo & in terra dicuntur eſſe, libro ſexto, cap.15.
Zuccari, & candidi natura, lib.13. c.113.& 114
Zuccari penidiæ, lib.13. c.115

FINIS.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf